0067387XXXX

VILLANOVA COLLEGE LIBRARY
Villanova, Pennsylvania

This book was donated
3-4-49
by
Rev. M. Sullivan, O.S.A.

ACTA
SANCTORUM

PARISIIS. — TYPIS V. GOUPY ET JOURDAN, VIA DICTA DE RENNES, 71.



LEOPOLDUS, PRINCEPS BELGARUM
REGIUS, DUX BRABANTIÆ

Lith Barousse Paris

ACTA
SANCTORUM
OCTOBRIS

Ex Latinis et Græcis aliarumque gentium Monumentis, servatâ primigeniâ veterum Scriptorum phrasi

COLLECTA, DIGESTA, COMMENTARIISQUE ET OBSERVATIONIBUS

ILLUSTRATA

A

JOSEPHO VAN HECKE, BENJAMINO BOSSUE,
VICTORE DE BUCK, ANTONIO TINNEBROEK

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS

TOMUS OCTAVUS

QUO DIES DECIMUS SEPTIMUS, DECIMUS OCTAVUS, DECIMUS NONUS ET VIGESIMUS CONTINENTUR

PARISIIS ET ROMÆ
APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM

1870

LEOPOLDO,

REGIO BELGARUM PRINCIPI,

DUCI BRABANTIÆ.

Ardenter votisque omnibus optaveramus, potestatem nobis fieri, SERENISSIME PRINCEPS, dedicandi nomini Tuo fructus diuturni laboris, quem edendis Actis Sanctorum tomi octavi Octobris impendimus : quam veniam summo nostro gaudio benigne datam ab Augustissimo Rege nostro, Patre Tuo optimo, intelleximus. Sed gaudium nostrum cumulatum est, quod tunc nobis id licuit, quando Tibi, ætatem capessendæ reipublicæ attingenti, universum applaudit Belgium. Inter has igitur totius regni gratulationes, nostrum quoque munusculum benevolo, quo

accedentes ad Te, SERENISSIME PRINCEPS, excipere soles, vultu dignare. Est quidem levidense, quod porrigimus, ast qualecumque est, tamquam perenne in Te universamque Domum Regiam reverentiæ, obsequii et amoris Societatis Jesu Belgicæ testimonium offerimus. Et vero, SERENISSIME PRINCEPS, hoc volumen id pretii habet, quod Acta continet S. HEDWIGIS ducis Silesiæ, ex qua per utrumque parentem originem deducis Tuam. Fuit illa Silesiæ decus, ornamentum et præsidium, ejusque virtutes sponte sua vel incuriosis in memoriam revocant Matrem Tuam amantissimam, piissimam Reginam nostram LUDOVICAM MARIAM, quæ Belgium nostrum sanctimonia illustravit, beneficiis affecit, digna ornavit prole. Ut porro quæ maximarum virtutum Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, prælucent exempla, quam proxime secteris, Ataviam Tuam S. HEDWIGEM, Cœlitesque omnes Tibi totique Regiæ Familiæ propitios ac perpetuos patronos esse cupimus, et juxta apostolicum præceptum Deum enixe orare non desinemus, ut Augustissimo Patri Tuo vitam præstet longævam, domum tutam, exercitum strenuum, populum probum, regnum quietum, utque Te ad Familiæ Tuæ solatium, Belgici nominis splendorem, Ecclesiæ decus salvum et incolumem quam diutissime conservet.

SERENITATIS TUÆ REGIÆ

Devotissimi Famuli

JOSEPHUS VAN HECKE
BENJAMINUS BOSSUE
VICTOR DE BUCK
ANTONIUS TINNEBROECK
Societatis Jesu Theologi.

SYNOPSIS

TOMI OCTAVI

DE ACTIS SANCTORUM

OCTOBRIS.

Qui prodit in lucem Tomus, totius Operis quinquagesimus quartus, mensis Octobris octavus, dies continet omnino quatuor, nempe decimum septimum, decimum octavum, decimum nonum ac vigesimum ejusdem mensis. Cœlitum vero, de quibus nominatim agitur, numerus ad centum quadraginta sex ascendit, præter anonymos plurimos. Viros de more partiemur in tres Ordines, seu status, nempe *ecclesiasticum*, *monasticum*, sub quo regulares omnes accensemus, et *sæcularem*, cui *fœmineum sexum* subnectimus. Singulos ordines fere secundum seriem chronologicam exponimus.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Classem hanc aperit S. *Lucas* Euangelista, cujus Acta et variæ translationes exponuntur, ejusque Euangelii authentia adversus quosdam neocriticos vindicatur. Hunc excipit S. *Hero*, Antiochenus episcopus et Martyr, in cujus chronotaxin inquiritur. Similes quæstiones in S. *Asclepiade*, Antiocheno pariter episcopo, evolvuntur. In S. *Maximo* levita et Martyre, præter Acta ex veteri Breviario, disseritur de urbibus Avia et Aquila, et Ottonianum diploma de visitatione Reliquiarum vindicatur. De S. *Florentino*, Trevirensi et Tungrensi episcopo, vix quidpiam præter nomen cognoscimus: ast posito ejus episcopatu, retractanda fuit recentiorum opinio, qua initia christianæ religionis in Gallia ad medium sæculum tertium prorogantur. S. *Caprasio* Aginnensi Martyri dignitatem episcopalem ex traditione asserimus, et antiquam satis passionem, rejectis aliis, damus, una cum Vita Metrica, hactenus inedita: S. *Dulcidii*, qui Martyrem Aginnensem transtulit, Vitam proferimus ex Breviario Lemovicensi. Occasione S. *Clementis* presbyteri Laudensis, cujus res gestæ Actis S. Bassiani immixtæ sunt, describitur Laus Pompeja vetus et nova. De SS. episcopis *Levangio* Silvanectensi, *Eusterio* Salernitano, *Grato* Oleronensi et *Florentio* Aransicano, vix aliqua habemus, sed pro re nata quædam illustrari conati sumus. Utriusque *Ruricii*, episcopi Lemovicensis, res gestas ex epistolis S. *Ruricii* I et ex Chronico Comodoliacensi desumpsimus. In Commentario historico de S. *Lupo*, Suessionensi episcopo, ejusdem consanguinitatem cum S. Remigio asserimus; *Victoris* autem, Capuani episcopi, scripta, hactenus cognita, recensemus; *Verani*, Cavellicensis episcopi, Vitam ex Labbei Nova Bibliotheca, et Narrationem de ejus morte et sepultura ex manuscripto edimus, postquam, Tamajo exploso, qui eumdem Tarraconensi sedi adscribebat, episcopatus Cavallicensis antiquitatem, et Sancti res gestas et cultum demonstravimus. De S. *Zenone* episcopo, Beneventi culto, paucula corrasimus. In Britannia tum Majori tum Minori floruerunt SS. *Leuthernus* et *Levianus* episcopi ac *Scophilus* abbas, sed de iis vix aliud quam quæ ad eorum cultum pertinent invenire nobis licuit: paulo ampliora nobis præbet sylloge de S. *Fintano* Corach, Clonfertensi episcopo et *Fintano* Moeldubh, quoniam eorum ætas, munia et loca, quæ incoluisse traduntur, exponere potuimus. Eodem circiter tempore martyrium patiebantur SS. *Felix* presbyter et *Augebertus* diaconus, quorum corpora olim in abbatia S. Petri Vivi asservata, nunc in ecclesia metropolitana Senonensi requiescunt. Licet B. *Sonnatii*, Remensis archiepiscopi cultu sinterierit, certa tamen permanent antiquæ venerationis argumenta: concilium celebravit, cujus statuta, simulque limites regni Austrasiani sub Dagoberto inquiruntur. S *Nothelmi* quoque Cantuariensis archiepiscopi refertur translatio, veteris cultus testimonium, ejusque cum Ven. Beda et S. Bonifacio, Germanorum apostolo, epistolare commercium. Gravior occurrit quæstio in B. *Joanne* III, episcopo Comensi, schismati Aquilejensi implicato. Eodem circiter tempore S. *Vincentius* presbyter Magniacum in agro Nivernensi illustrat, ejusque memoria, in sacris fastis celebrata, monstrat Usuardum secundis curis Martyrologium suum retractasse. S. *Berarii* Cenomanensis episcopatum præsertim illustrant translatæ e Monte Cassino S. Scholasticæ Reliquiæ, variæque institutiones monasticæ; ejus tamen chronotaxin intricat alter Berarius, Cenomanis pariter episcopus, ut ostendunt gesta episcoporum Cenomanensium, e quibus Vitam Sancti mutuati sumus. S. *Berario* æqualis fuit S. *Lupus* Andegavensis episcopus, cujus epocha, perperam a pseudo Odone Cluniacensi indicata, stabilitur S. *Aquilini* Ebroicensis episcopi, expuncto ejus homonymo, quem aliqui in cathedram Ebroicensem intrudere volebant, res gestas illustramus tum ex ejusdem sedis antiquitate, tum ex concilio Rotomagensi et bello adversus barbaros illato. In S. *Vitale* episcopo Salisburgensi in Germania exponitur initium istius sedis, de quo dudum acri contentione disceptatum fuit, et vitam ac episcopatum Sancti, cujus miracula ex processu Canonizationis, Joanne Stainhauser et Amando Pachler referuntur. S. *Acca* Hagustaldiensis episcopus, controversiis et fortunæ S. Wilfridi Eboracensis immixtus, varia ædificavit templa, et ipse doctrina insignis, auctor fuit Ven. Bedæ scribendi Commentarios in Scripturam Sacram, præsertim Novi Testamenti; S. *Accæ* Vitam et miracula damus ex Hagiologio Hagustaldiensi, auctore anonymo canonico regulari. S. *Aderaldi*, qui Trecensis archidiaconus reformationem cleri procuravit, et cœnobium S. Sepulcri prope Trecas erexit, Vitam damus ab anonymo æquali et familiari conscriptam. S. Petrus Damiani

miani ediderat Acta BB. *Rodulphi* episcopi et *Petri* eremitarum Avellanensium, quæ multiplici inquisitioni ansam præbent: oportet enim eorum cultum investigare, tempus eorumdem mortis definire tum ab anno emortuali Hugonis I archiepiscopi Vesuntini tum ab electione et inthronizatione B. Alexandri II Papæ, et tandem indagare, utrum proprio an vicario nomine Eugubinam Ecclesiam administrarit B. *Rodulphus*. S. *Humbaldum* illustrant concilia, quibus interfuit, favores piis locis impensi et peregrinatio Hierosolymitana, in qua periit. B. *Thomas Helias*, presbyter Bivillæ in Normannia inferiori, biographum nactus est Clementem, coævum scriptorem, qui altero opusculo ejusdem Beati miracula exposuit lucubrationem hanc una cum Miraculis recentioribus edimus, simulque monstramus, quæ hactenus pro canonizatione Beati acta sunt. Ex Adamo Opatovio damus Vitam et Miracula S. *Joannis Cantii* presbyteri sæcularis Cracoviensis, quibus pro more præmittimus Commentarium de Sancti patria, parentibus, studiis in academia Cracoviensi, scriptis et de multiplicibus obortis difficultatibus in causa canonizationis.

EX STATU MONASTICO.

S. *Barsabiæ* cœnobiarchæ et sociorum in Perside passionem damus ex versione Stephani Evodii Assemani, inquirimusque de compositione anni lunaris cum solari ac de initiis status monastici per Syriam et Persiam. S. *Barsabiæ* suppar tempore et regione fuit S. *Julianus Saba*, Eremita in Mesopotamia, cujus Vitam edimus ex Theodoreto: *Julianus* noster distinguendus imprimis fuit ab altero homonymo, similiter monacho et Coævo, ac dein inquirenda fuere et locus, quo vixit, et tempus, quo obiit. In Commentario prævio S. *Joannis Colobi* seu *Parvi* illustramus statum antiquum et hodiernum deserti Scetis, S. *Joannis* monasterium, ejusdemque ab altero Joanne œconomo Scetensi distinctionem; Actorum locum occupant Apophthegmata, dicta et facta Sancti referentia, quæ ex Cotelerio edimus. Præter fundationem Buxidensem jejuna sunt valde quæ conjectando magis quam affirmando dicimus de S. *Troesio* abbate et Confessore Niverni. Quamvis vitam S. *Sindulphi*, eremitæ Alsontiæ in agro Rhemensi, reliquerit nobis Almannus monachus, sæculi IX scriptor, vix tamen aliquid explorati præter translationem, multis miraculis insignem, nobis suppeditat. Ampliorem sui notitiam reliquit S. *Ethbinus* abbas, qui destructo, quod in Britannia Minori incolebat, monasterio Tauracensi, in Hiberniam trajecit, qua occasione ejusdem Sancti chronotaxis ordinatur, referuntur variæ translationes, ac tandem datur Vita ex Manuscriptis. Diœcesis Namurcensis in Belgio nobis exhibet S. *Bononem* eremitam et Martyrem, in cujus honorem olim Nassoniæ erecta fuit ecclesia collegiata; Vitam et Passionem nobis servarunt codices manuscripti. S. *Desiderius* abbas in territorio Bituricensi aliquando confusus fuit cum suo homonymo, discipulo S. Baronti: ejus Vitam damus ex Philippo Labbeo. Quoniam, ut vita, edita a Mabillonio et a nobis noviter excusa, docet, S. *Theofredus*, abbas Calmeliacensis, Martyr in Saracenica vastatione occubuit, propter frequentes istius gentis incursiones, inquirendum fuit cuinam irruptioni illiganda fuerit Sancti passio, et huic quæstioni subjunximus quæ ad S. *Theofredi* cultum, translationem, præsentem Reliquiarum statum et Calmeliacensis cœnobii historiam pertinent. De S. *Andrea* Cretensi monacho et Martyre ex Mss. duplicia Acta græce et latine proferimus, quorum altera auctorem habent anonymum, altera vero Metaphrasten: sed quum martyria sub Constantino Copronymo satis intricassent varii hagiologi, oportuit Martyrum aliquot Acta breviter illustrare, Copronymianæ persecutionis chronologiam texere, ac tali modo certi aliquid de Sancto constituere. S. *Regulum* abbatem aut episcopum ejusque socios SS. *Damianum* presbyterum, *Aneglas* diaconum et *Muren* Virginem præcipue illustravit translatio Reliquiarum S. Andreæ Apostoli in Scotiam: sed antequam translationis hujus epocha et modus utcumque definiretur, discutiendæ fuerunt variæ variorum opiniones circa topographiam Andreopolitanam et Culdeorum institutum et fata. In SS. *Gaufrido* et *Serlone* abbatibus Saviniacensibus, *Gulielmo* novitio et *Adelina* abbatissa Moritoniensi in Normannia, præter ea quæ ad Beatorum res gestas et cultum spectant, operosa occurrit quæstio de propagatione Ordinis Saviniacensis, ejusque cum filiatione Clarevallensi conjunctio, de variis cœnobiis, quæ ex Saviniaco, tamquam e fœcunda matre ab anno 1012 ad 1657 prodierunt; sed hæc monasteriorum genealogia tricis geographicis et chronologicis quam pluribus impedita, recto ordine constituenda fuit: quod ut facilius ante lectorum oculos obversaretur, tabulis explicatum fuit, ut unus obtutus universam filiationem complecteretur. S. *Petri de Alcantara* Confessoris Ordinis Minorum duplicem Vitam in lucem damus: prior auctorem habet Joannem a S. Maria, Sancto supparem, et hispanice olim conscripta nunc primum latinitate donata prodit. Alteram prolixiorem confecit Laurentius a D. Paulo. Quoniam vero bina Acta plerumque abunde omnia explicaverant, Commentarius prævius contrahi et fere reduci potuit ad S. *Petri* zelum tum in adjuvanda reformatione S. Teresiæ, tum in instaurando proprio Ordine, ad scripta eidem tributa et ad gloriam ejus posthumam.

EX STATU SÆCULARI.

Classem hanc, si paucos excipias, Martyres constituunt. Habemus imprimis SS. *Ptolemæum*, *Lucium*, eorumque socium anonymum, quorum Acta Eusebius ex secunda Apologia S. Justini Martyris decerpsit, annus martyrii derivandus est ab anno, quo S. Justinus posteriorem Apologiam conscripsit, et, refutatis opinionibus Gallandii et Longueruei, passio SS. Martyrum cum anno Christi 165 conjungitur. Martyrum, qui sequuntur, tempora sunt quidem incerta, sed tamen initio sæculi quarti recentiora non sunt. Varias catervas secundum varias regionum palæstras enumerabimus. In Africa, præter Martyres Bolitanos veteri Kalendario Carthaginensi inscriptis, Martyrologia nobis exhibent Martyres Mauritanos *Ninum*, *Victoriam* seu *Victorem*, *Nobilitanum* seu *Jubilitanum*, *Mauritanum* seu *Marianum*, *Lucium*, *Cittinum* seu *Tinnum*, *Crescentianum*, *Ruffinianum*, *Donatum*, *Defensorem*, *Rusticianum*, *Servilianum*, *Socratum* seu *Socratem*, *Venerium* seu *Veneriam*, *Januarium*, *Mustolum* seu *Neustolum*, *Quintasium*, *Memmam* seu *Memmiam*, *Yzitanum* seu *Zidiacum*, *Primam*, *Donatam*, *Severam*, *Victoriam*, *Basiliam* et *Magnilium*: alteram turmam Africanam componunt *Lucius*, *Victor*, *Dasius*, *Leucius*, *Victoricus*, *Beresus*, episcopus, *Victrix*, *Faustinus* vel *Faustina* et *Martialis*. Nicomediæ certarunt *Promachus*, *Lucius*, *Marcellinus* et *Berniacus* et forte *Zosimus* seu *Susimus* et *Januarius* seu *Januaria*; eamdem palæstram nacti sunt Martyres, quos suos esse contendebant Hispani, *Victor*, *Alexander* et *Marianus*; partim Nicomedia, partim Ostia Tiberina sibi merito

merito vindicant Martyres *Lucium* vel *Lucam*, *Victorinum* vel *Victorinam* aut *Victiam* item *Agnetem* Virginem. In reliqua Italia Puteoli in Campania Martyres exhibent *Dasium* seu *Datium*, *Zosimum*, *Januarium*, *Dorotheam* seu *Dorotheum*, *Zosimum* seu *Susimum* et *Januariam* seu *Januarianam*; status pontificii *Marcianum* et *Joannem*, quorum tertia celebratur translatio Diadematc seu Historia inventionis sacrorum corporum, quæ hactenus inedita nunc primum in lucem prodit, et historiæ ecclesiasticæ utilissima est. Axiopolis, de cujus situ aliqua perstringuntur producit Martyres suos *Hermetem* et *Taxium*; Antiochiam illustrarunt tum *Beronicus*, *Pelagia* et socii quadraginta novem, tum S. *Artemius*, dux augustalis, sub Cæsare Juliano martyr: hujus sanctitatem et debitum cultum impugnavit Tillemontius, adductis variis exemplis, præsertim *Dictinii*, Asturicensis episcopi, nos vero legitimum utriusque esse cultum defendimus, Acta proferimus græce et latine, quæ S. Joanni Damasceno tribuuntur, cujus quoque auctoritatem et sinceritatem adversus Casaubonum vindicamus. Ex Vaticano codice græce et latine in lucem proferimus martyrium S. *Vari* militis et sex sociorum eremitarum in Ægypto, simul Acta S. *Cleopatræ*, quæ S. *Varum*, passum sub Galerio Maximiano, postmodum, pace Ecclesiæ reddita, ex Ægypto in Palæstinam transtulit. In Gallia habemus *Justum*, puerum Martyrem, de quo duplicia Acta edimus, altera nempe ex manuscriptis, altera vero ex tribus Legendariis Bellovacensibus: in Commentario autem eadem *Justo* nostro vindicantur, quæ olim S. Justino Luparensi aut Parisiensi aptata fuerant, unde multiplex in Breviariis oriebatur perturbatio: cultus Sancti Martyris late propagatus per Galliam, Belgium, Germaniam et Angliam ostenditur, ejusque Malmundariam translatio in examen vocatur. Atrebatenses alio *Justo* una cum *Artemio* et *Honesta* Virgine gloriantur, quorum dies cultus, tempus et locus cædis ostenditur: passionem scripsit Jacobus Malbrancq societatis nostræ. Ulcienses in Subalpinis tertium producunt *Justum* cum *Flaviano* et nonaginta sociis, quorum cultus quidem certus, quamvis incerta origo, atque hac occasione Novaliciensis, Secusiensis et Uciensis monasteriorum initia declarantur. Rutheni in Gallia *Gratum* tamquam Martyrem colunt et S. *Ansutum* eremitam, de quibus paucula e cultu, eisdem impenso, decerpere nobis licuit. SS. *Ethelredi* et *Ethelberti* fratrum Martyrum, S. Ethelberti, Cantii regis, pronepotum genealogia stabilitur, tempus passionis examinatur, initia monasterii Thanetensis referuntur, Acta martyrii ex Simeone Dunelmensi depromuntur. Inter confessores venit S. *Brothenus*, de quo satis jejunam habemus notitiam; *Bradanus*, *Orora* et alii Sancti insulæ Manniæ sui memoriam superstitem in ædibus sacris reliquerunt, evolvuntur porro fata episcopatus Manniæ seu Sodorensis, et, ad quam provinciam ecclesiasticam pertinuerit, inquiritur.

EX SEXU FOEMINEO.

Præter sanctas fœminas, supra cum aliis enumeratas, occurrit S. *Solina* Virgo et Martyr Carnutensis, cujus cultus variis et certissimis probatur argumentis, et passio ex Legendario S. Petri Carnutensis traditur. De S. *Tryphonia*, præter translationem a S. Paulo Papa I factam, una occurrit quæstio, utrum scilicet fuerit uxor Decii imperatoris aut alterutrius filiorum, an potius serva uxoris Decii. SS. *Puellarum* Acta ex Breviario Sanpapulensi exhibentur, simulque Sanctarum palæstra et tempus martyrii illustrantur. S. *Mameltam*, a quibusdam cum S. Mamlacha perperam confusam, brevique post baptismum passam, variis ædificatis ecclesias coluit olim Cpolis. S. *Irene*, Virgo et Martyr in Lusitania, nomen suum dedit civitati Setabi, quæ hodie Santarem appellatur; Breviarium Eborense nobis legendam præbuit, ex quo videmus S. *Irenen* monasticam vitam coluisse. *Gwendolinam* abbatissam Wallia veneratur: Gallia autem S. *Austrudem* abbatissam Lauduni: ejus Acta et miracula, ab Anonymo subæquali conscripta, ex Mabillonio recudimus. Occasione S. *Frideswidæ* Virginis, Oxoniæ patronæ, inquiritur de initiis urbis et academiæ Oxoniensis, de vicissitudinibus Frideswidiani monasterii, cujus ecclesia ab Henrico VIII in cathedralem erecta est; agitur dein de cultu ejusdem Virginis tum in Anglia tum in Artesia, de Reliquiarum cum alienis ossibus permixtione; tandem subjungitur Vita duplex, altera ex Capegravio, metrica altera, una cum libro de miraculis. De S. *Laura*, Vidua et Martyre Cordubæ, refutando magis Tamayi, Hispani Martyrologi, opinationes, quam certi aliquid asserendo agimus. Sanctorum hic nominatorum seriem claudit S. *Hedwigis*, Vidua, ducissa Silesiæ. In Commentario prævio exponimus Sanctæ genus paternum et maternum, pias multiplicesque per Silesiam fundationes, bella a marito et filio gesta, et historiam canonizationis et cultus: præter Vitam breviorem, in Commentario editam, damus Vitam prolixiorem cum Annotatis opportunis; conscripta fuit Vita utraque ab eodem auctore anonymo subæquali: addimus coronidis loco Speculum Genealogiæ S. *Hedwigis*, cujus posteritatem ad hodiernos usque Europæ principes plerosque deducimus.

INDEX SANCTORUM

IN TOMUM VIII OCTOBRIS

A

20 Acca episcopus et Confessor Hagustaldiæ, in Northumbria. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. De origine et fatis Ecclesiæ Hagustaldensis in Northumbria 965. § II. S. Accæ cultus, discipulatus apud SS. Bosa et Wilfridum, Eboracenses archiepiscopos 967. § III. S. Accæ episcopatus; templa ab eo perfecta; ejus cum Ven. Beda amicitia et epistolare commercium; exsilium et obitus 969. VITA ET MIRACULA S. ACCÆ, HAGUSTALDI EPISCOPI, excerpta ex Libro de Sanctis Ecclesiæ Hagustaldensis et eorum miraculis, auctore anonymo canonico reg. *apud Mabillon. Acta SS. Ord. S. Benedicti sæc.* III, *part.* I 973

20 Aderaldus archidiaconus et confessor Trecis in Gallia. COMM. PRÆV. § I. Vita hic edenda; ætas Sancti; reformatio cleri Trecensis ab eo procurata 980. § II. Fundatio prioratus S. Sepulcri; Sancti Reliquiæ, imagines, Officium ecclesiasticum, memoria in Martyrologiis 986. VITA, *auctore anonymo æquali et familiari, ex editione Remigii Breyer* 991

Agnes Virgo martyr. Vide *Lucius.*

20 Agricola, presb. et conf. Suessione in Gallia. SYLLOGE HISTORICA 885

Alexander. Vide *Victor.*

17 Andreas Cretensis, dictus in Crisi, Martyr Constantinopolitanus sub Constantino Copronymo. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Sancti memoria in fastis, cultus et Acta 124. § II. Septem Martyres in plerisque fastis confuse prolati ab invicem distinguuntur et eorum Acta breviter illustrantur. Persecutionis Constantini Copronymi brevis historia et chronotaxis exhibetur 127. § III. Inquiritur in vitam S. Andreæ: Actorum loca nonnulla illustrantur 132. § IV. S. Andreæ Reliquiæ, miracula, locus sepulturæ 134. MARTYRIUM sancti et gloriosi confessoris et thaumaturgi Andreæ, qui passus est sub imperatore Constantino Copronymo. *Græce et latine.* CAPUT unicum. S. Andreas ex Creta Constantinopolim venit ad resistendum Constantino Copronymo iconoclastæ et persecutori: martyrium 135. MARTYRIUM sancti monachi et Martyris Andreæ, qui est in Crisi, *auctore Metaphraste, cum versione quæ est apud Surium.* CAPUT unicum. S. Andreæ pia in Creta vita; venit Constantinopolim ad impugnandum Constantinum Copronymum, et, immania tormenta passus, exspirat: sepulcrum miraculis claret: in Crisi deponitur 142

Aneglas. Vide *Regulus.*

Ansutus cum Grato. Vide *Gratus.*

19 Aquilinus, episcopus Ebroicensis in Gallia. COMMENT. PRÆV. § I. Urbis et Sedis Ebroicensis antiquitas: S. Aquilinus subscripsit concilio Rotomagensi; quo anno illud sit celebratum: fama sanctitatis ex Martyrologiis 489. § II. Synopsis vitæ; num duo distinguendi Sancti ejusdem nominis, uterque episcopus Ebroicensis 494. § III. De Barbaris, adversus quos S. Aquilinus sub Clodovæo arma tulit; Winidos fuisse probabilius ostenditur 498. § IV. De tempore et annis episcopatus S. Aquilini: de Actis, horumque scriptore 501. § V. Reliquiæ, earumque translatio 503. VITA *ex Ms. Rubræ Vallis et altero Gigniacensi, coll. cum Surio.* Prologus 505. CAP. I. Natales, adolescentia; matrimonium init: meretur stipendia sub Clodovæo II adversus Barbaros: redux, vovet, de consensu conjugis suæ, castitatem, atque exinde sub eodem tecto manentes, omni virtutum excellunt genere 506. § II. Succedit in sede Ebroicensi B. Ætherio; munere sanctissime fungitur; orbatus lumine oculorum, vigilantius prospicit gregi: ejus mors et sepultura 508

Artemius cum Justo. Vide *Justus.*

20 Artemius Martyr, Antiochiæ in Syria. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Adversus argumenta Tillemontii vindicatur sanctitas S. Artemii ex Martyrologiis et variis scriptoribus 847. § II. Acta S. Dictinii, præcipue in redeundo ad unitatem Ecclesiæ et cultus ecclesiasticus elucidantur 850. § III. Acta S. Artemii edenda videntur esse S. Joannis Damasceni, cujus auctoritas et sinceritas adversus Casaubonum vindicantur 854. MEMORIA seu HISTORIA magni et prodigiosi Martyris Artemii, collecta ex ecclesiastica Historia Philostorgii et nonnullorum aliorum a Joanne monacho. *Ex tom. IV Spicilegii Romani Card. Angeli Maji.* CAPUT I. Fontes historiæ S. Artemii. status imperii sub Constantino Magno 856. CAPUT II. Constantius, vita functis fratribus, solus imperator, consortem imperii assumit Julianum 859. CAPUT III. Julianus, adeptus imperium, Christianos variis artibus aggreditur, et pro tribunali cum Eusebio et Macario, presbyteris Antiochenis, disputat 863. CAPUT IV. S. Artemius Juliano crudelitatem exprobrat, vanitatem idolorum demonstrat et torqueri jubetur 869. CAPUT V. Julianus, tacentibus propter præsens Martyris Babylæ corpus oraculis, magis irascitur Christianis 875. CAPUT VI. S. Artemius, a Juliano damnatus, capite plectitur, ejusque corpus CPolim transfertur. Vanus Juliani conatus ad Hierosolymitanum templum instaurandum, ejusque cædes a Persis 881

18 Asclepiades episcopus Antiochenus. COMMENTARIUS HISTORICUS. Ejus memoria apud Eusebium et in Martyrologiis, quibus et quot annis S. Asclepiades sedem tenuerit Antiochenam 313

18 Augebertus cum Felici. Vide *Felix.*

17 Austrudis, Virgo abbatissa, Lauduni in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § unicus. Sanctæ memoria in fastis sacris; Acta a biographo subæquali conscripta; tempus nativitatis et obitus 108. VITA auctore anonymo subæquali, *ex Joan. Mabillon Actis SS. Ord. S. Bened.* CAP. I. Sanctæ ortus, pia institutio, et ingressus in monasterium, fratrem suum S. Balduinum, injuste occisum amare deflet. CAP. II. Occiso fratre suo multas

multas calamitates patitur Sancta ab adversariis suis, quos tamen omnes, Deo juvante, vincit 113. Cap. iii. Miracula in vita et post mortem. 115

B

20 Barsabias cœnobiarcha et socii Martyres in Perside. Commentarius prævius. § i. Silentium fastorum ecclesiasticorum; Acta martyrii, a S. Marutha conscripta; annus et dies passionis 838. § ii. De initiis monastici instituti in Syria et Perside 842. Martyrium SS. Barsabiæ cœnobiarchæ et decem ejus sociorum necnon cujusdam magi: *Ex Actis SS. Martyrum Orientalium et Occidentalium, auctore Stephano Evodio Assemano, part.* i 846

Basilia. Vide *Martyres Mauritani*.

17 Berarius episcopus Confessor Cœnomanis in Gallia. Commentarius prævius. § i. Vitæ S. Berarii synopsis; locus natalis, tempus episcopatus et mortis 149. § ii. Translatio corporis S. Scholasticæ Cenomanos; variæ fundationes S. Berarii, ejus obitus; inquisitio in alterum Berarium, Cenomanensem episcopum 151. Vita auctore anonymo Gestorum episcoporum Cenomanensium, *ex Mss. Anisolano et Veteribus Analectis Mabillonii collatis* 157

Beresus cum Lucio etc. Vide *Lucius*.

Bermiacus cum Promacho. Vide *Promachus*.

19 Beronicus Pelagia et alii xlix Antiochiæ. Sylloge ex Martyrologiis. Quæ sit Pelagia hac die celebrata 421

17 Bolitani Martyres in Africa. *Ex Kalendario Carthaginensi* 37

20 Bradanus et Orora et alii Sancti, qui olim coleantur in insula Mannia in Mari Hibernico. Sylloge. § unica. Varia fata episcopatus Manniæ seu Sodorensis; ad quas provincias ecclesiasticas pertinuerit; Sancti in insula Manniæ olim culti; superstes eorum memoria in ædibus sacris 887

18 Brothenus confessor, cultus in Wallia 358

C

20 Caprasius, ejusque probabiliter socii SS. Primus et Felicianus, Martyres Agennis, in Aquitania. Commentarius prævius. § i. Sanctorum memoria in fastis, Actorum variorum fides, et passionis synopsis 815. § ii. De sociis S. Caprasii Primo et Feliciano, de ejus episcopatu et monumentis variis in ejus honorem 818. Passio S. Fidis, Caprasii, Primi et Feliciani. *Ex codice Grimbergensi collato cum exemplaribus Labbeano, Trevirensi, Ultrajectino et Rubræ-Vallis* 823. Passio metrica SS. Fidis et Caprasii, auctore, ut videtur, Hildeberto Cenomanensi, *ex codice Bremensi* 826

Cittinus. Vide *Martyres Mauritani*.

17 Clemens, presb. et conf. Laude Pompeja in Italia. Sylloge historica. Laus Pompeja vetus et nova; S. Clementis cum S. Bassiano episcopo suo gesta 49

Crescentianus. Vide *Martyres Mauritani*.

D

Damianus. Vide *Regulus*.

20 Dasius seu Datius, Zosimus, Januarius, Dorothea seu Dorotheus, Zosimus seu Susimus, Januaria seu Januariana, Martyres Puteolis in Campania. Sylloge ex Martyrologiis 829

Dasius cum Lucio etc. Vide *Lucius*.

Defensor. Vide *Martyres Mauritani*.

19 Desiderius, abbas in territorio Bituricensi. Comment. præv. Probe distinguendus ab altero ejusdem nominis, discipulo S. Baronti: memoria ex Martyrologiis et cultus: quo anno decesserit: Acta 511. Vita *ex Labbeo tom.* ii. *Bibliothecæ p.* 367 *et seqq.* 512

Danata. Vide *Martyres Mauritani*.

Donatus. Vide *Martyres Mauritani*.

Dorothea seu Dorotheus cum Dasio. Vide *Dasius*.

17 Dulcidius seu potius Dulcitius episc. Conf. Agini, Lemovicibus et Cambareti in Gallia. Commentarius prævius. Cultus; distinctio a S. Dulcidio Tolosano; nomen; ævum; translatio Martyrum Aginnensium 50. Vita S. Dulcidii *ex Breviario Lemovicensi anno* 1625 *edito* 52. Addenda de cultu et Reliquiis 1106

E

19 Ethbinus, Confessor et abbas in Hibernia. Comment. præv. § i. Fit monachus Tauracensis: quo tempore destructum fuerit monasterium illud: Actorum S. Ethbini chronologia: de S. Samsone Dolensi et Nannetensi, sicut et de aliis quibusdam viris S. Ethbini coævis: hujus transitus in Hiberniam: ejus vita et festiva memoria 474. § ii. De Reliquiis S. Ethbini: earum variæ translationes; sacrum corpus Monstrolii asservatum usque ad exitum sæculi xviii, quando a sacrilegis combustum fuit: Acta 482. Vita *ex Ms. Aquicinctino coll. cum Ms. Marchianensi* 487

17 S. Ethelredus et Ethelbertus fratres ac Martyres in Anglia. Commentarius prævius. § i. Ethelredus et Ethelbertus pronepotes S. Ethelberti, qui Cantii primus rex Christianus fuit: eorumdem genealogia stabilitur 90. § ii. Narratur martyrium ex Actis brevioribus; quo anno id contigerit: fundatio monasterii Thanetensis S. Mildredæ 92. § iii. Translationes corporum in Wakering et dein Ramsejam: cultus 94. Acta prolixiora, *ex Simeone Dunelmensi, de Gestis regum Anglorum; ap. Twysden,* x *Scriptores* 96. Appendix, Loca sepulturæ Sanctorum familiæ regiæ Cantii, *ex Ms. Saxonico Biblioth. Cantabrigensis* 100

19 Eusterius, episcopus Salernitanus in Italia. Comment. Historicus. Pauca ad nos de S. Eusterio pervenerunt: ejus festum variis celebratum diebus: quo tempore floruerit: chronologia ecclesiæ Salernitanæ 436

F

Faustinus *vel* Faustina cum Lucio etc. Vide *Lucius*.

Felicianus. Vide *Caprasius*.

18 Felix presbyter et Augebertus diaconus Martyres in Gallia. Comment. præv. Cultus eorum variis in parœciis diœceseos Lingonensis: Legenda et Passio: corpora asservata in abbatia S. Petri Vivi prope Senonas 359. Legenda, desumpta ex officio quodam completo ad festum horum SS. Martyrum 362

20 Fintanus Corach, episcopus Clonfertensis et Fintanus Moeldubh, abbas in Clonenagh, in Hibernia. Sylloge historica Utriusque. S. Fintani ætas, mnnia et loca, quæ incoluisse traduntur 896

Fintanus

Fintanus Moeldubh cum Fintano Corach. Vide *Fintanus Corach.*

Flavianus cum Justo. Vide *Justus.*

17 S. Florentinus seu Florentius, episcopus Trevirensis et Tungrensis. COMMENTARIUS HISTORICUS ET CRITICUS. § I. S. Florentini memoria in sacris Fastis; Vita ejus brevior; Origines Ecclesiarum Trevirensis et Tungrensis, occasione hujus Sancti, retractantur: imprimis ex antiquis Martyrologiis et historiæ Trevirensis scriptoribus 16. § II. Eadem quæstio retractatur ex auctoritate antiquorum Catalogornm Ecclesiæ Trevirensis 19. § III. Discutiuntur testimonia antiquorum, qui favere videntur Hontheimiano systemati 21. § IV. Ex propagatione Euangelii per universum orbem, arguitur Christianismus etiam in Gallia et Germania sæculo primo sectatores habuisse 26. § V. Magis directe monstratur Religio Christiana in Galliis, adeoque Treviris in Belgica prima, primo sæculo propagata fuisse 28. § VI. Confirmatur opinio propagatæ jam primo sæculo Religionis Christianæ ex historia legionum Romanarum ad Rhenum 31

17 Florentius episcopus et Confessor Arausicæ in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § unicus. Memoria in sacris fastis; ejus Acta incerta, ex Vita S. Verani excerpta; concilia, quibus interfuit; obitus et Reliquiarum translatio 76. VITA S. FLORENTII, EPISCOPI ARAUSICANI, *ex Officiis Propriis ecclesiæ Placentinæ* 80

19 Frideswida, Virgo Oxoniæ in Anglia. COMMENT. PRÆV. § I. Oxoniensis urbis et academiæ antiquitas: quo anno ibidem floruerit S. Frideswida 533. § II. Vitæ S. Frideswidæ compendium: præcipua capita ad crisim vocantur: de horrore, quo reges Angliæ ab ingressu in urbem Oxoniensem prohibebantur 536. § III. Monasterium S. Frideswidæ Oxoniense: initia, vicissitudines: incendium sæc. XI ineunte; dubia circa chartam Ethelredi, qua illud memoratur: fit Prioratus S. Augustini; supprimitur a Clemente VII: ecclesia in sedem episcopalem erigitur ab Henrico VIII schismatico 542. § IV. De Reliquiis S. Frideswidæ, perpetuo Oxoniæ servatis: variæ translationes: monumenta cultus, S. Virgini ejusque sacris exuviis exhibiti 549. § V. Sepulchrum S. Frideswidæ spoliatur ab Henrico VIII: Reliquiarum profanatio et permixtio: monumentum, quod hodie adhuc visitur Oxoniæ in ecclesia Christi 553. § VI. Cultus S. Frideswidæ extra Angliæ fines, præsertim in Bomy, Artesiæ vico, haud procul Tarvenna: Acta 560. VITA *ex Capegravio* coll. cum Ms. Rubræ Vallis 564. VITA METRICA, *juxta Ms. Oxoniense Rawlinson c.* 558 *fol.* 154 b. APPENDIX. Liber Miraculorum S. Frideswidæ, *auctore Philippo, priore, nunc primum ex Mss. Bibliothecæ Bodleianæ Oxoniens. Digby* 177 *editus* 565

G

20 Gaufridus et Serlo abbates et Guilielmus novitius Saviniacenses et Adelina abbatissa Moritoniensis in Normannia. COMMENTARIUS HISTORICUS. § I. Duplex SS. Saviniacensium translatio; pauca de S. Adelina et Guilielmo innotescunt; B. Gaufridi ortus, magisterium, monachatus Cerasii et Saviniaci; quæ gessit, dum abbas esset Saviniacensis 1007. § II. B. Serlonis cultus; disciplina sub B. Gaufrido, monachatus Cerasii et Saviniaci; gesta, dum Saviniaco præesset; secessus ad Claramvallem; obitus 1011. § III. Propagatio ordinis Saviniacensis et ejus conjunctio cum filiatione Clarævallensi 1014. § IV. Catalogus Saviniacensis filiationis explicatur; turbatio in monumentis historicis orta ex computatione annorum regni Stephani, regis Angliæ 1019. § V. Abbatiæ conditæ a S. Vitali 1023. § VI. Abbatiæ conditæ a B. Gaufrido ante annum 1131 1024. § VII. Abbatiæ conditæ a B. Gaufrido ante annum 1134 1026. § VIII. Abbatiæ reliquæ conditæ a B. Gaufrido 1028. § IX. Abbatiæ conditæ usque ad conjunctionem cum Cisterciensibus 1030. § X. Abbatiæ reliquæ conditæ ante mortem B. Serlonis 1032. § XI, Abbatiæ conditæ ante annum 1200 1034. § XII. Abbatiæ conditæ post annum 1200 1037. §. XIII. Abbatiæ dubio jure aut male inter Saviniacenses relatæ, aliæque quarum corruptum fuit nomen 1040

17 Gratus, quem dicunt martyrem, et S. Ansutus eremita apud Ruthenos in Gallia. SYLLOGE HISTORICA 180

19 Gratus, confessor, episcopus Oleronensis in Gallia. COMMENT. HISTORICUS. Urbis et sedis Oleronensis antiquitas: S. Grati Legenda et Officium: Reliquiarum inventio, descriptio, translationes 440

18 Gwendolina abbatissa, culta in Wallia 358

H

17 Hedwigis, vidua ducissa Silesiæ. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Sanctæ cultus; ejus Acta et Legenda Minor 198. § II. S. Hedwigis genus illustre et pia in puerili ætate institutio: nonnulla de educatione fœminea medio ævo 202. § III. Fundatio cœnobii Trebnicensis sanctimonialium Ordinis Cisterciensis 206. § IV. Aliæ fundationes, cooperante S. Hedwige, ab Henrico Barbato factæ 209. § V. De dissidio orto inter filios Henrici ducis et S. Hedwigis 212. § VI. Varia bella ab Henrico Barbato gesta; ejus obitus; bellum Tartaricum seu Mongolicum, in quo periit Henricus II, filius S. Hedwigis 215. § VII. Ad beatam mortem per Sacramentorum receptionem præparat se S. Hedwigis; ejus obitus, canonizatio et cultus 219. VITA, auctore anonymo subæquali. *Ex editione Scriptorum Rerum Silesiacarum t. I. Gustavi Adolphi Stenzel, collata cum ms. musæi nostri.* Prologus 224. CAP. I. De conversatione S. Hedwigis in ætate puerili et tempore matrimonii, de amore castitatis et continentiæ 225. CAP. II. De humilitate et patientia S. Hedwigis 227. CAP. III. De austeritate vitæ S. Hedwigis 230. CAP. IV. De oratione et devotione S. Hedwigis 234. CAP. V. De charitate S. Hedwigis 237. CAP. VI. De miraculis S. Hedwigis in ejus vita 240. CAP. VII. De miraculis factis tempore mortis S. Hedwigis 246. CAP. VIII. De miraculis post mortem 247. CAP. IX. De miraculis tempore canonizationis S. Hedwigis, de ejusdem canonizatione et translatione ejus corporis 262. TRACTATUS sive speculum genealogiæ S. Hedwigis 265

18 Hermes et Taxius martyres Axiopoli in Bulgaria. *Ex Martyrologiis* 345

17 S. Heron episcopus et martyr Antiochiæ. SYLLOGE. Memoria Sancti in fastis; tempus episcopatus et obitus 8

Honesta V. cum Justo. Vide *Justus.*

20 Humbaldus, episc. Autissiodorensis in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § unica. B. Humbaldi cultus et consecratio episcopalis; conciliis pluribus interest; lites componit; donationibus piis favet; in

in peregrinatione Hierosolymitana perit 996.
VITA B. Humbaldi episcopi Autissiodorensis, *ex Historia epp. Autiss. ap. Labbe, Bibliotheca Mss. t.* I, p. 456 1002

J

Januaria seu Januariana cum Dasio. Vide *Dasius.*
Januarius seu Januaria cum Promacho. Vide *Promachus.*
Januarius cum Dasio. Vide *Dasius.*
Januarius. Vide *Martyres Mauritani.*
17 Joannes Colobus seu Parvus, eremita deserti Sceti in Ægypto. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Deserti Scetis status antiquus et hodiernus : Arbor obedientiæ : monasterium S. Joannis Parvi 39. § II. Quandonam S. Joannes Parvus floruerit : distinguitur a Joanne œconomo Scetis : de cultu ejusdem 41. APOPHTHEGMATA. *Ex Cotelerio, tomo I Monumentorum Ecclesiæ græcæ, pag.* 468 *et seqq.* 44. APPENDIX EX VARIIS. 47
20 Joannes III, episcopus Comensis in Italia. COMMENTARIUS HISTORICUS. S. Joannis genus et ætas : schismati Aquilejensi implicatur Comensis ecclesia 903
20 Joannes Cantius, presbyter sæcularis Cracoviæ. COMMENT. PRÆV. § I. Præcipui auctores, qui de vita S. Joannis Cantii scripserunt 1042. § II. S. Joannis patria, parentes, studia in Academia Cracoviensi : quo anno natus et defunctus S. Joannes 1047. § III. De processu canonizationis : multiplices diuturnæque hac in causa obortæ difficultates : de Reliquiis B. Viri, ejusque cultu tum antiquo tum præsenti 1051. § IV. De scriptis Beati Cantii : quid statutum hac super re in congregatione SS. Rituum in ordine ad ejus canonizationem : Vita a nobis edenda 1061. VITA, *auctore Adamo Opatovio, excusa Cracoviæ, an.* 1628. Præfatio 1064. CAP. I. De patria, parentibus, educatione domestica et studiis academicis 1065. CAP. II. Virtutes : humilitas, admiranda simplicitas et fervens in Deum pietas 1066. Cap. III. Patientia in adversis et carnis mortificatio 1068. CAP. IV. De operibus misericordiæ et dono prophetiæ 1070. CAP. V. Insigniores quidam B. Cantio viri coævi, hujusque in Academia Cracoviensi labores 1071. CAP. VI. De transitu ex hac vita ad immortalem et sepultura 1072. MIRACULA S. JOANNIS CANTII, *auctore eodem Adamo Opatovio, ex versione Ms. P. Benedicti Boym S. J.* PARS I. De miraculis, quibus servus Dei claruit a morte sua usque ad inventionem et reserationem sui tumuli 1073. PARS II. De iis miraculis, quibus S. Joan. Cantius in inventione et reseratione tumuli sui inclaruit 1089. PARS III. De miraculis coram DD. Commissariis episcopalibus recognitis 1096. APPENDIX. § I. Miracula a S. Congregatione Rituum probata in ordine ad Canonizationem 1100. § II. Bulla Canonizationis 1102
20 Irene Virgo sanctimonialis et Martyr, Scalabi in Lusitania. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § UNIC. Scalabis nomen propter Sanctam mutatum ; Sanctæ memoria in fastis sacris, ejus professio monastica 909. PASSIO S. IRENES VIRGINIS ET MARTYRIS, *ex veteri Breviario Eborensi et Florezio Espana Sagrada tom. XII* 911
Jubilitanus. Vide *Martyres Mauritani.*
18 Julianus Saba, eremita in Mesopotamia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Sancti ab altero Juliano monacho coævo distinctio : memoria ejus in fastis sacris 346. § II. Laudes Sancti apud scriptores ecclesiasticos : Vita ejus a Theodoreto scripta : de loco ubi vixit ac tempore quo obiit, disquisitio 350. VITA S. Juliani Sabæ *auctore Theodoreto, ex editione Sirmondi.* CAP. I. S. Juliani vita eremitica : multi ab eo instituti monachi, in quibus insigniores Jacobus Persa et Asterius : secessus in montem Sinai 353. CAP. II. Mors Juliani apostatæ S. Juliano divinitus revelata : hujus iter Antiochenum, miracula, reditus in eremum et obitus 357
18 Justus, puer et Martyr, Autissiodori et Bellovaci in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Narratio primigenia martyrii S. Justi in triplice Actorum specie servatur 323. § II. Aptantur Acta S. Justi S. Justino Luparensi seu Parisiensi ; multiplex hinc in Breviariis perturbatio 325. § III. Sinceritas Actorum S. Justi, Reliquiæ et cultus Autissiodori et in Corbeja Nova 328. § IV. Reliquiæ et cultus Bellovaci, Pictavis, Centuli et in Villa S. Justi 330. § V. Confusio in Reliquiis ; translatio Malmundariensis in examen vocatur 333. § VI. Reliquiæ et cultus apud Einsidlenses, apud Zutphanienses, Antverpienses, iterum Autissiodori et in Anglia 335. PASSIO S. Justi pueri *ex Mss.* CAPUT UNICUM. S. Justus cum patre Justino it Ambianum, liberaturus patruum ; in reditu martyrio coronatur : sepultura 338. ALTERA PASSIO S. Justi puer *secundum tria Legendaria Bellovacensia.* CAPUT UNICUM. S. Justi patria et parentes ; liberatio Justiniani patrui ; martyrium ; sepultura ; ecclesia 340
18 Justus, Flavianus et socii XC, Martyres, ut fertur, Ulcii in Pedemontio. SYNOPSIS HISTORICA. § UNICA. Cultus certi origo incerta ; translatio ; Novaliciensis, Secusiensis et Ulciensis monasteriorum initia 393
18 Justus, Artemius et Honesta V., Martyres, in diœcesi Atrebatensi in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS. Dies cultus varius ; vetera officia ; tempus et locus cædis ; Reliquiæ 369. PASSIO SS. Justi, Artemii et Honestæ, *auctore Jacobo Malbrancq, ex lib.* V *de Morinis* 371

L

19 Laura, vidua et Martyr Cordubæ in Hispania. CRISIS HISTORICA. Res gestæ ex Adversariis Luitprandi et Martyrologio Tamaji de Salazar : Adversaria Luitprando adjudicanda ; asserta Tamagi commentitia sunt 590
19 Levagius seu Levanius episcopus Silvanectensis et Confessor. COMMENTARIUS. Primordia ecclesiæ Silvanectensis densis tenebris obvoluta, memoria S. Levangii ex Martyrologiis et Officio ecclesiastico. Quo anno celebratum fuerit concilium Aurelianense I, cui interfuit S. Levangius : Reliquiæ. 447
Leucius cum Lucio etc. Vide *Lucius.*
Levianus cum Leutherno. Vide *Leuthernus.*
17 Leuthernus et Livianus, epp. conff. et S. Scophilus abbas, in Britannia majori et Minori. SYLLOGE HISTORICA. Sanctorum cultus, Reliquiarum translatio et inventio. 57
18 Lucas Evangelista. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Sancti elogia in variis Martyrologiis, ejus patria, genus et professio ante susceptum Christianismum 282. § II. Conversio S. Lucæ ad Christum, ejusque cum S. Paulo peregrinationes. 285. § III. De scriptis S. Lucæ eorumque authentia 288. § IV. S. Lucæ prædicationes per varia loca et de imaginibus ejus manu pictis 295. § V. De obitu S. Lucæ ejusque circumstantiis 298. § VI. De variis translationibus corporis S. Lucæ 300

300. VITA *auctore Simeone Metaphraste, exstat in Œconomio, post Apocalypsim et Vitam S. Joannis Apostoli* 310
Lucas. Vide *Lucius*
18 Lucius vel Lucas et Victorinus vel Victorina aut Victoria, item Agnes Virgo, Martyres, partim ad Ostia Tiberina, partim Nicomediæ. SYLLOGE HISTORICA. 344
18 Lucius, Victor, Dasius, Leucius, Victoricus, Beresus episc., Victrix, Faustinus vel Faustina et Martialis Martyres in Africa. SYLLOGE HISTORICA. 342
Lucius cum Promacho. Vide *Promachus*.
Lucius. Vide *Martyres Mauritani*.
19 Lucius cum Ptolemæo. Vide *Ptolemæus*.
17 S. Lupus, episc. et confessor, Andegavis. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § UNIC. Sancti cultus; tempus episcopatus inquiritur 104. ELEVATIO ET TRANSLATIO, *ex Breviario Andegavensi anni* 1624. 106
19 Lupus, episcopus Suessionensis. COMMENTARIUS HISTORICUS. Fama sanctitatis : S. Lupus non est filius S. Principii ; natus est ex altero S. Remigii fratre : quo tempore sedem tenuerit Suessionensem : ejus res gestæ : Reliquiæ. 448

M

Magnilius. Vide *Martyres Mauritani*.
17 Mamelta, Martyr in Perside. SYLLOGE. Martyrologia ; mors brevi post baptismum ; distinctio a S. Mamlacha ; ecclesiæ CPoli 53
Marcellinus cum Promacho. Vide *Promachus*.
20 Marcianus et Joannes, Martyres, in Statibus pontificiis. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § UNICA. Triplex Sanctorum Martyrum translatio ; auctoritas et utilitas historiæ tertiæ translationis 831. INVENTIO corporum SS. Joannis et Marciani Martyrum seu DIADEMA in festo eductionis sive revelationis Reliquiarum Sanctorum Joannis et Marciani ; *auctore Indie Placentino, ex Ms.* 832
Marianus. Vide *Martyres Mauritani*.
Marianus. Vide *Victor*.
Martialis cum Lucio etc. Vide *Lucius*.
17 Martyres Mauritani, Ninus, Victoria seu Victor, Nobilitanus seu Jubilitanus, Mauritanus seu Marianus, Lucius, Cittinus seu Tinnus, Crescentianus, Ruffinianus, Donatus, Defensor, Rusticianus, Servilianus, Socratus seu Socrates, Veneria seu Venerius, Januarius, Mustolus seu Neustolus, Quintasius, Memma seu Memmia, Yzitanus seu Zidiacus, Prima, Donata, Severa, Victoria, Basilia et Magnilius. SYLLOGE. Memoria Sanctorum Martyrum in fastis sacris. 38
Mauritanus. Vide *Martyres Mauritani*.
19 Maximus, levita et Martyr Aquilæ. COMMENT. PRÆV. § I. De Avia et Aquila urbibus : S. Maximi passio : ejus Acta 400. § II. De Reliquiis S. Maximi ; earum Inventio seu Visitatio sub Othone Magno ; hujus diploma ; Reliquiarum translatio 407. VITA *ex Breviario ms., quod in episcopio Aquilano asservatur, descripta* 417. LECTIONES ex *Proprio Aquilano* 420
Memmia. Vide *Martyres Mauritani*.
18 Monon, eremita et Martyr, in diœcesi Namurcensi in Belgio. COMMENTARIUS PRÆVIUS. Cultus S. Mononis ; Historia ecclesiæ et capituli in ejus honorem Nassoniæ erectorum. 363 VITA ET PASSIO S. Mononis Martyris *ex Mss.* 367
Muren. Vide *Regulus*.
Mustolus. Vide *Martyres Mauritani*.

N

Neustolus. Vide *Martyres Mauritani*.
Ninus. Vide *Martyres Mauritani*.
Nobilitanus. Vide *Martyres Mauritani*.
17 Nothelmus, Conf. et archiep. Cantuariensis in Anglia. COMMENTARIUS HISTORICUS. Fasti sacri, translatio, commercium literarium cum Ven. Beda et S. Bonifacio, presbyteratus Londoniæ, monachatus et episcopatus Cantuariæ, ordinationes episcoporum, tempus mortis 117

O

Orora cum Bradano. Vide *Bradanus*.

P

19 Pelagia cum Beronico. Vide *Beronicus*.
19 Petrus de Alcantara, Confessor Arenis in Hispania. COMMENT. PRÆV. § I. Admiranda S. Petri virtus : stupendum mortificationis et paupertatis studium, ex actis canonizationis et S. Teresiæ testimonio assertum et vindicatum : primus inter omnes S. Petrus B. Matris comprobavit spiritum, ejusque in Carmelitarum reformatione indefessus adjutor fuit 623. § II. De Reformationibus in Ordine Seraphico : Regularis Observantiæ origo et progressus : initia S. Petri de Alcantara : novam suscipit perficitque Reformationem longe strictissimam : fundatur provincia S. Josephi sub obedientia Conventualium ; ast paulo post subjicitur Observantiæ 629. § III. De quibusdam S. Petri scriptis : an Tractatus de oratione et meditatione depromptus sit ex V. Ludovico Granatensi, an vero hic potius libellum S. Petri in Commentarium dilataverit 642. § IV. Ratio scribendi Acta S. Petri : præcipui auctores, qui de ejus vita tractarunt : Reliquiæ 651. VITA PRIOR *auctore P. F. Jeanne a S. Maria, hic primum latinitate donata*. CAP. I. Principium ejus conversionis et ingressus in religionem 657. CAP. II. Quomodo se gesserit S. Petrus in novitiatu et aliquot annis post professionem 659. CAP. III. De pœnitentia, quam exercuit, sive dum bona sive dum mala uteretur valetudine 661. CAP. IV. De profunda S. Petri humilitate 665. CAP. V. De amore Dei et proximi, quo eluxit 667. CAP VI. De strictissima paupertate, quam servabat ipse, aliisque consulebat 670. CAP. VII. De quadam epistola S. Petri ad S. Teresiam super paupertate 671. CAP. VIII. De oratione et mirandis raptibus 672. CAP. IX. De quibusdam casibus, in quibus manifesta fuit efficacia orationis 674. CAP. X. De donis supernaturalibus et gratiis gratis datis 676. CAP. XI. De gratia fidei, qua præditus S. Petrus fuit 677. CAP. XII. Cur S. Petrus aliique servi Dei instituerint reformationes 679. CAP. XIII. De gratia sanitatum, et infirmis, quos sanavit S. Petrus 681. CAP. XIV. De dono prophetiæ et discretionis spirituum, quo præditus fuit 684. CAP. XV. De gratia loquendi varia genera linguarum et interpretandi Scripturam 687. CAP. XVI. De donis naturalibus aliisque S. Petri virtutibus 689. CAP. XVII. Quomodo se gesserit, dum aliis præesset 691. CAP. XVIII. De morte S. Petri, felicique ejus ad cœlum sine purgatorio transitu 693. CAP. XIX. De miraculis post mortem patratis 696. ALTERA VITA PROLIXIOR *auctore P. Fr. Laurentio a D. Paulo*. LIB. I. A nativitate S. Petri et usquedum vixit in provincia S. Gabrielis 700. LIB. II. Ab ejus egressu ex

ex provincia S. Gabrielis usque ad fundationem provinciæ S. Josephi 716. Lib. iii. Ab erectione provinciæ S. Josephi usque ad ultimum vitæ annum S. Petri 735. Lib. iv. De virtutibus theologalibus et donis gratuitis S. Petro concessis 755. Lib. v. De extrema S. Petri infirmitate usque ad corporis ejus translationem 776. Lib. vi. De miraculis quæ post mortem ejus contigerunt 783. Appendix. § i. Bulla Canonizationis 799. § ii. Solemnitas, cæremoniæ et expensæ Canonizationis 803

Prima. Vide *Martyres Mauritani.*

Primus. Vide *Caprasius.*

20 Promachus, Lucius, Marcellinus et Bermiacus et forte Zosimus seu Susimus et Januarius seu Januaria, Martyres Nicomediæ. Silloge ex Martyrologiis. 829

19 Ptolemæus, Lucius et alter eorum socius. Comment. præv. § i. Acta ex S. Justino et Martyrologiis : de duplici S. Justini Apologia : posterior, quæ coincidit cum anno martyrii SS. Ptolemæi et Lucii, oblata fuit Marco Aurelio 386. § ii. Refutantur Gallandius et Longuerueus de secunda S. Justini Apologia : quo tempore is martyrio coronatus fuerit ; annus quo passi sint SS. Ptolemæus et socii 393. Martyrium *ex Apologia S. Justini M., apud* Eusebium Hist. eccles. Lib. iv. Cap. xvii. Edit. Valesii 399

17 Puellæ Virgines Martyres ad oppidum S. Papuli in Occitania. Comment. prævius. Sanctarum Virginum palæstra, Acta, tempus obitus 13. Acta SS. Puellarum *ex Breviario Sampapulensi* 15

Q

Quintasius. Vide *Martyres Mauritani.*

R

17 Regulus, abbas aut episcopus, Damianus presbyter, Aneglas diaconus et Muren Virgo. Commentarius prævius. § i. Sancti memoria in fastis ecclesiasticis; topographia Andreopolitana antiqua et hodierna 163. § ii. Disquisitio in Culdeos eorumque institutum et fata. § iii. De cultu S. Andreæ in Scotia, ejusque Reliquiarum illuc translatio, de tempore quo hæc probabilius accidit 169. Historia S. Reguli *ex Joanne Jamieson, historical Account of the ancient Culdees p.* 378 175

17 Rodulphus, eremita Avellanensis et dein episcopus Eugubinus in Italia, ejusque frater Petrus similiter eremita Avellanensis. Commentarius prævius. § i. Cultus B. Rodulphi antiquitas et minor celebritas 182. § ii. Scripta præcipua de BB. Rodulpho et Petro ; eorum genus ; castrum in monasterium mutatum ; conversio 184. § iii. Tempus mortis BB. Rodulphi et Dominici Loricati, connexum cum anno emortuali Hugonis I archiepiscopi Vesontionensis 186. § iv. Tollitur difficultas, oriens ex tempore electionis et inthronizationis B. Alexandri II : hujus inthronizationis historia 189. § v. B. Rodulphus fueritne vere Eugubinus episcopus, an solum vicarius S. Petri Damiani partes expleverit, inquiritur : mutua horum amicitia : pauca de B. Petro 192. Vita BB. Rodulphi et Petri auctore S. Petro Damiani. Caput unicum. BB. Petri et Rodulphi vita pœnitens 194

Ruffinianus. Vide *Martyres Mauritani.*

17 Ruricius I et Ruricius II, episcopi Conff. Lemovicis. Commentarius prævius. § i. Silentium de utroque Sancto in sacris fastis, cultus tamen certus ; genus eorum nobilissimum ; S. Ruricii I vita in sæculo acta, matrimonium et liberi 59. § ii. S. Ruricius I, consilio S. Fausti Regiensis episcopi, austerius vitæ genus capessit 62. § iii. S. Ruricii I epistolare commercium cum variis 64. § iv. Fundat S. Ruricius I ecclesiam et cœnobium S. Augustini Lemovicis; qua occasione inquiritur in genus vitæ illorum, qui cœnobium incolebant 66. § v. De causa absentiæ S. Ruricii I a concilio Agathensi 68. § vi. S. Ruricius II, nepos S. Ruricii I; ejus vitæ synopsis, concilia quibus interfuit; obitus 69. Transitus S. Roricii i, Lemovicensis episcopi, *ex Chronico Comodoliacensi seu ecclesiæ S. Juliani ad Vigennam, auctore Stephano Maleu, ejusdem ecclesiæ canonico* 73. Vita S. Roricii ii, episcopi Lemovicensis, *ex Chronico Comodoliacensi Stephani Maleu* 74

Rusticianus. Vide *Martyres Mauritani.*

S

Scophilus cum Leutherno. Vide *Leuthernus.*

Servilianus. Vide *Martyres Mauritani.*

Severa. Vide *Martyres Mauritani.*

20 Sindulphus, eremita et Confessor, Alsontiæ in agro Rhemensi. Commentarius prævius. § unic. Memoria S. Sindulphi in fastis sacris ; Vitæ synopsis; Acta et tempus translationis in Altumvillare 890. Vita S. Sindulphi Confessoris, auctore Almanno, monacho Altivillarensi, qui sæc. ix floruit, *ex Mabillonii Actis Ord. S. Bened. sæc.* i *p.* 368 *collata cum apographo monast. S. Nicasii Rhemensis, e quo historia translationis deprompta est* 829

Socrates. Vide *Martyres Mauritani.*

17 Solina Virgo et Martyr Carnuti. Commentarius prævius. § unic. S. Solinæ memoria in fastis sacris, tempus passionis, varia cultus argumenta 9. Passio ex Lectionario S. Petri Carnutensis ad diem xvi Octobris 12

20 Sonnatius, archiepiscopus Remensis in Gallia. Commentarius prævius. B. Sonnatii cultus periit; ejus corpus transfertur ; concilium celebrat, fines regni Dagoberti, Austrasiæ regis ; statuta B. Sonnatio tributa 899. Vita B. Sonnatii, Remensis archiepiscopi, *ex Historia Remensis Ecclesiæ Flodoardi* 901

T

Taxius cum Hermete. Vide *Hermes.*

19 Theofredus, Martyr, abbas Calmeliacensis in Gallia. Comment. præv. § i. Res gestæ : Calmeliacense monasterium vastatur a Saracenis : istorum variæ in Gallias irruptiones : quo anno passus S. Theofredus sit 515. § ii. S. Theofredi cultus : Reliquiæ ; harum translatio et præsens status : Liturgia 520. § iii. Notitia monasterii Calmeliacensis seu S. Theofredi : varia hujus Acta 524. Vita, *auctore Anonymo, qui ante sæc.* xi *floruisse videtur.* Ex Mabillonio, sæc. iii part. i. Cap. i. Fundatio monasterii Calmeliacensis : illi præficitur S. Eudo, cui succedit S. Theofredus : hujus præclara gesta : S. Meneleus, abbas Menatensis 527. Cap. ii. Martyrium S. Theofredi 530

19 Thomas Helias presbyter Bivillæ in Normannia inferiori. Comm. præv. § i. Thomæ memoria in fastis sacris : Biographi veteres et recentiores : aliqua horum asserta examinantur 592. § ii. Acta

Acta pro canonizatione B. Thomæ, et cultus ei præstitus usque ad turbas in Gallia ortas circa finem sæculi XVIII 596. § III. Prosecutio ejusdem argumenti a fine sæculi XVIII ad præsens usque tempus 601. VITA, *auctore Clemente coævo, ex Ms. codice ecclesiæ Bivillensis* 606. MIRACULA antiqua, *auctore eodem Clemente, ex Ms. Bivillensi* 610. Recentiora, *ex variis collecta a J. L. A. Colin* 618

Tinnus. Vide *Martyres Mauritani.*

17 Troesius abbas et Confessor, Niverni in Gallia. SYLLOGE HISTORICA. Sancti cultus; fundatio Buxidensis; tempus vitæ et obitus 55

18 Tryphonia quæ dicitur vidua et Martyr, Romæ. SYLLOGE. § unica. An S. Tryphonia dicenda sit uxor Decii imperatoris aut alterutrius ejus filiorum; an serva ejus uxoris. Reliquiæ a S. Paulo I translatæ 313

V

16 Varus miles et socii ejus eremitæ, Martyres Ægyptii, B. Cleopatra vidua, ejusque filius Confessor in Palæstina. COMMENTARIUS PRÆVIUS. § I. Martyrum annuntiatio in fastis sacris: passi sunt sub Galerio Maximiano 423. § II. De B. Cleopatra, quæ corpus S. Vari ex Ægypto in Palæstinam transtulit: de reliquis S. Vari et de Actis edendis 426, MARTYRIUM S. Vari et sociornm *ex codice Vaticano, græce et latine.* CAPUT I. Eremitis sex in carcerem conjectis, S. Varus in locum septimi, qui antequam caperetur, obierat, succedit: martyrium S. Vari 428. CAPUT II. Martyrium sociorum S. Vari; B. Cleopatra hujus corpus, pace ecclesiæ reddita, in Palæstinam defert: B. Cleopatræ ejusque filii felix obitus 432

19 Veranus, episcopus Cavellicensis in Gallia. COMMENT. PRÆV. § I. Veranum Tamayus de Salazar annumerat episcopis Tarraconensibus: ejus commenta refutantur 452. § II. Veranus, de quo hac die in Martyrol. Rom., episcopus fuit Cavellicensis, cujus Reliquiæ translatæ Jargolium in territorio Aurelianensi 455. § III. Urbs Cavellicensis: sedis antiquitas: res gestæ S. Verani et episcopatus: ecclesia ejus nomini dicata 458. § IV. De Reliquiis S. Verani: an corpus translatum fuerit Jargolium et Oblingaunum; an vero hodie adhuc reperiatur in ecclesia Cavellicensi: instrumentum visitationis 461. § V. Cultus variis diebus et diversis in locis: supplicationes: Acta 465. VITA *ex Labbei Nova Bibliotheca manuscript. librorum tom. II p.* 690 et seqq. *Collata cum Ms. Rubræ vallis* 467. APPENDIX. Narratio de morte et sepultura S. Verani *ex Vita Ms. apud Gallonium tom. I* 473

17 Victor, Alexander et Marianus Martyres, ut videtur, Nicomediæ. SYLLOGE. SS. Martyres in fastis antiquis Nicomediæ passi dicuntur; eosdem perperam sibi vindicant Hispani 37

17 Victor episc. et Confessor, Capuæ in Campania. SYLLOGE HISTORICA. Sancti cultus et memoria in fastis sacris; ejus scripta; tempus episcopatus et obitus 81

Victor cum Lucio etc. Vide *Lucius.*

Victoria. Vide *Martyres Mauritani.*

Victoria. Vide *Victorinus.*

Victoricus cum Lucio etc. Vide *Lucius.*

Victorinus vel Victorina aut Victoria cum Lucio vel Luca. Vide *Lucius.*

Victrix cum Lucio etc. Vide *Lucius.*

17 Vincentius, presb. et conf. Magniaci in agro Nivernensi. SYLLOGE HISTORICA. Memoria in Usuardi Martyrologio, cujus primæ editionis ætas inquiritur; cultus auctus ob victoriam Caroli Calvi; Reliquiæ 84

20 Vitalis episcopus et Confessor Salisburgi in Germania. COMM. HIST. § I. Quo sæculo, septimone an octavo. S. Rupertus ecclesiam Salisburgensem fundaverit 913. § II. Quo circiter anno S. Vitalis S. Ruperto in episcopatu Salisburgensi successerit 920. § III. De S. Vitalis vita, episcopatu, morte ac sepultura 929. § IV. De miraculis S. Vitalis et processu canonizationis 934. § V. De S. Vitalis cultu ecclesiastico, corporis detectione atque elevatione, imaginibus et Reliquiis 943. MIRACULA antiqua, *in processu canonizationis producta* 950. Miracula sæculi V, *ex processus canonizationis in compendium redacta a P. Amando Pachlero* 952. Miracula sæculi XVI, *ex Joanne Stainhauser relata a Pachlero* 959. Miracula sæculi XVII, *ex scriptis testimoniis collecta a Pachlero* 961. Alia miracula sæculi XVIII, *ex votivis tabellis collecta a Pachlero* 963

Volitani. Vide *Bolitani.*

Y

Yzitanus. Vide *Martyres Mauritani.*

Z

17 Zeno seu Zosimus episcopus Confessor Beneventi. SYLLOGE HISTORICA 84

Zidiacus. Vide *Martyres Mauritani.*

Zosimus seu Susimus cum Dasio. Vide *Dasius.*

Zosimus seu Susimus cum Promacho. Vide *Promachus.*

INDEX CHRONOLOGICUS.

SÆCULO I.

Anno 43 S Lucas christianam fidem amplectitur 286 c d

Anno 50 S. Lucas socius fit laborum S. Pauli 286 e f

Inter annos Christi 75 *et* 100 obiit S. Lucas 298 f, 299 a

Hoc sæculo vel alterutro ex duobus sequentibus passi sunt Antiochiæ SS. Beronicus, Pelagia Virgo, et alii quadraginta novem 421 b, 423 a d

SÆCULO II.

Anno 107 martyrium subit S. Ignatius Antiochenus 8 f, 9 a

Anno 108 episcopus Antiochenus fit S. Heron 9 d,

Anno 128 obit 9 d

Versus annum 165 martyrio coronantur Romæ SS. Ptolemæus, Lucius et alter eorum socius 398 c d e

Versus annum 166 martyrium subit Romæ S. Justinus Philosophus 398 c d

SÆCULO

SÆCULO III.

Anno 211 probabilius ordinatus S. Asclepiades, episcopus Antiochenus 315 f
Anno 217 *vel* 218 moritur S. Asclepiades episcopus Antiochenus 216 c, 317 f
Versus annum 226 *vel paulo tardius* bellum Persicum movetur ab Artaxerxe adversus Romanos sub Alexandro imp. 217 a b c
Anno 249 in Pannonia trucidatur Philippus senior, Romanus imp. cui succedit Decius 406 e f et seq.
Anno 250 *vel in fine præcedentis* exit ferale Decii imp. in christianos edictum 407 b
Anno 250 *vel* 251 martyrii corona donatur S. Maximus et Julianus, levita 406 e f et seq.
Anno 251 desinit Decii imperium 407 a
Anno 285 passus est S. Marinus senex et Martyr in Cilicia 274 d e
Circa annum 287 occiditur S. Justus puer 324 e
Sæculo hoc vel initio sequentis passi videntur Martyres Bolitani in Africa a b d; *item* SS. Lucius, Victor, Dasius aliique Martyres Afri 344 d

SÆCULO IV.

Anno 303 Diocletianus Nicomediæ, Romæ et Antiochiæ versatur 425 b c e
Circa annum 303 locum forsan habuit passio SS. Lucii seu Lucæ et Victorini vel Victorinæ aut Victoriæ, et S. Agnetis Virginis, Nicomediæ 345 e
Anno forsan 303 martyrium subeunt, ut videtur, Nicomediæ SS. Victor, Alexander et Marianus 37
Anno forsan 304 patiuntur SS. Martyres Mauritani, Ninus, Victoria seu Victor, Nobilitanus seu Jubilitanus, Mauritanus seu Marianus, Lucius, Cittinus seu Tinnus, Crescentianus, Ruffinianus, Donatus, Defensor, Rusticianus, Servilianus, Socratus seu Socrates, Veneria seu Venerius, Januarius, Mustolus seu Neustolus, Quintasius, Memma seu Memmia, Yzitianus seu Zidiacus, Prima, Donata, Severa, Victoria, Basilla et Magnilius 38
Anno 305 VI *Kal. Maji* Diocletianus et Maximianus purpuram deponunt 818 d
Circa annum 307 S. Varus cum sociis martyrium subit 423 et seqq.
Anno 342, *die* III *Junii* martyrium patitur S. Barsabias 841 c e
Anno 357 V *non. Martii* S. Lucæ corpus Cpolim translatum 301 b e f, 302 a b
Anno 365 S. Meletius non videtur in exilium fuisse pulsus 352 d
Annis 370 *et seqq.* S. Meletius in exilio degit 352 e
Inter annum 372 *et* 380 moritur S. Julianus abbas 352, 353
Anno 378 Valens imp. a Gothis vincitur et concrematur 459 c
Anno 400 Dictinius abjurat errores Priscillianistarum in Concilio Toletano 852 b
Circa annum 400 obit S. Clemens, presbyter, Laude Pompeja 49

SÆCULO V.

Ineunte sæculo floret S. Joannes Colobus seu Parvus 42
Ineunte sæculo floret S. Dulcidius episc. Aginnensis 51
Circa annum 430 natus videtur S. Ruricius I 60 d
Medio hoc sæculo obiit S. Eusterius episcopus Salernitanus 439 e f
Circa annum 465 uxorem duxisse videtur S. Ruricius I 60 e
Circa annum 484 episcopus fit S. Ruricius I 63 e
Anno 499 Symmachus papa Romæ synodum habet episcoporum Italiæ, quæ inter Romanas sub hoc pontifice prima est 439 b c d e
Hoc probabiliter sæculo martyrium subit S. Mamelta 53
Sæculo V *vel* VI floret S. Troesius 55

SÆCULO VI.

Hoc sæculo ineunte vita functus est S. Gratus episcopus Oleronensis, in Bearnensi principatu 440 a, 441 b
Anno 505 *vel* 506 Alaricus, Gothorum rex, quamvis Arianus, indulget ut episcopi catholici in synodum conveniant Agatham 441 b, 475 c
Anno 507 Clodovæus I, devicto Alarico Visigothorum rege, occupavit utramque Aquitaniam et Novempopulaniam cum urbe Tolosa 495 a b
Circa annum 507 obit S. Ruricius I 59 b; cui succedit S. Ruricius II 71 e
Anno 511 celebratum est concilium Aurelianense I 495 b
Anno 511 S. Lupus, episcopus Suessionensis, subscribit concilio Aurelianensi I 449 f, 450 f
Anno 523 probabilius moritur S. Brigida Kildariæ in Hibernia 479 f
Circa annum 526 obit S. Florentius, Arausicanus episcopus 76 b
Anno 532 probabilius moritur S. Remigius Rhemensis episcopus 450 c d f
Anno 535 *vel paulo tardius* contigit mors S. Lupi, episcopi Suessionensis 450 d e f
Versus annum 540 probabiliter natus est S. Ethbinus abbas 480 d
Anno 541 ordinatur episcopus S. Victor Capuanus 83 d
Circa annum 553 obit S. Ruricius II 72 c
Anno 554 obit S. Victor, episcopus Capuanus 81 a
Eodem anno celebratur Parisiis concilium 476 f
Circa eumdem annum S. Sindulphus in agrum Rhemensem venit 891 e
Inter annum 584 *et* 585 præclare in synodo episcoporum Galliæ disputat S. Veranus ep. Cavellicensis de castitate sacerdotum 459 f et seq.
Anno 584 celebratur synodus Valentina in Gallia 459 f
Anno 585 celebratum concilium Matisconense II, cui subscripsit S. Veranus episcopus Cavellicensis 456 c f
Circa eumdem annum obit S. Zeno seu Zosimus Beneventanus 84 a
Anno 586 S. Veranus ep. Cavellicensis, nomine Guntramni regis, rationem petit a Fredegunde de trucidato Prætextato ep. Rothomagensi 559 d
Anno 587 S. Veranus ep. Cavellicensis de sacro fonte levat Theodoricum filium Childeberti regis 456 c
Anno 589 turbæ excitatæ a Chrodielde in monasterio Pictaviensi S Radegundis, ad quas sedandas mittitur cum aliis episcopis S. Veranus Cavellicensis 466 c
Circa annum 593 vastatur Britannia Minor a Francis 475 c f
Circa finem sæculi moritur S. Veranus episcopus Cavellicensis 460 d, vixisse fertur S. Brothenus Confessor in Wallia 359 d, *et sub hujus fine vel initio sequentis* prima Inventio Reliquiarum S. Taurini ep. Ebroicensis 503 c d e f

SÆCULO VII.

Sub initium hujus sæculi probabilius passi sunt S. Felix presbyter et Augebertus diaconus 360 b

Circa

Circa idem tempus obiit S. Sindulphus 891 e
Ad ejusdem sæculi initium Ecclesia Salisburgensis in Germania a S. Ruperto fundata fuit 913 et seqq.
Ab anno 607 *ad* 724 episcoporum Comensium series 904 c d e f
Versus annum 623 moritur in Hibernia S. Ethbinus abbas 481 a
Anno 624 *aut* 625 B. Sonnatius concilium Remense celebrat 900 b
Inter annum 630 *et* 647 S. Monon, eremita et martyr in Belgio, obit 365 d e
Versus annum 635 in pago Bituricensi ædificat S. Sigirannus monasterium Longoretense 511 b
Anno 638 moritur Dagobertus I, Francorum rex 491 e f
Anno 640 SS. Audoënus et Eligius episcopi consecrantur 491 c e f
Versus annum 640 sub Clodowæo II rege S. Aquilinus, Ebroicensis postea episcopus, stipendia meretur adversus Barbaros, probabiliter Winidos 501 b
Anno probabiliter 645 nascitur S. Austrudis 108 f, 109 a-d
Anno 650 celebratur Concilium Cabillonense 151 c d
Circa medium hoc sæculum floret S. Vincentius, presbyter, Magniaci in Gallia 84
Anno 653 S. Irene martyrium subit 911 e
Post medium hoc sæculum S. Aquilinus consecratur episcopus Ebroicensis 501 c d e
Circa annum 668 nascitur S. Acca 967 f
Inter annum 668 *et* 670 occiduntur SS. Ethelredus et Ethelbertus ex regio sanguine Cantii 92 e f, 99 d
Anno 674 fundatur Ecclesia Hagustaldiensis 965 c
Versus annum 679 moritur S. Barontus abbas 511 b
Circa annum 679 occiditur S. Balduinus, diaconus Laudunensis 110 e f
Probabiliter circa annum 680 obit S. Lupus Andegavensis 104 a
Anno 683 probabilius moritur S. Audoënus ep. Rothomagensis 491 b c
Anno 683 *vel* 684 probabilius S. Ausbertus consecratur episcopus Rothomagensis 492 e
Probabiliter anno 687 S. Acca cœpit esse discipulus S. Wilfridi Eboracensis 968 f
Anno 688 *vel* 689 probabilius celebratum sub S. Ansberto Concilium Rothomagense (cui interfuit S. Aquilinus Ebroicensis) de cujus epocha disputatum acriter inter eruditos est 490 b c d 492 e f
Versus annum 689 *vel* 690 Vera creatur episcopus Tarraconensis in Hispania 453 a b c d e
Anno 693 celebratur concilium Toletanum XVI 453 a e
Eodem anno vel tardius forte moritur Vera episcopus Tarraconensis 453 a e
Sub finem hujus sæculi moritur S. Aquilinus ep. Ebroicensis 501 d e; *item* moritur S. Desiderius abbas 512 a b c

SÆCULO VIII.

Initio hujus sæculi obit S. Austrudis 108 a
Anno 711 ponendus probabilius est primus Saracenorum in Hispaniam adventus 517 b c d e
Anno 713 probabilius occubuit in pugna Rodericus rex 517 b
Circa annos 713 *et* 714 Mauri Hispaniam occupant, cæso in pugna Roderico rege 453 d
Anno 719 prima Saracenorum ex Hispania in Gallias irruptio duce Zama. 517 e f
Anno 720 adhuc vixisse S. Rupertum, nec nisi aliquanto post ei successisse S. Vitalem in episcopatu Salisburgensi, tenendum est 924 et seqq.
Anno 723 altera Saracenorum, duce Ambiza, ex Hispania in Gallias irruptio 518 b c d
Versus annum 727 fundatur Oxoniæ monasterium S. Frideswidæ 542 a b
Anno 729 tradit Beda Saracenos rursus in Gallias irrupisse 518 d e
Circa annum 730 vita excessisse videtur S. Vitalis episcopus Salisburgensis 933 f
Anno 732 Abderamus, Saracenorum dux, Pyrenæos transit, Burdigalam expugnat, ac tandem ipse in pugna Pictaviensi occiditur a Carolo Martello 518 e f et seqq.
Versus annum 732 martyrium subit S. Theofredus abbas Calmeliacensis 516 e f et seqq.
Ab anno 738 *ad annum* 738 Saraceni, Gallias denuo infestantes, fugantur a Carolo Martello 519 c
Anno 738 obit S. Nothelmus, archiep. Cantuariensis 117
Anno 740 obit S. Acca Hagustaldiensis episcopus 973 b c
Versus medium hujus sæculi moritur S. Frideswida virgo Oxoniensis 536 a b c
Anno 761, XVI *Maji*, passio S. Petri de Blachernis 131 e
Eodem anno, IV *Junii*, passio S. Joannis Hegumeni monasterii Monagriæ 131 e
Anno 763 primum exilium S. Stephani Junioris 131 e
Anno 766 persecutio passim sævire cœpit, Copronymo impium exigente jusjurandum in SS. imagines 127 et seqq., 131 e
Eodem anno S. Stephanus Junior CPoli incarceratur 131 e
Anno 767 Copronymus præfectos crudelissimos in provincias mittit 131 e
Eodem anno, XVII *Martii*, passio S. Pauli monachi in Creta 131 f
Eodem anno, XVI *Aprilis*, invaditur monasterium Pelecetæ ad Hellespontum ab Iconomachis 131 f
Eodem anno, II *Junii*, passio 30 Monachorum Pelecetæ ab Iconomachis 131 f
Eodem anno, XX *Octobris*, passio S. Andreæ in Crisi 124, 131 f
Anno 771, VIII *Julii*, passio S. Pauli Novi 131 f

SÆCULO IX.

Sæculo IX frequens SS. Reliquiarum translatio 174 b c
Sæc. probabiliter IX obit S. Regulus 163 c
Anno 845 edidit Pipinus Junior, Aquitaniæ rex, chartam in favorem monasterii S. Theofredi 521 a b c d
Medio sæculo nono, Guntbertus ep. Ebroicensis transfert Reliquias S. Taurini et Aquilini epp. in Laudosum Castrum (*Lezoux*) 503 a b
Anno 859 *aut sequenti* in lucem prodit prior Usuardi Martyrologii editio 86
Anno 864 passam Cordubæ in Hispania tradit Tamayus de Salazar S. Lauram viduam 590 c f
Probabiliter anno 866 in Altumvillare transfertur corpus S. Sindulphi 892 a b c
Anno 878 Ludovicus II, cognomine Balbus, rex Aquitaniæ, coronatur a Joanne papa VIII in concilio Trecensi 485 a
Forte anno 878 corpora S. Winwaloei, S. Ethbini aliorumque ex Britannia Armorica translata fuere Monstrolium 485 a b f

Anno

Anno 879 moritur Ludovicus Balbus, rex Aquitaniæ 485 a
Circa annum 900 dicuntur S. Justi Reliquiæ Malmundarium translatæ 334 c d e f

SÆCULO X.

Anno 912 translatio Reliquiarum SS. Taurini et Aquilini, epp. Ebroicensium, ex Laudoso castro ad monasterium Gigniacense 503 b
Anno 949 transferuntur in Novam Corbejam Reliquiæ SS. Justi et Justini puerorum 329 c d e
Circa medium hujus sæculi natus est S. Aderaldus 982 c d
Versus annum 956 inventio corporis S. Maximi Martyris et levitæ facta ab Othone Magno imperatore et Joanne papa XII 409 et seqq. 414 b c
Versus annum 965 transferuntur Reliquiæ S. Theofredi, abbatis Calmeliacensis 522 b c
Intra annos 982 *et* 991 S. Aderaldus factus est archidiaconus 984 e

SÆCULO XI.

Post annum 1000 obiit S. Aderaldus. 983
Initio hujus sæculi conflagatur Oxoniæ monasterium S. Frideswidæ 542 d e f et seqq.
Anno 1002 cæduntur jussu Ethelredi regis, Dani per Angliam sparsi 544 d
Anno 1015 altera Danorum in Anglia internecio 544 d
Anno 1018 Restaldus ep. Pistoriensis transfert corpora S. Desiderii, discipuli quondam S. Baronti, et aliorum quatuor 511 b c
Anno 1027 Secusium transferuntur (ut asseritur) S. Justi Novaliciensis Reliquiæ 376 c d
Circa annum 1040 initium fit monasterio et congregationi S. Laurentii Ulciensi 377 a
Anno 1057 ad castrum Florenzolam deferuntur Reliquiæ S. Florentii Arausicani 77 f
Anno 1061 obit S. Dominicus Loricatus 186 et seqq.
Anno 1061 moritur B. Rodulphus, episc. Eugubinus 186 et seqq.
Anno 1063 S. Petrus Damiani Vesontionem visitat 188
Anno 1066, *die* 27 *Julii,* moritur Hugo I archiepiscopus Vesontionensis 188 b c d e
Eodem anno Guilielmus, Normanniæ dux, Angliam occupat 545 d
Anno 1071 eversam sedem Tarraconensem transfert Joannes papa XIII ad ecclesiam Ausonensem *(Vique)* 453 c
Anno 1073 consecratur ecclesia Ulciensis 377 b c
Anno 1080 probabilius cœptus est Liber Angliæ Censualis, vulgo *Domesday-Book* 552 d
Anno 1086 absolvitur Liber Angliæ Censualis vulgo *Domesday-Book* 552 d
Anno 1091 Berengarius de Rosanis ab Ausonensi *(Vique)* pontificatu ad Tarraconensem traducitur 453 c
Anno 1096 consecratur ecclesia S. Nicolai Andegavis ab Urbano II 107 c

SÆCULO XII.

Ineunte hoc sæculo Canonici regulares S. Augustini prioratum S. Frideswidæ obtinent Oxoniæ 546 c d e f
Anno 1102, *mense Octobris,* dedicata ecclesia S. Juniani 73 a
Versus annum 1122 Guimundus prior ecclesiæ S. Frideswidæ orditur fabricam 548 b c, 549 a
A die 26 *Decembris anni* 1135 *ad* 25 *Octobris anni* 1154 chronologia, maxime in monumentis Anglicanis, turbata est 1021 f, 1022 a
Anno 1138 *die* 8 *Julii* moritur B. Gaufridus abbas Saviniacensis 1011 c
Anno 1146 innectendus est adventus S. Bernardi Afflighemium, ubi eum a Deipara salutatum tradunt 275 c d
Anno 1147 *Idibus Septembris* Eugenius papa interest capitulo, in quo Saviniacenses et Obazinenses conjunguntur Cistercio 1016 c d
Anno 1154 v *non. mart.* invenitur corpus S. Accæ 976 e
Anno 1158 solemnis circumvectio Reliquiarum SS. Taurini et Aquilini, epp. Ebroicensium, per urbes et vicos Burgundiæ 503 c
Eodem anno ædificatur Laus Pompeja nova 49 b
Anno 1163 transferuntur S. Bassiani Laudensis Reliquiæ 49 b
Anno 1173 nata videtur S. Hedwigis 205 a
Anno 1177 *kalendis martii* deteguntur Patavii Reliquiæ S. Lucæ 304 b
Anno 1180 fit Oxoniæ translatio Reliquiarum S. Frideswidæ 549 e f et seq a b c
Circa eumdem annum absolvitur fabrica ecclesiæ S. Frideswidæ in urbe Oxoniensi 548 b c. 549 a
Anno 1181 SS. Vitalis, Virgilius, Hartwicus et Eberhardus antistites Salisburgenses miraculis inclarescere cœperunt 935, 941 a b
Anno 1182 agitur prima translatio Sanctorum Saviniacensium 1008 c
Eodem anno nascitur S. Franciscus ordinis Seraphici fundator 630 a
Anno 1186 nubit Henrico Barbato Silesiæ duci S. Hedwigis 205 a-d
Sub finem hujus sæculi XII natus est B. Thomas Helias 595 a-d

SÆCULO XIII.

Inter annos 1207 *et* 1216 fundatur ope S. Hedwigis monasterium Camenzense 210 a
Anno 1214 fundat S. Hedwigis nosocomium Wratislaviense 210 e f
Anno 1215 approbatur ab Innocentio III Ordo Seraphicus 630 a
Anno 1219 *aut* 1220 fundat S. Hedwigis Conventum FF. Minorum Goldbergæ 210 c d
Anno 1222 fundatur monasterium Henricoviense in Silesia 211 d
Anno 1223 confirmatur ab Honorio III Ordo Seraphicus 630 b
Anno 1226 fundatur Wratislaviæ, ope S. Hedwigis, conventus FF. Prædicatorum 211 e f
Ad annum 1230 *et vicinos annos* referenda sunt plura gesta ac scripta Georgii Corcyrensis aliorumque Græcorum schismaticorum, quæ a Baronio et aliis scriptoribus ad sæculi XII finem referuntur 278 f, 279 a-e
Anno 1232, synodus Græcorum schismaticorum Nicææ in Bithynia 279 b c d
Anno 1234 fundatur Boleslaviæ, ope S. Hedwigis, conventus FF. Prædicatorum 212 a
Anno 1234 *aut* 1235 presbyterum ordinatum fuisse B. Thomam Heliam verisimile est 595 c d
Anno 1238, XIX *Martii* obit Henricus Barbatus, maritus S. Hedwigis 216 b c
Anno 1243, XV *Octobris* sancte obit S. Hedwigis 219 c
Anno 1243 agitur secunda translatio Sanctorum Saviniacensium 1007 f
Anno 1245 celebratur concilium Lugdunense I, inter Œcumenica XIII, præsidente Innocentio IV 461 d e

Anno 1251 dedicatio ecclesiæ cathedralis Cavellicensis, sub Innocentio IV 460 d e f
Anno 1257 defunctus est B. Thomas Helias 609 b
Anno 1257 Alexander papa IV transfert Furconiensem sedem ab urbem Aquilanam 407 d
Anno 1259 de canonizatione B. Thomæ Heliæ agi cœptum 596 f
Anno 1260 corpus B. Thomæ Heliæ in novum sacellum translatum 597 b c
Anno 1261 inchoatum est juridicum examen miraculorum B. Thomæ Heliæ 597 a
Anno 1264, XXX *Augusti* resumitur canonizatio S Hedwigis 263 b
Anno 1267, XXVI *Martii* canonizatur a Clemente IV S. Hedwigis 220 a b, 263 b c
Anno 1268, XVII *Augusti* transfertur corpus S. Hedwigis 263 e
Anno 1284 Raülena protovestiarissa condit monasterium in loco Crisi, Cpoli 134 f
Anno 1289 altera Reliquiarum S. Frideswidæ translatio 550 d e

SÆCULO XIV.

Anno 1311 translatio corporis S. Verani ep. ex Valle Clausa (Vaucluse) ad ecclesiam cathedralem Cavellicensem 464 a
Anno 1317 instituta primum fraternitas in honorem B. Thomæ Heliæ 598 a b c
Anno 1325 Reliquiæ Ş. Solinæ in novam capsam transferuntur 12 b c
Anno 1339 Silesia a Polonis ad Bohemos transit 1048 b c d e f, 1040 a
Versus medium hujus sæculi Casimirus Magnus, Poloniæ rex, initia ponit Academiæ Cracoviensis 1049 e f
Anno 1364 Urbanus V confirmat primam Academiæ Cracoviensis fundationem sub Casimiro Magno 1049 f, 1050 d
Anno 1381 Petrus Cervasius consecratur ab Urbano VI papa, abbas Fiscannensis in Gallia 504 f
Anno 1388 *ad* 1390 ponuntur initia regularis Observantiæ in Ordine Seraphico 631 a b
Anno 1397 probabiliter adscribendus est ortus S. Joannis Cantii 1050 e f
Anno 1400 Vladeslaus Jagello, Poloniæ rex, renovat, vel juxta alios, fundat studium generale Academiæ Cracoviensis 1850 b c d e

SÆCULO XV.

Anno 1413 ex antiqua ecclesia Furconiensi Aquilam transferuntur Reliquiæ S. Maximi Martyris et levitæ 416 b c d
Eodem anno albo studiosorum Cracoviensium adscribitur S. Joannes Cantius 1049 d
Anno 1414 cœptum fuit concilium Constantiense 1057 e
Anno 1415 baccalaureus in scientiis et philosophia renuntiatur S. Joannes Cantius 1049 d
Eodem anno natus est Joannes Dlugossus scriptor polonus, doctrina et virtute celebris 1042 c
Anno 1417 doctor philosophiæ creatur S. Joannes Cantius 1049 e
Anno 1418 finis imponitur concilio Constantiensi 1057 c
Anno 1424 Joannes de Haricuria ep. Ambianensis transfert corpus S. Ethbini abbatis in novam thecam in ecclesia S Salvii Monstroliensis 483 a b c d
Anno 1432 decanus philosophicæ facultatis in Cracoviensi academia renuntiatur S. Joannes Cantius 1049 e
Anno 1438 altera vice decanus philosophicæ facultatis est Cracoviæ S. Joannes Cantius 1049 e
Circa annum 1440 Academia Cracoviensis favere visa est placitis conciliabuli Basileensis 1061 c d e
Anno 1440 scribunt episcopi Basileæ congregati ad universos fideles adversus summi Pontificis potestatem 1057 f et seq.
Anno 1454 ducatus Osvecimensis, Silesiæ pars, Polonis restituitur 1047 f et seq., 1049 a
Anno 1459 Pius Papa II examen de vita et miraculis S. Vitalis episcopi Salisburgensis institui jussit 937 c-f, 938 a b
Anno 1462 institutus fuit processus canonizationis S. Vitalis episcopi 938 c-f, 939 et seqq.
Anno 1463 *aut* 1464 decretum de Vitali episcopo Salisburgensi inter Sanctos habendo editum a Pio II 943 b c d
Anno 1465 incendio consumitur magna urbis Cracoviensis pars 1071 a b
Anno 1471 *aut sequenti* instituitur archiepiscopatus S. Andreæ in Scotia 168 c, 888 e
Anno 1473 probabilius mortuus est S. Joannes Cantius 1051 a b c
Anno 1481 convocatio prælatorum Angliæ in ecclesia S. Pauli Londinensis, ubi de festo S. Frideswidæ 551 f, 552 a b c
Anno 1484 *die* XVIII *Novembris* visitantur Cassini Reliquiæ SS. Benedicti et Scholasticæ 153 e
Anno 1487 instituitur archiepiscopatus Glascuensis 888 f
Anno 1488 denuo consecratur ecclesia S. Juniani 76 a
Anno 1495 visitantur Reliquiæ S. Lupi Andegavensis 106 e
Anno 1499 nascitur S. Petrus de Alcantara 700 d

SÆCULO XVI.

Anno 1504 *vel* 1505 natus ven. Ludovicus Granatensis 650 c
Anno 1515 S. Petrus de Alcantara nomen dat religioni Seraphicæ 632 a, 658 b, 702 d
Anno 1516 vota religionis nuncupat S. Petrus de Alcantara 702 f, 703 c
Anno 1517 Leo papa X convocat capitulum generalissimum totius Ordinis Seraphici 631 b c
Eodem anno Ordo Seraphicus divitur in Observantes et Conventuales 631 d e
Anno 1518 Catharina, Henrici VIII conjux, Oxoniam venit Reliquias S. Frideswidæ veneratura 547 a b
Anno 1519 S. Petrus de Alcantara, vigesimo suæ ætatis anno, præficitur conventui Juliæ Pacis 632 a, 703 f et seq.
Eodem anno Leo X Benedictinis Salisburgensibus Officium et Missam de S. Vitale episcopo recitare indulsit 943 f, 944 a
Anno 1524 sacerdos ordinatur S. Petrus de Alcantara 632 a, 704 d e
Eodem anno supprimitur prioratus S. Frideswidæ Oxoniensis, in gratiam fundandi a Wolseio collegii 547 b c d
Anno 1525 S. Petrus de Alcantara guardianus eligitur conventus S. Mariæ Angelorum prope Robredillo 704 f et seq.
Anno 1533 sepulchrum B. Thomæ Heliæ renovatur 599 b c
Anno 1535 altera vice præest S. Petrus de Alcantara conventui Juliæ Pacis 707 c d
Anno 1536 natus est Petrus Skarga S. J. vir tota Polonia celeberrimus 1044 a b

Anno

Anno 1537 præficitur S. Petrus de Alcantara conventui S. Onuphrii ad Lapam 708 b
Eodem anno pactæ sunt induciæ Carolum V imp. inter et Franciscum I regem Galliæ, in Artesiæ vico Bomy nuncupato 560 d
Anno 1538 S. Petrus de Alcantara præponitur reformatæ provinciæ S. Gabrielis 632 b, 710 e f
Anno 1539 elevantur Reliquiæ S. Joannis Cantii 1058 f, 1090 a
Anno 1540 S. Petrus de Alcantara in capitulo provinciæ S. Gabrielis proponit decreta strictioris observantiæ 711 c d
Anno 1541 *vel* 1542 in Lusitaniam venit S. Petrus de Alcantara et Arabidæ moratur 632 b c, 712 e f
Anno 1545 visitantur Cassini Reliquiæ SS. Benedicti et Scholasticæ 153 f
Anno 1547 visitatio seu reseratio Reliquiarum SS. Taurini et Aquilini epp. in Gigniacensi monasterio asservatarum 504 a b
Anno 1551 ex Lusitania, ubi novam firmaverat reformationem, in Hispaniam redit S. Petrus de Alcantara 715 a b
Anno 1553 Salmanticæ celebratur capitulum generale, cui interest S. Petrus de Alcantara, qua custos provinciæ S. Gabrielis 715 b
Eodem anno corpus S. Joannis Cantii integrum et incorruptum reponitur in monumento elegantis operis 1059 a b, 1090 a
Anno 1555 Romam tendit S. Petrus de Alcantara, acturus cum Summo Pontifice, de nova, quam meditabatur, Reformatione 716 e, 717 a b
Anno 1556 S. Petrus de Alcantara, sexcentas inter contradictiones, serio manum admovet novæ Reformationi 717 e f et seq.
Versus annum 1557 formatur custodia S. Josephi, cui, qua commissarius, præest S. Petrus de Alcantara 720 b c d
Eodem anno ædificat S. Petrus de Alcantara conventum Pedrosi, quæ prima planta fuit reformatæ provinciæ S. Josephi 718 e f et seq.
Eodem anno jussu Mariæ reginæ visitantur universitates Oxoniensis et Cantabrigensis 553 c f et seqq.
Anno 1558, Abulam ingrediente S. Petro de Alcantara, apparet cometes, in Annalibus Caroli V imp. famosus 721 f et seq.
Eodem anno moritur Carolus V imperator 722 a b c
Anno 1559 Matritum a Joanna Austriaca evocatur S. Petrus de Alcantara 726 f et seq.
Eodem anno plures dantur litteræ in gratiam Reformationis S. Petri de Alcantara 729 a b c d e f et seq.
Eodem anno altera vice Romam petit S. Petrus de Alcantara 728 f
Anno 1560 Abulæ convenit S. Petrus de Alcantara S. Teresiam, hujusque promovet Reformationis Carmelitanæ opus 731 c d e f et seq.
Anno 1561 Reliquiæ S. Frideswidæ Oxoniensis sacrilege permiscentur cum ossibus Catharinæ, quondam uxoris Petri Martyris 553 e f et seqq.
Eodem anno in capitulo, apud Pedrosum celebrato, provincia S. Josephi FF. Alcantarensium constituitur sub obedientia Conventualium 634 c d e, 735 a b, 736 a b c
Eodem anno fundatur conventus Arenarum, provinciæ S. Josephi 740 a b c
Eodem anno convenit S. Petrus de Alcantara S. Teresiam primum Abulæ, dein Toleti 742 a b c d e, 743 e f
Anno 1562 IV *non. Martii* transfertur Patavii corpus S. Lucæ e veteri ecclesia S. Justinæ in novam 307 c
Eodem anno Hugonotti destruunt capsam reliquiariam S Scholasticæ Cenomanis 162 b
Eodem anno Jargoliensis ecclesia ab Hugonottis spoliatur sacris imaginibus et Reliquiis Sanctorum 457 a
Eodem anno convocat S. Petrus de Alcantara omnes Provinciæ S. Josephi fratres ad Bobadillam 637 c d e, 746 c d e f
Eodem anno bis convenit S. Petrus B. Teresiam Abulæ 747 a b c d e f, 748 d e f et seq.
Eodem anno moritur S. Petrus de Alcantara 639 f, 695 c, 780 c d e
Anno 1563 provincia S. Josephi (Alcantarensium) a Conventualium ad Observantium transfertur obedientiam 636 f, 637 a b c d e f, 638 a b c
Anno 1566 aperitur sepulchrum S. Petri de Alcantara, a quadriennio defuncti 655 f, 697 d, 782 e f
Anno 1567 Calviniani res sacras Autissiodori diripiunt 330 a b
Anno 1568 urbs Suessionensis ab hæreticis diripitur et Sanctorum Reliquiæ sacrilege comburuntur. 451 e f
Anno 1576 *die* X *Junii* in nova capsa argentea deponuntur Reliquiæ S. Scholasticæ 162 b
Anno 1588 moritur Ven. Ludovicus Granatensis 650 c

SÆCULO XVII.

Post annum 1602 novus ornatus sepulcro S. Vitalis episcopi additus 945 c d, 960 e
Anno 1603 aperitur sepulcrum S. Joannis Cantii, ex quo suavissima diffunditur fragrantia 1059 b c, 1090 a b
Anno 1610 Octavius Mancini ep. Cavellicensis edit officium S. Verani ep. 464 f et seq.
Anno 1616 transferuntur solemniter Reliquiæ S. Petri de Alcantara 656 b c d, 783 b c d e f
Anno 1620 visitantur Reliquiæ S. Lupi Andegavensis 106 f
Anno 1622 Gregorius XV Petrum de Alcantara Beatorum numero adscribit 798 b c d e
Eodem anno episcopus Cracoviensis jubet fieri relationem de vita et miraculis B. Joannis Cantii 1096 c d
Anno 1626 cives Kentenses, ob depulsam pestem grati, B. Joanni Cantio votivam offerunt tabellam 1060 c
Anno 1627 Reliquiæ S. Vitalis episcopi fuere recognitæ 945 d e f, 946 a b c d
Anno 1628 Officium et Missa de S. Vitale episcopo ad universam diœcesim Salisburgensem, ac dehinc ad diœceses suffraganeas, fuere extensa 946 d e
Anno 1629 Urbanus VIII committit causam servi Dei Joannis Cantii discutiendam S. Congregationi Rituum 1052 f
Anno 1633 alteram offerunt tabellam Kentenses B. Joanni Cantio ob depulsam pestem 1060 d
Anno 1642 altare novum juxta sepulcrum S. Vitalis episcopi ad honorem ipsius consecratum 947 b, 949 f
Anno 1659 visitantur Reliquiæ SS. Benedicti et Scholasticæ 153 f
Anno 1669 canonizatur S. Petrus de Alcantara 799 d e
Anno 1699 corpus B. Joannis Cantii in novum monumentum transfertur 1059 d

SÆCULO XVIII.

Sub initium hujus sæculi rursum de negotio canonizationis B. Thomæ Heliæ prosequendo cogitatum est 600 d e f
Anno 1706, XXVII *Martii* festum S. Hedwigis Clemens

Clemens XI extendit ad universam Ecclesiam 198 c

Eodem anno Benedictini congregationis S. Mauri introducuntur in abbatiam S. Salvii Monstroliensis 485 e

Anno 1710 Josephus de Revol episcopus Oleronensis, sub solemni visitatione ecclesiæ suæ cathedralis, invenit Reliquias S. Grati 444 e f et seq.

Anno 1711 prodit novum officium S. Grati, de quo acris oritur disceptatio episcopum Oleronensem inter et capitulum 441 f, 443 a b c

Anno 1713 factum est Monstrolii inventarium Reliquiarum, quæ in thesauro locupletissimo abbatiæ Salvianæ reperiebantur 486 a b

Anno 1730 decernitur non constare quod Opera, in processu apostolico compulsata et B. Joanni Cantio tributa, ejus revera essent 1054 a, 1062 f et seq.

Anno 1741 decernit Benedictus XIV, in causis procedentibus per viam casus excepti, non deveniendum ad canonizationem nisi probatis non jam duobus ut antea, sed quatuor miraculis 1055 c

Anno 1743 declarat S. Congregatio Rituum Constare de virtutibus heroicis S. Joannis Cantii 1054 a b

Anno 1751 Carolus de Caylus episcopus Autissiodorensis edidit Martyrologium illius ecclesiæ 455 f

Anno 1752 Petrus Julius Cæsar de Rochechouart, ep. Ebroïcensis, illius ecclesiæ edidit Martyrologium 493 f et seq.

Anno 1761 Maria de Manzi, archiep. Avenionensis, antea ep. Cavellicensis, declarat se invenisse in capella Vallis Clausæ (Vaucluse) ossa quædam S. Verani ep. 463 d

Anno 1762 corpus S. Vitalis episcopi Salisburgensis e terra levatum marmoreoque altari inclusum est 947 c-f, 948 a-d

Anno 1767 absolvitur processus de miraculis in causa B. Joannis Cantii 1055 b c d et seq. a

Eodem anno solemnitas Canonizationis S. Joannis Cantii in basilica Vaticana 1056 b c d e

Anno 1772 regnum Poloniæ tertia sui parte minuitur, divisa Austriacos inter et Borussos Russosque 1058 c

Anno 1775 maxima cum pompa celebratur Cracoviæ solemnitas Canonizationis S. Joannis Cantii 1058 d e

Anno 1778 sepulcrum B. Thomæ Heliæ denuo instauratur 599 c

Anno 1781 in oppido Kenty consecratur ecclesia, S. Joanni Cantio dicata 1060 f et seq.

Versus annum 1785 sæcularisantur monachi S. Theofredi Calmeliacencis 525 f

Anno 1790 disperguntur ossa S. Solinæ 12 c

Anno 1791 ossa S. Aderaldi ex ecclesia prioratus S. Sepulcri ad ecclesiam parochialem vici Villacerf deportata 989 f

Anno 1792 divenditur Ebroicis ecclesia S. Aquilini episcopi 502 f

Anno 1793 Reliquiæ S. Carauni Martyris ab impiis hominibus violatæ, sed magna earum pars a piis fidelibus collecta 273 a

Eodem anno Monstrolii sacrilege comburuntur corpora Sanctorum, ab antiquissimo tempore in abbatia S. Salvii asservata 486 b c d e

Anno 1794 funditus destruitur ecclesia S. Nicolai Andegavis 107 c

Eodem anno Reliquiæ B. Thomæ Heliæ Bivilla Virandevillam translatæ 601 c-f, 602 a

Eodem anno corpus S. Gertrudis Virginis et Martyris in templo parochiali Vallis Dioleti, ne profanaretur, provide absconditum 273 e

Eodem anno comburuntur Gigniaci Reliquiæ SS. Taurini et Aquilini epp. Ebroicensum 503 b

Anno 1795 consummatur ruina Poloniæ anno 1772 cœpta 1058 c

Anno 1799 corpus S. Gertrudis Virginis et Martyris e latebris suis erutum 273 e f

Hoc sæculo exeunte, venumdatur antiqua et celebris abbatia S. Petri Vivi prope Senonas, et deinceps vix non solo æquatur 362 c d

SÆCULO XIX.

Anno 1802 ossa S. Aderaldi recognita sunt 989 a-e

Anno 1803 monumentum supra Reliquias S. Aderaldi erectum fuit 989 e f

Eodem anno 1803 corpus B. Thomæ Heliæ relatum fuit Bivillam 602 d e f, 603; et cultus ejus instauratus 604 c d

Eodem anno celebratur sextum sæculare jubilæum Trebnicense 209 c

Eodem anno XXVII *Julii* recognoscuntur Reliquiæ S. Scholasticæ Cenomanis 162 c

Anno 1806, II *Augusti* instituitur Sodalitas S. Scholasticæ Cenomanis 162 d

Anno 1810 suppressum Trebnicense monasterium 209 d

Eodem anno suppressum monasterium Camenzense 210 b

Anno 1811 caput B. Thomæ Heliæ restitutum fuit parochiæ Bivillensi 604 a b c

Anno 1814 canonizationem B. Thomæ Heliæ exposcunt multi e clero diœceseos Constantiensis 605 b-e

Anno 1822 Reliquiæ S. Theofredi Calmeliacensis, sæc. XVIII exeunte sacrilegorum ausibus substractæ, publicæ venerationi restituuntur ab episcopo Aniciensi 522 d e f

Anno 1824 ecclesiam S. Aquilini Ebroicis, quondam a sacrilego Gubernio divenditam, redimit RR. DD. du Châtellier ep. Ebroicensis 502 f

Anno 1834, XIII *Novembris*, recognoscuntur Reliquiæ S. Scholasticæ Cenomanis 162 d

Anno 1839, XIV *Octobris* magnus ad tumulum S. Hedwigis est populorum concursus 224 b

Eodem anno RR. DD. du Châtellier, episc. Ebroicensis, antiquam S. Aquilini ecclesiam convertit in oratorium minoris sui seminarii 502 f

Anno 1841 pars Reliquiarum S. Carauni Martyris ab episcopo Carnutensi recognita ac publicæ venerationi rursus exponi cœpta 273 b

Eodem anno erectum Oxoniæ est monumentum Cramnero duobusque aliis ecclesiæ Anglicanæ reformatoribus 558 a b c

Anno 1842 reperta varia monumenta Romana et Christiana Arensburgi, in Hassia 33 e f

Anno 1844 Olerone Reliquiæ S. Grati, illius urbis quondam episcopi, solemniter circumferuntur 445 e f

Anno 1845 reseratio Reliquiarum S. Verani ep. Cavellicensis 463 b c d e

Anno 1848 Reliquiis S. Hermelandi abbatis, quæ profanationi impiorum subtractæ fuerant, suus honor redditus 272 d

Anno 1850 *die* XXIX *Septembris* Pius IX feliciter regnans renovat episcopatum Hagustaldensem 980 d

NOTITIA FIGURARUM AC TABULARUM

ORNANTIUM HUNC TOMUM.

Solitum operis Frontispicium.
Effigies Principis Belgarum Regii, cui Tomus inscribitur.
Monumenta Christianitatis Legionis XXII 33
Thecæ reliquiariæ Tungrensis pars antica. 36
Fragmenta genealogica familiarum regiarum Cantii et Mercii 90
Posteritas S. Hedwigis, ad hodiernos Europæ Principes propagata 270
Filiatio Saviniacensis abbatiæ 1023

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU BELGICÆ.

Quum tres theologi Societatis nostræ legerint, edique posse censuerint Tomum octavum de Actis Sanctorum Octobris, collectis et illustratis a Josepho Van Hecke, Benjamino Bossue, Victore De Buck et Antonio Tinnebroek, Societatis nostræ presbyteris theologis; ego infrascriptus præpositus provinciæ Belgicæ, potestate mihi facta ab adm. R. P. N. præposito generali Joanne Roothaan, concedo facultatem dictum Tomum imprimendi. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas, consuetoque officii sigillo munitas, dedi Bruxellis 26 *Februarii* 1853.

C. FRANCKEVILLE, S. J.

APPROBATIO ORDINARII.

IMPRIMATUR.

Mechliniæ 17 *Martii* 1853.

P. CORTEN, VIC. GEN.

PROTESTATIO AUCTORUM.

Quod identidem protestati sunt decessores nostri in hoc de Actis Sanctorum opere, se servatas velle Urbani VIII Constitutiones, neque suis aliorumve hic relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ; idem ante hunc Tomum Octobris et nos protestamur.

A S. Victor, Episc. et Conf. Capuæ in Campania.

S. Zeno seu Zozimus, Episc. et Conf. Beneventi in Italia.

S. Vincentius, Presb. et Conf. Magniaci in agro Nivernensi in Gallia.

SS. Ethelredus et Ethelbertus, Martyres Eastreiæ in Anglia.

S. Lupus, Episc. et Conf. Andegavis in Gallia.

S. Austrudis, Virgo et Abbatissa Lauduni in Gallia.

B S. Nothelmus, Archiep. et Conf. Cantuariæ in Anglia.

S. Andreas Cretensis, Monachus et Martyr Constantinopoli. D

S. Berarius, Episc. et Conf. Cenomanis in Gallia.

S. Regulus, Abbas aut Episc. } Andreopoli in Scotia.
S. Damianus, Presb. }
S. Aneglas, Diaconus. }

S. Muren, V.

SS. Gratus et Ansutus, culti Ruthenis in Gallia.

B. Rodulphus, Erem. Avellanensis et Episc. Eugubinus, et B. Petrus, Erem. Avellanensis in Italia. E

S. Hedwigis, Vidua et ducissa Trebnicii in Silesia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

B. Balduinum *Laudunensem archidiaconum in supplemento suo, occasione S. Austrudis, iterum refert Saussayus, oblitus se eum jam dedisse ad diem, quo ejus Acta Majores nostri illustrarunt* VIII Januarii.

S. Meynardi Confessoris. *Ita simpliciter editiones Usuardi Colonienses annorum* 1515 *et* 1521, *et inde Molanus in editione prima Lovaniensi ; in posterioribus omisit.* Molanus hac die S. Meinardi meminit, *inquit Ferrarius in Notationibus ad Catalogum Generalem*, sed locum silet. Forte est C Meginhardus abbas Herveldensis in Germania, de quo die XXVI Septembris. *Conjecturam non probat Bollandus, qui in notulis Mss. remittit ad Vitam S. Meinradi, alias Meginradi et Meinardi eremitæ et martyris in Eremo Deiparæ, vulgo* Einsidlen, *in Helvetia. Hujus translatio indicatur in* Prætermissis *ad* VI *Octobris, Vita vero data est die quo colitur* XXI Januarii.

S. Ignatii episcopi *memoria signatur ad hanc diem in Calendario Neapolitano marmoreo* (1) *sæculi* IX, *cujus sex primos menses illustravit Alexius Symmachus Mazochius, novem vero primos Ludovicus Sabbatinus d'Anfora. Nullus dubito quin hic agatur de S. Ignatio Antiocheno, cujus natalis agitur die* I *Februarii, translatio vero* XVII *Decembris. Huc autem intrusus fuerit propter festum S. Heronis, discipuli sui. Vide itaque S.* Ignatii *gesta in opere nostro ad diem, quo colitur* I Februarii.

S. Aristion, *quibusdam* Aristio *dictus, hoc die memoratur in veteri Martyrologio Romano, quod Rosweydus edidit, itemque in Martyrologiis Adonis et Notkeri, in Auctario Bedæ* (2) *et in recentioribus quibusdam. De eo egit Bollandus, cum Usuardo et Baronio ad diem* XXII Februarii.

S. Tarasii *translationem Venetias ex Danduli Chronico narrat Marinus Sanutus in Vitis ducum Venetorum* (3) *eamque die* XVII *Octobris factam scribit ; sed Flaminius Cornelius in Martyrologio Veneto* (4) *et reliqui fastorum scriptores eumdem unanimiter consignant* XVII *Septembris. Ad hunc igitur diem eam retulerunt decessores nostri, Vitam vero ipsam S. Tarasii Patriarchæ Cpolitani (nam de eo hic agi verisimile est* (5) *dederunt ad* XXV Februarii. F

S. Petri *ep. et Mart. translationem ex Ratensi oppido Braccaram Augustam in Lusitania, habent Tamayus de Salazar et Martyrologia Lusitanice edita a Patribus S. J. Conimbricæ* 1591 *et Ulyssipone* 1748. *Ejus Acta et ipsam translationem* (6) *dedere Majores nostri ad* XXVI Aprilis.

S. Pardus episcopus, *Patronus Larini in regno Neapolitano, cujus inventio huic diei adscribitur in Usuardi codice Vaticano apud Sollerium, et in alio quodam Bruxellensi* (7). *Codicum annuntiationes declarabunt Commentarius et Vita ad* XXVI Maji.

In agro Carnutensi, loco qui Jovis ara dicitur, ad Auturam fluvium, Sanctorum Martyrum Prisci et Hilarii, quorum Reliquiæ sexto seculo ab Ætherio Carnutensi episcopo levatæ sunt. *Est annuntiatio Martyrologii Ebroicensis editi sub auspiciis ill. Ep. De Rochechouart Parisiis* 1752. *De iisdem vide* Prætermissos *diei præcedentis, sed præsertim ipsum diem, quo in Actis nostris relati sunt* XXVI Maji.

(1) Mai, Scriptt. vett. nov. Collect. t. V. p. 64. — (2) T. II Mart. p. XXXV. — (3) Muratori rer. ital., t. XXII, col. 472. — (4) Eccl. venetæ, t. XIII. p. 390 et t. XI. p. 318 et seq. — (5) T. V Septemb., p. 463 et seq. — (6) T. III April., p. 1002 et 1003. — (7) T. VI Maji, p. 371.

S. Oseæ

S. Oseæ Prophetæ commemoratio *est in Menologio Sirleti, in Ephemeridibus Moschis ante tomum* I *Maji, in Tabulis Capponianis apud Assemanum et cum brevi elogio in Menæis et in Menologio Basilii. De eo agunt Acta nostra* IV Julii.

S. Aurelii Carthaginensis episcopi *memoriam ad hanc diem in Florario Ms. a se repertam fuisse annotavit Bollandus in scheda Ms.; verum is colitur die* XX *Julii, ad quam male prætermissus fuit, ut jam annotavit Stiltingus* (1). *Legatur de eo Morcellus* (2), *donec in Supplemento operis nostri de eo dicatur ad* XX Julii.

Marthæ, sororis Lazari, *memoria fit hodie in Vetere Romano Martyrologio, seu* Romano Parvo (3); *item in Auctario ad Bedam* (4), *in Adone puro* (5) *et ex illo apud Notkerum* (6) *et in Auctario Usuardi Rhemensi* (7), *necnon in Kalendario Romano Joannis Stoffeler, Tubingensis anno* 1518 *mathematici* (8) *et in Martyrologio Germanico Canisii et in Universali Castellani. Insuper ex annotatione Ms. Bollandi novimus in Ordine Teutonico aliquando nonam divini officii lectionem hac die de S.* Martha *fuisse. Editiones Lubeco-Coloniensis et Greveni* (9) *habent hac die celebratam fuisse* translationem *S.* Marthæ, *dum alii fasti sacri* natale *referunt. Neutrius vero assertionis fundamentum apparet. Etenim nemo umquam dixisse videtur S.* Martham *die* XVII *Octobris obiisse, neque hac die ejus corpus translatum fuisse. Nescitur quidem dies, quo corpus S.* Marthæ *anno* 1187 *iterum exhumatum fuerit* (10); *verumtamen per hanc corporis elevationem explicari non potest annuntiatio Veteris Romani Martyrologii aut Adonis, quoniam hæc longe prior est. Augetur admiratio ex eo quod hodie Græci in Menæis celebrant translationem S. Lazari discipuli Christi e Cypro Constantinopolim; ita ut in Ecclesia Occidentali memoria sororis, in Orientali fratris fiat. Unde hic concursus? Estne mere fortuitus? Hæsit hic itaque laboriosus et eruditus scriptor de apostolatu SS. Lazari, Mariæ et* Marthæ (11), *prout hæsit Sollerius* (12) *in commentario de S.* Martha *ad diem, qua præcipue colitur* XXIX Julii.

SS. Cosmæ, Damiani, Leontii, Anthimi et Eutropii *alias* Euprepii, fratrum Martyrum *et* Anargyrorum *meminere ad hunc diem Menæa Græcorum, Menologia Sirleti et Basilii Imperatoris, et ex iisdem alii fasti. Legitur in Menæis, in Menologio Basilii et passim apud recentiores tria fuisse paria Sanctorum cum nominibus* Cosmæ et Damiani, *Arabas scilicet, qui hoc ipso die coluntur, Romanos similiter Martyres, qui* I *Julii, et demum Asianos filios Theodotæ, qui confessores fuissent, quorumque memoria agitur* I *Novembris. Verum hæc Græcorum figmenta esse, et nulla Auctoritate fulciri quæ nono sæculo antiquior sit, sufficienter ostendit Stiltingus ad* XXVII *Septembris, quando a Latinis Martyrologis cum tribus fratribus supra nominatis, passim commemorantur. Evicit scilicet solos martyres Arabas, qui Ægis in Cilicia circa* 287 *sub Lysia præside passi sunt, esse admittendos, causam vero ob quam Græci Sanctos geminos aut tergeminos dixerint, quærendam potissimum in multiplicitate dierum cultus, orta nimirum ex celebrium Martyrum translationibus et ex consecratione templorum* (13). *Stiltingi argumenta plene confirmat* Kalendarium Constantinopolitanum *octavi sæculi, quod suppressa jam Societate edidit Morcellus noster et egregiis commentariis instruxit* (14). *Bis ibi recurrunt SS. Cosmas et Damianus:* Μηνὴ (*seu* μηνὶ *itacismo amandato*) Νοεμβρίῳ ά, εἰς τὴν μνήμην τῶν ἁγίων Ἀναργύρων· ἐκ τοῦ κατα Ματθαῖον κεφάλαιον οθ΄. *Et alibi verbis iisdem omnino:* Μηνὴ (μηνὶ) Ἰουλίῳ ά εἰς τὴν μνήμην τῶν ἁγίων Ἀναργύρων· ἐκ τοῦ κατά Ματθαῖον κεφάλαιον οθ΄. *Id est:* mense Novembri *vel* Julio, die I. Ob memoriam sanctorum Anargyrorum. Ex Euangelio Matthæi caput 78, *seu juxta Vulgatam, caput* 10 *a num.* 1 *ad* 8. *Igitur utroque loco eadem est annuntiatio et Euangelium, sed multo majoris momenti est quod ad* I *Julii additur:* Προεγράφη μηνὴ (μηνὶ) Νοεμβρίῳ ά εἰς τὴν μνήμην ΤΩΝ ΑΥΤΩΝ, καὶ ἔχει ζήτη (ζήτει): Scriptum superius mense Novembri die I ob EORUMDEM memoriam, et illic quære (15) *Quibus positis, mirum non est Morcellum Stiltingi conclusiones ulnis ambabus amplexum esse. De iisdem Martyribus Commentarium et Acta quadruplicia quære ad diem* XXVII Septembris.

S. Privati Martyris, *qui a S. Callisto Papa baptizatus est, meminere Usuardi editio Greveniana, Canisius et Whitfordi vetus Martyrologium Anglicanum. Vide quæ occasione S. Callisti ad* XIV *Octobris de eo observata sunt* (16); *sed præsertim ipsa ejus Acta ad diem quo Romano Martyrologio inscriptus est* XXVIII Septembris.

S. Cerbonii Populoniensis episcopi, cujus nobis reliquias attulit Fr. noster Robertus Pisanus, *memoriam inducit Auctarium Usuardi Reginæ Sueciæ num.* 428, *et ex eo* (*omisso vocabulo* nobis et nostro) *Auctaria Muneratense et Molani; ejusdem ad hanc diem meminerunt Auctaria Adonis apud Georgium, necnon Martyrologium Germanicum Canisii et Parisiense Card. de Noailiis; itemque Breviaria Parisiensia. Sermo in his est de delatis S* Cerbonii *reliquiis Lutetiam Parisiorum per Robertum Pisanum canonicum Parisiensem, ut videre est in Commentario de S.* Cerbonio, *ad diem, qua præcipue colitur,* X Octobris.

Prope castrum Frontalis ad radices montis Suavicini sancti Dominici Loricati Confessoris Camaldulensis, cujus vitam virtutibus gloriosam, et austerissimo inauditæ pœnitentiæ rigore admirabilem sanctus Petrus Damiani luculenter conscripsit; ejus autem dies natalis pridie Idus Octobris recensetur. *Ita hodie Martyrologium Romano-Camaldulense anni* 1845. *Vitam dedimus* XIV Octobris.

SS. Silvani, Alexandri et Marci *meminit in hunc modum Grevenus:* Ipso die, secundum alios præcedenti, passio S. Silvani, Alexandri et Marci Martyrum. *Est mera confusio ex Sanctis diei præcedentis et diei præsentis.* Alexander *et* Marcus (*loco* Mariani) *socii sunt S. Victoris Nicomediensis Martyris, hodie cultis; S.* Silvanus *est Agedunensis Martyr, de quo dictum est ad diem* XVI Octobris

S. Eliphius, *M. in Usuardi Codice Hagenoyensi. Ejus Acta dedimus die præcedenti* XVI Octobris.

S. Ambrosii Confessoris in territorio Byturiensi (*Bituricensi*) depositio *legitur in Usuardi codice Hagenoyensi. Est is Cadurcensis episcopus cujus vita illustrata* XVI Octobris.

(1) Act. SS. ad 28 Aug., p. 432. — (2) Africa Christ. ad ann. 392 et seqq., t. II, p. 307 et seqq. et t. III, p. 6 et seqq. — (3) Edit. a Rosweido post Martyr. Roman. Baronii. — (4) Act. SS., t. II, Martii, p. XXXV. — (5) Edit. Georgii p. 533. — (6) Canisii Thesaur., t. II, part. III, p. 181. — (7) Ap. Sollerium ad h. d. — (8) Ap. Launoium, opp., t. II, part. I, p. 215. — (9) Ap. Sollerium, ad h. d. — (10) Faillon, Monuments inédits sur l'apostolat de Ste Marie Mad. en Provence, etc., t. I, col. 1219 et seqq. — (11) Ibid. col. 1229 et seqq. — (12) Act. SS. t. VII, Julii, p. 5. — (13) Act. SS. ad 27 Sept., p. 436, n. 44 et seqq. — (14) Romæ 1788, in-4. 2 vol. — (15) Ibid. vol. I, p. 211 et vol. 2, p. 149. — (16) T. VI Octobr., p. 425, n. 79. et seqq.

S. Gor-

A S. Gordinelli Confessoris memoria est in Usuardo Greveni. de S. Gurdanio, alias Gurdinello, Gurdiello, eremita, Duaci et Aquiscinctii in Gallia actum est ad diem præcedentem xvi Octobris.

S Gaudericus confessor, agricola Occitanus, qui Canigone et Mirapicii potissimum colitur, iterum occurrit in Supplemento Saussayi, qui eum præcedenti die Galdericum dixit, nec monet de identitate. Similiter in Breviariis quibusdam et Missalibus Tolosanis, ob hesternum festum S. Bertrandi, ad hunc diem remissus est. Data est Vita ad diem natalem xvi Octobris.

S. Magnobodum Andegavensem episcopum ad hunc diem celebrant Bucelinus et Antonius de Heredia in Menologiis Ordinis S. Benedicti; verum pertinet ad præcedentem, ubi ejus Vitam dedimus xvi Octobris.

S. Marci nomen tribus Nicomediensibus Martyribus adjicit secunda Beliniana Usuardi editio; verum id male factum fuisse prodit vel ipsa codicis solitudo.

SS. Annæ, Lucii et Victoris Martyrum natalem diem celebrat codex Usuardinus D. Le Mare, signatus A; verum quum solus hoc agmen producat, quumque insuper Lucius et Victor inter B Mauritanos Martyres veniant, nullus dubito quin Anna mera sit nominis alicujus corruptio; quocirca vide, quæ de Martyribus Mauritanis diximus

Tumbæ in Normannia S. Sergii Ducis. Ita Ferrarius in Catalogo Generali, et in Notis testatur se ex Martyrologio Germanico Canisii id accepisse. Signatur ibi quidem ad diem præcedentem quando memoria celebratur apparitionis S. Michaelis, sed in hunc Ferrarius transtulit, ne eodem die, ut arbitror, duplex de eodem loco annuntiatio fieret. In prædicto Martyrologio Germanico ad xvi Octobris, annuntiata apparitione S. Michaelis, quæ facta est S. Autberto Abrincensi episcopo in Monte Tumbæ, qui locus exinde Mons S. Michaelis dictus est, subjungitur: Ibi etiam fit memoria ducis cujusdam Francici, Sergii nomine, et uxoris ejus Margaritæ, qui dux in memorata S. Michaelis ecclesia a lepra sanatus est et deinde simul cum uxore sua ibi Deo et S. Michaeli usque ad finem vitæ servivit. Hæc ad verbum ex idiomate germanico versa sunt. Unde vero accepta fuerint non novi, nec scio an ulli alii Martyrologi præter Ferrarium et Saus- C sayum in Supplemento sui Martyrologii Gallicani ad xvi Octobris, hos pios conjuges fastis inseruerint. Desiderantur in Martyrologio Parisiensi, in Ebroicensi etc., in Martyrologio Universali Claudii Chastelain ejusque editione recentiori anni 1835, demum in Breviario Abrincensi anni 1635: cum tamen Mons S. Michaelis non tantum ad antiquatam hanc diœcesin pertineat, sed ab Abrinco non plus sex millibus passuum distet. Quocirca visum est non sufficienter de cultu constare ut in opere nostro sibi locum habeant.

Monachi confessoris in Hibernia, memoria est in Usuardo Greveni, apud Sollerium. Colganus in Triade Thaumaturga de Monacho quodam agens (1), cujus mentio occurrit in Vita S. Patricii, hæc adnotat: « Monachi Confessoris in Hibernia » inquit Martyrologium Carthusianorum ad xvii Septembris, id est Greveni Carthusiani monachi editio Usuardina modo laudata, quam Coloniæ annis 1515 et 1521 prodiisse ex Sollerii Præfatione novimus (2). Erravit igitur Colganus qui non xvii Septembris, sed xvii Octo- D bris dicere debebat et ex eo error transiit in Catalogum Sanctorum Hiberniæ qui citatur in Prætermissis ad xvii Septembris. Pergit Colganus: Sed fuit hic abbas de Linn-lere in Media, ut tradunt ad eumdem (immo xvii Octobris) Marianus Gormanus et Martyrologium Dungallense, et obiit an. 776 juxta Quatuor Magistros in Annalibus. Unde diversus est a præsenti Patricii discipulo, S. Mœnachi, sive Mœnachani meminerunt Marianus Gormanus, Martyrologia Tamlachtense et Dungallense ad vii Februarii, quo dicunt ipsum coli in ecclesia de Athliag. Sed cum Monachus, Munchanus et Manchinus eadem sint nomina, forte hic est sanctus Monchanus filius Judith de quo xxiv Januarii vel Manchinus filius Collani, de quo iii Jan. (lege xiii) eadem agunt Martyrologia. Egit Colganus in Actis SS. ad xiv Februarii de S. Mancheno sive Manchano abbate Moethalensi (3), ibique multa de homonymis qni in Hibernorum fastis leguntur collegit, illo tamen prætermisso, de quo in presentiarum sermo est (4). Horum omnium nomen derivari scribit a voce Hibernica Manach, quæ monachum significat, E vel ab ejusdem diminutivis Manchan, Manchen et Manchin. Præ manibus sunt illa ipsa exemplaria Martyrologiorum, quibus usus est Colganus; et primum in Festilogio S. Ængussii et in Martyrologio Tamlachtensi ad xvii Octobris nihil de S. Monacho legitur, apud Marianum Gormanum Mœnach, in Martyrologio vero Dungallensi, quod collegit Michael O' Clery Ord. S. Francisci et approbationem præfert Thomæ Fleming Archiepiscopi Dubliniensis, Hiberniæ Primatis, datam Kildariæ vi Februarii 1636, scribitur ad eumdem diem: Maonach mac clairin abb. lainne lere, anno Domini 720; quamquam supra ex Colgano didicimus eum obiisse an. 776, seu potius anno 777, propter solitum apud Quatuor Magistros unius anni defectum (5); nisi perperam, ut alibi sæpe, numeri a typotheta expressi fuerint. Hic insuper docemur Monachum natum esse ex quodam Clairin. Alia de eodem non reperi.

Gilbertus, octavus abbas Cistercii, cognomento Magnus et Theologus, Beati titulo insignitur in fastis Cisterciensibus et Benedictinis, quia nempe inter Sanctos Cistercii Patres refertur ab antiquo F scriptore Joanne de Cireya (6), itemque in Catalogo qui ad calcem cujusdam vetusti Missalis ejusdem ordinis excusus est (7). Sed ibi multi prodeunt, qui numquam ecclesiastico cultu sunt decorati, nec vero Catalogus ille Kalendarium est illorum, qui in ipso Missali officium et lectiones obtinent, sed mera series virorum et feminarum ex toto Ordine virtutibus illustrium. Rem sufficienter examinare, ob defectum monumentorum, non potuerant primi Bollandiani, qui Gilbertum habent inter Prætermissos ad iv Februarii. Plura de eodem docebit Annalista Cisterciensis Angelus Manrique, vir probatissimi judicii, qui eum nusquam Beatum compellat (8): nec etiam insertus est Martyrologio Cisterciensi quod, annuente Benedicto XIV, Romano adnexum fuit. Cessit e Vita Gilbertus anno 1166, ut testatur laudatus Annalista ad hunc annum, capite quinto. Qui vero factum sit, ut Pitseus in Libro de scriptoribus Angliæ eum seculo tertio

(1) P. 188, n. 127. — (2) P. xlvi et xlviii. — (3) P. 332. — (4) Cfr de his omnibus Lanigan, Ecclesiast. Hist. of Ireland, t. III, p. 29 et seqq. et 176. — (5) Ibid. passim. — (6) Collectio privilegiorum et compendium Sanctorum Ordinis. Divione. 1491. — (7) Vide eum apud Henriquez: Fasciculus SS. Coloniæ 1631, in-4, lib. ii, p. 313. — (8) T. II Annal. p. 371, 426, etc. Cfr. Gall. Christ. noviss. edit., t. IV, col. 987.

decimo

A *decimo vixisse scripserit et Tolosæ sepultum docebit quadamtenus Henschenius noster in sylloge de S. Hilario Tolosano episcopo ad* XXI *Maji* (1). *De loco sepulturæ idem habet Saussayus, ac* Gilberti *obitum in Martyrologio ad hunc diem annuntiat, sed typis minoribus.*

Beati Eutichii confessoris, magnæ sanctitatis viri, Ordinis Carmeli *memoria est in Martyrologio Molani* (2), *sed non in editione prima quæ cæteris probatior est. In opusculo cui titulus:* Acies bene Ordinata... Ordinis Carmelitarum... per R. P. Philippum a Visitatione (3) *ad* XVII *Octobris* S. Eutichius Eliotarum Abbas post S. Antonium. *In exemplari quod mihi ad manus est, additur Appendix Ms. notationum, quem nunquam editam fuisse arbitror, et cujus* præfatio *dirigitur* ad eruditissimum P. Danielem Papebrochium et alios Societatis Jesu Scriptores. *In ea vero paucis præmissis*, P. Philippus Visitantinus humiliter precatur R. P. Papebrochium, ut dignetur in Actis suis operosissimis Sanctos hic adjunctos recensere, saltem inter Prætermissos, respectu habito ad præsentes Annotationes. *Deinde legitur ad*

B XVII *Octobris:* S. Eutitius Eliotarum Archimandrita SS. Basilium, Ebolium, et alios insignes Discipulos in Carmelo recepit ad annum 355, et erudivit, ut referunt Bostius Cap. * v. B. Joannes Sorethus in præfat. ad Regulas. *Joannes de Lezana in Annalibus Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo ad an.* 351 *et* 354 (4) *utriusque loca recitat, verum solus Arnoldus Bostius de Eutitio loquitur. Fuit Bostius Carmelita Gandavensis, in eaque urbe obiit anno* 1499; *vir pius nec pro tempore illo indoctus, cujus* Speculo historiali *Ms. usus est Lezana ad concinnandos Annales, sed locus ille Bostii, uti alia plurima, nedum fulciri ex cognitis monumentis, contra ea ne defendi quidem potest. Id autem intelligas velim de ejus asserto, Basilium, Ebolium et* Eutitium *in monte Carmelo vixisse, de quo in S. Basilii Vita* (5) *aut apud Scriptores antiquos omnino siletur. Fit brevis mentio de quodam Eutyche Cappadoce qui Gotthos sive Scythas fidem docuit, in epistola S. Basilii ad Ascholium Thessalonicensem, quæ est* 338 *in ordine veteri,* 164 *vero in editione Maurina; ipsa verba videsis in Actis S. Basilii ad diem*

C XIV *Junii nostri* (6). *Verum Eutyches ille cum hodierno* Eutychio *vel* Eutitio *nihil commune videtur habere, et nisi graviter fallar, Bostius ex conficta aliqua historia, confictum* Eutitium *accepit; nam ipsum Bostium hoc dedecore notare non audeo. Nihilominus hunc secutus est Joannes de Oudewater sive Palæonydorus* (7), *Carmelo itidem Belgico adscriptus, qui anno* 1507 *Mechliniæ vita functus est; et exinde Molanus in Martyrologii sui editione secunda et Laurentius Beyerlinck in* Theatro Vitæ humanæ V° Religiosus (8). *Præter Molanum, Aciem bene Ordinatam et Menologia quædam vetera Ordinis Carmelitici, nulli fasti ad hunc diem* Eutitium *vel* Eutychium *ullum signaverunt. In Theodoreti Philotheo cap.* XIV *prodit nomen cujusdam Eutychis, qui apud Antiochiam monachum egit* (9).

Dedicatio basilicæ (Carnotensis) in memoria beatissimæ Mariæ Matris Dei et Domini nostri Jesu Christi. *Est annuntiatio Martyrologii Ms. Carnotensis et Greveni inter Usuardi Auctaria apud* D *Sollerium, eamque in Martyrologium suum Germanicum transtulit Ven. P. Canisius.*

Anniversarium consecrationis ecclesiæ de Aqua Carnotensi et sanctimonialium Ambianensium de Hispania *eodem hoc die annuntiat Kalendarium Cisterciense* (10). *Agitur de ecclesiis monialium ejusdem Ordinis Cisterciensis: quarum altera apud Carnutum sita erat juxta fluvium Auturam, unde nomen* Aquæ *(vulgo* de l'Eau) *assumpsit; altera in diœcesi Ambianensi apud locum* Hispania *(vulgo* Épagne) *dictum, ex quo moniales bellorum causa sæculo* XVII *Abbatisvillam se receperunt.*

Dedicatio ecclesiæ Monasterii Cisterciensis, et Ordinis. *Ita in* Ligno Vitæ *ad* XVII *Octobris A. Wion qui ex Cæsarii lib.* I, *cap.* I *scribit id contigisse anno* 1098, *diem vero sibi subministratum ex Kalendariis Cisterciensibus* (11). *Accinunt Saussayus, Hugo Menardus, et Kalendarium Cisterciense. Martyrologium Romano-Cisterciense anni* 1845 *paulo uberius:* In diœcesi Cabillonensi in Gallia Dedicatio Ecclesiæ beatæ Mariæ de Cistercio, quæ caput et mater est omnium Cisterciensis Ordinis Ecclesiarum.

Dedicatio Basilicæ S. Emerii in loco S. Stephani E de Guialbis in Catalania, *ut dicitur in Vita S. Emerii ad diem* XXVII *Januarii nostri* (12). *Traditur ibi S.* Emerium *monasterii Balneolensis * in diœcesi Gerundensi conditorem et primum abbatem fuisse, quæ aliquando ad crisim revocanda erunt in Januarii supplemento. De dedicatione ecclesiæ, concinit Tamayus Salazar in Martyrologio Hispano. Dedicationes ecclesiarum solum annuntiare solemus.*

Bertrandus a Lazanoba *M. Ortensii in Aquitania,*
Balthasar a Clavario *Conf. in territorio Mediolanensi,*
Didacus a Monte *Conf. Albuquerquii in Hispania,*
Eustochium *vidua Tertii Ord. S. Franc. in Sicilia.*
} *referuntur ab Arturo Du Moustier, in Mrol. Franciscano et ultima etiam in Gynecæo, omnes cum titulo* Beati, *quem Hueberus in Menologio ejusdem Ordinis omisit.*

Alberici *S. R. E. Cardinalis monachi quondam Casinensis, meminere Bucelinus et Antonius de Heredia in Menologiis Benedictinis, eumque Venerabilem nuncupant.*

Chrysostomum *a Conceptione Cisterciensem monachum S. Martini Vallis-ecclesiarum in Hispania,* F *Venerabilem nuncupant hoc die Menologia tum Cisterciensia, tum etiam nonnulla Benedictina.*

Bartholomæum *abbatem Cisterciensem monasterii Populetani in Catalaunia memorat hoc die Hugo Menardus, ceteri* XXIV *Februarii. Vide Prætermissos nostros ad eumdem diem.*

Lucia *reclusa Hispana, quæ Compostellæ aliquamdiu vixit et fertur obiisse circa* 1240, *apud Bucelinum laudatur ad hunc diem; sed omissa est in ejusdem Nomenclatore operi præfixo itemque in Indice Sanctorum. Antonius de Heredia Hispanus, qui Bucelinum gentis suæ lingua loqui jussit, ait se nihil de* Luciæ *mirabili vita, præter ea quæ Bucelinus memorat, comperisse. Cetera Menologia Benedictina eam omittunt, uti etiam copiosus Martyrologus Tamayus de Salazar.*

Rasonem Goetgebuers, *Gandensem ortu, abbatem Trunciniensem Ord. Præm., et Steinfeldiæ circa finem sæculi XV mortuum, cum Beati*

* l. libro.

* Banols.

(1) T. V Maji ad 21, p. 11. n. 4 et 5. — (2) V° Usuardum Sollerii. — (3) Valencenis 1676. — (4) Romæ 1650, in-fol., p. 524 et 530. — (5) T. II Junii, p. 807. — (6) Ibid., p. 905 a. — (7) In Fasciculo tripartito, l. II, c. v. Speculo Carmeitano, t. I, p. 239, edit. 1680. — (8) Lugduni 1656, in-fol., t. VI, p. 250. — (9) Cfr., t. II Janur., p. 271. — (10) Parisiis 1689, in-4. — (11) Cfr. Gall. Christ., t. IV, col. 981, et t. III April., 666, n. 16. — (12) T. II. p. 782, n. 9.

titulo

A *titulo et insigni encomio ad hanc diem exhibent Ephemerides hagiologicæ Ord. Præm. Verum nulla cultus exstant vestigia.*

Petri de Donnaud *Mirapicensis episcopi, qui obiit* III *Julii* 1630, *meminit Saussayus occasione S. Gauderici, eumque Beatum nuncupat. Vide præclaras ejus laudes in Gallia Christiana* (1), *sed nullum unquam cultum habuit.*

Ven. Margarita Maria Alacoque, *ex ordine Visitationis B. M. V. sanctimonialis, anno* 1690 *hac die obiit. Quum processus ejus canonizationis ad finem hactenus perductus non fuerit, nondum videtur ei in opere nostro locus dandus.*

Ven. Franciscus Isidorus Gagelin, *Missionarius apostolicus in Cocincina, hac die martyrii palmam retulit anno* 1833. *Quum passionem ejus nondum probarit Sedes Apostolica, satis fuerit eum inter Prætermissos signasse.*

SS. Hermes et Taxius, *in Usuardi Auctario Bruxellensi, apud Sollerium, pertinent ad diem sequentem* XVIII Octobris.

SS. Chrysanthi et Dariæ *memoriam habent hoc die Menologia Sirleti et Basilii Imperatoris. Nos cum Martyrologio Romano et fastis plerisque* XXV Octobris.

B SS. MM. Claudius Tribunus, *qui Sanctos Chrysanthum et Dariam cruciavit,* Hilaria Claudii *uxor,* Maurus et Jason *ejus filii in Sirleti Menologio junguntur cum SS. Chrysantho et Daria, itemque, ut colligo ex Siberi Ephemeridibus metricis, et ex notationibus MSS. Bollandi, in veteri editione Menæorum, sed in nupera Veneta, occurrunt solum ad* XIX *Martii. Videsis Prætermissos ad illum diem. Fasti plerique latini eosdem habent* III Decembris.

S. Catervi, *cujus monumentum Tolentini in Italia repertum est, quique hoc die quievisse in pace fertur, Acta examinabuntur ad diem qui communiter in fastis ei assignatur* X Decembris.

S. Lazari, *discipuli Christi, translatio Cypro Constantinopolim hodie in Menologio Sirleti et in Menæis Græcorum annuntiatur; quorum hæc sunt verba:* Translatio pretiosarum Reliquiarum sancti et justi Lazari. Felix et celeberrimus ac regum fidelissimus Leo divino motus zelo et quasi quodam perculsus afflatu primum quidem templum Justo ædificavit; deinde facta in insulam Cyprum expeditione, invenit sanctum illius corpus in urbe Cytiensi, mille ab hinc annis sub terra conditum in marmorea capsa, ubi alterius linguæ litteris inciditur: LAZARUS QUATRIDUANUS ET AMICUS CHRISTI. Statim sublatum inde magni pretii thesaurum et argenteis loculis impositum, Constantinopoli reposuit. *Hæc confirmat Launoius* (2) *primo his ex tomo III Annalium Zonaræ verbis:* Condidit (*Leo VI*) et aliam ædem Sancti Lazari, in qua sacrum ejus corpus e Cypro translatum, necnon Mariæ Magdalenæ condidit; *et his aliis Cedreni in Compendio historiarum:* Ibidem aliud templum condidit (*Leo VI*) Beato Lazaro sacrum, in eoque Lazari et Mariæ Magdalenæ reliquias Epheso allatas reposuit; *et his demum Curopalatæ in Historia:* Leo imperator templum construxit Sancto Lazaro dedicatum, in quo Sancti allatum corpus reposuit, atque sororis ipsius Mariæ Magdalenæ. *Nemo hæc legens non crediderit hic ubique et expresse agi de* Lazaro *a mortuis suscitato; præeunte tamen Lequien, æstimat cl. v. Faillon* (3) *agi de* D *alio S. Lazaro. Verum, licet maximi faciamus sagacitatem eruditissimi scriptoris, hanc menti nostræ vim inferre non possumus; quo circa quæstionem ad hos terminos redactos arbitramur ut eligendum sit inter traditionem Massiliensem et Constantinopolitanam; nequaquam ut inter se concilientur. Hæc omnia fusius examinabimus ad diem, qua maxime S.* Lazarus *colitur* XVII Decembris.

S. Etheldredæ *Virginis, Reginæ et Abbatissæ Elyensis in Anglia translatio hoc die annuntiatur in codice Usuardi Altempsiano, in Rosweydiano etiam et in editione Lubeco-Coloniensi* (4). *Eamdem habent Breviaria et Missalia Sarisburiensia, Ven. P. Canisius in Martyrologio Germanico, Arthurus in Gynecæo, et alii recentiores. Translata est anno* 679 *die* XVII *Octobris* (5) *et iterum anno* 1106, XVI *Septembris* (6); *sed cum eodem anno ejus sorores* S. Sexburga, *et* S. Withburga, *ac* S. Sexburgæ *filia* S. Ermenilda, *eodem die quo primum* S. Etheldreda, *id est* XVII *Octobris, translatæ fuerint, statutum est quadruplicem translationem hoc posteriori die simul celebrare* (7). S. Etheldredæ, *quæ etiam* Etheldrida, Ætheldritha, Ediltrudis *et ex linguæ alteratione per Normannos* E *introducta,* Audry *nuncupata est, Vitam amplam habes in Actis nostris ad* XXIII Junii.

S. Sexburgæ VI Julii.

S. Withburgæ XVII Martii.

S. Ermenildæ XIII Februarii.

S. Aurelii Martyris cum uxore sua et aliis sociis eorum, *memoria habetur in Usuardo Carthusiæ Ultrajectinæ apud Sollerium, et ibidem in Greveni Usuardo legitur:* Liliosæ Virginis cognatæ S. Nathaliæ. *Videnda sunt Acta martyrum Cordubensium* Georgii *diaconi,* Aurelii *et* Nataliæ *alias Sabigothonis ejus uxoris,* Felicis *et uxoris ejus* Liliosæ *ad diem proprium martyrii* XXVII Julii.

Horum aliquot translatio Parisios celebratur XX Octobris.

S. Gundelbertus *memoratur in Martyrologio Parisiensi quod anno* 1728 *auctoritate cardinalis de Noaliis excusum est. De* S. Gumberto seu Gondeberto archiepiscopo Senonensi * et fundatore monasterii Senonensis alias Senoniensis * in Vosago *egit Henschenius noster ad* XXI *Februarii, ibique duplicem sententiam expendit, alteram quæ Sanctum episcopum seculo septimo, alteramquæ octavo exeunte floruisse asseverat. Nec ipse Mabillonius, qui in monumenta Senoniensia diligenter inquisivit, rem absque dubitatione pertractare ausus est, ubi scribit* (8); Gundelbertus, Senonum, ut perhibent, antistes *et inferius:* Si vere Senonum episcopus, et non potius chorepiscopus fuit. *Etenim S. Petrus Damiani eum diserte* Archiepiscopum Senonum *vocat* (9) *et in Præcepto regis Austrasiæ Childerici, filii Chlodovei junioris, quod datum est pro monasterio Senoniensi circa an.* 661, *sequentia leguntur* (10): Gundelbertus igitur episcopus sive abba monasterium in honore sanctæ Mariæ et sancti Petri, sociorumque ejus in pago Calvomontisi in Vosago, super fluviolum Rabadonem visus est ædificasse, ubi plurimam ad præsens monachorum turbam noscitur adunasse. Hujus itaque viri sancti petitione suscepta, *etc. Attamen in nullis Catalogis sive editis sive mss.* S. Gundelbertum *seculo septimo Senonensem episcopum repererunt Benedictini Sodales, qui tertio Galliam Christia-*

* Sens. * Senone.

(1) T. XIII. col. 277. — (2) Dissertat. de Lazari, Magdalenæ, etc., t. II. opp., part. I, p. 206. — (3) Monum. inéd. sur l'apostol. de Sainte Marie-Madeleine, etc., t. I, col. 361 et seqq. — (4) Ap. Sollerium ad 17 Octobr. — (5) T. IV Jun., p. 490 et 515. — (6) Ibid., p. 537 a. — (7) Ibid., p. 538, et t. I Febr., p. 608 e. — (8) Annal. ad an. 661, n. 15. — (9) T. III Febr., p. 262. — (10) Annal. t. I, app. 2, n. 22.

nam

A *nam edidere; sed in omnibus occurrit* S. Gumbertus *sive* Guntbertus, *qui sedit seculo octavo jam præcipiti inter Godescalcum et Petrum I* (1). *Unde eruendum diversas esse personas, et integro seculo ab invicem distare. Posterior,* S. Gumbertus *scilicet, videtur floruisse circa* 775, *sedit per annos* 7, *et sepultus fertur in monasterio S. Petri Vivi propre Senonas. Ad eum spectat verosimiliter annuntiatio Florarii MS. Sanctorum ad* I *Martii:* Senonis S. Gumberti ejusdem urbis episcopi (2). *S. autem* Gundelbertus *qui seculo septimo Senoniense monasterium condidit et episcopi ac abbatis titulis decoratur, teste Richerio Senoniensi chronographo*(3), *a quibusdam sepultus olim dicebatur apud Medium-vicum* * *cum S. Pientio et aliis Sanctis. Ad* XXI *Februarii eum memorant Hugo Menardus, Bucelinus et Saussayus, sed Claudius Chastelain nihil de distinctione suspicans inter* Gumbertum *et* Gundelbertum, *hunc ex Florario SS. retulit ad* I *Martii. De eodem ita Mabillonius in Annalibus* (4): Incertus annus mortis Gundelberti, incertus quoque sepulturæ locus, quem nonnulli apud Medium vicum statuunt. Nec fere certior ejus cultus quem non in fastis B sacris, nequidem domesticis, notatum invenimus. In necrologio tamen Senoniensi legitur XVI Kalend. Novembris : « Commemoratio S. Gundelberti præsulis, hujus loci fundatoris; Megerranni, Teodradi, Perini, Motheri, Wipodi, abbatum et sacerdotum Senonensis monasterii, » haud dubie primorum. *Ex hoc Mabillonii loco confecta est verosimiliter hodierna Martyrologii Parisiensis annuntiatio, quam initio hujus paragraphi dedimus. Tametsi parcus valde fuerit cultus* S. Gundelberti, *nihilominus in Actis SS. O. S. Benedicti eidem suus locus est seculo* 3, *parte* 2, *et Kalendarium volumini præfixum nobiscum in assignando cultus die convenit. De eodem* S. Gundelberto *aliquando nonnulla addi poterunt in Supplemento ad* XXI Februarii.

* Moyenvic.

De S. Gumberto *vel* Guntberto *ibidem fors agi poterit ad* I Martii.

S. Maglorii *episcopi et septemdecim aliorum Sanctorum translationem e Britannia minori Parisios celebrat hodie Martyrologium Parisiense Card. de Noaliis. De hac celebritate in opere nostro dictum jam fuit ad diem* III *Martii* (5), XXVIII *Julii* (6), *ad* XVI *Septembris* (7) *et ad* XXVI *ejusdem mensis* (8). C *Hic vero pauca tantum in quædam annotabimus nomina.* S. Samson Dolensis archipræsul, *qui in translationis Historia primo venit loco, apud R. D. Garaby duplex est, junior cultus die* XXIV *Julii, senior die* XXVIII *ejusdem mensis; apud decessores nostros* (9) *unus tantum admittitur* S. Samson, *episcopus regionarius.* S. Senator episcopus *idem est Castellano ac S. Sinierus Abrincensis episcopus; quod nostris ad diem* XVIII *Septembris* (10) *non placuit. Colebant illum Parisienses ad S.* Maglorii *die* XXVI *Septembris, propter festum S. Senatoris Albanensis ad hanc diem fastis sacris inscriptum, ut annotarunt decessores nostri* (11). *Contra R. D. Garaby in Historia Beatorum et Sanctorum Britanniæ Minoris ponit ad diem* XVI *Septembris S. Senatorem, quem S. Paterni in sede Abrincensi successorem facit,* D *et quem die* XVII *Septembris juxta S. Paternum et Scubilionem sepultum tradit, confitens simul eum ab aliis episcopum in Britannia minori statui.* S. Guinailus *seu* Wenalis *sacerdos essetne idem ac S. Winwaloeus abbas, dubitatum fuit ad diem* III *Martii* (12); *utrumque distinguit R. D. Garaby, ponitque festum illius ad diem* III *Novembris, ad hanc diem istud dubium examinari poterit* (13). *Quod ad* S. Melorium *spectat, exhibet ille idem hagiographus* S. Melarium *M. circa annum* 799 *occisum, S. Melorium episcopum quemdam, S. Melorium abbatem cultum in Tréméloir, vicum prope civitatem S. Brioci, et demum sanctum quemdam nomine* Ménoir *forsan pro* Meloir, *in Britannia minori cultum. Bollandus ad diem* III *Januarii dedit Vitam seu Passionem S. Melorii M. Angli, cujus natalis est dies* I *Octobris. Licet diversissima sint quæ ex gentis suæ traditione habet R. D. Garaby de suo* S. Melario *et quæ ex Capgravio et codice MS. protulit Bollandus* (14), *nemo tamen dubitabit quin de eodem Sancto utrobique agatur. Nonne tantum fuit incolis Majoris Britanniæ quantum Minoris jus fingendi et promendi fabulas? Cæterum æsti-* E *mavit Bollandus* S. Melorii *Parisienses Reliquias ad suum pertinere* (15). *Nil est cur aliter sentiamus.* SS. Paterni *plures sunt, adeoque unus saltem Venetus in Britannia Minore, de quo in opere nostrum dictum est ad* XV *Aprilis* (16); *verum quum hic etiam adsit* S. Scubilio, *arbitror agi de* S. Paterno *Abrincensi episcopo ejusque socio* Scubilione (17). *De* SS. Leutherno, Leviano *et* Scophilo (*quod alia opportunior non sit dies*) *ad hanc diem agemus; et quidem hi cum* S. Guingantone *Parisiis alio die non colebantur* (18), *dum quatuordecim reliqui alios haberent dies festos. Quum autem* S. Guinganto *seu* Winwanto *quidam die* XXVIII *Novembris in diœcesi Venetensi colatur, poterit hac die de eo disceptatio haberi, licet velint hunc esse S. Hinguetenum, monasterii S. Mevenni sæculo* XI *restauratorem. Reliqui Sancti vel satis distincti sunt vel in opere nostro de eis actum jam est; quodsi de eis adhuc sit agendum, melius expedientur tricæ propriis in singulorum locis. Superest ut indicemus dies ad quos de unoquoque jam dictum est aut in posterum dicetur; venit itaque*

S. Melorius *ad* III Januarii. F
SS. Paternus *et* Scubilio *ad* XVI Aprilis.
S. Briomaglus *seu* Briocus *ad* I Maji.
S. Leonorus *seu* Lunarius *ad* I Julii.
S. Samson *ad* XXVIII Julii.
S. Senator *ad* XVIII et XXVI Septembris.
S. Maglorius *ad* XXIV Octobris.
S. Guenailus *ad* III Novembris.
S. Tremorius *ad* IV Novembris.
S. Ciferianus *ad* XIII Novembris.
S. Machutus *ad* XV Novembris.
S. Guenguanton *seu* Winwanton *ad* XXVIII Novembris.
S. Budocus *ad* IX Decembris.
S. Corentinus *ad* XII Decembris.

(1) Gall. Chr., t. XII, col. 14 et t. XIII, col. 1384. — (2) T. III Febr., p. 263. — (3) Spicil. ed. in-fol., t. II, p. 605. — (4) Ad an. 661, n. 15. — (5) Act. SS., t. I Martii, p. 248. — (6) Ibid., t. VI Julii, p. 592. — (7) Ibid., t. V Sept., p. 782. — (8) Ibid., t. VII Sept., p. 267. — (9) Ibid., t. VI Julii, p. 592. — (10) Ibid., t. V Sept., p. 782. — (11) Ibid., t. VII Sept., p. 265. — (12) Ibid., t. I Martii, p. 248. — (13) Cfr. Acta S. Ethbini ad 19 Oct. infra in hoc vol. — (14) Act. SS., t. I Januar., p. 136. — (15) Ibid., app., p. 1089. — (16) Ibid., t. II April., p. 378. — (17) Ibid., t. cit., p. 425. — (18) Chastelain, Martyrologe univ., p. 803.

DE

A D

DE S. HERONE

EPISCOPO ET MARTYRE ANTIOCHIÆ

SYLLOGE.

J. V. H.

Memoria Sancti in fastis: tempus episcopatus et obitus.

ANNO 128. S. Heronis mentio

Tacentibus *Romano veteri et Hieronymianis Martyrologiis, hodierna die* S. Heronem *annuntiat Adonianum his verbis:* Beati Heronis, de quo beatissimo Ignatio pergenti ad passionem revelatum est, quod Antiochenam post eum recturus esset Ecclesiam. Erat enim hic beati Martyris Ignatii tunc diaconus: episcopus factus, viam magistri pius imitator sequitur, et pro commendato grege amator Christi B occubuit. *Idem elogium pro more suo abbreviat Usuardus genuinus apud Sollerium:* In Antiochia, natalis S. Heronis discipuli beati Ignatii Martyris, qui post eum episcopus factus, viam magistri pius imitator sequitur et pro commendato grege amator Christi occubuit. *Usuardum ad verbum exscripsit Card. Baronius in Martyrologio Romano. Confundendus non est Sanctus noster cum secundo suo in Antiochena sede successore, qui antiquis Heros vocabatur: unde et alii hunc ejusdem nominis secundum fecerunt. Sed verum inter utrumque occurrit discrimen, cum Sancti nostri nomen a græca littera* 'H *cum spiritu aspero, successoris vero littera* E *inchoetur, variantibus tamen codicibus circa spiritum* (1).

in Martyrologiis:

2 *Quæ Ado refert de S.* Herone *encomia, dicit Sollerius noster,* sola ejus auctoritate nituntur; *nullus enim apud antiquos aliud de* Herone *narrat, quam initium et finem episcopatus. Nam epistola S. Ignatii ad discipulum suum* Heronem, *ut authentica ab eruditis passim non habetur, quippe quæ dicit Onesimum, Damantem et Polybium Philippis fuisse cum S. Ignatio, quod contra fidem historiæ peccat, adfuerunt enim Smyrnæ* (2). C *Circumferebatur tamen jam tempore Adonis hæc eadem epistola, quæ magnam de* Heronis *nostri sanctitate testatur S. Ignatii opinionem.* Credo enim, *inquit S. Martyr* (3), in Patrem Domini Jesu Christi et in Unigenitum Filium, quod ostendet mihi Deus Heronem super thronum meum... Custodi depositum meum, quod ego et Christus deposuimus tibi, neque iis indignum te reputa, quæ a Deo revelata de te sunt. Commendo tibi Ecclesiam Antiochensem... Quos commendo tibi, ut Moyses Josue post ipsum duci... Tu enim introduces amodo et educes populum Domini, qui est Antiochiæ: et non erit grex Domini, velut oves quibus non est pastor. *Hæ certe pericopæ sufficiunt ad concinnandum elogium, quale nobis Ado tradidit: dolendum sane infirmiori niti fundamento.*

tempus episcopatus pendet

3 *Tempus quo S.* Heron *episcopatum Antiochenum assumpsit, pendet ab anno martyrii S. Ignatii. Etenim non credo quempiam facile consensurum quorumdam opinioni, a Marcell. Molkenbuhr, Ord. S. Francisci Theologo* (4) *allatæ, qua duplex Antiochiæ statuitur cathedra episcopalis, altera Judæis, cui Evodius a Petro, pro Gentibus altera cui Ignatius a Paulo præfectus fuerit: tota scilicet antiquitas et episcoporum Catalogi contra hujusmodi assertionem reclamant, evincuntque Ignatium non cum Evodio, sed post eumdem Ecclesiam rexisse. Porro plerique martyrium Ignatii signant in anni æræ vulgaris* 107 *diem* XX *Decembris: quare initium episcopatus S.* Heronis *in annum* 108 *transcribitur.* E *Acta Martyrii, quæ omnibus authentica probantur, aperte martyrium consulatui Suræ et Senecionis, qui in dictum ann.* 107 *incidit consignant. En verba* (5).

ab obitu S. Ignatii, qui.

4 Ἐγένετο δέ ταῦτα πρό δεκατριῶν Καλανδῶν Ἰαννουαρίων, τουτέστιν Δεκεμβρίῳ εἰκάδι, ὑπατευόντων παρὰ Ῥωμάοις Σύρα καί Σεδεκίου τὸ δεύτερον. Hæc autem facta sunt ante diem XIII Kalendas Januarias, hoc est, vigesima die mensis Decembris, apud Romanos consulibus Sura et Sedecio *(lege Senecio seu Senecione)* secundum. *Hanc epocham confirmat quoque, quod in iisdem Actis dicitur* (6) nono imperii sui anno, ἐννάτῳ ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας, *Trajanum, insolescentem ob victoriam, quam adversus Scythas et Dacos et alias multas gentes reportaverat, voluisse exterminare Christianum nomen: ipsumque tunc temporis circa Antiochiam egisse;* Διάγοντα κατ' ἐκεῖνον τὸν καίρον κατά τὴν Ἀντιόχειαν: *atqui annus nonus imperii Trajani a die* XXVII *Januarii anni vulgaris* 106 *ordiebatur: dein Joannes Malalas chronograqh. lib.* XI. *(cujus chronotaxin infra discutiemus) dicit Trajanum Antiochiam ingressum* mensis ¦Audynæi sive Januarii VII, feria V, hora diei IV (7). Μηνί αὐδηναίῳ τῷ καὶ ἰανουαρίῳ ἑβδόμῃ, ἡμέρᾳ ε', ὥρᾳ ἡμερινῇ δ'. F *Hæc vero concurrentia diei septimæ Januarii cum feria* V *convenit anno* 107 *signato littera dominicali* C, *ast neutiquam aptatur anno quem scribit Malalas* XII *Trajani, vulgari* 112 *habenti dominicales* DC, *littera* D *usque ad bissextilem* XXIV *Februarii prævalente.*

refutata quorumdam, præsertim Pagii, opinione,

5 *Nihilominus hæc Joannis Malalæ auctoritas tanti fuit apud quosdam eruditos, ut ad ejus chronotaxin annum martyrii S. Ignatii componendum duxerint. Instar omnium sit Antonius Pagius Crit. Baron. an.* 109 § III *et seqq. Contendit imprimis Trajanum in Orientem non movisse ante annum Christi* 112*: martyrium autem non subiisse S. Ignatium ante terræ motum, qui Antiochiam horribiliter labefactavit anno* 115*; imo, cum anno sequenti, verno tempore, Trajanus in Parthos arma pararet, tunc ejus jussu S. Ignatium Romam perductum martyrium die* XX *Decembris consummasse, unde consequitur hanc passionem anno Christi* 116 *esse innectendam. Præcipuum vero opinationis fundamentum est Joannis Malalæ testimonium dicentis* (8): Quo tempore terræ motus Antiochiæ accidit, im-

(1) Cfr. Tract. de Patriarch. Antioch., t. IV Julii, p. II, n. 38. — (2) Ceillier. Aut. Eccl's., t. I, p. 652. — (3) Biblioth. max. Patt., t. I, p. 89. — (4) Binæ Dissert. de Cathedris Petri Rom. et Antioch., p. 131. — (5) Ruinart. Act. Sinc. Martt., p. 22, edit. Amstel. 1713. — (6) Ibid., p. 15. — (7) Scriptt. hist. Byzant., p. 272, edit. Bonn., an 1831. — (8) Ibid., p. 276.

peratore

A peratore ibi adhuc etiam commorante, martyrio coronatus est S. Ignatius. Ὁ δὲ αὐτὸς βασιλεὺς Τραϊανὸς ἐν τῇ αὐτῇ πόλει διῆγεν, ὅτε ἡ θεομηνία ἐγένετο· ἐμαρτύρησε δὲ ἐπὶ αὐτοῦ τότε ὁ ἅγιος Ἰγνάτιος.

statuitur annus chr. 107 :

6 *Trajanum ante annum Christi* 112 *in Oriente non fuisse, contradicit testimonio coævo, citatis nempe paulo supra Actis S. Ignatii, quæ nemo facile ut spuria aut adulterata habebit. Hæc coæva auctoritas adminiculatur quoque variis argumentis, quæ videre licet apud Tillemontium in Imperatorum Historia* (1). *Vacillat proinde primaria Pagii positio. Ut porro sua staret Joanni Malalæ auctoritas, oporteret ante omnia hujus scriptoris ætatem probe cognoscere; ast hæc, teste Joan. Alb. Fabricio in Biblioth. græca* (2), *quam maxime incerta est, aliis eam ad sæc.* VI *aut* VII, *aliis ad* VIII *aut* IX, *imo quodam ad sæc.* X *referentibus. Attamen esto, per me licet, sæculi* VI *scriptor, nulla fabularum, quibus ipso Pagio judice, scatet, habeatur ratio; cur quæso, potior nobis erit auctoritas scriptoris quatuor sæculorum intervallo ab eventu distanti, quam ejus qui coram rem totam inspexerit? S. Hieronymus Lib. de Scriptt. Eccles. c.* XVI (3) *dicit S. Ignatium passum fuisse* anno undecimo Trajani, *quæ chonotaxis non multum abludit a nostra ; si enim, uti apud* B *Latinos antiquitus opinio inoleverat* (4), *Sanctum episcopum martyrium subiisse dicatur, kalendis Februariis; non alius annus cum nostra chronologia aptari posset. Unde habemus S. Hieronymum nobiscum utcumque consentientem.*

J. V. H.

unde S. Hero sedere cœpit anno seq. et per XX annos pontificatum tenuit.

7 *Hæc fusius exponenda duxi, tum quia nostri Majores, necdum detectis melioris notæ Mss. codicibus, Ignatianam chronotaxin rite ordinare non potuerunt* (5), *tum quia ab tempore passionis S. Ignatii pendet initium episcopatus nostri* Heronis. *Etenim rejiciendum est solitarium testimonium Georgii Syncelli in Chronographia* (6) *asserentis* Heronem *anno Dominicæ Incarnationis* XCV *episcopum creatum sedem annis viginti tenuisse, ac porro anno sequenti, mundi* 5596, Deiferum Ignatium Antiochiæ episcopum secundum Trajani principis tempore pro Christo martyrio coronatum fuisse. *Omnes antiquiores præpostero ordini contradicunt, sanctumque* Heronem *post S. Ignatium inauguratum ponunt. Quare ejus pontificatus initium, decessore* XIII *Kal. Januarias vita functo, ad annum Christi* 108 *revocant. In hoc autem consentiunt omnes S.* Heronem *viginti annis Antiochenam cathedram occupasse, unde obitus ejus anno Christi* 128 *innectendus fuit* (7). E

(1) Hist. des Emper., note XVII sur Trajan., t. II, p. 218 et seqq. Edit. Bruxell. 1732. — (2) T. VII, p. 447. Edit. Hamburg. an 1801. — (3) T. IV. Oper., part. II, col. 108. Edit. Paris., an. 1706. — (4) Cfr Act. SS., t. I Febr., p. 33. n. 21. — (5) Ibid., p. 19, n. 31. — (6) P. 656. Edit. Bonn. et Hist. Chron. Patriarch. Antioch. Act. SS., t. IV. p. 10, n. 34. — (7) Vide Le Quien. Or. Christ., t. II, col. 701.

DE S. SOLINA,

VIRGINE ET MARTYRE CARNUTI

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

CIRCA MED. SÆC. III.

S. Solinæ memoria in fastis sacris; tempus ejus Passionis; varia ejus cultus argumenta.

S. Solinæ, cujus varia derivata nomina exponuntur :

Quæ *de S.* Solina *dicturi sumus, maxima ex parte decerpsimus e dissertatione, quam humanissime nobiscum communicavit Ill. D. Eduardus Pie, episcopi Carnutensis tunc vicarius generalis, nunc episcopus Pictaviensis, vir eruditione et benignitate sua de nobis optime meritus. S.* Solinæ *nomen varias inflexiones subit gallice prolatum : frequens olim Carnutensibus fœminis erat prænomen* Solenne; *imo juxta Rituale Parisiense gallica prænomina* Zelie *et* Zeline *derivantur a Sancta Virgine et Martyre nostra. Ejus cultus intra limites diœcesis Carnutensis et ecclesiæ S. Hilarii Pictavis fere continebatur, ut notat Castellanus in suis Additionibus ad Martyrologium Romanum :* Sanctæ Solinæ, *ait,* quæ tamquam virgo et Martyr colitur in ecclesia S. Hilarii Pictavis, et in monasterio S. Petri in Valle Carnuti, ubi corpus ejus quiescit. *Sollerius noster inter Auctaria Usuardina varia citat, quæ Sanctam nostram referunt, sed, ut ipse in Grevenianum Martyrologium animadvertit, ex* Propriis Carnotensibus *decerptum signat S.* Solinæ *elogium. Ast licet intra angustos fines circumscriptus esset Sanctæ Martyris cultus, ejus tamen, ut infra monstrabimus, celebritas maxima erat Carnuti.*

Acta examinantur,

2 *Acta S.* Solinæ *alia nobis non occurrunt, quam lectiones secundi Nocturni, recitari solitæ die* XVI *Octobris (impedita, ut reor, die sequenti festo Dedicationis ecclesiæ cathedralis Carnutensis) a monachis S. Petri. Istæ Lectiones anno* 1741 *compositæ, per se non videntur magnæ auctoritatis : ast illarum scriptor in quadam præmonitione profitetur se crisim severam adhibuisse in concinnandis Sanctorum elogiis:* Novum itaque, *subdit*, nostrum, ab omni fabula næniisque expurgatum, jam nunc prodeat Lectionarium. *Cæterum Lectiones de S.* Solina *id habent authenticitatis, quod extractæ sint ex antiquis libris liturgicis monasterii S. Petri Carnutensis. Illas itaque infra dabimus, tamquam Acta S. Solinæ, scripta a D. Alexandre, monacho S. Petri Carnutensis, ut opinatur Rmus D. Pie: ejus nomen in Historia Litteraria Congregationis S. Mauri non occurrit.* F

et compendiosa Legenda traditur :

3 *In liturgia Carnutensi festum dedicationis ecclesiæ cathedralis memoriam S.* Solinæ *oblitteraverat, ut monstrat Breviarium, anno* 1633 *jussu Leonardi d'Estampes episcopi, editum; sed anno* 1783 *quum, mandante Joanne Baptista de Lubersac, novum Breviarium compilatum fuisset, restituta fuit festivitas S.* Solinæ, *sed translata in diem* XVIII *Octobris, S. Lucæ Evangelistæ sacrum, quo ejus commemoratio fit in primis Vesperis diei præcedentis, in nona Lectione Matutini et tandem in*

2 *Laudibus*

J. V. H.

Laudibus et Missa, quod hodie etiam, ut video in directorio liturgico pro anno 1829, *observatur. Lectionem nonam hic damus, ut nihil desit eorum quæ Sanctæ nostræ gesta illustrare possunt.* Celebris est Carnuti in monasterio sancti Petri in Valle Beatæ Solinæ memoria. Ipsa circa finem tertii sæculi duplicem virginitatis et martyrii palmam collegisse traditur. Eo in loco, ubi nunc exstructa est sancti Petri basilica, sacrum ejus corpus clam condiderunt Christiani. Ea est erga Sanctam Martyrem cleri populique viciniæ Carnotensis devotio, ut quoties intempestivo aëre in majori ecclesia sancti Piati aut sancti Taurini capsæ exponuntur, post fusas coram ipsis Deo preces, statim magna cum fiducia ad ecclesiam præfati monasterii suppliciter procedant.

tempus martyrii videtur

4 *Lectio Breviarii recitata assignat* finem tertii sæculi *tamquam tempus passionis Sanctæ virginis: neque id quidem immerito, in quantum tamen constat SS. Sabinianum, Potentianum et socios eodem circiter tempore Senonibus occubuisse Martyres: utrumque enim martyrium tum* S. Solinæ, *Carnuti, tum SS. Sabiniani et sociorum Senonibus in eadem tempora incidisse indicat Lectionarium S. Petri*
B *Carnutensis n.* 3 *hisce verbis:* Persecutione in Christi cultores suborta, Quirinus, urbis præfectus, qui Sanctos Savinianum, Potentianum et alios euangelicæ veritatis præcones, variis tormentis afflictos, e regione extorres fecerat, audita, quæ percrepabat, de Solinæ Virginis sanctitatis fama *etc. Quæ fuerit igitur epocha martyrii S. Sabiniani, eadem quoque* S. Solinæ *tribuenda erit: omnes enim notitiæ de Sancta nostra in id conspirant, ut illam coævam Sanctis Martyribus Senonensibus indigitent.*

circa medium sæculum tertium.

5 *Ast hic cardo difficultatis vertitur: etenim varii varia opinantur de ætate Martyrum Senonensium. Alii, inter quos etiam S. Ado Viennensis in suo Martyrologio, adventum SS. Martyrum in Gallias ad tempora apostolica referunt* (1), *alii vero maxime recentiores, quibus Martyrologium Usuardi concinit* (2), *pontifices Romanos tamquam auctores missionis celebrant. Præstat autem hanc controversiam rejicere in diem* XXXI *Decembris, quando de SS. Sabiniano, Potentiano eorumque sociis, adeoque de tempore, quo vixerunt, ex professo agetur. Interea nobis satis arridet opinio auctorum Galliæ Christianæ* (3), *quamvis et ipsi cespitent dicentes opinionem eorum, qui Sanctos Martyres Apostolis*
C *coævos faciunt, esse* recentiorem Martyrologiis IX sæculi, *quum ipsi Adonem, Usuardo antiquiorem, ut patronum hujus sententiæ citassent. Ast veriora meo judicio producunt argumenta, quando ex ipsis Actis S. Sabiniani, ædificantis basilicas, demum sæculo tertio exstrui cœptas, monstrant illum ad hoc potius sæculum, quam ad primum aut secundum pertinere: dein ajunt:* Præcipui Senonensis provinciæ populi, puta Autissiodorenses, Tricasses, Aurelianenses, Carnutes, Meldi, quibus socios S. Saviniani prima fidei documenta tradidisse fama est, non ante Decii imperium cœperunt habere primos episcopos, ut ex ipsa serie episcoporum, qui in tabulariis harum ecclesiarum leguntur, cuivis æquo rerum æstimatori notum est. *Tandem* episcoporum summa brevis ad Severinum indubitanter notum *(scilicet ad annum* 347*)*, tempus nos vetat producere longius. Satius ergo, donec clarior lux illucescat, Usuardo standum... Nisi quis maluerit Saviniani missionem ad Sixtum II referre, a quo missus quoque Peregrinus, primus Autissiodori episcopus fuit *(circa annum Christi* 259*)*; quæ satis congruere videntur, cum D
sit Autissiodorum post Agendicum caput alterum Senonum. *Hisce ductus rationibus credo S.* Solinæ *passionem aliquanto post medium sæculum tertium constitui posse.*

quando S. Sabinianus Carnuti prædicavit.

6 *Aquitanam gente fuisse S.* Solinam *et quidem illustribus parentibus natam tradunt Lectiones Sampetrenses infra recitandæ: licet vero ex ethnicis genitoribus Sancta prodierit, videtur tamen* a teneris annis ad Christianam fidem conversa. *Unde intelligere datur Evangelium, licet primitus a S. Sabiniano ejusque sociis Carnutensibus et finitimis populis prædicatum fuerit, jam ante in Aquitaniam penetrasse: quod cæteroquin consonat testimonio episcoporum, ad S. Radegundem scribentium, uti habemus ex S. Gregorio Turonensi in Historia Francorum lib.* IX *c.* 39 (4): Cum ipso, *ajunt,* Catholicæ religionis exortu cœpissent Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia respirare, et adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia pervenissent Trinitatis dominicæ sacramenta. *Ex hoc paucorum numero autumo et* Solinam *nostram fuisse; quæ deinde, sparsa fama de prædicatione S. Sabiniani, Carnutum venit, ut eluderet artes parentelæ ethnicæ, cupiens illam discedere a proposito* E
virginitatis, quam Deo voverat.

figendum.

7 *Legenda nostra habet n.* 3. *Quirinum, urbis præfectum, SS. Sabinianum et socios* e regione extorres fecisse, *ac dein Sanctam nostram martyrio affecisse: quæ quidem cum alia traditione Carnutensi non conveniunt. Hæc enim refert Quirinum in tantum excanduisse in religionem Christianam, Claudio, Neronis prædecessore, imperante, ut omnes Christianos ad internecionem sublatos voluerit, imo neque filiæ suæ, Modestæ, pepercerit: quos omnes præcipitari in puteum jussit* (5), *qui hodiedum in crypta ecclesiæ cathedralis conservatur, oppletus et clathris occlusus. Addit eadem traditio Quirinum nullatenus voluisse SS. Sabinianum et socios exilio multatos, sed atrocioribus tormentis reservatos fuisse, quando ipse tyrannus, subita sua morte Sanctos Confessores præsenti periculo ereptos liberavit. Ast popularis illa traditio nonnullis fabulis obsita est, ut est imprimis ipsa antiquitas missionis Carnutensis, quæ ad primos annos S. Petri, Romæ sedentis, ascenderet, et dein Claudium imperatorem exhiberet nobis primum, qui persecutionem generalem in Christianos movisset: atque duo hæc nullo idoneo* F
documento nituntur, quin potius historiæ contradicunt. Malo itaque retinere factum, prout nobis offertur in Lectionario Sampetrensi.

Triplex S. Solinæ celebritas.

8 *Reliqua, quæ in Lectionario habentur, per se satis clara sunt, ut commentatione speciali illustranda non veniant. Gratum tamen lectori benevolo facturum me arbitror, si exposuero, quibus olim ritibus S.* Solinæ *memoria recoleretur. Imprimis triplex celebrabatur festivitas Sanctæ Martyris: scilicet die* XVII *Octobris, quam sanguine suo decoravit; moris vero erat, ut sub Missa solemni ante incensationem altaris ad Offertorium, villicus terræ, quæ* Préaux *dicitur, sitæ in parochia* Verno (Vert, dép^t Eure-et-Loir, arrond. de Chartres), *deductus per apparitores ecclesiæ offerebat anserem album, e cujus collo ope fili serici rubri dependebat allii stica seu spica. Altera festivitas, quæ in diem nobis ignotam incidebat, translationem recolebat corporis S.* Solinæ *et præcipua religione frequentabatur, utpote quæ antiquis temporibus per octiduum continuaretur. Translatio, de qua agitur, fortassis*

(1) Ado ad diem XXXI Decembris. — (2) Usuardus ad eumdem diem. — (3) T. XII, p. 3. — (4) D. Bouquet, t. II, p. 355. — (5) Rouillard. Parthénie, t. I, fol. 118.

rectius

A *rectius Inventio corporis S.* Solinæ *appellaretur. Etenim e Legenda nostra n.* 4 *habemus :* Puras ejus (Solinæ) exuvias Christiani clam colligentes, eo loco, ubi deinde exstructa est S. Petri abbatia in Valle Carnotensi, cum aromatibus condiderunt.. Scilicet, ait Gallia Christiana (1), eo loci, ubi non solum episcoporum et cleri, verum etiam, ut memoriæ proditum est, cæterorum a primis Christianæ religionis apud Carnotes incunabulis fidelium corpora plerumque sepeliebantur (ibi autem condita fuerat S. Solina Virgo et Martyr, cujus corpus etiamnum asservant in capsa pulcherrima monachi S. Petri) fundatum est vel sexto sæculo, vel saltem ineunti septimo, monasterium, quod reges ac proceres nonnulli et villis et latifundiis amplificaverunt. *Oblitterata probabilius fuerat post trium sæculorum intervallum memoria sin minus ipsius Sanctæ Martyris, ast saltem ejus sepulturæ ; quæ demum occasione constructi monasterii revelata fuit. Nam, ait S. Augustinus Serm.* CCCXVIII *n.* 1 (2), solent apparere Sanctorum corpora Martyrum, revelatione Dei, quando placuit Creatori. *Atque hoc fortassis exordium annuæ festivitatis fuerit.*

cujus tertia cum

B 9 *Tertia tandem celebritas, die* III *Martii recurrens, indicatur ut* Festum reversionis, *seu, ut antiquæ membranæ referunt,* Festum repositionis S. Solinæ aliarumque Reliquiarum, necnon et monastici status in basilica S. Petri Carnotensis restauratio. *Ex hisce verbis omnino liquet Sanctæ nostræ Reliquias, velut omnium pretiosissimum thesaurum coli in ecclesia S. Petri consuevisse : siquidem præ cæteris omnibus nominatim recensitæ annuntientur. Ista festivitas originem suam ducit ab instauratione monastici status in ecclesia S. Petri Carnutensis. Rem accurate narrat Chartularium S. Petri, quod anno* 1840 *jussu regis Francorum edidit quam eruditissime Cl. V. Guérard, Instituti Francici socius.* Prius tamen, *ait Paulus, monachus et notarius* (3), *qui Chartularium, currente sæculo XI, compilavit* (4), quod assertione veridica nostrorum didici seniorum summatim perstringere libuit, qualiter a quodam Elia episcopo *(ab* 840 ad 849 *sedente)* a prisca nobilitate sive maximo honore deciderit *(ecclesia S. Petri)*, qui auctoritate regia, quam forte emerat pecuniis, super eam, potestate indepta, usurpare cum armis non timuit, C in ipsius ecclesiæ liminibus multo cruore effuso, dum monachi priorem statum colerent atque episcopum abhorrerent. Unde factum est, ut monachorum plurimi locum, cui se devoverant, desererent, et in Burgundiæ partibus apud Beatum Germanum Autissiodorensem commorantes, præsentis vitæ cursum ibidem finierunt.

instauratione status monastici, ab episcopo Elia fere deleti

10 Prædictus ergo præsul, nacta occasione, pretiosa, quæ ibi reperit, ornamenta vasaque diversa aurea vel argentea, quæ concupivit, absportavit atque distraxit, terras quoque sanctuarii, quas religiosorum virorum munificentia dederat, in quibus extendere manum potuit, propriis usibus stipendiariis mancipare non timuit, suisque domesticis ausu temerario in beneficio dividere præsumpsit. Imbecillis autem turba monachorum, quæ ibi remanserat, nescia quo pergeret, a præsule parce et inclementer alebatur. Interim locus olim celebris atque opinatissimus paulatim decrescens, pristina quidem dignitate officioque solito viduatus, a populo nulla dignitate dignus habebatur. Post non multum vero temporis, mortuo episcopo Elia, qui hunc locum, regalibus titulis insignitum, dæmonis face succensus ab nihilum duxit, atque alterum sanctimonialium cœnobium, in monte Leugarum non longe ad urbe Carnotum eleganter situm, *(Lèves, arrond. de Chartres)* solo tenus destruxit, hostilis manus civitatem obsidione cepit, et, sicut præmisimus, igne succendit. Tunc equidem sæpe dictus locus, ab hostibus profanatus, ignibus etiam concrematur. J. V. H.

et ab Haganone restituti

11 Pace vero divina propitiatione reddita, a quodam episcopo, divino instinctu, parvo licet schemate reædificatus, clericorum officiis cum modico censu traditus perhibetur. Verumtamen, civium culpis exigentibus, a paganis transmarinis urbs rursum vastatur, et ipse locus funditus destruitur, et usque ad tempus Haganonis, gloriosi præsulis, ita permansit. Qui clarus generis nobilitate et humanarum rerum copiis abundans, bonisque virtutibus emicans, condoluit locum, olim quidem ab hominibus venerandum, nunc autem admodum neglectum et in solitudine redactum. Divinæ virtutis zelo succensus, accersiit lapidum cæsores atque cæmentarios, impensas tribuit, magnopere locum ipsum restaurare jubens, E restauratumque pontificali benedictione sacrare decrevit. Clerinomiæ quoque seriem instituens, quæ perdia pernoxque laudes Deo debitas inibi redderet ; et in usus necessarios tribuens ei vineæ clausum terramque contiguam, quam antecessores ejus sacrilego voto sibi subripuerant, rura quoque, quæ credidit sufficere clericorum numero, perpetua largitione condonavit. Qui, quamdiu vixit, cordis intuitu sagire voluit, intentus utilitatibus atque provectibus loci.

conjungitur :

12 Quo felici obitu ad Sanctorum consortia de mundi hujus pelago ab Angelis translato, in episcopatu ei venerabilis Ragenfredus successit, qui quanto amore locum dilexerit, facile sequenti opere potest agnosci. Nam ejus sagaci ingenio atque instanti suggestione, clarus genere et opere Alveus, ejusdem loci abbas, cum canonicis, quibus præesse videbatur, arctam viam ingredi cupiens, qua tenditur ad Deum, in Floriacensi cœnobio clerinomiæ seriem religionis habitu exornans, per triennium normam Beati Benedicti sedula intentione per obedientiæ bonum didicit, indeque, revocante sæpe memorando episcopo Ragenfredo, cum suis instructus regularibus disciplinis, ad locum proprium rediit Carnotis, secum F sumens et alios duodecim monachos, quos ex congregatione supra memorati cœnobii maluit eligere, ut contra hostem antiquum velut robustissimos tyrones in novo certamine haberet adjutores. Episcopus ergo, per totius intersticium triennii, quo se in sancta religione informaverunt, ædes ad manendum, claustrumque monachis congruum instanti construxit opere. Quibus cum magno gaudio receptis, atque adnitente totius populi consensu, supra memorato Alveo abbate sacrato, victum et omnia necessaria largiter eis accommodavit, *etc.*

quia tunc circa medium sæc. X. S. Solinæ Reliquiæ repositæ fuere.

13 *Ragenfredus episcopus, de quo agitur, sedem Carnutensem anno* 942 *adeptus, obiit juxta Mabillonium* (5) *circa annum* 960 *et quidem* XV *aut* XVI *Kal. Augusti* (6). *Et quamvis in historia restituti monasterii S. Petri nullo verbo attingatur repositio Reliquiarum S.* Solinæ, *mihi videtur hæc celebritas ad istam tempestatem esse referenda. Cum enim satis accurate describantur latrocinia Eliæ episcopi,*

(1) T. VIII, col. 1214. — (2) T. V. Oper. col. 1271. — (3) Cart. de l'abb. de Saint-Père de Chartres, p. 9 et seq. — (4) Ibid. Prolog. p. CCLXXIII. — (5) Ann. Ord. S. Ben., lib. XLVI, § 3, t. III, p. 510. — (6) Gall. Christ., t. VIII, col. 1110.

altum

J. V. H.

altum est silentium de profanatione sacrarum Reliquiarum. Scimus porro circa idem tempus Normannos Carnutensem civitatem vastasse; atque, ut loquitur Ermentarius in Historia translationis S. Filiberti (1), asportatos fuisse Sanctorum cineres quamplurimum : *quare pronum est judicare monachos S. Petri, in monasterio S. Germani Antissiodorensis profugos, præcipuum thesaurum suum, corpus S.* Solinæ, *rapacitati Eliæ episcopi et Normannorum profanationibus subtraxisse. Quod etiam aliquatenus confirmatur silentio Pauli chronographi, certe non omissuri direptionem sacrarum Reliquiarum, qui tam accurate distractiones vasorum ex auro argentove et usurpationem latifundiorum descripserat.*

A. 1325 reposita Sanctæ lipsana in novam capsam,

14 *Ex eo tempore celebrior crevit S.* Solinæ *memoria : ejus nomine insignitæ plures reperiuntur fœminæ Carnutenses jam sæculo duodecimo ineunte* (2), *et deinceps in publicis calamitatibus populus ad ejus sacras exuvias frequens accurrebat. Vigentem deinceps devotionem nobis exhibet collata a populo, non solum Carnutensi, sed etiam alieno, pecunia ad conficiendam capsam S.* Solinæ *dignam. Rem ita narrat D. Aubert, monachus Benedictinus,* B *cap.* CIX *Historiæ manuscriptæ monasterii S. Petri, quæ in bibliotheca Carnutensi hodie asservatur et in annum* 1674 *desinit :* Die XI Martii, *gallica verba latine reddimus, anni* 1325, sedente abbate Philippo de Cereis *(qui ab anno* 1311 *ad* 1329 *sedem occupavit* (3) translatum fuit corpus S. Solinæ Virginis et Martyris ex veteri capsa in novam, in qua hodiedum requiescit in ecclesia Abbatiæ S. Petri. In eadem capsa inclusæ sunt variæ Reliquiæ, ut S. Scholasticæ et aliorum Sanctorum, quorum nomina istic inscripta sunt. Hæc capsa ex ære deaurato confecta liliis distincta, formam ecclesiæ exhibet cum sua abside et decussatura : ædificium ambiunt columnæ in pyramidem desinentes : in intercolumniis sunt quindecim effigies sanctorum, tam S. Solinæ et aliorum, quam Apostolorum. Portis utriusque decussaturæ et frontispicii eminent fenestræ rosaceæ ex encausto cæruleo liliis intersperso. In fastigio utriusque decussaturæ est Angelus, in media vero cruce turris fenestrata exsurgit. Ad conficiendam dictam capsam monachi variis in locis eleemosynas conquisierunt, atque in eadem reperitur licentia data ab Aurelianensi episcopo colligendi C per totam Diœcesim fidelium dona, ut in decentiori capsa reponi posset S. Solinæ corpus. In eadem capsa est sequens inscriptio : HIC EST CORPUS SACRATISSIMÆ VIRGINIS ET MARTYRIS SOLINÆ, QUOD TRANSLATUM FUIT DE CAPSA ALIA VETERI IN HANC NOVAM UNA CUM SANCTORUM RELIQUIIS HIC CONTENTIS, ANNO DOMINI 1325, QUINTO IDUS MARTII, ABBATE HUJUS MONASTERII PHILIPPO DE CEREIS, CUJUS TEMPORE HÆC CAPSA NOVA FACTA FUIT.

dispersa fuere A. 1790.

15 *Hæc capsa, longa duos pedes cum dimidio, larga unum, alta unum et medium Carnutensem (quæ omnia juxta modulum decimalem hodiernum æquivalent circiter* 0m 52. 0m 21. 0m 32*) intacta mansit, ut monstrant succedentia sibi inventaria, usque ad finem sæculi* XVIII. *Tunc enim, scilicet anno* 1790, *jussu reipublicæ Gallicanæ, commissarii Coubré-Saint-Loup et Claudius Jumentier, S. Hilarii Carnuti parochus, capsam in dominium reipublicæ transcripserunt : quæ deinde evanuit* (4). *Dispersæ tunc quoque videntur S.* Solinæ *Reliquiæ, neque ac hunc usque diem aliquid repertum fuit. Lipsanotheca hæc in choro ecclesiæ* D *S. Petri solemnioribus diebus olim exponebatur. Sed postquam anno* 1552 *vi reformationis introductæ prohibitus fuisset omnis accessus fœminarum ad chorum monachorum, dicta capsa portabatur ad altare crucifici sub odeo, ut sic populi devotioni fieret satis* (5).

16 *Nam frequens erat populi concursus ad Sanctam nostram : quare sæpe expetebantur Missæ votivæ in ejus honorem celebrandæ, ut liquet e Lectionario S. Petri* (6). *Monachi quoque S.* Solinæ *memoriam faciebant tum in suffragiis communibus, tum in Litaniis et Oratione* A cunctis. *Sed ejus patrocinium præcipue invocabatur in publicis calamitatibus, et maxime tempore siccitatis. Tunc enim, quando in cathedrali templo Reliquiæ S. Taurini, Ebroicensis episcopi, publicæ venerationi prostabant, exponebatur in ecclesia S. Petri corpus S.* Solinæ, *et uterque Sanctus* Aquæductus agri Carnutensis *appellabatur : unde quoque apud vulgus opinio emerserat S.* Solinam *sororem esse S. Taurini. Ad pluviam opportunam impetrandam instituebantur sæpe supplicationes solemnes, quales celebratæ leguntur annis* 1636, 1681 (7). *In Historia Ms. S.* Carauni *bibliothecæ Carnutensis*, E *sub anno* 1775 *legitur* (8) *propter perniciosam siccitatem parochianos S. Carauni supplici agmine ad ecclesiam cathedralem processisse, atque ad S. Petri. Puellæ vero Sancaraunenses, præcurrentes feretrum S.* Solinæ *humeris imposuerant; sed id vetuerunt canonici regulares Sancaraunenses, rati non decere fœminas portare Sanctorum Reliquias, præsertim adstantibus clericis, apparatu sacræ ornatis. Quare post levem tergiversationem meliori consilio acquieverunt puellæ devotæ. Destructo monasterio, servata fuit ecclesia S. Petri, quæ hodie altera parochialis est civitatis Carnutensis : in ea tamen S.* Solinæ *alia memoria non superest, præter illam, quam ex Breviario Carnutensi supra num.* 3 *recitavimus.*

Invocatur Sancta præcipue ad pluvium obtinendam.

PASSIO S. SOLINÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Ex Lectionario Sancti Petri Carnutensis ad diem XVI *Octobris.* F

S. Solina fuga consulens suæ virginitati.

Solina Virgo et martyr inclyta, illustribus in Aquitania parentibus, sed in gentilitatis errore versantibus, nata, a teneris annis ad Christianam fidem conversa *a*, totam se Christi obsequio mancipavit, ex toto corde promissionem ei faciens se nullum velle præter eum sponsum in terris admittere, sed ei quem mente colebat, etiam carnis integritate semper adhærere. Quod et revera præstitit : numquam enim de sententia servandæ virginitatis dimoveri potuit, a multis licet propter generis nobilitatem, vultusque elegantiam sollicitata, et a parentibus iterum atque iterum vexata, plagisque interdum afflicta. Quorum tamen insectationibus ac furoribus cedendum rata, parentes nempe sibi nimium in via salutis crudeles merito pertimescens, omnes eorum astus eludere fuga cogitat.

(1) D. Bouquet, t. VII, p. 343. — (2) Cart. de St Père, p. 318, 370 et 388. — (3) Gall. Christ., t. VII, col. 1229. — (4) Archiv. du départ. Eure-et-Loir : Caisse hist. de St Père. — (5) D. Aubert, c. 127 et 143. — (6) Lect. S. Petri, p. 348. — (7) La Beauce desséchée, p. 4 et seq. 59, 99 et seq. — (8) Hist. de S. Cheron. Année 1775.

Carnutum advenit.

2 Prudens itaque Virgo, Christi amore succensa, irradiataque fide, relictis parentibus amplissimisque divitiis, incerto sola et alacris itineri se committit, ac divino Sancti Spiritus instinctu concitata, ad urbem Carnotensem transmigrat, ubi sanctissima Virginis Deiparæ, quam Druidæ sacerdotes parituram coluerant, famosa erat ædicula, ut casti propositi tenorem sub tam nobili titulo virginitatis consecraret.

ubi multis modis tentata. b

3 Sed persecutione in Christi cultores suborta, Quirinus, urbis præfectus *b*, qui Sanctos Savinianum, Potentianum et alios euangelicæ veritatis præcones, variis tormentis afflictos e regione extorres fecerat, audita quæ percrepabat de Solinæ Virginis Sanctitatis fama, (nihil enim nisi ardorem pietatis præ se ferebat), missis lictoribus suo eam tribunali sisti præcipit, rationem reddituram, cur Crucifixi fidem spargeret, et puellarum animos a connubio, affectu novæ religionis, averteret. Accedit illa seque Christianam esse, insuper et Christo sponsalitia fide astrictam, vixdum interrogata, ingenue fortiterque confitetur. Miratur præses in corpore muliebri virilem animum et primo quidem blandis eam sermonibus ad sententiam mutandam B provocat; deinde vero minis ac terroribus ejus constantiam labefactare contendit.

tandem martyrio defungitur.

4 At Christi Virgo nec blandimentis seducitur, nec terrore concutitur; sed eodem vultu et animo perseverat, terrentemque similiter ac blandientem eadem mentis serenitate deridet. Excandescens præses, eam statim in carcerem publicum detrudi imperat. Altero die educta, iterum judicio sistitur, ubi constantior quam antea in fide reperta, data sententia, cervices lubenter pro divinæ veritatis assertione et pudicitiæ cultu ferro supposuit, decimo sexto Calendas Novembris, sæculo tertio inchoante *c*. Sic mactata Christi ovicula, binam lauream et fidei et castitatis fortiter propugnatæ feliciter revexit. Puras ejus exuvias Christiani clam colligentes, eo loco, ubi deinde exstructa est S. Petri abbatia in Valle Carnotensi, cum aromatibus condiderunt; ubi etiamnum immortali cum nominis gloria, in capsa deaurata honorifice quiescit, ac religiosa totius urbis colitur veneratione, nec non in variis aëris et corporum, non sine opportuno Dei auxilio, calamitatibus invocatur *d*. Ex. Ms. c d

ANNOTATA.

a *Diximus in Commentario prævio n. 6, quomodo jam ante prædicationem SS. Sabiniani et sociorum Carnuti, fides in Aquitaniam penetravisset.*

b *Sunt, ut habemus Commentarii præv. n. 7, qui volunt Quirinum, præsidem Carnutensem, ante adventum S.* Solinæ *diem supremum obiisse: ast tota hæc traditio tot intricata est erroribus, ut fidem nullam mereatur.*

c *Contradicunt sibi invicem Legendarium nostrum et Carnutense Breviarium. Hoc etenim supra n. 3, passionem S* Solinæ *fini, illud vero initio sæculi tertii illigat. Epocha omnino pendet a tempore, quo S. Sabinianus prædicavit in Gallia, quod quidem in ejus Actis accuratius investigandum veniet. Ductus probabilibus argumentis signavi n. 5 comm. prævii passionem Sanctæ nostræ aliquanto post medium sæculum tertium.* E

d *Confer commentarii prævii n. 16, in quo exponitur patrocinium, a S.* Solina *clientibus suis impensum.*

DE S. PUELLIS VIRG. MARTYRIB.

AD OPPIDUM S. PAPULI, IN OCCITANIA.

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

C

Sanctarum Virginum palæstra, Acta, tempus obitus.

F

SÆC. II VEL POST MED. SÆC. III.

Mansus SS. Puellarum ortu

Est *in Occitania locus, olim ad diœcesim S. Papuli, hodie ad Carcassonensem pertinens, Mansus* Sanctarum Puellarum (Mas-Saintes-Puelles), *dictus. Vicus iste etiam ortu S. Petri Nolasci insignis est; siquidem multi scriptores narrant illum istic primam lucem adspexisse* (1). *Ast Breviarium Romanum ad diem* XXXI *Januarii in sancti Legenda, habet illum* Recaudi prope Carcassonam nobili genere natum. *Est autem Recaudum etiam hodie vicus cum ecclesia succursali, quinque circiter Chilometris a Manso* Sanctarum Puellarum *distans: quocirca eatenus dubius videri potest natalis S. Petri locus. Ast ambiguitatem solvit Officium Sanctarum Puellarum, olim, ut ad majores nostros rescripsit Petrus Possinus, per totam diœcesim recitari consuetum, in quo expresse dicitur, Recaudi nomine saltem ex parte antiquato, loco vocabulum Mansi* Sanctarum Puellarum *inditum fuisse: en verba officii:* Fugientes persecutionem impietatis ad oppidum, quod tunc temporis Recaudum, hodie ex earum nomine dicitur Mansus Sanctarum Puellarum Tolosa devenerunt, qui locus aliquot abhinc sæculis factus est illustrior natalibus S. Petri Nolasci, Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum fundatoris.

S. Petri Nolasci illustris.

2 *Et reipsa non undequaque abolitum fuisse Recaudi nomen, monstratur non solum ex hodierna topographia, sed etiam ex antiqua coæva S. Petro Nolasco: nam quum mortui absque liberis Alphonsi, Pictaviensis comitis et ducis Aquitaniæ, sub qua comitatus Tolosanus continebatur, Philippus III, Audax dictus, rex Galliæ, jure devolutionis hereditatem sibi vindicasset anno* 1271, *facta est instrumento publico recognitio feudorum, quæ ad regem pertinebant, quæque vulgo* Saisimentum comitatus Tholosani *appellatur. Porro in isto instrumento, quando agitur de Castro novo de Harrio* (Castelnaudary) *diœcesis Tolosæ et sua bajulia, reperio mentionem* Castri de Manso Sanctarum Puellarum

(1) Act. SS. T. II Januar., p. 982, not. a.

et

J. V. H.

et paulo infra Villæ de Ricauta (1): *et profecto in omnibus finibus Castri Novi, non alius locus reperiri potest, qui Ricautæ conveniat, quam vicus* Ricaud *seu* Recaud, *qui, ut vidimus, Manso* Sanctarum Puellarum *adjacet. Si itaque Recaudi natus esse dicitur S. Petrus, hoc ita intelligendum est, ut, quoniam Recaudi commune utrique loco nomen est, istic etiam primam lucem aspexisse teneamus, quamvis proprius locum natalem designando, proprie in Manso* Sanctarum Puellarum *ortum habuisse teneamus. Hactenus dicta sunto, quoniam majores nostri l. c. promiserunt se latius hac die acturos de loco natali S. Petri Nolasci. Nunc ad sanctas nostras revertimur.*

et cultu nostrarum insignis fuit:

3 *E silentio plerorumque Martyrologiorum judicare licet cultum* Sanctarum Puellarum *intra angustissimos fines circumscriptum fuisse: nam de iisdem tacent non solum Martyrologia classica, sed eorum quoque Auctaria: et ut Sanctarum mentionem aliquam reperiamus, recurrendum est ad recentiores Martyrologos, Castellanum in Martyrologio universali, Arturum a Monasterio in Sacro Gynecæo et Saussayum in Supplemento Martyrologii Gallicani ad hanc diem, qui hæc refert:* In agro Tolosano B passio Sanctarum Puellarum, quæ cum funus sancti Saturnini, Episcopi et Martyris, procurassent, ad ejus sepulcrum in odium pietatis necatæ sunt: quamobrem ut Martyres ex majorum traditione honorantur. *Atqui his ipsis verbis Sanctarum nostrarum cultus monstratur, qui tamen vix Tolosatum fines umquam transiliit. Nihilominus, quoniam certus est* Sanctarum Puellarum *cultus in diœcesi tum Tolosana* (2), *tum S. Papuli, non dubitamus memoriam earum in Acta nostra inferre.*

earum Acta, ex Actis S. Saturnini

4 *Acta* Sanctarum Puellarum *quod attinet, illa, ex Actis S. Saturnini, episcopi Tolosani decerpta et in Legendam Sanctorum illata, infra exhibebimus. Acta ista catenus vera et authentica habemus, quatenus nobis exhibent S. Saturninum Tolosæ prædicantem Jesu Christi Euangelium et istic martyrii corona donatum. Verum, siquidem scripta dicantur circa annum Christi* 300 (3), *recentioris manus sunt, quæ istic habentur de ecclesia, in honorem S. Saturnini ædificata a S. Exuperio, Tolosano episcopo, utpote qui floruerit initio sæculi quinti, ut constat ex epistola S. Innocentii I, ad illum data* VIII *Kal. Martias, Stilicone II et Anthemio coss. id est anno Christi* 405. *Unde præferenda est* C *lectio, quam in suis notis subjicit Theodoricus Ruinart his verbis:* In uno e nostris codicibus manuscriptis hic (*id est post narratam S. Saturnini passionem et ope* SS. Puellarum *sepulturam*) ponitur clausula, « *Gratias Deo omnipotenti, qui coronavit Martyrem suum in pace, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.* » Dein subtitulo, « *De ejus translatione.* » Quæ sequuntur prioribus Actis postmodum adjecta videntur. *Ex hisce liquet recentiorem manum adhibitam fuisse, quæ sollicitudinem S. Exuperii circa sepulturam S. Saturnini enarraret.*

desumpta, tempus

5 *Tempus, quo* Sanctæ Puellæ *vixere, desumendum est ex epocha S. Saturnini, quam exhibent Acta sequenti modo* (4): Ante annos L, sicut actis publicis, id est Decio et Grato consulibus (*seu anno Christi* 250), sicut fideli recordatione retinetur, primum et summum Christi Tolosa civitas sanctum Saturninum habere cœperat sacerdotem, *Eumdem textum citat S. Gregorius Turonensis in sua Historia lib. I, cap.* XXVIII (5), *ex quo deducit præcipuarum in Galliis Ecclesiarum origines:* Hujus (*scilicet Decii*) tempore septem viri episcopi ordinati D ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut historia passionis S. Martyris Saturnini denarrat: Sub Decio, inquit, et Grato consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tolosana civitas S. Saturninum habere cœperat sacerdotem. Hi ergo missi sunt: Turonicis, Gatianus episcopus: Arelatensibus, Trophimus episcopus: Narbonæ, Paulus episcopus: Tolosæ, Saturninus episcopus: Parisiacis, Dionysius episcopus: Arvernis, Stremonius episcopus: Lemovicinis, Martialis destinatus est episcopus.

mortis utcumque

6 *Sed in hisce nec sibi satis, nec historiæ constat Gregorius: ipse quidem in suo libro de Gloria Martyrum cap.* XLVIII (6) *agens de S. Saturnino:* Saturninus, *inquit,* Martyr, ut fertur, ab Apostolorum discipulis ordinatus, in urbem Tolosatium est directus. *Quocirca Tillemontius animadvertit* (8) *tantam tamque expressam esse Actorum auctoritatem, ut emollienda videantur paulo supra citata verba: nobis quoque Acta, quatenus sunt antiquiora prævalent, neque vacat operosius in eorum valorem hic inquirere; quoniam id paulo infra præstabimus in Commentario de S. Florentino, Trevirensi episcopo; interim hic epocham, Actis subministratam non* E *omnino repudiamus, ac proinde ad S. Saturnini passionem rejicimus; unde porro paulo post figendum est tempus obitus* Sanctarum Puellarum. *Neque aliud habemus ad tempus Sanctarum propius determinandum; quapropter in capite hujus Commentarii adscripsi* sæc. II *aut* post medium sæculum tertium. *Si quid in tractandis rebus gestis S. Saturnini accuratius evolvi queat, secundum id* Sanctarum Puellarum *tempus aut retinendum aut corrigendum erit.*

indicent,

7 *Cæterum præter contradictionem inter bina Gregorii scripta, id etiam fidem ejus labefactat, quod inter episcopos, qui tempore Decii Ecclesias in Galliis constituerunt, numeretur S. Trophimus Arelatensis. Nam S. Zosimus Papa in epistola ad episcopos Galliæ anno* 417 *dicit de S. Trophimo, a sede Apostolica directo* (8): Ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt. *Quibus verbis insinuatur, ante alios Arelate institutum fuisse episcopum. Quod quidem apertius declarant anno* 450 *episcopi provinciæ Arelatensis in epistola ad S. Leonem Papam* (9): Omnibus Gallicanis regionibus notum est, sed nec sacro sanctæ Ecclesiæ Romanæ habetur incognitum, quod prima intra Gallias Arelatensis F civitas missum a beatissimo Petro Apostolo Sanctum Trophimum habere meruit sacerdotem, et exinde aliis paulatim regionibus Galliarum bonum fidei et religionis infusum etc. *Hæc verba, tamquam false suggesta tum Zosimo, tum episcopis traducunt Ballerinii fratres in suis Observationibus ad Dissertationes Quesnellianas inter Opera S. Leonis Magni* (10). *Hujus loci non est, quæstionem penitius indagare, quod demum fiet, ubi ad* XXIX *Decembris, S. Trophimo diem sacrum, posteri nostri devenerint* (11). *Hæc ideo dicta sunto, ne nimium insistamus auctoritati S. Gregorii Turonensis, in iis quæ ad Origines Ecclesiarum Gallicarum pertinent.*

quo martyrio consummata videtur.

8 *Venantius Fortunatus, qui eadem narrat in poëmatio suo lib.* II, *cap.* VIII (12), *quæ Acta S. Saturnini referunt, id tamen peculiare habet, quod explicatius agat de* SS. Puellis *dicens fuisse heram et ancillam:*

Tum mulier collegit ovans et condidit artus,
Sola una famula participante sibi.

(1) Rozoi Annal. de Toul., t. I, Instr., p. 81. — (2) Hist. de Languedoc, t. I, p. 133. — (3) Ruinart Act. sinc. Mart., p. 130. Edit. Amstelod. 1713. — (4) L. c. — (5) D. Bouquet, t. II, p. 147. — (6) Biblioth. Patt., t. XI, p. 844. — (7) Mém. pour servir à l'hist. eccl., t. III, p. 298. — (8) Labbe. t. II Conc. col. 1567. — (9) Ibid., t. III, col. 1440. — (10) S. Leon. Oper., t. II, p. 999. Edit. Venet. 1756. — (11) Cfr. Hist. de l'Égl. Gallic., t. I. Dissert. prélim. — (12) Biblioth. Patt., t. X, p. 536.

Sunt

J. V. B.

A *Sunt historici Hispani, qui* Sanctas Puellas *filias faciunt cujusdam reguli Oscensis* (Huesca) (1); *sed id factum antiquo aliquo testimonio niti non videtur; præsertim quoniam, teste Venantio citato, disparis conditionis fuerint Sanctæ nostræ. Utrum autem martyrium passæ fuerint, tacent sæpe laudata Acta S. Saturnini, sed affirmat traditio; quocirca Officium ecclesiasticum, infra edendum, est de* communi Virginum Martyrum, *unde oratio est:* Da nobis, quæsumus Domine Deus noster, Sanctarum Virginum et Martyrum Puellarum palmas incessabili devotione venerari etc. Sanctarum Puellarum *corpora in Manso suo honorifice quieverunt,* donec, *ut habet Legenda Sampapulensis,* a Calvinianæ hæreseos asseclis, qui locum illum occuparunt, vel combusta vel dispersa sunt.

ACTA SS. PUELLARUM,

Ex Breviario Sampapulensi.

Cum Sanctus Saturninus, primus Tolosatum
a B præsul et Martyr *a*, tauro alligatus, per capitolii Tolosani gradus præceps fieret, vix ullus Christianorum, qui hisce temporibus paucissimi erant, inveniebatur, qui sancti viri corpus auderet sepelire. Duæ tantum puellæ, sexus imbecillitatem fidei virtute vincentes, viris omnibus fortiores, sui sacerdotis exemplo animatæ, huic tam pio officio non defuerunt; et cui viventi, tamquam fidei magistro, adhæserunt, mortuum, quin prius sepeliretur, non deseruerunt. Hæ igitur puellæ, Christianæ religionis zelo incensæ, palam et in oculis impiæ plebis cerebrum et sanguinem Sancti præsulis anxie collegerunt; corpus etiam exanime, ligneo feretro immissum, quam maxime profundo loco condiderunt, ut venerandas sanctasque Reliquias non tam sepelire, quam abscondere viderentur: ne forte sacrilegæ mentis homines, si aliquid conditi corporis tumulo viderent honoris adhiberi, statim sacrum corpus in frusta discerperent et
b eriperent *b*. Quo facto Gentiles commoti Sanctas Virgines comprehendunt, carceri mancipant, ludibrio habent, flagellis dirissime cruentant, et varia tormentorum genera pro Christiana fide
c C non semel expertas ab urbe ejiciunt *c*. Inde fugientes persecutionem impietatis ad oppidum, quod tunc temporis Recaudum, hodie, ex earum nomine sortito vocabulo, dicitur Mansus Sancta-
d rum Puellarum *d*, Tolosa devenerunt; qui locus aliquot ab hinc sæculis factus est illustrior natalibus Sancti Petri Nolasci, Ordinis beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum fun-
e datoris *e*. Ibi sponsæ Christi, pro ejus amore exules factæ, et in summa sanctitate reliquum vitæ tempus peragentes, obdormiverunt in Do-
f mino *f*, atque in loco campestri prope dictum oppidum in ædicula, Archangelo Michaeli dicata, sepultæ sunt. Quarum corpora, post aliquot annos inventa, in honore habita sunt, donec a Calvinianæ hæreseos asseclis, qui locum illum
g occuparunt, vel combusta vel dispersa sunt *g*. Earum autem memoria celebratur decimo sexto Kalendas Novembris.

(1) Rozoi Annal. de Toulouse, t. I, p. 40. — (2) Ruinart. Act. sinc. Mart., p. 131. — (3) Tertull. Oper., p. 78. Edit. Antverp. 1584. —

ANNOTATA.

a *Colitur S. Saturninus, episcopus Tolosanus, die* XXIX *Novembris, quo die ejus res gestæ explicabuntur.*

b *Ex actis S. Saturnini subnectimus ea, quæ de* Sanctis Puellis *habentur, unde patebit Legendam nostram quam proxime vestigia Actorum pressisse* (2). Exanime corpus (*S. Saturnini*) neque obnoxium jam ullius injuriæ, usque ad eum locum, tauro furente, perductum est, ubi fune disrupta, tumulariam * eo tempore meruit sepulturam. Nam paucis id temporis Christianis, ipsisque, propter furorem gentilium, Sancti viri corpus humare metuentibus, duæ tantum muliercuIæ, sexus infirmitatem fidei virtute vincentes, et viris omnibus fortiores, et sui sacerdotis exemplo, credo, ad tolerantiam passionis animatæ, beati viri corpus ligneo feretro immissum, quam maxime in primo loco, coactis apte scrobibus, condiderunt: ut venerandas sibi Sanctas Reliquias, non tam sepelire, quam abscondere viderentur; ne forte sacrilegæ mentis homines, si aliquid conditi corporis tu- E mulo viderent honoris adhiberi, effossum statim corpus in frustra discerperent et eriperent etiam ipsam tenuem sepulturam. Mansit aliquamdiu sub vili cespite, omnibus quidem inhonoratum, sed honoratum a Deo Martyris corpus: donec etc. *Furorem gentilium in Christianorum etiam funera graphice describit Tertullianus in suo Apologetico cap.* XXVII (3): Ipsis Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt Christianis, quin et illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis jam alios, jam nec totos avellant, dissecent, distrahant.

* Sur. tumultuariam.

c *Quæ post impensam S. Saturnino sepulturam referuntur inflicta* Sanctis Puellis *tormenta et exilium, jam non in sæpe laudatis Actis, sed ex traditione locali habemus.*

d *Egimus in commentarii prævii numm.* 1 *et* 2 *de loco Recaudo, monstravimusque adhucdum ejus nomen subsistere.*

e *S Petri Nolasci Acta dedit Bollandus noster ad diem* XXIX *Januarii; sed ejus festivitas, impedita propter memoriam S. Francisci Salesii ista die, jussu Alexandri VII, qui utrumque Sanctum Kalendario Romano intulit* (4), *in diem* XXXI F *Januarii reposita fuit.*

f *Hæc verba* obdormire in Domino *ordinarie pacificam, non vero violentam mortem designant. Nihilominus ut Martyres coli* Sanctas Puellas *diximus supra num.* 8 *sive propter passionem ante exilium toleratam, sive propter necem jam exulibus inflictam.*

g *Historia Occitaniæ, a Benedictinis conscripta, lib.* XXXIV § LXXXIX (5) *referunt Mansum* Sanctarum Puellarum *Calvinianis aliquamdiu nempe ab anno* 1573 *ad* 1583 *stativa fuisse, unde in vicina oppida excurrebant: isto probabiliter tempore profanatio sacrarum Reliquiarum acciderit. Cfr supra allatum textum Tertulliani. Anno* 1622 *Mansus* Sanctarum Puellarum, *a suis incolis desertus, a Ludovico XIII funditus concrematus fuit* (6); *ex quo tempore ægre admodum fuit instauratus.*

(4) Guéranger. Instit. Liturg., t. II, p. 133. — (5) Hist. du Langued., t. V, p. 320. — (6) Ibid., p. 536.

DE S. FLORENTINO SEU FLORENTIO,

EPISCOPO TREVIRENSI ET TUNGRENSI.

COMMENTARIUS HISTORICUS ET CRITICUS.

J. V. H.

CIRCA MED. SÆC. III.

§ I. Sancti Florentini memoria in sacris fastis; Vita ejus brevior; Origines Ecclesiarum Trevirensis et Tungrensis, occasione hujus Sancti, retractantur; imprimis ex antiquis Martyrologiis et historiæ Trevirensis scriptoribus.

Memoria Sancti in sacris fastis:

Quæ de S. Florentino seu Florentio *nota habemus, fere omnia in Martyrologiis, iisque ne classicis quidem continentur. Ejus memoriam celebrat imprimis Martyrologium Romanum hodiernum sub die* XVI *Octobris hisce verbis:* Treviris S. Florentini episcopi. *Romanam annuntiationem tempore præcesserant plura Usuardi Auctaria apud Sollerium nostrum sub die* XVII *Octobris, videlicet, Lubeco-Coloniense, quod habet:* Treviris S. Florentini episcopi et Martyris, *iisdem plane verbis loquuntur Grevenus et Molanus: ast Galesinius videtur Romano Martyrologio præluxisse, quando titulum* Martyris *silet, quem nihilominus* S. Florentino *tribuit Proprium Trevirense, jussu Joannis Hugonis ab Orsbeck, archiepiscopi electoris, circa initium, ut videtur, sæculi XVIII editum. Hisce accinit Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, additque Sanctum Floruisse sub Gallo et Volusiano* (*ab an.* 251 *ad* 253).

Vita brevior ex Proprio Ecclesiæ Trevirensis.

2 *Trevirense, de quo supra egimus, Proprium præscribit memoriam, ut vulgo loquimur, simplicem de* S. Florentino *additque Officio S. Hedwigis, hac die cultæ, nonam lectionem, quam hic exhibemus:* Florentius, qui et Florentinus, gentilium persecutione etiamnum apud Treviros fervente, ante Constantini Magni conversionem, ut Beati Severini in sede Trevirensi successor, ita et martyrii gloriosi particeps haud multo post illum tempore effectus est. Nam cum ille, ut fidelis pastor, oppressarum sub Rictiovaro ovium et per varias latebras sparsarum collector instructorque sedulus esset, latere diu persequentium sagaciam furoremque non potuit. Et cum in episcopos non minus sævirent Galli populares, quam Romani præsides, vix altero vertente anno proditus, productusque in arenam, insigni fortitudinis laude palmam martyrii est consecutus, nobisque sui memoriam decimo sexto Kalendas Novembris moriens reliquit. *Unde hanc notitiam S.* Florentini, *passi post bienne regimen sub Rictiovaro, id est initio quarti sæculi, hauserint auctores Proprii, non est, quod declarem, quoniam nihil apud antiquos reperire potui, quo dicta aliquatenus firmarentur: putem ego conjecturas sectatos fuisse auctores laudatos, qui cum* S. Florentinum *in ordine pontificum Trevirensium S. Agritium, sæculo quarto episcopum, propius attingere viderent, eumdem ad tempora persecutionis Diocletiani revocandum esse arbitrati sunt. Verum juxta Catalogum episcoporum Trevirensium inter SS.* Florentinum *et Agritium terni intercalandi sunt præsules, scilicet Martinus II, Maximinus et Valentinus: quare, siquidem dictus catalogus retinendus videretur, de quo paulo infra agemus, censerem S.* Florentinum *potius ad medium sæculum* III *pertinere, adeoque Diocletianum ejusque persecutionem præcessisse. Unde quoque planum fit, me non assentire Ferrario, dicenti Sanctum nostrum sub Gallo et Volusiano floruisse.*

De fundatione Ecclesiæ Trevirensis primo sæculo

3 *Hisce dictis, quoniam alia monumenta, res gestas* S. Florentini *illustrantia, non occurrunt, expeditum negotium esset ac calamus poni posset. Verum* S. Florentini *episcopatus aliam excitat quæstionem, sæpius jam tum a majoribus nostris, tum a viris eruditione clarissimis ventilatam. Sunt enim non pauci docti, qui putant S. Agritium post S. Maternum, nullo alio intermedio episcopo, Trevirensem cathedram occupasse, atque adeo S. Maternum non sæculo primo, ut autumabant passim antiquiores, sed tandem tertio aut quarto Ecclesiam illustrasse: unde sponte fluit sua, omnes episcopos, qui inter utrumque anctum medii referuntur, a Catalogo præsulum expungendos esse, ita ut dubia maneat quæstio, an umquam S. Florentinus ac reliqui episcopi intermedii exstiterint, proindeque certum sit juxta illorum sententiam Trevirensem illis cathedram perperam affingi. Quæ vero de Trevirensi Catalogo dixi, eadem prorsus ratione de Tungrensi intelligenda sunt, quoniam secundum eorumdem opinionem, nullus intercalaris episcopus SS. Maternum et Servatium separare debet. Quæstionem igitur jam sæpius in hisce Actis Sanctorum tractatam ac retractatam pro modulo meo hic etiam excutiam: si quid præter rectam crisin mihi exciderit, poterit et id ad trutinam revocari sub die* VIII *Decembris, quando de S. Euchario, qui primus Trevirensis episcopus omnium, ni fallor, consensu habetur, agendum erit.*

a multis controvertitur,

4 *Sententia negans S. Maternum primo sæculo exstitisse et aliquos inter hunc e S. Agritium medios fuisse episcopos, patronos nacta est summæ eruditionis viros, inter quos præcipue numerandi veniunt D. Calmet, Senoniensis abbas* (1), *Joan. Nicolaus ab Hontheim, episcopus Myriophytanus et Suffraganeus Trevirensis* (2) *et Joannes Perier, Hagiographus noster in Commentario prævio*

(1) Hist. de Lorraine., t. I. Dissert. sur les prem. évêq. de Trêves. — (2) Hist. Trevir., t. I. Dissert. de Æra fundati episc. Trevir., p. IX.

S. Materni

A *S. Materni ad diem* XIV *Septembris* (1), *quos dein turba scriptorum secuta est. Quominus vero in tantorum virorum sententiam descendam, vetat ipsa probationum infirmitas. Quidquid enim ab eruditissimis scriptoribus profertur, ad argumentum negativum reducitur, propter quod antiquam sane et per octo posteriora sæcula constantem traditionem oblitteratam vellent. Norunt docti imbelle esse plerumque telum, quod ex hujusmodi pharetra accipitur* (2), *nisi positiva aliqua demonstratione roboretur. Porro laudati Scriptores argumentum negativum conficiunt imprimis ex silentio Martyrologiorum, dein quia auctores sæculo IX aut X antiquiores nihil habent de missione, ab ipso S. Petro primis episcopis Trevirensibus data, et tandem quia exstant eorumdum præsulum Catalogi antiqui, qui post S. Maternum nullo intermedio ponunt S. Agritium. Hæc breviter examinemus.*

propter silentia Martyrologorum antiquiorum :

5 *Martyrologiorum maxima est auctoritas in iis, quæ eloquuntur: quoniam dum præcipua et summa tantum Sancti alicujus lineamenta exhibent ista accurate e genuinis fontibus hausisse existimantur. Verum eorumdem silentium vix umquam alicui Sancto* B *præjudicare potest, quia nullus umquam martyrologus aut de omnibus Sanctis aut de omnibus eorum rebus gestis agere se professus est. Atqui tamen id innuere videntur ii, qui ex eo, quod antiqua aliqua Martyrologia taceant discipulatum S. Petri, eumdem SS. Euchario, Valerio et Materno abjudicant. Numquid quia iidem, omissis SS. Euchario et Materno, solum Valerium annuntiant, expungendi erunt isti ex Sanctorum albo, solusque Valerius colendus? Ast repone et quis in Hieronymianis fastis sub die* XXIX *Januarii non solum silent discipulatum S. Petri, sed Valerii nomini ne appingunt quidem signum distinctivum* De Antiquis, « *quo apposito in » Hieronymianis primi duorum sæculorum episcopi » passim gaudent* (3). » *Valeret certe argumentum si et semper apponeretur id signum antiquis, nec adjiceretur umquam recentioribus. Sed utraque ruit conditio: nam abesse video signum distinctivum a nomine S. Apollinaris ad diem* XXIII *Julii, quamvis, omnibus fatentibus, primus Ravennatum fuerit episcopus, discipulus S. Petri et intra primum sæculum vita functus* (4). *Dein S. Hippolytus, in Hieronymianis sub eodem die* XXIX *Januarii citatus, cum apposito* De Antiquis, *videtur, Florentinio judice*, C *esse Portuensis episcopus, qui sæculo tertio floruit. Quare non multum roboris habet argumentum, quod facili labore multis aliis exemplis convelli posset.*

inter quos primus Ado.

6 *Nihilominus fatentur sententiæ, quam nunc tutinamus, patroni Adonem, qui circa annum Christi* 838 *Martyrologium suum conscripsit, discipulatum S. Petri S. Valerio attribuisse, quum dicit ad diem* XXIX *Januarii:* Eodem die, depositio B. Valerii episcopi, discipuli S. Petri Apostoli. *Adonis vestigia premit Usuardus, adjecta voce* Treveris. *Ex duobus hisce martyrologis id certo constat non sæculo* X *vel* XI *primum esse natam opinionem, quæ SS. Eucharium, Valerium et Maternum discipulos facit S. Petri Apostoli. Sed Adoni objicit Hontheimius auctoritatem Wandelberti Prumiensis et Rabani Moguntini, tacentium qualitatem discipuli S. Petri; atque hi quidem Rheni accolæ majorem merentur fidem* (5). *Stringeret profecto argumentum, si inter se opposita edicerent Rabanus et Ado, possetque porro inquiri utri fides adhibenda esset. Ast nihil hic video, quod contradictionem indicat: tacuit Rabanus, locutus est Ado; illius silentium auctoritatem hujus nequaquam infringere valet. Ast, pergit Hontheimius,* « *quis sponsor nobis erit Adonem in latiore » sua et apertiore elogiorum descriptione apogra» phorum Actorum, aut alia ratione numquam fuisse » deceptum?* » *Et ego repono, quis nobis sponsor erit Eusebium, Hieronymum, Augustinum, imo et ipsum Hontheimium, dum antiquiora documenta citant, apographorum fide aut alia ratione numquam fuisse deceptos? Videt sane lector nihil firmitatis habitura deinceps historica monumenta, si hac balista convelli possunt, omnemque fidem abrogandam esse Annalibus, si hæc ratiocinatio subsistat.* J. V. B.

cujus auctoritas defenditur.

7 *Ast deceptus fuerit Ado fide apographorum; id certe consequens erit hunc scriptorem primum non fuisse, qui opinionem de discipulatu S. Petri, primis episcopis Trevirensibus attributo, in lucem emiserit. Quod quidem ipse Hontheimius fatetur* (6), *dum dicit* « *deceptum* » *Adonem populari rumore, quem juvenis Prumiæ hauserat, adversus quem Wandelbertus et Rabanus, viri domestici et eruditi obfirmati erant. Jam dixi ex silentio horum martyrologorum nihil argumenti recte deduci.* « *Forse,* » *ait porro Hontheimius,* « *Valerii nomen, quod in S. Clemen-* E *» tis Rom. Epist. I ad Corinthios legitur, ei ansam » præbuit, ut nostrum, ab illo antiquo diversum, » B. Petri discipulum scriberet.* » *Conjectura est, quæ alia conjectura facile elidi posset: atque hoc quidem sufficeret; sed Valerius iste, de quo S. Clemens loquitur, mittitur legatus Corinthum: qui igitur fieri potuit, ut Ado, qui scribit Valerium, Treviros euangelizantem, eidem tempus tribuerit accipiendæ in remotam Græciam missionis, quam facile aliquis Romanæ Ecclesiæ presbyter seu diaconus adimplerit. Unde probabiliter concludo Adonem non confudisse Valerium, S. Clementis legatum, cum Trevirensi episcopo.*

discipulatum S. Petri B. Valerio et sociis attribuit.

8 « *At fortasse,* » *inquit Hontheimius, l. c,* « *ni» mium Adoni impingimus, qui discipulatum Petri » eo sensu accepisse potuit, quo qui a Petri successo» ribus ad fidem et apostolatum instituti erant, » discipuli Petri dicebantur, quamquam ea vox » contra nativum suum sensum deinde ab aliis ac» cepta fuerit.* » *In confirmationem hujus excusationis profertur testimonium S. Bonifacii sæculo* VII *archiepiscopi Moguntini, qui in epistola quadam Caroli Martelli, mihi incognita,* Missus S. Petri *appellatur* (7). *Sed nullam equidem invenio parilitatem inter utrumque textum: quando nempe Carolus S. Bonifacium, a S. Gregorio II directum in Germaniam, appellabat* Missum S. Petri, *facile dabatur intelligi, quo sensu hæc missio accipienda esset. Ast dum lego in aliquo Martyrologio nudum titulum discipuli S. Petri, alio necessario avocant mentem meam tales voces, meque ad tempora S. Petri transferunt. Tandem quoties appellatio* Discipuli *aut* Missi S. Petri *in Martyrologiis occurrunt, dubito vehementer hos libros revolvens, utrum vel semel liquido demonstrari possit, ad recentiora tempora Sanctos, hac nota insignes, revocandos esse. Atque de Martyrologiis dicta sufficiant.* F

Alterum argumentum deducitur ex Gestis Trevirensibus sæpe fabulosis

9 *Venit dein Hontheimius ad scriptores, qui scholam, ut ipse vocat, S. Mathiæ prope Treviros constituunt, quique statim post devastationem Normannicam a majoribus acceptam doctrinæ et eruditionis hereditatem posteris continuata serie tradiderunt. Certe præcipuus fons historiæ ecclesiasticæ Trevirensis in hac schola requirendus est: inde*

(1) Act. SS., t. IV Sept., p. 354. — (2) Honoré de Sainte Marie. De l'usage de la critique. t. I, p. 255 et seqq. — (3) Act. SS. t. IV Sept., p. 361, n. 35., et Soller. Mart. Usuard. XXIX Januar. — (4) T. V Julii, p. 328. — (5) Honth. Hist. Trev., t. I. Dissert. de Æra fund. episc., p. XIV. — (6) Ibid., p. XVI. — (7) Act. SS., t. V. Junii, p. 514. n. 18.

J. V. B.

repetendus est liber, qui vulgo sub nomine : Gesta Trevirorum, cognitus est, atque res gestas narrat eorum episcoporum, qui Normannorum tempora præcesserunt. Objicitur libro, continere eumdem permulta fabulosa, initia hujus Historiæ rebus futilibus et fabulis respersa etc., quæ omnia videre licet apud laudatum Hontheimium (1). *Possem omnino acquiescere hujusmodi censuræ, quin consequenter inferre quis valeret : ergo quæ de discipulatu S. Petri, primis episcopis Trevirensibus tributo, in Gestis referuntur, fabulam sapiunt : conclusionem nemo facile admittet : verumtamen nutante gestorum auctoritate in aliquibus, videndum est utrum inter dubias historias rejiciendus non veniat discipulatus S. Petri* (2).

quorum tamen auctoritas monstratur.

10 *Antequam ipsam quæstionem solvamus, paucis exponenda est historia scholæ ad S. Mathiæ Trevirensis, e qua Gesta Trevirorum prodiere. Jam sæculo* IX *splendidam fuisse eruditionis fama hanc scholam ipse fatetur Hontheimius* (3). *Florbertus, qui anno* 885, *anno scilicet tertio a vastatione Normannica, vocatur a Tritheimio* (4) monasterii S. Mathiæ prope Trevirim monachus atque scholasticus, vir certe undecumque doctissimus, qui B multorum præceptor monachorum exstitit, *per quos deinceps doctrina et eruditio ad seros usque posteros propagata est* (5). *Scholæ Sammathianæ fatalis fuit, quemadmodum reliquo populo Trevirensi, invasio Normannorum, qui anno* 882 *in Cœna Domini seu die* V *Aprilis, ut aiunt Annales Metenses coævi* (6), omne territorium urbis *(Trevirensis)* circumquaque usque ad solum demoliti sunt ; deinde civitatem flammis exurentes, Mediomatrico *(Metas)* dirigunt aciem (7). *Eadem calamitate perierunt præcipua, imo fere omnia Trevericæ Ecclesiæ monumenta antiqua, ut testatur, præter Gesta* CXXVII, *auctor Vitæ S. Felicis Trevirensis archiepiscopi ad diem* XXVI *Martii* (8) : In hujus, *ait*, ter Felicis Sancti mentione, sicut in omnium fere Trevirensium Sanctorum recordatione, repetitam sæpius hujus urbis vastationem cogimus plorare, per quam constat, ingentia Sanctorum patrum nostrorum Vitæ volumina ita penitus consumpta esse, quod (nisi ex paucissimis, ut ita dixerim, tanti pelagi guttis, in vetustissimis aliorum locorum scedulis, vel etiam in plumbeis ac marmoreis tabulis, terræ penitus infossis, aliquatenus reformata fuissent) organa nostra, velut super C flumina Babylonis nostræ suspensa, jam dudum in horum laude Sanctorum conticuissent. *Confer etiam Vitam S. Modualdi ad diem* XII *Maji* (9).

ex fide scriptorum.

11 *Atque hic erat rerum status, quando schola S. Mathiæ reflorescere cœpit sub Florberto, an.* 885 *defuncto. Videtur iste scriptor primus, qui e ruderibus incensæ urbis Historiam seu Gesta Trevirorum eruit. Nam Eberhardus, ejus discipulus et successor,* omnifariam, *ait Tritheimius* (10), et ipse doctus, *qui* præfuit magisterio *annis ferme quatuor et viginti, dicitur sub anno* 909 (11) inter cætera ingenii sui monumenta complura ad Historiam Trevirorum ADDIDISSE, Vitam quoque Sanctorum Eucharii, Valerii et Materni, primorum Trevirensium pontificum, tam metro quam prosa, elegantiori stylo conscripsisse. *Unde rite mea sententia deduco jam ante Eberhardum, factum magistrum anno tertio a Normannica vastatione et proinde cladi coævum, fuisse alium qui Gesta Trevirorum scribere cœpit, quandoquidem Eberhardus iisdem solum complura* addidisse *referatur. Non temere itaque opinor* D *me pronuntiare, quod Gesta Trevirorum collegit omnium primus aut ipse Florbertus aut certe alius ejusdem auctoritatis monachus Sammathianus.*

qui in re tam gravi et obvia nec decipere,

12 *Quæ cum ita sint, dicendum omnino erit, hos scriptores scientes et volentes, turpiter mentitos fuisse, aut acceptam a majoribus notitiam de initiis episcopatus Trevirensis fideliter, saltem quoad præcipue lineamenta attinet, posteris tradidisse. Nemo vero mendacii crimen impinget in viros religiosos, quorum memoria cum grati animi sensu a posteris recolitur. Quod si quis eo impudentiæ deveniat, ut tamquam falsarios traducat monachos eruditione et doctrina celeberrimos, quid, quæso, fidei adhibere poterimus iisdem, quando etiam facta coæva narrabunt? Periret hac ratiocinandi modo omnis historiæ sinceritas, quoniam semper excipere quis poterit, scriptorem voluisse falsum obtrudere legenti. Dein ut quis calamum suum devoveat ad talem ignominiam, oportet ut momentum aliquod inveniatur, quo scriptor excitetur ad tale facinus audendum ; quod quidem aliud esse non potest, quam proprium emolumentum. Atqui in Historia Trevirensi seu Gestis, nihil invenio, quod ex parte vel minima monasterio S. Mathiæ Trevirensi favere videatur : nihil* E *istic reperitur, quo edoceamus antiquitatem, splendorem seu privilegia proprii monasterii : imo quando omni conatu allaboratur, ut Cathedræ Trevericæ prærogativa illustretur, altum est silentium de ipso cœnobio Sammathiano, cujus origines, abbatum series, privilegiorum compendia ignorantur. Qui Galliam Christianam ediderunt auctores* (12), *ab anno* 975 *præsulum Sammathianorum successionem ordiuntur ; unde datur intelligere, magistros, qui Gesta Trevirorum scripserunt, rebus suis neglectis, communem utilitatem sectatos fuisse, propter quam nemo sanæ mentis gravissimi mendacii sese reum constituet.*

nec decipi potuere,

13 *Quod si magistri Scholæ Sammathianæ ab omni mendacii falsitatisque crimine apud unumquemque æquum rerum æstimatorem vindicati sunt, restat altera hypotheseos pars, scilicet illos sincere tradidisse, quod a majoribus acceperant. Unde porro datur intelligere antiquiorem sæculo* IX *aut* X *esse opinionem, quæ primos Trevirenses episcopos facit discipulos S. Petri. Unde eliditur exceptio Hontheimii dicentis* (13) : Ecclesiarum particulares Historiæ et primorum episcoporum Gesta, quibus F tanta eis antiquitas asseritur, sæculis demum X et sequentibus compilata fuerunt ; eo scilicet ævo, quo pauca aut nulla arti criticæ laus, et quam plurimis solemne esset, suis Ecclesiis a synchronismo apostolico commendationem et præcellentiam aucupari. *Alia aliis sæcula majori critices laude eminuisse lubentes omnes concedunt : quare in indaganda sinceritate alicujus diplomatis, ut exemplo utamur, omnino censemus emunctioris naris esse hodiernam crisim, quam quæ sæculo* X *adhibebatur ; etenim artem criticam perfecit atque perpolivit magna facilitas, post inventam et propagatam typographiæ artem omnibus impertita, conferendi multiplicis antiquitatis monumenta, qua ex comparatione securius nascitur pronuntiatum de singulorum documentorum authenticitate et meritis.*

licet in adjunctis sæpius errare potuerint.

14 *Ast quæ res agitur in præsenti controversia ? Videlicet scire et testatum facere synchronismi apostolici opinionem etiam viguisse temporibus antenormannicis. Cujusquidem idoneos testes esse primos*

(1) Hist. Trev., t. I. De æra fund. Eccl. Trev., p. XVIII. — (2) Hillar Vindiciæ Trev., p. 49. — (3) Hist. Trev., t. I, p. 250. — (4) Chron Hirsaug., p. 7. — (5) M. Hillar. Vindic. Trev., p. 68, 81 et seqq. — (6) D. Bouquet, t. VIII, p. 63. — (7) Cfr. Trith. Chron. Hirsaug, p. 35. — (8) Act. SS., t. III Mart., p. 622, n. 1. — (9) Ibid., t. III Maji, p. 52. — (10) Chron. Hist., p. 37. — (11) Ibid., p. 56. — (12) Gall. Christ., t. XIII, col. 544. — (13) Hist. Trev., t. I, p. XII.

Gestorum

J. V. H.

A *Gestorum Trevirensium scriptores, unusquisque lubens, uti equidem confido, mecum fatebitur : nam ut factum aliquod publicum et constans quispiam testatur, non arbitror necessarium esse ad subtiliorem quamdam criticam recurrere. Hæc a patribus suis acceperant primarii scriptores, in membranis monasterii sui aliarumque Ecclesiarum Trevirensium legerant : ad hoc autem præstandum non exquisito ingenii acumine, non ingenti eruditionis supellectile, quamvis et ista deesse non videbantur, indigebant magistri Sammathiani. Si vero hæc non satisfaciat responsio, etiam atque etiam considerent hujusmodi hypercritici, ne in scepticismi historici foveam præcipites agant sese. Abolita enim auctoritate scriptorum sæculi* X, *non perspicio, quo pacto hiatum hunc explere poterunt, etiam in iis, quæ præsentes viderint istius ævi auctores (et certe coram spectavere vigentem suo tempore traditionem) fides eorum dictis erit penitus abroganda. Nihil dicam de affecto scriptoribus istius ævi more, quo* solemne iis erat, suis Ecclesiis a synchronismo apostolico commendationem et præcellentiam aucupari : *etenim istud aliud non est quam solemniter mentiri, quod quidem jam supra n. 12 explosimus.*

B

§ II. Eadem quæstio retractatur ex auctoritate antiquorum Catalogorum Ecclesiæ Trevirensis.

Tertium argumentum petit Hontheimius ex Catalogis,

T*ertiam machinam adhibet Hontheimius, ignoratos scilicet antiquitati fuisse episcopos medios Maternum inter et Agritium* (1) : *unde eliminata serie pontificum, probabilis fiebat opinio S. Maternum non primo sæculo, sed tertio in finem vergente, floruisse.* Primum, *ait,* et gravissimum huic sententiæ præsidium præbent Catalogi episcoporum Trevirensium, non quidem recentiores, post receptam monachorum S. Mathiæ opinionem interpolati. Verum puriores illi et primogenii, quorum primum vestigium mihi monstravit Mabillonius Annalium Ordinis S. Benedicti Lib. 15, § LVIII (2), ubi meminit « veteris Catalogi Trevirensium episcoporum, qui exstat in bibliotheca S. Gisleni in C Hannonia, cujus prima manus desinit in Marino » *(Maro?)* : Hujus Catalogi copiam, qualem, facta amicorum interpositione, nuper nactus sum, hisce communico :

INCIPIUNT PER ORDINEM
NOMINA TREVIRORUM EPISCOPORUM.

Eucharius.	Marus.
Valerius.	Volusianus.
Maternus.	Miletus.
Agritius.	Modestus.
Maximinus.	Maximianus.
Paulinus.	Fibicius.
Bonosius.	Abrunculus.
Britto.	Rusticus.
Felix.	Nicecі . .
Mauricius.	Ma . . .
Legontius.	Gun . .
Severus.	. . . . . .
Quirillus.	Modualdus.
Jamnecius.	Numerianus.
Emerus.	Basinus.
Liutuiunus.	Rabodus.
Milo.	Rotgerus.
Vuiomadus.	Ruotbertus.
Rimbodus.	Heinricus.
Vuizo.	. . .edericus.
. . . . .gadus.	. . .erus.
Bertolfus.	Ruobert.

præsertim San-Ghisleniano,

16 *Hic plane triumphat Hontheimius, utpote qui Catalogum San-Ghislenianum* purum et genuinum *pronuntiet* (3), *atque argumenta ex eodem* positiva *proclamet et* affirmantia (4). *Attamen non magnæ antiquitatis est Catalogus ; attingit enim finem sæculi* X *episcoporum series. An porro vel ad sæc. sequens pertineat scriptura non habeo elementa, secundum quæ judicare liceat. Maurus Hillar in suis Vindiciis Historiæ Trevirensis dicit* (5), *totum codicem una eademque manu esse scriptum a capite ad calcem ; unde quæ habet Mabillonius, præc. n. citatus, primam manum in Marino (opinor Marum ab anno* 461 *episcopum dicere voluisse) desinere, manifestus est error. Addit Laudatus Hillar* (6) *videri codicem scriptum fuisse non serius sæculo* XI, tum ex membrana satis grossa, crassa, minus detersa et minus polita (moins dégraissé), quam in E subsequentibus sæculis, tum ex antiquitate characteris. *Quoniam codicem San-Ghislenianum, quam frustra quæsivi tum in bibliotheca regia Bruxellensi, tum in Tornacensi aut Montensi Hannoniæ, videre mihi non contigit, quæcumque referuntur de membranæ qualitate et antiquitate scripturæ, in fidem Petri Baudry, prioris S. Ghisleni et scriptoris epistolæ ad Maurum Hillar citatæ reposita relinquo.*

cujus antiquitas examinatur.

17 *Verum ne tantam antiquitatem San-Ghisleniano Catalogo tribuam, scrupulus me movet : is nempe, quod ultimum nomen* Ruobert, *qui usitatiori nostro loquendi modo* Rupertus, Robertus *scriberetur, in serie episcoporum Trevirensium post Henricum I nuspiam legatur. Scribæ lapsum corrigit quidem Hontheimius, et inauspicato nomini* Ludolfum *aut, juxta manuscriptum Carthusiæ Confluentinæ,* Rudolfum *substituit* (7), *qui ab anno* 994 *ad* 1008 *Trevirensem cathedram occupavit. Atque ex hac quoque epocha deducitur Catalogum San-Ghislenianum ad sæculum* XI *pertinere. Ast ex hoc ipso quod in ultimo nomine erraverit scriptor, an inferre* F *mihi non licet, eumdem minime coævum fuisse Ludolfo Trevirensi, imo tam remotum ab initio sæculi* XI, *ut jam oblitterata esset Ludolfi memoria ; unde porro sequeretur, ad* XII *sæculum magis Catalogum San-Ghislenianum, Hontheimii Achillem, pertinere? Dein admissa codicis antiquitate, anceps enascitur argumentum ; etenim si catalogus San-Ghislenianus expungat medios episcopos inter SS. Maternum et Agritium, retinet tamen codex originem apostolicam Ecclesiæ Trevirensis, utpote qui nobis exhibeat tres primos episcopos, tamquam ab ipso S. Petro missos, quo autem criterio Hontheimius partem codicis, Catalogum dico Trevirensium episcoporum, tamquam* purum et genuinum *partum antiquitatis, sartam tactam servaret, explosa e contrario altera, quæ originem apostolicam adstruit, plane non video.*

quisque cæterum argumentum negativum constitueret:

18 *Nihilominus in confirmationem Catalogi sui adducit Hontheimius textum, ex ipsis Gestis Trevirorum* C. CLXVII *excerptum* (8), *quo dicitur* Beatus Agricius, quartus episcoporum Trebirensium

(1) Hist. Trev., t. I, p. XXIV. — (2) Annal. Ord S. Bened. t. I, p. 448. — (3) Hist. Trev., t. I, p. XXVI. — (4) Ibid., p. XXVIII. — (5) P 70 et seq. — (6) Ibid., p. 74 et seq. — (7) Hist. Trev., t. I, p. XXV. — (8) Gest. Trev., t. I, p. 183. Edit. Trevir., an. 1836.

J. V. M.

rensium, quorum, *ait scriptor*, nomina cognita habemus. *Ex hisce verbis concludit Hontheimius, quoniam Bruno, in cujus historia hæc de S. Agritio leguntur, ab anno* 1103 *ad* 1124 *Trevirensi cathedra præsedit, ad sæculum* XI *pertinere scriptionem, unde quoque consequitur eodem tempore incognitam, aut saltem flocci factam, successionem episcoporum, qualis exhibetur c.* XXXVII *Gestorum* (1). *Subinde dicit* (2) : Non dubito, quin ab ingenuo hoc scriptore suspendentia illa verba : "quorum nomina habeantur cognita", in gratiam popularis illius rumoris de immediata missione Eucharii per S. Petrum, nec non in reverentiam Theodorici et Golscheri, quorum novos episcoporum catalogos ignorare malebat, quam eis aperte contradicere, usurpata fuerint. *Opinationi Hontheimii pondus aliquod addit assertio Calmeti, qui in Historia sua Lotharingiæ* (3) *refert se in monasterio Sam-Mathiano vidisse codicem manu exaratum, in quo deerat series episcoporum mediorum inter SS. Maternum et Agritium. Fatetur quidem Hontheimius* (4) *(ratus Calmetum non expressisse, quo loco hoc Ms. vidisset, quando limpide bibliothecam Sam-Mathianam indigitat) frustra se in dicto cœnobio inquisivisse : nullus tamen dubitat quin Calmetus reipsa id viderit, maxime* quod alius, *ait*, vir eximius et harum rerum prudentissimus simile Ms. Gestorum exemplar viderit, in quo pariter nulla episcoporum nomina inter Maternum et Agritium media sunt, alio loco a se visum, mihi retulerit.

videntur enim antiqui

19 *Lubens equidem fateor primis scriptoribus Gestorum Trevirensium incognitos probabiliter fuisse hos medios episcopos : id enim satis demonstrant exemplaria quædam antiqua, ut fidem facit Maurus Hillar, monachus Sam-Mathianus* (5), *qui citat codicem, in quo hæc leguntur :* « Sicut enim diligenti supputatione colligimus, 346 annos inter B. Materni ex hoc mundo gloriosum excessum et S. Agritii felicissimum in hanc urbem ingressum esse cognoscimus. » Et deinde judicat hoc temporis spatio intercurrente cessasse hujus sedis episcopatum, consequenter concludo *(laudatus Hillar loquitur)* hunc codicem debere esse antiquissimum, cum huic scriptori memoratorum nomina adhuc fuerint incognita, quæ jam ad initium sæculi XI fuere reperta : unde et a margine perantiqua manu, perdifficillime legibili, annotatur : « Inveniuntur in Catalogo episcoporum Trevirensium XXII episcopi medii fuisse inter Maternum et Agritium; quare error patet. Similiter error patet, quod eodem tempore etiam pagani civitatem obtinuerint, cum prius habeatur, innumerabiles martyrisatos a Rictiovaro non longe ante adventum Agritii. » *Siquidem nullus typothetæ error obrepserit in annis* 346 *mediis inter SS. Maternum et Agritium, a vero certe aberrat scriptor ; quoniam S. Agritius sedem episcopalem conscendit circa annum* 313 (6) ; *adeoque S. Maternus, circa finem sæculi primi obiens, tantam temporis intercapedinem non reliquit. Ex citato textu clarescit primis scriptoribus Gestorum incognitam fuisse episcoporum seriem, quæ posteriori tempore addita fuit capiti* XXVII : *sed numquid inde consequitur intercalationem fabulosam esse, nulloque fundamento nixam? Id quidem consequens mihi nullatenus videtur. Nam fieri certe potuit, ut successio horum episcoporum paulatim innotuerit, et tandem ad præsentem statum deducta fuerit. Huc facit quod supra n.* 10 *retulimus ex Vita S. Felicis, Trevirensis archiepiscopi, in qua dicuntur reformata antiquorum patrum Acta ex* vetustissimis aliorum locorum scedulis, vel etiam plumbeis ac marmoreis tabulis, terræ penitus infossis.

20 *Quis vero sponsor nobis esse velit, eadem industria Catalogum Trevirensem non accrevisse? Simili certe ratione accreverunt Catalogi episcoporum variarum Ecclesiarum, quos hodie habemus. Etenim si conferatur terna editio Galliæ Christianæ, quam dederunt Claudius Robert anno* 1626, *fratres Sam-Marthani anno* 1656 *et tandem Benedictini Congregationis S. Mauri anno* 1715, *reperientur multiplices accessiones nominum, e variis chartis et monumentis erutorum. Unum proferam exemplum, quoniam in hoc ipso volumine occurrit. Qui tertiis curis Galliam Christianam edidere Maurini, medium episcopum Laudunensem inter Serulfum et Madelgarium intercalarunt Omotarium* (7), *in cujus notitiam devenere per Prologum Vitæ S. Salabergæ, quæ inscripta est Omotario papæ, Austrudi abbatissæ et Salabergæ cuidam, ut videre est ad diem* XXII *Septembris* (8). *Ex hac scilicet inscriptione rite duxerunt Laudati Scriptores fuisse aliquem in Catalogo Laudunensi hiatum, quem clauserunt. Unde porro sequitur non continuò fidem abrogandam esse recentiori Catalogo, quia amplior est antiquiori : potuit enim decursu temporis accidere, ut nova documenta majorem lucem rei adhuc obscuræ affuderint. Unde patet monumentum San-Ghislenianum, etiamsi daremus reliqua omnia antiquitate superare, non omni ex parte expunctoribus prorsus favere.*

intermedios Maternum inter et Agritium episcopos

21 *Quum itaque Hontheimius sententiam suam defendit auctoritate Scriptoris dicentis S. Agritium esse* quartum episcoporum Trebirensium, quorum nomina cognita habentur, *ex hoc textu nequaquam extundi potest, nullos intermedios fuisse episcopos ; sed eorum, qui reipsa exstiterunt, nomina non undequaque certo cognosci, sive quia illo tempore nondum detecta fuissent, sive quia scriptor Gestorum, quem Lambertum Leodiensem suspicor, putaret omnes hos episcopos ad sedem Trevirensem non pertinuisse, sed magis episcopos regionarios fuisse, nulli certæ sedi affixos. Quod vero addit Hontheimius ab* ingenuo hoc Scriptore suspendentia illa verba : « quorum nomina habeantur cognita, » in gratiam popularis rumoris..... usurpata fuisse ; *id equidem temere dictum existimo. Nam si scriptor tantum suspiceret sive rumorem popularem, sive antecessores suos Theodoricum et Golscherum, nihil illum adigebat, ut, quoniam tunc Brunonis Archiepiscopi res gestas narrandas susceperat, vel verbulo controversam opinionem attingeret. Unde dein habet Hontheimius laudatum scriptorem in rumore populari aut reverentia suorum antecessorum connivisse? Unam hujusmodi conjecturæ obtendere potest causam, quia nempe sibi, Hontheimio, displicebat missio apostolica primorum episcoporum ; atque adeo detorquenda erant verba perspicua auctoris in alium sensum ; quo fiebat ut* ingenuus *scriptor suo etiam calculo male excogitatam fabulam probaret. Tali interpretatione et uno quasi calami obelo scriptores Ges-*

ignorasse, qui postea reperti sunt.

(1) Gest. Trev., t. I, p. 41. — (2) Hist. Trev., t. I, p. XXVII. — (3) Hist. de Lorr., t. I Dissert. prélim., col. 7, et Preuv. col. IX in marg. — (4) Hist. Trev., t. I, p. XXVI. — (5) Vindic. Eccl. Trevir., p. 128. — (6) Hontheim. Hist. Trev., t. I, p. LVII. — (7) T. IX, col. 512. — (8) Act. SS. Septemb. t. VI, p. 521.

torum



Planche extr. des Mélanges d'Archéologie. ch.

Lith. Barousse Paris

A *torum aut mendaces aut mendacii complices facit Hontheimius. Quod severius est, quam ut fidem dicenti præstemus.*

neque juvat Maternum Coloniensem sæc. IV monstrare,

22 *Tandem in opinione eorum, qui censebant initia Christianæ Religionis apud Treviros revocanda esse ad sæculum* II *vel* III, *consequens satis erat statuere Maternum, tertium apud Trevirenses antistitem, eumdem esse cum Materno, qui in controversia Donatistarum judex adhibitus fuit, et Agrippinensis episcopus dicitur. Hanc thesim late evolvit Joannes Perierus noster in Commentario prævio Vitæ S. Materni ad diem* XIV *Septembris* (1), *ut necesse non sit eamdem hic recudere. Verum ut fatear, quod sentio, nullo idoneo testimonio conjectura hæc nititur. Fuit certe Coloniæ Agrippinæ, sæculo* IV *ineunte, episcopus, Maternus nomine; sed, quæso, quid impedit quominus alius homonymus in eadem cathedra simul et in Trevirensi præcesserit? Profecto Materni seu Maternii nomen heteroclitum non erat in regionibus Rheno vicinis: occurrit scilicet in triplici lapide, Moguntiæ detecto* (2), *aliusque Maternus Romæ consulatum gessit anno Christi* 185 (3). *Unde nihil mirum duos ejusdem* B *nominis episcopos exstitisse, alterum Treviris, Coloniæ Agrippinæ alterum. Dein sæculo quarto ineunte, Trevirorum urbs inter omnes Transalpinas certe eminebat; quare etiam probabile videtur, ut si unus idemque fuisset Maternus Trevirensis et Coloniensis, Trevirensem tamen titulum retinuisset. Aliud tamen indicat S. Optatus, Milevitanus de Schismate Donatistarum Lib.* I, *cap.* XXIII (4), *qui Maternum appellat episcopum* ex Agrippinensi civitate.

quasi et Trevirensem cathedram occupasset;

23 *Eumdem titulum assumit Maternus ipse in Concilio Arelatensi anni* 314, *cui subscribit hoc tenore* (5): Maternus episcopus, Macrinus diaconus, de civitate Agrippinensium, *et paulo infra:* Agræcius episcopus, Felix exorcista, de civitate Treverorum. *Ex duplici inscriptione concludi mihi posse videtur aut Materni nomen ex Trevirensibus diptychis esse expungendum, aut Maternum istum Treviris Coloniam fuisse translatum: neutrum vero dici potest: non prius, quia constans est traditio, ipsis adversariis probata, S. Maternum post SS. Eucharium et Valerium tertium Trevirorum fuisse episcopum. Non posterius, nempe Maternum, relicta priori cathedra, Coloniensem occupasse;* C *nam præterquam quod sit nuda conjectura, illa tempestate insolens erat episcoporum translatio; unde merito dicit Sigismundus Calles noster in suis Annalibus ecclesiasticis Germaniæ Lib.* III § VII (6): Hujus translationis nec indicium, nec ullo toto Occidente per id tempus exemplum. *Restat igitur ut duos statuamus Maternos, alterum Coloniæ, alterum Treviris sedentem.*

id enim disciplina vigenti impediebatur.

24 *Ast respondet Hontheimius* (7): Memini a nonnemine objectum fuisse: difficulter credi posse Maternum ad Coloniensem Cathedram transiisse, relicta Trevirensi; eo quod transitus ille videatur repugnare mori istorum temporum. His respondebam: exsulare hic omnem proprie dictam Materni translationem, quæ statui non potest, ubi ante conversionem Constantini ne diœcesis quidem in propria significatione nostris in partibus apparet, sed hactenus indefinitus, nullisque limitibus circumscriptus ager, verbo Dei per Eucharium arctioribus, per Maternum latioribus terminis excultus et irrigatus, demumque sub hoc pro majori nunc exsultantis Ecclesiæ bono divisus. *Hæc quidem commode ad rem suam profert Hontheimius: sed an etiam vere? Merito dubitamus; licet enim initio quarti sæculi definiti non essent diœcesium limites, saltem quatenus regiones infidelium respicerent, fixa tamen erat sedes episcopi in urbe plerumque præcipua: similia etiam hodie occurrunt in America Septemtrionali: istic quoque certa sedes, quamvis incerti quandoque fines. Unde etiamsi daretur Hontheimio, quod tamen probare non potest, erectam initio quarti sæculi fuisse Coloniensem cathedram, atque ad hanc, relicta Trevirensi, transiisse Maternum, semper verum erit translationem accidisse contra morem Ecclesiæ tunc vigentem, ut patet ex Canone* II *laudati Concilii Arelatensis* (8), *qui ita sonat:* De his qui in quibuscumque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis locis perseverent. *Non facile vero crediderim, Maternum, qui dicto concilio subscripsit et qui unus fuit e tribus episcopis, a Constantino imperatore in causa Donatistarum constitutis, contempta Ecclesiæ lege, ad sedem* E *aliam transiisse, nisi id probabili documento monstretur: unde respondetur quoque Hontheimio, qui hos ipsos canones affert ad ostendendum minime raros esse illo ævo episcoporum transitus ab una ad aliam sedem: esto; sed nulla apparet idonea ratio, ut nobis suadeatur antiquam consuetudinem a Materno pessum datam fuisse.*

§ III. Discutiuntur testimonia antiquorum, qui favere videntur Hontheimiano systemati.

Afferuntur testimonia, Hontheimio faventia:

Sed *aliam adhibent Hontheimius ejusdemque opinionis sequaces machinam, quam inexpugnabilem habent, testimonia scilicet antiquorum, docentium serius per Gallias, adeoque in provinciis Belgica I et Germanica II* (9), *propagatam fuisse* F *religionem Christianam. Hujus pronuntiati patronos et assertores exhibent Sulpitium Severum, Gregorium Turonensem et Patres Concilii Turonensis* II *anni* 567. *Singula itaque testimonia ad trutinam revocemus, quantumque momenti habeant singula accurate indagemus. Id tamen præmonendum est, nullum ex iis talem proferre sententiam, ex qua neganda necessario foret apostolica missio in partibus, Rheno adjacentibus: etenim admisso etiam scriptorum textu in sensu maxime commodo, non sequeretur, nihil vel ab ipsis Ecclesiæ incunabulis actum fuisse apud Gallos ad Religionem Christianam propagandam. Ast ipsa laudata testimonia coram inspiciamus.*

imprimis Sulpitii Severi.

27 *Primus nobis occurrit antiquitatis merito Sulpitius Severus, qui initio sæculi* V *floruit, S. Augustino coævus. Hic autem Lib.* II *Historiæ Sacræ cap.* XXXII *hæc habet* (10): Sub Aurelio deinde, Antonini filio, persecutio quinta agitata: ac tum primum

(1) Act. SS., t. IV Septemb., p. 371, § IX. — (2) Fuchs. Alte Gesch. von Mainz, p. 5, 60 et 194. — (3) Art de vérif. les dates, t. I, p. 354. — (4) Oper. 22. Edit. Paris. 1702. — (5) Labbe Conc., t. I. col. 1430. — (6) Annal. Germ., t. I, p. 178. — (7) Hist. Trev., t. I, Præf., p. XXXV. — (8) Labbe, t. I. Conc., col. 1427. — (9) Vide notitiam Imperii Romani apud D. Bouquet, t. II, p. 2. — (10) Sulp. Severi Oper., t. II, p. 173. Edit. Veron. 1754.

J. V. B.

primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta. *Prima quæ videntur in Galliis martyria, respiciunt illos, qui, Marco Aurelio imperante, Lugduni passi sunt Viennensis et Lugdunensis Christiani, ut patet ex epistola, ab istis Ecclesiis scripta* ad fratres per Asiam et Phrygiam constitutos : *exstat apud Eusebium Lib.* v. *Histor. Eccles. cap.* I *et seqq.* (1). *Sensus Sulpitii certe est* tum primum, *scilicet anno Christi* 177, intra Gallias martyria visa *fuisse, quia* serius trans Alpes Dei religio suscepta *fuit. Fracta esset profecto Sulpitii argumentatio, prout eamdem adversarii constituunt, si monstrarentur ante hæc tempora Martyres in Gallia fuisse. Certe Theodoricus Ruinart in Præfatione ad Historiam Francorum Gregorii Turonensis num.* 61 (2) *scribit :* Falli eos, qui illum existimant ita de Martyribus Lugdunensibus.... locutum fuisse, ut ante illos Martyres fuisse negaverit. *Talem certe sibi vindicat sub die* XXVII *Maji ipsa Viennensis Ecclesia Zachariam, secundum suæ Sedis episcopum, qui passus fertur sub Trajano* (3), *quemque Viennense Martyrologium* Protomartyrem Galliarum *appellat* (4). *Certe si de hoc similibusve martyriis consta-* B *ret, dicendum esset non tam sero, quam quidam volunt, trans Alpes Dei religionem susceptam fuisse. Sed id argumenti genus nimis amplum est, quam ut uno Commentario pro dignitate contineri posset : id in singulis Martyribus Galliæ, si qui in decursu operis occurrent, indagari poterit.*

cujus tamen verba molliori explicatione,

28 *Respondemus itaque cum Jacobo Longueval in dissertatione præliminari Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ* (5), *Sulpitium non dicere serius trans Alpes Dei religionem fuisse* prædicatam, *sed* susceptam : *ita ut propter multitudinem eorum, qui sacra Christiana amplectebantur*, gentilium, *ut Acta Martyrum Lugdunensium* (6), adversus Sanctos furor et rabies *excitaretur : neque enim ubi pauci erant Christiani, gens tranquilla et ab omni scelere delictove aliena, non erat, unde plebs gentilis commoveretur. Et vero inanem non esse hanc interpretationem, quasi in nuda conjectura fundatam, monstrant verba Patrum Concilii Turonensis II, quæ pro sua opinione afferunt adversarii : hi enim in epistola sua synodica, ad S. Radegundem reginam directa, dicunt* (7) *:* Cum ipso catholicæ religionis exortu cœpissent Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia respirare, et adhuc ad C paucorum notitiam tunc ineffabilia pervenissent Trinitatis dominicæ Sacramenta ; ne quid hic minus acquireret, quam in orbis circulo prædicantibus Apostolis obtineret, B. Martinum peregrina de stirpe ad illuminationem patriæ dignatus est dirigere, misericordia consulente. Qui licet Apostolorum tempore non fuerit, tamen apostolicam gratiam non effugit. *Ex hisce verbis luculentissime habemus, statim ab exordio religionem Christianam in Galliis prædicatam fuisse, sed nihilominus euangelicam veritatem* ad paucorum notitiam pervenisse, *quo apprime confirmatur distinctio posita in Sulpitiana phrasi inter religionem* prædicatam *et* susceptam.

tum propter martyria sub Nerone

29 *Et Sulpitium ita explicandum esse nos porro suadet remotior Hispania, quæ primo jam sæculo martyria sua ostendit, ut constat ex lapide ad Pisoracæ, ut fertur, rivum* (Rio Pisuerga) *reperto, qui hæc habet* (8) *:*

D

NERONI. CL(*audio*)
CÆS(*ari*) AUG(*usto*) PONT(*ifici*) MAX(*imo*)
OB. PROVINC(*iam*) LATRONIB(*us*)
ET. HIS. QUI. NOVAM.
GENERI. HUM(*ano*)
SUPERSTITIONEM. INCULCAB(*ant*)
PURGATAM.
. . . . .
. . . . .

Monumentum pretiosissimum antiquitatis Christianæ, ut spurium traduxere Jos. Scaliger, Anton. Muratori et Joan. Gaspar Hagenbuch (9), *quod ab omni calumnia erudite vindicavit Joan. Ernestus Walch, publicus Jenæ professor duplici opusculo, cui titulus :* Marmor Hispaniæ effossum ; *quod ab Hagenbuchio impugnatum, alterum opusculum tulit :* Persecutionis Christianorum Neronianæ in Hispania ex antiquis monumentis probandæ uberior explanatio. *Quæ contra sinceritatem hujus marmoris objecta sunt, nobis videntur niti argumento negativo, quod docte removet Walchius. Certum est id genus persecutionis dignum fuisse, quod monumento publico celebraretur, quum Tacitus et Suetonius recte id in libros suos intulerint, et verba laudati marmoris apud hos scriptores reperiantur : nam* E *Tacitus Annal.* XV *cap.* XLIV *religionem Christianam appellat* exitiabilem superstitionem, *Suetonius vero in Nerone cap.* XVI Superstitionem novam et maleficam. *Qui plura, quæ longius nos a scopo nostro abducerent, novisse cupit, adeat laudatos a nobis auctores.*

in Hispania.

30 *Ast si jam primo æræ Christianæ sæculo martyria vidit Hispania, difficile nobis persuademus, Gallias, per quas frequentior erat ex Italia in Hispaniam commeatus, alienas ab evangelica prædicatione tamdiu permansisse, quum non minor esset Gallorum, quam Hispanorum, cum Romanis intercursus. Quis porro tamquam certum tradet S. Pothinum, qui in epistola Lugdunensi exhibetur* (10) nonagenario major et corpore admodum infirmo, *fuisse primum Lugdunensem episcopum ? Id quidem apud Gregorium Turonensem Lib.* I *Hist. Francorum cap.* XXVII (11) *reperio, sed tanta non est in iis, quæ initia Ecclesiæ Gallicanæ attingunt ejus unius, quod infra monstrabimus, auctoritas, ut plenam fidem isti scriptori adhibendum existimemus. S. Pothinum, ut primum episcopum Lugdunensem censet Gallia Christiana* (12); *sed ideo, credo, præcipue,* F *quia antiquior in Ecclesiæ fastis non reperitur ; nam citata epistola non vocat eum primum episcopum aut fundatorem istius Ecclesiæ, sed simpliciter refert* ministerium episcopatus Lugdunensis illi creditum *fuisse :* Ὁ τὴν διακονίαν τῆς ἐπισκοπῆς Λουγδούνῳ πεπιστευμένος : *numquid si primus fuisset episcopus, si fundator Ecclesiæ, id opportune non insinuasset epistolæ scriptor ? Dein ex eodem instrumento clarum est fuisse et Viennæ episcopum, cujus nomen taceatur ; nam aderat inter Martyres* Sanctus, diaconus Viennensem, Σάγκτος διάκονος ἀπὸ Βιέννης (13), *quo significatur istic perfectam Ecclesiam fuisse constitutam, cui certe fraudi esse non debet ignorantia nominis episcopi, tunc sedentis. Fuerunt, qui ut objectionem eliderent, dixerunt S. Pothinum utramque Ecclesiam administrasse, sed id absque idoneo testimonio asseritur : non solum, quia jam tunc cautum erat, ne unus episcopus extra casum veræ necessitatis duabus Ecclesiis præsideret : sed quia si*

(1) Eusebii. etc. Hist. Eccles., t. I, p. 198. Cantabr. 1728. Ruinart Act. Sinc. Mart., p. 62. Edit. Amstelod. 1713. — (2) Bouquet. t II, p. 100. — (3) Act. SS., t. VI Maji. p. 659. — (4) Charvet. Hist. de l'Égl. de Vienne. p. 13. — (5) Hist. de l'Égl. Gall., t. I. Dissert. prélim., p. LXIX. — (6) Euseb. Hist. Eccl., t. I, p. 199. — (7) Labbe t. V. Conc. col. 873. — (8) Masdeu. Hist. crit. de Espan., t. V, p. 86. — (9) Mariana. Hist. de Espan. Observac., t. II, p. 489. Edit. Valent. 1785. — (10) Hist. Eccl. Euseb., t. I, p. 204. — (11) Bouquet. t. II, p. 147. — (12) Gall. Christ., t. IV, col 4. — (13) Euseb., p. 201.

S. Pothinus

A *S. Pothinus, tali necessitate cogente, utrique Ecclesiæ fuisset præpositus, Viennensis potius debuisset dici episcopus Ecclesiæ, utpote quæ prior in fronte nominatur* (1) : Servi Christi, qui apud Viennam et Lugdunum Galliæ degunt, fratribus per Asiam et Phrygiam constitutis. *Quod si itaque nominare volunt Viennensem tunc episcopum, non alium invenient, quam S. Justum, desumptum ex Catalogo, qui seriem Episcoporum Viennensium ad S. Crescentem, S. Pauli discipulum, perducit, quemque merito in sua opinione repudiant. Hic autem Justus fertur in Armorica exsulasse, ac tandem martyrio primum Armoricæ Ecclesiam consecrasse* (2) : *hunc tamen scriptores Ecclesiæ Armoricensis accuratiores, in sede quadam certa non collocant, sed simpliciter episcopum vocant* (3).

tum propter absentiam Judæorum.

31 *Rariorum in Galliis tunc martyriorum causam alteram assignat Joannes Liro, Mauro-Benedictinus* (4), *scilicet inveteratum in Christianos Judæorum odium, ubique fideles persequentium. Quum vero rari essent inter Gallos Judæi, hinc fiebat, ut gentiles non tam infesti essent. Et quidem hæc non temere prolata fuisse monstrant Acta martyrii S. Polycarpi, Smyrnensis episcopi, nam quum* B *Sanctus confessus esset se Christianum, referunt Acta* (5) : Quod ubi pronuntiasset præco, universa multitudo Gentilium ac JUDÆORUM qui Smyrnam incolebant, effrænata ira et magna voce conclamabat *bestiis objiciendum Polycarpum, quod, quia expletum erat gladiatorii spectaculi tempus, id sibi licere negavit Asiarcha; tunc universi, ut combureretur inclamarunt, quibus annuit præses,* cuncta plebe confestim ex officinis ac balneis ligna et sarmenta congregante, præcipue JUDÆIS alacri animo, UT SOLENT, ad ista juvantibus. *E quibus postremis verbis conficere licet, nihil tunc singulare, sed quod* soleret, *accidisse. Quocirca S. Justinus Dialogo cum Tryphone num.* 108 *Judæis idem scelus exprobrat dicens*: Non modo pœnitentiam non egistis, sed etiam delectos homines constituistis, ac per eos, in totum orbem terrarum missos, prædicastis impiam quamdam et exlegem sectam a seductore quodam Jesu Galilæo excitatam esse... Quin etiam docuisse illum addidistis impia illa et nefanda ac detestabilia facinora, quæ adversus eos, qui illum Christum doctorem et Filium Dei profitentur, apud omne genus hominum spargitis.

christianos ubique persequentium, indigent:

C 32 Ad hæc, capta urbe vestra et terra vastata, pœnitentiam non agitis, sed illum etiam (*Christum*) et omnes, qui in illum credunt, diris devovere audetis. *Atque huic sententiæ præcipuum pondus addit Eusebius Cæsariensis, qui non solum Justini verba, ex Dialogo excerpta, refert Lib.* IV *Hist. Eccles. cap.* XVIII (6), *sed etiam dicit Judæos litteras misisse in omnes gentes, ad omnes ubique Judæos, quæ Christi doctrinam traducerent, ut novam et inimicam Deo sectam, ac epistolis monuisse, ne illam reciperent* (7). *In hanc quoque opinionem concurrit Tertullianus dicens Lib.* I *ad Nat. cap.* XIV : Quod enim aliud genus (*hominum, præter Judaicum*) seminarium est infamiæ nostræ ? *Cui consonat Origines Lib.* VI *contra Celsum cap.* XXVII (8) *:* Qua in re (*in bello excitando adversus Christianos*) similis videtur esse Judæis, qui, quum primum Christiana doceretur religio, calumnias adversus illam spargebant : mactari a Christianis puerum, ejus carnibus vesci illos ; et opera tenebrarum peragere volentes, exstinctis luminibus, cum obvia quaque singulos commisceri. *Hac ratione explicatur commode, quod Paulus, adhuc persecutor, Act.* IX. 2, *petierit a principe sacerdotum* epistolas in Damascum ad synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. *Ex hactenus prolatis manifestum est, odium Judæorum tunc temporis sæpe causam fuisse multiplicis vexationis in Christianos. Ast si credimus Bardesani, scriptori* II *sæculi, nulli videntur fuisse Judæi in Gallia ; nam auctor in Commentario de Fato, quem ex Baronio ad an.* 175 § XX *cito, varias gentes enumerando, Gallias omittit.* Omnes, *inquit,* Judæi Mosaica lege in octava die pueros circumcidunt, nec alicujus stellæ vi coguntur, nec regionis temperie impelluntur, nec alienis moribus, ut aliter faciant, inducuntur. Nam sive apud Syros, sive apud Galatas, sive in Italia, sive in Græcia, sive in Parthia, ubicumque sint, legem suam servant. *Quare non absurdum existimo absentiam Judæorum in causa aliquatenus fuisse, cur et rariora et tardiora fuerint in initio Christianorum supplicia. Quid posterioribus temporibus ad persecutiones contulerint, nam deinceps Gallias incoluisse Judæos constat ex l.* III *De Judæis Cod. Theodos.* (XVI 8) (9), *non est quod prolixius exquiram.* E

J. V. H.

Patres Turonenses Hontheimio non favent :

33 *Ex hactenus dictis liquet, eatenus Sulpitium Severum non favere opinioni Hontheimio ejusque asseclis, quatenus initia Christianismi in sæculum* II *aut* III *traducenda forent. Sed neque magis favet epistola synodica Patrum Turonensium, supra num.* 28 *citata, quoniam ipsi fatentur,* ipso catholicæ religionis exordio cœpisse Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia respirare, *quod vero sequitur,* ad paucorum notitiam tunc ineffabilia pervenisse Trinitatis dominicæ sacramenta, *non sic accipiendum arbitror, quasi ad absolute paucos pervenisset lux euangelica : si enim verba hæc ita interpretari quis voluerit, consequens esset intra brevissimos terminos restringendum esse in Galliis Christianismum usque versus finem sæculi* IV, *quando S. Martinus floruit. Nemo profecto ambiget mecum agnoscere, etiam ante S. Martini tempora laudabilem habuisse religionem Christianam per Gallicanas provincias progressum, quum et ipse discipulus fuerit S. Hilarii, Pictaviensis episcopi. Releguntur hujus sanctissimi Doctoris opera, ex iisdem certe manifestum fiet, bene constitutam fuisse Ecclesiam Gallicanam ; quin propterea negemus, quod affirmant Patres Turonenses, maxima S. Martini opera* F *cepisse incrementa doctrinam euangelicam. Utenim notoriis factis consentiant citatæ epistolæ verba, ea aliud indicare non possunt, quam quod per B. Martinum consummata fuerit Galliarum ad veram fidem conversio. Quæ quum ita sint, liquide constat epistolam synodicam Turonensem nihil præsidii afferre Hontheimii opinationi, imo contrariam sententiam magnopere confirmare.*

Gregorii Turon. auctoritas.

34 *Sed omnium potentissimum argumentum Hontheimio est auctoritas S. Gregorii Turonensis, utpote qui certam epocham fundationis Ecclesiarum Galliæ assignet. Hæc habet Gregorius in Historia Francorum lib.* I *cap.* XXVIII (10) *:* Hujus (*scilicet Decii imperatoris*) tempore septem viri, episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut historia passionis Sancti Martyris Saturnini denarrat. Ait enim. « Sub Decio et Grato consulibus, sicut » fideli recordatione retinetur, primum ac sum» mum Tolosana civitas Sanctum Saturninum ha-

(1) Gall. Christ., t. IV, p. 198. — (2) Charvet. Hist. de l'Égl. de Vienne, p. 17. — (3) Tresvaux. Saints de Bret., t. I, p. LVII. — (4) Singularités Hist., t. IV, p. 105 — (5) Ruinart. Act. Sinc. Mart., p. 41. Edit. Amstelod. 1713. — (6) Eusebii. Hist. Eccles., t. I, p. 179. — (7) Lumper. Hist. Theol. crit., t. II, p. 511. — (8) Origen. Opera., t. I, p. 651. Edit. Paris., 1733. — (9) Cod. Theodos., t. VI, p. 242. Edit. Lips. 1741. — (10) D. Bouquet. Rec. des Hist. de France, t. II, p. 147.

» bere

J. V. H.

» bere cœperat sacerdotem. » Hi ergo missi sunt: Turonicis, Gatianus episcopus; Arelatensibus, Trophimus episcopus; Narbonæ, Paulus episcopus; Tolosæ, Saturninus episcopus; Parisiacis, Dionysius episcopus: Arvernis Stremonius episcopus; Lemovicinis Martialis est destinatus episcopus. De his vero Beatus Dionysius, Parisiorum episcopus, diversis pro Christi nomine affectus pœnis, præsentem vitam gladio imminente finivit. Saturninus vero, jam securus de martyrio, dicit duobus presbyteris suis: « Ecce ego jam immolor, et tempus » meæ resolutionis instat. Rogo, ut usquedum debitum finem impleam, a vobis penitus non relin» quar. » Cumque comprehensus ad capitolium duceretur, relictus ab his, solus attrahitur. Igitur cum se ab illis cerneret derelictum, orasse fertur: » Domine Jesu Christe, exaudi me de cœlo sancto » tuo, ut numquam hæc Ecclesia de his civibus » mereatur habere pontificem in sempiternum. » Quod usque nunc in ipsa civitate ita evenisse cognovimus. Hic vero tauri furentis vestigiis alligatus, ac de capitolio præcipitatus vitam finivit. Gatianus vero, Trophimus, Stremoniusque, et Paulus atque Martialis, in summa sanctitate viven-

B tes, post acquisitos Ecclesiæ populos, ac fidem Christi per omnia dilatatam, felici confessione migrarunt. Et sic tam isti per martyrium, quam hi per confessionem, relinquentes terras, in cœlestibus pariter sunt conjuncti.

et in chronologicis labilis est,

35 *Si Gregorii Turonensis auctoritas esset omni exceptione major, adeoque ex documentis antiquis suam in hac parte liberasset fidem, non esset ambigendum de Origine earum Ecclesiarum, quæ istic nominantur; quin tamen vel tunc argumentum decretorium stringi posset adversus alias Ecclesias, maxime circa Rhenum, Romanis frequentissimum, sitas. Sed multum abest, ut tantam fidem, Gregorio, viro sanctissimo, sed non semper admodum solerti habere possimus. Imprimis enim inconcussum hactenus remansit, Gregorii Turonensis textum, quatenus ex Actis S. Saturnini Tolosatis depromptum, esse authenticum, nec ejus sinceritatem aliqua variante lectione labefactari. Verum quæ adhuc textui prætendebatur, uniformitati plurimum detracta est ex tempore, quo Josephus de Maceda in suis Actis sinceris Apostolorum Navarræ produxit passionem S. Saturnini, quæ Tolosani antistitis missionem ad tempora* Claudii, *qui,* Gaio *(Caligulæ)* vita de-

C functo subrogatus, imperium Romanæ reipublicæ obtinendo ministrabat (1) *revocat. Exstat Legendarium, ex quo superiora verba excerpsimus, Florentiæ in bibliotheca Riccardiana sub num.* 223, *et scriptura ad sæculum* X *pertinere dicitur: ast quod magis in rem nostram facit, est, quod nullum in dicto Legendario reperire est Sanctum, B. Gregorio Magno sub annum 604 defuncto, recentiorem* (2): *unde verisimile evadit Riccardianum codicem apographum esse alterius operis, cujus ætas ad sæculum* VII *attingit.*

incerta ex variante lectione,

36 *Dein ii etiam, qui plurimi faciunt Gregorii auctoritatem in præsenti controversia, fatentur illum non raro cespitare in quæstionibus chronologiæ antiquæ, qua is est nostra disquisitio* (3). *Imo in factis, coævis et in proximo positis, quandoque labitur Gregorius. Exemplum esto S. Radegundis, quæ Gregorio teste lib.* IX *cap.* XL (4) *Arelatum adiit ad suscipiendam regulam S. Cæsarii,* post *receptas S. Crucis Reliquias. Atque id certo chronologice falsum est. Nam sacras Reliquias recepit Sancta, sedente Pictavis Maroveo episcopo, qui vixit ante annum Christi* 565 D *pontificatum adire potuit; Pascentius II enim, ejus prædecessor jussu Chariberti* (5), *qui primum post diem* X *Novembris* 561, *quo obiit pater ejus Clotharius, regnare cœpit, cathedram adeptus est, elogiumque a Venantio Fortunato, ad ejus honorem in fronte Vitæ S. Hilarii contextum* (6), *supponit aliquot saltem annis in regimine Ecclesiæ perseverasse, antequam eamdem administrandam relinqueret Maroveo sub quo Reliquiæ S. Crucis Pictavum advectæ fuere. Ex altera vero parte constat Liliosam, loco Cæsariæ junioris monasterium Arelatense jam gubernasse anno* 561, *quando S. Rusticulam suscepit, uti habemus ex Vita ejus authentica sub die* XI *Augusti* (7). *Quæ igitur exstat Cæsariæ ad Richildem et Radegundem epistola* (8), *qua regulam S. Cæsarii instanter petitam mittit et vehementer commendat, ante annum 562 scripta esse debuit, adeoque,* ante *receptas Reliquias, regula S. Cæsarii Pictavis jam observabatur, quin S. Radegundis Arelatum propterea adire debuerit* post *receptas Reliquias. Talia proferri possent plura, quæ monstrant non admodum accuratum fuisse Gregorium etiam in iis fastis, quæ propter vicinitatem temporis et loci facillima erant* E *indagatu* (9).

nec sibi constans;

37 *Alterum est quod auctoritatem Gregorii Turonensis enervat, est, quod imprimis ex Actis S. Saturnini depromat, quæ ibidem nulla ratione reperiuntur: nempe* fideli *quidem* recordatione retinebatur sub Decio et Grato consulibus *cœpisse episcopatum suum Tolosæ: ast quando istis verbis subnectit:* Hi ergo missi sunt, *nominatque sex alios episcopos, horum tamen missio nullo verbo attingebatur in Actis, a se citatis, quæ ita sonant* (10): Tempore illo, quo post corporeum Salvatoris nostri Domini Jesu Christi adventum, exortus in tenebris sol justitiæ splendore fidei illuminare occidentalem plagam cœperat, postquam sensim et gradatim in omnem terram Euangeliorum sonus exivit, parique progressu in regionibus nostris Apostolorum prædicatio coruscavit; cum raræ in civitatibus Ecclesiæ, paucorum Christianorum devotione consurgerent; sed nihilominus crebra miserabili errore gentilium nidoribus fœtidis in omnibus locis templa fumarent; ante annos L, sicut actis publicis, id est, Decio et Grato consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum et summum Christi Tolosa civitas Sanctum Saturninum habere cœpe- F rat sacerdotem. *Nihil profecto hisce in verbis occurrit, quo legitima monstrari possit illatio, et alios sex missos fuisse ad varias civitates, ut incolas fide Christiana imbuerent: adeoque sponte sua fluit, Gregorium istam narrationem non tam ex antiquis documentis, quæ citasset, deprompsisse, quam ex vulgari quadam opinione. Quin nec sibi quidem constat in ætate S. Saturnini referenda. Nam in lib.* I *Mirac. cap.* XLVIII (11) *dicit:* Saturninus martyr, ut fertur, ab Apostolorum discipulus, ordinatus in urbem Tolosatium est directus. *Sunt quidem, qui istiusmodi contradictionem extergere satagunt, dicendo per discipulos Apostolorum intelligendos esse illos, qui, licet post Apostolos vixerint, tamen longo ante tempore missionem euangelicam dederint, quod ad tria priora Ecclesiæ sæcula extendi potest* (12). *Esto: sed in tali hypothesi, inutilis, imo ridicula erat pericope,* ut fertur. *Cæterum hic unum monstrare contendimus, missionem sex episcoporum ex*

(1) Actas sinceras nuevamente descubiertas de Los Apostoles do la antig. Vasconia. — (2) Maceda. Act. Sinc., p. 245. — (3) Ibid., p. 57. — (4) Tillemont. Mém. sur l'hist. eccles., t. IV. p. 710. Edit. Paris., 1701. Ceillier. Aut. eccles., t. XVII, p. 60. Hist. litt. de Fr., t. III, p. 391. Ruinart apud D. Bouquet, t. II, p. 101. — (5) D. Bouquet, t. II, p. 357. — (6) Ibid., p. 212. — (7) Act. SS., t. I Januar., p. 790. — (8) Act. SS., t. II August., p. 657, n. 6. — (9) Martene, Thes. Anecd., t. I, p. 3. — (10) Liron. Singular. Hist., t. IV, p. 266. — (11) Ruinart. Act. Sinc. Mart., p. 130. — (12) Bibl. Patt., t. XI, p. 844. — (13) Tillemont. Mém. sur l'hist. de l'Egl., t. IV. p. 710.

antiquis

A *antiquis documentis non manare : quoad S. Saturninum spectant, hæc retractanda venient ad diem* XXIX *Novembris, quo ejus memoria in Romano Martyrologio celebratur.*

imo antiquiorum testimoniis confutata.

38 *Inter sex episcopos quos Gregorius sæculo tertio medio illigavit, occurrit etiam S. Trophimus Arelatensis, cujus dies natalis* XXIX *Decembris notatur. De eo autem hæc scribunt episcopi universæ provinciæ Arelatensis ad S. Leonem Magnum* (1): Omnibus regionibus Gallicanis notum est, sed nec sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ habetur incognitum, quod prima intra Gallias Arelatensis civitas missum a beatissimo Petro Apostolo, Sanctum Trophimum habere meruit sacerdotem et exinde aliis paulatim regionibus Galliarum bonum fidei et religionis infusum : priusque alia loca ab hoc rivo fidei, quem ad nos apostolicæ institutionis fluenta miserunt, meruisse manifestum est sacerdotes, quam Viennensis civitas, quæ sibi nunc impudenter ac notabiliter primatus exposcit indebitos. Jure enim ac merito ea urbs semper apicem sanctæ dignitatis obtinuit, quæ in Sancto Trophimo primitias nostræ religionis suscepit, ac postea intra Gallias hoc, quod divino munere fuerat consecuta, B studio doctrinæ salutaris effudit..... Credentes plenum esse rationis atque justitiæ, ut sicut per beatissimum Petrum, Apostolorum principem, sacrosancta Ecclesia Romana teneret supra omnes totius mundi Ecclesias principatum ; ita etiam intra Gallias Arelatensis Ecclesia, quæ Sanctum Trophimum, ab Apostolis missum, sacerdotem habere meruisset, ordinandi pontificium vindicaret. *Ad eumdem sensum loquuntur Usuardus ad diem* XXIX *Decembris et Ado de Festivitatibus SS. Apostolorum etc., quando allegant Zosimum Papam, dicentem :* Ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivos acceperunt (2).

præcipue à Patribus Provinciæ Arelatensis :

39 *Non est hujus loci operosius in sinceritatem citatæ episcoporum epistolæ inquirere, id enim merito ad diem* XXIX *Decembris, quo festivitas S. Trophimi occurrit, reservandum est. Ast mea sententia aut ista epistola rejicienda est, tamquam spuria, aut fatendum est, Gregorium Turonensem in celebrato textu omnino a veritate historica aberrasse ; atque adeo, si forsan epocham S. Saturnini excipias, in reliquorum episcoporum ætate assignanda fidem non mereri. De authenticitate istius epistolæ dubitavit Sirmondus, eamque acrius impugnavit* C *Launojus in Dissertatione* de Duobus Dionysiis (3). *Sed ut monumentum istud, tamquam spurium rejiciatur, oportet, ut aboleantur pariter epistolæ Zosimi Papæ* V, VII *et* VIII, *quæ omnes, quoad sensum attinet, idem sonant* (4). *Id vero, quoniam nimiæ temeritatis esset, vix aggredi quispiam audebit. Reliquum est itaque, ut explicatione commoda hæ epistolæ submoveantur. Imprimis dicuntur episcopi falsa narrare* (5). *Sed quæso, num falsitas in eo est, quod referant S. Trophimum, ab Apostolis in Gallias directum fuisse? Quod Arelatensem Ecclesiam fundaverit? Ast qui melius cognoscere potuerunt Origines Ecclesiarum suarum, quam ii episcopi, qui tempore et loco proximi erant initiis Ecclesiæ Gallicanæ? Ast nimium obsequentes fuere antistites provinciæ ambitioni sui metropolitani : id profecto solida probatione, quam nullatenus afferunt, indigeret ; non enim, nisi mihi liquide demonstretur, in animum inducam, tot episcopos, ut fortunæ unius viri adularentur, tam turpiter adulterare veritatem. Tandem* mitti a S. Petro, mitti ab Apostolis *idem est, ac mitti aut ordinari ab eorum successoribus, in quibus semper vivunt. Verum si hac ratione interpretamur Patres provinciæ Arelatensis, quomodo monstrabitur ex persona mittentis fluere primatum qualemcumque Ecclesiæ fundatæ? Hæc dicta sufficiant, quoniam amplior indagatio necessario pro Actis S. Trophimi reservanda est.*

J. V. H.

quamvis, si accurati inspiciatur Gregorius,

40 *Ad quid porro omnia hæc impedimenta documentis, per se claris, oggeruntur, ut nempe sua stet Gregorio Turonensi, scriptori cæterum indiligenti, auctoritas? Vere non capio, cur, rejectis antiquioribus, tantum tribuatur auctori sæculi sexti maxime adulti, nisi, ut fieri nimium solet, ad præconcepti cujusdam systematis normam reliqua omnia contorqueantur. Sed tandem nec ipse Gregorius initia Ecclesiæ Gallicanæ ad medium sæculum tertium illiganda existimat. Etenim textus seriem, qualis in Actis S. Saturnini legitur supra num.* 36, *consideranti patet jam tum, imo ab apostolicis temporibus, Ecclesiam Gallicanam cœpisse. Id enim clare eloquuntur Actorum verba :* pari progressu in regionibus nostris (*nempe Gallicanis*) Apostolorum prædicatio coruscavit : *scilicet juxta fidem Actorum verum est, Apostolos aliquos, licet nobis ignotos, in Galliis prædicasse Euangelium : imo* raræ E *quidem, sed tamen aliquæ* in aliquibus civitatibus ecclesiæ paucorum Christianorum devotione consurrexerunt. *Quod si fuerint Christiani, si fuerint ecclesiæ, fuerint etiam necesse est episcopi ad regendum populum Dei. Quod satis nobis est, ut traditionem variarum Ecclesiarum non temere rejiciamus ; quod tunc solummodo judicio fieri debet, quando monumenta historica indubitata contrarium docent.*

non negat apostolicam originem Ecclesiæ Gallicanæ.

41 *Totam demum hanc disputationem concludamus auctoritate scriptorum Galliæ Christianæ, qui certe nullatenus favebant antiquitati variarum Ecclesiarum Galliæ, ut satis liquet ex Originibus, quas singulis Ecclesiis assignant. Ast nihilominus ex doctrina Patrum tradunt, Religionem Christianam in Galliis coævam fuisse ipsis Apostolis, refutantque allegata ex Sulpitio Severo et Gregorio Turonensi testimonia. Eorum argumenta compendiose referimus* (6). *Postquam dixissent, antiquos Patres docuisse Euangelium ab Apostolis per universum orbem diffusum fuisse,* quidnam, *inquiunt,* tot rationum, tot testimoniorum gravissimis momentis opponunt severiores critici? Scilicet Severi Sulpitii F et Gregorii Turonensis auctoritatem. *Et quoad spectat Gregorium, monstrant, consentiente etiam Theodorico Ruinart in Præfatione Operum Gregorii num.* 61 (7), *nullatenus illum in illa* hæresi *fuisse, ut episcopos his septem antiquiores nullos fuisse existimarit, adduntque operosum non fore, si Gregorius aliter sensisset, ejus auctoritatem tot congestis longe antiquiorum scriptorum et Patrum testimoniis obruere.* Totum itaque objectionis pondus in Severi Sulpitii testimonio positum est. *Sed hic ipse Hilario longe junior et aliunde auctoritate inferior, magistro S. Martini prævalere non debet, docenti in Psal.* XIV (8), *Apostolos* per omnes orbis terrarum partes, quæcumque adiri possunt, quin etiam in Oceani insulis habitationes Deo plurimas paravisse. *Objiciuntur Catalogi episcoporum mutili in initio : sed volventi istiusmodi documenta frequentissime occurrit, certam quidem esse sedem, quamvis incerta et hiulca sit episcoporum series. Tandem adulterata primorum episcoporum Acta causantur: sed hæc nihil probant, quemadmodum enim Marty-*

(1) S. Léon. Oper., t. I, p. 993. Edit. Venet. 1753. Sirmond. Conc. Gall., t. I, p. 89. — (2) Labbe, t. II Conc., col. 1567. Sirm. Conc. Gall., t. I, p. 43. — (3) Laun. Oper., t. II, part. I, p. 114. — (4) Labbe, t. II Conc. 1567, 1570, 1571. — (5) Laun. Oper., t. II, part. II, p. 114. — (6) Gall. Christ., t. I, Præf. — (7) Bouquet, t. II, p. 100. — (8) Hilar. Oper., p. 62. Edit. Paris. 1693.

J. V. H.

rum historiæ, multiplici licet fabula obruta, non tamen efficiunt eosdem non exstitisse, ut passim monstratur adversus Dodwellum, qui tali ratione numerum Martyrum impugnaverat.

§ IV. Ex propagatione Euangelii per universum orbem, arguitur Christianismus etiam in Gallia ac Germania sæculo primo sectatores habuisse.

Euangelii prædicatio per totum mundum monstratur ex S. Clemente Romano,

Hactenus *quidem toti fuimus in refutandis argumentis, ab adversariis nostræ opinionis allatis, quæ, quoniam negativa sunt, ineptiora nobis videntur ad convellendam traditionem antiquam, quæ fundamentum habet in documentis nunc deperditis. Verum quis merito dubius circa præsentem controversiam* B *hæreret, nisi simul antiquam traditionem argumentis non levibus adminiculatam monstrare satageremus. Quod nunc quidem latius enucleare conabimur. Imprimis tamquam argumentum non spernendum proferimus, dicta antiquorum, qui uno ore Christi Euangelium prædicatum annuntiant ipso primo sæculo æræ vulgaris. Sic S. Clemens Romanus in Epistola sua ad Corinthios* (1), *quam genuinam agnoscunt eruditi* (2), *dicit :* Paulus.... in Oriente et Occidente verbi præco factus, illustrem fidei suæ famam sortitus est, in justitia mundum universum instruens et ad Occidentis terminos veniens... *Ex quibus quidem verbis directe erui non potest, Germaniæ partem jam tum fide euangelica illuminatam fuisse; nihilominus recte et certe ex hisce verbis deducimus, S. Paulum, Apostolum ad* Occidentis terminos *penetrasse. Quamvis autem, ne quæstiones quæstionibus cumulemus, certam regionem definire non liceat : sunt tamen non pauci, qui* Occidentis terminos *Hispaniam interpretantur, in eamque provinciam S. Paulum intrasse, mordicus nec sine probabilitate defendunt* (3)*: quæ vero istiusmodi sententiæ objici possunt pleraque argumenta, eadem sunt, quæ traditioni Trevirensi* C *opponi solent.*

Ex S. Justino,

43 *Neque minus efficaciter huic traditioni suffragantur verba S. Justini, philosophi et Martyris, in Dialogo suo cum Tryphone Judæo, scripto circa annum Christi* 140 (4), *in quo, postquam dixisset* (5) *gentem Judaicam* ne nunc quidem, *post dispersionem,* ab Oriente sole ad occasum usque esse *et esse* gentes quasdam ubi nondum *Judaici* generis quisquam habitavit; *ita pergit egregius scriptor :* Atqui ne unum quidem est genus mortalium, sive Barbarorum sive Græcorum, seu etiam aliorum omnium, quocumque appellentur nomine, vel in plaustris viventium (ἁμαξοβίων), vel domo carentium (ἀοίκων), vel in tentoriis viventium et pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen crucifixi Jesu supplicationes et gratiarum actiones (εὐχαριστίαι) Patri et fabricatori rerum omnium non fiant. *Scio equidem istiusmodi dicta apud nonnullos tamquam exaggerata haberi : ast qui mecum ratiocinationem S. Justini considerare voluerit, facile consentiet eamdem a Tryphone retorquendam fuisse, si indigitare potuisset, ingentem regionum tractum* D *in Galliis et Germaniis, adhuc in tenebris jacentem, cui lux euangelica necdum affulsisset. Est igitur unde merito conjiciamus, jam anno Christi* 140, *Christianos in Galliis et ad Rhenum exstitisse.*

Bardesane Syro,

44 *S. Justino æqualis, Bardesanes, postmodum in hæresim lapsus, floruit sub Marco Aurelio* (6); *hic autem suo tempore omnibus gentibus et speciatim Gallis Euangelium prædicatum fuisse, aperte testatur ; verba ex Annalibus Card. Baronii ad an.* 175, § XXI *huc transferimus :* Quid autem, *inquit Bardesanes,* dicemus de Christianorum secta, qui in omni parte orbis, imo vero in omni civitate inveniuntur? Nec multas Parthi Christiani ducunt uxores, nec canibus mortuos objiciunt Medi, nec Persæ filias ducunt, nec Bactriani et GALLI matrimonia corrumpunt ; nec Ægyptii Apin, aut canem, hircum aut felem colunt : sed ubicumque sunt, alienis legibus vivere nec cogi possunt. *Monstrat hic Bardesanes non ita teneri homines legibus patriis, ut suum voluntati non stet liberum arbitrium, quoniam nationes, etiam a cultura remotiores, legem Christianam observare possunt et reapse observant. Quocirca illos hic populos in exemplum adducit, qui a gremio imperii Romani,* E *Italia et Græcia, remotissimi sunt. Bardesanis sententiæ aptissime subnectit Card. Baronius hæc verba :* Quod ad rem nostram pertinet, illud plane observatione dignissimum, non fuisse hoc tempore in orbe provinciam, imo nec civitatem, in qua non essent Christiani, itemque adeo potentem fuisse Euangelicam prædicationem, ut in diversum ac plane contrarium habitum naturam hominum transformaret, ut sive Persæ, sive Medi, aut Parthi, Ægyptiive, vel aliæ barbaræ nationes essent, quæ reciperent Euangelium, mox inolitas illas apud gentiles suos turpes consuetudines, feralesque atque nefandos mores penitus antiquarent eosdemque longius abdicarent. *Hæc Baronius.*

S. Irenæo.

45 *S. Justino et Bardesani æqualis vel subæqualis, S. Irenæus episcopus Lugdunensis eamdem sententiam egregie exprimit in opere suo adversus hæreses lib.* I *c.* 3 *hisce verbis* (7) *:* Etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt aut aliter tradunt, neque hæ, quæ in Iberis sunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Lybia, F neque hæ, quæ in medio mundi sunt constitutæ, sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, prædicatio veritatis, ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. *Hunc S. Irenæi textum, sibi minime propitium, eludere conatur Hontheimius, dicens S. Doctorem non agere de Germania Rhenana, sed de Orientali, illa nempe quæ Dacis Sarmatisque adjacet* (8). Id ut ita, *ait,* existimemus, persuadet illa imprimis, quam Tertullianus (9) studiose facit, conjunctio « Sarmatarum, Dacorum et Germanorum. » *Sed quibusnam, quæso, aliis gentibus Germanis conjungere poterat Tertullianus, quum ipse Hontheimius monstret conterminam esse Daciæ et Sarmatiæ Germaniam? Quo etiam indicio prodit Tertullianus agere se solum de Germania Orientali, neutiquam vero de universa ista regione, qua late patet? Ast demus ista omnia affectasse Tertullianum, numquid idem censendum est de S. Irenæo, qui nullatenus Ger-*

(1) Labbe. t. I Conc., col. 127. — (2) Lumper. Hist. Theol., t. I, p. 16. — (3) Florez. Espan. Sag., t. III, p. 3 et seqq. — (4) Lumper., t. II, p. 88. — (5) Oper., p. 270. Edit. Commelini 1593. — (6) Lumper., t. III, p. 39. — (7) Oper., p. 53. Edit. Paris. 1675. — (8) Hist. Trev., t. I. Præf., p. X et seq. — (9) Lib. adv. Judæos, p. 164. Edit. Antverp. 1584.

manos

A *manos Sarmaticis gentibus conjungit? Imo scribens in Gallia, numquid Germaniam nominans, intelligendus est de Rhenana potius Germania, Galliæ finitima, quæque propter frequentiora bella Romanis notissima erat? Ast, inquit, Irenæus Germanicas gentes a Gallis seu Celtis, interpositis Hispanis seu Iberis disjungit. Nobis non vacat operose inquirere num Celtas Gallos, Iberos Hispanos interpretari debeamus: esto, recte interpretatus fuerit Hontheimius; quid inde? Num umquam ex istiusmodi interpretatione extundere poterit Hispania Galliam et Germaniam dissociari? Id certe numquam in mentem Hontheimio venit. Non itaque intelligimus, quid patrocinii sibi quærere velit ex hac qualicumque perturbatione topographica, S. Irenæo tributa: neque timendum est, ut ipse autumat, ne* Irenæum cum omni reliqua historia committat (1), *quum in tota historia, sive sacra sive profana, nihil occurrat, quo Originem Ecclesiarum Germanicarum ad Rhenum citra primum sæculum investigare adigamur.*

Tertulliano origine,

46 *Ex ipsa rapida et universali diffusione euangelicæ veritatis, arguit Tertullianus contra Judæos Christum, Patribus promissum, jam advenisse, quia*
B *in eum gentes credebant. Alludens enim ad Js.* XLV. *sic loquitur in Libro adversus Judæos cap.* VII (2): Cui enim dexteram tenet Pater Deus, nisi Christo filio suo? Quem exaudierunt omnes gentes, id est, cui omnes gentes crediderunt, cujus et prædicatores Apostoli in Psalmis David ostenduntur: in universa, inquit, terra exiit sonus eorum et usque ad terminos terræ verba eorum? In quem enim et aliæ gentes crediderunt? Parthi, Medi, Elamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, et incolentes Pontum et Asiam et Pamphyliam, immorantes Ægyptum, et regionem Africæ, quæ est trans Cyrenia inhabitantes, Romani et incolæ, tunc et in Hierusalem Judæi et cæteræ gentes; ut jam Getulorum varietates et Maurorum multi fines. Hispaniarum omnes termini, et GALLIARUM DIVERSÆ NATIONES et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytharum, et abditarum multarum gentium, et provinciarum et insularum multarum, nobis ignotarum, et quæ enumerare minus possumus. In quibus omnibus locis Christi nomen, qui venit, regnat. *Neque minus aperte idem tradit Origenes, quam*
C *Lib.* IV *de Princip. cap.* I (3) *dicit.* Universa tum Græcia, tum quæ per universum nostrum terrarum orbem patet Barbaria innumeros habet, qui derelictis patriis legibus,... disciplinam verborum Jesu Christi custodiunt.... Quodsi ad id quoque animum attenderimus, annis tam paucis, tot insidiis structis adversus Christianos potuerit hæc doctrina,... licet alioqui non magna sit doctorum copia, ubique terrarum prædicari, ita ut Græci et Barbari, sapientes et insipientes, ad verum per Jesum Christum Dei cultum se adjunxerint, rem humanis viribus majorem dicere non dubitabimus.

et ex S. Pantæni missione.

47 *Quin et ab ipso Christianismi exordio luculentum late diffusæ euangelicæ prædicationis testimonium nobis suppeditat S. Hieronymus* (4), *cui concinit omnino in sua ecclesiastica Historia Eusebius Lib. V cap.* X (5). *Nam quum S. Pantænus rogatu Indicæ gentis,* a Demetrio, Alexandriæ episcopo, mitteretur, reperit *ibidem* Bartholomæum de duodecim Apostolis, adventum Domini Jesu, juxta Matthæi Euangelium prædicasse, quod hebraicis litteris scriptum, revertens Alexandriam, secum detulit. *Atque hanc S. Pantæni missionem circa finem sæculi secundi illigandam esse, suadet tum quod hæc Eusebius episcopatui Juliani, qui anno* 191 (6) *obiit, adscribat, tum quod eadem Demetrio, ejus successori S. Hieronymus tribuat. Joannes Baptista Sollerius noster in suo Commentario de S. Pantæno ad diem* VII *Julii* (7) *agens de hac missione, dicit:* Non verebor ego tantisper opinari, illam hic Indiam intelligi, ad quam S. Athanasius Frumentium postea direxit, quæ est ipsa Æthiopia, sedi Alexandrinæ ad hoc usque sæculum, non interrupta continuatione, subjecta. *Verum hæc non satis considerate scripta videntur: nam Æthiopia Ægyptiis recte meridiem versus jacet, ut inspicienti quamcumque mappam geographicam patebit: Eusebius autem habet:* Tantum porro animi ardorem erga verbum Dei idem vir *(Pantænus)* ostendisse perhibetur, ut ORIENTIS nationibus τοῖς ἐπ' ἀνατολῆς ἔθνεσιν Euangelii Christi prædicator exstiterit, ad ipsam usque Indiam progressus. *Ex quibus verbis, licet Indorum nomine etiam Æthiopes venire signet Martyrologium Ro-* R *manum ad diem* XXVII *Octobris, concludendum est Pantænum abiisse ex Ægypto Orientem versus, et peragrata Arabia,* ad ipsam, *ut emphatice loquitur Eusebius,* usque Indiam progressum, μέχρι και τῆς Ἰνδῶν στειλάμενον γῆς: *quasi insinuaret ad extremum Orientem, pervenisse Pantænum. Hanc porro opinionem egregie confirmant nuperæ investigationes, factæ circa antiquitates Indicas a Societate Asiatica Calcuttensi. Monstrat Franciscus Wilford, miles et socius instituti Asiatici, in peninsula Indica, quemadmodum in reliquo Oriente percrebuisse, ut ait Suetonius* (8), veterem et constantem opinionem esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur: *atque in hanc rem plura affert documenta. Unum adducam, scilicet anno* 3101 *æræ Indicæ, qui accurate cum initio æræ nostræ vulgaris concurrit, rex Indiæ, anxius de regno suo, curiose jussit inquiri in infantem e virgine natum, qui ruinam imperii sui portendebat* (9).

J. V. H.

imo S. Thomæ

48 *Initia porro Ecclesiæ Indicæ cum ipsis primordiis Religionis Christianæ connectit, et ut vera habet, quæ de Indica S. Thomæ Apostoli missione referuntur* (10), *simulque in decursu sui tractatus varia signa Christianitatis Indicæ indigitat. Sic* F *quoque Sacesuara, rex sacræ alicujus periodi sive æræ appellatus, indicatur Romæ in Occidente residere ibidem incarnatus* (11). *Quoniam vero historia euangelica tam intime cum fabulis Indicis contexta est, mihi videtur id in argumentum deduci posse antiquitatis rei Christianæ in illis gentibus; quam cæterum indicat Eusebii Hieronymique narratio: nam quando Pantænus Orientis regiones et ipsas Indias peragravit, non istic quidem plantavit fidem, sed plantatam fovit: si quidem Euangelium S. Matthæi invenit profecto apud illos, ut dicit Eusebius l. c. qui* Christi notitia *jam* imbuti *erant,* quibus scilicet Bartholomæus, unus ex duodecim Apostolis, olim, ut fama est, prædicaverat. *Et reipsa variæ formæ cruces, quamvis signum istud ad Indorum theogoniam nullatenus pertineat, in illis plagis occurrunt: aliquæ cruces floriferæ sunt ex secta Manichæorum, qui docebant Christum non fuisse vere mortuum in Cruce, sed floribus circum-*

(1) L. c. p. XI. — (2) Oper., p. 165. Edit. Antver. 1584. — (3) Orig. Oper., t. I, p. 157. Edit. Paris. 1733.—(4) Catal. Script. Eccles., c. XXXV. t. IV. part. II. col. 112. Edit. Maur. Paris. 1706. — (5) Hist. Eccles. Euseb., t. I. p. 222. Edit. Cantabr. 1720. — (6) Euseb. Chron. Mai Script. Vet. nov. Collect., t. VIII. p. 389. — (7) Act. SS., t. II Julii. p. 460, n. 13. — (8) Vespasian. cap. IV. Cfr. Tac. Lib. V. Hist. cap. XIII — (9) Asiat. Research., t. X, p. 28 et 41. — (10) Ibid., p. 73. Cfr. Assemanni Biblioth. Orient., t. II. part. II. p. 435. — (11) Asiat. Research., t. X, p. 57.

datum

J. V. H.

datum (1). *Ast sunt etiam Cruces alius forma, in Indiis repertæ, a laudato Francisco Wilford editæ l. c.*

In Indiam.

49 *Neque hic præterire possum dicta Tillemontii circa res gestas S. Thomæ Apostoli, quas ut incertas habet* (2). *Attamen in Historia Apostolica Abdiæ, passim rejecta, occurrit Indorum rex, Gundaferus nomine, nemini hactenus quam Abdiæ notus* (3); *quum en ex ultimo Oriente prodeunt numismata, regis Indo-scythæ, nomine Gondofares, qui solium primo sæculo æræ Christianæ occupavit* (4). *Quanti igitur valet argumentum mere negativum, quo frequenter utitur Tillemontius, quandoquidem invento unico argumento positivo validissime labefactatur? Hisce similia dici possent de Sinensi imperio, in quo primis Ecclesiæ sæculis prædicatum narratur Euangelium* (5). *Atque hæc quidem eo adduximus, ut nobis facilius persuadeamus florentissimas et viciniores regiones, quales erant Gallia, Germania Rhenana, ab Apostolis neglectas non fuisse, dum ad longinquas nationes excurrerent, et ad litteram verum esse quod de Apostolis canit Ecclesiæ :* In omnem terram exivit sonus eorum et in fines terræ verba eorum. *Atque hæc utcumque admittunt adversarii, sub cautione alicujus exaggerationis, quæ tamen nimia esse non potuit, quoniam refutatu fuisset facillima. Dum tamen illam universalem apostolicæ prædicationis diffusionem generaliter confitentur, quoties tamen speciatim de singularum Ecclesiarum Originibus agunt, tam multiplices opponunt exceptiones, ut, si illos sequamur, sonus apostolicæ vocis intra angustissimos limites restringendus videatur. Vix enim ulla est Ecclesia, si memoratas in Scripturis canonicis excipias, cujus Origines in controversiam non revocentur iisdem similibusve argumentis, quibus fundatio Gallicanarum Ecclesiarum impugnatur. Aut igitur falsitatis errorisque arguendi sunt antiqui Patres, quando de universali propagatione Euangelii locuti sunt, aut primævarum Ecclesiarum traditio propter defectum coævorum documentorum non temere rejicienda est, imo tunc solum quando argumenta positive contraria afferuntur, quæ certe non adsunt in traditione Trevirensi.*

§ V. Magis directe monstratur Religio christiana in Galliis, adeoque Treviris in Belgica prima, primo sæculo propagata fuisse.

Galatiæ nomine etiam venit Gallia,

V*erum ne ex solis conjecturis, licet probabilissimis, rem nostram agere videamur, et ut præsentem controversiam cominus aggrediamur, operæ pretium fuerit inquirere, an antiquitas nobis subministret argumenta, directe monstrantia, Origines Christianæ Religionis in Galliis, adeoque in iis provinciis, quæ Rheno adjacent, sæculum primum æræ vulgaris attingere. Occurrit imprimis textus S. Pauli II Tim.* IV, 10 Κρήσκης εἰς Γαλατίαν (ἐπορεύθη), Crescens in Galatiam *(abiit), missus a magistro suo. Galatiam interpretatur Tillemontius Gallo-Græciam* (6), *provinciam Asiæ, Phrygiæ adjacentem ; dum alii hæc verba de Gallia Europæa explicant. Esset meo judicio disputatio sine termino determinare velle utram regionem indicare voluerit Apostolus, quoniam voce ancipiti, Timotheo clara, usus est. Nam, ut docet Christoph. Cellarius in sua Geographia antiqua lib.* II, *cap.* II § 4 (7), Græci Galliam Γαλατίαν et Gallos Γαλάτας ut plurimum appellant ; atque sic Polybius, Siceliota Diodorus, Dio Cassius, Josephus, Pausanias et alii ; posteriores autem cum Latinis Γάλλους, et regionem Γαλλίαν dixerunt, qua vocabuli latina forma passim Pæanius, Græcus Eutropii metaphrastes ; etiam ecclesiastici Scriptores Eusebius lib. IV, cap. VI et Socrates lib. I, cap. XXXV ac Theodoretus lib. I, cap. XXXI usi sunt. Agathemerus vero lib. II, cap. IV diversorum casuum nomina videtur hisce conciliare : Τῶν Γαλλιῶν, ἃς πρότερον Γαλατίας ἔλεγον, ἑξῆς κειμένων, deinceps sitæ sunt Galliæ, quas antea Galatias dixerunt. *Ea quidem Cellarius.*

et Crescentem in Gallia prædicasse, docent martyrologi:

51 *Ex quibus manifeste liquet ex nudo textu Paulino confici non posse, utram regionem indicare voluerit Apostolus. Recurrendum est igitur ad interpretationem antiquorum, ut aliquatenus exploratiorem missionis S. Crescentis notitiam habeamus. Ac imprimis quamvis Ado et Usuardus accurate Galatiam a Gallia distinguant, nihilominus missionem S. Crescentis, Pauli discipuli, in Gallias omnino retinent. Sic enim Usuardus, quem pro more suo amplificat Ado, sub die* XXVII *Junii loquitur, additamenta Adonis uncinis includimus :* Apud Galatiam, Beati Crescentis, discipuli Sancti Pauli Apostoli, qui in Gallias transitum faciens, verbo prædicationis multos ad fidem Christi convertit. (Viennæ civitate Galliarum per aliquot annos sedit, ibique Zachariam discipulum pro se episcopum ordinavit). Rediens vero ad gentem, cui specialiter episcopus fuerat datus, Galatas, usque ad beatum finem vitæ suæ, in opere Domini confortavit. *Id etiam confirmat Ado in suo Chronico, quando dicit* (8) : quo tempore *(medio inter Pauli Romam adventum et Neronianam persecutionem)* creditur Paulus ad Hispanias pervenisse, et Arelate Trophimum, Viennæ, Crescentem discipulos suos ad prædicandum reliquisse...... Sub quo imperatore *(Trajano)* gloriosissimus senex, Zacharias, Viennensis Ecclesiæ episcopus, martyrio coronatur. Nam primus Crescens, discipulus Apostolorum Viennæ aliquot annos resedit : quo ad Galatiam reverso, tertius Martinus episcopus et discipulus Apostolorum Viennæ resedit...... Verus, Viennensis episcopus, qui unus fuit de discipulis et auditoribus Apostolorum, Trajani temporibus, doctrina et confessione fidei floruit. *Quamvis igitur Usuardus et Ado in eam sententiam abeant, qua sedes S. Crescentis propria in Gallo-græcia constituitur, non ideo tamen negant missionem Gallicanam S. Crescenti a S. Paulo concreditam fuisse : neque prætereundum est, Adonem, utpote Viennensem archiepiscopum et rerum Ecclesiæ suæ non ignarum, in hac quæstione non spernendæ esse auctoritatis.*

Eusebius, S. Epiphanius et Theodoretus :

52 *Scio equidem hisce auctoribus, utpote ad sæc.* IX *pertinentibus, objiciendam esse recentio-*

(1) Asiat. Researcl., t. X, p. 61 et seq. — (2) Mém. pour serv. à l'hist. ecclés., t. I, p. 357. — (3) Codex Apocryphus N. T., t. I, p. 691. — (4) Reinaud. Mém. géogr. hist. et scientifique sur l'Inde. Mémoires de l'Acad. des Inscr. et Belles lettres, t. XVIII, part. II, p. 95, Paris 1849. — (5) Zaccaria. Raccolta di dissertaz. di Stor. Ecel. Sæc. VII Dissert. III, t. XVIII, p. 103. Edit. Rom. 1796. — (6) Mém. Eccl., t. I, p. 585. — (7) Cellar. Notit. Orbis antiq., t. I, p. 130. Edit. Lips. 1773. — (8) Biblioth. max., Patt. t. XVI, p. 788, 789.

rem

A *rem illorum ætatem, propter quam vix tamquam testes idonei in facto tam remoto adhiberi possunt. Sed hæc ideo præcipue attulimus, ut constet, ne concessa quidem, quam volunt, Paulini textus interpretatione, qua Galatia Gallo-græcia dicatur, consequens fieri, Crescentem, S. Pauli discipulum, Gallias non adiisse. Etenim pro istiusmodi missione antiquiora nobis adsunt testimonia. Et Gallias in Paulina epistola aut legit aut interpretatus est Eusebius in Historia ecclesiastica lib.* III, *cap.* IV (1) : Ex reliquis, *inquit,* Pauli comitibus, Grescens quidem ab eo missus in Gallias Pauli ipsius testimonio declaratur. *Unde suspicatur Henr. Valesius in Annotationibus ad hunc locum, Eusebium in textu S. Pauli* Gallias *pro* Galatia *legisse, quæ lectio occurrit in quibusdam codicibus, a Millio in editione Novi Testamenti citatis : quocirca fallitur Tillemontius, dicens* (2), *nullum exemplar ferre hodie* Γαλλίας. *Fateor lubenter hanc lectionem rarissimam esse ; quapropter S. Epiphanius, quoniam persuasum habebat S. Crescentem in Gallias missum fuisse, correctam voluisse videtur Paulinæ epistolæ lectionem. Nam Hæresi* LI,
B *cap.* XI (3), Huic *(Lucæ), inquit,* prædicandi Euangelii munus est creditum : idque ipse primum in Dalmatia, Gallia, Italia et Macedonia *præstitit,* sed in Gallia præ cæteris. Ut de *nonnullis* comitibus *suis Paulus* in epistolis Paulus *testatur :* Crescens, ait, in Gallia : non vero in Galatia, ut quibusdam immerito placuit, sed in Gallia. *Eodem sensu interpretatur Theodoretus textum Paulinum in suo Commentario Epistolæ secundæ ad Timotheum* (4) *:* Crescens in Galatiam. Gallias sic appellavit ; ita enim appellabantur antiquitus : ita etiam nunc eas nominant, qui sunt externæ doctrinæ participes.

neque de Gallia Cisalpina eorum verba interpretari licet.

53 *Quæ hactenus disputavimus, non eo dicta quis putet, quasi defendere velimus S. Paulum in allegato textu de Gallia Europæa locutum fuisse. Per me licet, sumatur vox* Galatia *eo sensu, quo sumitur Act.* XVI. 6, I *Cor.* XVI. 1, I *Petri I,* 1, *quibus in locis ipsa sermonis consequentia cogit Galatiam Gallo-græciam interpretari. Sed id tamen ex citatorum scriptorum testimonio ineluctabile exsurgit argumentum, antiquis persuasum fuisse, Galliæ Europeæ primo statim sæculo lucem euangelicam affulsisse. Id*
C *etiam fatetur Tillemontius, quando docet* (5), *ipsam corruptionem textus primitivi (quamvis paulo supra dixerat, textum unanimiter retinuisse vocem Galatiam, adeoque incorruptum permansisse) videri indicare quod Crescens in Galliam venerit, et ne æquivocatio aliquando suboriretur, Galliam Galatiæ substitutam fuisse. Hæc conjectura, pergit porro, aliquid probabilitatis habere posset, si traditione Ecclesiæ Gallicanæ niteretur : verum hæc conjecturæ contraria est, adducitque celebratum locum Sulpitii Severi, quem supra num. 27 et seqq. dedimus. Quod si tali responsione minime submotam judicet objectionem, consequetur antiquorum Patrum gravissimam auctoritatem, quam multorum sæculorum traditio adminiculat, flocci esse faciendam, ut suus maneat honor Sulpitii unius testimonio, quod cæterum in transenna prolatum, in varios sensus flexile est ; quoniam Sulpitius non tam agit de prædicatione Euangelii, quam de ejusdem susceptione, propter quam solam martyria in Galliis videri possent. Et quidem, ut istiusmodi ratiocinationes effugiant, statuunt illa omnia, quæ prædicationem euangelicam in Galliis primo sæculo illigant, referenda ad Galliam Cisalpinam : id ratum habet Petavius, qui in Animadversionibus ad allegatum supra textum Epiphanii Hær.* LI (6) *scribit :* Lucam in Gallia prædicasse, nullus, quod sciam, prodidit. Atque haud scio an Galliam Cisalpinam intelligat, per quam in Dalmatiam Græciamque contenderit. *Ad avertendam objectionem dixerat Petrus de Marca in Epistola ad Henricum Valesium de initiis Gallicanæ Ecclesiæ, quam hic editioni Eusebii præfixit, jam a tempore Augusti nomen Galliæ Cisalpinæ antiquatum fuisse ; adeoque quoties in scriptoribus Christianis nomen Galliæ occurrit, de Transalpina intelligendum esse. Id multis refutat Launoyus in Dispunctione epistolæ Petri de Marca, monstratque Galliæ appellationem Italiæ Boreali etiam posterioribus temporibus mansisse* (7). *Esto ; sed unum superest probandum, nempe nomen Galliæ simpliciter prolatum, quin ex circumstantiis scribentis aut loci aliisve* E
dijudicari possit de utra Gallia agatur, umquam adhibitum fuisse, ut Gallia Cisalpina designetur. Quamdiu enim id non monstrabitur, summa etiam eruditio imbellis est, quoniam signum non tangitur. Certe textus Theodoreti, supra allatus, de illa Gallia loquitur, cujus metropolitanus tempore persecutionis Arianæ erat Paulinus Trevirensis, ut narrat in Historia Ecclesiastica lib. II, *cap.* XII (8).

Vita S. Mariæ Magdalenæ, sæc. IX scripta.

54 *Antiquam traditionem propagati jam primo sæculo Christianismi, etiam in regione Rhenana, testatam facit Vita S. Mariæ Magdalenæ, B. Rabano Mauro, abbati Fuldensi ac postmodum Moguntino archiepiscopo, tributa. Quo ex testimonio, quantum Rabanum aut alium coævum auctorem habet, consequitur, sæculo, ut vult Hontheimius, undecimo anteriorem esse opinionem antiquitatis Ecclesiæ Trevirensis. Hanc vitam, hactenus in bibliotheca Collegii S. M. Magdalenæ Oxoniæ delitescentem, primus in lucem protulit R. D. Faillon, Congregationis S. Sulpitii presbyter, in eruditissimo opere de Monumentis ineditis circa apostolatum S. Mariæ Magdalenæ in Provincia* (9). F
Rabani libri authentiam vindicat auctor tum ex controversiis et statu Ecclesiæ Gallicanæ IX *sæculo, quæ in Vita describuntur* (10), *tum ex stylo et opinionibus propriis Rabani, ibidem ad amussim exhibitis* (11). *Equidem nullatenus dubito consentire plane in sententiam, qua statuitur sæculo nono editus liber ; id enim apertissime indicant errores, qui incidenter impugnantur ; et divisio provinciarum Galliæ, præsertim vero quod refertur de Burdegalis,* nunc *metropolis Aquitaniæ secundæ* (12) ; *nam antiquitus Burdegalæ ad metropolim Bituricensem pertinebant* (13), *attamen inter metropoles jam censebatur sub Carolo Magno, ut constat ex Breviario divisionis thesaurorum, in quo legitur* (14) *:* Nomina metropoliticarum civitatum, ad quas eleemosynas vel largitio data est, hæc sunt : Roma..... Burdigala. *Quum igitur de metropolitico jure, Burdegalis tributo, agatur, quasi de facto recenti,*

(1) Hist. Eccles. Euseb., t. I, p. 91. — (2) Mém. ecclés., t. I, p. 585. — (3) Epiph. Opera, t. I, p. 433. Edit. Paris. 1622. — (4) Theodoret. Oper., t. III, part. I, p. 694. Edit. Hal. 1771. — (5) Mém. Ecclés., t. I, p. 585. — (6) Oper., t. II, part. II, p. 90. — (7) Launoji. Oper., t. II, p. II, p. 78. — (8) Theod. Oper., t. III, p. 861. — (9) Monum. inédits sur l'apostolat de Sainte Marie Madel. en Provence, 2 vol. in-8°, Paris 1848. — (10) Ibid., t. II, p. 18 et seqq. — (11) Ibid., p. 26 et seqq. — (12) Ibid., p. 539. — (13) Hist. du Languedoc, t. I, p. 732. — (14) Sirmond. Conc. Gal., t. II, p. 264.

quod

J. V. B.

quod particula nunc *significat, satis ostenditur antiquus esse scriptor Vitæ et sæculum IX vix posse excedere.*

et Rabano tributa;

55 *Eatenus cum R. D. Faillon omnino consentio. Ne vero porro Rabanum admittam plane auctorem Vitæ S. Mariæ Magdalenæ aliqui me retinent scrupuli. Imprimis quod inter patres fundatores Ecclesiæ Gallicanæ referatur Irenæus, qui in divisione provinciarum,* sortitus *est* Lugdunum, metropolis Lugdunensis tertiæ (1). *Nimis versatus erat Rabanus in Patribus, ut ignorare potuerit S. Irenæum, Lugdunensem episcopum, sæculo secundo exeunte floruisse. Objectio tamen commode satis diluitur dicendo, vitio librarii locum hunc luxatum esse; nam Lugdunum non erat metropolis Lugdunensis* tertiæ *sed* primæ, *omissusque est Gatianus Turonensis, qui tertiam Lugdunensem sortitus est. Sed gravior mihi occurrit difficultas, scilicet Rabanum, si auctor est Vitæ, non sibi constare. Etenim in laudata Vita cap.* XXXVII (2) *agens de comitibus S. Mariæ Magdalenæ, quos* duces Christianæ militiæ *appellat, inter eos accenset S. Frontinum seu Frontonem, tamquam* prædicantem apud
B Petragoras, urbem Aquitaniæ secundæ (3). *Verum contraria omnino docere videtur Rabanus in suo Martyrologio ad diem* I *Octobris* (4): Natale Fronti episcopi et Confessoris, terminibus urbis Petrocoricæ ex loco, qui dicitur Linicasio, felicem luminis sumpsit exordium. Sicque devotus in servitio inter monachos habitans multis virtutibus claruit, et multos ad fidem Christi convertit: ad extremum vero post sacros labores, qui per insignia virtutum ejus claruerunt, a præsenti tribulatione ad æternam migravit requiem. *Nihil dicam de monachatu S. Frontonis, quia more apostolico vitam clericalem cum monastica colere potuit una cum discipulis suis: sed aperte docet Rabanus Sanctum in finibus Petrocoricensibus natum fuisse* (5), *quod nimium abscedit a relatis in Vita S. Magdalenæ, ut unum eumdemque auctorem habuerit uterque liber.*

cui ex parte obstat Martyrologium,

56 *Inter reliquos Apostolos, in Vita laudatos, obvenit etiam* Feroncius, *qui* Bisuntium, metropolim provinciæ maximæ Sequanorum *sortitus legitur* (6), *adeoque episcopatum adeptus est. Ast porro iste Feroncius idem videtur ac Fer-*
C *rutius, qui in Martyrologio Romano ab diem* XVI *Junii una cum Ferreolo celebratur, et simul cum socio habetur fundator Ecclesiæ Vesuntinæ; sed Rabanus, cui consonant fasti Romani hodierni, sub eodem die* XVI *Junii dicit* (7): Ferreoli presbyteri et Ferrutionis diaconi in civitate Visoncensi, qui sub Claudio judice etc. *Hæc iterum consentire inter se nequaquam videntur: qui enim Martyr diaconus occubuit, ad eodem scriptore tamquam metropolitanus provinciæ maximæ Sequanorum exhiberi non potest. His adde, quod etsi quidam dubitent, an Ferreolus episcopus fuerit, nemo tamen, quem sciam, talem dignitatem ejus diacono, Ferrutio, adscripsit. Pari modo auctor Vitæ laudatæ adscribit Valerio* Treverim, metropolim Belgicæ primæ (8): *hic quidem apte conveniunt Vita et Martyrologium Rabanianum. Verum aliter impingit in historiam sive traditionem scriptor vitæ: scitur enim, si quæ* provincia specialis primis prædicatoribus, *tributa* D
fuerit, Euchario Trevirensem metropolim obtigisse (9) *: adeoque Valerio, Eucharii discipulo, in divisione provinciarum tribui non potuisse. Vix autem adduci possum, ut credam Rabanum, natum et, si breviora itinera excipias, semper versatum in Germania, ignorasse seriem pontificum primariæ et domesticæ Ecclesiæ, qualis erat Trevirensis. Tandem difficultate sua non caret, quod auctor Vitæ tamquam rem indubiam tradat, Saturninum apud* urbem Tolosam (10) *prædicasse; in Martyrologio autem legitur* (11) Martyr, UT FERTUR, ab Apostolorum discipulis ordinatus, *quæ duo effata non satis conveniunt inter se.*

perperam fortasse sub ejus nomine

57 *Exposita hactenus momenta facerent, ut Vitam S. Mariæ Magdalenæ Rabano adjudicandam censerem, nisi mihi ex accurata lectione Martyrologii Rabaniani suspicio oriretur, genuinum non esse opus, quod sub ejus nomine passim exhibetur, aut saltem ita esse luxatum, ut plena auctoritas eidem tribui non possit. Imo vero non desunt, qui Martyrologium illud inter sincera Rabani opera accensere vetant* (12)*; ast id quidem severius est: quum habeamus Rabani binas epistolas dedicatorias ad Radelichum abbatem Seligenstadiensem et Grimoldum archicapellanum* (13), *dubium esse non potest, quin Martyrologium scripserit, quod eidem tribuit etiam Sollerius noster in Præfatione Martyrologii Usuardi cap.* I *art.* III § 2 (14). *Non tamen dicere ambigo, istud multis in locis fuisse corruptum, ut satis liquet ex elogio S. Frontini supra citato, ex nominibus urbium et regionum, insulse notatis, v. g. quando dicit de S. Saturnino* in civitate Mannetis, *pro* Tolosa, *quæ quidem citationes facile multiplicari possent. Ast quod gravius est, ac compilationem magis imperiti librarii, quam solertiam viri doctissimi declarat, illud est, quod eosdem Sanctos diversis diebus cum variato elogio producat: sic sub die* VII *idus* (IX) *Martii refert passionem SS. XL Martyrum, satis similem, etiam quoad verba attinet, Martyrologio Romano hodierno. Verum biduo post,* V *idus Martii, reducit eosdem pugiles, sed stupendis miraculis circumdatos: nam lapides, in Christianos impacti, lapidatores cædebant, glacies, cui insidebant,* temperato frigore, dissoluta *et* aqua calida facta est, *ut mirum videri debeat, vel unum ex XL* pœnarum timore perterritum, ad balneum refugisse, *uti uno tenore narratur.* F

vulgatum.

58 *Similem repetitionem exhibet Martyrologium sub die* XVI *Kal. Aprilis* (XVII *Martii*) *et* III *idus* (XIII) *Maji: utroque enim loco celebrat Mariam Virginem, Tertulli, viri principalis, ancillam, quæ dum in eo esset, ut capitalem sententiam subiret,* aperta grandi petra, *ad quam adducta fuerat,* fuit recepta et undique conclusa. *Omnes circumstantiæ, eædem in utroque elogio, istiusmodi sunt, ut non nisi uni eidemque personæ convenire possint. Vix autem credere possum, Rabanum tam incuriosum fuisse, ut similes repetitiones absque ratione sibi indulgeret. Ut igitur totum Martyrologium Rabano abjudicem, non est mihi satis familiaris Rabani stylus, ejusque dicendi et cogitandi tenor: verum nullatenus dubito asserere, si quid Rabani est in toto libro, id multipliciter fuisse interpolatum, forsan et mutilatum. Quocirca omnino subscribo judicio per Basnagium prolato* (15), *cui consentit*

(1) Monum. de Sainte Marie Madel., t. II, p. 539. — (2) Ibid. — (3) Ibid., p. 549. — (4) Canis. Thesaur. Monum., t. I, part. II, p. 343. Edit. Amstelod. 1725. — (5) Cfr. Gall. Christ., t. II, col. 1447. — (6) Monum. de Sainte Marie Madel., t. II, p. 539. — (7) Canis. Thes., t. II, part. II, p. 331. — (8) Monum., p. 539. — (9) Gesta Trev. cap. XX, t. I, p. 31. Edit. Trev. 1836. — (10) Monuments, t. II, p. 540. — (11) Canis. Thes. t. III, part. II, p. 348. — (12) Baillet. Vies des SS. t. I. Disc. sur l'hist. de la Vie des SS. préf. XXXI. Edit. Paris. 1739. — (13) Canis. Thes., t. I, part. II, p. 290. — (14) Soller. Mart. Usuard. Præf., p. XIX. — (15) Canis. Thes., t. II, part. II, p. 290.

doctissimus

A *doctissimus Binterim* (1) : Plurima forent observanda circa hoc Martyrologium, si singula liceret expendere, obscura aperire, spuria reficere. *Hac itaque ratione, in quantum non haberemus genuinum Rabani Martyrologium, potest sustineri Vitam S. Mariæ Magdalenæ habere auctorem Rabanum. Verumtamen non video, quomodo dilui potest objectio de Valerio, qui ibidem loco Eucharii dicitur fundator Ecclesiæ Trevirensis. Tandem neque id dissimulandum est, Rabanum amicitiam coluisse Hilduini, Abbatis Sandionysiani et auctoris Areopagiticorum, cui etiam Commentarios in quatuor libros Regum inscripsit* (2) : *unde suspicio nasci potest, et ipsum, si auctor est Vitæ, abruptum fuisse desiderio exaggerandæ antiquitatis Christianismi Transalpini : nam Dionysium Parisiensem diversum esse ab Atheniensi, solide demonstrat Pagius in Critica Baronii ad annum* 834 § x *et seqq. simulque eumdem in Gallias directum fuisse a S. Clemente Romano* (3). *Et quidem candorem Rabani id ipsum demonstrat, quod licet amicus, nullo tamen modo de Dionysio sermonem habuerit, imo quum tot primates nascentis in Gallia Christianismi nominaret, altum tamen silentium teneat* B *circa Dionysium, quod certe nequaquam placere potuit amico Hilduino.*

docet S. Mariam Magdalenam

59 *Sed tandem ipsum textum, qualis in Vita S. Mariæ Magdalenæ legitur, exhibeamus* (4) : Igitur æquoris undas ingressi cum gloriosa Dei Maria Magdalena ac sorore ejus Martha beatissima, Sanctus archipræsul Maximinus et Beatus Parmenas, archidiaconus, episcopi quoque Trophimus, Eutropius, nec non et reliqui duces Christianæ militiæ, flante Euro, Asiam relinquentes..... prospero cursu applicuerunt..... apud civitatem Marsiliam, ubi mari Gallico Rhodanus recipitur. Ibi invocato magno mundi principe Deo, provincias regionis, ad quam eos Spiritus appulerat, inter se, eodem inspirante, partiti sunt : moxque profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis..... Sortitus est Sanctus archipræsul Maximinus Aquensem metropolim provinciæ Narbonensis secundæ ;..... Paulus Narbonam, metropolim Narbonensis primæ ; Austrogisilus Bituricum metropolim Aquitaniæ primæ ; Hirenæus Lugdunum, metropolim Lugdunensis tertiæ ? Sabinus et Potentianus Senonas, metropolim Lugdunensis quartæ ; Vale- C rius Treverim, metropolim Belgicæ primæ ; Ferroncius Bisuntium, metropolim provinciæ Maximæ Sequanorum, Eutropius Sanctonas, urbem Aquitaniæ secundæ, cujus nunc metropolis est Burdegalis ; Trophimus Arelatem, tum metropolim provinciæ Viennensis. Hæ decem provinciæ Galliarum iis prædicantibus crediderunt. Cæteri doctores, non reliquis septem provinciis, sed septem civitatibus provinciarum, prædicaverunt. Eutropius apud Aurasicum, civitatem provinciæ Viennensis; Frontinus apud Petrogoras, urbem Aquitaniæ secundæ ; Georgius apud Veliacum, urbem Aquitaniæ primæ ; Julianus apud Cenomanum, urbem Lugdunensis tertiæ ; Martialis apud Lemovicas, urbem Aquitaniæ primæ ; Saturninus apud urbem Tolosam, Narbonensis primæ, in qua præcipitatus est de Capitolio pro Christi fide ; Parmenas apud urbem Avenicorum provinciæ Viennensis, cum venerabili ministra Domini Salvatoris Martha Sancta recedit.

cum plurimis in Gallias appulisse.

60 Rothomagus cum sua provincia Lugdunensi secunda, quæ nunc est Normannia ; Maguntia cum sua provincia Germania prima ; Colonia cum sua provincia Germania secunda ; Octodurus cum sua provincia Alpium Graiarum et Penninarum : Auxitana metropolis cum sua provincia Novempopulania ; Hebreduna metropolis cum sua provincia Alpium maritimarum ; Remi metropolis cum sua provincia Belgica secunda, aliis doctoribus reservatæ sunt. Eorum vero, qui ad Hispanias ab Apostolis destinati sunt, hæc sunt nomina : Torquatus, Thesiphum, Secundus, Indalecius, Cæcilius, Esicius, Euphrasius. Ii septem Hispaniarum provincias septem, christianæ fidei conjunxerunt. *Citatus hactenus textus elucidatione quadam indiget. Jam supra adnotavimus eum vitio quodam laborare in Irenæo Lugdunensi, tum quia hic longe posterior est, tum quia Lugdunum metropolis non erat* tertiæ, *sed* primæ *Lugdunensis provinciæ. Propterea sæpe laudatus editor hiatum suspicatur, quem sic implet : Irenæus Lugdunum, metropolim Lugdunensis* (primæ ; Gatianus Turonem, metropolim Lugdunensis) *tertiæ. Quod ideo necessarium est ut decem habeantur provinciæ, omissa autem Turone metropoli, novem tantum numerantur. Alterum est, quod Rotomagus dicatur metropolis Lugdunensis secundæ,* quæ nunc est Normannia : E *est* Normanniæ *appellatio ante sæculum decimum nasci non potuit, quocirca censet hoc additamentum e margine obrepsisse in textum, quod non raro accidit in notis geographicis et chronologicis errore librariorum* (5). *Quæ adhuc dicta sunt, satis demonstrant non sæculo primum undecimum natam esse opinionem propagatæ jam sæculo primo per Gallias Religionis Christianæ.*

§ VI. Confirmatur opinio propagatæ jam primo sæculo Religionis Christianæ ex historia legionum Romanarum ad Rhenum.

Milites Romani propensi in Religionem :

Quæ hactenus protulimus argumenta ad confirmandam nostram opinionem de propagata primo jam sæculo religione Christiana per Gallias, istiusmodi sunt, ut lubentes fateamur, adversus illa excipi post aut generalitatem aut ætatem recentiorem. Et F *vero si rationes, a nobis allatæ, essent omni exceptione majores, nostram sententiam jam non probabilem, sed certam diceremus. Neque tantis ambagibus utendum fuisset, si directa et coæva documenta coram haberemus. Ast ejuscemodi deficientibus, rationes rationibus cumulamus, tum ut opinionem nostram confirmemus, tum ut ex collisione quodammodo variorum momentorum veritas, quam solam in disquisitionibus historicis optamus, aliquando magis magisque elucescat. Quocirca novum producimus argumentum, adhuc magna ex parte intactum neglectumque, eoque accuratius tractandum, quod hactenus neque a fautoribus neque ab adversariis opinionis nostræ satis ponderatum fuerit. Quam scilicet partem in propaganda Religione Christiana sibi vindicare merito possint viri militares, præcipue milites Romanarum legionum. Propensos in res religiosas fuisse milites nos edocent tum quæstiones, ad S. Joannem Baptistam directas,* Luc. III. 14 *et mirabilis fides Centurionis, petentis salutem servi sui,* Luc. VII. 5, *tum etiam prodigiosa conversio*

(1) Binterim. Denkwürd, t. V, part. I, p. 63. — (2) Hist. de la Fr. litt., t. V, p. 160. — (3) Cfr. tamen Act. SS., t. IV Octob. p. 887. — (4) Monum. de Sainte Marie Mad., t. II, p. 538. — (5) Ibid. p. 15.

Cornelii

J. V. H.

Cornelii, Centurionis cohortis Italicæ, qui dicitur Act. x. 2, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi et deprecans Deum semper. Scimus porro primitias Christianorum ex gentibus in isto Cornelio consecratas fuisse. Neque a tam præcelsis primordiis degenerarunt postmodum milites Romani: plena enim sunt Martyrologia nominibus eorum militum, qui pro Christi nomine usque ad sanguinis effusionem ac mortem pugnaverunt: ne longius excurrat oratio, recensebo solum illos milites Martyres, qui mense Januario in Martyrologio Romano occurrunt et tribus prioribus Ecclesiæ sæculis passi referuntur. Itaque die Januarii I recensetur Romæ Corona XXX militum sub Diocletiano; II, Tomis in Ponto, sub Licinio, tres fratres, Argeus, Narcissus et Marcellinus; III, Cæsareæ in Cappadocia Gordius, centurio; XII In Africa, præter SS. Zoticum, Rogatum, Modestum et Castulum, corona militum XL; XIII, Romæ, sub Gallieno, altera corona XL pariter militum; XVIII, in Ponto, milites Moseus et Ammonius; XX, Romæ, sub Diocletiano, S. Sebastianus, princeps primæ cohortis; XXIX, Romæ sub Diocletiano, Papias et Maurus.

B

quam aliqui in patria jam edi- scere poterant.

62 Ex his autem apparet, quam vere dixerit Tertullianus in suo Apologetico cap. XXXVII (1): Externi (plerique legunt hesterni) sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, CASTRA IPSA, decurias, palatium, senatum, forum. Quum vero tot milites cæderentur, fieri non potuit, ut alii in causam necis non inquirerent, proindeque ipsam novellam religionem discerent et approbarent. Dein sedulo etiam animadvertendum est istos milites per varias provincias, præcipue remotissimas, dispersos, in longinquis plerumque regionibus conscriptos fuisse. Sic Legio XXII, quæ primigenia pia fidelis cognominabatur, milites suos exhibet Mantua (2), Bononia (3), Vercellis (4) oriundos, vel quorum nomina gentem Claudiam (5), Flaviam (6), Juliam (7), Bæbiam (8), indigitant, quæ omnes originem suam e plebejis familiis Romanis ducunt (9). Unde probabile efficitur, ut hujusmodi milites doctrinæ et fidei Christianæ notitiam et a familiis suis hauserint, haustamque etiam ad commilitones propagarint. Imo prædicationis evangelicæ incuriosi dicendi essent viri apostolici, si oblatam gerendæ egregie rei Christianæ occasionem opportunissimam nacti, neglexissent, et in alterum tertiumve sæculum distulissent Christianitatis beneficium, quando omnia

C

viam veræ Religioni promovendæ sternerent, facilitas commeatus, concivium familiaritas, vicinitas regionis. Quid? per Germaniam, maxime ad Rhenum, late propagatum videmus cultum quo Isis (10) et Mitra (11), vixdum civitate Romana donatæ, colebantur, et segniores vecordioresque existimabimus ministros veritatis, ut lucem evangelicam diffunderent in omnes gentes, ad quas a Christo Deo missi fuerant! Id certe non indicant primi Patres et scriptores ecclesiastici, quando alacritatem, solertiam et industriam Apostolorum in spargendo verbo salutis tantis laudibus extollunt. Atque hæc quidem tantum apud me valent, ut nisi contrarium idoneis documentis monstretur, persuadere mihi non possim tractus Galliæ et Germaniæ Rhenanæ per duo priora sæcula a religione Christiana alienos permansisse.

63 Nam frequentissimas fuisse in Germaniam Rhenanam ex aliis provinciis, evangelica luce illuminatis, legionum transmigrationes apertissime nos docet Tacitus. *quod monstratur ex legione XXII* Nihil quidem dicamus de Germanicis legionibus, quæ ad Bediacum inter Veronam et Cremonam anno Christi 69 pugnaverunt, ac dein in Germanicas oras remearunt, ut fuere prima Italica (12), quæ dein sub Vespasiano Moguntiæ constitit (13); quarta Macedonica (14) sub eodem principe pariter Moguntiæ (15); octava, quæ Cremonam obsidet (16), et adversus Civilem in Germania arma gerit (17); tertia decima et quarta decima Bedriaci principali bello immixtæ (18), postmodum Novesii (19) in Ubiis (hodie Neuss in provincia Dusseldorpiensi) et apud Nervios Tungrosque (20) positæ. Omittimus etiam legionem secundam, Adjutricem, quæ in Italia sub Vespasiano recens conscripta, mox in Germaniam traducta fuit (21); sextam Victricem, et decimam Geminam prius in Hispania (22), dein sub eodem imperatore in Germania adhibitas (23). Quamvis inquirentibus nobis nec dubia nec pauca supersint argumenta, quæ docent plurimos harum legionum milites, Christiana fide imbutos fuisse, malumus tamen investigationem nostram intra solam legionem vigesimam secundam circumscribere. E

64 Sunt non pauci eruditi, qui dicunt duplicem fuisse legionem, alteram Dejotarianam nuncupatam, *quæ unica, Jerosolymis* alteram Primigeniam Piam Fidelem. Hanc autem in Germania stationes suas habuisse multiplex monumentum demonstrat (24). Dejotarianam Alexandria accitam fuisse, ut suppetias ferret Tito, Jerosolymam obsidenti testatur Tacitus his verbis (25): Addidit (Titus) e Syria duodecimam et adductos Alexandria duo et vicesimanos tertianosque. Verum utrum recta sit hæc legionis XXII duplicatio merito ambigi potest: tum quia legionis Dejotarianæ in Orientis partibus nullum monumentum, obsidione Jerosolymitana recentius, tum quia Primigeniæ nullum monumentum eadem obsidione antiquius in Germanicis oris repertum adhuc fuit. Ex quo sponte quasi sua enascitur opinio simplicis, non vero duplicis, legionis XXII, quæ e Syria, bello judaico functa, in Italiam ac dein trans Alpes deducta fuit. Quod si etiam deleta Hierosolyma aliquod legionis XXII posterius monumentum repeiretur, idcirco tamen res confecta non esset: nam unius ejusdemque legionis V Macedonicæ exstant coævæ memoriæ in Dacia et Heliopoli in Ægypto sub Philippo imperatore (26), sive quia ad belli necessitatem dispertita esset legio in F varias provincias, sive quia in una provincia essent stationes militares, in altera vero ejusdem coloniæ.

65 Scio equidem Gabrielem Brotier, societatis nostræ, celebrem Taciti editorem et commentatorem, *in Germaniam venit* ita Tacitum emendatum velle, ut quoties hic agit de legione duodevicesima (XVIII) legendum censeat duo et vicesimam (XXII) (27), qua lectione certum evadit legionem XXII ante Vespasianum, adeoque ante captam Jerosolymam, in Germanicis oris stationes habuisse suas. Lectionem vero, a se propositam, accipiendam dicit, quia hunc numerum posteriorem exprimunt varii codices manuscripti, imprimis Florentinus optimæ notæ, quem dein secuti sunt varii editores, ut videre in Tacito, edito a Georgio Ruperti (28). Sed præterquam quod plerique codices, sive manu sive typis expressi, legionem XVIII retineant, unde anceps semper manet lectio; præcipua

(1) Tertull. Oper. p. 78. Edit. Antverp. 1584. — (2) Codex inscriptt. Roman. Rheni, n. 429. — (3) Ibid. n. 430. — (4) Ibid. n. 431. — (5) Ibid n. 413. — (6) Ibid. n. 412. — (7) Ibid. 419. — (8) Ibid. n. 418. — (9) Ibid. n. 416. — (10) Ibid. nn. 521, 700, 728, 961. — (11) Ibid. nn. 51, 155, 888. 920, etc. — (12) Tac Hist., t. II, p. 41. — (13) Ibid. t. IV, p. 37. — (14) Ibid. t. III, p. 22. — (15) Ibid. t. IV, p. 37. — (16) Ibid. t. III, p. 10. — (17) Ibid. t. IV, p. 68. — (18) Ibid. t. II, p. 43. — (19) Ibid. t. IV, p. 26. — (20) Ibid. t. IV, p. 79. — (21) Ibid. t. IV, p. 68. — (22) Ibid. t. III, p. 44 et t. II, p. 58. — (23) Ibid. t. V, p. 14 et 19. — (24) Fuchs. Alte gesch. von Mainz, 161-178. — (25) Hist. t. V, p. 1. — (26) Secchi. Iscriz. greche, p. 39 et seq. — (27) Notæ et emend. ad Hist. Tac., t. II, p. 6. Oper. Taciti, t. III, p. 408 et seq. Edit. Paris. 1771. — (28) Taciti Oper., t. IV. p. 373. Edit. Pankouke, Paris, 1830. Ruperti, Tacit. Oper., t. III, p. 45. Edit. Hannover. 1839.

eorum

A *eorum, qui legionem* XXII *legendam opinantur, ratio est, quod Variana clade dicatur deleta legio* XVIII, *ejusque proinde oblitterata memoria. Verum id meo judicio est exploratum habere hoc ipsum, quod in controversia versatur. Etenim si recte legerint plerique in Tacito legionem* XVIII, *consequitur eamdem aut funditus deletam non fuisse, aut saltem nova militum conscriptione in pristinum statum fuisse redintegratam : quod alterum probabilius est, quoniam denuo apparet sub Trajano (anno Christi* 98-117*), ut videre est apud Brotierium* (1). *Dein memorem lectorem esse velimus, quod paulo ante monuimus, nempe nullum adhuc repertum fuisse monumentum legionis* XXII *primigeniæ quod obsidionem Hierosolymitanam certo præcederet, quemadmodum Dejotariana post eamdem epocham nullum sui vestigium in Oriente reliquit, uti aperte fatentur auctores Encyclopediæ Realis, germanice scriptæ, quamvis cæterum sententiæ Brotierii faveant* (2). *Originem Orientalem legionis* XXII *prodit inscriptio Moguntina, quæ cohortem Ituræorum cum illa conjungit* (3) *:*

D. M.
TITO. STATILIO. TAVRO.
B PRÆF. FABRORVM.
PRÆF. COH*(ortis)*. I. AVG*(ustæ)*. ITVRE
OR*(um)*. ET. VI. THRACVM. TRIB*(unus)*.
MIL*(itum)*. LEG. XXII. PR*(imigeniæ)*. P*(iæ)*. F*(idelis)*. VIXIT.
ANN*(is)*. XXXV. STATILIVS. FOR
TVNATUS. LIB*(ertus)*. F*(ieri)*. C*(uravit)*.

Dein statio seu colonia ejusdem legionis erat Patris in Achaia (4), *eo nempe loco, ubi S. Andreas martyrium suum obiit : nulla enim valida ratio occurrit, etiamsi duplex legio* XXII *admittenda foret, ut istam coloniam Dejotarianæ adscriberemus.*

ibi vestigiaque aliqua

66 *Cæterum quam demum cumque partem in hac circa legionem* XXII *controversia amplectamur, locus originis militum tum hujus tum aliarum legionum, (cfr supra num. 60,) satis indicat, fieri vix potuisse, ut plures non invenirentur inter illos, qui sacra Christiana sectarentur. Quamvis enim demonstratio facilius flueret, si milites e Palæstina acciti monstrarentur, quoniam tamen eosdem iis e regionibus prodire conspiciamus, quæ fidem primæ susceperunt, non magnum detrimentum capit ratiocinatio nostra. Jam porro si in mentem revocemus, quæ supra de propensione militum in rem Christianam diximus,* C *de multorum patria, jam fide imbuta, facile nobis persuadebimus, legionem vicesimam secundam alienam non permansisse a fide Christi, conceptoque evangelici verbi semine paulatimque gliscente, etiam fidem suam in alios propagasse. Atque in hisce proferendis non solis conjecturis, cæterum solidissimis, nitimur ; sed assertionem nostram etiam monumentis comprobamus. Non quidem multum ponderis addam variis inscriptionibus sepulchralibus, a Josepho Fuchsio relatis* (5), *quæ nempe non præferunt impia sigla* D. M. (Dis Manibus), *sed ab ipso defuncti nomine ordiuntur : unam proferam, reliquorum indicium* (6) :

C. RITTIUS. C. F.
VOL. PAULUS.
VIENNA. MIL. LEG.
XXII. PRIM. ANN.
XXXVIII. STIP. XVIII.
H. S. E.
ET. AVE.
ET. VALE.


Fateor quidem gentilismum quemdam sapere sigla H. S. E. (hic situs est), *quoniam, ut rite animadvertit P. J. Marchi* (7), *hæc verba indicant sensum rei cujusdam irrevocabilis ; quemadmodum et hæc alia apud gentiles sæpe usurpata,* positus, compositus : *quocirca malebant Christiani adhibere vocem,* depositus, *eo quidem sensu, quo dicit Cicero* (8) non semper deposita reddenda *et clarius Ulpianus* (9) : Depositum est, quod custodiendum alicui datum est. *Nihilominus, quamvis absit ab inscriptionibus Moguntinis hæc verborum religio, aperte Christianismum demonstrans, nihil tamen in hisce fidem Christianam offendit : imo postrema verba* ave et vale *spe quadam immortalitatis plena sunt, quasi audientibus amicis et aliquando revisendis dicta. Is tamen non sum, ut, quas cito funebres formulas, Christianis vita functis adscribere audeam : maxime quoniam similem apud Catullum reperio* (10) :

I. V. B.

Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

67 *Certiora igitur proferimus Christianitatis apud legionem* XXII *indicia et monumenta. Notum porro est, quam frequens esset apud veteres Christianos symbolum piscis* (11), *quod Clemens Alexandrinus inter Christianorum præcipua signacula refert dicens* (12) : Sint nobis signacula Columba, vel piscis, vel navis... vel lyra musica. *Atqui id ipsum piscis symbolum, nuper effossum novimus Arensburgi in Hassia anno* 1842 (13), *cum inscriptione* LEGIO XXII PRimitiva Fidelis *in latere cocto efformata.* E


in signo piscis



Neque prætereundum est piscem exhibitum quam maxime delphino similem videri, quod mysterio suo non carere Aringhus ostendit, lib. VI *Romæ subterraneæ cap.* XXXIX (14).

68 *Alterum monumentum eodem loco et anno effossum exhibeo* (15), *quod crucem optime efformatam exhibet, cum inscripto nomine legionis* XXII *Primigeniæ, Piæ, Fidelis :* F

et crucis



(1) Brotier, Oper. Tacit., t. III, p. 412. — (2) Walz et Teuffel. Real-Encyclopedie. V° *Legio.* — (3) Steiner Inscriptt. num. 416. Cfr ibid. n. 827. — (4) Wiener. De Leg. Rom., XXII, p. 74. Fuchs. Das alte Mainz. t. I. Præf. num. XI. — (5) Das alte Mainz, p. 164-173. — (6) Ibid. p. 172. — (7) Monumenti prim. delle arti christ., p. 63. — (8) De Offic. lib. III, cap. XXIII. — (9) L. (D. depositi, lib. XV, cap. III.) — (10) Catull. Epigr. XCVIII. — (11) Cfr. Mamach. Orig. Christ., t. I. p. 54 et seqq. Münter Symb. Vet. Eccles., p. 31 et seq. — (12) De Pædag. lib. II, cap. II, Oper., p. 246. Edit. Paris. 1641. — (13) Archiv. für Hessiche Geschichte, t. III. — (14) Rom. subterr., t. II, p. 333. Edit. Paris. 1659. Cfr. Secchi Epigramma Greco Christ. Dei primi secoli in Augustoduno. — (15) Archiv. für Hess. Gesch., t. III.

Quam porro antiquus sit mos Christianorum signandi se suasque res crucis effigie, nimis notum est quam ut hic multis evolvamus: quicumque enim antiquitates ecclesiasticas vel a limine salutaverit, scit nihil cruce frequentius in antiquis monumentis occurrere; quocirca, antiqui fideles Σταυρολάτραι Crucicolæ *appellabantur, unde Cæcilius in Octavio Christianis exprobrat* (1) non adorandas, sed subeundas cruces, *quare respondet Octavius* (2): Cruces etiam nec colimus nec optamus, *quia scilicet colebant Christiani illum, qui in cruce pependit.*

69 *Numquid ardorem fidei, licet immoderatiorem, indicat fragmentum inscriptionis, Moguntiæ repertæ, in qua hæc leguntur* (3):

....QUI....
FERREO. FUSTE.
PERCUSSIT. DIANAM.

Ex hoc fragmento probabile fit, fuisse quemdam qui statuam Dianæ disjecerit, ut idolorum cultum deleret; gentiles vero ut honorem Deæ suæ sartum tectumque servarent, id basi, affabre, ut ex iconographia Fuchsiana liquet (4), *ædificatæ, inscribendum curarunt. Atque id etiam monstrat non solum antiquitatem religionis Christianæ, sed ejus etiam* B *propagationem; quum legentibus istiusmodi epigramma curiositas facile nasceretur inquirendi quodnam tandem hominum genus eo procederet, ut Deorum statuis injurii exsisterent; unde fieri non potuit, ut multiplex sermo de Christiana fide non suboriretur. Nihil tamen est in allato fragmento, quod legionem* XXII *designat, quamvis hujusmodi facinora ab indole militari minime aliena videantur. Neque illud silentio prætereundum est, milites semper adhibitos fuisse tum custodiendis Christianis in carcere, tum in deducendis ad supplicium, sub quo, ut historia ecclesiastica testatur, frequentissima miracula a Martyribus patrabantur. Qui vero fieri potuit, ut spectatores necessarii non diligenter inquirerent in causam mortis aut prodigii, adeoque doctrinæ Christianæ perdiscendæ cupidi evaderent? Nisi porro primos prædicatores Evangelii stupendæ cujusdam vecordiæ accusatos velimus, fateamur oportet, illos tam opportunam sponteque oblatam occasionem annuntiandæ veritatis amplexos fuisse, ac facile potuisse sectando contubernia militum Romanorum semen verbi divini quaqua versum spargere. Etenim, ut exemplo legionis* XXII *a nobis posito inhæreamus, exstant hodiedum monumenta* C *quæ monstrant eamdem habuisse stationes suas per totum decursum Rheni, a Solodoro in Helvetia usque ad Vetera Castra (Xanten, in ducatu Cliviæ). En lapidem Solodorensem* (5):

DEÆ. EPONÆ. M*(atri)*.
OPILIVS. RESTIO. M*(iles)*.
*(l)*EG. XXII. ANTONI
NIANÆ. P*(rimig.)*. P*(iæ)*. F*(idelis)*.
...S. COS. CVPA*(tor)*. SA
*(lie)*NS*(ium)*. VICO. SALOD.
III. KAL. SEPTEMB.
D. N. ANTONINO.
II. ET. SACERDO*(te)*.
COS. V. S. L. M.

Altera inscriptio, in Veteribus Castris inventa, sic sonat:

HERCVLI. SAX
ANO. SACRVM.
C. SVLPICIVS. MA
TVRVS. LEG. XXII.
PR. P. ET COMMI D
LITONES. LEG. EIV
SDEM. QVI. SVB.
EO. SVNT.
V. S. L. M.

70 *Ut tandem rem nostram concludamus, censemus cum sæpe laudato Josepho Fuchs* (6) *per legiones Romanas invectam potissimum fuisse in multas provincias Christianam Religionem: idque suadent ingenium militare fidei capessendæ aptissimum, numerus militum, qui vitam pro Christo profuderunt, facilitas, quam præbebant viris apostolicis militum contubernium ac commigrationes frequentes, et tandem ipse Evangelii propagandi ardor, qui Apostolos eorumque immediatos successores incitabat, ut secundum præceptum dominicum* (7) docerent omnes gentes et baptizarent eos. *Opinor itaque tali ratione Germaniam Rhenanam nactam fuisse suos primos Apostolos, et SS. Eucharium, Valerium et Maternum ex eorum numero fuisse, qui ab Eusebio* Evangelistæ sermonis Dei *appellantur* (8), qui divina quadam æmulatione succensi, Apostolorum exemplo, studium suum conferre ad ædificationem fidei et ad incrementum verbi divini properabant, *qualesque circa finem sæculi secundi adhuc exstitisse testatur* E *Eusebius.*

71 *Quæ hactenus dicta sunt, ita tamen velim intelligat lector, ut propterea non dicam primos hosce provinciarum episcopos sedes stabiles, omnibusque suis numeris definitos habuisse diœcesium suarum fines; quocirca ubi legimus Trevirensem, Coloniensem aut Tungrensem episcopum, non fingamus nobis Ecclesiarum antistites, quales hodie conspicimus, qui uni plebi addicti accurate sciunt quid nomine suæ Ecclesiæ veniat. Verum hi primi episcopi habendi sunt tamquam regionarii, quibus nulla sedes specialis attribuebatur, sed quorum missio erat prædicare gentibus Evangelium, finesque Ecclesiæ latius ac latius protendere. Ast opponet quis verisimile non videri cum militibus, quales erant legionarii Romani, quorum incertæ stationes, ingentia vitæ discrimina, missos fuisse episcopos, qui rem Christianam apud paucos, (nam monumenta certe indicant plurimos fuisse ex legione* XXII *idolorum cultui deditos) procurarent, inutile videri fastigium sacerdotalis dignitatis tam tenuibus tamque labascentibus fundamentis imponere. Equidem hisce reponam officium prædicandi gentibus non solum præcipue et primario, ut nunc quoque est* (9), *sed quasi unice* F *incubuisse in episcopos, atque adeo illos quos supra* Evangelistas sermonis Dei *appellavimus, plerumque episcopos fuisse, ut multis allatis exemplis ostendere possemus.*

72 *Unum adducemus e Vita S. Gregorii Neocæsariensis episcopi, per S. Gregorium Nyssenum conscripta, in qua perspicue monstratur Ecclesia in constituendis episcopis non adeo respexisse numerum fidelium jam regionem aliquam incolentium, quam fructum uberiorem, quem e missione episcopali sperari liceret. En verba* (10): Ubi suum obitum præsentit *(Gregorius Thaumaturgus)*, studiose diligenterque totam urbem agrumque circa vicinum perscrutatur, scire volens ecquid adhuc essent extra fidem relicti. Ut igitur cognovit, non plures septemdecim esse, qui in antiquo errore permansissent: Acerbum quidem etiam hoc, inquit ad Deum suspiciens, deesse aliquid eorum plenitudini, qui salvantur: verumtamen magna gratia-

(1) Minuc. Felix, p. 105. Edit. Lugd. Batavor. 1672. — (2) Ibid., p. 284. — (3) Fuchs Alt. Mainz, p. 39 et seq. — (4) Ibid., tab. III. — (5) Steiner. Inscriptt., n. 547. — (6) Das Alt. Mainz. Præf., § II. — (7) Matth., XXVIII, 19. — (8) Hist. Eccles., lib. V, cap. X, p. 142. Edit. Amstelod. 1695. — (9) Conc. Trid., sess. V, cap. II de Reform. et sess. XXIV, cap. IV de Ref. — (10) S. Greg. Nyss. Oper., t. III, p. 574. et seq. Edit. Paris. 1638.

rum

A rum actione dignam rem esse aiebat, quod totidem simulacrorum cultores relinqueret ei, qui sibi successurus esset in Ecclesia, quot ipse Christianos accepisset. *Quo ex loco concludere pronum est primævos episcopos, ut collegas sibi in civitatem quampiam mittendos assumerent, non tam frequentiam Christianorum, quam spem abundantioris messis considerasse; nam ut in eadem Vita narrat Nyssenus* (1) *illam Gregorio civitatem destinasse atque attribuisse Phædimum, Amasæensem episcopum,* quam contigerat ad illa usque tempora adeo simulacrorum errori deditam esse, ut cum infiniti essent, qui ipsam urbem et regionem circumjacentem incolerent, non plures quam septemdecim invenirentur, qui sermonem fidei suscepissent.

paulatimque ad ulteriores regiones se extendebant :

73 *Hæc ideo dicta sunto, ut respondeamus Hontheimio fatenti* (2), credibile esse seu in exercitibus seu extra hos Treviris jam ante (*medium sæculum* III, *quo primum istic ponit episcopum*) fuisse disparatos paucos,, qui Christi vexilla secuti sunt, numquam tamen in hodierna historiæ luce probabitur, talem ibidem fuisse Christianorum cœtum, episcopo instructum, quem Ecclesiam B conveniat appellari. *Cur porro istud Hontheimio non probatur, eo certe ex capite, quia pauci erant Christiani, iique disparati : numquid plures erant ejus nominis asseclæ Neocæsareæ, quando istic sedem suam constituit S. Gregorius? Dein quomodo pusillus ille grex Trevirensis servatus fuisset, nullo adjuvante sacerdote? Quare pari ratione judicare licet de missione Germanica SS. Eucharii, Valerii et Materni ac de Neocæsariensi in Ponto. Neque paucitas eorum Christianorum, quibus associabantur, pensanda est, sed magis ostium magnum quod eisdem ad disseminandum verbum Dei aperiebatur, obversari animis nostris debet. Dein si popularibus solum fabulis inniteretur traditio Ecclesiarum Trevirensis, Coloniensis et Tungrensis, non videtur sufficiens ratio cur tam modestæ fuerint binæ postremæ Ecclesiæ, sed pro eo quod possent episcoporum suorum seriem ordiri a primo episcopo Euchario, ac proinde ipsa S. Petri tempora contingere, tamen in tertio episcopo, S. Materno hæserint: etenim si auræ vulgari inhiassent, nihil facilius fuisset, quam fabulam suam ita contexere, ut trium Ecclesiarum fundatio uni Euchario adscriberetur, aut saltem viritim fundationes partirentur. Sed nihil* C *horum eloquuntur, quia nihil hujusmodi apud antiquiores reperiunt : nisi enim traditionem quamdam sectentur, absurda eorum apparet fabulatio. Cæterum topographia quam maxime favet traditioni : nam Viros apostolicos primum Treviros advenisse, ad urbem, quæ inter primarias Galliæ habebatur, satis pronum est opinari; dein Coloniam Agrippinam, agro Trevirensi conterminam, descendisse, ac tandem ad Tungros, Coloniensibus Septemtrionem et Occidentem versus finitimos, abiisse. Neque propterea dicam horum episcopatuum fines fuisse tunc signatos, imo probabilius existimo universam illam regionem, quasi unam eamdemque diœcesim administratam fuisse; cujus quidem rei exempla consideranti processum Religionis Christianæ frequentia occurrent : sicut hodie videmus ex unica matre, Ecclesia Baltimorensi in America fœderata, multiplices enatas esse filias, quæ et ipsæ, quoniam istic res Catholicæ prosperare pergunt, generosæ prolis jam nunc matres fœcundæ exsistunt.*

J. V. B. ex quibus omnibus probabilis fit nostra opinio.

74 *Propter hæc rationum momenta censemus traditionem Ecclesiæ Trevirensis atque adeo Tungrensis accipiendam magis esse quam rejiciendam, maxime quoniam adversariorum rationes in argumento negativo versantur, atque eo quidem omnium infelicissimo, si quidem fateri cogantur præcipua, imo fere omnia, harum regionum monumenta ecclesiastica direptionibus Normannorum sæculo* IX *periisse. Etenim si, conservatis antiquis libris, altius ascendendo, infractum semper scriptores tenuissent silentium de illa episcoporum serie, valeret aliquatenus argumentum negativum, quamvis et vix robustum evadere possit, nisi aliunde adminiculetur. Verum in præsenti controversia, objicitur opinioni nostræ antiquiorum silentium, quorum scripta novimus irreparabiliter deperdita esse. Dicatur, per me licet, non undequaque certam esse traditionem, quam affirmativis, iisque coævis testimoniis stabilire non possumus. Verum ad trutinam revocatis utriusque opinionis rationibus, fateor, mea sententia, vincere partem affirmantem, ac proinde retinendam esse istam episcoporum seriem donec certius quidpiam statui possit. In hanc autem partem me etiam flectit aliud argumentum, quod nec suo caret pondere : scilicet altare portatile S. Willibrordi, in quo recensentur Sanctorum Trevirensium nomina, qui ad epocham S. Agritio* E *anteriorem pertinere videntur, quique proin optime stabiliunt sententiam nostram.*

quam firmat inscriptio aræ Willibrordianæ

75 *Exstabat scilicet usque ad finem sæculi* XVIII *in ecclesia S. Mariæ ad Martyres apud Treviros altare portatile cum hac inscriptione :* HOC ALTARE BEATUS WILLIBRORDUS IN HONOREM DOMINI SALVATORIS CONSECRAVIT, SUPRA QUOD IN ITINERE MISSARUM OBLATIONES DEO OFFERRE CONSUEVIT : IN QUO CONTINETUR DE LIGNO CRUCIS CHRISTI, ET DE SUDARIO CAPITIS ILLIUS (3). *Insigne illud octavi sæculi monumentum conservabat anno* 1806 *Joan. Petrus Schernati, B. M. V. intra Treviros parochus, ut nos docet dissertatio scripta manu Antonii Oehmbs, Sacrarum Litterarum tunc professoris, quæ nobis liberaliter fuit communicata. In utroque hujus altaris latere in laminis argenteis exhibentur opere anaglyphico Sanctorum imagines, additis eorum nominibus : videlicet in latere Epistolæ, seu ad dexteram sacerdotis celebrantis :* AGRITIUS, MAXIMINUS, PAULINUS, FELIX, *Alexander*, SEVERUS, *Sylvester*, CYRILLUS, MAGNERICUS, *felicissimus; in latere vero Evangelii, seu ad sinistram celebrantis:* BASINUS, MARUS, SEVERINUS, NICETIUS, BONOSUS, LEGONTIUS, *Vincentius*, MODOWALDUS, *Nicolaus*, MARTINUS. *Eumdem catalogum paulo aliter exhibet Calmetus* (4) *: nam imprimis octodecim tantum Sanctorum nomina profert, omittit nempe SS.* Sylvestrum *et* Cyrillum; *dein pro* Magnerico, *nona statione posito in Oehmbsiano catalogo, habet* Alpitium, *quem* Auspicium *interpretatur; pro* Felicissimo *decimo loco, scribit Calmetus* Felicem, *demum qui eidem* Felix *est, Oehmbsio est* Severus ; F *reliqua apte conveniunt. Non mihi vacat curiosius inquirere, uter catalogus alteri sit præferendus; quamvis Oehmbsianus mihi præplaceat, quia exhibitus ab auctore, qui monumentum coram inspexit et descripsit minutissime ; sed uterlibet sumatur, mihi videor ex monumento deducere posse argumentum, quod sententiam nostram egregie confirmat. Etenim inter Sanctos hic relatos quindecim occurrunt, qui certo sunt episcopi Trevirenses, quorumque nomina ea de causa formis majusculis expressimus; unus porro dubius, nempe* Felicissimus, *quem forsan alterum* Felicem, *apud Calmetum exhibitum, interpretari licet, atque ideo litteris, ut vulgo dicitur, italicis signavimus; tandem quatuor sunt,*

(1) S. Greg. Nyss. Oper., t. III, p. 545. Edit. Paris. 1638.—(2) Prodr. Hist. Trev., t. I, p. 69. — (3) Brower Ann. Trevir., t. I, p. 364. —

(4) Calmet. Hist. de Lorr., t. I. Dissert. de Ep. Trev., p VIII.

qui

J. V. H.

qui certo ad episcoporum Trevirensium vel Tungrensium seriem non pertinent : nempe Vincentius, *qui habitu diaconali exhibetur, quemque celebrem Valentinum Martyrem arbitror;* Nicolaus, *probabiliter Myrensis episcopus, atque* Alexander *et* Sylvester, *Romani Pontifices.*

Sanctos Trevirenses recensente.

76 *Omnibus nominatis Sanctis ætate posterior est S. Basinus, archiepiscopus Trevirensis, quem nostri obiisse sub finem sæculi* VII *dicunt ad diem* IV *Martii* (1) : *atque hinc ostendi potest, siquidem nullus in laudato catalogo referatur Sanctus S. Willibrordo recentior, ad ætatem Frisiorum Apostoli pertinere altare. Porro inter Sanctos occurrit Severinus, nullum vero reperio hujus nominis archiepiscopum, nisi illum, qui immediate præcedit sanctum nostrum* Florentinum : *ex quo concludere licet, tempore S. Willibrordi, id est sæculo octavo ineunte, persuasum fuisse omnibus medios aliquos episcopos inter SS. Maternum et Agritium interponendos esse. Idem quoque testatum facit Warnefridus, vulgo Paulus diaconus dictus, sæc.* VIII *scriptor, in Historia episcoporum Metensium, quam Calmetus dicit brevem et rerum gestarum satis inopem :* elle est courte et peu chargée de faits (2), *quamque*
B *ideo arbitror e genuinis fontibus, licet non admodum abundantibus, haustam. Hic igitur postquam dixisset S. Petrum* (3) optimos eruditosque viros ex suo consortio direxisse *ad varias, quas nominat, Italiæ urbes, sic pergit :* Ea igitur tempestate, cum apud Galliam Belgicam Mediomatricum, quæ etiam Metis appellatur, civitas in ipsa Mosellæ amnis ripa posita, copiosis populorum turbis abundaret, ad eam B. Petrus Apostolus Clementem nomine, virum egregium ac meritis probatum, sublimatum pontificali dignitate, direxit, cum quo pariter, sicut antiqua tradit relatio, ad eas, quæ præcipuæ erant Galliarum urbes, verbo fidei obtinendas alii quoque religiosi doctores ab eodem Apostolorum principe missi sunt. *Inter præcipuas Galliarum urbes Trevirim esse annumerandam, nemo inficias ibit, quumque præterea Metis quam maxime vicina sit, utpote eidem Mosellæ fluvio insidens, fieri non potest quin Trevirim inter præcipuas Galliarum urbes intellexerit Warnefridus, aut deceptus fuerit referendo* antiquam relationem *circa missionem Apostolicam. Unde omnino manifestum fit, opinionem nostram sæculo nono juniorem non esse, sed in remota antiquitate radices suas habuisse. Antiqui-*
C *tatem Ecclesiæ Metensis, successionemque episcoporum defendit speciali scripto R. D. Chaussier, Canonicus Metensis* (4).

De S. Florentino pauca

77 *Ut autem a quo digressi sumus, ad Sanctum nostrum* Florentinum *revertamur, pauca, imo omnia, si nomen et qualitatem excipias, nobis invidit antiquitas. Hæc enim de primis Trevirensibus episcopis referunt Gesta Trevirorum* (5) : Deinde (*scilicet post S. Maternum*) Auspicius Ecclesiæ regimen tenuit. Dein insignes per legitimas successiones, sanctitate et gratia pollentes, exstiterunt. Auspicio vir quidam nomine et meritis Celsus successit. Hic animo sublimis et genere clarus, non segnis, patriæ semper ingens affectu, pio honore actuque serenus. Celso successit Felix primus, Felici Mansuetus; tum præfuerunt Clemens, Moyses, Martinus primus, Anastasius, Andreas, Rusticus primus, Auctor primus, Fortunatus primus, Cassianus, Marcus, Navitus, Marcellus, Metropolus, Severinus primus, Florentinus, D
Martinus secundus, Maximinus, Valentinus, quorum Octo ultimi (*scilicet a Navito*) etiam Tungrensi Ecclesiæ præfuisse noscuntur. Qui omnes diversis temporibus, non solum in propria provincia, sed et in extimis et ultimis industres et illustres, non solum confessione, quin et martyrio exsistentes regna etiam tyrannorum vicerunt. Qui videlicet episcopi omnes in ecclesia Sancti Eucharii sepulti esse creduntur. Quorum autem imperatorum vel consulum singuli claruerint temporibus, quosque vita eorum habuerit exitus, quotque singuli annis administraverint officium pontificatus, seu quantum quisque amplificaverit Ecclesiæ suæ reditus, quia totius Galliæ ab Hunis et Nortmannis facta abolevit eversio, nec a nobis lectoris cujusquam requirat exactio.

cæterum innotuere.

78 *Apponimus tamen ea, quæ habet Christophorus Browerus in Annalibus Trevirensibus lib.* III (6) : Severinus, Trevirensis Ecclesiæ sacrorum præses, quum nuper felici certaminis exitu, martyrii coronam meruisset, XXIV Octobris memoria sui in Ecclesia relicta, Florentium, quem et alio nomine Florentinum Martyrologia quædam prodidere, successorem reliquit. E
Is vero, quum non minus in episcopos sæviunt Galli populares quam Romani præsides, vix altero vertente anno pertractus in arenam pari fortitudinis laude palmam martyrii meruit, coliturque XVI Kal. Novembris. *Dubitat quidem Hontheimius de martyrio S.* Florentini (7), *quia Metropolus, secundus ejus prædecessor, Martyr a quibusdam dicitur occubuisse anno Christi* 303, *quo tempore, teste Lactantio* (8), *cessaverat in Galliis persecutio adversus Christianos : merito quidem dubitaret Hontheimius, si recte se haberet annus Metropoli emortualis* 303 ; *sed quoniam Gesta Trevirorum expresse fatentur ignorare se,* quorum imperatorum vel consulum singuli *episcopi* claruerint temporibus, *nihil certi pronuntiari potest de epocha, martyriove horum antistitum. Quocirca, donec meliora edocti, palmam martyrii S.* Florentino *cum Ecclesia Trevirensi adscribimus.*

præter nomen et dignitatis successionem.

79 *Demum coronidis loco exhibendam hic putamus insignem thecam reliquiariam Tungrensem, quæ partem notabilem ligni Sanctæ Crucis continet. Fuerat olim donarium istud a Leodiensibus ad Tungrenses missum in memoriam ac testimo-* F
nium amoris et fraternitatis. Antica pars, quam solam hic edimus, constat duabus valvis, in quarum medio bini Angeli stantes thus adolere exhibentur. In limbo vero sequentes leguntur versus :

Hoc salutaris tibi, Tungris, pignus amoris
Legia dat, lignum, cunctis venerabile signum.

In eodem limbo præter imagines, æri insculptas, quæ figuras ac historias ad S. Crucis mysteria pertinentes, exhibent, encausto multicolori depicta est series episcoporum, qui Tungris sederunt. Procedunt hoc ordine, omnes pontificalibus infulis ornati : Maternus, Navitus, Marcellus, Metropolus, Severinus, Florentius, *Martinus, Maximinus, Valentinus, Servatius. Hic postremus, Tungris dirutis, episcopalem sedem Trajectum ad Mosam transtulit* (9) ; *donec tandem sæculo octavo S. Hubertus episcopus Leodii sedere cœpit, ibique ad nostra usque tempora perseverat episcopatus.*

(1) T. I Mart., p. 313. — (2) Hist. de Lorr., t. I, col. 528. — (3) Ibid. Preuves. col. LXII. — (4) De l'Origine Apost. de l'Égl. de Metz. Paris 1847. — (5) T. I., cap. XXVII, p. 41. Edit. Trev. 1836. — (6) Brower. Annal. Trev., t. I, p. 204. — (7) Prodr. Hist. Trev., t. I, p. 75. — (8) De mort. Persecut., c. 15 et 16. — (9) Cfr. Act. SS. Belg., t. I, p. 245.

DE

A D

DE SS. MARTYRIBUS BOLITANIS SEU VOLITANIS

IN AFRICA.

Ex Kalendario veteri Carthaginensi.

A. T.

SÆC. III VEL INITIO IV. *SS. Martyrum memoria Carthagine.*

Ad provinciam proconsularem, *inquit Morcellus* (1), Bolitanum sive Volitanum oppidum pertinuisse, Notitia indicat. Itaque non est ambigendum id esse quod Ptolemæus (2) Vol appellat, et sub Carthagine fuisse tradit. Auxere oppidi famam Martyres Bolitani, quorum in Kalendario Carthaginensi mentio est ad diem XVI Kal. Nov., quorumque in festo sermonem ab Augustino habitum constat Carthagine in Basilica Gratiani. *Est hic Sermo* 156, *alias* 13 *de verbis Apostoli* (3), *cui in veteri codice Cisterciensium S. Crucis in Jerusalem de Urbe, ut referunt Maurini editores* (4), *præfixa erant illa verba :* Habitus in Basilica Gratiani die natali Martyrum Bolitanorum. *Cæterum præter hanc annotationem et illam quæ in Kalendario Carthaginensi extat hisce verbis* (5) *:* XVI Kal. Nov. Sanctorum Volitanorum, *ex quibus colligimus hos Martyres cultum Carthagine obtinuisse, nihil est unde plura de iis cognosci queant, ut diligens rerum Ecclesiæ Africanæ scrutator Morcellus, ubi de illo Kalendario agit, significat* (6). *Esse autem eos distinguendos a Mauritanis de quibus ad hanc diem agimus, ipsa* Bolitanorum *appellatio satis ostendit. Erat enim Bolitanum oppidum provinciæ, ut supra dictum est, Proconsularis, quam inter et Mauritaniam vasta interjacet Numidia.*

B E

(1) Afric. Christ., vol. I, p. 104. — (2) Geogr., lib. IV, cap. III. — (3) S. Augustini Op., t. V, col. 749 et seqq. Edit. Maur. — (4) Ibid., not. *a*. — (5) Apud Mabillonium, Vet. Analect., p. 166, nov. edit. — (6) Op. cit. vol. III, p. 265.

DE SS. VICTORE, ALEXANDRO ET MARIANO,

MARTYRIBUS, UT VIDETUR, NICOMEDIÆ.

SYLLOGE.

Sancti Martyres in fastis antiquis Nicomediæ passi dicuntur; eosdem perperam sibi vindicant Hispani.

J. V. H.

ANNO FORTE CCCIII. *SS. Martyres juxta Fastos videntur Nicomedienses :*

Hi *Sancti Martyres hac die in Vulgari Martyrologio Romano occurrunt, nulla indicata palæstra, aut mortis genere recensito, hisce verbis :* Eodem die passio Sanctorum Victoris, Alexandri et Mariani. *Luminis aliquid, licet incerti, affundunt Hieronymiana exemplaria apud Florentinium. Istic enim legitur :* In Nicomedia Alexandri. *Cui lectioni plane consentiunt Rhabanus et Notkerus* (1) *in suis sacris dyptichis. Apud Sollerium nostrum inter Auctaria Usuardina, v. g. Antuerpiense maximum, Ultrajectinum, Leydense, Lovaniense, Danicum, Bruxellense etc. dicunt :* In Nicomedia Natale Sanctorum Victoris, Alexandri et Mariani. *Ex hisce verbis aliquatenus liquet Nicomediensem Martyrem* Alexandrum *socios passionis habuisse* Victorem *et* Marianum; *imo Petrus de Natalibus lib.* XI *cap.* CXXX *n.* 293 Victorem *episcopum appellat, quin tamen ullum hujus tituli afferat testimonium. Quum autem hi Sancti in Hieronymianis Fastis veniant ante Martyres Mauritaniæ, anno circiter 304 (ut videtur) passos, apparet eorum martyrium antecessisse ; neque aliud probabilius invenio quam ut referatur ad annum* 303, *quo Diocletianus celebre decretum persecutionis Nicomediæ edidit.*

2 *Atque hæc de SS. Martyribus dicta sufficerent, nisi hos sibi vindicassent quidam Hispani, qui Beatiæ* (Baeza) *illos adscribunt. Joan. Tamayus ad hunc diem dicit :* Beatiæ in Hispania Bætica SS. Victoris episcopi Beacensis, Alexandri et Mutiani hujus urbis civium, qui pro catholicæ fidei exaltatione comprehensi, variis cruciatibus afflicti ad martyrii devenere coronam. *In notis porro subjectis discutit Tamayus num Braccarensibus adjudicandus esset S. Victor episcopus, utpote qui in aliquibus Juliani codicibus Braccarensis scribitur ; sed hac lectione rejecta, pro Beatiensibus omnino pronuntiat. Ast tota controversia aliud fundamentum non habet, quam Chronicum pseudo-Juliani Archipresbyteri Toletani, figmentum scilicet sæculi decimi sexti in finem vergentis* (2). *Cæterum Hispanicas fabulas jam suboluerat operis nostri parens Joan. Bollandus, quando reddit rationem, cur chronicorum hujusmodi tunc celebratissimorum usum non faciat in suis concinnandis commentariis* (3).

F *Hispani, ficto Juliano decepti,*

3 *Tacendum tamen non censeo, quæ narrat* *eosdem patriæ suæ vindicant,*

(1) Apud Henr. Canis. Lect. Antiq., t. II, part. II, p. 344 et part. III, p. 181. — (2) Nicol. Anton. Biblioth. Hisp. Vet., t. II, p. 36 et seq. — (3) T. I Febr. Præf., p. XVII.

cit.

J. V. H. *cit. Nicolaus Antonius in Schedis olim ad Hagiographos transmissis hodieque in Bibliotheca regia Bruxellensi servatis* (1), *circa prætensam inventionem Sanctorum Corporum.* Accedit, *inquit,* Beacensium persuasioni magnum aliunde, ut vulgus credit, auctoritatis pondus ex eo tempore, quo Francisco de Bilcher Jesuita ejusdem urbis communicante suis episcopo et civibus notitiam Beaciensium quorumdam Martyrum in Juliani Chronico extantem, cujus exemplum Ms. ab Hieronymo de la Higuera acceperat, in quibus Martyribus S. *Victor* episcopus cum sociis *Alexandro* et *Mariano* legebantur; re in examen doctorum plurium virorum deducta, rite placuit, ut horum et aliorum Sanctorum corpora, quæ servari et abscondi in quodam circa urbis murum terræ tractu, cum traditio oppidanorum vetus, tum signa ibidem luminum diversi generis a multis retro annis frequenter visa diu noctuque, ostendere videbantur, invocato Dei auxilio et effusa terra quærerentur. Cui fidelium religioni et pietati miros eventus respondisse publicis documentis inventorum scelettorum et ossium in fornacum vestigiis, inter cineres et carbones cum instru-
B mentis martyriorum aliquando aliisque igne consummatorum a gentilibus Christianorum indiciis constat. De qua Sanctarum Reliquiarum inventione, uti publica religio fert, ab Eminentissimo Domino Balthasare de Moscoso et Sandoval, Præsule tunc temporis Giennensi atque inde Toletano, rite sancita, multis agunt Ecclesiæ hujus Giennensis historici.

sed perperam, ut ostenditur;

4 Nihil horum tamen, quibus fides a nobis exhibetur jure debita, persuadere poterit Vic-
D torem hunc, de quo agimus, Beaciensem fuisse episcopum, neque de ejus et sociorum corporum, inter alia, constare inventione, nisi prius constat Juliano, rei auctori et quo solo ea nititur, sua etiam fides: potuit enim ex falso nasci veræ rei manifestatio, et ex Juliani mendaciis pia oriri Beaciensium civium persuasionis antiquæ de passis in eo loco Martyribus confirmatio. Et quid vetat Juliani artificem ex hac eadem persuasione, quam noverat vivam ad hæc usque tempora, perductum fuisse, ut religioni adhuc obscuræ, tenebrasque palpanti, advocatis aliunde gentium martyribus, veluti lumen immittere se posse, quod numquam non alias credidit, arbitraretur? Hujus rei exemplum dedit luce clarius idem auctor Dextrum fingens, post a terra egestas Ilipulitani Granatæ urbis montis plumbeas laminas cæteraque cimelia, totius rei mentione et facto antiquo Dextri ore expressis. *Hucusque Nicolaus Antonius pro more suo docte et solide.*

cultum tamen in Giennensi diœcesi obtinent.

5 *Cui tamen libuerit horum Martyrum Acta, qualia apud pseudo-Julianum extant, legere, illa in cit. Tamayo ad hunc diem reperiet: nobis vero non vacat ejusmodi fabulas typis excudere: si fides hisce* E
adhibetur, sub Mahumetanis passi fuerint nostri Martyres circa annum Christi 740, *ut evolvit Tamayus. Nihilominus Ecclesia Giennensis officium recitat horum Martyrum, sine alio, ut loquitur Henricus Florez* (2) *in sua Hispania sacra, fundamento, quam testimonium pseudo-Juliani; de quo qui plura cognoscere avet, adeat jam sæpe laudati Nicolai Antonii opus cui titulus, Censura fabulosarum historiarum, hispano idiomate conscriptum* (3).

(1) Catal. des Mss. de la Bibl. roy. de Brux. n. 8912. — (2) Espan. Sagr., t. XII, p. 423. — (3) Censura de historias fabulosas obra postuma de D. Nicolas Antonio.

DE SS. MARTYRIBUS MAURITANIS

NINO, VICTORIA SEU VICTORE, NOBILITANO SEU JUBILITANO, MAURITANO SEU MARIANO, LUCIO, CITTINO SEU TINNO, CRESCENTIANO, RUFFINIANO, DONATO, DEFENSORE, RUSTICIANO, SERVILIANO, SOCRATO SEU SOCRATE, VENERIA SEU VENERIO, JANUARIO, MUSTOLO SEU NEUSTULO, QUINTASIO, MEMMA SEU MEMMIA, YZITIANO SEU ZIDIACO, PRIMA, DONATA, SEVERA, VICTORIA, BASILLA, MAGNILIO.

C F

J. V. H.

SYLLOGE.

Memoria Sanctorum Martyrum in Fastis sacris.

ANNO FORTE CCCIV. SS. Martyrum memoria in Fastis sacris;

Sanctorum manipulus, cujus hodie memoria in laterculis Hieronymianis exsistit atque inde in aliquot aliorum Martyrologia et Auctaria defluxit, aliud sui monumentum non reliquit quam certaminis sui palæstram, Mauritaniam, nuda pugilum nomina et invictæ fortitudinis exemplum. Ast variant codices in recensendis tum Martyrum numero, tum nominibus. Rhabanus et qui eumdem hic fere exscribit Notkerus (1) *septem solum nomina referunt, scilicet:* Nini, Victurii, Nobilitani, Mauriani, (*Notker* Mariani), Lucii, Mittini et Crescentiani. *Auctarium Usuardi Rosweydinum apud Sollerium habet:* In Mauritania, Mariani et Maximi cum aliis XXIII. *Grevenus in Usuardo suo idem habet initium, post* Maximum *tamen addens* Ninum, Lucium, Sacratum, Venerum, Primam, Donatum, Victoriam, Basillam, et alios. *Florentinum solum* Ruffinianum *memorat. In Auctario Wandelberti* (2) *legitur:* In Mauritania natale Sanctorum Donati et Des.... (*forte* Defensoris). *In Auctariis*

(1) Henr. Canisii Antiq. Lect., t. II, part, II, p. 344 et part. III, p. 181. — (2) Ap. d'Achery, Spicileg., t. II, p. 54. Edit. nov.

A *ctariis partim in his, partim in illis Bedæ* (1) *veniunt*: Donatus, Nobilitanus (*al.* Nenilucius), Crescentianus, Defensor, Rusticianus, Socratus, Venerius, Prima, Donata, Victoria, Basilla. *Est quoque diversitas non parva inter Florentinii vetustissimum Hieronymianum apographum, quod in hodiernis Fastis magis accuratum reliquis existimat laudatus scriptor. Suffecerit nobis illud exemplar cum Corbeiensi S. Hieronymi Martyrologio a Luca d'Achery edito* (2) *conferre. Textum e Florentinio desumo, variantes lectiones singulis nominibus e Corbeiensi codice subnecto.* In Mauritania, Nini, Victoriæ (*Corb.* Victuriæ), Nobilitanæ (*Corb.* Nobilitani), Mariani (*Corb.* Mauritani), Luci, Cittini (*Corb.* Citini, *Rhab. et Notk.* Mittini), Crescentiani (*Corb.* Criscentiani), Rufiniani (*Corb.* Rufiani), Donati, Defensoris, Rusticiani, Serviliani, Socrati (*Corb.* Sacrati), Veneri (*Corb.* Veneriæ), Januarii, Mustoli (*Corb.* Mustulæ), Quintasi, Memmæ, Yzitiani (*Corb. deest*), Primæ, Donatæ, Severæ, Victoriæ (*Corb.* Victuriæ), Basillæ (*addit Corb.* Magnili). *In Usuardi Auctariis* Maximum (*nisi forte loco* Magnilii *sit*) *addi animadverterit lector; verum ego non video quo ex fonte manarit.* J. V. H.

2 *In titulo hanc secuti sumus normam ut omnia nomina efferremus quæ in antiquissimo Florentinii apographo occurrunt; quum vero ex aliis codicibus æstimarit Florentinius et post eum Morcellus* (3) *nomina nonnulla esse immutanda, immutationes has secundo loco posuimus, addita particula* seu. *Adscripsimus hos SS. Martyres anno forte* 304, *quoniam Morcellus* (4) *imprimis ex testimonio Eusebii* (5) *deinde ex allatis pluribus exemplis ostendit tunc temporis in Africa potissimum et Mauritania ingentem numerum Martyrum fuisse. Cæterum de persecutione ineunte sæculo* IV *sæviente videantur obviæ historiæ ecclesiasticæ, ante omnes vero Africa Christiana Morcelli.* *nomina et tempus passionis.*

(1) Act. SS., t. II Martii, p. XXXV. — (2) Spicil., t. II, p. 20. Edit. Paris. 1723. — (3) Martyrol. Afric. in Africa Christiana, t. II, p. 373. — (4) Ibib., tom. cit., p. 192. — (5) Hist. Eccles., lib. III, cap. VI.

B E

DE S. JOANNE COLOBO SEU PARVO,

EREMITA DESERTI SCETIS IN ÆGYPTO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

E. C.

§ I. Deserti Scetis status antiquus et hodiernus. Arbor Obedientiæ. Monasterium S. Joannis Parvi.

SÆCULO V INEUNTE. *Notitia*

Scete, *alias* Scitis, Scythis, *Ptolemæo* Sciathis *et* Scethiaca regio, *solitudo est Ægyptum inter et Libyam, de qua jam sæpe in Actis Sanctorum sermo fuit, exempli causa ad* XVII *Januarii in Vita S. Antonii, ubi totius Ægypti divisio antiqua traditur* (1). *Ægypto a plerisque ista regio tributa fuit, sed qui Sceten incolebant* C *extra Ægyptum se degere arbitratos esse docebunt quæ ex Vitis Patrum loco mox indicato collecta fuere. Notant La Croze et Jablonski* (2) *vocabulum* Scete *vel potius* Schihet, *ut Ægyptii scribebant, significare* trutinam cordis, *ex Assemano scilicet in cujus Bibliotheca Orientali codici cuidam Nitriensi talis interpretatio apponitur* (3). *Quamquam* Schihet *proprie ejusdem solitudinis montem, in quo S. Macarii monasterium ædificatum est, ex eruditissimi Mingarellii observatione designare videtur, ipsum vero desertum circumjacens* Scythes *vel* Scythis *Copticevocatum est. In scriptis Copticis* (*nam ea lingua græcis fere characteribus utitur*) σκύθης *et* σκύθις *appellatur* (4). *Recte igitur a Cassiano, qui aliquandiu in hoc deserto habitavit,* Scythis *dictum est; Græci vero communiter scribunt* σκήτη. *Invisit hanc solitudinem anno* 1712 *Pater Claudius Sicard S. J. in Ægypto Missionarius, antiquitatum Ægyptiacarum scrutatoribus minime ignotus, cujus luculenti Commentarii inter Missionariorum epistolas tomum pæne integrum occupant* (5). *Ut vero non antiqui solum, sed hodierni etiam status hujus solitudinis notitia in Actis nostris non desit, quædam ex prædicti Missionarii et aliorum relatione compendio excerpam.*

2 *Loca tria a se invicem distincta seculo quarto et sequentibus ab anachoretis incolebantur: nempe desertum Scetis, mons Nitriæ* (6) *quem S. Ammon primus incoluisse dicitur, et locus Celliorum* (7) *quem Ruffinus* decem fere *a monte illo* millibus F *distantem dicit, Cassianus collat.* 6, *cap.* I: *deserti Scetis.* Qui locus, inter Nitriam ac Scythin situs et a monasteriis quidem Nitriæ quinque millibus distans, octoginta millium (*Cfr. infra n.* 8 *et* 9.) solitudine ab eremo Scythi, in qua commorabamur, interveniente, discernitur. *Verum Cassianus hic de vico Nitriæ et vicinis locis mihi locutus videtur, non vero de monte, qui, ut eum exhibent tabulæ in Expeditione Ægyptiaca anno* 1799 *exaratæ, inferius ad Septentrionem situs est. Scribit etiam Palladius cap.* LXIX *apud Rosweydum, monachos in Nitria aliquando tertio et quarto lapide a se invicem distantes vixisse. Atque ita difficultas evanescit quam in his conciliandis multi repererunt. Sed ne in longiorem discussionem hic abducamur, ista locorum distinctio hodie non ita viget. De universo deserto scribens memoratus P. Sicard:* Famosum est, *inquit,* itineribus Sanctarum Paulæ (8) et Melaniæ, et monachis ultra quinquies mille, qui simul ibi habitarunt. *Eminuere inter hujus deserti incolas Sancti Viri Ammon (de quo in Actis ad* VI *Octob.*), *Arsenius*

(1) T. II Jan., p. 108, n. 3. — (2) Opuscula, t. I, p. 311. Voces Ægyptiacæ. — (3) T. I, p. 563. — (4) Jablonski, l. c. — (5) Lettres édif. et cur., t. V. Edit. 1810. — (6) T. II Octob., p. 413, n. 1. — (7) Ibid., n. 2 et p. 417, n. 21 et 22. — (8) Cfr. Acta ad 26 Januarii.

E. C. (XIX *Julii*), *Moyses Æthiops* (XXVIII *Aug.*), *Ephræm, Apollo, Pambo* (I *Julii*), *Serapion, Pœmen* (XXVII *Aug.*), *Daniel et* Joannes Parvus, *de quo nobis hic agendum est.*

Ejus monasteria hodierna.

3 *Alios nonnullos Scetenses seu Nitrienses Sanctos qui similiter in Actis nostris dati fuere hic prætermitto, sed omittendus non est S. Macarius senior* (XV *Januar.*), *cujus hodieque monasterium aliquod Scetense nomen gerit et adjacens regio* desertum S. Macarii *dicitur. Ex tot monasteriis quæ illic olim florebant, anno* 1712 *nonnisi quatuor exstabant. Similiter in expeditione Gallica anni* 1799 *quatuor reperta sunt in iisque simul sumptis monachi* 59 ; *qui numerus major est illo quem P. Sicard offenderat* (1). *Eadem quatuor cœnobia enumerantur anno* 1820 *ab H. Von Minutoli* (2). *Sunt autem hæc : primum S. Macarii, quod etiam* Sciathis, *arabice* Askyt *dicitur et secundum P. Sicard unius diei itinere a Nilo distat, ad* 30° 13', *fere latitudinis : secundum* Nostræ Dominæ Syrorum, *quod Syri monachi olim incoluerunt dimidii diei itinere seu quinque circiter leucis horariis ultra primum situm est, Occidentem et Septentrionem versus, ad latit.* 30° 17'; *tertium abbatis Bischoï*, (Anba-
B bichay *et* Abisay) *qui etiam Pesoës* (3) *et a Palladio cap.* XV *Pæsius vocatur, a præcedenti distat tantum duplici sclopeti jactu ; quartum denique est* monasterium Græcorum, Elbaramous, Baramays *vel* Piromaus, *quæ corrupta sunt ex articulo Arabico* el, *vel Coptico* pi, *et* Romaous: *Græci enim Constantinopolitani sæpe* Ῥωμαῖοι *nuncupati fuere. Juverit distantias etiam ex Andreossy adscribere : A monasterio Græcorum ad monasterium Syrorum metra* 9258 ; *a posteriori ad Anba Bichay metra* 444 ; *a monasterio Syrorum ad monasterium S. Macarii leucas* 3 *horarias.*

Ibi innumera monasteria antiquitus.

4 *Singula monasteria et monachos qui illic degebant curiosissime noster Missionarius jam laudatus describit : sed omissis his omnibus, quæ suo loco legi possunt, referam solum verba quibus, coram ruderibus circum monasterium S. Macarii jacentibus, ipse monasterii abbas, quem comitem itineris habuit, cum allocutus est :* « In hoc deserto Scete, inquit, et in Monte Nitriæ quem procul conspicis ad Septentrionem, tot olim numerabantur monasteria quot dies in anno sunt ; rudera hæc eorumdem reliquiæ sunt, et quæ hic pedibus calcas ad hunc usque diem Castellum Virginum dicuntur, quia in eo feminæ, monasticum institutum amplexæ, degebant. Cum-
C que stuperem, *inquit P. Sicard*, tot ibi monachorum habitacula fuisse, « pergamus, respondit ille, et multo plura videbis. » Reapse cum per horas tres aut quatuor iter fecissemus, vidi plusquam quinquaginta monasteria ab invicem diversa, sed collapsa jam et fere dejecta.

De arbore obedientiæ

5 Ibi iterum abbas : « Nonnisi partem vides ruderum monasteriorum multo plurium quæ fidelium pietas in hoc asylo pœnitentiæ olim exstruxerat. *Deinde subjungit narrationem, quæ cum ad Sanctum nostrum spectet, nequaquam omittenda est :* Aspice arborem hanc, vocatur arbor obedientiæ et a duodecim sæculis cunctis tempestatibus resistit et aggressionibus ferarum et Arabum ; nunc Cratægus * est, sed olim siccum baculum fuit ab Abbate Pœmene in hac sterili et fervida arena defixum. Hic abbas quondam celebri Joanni Parvo mandatum dederat ut baculum quotidie irrigaret ; quod morigerus ille monachus constanter per duos annos præstitit. Permittente Deo, ut servi sui perseverantem obedientiam remuneraret, baculus radices emisit, deinde ramos et folia pulcherrima qualia ipse coram te vides. In prodigii memoriam arbor a virtute obedientiæ nuncupata est. » Admiratus sum hanc arborem, *inquit P. Sicard*, quam reapse pulchræ frondes ornant et quæ quotannis ingentem copiam fructuum præbet. D

* un alizier.

6 *Miror ego Missionarium nostrum de tanta arboris vetustate nullum dubium protulisse, ideoque nec ego id faciam. Cæterum quæ in Vitis Patrum referuntur (infra n.* 1) *plane conformia sunt, dempto tamen nomine abbatis Pœmenis quod ibi desideratur. Wanslebius, qui anno* 1672 *iter Ægyptiacum instituit, ait se in veteri codice Arabico de septem monasteriis in deserto S. Macarii legisse* (4) ; *quæ dum recenset, appellat eadem quatuor quæ P. Sicard, cum hoc tamen discrimine quod insignit quartum monasterium titulo SS. Maximi et Thimothei, qui apud P. Sicard* (5) *filii cujusdam nobilis Græci dicuntur. Insuper adjungit monasteria* S. Joannis Parvi, qui Hegumenus dictus est, Amba-Moysé *et* Amba-Kema. *Et quod propius ad rem præsentem attinet, nonnulla addens ex relatione cujusdam viri, qui in uno ex his monasteriis abbatis munere functus erat :* In monasterio Joannis *varia* E
Parvi, *inquit*, quod nunc pæne collapsum est, arbor cernitur, quæ ex baculo ejusdem Sancti miraculo excrevit, quando nempe ex mandato superioris sui illud plantavit et irrigavit. Quapropter hodieque monachi arborem appellant Scieigiaret ittaa, *seu* Arborem obedientiæ. *Monasterii* S. Joannis Parvi *meminit etiam codex Arabicus anni* 1691 *apud Eminent. Maium in Collectione Scriptorum veterum* (6) : Hic benedictus liber, inscriptus Sancto magno Simeoni, filio Cholaili, monacho monasterii Sancti patris Joannis Exigui vallis Habib, in deserto Scetensi *etc. Similia habet codex alter anni* 1580 (7). *Quænam vero sit illa vallis* Habib *habemus ex Renaudotii Historia Patriarcharum Alexandrinorum* (8), *in qua Calendarium aliquod Copticum ad* XIII *Januarii sic habet :* Consecratio ecclesiæ S. Macarii in Chiha Scetis (*de his nominibus vide n.* 1. *supra*), *et subjicit Renaudotius :* Ita vocari desertum quod vulgo S. Macarii dicitur, et vallem Habib, seu Natron, quæ est Nitria veterum, docet nos Makrizius in Ægypti descriptione. *Cœnobium igitur* S. Joannis *inter Cœnobia Nitriensia numerari potest, et nihilominus in deserto Scetis situm dicitur.*

F *testimonia.*

7 *Testimoniis præcedentibus de arbore obedientiæ aliud addam antiquissimum, Postumiani scilicet, qui ab anno* 402, *ut plerisque videtur, per triennium Africam, Ægyptum et Palestinam peragravit, et Gallo cuidam ac Sulpicio Severo, in hujus Dialogis, iter suum enarrat* (9) : Duo vobis referam, *inquit*, incredibilis obedientiæ admodum magna miracula, licet suppetant plura recolenti : sed ad excitandam virtutum æmulationem cui pauca non sufficiunt, multa non proderunt. Ergo cum quidam, sæculi actibus abdicatis, monasterium magnæ dispositionis ingressus suscipi se rogaret *etc.*... In eodem autem monasterio factum id quod dicturus sum, recenti memoria ferebatur. Quidam itidem ad eumdem abbatem recipiendus advenerat : cum prima ei lex obedientiæ poneretur, ac perpetem polliceretur ad omnia vel extrema patientiam, casu abbas storacinam virgam jampridem aridam manu gerebat ; hanc solo figit, atque illi advenæ id operis imponit, ut tamdiu

(1) Cfr. Mémoire sur la vallée des lacs de Natroun, par le général Andréossy, in op. Description de l'Egypte, t. XII, p. 23 et seqq. 2ᵉ édit. Paris 1822. — (2) Reise zum Tempel des Jupiter Ammon. Berlin 1824, p. 195. — (3) Assemani Bibl. Orient., t. I, p. 41 et 305. — (4) Relation d'un voyage en Égypte, Paris 1677, p. 227 et seq. — (5) Lettres édifiantes, t. V, p. 36. — (6) T. IV, p. 194. — (7) Ibid., p. 195. — (8) P. 167. — (9) Sulpicii Severi Dialog., d. I, § XVIII.

virgulæ

A virgulæ aquam irriguam ministraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in solo arente viresceret. Subjectus advena duræ legis imperio, aquam propriis humeris quotidie convehebat, quæ a Nilo flumine per duo fere millia petebatur : jamque emenso anni spatio labor non cessabat operantis et de fructu operis spes esse non poterat; tamen obedientiæ virtus in labore durabat. Sequens quoque annus vanum laborem jam adfecti Fratris eludit. Tertio demum succedentium temporum labente curriculo, cum neque noctu neque interdiu aquarius ille cessaret operator, virga floruit. Ego ipse ex illa virgula arbusculum vidi, quæ hodieque in atrio monasterii ramis virentibus quasi in testimonium manens, quantum obedientia meruit et quantum fides possit ostendit.

Postumianus in Sulpicii Severi Dialogo I,

8 *Omnia hic cum iis quæ de* S. Joanne parvo *narrantur (infra in Apophthegmate* I) *apprime conveniunt, præter distantiam duorum millium a monasterio ad Nilum. Scio desertum Scythin a Cassiano ad octoginta usque millia a Celliis et a Netriæ monte protendi (Supr. n. 2), sed id sumendum, ni fallor, ab eodem monte usque ad lacum Mœridis, non vero Nilum et Memphim versus. Quamobrem, licet* B *certum mihi non sit ibi plantatum baculum fuisse, ubi Patri Sicard ruinosum monasterium* S. Joannis Parvi *a Coptico abbate S. Macarii monstratum fuit, arbitror locum in quo id contigit, in tanta Nili proximitate statui non posse. Etenim in eodem Apophthegmate proxime citato, legitur, adeo procul abfuisse aquam, ut* S. Joannes vespere pergeret ac mane reverteretur. *Verum an ideo censendum duplex hujusmodi contigisse miraculum, quin quidquam in utroque diversum sit, præter aquæ distantiam? Malo hic mendum in indicanda distantia aut flumine, a Postumiano admissum dicere, quod posterius de flumine, video etiam Tillemontio præplacere* (1). *Quod vero idem scriptor sibi objicit, in eremo non facile monasteria admittenda esse, cum tamen in monasterio arborem obedientiæ se vidisse Postumianus testetur, illud ipsemet fidenter solvit, dicens monasterium de quantulacumque monachorum habitatione acceptum fuisse.*

de S. Joanne Parvo

9 *Præterea universa regio a Mœride palude usque ad Nitriæ montem, aliquando Scete vel Scythiaca regio audivit, ita ut mons Pherme, in quo Palladius cap.* XXIII *Monachos quingentos vixisse scribit, lacus etiam Nitrienses et Nitriæ vicus sub eadem appel*C*latione venerint. Non est igitur dubitandum in Scete monasteria fuisse, aut saltem Lauras (id est, cellas multas circa ecclesiam aliquam ædificatas, nec ita a se invicem distantes), non qua ad meridiem vergit, quæ pars præ cæteris* eremus *dicta est, et incolebatur ab eremitis in cellulis segregatis, vel ab anachoretis illis qui* sine ullis tabernaculis *nullo umquam certo loco consistebant* (2), *non in ea parte, inquam, sed versus septentrionem, in vicinia lacuum Nitriensium. Scribit tamen Cassianus* in eremo Scythi, *id est ut ex eodem colligo (supra n. 2 et 8), ad regionis Scythiacæ extrema, versus meridiem, quatuor ecclesias fuisse, quæ etiam cum cellis adjacentibus facile monasteria dici potuissent* (3). *Ex quibus palam fit nullo fundamento niti, quod a Tillemontio objectum est. Quod si quis narrationem Patris Sicard diligenter sequi voluerit, reperiet monasterium* S. Joannis Parvi *inter S. Macarii et abbatis Bischoi sive Pesois monasteria situm fuisse, sed huic multo propius atque a majori lacu Nitriensi, quem idem missionarius postea invisit, non nisi tribus aut quatuor leucis et vix una fortasse a proximo minore dissitum. Antequam autem ad* E. C. *Sancti nostri ætatem indagandam, cultumque legitimum stabiliendum progrediar, aliud quod aberudito Sulpicii Severi editore Hieronymo de Pratis objicitur* (4), *præterire non debeo. Asserit ipse in observationibus suis, Postumianum in Scete numquam versatum esse, et consequenter quæ de arbore prodigiosa ab eodem narrantur,* S. Joanni Parvo *tribui non posse. Asserti probationem reperire non potui, cumque videam rem Tillemontium etiam latuisse, puto hic proferenda esse quæ isti sententiæ adversantur.*

10 *Quid igitur obstat, dum Postumianus a monte* locutus videtur. *Sina ad Nilum regressus monasteria ex utraque parte lustravit* (5), *eum ad celeberrimum desertum Scetis et ad Nitriensia monasteria devenisse?* Annum integrum et septem fere menses intra solitudines constitutus exegit... duo Beati Antonii monasteria adiit, ad eum etiam locum, in quo beatissimus Paulus primus eremita est diversatus accessit, rubrum mare vidit, jugum Sina montis ascendit et a Sina monte digressus ad Nilum flumen regressus est, cujus ripas frequentibus monasteriis consertas, utraque ex parte lustravit (6). *His expositis refert duo admirabilis obedientiæ exempla uti habes* E *supra n. 7. Quidni ergo ea in Scete vidisset? quidni loca visitasset de quibus Cassianus* (7) *:* In eremo Scythi... monachorum probatissimi Patres, et omnium Sanctorum morabatur perfectio? *Opponetur fortasse tum inter Theophilum Alexandrinum Patriarcham et monachos Nitrienses dissidia fuisse, quam ob causam Postumianus primum Alexandriæ commorari noluerat* (8). *Sed nonne illuc postea reversus est et aliquamdiu remansit* (9)*? Præterea scribit Sozomenus anno jam 403 pacem Scetensibus sive Nitriensibus monachis redditam fuisse* (10). *Verum quod me maxime movet, locus ille est, ubi librum Sulpicii de Vita S. Martini jam Ægyptum,* Nitriam, *Thebaida ac tota Memphitica regna transivisse asseverat* (11). *Si enim monachorum perturbatio ob Origenismi accusationem adhuc perstitisset, et propterea loca celeberrima, ubi Sulpicii opusculum legebatur, Postumianus non potuisset invisere, quum cætera omnia visitarit, omissæ visitationis causas non depromere nequibat. Hæc autem omnia, si minus rem absolute conficiunt, at ostendunt certe, in Dialogo I Sulpicii Severi nihil obstare, quominus narratio Postumiani* S. Joanni Parvo *applicari possit.* F

§ II. Quandonam S. Joannes Parvus floruerit. Distinguitur a Joanne œconomo Scetis. De cultu ejusdem.

De *vita* S. Joannis Parvi, *præter dictamina et egregia exempla virtutum, uti infra recudentur, pauca admodum innotuere. Hic tamen omitti non debet Synaxarium aliquod ex Martyrologio Coptitarum, quod in gratiam P. Melchioris Inckoffer S. J., anno 1633, interpretatus est Romæ Simon Moysis Maronita, et Collegii Maronitici ibidem alumnus. Martyrologium istud anno 1698 Romæ acceptum P. Janningus ad Musæum Bollandianum detulit, in quo hodieque asservatur. Porro ad diem 17 Octobr. sequens inibi legitur Synaxarium :* Sanctus Abu *(seu Abbas)* Jahnas parvæ staturæ, qui per manum

Num in Sceti sub S. Pœmene vixerit?

(1) Mém. 1805, t. X, p. 700. — (2) Sulpic. Sever. Dial. I, § XV. — (3) Cfr. infra n. 14. — (4) Veronæ, 1741, t. I, p. 363. — (5) Ibid., § XVII. — (6) Ibid., § XVI-XVII. — (7) Collat., I. cap. I. — (8) L. c. § VIII. — (9) § IX. — (10) Edit. Paris. 1618, p. 780. — (11) § XXIII.

B. C.

Angeli accepit habitum monasticum, cui etiam Angeli dederunt septem coronas, et posuerunt eas super caput illius propter patientiam ejus et pœnitentiam quam faciebat; et in signum Sanctitatis ejus, dedit illi pater Bamuihe (*forte Pœmen*) lignum siccum et dixit illi: planta illud et riga, ut frondescat; et ita fecit, plantavit istud lignum siccum et rigavit per spatium trium annorum, et produxit frondes virides, et fecit fructus, et ille pater accepit ex fructibus illius, et adivit reliquos patres senes dicens: Accipite et manducate de fructibus obedientiæ. Deus autem ante diem transitus ejus misit ad eum Sanctum Antonium magnum et Mariam, ut annuntiarent ei felicem transitum, et fecerunt, et post paucos dies acceperunt Angeli Dei animam ejus in cœlo. Ac multa miracula fecit et Dominus glorificavit illum. *Cujus ætatis sit Martyrologium illud Copticum, aut quam fidem mereatur, non novi. Ex Apophthegmate primo patet* S. Joannem *in deserto Scete sub Thebæo quodam sene vitam eremiticam auspicatum esse, et si credendum est Coptitæ abbati S. Macarii, qui P. Sicard comitatus est (supra n. 4), senex ille Thebæus diversus non est a S. Pœmene, cujus Acta olim data sunt in* B *Opere nostro ad* XXVII *Augusti, idemque ex recitato Synaxario, ob nominum similitudinem, colligere pronum est. Qua in re, licet Pœmenem Thebæum fuisse nuspiam legatur, nihil est fortasse quod magnopere repugnet. In Apophthegmate quidem* XIII *et aliis nonnullis, ipse S. Pœmen* S. Joannis Parvi *practica dictamina refert, ex quo concludi potest hunc ante illum e vita cessisse; verum cum S. Pœmen ultra centum annos vixisse dicatur* (1), *potuit jam senex* S. Joannem *discipulum habuisse et eidem nihilominus fuisse superstes. Attamen nomen Pœmenis in historia arboris obedientiæ forte intrusum est, idque exinde fieri potuit, quod Sanctus ille locis plurimis in Apophthegmatis Patrum de* S. Joanne Parvo *locutus feratur, aliorum vero qui ejus doctrinam, aut præclaras virtutes celebrarunt, nomina non exprimantur.*

Quandonam floruerit?

12 *De ætate qua* S. Joannes *floruit, statui solum potest eum ante S. Pœmenem, id est ante annum* 450 *meritissimæ asceseos æterna præmia suscepisse. Ex Apophthegmate* XV *et aliis colligitur ad senectutem eum pertigisse, cumque et ipse sermones factaque* senum *ac* patrum *Scetensium referat* (2), *recte asseritur eum ex primis non fuisse deserti habitatoribus.* C *Ex quibus verisimile fit circa initia seculi quinti* S. Joannem Parvum *floruisse. Congruit id quidem optime cum eo quod Postumianus narrat de arbore obedientiæ, quando in Ægypto versabatur, anno verisimiliter* 403, *prodigium* recenti memoria *factum fuisse; nequeunt tamen in hunc modum incerta incertis fulciri. Sententiam magis firmat fortasse Ruffinum sive S. Petronium, Palladium, Cassianum, quorum omnium itinera ante annum* 400 *contigerunt* (3) *de* S. Joanne Parvo *nullibi mentionem inducere. Cassianus quidem de S. Joanne Lycopolitano obedientiæ exemplum narrat in quibusdam simile, sed in aliis ita diversum, ut Sancto nostro applicari, vel potius a Joanne Lycopolitano ad nostrum translatum videri nullatenus possit. Legi illud potest in Actis ad* XXVII *Martii* (4), *atque obiter hic moneo Joannem illum celeberrimum Eremitam juxta Lycopolim in Thebaide, eumdem esse qui in Vita SS. Cyri et Joannis a S. Sophronio adornata, voce Coptica* Senuphius, *id est Propheta, dictus est* (5). *Id enim sufficienter demonstravit Antonius Georgius in Præfatione ad* Fragmentum Evangelii D S. Johannis Græco-Copto-Thebaicum (6), *simulque advertit in eodem loco Actorum SS. Cyri et Joannis vitiose scribi* Scete *pro* Siut; Siut *autem ipsam Lycopolim designare. Quæ videsis apud ipsum copiosius exposita.*

Num a Joanne œconomo Scetis

13 *Miror Tillemontium, qui admittit Postumianum de* Joanne Parvo *loqui, hunc a Joanne* œconomo in eremo Scythi, *seu qui ibidem* diaconiæ præsidebat (7), *diversum non autumare. Ait enim Postumianus prodigium* recenti memoria *evenisse, cumque ex Apophthegmate I et ex ipsis Postumiani verbis* (« Quidam ad eumdem abbatem recipiendus advenerat »), *maxime vero simile sit* S. Joannem Parvum *initio vitæ religiosæ tantum obedientiæ exemplum præbuisse, et aliunde constet Joannem Scetensem œconomum vita functum esse ante annum* 400, *si is idem esset cum præcedenti, ex baculo excrevisset arbor circa* 360 *aut* 370, *præsertim cum diversis locis* S. Joannes Parvus Abbas *et* Senex *nuncupetur. Quidni igitur Palladius, Cassianus et auctor lib.* II *et* III *inter Vitas Patrum obedientiæ prodigium, ejusque vivacem testem arborem commemorassent? Præterea Joannem Scetensem œconomum in diaconiæ officio vitam explesse,* E *patet ex Cassiano, ubi de Theona quodam scribit* (8): Confestim omni mundana facultate nudatus, ad monasterium pervolavit. Ubi in brevi tanto splendore sanctitatis et humilitatis enituit, ut beatæ memoriæ Joanne ad Dominum ex hac luce migrante, Sancto quoque Helia, viro qui haud minor decessore suo fuit, similiter decedente, tertius Theonas, universorum præelectus judicio, in diaconæ eis dispensatione successerit.

diversus sit?

14 *Ex quibus primum deducam Joannem Scetensem œconomum, in monasterio œconomum fuisse, et consequenter, ut n.* 8 *et* 9 *jam dictum, nullatenus dubitari posse quin in Scete fuerint monasteria. Sed cum simul inde perspicuum sit eum in Scete supremum diem obiisse, videtur aliud argumentum diversitatis, ex eo quod in Calendariis quibusdam Copticis de* S. Joanne Parvo *legitur, desumi posse. In* Synaxario seu Martyrologio Ecclesiæ Alexandrinæ Coptitarum, *auctore Michaële episcopo Atribæ et Meligæ in Ægypto inferiore, qui claruit circa an.* 1425, *ad* XX *mensis Baba, id est ad* XVII *Octobris, annuntiatur* requies Sancti Johannis exigui, *et addit Eminentissimus Maius compendiose ex Synaxario ut in Codice suo Arabico legebatur:* Abbatis Tabbennensis, qui in deserto Scetensi mona- F sticum institutum professus, pluribus miraculis claruisse dicitur. Ejus corpus in ecclesia monasterii S. Mennæ in Ægypto hodie adservari auctor testatur (9). *Quo usque hæc vero consonent non bene novi, sed* S. Joannem Parvum *in Scete vitam non finivisse confirmari videtur ex eodem Martyrologio ad* XXIX *Messori, sive* XXII *mensis Augusti:* Translatio corporis Sancti Johannis exigui abbatis in Scetem, *eademque, præter locum in quo translatio facta est, in Calendario æthiopico apud Ludolfum leguntur* (10). *Quibus omnibus inniti merito* S. Joannem Parvum *a Joanne œconomo diversum statuemus.*

Cultus ex Synaxariis

15 *Nunc quoniam Martyrologia proferre cœpimus, de cultu ex iisdem aliisque monumentis breviter agendum est. In Martyrologio quodam Coptico cujus Calendarium semestre, duobus abhinc sæculis, Romæ in Collegio Maronitico Bollandianis traditum est, ad* XVII *Octobris adscribitur* obitus Joannis Parvi

(1) T. VI Augusti, p. 28, n. 17. — (2) Infra, passim. — (3) Tillemont Mém. t. XI, p. 514, t. XII, p. 658. — (4) T. III Martii, p. 698. — (5) T. II Januar., p. 1087, n. 19. — (6) Romæ 1789, in-4°, p. CLV et seqq. — (7) Cassian. Instit., l. V. c. XL et Coll. 21, c. I. — (8) Coll. 21, c. IX. — (9) Veter. Script., t. IV, p. 98. — (10) Ad histor. æthiopicam Commentarius, p. 395.

eremitæ.

E. C.

A *eremitæ. Nondum bene noverant iidem* Joannem *nostrum, cum ad* XXVII *Martii in Joannis ex Lycopoli sive Senuphii Acta commentantes, de eodem hic agi autumarunt; verum utriusque diversitas ex n.* 12, *et ex toto hoc Commentario jam liquido constat.* Joannis Parvi *itidem mentio fit in Calendariis Copto-Arabicis a Seldeno publica luce donatis* (1): XVII *Octobris :* Sancti patris Johannis..... *sed quædam desiderantur. Puto autem mendose ibidem in altero Calendario eidem diei affigi sequentia :* Martyrium Joannis, *nam martyrem non fuisse* S. Joannem Parvum *patet, cum ex tempore quo vixit, tum ex silentio omnium monumentorum. Præterea monet Ludolfus multa in his Calendariis, a Mahumetano quodam exaratis, vitiosissime exprimi. Habet is solum in Calendario suo Æthiopico ad eumdem diem :* S. Johannes parvus. *In nullo igitur Coptitarum Calendario, quod quidem novi,* S. Joannis *festum desideratur, sed non in Calendariis solum, verum in Codicibus quoque Evangeliorum, ubi Eclogadia, sive Evangelia per festa majora distributa exhibentur, idem adscriptum est* (2).

et Missali Coptitarum.

16. *Denuum, ut certum sit Coptitas etiam modernos impense* S. Joannem Parvum *colere, in eorumdem* B *precibus publicis et Liturgiis, frequens est hujus Sancti invocatio. Missale Copto-Arabicum edidit Romæ an.* 1736 *Raphaël Tukius Ægyptius monachus, postea episcopus Arsenoviensis, sub auspiciis scilicet Congregationis super correctione Græcorum librorum specialiter deputatæ. Invocant Coptitæ Monophysitæ etiam Dioscorum et Severum hæresiarchas, quorum nomina, catholicis omnibus retentis, Missalis editor merito respuit. Ex hoc itaque Missali duas orationes depromam, ut pateat quo loco Coptitæ tam hæretici quam catholici* S. Joannem Parvum *inter Sanctos suos reponant. In Anaphora igitur S. Basilii* (3) *inter Consecrationem et Communionem sacerdotis, ex Assemani versione in Missali suo Alexandrino* (4) *ita sacerdos loquitur :* Domine salva populum tuum ... per preces et orationes.... magni abbatis Antonii et justi Patris Pauli, Macarii, *(alterius)* Macarii, ABBATIS JOHANNIS PARVI, Patris Pauli, Patris Isidori, Patris Moysis, Patris Pachomii, Patris Paphnutii et omnium qui verbum veritatis recte docuerunt, episcoporum orthodoxorum *etc. Deinde iterum versus finem Missæ....* per preces et orationes quas facit pro nobis Domina omnium nostrum, Dei Genitrix, Diva et C Sancta Maria,.... et sanctus Dominus meus Georgius, sanctus Theodorus, sanctus Patris amator Mercurius, sanctus Menna, et omnis chorus martyrum, et Pater noster justus magnus Antonius abbas, Pater sanctus Auba Paulus et Patres nostri, abbas Macarius et abbas Macarius, ABBAS JOHANNES PARVUS, et Pater noster abbas Bischoi, et Pater noster Anba Paulus (5) Thmuecensis, Pater noster Anba Moyses et omnis chorus Cruce signatorum, justorum, piorum et Angelus hujus diei benedicti.

Cultus apud Græcos et Ruthenos :

17 *In serie itaque illustrium anachoretarum et monachorum, quintus post utrumque Macarium, Ægyptium nempe et Alexandrinum (nam tertius qui hæreticus fuit in Romana editione Coptici Missalis omissus est), post hos, inquam, quintus invocatur* S. Joannes Parvus. *Mirum igitur, nullum ex antiquis et classicis Latinorum Martyrologiis* S. Joannem *commemorare, sed tribuendum id procul dubio hæresi Dioscorianæ quæ a medio sæculo quinto Ægyptum invasit, ex quo tempore reliqui Christiani ab Ægyptiis, utpote Monophysitis, abhorruere. Attamen cum Græci Patriarcham suum Alexandrinum retinuerint, qui usque ad Photii schisma Catholicus fuit, et eorum monachi frequenter de* S. Joanne Parvo *legerent (sive in Quinto Libro de Vitis Patrum qui græco sermone primum editus, in latinum a Pelagio diacono conversus est, sive in Apophthegmatis Patrum, uti mox, ex græco latina facta, edenda sunt), Sancti nostri in magnis Menæis iidem obliti non fuere. De eo hæc pauca habes ad* IX *Novembris :* τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ὅσιος Ἰωάννης ὁ Κολοβὸς ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται

Στίχοι· Ἰωάννην ἔκρυψε γῆς βραχὺς τόπος
Ὅς, κἂν βραχὺς τὸ σῶμα, τὴν πρᾶξιν μέγας

Id est : Eadem die *(IX Novembris)* Sanctus monachus *(nam* ὅσιος *id sonat)* Joannes Colobus in pace quiescit.

Versiculi : Terræ locus parvus condidit Joannem,
Qui licet corpore parvus, factis fuit magnus.

Ex Menæis S. Joannis *nomen transiit in Synaxarium Ruthenorum diœcesis Kijoviensis, uti lego in interpretatione latina quam anno* 1688 *ad decessores nostros misit Georgius David S. J.* IX Novemb : V. P. N. Joannis Kolovas.

itemque E

18 *Latini nonnulli, similiter ex Vitis Patrum,* S. Joannis *mentionem hauserunt, inter quos Petrus de Natalibus l.* III. *c.* CLVII *ad* XXVII *Februarii, occasione S. Joannis Calybitæ ; et is tamen, in prima narratiuncula, eum confundit cum Joanne Thmuita, qui abbatem Pæsium sive Bischoi in magno deserto invisit* (6), *in secunda autem refert de* Joanne *nostro apophthegma secundum inter mox recudenda, demum tertio loco iterum Joannem abbatem in vicinia civitatis Thmuis, non vero nostrum, laudavit* (7). *Post Equilinum episcopum Maurolycus in Martyrologio, similiter ad* XXVII *Februarii,* S. Joannem Parvum *paulo distinctius memorat :* Item Johannes brevis staturæ, obedientia conspicuus apud Scyathim ; ad cujus irrigationem surculus aridus fructificavit. *Ex Maurolyco habent eumdem Martyrologium Germanicum Canisii, et Ferrarii Catalogus Generalis, denique hos omnes secuti decessores nostri ad* XXVII *Februarii* inter Prætermissos, *qui cum aliam ligni aridi irrigationem non commemorent, nisi quam habet Cassianus, Joannis ex Lyco obedientiam commendans, remittunt consequenter ad* XXVII *Martii, quo die de isto Joanne egerunt.*

apud Latinos. F

19 *Jam dictum est supra n.* 15, *eosdem, in Actis S. Joannis ex Lyco, annuntiationem quamdam de* S. Joanne Parvo *proferre, quæ in Synaxario Coptico diei* XVII *Octobris affigebatur. Hanc porro Claudius Chastelain, Tillemontii commentariis fretus, ut arbitror, ad hunc ipsum* XVII *Octobris consignavit in Martyrologio suo gallico* (8), *in hunc fere modum :* In deserto Scete in Ægypto S. Joannis Nani solitarii ; notatur in Calendario Coptitarum. *Non desunt ergo Martyrologia quæ S. Joannem adscripserint, sed ut illi in Collectione nostra locus esset, præcipue effecit Missale illud Copticum Romæ editum, ex quo patet a Coptitis catholicis* S. Joannem Parvum *inter præcipuos Sanctos haberi. — Subjicienda nunc sunt Apophthegmata Patrum* de Abbate Johanne Colobo sive Curto, *ex editione J. B. Cotelerii in Ecclesiæ Græcæ Monumentis* (6), *ad quorum calcem alia quædam recudentur ex variis collecta. Placuit autem retinere Cotelerii indicationes marginales, ut quæ hic leguntur aliis in locis reperiri queant, sed moneo, quæ ab hic editis diversa*

(1) De Synedriis Ebræor. Francofurti 1696 p. 1308 et 1320. — (2) Veter. Scriptor., l. c., p. 18. — (3) P. 129. (ρκθ) et 177 (ροζ). — (4) Romæ 1754, t. II, p. 64 et 88. — (5) Corrigendum : Phileas Thmuecensis, ut monet Aug. Ant. Georgius in *Fragmento Evangelii S. Joannis Græco-Copto-Thebaice.* Romæ 1789, p. VII. Cfr Acta nostra ad IV Februarii de S. Philea itemque ad XXII Maii de S. Donato M. Thmuita. — (6) Cassiani Instit. V, cap. XXVII, XXVIII et Collat. 14, cap. IV. — (7) Ex Cassiano l. c. — (8) Martyrologe universel. Paris 1709. — (9) T. I. p. 468 et seqq. Paris 1677.

sunt,

E. C. *sunt, me pœne omnia in Annotatis aut in Appendicula recudisse. In his Apophthegmatis vix aliquis ordo apparet, quapropter juvat hic capita quædam præcipua indicare ad quæ referri possint. Ad Obedientiam spectat Apophthegma* I ; *ad Caritatem in proximum Apoph.* XVII, XVIII, XXXIX, XL *et in Appendice n.* 5 *et* 10 ; *ad Humilitatem Apoph.* VIII, XX, XXXVI *et in Append. n.* 1 ; *ad Mortificationem Apoph.* III, IV, XXVIII *et in Appendice n.* 3, 4, 6, 7 ; *ad studium Perfectionis et Laborem continuum Apoph.* XXX, XXXII, XXXIV, XXXVII *et in Append. n.* 2, 8, 9, 11 ; *ad spiritum Orationis Apoph.* XIII, XVI, XXVII, XXXI, XXXV ; *ad Fugam occasionum Apoph.* V, VI. *Reliqua fere varii sunt argumenti.*

APOPHTHEGMATA.

Ex Cotelerio, tomo I Monumentorum Ecclesiæ græcæ, p. 468 et seqq.

B

Vitæ Patrum a Rosweydo editæ, libro v, libello XIV, n. 3. *a b c*

I. Narraverunt de abbate Johanne Curto *a*, quod secedens ad Thebæum senem *b* in Sceti *c*, sedebat in deserto. Sumens autem ejus abbas aridum lignum plantavit, ac præcepit ei : Quotidie hoc irriga una aquæ lagenula, donec fructum produxerit. Procul autem ab iis erat aqua, adeo ut vespere pergeret ac mane reverteretur. Itaque post tres annos vixit, viruit et protulit fructum. Quem fructum senex accipiens, portavit ad ecclesiam, dixitque fratribus : Sumite, manducate fructum obedientiæ *d*. II. Referebant de abbate Johanne Curto, quod aliquando fratri suo majori *e* dixerit : Cuperem esse curis vacuus, sicut Angeli sunt, nihil operantes, sed absque intermissione Deo servientes. Exutoque pallio, egressus est in solitudinem. Post unam autem hebdomadam redit ad fratrem suum. Utque fores pulsavit, agnovit eum frater antequam aperiret, aitque : Tu quis es? Respondit ille : Ego sum Johannes frater tuus. Tum ad illum frater : Johannes Angelus factus est, nec amplius inter homines degit. At ille orabat, proferens : Ego sum. Nec aperuit, sed reliquit eum ad posterum mane conflictari. Postea vero aperiens infit : Homo es, necesse est ut iterum opereris, unde alas te. Itaque veniam supplex petiit, dicens : Ignosce mihi. III. Dixit abbas Johannes Curtus : *f* Si voluerit Imperator urbem hostium occupare, prius aquam et alimenta retinet, sicque inimici fame percuntes subjiciuntur ei. Ita quoque affectus carnis ; si in jejunio et fame homo vixerit, inimici erga animam ejus imbecilles evadunt.

(Margin: Libro v, libello x, n. 27; Fulbert, fol. 183. *d e* — C — v. IV, 19. *f*)

2 IV. *g* Dixit iterum : Qui satur est et loquitur cum puero, jam cogitatione fornicatus est cum ipso. V. Adhuc retulit : Ascendens aliquando cum plecta per viam Sceteos, offendi camelarium, qui sermone suo me ad iram provocabat, et relicta supellectile fugi. VI. Alia vice cum æstas esset, audivit fratrem loquentem ex ira proximo suo, ac dicentem : Hei, tu quoque? Et relicta messe fugit. VII. Ex otio venerunt in Scetim quidam senes et simul cibum sumebant ; erat autem cum illis etiam abbas Johannes. Surrexit ergo aliquis magnæ virtutis presbyter, ut aquæ caucum daret, sed nemo voluit ab eo accipere, nisi solus Johannes Curtus. Igitur admirati sunt, dixeruntque ei : Quomodo tu cum sis omnium minimus, ausus es ministerium presbyteri admittere? Ait illis : Ego quando surgo ad dandum baucale, gaudeo si cuncti ceperint, ut

(Margin: S. Ephrem edit. Vossii, p. 387. *g* v. IV, 20 et VII, XXVII, 2 et Append., p. 1003, edit. 1628, n. 12. Append., p. 1003, n. 13. — v. X, 28.)

D mercedem capiam ; propterea ergo accepi, quo ei mercedis causa existerem, ne tristitia afficeretur, quod nullus ab ipso suscepisset. Quibus per illum pronunciatis, mirati sunt et ex ejus discretione profecerunt. VIII. Cum sederet quodam die ante ecclesiam, fratres circumdederunt eum, exquirebantque de cogitationibus suis. Quod cernens e senibus quidam, invidia agitatus, dixit ei : Baucale tuum, Johannes, veneno plenum est. Respondit abbas Johannes : Ita habet, abba ; atque sic locutus es, quoniam sola exteriora conspicis ; si autem videres interiora, quid haberes eloqui? v. XVI, 3.

3 IX. Narrabant Patres, quod manducantibus aliquando fratribus in Agape *h* unus ex illis ad mensam risit. Quem intuitus abbas Johannes, ploravit, dixitque : Quidnam corde gerit frater hic, quod riserit, cum potius debuisset flere qui Agapen comedat. X. Quidam e fratribus venerunt aliquando ut tentarent eum, quandoquidem non sinebat mentem suam evagari, nec de ullo sæculi hujus negotio loquebatur ; et aiunt ei : Gratias agimus Deo, quod hoc anno pluerit multum et palmæ adæquatæ sint, emittantque germina, atque inventuri sint fratres quo pro more manibus operentur. Respondit eis abbas Johannes : Ita est Spiritus Sanctus ; quando descendit in corda hominum, renovantur, et germina proferunt in timore Dei. XI. De eo dicebant, quod texuerit aliquando plectam duarum sportarum, eamque una in sporta conficienda consumpserit, nec adverterit mentem, donec parieti appropinquasset. Ejus quippe animus vacabat contemplationi. XII. Dixit abbas Johannes : Similis sum homini sedenti sub magna arbore, ac spectanti feras multas ac serpentes venientes ad se ; qui stare adversus cum nequiverit, confestim ascendit in arborem ac servatur. Ita etiam ego ; sedeo in cella mea, conspicio malas cogitationes adversus me insurgentes, cumque non valuero contra illas, ad Deum per preces confugio, sicque ab inimico eripior.

(Margin: v. III, 6. *h* — v. XI, 13. — E — v. XI, 14. — III. 208.)

4 XIII. Retulit abbas Pœmen *i* de abbate Johanne Colobo, quod oravit Deum et sublati ab eo sunt affectus, exstititque sine sollicitudine. Tum abiit ad quemdam senem, cui dixit : Video me quietum et omni impugnatione vacuum. Senex autem ait illi : Vade, roga Deum ut tibi pugna contingat, et quam prius sentiebas, tribulatio atque humiliatio. Nam per certamina anima proficit. Ita ergo precatus est. Et accidente prælio non amplius rogavit id a se auferri, sed dixit : Domine, da mihi in bellis tolerantiam. XIV. Hoc relatione abbatis Johannis didicimus : E senibus aliquis visionem habuit in ecstasi seu mentis excessu ; ecce tres monachi steterunt trans mare, venitque ad eos ex adverso littore vox ejusmodi : Sumite alas ignis et accedite ad me. Ac duo quidem ex illis acceperunt, atque ad aliud littus volando pervenerunt ; tertius vero mansit ; vehementerque flebat et clamabat. Postea autem datæ etiam ipsi sunt alæ, non quidem igneæ, sed infirmæ ac debiles ; adeo ut interdum demersus, dein ex aquis emergens, cum labore et difficultate multa transfretaverit. Pari modo ætas hæc, quamvis alas accipiat, non tamen igneas, sed infirmas debilesque vix accipit. XV. Frater interrogavit abbatem Johannem : Quomodo anima mea vulneribus affecta, non erubescit obloqui de proximo? Dicit ei senex parabolam, propter detractionem. Erat homo quidam pauper et uxoratus, qui aliam mulierem speciosam intuitus, eam quoque connubio sibi copulavit ; ambæ vero erant nudæ. Cum autem nundinæ celebrarentur alicubi, rogaverunt virum dicentes : Nos tecum ducito. Quare utramque

(Margin: v. VII, 8. *i* — Jo. Climac. Gradu 29, et Doroth. Doctr. 13. — F — v. XVIII, 8. — VI. IV, 10.)

A utramque assumptam in dolio collocavit, navique conscensa ad mercatus locum pervenit. Postquam autem æstus diei advenit et homines quieti se dederunt, una earum respiciens, nec quemquam intuita, exiliit in sterquilinium, veteribusque pannis collectis, sibi subligaculum confecit, ac deinde cum fiducia ambulabat. Altera vero intus sedens nuda, dixit : Ecce meretricem hanc, non erubescit nuda incedere. At ægre ferens maritus excepit : Rem miram ! ipsa saltem verecunda corporis obtegit, tu vero tota nuda es, nec erubescis ista proloqui ? Ita habet detractionis peccatum.

VI. IV, 13. 5 XVI. Porro senex referebat adhuc fratri, de anima quæ pœnitentiam agere vult : Erat (inquit) in quadam civitate meretrix pulchra, quæ multos habebat amatores. Accedens autem ad eam unus e rectoribus provinciæ dixit ei : Promitte mihi te caste victuram, et ego te in uxorem accipio. Illa pollicita est. Eam itaque accepit et duxit in domum suam. At amatores ejus quærentes eam dixerunt : Præses ille assumpsit eam in domum suam; si igitur illuc iverimus et intellexerit, nos supplicio afficiet. Sed venite, eamus pone domum, sibilo B vocemus eam; agnito enim sibili sono descendet ad nos, erimusque noxa vacui. Itaque postquam sibilum audiit, obsignatis auribus suis, ad interius cubiculum prosiliit, foresque occlusit. Aiebat autem senex, meretricem esse animam; amatores, affectus atque homines; rectorem, Christum; interiorem ædem, æternam mansionem; sibilantes, malos dæmones : hanc vero animam semper ad Deum confugere.
V. XVII, 7. XVII. Cum aliquando abbas Johannes ascenderet e Sceti cum aliis fratribus, a via aberravit qui ducebat eos; erat enim nox. Aiunt fratres abbati Johanni : Quid faciemus, abba, siquidem frater in via erravit, ne forte vagantes moriamur ? Respondit illis senex : Si dixerimus ei, tristitia ac pudore afficietur. Verum ecce, ostendam me debilem et dicam : Non possum incedere, sed maneo hic, usque ad diluculum. Atque ita fecit. Cæteri vero dixerunt : Neque nos pergimus, at sedemus tecum. Et usque ad matutinum tempus resederunt, neque fratri fuerunt scandali auctores.

V. XI, 15. 6 XVIII. Senex quidam Sceteos, in exercitationibus quidem corporalibus laboriosus, sed C in cogitationibus imperitus, abiit ad abbatem Johannem ut interrogaret eum de oblivione. Auditoque per eum sermone, rediit in cellam suam, et oblitus est quod ipsum edocuerat abbas Johannes. Igitur venit adhuc ad eumdem interrogandum. Cumque simili modo audiisset sermonem, recessit. Ut autem ad cellam suam pervenit, iterum rei memoriam amisit. Atque ita frequenter profectus, in revertendo ab oblivione capiebatur. Postea vero seni occurrens, dixit : Nostin, abba, rursus e memoria mea effluxisse quod locutus fueras ? Sed ne tibi essem molestus, nolui venire. Ait illi abbas Johannes : Vade, accende lucernam. Et accendit. Rursus ad eum : Affer lucernas alias et accende ex ea. Hoc etiam fecit. Tum abbas Johannes seni : Num aliquatenus obfuit lucernæ quod ex illa alias accenderis ? Senex : Nequaquam. Ita, excepit, neque Johannes; quamvis tota adiret me Scetis, non me averteret a gratia Christi. Quocirca quando volueris, veni, nihil hæsitans. Atque sic per utriusque patientiam abstulit Deus oblivionem a sene. Cæterum hæc erat Scetiotarum operatio, alacritatem addere iis qui impugnabantur; ad hæc sibi vim faciebant, ut se mutuo lucrarentur in bonum. EX EDITIS. XIX. Interrogavit frater abbatem Johannem sic : Quid V. XI, 16. agam ? sæpe venit frater, ut me ad opus assumat; ego vero miser sum ac infirmus, atque ad id fatisco. Quid ergo faciam ad mandatum ? Respondit senex his verbis : Chaleb dixit Jesu filio Navæ : *Quadraginta annorum eram, quando* Jos., XIV, 7, 10, 11. *Moyses servus Domini ex deserto misit me et te in terram hanc; et nunc octoginta quinque annorum sum. Sicut tunc eram, et nunc valeo ingredi et egredi ad bellum.* Itaque et tu, si validus es, ut sicut egrederis ita etiam ingrediaris, vale; quod si ita agere nequeas, in tua cella sede plorans peccata tua, et cum invenerint te lugentem, non cogent ad exeundum.

7 XX. Quæsivit abbas Johannes : Quis vendidit Josephum ? Et respondit quidam e fratribus : Ejus fratres. Ait illi senex : Nequaquam, sed eum humilitas ejus vendidit. Poterat enim allegare se fratrem eorum esse, poterat contradicere; verum tacens, per humilitatem semet vendidit, ac humilitas constituit eum Ægypti rectorem. XXI. Dixit abbas Johannes : Leve III, 155. onus relinquentes, hoc est, ipsos se accusare, E grave portandum suscepimus, quod est se justos facere. XXII *k*. Idem hoc protulit : Humilitas V. XV, 22. *k* et Dei timor, supra cæteras virtutes eminent. XXIII. *l* Idem sedebat aliquando in ecclesia, Append., p. 1001. n. 19. *l* et suspirium duxit, nesciens quempiam pone se esse. Quod ubi cognovit, proclinavit se coram eo, dixitque : Parce mihi, abba, nondum quippe initiatus sum. XXIV. Dixit idem discipulo suo : Unum honoremus, et cuncti honoraturi sunt nos; quod si contempserimus unum, hoc est Deum, nos cuncti contemnent ac peribimus. XXV. Aiebant de abbate Johanne, quod in Sceti ad ecclesiam perrexit, auditisque quorumdam fratrum altercationibus, reversus est ad cellam suam, terque circumiens eam, ita introiit. Fratres autem quidam videntes illum, nesciebant cur id fecisset. Venientes ergo percontati sunt. Ille ad eos : Aures meæ, inquit, contentione plenæ erant; circuivi ergo, ut purgarem eas, atque sic cum mentis requie ingrederer in cellam meam. XXVI. Quidam frater sero venit ad cellam abbatis Johannis, abire festinans. Cumque de virtutibus loquerentur, dies exortus est, nec intellexerunt. Exiit ut deduceret eum, et per- F severarunt in colloquio usque ad horam sextam. Introduxit ergo eum, ac postquam cibum sumpsisset, ita discessit. XXVII. Monuit abbas Jo- Lambecii hannes : Custodia est, sedere in cella et Dei Cod. 237. semper meminisse. Atque ita intelligendum est illud : In custodia eram et venistis ad me. Matth., XXV, 36. XXVIII *m* Dixit iterum : Quodnam animal forte *m* est ut leo ? et tamen propter ventrem in laqueum incidit, omnisque ejus vis deprimitur. XXIX. Et Append., p. 1002, iterum *n* : Sceteos patres panem et sal come- n. 1. *n* dentes aiebant : Ne imponamus nobis necessitatem vescendi sale ac pane. Atque ita fortes erant ad opus Dei.

8 XXX. Venit frater quidam ut sportas ab abbate Johanne acciperet. Hic egressus dixit ei : Quid vis, frater ? Ille ait : Sportas, abba. Ingressus vero ut afferret, oblitus est; sedit, cœpitque consuere. Pulsavit iterum frater; cumque Johannes exiisset : Affer, inquit, sportas, abba. Intrans autem rursus ad suendum sedit. Ille denuo pulsavit. Egressus dicit ei : Quid vis, frater ? At ille : Sportam, abba. Tunc apprehensa ejus manu, introduxit illum dicens : Si sportas

EX EDITIS.

sportas vis, sume ac recede; mihi enim non vacat. XXXI. Venit aliquando camelarius, ut supellectilem ejus sumeret, abiretque in alium locum. Ille vero ingressus ad afferendam ei plectam, oblitus est, quia mentem in Deum intentam habebat. Rursus igitur interturbavit camelarius, fores feriens. Et adhuc ingressus abbas Johannes, non est recordatus. Tertium itaque pulsante camelario, intrans dicebat: Plecta, camelus; plecta, camelus. Id autem repetebat, ne iterum res memoria excideret. XXXII. Idem fuit spiritu fervidus. Itaque aliquis visens eum, laudavit ejus opus; plectam autem conficiebat. Et tacuit. Iterum ille orsus est sermonem ad eum. Et adhuc silebat. Tertio dixit invisenti: Ex quo huc ingressus es, Deum a me ejecisti. XXXIII. Venit aliquis senex in cellam abbatis Johannis, et invenit eum dormientem, Angelum vero adstantem, qui ventum ei faciebat; cumque vidisset recessit. Ut autem experrectus est, ait discipulo suo: Venitne quispiam, dormiente me? Respondit: Etiam, ille senex. Cognovitque abbas Johannes, quod paris secum virtutis esset senex, ac vidisset Angelum.

B — v. 1, S. Doroth. Doctr., 14. *o*

9 XXXIV. *o* Hæc verba fecit abbas Johannes: Ego volo ut homo parum ex omnibus virtutibus percipiat. Itaque singulis diebus mane exsurgens, cape principium ad omnem virtutem mandatumque Dei; in maxima patientia, cum timore ac æquanimitate, in caritate Dei, cum omni alacritate animæ et corporis, cumque humilitate multa, in tolerantia tum afflictionis cordis, tum custodiæ, in oratione multa et deprecationibus, cum gemitu, puritate linguæ, et custodia oculorum; inhonoratus, nec irascens; pacificus, nec reddens malum pro malo; non attendens ad aliorum delicta; non teipsum metiens, sed sub omni existens creatura, per renunciationem materiæ rerumque carnalium; cruce, certamine, paupertate spiritus, in voluntate et exercitatione spirituali, in jejunio, pœnitentia, fletu, in agone prælii, in discretione, in animæ sanctimonia, in perceptione bona; cum quiete opus manuum exercendo; in nocturnis vigiliis, fame, siti, frigore, nuditate, laboribus, atque occludito sepulcrum tuum, quasi jam mortuus, ita ut putes mortem tuam esse quasi omni hora.

Append., p. 991. *p* — C

XXXV. *p* Aiebant de eodem abbate Johanne, quod quando redibat e messe, aut e congressu cum senibus, vacabat orationi, meditationi et psalmodiæ, donec mens ejus in pristinum ordinem fuisset restituta. XXXVI. De eo pronuntiavit patrum nonnullus: Quis est Johannes, quod per humilitatem suam e parvo digito totam Scetim suspendit? XXXVII. Interrogavit aliquis e patribus abbatem Johannem Curtum, quid esset monachus. Ille dixit: Est labor; quia monachus in omni opere laborat. Ita est monachus. XXXVIII. Commemoravit hoc abbas Johannes Curtus: Spiritualis quidam senex inclusit se, eratque in civitate insignis, plenus gloria et laude. Huic indicatum est: Sanctorum aliquis dissolvi seu mori habet, veni, saluta eum antequam obeat. Reputavit ergo apud se: Si de die exiero, accurrent homines, multaque mihi erit gloria, nec in his conquiesco. Unde sero sub tenebras abibo, clam omnes. Vespere igitur egressus e cella, ut qui latere vellet; atque ecce Angeli duo cum lampadibus mittuntur a Deo, lumen ei præbituri; et deinde tota civitas concurrit, ut videret gloriam. Et quanto glo- D riam voluit effugere, tanto magis est consecutus. In his adimpletur quod scriptum est: *Omnis qui se humiliat exaltabitur.* Luc. XIV, 11.

10 XXXIX. Dixit abbas Johannes Curtus: Non potest ædificari domus a sursum ad inferius, sed a fundamento ad culmen. Rogant eum: Quid sibi vult iste sermo? Respondit: Fundamentum proximum est, ut eum lucreris, atque hinc incipiendum. Ab ea enim re pendent cuncta Christi præcepta. XL. Memorabant de abbate Johanne hunc in modum: Cujusdam adolescentulæ parentes e vivis excesserunt, relictaque est pupilla; nomen ei Paesia. Hæc constituit e domo sua facere xenodochium, ad usum patrum Sceteos. Sic itaque diu permansit, hospitio suscipiens et fovens patres. Postea consumptis facultatibus, cœpit egere. Adjuncti ergo ei sunt perversi homines, qui eam a bono proposito averterunt, indeque cœpit prave agere, adeo ut ad fornicandum perveniret. Quo audito, patres summa affecti sunt tristitia. Et advocantes abbatem Johannem Curtum, dicunt ei: De sorore illa accepimus male eam vivere; illa vero cum potuit, caritatem suam erga nos exercuit: nunc vicissim nos erga illam ostendamus caritatem, succurrendo ei. Itaque id laboris suscipe, ut E ad illam accedas, et juxta sapientiam quam tibi dedit Deus, de re dispone. Venit abbas Johannes ad eam, dixitque aniculæ janitrici: Indica dominæ tuæ me hic esse. Illa remisit eum dicens: Vos ab initio bona illius consumpsistis, jam inops est. Ait abbas Johannes: Significa ei, magnum enim ipsi apporto emolumentum. Tum famuli ejus subridentes interrogant: Quid enim ipsi daturus es, ut velis cum ea colloqui? Respondit: Unde scitis quid præbiturus sim?

11 Ascendens igitur anus, nunciavit dominæ de Johanne. Dicit illi puella: Hi monachi ad mare rubrum continuo incedunt, ac inveniunt margaritas. Inde cum seipsam exornasset: Præi, inquit, hominem ad me adducas. Utque ascendit, præveniens illa sedit super lectum. Et accedens abbas Johannes, juxta illam assedit, intendensque in vultum ejus, ita locutus est: Quid in Jesu reprehendendum invenisti, ut ad hunc procederes statum? Quo audito, tota concrevit. Abbas vero Johannes, inclinato capite, cœpit vehementer flere. Tum ei illa: Abba, quare fles? Ille suspexit, iterumque inclinavit se plorans, ac dixit: Video satanam ludentem in vultu tuo, et non defleam? Audiens illa: Estne, F inquit, abba, pœnitentiæ locus? Respondit: Etiam. Illa ad eum: Duc me quocumque libuerit. Abbas: Eamus. Et surrexit ut sequeretur eum. Porro advertit Johannes quod nihil de domo sua mandasset, aut fuisset locuta, et admiratus est. Ut ergo pervenerunt ad solitudinem, advesperavit. Facit ei ex arena cervical parvum, crucisque signo super illam facto, ait: Hic dormi. Cumque sibi pariter ad modicum intervallum fecisset, atque absolvisset preces suas, recubuit. Circa mediam vero noctem expergefactus, vidit lucidam viam quæ a cœlo ad ipsam usque prostabat; intuitus quoque est Angelos Dei animam puellæ sustollentes. Surgens ergo et profectus, pulsavit eam pede. Ubi vero mortuam agnovit, procubuit in faciem, orans Deum. Tunc audivit quod una hora pœnitentiæ ejus prælata fuerit pœnitentiæ multorum, diu quidem perseverantium in pœnitentia, sed non tantum ardorem ostendentium.

ANNOTATA.

a *Græce* Κολοβός, *quod proprie significat* mutilus, curtus.

A curtus. *In Vitis Patrum a Rosweydo editis varia nomina prodeunt :* Joannes Parvus, Joannes Nanus, Joannes brevis staturæ *et* Joannes Colob. *Coptitæ, præfixo articulo suo, ex græco* κολοβός *formarunt* πικολοβός : *unde ab iisdem* Joannes Parvus Ἰωάννης πικολοβός *dictus est.*

b *De hoc sene vide Commentar. n.* 11.

c *De Sceti ibidem agunt n.* 1 *et seqq.*

d *Confer Postumiani narrationem in Comment. n.* 7.

e *Apophthegma istud habet Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum, itemque Liber tertius* (*num.* 56) *inter Vitas Patrum quem Rufino tribuunt. Hoc posteriori loco Rosweydus noster adducit versus quosdam Fulberti Carnotensis episcopi, inter sui ævi viros doctissimi, quem anno* 1029 *obiisse ferunt. En Rosweydi verba :* Fulbertus Carnoténsis episcopus in fine epistolarum suarum, post hymnum de Nativitate Christi et Epiphania ex hoc (*Rufini*) loco vel ex Pelagio infra libello x num. 27 (*uti ad Apophth.* II *in margine notatum habes*) hanc de Joanne Parvo narrationem ita versibus et rhythmis sui sæculi reddit (1) :

In Vitis Patrum veterum quiddam legi jucundum,
B Exemplo tamen habile, quod vobis dico rhythmice.
Joannes abbas parvulus statura, non virtutibus,
Ita majori socio, quicum erat in eremo :
Volo, dicebat, vivere secure, sicut Angelus,
Nec veste, nec cibo frui, qui laboretur manibus.
Respondit frater : Moneo, ne sis incepti properus,
Quod tibi postmodum sit non cœpisse satius.
At ille : Qui non dimicat, non cadit, neque superat.
Et nudus eremum interiorem penetrat,
Septem dies gramineo vix ubi durat pabulo ;
Octavo fames imperat, ut ad sodalem redeat ;
Qui sero clausa janua tutus sedet in cellula,
Cum minor voce debili appellat : Frater, aperi,
Joannes opis indigus notis assistit foribus,
Nec spernat tua pietas, quem redigit necessitas.
Respondit ille deintus : Joannes factus est Angelus,
Miratur cœli cardines, ultra non curat homines.
Foris Joannes excubat, malamque noctem tolerat,
Et præter voluntariam, hanc agit pœnitentiam.
Facto mane recipitur, satis verbis uritur.
Sic attentus ad crustula, fert patienter omnia.
Refocillatus Domino grates agit ac socio,
Dehinc rastellum brachiis tentat movere languidis.
Castigatus angustia, de levitate nimia,
C Cum Angelus non potuit vir bonus esse didicit.

f *Idem Apophthegma de* Joanne brevis staturæ *refert Pelagius Libro* v, *Libello* IV, *n.* 19 *in Vitis Patrum et eidem iterum tribuitur in Appendice p.* 994 *cap.* XI; *sed Libro* III *n.* 66 *eadem iisdem pœne verbis abbati Moysi adscribuntur.*

g *Idem occurrit inter Apophthegmata S. Ephræm Syro quondam falso adscripta, ad quem locum Vossius* (2) *non recte conjectavit de Joanne Calybita* (XV *Januar.*), *vel de Joanne Lycopolitano sive Senuphio* (XXVII *Martii*) *hic agi.*

h Agape *forte pro convivio funebri ponitur. Apophthegma* XXXIX *S. Arsenii* (3) *sic habet.* Moriturus abbas Arsenius, denunciavit nobis dicens : Nolite dare operam ut pro me Agapas faciatis. Ego enim, si mihi Agapen feci, inventurus sum eam, *nempe in cœlo.*

i S. Pœmen, *cujus Acta data sunt ad* XXVII *Augusti tom.* VI *p.* 25. *Indicantur in margine Dorotheus et Joannes Climacus, ubi scilicet de eadem materia agunt non autem de* Joanne Parvo, *nisi posterior Sanctum nostrum designaverit his verbis :* Ostendit et ille (*tranquillitatem*) qui ut perturbationum vitia ad se redirent, Deum rogavit. E. C.

k *Pelagius* v. XV. 22 *hic quædam addit :* Dixit abbas Joannes Brevis : Quia janua Dei est humilitas et patres nostri per multas contumelias acti, gaudentes intraverunt in civitatem Dei. Dixit iterum ipse idem, quia humilitas et timor Dei superat universas virtutes. *Partis superadditæ textum græcum exhibet Cotelerius in Notis.*

l *In iisdem Apophthegmatis Patrum similia de abbate Tithoe referuntur* (4) : Sedente aliquando abbate Tithoe, erat frater juxta ipsum. Quod nesciens duxit suspirium; nec animadvertit prope adesse fratrem : erat namque in ecstasi. Itaque facta pœnitentiæ inclinatione, dixit : Ignosce mihi, Frater, quia nondum monachus factus sum, qui coram te ingemuerim. *Apud Rosweydum in Appendice* (5) *loco Tithoe, legitur Sisoe.*

m *Eadem in Vitis Patrum loco in margine indicato abbati Moysi tribuuntur.*

n *In Rosweydi Appendice inter* Ægyptiorum Patrum sententias auctore græco incerto, Martino Dumiensi ep. interprete, *num.* 1. *idem Apophthegma paulo prolixius est et adjicitur aliud quod apud Cotelerium deest. Utrumque recitabo in Appendice* E *ad ea quæ ex laudato Cotelerio deprompsi. Infra num.* 6 *et* 7.

o *S. Dorotheus Doctrina seu Institutione* XIV *ex interpretatione Corderi nostri :* Hoc est autem quod abbas Joannes ait : Vellem ego hominem assumere pauxillum quid cujuslibet virtutis, et non ut aliqui faciunt, unam tantum virtutem amplecti et in ea hærere, eamque solam exercere, cæteras vero negligere. *Confer Appendiculam quam subjicimus, n.* 9.

p *Eadem extensius dantur in Appendice nostra num.* 2, *ex veteri interpretatione Lausiacæ, quam habet Rosweydus.*

APPENDIX EX VARIIS.

Dicebat abbas Joannes quibusdam fratribus : VI, IV, 12 *et* III, 84.
Quia fuerunt tres philosophi amici, quorum unus moriens alteri reliquit filium commendatum ; qui in ætate juvenili provectus, nutritoris sui adulteravit uxorem. Quo scelere cognito, missus est foras. Deinde cum plurimum pœniteret ; non ei concessit regressum ; sed ait illi : Vade, et esto F tribus annis inter damnatos qui metalla in flumine deponunt et sic indulgeo tibi culpam tuam. Quo post triennium redeunte, rursus ait : Vade alios tres annos ; da mercedes ut injurias patiaris. Ille vero fecit sic alios tres annos. Qui dixit ei : Veni ergo nunc ad civitatem Atheniensium *a* ut philosophiam discas. Erat autem ad portam civitatis quidam senex philosophus sedens atque intrantes contumeliis afficiebat, injuriavit ergo et juvenem illum. At ille injuriatus risit. Cui senior ait : Quid est hoc, quod tibi ego injurias facio et tu rides ? Dicit ei juvenis : Non vis ut rideam qui tribus annis, ut injurias paterer dedi mercedes, et hodie gratis eas patior ? Prorsus ob hoc ego risi. Dixitque ei senex : Ascende et ingredere civitatem. Cumque hoc retulisset abbas Joannes, dixit : Hæc porta Domini et patres nostri per multas injurias in ea gratulantes ingressi sunt. *Joannem hunc S. Joannem Parvum esse conficitur ex postremis verbisque eidem alibi tribuuntur. Vide Apophthegma* XXII *et Annotatum ad illum locum. Eadem porro habet*

(1) Biblioth. Patrum Lugduni. 1677, t. XVIII, p. 52. — (2) Ephræm Syri Opera. Antuerp. 1619. p. 387-88. — (3) Cotelerii monum. græca, t. I, p. 369. — (4) Ibid., p. 700. — (5) P. 1001 Palladii Lausiaca, lib. XX, cap. XIX.

EX EDITIS. *habet Rufinus apud Rosweydum lib.* III. *c.* 84 : Cujusdam philosophi discipulus peccavit; et cum sibi indulgeri vellet, dicit ei philosophus : Non tibi indulgeo, nisi in his tribus annis portaveris onera aliorum. Cui reverso post tres annos *etc. Reliqua verbis vix differunt.*

2 *In veteri quadam editione Lausiacæ Palladii cap.* XI *hæc leguntur* (1) : Dicebant sancti patres de sancto Joanne, qui cognominabatur Colob, quia cum de messis opera reverteretur valde fatigatus, repræsentabat se sanctis senioribus, factaque cum eis oratione, statim pergebat ad cellam suam et per multa tempora in silentio vacabat orationibus et lectionibus ac meditationi scripturarum sanctarum, et opera manuum quotidie exercens, nullum ad se permittebat venire. Dicebat enim : Quoniam per occasionem in messis opere dispergitur et pervagationem patitur mentis intentio et ideo diversis cogitationibus obligatur. Addebat autem sibi magis abstinentiam dicens : Quia propter laborem messis in diebus illis quotidie panem in saturitate edebam. Nunc autem quoniam in cella mea quiesco, oportet me abstinentiam et vigilias addere ut compensetur et reparetur quod in illis
B diebus intermissum est.

3 Quidam ex fratribus interrogaverunt hunc ipsum Beatum Joannem de causa abstinentiæ. Et respondit dicens : Quia Daniel propheta dixit : Panem in concupiscentia non comedi. Dicebat etiam monendo fratres : Considerate, dilectissimi,
III, 66. quoniam nihil fortius est in bestiis leone, et tamen propter ventrem suum cadit in laqueum, et illa feralis et magna fortitudo ejus humiliatur.

III. 92; V. XVI, et Supra Apoph. VIII. 4 Abbas Joannes dum sederet inter fratres et singuli eum de propriis cogitationibus inquirerent, atque ille responsum omnibus daret, quidam senex ex invidia dicit ei : Sic est hic Joannes quomodo mulier meretrix ornans semetipsam ut congreget sibi amatores. Cui abbas Joannes ait : Verum dicis, abba, et non est aliter, nam et hoc ipsum Deus tibi revelavit. Respondit illi iterum ille senex dicens : Nam et vas tuum, Joannes, veneno plenum est. At Joannes ait illi : Sic est, abba, ut dixisti, et hoc dicis quia illa tantummodo quæ deforis sunt vides; nam si ea quæ intrinsecus sunt videres, quanto plus haberes quod diceres? Et post hoc quidam ex discipulis ejus dixit ei : Non es conturbatus interius, abba, in verbis senis hujus?
C Cui ille respondit : Non, sed sicut sum deforis, ita sum deintus.

III, 135 et Supra Apoph. XXI. 5 Solebat dicere abbas Joannes : Parvam sarcinam dimisimus, id est non ipsos reprehendere; et gravem portare elegimus, id est ut nos justificemus, et alios condemnemus. D

6 Abbas Joannes (2) dicebat ad discipulos suos : Patres manducantes panem tantum et salem, fortes facti sunt in opere Dei, dum angustiarent seipsos; constringamus ergo nos in ipso pane et sale. Oportet enim servientes Deo in ipsis coarctari, quia ipse Dominus dixit : Arcta et angusta est via quæ Matth. 7. ducit ad vitam.

7 Interrogavit frater eumdem senem dicens : Jejunia et vigiliæ quas agimus quid faciunt? Respondit : Ipsa faciunt animam humilem fieri. Scriptum est enim : Vide humilitatem meam et laborem meum et dimitte omnia peccata mea. Si enim laborat in his anima, miseretur et condolet illi Deus.

8 .....Hujuscemodi fuisse novimus (3) eum, qui in fovea solitaria quiete silebat, Joannem Parvum, sive potius præmagnum monachum, qui ex Dei consortio mansit immotus, dæmone in speciem draconis circumvoluto ejusque carnes mandente et in faciem ejus eructante.

9 Frater aliquis percontatus est abbatem Pœmenem : Potestne homo confidere in una actione? Respondit senex abbatis Johannis Curti sermonem E exstitisse : Ego cupio ex omnibus virtutibus nonnihil assumere (4).

10 Item retulit *(abbas Pœmen)* quod si quis frater adiisset abbatem Johannem Curtum, tradebat ei ille caritatem de qua apud Apostolum legitur : Caritas patiens est, caritas benigna est (5).

11 *b* Frater percontatus est abbatem Pœmenem Miscellan. Vossii p. 132, 133. *b* hoc modo : Quare non permittor libere loqui cum senibus de cogitationibus meis? Et senex retulit ei sententiam abbatis Johannis Curti : In nullo ita gaudere inimicum, ac in iis qui volunt manifestare III, 177. cogitata sua (6).

ANNOTATA.

a *Rosweydus hic Gregorium Nazianzenum adducit, in oratione de S. Basilio ritum describentem quo tirones Athenis excipiebantur.*

b *Miscellanea in margine indicata, ea sunt quæ Vossius edidit cum Operibus S. Gregorii Thaumaturgi, sed editio mihi non est ad manum. Rufinus lib.* III. 177 *apud Rosweydum hæc habet :* Abbas Pœmen dixit : In nullo sic gaudet inimicus, quo- F modo in illo qui non vult cogitationes suas manifestare.

(1) Append., p. 994. Cfr. supra Apophth. XXXV. — (2) Ex Append., p. 1002. Vide Annotat., p. 1002 ad. Apoph. XXIX. — (3) Ex S. Nili Opusculis Romæ 1673, p. 502, tractat. de Orat., cap. 107.—(4) Coteler. Monum. eccles. græc., t. I, p. 602 de S. Pœmene Apoph. XLVI et in Actis Sanctorum ad 27 Augusti. — (5) Ibid., LXXIV. — (6) Ibid., CI.

A D

DE S. CLEMENTE, PRESBYTERO ET CONFESSORE

LAUDE POMPEIA IN ITALIA.

SYLLOGE HISTORICA.

V. D. B.

Laus Pompeia vetus et nova ; S. Clementis cum S. Bassiano episcopo suo gesta.

CIRCA ANNUM CCCC. *Laude Pompeia*

Laus Pompeia antiquissima civitas, quam a Gallis Boiis ædificatam volunt (1), *sub sæculi finem* III *episcopalis sedes facta videtur* (2). *Secundum Tabulam Peutingerianam et Antonini Itinerarium* XVI *P. M. a Mediolano distabat* (3), *donec mense Junio anni* 1111 *a Mediolanensibus extremum excidium passa est* (4). B *Verum anno* 1158 *imperator Fredericus Barbarossa civitatem novam ædificandam curavit* (5), *quæ quatuor circiter passuum millibus a veteri distat. Hæc, quæ nunc inter rivum Lambrum et Addam vicus est,* Lodi Vecchio *appellatur* (6) *et amplissimæ urbis vestigia etiamnum refert; illa* Lodi, *Neapoleonis imperatoris victoria celeberrima, jacetque ad Addam fluvium Mediolanum inter et Placentiam. Anno* 1163, *nova constructa ecclesia, præsentibus imperatore Frederico et Victore antipapa, multa celebritate* extra ecclesiam majorem de Laude veteri corpus *S. Bassiani episcopi et patroni Laudensis* ad novum Laudæ transvectum est (7), *atque ex hoc tempore hic etiam sederunt Laudenses præsules. Adeoque quum S.* Clemens *sæculo* IV *exeunte floruerit, et sæculo* XVI *exeunte officium ecclesiasticum de eo fieri cœperit, vita ejus ad Laudem veterem maxime pertinet, cultus ad novam.*

præsenti die ab anno saltem 1583 *colitur* S. Clemens,

2 *In Martyrologiis classicis S.* Clementis *nomen omnino non apparet, neque in Calendariis, quantum novimus, aliquantum vetustis. Verum ad præsentem diem signatur ejus nomen in Martyrologio universali Castellani, in Hagiologio Italico, in Ca-* C *talogo generali Sanctorum Ferrarii et in ejusdem Catalogo SS. Italiæ. Et quidem recte ; nam, ut habet Ferrarius* (8), ab episcopo Bossio Novariensi, Laudensis diœcesis apostolico visitatore, in tabulas Ecclesiæ *Laudensis* referri et celebrari hac die illius natalem præceptum est. *Francisci Bossii, antea episcopi Perusini, deinde procurante S. Carolo Borromæo anno* 1579 *ad cathedram Novariensem translati, laudes maximas apud Ughellium* (9) *videre licet. Jussus fuit a Gregorio XIII diœceses Genuensem, Laudensem, Burgensem ac S. Domnini visitare* (10)*; quo munere apud Laudenses functus est anno* 1583, *ut ex his quæ de visitatione corporis S. Bassiani Zaccaria* (11) *habet, palam fit. Ab hoc itaque tempore magis invaluit S.* Clementis *cultus.*

cujus encomium texuit Ferrarius.

3 *Omnino vero pauca de hoc Sancto ad nos pervenere. Ex monumentis Ecclesiæ Laudensis hæc collegit Ferrarius :* Clemens presbyter Laudensis, *inquit* (12), sanctitate florebat, cum S. Bassianus episcopus Laudem venit. Cui, quum urbs esset sine episcopo, divinitus revelatum est Bassianum episcopum Ravennæ agentem a Deo præordinatum esse, et populum ut eo mitteret, qui eum Laudem deducerent, admonuit. Cum vero Bassianus episcopatum cœpisset, Clemente usus est familiari ; eumque, cum ad episcopum S. Ambrosium visendum E pergeret Mediolanum, comitem suum adhibuit. Is denique, ubi Domino in omni sanctitate famulatus esset, obiens abiit in cœlum XVI Kal. Novembris.

Ei Deus S. Bassianum episcopum eligendum esse

4 *Prior hujus encomii pars fidelis breviatio est eorum quæ in Vita S. Bassiani leguntur. Traditur enim ibidem* (13), *vacante sede, triduanas a populo Laudensi rogationes secundum leges tunc vigentes* (14) *institutas fuisse.* Quorum devotioni auditu benigne inclinato, Clementi ejusdem Ecclesiæ venerabili presbytero, dum quieti artus committeret, postulata his verbis a divina pietate nuntiata fuisse : Bassianum, gemmis cœlestibus insignitum, vobis divinitus præponendum scitote, qui suorum jam securus, pro aliorum excessibus rogare non desinit, multosque Ravennatium, apud quos Deo militat, honestis moribus informare satagit. Tunc Clemens, *ita pergit biographus,* revelatione gavisus, accitis de clero et populo religiosis, audita refert. Protinus duos facundia et conversatione pollentes eligunt, per quos ad virum Domini legationem sacram confidenter referunt. *Sequitur dein narratio de visione S. Bassiani, hos ad se venire cœlitus intelligentis, deque ejus Laudem adventu et episco-* F *patu. Verum licet hic multa occurrant, quæ utpote ad modum eligendi olim et inthronizandi episcopos pertinentia maximi sunt momenti, ut animadvertit Zaccaria* (15), *ea tamen mittimus utpote minus ad S.* Clementis *laudes facientia.*

inter annum 373 *et* 378 *revelavit.*

5 *Atque hinc intelligitur quo ævo vixerit sanctus ille presbyter; quum enim, ut ex citata Vita elicitur* (16), *S. Bassianus die ultima anni* 373 *cathedram Laudensem adeptus sit, aut die prima anni* 378 *secundum lectiones secundi nocturni in ejus festo recitatas* (17), *aut die ultima anni* 376 *juxta inscriptionem veterem* (18), *aut tandem, prout volunt Ughellius* (19) *et Zaccaria* (20), *die prima anni* 374, *vel denique (ut diem Dominicam pro inthronizatione habeamus et simul adhæreamus potius consuetudini et traditioni Ecclesiæ Laudensis quam signis numeralibus, quæ in Vita sunt) die prima anni* 377 ;

(1) Cfr. Ughelli, ap. Zaccariam, Laudensium Episcoporum series, p. VII et 1. — (2) Zaccaria, Diss. 2, cap. I, n. 1, Op. cit., p. 65. — (3) Ibid., p. X. — (4) Ibid., p. 59. — (5) Morena, ap. Zaccariam, p. 62 et seq. et ap. Muratori scriptt. rer. Ital., t. VI, col. 1011. — (6) Zaccaria, p. X ; cfr. Carta amministrativa del regno d'Italia, edit. 1813. — (7) Morena, ap. Zaccariam, p. 63 et seq. et ap. Muratori, col. 1121. — (8) Catalog. SS. Italiæ, ad 17 Oct., pag. 654. — (9) Italia sacra, t. IV, col. 725, edit. Coleti. — (10) Ibid., loc. cit. — (11) Laudens. Episc. series, p. 92 et 93. — (12) Catalog. SS. Italiæ, p. 654. — (13) Act. SS., t. II Januarii, p. 224. — (14) Cfr. Zaccaria, op. cit., p. 68. — (15) Ibid., loc. cit. — (16) Act. SS., t. II Januar., p. 226. — (17) Ibid., loc. cit. — (18) Ap. Zaccariam, op. cit., p. 92. — (19) Ibid., p. 90. — (20) Ibid., p. 92.

V. D. B.

Et Mediolanum cum S. Bassiano ad sepulcrum S. Ambrosii et fallacem mercatorem divinitus detegi videt

nemo hinc non colliget S. Clementis *ortum saltem ad medium sæculum* IV *esse referendum.*

6 *Altera pars encomii non æque fideliter a Ferrario contexta fuit. Prout enim loquitur Ferrarius, crederes de visitando S. Ambrosio agi, dum hic adhuc in vivis esset. Sed secus res habet apud S. Bassiani biographum, ita loquentem*(1): Sequenti etiam tempore, *scilicet post mortem S. Ambrosii,* dum Mediolanum proficiscens S. Bassianus quatenus almi confessoris ejusdem suffragia appetenda postularet, factum est ut urbem ingressus quemdam dolose librantem stateram, Æthiopemque parvulum in lance una conspiceret. *Petiit a Deo sanctus vir ut et alii hujus rei essent testes.* Precibus itaque Deo oblatis, concessit cœlestis pietas Clementi presbytero atque Elbonio diacono idipsum, quod Patri sancto videre concesserat. *Statim fallacem mercatorem monuit S. Bassianus eumque ad Deum* D *convertit. Verum hæc iterum fusius a nobis prosequenda non sunt.*

post annum 397.

7 *Porro, quum secundum Henschenium S. Ambrosius obierit anno* 398, *seu potius secundum Maurinos ejus operis editores et Saxium* (2) *anno* 397, *hinc statuere licet aliam metam quam attigerit S.* Clemens. *Quocirca ejus mortem ad annum circiter* 400 *initio retulimus ; licet nil vetet aliquandiu etiam ejus vitam producere. Plura de hoc sancto colligere nequivimus. Ad litteras enim quas jam pridem Laudem destinavimus, hucusque responsum fuit nihil. Cæterum, quum ipse Zaccaria nil de ejus cultu aut memoria, etiam raptim, operi suo de Laudensibus episcopis inseruerit, et quum tam jejunus sit Ferrarius, cui tabulæ Laudenses patuere, non crediderim plura quam quæ tradidimus Laudensibus de S.* Clemente *innotescere.*

(1) Act. SS., t. II Januarii, p. 225. — (2) Archiepiscop. Mediolan. series, t. I, p. 89.

B DE S. DULCIDIO SEU POTIUS DULCITIO EP. CONF. E

AGINNI, LEMOVICIBUS ET CAMBARETI IN GALLIIS.

V. D. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus; distinctio a S. Dulcidio Tolosano ; nomen ; ævum ; translatio Martyrum Aginnensium.

INEUNTE SÆCULO V. S. Dulcidius, episcopus Aginnensis, die XVI et XVII Oct cultus,

* Agen.

Quemadmodum ad diem præcedentem inter prætermissos notatum fuit, S. Dulcidius, *Aginnensis* * *episcopus, Martyrologio Universali Claudii Castellani et Parisiensi Card. de Noaliis ad* XVI *Octobris annuntiatur. Et quidem, ut testes sunt Simon de Peyronnet* (1), *Ms. Breviarium Aginnense citans, et Dionysius Sammarthanus* (2), *cui præluxit Proprium Aginnense, fiebat olim atque etiamnum fit ejus festum ab Ecclesia Aginnensi hac die. Verum in diœcesi Lemovicensi jampridem propter occurrens S. Juniani* C *festum agitur S.* Dulcidii *natalis die* XVII *Octobris. Hinc Saussayus, cui adfuit in concinnando S.* Dulcidii *elogio Lemovicense Breviarium, retulit ejus memoriam ad* XVII *Octobris, itemque post eum Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum. Ast vix venia dignum est quod ille, postquam in opere satis recte Sanctum* Dulcidium *ad* XVII *Octobris signasset, in Supplemento* (3) *iterum ejus memoriam fecerit ad diem* VI *Octobris, festum S. Fidei Martyris Aginnensis, oblitus se de eo jam dixisse. Veruntamen eodem in errore ei prævii fuerant Grevenus, Martyrologium Germanicum, et priscum Florarium Ms. quod penes decessores erat, et comitem se addidit Ferrarius.*

a Simone Peyronnet probe distinguitur a S. Dulcidio Tolosano ;

2 *Hic vero* Dulcidius *distinguendus est ab alio qui in diœcesi Tolosana colitur, et de cujus cultu male dubitavit Papebrochius* (4). *Quam in rem factu optimum videtur Simonis Peyronnet, viri Tolosani, recitare verba* (5) : Doux, *Dulcius,* seu *Dulcidius,* Confessor, S. Germerii antistitis Tolosani discipulus, cujus fit mentio in Vita ejusdem S. Germerii, quæ exstat tom. II Sanctoralis Bernardi Guidonis episcopi Lodevensis, ex quo officia peculiaria diœcesis Tolosanæ XVI Maii, quo die venerantur ejus sacræ reliquiæ una cum S. Germerii in ecclesia parochiali S. Jacobi de Murello. *Ad eam diem antiquiorem Vitam, quæ præluxit Bernardo Guidonis, edidit Papebrochius* (6), *licet et ipsa genuina non sit, ut ostenderunt Occitaniæ historiographi* (7). *Alibi vero habet idem Simon Peyronnet :* Ejus *(S. Germerii)* ac discipulorum corpora, Dulcidii scilicet ac Pretiosi servat hodie ecclesia de Murello diœcesis Tolosanæ, ad quam asportata fuerunt ex veteri ecclesia priorali ejus nomini dicata, in qua F antea jacuisse manifesto liquet ex Cartulario visitationis ejus ecclesiæ, factæ anno 1407 a Willelmo Rigaudi abbate Lesatensi, cujus autographum videre licuit. *De cultu itaque S. Dulcidio Tolosano Murelli, non vero Mureti præstito, ambigendum non est.* Sed est et S. *Dulcidius, inquit Peyronnet,* qui et *Dulcius* et *Dulcidius,* episcopus Aginnensis in Aquitania, qui SS Fidei et Caprasii Martyrum cineres transtulit et utriusque memoriæ basilicam consecravit, ut habetur in Actis horum Martyrum apud Surium VI Octobris et in Breviario manu exarato Aginnensi, cujusque corpus, uti legitur in Proprio Aginnensi die XVI Octobris, qua die colitur ab Ecclesia Aginnensi officio duplici, ad Cambaretum, *Chamberet,* vicum Lemovicensis diœcesis est translatum, ubi inter cætera ejus ingentia miracula Cardiaci sanantur, vulgoque *S. Doux* et *S. Doulcet* audit. *De posteriori itaque S.* Dulcidio *nobis sermo habendus est.*

Vita non videtur exstare ;

3 *Vitam ejus nancisci potuimus nullam, neque arbitramur eam uspiam exstare. In Catalogo qui-*dem

(1) Catalogus Sanctorum ac Sanctarum, p. 285. — (2) Gallia Christ. nov., t. II, col. 897. — (3) Martyrolog. Gallic., p. 1177. — (4) Act. SS., t. III Maii, p. 592. — (5) Catalogus Sanctorum, etc., p. 285. — (6) Act. SS., t. III Maii, p. 592. — (7) Hist. du Lang., t. I, Not. col. 672 et seq.

A *dem Bibliothecæ regiæ seu nationalis Parisiensis* (1) *signatur* Vita Beati Dulcii sive Dulcidii episcopi, *quam descripsit nobis R. P. Carolus Cahier ; verum nil aliud est quam finis Passionis SS. Fidei et Caprasii ; adeoque, quum textus turbatissimus sit, nullius frugis videtur esse posse. Quocirca pro documentorum penuria pauca tantum de S.* Dulcidio *colligenda sunt.*

ejus nomen erat potius Dulcitius ;

4 *Ejus nomen quam maxime varie scribitur.* Dulcius *et* Dulcidius *appellatur in memorato S. Fidei Passionis fragmento* ; Dulcius, Dulcedius *et* Dulcidius *dicitur a Simone Peyronnet ;* Dulcedius *et* Dulcissimus *a Saussayo, arbitrante esse nomina distincta ;* Dulcidius *in Martyrologiis Universali et Parisiensi necnon in Gallia Christiana ;* Dulcissimus *in Breviario Lemovicensi anni* 1625 ; Dulcis *tandem in prisco Florario seu Martyrologio Ms. quod decessores nostri habebant. Gallice eum appellat Castellanus* S[t] Doucis, *Simon de Peyronnet, ut vidimus,* Doux *et* Doulcet. *Atque hinc ipsas feminas sæpius, maxime in Aquitania, dictas fuisse* Dulcias *tradit idem scriptor* (2). *Ast in media hac varietate, quod demum seligendum?* Dulcidium *Sanctum nostrum appellatum esse in antiquioribus monumentis* (3), B *quin etiam potius attendendum videri dicendi modum Aginnensium quorum episcopus fuit, quam vicinorum Lemovicensium, qui eum a sæculo saltem* XIV Dulcissimum *appellant* (4), *dabo ego facile. Verumtamen arbitrarer neutrum nomen esse genuinum, sed dicendum esse* Dulcitium. *Nomina enim latina non per* dius *accrescunt, sed per* tius *aut* cius *pro varietate dialectorum ; dein sæculo* V *et* VI Dulcitii (5) *nomen comparet quidem, non vero* Dulcidii; *quod sæculo demum* IX *in Hispania oriri videmus* (6). *Et quidem in omnium optimo exemplari Passionis SS. Fidei et Caprasii, nempe Ultrajectino,* Dulcitius, *non autem* Dulcidius *legitur ; nihilominus ne turbemus lectorem, vocabimus eum* Dulcidium. *Introducto autem semel* Dulcidii *nomine, ex solita suppressione litteræ* d *inter duas vocales, ortus fuerit* Dulcius, *atque hinc vulgaris appellatio.*

verisimiliter occupavit cathedram Aginnensem initio sæculi V ;

5 *De tempore S.* Dulcidii *episcopatus fusius jam disputavit Ghesquierus noster in Commentario de S. Fide. Refert imprimis Tillemontii* (7), *Riveti* (8), *fratrum Sammarthanorum* (9) *et Dionysii Sammarthani* (10) *de hoc argumento inter se non ita discrepantes sententias, ostenditque valde probabile esse S.* Dulcidium *circa iniens sæculum* V *Aginnensem* C *cathedram occupasse. Urget* (11) *imprimis auctoritatem Aginnensis Breviarii, in quo traditur post mortem sanctissimi præsulis Phœbadii, magistri sui,* Deo volente, omnique populo acclamante in episcopali cathedra constitutus ; *in quæ animadvertam ea tanto majoris esse ponderis, quo accuratius veterem eligendorum episcoporum formam referat* (12). *Pro secundo argumento urget Ghesquierus uxorem Ragnovaldi anno* 581 *confugisse in ecclesiam S. Caprasii, a S. Dulcidio ædificatam tamquam ad antiqua religione venerandum asylum; verum S. Gregorius Turonensis* (13), *ex cujus scriptis hæc depromuntur, non habet hæc verba :* Ad antiqua religione venerandum asylum, *nec alia similia. Nil aliud vult Francorum historicus quam ea occasione violatum fuisse jus asyli ; quod quum ad ecclesias æque novas ac veteres pertineret, minoris ponderis fit Gregorii locus ad referendam structuram Caprasiani templi ad sæculum* V *potius quam ad* VI *: unde seponendam arbitramur hanc probationem. Tertium argumentum desumit Ghesquierus ex traditione Ecclesiæ Aginnensis, secundum quam, teste Labenazie, S. Caprasii basilica exeunte sæculo* IV *ædificata fuerit a S.* Dulcidio *jam episcopo. Quartum argumentum repetit ex ætate scriptoris Actorum SS. Fidei et Caprasii, coævi (ut videtur) S.* Dulcidii, *et quem arbitratur ineunte sæculo* V *vixisse. Ex omnibus his argumentis crederem Breviarii Aginnensis testimonium validissimum esse. Fratres Sammarthani et post hos Dionysius Sammarthanus indubitanter asserunt S.* Dulcidium *anno* 504 *cathedram Aginnensem tenuisse ; sed unde hauserint non produnt, quin etiam continuo subjiciunt* de eo in antiquis monumentis nil reperiri, *nisi quæ ad translationem SS. Fidei et Caprasii spectant.* V. D. B.

transfert corpora SS. Fidei et Caprasii,

6 *Et recte quidem : quocirca hanc jam translationem ex vetustissimo illo scriptore, adjectis Ghesquieri animadversionibus exhibeamus :* « Quo in loco *(inquit ille anonymus* (14), *de prima sepultura loquens)* multis annorum recursibus Sancta jacuerunt corpora *(SS. Fidei, Caprasii, Primi et Feliciani)*, donec, ablata omni gentilitatis prophanitate, S. Dulcidius * episcopatum susciperet et pastoralem curam gerens pro omnium salute vigilaret. Cui præsuli ante omnia placuit, ut Sanctorum reliquias ab indecenti elevans loco, in eorum veneratione, nova constructa basilica, in lucem efferret, ecclesia ipsa sanctæ Virginis titulo dedicata. Qui cum tantum thesaurum aperiret, non tamen incredulus, sed metu et reverentia territus, diutius dubitaret ; ad ultimum per noctis quietem admonitus, ne negligenter dimitteret, quod fideliter cœperat, convocatis monachorum turbis ac cæteri ordinis prælatis, secretum suum omnibus detegit, quorum consilio adjutus ad effectum usque perduxit. Eorum autem votis cætera plebs concordans Sanctorum reliquias de loco ignobili honorifice erigunt et in locum sacrum statuunt, quorum meritis ad salutem omnium innumera cœlitus patrantur miracula. *Hæc S. Fidei ecclesia erat, teste scriptore translationis Conchensis, foris murum urbis ad septentrionale clima in suburbio* (15). E

* Dulcitius *in Ms. Ultrajectino.*

et non duas sed unam ædificasse videtur

7 « *Porro non in hac, sed in ecclesia omnino diversa, S. Caprasii ac reliquorum fortassis Aginnensium Martyrum corpora a S.* Dulcidio *condita fuisse apertissime declarat ipse scriptor, ita pergens :* F Sanctum vero Caprasium INTRA muros urbis ad ecclesiam, ibidem *(ab ipso* Dulcidio, *ut fert antiquissima traditio)* fundatam detulit, cumque consimili honore in sarcophago item marmoreo diligentissime posuit. *Consentit, qui et fortassis (ut æstimat Ghesquierus) anonymo illi prævivit Translationis secundæ metrice conscriptæ auctor, duasque pariter adstruens ecclesias, in quarum altera S. Fidei, in altera vero S. Caprasii corpus conditum fuit, juniorem ab antiquo anonymo dissentientem conciliat, dictisque lucem affundit, dum in una quidem eademque basilica SS. Fidei, Caprasii aliorumque Martyrum exuvias in lucem elatas decenterque compositas a* Dulcidio *fuisse, at sanctæ Martyris corpus deinde in suburbana ecclesia, aliorum vero corpora in ipsius urbis majori basilica decenter tumulata fuisse insinuat, ita de* Dulcidio canens :

(1) Catalogue de la Biblioth. nation., t. IV, Mss. in append., p. 512, n. 3809. A. Vita 51. — (2) Catalogus Sanctorum, etc., p. 472. — (3) Translatio Metrica S. Fidis, Act. SS., t. II Octob., p. 290; Translatio altera, ibid., p. 295. Acta S. Fidei, ap. Labbe, Bibliot. nov. Mss., t. II, p. 530 et seq. — (4) Cfr. Bernardus Guidonis, Opusc. Hist ap. Labbe, Biblioth. nov. Mss., t. I, p. 633. — (5) Cfr. Labbe, Concil. ind., episcoporum, col. 89.— (6) Ibid. loc. cit.— (7) Mémoires pour servir à l'Hist. eccl., t. IV, p. 543. — (8) Hist. litt., t. III, p. 373. — (9) Gall. Christ. vet., t. II, p. 70.—(10) Gall. Christ. nov., t. II, col. 877. — (11) Act. SS., t. II Octob., p. 271. — (12) Cfr. inter alios plures Zaccaria, Laudensium Episcop. series, p. 68 ; item Martenius, Thomassinus, etc — (13) Hist. Francor., lib. VI, cap. XII, ap. D. Bouquet, t. II, p. 274.— (14) Act. SS., t. II Sept., p. 272. — (15) Ibid., p. 273.

V. D. B. *canens* : Iste diu absconditas invenerat reliquias Fidei, præclaræ martyris, una cum suis sociis, quæ intra urbis mœnia in majori ecclesia, quæ capitalis aderat, decenter composuerat ; solius autem Virginis corpus seorsum condidit in quodam ædificio, constructo in suburbio. » *Hactenus Ghesquierus* (1), *duplex adstruens templum.*

ecclesiam, scilicet S. Caprasii.

8. *Verumtamen quum auctor antiquissimus Passionis SS. Fidei et Sociorum unius tantum ecclesiæ meminerit ; quum similiter Hildebertus* (2) *in Carminibus de eadem Passione loquatur de uno tantum templo ; quumque demum tertio plane hi affirment corpora SS. Martyrum in uno eodemque condita fuisse loco ; crediderim audiendos non esse scriptores Translationis Conchensis, quorum alter post annum* 937, *alter inter annum* 1020 *et* 1060 *manum calamo admoverunt* (3), *et proin unam tantum a S.* Dulcidio *constructam fuisse ecclesiam, alteram vero quæ sæculo* x *exstaret ab aliquo e suis successoribus. Quodsi quæratur quænam sancto præsuli debeatur, respondendum videtur S. Caprasii, quæ erat intra urbis mœnia et de qua sermonem habet S. Gregorius Turonensis. Neque obstat quod in antiqua Passione SS. Fidei et Sociorum legatur :* Ecclesia ipsa Sanctæ B Virginis titulo dedicata ; *id recentioris temporis additamentum esse ex codicibus Mss. ostendit collega meus in Commentario de S. Caprasio num.* 30, *quem in præsenti volumine ad diem* xx *Octobris habes. Quod additamentum quum S. Hildeberto quoque præluxerit, nil mirum quod ipse quoque adscripserit S.* Dulcidio *ecclesiæ S. Fidei fabricam, omiserit vero templum S. Caprasii. Alia S.* Dulcidio *attributa gesta in annotatis ad ejus lectiones dilucidari poterunt. (Vide supplementum ad finem hujus tomi pag.* 1106 *et* 1107.*)*

VITA S. DULCIDII

Ex Breviario Lemovicensi anno 1625 edito.

C

S. Dulcidii, episcopi Aginnensis, zelus laudatur.

Dulcissimus *a*, regali Francorum sanguine genitus *b*, adolescens audita Fedarii *c* episcopi Aginnensis fama, ad eum relictis omnibus se contulit. A quo in divinis litteris apprime edoctus, mirum quam brevi post tempore in ipsis profecerit, pietatemque magna cum omnium admiratione exercuerit. Quare statim cognita egregia animi indole, diaconus *d* ordinatur, ac futurus Aginnensium episcopus, consentientibus omnium votis *e* designatur, neque conceptam de se opinionem fefellit. Nam ad eam promotus dignitatem, ita in pauperes beneficus fuit, ut nihil sibi suorumque usibus reservaret. Fidem catholicam acerrime propugnavit et in exstirpandis hæresibus, præsertim impietate Ariana totam fere vitam traduxit *f*. Post tot labores et certamina, gravis annis, vitæ sanctitate et miraculis clarus, decimo septimo Calendas Novembris *g* feliciter obiit. Cujus corpus postea Cambaretum *h* vicum diœcesis Lemovicensis delatum est : ubi inter cætera ejus ingentia miracula cardiaci *i* sanantur.

D

ANNOTATA.

a *De varia hujus nominis forma diximus in Commentario num.* 3.

b *Frustra tereremus tempus, si hujus asserti examen instituerimus. Vel ipsum nomen fabulam prodit : non enim latina nomina filiis suis dabant Franci. Præterea circa annum* 400 *Aquitaniæ nequaquam dominabantur Franci.*

c *Imo Phœbadii episcopi, qui Ecclesiæ Aginnensi ab anno* 347 *ad annum saltem* 392 *præfuit* (4). *Ejus gesta illustravit Henschenius ad diem ejus natalem* xxv *Aprilis* (5).

d *Sæculo* xvii *interpretabantur S.* Dulcidium *archidiaconum fuisse* (6) ; *nec male, quantum primorum temporum diaconi munia conveniunt cum officiis archidiaconi recentioris ævi.*

e *Breviarium Aginnense, ut num.* 5 *docuimus, non tantum de omnium votis, i. e. cleri et populi, mentionem facit, verum etiam de acclamatione populi. Hoc loco et in Breviario Aginnensi innuitur S.* Dulcidium *S. Phœbadio successisse. Culpat Dionysius Sammarthanus*(7) *Bollandum, quod in Annotatis ad Vitam S. Hilarii Pictaviensis* (8) *Gavidium inter S. Phœbadium et S.* Dulcidium *posuerit, nullo fretus argumento. Verumimprimis hæc scriptio non est Bollandi, sed Henschenii* (9). *Deinde non hæc est singularis hujus solertissimi viri sententia, sed consequentia receptissimæ opinionis de patria S. Sulpicii Severi. Quum enim hic* (10) *de S. Phœbadio Aginnensi loquens dixisset :* Noster Fœgadius et Servatio Tungrorum episcopus, *senserunt Scaliger, Rosweidus, Dupinius, Natalis Alexander, Bailletus, Clericus, Tillemontius (dubius tamen) et alii* (11) *Sulpicium fuisse patria Aginnensem ; hinc quum idem scriptor paulo ante dixisset* (12) : Hoc ego Gavidium episcopum nostrum quasi obtrectantem referre solitum audivi, *æstimavit Henschenius Gavidium Aginni sedisse circa annum* 402, *quum totus esset Sulpicius in sua conscribenda historia* (13). *Verumtamen argumentatio hæc minus certa videtur, quoniam multiformis est vocabuli* noster *apud Sulpicium usus* (14). *Adde Sulpicium Severum potius Tolosæ stabilem suam sedem habuisse videri* (15). *Quocirca Henschenii sententiam propugnare non audemus, neque etiam prorsus improbabilem dicere.* E

f *Ejus decessor S. Phœbadius totam fere vitam verbo et calamo adversus Arianos pugnarat. Nec meliora erant tempora,* Dulcidio *episcopo ; quum anno* 414 *Gothi, Ariani omnes, Aquitania politi sint, ut habemus in Prosperi Tyronis Chronico* (16). *Atque ex hoc tempore paulatim Aquitaniæ et Occitaniæ ecclesias pastoribus et presbyteris viduatas fuisse, quum demortuis non liceret successores dare, res notissima est. Atque hinc forsan fit ut nullus post S.* Dulcidium *in Aginnensi cathedra reperiatur episcopus ad annum usque* 549 (17). F

g *Num.* 1 *Commentarii prævii diximus Aginni celebratum fuisse S.* Dulcidii *natalem die* xvi *Octobris ; quare ad præsentem diem eum transtulerimus, inveniet ibidem etiam lector.*

h *Cambaretum, gallice* Chamberet, *ad diœcesim Tutelensem nunc pertinet, quod per novam divisionem adscriptus esset præfecturæ Tutelensi* (dépt de la Corrèze, arr. de Tulle, cant. de Treignac). *Ab*

(1) Act. SS., t. II Sept., loc. cit. — (2) Vide infra in præsenti tomo ad xx Octob., de S. Caprasio. — (3) T. II Sept., p. 274. — (4) Gallia Christ. nov., t. II, col. 896. — (5) Act. SS., t. III April., p. 365 et seq. — (6) Gallia Christ. nov., tom. cit., col. 332. — (7) Ibid., col. 897. — (8) Act. SS., t. I Januarii, p. 790. — (9) Cfr. Papebrochius in Vita Henschenii, Act. SS., t. VII Maii, p. 4, et ipse Henschenius, t. III April., p. 365. — (10) Historiæ sacræ lib. ii, cap. xliv, opp., t. II, p. 234, edit. Hier. de Prato. — (11) Cfr. Hier. de Prato, Opp., t. I, Vita Sulpicii Severi, p. lvii. — (12) Hist. sacr., lib. ii, cap. xli, t. II, p. 223. — (13) Hier. de Prato, p. lxviii. — (14) Ibid., p. lvii, t. II, p. 222, 223, 234 et 235. — (15) Ibid., p. lvii. — (16) Ap. D. Bouquet, t. I, p. 638. — (17) Cfr. Gall. Christ. nov., t. II, col. 897 et seq.

Uzerchio

A *Uzerchio quinque distat leucas, octo a Tutela* (1). *Porro erat olim Cambaretum prioratus ab Userchiensi monasterio dependens*(2). *S.* Dulcidii *reliquiæ Cambareti asservantur saltem a sæculo duodecimo exeunte; quum Gaufredus, Vosiensis cœnobii prior, eoque florens ævo, scribat* (3) *:* Apud Chambaret cernitur bustum Dulcissimi, quem præsulem Agenni Sanctæ Fidis Acta fuisse declarant. *Similiter Bernardus Guidonis, qui ineunte sæculo* XIV *claruit :* S. Dulcissimus dulciter quiescit apud Chambaretum, quem præsulem *etc. Verum jam diu ante sæculum* XII *S.* Dulcidii *reliquias Cambaretum delatas crederem. Bernardus enim Andegavensis, quem satis illustravit Ghesquierus in Actis S. Fidei* (4), *in opusculo, quod circa annum* 1012 *Fulberto Carnotensi episcopo nuncupavit, hæc habet :* Urbs Aginnum, *inquit* (5), super omnes urbes Aquitaniæ multis olim Sanctorum patrociniis illustris emicuit, quibus pene omnibus temporum processu, ignoto quo nescio suo peccato, viduata remansit, partim vi, partim furto sublatis. Invenies, Aquitaniæ viator, quod ipse experimento comperi, diversis in locis qui tibi dicant : Hoc est corpus illius martyris ab Aginno translatum; hic illius virginis vel confessoris, vel tanta portio illius Sancti. *Licet autem bustum seu sepulcrum S.* Dulcidii *Cambareti esset et populorum veneratione honestaretur, id tamen ita intelligendum non est quasi nihil de reliquiis Aginni remansisset vel potius postliminii jure receptum fuisset. De Claudio enim de Gelas, ab anno* 1609 *ad* 1630 *Aginnensi episcopo, legimus* (6) : Reliquias S. Dulcidii episcopi et archidiaconi suæ ecclesiæ, ut hic *(scilicet Claudius de Gelas)* olim fuerat, capsa donavit argentea. V. D. B.

i *Cardiaci intelliguntur non tantum hi, qui corde laborant, verum etiam stomacho.*

(1) Dictionn. univ. de la France, t. I, p. 901.—(2) Gallia Christ. nov. t. II, p. 897. — (3) Labbe, Biblioth. nov. Mss. t. II, p. 286. — (4) Act. SS., t. II Septembr. p. 286 et seqq. — (5) Gall. Christ. nov. t. II, col. 896. — (6) Ibid., col. 932.

B

DE S. MAMELTA MARTYRE

E

IN PERSIDE.

SYLLOGE.

J. V. H.

Martyrologia; mors brevi post baptismum; distinctio a S. Mamlacha; Ecclesia CP.

PROBAD. SÆCULO V. *Varia Martyrologia Sanctam memorant.*

Optabat jam in suis Ephemeridibus Græcis Daniel Papebrochius noster *(1), ut sanctæ* Mamelchtæ *seu* Mameltæ *Acta aliquando invenirentur : sed ad hunc usque diem nihil de S. Martyre reperire licuit, præter ea quæ in sacris Ephemeridibus leguntur. In Octobri Græcorum metrico sub die* V *ejusdem mensis refert Papebrochius l. c. sequentem versiculum :*

Πέμπτῃ βλῆτο λίθοις καὶ θυμὸν ἀφῆκε ΜΑΜΕΛΧΘΗ.

Obruitur saxis quinta, expiratque MAMELCHTA.

C *Ad eumdem diem duplicem versiculum recitat Siberus in Ecclesiæ Græcæ Martyrologio metrico* (2) *:*

Ὁμοῦ λελουμένην μέ, Χριστέ, προσδέχου,
Μαμέλχθα φησί, καὶ λίθοις βεβλημένην.

Mamelchta, me jam, Christe, lotam, clamitat,
Et imbre saxorum protectam suscipe.

Kalendarium quoque CP. binis diebus, scilicet V *Octobris et* VI *Junii, memoriam S.* Mamelchtæ *celebrat, sed nihil præter nudum nomen adfert. De hoc tamen Kalendario latius infra agam.*

latissime vero Menologium

2 *Magis S.* Mameltam *illustrat Martyrologium Romanum hodiernum his verbis :* In Perside Sanctæ Mameltæ Martyris, quæ a cultu idolorum ad fidem angelico monitu conversa a gentilibus lapidata est et in profundum lacum demersa. *Quod encomium adhuc particulatius evolvit Menologium Basilii Imperatoris sub die* III *Nonas* (V) *Octobris, qua Sanctæ memoriam agunt Græci.* Ἡ ἁγία Μαμέλχθα ὑπῆρχε μὲν ἐκ Περσίδος, ἱέρεια δὲ τοῦ ναοῦ Ἀρτέμιδος, ἔχουσα καὶ ἀδελφὴν χριστιανήν. Κατενεχθεῖσα δὲ εἰς ὕπνον, εἶδεν Ἄγγελον Θεοῦ δεικνύοντα αὐτῇ τὰ μυστήρια τῶν χριστιανῶν. Καὶ ἀναστᾶσα ἔμφοβος, διηγῆται τῇ ἀδελφῇ. Ἡ δὲ ἄγει αὐτὴν πρὸς τὸν ἐπίσκοπον. Καὶ μαθὼν ἐπίσκοπος τὰ τῆς ὀπτασίας, εἶπεν αὐτῇ, ὅτι ὀφείλεις χριστιανὴ γενέσθαι· ἣν εὐθέως ἐβάπτισε, καὶ ἐδέξατο αὐτὴν ἡ ἰδία ἀδελφή. Ὅθεν μανέντες οἱ Ἕλληνες, ἐτιμωρήσαντο αὐτὴν, καὶ ἀπέκτειναν ἐν λίθοις, ἔτι τὰ ἐμφώτια τοῦ ἁγίου βαπτίσματος περιβεβλημένην. Καὶ ἔῤῥιψαν εἰς λάκκον βαθύτατον· ἐξ οὗ οἱ χριστιανοὶ μόλις αὐτὴν ἀνήγαγον. Προσελθὼν δὲ τῷ βασιλεῖ τῶν Περσῶν ὁ ἐπίσκοπος, καὶ αἰτήσας, ἔλαβεν ἐξουσίαν τοῦ καταλῦσαι μὲν τὸν ναὸν τῆς Ἀρτέμιδος, οἰκοδομῆσαι δὲ ἐκκλησίαν ἐπ᾽ ὀνόματι τῆς ἁγίας Μάρτυρος· ἣν καὶ κτίσας, ἐν αὐτῇ τὸ τίμιον αὐτῆς ἀπέθετο λείψανον. F

Basilii imperatoris:

3 *Quæ verba ex editione Annibalis Card. Albani latine sic sonant :* Sancta Mamelchta ex Perside fuit, templi quidem Dianæ sacerdos, sed sororem Christianam habens. Cum autem in somnis vidisset Angelum Dei sibi Christianorum mysteria ostendentem, excitata cum terrore de somno, rem omnem sorori aperuit : a qua ad episcopum adducitur. Episcopus vero intellecto visionis symbolo : Christianam, inquit, oportet te fieri. Statimque, illam, sororis manibus de sacro fonte susceptam, baptizavit. Quare vehementi furore correpti gentiles, multis excruciatam tormentis lapidibusque obrutam interfecere, splendida adhuc sacri baptismatis veste indutam, atque in profundissimum lacum demersere: unde vix a Christianis extracta est. Adiit autem Persarum regem episcopus, impetravitque, ut everso Dianæ templo, ecclesiam Sanctæ Martyris nomine excitaret : quod cum ædificasset, pretiosas ejus reliquias ibi deposuit. *Hæc Menologium Basilianum, quem præ-*

(1) Præf., t. I Maii, p. XLV. — (2) P. 318.

cipuum

J. V. B.

cipuum, ne dicam unicum fontem de gestis S. Meltæ *habemus.*

quod habet Sanctam habuisse sororem suam matrinam,

4 *Virum archæologiæ Christianæ curiosum non fugerint quædam in brevi licet Legenda enarrata. Imprimis habemus S.* Mameltam *a sorore pridem Christiana e sacro fonte susceptam fuisse,* καὶ ἐδέξατο αὐτὴν ἡ ἰδία ἀδελφή. *Antiquissimum esse susceptorum seu patrinorum, qui Græcis* ἀνάδοχοι *appellabantur, usum, jam a Tertulliano habemus, qui lib. de bapt. c.* XVIII (1) *susceptores* sponsores *vocat dicens :* Quid enim necesse est, si non tam necesse, *(agit de differendo baptismate parvulis extra casum necessitatis)* sponsores etiam periculo ingeri? qui et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt et proventu malæ indolis falli. *Unde et S. Augustinus epist.* XCVIII, *alias* XXIII *ad Bonifacium episcopum* (2) *patrinos vocat* fidedictores, *eosdemque, appellatione e juri civili derivata,* fidejussores *dicit S. Cæsarius Arelatensis* (3): Qui filios, *inquit,* aut filias excipere religioso amore desiderant, et antequam baptizentur, et posteaquam baptizati fuerint, de castitate, de humilitate, de sobrietate vel pace eos admonere non desinant et agnoscant se fidejussores ipsorum. *Notatu dignum est atque ad rem nostram propius*
B *spectat in Ecclesia Orientali licet heterodoxa venire eodem fidejussorum nomine patrinos, ut monstrat Jos. Sim. Assemani in sua Bibliotheca Orientali* (4).

et adhuc vestibus albis

5 *Alterum occurrit in Græca Legenda momentum non plane spernendum, scilicet S.* Mameltam *adhuc splendida sacri baptismatis veste indutam, lapidatam fuisse :* Ἔτι τὰ ἐμφώτια τοῦ ἁγίου βαπτίσματος περιβεβλημένην. *Est nempe satis notum, consuetudinis fuisse universalis, tam in Oriente quam in Occidente, ut recens baptizatis vestis alba imponeretur, qua per octiduum induebantur : cujus quidem ritus vestigium adhuc servatur in hodiernis ritualibus, v. g. Romano, quod præscribit ut* absterso loco inuncto, *scilicet vertice recens baptizati, sacerdos imponat* capiti ejus linteolum candidum, loco vestis albæ. *Similiter et græca Ecclesia in officio sancti baptismatis habet* (5): Καὶ ἐνδύων αὐτὸν τὰ ἀμφία λέγει : Ἐνδύεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα χιτῶνα δικαιοσύνης. Et induens cum suis involucris, dicit : Induitur servus Dei N tunica justitiæ. *Similia habent libri liturgici Orientales, quos videre licet apud Jos. Sim. Assemani l. c.* (6).

indutam occubuisse :

6 *Neque illud prætermittendum est vestem baptismalem, qua induta fuit S.* Mamelta, *vocabulo*
C ἐμφώτια *designari,* (ἐμφώτεος splendidus *vertunt lexica*) *; quod quidem apud Archæologos, quos mihi consulere licuit, ad significandam vestem candidam non reperi : nam Græci passim baptizatos albis adhuc vestibus indutos* λευχειμονοῦντες *a verbo* λευχειμονέω albis induor *appellabant : utebantur quoque voce* Σάβανον *id est, pannus seu linteum asperius, siccando in balneis aptum, ut tradunt lexicographi. Verum autem Sabanum non tam vestem candidam significabat, quam linteum, quo ascendentes e sacro fonte abstergebantur. Tandem operæ pretium fuerit observasse in imagine S.* Mameltæ *vestem habere ornamentum versus scapulas scissuræ quasi simile, quod in aliis fœminis in Menologio Basiliano depictis non occurrit, nisi in S. Martyre Domna ad diem* XXVII *Decemb., quæ erat et ipsa sacerdos duodecim deorum in palatio. In viris senatorii aut militaris Ordinis, imo et in eunuchis idem ornatus recurrit. Ast hujusmodi ornamenti significatio aut interpretatio me fugit.*

7 *Joseph Simonius Assemani in sua Bibliotheca Orientali* (7) *aliquatenus insinuat* Mameltam *nostram eamdem esse cum S. Mamlacha, cum aliis duabus Virginibus Abiat et Hati passa. Quam opinationem patrui sui Stephani Evodii Assemani, tamquam factum indubitatum accipere videtur, dum dicit* (8): *Mamlacham Martyrologium Romanum* Mameltam *vocare, et, recitatis elogiis tum Romani Martyrologii tum Menologii Basiliani, addit :* Unde hocce elogium desumpserit *(Menologium)*, nos prorsus latet ; difficillimeque adducimur, ut verisimile esse, Saporem regem, adeo in Christianos furentem, templa Martyribus excitandi licentiam impertiisse credamus. *Et quidem recte Basilianam Legendam ad fabulas amandarit, posito Mamlacham eamdem esse cum nostra S.* Mamelta*: verum solidis, meo judicio, rationibus id in dubium vocat Stephanus Morcelli noster in Commentariis ad Kalendarium Constantinopolitanum, cujus verba refero* (9) : Assemanus, *inquit,* martyrium ejus pertinere putat ad annum CCCXLIV, quippe de ipsa mentionem fieri arbitratur in historia Martyrii Sanctorum Narsetis episcopi et Josephi discipuli ejus, quem Chaldaice a Marutha episcopo scriptam, ex codice Nitriensi Vaticano I edidit, et latine interpretatus est. Hæc autem interpretationis verba sunt : « Simili etiam E
exitu Christianam fidem consecravere Abiatha, Hates et Mamlacha Virgines ex provincia Bath Garmæa, a Sapore rege, cum forte in eo loco versarentur, supplicio affectæ. » Existimat scilicet Mamlacham hanc Virginem plane ipsam esse Græcorum Mamelchtam et Mameltam Latinorum. Enimvero in ejus sententiam libens concederem, si quæ de Sanctæ Virginis Mamlachæ exitu referuntur, cum iis convenirent, quæ in Menologio Basiliano legimus de Mamelchtæ martyrio : sed discrimen in hoc non leve deprehendimus. Primum enim nullas ei socias adscribi apparet. Tum necis ejus auctores fiunt οἱ Ἕλληνες non rex Sapores, et genus mortis additur quo extincta est sub ipsum baptisma, nondum albis depositis : Καὶ ἀπέκτειναν ἐν λίθοις ἔτι τὰ ἐμφώτια τοῦ ἁγίου βαπτίσματος περιβεβλημένην. Denique aliud omnino tempus indicant, quæ in fine narrantur de episcopo, cui rex Persarum indulserit, ut fano Dianæ everso, templum exstrueret, et Mamelchtæ Martyri dedicaret : in quo etiam Martyris Reliquias composuisse ille dicitur. *Hæc Morcelli : quibus addere licet Mamlacham, de qua agitur apud Assemanum, ab ipso reponi in Ordine* Filiarum fœderis, *seu Diaconissarum* (10); *quum nostra* F
Mamelta *uno quasi passu ab idolorum sacerdotio ad illustre martyrium transiverit.*

refutatur Assemanus confundens Mameltam *cum Mamlacha :*

passa videtur S. Mamelta *sæc.* V ;

8 *Quum itaque verisimile non sit eamdem Martyrem esse Mamlacham et* Mameltam, *ruit quoque Assemani conjectura circa tempus passionis, quod statuit esse annum Christi 344. Quoniam vero in iis, quæ adhuc conservata sunt de S.* Mamelta, *nihil occurrit quod tempus martyrii propius determinet, videtur ejus mortem incidere in illa tempora, quibus cessabant Persarum reges a persequendo Christianos. Etenim e Menologio supra allato liquet Sanctæ necem illatam fuisse a gentilibus, nulla interposita judicis sententia, et proinde in tumultu populari. Dein rex permisit, petente episcopo, ut everso Dianæ fano, templum sub titulo S. Martyris construeretur. Quare mihi satis placet assignare sæculum quintum martyrio : nam anno hujus sæculi* XXII, *ut habet Pagius* (11), *pacem cum Persis pepigit Theodosius,* Christianorum in Perside commorantium sanguini parciturus.

(1) Tertull. Oper., p. 465. Edit. Plantin. Pamelii an. 1584. — (2) S. Aug. Oper., t. II, col. 266. Edit. Maur. an. 1679. — (3) S. Aug. Oper., t. V. App. col. 441. — (4) T. III, part I, p. 536. — (5) Goar. Euchol., p. 355. — (6) Qui plura circa hos baptismatis ritus cognoscere voluerit, adeat Bingham Orig. Eccles., lib. XI, cap. VIII et lib. XII cap. IV. Selvagg. Antiq. Eccles., lib. III, cap. III, § V, cap. V. Binterim Denkw., t. I, part. I, 159 et 187. — (7) T. I, p. 190. — (8) Act. Martt. Orient. et Occident., part. I, p. 103, not. 10. — (9) T. II, ad diem VI Junii, p. 127. — (10) Act. Mart., part. I, p. 52. — (11) Crit. Baron. ad an. 422, § XI.

A parciturus. *Induciæ centum annorum tunc sancitæ fuere, neque dubitandum imperatores C. P. pacem Christianis pactos sartam tectam conservare voluisse, quæ etiam usque ad annum 502 perseveravit. Illo igitur intervallo Martyrium S.* Mameltæ *accidisse putem, et quum tumultuario Sancta lapidibus obruta fuisset, rex, ne fracti fœderis reus apud Romanos traduceretur, templum idoli Christianis permisit, ut ecclesiam construerent. Hæc utcumque verisimilia sint, tamen deperditionem veterum Actorum, quam doluit Papebrochius, reparare non possunt.*

habebatque olim C. P. duplicem festivitatem.

9 *Cæterum celebrem olim in C. P. Ecclesia fuisse S.* Mameltæ *cultum, monstrat jam supra laudatus Morcelli e duplici festo in ejus honorem instituto, scilicet die* v *Octobris et* vi *Junii. Qua occasione scite adnotat :* Dies hic alter (vi *Junii*) memoriæ Martyris ejusdem dicatus non exiguum præbet argumentum, quare censeamus Reliquias ejus Constantinopolim demum esse translatas, ejusque nomini ædiculam aliquam aut templum in regia urbe consecratum fuisse. Hic autem ut diximus *(ad diem* v *Octobris : annus enim in Kalendario Græco ab initio Septembris orditur)* translationis dies habendus esse videtur, quum cæteri fasti nihil hodie de Mamelchta habeant : iidem contra ad diem v Octobris plerique meminerint. Quamquam vel ipsa etiam ædis dedicatio satis caussæ esse potuit, quare rursum hoc die festum ageretur ; quemadmodum geminam ob id Cosmæ et Damiani in regia urbe celebritatem fuisse, mox paullo ostendemus. *Recte igitur ad* v *Octobris pronuntiaverat Morcellius hanc diem esse S.* Mameltæ *martyrio sacram.* J. V. H.

DE S. TROESIO, ABBATE ET CONF.

B E

NIVERNI IN GALLIA

SYLLOGE HISTORICA. J. V. H.

Sancti cultus; fundatio Buxidensis; tempus vitæ et obitus.

SÆC. V. VEL VI. Licet cultus S. Troesii certus, tamen

S. Troesius *seu* Trojecius *(gallice S.* Troé vel Trohé*) extra territorium Nivernense vix notus est, deque eo silent, si recentiores aliquot excipias, fasti ecclesiastici. Ejus itaque mentionem faciunt Martyrologia recentiora, Castellani, Parisiense Cardinalis de Noailles et Autissiodorense Caroli de Caylus, quod sic habet :* Apud Nivernenses, Sancti Troesii abbatis. Ejus nomine jam insignita erat Niverni sæculo nono abbatialis ecclesia, nunc parochialis, in qua Sancti abbatis corpus sub majori altari reconditum est. *Atque hæc sunt fere omnia, quæ de S.* Troesio C *ad nos pervenerunt, ut ad me die* vii *Augusti* 1847 *rescripsit R. D. Crosnier, parochus Donziacensis* (Donzy, Nièvre, arrond. de Cosne), *auctor hagiologii Nivernensis adhuc inediti. Profecto licet S.* Troesius *monachus et abbas fuerit, de ejus tamen gestis tacent auctores, qui de Sanctis Ordinis S. Benedicti scripserunt, quosque consulere mihi licuit. Joannes Mabillon in suis Annalibus neque verbo attingit S.* Troesium, *nisi ubi agitur de ecclesia et monasterio in ejus honorem constructis.*

incertæ sunt ejus res gestæ:

2 *Imo tam jejunæ sunt, quas habemus de S.* Troesio, *notitiæ, ut nullo certo argumento definiri liceat, quo sæculo floruerit. Id aperte significat citatum Martyrologium Autissiodorense, quando, ut qualicumque modo tempus Sancti nostri indicaret, dicit jam nono sæculo ecclesiam sub ejus nomine exstitisse. Nihilominus laudatus Nivernensis hagiologus censet S.* Troesium *circa sæculum septimum vixisse. Et hoc quidem verisimillime, si constaret certo Sanctum nostrum eumdem esse ac Trogetium seu Trecium, qui in diplomatis Cenomanensibus occurrit. Nam in Charta Caroli Calvi anni* 854 (1) *pro monasterio Deensi, hodie parochia S. Philiberti de Grandi-lacu* (St-Philbert-de-Grand-lieu, dépt Loire-Infér., arrond. de Nantes) (2), *dicitur* quamdam cellam, in pago Cenomanico sitam, in honore B. Petri, Apostolorum principis, a Sancto Trogetio fundatam..... monasterio Deas, in quo S. Filibertus habetur sepultus, conferri. *Atque eadem cella paulo infra* Bussogilum *appellatur. Si autem iste S. Trogetius idem sit cum S.* Troesio *nostro, quanto propius originem monasterii Bussogili attigerimus, tanto etiam accuratius ætatem Sancti inveniemus.*

F *videtur ex fundato Buxido,*

3 *Erat porro in episcopatu Cenomanensi duplex locus, qui nomine Bussogili seu Buxidi censebatur et* monasteriolum *habebat. Alter a S Lonegisilo fundatus sæculo* vii, *ut liquet ex ejus Vita, sub die* xiii *Januarii in Appendice edita* (3), *et ex Actis episcoporum Cenomanensium, in quibus sub Harlemundo episcopo dicitur fuisse* (4) monasteriolum quoddam, cujus vocabulum est Buxidus, quod.... Haduindus, supplicante et ordinante S. Lonegisilo.... in quodam vico canonico suæ sedis Ecclesiæ sanctificaverat, et monachos in eo una cum supradicto Sancto viro aliquos collocaverat. *Ast alterum Buxidum nobis exhibet charta quædam Caroli Magni anni* 802, *in qua inter monasteria juris Ecclesiæ Cenomanensis numeratur etiam* (5) monasteriolum S. Joannis et S. Trechii in Buxido, *et paulo infra in eodem instrumento* (6) *alterum* monasteriolum Buxidi *recensetur. Clare igitur duplex Buxidum manifestatur.*

quod postea S. Lonegisilus

4 *Nunc porro videndum est utrum Buxidum aliquando fundaverit S.* Trogetius *: et mea quidem sententia illud est præferendum, quod patronum*

(1) D. Bouquet, t. VIII, p. 531. — (2) Vales. Notit. Gall. Vo Herbatilicum, p. 245. Cfr. Vita S. Philiberti, t. ad XX August., t. IV, p. 87 annot. — (3) Act. SS., t. I. Januar. 1120. — (4) Mabillon Vet. Analect. 289. — (5) Ibid., p. 291. — (6) Ibid., p. 295.

nanciscebatur

J. V. H.

nanciscebatur S. Petrum Apostolum, ut fert charta Caroli Calvi citata num. 2. Ast ipsum monasterium, a S. Lonegisilo fundatum, eumdum patronum præferebat (1), *quod cæterum etiam præsumere licet ex historia mox narranda ; hæc enim habet Vita S. Lonegisili cap.* II *num.* 6 (2) : Quadam nocte *(S. Lonegisilus)* more suo oratorium *(Buxidense)* ingressus, ut matutinarum solemnia perageret, pavore subito turbatus est. Quam ob causam cognovit olim locum illum, publicis conventionibus dicatum, qui diversis Sanctorum Reliquiis fuerit adornatus. Sentiens cultum eorum ob negligentiam disperiisse, convocans concives, in quorum prædio commanebat, intimavit desiderii sui esse Romam orationis causa petere, postulans in eo itinere eorum vota se comitari. Progressus tandem ad loca beatorum asylorum, devotus orator accessit. Ibi siquidem coram Domino anxietatem cordis sui ingeminans, Sedis illius diutius flagitabat antistitem, ut mereretur exoptatum munus pignorum ab eo accipere. Multo certe labore pro hujuscemodi negotiis fatigatus, cum jam pene desperaret, ecce pridie quam reverti decerneret, ipsius noctis medio astitit ei Angelus Domini, cui et dixit : Lonegisile, quid inter curas B æstuas, quidve dejiceris ? Accingere igitur, et clam accedens ad aram B. Petri, quod inveneris, tecum defer. Continuo a visione surgens, exsequitur, quod sibi fuerat jussum, invenitque dentem Apostolorum Principis altari suo superpositum. Quem assumens, comitem reversionis suæ habuit, et, lætitia multa refectus, ad propria remeavit.

olim destructum instauravit :

5 *Ex hac narratione habemus imprimis rationem, cur S. Lonegisilus oratorium suum sub nomine S. Petri Apostoli dedicatum voluerit, nempe ob Reliquias, tam prodigiose Roma allatas. Sed simul etiam monstratur ante fundationem S. Lonegisili, atque adeo ante medium sæculum septimum exstitisse Buxidi locum* publicis conventionibus dicatum, qui diversis Sanctorum Reliquiis fuerit adornatus : *et id quidem tam diu ante ætatem S. Lonegisili, ut omnis ejus memoria penitus obliterata esset, ac nonnisi cœlesti visione reviviscere potuerit. Quid igitur impedit, quominus S.* Trogetium, *in charta Caroli Calvi citatum, dicamus prioris conventus seu monasterii fuisse fundatorem? Etenim per* locum publicis conventionibus dicatum, *monasterium intelligo ; quoniam, quando illuc advenit* C *S. Lonegisilus, locus non carebat sua ecclesia et clericis, ut aperte indicant Acta episcoporum Cenomanensium, quando ipse S. Lonegisilus dicit* (3) *se in Buxiaco vico canonico* detentum fuisse a presbyteris et pagensibus ejusdem loci. .. quia locus popularis erat et eleemosyna multa ibidem veniebat *etc. Quando igitur cœlestis visio Sancto viro manifestabat locum illum olim fuisse* publicis conventionibus dicatum, diversis Sanctorum Reliquiis adornatum, *non indicabat sane ecclesiam laicis destinatam, utpote quæ tunc jam existebat, sed conventum monachorum, qui suum olim habuerat fundatorem, S. Lonegisilo antiquiorem ; nam post hunc fundatio monastica non interrupta serie continuavit* (4).

unde Sancti tempus ad VI *sæculum est revocandum:*

6 *Quum ita se res habeat, probabile evadit* Trogetium, *fundatorem S. Petri in Buxido fuisse : sed simul etiam consequitur ejus institutionem, medio sæculo septimo jam penitus abolitam, ad sextum aut etiam quintum sæculum pertinuisse : ad quod tempus etiam referenda esset S.* Trogetii *ætas. Fateor qui-* D *dem hæc omnia satis ambigua esse ; sed ubi nihil certi occurrit, conjecturis probabilibus indulgere licet, maxime quia per similes quasi divinationes via sternitur quandoque ad aliquid certi attingendum. Interim diluenda est duplex difficultas : prior scilicet, qua in charta Caroli Magni citata, num.* 3, monasteriolum Sancti Joannis et Sancti Trechii in Buxido *memoratur, ubi S. Trechium facile S.* Troesium *interpreteris ; quocirca, siquidem diversus est patronus, etiam diversa videtur ecclesia ab ea, quam S. Lonegisilus fundavit. Non dicam plane illic agi de duplici monasterio, altero S. Joannis, S. Trechii altero, nam in singulari numero vox* monasteriolum *adhibetur ; sed numquid fieri potuit, ut in nomine primarii patroni pro Petro Joannes positus fuerit, sive id erroris chartæ originali obrepserit, sive ad transsumpta librariorum oscitantia accesserit ?*

dummodo non duplex fuerit Troesius.

7 *Sed restat altera difficultas, non sane spernenda, an scilicet S.* Trogetius, *in charta Cenomanensi laudatus, idem sit cum S.* Troesio, *Nivernensi. Id certe suadet peregrinitas nominis, quod cæterum nuspiam inveni, nisi in S. Trojæcia, Virgine Ruthenensi, ad diem* IX *Junii* (5), *ubi et nominis etymologia exponitur. Huc etiam facit, quod Sancti nullam men-* E *tionem apud Cenomanenses repererim, unde suspicio nascitur apud illos diem non obiisse supremum, alioquin sepulturæ quædam memoria superstes mansisset. Si autem supponimus S.* Troesium *Cenomanis Nivernum abiisse, atque hic post fundatum monasterium diem clausisse extremum, recte intelligimus, apud Cenomanenses, maxime abolito monasterio, nullam sui memoriam reliquisse. E contrario quamvis nihil apud Nivernenses reliquerit; quoad ejus res gestas attinet, attamen ejus tumulo nomen, cultus, et gloria perennant. Hactenus jejune satis de rebus gestis S.* Troesii.

Sancti corpus in ecclesia ejus nomine quievit,

8 *Nam ex Martyrologio Autissiodorensi discimus nono jam sæculo fuisse Niverni ecclesiam S.* Troesii *nomine insignitam. Hoc quidem constat ex diplomate Caroli Crassi, dato* XV *Kal. Januarii* 887 (6), *quo imperator, petente Emmeno, Nivernensi episcopo, confirmat omnes ecclesias episcopatus Nivernensis, inter quas venit* abbatia S. Troesii. *Perseveravit utcumque status abbatialis in hac ecclesia usque ad Hugonem II de Champaleman, qui cathedram Nivernensem ab anno* 1013 *ad* 1065 *tenuit* (7). *Hic enim circa annum* 1023 donat ad supplementum victus canonicorum Beati Christi Martyris et F infantis Cyrici et ejus matris Julittæ, quorum corpora hæc sancta mater amplectitur ecclesia, quamdam abbatiam in honore S. Troesii, confessoris et monachi, consecratam, et in suburbio hujus urbis sitam, cum omnibus suis appendiciis, videlicet terris, vineis, pratis, silvis, aquarumque cursibus, molendinis et furnis, consensu quidem et voluntate Euvrardi canonici atque præpositi, cujus beneficium esse videbatur (8). *Dixi supra statum abbatialem in S.* Troesii *ecclesia utcumque perseverasse ; tum quia data erat* in beneficium *Euvrardo canonico, tum quia nulla fit mentio monachorum, quorum tamen consensus ad alienationem fuisset necessarius, si ibidem status monasticus perseverasset.*

donec initio hujus sæculi ad ecclesiam S. Stephani translatum fuit.

9 *Sublato abbatiali titulo, ecclesia* S. Troesii *facta est parochialis sub patrocinio capituli Nivernensis, ut scribit hagiologus Nivernensis ; attamen collatio parochiæ pertinuisse videtur ad episcopum, ut habet Polyptychum istius diœcesis* (9). *Ad tempus*

(1) Annuaire hist. pour l'an 1838, p. 145.—(2) Act. SS., t. I Januar., p. 1121 . — (3) Vet. Analect., p. 205. — (4) Cfr. Piolin. Hist. de l'Egl. du Mans, t. I, p. 336. — (5) Act SS., t. II Junii, p. 178.— (6) Mabill. Ann. Bened., t. III, p. 638. Gall. Christ., t. XII. Instrum., col. 311. — (7) Gall. Christ., t. XII, col. 634. — (8) Ibid. Instrum., col. 323. — (9) Pouillé de Nevers, p. 7.

tamen

J. V. H.

A *tamen ista ecclesia* cum omnibus appendiciis *data fuit in usumfructum Hugoni, præposito Nivernensi, postquam hic cessisset præposituram capitulo, ut constat ex charta Hugonis episcopi, firmata a Leone IX in concilio Vercellensi anno* 1050 (1). *Anno* 1471 *die* XXVII *Januarii sepulchrum S.* Troesii, *quod tumulo lapideo constabat et sub altari majori reconditum erat, apertum fuit per officialem episcopi Nivernensis, Petri de Fontenay, ut habet sæpe laudatus hagiologus* (2). *Ast sæculo proxime præterito exeunte, circa annum* 1793 *destructa funditus fuit ista ecclesia ; sed felici piorum industria vastationi ereptæ fuerunt Reliquiæ S.* Troesii, *quæ hodie quiescunt in parochiali ecclesia S. Stephani Niverni, destructa æde vicina. Atque hæc sunt quæ de S.* Troesio *collegimus, non tam ut res gestas, nobis ignotas, illustraremus, quam ut debitam sancti viri memoriam hic consignaremus.*

(1) Gall. Christ., t. XII Instrum., p. 325. — (2) Cfr. Parmentier, Archiv. de Nevers, t. II, p. 313.

DE SS. LEUTHERNO ET LEVIANO, EPP. CONFF.,

DEQUE S. SCOPHILO ABBATE,

IN BRITANNIA MAJORI ET MINORI,

SYLLOGE HISTORICA.

E V. D. B.

B

Sanctorum cultus, reliquiarum translatio et inventio.

INCERTO TEMPORE. *Quare hac die de his SS. agatur.*

Inter prætermissos ad S. Maglorii nomen meminimus octodecim Sanctorum, quorum reliquiæ sæculo X *ex Britannia Minori Parisios delatæ fuerunt. De parte horum Sanctorum in opere nostro dictum jam fuerat, de alia parte ad certos dies adhuc dicendum est ; sed tertia pars, ex tribus constans Sanctis, a decessoribus nostris vel ad suos dies omnino est omissa, vel festum alium præter præsentem diem non habent. Quocirca visum est hic loci pauca de eis colligere ; et quidem initium ducemus a distinguendis a se invicem S.* Leutherno *episcopo et S. Luctigerno abbate Hiberno, qui ab aliquibus scriptoribus confunduntur.*

A S. Luctigerno abbate Hiberno, cujus gesta indicantur.

2 *Porro de S. Luctigerno, filio Huatrati et abbate Inis-Tomensi in Tuamonia, et de quo agitur in Vita S. Idæ Virginis num.* 30, *ad diem* XV *Januarii in opere nostro edita, non secus ac in Vita S. Mochæmoci sive Pulcherii abbatis ad* XIII *Martii num.* 5, C *dictum fuit inter prætermissos ad* XXVIII *Aprilis, quoniam ad hanc ejus memoriam faciunt Festologia Tamlactense, Mariani et S. Ængussii ; sed breviter valde quoniam non plura de ejus vita aut cultu reperiebantur ; et quidem præter ejus ad S. Idam visitationes unamque celebriorem cum S. Lasreano institutam* (1), *vix quidquam de eo ulterius ad nos pervenit. R. D. Tresvaux canonicus Parisiensis in nova sua editione Vitarum Sanctorum Britanniæ minoris* (2) *docet nos eum discipulum fuisse S. Ruadhani, idemque præstat R. D. Garaby* (3), *nisi quod ejus liber typothetæ vitio S. Ruadloni discipulum eum faciat ; quod unde ipsi hauserint non indicant : certo non ex Vita S. Rodani seu Ruadhani abbatis, quam apud nos habes ad diem* XV *Aprilis* (4). *Uterque tradunt eum postea cum S. Columbano in Benchorensi monasterio versatum fuisse, et quidem reperitur ejus nomen inter discipulos, quos ad monasteria condenda emisit S. Comgallus* (5). *Conveniunt insuper scriptores omnes eum sæculo* VI *floruisse.*

diversus videtur S. Leuthernus *episcopus,*

3 *Verum deserendi nobis sunt RR. DD. Tresvaux et Garaby atque etiam Castellanus (licet hic dubius sit), quum docent hunc S. Luctigernum eumdem esse ac episcopum, quem in fronte hujus sylloges annuntiavimus. Scriptores enim Hiberni, Martyrologos intelligo et historicos, in hoc conveniunt ut S. Luctigernum abbatem dicant, dum noster episcopus habetur et qua talis jam pridem colitur. Deinde, licet fateamur plures Sanctos in Hibernia abbates cœnobia sua reliquisse, ut in Britanniam aliasve in regiones religionis causa migrarent, hæc tamen res supponenda non est, sed probanda. Quod hic non fit ; nam nominum similitudinem seu potius identitatem* (Leuthernus *enim,* Loutiernus, Luctigernus, Luchtighernus, *ejusdem nominis variæ formæ videntur), nemo habebit pro firmo argumento, dum alia non adsunt adminicula.*

F *qui colitur Parisiis, et fors in Cornubia sub nomine* Ludgran.

4 *Porro de S.* Leutherno *quam paucissima novimus. Recensetur ejus nomen in litaniis veteribus Anglicanis seu potius Britannicis, ad sæculum* VII *pertinentibus, quæ quam plurima referunt Sanctorum Britannorum, nulla Anglorum nomina. Finem versus scilicet Confessorum venit invocatio* (6) : S. Loutierne, ora pro nobis. *In Historia ejus translationis Parisios, qualiter venit in editione Lucensi Annalium Mabillonii* (7), *dicitur* Lencernus episcopus ; *sed in alio Ms. codice Claudius Castellanus* (8) *non secus ac Chesnius* (9) *legit* Leuthernum ; *adeoque gallice appellabant Parisiis* S. Louthiern, *quod vel maxime ex eo patet quod capsa S.* Leutherni, *aliorum etiam Sanctorum reliquias continens, diceretur* la Chasse de S. Louthiern (10). *Quum vero Historia illa translationis ad medium sæculum* X *pertineat, hinc habemus eum jam tum temporis ut* episcopum *cultum fuisse. Cæterum cujus sedis episcopus fuerit, ubi vixerit, quo anno mortuus sit, hæc omnia ignorantur. Crediderim tamen eum vixisse in Britannia majori, quoniam olim in Cor-*

(1) Cfr. Lanigan, eccles. History of Ireland, t. II, p. 88 et 89. — (2) Vies des Saints de Bretagne, t. I, p. 348. Paris 1836. — (3) Vies des Bienheureux et des Saints de Bretagne, p. 444. — (4) Acta SS., t. II Aprilis, p. 382 et seqq. — (5) Act. SS., t. II Martii, p. 383; cfr. t. VII Septembris, p. 144 et 145. — (6) Mabillonii Veter. Analect., p. 68, edit. 1723. — (7) Annal. Bened., t. III, app., p. 667. — (8) Martyrologe univers., p. 802. — (9) Cfr. Act. SS., t. I Martii, p. 248. — (10) Ibid., p. 815.

V. D. B.

nubia parœcia erat cum nomine S. Ludgran, *patroni ; ut testatum reperio in eruditissimo libello Anglico, in Martyrologii formam confecto* (1). *Hæc si ita fuerint, oportebit ut ejus sacræ exuviæ in Armoricam seu Britanniam minorem delatæ fuerint vel ineunte sæculo* VI (2) *vel circa annum* 586 (3), *quum tot episcopi Britanni cum sacris reliquiis in has partes et ad montes fugerint præ hostium terrore. De earumdem translatione Parisios, dicetur ad finem hujus sylloges.*

S. Levianus episcopus idem videtur ac S. Levanus, cultus in Cornubia;

5 *Post S.* Leuthernum *venit in narratione de translatis sacris corporibus Parisios S.* Levianus episcopus, *æque obscurus. Porro tribus in locis memoria superest S.* Leviani, *seu* Levani, *siquidem admittatur in omnibus agi de eodem. Primo nempe Parisiis, de qua re plura occurrent, ubi de translatione ; deinde in Cornubia ; et demum tertio in Armorica seu Britannia Minori. Quod ad Cornubiam attinet, in prælaudato Martyrologio Anglico legimus ad* XXIV *Decembris* (4) *:* In Cornubia commemoratio S. Levani et S. Mellini, qui nomen suum communicarunt cum vicis, in quibus eorum corpora quiescunt in exspectatione gloriosæ resurrectionis; *in appendice vero altera, quæ nomina* B *continet eorum quorum dies natalis ignoratur, dicitur* (5) : S. Levan dat suum nomen ecclesiæ et parochiæ Cornubiæ ; *et quidem hic locus ad maris littus in extrema Cornubia in mappis majoribus Britanniæ facile deprehenditur. Vix dubium est quin utrobique de eodem S.* Levano *sermo sit; unde æstimandum est eum ex arbitrio scriptoris (fatetur enim se aliquando hac libertate usum esse* (6)*) ad diem* XXIV *Decembris memoratum fuisse. Unde ex hac parte nil obstare videtur quin idem habeatur ac S.* Levianus. *Quod vero illius corpus in Cornubia quiescere dicatur, id ex mera conjectura seu ornatus gratia adjectum fuisse videtur, nisi forsan aliquot corporis particulæ intelligantur. Porro non nominum sola similitudo, verum etiam traditio Armoricana de ejus ortu huc facit.*

idem ac S. Levias, cultus in Minori Britannia.

6 *Sanctus enim* Levias *seu* Levianus, *qui ibidem colitur, putatur ab incolis e Britannia Majori oriundus, ut locuples testis est R. D. Garaby* (7). *Fertur autem a teneris pietatem coluisse et virtutem, Deoque se vovisse intra monasterii septa; non ita multo post fratribus fuisse præpositus cum abbatis titulo, eoque munere laudabillime functus ; ut autem latior pateret viro Dei excolendus campus, conse-* C *cratus fuisse episcopus, et dein episcopi regionarii partes in Armorica multo zelo explesse. Sacellum habet prope Trecorium* (Tréguier) *in vico* Trédarzec, *ubi ejus etiamnum memoria in veneratione est, quoniam forsan his in regionibus sacrum exercuit ministerium. Quum ante annum* 1793 *de eo die* XII *Septembris fieret officium, colebatur tamquam confessor non pontifex, quod ad abbatiale ejus munus solum attenderetur. Verumtamen ex alia parte habebatur atque etiamnum habetur pontifex, siquidem eodem in loco ejus imago senem referat, alba, casula, chirothecis, baculo pastorali et mitra ornatum ; unde (si imago hæc aliquantum vetusta sit) hinc etiam nullus exsurgit obex, quin idem habeatur ac S.* Levianus, *cujus reliquiæ Parisiis servantur. Addit R. D. Garaby, a quo hæc mutuamur, eum invocari maxime pro salute puerorum deformium et languidorum ; agitur nunc ibidem ejus festum Dominica secunda Septembris.*

S. Scophilus abbas idem censendus ac S. Escobilus.

7 *De S.* Scophilo (8), *seu* Scofilo (9), *gallice* Escuiphle (10), *nil omnino scitur, nisi quod cum titulo* abbatis *in Historia translationis reliquiarum veniat; adeoque RR. DD. Tresvaux et Garaby ne ejus quidem specialem mentionem faciunt. In Dictionario universali Galliæ* (11) *apparet vicus nomine* S[t] Escobile, *seu potius* S[t] Escobille, *ut in Mappis topographicis Cassini scribitur ; in quo nomine quum omnes litteræ radicales vocabuli* Scophili *reperiantur, dein quum* S. Escobilli *nomen ad aliud nullum Sancti alicujus nomen accedat, et tertio quum verisimillimum sit ex historia Sancti* Scophili *reliquias illuc delatas fuisse, vix aut ne vix quidem dubito quin ibidem Sanctus noster* Scophilus *colatur. Vicus autem* S[t] Escobille *in præfectura Sequanæ et Æsiæ* (dép[t] Seine-et-Oise) *tribus leucis ad occidentem Stamparum* (Etampes) *jacet.*

Circa annum 965 transferuntur horum SS. Reliquiæ Parisios,

8 *Jam pauca de SS.* Leutherni, Leviani *et* Scophili *reliquiarum translatione. Scilicet occasione bellorum, quæ inter Richardum Normannorum ducem ac Theobaldum Blesensem comitem primis Lotharii principatus annis seu circa annum* 962 *exarserunt et usque ad fines Armoricæ pervenerunt, Salvator Alethesis episcopus, imminentis cladis metu, Sanctorum diœcesis suæ reliquias collegit et Parisios secum* E *deportavit. In itinere Dolenses et Bajocenses clerici ei se adjunxerunt, secum et suas habentes Sanctorum exuvias. Atque hoc pacto reliquiæ SS.* Leutherni episcopi, Leviani episcopi *et* Scophili abbatis *Parisios advectæ sunt, atque interventu Hugonis Capeti ducis, dein regis, in ecclesia S. Bartholomæi, post S. Maglorii, prope palatium regium, die* XVII *Octobris anno circiter* 965, *repositæ fuerunt. Pace reddita, cum corporibus Sanctorum Britanni alii in patriam redire, alii ad alia Galliæ loca migrare disposuerunt. Quod cum duci nuntiatum esset, vim inferre nolens, retentis quibusdam membris Sanctorum, illos abire permisit. Qui recedentes alii Corboilum castrum* (Corbeil, dép[t] Seine-et-Oise), *alii Bellum-montem ad Æsiam* (Beaumont-sur-Oise) *expetierunt, ubi et quieverunt. Corboili reliquere S. Guenaili reliquias* (12) *et Bello-monte S. Leonori* (13). *Alii etiam ad alia Galliæ loca abierunt. Neque dubito quin tum in vicum* S[t] Escobille, *aliquot leucis ad occidentem Corboili jacentem, devenerint S.* Scophili *reliquiæ. Octodecim tamen Sanctorum, quorum vel corpora vel corporum partes Parisios delata fuerunt, insignes aliquot reliquiæ in S. Bartholomæi, dein S. Maglorii, templo remanserunt.* F

anno 1318 ponuntur in alio feretro,

9 *Quum Magloriani monachi anno* 1138 *mutassent sedem suam, illuc transtulerunt partem Thesauri sui, et inter alia sacra pignora reliquias S.* Leutherni *et S.* Scophili. *Die* IX *Julii anni* 1318, *quum ex veteri feretro ligneo deaurato desumpta fuissent S. Maglorii ossa, in novum reponenda, positæ fuere aliorum Sanctorum, nominatim S.* Leutherni, *exuviæ in veteri illa capsa. Anno* 1706, *dum scriberet Castellanus, servabant Patres Oratorii ad S. Maglorii capsam e ligno sculpto, dictam S.* Leutherni ; *in qua erant reliquiæ hujus episcopi, S.* Scophili *et undecim aliorum Sanctorum. Dubitabatur utrum aliquot ossium fragmenta essent S.* Leviani, *an S. Ciferiani* (14). *Unde factum est ut in Breviario Parisiensi anni* 1736 *ad diem* XXIV *Octobris hæc addita fuerit clausula ad lectionem* III *de S. Maglorio :* Demum in ecclesia S. Jacobi, quæ nunc

(1) Memorial of ancient British piety or a British Martyrology, append., p. 15. — (2) Cfr. Alfordus. Annal. eccles. Angl. ad an. 506, n. 1 et seqq., t. II, p. 11. — (3) Cfr. id. ann. 586, n. 1 et seqq., t. II, p. 94 et seqq. — (4) Memorial etc., p. 176 — (5) Ibid., app., p. 45. — (6) Ibid., preface, p. 7. — (7) Vies des Bienheureux et des Saints de Bretagne, p. 490. — (8) Act. SS., t. I Martii, p. 248. — (9) Mabillonius, Annal. Bened., t. III, app., p. 667. — (10) Chastelain, Martyrologe univ., p. 802. — (11) Dictionnaire univ. de la France, t. IV, p. 502, Paris 1804. — (12) Act. SS., t. I Martii, p. 248. — (13) Chastelain, Martyrol. univ., p. 804. — (14) Cfr. Castelain, op. cit., p. 802 et seqq.

S. Maglorii

A S. Maglorii dicitur, cum ossibus Sanctorum Sampsonis et Leuterni episcoporum, Wingantonis et Scophili abbatum, aliorumque plurimorum quiescit.

anno 1793 sepeliuntur, 1797 effodiuntur, 1835 iterum inveniuntur.

10 *Quum anno* 1791 *P. Tournaire, Oratorianorum S. Maglorii superior, in apostasiam lapsus esset, biennio post, seu anno* 1793 *jussit omnia hæc sacra pignora a fratre laïco in horto sepeliri. Hic ea indicavit anno* 1797 *presbytero schismatico Duval, curam parœciæ gerenti. Quocirca die* IX *Septembris ejusdem anni reliquiæ illæ in tumba majoris altaris vicinæ ecclesiæ S. Jacobi, vulgo* du Haut-Pas, *coram testibus et cum additis commentariis compositæ fuerunt. In oblivionem abierat hic thesaurus, quum repertus fuit anno* 1835 *; atque tunc post diligens examen die* XIII *Octobris ab archiepiscopo Parisiensi, Hyacintho de Quelen, reliquiæ hæ iterum authenticæ declaratæ fuere et in una capsa (quod nesciretur ad quos Sanctos singula ossa pertinerent) inclusæ. Est autem capsa ex ligno deaurato, in quinque partes divisa, prout medicus in quinque classes sacra ossa distribuerat. Celebravit ipse archiepiscopus hanc reliquiarum inventionem die* XXIV *Octobris, jussitque ut ejus deinceps anniversaria memoria ageretur die Dominica proxima prædictæ Octobris diei. Quæ omnia non lubet fusius prosequi, quoniam de eadem solemnitate maxime dicendum erit ad diem festum S. Maglorii,* XXIV *Octobris. Interea legat, si placet, lector quæ de hac inventione conscripsit R. D. Tresvaux* (1), *qui magnam in his rebus partem habuit, vel Notitiam de inventis reliquiis* (2), *vel demum narrationem Ephemeridum* l'Ami de la Religion (3). V. D. B.

(1) Vies des Saints de Bretagne, t. I, p. 349. — (2) Notice historique sur les reliques nouvellement découvertes. — (3) Jeudi 17 Décembre 1835, t. LXXXVII, p. 532.

B

DE SS. RURICIO I ET RURICIO II,

E

EPISCOPIS CONFESSORIBUS, LEMOVICIS,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. Silentium de utroque Sancto in sacris fastis, cultus tamen certus ; genus eorum nobilissimum ; S. Ruricii I vita in sæculo acta, matrimonium et liberi.

CIRC. ANN. 507. *Silentibus Martyrologiis, monstratur cultus tum S. Ruricii I,*

A*liquandiu deliberandum mihi fuit, antequam hos episcopos in Acta Sanctorum referrem. Mirum enim est de utroque* Ruricio *in omnibus, quæ consulere licuit, Martyrologiis silentium. Frustra Usuardina, aliaque Auctaria, elogiorum cæterum non parca, pervolvi, ipsi Saussayus et Castellanus, Sanctorum, qui in Galliis floruerunt, indagatores seduli, tacent* C Ruriciorum *nomen ; Galliæ Christianæ auctores eosdem nulla sanctitatis appellatione exornant. Verum silentio, etiam obstinato, prævalere debent argumenta cultus publici, utrique Sancto exhibiti. Etenim quoad S.* Ruricium I *spectat, sanctitatis ejus publice celebratæ testem habemus Bernardum Guidonis, celebrem sæculi* XIV *scriptorem, in opusculo de Ordinibus Grandimontensi et Artigiæ ; atque istic* (1) *non solum* Ruricium *sanctum vocat, sed et fundatorem ecclesiæ ac cœmeterii S. Augustini Lemovicis, ubi quoque canonicos regulares instituisse refertur :* In eo, *inquit,* monasterio viginti octo episcopi tumulati dicuntur, quorum tumuli duodecim discernuntur, et duorum Sanctorum episcoporum Roricii et Asclipii corpora in capsa supra majus altare cum S. Flavia Virgine et Martyre (2). *S. Asclepii dies festus habetur* XXIII *Decembris, ut videre est in Breviario Lemovicensi anni* 1625. *Ast S.* Ruricii I *oblitterata fuisse videtur apud Lemovicenses memoria donec, teste hagiographo Lemovicensi accurato, Labiche de Reignefort* (3), *editores novi Breviarii Lemovicensis anni* 1783 *denuo nomen et festum Sancti nostri in libros liturgicos intulerunt. Ex Kalendario liturgico Lemovicensi pro anno* 1832 *constat Sancti cultum ad diem* XX *Julii usque in hodiernam ætatem perseverare. In ecclesia autem succursali Palatio* (le Palais), *Lemovicis vicina, in veneratione habetur caput S.* Ruricii I, *ut ad nos die* XXV *Augusti* 1848 *R. D. Thézard, reverendissimo episcopo Lemovicensi a secretis.*

F *tum S. Ruricii II:*

2 *Sanctitatem pariter et cultum S.* Ruricii II *testatur imprimis supra jam laudatus Bernardus Guidonis, qui, quum dixisset hunc episcopum in monasterio S. Juniani sepultum jacere* (4), *recolit* (5) *inter* Sanctos qui ornant Lemovicensem diœcesim, Sanctum Roricium, Lemovicensem episcopum, ibidem (*in ecclesia S. Juniani*) in capsa requiescentem. *Hagiographus Lemovicinus Labiche dicit* (6) *Rainaldum sive Reginaldum, Petragoricensem episcopum, anno* 1102 *elevasse corpus S.* Ruricii II, *inclusumque capsa, laminis argenteis ornata, ad sinistram partem summæ aræ collocasse. Sancti vero* Ruricii *memoria hac die, forsan quatenus postridie festi S. Juniani, jam quintodecimo sæculo colebatur* (7). *Nunc, stabilito utriusque Sancti cultu, genus utrique commune exponendum est, ut postea singulatim de unoquoque agamus.*

utriusque elogium a Fortunato episcopo.

3 *Et quidem illustre atque antiquum fuisse* Ruriciorum *genus monstrant tum avitæ divitiæ, tum connubia et parentela cum Anicia gente. Venantius Fortunatus, poëta et Pictaviensis episcopus,* Ruriciis *coævus, hæc de illis lib.* IV *carm.* V *canit* (8) *:*

(1) Labbe, Biblioth. Mss., t. II, p. 277. — (2) Cfr. ibid., p. 267. — (3) Six mois des Vies des SS. du dioc. de Limoges, t. I, p. 45. — (4) Labbe, Biblioth., t. II, p. 267. — (5) Ibid., t. I, p. 633. — (6) Six mois, t. II, p. 250. — (7) L. c. — (8) Biblioth. Max. Patt., t. X, p. 547.

Invida

J. V. H.

Invida mors rapido quamvis miniteris hiatu,
Non tamen in Sanctos jura tenere vales.
Nam postquam remeans domuit fera tartara Christus,
Justorum meritis sub pede victa jaces.
Hic sacra pontificum toto radiantia mundo
Membra sepulchra tegunt, spiritus astra colit.
Ruricii, gemini flores, quibus Anniciorum
Juncta parentali culmine Roma fuit.
Actu, mente, gradu, prænomine, sanguine nexi,
Exsultant pariter, hic avus, inde nepos.
Tempore quisque suo fundans pia templa patroni,
Iste Augustini, condidit ille Petri.
Hic probus, ille pius, hic serius, ille serenus,
Certantes pariter, quis cui major erit.
Plurima pauperibus tribuentes divite censu,
Misere ad cœlos, quas sequerentur, opes.
Quos, spargente manu, redimentes crimina mundi,
Inter apostolicos credimus esse choros.
Felices, qui sic de nobilitate fugaci
Mercati, in cœlis jure senatus habent.

et generis nobilitas.

4 *Porro quam illustris esset Aniciorum gens, quam necessitudine* Ruricii *attingebant, præter argumenta a Baronio in suis ad Romanum Martyrologium Adnotationibus sub die* XXXI *Maii prolata,* B *ostendunt præ cæteris Prudentius et Hieronymus,* Ruriciis *ætate proximi. Et hic quidem in epistola* XCVII, *aliis* VIII (1), *dicit :* Nunc mihi Proborum et Olybriorum clara repetenda sunt nomina et illustris Anicii sanguinis genus, in quo aut nullus aut rarus est, qui non meruerit consulatum. *Prudentius vero agens de conversione Senatus Romani ad Christianam fidem in priori suo libro contra Symmachum de Anicia gente hæc profert* (2) :

Jamque ruit, paucis Tarpeia in rupe relictis,
Ad sincera virum penetralia Nazareorum
Atque ad apostolicos Evandria curia fontes,
Anniadum soboles et pignora clara Proborum.
Fertur enim ante alios generosus Anicius Urbis
Illustrasse caput : sic se Roma inclyta jactat.
Quin et Olybriaci generisque et nominis hæres,
Adjectus fastis, palmata insignis abolla,
Martyris ante fores Bruti summittere fasces
Ambit et Ausoniam Christo inclinare securim.

Quæ omnia abunde ostendunt quantus esset sexto, quo floruere Ruricii, *sæculo Aniciæ familiæ honor et splendor. Arverniam* Ruriciis *patriam fuisse, demonstrant tum* Ruricii I *nuptiæ cum Iberia Arverna, quas Sidonius, Arvernorum postea episcopus* C *decantavit, tum contentio filiorum ejus Ommatii et Eparchii cum Apruncula, pariter Arvernorum episcopo. Nunc ad S.* Ruricium I *regredimur.*

S. Ruricius I circa ann. 430 natus videtur,

5 *Parca sunt valde argumenta, quibus seriem rerum gestarum S.* Ruricii I *ordinare nobis licet, quoniam unum, accurate definitum, temporis momentum nobis suppeditat historia; nempe anno Christi* 506, *quo concilium Agathense celebrabatur, S.* Ruricius *cathedram Lemovicensem occupabat. Reliqua vero omnia conjecturis, iisque non undequaque circumscriptis, expiscari nos oportet. Atqui scimus aliunde S.* Ruricium *ad sedem Lemovicensem promotum fuisse anno 484 aut sequenti; siquidem S. Faustus Regiensis una eademque epistola 9 lib.* I (3) Ruricio *nostro et gratias agit pro beneficiis tempore exilii, quod, mortuo Eurico, rege Visigothorum* (4), *desiit et assumptionem ad episcopatum gratulatur : hæc itaque circa unum tempus acciderunt. Dein aliud momentum chronologicum nobis præbet deliberatio a S.* Ruricio *cum Fausto instituta, in qua agebatur de genere vitæ austerioris capessendæ. Faustus tres* D *modos proponit, inter quos medius in eo consistit, ut* pervideatur, *ait epist.* 5 (5), si aliquis filiorum tam arduo sufficiens esse possit obsequio, *seu administrationi bonorum temporalium ; ex quo datur intelligere* Ruricium, *quum id consilium moliretur, jam habuisse filios gerendæ rei familiari idoneos ; quod quidem multo citius anno 480 accidere non potuit. Tandem S* Ruricius *in epistola sua 32 lib.* II (6), *qua absentiam a Concilio Agathensi anni 506 apud S. Cæsarium Arelatensem purgat, etsi causetur præcipue valetudinem suam infirmam, caloris æstivi impatientem, insinuat tamen ætatem suam ingravescentem, cui reverentia deberetur. Ex quibus omnibus satis probabiliter conficere posse videmur, maximesi et attendamus sat seras nuptias celebratas fuisse, S.* Ruricium *anno Christi 506 septuagenario majorem fuisse, proindeque circa annum 430 fuisse natum. Quæ hic attulimus ex epistolis SS. Fausti et* Ruricii *ac de Concilio Agathensi, latius infra explicabuntur.*

et uxorem duxit circa annum 455,

6 Ruricium *nostrum primo curis et negotiis sæcularibus implicitum fuisse, habemus tum ex epistolis Fausti, infra ex parte recitandis, tum ex Epithalamio, quod in ejus cum Iberia, Ommatii filia, nuptiis cecinit Apollinaris Sidonius, post Arverno-* E *rum episcopus. Carmen istud, ex meris ethnicorum fabulis compositum, monstrat nullatenus tunc ecclesiastico ministerio deputatum fuisse Sidonium, atque adeo ante annum 470 conscriptum fuisse. Sed quoniam utcumque conjicimus natum S.* Ruricium *circa annum 430, habemusque ex Sidonii poëmatio* (7), Ruricium illum superbum calere amoris facibus, rebellem victum jacere, *omnino verisimile est non in prima, sed adulta satis juventute uxorem duxisse; atque adeo viginti quinque annos natum, seu circa annum Christi 455 nuptias celebrasse. Neque multis annis aut citius aut tardius matrimonium ponere possumus, quin in scopulum aliquem impingamus. Si enim nuptias multum anticipamus, decrepitam S.* Ruricii *anno 506 fateri nos necesse erit ætatem, quam tamen supra laudata epistola ad Cæsarium non indicat, quoniam ad alium conventum se accessurum promittit. Si vero multum nuptias retardamus, tempus deerit, quo filii ad ætatem perveniant, aptam ad regendam familiam et fortunam communem administrandam.*

Iberiam, Ommatii filiam,

7 *Erat autem Iberia, ut diximus, Ommatii filia, cujus genus laudat Sidonius his verbis* (8) : F

Dum (*amor*) festa parat celeberrima Gallis,
Quæ socer Ommatius, magnorum major avorum,
Patritiæque nepos gentis, natæ generoque
Excolit auspiciis faustis ;

et paulo infra (9) :

Quare age, jungantur : nam census, forma, genusque
Conveniunt, nil hic dispar tua fixit arundo.

Eumdem esse arbitror Ommatium, quem Sidonius apposito epigrammate invitat ad celebrandum diem natalem suum (10), *et quoniam excusat frugalitatem ciborum ac supellectilis, etiam hac ratione ostendit Ommatium ejus fuisse conditionis, ut exquisito aliquo luxu excipi dignus videretur.*

ex qua filios suscepit, Eparchium

8 *Ex* Ruricii *et Iberiæ conjugio bini saltem filii prodiere. Id constat ex epistolis 56 et 57 lib.* II (11). *Etenim Ommatium et Eparchium* filios vocat, *et, quum culpam Eparchii deprecatur, dicit id se facere* consanguinitatis affectu impulsum. *Videtur autem Eparchius graviter offendisse apud Aprunculum, Arvernorum episcopum ab anno 482 ad 491, quin indicetur culpæ genus, quod* Ruricius *noster* igno-

(1) T. IV, part. II. Oper. col. 785. Edit. Maurin. — (2) Oper., p. 277. Edit. Hanov. 1613. — (3) Canis. Thes. monument., t. I, p. 359. Edit. Basnag. — (4) Act. SS., t. VII Sept., p. 703, n. 169. — (5) Canis., t. I, p. 356. — (6) Canis., t. I, p. 397. — (7) Sirmond. Oper., t. I, p. 1242. — (8) L. c. — (9) Ibid., p. 1243. — (10) Ibid., p. 1270. — (11) Canis., t. I, p. 405.

rantiam

A rantiam et errorem *appellat. Ast gravem fuisse hunc qualemcumque errorem indicat ipse pater, quum scribit :* Quia humilitatem meam dignati estis pro ea, quæ inter nos est, propitio Deo, caritate consulere et nobis utrum justa esset vestra districtio, meis potissimum apicibus indicarem, sciat dominus noster, quod ego factum vestrum et probo et conlaudo et vehementer admiror. Quia dum uni per admonitionem gladii spiritalis pro reddenda salute intulistis dolorem, multis contulistis languentibus sanitatem. Multi etenim in Ecclesia, qui curari nequeunt verbo, sanantur exemplo. Superest, severitatem misericordia consequatur, ut recipiatis lenitate patris, quem corripuistis auctoritate pontificis. Et juxta illum Evangelicum, invocantes quem nos per omnia et sequi et oportet imitari, qui filio, paternæ substantiæ decoctori, et facinus confitenti, non solum veniam clementer impertiit, verum etiam pristinam gratiam libenter indulsit, et nos condoleamus lapso, subveniamus attrito, amplectamur reversum, lætemur inventum. Quod et apostolatum vestrum propterea fecisse certus sum, ut paululum infirmantem filium excluderetis a matre, ut eum ipsi post modicum B restitueretis incolumem, et eum contristaretis ad tempus, de quo gaudere concupiscitis in æternum. *Ex his liquet Eparchium extra communionem ecclesiasticam positum fuisse, quam pœnam solvi postulat S.* Ruricius. *Neque aliud de Eparchio occurrit.*

et Ommatium,

9 *Alter Sancti nostri filius, renovato, ait Sirmondus* (1), *avi materni nomine, Ommatius dictus fuit. Vivente etiam patre, clero adscriptus, presbyteratus honorem fuit adeptus, ut patet ex epistola, mox citanda, si tamen ad illum directæ sunt binæ litteræ inter Ruricianas, scilicet lib.* I *ep.* 18 *et lib.* II *ep.* 27 (2). *Prior quidem per se id aperte non prodit; quod enim Ruricius episcopus Ommatium* filium *appellet, quod eidem monita salutaria præbeat, atque domum suam invitet, hæc ejuscemodi sunt, ut facile ista de mutua conditione episcopi et presbyteri interpretari liceat. Sed quæ erat* Ruricium *inter et Ommatium necessitudo, manifeste ostendit altera epistola. Præmisso enim adagio,* veterascendum in amicitiis, si, *inquit,* amicus relinquendus non est, quanto magis, qui erudiit, qui nutrivit, qui, adjuvante Domino, ad sacerdotium usque perduxit, cui fortasse etiam juxta divinam misericordiam lucis istius debetur usura. Sed ego beatitudini tuæ C scribo, non quasi aliquid imputans aut exprobrans, sed ut filio carissimo, quem sine ullo nævo cupio in hoc mundo impietatis incedere, ut purum atque immaculatum in illo die judicii coram Deo et Angelis ac congregatione carnis totius apparere. *Quæ lectorem in hoc fragmento offendere possit particula* fortasse, *non continuo quasi dubitantis verbum accipere debemus; etenim hic* fortasse *idem est ac forte, id est casu, græce* συμβάν *significat, quasi diceret id etiam ad amorem conciliandum concurrere, quod lucis usuram Ruricio deberet Ommatius.*

probabiliter episcopum Turonensem,

10 *Sunt, qui existimant* (3) *hunc Ommatium fuisse episcopum Turonensem, de quo hæc scribit S. Gregorius Turonensis Hist. Francorum lib.* X, *cap.* 31 (4) *:* Duodecimus (*episcopus Turonensis*) Ommatius de senatoribus civibusque Arvernis, valde dives in prædiis, qui, condito testamento, per ecclesias urbium in quibus possidebat, facultates suas distribuit. Ipse exaltavit ecclesiam infra muros urbis Turonicæ, Sanctorum Gervasii atque Protasii Reliquiis consecratam, quæ muro conjuncta est. Hic cœpit ædificare basilicam Sanctæ Mariæ infra muros urbis, quam imperfectam reliquit. Sedit annos quatuor menses quinque : obiitque et sepultus est in basilica Sancti Martini. *Hæc certe omnia in Ommatium, S. Ruricii filium, apte quadrant : patria, Arvernus fuit ; ordinatio, sub patre presbyter ; ætas, Licinius enim qui nec citius anno* 506, *quo decessor ejus Concilio Agathensi per Leonem diaconum, legatum suum, interfuerat* (5) ; *nec tardius anno* 507, *quo prælium Vocladense contra Gothos commisit Clodovæus* (6), *duodecim annis episcopatum tenuit, quem deinde biennio administrarunt Theodorus et Proculus, quibus suffectus fuit decem mensibus Dinifius, quem tandem excepit Ommatius* (7) : *unde initium ejus episcopatus in annum* XXII *aut* XXIII *sæculi sexti incidit, quod tempus optime convenit Ommatio, filio S.* Ruricii.

quos optime institui curat per Hesperium.

11 *Impenso etiam studio curabat rectam institutionem eorum, qui erant paternæ suæ fidei commissi. Cujus quidem rei luculentum argumentum nobis est ejus epistolæ, ad Hesperium directæ, scilicet* 3, 4 *et* 5 *lib.* I (8). *Licet enim easdem interpretetur D. Ceillier* (9), *quasi Hesperio in matrimonium collocasset filiam suam* Ruricius, *malumus tamen illas epistolas de liberorum recta institutione intelligere ; nam omnia eo collimant, ut Hesperium exhibeant non quasi* E *maritum, sed tamquam juventutis* doctorem, *qui debet* assidua lima aciem sensuum purgare. *Erat autem Hesperius vir litteratus, quem Sidonius* Gemmam amicorum litterarum *appellabat* (10) *quemque multis nominibus dilaudat epistola* 10 *lib.* II (11), *ad eumdem data ; unde apparet S.* Ruricium *primarios viros adhibuisse in liberis suis instituendis. Scribit autem in citata epistola* 3 : Jam in vocem pietatis erumpimus et desideriorum verba ructamus, commendantes tibi pignus nostrum, depositum tuum, cujus nos susceptione cepisti. Tibi enim spem posteritatis meæ, tibi solatium vitæ præsentis et levamen, si divinitas annuerit, futuræ ; tibi uni omnia mea vota commisi. Te elicitorem et formatorem lapillorum nobilium et rimatorem auri, te repertorem aquæ latentis elegi, qui scires abstrusas lapidibus gemmas propriæ reddere generositati, quæ utique in tanta rerum confusione amitterent nobilitatem, si judicem non haberent. Aurum quoque, arenis vilibus mixtum, nisi artificis solertia lavetur aquis, ignibus eliquetur, nec splendorem poterit retinere nec meritum. . . . . . F Ita et tenerorum adhuc acies sensuum ignorantiæ nubilo, quasi crassitate scabrosæ rubiginis obsessa, nisi adsidua doctoris lima purgetur, nequit sponte clarescere. Tuum ergo nunc, tuum est in his omnibus et opinioni tuæ et nostro pariter respondere judicio, ne aut tu præsumpsisse illicite, aut nos inconsiderate elegisse videamur. *Atque ad liberorum suorum institutionem respexisse videtur* Ruricius *noster, quando epistola* 5 *petit ut ad illum* aliquos de ramusculo, quem ex amaritudine in domesticum saporem vertendum susceperat, flosculos destinaret, quorum, *inquit,* odore cognoscerem, quam spem spei gerere deberem ; utrumnam ipsi flores germina, aut rursus ipsa germina fructus sui qualitate promitterent, iidemque iterum fructus utrum possint, te excoquente, mitescere *etc. Quid porro emolumenti ex accurata liberorum institutione perceperit S.* Ruricius, *nobis non constat. Hactenus de vita Sancti nostri sæculari.*

(1) Oper., t. I, col. 1242, not. *a*. — (2) Canis., t. I, p. 380 et 396. — (3) D. Bouquet, t. II, p. 387, not. *m*. — (4) L. c. — (5) Labbe, t. IV Conc., col. 1395. — (6) Greg. Turon. ap. D. Bouquet, t. II, p. 183. — (7) Ibid., p. 387. — (8) Canis., t. I, p. 374 et seq. — (9) Hist. des Aut. ecclés., t. XV, p. 487. — (10) Sirmond., t. I, p. 960. — (11) Ibid., p. 896.

§ II.

J. V. H.

§ II. S. Ruricius I consilio S. Fausti, Regiensis episcopi, austerius vitæ genus capessit.

S. Ruricius ducem vitæ severioris

Q*uamdiu S.* Ruricius *negotiis et deliciis sæculi implicitus vixerit, nullo argumento evincere possumus. Id certum est, Sanctum nostrum, vivente etiamnum conjuge sua, ut infra videbimus, austerius vitæ genus capessere cœpisse. Ducem istiusmodi consilii habuit S. Faustum, episcopum Regiensem. Nam in epistola* 1 *lib.* I Ruricius *scribit* (1) : Adhæsit, doctor eximie, anima mea post te. Me autem adjuvent orationes tuæ, ut possim, terrenis actibus spretis, cœlestibus inhiare. Quia corpus, quod corrumpitur, adgravat animam, ut inclinare aurem suam ad oracula divina non possit, ut domum patris, oblivio obediens, quæ vocantis imperio de terra sua et cognatione discedat, atque illam, quæ ei demonstratur, potius concupiscat. B Non enim adhuc valet pusillitas nostra metum obnoxiæ conditionis expellere et charitati perfectæ purgata corda reserare, ut relinquentes præsentia, petamus æterna, ejectaque ancilla, hæreditatem paternam liberi possimus adipisci. Quamobrem spero, Domine mi, ut pro me indesinenter oretis, et, quoties dignati fueritis ariditatem terræ meæ eloquentiæ vestræ imbre perfundere, non mihi, sicut nunc fecistis, et adhuc meæ infirmitatis ignari, delicatos et dulces cibos, sed austeriores et ægritudini meæ congruos suggeratis; quia non expediunt stulto deliciæ; postmodum proditoribus meis censorium præbeatis assensum, qui, more humani ingenii, affectu nimio præpediti, a veritate judicii declinantes, incurrunt pro amore mendacium. Sane nec vereatur Sanctitas vestra, ne vulneribus meis gratior sit foventis dextera, quam secantis; quia ea nec me posse curari et tamen graviter computruisse, Domino dante, jam sentio. Et ideo eligo, ut me justus misericordiæ increpatione corripiat, quam caput meum oleum peccatoris impinguet. Supplici itaque prece deposco, ut de illo thesauro penetralium vestrorum, unde nova et vetera proferre con- C suevistis, peritissimi utpote medici, qui languentium innumeras et varias ægritudines quotidie, gratia Dei adjuvante, sanatis, languori quoque meo, quæ convenire cognoscitis, medicamenta mittatis.

adhibet S. Faustum Regiensem,

13 *Eodem quoque modo S.* Ruricius *Fausto scribit epistola* 2 *lib.* I (2) : Potestatis et judicii tui est, utrum velis ulceris mei putredinem ferri rigore rescindere, an medicamentorum lenitate curare. *Pix invitationi respondisse videtur Faustus epistola sua quarta, quæ, nescio qua de causa, apud Canisium quinta numeratur. In ea nempe triplex modus abdicandi res terrenas indicatur, quin scriptor, quem ex istis præferat, ullo modo indicet. En verba* (3) : De eo autem quod quidam (*scilicet* Ruricius) provocationis amore consuluit, salutifera et perfecta meditatio est, curas animi, partito per plures terrenæ regimine rei, sublevaret post hæc triplici deliberatione tractare, quid melius sit : Locare vel administrare vel distrahere propriam portionem? Primum revera bonum esset, ut Christi famulus Christi pauperis vias, ex toto pauper, studeret incedere, si perfectam magni alicujus D monasterii scholam, vel certe insulam (*Lerinensem, ubi Faustus abbas præfuerat*) Angelicæ congregationis militiam liceret expetere : nam in medio sæculi institutionem eremiticam profiteri, quanta magnanimitas, tanta est difficultas.

qui varia vitæ genera proponit;

14 Suis vero vicis suæ pondus imponere, secundum pro animæ revelatione compendium. Sed prævidendum, si aliquis filiorum tam arduo sufficiens esse possit obsequio..... Optimum est in secundo gradu subnoxio beneficiis administratore consistere, si vel voluntas suppetat vel facultas necessitatem annuæ pensionis impleverit. Tertium est, per fidelium famulorum electa solatia, impositis procurationis officiis, sub propria ac minore sollicitudine quantitatem reservatæ gubernare substantiæ et eam per viam regiam tota mediocritate dirigere. Quod quum suadeo, videor vel nostram utilitatem, vel pauperum cogitare. In quo ordine non parum est lucri, si, reservato usu, proprietas distrahatur. Itaque breviter indicantes, quid primum, quid secundum, quidve sit tertium, electionem judicio et possibilitati reservavimus consulentis. Quid magis competat, quod promptius possit impleri, ille insinuare dignetur, pro cujus E timore et amore consolatio (*consultatio?*) ipsa tractatur. Dominus noster beneficia in nobis sua felici et placita longævitate multiplicet, Domine piissime et in Christo summo mihi honore singulariter excolende fili.

ex quibus S. Ruricius solitudinem domesticam seligit,

15 *Atque hæc quidem S.* Ruricio *dicta interpretamur : quoniam Faustus amico suo gratulatur epistola* 6 *hisce verbis* (4) : Ego autem hanc primam munificentiam, Domino largiente, percepi, quod piissimus meus Ruricius post vitæ hujus jactationes ad portum religionis proram salutis, Excelsi manu gubernante, convertit *etc. Habemus porro ex epistola ejusdem Fausti septima* (5) Ruricium *nostrum id genus vitæ accepisse, quando binos amicos* locorum intervalla discriminabant, *scilicet ante Fausti exilium seu ante annum* 481, *quo sede sua Regiensi pulsum existimavit Stiltingus noster in Commentario prævio ad ejus Vitam, die* XXVIII *Septembris num.* 269 *et seq.* (6). *Verumtamen non arbitramur S.* Ruricium *expetiisse alicujus monasterii scholam, sed potius intra domesticos parietes perfectioni Christianæ allaborasse. Nam Faustus epistola* 7 *aperte dicit* Ruricium *cum uxore sua, quam Saram vocat, in omni castitate perseverasse :* F Quasi, *inquit*, avidus fœnerator, per pretia captivorum in sinu remuneratoris, seminantis more, commendas; de usu proprietatem facis, et in perennes thesauros peritura convertis. Inde est cum fidelissima Sara tua sub uno Christi jugo ad communem tendens coronam, terrenorum despector et cœlestium competitor, sæculi peregrinus et paradisi candidatus, mundo huic, qui jam non habet, unde decipiat vel seducat, miles Christi secretus inludis, cum regni interminabilis socia jejuniis et orationibus et quadam fidei manu januam vitæ pia conjuratione pulsatis, ut duplicem palmam de mutua salute capiatis. *Quæ hic indicantur de communi cum conjuge sua domicilio, et Fausti verba, quibus* secretus *Christi* miles *appellatur, plane evincunt, S.* Ruricium *non monachum in hisce saltem initiis induisse, sed segregatum a curis sæcularibus, quamvis adhuc speciem mundani hominis præ se ferret, vixisse Deo et saluti suæ procurandæ.*

emisso voto castitatis.

16 *Nam omnino ignoramus, utrum* Ruricius noster

(1) Canis., t. I, p. 373. — (2) Ibid., p. 374. — (3) Ibid., p. 356. — (4) L. c. — (5) Ibid., p. 358. — (6) Act. SS., t. VII Septembr., p. 703.

J. V. H.

A *noster postmodum perfectius quidpiam molitus fuerit sive consentiente sive mortua conjuge: quamvis secundum disciplinam Ecclesiæ tunc vigentem, subito ad sacerdotii fastigium, non administratis mediis Ordinibus, ascendisse non credamus* (1). *Erat etiam præscriptum can.* 43 *Concilii Arelatensis II anni* 451 (2), ut secundum synodi instituta non ordinarentur diacones conjugati, nisi qui prius conversionis proposito professi fuerint castitatem. *Quamvis autem frequentissime conversionis nomine monachatus veniat, hic tamen simpliciter separationem et votum castitatis perpetuæ significat juxta can.* 16 *Concilii Agathensis anni* 506, *quo sancitur* (3): Si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione præmissa, posteaquam pariter conversi fuerint, ordinentur. *Si conversio hic professionem monasticam demonstraret, supervacaneum esset loqui de* sequestrato mansionis cubiculo. *Indubium igitur est, si quidem usque ad episcopatum viri sui vixerit Iberia, in hujusmodi conversionem consensisse, imo, ut vidimus supra, etiam ante hæc tempora cum Ruricio suo arduam Christianæ perfectionis semitam trivisse.* B *Jam ad Sancti nostri episcopatum divertimus.*

Vita functo Eurico rege Ariano.

17 *Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib.* II, *c.* XXV (4) *refert quod tempore S. Sidonii, Arvernorum ab anno* 472 *ad* 482 *episcopi* (5): Evarix, rex Gotthorum, excedens Hjspanum limitem, gravem in Galliis super Christianos intulit persecutionem. Truncabat passim perversitati suæ non consentientes, clericos carceribus subigebat; sacerdotes vero, alios dabat exsilio, alios gladio trucidabat. Nam et ipsos sacrorum templorum aditus spinis jusserat obserari, scilicet ut raritas ingrediendi oblivionem faceret fidei. Maxime tunc Novempopulanæ, geminæque Germaniæ urbes ab hac tempestate depopulatæ sunt. Exstat hodieque et pro hac causa ad Basilium episcopum nobilis Sidonii ipsius epistola, quæ ita loquitur. Sed persecutor non post multum tempus ultione divina percussus interiit. *Erat Evarix seu Euricus, Visigothorum rex, Arianus, volebatque impietatis sua participes fieri, quos sceptro suo subigebat populos. Eodem igitur modo, quo Vandali in Africa, in subditis provinciis procedebat, ut, quum episcoporum obitus obvenisset, non liceret alios civitatibus ordinare* (6). *Quod autem in* gemina Germania *propa-* C *gata dicatur persecutio, id de utraque Aquitania merito interpretantur eruditi, sive librarii oscitantia vox* Germania *pro* Aquitania *in textum perperam irrepserit; sive, ut vult Valesius, Germaniæ nomen a Gregorio datum fuerit Aquitaniæ, quod ibi regnaret Euricus, quem e Germania oriundum existimat* (7).

Galliæ viduatis Ecclesiis

18 *Quidquid sit, textum de Aquitania intelligendum esse, luculenter citata epistola S. Sidonii ad Basilium, Aquensem episcopum, demonstrat, ac simul indicat, qua ratione variæ cathedræ episcopales in Galliis inter quos et Lemovicensem numerat vacantes fuerint*: Fatendum est, *inquit lib.* VII, *epist.* 6 (8), præfatum regem Gothorum (*Euricum*), quamquam sit ob virium merita terribilis, non tam Romanis mœnibus, quam legibus Christianis insidiaturum pavesco. Tantum, ut ferunt, ori, tantum pectori suo catholici mentio nominis acet, ut ambias, amplius ne suæ gentis, an suæ sectæ teneat principatum. Ad hoc armis potens, acer animis, alacer annis, hunc solum patitur errorem, quod putat sibi tractatuum consiliorumque successum tribui pro religione legitima, quem potius assequitur pro felicitate terrena. Propterea discite cito catholici status valetudinem occultam, ut apertam festinetis adhibere medicinam. Burdegala, Petrocorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Elusani, Vasates, Convenæ, Auscenses, multoque jam major numerus civitatum, summis sacerdotibus ipsorum morte truncatis, nec ullis deinceps episcopis, in defunctorum officia suffectis, (per quos utique minorum Ordinum ministeria subrogabantur) latum spiritualis ruinæ limitem traxit. *Exposito dein detrimento, ex viduitate Ecclesiarum parto, pergit*: Tu sacratissimorum pontificum, Leontii (*Arelatensis*), Fausti (*Regiensis*), Græci (*Massiliensis*), urbe, ordine, charitate medius inveniris. (*Erant quippe Aquæ Sextiæ topographice mediæ inter tres civitates supra citatas.*) Per vos mala fœderum currunt, per vos regni utriusque pacta conditionesque portantur. Agite quatenus hæc sit amicitia, concordia principalis, ut episcopali ordinatione permissa, populos Galliarum, quos limes Gothicæ sortis incluserit, teneamus ex fide, etsi non tenemus ex fœdere.

E *providetur, et Lemovicis S. Ruricius fit episcopus.*

19 *Hanc epistolam scriptam existimant eruditi anno Christi* 474 *aut sequenti* (9). *Quoniam porro Euricus in consilio non permittendi ordinationes episcoporum ad mortem usque perseverarit, Ecclesia Lemovicensis solido decennio pastore suo viduata exstitit. Nam Eurici obitus circa finem anni* 484 *aut ante Martium mensem sequentis accidit. Tunc quoque, ut habet Stiltingus noster ad S. Fausti Vitam die* XXVIII *Septembris n.* 269 (10), *episcopus Regiensis ab exilio revocatus fuit; vixque redux ad sedem suam S.* Ruricio *gratias agit pro impensis tempore calamitatis suæ beneficiis et episcopatum adepto amico gratulatur, epistola* 6 *his verbis* (11): Domino beatissimo, debita pietate suspiciendo atque apostolica sede dignissimo, fratri Ruricio, episcopo, Faustus. Gratius ad vos, dum vobis de patria scribimus, qui nobis patriam in regione fecistis, qui indefessa liberalitate patriæ desideria temperastis, vim quamdam divinæ justitiæ, succedentibus sibi beneficiis, inferentes, ut quod intulerat ad castigationem, converteret ad honorem, conferret ad consolationem, mutaret ad requiem mentis, nostra prætermitteret, ut vestra cumularet, debita obliviscens et lucra vestra multiplicans; apud utrasque partes magnitudinem suæ bonitatis exercens, nos vestro locupletaret obsequio, vos F nostro ditaret exilio. Unde factum est, ut jam in præsenti benedictionem, futurorum impatiens, dispensaret et fidelissimum famulum suum super candelabrum domus suæ, cooperante misericordia, justitia, sinceritate, continentia, benignitate, id est, domesticis suffragatoribus, sublimaret. Ecce quali pretio Ruricius meus summum sacerdotium comparavit. Unde emit, ipsum est, quod emit, et, testibus propriis acclamantibus, in se honoris causa, refugia honoris exhibuit. Tantum itaque munus scit in Christi nomine custodire, qui scivit acquirere.... Dominus noster magnificandam mihi beatitudinem vestram Ecclesiæ suæ profectibus, nostrisque gaudiis perfecta longævitate conservet, Domine beatissime, debita pietate suspiciende atque apostolica sede dignissime frater.

(1) Epist. Cœlest. Papæ ad episc. Prov. Vienn. et Narbon., cap. III. Labbe, t. II. Conc, col. 1620. — (2) Ibid., t. IV, p. 1016. — (3) Ibid., col. 1386. — (4) D. Bouquet. Recueil, t. II, p. 174. — (5) Gall. Christ., t. II, col. 232. — (6) Vict. Vit. de Persecut. Vand., lib. I, cap. VII, p. 10. Edit. Paris, 1699. — (7) Cfr. D. Bouquet, t. II, p. 174, not. *h*. — (8) Sirmondi Oper., t. I, p. 1024. — (9) Tillemont. Hist. des Emp. t. VI, p. 176. Edit. Bruxell. 1732. Sirmond., t. I, p. 909, not. *a*. — (10) Act. SS., t. VII Septemb., p. 703. — (11) Canis., t. I, p. 359.

§ III.

J. V. H.

§ III. S. Ruricii I epistolare commercium cum variis.

S. Ruricii epistolæ pietatem

Vix *quidpiam ad nos pervenit de rebus, a S.* Ruricio *in episcopatu gestis, quamvis binos habeamus libros epistolarum, e quibus jam aliquas notitias hausimus, quæque imprimis virum piissimum exhibent. Cujus rei argumenta nobis præbet inter alias epistola* 12 *lib.* II (1), *in qua laudat consilium viri sæcularis, quem* in salo sæculi istius adversis et diversis tempestatibus fluctuantem ratem ad portum salutis tandem aliquando, Domino gubernante, applicuisse congaudet. *Hortatur dein* ut clavo manum inserens astra semper intentus aspiciat. *Et adductis variis tum exemplis tum dictis sacræ Scripturæ, ad cujus studium diu multumque incubuisse Sancti scripta testantur, concludit ut sæpius Psalmus quinquagesimus,* pœnitudini dicatus, pariter et remissioni repetatur. *Sic quum duo presbyteri Lemovicenses, Fœdamius et Vilicus, ab episcopo suo dissedissent, epistola* 13 (2) *scribit*
B *S.* Ruricius : Ut desiderio satisfacerem et scribendi aditum prius, prior utpote, patefacerem, ne in posterum locus relinqueretur excusationi, et res voluntatis diffidentiæ et verecundiæ esse diceretur. Salutem itaque in Christo Domino plurimam dico beatitudini vestræ, et spero, ut me, sicut decet ecclesiasticos viros, non labiis sed corde diligatis, et de me charitate sincera in alloquio pristina dicere præsumatis. Quia si illa fuisset vera, permanserat ; et si fuisset mutata, non fuerat. A cujus tamen fuerit parte mutata, et conscientiæ nostræ noverint et conscientiarum cognitor sine adsertore cognoscit, quem ego testem adhibeo professioni meæ : nec de initio simultatis me esse culpabilem, nec in corde meo quidquid actum est dictumve resedisse ; quia scio nobis ab æterno et vero judice dictum, quod nisi ex corde dimiserimus fratribus, nobis dimitti non debeat. Habetis itaque sponsionem meam, reddite mihi fidem vestram.... Nec mihi aliquid de judice prioris temporis imputetis, quia definitionis meæ est, in comitiis servare concordiam, et in judiciis tenere censuram *etc.*

imprimis spirant;

21 *Possemus alias plures epistolas adducere ad*
C *ostendendum quanta cura S.* Ruricius *virtutes homine Christiano et episcopo dignas excoleret, a quibus citandis consulto abstinemus, quoniam infra ejusdem argumenti plura recurrent. Pietati conjungebat S.* Ruricius *litterarum sacrarum amorem, ut monstrant plures epistolæ, quæ eo collimant ut Sanctorum Patrum opera sibi colligat. Sic epist.* 6 *lib.* I (3) *scribit Nepotiano presbytero, se recepisse codices transmissos, ac remittere unum, qui erat S. Hilarii Pictaviensis, retento alio ad transferendum, id est transcribendum,* ut, *ait,* quod memoriæ commendare non possimus, saltem vel paginis mandare curemus. *Epistola* 7 *ad Bassulum, episcopum* (4), *significat se libros remisisse, oratque ut apud Dominum deprecetur, quatenus doctrinæ ejus* pinguedine terræ suæ amaritudo infructuosa dulcescat. *Similiter apud amicum Sidonium excusat* furtum *suum* (5), *quia codicem, quem a Leontio accipere jusserat Sidonius, transsumere curaverat* Ruricius *noster* : Cum de dapibus ipsius adhuc pauca libassem, taliter me gustu illecebrosi saporis illexit, ut primi quodammodo parentis imitator, Domino repente contempto, ad D satietatem studuerim pervenire, magisque consilium suadentis, quam imperium dominantis audierim... Ego tamen libens mulctam, quam intuleritis, excipiam, quia remedium meum vestrum credo esse decretum, et sententiam vestram medelam duco esse, non pœnam.

ardorem discendi monstrant;

22 *Demum a Turentio, quem* Dominum sublimem semper magnificum fratrem *appellat, rogat epist.* 16 *lib.* II (6) ut, sicut promittere dignatus est Turentius librum S. Augustini de Civitate Dei per portitorem *litterarum* sine dilatione mittat. Cujus, *inquit,* dum nos lectione ædificatis in terris, vobis ejusdem civitatis habitacula præparetis in cœlis, ad quam tamen aliter pervenire non possumus, nisi charitatis gradibus conscendamus. *Neque solum litteris vacabat S.* Ruricius, *sed artem quoque pictoriam excoli curabat, quod nobis manifestum fit epistola* 14 *lib.* II (7), *ad Ceraunium data ; in qua dicit se* pictorem, quamlibet hic esset occupatus, cum discipulo destinasse, quia maluit suæ detrahere necessitati, unde *Ceruniæ* satisfaceret petitioni ; *atque inde orditur S. Episcopus bene longum sermonem ; ut, aiens,* quemadmodum pictor parietes variis colorum fucis multimodo arte depingit, ita vos animam E vestram, quæ est templum Dei, diversis virtutum generibus excolatis, ut vere de spiritali domo vestra spiritaliter cum Propheta dicere possitis : « Domine dilexi decorem habitationis tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ *etc.* »

amicitiam testantur cum S. Sidonio

23 *Sed longe major numerus epistolarum sunt monumenta amicitiæ, quam S.* Ruricius *cum viris primariis sæculi et provinciæ suæ contraxerat. Inter hos primum sibi locum vindicant S. Sidonius, Avernorum episcopus et Namatius ejusque conjux, Ceraunia. Jam citavimus n.* 21 *epistolam, ad Sidonium data, qua se excusat, quod absque ejus conscientia librum aliquem exscribere curaverit. In altera epistola* (*lib.* I, 9) *laudat* (8) antiquam dilectionem *Sidonii, et petit ejus prædicationibus instrui, ac tandem scriptum claudit dicendo :* Orate, errantemque ovem a pascuis sæculi ad caulas dominicas reportate, quia confido, quod intercessionibus fieri possit agnus, qui vester meruerit esse discipulus. *Atque ex his verbis probabile mihi fit, has litteras datas fuisse, quando* Ruricius *adhuc sæculo implicitus erat, imo præcessisse epistolam octavam, quæ agebat de transcriptione libri. Satis enim inter eruditos convenit, Ruricianas epistolas ordine chro-* F *nologico dispositas non fuisse, ut patet ex epistola Eonio, Arelatensi episcopo data* (9) (*lib.* I, 15), *quæ loquitur de obitu Leontii, pariter Arelatensis, ad quem tamen scriptam reperimus epistolam* 41 *lib.* II (10).

et Namatio.

24 *Intimam amicitiam fovebat quoque, ut diximus, S.* Ruricius *cum Namatio ejusque uxore Ceraunia, quibuscum erat necessitudine conjunctus. Erat autem Namatius, si tamen idem cum homonymo suo, ad quem directa est S. Sidonii epistola* 6 *lib.* VIII (11), *venationi, ædificationi et rusticationi deditus : Sanctum quoque nostrum affinitate attingebat, ut liquet ex epist.* 1 *et* 3 *lib* II (12). *Etenim in prioribus litteris agit de utriusque* pignorum votiva conjunctione *jamjam facienda, seu de nuptiis conciliandis ; in posterioribus vero dicit :* Nos non solum fide concorporamur in Christo, sed etiam filiorum conjunctione connectimur. *Quos affinitatis titulos etiam alibi repetit S.* Ruricius. *Ex mox citata epistola* 3 *habemus Namatium prolem, juventute florentem, perdidisse, quo minus vero ipse*

(1) Canis., t. I, p. 387. — (2) Ibid., p. 388. — (3) Ibid., p. 376. — (4) Ibid. — (5) Ibid. — (6) Ibid., p. 391. — (7) Ibid., p. 389. — (8) Ibid., p. 377. — (9) Ibid., p. 879. — (10) Ibid., p. 401. — (11) Sirmond. Oper., t. I, p. 1002. — (12) Canis., t. I, p. 381.

consolator

A *consolator accurrat*, *obtendit* curarum *magnam* intemperiem : *atque ex consequentia epistolæ insinuare videtur Namatio filium obiisse.* Et vere, *ait*, non minimum potestis capere de Christi voluntate solatium, quod quatenus ipsum immaturus manebat interitus, talem eum est dignatus assumere, qualium regnum dixit esse cœlorum ; ut et patronum haberetis ex filio, et minus doleretis amissum, quem a Domino videbatis assumptum.

ejusque conjuge Ceraunia,

25 *Verum sequens epistola* 4 (1) *aperte loquitur de morte filiæ, unde dubius evadit sexus personæ defunctæ. Nam ad eamdem orbitatem alludere videtur, quum scribit :* Sæpius, charissimi fratres, propter communis luctus acerbissimum casum vobis scribere, aut ad vos venire disposui, sed semper me ab itineris procinctu infirmitas corporis et ab epistolari officio nimius dolor cordis retraxit.. .. Perdidi enim filiam, quam et me suscepisse et vos genuisse gratulabar, perdidi vitæ solatium, posteritatis spem, decus familiæ, cordis gaudium, lumen oculorum. Nec simplici sum orbitate percul- sus ; nam cum filia et fratres amisi, quorum me solabar affectu, quorum me conjunctione jactabam. Disruptum est, fratres charissimi, vinculum B germanitatis nostræ, ablatum est pignus mutuæ charitatis.... Sed quo immemor officii, memor gratiæ, dolore impellente, progredior? Et tempore aliquatenus vulnus obductum rediviva recordatione, tamquam nova sectione, rescindo ; et qui consolari vos potius per divina promissa cupiebam, consolationem ipse non capio. Causas tamen recidivi hujus doloris exponam *etc. Hæc omnia indicant* Ruricio *nostro sæpe redintegratum fuisse dolorem, et sæpe de eo cum amicis locutum fuisse ; quod si Namatius præter filiam, etiam filium amisisset, mirum esset utramque ejus prolem cum liberis S.* Ruricii *matrimonium contraxisse.*

quam viduam ad virtutem hortatur;

26 *Habemus aliam ad Namatium epistolam, scilicet* 61 *lib.* II (2), *qua invitat S.* Ruricius *amicum ut ocius ad illum accedat, neque istiusmodi festinationis aliam prætendit causam, quam* ut, *ait*, pectoris nostri, quod parvi temporis solatio suscitastis, exstinguatis incendium. *Ex epistola autem* 22 *lib.* II, *jam supra num.* 22 *citata, scimus Cerauniam maritum suum Namatium perdidisse, his enim verbis epistolam suam concludit* Ruricius *noster* (3) : Pater orphanorum et arbiter viduarum cum te de se tantum sperare compererit, et pu- C pillis tuis tribuet paterna pietate præsidium et de remuneratione judicis perducet ad præmium. *Ex reliqua vero epistola liquet Cerauniam viduam severius vitæ genus sectatam fuisse, ac summam virtutum expetendarum exponit noster dicens :* Ideo, in Christo Domino charissima soror et filia, pristinæ conversationis ambitione deposita, humilitatem debes cordis induere, misericordiam indigentibus fœnerare, castitatem non solum corporis, sed animæ procurare, quod, adjuvante Domino, ut acquirere valeas pariter et custodire, jejunandum est sæpius et semper orandum. *Atque hæc latius evolvuntur in decursu epistolæ.*

lepide objurgat Constantium.

27 *Ex hactenus dictis liquet S.* Ruricium *sancte amicitiam coluisse, ita ut amicorum defectus et culpæ illum non præterierint. Hujuscemodi liberæ objurgationis specimen nobis præbent binæ Sancti epistolæ, ad Constantium datæ* (4), *quem tamen confundendum non credimus cum suo homonymo, presbytero Lugdunensi et Vitæ S. Germani Altissiodorensis scriptore* (5) : *ad hunc directæ magis dici possunt litteræ S. Sidonii, quoniam Constantium vocat* (6) ætate gravem, infirmitate fragilem, religione venerabilem, *quæ omnia minime quadrant Constantio, S.* Ruricii *amico. Nam hæc habet prior epistola, ordine* 23 *lib.* II : Quamlibet Baccho, symphoniis et diversis musicis, nec non etiam et puellarum choris te deditum esse cognoverim, tamen quia bonum est ab his, dum pervalde fervet adolescentia, aliquoties respirare et magis Domino vacare quam Libero ; parentibus quoque operam dare quam cantibus ; moneo ut crastino, quod erit feria quarta, Brivæ (*hodie* Brive-la-Gaillarde), temporius tamen, quod te facturum minime credo, mihi jejunus occurras. *Et quum ad* Ruricium *nostrum transmisisset Constantius aliquot volatilia, ille vicissim tergum aprugnum offert, epistola* 43, *cum illa tamen monitione :* Cujus, *ait*, tamen malo carne, quam vita capiaris, quia qui semper de sæcularibus cogitat et jugiter terrena mediatur *, huic animanti a Scriptura divina merito comparatur. Quia de omnibus animalibus solus homo sublimis creatus est et effectus, ut auctorem semper cœlo intentus aspiciat, non mundalia opera, solo incessabiliter defixus, exerceat. E

J. V. H.

* meditatur?

Ad varios episcopos litteras,

28 *Epistolare commercium habebat S.* Ruricius *cum variis episcopis sui temporis. Sic se commendat Bassulo, episcopo ignotæ sedis, epistola* 7 *lib.* I (7), ut severiorem sententiam orando differat, donec doctrinæ ejus pinguedine tamquam terra amaritudo fructuosa dulcescat. *Amicissime agit cum Lupo, quem Tricassinum episcopum existimat Basnagius epistola* 10 *lib.* I (8), *et adductis fabulosis, ut ipse dicit, exemplis Herculis ac Thesei aliorumque*, serviamus, *inquit*, nobis in charitate candida, non adulatione fucata. *Æonio quoque Arelatensi, qui decessoris sui Leontii obitum et suam promotionem nuntiaverat, respondet* Ruricius *noster epistola* 15 *lib.* I (9) *se multum doluisse mortem Leontii, quem coram aspicere numquam potuerat, solari tamen sese ordinatione Æonii. Alteram epistolam, ordine* 8 *lib.* II (10), *scripsit ad eumdem Sanctus, qua commendat presbyterum.* Possessorum *nomine*, qui quod habuit, pro fratris redemptione profudit, *rogatque ut Pomerium presbyterum et insignem istius temporis rhetorem* non solum non retineat, verum etiam venire compellat (11). *Demum tertia est epistola ad Æonium, ordine* 15 *lib.* II (12), *quæ tota est in commendanda fraterna charitate.* F

etiam ligato stylo, dirigit :

29 *Ex epistola* 17 *lib.* II (13) *ad Sedatum, Nemausensem episcopum, missa, elucet ligato etiam stylo Sanctum nostrum se exercuisse : ejus poeticæ facultatis specimen aliquod exhibent versiculi, ad calcem hujus epistolæ affixi. Verum et aliud carmen longiusculum conscripsisse concludere, mea sententia, licet ex allegatis in eadem epistola, quoniam, ait,* credimus, quod pietati vestræ nec longitudo paginæ nostræ adferat satietatem, nec rusticus sermo fastidium : *quæ carminis longitudo intelligi non potest de viginti tribus versiculis ante dictis. Præter epistolam* 33 *ejusdem libri* (14), *quæ tota est de religione, est et tertia de qua infra loquemur, quando examinanda veniet quæstio, cur Sanctus noster Concilio Agathensi anni* 506 *non interfuerit. Operæ pretium etiam fuerit animadvertere ejusdem libri epistolam* 12 (15), *exceptis leviusculis differentiis, quæ solum ad grammaticam spectant et mutatione Lupi in Lupicino, omnino eamdem esse ac epistolam* 52 *et ad eumdem Præsidium, primarium virum, directam fuisse* (16). *Ast hæ ipsæ varietates, quæ utramque*

(1) Canis., p. 382. — (2) Ibid., p. 406. — (3) Ibid., p. 390. — (4) Ibid., p. 394 et 401. — (5) Cfr ibid., p. 394, not. *a* et Ceiller. Hist. des Aut. Ecclés., t. XV, p. 489. — (6) Sirmond. Oper., t. I, p. 911. — (7) Canis., t. I, p. 376. — (8) Ibid., p. 377. — (9) Ibid., p. 379. — (10) Ibid., p. 384. — (11) Cfr Epist. 17 lib. I et 9 lib. II. Ibid., p. 379 et 385. — (12) Ibid., p. 390. — (13) Ibid., p. 392. — (14) Ibid., p. 398. — (15) Ibid., p. 387. — (16) Ibid., p. 404.

J. V. H.

lectionem inspergunt, argumento nobis sunt plura olim Ruricianarum epistolarum exemplaria exstitisse. Utinam aliquando accuratius edantur, cujus rei spem, sed non impletam, fecerat Steph. Baluzius (1)!

ast epistola ad Volusianum, nisi

30 *Inter omnes vero epistolas, ad varios episcopos datas, nulla est quæ majorem admirationem excitare debet, quam postrema, ad Volusianum, episcopum Turonensem directa* (2), *in qua non reperimus notam Sanctinostri mensuetudinem et benignitatem. Eamdem integram exhibemus :* Ruricius episcopus fratri Volusiano episcopo. Ita quod pejus est, charitatem antiquam et insitam nobis, partim (quoniam confitendum est) negligentia nostra, partim necessitate temporis, partim corporis infirmitate faciente, longa delevit oblivio, ut penitus immemores nostri facti non solum vos nullis officiis, sed nec litteris requiramus. Miror nobilitatem tuam quasi filium ad me litteras destinare, cum sine ullo respectu religionis aut propinquitatis tibi injuriæ nostræ sic placeant, ut eas vindicare non velis. Unde nisi existimationem personæ meæ, aut officii cogitassem, portitorem litterarum tuarum talem ad te miseram, quales homines meos non matrona vestra, sed domina procax et effrenata B nimium perduxit. Cujus mores si tu tanto tempore cum famæ tuæ diminutione, aut voluntarie aut necessitate supportas, alios noveris nec velle ferre, nec esse contentos. Nam quod scribis, te metu hostium hebetem factum, timere hostem non debet extraneum, qui consuevit sustinere domesticum.

S. Ruricium deceptum dicamus, dubia videtur.

31 *Nisi porro dicamus S.* Ruricium *circa S. Volusianum deceptum fuisse quorumdam susurrationibus; qui lapsus est, ut ex aliorum sanctissimorum virorum exemplo constat, a magna sanctimonia non semper alienus; asserendum esset epistolam istam omnino deflectere a reliquis, quæ omnes humilitatem, mansuetudinem et summam indulgentiam spirant. Conferantur reliquæ omnes, ad octoginta et unam ascendentes, nihil simile occurrit, maxime ubi agitur de injuriis, propriæ personæ illatis : relegantur, quæ supra extraximus ex epistola ad Fœdamium et Vilicum num.* 20, *ipse* Ruricius, *licet graviter offensus, primus tamen occurrit presbyteris suis et viam ad reconciliationem sternit. Ast in epistola ad Volusianum abrupte incipit et quodam modo iratus pergit. Colitur S. Volusianus* XVIII *Januarii, ad quem diem Bollandus de eo scribit* (3) *: e senatore factus est episcopus, unde intelligitur vox* C *matrona, quæ plus æquo dominabatur episcopo. Martyrium subiit sub Gothis Arianis; quare si propter epistolam citatam censeatur humani aliquid passus, dicendum erit martyrio deletam fuisse culpam, humana fragilitate contractam.*

§ IV. Fundat S. Ruricius I ecclesiam et cœnobium S. Augustini Lemovicis; qua occasione inquiritur in genus vitæ illorum qui cœnobium incolebant.

Fundato cœnobio S. Augustini præposuisse S. Ruricium

Sanctus Roricius, *inquit Bernardus Guidonis* (4), XXIV episcopus a S. Martiale, creditur locum supra Vigennam fluvium, ubi commune cœmeterium D erat, in honore S. Augustini episcopi dedicasse et instituisse ibidem sub S. Augustini Regula canonicos regulares et plures capellas.... In eo monasterio viginti octo episcopi tumulati dicuntur, quorum tumuli duodecim discernuntur. *Postmodum Turpio sive Turpinus, qui ab initio sæculi* X *ad annum* 944 *Lemovicensem sedem tenuit* (5), monasterium, *ut habet laudatus Bernardus* (6), S. Augustini Lemovicensis reædificavit, atque ibi monachos, qui antea canonicos sæculares, priusquam rex Pipinus urbem Lemovicensem destrueret (nam ecclesias et monasteria ibidem funditus evertit) instituit. *S.* Ruricium *ædificasse ecclesiam suburbanam S. Augustini habemus auctorem subæqualem Venantium poetam, cujus verba supra num.* 3 *attulimus. Ast omnino rejiciunt Auctores Galliæ Christianæ, quod refert Bernardus de institutione canonicorum regularium hisce verbis* (7) : Canonicos regulares hac in ecclesia positos somniavit Bernardus Guidonis lib. de Progressu monasterii S. Augustini (*id est lib. de Ordinibus Grandimontensi etc.* (8)) quos tamen cap. VI ejusdem libri canonicos sæculares vocat (*non habet hæc in eodem libro, sed in tractatu de Gestis Episcoporum Lemovicensium*). Hanc fabulam jure merito exsufflat Gui- E lielmus Cave in Historia litteraria de nostro Ruricio agens. Certe Ruricii tempore ignorabatur hoc discrimen canonicorum regularium et sæcularium; imo ipsum canonicorum nomen nondum usurpabatur, neque mos illorum temporum ferebat, ut extra civitates collegia clericorum instituerentur, sed monachi, quibus ubique Galliarum tunc extra urbes exstructa esse monasteria certis argumentis constat.

canonicos regulares negant Gulielm. Cave et alii:

33 *Hactenus laudati auctores, qui commode loquuntur, quando nullo verbo probare asserta tentant. Verum quidem est Cavæum decretorie eloqui* (9) minimam apud illum fidem mereri, quod refert Bernardus Guido, cum (*Sanctum nostrum*) in communi Lemovicæ cœmeterio supra Vigennam fluvium in honorem S. Augustini monasterium fundasse et in eo canonicos regulares instituisse. *Sed cur tandem fidem ullam non mereatur Bernardus, non attingit. An fides deneganda circa ædificationem ecclesiæ? Ast id affirmat Venantius conceptis verbis, neque in dubium vocare videntur auctores Galliæ Christianæ. Hi enim unum in controversiam vocant, aut potius extra omnem ponunt, incolas Ruriciani monasterii monachos fuisse. Non vacat multis sol-* F *vere difficultatem, ortam ex nomine canonici, sive sæcularis sive regularis; non quidem hic de nomine agitur, sed de re. Esto Bernardus imprudenti, nec satis coæva voce usus; fuerint hi clerici Lemovicenses, quales suos esse volebat S. Augustinus Hippone, Vercellis S. Eusebius : id certe non evincet monachos in ecclesiam S. Augustini introductos fuisse. Quod si loquatur Bernardus de iisdem canonicis, quos nunc regulares, nunc sæculares vocat : id non ad eadem tempora referendum est : vocat illos regulares, quatenus a S. Ruricio institutos, sæculares vero, quales ipsos Turpio quadringentis post annis reperit.*

plures more S. Augustini

34 *Et vero regularem disciplinam, qualem in clericis suis volebat S. Augustinus, illo maxime tempore, quo vivebat, et in illis præcipue Ecclesiis, quibuscum majorem necessitudinem contraxerat S.* Ruricius, *viguisse et propagatam fuisse, habemus e monumentis coævis. Sic Pomerius, Afer, sed Arelate consistens, quocum ipse S.* Ruricius *epistolare*

(1) Hist. littér. de Fr., t. III, p. 55. — (2) Canis., t. I, p. 407. — (3) Januar., t. II, p. 194. — (4) De Ordin. Grandim., cap. II. Labbe Biblioth. Mss., t. II, p. 277. — (5) Gall. Christ., t. II. col. 508. — (6) De Gest. Episc. Lemov., cap. VI. Labbe, t. II, p. 267. — (7) T. II, col. 575. — (8) Labbe, t. II, p. 277. — (9) Hist. litt., t. I, p. 451. Edit. Basil., 1741.

commercium

A *commercium habuit et quem, ut adiret ipsum, invitavit* (1), *hæc scribit in opere de Vita contemplativa lib.* II, *cap.* II (2) : Sacerdos (*id est episcopus*), cui dispensationis cura commissa est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit a populo dispensanda.... Se in numero pauperum paupertatis amore constituit : ita ut, unde pauperibus subministrat, inde et ipse tamquam pauper voluntarius vivat. Clerici quoque, quos pauperes aut voluntas aut nativitas fecit, cum perfectione virtutis vitæ necessaria, sive in domibus suis, sive in congregatione viventes accipienda non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit vivendi necessitas. *In capite autem sequenti docet quid facere debeant clerici, quorum infirmitas non potest sua contemnere. Hic tractatus, quem citata Bibliotheca Patrum sub nomine S. Prosperi Aquitani edidit, suo auctori Pomerio vindicat Jacobus Sirmondus* (3).

vivebant in Galliis,

35 *Erat maxime in Ecclesia Arelatensi summa imitandi S. Augustini æmulatio. Sic in Vita S. Hilarii Arelatensis, a S. Honorato Massiliensi conscripta et apud nos ad diem* V *Maii edita, legitur poeta exclamasse* (4) : Si Augustinus post te, Hi- B lari, fuisset, judicaretur inferior. *Et reapse vix episcopatum adeptus* (5), congregationem subito instituit, secreti cupidam, continentiæ virtute crescentem, quam suo non minus pene imbuit exemplo, quam formavit eloquio. *Unde factum est, ut, quemadmodum loquitur ejus biographus* (6), non solum in successoribus, sed adhuc in multorum pontificum renasci non cessaverit augmentis. Quanticumque seu per ipsum nutu cœlesti, seu post ipsum Dei providentia, ordinati sunt ejus intercessione sacerdotes, respondere ejus eruditioni, doctrinæ ac crescentibus meritis, gratia juvante, contendunt. *Talis certe fuit quintus ejus successor, S. Cæsarius. Hic per omnia Augustinum episcopum episcopus sectatus*(7), *imprimis Regulam suam pro Sanctimonialibus ad normam Augustinianæ conformavit, utpote qui multa ad verbum excerpserit. Conferantur, si placet, regulæ* XIX, XX *et* XXI (8) *cum num.* 6, 9 *et* 10 *epist.* CCXI *al.* CIX *S. Augustini* (9).

unde eadem vestigia presserit S. Ruricius.

36 *Quæ quum ita sint, quis inficiari audeat etiam S. Ruricium nostrum, qui isthoc tempore vixit, cum iis viris aut coram aut per epistolas egit, camdem disciplinam sectatum fuisse, atque adeo* C *clerum suum ad imaginem Augustiniani cleri effingere tentasse? Qua igitur ratione* ad fabulas *amandari potest dictum Bernardi Guidonis, scriptoris accuratissimi, qui si erravit in voce, rem tamen, siculi erat sæculo quinto, exposuit, nempe S.* Ruricium *in suburbana ecclesia S. Augustini instituisse clericos, qui formam Augustinianam sequerentur? Ast scilicet extra civitates non erant collegia clericorum : id nullo, quod sciam, idoneo testimonio ostendi potest, nisi forsitan in argumentum inducatur vigens disciplina, qua, incolatu civitatum monachis interdicto, rus solum illis permitteretur. Sed isthinc nullatenus consequitur vicissim clericis ruris fuisse habitationem prohibitam, imo vero ex* XXV *canone Concilii Epaonensis planum est rure collegia fuisse clericorum, utpote qui in* oratoriis villaribus psallendi frequentia famulabantur. *Quoad monachos attinet, videntur ii initio e civitatibus exsulasse, id docet S. Hieronymus epist.* XLIX *al.* XIII *ad Paulinum de Institutione monachi* (10), *quum dicit* : Si officium vis exercere presbyteri, si episcopatus te vel opus vel honor forte delectat, vive in urbibus et castellis, et aliorum salutem, fac lucrum animæ tuæ. Sin autem cupis esse, quod diceris monachus, id est, solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum?

J. V. H.

maxime in vicinitate urbis :

37 *Hæc quamvis ad Orientem magis, ubi S. Hieronymus habitabat, spectare videantur, similem tamen disciplinam vel usque ad provectum sæculum septimum viguisse liquet ex Concilio Augustodunensi anni* 670, *in quo canone* VI *statuitur* (11) : Ut in civitatibus non inveniantur (*monachi*). Quod si causa utilitatis monasterii, cum litteris abbatis sui ad archidiaconum civitatis scriptis dirigantur. *Hic agi non tam de monachis, qui, intra civitatem habitantes, per plateas vagantur, sed de iis, qui rus incolunt, atque adeo non nisi, necessitate cogente, ad civitatem accedunt, manifestum est. Alioquin nimis ardua fuisset canonis observatio, si intra ipsam civitatem fuisset commoratio monachorum. Quod si monachi sæculo quinto extra civitatem manerent : ergo monachi proprie dicti non erant illi, qui, paupertatem evangelicam professi, ministerio sacro sub episcopo vi suæ vocationis deputabantur, quales* E *erant clerici Ecclesiæ Vercellensis sub Eusebio* (12), *Hipponensis sub S. Augustino* (13) : *quod dein institutum ad alias provincias propagatum est, maxime in Galliis, uti vidimus in SS. Arelatensibus episcopis Hilario et Cæsario.*

tandem ex S. Augustino monstratur

38 *Neque juvat dicere omnes, evangelicam paupertatem professos, esse monachos. Nam tunc quidem lis esset mera de nomine, atque hodie etiam, quoniam essentia status religiosi in tribus substantialibus votis, paupertatis, castitatis et obedientiæ constituitur, omnes regulares sub nomine monachorum recensendi venirent. Verum quemadmodum hodie, ita etiam olim fuere istiusmodi viri, in quos vi suæ institutionis ministerium sacrum incumberet. Certe tales erant illi clerici, quos secum habitare in episcopio suo volebat S. Augustinus, et quidem, quantum apparet, diversi ab illis, quibuscum ante suum episcopatum consueverat S. Doctor. Hæc enim omnino aperte explicat sermone* CCCLV, *quum dicit* (14) : Quia hoc disponebam (*jam presbyter factus*), in monasterio esse cum fratribus, cognito instituto et voluntate mea, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est mo- F nasterium. Cœpi boni propositi fratres colligere, compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam ; et imitantes me, ut quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi et pauperibus erogavi, sic facerent et illi, qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus : commune autem nobis esset magnum et uberrimum prædium ipse Deus.

distinctio inter monachos et clericos regulares.

39 Perveni ad episcopatum : vidi necesse habere episcopum exhibere humanitatem assiduam quibusque venientibus sive transeuntibus ; quod si non fecisset episcopus, inhumanus diceretur. Si autem ista consuetudo in monasterio permissa esset, indecens esset. Et ideo volui habere in ista domo episcopii mecum monasterium clericorum. Ecce quomodo vivimus : nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium : sed forte aliqui habent, nulli licet ; si qui habent, faciunt quod non licet. *Hic mea sententia duplex apparet monasterii forma, eorum scilicet qui in solitudine per-*

(1) Canis., t. I, p. 379 et 385. — (2) Biblioth. Patt., t. VIII, p. 64. — (3) Hist. litt. de Fr., t. II, p. 670.—(4) T. II Maii, p. 29, n. 14.—(5) Ibid., p. 28, n. 9.—(6) Ibid., p. 33, n. 32.—(7) Lelurge. De Ord. Canon., p. 240. — (8) Codex reg. Holstein, t. I, p. 355. — (9) Labbe, t. IV Conc., col. 1579. — (10) T. II, Oper., p. 563. — (11) Labbe, t. VI Conc., col. 535. — (12) Breviar. Roman., XVI Dec. — (13) Serm. CCCLV et CCCLVI al. XLIX et L. De morib. Cleric., t. V Oper., col. 1379 et seqq. — (14) T. V Oper., col. 1380.

ficiuntur,

J. V. B.

ficiuntur, quibusque indecens *fuisset visitatorum turba, et eorum, qui, in episcopio versantes, specialiter* clerici *vocantur et episcopum in ferendo onere pastorali adjuvant, quos merito clero regulari accensemus. Non est ergo unde tantopere sugillent auctores Galliæ Christianæ Bernardum Guidonis, qui scripsit canonicos regulares positos fuisse in ecclesia suburbana S. Augustini a S.* Ruricio. *Nam ideo Sanctorum Vitas compilavit Bernardus, ut, quemadmodum dicit scriptor anonymus ejus Vitæ* (1), cui ordinatio Fratris Jacobi de Voragine diminuta et in plerisque dubia videbatur, originales legendas Sanctorum *repræsentaret. Profecto istiusmodi viri auctoritatem nuda negatione non facile quis tollet.*

§ V. De causa absentiæ S. Ruricii I a Concilio Agathensi.

Excusat S. Ruricius suam absentiam a Concilio,

Unicum, *ut diximus supra num.* 5, *definitumque momentum chronologicum in vita S.* Ruricii *habemus, scilicet illum, ad Synodum Agathensem anni* 506 *convocatum, non comparuisse. Hanc absentiam* B *suam excusat Sanctus noster data ad S. Cæsarium, epistola* 32 *lib.* II (2) : Quod vero, *ait,* scribitis, cur ad synodum, sicut conlocutio habuit nostra, non venerim, fecit hoc infirmitas non voluntas. Ipsi enim recolere potestis, quam fessum me Burdigalia videritis, et hoc hyeme, quando esse soleo fortior solito. Quia æstivis diebus etiam in hospitio meo et locis frigidis, ipsam consuetudinariam infirmitatem sustentare vix valeo, ne dicam illos cœtus * regionis illius ferre quiverim, si venissem. Unde magis spero, ut pro me orare dignemini, et ad tempus aliud, quod intimatis, si Deus vitam cesserit, venire vultis, nobis per hominem vestrum maturius indicetis. Quia litteras vestras ad me modo tardissime venisse significo. Quia etsi pro dignitate vel pro ætate non debemus tardius, quam alii, commoneri, qui fortasse (ut minus prudens dicam) merebamur ambiri. Quia si aliis nomen urbium præstat auctoritas, nobis auctoritatem demere non debet urbis humilitas. Siquidem multo melius, multoque eminentius est, civitatem de sacerdote, quam sacerdotem de civitate noscere.

* legendum : æstus.

C

quin agat de omissa legatione presbyteri;

41 *Ast aliam causam absentiæ S.* Ruricii *a Concilio Agathensi suspicatur D. Joannes Liron, Mauro-Benedictinus. Etenim, ut ratiocinatur* (3), *si valetudo obstabat, quominus præsentem synodo se sisteret* Ruricius *noster, nihil certe impediebat legationem alicujus presbyteri vel diaconi Lemovicensis Ecclesiæ, qui vices episcopi sui obiret ; tales in hac ipsa Synodo sunt* (4) : *Avilius presbyter ad vicem Caprarii Narbonensis, Paulinus presbyter pro Eufrasio Arvernensi, Leo diaconus pro Vero Turonensi et plures alii. Imo ipse S. Cæsarius idem aperte dicit in epistola ad S.* Ruricium, *inter Faustianas* 18 (5) : Dum, *inquit,* nimium tribularetur animus meus, quare ad synodum vestram præsentiam non meruimus obtinere, Sanctus et Dominus meus Verus episcopus mibi dignatus est, quod per suum diaconum mibi Agathæ vestras litteras destinasset, quas ego nescio quo casu aut qua negligentia me non retineo suscepisse. Sed tamen Sancto et Domino meo, fratri vestro, certissime credo, et malo hoc portitoris negligentiæ D imputare. Sed licet sanctos et desiderabiles vestros apices miseritis, tamen, sicut ipsi optime nostis, dignissimum fuerat, ut personam dirigeretis, quæ ad vicem vestram subscriberet, et, quod sancti fratres vestri statuerunt in persona vestra firmaretur. Sed quia novi, quam sancto ac frequenti et pio desiderio interesse volueritis, omnibus fratribus vestris votum vestrum et sanctam voluntatem exposui : pro qua re nihil pietati vestræ vel potuimus vel debuimus imputare.

unde suspicantur aliqui causam fuisse

42 *Hinc manifestum est S. Cæsarium non tam doluisse de ipsius S.* Ruricii *absentia, quam de omissa legatione alicujus presbyteri aut diaconi. Quam tamen posteriorem expostulationem nullo verbo excusat Sanctus noster. In isto igitur negotio aliquid subest, quod neutra ex parte nitide et aperte expositum est. Laudatus D. Liron causam absentiæ quærit in eo, quod noluerit S.* Ruricius *sua præsentia in Agathensi Synodo, quæ ut habet præfatio Actorum* (6), ex permissu regis Alarici convenerat, *offendere animum Clodovæi, regis Francorum, tunc quidem bellum parantis adversus Alaricum, quem anno sequenti in campo Vogladensi apud Pictavos, fugato exercitu, interfecit, ut refert Gregorius Turonensis lib.* II *Hist. Francorum cap.* 37 (7). E *Imo suspicatur D. Liron ex Vero Turonensi, qui tunc jussu Alarici exul Lemovicis morabatur, S.* Ruricium *didicisse, quæ monstrabant bellum e propinquo imminere. Mihi quidem displicet hæc conjectura : quoniam si ex Vero didicerit S.* Ruricius *rationum momenta, ob quas Synodum Agathensem vitare debebat, qui fit ut ipse Verus diaconum suum, Leonem, ad eamdem miserit? videntur enim Vero valere debuisse argumenta, quæ S.* Ruricium *moverunt.*

timorem belli imminentis;

43 *Ex simili ratione probare non possum alteram D. Liron conjecturam, quatenus nempe S.* Ruricius *a Synodo refugerit, ut imminentis Clodovæi offensionem a se et grege suo averteret. Nam idem argumentum etiam movisset finitimos episcopos, Tetradium Bituricensem, Eufrasium Arvernensem, Verum Turonensem, qui tamen omnes per se aut per legatos suos Concilio interfuerunt, ut constat ex eorum subscriptionibus* (8). *Nihil magis timendum videbatur* Ruricio *quam reliquis, imo in istiusmodi adjunctis numerus peccantium, si non culpam, tamen pœnam aut minuit aut abstergit. Quare mihi probabilis potius videtur causa absentiæ episcopi nostri, negligentia in indicanda tempestive Synodo.* F *Petit enim, ut si quidem illum Cæsarius ad Concilium venire voluerit, ei* maturius indicet, *nam* litteras convocationis tardissime venisse significat. *Atque ex ista tarditate bajulorum contemptum quemdam personæ suæ ac sedis Lemovicensis subodoratur :* Quia, *inquit,* si aliis nomen urbium præstat auctoritas, nobis auctoritatem demere non debet urbis humilitas.

sed recte omnia explicantur

44 *Hanc suspicor causam fuisse absentiæ S.* Ruricii ; *si tamen alia, quam valetudo fuerit. Nam epistola sua ad Sedatum, Nemausensem episcopum, ord.* 34 *lib.* II (9), *non aliud obstaculum causatur, quam valetudinem.* Per archiatrum, *ait,* Palladium litteras.... accepi, quæ nos ad visionem mutuam voto pectoris invitabant. Sed quid facimus, quod desideriis animorum nostrorum diversa membrorum resistit infirmitas? Dum vos nimietate robusti, nos tenuitate exesi corporis impedimur : dum vos alieni et quatuor pedes ferre nequeunt ponderosos, me etiam proprii et duo sustinere præ defe-

(1) Labbe. Biblioth. Mss., t. II, p. 512. — (2) Canis., t. I, p. 397. — (3) Singularités historiq., t. II, p. 1 et seqq. — (4) Labbe, t. IV Conc., col. 1395. — (5) Canis., t. I, p. 366. — (6) Labbe, t. IV Conc., col. 1382. — (7) Bouquet, t. II, p. 182. — (8) Labbe, t. IV, p. 1394 et seq. — (9) Canis., t. I, p. 399.

ctione

A ctione vix possunt. Quo fit, ut implere communia vota nequeamus. Ego enim (testis est Dominus) quod si valuissem, ad synodum condictam omni aviditate venissem. Sed, mea disposita itineris voluntate, necessitas imbecillitatis inhibuit, quia aëres regionis illius præsertim hoc tempore ferre non poteram, quod et vos ita credere confido, et pravos ad aliud derivare non dubito. *Ex his videre est, jam tum aliquos sinistre interpretatos fuisse S.* Ruricii *absentiam, quamvis unicam ipse proferat causam, valetudinem suam. Ast dicet quis, cur saltem, sicut alii episcopi collegæ, legatum non misit? Quia* disposita, *ipse inquit,* itineris voluntate, *subito oppressus fuit infirmitate, ut nec legatum, debite instructum, mittere potuerit. Hac ratione absentiam S.* Ruricii *a Concilio Agathensi explicatam utcumque censeo.*

subita infirmitate in senem incidente.

45 *In citata supra num.* 41 *epistola S. Cæsarius indicat* superveniente anno Tolosæ synodum, Christo propitio, habendam *esse, ad quam etiam Hispani episcopi sunt convocandi. Ast istiusmodi conventus nullum vestigium reperitur* (1). *Ut recte animadvertunt Benedictini auctores Historiæ Occitaniæ* (2), *videntur bella, quæ anno subsequenti, id* B *est* 507, *inter Clodovæum Francorum et Alaricum Visigothorum reges exarserunt, omnem conventum episcopalem impedivisse. Nam Clodovæus, ait Gregorius Turonensis lib.* II *c.* 37 *Historiæ* (3), apud Burdegalensem urbem hyemem agens, cunctos thesauros Alarici a Tholosa auferens, Ecolismam (*Angoulême*) venit. *Quoniam porro magis Hispanorum, ut patet ex epistola, quam Gallorum intererat, in extrema parte regni Concilium celebrare, omnino intelligitur episcopos anno* 507 *Tolosam non convenisse.*

Topographia regni

46 *Quoniam sermo de Concilio Agathensi incidit, opportunum censemus lectorem monere, ex nominibus episcoporum, qui Agatham convocati fuere, desumi satis accurate posse fines regni Gothici in Galliis, ut recte animadvertit Sirmondus* (4). *In Vita S. Florentii, Arausicani episcopi, sub hoc etiam die edenda, idem observare licebit, quoad regnum Burgundicum spectat. Ast quando laudatus scriptor idem affirmat de Concilio Aurelianensi I anni* 511, *non mihi videtur undequaque certum; quamquam enim varii episcopi, qui Agathensi Synodo subscripserant anno* 506, *post cladem Vogladensem anni* 507 *et fractam Visigothorum poten-* C *tiam, sub Francicum jus transierint, Aurelianis tamen abfuerunt alii v. g. Rhemensis, Tornacensis etc.; unde forsan non soli, ast certe non omnes antistites Franci adfuere; quocirca difficile foret ex Aurelianensium Patrum sedibus terminos Francici imperii, quale erat tunc sub Clodovæo recte definire.*

Visigothorum in Galliis.

47 *Sed talem difficultatem nobis non objicit Agathensis Synodus. Etenim ex Patrum sedibus determinare licet fines regni Gothici in Galliis, quod meridiem versus Pyrenæis montibus et mari Mediterraneo includebatur; ad occidentem autem Oceano ad ostium Garumnæ finiebatur; dein gressum ad Septentrionem dirigentibus occurrunt Petrocorii* (Périgueux) *et Lemovicenses, quibus Turones, Bituriges atque Arverni accludebantur: hinc vero meridiem versus occurrunt Gabalitani (hodie* Mimatum, Mende), *Lutevenses, Ucetienses, transmissoque Rhodano, Avenionenses, atque in sinistra ripa Druentiæ, Arelatenses, Aquenses, Antipolitani* (Antibes, *post* Grasse), *Forojulienses* (Fréjus), *Sanetienses* (Senez) *et Dinienses. Atque adeo ex hac Synodo certum fieri nequit an Glannatera* (Glandève) *et Ventium, extrema ad Orientem oppida, ad Visigothos spectarint. Duo quoque sunt in hac Synodo episcopi, quorum sedes determinari non potest, nempe Pappulus, qui nomen civitatis suæ non adcripsit, et Petrus episcopus de Palatio, quem aliqui Lemovicensem, quatenus isti urbi vicus Palatium* (le Palais) *adjacet, existimarunt; sed prohibent quæ adhuc de S.* Ruricio *retulimus. Equidem opinor Petrum fuisse episcopum aulæ regiæ, atque ex officio nomen episcopi Palatini derivasse; cujus rei probabilitatem faciunt ea, quæ scripsit Josephus Carafa, Clericus Regularis circa Capellas regias* (5).

J. V. H.

S. Ruricii obitus.

48 *Censent illi, qui de rebus gestis S.* Ruricii *scripserunt* (6), *Sanctum nostrum vitam clausisse paulo post Concilium Agathense, adeoque circa annum* 507. *Certe ipse S. episcopus in epistola ad S. Cæsarium aperte insinuat, sibi etiam ratione ætatis reverentiam deberi: quæ maxime ratio suadere debet Sanctum nostrum non diu Concilio Agathensi superstitem mansisse. Demortui corpus in ecclesia S. Augustini, ab ipso ædificata, conditum fuit: erat enim hæc ecclesia commune cœmeterium cleri Lemovicensis. Id sepulturæ jus servavit dicta ecclesia usque ad Aimericum de Malamorte, episcopum* E *Lemovicensem, qui primus anno* 1272, *non contradicentibus monachis, in cathedralem suam, ad cujus fabricam absolvendam reliquerat magnam pecuniæ summam, illatus fuit* (7). *Nam quum anno circiter* 1086 *diem supremum obiisset Guido et in principe sua ecclesia S. Stephani tumulatus fuisset, coëgit canonicos abbas S. Augustini corpus exhumare et in suum monasterium inferre.*

et in ecclesia S. Augustini sepultura.

49 *Rem ita in suis Chronicis refert Gaufredus, prior Vosiensis* (Vigeois, dépt de la Corrèze (8)): Defuncto Guidone episcopo, tumulatum est corpus ejus in monasterio S. Stephani ante altare perpetuæ Virginis Mariæ ab ipsis canonicis, cum in illa urbe nullius cadaver defuncti jacuerit. Tunc Geraldus, abbas S. Augustini, convocato * comite Pictaviensi, corpus pontificis, ab ecclesia sublatum, infra paucos dies apud S. Augustinum magna cum frequentia diversorum Ordinum recondit *. Unus tamen de turba, lapide jacto, caput sacerdotis mortui percussit, unde sanguis non sine admiratione multorum exivit. *Et quamvis a sæculo tertio decimo episcopi Lemovicenses alium sibi locum sepulturæ eligere potuerint, nihilominus monachi Benedictini sæculo etiam decimo septimo* F *contendebant suo monasterio deberi luminaria, in exsequiis episcoporum et canonicorum adhibita, ut constat ex libello supplici, officiali Lemovicensi oblato, quod jus solidis fundamentis niti dicebant* (9). *Hactenus de S.* Ruricio I; *nunc ad ejus nepotem, S.* Ruricium II, *itidem Lemovicensem episcopum, gradum facimus.*

* *aliis connivente*

* *recommendavit*

§ VI. S. Ruricius II, nepos S. Ruricii I; ejus vitæ synopsis, concilia quibus interfuit; obitus.

Inter posteros

De *S.* Ruricio II, *episcopo Lemovicensi, non ita multa occurrunt præter ea, quæ in Vita S. Juniani anachoretæ referuntur, quæque infra dabimus. Hunc*

(1) Labbe, t. IV Conc., col. 1827. — (2) Histoire du Languedoc, t. I, p. 243. — (3) Bouquet, t. II, p. 183. — (4) Sirmond. Oper., t. II, p. 119. — (5) De Capella regis utriusq. Sic., p. 14. — (6) Gall. Christ., t. II, col. 502. Labiche. SS. de Lim., t. I, p. 45. — (7) Gall. Christ., t. II, p. 530. — (8) Labbe. Biblioth. Mss., t. II, p. 289. — Labiche, t. I, p. 43 et seq., not.

Sanctum

J. V. B.

Sanctum non filium fratris Ruricii I *fuisse, sed ex filio vel filia nepotem aperte monstrat epitaphium, utrique* Ruricio *a Venantio Fortunato positum supra num.* 3, *in quo alterum* avum, nepotem *alterum appellat. Etenim licet non nimis urgendam existimem nudam vocem* nepos, *tum quia in controversiam vocari posset, ut pervolventi Lexica patebit, an apud auctores etiam aureæ latinitatis non aliam habuerit significationem, quam* filius filii, *tum præsertim, quia ætate Venantii non tam defæcata erat latina phrasis, ut aliquod* σφάλμα *subesse non potuerit; attamen propter correlatas voces* avi *et* nepotis *res extra controversiam posita videtur. Maxime quoniam certum est S. Ruricium I ex suo cum Iberia conjugio liberos procreasse; id enim clare ostendit epistola* 5 *Fausti* (1), *in qua, quum in deliberationem adduceretur, quod vitæ genus præcipue sectari deberet Ruricius, dicit videndum,* si aliquis filiorum tam arduo sufficiens esse possit obsequio. *Idem argumentum deducitur ex epistolis ad Hesperium et Namatium, uti ostendimus supra num.* 8, 9 *et* 24.

S. Ruricii I natis

51 *Habemus quoque ex epistola* 36 *lib.* II (2) *Parthemium et Papianillam fuisse S. Ruricii* dulcissimos nepotes, *quorum discessu maxime contristatur, quosque admonet, ut verborum suorum sint memores,* quia, *inquit,* certum est, vos juxta Salomonis sententiam posse in bonis, Deo dirigente, proficere, si seniorum consilia et amori habeantur et usui apto bene agatis. *Occasione hujus epistolæ Basnagius attonitus stupet Parthemium laudari ab episcopo : At, inquit,* episcopus homo est, et nihil humani a se alienum putat. *Verum ut Terentianum adagium tanto hiatu proferatur, nihil video subesse causæ. Amorem spirat epistola paternum, sed nihil occurrit, quod laudem sapiat : monet quidem nepotes suos Ruricius, sed id ipsum aliquatenus monstrat tales fuisse nepotes ejus, ut adhortatione etiamnum indigerent. Dein Parthemius anno Christi* 547 *occisus fuit, jam igitur quadraginta circiter annis distabat ab obitu Ruricii, quo temporis intervallo mores, licet initio optimi, in pessimos degenerare potuerunt.*

numerosos.

52 *Res gestas Parthemii, quem ipse Parthenium vocat, hisce verbis adumbrat Gregorius Turonensis lib.* III *Hist. cap.* XXXVI (3) : Franci cum Parthenium in odio magno haberent, pro eo quod eis tributa antedicti regis (*Theodoberti*) tempore inflixisset, eum persequi cœperunt. Ille vero in periculo positum se esse cernens, confugium ab urbe facit, et a duobus episcopis suppliciter exorat, ut eum ad urbem Trevericam deducentes, populi sævientis seditionem sua prædicatione comprimerent. Quibus euntibus, nocte dum in stratu suo decumberet, subito per somnium vocem magnam emittit dicens : « Heu, heu ! Succurrite qui adestis, et auxilium ferte pereunti. » A quo clamore expergefacti, qui aderant, interrogant, quid hoc esset. Respondit ille : « Ausanius, amicus meus, cum Papianilla conjuge, quos olim interfeci, ad judicium me arcessebant, dicentes : Veni ad respondendum, qui causaturus eo nobiscum coram Domino. » Zelo enim ductus, ante annos aliquot conjugem innocentem amicumque peremerat. Igitur accidentibus episcopis ad antedictam urbem, cum strepentis populi seditionem ferre non possent, eum in ecclesia abdere voluerunt, scilicet ponentes eum in arca et desuper sternentes vestimenta, quæ erant ad usum ecclesiæ. Populus autem ingressus perscrutatusque universos angulos ecclesiæ, cum nihil reperisset, frendens egrediebatur. Tunc unus ex suspicione locutus, ait : « En arca, in qua non est inquisitus adversarius noster. » Dicentibus vero custodibus, nihil in ea aliud nisi ornamenta ecclesiæ contineri; illi clavem postulant, aientes : « Nisi reseraveritis velocius, ipsi eam sponte confringimus. » Denique reserata arca, amotis linteaminibus, inventum extrahunt, plaudentes atque dicentes : « Tradidit Deus inimicum in manus nostras. » Tunc cædentes eum pugnis, sputisque perungentes, vinctis post tergum manibus, ad columnam lapidibus obruebant. Fuit autem in cibis valde vorax ; sed quæ sumebat, quo celerius ad manducandum commoveretur, sumpto aloe, velociter digerebat.

venit etiam S. Ruricius II;

53 *Hæc de S. Ruricii nepotibus, inter quos accensendus venit S.* Ruricius II, *quamvis nihil sciamus de ejus parentibus, utrum nempe ex filio vel filia Ruricii I originem traxerit. Ignotum quoque nobis est tempus nativitatis et episcopatus ; ejusque res gestas, quatenus ad nostram notitiam pervenere, Vita S. Juniani, edita ad diem* XVI *Octobris* (4), *et Acta Conciliorum Galliæ complectuntur. Damus imprimis quæ in laudata Vita S. Juniani referuntur* (5) : Quidam illustris ortus natalibus, vir nobilis Ruricius, qui alio nomine Proculus vocabatur, rerum ditatus affluentiis, dum in superbiæ fastu fuisset elatus, non immerito, Dei omnipotentis dispensante judicio, ei traditur, qui se in superbiam primus extulerat. Humiliatus sensit, quantum tumidus amisisset, sed cum per medicos ac etiam, quod gravius est, per maleficos ac præcantatores a fidelibus suis etiam et a propriis vernaculis disceretur *, partemque substantiæ suæ per tales consumpsisset, qui etiam dum sanitati eum vellent restituere, gravius eum persequentes, dum ab eo unum vellent ejicere, mox, ut fertur, legio in eum ingressa est. *Si quidem vera narret S. Juniani biographus, ex hoc manifestum fit, S. Ruricium I filios ac nepotes nactum fuisse, qui paternis monitionibus non semper obtemperabant. Forsitan id etiam in causa fuerit, quod tunc primum vitam sanctiorem instituere cœperit, quando, ut vidimus in epistola Fausti Regiensis supra num.* 5, *jam adultiores liberos, atque adeo non facile reformandos, habuerit. Excerpta nostra continuamus.*

* duceretur?

qui ope S. Juniani conversus.

54 Sed cum a pluribus (*dæmonibus*) acrius agitaretur, quid etiam sui agerent, ad se reversi cogitare cœperunt, scilicet ut eum ad Sancti viri Juniani cellulam perducerent, ut qui ante a medicis curari non poterat, sancti viri orationibus sanaretur. Salubri igitur consilio inito, ad hominem Dei pergitur. Hoc tantum vir Dei hortabatur, ut jejuniis et orationibus ac vigiliis insisteret et eleemosynas de sua substantia largas pauperibus erogaret, quia hoc genus dæmonum aliter non potest vinci, juxta quod etiam Domini nostri Jesu Christi sententiam prolatam confirmabat. Sed cum ipse multas offerret pecunias, ut a tanto hoste mereretur curari, hoc sanctus vir protulit in responsis, quod non erat justum, qui sua propter Deum sponte reliquerat, ut aliorum opibus ditaretur : sed quod sibi offerebatur, hoc in pauperum substantiam erogaret, quia ipse eum potens erat a tanto hoste eripere, qui ex egrediente dæmoniaco homine legionem pepulerat, et in porcos ire permiserat. Sed cum diutius fuisset oratum et pro ejus sanitate multis jejuniis et vigiliis Dominum deprecaretur, ejus meritis sanitati pristinæ restituitur, et ita divina præstante misericordia, tam

(1) Canis., t. I, p. 356. — (2) Ibid., p. 399. — (3) Bouquet, t. II, p. 202 — (4) T. VII Octob., p. 848. — (5) Ibid., p. 849, n. 9.

sanus

J. V. H.

A sanus redditur, ut jam in eo ex ipsa malignorum spirituum turba ad imperium prædicti Dei famuli nullus præsumeret ad ejus corpusculum habere regressum, sed corpore ac mente a prædicti Sancti viri Juniani oratione et correctione ita est sanitati redditus, ut post discessum patruelis sui, sanctæ memoriæ Domini Ruricii, quondam præsulis Lemovicæ urbis, institueretur episcopus.

Lemovicensibus præfuit circa annum 507,

55 *Non est quod pluribus monstremus mendose S. Ruricium I* patruelem, *seu fratris filium appellari, avum illum vocari oportebat. Ast ex hac oscitantia mihi argumentum consurgit, Vitam S. Juniani satis diu ab ejus obitu conscriptam fuisse, atque adeo, si ex antiquioribus documentis compilata fuerit, propria quædam minus certa interpolasse scriptorem. Si porro insistamus verbis laudati biographi, concludendum erit S. Junianum quadraginta annis in solitudine vixisse post evectum S.* Ruricium II *seu Proculum ad cathedram Lemovicensem, qui ante annum Christi* 507 *promoveri, vivente avo episcopo, non potuit. Narrata enim S.* Ruricii II *in episcopali sede institutione, uno tenore verborum addit :* Ac post etiam prædictus vir Dei (*Junianus*), multis pollens virtuti- B bus, per quadraginta annorum spatia in supradicto loco duxit solitariam vitam. *Verum assumpta hac interpretatione, vita S. Juniani proroganda videbitur saltem duodenis annis, ut annum Christi* 547 *attingat; quod quidem minus verisimile est. Nam in Commentario prævio Actis S. Juniani, hujus obitus circa ann.* 535 *statuitur* (1) : *quamvis juxta Chronicum Comodoliacense ex quo utriusque* Ruricii *res gestas excerpemus, obierit S. Junianus secundum Vitam* Ruricii II *num.* 4 anno ætatis suæ quinquagesimo quinto et suæ inclusionis anno quadragesimo et Incarnationis DXL. *Ex quibus verbis manifestum est totum eremiticæ vitæ S. Juniani cursum quadraginta annis contineri; adeoque S. Junianum septem saltem annis sub* Ruricio I *in solitudine Comodoliacensi vixisse. Fidem autem assertis suis mihi conciliare videtur Stephanus Maleu, Chronici Comodoliacensis auctor, ex eo, quod candide fateatur se obitus diem et annum quandoque ignorare. Sic de S. Ruricio I dicit num.* 2 diem et annum, in quibus S. Roricii anima de corpore migravit ad Christum, in scriptis hodie non haberi. *Similiter de S.* Ruricio II *num.* 7 *profitetur sibi* diem et annum *obitus esse* ignota. *Quando igitur* C *tempus mortis S. Juniani tam diligenter notavit, credendum omnino est facem aliquam scribenti præluxisse.*

ac S. Juniano basilicam ædificavit :

56 *S.* Ruricius II *avo suo, nemine intermedio, successisse videtur. Id suadent documenta, quæ supersunt et eruditorum opinio* (2) ; *et Venantius Fortunatus utrumque conjungit lib.* IV *carminum, quæ citavimus supra num.* 3. *Quemadmodum porro S.* Ruricius *noster B. Junianum vitæ sanctioris initiatorem habuit, ita procul dubio eumdem sibi ducem et magistrum ordinandæ vitæ reliquæ secutus est; tanto magis, quod vicinus esset Lemovicis, a quibus Comodoliacum sex circiter leucis gallicis distat. Confirmatur id etiam ex sollicitudine, quam circa sepulturam S. Juniani exhibuisse legitur. Quocirca, ait biographus num.* 10 (3), nedum immemor antedictus vir Ruricius seu Proculus quanta erga se prædicti viri Sancti fuisset consecutus beneficia, basilicam jussit fabricari, ubi sancta membra beatissimi Juniani collocarentur, in quo etiam loco antea conversatio ejus fuit. *Latius describitur eadem basilica in jam sæpius laudato Commentario S. Juniani num.* 27 (4) : *initio monasterium fuit, quod procedente tempore ad sæculares presbyteros transiit; sua jam ætate scribebat Bernardus Guidonis in suis Miscellaneis historicis* (5) : S. Juniano eremitæ et Confessori jubilant Comodoliacenses canonici ; sic enim antiquitus vocabantur, qui nunc S. Juniani canonici nominantur. *Permansit canonicorum collegium usque ad finem lapsi sæculi, constans personis quatuor et viginti* (6). *Præter hanc fundationem adscribitur quoque Sancto nostro ecclesia S. Petri de Quadrivio* (du Queiroir) *Lemovicis, ubi tumulatus aliquamdiu quievisse narratur* (7). *Ignoro autem, utrum hodiernum parochiale templum S. Petri idem sit ac illud, quod de Quadrivio appellatur.*

interfuit Concilio Arvernensi anno 535, in quo varia

57 *Hæc fere sunt, quæ de S.* Ruricio II *ad nostram venere notitiam. Quibus subnectimus quædam de iis Conciliis, quibus interfuit Sanctus noster, aut ipse aut per suos legatos. Anno Christi* 535, consentiente, *aiunt Acta* (8), domno nostro gloriosissimo piissimoque rege Theodeberto, *filio Theodorici, cui Metense regnum obtigerat,* in Arverna urbe sancta synodus convenit. *Actis quinto* E *loco inter quindecim subscriptum legimus* Ruricium, episcopum Ecclesiæ Lemovicæ. *Notatu in ista Synodo digni sunt canones* 3, 7 *et* 8, *quibus cavent Patres, ne ecclesiæ supellex indecoris usibus profanetur. Sic canon* 3 *prohibet* ne pallis vel ministeriis divinis defunctorum corpora obvolvantur. *Duplex porro pallæ genus in ministerio sacro adhibebatur, scilicet lineus pannus, quo totum altare operitur et utrinque ad ejus pedem defluit, quique nobis, juxta Rubricas generales Missalis Romani num.* 20, *mappæ seu tobaleæ dicuntur. Altera palla, hodie Corporale vocatur, extenditurque ante Missæ celebrationem super altare ad Sacramentum recipiendum.*

58 *Quoniam infra similem prohibitionem circa sepeliendum presbyterum habemus, atque istic* opertorium dominici corporis *appelletur; crederem facile, pallam, qua involvi dicuntur defunctorum sæcularium corpora, interpretandum esse tobaleas. Etenim canone* VII *prohibetur* ne opertorio dominici corporis sacerdotis umquam corpus, dum ad tumulum evehitur, obtegatur; ne sacro velamine usibus suis reddito, dum honorantur corpora, F altaria polluantur. *Opertorium dominici corporis est ipsum corporale, quo etiam oblata operiebantur* (9), *eratque tam grande, ut, juxta Ordinem Romanum* VI *apud Mabillonium* (10), *diaconus illud,* alio adjuvante diacono, super altare distenderet et tantæ quantitatis, ut totam altaris superficiem caperet : *quocirca facile intelligitur, qua ratione opertorio isto sacerdotis corpus obtegeretur. Tandem ob similem rationem prohibent Patres Arverni can.* 8, (11) ne ad nuptiarum ornatum ministeria divina præstentur. *Consuevisse sacerdotem, impertita nuptiali benedictione, conjugibus velamen imponere, testatur nobis Nicolaus PP. I* (12); *talis probabiliter erat usus ministeriorum divinorum.*

ad disciplinam, imo ad statum civilem spectantia:

59 *In eodem quoque Concilio notatu digna est petitio episcoporum ad Theodebertum regem directa, ut, inquiunt* (13), nullum de rebus vel possessiunculis propriis alienum pietas vestra permitteret, et, dum unius regis quisque potestati ac dominio subjacet, in alterius sorte positam cujuscumque, ut

(1) Act. SS., t. VII Octob., p. 842, n. 26. — (2) Gall. Christ., t. II, col. 503. — (3) T. VII Octob., p. 842. — (4) Ibid., p. 850. — (5) Ibid., p. 842. — (6) Labbe. Biblioth., t. I, p. 633. — (7) Pouillé du dioc. de Limoges aº. 1648, p. 15. — (8) Gall. Christ., t. II, col. 503. — (9) Labbe, t. IV, col. 1803. — (10) Binterim Denkwürd. t. IV, part. 1, p. 136. — (11) Museum Ital., t. II, p. 73. — (12) Labbe, t. VIII Conc., col. 517 et XXX, qu. V, can. I. — (13) Labbe, t. IV, col. 1805.

assolet,

J. V. H.

assolet, impetitione non amitteret facultatem...... Unde reverentissime, ut dignum est, supplicantes quæsumus, ut hoc nostræ petitioni divino intuitu pietas vestra non deneget, ut tam rectores Ecclesiarum, quam universi clerici, atque etiam sæculares, sub regni vestri conditione manentes, nec non ad domnorum regum, patrum * vestrorum dominium pertinentes, de quod in sorte vestra est, extraneos, de quod habere proprium semper visi sunt, non permittatis existere, ut securus quicumque proprietatem suam possidens, debita tributa dissolvat domino, in cujus sortem possessio sua pervenit. Quod et thesauris vestris omnino utilius esse censemus. *Grandia jam tunc sibi arrogabat fiscus ex istiusmodi adventitiis bonis, neque id sine summo discrimine regni Galliæ, quæ, ut tunc erant res, post singulorum regum obitum in varios dominos dispertiebatur. Similibus exemplis liquido monstratur, quam efficax fuerit episcoporum actio ad regnum Gallicanum sartum tectum servandum.*

* patruorum?

et utrique Concilio Aurelianensi :

60 *Interfuit S.* Ruricius *noster binis Conciliis Aurelianensibus, nempe quarto et quinto, annis* 541 *et* 549, *ac priori quidem ipse subscripsit quintus inter triginta octo episcopos* (1). *Posteriori nomen* B *suum addidit Bantaredus, archidiaconus,* directus, *inquit*, a Domino meo, Ruricio, episcopo Ecclesiæ Lemovicinæ. *Ad alterutrum Concilium referendum est, quod narrat Gregorius Turonensis in Vitis Patrum cap.* 6 (2) : Apud Aurelianensem urbem, incriminato ab iniquis episcopo Marco, et in exilium truso, magnus episcoporum conventus est aggregatus, Childeberto rege jubente, in qua synodo cognoscentes beati episcopi, hoc esse vacuum, quod contra eum fuerat mussitatum, eum civitati et cathedræ restituunt. *Hæc causa magis refertur ad concilium Aurelianense quartum quam quintum, quoniam in priori subscriptio Marci ultimo loco inter episcopos reperitur, abest vero a quinto ; unde datur intelligere anno* 549 *vacuam fuisse Aurelianensem cathedram. Nihilominus Franciscus Le Maire in Historia Aurelianensis Ecclesiæ* (3) *Marci episcopi purgationem et absolutionem magis quinto Concilio adscribit.*

obit circa annum 553.

61 *Quamvis nihil certi circa tempus mortis S.* Ruricii *habeamus, non videtur tamen sanctus episcopus multum Concilio Arelatensi V anni* 549 *superstes mansisse : idque valde probabile evaderet,* C *si undequaque certum esset Exotium quindecim annis post* Ruricium *nostrum Lemovicinam cathedram occupasse. Etenim anno* 576 *Sanctus Ferreolus legitur apud Gregorium Turonensem lib.* V *Hist cap.* 29 (4) *Marcum, regis Chilperici referendarium, a furore populi Lemovicensis liberasse. Quod si ab anno Christi* 575 *distrahimus annos quindecim. quibus, teste Venantio Fortunato* (5), *sedit Exotius, ad annum æræ vulgaris* 560 *devenimus : quoniam porro nullatenus certum sit tunc primo Exotium episcopatum accepisse, quando commotionem populi sui compescuit, nihil vetat obitum S.* Ruricii *nostri usque ad annum* 553, *ut habet Labiche* (6), *procrastinare. Quocirca quamvis tempus obitus non possit accurate determinari, circa annum* 553 *prudenter statui potest. Neque etiam multum prorogandum videtur, quoniam isto anno e vita discedens annis triginta sex, adeoque usque in senectutem episcopale munus gessisset.*

sepultus jacet ad S. Junian[um],

62 *Quum, ut supra vidimus num.* 49, *ordinaria sepultura Lemovicensium antistitum in ecclesia S. Augustini fuerit, verosimile est S.* Ruricium *istic etiam tumulatum fuisse. Refert tamen Gallia* D *Christiana* (7) *illum in ecclesia S. Petri de Quadrivio sepulchrum nactum fuisse, e qua tandem ad ecclesiam S. Juniani translatus fuit. E terra levatum atque ad sinistram altaris majoris S. Juniani in capsa, laminis argenteis adornata, honorifice collocatum narrat Labiche* (8). *Ast hic occurrit aliqua difficultas, quum laudatus scriptor addit, istam elevationem a Reginaldo Petragoricensi præsule anno* 1102 *peractam fuisse, dum contra R. D. Arbellot* (9) *contendit Reginaldum Petragoricensem anno* 1101 *mortuum fuisse et proin hanc elevationem ad annum* 1100 *esse reponendam. In Commentario de S. Juniano omnino prætermissa non fuit hæc quæstio, et generatim dictum fuit de R. D. Labiche asserto nil esse quod repugnaret. Re quidem vera nos non præteribat controversia de successione episcoporum Petragoricensium ; sed ita res perplexa videbatur atque etiamnum videtur, ut hæc episcoporum series nullam lucem affundat aliis historicis argumentis, sed potius ab his accipere debeat. Ex dicendis judicabit lector : Gaufredus Vosensis capite* XXXII *Chronici tradit ad annum* 1101 *sequentia* (10) : Dux Aquitanorum Guillelmus cum multis aliis Hierosolymam perrexit : E verumtamen nomini Christiano nihil contulit..... Tunc trucidatus est exercitus ejus a Sarracenis una cum Radulpho venerabili pontifice Petragoricensi. Rex interea (1100) Godefredus de Boillon vitam finiens sceptrum fratri tradidit Balduino. *Contra in Fragmento de Petragoricensibus episcopis, quod ex Bibliotheca Mss. Labbei non secus ac Gaufredi Vosiensis Chronicum edidit D. Bouquet* (11), *alia omnino pugnantia leguntur. Ecce ea :* Post hunc *(Guilhermum de Monte Berulpho)* in eumdem episcopatum successit Reynaldus de Tiborio et rexit ecclesiam annos XVII menses IV et dies unum et XX. Obiit autem anno Domini MXCIX octavo idus Septembris apud S. Georgium de Rama. Hic episcopus obsidioni Antiochenæ interfuit, sed dum die quadam divina celebraret, a Sarracenis super altare decollatus est..... Hunc vero secutus est in eadem sede Guilhermus de Alba Rocha et ecclesiam rexit annos XXIV, obiitque anno Domini MCXXIII, IV Nonas Aprilis. *Atque huc quoque facit inscriptio quam tumulo S. Juniani a Ramnulpho tunc temporis Commodoliacensi præposito appositam tradit Maleu* (12) : Hic jacet corpus Sci Juniani in ipso vase in quo sepelivit eum beatus Roricius eps. Rainaudus vero Petragoricens. eps. qui meruit martir fieri, collegit eum in [s]crineis ligneis infra vase positis. F

corpus ejus elevante episcopo Petragoricensi.

63 *Verum enimvero, si admittatur episcopum Petragoricensem circa annum* 1100 *in Syria obiisse, quis demum ille est an Reginaldus seu Rainaudus, an vero Radulphus? An interfuit anno* 1097 *obsidioni Antiochenæ, an vero profectus tantum est anno* 1101 ? *Est ne mortuus apud S. Georgium de Rama, an vero in partibus Heracleæ, ubi fusæ sunt Pictavienses copiæ?*

Reginaldo vel Rainaudo.

64 *Verum, quum hæc ita dubia sint et nequaquam inter se componi nequeant, sunt alia quæ suadeant nec Radulphum (qui numquam Petragoricis sedit) nec Reginaldum aliquando cum crucesignatis abiisse. Etenim Reginaldus Petragoricensis anno* 1098 III *Nonas Octobris cum suæ diæcesis abbatibus Concilio Burdigalensi interfuit* (13), *et dicitur anno* 1099 *Uzerchiensem consecrasse ecclesiam* (14), *licet ego arbitrer id ab eo factum anno* 1097 (15). *Insuper*

(1) Labbe. t. V Conc., col. 388. — (2) Biblioth. max. Patt., t. XI, p. 939. — (3) Histoire de l'Égl. d'Orl., p. 149. — (4) Bouquet, t. II, p. 251. — (5) Ibid., p. 492. — (6) Six mois, t. II. p. 249. — (7) Gall. Christ., t. II, col. 503.— (8) Six mois, t. II, p. 150. Gall. Christ., t. II, col. 1461. — (9) Chronique de Maleu. p. 91. — (10) Ap. D. Bouquet, t. XII. p. 420. — (11) Ibid., p. 391. — (12) Chronique de Maleu, p. 44. — (13) Gallia Christ., t. II, col. 1461. — (14) Ibid., l. c. — (15) Ibid., col. 585 et Mabillonius, Annal. Bened. ad an. 1095, n. 32, t. V, p. 338.

Maleu

A *Maleu, qui præ oculis forsan habuit instrumentum dedicationis ecclesiæ sui monasterii scribit* (1) : Anno siquidem Domini MCII, mense Octobris, videlicet XII Kal. Novembris, ipse reverendus pater dominus Raynaldus, rogatus per præfatum Ramnulphum præpositum advenit Comodoliacum pro ecclesia S. Juniani dedicanda, *etc. Re quidem vera satis novi in Gallia Christiana* (2) *ab anno* 1101 *usque ad annum* 1104 *venire Raimundum II; sed nequaquam ostenditur eum quadriennium Petragoricis sedisse et multo minus eum anno* 1102 *jam fuisse episcopum. Repugnare tamen nolim, et si qui dedicationem et translationem Comodoliacensem ab hoc Raimundo factam esse et Reginaldum in Syria infidelium telis necatum fuisse velint, habent argumenta quibus se tueantur; si qui contra Canonico Maleu contendant esse adhærendum, neque hos inermes esse patet. Satis fuerit nobis utriusque sententiæ ponderasse argumenta. S.* Ruricii *lipsana non in sola ecclesia S. Juniani remanserunt : legimus enim anno* 1659 *canonicos San-Junianenses binos legatos fuisse ad Oratorium oppidum, olim Scotorum* (le Dorat, Haute-Vienne, arrond. de Billac), *ut canonicis ejusdem collegiatæ Reliquias S.* Ruricii *offerrent,* B *ea lege, ut et Oratorienses e collegio suo quosdam deputarent, qui sacras exuvias transferendas susciperent* (3). *Laudatus supra n.* 1 *D. Thézard nobis scribit matronam quamdam, in oppido S. Juniani degentem, affirmare quasdam apud se Reliquias Sancti nostri conservatas esse : de quarum tamen authentitia, quoniam easdem ecclesiæ parochiali reddere recusat, dijudicare ad hunc usque diem non potuit episcopus. Atque hæc sunt, quæ de utroque S.* Ruricio *satis operose colligere potuimus. Subnectimus porro utriusque Sancti Vitam, ex Chronico Comodoliacensi seu Ecclesiæ Sancti Juniani ad Vigennam, Stephano Maleu S. Juniani canonico auctore conscripto, excerptam.*

TRANSITUS

S. RORICII I, LEMOVICENSIS EPISCOPI,

Ex Chronico Comodoliacensi seu Ecclesiæ S. Juniani ad Vigennam, auctore Stephano Maleu, ejusdem Ecclesiæ canonico a.

C

a

S. Ruricius I, fundato monasterio

Sanctus autem Roricius I, Lemovicensis episcopus, avunculus Roricii jam curati *b*, ædificavit et dedicavit monasterium S. Augustini Lemovicensis ad honorem S. Augustini, Episcopi Confessoris et Doctoris egregii; ibique instituit sub ipsius S. Augustini Regula Canonicos Regulares *c*; et plures ipsi monasterio ecclesias et redditus, ex quibus ipsi canonici sustentarentur et viverent, idem episcopus acquisivit. Locus tamen ipsius monasterii fuit post per tempora ex persecutione tyrannorum et principum, et ex guerris Normannorum, Wandalorum et aliorum quam plurium totaliter dissipatus *d*. Completo igitur feliciter agone ipsius domini Roricii I, Lemovicensis episcopi, ad cœlos ejus anima per Angelos est evecta; et ipsius sancta membra Lemovicis, in præfati S. Augustini monasterio, ubi mos erat Lemovicensium præsulum corpora sepelire, fuerunt per clerum et populum honorifice tumulata; ejusque sanctæ Reliquiæ post per tempora ibidem una cum B. Asclepio *e* et S. Flavia *f* in capsa propria supra altare fuerunt honorabiliter translatæ, et devote a fidelibus venerantur. Deus enim ejus meritis et intercessionibus a cordibus eorum, qui sancte et devote eum expostulant, zelotypiæ rancorem et malencoliam eradicat et evellit, et exstinguit ardorem luxuriæ et libidinis incentivum *g*.

S. Augustini, sancte obit.

2 Dissipato tandem, ut prædixi, præfato monasterio ex persecutione varia tyrannorum, S. Turpio, qui post plures Lemovicenses episcopos in episcopatu Lemovicensi successit, vir sanctitate et miraculis clarus *h*, reædificavit præfatum locum sive monasterium S. Augustini et in locum canonicorum regularium ibidem substituit monachos regulares *i*, prout hoc in chartis ipsius monasterii, quæ Præcepta vocantur, plenius continetur. Quia tamen dies et annus, in quibus S. Roricii anima de corpore migravit ad Christum in scriptis hodie non habentur, pro eo videlicet quia tyranni, qui ipsum monasterium diruentes, libros ipsius monasterii, E in quibus dies et anni felicium obituum domini Roricii et aliorum episcoporum Lemovicensium scripti erant, igni horribili concremarunt, idcirco per religiosos ipsius monasterii exstitit ordinatum, ut unum solemne festum processionale ad honorem ipsius S. Roricii et aliorum Sanctorum, quorum Reliquiæ in ipso monasterio requiescunt, colatur a populo annuatim, et XIII Kal. Augusti per religiosos ipsius monasterii celebretur, quæ quidem ordinatio adhuc nostris temporibus observatur *k*.

ANNOTATA.

a *Chronicum Comodoliacense, quod hactenus inter codices manuscriptos latebat, publici juris fecit R. D. Arbellot, cathedralis ecclesiæ Lemovicensis vicarius, nobisque lubentissime donum misit. Stephanus Maleu, conditionem et ætatem suam prodit, offerendo quidem Chronicum suum* præposito et capitulo ac clero et collegio ecclesiæ S. Juniani Lemovicensis diœcesis *seque dicendo* humilem presbyterum et inter alios ipsius ecclesiæ canonicos infimum (4) ; *quoad ætatem spectat, testatur* anno a Nativitate Domini Jesu Christi MCCCXVI in octava F Beati Andreæ Apostoli..... opusculum consummasse. *Addit editor laudati Chronici Stephanum Maleu obiisse quadragenarium anno* 1322 V *Idus Julii, adeoque natum esse anno* 1282. *Exstat etiam lapis funebris, quo liquet eumdem in ecclesia S. Juniani sepulturam nactum fuisse* (5). *Jacobus Le Long, in Bibliotheca historica Galliæ, duplex Stephani opus indicat : nempe Chronicum Comodoliacense sub num.* 37,591, *et in Supplemento ad num.* 5,137 *Historiam Ecclesiæ S. Juniani ad Vigennam, qui titulus gallico idiomate exhibetur* (6). *Dubito tamen vehementer, an opus sit diversum, licet diverso idiomate exhibitum, quoniam ecclesia Comodoliacensis et ecclesia S. Juniani est una eademque ecclesia. Cæterum de S. Juniano, ac ejus magistro S. Amando, adeoque Comodoliacensis cœnobii fundatione actum fuit die præcedenti* (7).

b *Agitur hic loci de curatione S.* Ruricii II, *precibus S. Juniani impetrata, quam Stephanus noster eodem modo, licet aliis verbis, ac in Vita edita refert* (8).

(1) Chronique, p. 41 et infra in hoc tomo. — (2) T. II, col. 1461 et seq. — (3) Six mois, t. II, p. 250. — (4) Chron. Comodoliac., p. 7. — (5) Ibid., p. 3 et seqq. — (6) Le Long. Biblioth. hist. de la France, t. III, p. 512 et t. IV, p. 275. — (7) Act. SS., t. VII Octob., p. 835. — (8) Ibid., p. 849, n. 9.

AUCTORE STEPH. MALEU.

c *De hac fundatione S.* Ruricii I *prolixe scripsimus* ᵹ IV *hujus Commentarii prævii.*

d *Pagus Lemovicinus variis temporibus a Gothis, Sarracenis et Normannis fuit occupatus : cujus rei testes adducere non est necesse, quoniam istiusmodi calamitates obviæ fiunt legenti historiam Gallicarum rerum qualemcumque.*

e *Acta S. Asclepii Lemovicensis episcopi, ad trutinam vocabuntur, die quo colitur,* XXIII *Decembris.*

f *Sancta de qua hic sermo, est Flavia Domitilla, ut videre est in Chronico Vosiensi Gaufredi apud Philipp. Labbe* (1) *: de ea igitur actum fuit sub die* XII *Maii una cum SS. Nereo et Achilleo.*

g *Ex hisce verbis liquet, quibus morbis et malis S.* Ruricius *tamquam medicus cœlestis adhibetur.*

h *Turpio seu Turpinus, Lemovicensis episcopus, anno* 944 *defunctus, inter prætermissos ponitur ad diem* XVI *Julii* (2).

i *De fundatione seu instauratione Lemovicensis monasterii S. Augustini vide, quæ habet Joan. Mabillon in Annalibus Benedictinis sub anno* 934 ᵹ LVII (3) *et Gallia Christiana* (4).

k *Festum processionale, de quo loquitur Stephanus,* B *videtur jam cessasse ante turbationes Galliæ : nam nuperus Lemovicensis hagiologus dicit id adhuc durasse tempore Bernardi Guidonis* (5). *Erat probabiliter solemnis circumlatio Reliquiarum. Cæterum hujus festivitatis vestigium superest, quoniam eadem die* XIII *Kal. Augusti seu* XX *Julii S.* Ruricius I *apud Lemovicenses colitur.*

VITA

B. RORICII II, EPISC. LEMOVICENSIS.

Ex Chronico Comodoliacensi Stephani Maleu.

S. Ruricius II avo succedit,

Tandem sancto domino Roricio sic, ut retuli, honorifice tumulato, dominus Proculus, alio tamen nomine vocatus Roricius junior, vir magnæ abstinentiæ, et theologiæ lucerna et sanctitatis speculum, C nepos domini Roricii tumulati, statim in ipsius sedis Lemovicensis episcopum concorditer est electus, divina gratia inspirante. Beatus vero Roricius, qui antea Proculus vocabatur, electionem hujusmodi de se factam, non sibi ipsi, sed sanctissimi Roricii meritis attribuens, eumdem sanctissimum Junianum in sua cellula frequentissime visitabat, et honore condigno venerabatur eumdem. In suis orationibus semper gratias agens Deo, qui eum ad suum sanctum servitium evocare et a legione dæmonum liberare dignatus est intercessionibus sanctissimi Juniani. Adeo enim affectabat cum B. Juniano semper esse, quod, nisi eum retraheret necessitas regiminis pastoralis, in qua positus exsistebat, totum cursum vitæ suæ cum beatissimo Juniano in eremo finivisset. Nolebat enim venire contra doctrinam Apostoli dicentis : Ut quisquis Deo militet in ea vocatione qua vocatus est *a*. a Licet tamen corpore distaret a B. Juniano, affectu tamen et corde secum in eremo semper erat.

gregi operibus et

2 Beatus siquidem Roricius, postquam fuit a legione dæmonum liberatus, inter alia virtutum dona, tribus insignibus virtutibus resplendebat. D Florebat enim in eo humilitas erga Deum, et virginitas erga se ipsum, et charitas erga proximum refulgebat. In sermonibus enim suis populo prædicabat, humilitatem esse sectandam et superbiam fore vitandam ; propter eam enim primus Angelus de cœlo corruit, et Adam primus parens de paradiso est expulsus, et ipsemet episcopus asserebat, se propter superbiam fuisse angelis satanæ liberatum *. O quis est hodie, qui peccatum suum audeat in publico confiteri ! Iste enim facta sua non erubuit in publico confiteri, memor Apostoli, qui post conversionem suam dicebat Galatis : « Audistis, inquit, conversationem meam aliquando in Judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei et expugnabam illam » *b* etc. Et b alibi ad Colossenses : « Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum » etc. *c* c

* traditum?

verbis prælucet;

3 Præcipiebat autem idem S. Roricius debere virginitatem, castitatem et continentiam observari, et contra carnis tentationes et luxuriam esse per orationes et jejunia resistendum. Luxuria enim Deo et Angelis fœtet et ipsimet luxurioso E displicet, verecundiam tollit, bona fortunæ diminuit, rixas, contentiones et homicidia generat, carnes et ossa luxuriosi debilitat et enervat, sanguinem purissimum effundit et devastat, et ad ultimum facit animam corruere in infernum. Hæc et iis similia B. Roricius prædicabat, et, ut fertur, numquam fuit aliqua fæce luxuriæ in anima nec in corpore maculatus. Pauperibus enim et piis locis, quidquid habebat, libentissime erogabat largissimas eleemosynas effundendo : multaque bona alia faciebat, quæ, Deo largiente, in sequentibus narrabuntur.

S. Juniani sectator, eumdem

4 Sanctissimus autem Junianus, finitis et completis laudabiliter quadraginta annis in solitudine, Deo, cui devotissime servierat, spiritum reddens, in Domino obdormivit VII Kal. Novembris, anno ætatis suæ quinquagesimo quinto et suæ inclusionis anno siquidem, ut prædixi, quadragesimo et Incarnationis Dominicæ anno DXL, domino siquidem Vigilio papatum sedis apostolicæ obtinente, ac domino Roricio juniore tunc Lemovicis præsulante *d*. Præfatus autem S. Roricius junior, d beatissimum Junianum affectu diligens singulari, ipsius exsequias fecit fieri largissimo apparatu, et F ejus sepulturam nobilium et excellentium prælatorum, religiosorum, virorum et mulierum præsentia decentissime decoravit. Ac subtus arborem, quæ *Spina* dicitur *e*, in illo siquidem loco, in quo, e ut superius retuli, mos eidem sanctissimo Juniano erat orare, ejus sancta membra ipse Sanctus episcopus reposuit condecenter. Et ne idem episcopus posset a populo de ingratitudine reprehendi, si tantum more plebeio sanctissimi Juniani membra relinquerentur humata, idcirco Sanctus episcopus, non immemor sanitatis sibi sanctissimi Juniani meritis restitutæ, quoddam oratorium, quo inhumati corporis cineres tegerentur, statim supra beatissimi Juniani tumulum construi faciens, ad caput ipsius sanctissimi corporis altare adaptari præcepit, ipsumque in honore S. Andreæ Apostoli consecravit.

honorifice sepelit,

5 Beatissimo vero Juniano, sic, ut præmittitur tumulato, ad diversas mundi partes ejus fama se intulit, quod ad ipsius sepulchrum tot et tanta miraculorum prodigia divinitus sunt patrata, ut si anteriora

(1) Biblioth. nov. Mss., t. II, p. 286. Cfr Act. SS., t. III Maii, p. 6. — (2) Act. SS., t. VI Julii, p. 229. — (3) T. III, p. 391. — (4) Gall. Christ., t. II, col. 575 et Instrum. col. 167. Cfr La Biche. Six mois des Saints de Limoges, t. I, p. 47. — (5) La Biche. Ibid., p. 46.

AUCTORE STEPH. MALEU.

A anteriora ejus vitæ testimonia defuissent, per ipsa tamen miracula posset constanter et liquido comprobari ipsius sanctissimam animam esse in cœlestibus sublimatam. Ad ejus enim tumulum cæci visum, claudi gressum, surdi auditum, dæmoniaci libertatem, vesani sensum recuperant; et quotquot infirmi eum devote expostulant, sanitatem a Deo obtinent meritis sanctissimi Juniani.

6 Quumque idem B. Roricius adhuc præsulans, paucis fere annis quatuor elapsis, sanctissimi Juniani corpus Lemovicis in S. Augustini monasterio disponeret transferendum, et de loco oratorii, in quo prius positum fuerat, amovere et ejicere conaretur, nullis humanis viribus amoveri exinde potuit; sed quasi rupes immobilis in ipso loco permansit. Quod præsul sanctus aspiciens, nolens voluntati divinæ contraire, humum profundius effodi fecit; et corpus ipsum reposuit infra sarcophagum, et eum in loco sic profundius effosso recondidit; tellurem tamen superponens, lapidemque alium post adaptans, novissime aliam tellurem superposuit, et supra ipsam terram alium tertium lapidem super adjecit: ea siquidem ratione, ut si furtim vel violenter sanctæ aggrederentur
B Reliquiæ, ad eas nisi cum magno vel casso labore non posset de facili perveniri *f*. Sepulchrum enim beatissimi Juniani et altare B. Andreæ in loco a parte australi hodie fontibus baptismalibus opposito tunc temporis exsistebat *g*. Fontes tamen baptismales illo non erant in ipso oratorio, nec in ipso oratorio jus parochiale aliquod residebat. Ex tunc tamen B. Roricius incœpit parietum fundamenta et situm ipsius oratorii dilatare.

et ipse Comodoliaci.

7 Eo vero sic inchoante et ampliante, idem B. Roricius Lemovicis in corporis proprii ægritudine constitutus, testamentum suum condens, infra ipsam ecclesiam, quam fecerat inchoari, corpus suum disposuit sepeliri absque pompa aliqua sæculari: idemque episcopus præfici voluit abbatem et certos regulares canonicos in eadem; et legavit magnam pecuniæ quantitatem pro fabrica ipsius ecclesiæ consummanda. Tandem in confessione fidei perseverans, laudabili fine quievit in Domino, ejusque sanctum corpus, die et anno mihi ignotis, fuit ad vicum Comodoliaci allatum et ibidem infra ipsam ecclesiam tumulatum, prout ipse vivens in suo disposuerat testamento *h*.

quod ditaverat, sepeliri præcipit.

8 Ipsa vero Comodoliacensis ecclesia, postquam S. Roricius junior, Lemovicensis episcopus, feli-
C citer in Domino requievit, ex largitate ipsius Sancti Pontificis et ex eleemosynis, maxime Pictavensium et Turonensium confluentium ad sepulchrum beatissimi Juniani, fuit constructa in Comodoliaco, nobili canonicorum regularium abbatia. Et tam in situ suo, quam officinis, membris, locis, possessionibus, redditibus et jurisdictionibus adeo dilatata, quod abbatia ejus ecclesiæ inter cæteras canonicorum regularium abbatias per Lemovicensem diœcesim et circumquaque Lemovicinum constitutas, insignior habebatur. Quia tamen dies obitus S. Roricii ignoratur, per abbatem et canonicos ipsius Comodoliacensis ecclesiæ fuit ordinatum, ut ipsius S. Roricii commemoratio interim celebretur annuatim in crastinum Inventionis S. Stephani, donec corpus ipsius S. Roricii relevetur *i*.

ANNOTATA.

a *Duo hic textus Paulini fragmenta coalescunt: nempe ex Epistola* II *ad Timotheum*, II, 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, *et ex* I *Corinth*. VII, 20: Unusquisque in qua vocatione vocatus est in ea permaneat.

b *Galat*. I, 13.

c *Coloss*. I, 12, 13.

d *Egimus de obitu S. Juniani in Commentario nostro prævio num*. 56. *Recte animadvertit editor Chronici, R. D. Arbellot, perperam omissum numerum* X, *ut S. Junianus obiisse legatur die* XVII *Kal. Novembris* (1).

e *Arbusti genus, etiam Alba Spina* (Aubépine) *dictum.*

f *De translationibus S. Juniani, vide Commentarium prævium ad ejus Acta sub die* XVI *Octobris num*. 31 (2).

g *Mihi invenire non licuit tempus, quo Comodoliacensis ecclesia jus parochialitatis acquisivit: certe id tunc possidebat, quando Comodoliacum in civitatem erectum fuit, quod certo jam acciderat sæculo* XII *ultra medium provecto* (3): *absurdum enim foret illis temporibus civitatem sibi fingere, non omnibus absolutam numeris, adeoque sua ecclesia baptismali carentem.*

h *Difficultatem chronologicam circa translationem Reliquiarum SS. Amandi, Juniani, et* Ruricii E
junioris attigimus in Commentario prævio, num. 62 *et seqq. Rem exponit hisce verbis Stephanus Maleu:* Antequam ipsam basilicam dedicaret (*Raynaldus Petragoricensis episcopus, qui vicarius in pontificali officio erat Petro Viroaldo, olim Burdegalensi decano*) corpus S. Roricii junioris, quondam Lemovicensis episcopi, in suo tumulo infra septa ipsius ecclesiæ adhuc jacens, inde amovit, volens ipsum revelare et honorabilius collocare; ipsumque infra mundum linteum involvens, ejus sancta membra necnon et thecam in qua corpus S. Juniani. . . . idem episcopus extra septa ecclesiæ ad horam segregavit, tradiditque ipsa sancta tria corpora et testibus et personis custodienda fidelibus, donec ipsius dedicationis ecclesiæ essent completa solemnia. Dedicavit ergo ipse dominus Raynaldus ipsam ecclesiam ad honorem B. Andreæ Apostoli; et ipsa dedicatione sic completa, statim cum hymnis et canticis tria sancta corpora ad ipsam ecclesiam reducens, ea in modum qui sequitur, collocavit. *Agit dein de corpore S. Juniani, in medio altari collocato et prosequens:* Corpus vero, *ait*, S. Roricii de linteo accipiens, ipsum reposuit infra F
pulchram pellem corii; fecitque eam firmiter consui in qualibet parte sui, et ipsum corpus sic repositum collocavit infra aliam thecam, argento contectam, quam in sinistra parte majoris altaris decentissime adaptavit. *Claudit multiplicem translationem repositio corporis S. Amandi, in simili theca argentea collocati, in dextero ejusdem altaris cornu.*

i *Alio loco idem Chronista conqueritur hisce verbis translationem S.* Ruricii II *non celebrari die* XII *Kal. Novembris, nempe ipsa die, quo ritus peractus est* (4): Si gaudium tunc temporis (*dedicationis*) magnum fuit, major supercrevit ingratitudo et tristitia in iis diebus: ex eo videlicet, quia de tanto opere meritorio ad salutem nunc per clerum et populum Comodoliacenses nulla festivitas annuatim hac die anniversaria recolitur, nec etiam celebratur. Certum est enim, quod illo tunc, quousque per modernam ipsius ecclesiæ fabricam forma ipsius ecclesiæ esset mutata, recolebatur annis singulis et festivabatur ipsa die anniversaria dedicatio ecclesiæ sanctissimi Juniani et de ipsorum Sanctorum translationibus nulla tunc mentio agebatur propter dedicationem, quæ debet et debebat dignior

(1) Chron. de Maleu, p. 127. — (2) Act. SS. t. VII Octob., p. 843. — (3) Chron. de Maleu, p. 154. — (4) Ibid., p. 44.

AUCTORE STEPH. MALEU.

gnior reputari. (*Mutationem formæ ecclesiæ Comodoliacensis interpretor illam, quam incepit et consummavit anno* 1230 *Itterius Gros, canonicus S. Juniani* (1) : *nam quæ fuit consecratio facta anno* 1488 *a Joanne de Montbas* (2) *Stephano Maleu recentior est*). Quia tamen hodie nulla ipsius dedicationis festivitas celebratur, pro eo quia forma ipsius ecclesiæ est mutata, nec est aliquod dignius, quod impediat, quominus possit ipsa die annis singulis saltem B. Roricii translatio celebrari, decebat, ut ipsius B. Roricii translatio annuatim ipsa die colatur a populo et a clero etiam celebretur. Beatissimi enim Juniani translatio alia die, videlicet v Kal. Februarii, solemnius celebratur. Nam illo tunc corpus ejus fuit de terra revelatum *, et supra altare honorifice per abbatem Itterium (*anno scilicet* 990 (3)) ut superius retuli, translatum similiter et B. Amandi translatio alia die, videlicet vii Kal. Septembris festivius recolitur; nam tunc ejus corpus inventum exstitit et de cella sua, in qua sepultum fuerat, fuit ad S. Juniani basilicam apportatum et supra altare per Ramnulphum presbyterum et Amelium tunc præpositum honorifice collocatum (*nempe anno* 1083 (4)). Unde expedit, ut non S. Juniani nec S. Amandi translationes hac die celebrentur, sed tantum B. Roricii translatio recolatur. Nec est mirandum, quod ejus celebrari consuevit ii nonas Augusti ; nam tunc ista translatio facta non fuerat ; quia vero dies ejus transitus ignorabatur, nec ejus corpus adhuc fuerat translatum, fuit illo tunc ordinatum, ut in crastinum Inventionis S. Stephani, in cujus ecclesia idem B. Roricius episcopatum exercuerat, ejus aliqualis commemoratio ageretur. *Numeratur enim festum Inventionis S. Stephani Protomartyris, quatenus est ecclesiæ cathedralis Lemovicensis patronus, inter primarias festivitates dictæ ecclesiæ, ut constat ex Breviariis tum antiquis tum recentioribus, quod cæterum observatur in aliis ecclesiis, quorum patronus est S. Stephanus* (5).

* relevatum?

(1) Chron. de Maleu, p. 68 et seq.—(2) Ibid., p. 192.—(3) Ibid., p. 30. — (4) Ibid., p. 35. — (5) Cfr Guyet. Heortologium, p. 201.

DE S. FLORENTIO EPISC. ET CONF.

ARAUSICÆ IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ unicus. Memoria in sacris fastis; ejus Acta incerta ex Vita S. Verani excerpta; Concilia, quibus interfuit; obitus et Reliquiarum translatio.

CIRCA ANNUM DXXVI. *Memoria S. Florentii in fastis Ecclesiæ:*

S. Florentii, *Arausicanæ Ecclesiæ episcopi, sanctitatem proclamant Martyrologia, quæ Classica vocamus, Ado et Usuardus, quibus Romanum hodiernum concinit. Ado, quem exscribunt fere Usuardus et Romanus, hoc encomio Sanctum nostrum exornat :* In Galliis civitate Arausica, Sancti Florentii episcopi, qui multis clarus virtutibus in pace quievit. *Quæ ipsissima verba adhibet quoque Notkerus* (1). *Neque dubito quin Wandelbertus in suo Martyrologio metrico, licet Teutonicus et Prumiensis monachus, de Sancto nostro scripserit ad diem* xvi *Kalendas Novembris* (2) *:*

Sedecimum sacer antistes Florentius ornat.

Etenim ne hanc laudem ad S. Florentium, Trevirensem episcopum, derivemus, vetat tum celebrior Arausicani cultus, tum dux Wandelberti, Florus, Lugdunensis Ecclesiæ subdiaconus (3), *cui notior esse merito debebat Arausicanus, quam Trevirensis* Florentius, *utpote Lugduno vicinior, et subscriptor variarum Synodorum, in Galliis celebratarum, ut fusius infra explicabimus.*

ejus Acta, magna ex parte

2 *Acta* S. Florentii *quod attinet, vix aliqua habemus, si Lectiones Breviariorum excipimus. In schedis quidem Bollandianis, quæ in bibliotheca regia Bruxellensi sub numero* 8912 *asservantur, reperitur Sancti Vita, manu Papebrochii nostri olim exscripta ex Legenda membranea Caroli Strozzi, Senatoris Florentini. Verum ista maxima ex parte hausta videtur ex Actis S. Verani, Caballicensis episcopi, quæ apud Labbe* (4) *habetur et in hoc volumine sub diem* xix *Octobris edetur. Etenim postquam S.* Florentius *ortu Turonensis, loco S. Verani, Gabalitani, designatus fuerit, reliqua per ordinem iisdem fere verbis in utraque biographia decurrunt. Sic uterque dicitur* genere non fuisse minimus nec præcelsus, *uterque vigilat in ecclesia, Veranus quidem S. Privati, Mimatensis atque adeo Gabalitani patroni,* Florentius *autem ad corpus S. Martini, nocteque transacta uterque petiit, ut* depositis capillis, in clericorum numero admittetur. *Iter dein Romanum, cum omnibus circumstantiis idem utrique est, parque reditus, idem Honoratus, Albinganus episcopus, qui excipit peregrinum, cujus ope pagani, impetrata pluvia et dracone abacto, ad fidem Christi convertuntur. Quin et uterque* transitis Alpibus ad desideratam Galliam advenit et ad S. Thyrsi basilicam, in agro Cassiano positam, accessit. *Cespitat tamen in* Florentio *nostro biographus, dum eum fingit Cabillonem pervenisse et mortui episcopi Cabillonensis sedem occupasse, nullus enim Florentius hanc cathedram occupasse legitur.*

ex Vita S. Verani desumpta,

3 *Restat igitur dispiciendum, utri Sancto Acta ista, inter duos communia, adscribenda sint. Fatendum vero est illa melius S. Verano, quam S.* Florentio *aptari. Imprimis quia agitur de Cabillonensi seu Caballicensi episcopo, qualis* Florentius *noster numquam fuit. Dein quando omnia facillime S. Verano decurrunt, multa obstant, quominus eadem S.* Florentio *applicemus. Unum proferam exemplum,*

(1) Canis., t. II, part. ii, p. 181.— (2) D'Achery. Spicil., t. II, p. 54. — (3) Ibid., p. 39. — (4) Biblioth. manusc., t. II, p. 690.

A *plum, in quo agitur de puella, Florentiolæ resuscitata, precibus Sancti nostri.* Hinc ergo (*scilicet Albinga*) regressus, continuato itinere properavit ad Gallias, et cum, pertransitis Alpibus, proximasset ad quemdam vicum, viæ proximum, situm in territorio civitatis Placentinæ, orandi causa se, ut fit, defixit. Qui ibidem in ecclesiam veniens, primum ut intravit, plangentium voces audivit. Tunc percunctatus quidnam hoc esset, dixerunt puellam quamdam fuisse defunctam; unde misericordia et pietate commotus: Eamus, inquit, visitare lamentantes, et, si quid illis consolationis impendere possumus, conferamus. Et in ipso verbo, oratione facta, gressus festinus amovit, atque intrans hospitium, ubi defunctæ corpusculum tenebatur, indicto silentio, his, qui secum erant, orare præcepit. Et cum ab ipsa oratione surrexisset, apprehendens manum puellæ exanimis, tertio illam nomine proprio altiori voce clamavit, quæ, auxiliante Domino, a captivitate mortis erepta, respondit, et vitæ reddita, parentum fletus immensa gaudii ubertate removit. *Refertur dein quomodo iste vicus in memoriam patrati prodigii Florentiolæ nomen accepit.*

suspecta videntur,

B 4 *Hæc quidem minime quadrant cum serie Actorum. Nam properans in Galliam et Albingam ingressus, non videmus, qua ratione dici possit* S. Florentius, transitis Alpibus, *ad territorium Placentinum pervenire potuisse, id enim non progredi, sed regredi est. Quoniam Albinga in ora Occidentali Liguriæ sita, Galliis proxime adjacet, quando Placentia ad Padum a Gallia saltem centum viginti milliaribus Italicis distat Orientem versus. Ast hæc eadem optime S. Verano convenire possunt: habet enim ejus Legenda illum,* transitis Alpibus, *ad vicum quemdam, qui non nominatur, pervenisse, atque istic puellam resuscitasse, ac tandem Galliam attigisse. Ex his igitur opinor laudata Acta minus ad S.* Florentium, *Arausicanum episcopum, potius ad S. Veranum spectare; quare et in hoc ipso volumine edentur ad diem* XIX *Octobris, ubi accuratius etiam expendi poterunt.*

quoniam et sæpe Cabillonensis

5 *Cæterum hæc confusio biographica eo devenit, ut fuerint, qui S.* Florentium *inter Caballicenses episcopos adnumerandum censuerint. Et reipsa tum apud S. Antoninum in suis Chronicis part.* III, *tit.* XXIV, *cap.* XIII, § 2 (1), *tum in Breviario Aniciensi satis, ut dicitur, vetusto, cujus apographum* C *olim ad Joannem Bollandum submisit Claudius Perry, Historiæ Cabillonensis scriptor,* Florentius *noster ejusdem civitatis Cabillonensis, cum Caballicensi confusæ, episcopus legitur. Cui quidem errori assensit Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani ad hanc diem scribens:* Cabillone in Æduis (*Châlons-sur-Saône*) S. Florentii, istius civitatis episcopi et Confessoris. Hic Turonis natus, gratia Dei repletus, virtute multa in liberandis energumenis, cum Gratianopoli tum Mediolani etiam enituit: ac tandem humilitate et charitate præcellens, cœli gaudia a divino largitore adeptus est. Ejus ossa, multis rutilantia supernæ virtutis coruscationibus, partim Anicii, partim in Lausonio, Velaunorum viculo, cum religione adservantur. Quin et illorum pars in Italiam, virtutum ejus memorem, votivo munere transvecta, in oppido Florentiolæ, ab eo cognominato, collocata in templo ipsius nominis, magna cum reverentia habetur, ubi et hodie officium ejus solemniter celebratur, a sancta sede Apostolica approbatum.

§ V. II.

aut Caballicensis episcopus vocatur:

6 *Hic evidenter Cabillonensi seu Caballicensi Florentio tribuuntur, quæ uni Arausicano propria sunt, qualis est translatio Reliquiarum Florentiolam, quæ, ut infra videbimus, Arausione in agrum Placentinum transvecta fuerunt. Similia habet Breviarium Aniciense anni* 1784, *in quo dicitur* S. Florentius *Arausicanus episcopus,* sepultus in urbe episcopali, unde translata sacra illius ossa, honorifice asservantur partim in ecclesia cathedrali B. Mariæ Aniciensis, partim in parochiali ecclesia apud Laussoniam, Aniciensis diœcesis, partim Florentiolæ in supradicto templo, illuc opera Dionysii, Placentini episcopi delata. *Ex quibus liquet ea, quæ Saussayus et antiquum Breviarium Aniciense Cabillonensi episcopo, omnibus ignoto adscribebantur, tandem Arausicano* Florentio *vindicata fuisse. Atque id quidem jure optimo, quoniam certum erat fuisse episcopum Arausicanum* Florentium, *Conciliis* VI *sæculi notum et authenticis Martyrologiis inscriptum; ex altera vero parte, plane incognitus erat Florentius Cabillonensis sive Caballicensis episcopus.*

unde fuere qui duos Florentios sibi finxerint:

7 *Quin et illi ipsi, qui Florentium sedi Cabillonensi adscribebant, nihilominus alterum, Arausicanum, sanctitatis fama celebrem, admittebant, ut liquet ex Saussayo, qui laudat Cabillonensem in* E *Supplemento, ast in ipso suo Martyrologio nostrum exornat sequenti elogio :* Arausione sub metropoli Arelatensi Sancti Florentii, episcopi et Confessoris, qui gratia divinitatis plenus, post Verum, S. Eutropii encomiastem, sedis hujus creatus pontifex, salutem animarum cœlesti sapientia et apostolico fervore ac opere procuravit : mira Religioni incrementa tam vi sanctæ prædicationis, quam emaculatæ vitæ exemplis addidit. Deinde inter præcipuos Ecclesiæ Gallicanæ Patres in Epaonensi Concilio, quod sub Hormisda Papa coaluit, honorifice considens, sanctionibus de sacra politia editis suffragium ac symbolum præbuit. Ac demum tramitem immortalitatis ingressus, præmio quod emeruerat in fideli dispensatione, potitus est.

certa censemus iter Italicum et

8 *Ex hactenus dictis consequitur nihil nobis certum innotuisse circa S.* Florentium *præter iter Italicum, episcopatum ejus Arausicanum et præsentiam in quibusdam Conciliis Galliæ. Et quidem quantum ad iter Italicum pertinet, illa ætate devotionis causa frequentissimum, vix dubium esse potest propter traditionem Placentinorum : etenim Joannes de Mussis, qui sæculo* XIV *finiente floruit, scribit anno* 1057 delata fuisse ossa S. Florentii F episcopi ab Orenga civitate (*Arausica*) ad castrum Florenzolæ (2) ; *unde datur intelligere incolas Florentiolæ, quum cuperent patroni sui Reliquias habere in ecclesia sub ejus nomine dedicata, Arausione easdem repetiisse, quatenus optime scirent non Cabillonensem quemdam episcopum, sed Arausicanum in vico suo et patrasse insigne miraculum et deinceps cultum solemnem obtinuisse. In hoc tamen cespitat Placentina traditio, quod S.* Florentium *circa medium sæculi* IV *floruisse referat, dicens* (3): Anno Christi CCCLXV S. Florentius per episcopatum Placentiæ transivit, qui ecclesiam S. Bonifacii visitavit, ibidem plurima miracula faciendo. *Eamdem chronologiam sequitur Petrus Campi in sua Historia ecclesiastica Placentina lib.* II *sub anno* 364 (4), *neque ullus dubito, quin eamdem ex laudato Joanne de Mussis hauserit. In partem vero omnino oppositam abire videtur historicus Arausicanus La Pise* (5), *quum insinuat S.* Florentium *fuisse fratrem Alataidis, Comitis Arausicanæ, ejusque episcopatum differt usque in finem sæculi* IX *et*

(1) T. III, p. 804. Edit. Lugd. 1586. — (2) Murator. Scriptt. rer. Ital., t. XVI, p. 451. — (3) Ibid., p. 448. — (4) Hist. Eccl. di Piacenza, t. I, p. 60. — (5) Hist. de la princ. d'Orange, p. 57.

initium

S. V. H.

initium x *(ab* 880 *ad* 910*). Ast Gallia Christiana, seriem episcoporum Arausicanorum per sæcula* IX et X *texens, ne per modum quidem dubii Florentium aliquem Catalogo inserit, aut ullam ejus mentionem facit : quocirca nullam ejus opinionis rationem habendam esse censuit* (1).

præsentiam in Concilio Epaonensi,

9 *Cæterum neutra chronologia ullatenus quadrat cum certis documentis, quæ de S.* Florentio *habemus in Actis Conciliorum. Quamvis enim incertum sit initium episcopatus Sancti nostri, quoniam decessoris ejus, Veri, tempus ignoramus* (2), *id tamen extra omnem controversiam est positum, nempe S.* Florentium *Concilio Epaonensi anno Christi* 517 *præsentem interfuisse, ut patet ex ejus subscriptione* (3) : Florentius in Christi nomine episcopus civitatis Arausicæ relegi et subscripsi, die et consule suprascripto, *nempe die* XVII *mensis Octavi seu Octobris et Agapito consule seu anno Christi* 517, *ut in sua subscriptione habet S. Avitus Viennensis, Concilii præses. Nihil quidem in dicta Synodo occurrit, quod mores istius tempestatis specialius, præ aliis Conciliis coævis, exprimat, quam forsan Canon* XXV (4), *quo cavetur ne* Sanctorum Reliquiæ in oratoriis villaribus ponantur, nisi forsitan B cujuscumque parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur.

cujus ope limites

10 *Ast Epaonense Concilium egregie, mea sententia, quæstionem geographicam illustrat, nempe amplitudinem regni Burgundiæ, quale sub Sigismundo rege constitutum erat. Inter eruditos convenit S. Avitum non tam episcopos suæ Viennensis provinciæ, quam totius regni Burgundici convocasse, ut recte adnotat Sirmondus ad epistolam* LXXX *S. Aviti* (5), *quemadmodum Concilium Agathense anni* 506 *episcopos sub Wisigothis* (6) *et Aurelianense* I *anni* 511 *antistites, quamvis non omnes, sub Francis constitutos amplectebatur*(7). *Atque hinc liquet facili negotio Galliam omnem inter tres præcipuas gentes pro illa tempestate definiri posse, præsertim quoniam episcopatuum termini fere immobiles ad nostram usque ætatem permanserint. Et quoad quidem regnum Burgundionum attinet, ejus termini Orientem versus erant Alpes Penninæ propter episcopatum Octodurensem, hodie Sedunensem in Valesia, cujus antistes Constantius Concilio undecimus subscripsit ; Octodurum excipiebat Vindonissa, cujus cathedra non ita diu post hæc tempora Constantiam ad lacum Bodamicum translata fuit. Hinc* C *ad Avennicam civitatem seu potius Aventicum devenitur, cujus episcopus, Salutaris, ultimus per presbyterum suum Pelagium Concilio subscripsit : scitur porro Aventico Lausannam migrasse postmodum episcopos.*

regni Burgundici,

11 *Neque attendi debet Avennica civitate Avenionem magis, ad Rhodanum sitam, quam Aventicum, hodiernæ Helvetiæ urbem,* Avenches, *designari ; unde fuerunt, qui Salutarem episcopis Avenionensibus adscripsere* (8). *Sed perperam ; quoniam Avenio jam ab anno* 506 *Visigothorum erat, ejus episcopo Juliano per Pompeium presbyterum suum subscribente Concilio Agathensi, in quo Patres* flexis genibus pro regno Alarici, qui congregationis permiserat potestatem, Dominum deprecati sunt (9) ; *ex quibus verbis datur intelligere Avennicam civitatem seu Avenionem ad regnum Visigothorum spectasse. Nullus itaque locus reperiri potest Avenionensi antistiti inter episcopos Burgundiones. Ast e contrario nisi Salutaris fuerit* D *Aventicensis episcopus, abfuisse a Synodo dicendus esset istius sedis prælatus, quamvis ejus diœcesis undequaque limitibus Burgundiæ clauderetur. Duplex igitur momentum nos impellit, ut Salutarem in Catalogum episcoporum Aventicensium referamus, atque errori librarii adscribamus* Avennicam *civitatem pro* Aventica (10).

prout erant anno 517, determinantur;

12 *Ab Aventicensi episcopatu declinant dein Burgundiæ termini (omisso Rauracensi seu Basiliensi tractu, cujus episcopus, nisi forte sub Augustodunensis nomine* (11), *quod non credimus, lateat) Occidentem versus per Vesuntinum, Lingonensem, Nivernensem et Augustodunensem episcopatus : unde Meridiem versus Lugdunensis, Viennensis, Valentinus, Deensis et in dextera Rhodani ripa Albensis seu Vivariensis episcopi occurrunt ; quos porro, in sinistra tamen Rhodani ripa subsequuntur Tricastini, Arausicani, Vasenses et Carpentoractenses antistites. Post, Truentia fluvius* (la Durance) *terminus est Burgondionum, et secundum oram dexteram fluminis Cabellionensis, Aptensis, Segestericensis* (Sisteron), *Vapincensis et Ebredunensis episcopatus veniunt, a quibus ad Tarantasiensem et Genevensem diœceses transitur, quæ tandem Octodurensem, unde incepimus, attingunt. Pari modo terminos Visigothorum in Gallia definire liceret. Ast id jam ad hunc* E *diem in Commentario prævio ad Vitam S. Ruricii I num.* 47 *præstitimus.*

inquiritur in situm Epaonæ.

13 *Ast circa Epaonensem Synodum quæstio magis ardua eruditos diu vexavit, scilicet quis verus sit locus Epaonæ, nobili Concilio celebris. Varii varias protulerunt sententias ; sed plerisque eruditis (inter quos etiam annumerandi sunt auctores Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ* (12) *et majores nostri tum in Vita S. Aviti Viennensis die* V *Februarii* (13), *tum repetita ex Februario propter raritatem voluminum hujus mensis opinatione, in Commentario prævio ad Vitam S. Venantii, Albensis seu Vivariensis episcopi* (14)) *arrisit sententia eorum, qui existimarunt Epaonum antiquum eodem situ fuisse, quo hodie est ruralis parochia* Yenne, *quam collectores Historicorum Gallicorum* Etanna *interpretantur* (15), *in ducatu hodierno Sabaudiæ et provincia Camberiensi ; variæ ad rem stabiliendam proferuntur rationes, quas videre licet in citatis ad calcem paginæ locis. Verum quæstionem commodius solvisse mihi videntur, qui locum Concilii in comitatu Abbonis seu Albonis* (Albon, dépt de la Drôme, arrondissement de Valence, canton de St-Vallier) F *constituunt. Etenim in hanc sententiam conspirant gravissima rationum momenta, ac imprimis ipsum Epaonis nomen, ut constat ex diplomate Ludovici Pii, dato Aquisgrani* VI *id. Martii, anno* XVIII *imperii, indictione* IX, *quæ notæ chronologicæ in diem* X *Martii anni æræ vulgaris* 831 *concurrunt* (16).

in comitatu Albonis,

14 *Porro in citato diplomate hæc leguntur :* Spontanea voluntate adiens serenitatem culminis nostri vir illustris Abbo comes, qui et vicum, qui dicitur Epaonis, qui erat ex ratione S. Mauritii ex episcopatu Viennensi, ubi nunc, auctore Deo, Bernardus archiepiscopus præsul esse dignoscitur, beneficiario munere ex nostra largitione habebat ; ubi erant etiam ecclesiæ destructæ et discoopertæ, quarum sunt vocabula Sancti Andreæ Apostoli et Sancti Romani Martyris, precibus quibus valuit, nostram obsecravit clementiam..... quantumcumque ipse ibi ex beneficio..... ecclesiæ S. Mauritii Viennensis redderemus. *Ex hoc fragmento, licet*

(1) Gall. Christ., t. I. col. 769 — (2) Ibid., col. 767. — (3) Labbe, t. IV Conc. col. 1582. — (4) Ibid., col. 1579. — (5) Sirmond. Oper. t. II, p. 119. — (6) Labbe, t. IV Conc., col. 1394. — (7) Ibid., col. 1409. — (8) Noguier. Hist. Chronol. de l'Egl. d'Avignon, p. 19 — (9) Labbe, t. IV Conc., col. 1382. — (10) Cfr Gall. Christ., t. I. col. 798. — (11) Cfr Act. Sanct. t. VII Oct., p. 879. — (12) Hist. de l'Égl. Gall., t. III, p. 149 Édit. Paris. 1825. — (13) Act. SS., t. I Febr., p. 665. — (14) Ibid., t. II August., p. 104, n. 6. — (15) D. Bouquet, t. I, p. 112, not. 35. — (16) Ibid., t. VI, p. 570.

mutilo,

A mutilo, habemus, uti præfati sumus, ipsum Epaonis nomen, quod per se jam solidi argumenti loco esse potest, et tum quidem maxime, quum aliis rationibus adminiculari potest, quales sunt, quod Epaonis vicus esset tum in ipso episcopatu Viennensi, cujus præsul, S. Avitus, Concilium coegit, situs, tum ad rationes ipsius Ecclesiæ Viennensis pertinens, ut liquet ex citato fragmento. Ex quibus omnibus habemus Epaonum antiquum debuisse infra terminos diœcesis Viennensis constitui, ad ejus ecclesiæ cathedralis rationem spectare, atque ibidem olim ecclesias S. Andreæ Apostoli et S. Romani Martyris exstitisse.

ut monstrant

15 Quæ omnia accurate concurrunt in hodiernum vicum Albon. Etenim vicus iste, 27 chilometris Meridiem versus Vienna distans, et ante suppressionem hujus sedis, anno 1801 factam, ad ejus diœcesim pertinebat, ut satis constat ex iis, qui ante novam divisionem episcopatuum Gallicorum scripsere (1). Dein vicus Albon, qui cum tractu suo comitatus titulo insigniebatur, usque ad finem sæculi præteriti ad Ecclesiam Viennensem spectabat. Nam comitatus Albonis successu temporis ad Delphinos Viennenses et per hos ad reges Galliæ et proin ad coronam Francicam devolutus, annis singulis in B pervigilio festi S. Mauritii, patroni Ecclesiæ Viennensis, nempe die XXI Septembris, offerebat per judicem regium Viennensem ad primas vesperas candelam duodecim librarum in signum antiqui juris et dominii (2). Quoad vero ecclesias, in loco Epaonis destructas, attinet; adhucdum hodie Albon sæpius St-Romain-d'Albon nuncupatur, in ejusque territorio exstabant ruinæ cujusdam ecclesiæ, quæ ab incolis St-André-de-Mocune vocatur (3).

diplomata bina,

16 Opinionem hanc etiam confirmat fragmentum diplomatis, ex Chartulario Ecclesiæ Viennensis extracti, quod C. Charvet in sua Historia (4) citat et vicum Albonem nitide indigitat; nempe in agro Ebbaonensi esse villam, quæ dicitur Anarioni (Aneyron) : iste autem vicus Albone quinque chilometris distat atque in eodem pago S. Walarici (canton de St Vallier) continetur. En verba diplomatis : Idcirco ego Artulfus et conjux mea Adoara.... condonamus et cedimus aliquid ex rebus propriæ facultatis nostræ, quas visi sumus habere et possidere, basilicæ S. Mauritii..... quæ est constructa infra mœnia in urbe Vienna, quam dominus ac venerabilis Odtramnus archiepiscopus ad regendam habet; hoc sunt res consistentes in pago Viennensi, C in agro EBBAONENSI, in villa et loco, ubi dicitur Anarioni. Ex his omnibus verisimillime conficitur in tractu Albonensi requirendum esse Epaonensis Concilii locum; nemo enim, qui vel paucula vetera documenta versaverit, offendetur mutatione litteræ p in b. Huc tandem facit, quod S. Avitus, Concilium indicens et de Epaone agens, dicit (5) : Qui locus (Epaonensis parochia), omnium fatigatione perpensa conventui satis opportunus electus est. Ac reapse Albonis vicus in meditullio regni Burgundici, prout tunc erat, situs est, quamquam et hoc Etannæ seu Yennæ convenire posse non diffitear.

jacentis :

17 Unum nihilominus opinioni expositæ objici potest, nempe Albonem vicum non tantæ fuisse magnitudinis aut decentiæ, ut tot episcopos capere et hospitio commodo excipere potuerit. Fateor equidem præter binas in eodem loco ecclesias, quæ aliquid non undequaque vulgare innuunt, nullum nobis adhuc occurrit documentum, quod antiquam Epaonæ magnificentiam ostendat. Ast in memoriam revocare oportet, Epaonis vicum, ut loquitur citatum supra Ludovici Pii diploma, jam tum habuisse binas suas ecclesias destructas et discoopertas. Quod si tantis ruinis patuerint templa, probabili conjectura suspicari licet reliqua ædificia, excipiendis episcopis apta, simili casu corruisse : atque ad hanc mediocritatem, in qua diu delituit, redactam fuisse. Utrum vero nomen Albonis ab Abbone comite derivandum sit, et sic Epaonis vocabulum antiquaverit, ignoro ; nihilominus loci incolæ hodiedum etiam comitatum Abbonis, non vero Albonis dicebant (6). Hactenus de Concilio Epaonensi. J. V. H.

et Concilio Arelatensi IV adfuit.

18 Eodem anno, quo Epaonense, alterum Concilium celebratum fuit Lugduni undecim episcoporum, quorum nomina etiam in superiori Synodo leguntur ; inter illos autem habetur nomen Florentii, an nostri, an vero episcopi Tricastini (uterque enim Epaonæ fuerat) incertum. Ast verisimillimum est S. Florentium nostrum Concilio Arelatensi IV anni 524 interfuisse. Nam licet nomen sedis subscriptioni suæ non apposuerit ; quoniam tamen eadem plurimorum episcoporum nomina tam in Epaonensi Synodo quam in Arelatensi occurrunt, imo utriusque Florentii, nempe Arausicani et Tri- E castini subscriptio legitur, vix dubium esse potest circa Sancti nostri præsentiam Arelate (7). Huic Synodo præsedit S. Cæsarius Arelatensis, conditique fuere, si tamen textum integrum nobis subministrarint codices, quatuor canones, quorum tres priores de sacris ordinationibus agunt, postremus autem de clericis vagis, qui regulam disciplinæ ecclesiasticæ subterfugientes, apud alienum episcopum defensionem quærunt.

Obit Sanctus circa an. 526 :

19 Ex S. Florentii subscriptione, collata cum accessu successoris Vindemialis ejus ad Concilium Carpentoractense, satis e propinquo definiri potest tempus ejus obitus, nempe inter VIII idus Junii 524, quo Arelatensis Synodus, et VIII idus Novembris 527 aut 528, quo Carpentoractensis, præsente Vindemiale, celebratæ fuere (8). Quocirca tempus mortis circa annum 526 in capite hujus Commentarii notavi. Nam ut recte satis animadvertit Dominicus Mansi (9), quamquam characteres chronologici Concilii Carpentoractensis, videlicet Mavortio v. c. consule, quo ad annum Christi 527 referendum videatur, nihil prima facie ambigui contineant; attamen si attendantur postrema Synodi verba, quibus statuitur, ut sequenti anno in vico Vasensi octavo idus F Novembris, Concilium congregetur (10), sua non caret difficultate chronotaxis. Nam Vasionem convenere Patres, sub S. Cæsario præside, nonis Novembris, Decio Juniore v. c. consule, id est anno Christi 529 (11) : atque adeo in alterutrius Concilii nota chronologica aliquid erroris irrepsisse oportet. Mavult laudatus Mansi in Carpentoractensi, quam in Vasensi Synodo errorem agnoscere, quia convenientibus ex consuetudine episcopis feria secunda magis quam alio hebdomadis die, hæc feria anno bissextili, signato littera dominicali BA, cum octavo idus Novembris concurrebat. Posito autem hoc anno 528, quoniam Vindemialis, Arausicanus episcopus Carpentoracti præsens adfuit, consequitur S. Florentium medio tempore inter annum 524 et 528 diem supremum obiisse.

ejus Reliquiæ Florentiolam translatæ.

20 Vita functus S. Florentius, teste Josepho La Pise (12), secundum morem istius temporis extra urbem in ecclesia a se ædificata terræ mandatus

(1) Charvet. Hist. de l'Égl. de Vienne, p. 119. — (2) Mémoires de Trévoux, an. 1737. Novemb., p. 1970. — (3) C. l. — (4) Hist. de l'Égl de Vienne, p. 120. — (5) Labbe, t. IV Conc., col. 1573. — (6) Mém. de Trévoux, t. c., col. 1973. — (7) Labbe, t. IV Conc., col. 1623. — (8) Ibid., col. 1664. — (9) Suppl. Conc. Labbe, t. I, col. 411. — (10) Labbe, t. IV Conc., col. 1664. — (11) Ibid., col. 1679. — (12) Hist. de la princip. d'Orange, p. 58.

fuit.

J. V. H. *fuit. Quæ ecclesia, initio* Claustra *vocata* (la Clâtre), *nomen dein S.* Florentii *recepit retinuitque usque ad annum* 1614, *quo Philippus Gulielmus, famosi Gulielmi Taciturni ex Anna Egmundana filius, princeps Auriacensis, ipse tamen catholicus, destructa veteri ecclesia S.* Florentii, *eo loci conventum FF. Minorum Capuccinorum ædificavit, qui etiamnum, si fides Atlanti Cassiniano adhibetur, extra civitatem jacet. Permansit istic Sancti corpus usque ad medium sæculum* XI, *dum, ut supra n.* 8 *diximus, Arausica Florentiolam pars sacrorum ossium translata fuit. Nam similis beneficii participes factæ sunt aliæ civitates, ut testatum facit Breviarium Aniciense tum antiquum, cujus apographum exstat in collectione Mss. Bollandiana num.* 8912, *tum recentius, jussu Mariæ Josephi Galard de Teraube anno* 1784 *editum, in quo legitur:* Sacra S. Florentii ossa honorifice asservari partim in ecclesia cathedrali Beatæ Mariæ Aniciensis, partim in parochiali ecclesia apud Laussoniam *(Laussonne)* Aniciensis diœcesis vicum, partim Florentiolæ.

21 *Cui assertioni omnino consonat Proprium Placentinæ Ecclesiæ, quum dicit :* Ex sacris ejus ossibus insigniora aliquot, Dionysii Placentini B antistitis opera, ad illud, quod diximus, templum delata honorificentissimeque excepta sunt. *Historiam istius translationis, rogante civitate Florentiolæ, circa annum* 1292 *scripsit Jacobus de Voragine, Ordinis Prædicatorum et Genuensis archiepiscopus, vir sua Legenda, Aurea dicta, celeberrimus. Exstat id documentum, in codice membraneo manu exarato. Verum vicissitudines temporum, dum hæc scribimus, non sinunt apographum expetere; si quid postmodum repererimus, in Addenda hujus voluminis reservamus. Subnectimus igitur, quoniam alia non habemus, lectiones Proprii Placentini, quales in supra laudata collectione Bollandiana exhibentur, quæ ideo etiam nobis præferendæ videntur legendis Aniciensibus, quia omittunt plerasque vitæ circumstantias e rebus gestis S. Verani Cabellicensis haustas. Translationis Sacrarum Reliquiarum memoria agitur Florentiolæ die* XIX *Martii, ut ex recitanda Legenda patebit.*

VITA

C S. FLORENTII EPISCOPI ARAUSICANI,

Ex Officiis propriis Ecclesiæ Placentiæ.

Vitæ synopsis: Florentius, apud Turonenses in Gallia natus, eximia vir sanctitate fuit. Hic a prima ætate optime institutus, postquam in clericorum numerum adscriptus est, in abdita quadam cellula piis meditationibus egregie exculto animo, Romam ad Apostolorum limina religionis causa proficiscitur. In eo itinere incidit forte in latrones, a quibus post multa probra et contumelias, ubi etiam caput suum peti stricto gladio videt, nihil ille nisi Deo spiritum commendat suum. Cum ecce tibi (o rem miram!) suspensum in aere latronis hæret brachium irrito conatu. Hoc miraculo cum perterrefacti pessimi homines Sanctum virum rogare cœ- D pissent, Deum ipsis ut propitiaret, illico, impetrata illis a Deo misericordia, percussores suos impune ac bona cum venia dimisit *a*. Vicus est in agro *a* Placentino haud ignobilis, Florentiolam hodie vocant *b* ; eo cum postea pervenisset, puellam ibi, *b* quæ ad sepulturam forte deferebatur, a mortuis excitat. Hoc tanto miraculo cum loci princeps, qui puellæ erat pater, tum etiam incolæ pro se quisque Florentium invitare, amore et benevolentia prosequi, omnia ei sua deferre cœperunt.

2 Aliquot post annis, ubi illum in cœlestem *Reliquiarum translatio.* patriam migrasse allatus est nuntius, eumdem S. Florentium tutelarem et præcipuum pagi patronum sumendum omnes censuerunt *c*. Itaque *c* eodem illo in loco, ubi puella fuerat in vitam revocata, ad ipsius Sancti honorem templum idem amplificandum curant, quod postea elegantiore etiam opere et structura auctum, hodie pie visitur et frequentatur. Nec unius pagi angustiis tanti viri cultus se continuit, sed etiam Romæ, Venetiis, Mediolani, ubi cæco lumen, mortuo vitam restituit; aliis præterea in locis magno in honore fuit et miraculorum gloria illustris. In sua Gallia tum populo universo, tum ipsi etiam regi percarus, E Arausicanæ Ecclesiæ pontifex, multa tum doctrinæ, tum etiam pietatis egregia dedit argumenta, optimi pastoris et parentis officia muneraque omnia diligentissime exequens. Sanctissimam vitam sanctissima consecuta est mors XVI Kalendas Novembris. Sepultus est in illa urbe et ut talem virum decuit. Ex sacris ejus ossibus insigniora aliquot, Dionysii antistitis opera *d*, Florentiolæ ad illud, *d* quod diximus, templum delata honorificentissimeque excepta sunt, ibique et multis persæpe miraculis floruerunt, et in summa apud omnes veneratione habentur. Cujus etiam translationis dies ibidem anniversaria memoria XIV Kalendas Aprilis recolitur.

ANNOTATA.

a *Quæ hic loci narrantur, cum similibus adjunctis occurrunt in S. Verani, Cabellicensis episcopi, Vita, edenda in hoc ipso tomo sub die* XIX *Octobris. Unde propter evidentem utriusque Sancti confusionem, non undequaque certa habenda sunt, uti supra num.* 2 *et seq. Commentarii prævii ostendimus.* F

b *Nomen loci a S.* Florentio *nostro aperte derivat S. Antoninus in suis Chronicis, part.* III *tit.* XXIV *cap.* XIII § 2 (1) *agens : De loco puella resuscitata narratur :* Ibique in monumentum prodigii constructa est ecclesia, locusque ille in honorem Sancti dictus est Florentiola.

c *Supra num.* 8 *animadvertimus cultum S.* Florentii *non occepisse, allatis ejus Reliquiis; sed ideo has fuisse translatas, quia jam antiquus erat ejus cultus, et ecclesia sub ejus invocatione constructa : quæ monstrant factum narratum firma niti traditione, maxime si attendamus agi hic de episcopo fere ignoto et alienigena.*

d *De hoc Dionysio, Placentino antistite, qui Cadaloi pseudo-pontificis schismati adhæsit et dein propter alia scelera sede sua a S. Gregorio VII pulsus fuit, require in Ughello inter episcopos Placentinos* (2) *et in Baronio sub an.* 1074 § LXXIV *et* 1075 XI.

(1) T. III, p. 802. — (2) Ital. Sacra, t. II, p. 209.

A D

DE S. VICTORE, EPISC. ET CONFESS.

CAPUÆ, IN CAMPANIA,

SYLLOGE HISTORICA

J. V. H.

Sancti cultus et memoria in Fastis sacris; ejus scripta; tempus episcopatus et obitus.

ANNO DLIV. S. Victoris cultus :

Martyrologium Romanum *hodierna die annuntiat* S. Victorem, episcopum *Capuanum* eruditione et sanctitate conspicuum. *Eamdem annuntiationem habet Castellanus sub hoc die, sed* IV *nonas Aprilis jam scripserat :* Depositio venerabilis Victoris Capuani, quem laudat venerabilis Beda propter scientiam B computus ecclesiastici. *Ista siquidem die,* II *Aprilis, depositus legitur S.* Victor *in antiquo monumento, de quo infra agemus. Franciscus Maria de Aste, Hydruntinus archiepiscopus, in suis ad Martyrologium Romanum Annotationibus, habet S.* Victoris nomen nusquam in Calendario Capuano reperiri. *Causam hujus incuriæ equidem ignoro, nisi forte adscribenda sit ignorantiæ loci, quo per multa sæcula delituit Sancti nostri corpus. Hæc enim habet Ughellus* (1) : Sacra Victoris lipsana una cum aliis Sanctorum Reliquiis inventa fuisse sub altari majori ecclesiæ cœnobii Montis Virginis anno 1480, die XXVII Julii scribit Vincentius Verax in Historia ejusdem monasterii, ubi annuo coluntur officio; tametsi in Capuano Breviario nulla de Victore habeatur memoria. *Hæc sub altari majori repositio corporis cum aliis Sanctorum Reliquiis antiquum sane cultum demonstrat, sed indicat simul famam sanctitatisnon late fuisse propagatam; quare eamdem ignorarunt non solum classica Martyrologia Adonis et Usuardi, sed horum etiam Auctaria; solus Petrus Galesinius, qui Baronii Martyrologio Romano præluxit, Sancti breve texit* C *elogium. Montis Virginis Monasterium, quod est caput Ordinis sub regula Sancti Benedicti, situm est in diœcesi Abellinensi* (Avellino), *ejusdemque luculentam descriptionem exaravit Papebrochius noster in Appendice ad Vitam S. Gulielmi, abbatis, die* XXV *Junii* (2).

ejus scripta de cyclo

2 *Acta S.* Victoris *nulla supersunt, præcipuaque ejus gesta e Venerabili Beda haurienda sunt. Compendium eorum, neque tamen sine mendis, exhibet Hagiologium Italicum hisce verbis :* Victor, episcopus Capuanus, eruditione et sanctitate conspicuus, confutavit cyclum paschalem Victorii Aquitani, aliumque composuit, quem quarta Synodus Aurelianensis recepit et approbavit. Præfationem edidit super Concordantiam Evangeliorum, quapropter ipsum Beda appellavit sanctissimum et doctissimum virum, multique scriptores mentionem ipsius cum laudibus efferunt. Ex hac vita cum migrasset, inter sanctos episcopos meruit adscribi. *Dixi suis non carere mendis citatum compendium Vitæ : etenim certe erroneum est dicere Synodum Aurelianensem* IV, *anno* 541 *celebratam,* Victoris *nostri cyclum paschalem approbasse, quoniam canone primo statuitur* (3), ut sanctum Pascha secundum laterculum Victorii (*non vero* Victoris) ab omnibus sacerdotibus uno tempore celebretur. *Nam agit Synodus de Victorio Aquitano seu Massiliensi, qui anno Christi* 463 *sub Hilaro Papa cyclum paschalem composuit* (4), *non* E *vero de nostro* Victore, *qui, uti habemus e venerabili Beda, in libro de Ratione temporum c.* LI (5), *de cyclo scripsit anno Christi* 550. *En verba Bedæ :* Verum ne nos amatores Victorii *(Aquitani)* temere illum aggressos esse lacerent, legant librum doctissimi et sanctissimi viri, Victoris videlicet, Capuani episcopi, de Pascha, quod quindecimo Calendas Maias putabatur celebrari debere, Indictione autem decimatertia, novies proconsule Basilio, et quanti a prudentibus et Catholicis Ecclesiæ Doctoribus æstimatus sit suus magister, invenient, cujus principium libri est : « Cum paschalis veneranda solemnitas, quanam » die potissimum proveniret per anni præsentis » Indictionem tertiam decimam a nobis solicite » quæreretur, et juxta Patrum venerabilium con» stituta octavo Calendarum Maiarum diceremus » Resurrectionem Domini procul dubio celebran» dam. Aliquibus minime rationabilis visa est » nostra responsio, eo quod Victorius quidam in » circulo paschali, quem edidit, aliter diem Do» minicæ Resurrectionis adfixerit, licet et hunc » designaverit, quem nos celebrandum pariter » profitemur. » Et in processu Operis : « Sed F » nunc, inquam, ordo expetit, ut cyclorum, quos » Victorius edidit, patefaciam evidenter errores, » dum nescit legitimum diem definire paschalem, » ut, cum in præteritis ostensus hoc modo fuerit » deliquisse, in præsentibus ac futuris et auctori» tate careat, et occasionem pravæ persuasionis » amittat. » *Hæc Beda.*

paschali, quem Victorius

3 *Ex ipsius igitur S.* Victoris *verbis constat illum scripsisse de cyclo paschali post consulatum Basilii, anno nono qui cum anno vulgari* 550 *concurrit, quando reapse dissidium erat inter Occidentales et Orientales circa diem celebrandi Paschatis, aliis* VIII, *aliis* XV *Kalendas Maias assignantibus. Quare manifestus est error eorum, qui dixerunt Patribus Concilii Aurelianensis* IV *probatum fuisse cyclum paschalem* Victoris *nostri, utpote qui toto novennio serius lucubrationem suam ediderit. Usque ad Victorii Aquitani tempora in duobus maxime dissidebant circa quæstionem paschalem Occidentales et Orientales : primum, caput mensis Nisan, seu initium lunæ paschalis, quod Occiden-*

(1) Ital. sacr. aucta, t. VI, col 307. Mich. Monach. Sanctuar., Capuan., p. 98. — (2) Act. SS., t. v Junii, p 134. — (3) Labbe, t. V Conc., col. 381. — (4) Cfr Baron. ad h. a. § II, Pagi, Crit. § III. — (5) T. II. Op., p. 92. Edit. Colon. 1612.

 tales

J. V. B.

tales seu Latini a die v Martii ordiebantur; alterum respiciebat dominicas paschales, quas hi quoque a luna XVI ad XXII propagabant. Prius, circa caput mensis Nisan, etiam Victorius rejecit: quoniam id habebat incommodi, ut ante Æquinoctium vernum, diei XXI Martii seu XII Kal. Aprilis decreto Nicæno affixum, aut in ipso Æquinoctio festum paschale Dominicæ Resurrectionis celebraretur, quoties cum littera dominicali B novilunium paschale in v Martii incidebat: tunc enim XIV lunæ seu plenilunium diem XVIII Martii, XV Kal. Aprilis, signatum littera G, afficiebat. Unde consequens fiebat, ut Pascha una die Æquinoctium vernum præcederet. Præterea quoties idem novilunium dominicalem litteram C nanciscebatur, toties Pascha in ipsum Æquinoctii diem incidebat. Utrumque autem contra placitum Patrum erat, quare et statas regulas violare cogebantur Occidentales.

Aquitanus necdum omni

4 Malo remedium attulit Victorius Aquitanus, statuendo ut neomeniæ paschalis initium duceretur a die VI Martii, cumque hæc dies nullum aureum numerum contineret, novilunium revera numquam ante diem VII Martii incipiebat. Hac ratione consequebatur quidem Victorius, ut Pascha semper acciB deret post Æquinoctium vernum, diei XXI Martii affixum. Sed ex hac Victorii ordinatione aliud enascebatur incommodum, circa quod altera versabatur Occidentales inter et Orientales dissensio. Etenim quum luna XVI prima dies esset, in quam Dominica paschalis incidere poterat; sequebatur, ut, quoties dies Dominica concurrebat cum luna XV, toties solemnitas Resurrectionis in lunam XXII transferenda esset. Quam methodum sequentibus verbis reprehendit Ven. Beda de Rat. temp. c. LVII (1): Qui dominicum Paschæ diem a XVI luna ad XXII celebrandum existimant, duplici miseria laborant, quia et legitimum Paschæ principium numquam habent, et crebro evenit, ut nullum dierum, qui in lege præscripti sunt, in sua paschali observatione consequantur: dum et vesperam quartidecimi diei, quo Pascha initiari statutum est, et mane quintidecimi, quo septem azymorum solemnitas inchoari præcepta, a sua prorsus festivitate repudiant, atque insuper in hujus pœnam peccati, XXII diem, qui in tota paschali institutione per Moysen nec semel appellatus invenitur, frequenter in sui Paschæ principium sanciri præcipiunt.

ex parte correxerat:

5 Verum neque hoc dissidium attingebat quæstio-C nem motam circa Pascha anni 550, de qua scripsit S. Victor noster. Nam isto anno Occidentales solemnitatem Resurrectionis, apud Orientales in VIII Kal. Maias dilatam, die XV Kalendas celebrarunt, et quidem ipsa XIV luna paschali, ut patet ex hujus anni Numero aureo, qui erat XIX incidebatque in II Nonas (IV) Aprilis, cui si addantur tredecim dies, devenitur ad plenilunium seu ad XVII Aprilis (XV Kal. Maias): titubasset certe calculus, quoniam post hanc diem, videlicet ne judaizare viderentur Christiani, dominica Resurrectionis recolenda fuisset. Ne tamen suspicemur Latinos regulam a Nicæna Synodo præscriptam violasse, quasi in ipsa decima quarta luna Pascha cum Judæis celebrare voluissent. Etenim altius repetenda est hujus dissidii causa: Occidentales diem III Aprilis extremam metam Neomeniæ paschalis statuebant, quam biduo prorogabant Orientales (2), unde fiebat ut quam lunam XIV numerabant hi, latinis XVI computabatur. Id etiam fixum ratumque erat, paschalis festivitatis limites intra XI Kal. Aprilis et XI Kal. Maias (XXII Martii — XXI Aprilis) coarctandos esse, ita ut nec citeriorem D præoccupare, neque ulteriorem limitem transilire liceret. Quod quidem in eodem casu pro anno 455 fieri vetat S. Leo, epist. 88 ad Paschasinum, episcopum Lylibætanum, dicens (3): Id a regula ecclesiastica penitus invenimus alienum. Nihilominus Sanctus Pontifex, licet Orientalium rationibus non convictus, solum tamen unitatis ac pacis studio, Pascha in ipsorum sententiam indixit. Sed recurrente eadem controversia post circulum nonaginta quinque annorum, seu anno Christi 550, recruduit disceptatio, in quam credo Victorem nostrum opus suum concinasse de cyclo paschali, ut scilicet ulterior limes paschalis ab XI ad VII Kalendas Maias (XXII — XXV Aprilis) transferretur, quod etiam conatus fuerat exsequi Dionysius Exiguus circa annum 526. Sed fluctuavit diu agendi modus Latinorum, solumque sub Carolo Magno post annum 784 controversia composita fuit (4). Qui plura videre cupit, adeat Ægid. Bucherii et Petavii libros de Doctrina temporum.

6 Aliud quoque S. Victoris nostri opus celebratur, videlicet Consonantia Quatuor Evangeliorum, quam e græco in latinum idioma transtulit. Remigius Ceillier Ord. S. Ben. in opere de Auctoribus Eccle- E siasticis (5) dicit S. Victorem non satis firmis rationibus nixum, quando Ammonio Alexandrino hanc Evangelicam Consonantiam seu Harmoniam adscribit. Ast legenti pontificis Capuani præfationem, elucet omnino illum dubium hæsisse inter Ammonium et Tatianum, utri eorum lucubrationem tribueret. Id enim verba plane testantur (6): Arbitror, ait, non Ammonii, sed hujus (Tatiani) editionem esse memorati voluminis, quod Ammonius Matthæi fertur relationi Evangelistarum reliquorum relationem discretos annexuisse sermones: hic vero Sancti Lucæ principia sunt assumpta, licet ex maxima parte Evangelio S. Matthæi reliquorum trium dicta conjunxerit: ut jure ambigi possit, utrum Ammonii an Tatiani inventio ejusdem operis debeat æstimari. Imo ex hoc textu sumpsit Baronius ad annum 174 § VI Victorem Harmoniam Evangelicam Tatiano adjudicasse. Verum mihi potius videtur dubius inter utrumque hæsitasse, quoniam deceptus relatione eorum, qui ferebant Ammonii lucubrationi S. Matthæi præsertim Evangelium substratum fuisse, dum in edita a Victore nostro Consonantia S. Lucas præcipuas partes usurpasse legamus, Ammonii opus agnoscere non potuit; quam- F vis cæterum doctissimum virum pigeret id Tatiano hæretico tribuere.

edit quoque latine Harmoniam Evangelicam,

7 Atque hæc quidem de scriptis S. Victoris Capuani jam exaraveramus, quando ad nos allatum fuit insigne amicitiæ donum, Spicilegium Solesmense, in quo antiquitatis reliquias solerter colligit, accurate edit atque evolvit docte et eleganter R. D. Joannes Baptist. Pitra Ord. S. Bened. Ex hoc vero monumento liquet Victoris nostri fragmenta superesse, hactenus inedita (7). Nempe Scholia in Genesim, et forsan in Exodum, (frequenter enim istius libri textus exponitur): videntur autem scholia ista editori Solesmensi fuisse excerpta variorum auctorum, maxime Græcorum, quos latinitate donabat noster; atque hac ratione servata nobis fuere fragmenta S. Polycarpi, quorum partem jam ediderat Franciscus Feuardent in editione Operum S. Irenæi (8), reliqua hodie in lucem dat laudatus D. Pitra (9). Huc accedunt quædam ex Origene, et quidem revelant Originis librum, in varios tomos distributum,

et alios libros.

(1) T. II. Oper., p. 95. — (2) Sanclementii de Vulg. Callerin. Æræ emend., p. 487. — (3) T. I. Oper., col. 1060. Edit. Ballerim. Venet. 1753. — (4) L'Art de vérif. les dates. Tab. Chronol. — (5) Hist. gén. des Aut. Ecclés., t. XVI, p. 547. — (6) Bibl. Max. Patt., t. III, p. 266. Edit. Lugdun., 1678. — (7) Spicil. Solesm. Proleg., p. I et 265. — (8) S. Irenæi Oper., p. 240 et seq. Edit. Paris., 1675. — (9) Spicil. Sol., p. 266.

A *distributum, quem nemo editorum hactenus suspicatus fuerat, nempe* Περὶ φύσεων; *similiter fragmenta nobis servavit* Victor *Basilii Magni, Severiani Gabalitani et Diodori Tarsensis. Scripsit quoque librum*, Reticulum, *seu* de Arca Noë, *ex cujus mensuris ætatem Christi* XXXIII *annorum eruit* (1)*: laudatur quoque et aliud opus, nempe* Capitula de Resurrectione Domini, *in quibus de una vel duplici Maria Magdalena quæstionem* ad arbitrium lectoris derelinquit (2). *Tandem apud Joannem Diaconum occurrit aliqua explicatio lunæ paschalis, occasione verborum Exodi* XXII, 2, *in qua mensis paschalis dicitur* principium mensium, primus in mensibus anni (3).

S. Victoris forsan autographum hodie Fuldæ exstat.

8 *Hisce tandem addenda videtur aut commentatio aut recensio correctior Actuum Apostolorum, Epistolæ S. Jacobi ad dispersos et Apocalypseos. Nam hujus* Victoris *nostri lucubrationis antiquissimum exstat monumentum, nempe liber, quem anno* 755 *secum detulerat S. Bonifacius, Germanorum Apostolus, quum a Frisiis paganis occisus fuit. Etenim, cæde peracta, quum ad spolia dilapsi fuissent barbari, eaque in navigia deportassent, invenerunt in sarcinis nihil præter libros, quos per* B *campum disperserunt et in arundineta paludum projecerunt. Recuperati sunt tamen subinde ex iis permulti, quorum aliqui in bibliotheca Hasso-Cassellana, tres vero, ait Joan. Georg. ab Eckhart* (4), Fuldæ supersunt maximi præ cæteris æstimandi... Alter codex Bonifacianus, qui Fuldæ exstat, habet pollices XIV in altum et VI in latum, fibulisque argenteis ac lamellis hinc inde rudi opere satis excultus est, ac continet I Harmoniam quatuor Evangeliorum. II Tabulam lectionum in Ecclesia recitari solitarum. III Epistolas B. Pauli. IV Designationem, quibus locis Apostoli jaceant. V Actus Apostolorum. VI Epistolam S. Jacobi ad dispersos. VII Apocalypsis, ad cujus calcem adjecti sunt versus Damasi Papæ in B. Paulum Apostolum. Literis quadratis omnia sunt conscripta. In fronte legitur: INCIPIT PRÆFATIO VICTORIS EPISCOPI CAPUÆ. Post Actus Apostolorum cursoriis litteris scriptum est: † VICTOR FAMULUS CRI ET EJUS GRATIA EPISC. CAPUÆ LEGI NONAS MAI D INDICTIONE NONA QUINQUE POST CONSULATUM BASILII V. C. C. Post Apocalypsin vero cernuntur hæc: VICTOR FAMULUS CHRISTI ET EJUS GRATIA EPISCOPUS CAPUÆ LEGI APUD... IND. NON... LEGI IND. X DIE PRID. IDUUM APRIL. Unde elucet Vic- C torem, episcopum Capuanum, hunc codicem anno Christi 546 relegisse, et anno 547 absolvisse. Hujus igitur sanctissimi, *inquit Ant. Franciscus Gori* (5), Capuæ episcopi cura fuit sacros codices relegere ad exemplum alterius vetustioris libri, et, si opus esset distinguere et emendare, quod etiam, ut posteris fidem faceret, in principio scripsit X. F hoc est Christi famulus, in fine vero propria itidem manu legi, meum signum. Schannatus adfert characterum specimina (6). *Quibus ex verbis deducere licet, librum hunc duplici honore dignum: quatenus manu* S. Victoris *exaratum et S. Bonifacii Martyris usui perpetuo attributum. Hæc sunt quidem præcipue Sancti nostri scripta, quorum notitia ad nos devenit.*

J. V. II. Tempus episcopatus

9 *Porro præter jam dicta, non habemus alia, quæ res gestas S.* Victoris *illustrant. Exstabat Capuæ, teste Michaele Monacho* (7), prope sedile de Antiniano dictum, mænianum prominens super viam, cujus in pavimento stratus lapis, hoc intra sculptam Coronam sculptum habens epitaphium: VICTOR EPISC. SEDIT ANN. XIII. DIES XXXVIII. DEPOSITUS SUB DIE IV *(in Ughello perperam* III) (8) NON. APRIL. ANN. XIII P. C. BASILI V. C. INDICTIONE SECUNDA. *Basilius consulatum gessit anno Christi* 541, *unde annus tertius decimus post hunc consulatum cum anno Christi* 554 *concurrit: tunc obiit S.* Victor *et quidem die* IV *non.* (II) *Aprilis, postquam sedisset annos* XIII *dies* XXXVIII. *Unde quoque habemus ejus ordinationem incidere in diem* XXIV *Februarii, quæ erat anno* 541 *signato littera dominicali* F, *dominica* II *Quadragesimæ et S. Mathiæ Apostolo sacra: scimus enim antiquis etiam temporibus servatam fuisse consuetudinem, ut episcoporum Ordinationes dominicis diebus aut festis SS. Apostolorum celebrarentur. Neque prætermittendum in epitaphio* S. Victoris *numerari annos et dies supra triginta; quod quidem aliqui veterum mori repugnare suspicentur. Sed, licet plerumque per annos, menses et dies numerare solerent antiqui, occurrunt tamen exem-* E *pla, quæ monstrant, quoties dies bimestre spatium non superant, tunc, omisso mense, dies supra triginta expressos fuisse. Epitaphium profert Baronius ad an.* 357 § 1 *:* FL. JOVINA QUÆ VIXIT ANNIS TRIBUS, D. XXXII DEPOS. NEOFITA IN PACE XI KAL. OCTOB.

et obitus.

10 *Scrupulum etiam lectori peregrino in re antiquaria movere posset omissio tituli, quo Beatos insignire consuevimus; scilicet nudum nomen describitur, non apposita Sancti appellatione. Ast hæc ipsa omissio argumento est mox post obitum lapidem esse positum: eadem enim simplicitas recurrit in aliis lapidibus. Duos afferam inscriptos viris, quorum sanctitas et cultus nemini dubia esse possunt. Baronius ad an.* 604 § XVII *affert epitaphium S. Gregorii Magni, hisce verbis:* Hic requiescit Gregorius Papa, qui sedit annos tredecim, menses sex, dies decem, Depositus quarto idus Martii. *Eodem anno defuncto S. Augustino, Anglorum Apostolo, positum fuit monumentum, in quo nulla Sanctitatis appellatio tribuitur, et simpliciter* Dominus Augustinus *vocatur, Baron. ibid.* § LXII. *Tandem mirum quibusdam videbitur S.* Victorem *nostrum a Romano Martyrologio sub die* XVII *Octobris recen-* F *seri, quoniam obitus ejus diei* II *Aprilis, inventio* XXVII *Julii illigatur. Respondet vero Mich. Monachus* (9), *in Martyrologiis hujusmodi diversitates passim occurrere, neque id quidem temere:* In instituendis, *inquit,* Sanctorum festis, præter obitum et depositionem, considerari solent inventio, translatio, reconditio, memoria alicujus vel suscepti tormenti, vel patrati miraculi; item conversio, ordinatio, canonizatio et id genus alia (10). *Ex hactenus dictis liquet falli Phil. Ferrarium, qui in suo Catalogo Sanctorum Italiæ refert S. Victorem anno* 527 *cathedram Capuanam conscendisse et hac die obiisse.*

(1) Spicil. Sol., p. 288.— (2) Ibid., Proleg., p. LIV.— (3) Ibid., p. 296. — (4) De Reb. Franc. Orient. et episcopat. Wirceburg., t. I, p. 539. Et Schannat. Vindem. lit. collect. I, p. 219.—(5) Thes. Vet. Diptych., t. III, p. 91.—(6) Cfr p. 219.—(7) Sanctuar. Capuan., p. 91.—(8) Ital. Sacr., t. VI, col. 306.—(9) Ibid.—(10) Pag. Crit. Bron. ad an. LXIX, § XXII et seq.

DE

A D

DE S. ZENONE SEU ZOSIMO,

EPISCOPO CONFESSORE, BENEVENTI

SYLLOGE HISTORICA.

J. V. H.

CIRCA ANNUM DLXXXV. *Tempus episcopatus;*

Vix aliud certum habemus de S. Zenone seu Zosimo, quam ejus episcopatum in cathedra Beneventana, ejusque ibidem ad hunc usque diem perseverantem cultum. Ughellus in Italia sacra hæc de eo scribit (1): S. Zenon, vel, ut alii scribunt, Zosimus quo tempore Beneventanam sedem administravit, non constat: vixisse tamen de conjectura scribit Vipera circa annum Domini 543; cujus festus dies celebratur in Beneventana Ecclesia die XVII Octobris, habetque Beneventi templum ei excitatum parochiale. B *Secundum hanc igitur Viperæ opinionem, S. Zeno vigesimo octavo loco inter episcopos Beneventanos veniret. Addit vero Hagiologium Italicum sub hac die, ejus corpus in ecclesia S. Sophiæ asservari. Eadem fere habet Joannes de Nicastro* (2), *nisi quod dicat,* templum præterito ævo habuisse ejus nomini exstructum, in præsens *(nempe anno* 1720) temporum injuria solo æquatum. *Idem Joannes habet S.* Zenonem *S. Marciano* (3) circiter annum Domini quingentesimum tertium, Vigilio Papa, subrogatum, *quæ epocha manifesto vitio, quod typothetæ adscribimus, laborat; quoniam Vigilius Romanam cathedram ab anno* 537 *ad* 555 *occupavit; proindeque Joannes laudatus censere videtur cum aliis Sanctum anno Domini* 543 *episcopatum inchoasse, quem dein per annos ferme quadraginta duos continuavit; ita circa annum Domini* 585 *diem clauserit extremum.*

2 *In eo conveniunt omnes, S.* Zenonem *in templo S. Sophiæ compositum fuisse. Est autem ista ecclesia dedicata non Sanctæ alicui fœminæ hujus nominis, sed æternæ Sapientiæ, seu Christo Salvatori, ut aperte dicit Arichis, dux Beneventanus, de gente Longobardorum, in charta fundationis dictæ ecclesiæ:* Ego, *inquit* (4), qui fragilis equidem creatura sum, E Arichis, eximius princeps, caducæ vitæ casus percurrens et perennis immortalitatis opes adipisci cupiens, credo equidem nec vana spe divinitus inspiratus, consecrari aulam tuæ S. Sophiæ nomine, qui es vera Domini sapientia, Christe. *Sed dux iste Arichis principatum Beneventanum occupavit ab anno* 758 *ad* 787. *Quocirca si a fundamentis S. Sophiæ templum erexit, necesse est Sancti nostri corpus ex priori quodam sepulchro, forsan secundum morem eorum temporum extra civitatis mœnia sito, in alterum transtulisse; cujus quidem translationis nulla superest memoria. Nihil præterea occurrit, vel reperire nobis licuit, quo S.* Zenonis *nomen et gloriam illustremus.*

et locus sepulturæ.

(1) Ughelli Ital. Sacr., t. VIII, p. 17. Edit. Venet., 1721.— (2) Pinacotheca Benev., p. 77. — (3) Cfr Act. SS., t. II Jun., p. 958. — (4) Chron. S. Sophiæ Ughelli. Ital. Sac., t. X, p. 422.

DE S. VINCENTIO, PRESB. ET CONF.

C F

MAGNIACI IN AGRO NIVERNENSI.

SYLLOGE HISTORICA.

E. C.

Memoria in Usuardi Martyrologio, cujus primæ editionis ætas inquiritur; cultus auctus ob victoriam Caroli Calvi; reliquiæ.

CIRCA MEDIUM SÆC. VII. *Memoria in Fastis ad XIII Martii,*

De S. Vincentio *jam breviter actum est in* Prætermissis *ad diem præcedentem, ob id quod in Hagiologio Franco-Gallico apud Labbeum legitur* (1): In territorio Nivernensi SS. Vincentii et Salvii confessorum; *verum pleraque Martyrologia ad diem* XIII *Martii vel* XVII *Octobris S.* Vincentium *memorant. Inter Auctaria Martyrologii Usuardini, ut a Sollerio editum est* (2), *ad* VII *Martii solus codex Camberiensis S.* Vincentii *meminit, his verbis:* Apud Nivernensem civitatem S. Vincentii presbyteri; *sed ad diem* XIII *referunt eum codices duo plerumque inter se convenientes, Reginæ Sueciæ n.* 130 *et Victorinus, de quo Henschenius noster olim scripserat:* Videtur fuisse alicujus monasterii in diœcesi Nivernensi (3). *En horum codicum annuntiationem:*

(1) Nov. Bibl. Mss., t. II, p. 699.—(2) Martyrol. Usuardi. Antu., 1714. — (3) Ibid. Præf., p. LXI.

In

A In territorio Nivernensi, Sancti Vincentii presbyteri et confessoris. *Similiter, sed corrupto nomine, Martyrologium quod exeunte sæculo* XI *ad usum Ecclesiæ Autissiodorensis confectum est* (1) : In territorio Nevernensi Sancti Viventii presbyteri. *Ex prælaudatis fontibus eumdem habent Maurolycus, Galesinius, Du Saussay et demum copiosius paulo et simul accurate Martyrologium Autissiodorense auctius, quod anno* 1751 *excusum est* : In territorio Nivernensi Sancti Vincentii presbyteri de Magniaco cujus præsidium Carolus Calvus rex Francorum in conflictu fraternæ altercationis expetiit, potitusque victoria, cultum ejus, sicut voverat, auxit et ecclesiam instauravit. *In Kalendario et Breviario Nivernensi dies illi sacer est similiter Martii tertius decimus; sed cum Majoribus nostris tum de cultu et vita vix quidquam innotuisset, ad dictum diem memoratus est solum inter* prætermissos.

et ad XVII *Octobris.*

2 *Ad* XVII *Octobris non paucioribus Fastis adscriptus est. In Usuardo Sollerii, referunt eum codices undecim, unusque Pistoriensis apud Zaccariam* (2), *iisdem ubique verbis quibus ad* XIII *Martii annuntiabant eum duo codices supra relati; verum* B *exemplar Pulsanense et Florentinum eum perperam episcopum dicunt* : In territorio Nivernensi Sancti Vincentii episcopi et confessoris, *quod ex amanuensium oscitantia irrepsit, nec ullo niti fundamento comperimus. Porro codices illos Usuardinos, quoad diem cultus, secutum est Martyrologium Parisiense anni* 1728, *itemque Ebroicense anni* 1752, *ubi elogium idem comparet, quod modo ex auctiori Martyrologio Autissiodorensi recitavimus. Conficitur autem ex allatis omnibus testimoniis, ea Martyrologia aut Kalendaria quæ in pago Nivernensi olim in usu fuere, diem cultui assignare generatim decimum tertium Martii, quo die Niverni etiamnum* S. Vincentius *colitur. Attamen si fides antiquissimo Usuardi testimonio (nam ab ipso Usuardo adscriptum fuisse* Vincentium *statim probabitur), ad hunc* XVII *Octobris referendus est; qui dies num primitus ei in diœcesi Nivernensi obtigerit, vel quam ob causam eidem fuerit assignatus, non liquido nobis constat.*

Quare Sollerius eum Martyrologio Usuardi additum censuerit.

3 *Hic jam proferenda Sollerii nostri annotatio, quam Usuardi primigeniæ lectioni, ex codicibus Heriniensi et Tornacensi ac Molani editione erutæ, subjecit his verbis* : Multos hic denuo codices e purorum numero exclusi, quod variis abundent C auctariis. Pratensis imprimis in fine subjungit : « In territorio Nivernensi Sancti Vincentii presbyteri et confessoris » ubi notavit Castellanus eadem quidem manu, sed non eodem atramento scripta esse. Ceterum ordinarii sequaces duo, Antuerpiensis major et Rosweydinus, in Pratensi denuo subscribunt, licet omiserint titulum presbyteri et prior male pro *Vincentii* scribat *Vincii*.... : Hic ex ceterorum probatissimorum codicum auctoritate omnino censeo, dictam annuntiationem merum esse additamentum. *Quæ ut rite intelligantur, recolendum est illos codices Sollerium ut primarios selegisse, a quibus reliqua exemplaria, inter triginta duo quæ integra habuit, et alia ferme quinquaginta, rarius discederent. Si enim codicem Pratensem, qui non habet alios perpetuos sequaces quam Antuerpiensem majorem, Rosweydinum et Aquicinctinum, si illum, inquam, ut primarium assumpsisset, opus sibi conflasset monstruosum; in quo tanta multitudo exemplarium variam lectionem, ut loquuntur, sibi adeo constantem exhibuissent, ut primaria lectio ex quatuor tantum petita codicibus, fuisset necessario respuenda. Recte igitur eam lectionem retinuit quam plerique codices repræsentabant; quæ vero in aliis adjiciebantur, additamenta nuncupavit.*

E. C.

Id quidem concedit J. Bouillart, sed

4 *D. Jacobus Bouillart, qui anno* 1718 *Pratensem codicem in lucem emisit, in Annotationem Sollerii de S.* Vincentio *hæc observat* : Sancti Vincentii commemorationem merum esse additamentum censet Sollerius ex Heriniensis et Tornacensis probatissimorum codicum auctoritate *(quidni adscribit hic quindecim alios codices quos Sollerius inter Auctaria recensuit?)* quamvis decem codices ipse referat, qui Pratensem imitantur, et eamdem lectionem habeant nostri omnes. Jam diu me contineo. *Dein genio indulgens plura profert quæ huc non spectant. Censet itaque Bouillartius annuntiationem illam vere Usuardi esse, sed conscripto jam Martyrologio ab eodem fuisse additam; neque aliam ejus esse mentem, liquet etiam ex iis quæ in epistola prævia ad Sollerium disserit* (3), *tum ex his quæ scribit alibi in simili occasione* (4) : Neque tamen diffiteor Carolini autographi (sic mihi loqui liceat brevitatis causa, ut Martyrologium Carolo regi oblatum significem) Sollerianam fuisse lectionem. Correcta ab Usuardo in Pratensi fuit. E

ab ipso Usuardo id factum contendit. Conciliantur.

5 *Verum hic opinandi modus in eo tantum diversus est a suspicionibus Sollerii, ut ubi hic dubitat, ille asseveranter loquatur. Audiendus est itaque ipse Sollerius, de eodem argumento in præfatione ad Usuardum sic disserens* (5) : Certe... alterutrum forte probabilius confici posse videbitur : vel diversa Usuardum scripsisse Martyrologia, seu ejusdem Martyrologii variata exempla, ex quorum uno Heriniensis noster atque alii processerint, quemadmodum ex aliquo alio, Pratensi simili, sumpti apparent Antuerpiensis major, Rosweydinus et Aquicinctinus; vel ad Usuardi ætatem prædictum Pratense manuscriptum pertingere non posse. *Unde, pro priori hypothesi, cum Sollerius vulgo* additamenta *nuncupet quæ ex probatissimis codicibus noverat in primitivo Usuardi opere exstare non potuisse, satis liquidum est præsentem* S. Vincentii *commemorationem habitam ei esse veluti primigeniæ editioni adjectam, licet non prorsus inficiasiverit ab Usuardo ipso hanc additionem postmodum factam fuisse; satis habens id dubium reliquisse, quod nec ipse sibi nec alii plene evincere potuerant.*

Mabillonius inter annum 869 et 877 editum Usuardum censet,

6 *Nihil igitur obstat quin ea nobis præplaceat sententia, qua admittitur Usuardi duas aut plures fuisse editiones. Si enim ipsius Usuardi non esset hæc annuntiatio S.* Vincentii, *quomodo in tot codicibus descripta esset verbis iisdem ubique? Etenim inter* 36 *codices, quos habet hoc loco Sollerius, undecim (ut omittam alios quatuor indicatos supra n.* 1 *et* 2) *numerantur quibus S.* Vincentius *adscriptus est. Mirabitur fortasse quispiam S. Vincentium a primigenio Usuardo non annuntiari, cum passim is feratur non ante annum* 869 *aut etiam* 875 *suum edidisse Martyrologium, Carolus autem rex, cui librum suum Usuardus dicavit, jam inde ab anno* 859 *publice testatus sit se reportatam a fratre victoriam S.* Vincentio *debuisse. Verum hæc circa Usuardini Martyrologii ætatem sententia hic ad crisim revocanda est. Orta est scilicet ex his quæ Mabillonius scripsit de codice suo Pratensi quem autographum fuisse subdubitans æstimat* (6) : Et F sane antiquissimum ejus Martyrologii exemplar habemus, eo tempore *(sæculo nono, quo Usuardus vivebat)* exaratum, cum subjecto Necrologio, in quo primaria manu mors Irmentrudis reginæ, uxoris Caroli Calvi, signata est Nonis Octobris;

(1) Martene. Amplissima Collectio, t. VI, p. 694. — (2) Biblioth. Pistor., p. 154. — (3) P. XXI et seq. — (4) P. 36. — (5) P. LII. —

(6) Sec. IV, Bened. parte II, p. LXXXVII.

obitus

E. C.

obitus vero Caroli II imperatoris, pridie Nonas Octobris manu recentiori. Itaque hic codex scriptus est eo temporis intervallo, quod effluxit inter annum 869, Irmentrudis supremum; et annum 877, quo Carolus Calvus defunctus est. Idem etiam confirmatur ex Ebroini episcopi et abbatis sancti Germani obitu, qui anno 868 contigit, prima manu XIV Kal. Maii consignato: cum successorum ejus Hilduini et Gozlini, XVI Kal. Maii; atque Eboli, VI Nonas Octobris obitus secunda manu conscripti sint.

sed fundamento

7 *Demus autem codicem Pratensem ante annum 877, et quidem ab ipso Usuardo, in iis quæ primæ manus sunt, fuisse exaratum: non inde sequetur ibi pure textum primarium sive primæ editionis repræsentari, neque etiam, primam Martyrologii editionem post annum 869 esse factam. Codex enim Pratensis lituris scatet et additamentis, plerumque tamen ejusdem manus; ex quo deducitur diversis temporibus eumdem fuisse expolitum, ac Irmentrudis mortem a prima manu, cum dudum jam codex esset exaratus, eidem potuisse adscribi. Atque id idem autumavit etiam Bouillartius sic scribens* (1): Sive majoribus negotiis distractus B fuerit Mabillio, cum conjecturam scribebat, sive ego tardus sim, omnino non capio, cur, ex eo quod Ermentrudis Caroli uxoris alia, alia Caroli mors notata sit manu, necesse sit exaratum fuisse Martyrologium hoc temporis intervallo, quod inter utriusque mortem effluxit. Quid vetat scriptum esse duobus, quatuor, sex annis ante Necrologium? An quod eadem sit manus? Sed manus cum annis non mutatur præsertim tam paucis. Fieri etiam potuit, ut, cum Usuardus Necrologium scriberet, nullius mors esset, quæ nonis Octobris consignaretur. Erat enim hoc in more positum, ut qui Necrologium scribebant, omnes anni dies primum ordinarent, posteaque mortuum quemque diei adscriberent, quo mors ejus acciderat: quod in causa est cur in Usuardino Necrologio plurimi sint hodieque dies omnino vacui; plurimi etiam quos replevit manus Usuardina recentior.

non satis firmo.
Anno 859

8 *Nec vero dici potest Carolo Calvo jam imperatori dicatum fuisse Martyrologium, ideoque non ante annum 875 quo ei imperium obtigit, fuisse editum; nam fluxit is error ex corrupto Usuardi Prologo, prout legitur in editione Molani et in codicibus aliquot: sed in utraque editione Greveni,* C *in probatissimo codice Heriniensi, in Pithœano quoque ac Dervensi et aliis nonnullis, omittitur* Augusti *titulus et Karolus dicitur simpliciter* Regum piissimus. *Minime igitur constat post annum 869 Martyrologium istud conscriptum esse, et quidem ex eo quod S.* Vincentius *a primigenia editione abest, in sequentibus vero adjectus est, pronum est æstimare ipso anno 859 Usuardi Martyrologium primitus fuisse emissum, quando nimirum nondum poterat vulgo esse notum a rege Carolo insignem suam victoriam, tanquam intercessioni Sancti* Vincentii *debitam, referri. En enim quibus verbis gratum animum die* XX *Decembris anni* 859, *in instrumento quod infra recitabitur, testatus est:* Notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris, quia in conflictu altercationis fraternæ, quando me notissima concertatio agebat, ut vires resistendi penes me restaurarentur in fratrem, Nevernensem comitatum deveni apud Magniacum vicum, ubi corpus sacratissimum B. Vincentii confessoris Christi memorabili veneratione percolitur, ibique munificum largitorem D Deum in ejus commemoratione adorans, deprecatus sum ut ejus suffragiis munimen divinæ protectionis adipiscerer, quatenus per suam exoptabilem intercessionem tranquillæ prosperitati restituerer. Enimvero sub spe talis adsecutionis, votis me obligavi ibidem, ac beneficia temporalia conferre ejus ministris perseveranter promisi; quocirca percepta quiete, potitusque victoria *etc.*

aut 860 primum fuisse editum,

9 *Arbitror itaque ante conditum hoc instrumentum, vel antequam rei fama increbuerit, id est currente anno 859 aut ad summum 860, primigenium Usuardum fuisse emissum. Neque opponi hic potest Eulogium celeberrimum martyrem Cordubensem, qui passus est* XI *Martii* 859 (2), *ab Usuardo adscitum fuisse; nam id de posterioribus editionibus facile concedendum, sed negandum de exemplari primario, quod regi Carolo oblatum est et ex quo vulgatior lectio est deprompta. Eulogius, licet* XI *Martii martyrium sit consecutus, in iis codicibus Usuardinis quieum adscripsere signatus est ad diem* XX *Septembris; qua vero de causa id factum sit, inter eruditos controversum est* (3). *Ad hunc porro diem* XX *Septembris codices nonnulli illustrem Martyrem omittunt, nec usquam alias ejusdem meminere; inter* E *quos commemorandus probatissimus ille codex Heriniensis ex quo Sollerius primigeniam Usuardi lectionem perpetuo depromit, quique, ubi Galliæ Sanctos quosdam addititios habet, tractus potissimum Rhemensis, nihilominus Usuardinas annuntiationes puras servat omnes, nihil contrahens, nihil immiscens.*

ex annuntiationibus S. Eulogii

10 *Is igitur codex loco Eulogii habet Eustachium et socios, Adriano Imperatore passos, uti etiam Dervensis codex seculi* IX *aut* X, *si recte Bouillartium interpretor, quem is ex Carolino autographo aut alio purissimo desumptum vult, quocirca ejus lectiones passim Carolino autographo adscribit* (4). *Deinde codex Pratensis hoc die versus quatuor erasos habet, iisque annuntiatio Eulogii martyris superinducta; quam ob causam hæc ibi Bouillartius:* Carolinum autographum (*uti deducit ex codicibus Heriniensi et Dervensi*) primam inter et secundam annuntiationem hæc interserit: « Item temporibus Adriani Imperatoris passio Beatorum Eustachii etc. » Nec verbum habet de Eulogio Cordubensi. *Demum tria alia exemplaria apud Sollerium Eulogio carent, Ultrajectinum videlicet, Vaticanum et Belini editio prima, quorum duo* F *posteriora loco Eulogii Eustachium cum Heriniensi annuntiant. Patet itaque Usuardum in primigenio codice Eustachium annuntiasse, deinde cum Eulogii martyrium didicisset, illo eraso, quia communius ad diem* II *Novembris consignatur, Eulogium substituisse. Inde etiam factum ut codices nonnulli Eustachium utroque die annuntient, alii alterutro tantum. Adverterat id Grevenus, ut scribit ad dictum diem* XX *Septembris* (*Edit.* 1515 *et* 1521): Secundum aliquos hic Eustachii et sociorum ejus, qui etiam IV nonas Novembris habentur, *quod itidem Baronius observat in Notationibus; nec mirum cum tot Usuardi exemplaria ad diem illum Eustachii meminerint. Est vero dolendum in eodem die* XX *Septembris deficere codicem Tornacensem, ex quo a* IX *Augusti ad* XXVI *Septembris plurima folia exciderunt; is enim cum Heriniensi diebus fere singulis pari gressu procedit.*

et S. Vincentii ostenditur;

11 *Verum quæ hucusque protulimus liquido conficiunt Eulogium martyrem celeberrimum ab Usuardo, dum opus suum primitus emisit, æque ac S.* Vincentium

(1) P. XX. — (2) T. II Martii, p. 89, n. 1. — (3) Cfr Usuardum Sollerii ad XX Sept. et H. Florez España Sagrada, t. X, p. 461. An quia locus vacabat (infra n. 10) et diem martyrii ignoravit? — (4) Ad XXII April, etc. Cfr Præfat., p. XXXI.

A tium *(supra n. 5 et seqq.) fuisse omissum. Quod si editioni primæ Eulogius adscriptus non est, hæc, ut supra opinabamur, anno 859 compleri potuit. Ante hunc annum id fieri potuisse nemo dixerit; nam præcedenti anno 858 Usuardus iter in Hispaniam suscepit et Cordubæ per quinquaginta sex dies moratus, indeque in vigilia Ascensionis die* XI *Maii profectus, Acmantum* * *ad villam in territorio Senonensi, quo tunc Sangermanenses monachi ob timorem Normannorum confugerant* (1), *non pervenit nisi die* XX *Octobris, quemadmodum ipse notavit in Martyrologio :* Ipso die, exceptio Sanctorum martyrum Georgii diaconi et Aurelii. *Atque hæc postrema confirmantur etiam ex relatione dictæ translationis ab Aimoino monacho itidem Sangermanensi conscripta, qui refert ipso tempore exceptionis Lipsanorum Ludovicum Germaniæ regem, copiis instructum, in pago Autissiodorensi et Senonensi, ut Carolum fratrem aggrederetur regnoque spoliaret, esse versatum* (2). *Hæc autem Octobri prædicti anni 858 contigisse ex Annalibus Bertinianis mox citandis manifestum fiet (infra num.* 15 *et* 16).

* Emans.

quod idem

12 *Ex nostra igitur sententia, Martyrologium absolvit Usuardus anno sequenti 859 Acmanti in* B *villa,* in qua tunc major pars fratrum, *inquit Aimoinus,* ob infestam paganorum degebat persecutionem, *vel etiam in villa Novigento ejusdem monasterii, ad quam postea se contulisse videntur, nec rediisse Parisios nisi anno 863 die* XIX *Julii, ut scribit idem Aimoinus* (3). *Huic vero sententiæ fors opponetur, intra unius anni spatium tempus Usuardo non suppetiisse ut opus suum concinnaret; quod non ita inviti concedimus, licet ex Sollerii Commentariis* (4) *luce meridiana clarius sit Usuardum Adonis vestigia perpetuo premere et hunc, ut fatetur Bouillartius* (5), fuisse modo non ab Usuardo exscriptum. Fuit... Ado ipse Sanctus Viennensis præsul, *inquit Sollerius,* seu potius ejus Martyrologium, perpetua et perennis Usuardi scaturigo, ex qua totum nostrum Usuardinum, pro maxima sui parte coaluit. Adde huic Hieronymianum et Bedam Flori studio ampliatum, *deinde notiores quosdam Galliæ Sanctos et recens acquisitam Martyrum Cordubensium notitiam* (6).

aliunde

13 *Quamvis igitur non ita prodigiosum foret Usuardum unius anni spatio illud opus perficere potuisse, verosimilius tamen existimo id diu ante iter Hispanicum, quod primis mensibus anni 858,* C *regis Caroli percepta auctoritate* (7) *suscepit, fuisse inchoatum. Etenim tantam messem Martyrum, antesignanis suis incognitorum, ex Hispania retulit, ut nisi eos Martyrologio suo destinasset, intelligi vix queat, qui tam accurate eorum nomina, cum adjunctis variis, consignare potuerit. Eorumdem longam seriem contexuit Valesius* (8), *quibus ego addam Abundium* VIII *Junii et Emilianum* XVII *Septembris. Nec vero solos Cordubenses Usuardus adscripsit, sed alios plurimos ab antiquioribus Martyrologis itidem ignoratos, præsertim locorum per quos in Hispanica peregrinatione transierat* (9); *ubi observandum ut eos in Martyrologio signaret, non solum locum mortis aut passionis ei innotescere debuisse, verum etiam diem cultus, vitæ aut mortis genus, quandoque ipsius mortis tempus. Ex quibus verisimile fit eum ante iter Hispanicum, ad quod conficiendum regis Caroli auctoritatem percepit, ab eodem Carolo mandatum accepisse, ut Martyrologium conscriberet. Sic operi jam inchoato et provecto, quos in Hispania collegerat, inde redux adjecit.*

E. C. stabilitur.

14 *Etenim in instrumento anni 838 cujus Mabillonius meminit* (10), *inter alios monachos Sangermanenses qui eidem subscripsere, jamjam Usuardi nomen comparet. Quid igitur mirum viginti ferme post annis eum ad maturam ætatem pertigisse, ita ut rex ei præ ceteris grave opus commendaret? Et quidem si diu post annum 859 suum Martyrologium concinnavit, difficile intelligo non modo qui S. Vincentium in primigenia editione omittere potuerit, sed etiam qui ipsum S. Eulogium non commemoret, quem constat* XI *Martii anni 859 martyrium subiisse et cujus corpus eodem anno die prima Junii e terra elevatum est. Nam Cordubæ, ut ex ipsa narratione S. Eulogii de S. Flora constat, Martyribus statim a martyrio cultus tribuebatur* (11). *Emendandus enim Ambrosius Morales, qui ex lecto perperam codice suo, elevationem corporis adscripsit anno 860, quem etiam Baronius et Henschenius noster secuti sunt, sed P. Henricus Florez genuinam codicis lectionem restituit* (12). *Eulogius porro inter Martyres Cordubenses ut pater, ut magister, ut sol inter astra emicuit* (13), *eumque Usuardus Cordubæ allocutus fuerat, ut ipse Aimoinus testatur in laudata Trans-* E *latione SS. Georgii et Aurelii :* Quam *(Passionem dictorum Martyrum)* memorabilis et Deo dignus sacerdos Eulogius, qui et ipse postea glorioso donatus Martyrio, Regem Christum consummatus miles ovando petivit, veraci relatione, plurimis (ut ipse nostris retulit) prætermissis, litteris informavit (14). *Ex omissa igitur annuntiatione S. Eulogii, non minus quam S. Vincentii, in prima Usuardini Martyrologii editione, deinde ex aliis argumentis quæ explicavimus, merito concluditur ipso anno 859 aut sequenti, idem Martyrologium primum in lucem fuisse emissum.*

Carolus Calvus

15 *Ut igitur, post hanc digressionem, ad cultum S.* Vincentii *redeamus, eum anno 859, quando Carolus Calvus perceptam quietem et reportatam a fratre Ludovico victoriam eidem Sancto publico instrumento adscripsit (quod in Synodo Trecensi anni 867 confirmatum est), hunc, inquam, cultum tum magnopere auctum esse nemo mirabitur. En quomodo rem evenisse ex Historicorum narrationibus cum dicto instrumento collatis versimile est. Ludovicus dictus Germanicus cum videret Carolum Calvum fratrem suum infeliciter Normannos aggressum esse, ad ejus regna properans, partem Neustriæ* F *occupavit :* Karlus Rex, *inquit Annalista Bertinianus ad annum* 858 (15), insulam Sequanæ vocabulo Oscellum *, Danos in ea commorantes obsessurus, mense Julio adgreditur... Lotharius etiam Rex ad eamdem insulam mense Augusto properat, avunculo * adjutorium conlaturus : ubi usque IX Kalendas Octobris absque profectu obsidionis demorantes, tandem ad propria remeant.

* Oissel.

* patruo.

16 Interim comites ex regno Karli Regis, Hludovicum Germanorum Regem, quem per quinque annos invitaverant, adducunt. Qui Kalendas Septembris Ponteonum * regiam villam adveniens, per Catalaunos et Cupedenses *, Agedincum * Senonum pervenit. Inde Aurelianensem pagum adiens, receptis ab Aquitania et Niustria, atque Britonibus, qui ad eum se venturos spoponderant, eadem pene via usque ad Cupedenses remeat. Quibus Karolus Rex compertis, per Catalaunos usque

a fratre Ludovico Germanico oppugnatus.

* Pontion.

* Queudes près Sézanne, et environs.

* Sens.

(1) T. VI Julii, p. 462, n. 14 et p. 465, n. 30. — (2) Ibid., p. 465, n. 28 et 466, n. 33. — (3) T. VI Maii, p. 804, n. 11 et 805, n. 17. — (4) Præfat., p. XLIV. — (5) P. XIV. — (6) Soller. l. c. et p. 570 ad I Octobr. — (7) T. VI Julii, p. 460, n. 2. — (8) Apud G. Dubois in Hist. Eccles. Paris., p. 468. — (9) Vᵉ Annot. Sollerii ad VI Martii, XXV Aug., XI et XIII Octobr., III, XII et XIII Novemb. — (10) Annal. Ord. S. Ben. ad an. 838, n. 12. — (11) España Sagr., t. X, p. 456. — (12) Ibid., p. 455. — (13) Ibid., p. 456. — (14) T. VI Julii, p. 461, n. 9. — (15) Recueil des hist. de France, t. VII, p. 74 (ubi ad eumdem an. 858 reditus Usuardi ex Hispania consignatur); Cfr Acta SS., t. VI Julii, p. 465, n. 28.

E. C. * Brienne-le-Château.

usque ad Breonam * villam festinus graditur : ubi concurrentibus ad eum Burgundiæ Primoribus, Hludovicum insequentem præstolatur. Sed intercurrentibus nunciis, cum nulla pacis compositio fieret, tertio tandem die, id est pridie Idus Novembris, præparatis hinc inde aciebus, videns Karlus se a suis deseri, recessit et partes Burgundiæ petiit. *Tunc igitur Carolum arbitror ad vicum Magniacum leucis duabus a Niverno distantem pervenisse; nam si illuc a* Breona (*alias* Briona, *gallice* Brienne, dép. de l'Aube, arr. de Bar-sur-Aube) *quæ Campaniæ inferioris oppidum est, devenit, profecto dici potest* partes Burgundiæ *(præsertim qualis tunc erat) petiisse.* In conflictu altercationis fraternæ, *inquit Carolus in laudato instrumento anni* 859, quando me notissima concertatio agebat, ut vires resistendi penes me restaurarentur in fratrem, Nevernensem comitatum deveni apud Magniacum vicum, ubi corpus sacratissimum B. Vincentii confessoris Christi memorabili veneratione percolitur *etc.*

victoriam obtinet

* Troies. * Attigni.

17 Hludovicus vero, *ita pergunt Annales Bertiniani*, receptis his qui a Karlo defecerant, Augustam Tricorum * adit, ibique distribuens invitatoribus suis Comitatus, Monasteria, villas
B regias, atque proprietates, ad Attiniacum * Palatium revertitur. Quo Lotharius Rex ei occurrit et confirmatis inter se pactionibus, ad sua repedat. Hludovicus vero per Durocortorum Remorum et Laudunensem pagum ad Augustam Veromandorum, in Cœnobio videlicet Sancti Quintini Martyris, Dominicæ Nativitatis festum celebraturus ingreditur. *Similia habent Annales Fuldenses ad eumdem annum, quos hic brevitatis gratia omittimus. Sed Bertiniani ad annum sequentem* 859 : Karlus Rex, recuperatis viribus, fratrem suum Hludovicum nec opinantem adgreditur, et de regni sui finibus pellit, Lotharius Rex ad Karlum patruum suum festinat et die Dominico initio Quadragesimæ (XII *Febr.* 859, *quando Pascha* XXVI *Martii*) in Arcas * Palatio publice sacramentis vicissim per seipsos datis sese iterum confirmant. *Hanc victoriam ineunte anno* 859 *obtentam esse, patet etiam ex epistola quam Hincmarus, Carolo in Italia versante, anno* 875, *quando Ludovicus iterum ejus regnum aggressurus dicebatur,* ad episcopos et proceres Provinciæ Remensis *direxit* (1) : Et prætermissis aliis vicissitudinibus altercationum de regno, *inquit*, inter Principes nostros temporibus nostris
C habitis ante hos sexdecim annos, quando Rex noster domnus Karolus, et domnus Hludovicus cominus, præparatis utrimque armatorum cuneis, et erectis vexillis, secus locum, qui Breona dicitur, convenerunt; populus, qui cum domno Karolo erat, ex parte maxima illum reliquit; sicque eumdem Regem Karolum pridie Idus Novembris inde abire coegit. Tertio autem mense Karolo revertente, qui cum domno Hludovico erant, ab eo separati, et solitario pene relicto, insequente illum Karolo, de pago Laudunensi ad propria redire destitutione sua fecerunt.

* Arches sur la Meuse.

intercessione S. Vincentii, in quem idem Carolus

18 *Post menses aliquot ad finem ejusdem anni* 859 *Carolus rex Magniaci cum esset, in testimonium grati animi ob reportatam victoriam sequens edidit Privilegium* (2) : In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Karolus, gratia Dei rex. Si fidelium nostrorum aurem celsitudinis nostræ petitionibus accomodaverimus, morem prædecessorum nostrorum parentum regum scilicet exercebimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris, quia in conflictu altercationis fraternæ, quando me notissima concertatio agebat ut vires resistendi penes me restaurarentur in fratrem, Nevernensem comitatum deveni apud Magniacum vicum, ubi corpus sacratissimum B. Vincentii confessoris Christi memorabili veneratione percolitur, ibique munificum largitorem Deum in ejus commemoratione adorans, deprecatus sum ut ejus suffragiis munimen divinæ protectionis adipiscerer, quatenus per suam exoptabilem intercessionem tranquillæ prosperitati restituerer. Enimvero sub spe talis adsecutionis votis me obligavi ibidem, ac beneficia temporalia conferre ejus ministris perseveranter promisi; quocirca percepta quiete potitusque victoria, ut spes anelabat, libuit perquirere dotem ipsius ecclesiæ, scire volens utrum seriem ejusdem tenoris haberet quam avus memorabilis noster Karolus quondam imperator cunctis vicis fieri statuit, quam nostris obtutibus delatam reperimus a jam dicto tenore alienam existere, scilicet per diminutiones aliorum beneficiorum, cessisse potestatibus res quondam ibi delegatas. D

gratum se præbet.

19 Tunc placuit nobis res pariter collectas per auctoritatis nostræ conscriptionem ibi redintegrare quæ abstractæ inde fuerant, cum iis quæ ibi per- E
durabant, et per divisibilia exercitia tres inde divisiones fieri, unam in usu salutaris Sacrificii ac reparationis ecclesiæ, alteram ad luminaria administranda, tertiam ad usus necessarios clericorum ibi deservientium excolendos, quas quindecim mansis et colonicis quatuor quæ solvunt in censum denarios duodecim, id est solidos quatuor, fieri statuimus, quos a nostris nostrorumque fidelium usibus ex comitatu Nevernensi abstraximus, et in honore Omnipotentis Dei, necnon et veneratione sanctorum ejus Nazarii *(illius cujus Acta data ad* 28 *Julii)* et Vincentii, quorum reliquiæ ibi venerantur, sicut antiquitus exstiterat, restaurando ibi contulimus, quemadmodum in altero auctoritatis nostræ præcepto (3), quod de eadem ratione ad presbyterii honestatem fieri jussimus reperiri potest, permanente in suo statu ratione presbyterii ex suo beneficio ibi collato . . . . Et liceat Adelardo presbytero, cujus labore et studio hoc agimus, suisque successoribus, memoratas res quiete possidere et absque obstaculo alicujus impeditionis perpetualiter tenere, et ordinare ut pro incolumitate mea et conjugis subolisque prosperitate Beatus Vincentius, in cujus commemoratione agi- F
tur, ante Deum pius precator adsistat. . . . . . Et ut nostræ largitionis præsens auctoritas firmior habeatur et diligentiori observatione custodiatur, annuli nostri impressione subter insigniri jussimus. Signum KAROLI gloriosissimi regis Datum XIII Kalendas Januarii, indictione VI, anno XVIIII, regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum in Magniaco, in Dei nomine feliciter.

Examinantur instrumenta.

20 *Huic instrumento Galliæ Christianæ editores annum affigunt* 859, *et recte quidem, ut supra demonstravimus; sed admittendum mancam esse Indictionem, quæ anno isto, non sexta, sed septima fuit. Hujusmodi vero errores notum est in permultis diplomatis obvios esse. Annus regni accurate adscribitur, ut patet ex initio instrumenti cujusdam coævi:* Anno Incarnationis Dominicæ 858, siquidem et gloriosissimi Domini Karoli serenissimi Regis XVIII (4). *Annus itaque* 859 *regni ejusdem decimus nonus erit, quod et aliunde novimus. Porro Privilegium modo relatum* de Magniaco, *confirmatum est in Synodo Trecensi* IV *Nonas Novembris anni* 867, *petente*

(1) D. Bouquet. t. VII, p. 546. — (2) Gall. Christ., t. XII. Instrum., p. 304. — (3) Quod in paucis solum a præsenti differt. Videsis Gall. Christ., l. c., n. VII. — (4) Hist. de Bourgogne, t. I, col. 1739.

eodem

A eodem *Adelardo, qui hic* religionis canonicæ *sacerdos dicitur :* petiitque humiliter ut regiam donationem..... ecclesiis Sanctorum quæ in nostra Nevernensi parochia habentur, scilicet S. Nazarii venerandi Martyris, et S. Vincentii preciosi Confessoris, ubi ejus sacratissimum corpus jacens miraculis clarescit..... nostra confirmatione et auctoritate corroboraremus. *De eodem Adelardo hæc episcopi in Privilegio suo :* Donat preterea idem Adelardus eidem vico Magniaco res quasdam proprietatis suæ in honore S. Vincentii, ejus videlicet criptæ, ubi sanctum ejus corpus in ecclesia S. Nazarii jacet, quæ sunt in pago Nevernense, in agro Magniacense, in villa Lursiaco. *Cupiunt iidem ut* pro pace et utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ, ejusdem loci canonici valeant exorare, necnon etiam pro regis salute et prosperitate *etc. Postea confirmatum est secundo idem Privilegium a Rege Ludovico anno* 878, *et in instrumento Caroli Crassi anni* 887 *mentio occurrit* de abbatia S. Vincentii in Magniaco (1) ; *ex qua tamen sola voce erui non posset tum ibi in locum canonicorum jam monachos successisse* (2).

Summarium Vitæ. B 21 *Nunc exhibebo Syllogen historicam de S.* Vincentio *ejusque cultu, a R. D. Crosnier Pastore Donziacensi* (Donzy) *diœcesis Nivernensis, qui Vitas Sanctorum Nivernensium nondum editas idiomate gallico concinnavit,* XII *Julii* 1849 *benigne ad me missam. Coaluit hoc Summarium Vitæ ex antiquis Lectionibus Breviarii Nivernensis, et ex monumentis quibusdam, quæ idem D. Crosnier ad conscribendas suas Vitas Sanctorum collegit. Ejus verba hic latina facio :* XIII Martii S. Vincentius de Magniaco presbyter. — Colit hac die Nivernensis Ecclesia presbyterum sanctum, cujus vita abscondita fuit in Domino. Functus est ecclesiastico ministerio in vico Magniaco juxta viam quæ Parisiis Lugdunum ducit, ibique adeo emicuit modesta ejus virtus, ut sanctitatis memoria in traditione populari ad hunc usque diem perennaverit. Via quædam, quæ ad ecclesiam ducit et in qua S. Vincentius, ut animum a ministerio defatigatum recrearet, sæpius orando deambulasse fertur, adhuc « Via Sancti » nuncupatur. Beatam mortem sortitus circa medium sæculum septimum, in crypta ecclesiæ S. Nazarii de Magniaco sepultus est.

Miracula et 22 Cultus S. Vincentii. — Mirabilis Deus in Sanctis qui unicuique suam gloriam destinat, vel C inter ipsos homines in his terris obtinendam. Quo magis eorum vita ac virtutes absconditæ fuere, eo magis in exaltandis eorumdem meritis sibi complacet. Concurrunt ob famam miraculorum ad sepulcra dives et pauper, et humiles preces simul fundunt; accedunt ipsi reges ut sibi propitios efficiant aulicos Regis cœlestis. Ita etiam Vincentii sanctitas præclaris patefacta est miraculis, ad quorum famam populi ad ecclesiam, pretiosis lipsanis ipsius divitem, accurrerunt. *B. C.*

23 Anno 858 Carolus Calvus, cum a fratre suo Ludovico Germanico graviter premeretur, ab exercitu derelictus, in agrum Nivernensem confugit, cumque didicisset quantum Sanctus presbyter Vincentius apud Deum intercessione valeret, Magniacum se contulit ut ejus opem imploraret. Illic coram Sancti tumulo in genua provolutus, votum nuncupavit splendidis donis ecclesiam de Magniaco ditandi « si per ejus intercessionem tranquillæ prosperitati restitueretur ». Exaudita est ejus postulatio : (*victoriam obtinuit ineunte anno* 859. *Supra n.* 17) et anno eodem quod voverat complevit. Bona, quibus ecclesia de Magniaco a vicinis nonnullis proceribus spoliata fuerat, restitui jussit, novaque addidit in sustentationem clericorum qui eidem ecclesiæ deserviebant. E Anno 867 Adelardus presbyter de Magniaco in Synodo Suessionensi (*lege :* Trecensi. *Supra n.* 20) confirmationem obtinuit privilegiorum, a Carolo Calvo in gratiam ecclesiæ suæ concessorum, cui confirmationi Abbo II, Nivernensis episcopus, subscripsit. *Cultus.*

24 Ecclesiæ S. Vincentii de Magniaco deserviebant tum temporis canonici, in eaque splendidum altare in ejusdem Sancti honorem erectum, usque ad magnam subversionem ab anno 1793 inchoatam perstitit. Os quoddam ex Sancti brachio asservabatur olim Niverni, in thesauro ecclesiæ cathedralis. Ita fert instrumentum sæculi XIII, in quo additur inclusum id fuisse in theca argentea gemnis adornata. Anno 1715 qui altare S. Lazari diruebant, aliud os invenerunt cum hac inscriptione : Os S. VINCENTII DE MAGNIACO. Ignoratur autem quo hæ sacræ reliquiæ devenerint, sed verisimile est eas similiter in luctuosa commotione exeuntis ultimi sæculi interiisse. Præcipua vero pars corporis quæ in ecclesia Magniacensi servabatur, jam olim evanuerat, quum constet initio jam sæculi decimi octavi loci homines, quid de ea factum fuisset, ignorasse. F *Reliquiæ.*

(1) Gall. Christ., l. c., instr. IX, X et XV. — (2) Cfr Cangium, V° *Abbatia* et *Abbas Canonicorum.*

A D

DE SS. ETHELREDO ET ETHELBERTO

FRATRIBUS AC MARTYRIBUS IN ANGLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

E. C.

§ I. SS. Ethelredus et Ethelbertus pronepotes S. Ethelberti, qui Cantii primus rex Christianus fuit. Eorumdem genealogia stabilitur.

AN. DCLXX. *Actorum compendium.*

Inter familias regias Heptarchiæ Anglo-Saxonicæ, post annuntiatum sibi Evangelium a S. Augustino Anglorum apostolo, multi primitias Spiritus accipientes pietate et miraculis etiam ita emicuere, ut merito cœlitibus sint adscripti. Plerorumque Vita, ut latius infra patebit, in opere nostro jam data est. Hodie in Fastis memorantur ob translationem aliquam reliquiarum, Sancti Martyres Ethelredus *et* Ethelbertus, *filii Ermenredi, cujus pater Edbaldus rex Cantii fuit sive Cantuariorum, secundus nempe a suscepta fide. Edbaldo successit Ermenredi frater Ercombertus, qui tamen natu minor dicitur, ita disponente patre* (1). *Is, post regnum annorum 24, vita functus est, teste Beda, anno 664, eodem mense ac die quo Deusdedit sextus Ecclesiæ Dorovernensis episcopus, sceptrumque reliquit Egberto filio, quod ille per annos novem gessisse fertur* (2). *Egberto regnante, cum in innocentia et virtutum exercitio ejus consobrini* Ethelredus *et* Ethelbertus *adolescerent, is sibi de regni successione timens, a perverso quodam ministro suo, nomine Thunre, consanguineos occidi passus est. Horum tumulus mox insigni miraculo patefactus fertur, cumque alia aliis succederent, ut Martyres habiti sunt, cultus accessit ac translatio duplex intervenit.*

Martyrum genealogia

2 *Antequam hæc singula ex Anglicanæ historiæ scriptoribus comprobentur, placet ex Actis brevioribus quæ manuscripta habemus, iisdem scilicet quæ in Nova Legenda edidit Capgravius, quocum nostra contulimus, placet, inquam, inde Martyrum genealogiam in extenso exhibere. Quo vero planior fiat Commentarii nostri lectio, ad latus ponimus seriem regum Cantii et Merciieorumque progeniem inquam sat fuse olim inquisivit Henschenius noster* (3). *Hæc autem proponimus in duabus tabellis, non multum discrepantibus ab amplioribus, quæ ad calcem t. I. Historiæ Anglicanæ Pauli Rapin de Thoyras edit. 1749 excusæ sunt; hac lege ut ea tantum hic depromamus, quæ cum præsentibus Actis nectuntur, et ut Sanctis diem cultus adjiciamus ad quem de eis in opere nostro dictum est, aut in posterum dicendum. De Sanctis Cantii plura insuper indicamus in Appendice ad hæc Acta.*

exponitur.

3 *En modo prædictæ* Passionis SS. Martyrum Ethelredi et Ethelbrecti fratrum *proœmium genealogicum :* Edbaldus rex Cantiæ filius Ethelberti, per S. Augustinum ad fidem conversi, ex uxore sua filia regis Francorum nomine Emma genuit duos filios Ermenredum et Ercombertum, et unicam filiam nomine Eanswidam * virginem sanctam, quæ in monasterio de Folckstan, quod ipsa construxerat, sepulta est. Mortuo autem Edbaldo successit filius ejus Ercombertus, qui sororem Sanctæ Etheldredæ, Sexburgam nomine, duxit in uxorem, ex qua genuit filium nomine Egbertum, duasque virgines sanctas Erkengotham et Ermenildam. Ermenredus vero frater Ercomberti ex Oslana uxore sua Sanctos Ethelredum et Ethelbrectum *, quatuorque filias Dompnenam *, Ermenburgam, Etheldritham * et Ermengitham procreavit. Tradita est autem Dompnena Merwaldo filio Pendæ regis Merciorum in uxorem, qui genuit ex ea Sanctas virgines Mildredam *, Milburgam et Milgitham, Sanctumque puerum Merefinum, qui dum adhuc pueriles gereret annos ex hac luce ad Deum migravit. *Hæc apprime consonant cum serie genealogica quæ legitur initio Vitæ S. Wereburgæ* (4) *a diligentissimo Goscelino monacho conscriptæ, cujus laudes prosequitur Guil. Malmesburiensis lib.* IV *de Gestis Regum in fine. Similis genealogica deductio legitur in Chronico Guilielmi Thorne* (5) *ibique ad annum 1262 occasione S. Mildredæ inserta fuit Passio SS.* Ethelredi *et* Ethelberti ; *sed quæ ad hos spectant aliaque ex dicto Thornii Chronico edidit Sollerius in Commentario de S. Mildreda ad* XIII *Julii* (6).

* *Capg.* Enstritham que in monasterio...

* *Capg.* Ethelbrictum *cum* i *ubique.*

* *Capg.* Dompnevam *cum* v *ubique.*

* *Deest in Capg.*

* *Capg.* Milb. Mild. Milg.

Emma, eorum avia, Clotharii II filia fuit:

4 *Porro in præmisso Passionis fragmento primum consideranda venit Emma, uxor Edbaldi, quæ et regis Francorum filia dicitur. Indubium quidem est eam e rege quodam Francorum natam esse, quum præter Passionis illius et Thornii testimonium, habeamus Guilielmum Malmesburiensem* (7) *maximi nominis chronographum consentientem, adeoque subscriptionem ipsius Emmæ in diplomate a Thornio relato* (8) : Ego Emma Francorum regis filia et regina Edbaldi copula vexillo adorandæ crucis armavi. *Sed quæritur cujus regis esset filia. Theodeberti regis Austrasiæ, respondet Alfordus* (9) ; *idemque repetunt scriptores Novi Monastici Anglicani* (10). *Sed quum Emmæ pater* Francorum rex *dicatur, non vero* Austrasiæ, *sensit Cointius* (11) *Clotharium II totius Franciæ regem indicari. Quod jam firmaverat Valesius* (12) : Postea, *inquiens*, cum vetus quoddam Chronicum evolverem, in eo, quod pridem animadverteram, disertis verbis scriptum reperi

(1) Infra in Actis, n. 2. — (2) Beda, lib. IV, cap. 1 ; Malmesb. Reg. lib. I, fol. 4 et seq. Edit. Savilii. — (3) Ad Vit. S. Ermenildæ, t. II Februarii, p. 286 ; et S. Ethelberti, t. III Febr., p. 470. — (4) T. I Febr., p. 386. — (5) Ap. Twysden, X Scriptt., col 1905 et seqq. — (6) Act. SS., t. III Jul., p. 512 et seqq., n. 3, 4 et 5. — (7) De Gest. Reg. Angl., lib. I, p. 10. — (8) Ap. Twysden, col. 2125. Cfr de hoc diplomate Gebhardus, Reges Franc. Merovingici, p. 110 et seq. — (9) Annal. Eccles. Angl. ad an. 640, n. 2. — (10) T. I, p. 120. — (11) Annal. Eccles. Franc. ad an. 628, n. 10, t. 2, p. 794. — (12) Rerum Francic., t. III, p. 74.

FAMILIÆ REGIÆ CANTII.

90, *num.* 2).

berti regis Parisiorum; primus fidem suscepit. † 616.

S. Eadberga (3 Dec.)

. VII. ERCOMBERTUS. † 664
em duxit S. Sexburgam (6 Jul.),
orem S. Etheldredæ (23 Jun.),
rgæ (7 Julii) | et S. Withburgæ (17 Martii).

R. VIII. EGBERTUS. † 673. S. Ermenilda (13 Febr.) nupta Wulfero R. Mercii. R. IX. LOTHARIUS. † 685 S. Ercongotha (23 Febr.)

FAMILIÆ REGIÆ MERCII.

. OSWIUS, R. Northumb., Mercium occupat.

am, Mercelmus. Cymburga, uxor Alfredi senioris R. Northumb. (5). S. Kineburga sive Kindreda (6 Mart.) S. Kineswita (6 Mart.).

3 Feb.). S. Mildreda (13 Jul.). S. Milgitha (17 Jan.).

Reges occidentalis Mercii fuerunt. Cfr. T. II Feb., p. 688 e f; t. I, p. 389 a b. — (5) De hac et sequentibus duabus cfr. t. I Mart., p. 445. n. 17. —

A reperi « Eadbaldo in regnum successisse filium Earcumbertum, ex Emma Lotharii II Francorum regis filia susceptum. » *Cui sententiæ calculum suum adjecit solertissimus Gebhardus* (1). *Atque hæc de avia SS.* Ethelredi *et* Ethelberti.

mater fuit Oslava, pater Ermenredus, Edbaldi regis filius.

5 *Mater vocatur in Passione et alibi* (2) Oslana; *sed verum nomen videtur* Oslava, *quo appellatur a biographo S. Wereburgæ* (3), *quem doctissimum monachum Goscelinum esse non infeliciter demonstrare conatus est Henschenius* (4); *similiter a Wigorniensi ad calcem Chronici in Genealogia regum Cantuariorum; et ita alibi passim. Adversus Ermenredum machinam movit Lewisius* (5). *Quum enim incurrisset in scriptionem cujusdam Thornii insula Thaneto oriundi et S. Augustini Cantuariæ monachi (diversi tamen, ut videtur, a vulgato Guilielmo Thornio), ibique reperisset Ermenredum Cantii regem dici, et inter Cantii reges nullus ei occurreret Ermenredus, latius progressus ipsius Ermenredi existentiam in dubium vocavit, seu potius negavit omnino. Sed quid? Quoniam fors erravit Thornius in appellando Ermenredo rege, an propterea ipse Ermenredus negandus est? Dari potest illud, hoc nequaquam; quia certissima præsto* B *sunt documenta. Imprimis habemus testimonium Chronologiæ Anglosaxonicæ, quod unum ex optimis post Historiam ecclesiasticam Bedæ de vetustis rebus Anglicanis monumentis est. In eo autem ad annum* 640 *legimus* (6) : Hoc anno Eadbald, rex Cantuariorum, obiit et viginti quinque annos regnarat. Habebat duos filios, Ermenred et Earconbert, et Earconbert regnavit ibidem post patrem suum. Evertit omnem in regno suo idololatriam et primus regum Anglorum stabilivit jejunium paschale. Filia ejus appellabatur Earcongota, sancta et mirabilis femina, cujus mater erat Sexberga, filia Annæ, regis Anglorum Orientalium. Et ERMENRED GENUIT DUOS FILIOS, QUI POSTEA A THUNNER FUERE MARTYRIZATI. *Guilielmus Malmesburiensis similiter, cujus quanta sit in rebus historicis Anglicanis auctoritas fugit neminem, non uno in loco de stirpe regia SS. Martyrum meminit; et quidem libro 2 de Gestis regum* (7) *hæc habet :* Egbertus rex Cantuariorum, filius Ercomberti... habuit cognatos juvenes, vicino consanguinitatis gradu lineam regum contingentes, Ethelredum et Ethelbrithum, FILIOS scilicet ERMENREDI patrui sui. *His facile plures alii adderentur chronographi, idem* C *docentes.*

Habuere quatuor sorores, ex quibus ea quæ fundavit

6 *Sorores SS. Martyrum appellantur in Passione* Dompnena, *seu* Dompneva, Ermenburga, Etheldritha *et* Ermengitha; *a Goscelino in Vita S. Wereburgæ* (8) Domneva, Ærmenberga, Ærmenburga *et* Ærmengida; *et utrobique Domneva dicitur uxor Merewaldi et mater SS. VV. Mildburgæ, Mildridæ et Milgithæ, necnon S. Merevini,* qui ad Sanctos Innocentes a baptismate raptus est parvulus. *Sed alia habet Wigorniensis in Chronico ad annum* 675, *Merewaldum memorans,* qui in Occidentali plaga Merciorum regnum tenuit; cui, *inquit* (9), regina sua Sancta Ermenburga, regis Ermenredi filia, peperit tres filias, Sanctam videlicet Milburgam, Sanctam Mildritham et Sanctam Milgitham unumque filium eximiæ sanctitatis puerum; *et iterum ad calcem Chronici in Genealogia regum Cantuariorum* reguli *Ermenredi et Oslavæ filias* memorat Ermenbergam, quæ fuit regina Merewaldi regis West-Anglorum; Sanctam Ermenburgam, Sanctam Ætheldritham et Sanctam Ermengitham; *item Malmesburiensis cap.* IV *libri* I *de gestis Regum :* Merewaldus Ermenburgam filiam Ermenredi, fratris ejusdem Ercomberti, uxorem habuit : suscepit ex ea tres filias. *Quapropter admittendum videtur, primo SS. Martyribus quatuor fuisse sorores, quem numerum plerique chronographi expressis verbis indicant; deinde inter has fuisse Ætheldritham, Ermengitham, et tertiam nomine Ermenbergam aut Ermenburgam. Sed quæritur quodnam quartæ esset nomen; quæ res eo proprius ad nos pertinet quod hæc ipsa soror ratione SS. Martyrum ejus fratrum monasterium condiderit.*

monasterium Thanetense, simul Ermenburga et Domneva dicta fuisse videtur.

7 *Proponi autem possent de ejus nomine tres sententiæ : prima statuens genuinum ejus nomen fuisse* Domnevam; *et hæc, præter testimonium Passionis SS.* Ethelredi *et* Ethelberti, *necnon Goscelini monachi, pro se habet Henrici Huntingdonensis auctoritatem, Vitam ineditam S. Milburgæ, veterem tabellam geographicam insulæ Thaneti, quæ in opere nostro* (10) *cum Vita S. Mildredæ recusa est et in qua juxta effigiem monasterii hæc leguntur :* Istud monasterium de S. Maria fundavit Domneva; *et demum diploma S. Eduardi confesso-* E *ris, de quo plura inferius. Hæc testimonia jam expendit Henschenius ad Vitam S. Milburgæ, Domnevæ filiæ* (11). *Secunda sententia niti posset Wigorniensis et Malmesburiensis auctoritate, et statueret eam Ermenbergam seu Ermenburgam dictam fuisse. Tertia demum contendit eam prius appellatam fuisse Ermenbergam seu Ermenburgam; postquam vero abbatissa facta est ei accessisse cognomen Domnevam, quod paulatim quasi proprium nomen factum sit; atque hi qui ita sentiunt tueri se possunt utriusque præcedentis opinionis momentis, atque hoc Annalistæ Monasterii S. Augustini annotato* (12) : Nota quod Dompneva, quæ alio nomine dicitur Ermenburga, postquam sanctimoniali habitu professa fuerat, Æbba a regibus et magnatibus notabatur. *Similiter Simeon Dunelmensis* (13) *et Guilielmus Thornius* (14) *aperte tradunt eam binominem fuisse, seu Ermenburgam dictam et Domnevam; quin etiam Thornius eam trinominem facit, scribens de* EABBA abbatissa de Menstre, quæ præcessit beatam Mildredam (15). *Ex quibus hæc conficitur argumentatio: quum titulus* Domni *et* Domnæ *monachis et monachabus, maxime tamen abbatibus et abbatissis adhæresceret* (16), *quæ dicebatur* Æbba, F *dicta sit oportet in communi sermone* Domna-Æbba, *seu (maxime fere apud Anglos)* Dompna-Æbba; *unde facili deflexione ortum sit* Dompneva *seu* Domneva. *Non displicet hæc sententia, quantumvis hinc consequens fiat Ermenredo duas filias homonymas fere fuisse* Ermenburgam *et* Ermenbergam; *quod idem videtur esse nomen. Quum nihilominus veteres chronographi id admittere non dubitaverint, nullus nimium hanc urgeat difficultatem : adde et alia similia exempla de homonymis in una familia jam ab Henschenio* (17) *collecta fuisse. Vix est cur indicem errasse Malmesburiensem ad annum* 654, *quum Ermenburgam seu Domnevam, Merewaldi uxorem, sororem facit regis Egberti; corrigit enim ipse errorem hunc ad annum* 676, *ubi eam recte SS. Martyrum germanam asserit.*

(1) Reges Merov., p. 109 et seqq.— (2) Guilielm. Thornii Chronic. ap. Twysden Script. X. col. 1906 et Monast. Angl., t. I, p. 447. — (3) Act. SS., t. I Februar., p. 384 et seq.—(4) Ibid. Cfr Tanneri Biblioth. Britannica, v° *Gotzelinus*. — (5) History of the isle of Tenet, ap. Monastic. Angl., t. I, p. 447. — (6) Bede's eccl. Hist. and the Anglo-Saxon Chron., p. 319. Edit. Giles. — (7) Fol. 47, edit. Savilii 1696. — (8) Act. SS., t. I Febr., p. 384. — (9) Ibid., t. III Feb., p. 389. — (10) T. III Julii, p. 513. — (11) T. III Febr., p. 389. — (12) Ap. Lewis, Hist. of Tenet. p. 57; cfr Monast. Anglic. nov., t. I, p. 447.—(13) Infra in Actis, n. 12.—(14) T. III Julii, p. 515, n. 13; et Twysden, col. 1906. —(15) Ap. Twysden, col. 1770. — (16) Cangius, v° *Domnus* et *Domna*. — (17) Act. SS., t. I Mart., p. 445, n. 17.

§ II.

E. C.

§ II. Narratur martyrium ex Actis brevioribus. Quo anno id contigerit. Fundatio monasterii Thanetensis S. Mildredæ.

Relatio Martyrii

Audiamus nunc ex Ms. cujus genealogicam partem dedimus n. 1, ipsam martyrii relationem quæ immediate sequitur :* Ethelredus siquidem et Ethelbrectus, post mortem parentum suorum adhuc puerili ætate constituti, regi Egberto, filio Ercomberti, ad educandum commendati sunt. Sed execrandus hostis omnis æquitatis inimicus iniquum quemdam nomine Thunnur contra infantulos livore invidiæ stimulavit, cui procurationem regni Egbertus impertivit : cumque idem sævissimus satelles beatos germanos sanctitate, industria ac virtute in dies proficere conspiceret, verens quod, si vita potirentur longiori, acceptiores illi regi
B haberentur, furore insaniæ contra eos acriter exarsit atque sedulo apud regem illos clanculo criminari accusareque solebat, simulque venenoso affirmans ore, quoniam si forte hac præsenti luce diu fruerentur, profecto ipsum natosque suos terreno suo privarent regno, interpellareque regem cœpit precibus fraudulentis, ut ipsos eum interimere sineret occulte. Rex autem, eo quod affinitatis ac sanguinis propinquitatis causa, eos non modicum diligeret, petitioni * suæ nec voluntati Deo detestabili ullo modo, conscientia scelus abhorrente, voluit consentire. Sed pessimus ille a cœpto desistere proposito, livore agitante, non valens, assidue regem crebris implorans flagitationibus, blandimento falsæ adulationis, ut suo annueret affectui, infestabat.

* Capg. nec petitioni... nullo modo .. noluit.

ex Actis brevioribus,

9 Tandem vero cum rex simulata voce se nolle prorsus scire respondit, novit ille crudelis carnifex, quid ageret. Confestim ut atra obtexit nebula noctem caligine, felices illos juvenes in loco qui Estrige dicitur, cruenta interemit nece, ac clam sub regia non destitit sepelire : et ecce instar flagrantis facis emicuit super Sanctos prolixæ immensæque lucis radius, qui per summum aulæ regiæ
C culmen, usque ad cœlum protendere visus est. Post gallicinium vero, rex a sopore evigilans surrexit, reseratoque ostio, foras egressus, vidit cominus jubar ipsius corusci fulgoris radiasse. Stupet (nec mirum) ingentique pavore concutitur : imperat mox accersiri ad se celerrime impiissimum satellitem Thunnur, quem minaci vultu sciscitabatur indignando, quidnam de suis adolescentulis * et propinquis actum foret. Quo tandem cuncta confitente, rex iram divinæ indignationis pro consensu tantæ iniquitatis admodum pertimescens, concito cogi imperat concilium episcoporum ; et præsente archiepiscopo Theodoro inquirit, quid sibi optimum esset agendum. Timeo, inquit, et valde pertimesco ne injustam et debitam Domini iram pro tantæ iniquitatis consensu incurram. Nec enim de consensu necis eorum me excusare valeo. Et cuncta quæ de radio viderat referens, de consensu cunctorum pro domina Dompnena martyrum sorore quantocyus mittere non tardavit.

* Capg. adolescentibus.

10 Veniente itaque illa *(ex Mercii scilicet regno)* ante præsentiam regis, benigno voluntatis affectu concessit ei efficaciam mentis suæ pro mœroris afflictione quo afflicta erat præ germanorum suorum deletione. Elegit itaque secundum Dei * dispositionem pro eorum precio terram XL aratrorum, in loco qui appellatur Tenet : cumque amne transito ad locum pervenisset, ait rex : Quanti ruris partem pro nece fratrum tuorum affectas habere. Illa respondit : Non amplius expeto quam cerva mea suo cursu lustrare vult in eundo : asserens sic divinitus sibi insinuatum, ut tantum ad usum sumere deberet proprium, quantum perpeti * cursu cerva giraret. Agilis quippe cerva celerem ante eos agebat motum cursu directo, cujus vestigia cuncti sequentes donec ad locum Thumreslat * dictum deveniret : cujus loci vocabulum a maligno illo Thunnur sumsit exordium. Nam ille in loco illo, regi appropians, fraudulenta mente adulanter taliter * illum est affatus : Gloriose rex, quamdiu animalis hujus bruti gressum sequi non desinis ? Et si hæc indocta fera omnem hanc circuire terram discurrendo satagit, num tu totam huic immoderatæ feminæ largiri moliaris ? Vix verba complevit et ecce a tergo frendentis equi cecidit et fractis cervicibus E
exspiravit, ibique sepultus est. Super quem maximus lapidum exstructus est acervus, qui ab incolis usque hodie Thumnirlat * vocitatur.

et fundationis cœnobii Thanetensis S. Mildredæ.

* Capg. Deum.

* Capg. propeti.

* Capg. Thurneslan.

* Capg. illum tal.

* Capg. Thumnirlan.

Occisi videntur Sancti inter annum 668 et 670,

11 *Ut autem his aliqua lux affundatur, notemus ante omnia SS. Martyrum cædis tempus. Conveniunt chronographi omnes in tribuenda ea regi Egberto, qui, teste Beda* (1), anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo septuagesimo tertio mense Julio obiit, succedente in regnum fratre Lothere ; *adeoque occisi fuere ejus patrueles ante medium annum* 673. *Collocanda est similiter eorum mors post diem* XIV *Julii anni* 664, *quum idem Beda* (2) *scribat ad hunc annum :* Deusdedit sextus Dorovernensis episcopus obiit pridie Idus Juliarum ; sed et Erconbertus, rex Cantuariorum, eodem mense ac die defunctus, Egberto filio sedem regni reliquit, quam ille susceptam novem annos tenuit. *Sed constringere licet illud spatium ; ex Passione enim manifestum est S. Theodorum Cantuariæ sedisse, quum violentæ manus SS. Martyribus illatæ fuerunt : unde quum, teste iterum Beda* (3), *post Deusdedit mortem* cessarit non pauco tempore episcopatus, *adeoque quum Theodorus* (4) ordinatus fuerit a Vitaliano papa anno Dominicæ Incarnatio- F
nis sexcentesimo sexagesimo octavo sub die septimo Kalendarum Aprilium, Dominico ; et ita una cum Hadriano sexto Kalendas Junias Britannias missus sit ; *sequitur SS.* Ethelredi *et* Ethelberti *mortem post medium annum* 668 *contigisse. Habemus et alium limitem ex Guilielmo Thorne, qui in Chronologia Augustiniensi ad annum* 670 *consignat* fundationem monasterii de Menstre in Thaneto, *quæ certo SS. Martyrum necem consecuta est. Nil nos morentur Dunelmensis et Westmonasteriensis, sibi in his continuo contradicentes idque supplicium simul ad tempora regis Egberti et archiepiscopi vel Adeodati vel Deusdedit referentes ; quod forsan ex eo, quod* Theodori *vocabulum idem significet, ortum sit.*

12 *Prætereunda etiam non est SS.* Ethelredi *et* Ethelberti *ætas. In Passione dicuntur* infantuli, adolescentuli, *seu* adolescentes ; *Westmonasteriensis vero ad annum* 654 *laudat eos quod* post baptismatis regenerationem in innocentia et castitate voluntaria permanentes, morum honestatem hu-

quum XV forte annos nati essent ;

(1) Hist. Eccles., lib. IV, cap. V. — (2) Ibid., lib. IV, cap. I. — (3) Ibid., loc. cit. — (4) Ibid., loc. cit.

militatis

E. C.

A militatis custodia munierunt; *Guilielmus Thornius* (1), *quum eos prius Ercomberto educandos traditos fuisse perhibeat, eo ipso eos saltem septennes, quum obierunt, facit: quæ ætas potius augenda quam minuenda videtur proper ætatem sororis natu maximæ Domnevæ, quam circa annum* 660 *Merwaldo nuptui traditam fuisse ex Beda* (2) *ostendit Henschenius* (3), *et quæ anno* 670, *quum Thanetense monasterium condidit, plures jam viro suo pepererat liberos* (4). *Quibus accedit SS. Martyres regis Egberti consobrinos fuisse. Quocirca ego facile crederem eos ad annum saltem* XV *ætatis devenisse. Ad hæc si quæratur quid sentiendum de Thornii asserto, qui eos Ercomberto educandos concreditos affirmat, dum tamen in Passione Egberto traditi dicantur, quid respondeam nescio; cum Passione tamen convenit Simeon Dunelmensis. Cæterum plena est hæc historia rebus dubiis: atque inter has potissimum forte locum tenet quæstio de causa cædis SS.* Ethelredi *et* Ethelberti; *ad quam, reliquis missis, jam accedimus.*

huius cædis causa, licet nesciatur an pater regno potitus sit.

13 *Narrat itaque Dunelmensis* (5) *Ermenredum natu majorem Edbaldi filium fuisse, Ercombertum juniorem;* quorum junior imperialis principatum regni, patre disponente, suscepit. *Quæ omnino*
B *conferenda sunt cum his quæ num.* 5 *recitavimus ex Chronologia Saxonica. Beda Ermenredi mentionem non injicit, sed solum scribit* (6): Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo quadragesimo, Eadbaldus, rex Cantuariorum, transiens ex hac vita, EARCONBERTO FILIO REGNI GUBERNACULA RELIQUIT; quæ ille suscepta viginti quatuor annis et aliquot mensibus nobilissime tenuit, *seu usque ad* XIV *Julii anni* 664. *Westmonasteriensis ad annum* 640 *non nihil aliter habet:* Eadbaldus, *inquiens,* rex Cantuariorum, tandem ex hac vita transiens, duos filios ERMENREDUM ET ERCONBERTUM REGNI TEMPORALIS RELIQUIT HÆREDES; sed junior Erconbertus, callide regnum fratri surripiens, ILLUM REGNO PRIVAVIT. *Aliter hæc etiam habet Guilielmus Thornius:* Mortuus est Ermenredus, *ait* (7), qui reliquit duos filios suos prædictos scilicet Ethelredum et Ethelbrythum fratri suo Ercumberto ut eos custodiret et cum adulti essent eisdem hæreditatem suam fideliter resignaret, qui per tempus dum viveret, fratris desiderium adimplevit; obiit tamen ante legitimam puerorum ætatem die Sancti Deusdedit, et pueros prædictos Egbrito filio suo in hæredita-
C tem regiam succedenti attentius commendavit sub forma et causa prædictis. *Ex quibus sequeretur Ermenredum fuisse regem post Edbaldum, et Ercombertum ab Ermenredo filiorum suorum tutorem institutum fuisse; verumtamen ipse Thornius eodem in loco ipsum Ercombertum* regem *appellat ejusque uxorem Sexburgam* reginam; *qua appellatione nec Ermenredum, nec Oslavam dignatur. Florentius Wigorniensis æque dubius incedere videtur: ad annum* 675 *et in Chronici appendice* (8) regem *et* regulum *appellat Ermenredum; sed de successione regum Cantii agens, cæteris in Ercomberto designando Edbaldi successore ad annum* 640 *consentit. Ranulphus Cestrensis ad annum* 674 regem Cantiæ *Ermenredum exhibet, idemque facit ille Thornius, quem sequitur Lewisius* (9). *Quibus addendum, in hoc videri convenire omnes cruentas manus SS. Martyribus illatas fuisse, quod timor esset ne adulti regiam sibi vindicarent dignitatem; ex alia tamen parte eos a patre suo Ermenredo educandos commissos fuisse vel Ercomberto vel ejus filio Egberto; quæ paterna fiducia indicare videtur ad mortem Ermenredi usque bene inter eum et fraternum ejus genus convenisse.*

14 *Quæ omnia quum ego considero, nescio quid statuendum sit; quoniam jus publicum Anglorum et Saxonum obscurum est valde. Sane in Heptarchia seu Octarchia jus quoddam electionis penes regnorum primores, et simul successionis, favens potius primogenito quam aliis fratribus aut cognatis, cernere est; et sæpissime tamen hic ordo non servatur. Occurrunt et exempla testamentariarum dispositionum, quibus reges pro libitu suo regna sua inter filios aut cognatos dispertiebantur. Ex qua juris instabilitate sæpenumero turbæ et cædes fœdarunt Angliam. Atque hinc sane repeti posset causa SS.* Ethelredi *et* Ethelberti *necis. Verumtamen si Ermenredus eorum pater fratri juniori Ercomberto quacumque demum de causa postpositus fuisset, quomodo intelligeretur eum filios suos educandos tradidisse vel Ercomberto vel Egberto? Nil for an planius est quam ut dicantur Ermenredus et Ercombertus æquo aut non multum dispare jure patri suo Edbaldo successisse; morientem autem Ermenredum filios suos concredidisse fratri suo Ercomberto vel ejus filio Egberto; Bedam porro, brevitatem in rebus civilibus enarrandis secutum,* E *de uno Ercomberto mentionem injecisse, quod per hunc regnum transmissum fuerit, alia stirpe sublata; reliquos vero scriptores vel conatos esse res accommodare juri publico suorum temporum, quum unus natu maximus succederet, et propterea Ermenredo regni jura adscripsisse; vel, quum auctoritate Bedæ Ercombertum successorem Edbaldi exhibentis impedirentur, ad testamentarias dispositiones seu etiam malas artes confugisse.*

timor fuit ne Cantii thronum aliquando captarent;

15 *Dicendum demum de cædis et primæ sepulturæ loco. Conveniunt chronographi omnes villam regiam fuisse,* Easterige *seu* Eastrejam *dictam. Sed ubi hæc villa sita fuerit dubium factum videtur, postquam scripsit Malmesburiensis lib.* IV *Pontificum:* Locus erat sepulcri Sanctorum in Orientali Anglia, cujus nomen Eastreja. *Verum quum Egbertus Cantuariorum rex, non vero Anglorum Orientalium esset, quærenda est ejus villa in Cantio, non in alio regno.* Esterige *itaque seu* Eastreja *Cantiæ vicus est prope Sandwichum; atque in errorem verisimilius duxit Malmesburiensem prima pars nominis* East, *quo Anglis Oriens designatur; verum* Eastreja, *etiam* Estrey, Eastrege, Estry, *aut* Eastry *dicta, auctore Richardo Kilburne* (10), F *nomen suum sortita est, ut distingueretur a* Rye, *alias* West Rye *in Sussexia.*

facta est hæc cædes Eastrejæ, i. e. in villa regia Cantii:

16 *Quum autem inter Anglos et Saxones, æque ac inter pristinos Germanos de quibus Tacitus* (11), *homicidium lueretur certo armentorum ac pecorum numero, præstituta pecuniæ ratione, seu etiam agrorum quadam mensura; a qua lege nec ipsi reges (ut exempla produnt) immunes essent; Passio et chronographi, quos jam adduximus, tum etiam opusculum Saxonicum exeuntis sæculi decimi in Appendice excudendum, neci SS. Martyrum subjiciunt narrationem de compensatione seu* Weregeldo, *quod S. Domnevæ, sorori SS.* Ethelredi *et fratris natu maximæ, rex Egbertus solvit. Concilium episcoporum, quod, præsidente S. Theodoro, habitum adstruitur, nil forsan aliud est quam conventus duodecim virorum, qui ex lege vades se constituere debebant de solvendo* Weregeldo. *Quæ autem de cursu cervæ S. Domnevæ dicuntur hæc omnia fabulosa habeo, atque orta arbitror ex eo, quod, quum*

pro weregeldo sorori data est pars insulæ Thaneti, cujus limites

(1) Chronic. ap. Twysden, col. 1906, et ap. Monast. Anglic., t. I, p. 449. — (2) Hist. Eccl., lib. II, cap. IX. — (3) T. III Febr., p. 390. — (4) Vide supra, n. 2. — (5) Vide infra in Actis, n. 2. — (6) Hist. Eccles., lib. III, cap. VIII. — (7) Ap. Twysden, col. 1906. — (8) P. 573. edit. 1592. — (9) Cfr Monast. Anglic. nov., t. I. p. 417. — (10) Topography of Kent, p. 89. Lond. 1659. — (11) German., cap. XXI.

SS. Martyres

E. C.

SS. Martyres ex regio sanguine essent, pro eorum nece solvendum erat, quod vocabatur dear-born, (*ita scilicet ab occisorum nobilitate dicebatur* Weregeldum), *quod pro cæde virorum, qui nobilitate* ceorl *superabant, præstandum esset. Porro quum* deer *Anglis sit* cerva, *quis non videat facile huic vocabulorum similitudini universam historiam superstrui potuisse? In opusculo Saxonico decimi sæculi jam dicto, quod Cantuariæ in Monasterio S. Augustini scriptum est, quodque Goscelinus et Guilielmus Thorne hujus monasterii monachi in Vitis Sanctorum et Historiis suis præ oculis habuerunt (ut ex Appendice ad hæc Acta manifestum fiet), in hoc opusculo, inquam, Martyrium SS.* Ethelredi *et* Ethelberti *narratur, aliaque quæ illud consecuta sunt, sed de cerva illa altum est silentium. Imo narratio ipsa talem historiolam non videtur pati, cum ibi rotunde dicatur Egbertum Domnevæ octoginta carrucatas terræ pro* Weregeldo *dedisse, ubi ipsa monasterium ædificavit, nempe in insula Thaneto. Adisis ipsam Appendiculam istam.*

cursu cervæ designati.

17 *Fateor tamen fabellam hanc temporibus Guilielmi Conquæstoris seu Normannorum antiquiorem esse. Reperitur enim in diplomate regio, quod supra* B *num. 7 jam attigi, quodque Henschenius* (1) *ex Thornii Chronico ad Eduardum III retulerat, licet ad S. Eduardum Confessorem pertinere, seu ex ejus ad Ælstanum abbatem S. Augustini Cantuariensis instrumento depromptum fuisse, e recentiori Monastici Anglicani editione* (2) *manifestum fit. Placebit forte nonnullis hujus diplomatis testimonium præ oculis habuisse; eccum igitur:* Ego etiam ejusdem regis Ethelberti stemmate ortus et regno ejus, Deo juvante, potitus, Thanatos insulam trado, quam Egbertus rex jure hæreditario concessit venerabili reginæ Domnevæ, matri scilicet Sanctæ Mildredæ, quantum cerva cursu suo lustraverat, pro interemptione duorum fratrum ejus Æthelredi atque Æthelberti, quos jussu ejusdem principis Deo odibilis Thimur (*al.* Thunur) iniqua morte stravit, quem mox cœlestis ultio terribiliter subsecuta est ipsum perimendo. Sed et omnes donationes.... abbati Ælstano.... attribuo; *qui obiit anno* 1047.

aliis admixtis fabulis, traduntur.

18 *Quum autem hæc de cervæ cursu invaluisset historia, limiti agrorum monasterii S. Mildredæ et villæ Monkton datum est post Normannorum adventum nomen* Deer's Course (3), *seu etiam S. Mildredæ* C *aggeris,* St Mildred's lynch, *ut habet Camden* (4). *Puteum Thuneri, seu* Thunors-lef, *in quo sepultus dicitur Thuner, seu etiam (ut nonnulli chronographi habent) quo vivus absorptus fuit, nil aliud est Lewisio* (5) *quam cretæ fodina; quæ fors, quum exstrueretur monasterium, aperta fuit. Lewisii tempore ostendebatur etiam colliculus, ex quo rex currentem cervam cum S. Domneva vidisset: nil mirum, si vulgi ingenium in exornandis et explicandis fabulis attendatur. Concessi autem ab Egberto agri* 10,000 *acras capiebant, ut Camdenus habet* (6), *ex sæpe dicto opusculo Saxonico octoginta carrucatas* (7), *ex Thornio* (8) *autem quadraginta octo aratra.*

D

§ III. Translationes corporum in Wakering et dein Ramseam. Cultus.

Corporum translationes indicantur in Passione;

Prout jam vidimus, occisi feruntur SS. Ethelredus *et* Ethelbertus *in loco dicto* Estreja *seu* Eastry *et sub regia sive sub regis palatio sepulti, adeoque, ut quidam habent chronographi, sub ipso regio throno. Eorumdem reliquiarum fata explicantur in Passione, in qua sequentia traduntur:* Quam grata enim Deo eorum exstitit conversatio [patuit], cum post internecionem impiam, mundo eosdem tam micanti declaravit radio! ut undique notum foret, quantus in eis flagraret amor divinæ æquitatis, quos injusta feriit ultio cruenti tortoris. Tempore autem regis Ethelredi filii Edgari, ossa eorum apud monasterium de Ramseya * translata, usque in hodiernum diem requiescunt. Dum vero in priori monumento Martyres sancti quiescerent, crebris eos miraculis Dominus decorare dignatus est. Inter quæ latro quidam ovem cujusdam pau- E peris rapiens per cœmeterium, ubi Martyres quiescebant, transitum facit: et ecce continuo humi prostratus, ovem in manibus gestans, vitalem spiritum amisit. Insequente autem viro, cui furtum fuerat illatum, recepit proprium, dimittit reum, ultione Sanctorum Innocentium morte subitanea præventum. Facta est autem eorum translatio de loco Wiakering * dicto, ad cœnobium Ramseyæ *, XVI Calend. Novemb.

* *Capg.* Rameseia

* *Capg.* Wakering... * Rameseiæ.

sepulta prius fuere Eastrejæ et ornata ecclesia;

20 *Ex his habemus SS. Martyrum corpora prius Estrejæ sepulta, hinc translata fuisse in Wakering atque Ramsejam, tempore regis Ethelredi filii Edgari et quidem* XVI *Kal. Novembris; unde eorum festivitas præsenti adhæsit diei. Quæ omnia aliquantum explicanda sunt. Guilielmus Malmesburiensis, a quo translatio Wakeringensis ignorata fuit, quique arbitratus est SS. Martyres Estrejæ quievisse, donec Ramsejam deferrentur, scribit lib.* II *de Gestis Regum* (9) *rudera, tumultuario cespite corporibus, scrobi profundæ a Thunre immersis, injecta, a vicinis effossa fuisse; fossamque ad speciem sepulcri directam, ecclesia super ædificata; et lib.* IV *de Pontificibus eadem repetit. Neque hæc ecclesiæ structura a vero videtur aliena; licet Si-* F *meon Dunelmensis et post eum Westmonasteriensis ad annum* 654, *Wakeringensem translationem temporibus Egberti innectant.*

hinc translata fuere in Wakering medio sæculo IX;

21 *Minoris enim auctoritatis hic est Dunelmensis, quum Deusdedit, ante Egberti tempora mortuum, huic celebritati velit interfuisse et quum sermonem faciat de famosissimo monasterio Wacrinensi, retro cujus aram principalem SS. Martyres sepulturæ decenti traditos asserit. Quis enim ferat* Wakering *dici* monasterium *et quidem* famosissimum, *quum (ut modo videbimus) hinc delata fuerint Ramsejam sacra illa pignora, quod sat decora non videretur sepultura. Adde locum hunc vix uspiam obviam fieri, nuspiam vero tamquam monasterium. Inter possessiones prioratus de Bilech alias de Maldone in Es:exia dicitur firma rectoria et inferius prodit etiam Wakering magna* (10), *item in charta Edwardi I* (11); *sed neutribi vestigium monasterii apparet. Ejus vero situs intelligitur ex Mappis,*

(1) T. III Febr., p. 389. — (2) T. I, p. 450, Charta Edwardi Conf. dicti; cfr Charta præcedens Cnuti ad Ælstanum, et p. 121 Catalogus abbatum S. August. — (3) Cfr Lewis, ap. Monast. Anglic. nov., t. I, p. 447. — (4) Britannia, t. I, p. 239, edit. Gough. — (5) Loc. sup. cit. — (6) Loc. cit. — (7) De qua voce videsis Glossarium Cangii. — (8) T. III Julii, p. 513, n. 6. — (9) Fol. 5. Edit. Savilii. — (10) Monast. Angl. nov., t. VI, p. 902. — (11) Ibid., p. 901, n. b.

quas

E. C.

A *quas Richardus Gough Britanniæ Camdeni inserendas curavit. Jacent scilicet* Lit Wakering *et* Great Wakering *cum adjecta* Lit Wakering hall *in Essexia ad ostia Thamesis, infra* Rochford *prope mare ad paludes intra rivu n* Crouch *et Thamesim. Quod ad Westmonasteriensem attinet, Theodorum quidem substituit Deusdedit ; sed reliqua omnia Dunelmensis errata excepit, cæterum cum expilare solitus. Adde nullam videri causam, quare SS. Martyrum corpora extra Cantium tunc delata fuissent. Quocirca multo verisimilius videtur id factum propter metum Danorum, qui a sæculo septimo ad undecimum frequentissime Cantium deprædati sunt. Notum est celebre prælium, anno* 851 *prope Sandwichum adeoque prope Estrejam initum, in quo Dani a rege Ælthelstano cum ingenti strage devicti sunt. Simili itaque causæ adscripserim translationem Wakeringensem nostrorum Martyrum, non secus ac S. Milgithæ, eorum neptis, in fines Northumbrorum* (1).

dein in novum Ramsejæ cœnobium,

22 *Guilielmus Malmesburiensis translationem in Ramsejam sat fuse describit lib.* IV *Pontificum, ubi de Ramseja agit :* Ramesiensis abbatiæ, *inquit,* fuit fundator Sanctus Oswaldus Eboracensis episco-
B pus, cooperante Egelwino quodam, orientalium Anglorum comite ; laudabili liberalitate utrique prædicabiles, sed maxime laïcus qui hoc loco, quod vidisset antistitem cujusdam principis inferias agentem, dulciter defixo in solum lumine, ingenue illacrymasse, adeo religione ipsius captus est ut ei omnia sua prona faceret. Sancto ergo favore propensus, cœnobium illud opulentissime construxit in palustri quadam uligine situm. Felix ibi, orientalium Anglorum episcopus primus de Seham, jussu comitis Egelwini asportatus jacet : sed et duo germani Egelredus et Egelbrithus, quos filios patrui sui Egbertus rex Cantuariorum in spem regni adolescere metuens, aliquandiu circa se habitos tandem ab aulæ frequentia removit, contuitum suum eis invidens. Accessit regiæ malignitati minister funestus nomine Thunre (quod tonitruum sonat) qui eos quotidianis deceptos basiis inter amplexus ipsos pugione confodit : interemptos scrobi profundæ, et, ut fertur, sub ipso sedili regis immersit, ne quisquam ibi pueros quærendos putaret ; quis enim eos ibi quæreret ? Sed divinus ille oculus, quem arcana cordium non fallunt, tulit insontes in lucem, multas ibi largitus
C sanitatum copias, præterea terribili miraculo regem afficiens, ut eum supra sedentem afflaret incendium. Vicini ergo commoti, rudera illa tumultuario cespite corporibus injecta effodientes, basilicam eorum martyrio posuere. Ipse rex pœnitens cædis, sorori puerorum partem prægrandem insulæ Tanati ad monasterium delegavit ædificandum pro piaculo interfectoris et interfectorum. Quod cum consueta impudentia Thunre in pravum torqueret, subito telluris hiatu absorptus, videns et vivens intravit in infernum. Locus erat sepulchri Sanctorum in Orientali Anglia, cujus nomen Eastreia. Quapropter comes provinciæ Egelwinus de obscura levatos ecclesia, celebri pompa Rameseiam perduxit.

curantibus S. Oswaldo et Adwino aldermanno,

23 *Hanc narrationem fœdari erroribus de Eastreja in Orientali Anglia posita et de omissa translatione Wakeringensi, quos alibi castigavimus, nullus non animadvertet. Placet itaque et hic adjicere narrationem alteram depromptam ex Historia Ramsejensis monasterii, quam Gale* (2) *edidit : Præmisso titulo cap.* XXV quod duos Martyres Æthelredum et Æthelbrithum Rameseiam transferri fecit Æthelwinus, *hæc leguntur :* Sub eadem tempestate duo gemelli fratres Æthelredus et Æthelbrithus, ex ingenuo antiquorum regum stemmate oriundi, et post obitum patris, cum ad debitam sibi aviti beneficio sanguinis succrescerent dignitatem, edaci cujusdam nebulonis livore innocenter jugulati, apud villam venerabilis Aldermanni, Wacheringe nomine, antiquitus habebantur in ecclesia consepulti. Quos cum pietas divina martyrii gloria sublimatos nonnullis signorum indiciis declarasset, visum est eidem Aldermanno minus eis ibidem honoris et reverentiæ, quam deceret, exhiberi ; eorumque pignora fecit cum devotione condecenti Ramesiam transferri, ecclesiam ipsam et omnium donationum suarum consummationem duarum pretiosarum gemmarum illustratione perornans.

hujus cœnobii auctoribus

24 *Ad quæ sequentia animadvertenda sunt :* Ramsey, Ramesege, Ramesia, Rameseia *etc., abbatia erat celeberrima in* Huntingdonshire, *cujus initia scriptoribus Novi Monastici Anglicani* (3) *potius ad annum* 969, *quam ad annum* 986, *ut alii habent, referenda videntur. Neque illa deserenda est sententia, quam omnino tenendam jam suaserat* E *Henschenius* (4), *simul ostendens quinquennium exstruendis ædificiis insumptum fuisse et ecclesiam consecratam* VI *idus Novembris anni* 974, *die Dominica simul et octava Omnium Sanctorum. Hanc solemnitatem peregit S. Oswaldus Wigorniensis et dein Eboracensis episcopus, qui et Ailwino seu Æthelwino, aldermanno seu comiti aut duci Anglorum Orientalium, filioque Athelstani,* halfkineg *seu aldermanno aut semiregi totius Angliæ, consilium dederat hujus instituendi asceterii.*

et anno 992 defunctis;

25 *S. Oswaldus certo obiit indict.* V, *feria* II, *die* XXIX *Februarii anni* 992, *ut ex Wigorniensi tradit Henschenius* (5), *et ut etiam certius est ex Rogero de Hoveden, indicia temporis, inter se convenientissima, congerente* (6). *Addit autem hic :* Nec diu post excessum beati patris Oswaldi, egregiæ dux memoriæ Athelwinus Dei amicus defunctus est, et in Ramesege honorifice sepultus. *Uni eidemque anno (sed male sequenti seu* 993) *illigat utriusque obitum Genealogia comitis Ailwini, referens* (7) : Anno DCCCCXCIII obiit Sanctus Oswaldus et eodem anno comes Ailwinus. *Diem obitus Ailwini ex notitia de Fundatione Abbatiæ Ramesiensis cognoscere licet, quamquam hic sex aberretur annis :* Anno F DCCCCXCVIII, *ita ibi legitur* (8), de hac vita temporali transierunt ad æternam scilicet sanctus Oswaldus secundo Calendas Martii et dux prædictus octavo Calendas Maii, *seu die* XXIV *Aprilis ; quæ omnia annotare libuit, ut pateat fons erroris scriptorum Monastici Anglicani, qui S. Oswaldi et Ailwini obitum ad annum* 998 *referunt, licet ipsi postea (ubi de episcopis Eboracensibus) S. Oswaldi cælestem natalem anno* 992 *statuant* (9).

unde hæc translatio facta videtur anno 986:

26 *Ex his sequitur translationem SS. Martyrum factam esse inter annum* 974 *et* 992. *Tempus accuratius determinatur in Passione, ubi corpora Ramsejam translata dicuntur* tempore regis Ethelredi, filii Edgari, *et proin post mensem Aprilem anni* 978, *quo Ethelredus regni gubernacula suscepit. Sed aliter habet Malmesburiensis lib.* II *de Gestis Regum :* Jacuere ibi, *inquit* (10), usque ad tempus regis Edgari. Tunc enim a B. Oswaldo archiepiscopo Wigorniensi levata et ad cœnobium Ramesejæ deportata sunt. Ex qua die multis se miraculis

(1) T. III Feb., p. 389 d. — (2) XV Scriptt. Oxoniæ, 1691, p. 405. — (3) T. II, p. 546. — (4) Acta SS., t. III Febr., p. 754. — (5) Ib., p. 749, n. 5. — (6) Scriptt. post Bedam, edit. 1596, fol. 245 b. — (7) Cfr Monast. Angli. nov., t. II, p. 555. — (8) Ibid., t. VI, p. 554. — (9) Ibid., p. 1172. — (10) Fol. 49, edit. Savilii.

manifestarunt,

E. C.

manifestarunt, supplicum votis exorabiles. *Edgarus porro obiit mense Junio anni* 975. *Dici itaque posset translationem factam occasione dedicationis Ramsejensis ecclesiæ; verum id non apparet, quoniam secus mentio certe facta fuisset hac de re in notitiis (quas plures habemus numero* (1)) *de hac templi consecratione. Adde in notitia de Fundatione Ramsejensi tradi* consummationem *omnium donationum Ailwini concessione SS. Martyrum corporum ornatam fuisse. Quas ob causas retulerim potius hanc translationem ad tempus Ethelredi regis, seu ad spatium temporis, quod inter annum* 978 *et* 992 *intercessit, adeoque verisimilius ad annum* 986, *quo dies* XVII *Octobris Dominica erat, littera Dominicali* C.

anno 1192 ponuntur in novis feretris.

27 *De honore his pignoribus habito apud Ramsejam, pauca innotuerunt. Veruntamen in notitia de Abbatibus Ramesiensibus* (2) *hæc leguntur:* Robertus Trianel factus fuit abbas anno MCLXXX... Tempore istius, scilicet anno MCXCII, ossa Sanctorum, Sancti Felicis, Ethelredi ac Ethelbrithi in feretris sunt collata. *De illo S. Felice, Orientalium Anglorum episcopo primo, actum est in opere nostro ad diem* VIII *Martii* (3); *ubi videre est ejus corpus* B *Dunwico Thetfordiam, hinc Norwicum, post in Seham atque hinc demum (ut modo citata Ramesiensis Notitia* (4) *habet) anno* MXXVI *Ramsejam delatum fuisse. Priusquam tamen in his novis feretris reponerentur SS. Martyrum corpora, his suus non deerat Ramsejæ honor. Henricus enim Huntingdonensis, qui ante medium sæculum* XII *claruit:* Ramesyæ vero, *ait*, quæ super paludes sita est ex prædicto flumine (Use, *quod supra dixerat per* Buckingeham *transire)*, progredientes et corpora et Vitas Adelredi et Edelberthi reperies; qui filii Ermenredi, filii Edbaldi regis Cantuariæ, clam martyrizati sunt et magno miraculo inventi. *Ubi animadvertas jam tum* Vitas *seu potius Passionem SS. Martyrum exstitisse. Hæc ex codice membranaceo hic refero, siquidem liber ille nonus, in quo Huntingdonensis de Sanctis Angliæ tractat, numquam typis mandatus est; noti sunt octo ejus libri a Savilio editi, nec is ipse liber nonus ab eruditis ignoratur.*

Memoria eorum in Martyrologiis:

28 *Ad cultum etiam pertinent Martyrologiorum memoriæ. Ut elogium omittam quod Richardus Whitford edidit in Martyrologio Usuardino cum Auctariis* (5), *brevem annuntiationem, quam Mar-* C *tyrologiis suis Anglicanis annorum* 1608 *et* 1640 *inseruit Joannes Wilson et in Catalogum suum generalem Ferrarius transtulit, aliamque longiorem quam Castellanus Martyrologio suo universali illevit, et similiter encomia, quæ in Martyrologio Anglicano* (6) *sæculi prætерlapsi et in Britannia Sancta Richardi Challoner reperire est; ut hæc, inquam, omnia omittam, satis fuerit hic exhibuisse, quæ codex Usuardinus Altempsianus, Wintoniæ olim conscriptus* (7), *ad diem* XVII *Octobris Usuardo addidit:* Apud Ramesiam in Anglia, translatio germanorum ac pretiosorum Martyrum Christi, Ethelredi atque Ethelbrithi, regia stirpe ortorum. Horum quidem corpora, nequiter necata ac furtim sub regali condita sede, nocte media lux clarior sole, per regiæ tectum aulæ cœlitus emissa, revelavit; non multo vero post necatorum *(imo* necem) eorum ad ipsius vesaniam et D Martyrum gloriam declarandam terra vivum absorbuit et ad inferos transmisit.

quare colantur ut Martyres et SS. Innocentes.

29 *Quod vero in hac atque martyrologicis annuntiationibus* Martyres *dicuntur, non secus ac apud plerosque quos supra adduximus scriptores, nemo mirabitur qui vel minimum veteres cognovit mores: sæpius enim olim martyrii laus tributa fuit viris, qui cum pietate injustam tulissent mortem; quum secundum præsentem loquendi modum martyrii vox mortem pro pietate aliave virtute Christiana susceptam significet* (8). *Res vero consideratione digna est non tantum Martyribus verum etiam* Sanctis Innocentibus *toties accenseri SS.* Ethelbertum *et* Ethelredum, *non secus ac S. Merevinum seu Merefinum, de quo numm.* 3 *et* 6. *Quocirca movebo quæstionem, quam tamen a me solvi non posse fatebor, an scilicet plura Sanctorum Innocentum corpora, quæ ab antiquo jam coluntur tempore, non sint exuviæ puerorum, qui prius obiverant quam baptismalis eorum gratia periculis objecta fuisset. Atque huc spectant etiam puerilia corpora, quæ in plurimorum Sanctorum sepulcris reperta fuerunt* (9). *Quod si ad propositam quæstionem aiendum foret, nil superstitionis hic intercederet, quoniam hi pueri per gratiam sanctificantem omni-* E *no sancti sunt; unde et in ea Americæ meridionalis parte, quam vulgo* Chili *dicimus, tolerant episcopi puerulos mortuos exponi, eos orari et circum eorum cadavera, templa Spiritus Sancti per baptismum aliquando facta, thus cremari et alia cultus signa exhiberi* (10). *Sed hæc sciscitantis, non vero affirmantis more a me prolata iterum iterumque profiteor.*

Acta edenda.

30 *Superest ut qualiacumque SS. Martyrum Acta ex Simeone Dunelmensi edamus, qui Matthæo Westmonasteriensi, Guilielmo Malmesburiensi, Guilielmo Thornio aliisque præluxit. Floruit Simeon ante medium sæculum* XII *ejusque laudes fuse prosequitur Seldenus in præfatione de decem Scriptoribus ab Rogero Twysden editis. Absque dubio præ oculis habuit Passionem antiquiorem, quam quæ integra huic Commentario, licet per partes, inserta fuit. In hac enim de translatione Ramsejensi mentio fit, dum illam ignoravit ipse Simeon. Plura in commendationem horum Actorum indicanda non videntur.*

ACTA PROLIXIORA a F *a*

Ex Simeone Dunelmensi, de Gestis Regum Anglorum; ap. Twysdem, X *Scriptores.*

Genealogia regum Cantii,

Incipit Passio Sanctorum Ethelberti atque Ethelredi regiæ stirpis puerorum *b*. Anno ab Incarnatione Dominica DCXVI qui est XXI ex quo sanctissimus Augustinus *c* cum sociis ad prædicandum missus est, Ethelbert rex Cantuariorum post regnum temporale, quod L et VI annis gloriosissime tenuerat, æterna cœlestis regni subiit gaudia *d*. Erat autem idem rex filius Irmirici, cujus pater Octa, cujus pater Oiric, cujus pater Hengest, qui cum filio suo Oisc a Wirtigerno rege invitatus *b* *c* *d*

(1) Cfr Monast. Angl. nov., t. II, p. 554 et seqq. Vita brevior S. Oswaldi in Act. SS., t. III Febr., p. 753 et seq. Altera Vita auctore Eadmero, ap. Wharton, Anglia Sac., t. II, p. 191 et seqq., etc. — (2) Monast. Anglic. nov., t. II, p. 580. — (3) T. I Martii, p. 779. — (4) Monast. Anglic. nov., t. et p. citt. — (5) The Martiloge of Englyssche after use of the Chyrche of Salisbury, Londini 1526. — (6) Memorial of ancient British piety. — (7) Cfr Sollerius, Martyrol. Usuardi, præf., p. LXIII. — (8) Cfr Benedictus XIV, de Canoniz. SS., lib. III, cap. XVII. — (9) Cfr Th. Pallu du Parc, Recueil des pièces relatives aux reliques de Saint Eutrope de Saintes, p. 38 et seqq. — (10) Voyage autour du monde sur la corvette *la Coquille*, par P. Lesson, t. I, p. 100. Bruxelles 1839.

Britanniam

A Britanniam primus intravit, ut Beda *e* luculento describit sermone. Eadbaldus vero filius Ethelbyrthi regni gubernacula suscepit, qui genuit duos filios Eormenredum *f* atque Erconbyrhtum, Eadbaldus rex transiens ex hac vita, Erconberto sceptra dereliquit imperii. Hic primus regum Anglorum in toto regno suo idola relinqui ac destrui præcepit; simul et jejunium quadraginta dierum observari principali auctoritate jussit *g*, cui natus est filius nomine Ecgbertus. Natique sunt Eormenredo Ethelbertus atque Ethelredus; quorum vitam et passionis triumphum in exordio nostræ Historiæ placet inserere, et gloriam sanctitatis eorum demonstrare.

itemque SS. martyrum.

2 Erat namque rex Ethelbyrhtus perfectus in imperio gloriosæ potestatis, qui delectatus summopere verbis divinæ agnitionis, tinctus est baptismate salutis. Cujus studio vel sagaci auxilio ubique ecclesiarum Dei diffusus est status, et rerum suarum collatione, fidelium roboratus exstitit conventus. Unde regni monarchia solertissime pro sibi posse disposita, vocante (sequi enim inter omnia fecerat) justi remuneratoris Clementia, carnalibus privatur, et ad ardua ætheris cum Sanctis B regnaturus sustollitur. Huic vero in regiminis sumministratione succedit filius Eadbaldus, sicut superius præfati sumus, de quo procreantur bini regalis stirpis filii, Eormenredus et Erconbyrhtus, quorum junior, imperialis principatum regni patre disponente *h*, suscepit. Post autem Erconbyrhti decessum, filius ipsius nomine Ecgbyrhtus illud potenter gubernavit. Eormenredus vero major absque imperii dominio in hujus caducalis vitæ permansit volubili stadio: cui justo ex justissima conjuge *i* nati sunt filii duo, qui nutriti in herili cœlestis regis palatio multimodis sunt ditati æternæ gloriæ munere regio, quorum unus onomate nituit Ethelredus, alter vero vocabulo fulsit Ethelbyrhtus.

Eorumdem ortus,

3 Namque in eorum natali sanctissimo, cuncti ut remur lætati sunt beatorum spirituum ordines in cœlo, quia quos in terris destinari conspiciebant, ipsos fortiores post hujus vitæ gravia certamina ad se redituros videbant. Gavisa est telluris sublimitas, se ornari sentiens duplicis doni gratia, et quia ex nimio multatur contrariorum infortunio, se semper inmeliorari tali subsidio. Gratulatur insuper et mater Sancta Ecclesia, dum C sui tanto sponsi illustratur dotalicio quo et meritorum luce melius resplendeat, et semper in sanctioris rectissimum æquitatis culmen crescat. Hujus nempe præcellentis doctrinæ utero traditi, ut sine accuratis disciplinæ magistralis loquamur eloquentiis, primo omnium in serenissimo sanctæ meditationis illius sacrario *k*, nitido salutaris aquæ sunt abluti baptisterio, in cujus puri septem gradibus liquoris, septum sunt sortiti dona Spiritus Sancti *l*, episcopali benedictione perfusi, et sancto Crismate delibuti.

et innocens vita.

4 Quibus undique decentissime fulti, vivere studuerunt virgines et corpore sancto tenerrimi, septenis dierum curriculis, ut septem septies agmentatis et monade supposito, singularis in præsenti vita adquirerent fructum jubelei *m*, hoc est annum æternæ felicitatis. Hoc deinde insignium illustri cura virtutum duplicato corpore anima, post peractum vitæ cursum, fructum et caperent centesimum sacratissimis virginibus consecratum. Egregia namque insignes forma sanctitatis, aptissimis devincti caritatis radiis, cernuæ locupletes humilitatis officiis, invincibilis ter beati patientiæ titulis, largis pro posse fungentes humilitatis studiis, indeficientis præcordialibus orationis compti privilegiis, et plurimis patris spirituum debriantur *n* bonitatum speculis. Quia ergo plantaria virtutum naturaliter eis insita pro nostra capacitate prælibavimus; nunc brevi notationis serie aggredi temptamus, qualiter ad gaudia cœlestis patriæ per coronam martyrii vocantur.

EX SIMEONE DUNELMENSI.

Regis Egberti impius minister Thunur.

5 Igitur utrisque eorum parentibus ab hujus vitæ miseria decedentibus cum adhuc juvenilis potirentur imbecillitate ætatis, Ecgberhto regi germano consobrino *o* suo sunt traditi, qualiter et solertis prudentiæ educarentur exercitiis, et humanæ infirmitatis sustentarentur solatiis. Talibus vero piorum conaminibus non defuere iniquæ venena jaculationis, quæ semper adversus filios Dei per filios diffidendiæ telis invidiæ armatur. In regali namque palatio homo quidam peccati et filius inventus est perditionis, membrum diaboli necnon domus Zabuli, qui sæculi vanis tumidus pompis, munificentiaque regali redimitus, nec Deum timebat, nec hominem reverebatur. Hic cum principe cum pro nimia ambitione honoris super omnes consiliis frueretur, tum pro fœtido humanæ levitatis favore in vanum tollebatur. Aman super Mardocheum ignicomis mortiferæ E vexationis furiis stimulabatur, quibus ipse postmodum insperate vinctus suspenderetur. Vocabatur porro convenienti sibi nomine Thunur *p*, quod latina interpretatione sonat, tonitrus. Furiis namque teterrimorum spirituum morbidis indesinenter vexabatur, quorum horridis fragoribus in inferni tartarum demergeretur. Videns ergo felices, quos supra taxavimus *q*, vivere feliciter, sordidarum scabenti deturpatur meditationum prurigine, in cænoso mentis impiæ volutabro cœpit cogitare, quibus adinventionum ruderibus eos neci posset tradere. Unde canino dente apud pluriмos aulicorum eorum præconia præsumebat rodere, vecordique in calumpnia, ipsorum duci talia proferre:

Hujus oratio ad regem.

6 Cum, rex serenissime, strenua mente, solerti opere, perspicacis sensus valetudine ac vigorabili tui potentatus lance, largissima regnorum tuæ majestati subjacentium sinuamina prudentissimo æquitatis disponantur libramine, est quam preciosum, ut non tantum stabili nunc virga regni * recte moderetur, sceptrumque orbis status gubernetur, quam pulcherrimæ tuæ propagini F prospiciat incolume pacis decus. Non enim tantum tui cura sollicitationum nebulis agitareris, nisi clarissimorum tuæ dignitati successurorum speciebus natorum optimis delectareris. Quapropter operæ precium ducimus, ut semita tranquillitatis eis prospera redimatur, quo et res publica ipsis successura nullo turbinum fluctu quatiatur, nullis discordiarum angoribus vacilletur. Cuncta eis bonis omnibus exuberans arrideat felicitas, lætitiæ pleniter inditis perseverabilis affluat jocunditas. Videre autem videor, ut magna hujus salubritatis oriatur penes te injuria, quia nutris cum diligentia qui aliquando sibi usurpare præsument tui regni fastigia, mutabuntque; diligenter eis exhibes talia, in tui tuorumque posterorum inutilia. Ex * assistentibus tuæ celsitudinis loquor Ethelredo et Ethelbyrhto tyrunculis, qui magis in augmento tuæ liberorumque crescunt dampnationis, quam cujuslibet tuæ provectionis. Ergo perquisita directi ominis scientiola, qua æqua promoveatur in eos rationis sententiola; consultum communis crederem esse utilitatis tuæ, ut aut eos in longinquum dirigi exilium jubeas regionis, aut citissime tradi mihi sinas jugulis.

* regnum?

* lege De

EX SIMEONE DUNELMENSI.

Rege dissimulante, SS. fratres occiduntur.

7 Rege hæc dissimulante, utraque se nolle denegante, illo tamen obnixe ut fieri permitteret stimulante, et hoc sæpius repetente, dum tepide et non argute prohibuit, audaciæ temeritatem ut perderentur intulit. O quam subdola semper in insontes perfidorum calliditas! O quam inmitis fraudulentorum in innocentes sævicia! Nulla lenis gratiatissima *r* pietatis cura, non eis ulla mansuetudinis intersunt viscera. Sola quæ meditantur acerba, quæ portant venenis similia. Quid plura? Mortifera idem id se ipsum armatur pestifer turbo nequitia, qua absente regis præsentia manus nisus est extendere in Deo cernua Innocentium colla *s*. Hac igitur invidi persecutoris insectatione martyres Christi coronati sunt palma victoriæ et a Christo suscepti in prædio perennis vitæ lætantur cum angelis cœlestis patriæ. Preciosa vero tantorum membra agonistarum jussit inhonestis subselliorum locis humo contegi regalium, credens latere diu cunctis quod peregerat, stupidæ commentum perversitatis, nequitia scelesti interemptoris. Porro nullo eis indulto fletus suspirio, nullo decem chordarum reboante officio, non hymnorum pulcherrimo Ambrosiano *t* titulo, nec Gregoriano potitis dulcis armoniæ organo *u*; non defuere summæ Deitatis tamen multiplicis virtutis exenia.

Columna lucis super tumulum.

8 Etenim intempesta noctis quiete visa est divinitus corusca super aulam palatii regis fulsisse luminis columpna *x*, quæ illustratione insolita plures turbavit ex regis familia. Dantesque fragorem clamoris in admiratione nimia, expergefactus est rex et hoc minime cognoscens surrexit a stratus sui cubiculo, et iter paravit ad nocturnales Matutinorum hymnos. Cum digressus a domo videt orbem, novi splendoris incanduisse albedine, cujus procreatio diffluebat præfato lucis mirabili solio. Enimvero tam recentis stupefactus intuitu, mentis agitari cœpit sollicitus rex cogitationibus, et ubi essent quos pridie præviderat, et de confabulatione perdendorum martyrum quam minister iniquitatis cum eo jamdudum habuerat, movebatur siquidem meditatione acerrima. Tunc celerrime ascito tanti criminis auctore, sciscitatur qua forent propinqui sui positi regionis longinquitate, quorum non fruebatur præsentiæ inclita pulchritudine. Iniquissimo sane surdas his punctionibus aures præbente carnifice, atque Caïn voce, superbo mentis supercilio se nescire turpiore grunniente, minaci vultu quippe ut perterritus divinæ claritatis luce, ei fertur talia inculcavisse:

Corpora reteguntur.

9 Tu mihi plurima de eis semper sermocinatus es bonis contraria, tu de eorum exilio mala, tu de internecione nefaria, tu adversus eos multa mordebaris insania. Tibi pleniter enarrare nostræ solertiæ oportet, nequissime, qualiter inveniantur quos gravi insectabaris odii zelo, corrupta mente. Ad hæc ille furcifer sentina malitiæ fœtidus: Sub tuæ, inquit, mortua eorum jacent cadavera loco sedis domus. Princeps quid ageret? Perculsus namque timoris ingenti turbine, quia in parte torquebatur mordaci macula alis conscientiæ, dum fortiter non restitit bonitatis hosti, et quia vindicare nequibat, quod peractum injuste fuerat, stupens inhærebat, inquantumque poterat, pœnitebat. Aurora itaque diei terris illucescente, convocatis quibus ad præsens innitebatur comitibus, regnique sui principibus cum episcopis, in quibus supereminebat archipræsul Dorovernensis *y* multæ beatitatis vir, vocabulo Deusdedit *z*, ad locum præfatorum Innocentum concitus pergit, terram suffossorio *aa* avellit, corporaque sanctissima indecenter jugulata ac inhoneste condita detegit. Heu quam surda aure constitit si non flevit, cum filios avunculi sui innocentes, perditos conspexit! Heu quam ferreo usus est pectore si dum propinquos carnis suæ felici sanguinis vidit tinctos rubore, non tangitur cordis dolore! Heu quam gravi lacrimarum potuit suffundi imbre, dum tantæ nobilitatis flores inclitos, tam futili vidit traditos sepulturæ!

Eorumdem translatio.

10 Igitur cum hominum exequiis, etiam non defuerunt magnalia perpetuæ Deitatis. Coronatos namque in regni æternitatis solio, etiam hic visitare dignatur miro potentiæ suæ miraculo. Talia gerebantur in villa regali quæ vulgari dicitur Easterige *bb* pronunciatione. Cum ergo Sanctorum preciosissima Innocentum corpora terræ secreto forent superstatuta feretro, propositum est ut delata in urbem Cantiæ Christi sepelirentur monasterio *cc*; et moveri non quiverunt ab illo in quo statuta fuerant loco. Propositum est ut ad S. Augustini ferrentur ecclesiam, siquidem levari nequiverunt. Ad plurima quoque et honorabilia portare decreverunt loca et tumbis appositarum manuum deficiebant brachia. Tandem salubri reperto consilio, ut ad famosissimum gestarentur monasterium Wacrinense *dd* vocitatum, tam citissimæ agilitatis insperato levantur officio ut nihil oneris videretur in gestamine diu desiderato. Quo cum perventum fuisset, cum pulcherrimis hymnorum cantilenis, lenibusque psalmorum melodiis, multis resonantibus choris et jubilationum cymbalis suscipiuntur traduntur que principalem retro aram, sepulturæ decenti. Hic multis annorum curriculis *ee* eis positis, excelsus Dominus qui humilia respicit et alta a longe cognoscit, eos creberrimis ditare miraculis voluit, de quibus duo posterorum notitiæ sermone nunc propalare præsenti (statuo).

Ovis raptor plectitur.

11 Accidit ut quidam alterius bonis cæcatus, ovem cujusdam pauperis tolleret secretius, quam gestans in humeris, ligatis pedibus, deferre gliscebat, secus arcisterium *ff* Sanctorum Martyrum, sed non potuit. Portari ibidem potuit sed de hinc vehi non valuit. Reus itaque hujus sceleris continuo frustratur fletu vitali, prosterniturque mortuus humi, ovem viventem habens in manibus, eo insequente cui furtum fuerat illatum. Recipit innocens proprium, dimittit reum, morte præventum subitanea, sanctorum ultione Innocentum. Continuo currens ad æedituum sciscitatur si peremerit latronem illum: a nullo mortali didicit jugulatum. Acceptaque licentia reportandi quod suum fuerat, lætus et hilaris revertitur in sua, Deo ac Sanctis ejus multas gratias agens.

Accersitur martyrum soror.

12 Igitur quoniam passiones Sanctorum Martyrum prout potuimus strictim prælibavimus, restat quomodo divina ultio super iniquissimum judicem, piissimæ necis eorum auctorem, pervenerit, breviter tangamus. Fuerat eis ex paterno maternoque soror procreata semine Eormenburga vel Domneva *gg* nomine, quam habebat in conjugium copulationis legitimæ rex Merciorum Mearwaldus nomine, quam Ecgberhtus rex ad se misso legationis suæ gerulo disposuit vocare. Quæ veniens suscipitur ab omnibus primatibus illius regionis, uti dignum erat, honorabili perspicuæ ambitionis dignitate. Decernens itaque eam honorare, ut quodcumque vellet honestatis sibi competentis in potestatis suæ ditione rogaret, et sine mora acciperet, sancta mulier humili responsione subinfert, ut tantum terræ illi concederet quantum cerva, quam sibi nutrierat, in una die divino instinctu pede peragraret.

13 Rex vero gratanter continuo jubet in crastinum

Qua occasione carnifex pœnas dederit.

num præparari comitum agmen, quo fretus, navibus ad insulam Tenet dictam, faceret callem. Quo positi ipsaque cum cerva insulam navigio ingressa, viam cerva lustrandi accepit a principeque et Christi famula cum plebe militari insequitur equis. Jam ex parte quam plurima circumita, nefandus carnifex turbatur invidia, et quasi pro fidelitate regis cui nihil remanere videbatur ex ipsius vastitate amena, cœpit quasi in viis ejus compatiens garire talia : Cum cuncta peragas perspicaciæ prudentiæ gubernaculo, quare hoc brutum animal sicut aliquid magni gerat sequeris incessu devotissimo? His dictis, Deitatis summus perculsus jaculis, ex sonipede ruit. Continuo suscipitur cum armis equoque nimis nimiumque infelix Thunor novo terræ hiatu, ac nimio terrore rex cum omnibus suis commilitonibus correptus, operiri concite jubet horrendo lapidum acervo ipsius corpus anima perenni servata incendio, baratri cœnosis ignibus, de quibus dictum est pœnis : transibunt

Job. xxiv, 19.

animæ de pœnis nivium ad calorem nimium. Qui locus a transeuntibus Thunerhleap *hh* vocatur talique vocabulo potitur. Talibus stupidæ mortis officiis insano lanista utente, ac pro deliciis tormentorum

B pœnas luente, prædicta fera quantum voluntas concessit, eis comitantibus iter fecit; et sic gradum fixit mirantibus cunctis. Rex quod spoponderat, viso territus miraculo fecit, manu propria formavit, sicque domum rediit.

Cœnobium Tahnetense B. M. V. in memoriam Martyrum.

14 Mulier vero sanctæ virtutis amica ac Deo valde electa, in hac insula ecclesiam almæ Dei genitricis Mariæ perpetuæ Virginis in memoria Innocentum Christi Martyrum fratrum suorum constituit filiamque suam bonæ indolis virginem Mildrydam *ii* appellatam, ecclesiasticis, in transmarinis partibus, disciplinis eruditam postmodum ibi constituit, cum septuaginta sanctimonialibus a sancto archiepiscopo Deusdedit consecratis, ibique congregavit. Ibi ergo beatæ genitrix Mildrithæ post excursum plurimorum annorum, post exhibitionem bonarum virtutum, post ædificationem plurimarum mentium virorum et Virginum quas in Christo confortavit cum lampade justitiæ a Christo meruit audire : « Surge, propera amica mea, veni de Libano veni coronaberis ». Cujus anima ad cœli deducta palatium, a Christo percipit immarcessibilia victoriæ dona, cum eo Sanctisque ejus regnatura in perenni gloria. Sane in

C monasterii regimine succedit inclita ejus soboles, quam educaverat decentissime, nobilis et in Christi servicio non deficiens Mildrytha prædicta, sanctissima virgo multa fulgens miraculorum gratia.

ANNOTATA.

a Prolixiora *quam illa quæ, quo facilius expenderentur, inserui Commentario nn.* 3, 8, 9, 10 *et* 19. *Et quidem quæ hic ex Simeone Dunelmensi recuduntur vere prolixa sunt, id est, ut vocabuli etymologiam sequar,* laxa *ac resoluta et sub multis verborum ambagibus vix plura facta quam breviora illa complectuntur. Attamen nomen scriptoris sibi præferunt, cum priora anonyma sint; compertum est etiam ex invicem non fluxisse, siquidem Simeon quædam adscripsit quæ in Actis brevioribus desiderantur et vicissim. Demum, licet more plurium medii ævi scriptorum verbosus sit, periphrasibus, sententiis similiter cadentibus aliisque quæ rhytmum sapiunt, utatur, tantus nitet in narratione animi* candor, *in stylo gratia, ut Simeon, in Historiæ epigraphe apud Twysden merito dictus videatur* sanctæ et suavis memoriæ *monachus. Id ipsum agnovit Lelandus, qui eamdem historiam* picta Simeonis prata *nuncupat* (1). *Porro orthographiam, ut aiunt, in qua editus est Simeon hic plerumque servavimus. Sententiæ fortassis nonnullæ occurrent, quarum sensus, propter exquisitam verborum collocationem non illico obvius erit; sed cum ex attenta lectione detegi possit, operæ pretium non est eidem declarando in his Annotatis immorari. Floruit Simeon Dunelmensis ante medium sæculum* XII *fuitque coævus Guilielmo Malmesburiensi, cujus inseruit Abbreviationes quasdam Historiæ suæ* (2). D

b *Hæc sunt prima verba Historiæ de Gestis Regum Anglorum. Etenim Simeon a regibus Cantii incipit, iis omissis quæ commemoravit Beda, et ita in principio Historiæ martyrium istud referendum assumit. Protraxit Beda Historiam suam ecclesiasticam ad annum usque* 731, *martyrium vero, ut dictum est supra in Commentario n.* 11, *verisimilius contigit inter annum* 668 *et* 670.

c *Misit eum S. Gregorius anno* 596, *ut ex Beda docet Papebrochius in ejus Vita* (3). *Si igitur annus* 596 *missionis primus fuit, annus* 616 *hic recte* E
missionis vicesimus primus dicitur. Alii Chronographi Angli, inter quos Guilielmus Thorne (4), *annos non a missione, sed ab adventu in Angliam computant, annus vero primus eisdem ille est qui adventum immediate sequitur nempe* 598. *Anno enim* 597 *S. Augustinum advenisse, atque eodem S. Ethelbertum Cantii regem suscepisse fidem demonstratum est olim in opere nostro* (5).

d *Die* XXIV *Februarii, ad quem ejus Vitam dedit Henschenius. Idem genealogiam S. Ethelberti vel Ethelbyrhti, quæ hic sequitur, notulis illustravit.*

e *Scilicet lib.* I *cap.* 14 *et* 15.

f *Eormenredus alias Ermenredus dicitur. Sic Ercombyrthus, Erconbertus, Earconbertus nomen est unum et idem. De nominibus Saxonicis sat copiose disputat E. Gibson ad calcem Chronici Saxonici, aliique recentiores. Nobis satis fuerit Ethelredi et Ethelberti nomina hic paucis explicasse.* Æthel *initiale significat* nobilis, egregius, *prorsus ut Germanicum* adel, *Belgicum* edel, *et idem videtur significare Saxonicum* ægel; beorht *vero,* briht, berht, byrht, *sive initialia, sive terminalia, significant* clarus, splendidus, *quod remansit in hodierno Anglico* bright. *Demum vox* red, ræd, rad, rud *est latinis* F
consilium, consiliarius, salus, prosperitas (6). *Unde Æthelredus, Athelredus, Ethelredus, Etheldredus vel Egelredus, quæ singula offendimus,* nobile consilium *denotant, fere quod Græcum* εὔβουλος; *Æthelbertus vero, Ethelbyrhtus, etc., indicant quippiam* nobile *simul et* splendidum.

g *Hæc de successione, idolis et jejunio ex Beda lib.* III *cap.* 8. *Cfr Comment. præv. num.* 5.

h *Cfr Comment. præv. num.* 13 *et* 14.

i *Nomine* Oslava *vel* Oslafe. *Vide Comment. n.* 5 *seq., ubi et quatuor filiæ enumerantur ex iisdem parentibus genitæ.*

k *Intelligit ecclesiam vel baptisterium.*

l *Hugo Flaviniacensis in Virdunensi Chronico, ad annum* 753 *de Madelveo episcopo Virdunensi* (7): qui statim renatus aqua et Spiritu in septem baptismatis gradibus septem comprehendit dona Paracleti Spiritus. *Hæc facile intelligentur ex scriptore italico qui plurima antiqua Baptisteria præsens inspicere potuit* (8) : Baptismalium ædium,

(1) In Præfat. Seldeni ap. Twysden, p. II. — (2) Selden l. c., p. III. — (3) T. VI Maii, p. 379 — (4) Twysden, x Script., col. 2229.— (5) T. I Jun., p. 494 et t. III Febr., p. 472. — (6) Cfr Wiarda, deutsche Vornamen, etc., p. 50. — (7) Labbe. Biblioth. Ms., t. I, p. 104. — (8) Pelliccia : De Christianæ eccles. politia. Bassani 1782, t. I, p. 28.

inquit,

inquit, forma rotunda ad turris instar erat, in cujus medio fere centro concha aquæ erat lapidea, vel rotundæ formæ, vel Crucis figuram præ se ferens. Concha plano ædis erat, in eaque tribus gradibus ad dexteram descendebant baptizandi, ac tribus aliis ad lævam ab ea ascendebant, in cujus imo fere solo alter erat gradus, in quo tum episcopus, tum patrini stabant. *Transibant itaque, qui baptizabantur, per aquam baptisterii, ex una parte descendentes, ex altera ascendentes, idque ad significandum transitum ad vitam gratiæ, dein ad imitationem transitus maris rubri, qui baptismum figurabat. Videsis interpretes in* I *Cor.* 19. Baptizati sunt in nube et in mari. A

m *Allusio, vel ut verius dicam, lusus Scripturisticus. Vide Levit.* XXV. 8.

n Debriantur *idem ac* inebriantur : debrio, debriatus *etc. apud medii ævi Scriptores passim obvia sunt. Cfr Cangius ad hæc verba.*

o Germano consobrino, *veteribus Latinis* patrueli; *nam Egbertus ex Ercomberto Ermenredi fratre natus erat. Guilielmus Malmesburiensis vocavit SS. Martyres Egberti fratrucles; qua voce S. Hieronymus usus est* (1). *Hic cernitur unde processerit expressio Gallica* : Cousin germain. *Latinum autem* Germanus consobrinus *nescio an hoc sensu sæpe obvium sit, siquidem in Glossario Cangii desideratur. Utrum Egberto, an Ercomberto educandi traditi fuerint dubium relictum est in Comment. præv. num.* 13 *et* 14. B

p *Communius* Thunre, *sed etiam* Thuner, Thunor, Thunnur, Thimnur *in Commentario prævio et his Actis passim.*

q Taxare *i. e. dicere, scribere; cfr Cangius.*

r Gratiare *pro* gratias agere *medio ævo passim usurpabatur;* gratiatus *pro* gratus, acceptus *inde potest deduci, nisi quis hic legere malit:* gratiosissima.

s *Illatæ mortis genus explicat Malmesburiensis. Vide Commentar. num.* 22.

t *Omnes Hymni olim dicti sunt Ambrosiani, quia S. Ambrosius plurimos concinnavit et iidem ex primis in sacra liturgia usui fuere. Ita S. Isidorus Hispalensis,* (2) : Hymni ex ejus nomine Ambrosiani vocantur *etc.*

u *Per* Gregorianum dulcis harmoniæ organum *intelligit forte cantum Gregorianum; licet æque fieri possit ut sermonem hic faciat Dunelmensis de instrumento musico. Sæculo septimo extremo organa nota erant in Anglia, ut ex Aldhelmi libro de Virginibus patet, sed ibi forte nondum exstabant; de his illuc invehendis agit in quadam epistola S. Bonifacius. Cfr Turner, Hist. of the Anglo-Saxons, Paris* 1840, *t. III, p.* 273. C

x *De eodem prodigio testimonia nonnulla habes in Commentario. Westmonasteriensis ad an.* 654 *hæc habet ex nostro :* Columna lucis cœlitus emissa regias ædes inæstimabili claritate replevit. Quam ministri de regis familia intuentes et præ stupore in terram corruentes, in amentiam fere conversi sunt. Cumque rex ad tumultum satellitum evigilasset et causam tumultus penitus ignorasset, de consuetudine surrexit ut matutinas audiret. Et egressus a domo vidit orbem novi splendoris radiis coruscantem. Et recordatus est rex de confabulatione *etc. Sed utinam hæc omnia niterentur documentis coævis! Cfr Appendix num.* 1.

y Dorovernensis *sive Cantuariensis; Cantuarium autem non nisi quatuor aut quinque leucis ab Eastreja distat. Videtur convocatio facta postridie interemptionis :* Aurora itaque diei terris illucescente *etc. De occasione hujus conventus cfr Comment. prævius, num.* 10. D

z *Non* Deusdedit, *sed Theodorus. Vide Comment.* 11.

aa Suffossorium quod bessam dicunt. *Lethaldus in mirac. S. Maximini abbat. Miciacensis n.* 34 *in Supplemento Cangii. Nunc gallice :* une bèche, *anglice* a spade.

bb *De loco isto consule Comment. num.* 15.

cc *Monasterium Ecclesiæ Christi Cantiæ sive Cantuarii diversum erat a monasterio S. Augustini in eadem urbe, de quo ibidem mox sequitur.*

dd *Adi Commentarium num.* 21 *et* 23.

ee *Usquedum Ramesejam translati sunt, circiter annum* 986. *Cfr. Comment. num.* 26.

ff Arcisterium *corrupte pro* asceterium, *id est monasterium ex græco* ἀσκητήριον. *Agitur de monasterio quod Simeon numero præcedenti Wacrinense vocavit, quodque ex his verbis nomen Martyrum gessisse diceres. Sed vide Commentar. n.* 21 *et* 23.

gg *Num recte eidem personæ utrumque nomen applicitum fuerit, inquisivimus in Comment. num* 6 *et seqq. De historiuncula cervæ, cfr. Comment. num.* 16 *et seqq.*

hh *Apud cæteros* Thunorsleap *et in novo Monastico Anglicano* (3) *etiam* Thunor-Hyslepe *et* Thunors-lep. *Annales Mss. S. Augustini Cantuariensis, quos Thornio cuidam Lewisius tribuit (Vide Comment. n.* 5) : Puteus, *inquiunt,* apparet prope cursum cervæ juxta Aldeland, *et tempore quo Annales exarati sunt puteo fertur nomen fuisse* Heghigdale. *In* mappa Thaneti insule *quam in Actis S. Mildredæ recudi voluit Sollerius, legitur solum :* puteus Thunor (4). *Quod attinet ad hujus putei originem cfr. Comment. num.* 18. *Hasted in Historia Cantii* (5) *scripsit* Reculver *monasterium in piaculum interemptorum patruelium ab Egberto conditum fuisse : certe* Reculver *monasterium fundavit Egbertus; sed id non impedit quin ad Thanetense fundandum agros concesserit, prout innumeri, quos passim adduximus, docent scriptores. Nonnulli chronographi atque etiam recentiores scriptores vindictam divinam Egberto homicidæ ejusque fratri Lothario quod irrisisset SS. Martyres inhæsisse tradunt. Verum hæc omnia post sæculum* XI *inventa videntur, neque mereri ut his immoremur.* E

ii *De his omnibus cfr Sollerius in Actis S. Mildredæ* (6). F

APPENDIX.

LOCA SEPULTURÆ SANCTORUM FAMILIÆ REGIÆ CANTII,

Ex Ms. Saxonico Bibliothecæ Cantabrigiensis (7).

Plurima, quæ in præcedentibus Actis disputata sunt, confirmantur ex opusculo Saxonico, quod Anglice versum reperimus ad calcem cujusdam Martyrologii Anglicani (8), *quodque latinitati donatum aptissime hic excudi arbitrati sumus. Ex eo etiam universa quæ in Actis Sanctorum variis locis de genealogia regum Angliæ, deque Sanctis illius regni scripta sunt, multum illustrabuntur. De plerisque autem, qui hic nominantur, decessores nostri jam egerunt; quapropter in Annotatis ad calcem opu-*

(1) Cfr Acta SS., t. II Febr., p. 350, col. 2. — (2) Lib. I de eccles. Offic. c. VI. — (3) T. I, p. 447. — (4) T. III Julii, p. 513. — (5) T. III, p. 632, ap. Monast. Anglic., t. I, p. 454. — (6) T. III Julii, p. 513. — (7) Bennet Library, Cambridge, vol. 284, p. 147. Cfr Harleian Mss., t. I. p. 323, n. 24. — (8) A Memorial of British piety, p. 181.

sculi,

A *sculi, locum adscribam quem quilibet adire possit, tum etiam, si Sancti fuerint, diem quo coluntur: ubi vero dies cultus non adscribetur, signum erit, vel eos qui indicantur ut Sanctos non fuisse cultos, vel eo loco obiter tantum de iis agi. Notatu dignum est opusculum istud Cantuariæ in monasterio S. Augustini fuisse scriptum, poteritque id facile adstrui in Annotatis, ex verbis quibus absolvitur. Apparet etiam scriptores hujus monasterii Goscelinum* (1) *et Guilielmum Thorne hoc opusculo usos esse, uti itidem in Annotatis indicabitur. Horum prior floruit circa annum* 1100, *alter vero circa an.* 1380 (2). *Ætas autem quo scriptum est, deducitur duobus ex locis opusculi, quorum prior ita habet:* In eadem ecclesia *(Ely)* requiescit etiam ejus *(Etheldrydæ)* soror S. Withburga; *nam certum est Translationem S. Withburgæ ex Derham ad monasterium Eliense, factam esse anno* 974 (3). *Alter locus ibidem paulo superius habetur, in quo pluries mentio occurrit monasterii S. Mildredæ in insula Taneto, tanquam exstantis adhuc, dum auctor scribebat; notum est autem ex Historicis monasterium illud anno* 1011 *a Danis destructum esse. Ex his itaque conficitur inter annum* 674 *et* 1011 *dictum opusculum fuisse exaratum, idque confirmatur aliis ex* B *locis qui in Annotatis indicabuntur. Imo dici forte posset ante annum* 986 *illud esse scriptum, cum ignoraverit scriptor Translationem aliquam ad monasterium Ramesiense, quam hoc anno solemniter factam esse in Commentario diximus n.* 26. *Nunc ejusdem versionem subjicimus ex Anglico factam de verbo ad verbum, et nominibus omnibus, tum hominum, tum locorum, eo modo expressis quo in exempla Anglico legebantur.*

Narratio de Sanctis qui requiescunt in terra Anglorum, in nomine Domini nostri Jesu Christi.

Indiculus locorum sepulturæ

S. Augustinus *a* baptizavit Æthelbert *b* regem Kent cum omni populo *c* suo. Uxor Æthelbert vocabatur Bertha *d*; filius ejus fuit Eadbald et filia ejus Æthelburga *e*, cognomine Tata. Hæc domina data est in conjugem Eadwin *f* regi Northumbrorum, et eam comitatus est S. Paulinus *g*, qui baptizavit hunc regem cum omni gente sua. Post mortem *h* Eadwin, Æthelburga reversa est ad Kent, ubi ejus frater rex Eadbald dedit ei terram in Limene * *i*, ubi ipsa ecclesiam ædificavit, et ibi requiescit simul cum S. Eadburga *k*. Eadbald uxorem habuit Emma filiam regis Francorum *l*. Ex hoc conjugio nata est S. Eanswitha *m*, quæ requiescit in Folkstone: et duo filii, Earcombercht *n* (qui successit in regnum) et Eormenred Clito *o*. Eormenred habuit duos filios S. Æthelred et S. Æthelbright et duas filias Eormenburga *p* et S. Eormengitha *q*. Rex Earcombercht habuit duos filios ex regina sua Sexburga *r*, regem Ecgbert et regem Lotharium, et duas filias S. Eormenilda *s* et S. Eorgongota *t*. S. Eormenburga, aliter dicta Dompneva *u*, nupsit Merwald filio regis Penda *x*: ex quibus nati sunt S. Milburg *y*, S. Mildred *z*, S. Milgith *aa*, et S. Mervin *bb*. Hi omnes ex amore Dei, tradiderunt omnia bona sua, dum viverent, in pios usus. Dompneva postmodum ivit ad Kent, ut acciperet a rege Ecgbert Weregeld *cc*, quod is cupiebat ei solvere, occasione duorum fratrum ejus, ipso jubente occisorum, in insula Thanet *dd*, et privatim in regio palatio ad Estrey sepultorum, D ubi miraculose detecti sunt splendida columna lucis, quæ apparuit media nocte supra locum sepulturæ *ee*; quam rex videns valde terrefactus est, et inde commotus de scelere suo, misit ad eorum sororem Dompneva, et dedit ei octoginta carrucatas *ff* terræ: ubi ipsa monasterium ædificavit, in quo orationes fieri possent pro animabus eorum, rege ipsi in eo ædificando assistente *gg*. Misit etiam filiam suam Mildred ultra mare, ut in monasticis disciplinis instrueretur, quas tam perfecte didicit, ut magnum progressum fecerit in omni sanctitate; cujus rei argumento sunt quæ etiamnum cernuntur. Ipsius mater curæ ejus tradidit monasterium quod erexerat *hh*. Et sic S. Mildred accepit ab archiepiscopo Theodoro *ii* sacrum velum, cum septuaginta aliis virginibus sociabus *kk*; quibuscum juxta Dei voluntatem, in omnibus virtutibus progredi pergens, vitam æternam meruit; et fuit postea illustris multis miraculis.

Sanctorum familiæ regiæ Cantii.

2 S. Eormengitha dies mortalis vitæ suæ in eodem monasterio cum filia sororis suæ *ll* peregit, et post mortem sepulta fuit, ut desideraverat, ad distantiam unius milliarii versus orientem a monasterio Sanctæ Mildred *mm*; ubi miracula olim E frequentia fuerunt et illustria, imo et ad hunc usque diem celebrantur. Sanctæ Mildred successit in regimine monasterii sui S. Eadburga *nn*, quæ ædificavit ecclesiam quæ ibi est (who built the church there), in qua etiam requiescit sepulta *oo*. Sexburga *pp* regina Kent fundavit monasterium S. Mariæ in insula Shepey, et collocavit moniales ibi *qq*. S. Sexburga, S. Ætheldryda *rr* et S. Withburga *ss* fuerunt filiæ Anna regis Anglorum orientalium. S. Ætheldryda nupsit S. Ecgfrith regi Northumbrorum, sed nihilominus semper servavit virginitatem. Sepulta est in magna ecclesia in Ely, ubi miraculis illustris fuit. In eadem ecclesia requiescit etiam ejus soror S. Withburga *tt*. S. Eormenilda *uu* filia Earcombercht et Sexburgæ nupsit regi Wulfere filio Penda regis Merciorum, quo regnante gens Merciorum baptismum recepit. Ex hoc conjugio nata est S. Werburga *xx* virgo Deo sacra, quæ sepulta fuit in monasterio Heanburh *yy*. Postea translata est et nunc requiescit in Legecester *. Sed S. Eormenilda requiescit in monasterio Ely simul cum matre sua et cum matertera sua S. Ætheldryda: ubi claret multis miraculis. Soror F ejus *(S. Eormenildæ)* S. Eorcongota *zz* missa fuit ultra mare ut educaretur a matertera sua S. Æthelburga *aaa*, loci *bbb* abbatissa: et ibi ex Dei voluntate multos in virtute progressus fecit; et cum diem supremum obiisset, cito miraculis clarescere cœpit. Rex Withred filius regis Ecgbert, fundavit monasterium in Dover in honorem S. Martini *ccc* ipso Sancto locum designante in quo monasterium istud erigi volebat; quod consequenter executioni datum est. Collocavit etiam monachos ibi, eisque terras tradidit ad eorum sustentationem usque in hunc diem. Rex iste quiescit prope S. Augustinum in porticu, ad partem meridianam ecclesiæ S. Mariæ *ddd*, quod ejus proavus rex Eadbald ædificaverat in honorem Dei et S. Mariæ *eee*.

* Liming.

* Chester.

ANNOTATA.

a *Cujus Acta T. VI Maii ad diem* XXVI *p.* 373.
b *T. III Febr. ad diem* XXIV *p.* 470.
c *Cfr T. VI Maii p.* 381 *cap.* 2 *et p.* 389 *cap.* 3 *(lege:* 4).
d *Bertha*

(1) De quo Cfr t. I Febr., p. 384, n. 2; t. VI Maii, p. 374, n. 1. — (2) Cfr Tanner, biblioth. Britan. Lond. 1748, p. 334 et 712. — (3) T. II Martii, p. 606, n. 3 et 607, n. 4. Cfr Nov. Monastic. Anglic., t. I, p. 158, col. 2.

A d *Bertha filia fuit Chariberti regis Parisiorum (T. III Febr. p.* 471 *n.* 4,5 *et* 7. *Cfr t. VI Maii, p.* 439 *n.* 23). *Pro genealogicis deductionibus quæ sequuntur, utiliter consulentur tabellæ ad p.* 90.

e *T. III Septembr. ad diem* VIII *p.* 206 *a; t. VIII Septembr. p.* 708 *num.* 66 *et p.* 709 *num.* 70 *et* 71 ; *t. VI Octobr. p.* 6 *et p.* 112 *num.* 118 *seqq.; memoratur etiam in quibusdam Fastis* XIV *Decembr.*

f *T. VI Octobr. ad diem* XII *p.* 108.

g *T. V Octobr. ad diem* X *p.* 102.

h *Puto Saxonicam vocem* interfectionem *significasse, ex iis quæ infra adducam ex Goscelino et Guilielmo Thorne.*

i *Cfr t. I Febr. p.* 387 *not.* g *et t. VIII Septembr. p.* 709 *num.* 70 *et* 71.

k *S. Eadburga Limingensis colitur* XIII *Decemb. Cfr t. I Febr. p.* 387 *not.* h *et t. III p.* 473 *num.* 15; *distinguenda est a Tanetensi quæ eodem die memoratur, de qua consule locos cit. et t. III Julii p.* 515 *num.* 16 ; *p.* 518 *num.* 7 *et p.* 519 *num.* 13 *et* 2; *occurrit illa Tanetensis hic paulo inferius.*

l *Nempe Clotharii II. Cfr Commentar. supra num.* 4.

B m *T. VI Augusti ad diem* XXXI *p.* 685.

n *Cfr Commentar. num.* 5, 13, 14.

o *Ita Anglo-Saxones filios regum vocabant. Cfr Glossarium Cangii V°* Clito *et* Adelingus.

p *Seu Domnevam, ut ibi paulo post dicitur. Colitur* XIX *Novembr.*

q *Eormengitha inferius iterum Sanctæ titulo insignitur et præterea miraculis claruisse dicitur. Auctor jam citati Martyrologii Anglicani (A Memorial of British piety) ei diem assignat vel eligit* XXX *Julii; nam aliquando se dies elegisse, ubi monumenta tacebant, fatetur pag.* 7. — *Hic jam locum adducimus ex Guilielmo Thorne, ut pateat eum has paginas Saxonicas, quæ in monasterio suo exaratæ fuerunt, præ oculis habuisse. Col.* 1906 *edit. Twysden sic habet :* Ethelbertus rex habuit ex regina Berta filium Edbaldum, filiamque Ethelburgam, alio nomine Thate dictam, quæ data fuit Edwino regi Northanhymbrorum in conjugem, quem Sanctus Paulinus missus cum Ethelburga convertit ad fidem et eumdem baptizavit cum sua gente. Post cujus regis interfectionem reversa est regina ad fratrem suum Edbaldum qui tunc rex Kanciæ erat. Ipse vero Edbaldus dedit ei villam de Liminge, quæ
C fecit ibi monasterium et ibidem sepulta est Idus Decembris. Edbaldus habuit de uxore filiam Enswitham quæ apud Falkstane pausat. Ermenredus ex uxore sua Oslana etc. *Quæ sequuntur jam excusa habes in Actis S. Mildredæ (T. III Julii p.* 516 *num.* 13 ; *p.* 51[illegible] *num.* 4 *seq. et p.* 519 *num.* 2) ; *alia quædam a G. Thorne ex eodem Indiculo Saxonico excerpta, quæque in Actis S. Mildredæ omissa fuere, infra proferimus. Similiter Goscelinus in Vita S. Wereburgæ (T. I Febr. p.* 386) *Indiculi partem priorem pæne exscripsit :* Æthelbrigtus igitur ex Berta regina, filia regis Francorum, Eadbaldum cum Æthelburga filia procreavit, quem suæ pietatis et regni optimum hæredem reliquit. Æthelburga vero regina post pii regis Nordhanhumbrorum Eadwini interfectionem, reversa ad Eadbaldum fratrem in villa Liminga monasterium ædificavit, in quo cum S. Eadburga requiescit. Eadbaldus quoque ex alterius regis Francorum filia Emma Eormredum atque Ergombertum principes sanctamque Virginem Answitham, quæ apud Folcanstam deposita veneratur, propagavit *etc. Reliqua habes partim in Commentar., n.* 10, *et plura legi possunt apud Henschenium (T. I. Febr. l. c.).* — *In Ms. Saxonico duæ tantum filiæ Ermenredi hic prodeunt,* D
cum a reliquis scriptoribus quatuor enumerentur ; sed notandum est, primo, in hoc Indiculo locorum sepulturæ, de solis fere Sanctis agi, deinde inferius etiam non omnes sorores S. Sexburgæ accurate simul enumerari, nam postea additur S. Æthelburga S. Eorcongotæ matertera et ejusdem Sexburgæ soror.

r *T. II Julii ad diem* VI *p.* 346.

s *T. II Febr. ad diem* XIII *p.* 686.

t *T. III Febr. ad diem* XXIII *p.* 387.

u *Henschenius olim conjectaverat distinguendum inter S. Ermenburgam et Domnevam uxorem Merwaldi (T. III Febr. p.* 389 *num.* 3, 4), *nempe ex Westmonasteriensi ad an.* 654, *sed is exscripsit Rogerum de Wendover, ut solet; Rogerus vero (Cfr Roger. Lond.* 1841, *t. I, p.* 152 *et* 167) *male intellexit Simeonem Dunelmensem ; uterque se corrigunt ad annum* 676, *ubi diserte scribunt S. Ermenburgam Merwaldi uxorem fuisse.*

x *De regibus Mercii agit Henschenius T. III Febr. p.* 389 *num.* 2.

y *T. III Febr. ad diem* XXIII *p.* 388.

z *T. III Julii ad diem* XIII *p.* 512.

aa *T. II Januar. ad diem* XVII *p.* 176.

bb *Ibid. p.* 176 *num.* 8. *In quodam Calendario* E
alphabetico Sanctorum (Nicolas : The chronology of history, Lond. 1838 *p.* 168) *occurrit* S. Mervyn *VI Januarii. Martyrologium sæpe laudatum (A Memorial etc.) eum refert ad diem* XVII *ejusdem mensis.*

cc *Cfr Commentar. supra num.* 16.

dd *Nescio an hæc accurate ab editore Anglico ex Ms. Saxonico versa fuerint, nam Thornius et reliqui omnes scribunt eadem Eastriæ evenisse. Forte hæc verba* in insula Thanet, *accipienda sunt de* weregeld, *seu compensatione, quam Domneva in insula illa accipere debebat. Cfr Commentarius, num.* 15.

ee *Scriptor istius Indiculi (nempe locorum sepulturæ Sanctorum qui ex regibus Cantii geniti sunt), ambas Translationes horum Martyrum, si eas noverat, omittere non poterat, primam scilicet ex Cantio ad Wakeringe et secundam ad monasterium Ramesiense. Primam facilius ignorare potuit cum facta sit tempore incursionum Danicarum et Wakeringe a quibusdam locus obscurus dicatur, secundam tamen non item (Cfr Commentar. n.* 20 *et seqq.). Ex quo probabile fit ante annum* 986 *quo facta est secunda Translatio, istum Indiculum fuisse scriptum. Sed vide mox dicenda de eodem argumento.* F

ff *De carrucatis vide Glossarium Cangii. Earum valor videtur variasse diversis temporibus ac diversis in partibus Angliæ ; si admittatur eas* 100 *acras effecisse Cfr Hist. d'Angleterre par le D. Lingard traduite par M. de Roujoux. Louvain* 1827. *T. I p.* XXI) *acras habebimus* 8,000. *Vide dicta in Commentar. num.* 17.

gg *Thornius hic inserit fabellam de cerva, quam ex eo excerptam habes in Actis S. Mildredæ, t. III Julii p.* 513 *num.* 5. *Cfr Commentar. num.* 16 *seq.*

hh *Patet scriptorem Saxonicum pro solis fere monachis S. Augustini Cantuariensis opellam suam concinnasse; nam locum ubi monasterium istud exstructum est, nempe insulam Tanet, hic indicare omittit. Idem ex ultimis Indiculi verbis manifestum fiet.*

ii *T. VI Septembr. ad diem* XIX *p.* 55.

kk *Nempe in insula Tanet, non vero Eastriæ, ut erronee Westmonasteriensis ad annum* 654 *scripserat (Cfr supra annotat.* u); *ex quo tamen deceptus Henschenius Domnevam a S. Ermenburga diversam putavit. Eastriæ autem vel umbram monasterii exstitisse nusquam reperire potui. Pluries prodit Eastria, Estrie, Estreya in diplomatis monasterio-*

rum

A *rum Cantuariensium (Nov. Monastic. Anglican. T. I. p.* 96, 97 *et passim), sed aut nulla, aut sola appellatione* villæ *adjecta.*

ll Cum filia sororis suæ *Domnevæ, nempe S. Mildreda.*

mm *Idem asseritur t. III Julii p.* 519 *num.* 2.

nn *Hæc est S. Eadburga Tanetensis quæ in Martyrologio Anglicano (A Memorial etc. p.* 127) *translata dicitur ad monasterium seu hospitium Cantuariense S. Gregorii anno* 1055, *sed corrigendum* 1085, *nam anno solum* 1084 *illud hospitium a Lanfranco archiepiscopo fundatum est (Nov. Monastic. Angl. T. VI. p.* 614. *Cfr t. III Julii p.* 519 *num.* 13). *De eadem Eadburga vide supra annotat.* k.

oo *Ex his facile eruitur hoc opusculum Saxonicum scriptum esse ante annum* 1011, *quo destructum est monasterium Tanetense a Danis (T. III Julii p.* 520 *num.* 3; *Chron. Saxonic. ad an.* 1011; *Cfr t. II April. p.* 636 *seqq.); sed forte aliquot annis antiquius est (annotat.* ee). *Translata sunt Lipsana S. Mildredæ ad Monasterium Cantuariense S. Augustini anno* 1030 *die* XVIII *Maii feria secunda Pentecostes (Cfr t. III Julii p.* 521 *num.* 7, 8, 9 *et Nov. Monastic. Angl. T. I p.* 449); *S. Ead-*
B *burgæ autem ad hospitium S. Gregorii Cantuariense anno* 1085 *(supra annotat.* nn). *Aliunde colligimus idem opusculum scriptum esse post annum* 974, *ex Translatione S. Withburgæ ad monasterium Eliense, ut infra indicabitur.*

pp *T. II Julii ad diem* VI *p.* 346.

qq *Editor Anglicus hic lineolam ducit, ex quo conjecto quædam in MS. legi non potuisse. Suppleri possunt ex G. Thorne qui, ut diximus, totum Indiculum istum, plurimis interjectis, in latinum sermonem transtulit. Sic itaque habet hoc loco (Twysden* x *Script. col.* 1908) : Filius ejus *(Sexburgæ)* rex Lotarius possessionem terrarum unde vitam duceret, ipsi dedit. *Post hæc sic pergit cum opusculo Saxonico :* Fuerunt autem Sancta Sexburga et Sancta Etheldretha et Sancta Withburgh filiæ Inæ regis orientalium Anglorum. Beata Etheldretha data erat Egfrido regi Northanhymbrorum in conjugem, quæ tamen virgo semper mansit et requiescit in monasterio quod dicitur Ely cum sorore sua Withburgha. Ermenold, filia Ercomberti regis et Sexburgh uxoris suæ, datur Fulchero *(Wulfero)* filio Pendæ regis Merciorum in conjugem : quorum tempore gens Merciorum fidem
C suscepit et baptismum, et Sanctam virginem Werburgham genuerunt, quæ Laycernæ *(Legecestriæ, seu Cestriæ)* requiescit. Ermenold cum matre Sexburga et matertera S. Etheldreta apud Ely sepulta est. S. Ercongota, soror ejus, ultra mare ad materteram suam missa est et ibidem mortua. Erat Withredus rex Kanciæ filius Ebrechi *(Egberti)* regis. Mortua beata virgine Mildreda *etc. Quæ*
quuntur edidit Sollerius (T. III Julii p. 520 *n.* 3) D
qui, uti et nos, plurima in editione Thornii Twysdeniana emendanda habuit.

rr *T. IV Junii ad diem* XXIII *p.* 439.

ss *T. II Martii ad diem* XVII *p.* 605.

tt *S. Withburga translata est ad monasterium Eliense anno* 974, *ut diximus supra p.* 101, *col.* 1.

uu *T. II Febr. ad diem* XIII *p.* 686.

xx *T. I Febr. ad diem* III *p.* 384.

yy *Vernacule* Hanbury *in Staffordia australi, inter fluvios* Trent *et* Dove, *ibique olim monasterium exstitisse dicitur in Vita S. Wereburgæ, t. I Febr. p.* 389 *num.* 13 *et p.* 390 *not. c. Translata est hinc Cestriam anno* 875 *ut narrat Bromtonus in Chronico (ap. Twysden* x *Script. col.* 810; *cfr Chron. Saxon. edit. Giles ad an.* 875 *et t. I Febr. p.* 385 *num.* 5) : Anno Domini 875 quo dictus Burredus rex Merciorum per Danos apud Ripendon *(nunc vulgo* Repton. *Cfr Camden edit. Gough t. I p.* 301 *et* 306) expulsus fuit, Hamburgenses indigenæ, qui circiter quinque milliaribus a Ripendon distabant, pavore soluti, corpus Sanctæ Wereburgæ virginis diu ibidem sepultum, ad Cestriam tanquam ad locum tutum transtulerunt.

zz *T. III Febr. ad diem* XXIII *p.* 387. E

aaa *T. II Julii ad diem* VII *p.* 481.

bbb *Faræmonasterii in Gallia, leucis quatuor a Meldis. Cfr t. III Febr. p.* 387 *num.* 1.

ccc *Idem dicitur t. VI Maii p.* 434 *num.* 10. *De hoc monasterio cfr Nov. Monastic. Anglican. T. IV p.* 528.

ddd *Anglicus editor vertit :* the church of S. Mary. *Sed Goscelinus in Actis S. Augustini (t. VI Maii, p.* 413 *seqq.) hanc ecclesiam plerumque vocat* Oratorium S. Mariæ. *Destructum est istud Oratorium, quia ruinam minabatur, anno* 1091 *(ibid. p.* 430, *n.* 56; *p.* 437, *n.* 16; *p.* 413, *n.* 2); *et hac occasione translata ossa Sanctorum præsulum, regum aliorumque, ex porticibus Oratorii S. Mariæ, quod ecclesia nova totum complexa est, ad novam cryptam S. Mariæ (ibid. p.* 437 *cap.* III *et* IV). *De hac Translatione narrationem satis intricatam scripsit Goscelinus; quapropter hic nonnulla jam indicavi, et hæc pauca insuper addo: Positio Lipsanorum Sanctorum præsulum in veteri Oratorio S. Mariæ describitur ibid.* 416 *num.* 17, *regum vero, et inter alios Withredi illius de quo in opusculo Saxonico mentio fit, ibid. p.* 434 *num.* 9 *et* 10; *translatio præsulum eorumque positio in nova crypta p.* 419 F
n. 24 *et p.* 438 *n.* 21, *S. Ethelberti regis p.* 439 *cap.* IV, *reliquorum denique p.* 443 *n.* 41.

eee *Idem asseritur l. c. p.* 434 *num.* 9. *Ex his omnibus luce meridiana clarius est, Indiculum istum Cantuariæ in monasterio S. Augustini fuisse conscriptum.*

A

DE S. LUPO, EPISC. ET CONF.

ANDEGAVIS.

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ unicus. Sancti cultus; tempus episcopatus inquiritur.

Probabiliter circa an. 680. Certus S. Lupi cultus:

S. Lupum, *Andegavensem episcopum, nullus martyrologorum classicorum commemorat; ast Claudius Le Chastelain in suo Martyrologio universali inter Sanctos Galliæ, recenset Sanctum his verbis, quæ e Gallico latina reddimus :* Andegavis S. Lupi, episcopi hujus civitatis, cujus corpus ibidem honoratur in ecclesia collegiata S. Martini. *Inter Auctaria*
B *Usuardina apud Sollerium nostrum ad hanc diem, Burdegalense habet :* Andegavis S. Lupi episcopi ; *cui elogio consentiunt editiones Lubeco-Coloniensis et Greveni, nisi quod addant* et Confessoris. *Breviarium Andegavense, jussu Caroli Miron episcopi anno* 1623 *editum, ad hanc diem ritu duplici* S. Lupum *colit. Sic eadem festivitas, ritu tamen inferiori, celebranda indicitur in Breviariis veteri Dolensi et Cenomanensi et monasterii S. Albini Andegavensis. Licet igitur pleraque Martyrologia ejus nomen reticeant, non est tamen quod legitimum ejus cultum in dubium revocemus.*

incertum tempus episcopatus;

2 *Ast quam certus S.* Lupi *cultus, tam incerta sunt reliqua ad illum spectantia: nullum enim Actorum vestigium apud scriptores inveniri potest. Imo inter eruditos controvertitur, quo tandem sæculo floruerit : alii enim vixisse sæculo* VII, *alii sæculo* IX *illum opinantur. Quin et Claudius Le Chastelain sæculum* X *assignat, scribens in margine sui Martyrologii annum* 937 *emortualem. Ast singularem Castellani opinionem, tamquam errorem typothetæ, magis existimandam censeo; nihil enim in documentis occurrit, ex quo talis ætas S.* Lupo *tribui possit. Tota igitur controversia in eo est, utri nempe*
C *magis credendum sit : auctorine* Tractatus de reversione B. Martini a Burgundia, *qui vulgo existimatur esse S. Odonis, abbatis Cluniacensis ; an vero Catalogis antiquis episcoporum Andegavensium. Etenim S. Odo aut aliusquispiam in citato Tractatu dicit S.* Lupum *adfuisse dictæ reversioni S. Martini, quæ, ut habet ipse scriptor* (1), *cum anno Christi* 887 *concurrit. Catalogi contra antiqui statuunt S.* Lupum, *secundum a S. Magnobodo, circa annum* 660 (2) *defuncto, successorem, adeoque circa finem sæculi septimi aut initium octavi florentem.*

qui cum fine sæc. IX concurrit juxta Odonem;

3 *Quoad vero Tractatum de reversione S. Martini spectat, illum, licet a Joanne Mabillon, Adriano Baillet, Claudio Fleury et Jacob. de Longueval tamquam genuinum Odonis partum habitum, ab eo tamen abjudicant critici recentiores* (3) *: et id quidem merito; utpote qui afferant varias solidasque suæ sententiæ rationes. Et imprimis dicunt librum hunc non redolere S. Odonis stylum : fateor incertam esse, quamdiu sola est, istiusmodi rationem, quia pro vario scriptionis argumento, varioque animi statu, ipsa etiam scriptionis indoles variari aliquando potest. Verum quando hæc ratio aliis adminiculatur, suum etiam momentum juste obtinet. Et reipsa tractator turpiter cespitat introducens Fulconem, petentem hanc scriptionem ab Odone ; tum quia dicit* (4) : Porro inter alia mihi retulistis, vos in quibusdam veteribus scedulis, impolito exaratum sermone, qualiter B. Martini sacratissimum corpus ob Barbarorum incursus in Burgundiam delatum fuit, qualiterque exinde, reddita pace Ecclesiæ, ad propriam urbem relatum. *Quando talia leguntur, nemo facile sibi persuadebit S. Odonem coævum, imo quatenus Turonensem, spectatorem fuisse reversionis corporis S. Martini: natus enim anno* 879, *octennis erat, quando Reliquiæ S. Martini anno* 887 *Turonem relatæ sunt; defunctus porro anno* 942, *non est, quod ad rem, coram gestam, enarrandam* veteres scedulas *forte fortuna* reperiret *et studiose scrutaretur.* E

sed Tractatus Odoni abjudicatur propter contradictiones,

4 *Habemus dein in S. Odonis Vita, quæ ad diem* XVIII *Novembris dabitur, eum a Fulcone, Andegavensi comite seu consule enutritum fuisse* (5); *quo autem modo et id verum esse potest, quod dicit Fulco Odoni, illum hanc scriptionem petere non solum* pro convictus gratia, *sed etiam* pro lactentis infantiæ participatione, *nihil enim negari posse credit illi,* quem mater in lactis participem accivit? *Vicissim et Odo se vocat Fulconis* collactaneum (6). *Andreas Quercetanus in Notis ad Bibliothecam Cluniacensem* (7) *nititur detergere contradictionem, dum dicit Odonem, a Gulielmo, Fulconis patre, enutritum fuisse. Sed sua Odonianæ Vitæ stat auctoritas, quæ habet, quod Fulco Odonem enutrivit, adeoque collactaneus ejus non fuit. Joannes* F *autem Vitæ scriptor aperit fontes, ex quibus suam narrationem hausturus sit, nempe testes omni exceptione majores.* Ea, *inquit* (8), nimirum mihi scribere bene placuit, quæ quasi de alio narrante ex ejus ore sumpsi et meæ memoriæ commendavi ; deinde quæ Domnus Hildebrannus, vir nempe veridicus et Cluniaci cœnobii præpositus, in regularibus disciplinis præceptor meus, mihi et multis aliis est professus. *Quoniam igitur certissima biographus profert testimonia, non est quod vim inferamus ejus verbis, eum solum ad finem, ut Tractatus cujusdam, multis ex partibus spurii, veritatem vindicemus. Quin et illud merito offendit Scriptores Benedictinos Historiæ Franciæ litterariæ* (9), *quod Fulco, comes Andegavensis potentissimus, scribat ad Odonem monachum* (10): Condescendat igitur meæ parvitati vestra sublimitas, et præstate quod postulo, qui hoc ipsum præstitistis, ut postulare auderem.

(1) Marrier. Biblioth. Cluniac., p. 124. — (2) Act. SS., t. VII Octob., p. 940, n. 52. — (3) Hist. litt. de Fr., t. VI, p. 250. Fabric. Biblioth. lat. v° *Odo Cluniac.* Journ. de Trévoux, an. 1716. Juin, p. 1145. — (4) Marrier, p. 115 et seq. — (5) Ibid., p. 18. — (6) Ibid, p. 115. — (7) Ibid., nota 20. — (8) Ibid. Biblioth., p. 14. — (9) Hist. de la Fr. litt., t. VI, p. 250. — (10) Marrier, p. 114.

5 *Ex*

perturbatas genealogias,

A 5 *Ex hactenus dictis liquet, sæpe dictum Tractatum, non esse lucubratum eo sæculo, quo ad S. Odonem pertinere potuisset. Sed sunt et alia capita, quæ scriptionem omnimodo fabulosam monstrant. Etenim quoties nomina propria eorum, qui reversioni corporis S. Martini allaboraverunt, attingit, toties in gravissimos incurrit errores. Principalem operis ducem profert Ingelgerium, comitem Andegavensem, cujus genealogiam hisce verbis describit* (1): Eo tempore vir illustris, Gastinensis comes, Ingelgerius, Hugonis, ducis Burgundiæ nepos, Lochiæ et Ambasiæ dominus, strenuus armis, summa potestate et probitate præditus erat, et Andegavensem consulatum, ex regio munere nuper sibi impartitum, procurabat. *Atqui Benedictini eruditi, qui de historia Burgundiæ scripsere, tamquam fabulosum rejiciunt hunc Hugonem ducem* (2) ; *nam Hugo iste abbas fuit vitæ innocentissimæ, a pueritia monasterio inclusus, quia Caroli Magni filius naturalis timorem incutiebat, ne aliquando de regno Galliæ contenderet. Odo vero rebus, quas scribebat, coævus et spectator, in tam gravem errorem non incidisset. Quocirca J.-F. Bodin, in suis Disquisitionibus circa pagum Andegavensem, cautius procedit,*
B *et sic Ingelgerii genealogiam delineat* (3). *Torquatus filium præcelsi ingenii habuit Tertullum nomine, qui ut altiorem dignitatis gradum attingeret, in obsequio Caroli Calvi se devovit et strenuus armis evasit. Carolus uxorem ei dedit Petronillam, filiam ducis Burgundiæ, cum beneficio castri Landonis et aliquot prædia in pago Gastinensi, ex qua filium Ingelgerium habuit. Abstinet igitur auctor a nominando hoc duce Hugone, qui cæterum, ut et reliqui in Galliis, hanc regionem non hæreditario jure, sed ex delegatione principis, obtinebat.*

et in variis sedibus

6 *Neque hic est errorum finis. Nam in decursu suæ narrationis sex præter S.* Lupum *nostrum numerat episcopos* (4), *videlicet Adalaudum Turonensem, Domnolum Trecensem, Armarium Autissiodorensem, Siagrium Æduensem, Raimonem Aurelianensem et Mainoldum Cenomanensem, qui omnes, si unum Turonensem excipias, in Catalgois episcoporum harum sedium circa illud tempus desunt. Et quidem Trecensem sedem ab anno saltem* 882 *ad* 890 *occupavit Bodo,* ac proinde, *aiunt Galliæ Christianæ Scriptores* (5), evanescit ignotus Domnolus, quem corpori S. Martini revertenti adstitisse fingunt. *Autissiodorensem vero pontificatum*
C *adiit Herefridus* VIII *Septembris anni* 887 *in eoque* XXII *annis perseveravit* (6) ; *expungendus itaque Armarius, aut Januarius Pseudo-Odonis, qui neque Herefridum præcedere potuit, utpote, nullo medio, Wibaudi successorem. Ecclesiæ Æduensis seu Augustodunensis non alius Siagrius episcopus cognoscitur, quam Brunichildis reginæ frater germanus, adeoque sæculo sexto pontifex : anno autem* 887 *Adalgarius seu Adalgisus jam a duodennio Æduensibus episcopus præerat et* 893 *obiit* (7). *Expungendus quoque Raimo, Aurelianensis episcopus, cujus nomen inter hujus sedis antistites non occurrit : sed Walterius seu Gauterius cathedram hanc tenuit ab anno* 867 *usque saltem annum* 891 (8). *Quin et hic ipse Raimo seu Raino, juxta correctiores Catalogos, episcopus Andegavensis ponitur, quatenus pontificatum gesserit ab anno* 880 *ad annum* 907 *aut* 908 *: frater erat Adalaudi aut Adalandi, Turonensis archiepiscopi* (9). *Quæ si accurata sunt, omni loco sanctus noster* Lupus *excluditur. Tandem exhibet nobis Pseudo-Odo Mainoldum, Cenomanensem episcopum, præsentem translationi S. Martini : quoniam vero istiusmodi nomen in Cenomanensibus Catalogis non occurrit, Mainoldum in Mainardum mutant* (10) ; *ast ne hoc quidem remedio malum sanatur. Etenim ex Gestis episcoporum Cenomanensium apud Mabillonium habemus, Aldricum pontificatum adiisse anno Christi* 832 *et per annos* XXIV *tenuisse* (11) ; *adeoque Robertum, ejus circa annum* 856 *successorem, quum per annos* XXVI *rexisset Ecclesiam, annum Christi* 882 *attigisse* (12); *cui successit Lambertus per* VI *annos. Jam igitur usque ad annum* 888 *progressi sumus, nullusque locus Mainoldo relictus est ; imo inter Lambertum et Mainoldum duo intercalandi sunt episcopi : Guntherius, qui saltem* XVII *annis, et Hubertus, qui* XXVII *annis Cenomanensem Ecclesiam administrarunt* (13), *proindeque initia Mainardi seu Mainoldi non ante* XXXII *annum sæculi decimi statui possunt. Et hic itaque eliminandus est.*

J. V. H.

episcoporum

7 *Quoniam igitur scriptor tot fere committit errores, quot nomina episcoporum citat, licet nobis jure optimo ejus rejicere auctoritatem, quando allegat S.* Lupum, *Andegavensem episcopum, reversioni* E
corporis S. Martini e Burgundia sæculo IX *interfuisse. Sed quum tam graves errores viro cordato et coævo, qualis erat S. Odo, Cluniacensis abbas, imputari non possunt, falsario cuidam longe recentiori, adeoque rerum personarumque, de quibus tractabat, ignaro, adscribendi sunt. Nihilominus scriptionis, hactenus refutatæ, auctoritatem stabilire forsan conabitur quispiam ex libro Heberni, archiepiscopi Turonensis, coævi, quoniam suum pontificatum anno* 896 *exorsus est. Hic porro scripsisse fertur librum de Miraculis S. Martini, quem edidit Baluzius* (14) *et in quo actores translationis Burgundicæ nominat Adalaudum Turonensem,* S. Lupum *Andegavensem, Mainoldum Cenomanensem et Raimonem Aurelianensem episcopos. Sed variis allatis solidisque rationibus monstrant Ephemerides Trivultianæ* (15) *et hunc librum falso attribui Heberno Turonensi ; quod quidem vel ex solis episcoporum nominibus abunde ostenditur. Frustra igitur Pagius in sua Critica Baronii ad annum* 887 § VI *auctoritate Heberni sustinere nititur episcopatum S. Lupi sæculo* IX, *refutaturque vel ex correctione, quam adhibendam vult in Vita quadam* F
S. Maurilii Andegavensis. Istic enim legitur (16) : Raino, quondam S. Martini discipulus et semper canonicus, ac postmodum sanctæ Andegavensis Ecclesiæ ex initio christianitatis trigesimus tertius humilis episcopus, ob honorem omnipotentis Dei, nec non et ejusdem S. Maurilii, ac remissionem peccaminum animæ suæ, anno Incarnationis Dominicæ DCCCCV et ordinationis episcopatus sui in XXV hanc Vitam scribere ac requirere jussit. Archanaldus, S. Martini discipulus et diaconus, jussu præfati domini Rainonis scripsit et requisivit. *Episcopatus itaque Rainonis ab anno* 880 *exordium sumpsit, adeoque locus cuidam alii episcopo, anno* 887 *Andegavis sedenti reperiri non potest.*

successiones :

8 *Quocirca Pagius, ad vim argumenti eludendam, toto decennio tempus episcopatus Rainonis truncat, et loco* episcopatus XXV *legendum* episcopatus XV *dicit,* cum constet, *inquit,* Rainonem coævum fuisse Odonis, Galliæ regis, eique super-

(1) Marrier, p. 120. — (2) Plancher. Hist. de Bourg. t. I, p. 230. — (3) Bodin. Recherches sur Augers et le Bas-Anjou, t. I, p. 147. — (4) Marrier, p. 120, 121 et 124. — (5) Gal. Christ., t. XII, col 493. — (6) Ibid., col. 278. — (7) Ibid., t. IV, col. 344. — (8) Ibid., t. VIII, col. 1426. — (9) Bodin. Recherch. sur Augers, t. II, p. 546. — (10) Gall. Christ. Ant., t. II, col. 514. Longueval. Hist. de l'Égl. Gallic., t. VIII, p. 191. Edit. Paris. 1826. — (11) Veter. Analect., p. 297, 300. Edit. Paris. 1723. — (12) Ibid., p. 300. — (13) Gall. Christ. Antiq., t. II, p. 514. — (14) Baluzius. Miscellan., t. II, p. 300. — (15) Journ. de Trévoux, an. 1716. Juin. col. 1145. — (16) Gall Christ. Antiq., t. II, p. 120, et Act. SS., t. IV Septemb., p. 65, n. 13.

 vixisse.

J. V. B.

vixisse. *Ast liberior est ista correctio, siquidem ruinosum sit fundamentum, cui innititur : nam Odoni, Galliæ regi, qui ab anno* 886 *ad* 898 *regnavit, et coævus esse et supervixisse eidem potuit Raino, episcopatum suum ab anno sive* 880 *sive* 890 *exorsus. Imo binos habemus terminos, documentis suis munitos, quibus episcopatus S* Lupi *omnimodo eliminatur : nam ex Chronico Vindocinensi seu Andegavensi habemus* (1) : DCCCCV, Vitæ B. Maurelii inventio, vel potius augmentatio per Rainonem episcopum et Archanaldum scriptorem facta est. *Ab hoc igitur anno tempus episcopatus Rainonis regrediendo computandum est. Alter vero terminus stabilitur diplomate Caroli Crassi, dato* VI *Kalendas Novembris* 886, *quo Hugo abbas, regis propinquus* (2), precario more quibusdam venerabilibus episcopis, Adalaldo archiepiscopo, simulque Rainoni, fratri ejusdem, quamdam villam, Appiarias nomine, in pago Aurelianensi in vicaria Lodovensi, cum omnibus appendiciis suis... dedit. *D. Bouquet dicit quidem hunc Rainonem Aurelianis sedisse, sed absque ullo idoneo teste : nam quod villam acceperit, in pago Aurelianensi sitam, nihil probat, nisi et probaret pro Adalaldo, quod est ab-* B *surdum : sed hi germani episcopi erant, aiunt Gesta consulum Andagavensium* (3), ex Aurelianensi urbe nobiliter nati cives, *qui* neptem suam Delendim Ingelgerio in conjugem copularunt, tradentes ei cum puella... quæ eis in Aurelianensi pago et Turonico hereditate legitima proveniebant. *Ex hac igitur cum Aurelianensi civitate Rainonis frequentiori necessitudine* (4) *profluxisse credo opinionem, quod in hac urbe sederit. Ast monstravimus supra num.* 6 *toto illo tempore quod Rainoni tribuendum esset, Walterium cathedram Aurelianensem occupasse. Tandem quoniam Rainoni, Andegavensi episcopo, occurrimus, cui Odo Sepmatum villam anno* 895 *pro ecclesia S. Mauritii concedit* (5), *nobis unus idemque est, qui Andegavis episcopus, reversioni S. Martini anno* 887 *interfuit. Constat proinde nullum inveniri posse tempus, quo* S. Lupus, *tamquam Andegavensis episcopus, translationi S. Martini præsens adesse potuerit.*

Standum igitur Catalogis episcoporum Andegavensium.

9 *Quoniam igitur ex scriptis, S. Odoni et Heberno falso tributis, nihil circa ætatem S. Lupi erui potest, recurrendum est ad antiquos episcoporum Catalogos, qui Sanctum sæculo* VII *floruisse statuunt : eisque tanto major fides adhibenda est, quanto pro-* C *pius ad ætatem S.* Lupi *accedunt. Jam porro Mauro-Benedictinus Housseau seriem Andegavensium pontificum ordinavit juxta Catalogos bibliothecæ regiæ Parisiensis aliosque, et de Sancto nostro agens, hæc habet, quæ e Gallico latine reddo* (6) : S. Lupus. Sammarthani propter auctoritatem Pseudo-Odonis loco suo movent hunc episcopum, sed potiores isto anonymo sunt Catalogi IX, XII et XIII sæculorum. Ecclesia Andegavensis memoriam S. Lupi recolit die XVII Octobris. *Statuit vero S.* Lupum *S. Magnobodo post Niulphum successisse : ast ut tempus episcopatus Sancti nostri propius definiamus, desunt nobis documenta. Nam ad diem* XVI *Octobris conjiciendo magis, quam definiendo diximus, circa annum* 660 *S. Magnobodum obiisse, nec quidquam sciri de ejus successore Niulpho* (7). *Quoniam autem inter S.* Lupum *et Sadrium, qui anno* 736 *confirmationi privilegii S. Chrodegangi, Metensis episcopi, subscripsit* (8), *septem medii sunt episcopi Andegavenses, vix post annum Christi* 680 *diem suum supremum clausisse S.* Lupum *suspicor, propterea que hunc annum in capite hujus commentarii dubitans adscripsi. Jejuna valde sunt hæc omnia ; at nihil uspiam invenimus, quo vitam et res gestas Sancti illustrare valemus. Dabimus itaque Lectiones Breviarii Andegavensis anni* 1624, *quæ cultum Sancti variasque corporis translationes explicant.* D

(1) Labbe. Biblioth., t. 1, p. 285. — (2) Bouquet, t. IX, p. 352. — (3) Ibid., p. 28. Cfr Bodin. Recherch., t. 1, p. 156. — (4) Cfr Mabillon. De re diplom., p. 555. — (5) Bouquet, t. IX, p. 464. — (6) Bodin. Recherch. sur Angers, t. 11, p. 545. — (7) Act. SS., t. VII Octob., p. 940, n. 52. — (8) Labbe, t. VI Conc., col. 1700.

ELEVATIO ET TRANSLATIO CORPORIS S. LUPI,

Ex Breviario Andegavensi anni 1624.

CAPUT UNICUM.

* Lectio I. *Corpus Sancti an. 1012 inventum,* E

*Beati Lupi, episcopi Andegavensis, corpus, quum diu ignotum in obscuro loco latuisset, anno Incarnationis millesimo et duodecimo, undecimo Kalendas Aprilis, ab Huberto, ejusdem sedis episcopo *a*, in monumento lapideo juxta ecclesiam S. Martini repertum, ad publicam venerationem edito loco super altare majus ejus ecclesiæ in capsa reconditum fuit *b*. Cujus sanctitatem Deus apud posteros, multis etiam post mortem sæculis, miraculis declaravit*. Nam Philippo primo rerum in Gallia potiente *c*, quum cœli intemperie et assiduitate imbrium corruptis per septem annos frugibus, annonæ inopia graviter laboraretur *d*, atque ad expiandam publicam calamitatem indicta esset ad Sanctum Nicolaum *e* supplicatio, cæci duo corpus Sancti Lupi, quod inter alia Sanctorum corporum fercula a presbyteris portabatur, subeuntes *f*, visum receperunt : et mulier, quæ diutino morbo languebat, quum idem fecisset, repente sanata est : cœlum vero, Deo exorato, per multos dies serenum fuit.

* Lect. II.

* Lect. III. *miraculis claret.*

2 * Anno quoque Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, decimo septimo Kalendas Novembris, quum Sancti corporis Reliquiæ ab Helia, Veriensi episcopo *g*, solemni more inspicerentur, atque ad rei famam undique populi concursus fieret, sutor, qui graviter ex crure laborabat, implorato Sancti Confessoris auxilio, F sanus valensque rediit : paucis vero post diebus, quidam Sancti Martini canonicus ad eas orans, oblato sanctissimo Missæ sacrificio, lumen oculorum, quod amiserat, recuperavit. Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, caput beatissimi Confessoris ab ipso Helia seorsum in argentea theca repositum fuit. Quum autem os brachii dextri, argento inclusum, infando sacrilegio a furibus sublatum esset, rogantibus ejusdem ecclesiæ canonicis, Guilelmus, Andegavensis episcopus *h*, anno salutis millesimo sexcentesimo et vigesimo, ipso die natali S. Lupi, universo adstante collegio, aperta capsa, quum costæ fragmentum sibi ad usum dedicandarum ecclesiarum exemisset, os brachii sinisterioris, in gestatoriam thecam insertum, magna religione, solemni supplicationis ordine per ecclesiam circumtulit : celebratoque pontificali ritu Missæ officio, ut id deinceps publice adorandum exponeretur, concessit.

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a *Hubertus, Huberti Vindocini comitis filius, Andegavensem cathedram triginta septem annis ab anno Christi* 1010 *ad* 1047 *administravit, ac sub ejus pontificatu varia cœnobia Andegavis ædificata et amplificata fuere* (1).

b *Istius modi elevatio canonizationi episcopali æquipollebat, ut variis exemplis monstrat Prosper Lambertini, postmodum Benedictus XIV, in suo opere de Canonizatione Sanctorum lib.* I *cap.* VI *num.* 4 *seqq.* Jacuit, *ait Gallia Christiana Antiqua* (2), diu gleba corporis sub suggrundario *(parte tecti prominenti, qua stillicidia a parietibus arcentur)* ecclesiæ B. Martini Andegavensis, ad annum usque 1012, Huberto præsule, qui corpus extrahi loco indecenti curavit, et theca argentea compositum, populis exhiberi voluit honorandum, prout declarat membrana, quam e tumulo ipsius extractam reperere canonici.

c *Philippus I, tertius ab Hugone Capeto rex Galliæ, regnum administravit ab anno* 1060 *ad* 1108.

d *Ternæ apud historicos occurrunt sub Phi-* B *lippo I annonæ calamitates, videlicet anno* 1090, 1095 *et* 1100. *Crediderim autem famem, de qua lectiones Andegavenses agunt, anno* 1090 *incepisse, quia Sigebertus Gemblacensis hunc annum ita indicat, ut continuatam quamdam calamitatem portendere videatur. Hæc enim habet sub anno* 1090 (3) : Sterilitas frugum terræ augescit : *(jam igitur anno præcedenti occeperat)* et fames paulatim irrepit. *Sub anno* 1095 *scribit* (4) : Fames diu concepta gravissime ingravatur et fit annus calamitosus, multis fame laborantibus, pauperibus per furta et incendia ditiores vexantibus.... Hoc anno, sacro igne multi accenduntur, membris instar carbonum nigrescentibus. *Sigebertus per* famem diu conceptam *præcedentes annos calamitosos commonstrat; quocirca annum proxime sequentem* 1096 *in Lectionibus indigitatum existimo, adeoque tunc temporis institutam supplicationem, qua ad tempus cessavit flagellum.*

e *Ecclesia S. Nicolai, olim in Andegavensi pomœrio, nunc ipsa urbe inclusa, ad abbatiam Benedictinam pertinebat : anno* 1794 *funditus destructa fuit* (5). *Scimus porro Urbanum II, post Concilium Claromontanum, circa finem anni* 1095 *celebratum,* C *ecclesiam S. Nicolai Andegavensis initio anni sequentis consecrasse* (6). *Forsan ob venerationem erga Sedem Apostolicam, electa fuerit S. Nicolai ecclesia, tamquam supplicationis meta. In magno enim pretio habebant Andegavenses papalem visitationem, quam ceu epocham in Chartis adnotabant, ut constat ex diplomate Fulconis Richini Andegavensis comitis apud Sammarthanos* (7).

f *Tempore calamitatum pias supplicationes instituebant antiqui; sic apud Gregorium Turonensem Hist. Franc. lib.* III *cap.* XXIX (8) *legimus, cives Cæsaraugustanos, a Childeberto rege obsessos,* indutos ciliciis, abstinentes a cibis et poculis, cum tunica B. Vincentii Martyris muros civitatis psallendo circumiisse. *Quod vero cæci, ut visum reciperent, feretrum S.* Lupi, *a presbyteris portatum, subierint, alium venerationis modum indicat. Scimus ex Vita S. Romani, Rotomagensis episcopi, cujus Acta die* XXIII *Octobris dabuntur, reum capitalis sententiæ quotannis pœna solutum fuisse, ea lege, ut S. Romani feretrum* (la fierte de S. Romain) *humeris suis sustineret. Sic et S. Paulinus Nolanus de S. Felice Natali VI vers.* 125 (9) *dicit Christianos contendisse quam proxime ad tumulum accedere, eumdemque manu contingere :* I. V. H

Certatim populus pietatis circumfusus
Undique densato cœtu sita membra coronat,
Relligiosa pie pugna exercetur amantum :
Quisque alium premere et propior consistere certat
Relliquiis, corpusque manu contingere gaudet.
Nec satis est vidisse semel, juvat usque morari,
Luminaque expositis, et qua datur, oscula membris
Figere.

Subeundi Sanctorum sepulchri vestigium adhucdum retinet crypta Anderlacensis, juxta Bruxellas; E *istic enim visitur basis sarcophagi S. Guidonis, cujus Acta dedere majores nostri ad diem* XII *Septembris* (10), *quæ ita constructa est, ut peregrini per medium altitudinis* 77 *centimetrorum, et* 33 *latitudinis, irrepere possent; idque sæpius factitasse indicant lapides frequenti attritu excavati et politi* (11). *Ad hunc tamen ritum non alludit, quod citatus auctor refert ex Vita* (12), *nempe homines* ivisse per medium sepulchri : *nam id indicat nullo pretio habitum tunc fuisse Sancti viri tumulum, qui solo cœmeterii æquatus transitum hominibus et brutis præbebat, quapropter* Onulfus, villæ dominus, duobus suis rusticis sepem circa sepulchrum Beati viri claudere jussit.

g *Quo tempore hæc corporis S.* Lupi *visitatio celebrata fuit, Andegavensem Ecclesiam regebat Johannes de Rely, Carolo VIII, regi Galliæ a confessionibus et concionibus, qui eumdem regem in expeditione Neapolitana anno* 1494, *quo visitatio facta est, comitatus, et* sæpius negotiorum tractandorum causa ad Pontificem Alexandrum VI destinatus, summam laudis gratiam retulit (13). *Hinc sacrum ritum peregit Helias, Veriensis* F *episcopus, qui probabiliter vices absentis pontificis in functionibus episcopalibus implebat. Est autem* Veri, *ait Steph. Morcelli* (14), oppidum provinciæ proconsularis..., in monumentis Ecclesiæ satis notum, sed apud profanos scriptores non item. *Helias igitur erat episcopus titularis, seu, ut vulgo aiunt, in partibus infidelium.*

h *Erat hic Guilelmus Fouquet, qui ab anno* 1616 *ad* 1621 *sedem occupavit.*

(1) Gall. Christ. Antiq., t. II, p. 123. — (2) Ibid., p. 121. — (3) Bouquet, t. XIII, p. 260. — (4) L. c. (5) Bodin. Recherch., t. I. p. 192. — (6) Gall. Christ. Antiq., t. IV, p. 689. — (7) Ibid., t. II, p. 129. Bodin. Recherch., t. I, p. 227. — (8) Bouquet, t. II, p. 199. — (9) Paulin. Oper., t. II, p. 76. Edit. Paris. 1685. — (10) Act. SS., t. IV Sept., p. 36. — (11) Mém. cour. de l'Acad. de Brux., t. XVIII. Fred. Van der Rit, p. 8. — (12) Act. SS., t. IV Sept., p. 44, n. 12. — (13) Gall. Christ. Antiq., t. II, p. 145. — (14) Afric. Christ., t. I, p. 351.

A D

DE S. AUSTRUDE, VIRGINE ABBATISSA,

LAUDUNI, IN GALLIA

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ unicus. Sanctæ memoria in Fastis sacris; Acta a biographo subæquali conscripta; tempus nativitatis et obitus.

Init. sæc. VIII. S. Austrudis, matre

S. *Salaberga, vidua et abbatissa, cujus Acta illustrarunt Nostri ad diem* XXII *Septembris* (1), *quinam prolem e nobili Franco, Blandino, qui Baso cognominabatur, suscepit: scilicet tres filias, Saretruden, Ebanam et* Austrudem, *cujus Vitam edimus: genuit dein S. Salaberga duos filios, Eustasium, in ætate puerili* B *defunctum, et Balduinum, Laudunensem diaconum et Martyrem, qui colitur die* VIII *Januarii* (2). *Spoponderat piissima mater se Deo consecraturam quoscumque liberos ex matrimonio hactenus sterili prodituros: votumque magnifice solvit. Nam præter* Austrudem *nostram, reliquæ filiæ Saretrudis et Ebana in virginitatis proposito ad mortem perseverarunt fideles; Balduinus vero, ut jam diximus, martyrio affectus, in ecclesia Laudunensi olim colebatur. Nam vi Concordati anni* 1801 *diœcesis Laudunensis maxima ex parte hodierno episcopatu Suessionensi continetur.*

S. Salaberga nata,

2 *Varia ratione Sanctæ nostræ nomen scriptum invenimus. Joan. Mabillon et qui eum secuti sunt, Martyrologus Parisiensis et Nostri in citato Commentario S. Salabergæ, Virginem* Anstrudem *appellant, quam passim alii* Austrudem *dicunt: atque hanc scribendi nominis normam retinendam censeo, tum quia longe major est numerus scribentium* Austrudem, *cui consonat vulgare nomen* Sainte Ostrue, *tum quia difficile in antiquis manuscriptis discernuntur litterales formæ* n *et* u. *Cæterum quocumque modo efferatur Sanctæ nomen eamdem fere significationem retinet; quoniam* Ans *gentem,* Os *vel* Aus C *domum seu familiam;* trud *vero fidelitatem interpretari licet juxta antiquam linguam Teutonicam; unde Virginem nostram, fidelem genti vel familiæ dicemus* (3). *Atque hæc ipsa interpretationis similitudo aliquid conferre potuit, ut confusio scribendi oriretur.*

celebratur in variis Martyrologiis,

3 *S.* Austrudis *nomen non occurrit quidem in Martyrologio Romano; quin propterea in dubium vocari possit legitimus ejus cultus: nam Sanctæ memoriam celebrant varia Usuardi Auctaria, quæ videre licet apud Sollerium, Martyrologium Parisiense Card. de Noailles, Gallicum Saussaye, Universale Castellani et varia Benedictina. Cæterum ejus cultus, qui brevi post mortem, testante biographo infra edendo n.* 25, *incepit, adhuc perseverat in illa hodiernæ diœcesis Suessionensis parte, quæ ritu Laudunensi utitur, ut fidem facit directorium liturgicum pro anno* 1829 *editum: istic enim in diem* XVII *Octobris annuntiatur festivitas S.* Austrudis *Virginis sub ritu semiduplici.*

4 *Præter binam Vitam S.* Austrudis, *pauca nobis servavit antiquitas monumenta ad Sanctam nostram spectantia. Prioris biographiæ infra e Joanne Mabillon edendæ scriptorem supparem esse existimat doctissimus Maurinus, quia, ait* (4), in recensendis miraculis nomina, aliasque (ut vocant) circumstantias ita diligenter notat, quasi iis interfuerit: et dum Balduini, Anstrudis fratris, interfectores nominare injuriosum num. 5 dicit. *Judicio* E *eruditissimi viri plane subscribo eoque lubentius, quod omnia miracula ab Anoymo relata videantur tempore Adalsindis, quæ S.* Austrudi *nulla intermedia successit, accidisse. Alteram Sanctæ nostræ Vitam minoris facit laudatus Mabillon, quia, licet politiori stylo conscripta, ad sæc.* XII *pertinet. Habet tamen et hæc quædam gloriam Sanctæ posthumam illustrantia: unde usui etiam nobis erit in hisce Actis illustrandis.*

ejusque Vita a duobus biographis conscripta est.

Orta ex Francorum gente,

5 *Nata est S.* Austrudis *patre S. Blandino,* qui, *ait scriptor Vitæ S. Salabergæ ad diem* XXII *Septembris* (5), cognomentum Baso acceperat, *ejusdem cum S. Salaberga gentis fuisse indicatur l. c. quum inter causas conciliatarum nuptiarum recenseatur* et ipsum ex Sicambrorum prosapia spectabili ortum esse. *Nam ipsam S. Salabergam Francam gente fuisse, idem biographus testatur dicens* (6): Cœpit isdem vir Dei *(Eustasius, Luxoviensis abbas)* sciscitari, utrum eidem viro illustri *(Gundoino, Salabergæ patri),* Francorum orto natalibus, soboles adesset. *Jam vero constat Sicambros Francosque in unam eamdemque gentem confusos fuisse ab antiquis scriptoribus, ut monstrant Nostri in Annotationibus Vitæ auctioris S. Adelphi, Romaricensis abbatis, ad diem* XI *Septembris* (7). F

circa annum, licet alii alia opinentur,

6 *Jam egerunt Nostri de anno natali S.* Austrudis, *quem sexcentesimum quadragesimum quintum post Christum natum statuunt* (8). *Autumabant scilicet S. Salabergam mortem obiisse brevi post S. Waldebertum, Luxoviensem abbatem, anno* 665 *defunctum, qui in Vita coæva S. Salabergæ dicitur eidem prænuntiasse mortem centesimum post diem* (9): *cum porro e scriptore Vitæ infra edendæ n.* 4 *constet S.* Austrudem *matri Salabergæ successisse ætate vicennem, pronum erat concludere anno Christi* 645 *natam esse Sanctam Virginem. Verum res, opinante Joanne Mabillon, in ambiguo posita est; quoniam, vivente S. Waldeberto, visionem accidisse existimabat: unde nulla cæterum asserti sui reddita ratione, annum S. Salabergæ emortualem statuit annum Christi* 655. *Ejusdem sententiæ sunt Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum* (10), *Calmetus in sua Lotharingiæ Historia* (11), *Longuevallius in Historia Ecclesiæ Gallicanæ* (12), *bini Hagiographi*

(1) Act. SS., t. VI Septemb., p. 516. — (2) Ibid., t. I Januar., p. 502. — (3) Wiarda. Über deutsche Vor-und Geschlechtsnamen, p. 51 et 54. — (4) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. II, p. 975. — (5) Act. SS., t. VI Sept., p. 522, n. 9. — (6) Ibid., n. 5. — (7) T. III Sept., p. 820, not. *a*. — (8) T. VI Sept., p. 520, n. 22. — (9) Ibid., p. 529, n. 28. — (10) Ad an. Ch. 655, § XI. — (11) T. I, col. 453. — (12) T. V, p. 202. Edit. Paris. 1826.

Adrianus

A *Adrianus Baillet et Albanus Butler, et D. Beaulleret, qui nuper notitiam de S. Salaberga, cæterum vere eruditam, conscripsit* (1).

645 : 7 *Neque tantorum virorum refugerem subire auctoritatem, si aliquo documento, rationeve aliqua suam firmassent sententiam : sed, uno excepto Cointio, reliqui in nuda assertione consistunt. Imo Mabillonius cum in elogio S. Waldeberti dixisset* (2) : Visio post S. Waldeberti mortem contigisse videtur ; *in fine ejusdem tomi* (3) *quasi typothetæ vitio substituit :* quæ *(visio)* ante S. Waldeberti mortem etc. *Solus Cointius dat hujus chronotaxis rationem, quæ si subsisteret, dirimeret omnem controversiam. Etenim profert fragmentum Vitæ S.* Austrudis, *in qua, teste Dacherio, hæc leguntur* (4) : Defuncta matre, in abbatissimam electa est (Austrudis) anno ætatis suæ vigesimo et annuente Clodovæo secundo, Francorum rege, acclamantibus regionis proceribus universis, a Peregrino, Laudunensi episcopo, post impertitam benedictionem instituitur. *Admissa veritate textus, sequeretur omnino anno* LVI *aut* LVII *sæculi septimi illigandam esse mortem S. Salabergæ et electionem filiæ ejus,* Austrudis. *Nam Clodovæus II non ante mensem Septembris* B 656 *Austrasiæ, intra quam Laudunum claudebatur, imperare potuit; defuncto scilicet kalendis Februarii hujus anni S. Sigiberto, rege* (5), *ejectoque post septem menses Childeberto, Grimoaldi majorisdomus filio, qui regnum illud affectaverat. Ipse vero Clodovæus eodem anno die* V *Septembris, aut sequenti ad finem vergente vita excessit* (6) : *quare necesse est intra hos terminos et S. Salabergæ obitum et S.* Austrudis *electionem definire.*

refutato Cointio, 8 *Verum, ut præfatus sum, non videtur subsistere posse citatum fragmentum : etenim Clodevæum II consentientem pone sequitur Peregrinus episcopus benedictionem abbatialem impertiens. Constat autem Attolam, Laudunensem episcopum, cui tertius successit Peregrinus, subscripsisse privilegio S. Amandi de loco Barrisiaco* anno quinto regni *Childerici regis, Clodovæi filii* (7), *id est anno Christi* 664. *Dicit quidem Cointius* Peregrini loco restituendum esse Attolam: *sed id meo judicio est, monumentum historicum ad præconcepta in opinionem contorquere. Facile quoque mihi fuerit Clodovæi loco restituere Childericum, quo casu in majorum meorum sententiam allatum textum nullo negotio derivarem; medius enim inter Attolam et Peregrinum episcopus* C *Wlfadus seu Vinfridus, de quo præter nudum nomen nihil cognoscitur, breviusculo tempore sedere potuit atque ista ratione deveniretur ad sæculi septimi annum* LXV, *quo Nostri statuunt mortale exuisse S. Salabergam. Verum id divinare est : quare credo textum mendosum, sibi contradicentem, alterutri opinioni nihil firmitatis afferre posse.*

monstratur probabilis 9 *Restat igitur inquirendum utrum mortis tempus utcumque definiri non possit ex visione S. Waldeberti. Nostri quidem post Sancti abbatis mortem visionem reponunt. At id, meo judicio, recte. Nam trina visio cœlestis obitum S. Salabergæ præcessit: nempe Magoberti, puerili, S. Anserici, Suessionensis episcopi, et S. Waldeberti : nullus autem inficias ibit duos priores jam vita functos fuisse, quando apparuerunt : ut quid igitur tertium Waldebertum nobis adhuc viventem fingeremus, quum nihil simile innuat biographus? Huc etiam facit, quod S. Waldebertus satis aperte insinuet se jam gloria cœlesti potiri: monet enim Salabergam ut* præparet se *ad* accipiendum bravium, *profecto coronam immortalem*, quia et ipse ex victoria ejus cupit accipere bravium, *quod interpretor de augmento gloriæ S. Waldeberto obventuro propter curam Sanctæ ejusque fundationibus impensam. Fateor hæc talia non esse ut omnem erroris formidinem excludant : attamen probabilia sunt, a quibus recedendum non est, donec certiora afferantur. Posito itaque S. Salabergam diem supremum obiisse anno Christi* 665, *quoniam viginti annorum facta, matri successit S.* Austrudis, *consequens fit annum Sanctæ nostræ natalem conjungendum esse cum anno vulgari* 645. J. V. H.

nostra conjectura : 10 *Confirmatur quoque mea opinio ex eo, quod S. Salaberga non videatur nupsisse, antequam Dagobertus I, mortuo patre Clothario II, solus universæ Franciæ atque adeo Burgundiæ imperaverit, quod anno* 628 *contigit. Mosa vero vicus, in quo et nata et fundasse videtur monasterium, ad Burgundiam illa tempestate pertinebat* (8) : *quomodo igitur auctor Vitæ S. Salabergæ secundis ejus nuptiis obtenderet* iram regis *Dagoberti* (9), *si Sancta in Clotharii ditione secura omnino fuisset? Recte matrimonii epocham in annum* 628 *aut sequentem prorogamus. Quo admisso, certe S.* Austrudis, *tertia filia, nasci anno* 635 *(ut volunt Mabillonius et reliqui) non* E *potuit : alioquin Salaberga post sex septemve annos matrimonii tertiam enixa prolem, ridicule appellaretur* (10) fœmina tot privata privilegiis, *quæ instar Annæ et Elisabeth,* ad basilicam B. Remigii, pontificis *accurrit, ut sterilitatis mœror abigatur. Si e contrario ortus S.* Austrudis *in annum* 645 *differatur, omnia commode fluunt, et suum est tempus, ut constet de sterilitate, patrocinio Sancti Remorum Apostoli votoque facto curata.*

ad pietatem et litteras instituta. 11 *Liberaliter educata fuit a Sanctis parentibus S.* Austrudis; *nam* nutritur, *ait biographus n.* 1, a progenitoribus suis cum magno studio totius diligentiæ tradita religioni Christianæ, discens etiam litteras in diebus teneræ infantiæ. *Et paulo infra :* Fit etiam per divinam clementiam audiendo, legendo capax memoriæ, exercens se etiam in magisterio doctrinæ ; *unde mirum non est quod subnectit scriptor :* Manifestatur mundo plena esse eloquentiæ, sed multo plus sapientiæ. *Et illo quidem sæculo septimo non negligebatur institutio fœminea in litteris ; ad quas incumbebant præcipue illæ, quæ monasticam vitam profitebantur aut aliquando professuræ erant. Etenim præter cantum quotidianum divini officii, monialibus vacandum erat* F *multiplici lectioni tum Sacræ Scripturæ, tum SS. Patrum : unde non levis quoque cognitio linguæ latinæ, jam apud vulgus declinantis, necessaria erat* (11). *Sic de S. Gertrude, Nivellensi abbatissa et S.* Austrudi *æquali ad* XVII *Martii legitur* (12) *:* Per suos nuntios, boni testimonii viros,.... sancta volumina de urbe Roma et de transmarinis regionibus gnaros homines ascibat ad docendum divinæ legis carmina, ut sibi et suis quid esset meditandum, Deo inspirante, meruisset habere.... Pene omnem bibliothecam divinæ legis memoriæ recondebat et obscura allegoriæ mysteria, Spiritu Sancto relevante, aperte auditoribus aperiebat. *Paulo serius Chunihilt (S. Lulli matertera) et filia ejus Berathgit* valde eruditæ *referuntur* in liberali scientia, *unde ablegatæ referuntur in Thuringiam* (13) ; *profecto ut fœminarum eruditioni operam suam impenderent. Multa alia exempla afferri possent, quæ monstrarent summam olim curam positam fuisse, ut fœminis*

(1) Annuaire du diocèse de Langres. Année 1838, p. 10. — (2) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. II, p. 504. — (3) P. 1093. — (4) Ann. Franc., an. 654, § XI. — (5) Act. SS., t. I Febr., p. 206. — (6) L'Art de vérif. les Dates, t. I, p. 546. Edit. Paris. 1783. — (7) Mabill. Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. II, p. 1094. — (8) Annuaire du diocèse de Langres. Année 1838, p. 12 et 17. — (9) T. III Septemb., p. 522, n. 9.—(10) Ibid., n. 10. — (11) Hist. litt. de France, t. III, p. 444 et seq. — (12) T. II Martii, p. 595, n. 3 et 4. — (13) T. VII Octob., p. 1083, n. 8.

quoque

J. V. H.

quoque litterarum palæstra aperiretur. Verum id insinuasse satis esto.

duodennis monasterium ingreditur

12 *Transacta pie ætate puerili, S.* Austrudis *duodecim annos facta in matrimonium expetitur a quodam Landranno*, ex progenie, *ait biographus n.* 2, nobili progenito. *Sed* recusat Dei virgo respuendo opes perituras et transitorias nuptias: *quare conjungit sese* choro in ecclesia psallentium clericorum, relictis corde et animo temporalibus amicitiis mundi. *Ipsa vero prosequitur clericos, qui cereos et cruces in manibus portantes Virginem deducunt ad* monasterium, cui præfuit Salaberga, sacra mater hujus sacræ puellæ. *Anno itaque ætatis duodecimo S.* Austrudis *regularis vitæ cursum inchoavit : hæc enim ita in scriptore Vitæ connectuntur, ut idem fuerit Sanctæ Virgini actus et respuere sponsum terrenum et se totam devovere cœlesti. Porro secundum indicatam supra n. 6 et seqq. chronotaxim, in annum Christi* 657 *incidere debet ingressus S.* Austrudis *in monasterium.*

eidemque octavo post anno

13 Venerabilis abbatissa, *ait biographus noster n.* 3, sentiens resolutionem sui corporis imminere, pastoralem sollicitudinem filiæ suæ Austrudi, post fugam nuptiarum suarum olim Domino sacratæ,
B *tradere voluit.* Consilio itaque Laudunensis Ecclesiæ pontificis et Francorum procerum, qui præerant huic provinciæ, atque adsensu et electione et acclamatione sororum, tunc in hoc loco degentium, sub regali licentia, benedictione episcopali sacratur in abbatissam. Eratque annorum viginti, quando gregem Christi sub suo recepit regimine. *Quod mortuæ S. Salabergæ abbatissa successerit* Austrudis *viginti annos nata, mirum videri potest consideranti vigentes tunc Ecclesiæ canones. Nam e S. Gregorio Magno habemus lib.* IV *epist.* XI (1): Juvenculas abbatissas fieri vehementissime prohibemus. Nullum igitur episcopum fraternitas tua, nisi sexagenariam virginem, cujus ætas hoc atque mores exegerint, velare permittas. *Videtur igitur contra sacros canones actum aperte fuisse, quando vicennis virgo monasterio præposita est ac in abbatissam consecrata.*

licet adolescentula præficitur:

14 *Sed imprimis fieri potuit, ut quandoquidem novella esset fundatio cœnobii Laudunensis, non aliæ reperirentur moniales, quam intra juventutis annos constitutæ. Dein, et id quidem maximi in hac re est momenti, poterat S. Salaberga, accedente, ut dicitur, consensu sororum, jure suo, fundationis titulo,*
C *instituere abbatissam : quod etiam factitatum invenitur a S. Radegunde in monasterio Pictavensi, uti refert S. Gregorius Turonensis in sua Historia Francorum lib.* IX *c.* 42 (2): Cui *(monasterio), ait S. Radegundis,* consentientibus beatissimis vel hujus civitatis vel reliquis pontificibus, electione etiam nostræ congregationis domnam et sororem meam Agnetem, quam ab ineunte ætate loco filiæ colui et educavi, abbatissam institui, ac me post Deum ejus ordinationi regulariter obedituram commisi. *Jam enim gliscere cœperat illa tempestate jus patronatus, quod deinceps multiplici canone ad certam formam redactum fuit. In Concilio Aurelianensi IV, anno* 541 *celebrato* (3), *prohibetur can.* VII dominis *prædiorum, ne* in oratoriis suis contra votum episcopi.... peregrinos clericos intromittant, nisi forsan quos probatos ibidem districtio pontificis observare præceperit. *Liberum itaque erat dominis prædiorum e clero diœcesano presbyterum sibi assumere. Imo istorum dominorum audacia, ut compescenda fuerit in eodem Concilio can.* XXVI, *quo cavetur sub pœna interdicti, ne potentes* de agendo officio ecclesiæ *clericos* prohibeant. *Pari* D
modo in Oriente eodem circiter tempore, scilicet anno 543 *prohibet imperator Novella* LVII *c.* 2 *ne fundatores obtrudant episcopo presbyterum ordinandum, sed præsentent rite examinandum,* ut, *ait,* non profanentur sancta Dei. *Hac ratione mihi videtur discussum, quod in electione S.* Austrudis *contra canones actum reprehendi posset.*

fratrem S. Balduinum

15 *Prospere sat longo temporis spatio fluebant res* Austrudi *nostræ ejusque monasterio, quum mors, S. Balduino fratri a nefariis hominibus illata, tum ipsam Sanctam tum ejus sanctimoniales turbavit et forsan in discrimen induxit. Erat vero Balduinus, proles quintogenita S. Salabergæ, proindeque duobus tribusve annis S.* Austrude *junior. A teneris Deo dicatus videtur sese mancipasse Ecclesiæ Laudunensi, in qua, ut utar verbis Breviarii Laudunensis* (4), *ejus* nomen et eximiæ dotes statim innotuerunt Serulpho, Laudunensi præsuli egregiæ sanctitatis, qui Balduinum, sacris Ordinibus initiatum, intra clerum constituit, et archidiaconi dignitate decoratum, in partem laborum ascivit (5). *Biographus noster num.* 7 *huic elogio addit, eumdem utilia procurasse monasterio S.* Austrudis; *imo eidem regendo præpositum fuisse insi-* E
nuant mea sententia verba biographi n. 8 *narrantis* luctum et dolorem fuisse in Lauduni civitate per plures dies, non solum apud illos quorum tutor et pastor fuerat hic vir, verum etiam apud cives hujus urbis. *Hæc verba interpretor de cura monasterii Salabergiani Sancti tutelæ commissa : atque hinc porro sequitur Balduinum non fuisse archidiaconum Laudunensem : inepte enim discernerentur cives Laudunenses ab illis, quorum* tutor et pastor *fuerat, quoniam hujusmodi tituli conveniunt archidiacono, qui, ut loquitur can.* 1 *de off. archidiac.* (I. 23) vicarius est episcopi in omnibus *et habet* curam in clero (tam in urbe positorum, quam eorum, qui per parœcias habitare noscuntur) sive de eorum conversatione, sive honore et restauratione ecclesiarum, sive doctrina ecclesiasticorum vel cæterarum rerum studio. *Cui quidem hæc omnia primario post episcopum incumbunt, is merito civibus Laudunensibus* tutor et pastor *dici debuisset. Unde consentio cum Joanne Mabillon, opinante S. Balduinum Ecclesiæ Laudunensis Canonicum fuisse* (6). *Cæterum sciunt omnes, jure canonico vel* F
leviter tincti, archidiaconatum hodiernum esse meram dignitatem capituli cathedralis ecclesiæ, omnemque jurisdictionem in vicarios generales, ad nutum episcopi amovibiles, transivisse.

occisum circa annum 679, in suo monasterio sepelit.

16 *Bollandus noster ad diem* VIII *Januarii* (7) *cum tempus passionis S. Balduini late sæculo septimo in margine assignasset, arctius tamen annum definit dicens:* Videri potest Ebroini temporibus esse interfectus (8). *Occupavit autem Laudunum Ebroinus anno* 680, *sequenti anno occisus. Martyrium autem S. Balduini Laudunensem calamitatem præcessit juxta biographum nostrum, qui post relatam interfectionem addit n.* 10 *:* Interea occisores tanti viri, Deo odibiles, non cessabant inferre famulæ Dei Austrudi injurias.... Accidit autem occasio et non devotio, ut rex Theodoricus hostiliter intraret Lauduni civitatem. Adfuit autem Ebroinus cum exercitu. *Patet igitur ante occupationem Laudunensem passum esse Balduinum. Sed quoniam eumdem habemus* tutorem et pastorem *cœnobii Virginum, vetat quoque vigens tunc disciplina, ut diu ante ista tempora occi us fuerit S. Balduinus, quoniam vix ante annum* 647 *natus,*

(1) T II Oper., p. 692. — (2) D. Bouquet, t. II, p. 359. — (3) Labbe, t. V Conc., col. 382. — (4) Anni 1748. Part. Autumn., p. 468. — (5) Cfr Act. SS., t. I Januar., p. 503, n. 5. — (6) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. II, p. 978, not. *a*. — (7) T. I Januar., p. 502. — (8) Ibid., n. 4.

trigesimum

A *trigesimum annum complere debuit, antequam regimini monasterii applicari potuerit: addamus et biennium, ut operam suam monialibus valuerit probare, et annum sæculi septimi septuagesimum nonum attingimus, cui satis certo illigare Sancti passionem possumus. In annum Christi* 687 *rejicit Cointius* (1) *Balduini martyrium, sed, ut ex dictis constat, absque idoneo testimonio.*

Moritur initio sæc. VIII.

17 *Aliud porro non restat speciali commentatione dignum circa S.* Austrudem, *quam inquisitio in tempus ejus obitus. Hanc investigationem in hunc diem rejecerant majores nostri in Commentario ad Vitam S. Salabergæ* (2); *fidem igitur olim datam liberamus. Joannes Mabillon tum in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti* (3), *tum in Annalibus* (4) *affigit mortem S.* Austrudis *anno Christi* 688, *et quidem, ut dicit in Actis, quasi istam epocham ex Vitæ serie collegisset : S.* Anstrudis, *inquit,* anno circa DCXXCVIII ad superos migravit, ut ex superioribus colligitur. *Verum nihil in præcedentibus occurrit, quo hic annus confirmetur. Cointius aliique obitum Sanctæ nostræ in annum* 707 *reponunt, sed nulla etiam suæ sententiæ reddita ratione. Unum elicere valemus e biographo nostro, scilicet S.* Austru-
B dem *vixisse sub pontificatu Madelgarii temporibus Pippini Heristallii, qui ab anno* 680 *ad* 714 *Austrasiam gubernavit. Ex eo autem certo conficitur S.* Austrudem *post annum* 681 *obiisse. Ast Sanctam usque ad initium sæculi octavi vixisse me suadet series episcoporum Laudunensium. Etenim Attola seu Atelanus sedem occupavit anno* 672, *ut ostendi in Commentario prævio S. Bercharii ad diem* XVI *Octobris* (5) : *Madelgarius autem, quocum controversiam habuit Sancta, sextus vel septimus ab Atelano Laudunensem cathedram tenuit* (6) : *quare probabile judico sex episcopos hanc ecclesiam saltem per spatium triginta annorum gubernasse, et proinde obitum S.* Austrudis *ab initio sæculi octavi removeri non posse, quin tamen certum annum indigitare valeam : quare in fronte hujus Commentarii mortis tempus initio sæculi octavi signavi.*

ejusque corpus in ecclesiam S. Joannis Baptistæ transfertur.

18 *Corpus S.* Austrudis *primum conditum fuit in ecclesia S. Mariæ Profundæ, quæ una erat e septem, quas S. Salaberga juxta suum monasterium ædificaverat ad usum perpetuæ psalmodiæ inter moniales vigentis. Quievere istic sacræ exuviæ per multos annos, donec una cum corpore S. Salabergæ in superiorem ecclesiam S. Joannis Baptistæ, quæ pariter*
C *una ex septem erat, translatæ fuere, cujus translationis duplex olim erat celebritas, scilicet in honorem S. Salabergæ die* XI *Kal. Martii et S.* Austrudis XVI *Kal. Julii. In dicta ecclesia remansere pretiosa pignora usque ad finem sæculi proxime elapsi* (7), *quando in Gallia omnibus sus deque versis, etiam hæc lipsana in turbine perierunt. Hæc scilicet ad nos scribit R. D. Lequeux, Vicarius Generalis episcopi Suessionensis, litteris datis* IX *Kalendas Maii* 1846. *Atque hæc sunt fere omnia quæ de S.* Austrude *commentandum habuimus.*

(1) Ann. Eccl. Franc., t. IV, p. 185. — (2) T. VI Septemb., p. 518, n. 11. — (3) Sæc. II, p. 981, not. *a*. — (4) Lib. XVII, § XXIV, t. I, p. 521. — (5) T. VII Oct., p. 997, n. 52 et seqq. — (6) Gall. Christ., t. IX. col. 512. — (7) Ibid., col. 591.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

VITA S. AUSTRUDIS,

VIRGIN. ABBATISSÆ LAUDUNENSIS, AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI

Ex Joannis Mabillon Actis SS. Ord. S. Benedicti.

CAP. I. *Sanctæ ortus, pia institutio et ingressus in monasterium ; fratrem suum S. Balduinum, injuste occisum, amare deflet.*

S. Austrudis, pie educata,

Temporibus Dagoberti regis fuit in hoc mundo vir nobilis Baso, qui nobilibus ortus parentibus secundum naturam, nobilior factus moribus per E gratiam, consilio Francorum procerum duxit uxorem Salabergam, generosi et religiosi viri Gunduini religiosam filiam. Hæc post sterilitatem peperit sponso suo inter electam turbam natorum filiam, quæ Austrudis *a* appellata est *b*. Nutritur autem a progenitoribus suis cum magno studio totius diligentiæ tradita religioni Christianæ, discens etiam litteras in diebus teneræ infantiæ. Excedit itaque annos puellares, ambulans de virtute in virtutem Virgo noviter nata : et dum cessat vagire in cunabulis, laudes discit cantare Filio Virginis. Fit etiam per divinam clementiam audiendo, legendo capax memoriæ, exercens se etiam in magisterio doctrinæ : insignis apparet carnali genere, insignior mentis sanctitate : pretiosa vultus specie, pretiosior corde : manifestatur mundo plena esse eloquentiæ, sed multo plus sapientiæ, dilecta Deo et hominibus anchoram voluntatis suæ copulavit virtutibus. Insuper tanta repleta est gratia, ut morum maturitas monstraretur in ejus ætate prima.

duodennis, repudiato terreno sponso,

2 Præterea cum esset in anno duodecimo *c*, requiritur a Landranno, ex progenie nobili progenito : delatasque secum multas opes auri et gem- F marum et vestium tradidit manibus parentum, ut possit Austrudem virginem accipere sibi conjugem. Sed probatur frustra, pro Dei sponsa, sua dedisse et frustra ampliora promisisse. Recusat namque Dei Virgo respuendo opes perituras et transitorias nuptias : nec jam cogitat mens ejus de maritali toro, sed de Evangelio. Munita enim muro virginitatis, sponsum despexit cum dote terrenæ facultatis. Sicque feliciter seducitur Landrannus in agro castitatis, cum putat sponsum se fieri posse de jam a Christo desponsata Virgine. Annulum fidei, quem misit cœlestis sponsus Virgini, non viderat oculus terreni mariti. Quid plura? tandem sic fertur dixisse præsentibus sibi puellis servitio suo destinatis : Numquid iste est, quem sponsum meum esse dicitis? credite meis sermonibus ; numquam nuptiarum legibus sociabitur mihi carnalis sponsus. His dictis accensa ardore cœlestis sponsi, conjungitur choro in ecclesia psallentium clericorum, relictis corde et animo temporalibus amicitiis mundi.

3 Dum

AUCTORE ANONYMO SUB.ÆQUALI.

monasterium ingreditur.

3 Dum sic incipit militare Deo, lætantur ordines clericorum : offerentibus clericis illuminatos cereos et cruces in manibus portantibus et Dominum laudantibus pro tanta virtute, quam cognoverunt esse in Virgine Austrude. Sicque prosequitur cantantes clericos cum magna devotione usque in locum, in quo manet monasterium, cui præfuit Salaberga, sacra mater hujus sacræ puellæ, pie regendo catervam sanctimonialium. Itaque regente Deo, non est obruta Virgo syrtibus vitiorum, non est decepta coloribus pretiosarum gemmarum, quæ sunt ambitiones sæcularium fœminarum. Numquam avaritia in ea regnavit, quæ fidem et honestatem artesque bonas subvertit in avidis mentibus. Ecce prudens Virgo inter tempestates mundanas providi nautæ more vitando fugientis sæculi naufragia, sapienter servans Domino sui pectoris habitacula, nunc colitur, quoniam paupertate Christi nihil est ditius; quia non est laudis ecclesiasticæ possidere divitias, sed pro Christo eas contemnere. Virgo enim, quæ contemnit pompas mundi, habet in vase suo copiam olei. Propterea, sorores charissimæ, non extinguuntur lampades gloriosæ hujus Austrudis, quia remota fuit
d B (sicut audistis) a sæcularibus pompis *d*. Dulcius ergo sit vobis cum hac Virgine sequi gloriam post victoriam, quam sine ipsa sequi ignominiam post carnis ruinam.

succeditque abbatissa matri suæ S. Salabergæ : e

4 Præterea venerabilis abbatissa Salaberga, sentiens resolutionem sui corporis imminere *e*, pastoralem sollicitudinem filiæ suæ Austrudi, post fugam nuptiarum suarum olim Domino sacratæ, commonens eam habere curam ovilis Christi. Cum consilio itaque hujus Laudunensis Ecclesiæ pontificis et Francorum procerum, qui præerant huic provinciæ, atque adsensu et electione et acclamatione sororum, tunc in hoc loco degentium, sub regali licentia, benedictione episcopali sacratur in abbatissam. Eratque annorum viginti, quando gregem Christi sub suo suscepit regimine. Tota in Deo ejus cogitatio, quia non diebus, non noctibus a colloquiis et mandatis divinis recessit. O Virginem per omnia repletam Dei gratia! Quam voluit esse pulchram facie, sed pulchriorem fide, elegantem corpore, pollentem castitate, jejuniis intentam, orationibus devotam, in vigiliis sedulam, sobrietate assiduam, conversatione ecclesiasticam ; in eleemosynis largam, in distributione suarum
C rerum lætissimam, in congregatione mitissimam, in sermonibus lenissimam. Probatur esse humilis et pia sibi subditis et hospitum receptrix. Januæ ejus patefactæ sunt egenis et peregrinis, in carceribus retrusis vel vinculis vinctis personam * curam agebat. Assidue autem orphanis et viduis, pupillis et miseris clementer misericordiam impendebat, escam esurientibus præbendo, potum sitientibus dando, dolentes consolando, tristes exhilarando, ægrotos visitando, irascentes mitigando, discordes in pacem revocando, ad ultimum mortuos sepeliendo.

* personalem?

fratrem suum S. Balduinum, injuste occisum,

5 Quamvis fama bonorum operum apud reges Franciæ et principes terræ magnum nomen et honorem huic dilectæ Domini acquisierit, nihil sibi de bono, sed totum imputabat Deo; quia illi in tantum adhærebat, ut habitus ejus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum esse videretur. Sed numquam in hoc sæculo deest perfidia pravorum, quæ probat patientiam bonorum. Semper enim pars malorum infesta est parti piorum, ex quo Cain fregit sarculo guttur fraternum. Dum B. Virgo Austrudis conaretur exercere omnes dies vitæ suæ in Dei laudibus, sagittas doloris occulte fabricat ei humani generis adversarius. Erat namque ei frater charissimus, nomine Balduinus : D adversus hunc, stimulante diabolo, concipiunt et meditantur dolos, qui videbantur esse amici et fideles hujus Virginis et fratris. Sed rara fides est hominum, de quibus scriptum est : *Simulatores et callidi provocant iram Dei* *. Tenerrime autem dilectus a sorore Balduinus in simplicitate cordis sui, dolose cum peste invidiæ vocatur ad placitum a ministris Satanæ in quadam villa Laudunensis provinciæ : qui sumens secum duos tantummodo equites, tertius confestim ivit causa placiti ad hostes crudeles, omnium hominum, quos terra sustinet, sceleratissimos. Sed falso colore pacis mox deceptus est et confossus gladiis *f*. Sicque apparuerunt impii in occisione justi, qui videbantur esse amici : quorum nomina et stirpem dicere, injuriam putamus *g*. f g

* Job xxxvi, 13.

amare flet.

6 Nuntiatur occisio fratris auribus sororis : illa autem inter amaras lacrymas nomen Domini benedixit, sicut et simplex Job de filiorum amisso numero. Credulitas namque cordis justitia deputatur, et salus, oris confessio : sciensque statum humanæ conditionis esse fragilem, dixit : Quamvis sim hodie desolata et frustrata proprio fratre, E reddo tamen tibi, Deus, multiplices gratias, et refero laudem et honorem majestati tuæ. Obsecro, piissime Christe, ut non sentiam iram judicii tui, neque auferas faciem misericordiæ tuæ a lacrymis oculorum meorum : sed concede mihi virtutem, ut patienter possim et ferre et flere intempestivam amaritudinem commoti cordis mei, quæ mihi subito accidit pro damno occisi fratris. Laudo et glorifico et benedico nomen gloriæ tuæ, quod est sanctum, quia fratrem, quem dedisti mihi, recepisti. Heu me (iterum dicens) frater innocens, ut quid te misi consiliis crudelissimorum hominum! Numquam fuisset causa illa, pro qua ire disposui te dure interfectum*, qui eras baculus infirmitatis meæ. Et quoniam fraternus amor nescit modum, iterum flebiliter adjecit : Nunc qui carnales fratres habent, misericordiæ memores sint compatiendo lacrymis meis dolore plenis : non contemnant lacrymantem, sed me plorante, provocentur ad pietatem, dum amarissime defleo germanum, qui solus mihi remanserat, quem hodie perdidi. Esto mihi, Deus, misericors, adsis custos et consolator meus. F

* Obscurum?

cum monialibus suis.

7 Post lacrymabilem autem querimoniam, licet corde tenus patiendo fraternos casus amaricata fuisset, rationabiliter tamen virilis apparebat ejus vultus et mitis, quia temperabat eam a fletibus dulcedo Sancti Spiritus, qui in ipsa manebat. Congregatio denique sanctimonialium videns et audiens abbatissæ suæ triste infortunium, non sine lacrymis plangit et mœrorem sororis et martyrium occisi fratris. Nam in pavimento ecclesiæ prostratæ ostendunt se singultibus et suspiriis dolere cum spirituali matre, flere cum flente : scriptum est enim : *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra**. Mota vero abbatissa maximis gemitibus sororum supra terram jacentium et pie pavimento se volutantium causa immoderatæ tristitiæ, accedit ad eas, sed sustentata manibus aliarum, non enim poterat libere incedere, fatigata flendo et dolendo. Stansque ante altare, elevatis manibus vix indicens silentium compescendo voces flentium ait : Audite me, dilectissimæ sorores et filiæ, pro hoc incommodo tam aspere clamando taliter vociferari nolite : sed ad memoriam reducite, quam dulciter et quam communiter vos omnes meus frater amavit, qui hodie

* I Cor. xii, 26.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

A hodie est injuste occisus. Affectu veræ dilectionis erga vos usus est hactenus vobis bene optando et vestra utilia procurando : precor vos, licet sim turbata privatione fratris, ut animæ ejus memores sitis in orationibus vestris, ut crudeliter interempta anima possideat paradisi gaudia.

ANNOTATA.

a *Ut præmonui, Mabillonius constanter* Anstrudem *scripsit; malui vero antiquiorem formam,* Austrudem, *retinere propter rationes n.* 2 *Commentarii prævii allatas.*

b *Quinam prolem enixam refert S. Salabergam ejus biographus hoc ordine : Saretrudem, Ebanam,* Austrudem, *Eustasium, infra pueriles annos defunctum, et Balduinum, postea Martyrem* (1).

c *Si quidem S.* Austrudem *monasterium Laudunense ingressam legimus anno ætatis duodecimo, eamdemque opinati sumus Commentarii prævii n.*6 *et seqq. natam anno Christi* 645, *hæc fuga sæculi ad annum* 657 *aut sequentem pertinet.*

d *Hæc ab auctore subæquali prolata verba monstrant illa tempestate lampades accendi consuevisse*
B *ad Sanctorum sepulcra, et B.* Austrudem *brevi post mortem temporis intervallo cultum ecclesiasticum obtinuisse, quod cæterum etiam ostendit ejus ad Adalsindam mandatum infra n.* 25 *relatum circa ornamentum sepulturæ suæ.*

e *Jam egi in Commentario prævio n.* 7 *et seqq. de anno S. Salabergæ emortuali, et utcumque confirmavi dicta majorum ad diem* XXII *Septembris* (2) *censentium ab anno Christi* 665 *Sanctæ obitum removeri non posse : imo ex hac præcipue epocha desumpsi S.* Austrudis *annum natalem, Christi* 645.

f *Ex dictis n.* 15 *Comm. prævii corrigenda est chronotaxis Bollandi nostri ad Vitam S. Balduini die* VIII *Januarii* (3). *Juverit hic adscribere notam Mabillonii, quam textui subjunxit* (4) : Balduinum, ut Martyrem sanctum colunt Laudunenses VI Idus Januarias, quo die in Martyrologio Laudunensi ejus festum pronuntiatur hoc modo : *Apud Laudunum S. Balduini Martyris et levitæ, qui pro defensione ecclesiasticæ justitiæ a nocentibus innocenter occisus est.* Quamvis modo in diem XXVIII Januarii *(hodie in diem* XVII *Octobris juxta Directorium anni* 1827) ob Epiphaniæ octavam concurrentem hoc festum rejicialur. S. Baldui-
C num, peste ingruente, interpellare solent. Reliquiæ S. Balduini in ecclesia nostra S. Johannis Baptistæ majori altari impositæ religiose servantur. Eum ecclesiæ cathedralis canonicum fuisse opinantur.

g *Ex hoc loco recte cum Mabillonio concluditur biographum proxime temporibus S. Austrudis vixisse. Cfr n.* 4 *Comm. prævii.*

Cap. II. *Occiso fratre suo, multas calamitates patitur Sancta ab adversariis suis, quos tamen omnes, Deo juvante, vincit.*

Occiso S. Balduino, quem

Recedens post hæc cum sororibus et impotentia virtutis ejus, nec jam fœmineo sed virili more consolabatur. Nec finem plangendi sacra Virgo fecerat, stans in excelso Lauduni montis loco, cum subito feretrum vidit, in quo claudebatur corpus fratris sui. Sed quoniam, ut scriptum est, amor numquam est otiosus, operatur magna, si est, dirigens aciem oculorum suorum in occisum, ait : Jamjam redis ad me, frater charisssime, heri vivus, hodie occisus : heri dimisi te incolumem, hodie recipio te ad sepeliendum. Frater, frater animo meo amantissime, cur tibi immature et a quibus minime oportuit, vita erepta est ! Quamvis mihi te tulerint occisores tui, tamen lætandum magis, quam dolendum esse puto de occisione tuâ : non enim perdidisti vitam meliorem cum innocentia, seb labem, fugam et exsilium et egestatem et pericula hujus sæculi, et omnes has ærumnas, quæ mortales premunt, amisisti. Invitatus ad placitum cum duobus tertius ivisti, et nunc cum pluribus amicis te flentibus reverteris; quia tu simplex et innocens fraudulentiæ et dolosæ amicitiæ tuorum inimicorum credidisti, propterea me nunc solam sororem reliquisti. Et quis præsens tam ferrei pectoris esset, qui tantæ Virgini compassus non fuisset super fraterna occisione ? Sed nemo potest enarrare per singula, quantus luctus E
et quantus dolor fuit in Lauduni civitate per plures dies, non solum apud illos, quorum tutor et pastor fuerat hic vir, verum etiam apud cives hujus urbis. Sed Virgo beatissima omnia, quæ sunt mundi, transitoria esse intelligens, patientiæ se clypeo armabat : didicerat enim humilis esse inter prospera et inter adversa esse secura, quæ sicut myrrha electa dedit Christo suavitatem odoris.

honorifice componit,

9 Nec mirum est, sorores charissimæ, si occisus est tantus vir a diaboli membris, sicut audistis; cum sciatis hunc Martyrem **a** membrum esse illius, qui zelo Pharisæorum ad salutem mundi est crucifixus. Semper enim ab antiquo virtutes invidia persequitur : sicque fit, ut Deus, qui est fons pietatis, clementer suscipiat, quos hic mundus inclementer colaphizat; quia placent Deo semper, quæ displicent mundo. Afflictio enim, quæ est temporalis in hoc sæculo, electorum materia est cœlestis gloriæ præmiorum; quoniam hujus mundi tranquillitas animarum est tempestas. Igitur non sine causa Apostolus prohibet contristari de morientibus, relinquere tristitiam tantummodo illis, qui spem resurgendi non habent. Defectus F
namque corporum, non mors, sed dormitio et somnus in Scripturis sacris appellantur : quia substantia humanæ corporalitatis non tollitur, sed per gloriam resurrectionis in perpetuas æternitates reformabitur ab illo, qui mortem sua morte dissipavit. Ex hoc colligitur, quia feliciter moritur, qui pro Christo victurus occiditur. Securus cum Christo vir iste regnat, quia raptus est ne malitia mutaret mentem ejus etc.

inimici S. Austrudis accusant eam

10 Interea occisores tanti viri, Deo odibiles, non cessabant inferre famulæ Dei Austrudi injurias, utentes adversus eam suo malo dolo et pravo ingenio. Nam parvipendentes fusum a se sanguinem justi, repleti furore malitiæ, Ebroinum adeunt virum palatinum, qui in illis temporibus erat sub Theodorico rege potens opibus et consiliis regalibus *b*. Accusantes igitur Virginis innocentiam in auribus principis, convertunt ejus potentiam in iram suis falsis testimoniis, suadentes illi, ut contra eam insurgeret, quatenus sacratæ abbatissæ potestatem regendi animas auferret et eam

(1) T. VI Septemb., p. 523, n. 10. — (2) Ibid., p. 520, n. 21. — (3) T. I Januar., p. 502. — (4) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. II, p. 978.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

1 Cor., xv, 33. a monasterio repelleret. Sed sicut scriptum est : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*, cor tyranni principis accensum est ira adversus mansuetudinem Virginis.

apud Ebroinum, 11 Accidit autem occasio et non devotio, ut rex Theodoricus hostiliter intraret Lauduni civitatem. Adfuit autem Ebroinus cum exercitu, memor ad se accusatæ Virginis, cupiens militare Theodorico et non Deo : qui veniens ad monasterium puellarum, non est usus desiderio bonæ voluntatis, sed tamquam lupus rapax Christi oves dispergere tentat, sanctimonialium matrem spiritualem exsilio deputaturus. Cum vero furibundus virgineum vultum abbatissæ inspexisset, asperrime eam objurgare cœpit. Sed præclara Dei famula, mitis et humilis corde, paucis ac lenissimis sermonibus respondebat, ostendens patienter se non timere minas et temerariam objurgationem superbi tyranni.

qui signo cœlesti a consilio deterretur; 12 Dum Ebroinus male loquitur et pejus se facturum promittit, quidam vir boni desiderii Aeglibertus accessit ad quasdam sorores perfectæ ætatis et bonæ vitæ, dicens ad eas : Ancillæ Dei, viriliter agite et in Domino confortamini : et omnes pariter et unanimiter quasi ex uno ore vociferantes Domini majestatem exorate, ut hodie nemo vos possit separare a vestra matre spirituali. Tunc cohors sanctarum sanctimonialium repetitis precibus exorabat, ut Deus omnipotens abbatissam suam eriperet de manu et potestate contrariorum. Cumque voces psallentium sanctimonialium audirent satellites et comites Ebroini qui cum illo erant, nimio terrore exterriti, adspicientes sursum, viderunt de turriculo ecclesiæ globum igneum exire usque ad cœlum. Qui pavore concussi, citissime hoc signum Ebroino nuntiaverunt. At ille hæc audiens expavit graviter, confestimque suam ferocitatem mutavit in maximam lenitatem : moxque matris spiritualis vestigiis advolutus, devoto animo veniam postulavit, pollicitus se in omne reliquum tempus vitæ congruo honore Dei famulam venerari, fidemque et amicitiam promittit se servaturum cœnobio et Dei famulabus : sicque reversus est ad palatium amicus Religionis, qui fuerat hostis Deo dilectæ Virginis.

B

divinitus puniuntur Charivæus 13 Igitur post aliquot dies vir quidam nomine Charivæus, instigante diabolo, cœpit proterve contendere contra Dei famulam Austrudem, in tantum ut evaginato gladio eam interficere niteretur, et ita plenus malæ voluntatis in ecclesiam S. Mariæ semper Virginis Virginem persecutus intravit. Virgo autem Domini intrepida stans juxta cornu altaris, expansis manibus Dominum confidenter exorabat. Quam cernens impius persecutor tam fiducialiter minas contemnentem, propius ad aram accedere non præsumebat. In se autem reversus, metuens divinum judicium, prostratus in terram veniam humiliter flagitabat. Statim ancilla Domini, ut vidit eum indulgentiam et veniam postulantem, misericordia mota super illum, dimisit ei omnem injuriam sibi illatam, memor sententiæ Dominicæ dicentis : *Dimittite et dimittetur vobis* c. Sed post paucos dies jam dictus Charivæus vitam finiens, in ipso loco, quo contra Dei famulam rixaverat, sepultus est, ipsa tamen Beatissima permittente, quæ secundum Apostolum non reddens malum pro malo, cum magna diligentia ei locum sepulturæ perparavit.

C

14 Dein post biennium quidam juvenis, nomine Ebrohardus, cum satellitibus suis nocturnis horis castrum Lauduni hostiliter introiens, maximam partem urbis hujus igne succendit, fundere cupiens sanguinem proximi sui Gislehardi. Qui, ut intellexit adesse Ebrohardum et civitatis incendium, non æstimavit se vivere posse per unius horæ spatium : nam quanto citius potuit, aufugit et sic manus inimicorum evasit. Ebrohardus autem diu quærens fugientem et minime inveniens latitantem, commotus ira, perrexit cum furore mentis ad domnam Austrudem, eamque aspere increpare cœpit, quod ejus fuerit adversaria, eo quod faverit partibus eorum, qui suum despexerunt dominium. Imperans autem cum magna sævitia ait : Affer mihi cunctas monasterii hujus claves. Mox Christi Virgo ad mitigandam ejus vesaniam jussit afferri. Sed juxta nutum superni Judicis, acceptis clavibus, primo diluculo alterius diei ante ostium monasterii præsumptor secundum suum meritum crudelem mortem accepit. Hæc autem cernens Dei famula claves monasterii recepit, et miserum corpusculum diligenter tradidit sepulturæ, obediens et huic Dominico præcepto, quo dicitur : *Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est*; et iterum : *Benefacite his qui oderunt vos*. *et Ebrohardus repentina morte;* Luc, vi, 36. E Matth., v, 44.

15 Temporibus Pippini principis d Madelgarius, qui tunc Laudunicæ urbis pontifex esse videbatur e, vana cupiditate deceptus, voluit cœnobium Beatæ Austrudis sibi usurpare. Quod Dei famula nullatenus adquiescens voluntati præsulis, prudenter contradicebat, ita ut fieret inter eos grandis altercatio. Virgo autem Domini frequentiam contentionis ferre non valens, per Wlfoldum consanguineum suum cupiditatem episcopi Pippino sapienter mandavit. Pippinus autem legationem sacratissimæ Virginis honorifice suscipiens, statim filium suum Grimaldum Laudunum devotissime direxit, præcipiens cum omni diligentia ut deinceps Madelgarius episcopus nihil inquietudinis inferret Deo dilectæ Virgini f. Non est itaque mirandum, si a Domino tam cito de tribulationibus suis erepta est, quæ in isto sæculo proprias voluntates et curas carnis relinquens, solo desiderio videndi Dominum repleta est. *Madelgarius, episcopus, Sanctæ iniquus, reprimitur:* d e f

S. Austrudis vivendi ratio. 16 Exceptis namque diebus solemnibus, id est Natalis Domini et die sancto Paschæ et diebus Dominicis, cæteris omnino diebus nihil cibi vel potus sumebat, nisi prius psalterium per ordinem cum hymnis et canticis spiritualibus Domino decantasset. Refectio vero illius nona aut vespertinis horis esse solebat. Nocturnis horis quantum se exercebat vigiliis et psalmodiis, longum est enarrare. Locum vero sibi ultimum post ostium elegit ecclesiæ : ibique parvula cathedra posita erat, supra quam residendo, expleto cursu horarum singularum, paululum quiescebat : reliquum stratum lectuli sui jam dudum dimiserat. Lucescente quotidie hora diei surgens, mox circuibat ecclesias, invitando auxilia sororum in adjutorium sibi. Deinde infirmantium cellulas cum tota cura pietatis visitabat : sicque omnibus Dominicis præceptis se subdebat cum toto studio, ut nullis horis nullisque momentis a divinis operibus aliena appareret. F

ANNOTATA.

a *Martyrem dici posse qui propter actum virtutis supernaturalem vitam suam ponit, ostensum fuit in Commentario prævio S. Bercharii ad diem* XVI *Octobris* (1). *Unde S. Balduinus, qui pro tuendis*

(1) T. VII Octob., p. 1001, n. 67 et seqq.

juribus

A juribus monasterii sororis suæ, S. Austrudis, ad placitum iverat, in defendenda justitia occubuisse innuitur.

b Hæc verba, mea sententia, monstrant necem B. Balduini, præcessisse occupationem civitatis Laudunensis, quæ demum contigit, duce Ebroino, majore-domus Theodorici III, regis Neustriæ et Burgundiæ, anno 680 : atque hæc est præcipua ratio, cur passionem S. Balduini anno circiter 679 illigavi n. 16 Comm. prævii.

c Hæc verba evangelica ad litteram in Vulgata nostra non reperi : sunt autem, quoniam eumdem omnino sensum habent, desumpta ex Luca VI 37, qui dicit : Dimittite, et dimittemini. Eodem tenore ac biographus noster ista verba recitat S. Augustinus, Serm. LXXXIII de Verbis Domini 84 (1). Unde ad antiquam pertinere videntur versionem.

d Is erat Pippinus, Heristallius dictus, Pippini Landensis ex Ansegesilo et Begga nepos, Caroli Martelli pater; qui, Dagoberto Austriæ rege et Wlfoaldo majore-domus mortuis, una cum Martino duce occupavit Austriæ regnum, ad quod Lugdunum Clavatum pertinebat. Hæc ex Mabillonio.

e In Commentario prævio n. 17 dictum fuit Madelgarium sextum vel septimum ab Atelano sedisse B Laudunensem episcopum ; prout Omatarium, cui inscripta fuit Vita coæva S. Salabergæ, eidem ante vel post ponamus.

f Addit, ait Mabillonius, interpolator : Et nullam post potestatem in eo habuerunt Laudunenses pontifices, nisi tantummodo (dum adfuerunt inibi sanctimoniales) abbatissarum benedictionem, et abbatum, nihilominus post monialium ejectionem.

CAP. III. *Miracula in vita et post mortem.*

S. Austrudis, adhuc vivens, cæcæ lumen,

Illud non est omittendum, quoniam per illam Dominus primam dignatus est operari virtutem. Quædam namque fœmina ex famulabus suis oculorum lumen amiserat : cui electissima Virgo in visu apparuit dicens : Quid agis, soror ? Quæ respondit : Bene, Domina; sed deprecor, ut miserearis mei peccatricis. Dixitque illi : Prima die Dominica ego revertar huc ut beneficem te. Et confestim recessit. Veniente itaque Dominica, quasi hora sexta, soror C memorata Chramnegundis rogavit se per manus ad B. Austrudem adduci, obviavitque illi in limine et ait : Obsecro, Domina, ut manum tuam super oculos meos ponas. At illa fortiter denegare cœpit, seque indignam judicavit. Tunc cæca magis ac magis clamabat dicens : Vere non recedam a te, antequam me tangas, et lumen meum mihi restituas. Hæc audiens Dei Virgo cœpit lacrymari : et nihil dicens, nisi tantum oculos in cœlum levans, posuit manum dexteram super oculos ejus statimque lumen pristinum reddidit oculorum.

graviter decumbentibus valetudinem restituit : a

18 Alio quoque tempore quædam Dei famula, Adalsinda nomine *a*, capitis dolore fatigata, diu omnino jam per se levari non poterat. Ad quam Virgo Austrudis visitandi gratia venit, eique manum cum signo Sanctæ Crucis in caput posuit, et statim omnis dolor evanuit ab ea. Alio quoque die Dei famulam, nomine Scholasticam, domna Austrudis per Dominum a somno mortis suscitavit. Sic tamen mortua putabatur, quod neque per os suum, neque per nares ullum reddebat flatum. Hæc omnia et alia plura Dominus per manus ancillæ suæ, dum viveret, operari dignatus est.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI. post mort m.

19 Cum autem dies exitus suæ animæ appropinquaret, vocavit ad se turbam sororum, eisque diem obitus sui celeriter indicavit, et indulgentiam cunctis dedit, et, ut sibi indulgerent similiter, petiit. Biduo namque antequam migraret ad Dominum, quem tota mente dilexit, claritas immensa circumfulsit domum illam, in qua Virgo Christi fesso corpore quiescebat, et de ipsa claritate quasi stella radians residens in pectore, intravit in os ejus : factumque est, ut hora eadem, qua sancta illa anima egrederetur a corpore, quasi columba nivei candoris egressa ex ore ejus, cunctis qui adstabant videntibus, evolaret ad superos.

mirabili visione illustratam,

20 Cumque corpus ejus, ex more compositum, conderetur, cunctis præ foribus amarissime flentibus, ecce duæ aves inenarrabili splendore radiantes, de supernis secretis evolantes, sederunt super domum illius tecti, donec sanctum corpus omni diligentia tractaretur. Cumque sacrum corpus feretro in basilicam S. Joannis fuisset allatum, soror quædam, vulnus sub ascella habens, accessit ad feretrum, manumque ipsius Sanctæ super ipsum vulnus posuit cum summa reverentia : et E statim sana facta est, ac si vulneris livor ibidem non esset.

paralyticam sanat, vinctum liberat : b

21 Posthæc quædam Deo sacrata paralytica jacebat : quæ sopore depressa vidit in somnis Dei famulam Austrudem, ante suum lectulum adsistentem, pelliciam *b*, quam Sancta Virgo solebat induere, super eam jactantem : quæ statim de somno expergefacta surrexit, omnibusque membris recuperatis, in conspectu omnium sororum incolumis ambulavit. Reus quidam ligatus ducebatur ad necem, qui dum nullam spem evadendi haberet, dixit : Væ mihi misero, væ mihi ! Domina Austrudis, in altera vice vivens liberasti me ; nunc vado ad mortem, et modo defuncta es, mihi ultra adjuvare non vales. Ad hunc sermonem statim funis ille de manibus suis disruptus est, illeque reus, nullo persequente, portis apertis, locum reperit evadendi ac velocissimo cursu ad sepulcrum sacræ Virginis properavit. Ipso quoque tempore soror quædam, amisso lumine oculorum suorum, occubuit super Sanctæ Virginis sepulcrum, ut oraret : quæ depressa somno in ipso puncto evigilans, clare lumen amissum recepit. F Denique puella, nomine Helena, cæca et muta inter manus sororum ad ipsius Sanctæ sepulcrum adducta, sub una nocte lumen oculorum et eloquium linguæ, ipsa opitulante, recepit, ut ita quasi prius nullam anxietatem inde pateretur.

monialem dæmoniacam,

22 Illud quoque ad memoriam revocemus, quod soror quædam, nomine Oda, filia Gautsuini quondam ducis, ab infantia dæmonio graviter vexabatur ; et cum eadem infirmitate veste sanctimonialis accepta, monacha in ipso monasterio Laudunensi ipsam vexationem per quindecim annos passa fuit. Una autem Sabbathi, aurora diei incipiente, venit ad eam quasi vox Sanctæ Austrudis, rogans ut signo Dominicæ Crucis semetipsam armaret fortiter et a lecto suo cum summa festinatione surgeret, ac pergeret ad sepulchrum Sanctæ Virginis, et de ipsa petra in Trinitate morderet. Quæ ita admonita per duas vices, surgere non audebat : timebat enim valde. Tertia autem * voce vox ipsa objurgavit eam dicens : Cur dubitas, puella ? Surge velociter, noli timere neque expavescere, sed vade ad sepulchrum meum, et ego ero tecum :

* vice?

(1) T. V Oper., col. 448. Edit. Benedict.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

tecum : et de petra morde per tres vices, et sana eris. Quæ cito surgens, rapidissimo cursu pervenit ad sepulcrum illius : et ecce universa ostia ecclesiæ, quæ illis horis firmissime clavibus obserata esse solebant, patefacta sunt. Quæ veniens prostravit se, et de ipsa petra momordit per tres vices, ut ei fuerat imperatum : quæ statim somno suavissimo detenta, auditaque voce Sanctæ Austrudis, quæ et prius ei loquebatur, dixit ad illam : Surge modo, filia, quia jam curata es ab infirmitate, quam ab infantia nunc usque fuisti perpessa. Quæ cum magno gaudio inter cæteras virgines sana facta cum fiducia ambulavit.

sanguinis fluxum passam, hydropem,

23 Quædam vero ex sororibus fluxum sanguinis patiebatur gravissimum : quæ vidit in somnis quamdam monacham præcipientem sibi, ut medequamdam monacham præcipientem sibi, ut medecinam aliam nequaquam sumeret, nisi rasum pulverem de sepulchro Sanctæ Virginis in vino biberet calido. Quæ evigilans jussa complevit, atque in ipso momento a fluxu sanguinis sana effecta est. Denique puella, quam supra a B. Austrude resuscitatam diximus, arrepta a dæmonio torquebatur, quam apprehensam posuerunt super tumulum Sanctæ Virginis : quæ sopore depressa, purgata B est a dæmone, consolidatisque membris, illa regressa est. Item alia puella hydropica, omnibus membris destitutis, venit in ipso die, quo secundum morem anniversarium diem suæ depositionis summo honore venerabantur, et in conspectu omnium super ipsum sepulcrum Sanctæ Virginis prostravit se et obdormivit. Expergefacta autem puella, quæ a duabus fœminis ibi vix fuerat adducta, recuperatis membris omnibus, per se ipsam ad domum suam incolumis ambulavit.

item paralyticam curat;

24 Quædam autem infirma, Sigrada nomine, per octo annos paralytica jacebat, ita ut nec manum suam ad os suum levare potuisset. Viditque in somnis S. Austrudem in veste fulgenti, ampullam in manu sua in similitudine crystalli præclarissimi olei plenam tenentem, et ex ea in modum crucis cœpit ungere brachia vel manus et totum ejus corpus. Expergefacta autem ab eadem visione, portare se fecit in basilicam S. Joannis Baptistæ et deponi juxta cathedram, ubi S. Austrudis frequenti orationi vacare solebat : statimque omni C sanitate recuperata, quasi super se prius nullum sensisset dolorem *...

* *supple incolumis recessit.*

monet ut sibi altare erigatur;

25 Una autem Sabbathi sanctimonialis quædam, dum oraret, sopore confecta, vidit S. Austrudem in basilica B. Joannis Baptistæ contra locum cathedræ suæ. Quæ dixit ad eam : Soror, vade ad Dei famulam Adalsindam abbatissam, et dic ei, ut isto loco ubi vides me stantem, lectum *c* citius faciat ædificari, et ibi quæ voluerint sorores, veniant orationes lucrari. Ad hunc sermonem soror ipsa evigilans perrexit, quo jussum fuerat, et narravit prædictæ matri familias quæ audivit et vidit. Quæ cum audisset, intelligit lectum illum significare velle altare. Quæ dictis obediens, altare in eodem loco sacrari fecit : ubi quicumque fideliter in nomine Jesu petierit, quod poposcerit, impetrabit.

alia miracula.

26 Alia namque soror fluxum sanguinis quatuor annis patiebatur : quæ veniens in hunc sacrum locum, rogans pro infirmitate sua, repente sanata est. Denique quædam ex sororibus graviter vulnerata, ita ut etiam a medicis minime curari posset, affligebatur. Quæ cum ad illam cathedram S. Austrudis se jussit portari, ibi per virtutem ejus sanata est, ac si nullum tumoris vulnus in corpore habuisset. Igitur puella ab infantia in hoc sacro cœ- D nobio enutrita, nomine Petronilla, vehementer ægrotans, ita attenuata erat, ut vix anhelitum flebilem daret, cæteris membris ita destituta, ut nec oculos aperire posset. Nutrix vero ejus amarissime flens pro defuncta, ad locum requietionis S. Austrudis deportavit eamque devotissime extensam imposuit. Quo facto, suffragantibus meritis B. Austrudis Virginis, prædicta puella statim oculos aperuit et cœpit loqui, restitutisque membris sanata est.

præcipue quatuor arreptitiarum.

27 Nuper quidem contigit quamdam fœminam ex progenie nobili una cum filia sua et duabus puellis gravissime a dæmonibus fatigari : quæ, dimissis facultatibus suis plena devotione se Domino mancipaverunt et in ipso cœnobio habitum sanctarum sanctimonialium susceperunt. Sed, ut mos est, imprimis eas longe in summitate monasterii sequestraverunt, statimque crudelissime dæmones eas immaniter vexare cœperunt, ut pene nullæ sororum ad ipsas auderent accedere, in tantum, ut alimoniam deputatam a longe posuissent et fugerent. Dum autem nutu et meritis S. Austrudis post celeberrimum diem Natalis Domini circa mediam noctem prædicta matrona cum filia et puellis E pavore nimio concussæ, de loco, quo erant, summo cursu pergentes, ad basilicam S. Mariæ semper Virginis, ubi Sanctæ Reliquiæ requiescere videntur *d*, advenerunt, et procidentes ante sepulchrum, *d* jacuerunt ibi biduo. Nocte vero tertia ad pullorum cantum exstinctum est lumen lampadis illius, quæ pependit super sepulchrum Sanctorum et post unius horæ spatium illuminata est : et ita usque ter exstinctum et iterum lumen recepit. Ut autem tertio illuminata est, tota ecclesia quasi fulgore clarissimi luminis resplenduit. Quod videns præfata mulier cum suis, nimioque timore perterritæ obdormierunt, audieruntque sonitum membrorum suorum, et inde pavore concussæ, exclamaverunt voce magna, timentes eadem hora vitam finire. At ubi claritas diei illuxit, steterunt super pedes suos. Ita namque, favente Domino, per intercessionem Sanctæ Austrudis prædicta matrona cum filia sua et duabus puellis a vexatione dæmonum liberatæ ac purificatæ apparuerunt, ut deinceps nullam a dæmonibus vexationem usque in diem sui obitus habuerint.

Epilogus.

28 Multa quidem et alia, quæ modo non occurrunt, miracula Dominus, qui semper est mirabilis F in Sanctis suis, per Sanctam ac Beatam famulam suam Austrudem Virginem ostendit et præstantur quotidie ad sepulchrum illius beneficio orationum ejus omnibus fideliter petentibus per Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum, qui cum æterno Patre * et Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

* *addit* et Filio.

ANNOTATA.

a *Adalsinda, de qua hic agitur, eadem videtur quæ infra n.* 25 *abbatissa vocatur et S.* Austrudi *successit.*

b Pellicia *vestimenti genus ex pellibus confectum, quo utebantur etiam monachi : uti Petrus Venerabilis in epistola ad S. Bernardum lib.* I *ep.* 28 (1) *late monstrat pelliciarum (non sane pretiosarum) usum nuspiam a S. Benedicto monachis interdictum fuisse. Neque hujusmodi vestem prohibebat Regula S. Columbani, ad quam monasterium Laudunense a SS. Eustasio et Waldeberto ordinatum fuit.*

c *Lectum*

(1) Biblioth. Cluniac., col. 664 et notæ col. 115.

AUCTORE ANONYMO SUÆQUALI.

A c *Lectum hic ipsa Adalsinda altare interpretata est. Significat vero quandoque sepulcrum, ut legere est in Glossario mediæ et infimæ latinitatis Caroli du Cange v.* Lectus. *Scimus S.* Austrudem *in ecclesia S. Mariæ Profundæ tumulum nactam fuisse: quare in basilica S. Joannis aliud erigi non potuit, quam altare.*

d *In fine Vitæ S.* Austrudis, *ab auctore anonymo sæc.* XII *expolitæ, legitur:* Monstratur autem locus in ecclesia B. Mariæ semper Virginis, in qua Sanctissimum corpus illud sepultum multis requievit annis: donec inde translatum et una cum ossibus B. Salabergæ, matris suæ, reconditum est in superiori ecclesia B. Johannis Baptistæ etc. *In parte postica altaris in qua condebantur S. Reliquiæ, legebantur hi versus antiquitus exarati* (1):

Hic veneranda gravi recubas, Salaberga, sub arce,
Eustasi, Austrudis, Baso, Goarde, Bodo.

Quos omnes inter cælites habent et colunt oppidani Laudunenses.

(1) Gall. Christ., t. IX, col. 591.

DE S. NOTHELMO, CONF. ARCH. CANTUARIENSI

IN ANGLIA.

V. D. B.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

B E

Fasti sacri, translatio, commercium litterarium cum Ven. Beda et S. Bonifacio, presbyteratus Londoniæ, monachatus et episcopatus Cantuariæ, ordinationes episcoporum, tempus mortis.

ANNO 738. S. Nothelmus, *in pluribus Fastis sacris memoratus.*

Dubios nos aliquandiu hæsisse referendusne esset S. Nothelmus *inter prætermissos ad hanc diem, an vero inter Sanctos, de quorum cultu constet, non diffitebimur. Obstabat ex una parte quod scriptores plerique Angli, sive catholici, sive heterodoxi,* Sancti *titulo eum non honestent: quo numero veniunt (ut paucos ex multis recenseam) Richardus Challoner, episcopus et vicarius apostolicus districtus Londoniensis, eum in Britannia Sacra* (1) *plane præteriens; Richardus Whitford in versione Anglica veteris Martyrologii Sarisburiensis* (2); *Alfordus seu Griffith eum in Catalogo Sanctorum Angliæ similiter omittens et in Historia ipsa ecclesiastica Sanctum non appellans; Butler de eo tamquam de* C *Sancto nec in Vitis Sanctorum, nec ad calcem in Indice Chronologico mentionem faciens etc. Ex altera vero parte occurrebat jam olim ab Henschenio* (3) *ad diem 3 Februarii inter Prætermissos notatum fuisse obitum* S. Anthelmi Cantuariensis episcopi an. DCCXL in Anglia *ex Ms. Florario. Occurrebat et ad hanc diem Auctarium Usuardinum Greveni, anno 1515 et 1521 cum Martyrologio Coloniæ excusum, ita habens* (4): In Cancia Nodelini episcopi et confessoris. *Videbam et Castellanum, in admittendis Sanctis difficillimum et in excutiendis omnigenis Kalendariis versatissimum, ad hanc etiam diem referentem in Martyrologio suo Universali S.* Nothelmum *archiepiscopum Cantuariensem. Aderat et eruditum opusculum Anglicum in formam Martyrologii digestum* (5), *in quo ad præsentem diem egregium S.* Nothelmi *encomium habes. Item Kalendarium ecclesiasticum Benedictinum, a monacho ad S. Crucis in Donauwerd anno 1786 editum* (6), *primo loco S.* Nothelmum *ad præsentem diem exhibens. Unde satis apparet jam nos morari non debere Papebrochium* (7), *quum asserit* Nothelmum *a nemine inter Sanctos relatum fuisse. Verum illustriora etiam documenta habemus.*

sæculo VIII invocatus fuit et habitus ut sanctus.

2 *Henricus Wharton imprimis edidit fragmenta quædam de episcopis Cantuariensibus, quæ excerpsit ex codice Ms., continente Vitas illorum usque ad S. Bregwinum, qui anno 762 obiit* (8). *Unde hæc carmina ad exiens sæculum* VIII *pertinentia titulum habent:* Vita S. Nothelmi Cantuariensis archiepiscopi decimi, *et ita sonant* (9):

Eligitur sedi mox præsul Londoniensis F
Nothelmus, cui tunc vita celebris erat.
Anglorum genti pater hic præclara lucerna
Præfulsit, qua gens splendidior micuit.
Sedi metropolis hic præsul præfuit annis
Quinque; sed ad claustra jussus adire poli,
Cum patribus sanctis prædictis hic sepelitur;
Qui parat infirmis protinus antidotum.
Ut cœli lumen valeamus cernere purum,
Vivere nos faciat et sine labe mori.

Ubi animadvertenda est invocatio, duobus ultimis versibus expressus, et maxime versus ante pænultimus:

Qui parat infirmis protinus antidotum,

quo indicatur sæculo VIII *et non ita pridem post S.* Nothelmi *mortem miracula ad ejus tumulum fieri consuevisse. Atque ibidem in Vita B. Cutberti habes et hæc* (10):

Interea Sanctus Nothelmus ad atria lucis
Vectus, et electus est vir hic eximius.

(1) Britannia Sacra, or the Lives of the most celebrated British, English, Scottish and Irish Saints, cfr p. 206 et seq. — (2) The Martiloge in Englyssche, after the use of the Chyrche of Salisbury, an as it is redde in Syon, with Addicyons, London, 1526; cfr ad 17 Octob. — (3) Act. SS., t. I Februar., p. 318. — (4) Ap. Sollerium, Martyrol. Usuardi, p. 608. — (5) A Memorial of ancient British piety or a British Martyrology, Lond. 1761. — (6) Kirchenkalender aller Heiligen, welche unter der Regel des H. Benedictus gelebet haben, p. 202 et seq. — (7) Act. SS., t. VI Maii, p. 139. — (8) Cfr Monasticum Anglic. nov., t. I, p. 82; Mabillonius, Annal. Bened. ad an. 762, n. 66, t. II, p. 186; etc. — (9) Anglia sacra, part. II, p. 71. — (10) Goscelinus, Vit. S. Augustini, Act. SS., t. VI Maii, pag. 395.

3 *Hæc*

V. D. B.

anno 1087 primo transfertur,

3 *Hæc autem scribebantur, dum S.* Nothelmi *corpus adhuc sepultum jaceret (non secus ac S. Augustini aliorumque Sanctorum* (1) *in septentrionali porticu ecclesiæ SS. Petri et Pauli dein S. Augustini, seu potius intra septa ecclesiæ, quoniam a temporibus B. Theodori locus in ipsa porticu amplius non esset* (2). *Verum jacuit ibi tantum usque ad annum circiter* 1087, *quo die* 8 *Septembris ad meliorem vitam transiit B. Scotlandus. Hoc enim gubernante, ossa S.* Nothelmi *et aliorum quatuor præsulum, qui intra ecclesiæ septa sepulti fuerant, in novam cryptam S. Mariæ Virginis translata sunt. Valde fuse hanc translationem prosequitur Goscelinus, a quo mutuabimur quæ propinquius ad S.* Nothelmum *pertinent.* Cum igitur, *inquit* (3), super cryptam reædificata et parata basilica fratres in choro suo ad divinas laudes recepisset; reliquum corpus veternosæ ecclesiæ jam ruituræ supra memoratus abbas Scotlandus, ne quem obrueret, parans diruere; Sanctorum corpora, quibus tota erat plena, curat prius eruere. De plurimis electissimi primo efferuntur: quinque Cantuariæ archipræsules, velut quinque Dominicæ aulæ prætores, præcluentissimus scilicet ac B sanctissimus Theodorus, suique sancti successores Britwaldus, Tatwinus, Nothelmus, Jambertus. Longum est de singulis dicere, *pergit Goscelinus, et propterea de SS. Theodoro et Jamberto tantum paucas laudes explicat; quas claudit narrans translationem reliquiarum B. Theodori in novam ecclesiam constructam super cryptam S. Mariæ Virginis, aitque* (4): Reconditur itaque in dextro latere altaris, in tumba parata, in qua a duobus tantum fratribus deponitur cum plumbea theca. Reliqui quoque quatuor supra nominati sancti sui successores et coepiscopi dum transferuntur, cujus essent meriti ex odoris virtute produntur: quibus Dominum suavitatis perpetuam mansionem fecisse, suique amoris incensum cremasse, mota ipsorum sarcophagorum thymiamateria prædicavere.

et dein anno 1091 una cum S. Augustino aliisque:

4 *Schotlandus, ad meliorem vitam translatus (habuit et initium aliquod cultus), novam ecclesiam perficere et S. Augustini reliquias transferre non potuit. Mansit hæc fortuna successorem suum Wydonem. Hic itaque* anno Domini 1091, *ut testis est Wilhelmus Thorn, Augustiniensis monachus et chronographus* (5), VIII idus Septembris transtulit C corpus B. Augustini de loco ubi per quingentos annos jacuerat. *Eadem occasione in nova tumba repositum est S.* Nothelmi *corpus die* 13 *Septembris anni* 1091, *prout ex Goscelino, singula adjuncta enarrante* (6), *colligimus. Die* 6 *Septembris in sabbato effossum fuerat S. Augustini corpus, sed feria* III *tantum sequenti confici potuit nova ædicula et opertorium; feria* IV *effossi fuere SS. Laurentius, Mellitus et Deonotus, qui tamen feria* V *solum transferri potuerunt. Tota feria* VI *in excavando S. Deusdedit mausoleo posita fuit, et sabbato effossa fuere SS. Justi et Honorii corpora; horum enim omnium sepulcra sub diruta porticu adhuc erant.* Translata sunt itaque, *ait Goscelinus,* hæc tria *(prout et diebus præcedentibus aliorum exuviæ)* coram summa Trinitate *(i. e. altari SS. Trinitatis)* radiantia candelabra in hac die Augustini octava: quod ad hoc (ut credimus) superna distulit ac retardavit benevolentia, quatenus (uti prætulimus) amplius conservetur et solemnizetur in tot hierarchis hæc D eadem dies octava... Nec ab his separamus beatæ memoriæ archipræsulem et consortem suum Nothelmum intra altare S. Gregorii inter eos reconditum, et nunc secundo cum eis translatum: quem auctorem et judicem historiæ Anglorum scriptor Beda præconatur. Ducebat hos duces suos, ut priores, solemnissima processio et canora laudatio: ipsisque coram altari præsidis Augustini depositis, donec suis sedibus inthronizarentur, Missa festiva celebratur. *Universæ huic solemnitati (vacabat scilicet Cantuariensis cathedra) præfuit Gandulphus Roffensis episcopus.*

anno 1270 iterum mutatur ejus mausoleum et anno 1300 inscriptione nova ornatur.

5 *In hæc tamen animadvertendum est tumbam paratam non fuisse S.* Nothelmo *in sacello SS. Trinitatis, ut liquet ex ipso Goscelino* (7); *dein quod Goscelinus dicit S.* Nothelmum *aliquando cum Justo et Honorio* intra altare S. Gregorii reconditum *fuisse, id stare non posse. Erat enim istud altare in crypta sub porticu septentrionali* (8); *S.* Nothelmi *vero corpus, teste ipso Goscelino* (9), *repertum fuit non in porticu, sed in ipsa veteri ecclesia* (10). *Ubi vero anno* 1091 *sepultum fuerit S.* Nothelmi *corpus, assequi certo non possum; prope altare SS. Trinitatis, æstimo tamen omnino, tum propter versus* E *paulo post recitandos, tum quoniam in nota Ms., ex Historia Petriburgensis monasterii desumpta, scribitur ab Hugone White, chronographo et monacho S. Petri Burgensis ante annum* 1177 *demortuo* (11), *seu ab ejus continuatore Roberto Swapham, anno* 1271 *denato* (12), *recenseri S.* Nothelmum *inter episcopos sanctos qui Cantuariæ requiescunt in ecclesia S. Petri. Certe quum ab anno* 1240 *ad* 1270 *novum sacrarium paratum esset Cantuariensibus sanctis præsulibus, locum ibidem invenit S.* Nothelmus; *ut autem intelligatur quem nactus fuerit, oculi conjiciendi sunt in veterem mappam seu tabulam, quæ in utroque Monastico Anglicano et in opere nostro ad diem* XXVI *Maii* (13) *repræsentatur. Ibidem prima facie obvium est altare maximum, sub patrocinio SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. Augustini et dein etiam S. Ethelberti dicatum. Ad utrumque latus porta est; quarum altera dicitur* ostium in parte aquilonali ad corpora Sanctorum, *altera* in parte australi. *Si per aquilonalem ingrederis, primo loco occurrit tumba, cui inscribitur:* Scūs Lambertus, *dein secunda cum titulo:* Scūs Nothelmus; *e regione seu ad austrum primo venit* F Scūs Tatwinus, *dein* Scūs Bretwinus. *Continuo post incipit alia structura in formam trifolii, ex anteriori seu meridionali parte aperta et tria habens altaria; quorum orientale, SS. Trinitati sacrum, S. Augustini corpus servabat, et in utroque latere tria habebat mausolæa, capientia ossa sanctorum præsulum Cantuariensium, Roma missorum; altare vero aquilonale seu SS. Innocentium servabat corpus S. Mildredæ, et australe seu S. Stephani corpus S. Adriani abbatis. Omnes autem episcoporum tumbæ ædicularum formam habebant. Postmodum anno videlicet* 1300 *his omnibus inscriptiones versibus Leoninis conceptas apposuit Thomas Fyndone* (14), *S. Augustini abbas; ea autem quæ S.* Nothelmi *monumentum ornabat hæc erat* (15):

Hac scrobe Nothelmus jacet archiepiscopus almus,
Cujus vita bono non est indigna patrono.
Cunctis iste bonus par in bonitate patronus:
Protegit hic justos vigili munimine custos.

(1) The live of S. Augustine of Canterbury, part. II. p. 245. London 1845. — (2) Cfr Act. SS., tom. cit., p. 443. — (3) Goscelinus, de Translatione S. Augustini, lib. II. n. 21. tom. cit., p. 438. — (4) Ibid., n. 22 — (5) Ap. Papebrochium, tom. cit., p. 374. — (6) De Translatione S. Augustini, lib. I, cap. I et II. Act. SS., t. VI Maii, p. 414 et seqq. — (7) Ibid., cap. III, tom. cit., p. 419. — (8) Goscelinus, Vita S. Augustini, cap. V, tom. cit., p. 395. — (9) Translatio, etc., lib. II, cap. III. tom. cit., n. 438. — (10) Cfr supra, n. 3. — (11) Act. Erudit. Lipsiens. supplem. I. t. I. p. 290. — (12) Ibid., loc. cit. — (13) Act. SS., t. VI Maii, p. 631. — (14) Monast. Anglic. nov., t. I, p. 81. — (15) Ibid., p. 82.

Nunc

A *Nunc autem sola memoria harum rerum superest, quum jam pridem destructa sit ecclesia S. Petri seu S. Augustini et pauca rudera supersint* (1).

Natione Anglus aut potius Saxo fuit; non tamen constat fuisse Londoniensem;

6 *Quum autem his, quæ hucusque disputavimus, satis superque demonstratum arbitrer S.* Nothelmi *cultum ecclesiasticum, superest ut ad ejus digrediamur vitam. Natione Anglum aut potius Saxonem fuisse patefacit ejus nomen,* Defensorem (2) *significans, et hi sepulcris episcoporum post translationem inscripti versus* (3) :

Octo Patres Romæ, reliqui comitantur honore
Ex Anglis nati, meritis horum sociati.
Hinc manat divis Evangelii via rivis :
Hi sunt Brithwoaldus, Tatwinus, vosque, NOTHELME,
Et jam Berta, Patres primos proceres imitantes,
Tot simul Ecclesiæ cingunt frontem pietate.

Sunt qui eum patria faciant Londoniensem; certe ut postea videbimus in Londoniensi S. Pauli ecclesia fuit presbyter; verum nequaquam hinc conficitur (et tamen aliud argumentum non suppetit) eum propterea Londonii ortum habuisse. Quoniam vero ex ejus commercio litterario aliis ejus gestis nonnullum lumen affunditur, de eo jam dicemus, ordinem chronologicum nonnihil prætereuntes.

B

operam suam præstat Ven. Bedæ in conscribenda Historia :

7 *Venerabili itaque Bedæ amicus fuit et adjutor in conquirendis documentis ad scribendam Historiam ecclesiasticam gentis Anglorum necessariis. De eo ita ipse Beda in præfatione primi libri :* Ut autem, *inquit* (4), in his quæ scripsi, vel tibi, magnanime rex *(Ceowulphe)*, vel ceteris auditoribus sive lectoribus hujus historiæ occasionem dubitandi subtraham, quibus hæc maxime auctoribus didicerim breviter intimare curabo. Auctor ante omnes atque adjutor opusculi hujus Albinus abbas reverendissimus vir per omnia doctissimus exstitit ; qui in ecclesia Cantuariorum a beatæ memoriæ Theodoro archiepiscopo et Hadriano abbate, viris venerabilibus atque eruditissimis, institutus, diligenter omnia, quæ in ipsa Cantuariorum provincia, vel etiam in contiguis eidem regionibus, a discipulis beati papæ Gregorii gesta fuere, vel monimentis litterarum vel seniorum traditione cognoverat ; et ea mihi de his, quæ memoriæ digna videbantur, per religiosum Londoniensis ecclesiæ presbyterum Nothelmum, sive litteris mandata, sive ipsius Nothelmi viva voce referenda transmisit.

C

in quem finem Romam pergit, litteras pontificum collecturus;

8 Qui videlicet Nothelmus postea Romam veniens, nonnullas ibi beati Gregorii papæ simul et aliorum pontificum epistolas, perscrutato ejusdem sanctæ ecclesiæ Romanæ scrinio, permissu ejus, qui nunc ipsi ecclesiæ præest, Gregorii pontificis, invenit, reversusque nobis nostræ historiæ inserendas, cum consilio præfati Albini reverendissimi patris, attulit. A principio itaque voluminis hujus usque ad tempus, quo gens Anglorum fidem Christi percepit, ex priorum maxime scriptis hinc inde collectis ea, quæ promeremus, didicimus. Exinde autem usque ad tempora præsentia, quæ in ecclesia Cantuariorum per discipulos beati papæ Gregorii, sive successores eorum, vel sub quibus regibus gesta sint, memorati abbatis Albini industria, Nothelmo (ut diximus) perferente, cognovimus. Qui etiam provinciæ Orientalium simul et Occidentalium Saxonum, necnon et Orientalium Anglorum atque Northanhumbrorum, a quibus præsulibus vel quorum tempore regum gratiam Evangelii perceperint, nonnulla mihi ex parte prodiderunt. *Pergit dein Beda ad alios operis sui adjutores. Servavit Mabillonius in Analectis* (5) *Bedæ epistolam ad Albinum, ad idem argumentum pertinentem, qua ei gratias agit de missis ad se* per venerabilem fratrem nostrum *(sic loquitur)* Nothelmum presbyterum, *et* maxime *de* litteris, quibus se jam secunda vice in ecclesiastica gentis suæ historia, ad quam se scribendam jamdudum instigaverat, creber adjuvare atque instituere curarat. Propter quod et ipse Albino rectissime eamdem historiam, mox ut consummare potuit, ad transcribendum remisit.

scriptorum de ejus diligentia judicium;

9 *Quum autem Ven. Beda Historiam suam absolverit anno* 731 (6), *hinc palam fit ad hoc circiter tempus hanc epistolam pertinere; quumque præterea hoc tantum anno Gregorius III S. Petri cathedram conscenderit* (7), *necesse est ut S.* Nothelmus *Romanum suum instituerit iter, dum S. Gregorius II sedem Romanam occuparet, scilicet inter annum* 715 *et initium anni* 731 (8). *Quum Albinus, Cantuariensis S. Petri seu S. Augustini abbas, utrumque terminum excesserit* (9), *nil est unde accuratius istud iter indicemus. Quæ documenta quasve notitias præcipue collegerit S.* Nothelmus *determinare co-* E *natus est Stevenson, vir eruditus, qui anno* 1838 *Historiam ecclesiasticam Ven. Bedæ Londonii edidit et ex eo J. A. Giles, qui decennio post versionem ejusdem operis typis subjecit* (10). *Porro, quamvis passim scriptores de re litteraria et historica magni faciant operam a S.* Nothelmo *in investigandis congerendisque monumentis positam, ei tamen non secus ac Albino adscribunt nævos quosdam, qui in Bedæ scriptis observantur* (11). *Verum incusationes istæ meris nituntur conjecturis; et ut de uno tantum eoque celeberrimo lapsu dicam, nempe de confuso Ætherio Lugdunensi cum Virgilio Arelatensi, æstimo verisimillimam esse explicationem Stiltingi nostri, qua error (venialis omnino) in ipsum Bedam refunditur* (12). *Cæterum hæc minora sunt, quam ut* Nothelmi *laudes hinc minuendæ forent, etiamsi rectæ essent incusationes istæ.*

S. Bonifacius ad eum scribit, preces, documentum aliquod et consilia petens:

10 *Quantum vero probata fuerit coævis suis Sancti nostri diligentia, et quam late pervagata fuerit ejus curarum fama, manifestum facit epistola, quam ad eum scripsit S. Bonifacius, Moguntinus archiepiscopus et apostolus plurium Germaniæ gentium. Quum itaque* Nothelmus *tunc temporis jam esset Cantuariensis archiepiscopus, hunc titulum* F *epistola habet* (13) : Nobis dilectissimo summi pontificatus infula prædito Nothelmo archiepiscopo Bonifacius exiguus servus servorum Dei optabilem in Christo æternæ charitatis salutem. *In ea commendat se imprimis S. Bonifacius* Nothelmi *precibus ; dein petit celeberrimam S. Gregorii epistolam, continentem ejus ad S. Augustini interrogationes responsa et in scriniis S. R. E. non repertam ; post petit* Nothelmi *sententiam de impedimento matrimonii ex cognatione spirituali et tandem concludit his verbis :* Similiter rogo ut mihi studeatis indicare, in quoto anno ab Incarnatione Christi prædicatores primi missi a sancto Gregorio ad gentem Anglorum venissent. Vale.

responsum accepit, non tamen ipsum (ut videtur) documentum:

11 *Passim asseritur S.* Nothelmi *responsum non haberi ; verumtamen id omnino rectum non est. Centuriatores enim Magdeburgenses* (14), *postquam ex Baleo (ut inferius videbitur) affinxissent aliquot*

(1) Cfr idem Monastic., t. I, p. 119. Cfr item Papebrochius, t. VI Maii, p. 431. — (2) Wiarda, Ueber deutsche Vornamen, etc., p. 50 et 53.—(3) Goscelinus, Vit. S. Augustini, cap. v, tom., cit., p. 395. — (4) Opp. Ven. Bedæ, t. II, p. 24. Edit Giles. — (5) Vet. Anal., p. 398. Opp. Ven. Bedæ, t. I, p. 106.— (6) Mabillonius, Annal. Bened., lib. xxi, ad an. 731, n. 4, t. II, p. 80 et seq — (7) Novaës, Elementi della storia de' sommi pontefici, t. II, p. 65. — (8) Ibid., tom. cit., p. 59 et 63. — (9) Monastic. Anglic. nov., t. I, p. 119. — (10) The Ven. Bedes ecclesiastical History of England, pref., p. xxiii et seqq.—(11) Ibid., loc. cit. et p. 36. — (12) Cfr Act. SS., t. VI August., p. 92 et seqq. — (13) S. Bonifacii Opera quæ exstant omnia, t. I, epist. L, p. 90. Edit. J. A. Giles. — (14) Centur. viii, cap. x, t. VIII, col. 818 et seq.

V. D. B. *opera S. Nothelmo, deinde addunt capitulum de* doctrina et erroribus ejus : Scriptis ejus destituti, *inquiunt*, de doctrina ipsius parum possumus referre. Ex epistola illius ad Bonifacium, quam manuscriptam accepimus, colligi potest cum bonis operibus adscripsisse salutem. Commendat enim Bonifacii studium, quod die ac nocte meditetur pro animæ suæ redemptione corda paganorum Saxonum convertere. In celebratione Missarum dicit se Bonifacii fore memorem : ac pro eo rogaturum ut in officio suo Domino multos lucretur. Sed nihil tamen novit de invocatione mortuorum aut de oratione pro mortuis : *quasi ibi locus fuisset de hac re disserendi. Verum utrum epistolam S. Gregorii Magni seu I S. Bonifacio miserit non apparet, inquiunt Maurini S. Gregorii Operum editores* (1); *atque ego crediderim id a S.* Nothelmo *factum non fuisse, quoniam secus anno* 643 *ita dubie de hac epistola locutus non fuisset in Concilio Romano Zacharias papa* (2) : *post tot enim itus et reditus, post tam frequens Romam inter et Germaniam epistolare commercium certe vel de viso exemplari nuntius vel ipsum exemplar celeberrimæ illius epistolæ ad pontifices Romanos a S. Bonifacio mis-*
B *sum fuisset. Demum si quæratur quo anno ad* S. Nothelmum *S. Bonifacius litteras dederit, nil est unde certo statuatur. Anno* 743 *affirmabat Zacharias* (3) *papa tunc temporis* in Germaniæ partibus ITA DIU vulgatum esse *rumorem de S. Gregorii ad S. Augustinum epistola. Quocirca probabilis est annus* 736, *quem S. Bonifacii scriptioni affixit Joannes Alen Giles* (4).

Jam pridem scripserat S. Nothelmus *ad Ven. Bedam de ejus Comment. in lib. Regum:*

12 *Sed ad S.* Nothelmum *ejusque cum Ven. Beda litterarium commercium redeamus. Porro prius diligentiam et mentis acumen sancti viri expertus erat annalista Ecclesiæ Anglicanæ, quam eum operis sui adjutorem et in colligendis necessariis monimentis investigatorem adhiberet. Jam pridem enim ab eo acceperat animadversiones plurimas in suum de libris Regum Commentarium et indicia difficultatum quæ superessent explicandæ. Verum hæc omnia facilius intelligentur ex epistola quam libro quæstionum* XXX *in libros Regum præmisit. Habet titulum:* Epistola ad Nothelmum presbyterum de XXX quæstionibus; *et ita sonat :* Dilectissimo fratri Nothelmo Beda, Salutem! Quæ de libro Regum dilucidanda, frater dilectissime, misisti, statim, prout potui, Domino juvante, explicare curavi, ea dum-
C taxat distinctione, ut XXX ex his propositiones, quæ graviores videbantur, brevibus distinctas capitulis, quo facilius possent inveniri, hoc volumine comprehenderem. Cætera vero quæ commixtim annotasti nomina vel verba, quæ facilius ac brevius solvi poterant, in aliis schedulis seorsum collecta, simul tuæ fraternitati transmiseram; quamvis ipse noveram plurima in eodem libro obscuriora quam ea esse, quæ a me quærenda judicasti. Sed et hoc non ignorabam sæpius fieri solere, ut is qui obscuriora forte nonnulla jam bene intellexerat, quia videlicet hæc in tractatibus magnorum auctorum sufficienter explanata repererat, ipse adhuc in quibusdam facilioribus sensu incertus perseveret ac dubius; quæ illi fortasse qui profundiora tractabant, quæsitu digna non ducebant. Fit etiam ut non omnia, quæ a Patribus scripta sunt, ab omnibus possint haberi et ignorentur quæstiones scripturarum a legentibus; non quia a doctoribus expositæ non sint; sed quia D
ipsæ earum quæstiones vel non habeantur, vel habitæ non intelligantur a quærentibus; sicut in plurimis eorum, quorum a me responsa et petisti et accepisti, constat esse factitatum. In quibus videlicet responsis, qui a tuis petitionibus vestigia Patrum sequens, satisfacere studui, precor ut vicem debitam nostræ devotioni reddens, pro sospitate nostri et cordis et corporis, una cum fratribus qui illis in locis vobiscum Domino deserviunt, intercedere memineris. Sed et siquid de his quæ scripsi aptius forte alicubi, quod facillime contingere poterit, expositum inveneris, nobis quoque ocius hoc destinare non graveris. Bene vale, semper dilectissime in Christo frater.

Duplex responsum dedit Ven. Beda.

13 *Duplicem itaque scriptionem ad S.* Nothelmum *destinavit Ven. Beda: priorem* de nominibus vel verbis, quæ facilius ac brevius solvi poterant, *et quæ vel perdita sit, vel per* Interpretationem nominum Hebraicorum et Græcorum in sacris bibliis *ad calcem tomi III editionis Basileensis excusam et nunc vulgo Remigio Autissiodorensi* (5) *tributam, repræsentetur; posteriore tiamnum extat cum titulo :* In libros Regum quæstionum XXX liber unus. *Tempus autem hujus scriptionis et proin* E
S. Nothelmi *interrogationum accurate determinari nequit; verumtamen quum quartus Ven. Bedæ liber in Reges non diu post annum* 716 *absolutus fuerit* (6), *ad idem fere tempus istud inter utrumque eruditum virum epistolare commercium referendum videtur.*

Affinguntur S. Nothelmo *aliquot opera.*

14 *Ipse* Nothelmus *opera aliquot scripsisse legitur. Joannes scilicet Baleus, ex carmelita Anglo episcopus protestans Ossoriensis in Hibernia, post per Germaniam profugus et demum Cantuariensis, Elisabetha regina, canonicus* (7), *in Scriptorum Brytanniæ centuria secunda hæc habet* (8) : Monumentis ergo litterarum tradidit Nothelmus « Acta » per Augustinum, lib. I; Collectiones Londinen- » ses, lib. I; Homelias quoque varias, lib. I; ad » Alcuinum et Bedam, Epist. plur. » *Similiter J. A. Giles* (9), *Pitsei* (10) *vestigia secutus, S.* Nothelmo *adscribit de Vita S. Augustini lib.* I, *de Miraculis ejusdem lib.* I, *de Translatione ejusdem lib.* I; *quem laborem ad Bedæ et Alcuini preces susceperit; similiter Epistolarum ad Bedam lib.* I. *Verum licet Baleus post suam recensionem scribat :* Cætera ejus scripta non vidi, *quibus verbis innuit* F
recensita a se visa fuisse, satis tamen manifestum est rem ita non habere. Acta per Augustinum lib. I *et* Collectiones Londinenses lib. I *nil aliud sunt quam documenta quæ pro Bedæ Historia ecclesiastica collegit;* Homeliæ variæ *excogitatæ sunt, quia archiepiscopus Cantuariensis pro concione dixisse supponendus est;* Epistolas ad Bedam *dedisse dicitur, tum propter librum de* XXX *quæstionibus, tum propter prologum Historiæ ecclesiasticæ. Quod vero* Epistolas ad Alcuinum *scripsisse statuitur, debemus id eidem prologo, sed male intellectum. Credidere enim nonnulli Albinum, qui in eo prodit, esse Flaccum Albinum Eboracensem, sub Alcuini nomine celeberrimum; verum ipse Ven. Beda sole clarius indicat esse Albinum abbatem Cantuariensem. Quod autem Pitseus præter librum de Vita S. Augustini, alios duos de Miraculis et Translatione producit, mera est Balei inventionis amplificatio; eo absurdior quod S. Augustini corpus sæculo tantum* XI

(1) Not. ad epist. LXIV, lib. XI, S. Gregorii, t. II Opp. col. 1149. — (2) Harduinus, Concil., t. III, col. 1190; cfr Binterim, Geschichte der deutschen Concilien, t. I, p. 154 et seqq. — (3) Ibid., loc. cit. — (4) S. Bonifacii Opera, t. I, p. 90, et cfr t. II, p. 212. — (5) Cfr D. Ceillier, Auteurs ecclés., t. III, p. 13; Oudin, Comment. de scriptor. et Scriptis eccles., t. I, col. 1693. — (6) Cfr D. Ceillier, op. et tom. cit., p. 14; et J. A. Giles, Opp. Ven. Bedæ, t. I, the Life of Ven. Beda, p. CXXXVI. — (7) Cfr Cosmas de Villiers, Biblioth. Carmelit., t. I, p. 750; Michael a S. Josepho, Bibliographica critica, t. III, p. 7. — (8) Scriptt. illust. maj. Brytanniæ Catalogus, t. I, p. 100. — (9) Ven. Bedæ Opp., t. III, in indice, p. 425. — (10) De illustrib. Angliæ Scriptt., p. 141.

exeunte

A *exeunte primum honorifice translatum fuerit* (1), *dum S.* Nothelmus *sæculo floruerit* VIII.

S. Nothelmus *numquam fuit Londoniensis episcopus,*

15 *Ut ex inscriptione epistolæ S. Bonifacii patet, erat tunc temporis S.* Nothelmus *archiepiscopus, scilicet Cantuariensis; de qua re plura quærenda sunt, quorum primum est an ante promotionem suam ad Cantuariensem cathedram Londoniensis esset episcopus. Qua de re hæc apud Alfordum* (2) *lego :* Perperam... scribit Parkerus in Antiquitatibus Britanniæ : « Nothelmus Londini natus et » ibidem episcopus, inde ad archiepiscopatum » Cantuariensem translatus est, anno quinto Gre» gorii tertii et ab eodem Romæ consecratus : a » quo etiam pallium anno sequenti accepit. » Perperam, inquam, quod Londini fuerit episcopus. Nam Ingualdus adhuc in vivis est, qui obiisse primum scribitur anno 744, ut expressit Godwinus in Catalogo Londinensium episcoporum, ubi etiam de Nothelmo agens, bene dicit male a quibusdam credi Londinensem episcopum fuisse. *Neque ita difficile intellectu est unde ortus sit Parkeri, Centuriatorum Magdeburgensium* (3), *Balei* (4), *quin etiam Chronici Jorvallensis sæculi* XIV (5) *aliorumque error. In carminibus enim, quæ num.* 2 B *recitavimus, legitur :*

Eligitur sedi mox præsul Londoniensis
Nothelmus, cui tunc vita celebris erat;

verum animadversum non fuit a Parkero ejusque sequacibus hunc illis subesse sensum : Mox Nothelmus Londoniensis, *seu Londonii degens,* eligitur præsul sedi *Cantuariensi. Adde Parkerum sibimet ipsi esse contrarium quum ex una parte statuat, S.* Nothelmum *translatum fuisse a Londoniensi cathedra ad Cantuariensem, et simul a S. Gregorio III consecratum : numquam enim in Ecclesia catholica iterata fuit episcopi consecratio.*

sed presbyter Londoniensis,

16 *Jam si quæritur quod vitæ genus S.* Nothelmus *ante adeptam Cantuariensem sedem sectaretur, in intricatissimum devenimus argumentum. Ven. Beda in præcitato Historiæ prologo vocat eum* religiosum Londoniensis Ecclesiæ presbyterum; *Gervasius, Cantuariensis monachus et exeuntis sæculi* XII *scriptor* (6), *appellat* Londoniensem presbyterum, *eumque ad archiepiscopatum Cantuariensem promotum affirmat,* quia monachus erat (7). *Radulphus de Diceto, archidiaconus Londoniensis, qui ineunte sæculo* XIII *floruit* (8), Londoniensem *eum* presbyterum *dicit* (9), *seu etiam* C Ecclesiæ Londoniensis presbyterum (10). *Similiter* Londoniensis presbyter (11) *exhibetur ab Henrico de Estria, Priore ecclesiæ Christi Cantuariensis, qui Catalogum suum Cantuariensium præsulum finit ad Walterum Reynolds, anno* 1327 *denatum* (12). *Auctor anonymus Chronici, quod sub nomine Joannis Bromtoni abbatis Jorvallensis falso circumfertur* (13) *et post annum* 1328 *conditum est* (14), *ita mire loquitur ut videatur non secus ac poeta ille anonymus prælusisse Parkero, Baleo aliisque. Habet enim* (15) *:* Tatwino Dorobernensi archiepiscopo successit Notelinus primo Londoniensis; *et alibi* (16) : Cujus loco Notelinus primo Londoniensis consecratur. *Demum Willelmus Thorn, monachus Cantuariensis S. Augustini, qui circa annum* 1380 *defunctus est* (17), *asserit* Nothelmum cathedralis ecclesiæ S. Pauli Londoniæ archipresbyterum fuisse (18). *Demum ut ad recentissimum scriptorem, Joannem Alen Giles, deveniam, hic Anglice in hunc fere scribit modum* (19) : Nothelmus, patria Londoniensis erat, et dein hujus Ecclesiæ factus est presbyter. Cum Beda communicavit epistolas Romanorum pontificum Historiæ ecclesiasticæ inserendas. Postea monasticam vitam Cantuariæ professus est, et biennium post Bedæ mortem conscendit episcopalem cathedram. *Quid vero de his statuendum?* V. D. B.

dum simul esset monachus, ut ostenditur ex usu Cantuariensis Ecclesiæ,

17 *S.* Nothelmum *presbyterum Londoniensem fuisse et quidem eumdem, de quo Ven. Beda loquitur, ex horum testimoniorum comparatione et ex epistola S. Bonifacii eum de rebus Anglo-Saxonicis interrogantis, satis manifestum est. Verum an item admittendum sit eum fuisse monachum, ut diserte asserit Gervasius, quæri potest. Atque ego affirmanter respondendum esse arbitror, non tantum propter Gervasii auctoritatem, verum etiam propter usum legemque Cantuariensis Ecclesiæ, quæ monachos tantum in archiepiscopos admittebat : quæ lex perennisque usus ex controversiis hinc ortis præcipue illustrari potest. Scilicet jam tempore S. Laurentii, Cantuariensis episcopi, conati fuerant clerici mona-* E *chos a sede Cantuariensi ejusque cathedrali S. Salvatoris ecclesia amovere; quocirca S. Mellitus, Romam profectus, in mandatis habuit controversiam hanc Bonifacio papæ IV dirimendam proponere. Vicere monachi, ut patet ex Bonifaciano decreto, cujus genuitatem alibi* (20) *fuse vindicavimus, et ex epistola ejusdem ad Athelbertum regem et S. Laurentium archiepiscopum, partim nobis in epistola B. Alexandri II ad B. Lanfrancum* (21) *servata integra in Historia Petroburgensi* (22). *Hinc de S. Odone, archiepiscopo Cantuariensi anno circiter* 942 *constituto* (23), *tum in ejus Vita* (24) *tum apud Chronographos* (25) *legimus :* Odo episcopus Malmesburiæ eligitur in Dorobernensem archiepiscopum. Sed, ille quia nondum amicisset monachum, constantius cœpit reniti ne majorum morem ambitione sua turbare videretur. Nullum enim viderant ad id tempus archiepiscopum nisi monachili scemate indutum fuisse. Sed cum regiæ voluntati episcoporum omnium assensus accederet, tandem propositi sui rigore edomito, transito mari Floriacum monachilia suscepit, et in Angliam rediens, in Cantuariensi archiepiscopatu magnam apud Adelstanum regem gratiam obtinuit. F

quæ monachos tantum in archiepiscopos admittebat.

18 *Sæculo* XI *Guilielmus conquæstor seu Nothus, post adeptam Angliam, passim ex clericali ordine instituerat episcopos. Hi satagerunt undecumque expellere monachos; obstitit Lanfrancus. Quocirca illi* eniti cœperunt quatenus saltem de primatu Cantuariensi monachos eradicarent, intendentes se hoc facto facillime alios aliunde exclusuros. *Lanfrancus ergo, ne post obitum suum fieret quod se superstite sciebat per auxilium Dei nequaquam perficiendum, curavit ut per B. Alexandrum II papam vetus mos confirmaretur* (26). *Eadem lis post S. Anselmi mortem renovata fuit a quibusdam episcopis :* Verum, *inquit Eadmerus* (27), ubi eis objectum est, nullum a beato Augustino nisi de monachico ordine umquam pontificatui Cantuariensi præsedisse, uno

(1) Vide supra, n. 3 et seqq. — (2) Annal. Eccles. Anglo-Saxon. ad an. 735, t. II, p. 540. — (3) Centur. VIII, cap. X, t. VIII, col. 818. — (4) Op. et tom. et loc. sup. citt. — (5) Joannes Bromton, ap. Twysden, col. 742 et 774. — (6) Seldenus, præf. ad Scriptt. edit. Twysden, p. XLII. — (7) Actus Pontific. Cantuariens. ap. Twysden, Histor. Angl. Scriptt. decem, col. 1640. — (8) Seldenus, ap. Twysden, præf. p. XXVIII; et Fabricius, Biblioth. latin., t. VI, p. 32. Edit. Mansi. — (9) De Archiepisc. Cantur. ap. Wharton, t. II, p. 680. — (10) Abbreviat. Chronicor. ap. Twysden, col. 443. — (11) Annal. Roffens. brev. ad an. MCLX. ap. Wharton, t. I, p. 85. — (12) Wharton, de Success. Archiep. Cantuar. Angl. Sacr., t. I, p. 117; Monast. Anglic. nov., t. I, p. 85. — (13) Seldenus, præf. ad Twysden, p. XXXVIII et seqq. — (14) Ibid., p. XLI. — (15) Chronic. Regni Cantiæ, ap. Twysden, col. 742. — (16) Ibid. Regn. Merciæ, col. 774. — (17) Seldenus ap. Twysden, præf., p. XLVI. — (18) Chronic. ap. Twysden, col. 1772. — (19) Opp. Ven. Bedæ, t. III, ind. p. 425. — (20) Examen hist. et canon., p. 163 et seqq. — (21) Ap. Eadmerum, Hist. Nov. lib. I, post S. Anselmi Opp., p. 32. — (22) Cfr Cressy, the Church history of Britanny, p. 718 et seq. — (23) Cfr Act. SS., t. II Julii, p. 64 et seq. — (24) Ibid., p. 69 et seq. — (25) Radulphus de Diceto, Abbreviat. Chron. ap. Twysden, col. 454. — (26) Eadmerus, Hist. Nov., lib. I, p. 31 et seq. — (27) Ibid., lib. V, p. 86.

V. D. B.

dumtaxat *(Stigando ab anno 1052 ad 1070* (1)). excepto, qui et ob hanc præsumptionem et alia quædam perverse ab eo commissa a Romano pontifice depositus fuit, et ea re tam antiquam et autenticam consuetudinem, cum nulla ratio vel necessitas exigeret, subverti non oportere, desistere cœpto, quod plurimo conatu perficere laborabant, compulsi sunt. *Similia habet eadem de re Gervasius Dorobernensis* (2), *silens de Stigando utpote intruso. Anno* 1123, *post mortem Radulphi, denuo monachos inter et clericos disputatio exarsit.* A tempore, *inquiunt Cantuarienses* (3), S. Augustini, qui utique monachus hujus Ecclesiæ primus fuerat præsul, ad regimen illius usque in præsens semper monachi eligebantur pontifices. Deinceps quoque annuente Deo consuetudo servabitur antiqua. Sed rege favente episcopis ut non monachi eligerentur, *coacti fuere Cantuarienses Willelmum de Curbellio canonicum regularem eligere. Quibus accedit a clericis numquam negari monachorum asserta, sed secundum veterem cantilenam responderi monachos esse viros mortuos, plura archiepiscopi munia eos non decere, inter clericos etiam esse viros probos, monachis non præsidendum esse clericis et id genus alia; nequaquam vero olim clericos*
B *ad cathedram Cantuariensem fuisse promotos. Demum consideranda etiam venit S. Thomæ Becket, Cantuariensis præsulis, sententia; de qua in ejus Vita* (4) *hæc legimus:* Accepta itaque benedictione *(nempe episcopali)* B. Thomas... Pontiniacum ingressus, judicavit se non digne curam pastoralem de manu apostolica accepisse, nisi etiam et habitum religionis susciperet: nimirum qui in episcopali sede primogenitos filios suos haberet tegere, et a prima fundatione Cantuariensis Ecclesiæ archiepiscopos didicerit fere omnes monachos fuisse, nec secundum veterum historias aliquam regni scissuram vel transactionem accidisse, nisi dum quis alterius professionis Cantuariensi Ecclesiæ præfuerit. Missis igitur proinde nunciis, remisit ei dominus papa habitum monachalem. *Quocirca annalista Alfordus* (5) *recte arguit Parkerum et Mabillonius* (6) *Godwinum, quod hi recentiores nullo argumento id certius rescire potuerint quam Anglicani horum temporum homines et scriptores ad ipsas rerum origines propius accedentes. Quamobrem miramur ipsum doctissimum Lingard* (7) *contendere monachos Cantuariæ non prævaluisse ante*
C *iniens sæculum* XI. *Qui plura velit, adeat doctissimum Clementem Reinerum* (8), *adversariorum difficultates fuse solventem.*

et ex titulis quibus Ven. Beda S. Nothelmum ornat;

19 *Quibus accedit nonnulla de S.* Nothelmo *a Ven. Beda perhiberi, quibus innuitur eum reapse fuisse monachum, dum simul esset Londoniensis presbyter. Præcitatæ epistolæ, libro* XXX *quæstionum præmissæ, inscriptio est* Dilectissimo FRATRI Nothelmo Beda; *et inferius:* FRATER dilectissime *occurrit; et post:* Precor ut cum FRATRIBUS, QUI ILLIS IN LOCIS VOBISCUM DOMINO DESERVIUNT, intercedere memineris; *in epistola ad Albinum abbatem vocat eum* VENERABILEM FRATREM NOSTRUM Nothelmum; *et in ipso Historiæ prologo* RELIGIOSUM Londoniensis Ecclesiæ presbyterum. *Jam vero, licet ego contendere nolim sæculo* VIII *presbyteris sæcularibus* fratris, servi Dei, venerabilis, religiosi *nomina numquam omnino data fuisse, ea tamen ita monachis erant* D
propria ut si non ex singulis saltem ex hac congerie concludi posse videatur Nothelmum *fuisse monachum. Aperi enim Cangii Glossarium, novum Tractatum de re diplomatica, Dictionarium diplomaticum cl. v. Quantin, Annales Benedictinos Mabillonii, et hæc omnia vocabula excute; monachis tributa reperies, nequaquam vero presbyteris sæcularibus. Neque obest quod S.* Nothelmus *aliquando nude* presbyter *vocetur; ferebat enim illius temporis mos ut qui monachi essent presbyteri, hoc solo nomine honestarentur: quod argumentum quum alibi* (9) *quam fusissime versaverimus, hic ab eo elucidando calamum cohibebimus.*

verisimilius erat monachus Cantuariensis, Londoniæ auxilio missus.

20 *Jam si quæratur cujus monasterii esset filius, respondet Mabillonius* (10) *S. Pauli Londoniensis cathedralis ecclesiæ; et quidem Alfordus* (11) *fusius probare nititur hanc olim ecclesiam fuisse monasticam; atque ipse Mabillonius* (12) *præcipuum hujus sententiæ refert argumentum, scilicet in charta Ethelberti regis bis* monasterium *appellari. Verumtamen pro suo candore continuo addit eximius vir veteribus monumentis non prodi Londini ad S. Pauli monachos institutos fuisse a S. Mellito. Quocirca ob solum* monasterii *vocabulum, quod maxime postea* E
pluribus ecclesiis cathedralibus etiam sæcularibus adhæsit, non ausim S. Nothelmum *Londoniensem monachum dicere. Superest itaque ut eum Cantuariensem S. Augustini dicamus; quo etiam dubitur intelligi quomodo sub obedientia Albini abbatis, cum huc illuc mittentis, toties appareat. Quod si Cantuariensis monachus, quomodo simul Londoniensis Ecclesiæ presbyter esse potuit? Respondendum forte eum illuc ab abbate suo missum, quod Londoniensis Ecclesia, non ita pridem quam maxime vexata, alieno adhuc indigeret auxilio. Quæ res non magis mira videri debet quam quod apud Baldericum* (13) *legimus, nempe Ansbertum Atrebatensem S. Vedasti monachum* Cameracensis Ecclesiæ archidiaconum *fuisse. Neque id pugnabat cum legibus ecclesiasticis seu monasticis Angliæ, quum in Concilio Hertfordensi S. Theodori legamus* (14): Quartum, ut ipsi monachi non migrent de loco ad locum, hoc est, de monasterio ad monasterium, NISI PER DEMISSIONEM PROPRII ABBATIS. *Cæterum ex propositis sententiis eligat lector; satis quum nobis esse debeat in rebus dubiis præcipua indicasse argumenta.*
F

Anno 735 consecratus fuit et 736 pallio donatus;

21 *Superest et alia quæstio quæ ad promotionem S.* Nothelmi *ad sedem Cantuariensem pertineat, scilicet quo tempore locum habuerit. Ejus decessor S. Tatwinus, teste Ven. Beda* (15), *anno* 731, *die* x *Junii, Dominica, consecratus fuit; quæ temporis indicia, quum probe inter se cohæreant, omnino servanda sunt. Sedit annos* III, *obiitque anno* 734, *ex fide Chronologiæ Saxonicæ, Anonymi continuatoris epitomes Bedæ, Hovedeni et Florentii Wigorniensis, circa Kal. Augusti* (16). *Atque in hoc determinando tempore omnes scriptores conveniunt, quoniam etsi Joannes Thinmutensis* (17) *S. Bretwini biographus* (18) *et ex eo Lichfeldensis canonicus* (19) *quatuor annos S. Tatwino tribuant, intelligunt quatuor annos inchoatos, ut liquet ex Eadmero* (20), *quem Tinmuthensis descripsit et qui Tatwinum mortuum tradit,* quarto videlicet anno quo archiepi-

(1) Wharton, t. I, p. 107 et seq. — (2) Actus Pontific. Cantuar. ap. Twysden. col. 1662. — (3) Simeonis Dunelm, Hist. de Gestis Reg. Anglor., ap Twysden, col. 247 et seq. — (4) Vita S. Thomæ Cantuar., cap. XIII, ap. Christianum Lupum, t. XII, p. 28. — (5) Annal. Eccles. Angl. ad an. 934, n. IX et seqq., t. III, p. 257 et seq. — (6) Annal. Bened., lib. XLIV, n. 27 et seq., t. III, p. 424 et seq. — (7) Antiquités de l'Église Anglo-Saxonne, p. 77 et seq. Paris 1828. — (8) Discept. Histor. ad Antiquit. Benedict. in Anglia, p. 86 et seqq. — (9) Examen histor. et canon., cap. IV, n. 7, p. 145 et seqq. — (10) Annal. Bened., lib. XXI, n. 32, t. II, p. 94. — (11) Annal. Eccles Angl. Saxonic. ad an. 604, n. 57 et seqq., t. II, p. 172 et seq. — (12) Annal. Bened., lib. X, n. 605, t. II, p. 260. — (13) Chronic. Camerac. et Atrebat., p. 87. — (14) Hist. Eccles., lib. IV, cap. V, t. III Opp., p. 32 — (15) Ibid., lib. V, cap. XXIII, t. III Opp. p. 292. — (16) Cfr Wharton, Anglia Sacra, t. I, p. 94. — (17) Non Osbernus, cfr Wharton, t. II, præf., p. X et XI. — (18) Ap. Wharton, t. II, p. 75. — (19) Ibid., t. I, p. 94. — (20) Vit. S. Bregwini, ap. Wharton, t. II, p. 185.

scopatum

A scopatum totius Angliæ gubernandum susceperat. *Porro S.* Nothelmus *consecratus est anno* 735, *te te continuatore Bedæ epitomes* (1), *anno vero sequenti accepit pallium a Romano pontifice, ut Chronologia Anglo-Saxonica habet* (2). *Atque hæc eodem ordinavit modo Simeon Dunelmensis* (3), *medii sæculi* XII *doctissimus monachus* (4). *Mitto reliquos chronographos, quod vel recentiores sunt, vel mire inter se non conveniunt.*

Romæ consecratus non fuit.

22 *Radulphus de Diceto, studens paucis complecti S.* Nothelmi *gesta* (5), *hæc ei adscribit:* Romæ, *inquit,* consecratus est a Gregorio papa secundo, ab eodemque suscepit pallium. Qui, Wilfredo cum pace domum reverso, Australibus Saxonibus, sc. Cestriæ *(Cicestriæ)* Edritum præfecit episcopum. *Neque ego hæc confutanda assumerem, nisi historici aliquot etiam post renatas litteras hæc historiæ Cantuariensium præsulum inseruissent. Parkerus scilicet, ut num.* 14 *videre fuit, tradit* Nothelmum *Romæ consecratum fuisse a Gregorio papa. Re quidem vera Gregorium* tertium *dixit, non* secundum, *quod probe sciret hunc mense Februario anni* 731 *mortuum fuisse : verum quum nullus omnino alius, quod sciam,* Nothelmum *Romæ consecratum affir-*
B *met; quum, si Romæ consecratus seu ordinatus fuisset, eodem tempore pallium accepisse censendus foret; quum præterea in Radulphi asserto palpabile cubet mendum; omnia suadere videntur ut hujus scriptoris testimonium prorsus negligatur.*

nec Australibus Saxonibus episcopum dedit.

23 *Quod vero Australibus Saxonibus præfecerit Edritum episcopum, admisit hæc Godwinus de episcopis Cicestrensibus in hæc scribens verba* (6): Postmodum vero a Nothelmo archiepiscopo episcopus ibi constitutus est Edbrith, nonnullis Eadbert, anno videlicet 711. *Ast hæc prorsus a vero abludere manifestum est vel ex sola temporis nota, quum S.* Nothelmus *viginti quatuor tantum annis post archiepiscopus factus sit. Hujus erroris origo si quæratur, inveniri posse videtur in confusione quadam nominum. In charta enim Seleseyensis cœnobii, in quo Australium Saxonum episcopus sedit, priu quam ejus cathedra Cicestriam transferretur, hæc legitur inscriptio* (7): In nomine Domini nostri Christi Salvatoris, ego Nothelmus rex Suthsax. *In subscriptione primo loco venit:* Ego Numa rex Sussex; *pro quo legendum :* Nunna, *verosimillime filius fratris Inæ regis* (8) : *adeo ut* Nunna *et* Nothelmus *idem esset rex ; et re quidem*
C *vera non rari erant inter Anglo-Saxones viri binomines. Hæc quidem charta data est anno* 692; *sed inferius alia est ejusdem Numæ, seu potius Nunnæ, ad annum* 714 *pertinens: ita ut Nothelmus iste usque ad hoc vixisset annum. Novi satis hæc nomina non secus ac ipsa diplomata unde hausta fuerunt suspicioni obnoxia esse* (9); *quoniam propter paucitatem notitiarum, quæ de prisco Sussexiæ regno superunt, hæc ipsa quæ emergunt minus examinari et discuti queunt. Verum utut res habeat, quum diplomata ista atque alia forsan documenta tempore Radulphi de Diceto exsisterent, non est quod aliunde quam ex prænotata nominum confusione errorem istum deducamus.*

24 *Meliora ex Simeone Dunelmensi atque Rogerio Hovedeno, optimo chronographo, mutuari licet :* Ordinavit, *inquit Simeon de* Nothelmo *loquens* (10), Cuthbertum videlicet, Heordwaldum et Ethelfridum. *Cuthbertum, ab aliis Sanctum, ab aliis Venerabilem dictum, consecravit S.* Nothelmus *pro sede Herefordiensi anno* 736 *secundum Godwini* (11) *et Dugdalii* (12) *calculum ; atque hic idem Cuthbertus S.* Nothelmo *in sede Cantuariensi successit. Ab initio enim facilius factæ fuerunt in Anglia episcoporum translationes. Ethelfridum cathedræ Elmhamensi in provincia Angliæ Orientalis adscribit Alfordus* (13), *neque repugnat Godwinus* (14). *Heordwaldum, quem Cuthwinum quoque dictum fuisse statuunt, in episcopum Dunvicensem a S.* Nothelmo *consecratum fuisse vult Alfordus* (15); *quod nec probare nec arguere ex Godwino possumus, utpote hic loci minus cum Ven. Beda concorde et inter alia parum verisimilia ab anno* 734 *ad* 747 *quinque præsules in Dunwicensi cathedra collocante. Verum quod magis premit Alfordum, argumento nullo conficitur Cuthwinum (quem ubi repererit non indicat) eumdem esse ac Heordwaldum, de quo Simeon Dunelmensis et post eum Rogerius Hovedenus; et proin si Cuthwino locus fuerit apud Orientales Saxones Dunwici, alius quærendus est Heordwaldo. Crediderim itaque potius Herewaldum Shirburnensem hic indicari, qui (ut indicat ad marginem ipse Godwinus* (16)) *successerit Forthero Shirburnensi, anno* 738 (17), *seu potius* 737, *ut habet Chronologia Anglo-Saxonica* (18), *Fritogitam reginam Saxonum Occidentalium Romam comitato. Alia S.* Nothelmi *gesta ignoramus.*

v. D. B. sed Herefordiæ, Elmhamo et Shirburniæ.

Mortuus est die XVII *Octobris anni verisimilius* 739.

25 *Ultimo demum loco investigandum est quot annos sedem Cantuariensem occuparit S.* Nothelmus, *seu quo demum tempore mortuus sit. Hovedenus* (19) *et Willelmus Thorn* (20) *ad tres tantum annos ejus episcopatum extendunt, hic eum mortuum statuens anno* 738, *ille anno* 739. *Continuator epitomes Chronologicæ Bedæ* (21), *Simeon Dunelmensis* (22), *Rogerus de Wendover* (23) *et Matthæus Westmonasteriensis* (24) *referunt ejus mortem ad annum* 739 *et quatuor proin ejus episcopatui assignant annos. Reliqui omnes, Gervasium Dorobernensem* (25) *intelligo, Joannem Tinmuthensem* (26), *Eadmerum* (27), *Anonymum sub nomine Bromtoni* (28), *canonicum Lichfeldensem* (29), *Birchingtonum* (30), *Henricum de Estria* (31), *Radulphum de Diceto* (32), *et Guilielmum Malmesburiensem* (33), *hi reliqui, inquam, omnes quinque annos ejus episcopatui assignant,* F *licet in anno emortuali indicando non conveniant omnino : sed ex præstituto anno* 735 *episcopatus initio, debet esse vel annus* 739, *si quinque annos cavos seu non integros sederit S.* Nothelmus ; *sin autem, annus* 740. *Et quidem hunc non licet transgredi, quoniam S.* Nothelmi *successor, teste Radulpho de Diceto* (34), *pallium obtinuit a S. Gregorio papa III, et proin ante hujus diem emortualem* XXVII *Novembris anni* 741 (35) : *unde omnium probabilissima est assertio continuatoris epitomes Bedæ, Hovedeni et Florilegi* (36) *Cuthbertum inthronizatum fuisse anno* 740; *et quidem Simeon Dunelmensis* (37), *ipse ex antiquioribus, antiquiorem scriptionem aperte citans, pro Cuthberti inthro-*

(1) Bedæ Opp., t. III. p. 323. — (2) J. A. Giles. the Ven. Bedes Eccles. History also the Anglo-Saxon Chronicle, p. 335. — (3) Historia de Gestis Regum Anglorum. ap. Twysden, col. 99 et seq. —(4) Cfr Seldenus, præf. ap. Twysden. p. 1 et seqq. — (5) De Archiep. Cantuar. ap. Wharton. t. II. p. 680: Abbrev. Chronic. ap. Twysden. col. 113. — (6) De Præsulib. Angl. Comment., p. 548. — (7) Monast. Angl. nov., t. VI. p. 1163. — (8) Ibid., p. 1159. Cfr Chronolog. Anglo-Saxonica, ap Giles, p. 333. — (9) Ibid., loc. cit. — (10) Hist. de Gestis Reg. Anglor. ap. Twysden, col. 99 et seqq. — (11) De Præsulibus Angl. Comment., p. 526. — (12) Monastic. Anglic. nov., t. VI. p. 1210. — (13) Annal. Eccl. Anglo-Saxon. ad an. 736, n. III, t. II. p. 545. — (14) Op. cit., p. 479. — (15) Op. et loc. citt. — (16) Op. cit., p. 383. —

(17) Rogeri de Wendover. Flores Histor., t. I, p. 225. Londini 1841.— (18) Edit. Giles. p. 335. — (19) Ap. Wharton. t. I. p. 95. — (20) Ap. Twysden. col. 1772. — (21) Opp. t. III. p. 324. — (22) Ap. Twysden, col. 99 et seqq. — (23) Flores Historiar., t. I. p. 226 et seq. — (24) Ap. Wharton. t. I, p. 95. — (25) Ap. Twysden. col. 1640. — (26) Vita S. Bretwini. ap. Wharton. t. II. p. 75.— (27) Ap. Wharton, t. II, p. 185. — (28) Ap. Twysden. col. 742 et 774. — (29) Ap. Wharton. t. I, p. 89. — (30) Ibid., p. 3. — (31) Ibid., p. 85. — (32) Ibid., p. 87. — (33) Ibid., p. 95. — (34) Ibid., p. 87. — (35) Novaës, Elementi della storia de' sommi pontefici. t. II p. 69. — (36) Ap. Wharton, t. I. p. 95. — (37) De Gestis Reg. Angl. ap. Twysden, col. 104.

nizatione

V. D. B.

nizatione eumdem prodit annum. Quod si Chronologia Saxon ca annum 741 *habet, videtur id oriri ex confusa susceptione pallii cum susceptione episcopatus Cantuariensis. Cæterum præplacet S.* Nothelmi *mortem ad annum* 739 *referre, quoniam continuatio chronologica Ven. Bedæ antiquissimum documentum est, et Simeon Dunelmensis cæteris omnibus plura et meliora de archiepiscopis Cantuariensibus hujus ævi documenta præ manibus habuisse videtur. Diem emortualem assignant Gervasius Dorobernensis* (1), *Annales Roffenses* (2), *Florentius Wigorniensis* (3) *et Stephanus Birchingtonus* (4) XVI *Kal. Octobris, eumdem scilicet quem in Kalendariis reperimus. Qu circa non curandus videtur elenchus dierum obitualium archiepiscoporum Cantuariensium, desumptorum ex Martyrologio et Obituario ecclesiæ Christi, quum hic ad annum circiter* 1530 *pertingat et reliquis proin monumentis longe recentior sit...* D

(1) Ap. Twysden, col. 1640. — (2) Ap. Wharton, t. I, p. 85. — (3) Ibid., p. 95. — (4) Ibid., p. 3.

DE S. ANDREA CRETENSI, DICTO IN CRISI,

MARTYRE CONSTANTINOPOLI SUB CONSTANTINO COPRONYMO.

E. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B E

§ I. Sancti memoria in Fastis, Cultus et Acta.

AN. DCCLXVII. Cultus S. Andreæ ad diem XX et XIX Octobris,

S*anctus* Andreas, *Martyr Cpolitanus, in Oriente plurimum celebratus, in omnibus pæne græcis Fastis quos vidimus, modo post ejus passionem conscripti fuerint, recolitur; nec apud eas tantum gentes, quæ græca lingua olim usæ sunt aut utuntur, sed etiam apud Moschos, Ruthenos et Melchitas Antiochenos, Kalendariis ecclesiasticis adscriptus est. In antiquissimis autem Eclogadiis seu Menologiis, quæ codicibus Novi Testamenti affiguntur et nuda nomina Sanctorum exhibent cum indicatione lectionum in eorum festo instituendarum, S.* Andreas *in Crisi eo ipso die annuntiatur, quo in Actis nostris obiisse fertur,* XX *nempe Octobris. Hujusmodi sunt Menologia Hierosolymis et Calipoli sæculo decimo conscripta, judice Aug. Scholz, qui ea in lucem edi curavit* (1), *dein Menologium aliud sæculi* XI, *quod a Mingharellio vulgatum est* (2) *et Sanctum nostrum iisdem omnino verbis annuntiat ac duo præcedentia:* Τῇ
C αὐτῇ ἡμέρᾳ τοῦ ἁγίου ὁσιομάρτυρος Ἀνδρέου τῆς Κρίσεως; eadem die (XX *Octobris)* Sancti monachi *(nam* ὅσιος monachum *designat)* et Martyris Andreæ a Crisi. *Ad eumdem diem* XX *eum similiter referunt Menæa vetusta, quæ Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana, in Taurinensi etiam et Parisina asservantur, et ex quibus olim Hagiographi Antuerpienses multa Synaxaria, seu Vitarum compendia excerpserunt. Attamen cum eadem die* XX *Octobris, memoria fieret alterius apud Græcos maxime celebrati Martyris, nempe Artemii ducis, cœpit festum S.* Andreæ *transferri ad* XIX, *quo die occurrit in omnibus antiquis exemplaribus collectionis Metaphrasticæ. Id manifestum est ex Bibliothecæ Parisinæ codicibus bene multis* (3), *ex codice historico* 17 *et* 18 *Bibliothecæ Vindobonensis* (4) *et permultis aliis, ex Synaxarista denique Sirmondi nostri, quem Bollandiani socii ex Collegio Claromontano Parisiensi olim exscribendum acceperunt.*

et dein ad diem XVII ejusdem mensis.

2 *Sed hæc mutatio non perstitit et iterum S.* Andreas *ad* XVII *Octobris translatus est, quo die Oseas propheta et SS. Cosmas et Damianus quamvis memorentur, locum tamen in modo allatis codicibus apud Metaphrastem non obtinent. Qua vero ætate dies cultus ita mutatus sit non bene nobis constat; collectiones tamen Metaphrasticæ sæculi* XIII *et* XIV *diem* XIX *retinuere, et primum dies* XVII, *quantum id assequi potuimus, apparet in codice sæculi* XV, *qui exstat in Bibliotheca Parisina et signatur n°* 1558. *In Menologio Sirleti, quod perperam sæculo* XI *aut* XII *conscriptum esse Basnagius conjicit* (5), *siquidem mera compilatio est a Sirleto ex Menæis excusis aut manuscriptis desumpta, quandoque opera satis levi* (6), *quod Baronium latuisse videtur* (7), *in hoc Menologio, inquam, dies itidem* XVII *S.* Andreæ *assignatur. In Ephemeridibus Græco-Moschis, in Tabulis Capponianis et in Menæis excusis constanter ad diem* XVII *Sanctus noster refertur, unde etiam ad Martyrologium Romanum eo die devenerit. In Tabulis itaque Capponianis, ubi S.* Andreas *loculo tertio mensis Octobris ultimus* F
prodit (8), *sub habitu monachi comparet, itemque in Papebrochianis; quamquam enim stolæ speciem habet e collo pendentem, non ideo cum Assemano ut presbyterum eum vestitum dicemus, eum omnes monachi et eremitæ ita prodeant, et quidem, ut S.* Andreas, *dextera benedicere videantur. Hæc distincte cerni possunt apud Papebrochium* (9), *qui imagines diligenter æri incidi curavit et de eorum origine et usu nonnulla curiosa præfatus est; verum Capponianæ imagines tam negligenter cusæ sunt ut vix quidquam in iis discerni possit. Neque tamen propterea his illas a nobis in omnibus præponi quispiam existimet, cum errores bene multos in suis Tabulis deprehenderit Papebrochius, ubi Capponianæ accurate sua proferunt. Iterum prodit S.* Andreas *in diptycho Cpolitano quod Papebrochius Ephemeridibus suis subjecit et æri incidi item curavit; ibi autem cum Sancti tantum quadraginta Cpoli celebriores recenseantur, patet quanto honore Martyrem illum Græci prosequantur. Præterea in*

(1) De Menologiis duorum Codicum græc. Bonnæ 1823, p. 8. — (2) Codices Naniorum, p. 369. — (3) Catal. Codd. Mss. Bibl. Paris., t. II. Codd. 1480, 1481, 1495, etc. — (4) Lambecius, Commentar., etc., t. VIII, Cod. 556 et seqq. — (5) Lectiones antiq., t. III, part. I, p. 480. — (6) T. III Maii, p. 69. — (7) Ibid. et t. II Martii, p. 609, etc. — (8) Kalendar. Eccles., t. V, p. 216 et 304. — (9) T. I Maii, p. XLVI, LX et p. 11.

Synaxariis

A Synaxariis Mss. Ruthenicis et Moschis quæ P. David S. J. anno 1688 et Comes de Sparwenfeld anno 1712 ad Hagiographos transmisere, S. Andreas similiter suam annuntiationem obtinet, die itidem XVII Octobris.

Papebrochii Diptychon exscriptum et mala fide reprehensum.

3 Hic prætermitti non debet Papebrochii Tabulas earumque explicationes, in Supplemento Thesauri Goriani Diptychorum mutuatas esse modo, ut lenissime dicam, valde singulari. Passerius enim, qui præclaro huic operi partem quartam se adjecisse testatur, ait se Diptychi Cpolitani ectypum consecutum (1); at cum ex Bollandiano opere lumen quæreret, nomina multa Sanctorum omissa se advertisse asseverat, alia perturbata, Commentarios item nullo ordine conscriptos, ita ut non in lumen, sed in caliginem irruens, ipse per se omnia extricare debuerit. Atqui ex his omnibus, ne una quidem assertio vero proxima est, nec quidquam emendavit ille scriptor aut ectypon consecutus est, sed effigies Papebrochianas conatus referre, errores non leves admisit. Testatur enim Papebrochius, cum totum Diptychon pagina capere non posset, se artificem rogasse ut icones æri inciderentur ordine leviter immutato; sed eum, postulatione non rite intellecta, plusculum
B a vera Diptychi dispositione aberrasse; quam tamen Papebrochius, dum Sanctorum nomina (nitidius multo in ectypo suo quam in Goriano Supplemento prolata), Commentariis illustravit, ad rigorem secutus est (2). Si igitur ectypon habuisset scriptor ille, sculptoris sphalma non exacte retulisset, neque ubi Papebrochius Triptychi Moschi capsam rescidit, quia eam iterum pagina non capiebat, ille similiter rescidisset, nec denique tam accurate Bollandianam effigiem descripsisset, ut ne vel levissima diversitas deprehendi possit. Sed Papebrochius mutatum esse ordinem indicavit, ac in iconum recensione ipsius prototypi servatus est ordo; ille vero horum neutrum fecit, et quia singulis nominibus commentariolum annectere voluit, ubi Hagiographum nostrum ducem non habuit, errores gravissimos admisit. Ita S. Stephanum Juniorem (3), Martyrem notissimum, non sub Copronymo sed sub Leone Isauro passum affirmat, quod Papebrochius profecto numquam scripsisset. Eodem modo procedere videtur dum Triptycha Moscha explanat, sed non vacat rem diligentius indagare (4). Nec quisquam hic objiciat in editionem Venetam Bollandiani Operis prædicta gravamina prolata fuisse. Nam primo Antuerpiensem citat, dein
C in utraque editione iidem sunt Commentarii, quos si immerito arguere et immutare ausus est, in eo dignam arrogantiæ pœnam tulit ut sibi gravissimos errores ex calamo excidere sit passus.

S. Andreas etiam colitur cum S. Stephano ad XXVIII Novembris;

4 Colitur S. Andreas non tantum prædictis diebus, verum etiam XXVIII Novembris cum S. Stephano Juniore. Andream enim, qui in Fastis sacris una cum hoc Stephano prodit, eumdem esse ac Cretensem nostrum ostendere conabor inferius § II. Atque hic tantum notabo hæc pauca. Passus quidem est S. Stephanus XXVIII Novembris, sed cum sit præcipuus persecutionis Copronymianæ Martyr, iis diebus quibus alii ejusdem persecutionis Martyres annuntiantur, sæpe ipse simul comparet. Conjunguntur itaque frequenter S. Stephanus, S. Andreas, S. Petrus et S. Paulus, sub Copronymo passi, quamquam simul ad Martyrium, ut ex singulorum Actis patet, non processerunt. In Menæis Mss. Ambrosianis seu Mediolanensibus hi quatuor SS. Martyres simul colendi assignantur XX Octobris; dein S. Andreæ in Crisi Synaxarium, id est brevis vitæ et passionis historia subjungitur. Idem in aliis Menæis Mss., ut in codice quodam Mazarinæo quo sæpe decessores nostri usi sunt, videre est. Synaxarium autem Mediolanense, quoniam nonnihil differt ab illo quod ad XVII Octobris in Menæis vulgaribus excusum est, et mirabiliter cum Actis nostris prioribus consonat, ita ut ex his desumptum illud merito conjicias, hic integrum ex codice Ms. proferimus. Datur vero siculi est, sphalmatis et locutionibus Græcorum infimæ ætatis ubique retentis, de quibus si lubet, aliqua videri possunt apud Cl. Hase in editione Leonis Diaconi (5). E. C.

ut patet ex Synaxario

5 Μηνὶ ὀκτωβρίῳ κ' τῶν ἁγίων νεοφανῶν μαρτύρων Στρεφανοῦ, Παύλου, Πέτρου καὶ Ἀνδρέου, τῶν ἐπὶ Κοπρονύμου μαρτυρησάντων. Οὗτος ἦν ἐπὶ Κωνσταντινοῦ τοῦ καβαλλίνου ἐν ἀσκήσει διάγων, ἐν τῇ νήσῳ Κρήτῃ. Ακούων δὲ τὸν τύραννον τιμωρήσαντα τοὺς ὀρθοδόξους, ἀνέπλευσε πρὸς Κωνσταντινούπολιν ἐλέγξων αὐτόν, καὶ εὑρὼν αὐτὸν πέραν ἐν τοῦ ἁγίου Μάμαντος παλατίοις τιμωροῦντα τοὺς μὴ ἀρνουμένους τὰς θείας εἰκόνας, ἔφη· ἆρα χριςιανὸς εἶ βασιλεῦ; ὁ δὲ πρὸς αὐτὸν μετ᾽ ὀργῆς ςραφεὶς ἐκέλευσε πρὸς αὐτὸν ἄγεσθαι· οἱ δὲ τῶν τριχῶν σύροντες, ἄλλοι τὸν χοιτῶνα ῥηγνῦντες καὶ ἐκ τῶν ὄπισθεν τύπτοντες, ἔσυρον τὸν ἅγιον, καὶ φησὶ πρὸς αὐτόν· οὕτως ἐδιδάχθης ἀτιμάζειν βασιλέα; ὁ δέ· οὐδεὶς ἁμαρτάνει βασιλέα ἐλέγχων παρανομοῦντα· ὁ δέ· τοὺς παρανομοῦντας μᾶλλον ὑμεῖς κολάζομεν, τοὺς ὡς θεοὺς προσερχομένους καὶ λατρεύοντας ταῖς εἰκόσιν· ὁ δέ· ἀγνοεῖς ὦ βασιλεῦ τί μὲν τὸ σχετικῶς προσκυνεῖν, τί δὲ τὸ λατρευτικῶς. Ὁ δὲ τείνεσθαι τοῦτον ἐν μαστίγας ἐκέλευσε, βουνεύροις κατὰ τοῦ νότου καὶ τοῦ στήθους φραγελλῶν· εἶτα λίθου τὸ στόμα προσέταξε τύπτεσθαι· τῇ δὲ ἐπαύριον ἐκβαλών, ὡς οὐκ ἔπεισεν ἀρνήσασθαι τὸν Χριςὸν καὶ τὰς ἁγίας εἰκόνας, τύψας πάλιν, κατὰ κεφαλῆς σύρεσθαι τοῦτον τῶν ποδῶν τοὺς σχοίνους ἐξάψαντες, ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλει θεατρίζεσθαι προστάσσει. Οἱ δὲ τάχιστα περανιωθέντες, καὶ τὸν ἅγιον σύροντες ἔβαπτον τὴν γῆν τοῖς αἵμασιν· ὡς δὲ εἰς τὴν τοῦ Βοὸς ἀγορὰν πεφθάκασιν, εἰδὼν αὐτοὺς τις ἄρτι τοὺς ἰχθύας ἀποφορτισάμενος, ἠρώτα τὴν αἰτίαν τῆς βασάνου καὶ μαθών, ἀξίνην μακελλικὴν ὁ ἄθλιος ἁρπάσας, χαριζόμενος τοῖς τοῦ διαβόλου ὑπηρέταις, δρομαίως ἔρχεται
E καὶ τὸν δεξιὸν πόδα τοῦ ἁγίου ἀπέκοψε, καὶ παρ᾽ αὐτοῦ τὴν ἁγίαν αὐτοῦ καὶ μακαρίαν ψυχὴν παρέθετο τῷ Κυρίῳ. Οἱ οὖν σύροντες, νεκρὸν ἰδόντες, ὥς τι θνησιμαῖον ἐν κοπρώδει χωρίῳ ἀπόρριψαν, νυκτὸς δὲ καταλαβούσης, τινὲς τῶν ὀρθοδόξων ἄραντες, ἔθαψαν ἐν τόπῳ λεγομένῳ τῆς Κρίσεως. *Hæc latine versa sic sonant :*

Menæorum Mediolanensium.

6 Die XX Octobris Memoria recentium Sanctorum Martyrum Stephani, Pauli, Petri et Andreæ, qui sub Copronymo passi sunt. — Is (Andreas) F
sub Constantino Caballino, asceticæ vitæ addictus vivebat in Insula Creta, cumque audisset tyrannum orthodoxos tormentis exagitare, illum redarguendi causa Constantinopolim navigavit. Invenit eum ultra (*civitatem, i. e. ad partem occidentalem. Vide infra num.* 30) in Palatio ad S. Mamantis, sævientem in eos qui sacrarum Imaginum nollent cultum abjicere, eumque compellans : Imperator, tune Christianus es, inquit ? Hic vero cum ira ad eum conversus, adduci jussit. Tum alii capillis abripientes, alii tunicam lacerantes et a tergo cædentes, Sanctum raptabant. Cui tyrannus : Itane contumeliis Imperatorem afficere edoctus es? Ille vero : Nemo delinquit, Imperatorem arguens, dum leges contemnit. Tyrannus iterum : In vos potius legum corruptores animadvertimus, qui quasi diis advoluti, imagines adoratione prosequimini. Respondit ille . Nescis, Imperator, quid sit cultum relativum exhibere, quid vero latreuticum. Tum eum ad flagra extendi, tergum et pectus bovinis nervis concidi, deinde

(1) Gorii Thesaurus veterum Diptychorum. Florentiæ 1759, part. IV. p. 1 et seq. — (2) Acta SS., t. I Maii, p. LX, n. 4. — (3) Loc. cit., p. 8.
— (4) Ibid., p. 10. — (5) Leonis Diaconi Historiæ e recens. C. B. Hase. Bonnæ 1828, p. XXIV et passim.

E. 6.

deinde os saxis contundi præcepit; postera die
foris ejectum, utpote cui Christum et sacras Ima-
gines abnegare non persuasisset, rursus flagella-
tum, capite in terram demisso, alligatis pedibus
raptari jussit et Constantinopoli publice deriden-
dum exponi. Quem citissime pertrahentes, terram
in raptando sanguine consperserunt. Ita forum
Bovis assecutos conspiciens aliquis qui modo
pisces exonerarat, de tormenti causa sciscitatur;
re comperta, macelli cultro miser arrepto, servis
diaboli placere appetens, cursu contendit et dex-
trum pedem Sancti abscidit, qui interea sanctam
ac beatam animam Domino tradidit. Qui eum
raptabant, ut mortuum aspexere, velut quid mor-
ticini in fœdissimum locum abjecerunt; nocte
vero adventante, sublatum quidam orthodoxi tu-
mulo condiderunt in loco qui dicitur Crisis.

S. Andreas etiam XXI et XXVIII Octobris rel. tus est.

7 *In Menæis excusis sæpissime diversis diebus iidem Sancti commemorantur, quia diversos Mss. codices editores adhibuere. Aliam tamen hujus rei causam assignat Papebrochius* (1), *Græcos nimirum eodem aut sequenti die commemorare frequenter sanctos varios, qui Sancto præcipuo tali die celebrato affines sunt, et tamen priores etiam suum proprium*
B *diem obtinere. In Menæis itaque prædicti quatuor Sancti ad diem* XXI *Octobris, qui diei quo passus est* S. Andreas in Crisi, XX *scilicet proximus est, relati sunt et sequenti brevi encomio celebrantur :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, μνήμη τῶν ἁγίων νεοφανῶν μαρτύρων Ἀνδρέου, Στεφάνου, Παύλου καὶ Πέτρου.

Στίχοι· Τρεῖς ὁ Στέφανος σὺ στεφανίτας ἔχεις
Τοὺς σοὶ συναθλήσαντας ἐξ ἑνὸς ξίφους.

Id est : Eadem die (XXI *Octob.*) memoria Sanctorum recentium Martyrum Andreæ, Stephani, Pauli et Petri.

Versus : Tres concoronatos habes, o Stephane,
Tecum ense pugnantes eodem strenue.

Rursum die XXVIII *Octobris in altero duorum Menologiorum quæ Scholzius edidit* (2), *comparent SS. Martyres Stephanus, Petrus et* Andreas, *et* XXVIII *Nov. iterum S. Stephanus Junior Martyr solus ; in altero vero solus S. Stephanus Junior monachus et Martyr die* XXVIII *Oct. semel commemoratur. Item in codice Laurentiano* (3) *sæculi* X : XXVIII Octob. S. Stephani et qui cum eo passi sunt. *Conjectura ducti ut exponemus n. 23 arbitramur hic illum Stephanum olim commemoratum fuisse qui sub eodem Copronymo plurima passus, dein in Sugdæam exsul, sancte*
C *vitam finivit. Ita enim ferunt tum Menæa, tum Menologia Sirleti et Basilianum ad diem* XXVIII *Novembris. Huic deinde ex more Græcorum additi fuerint SS. Petrus et* Andreas ; *ex quo etiam profluxit ut die* XXVIII *Novembris, quo S. Stephanus Junior passus est, idem duo Sancti tum in Menæis, tum in variis Menologiis iterum recolantur (supra num. 14).*

Acta Metaphrastæa, et alia ab Anonymo scripta.

8 *De Actis quæ subjicimus hæc accipe. Duplicia exhibemus, utraque græce inedita, priora vero etiam latine ; id facimus tum quod posteriora ex illis non profluxerunt, sed paucis omissis, nonnulla superaddunt ; tum etiam quod horum exemplar perfectissimum nacti sumus, quinque scilicet Mss. codicum collationem in margine referens. Tribuuntur hæc Metaphrastæ, ut diserte habet Allatius, qui in diatriba de Symeonibus eorum initium affert* (4) : *quare hunc locum non viderit Pagius* (5) *qui negat Acta illa Symeoni Metaphrastæ adjudicata fuisse. Testimonium autem Allatii quantum in hac re valeat, nemo ignorat; attamen, si opus esset, rem argumentis pluribus, ex ipsis Actis desumptis, evincere possemus.* D
Acta priora exscripta sunt ex vetusto codice Bibliothecæ Parisinæ, quem B. Montfaucon sæculo IX *adscribit* (6), *et ut perpetua comparatione cum Metaphrastæis conferri possint, utraque iisdem numeris, ubi eadem narrabantur, signavimus. Quo autem tempore conscripta fuerint definiri nequit ; nihil enim reperimus, præter minimi momenti notam chronologicam ex qua constat scriptorem satis diu post Copronymum vixisse. Locus, qui num. 3 sub finem occurrit, is est :* Iste vero erat Constantinus... quem fideles ejus temporis (οἱ ἐν τοῖς τότε χρόνοις) merito sub cognomine Copronymi infamarunt. *Sed ex eo Acta illa priora commendantur, quod locum Sancti natalitium, diem passionis aliaque adjuncta plurima minute proferunt, et quamquam prolixioribus verbis interdum S. Martyr loqui videtur, eadem tamen fere in aliis Actis occurrunt, sæpe vocibus iisdem aut similibus expressa. Conferri in eam rem possunt numeri potissimum* 7 *et* 10. *Ex locorum designatione, ut infra uberius dicemus, et ex iis quæ in fine Actorum scribuntur, ut itidem inferius dicetur, arbitramur ea Cpoli conscripta non fuisse. Scimus tantum maximam partem sacrorum codicum Bibliothecæ Coislinianæ, ut in Præfa-* E *tione testatur laudatus Montfaucon, ex monasteriis montis Atho prodiisse et illic olim brachium S. Andreæ Cretensis, qui idem est fortasse ac Sanctus noster, asservatum fuisse. Qua de re plura vide num.* 37.

ex invicem non fluxerunt.

9 *Metaphrasten, cujus Acta secundo loco prodeunt, priora illa non vidisse satis certo nobis constat. Ipse enim nec ortus locum, nec diem obitus, quem usque diligenter inquisivisse vel ex Vita S. Theoctistes Lesbiæ constat* (7), *in narratione sua consignavit. Nec præterea dum Vitam satis accurate scriptam nactus erat, ordinem aut stylum multum immutare consueverat ; cumque apud ambos scriptores plerumque similia obvia sint, existimamus utrumque ex Actis antiquioribus, sed nunc deperditis, suam narrationem excepisse, iis additis quæ aliunde colligere potuerant. Metaphrastes tamen ætate posterior videtur ex eo quod in ejus collectionibus S.* Andreæ *Vita diem* XIX *Octobris occupat, noster autem scriptor, ubi refert Sanctum die* XX *passum esse, nihil de immutato cultus die commemorat ; sed cum levis ea ratio videri queat, id aliter adstruimus, Metaphrastæ nempe collectiones adeo* F *post scriptionem illico pervulgatas fuisse ut priorem scriptorem illum fugere non potuerint. Quæ igitur apud eum de S.* Andrea *in Creta monasticam vitam amplexo narrantur, dein de miraculis quibus eum Metaphrastæ etiam temporibus, ipso teste, in urbe Cpoli Deus glorificabat, scriptor idem ille prior non omisisset. Quibus positis, quum notum sit Metaphrasten medio sæculo* X *floruisse, hinc deducere licet Acta quæ priori loco edimus, illa ætate antiquiora esse.*

De Officio S. Andræa in Menæis excusis.

10 *Sicuti ex Anonymi Actis Synaxarium Mediolanense, quod num.* 5 *retulimus, desumptum est, ita illud quod in Menæis excusis occurrit, ex Metaphrastæ narratione evidenter profluxit. Ex quo, sicut ex Sancti Officio quod ibidem legitur, celeberrimum fuisse S. Martyrem jam sæculo* IX, *et miraculis multis claruisse colligitur. Josephus enim hymnographus quem ex Actis a Papebrochio in lucem datis* (8), *eo sæculo floruisse constat, decem diversis locis in suo Canone miracula celebrat, quæ sub ipsius oculis Cpoli coram Sancti tumulo patrabantur.*

(1) Eph. Græco-Mosch., t. I Maii, p. VIII et passim ; t. II Maii, p. 110, n. 11. — (2) De Menologiis, etc., p. 8. — (3) Bandini Codd. Græci, t. I, p. 130. — (4) Allatius, de Simeonibus, p. 128. — (5) In Critica Baronii, ad ann. 761, n. 2. — (6) Bib. Coislin, p. 185. — (7) Surius ad X Nov., p. 238. Edit. 1618. — (8) T. I April., p. 266.

Merito

A *Merito itaque et in Actorum titulo Thaumaturgus dictus est, et in Contacio, ut vocant, Græci Officii, his verbis extollitur :* Ἑορτάζει σήμερον, ἡ βασιλεύουσα πόλις, ἑορτὴν ὑπέρλαμπρον, τῆς φωτοφόρου σου μνήμης, ἅπασαν προσκαλουμένη πόλιν καὶ χώραν· χαίρει γὰρ ὡς κεκτημένη θησαυρὸν μέγαν, τὸ πολύαθλόν σου σῶμα, Ἀνδρέα μάρτυς, ὀρθοδοξίας φωστήρ. *Id est :* Hodie celebrat regina urbium *(Cpolis)* illustre festum tuæ memoriæ, totam convocans civitatem et regionem ; jubilat enim magnum thesaurum possidens, corpus certaminibus gloriosum, Sancte Martyr Andrea, orthodoxiæ lumen. *Hic vero obiter monemus, si quis nomina ex Græcorum Liturgia desumpta non satis sibi nota hic offenderet, cum singulorum declarationem reperturum in Ryæi dissertatione de Acoluthia Græcorum, quæ in Junio nostro edita est* (1) *; expeditius autem ea utetur, qui indicem ultimum a Ghesquiero tomo primo Octobris ad calcem subjectum adhibere voluerit.*

§ II. Septem Martyres in plerisque Fastis confuse prolati ab invicem distinguuntur, et eorum Acta breviter illustrantur. Persecutionis Constantini Copronymi brevis historia et chronotaxis exhibetur.

B

Martyres varii sub Copronymo passi : S. Paulus M. in Creta

Hos *septem Sanctos, qui omnes sub Copronymo varia tormenta, et mortem, uno excepto, passi sunt, hic juxta seriem mensium et dierum quibus coluntur, subjicimus, ex quo simul apparebit quo loco in opere nostro de iis actum sit, aut in posterum agendum : Die* XVII *Martii, S. Paulus monachus et Martyr in Creta.* — XVI *Maii, S. Petrus Calybita et Martyr in Blachernis, prope Cpolim.* — IV *Junii, S. Joannes Monagriæ Hegumenus, Martyr Cpoli.* — VIII *Julii, S. Paulus Novus Martyr Cpoli.* — XX *Octobris, S.* Andreas *monachus Cretensis, dictus* in Crisi, *Martyr Cpoli.* — XXVIII *Octobris (?) S. Stephanus qui in Sugdæam relegatus est.* C — XXVIII *Novembris, S. Stephanus Junior, Martyr Cpoli.* — *Placet et de his omnibus nonnulla disserere, ex quibus lumen aliquod persecutioni Copronymianæ affusum iri spero. De primo ex his septem, nempe de S. Paulo Martyre in Creta, egerunt decessores ad diem Martii indicatum* (2), *ibique ex Actis S. Stephani Junioris, a Lipomanno ex Metaphraste latine vulgatis, loco aliquo insigni de S. Paulo adducto, concluduut eum in Cypro passum esse; verum eum in ipsa Creta passum esse nobis omnino manifestum est. Sunt enim ad manum Acta ejusdem Stephani Junioris, accuratissime a quodam Stephano Diacono conscripta. Dum hunc itaque narrantem secuti sumus* (3), *deprehendimus illico, vel Cypri nomen mendose in codicem Lipomanni irrepsisse, vel ipsum interpretem oscitantiæ arguendum esse. En quomodo ea in S. Stephani antiquiore Vita narrentur* (4) : Itaque in medium prodiit Antonius ex Creta insula, qui de victima Deo immolata his verbis locutus est : Quomodo sine lacrimis egregia abbatis *(quo vocabulo non solum monasterii moderatorem, sive* ἡγούμενον, *sed omnes monachos Græci illius temporis plerumque nuncupant)* Pauli certamina in vestrum conspectum adducam, venerandi Patres ? Vir ille generosus a Theophane cognomento Lardotyro, insulæ Archisatrapa, comprehensus, in prætorium Heraclii interrogandus adductus est *etc. Antonius igitur, dum insulæ Archisatrapam commemorat, non de Cypro loquitur, cujus nulla fit mentio in his Actis S. Stephani, sed de Creta, ex qua oriundus, Cpolim advenit. Cum vero ex iisdem Actis antiquioribus S. Stephani, et Metaphrastæa, quæ Lipomannus latine versa exhibet, et reliqua omnia profluxerint, etiamsi alicubi Cypri nomen prodiret, ex Actis probatioribus respuendum esset. Verum dubio locum omnino nullum relinquit, quod libro primo de Thematibus* (5) *refert Constantinus Porphyrogenneta, Cyprum scilicet, ab Heraclii tempore usque ad Basilium Macedonem, a Saracenis fuisse occupatam, in quorum potestatem, postquam, Basilio imperante, per annos septem fuissent depulsi, iterum devenit. Ex quo manifestum est Copronymum Cypro numquam imperasse, neque ab Antonio illo ex Creta, dum narrationem suam absolvit, de Cypri præfecto dici potuisse* (6) : Sic Sanctum virum E holocaustum igne effecit nequam Imperatore *(Copronymo nimirum)* nequior præfectus, *ille nempe Theophanes Lardotyrus, de quo supra. Sed de Creta utique poterat dici, quam idem Porphyrogenneta non nisi sub Michaele Balbo a Saracenis captam affirmat* (7).

anno 767 die XVII Martii.

12 *Tempus martyrii ex Theophane, cum Actis S. Stephani collato sic statui potest. Narrat ille ad annum mundi* 6257, *sub indictione quarta* (8), *Copronymum omnibus subditis juramentum præcepisse, ne imaginibus venerationem exhiberent; anno vero sequenti, indictione quinta* (9), *præfectos in provincias seu themata misisse, qui easdem ibi in monachos, quas ipse Cpoli, ederent tragœdias. Porro monachi, qui anno* 767 *cum S. Stephano in carcere prætorii versabantur, de crudelitate præfectorum in provinciis plurima memorant* (10) : Cum autem quadam die una cum vinctis aliis Patribus sederet vir sanctus, sermo motus est de persecutione quam præfecti imperatoris diversis in locis adhibuerant. Itaque in medium prodiit Antonius ex Creta insula *etc. (Cfr supra num.* 11). *Aliunde indictio illa Cpolitana quinta, qua novi præfecti ad provincias missi sunt, currebat a Septembri anni* 766 *ad Septembrem anni* 767, *et præterea certum est S. Stephanum hoc anno* 767, *die* XXVIII *Novembris, martyrio coronatum fuisse. Ergo sub ipsa indictione illa quinta, ante Septembrem anni* 767, *contigerit martyrium S. Pauli in Creta, de quo Antonius ille Cretensis narrat. Cum vero S. Paulus ad diem* XVII *Martii in Græcorum Fastis memoretur* (11), *forte non immerito hoc die, indictione quinta, anno consequenter* 767, *eum passum esse pronunciabimus.* F

Triginta octo monachi martyrio coronati anno 767.

13 *Cum S. Paulo ad eumdem diem colitur S. Theosterictus* (12), *monachus monasterii Pelecetæ, in Asia ad Hellespontem siti* (13), *non quod eo die obierit (nam Confessorem eum dicunt Menæa* (14) *et in pace mortuum), sed quod eodem loco* (15) *Actorum S. Stephani, post dictum Antonium Cretensem, Theosterictus narrationem instituat, de martyrio triginta octo monachorum monasterii sui. Hos igitur dicit a Lachanodraconte præfecto, feria quinta in Cœna Domini, in monasterio suo Pelecetæ comprehensos esse, eoque vastato, ab eodem Lachanodraconte*

(1) T. II Junii, p. 1 et seqq. — (2) T. II Martii, p. 609. — (3) Analecta græca. Paris 1688, p. 504. — (4) Analecta græca, loc. cit. — (5) Edit. Bonn., p. 40. — (6) Analecta græca, p. 505. — (7) De admin. Imp., cap. XXII. — (8) Theophanis Chronographia, Bonnæ 1839, t. I, p. 675. — (9) Ibid., p. 681. — (10) Analecta græca. p. 504. — (11) T. II Martii, p. 609. — (12) Ibid. — (13) T. I April., p. 30. — (14) Ad diem XVII Martii. Cfr Acta SS., t. II Martii, p. 609. — (15) De qua ratione, vide supra, n. 7 Commentarii.

E. C. *draconte versus Ephesum abductos, ibi martyrii palmam obtinuisse. Porro inter præfectos, quos num. præcedenti a Copronymo, indictione quinta, in provincias missos esse diximus, nominatura Theophane ipse Lachanodracon ille, cui thema Asiæ Minoris traditum scribit, alias dictum Thracesiorum. Perperam itaque, ut id obiter notem, Goarus hic thema Thracensium interpretatus est* (1): *nam horum thema in Europa situm erat, Thracesiorum vero complectebatur Asiam Minorem. Apprime ea distinguit, simul vocum etyma tradens, Constantinus Porphyrogennetta in laudato opere de Thematibus* (2). *Indictio autem quinta, jam indicata, incipiebat, ut diximus, a Septembri anni* 766; *sed cum Theosterictus monasterium Pelecetæ a Lachanodraconte, feria quinta in Cœna Domini, invasum narret, dicendum erit id contigisse anno* 767, *die* XVI *Aprilis, quando Pascha die* XIX. *Martyrium autem triginta octo sociorum Theosterícti, quod in Ephesi partibus contigit, affigendum est profecto eidem anno* 767, *siquidem ante finem Novembris illius anni, S. Stephano in carcere narratum fuit. Diem martyrii assignare forte poterimus in hunc modum. Obtinet quidem hæc Martyrum cohors in Martyro-* B *logio Romano diem* XII *Januarii, ad quem decessores nostri de iis egerunt* (3); *sed hi fatentur se in nullis Fastis ad dictum diem consignatos eos reperisse. Postea vero eosdem obvio habuerunt in pretiosissimo Synaxarista Chiffletiano, ad diem* II *Junii: nam eosdem esse, ex narratione Theostericti cum Synaxarista illo collata* (4), *cuilibet manifestum fiet, quamquam Henschenium nostrum id tum fugere potuit. Porro laudatus Synaxaristes non solum ad diem* II *Junii eos signat, sed præterea satis aperte insinuat iis illo die palmam martyrii obtigisse. Ex quibus verisimiliter conficimus hos monachos, mense cum dimidio postquam monasterium suum Pelecetæ vastatum et combustum viderunt, prope Ephesum suffocatos fuisse, die scilicet* II *Junii* 767.

Ostenditur martyrium S. Petri de Blachernis, S. Andreæ in Crisi 14 *De S. Petro de Blachernis, quem num.* 11 *post S. Paulum Cretensem posuimus, plurima etiam ex Actis S. Stephani innotescunt. Papebrochius ad diem* XVI *Maii* (5) *ex laudato Synaxarista Ms. a Chiffletio nostro accepto, de S. Petro sequentia depromit:* Ὁ ἐν Βλαχέρναις Πέτρος, βουνεύροις τυπτόμενος τελειοῦται; *id est:* Petrus in Blachernis habitans, taureis cæsus, martyrium consummat. *Recte Papebrochius conjicit hic agi de alterutro duorum* C *Martyrum, quos Theophanes ad annum* 21 *et* 27 *Copronymi refert; en hujus Historici verba latine versa* (6): Eodem etiam anno *(mundi* 6253, *Constantini* 21) Constantinus persecutor Andream venerabilem monachum, Calybitam dictum, ad Blachernas habitantem, in Sancti Mamantis circo flagellis interfecit, quod ejus impietatem, eo Valente juniore et Juliano vocitato, arguisset; ejus autem corpus in fluentum projici jusserat, sed Andreæ sorores ipsum efferentes, in Leucadii emporio sepulturæ mandarunt. *Et anno mundi* 6259, *Constantini* 27: Ceterum ab hoc tempore majori vesania in sanctas Dei Ecclesias ferebatur; misit enim qui Petrum venerabilem stylitam a petra exturbaret, eumque dogmatibus suis repugnantem, vivum pedibus vinctum, ac per medias urbis vias pertractum in Pelagia projici jussit, alios vero saccis inclusos, alligatis pedibus, in mare demergi.

tributum fuisse, et vicissim. 15 *Synaxaristæ suo Papebrochius nimium diffidit, dum arbitratur eum duo allata martyria in unum conflasse; ipse enim Theophanes hic unum Martyrem pro altero posuit, ut manifestum fit ex narratione S. Stephani Junioris, qua monachos secum in carcere Prætorii anno* 767 *detentos ad patientiam hortatur:* Sanctos illos Patres, *inquit,* qui apud nos vitam martyrio absolverunt, imitemur. Sanctum illum monachum Petrum dico, in Blachernis inclusum, (ἐγκεκλεισμένον: inclusum, *gallice:* reclus, *quo sensu frequentissime hæc vox prodit; perperam igitur Lipomannus:* Blachernis in vinculis conjectum.) qui ante Imperatoris conspectum intolerandis boum nervis (βουνεύροις τυπτόμενος) pro Christi imagine cæsus, illum Dacianum et prævaricatorem libere appellando, sublatisque ad Deum oculis dicendo, Gratias tibi ago, Domine, in mediis verberum cruciatibus expiravit (7). *Ad hæc primum advertimus eum, qui hic Dacianus, id est persecutor sævissimus* (8), *appellatur, a Metaphraste in eadem Vita apud Surium ad diem* XXVIII *Novemb. Julianum Apostatam dici, quod Theophani prorsus consonum est supra num.* 14). *Deinde reliqua omnia quæ S. Stephanus narrat de Petro in Blachernis incluso nihil diversum habent præter solum nomen, ab iis quæ de Andrea in Blachernis Calybita scribit Theophanes. Præterea si Theophanes, ubi de Petro stylita scribit (n.* 14), *vere Petrum in Blachernis inclusum designaret, quæ de isto narrantur, cum* E *historia S. Stephani componi non possent. Sanctus Stephanus enim, ut suo loco probabimus, a mense Nov.* 763 *usque ad finem anni* 766 *in exsilio fuit, et circiter ab ineunte Januario* 767 *cum prædictis monachis in carcere Prætorii versabatur. Ex quibus probabile fit ante* 763 *S. Martyrem Petrum de quo narrat, occubuisse; nam alioquin, qui non melius monachi S. Stephano, quam hic illis, martyrium istud enarrassent? Neque S.* Andreas *in Blachernis prope Cpolim habitabat, ut Theophanes scribit, sed ex Creta adveniens ad Blachernas se contulit, ubi Copronymus in palatio suo Divi Mamantis in Martyres sæviebat, quibuscum illico tentus est. Testantur id Acta et Synaxarium supra relatum (num.* 5). *Nec etiam tyrannus jussit eum usque ad mortem flagris cædi, ut iterum Theophanes scribit, et dein in fluentum projici, sed crudeliter raptari per viam publicam; nec Cpoli sorores suas habere potuit qui in Creta monasticam vitam degens, illuc advenerat ut cultum SS. Imaginum coram tyranno defenderet; neque domum in emporio Leucadii ad littus Asiaticum Bospori, honestæ sepulturæ mandari potuit, quem in ipsa urbe, dum raptaretur, expirantem, in locum sordidissimum, in Pelagia scilicet, cum maleficis projecere, quemque dein viri orthodoxi in loco* F *sancto Crisis, iterum in urbe ipsa, deposuerunt. Quæ singula cum ex Actis S.* Andreæ *luce clariora sint, manifestum est Theophanem non adjuncta Martyrii immutasse sed solo nomina Martyrum transposuisse. Atque hæc iterum, non dicam, confirmantur, sed vere demonstrantur ex iis quæ habet Menologium Basilii ad* XXVIII *Novembris postquam de S. Stephano Juniore egit:* Similiter et S. Andreas *(in Crisi)* vinctus, raptatusque, e vita excessit. At Sanctus Petrus *(de Blachernis)* in carcerem prius conjectus, deinde eductus, tamdiu flagellis cæditur, donec spiritum Deo tradidit. *Num autem S.* Andreas *Stylita dici possit, infra inquirimus. De Calybitæ vero cognomine cum plura congesserit Bollandus ad diem* XV *Januarii, ubi de Joanne Calybita, satis erit hic dixisse illud a vocula* Καλύβη, *quæ est tugurium significat, deductum fuisse, ita ut Calybites ille sit qui in tugurio habitat. Quam recte vero S. Petrus hoc cognomento insigniatur quem S. Stephanus appellat* τὸν ὅσιον, τὸν ἐν βλαχέρναις

(1) Theophan., l. c., p. 681. — (2) Lib. I, them. III, et lib. II, them. I. — (3) T. I Januar., p. 747. — (4) T. I Junii, p. 168. Cfr t. I Januar., l. c., et Analecta græca, p. 505. — (5) T. III Maii, p. 625. — (6) Theophan., t. I, p. 667. — (7) Anal. græca, p. 507. — (8) Cfr t. II Junii, p. 788, n. 9.

ἐγκεκλεισμένον

A ἐγκεκλεισμένον, *sicut ipsum S. Stephanum Theophanes dicit :* τὸν ἔγκλειστον ὄντα εἰς τὸν ἅγιον Αὐξέντιον *(quod nomen montis est), nemo non videt* (1).

Inquiritur in causam erroris.

16 *Sed quomodo Theophanes in hanc confusionem devenit? Nos aliam causam non novimus nisi quod tunc adolescens fuerit valde, ut ipse prodit ad A. C.* 763 *(ipsi annum mundi* 6255) *dum in mari glacie constricto cum pueris se lusisse commemorat. In monasterio versatus* (2) *procul a Cpoli, diligenter quidem, ut in suo proœmio testatur* (3) *volumina plurima examinavit, sed de recentibus non multa, ut arbitror, congerere potuit; sequitur in his plerumque Breviarium Nicephori, qui Photio probatus scriptor dicitur, sed is historiam, non chronographiam aut annales contexuit. Causis autem erroris illius assignandis ideo diutius inhæremus, quod in Martyrio S. Stephani lapsus iterum nonnullos admiserit, ut ad* XXVIII *Nov. uberius dicetur. Quid igitur mirum, dum in Menæis, in Menologiis ceterisque Fastis græcis Andreæ illius Calybitæ mentionem qualemcumque diligentius exquireremus, nulla nos usquam hujus cognominis vestigia obvia habuisse? Commemoratur tamen ab omnibus* S. Andreas *monachus sub Copronymo passus et plerum-*B *que verba* in Crisi *apponuntur. Deprehenderant scilicet Græci Fastorum scriptores, quæ a Theophane afferebantur cum ceteris testimoniis, si minus historicorum, at certe hagiographorum constare non posse, et ideo Theophane derelicto, Synaxaria sua potius ex Metaphraste aliisve Actorum scriptoribus, ut ceterum plerumque consuevere, depromere maluerunt. Latini e contrario Theophanem aut ejus interpretem Paulum Diaconum secuti, inde quæ a priore confusa fuerant retinuerunt.*

S. Petrus de Blachernis passus est XVI *Maii anni* 761.

17 *Ut autem ad ipsum annum utriusque martyrii, Petri nempe et* Andreæ, *jam indagandum accedamus, sic Theophanis verba num.* 14 *relata consequenter ad dicta interpretamur : Anno mundi* 6253, *seu* 21 *Copronymi, contigit martyrium, non ut Theophanes scribit, Andreæ Calybitæ in Blachernis, sed Petri Calybitæ in Blachernis; et anno mundi* 6259, *Copronymi autem* 27, *martyrium in quibusdam simile, sed diversam mortem et sepulturam nactus est* S. Andreas, *qui a sepulturæ loco dictus est* in Crisi. *De annis a Theophane assignatis jam dudum Henschenius adverterat ab imperio Phocæ, cui unus annus detractus est* (4), *usque ad annum ultimum Copronymi, ubi error præcedens* C *novo errore tegitur* (5), *vel annos mundi vel indictiones perpetuo claudicare, idemque de Theophanis emendatione specialem diatribam edidit* (6), *ex qua Theophanem suum plurimum ornare doctissimi editores Bonnenses* (7) *potuissent. Verum hoc loco manet altera via accurate annos modo indicatos ad æram vulgarem reducendi; Theophanes enim ad annum* 6252, *qui annum martyrii Petri de Blachernis immediate præcessit, eclipsim aliquam solis diligentissime consignat his verbis, ex versione Goari :* Apparente solis defectu mensis Augusti die decimo quinto, feria sexta, hora diei decima, *anno proinde* 760, *ut ex tabulis astronomicis constat* (8). *Et quia annus mundi* 6253 *Cpoli incepit, ex more Græcorum, mense Septembri anni* 760, *ut usque ad Septembrem anni* 761 *decurreret, exinde probabile fit S. Petrum de Blachernis occisum esse die* XVI *Maii dicti anni* 761. *Diem illum enim assignat antiquissimus Synaxaristes Ms. quem Papebrochius a Chiffletio nostro in Collegio Divionensi exscribendum accepit.* B. C.

S. Andreas vero

18 *Annus martyrii* S. Andreæ in Crisi *dupliciter inquiri ac statui potest. Primus modus est iste : Memorant Nicephorus* (9) *et Theophanes* (10) *varias Copronymi expeditiones plerumque felices in Bulgaros; at quam indictione quarta mense Januario suscepit, anno nimirum* 766, *iisdem testibus infelicissima fuit : ex qua nempe turpiter mense Julio reversus est, ac furore quodam correptus, sævitiæ in monachos ac sanctarum Imaginum cultores tragœdias edere cœpit. Eadem indictione juramentum ab omnibus subditis exegisse dicitur, quo venerationem Imaginibus in posterum se non exhibituros esse sponderent. Porro hæc singula in Actis nostris utrisque reperimus. Ibi sub num.* 8 *ipse Copronymus dicit se decretum tulisse quo plectendi sunt, quicumque Imagines venerarentur. Dein num.* 10 *arguitur a* S. Andrea *quod bellum in Barbaros, ordinisque politici administrationem neglexerit, ac superbum animum in christianos demonstrare statuerit. Præterea num.* 6 *et* 7, *dum* S. Andreas *primum coram imperatore apparuit, permultos invenit quæstioni subjectos, nervis bubulis cæsos, oculorum effossione cruciatos, aliaque similia passos, quæ* E *a duobus prædictis scriptoribus ante indictionem quartam nusquam recensentur, sed ea indictione iisdem pæne verbis descripta sunt, uti et deinceps pluries* (11). *Ex his igitur recte statuimus ante indictionem illam, id est ante annum* 766, *S.* Andreæ *martyrium non contigisse.*

die XX *Octobris anni* 767.

19 *Alter modus, quo pressius annum martyrii* S. Andreæ *determinamus hic est : Theophanes ad annum* 6259 *æræ mundanæ, ut dictum est num.* 14 *et* 17, *martyrium S. Petri stylitæ cum* S. Andrea *commutati, commemorat; sed ad eumdem annum etiam indictionem signavit, quod satis frequenter quidem facit, non tamen ubique. Quando autem id facit, Pagius aliique gravissimi scriptores non dubitant indictionem præ æra Antiochena admittere, qua Theophanes utitur, licet profiteatur se æram Julii Africani adhibere* (12). *Mihi tamen compertum est æram aliquoties recte proferri, cum erronea indictione, exempli causa ad an.* 6253, *ut ex adjecta eclipsis indicatione manifestum est. Patet nihilominus recte egisse, qui indictiones universim prætulerunt. Ad hunc igitur annum* 6259 *Theophanes indictionem signat his verbis* (13) : Hoc anno, mensis Octobris die sexto, indictione sexta *etc.* F *Verum hæc indictio cum anno* 6259 *æræ mundanæ non concordat, cum ex regula S. Maximi* (14), *æræ addenda sit unitas, dein divisione instituta per* 15, *quod reliquum est, indictionem efficere debeat. Porro hac methodo hic non sex, sed quinque tantum obtinemus. Nihilominus indictionem hic recte adscribi, duplici via firmatur. Primo, quia Theophanes ad annum sequentem, indictione septima, scribit diem* 1 *Aprilis fuisse diem sabbati* (15); *ex quo manifestum est, indictionem illam septimam recte adscribi; ergo et ad præcedentem recte sexta adscripta est. Præterea ad hanc indictionem sextam signat Theophanes annum primum Stephani Papæ; atqui reapse Stephanus III, hac indictione, mense Augusto electus est* (16). *Sic stabilita indictione qua passus est* S. Andreas in Crisi, *pro quo Theophanes Petrum de Blachernis dixit, facile ipse annus eruitur. Etenim in Actis nostris prioribus, martyrium*

(1) Theoph. Chronogr. Edit. Bonn., t. I, p 674. — (2) In ejus Vita, t. II Martii, p. 220, n. 14, et p. 217, not. *k*. — (3) Loc. cit., p. 3. — (4) T. III Martii, p. VIII, n. 17. — (5) Ibid., p. IX, n. 18. — (6) Ibid., p. I. — (7) Theophanis Chronographia ex recensione Jo. Classeni Bonnæ 1839. — (8) Art. de vérif. les Dates, édit. 1783, t. I, p. 66. — (9) S. Nicephori Patr. Cpol. Breviarium, etc. Edit. Bonn., p. 77 et seqq. — (10) Loc. cit., t. I, p. 691. — (11) Theophan., t. I, p. 667 et seqq. — (12) Petavius, de Doctrina temporum, ad Auctarium, etc., lib. VIII, cap. I et IV, t. III, p. 153 et 15. Edit. Antuerp. (Amstelodam.). — (13) Theoph., loc. cit., p. 681. — (14) Petavius, loc. cit., cap. V, p. 161. — (15) Theoph., loc. cit., p. 686. — (16) Baronius et Pagius, ad an. 768, num. 1.

E. C.

contigisse dicitur die XX *Octobris, ex quo palam fit illud anno 767 affigendum esse.*

S. Petri corpus in fluentum projici debebat,

20 *Annus martyrii S.* Andreæ in Crisi *uno tenore cum illo quo passus est S. Petrus de Blachernis, constituendus fuit, licet nonnulla de posteriore Sancto dicenda supersint. Corpus ejus, postquam in circo Divi Mamantis flagris interfectus est, projiciendum erat in fluentum (supra num. 14 seqq.)* ἐν τῷ ῥεύματι, *ut Theophanes loquitur; sed ejus sorores ipsum efferentes, in Leucadii emporio sepulturæ mandarunt. Quale fuerit istud fluentum, facile colligitur ex Topographia Cpolitana Petri Gyllii, apud quem lib.* IV *cap.* VI *hæc leguntur* (1): Non Historici modo sed etiam Grammaticus Suidas, tradunt ad Divum Mamantem pontem fuisse duodecim fornicibus constantem; multæ enim aquæ eo defluebant. *Theophanes igitur, cum de fluento determinato loquatur, ut patet ex adjecto articulo* τῷ, *has aquas ad Divum Mamantem designat; nisi forte sinum Ceratinum, qui ex Bosporo versus Occidentem se porrigit, voluerit significare. Ita intellexisse Goarius videtur, qui vertit* fluentum maris (2); *verum* ῥεῦμα *de fluviis eorumque impetu dicitur, non de sinu maris; neque etiam, si sinui Ceratino hoc nomen apud Byzantinos scriptores obtigisset, id Gyllium, Cangium* (3), *aliosque fugisset. Porro docet Gyllius, templum et circum Divi Mamantis, uti et palatium ab eo dictum, sita fuisse in Blachernis, extra muros civitatis* (4). *Blachernæ enim audivit omnis regio, quæ inter angulum Cpolis occidentalem et sinum Ceratinum jacet, quo sinu civitas a Septentrione clauditur; hic etiam decimam quartam Cpolis regionem fuisse idem Gyllius constituit. De locis illis plura videsis apud Papebrochium ad diem* XVI *Maii* (5) *et in præclaro opere Cangii quod Cpolis Christiana inscribitur* (6).

sed a sororibus in emporio Leucadii sepultum est.

21 *Emporium Leucadii, in quo sorores S. Petri de Blachernis ejus corpus sepelierunt, diversum non est a loco quem Dionysius Byzantinus in Anaplo Bospori* (7) *Lycadium promontorium dicit, eratque in littore orientali Bospori, non procul a Chrysopoli situm. Constat id iterum ex Chronicis Symeonis Magistri* (8), *Georgii monachi* (9) *et continuatoris anonymi Theophanis* (10). *Emporii autem nomine, quod locis ad mare sitis potissimum tribui notum est, non improprie hic insignitur. Porro locus idem omnino, siquidem ad eumdem annum similia ubique de eo memorantur, a Symeone et Joanne Scylitza Leucatium audit* (11), *a ceteris vero Leucates; quamobrem manifeste de eo agi videtur, ad diem* XXIII *Julii, ubi de S. Anna* ἐν τῷ Λευκάτῃ *Pinius noster disserit* (12). *Promontorium enim Leucatas vel Leucactas prope Nicomediam in Bithynia, ut cetera mittam, longius a Cpoli dissitum fuit, quam ut illuc S. Anna ad imperatorem Basilium Macedonem, a quo dicitur in sponsam expostulata, se conferret. Nobis autem non inutile visum est, situm emporii illius, cujus frequenter Byzantini scriptores meminere, hic accurate assignare. Addimus solum, in quantum ex Gyllio, Cangio et erudito geographo Hammers* (13), *rem assequi potuimus, collocandum illud esse in loco qui hodie* Keufus *dicitur, jacetque inter* Kandlische *et* Anatoli, *et duabus fere leucis horariis trans Bosporum a Cpoli distat.*

Die IV *Junii anni 761 passus est S. Joannes Monagriæ Hegumenus;*

22 *De S. Joanne præfecto monasterii Monagriæ, qui tempore persecutionis Copronymianæ in sacco inclusus, in mare demersus est, pauca habet ad diem* IV *Junii Henschenius noster* (14), *eaque iterum ex Synaxariis a Chiffletio acceptis depromit. Joannem hunc ita celebrat S. Stephanus in carcere prætorii, postquam de S. Petro de Blachernis verba fecerat:* Imitemur et qui eum *(Petrum)* secutus est, Joannem divinum illum amœni monasterii Monagriæ præfectum, quem tyrannus imperator *(Copronymus)* tyrannice comprehensum, quod Christi ejusque Matris imaginem pedibus conculcare renuerat, sacco inclusit, eumque ad ingentem lapidem alligatum in profundo maris præfocavit. Quid hujusmodi morte acerbius? Verum eo gloriosiorem coronam præbet (15). *Ex quibus, sicuti et ex chronologicis observationibus sub num. 17 allatis, recte deducere nobis videmur, S. Joannem Hegumenum monasterii Menagriæ die* IV *Junii, anno 761, eodem scilicet quo S. Petrus, martyrii palmam adeptum esse. Apud Henschenium quidem dicitur, non Monagriæ sed Menagriæ Præfectus; verum illud ex amanuensium lapsu factum esse conficitur, cum ex quatuor Mss. codicibus quos Jac. Loppin se contulisse testatur* (16), *tum ex ipso Metaphraste, qui apud Surium ad diem* XXVIII *Novembr. similiter scribit:* monasterium Monagriæ. *Non igitur veritatem plane omnem Papebrochius assequitur, dum in hujus monasterii nuncupationem inquirit* (17); *verisimile tamen est illud in ista, quam dicit, regione Sigriana situm fuisse, quia, ut alibi adstruit* (18), *ibi plurima monasteria exstitere nomen non valde diversum consecuta, ut erant quæ Parvi Agri et Magni Agri dicebantur. Præterea si illud prope Cpolim fuisset, non dubitamus quin Cangius, tot scriptores editos et Mss. incredibili diligentia perscrutatus, ejus in sua Constantinopoli Christiana notitiam tradidisset.*

die VIII *Julii anni 771, S. Paulus Novus;*

23 *In indiculo Martyrum de quibus hic agere nobis assumpsimus (supra num. 11), et in quoordinem mensium sumus secuti, post Joannem Monagriæ Hegumenum, prodit S. Paulus Novus, militiæ dux, dein monachus, ut ex quibusdam documentis apparet* (19), *demum Martyr die* VIII *Julii, anno, ut videtur, 771. Reliqua quæ ad eum spectant, in Actis nostris ad dictum diem quærantur. Nos hic solum a Paulo ex Creta, de quo supra num. 11 et seqq., eum distinguere intendimus, dein aliquid de anno martyrii emendatius proferre. Refertur in Actis ejus, 122 annis post passionem, revelatione facta Antonio Cauleæ patriarchæ Cpolitano, ejus sacrum corpus honorificæ sepulturæ Cpoli in monasterio Cajumæ traditum fuisse, unde illud Veneti anno 1222 acceperunt et forte usque in hodiernam diem asservant. Demonstratum est autem ab Henschenio Antonium Cauleam non anno 888, ut antea credebatur, sed 893 sedere cœpisse* (20); *ex quo numero si 122 demantur, residui erunt 771. Verum Pinius correctionem Henschenii, quam Pagius aliique omnes amplexi sunt* (21), *non assecutus, cum Baronio annum 888 erronee retinuit* (22). *Proinde annum non 771, sed 766 martyrio S. Pauli assignaverat. Nunc ex serie quam sequimur, devenimus ad S.* Andream in Crisi, *quem die* XX *Octobris anni 767 passum esse, supra num. 18 seq. adstruximus; verum reservatis, quæ de eo reliqua sunt, ad § sequentem, jam paucis diem* XXVIII *ejusdem mensis attingimus. Jam dictum est supra num. 7, illo die a vetustissimis Eclogadiis seu Menologiis colendos indici S. Stephanum, Petrum (de Blachernis) et* Andream

(1) Gronovii Antiquit. græc., t. VI, col. 3323 et 3130. — (2) Theoph., loc. cit., p. 667. — (3) Cfr tamen Glossarium græcum V° ῥεῦμα. — (4) L. c., col. 3322 et seq. — (5) T. III Maii, p. 625. — (6) Lib. IV, p. 83. n. 6, et p. 171, n. 3: lib. I, cap. I, n. 16. — (7) Apud Gronov., loc. cit., col. 3201 d et 3203 d. — (8) Ed. Bonn., p. 721. — (9) Ed. Bonn., p. 877. — (10) Ed. Bonn., p. 384. — (11) Cangius in notis ad Zonar. Ed. Paris, t. II, p. 98. — (12) T. V Julii, p. 486. — (13) Hammers. Cpolis. Pesth. 1822, p. 298. — (14) T. I Junii, p. 402. — (15) Analecta græca, p. 507. — (16) Ibid., in præfat. — (17) T. I Junii, p. 402. — (18) T. II Martii, p. 213, n. 2. — (19) T. II Julii, p. 636, n. 2. Cfr Menæa et Menologium Basilii ad XXVIII Novembr. — (20) T. I Aug. de Patriarch. Cpolit., p. 113 *. — (21) Ibid., n. 663. — (22) T. II Julii, p. 633, n. 10.

E. C.

A Andream (in Crisi). In Typico S. Sabæ aliisque Fastis, prodit hoc eodem die S. Stephanus Sabaïta Canonum scriptor, de quo agit Canon Menæorum novæ editionis, a Theodoro Grapto Nicææ metropolita (1) conscriptus. In Synaxario Menæorum hic Stephanus dicitur episcopus fuisse et certasse contra hæreses; in Menologio Sirleti ut Martyr annuntiatur (2). Hæc autem nec Stephano Sabaïtæ qui a Theodoro Grapto celebratur, nec alteri homonymo itidem Sabaïtæ, cujus præclara Acta Pinius illustravit ad XIII Julii, convenire possunt (3). Quapropter conjicio hic agi de Stephano illo, qui a Copronymo in Sugdæam, Mœsiæ inferioris partem (4), ejectus est (5), eodem forte qui viginti fere post annis, in Concilio Nicæno anni 787 subscripsit: Στέφανος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σουγδάων (6). Sed de his iterum ad XXVIII Octobris.

XXVIII Novembris S. Stephanus Junior; ejus vitæ

24 Jam ad celebratissimum totius persecutionis Copronymianæ Martyrem Stephanum Juniorem, qui XXVIII Novembris colitur, devenimus. Hic autem satis erit chronotaxin posterioris partis ejus vitæ, qua sæpius in hoc Commentario nixi sumus, breviter stabilire. Natus est S. Stephanus Cpoli anno 715, post ordinationem S. Germani patriarchæ (7), B quæ contigit die XI Augusti ejusdem anni (8). Deductus est a parentibus, valde juvenis, ad Joannem anachoretam montis S. Auxentii, e regione Cpolis, ad sinum Nicomediæ siti, in quo cum diu vixisset, anno ætatis 42 (9), Christi proin 756 aut 757, ad ipsum cacumen montis in angustissimam cellulam se contulit. Interea Copronymus anno 754 (10) synodum iconoclasticam coegerat, cujus decreta ipse deinceps propugnavit, quamque a Constantino pseudopatriarcha, antequam eum morti traderet, anno 768 iterum approbari voluit (11). Hujus conciliabuli decreta anno 763 ad S. Auxentii montem idem imperator jussit deferri, ut a S. Stephano subscriberentur (12). Is vero, cum id facere renuisset, ad S. Auxentii cœmeterium arcte custoditus, die septimo, dum Bulgaris bellum inferre imperator debuit, liberatus est (13). Porro in Bulgaros profectus est Copronymus die XVII Junii, et die XXX ejusdem mensis, feria V, indictione I, eos prælio devicit (14); ex qua indictionis et feriæ indicatione certissimum est ea contigisse anno, quem supra dicebam, 763.

chronotaxis.

25 Dein a reditu imperatoris Cpolim, paucis eventibus interjectis, incenso S. Auxentii monasteC rio (15), S. Stephanus e tugurio suo usque ad mare pertractus est, ibique naviculæ impositus et Chrysopolim ad Philippici monasterium delatus (16), postquam dies XVII illic transegerat, ad insulam Proconnesum in exsilium missus est (17). Quoniam vero dicitur ibi, initio pæne exsilii sui, anno 49 ætatis, domunculam in columnæ formam a se exstructam ingressum esse (18), si meminerimus eum anno 715 post XI Augusti esse natum, constabit id accidisse anno 763 exeunte, aut currente 764. Ex quibus quæ num. 24 attulimus de anno 763 iterum confirmantur. Rursum traditur in ejus Vita, secundo exsilii anno, id est 765 aut 766, matrem illius obiisse (19), denique nonnullis rebus interjectis, Cpolim eum revocatum fuisse. In qua civitate, diebus aliquot carcere Phialæ detentus (20), cum imperatorem publice arguisset, per undecim menses prætorio incarceratur (21), et demum, anno ætatis 53, die XXVIII Novembris (22), anni proin 767, martyrii coronam accepit (23). Cum enim anno 715 sit in lucem editus, patet eum dicto anno 767, annum ætatis 53 esse ingressum. Porro, si menses undecim carcere prætorii mansit, inde conficimus eum sub finem anni 766 Cpolim revectum fuisse, et consequenter tres fere annos vixisse exsulem in Proconneso. Quocirca, ubi de Petro de Blachernis egimus (supra num. 15), qui anno 761 passus est, merito diximus ejus martyrium S. Stephano innotescere potuisse et ab eo, sex annis elapsis, in carcere prætorii narrari; at non item martyrium S. Andreæ in Crisi, quod XX Octobris anni 767 contigit: tum enim jamdudum S. Stephanus in dicto carcere detinebatur, mox ipse ad eamdem palmam arripiendam, inde exiturus. Rursum, ex iisdem quæ deduximus, conficitur S. Stephanum ter publice prodiisse, et crudeliter fuisse ligatum ac pertractum, ultimis scilicet mensibus annorum 763, 766 et 767 (24). Atque exinde factum est, ut tum Nicephorus in Breviario (25), tum Theophanes (26) anticipate et confuse omnia narraverint; nec opus est cum Pagio (27) in aliam causam inquirere. Porro hæc Theophanis narratio Baronium aliosque aliquando E in errorem, de anno mortis S. Stephani constituendo, induxit.

Chronotaxis præcedentium martyriorum.

26 Nunc autem, quoniam inquisitio ista in historiam et chronologiam persecutionis iconoclasticæ secundæ, prolixior facta est, quam id primum existimabamus, utile duximus eam, juxta seriem annorum, hic compendio exhibere, additis numeris Commentarii, ad quos de singulis actum est:

Anno 761, XVI Maii, passio S. Petri de Blachernis. Supra num. 17.

Eodem anno, IV Junii, passio S. Joannis Hegumeni monasterii Monagriæ, num. 22.

Anno 763 ad finem vergente, S. Stephanus Junior ex tuguriolo montis Auxentii abstractus et mari Chrysopolim devectus, mox in Proconnesum exsul mittitur, num. 24 seq.

Anno 766, sub finem, S. Stephanus Junior Cpolim redux, carceri traditur, primum Phialæ aliquot dies, deinde prætorii, num. 25.

Eodem anno Copronymus omnes subditos juramentum præstare jubet, se Imaginibus sacris venerationem non exhibituros, num. 12.

Anno 767, Copronymus præfectos crudelissimos F ad provincias mittit, num. 12.

Eodem anno, XVII Martii, passio S. Pauli monachi in Creta, sub Theophane Lardotyro insulæ præfecto, num. 12.

Eodem anno, XVI Aprilis, invaditur monasterium Pelecetæ in Asia ad Hellespontum, a Michaele Lachanodraconte Asiæ præfecto, num. 13.

Eodem anno, II Junii, passio 38 monachorum ejusdem monasterii, a Lachanodraconte prope Ephesum terræ mole obrutorum, num. 13.

Eodem anno, XX Octobris, passio S. Andreæ in Crisi, num. 19.

Anno 771, VIII Julii, passio S. Pauli Novi, num. 23.

(1) Lequien, Oriens Christ., t. III, col. 359. Cfr Chronic. Symeonis, Edit. Bonn., p. 643. — (2) Cfr t. III Julii, p. 525, n. 9. — (3) Ibid., n. 8 et seq. — (4) Cellarius, t. I, edit. 1773, p. 498. Cfr Acta SS., t. V Junii, p. 217. — (5) Menæa, Venetiis 1843, ad XXVIII Novembr., p. 211. Menologium Basilii, Urbini 1727, ad eumd. diem, p. 217. — (6) Labb. Concil., t. VII, p. 327 c, 363 b, 42 c; Coletus, Illyricum sacrum, t. VIII, p. 126; Lequien, Oriens Christ., t. I, col. 1229. — (7) Analecta græca, p. 403 et 404. — (8) Pagius ad an. 714, n. 2, et ad an. 766, n. 2. Cfr Analecta gr., p. 405 et 406. — (9) Analecta gr., p. 423 et seq. — (10) Theoph. loc. cit., p. 659. Pagius ad an. 754, n. 10. — (11) Theophan., p. 683. — (12) Analecta gr., p. 457 et 477. — (13) Ibid., p. 460. — (14) Theoph. loc. cit., p. 667 et seq. — (15) Analecta gr., p. 475. — (16) Ibid., p. 476. — (17) Ibid., p. 483. — (18) Ibid., p. 486. — (19) Ibid., p. 493. — (20) Ibid., p. 495. — (21) Ibid., p. 499 et 503. — (22) Ibid., p. 521. — (23) Cfr Pagius ad an. 766, n. 2. — (24) Analecta gr., p. 475, 499 et 518. — (25) Edit. Bonn., p. 81. — (26) Loc. cit., p. 674 et 685. — (27) Pagius ad an. 765, num. 1.

§ III.

E. C.

§ III. Inquiritur in vitam S. Andreæ. Actorum loca nonnulla illustrantur.

S. Andreas natus est in Creta:

S. Andreas *natus est in insula Creta, ut testantur ejus Acta et Synaxaria omnia, tum excusa, tum Mss. Assemanus asserit Menæa impressa, eum ex una urbium Cretæ oriundum facere* (1), *sed doctissimus vir accurate verba græca non expenderit:* Γέννημα καὶ θρέμμα γέγονε τῆς εὐνομωτάτης τῶν πόλεων Κρήτης. *Raderus noster, qui omnia Menæorum Synaxaria latine interpretatus est, et cujus opus Ms. in Bibliotheca Burgundica Bruxellensi asservatur* (2), *eumdem locum obscure vertere maluit:* Natus et educatus est in optime morata civitate Cretæ. *Sed dubium omne tollit Metaphrastes, ex quo Menæorum Synaxarium, ut frequenter contingit, descriptum est:* Ἤνεγκε μὲν γὰρ αὐτὸν ἡ εὐνομωτάτη ποτὲ τῶν πόλεων Κρήτη *(infra num. 3). Ex quibus manifestum est, Metaphrasten de legibus, quas Minos olim Cretensibus tradidit, sermonem facere. Insolitum quidem est* πόλιν *apud mediæ græcitatis scriptores, non de urbe aliqua dici* (3), *sed de civibus, qui legibus communibus reguntur; verum in Metaphraste, quem ex scriptis patet in antiquis litteris non mediocriter versatum esse et allusiones historicas adamasse, id mirum videri non debet. Apud Hesiodum autem, Thucydidem, Isocratem, Aristotelem aliosque,* πόλιν *cives quoscumque iisdem legibus rectos designasse, extra controversiam est* (4). *Porro in Actis nostris prioribus, S. Andreas natus dicitur in loco, qui* Castrum *dicebatur (infra num. 6):* Ἐν τῷ ἐπιλεγομένῳ τῆς Κρήτης Κάστρῳ; *et ita verba illa accipienda esse, manifestum videtur ex iis quæ in iisdem Actis (num. 16) de loco* Crisis *leguntur:* Ἐν τόπῳ ἐπιλεγομένῳ Κρίσις; *hic enim de vocum significatu nemo dubius hærebit. Quamquam autem oppidum quodcumque, præsertim si munitum sit, testibus Gretsero nostro et Goaro in Codino Curopalata illustrato* (5), κάστρον *dicitur, id certe de tota Creta dici nequit, et quidem interpretationem hujusmodi verba græca aperte respuunt. Porro* Castrum *locus Cretæ non valde insignis fuerit, cum apud geographos nusquam prodeat. Recentes quidem nonnulli, ut Hoffmann, Balbi etc., vicum* Castel-priotisa *commemorant, non procul a Candia situm, a rudi gente habitatum; at eumdem esse cum loco qui medio ævo Castrum dicebatur, nihil est omnino quod indicet, et hac de re vel conjecturam emittere ridiculum esset. Ex eo autem quod S.* Andreas *Martyr in Creta natus feratur, Baronius et alii ante hunc, cum non immerito Cretensem vocarunt* (6), *nec ideo certe cum Pagio* (7) *dici potest, Baronium Martyrem hunc ab Andrea episcopo, similiter Cretensi dicto, non distinxisse: nam in Notationibus ad Martyrologium, die* XVII *Octobris, aperte inter utrumque distinguit.*

ubi forte stylita fuit,

28 *De vita S. Andreæ in Creta acta, pauca admodum innotuerunt. Petrus de Blachernis, quem Theophanes ad annum Christi* 767 (8), *pro* Andrea *nostro posuit (vide supra num.* 14), *ab eodem stylita nuncupatur, quam appellationem ad S.* Andream *transferendam esse conjicere quis posset. De hac re adverto, stylitas etiam fors dici potuisse, qui in loco excelso cellam suam habebant, vel quorum cellula in columnæ formam exstructa fuerat; nam id aliquando factum esse patet ex Actis S. Stephani Junioris, cujus exigua cella, quam ipse sibi in insula Proconneso ædificaverat, ab ejus biographo* στυλοειδής *vocatur:* Στυλοειδὲς μικρὸν ἔγκλειστρον ἐν τῷ τόπῳ ἀνοικοδομήσας (9). *Dein Petrum de Blachernis, a Theophane stylitam dictum, idem S. Stephanus nuncupat:* τὸν ἐν Βλαχέρναις ἐγκεκλεισμένον, *quod de veri nominis stylita dici non posset. Si igitur S. Petrus de Blachernis stylita fuit, accipiendum id est latiori sensu; sed cum Theophanes hoc loco Petrum pro* Andrea *posuerit, nec addat eum in Blachernis vixisse (cfr supra num.* 14 *seqq), ad annum vero* 761 *vicissim* Andream *pro Petro scribat, addatque eum ad Blachernas habitasse et* calybitam *fuisse dictum (supra ibid.), mihi pæne certum est, Petrum de Blachernis, ex appellatione qua S. Stephanus utitur, in Blachernis vere* calybitam *seu* inclusum *fuisse, non autem stylitam. Theophanes igitur, sicut calybitæ nomen a Petro ad* Andream *transtulit, vicissim nomen stylitæ ab* Andrea *ad Petrum potuit transferre. Nemo enim S.* Andream *calybitam dixit, præter Theophanem et qui eum expilare solent, Zonaras, Cedrenus* (10) *et Paulus Diaconus in Miscella. Verum hæc est sola probatio quæ adduci queat, nisi forte ad* Andreæ *vitam styliticam alludat Josephus Hymnographus, in antiquissimo Canone Menæorum, Ode nempe tertia et septima, Tropario I. Stylitarum vivendi rationem si quis noscere cupiat, plura de iis reperiet in Actis nostris, ad* V *Januarii, quando S. Simeon stylitarum antesignanus colitur* (11), *et aliis locis plurimis. Cl. B. Hase, vir græcæ eruditionis maximæ, in notis ad Leonem Diaconum* (12), *observat stylitas usque ad sæculum* XII *in Oriente perdurasse, Papebrochius vero deprehendit eorumdem institutum apud Ruthenos viguisse ad sua usque tempora* (13).

vel certe anachoreta, aut monachus;

29 *Porro, si styliticam vitam S.* Andream *amplexum esse minus evidens est, certe eum monachum vel anachoretam fuisse, nemo dubitabit. Permultis id testimoniis adstruere, facile, sed supervacaneum foret; nec aliud hic afferimus quam Canonem jam laudatum, ante medium sæculum* IX *a S. Josepho conscriptum* (14). *Ibi igitur, Ode prima, Tropario tertio, Sanctum a juventute captum desiderio Christi, lætanter crucem suique abnegationem amplexum sese dicit; Ode vero nona, Tropario secundo, eum monachorum vel anachoretarum decus appellat:* Μοναζόντων ἐγκαλλώπισμα. *In quodam Menologio Moscho Ms., cui, uti et tabulis figuratis de quibus num.* 2, *fidere semper non possumus, nuncupatur S.* Andreas Hieromartyr, *quod de Martyribus presbyteris solum dici, in comperto est; verum in omnibus aliis ut* Hosiomartyr, *id est, ut monachus et Martyr, proponitur* (15). *In Sirmondi Synaxarista Ms., quem Parisiis decessores nostri olim acceperunt, dicitur in Creta* τὴν μονήρη βίον μετερχόμενος: *ex quibus aliisque similibus appellationibus, S.* Andreas *potius anachoreta vel solitarius, quam monachus seu cœnobita fuisse videtur. Hujusmodi autem anachoretas non rudes homines fuisse, sed plerumque doctrinam sacram satis bene edoctos, ex Actis S. Stephani Junioris aliisque monumentis facile posset evinci.*

Cpolim venit

30 *Jam accedimus ad ea quæ S.* Andreas *Cpoli gessit. Acta priora, num.* 6, *dum ejus adventum Cpolim enarrant, eum dicunt* Byzam *appulisse, non Byzantium, aut Cpolim:* τὴν Βύζαν κατελάμβανε.

(1) Kalendaria Ecclesiæ, t. V: p. 304. — (2) Sub n. 7883. — (3) Cfr Caugii Glossarium græcum. — (4) Cfr Stephani Thesaur. græc. — (5) P. 212, edit. Paris. Cfr Cangium, loc. cit. — (6) Ad an. 762, n. 1. — (7) Ad an. 761, n. 2. — (8) Theophan., loc. cit., p. 683. — (9) Analecta græca, p. 486. — (10) P. 11, edit. Bonn. — (11) T. I Januar., p. 262; cfr t. II Febr., p. 91, n. 36. — (12) Edit. Paris, p. 263; cfr t. II Febr., loc. cit., not. i. — (13) T. I Maii, p. XXVIII. — (14) T. I April., p. 269, n. 13. — (15) Cfr t. I Maii, p. VII; et supra, § I, passim.

Nomen

A *Nomen istud nec inter urbis portus, in Cangii Cpoli Christiana reperimus, nec ab ullo scriptore de Cpoli dictum fuisse vidimus. Gyllius scribit de Barbysa fluvio prope Cpolim* (1), *Ortelius* (2) *de Bisa, Bizya, Bizo Thraciæ et Mæsiæ urbibus ; sed de his omnibus hic agi non potest. Ex his autem jam pronum est judicare hæc Acta priora Cpoli non fuisse scripta, quod iterum ex infradicendis pæne manifestum fiet. Porro cum S.* Andreas *Cpolim advenisset, illico ad palatium quod a S. Mamante nuncupatur se contulit, quod ibi imperator degeret, et continua martyriorum spectacula in adjacente Hipprodromio* (3) *ederentur. Palatium illud extra urbem, Occidentem versus, in decima quarta regione situm fuisse, constat ex Gyllio et Cangio, quos n.* 20 *adduximus ; et cum Cpolim ex portu advenientibus ultra urbem esset, ideo in Actis prioribus, in Synaxario Mediolanensi, quod* § 1 *excusum est, et in Sirmondiano Ms., palatium Divi Mamantis* πέραν *situm dicitur, id est, ultra urbem. Idem palatium Symeoni Metaphrastæ qui Cpoli degebat, in Actis num.* 6, *non ultra, sed ante urbem dicitur ; demum Cangius in Chronico Paschali* (4) πέραν *vertit :* versus fretum, *siquidem ædes S. Mamantis, de quo hoc loco sermo, freto Sycæno seu Ceratino proxima erat.*

B 31 *S.* Andreas, *cum Copronymo furorem suum in Imagines sacras earumque cultores exprobrasset, varia perpessus, ut in Actis refertur, demum in arctum fœdumque carcerem conjectus est. Hunc non temere carcerem Phialæ seu Fontis fuisse dixeris, cujus frequens mentio in Actis S. Stephani, quemque ex iisdem non procul ab Hippodromio, martyriorum, in hac persecutione, ordinario theatro, situm, ac valde tetricum fuisse apparet* (5). *Metaphrastes hic insinuat S.* Andream *plures dies in carcere transegisse et socios captivos confirmasse ; cui Acta priora contradicere videntur, et manifeste contradicit Synaxarium ex iis contractum, et num.* 5 *recitatum : nam ibi postera jam die, coram Copronymo iterum apparuisse fertur, quod item Synaxaristes Menæorum asserit, in ceteris omnibus ipsis fere Metaphrastæ verbis locutus. In iisdem Menæis excusis, ad* XXVIII *Novembris* (6), *ubi de S. Stephano dicitur eum in carcere prætorii fuisse detentum, additur eum ibi Petrum et* Andream *reperisse ; verum illud evidenter erroneum est, et ex male intellecto Menologio Basiliano profluxit. In hujus Synaxario, ad eumdem diem, titulus habet :* Certamen C S. Stephani Junioris monachi et Martyris, et qui cum eo passi sunt, Petri et Andreæ. *Dein S.* Andreas *quidem dicitur monachus fuisse :* ὁ ὅσιος, *sed S. Petrus vocatur simpliciter :* ὁ ἅγιος ; *et enarratis breviter amborum martyriis, sicuti supra et in Actis describuntur, de S. Petro additur eum prius carcere detentum fuisse (cfr num.* 15 *circa finem).*

ubi in carcerem … conjicitur.

32 *Quibus non accurate discussis aut juxta Acta authentica emendatis, Synaxaristes Menæorum discernit a monachis S. Petrum et S.* Andream, *quamvis aperte non dicat eos monachos non fuisse ; et itidem trecentos et quadraginta duos captivos, quibus S. Stephanus in prætorio adjunctus est, in monachos et* alios *distinguere videtur. Verum, tam distinctio ista, quam præsentia S.* Andreæ *in carcere prætorii cum S. Stephano, ex scriptore diligentissimo et coævo Stephano Diacono, qui* 342 *illos captivos omnes monachos fuisse diserte asserit, nec ullum Petrum aut Andream tum carcere detentum vel socium quemvis cum S. Stephano supplicio traditum commemorat, corrigi debent* (7). *Id iterum apparet ex Canone S. Stephani, in Menæis ad* XXVIII *Novembris, qui Canon scriptorem præfert eumdem S. Josephum, qui S.* Andreæ *Canonem concinnavit ac nomen in ultimæ Odæ acrostichide signare consuevit, quemque nosse poterit Lector ex Actis a Papebrochio editis ad diem tertium Aprilis* (8). *In hoc Canone, Ode* 6, *etiam celebrantur S. Paulus quem Cretensem diximus, SS. Martyres Ephesini* 38 *(cfr supra num.* 13), *S. Petrus de Blachernis, eodem ordine omnino, eoque illis martyrii genere tributo, quo apud Stephanum Diaconum in igniuntur. Hymnographus igitur S. Stephani Acta genuina perlustraverit, sed non item Synaxaristes Menæorum ; idque vel eo evincere possemus, quod ejus corpus in mare projectum fuisse referat,* ἐν τῷ πελάγει, *quum* in Pelagia *dicendum fuisset. Atque hic etiam advertimus, quod dudum jam Papebrochius monuit* (9), *Officia et Canones Menæorum plerumque Synaxariis esse multo antiquiora et probat ora. Porro prodit quidem, in eodem Josephi Canone de S. Stephano, etiam* Andreas *martyr, sed extra seriem illam quam ex S. Stephani Actis excerptam diximus, Ode nempe octava, Tropario tertio ;* E *neque additur eum cum S. Stephano in carcere prætorii versatum esse, sed paucis verbis, unico Tropario isto, martyrium in hunc modum exponitur :* Fortiter persecutori resistens, divina sapientia præditus Andreas, flagellis percutitur, et immanem mortem justus patitur, jam accinens Domino Christo in sæcula. *Non potuit itaque Josephus Hymnographus, qui Cpoli degebat, patriarchæ Ignatii Sceuophylax, ubi de S. Stephano, primario totius persecutionis Copronymianæ Martyre agebat, etiam S.* Andreæ in Crisi *non meminisse, licet in Actis S. Stephani, quæ in Canone suo secutus videtur, de eo mentio non fiat. Id iterum patebit ex laudibus quibus S.* Andream *cumulat in Canone quem de ipso concinnavit, et ex quo inferius plurima proferimus.*

E. C.

33 *Eductus est S.* Andreas *e carcere suo, quem Phialæ fuisse verosimilius diximus, ad imperatorem, et coram eo Imaginum venerationem iterum audacter tuitus, a palatio S. Mamantis in urbem pertrahi jubetur (in Actis num.* 14 *et* 15), *cumque ad forum Bovis pervenisset, terram ubique irrigans cruore, ibi a piscatore quodam pede dextero abscisso, animam Deo tradidit. Quod cum vidissent, qui eum trahebant, in locum fœdissimum exanime corpus projecere.* F *Hæc ex sequentibus illustrantur.* Bos *scilicet, seu* Forum Bovis, *nomen mutuabatur a camino æneo in formam bovis conflato, in quo ustus fertur S. Antipas Martyr, antequam Pergamo Cpolim a Theodosio magno esset advectus, quique in hoc foro eminebat. De hoc martyrii instrumento egregie disputat Morcellus noster in doctissimis Commentariis quibus Kalendarium suum Cpolitanum exornavit* (10). *Capiebat autem forum Bovis undecima Regio, non procul a freto Ceratino dissita, nec a porta Blachernarum, ubi multi habitabant piscatores* (11). *De Bove plura etiam congessit olim Papebrochius* (12). *Ex eo autem quod ibi forum fuisse dicatur, facile intelligitur quod in Actis nostris scriptum est num.* 15, *truculentum illum piscatorem hastam, ex macello quodam ibi arreptam, adhibuisse. Conferendus etiam Anonymus Combefisianus* (13), *qui ex Bove æneo nummos cusos ab Heraclio refert, ut ita ad Copronymi usque tempora Bos non permansisse videatur,*

dein in foro Bovis occiditur.

(1) De Bosporo Thracio, apud Gronovii Antiqq. græc., t. VII, col. 3128. — (2) Ortelii Thesaurus geographicus. Antuerp. 1596 — (3) Theophan., loc. cit., p. 667, 676, 677, 682, etc., et in Actis infra. — (4) Edit. Bonn., p. 598. — (5) Anal. græc., p. 466, 467 et seqq. et 499. — (6) Venetiis 1843, p. 210. — (7) Anal. græc., p. 500 et 517. — (8) T. I April., p. 268. — (9) T. III Mart., p. 166, et t. I Junii, p. 17, n. 6. — (10) T. II, p. 85. — (11) Gyllius, Topogr. Cpol., lib. II, cap. II. — (12) T. VII Maii, p. 68, n. 12, et t. II April., p. 4, n. 3. — (13) Manipul. Cpolit., p. 20.

E. C. *deatur, sed solum nomen foro inditum. Locus ille fœdissimus, in quem S.* Andreas *projectus fuit, Pelagii sepulcretum est, quodetiam S. Stephanum Juniorem excepisse testatur Nicephorus in Breviario, et ex ejus Actis ad diem* XXVIII *Novemb. pluribus declarabitur. En Nicephori verba Petavio interprete :* A palatio ad Bovis usque forum attractum, miserrime discerpserunt. Cujus corpus in eum locum quem Pelagii sepulcra nominant, tanquam malefici cujusdam abjiciunt ; illuc enim et profanorum gentilium et eorum qui capitali supplicio damnati essent, cadavera deportabantur (1). *Metaphrastes num.* 15, *et Synaxaristes Menæorum S.* Andream *in locum maleficorum projectum dicunt, et inter corporum congeriem repertum; verum Theophanes aperte Pelagia indicat (supra num.* 14). *Cur autem eadem sepulcra non Pelagii, sed Pelagiæ,* τῆς ἁγίας Πελαγίας, *ab aliquibus dicta sint, diligenter inquirit Janningus in Actis S. Pelagiæ Antiochenæ* (2), *nec explicationem Cangii, ad calcem Annalium Zonaræ traditam, admitti posse, recte ibidem evicisse videtur.*

B

§ IV. S. Andreæ Reliquiæ, miracula, locus sepulturæ.

Corpus S. Andreæ miraculo repertum.

Corpus *S.* Andreæ *in Pelagiis per miraculum repertum ac a ceteris discretum, a piis viris in loco sancto Crisis depositum est ; atque hoc quidem ex Actis, ut aiunt, anepigraphis num.* 16, *insequenti nocte factum esse videtur. Miraculum tamen præcitatum, quod Metaphrastes et Menæa excusa referunt, in iisdem Actis non comparet, sed omittunt tantum, ac nihil dissonum addunt quod cum Metaphraste componi non possit. Et hæc est altera ratio cur Acta illa Cpoli scripta non fuisse videantur, quod scilicet ex tot miraculis, quæ S. Josephus Hymnographus anno* 814 *jam Cpoli sacerdotio fungens* (3), *ac sæculo sequenti Metaphrastes magnifice extollunt, nullum ea commemorent, aut de illis ne verbum quidem proferant. Si enim Cpoli scriptor Actorum degisset, non eo modo patrocinium S.* Andreæ *sibi apprecatus foret, tale illud rogans scilicet, quale id experiuntur* qui colunt tuam sacram memoriam et loculum reliquiarum tuarum venerantur. *Nunc ex Canone S. Josephi ea exhibemus quæ S.* Andreæ

C *miracula commendant ; sed ultimam Cdam cui Hymnographus, in perpetuam venerationis suæ memoriam, nomen per acrostichidem intexere suevit, integram vertimus, eadem acrostichide servata. Advertisse etiam juverit, uti postremæ huic Odæ, ita ceteris omnibus annexum esse Theotocium seu Versiculum in honorem Deiparæ, quod jam ante Josephum factitabat Theophanes, aliique hymnographi græci ; ut ita planum fiat quanta Græci, a Romana sede necdum divulsi, quanta, inquam, in B. Virginem devotione polluerint. Ex his Canticis excerptum est opusculum Wangnereckii nostri cui titulus :* Pietas Mariana Græcorum, *et Maraccius suum* Mariale *ex unius fere S. Josephi hymnis, etsi permulti adhuc in bibliothecis manuscripti delitescunt, concinnare potuit.*

Canon S. Andreæ ex Menæis.

35 Sanitas ex Te sive vivo adhuc, sive jam mortuo, tanquam ex fonte in ægrotos defluit, verbo divino potens, Sancte Andrea, qui spiritus impuros depellis, et Creatori tuo inclamas : Tu solus Sanctus Domine. *Ode* 3 *tropario* 2.

Suave spirans, odore virtutum, ubi nunc jaces in sepulcro, Pater sancte, vultum lætificas eorum qui confidenti corde Te adeunt. *Ode* 4 *trop.* 2. D

Peccati tenebras abhorruisti, Pater, et libidinis expers ut lucerna splenduisti, qui ad sanctum tumulum tuum accedentes splendore curationum, Deo dante, illuminas. *Ode* 5 *tr.* 1.

Dei habitaculum factus es, Pater, qui sancte vixisti et pugnasti fortiter ; nunc vero in monumento jaces, salvus et indissolubilis, cunctorum solvens morbos fidelium. *Ode* 5 *tr.* 2.

Ut magni pretii thesaurus absconditus, oculis fidelium, Pater, manifestus factus es, et miraculis ditas omnes qui colunt Te. *Ode* 6 *tr.* 3.

Spiritus tuus divina communicatione præfulgidus, mirabilis Andrea, stellam lucidam cunctis Te exhibuit, et ubique miraculis illustras fideles collaudantes Te. *Ode* 7 *tr.* 3.

Contra Christum in rabiem abrepti, ut feræ bestiæ Te trucidari jusserunt; quare raptantes et cædentes Te in barathrum projecerunt, qui ita veritatis manifestus Martyr factus es. *Ode* 8 *tr.* 2.

Prodigiis fideles, tanquam fluento, irrigas, et fugas, Vir Beate, nequitiæ spiritus, et languores tollis, qui a Christo Deo nostro curationum gratiam cælitus accepisti. *Ode* 8 *tr.* 3. E

Ode 9.

Ideo, Pater Sancte, cursu tuo consummato, et orthodoxa fide intemerate servata, quia certasti legitime, coronam duplicem desuper accepisti, ut Martyr invictus, ut asceta egregius.

Odoriferum ut lilium, ut rosa, Pater, in prato divinæ asceseos floruisti, ut cedrus suave redoles, Martyrum splendorem adeptus, Beate Andrea, monachorum decus.

Signis et portentis merito celebris, omnium sub oculis indissolubilis manes, Beate Andrea, qui mentem illuminas fide ardenti adeuntium Te et gratulantium Tibi.

Ecce diem festivum et sanctam suavissimamque memoriam tuam celebrantes hodie, Tibi, Pater, cum fiducia clamamus : Sacris ad Deum precationibus tuis, ab omni vicissitudine vitæ liberare nos digneris.

Theotocium.

Phosphori veri, qui lumen tulit in mundum splendore Deitatis, et ignorantiæ tenebras fugavit in ævum, viscera tua, castissima Virgo, habitaculum facta sunt ; ideo glorificamus Te. F

De loco Crisis.

36 *Hic exscribenda forent Metaphrastæ verba, quibus testatur, suo etiam tempore, neminem morbo aut malo qualicumque correptum, Sancti tumulum adiisse quin remedium inde retulerit ; qui Cpoli degens ita fidenter non fuisset concives allocutus, nisi frequentibus miraculis S.* Andreas *fidelium pietatem remunerasset. Verum, his missis, cum in Actis ejus n.* 17 *legi possint, de Crisis loco cui sacrum pignus creditum est, quædam proferenda sunt. In Actis utrisque, sed in Metaphrastæis disertius, locus ille* sanctus *dicitur. Fuit ibi scilicet Monasterium, cui anno circiter* 1284, *ex Posini nostri calculo* (4), *Raülena Protovestiarissa peramplam et exquisiti artificii ædem adjecit. Alibi vero Pachymeres, ex ejusdem Possini interpretatione, ita fere loquitur :* Abdidit se *Gregorius Patriarcha* in monasteriolum Aristinæ dictum, contiguum monasterio S. Andreæ in Crisi, viciniam in talis delectu loci sequens Protovestiarissæ Raülænæ in eo S. Andreæ monasterio degentis a qua benigne fovebatur (5). *Num*

(1) P. 46 d, edit. Paris. Cfr Analecta græca, p. 519 et 520. — (2) T. II Junii, p. 159, n. 25 et seqq. — (3) T. I April., p. 269, n. 13. — (4) Pachymer., t. II, p. 53 d et 606. — (5) Loc. cit., p. 89 e.

igitur,

A *igitur ob viciniam utriusvis istorum monasteriorum Crisis locus sanctus, jam inde octavo sæculo dicta sit, definiri non potest; nos aliam appellationis causam non deteximus. Porro ex priore Pachymeris allegato loco discimus, Raülænam, feminam multis tertii decimi sæculi scriptoribus celebratam,* S. Andreæ *magnificum Templum suscitasse; cui Maximus Planudes monachus, qui tum temporis vivebat* (1) *et ex biographis innotescere facile cuipiam poterit, inscriptionem duplicem destinavit. Hanc utramque Cangius, cum comperisset Raülænam ex Francis stirpem deduxisse* (2), *in Supplemento Cpolis Christianæ, quod Zonaræ Annalibus subjecit, edendam curavit. Nos illas hic recudendas esse non duximus, cum præsertim in extollendo Raülænæ genere Planudes pœne totus sit; de quo etiam monuisse juvat, ne disticha quædam non rite intelligantur, eum acerrimum græci schismatis propugnatorem fuisse.*

et de reliquiis S. Andreæ.

37 *Quid de venerandis* S. Andreæ *reliquiis post Cpolis direptionem a Turcis factum sit, ignoramus; fortasse earum aliqua pars etiamnum Cpoli asservaretur, nam secus non integra aut absque Commentario fors prodiissent quæ in Græco Officio de præsente* S. Andreæ *corpore toties repetuntur. Menæa enim,* B *uti ea excusa habemus, Cpolitanæ Ecclesiæ Officia potissimum referunt, et patrocinante Patriarcha Cpolitano, sæculo* XVI, *primum typis mandata fuere* (3). *Obvius est aliquis S. Andreas Cretensis in* Descriptione montis Atho, *anno* 1701 *in Valachia edita et a Montfauconio ad calcem Palæographiæ græcæ reproducta; scimus quidem Acta et Vitam S. Andreæ Episcopi Cretensis minus nota fuisse, et Martyrem nostrum tam in Fastis quam in Actis, sæpissime Cretensem dici, sed hæc dubium non solvunt. En autem locum ex dicta Descriptione :* Ibidem *in monasterio Batopedii* erat olim Caput S. Andreæ Cretensis : sed Patres a multis jam annis ipsum quasi cimelium pretiosum obtulerunt piissimo et magno totius Russiæ Imperatori. *In monasterio Iberorum ejusdem montis Atho reliquiæ cernebantur S. Stephani Junioris* (4), *quem eodem tempore passum diximus, et Menæorum Synaxarium Cpoli requiescere asseverat. — Nunc Acta duplicia damus, quorum priora interpretati sumus, sed monemus ea prolixe et in formam encomii scripta esse. Quam emendate utraque proferant antiqui codices, ex quibus exscripta sunt, lectio ipsa patefaciet; vix ulli iotacismi obviis sunt, sphalmata autem a manuensium paucissima, eaque ipsa postmodum alia manu in margine correcta sunt, aut hic, pro Actis Metaphrastæis scilicet, ex quatuor codicum collatione emendantur. Videsis plura de utrisque supra n.* 8 *et* 9. E

E. C.

(1) Pachym., l. c. p. 165 c. — (2) In notis ad Alexiad., p. 239.

— (3) T. I Aug., p. * 229. — (4) Palæogr. gr., p. 461 et 474.

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΚΑΙ ΕΝΔΟΞΟΥ ΟΜΟΛΟΓΗΤΟΥ ΚΑΙ ΘΑΥΜΑΤΟΥΡΓΟΥ ΑΝΔΡΕΟΥ, ΤΟΥ ΜΑΡΤΥΡΗΣΑΝΤΟΣ ΕΠΙ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΤΟΥ ΚΟΠΡΩΝΥΜΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Ex Cod. Coisl.* CX, *f.* 87 *recto. Biblioth. maximæ Parisinæ.*

MARTYRIUM

SANCTI ET GLORIOSI CONFESSORIS ET THAUMATURGI ANDREÆ, QUI PASSUS EST SUB IMPERATORE CONSTANTINO COPRONYMO.

EX MSS.

Caput unicum. S. Andreas ex Creta Constantinopolim venit ad resistendum Constantino Copronymo iconoclastæ et persecutori. Martyrium patitur die xx Octobris. In Crisi deponitur.

Μέγα μὲν ὡς ἀληθῶς, καὶ παντὸς ἄλλου τῶν τιμίων κρεῖττον καὶ λίαν ὀνησιμώτερον, τὸ ταῖς θείαις εὐπροσόχως ἐμμελετᾷν γραφαῖς, καὶ τὴν ἐξ αὐτῶν πορίζεσθαι C θεοδώρητον καὶ ψυχοτρόφον ὠφέλειαν. Καὶ ὅτι μὲν πολλὴ ἐγκέκρυπται τῆς περιεκτικῆς σοφίας καὶ γνώσεως ἡ θεοδωρία, αὐτὸς ἡμῖν ὁ δοτὴρ τῶν ἀγαθῶν καὶ Θεὸς πάσης παρακλήσεως παρεγγυῶν, ἐντέλλεται λέγων· ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ἐν αὐταῖς γὰρ εὑρήσετε ζωὴν τὴν αἰώνιον. Καὶ τοῦτό ἐστιν ὡς εἰκὸς ὁ εὐαγγελικὸς καὶ θεῖος ἀγρὸς, ἐν ᾧ τὸ μέγα καὶ τιμαλφέστατον τοῦ δεσποτικοῦ μαργαρίτου τεθησαύρισται κτῆμα. Καὶ ὁ κτησάμενος ἐκεῖνον τὸν περιβόητον τῆς θείας γραφῆς ἀγρόν· λέγω δὴ τοῦ γράμματος τὴν περιοχὴν, καὶ διὰ τῆς καρτερᾶς μελέτης, εὐσεβοτρόπως τῷ τοῦ νοὸς ἀρότρῳ τοῦτον γεηπονῶν, εὑρίσκει πάντως τὴν χάριν τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ τοῦ τιμίου καὶ σεπτοῦ μαργαρίτου καταπλουτεῖ τὴν ἐπίτευξιν.

2 Εἰ δέ τις αὖθις τῶν διὰ τῆς γραφῆς τραπέζης δαιτυμόνων, καὶ εἰς ἑτέραν εὐωχίαν, καὶ πολυτελῆ πανδαισίαν τῷ θείῳ πνεύματι ἐναγόμενος, ἑαυτὸν ἀνακλίνοιεν· λέγω δὴ, τὸ βίους προφητῶν καὶ ἀποστόλων καὶ θεοφόρων πατέρων, καὶ μάλιστα τῶν θεολέκτων καὶ ὄντως στεῤῥοφρόνων μαρτύρων τοὺς εὐκλεεῖς ἀγῶνας, καὶ τὰς ἀκλινεῖς ἐνστάσεις, καὶ ὑπερφυεῖς πόνους, μελέτην ποιήσοιτο, πόσης ἂν τῆς ψυχωφελοῦς καὶ οὐρανίου ἀπολαύσεως, τὴν ἄφθονόν τε καὶ μακαρίαν δωρεὰν ὁ τοιοῦτος καρπώσηται. Καὶ γὰρ ὡς ἀληθῶς, μεγάλης τινὸς καὶ θεοπρεποῦς χάριτος ἀξιοῦται ὁ μετὰ πόθου καὶ πίστεως τοῖς τῶν ἀοιδίμων καὶ

Scripturam sacram

Vere magnum et omnium bonorum optimum et longe utilissimum est attente meditari sacras Scripturas atque ex iis haurire divinam et salutarem doctrinam : et quia Dei donum magnum con- F tinet universæ sapientiæ et cognitionis thesaurum, ideo ipse dator omnis boni et Deus totius consolationis eum tradens præcipit : « Scrutamini Scripturas, in ipsis enim invenietis vitam æternam. » Est scilicet merito sacra Scriptura evangelicus et divinus ager, in quo acquiritur grandis illa et pretiosissima Dominicæ margaritæ possessio. Qui vero possidet celebrem istum divinæ Scripturæ agrum (libri intelligentiam dico) eumdemque magna sollicitudine et reverentia, mentis suæ vomere versat, invenit certo gratiam S. Spiritus et pretiosæ margaritæ inventione ditatur.

et Vitas Sanctorum legere utilissimum est

2 Si quis porro hujus mensæ conviva, ad aliam mensam et splendidas epulas divino spiritu introductus, accumbat (id est Vitas Prophetarum, Apostolorum, Sanctorum Patrum et maxime electorum et vere magnanimorum Martyrum gloriosa certamina, invictam constantiam et magnos supra naturam labores considerarit) quantæ utilitatis et cælestis delectationis abundans et beatum donum talis non percipiet! Etenim magna certe gratia donatur, qui cum desiderio et fide passiones Sanctorum Martyrum percurrit : siquidem istinc revelatur

Ex mss.

revelatur visibilium gaudiorum vanitas, et futurorum bonorum divitiæ acquiruntur; istinc divinæ charitatis corona in capitibus amicorum SS. Martyrum coruscat, et arrha grandis Deoque jucundæ humilitatis superaddita signatur in eorumdum cordibus; istinc divinus zelus et accurata imitatio eorum, qui nos præcesserunt et propter Christum per martyrium consummati sunt, piis accenditur et patientiæ constantisque confessionis modus evolvitur. Nam attente et accurate legentes gloriosorum Martyrum pugnas, sibi quoque merito cupiunt similes tentationes, ut et ipsi divinæ mercedis et incorruptibilis præmii ornamentum recipiant. Si qui vero incerti de verbis nostris dubitant, recogitent multos invictos Martyres illorum, qui morte violenta eos præcesserant, gesta legisse, et sic ad zelum ardentem et constantem imitationem inflammatos, coronam hujus certaminis et ipsos percepisse.

Iisdem S. Andreas firmatus

3 E quibus unus est, magnus dictus inter Martyres, qui fidem victoriose servavit et cursum generose perfecit. Quis ille sit vultis dicam? et si in B medium eum producam continebitis diffidentiam vestram? Prodeat igitur et probe noscatur vir ille. Is est, fratres, Andreas, qui meditatione divinorum verborum vitam sibi suam ordinavit, et ardenti studio in Martyrum felicibus fatis versatus ac certaminibus viriliter exercitatus est; unde cælesti zelo incensus et corpore roboratus, ad subeunda tormenta se ipsum præparavit, et suo opportuno tempore pugilem se æstimatissimum exhibuit. Etenim cum dæmon, boni invidus, cupidus sanguinis, paulo post insiliisset in pie et juxta rectam fidem viventes, per virum scilicet crudelem et dissolutum, qui tunc, Deo permittente, Christianis imperabat, ira incendit illum non solum adversus mortalem formam Christi Dei, sed etiam adversus factam secundum illam a piis hominibus imaginem et hujus relativam adorationem. Iste vero erat Constantinus, magnus et ardens Satanæ minister, quem fideles ejus temporis merito sub cognomine

a Copronymi *a* infamarunt.

sub Copronymo osore imaginum

4 Illo imperante et rectam divinamque fidem pessumdante et pro posse destruente, præfatus C Andreas fidem et confessionem suam firmam et sanctam palam fecit, persecutorem vero cum impio et blasphemo consilio suo corripuit ac rubore suffudit, et illustrem vereque cælestem doctrinam omnium tunc oculis pie et confidenter exposuit, ut monstrabit sequens narratio. Tyrannus ille impius et Deo exosus cum, Deo permittente, teneret, ut credebat, supremi imperii gubernacula, superbiens et Deo infensus, docente illum diabolo quem magistrum susceperat, cœpit ut canis rabidus, ex incomparabili superbia, impudenter agere, plura garrire et sine intermissione latrare, contra Dei veracem Ecclesiam et sanctos ejus filios; deinde blasphemos sermones quasi furens eloqui, contradictiones quasdam inanes et impias objiciens contra Sanctam et consubstantialem Trinitatem, ad deceptionem et perniciem simpliciorum. Et primum quidem verba insidiosa, omnino vana et alienum a Deo animum spirantia, ex pectore vili ac maligno spiritui obnoxio, cogitavit proferre, dum voluit actibus demonstrare et persuadere omnes, umbratenus et imaginarie tantum et non vere ex sanctissima Virgine Verbum Dei corpus nostrum suscepisse;

καλλινίκων μαρτύρων πάθεσιν ἐντυγχάνων. Ἐντεῦθεν γὰρ D τῶν βλεπομένων τερπνῶν ἡ ἀληθὴς ἀλόγησις ἀναφαίνεται, καὶ ὁ πλοῦτος τῶν ἐλπιζομένων ἀγαθῶν παραγίνεται. Ἐντεῦθεν ἡ τῆς θείας ἀγάπης μεγίστη κορωνὶς, ταῖς τῶν φιλομαρτύρων κορυφαῖς ὑπερλάμπει· καὶ ὁ τῆς μεγίστης καὶ θεοφιλοῦς ταπεινώσεως ἀῤῥαβὼν, ταῖς χριστοτερπέσι τῶν φιλάθλων καρδίαις, ἐπιχορηγούμενος διαγράφεται· ἐντεῦθεν ὁ θεῖος ζῆλος, καὶ ἡ πρὸς τοὺς φθάσαντας, καὶ διὰ Χριςὸν μαρτυρικῶς τελειωθέντας, ἀκριβὴς μίμησις, τοῖς εὐσεβέσιν ἀνθρώποις ἐγγίνεται· καὶ ὁ τῆς ὑπομονῆς καὶ ἀκλινοῦς ὁμολογίας ἀναφύεται τρόπος. Οἱ γὰρ τὰ τῶν σεπτῶν μαρτύρων προφρόνως καὶ μετὰ πόνων διερχόμενοι ἆθλα, καὶ τῶν ἴσων αὐτοῖς εἰκὸς ἐφίενται ταυτοτρόπως βασάνων· ἵνα καὶ τῶν θείων γερῶν, καὶ ἀκηράτων ἐπάθλων ἐφάμιλλον ἔχοιεν τότε τὴν ἐπικόσμησιν. Εἰ δέ τινες ἀμφιβάλλοντες τῷ λόγῳ διαπιστοῖεν, ἐνθυμείσθωσαν πολλοὺς τῶν ἀηττήτων μαρτύρων, ταῖς τῶν φθασάντων ἐντυχόντας μαρτυρικαῖς τελειώσεσιν· ὅπως εἰς ζῆλον διάπυρον, καὶ μίμησιν ἀπαράτρεπτον διαναστάντες, τὸν τῆς ἀθλήσεως κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἀγωνισάμενοι, στέφανον ἀπηνέγκαντο.

3 Ὧν εἷς καὶ μάλιστα τυγχάνει ὁ μέγας ἐν μάρτυρσι φερωνυμήσας, καὶ ἀθλοπρεπῶς τὴν πίςιν τετηρηκὼς, καὶ τὸν δρόμον τετελεκὼς πανευπρόθυμα. Τίς οὗτος; εἴπω βούλεσθε; ἢ καὶ εἰς μέσον προτιθεμένου, τὸ ἀθεράπευτον τῆς E δυσπιστίας κατέχετε; πλὴν ἀγέσθω καὶ γνωριζέσθω περιφανῶς ὑμῖν ὁ ἀνήρ. Ἀνδρέας οὗτός ἐστιν, ὦ ἀδελφοὶ, τῷ γνωρίσματι. Ὅς, τῇ μελέτῃ τῶν θεοπνεύςων λογίων, τὸν ἑαυτοῦ βίον προκαθηράμενος, καὶ ταῖς μετὰ προθυμίας εὐτυχίαις τῶν μαρτυρικῶν παλαισμάτων ἀνδρειοφρόνως ἐγγυμνασθεὶς, καὶ διὰ τούτων τὰς φρένας εἰς θεῖον ζῆλον ἐναχθεὶς, καὶ τὸ σῶμα νευρωθεὶς, εἶτα καὶ πρὸς αἰκίας ὑπὲρ τοῦ δι' αὐτὸν πεπονθότος ἑαυτὸν προητοιμακὼς, ἐν οἰκείῳ καὶ προσφόρῳ καιρῷ, ἀθλητὴς δοκιμώτατος ἀναδείκνυται. Τοῦ γὰρ μισοκάλου καὶ φιλαιμάτου δαίμονος, μικρὸν ὕστερον κατὰ τῶν εὐσεβῶς καὶ ὀρθοδόξως βιούντων καιροῦ ἐνσκιρτήσαντος, ἔν τινι φονίῳ καὶ δυστρόπῳ ἀνδρὶ, τῷ τηνικαῦτα κατὰ Θεοῦ συγχώρησιν τῶν χριςιανῶν βασιλεύοντι· οὐ μόνον κατὰ τῆς πρωτοτύπου Χριςοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν βροτείας μορφῆς τοῦτον ἐξέμηνεν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τῆς κατ' ἐκείνην ἐγγραφομένης τοῖς εὐσεβέσιν εἰκόνος, καὶ σχετικῶς προσκυνουμένης, τοῦτον παρέδειξε· Κωνςαντῖνος δὲ οὗτος, ὁ μέγας καὶ πρόθυμος τοῦ σατᾶν ὑπηρέτης. Κωνσταντῖνον δέ φημι, ὃν καὶ κοπρώνυμον κικλήσκειν, οἱ ἐν τοῖς τότε χρόνοις εὐσεβεῖς εἰκότως ἐσκέψαντο.

4 Τούτου κρατοῦντος, καὶ τὴν ὀρθὴν καὶ θεοπαράδοτον καθυβρίζοντος, καὶ ὡς ᾤετο, ἐξαφανίζοντος πίςιν, ὁ προῤῥηθεὶς ἀνδρειώνυμος ἄνθρωπος, τὴν ἑαυτοῦ σταθερὰν καὶ F ἁγιόλεκτον πίςιν τε καὶ ὁμολογίαν ἐπεδείξατο, αὐτὸν μὲν ἐκεῖνον διελέγξας καὶ καταισχύνας, μετὰ τοῦ ἀθέου καὶ βλασφήμου φρονήματος· τὴν δὲ σεπτὴν καὶ ὄντως οὐράνιον διδασκαλίαν, κατ' ὀφθαλμοὺς πάντων τῶν τηνικαῦτα λαχόντων ἀνθρώπων, εὐσεβοφρόνως καὶ θαρσαλέως ἀνακηρύξας, ὡς διδάξει παρακατιὼν τὸ ψυχοτερπὲς καὶ θεῖον διήγημα. Ὁ γὰρ ἀλάστωρ καὶ θεομισὴς οὗτος τύραννος, κατὰ Θεοῦ συγχώρησιν, τοὺς τῆς ὑπερκειμένης ἀρχῆς ὡς ἐνόμιζε κατέχων οἴακας, καὶ μέγα φρονῶν, καὶ μείζω κατὰ Θεοῦ, κατὰ τὸν αὐτοῦ διδάσκαλον ἐπαιρόμενος τὸν διάβολον, ἤρξατο καθάπερ κύων μανικὸς, τῇ λύττῃ τῆς ἑαυτοῦ ἀσυγκρίτου ἐπάρσεως ἀναιδεῖν, ἀθυροστομεῖν, καὶ ἀκρατῶς ὑλακτεῖν, κατὰ τῆς τοῦ Θεοῦ ὀρθοτομούσης ἐκκλησίας, καὶ τῶν αὐτῆς κατηγιασμένων τροφίμων· καὶ βλάσφημα ῥήματα μανικῶς ἐκλαλεῖν, κατὰ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου Τριάδος κενοφωνίας τινὰς ἀντεισάγων, καὶ ἀθέους ἀντιῤῥήσεις, πρὸς ἀπάτην καὶ παντελῆ ἀπώλειαν τῶν ἁπλουστέρων. Καὶ πρῶτον μὲν ταύτην τὴν ακανθώδη καὶ παντοίας φλυαρίας καὶ Θεοῦ ἀλλοτριώσεως οὖσαν ἀνάμεστον διάλεξιν, ἐκ τῆς ἑαυτοῦ κοπροθέτου καὶ δαιμονιώδους καρδίας, ᾠήθη προφέρειν, εἰς τὸ δι' ἔργων ἀποδεῖξαι, καὶ πεῖσαι πάντας, σκιωδῶς καὶ ἐν φαντασίᾳ, καὶ οὐ δι' ὅλου ἐκ τῆς παναγίας παρθένου τὸ ἡμέτερον σῶμα,

A σῶμα, τὸν λόγον φρέσαι ἐλέπισε, μὴ ἀκούων ὁ ἐμβρόν-
τητος τοῦ Εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου, μεγάλῃ τῇ φωνῇ καὶ
διαῤῥήδην βοῶντος, « ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνω-
» σεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν
» ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός, πλήρης χάριτος καὶ ἀλη-
» θείας. « Καὶ τοῦ ἀποστόλου, » ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριςὸς
» εἰς τὸν κόσμον ἦλθεν ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτός
» εἰμι ἐγώ. « Καὶ αὖθις ὁ αὐτός, » ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρ-
» χων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ· ἀλλ'
» ἑαυτὸν ἐκένωσε μορφὴν δούλου λαβών, ἐν ὁμοιώματι ἀν-
» θρώπων γενόμενος καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. »
Ἀλλ' ἐκ πάντων τούτων τῶν θείων καὶ σωτηρίων ᾠδῶν,
τὰ ἑαυτοῦ ὦτα ὡς ἀσπὶς βύουσα συγκλείσας, ἔξω που τοῦ
Θεοῦ καὶ τῶν ἁγίων ἑαυτὸν ἠλλοτρίωσεν.

5 Ἔπειτα δὲ ἐπὶ μείζοσι κακοῖς ἑαυτὸν συνεργίᾳ τοῦ
μισοκάλου δαίμονος παροτρύνας, ἤρξατο ὡς ἀνήμερος λέων
βρύχειν κατὰ τῶν ὀρθοδόξων δούλων τοῦ Χριςοῦ, καὶ
τέκνων τῆς ἐκκλησίας, ἐξαφανίζων ὁ παμμίαρος ἐκ τῶν
ἐκκλησιῶν τοῦ Χριςοῦ, τὰς ἁγίας καὶ ἱερὰς καὶ σεπτὰς
εἰκόνας· τήν τε σωματόμορφον τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ
Χριςοῦ εἰκόνα, καὶ τῆς αὐτοῦ πανυπερενδόξου καὶ ἁγίας
Παρθένου, καὶ πάντων τῶν ἁγίων. Φονοκτονῶν τε αἷμα
ἀθῶον τῶν τε τοῦ Χριςοῦ ἱερῶν κληρικῶν τε καὶ μοναχῶν,
B καὶ τὸ κοινὸν τοῦ λαοῦ ἄθροισμα, ἀνενδότως ἐκχέων, ἐξο-
ρίαις τε καταδικάζων, φυλακαῖς τε καὶ λιμώξεσιν ἄγχων,
καὶ παντοίας ἄλλας ἐπινοῶν αἰκίσεις, κατὰ τῶν δούλων
τοῦ Χριςοῦ. Ὦ πῶς σου θαυμάσω, Χριςέ μου, τὸ τότε
φιλάνθρωπον καὶ ἀνεξίκακον. Ὦ τῆς τότε ἀφάτου σου μα-
κροθυμίας τὸ ἀνεξιχνίαστον πέλαγος. Ὦ πῶς ἠνέσχου
φιλάνθρωπε καὶ παντοδύναμε Κύριε, τὴν σὴν ἁγίαν καὶ
σωματόμορφον εἰκόνα, ὑπὸ τῶν ἀσεβῶν καὶ ἀθέων καθυ-
βρίζεσθαι, καὶ ποσὶν αὐτῶν ἀθέοις καὶ μιαροῖς καταπα-
τεῖσθαι. Ὄντως ἀνεξιχνίαστος ἡ μακροθυμία σου ὡς
προέφην, δέσποτα, καὶ ἄμετρα τὰ πλήθη τῶν οἰκτιρμῶν
σου· συνέκλεισας γάρ, ὦ ὁ Θεός μου ἐνταῦθα ἔργα καὶ πρά-
ξεις, ἔστησας δὲ ἐκεῖ ἡμέραν ἐτάσεως, ἐν ᾗ πάντα γυμνὰ
καὶ τετραχηλισμένα, σοὶ τῷ δικαίῳ καὶ ἀπροσωπολήπτῳ
κριτῇ καὶ Θεῷ παραστῶσι. Τίς γὰρ θεωρῶν τότε τὰ αἵ-
ματα ἀδίκως ςάζοντα τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν μωλώπων
τὰς πληγάς, ἃς ὑπὲρ σοῦ καὶ τῆς σῆς εἰκόνος ὑπέμειναν,
οὐκ ἐδόξαζε τὴν σὴν οἰκονομίαν καὶ φιλανθρωπίαν, πόσαι
μυριάδες ἀνδρῶν ἐσφάγησαν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός σου, μέχρι
τέλους ἀγωνισάμενοι ὑπὲρ τῆς ἀληθείας.

6 Ὧν εἷς σήμερον πέλει καὶ ὁ ἐμὸς Ἀνδρέας, τῷ μαρ-
τυρικῷ διαδήματι περικείμενος, καὶ τοῖς τῆς ἀθλήσεως
C αἵμασι λελαμπρυσμένος, φανότατος ταῖς τῆς χάριτος
ἀκτῖσι, τοῖς πᾶσι πεφανέρωται. Τούτων γὰρ οὕτως ὥσπερ
ἔφην παρὰ τοῦ χριςοκατηγόρου καὶ ἀσεβεςάτου βασιλέως
τελουμένων Κωνσταντίνου· ἐπειδή περ ἡ φήμη τούτων
παντί τε καὶ πανταχοῦ διέδραμε, καὶ ἐν ταῖς τῶν πάντων
ἀκοαῖς ἐνηχήθη, γνωστὸν ἐγένετο καὶ τῷ μακαρίῳ τούτῳ
Ἀνδρέᾳ περὶ τοῦ βασιλέως· ἦν δὲ οὗτος ὁ μακάριος διάγων
καὶ ζῶν κατὰ Θεὸν εὐσεβῶς ἐν τῷ ἐπιλεγομένῳ τῆς Κρή-
της Κάστρῳ, θελχθεὶς δὲ τῷ πόθῳ τοῦ Χριςοῦ, καὶ μὴ
φέρων τὴν πήρωσιν τοῦ παναγίου Πνεύματος, μετανάστης
των ἐκεῖσε γίνεται, καὶ ἐν τάχει τῷ μαρτυρικῷ φίλτρῳ
ἡδόμενος, τὴν Βύζαν καταλαμβάνει, Θεοῦ φόβον ἐν τῇ ψυχῇ
ἐνστερνισάμενος, καὶ τῇ αὐτοῦ ἐλπίδι ἐπιστηριζόμενος·
μαθὼν δὲ τὸν φιλοκοπρώνυμον καὶ μισόχριστον βασιλέα,
ἐν τοῖς πέραν βασιλείοις τοῦ πανευφήμου μάρτυρος Μά-
μαντος ἐνδιατρίβειν, δρομέως ἐκεῖσε παρεγένετο. Κατέλαβε
δὲ τοῦτον τὸν ἀνήμερον ἄνακτα, ἐξέτασιν ποιοῦντα τῶν
ὀρθοδόξων τοῦ Χριςοῦ φίλων καὶ βαρέα κατὰ τούτων καὶ
φονικὰ ἀπειλοῦντα. Ὁρῶν δὲ ὁ θεσπέσιος οὗτος Ἀνδρέας
τοὺς μὲν βουνεύροις τὰς σάρκας κατεξεσμένους, καὶ ἀφει-
δῶς τοῦ ζῆν στερουμένους· ἄλλους δὲ πυρὶ καταφλεγομέ-
νους· ἑτέρους δὲ τῇ ἀφαιρέσει τῶν ὀφθαλμῶν ἐγκαρτεροῦν-
τας· ἄλλους δὲ τῆς γλώσσης καὶ τῶν χειρῶν ἐκτομῆς τοὺς
πόνους γενναίως ὑπομένοντας, τὸ τῆς καρδίας ὄμμα πρὸς

quasi hebes non audiisset Evangelistam Joannem, voce magna diserte inclamantem : « Verbum caro » factum est, et habitavit in nobis : et vidimus » gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, » plenum gratiæ et veritatis. » Neque Apostolum : « Quod Christus Jesus venit in hunc mundum » peccatores salvos facere, quorum primus ego » sum. » Et iterum : « Qui cum in forma Dei esset, » non rapinam arbitratus est, esse se æqualem » Deo ; sed semetipsum exinanivit formam servi » accipiens, in similitudinem hominum factus, et » habitu inventus ut homo. » Sed ab omnibus istis divinis et salutaribus effatis, surdus factus, et aspis obturans aures suas, relicto Deo et Sanctis omnino recessit. *EX MSS*

5 Deinde in majora mala, cooperante dæmone cui bonum exosum est, sese projiciens, ut ferus leo rugire cœpit contra orthodoxos Christi servos, et filios Ecclesiæ, abripiens, o execrandum caput ! ex Christi ecclesiis, sanctas et sacras et venerandas imagines ; imaginem scilicet, formam corporis Domini nostri Jesu Christi referentem, et gloriosissimæ ac sanctæ Virginis et omnium Sanctorum. Cædibus quoque se cruentabat, sanguinem innocentem Christi clericorum et monachorum, E ipsiusque vulgi assidue fundens ; damnabat exilio, carcere et fame premebat, et omnigenas alias injurias in Christi servos excogitabat. O quantum miror, mi Christe, tuam tunc caritatem et patientiam! O ineffabilis longanimitatis tuæ abyssum inscrutabilem ! Quomodo passus es, hominum amantissime et potentissime Domine, tuam sanctam imaginem ab impiis et infidelibus affici injuriis, sacrilegisque eorum pedibus conculcari? Vere inscrutabilis est, ut modo dicebam, longanimitas tua et immensa multitudo miserationum tuarum. Obserasti enim, mi Deus, his in terris opera et actiones, et statuisti illic diem examinis, in qua cuncta nuda sint et aperta, tibi justo judici et Deo, apud quem non est personarum acceptio. Quis enim tunc videns tot hominum sanguinem injuste stillantem, et vibices plagarum, quas pro te et imagine tua sustinuerunt, non glorificasset providentiam tuam et caritatem? Quot millia virorum trucidati sunt propter nomen tuum, usque ad finem pro veritate constanter decertantes ! *et persecutore*

6 Horum autem unus celebratur etiam hodierno die, Andreas noster, qui Martyrum diademate cinctus et certaminis cruore splendescens, radiis gratiæ præfulgidus cunctis apparet. Quum enim Constantinus, imperator impiissimus et Christo infensus, hæc ageret quæ jam dixi, eorumque fama ubique increbuisset, et omnium auribus insonuisset, cœpit etiam beatus Andreas ille de imperatore cognoscere. Degebat autem beatus ille in loco Cretæ insulæ dicto Castro *b*, pieque Deum colebat ; cumque esset Christi amore captus et non ferret contristationem Spiritus Sancti, illinc demigrat et mox martyrii philtro delectatus, Byzantium appellit *c*. Postquam vero animam magis timore Dei imbuisset et spem in ipsum firmasset, Imperatorem ignobilem et Christi osorem didicit esse extra urbem in palatio quod a præclaro Martyre Mamante *d* nuncupatur, et illuc cursim se contulit. Reperit autem sævum illum principem, quæstioni subjicientem orthodoxos Christi amicos, et gravia contra illos ac mortifera minitantem. Videns autem admirabilis vir Andreas, hos quidem boum nervis cæsos et divulsis carnibus immaniter morti traditos; illos vero igne combustos; alios, dum oculi effodiebantur, in patientia perseverantes ; alios denique dolores manuum abscissionis *Cpolim venit et coram tyranno* F b d

 et

Ex MSS. et linguæ generose sufferentes, cordis oculo in omnia intuentem Deum inturbata fide sublato; tales ad ipsum voces emisit : O Domine, sustine me igitur, o Domine, dirige me. Tuum opus hoc, o hominum amantissime, et tuæ misericordiæ gratia est, propositum meum ad finem deducere et invictum me inimicis exhibere. Conforta me, Dei Fili et Verbum, et da vires ut certamen pro veritate feliciter perficiam, et devictis draconis consiliis, a Te accipiam immarcescibilem coronam de omnipotenti dextera tua. Ne igitur sinas me, Magister mi, negare divinam, humanam quidem forma, sed omni veneratione dignam imaginem sacræ figuræ tuæ, quam propter me suscepisti et per quam salutem mihi comparasti; omnino scilicet mihi similis factus ut et ego similis fiam tibi, excepto dominatu. Quoniam te laudant omnes potestates cælorum et gloria tua manet in sæcula. Amen.

D τὸν ἐφορῶντα τὰ πάντα Κύριον, ἀδιστάκτῳ πίστει πετάσας, τοιάσδε πρὸς αὐτὸν ἠφίει φωνάς· Ὦ Κύριε σῶσον δή, ὦ Κύριε εὐόδωσον δή. Σὸν ἔργον τοῦτο φιλάνθρωπε, καὶ τοῦ σοῦ ἐλέους ἐφόδιον, τὸ τὴν ἐμὴν προαίρεσιν εἰς τέλος ἀγαγεῖν, καὶ ἀκαταγώνιστόν με τοῖς ἐχθροῖς ἀναδεῖξαι. Ἐνδυνάμωσόν με υἱὲ καὶ λόγε τοῦ Θεοῦ, καὶ δὸς ἰσχὺν τελείως τὸν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἀγῶνα ἀνύσαι, ἵνα νικήσας τὰς ἐπινοίας τοῦ δράκοντος, δέξωμαι παρὰ σοῦ τὸν ἀμαράντινον στέφανον, ἐκ τῆς παντοκρατορικῆς δεξιᾶς σου. Μὴ οὖν ἐάσῃς με, δέσποτα, ἀρνήσασθαι τὴν θείαν καὶ ἀνθρωπόμορφον καὶ σεβασμίαν εἰκόνα τοῦ ἁγίου σου χαρακτῆρος, ἣν ἐφόρεσας δι' ἐμέ, καὶ δι' ἧς τὴν σωτηρίαν μοι ἐπραγματεύσω, ὅλος γεγονὼς ὡς ἐγώ, ἵνα γένωμαι κἀγὼ ὡς σύ, πλὴν δεσποτείας. Ὅτι σὲ ὑμνοῦσι πᾶσαι αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν καὶ σοῦ ἐστιν ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

apparet, a quo cædi jubetur; 7 Cum hæc dixisset, pulchro sermoni etiam praxim adjecit et quidem nihil moratus. Accedens enim ad Imperatorem execrandum et christianorum interfectorem, cum esset adhuc ille animo valde commotus (erat enim, ut dicebam, B Sanctos quæstioni inclementer subjiciens), tales ad ipsum voces emisit : O Imperator, tu Christianus es! et conversus ad circumstantem multitudinem idem dixit. En animæ vere beatæ et generosæ, en spiritus virilis, amoris ardentis et animæ inculpatæ ac firmæ manifesta signa! Tyrannicus autem Imperator, ut consueverat in talia elocutos facere, mortifero oculo quasi draco eum intuetur, et annuens capite adstantibus significavit ut eum corriperent et ad se adducerent. Qui cooperabantur cædibus et Imperatori assentiebantur, rei gravitatem et iram Principis ex vultu conjicientes, statim ut boves ex aliquo dumeto exsilientes, alii *e* quidem cum crinibus capitis, collari *e* et fronte prehensum, immaniter trahebant; alii vero ex dorso tunicam dilacerantes, crudeliter eum pulsabant. Videbatur tunc Beatus ille tanquam lilium medias inter spinas suffocatum, donec ad Imperatorem pervenerunt.

7 Καὶ ταῦτα εἰπὼν προσέθηκε τῷ καλῷ λόγῳ καὶ τὴν πρᾶξιν, καὶ ὠκυτάτως. Πλησιάσας τῷ ἀλάστορι καὶ χριστιανοκτόνῳ βασιλεῖ, ἔτι τούτου τῷ θυμῷ σφόδρα ζέοντος, ἦν γὰρ ἐξετάσεις ὡς προεῖπον ποιῶν ἀνηλέους κατὰ τῶν ἁγίων, τοιαύτας πρὸς αὐτὸν ἠφίει φωνάς· Ὦ βασιλεῦ, Χριστιανὸς εἶ; στραφεὶς δὲ ὁ μακάριος καὶ πρὸς τὸν παρεστῶτα ὄχλον τὸ αὐτὸ ἐφθέγξατο. Ὦ μακαρίας ὡς ἀληθῶς E καὶ γενναίας ψυχῆς· ὢ γνώμης ἀνδρείας, ὢ πόθου διακαοῦς, καὶ ψυχῆς ἀνεπιλήπτου καὶ στεθηρᾶς γνωρίσματα. Ὁ δὲ τυραννώδης βασιλεύς, ὡς ἦν αὐτῷ ἔθος πρὸς τοὺς τὰ τοιαῦτα φθεγγομένους ποιεῖν, δρακοντῶδες καὶ φονίῳ τῷ ὄμματι πρὸς αὐτὸν ἀποβλεψάμενος, καὶ τὴν κάραν πως νευστάσας, τοῖς παρεστῶσιν ἐδήλου τὴν αὐτοῦ σύλληψιν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐγγύτητα. Οἱ δὲ συνεργοὶ τοῦ φόνου, καὶ τοῦ βασιλέως ὁμόγνωμοι, τὴν αἰτίαν καὶ τὸν θυμὸν τοῦ ἄνακτος, ἐκ τῆς προσόψεως τεκμηράμενοι, θᾶττον ὡς ἔκ τινος λόχμης λέοντες ἐκπηδήσαντες, τοῦτον, οἱ μὲν ἐκ τῶν τριχῶν τῆς κεφαλῆς, τοῦ τε ταίνοντος καὶ τοῦ μετώπου, ἔσυρον ἀνηλεῶς καὶ ἀπανθρώπως. Ἕτεροι δὲ ἐκ τοῦ νώτου τὸν χιτῶνα διαῤῥηγνύντες, σκληρῶς καὶ ἀπεινῶς τὸν δίκαιον ὤθουν. Ἦν δὲ ἰδεῖν τότε τὸν μακάριον ὥσπερ κρίνον μέσον τῶν ἀκανθῶν συμπνιγόμενον, ἕως οὗ προσήγγισαν αὐτὸν τῷ βασιλεῖ.

iterum accersitus cum confundit 8 Tyrannus vero ira remota, sed vulnus intus scelerate recondens, cum manu ipsum advocasset, qui eum vexabant recedere et solum ex dolosa hypocrisi appropinquare jussit. Hic autem crucis signaculo munitus, animo virili et firma fide ad C Imperatorem accessit. Sed Imperator : O homo, an sic, ait, docent Imperatorum leges resistere dominis terræ et impios illos vocare, et a Christi fidelibus separatos? Qui vero a fortitudine nomen habebat, fortis nomine et re, cum Christum haberet commilitonem, omni timore remoto : Imperator, inquit, nemo delinquit Imperatorem injustitiæ arguens. Non enim video agere vos quidquam ut Christianum decet. Sanguis enim civium qui hic injuste in terram defluit, vestram impietatem arenæ inscribit; enses vos accusant; adstantes cuncti sunt inhumani, sanguinarii et ad blandimenta parati; ante oculos vides eos qui patiuntur! Quare igitur jubes me, Imperator, Christianum te vocare? Quæ enim hic fiunt, cum sint a Christi fidelibus omnino aliena, vestram impietatem aperte demonstrant. Ita agebant, ut mihi videtur, impii olim Græci, et idololatræ et ii qui Christianos accusabant et sanctos persequebantur. Arbitror ego, et ita semper audivi, Christianos plane in caritate et humanitate Christi imperii sceptra gestare. Causam mihi dicat Imperator crudelium adeo facinorum, ut noscam et ego, nec ab ignaris, de his quæ hic fiunt, sermo instituatur. Dixit vero Impe-

8 Εἶτα, τὸν θυμὸν ἀποσοβήσας ὁ τύραννος ἐξ ἑαυτοῦ, ὕπουλος πῶς ὢν ὁ ἀνόσιος, καὶ τῇ χειρὶ τοῦτον προσκαλούμενος, τοὺς συνέχοντας αὐτὸν πόῤῥω που ἀπέπεμπε· τοῦτον δὲ μόνον ὑποκρίσει δολερᾷ πρὸς αὐτὸν διεκελεύετο τοῦ ἐλθεῖν· ὁ δὲ ἀνδρείῳ τῷ φρονήματι καὶ στεθηρᾷ τῇ F πίστει, σταυροῦ τῷ τύπῳ ἑαυτὸν σημειωσάμενος, πλησίον ἵστατο τοῦ βασιλέως· ὁ δὲ βασιλεὺς φησὶ πρὸς αὐτόν· Ὦ ἄνθρωπε, οὕτως διδάσκουσιν οἱ νόμοι τῶν αὐτοκρατόρων, τοῖς δεσπόταις τῆς οἰκουμένης ἀντιτάσσεσθαι, καὶ ἀθέους αὐτοὺς ἀποκαλεῖν, καὶ πόῤῥω χριστιανικοῦ φύλου; ὁ δὲ τῆς ἀνδρείας ἐπώνυμος ὁ κατὰ τὸ ὄνομα καὶ τὴν πρᾶξιν, κοινωνὸν ἐν Χριστῷ εὑράμενος, πάντα δέος * ἀποσεισάμενος, φησὶ πρὸς αὐτόν· Ὦ βασιλεῦ, οὐδεὶς ἁμαρτάνει ἐλέγχων βασιλέα παρανομοῦντα. Οὐδὲν γὰρ ὁρῶ ὑμᾶς ἀληθοῦς χριστιανοῦ πράττοντας. Τὰ γὰρ ἐνθάδε τῇ γῇ προσρεύσαντα αἵματα τῶν ἀνθρώπων ἀδίκως τὴν ὑμῶν ἀσέβειαν στηλιτεύουσιν· τὰ ξίφη, κατήγορα· οἱ παρεστῶτες, δεινοὶ πάντες, φονώδεις πάντες, πρὸς τὸ κολάζειν ἐπιτήδειοι· καὶ οἱ παθόντες ἐν ὀφθαλμοῖς ὑμῶν. Καὶ πῶς κελεύεις με, βασιλεῦ, χριστιανόν σε καλεῖν; τὰ γὰρ ἐνταῦθα πραττόμενα, πόῤῥω τοῦ χριστιανικοῦ ἔθνους τυγχάνοντα, τὴν ὑμῶν ἀσέβειαν διαῤῥήδην δεικνύουσι. Ταῦτα γάρ, ὡς ἔγωγε οἶμαι, τῶν ἔκπαλαι ἀθέων Ἑλλήνων, καὶ χριστιανοκατηγόρων καὶ εἰδωλολατρῶν, καὶ τῶν διωκτῶν τῶν ἁγίων, ἐφόδια πεφύκασιν. Οἶμαι δὲ ἐγώ, καὶ καθὼς ἀκήκοα, χριστιανοὺς ἀρτίως χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ Χριστοῦ, τὰ τῆς βασιλείας σκῆπτρα διέπειν. Εἰπάτω δέ μοι καὶ ὁ βασιλεὺς τὴν αἰτίαν ταύτης τῆς δεινῆς καὶ ἀπηνοῦς πράξεως, εἴπερ γνώσομαι κἀγώ, καὶ μὴ ἀγνώστως τὰ ἐνταῦθα λεγέτωσαν.

* φόβον in margine.

A γέτωσαν. Ὁ δὲ βασιλεὺς φησιν· Ἡμεῖς μέν, ὦ ἄνθρωπε, χριστιανοί ἐσμεν, πράττοντες ὅσα οἶμαι καλῶς, τὰ τῶν χριστιανῶν· ἵνα δὲ ἀληθῆ τοῖς πᾶσι ταύτης τῆς πίστεως εἶναι δείξωμεν, τὰ τῷ Θεῷ μισητά, τοῖς δὲ ἁπλουστέροις ἀνθρώποις ποθητά, τὰ ἐπὶ τῶν ἐκκλησιῶν καὶ παντὶ τόπῳ προσεδρεύοντα ζωδιακὰ ἰνδάλματα, τὸ ἡμέτερον κράτος ἐθέσπισεν, ἐκ παντὸς τόπου ἐξαφανίζεσθαι. Τοὺς δὲ ταῦτα σέβοντας καὶ ὡς θεοὺς προσκυνοῦντας, ἔδοξε τῷ ἡμετέρῳ κράτει, ἵνα, εἰ μὲν τοῖς ἡμετέροις ὑπείκωνται δόγμασιν, εὖ ἂν ἔχοι· εἰ δὲ μή, ὡς εἰδωλολάτρας τούτους, τὴν προσήκουσαν ποινὴν ἀποδίδωμεν.

9 Ὁ δὲ χριστοφιλὴς ὡς ἀληθῶς καὶ χριστεπώνυμος Ἀνδρέας, τὸ τῆς ἀνδρείας καὶ ἐν Χριστῷ πίστεως φρόνημα, ἐν τῇ ψυχῇ ὁλικῶς ἐνστερνισάμενος, καὶ πάντα φόβον ἀποσεισάμενος, φησὶ πρὸς τὸν βασιλέα· Ὡς οἶμαι, ὦ βασιλεῦ, πολλῆς ἀνοίας καὶ ἀφροσύνης τὰ παρὰ σοῦ λεγόμενα τυγχάνουσιν. Εἰ δὲ βούλει, ἐξ αὐτῶν τῶν φληναφικῶν σου λόγων, ὧν ἀφρόνως ὡς κύων λυσσώδης ἐρεύξω, ἀληθῆ τὴν ἀνατροπήν, ἐκ τῶν θείων γραφῶν ποιήσομαι. Ὁ δὲ ἐμβρόντητος βασιλεὺς ἔφη· Λέγε ὃ βούλει. Ἀπεκρίθη ὁ ἅγιος· Εἴρηκας, ὦ βασιλεῦ, εἰδώλοις προσκυνεῖν ἡμᾶς. Καὶ τοῦτο ἀναποδείκτως, καὶ πόῤῥωθεν τῆς κοπροθέτου καρδίας σου εἴρηκας. Ἡμεῖς γὰρ τὰς παραδόσεις τῶν ἁγίων καὶ θεοφόρων πατέρων, καὶ τὰ
B ψυχωφελῆ αὐτῶν διδάγματα κατέχοντες, ταῦτα ὡς τοῦ Θεοῦ δι' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσαντος εἰκονίσματα καὶ ὁμοιώματα, σεβόμεθά τε καὶ προσκυνοῦμεν· διότι ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει. Ὃ γάρ ἐστιν ἐνταῦθα μιμητικῶς ἡ εἰκών, τοῦτο ἐκεῖ φυσικῶς ὁ υἱός. Καὶ οὐχὶ τῆς ἀκαταλήπτου αὐτοῦ καὶ ἀθεάτου θεότητος τὴν εἰκόνα τυποῦμεν· τὸ γὰρ αὐτῆς θεῖον κάλλος, οὐ σχήματί τινι καὶ μορφῆς εὐχροίᾳ διαγλαΐζεται, ἀλλ' ἐν ἀφράστῳ μακαριότητι κατὰ ἀρετὴν θεωρεῖται.

10 Ὁ δὲ βασιλεύς, ὡς ταῦτα παρὰ τοῦ θεοφόρου Ἀνδρέου ἤκουσε, θυμῷ ἀσχέτῳ, καὶ μανίᾳ θηριώδει ὑποβληθείς, συντόμως τοῦτον εἰς ἀνηκέστους μάστιγας ταθῆναι, τοῖς παρεστῶσι μιαιφόνοις διεκελεύετο. Τείνουσιν οὖν τοῦτον τὸν μακάριον οἱ τῆς ἀσεβείας ἔξαρχοι, καὶ σπαρτίοις τὰς χεῖρας συνδήσαντες ἀφειδῶς, ἔνθα καὶ ἔνθα ταύτας διέτειναν· εἶτα, τοῦ βασιλέως βοῶντος· Πείσθητι τοῖς ἡμετέροις θεσπίσμασι καὶ ἀπαλλάττου τῶν μενουσῶν σε βασάνων· ἐκ βάθους μέγα ὁ γεννάδας στενάξας, καὶ τὸ τῆς καρδίας ὄμμα πρὸς τὸν ἐφορῶντα τὰ πάντα Κύριον πετάσας, πάντων ἀκουόντων εἶπε· Μή μοι γένοιτο, Θεέ μου, ποιητά μου καὶ κτίστα, σοῦ τὴν ἁγίαν καὶ προσκυνητὴν καὶ ἄχραντον εἰκόνα, ἀρνήσασθαί πώποτε, ἥντινα ἐκ τῆς ἁγίας καὶ παναμώμου θεοτόκου προσλαβόμενος, ὅλως γέγονας ὡς ἐγώ, δι' αὐτῆς τὴν σωτηρίαν μου πραγματευ-
C σάμενος. Εἶτα τὴν τιμίαν κάραν ὀλίγον πρὸς ἑαυτὸν ὑποκλίνας, τοὺς δὲ ὀφθαλμοὺς πρὸς τὸν δεινὸν καὶ ἀπηνέστατον ἀπαιωρήσας βασιλέα, τάδε πρὸς αὐτὸν ὁ ἅγιος· Ὦ βασιλεῦ, εἴασας τὴν κατὰ τῶν βαρβάρων πάλην, καὶ τὴν τῆς πολιτικῆς εὐταξίας διοίκησιν, καὶ ὡς σὺ λέγεις χριστιανὸς ὑπάρχων τὴν πολεμικήν σου δύναμιν, καὶ σοῦ τὸν ὑπερβάλλοντα θυμόν, εἰς χριστιανοὺς ἔκρινας ἀφρόνως φανεροποιῆσαι. Οὕτως βούλει κατὰ Χριστοῦ καὶ τῆς ἀληθείας ἀνθιστάμενος, ἐν εἰρήνῃ τὰ τῆς βασιλείας σκῆπτρα διέπειν; οὐ μένεις ἐξεταστὴν τῶν σῶν πράξεων τὸν Θεὸν γενέσθαι; Ἀλλ' ὅμως, ἵνα μὴ δόξω σοι ἀσέμνως καὶ παρανόμως οἰόμενος τῶν μαστίγων τὴν πεῖραν φεύγειν ταῦτα λαλῶ, ἰδοὺ γίνωσκε ἐκ παντὸς τρόπου καὶ πάσης ἀληθείας διαβεβαιούμενος, ὡς ὅτι πρόκειμαί σοι ἕτοιμος πρὸς τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ ἀποθανεῖν· ποίει τοίνυν, ὃ θέλεις, ἐν τάχει εἰς ἐμέ, σφάττε, κατάκαιε πυρί, τιμώρει, ἐξόριζε, κατάτηκε, φυλακῇ τε καὶ κακουχίᾳ δάμαζε, οὐκ ἂν δέ μου κάμψαι τὸν ἀληθῆ λογισμὸν ἰσχύσειάς ποτε. Ταῦτα ὁ παρανομώτατος, καὶ παντὸς δόλου μεμεστωμένος ἄναξ, παρὰ τοῦ ἀηττήτου μάρτυρος Ἀνδρέου ἀκούσας, καὶ θυμῷ ἀσχέτῳ ληφθείς, τὰ ὄμματά τε δρακοντιαῖον καὶ βλοσυρῶδες ἐπιδειξάμενος κατὰ τῶν βασανιζόντων ἀπειλητικὰς καὶ χολώδεις ἠφίει φωνάς, λέγων πρὸς αὐτούς· Ὦ τῆς κατ' ἐμὲ περιφρονήσεως τῆς ὑπὸ τῶν ἐμῶν δούλων, ἐνθάδε πολιτευο-

rator : Nos quidem, ô homo, Christiani sumus, probe omnia, ut existimo, peragentes quæ Christianorum sunt. Ut autem cunctis ostendamus nos vere hujus fidei esse, corporalia simulacra Deo exosa, sed simplicioribus hominibus accepta, quæ ecclesias et locos omnes invaserunt, decrevit potestas nostra ex omni loco auferre. Qui vero ea colerent et ut deos adorarent, statuimus, si nostris decretis cederent, bene haberent; sin autem, tanquam idololatras convenienti pœna plecteremus. *EX MSS.*

9 Andreas vero Christo dilectus et suo nomine dignus, fortitudinem et fidem in Christum penitus in corde figens, omni timore remoto ita Imperatorem alloquitur : Existimo, Imperator, quæ dixisti, insipientiæ et imprudentiæ plena esse. Si vis, ipsum stultiloquium tuum, quod ut canis rabidus eructasti, ex divinis Scripturis subvertam. Amens vero Imperator : Loquere quæ vis, ait; et ita Sanctus prosecutus est : Dicebas, Imperator, idola adorare nos, sed hæc sine demonstratione et ex corrupto corde tuo protulisti. Nos enim Sanctorum Patrum traditiones et salutaria documenta retinentes, ea ut imagines et similitudines Dei pro nobis hominis facti veneramur et adoramus. Quam- E obrem veneratio ad prototypon transit. Quod enim imago hic per imitationem est, illic Filius per naturam; neque incomprehensæ et invisibilis Divinitatis ejus simulacrum cudimus, cujus superna pulchritudo non figura quadam et formæ colore splendescit, sed eam unusquisque in ineffabili beatitudine pro posse contemplatur.

cultum SS. Imaginum rite adstruit.

10 Cum hæc Imperator a Beato Andrea audisset, ferocem animum non continens, actutum jussit eum a præsentibus tortoribus ad dira flagella extendi. Beatum igitur virum impietatis ministri extendunt, et funiculis manus crudeliter colligantes, illas undequaque distrahebant. Cumque clamaret Imperator : Obsequere nostris decretis et fuge cruciatus qui te manent; imo ex pectore gemens generosus vir, et cordis oculum in intuentem cuncta Dominum dirigens, omnibus audientibus dixit : Non mihi contingat, Deus, Creator et Conditor meus, unquam negare tuam sanctam, venerandam et puram imaginem; qua suscepta ex incontaminata Dei Genitrice, mihi omnino similis factus es et per eam salutem meam operatus. Deinde inclinato nonnihil venerando ca- F pite et in trucem Imperatorem elevatis oculis : Imperator, reliquisti, inquit, luctam contra Barbaros *f* et politici ordinis administrationem, et licet Christianum te dicas, tuam vim bellicam et superbum animum in ipsos Christianos insipienter demonstrare decrevisti. Itane vis contra Christum et veritatem insurgens, regiminis sceptra in pace gestare? Deum non times futurum judicem actionum tuarum? Ne tamen tibi videar parum decore et illicite flagellorum experimentum fugere, scias, quod in omni veritate assevero, paratum me esse ad mortem pro Christo subeundam; quod igitur intendis facere de me, celeriter perage : interfice, igne concrema, castiga, mulcta exsilio, ærumnis confice, doma carcere et vexatione, nec unquam animum meum in veritate firmatum flectere possis! Tunc injustus ille Princeps omnique dolo plenus, hæc invicti Martyris Andreæ verba non ferens, terribiles oculos, draconis in morem, movit et tortores minaci voce compellans : Quantus ille contemptus, inquit, qui hic in me a subditis meis manifestatur, siquidem ut subditi pessimi et in Dominum ingrati, statis illic longanimes et misericordia

Tyrannus cum corripi

Ex MS. cordia etiam hunc virum complectentes, præsertim cum videatis illum accusantem dominum vestrum et cavillis eum petentem.

et flagellari 11 His auditis, viri sanguinolenti, qui ei in malis cooperabantur, ut aquæ vehementes a summo monte cum impetu delapsæ a nemine contineri posse videntur, ita amentium multitudo ut immites leones, in Sanctum irruentes, alii educto gladio membratim eum concidere conabantur, alii ingentium lapidum collecta copia eum trucidare ardebant, nonnulli denique cum nihil ad cædem ipsis præ manibus esset, colligatis vestibus et brachiis denudatis, dentibus frementes Sanctum corripere festinarunt. Tum injustus Imperator animum suum subdole demulcens, populum ab impetu in cædem manu propria avertit, et ut vidit Sanctum paratum ad flagella et denudatum, a duobus robustis viris, uno quidem a tergo, alio a fronte inhumane eum castigari jussit. Incipiunt igitur carnifices corpus Sancti Martyris indigne cædere, et in tantum impii viri eum mutilarunt, donec carnes ejus cum sanguine, ut squamæ humi B decidebant et terram sanguinis purpura tingebant.

ac lapidari, 12 Princeps vero, iniquitate, injustitia et impietate plenissimus, cum videret excellentem fortitudinem et patientiam illustris Martyris Andreæ, mentemque virilem, et propugnaculum animæ quod nec declinari nec averti posset, verberum finem facere et ad se duci Martyrem jussit. Sanctus vero ægre ad se reversus, (erat enim quasi mortuus et immobilis præ immanibus tormentis) ægre lentisque passibus ad violentum Imperatorem deductus est. O fidem ferventem, o desiderium Christo acceptum, o mentem virilem, o ineffabilem patientiam, humanarum virium mensuram supergressam! Vere victus non est magnus athleta, cum verberibus crudeliter cæderetur; non prodidit generosam animam, non timuit ferocem iniquorum in se impetum, et cruentam insurrectionem. Sed ut altivolans aquila mente totus in sublime elatus, cum dilecto Christo conversaba-C tur, ab ipso patientiam efflagitans et victoriam. Quamobrem ut infantium jacula iniquorum hominum verbera considerabat. Deinde cum prope Imperatorem constitisset, eum ita alloquitur: Sumpsistine experimentum, Imperator, fidei meæ imperturbatæ et vividæ? Vidistine, et si cuncta mortifera tuæ crudelitatis instrumenta in meum corpus conferres et eousque me probares, te tamen invictum animum meum non flexurum? His auditis ex ore invicti Martyris Andreæ, Princeps ille vilis et dolo malitiaque plenus, adstantes jussit lapides sumere et ejus maxillas confringere. Sanctus vero lapidibus obrutus et omni ex parte corpusculi dira et intolerabili emissione lapidum accepta, genibus terræ innixus, pro lapidantibus orabat, imitatus protomartyrem Stephanum, et etiam ejus Magistrum et Creatorem omnium Dominum.

demum in carcerem abduci jubet. 13 Et ita Sanctus Martyr Andreas dirum illud et intolerabile tormentum ab improbis hominibus perpessus et mente ne minimum quidem a pura et vera fide dimota, Imperatoris jussu abductus est et in securo fœdoque carcere conclusus. Noctem autem totam Deum laudabat dicens: In

μένης· ἵνα οὕτως ἐστήκατε ὦ κάκιστοι καὶ ἀγνώμονες πρὸς D τὸν ὑμέτερον δεσπότην δοῦλοι, μακροθύμως πως καὶ εὐσπλάγχνως οἶμαι εἰς αὐτὸν διακείμενοι, καὶ μάλιστα βλέποντες κατηγοροῦντά τε καὶ κατὰ τοῦ ὑμῶν δεσπότου σοφιζόμενον.

11 Οἱ δὲ φονιώδεις καὶ συνεργοὶ τῶν κακῶν, τούτων ἀκούσαντες τοῦ βασιλέως τῶν ῥημάτων, ὥς τινα βίαια ὕδατα, ἀπὸ ἀκρωρείας ὄρους ὁρμαδὸν κατασυρόμενα, ἀκράτητά πως καὶ δυνατά, τοῖς πᾶσιν ἔοικεν, οὕτως καὶ τῶν ἀνόμων τὰ πλήθη, ἄρδην ὥσπερ λέοντες ἀνήμεροι, πρὸς τὸν ἅγιον εἰσπηδήσαντες, οἱ μὲν τὰς σπάθας αὐτῶν ἐκ τῶν κολεῶν ἐξαγαγόντες, μεληδὸν τὸν ἅγιον κατατεμεῖν διϊσχυρίζοντο· ἄλλοι δὲ ταῖς ἑαυτῶν χερσὶ παμμεγέθεις λίθους ἄραντες, ταῖς νιφάσι τοῦτον κτεῖναι παρωτρύνοντο· ἕτεροι δέ, διὰ τὸ μὴ πρόχειρον ἐν αὐτοῖς εἶναί τι τῶν εἰς φόνον ἐπιτηδείων, ἀνακομβοῦνται τοὺς ἑαυτῶν χιτῶνας, καὶ γυμνοῦντες τοὺς βραχίονας, τοὺς ὀδόντας τρίζοντες, τὸν ἅγιον διαχειρίσαι ἔσπευδον. Εἶτα τὸν θυμόν πως τὸν ἑαυτοῦ ὑπούλως ὁ ἄνομος ἄναξ καταπραΰνας, τοὺς λαοὺς τῆς τοῦ φόνου ὁρμῆς τῇ ἰδίᾳ χειρὶ ἀποστρέφων, διεκώλυε. Τοῦτον δὲ τὸν ἅγιον τοῖς σπαρτίοις ὡς τεινόμενον καὶ γυμνὸν ἱστάμενον ἑώρα, δύο δυνατοὺς ἄνδρας καὶ πρὸς φόνον ὄντας ἐπιτηδείους, προσέταξε βουνεύροις τὸν ἕνα κατὰ τῶν νώτων, καὶ τὸν ἕτερον ἐκ τῶν ἔμπροσθεν παραστάντας, ἀφειδῶς τοῦτον τιμωρήσασθαι· ἄρχονται E τοιγαροῦν τὸ σῶμα τοῦ μάρτυρος οἱ δήμιοι αἰκίζειν, καὶ ἐπὶ τοσοῦτον οἱ ἄθεοι τὸν ἅγιον κατῄκιζον, ἕως ὅτου εἶδον τὰς σάρκας αὐτοῦ σὺν τῷ αἵματι ὡς λεπίδας πιπτούσας χαμαί, καὶ τὴν γῆν τῇ κογχύλῃ τοῦ αἵματος καταβαπτομένην.

12 Ὁ δὲ πάσης ἀνομίας, ἀδικίας τε καὶ ἀσεβείας μεμεστωμένος ἄναξ, ὁρῶν τὴν ὑπερβάλλουσαν καρτερίαν τε καὶ ὑπομονὴν τοῦ πανευφήμου μάρτυρος Ἀνδρέου, καὶ τὸ τῆς γνώμης ἀνδρεῖον, καὶ τὸν ἀκλινῆ καὶ ἀμετάθετον τῆς ψυχῆς πρόβολον, τοῖς μαστίζουσι πέρας τῶν πληγῶν δοῦναι τῷ μάρτυρι ἐκελεύετο, καὶ πλησίον αὐτοῦ ἀχθῆναι προσέταττε· μόλις δὲ ὁ ἅγιος εἰς ἑαυτὸν ἐλθών, ἦν γὰρ ὡσεὶ νεκρὸς καὶ ἀκίνητος ἐκ τῶν ἀνηκέστων βασάνων, κατ' ὀλίγον ἰδίοις ποσί, πρὸς τὸν παράνομον βασιλέα ἠπείγετο. Ὢ πίστεως θερμῆς. Ὢ πόθου χριστοφιλοῦς. Ὢ γνώμης ἀνδρείας. Ὢ ὑπομονῆς ἀφάτου, τῆς ἀνθρωπίνης δυνάμεως τὰ μέτρα ὑπερβαινούσης· ὄντως οὐκ ἐνέδωκεν ὁ μέγας ἀθλητής, ἀπηνῶς μαστιζόμενος· οὐ προέδωκε τὸ εὐγενὲς τῆς ψυχῆς· οὐκ ἔδεισε τὴν θηριότροπον τῶν ἀνόμων πρὸς αὐτὸν ὁρμήν τε καὶ φονικὴν ἐπανάστασιν· ἀλλ' ὡς ὑψιπέτης ἀετός, μετάρσιος πρὸς τὸ ὕψος τῷ νῷ γενόμενος ὅλῳ, τῷ ποθουμένῳ Χριστῷ ὡμίλει παρ' αὐτοῦ τὴν ὑπομονὴν αἰτῶν καὶ τὴν νίκην· ὅθεν καὶ νηπίων βέλη τῶν ἀνόμων τὰς πληγὰς ἐλογίσατο· εἶτα σταθείς, πρὸς τὸν βασιλέα φησίν· Ὦ F βασιλεῦ, ἔλαβες πεῖραν τῆς ἐμῆς ἀκλινοῦς καὶ ἀνυπερθέτου πίστεως; ἔγνως, ὅτι εἰ πάντα τὰ φονικὰ ὄργανα τῆς σῆς ὠμότητος, ἐν τῷ ἐμῷ σώματι προσφέρεις καὶ δοκιμὴν ποιήσεις, τὸν ἀμετάθετόν μου λογισμὸν οὐκ ἂν κάμψαι ἰσχύσειάς ποτε; ὡς δὲ ταῦτα ὁ κοπροψυχόφιλος καὶ παντὸς δόλου καὶ πονηρίας μεμεστωμένος ἄναξ, παρὰ τοῦ μεγάλου καὶ ἀηττήτου ὁσιομάρτυρος Ἀνδρέου ἤκουσε, λίθους τοῖς παρεστῶσι παρεκελεύετο αἴρειν, καὶ τούτου τὰς σιαγόνας συνθλάττεσθαι· ὁ δὲ ἅγιος λιθολευστούμενος, καὶ κατὰ παντὸς μέρους σωματικοῦ τὰς πικρὰς καὶ ἀνηκέστους νιφάδας τῶν λίθων δεχόμενος, τὰ γόνατα αὐτοῦ τῇ γῇ προσερείσας, κατὰ τῶν λιθαζόντων προσηύχετο, τὸν πρωτομάρτυρα Στέφανον, καὶ ἐν τούτῳ μιμησάμενος, καὶ τὸν αὐτοῦ διδάσκαλον καὶ ποιητὴν τῶν ἁπάντων Κύριον.

13 Εἶτα τὴν πικρὰν ταύτην καὶ ἀνήκεστον βάσανον παρὰ τῶν ἀνόμων ὁ ὁσιομάρτυς Ἀνδρέας δεξάμενος, καὶ μηδόλως τὸν νοῦν κατασπάσας ἐκ τῆς ἀκραιφνοῦς καὶ ἀληθινῆς πίστεως, ἤχθη, τοῦ βασιλέως κελεύσαντος, καὶ ἐκλείσθη ἐν ἀσφαλεστάτῃ καὶ κοπροθέτῳ φρουρᾷ, διὰ πάσης νυκτὸς αἰνῶν τὸν Θεὸν καὶ λέγων· « Ἐν τῇ ὁδῷ τῶν » μαρτυρίων

A » μαρτυρίων σου ἐτέρφθην, ὡς ἐπὶ παντὶ πλούτῳ· ἐν ταῖς » ἐντολαῖς σου ἀδολεσχήσω, καὶ κατανοήσω τὰ θαυμάσιά » σου ἐκ τοῦ νόμου σου· λαλῶν γὰρ ἐν τοῖς μαρτυρίοις » σου ἐναντίον βασιλέων, οὐκ αἰσχύνομαι, Κύριε. »

14 Ὡς δὲ ἡ ῥοδοδάκτυλος καὶ διαυγὴς ἡμέρα τοῦ ὄρθρου ἀνέτειλε, προκαθίσας ἐπὶ τοῦ πέραν παλατίου ὁ ἄνομος βασιλεὺς καὶ παντὸς δόλου μεμεστωμένος, ὡς θὴρ ἀτιθάσσευτος, τῷ θυμῷ ἐσφάδαζε, καὶ τάχει τὸν ἅγιον τῷ τούτου βήματι παραστῆναι διεκελεύετο. Οἱ δὲ συνεργοὶ τοῦ φόνου καὶ κακεντρεχεῖς ὑπουργοί, τάχει τὸν ἅγιον τῆς φρουρᾶς ἐκβαλόντες, τῷ τοῦ βασιλέως βήματι παρέστησαν· ὡς δὲ ἑώρα αὐτὸν ὁ ἄνομος ἄναξ, μηδ' ὅλως ὑποκλινόμενον ταῖς αὐτοῦ θωπείαις, μηδὲ συγκαταβαίνοντα τοῖς τούτου ψυχοβλαβέσι λόγοις, ἐκέλευσε τοῖς παρεστῶσι, τοὺς χιτῶνας τούτου ἐπάραντας, βουνεύροις αὐτὸν πάλιν ἀφειδῶς τύπτεσθαι. Ὡς δὲ ἑώρα τούτου ὁ παράνομος μίαν πληγὴν ὅλον τὸ σῶμα γινόμενον, καὶ μικροῦ δεῖν ἡμιθανῆ ὄντα, ἐκέλευσε χαμαὶ τοῦτον ἐπὶ κεφαλῆς σύρεσθαι, λαοῦ ἀπείρου θεωροῦντος. Εἶτα καὶ ἕως τούτου τοῦ βασιλέως ἐλθόντα, τῇ Κωνσταντινουπόλει τοῦτον ἐκέλευσε παραπεμφθῆναι· κἀκεῖθεν ὡς αὔτως τῇ γῇ προσηλωμένον ἐν ταῖς πλατείαις πάσαις καὶ λεωφόροις, ἀνηλεῶς σπαρτίοις δεδεμένον σύρεσθαι. Τούτου δὲ ἐν τοῖς πετρώδεσι καὶ τραχέσι B τόποις, ῥύμαις τε καὶ λεωφόροις, ἀπανθρώπως συρομένου, καὶ τὴν γῆν τοῖς αἵμασι καταρδεύοντος, εἰς τὸν τόπον τοῦ λεγομένου βοὸς ἔφθασε.

15 Εἷς τῶν ὄντων ἐκεῖ, τῇ τέχνῃ τῆς ἁλείας ἐνδιατρίβων, τὴν τούτου ἄγραν ἣν εἰς μέσον προθείς, κἀκεῖθεν ἀναμένων τὴν ἀναγκαίαν τοῦ σώματος τροφὴν πορίσασθαι. Οὗτος οὖν ὡς τὸν ἅγιον συρόμενον ἐθεάσατο παρὰ τῶν εἰσπορευομένων * τῷ ἁγίῳ ἀνδρὶ ἀνόμων ἀνδρῶν, τὴν αἰτίαν μαθεῖν ἐπειρᾶτο. Καὶ μαθὼν ὁ ἄθλιος τὴν αἰτίαν τῆς βασάνου, μήτε τὸν τοῦ Θεοῦ φόβον κατὰ νοῦν λαβών, μήτε τὴν ἄδικον βάσανον τοῦ δικαίου ἐννοήσας, ἀλλ' ὅλον τὸν διάβολον ἐν τῇ ἑαυτοῦ ψυχῇ ἐνστερνισάμενος, ὡς τὸν ἅγιον συρόμενον καὶ ἐγγὺς τούτου φθάσαντα ἐθεάσατο, δρομαίως τὴν ἀξίνην ἄρας τοῦ μακέλλου, ἣν περ ἐπιτηδείως οἱ ταύτῃ τῇ τέχνῃ χρώμενοι κατέχουσι, προσερείσας τῷ τοῦ ἁγίου δεξιῷ ποδί, τοῦτον βιαίως ἐξέκοψε, καὶ παρ' αὐτά, τὴν μακαρίαν καὶ ἁγίαν αὐτοῦ ψυχὴν ὁ ὁσιομάρτυς Ἀνδρέας τῷ δεσπότῃ Χριστῷ παρέδωκε, μηνὶ ὀκτωβρίῳ, Κ΄. Καὶ μετέστη πρὸς οὐρανίους σκηνάς, ἔνθα πάντων εὐφραινομένων ἡ κατοικία.

* in margine γρ. συμπορευομένων

16 Ὢ πονηρᾶς καὶ ἀπανθρώπου γνώμης. Ὢ τόλμης ἁγιοκτόνου Θεὸν παροξυνάσης, καὶ διάβολον χαροποιησάσης. Ὢ χειρὸς ἀνόμου, καὶ ὁρμῆς δαιμονιώδους, τῆς ἀδίC κως τοῦ δικαίου τὸ αἷμα τῇ γῇ ἐκχυσάσης. Ὢ δὲ καὶ τῆς ἀνεικάστου μακροθυμίας τοῦ ἐμοῦ Θεοῦ καὶ δεσπότου. Οἱ μὲν οὖν σύροντες τὸν ἅγιον ἄνομοι ἄνδρες, ὡς τοῦτον ἄπνευστι συρόμενον ἐθεάσαντο, καὶ τὸν πόδα αὐτοῦ κεκομμένον, τοῦτον ὥσπέρ τι θνησιμαῖον καὶ τοῖς πᾶσιν ἀπόβλητον, ἐν ἑνὶ τόπῳ κοπρωδεστάτῳ, οἱ κοπρώδεις τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν, ἐναπέῤῥιψαν, τῷ ἁγιοκτόνῳ καὶ παρανόμῳ ἀνδρί, ὀφειλέτην τούτῳ, τῆς παρ' αὐτῶν καὶ τοῦ βασιλέως τιμῆς, ἀποφαινόμενοι ἦσαν ἐπὶ πολύ, ὡς πρόξενον αὐτοῖς χαρᾶς γεγενημένον. Νυκτὸς δὲ καταλαβούσης, τινὲς τῶν ὀρθοδόξων εὐλαβέστατοι ἄνδρες, Θεῷ καὶ τῷ ἁγίῳ θαῤῥήσαντες, κρυφῇ προσελθόντες, τὸ τίμιον καὶ πολυτίμητον σῶμα τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀνδρέου ἀφείλαντο, καὶ τοῦτο ὁσίᾳ ταφῇ παρέδωκαν, ἐν τόπῳ ἐπιλεγομένῳ κρίσις.

17 Ταῦτα τοῦ νεομάρτυρος καὶ ὁσίου Ἀνδρέου τὰ κατὰ τοῦ διαβόλου ἀνδραγαθήματα. Ταῦτα τοῦ ὁσίου τὰ ὑπὲρ τῆς Χριστοῦ σεπτῆς εἰκόνος ἀληθῆ θεράστια, καὶ μέχρις αἵματος νικητήρια. Τοῦτό σοι καὶ ὁ παρ' ἡμῶν προσαγόμενος ἔπαινος, ὦ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλή. Εἰ γὰρ καὶ τὸ κατ' ἀξίαν ἐγκώμιον ἀπέλιπον, ἀλλ' οὖν γε ὁ πρὸς σὲ πόθος, τῆς ἀξίας τῶν καθ' ὅλου ἐπαίνων οὐκ ἀπέτυχε. Σταθμίσας τοίνυν τὴν προαίρεσιν, δίδου τῶν ἐγκλημάτων τὴν λύσιν εὕρασθαι, ἐν τῇ φοβερᾷ καὶ φρικώδει τῶν ἐτασμῶν

» via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut *EX MSS.* » in omnibus divitiis. In mandatis tuis exercebor, » et considerabo mirabilia de lege tua: loquens » enim in testimoniis tuis in conspectu regum, non » confundar, Domine. »

14 Quum autem roseis digitis clara lux matutina apparuisset, sedens iniquus et omni dolo plenus Imperator ante palatium, quod ultra civitatem est, ut indomita fera animo commovebatur, et statim Sanctum ante suum tribunal adesse jussit. Cædis autem cooperatores et solertes facinorum ministri, statim Sanctum e custodia ejectum ante tribunal Imperatoris sistunt. Videns vero eum improbus Imperator blandimentis suis minime subactum, nec perniciosis suis sermonibus cedentem, adstantes jussit, postquam vestes ejus abstulissent, nervis bovinis eum iterum inhumane cædere. Postquam igitur vidit injustus Princeps unam plagam totum ejus corpus factum et eum pæne semimortuum esse, spectante multitudine infinita, eum, capite impingente in terram, raptari jussit. Deinde, cum ad Imperatorem accessisset, Constantinopolim hic eum abduci jussit ac quodammodo terræ affixum in plateis omnibus ac viis publicis immaniter funibus ligatum pertrahi. Et ita per loca E petrosa et aspera, per vicos et plateas crudeliter raptatus et terram sanguine irrigans, ad locum, qui Bovis *g* dicitur, pervenit.

Iterum cæditur et per vias publicas

g

15 Unus eorum qui illic erant, artem piscandi professus, capturam venalem exposuerat, sperans inde necessariam corporis alimoniam se comparaturum. Hic igitur ut vidit Sanctum ab improbis illis hominibus qui eum comitabantur pertractum, causam scire conatus est. Et quum miser ille causam tormenti didicisset, Dei timorem mente non capiens, nec recogitans justi viri injustum tormentum, sed totum diabolum anima sua complexus, ut vidit Sanctum non procul a se raptatum, cursim arrepta hasta macelli, qua communiter utuntur huic arti dediti, Sancti dextero pedi innixus, eum magna vi abscidit. Tunc vero beatam et sanctam animam Martyr Andreas Domino Christo tradidit, mensis Octobris die vicesima; et transiit ad cælestia tabernacula, ubi omnium lætantium habitatio est.

raptatus, exanimatus est die XX Octobris.

16 O pravum et crudelem animum! O audaciam sancticidam Deum irritantem et diabolo placentem! O manum improbam et impetum dæmoniacum, quo justi sanguis injuste in terram fusus est! F Sed o incomprehensam quoque longanimitatem Dei et Domini mei! Qui igitur Sanctum raptabant improbi viri, cum eum inanimem raptari vidissent abscissumque esse pedem, ut morticinum quid et ab omnibus despectum, in loco quodam sordidissimo *h*, homines corpore et anima sordidi projecerunt; et sic sancticidæ et scelerato viro satis superque ostenderunt, eum a se et ab Imperatore honorem meritum esse, quippe qui rem sibi gratam perpetrasset. Nocte vero obducta, orthodoxi quidam viri piissimi, propter Deum et Sanctum facti audaces, clam venerandum corpus sancti Martyris Andreæ abstulerunt, et illud sancto sepulchro tradiderunt, in loco qui dicitur Crisis *i*.

In fœdum locum abjectus,

h

i

in Crisim transfertur.

17 Hæc sunt Sancti Andreæ novi Martyris contra diabolum præclara gesta. Hæc sunt Sancti illius pro Christi veneranda imagine vera prodigia, et usque ad sanguinem triumphi. Et hæc est laus quam tibi tribuimus, o caput divinum et sacrum! Si enim ad dignum encomium non attigi, tamen amor meus in te harum laudum justo pretio non destituitur. Habita igitur propositi mei ratione, da culparum remissionem invenire in tremenda et horrenda

EX MSS. horrenda examinis die, ut dignus reperiar ad dexteram esse inter oves Magistri mei Christi, cum omnibus Sanctis qui a sæculo sunt. Da et beatam illam vocem audire : Venite, benedicti Patris, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, cum iis qui colunt tuam sacram memoriam et loculum reliquiarum tuarum venerantur. Habes enim, habes apud Dominum verum Deum nostrum fandi copiam, qui pro ipso sanguinem fudisti. Quem decet omnis honor et adoratio, cum Patre qui principium non habet, Sanctoque et vivifico Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

ἡμέρᾳ, καταξιῶν με τοῖς δεξιοῖς προβάτοις τοῦ δε- D σπότου μου Χριστοῦ, σὺν πᾶσι τοῖς ἀπ' αἰῶνος ἁγίοις, καὶ τῆς μακαρίας φωνῆς ἐνωτισθῆναι· δεῦτε, οἱ εὐλογημένοι τοῦ Πατρος, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην μου βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, σὺν τοῖς τιμῶσι τὴν ἱερὰν καὶ κάνσεπτον μνήμην, καὶ προσκυνοῦσι τὴν σορὸν τῶν λειψάνων σου. Ἔχεις γὰρ, ἔχεις πρὸς Κύριον τὸν ἀληθινὸν ἡμῶν Θεὸν παῤῥησίαν, ὡς ὑπὲρ αὐτοῦ τὸ αἷμα ἐκχέας. Ὧ πρέπει πᾶσα τιμὴ καὶ προσκύνησις, σὺν τῷ ἀνάρχῳ Πατρί, καὶ τῷ παναγίῳ καὶ ζωοποιῷ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεί, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNOTATA.

a *Qui Copronymus a plerisque, is ab aliis Caballinus dicitur; utriusque cognominis origo passim a biographis traditur.*

b *Vide Commentarium num.* 27.

c *V. ibid. num.* 30.

d *V Ibid. num. cit.*

e *Vox illa in Glossariis deest, sed passim occurrit* ταινία : vittæ, fascia, tænia *etc.*

f *Vide Comment. in hunc locum num.* 10.

g *De foro Bovis vide Comm. num.* 33.

B h *De hoc loco sordidissimo agitur ibid. num. cit. Quæ sequuntur in græco,* τῷ ἁγιοκτόνῳ κ. τ. λ. B *obscura sunt et forte mendosa.*

i *De Crisi agitur num.* 35.

MARTYRIUM

SANCTI MONACHI ET MARTYRIS ANDREÆ, QUI EST IN CRISI.

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΟΣΙΟΜΑΡΤΥΡΟΣ ἈΝΔΡΕΟΥ ΤΟΥ ΕΝ ΤΗ ΚΡΙΣΕΙ.

AUCTORE METAPHRASTE, CUM VERSIONE QUÆ EST APUD SURIUM.

Ex Cod. Coisl. CXLV, *fol.* 121 *verso Bibliothecæ regiæ Parisinæ cum collatione aliorum quinque integrorum codicum. A=Cod. Coisl.* CXL. *B=Cod. Reg.* 1484. *C=Cod. Reg.* 1495. *D=Cod. Reg.* 1501. *A. E=Cod. Reg.* 1505. *F=Cod. Reg.* 1545.

CAPUT UNICUM. S. Andreæ pia in Creta vita; venit Constantinopolim ad impugnandum Constantinum Copronymum, et immania tormenta passus, exspirat. Sepulcrum mira- F C culis claret. In Crisi deponitur.

Dæmonis malignitas Est magna diaboli malitia adversus Christi martyres, et maxime quando eos videt pietatem constanter ingredi, et citra ullam offensionem : et cum sit etiam varia, magno contra illam opus est animo, et recte armato in Christum caritate, ut non ab eo opprimatur, neque in execrandas illius manus incidat, qui hostibus quibuslibet insultat impudentius; et partim quidem per se, partim autem per eos, qui ipsi adhærent, multifariam, multisque modis Christi servos afficit injuria. Nam alios quidem deturbat per præcipitia, alios autem objicit ferarum dentibus : aliis accendit fornacem, aliis aperit barathrum : his machinatur rotam, illis acuit gladium : et aliis alias plagas parat, et mortes.

a SS. Martyribus vincitur: quos inter S Andreas, 2 Sed nihilominus fuit irrisus, cum martyres hæc omnia parva duxissent, et alia magis nova tormenta requirerent, ut per hæc ostenderent magnum, quod in Christum habebant, desiderium. Nam etsi multos ex Christi servis de medio sustulit inimicus, et ipsorum superavit naturam : at

Πολλὴ κατὰ τῶν τοῦ Χριστοῦ μαρτύρων τοῦ διαβόλου ἡ κακουργία, καὶ μάλιστα ὅταν ἀπταίστως ὁρᾷ, καὶ ἀκλινῶς ὁδεύουσαν τὴν εὐσέβειαν· πολλὴ καὶ ποικίλη καὶ μεγάλης δεομένη ψυχῆς, καὶ ἀσφαλῶς τῇ πρὸς Χριστὸν * ἀγάπῃ καθωπλισμένης, ὥστε μὴ πλεονεκτηθῆναι ὑπ' αὐτοῦ, μηδὲ ταῖς χερσὶν ἐκείνου ταῖς μιαραῖς ἐμπεσεῖν, πολεμίων ἁπάντων ἀναιδέστερον ἐπιπηδῶντος· καὶ τὰ μέν, δι' ἑαυτοῦ· τὰ δέ, καὶ διὰ τῶν προσκειμένων αὐτῷ πολυτρόπως τοῖς Χριστοῦ δούλοις ἐπηρεάζοντος· τοὺς μὲν γὰρ, κατὰ κρημνῶν ὦσε· τοὺς δέ, ὀδοῦσι θηρῶν περιέβαλε· κάμινον ἀνῆψεν ἑτέροις· ἄλλοις βάραθρον ἤνοιξε· τούτοις τροχὸν ἐτεχνάσατο· ξίφος ἐκείνοις ὑπέθηξε· καὶ ἄλλοις, ἄλλας πληγὰς ἡτοίμασε καὶ θανάτους.

* πρὸς Θεὸν F.

2 Ἀλλὰ διὰ πάντων κατεγελάσθη· * μικρὰ τῶν μαρτύρων πάντα ταῦτα λογισαμένων, καὶ ἄλλας καινοτέρας βασάνους ἐπιζητούντων· ὥστε τὸν πολὺν ὃν εἶχον πρὸς Χριστὸν πόθον δι' αὐτῶν ἐπιδείξασθαι. Εἰ γὰρ καὶ πολλοὺς τῶν τοῦ Χριστοῦ δούλων ὁ ἐχθρὸς ἀνεῖλε, καὶ φύσεως ἐκράτησε τῆς αὐτῶν, ἀλλ' οὐχὶ * προαιρέσεως καὶ γνώμης τῆς

* ταῦτα πάντα B. C. D. E. F.

* καὶ B. C. B. F. πάντα

A πάντα νικώσης· καὶ διὰ τοῦτο μᾶλλον ἥττηται, καὶ τὴν ὀφρὺν καταβέβληται· ὅτι καὶ σαρκὸς καὶ φύσεως τῆς ἀνθρωπίνης καμνούσης, ὁ νοῦς ἐκείνων, ἄτρεπτος ἦν καὶ ἀήττητος. Μαρτυρεῖ τοῖς λεγομένοις, καὶ τὰ τοῦ γεννναίου καὶ μακαρίου μάρτυρος Ἀνδρέου παλαίσματα· οὗτος γὰρ, τοιαῦτα καὶ πολλῷ βαρύτερα τούτων καθυποστὰς, οὐ μόνον τοῦ κοινοῦ πάντων ἐχθροῦ μετὰ πολλῆς ἐκράτησε τῆς περιουσίας, ἀλλὰ καὶ μεγίστη τοῖς μετ' αὐτὸν ἀθληταῖς πρὸς τὸ θαῤῥεῖν ὑπόθεσις γέγονεν· ὃν οὐ τῶν ὑπερφυῶν παλαισμάτων θαυμάζειν χρὴ μόνον ἀλλὰ καὶ τῶν κατορθωμάτων εἰς ζῆλον ἔρχεσθαι· οὐδ' ἀκροατὰς τῶν περὶ αὐτοῦ λόγων, ἀλλὰ καὶ μιμητὰς τῆς ἀρετῆς γίνεσθαι.

3 Ἤνεγκε μὲν γὰρ αὐτὸν ἡ * εὐγνωμοτάνη ποτὲ * τῶν πόλεων Κρήτη· ὁ δὲ, τὴν πατρικὴν ἐκ παίδων ζηλώσας εὐσέβειαν, ἐν αὐτῇ καὶ τοὺς μακαρίους ἐπεδείξατο πόνους· οὐ γὰρ δόξαν ἐπῄνεσεν· οὐ πλοῦτον ἐθαύμασεν· οὐ τὸν ὑγρὸν καὶ ἀνειμένον * ἐζήλωσε βίον, ἀλλὰ * τὸν σκληρόν τε καὶ εὔτονον * καὶ τραχὺν, καὶ διὰ παντὸς ἐναγώνιον. Ἀρετῆς τοίνυν οὕτω θερμότατα ἐρασθεὶς, καὶ δούλης * ἡδονῆς ἐλεύθερος μείνας, λαμπρῶν κατὰ τῶν νοουμένων ἐχθρῶν ἀπέλαυσε τῶν τροπαίων· καὶ πᾶσιν ὁδὸς ἀρίστη τῆς σωτηρίας ἐγένετο· πολλούς τε ὑπεριδεῖν ἔπεισε τῆς παρούσης ζωῆς, καὶ πρὸς οὐρανὸν τρέχειν *· ἔνθα καὶ τὸ πολίτευμα ἡμῶν παρὰ τῶν εὖ φρονούντων *, καὶ λέγεται καὶ πιστεύεται. Ὁ μὲν οὖν οὕτως εἶχε βίον * καὶ δογμάτων ἀποστολικῶν καὶ πατρικῶν ἀκριβῶς εἴχετο. Καὶ ἡ σύμπασα δὲ οἰκουμένη καθαρᾶς * καὶ αὐτὴ τῆς εὐσεβείας ἐτρύφα· καὶ οὐδὲν ὅλως τῶν τοῦ Χριστοῦ * ζηζανίων * ἐν αὐτῇ παρεφύετο. Χρόνον δὲ ἤδη συχνὸν ὁ πονηρὸς * ἀνθοῦντα ταῦτα ὁρῶν, καὶ καθαρᾶς γαλήνης τὴν ἐκκλησίαν * ἐμπιπλαμένην· ὥσπερ αὐτὸς τὰ μεγάλα ἠδικημένος, οὐδαμῶς ἠνηγκεν, ἀλλὰ πάνυ δολίως ἐπιθέσθαι τῇ εὐσεβείᾳ σπουδὴν ἔθετο. Εἰδὼς γὰρ ὅτι χαλεπὸν αὐτῷ καὶ δυσεπιχείρητον πεῖσαι χριστιανοὺς ἀρνηθῆναι * τὴν θείαν τοῦ Χριστοῦ σάρκωσιν, πολλοῖς ἤδη χρόνοις ἐμπεδοθεῖσαν * αὐτοῖς· καὶ ὅ φησιν ὁ θεῖος Δαβὶδ ἐκτείνασαν μὲν τὰ κλήματα * ἕως θαλάσσης, καὶ ἕως ποταμῶν τὰς παραφυάδας· ὄρη δὲ, τῇ σκιᾷ καλύπτουσαν, καὶ ταῖς ἀναδενδράσι τὰς τοῦ Θεοῦ κέδρους· τοῦτο ἐκεῖνος εἰδὼς, ἅτε σῦς ἐκ δρυμοῦ καὶ μονιὸς ἄγριος, λυμήνασθαι ταύτην ἐπιχειρεῖ, τρόπον ἕτερον, μικροῦ πρὸς τὴν ὁμοίαν φέροντα βλάβην, καὶ διὰ τῆς ἀρνήσεως τῶν σεπτῶν εἰκόνων, ἄρνησιν μηχανᾶται καὶ τῆς οἰκονομίας· εἴγε δεῖ * τὰ τῆς εἰκόνος ἐπὶ τὸ πρωτότυπον * διαβαίνειν *.

* εὐνομωτάτη D. F.
* ποτὲ *deest* F.
* *prius erat* ἀνειμένων D.
* καὶ D.
* ἔντονον F.
* δοῦλος E.
* ἀνατρέχειν F.
* τῶν εὐφρονούντων D.
* βίου B. C. D. E.
* καθαρὰ D.
* ἐχθροῦ *pro* Χριστοῦ D. E. F.
* ζιζανίου B. C. D. E. F.
* ὁ πονηρὸς *desunt in* F.
* οἰκουμένην B.
* ἀρνήσασθαι B.
* ἐμπεδωθεῖσαν C. D. E. F.
* κλίματα B. E.
* δὴ B. C. D. E. — δεῖ *om.* F.
* οἴδαμεν B. C. D. E. εἴγε — πρωτότυπον οἴδαμεν *hæc in margine manu recentiori* F.
* διαβαίνειν *eadem manu* F.

4 Καὶ τὸν τότε ἄρχειν λαχόντα δεινῶς ὑποδὺς, Κωνσταντῖνον φημὶ τὸν πονηρὸν καὶ δυσώνυμον, καὶ ἀπεναντίας τῷ ὁμωνύμῳ καὶ πρώτῳ φυτευτῇ τῆς εὐσεβείας περὶ ταύτην διατεθέντα, πείθει μὴ θεμιτὸν εἶναι χριστιανοὺς καὶ αὐτὸν οἴεσθαι· καὶ τοὺς * ὑπὸ χεῖρα νομοθετεῖν, τὰς ἱερὰς ὄντως εἰκόνας τιμᾶν, ἑλληνικῆς τοῦτο θρησκείας καὶ νομίζοντας εἶναι, καὶ ὀνομάζοντας, κακῶς ἐκεῖνος εἰδὼς, καὶ λίαν ἐπισφαλῶς τε καὶ ἀνοήτως. Καὶ τοῦτο ὅπερ ὑπὸ τῶν παλαιῶν λέγεται, μιγνύων τὰ ἄμικτα. Ὧν μὲν γὰρ τὸ πρωτότυπον ἀσεβὲς, τούτων καὶ ὁ τύπος τοῖς εὐσεβεῖν βουλομένοις ἐπίσης βέβηλος· ὧν δὲ ἐκεῖνο προσκυνητὸν καὶ σεβάσμιον, τούτων ἄρα καὶ ἡ εἰκὼν ἀκολούθως τιμῆς πάσης * ἠξιωμένη.

* τοῖς B. C. D. E. F.
* ἁπάσης F.

5 Οὕτω τοίνυν αὐτὸς ὑπὸ τοῦ πονηροῦ πνεύματος διδαχθεὶς, διὰ πάσης χωρεῖν ἐκέλευε τῆς ὑπ' οὐρανὸν, καὶ εἰς ἔσχατα γῆς τὸ ἔκφυλον τοῦτο νομοθέτημα διαβαίνειν, πᾶν

non etiam institutum, ac voluntatem, et mentem, quæ vincit omnia. Et ideo magis fuit superatus, et demisit supercilium, quod et carne, et natura humana laborante, esset illorum animus invictus et immutabilis. His, quæ dicuntur, ferunt testimonium generosi et beati Martyris Andreæ certamina. Is enim cum talia, et his multo graviora sustinuisset, non solum communem omnium inimicum abunde superavit: sed iis etiam, qui ipsum consecuti sunt, maximum fuit argumentum, ut essent bono animo. Cujus non solum sunt insignia admiranda certamina, sed sunt etiam ejus recte facta imitanda: nec solum esse oportet auditores, eorum, quæ de ipso dicuntur, sed etiam ejus virtutis imitatores.

AUCTORE METAPHRASTE. EX MSS. GR.

3 Ipsum quidem tulit, quæ omnium optimis regebatur legibus, Creta. Itaque autem ab ineunte ætate patriam imitatus pietatem, beatos quoque in ipsa ostendit labores. Non enim laudavit gloriam, non divitias est admiratus, non amavit delicias, non mollem et remissam vitam est consectatus, sed duram, rigidam et asperam, et quæ per omnia erat parata adire certamina. Cum ergo esset ardentissime virtutis amore captus, et mansisset liber a voluptate, præclara erexit trophæa adversus inimicos, qui mente percipiuntur, et fuit omnibus optima via salutis: et multis persuasit, ut vitam præsentem despicerent, et in cælum currerent: quo in loco ab iis, qui sapiunt, dicitur et creditur esse nostra conversatio. Atque illius quidem vita erat hujusmodi: dogmata autem apostolica et patria accurate tenebat. Quin etiam universus orbis terræ tunc pura et sincera fruebatur religione, neque quidquam inimici zizaniorum tunc in eo nascebatur. Cum autem jam longo tempore malignus hæc videret florere, et pura tranquillitate impleri ecclesiam, perinde atque magna affectus esset injuria, nequaquam sustinuit: sed ut per dolum piam invaderet religionem, magnum studium adhibuit. Nam cum videret esse longe difficilimum persuadere Christianis, ut negarent divinam Christi carnis susceptionem, quæ jam longo tempore apud eos erat firma ac stabilis, et, ut dicit divinus David, extenderat quidem suos palmites usque ad mare, et usque ad flumina propagines: umbra autem sua tegebat montes, et arbustis suis cedros Dei: tamquam ferus aper e silva, eam alio modo conatur perdere, qui propemodum ferebat ad idem damnum: et per negationem venerandarum imaginum, molitur inducere negationem carnis susceptæ œconomiæ. Siquidem quæ sunt imaginis, scimus transire ad exemplar primarium.

qui post piam in Creta vitam occasione hæreseos iconoclasticæ, E F

4 Itaque sensim eum subiens, cui obtigerat imperium, improbum, inquam, et infaustum Constantinum, in religionem secus affectum, quam Constantinus ille qui fuit ejusdem nominis, et primus plantator pietatis, ei persuadet, nefas esse Christianis, et iis, qui sunt sub ejus imperio, vere sacras honorare imagines. Quod quidem ille fieri prohibuit, existimando et dicendo hoc gentilis esse superstitionis, male profecto intelligens, et periculose admodum et insipienter (id, quod dicitur a veteribus) miscens ea, quæ misceri non possunt. Nam quorum primum quidem exemplar est impium, eorum quoque figura est æque profana iis, qui volunt esse pii. Quorum autem illud est adorandum et venerandum, eorum quoque imago consequenter digna est omni honore.

a Constantino Copronymo promotæ,

5 Sic ergo ipse doctus a maligno spiritu, jussit per omnem terram, quæ est sub cælo, procedere, et ad extremos fines transire alienum hoc edictum, omne

cujus edictum indicatur,

AUCTORE METAPHRASTE. EX MSS. GR.

omne genus supplicii omni generi et ætati aspere minitans, si quis suo decreto non pareret, promptoque et alacri animo illud non exciperet : immo si divinam aliquam figuram vel verbotenus videretur honorare. Graviter vero et immaniter puniunt, et nullam dant veniam ii, quibus obtigit imperium, quando iis, quæ ab ipsis sunt constituta, non obedientem aliquem acceperint, cum præsertim videatur jussus pertinere ad multorum utilitatem. Irascuntur autem, non id curantes quod publice conducit, sed suam explentes arrogantiam. Propter has ergo asperas et sævas minas, licebat tunc videre civitates effectas in solitudinibus : esse autem plane desertas civitates propter multitudinem eorum, qui ad eas veniebant solitudines. Nimis arctæ reddebantur custodiæ : replebantur carceres, non latronibus, proh dolor, non expilatoribus, aut aliis ejusmodi maleficis hominibus : sed viris piis ac religiosis, et Dominum timentibus, quorum erant pernoctes stationes, et qui sunt ex Deo sudores, et nocturnæ lacrymæ : et quos Hierusalem vocabat libera civitas, honorifice apud eam diversaturos.

Cpolim venit, zelo veritatis motus ;

B 6 Cum ergo tam magnum et tam grave bellum esset excitatum, et multi statim tempori cessissent, serviliterque et illiberaliter omnino loquerentur, beatus hic Andreas, non ferens hunc novum modum captivitatis, neque pias animas, quæ superna civitate misere privabantur, despiciens : sed tempus aptum esse arbitratus ad zelum magno et excelso animo ostendendum, quem pro pietate jamdiu parturiebat, relicta terra patria et solo, quod eum aluerat, venit statim Byzantium, tamquam quispiam fortis et generosus athleta, qui in exercitatione satis studii posuerat, et in stadium sæpius descenderat. Itaque nec metum magistratuum, neque aliquid aliud grave reputans, in medium progressus, Imperatoris, et eorum, qui erant ab ejus parte, malam sectam libere arguebat : et honorem, qui divinis debebatur figuris, docebat et statuebat : Sic, dicens, debet coli Deus, sic venerari imagines. Porro autem dicebat se eo venisse, ut tolleret, quæ a diabolo parabantur, insidias : et eos quidem, qui suam salutem prodiderant, adduceret ad pœnitentiam, et animum eis adderet, ut rursus pugnarent : rursus vero eos, qui stabant, precibus, adhortationibus et consilio muniret, tutosque redderet.

imperterritus tyrannum adit,

C 7 Cum is hæc publice prædicaret, et ne tantillum quidem de dicendi libertate remitteret, ea significantur Imperatori. Qui cum ante civitatem in Martyris Mamantis, quæ dicitur, basilica, cum suo consueto præsedisset supercilio : et magnum quidem ex scenica illa specie fastum, magnam autem ex assentante illo satellitio gloriam sibi induisset : et nec eos quidem, qui aderant, solum intueri sustineret : orthodoxos vero torve et ferociter adspiceret, et nihilo mitius, quam fera agrestis, in eos ferretur : et alios quidem boum nervis crudelissime cæderet : alios autem igni et aliis suppliciis traderet : multorum vero etiam ipsos oculos et linguam erueret, ut illi quidem aliorum athletarum non adspicerent animi magnitudinem, nec hinc tolerantiæ magnum acciperent solatium : hac autem adempta non possent alios excitare ad certamen, neque eis veluti manum præbere per consilium et suasionem : aliis autem simul manus et pedes auferret, propter iræ vehementiam et acerbitatem : hic Beatus Andreas animo sauciatus, et pro Domino spirans virtutem et animi magnitudinem, cum e medio corde sibi esset precatus, et subinde dictitasset : Domine

εἶδος κολάσεως κατὰ παντὸς γένους καὶ ἡλικίας πάσης D ἀποτόμως διαπειλῶν, ἐάν * τις μὴ τῷ καλῷ * δόγματι πειθόμενος * ἤ, καὶ μάλα προθύμως * ἐκεῖνο ὑποδεχόμενος, ἀλλὰ τῶν θείων τινὰ χαρακτήρων καὶ μέχρι λόγου ψιλοῦ τιμᾷν * φαίνοιτο· βαρεῖς γὰρ καὶ ἄτοποι κολασταὶ, καὶ μηδεμίαν συγγνώμην ἔχοντες οἱ τὸ ἄρχειν λαχόντες, ὅταν τοῖς παρ' αὐτῶν διατεταγμένοις ἀπειθοῦντά τινα λάβωσι, καὶ μάλιστα τοῦ κελεύσματος εἰς πολλῶν ὠφέλειαν εἶναι δοκοῦντος· ὀργίζονται οὗτοι, οὐ τοῦ κοινῇ λυσιτελοῦντος αὐτοὶ φροντίζοντες, ἀλλ' ἰδίαν ἐκδικοῦντες ἀλαζονείαν. Διὰ ταύτας γοῦν τὰς ἀποτόμους καὶ χαλεπὰς ἀπειλὰς, ἐρήμους ἦν τότε τὰς πόλεις ὁρᾶν· πόλεις δὲ, τὰς ἐρήμους, τῷ πλήθει τῶν εἰς * αὐτὰς φοιτώντων γινομένας. Ἐστενοχωροῦντο εἱρκταί· ἐπληροῦντο τὰ δεσμωτήρια, οὐ λῃστῶν οὔ μοι *, οὐ λωποδυτῶν *, ἄλλως καὶ κακούργων· ἀλλὰ θεοφιλῶν ἀνδρῶν καὶ φοβουμένων τὸν Κύριον· ὧν αἱ πάννυχοι στάσεις, καὶ οἱ κατὰ Θεὸν ἱδρῶτες καὶ τὰ * νυκτερινὰ δάκρυα, καὶ οὓς Ἱερουσαλὴμ ἡ ἐλευθέρα πόλις ἐκάλει, φιλοτίμως παρ' αὐτῇ καταλύσοντας.

* εἴ τις C.
* τῷ καινῷ δόγματι D. τῷ καλῷ *ex correctione ; prius erat* τῷ καλῷ C.
* πειθόμενος, ἢ καὶ C.
* προθύμως ἀποδεχόμενος, *omisso* ἐκεῖνο C.
* τιμῶν B. C. D. φαίνοιτο θανατοῦσθαι C. E. F.
* ὡς B. C. D. E. F.
* οἴμοι B. C. D. E.
* τινῶν F.
* τὰ *om.* B.

6 Μεγάλου * τοίνυν οὕτω τοῦ πολέμου καὶ δεινοῦ κινηθέντος· καὶ τῶν * πολλῶν εὐθὺς εἰς τὸν καιρὸν βλεψάντων, καὶ δουλικὸν ὅλως καὶ ἀγεννὲς * φθεγγομένων, ὁ μακάριος οὗτος Ἀνδρέας τὸν καινὸν τοῦτον τῆς αἰχμαλωσίας τρόπον οὐκ ἐνεγκὼν, οὐδὲ τῆς ἄνω πατρίδος τὰς εὐσεβεῖς * ψυχὰς ἀθλίως στερουμένας ὑπεριδὼν, ἀλλὰ καιρὸν ἐπιτήδειον εἶναι νομίσας, ὃν ὑπὲρ εὐσεβείας ἐκ πολλοῦ ὤδινε ζῆλον, ἀνδρειότατα νῦν ἐπιδείξασθαι· γῆν πατρῴαν καὶ τὸ θρεψάμενον ἔδαφος ἐκλιπὼν, εἰς τὸ Βυζάντιον εὐθὺς ἧκει, ὥσπέρ τις γενναῖος ἀγωνιστὴς ἱκανῶς ἐκπονηθεὶς τὰ γυμνάσια, καὶ ἄρτι πρὸ τὸ στάδιον καταβάς· καὶ μήτε ἀρχόντων φόβος *, μήτε ἄλλο τῶν χαλεπῶν ὑπολογισάμενος, παρελθὼν εἰς μέσους, τὴν αὐτοῦ τε πονηρὰν βασιλέως * αἵρεσιν, καὶ τῶν ὑπὸ χεῖρα διήλεγχε μετὰ παῤῥησίας, καὶ τὴν ὀφειλομένην τοῖς θείοις χαρακτῆρσι τιμὴν ἐδίδασκε καὶ ἐνομοθέτει· Οὕτω, λέγων, ὀφείλει τιμᾶσθαι Θεὸς, οὕτω προσκυνεῖσθαι τὰ εἰκονίσματα· ἔνθεν τοι καὶ τὰ ἐνταῦθα καταλαβεῖν ἔφασκεν, ἐφ' ᾧ τὴν ἐκ τοῦ διαβόλου κακουργηθεῖσαν πανουργίαν ἀνέλῃ· καὶ τοὺς μὲν τὴν οἰκείαν προδόντας σωτηρίαν, γνωσιμαχῆσαί τε παρασκευάσει καὶ παραθαῤῥύνει * ἀναμαχέσασθαι, τοὺς ἑστῶτας δὲ *, παραινέσεσι καὶ συμβουλαῖς ἀσφαλίσεται.

* μεγάλα C.
* τῶν *om.* F.
* ἀγενὲς C.
* εὐσεβεῖς *om.* C.
* (φόβον *manus prima*) — φόβον B. C. D. E. F.
* βασιλέως πονηρὰν C. F.
* παρασκευάσῃ καὶ παραθαῤῥύνῃ B. — παραθαρρύνῃ C. D.
* πάλιν εὐχαῖς καὶ B. C. D. E. F.

7 Ταῦτα ἐπειδὴ οὗτος * ἐκήρυττε δημοσίᾳ, καὶ οὐδὲ βραχὺ τῆς παῤῥησίας ὁ γενναῖος ὑφίετο, δῆλα καὶ τῷ βασιλεῖ γίνεται. Καὶ δὴ πρὸ τῆς πόλεως ἐν ταῖς * τοῦ μάρτυρος Μάμαντος λεγομένοις βασιλείοις, μετὰ τῆς συνήθους ὀφρύος αὐτοῦ προκαθίσαντος· καὶ πολὺν μὲν, τὸν ἀπὸ τῆς σκηνῆς ὄγκον· πολλὴν δὲ, τὴν * ἀπὸ τῆς κόλακος ἐκείνης δορυφορίας περιβεβλημένου δόξαν, καὶ οὐδὲ * βλέπειν ἁπλῶς πρὸς τοὺς παρόντας ἀνεχομένου *· κατὰ μέν τοι τῶν ὀρθοδόξων καὶ λίαν ἀπηνὲς ὁρῶντος, καὶ θηρὸς ἀγρίου κατ' οὐδὲν ἡμερώτερον ἐπ' αὐτοὺς φερομένου· καὶ τοὺς μὲν, βουνεύροις ὠμότατα διαξέοντος *, τοὺς δὲ καὶ πυρὶ καὶ τῇ ἄλλῃ κολάσει παραδιδόντος· πολλῶν δὲ καὶ ὀφθαλμοὺς αὐτοὺς καὶ γλῶτταν ἐκκόπτοντος· ἵνα οἱ * μὲν μηδὲ τὴν τῶν ἄλλων ἀθλητῶν ἴσως * γενναιότητι * βλέπωσι· μηδὲ μεγάλην ὑπομονῆς ἐντεῦθεν παράκλησιν δέχονται *· οἱ δὲ, μὴ ἔχωσι τοὺς ἄλλως διεγείρειν πρὸς τὸν ἀγῶνα, τὴν γλῶτταν ἀφῃρημένοι· μηδὲ οἱονεὶ χεῖρα τούτοις διὰ συμβουλῆς ὀρέγειν καὶ παραινέσεως· ἑτέρους δὲ καὶ χειρῶν ὁμοῦ καὶ ποδῶν ἀποστεροῦντος, διὰ θυμοῦ περιουσίαν καὶ ἀγριότητα· ὁ μακάριος οὗτος Ἀνδρέας παθὼν τὴν ψυχὴν, καὶ γενναῖόν τι καὶ ἀνδρῶδες ὑπὲρ τοῦ δεσπότου πνεύσας, εὐχήν τε αὐτῷ ἐκ μέσης εὐξάμενος τῆς καρδίας, καὶ, ὦ Κύριε σῶσον δὴ, ὦ Κύριε εὐόδωσον δὴ, ἐπειπών· εἰς μέσους ἑαυτὸν ἐπιῤῥίπτει τοὺς κινδύνους, καὶ

* οὕτως C.
* ἐν ταῖς B. C. D. E. F.
* τὴν B. C. D. E. F.
* οὐ D.
* ἀντεχομένου C.
* διαξαίνοντος B. C. D. E. F.
* ἵν' οἱ B. C. D. E. F.
* ἴσως *om.* F.
* γενναιότητα B. D. E. F. — γενναιότη (*sic* C.)
* δέχωνται B. C. D. E. F.

A καὶ τὸ τῶν περιεστώτων πλῆθος διατεμὼν, καὶ λαθὼν τοὺς σοβοῦντας, καὶ ὑπ' ὄψιν τῷ βασιλεῖ γενόμενος, ἵνα τί, φησὶν, ὦ βασιλεῦ, εἰ χριςιανὸς εἶ, τοιαῦτα κατὰ τῆς εἰκόνος Χριςοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ δούλων τεχνάζῃ κακά; Ὁ δὲ τὴν παῤῥησίαν ταύτην οὐκ ἐνεγκὼν, ἀλλ' ὕβριν εἶναι σαφῆ τὸ πρᾶγμα λογισάμενος, ἐγκόπτει τε αὐτίκα λέγοντι τῷ γενναίῳ, καὶ συλλαβεῖν αὐτὸν τοῖς παρεστῶσι διακελεύεται. Οὗτοι δὲ ἄρα φονώσαις χερσὶ καὶ βαρείαις εὐθὺς ἐφορμήσαντες, καὶ ὁ μὲν * αὐτοῦ τῆς κεφαλῆς, ὁ δὲ * τῶν χειρῶν λαβόμενοι· ἄλλοι τῆς ἐπωμίδος· τοῦ χιτωνίσκου τε ἕτεροι μάλα ὑβριστικῶς. Καὶ ὅπως ἂν * μάλιςα χαρίσωνται τῷ κελεύσαντι, πρὸς γῆν τε καταβάλλουσι * τὴν διάνοιαν ὑψηλὸν καὶ οὐ πρότερον μεθίεσαν ἕλκοντες, ἕως αὐτὸς ὁ βασιλεὺς μετὰ τὸ ἀμύνασθαι ἀποχρώντως τὴν παῤῥησίαν τοῦ ἀθλητοῦ, καὶ φιλάνθρωπος δῆθεν ὀφθῆναι βουλόμενος, ἀνεθῆναι τοῦτον ἐκέλευσεν.

* οἱ μὲν B. C. D. E. F.
* οἱ δὲ D. E. F.
* ὅπως ἂν χαρίσωντο C.
* τὸν B. C. D. E. F.

8 Ἐγγύτατα δὲ ἀγαγὼν καὶ παραστησάμενος, ἵνα φοβήσας πρότερον ἀγριότητι, ἔπειτα τῇ πραότητι κλέψῃ· πόθεν σοι, φησὶν, ἡ τοσαύτη θρασύτης καὶ ἀμαθία ὡς καὶ βασιλικοῖς προστάγμασιν ἀντιλέγειν, καὶ ὑπ' ὄψιν οὐ κατὰ καιρὸν οὕτως, οὐδὲ μετὰ λόγου παῤῥησιάζεσθαι· ἀλλ' ὡς B ἔοικε, τρόπον τινὰ γνώριμος ἡμῖν γενέσθαι βουλόμενος, ἐπὶ τὴν τοιαύτην ἦλθες ὁδόν. Ἔχει οὖν σοι πέρας τὸ βούλημα, καὶ εἰς καλὸν ὁ σκοπὸς τελευτήσει. Μόνον τῇ ἡμετέρᾳ συμφρονῶν * ἔσο γνώμῃ, καὶ τὸ πάνυ * ὀρθῶς ἔχον τοῦτο σέβας ὁμολογῶν, καὶ τότε πάντα σοι τὰ κατὰ γνώμην ἕξει καλῶς. Πρὸς ταῦτα ὁ θαυμαστὸς Ἀνδρέας, οὐ θρασύτητι κινηθεὶς, οὐδὲ ἀμαθίᾳ *, βασιλεῦ, ἔφη, οὐδὲ ὅπως σοὶ καὶ τῷ σῷ κράτει γνωσθείην εἰς τοῦτο ἦλθον ἐγώ· τί γὰρ ἐμοὶ καὶ τοῖς σοῖς; ἐπίσης δὲ πάντως ἐστὶ καὶ τοῖς τοῦ κόσμου εἰπεῖν· ᾧ παλαι μὲν ὡς ὄναρ τὰ τοῦ κόσμου κατεφρονήθη, φίλον δὲ μόνον ἡσυχία, καὶ τῷ * κατ' ἰδίαν τῷ ποθουμένῳ συγγίνεσθαι, ἀλλ' ἐπεὶ περὶ τὴν ὀρθόδοξον πίστιν νεώτερά σε φρονεῖν ἀνέμαθον, καὶ τῆς περὶ τὰς θείας εἰκόνας τιμῆς ἀποστεροῦντα χριςιανούς· καὶ ταύτῃ θορυβοῦντα μὲν τὸ ὑπήκοον, ἐπιταράττοντα δὲ καὶ τὴν ἐκκλησίαν, οὐχ οἷός τε ἐγενόμην τὴν ἀδικίαν ταύτην ὑπενεγκεῖν, ἀλλὰ καὶ πατρίδα καὶ οἰκείους ἀπολιπὼν, καὶ τοσαύτην θάλασσαν διαπλεύσας ἥκω πολλῷ ζήλῳ φλεγόμενος τὴν καρδίαν, ἢ τῆς ἀπάτης ταύτης ἀπαλλάξων ὑμᾶς, ἢ τὴν ἐμαυτοῦ ψυχὴν ὑπὲρ τοῦ ἐμοῦ θήσων Χριςοῦ· ὃς τὴν οἰκείαν καίτοι δεσπότης ὢν ὑπὲρ ἐμοῦ καὶ τῆς εἰκόνος ἔθετο τῆς ἰδίας· καὶ ὁ βασιλεύς· ἦπου μεγάλα φανταζόμενος σὺ καὶ φρονῶν ἐλήλυθας, βασιλέα τε αὐτὸν καὶ τοὺς ἐν τέλει πάντας, καὶ ὅση τῆς ἱερατικῆς εὐταξίας * ἐπίσημος πολιὰ, πρὸς τὰ σὰ * δοκοῦντα C μεταβαλεῖν; ἀλλ' ἵνα τὰ πολλὰ χαίρειν ἀφῶμεν, ἐμοῦ τὰ δέοντα συμβουλεύοντος ἄκουσον· καὶ τῆς βαθείας ταύτης ἀνανήψας ἀχλύος, πείσθητί τε οἷς τὸ ἡμέτερον νομοθετεῖ κράτος, καὶ τῇ κοινῇ γνώμῃ καὶ αὐτὸς στέρξον ἀκολουθῆναι· εἰδ' οὖν ἀλλ' ἡ πεῖρα διδάξει σε πάντως, ὅσον κακὸν ἀβουλία καὶ οἴησις, καὶ τὸ τῇ ἰδίᾳ στοιχοῦντα γνώμῃ καὶ πρὸς βασιλεῖς ἀπαυθαδιάζεσθαι *.

* συμφορῶν E.
* τὸ πᾶν C.
* ἀμαθείᾳ F.
* καὶ τὸ B. C. D. E. F.
* πίςιν B.
* ἀξίας pro εὐταξίας C.
* τά σοι δοκοῦντα D. E. F.
* ἀπαυθαδίζεσθαι D.

9 Ἤκουσεν ὁ μάρτυς, καὶ πρὸς οὐρανοὺς ἀπιδὼν, οὐκ ἀρνοῦμαι * σε σῶτερ, εἶπε *, Χριςὲ, οὐ ψεύσομαί σε τὴν μακαρίαν ὁμολογίαν· οὐ τὴν εἰκόνα τὴν σὴν ἀτιμάσω· οὐ περιίδω τό γε οὖν ἐπ' ἐμοὶ κακῶς πάσχουσαν· ξαινέσθω μου τὸ σῶμα βασιλεῦ· ἡ γλῶττα * τεμνέσθω· οἱ πόδες, οἷς οὐ καλῶς ἤλθομεν, ἐκκοπτέσθωσαν, ὡς πάντα γε μᾶλλον ἐγὼ παθεῖν ἕτοιμος, ἢ τὸν ἐμὸν μέχρι καὶ σκιᾶς ἀθετῆσαι Χριςὸν, ὃν ἀντὶ πάντων ἔχω· καὶ ᾧ πάλαι ἀκολουθεῖν μόνῳ προῄρημαι. Πρὸς ταῦτα τὸν τύραννον·

* ἀρνήσομαι B. C. D. E. F. σε om. B. F.
* ἔφη pro εἶπε F.
* γλῶσσα C.

AUCTORE METAPHRASTE. EX MSS. GR.

serva, Domine, dirige : se ipsum in media injicit pericula, et eorum, qui circumstabant, divisa multitudine, latens eos, qui abigebant, cum venisset in conspectum Imperatoris : Cur, inquit, o Imperator, si es Christianus, hæc mala machinaris adversus Christi imaginem, et ejus servorum? Ille autem non ferens hanc loquendi libertatem, sed apertam contumeliam rem esse existimans, loquentem Sanctum statim interrumpit, et jubet iis, qui adstabant, eum comprehendere. Ii autem cædem spirantibus manibus in eum irruentes, et alii quidem ejus caput, alii autem manus apprehendentes, alii vero superhumerale, et alii tunicam, per summam contumeliam, et ut ei, qui jusserat, magis gratificarentur, eum humi dejiciunt, qui erat animo excelso : neque prius cessarunt eum trahere, donec ipse Imperator, postquam satis ultus esset dicendi libertatem athletæ, volens utique videri clemens, jussit eum relaxari.

cumque arguit.

8 Cum autem proxime adducendum et sistendum curasset, ut cum eum prius terruisset sævitia, deinde etiam alliceret mansuetudine : Undenam, inquit, est tanta tibi audacia et inscitia, ut jussis repugnes Imperatoris, et coram eo intempestive, et citra ullam rationem libere quævis loquaris? E Sed, ut videtur, volens aliquo modo nobis notus evadere hanc viam ingressus es. Voluntas itaque tua deducta est ad effectum, et tuus tibi recte succedet scopus, dummodo sententiæ nostræ assentiaris, et quæ valde recte se habet, confitearis religionem. Tunc namque tibi omnia evenient ex sententia. Ad hæc Andreas ille admirabilis : Non inquit, audacia, nec inscitia motus, o Imperator, nec ut tibi notus et tuæ evaderem potentiæ, huc veni. Quid enim mihi rei est cum tuis? similiter autem possum omnino etiam dicere cum iis, quæ sunt hujus mundi, a quo quidem jam olim despecta sunt, tamquam somnium : sola autem grata est quies, et seorsim versari cum Deo? Sed postquam accepi te sentire aliena a fide orthodoxa, et privare Christianos honore, qui debetur divinis imaginibus : et sic quidem perturbare eos, qui tuo parent imperio, conturbare autem etiam ecclesiam : non potui hanc ferre injustitiam : sed patria relicta et meis, tantum maris spatium emensus, venio magno cordis zelo incensus, vel vos ab hoc errore liberaturus, vel pro meo Christo meam animam positurus, qui suam, etsi esset Dominus, pro me posuit et sua imagine. Imperator autem : F Venisti quidem certe, inquit, magna visione apprehendens, et animo agitans, nempe ut ipsum imperatorem, et omnes magistratus, et pontificalis dignitatis venerandam, quantacumque ea sit, canitiem traducas ad id, quod tibi videtur? Sed ut prolixis uti verbis mittamus, audi me ea, quæ oportet, consulentem, et ab hac profunda emergens caligine, pare iis, quæ nostra decernit potentia, et ipse quoque sis contentus sequi communem sententiam. Sin minus, te omnino docebit experientia, quantum malum sit consilii inopia, et vana de se persuasio, et suam tantum sequendo sententiam, se arroganter gerere adversus imperatores.

S. Andreas invicto animo et multa sapientia respondet imperatori; flagellari jubetur;

9 Audivit Martyr, et cœlos adspiciens : Non te negabo, inquil, Christe Salvator : non te pulchra frustrabor confessione : non tuam contemptui habebo imaginem : non despiciam, quod ad me quidem attinet, male patientem. Cædatur meum corpus, o Imperator, lingua secetur, pedes exscindantur. Nam ego quidem paratus sum omnia pati potiusquam meum Christum vel umbratenus vilipendere, quem habeo pro omnibus et quem olim

AUCTORE M. ACHRASTE. EX MSS. GR.

solum sequi constitui. Ad hæc tyrannus : Quænam est, inquit, tanta amentia, et quam est crassi et hebetis ingenii, crassæ, et in quam cadit interitus, materiæ, Dei ab interitu remoti, et materiæ expertis gloriam tribuere : et nec audire quidem, quod a Mose prohibetur legislatore, qui dicit : Non facies similitudines? Undenam ergo gravissimus hic morbus, qui menti vestræ insedit, effecit, ut non solum scienter resistatis : sed vos etiam conjiciatis in periculum? Sed enim intellige : non pro veritate, neque pro Christo, sed pro ipsa sola quæ est a ratione aliena, audacia, extrema paliemini. Hoc in loco cum ferre non potuisset vir generosus blasphemæ linguæ contumeliam, sed perinde atque honesti proditionem arbitratus, sacræ imaginis pati contumeliam : Execrandum, inquit, caput, non tibi videtur pati pro Christo, qui pro illius forma patitur : neque ad primum exemplar credis transire ignominiam, qua imago afficitur? Et quomodo vos eos sæpe, qui imperatorias contumelia affecerunt statuas, perinde ac eos, qui vos probris sunt insectati, ultimis affecistis suppliciis? quos quidem ego novi in statuis æneos vel etiam aureos extrinsecus, pice intus esse repletos, et B stuppis, et lignis, et alia vili et abjecta materia. Quod si vos, qui nunc estis pulvis, et cras non estis futuri, sic honoramini statuis et imaginibus, et propemodum tamquam dii vultis adorari, et eos, qui in imperatorias peccaverunt statuas, acerbissime punitis : adversus Christi sacram aliquid audere imaginem, non reputatis esse archetypi ipsius exemplaris ignominiam? neque eos, qui sunt parati pro eo pati omnia, existimatis periculum adire pro veritate? Deinde cum hæc jam dixisset Martyr, et de Mose vellet explicare, cujusnam jussisset non facere similitudinem : et quomodo ille effinxisset Seraphim * cum ipsum etiam exemplar sit incorporeum : imperator abrumpens orationem : Jam tempus est, dixit circumstantibus, docere eum esse moderatum ac temperantem, et temerariæ illius linguæ referre ei gratiam. Si enim ii qui regias statuas, ut ipse dicit, injuria afficiunt, acerbum et inexorabile supplicium subeunt, qui adeo impudenter et audacter sceleratam in nos linguam immittit, quasnam luens pœnas, punietur pro meritis? Sic dixit, et irato vultu Martyrem statim intuens, et manum de more movens, et valde exclamans, cum jubet nu-C dari, deinde etiam extensum funibus vehementer flagellari.

* *Imo Cherubim.*

ejus constantia ; 10 Ille autem ne sic quidem pusillo et abjecto animo se gessit adversus sententiam : neque ejus promptum animi studium retardarunt, quæ jam expectabantur plagæ et flagella : sed id majus reddebant et ardentius, ut quod spiritu irrationabilibus appetitionibus et Imperatoriis minis accenderetur. Cum ergo imperator vidisset sic se habentem virum fortem, et nihil omnino formidantem : sed esse omnino paratiorem sustinere flagella, quam dimittere illam rationem sententiæ : timens, ne si ipse Sanctus tormenti faceret periculum, fieret inde in confessione constantior, et minime traduci posset, quomodo fortia animalia post plagam : induens personam benignitatis : Priusquam, inquit, facias periculum tormentorum, ad Martyrem adspiciens, nostra pareto decreto, liberare ab iis, quæ te exspectant, malis. Martyr autem Christi, ad suum agonothetam sublatis oculis tam corporis, quam animæ, cum sibi esset precatus firmam et immutabilem divinarum imaginum venerationem, et deinde etiam deorsum adspexisset, et in tyrannum parum oculos conje-

Τίς ἡ τοσαύτη, φάναι, ἄνοια * καὶ παχύτης, φθαρτῇ καὶ παχείᾳ ὕλῃ ἀφθάρτου Θεοῦ καὶ ἀΰλου περιάπτειν δόξαν; Οὐδὲ ὑπὸ τοῦ νομοθέτου γοῦν ἀπαγορευόμενον ἤκουσας Μωυσέως *· οὐ ποιήσεις πᾶν ὁμοίωμα λέγοντος· πόθεν οὖν τὸ ἀλόγιστον τοῦτο πάθος τῇ διανοίᾳ ὑμῶν ἐγκατασκῆψαν, παρεσκεύασεν οὕτως οὐκ ἀμαθῶς μόνον ἀντιπίπτειν, ἀλλὰ καὶ κινδύνοις ἑαυτοὺς ἐπιδιδόναι; ἀλλὰ γὰρ σύνες ὡς οὐχ ὑπὲρ ἀληθείας οὐδ' ὑπὲρ Χριστοῦ, ἀλλ' ὑπὲρ αὐτῆς μόνης τῆς ἀλόγου τόλμης τὰ ἔσχατα ὑποστήσει *. Ἐνταῦθα μὴ ἀνασχόμενος ὁ γενναῖος τῆς βλασφήμου γλώττης τὸ λοίδορον, ἀλλ' ὡσπερεὶ προδοσίαν τοῦ καλοῦ νομίσας τὸ πρᾴως τὴν ὕβριν τῆς ἱερᾶς εἰκόνος ὑπενεγκεῖν *· μιαρά, φησι, κεφαλή, οὐχ ὑπὲρ Χριστοῦ σοι πάσχειν δοκεῖ ὁ ὑπὲρ τῆς ἐκείνου πάσχων μορφῆς· οὐδ' εἰς τὸ πρωτότυπον διαβαίνειν τὴν κατὰ τῆς εἰκόνος ἀτιμίαν ὑπολαμβάνεις, καὶ πῶς ὑμεῖς τοὺς εἰς βασιλικὰς πολλάκις ὑβρίσαντας στήλας, ὡς εἰς αὐτοὺς ὑμᾶς παροινήσαντας, ἐσχάταις περιεβάλλετε * τιμωρίαις; οὓς ἐπὶ τῶν στηλῶν * οἶδα χαλκοῦς ὄντας ἢ καὶ χρυσοῦς τὰ ἔξω· πίσσης * τὰ ἔνδον ἀναπεπλησμένους· καὶ στυππίων * καὶ ξύλων, καὶ ἄλλης πενιχρᾶς ὕλης καὶ ἀτίμου μεστούς· εἰ δὲ ὑμεῖς χοῦς ὄντες νῦν καὶ αὔριον οὐκ ἐσόμενοι, ἀνδριᾶσιν οὕτω καὶ ἀγάλμασι τιμᾶσθαι *, καὶ ὡς θεοὶ μόνον οὐ * προσκυνεῖσθαι βούλεσθε *, καὶ τοὺς εἰς βασιλικὰς ἁμαρτόντας στήλας πικρότατα τιμωρεῖσθαι *· τὸ κατὰ τὰς ἱερὰς * εἰκόνας Χριστοῦ τολμᾶν οὐκ εἰς ὕβριν τοῦ ἀρχετύπου λογίζεσθε, οὐδὲ τοὺς ὑπὲρ τούτου * παθεῖν ἑτοίμους, αὐτῆς προκινδυνεύειν τῆς ἀληθείας νομίζετε; Εἶτα ὑπολαβόντος αὐτίκα τοῦ μάρτυρος, καὶ περὶ τοῦ Μωσέως βουλομένου διεξιέναι, τίνος τε μὴ ποιεῖν ὁμοίωμα ἐνετείλατο, καὶ ὅπως ἐκεῖνος τὰ σεραφὶμ ἐτυπώσατο· ὅπου καὶ τὸ πρωτότυπον ἀσώματον ἦν· ἐπιτεμὼν τὸν λόγον ὁ βασιλεὺς, ὥρα * δὴ πρὸς τοὺς περιεστῶτας ἔφη * σωφρονεῖν τοῦτον διδάξαι· καὶ τὴν θρασεῖαν ἀμείψασθαι γλῶτταν *. Εἰ γὰρ οἱ εἰς βασιλικοὺς ἀνδριάντας ὡς αὐτός φησιν ἐνυβρίζοντες πικρὰν καὶ ἀπαραίτητον ὑφίστανται τιμωρίαν· ὁ οὕτως ἀναιδῶς καὶ θρασέως * ἡμῖν αὐτοῖς τὴν μιαρὰν ἐπαφεὶς γλῶτταν, τίνα ἂν ὑποσχὼν δίκην, τὴν ἀξίαν δεδωκὼς εἴη· οὕτως ἔφη, καὶ ὀργίλων * εὐθὺς τῷ μάρτυρι ἐνιδὼν, τὴν χεῖρά τε ὡς ἔθος κινήσας, καὶ μέγα ἀνακραγὼν, γυμνωθῆναι κελεύει τοῦτον, εἶτα καὶ σχοινίοις διαταθέντα σφοδρῶς μαστίζεσθαι.

* ἄνοια (*sic* C.)
* Μωυσέος E.
* ὑποστήση B. D. E. F.
* ἐπενεγκεῖν F.
* περιεβάλετε [illegible] περιεβάλλετε [illegible]
* στολῶν F.
* πίσσας B. C. D. E. F.
* στιππύων B. στυπείων C. F. στυππείων D.
* τιμᾶσθε B. C. D. E. F.
* οὐχὶ προσκυνεῖσθε C. μονονοὺ F.
* ἀλλὰ *suprascripsit secunda manus* D.
* τιμωρεῖσθε B. C. D. E. F.
* τῆς ἱερᾶς εἰκόνος B. C. D. E. F.
* πάντα B. C. D. E.
* ὥρα B. C. D. E. F.
* εἶπε pro ἔφη D.
* γλῶσσαν F.
* ὁ οὕτω καὶ θρασέως ἡμῖν C
* ὀργίλου B ὀργίλον C. D. E F.

10 Ὁ δὲ οὐδὲ οὕτως ἀγενές τι * μικρόψυχον ὑπέστη πρὸς τὴν ἀπόφασιν, οὐδὲ ἐπέκοψαν αὐτοῦ τὴν προθυμίαν αἱ προσδόκιμοι ἤδη πληγαὶ καὶ μάστιγες, ἀλλὰ καὶ μείζω * μᾶλλον καὶ θερμοτέραν ἐποίουν, κατάπερ πνεύματι ταῖς ἀλόγοις ὁρμαῖς, καὶ τῇ ἀπειλῇ τοῦ κρατοῦντος ἀναπτομένην. Ὁ βασιλεὺς τοίνυν * οὕτως ἔχοντα τὸν γενναῖον, καὶ οὐδὲν ὅλως ὑποδειλιάσαντα θεασάμενος, ἀλλ' ἑτοιμότερον αὐτὸν ὑπομεῖναι τὰς μάστιγας ἔχοντα, ἢ ἐκεῖνον ἀφεῖναι τὸν λόγον τῆς ἀποφάσεως, καὶ φοβηθεὶς μᾶλλον αὐτὸς, μὴ εἰς πεῖραν ἐλθὼν ὁ ἅγιος τῆς βασάνου, ἔπειτα τὴν ὁμολογίαν ἐνστατικώτερος γένηται καὶ ἀμετάθετος τὴν ὁρμὴν, καθάπερ τὰ γενναιότερα τῶν ζώων μετὰ τὴν πληγὴν, προσωπεῖον χρηστότητος ὑποδὺς, πρὸ τοῦ πεῖραν, φησί, τῶν βασάνων λαβεῖν, πρὸς τὸν μάρτυρα βλέψας, τῷ ἡμετέρῳ πεισθεὶς δόγματι, τῶν μενόντων σε κακῶν ἀπαλλάττου. Ὁ δὲ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς, πρὸς τὸν οἰκεῖον ἀγωνοθέτην διάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς, τοὺς σωματικοὺς ἅμα καὶ τοὺς τῆς ψυχῆς, καὶ ἄτρεπτον ἑαυτῷ καὶ ἀκλινὲς τὸ τῶν θείων εἰκόνων σέβασμα * εὐξάμενος, εἶτα καὶ κάτω νεύσας, καὶ τῷ τυράννῳ μικρὸν τὰς ὄψεις περιβαλὼν *, ὦ βασιλεῦ, ἔφη, τοὺς κατὰ βαρβάρων πολέμους ἀφεὶς, καὶ τὴν τῶν πολιτικῶν πραγμάτων οἰκονομίαν, ὅλην ὡς ὁρῶ τὴν σπουδὴν

* ἀγεννες B. C. D. E. — καὶ B. C. D. F.
* μείζω B. C. D. E. F.
* ὁ βασιλεὺς τοίνυν *om. in* D.
* σέβας C. D E. F.
* ἐπιβαλὼν B C. D. E. F.

A δὴν κατὰ Χριστοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ δούλων φανερῶς εἵλου, καὶ ταῦτα ποιῶν, οἷα* τὰ τῆς ῥωμαϊκῆς ἐξουσίας ἐν εἰρήνῃ σκῆπτρα διενεγκεῖν; ἢ τάχα, οὐδὲ τὴν τοῦ Κυρίου* κρίσιν φοβῇ, οὐδὲ τῶν σῶν πράξεων ἐκεῖνον ἀναμένης* ἐξεταστήν;

** οἴει τὰ C. D. E. F. — * τοῦ Θεοῦ B. C. D. F. — * ἀναμένεις B. C. D. E. F.*

11 Ενταῦθα καὶ ἡ ἐπίπλαστος τοῦ βασιλέως ἡμερότης ἠλέγχετο, καὶ ἡ ὑπόκρισις ἐγυμνοῦτο, καὶ τῆς συνήθους ἐκκαλυφθείσης θηριωδίας, σφοδρότατα ὁ μάρτυς τοῖς* βουνεύροις ἐξαίνετο· οἱ μέντοι περιστῶτες τὸν τοῦ βασιλέως θυμὸν θεραπεύειν ἐθέλοντες, οἱ μὲν τύπτειν ἐπιτραπέντες, ὠμῶς τὰς πληγὰς ἐπῆγον, καὶ οὕτως ὠμῶς, ὥστε καὶ ῥύακας αἵματος ἐκ τοῦ τιμίου ἐκείνου κατάγεσθαι* σώματος· καὶ τὸ ὑποκείμενον ἔδαφος φοινίσσεσθαι διὰ βάθους· οἱ δὲ, καὶ ἀναιρούμενοι τὰ ξίφη, διαχειρίζεσθαι τὸν ἀθλητὴν ὥρμων.

** τοῖς om. F. — * ἐκείνου κατάγεσθαι om. D.*

12 Πολλοὶ καὶ λίθους ἐπ' αὐτὸν ἔβαλλον, καὶ πάντα τρόπον ἐξύβριζον, οὐκ ἐκεῖνον, ἀλλ' ἑαυτούς· σπεύδοντες μὲν οὕτως οἰκειοῦσθαι βασιλεῖ προσκαίρῳ, ἀγνοοῦντες δὲ πάντως οἱ ἄθλιοι, ὅσον ἀπὸ Θεοῦ ἐμακρύνοντο ταῦτα ποιοῦντες, καὶ οἵαν ἐν καιρῷ κρίσεως ἐκείνῳ μὲν εὐφροσύνην, ἑαυτοῖς δὲ δάκρυα καὶ ὀδύνας ἐλεεινῶς ἐθησαύρισαν· ἀλλ' B ὁ βασιλεὺς πάντα λίθον κινῶν ἦν, ὅπως ἂν αὐτῷ γένοιτο, τὸν ἅγιον εἰσποιήσασθαι· καὶ γὰρ οὐκ οἶδ' ὅπως ἀσύνετος ὢν, ὅμως οὐκ ἠγνόει ἐν τούτῳ νοῦν ἔχοντος πρᾶγμα ποιῶν, εἴπερ ἐκείνου ἐγκρατὴς γένοιτο, καὶ πολλοὺς* τῶν ὀρθοδόξων εὐθέως ἑλεῖν, ὥσπερ κεφαλῇ σῶμα, καὶ μέλη συνεπομένοις*. Τοῦτο ἐκεῖνος εἰδὼς, ἐκέλευε τῶν πληγῶν αὐτὸν* αὖθις ἀνεῖναι, καὶ πειθοῖ πάλιν καὶ εὐμενείας προσχήματι τὸν ἅγιον ὑπελθεῖν. Ἐγγὺς οὖν παραστησάμενος, καὶ τὴν ὁμιλίαν ὑπὲρ ἔλαιον ἁπαλύνας, ἡ ἀληθῶς ὀξεῖα βολὶς καὶ κατὰ τῶν εὐσεβούντων ἠκονημένη μάχαιρα, ἐπεὶ ἑώρα τὸν ἄνδρα κολακείαις οὐδὲ βραχὺ κλεπτόμενον, μετὰ πλείονος δὲ μᾶλλον τῆς παῤῥησίας τὴν ἀπόνοιαν* αὐτοῦ διελέγχοντα, τὸ κῴδιον ἀποθέμενος, λύκος ἦν προφανὴς, καὶ λίθοις τὰς σιαγόνας τοῦ μάρτυρος συνθλάττειν ἐκέλευε· ταῦτα διδοὺς ἀντὶ τῶν λόγων, οἷς ἄρα τὴν καρδίαν ἐκεῖνος ἰσχυρῶς ἐβέβληντο. Ὁ δὲ ἄλλος αὐτόχρημα Στέφανος ἦν τοὺς ἀδικοῦντας εὐχαῖς ἀμειβόμενος.

** ἄλλους C. D. — * συνεπομένους B. C. D. E. — * καὶ C. — αὐτὸν καὶ αὖθις D. — αὐτὸν ipsius αὐτῶν καὶ αὖθις E. — * ἤθελεν F. — * παῤῥησίαν C.*

13 Εἶτα τὸν μάρτυρα μὲν ὁ βασιλεὺς οἷα κατάδικον ἐπὶ τὴν φυλακὴν αὖθις ἔπεμπεν· ἐλάνθανε δὲ μᾶλλον τοῖς C ταύτην οἰκοῦσι χριστιανοῖς διδάσκαλον ἐπιπέμπων κομιδῇ πρόθυμον· ἔχαιρε γὰρ καὶ* αὐτὸς κατὰ Παῦλον τοῖς διὰ Χριστὸν παθήμασι, καὶ ταῖς θλίψεσι, καὶ χάριν ᾔδει πολλὴν τῷ φιλανθρώπῳ Θεῷ, ὅτι καὶ πληγῶν διὰ τὸ ἐκείνου ὄνομα καὶ φυλακῆς ἠξιοῦτο· ὅθεν, καὶ οἷς ἔλεγε, τοὺς παρόντας ἱκανῶς ἤλειφε*· καὶ μᾶλλον, οἷς ἐκαρτέρει τὰ ἐπίπονα μετ' εὐχαριστείας*. Καὶ τὸ μὲν σῶμα τῇ φυλακῇ ἐπεπέδητο, ἡ ψυχὴ δὲ αὐτῷ καὶ πρὸ τῆς ἐκεῖθεν ἀναλύσεως τὰ οὐράνια ἤδη νοερῶς ἐφαντάζετο, ὥστε καὶ ἐγκαλεῖν εἶχε μικροῦ τῷ τυράννῳ, ὅτι μὴ θᾶττον αὐτὸν τοῦ σαρκικοῦ βάρους καὶ τῶν φυσικῶν ἠφίει δεσμῶν· φυλακὴ γὰρ ἐκείνῳ τὸ σῶμα, εἷργον αὐτοῦ τὴν ψυχὴν καὶ διατειχίζον τῷ οἰκείῳ καλύμματι τῶν ἐνδεχομένων αὐτὴν σκηνῶν καὶ τῆς ἐκεῖθεν ἀδιηγήτου μακαριότητος.

** om. B. — * ἤλειφεν ἱκανῶς. καὶ C. — * εὐχαριστίας B. C. D. E. F.*

14 Ἡμέραι τὸ μεταξὺ παρῆλθον οὐχὶ συχναί· καὶ μεταπέμπεται πάλιν ὁ βασιλεὺς τοῦ δεσμωτηρίου τὸν ἀθλητήν· τῷ τε φόβῳ τῶν προσδοκωμένων, καὶ τῇ ὀδύνῃ τῶν ἐπελθόντων κακῶν ὀκλάσθαι* τάχα* τὴν ψυχὴν αὐτῷ πρὸς τὰ μέλλοντα, καὶ ῥαθυμοτέραν παρὰ πολὺ γενέσθαι

** κλάσαι C. D. E. F. — * τάχα om. C.*

AUCTORE METAPHRASTA. EX MSS. GR.

cisset : O imperator, inquit, missis bellis, quæ gereres contra barbaros, et civilium rerum administratione, totum, ut video, aperte tuum posuisti studium contra Christum et ejus servos : et hæc agens, existimas te posse in pace tenere sceptra Romani imperii ? Numquid ne Dei quidem times judicium, neque illum tuorum factorum expectas examinatorem.

11 Hoc in loco convicta fuit ficta mansuetudo imperatoris : et aperta fuit simulatio : nam solita detecta feritate, Martyr vehementissime cædebatur boum nervis. Qui autem circumsistebant, volentes iræ regis morem gerere, partim quidem jussi verberare, plagas crudeliter intentabant, et adeo crudeliter, ut fluerent rivi sanguinis ex precioso illo corpore, et subjectum solum alte fieret purpureum : partim autem gladios accipientes, irruebant ad interficiendum athletam. *flagellatur;*

12 Multi etiam lapides in ipsum jaciebant, et omnibus modis injuria afficiebant non illum, sed seipsos, sic quidem regi, qui est ad tempus, studentes conjungi, omnino autem ignorantes miseri, quantum hæc agentes se procul a Deo removerent, et qualem in tempus judicii illi quidem lætitiam, sibi autem lacrymas et dolores mise- E rabiliter reconderent. Sed imperator movebat omnem lapidem, ut posset Sanctum in sua habere potestate. Nescio enim quomodo, etsi esset insipiens, non ignorabat tamen, hac in re quidem certe se sapienter gerens, fore ut si illo potiretur, multos alios ex orthodoxis statim caperet, eum tamquam caput corpus et membra consequentes. Hæc cum ille sciret, jubet ipsum rursus relaxari a plagis, et rursus persuasione et prætextu benevolentiæ eum aggredi tentat. Cum eum ergo curasset prope sistendum, et suum sermonem mollisset plusquam oleum, acutum tamen jaculum adversus pios, et acutum gladium, postquam vidit virum ne tantillum quidem illici blanditiis, sed cum majore dicendi libertate ejus arguere amentiam, deposita pelle, erat lupus manifestus. Jussitque lapidibus confringi maxillas Martyris, hæc reddens pro verbis, quibus cor ejus fuerat consauciatum. Ille autem erat plane alius Stephanus, iis, qui illi injuriam faciebant, preces reddens. *S. Andreas insania patitur;*

13 Deinde Martyrem quidem imperator, tamquam reum condemnatum misit rursus in custodiam : sed ignorabat se iis, qui in ea habitabant, F Christianis valde promptum mittere doctorem. Gaudebat ipse autem quoque, sicut Paulus, propter Christum passionibus et afflictionibus, benignoque et clementi Deo magnas agebat gratias, quod dignus esset habitus plagis et carcere propter illius nomen. Quamobrem et iis, quæ dicebat, eos, qui aderant, valde instruebat, et confirmabat, et eo, quod quæ erant molesta et aspera, ferret cum gratiarum actione. Et corpus quidem erat vinctum in custodia, anima autem, etiam antequam illinc resolveretur, jam cœlestia visione intelligenter apprehendebat, adeo ut tyrannum propemodum reprehenderet, quod non ipsum citius liberaret a pondere carnis, et a vinculis naturalibus. Corpus enim erat illi carcer, qui ejus arcebat animam, et suo tegumento eam sejungebat a tabernaculis, quam eam exceptura erant, et inenarrabili, quæ illic est, beatitudine. *in carcerem mittitur;*

14 Dies interim non multi præterierunt, et rursus accersit imperator Martyrem e carcere, metu eorum, quæ expectabantur, et dolore malorum, quæ advenerant, fractum ad futura ejus animum, et futurum multo molliorem et ignaviorem existimans, *iterum flagellatur;*

AUCTORE METAPHRASTE EX MSS. GR.

mans. Postquam autem productum Sanctum vidit audaciorem, et magis spirantem acrem propter Christum amorem, eum veste exuit, et propter eum lictores rursus jubet assistere, et flagellis vehementer cædere, adhuc priorum plagarum aperta per universa membra ferentem vestigia. Illi autem laniabant quidem carnes, et fodiebant ejus latera, et plurimam ejus carnis partem auferebant. Sed ne sic quidem poterant suffurari thesaurum illius fidei. Postquam ergo vidit tyrannus omnia a se sic temere et frustra fieri, jamque esset plane animi dubius et perplexus, eo descendit, ut se fateretur superatum, nempe ut eum morte deinceps damnaret. Et jubet ut funibus alligatis beatis illius pedibus, in solo trahatur per totam viam publicam : deinde ut cum deductus fuisset ad locum maleficorum, ibi jaceretur, qui Eden, qui supernis tabernaculis, qui erat dignus ipsis cœlis.

in Urbem raptatus, cedit e vita.

15 Cum autem curreret Martyr hunc cursum decertationis, et in terra per plenum urbis forum traheretur, vir quidam, qui e mari fuerat piscatus pisciculas, et eos in foro proponebat venales, sedebat autem super cathedram pestilentiæ, cum
B vidisset eum tam turpiter trahi, et quænam esset causa accepisset, exsiliit statim, tamquam a malo aliquo motus dæmone, et cum ex propinquo cultrum macelli arripuisset, eo et pedem sacri corporis amputat, et sistit Martyri cursum decertationis, eique finem imponit certaminis. Nam simul cum pedis amputatione e vita quoque excedit vir generosus, vel potius ad cœlum currit, et ad eum ascendit, qui posuit ejus viam nulli reprehensioni affinem, et perfecit pedes ejus tamquam cervi, et collocavit super excelsa.

In locum maleficorum provectus et a dæmoniacis detectus in Crisi deponitur;

16 Hic est cursus viri fortissimi, hoc est stadium eorum, quæ in terra fuerunt, certaminum. Talis fuit virtus illius animæ, talis decertatio. Preciosum autem thesaurum, corpus, inquam, Martyris, qui ipsum trahebant per medium forum, ii jam mortuum ferentes abjecerunt in loco maleficorum : et sic diu mansit jacens in loco vili et probroso, quod erat diligentissime custodiendum, dimissum ut comederetur a feris et volucribus : ut in eo impleretur rursus, quod dicit David : Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem ipsorum tamquam aquam. Nam
C hoc quoque est illis consequens : Et non erat qui sepeliret : donec is, qui dedit illi auxilium in carnis imbecillitate, ut pulchre decertaret, et non excideret a coronis gloriæ, in piis quoque præbuit animis, ne tali thesauro privarentur, pulchro, inquam, illo et sacrosancto corpore. Non sivit ergo id latere perpetuo, sed id aperte effecit manifestum. Id autem facit hoc modo : duodecim viri, cum mali olim dæmones in eos insiliissent, alius aliunde venientes, ut ejus qui inhabitabat spiritus unumquemque agebat inclinatio, simul semelque inter se convenerunt : et cum propter communem calamitatem communiter quoque versari et errare statuissent, magnum terræ spatium transmittentes, repente, tamquam tracti ab una anima, veniunt in locum maleficorum, ubi projectum fuerat corpus Martyris et Sanctum confusis et non significantibus invocabant vocibus. Quin etiam terram fodientes manibus et eum in apertum proferre contendentes, in corporum congeriem incidunt : sed aliis præteritis, o miraculum ! eum statim agnoverunt, qui ipsos vocabat et sustulerunt corpus, quos ad ipsum, advolante gratia, forte autem etiam mira fragrantia, obscure ad se

οἰόμενος. Ἐπεὶ δὲ παραστάντα τὸν ἅγιον εὐτολμότερον D ἐθεᾶτο*, καὶ θερμὸν πνέοντα μᾶλλον τὸν διὰ Χριςὸν ἔρωτα, τῆς ἐσθῆτος ἀπογυμνώσας, δημίους καὶ πάλιν C. αὐτῷ περιιστησι, καὶ σφοδρῶς ταῖς μάστιξιν ἐκέλευε παίειν· ἔτι τῶν προτέρων πληγῶν σαφῆ κατὰ πᾶν μέλος τὰ ἴχνη φέροντα*. Οἱ δὲ κατέξαινον μὲν τὰς σάρκας καὶ διώρυττον αὐτοῦ τὰς πλευράς· καὶ τὰ πλείω τῶν σαρκῶν ὑφῃροῦντο· πλὴν οὐδὲ οὕτω κλέψαι τὸν τῆς ἐκείνου πίςεως θησαυρὸν ἐδυνήθησαν Ὡς οὖν οὕτω πάντα εἰκῆ καὶ μάτην ἑαυτῷ κακουργούμενα ὁ τύραννος εἶδε, καὶ τοῖς ὅλοις ἤδη διαπορῶν ἦν ἐπὶ τὴν ὁμολογουμένην ἧτταν, τὸ θάνατον αὐτοῦ κατακρῖναι, λοιπὸν ἔρχεται. Καὶ κελεύει σχοίνους τῶν μακαρίων ἐκείνου ποδῶν ἐκδήσαντας*, ἐπὶ τοῦ ἐδάφους αὐτὸν* κατὰ πάσης ἕλκειν τῆς λεωφόρου· εἶτα καὶ εἰς τὸν τῶν κακούργων τόπον ἀπαγαγόντας, ῥίψαι, τὸν τῆς ἐδὲμ*, τὸν τῆς ἄνω σκηνῆς, τὸν τῶν οὐρανῶν αὐτὸν* ἄξιον.

* ἐθεάσατο B. * φερόντων B. * ἐκδήσαντας *sic D. duabus litteris erasis Prius erat forte* ἐκδημήσαντας. * *Prius* αὐτῶν D. * τὸν τῆς ἐδὲμ *om in* D. * αὐτῶν B. C. D. E. F.

15 Ἐπεὶ δὲ καὶ τοῦτον ἔτρεχε τῆς ἀθλήσεως τὸν δρόμον ὁ μάρτυς, καὶ κατὰ γῆς διὰ τῆς πόλεως μέγης περὶ πλήθουσαν ἀγορὰν συρόμενος ἤγετο, ἰχθύας τις ἄρτι τῆς θαλάσσης ζωγρήσας, καὶ τοὺς μὲν ὠνίους τῇ ἀγορᾷ προσθεὶς*, αὐτὸς δὲ ἐπὶ καθέδραν λιμῶν* καθίσας, τοὺς ἀτίμους* ἰδὼν, καὶ διερωτήσας, καὶ ἥτις ἡ αἰτία μαθὼν ἐξήλατό τε εὐθὺς ὥσπερ ὑπό τινος κινηθεὶς δαίμονος, καὶ κοπίδα μακελλικὴν ἐγγύθεν ἁρπάσας, θατέρου ποδὸς τοῦ ἱεροῦ σώματος μέσου κατενεγκὼν, ἵστησί τε τὸν τῆς ἀθλήσεως τῷ μάρτυρι δρόμον, καὶ πέρας αὐτῷ τῶν μακρῶν ἐκείνων διὰ Χριςὸν ἐπιτίθησι παλαισμάτων. συγκαταλύει γὰρ εὐθὺς τῇ τοῦ ποδὸς ἐκκοπῇ καὶ τὸν βίον ὁ γενναιότατος, μᾶλλον δὲ εἰς οὐρανὸν τρέχει, καὶ πρὸς αὐτὸν ἄνεισι τὸν θέμενον ἄμωμον τὴν ὁδὸν αὐτοῦ, καταρτισάμενόν τε τοὺς πόδας ὡσεὶ ἐλάφου, καὶ ἐπὶ τὰ ὑψηλὰ στήσαντα.

* προθεὶς C. D. F. * λοιμῶν *pro* λιμῶν C. D. E. F. * ἑλκυσμοὺς ἐκείνους B. C. D E. F.

16 Οὗτος ὁ δρόμος τοῦ ἀριστέως· τοῦτο τῶν ἐπὶ γῆς ἀγώνων τὸ στάδιον· τοιαύτη τῆς ἐκείνου ψυχῆς ἡ ἀνδρεία*· τοιαῦτα τὰ σκάμματα. Τὸν μέν τοι μὴ κενούμενον πλοῦτον, τὸ σῶμα φημὶ τοῦ μάρτυρος, οἱ διὰ μέσης αὐτὸ τῆς ἀγορᾶς ἕλκοντες, οὗτοι καὶ νεκρὸν ἤδη γεγονὸς, παρὰ τῷ τῶν* κακούργων τόπῳ* φέροντες ἔῤῥιψαν, καὶ διέμεινεν οὕτως ἐπὶ πολὺ κείμενον τὸ τίμιον ἐν ἀτίμῳ· τὸ πάσης φυλακῆς ἄξιον θηρίοις εἰς βρῶσιν καὶ πετεινοῖς ἀνειμένον, ὡς ἐπ' αὐτῷ πληρωθῆναι* πάλιν τὸ τοῦ Δαβὶδ, ἔθεντο τὰ θνησιμαῖα τῶν δούλων σου βρώματα τοῖς πετεινοῖς τοῦ οὐρανοῦ, τὰς σάρκας τῶν ὁσίων σου τοῖς θηρίοις τῆς γῆς· ἐξέχεαν τὸ αἷμα αὐτῶν ὡσεὶ ὕδωρ. Καὶ τοῦτο γὰρ ἐκείνοις ἀκόλουθον· καὶ οὐκ ἦν ὁ θάπτων· ἕως F ὁ δοὺς ἐκείνῳ βοήθειαν ἐπὶ τῇ τῆς σαρκὸς ἀσθενείᾳ, ὥστε καλῶς ἀθλῆσαι, καὶ τῶν ςεφάνων τῆς δόξης μὴ ἐκπεσεῖν, οὗτος δὴ καὶ ταῖς φιλοθέοις παρέσχε ψυχαῖς, τὸ μὴ στερηθῆναι θησαυροῦ τοιούτου· τοῦ καλοῦ ἐκείνου φημὶ καὶ ἱεροῦ σώματος*. Οὔκουν ἀφῆκεν εἰς τέλος λαθεῖν, ἀλλ' ἀσαφῶς* φανεροῖ, φανεροῖ δὲ οὕτως. Δώδεκά τινες ἄνδρες, πονηρῶν πάλαι δαιμόνων αὐτοῖς ἐπιπηδησάντων, ἄλλος ἀλλαχόθεν ὁρμώμενοι, ὡς ἂν ἕκαστον ἡ ῥοπὴ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτῶν* πνεύματος ἤλαυνεν· εἰς ταυτὸ καθάπαξ ἀλλήλοις συνῆλθον, καὶ τῇ κοινωνίᾳ τῆς συμφορᾶς, κοινωνίαν καὶ τῆς διατριβῆς ἐκείνης καὶ τῆς πλάνης ἑλόμενοι, πολλὴν ἀμείβοντες γῆν, ἀθρόον ὥσπερ ἀπὸ μιᾶς ἑλκόμενοι τῆς ψυχῆς, τῷ τῶν κακούργων ἐφίσταντο* τόπῳ, ὅποι* ἄρα καὶ ὁ τοῦ μάρτυρος νεκρὸς ἔῤῥιπτο, καὶ τὸν ἅγιον ἀσήμοις ἀπεβοῶντο φωναῖς. Καὶ δὴ καὶ ταῖς χερσὶ τὴν* γῆν ἀνορύττοντες, καὶ ὅλως περὶ τὴν αὐτοῦ φανέρωσιν ἐπειγόμενοι, σωμάτων ἐντυγχάνουσι σωρείᾳ, καὶ τοὺς ἄλλους παραδραμόντες, ὢ τοῦ θαύματος, αὐτίκα τὸν καλοῦντα τούτους ἐπέγνωσαν, καὶ τὸ τοῦ μάρτυρος ἀνείλοντο σῶμα, τῇ ἐφιπταμένῃ αὐτῷ χάριτι, τάχα δὲ καὶ τῇ πολλῇ εὐωδίᾳ, πρὸς ἑαυτὸν* τοὺς ἄνδρας ἀφανῶς ἐφελκόμενον· ἀλλὰ τὸ μὲν εὐθὺς τοῦ προσήκοντος ἀπέλαυσε κόσμου, καὶ χερσὶ ποθούσαις ἐν ἱερῷ τόπῳ ἱερῶς κατετίθετο* Κρίσις τῷ τόπῳ τὸ ὄνομα. Οἱ δαιμονῶντες δὲ

* ἄνδρία B. D. E. * παρὰ τὸν τῶν F. * τόπον F. * καὶ F. * καὶ ἱεροῦ φημὶ σώματος C. * ἀλλὰ σαφῶς B. C. D. E. F. * αὐτῷ C. D. E. F. * ἐφίςανται B. C. E. F * ὅπη F. * τὸν χοῦν *pro* τὴν γῆν F. * ἑαυτὸ C D. F. * κατέθεντο *ex correctione.* D.

τὴν

A τὴν ἴασιν ἀκολούθως ἐτρύγων, καὶ μετὰ πολλῆς οἴκαδε τῆς ἡδονῆς ἐπανήεσαν, οἱονεὶ μισθὸν τῆς εὑρέσεως τὴν θεραπείαν δεξάμενοι.

viros attraxerat. Sed id quidem ornatum convenientem statim est assecutum : et desiderantibus manibus in sacro loco fuit sacrosancte depositum. Loco autem nomen est Crisis. Qui autem vexabantur a dæmonibus, consequentur adipiscebantur curationem, et domum redibant cum magna lætitia accipientes sanitatem tamquam mercedem inventionis. AUCTORE METAPHRASTE. EX MSS. GR.

17 Καὶ νῦν ἐστιν ἡμῖν ἐξ ἐκείνου διηνεκὴς θησαυρὸς, καὶ τῶν ἀεὶ καταλαμβανόντων ἡμᾶς κακῶν ἀσφαλὲς παραμύθιον. Εἴτε γὰρ νόσῳ πιέζεταί τις, εἴτε ἐπηρείᾳ ταλαιπωρεῖται, εἴτε τινὶ ἄλλῃ ἔχεται * περιστάσει, πάντα μετὰ πίστεως ἐκεῖ παρελθὼν * ἀποθήσεται, καὶ δαψιλεστέρας τῆς χάριτος ἀπολαύσει· χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ τῷ Πατρὶ δόξα ἅμα τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

* συνέχεται F. * προσελθὼν B. C. D. E. F.

17 Et nunc est nobis ex illo tempore perpetuus thesaurus, et malorum, quæ nos semper comprehendunt, certum solatium. Nam seu morbo opprimitur aliquis, seu aliqua afficitur injuria, seu aliquo alio casu vexatur, omnia deponet, si illuc cum fide accesserit, et gratiam consequetur uberiorem ; ex benignitate scilicet et clementia Domini nostri Jesu Christi : quem decet omnis gloria, cum Patre et Sancto Spiritu nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen. *ubi multa præstat suis clientibus.*

ANNOTATUM.

Ad eosdem Commentarii locos hic remittendus esset Lector, ad quos in Annotatis ad priora Acta remissus est. Quocirca, siquidem in utrisque numerorum sibi correspondentium facilis est collatio, E
B *ibidem Annotata inspicere velit.*

DE S. BERARIO, EPISCOPO ET CONFESSORE

CENOMANIS IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. Vitæ S. Berarii synopsis, locus natalis; tempus episcopatus et mortis.

VERISIMILITER ANNO DCLXXVIII. S. Berarii cultus et brevis *Vita ;*

Eo favore cœlesti, *ait sub hac die Breviarium Cenomanense, jussu Caroli Ludovici de Froullay anno* 1748 *editum,* sigularique Dei beneficio donata est Ecclesia Cenomanensis, ut a B. Juliano fundata tot Sanctos,
C si unum excipias, per quadringentos circiter annos habuerit, quot episcopos ; quorum quidem tanta fuit pietatis et charitatis laus, ut nec martyrio nec præclara aliqua fidei confessione eguerit ad eorum asserendam sanctitatem. Eximiam hanc seriem cumulavit S. Berarius, qui circa medium sæculum septimum successor fuit S. Hadoindi. Piis ejus affectibus et curis debentur Reliquiæ Sanctæ Scholasticæ, quas in monialium cœnobio extra muros urbis, dicto ante S. Petri, decenter collocavit. Ad eum etiam refertur monasterii Tuffiacensis fundatio et constructio in honorem Dei Genitricis Mariæ. Obiit in Domino circa annum sexcentesimum octogesimum, successorumque habuit Aiglibertum. *Quamvis itaque Martyrologia classica, atque etiam Romanum hodiernum, S.* Berarii *nomen omittant, non est tamen quod de ejus sanctitate et cultu ambigamus. Etenim Sancti festum, olim quidem ritu simplici, hodie vero juxta Directorium liturgicum anni* 1827 *ritu duplici obit Ecclesia Cenomanensis. Præter Saussayum, pro more suo sat longum Sancti texentem elogium, ejus memoriam recolit Parisiense Martyrologium his verbis :* Prope Burdegalam, S. Berarii Cenomanensis episcopi : *quibus concinit Claudius Le Chastelain in Auctariis sui Martyrologii universalis dicens* (1) : Banethi *(Bannech)*, S. Berarius episcopus Cenomanensis. F

2 *Acta S.* Berarii *alia non habemus, quam quæ in Gestis episcoporum Cenomanensium occurrunt. Istum vero librum brevi post obitum Aldrici episcopi, anno* 856 *defuncti, conscriptum fuisse dicit Joan. Mabillon.* (2), *quia elucet* idem in omnibus genus ac stilus, idemque scopus, nempe imprimis, ut abbatia S. Carileffi *(S. Calais)*, aliæque in jus Ecclesiæ Cenomanensis asserantur. *Et vero tunc maxime exarsit controversia inter Cenomanenses episcopos et monachos Anisulenses, seu S. Carileffi, quæ dirempta fuit decretis variorum Conciliorum et Nicolai Papæ I, quæ pro Anisulensibus, pronuntiarunt, ut infra latius exponemus. Quamvis igitur suspecta merito sint Gesta Cenomanensia, quoties jus episcoporum in monasterium Anisulense attingunt, negari tamen non potest, aliqua scriptori præluxisse documenta antiqua, v. g. quando dicit* (3) *se omisisse duo,* quia præ vetustate legi non poterant. *Quocirca in iis quæ ad Anisulensem controversiam non spectant, fidem scriptori Gestorum addere licet. Idem judicium esto de altera parte* *Actorum edendorum, quæ ex Gestis episcoporum Cenomanensium*

(1) Martyr. Univ. Add. et Corr., p. 986. — (2) Vet. Analect., p. 336. Edit. Paris 1723. — (3) Ibid., p. 271 et 293.

Gestorum

J. V. H.

Gestorum, quam Steph. Baluzius edidit, seu de Vita prolixiore Aldrici (1).

excerpuntur, auctoritas :

3 *Non est porro dissimulandum, majores nostros jam sæpius inquivisse, quantæ auctoritatis essent Gesta Cenomanensia : inter eos Joannes Stiltingus in Commentario prævio Vitæ S. Victoris, Cenomanensis episcopi, ad diem* XXV *Augusti* (2), *Gesta dicit* minoris esse ponderis, quam ut ex iis res omnino certa fiat. *Animadvertendum tamen est a Stiltingo ejusque collega, Urbano Stickero, in Commentario prævio Actis S. Principii ad diem* XVI *Septembris* (3), *minoris fieri hæc Gesta, quando agitur de definiendo tempore in pontificatu a singulis episcopis transacto : atque istiusmodi judicium valere plurimum potest, quando agitur de episcopis, quorum remotior est ætas; nam Victor initio sæculi quinti, Principius autem initio sæculi sexti florebant. Ast duobus fere sæculis recentior est S.* Berarius, *unde facile fuerit scriptori sæculi noni accuratius definire res gestas episcopi, quem auctor duobus tantum sæculis antecessit. Sinceritatis mihi aliud argumentum est, quod parcus sit Gestorum auctor in adornandis S.* Berarii *Actis ; etenim vix aliud refert, quam translationem Reliquiarum S. Scho-*
B *lasticæ, fundationem monasteriorum S. Petri et S. Mariæ in Tuffiaco, et annos in pontificatu transactos cum numero eorum, quos sacris initiavit Ordinibus. Gesta igitur, prout apud Mabillonium in Veteribus Analectis occurrunt, edemus, variantesque lectiones alicujus momenti, quas in scedis nostris repererimus, pro more adjungemus. Habemus apographum Vitæ ex codice Anisulano, seu monasterii S. Carileffi, ast mutilum, utpote quod, omissis reliquis, in sola fere translatione SS. Benedicti et Scholasticæ consistit : quoniam tamen in hisce plerumque nitidiorem exhibet sensum, ejus lectionem Mabillonianæ prætulimus.*

S. Berarius, *natione Aquitanus,*

4 *Natus videtur S.* Berarius *in Aquitania si quidem* partim Aquitanicus, *referatur : eamdem opinionem sectantur scriptores recentiores* (4). *Nescit autem Bondonnetus in Vitis episcoporum Cenomanensium, qua occasione S.* Berarius *ex Aquitania in Cenomanicum pagum devenerit : certe id hodie ne devinari quidem potest : animadvertere tamen licet, Ecclesiam Cenomanensem varia prædia in Aquitania possedisse, ut monstrat testamentum S. Bertichramni episcopi, anno* 623 *defuncti* (5); *unde aliqua datur ratio necessitudinis, quæ inter Aquita-*
C *nos et Cenomanos intercedit, et ad S.* Berarium *derivari potuit. Quoad vero attinet tempus, quo cathedram Cenomanensem conscenderit, et numerum annorum, quo in ea sederit, quæstiones sunt intricatissimæ hic trutinandæ. Initium ducimus ab annis, quibus Cenomanensem sedem occupavit S.* Berarius, *quoniam hæc questio ad alteram viam sternet.* Super annorum numero, *inquit Cointius ad an.* 681 § LXXVIII (6) quos in pontificatu transegit, triplex occurrit opinio. Apud Saussayum Ecclesiam Cenomanensem omni sollicitudine ac sanctimonia regit annis triginta septem. Apud Corvaisierum, qui manuscriptum codicem citat, annos sedet triginta quinque, menses quatuor et dies aliquot. Apud Bondonnetum, qui libro pontificali nititur, episcopatum pie gubernat annis dumtaxat sex ac viginti, mensibusque circiter duobus. Vixit igitur Berarius ad annum usque Christi sexcentesimum nonagesimum secundum ex Saussayii calculo, ad annum usque Christi sexcentesimum nonagesimum ex computo Corvaisieri : ad hunc usque annum sex- D
centesimum octogesimum primum ex supputatione Bondonneti : postremam sententiam lubenter amplectimur, quam prævalide confirmabunt anni subsequentium pontificatum. *Hactenus Cointius.*

cathedram Cenomanensem

5 *Hisce opinationibus et suam addunt nostri in Appendice Chronologica episcoporum Cenomanensium sub die* XXI *Junii* (7), *nempe S.* Berarium *sedisse annis* XXVI, *mensibus* IV, *diebus* XVII *atque obiisse anno Christi* 677. *Huic supputationi quam proxime accedit liber Gestorum, qui scribit S.* Berarium *sedisse annos* XXVI, *menses* IV, *dies* XIV (8) : *ita ut sola diversitas in numero dierum versetur, in quo etiam variat recentior historicus Cenomanensis Ecclesiæ, quando mensibus quatuor addit dies pariter quatuor* (9). *Ex hac circa annorum et mensium numerum concordia gravissimorum auctorum, nullus equidem dubito, quin tempus episcopatus S.* Berarii *ad annos* XXVI, *menses* IV *extendendum sit : verum iidem minime conveniunt in diebus, qui annos et menses excedunt, aliis diem septemdecim, aliis quatuor, aliis quatuordecim tribuentibus. Quoniam tamen omnes ad Librum Pontificalem seu Gesta episcoporum Cenomanensium provocant, credo standum esse cum editione Joannis Mabillon, qui ut* E
vidimus, annis XXVI, *et* IV *mensibus, dies superaddit* XIV. *Quæ si admittimus, dies anniversaria Ordinationis S.* Berarii *incidit in diem* III *Junii. Quoniam porro habemus ex initio Gestorum S.* Berarii *eum sedisse* ultimo tempore Clodovæi filii Dagoberti et tempore Chlotarii atque Theodorici filiorum ejus, *oportet ut initia Sancti nostri inciderint in posterius tempus regni Clodovæi II, qui ab anno* 638 *ad annum* 656 *sceptrum tenuit; tali enim ratione recte dicetur Sanctus fuisse* ultimo tempore Clodovæi. *Oportet porro, ut dies* III *Junii, signata littera* G, *inciderit in Dominicam ; ab anno* 644 *aut* 650, *celebrati Cabilonensis Concilii, cui Hadoindus adfuit, non alios annos, littera Dominicali* G *signatos, habemus quam* 647 *et* 652, *infra autem monstrabimus Sancti nostri Ordinationem ad annum* 647 *pertinere non posse; adeoque ad annum* 652 *spectare.*

occupare probabiliter cœpit a. 652.

6 *Quantum itaque veræ sunt notæ chronologicæ in Gestis indicatæ, tantum etiam certa est epocha Ordinationis S.* Berarii. *Est enim notorium, in Ecclesia solemne fuisse, ut episcoporum Ordinationes die Dominica celebrarentur : adeoque singulares episcoporum Ordinationes, nisi quid obstet, illa die celebratas, cum summa probabilitate admittere pos-* F
sumus et debemus. Notandum quoque est in supputatione temporis, quo episcopi sederunt, non contineri apud antiquos diem ipsum sive Ordinationis sive obitus, ut clarum fit ineunti calculum Romanorum Pontificum in conatu chroni-historico Papebrochii nostri (10). *Hac ratione bene conciliantur dicta tum in superscriptione Gestorum Hadoindi, episcopi Cenomanensis et Sancti nostri antecessoris, qui sedisse dicitur* primo tempore *Clodovæi II, tum in S.* Berario, *qui cathedram tenuisse perhibetur* ultimo tempore *ejusdem regis. Quæ voces, quoniam cum recitatis in Hadoindo non conferebantur, induxerunt forsan aliquos scriptores, num.* 4 *allegatos, ut Sancti nostri Ordinationem in annum Christi* 655 *prorogarent. Sed hujuscemodi opinationi obstabat, quod num.* 1 *Gestorum S.* Berarii *legitur, videlicet* faventem sibi habuisse Clodovæum, *ut ordinare posset* in Cenomanica parochia monasteriola nonnulla : *oportuit igitur, ut Sanctus ali-*

(1) Baluzii Miscell., t. I, p. 79. Edit. Lucens., an. 1761.—(2) Act. SS., t. V Aug., p. 144, n. 22. — (3) Ibid., t. V Septemb., p. 329, n. 5. — (4) Bondonnet. Vies des Evêq. du Mans, p. 330.— Piolin. Hist. de l'Egl. du Mans, t. 1, p. 348. — (5) Mabillon. Vet. Analect., p. 255. — (6) Le Cointe. Annal. Eccles. Franc., t. IV, p. 33.—(7) Act. SS., t. III Jun., p. 863, n. 6.— (8) Mabillon. Vet. Anal., p. 273. — (9) Piolin. Hist. de l'Egl. du Mans, t. 1, p. 360. — (10) Propyl. Maii, p. 24 et passim.

quot

A *quot annis sub Clodovæo episcopus vixerit, adjutoremque eumdem regem in condendis monasteriis habuerit. Unde ex hoc quoque capite recte procedit epocha, a nobis superius exposita.*

quæ epocha ex Gestis

7 *Contra hactenus elucidata opponi quædam possunt, quæ nunc discutienda sunt. Imprimis* ultimum tempus Clodovæi, *de quo jam sæpe sermo fuit, satis late sumi debet, ut explicuimus : quid igitur impedit quominus epocha Ordinationis S.* Berarii *ad annum* 647, *littera dominicali* G *pariter signatum, retrotrahatur? Sed obstat præcipue Sancti nostri chronotaxis : nam si in annum* 647 *Ordinationem ejus reponamus, consectarium fit, cumdem anno* 673 *diem supremum obiisse. Verum habemus chartam Sancti, datam* II Julii anno IV regni domini nostri Theodorici (1), *seu anno Christi* 677. *Quod si quis contendat exordium regni Theodorici III a morte Clotharii fratris sui esse supputandum, proindeque ab anno* 670, *ne sic quidem suum obtinebit punctum; quoniam probabilissimum est, Clotharium non ante adultum mensem Julium obiisse* (2), *adeoque chartam nostram ad annum* 674 *referendam esse.*

B comprobatur, et propter annum celebrati

8 *Ast Joannes Mansi in supplemento Labbeano, occasione Concilii Cabilonensis II, anticipatam vult Ordinationem S.* Berarii (3) *propter testamentum Hadoindi, conditum* VIII *Id. Februarii anno* V *Clodovæi III, qui cum æra vulgari* 642 *concurrit* (4) : *unde suspicatur non diu post hunc annum Hadoindum vitam clausisse. Sed leve admodum est istud argumentum; nihil enim prohibet testamentum condi multis ante obitum annis; unum proferam exemplum quasi domesticum : nempe Aldricus, Cenomanensis episcopus, testamentum suum signat* kal. Aprilis in die sancto Paschæ, anno incarnationis dominicæ DCCCXXXVII, indictionis XV, anno quoque XXIII imperii Domini nostri Hludovici gloriosissimi imperatoris et anno ordinationis nostræ quinto (5). *En episcopum, qui novemdecim ante obitum annis, obiit enim an.* 856 *quum suam rexisset Ecclesiam annis viginti quatuor* (6), *testamentum suum nuncupat. Ex epocha igitur conditi testamenti epocham propinquæ mortis deducere tute non licet. Istiusmodi tamen ratiocinationem proponebat Mansius, ut Concilium Cabilonense, cui per procuratorem suum subscripserat Hadoindus, ad annum* 644, *a plerisque recentioribus assignatum, referret : nam admisso, Hadoindum brevi post conditum testamentum diem suum obiisse, necessarium* C *erat dictum Concilium Cabilonense inter annum* 642 *et* 644 *celebratum fuisse.*

Cabilonensis Concilii certior fit.

9 *Quæ autem rationes moverint recentiores quosdam ut Synodum in annum* 644 *conjicerent, dicendo non sum; quum nuspiam istius chronotaxeos repererim fundamentum aliquod* (7). *Licet autem Synodo interfuerint, nomenque suum subscripserint episcopi triginta octo, iidem anno* 644 *et* 650, *cui Sirmondus concilium illigat in vivis fuisse videntur : ita ut ex hoc capite controversia dirimi non possit. Unum est, quod suadet Sirmondi sententiæ esse standum, nempe synodalis epistola ad Theodosium Arelatensem episcopum scripta, in qua ipsum, ad synodum venire renuentem et pœnitentiam professum, suspendunt ab exercitio dignitatis episcopalis* (8). *Ast Theodosius, ait Gallia Christiana* (9), anno 648 provinciam suam lustrasse jure metropolitico legitur in veteri charta Arelatensi. *Quod si recte se habet, annus* 650 *retinendus est tamquam proprius Concilii Cabilonensis. Ast hic iterum recurrit Mansius* (10), *quia* certum est, *inquit,* indicendis exordiendisque Conciliis diem dominicam plerumque deligi consuevisse. *Unde consequitur,* synodum hanc collocari oportere intra annos 640, quo S. Eligius et Audoenus episcopi renuntiati sunt, et 653, quo S. Audobertus jam decesserat. Porro intra annorum spatium illud dominica dies in VIII Kalend. Novembres nonnisi anno 649 incidit. Hæc ergo Concilii epocha statuenda, donec lux major ex anecdoto aliquo monumento ecclesiasticæ historiæ affulgeat. *Et nos certe lucem majorem nobis optamus : interim Conciliorum exordia, ut alibi monstravimus* (11), *non in diem dominicam, sed in feriam* II *incidebant : atqui anno* 650, *quem Sirmondus assignat, littera dominicalis erat* C, *adeoque in diem* IX *Kal. Novembris* (XIV *Octobris*) *dominica concurrebat, et juxta antiquam consuetudinem feria* II, VIII *Kal. Novembris Synodus Cabilonensis incipiebat. Hæc dicta sunto, ut annum emortualem S. Hadoindi, de quo egerunt nostri ad diem* XX *Januarii* (12), *propius elucidemus, et successoris ejus, S.* Berarii *annum ordinationis, firmius statuamus : quæ si probentur, sponte sua fluit, Sanctum vitam* E *clausisse anno Christi* 678, *uti in capite hujus Commentarii notavimus.*

J. V. M.

§ II. Translatio corporis S. Scholasticæ Cenomanos; variæ fundationes S. Berarii, ejus obitus; inquisitio in alterum Berarium, Cenomanensem episcopum.

Utrum corpus S. Scholasticæ

Episcopatum S. Berarii *præcipue illustravit facta Cenomanos translatio corporis S. Scholasticæ, Cassino advecti. Omnes eruditi norunt, quanta olim contentione disceptatum fuerit Gallos inter et Cassinenses circa possessionem corporum SS. Benedicti et Scholasticæ. Utrinque proferebantur antiqua documenta, diplomata pontificia, quorum sinceritati ac authentiæ refragare non licebat. Quare non pauci* F *in hanc descenderunt sententiam, ut opinati sint, utrinque verum dici, si utraque pars intelligatur loqui de parte corporis, non vero de integro corpore SS. Benedicti et Scholasticæ. Hanc sententiam egregie pro more suo elucidavit Stiltingus noster in Commentario prævio Vitæ S. Aigulfi ad diem* III *Septembris* (13). *Neque mens nostra est, controversiam redintegrare : unam tamen bullam Zachariæ Papæ, qui sedit ab anno* 741 *ad* 752, *proferam, propterea quod apud Stiltingum non reperiatur, et tamen manifeste declaret, communem fuisse opinionem apud Cassinates utriusque Sancti corpus in monasterio tunc conservari, adeoque neutrum corpus integrum sæculo* VII *in Gallias fuisse translatum.*

Cenomanos advectum fuerit, acriter disceptatur :

11 *Postquam enim per annos fere centum triginta derelictus fuisset a monachis locus Cassinensis, vir nobilis et dives, Petronax Brixiensis, Gregorium II adiit ab eoque negotium recepit instaurandi monasterii. Anno igitur* 718, *assumptis secum monachis*

(1) Mabill. Vet. Anal., p. 275. Cfr Brequigny. Diplom ad res Franc. spect., t. I, p. 510. — (2) Longuerue. Annal. Franc. ap. Bouquet, t. III, p. 691. — (3) Suppl. Conc. t. I, col. 485. — (4) Pagi. Crit. Baron. ad an 652, § VI. — (5) Baluz. Miscell., t. I, p. 97. — (6) Mabillon Vet. Anal. p. 300. — (7) Mabillon. Annal., lib. XIII, § XXX, t. I, p. 358. Hist. de la Fr. lit., t. III, p. 560. Piolin. Hist. de l'Egl. du Mans, t. I, p. 344. — (8) Sirmond. Conc. Gall. t. I, p. 494. — (9) T. I, col. 542. — (10) Suppl. Conc., t. I, col. 485. — (11) Auctar. ad Act. SS. t. V Oct. p. 47, not. 60. — (12) Act. SS., t. II Januar. Append., 1110. — (13) Act. SS. t. I Septemb., p. 733, § III. Cfr Oltrocchi. Eccles. Mediol. Hist. Ligust., t. [illegible], p. 644.

quibusdam

S. V. B. *quibusdam Lateranensibus, Cassinum advenit, atque istic aliquot eremitas reperit. Condendo cœnobio summum favorem impendebant Romani Pontifices, præsertim Zacharias Papa, qui in bulla sua, nuper ab Aloysio Tosti edita* (1), *breviter rei gestæ seriem enarrat testaturque corpus SS. Benedicti et Scholasticæ anno 742 in monasterio Cassinensi requievisse. Eamdem integram damus, omissis tantum iis, quæ ad possessiones temporales Cassinensium pertinent, quoniam putamus diploma adhuc latere multos eruditos, antiquitatis ecclesiasticæ amantes. Authenticitatem Zacharianæ Bullæ demonstrat doctissimus D. Tosti, quia eadem jam indigitatur in Præcepto Caroli Magni sub Adriano I* (772-795), *in quo dicitur* (2) : Cassinense monasterium B. Patris Benedicti, nullius tuitioni vel juri subditum, habet tuitionem ab Apostolica Sede, « a cujus Pontifice Zacharia » per Petronacem, virum Dei, restauratum est, eversionis suæ centesimo vigesimo anno, Dominicæ Incarnationis DCCXX. Habet privilegia suæ tuitionis a Romanis Pontificibus « et Zacharia. » *Habebat igitur Cassinense monasterium bullam exemptionis, a Zacharia concessam, quam veram et sinceram paucis post annis judicat* B *Adrianus. Eamdem* de verbo ad verbum *suis bullis inseruerunt Honorius III et Gregorius IX* (3). *Exhibet D. Tosti plumbum adhuc servatum, sed fatetur originalem scripturam periisse, ac superesse tantum apographum sæculi* XI (4). *Jam ipsam Bullam, omissa, ut dixi, descriptione bonorum temporalium, exhibeamus.*

Zachariæ Papæ, 12 Zacharias Papa, Servus Servorum Dei, omnibus Ecclesiæ Catholicæ filiis salutem et apostolicam benedictionem. Omnipotenti Deo, cujus melior est misericordia super vitas, gratias agimus, qui gloriosus in Sanctis suis et mirabilis est, et virtutes suas, ubicumque vult, ineffabili bonitate ostendit. Ipse quippe dignationis suæ potentia beatissimum Benedictum patrem constituit omnium monachorum; ipse eum monasticæ legis latorem et operatorem esse disposuit : ipse illius meritis Cassinense monasterium, in quo et sanctissime vixit et gloriosissime obiit, omnibus per totum orbem monasteriis clementi benignitate præfecit. Qui pater sanctissimus, dum vitam heremiticam duceret, divina revelatione monitus ad eumdem locum pervenit, duobus se Angelis comitantibus, cum beatissimo Mauro ac Placido, Ter- C tulli patricii filio, aliisque nonnullis. Ubi templa idolorum destruens, monasteriumque construens, apostolicis illum decoravit virtutibus. Inter quæ, dum ei revelatum fuisset quod supradictus locus esset destruendus, ob id inconsolabiliter fleret, omnipotentis Dei ad se vocem audivit dicentem : Noli, probatissime ac electissime Benedicte, pro his, quæ huic eventura dedicisti loco, mœstum gerere animum, quoniam, quod semel a Deo præfixum est, immutabile atque irrevocabile est, solis tibi tuo merito concessis habitantium in loco animabus. Sed aderit omnipotentis consolatio Dei, quæ locum istum in ampliorem et multo meliorem, quam nunc est, restituet gradum : et hujus ordinis doctrina de hoc iterum irradiabit loco. Quod post ejusdem Patris obitum consummatum est.

bulla. 73 Nam a Longobardis pervasum et igne crematum est; fratres autem ad Apostolicam Sedem venientes ex concessione sancti nostri prædecessoris, Pelagii, juxta Lateranense palatium monasterium construxerunt, atque per prolixum tempus habitaverunt. Sed cum jam omnipotens Deus censuisset Cassinense cœnobium restaurare ac cœno- D bialem institutionem, quæ inde principium sumpserat, ex eodem loco propagare, a reverendissimo Gregorio Tertio, prædecessore nostro, Petronax dilectus filius noster est ad restaurandum directus. Qui dum ad eumdem locum venisset, communis pater noster Gregorius ex hoc mundo migravit. Sed post ejus excessum in Sede Apostolica cum parvitas nostra successisset, opus ab illo cœptum in restauratione ejusdem cœnobii, adjuvante Deo, ad finem usque perduximus. Hoc autem eo die, quo sanctissimi Patris ecclesiam dedicavimus, parvitas nostra obtulit. Libros scilicet Sanctæ Scripturæ et librum Regulæ, quam sanctissimus Pater manu propria scripserat, pondus etiam libræ panis et mensuram vini, necnon diversa ad ecclesiasticum ministerium ornamenta et possessiones Apostolica liberalitate concessimus. Qualiter autem ejusdem Patris pignora sororisque ejus sunt posita perspicientes, ac intemerata invenientes, pro reverentia tanti Patris minime tangere ausi sumus.

14 In dedicatione vero ejusdem, dum illum * una cum tredecim archiepiscopis et sexaginta octo episcopis adessem *, idem dilectissimus filius noster postulare cœpit quatenus possessiones, quæ E eidem monasterio oblata * sunt a quibusque fidelibus, per nostrum privilegium roboraremus. Illorum desideriis, utpote amabilium, annuentes, hæc per præsens privilegium, quæ a nobis aliisque fidelibus concessa sunt in eodem loco in perpetuum corroboramus. *Describit dein Pontifex varia loca, quæ ad Cassinense monasterium pertinebant, ac porro pergit :* Præterea corroboramus ac in perpetuum confirmamus eidem dilecto filio ejusque successoribus in omni conventu episcoporum et principum superiorem universis abbatibus sedere, et in consiliis et judiciis priorem sui ordinis hominibus sententiam proferre, pro reverentia tanti loci, qui primum et summum monasticæ legis latorem vivum et mortuum retinere promeruit, quique ipsius legislationem in eodem Cassinensi cœnobio scribens, verbo et exemplo cœnobitale propositum appetentibus in toto mundo sole clarius vibravit. Pro quo Casinense cœnobium exaltantes, decernimus ac in perpetuum confirmamus, ut supradictus locus dignitate, vigore ac honorificentia præcellat omnia monasteria, quæ constructa vel construenda sunt toto orbe terrarum : abbasque ejusdem loci celsior ac celebrior existat omnibus abbatibus F eamdem regulam tenentibus : illicque lex monastici ordinis caput teneat ac principatum, ubi ejusdem legis descriptor, Benedictus pater sanctissimus, eamdem describens, promulgavit Regulam, ibique abbates et monachi honorem ac reverentiam deferant, et ibi usque ad diem judicii quærant doctorem, ubi monachorum universalis magister et doctor Benedictus, pater almificus, corporaliter una cum sorore sua quiescens, gloriosæ resurrectionis diem expectat.

15 Defuncto autem abbate, ex se ipsa congregatio secundum sanius consilium sapientum et seniorum fratrum sibi abbatem deligat, et apostolicæ sedis Pontifici firmandum et consecrandum exhibeat, nec aliter ibi abbas constituatur, aut aliunde illuc intromittatur, nisi forte ex se aliquem tanto regimini idoneum non habuerint, et ob id saniori consilio extraneum sibi elegerint. Insuper supra dictum locum, una cum omnibus ibi pertinentibus ecclesiis et possessionibus per totum orbem roboramus, atque ut nullius alterius Eccle-

quæ refertur, * illic?

* adessemus?

* oblatæ?

testatur sæc. VIII Cassini fuisse

(1) Tosti Storia della Badia di Monte Cassin. t. I. p. 82. — (2) Muratori Antiquit. Ital. med. ævi, t. V, col. 828 bis. Ed. Mediol. 1741. —

(3) Stor. della Bad. di M. Cassin., t. I, p. 81. — (4) Ibid., p. 82 et 87.

siæ,

J. V. B.

A siæ, nisi Romani Pontificis ditionibus submittatur, auctoritate apostolica interdicimus. Ita ut nisi ab abbate vel a præposito fuerit invitatus, Missarum solemnitatem nullus episcopus celebrare præsumat in eisdem possessionibus, quod a præsenti prima indictione irrevocabiliter in perpetuum stabilimus retinendum, et cum Dei timore servandum. Statuentes insuper apostolica censura, sub divini judicii observatione, et validis atque atrocioribus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam, qualibet dignitate aut potestate præditus, præsumat eidem monasterio vel omnibus ejus possessionibus vim inferre, vel aliquid de iis aliquo modo auferre vel alienare. Sed nec pacis, nec barbarico tempore, ibidem aliquam jacturam vel molestiam inferre, dum perenniter illud firma stabilitate decernimus, sub ditione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ permanendum. Promulgantes quidem et hoc auctoritate B. Petri Apostolorum principis coram Deo et terribili examine per hoc nostrum apostolicum privilegium constitui sancimus atque decernimus, ut in omnibus provinciis per totum orbem commutata atque oblata, aut in posterum eidem cœnobio a qualibet persona concessa fuerint, firma stabili-
B tate sub jure ipsius monasterii existenda atque in perpetuum permanenda. Statuimus ne licentia sit, ut dictum est, cuilibet magnæ parvæque personæ aliquid ex his auferre, sed inconcusse et irrevocabiliter in perpetuum ibidem permanere.

corpora SS. Benedicti et Scholasticæ :

16 Concedimus etiam hoc apostolico privilegio, ut pro obligatione vel ordinatione presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, et altarium consecratione chrismæque acceptione in quibuslibet ejusdem monasterii possessionibus quemcumque voluerint episcopum invitandum. Hymnum quoque Angelicum in dominicis et festivis diebus concedimus in Missarum solemniis decantandum. In horis vero diurnis et nocturnalibus signum in ecclesia pulsandum; simili modo licentiam damus et corroboramus in præfato monasterio et in omnibus ejus ecclesiis, per totum orbem terrarum constructis, fontem benedici et sacrum baptisma celebrari, et non solum ibi, sed in iis quoque, quæ amodo in possessionibus prædicti cœnobii præsentibus vel futuris temporibus ecclesiæ ædificandæ sunt, remota scilicet cujuscumque episcopi interdictione. Addimus etiam, ut nullus episcopus prohibeat Christianum populum ingredi ad easdem ecclesias,
C vel in eisdem de suis rebus aliquid offerre, ut solet fieri religione pia. Observari quoque hanc nostram jussionem volumus, ut nullus episcopus in jam dicto cœnobio Cassinensi et in omnibus ejus cellis, per totum orbem terrarum constructis, decimas tollat, sacerdotem excommunicet vel ad synodum provocet. Simili etiam modo licentiam damus eidem dilecto filio ejusque posteris abbatibus monachorum synodum congregandi, et quemcumque clericum voluerint cum suis substantiis suscipere ad habitandum in omnibus Cassinensis monasterii possessionibus, sive presbyter sit aut diaconus vel cujuslibet ecclesiastici ordinis; et nullius episcopi timere contradictionem. Et liceat eidem religioso Petronaci, ejusque posteris et eorum præpositis in perpetuum judicare prædictas ecclesias, curtes et possessiones per totum orbem terrarum, et omnem in iisdem possessionibus degentem clericum ad officium promovere absque personæ sæcularis potestate et cujuslibet episcopi prohibitione. Si quis autem, quod absit, ea quæ ad laudem Dei pro stabilitate ac Cassinensis cœnobii conservanda dignitate, et possessionum ejus tutela a nobis statuta sunt, nefario ausu corrumpere, violare aut refragare præsumpserit, nisi resipuerit, sciat se anathematis vinculo innodatum, et a regno Dei alienatum, et cum diabolo et ejus pompis et Juda, Jesu Christi Domini nostri traditore, æterno supplicio, æternæque maledictioni deputandum. At vero qui pio intuitu hujus nostri apostolici constituti observator existit, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro per intercessionem beatissimi Patris nostri Benedicti consequatur et vitæ æternæ præmia adipisci mereatur. Scriptum per manum Leonis notarii et regionarii atque scriniarii carissimæ Romanæ Ecclesiæ in mense Januario per indictionem suprascriptam primam. Datum duodecimo Calendarum Martiarum Aquini per manum Benedicti, episcopi S. Silvæ Candidæ Ecclesiæ et bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus Domini nostri Zachariæ summi Pontificis et universalis Papæ in Sanctissima Sede Beati Petri Apostoli, primo, in mense Martio, indictione suprascripta. E

videtur igitur pars solum horum corporum in Galliam advecta.

17 *Opinionem dispertitionis corporum S. Benedicti et S. Scholasticæ sectatur etiam recens monasterii Cassinensis Historiæ scriptor, laudatus jam Aloysius Tosti ; impossibile enim esse ait* (1), *ut opinio aliqua radices agat in populo, quin aliquid veritatis subsit traditioni. Quocirca censet aliquam Reliquiarum utriusque Sancti translationem esse factam, ex quo deinde integrorum corporum opinio scaturierit. Et quidem continuati apud Cassinenses corporis S. Benedicti fides firmatur testimoniis omni exceptione majoribus : jam vidimus documentum sæculi octavi ex recitata Bulla Zachariæ Papæ, cui adjungere licet pro eodem ac sequenti sæculo diplomata idem testantia, Desiderii Longobardorum regis* (2) *et Caroli Magni* (3) ; *quod quoque confirmant Joannes XV (seu melius XVI) pro sæculo* x (4), *pro sæculo* XI *Benedictus VIII* (5), *Alexander II* (6) *et Urbanus II* (7). *Sæculo* XV *jam provecto, nempe die* XVIII *Novembris anni* 1484 *Cardinalis Joannes de Aragonia, abbas Cassinensis commendatarius, jussit aperiri sepulcrum, in quo corpora SS. Benedicti et Scholasticæ condita erant. In instrumento autem, quod nobis Erasmus Gattola exhibet* (8), *dicitur ex utriusque Sancti* carne super F tabulam porfiream mannam continue distillasse et miraculose in ipsa tabula conservatam *fuisse. Similis visitatio instituta fuit anno* 1545 *sub regimine Hieronymi de Placentia* (9), *et anno* 1659, *pedum pastorale gerente Angelo de Nuce* (10). *Neque ulla, quam sciam, visitatio deinceps occurrit. Similia certe nec minus sincera proferuntur instrumenta pro translatione sacrarum Reliquiarum in Galliam ; quæ quoniam et ipsa fidem suam probant, ostendunt et istic aliqua pignora utriusque Sancti conservata fuisse. Unde sponte sua fluit, tam in Cassinensi monasterio quam in Gallia non ignobiles partes utriusque corporis sancti in veneratione habitas fuisse. Hunc conciliandi oppositas rationes modum proponit et suo calculo approbat Joannes Stiltingus noster in Commentario prævio S. Aygulfi Abbatis et Martyris ad diem* III *Septembris num.* 25 (11).

Fundationes S. Berarii :

18 *De binis a S. Berario fundatis monasteriis, scilicet Tuffiaco ac S. Mariæ, non est quod hic sermonem longiorem texamus, quum in Vita infra edenda origo utriusque late explicetur. Tertium*

(1) Tosti Hist. Cassin., t. III, p. 192. — (2) Ibid., p. 89. — (3) Ibid., p. 94 et 98. — (4) Ibid., p. 233. — (5) Ibid., p. 246. — (6) Ibid., p. 488. — (7) Ibid., t. II, p. 83. — (8) Hist. Cassin., t. I, p. 595. Cfr Tosti, t. III, p. 190. — (9) Gattola, l. c., p. 634, et Tosti, l. c., p. 303. — (10) Gattola, p. 712. — (11) Act. SS., t. I Sept., p. 732.

J. V. B.

porro tribuit Sancto nostro monasterium Cointius in suis Annalibus ad an. 681 § LXXVIII, *nempe Caladunum, ductus auctoritate testamenti, cujus secundum Gesta episcoporum Cenomanensium* (1) *conditor fertur S.* Berarius: *ast, ut infra monstrabitur, pertinet potius ad alium episcopum ejus homonymum, qui apud recentiores scriptores passim Berarius II audit. S.* Berarius *anno* 658 *subscripsit duplici privilegio, quod monasterio S. Columbæ et S. Petri dedit S. Emmo, Senonensis episcopus. Prius privilegium, S. Columbæ concessum, edidit primus Joan. Mabillon in Annalibus Benedictinis lib.* XIV *num.* 63 (2); *in eo autem quod datum legitur* VII *Kal. Septembris anno tertio Clotarii (III, filii Clodovæi II), videmus Sanctum nostrum subscripisse his verbis :* In Christi nomine, Berecharius, ac si peccator, episcopus, hoc privilegium consentiens subs. *Paulo post, inquit laudatus Mabillon, Emmo alterum emisit privilegium pro monasterio S. Petri Senonensis, cui S. Mummolinus, S. Eligii, in dicta charta nominati, successor, subscripsit, cui et S.* Berarius *pariter consensum præbuit. Non vacat nobis operosius inquirere in chronotaxin Mabillonianam, quæ hic forsan cespitat, quamque prolatis tabulis discussit collega*
B
noster in Commentario prævio S. Mummolini ad diem XVI *Octobris num.* 39 *et seqq.* (3) : *poterit enim hæc quæstio commodius in Actis S. Eligii ad diem* I *Decembris investigari; huc vero traducta nihil lucis Vitæ S.* Berarii *affunderet.*

lis cum monachis Sandionysianis;

19 *Circa finem vitæ implicatus fuit S.* Berarius *gravi liti, quam ventilandam habuit coram rege Clotario III adversus monasterium S. Dionysii juxta Parisios. Documentum profert Michael Felibien in Historia regalis monasterii S. Dionysii, in eoque dicitur* (4), Beracharius *episcopus suæ Ecclesiæ vindicasse prædia quædam, olim Sandionysianis donata. Quod porro hæc charta Sanctum antistitem respiciat, tria præcipue faciunt, nempe perpetua traditio in monasterio Sandionysiano vigens, dein quod regnante Clotario III (an.* 656-670) *nullus occurrat episcopus ejusdem aut similis nominis, et tandem quod prædia litigiosa sita essent in pago Cenomanico. Atqui varias villas sibi competere adversus* Berarium *episcopum contendebat abbas Wandebertus, pro quo et rex pronuntiaverat. Sed sententiæ acquiescendum non existimavit* Berarius *noster : nam Ingoberta, Ermeleni donatoris*
C
vidua, episcopo nostro probabiliter instigante, varia ex istis prædiis, quasi olim sibi data, repetiit; verum et altera sententia vicere Sandionysiani. R. D. Paulus Piolin, Benedictinus Solesmensis, in recenti opere de Historia Ecclesiastica Cenomanensi (5) *credit S.* Berarii *fidem dece, tam fuisse falsis quibusdam instrumentis, quibus inductus fuerit, ut obstinatius in lite persisteret. Difficile sane foret conjecturam refellere; tamen omnia falsa fuisse in allegatis a S.* Berario *instrumentis, in dubium revocari posset consideranti inter bona Sandionysianis donata occurrere quædam ad jus Ecclesiæ Cenomanicæ pertinentia. Sic certe in testamento S. Bertrandi episcopi Cenomanensis, circa an.* 623 *defuncti mentio fit Tauriaci et Monciani* (6), *quæ nomina etiam in charta Sandionysiana reperiuntur : unde fieri potuit, ut non undecumque falsa essent documenta, quæ S. episcopus ad vindicandas res suas exponebat.*

Chartæ Anisulenses

20 *Gesta episcoporum Cenomanensium referunt imprimis chartam Ibboleni, abbatis Anisolensis* D
(hodie St-Calais, dépt de la Sarthe) (7), *qua idem profitetur ibi* per beneficium episcopi Cenomanensis, sub usufructuario ordine, tempore vitæ suæ, omnes res monasterii tenere permissum; census *quoque* annis singulis ad matrem civitatis ecclesiam persolvere, ejusque pontificibus atque rectoribus *promittit :* id est ad lumen ecclesiæ de cera libras quatuor, et ad opus episcopi cambuttam unam *(pedum episcopale)* et subtalares duos *(caligas episcopales)*, et ad opus canonicorum inibi Deo degentium buticulas duas paratas de optimo vino, et in Cœna Domini plenum modium de ovis. *Consentit etiam Ibbolenus,* ut post *suum* obitum jam dictum monasteriolum cum omni integritate et res *ad se* pertinentes vel aspicientes, *episcopus Cenomanensis ejusque successores* in suam faciant revocare potestatem vel dominationem. *Data est charta* Cenomanis IV Kal. Maii anno tertio regnante Clotario, *id est Christi* 659. *Similem chartam sub iisdem pactis iterum concessit S.* Berarius *Ibboleno abbati, sed desunt notæ chronologicæ* (8) : *imo quoniam a Dagoberto rege datur charta, ad posteriora tempora referenda videtur, nempe ad Dagobertum III, qui regnare cœpit in Neustria anno* 711, E
adeoque diu post obitum Sancti sceptrum tenuit. Sed gravior est difficultas : idem Dagobertus dedit præceptum Anisulensibus, quo, nulla facta mentione episcopi Cenomanensis, monasterium S. Carileffi sub omni immunitate *confirmat* (9). *Hæc enim alteram chartam, in Gestis exhibitam, plane destruunt, et quoniam in hac controversia ceciderunt Cenomanenses, ut mox monstrabimus, mihi non est dubium esse falsum diploma seu præceptum in Gestis exhibitum.*

falsitatis damnatæ;

21 *Nam supra num.* 2 *jam diximus, istiusmodi diplomata merito incurrere falsitatis suspicionem. Anisolenses enim monachi ea tamquam spuria traduxerunt, seque sub protectione seu* Mundeborgio *regis semper fuisse professi sunt, atque in eum sensum pronuntiarunt Patres Concilii Vermeriensis, ut patet ex Notitia Caroli Calvi quæ in Annalibus Benedictinis lib.* XXXVI § VII (10) *legitur : in ea siquidem dicuntur episcopi et abbates recognovisse utriusque partis probationes et instrumenta, atque* his, *ait Notitia,* ita elucidatis, reverendi antistites et nobilissimi proceres, et cæteri assistentes apertissime cognoverunt, cognoscentesque affirmaverunt regiam ejusdem monasterii præponde- F
rare possessionem, quæ numquam et nusquam interrupta fuerit, sed continuatim inconvulsa remanserit : episcopale vero ideo refutandum, quia ejus non vera nec effectum habentia apparerent instrumenta; nec habuerit quisquam pontificum idem monasterium, nisi jure beneficii per munificentiam principalem. Advocatus igitur episcopi veridica professus est ratione, non habere se vera et legitima instrumenta, per quæ idem monasterium tenere posset; unde et se concredidit *(victum se professus est* (11)) et nulla principis aut judicum vi aut oppressione, sed propria voluntate et justo omnium assistentium judicio, easdem res cum querela *(cum ipsa lite intentata* (12)) werpivit *(abdicavit* (13)). *Huic diplomati consonant Concilia Bonoilense anni* 855 (14) *et Vermeriense anni* 863 (15), *in quibus libertas Anisulensium confirmata fuit, quam tandem S. Nicolaus Papa I, prius Anisulensibus minus favens, sua auctoritate sanci-*

(1) Mabillon. Vet. Analect., p. 281. — (2) Mabill. Ann., t. I, p. 412. — (3) Act. SS., t. VII Octob., p. 965. — (4) Hist. de l'abb. de S. Denys, p. 26, et instrum., p. VII. — (5) Hist. de l'Égl. du Mans, t. I, p. 359. — (6) Gesta episc. Cenoman., apud Mabillon Vet. Analect., p. 259 et 261. — (7) Ibid., p. 273. — (8) Mabill. Vet. An., p. 273. — (9) Marteni Thes. Anecdot., t. I, col. 6. — (10) Mabillon. Annal., t. III, p. 97. — (11) Cfr Du Cange. Gloss. med. ævi, vo *Concredere se*. — (12) Ibid., vo *Querela*. — (13) Ibid., vo *Verpire*. — (14) Mansi. Suppl. Conc., t. X, col. 934. — (15) Ibid., col. 986.

vit

A *vit* (1). *Ex hactenus dictis liquet dubia esse, quæ S.* Berarii *scripta referuntur in Gestis episcoporum Cenomanensium* (2).

ex testamento quodam

22 *Certior est scriptura Sancti nostri in causa Hunaldi et suæ conjugis Deodatæ. Hi enim ab Ecclesia Cenomanensi obtinuerant in usumfructum villam Cabariacum*, sitam in territorio Burdegalensi (3). *Hi vero conjuges epistola, data die* II *Julii anno* IV *regni Theodorici III, Christi probabiliter* 673, *et directa* domno et patri Berario episcopo, necnon et omni congregationi Sanctæ Ecclesiæ Cenomanicæ. *In isto autem instrumento conjuges vicissim donant suam portionem propriam in eodem territorio perpetuo possidendam ab Ecclesia Cenomanica, ita tamen ut, quoad vixerint, ea fruantur. Cabariacum est hodie* Cameyrac, *villula sub ecclesia succursali S. Sulpitii* (Gironde, arrondiss. de Bordeaux, canton de Carbon-blanc). *Præter has scripturas tribuitur etiam S.* Berario *testamentum, in quo fit mentio de monasterio Caladunno, tamquam per ipsum fundato, ut habet Cointius in Annalibus Eccles. Francorum ad annum* 681 § LXXVIII; *sed id pertinet ad alterum Berarium, episcopum quoque Cenomanis, quem ignoravit Gallia Christiana, et* B *conjiciendo indicavit Mabillonius* (4) *: de quo aliqua dicenda nobis videntur. Exhibemus imprimis ipsum testamentum ex Analectis Mabillonianis* (5).

Calodunensis fundatio S. Berario tribui non potest,

23 In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Cum Divinitate propitia, dono Dei, acsi indignus, ego Berarius [*qui*] vocor episcopus, deliberavi, ut quidquid mihi Deus tam de propria parentum substantia, quam et nostra utiliter conquirere vel attrahere usque nunc potuimus, aut in antea, auxiliante Deo, attrahere potuerimus, unde et testamentum de Caladunno monasterio, quod nostro opere ædificavimus, de omnibus rebus nostris, quod est in pago Cenomannico constructum, in condita Diablentica, in honore Sanctæ Mariæ et Sancti Petri constructum, ubi Cagliberta abbatissa præesse videtur, prope illas abbatias vel beneficia, quæ de ratione Sancti Gervasii in beneficia habeamus. Hæc sunt Busogilo monasterio cum appendiciis suis, Priscosiccino, monasterio Diablentis, illo monasterio Sancti Martini, et cella Sancti Victuri, quæ est infra murum Cenomanis civitate constructa : hæc loca superius nominata cum omnibus adjacentiis vel appendiciis eorum, et alia loca, quæ pro beneficio Ecclesiæ tenemus, Bisigario, C Patriniaco et Manto, sicut diximus, propter ista loca, quæ ad Caladunno non firmavimus, nos quoque omnibus rebus nostris, hoc plena et integra voluntate ac monasterium præfatum ad Caladunno ejusque congregationi, in Dei nomine consistenti, firmavi ; et firmatum in perpetuum esse volo, undecumque nostrum testamentum loquitur, vel nostra videtur esse possessio, ad præfatum monasterium ad Caladunno volo esse firmatum atque concessum, ea ratione dum cognitum est, quod vir illuster Crodegarius dux, de inferendis vel undecumque juvamen nobis præstare non cessat, vel adjutorium tam nobis, quam ipsi casæ facit, et in antea facere disponit ; convenit nobis, ut filia sua Chrodehilda, in ipso monasterio, superius nominato, pro hujus merito, post discessum ipsius Caglibertæ instituere vel confirmare deberemus abbatissam.

ut liquet ex chronologia

24 Quod et ita fecimus, ut tempore vitæ suæ, quamdiu ei Deus spatium dederit, secundum Deum et sanctam Regulam tempore vitæ suæ in ipso monasterio abbatissa esse debeat, et sub regimine ipsius domni Berarii, quamdiu advivit : et neque nos, neque successores nostri, nec ullus quislibet, quamdiu ipsa advivit, de ipsa abbatia vel de ipso monasterio, nec dismanandum * nec distrahendum, ad hoc faciendum non habeat pontificium. Et convenit nobis, ut post nostrum discessum domnus Herlemundus, aut alius pontifex urbis Cenomannicæ ad ipsum monasterium in manu regendum vel gubernandum, aut abbatissam post discessum memoratæ Chrodehildæ intromittendo, ut in finem semper eorum Ordo custodiatur et perenniter conservetur. Quia dum cognitum est, quod domnus Herlemundus abbatias vel beneficialia ecclesiastica superius nominata, etiam ad diem præsentem nobis Canariago ad usum beneficiorum deditam tanta beneficia nobis concessit ; pro hujus merito convenit nobis, sicut superius nominata diximus, ut ipsum monasterium Caladunno post nostrum discessum ipse pontifex aut successores sui ad regendum vel gubernandum, sicut et alia monasteria, quæ dum in sua parochia habent privilegia, ita et in ipso habeat pontificium, ut dum advivimus, ipsa beneficia abbatissa de ipso monasterio in altero manus E non habeamus pontificium, nec distrahendum nec commorandum, nisi (sicut diximus) semper sub regimen Sancti Gervasii ejusque pontificis post nostrum discessum esse debeat, ut illa beneficia superius nominata, quæ pro beneficio domno Herlemundo vel Ecclesiæ suæ vel aliorum tenemus, post nostrum discessum cum omni re immeliorata, absque ullius segregatione, ipse pontifex aut successores sui a partibus ecclesiæ Sancti Gervasii in eorum faciant revocare dominationem vel potestatem.

J. V. H.

* turbandum

exhibiti diplomatis.

25 Et convenit nobis, ut nullus ex nobis de hac convenientia, quod superius comprehensum est, nullus contra pares pro qualibet ingeniositate articulum emutare non possit. Qui hoc fecerit, aut contra parem suum calumniator exstiterit, quantum et alia, tantum quantum res ipsas eo tempore immeliorata suadere videntur, tam Crodegarius, quam et domnus Herlemundus vel domnus Berarius, qui contra hoc emutare voluerit, teneatur obnoxius, et quod repetit, nihil vindicet : sed præsentales epistolas, uno tenore conscriptas, una, quam domnus Herlemundus in arca ecclesiæ suæ pro se retineat ; alia, quam domnus Berarius in F monasterio suo habeat, et tertia, quam vir illuster Crodegarius ad opus filiæ suæ Chrodehildæ habere debeat. Quam vero manus eorum inter se has epistolas tam ipsi vel concivibus suis visi fuimus confirmasse. Actum Marogilo villa in anno XVI regnante domno Childeberto rege nostro, XII Kal. Novemb. In Christi nomine Berarius episcopus hanc epistolam a me factam subscripsi. *Childebertus rex, de quo hic agitur, est tertius hujus nominis, atque Neustriam, cujus parserat pagus Cenomanensis, et Burgundiam regio titulo administrabat. Regnum autem ejus inter annos Christi* 696 *et* 711 *concluditur : adeoque annus regni* XVI *cum anno vulgari* 710 *concurrit. Fuerunt, ut adnotat Mabillonius Annal. lib.* XIX, § LVII (6), *qui testamentum S.* Berario *nostro adscripserunt ; sed perperam, quoniam anno* X *sæculi octavi a longo jam tempore diem suum supremum clauserat. Dein Herlemundus episcopus, de quo sermo est in testamento, dicitur in gestis* successor posterioris domni Berarii (7) : *habemus ergo*

(1) Labbe, t. VIII Conc., col. 459. — (2) Cfr Piolin. Hist. de l'Égl. du Mans, t. I, p. 449. — (3) Mabillon. Vet. Anal., p. 111. Brequigny. Diplom. ad res Franc. spect., t. I, p. 510. — (4) Annal. Bened., t. II, p. 26. — (5) Vet. Analect., p. 281. — (6) Annal. t. II, p. 26. — (7) Vet. Anal., p. 281.

alterum

J. V. B.

alterum Berarium, qui posterior vocatur. Tandem occurrere videtur tertius quidam Berarius, quoniam dicit Berarius testator, Caladunum debere perseverare sub regimine domni Berarii, quamdiu advivit (1) : etenim si de se loqui voluisset testator, videtur potius primam, ut alibi facit, quam tertiam personam in sermone adhibiturus.

Quominus Berarius dicatur episcopus Cenomanensis.

26 Sed postremum istud nequaquam liquidum nobis est : nam et tertius iste Berarius titulo honorifico domni insignitur, qua appellatione in instrumento soli episcopi decorantur. Ut vero duos homonymos episcopos, eodem tempore Cenomanis degentes accipiamus, nihil admodum urget : tanta enim non est styli consequentia, ut translationem a prima ad tertiam personam mirari debeamus. Imo quandoquidem testator profitetur, se Caledunum fundasse, pronum erat, ut sibi, pro more istorum temporum, regimen monasterii reservarit. Quod si e contrario diversum tertiumque Berarium admittimus, nulla datur in testamento ratio, propter quam monasterii procuratio illi adscriberetur ; secus ac fit pro reliquis, v. g., Chrodehilda moniali, post discessum Caglibertæ abbatissa instituenda, quia pater ejus Crodegarius dux adjutorium tam nobis,
B quam ipsi casæ (Caleduno) facit, et in antea facere disponit. Censemus itaque de uno eodemque Berario, a nostro tamen Sancto diverso, agi in laudato testamento.

obstat successio episcoporum

27 Ast hic objicitur alia quæstio intricatior, quis nempe sit ille Berarius episcopus testator? De nostro quidem Sancto, jam defuncto, sermo esse non potest: dein habemus Herlemundum dici successorem posterioris domni Berarii, quæ verba duplicem Berarium, utrumque Cenomanensem episcopum, indicant. Nihilominus antiqui Catalogi episcoporum Cenomanensium, præter Sanctum nostrum, alium Berarium non indicant: imo chartæ Cenomanenses, prout in Gestis leguntur, innuunt contrarium. Sic Herlemundus dicitur post Achilbertum (Aglibertum) episcopus fuisse (2) ; in aliis exhibentur episcopi hoc ordine : Hadoindus, Berarius, Aglibertus, Herlemundus (3). Et vero si succedentium episcoporum tempora supputamus, nullam inter S. Berarium et Herlemundum temporis intercapedinem sufficientem inveniemus, quo episcopus aliquis intercalari possit. Etenim S. Berarius, omnibus fatentibus, annis XXVI, mensibus IV et aliquot diebus sedit (Cfr dicta ad num. 5); monstravimus etiam Conci-
C lium Cabilonense probabilius celebratum fuisse anno Christi 650 (Cfr num. 6), adeoque anno 652 initium, anno 678 finem episcopatus illiganda esse ; cui defuncto anno 678 successit Aglibertus, et ipse pontifex annis XXXIV, mensibus VI, diebus XI (4), quapropter obitus ejus cum anno 712 concurrit : unde liquet ejus successorem immediatum, quiscumque demum ille fuerit, Cenomanensem cathedram anno 710 occupare non potuisse, adeoque ex hac parte vacillare testamentum, maxime quum Childebertus III, Neustriæ rex, senis post mensibus, scilicet XIV Aprilis 711 obierit.

Cenomanensium.

28 Scio equidem hæc utcumque conciliari posse adhibita chronotaxi nuperrimi egregiique scriptoris Ecclesiæ Cenomanensis (5), lubensque ad hanc accederem. Sed obstat, quod in mediis calculis, quos investigationes chronologicæ exigunt, error aliquis obrepserit. Etenim dicit S. Berarium sedisse annis XXVI, mensibus IV et diebus IV (6) et episcopatum inchoasse anno 654, mortuo nempe S. Hadoindo decimo post Concilium Cabilonense anno (7) : obierit D
ergo S. Berarius anno 680; ast scriptor mortem Sancti ad annum 670 reponit (8). Differimus igitur toto decennio; quod si addatur ejus chronotaxi, in easdem nobiscum, quoad testamentum alterius Berarii attinet, impingit difficultates. Neque ut hisce nos tricis expediamus initium S. Berarii decennio anticipare licet : nam impedit Cabilonense Concilium, quod supra num. 9 probabilius celebratum anno 650 diximus, cuique per suum procuratorem interfuit S. Hadoindus. Ut porro ex hac difficultate emergam, non aliud mihi occurrit, quam ut negem, Berarium testatorem fuisse Cenomanensem episcopum : facile equidem concedam Berarium charactere episcopali insignitum fuisse, ast Cenomanensem cathedram occupasse nihil urget, ut admittam. Nam Berarium episcopum lego subscriptum in privilegio pro monasterio S. Mariæ, quod datum dicitur mense Junio anno XI regnante domno Theodorico gloriosissimo rege, hujus nominis III, seu anno Christi 681. Si autem idem est, qui dein anno 710 testamentum condit, non ægre, ut spero, unusquisque mecum consentiet, Berarium istum, episcopum fuisse in Cenomanensi pago degentem, siquidem sub Agliberto et Herlemundo episcopus di- E
catur; sed ejusdem Ecclesiæ cathedram aliquando occupantem, nequaquam admiserim. Nec mirum id cuiquam videbitur consideranti illa tempestate episcopos etiam in monasteriis fuisse, ut fatetur scriptor a quo recedo (9), et variis exemplis coævis monstrant Cangius in Glossario V° Episcopus et Auctores Novi Tractatus Diplomatices (10).

et annus emortualis Childeberti III.

29 Quod si quis tamen propter verba Gestorum, quibus Herlemundus successor posterioris domni Berarii (11) dicitur, inter episcopos Cenomanenses accensendum contendat alterum Berarium, non omnino repugnabo ; dummodo initia episcopatus Herlemundi ad annum Christi 715 prorogare velit: hac enim ratione inveniemus triennium, quo pontificatum Berarii II intercalare licebit. Et initia episcopatus Herlemundi in annum 715 rejicienda esse Cointio (12) et Bondonneto (13) nixus concedit Academicus de Foncemagne in Commentariis Academiæ Franciæ Inscriptionum (14). Ast si hac ratione tollitur difficultas circa locum, a Berario inter episcopos Cenomanenses occupandum, restat altera circa tempus : nam anno 710 adhuc vivebat Aglibertus, quomodo igitur potuit loqui Berarius de Herlemundo, quasi tunc episcopo? Neque solvitur F
quæstio errore probabili alicujus numeri, forsan male signati : maxima enim difficultas est in nomine Childeberti III, qui, nemine, quem sciam, diffitente, anno 711 mortuus est, quando vivebat adhuc episcopus Aglibertus. Quapropter hasce tricas commodius explicamus, dum non nimium urgemus Gestorum verba de successore posterioris domni Berarii, maxime quum in ipsorum episcoporum et regum nominibus exprimendis quandoque laborarint librarii, ut patet in præcepto Childerici de Curte Arduno in pago Pictaviensi ; superscriptio est : Sequitur exemplar de illo initio sub Berario vel Aigliberto factum. Sed Childericum qui Neustriæ, vivente sive S. Berario sive Agliberto, imperaret, nullum invenio : hujus enim nominis duo sunt reges, quorum prior sæculo V sceptrum Francorum tenuit, posterior vero an. 715-720 solam Austrasiam occupavit. Propter istiusmodi ambiguitates Berarium posteriorem e catalogo episcoporum Ceno-

(1) Vet. Anal., loc. cit. — (2) Ibid., p. 287. — (3) Ibid., p. 284, 286, 287. — (4) Ibid., p. 226. — (5) Piolin. Hist. de l'Égl. du Mans. t. I, Introd., p. CXX. — (6) Ibid., p. 360. — (7) Ibid., p. 347. — (8) Ibid., Introd., p. CXXIII et 348. — (9) Piolin, t. I, Introd., p. CXXVIII. — (10) Nouv. Traité de Diplom., t. V, p. 424. — (11) Vet. Anal., p. 281. — (12) Annal. ad. 717, § XXV. — (13) Vies des Évêq. du Mans, p. 323. — (14) Mém. de l'Acad. des Inscript. t. XX, p. 216.

manensium

A *manensium expunctum mallem, quamvis hæc quasi devinando dixerim, paratus, si quid melius monstretur, illud libenter amplecti.*

VITA SANCTI BERARII,

EPISCOPI CENOMANENSIS ET CONFESSORIS,

AUCTORE ANONYMO GESTORUM EPISCOPORUM CENOMANENSIUM,

Ex Mss. Anisolano et Veteribus Analectis Mabillonii collatis a.

a

B

Gesta domni Berarii et Cenomannicæ urbis episcopi, qui fuit ultimo tempore Clodovei, filii Dagoberti, et tempore Clotharii atque Theoderici, filiorum ejus.

S. Berarius, episcopus Cenomanensis,

Domnus Berarius, Cenomannicæ urbis episcopus, natione partim Francus partim Aquitanicus, ortus ex nobilissimis utriusque sexus parentibus, fecit et ordinavit in Cenomannica parochia monasteriola nonnulla, atque ipsa regulariter degere instituit. Igitur tempore quo Clodoveus, Dagoberti filius *b*, regni Francorum sceptra regebat, vir utique nobilissimus et in administratione publicarum rerum perspicacissimus *c*: nam cum egregiis polleret moribus, justis petitionibus servorum Dei nostri tam facilem quam devotum præbebat assensum *d*. Qua de re contigit, ut ejus tempore multa per regnum ejus constructa fierent C monasteria, multa religiosorum actuum augmentarentur insignia.

mittit in Montem Cassinum,

2 Denique inter cætera sui temporis divinorum actuum indicia, etiam beatorum corporum Benedicti scilicet præcipui Confessoris Christi, Sanctæque Scholasticæ Virginis ac sororis ejus, quibusdam servis Dei ex Galliis in Beneventanam provinciam, divinitus revelatione facta, pro hoc ipso adventantibus ostensa sunt pignora, ac Domino præeunte ac comitante, in Galliam venerabiliter delata *e*. Hæc namque sacratissima corpora multis temporibus a frequentia hominum fuerant remota. Quippe cum loca Montis Cassini, quæ ea retinebant, ex tempore, quo a Gothis fuerant funditus eversa, in solitudinem persisterent redacta. Cum igitur gens Longobardorum diu infidelitatis suæ tenebris carere noluisset, et jugum Domini ferre detrectans, eos, qui fuerant, impugnare decrevisset, Italiam venit, nominis Christiani impugnandi gratia, et suo eam dominio subjugandi: cujus incolas occulto Deus judicio ejus mucroni tradidit feriendos. Quæ gens longe lateque suæ cædis extendens crudelitatem, Beneventanam agressa est expugnare provinciam; cujus urbes terræ coæquans, monasteria villasque depopulans, non minimas Christianorum strages dedit. Oves enim dominicas, ab ovilibus exclusas, diversa cæde lacerans, ovilia Domini evertebat; ita ut in heremi vastitatem loca prius desiderabilia conversa viderentur. Unde inter cætera facinora sua monasterium eximii patris Benedicti depopulans, rebus omnibus orbatum, inhabitabile reddidit *f*.

AUCTORE ANONYMO.

tunc fœde vastatum.

3 Quæ eversio qualiter, vivente adhuc eodem Beato Benedicto, ab ipso per Spiritum Sanctum prævisa atque prædicta fuerit, qui plenius scire voluerit, in Dialogorum libris Beati Gregorii facile reperire valebit, ad quos lectorem invitantes *g* ea quæ cœpimus, prosequamur. Igitur rege supradicto Francorum gubernacula feliciter regente, uno eodemque tempore non dissimilis duobus amatoribus Dei, licet altrinsecus corporaliter longe positis, domno scilicet Berario, Cenomannis civitatis episcopo, et Mummulo, Floriacensis monasterii, in pago Aurelianensi positi, venerando abbati divinitus ostensa est visio, alterutro tamen, quod alteri de eisdem Sanctis corporibus monstratum fuerit, ignorante *h*. Quadam itaque nocte dum prædictus venerabilis præsul Berarius, pervigil in E oratione positus, more solito persisteret, divinitus (ut diximus) præceptum est ei, ut ad Beneventanam regionem, ad locum, qui Mons Cassini vocabatur, devotissimos Dei servos dirigeret, qui corpus sacratissimæ Scholasticæ, sororis scilicet sanctissimi Benedicti, quod illud jam dudum ab hominibus quidem neglectum, sed ab Angelis frequentatum erat, devotissime et cum omni veneratione ad ejusdem, id est, Cenomannis civitatem, et ad eumdem venerabilem episcopum venerabiliter de reliquo observaturum deferrent. Non dispar etiam huic revelationi in Floriacensi monasterio suprascripto beato viro, Mummulo, abbati ostensa est visio, qua ei injunctum est, ut et ipse ad eamdem provinciam, ad prædictum locum religiosos mitteret viros, qui sacratissimum Beati Benedicti corpus ad eum usque in præfato monasterio, quod nuper, Domino volente, ab infimis fundatum fuerat, simili modo collocandum deferrent *i*. Quod ita Domino suffragante, præscriptorum pignorum meritis, impletum est.

unum e suis una cum Floriacensi

4 Præfatus igitur domnus Berarius, venerabilis præsul, fide firmus, actione felici perspicuus, secundum visionem sibi divinitus ostensam stu- F diosissime peregit, devotissimosque Dei servos, qualiter hujusmodi, Domino docente, perficere deberent, sapientissime instruxit; eosque ad id pro viribus peragendum absque dilatione direxit. Ipse autem interdum monasterium ab infimis fabricare et construere in fundo, minime dudum habitabili suæ sedis ecclesiæ studuit, omnimodis satagens, ut si cœptum opus felicem atque optatum, Domino favente, perciperet effectum, in eorum reversione præparatum et decenter * ornatum, in quo desiderabilis posset complecti atque ornatissime componi thesaurus, invenirent locum. Interea prædicti ad hujusmodi explendum opus devotissimi legati venerandi præsulis præcepta libentissime secundum voluntatem Dei perfecturi, iter capere, Domino præeunte, cœperunt: et divertentes in monasterium Floriacense hospitandi gratia, missis suprascriptis aptissime se junxerunt. Qui se ipsum iter, quod et illi pergebant, perficere fatebantur, et tamen nemo ex illis alteri retulit, cujus rei gratia hujusmodi iter facere curarent. Inde vero simul progressi, cœptum iter usque Romam venerunt, et indivisibiliter peregerunt. Quo cum pervenissent,

* Mabill. *decentem*

AUCTORE ANONYMO.

sent, Beati Petri basilicam orandi gratia simul adierunt: inde autem egredientes, quasi sub obtentu loca singulatim visendi Sanctorum, a se invicem discesserunt. Hoc vero, ut rei veritas demonstrat, egerunt, ut quilibet eorum alteri, quod quærebat, occultare valeret, et ne id alicui alterius partis manifestum fieret.

ad avehenda corpora SS. Benedicti et Scholasticæ:

5 Perfecturi itaque negotium, quod cœperant, ut diximus, se ab altero itinere diviserunt: sed ad destinatum locum castri, id est Cassinum, simul iterum, altero de alio ignorante, Domino autem volente, una die convenerunt. Cumque se iterum improvise simul advenisse perpenderent, utique hæsitantes, quid alterius partis studium vellet, æstimantes, quod Dei nutu hujusmodi utriusque eventus accideret: tandem sibimet mutuo sui itineris causam, et ob quod desiderium tam longum sumpsissent laborem, quod * diu occultaverant, manifestarunt, Cenomannici scilicet viri, quod corpus Sanctæ Scholasticæ, Floriacenses autem quod Sancti Benedicti, a prælatis suis, quibus id per revelationem divinam ostensum fuerat, directi quærerent; ac si Dominus eorum desiderium implesset, ad ferendum advenissent, ibidemque paululum ab iterando * cessantes, exspectabant eventum rei, et obnixe deprecabantur Dominum, ut visionem, quam ipse eis revelare dignatus fuerat, ostenderet: quique eos ad hoc opus destinaverat, ut non in vacuum cucurrissent, thesaurum, pro quo venerant, demonstrare non differret.

* Mabill. qui

* itinerando?

B

qui cœlesti indicio

6 Cum itaque signi alicujus causa capiendi, loca ejusdem montis discursantes peragrarent, et huc illucque seduli exploratores oculos verterent; conspicientes eos quidam gregum pastores, sciscitabantur cujus rei causa illuc venissent, aut quare considerantes tam diligenter eadem loca, explorare curarent. Sed cum illi cœptum negotium eis manifestare detrectarent, quidam eorum, ætate gravior et longiturnitate dierum præstantior, nutu Dei tactus, intellexit eos occultiorem velle investigare causam, secretiusque evocans eos, ait: Cur mihi rem, pro qua venistis, tam occultam facitis? Nam si mihi eam innotescitis, si admodum secreta fuerit, ita penes me, sicut apud vos, occulta manebit. Si autem conscius ejus rei, quam quæritis, esse potero, data mihi a vobis digna recompensatione pro quantitate scientiæ, eventum rei manifestare curabo. Cum hæc prædicti Dei famuli ab ipso percepissent, reputantes intra se, ne forte pro hoc eum illuc Dominus direxerit, ut eis, quod quærebant, ipse indicaret; perpendentes etiam, quod in antiquis invenitur sapientia, et rerum præteritarum consilium; interrogati ex ordine, pro qua re venerunt, retexerunt historiam, et quæ visio propter hanc rem demonstrata fuisset, innotuerunt. Nulla erit, inquiunt, in reddenda tibi mercede dilatio, si nostro satisfacere poteris desiderio. Tunc senex ait: Cum proxima, recedente die, venerit nox, paululum quiescentes, celerius surgite, et septa domus egredientes, sub nudo aëris axe prudentes speculatores assistite: cumque aliquem locum hujus solitudinis clarissimo lumine radiare conspexeritis ad similitudinem lucidissimi montis, locum diligenter notate: veraciter enim credo, quod ibi invenietis causam, pro qua tantum laborem sumpsistis.

C

illuminati SS. Reliquias inveniunt,

7 Venerabiles igitur viri, ardentes pro hujusmodi desiderio, paululum, ut eis senex prædixerat, somni percipientes, primaque vigilia surgentes, de domo egrediuntur, prædictæque solitudinis plagam sollicite considerantes, conspiciunt quemdam locum, lumine claro, veluti diversis facibus et innumeris luminibus, illustratum, præfulgide micantem. Quibus visis, gaudio repleti, Gubernatori omnium grates egerunt immensas, et in laudibus reliquum spatium noctis duxerunt insomne. Cum vero sequens dies primum illucesceret, ad locum, super quem prædictum splendorem viderant, cum litaniis et hymnis et orationibus Dominum, ut eorum votum impleret, suppliciter obsecrantes, devotissime accedunt. Post diutinam vero precem eumdem sacratissimum locum, in quo sancta corpora quiescebant, cum summa veneratione adeuntes, locum ibidem inveniunt exterius quidem vilem, interius autem magni pretii margaritis renitentem. Solerter autem superpositam ecclesiam considerantes, nomina eorum, quorum sacratissima pignora interius condita erant, perspiciunt: evacuatoque atque patefacto eodem a latere loculo, desiderabilem thesaurum intra unius sportellæ concludunt sinum: moxque cum summa festinatione iter, quo venerant, repetentes festinantes regredi curabant, portantes quas, Domino propitiante, invenerunt pretiosas margaritas *k*. k

D

et in Galliam deferunt,

8 Interea, illis repedantibus, jamque fines illius regionis attingentibus, vox a Deo, divinitus per noctem facta, monuit eos, ut velocius inde regredi curarent, nec ullas moras in redeundo facerent, ne aliquod impedimentum a civibus aut a quolibet illarum regionum eis accideret. Nam eadem nocte Papam Romanum *l* quidam per visionem ita allocutus est: Cur te, inquit, tam gravis somnus opprimit, ut stratibus deditus, curam tuæ provinciæ negligas? Et quare, dimissis publicis utilitatibus, propriis implicaris? Namque, ut manifestius tibi sit quod dico, noveris te hodie magnarum virtutum patrociniis carere, Sancti Benedicti scilicet atque Beatæ Scholasticæ sororis ejus, quorum corpora quidam a Gallicis regionibus huc adventantes, illuc secum modo ferunt humanda. His auditis, Papa Romanus, sine mora a lecto exsiliens, arma comitesque requirit, et junctis sibi Longobardorum auxiliis, conabatur persequi recedentes. Sed famuli Dei, memorata visione accepta, formidantes, ne forte eis aliquid triste accideret, frequenter retrorsum respiciunt, et vident se ab hostibus velociter subsequi. Tuncque timore repleti, terræ se prostraverunt, omnipotentem Deum suppliciter implorantes, ut qui eis corpora Sanctorum suorum revelare dignatus fuerat, quique hactenus illis prosperum eventum concesserat, eos et ab insequentibus potenter liberaret, et ad propria clementer absque gravi impedimento eadem sancta pignora deferre concederet.

E

l

F

ubi miraculis

9 Quorum mox preces divina pietas exaudivit, et ita densitate tenebrarum spatia, quæ inter utrosque erant, replevit, ut præcedentibus quidem servis Dei, Sanctorum corpora deferentibus, eadem densitas tenebrarum nihil obesset, persecutoribus vero omnem facultatem videndi aut inveniendi præcedentes omnino denegaret: sicque servi Dei, omni pavore sublato, intrepidi, Domino tribuente, redirent. Tandem igitur, quamquam laboriose, salubriter tamen, tanto confecto itinere, in prædiolum quoddam reverterunt, Bonodium nomine *m*, situm in pago Aurelianensi: lassitudine cogente, in quo loco cum paulisper indulgerent quieti, ecce quidam sine oculis materno fusus utero advenit, magnisque vocibus oris ac fidei Sanctos interpellabat, ut quæ natura negaverat, sibi lumina præstarent. Igitur dum in his vocibus perstaret, parvo intervallo atque vix una hora effluente, discussa caligine cæcitatis, lumen sibi diu negatum

m

A tum cœpit aspicere, et Deum simulque S. Benedictum et ejus sanctissimam sororem Scholasticam magnis laudum vocibus cœpit extollere.

variis illustrantur: 10 Placuit Divinitati huic miraculo aliud in eodem loco conjungere, ut quantæ sanctitatis essent, quorum cinis portabatur, ostenderet. Namque debilis quidam, qui erectus ire nequibat, per terram rependo se trahens, utpote qui omnium membrorum officio destitutus erat, advenit, implorans auxilium ab omnipotente Deo per famulos illius. Itaque miro modo cœperunt se nervi, diu contracti, extendere, et aridi diu meatus venarum sanguinis inundatione humectari; atque ita, Deo volente, accepto robore, lætus super pedes constitit et curatoribus suis magnis vocibus benedixit. Qui locus hactenus basilicam retinet, in honore eorum consecratam. Cumque de eodem loco moveri placuisset, aliud prædiolum adierunt, mille quingentis ferme passibus a monasterio, ad quod
n tendebant distans, Villa-Nova cognomine *n*. In eo etiam cum aliquantulum eis quiescere placuisset, obvius eis quidam cæcus factus est, qui, magno impetu ferociter facto, sportam, qua corpora Sanctorum portabantur, apprehendit, quem vir Dei
o B Aygulfus *o* moderata studuit correctione castigare, atque ab illicita præsumptione revocare. Sed quem lumen amissum constristabat, respondit, nullo modo se posse ab eo divelli loco, nisi quam primum lumen reciperet; pronuntiavitque se tantæ fidei esse, ut quidquid Sancti peterent, quorum Reliquiæ ferebantur, Domino ipsis annuente, tribuere possent. Cujus fidem præmia digna secuta sunt: namque, paulatim recedentibus tenebris ab oculis ejus, ab eodem loco clare videndo recessit.

et Reliquiæ S. Scholasticæ, 11 Post hæc vero cum in eundo nulla mora fieret, agmina monachorum cum plebe territorii Aurelianensis obviam eis processerunt milliario a
p monasterio, in loco, qui dicitur Vetus-Floriacus *p*; ibique cum gaudio et lætitia atque honore magno exceperunt corpora supra dictorum Sanctorum, sub quinto iduum Juliarum, et in eodem loco die illa eorumdem solemnitatem cum ingenti lætitia
q in Dei laudibus peregerunt *q*. Cum igitur solemnitatem Sanctorum corporum, ut supra dictum est, celebrassent, plebs Cenomannicæ urbis, a domno Berario episcopo directa, obviam suis civibus pro deferendo Sanctæ Scholasticæ corpore, pro quo idem pontifex miserat, affuit, secum ipsum de-
C center, ut competebat, deferre gestientes: nitentibus autem ejusdem loci viris, utraque sancta corpora penes se retinere, et asseverantibus, nequaquam velle Sanctorum Germanorum corpora ab invicem separari, sed, sicut eos in priori monumento simul jacuisse placuerat, ita in secundo indivisibiliter quiescere velle. E contra Cenomannici quique nobiles ac sapientes viri taliter contradixere: Justum, inquiunt, non esse probatur, ut quos divina voluntas participes fecit in superna visione superni oraculi et revelatione atque ostensione diu occultati thesauri, quique simul Sanctorum corporum tumbam adierunt et qui in sufferendo hujusmodi labore pares fuerunt, ut etiam fructus laboris æque non partiantur. Maxime vero non esse dignum dicebant, ut duo magna luminaria unius loci coarctaret angustia, cum singulis locis sufficerent singula.

ab ossibus S. Benedicti 12 His ergo et hujusmodi sermonibus tandem adquiescentes, petitionibus eorum assensum libenter præbuerunt; sic deliberantes decreverunt, ut ipsi S. Benedicti tantummodo corpus retinerent, et socios suos una cum concivibus suis S. Scholasticæ corpus domno Berario, qui eos ad hoc miserat, deferendum ad Cenomannis urbem cum omni caritate dimitterent. Inter hæc vero ambiguitas discernendorum ossa corporum facta est non modica, quippe cum utraque mixtim posita in una eademque, ut diximus, sportella fuissent devecta *r*. Hac itaque illa discernendi facta difficultate, r
hoc sapiens esse consilium decreverunt, ut ossa quæ minora esse viderentur, separatim ponerentur, majora altrinsecus congregarentur: quod ita factum est. Sed cum adhuc de his ambigerent, et certius quiddam ex hoc scire vellent, Divinitatem, ut id eis lucidius ostendere dignaretur, obnixe rogantes, totius noctis spatium in precibus transegerunt. Mane autem facto, contingit duorum parvulorum corpora ad loca illis contigua deferri exanima, quorum unum masculini, alterum vero sexus erat fœminini. Consilio itaque inito, utraque corpora ad se deferri fecerunt, et corpus masculini juxta sancta ossa, quæ majora videbantur, poni fecerunt, omnipotentiam divinæ majestatis invocantes, ut illorum hac causa sensum dignaretur facere certiorem. Factumque est, operante divina potentia, mox ut mortui corpus mortua ossa B. Benedicti tetigere, qui mortuus jacebat, vivus surrexit. E

13 Simili quoque deliberatum est consilio, ut juxta minora, quæ videbantur ossa, corpus puellæ ponerent mortuæ. Superna autem Sanctæ Trinitatis omnipotentia, ut demonstraret mortalibus junctos pro condignis meritis in cœlis, qui germani fuerant in terris, quos pares fecit merito, pares etiam fecit miraculo *s*. Nam ubi corpus ossa s
S. Scholasticæ tetigere puellæ, mox surrexit viva, quæ jam pridie fuerat mortua: sicque per mortuos est mortuis vita reddita, et bajuli funeris, qui tristes ad tumulum mortuos ferebant, cum vitæ redditis alacres ad propria redierunt. Omnia circa Sanctos suos divina clementia, apud quam quantum valerent eorum merita, corpora etiam testabantur exanima, cum a faucibus mortis erepta, fierent iterum rediviva. Antiquum namque inusitatumque post Elisæi actum hic constat miraculum; quia omnipotentis Dei manus, ut demonstraret Sanctos nec novis nec antiquis caruisse miraculis; vivos nobis, antiquis vero mortuos extulit operibus Prophetarum, completurque veridica vox Veritatis promittentis *t*: *Qui crediderit in* t
me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet. Lætis itaque animis magnisque voci- F
bus cuncti unanimiter benedicebant Dominum, qui ea, quæ hactenus illis fuerant dubia, tam celebri miraculo reddidit certa.

14 Remota igitur omni dubitatione, quæ pro sanctis discernendis corporibus animis eorum diu inhæserant, plebs Cenomannica corpus S. Scholasticæ, venerabiliter levatum, scapulis propriis imposuit, et cum ingenti gaudio ad domnum Berarium, suæ civitatis episcopum, iter vertit, ducem hujus negotii habentes quemdam Dei famulum, qui, alio sibi adjuncto venerabili socio, Romam atque Beneventum ad hoc opus explendum a prædicto domno Berario directus fuerat. Sed altero in itinere defuncto, superstes, Domino miserante, hoc negotium perfecturus exsistens *v*, v
opus cœptum decentissime procuravit. Tandem igitur, Domini misericordia præeunte ac subsequente eos et comitante, ad Cenomannicam urbem, fama adventus eorum jam per totam eamdem provinciam divulgata, gradatim propinquavere. Quibus domnus Berarius, venerabilis pontifex, una cum revestitis sacerdotibus et omnium graduum clericis, cum crucibus et thuribulis atque candelabris,

AUCTORE ANONYMO. — prodigiose distinctæ, — ad Cenomanos

AUCTORE ANONYMO.

labris, seu omnibus ecclesiasticis vexillis, necnon cum innumera utriusque sexus et ætatum multitudine obvius, personans celebrem concentum, devotissime occurrit, et sacratissimum S. Scholasticæ corpus venerabiliter suscepit.

magna pompa transferuntur.

15 Qui civitatem ingrediens, ad monasterium, quod ad hoc (ut diximus) opus inter murum civitatis et fluvium Sarthæ nobiliter atque decenter ab imis fundaverat, cum Letaniis, hymnis et psalmis, diversisque concentibus, cum summa veneratione devexit, ibique in ecclesia, quam in honore S. Petri jam dedicaverat *x*, decenter et solemniter post altare collocavit : ordinatisque quæ erant necessaria fœminis Deo sacratis, vitamque regularem ducentibus, infra breve spatium temporis plurimas nobilium, id est non minus quam quinquaginta centum fœminarum in eodem monasterio Dominico famulatui et militiæ regulari aggregavit; quæ se, relicto sæculo, Domini jugo ejusque magisterio humiliter manciparunt. Sed et ipsum monasterium de rebus sui episcopatus et de suis propriis, sive de aliis, quascumque attrahere vel adquirere manus ejus potuit, nobiliter ditavit, ipsumque cum omnibus ad se pertinentibus suæ sedi et matri Ecclesiæ, cui præsidebat, B subjectum in perpetuum fore censuit et suis successoribus vel ejusdem matris Ecclesiæ sacerdotibus atque reliquis canonicis perpetualiter possidendum reliquit *y*. Quod hactenus, meritis beatissimæ Scholasticæ promerentibus, innumeris miraculorum virtutibus declaratur, præstante Sancta et individua Trinitate, cui sit semper honor, laus et gloria nunc et semper et per infinita sæcula sæculorum. Amen *z*.

Fundatio Tuffiacensis

16 Tempore namque prædicti domni Berarii episcopi, erat in eadem parochia fœmina quædam Deo devota, nomine Lopa, relicta videlicet Eiregni, quæ amore Dei accensa, in proprio suo in villa quadam, nomine Tuffiaco *aa*, sita super fluvium Idoneæ *bb*, volens ædificare monasterium, quod se minime valens agere, cœpit frequentare Sanctum prædictum Berarium, ut per ejus consilium et auxilium mereretur jam dictum Dei opus ad effectum usque perducere. Cujus consiliis et memorata Lopa utens, suisque frequentissimis fruens colloquiis, magis magisque in præfatis desideriis anhelans, amore quoque et desiderio supra dicti domni Berarii, prædictam villam Tuffiacum C cum omnibus rebus et possessionibus suis, quas dudum aliis ecclesiis et propinquis minime tradiderat, per strumenta chartarum, multis subscribentibus episcopis, abbatibus, comitibus et reliquis nobilibus viris, legibus contradidit Sanctæ Cenomannicæ matri Ecclesiæ, et jam dicto Berario nostro episcopo ante Clodoveum, regem Francorum, filium videlicet Dagoberti *cc*, sicut in ejus strumentis, quæ in archivo nostræ matris Ecclesiæ hactenus servantur, habetur insertum. Memorata vero solemni traditione ante jam dictum regem legibus peracta, ejusque præcepto sua propria manu corroborato legaliter confirmata, cœperunt ambo, id est domnus Berarius et Lopa, construere præfixum monasterium.

et monasterii S. Mariæ :

16 Sed antequam novam inibi succurrerent facere ecclesiam, tanto desiderio anhelabat præfata Deo devota Lopa, ut domum, in qua habitare solebat, ad Dei servitium faciendum nobiliter præpararet. Petiit ergo sibi a jam dicto episcopo ecclesiam in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ sacrari. Cujus petitionibus prædictus Sanctus episcopus assensum præbens, quia Deo placitum esse cognovit, prædictæ matronæ casam in ecclesiam in honore Dei Genitricis Mariæ canonice conse- D cravit. Quæ hactenus ecclesia manet, atque in ea Dei virtute meritisque Sanctæ Dei Genitricis Mariæ multæ virtutes divinitus fiunt. Hac igitur peracta, cœperunt ambo reliqua ædificia operari et claustrum ædificare, in quo agmina monacharum congregare studuerunt, et regulariter vivere docuerunt, atque juxta Regulam S. Benedicti eas degere instituerunt. De suo namque monasterio, quod est in honore S. Mariæ intra fluvium Sarthæ et murum Cenomannicæ urbis constructum atque dicatum *dd*, ubi tum tempore S. Berarii domna Ada, quæ et Aldrechildis, propinqua scilicet domni Berarii, abbatissa erat, et agmina monacharum sub Regula S. Benedicti Christo servire supradictus pontifex adduxit, et monachas, bene probatas, ac secundum normam S. Benedicti degentes, in prædicto Tuffiaco regulariter una cum jam dicta matrona Lopa degere constituit. Dedit insuper sæpe dictus S. Berarius ex rebus suæ sedis Ecclesiæ aliquas villulas et nonnullos vicos, necnon alias varias possessiones ad prædictum monasterium in adjutorium, quæ hactenus ibi permanent, ex quibus ipsius monasterii congregatio victum vestitumque haberent, eorumque ecclesias E ornarent, et hospites ac peregrinos pleniter et regulariter reciperent, et Dei servitia pleniter et regulariter peragerent.

Sancti obitus.

18 Ipsum ergo monasterium sub jure suæ sedis Ecclesiæ dereliquit, atque futuris temporibus esse et regulariter sub ejus ditione cum augmentatione rerum vivere instituit : ubi et multa agmina monacharum adgregavit, et perfectum, id est centenarium numerum monacharum, una cum reliquis ad portam ejusdem monasterii sacerdotibus et cæteris Dei servis, una cum famulis eorum in perpetuum per suum testamentum esse confirmavit; quatenus ejus amminiculis Dei servi et pauperes Sanctæ Cenomannicæ matri Ecclesiæ famulantes, abundantius vitam et vestimentum percipere valerent. Cui Dominus, nobis orantibus, multipliciter retribuat mercedem suam. Prædictus ergo domnus Berarius fecit ordinationes LXI, sacerdotes CCCCV, diaconos CCXXVIII, subdiaconos et reliquos ministros sufficienter *ee*; et sedit in prædicta sede annos XXVI, menses IV, dies XXIV, et obiit in pace XVI Kal. Novembris in Aquitania, in pago Burdillense, in villa, quæ dicitur Banett *ff*. Inde F ad suos decenter allatus, atque sepultus est in synodochio vel monasterio Pontileva *gg*, quod ipse suo opere restauraverat, a sacerdotibus et discipulis suis honorifice, cujus meritis inibi multæ virtutes declaratæ sunt. Qui et cum Sanctis regnum adipisci meruit sempiternum ; quod et nos, ejus fulti orationibus, assequi, donante donatore omnium et principe, et possidere mereamur per immortalia sæcula sæculorum, amen.

ANNOTATA.

a *Plerumque, ubi diversa erat lectio, textum Anisolanum prætulimus, quia nitidius sensum scribentis exprimit : in margine tamen lectiones Mabillonii annotamus.*

b *Clodovæus, hujus nominis secundus, Neustriæ et Burgundiæ regnum occupavit a morte patris Dagoberti I*, XIX *Januarii* 638, *ad obitum suum* V *Septembris* 656.

c *Variant multum antiqui scriptores in designanda hujus Clodovæi indole : alii enim, ut noster, summis cum laudibus extollunt, alii e contrario eum*

A *eum tamquam vecordem et omni libidini deditum traducunt* (1).

d *Gesta Cenomanensia nulla proferunt Clodovæi II diplomata, ex quibus assertio biographi confirmari possit, sed neque multa recensent rerum Gallicarum scriptores : nempe unum Blidegislo diacono, quo Castrum Bagaudarum donat ad constructionem monasterii et quatuor pro monasterio S. Dionysii, prope Parisios* (2).

e *Hæc narratio de translatione SS. Benedicti et Scholasticæ in Galliam, non multis, ast iis quidem sat magni momenti, immutatis, reperitur scripta ab Adalberto, Floriacensi monacho, in Appendice ad Vitam S. Benedicti sub die* XXI *Martii* (3).

f *Historici Cassinenses vix attingunt eversionem Gothicam* (4), *sive quia nulla fuit, sive quia destructione Longobardica ejus fuit oblitterata memoria. De hac vero habet Paulus diaconus de Gestis Longobardorum lib.* VI, *cap.* XVIII (5) : Cœnobium B. Benedicti patris, quod in Castro Cassino situm est, a Langobardis noctu invaditur. Qui universa diripientes, ne unum quidem de monachis tenere potuerunt, ut prophetia venerabilis Benedicti patris, quam longe ante præviderat, compleretur,
B qua dixit : Vix apud Deum obtinere potui, ut ex hoc loco mihi animæ concederentur. *Refert istam prophetiam viri Dei S. Gregorius Papa, lib.* II *Dialog. cap* XVII (6), *eamdemque similiter de Longobardis interpretatur. Quod si Gothica præcessisset vastatio, quæ* funditus evertisset *Cassinense monasterium, non apparet quomodo brevi intervallo adeo instaurari potuisset, ut lamentaretur S. Benedictus* a se *constructum omnique cura præparatum cœnobium a Longobardis destructum iri.*

g *Indicavimus in præcedenti nota locum S. Gregorii, cujus liber* II *Dialogorum totus agit de rebus gestis S. Benedicti Abbatis.*

h *S. Mummolus, primus aut secundus Abbas Floriacensis ad Ligerim, colitur die* VII *Augusti : de eo scribunt Mabillon in Sanctis Ordinis S. Benedicti* (7) *et nostri sub dicta die* (8).

i *Videntur tum Cenomanis tum Floriaco bini directi fuisse ad asportanda Sanctorum corpora : id monstrat num.* 14 *hujus Vitæ, quo dicitur alter socius Cenomanensis in ipso itinere obiisse. Quamvis autem multiplicatio personarum servando secreto minime faveret, gravius adhuc erat periculum singulares mittere, quibus in via casu quocumque deficientibus, missio universa pessum ibat.*
C
k *Tota hæc narratio valde inconcinne meo judicio procedit. Etenim, remanente* ecclesia *sepulcris Sanctorum* superposita, *aliquatenus noscebatur locus, ubi corpora Sanctorum recondebantur, nempe pone vel subter altare majus. Dein ut indicaretur quæsitus locus, quomodo utile esse poterat* sub nudo aeris axe *aspicere lumen coruscans, quod quidem ecclesiam indicaret, nullatenus vero determinatum locum? Prudenter itaque Adalbertus Floriacensis omisit* (9) *mentionem facere* ecclesiæ *sacris Reliquiis* superpositæ : *idem etiam l. c. missos Cenomanenses et Floriacenses tunc solum sua vicissim secreta communicasse, post inventionem Reliquiarum, quum biographus noster num.* 5 *id ante eamdem contigisse referat. Et vero si Floriacensis solus utraque corpora invenisset, nulla fuisset ratio, ob quam Cenomanenses potuissent sibi vindicare Reliquias S. Scholasticæ, prout in utraque narratione refertur, hic num.* 11 *et apud Adalbertum* (10). *Cæterum simpliciorem brevioremque hujus translationis historiam exhibet nobis Anonymus Germanus apud Mabillonium* (11).

l *Et id quidem de Papa, Italicarum rerum incurioso, fabulam sapit, si translatio hæc ad annum* 653 *pertineat, ut vult Mabillonius* (12) : *nam illo tempore S. Martinus I, quia nolebat consentire ecthesi Constantis imperatoris, multiplici persecutioni obnoxius, tandem e sua sede ejectus, in Chersonesum relegatus fuit. Quoniam tamen translationis Floriacensis propiorem epocham non habemus, quam tempus regni Clodovæi II, quod ad annum Christi* 656 *extenditur, fieri potest quod hæc translatio etiam ad annum hunc proroganda videatur* (13), *quando Sedem Apostolicam tenebat S. Eugenius : sed non video quo jure exprobrari possit pontifici, longe posito, ablatio rei ignotæ.*

m *Bonodium idem videtur ac* Bonny-sur-Loire, dépt du Loiret, arrondiss. de Gien.

n *Hujus nominis villam non aliam invenio quam* Neuvy-en-Sullias, dépt du Loiret, arrond. d'Orléans : *locus tamen iste tribus fere passuum millibus, secundum mappam Cassinianam, Floriaco distat. Habent tamen Acta translationis apud Adalbertum* E
Novacula *pro* Novavilla.

o *S. Aigulphus Abbas ejusque socii Martyres coluntur die* III *Septembris, quo eorum Acta a nostris edita sunt. S. Aigulpho tribuitur a plerisque translatio S. Benedicti in Floriacense monasterium : ast id in dubium revocat Joannes Stiltingus in Commentario prævio ad laudata Acta* (14).

p *Vetus Floriacus numquid idem locus qui dicitur hodie* Fleury-sur-Loire, *mille fere passibus a monasterio S. Benedicti Floriacensis distans?*

q *Ad hunc diem, nempe* XI *Julii, memoriam hujus translationis recolit Usuardus, aliique plures Martyrologi* (15).

r *Anonymus Germanus, supra nota* k *laudatus, dicit* (16) : Congregatis vero ossibus et lavatis, posuerunt super sindonem mundissimam, seorsum tamen utriusque, ut secum portarent ad regionem, Romanis ignorantibus. *Ruit ergo ex hac narratione confusio ossium, secutumque eam ob rem miraculum.*

s *Prætulimus lectionem Ms. Anisolani, utpote clariorem : nam Mabillonius habet :* qui germani fuerant in terris, quos pares fecit etiam esse miraculo, *sensus mihi hiulcus videtur.* F

t *Textus citatus Joan.* XIV. 12 *habet :* Qui credit *(non vero* crediderit) in me *etc.*

v *Jam supra adnotavimus, non singulos, sed saltem binos, tum Cenomanis tum Floriaco, missos fuisse ad translationem complendam.*

x *Ecclesia S. Petri, recipiendo corpori B. Scholasticæ præparata, non diu perstitit; imo locum, quem olim occupavit, conjicitur solum esse illum, ubi est hodie quadrivium Calcaris,* Place de l'Éperon : *tempore vero Normannicarum vastationum avectæ fuere Reliquiæ S. Scholasticæ ad ecclesiam majorem S. Petri, quæ etiam de Curte appellatur,* Grand-Saint-Pierre, Saint-Pierre-de-la-Cour (17), *ædificatam ab Hugone I, Cenomanensi comite, anno* 969, *sub pontificatu Sigefridi : hodie exstat adhuc ædes, maxima ex parte conservata, et Scholis urbanis inservit* (18). *Occasionem nactus, non importunum judico complere quæ nostri majores ad*

(1) Daniel. Hist. de Fr., t. II, p. 43. Edit. Amstelod., 1742. — (2) D. Bouquet. t. IV, p. 635 et 636 et seq. — (3) Act. SS., t. III Mart., p. 302. — (4) Gattola. Hist. Cass. Tosti. Storia di M. Cassino. — (5) Murat. Scriptt. rer. Ital., t. I, part. I, p. 158.— (6) S. Greg. Magni Oper., t. II, p. 244. Edit. Paris, 1705.— (7) Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. II, p. 674. — (8) Act. SS., t. II Aug., p. 351. — (9) Ibid., t. III Mart., p. 303, n. 6. — (10) Ibid., p. 304, n. 10. — (11) Vet. Analect., p. 211. — (12) Annal. Ord. S. Ben., t. I, p. 394. — (13) Act. SS., t. I Sept., p. 735, n. 32. — (14) L. c. — (15) Mabill. Vet. Anal., p. 212. — (16) Ibid., p. 211. — (17) Pesche. Biogr. de la Sarthe, t. I, p. 15. — (18) Pesche. Dictionn. topogr. de la Sarthe, t. III, p. 350.

J. V. H. diem x Februarii num. 52 (1) dixerunt de corpore
S. Scholasticæ Virginis, Cenomanis quiescentis.
Circa annum 874, ut habet antiquum Breviarium
Juviniacense (2), instante Richilde, Caroli Calvi
uxore, majorem ossium S. Scholasticæ partem
reginæ contulit Robertus, Cenomanensis episcopus,
eaque in basilicam sub titulo S. Scholasticæ illata
fuere. Reliqua quæ remanserunt, iterum clausit
Robertus, ne id plebs Cenomanica sentiret et in
murmur et in seditionem verteretur. Ex quibus
verbis liquet, qua ratione apud Cenomanenses opinio
perseverare potuerit, se corpus aut saltem maximam
ejus partem perpetuo possedisse. Quæ vero Cenoma-
nis conservata fuere Sanctæ lipsana, maxima sem-
per in veneratione habita fuerunt. Postquam autem
anno 1562 vastata a Calvinistis Sanctorum ima-
gines et reliquiæ fuissent, capsam tamen argenteam
S. Scholasticæ sceleratorum rapacitati subtractam
dicunt nostri l. c., secuti Breviarium Cenomanense
ad diem xi Julii; ast in hoc illos fefellisse crediderim,
et conservationem Reliquiarum ad capsam tradu-
ctam fuisse. Etenim coram habemus apographum,
ex archivo Collegiatæ ecclesiæ S. Petri Cenomanensis
extractum, in quo legitur, die x Junii 1576 Reli-
B quias S. Scholasticæ positas fuisse in capsa argentea
nova, veteri destructa ab Hugonottis anno 1562,
(laquelle avait été défaite et démolie en l'an-
née 1562 que les Huguenots tenaient la ville du
Mans) : quam instaurationem suis sumptibus fieri
curavit Capitulum laudatæ ecclesiæ. Patronæ suæ
sacra pignora deinceps summa religione coluerunt
Cenomanenses, dieque xi Julii et infra ejus Octavam
ingens quotannis erat populi concursus, qui etiam
hodie perseverat, fideli populo conveniente ad eccle-
siam parochialem S. Benedicti, ubi hodie, quod
Reliquiarum præcipue superest, asservatur. Quum
porro, furente Gallica persecutione, anno 1792 in
ecclesia S. Petri altaria et sacristia destruerentur,
canonicus Savarre unam partem Reliquiarum sur-
ripuit, intactamque anno 1801 redux ab exsilio
invenit, quam postmodum dedit parochiali ecclesiæ
S. Mariæ de Cultura, in cujus thesauro hodie digno
honore reconditur. Altera pars subducta fuit,
quando lipsanotheca argentea jamjam frangenda
et igne subigenda esset : hæ Reliquiæ, apud judicem
Maulny depositæ, in capsa cypressina cum instru-
mentis authenticis adhuc latent : similiter ac earum-
dem pars tertia, a latomo in destructione inventa,
C et olim canonico Rottier de Madrelle concredita,
ac ab eo in castrum suum S. Gervasii (Saint-Ger-
vais-en-Belin, arrond. du Mans, canton d'Ecom-
moy) translata. Sed quæ hodie maxima apud
Cenomanos veneratione coluntur Reliquiæ S. Scho-
lasticæ, olim asservabantur in monasterio sancti-
monialium Benedictinarum S. Juliani de Prato,
atque opera Mariæ de Brossard-du-Fresne, dicti mo-
nasterii æditux, profanationi impiorum erepta fue-
rant. Quoniam vero dicta monialis sacra hæc pignora
publico cultui restituta optabat, Michael Josephus
de Pidoll, episcopus Cenomanensis, anno 1803
commisit rem examinandam Josepho Juliano Cail-
letau, parocho succursalis ecclesiæ S. Benedicti
intra urbem Cenomanensem. Quapropter die
xxvii Julii ejusdem anni hic interrogavit dictam
Mariam de Brossard, ejusque sociam Renatam Le-
breton, olim sororem conversam, quæ, interposito
juramento, declararunt Reliquias, quas exhibebant,
nempe ex ossibus S. Scholasticæ, S. Benedicti Abba-
tis, S. Victoris, S. Hyacinthi Martyris et ex san-
guine S. Francisci Salesii, intactas servatas fuisse,
inclusas nempe in theca argentea pentagona, cum D
fastigio concamerato et parva cruce superposita :
declarabant insuper eamdem thecam, hactenus
quinque crystallis clausam, omni tempore in dicto
monasterio S. Juliani venerationi fidelium exposi-
tam fuisse, eamdemque ut donum sese consignare
ecclesiæ S. Benedicti, ut ibidem publico cultu fruatur.
Eadem die Michael episcopus hanc declarationem et
donationem rata habuit, atque sacra lipsana publicæ
venerationi exponi permisit, iterumque recognita
ab hodierno episcopo illustrissimo D. Joanne Baptista
Bouvier, similem cultum eisdem exhiberi permis-
sum fuit die xiii Novembris anni 1834. Ad augen-
dam porro Sanctæ patronæ tutelaris devotionem
populi instituta olim fuerat pia sodalitas in S. Petri
ecclesia ; qua destructa, apud Cardinalem Caprara,
S. Sedis legatum, institerat laudatus parochus
S. Benedicti, ut confraternitatem S. Scholasticæ ad
suam ecclesiam parochialem una cum omnibus in-
dulgentiis et gratiis spiritualibus transferre dignare-
tur. Annuit petitis Cardinalis legatus et litteris,
die ii Augusti 1806 datis, episcopo Cenomanensi
facultatem concessit, ut petitam translationem fa-
ceret. Atque hæc sunt, quæ ad præsentem statum
Reliquiarum S. Scholasticæ addenda esse censuimus, E
quæque nobiscum communicavit R. D. Guiller,
Seminarii episcopalis œconomus, pro quo obsequio ei
gratias maximas habemus.

y Erat tunc usu receptum, ut e fundatorum
voluntate penderet, cui monasterium, a se conditum,
subjicerent, ut adnotat Mabillonius Annal. Bened.
lib. ii num. 19 (3). Sanctus autem Berarius, quod
sæpius in Gestis episcoporum Cenomanensium redit,
monasterium sanctimonialium suæ sedi subjecit.

z Ex hac clausula concludere licet totam narra-
tionem translationis excerptam esse ex alio docu-
mento, et quidem, uti jam monuimus, ex Floriacensi
relatione ejusdem translationis.

aa Tuffiacum, Tuffé, dépt de la Sarthe, arrondiss.
de Mamers.

bb Idonea, Mabillonio l'Huine (4) ; sed si mappas
Cassinianas consulimus, Tuffiacum alii fluviolo
impositum est, nempe la Caronne, qui meridiem
versus in Idoneam influit.

cc Agitur hic de Clodovæo II, Dagoberti I filio :
quod autem dicatur traditio facta S. Berario ante
tempora Clodovæi, id ita interpretamur, ut Sanctus
noster id acceperit antequam episcopalem sedem F
Cenomanensem conscenderet, quum habeamus illum
episcopum fuisse, ut fert inscriptio ejus Vitæ, tem-
pore ultimo Clodovæi. Possumus tamen hæc verba
ita interpretari, ut coram Clodovæo traditio facta
fuerit, maxime quia paulo infra legimus ante di-
ctum regem et sua propria manu eamdem corro-
boratam fuisse.

dd De fundatione hujus monasterii agit Brevia-
rium Cenomanense, Comm. præv. num. 1 citatum,
quatenus dicatur ad S. Berarium referri constructio
in honorem Dei Genitricis Mariæ. De hoc monaste-
rio nullum reperio exstans vestigium, nisi forsan sit
idem ac S. Julianus a Prato, St-Julien-du-Pré, quod
aliquando etiam S. Maria a Prato appellatur (5).
Convenit certe locus, ad Sartham fluvium situs ; sed
si verum est quod habet laudatum lexicum topogra-
phicum l. c., nempe sæculo primum undecimo, mo-
niales, expulsis viris monachis, illuc introductas
fuisse, jam de monasterio a S. Berario fundato
non ageretur : mihi non satis notæ sunt antiquitates
Cenomanenses, ut nodum hunc solvere valeam.
Quamvis et id accidere potuerit, ut primum ibidem

(1) Act. SS., t. II Februar., p. 402. — (2) Gall. Christ., t. XIII Instrum., col. 311. — (3) Annal. Bened., t. I, p. 40. — (4) Annal., t. I, p. 414. — (5) Pesche. Dictionn. topogr. de la Sarthe, t. III, p. 348.

fuerint

A *fuerint moniales, quibus successere monachi, et hi tandem tertio a monialibus excepti.*

ee *Non solum in hac Vita S.* Berarii, *sed in reliquis episcopis Cenomanensibus frequenter referunt Gesta numerum ordinationum et ordinatorum : recensent etiam Vitæ Romanorum Pontificum antiquiorum numerum eumdem, ut satis noverunt ii qui utuntur Breviario Romano. Si vero uterque numerus, scilicet ordinatorum a Romanis Pontificibus et ab episcopis Cenomanensibus, conferatur, maximam invenies inter utrosque differentiam, quod alia ratione explicari non potest, quam si dicamus recensionem Romanam, omissis aliis, solum numerare illos qui præcelsioris erant gradus et presbyterium Ecclesiæ Romanæ constituebant, quales erant Cardinales* (1).

ff *Qua de causa S.* Berarius *in Aquitaniam abierit, ignoratur ; forsan ad vitandam persecutionem Ebroini, majoris domus Theodorici III, occisoris S. Leodegarii* (2) *Locum obitus Sancti nostri reperire non valeo, nisi sit* Bannes, dépt de la Dordogne, arrond. de Bergerac, *in diœcesi Petragoricensi : ista villa aliquatenus in pago Burdegalensi sita dici potest.* J. V. H.

gg *Pontileva seu Ponsleugua*, Pontlieue, dépt de la Sarthe, arrond. du Mans. *In testamento suo Bertichramnus seu Bertrandus, cui tertius successit S.* Berarius *noster, jubet* (3) *ut in xenodochio S. Martini ad Pontem leugua* sedecim animolas Deo devotas, hoc est viros pauperes, cæcos aut debiles collocentur et diebus singulis eis victus facta ratione sufficienter ministretur. *Posterioribus temporibus erat prioratus Ordinis S. Benedicti sub abbatia S. Petri de Cultura Cenomanis* (4). *Hodie Reliquiarum S.* Berarii *nullum superest vestigium, neque locus cognoscitur, ubi sepulturam nactus aliquando fuerit.*

(1) Nardi. Dei parrochi, t. II. p. 95. — (2) Pesche. Biogr. de la Sarthe, t. I, p. xvi. — (3) Mabillon. Vet. Anal., p. 259. — (4) Mabill. Annal., t. I, p. 173.

B DE S. REGULO, CONF. ET ABBATE AUT EPISCOPO, E

S. DAMIANO PRESBYTERO, S. ANEGLAS DIACONO ET MUREN VIRGINE

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. Sancti memoria in Fastis ecclesiasticis; topographia Andreopolitana antiqua et hodierna.

SÆC. PROBABILITER IX. S. Reguli, variis diebus

De S. Regulo *jam pluries mentio occurrit in Opere nostro : nempe inter prætermissos ad* XXX *Martii* (1), *quando occasione homonymi Sylvanectensis episcopi, in veteri Breviario Aberdonensi colendus indicitur ; dein ad* XXVIII *Augusti* (2), *qui dies ei sacer in Martyrologio Anglicano Joannis Wilson ; demum ad* XV *Octobris,* C *iterum ex Breviario Aberdonensi, ubi tamen additur :* Quando in Quadragesima de eo non fuerit servitium ; *et mox, quod mireris :* sed differtur in crastinum. *Est mihi suspicio aliqua ad* XVI *Octobris repositum fuisse, quia in Calendariis quibusdam Hibernicis ad diem illum Regulus aliquis occurrit, qui S. Farannum, circa an.* 580 *clarum, adiisse legitur :* Regulus de Muc-inis in regione de Dalgeis, *nempe in comitatu Duaceno seu Gallivensi* (Galway) *in Hibernia Occidentali* (3) ; *et ad hunc locum Colganus* (4) : Ejus natalis celebratur XVI Octobris, in insula lacus Deirg-dhearc, quæ Muc-inis (5) appellatur, ut docent Martyrologium Tamhlachtense et Aengussius auctus ad eumdem diem. *Martyrologia ista nondum edita sunt, uti nec alia duo, quæ mihi præ manibus sunt, Dungallense videlicet et Mariani Gormanni, in quibus similiter Regulus ille (Hibernice* Riaghail) *ad* XVI *Octobris annuntiatur. Verum nihil est quod indicet hunc, qui in Occidentali Hibernia pene ignotus vixit, a nostro hodierno in Scotia Albanensi olim celeberrimo non fuisse diversum : quin et nominum similitudo in causa non raro fuit, ut quod et Reguli Sylvanectensis, supra allati, exemplum ostendit, ut Sanctorum homonymorum cultus in unum eumdemque diem constitueretur.*

in pluribus Martyrologiis annotati,

2 *Hagiographi Scotici Adamus King, David Camerarius et Dempsterus, uti disco ex notationibus decessorum nostrorum, diem* XVII *Octobris S. Regulo sacrum faciunt, quos secutus est Philippus Ferrarius in Catalogo generali SS. qui in Martyrologio Rom. non sunt :* Kileuri S. Reguli archiepiscopi Patrensis ; *et in notulis addit :* Is Reliquias S. Andreæ Apostoli in Scotiam Kileurum, hoc est Andreopolim detulit, circa an. 369 ; *quæ quidem infra ad crisim revocanda erunt. Ecclesia Aberdonensis in Scotia Breviarium suum anno* 1509 *Edemburgi prælo subjecit, ex quo, quum jam rarissimum sit, Officium S.* Reguli, *quod inibi occurrit ad* XXX *Martii, depromam. Moneo solum de pluribus quæ in Lectionibus proferuntur, inferius disputandum fore. En laudati Breviarii Oratio et Lectiones, cujus cæterum Officium est unius Confessoris et Abbatis :* F

Vitæ compendium

3. ORATIO. Omnipotens sempiterne Deus, qui per B. Reguli, Confessoris tui atque Abbatis, merita gloriosa, mitissimi Apostoli tui Reliquias nobis transferre voluisti ; tribue, quæsumus, ipsius gloriosis intercedentibus meritis, ut de terrenis ad cœlestia digni transferri valeamus. Per Christum. LECTIO PRIMA. Constantio, Romanorum imperatore

(1) Act. SS., t. III Mart., p. 796. — (2) Ibid., t. VI Aug., p. 240. — (3) Cfr Baudrand. Lexic. Geogr. part., t. II, p. 404, v° *Galloway*. — (4) Act. SS. Hiberniæ, p. 337 et 339. — (5) Cfr Cambden's Britannia, ed. Gough., t. III, p. 584.

feliciter

J. V. B.

feliciter regnante, nostri virginei partus salutiferi anno trecentesimo sexagesimo, in Achaia regione inclyta, ejusdem regionis civitate, nomine Patras, vir sane magnæ devotionis, nomine Regulus, feliciter claruit miraculis. Hic B. Andreæ, Apostoli et Scotorum inclytæ regionis patroni sanctissimi ossium et Reliquiarum, eadem in dicta civitate, in qua ipse S. Andreas passus est martyrium, custos fidelissimus fuit. Lectio secunda. Interea dum idem Constantius mortem ipsius Andreæ in dictos crucifigentes vindicare proposuerat, et dictam civitatem invaderet *, ut ipsius Apostoli Reliquias inde secum asportaret, ea nocte Angelus Domini B. Regulo apparuit dicens: Regule serve Dei, applica tibi fratres idoneos, viros sanctos et timentes Deum, et de theca ossium et Reliquiarum B. Andreæ, quæ tibi custodienda committitur, inde auferas ipsius dexteræ manus digitos tres, os brachii, ab humero dependens, dentem unum, et genu patellam, ac ibi tibi in loco quem monstravero caute custodias, donec redeam. Lectio tertia. Imperatore vero prædicto reliquas ipsius ossium partes Constantinopolim confestim transferente, Angelus eidem B. Regulo denuo reversus B est, mandatum satis salubre eidem imponens: B. Apostoli Reliquias tibi committendas tu tibi accipies, et electorum virorum tecum assumes coronam, et usque ad ipsius mundi partes occiduas transferre non postponas, atque usque ibi veniens, in dicti Apostoli sanctissimi honorem, laudem et gloriam perpetuam, ecclesiæ fundamina jacias. Erit enim ille locus ædificandi a Deo electus, firmaque et sempiterna et illius regionis sedes, caput et fundamentum.

* invaserat ?

ex Breviario Aberdonensi.

4 Lectio quarta. Gloriosus itaque Confessor Regulus de tam ingenti legatione, eidem cœlitus commissa, Dominum nostrum Jesum Christum et B. Andream devotissimis collaudavit canticis, et suam legationem in ipsorum nomine complere exorsus est. Quumque duorum annorum spatio, marinis agitatus procellis, navigaret, dubius admodum, quo vela verteret, a Domino tandem confortatus, ipse cum sociis incolumes quarto Calendas Octobris, terram Scotorum applicuerunt, crucisque eosdem præcedente signaculo, de nave descenderunt, in porcorum nemoribus primitus rem aggrediuntur. Lectio quinta. B. igitur Regulus et ipsius summi Dei providentiæ et supernæ suæ C cogitationis non immemor, ostenso divinitus loco per Angelum, B. Andreæ Apostolo basilicam construere properabat, ac quos secum adduxerat viros, ubique per regnum Scotiæ, Pictorum et Britonum ad verbum Dei prædicandum misit. Ex quo facto innumerabilis fere populi multitudines ad fidem Christi perfectam conversi, ac in ejus nomine per eosdem baptizati, variisque interim miraculis, ipsius B. Reguli intervenientibus meritis, suffulti et æterna præmia eorumdem prædicatione consecuti sunt. Lectio sexta. Sed quum B. Regulus antedictam basilicam suis sumptibus minime construere valeret, visa est tunc temporis per regem Hungum, qui Pictis imperabat, Angelorum super dicti Apostoli Reliquiis maxima coruscatio. Et dicto S. Regulo et sociis Rex ibidem suo cum exercitu se contulit, et ab eodem cunctis cum ministris baptizatus est; terramque cultam quam copiose in honore B. Andreæ et B. Reguli instantia hac die in perpetuum concessit, hujusmodi loco talem imponens titulum: Hæc est civitas civitatum D et mater Ecclesiarum, et Sedes Apostolica in omnium Scotorum provincia. Post hæc B. Regulus in continuis laboribus, vigiliis et lucubrationibus quam strenue die nocteque cum omni sanctitate, oratione et jejunio usque ad suæ vitæ sanctissimæ exitum se exercitatus est, sed annorum multitudine usque ad decrepitum perveniens, in Dei nomine super æthera cœlos conscendit et requiescit.

Andreopolitana topographia

5 *Locus ad quem S.* Regulus *appulit primum dicebatur* Muc-Ross, *id est Promontorium porcorum; sed a rege Hurgust, filio Fergusi, qui eum excepisse et ibi templum exstruxisse fertur, vocatus est Regmund*, seu mons regis, vel etiam* Kilremunt *, *quod sonat* Cella, templum regis in monte. *De hac æde scribens Boëthius in Historia Scotorum* (1), *(ut nihil dicam de* Reguli *nostri navigatione, variis adjunctis exornata)*, struxit, *inquit, rex Heirgustus* haud procul a palatio *(quod divo Andreæ, Regulo ac sacerdotibus ibidem deinceps Deo Optimo Maximo famulaturis libere erogaverat)* sacram ædem divo Apostolo dicatam. Ferunt eam esse, quam hodie omnibus venerabilem cernimus in medio agro canonicorum sepulturæ sacro, monumentis prisco more celebribus (ut est videre) sine tamen nomi- E nibus, refertam. Hanc prior ætas Kikeuil *(lege* Kilruil *, *uti corrigendum esse docet in* Erratis) *hoc est templum* Reguli, *aut,* Regulo *potius suadente, structum, recentior vero* vetus Andreæ templum *appellitat.* Ornavit, *ait porro Boëthius,* et id templum donariis amplissimis, pateris, scyphis, calicibus, pelvibus, lavacris ex argento auroque, ac alia pretiosa suppellectili in sacrorum usum quæsita: sacerdotibus ad divina perpetuo exequenda ibidem constitutis. Heirgusti exemplum longa regum series primo Pictorum, deinde Scotorum, qui deletis Pictis ea loca tenuerunt, religiose est insecuta, divum Andream pro numine habentes tutelari.

* al. Reymouth, Remunt, Rithmunt.
* al. Killrymont.
* Kill-Rule.

antiqua

6 *Visitur hodieque pars præcipua sacelli S.* Reguli, *de quo ob antiquitatem et singularem structuram integra opuscula edita fuere* (2). *Sacellum ipsum (nam alæ duæ dejectæ fuere) in extrema orientali parte cœmeterii exsurgit, longum pedibus* XXIV, *latum vero* XVIII; *quædam ex fenestris et portis non rotundæ sed potius delumbatæ, ut architectæ loquuntur, antiquissimam structuram esse demonstrant. Turris quadrata in latere pedes habet* XX, *in altitudine ad* CVI *pertingit. Non solum sacellum* F *istud, sed tota olim civitas, ob populi concursum,* Kill-Rule, *id est,* Cella Reguli, *audivit et etiamnum audit a Scotis montanis* (3). *Porro ibi vixisse feruntur S.* Regulus, *ejusque socii ac discipuli, ac nonnulli, nescio quo tempore, vitam solitariam sectantes ibidem in speluncis habitarunt; quales adhuc Andreopoli exstare testatur Georgius Chalmers* (4). *Ex iis una, Castellum inter et portum sita, arte humana excavata est, rotunda, et in diametro pedes ultra decem numerans, totidemque in altitudine. Ad orientalem partem speluncæ cavata est rupes interior in formam mensæ sive altaris, et occidentem versus porta aliqua ad cellulam ducit, in qua eremitam olim vixisse traditio refert* (5).

et hodierna.

7 *Exinde videntur ibi semper monachi aut presbyteri fuisse, dictique sunt Culdei, cujus generis homines olim Scotici Historici Boëthius, Leslæus, Buchananus, tertio aut quarto jam sæculo regioni suæ tribuebant* (6). Multi ex Brittonibus Christiani,

(1) Paris, 1526, fol. CVIII. — (2) Biblioth. Topogr. Britannica. Lond. 1787, p. 47: G. Martin: History and antiquities of St. Rule's Chapel in the monastery of S. Andrews in Scotland. — (3) Carlisle, a topogr. dict. of Scotland. Lond. 1813. V° *S. Andrews*. — (4) Caledonia, t. I, p. 317. — (5) Ibid., p. 202. — (6) Boëth., l. c., fol. XCV: Dempster, Histor. eccles. Scotor., lib. I, n. 45, et in Apparatu ad Hist. Scotic. passim; Leslæus, de Reb. gest. Scotor., lib. III, cap. XXXIV; Buchanan. Rer. Scotic. Edimb. 1715, p. 68.

inquit

A *inquit Buchananus*, sævitiam Diocletiani timentes, ad eos confugerant : e quibus complures, doctrina ac vitæ integritate clari, in Scotia substiterunt, vitamque solitariam tanta sanctitatis opinione apud omnes vixerunt, ut vita functorum cellæ in templa commutarentur : ex eoque consuetudo mansit apud posteros, ut prisci Scoti templa cellas vocent (*uti* Kill-Rule *alii cellam, alii templum* Reguli *interpretantur* (1)). Hoc genus monachorum Culdeos appellabant : mansitque nomen et institutum, donec monachorum genus recentius, in plures divisum sectas, eos expulit. *Audis hæreticam acrimoniam, ast veriora de his jam proferenda sunt.*

§ II. Disquisitio in Culdeos, eorumque institutum et fata.

Culdeorum institutum

Quoniam *vero de Culdeis seu Colideis (anglice* B Culdees) *mentio incidit, operæ pretium ducimus, vexatissimam quæstionem hoc loco attingere. Non pauci scriptores, a fide catholica alieni, controversiam agitarunt de Culdeorum origine, indole et fatis, quatenus faverent, sive episcopalismo, si ita loqui fas est, Anglicano, quum monstrant Ecclesiam quamdam extra jurisdictionem Pontificiam constitutam, sive presbyterianismo Scotico, quum ostendunt Ecclesiam ex solis presbyteris, episcopatu abolito, coalescentem. Erant porro Culdei frequentissimi olim in Scotia et Hibernia, eorumque nomini varia etymologia tribuitur : Hiberni enim a Ceile vel* Kele-De, *id est,* Servus Dei, Deicola, *deducunt appellationem; alii vero a* Ceile, *simul, et* Dea, homo, *ita ut vox composita* homines in communi viventes *significet : omitto etymologias minus receptas*(2). *Quo vero tempore id nomen apparuerit non facile est definire, sed non videtur (quoad Hiberniam attinet) ante initium sæculi decimi repertum iri. Guilielmus Lloyd circa an.* 900 *id primum apud historicos obvium esse censet* (3) ; *ast Doctor Lanigan anno solum* 921 *in Hibernica historia deprehendit* (4), *quando Godfridus dux Normannorum pepercisse dicitur* Ecclesiis, Colideis et infirmis (5). *In Scotia vero paulo altius* C *fortasse Culdeorum origo repetenda erit, et vix dubium videtur quin Andreopoli, sive in Fano* Reguli, *ut ea urbs a scriptore quodam Andreopolitano appellatur* (6), *eorum institutum primum viguerit. Quamobrem quæ circa eos disputata fuere breviter exponere visum est. Non fuit diu retenta assertio Boëthii, Buchanani aliorumque recentiorum, Culdeos nempe a tempore Diocletianeæ persecutionis jam in Scotia versatos esse. Arridebat quidem plurimum tum iis quibus antiquitatem regni Scotici exaggerare, et introductæ non solum sed firmiter constitutæ religionis Christianæ tempus usque et usque removere placebat ; tum præsertim iis, qui presbyterianismi, ut aiunt, ardentes fautores assertum componebant cum loco quodam Johannis Fordun* (7) *sæculi* XIV *scriptore, ubi hæc habet :* Ante cujus *(S. Palladii circa an.* 431) adventum habebant Scoti fidei doctores, ac sacramentorum ministratores, presbyteros solummodo vel monachos, ritum sequentes Ecclesiæ primitivæ. J. V. H.

9 *Hæc igitur plurimum doctrinis suis favere autumantes, hos* doctores, presbyteros vel monachos, *Culdeos fuisse affirmabant, et consequenter hujus nominis homines sine hierarchia episcopali, nec ulla ratione Sedi Romanæ obnoxios vixisse* (8). *At ex quo ostensum est ab Asaphensi episcopo Anglicano G. Lloyd in Opere citato et Edw. Stillingfleet in Præfatione* Originum Britannicarum, *tum etiam recentioribus Jo. Pinkerton* (9) *et Georg. Chalmers vanissimum esse in his fidem adhibere Johanni Forduno, iisque, qui aut Forduno unice nituntur, aut ipsi fabulas fabulis cumulant, videlicet, Boëthio, Dempstero, Buchanano, Leslæo et Joanni Majori, cœptum est ad S. Columbæ Pictorum septemtrionalium apostoli tempora, Culdeorum originem retrahi. Summopere enim placebant quæ de hoc Sancto et insula Hy sive Jona in qua vixit, Beda in sua Historia scripsit* (10) : Habere autem solet ipsa insula rectorem semper abbatem presbyterum, cujus juri et omnis provincia, et ipsi etiam episcopi, ordine inusitato, debeant esse subjecti, juxta exemplum doctoris illius *(Columbæ)*, qui non episcopus, sed presbyter exstitit et monachus. E

nullatenus favet systemati presbyteriano.

10 *Ex quibus verbis presbyteriani deducebant episcopos presbyteris inter Culdeos nullatenus prævaluisse : qua in opinatione, non facile videtur, cur essent episcopi, quos tamen, licet abbati subjectos, inter Scotos fuisse, Ven. Beda commemorat. Scilicet presbyteriani, obliti distinctionis inter potestatem* Ordinis *et* Jurisdictionis, *dum abbatem presbyterum vident primatem totius provinciæ, cui et ipsi episcopi subduntur, continuo eliminatam potestatem Ordinis episcopalis effinxere. Quasi vero, ut ratiocinationem exemplo illustremus, Fuldenses, monachi ad medium usque sæculum præterlapsum, presbyterianismum sectati fuissent, habentes abbatem presbyterum, jurisdictionem quasi episcopalem in vastum territorium exercentem, qui unum ex subditis monachis habebat episcopali charactere insignitum, ad ea quæ sunt pontificalis Ordinis peragenda : qui rerum status continuavit usque ad annum* 1752, *quo Benedictus XIV Fuldense territorium in episcopatum erexit bulla sua, data* III *Nonas Octobris* 1752 (11). *Erat igitur et Fuldæ Ordo, ut Bedæ verbis utamur,* inusitatus; *de quo tamen dicere licet,* exceptionem firmare regulam, *necquidquam decrescere dignitati et necessitati Ordinis episcopalis, si, propter speciales rerum et temporum circumstantias, extraordinaria via, alicui presbytero amplior quædam jurisdictionis potestas obtingat. Eamdem quæstionem adversus Blondellum retractat Natalis Alexander,* Dissert. XLIV § XXIX (12), *et in specie monstrat Hierarchiam Britannicam, Beda teste, in episcopis fontem et propagationem habuisse.* F

quoniam alia est jurisdictionis, alia Ordinis potestas.

11 *Et reipsa paucis ostendi potest Ecclesias Britannicas ab episcopis originem ducere : ipsa enim ejus initia sub Lucio rege ab Eleutherio, Romano Pontifice, manarunt : ac deinceps S. Ninianus ad Pictos Australes per Siricium Papam* (13), *SS. Palladius ac Patricius a Cælestino Papa I* (14), *SS. Augustinus et socii a Gregorio Magno* (15), *missi sunt. Indubie itaque S. Columba, qui scientiam et disciplinam ecclesiasticam in Hibernia hauserat, venerationem summam erga episcopos, tamquam*

et omni tempore a Sede Romana et episcopis

(1) Cfr Act. SS. ad Vitam S. Junian., t. VII Octob., p. 847 et seq. — (2) Buchanan, l. c., 97. Nicholson. Irish. hist., p. xxix. Dublin, 1724. Cfr Jamieson. Account of the ancient Culdees. p. 3 seqq. Goodall. Scotichron. præf. 68. Lanigan. Eccles. Histor. of Ireland, t. IV, p. 31. — (3) Cfr Lanigan, t. IV, p. 300. — (4) L. c., 303, et t. III. p. 367. — (5) Ex 4 Magistris ap. Colgan. Trias Thaum., p. 296. (6) Cambden Brit., t. III, p. 370. — (7) Gale Scriptt., t. III, p. 625. — (8) Selden, Præf. ad Twysdeni x Scriptores, p. VI-XIX. — (9) An inquiry into the history of Scotland preceding the reign of Malcolm III. Lond. 1789, t. II, part. V et VI. Et in Præf. ad Vitas SS. qui habitaverunt in Scotia Lond. 1789. — (10) Hist. Eccles., lib. III, cap. IV. — (11) Bullar., t. X. p. 62. Edit. Mechlin. 1827. — (12) Hist. Eccles., t. IV, p. 618. Edit. Venet. 1778. — (13) Act. SS., t. V Septemb., p. 318. Beda. Hist., lib. III, cap. IV. — (14) Act. SS., t. II Jul., p. 288, n. 12, et t. II Mart., p. 528, n. 61. — (15) Ibid., t. VI Maii, p. 379, n. 5.

Ecclesiæ

J. V. B.

Ecclesiæ patres, in Scoticam gentem transtulit :
cujus quidem rei luculentum nobis argumentum
præbet Adamnanus, biographus, Bedæ coævus, qui
refert (1), episcopum quemdam ad Sancti Columbæ
monasterium adventasse, qui se, in quantum po-
tuit, occultabat humiliter, ut nullus sciret quod
esset episcopus, sed tamen Sanctum hoc non pote-
rat latere. Sed Sanctus intuitus faciem ejus sic eum
compellat : Nunc scimus, quod sis episcopus :
quare hucusque te occultare conatus es, ut tibi
a nobis debita non redderetur veneratio ? Præte-
rea nemo ignorat graves diuturnasque controver-
sias inter Anglos et Scotos exarsisse, et utrinque
acriter decertatum fuisse, quamvis ageretur solum
de re disciplinari, nempe de computu paschali et
clericali tonsura; quod si dissensissent circa quæ-
stionem longe magis momentosam, qualis certe erat
eminentia episcoporum supra presbyteros, absque
dubio Ven Beda, orthodoxæ fidei et Romanæ disci-
plinæ retinentissimus, aliquo saltem verbo difficulta-
tem indigitasset : jam vero si scriptores coævos con-
sulimus, dissensionis causam nisi duas opiniones su-
pra allatas nullam reperimus. Unde recte concludi-
mus Scotos in reliquis omnibus cum Anglis, adeoque
B cum Ecclesia Romana consensisse, neque proinde
S. Columbam ejusque discipulos quasi patronos epis-
copalismi anglicani aut presbyterianismi Scotici
invocari posse.

per totam Britanniam manavit regimen Ecclesiæ.

12 Hactenus dicta sufficerent ad monstrandam
indolem fidei et dicplinæ Culdeorum, si vere consta-
ret illos sub Columbiano instituto vixisse : sed hic oc-
currit nova difficultas. Etenim acatholici scripto-
res toti in eo sunt, ut monachatum a Culdeis abju-
dicent (2) : neque id immerito, quoniam si monachi
fuissent Culdei, non leve adversus Protestantes An-
glos et Scotos ferrent testimonium. Verum si Culdei
non fuerunt monachi, qua, quæso, ratione ad suc-
cessionem Columbianam pertinent ? Quod si perti-
nent, quomodo monachi non fuerunt? Siquidem
Ven. Beda, Hist., lib. III, cap. IV, aperte dicit Colum-
bam habitu et vita monachi insignem fuisse Alia
igitur Culdeis origo inquirenda esset, ut ineluctabi-
lem alterutrius opinionis conditionem effugerent
Protestantes. Quocirca statuunt quidam Culdeos
esse successores Druidarum, atque ex his propaga-
tos fuisse (3). Non vacat inquirere, utrum Druidæ
eorumque cultus umquam inter Pictos exstite-
rint (4) ; nam, etiam ista opinione admissa, rema-
C neret quoque ostendenda inter Culdeos et Druidas
cognatio, cujus vinculum nullo argumento constrin-
gunt : imo ut aliquid roboris sententiæ suæ addant,
adiguntur Druidismum usque ad Columbæ adven-
tum prorogare (5). Quo in casu pronum est opinari
Culdeos magis Columbæ ejusque sociis, quam Drui-
darum asseclis adhæsisse, quia tota illorum doc-
trina, quo demum cumque modo interpretemur, ad
normam Evangelii instituta est. Ast Protestantibus
maximi intererat Culdeos a ritibus catholicis quam
alienissimos habere, quapropter opportunior erat
cum impuris idolorum cultoribus societas, quam
cum Petri Cathedra necessitudo. Tanta nempe est
sectariorum cæcitas !

Culdei non monachi,

13 Cæterum et nos quoque ejus sumus opinionis,
ut nullam inter Columbianos monachos et Culdeos
cognationem intercessisse credamus. Nam imprimis
S. Columba institutum suum maxime inter Pictos
Septemtrionales propagavit ; ad Scotiam autem
Septemtrionalem nullatenus pertinent præcipuæ
Culdeorum sedes, quæ, quantum ex editis instrumen- D
tis judicare licet (6), circa Andreopolim et in Anglia
Septemtrionali constitutæ erant; unde conjicio istic
incunabula esse inquirenda Ast Andreopolis ejusque
fines ad Scotos australes, adeoque a S. Niniano
circa initium sæculi V conversos, pertinebant, et toto
continenti Scotico ab Hyensi insula distabant Hacte-
nus dicta ostendunt satis, quid non sint Culdei; quo-
niam tamen ex multiplici argumento constat illos
ad hierarchiam ecclesiasticam pertinuisse, ut instru-
menta infra citanda abunde manifestabunt, operæ
pretium est et nostram proferre sententiam. Joan-
nes Lanigan, eamdem quæstionem pertractans (7),
non dubitat Culdeos clero sæculari adscribere ; et si
præter studium partium controversia examinata
fuisset, omnes in hanc sententiam, quatenus longe
probabilissimam, consenssissent. Et quidem omnem
monasticæ vitæ suspicionem amoliri conatur a Cul-
deis sæpius laudatus Joan. Jamieson (8), et ex textu
Registri S. Andreæ, quem citat, satis apparet, illos
aut numquam monachos fuisse, aut saltem in hoc
vitæ genere non perseverasse : Sublatis, inquit ano-
nymus Registri compilator (9), e præsenti vita
Sanctis, quorum supra mentionem fecimus, qui
cum Reliquiis Beati Apostoli advenerant, et eorum E
discipulis atque imitatoribus, cultus ibi religiosus
deperierat, sicut et gens barbara et inculta fuerat.
Habebantur tamen in ecclesia S. Andreæ, quota
et quanta tunc erat, tredecim per successionem
carnalem, quos Keledeos appellant, qui secun-
dum suam æstimationem et hominum traditionem,
magis quam secundum statuta Patrum vivebant.
Sed adhuc similiter vivunt, et quædam habent
communia, pauciora scilicet et deteriora ; quæ-
dam vero propria, plura scilicet et potiora, prout
quisque ab amicis suis, aliqua necessitudine ad se
pertinentibus, videlicet consanguineis et affinibus,
vel ab iis quorum animæ charæ sunt, quod est ami-
citiarum amici, sive aliis quibuslibet modis, poterit
quis adipisci. Quid vero per successionem carna-
lem intelligendum sit, non facile est definitu ; Joan.
Jamieson (10) rejicit eorum interpretationem, qui
censent tredecim fuisse generationes sibi succedentes
usque ad tempus, quo hæc scriberentur, et magis
opinatur tredecim fuisse viros, qui hæreditario jure,
post mortem patris, ejus locum occupabant.

sed ad clerum sæcularem magis,

14 Sed et ista interpretatio arbitraria mihi vide-
tur, quum in textu non agatur de carnali genera-
tione, sed de carnali successione, quæ existit F
etiam, si quibusdam familiis propria fuerunt ista
Culdeorum officia et præbendæ. Cui sententiæ favet
quod idem Registrum Santandreanum habet de cæ-
libatu, Culdeis imposito, hisce verbis (11) : Post-
quam Keledei effecti sunt, non licet eis habere
uxores suas in domibus suis, sed nec alias, de qui-
bus mala oriatur suspicio, mulieres. Joan. Ja-
mieson hunc quidem locum explicat, quasi id solum
prohiberetur, habere in domibus suis uxores, licet
easdem extra proprium domicilium frequentare lice-
ret : nisi forte, inquit, ordinatio ista ad illud tempus
jam pertineat, quo prohibitum fuerit nubere ; unde
juxta eumdem ista disciplina anno 1148 posterior
esset, quod monachis olim matrimonium licitum
fuisset. Non est operæ pretium hominem protestan-
tem hic loci refutare; quanti porro momenti sit cæli-
batus pro iis, qui divino cultui devoti sunt, clerici
sive monachi exsistant, satis monstrarunt Theologi
Catholici (12). Quod vero dicat legem cælibatus sæ-

(1) Act. SS., t. II Jun., p. 210, n. 35.—(2) Jamieson. Account., p. 33. — (3) Ibid., p. 25. — (4) Cfr Pinkerton. Inquiry into the Hist. of Scotland, t. I, p 404 —(5) Jamieson. p. 26.—(6) Ibid. Appendix.— Monast. Angl., t. VI, p. 607. — (7) Eccles. Hist., t. IV, p. 295 et seqq. Cfr Pinkerton. Inquiry, t. II, p. 272. — (8) Jamieson. Account., p. 30. — (9) Ibid., p. 31. not. 2 — (10) Ibid., p. 34. — (11) Ibid., p. 32. — (12) Perrone. Tract. de Ordine, cap. V, t. VII, p. 163. Edit. Rom. 1838.

culo

A *culo duodecimo primum incepisse, provenire hunc errorem credo ex eo quod aliqui Catholici consuerint, tunc primum introductum fuisse cœlibatum, tamquam impedimentum, ut theologi loquuntur, dirimens; falsam autem esse istiusmodi opinationem monstratum fuit in Commentario prævio Passionis SS. Martiniani et Sociorum sub die* XVI *Octobris* (1): *ast nemo, quod sciam, inter catholicos umquam dixit monachis aut monialibus, religionis sacramento Deo devotis, liberum fuisse nuptias contrahere, esto contractæ non dirimerentur. Neque tandem ad legem cœlibatus abrogandam quidquam juvat textus ex S. Bernardo a Jamieson allegatus* (2): *scimus enim isto maxime sæculo acerrime impugnatam fuisse hanc legem.*

tamquam canonici etiam ecclesiarum cathedralium,

15 *Ex utraque igitur nota, nempe juris habendi res proprias et legis cœlibatus, recte possumus concludere, Culdeos clero sæculari accensendos esse. Tannerus quidem, rei monasticæ in Anglia diligentissimus investigator* (3), *nihil hæsitans, Culdeos Eboracenses* canonicos sæculares *appellat, et certe in Historia fundationis Hospitalis S. Leonardi, legimus Colideos seu Culdeos simpliciter ministros ecclesiæ S. Petri seu Cathedralis fuisse vocatos* (4): B Supplicans *(Ethelstanus rex)* ministris dictæ ecclesiæ, ad tunc dicti Colidei, quatinus pro eo et expeditione sua devote precarentur. *Quæ verba monstrant Culdeos constituisse Eboracense Capitulum. Sed adversus istam sententiam recalcitrat Joan. Jamieson, negans collegium Culdeorum ad normam et typu..n Capituli constitutum fuisse* (5); *et id quidem e re sua erat. Coalescentibus enim Culdeis in cathedrale Capitulum, peribat systema presbyterianum, apparebat episcopus, tamquam caput, pater et rector suorum canonicorum. Sed quo tandem argumento hanc, si ita loqui fas est, capitularitatem Culdeis abjudicat auctor? Quia nempe in chartis Brechinensibus est distinctio inter* decanum Brechinensem *et* priorem Culdeorum *ejusdem loci. Ast ista ratio nullius est ponderis, quum sub priore, tamquam Collegii præposito, potuit esse decanus, quasi altera Capituli dignitas. Imo si accuratius citatas chartas inspicimus, contraria opinio clarius elucet. Sic enim orditur confirmatio de Procurationibus* (6): Universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, Malebryde prior et Keledei, cæterique de Capitulo Brechinensis Ecclesiæ; *desinit vero his verbis:* In hujus rei testimonium præsenti scripto Ecclesiæ C nostræ sigillum dignum duximus apponendum. Teste Capituli nostri universitate. *Partem igitur aliquam Capituli cathedralis Brechinensis, ne nimii simus, constituisse satis elucet; nec officeret quidem, si alii quidem concanonici admittendi: essent istiusmodi enim consociationes in antiquis cathedralibus occurrebant: sic canonici Ultrajectini, nempe S. Martini et S. Salvatoris, habentes ex gremio suo præpositos, concurrebant in electionem episcopi* (7): *esto igitur, Culdei in Capitulo segregatum fuerint corpus, non sequitur canonicos non fuisse.*

ut varia monumenta ostendunt, pertinuerunt:

16 *Culdeos itaque canonicos fuisse patet ex hactenus dictis: quam opinionem etiam confirmant antiqua documenta ab ipso Jamieson prolata* (8), *ubi res ob oculos ponitur:* Canonici, qui Keledei dicuntur... Keledei, qui se canonicos gerunt... Keledeis sive canonicis ibidem *(in Monimusc)* Deo servientibus... Canonicis de Monimusc. *Atque hæc omnia conficiunt Culdeos nihil aliud quam canonicos fuisse; quocirca notatu dignissima est conventio, sæculo* XIII *inita inter Wilhelmum, Santandreanum episcopum, et Culdeos Monimuscenses, in qua sancitur* (9), *ut Culdei habeant commune* refectorium, dormitorium et oratorium sine cœmeterio, ita quod corpora Kolideorum et clericorum sive laicorum, cum eis commorantium, in cœmeterio parochialis ecclesiæ de Monimush ecclesiasticam recipiant sepulturam. *Et quoniam in eodem instrumento habentur litteræ apostolicæ Innocentii Papæ III, ex quibus liquet Kildeos,* qui se canonicos gerunt quamdam canonicam regularem, *episcopo renitente contra* justitiam construere non formidasse in Ecclesiæ suæ præjudicium et gravamen; *ideo prohibetur* eisdem Kildeis vitam seu ordinem monachorum vel canonicorum regularium, sine consensu ipsius episcopi vel successorum suorum, ibidem profiteri in perpetuum. *Quæ postrema verba abunde ostendunt Culdeos clero regulari nequaquam adscribi posse, quamvis vitam canonicam in communitate colerent* (10), *uti passim fiebat in antiquis cathedralibus ecclesiis, quæ claustrum habebant, adhuc pluribus in locis exstans, domicilium canonicorum sæcularium.* E

hinc Culdeorum nomen recentius quam res:

17 *Quo vero tempore in Scotia primum comparuerint isti Culdei, non ita promptum est assequi, nisi ipsam institutionem a nomine distinguamus. Ex hactenus dictis habemus Culdeos a canonicis non magnopere differre; ipsique canonici constituebant antiquum ecclesiæ cathedralis* presbyterium, *quod ipsis initiis nascentis Ecclesiæ coævum erat, cæteroque clero dignitate præeminebat* (11). *Unum exemplum afferre liceat ex canone* XIII *Concilii Neocæsariensis anni* 314, *ubi dicitur* (12): Vicani *(Rurales)* presbyteri ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι non possunt in dominico civitatis *(ecclesia)* ἐν τῷ κυριακῷ τῆς πόλεως offerre, præsente episcopo vel urbis presbyteris. *Et quoad Scotiam attinet, in Actis S. Kentigerni, Glasguensis episcopi sæc.* VI, *sub die* XIII *Januarii* (13) *legitur:* Cathedralem ecclesiam in urbe Glasguensi constituit, et magnam congregationem, secundum formam primitivæ Ecclesiæ viventem, ibidem ordinavit. *Canonicus regularis Le Large dicit* (14), hujusmodi congregationem, quæ sub initium *(melius, medium)* sexti sæculi floruit, facile crediderim coactam esse ac coagmentatam ex Kuldeis, quibus regulares canonicos in Scotia successisse, nemo doctus ignorat. *Cui* F *opinioni non equidem repugnabo, si institutionem ipsam inspiciamus. Ast Culdeorum nomen nulla monumenta, anno* 800 *antiquiora, exhibent* (15). *Quod vero Mabillonio vix sæculo septimo Capitula cathedralia innotescant* (16), *id referendum ad ritum psallendi judico, tum quia expresse de cantu agit, tum quia num. præcedenti de Organis musicis egerat: nam virum doctissimum minime fugere poterat, presbyterium antiquum, episcopo collaterale, ab initio Ecclesiæ fuisse* (17).

quum illud ante sæculum nonum appareat:

18 *Convenit inter scriptores plurimos ab Ungust II, filio Vergust, rege Pictorum, qui ab anno* 821 *ad an.* 833 *regnum tenuit, in Mucros fundatam esse ecclesiam, et locum inde audiisse Kilremund, Kilrule, ac post modum Andreopolim, uti dictum est supra num.* 5. *Id vero conficiunt tum ex Legendis, de quibus mox, tum ex testimonio Scoticorum Chronistarum Forduni et Wyntowni, qui forte et ipsi sua ex Legendis partim infra dandis desumpserint.*

(1) Act. SS., t. VII Octob., p. 827, n. 9 et seqq. — (2) Oper., t. I, p. 673. Edit. Paris. 1719. Cfr Account. p. 32, not. 1. — (3) Monast. Anglic., t. VI, p. 607. — (4) Ibid., p. 608. — (5) Account., p. 154. — (6) Ibid. Append., n. IX. — (7) Hoynck v. Papendrecht. Hist. Eccl. Ultraj., p. 5. — (8) Account. Append., n. XI-XVII-XIX. Cfr Lanigan. Eccles. Hist., t. IV, p. 310 et seq. — (9) Account., p. 398. — (10) Usser. Antiq., p. 333. Edit. Lond. 1787. — (11) Nardi. Dei parrochi, cap. XXV. — (12) Labbe. t. I Conc., col. 1483. — (13) Act. SS., t. I Januar., p. 817. — (14) De Canonic. Ord. disquisit., p. 300 et seqq. — (15) Lanigan. Hist., t. IV, p. 307. — (16) Act. SS. Ord. S. Bened., sæc. III. part. I. Præf., n. 106. — (17) Cfr Le Large, de Canonic. Ord., p. 300. Edit. Paris. 1697. Du Cange. Glossar. v° *Canonicus.*

Anno

J. V. B.

Anno 843 Kenethus II, Scotorum Dalriedanorum rex, Pictis devictis (non vero exterminatis, ut aliquando creditum est (1) utrique populo imperavit, assumpto tamen regis Pictorum nomine. De eodem vero Hector Boëthius (2) : Pontificiam sedem dudum Pictorum, ab Abbernethi oppido, eo ferro et igni deleto, ad Templum-Reguli transtulit. Et exinde huic oppido Sancti Andreæ Ædes nomen est factum, eosque qui illuc per pluscula inde tempora sacrum gessere magistratum, maximos Scotorum episcopos appellarunt. *Ecclesiam Abernethy fundatam arbitratur Jo. Pinkerton circa 715, a Nethan III rege Pictorum* (3), *sed translationem episcopatus ad Templum-Reguli suspicatur Georg. Chalmers solum factam esse regnante Grig, quem anno 893 mortem obiisse ferunt* (4). *Porro, ut ad Culdeos redeamus, censet doctor Lanigan eos ad Templum-Reguli non accessisse, antequam in sedem episcopalem excrevisset, atque adeo eorum originem in Scotia ad præceps sæculum nonum referendam esse. Attamen etiam ante illud tempus abbatias clericorum regularium sive canonicorum aliquando extra urbes episcopales fuisse ædificatas, ex hujus Ordinis Historicis vix ambigi potest* (5). *Quocirca* B *tutius erit de tempore nihil absolute pronuntiare.*

initio sæc. XII declinavit Culdeorum institutum,

19 *In Chronico quodam Dunelmensi Ms. hæc pauca in rem nostram leguntur* (6) : Anno ab Incarnatione Domini 1108, tempore regis Malcolmi et sanctæ Margaretæ, electus fuit Turgotus Prior Dunelmensis in Episcopum Sancti Andreæ; consecratusque est Eboraci III Kalend. Augusti et stetit * per annos septem. In diebus illis totum jus Keledeorum per totum regnum Scotiæ transivit in Episcopatum Sancti Andreæ. *Turgotus, Alexandro, non autem Malcolmo, regnante, Sanctandreanus episcopus factus est* (7), *cumque idem Alexander plurima bona huic sedi contulisse feratur* (8), *forsitan juris illius* Keledeorum *translationem in dictam sedem, nihil aliud est, quam ampliata ejus potestas in sedes cæteras Scotiæ et in Keledeos, per Scotiam constitutos. Etenim licet anno solum 1472 a Sixto IV Andreopolis ad archiepiscopatus dignitatem evecta sit* (9), *jamdudum per totam Scotiam metropolis vices agebat, et Scotici scriptores anno 1472 non institutum sed restitutum archiepiscopatum contendunt.* Ex hac itaque civitate archiepiscopatus esse debet totius Scotiæ, ubi apostolica sedes est : nec absque consilio seniorum C istius loci ullus Episcopus in Scotia debet ordinari, *uti loquitur Anonymus quinto decimo sæculo multo antiquior in quadam Legenda de qua infra dicetur. Similiter Clemens III in Constitutione anni 1188 ad Willelmum regem Scotiæ, Sanct-Andreanam sedem ante cæteras omnes ejusdem regni exhibet:* Scoticana Ecclesia..., in qua hæ sedes episcopales esse noscuntur : Ecclesiæ videlicet Sancti Andreæ, Glascuensis, Dunkeldensis, Dublinensis, Brehinensis, Aberdonensis, Moraviensis, Rosensensis, Katinensis ; *quæ sedes eodem ordine anno 1192 a Cœlestino III, ad eumdem Willelmum scribente, enumeratæ sunt* (10).

* sedit

quod ad canonicos regulares transiit.

20 *Non diu post Turgoti episcopatum, Culdeis in Sanctandreana ecclesia canonici regulares paulatim suffecti sunt; quam in rem nonnulla ex codice suo Ms. deprompsit Antonius Le Large* (11) *eaque, cum alibi ut arbitror vix reperiantur, hic visum est recitare :* Anno 1122 electus est Robertus D Prior de Scona in episcopum (S. Andreæ) ad instantiam regis Alexandri Primi, qui terram, quæ Cursus apri dicitur, quæ ab ecclesia S. Andreæ ablata fuerat, ex integro restituit ea conditione, ut inibi constitueretur Religio. Robertus porro canonicam religionem ac nostram ipsa in sede post aliquanto constituit, sic ut Keldeos, sive Colideos, aut Kuldeos, qui in *veteri* S. Andreæ *abbatia* regularem vitam quamdam multis sæculis vixerant, non excluserit ab ecclesiæ primariæ officiis et episcopi electione. Narrat de istorum Colideorum gente Codex noster Scoticus hunc ad modum : *Eodem anno* (Christo 1271) Wilelmus Wischard, cancellarius Regis et archidiaconus S. Andreæ et electus Glascuensis, vir magnæ nobilitatis et famæ, IV Nonas Julii *postulatus est* (a Canonicis S. Andreæ) *exclusis tunc penitus Culdeis* ab electione. *Anno 1279 pridie Nonas Augusti, electus est Wilelmus FFraser, cancellarius regni, exclusis etiam Culdeis tunc, sicut in electione præcedenti. Succes it Wilelmo FFraser Wilelmus de LLamerton, cancellarius Glascuensis, qui IX Novembris anno 1297 electus est, exclusis penitus Culdeis tunc, sicut in duabus electionibus præcedentibus. Propter* E *hoc Wilelmus Cumin*, tunc Culdeorum præpositus, huic electioni se opponens, Romam adiit, et in præsentia Domini Papæ Bonifacii VIII, omnibus modis, quibus potuit, electionem prædictam* et ipsum electum impugnavit, sed nihil profecit. (12) *Ex hactenus dictis manifestum fit Culdeos, licet universum Capitulum non constituerint, suas tamen in electionibus episcoporum habuisse partes, quod supra num. 15 jam insinuavimus.*

* Auminus

Brevis descriptio urbis Andreopolitanæ.

21 *Quoniam in præcedentibus sæpe de Andreopoli sermo fuit, pauca quædam ex Lexico Geographico hic delibanda censeo* (13). *Fundata est ecclesia cathedralis anno 1161 ab episcopo Arnoldo, sed anno primum 1318 ad summum pertigit splendorem. Vix quidpiam ex magnificentissimo ædificio integrum reliquit, mense Junio anni 1559 Joannes Knox, a fide et ordine suo apostata et sectariorum antesignanus. Ad partem ejus orientalem exstat adhucdum, uti dictum est supra num. 6, singulare sacellum S.* Reguli. *Prioratum canonicorum regularium fundavit anno 1122 rex Alexander I, ut modo vid'eamus ; sed Robertus, episcopus Santandreanus, nonnisi anno 1144 canonicos ex Prioratu de Scona accersivit* (14). *Sæculo decimo quinto, regnante in* F *Scotia Jacobo I, decrevit Scoticus senatus Priorem Santandreanum omne Asbbates et Priores regni dignitate antecedere* (15); *et exinde licitum ei fuit mitram et reliqua pontificalia ornamenta induere. Ex nobili abbatia nihil hodie superest præter muros, qui eam cingebant* (16). *Ordines Dominicanus, Franciscanus, et, ut ferunt quidam, Carmelitanus, singulos ibidem conventus habuere. Ultra portum exsurgebat olim ecclesia collegiata, dicta* Kirk-heugh, *quam pro canonicis decem primitus exstruxerat rex Constantinus III, qui mundo valedicens hic factus est Culdeus* (17). *Academia olim celeberrima et totius Scotiæ antiquissima fundata est anno 1411 ab episcopo Wardlaw. Hodie tota civitas cum suburbanis quibusdam non ultra quatuor aut quinque millia incolarum complectitur.*

(1) Ex Giraldo Cambrensi ap. Ranulph. Cestr. in Polychr. Edit. Gale. Scriptt., p. 210.— (2) Hist. Scot., fol 208. — (3) Cfr Chalmers. l. c., p. 327. — (4) Ibid., p. 429. — (5) Le Large, p. 304 et passim. — (6) Ex bib. Cotton. ap. Usser, l. c, p. 346; Selden, præf ad Twysden, p.VI. — (7) Twysden, l. c., col. 230; cfr præf., p. VI, col. 53, cap. VII, et Buchanan in rege 90 et 91. — (8) Boethius, l. c., fol. 272; Buchanan, l. c. — (9) Spondan., ad an. 1472, n. XVI-XVIII; Raynald., ad eumd. an., § XVII. — (10) Bullar. Rom. Luxemburgi 1730. t. IX, p. 33. 34, et Baronii Annal. ad an. 1192, § II. — (11) L. c., p. 378. — (12) Usser. Antiq. Eccl. Britann., p 346. — (13) N. Carlisle. Topograp. Dictionnary of Scotland. Edit Lond. 1813. V° S. *Andrews*. — (14) Jamieson, Account., p. 400. — (15) Usser. Antiq., p. 346. — (16) Cfr Boeth. Hist. Scotland, fol. CIX. — (17) Ibid., fol. CCXXIV.

§ III.

A

§ III. De cultu S. Andreæ in Scotia ejusque Reliquiarum illuc translatione ope S. Reguli ; de tempore quo hæc probabilius accidit.

Origo cultus S. Andreæ in Scotia :

Ut *ad S.* Regulum, *a quo digressi sumus, regrediamur, proferenda suscipimus varia monumenta, in quibus translatio Reliquiarum S. Andreæ, a S.* Regulo *facta, describitur, et quatenus fidem mereantur examinandum occurret. Ante tamen quam ultro procedamus, paucis indicandum est, qua ratione S. Andreæ cultus inter Pictos Scotosque propagatus fuerit. Quadruplex universim origo cultui S. Apostoli in Scotia assignatur. Sunt qui Pictos a Scythis propagant, adeoque cultum avita traditione ad illos devenisse autumant : habemus enim ex Eusebii Historia Ecclesiastica, lib.* III, *cap.* I, *quod* Andreas Scythiam sortitus *sit. Quocirca allatæ* B *Apostoli Reliquiæ confirmassent magis, quam instituissent erga Sanctum populi venerationem. Ast Legendæ alteram cultus causam indicant : aliæ quidem statuunt S.* Regulum *Apostoli Reliquias quarto sæculo Patris, Achaiæ civitate, Andreopolim, sive, ut tunc dicebatur, ad locum* Mucros *advexisse; aliæ vero* Regulum *Constantinopolitanum dicunt, atque ex hac urbe principe eumdem, Theodosio juniore regnante ab* 408 *ad* 450, *sacras Reliquias in Scotiam detulisse ferunt. Tandem recentiores quidam usque ad tempora Hungi regis, proindeque usque ad sæculum nonum, Reliquiarum translationem, adeoque apud Scotos S. Apostoli patrocinium proroganda esse opinantur. Quoad primam sententiam attinet, quatenus e Scythis Picti prodierint, nihil certi statui potest : adeo obscura sunt omnium fere populorum, sed præsertim Pictorum Scotorumque, initia, ut in istiusmodi disquisitione non nisi incerta incertis cumulare possemus. Dein hæc ipsa investigatio nihil ad nostrum scopum conferret, quoniam a S.* Regulo *aliena est.*

Legenda eumdem refert ad sæculum IV ;

23 *Igitur quoad præsentem quæstionem attinet, hæc intra auctoritatem Legendarum circumscribenda videtur. Habemus imprimis Historiam S.* Reguli *ex Registro S. Andreæ, quam infra dabimus,* C *quatenus est amplissimum et antiquissimum documentum, circa annum* 1140 (1) *exaratum. Sed jam tunc fontes historici inquinatissimi erant, quum monumentum totum cum fide historica innumeris locis pugnet. Constantinus enim, Constantini Magni filius et imperator, anno* 340 *prope Aquileiam occisus est, et exinde simul imperium tenuerunt Constantius et Constans, quorum posterior a Magnentio in Galliis interfectus est sub initio anni* 350, *prior vero ad annum usque* 361 *imperavit. Asserti erronei origo ex codicibus quibusdam Hieronymi, contra Vigilantium scribentis, repetenda est, ubi perperam Constantinus pro Constantio legebatur, sed in accuratioribus editionibus locus emendatus est* (2). *S. Paulinum tamen Nolanum episcopum in Carmine* XXVI *unum pro altero accepisse quin id librariorum oscitantiæ possit tribui, ex ipsius carminis metro manifestum est. En vero ut idem Hieronymus scribit in Chronico* (3) *ad annum Constantii* XX *(Christi* 256-57) : Reliquiæ apostoli Timothei Constantinopolim invectæ. *Et ad ejusdem Constantii annum* 2 (4) : Constantio Romam ingresso, ossa Andreæ Apostoli et Lucæ Evangelistæ a Constantinopolitanis miro favore suscepta. *Sed ut totus ille Legendæ locus melius declaretur, et quæ universim de S.* Regulo *narrantur cum historica veritate conferri queant, lector adire velit Acta S. Lucæ ad diem sequentem, ubi simul de translatione S. Andreæ agitur. Prodit ibi quidem episcopus aliquis, sed quem nemo* Regulum *fuisse conjectabit, præsertim cum scriptores plerique hunc non episcopum, sed abbatem et Reliquiarum S. Andreæ custodem dicant ; de quo custode in Actis S. Lucæ et Artemii ducis, cujus Acta die* XX *Octobris examinabimus, prorsus nihil legitur* (5). *Ex quibus locis uti et ex Historicis omnibus facile conficietur, Achaiæ et Romæ deprædationem, quæ in Legenda Constantio affingitur, plane ineptam esse fabulam.* J. V. H.

alia ex Forduno idem circiter tempus indicat.

24 *Maxime vero imperitiam suam ostendit Legendæ scriptor, ubi quarto jam sæculo Saxones in Anglia, qui anno solum* 449 *aut* 450, *Hengist et Horsa ducibus* (6), *illuc devenerunt, versatos esse sibi fingit. Aptius totam* Reguli *historiam narrat Joannes Fordun in Scotichronico, in plurimis Legendam modo relatam secutus : sed rejecta Hungi* E *victoria de Athelstano ad sæculum nonum. Pictorum regem S.* Reguli *tempore statuit quemdam Hurgust, filium Forgii vel Fergusi, uti etiam Hector Boëthius, qui eumdem Heirgustum appellat* (7). *Constantino etiam Constantium recte substituit et hujus anno vigesimo translationem contigisse scribit, codices quosdam, ut arbitror, Chronici Hieronymiani secutus. Forduni verba hic visum est recitare, tum quia licet pluries editus, extra Britanniam non ubique obvius est, tum etiam quia recentiores sua de* Regulo *ex eodem plerumque hauserunt* (8). Constantius imperator, filius magni Constantini, anno regni sui XX, zelo Christianæ religionis ductus et speciali devotione, quam erga B. Andream Apostolum antea diu in corde conceperat, stimulatus, facto complere desiderans, regionis Achaiæ civitatem Patras, qua passus est Apostolus et sepultus, adiit et suas inde Reliquias manu valida surripiens, in maxima lætitia cum hymnis et canticis VII Idus Maii Constantinopolim transtulit, ac thecis ibidem aureis et argenteis summo locavit cum honore.... Accidit autem, ut divino nutu, tertia nocte priusquam imperator civitatem est ingressus, Angelus Domini cuidam F Sancto viro, timenti Deum abbati, nomine Regulo, Reliquiarum appareret custodi, dicens : « Applica tibi fratres idoneos et pergens ad sarcophagum, quo B. Andreæ Apostoli recondita sunt ossa, tolles inde dextræ manus tres digitos et os brachii dependens ab humero, dentem unum et genu patellam, ac ubi monstravero tibi, caute custodias, donec redeam. » Qui mox electis fratribus accersitis, omnia, velut sibi præceptum est, ossa secum deferens, in secretiori loco per Angelum condidit assignato. Veniens igitur expeditis legionibus imperator, post biduum civitatem opibus evacuando captivat ; et acceptum, in quo condebantur Reliquiæ, scrinium, decenti veneratione Constantinopolim afferri jussit, seipso pariter cum exercitu comitante.

nempe aliquot annis

25 Transcursis demum annis aliquot, Angelus iterato cœlestis ad abbatem reversus Regulum, hoc illi mandatum vultu terribili, quod sequitur, in Omnipotentis nomine tradidit, et his verbis : « Resumptis, inquit, B. Andreæ Deo dilecti, quas,

(1) Jamieson. Account. p. 378.— (2) Ed. Benedictin., t. IV, part. II, col. 282 et 3. — (3) Maii Veter. Script., t. VIII. Romæ 1833, p. 402 — (4) Ibid., p. 403. — (5) Surius ad 20 Octobr.-Maii. Spicilegium Romanum, t. IV, p. 352. Romæ 1840. — (6) Beda, lib. I, cap. XIV-XV, et in Epitome ad an. 449. — (7) Scotor. Hist., fol. CIX v°. — (8) Gale Script. XV, p. 614 et seq.

J. V. H.

me nuper docente, reservasti, Reliquiis, Scotorum, totum laudabilem assumens comitivam, occiduas partes sub leonis circio, mundi finem, adire non differas; et quocumque locorum, qua transveheris carina, Deo volente, naufragio periclitet, te tamen et sociis in incolumitate persistentibus, ibidem tui laboris extensum, aut longioris saltem itineris scias cursum feliciter consummatum. Caveas insuper, nec hujusmodi sis mandati negligens aut immemor, quia et eodem loco, divini nominis ad honorem et Apostoli sui sancti perpetuæ venerationis laudem, firmiter ecclesiæ fundamina jacias; quia futurum est, ut sicut ejusdem vivæ prædicationis sonitu, (quod non ignoscis, *) Oriens, ita Reliquiarum ejus scias veraciter signis fiendis et totum Occidens perpetuo decorari. Erit enim locus ille electus a Deo sempiterna sedes apostolica, firma siquidem fidei petra, nec immerito, quia B. Petri fratris, cui dixit Dominus : Tu es Petrus etc.; itaque regni, quo situm habeat, immobilis erit et tenax anchora, cunctisque fidelibus, præcipue regibus et cæteris terræ potentibus, ob devotionem Apostoli percelebris, quorum prædiis abunde ditabitur et muneribus.

* ignoras

B

post translationem Patrensem.

26 « Venientium igitur ibidem peregre diversis ex mundi finibus, ut corporis salutem et animæ recipiant, catervæ crebro fidelium, adeptis mirifice petitis, ad propria gaudentes redibunt, et Deum in Apostolo, qui semper in suis gloriosus est Sanctis, voce magnifica collaudantes. » Et his dictis, Angelus ab eo disparuit, et ejus ad exsequenda mandata B. Regulus se convertit. Igitur divinis volens obtemperare præceptis, prudentibus viris ac religiosis ad se vocatis, scientia, moribus præclaris, quos et pridem angelica sigillatim exhortatio præmonuit suæ peregrinationis fieri participes, secum ad navem sacras deferens Reliquias, mare petit, partes adire paratus circiales. Hæc autem hujus comitivæ Sanctorum sunt nomina, quæ sequuntur : primus vero S. abbas Regulus et S. Damianus presbyter; Gelasius et Thubaculus, diaconi; Merinacus, frater S. Damiani; Nerius et Eleusenius de Creta; Mirenus, Machabenus et Silvius, frater ejus; heremitæ quidem octo, videlicet Felix, Sajanus, Matthæus, Mauricius, Madianus, Philippus, Lucius et Eugenius; ac Virgines Sanctæ tres de Colossia, videlicet Triduana, Potentia et Emeria.

C

S. Regulus in Scotiam venit,

27 Hi quoque viri sanctissimi cum Virginibus refertam quibusque necessariis ingressi naviculam, æquoreo tramite mediterraneo, fines Europæ circuiverunt, quousque sitas Oceano multis fatigati laboribus venirent ad insulas sub Occasu. Cumque spatio duorum pene fuissent annorum, ut aura duce contigerat, freto non cognito vagantes, ignari quid agerent, ab Oriente subito ventus vehemens et solito validior in velum irruit, cujus impetu regno Pictorum, inter scopulos Albionis insulæ, velut ab Angelo prædictum fuerat, ratis impulsa conquassatur. Confortatus tamen a Deo B. Regulus, incolumis ad terram cum sociis IV Kal. Octobris Dominicæ Crucis prælato signaculo, gaudens aggreditur, et ibidem in Nemore Porcorum, quod patria lingua Mucrossis dicitur, ad honorem Apostoli basilicam postea dedicavit. In quo loco Reliquiarum attactu multa fiebant, etiam hactenus stupenda fiunt, miracula, qualia post fidei susceptionem in insula visa nequaquam eatenus vel audita sunt, utpote cæcis ab utero daretur visus, mutis sermo, gressus claudis, et omnibus, pie D suffragium Apostoli petentibus, a quacumque tenebantur infirmitate, medela protinus, Deo miserante, largiretur. Crebrescentibus hujusmodi quotidie miraculis, occurrunt undique nationum populi cum muneribus, immensas Deo laudes, complosis manibus, de tanto patrono suppliciter extollentes.

templumque olim dedicatum, ab Hungo multis ditatur,

28 Illius autem eo tempore regionis rex Hurgust, filius Forgii, loci delectatus sanctitudine, suum inibi palatium juxta basilicam ædificans, B. Regulo ejusque fratribus terras quasdam pro seminandis frugibus, in eleemosynam perpetuam excolendas, concessit. Cujus exemplo posteri reges, ut suæ devotionis dictabat affectus, quamvis in modico, possessio tum augebatur, usque quo rex Hungus, qui post annum octingentesimum Incarnationis Dominicæ Pictos rexit, decimam regni partem B. Andreæ tradidit, ob opem mirabilem, in expeditione sibi collatam contra Saxones, ut libri IV decimo tertio capitulo patet et decimo quarto. In forma quoque monasteriali fundata cellula, deputatisque Reliquiarum custodibus, beati viri prædicando per patrias exiere, non equites, sed ut dudum Apostoli, per binos et binos verbum Dei gentibus ubique seminandum innumera signa miraculose facientes. Cum igitur has in E fide gentes doctrinis cœlestibus imbuissent, et signis confirmassent variis, beatissimus abbas Regulus post annos triginta duos, postquam naufragus in Albionis advenerat insula, quibus evangelicum opus exercens mirifice Deo complacuit, apud Kilremont, a Mucrosis per regem mutato nomine, plenus dierum obiit et grandævus.

ob victoriam de Saxonibus relatam:

29 *Refert deinde Fordunus, lib.* IV, *cap.* XIII *et* XIV (1), *victoriam illam quam Hungus rex Pictorum de Athelstano Saxonum duce reportavit et hunc Æthelvulfi regis Anglorum filium facit, eumdem scilicet de quo Malmesburiensis* (2) *incertum esse scribit*, quando vel quo fine defecerit. *Fordunum sequitur Boëthius* (3); *sed utrumque facile Usserius confutat* (4) *ex eo, quod idem Athelstanus anno* 851 *Danos Sandwici in Cantio devicerit, regnum vero Pictorum ad Kennethi regis Dalriadorum anno* 843 *dominationem transierit* (5), *nec ullus Hungus exinde in Pictos regnaverit* (6). *Imo sæpe laudatus Pinkerton fictitium habet Hungum Pictorum regem, quatenus sæc.* IX *aut* V *regnaverit, quamvis non neget Hungum aliquem fundasse ecclesiam S. Andreæ* F *circa annum* 825 (7). *Alias opiniones itidem aperte erroneas proponunt Johannes Major* (8) *et Buchananus* (9), *sed præplacet cum Camdeno* (10) *Athelstanum Anglorum aliquem ducem dicere, quam regem aut regis filium. Locus ubi ab Hungo opitulante S. Andrea cæsus est in Laudonia situs duobus milliaribus ab Hadingtona distat, et inde nomen retinuit Athelstanford* (11). Secundum hæc victores depositis armis, divi Reguli in Otholinia templum (nunc divi Andreæ ædem vocant) nudatis pedibus ut Christi Apostolo accepto pro beneficio gratias haberent, Hungum regem secuti magno itinere petierunt. Illuc ubi deventum, sacris celebri pompa peractis, Pictorum Scotorumque nobiles secundum regem, inde cætera multitudo Apostoli Andreæ reverenter osculati Reliquias, immensas gratias Christo atque ejus Apostolo reddiderunt : polliciti Hungo authore, se suamque posteritatem signo crucis divi Andreæ, quoties ad prælium fuerit proficiscendum, ut tam insignis victoria parta divinitus grata recordatione semper haberetur, pro

(1) Gale, p. 665. — (2) De Gest. Reg. Angl., lib. II, cap. II. Ap. Savil., fol. 20. — (3) L. c., fol. 196. — (4) Antiq., p. 373. — (5) Cfr Pinkerton. Enquiry, part. V. — (6) Ex Chronico Pictorum ap. Pinkerton, t. I, in Append., p. 494. — (7) Enquiry, t. I, p. 293. — (8) Fol. 39 a. — (9) In rege LXV. — (10) Ed. Gough., t. III, p. 305. — (11) Usserius, p. 373; Camden et Johannes Major, l. c.

insigni

A insigni deinceps usuros. Mansit Pictis et post eos deletos, Scotis exinde hoc institutum perpetuum. *Ubi Boëthius* (1), *ex quo hunc locum recitamus, non recte deletos Pictos commemorat, cum id nunquam fuerint, ipsumque Pictorum nomen ad sæculum usque undecimum in hodierna Scotia perstiterit. Translationem porro Reliquiarum S. Andreæ quomodo hic jam exposita est, præter Fordunum similiter quarto sæculo affigunt Boëthius, Johannes Major et Leslæus Rossensis episcopus* (2).

alia Legenda translationem in sæc. V,

30 *Ast sunt aliæ Legendæ, quæ dictam translationem solido sæculo procrastinant, aliaque adjuncta habent, quibus diversam omnino faciem historia induit. Talem Legendam primum publica luce donavit Usserius* (3) *eamdemque cum Prologo, seu titulo bene longo secundis curis ex codice Parisiensis bibliothecæ* (4) *edidit Joan. Pinkerton* (5) : *sufficiat nobis ipsum titulum, ac deinde libero stylo narrationem exhibere. Titulus sic sonat :* Narratio qualiter acciderit, quod memoria S. Andreæ Apostoli amplius in regione Pictorum, quæ nunc Scotia dicitur, quam in cæteris nationibus sit, et quo modo contigerit quod tantæ abbatiæ ibi factæ antiquitus fuerint, quas multi adhuc sæculares B viri jure hereditario possident. *Refertur dein S. Andreæ partes Aquilonares, id est, Scythas et Pictones, in prædicatione evangelica obtigisse, donec in Achaiam deveniens, Patris crucifixus est pridie Kalendas Decembris, ibique ejus corpus*, quasi spatio ducentorum septuaginta trium annorum, *custoditum fuit : postmodum vero sacræ Reliquiæ Constantinopoli recondita mansere* usque ad tempus Theodosii (*Pinkerton* Theodotionis) Christiani imperatoris, spatio scilicet centum et decem annorum. *Hæc utcunque bene fluunt, si verum dixit antiquus consularium Fastorum auctor, a Cuspiniano in suo ad Cassidori Consules Commentario citatus :* Nepotiano et Facundo Consulib. introierunt in urbem Constantinopolim Lucas et Andreas (6) : *tunc enim translatio anno Christi* 336 *illigaretur, cui si annos* 110 *addamus, devenimus ad annum Christi* 446, *quo reipsa regnabat Theodosius Junior. Ast nunc quidem constat, integro decennio procrastinandam esse dictam translationem, seu in annum vulgarem* 356 *aut* 357, *ex quo consequitur transvectionem Scoticam non in regnum alicujus Theodosii, sed Marciani aut Leonis Thracici incidere.*

retento tamen Hungo, rege IX sæculi, reponens,

C 31 *Ast pergamus porro in narratione. Eo tempore Hungus, rex Pictorum, australem partem Britannicæ insulæ* crudelissima vastatione *occupavit : quapropter* omnes pene insulæ gentes unanimi impetu circumdederunt eum, volentes eum cum omni exercitu suo penitus delere. *In hisce angustiis Hungus audit vocem cœlestem, apparetque* Signum Crucis Christi, stat in aere, *promittiturque de hostibus victoria, attamen* decimam hereditatis suæ partem in eleemosynam Deo omnipotenti et in honorem S. Andreæ Apostoli ejus, offerre debet. *Parta igitur victoria (qua in narratione nihil de Athelstano habetur), incertum erat regi ejusque comitibus,* in quo loco specialiter vectigalem Deo principalemque civitatem S. Andreæ Apostolo ordinarent. *Dumque principes Pictorum deliberant, ecce unus* custodientium corpus S. Andreæ Apostoli Constantinopoli *cœlitus admonetur, ut relinquat terram nativitatis suæ : et* Angelo comitante atque viam illius custodiente, prospere pervenit ad verticem montis regis, id est, Rithmunt *seu Regmund*. Eadem autem hora, qua illic lassus sedet cum suis septem comitibus, *facta sunt varia in exercitu Pictorum, unusque cæcus, subito illuminatus, monstravit* locum plenum visitatione Angelorum, *quo quum se contulisset rex*, Regulus, monachus a Constantinopolitana urbe, regi obviavit cum Reliquiis S. Andreæ, *et salutantes invicem* cives et hospites, tentoria ibi fixerunt, ubi nunc est aula regis. *Hungus autem* locum hunc et hanc civitatem omnipotenti Deo Sanctoque Andreæ Apostolo ea semper libertate dedit, ut sit caput et mater omnium Ecclesiarum, quæ sunt in regno Scotorum. Ad istam enim civitatem conveniunt peregrini, Palmarii de Jerusalem *(qui Jerosolymam adierunt : cfr Du Cange,* Ve Palmarius), Romani, Græci, Armeni, Theutonici, Alamani, Saxones, Dani, Galli, Britones, Angli, viri et fœminæ, divites et pauperes, sani corpore et ægri. Ex hac itaque civitate archiepiscopatus esse debet totius Scotiæ, ubi apostolica sedes est, nec absque consilio seniorum istius loci ullus episcopus in Scotia debet ordinari. Hæc est Roma secunda a prima, hæc est civitas refugii præcipua ; hæc civitas civitatum Scotiæ. E

et dignitatem Andreopolitanæ ecclesiæ exaggerans,

32 *Tota hæc narratio eo tendit, ut ecclesiæ Santandreanæ primatus dignitas sarta tecta maneat. Verum relata non satis cum historica fide conveniunt : etenim ut nihil dicamus de affectatis locutionibus, quod Andreopolis sit* Roma secunda, sedes apostolica *etc.; satis constat inter scriptores patrios Abernethum fuisse primam sedem episcopalem in Scotis* (7) : *quod quidem monstrat Andreo, olim non posse dici absolute* caput et mater Ecclesiarum, quæ sunt in regno Scotorum, *utpote quæ ex Abernethensi Ecclesia prognata videatur : nisi forsan dicatur ideo Andreopolim esse matrem Ecclesiarum Scoticarum, quia, translata cathedra, omne jus primatus in ipsam transiit. Et quidem antiquitatis privilegium Andreopolitanæ Ecclesiæ nequaquam competere ex tota Historia S.* Reguli *omnino elucet. Etenim omnes Legendæ in duobus conveniunt, nempe quod locus, ubi Sanctus noster appulit, desertus tunc erat, et quod Pictorum gens cum rege suo sacra christiana jam profitebatur : ex quibus legitime conficimus Pictos jam tum habuisse ecclesiasticam qualemcumque hierarchiam; cui tandem per primatum Santandreanum culmen impositum* F *est. Quocirca satis perspicitur, quo sensu supracitata verba accipienda sunt, videlicet de dignitatis quidem, neutiquam vero de antiquitatis prærogativa. Cæterum codex Parisinus apud Pinkerton* (8) *in laudes urbis non tam effusus est : nam solummodo dicit istam urbem esse* caput et matrem omnium Ecclesiarum, quæ sunt in regno Pictorum. *Inter Parisiensem codicem et Usserium est et alia varia lectio, nempe hunc de* Scotorum, *illum vero de* Pictorum *Ecclesiis agere ; quasi Legenda ista conscripta fuisset, antequam Scoti Pictos subjugassent circa medium sæculum nonum, quia, ut habet Joan. Fordunus* (9), in rege Drusken Pictorum regnandi defecit potestas, et ab eis penitus translatum est regnum ad regem Scotorum Kenethum, suisque successoribus, et unum deinceps Scotorum regnum est effectum. *Hæc sæculo* XIV *scribebat Fordunus* (10) ; *vigebat itaque distinctio inter Pictos et Scotos; unde mirum videri non debet varias fuisse lectiones, prout scriptores, licet recentiores, censebant*

(1) Fol. 197. — (2) De Origine, etc. Scotorum, in rege XXXVIII. — (3) De Primord. sive Britannic. Eccles. Antiq., p. 341. — (4) Catal. Cod. Bib. Reg., pars 3, t. III, p. 549. — (5) An enquiry, etc., t. I, p. 496 et seq. — (6) Ap. Usser. Antiq., p. 343. — (7) Ibid., p. 350. Carlisle. Topograp. Dict. of Scotland, v° *Abernethy*. Life of the English Saints, n. XII. S. Ninian, p. 128. — (8) Enquiry, t. I, p. 500. — (9) Gale. Scriptt., t. III, p. 665. — (10) Fabric. Biblioth. Lat. v° *Fordun*.

id

id ante aut post deletum Picticum nomen accidisse.

J. V. H. nequaquam Ven. Bedæ adscribenda est :

33 *Neque illud omittendum censemus, hanc, de*
qua hactenus egimus, Legendam a quibusdam tribui
Ven. Bedæ : certe Bostonus Buriensis, in suo Cata-
logo Scriptorum Ecclesiæ, inter alia opera quæ Bedæ
adscribit, habetur etiam istud : Qualiter contigit,
quod memoria Andreæ sit in Scotia (1), *quod qui-*
dem satis accurate consonat cum titulo proliriori,
supra num. 30 *allato. Nemo autem, si unum idem-*
que est opusculum, Bostono facile consentiet : etenim,
si quis librum inspexerit, persuadebit sibi ejus sen-
tentias nequaquam convenire cum iis, quæ Beda
habet in sua Ecclesiastica Historia tum circa Bri-
tanniam Septemtrionalem, tum circa Pictos ; quin
et argumentum qualecumque præbet, quod Beda
tam in Hymno in honorem S. Apostoli composito,
quam in Homilia, in ejusdem festo dicta, nullo
verbo Scoticam traditionem attingat. Nihilominus
Bostoni opinionem secuti sunt Baleus in Centuriis
scriptorum (2), *Pitseus de Rebus Anglicis ætate*
octava (3), *Wion in Ligno Vitæ* (4) *et Molanus*
in editione Martyrologii Usuardini auctioris (5).
Suspicari licet opinionem hanc manasse ex eo, quod
Legenda ad calcem operum Bedæ adjecta fuerit in
B *uno alterove codice, ac tali ratione inter genuinas*
lucubrationes Bedæ accensita fuerit.

ad S. Andreæ Reliquias magnus tamen concursus.

34 *Quoniam vero in citata Legenda scriptor*
magnifice loquitur de populorum multitudine, qui
ad S. Andreæ Reliquias honorandas concurrebant,
ne id intemperantius dictum videatur, subnectam
versus, quos poeta in votiva tabula illic olim exara-
vit, præsertim quum gentes suo charactere, quo
communiter insigniebantur, hic notentur (6) :

Hic sinus iste maris, male fertile littus, opima
  Transcendit patriæ fertilitate loca.
Hic regio, prius orba, viret ; paupercula pridem,
  Nunc dives ; dudum fœda, decora modo.
Huc etenim veniunt orare, remota tenentes
  Castra viri, patrio turba profecta solo :
Francus magniloquus, belli Normannus amator,
  Textor Flandrensis, Theutonicusque rudis,
Anglicus, Almannus, Hollandus, Pictavus expers
  Velleris, et cædis Andegavensis amans ;
Qui Rhenum, Rhodanumque bibunt, Tiberimque
  Andreæ veniunt huc adhibere preces. [potentem,
Nos quoque, si tantos inter modo nomen habemus,
  Venimus huc vecti prosperiore rota.

C

Triplex sententia circa tempus translationis exponitur :

35 *Justo diutius translationi S. Andreæ in Sco-*
tiam immoratos nos fuisse, quispiam forsitan exis-
timabit, quum hæc magis ad Acta S. Andreæ, adeo-
que ad diem XXX *Novembris, spectare videatur.*
Verum quandoquidem hæc translatio sit unica
notitia, quam de S. Regulo *habemus, eamdem paulo*
prolixius exponendam duximus, maxime quum in
Actis S. Andreæ alia plurima occurrent exami-
nanda, et quæ hodie edimus retractari poterunt.
Nunc reliquum est, ut videamus, quo circiter tem-
pore Reliquiæ S. Andreæ in Scotiam transvectæ
fuerint, qua ratione et ætatem S. Reguli *aliquatenus*
repererimus. Tres sunt præcipuæ epochæ, quibus
translatio S. Andreæ illigari potest : nempe quidam,
inter quos est Alfordus noster (7) *et Serenus Cressy*
Benedictinus (8), *translationem anno Christi* 395
innectunt alii vero, qui fundationem ecclesiæ
Santandreanæ ad annum 518 *reponunt, in hoc*
circiter tempus adventum S. Reguli *transferant*
necesse est ; tandem quum Hungus, Pictorum rex,
ope S. Andreæ insignem victoriam retulerit, varia-
que documenta doceant illam concurrisse cum

advectione sacrarum Reliquiarum in Scotiam, ad D
sæculum nonum procrastinandam existimant dic-
tam translationem. Variarum rationum momenta
nunc ad trutinam sunt revocanda, ut aliquid lucis
quæstioni obscuræ affundatur.

prima, quæ illam sæculo III illigat, improbatur :

36 *Ante tamen quam singulas sententias exami-*
nemus, lectorem præmonere oportet, adventum Reli-
quiarum S. Andreæ in omnibus, quas adhuc vidimus
et exhibuimus, Legendis conjungi cum fundatione
ecclesiæ cognominis, seu urbis Andreopolitanæ :
proindeque S. Regulum *non prius in Scotiam ad-*
ventasse, quam opportunum tempus nacti fuerimus,
quo episcopatus Andreopolitanus secundum histo-
riam exoriri potuerit. Ex hac itaque ratione nobis
probari non potest prima sententia, statuens trans-
lationem Reliquiarum circa finem sæculi IV *seu an-*
num 395. *Tunc quidem Picti, ait Beda, lib.* III *Hist.*
cap. IV, relicto errore idololatriæ, fidem veritatis
acceperunt, prædicante eis Verbum Ninia epi-
scopo reverendissimo et sanctissimo viro, de
natione Britonum, qui erat Romæ regulariter
fidem et mysteria veritatis edoctus. *Ast tum An-*
dreopolitanam fundatam fuisse ecclesiam, nihil est
quod nobis suadeat : ex Beda loc. cit. habemus
S. Niniam seu Ninianum in provincia Bernicio- E
rum sedem suam constituisse ad Casam Candidam,
ecclesiamque ibidem de lapide, insolito Britonibus
more, fecisse. *Quamvis autem idem scriptor de*
alia fundatione mentionem non faciat, ejus silen-
tium nolim quis interpretetur, quasi aliud nihil
constituisset S. Ninianus : etenim scopus Bedæ non
erat enucleatius res Picticas prosequi, utpote qui
librum suum Historiam ecclesiasticam gentis
Anglorum *inscripserat, adeoque res alienarum*
regionum eatenus attingebat, quatenus Anglica-
nas aut illustrabant aut explicabant. Admissa
autem alius ecclesiæ intra Scotiam hodiernam fun-
datione, ea alia esse non potest, quam Abernethensis,
Usserio (9) regia et primatis episcopi sedes. *Utrum*
porro tunc fundata fuerit, paulo infra videbimus.
Quod vero bini meritissimi de Historia Ecclesiæ
Britanniæ scriptores, Alfordus et Cressyus, hoc tem-
pus adventui S. Reguli *assignaverint, non aliam*
rationem, deficientibus monumentis antiquis, inve-
nire possumus, quam quod censuerint sibi quam
proxime accedendum esse ad translationem Constan-
tinopolitanam, nempe ad Consulatum Constantii IX
et Juliani II, seu annum vulgarem 357, *ut liquet* F
ex Fastis Idatii (10). *Verum auctores illi aut Legen-*
dam admittunt, et tunc Santandreana translatio in
Scotiam anno 357 *illiganda est, quo adhuc maxima*
ex parte idololatræ erant Picti, ut liquet ex Beda mox
allegato : si rejiciunt Legendam, nulla superest ido-
nea ratio, ut translationem in serius tempus non
prorogent. Quapropter nihil, mea sententia, suadet
hanc primam epocham esse admittendam.

sicut et secunda, quæ favet sæc. VI,

37 *Neque mihi arridet secunda opinio, qua*
translata sedes episcopalis Abernetho Andreopolim
statuitur anno vulgari 518 (11). *Imprimis quos*
inspicere mihi licuit, rerum Scoticarum scriptores,
antiqui seu recentiores, nihil afferunt argumenti,
quo opinio ista fulciri possit. Dein incerta est epocha
fundatæ Abernethensis ecclesiæ : sunt non pauci,
qui eam S. Niniano tribuunt, adeoque ejus exordium
cum initio fere sæculi quinti conjungunt. Sed hoc
admisso, nihil occurrit, quo translatio sedis ad ini-
tium sæculi sexti seu annum 518 *illigetur. Imo*
plures fundationem Abernethensem S. Niniano ab-
judicant et serius existimant constitutam : quam

(1) Tanner. Biblioth. Britan. Præf., p. XXX. — (2) Scriptt. Brit., t. I, p. 97. — (3) P. 136. — (4) T. II, p. 317. — (5) Ad XXX Novemb. Lovan. 1573. — (6) Usser. Antiq., p. 345. — (7) Annal. Eccl. Brit., an 395, n. 2. — (8) Church History of Britan., lib. VIII, cap. XXII. — (9) Antiq., p. 301. — (10) De Aguirre. Conc. Hispan., t. III, p. 70. Edit. Rom. 1753. — (11) Carlisle. Dict. of Scotl. v° *Abernethy.*

opinionem

A *opinionem non sine gravibus rationibus adoptasse illos censeo. Videtur enim prima Abernethensis ecclesia in honorem S. Brigidæ dedicata fuisse* (1) : *proindeque ejus fundatio incidit post annum Christi* 523, *quo S. Brigida probabilius obiit, ut monstrant nostri majores in ejus Actis ad diem* I *Februarii* (2). *Hæc quidem satis sunt, ut secundam opinionem rejiciamus. Sed et alia argumenta nostram sententiam confirmant : etenim Fordunus in Chronico lib.* IV *cap.* XII (3) *diserte affirmat Abernethum fundatum fuisse a Garnardo rege, qui Pictis imperavit vicennio, nempe ab anno circiter* 575 *ad* 595. *Quam sententiam amplectitur sæpe laudatus Joannes Jamieson, quum dicit, nihil rationabiliter objici posse fundationi alicujus monasterii Abernethi circa annum* 600 (4).

quæ non satis convenit

38 *Scoti Chronicon apud Usserium rem ita narrat* (5) *:* Brudeo successit Garnard, filius Dompnach, qui fundavit ecclesiam collegiatam de Abernethy, postquam illuc introduxit B. Patricius S. Brigidam cum suis novem Virginibus, quæ Virgines infra quinque annos decesserunt, et ex parte boreali dictæ ecclesiæ sunt sepultæ. Post quem Garnardum fuit Constantinus, filius Ferguso, rex B vicesimus septimus et post monarcham sexagesimus. Iste fundavit ecclesiam Dunkeldensem post Abirnethin 226 annis, novem mensibus et sex diebus. Alia Chronica habet 244 annis. Constantino præmisso successit Hungus, filius Fergusii. Cujus in tempore regnavit in Westsax rex Ethelwulfus, cujus filii majoris Athelstani caput, infixum sudi, rex, obtenta victoria, secum in regno detulit. Ab isto Hungo Drusken, filius Feredeth, septimus fuit, in quo Pictorum regnandi defecit potestas, et ab eis penitus translatum est regnum ad regem et monarcham Scotorum, Kenedum suosque successores, et unum deinceps Scotorum regnum est effectum. *Repugnat quidem huic narrationi Usserius, variasque difficultates objicit, quibus removendis pares non sumus, quæque ab ea quam tractamus, quæstione alienæ sunt. Etenim dubitat Usserius tantum intervallum esse inter utriusque ecclesiæ fundationem et regem utrumque. Verum si regum Picticorum seriem apud Fordunum consulimus* (6), *reperimus reipsa Constantinum viginti sex gradibus a Brudeo, adeoque viginti quinque a Garnardo, immediato Brudei successore, distare ; ac proinde facile spatium circiter* 240 C *annorum reperiri inter fundationem Abernethensis et Dunkeldensis ecclesiæ.*

cum tempore fundatæ ecclesiæ Abernethensis;

39 *Sed esto, viginti sex tantum anni inter utramque fundationem intercesserint, quem numerum in quibusdam codicibus Joannes Major legisse se testatur* (7): *id quidem majorem minoremve antiquitatem ecclesiæ Dunkeldensi assignat ; sed immotus perstat Abernethi fundati terminus circa annum Christi* 600. *Cæterum utrum unica an duplex fuerit Brigida, quarum altera Duni in Hibernia sepulta fuerit, altera, ex Hibernia quoque oriunda, cum S. Cuthberto puero circa annum* 640 *a S. Columba, Dunkeldensi episcopo educata, et Abernethi tumulata* (8), *non est quod operosius inquiram, quum id nulla tenus ad præsentem quæstionem pertineat. Neque morari nos debet, quod in Chronico, num. præc. citato, Abernethensis ecclesia* collegiata *vocetur : qualitas enim ista monstrat magis, quid esset ecclesia, quum scriberetur Chronicum, quam quid olim fuerit, nempe ecclesia cathedralis. Ex hactenus dictis patet, secundam opinionem, qua statuitur, fundatio Andreopolitanæ ecclesiæ in annum Christi* 518, *nullam habere pro se auctoritatem alicujus momenti, imo, quandoquidem toto fere sæculo recentior esse videatur Abernethensis ecclesia, vix cum aliqua probabilitate sustineri posse.*

J. V. H.

præplacet tertia opinio, in sæc. IX consistens.

40 *Restat igitur tertia opinio, quam examinandam suscipimus, nempe nono sæculo, sub Hungo, rege Pictorum, et translatas fuisse S. Andreæ Reliquias et Andreopolim in episcopalem civitatem fuisse erectam : unde et id habemus consequentiæ, quod* S. Regulus *eodem tempore floruerit. Mihi quidem hæc opinio trium probabilissima videtur propter triplicem rationem. Imprimis quotquot coram habeo Legendæ in hoc conveniunt, ut* Regulum *nostrum et per eum factam translationem, si unum Joannem Fordunum excipias, cum regno Hungi conjungunt, adeoque nonum sæculum indigitant. Lectiones Breviarii Aberdonensis, num.* 3 *et* 4 *citatæ, dicunt Hungum, a S.* Regulo *baptizatum fuisse,* terramque cultam quam copiose in honore B. Andreæ et B. Reguli instantia in perpetuum concessise : *Historia S.* Reguli, *variis quidem, ut monstravimus, fabulis infecta, tamen iterum nos ad Hungum, proindeque ad nonum sæculum reducit. Imo quæ in laudata Historia offendunt fabulæ, sanantur, si* E Regulum *nostrum a quarto ad nonum sæculum transferamus. Tunc enim jam Christianismo imbuta erat Scotia, quod sæculo quarto necdum effectum erat, ut constat ex Actis S. Niniani ; tunc aderant in Britannia Saxones, quibuscum Picti certaminum aleam experiri poterant : remota infausta Chronotaxi, limpide decurrit historiæ series. Similiter quam supra num.* 30 *attulimus, Legenda exhibet Hungum, tunc regnantem, quando in Scotiam advenerunt S. Andreæ Reliquiæ. Et hic quidem cespitat chronologia, quoniam ad quintum sæculum regnum Hungi reponitur ; ast cætera cum aliis recte concordant ; nisi quod hic Constantinopoli, non vero Patris Achaiæ, egressus* Regulus *tradatur, et merito, quoniam* 110 *annis post Achaicam translationem, advectio Sacrarum Reliquiarum notatur.*

quatenus convenit cum tempore Hungi regis,

41 *Quoad porro Fordunum attinet, ejus textum supra num.* 24 *et seqq. allegavimus. Hic rei gestæ historiam dispertit. Et primo quidem S.* Reguli *in Scotiam adventum statuit* transcursis aliquot annis *post Patrensem translationem ; numerus autem istorum annorum non valde magnus reputandus est : nam apparens Angelus dicit,* nuper *istas Reliquias* F *reservatas fuisse : ponamus itaque mandatum angelicum circa annum* 365, *seu transcursis octo annis, intimatum fuisse, ad S. Ninianum, Pictorum Apostolum, non attingimus, proindeque Chronotaxis, a Forduno indicata, fabulam sapit. Quæ deinde lib.* IV *cap.* XIV (9) *Fordunus tradit omnia, si notas chronologicas tollis,* Regulique *congressum supprimis, cum reliquis Legendis conveniunt. Hungo, hostibus undecumque circumvallato, apparuit S. Andreas, promittitque victoriam, dummodo sui voti memor, decimam regni partem in suum cultum tradat. Equidem existimo, Fordunum, quum duo, sæculis ferme quinque distincta, nempe Achaicam translationem et Hungi regnum, confusa videret in idem tempus, voluisse opportune separare ; verum id absque idoneo antiquitatis testimonio tentasse, idcirco censeo, quia Scoticam transvectionem in ea tempora translulit, quibus necdum inter Pictos is esset christianitatis sensus, qualem ipse in loco a nobis num.* 30 *allato exhibet.*

42 *Altera ratio, ob quam initia ecclesiæ Andreo-*

(1) Jamieson. Account, p. 106. — (2) Act. SS., t. I Febr., p. 109. — (3) Gale. Scriptt., t. III, p. 665. — (4) Jamieson. Account, p. 106. — (5) Usser. Antiq., p. 372. — (6) Gale. Scriptt., t. III, p. 665. — (7) De Gestis Scot., lib. II, cap. XIV. — (8) Usser. Antiq., p. 368. Cfr Jamieson. Account, p. 107 et seqq. — (9) Gale. Scriptt., t. III, p. 666.

politanæ,

J. V. E. fundationis ecclesiæ Abernethensis

politanæ, proindeque Reliquiarum transvectionem, ad nonum usque sæculum removenda nobis suademus, est ipsa controversio, quam supra num. 37 attigimus, circa antiquitatem ecclesiæ Abernethensis. Satis enim probabiles sunt rationes, ut exordium hujus ecclesiæ ad initium sæculi septimi prorogetur: quo casu ruunt omnia quæ habent Legendæ variæ circa translationem remotioris ævi. Dein ab initio sæculi septimi usque ad nonum nihil in historiis occurrit, quo verisimiliorem statuamus epocham, quam quæ nobis in regno Hungi ejusque victoria exhibentur. Atque hæc, quoad chronologiam spectant, confirmantur ex Catalogis episcoporum Scotiæ, quos varios exhibet Robertus Keith (1): *nihil enim, si seriem antistitum Andreopolitanorum inspicimus, est quod cogat ultra sæculum nonum retrocedere. Tandem præterire nos non debet, quæ supra num.* 38 *et* 39 *retulimus de ecclesia Dunkeldensi, ut antiquissime, sæculo septimo fundata* (2). *Etenim si illo jam tempore extitisset Andreopolitana ecclesia, pronum fuisset de eadem mentionem facere, aut saltem translatæ Abernetho cathedræ meminisse, quoniam hoc magis dignum erat notatu, quam intervallum annorum, quod inter fundationem Abernethensem et Dunkeldensem distabat.*

B

et moribus istius sæculi.

43 *Tertio tandem in sæculum nonum incidit frequentissimum commercium Orientem inter et Occidentem, cujus luculenti testes sunt ultro citroque, præsertim sub Carolo Magno ejusque filio Ludovico Pio, missi sæpissime legati* (3), *qui donaria ferebant, ingenio temporum maxime accommodata. Scimus porro, avidissime tunc conquisitas fuisse Sanctorum Reliquias, quæ in Europam septemtrionalem transferebantur. Fraudes hinc inde machinatos fuisse Græcos, non est quod inquiram; quandoquidem ipsa fraus cupiditatem talium pignorum indicat. Quod dein aliæ gentes Europææ, Caroli celeberrimum nomen venerantes, eadem pietate incensæ fuerint, non est quod demonstrem, quum constet institutiones Carolinas per omnem Europam, præcipue Galliis adjacentem, manasse. Sic anno Christi* 799 *monachus, a patriarcha Jerosolymitano missus, ad Carolum regem, ut habent Annales Francorum Tilliani* (4), benedictionem et Reliquias de Sepulchro Domini defert. *Anno* 807, *ait Ado in suo Chronico* (5), delata sunt ossa B. Cypriani a Carthagine cum Reliquiis aliorum Martyrum, *quemadmodum anno* 825 *corpus S. Matthæi ex Æthiopia in Britanniam minorem, anno* 826 *et* 827 *S. Sebastiani et SS. Marcellini ac Petri Suessiones translata sunt* (6), *sicuti et Reliquiarum instar a legatis Michaelis imperatoris recepit Ludovicus Pius libros Dionysii Areopagitæ, qui, ait Chronicum Saxonicum* (7), Parisius in ipso Martyris festo missi, cum gaudio suscepti sunt; quod gaudium virtus S. Martyris auxit, XIX ægrotis in ipsa nocte ibi sanatis. *Hæc multis aliis exemplis corroborari possent, sed sufficiunt allata ad monstrandum nono maxime sæculo frequentiores fuisse sanctorum corporum translationes: quocirca et ex hoc probabile censeo, S. Andreæ Reliquias in Scotiam illo circiter tempore advectas, et S. Regulum, qui præcipue, imo vix non unice, ex hac translatione posteritati innotuit, tunc vixisse. Atque hæc sunt, quæ de S. Regulo reperire potuimus; sæpius conjecturis indulsimus, quia Pictorum Scotorumque historia inextricabilibus obsita est difficultatibus.*

C

S. Damianus presbyter, socius S. Reguli, ecclesiam habuit Andreopoli.

44 *Appendiculæ loco adjicienda hic quædam videntur de SS.* Damiano *presbytero,* Anegla *diacono et* Muren *virgine, quæ in Historia B.* Reguli, *quam continuo hic subjiciemus, cum certis cultus ecclesiastici signis apparent. S.* Damianum *fuisse presbyterum unumque e sociis S.* Reguli *in convehendis S. Andreæ Reliquiis in hac aliisque scriptionibus planis traditur verbis: quinimo ipse solus cum S.* Regulo Sancti *titulo honestatur in Catalogo eorum qui S. Andreæ Reliquias in Scotiam attulerunt. Quum vero in recensione ecclesiarum Chilrymontensium seu Andreopolitanarum, quæ proxime ante hunc Catalogum venit, quinto loco designetur ecclesia in honorem S.* Damiani *constructa, suadent omnes critices leges, ut hæc sub ejusdem Sancti* Damiani, *non vero sub alius patrocinio Deo dedicata habeatur. In præsentiarum ecclesia hæc ejusve ruinæ non amplius videntur existere, quantum colligere possum ex Carlisle* (8). *Festum S.* Damiani, presbyteri Commerwaldiæ, qui S. Andreæ Reliquias a S. Regulo allatas recepit, *annuntiat Dempsterus ad* I *Junii, Camerarius seu Dempsterus aliud assumens nomen* (9), *ad diem sequentem* (10). *Boni consuluere decessores ut ad diem* XVII *Octobris ab oblivione vindicaretur S.* Damiani *memoria, quum de S.* Regulo *ageretur: quod in præsentia præstare conati sumus; gesta autem oblitterata sunt.*

E

et alius est ac S. Damianus seu Dyfnanus in insula Mona cultus.

45 *Cæterum hic S.* Damianus *probe distinguendus est ab homonymo, socio S. Fugatii seu Phanoni, quocum ab Eleutherio Papa ad S. Lucium regem missus traditur; utriusque festum illigat Wilsonus diei* XXVI *Maii in priori editione Martyrologii Anglicani, in posteriori ad* XXIII *ejusdem mensis* (11). *Vocatur autem hic Sanctus etiam Dervianus* (12). *Ejusdem natalem statuit auctor recentioris Martyrologii Anglicani* (13) *ad diem* XIV *Maii his verbis:* In Wallia, festivitas S. Damiani seu Dwywan, culti in ecclesia Llanendwyn in diœcesi Benchorensi; *quæ ex Willis a se accepta testatur. Verumtamen confusio quædam in his notanda est. In Insula enim Angliæ* (Anglesea), *olim Mona dicta, duæ ad littus orientale sunt vicinæ parœciæ, quarum altera, arena marina fere operta et templi ruinas solum nunc habens, dicitur* Llan Ddwyn *seu* Llan Ddwynwen, *i. e.,* ecclesia S. Ddwynwen (14); *altera vero, instructa etiamnum templo, quod circa annum* 590 *primum conditum volunt, nomen habet* Llan Ddyfnan, *seu* ecclesia S. Ddyfnam (15). *Porro in hoc cubat mendum quod priori parœciæ tribuatur patronus posterioris, scilicet S. Dyfnanus seu Damianus; quem tradit Carlisle* (16) *anno* 180 *Roma in Britanniam venisse, qua operam suam convertendis Britonibus conferret; dum S. Dwynwen fœmina esset, quæ medio sæculo V floruerit* (17).

F

SS. Aneglas et Muren habuerunt item ecclesiam Andreopoli.

46 *De S.* Aneglas *diacono, in cujus honore secunda Andreopolitana ecclesia constructa fuit, reperio omnino nihil. Id unum observabo cum non confundendum videri cum Gelasio diacono et S.* Reguli *comite: nam Gelasius absque Sancti titulo prodit. De S.* Muren *Virgine, quæ septimæ ecclesiæ patrona data est, sæculo* XII *tam pauca jam innotescebant ut auctor Historiæ S. Reguli scribat:* septimam in honorem Muren CUJUSDAM Virginis. *Arbitratur Jamieson hanc S.* Muren *eamdem esse ac Mouren, de qua paulo ante idem Historiæ auctor dixerat:* Moneclatu qui nunc dicitur Monichi.. . regina Finchem regi Hungo filiam enixa est quæ

(1) Catalogue of the Bish. of Scotl Introd. to the see of S. Andrews. — (2) Cfr tamen Act SS., t. III Mart., p. 95, n 10. — (3) Cfr D. Bouquet, t. V et VI. Scriptt. Index Chronol., passim. — (4) Bouquet, t. V, p. 2 . — (5) Ibid., p. 322. — (6) Ibid., t. VI, p. 240. — (7) Ibid., p. 220 et 233. — (8) Cfr Topographical Dictionary of Scotland and the British isles, vº *Andrews (S.)*. — (9) Cfr Pinkerton, Enquiry in the Hist. of Scotland, t. I, introd., p. LVI. — (10) Cfr Acta SS., t. I Junii, p. 7 — (11) Ibid., t. VI Maii, p. 353. — (12) Ibid., t. I Januar., p. 10. — (13) Memorial of antient British piety, suppl., p. 15. — (14) Carlisle, Topograph. of Wales, vº *Llan Ddwynwen*. — (15) Ibid., vº *Llan Ddyfnan*. — (16) Ibid. Glossary, p. XXXIII. — (17) Ibid., loc. cit.

Mouren

A Mouren vocata est. Corpus illius Virginis Mouren apud Kylrimont sepulta est; nullo ante hoc ibidem sepulto. Finchem vero regina domum, in qua filiam Mouren pepererat, dedit Deo et Sancto Andreæ et totum atrium regale perpetuo. *Et quidem recta videtur hæc sententia, quoniam hinc facile intelligitur quam ob causam monasterium, ecclesiæ S.* Muren *additum, solis pateret puellis e sanguine regio, ut habet idem scriptor :* Et in illa ecclesia, *inquiens,* fuerunt 50 Virgines, de semine regio procreatæ, omnes Deo dicatæ et velatæ undecim annis; et sepultæ sunt omnes in orientali parte ipsius ecclesiæ. *Quoniam de Hungo rege multæ fabulæ divenditæ fuerunt* (1), *dubium hinc fit, utrum S.* Muren *ejus fuerit filia : admitti tamen potest, eam pertinuisse ad regium genus, quod per fœminas inter Pictos deductum, valde numerosum erat* (2). *Superest ut ipsam Historiam S.* Reguli, *quam modo memorabamus, typis subjiciamus.*

HISTORIA B. REGULI,

B Et fundationis ecclesiæ S. Andreæ *a*.

Ex Joan. Jamieson, historical Account of the ancient Culdees, p. 378 b.

Reliquiis S. Andreæ clam surreptis.

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 345, Constantinus, nepos Constantini filii Helenæ *c*, congregavit exercitum magnum ad depopulandum Patras civitatem, in vindictam suspensionis B. Andreæ, Apostoli Christi *d*, et ut inde auferat Reliquias ipsius. Tertia autem nocte, antequam imperator cum exercitu intraret civitatem, Angelus Dei, descendens de cœlo, apparuit Sanctis viris, qui custodiebant Reliquias S. Andreæ Apostoli, et præcepit Sancto episcopo *e* Regulo, ut ipse cum clericis suis iret ad sarcophagum, in quo erant recondita ossa B. Andreæ, et C inde tolleret tres digitos manus dextræ, et brachium inter cubitum et humerum, et patellam genu illius, et unum ex dentibus suis. Ipsi vero has partes de Reliquiis tollentes, sicut Angelus illos jusserat, in loco secretissimo reposuerunt *. Die vero sequenti post harum Reliquiarum repositionem, sub ortu solis, venit imperator Constantius *(sic)* cum exercitu suo, et urbem depopulavit et provinciam, et secum Romæ *f* asportavit scrinium, in quo cætera ossamenta S. Apostoli invenit reposita. Quo adveniens depredavit insulam Tyberis et Colossium, et inde tulit secum ossa S. Lucæ Evangelistæ, et Timothei, discipuli B. Pauli Apostoli, usque ad Constantinopolim cum Reliquiis B. Andreæ.

* l. deposuerunt

Hungus, rex Pictorum.

2 Tunc temporis Hungus, filius Ferlon *g*, magnus rex Pictorum, congregavit exercitum suum contra Adhelstanum, regem Saxonum, et castrametatus est ad ostium Tyne *h*. Nocte vero ipsa ante congressionem duorum exercituum, B. Andreas apparuit regi Pictorum, Hungo, in somniis dicens ei, quod ipse Apostolus, in die sequenti, inimicum exercitum ita expugnaret, ut ipse Hungus plene de inimicis triumpharet. Cui rex ait : « Quis es tu et unde venis? » B. Andreas respondens ait : « Ego sum Andreas, Apostolus Christi, et nunc de cœlo veni, a Deo missus, revelare tibi, quod in die crastino expugnabo inimicos tuos et tibi subjugabo ; et læta victoria potitus, ipse cum exercitu tuo incolumis reparabis. Et in regnum tuum Reliquiæ meæ afferentur ; et locus, ad quem deferentur, cum omni honore et veneratione celebris erit usque in ultimum diem sæculi ». Rex vero, e somno evigilans, enarravit omnibus suis ea, quæ dormienti revelaverat B. Andreas. Quibus auditis, Pictorum populus exhilaratus, jurejurando affirmavit, perpetuo cum omni diligentia se B. Andreæ venerationem exhibiturum, si ea, quæ regi suo monstraverat, ad effectum ducerentur. Die autem postero, Picti, ex sponsione Apostoli lætificati, prælium pararunt, et, diviso exercitu, circa regem suum septem agmina statuerunt. Saxones vero, suum dividentes exercitum, regem suum Adhelstanum bis septem constipati sunt agminibus. Facto autem congressu, Saxones, omni virtute illico destituti, Deo volente et S. Apostolo Andrea pro Pictis interveniente, in fugam detorsi sunt. Regi autem Saxonum Adhelstano, capite E amputato, innumera Saxonum facta est cædes. Rex vero Hungus, victoria potitus, cum exercitu non modico in terram suam rediens, caput Adhelstani secum præcepit adferri, et in loco, qui dicitur Ardchinnechum *, infra portum, qui nunc dicitur, Portus reginæ, in ligno fecit affigi. Post istam ope cœlesti adeptam victoriam, in Pictos postmodum non ausi sunt insurgere Saxones.

AUCTORE ANONYMO.

* l. Ardchinechum

Saxonumque victor.

3 Post hujus belli felicem victoriam, non multis evolutis diebus, Angelus Dei iterum de cœlo venit ad B. episcopum Regulum, quem ita alloquitur : « Ex Dei summi præcepto partes aquilonares adire non differas, adversus solem orientem, cum Reliquiis discipuli Christi Andreæ, quas ex monitu nostro jam dudum reservasti. Et quocumque loco navis illa, quæ te et tuum vehet per mare conventum, conquassata fuerit, te cum sociis salvo et incolumi, ibi in nomine Domini et Apostoli sui Andreæ, jace fundamentum ecclesiæ. Locus enim ille vobis erit per sæculum requies et ibidem erit resurrectio in die extremi examinis ». Regulus vero episcopus erga aquilonem tendit navigio : et per unius anni spatium et dimidii, multis tempestatum jactus procellis, per insulas F Græci maris, quocumque appulsus fuit, Oratorium in honorem S. Andreæ constituit. Innumeros itaque Sancti viri labores perpessi, per marina littora, Deo ducente, in aquilonem vela direxerunt, et in terra Pictorum ad locum, qui Muckros fuerat nuncupatus, nunc autem Kylrimont dictus, nocte S. Michaelis applicuerunt : Muckros vero Nemus Porcorum dicitur. Navi vero, qua vehebantur, ad scopulos conquassata, crucem quamdam, quam secum de Patris portaverant, ibidem sibi erectis papilionibus, in terram fixerunt, in signum quod portaverant sacrorum et contra dæmonum insidias curamentum. Et ibidem per dies septem et totidem noctes manserunt.

S. Regulo occurrit.

4 Ibidem dimissis senioribus, S. Damiano et fratre suo Merinach, in ipsius loci custodiam, Regulus et cæteri viri cum Sanctis Reliquiis sanctissimi Apostoli Andreæ ad Fortevieth perrexerunt *i* : et illic tres filios regis Hungi repererunt, scilicet Howonam et Nechtan et Phinguineghert. Et quia pater illorum in expeditione in partibus

(1) Enquiry in the Hist. of Scotland, t. I, p. 293 et seq.— (2) Ibid., loc. cit., p. 260 et seqq.

Argathelicæ

AUCTORE ANONYMO

Argathelicæ tunc temporis exstitit, de cujus vita filii multum soliciti erant, Deo et S. Andreæ dederunt decimam partem de urbe Fortevieth. Ibidem vero cruce quadam erecta, loco et loci habitatoribus, regis filiis, benedixerunt. Inde perrexerunt Moneclatu, qui nunc dicitur Monichi, et ibi regina Finchem, regi Hungo filiam enixa est, quæ Mouren vocata est. Corpus illius Virginis Mouren apud Kylrimont sepulta est, nullo ante hoc ibidem sepulto. Finchem vero regina domum, in qua filiam Mouren pepererat, dedit Deo et S. Andreæ et totum atrium regale perpetuo. Inde transierunt Montana, seu Moneth, et venerunt ad locum, qui vocabatur Doldencha, nunc autem Chondrochedalvan. Ibi Hungus rex sublimis de expeditione rediens, viris sanctis obvenit, et coram Reliquiis S. Andreæ Apostoli, sibi ostensis, cum omni humilitate et reverentia se prostravit, Pictis omnibus, qui cum illo erant, similiter cum rege humili prostratis coram Reliquiis. Rex vero locum illum seu Doldancha dedit Deo et S. Andreæ Apostolo, et ecclesiam ibi ædificavit, ubi Reliquiæ sibi nudæ ostensæ erant. Inde rex cum sanctis viris Montana seu Moneth transiens, venit usque ad Monichi : B ibidem et in honorem Dei et B. Apostoli ecclesiam ædificavit. Et ita venit rex cum sanctis viris ad Fortevieth, et ibi Deo et Apostolo basilicam ædificavit.

in Kilrimont, k

5 Postea vero rex Hungus cum sanctis viris venit Chylrimont *(Kylrimont)* *k*, et magnam partem loci illius circumiens, obtulit illam Deo et S. Andreæ Apostolo ad ædificandum illic basilicas et Oratoria. Locum vero ipsum, nota evidente designatum, ex magna devotione septies circumierunt. Rex Hungus et ipse episcopus Regulus et viri cæteri, circuitione et perambulatione ita disposita septena, præcessit episcopus Regulus super caput suum cum omni veneratione Reliquias S. Apostoli deferens, suo sacro conventu episcopum cum comitibus hymnidicis sequente. Illos vero devotus secutus rex Hungus est pedentim, Deo intimas preces et gratias fundens devotus : regem vero secuti sunt viri optimates, totius regni nobiliores. Ita locum ipsum Deo commendarunt et pace regia munierunt *l*. In signum vero regiæ commendationis per loci circuitum divisim duodecim cruces lapideas viri sancti erexerunt *m*, et Deo cœli humiliter supplicabant, ut omnes in illo loco mente devota et intentione pura orationis C suæ petitionis efficaciam obtinerent *n*. Postea rex Hungus basilicæ S. Apostoli in parochiam dedit quidquid terræ est inter mare quod Ishundenema dicebatur, usque ad mare quod Sletheuma vocabatur; et in adjacenti provincia per circuitum de Largaw usque ad Siren canum ; et de Siren usque ad Hyhatnoughten Mochehirb, quæ tellus nunc dicitur Hadnachten *o*. Rex vero dedit hunc locum, scilicet Chilrymonth, Deo et S. Andreæ ejus Apostolo cum aquis, pratis, cum agris, cum pascuis, cum moris, cum nemoribus, in eleemosynam perpetuam et tanta libertate locum illum donavit, ut illius inhabitatores liberi et quieti semper exsisterent de exercitu et de operibus castellorum et pontium, et de inquietatione omnium secularium exactionum.

quem locum S. Andreæ donat. p

6 Regulus vero episcopus Deo cantavit orationem Alleluia *p*, ut Deus locum istum, in eleemosynam datum, in sempiternum protegeret et custodiret in honorem Apostoli. In memoriale datæ libertatis rex Hungus cespitem arreptum coram nobilibus Pictis, hominibus suis usque ad altare S. Andreæ detulit; et super illud cespitem eumdem obtulit *q*. In præsentia testium horum hoc factum est : Thalarg, filii Ythernbuthib, Nactan, D filii Chelturan, Garnach, filii Dosnach, Drusti, filii Urthrost, Nachtalich, filii Gighergh, Shinah, filii Lutheren, Anegus, filii Forchate, Sheradah, filii Finleich, Phiachan, sui filii, Bolge, Glunmerach, filii Taran, Demene, filii Aunganena, Duptalaich, filii Bergib. Isti testes, ex regali prosapia geniti sunt. Postea in Chilrymont Sancti viri septem construxerunt ecclesias : unam in honorem S. Reguli ; secundam in honorem S. Aneglas diaconi *r* ; tertiam in honorem S. Michaelis, Archangeli ; quartam in honorem S. Mariæ Virginis ; quintam in honorem S. Damiani *s* ; sextam in honorem S. Brigidæ Virginis *t* ; septimam in honorem Muren cujusdam Virginis *v* : et in illa ecclesia fuerunt quinquaginta Virgines, de semine regio procreatæ, omnes Deo dicatæ et velatæ undecim annis, et sepultæ sunt omnes in orientali parte ipsius ecclesiæ. Hæc sunt nomina illorum sanctorum virorum, qui sacras Reliquias S. Andreæ Apostoli attulerunt in Scotiam : S. Regulus ipse, Gelasius diaconus, Matthæus Heremita, S. Damianus presbyter et Merinachus frater ejus, Nervius et Crisennus de Nola insula, Mirenus et Thuluculus diaconus, Nathabeus et Silvius frater E ejus ; septem Eremitæ de insula Tyberis, Felix, Juranus, Mauritius, Madianus, Philippus, Eugenius, Lunus ; et tres Virgines de Colossia, scilicet, Kiduana, Potentia, Cineria : hæ Virgines sepultæ sunt ad ecclesiam S. Aneglas. Thana, filius Dudabrach, hoc monumentum scripsit regi Pherath, filio Bergeth in villa Migdele *w*.

w Hujus ecclesiæ varia

7 Hæc, ut præfati sumus, sicut in veteribus Pictorum libris scripta reperimus, transcripsimus. Affirmant plerique Scotorum B. Apostolum Andream, viventem in corpore, ibidem fuisse, hoc argumentum assertionis suæ assumentes, quod terram Pictorum, scilicet Scythicam, in sortem prædicationis accepit, et ideo locum istum præ cunctis locis charum habebat, et quod non explevit vivus, expleat carne solutus. Quod quia scriptum non reperimus, in neutram partem negando vel affirmando nimium inclinamus. Sed quoniam de virtutibus et miraculis, quæ per Sanctum Apostolum suum Deus et fecit et facit, facta est mentio, unde et quædam illorum scribendi obtulit se occasio, quæ vel scripta reperimus, vel a veridicis audivimus relatoribus, vel etiam ipsi perspeximus, scribere, Deo donante, disposuimus ; et hoc nos fratres postulaverunt. Interim autem distulimus, donec F incœptum compleamus.

fuit fortuna sub Culdeis. x

8 Deleto igitur funditus Pictorum regno, et a Scotis occupato *x*, vicissim res et possessiones ecclesiæ crescebant aut decrescebant, prout reges et principes devotionem ad S. Apostolum habebant. De quibus non est dicendum modo per singula, sed quæ ad nos spectant, compendiose tractanda. Erat autem regia urbs, Rymont, Regius Mons dicta, quam præfatus rex Hungus Deo et S. Apostolo dedit. Sublatis vero a præsenti vita Sanctis, quorum supra mentionem fecimus, qui cum Reliquiis B. Apostoli advenerant, et eorum discipulis atque imitatoribus, cultus ibi religiosus deperierat, sicut et gens barbara et inculta fuerat. Habebantur tamen in ecclesia S. Andreæ, quota et quanta tunc erat, tredecim per successionem carnalem *y*, quos Keledeos appellant *z*, qui secundum suam æstimationem et hominum traditionem, magis quam secundum Sanctorum statuta Patrum, vivebant. Sed adhuc similiter vivunt : et quædam habent communia, pauciora scilicet et deteriora ; quædam vero propria, plura scilicet et potiora, prout

A prout quisque ab amicis suis, aliqua necessitudine ad se pertinentibus, videlicet consanguineis et affinibus, vel ab iis, quorum animæ charæ sunt, quod est amiciarum * amici, sive aliis quibuslibet modis, poterit quis adipisci.

* amicitiarum

9 Postquam Keledei effecti sunt, non licet eis habere uxores suas in domibus suis; sed nec alias, de quibus mala oriatur suspicio mulieres *. Personæ nihilominus septem fuerunt, oblationes altaris inter se dividentes, quarum septem portionum unam tantum habebat episcopus et hospitale unam : quinque vero reliquæ in quinque cæteros dividebantur, qui nullum omnino altari vel ecclesiæ impendebant servitium, præterquam peregrinos et hospites, quum plures quam sex adventarant, more suo hospitio suscipiebant, sortem mittentes, quis quos vel quot reciperet : hospitale sane semper sex et infra suscipiebat. Sed quod nunc, donante Deo, postquam in manum canonicorum devenit *aa*, omnes suscepit eo advenientes. Statuerunt etiam canonici, ut si quis eo æger deveniat, vel infirmatus ibi fuerit, cura ipsius agatur in omnibus necessariis juxta domus facultatem, usque dum convalescat vel moriatur. B Si quid autem habuerit, faciat inde quod voluerit et disponat ad libitum suum, quoniam in domo illa nihil exigetur ab illo. Constitutus est etiam a canonicis capellanus, qui et infirmatorum et morientium curam agat; et duo patres, qui custodiant domum, et hospites suscipiant, atque infirmis ministrent, qui tamen ibi neque comedunt, neque bibunt, neque induuntur. Ad hoc quoque concesserunt canonici decimas propriorum suorum laborum et reliquias ciborum suorum. Si quid vero necessarium sive sanis sive infirmis in cellario eorum fuerit, quod de hospitali haberi non poterit, sine contradictione donetur.

a primævo instituto degeneratis,
* mulieris

aa

10 Personæ autem supra memoratæ redditus et possessiones proprias habebant; quas, quum e vita decederent, uxores eorum, quas publice tenebant, filii vel filiæ, propinqui vel generi, inter se dividebant; nihilominus altaris oblationes, cui non deserviebant, quod puduisset dicere, si non eis libuisset facere. Nec potuit tantum auferri malum usque ad tempus felicis memoriæ regis Alexandri *bb*, Sanctæ Dei Ecclesiæ specialis amatoris, qui et ecclesiam B. Andreæ Apostoli possessionibus et redditibus ampliavit, multisque et C magnis muneribus cumulavit, libertatibus et consuetudinibus, quæ sui regii muneris erant, cum regali possessione donavit. Terram etiam, quæ *Cursus Apri* dicitur, quam quum allatæ fuissent Reliquiæ B. Andreæ Apostoli, rex Hungus, cujus supra mentionem fecimus, Deo et S. Apostolo Andreæ dederat, et postea oblata * fuerat, ex integro instituit; eo nimirum obtentu et conditione, ut in ipsa ecclesia constitueretur Religio ad Deo deserviendum. Non enim erat, qui B. Apostoli altari deserviret; nec ibi Missa celebrabatur, nisi quum rex vel episcopus illo advenerat, quod raro contingebat. Keledei namque in angulo quodam ecclesiæ, quæ modica nimis erat, suum Officium more suo celebrabant. Cujus donationis regiæ testes multi sunt superstites. Quam donationem et comes David, frater ejus, concessit, quem rex heredem destinaverat et in regno successorem, sicut est hodie *cc*.

donec Alexander I, rex Scotiæ,

bb

* ablata?

cc

redditis ecclesiæ possessionibus,

11 Ob cujus etiam donationis monumentum, regium equum Arabicum *dd* cum proprio freno et sella et scuto et lancea argentea, opertum pallio grandi et pretioso, præcepit rex usque ad altare adduci : et de prædictis donis, libertatibus et consuetudinibus omnibus regalibus ecclesiam investiri : arma quoque Turchensia diversi generis dedit, quæ cum ipsius scuto et sella in memoriam regiæ munificentiæ usque hodie in ecclesia S. Andreæ conservantur : quæ undecumque advenientibus populis ostenduntur, ne oblivione ullatenus deleatur, quod tam crebro ad memoriam revocatur. Hujus nempe regis Alexandri diebus, prope vitæ temporalis finem, dominus Robertus, primus Sconensis ecclesiæ Prior *ee*, (quam et idem rex canonicis dederat, et multis donis atque possessionibus ditaverat) in episcopum Scotorum electus fuit : sic quippe ab antiquo episcopi S. Andreæ dicti sunt : et in scriptis tam antiquis quam modernis inveniuntur dicti summi archiepiscopi sive summi episcopi Scotorum. Unde et conscribi fecit in theca Evangelii Fothet episcopus, maximæ vir auctoritatis, versus istos :

dd

AUCTORE ANONYMO.

ee

Hanc Evangelii thecam construxit aviti
Fothet, qui Scotis summus episcopus est.

Sic et nunc quoque in vulgari et communi locutione *Escop Alban* i. e episcopi Albaniæ *ff*, appellantur. Sic et dicti sunt et dicuntur per excellentiam ab universis Scotorum episcopis, qui a locis, quibus præsunt, appellantur.

ff

E

12 Sed ante ipsius electi consecrationem memoratus rex Alexander, ad extrema deductus, fratrem suum regem David, qui solus ex fratribus supererat et superest, non tam regni, quam devotionis erga Dei Ecclesiam et pauperum tutelam, reliquit heredem. Satagit enim et sataget, ut quod frater ejus, rex sæpe dictus, inceperat, ipse ad finem, Deo juvante, perduceret. Plures et ecclesias et plura monasteria, tam monachorum quam canonicorum, necnon et sanctimonialium constituit, quibus et multa beneficia contulit. Præterea in servos et ancillas Christi multa operatus est opera misericordiæ, quæ non est nostræ facultatis evolvere. Impetravit autem consecrari antistitem Ecclesiæ S. Andreæ jam dictum D. Robertum, a piæ memoriæ Thurstino, Eboracensi archiepiscope *gg*, sine professione vel qualibet exactione, salva dumtaxat utriusque Ecclesiæ dignitate et Sanctæ atque Apostolicæ Sedis auctoritate. Ordinatus igitur episcopus, atque ad sedem propriam reversus, quod anhelabat in pectore, exercere studebat in opere, ut ecclesia videlicet ampliaretur et cultui divino dedicaretur. In multis tamen et ante ordinationem et post adversatus est ei Satanas. Multas sustinuit injurias et contumelias, juxta quod ait Apostolus, *omnes qui volunt pie vivere in Christo persecutionem patientur.* F

ad meliorem formam redegit

gg

13 Portiunculam autem septimam altaris, quæ in eum contingebat, et quam de propriis usibus suis subtrahebat, in ecclesiæ opus expendebat. Sed quoniam impensa erant modica, modice erigebatur et fabrica, donec, Domino cooperante, et proxime rege David annuente, oblationes in manibus laicorum, tam virorum quam mulierum, exceptæ, in usus ecclesiæ sunt receptæ. Dein ubi magis, quod daret, ad manum haberet, magis ac magis opus accelerabat. Basilica igitur, in fundamentis inchoata et ex majori jam parte consummata, domibus quibusdam ita exactis cum claustro, ut jam possint * habitatores introduci, qui non nimia quærerent et interim per patientiam exspectarent. D. Adeboldum, episcopum Carleolensem expetiit *hh*, tam per litteras, quam per missalios *ii*, per vivam quoque vocem, regi David sibi concedere ecclesiam S. Oswaldi *kk*, cui ipse episcopus jure Prioris præerat, personam, quam in partem sui laboris assumeret, et canonicis, quos in

sub Roberto episcopo.

* possent?

hh
ii
kk

 ecclesia

AUCTORE ANONYMO.

ecclesia S. Andreæ statuere disponebat, Priorem constitueret. Familiarius siquidem sibi videbatur et dulcius de ipsa ecclesia, ubi se Deo devoverat et habitum religionis susceperat, unde et Sconensi ecclesiæ primus Prior destinatus fuerat; de qua, ut præfati sumus, in episcopum electus et assumptus erat, quam aliunde personam accipere. Nec tamen quamlibet postulavit personam, sed fratrem Robertum, non quidem fama notum vel conversatione, sed tantum nomine, quem juxta quod ab amicis et familiaribus suis, qui eum noverant, ad hoc idoneum æstimabant. Petiit ergo eum et accepit, nec enim ei de ipsa ecclesia negare poterat vel debebat, quia quid rationabiliter postularet.

qui canonicos regulares

14 Memoratus autem frater Robertus ex præcepto D. episcopi aliquamdiu apud S. Andream conversatus est, et sine canonicis, non tamen sine clericis, præbente D. episcopo necessaria sibi et suis. In ecclesiam vero nullam habebat nec habere volebat potestatem, donec ei Dominus procuraret, quam optabat ad ei servitium, societatem. Nihil tamen de se præsumerit *, sed totum se Deo deferens et se ordinationi submittens, Deum sedulo deprecabatur, ut eum visitare et consolari B dignaretur, aut tale donaret se Religionis fundamentum ponere, supra quod constructum ædificium firmum esset et stabile. Sicut enim in corde statuerat, nequaquam in alienos labores intrare volebat, quod fortasse sibi facile foret de aliis et diversis ecclesiis sibi fratres sociare, ne forte diversi diversa sentientes, dum qui essent, videri appeterent, in unitatem non convenirent, et sic antequam jaceretur fundamentum, pateretur fabrica detrimentum. Si quos tamen, modo quo ipse disponebat vivere paratos, ei Deus adduceret, eos benigne susciperet.

* præsumens?

in eam introduxit.

15 Interea fratri Roberto, ex præcepto episcopi, ut dictum est, ibidem commorante, D episcopo autem circa inceptum segnius agente, venit rex, una cum filio suo Henrico, comite et rege designato *ll*, ad S. Andream orationis gratia, multique cum iis comitum et potentium terræ. In crastino autem, audita Missa et Horis ex more et oblatione factis, veniens rex in claustrum, quale illud tunc erat, simul cum iis, qui secum venerant; et residentibus cunctis, primum multa, quæ nihil attinet, tandem causam, pro qua præcipue venerat, C aperuit rex. Convenit igitur episcopum, cum * sicut disposuisse dixerat et rex Alexander constituerat opus, et servitium Dei non acceleraret, ut in ecclesia B. Andreæ Religionem constitueret. Quumque post multas controversias causaretur D. episcopus possessionem episcopii non licere sibi minuere vel dispergere, ne forte a successore suo a servis Dei auferret *, id quod ipsis ab eis conferretur. Respondet rex et dixit, ut de terra illa, quæ *Cursus Apri* dicitur *mm*, quæ de episcopatu non erat, quam rex Alexander, frater ejus, propter hoc Deo et S. Andreæ devoverat, ut in ecclesia ejus Religio constitueretur, sufficienter eis tribueret, et tam ipse quam filius ejus concederent, et ad instaurandam terram auxilium ferrent: quod et fecerunt et alios quosdam cum jurando juvare compulerunt. Tunc D. episcopus, quasi sponte, coactus, de terris personarum, quæ abeuntibus eis, in manum ejus obvenerant, quam libuit portionem, consilio et assensu regis et filii ejus et cæterorum baronum, qui aderant, fratri Roberto in manum tradidit, unde fratres ut * Dei servitium illo venientes, sustentari debuissent. D Nec tamen circa opus ecclesiæ segnius egit, sed quo citius consummaret, omnibus modis sategit. Ipsa die piæ memoriæ Robertus presbyter, Domini episcopi frater uterinus, corde, voce et opere sæculum abrenuntians, ad Deo deserviendum in ecclesia S. Andreæ, sub canonica regula S. Patris nostri Augustini, in manum fratris Roberti Prioris se reddidit, cum ecclesia sua de Tinningham, annuente D. episcopo, ita sane ut vel ecclesiam illam haberent canonici, vel L solidos per annum.

* cur?

* auferretur?

* in?

ANNOTATA.

a *Hanc Historiam scriptam dicit Jamieson circa annum Christi* 1140 (1); *et vere quum in decursu habeamus num.* 10 *tunc, quando hæc scribebantur, David, successorem fratris sui Alexandri I, regnasse, lucubratio inter annum* 1124 *et* 1153 *reponenda est.*

b *Correximus hinc inde textum a Jamiesonio exhibitum; quando nempe vitia grammaticalia et apertissima erant et sensum omnino perturbabant: cæterum ut et sua esset textui qualiscumque integritas, verba minus juxta nos correcta, aut in margine aut in Annotatis adjecimus: non enim habemus plura textus exemplaria, secundum quæ accuratiorem editionem dare possimus.* E

c *In Commentario prævio jam monstravimus Constantinum, non quidem nepotem, sed filium Constantini Magni, anno* 340 *obiisse; adeoque fabulosum esse, quod de expeditione Patrensi in annum* 345 *conjicitur.*

d *Et id quoque aperte fabulam sapit: si talem vindictam imperatores Christiani sumere voluissent, nulla mansisset in universo Romano imperio integra civitas.*

e *Unicum est documentum, quo S.* Regulus *episcopus nominetur: reliqua eum abbatem aut monachum dicunt.*

f *Patris Romam, hinc Constantinopolim translatum corpus S. Andreæ nullum nos monumentum docet: imo contrarium monstrant Historiæ de translationibus SS. Andreæ, Lucæ et Timothei; quoniam, nulla Romanæ stationis facta mentione, recta via, Patris Constantinopolim, corpora transvecta insinuant. Ex hoc scriptoris nostri errore manasse putem, quæ narrat paulo infra de deprædatione* insulæ Tyberis *et* Colossii: *insulam enim Tyberinam aliam non invenio, quam quæ est in ipso meditullio Romanæ urbis; Colossium vero pro Colysæo hic positum suspicor. Quamvis Patris Constantinopolim Colossensem civitatem Phrygiæ attingere potuerint curatores translationis.* F

g *Hungum, regem Pictorum, sæculo nono imperium tenuisse, jam sæpius diximus, simulque indicavimus num.* 29, *quis probabiliter esset Athelstanus, de quo insignem victoriam retulit Hungus.*

h *Duplex est Tyne fluvius: alter in Anglia, cujus ostium comitatum Northumbrensem a Dunelmensi dividit; in Scotia alter, de quo scriptor noster agit, Hadingtonam oppidum allambit: vidimus autem in Commentario prævio num.* 29 *Athelstanford duobus milliaribus anglicis Hadingtona distare* (2).

i *In toto hoc numero variæ occurrunt nomina locorum nobis ignotorum, et, deficientibus libris de antiqua Scotia tractantibus, illa plane explicare nobis non licet. Attamen Jamieson dicit, hodiedum esse parochiam ruralem* Forteviot*h*: Monichi *esse*

villam

(1) Account, p. 378. — (2) Cambden. Britan., t. III, p. 303.

A *villam* Moonzie *aut* Monikie, Chondrochedalvan *tandem* Nachton (1).

k *Commentario prævio num.* 5 *actum fuit de* Kilremunt.

l *Pax regia est regis protectio. Cfr Du Cange Glossar.*, V° Pax.

m *Cruces non raro tamquam termini alicujus jurisdictionis aut dominii statuebantur. Cfr Du Cange*, V° Crux : *hic lapideæ sunt, ut nec facile moveantur, nec attritu temporis pereant.*

n *Ad hunc numerum adnotat Jamieson* (2) : Kylrimont vere fundata est ecclesia ab Ungusto II, rege Pictorum, circa annum 825, ut ex Wintono et aliis patet. Forsan Regulus eidem contemporaneus fuit. *Hæc plane conveniunt cum sententia, quam circa tempus, quo S.* Regulus *in Scotiam advenit, in Commentario prævio num.* 40 *exposuimus. Est autem Wintonus, hic citatus, Andreas Wynton, scriptor Chronici Scotici, versibus exarati, quod magnum lumen affundere dicitur historiæ Scoticæ* (3). *Cæterum in Anglia Septemtrionali jam celebrabatur nomen S Andreæ, quum videmus sæculo septimo erigi templum in S. Apostoli honorem, ut latius monstrabitur in Actis S. Accæ episcopi ad*
B *diem* XX *Octobris* (4).

o *Mihi ignota sunt nomina.*

p *Ista oratio* Alleluia *hic indicare videtur acceptationem et gratiarum actionem a S.* Regulo *factam, quo sensu non occurrit in Glossario Cangii, quamvis V°* Alleluia *dicatur esse quandoque clamor bellicus.*

q *Cespitem offerre hic idem est ac tradere actualem possessionem et dominium alicujus terræ, de qua cespes sumptus est. Cespes etiam quandoque in infima latinitate prædium rusticum significat. Cfr. Du Cange Glossar.*, V° Gespes.

r *Hunc S.* Aneglas *in nullo, quod nancisci potuimus, Martyrologio reperimus; sed nec majores nostri quidpiam de Sancto hujus nominis reliquerunt.*

s *Damianum suspicor eumdem, qui paulo infra inter S.* Reguli *socios numeratur, quique hodie inter prætermittendos a nobis repositus est, quia præter hic dicta, nihil de eo innotuit.*

t *S. Brigida, siquidem Hiberna sit, Commentario illustratur ad diem cultus,* I *Februarii, ac Duni sepulta traditur. Verum, quoniam et S. Brigida Abernethi tumulum nacta est, videtur altera esse, quæ puella adhuc cum puero Cuthberto a S. Co-*
C *lumba, episcopo Dunkeldensi, educata fuit, adeoque vix ante annum Christi* 640 *nasci potuit. Cfr. Jamieson* (5) *et Usserium* (6).

v *Breviter egimus de S.* Muren, *regis Hungi filia, num.* 4 *et* 46 *Commentarii prævii.*

w *Migdele hodie Meigle.*

x *Regni Pictici exstinctio per victoriam Kenethi II, Scotorum regis, in annum fere* 850 *reponenda est* (7).

y *Quidam, ait Jamieson* (8), *interpretantur hunc locum, quasi tunc, quum viveret scriptor, tredecim generationes hæreditariæ præcessissent : ast ipse censet aliam interpretationem esse assumendam, nempe tredecim fuisse in ecclesia S. Andreæ viros, qui patribus per* successionem carnalem *succederent, quoniam singula Culdeorum Collegia duodecim viris sub præposito constabant. Manet interea immota exprobratio scriptoris nostri, dum deplorat Culdeorum sui temporis corruptelam et a primævo spiritu degenerationem. Similem statum Hiberniæ luget S. Bernardus in Vita S. Malachiæ cap.* X (9) : Mos, *ait*, pessimus inoleverat quorumdam diabolica ambitione potentum, sedem sanctam *(Armachanam)* obtentum iri hereditaria successione. Nec enim patiebantur episcopari, nisi qui essent de tribu et familia sua. Nec parum processerat exsecranda successio, decursis jam in hac malitia generationibus quindecim. Et eo usque firmaverat sibi jus pravum, imo omni morte puniendam injuriam, generatio mala et adultera, ut etsi interdum defecissent clerici de sanguine illo, sed episcopi numquam. Denique jam octo exstiterant ante Celsum viri uxorati et absque Ordinibus, litterati tamen. Inde tota illa per universam Hiberniam, de qua superius diximus, dissolutio ecclesiasticæ disciplinæ, censuræ enervatio, religionis evacuatio : inde illa ubique, pro mansuetudine Christiana sæva subintroducta barbaries, imo paganismus quidam inductus sub nomine Christiano. *In hæc eadem tempora incidunt severæ prohibitiones Pontificum et Conciliorum circa Ordines et promotiones filiorum presbyterorum. Cfr hunc titulum* I. 17 *in Decretalibus : quam merito !* J. V. H.

z *Toto* § II *Commentarii prævii egimus de Culdeis.*

aa *Sub Davide I, rege Scotiæ, canonici regulares, loco Culdeorum, in ecclesiam S. Andreæ introducti fuerunt. Cujus rei exstat charta Roberti, episcopi Andreopolitani, qui se simpliciter* Scotorum episcopum *vocat* (10), *in qua dicit non sufficere ampliare ecclesiam per congeriem lapidum, nisi procuret vivos in dicto ædificio lapides canonicos adunare; quapropter* canonicos ibidem ad Deo deserviendum, sub regula canonicali B. Patris Augustini, constituit, *quibus Robertum in partem sui laboris assumens Priorem præficit. Varia dein assignat prædia et possessiones,* consilio simul et concessione piissimi regis David ; nec non et filii ejus Henrici, comitis et regis designati ; et episcoporum, abbatum, comitum atque optimatum et fidelium consilio.... Hanc Robertus episcopus donationis paginam episcopali auctoritate confirmat, et ob memoriam et reverentiam Dominicæ Crucis impressione consignat et sigilli sui testimonio confirmatione consignat anno Dominicæ Incarnationis 1144. *Circa idem tempus David rex per chartam quamdam* concedit Priori et canonicis S. Andreæ Apostoli, ut recipiant Keledeos de Kilrimunt in canonicos secum, cum omnibus possessionibus et redditibus suis, si voluerint canonici fieri ; et si noluerint canonicare, ii, qui nunc vivunt, habeant et teneant possessiones suas in vita sua, et post obitum illorum instituantur loco eorum tot canonici ecclesiæ S. Andreæ, quot sunt Keledei et omnes terræ et eleemosynæ eorum, quas habent, convertantur in usum canonicorum prædictæ ecclesiæ in perpetuam, liberam et quietam eleemosynam. *Verum hæ litteræ et institutiones non videntur Santandreanum Culdeorum collegium abrogasse : etenim erant adhuc Culdei Andreopoli anno* 1240, 1250 *et* 1309 (11).

bb *Alexander I Scoticum solium occupavit ab anno* 1107 *ad* 1124, *Davidis I prædecessor.*

cc *Hæc postrema verba monstrant Historiam nostram, vivente Davide I, qui ab anno* 1124, *ad* 1153 *regnavit, scriptam fuisse. Cfr Adnotat.* a.

dd *Animadversione dignum videtur, quod tradit scriptor de donario regio : erat videlicet* equus arabicus *et* arma Turchensia. *Quoniam vero Alexander I solum ad annum usque* 1124 *in Scotia*

(1) Account, p. 145. — (2) Ibid., p. 391. — (3) Watt. Biblioth. Brit., v° *Wynton* — (4) Ricard. Hagustald de Statu. Eccles. Hagustald. ap. Twysden. Scriptt. Ang. t. I, p. 290. — (5) Account, p. 110. — (6) Antiq., p. 372. — (7) Ibid., p. 374. — (8) Account, p. 34. — (9) Bern. Opp., t. II, p. 673. Edit. Paris, 1719. — (10) Jamieson. Account, p. 400 — (11) Ibid., p. 282, 290.

regnarit,

J. V. B.

regnarit, patet hanc donationem solum vicennio ab occupatione Jerosolymitana distare, adeoque brevissimo tempore usum rerum, ex Oriente allatarum, propagatum fuisse.

ee *Sconensis ecclesia, in comitatu Perthensi, fundata dicitur ab Alexandro* I, *anno* 1114 ; *domus et ecclesia solotenus destructa fuere* 1559, *Joanne Knox apostata instigante, a plebe Calviniana, quamvis nobiles aniterentur templum sartum tectum servare* (1). *Erat istic lapis, a Kenetho rege illuc translatus, in quo inthronizabantur reges Scotiæ, et qui dein in Westmonasterio prope Londinum repositus fuit* (2). *Circa hunc lapidem, ligneæ cathedræ inclusum, habentur hi versus, indicantes nexum inter hunc lapidem et regum coronationem :*

Ni fallat fatum, Scoti, quocumque locatum
Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem.

ff *Antiquissimum Scoticæ regionis nomen, inter Deam et Humbrum fluvios* (3).

gg *Turstinus, Thomæ Junioris successor in sede archiepiscopali Eboracensi, magnam controversiam habuit cum Radulpho, Cantuariensi archiepiscopo, quia professionem Cantuariensi, tamquam primati facere recusabat, a qua per Calixtum Papam II* B *liberatus fuit. Ejus præcipua gesta refert Thomas Stubbs in Actibus Pontificum Eboracensium* (4). *Id tamen animadvertendum, Robertum, Santandreanum episcopum, non numerari inter antistites a Turstino consecratos, qui terni sunt, nempe Gaufridus Lindisfarnensis, Adelwoldus Carleolensis et Giraldanus Candidæ Casæ; ideo probabiliter omissus* D *fuit Robertus, quia, quemadmodum reliqui,* professionem suam scriptam non dedit (5). *Etenim præter auctoritatem historici nostri synchroni, id affirmantis, exstat charta Turstini* (6), *dicentis* se consecrasse sine professione et obedientia pro Dei amore et regis Scotiæ, venerabilis David, Robertum S. Andreæ episcopum, salva querela Eboracensis Ecclesiæ et justitia Ecclesiæ S. Andreæ. *Quæ formulæ ad amussim conveniunt cum verbis historici nostri. Hæc Roberti consecratio contigit, teste continuatore Chronici Wigorniensis, an.* 1128.

hh *Vidimus in adnotatione præcedenti hunc Adelwoldum Carleolensem consecratum fuisse a Turstino, Eboracensi archiepiscopo.*

ii Missalii *idem ac internuntii, qui viva voce negotia pertractant, quoniam hic opponitur hæc vox litteris scriptis. Deest in Cangio.*

kk *Duplex hujus nominis Sanctus in Actis nostris occurrit, nempe sub die* V *Augusti S. Oswaldus, rex et Martyr in Anglia,* VII *sæculo*(7), *et sub die* XXIX *Februarii S. Oswaldus, ex episcopo Wigorniensi Eboracensis archiepiscopus anno* 992 (8). *De utro Sancto hic agitur mihi incompertum est.*

ll *Henricus iste, quamvis rex designatus, patri* E *non successit, utpote anno* 1152 *præmortuus: reliquit filium, Malcolmum* IV, *qui anno* 1153, *mortuo Davide, avo suo, hæreditatem adiit.*

mm *Confer narrata num.* 10.

(1) Gough. Britann., t. III, p. 397. — (2) Ibid., p. 394. Cfr Carlisle. Top. Dict., v° *Scone*.— (3) Ibid., p. 282. — (4) Twysden. Scriptt., t. II, col. 1713 et seqq.— (5) Ibid., col. 1720. — (6) Anglia Sacr., t. II, p. 237. — (7) Act SS., t. II August., p 94. — (8) Ibid., t. III Febr., p. 752.

DE S. GRATO, QUEM DICUNT MARTYREM, ET DE S. ANSUTO, EREMITA,

UTROQUE CULTO APUD RUTHENOS IN GALLIA.

V. D. B.

SYLLOGE HISTORICA.

C

ANTE SÆC. XII. SS. Grati et Ansuti *memoria pridie celebratur;*

Antiquissima *SS.* Grati et Ansuti *memoria servata nobis fuit vetustissimo monasterii Patrum Benedictinorum S. Sabini seu Savini de Levitania, in montibus Pyrenæis in agro Tarbiensi olim conditi, Martyrologio,* abhinc circiter, *ut anno* 1637 *loquebatur Saussayus* (1), quingentis annis exarato in pergameno. *Faustissime servavit nobis Saussayus copiosissima Sanctorum, plerumque ad Gallias spectantium, nomina, quæ in hoc libro ad festos suos signantur dies; quoniam codicem ipsum periisse intelligimus ex eo quod cl. v. Gustavus Bascle de Lacrèze, Aquis Bigerronum* (Bagnère de Bigorre) *reipublicæ procurator, in erudita sua de S. Savini Levitanensi cœnobio Monographia* (2), *coactus fuit ad Saussayum recurrere. Porro in hoc libro ad diem* XVI *Octobris hæc legebantur*(3) : In Capdinaco castro natale Sanctorum Grati et Ansuti; *adeoque ad iniens saltem sæculum* XII *referendus est horum Sanctorum cultus. Ad eamdem diem et iisdem fere verbis eorumdem meminerunt Martyrologium Parisiense* F *cardinalis de Noaliis, Universale Castellani aliudque Universale cl. v. de Saint-Allais; et præterea de iisdem fit festum apud Ruthenos ad eamdem diem.*

quare de eis dicamus hodie cum Ferrario;

2 *Dicendum itaque fuisset de SS.* Grato et Ansuto *in præcedente tomo hujus operis. Et quidem id præstitum fuisset, nisi spes nobis affulsisset adipiscendæ Vitæ alicujus aut Passionis horum Sanctorum. Ex codice enim Ms. Bibliothecæ regiæ seu nationalis Parisiensis noveramus horum Sanctorum fortia gesta conscripta fuisse a Bernardo Guidonis in tertia parte Speculi sui Sanctoralis. Dedimus itaque literas Avenionem, quoniam apud Gustavum Haenel* (4) *legeramus istud Speculum, olim Joanni XXII Papæ nuncupatum, in bibliotheca civitatis reperiri. Continuo multam operam posuit eruditissimus vir, huic bibliothecæ præfectus, in conquirendo hoc unico forte superstite exemplare operis; quod quanti ad rem hagiologicam intersit vel ex eo palam fit, quod id scripserit Bernardus, quoniam superioribus sacri Ordinis Prædicatorum minus placeret Jacobi de Voragine, ad fabulas propensioris viri, tentamen* (5).

(1) Martyrol. Gallic., t. II, p. 1247.—(2) Monographie de Saint-Savin de Lavedan. 1850, p. 95. — (3) Martyrol. Gallic., t II, p 1250. — (4) Catalogi libr. Mss. qui in biblioth. Gall., Helvet., Belg., Britann., Hispan., Lusitan., asservantur, col. 60, Lipsiæ 1830.— (5) Labbe, Biblioth. Mss. nov., t. II. p. 512.

Verum

A *Verum cassus fuit diligentissimi viri labor; unde suspicandi locus est et hunc quoque librum adhæsisse manibus latronum, qui bibliothecas Galliæ nuperis temporibus spoliarunt. Interea tamen despondendus non videbatur animus, et aliunde forte emersurum opus sperabamus; quocirca distulimus in hunc diem de his Sanctis dicere, quia Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum eos ad hunc diem celebrat. Verumtamen id fatendum nobis est, intra id temporis spatium nil, quod prius incompertum esset, de his Sanctis nobis innotuisse.*

synopsis vitæ: 3 *Possumus itaque lectori ea tantum exhibere quæ in Proprio Sanctorum ecclesiæ cathedralis et diœcesis Ruthenensis, annis* 1706 *et* 1824 *impresso, ex Historia SS. Ecclesiæ Ruthenensis* (1) *inserta sunt et ita sonant:* Lectio iv. Gratus, patria Romanus, illustri prosapia natus, relictis parentibus et his omnibus quæ mundus amat et amplectitur, in Galliam profectus apud Ruthenos moratus est; cumque Spiritu Sancto plenus, ibi omnes quibus poterat modis ad pietatem accenderet, locum solitarium non longe ab urbe remotum nactus, cum socio Ansuto, die ac nocte Domino inserviebat, catena ferrea maximi ponderis lascivientem carnem B edomando. Lectio v. Tantum autem sanctitatis et gratiæ miraculorum a Deo consecutus est, ut ad se confluentes vario morborum genere divexatos, Jesu Christi invocato nomine, salvos et incolumes ad sua remitteret. Cui invidens, dæmon suos satellites contra Christi militem armavit; a quibus comprehensus ac vinculis irretitus, deinde securi percussus, cum Ansuto ejus socio martyrii palmam consecutus est. *Has lectiones ab aliquo e Societate Jesu viro conscriptas fuisse, verisimile est ex his verbis:* Omnibus quæ mundus amat et amplectitur, *desumptis ex regula* xi *Summarii Constitutionum. Aliud encomium texuit Saussayus* (2), *quod tamen in idem recidit. In fine addit:* Colitur (S. Gratus) in vico sui nominis, ubi pugnans extremo conflictu pro Christo triumphavit. *Eadem habet P. Giry* (3), *verisimillime Saussayum describens. Notam temporis his apponit Martyrologium Parisiense, nempe sæculum* iv.

plura incerta; S. Gratus, idem forte ac primus Oleronensis episcopus, 4 *Atque hæc omnia nec negare nec admittere velim. Quum enim narratio hæc rhetorice explanata sit, et verba sint addita ubi res deessent, dubium mihi est utrum* Gratus patria Romanus *esset, an vero Romanus Gallus, id est ex gente a Germanicis* C *seu Francicis populis in Gallia devicta. Ansuti nomen speciem habet Germanicam, videturque constare ex vocabulo* Ans, Hans, *aut* Gens, *quod apud priscos Germaniæ populos* sodalem, socium *significabat* (4) *et ex* Wit (sapiens, prudens (5)); *ita ut* Ansutus *seu* Answit sodalem sapientem *indicaret. Ast si ita sit, sæculo* iv *in Gallia rariores erant Germanici nominis viri. Præterea nonne forte Ansuti et Grati societas cultui eorum simultaneo debetur* (6)? *Martyrium mihi apprime dubia parit, quoniam in Martyrologio S. Savini, ubi Martyrum festum passim nomine* passionis *annuntiatur,* SS. Grati *et* Ansuti natale *dicitur, ne verbo quidem addito unde colligeres eos martyrio coronatos fuisse. Verumtamen, si quis hos Sanctos Martyres esse velit, adeat Papebrochium in Commentario de S. Hilariano, presbytero Ruthenensi* (7), *ubi omnigenæ proponuntur conjecturæ de tempore quo apud Ruthenos Christiani aliquot martyrium passi sint. Sin autem æstimetur utrumque fuisse eremitam, sciendum est sæculis* xii *et* xiii *vitam eremiticam maxime in his plagis floruisse, ita ut in pluribus hujus ævi diplomatibus et chartis de* septem eremitis *(erant enim sparsi per diœcesim totidem eremitoria cum adjuncto sacello) fiat sermo* (8). *Quid vetat quin solitariis his sæculo* xi *exemplo præiverint SS.* Gratus *et* Ansutus? *Quid, si* Gratus *vere martyr,* Ansutus *eremita fuerit, atque hinc nata sit confusio in eorum historia? Verum subit et alia conjectura, ad S.* Gratum *pertinens:* Ansutum *enim facile eremitam dabo. Quotannis Olerone, olim civitate episcopali in Pyrenæis montibus, nunc diœcesi Bajonensi inclusa, celebratur festum S.* Grati *die* xix *mensis Octobris. Hic Novempopulaniæ Apostolus appellatur, venitque primus in Oleronensium episcoporum catalogo. Quum itaque S.* Gratus *Ruthenensis et Oleronensis eodem fere colantur die, argumentum alicujus sane ponderis est ad unum eumdemque habendum Sanctum. Accidit quod S. Savini monasterium, cujus Martyrologium S.* Grati *Capdinacensis memoriam celebrat, nequaquam vero Oleronensis, Oleroni ferme adjacet: quæ oblivio unius et insertio alterius valde mira foret, nisi unus esset Sanctus. Atque hæc lectori expendenda relinquo.* E *Interim tamen de S.* Grato, *Olerone culto, dicemus ad diem* xix *hujus mensis.*

V. D. B.

5 *Inter medias autem has tenebras istud firmiter tenendum S.* Gratum *sæculo* xii *jam cultum fuisse, adeoque suum dedisse nomen vico seu castro, quod etiamnum dicitur* St-Grat. *Etenim Locus-Dei, Ruthenensis diœcesis et Cisterciensis Ordinis abbatia, vico S.* Grati *proxima, anno* 1162 *donationem accepit a Raimundo* de S. Grato (9). *Locus autem ille mihi alibi in antiquioribus documentis non apparet. Ante superioris sæculi mutationem rerum pertinebat ad jurisdictionem ballivii Villæ Novæ* (10), *nunc vero ad districtum Villæ Francæ* (cant. et arrond. de Ville-Franche), *distatque duabus ab hoc oppido leucis, duodecim a Ruthenis* (11). *Licet trecentos tantum habeat incolas* (12), *in parochiæ tamen seu deservituræ formam redactus est, templumque ei est proprium* (13), *quod in Mappis typographis Cassini etiam apparet* (14). *Vixeritne autem ibi aliquando S.* Gratus, *an vero ejus nomen huic loco adjectum sit propter ædificatam sub ejus patrocinio ecclesiam, nil est unde id demonstrare queam.* *nomen suum vico apud Ruthenos dedit jam a sæc.* xii;

6 *Capdenacum autem, cui non S.* Grati *tantum, verum etiam S.* Ansuti *memoria annectitur, ex altera parte Villæ Francæ, et quidem ultra* Oltum *fluvium* (le Lot) *infra Figiacum, veterem abbatiam, jacet. Pertinebat olim ad diœcesim Cadurcensem et ad provinciam civilem Ruthenensem* (15), *nunc vero ad diœcesim Cadurcensem et ad præfecturam quæ ab Olto nomen habet. Disputatum olim multum fuit utrum vetus esset Uxellodunum necne, et varii prout solet in varias abivere sententias* (16). *Utut est, jam a multis sæculis in historia apparet ille locus, qui nunc oppidi utitur juribus. Unde vero factum sit, ut ibidem SS.* Gratus *et* Ansutus *venerationem ecclesiasticam sint nacti, videtur ab omnibus penitus ignorari.* *colitur Capdenaci cum Ansuto,* F

7 *In tota diœcesi Ruthenensi agitur nunc SS.* Grati *et* Ansuti *festum sub ritu duplici. Secundi Nocturni lectiones, nempe* iv *et* v, *superius recitavimus. Sexta desumpta est ex sermone S. Maximi Taurinensis in Natali SS. Martyrum Tauricorum:* Cum omnium *et in universa diœcesi Ruthenensi.*

(1) Ita in Proprio. — (2) Martyrol. Gallic. Supplem., p. 1180. — (3) Les Vies des Saints, 16 Octobr., t. II, col. 1444. — (4) Wiarda, Ueber deutsche Vornamen und Geslechtsnamen, p. 53. — (5) Ib., p. 52. — (6) Cfr Ghesquiere, Act. SS., t. III, p. 264 c. — (7) Act. SS., t II Junii, p. 1068 et seq. — (8) Bosc, Mémoires pour servir à l'hist. du Rouërgue, t. I, p. 189 et seq. — (9) Gallia Christ. nova, t. I, col. 263. — (10) Bosc, Mémoires pour servir à l'hist. du Rouërgue, t III, p. 259. — (11) Dictionn. univ. de la France, t. IV, p. 536. — (12) Ibid., loc. cit. — (13) Almanach du Clergé de France, 1851, p. 529. — (14) Mappa, t. II, H 17. — (15) Bosc, op. cit., t. II, p. 203 et seq. — (16) Ibid., t. I, p. 96. Cfr de Cathala-Coture, Hist. polit., ecclés. et litt. du Quercy, t. I, p. 17 et seq.

Sanctorum

V. D. P. Sanctorum *etc. Cæterum Officium de Communi plurimorum Martyrum, cum Missa* Salus, *et Evangelio* Væ vobis qui ædificatis; *atque hinc lectiones tertii Nocturni ex Beda lib.* 4 *in Luc.* 11, *cap.* 51. Non monumenta prophetarum. *Oratio propria hæc est:* Deus, fidei et caritatis largitor, qui in sanctorum Martyrum tuorum Grati et Ansuti cordibus flammam tuæ dilectionis accendisti: da mentibus nostris eamdem fidei caritatisque virtutem, ut quorum gaudemus triumphis, proficiamus auxiliis. Per. D

DE B. RODULPHO,

EREMITA AVELLANENSI ET DEIN EPISCOPO EUGUBINO IN ITALIA, DEQUE EJUS FRATRE

B. PETRO

SIMILITER EREMITA AVELLANENSI.

V. D. B. B

COMMENTARIUS PRÆVIUS. E

§ I. Cultus B. Rodulphi antiquitas et minor celebritas.

B. Rodulphus, de cujus sanctitate varia fuit Henschenii sententia,

Inter prætermissos sæpius jam sermo factus est de B. Rodulpho, *et varie omnino dictum. Ad diem* I *Junii* (1), *quo apud Menardum in Martyrologio Benedictino ejus nomen cum adjecto* Sancti *titulo prodit, notat Henschenius eum etiam a Wione lib.* II *in Eugubinis episcopis Sanctum appellari, ast Ughellum videri id non probare, quum ab omni titulo* Sancti *aut* Beati *abstineat; verumtamen de eo in Actis Sanctorum dictum iri ad diem, ut putabatur, emortualem* 26 *Junii. Ad hanc porro diem* (2) *idem Henschenius, referens* Rodulphum *ut* Sanctum *laudari a Ferrario et Bucelino, eum denuo prætermittit, quoniam autumabat id ab eis propterea tantum fieri quod editor Operum S. Damiani vocasset epistolam hujus ad Alexandrum II* Vitam SS. Rudolfi et Dominici; *quam auctoritatem nullam esse; Eugubinosque, nedum colant ut Sanctum, nequidem hac eum appellatione* C *honorare. Verum idem Hagiographus ad diem* XXIII *Februarii* (3) *discipulos B. Petri Damiani Sanctis adscriptos recensens, primo loco ponit* S. Rodulphum *episcopum Eugubinum, die* XXVI *Junii cultum. A qua sententia eum non ob aliam rationem recessisse patet quam quod putarit eum Eugubinis Sanctum non haberi, siquidem Ughellus eum hac appellatione non honestarit.*

et quem Ughellus cum Theudaldo confudit.

2 *Verum enimvero Ughelli auctoritas hic nulla est, adeoque erroneum est* Rodulphum *ab Eugubinis inter Sanctos non numerari; ita ut nullum fuerit rationis momentum propter quod Henschenius a prima sua sententia discederet. Quod enim ad Ughellum attinet, quis miretur (ut loquitur Eugubinorum episcoporum historicus, Maurus Sartius* (4)*) quis* miretur Ughellum ab omni honoris titulo abstinere, cum ea ad Theudaldum Rodulphi prædecessorem referat (5), quæ de Rodulpho ipso a S. Petro Damiani ad Alexandrum II scripta sunt? Excusandus hic Ughelli lapsus, non præjudicium ex ejus auctoritate S. Rodulpho creandum. *Idem Sartius, testis sane aptissimus, repellit et alterum telum his verbis* (6): Certe quod aiunt *(Henschenius scilicet)* Rodulphum ab Eugubinis Sanctum non vocari; id vero perfalsum est, non solum enim ab Eugubinis, sed a ceteris fere scriptoribus Sancti ac Beati appellatione decoratur.

jam sæc. XIV et XV sanctus dicebatur;

3 *Et certe pluribus quam centum annis ante Urbani VIII celeberrima decreta id factitatum fuisse indubium est. Etenim Guernerius Bernius Eugubinus, qui floruit sub Frederico III Montis-Feretri comite ac postea primo duce Urbini, et qui cohorti militum præfectus inter bellorum discrimina fidem suam ac fortitudinem diu probavit* (7), Rodulphum *nostrum in Chronico suo Eugubino* San Ridolfo *bis appellat, non secus ac* San Giovanni da Lodi *et* Sancto Ubaldo *exhibeat* (8). *Postquam scilicet meminit Eugubinæ vastationis et inceptæ restaurationis, italice hæc scribit* (9): Post Sanctus Rudolfus, qui ædificavit eremum Sanctæ Crucis Avellanæ, vir F sanctus et vitæ asperæ, creatus fuit a Papa episcopus Eugubinus; qui quum esset ætatis XXX annorum, migravit in Christo. Mortuo Sancto Rudolfo etc. *Quod Chronicum quum anno* 1472 *Frederico III dicarit, consequens est* Rudolphum *jam tunc temporis vulgo* San Ridolfo *dictum fuisse. Quin etiam integro sæculo altius ascendere licet, quum Griffolinus Valerianus, sæculi* XIV *scriptor* (10), *citatus a Camaldulensibus Annalistis Mittarelli et Costadoni* (11), *de discipulis B. Ludolphi eremi S. Crucis Fontis Avellanæ conditoris agens, in hunc modum de B.* Rodulpho *alisque loquatur:* Fugerunt, *inquit* (12), ad Beatum *(Ludolphum)* Barioncius, Divitius, Quintianus et alii nobiles de Eugubio, qui in illa heremo sanctissime vixerunt, et aliqui fuerunt episcopi et SANCTITATE LAUDATI, scilicet Julianus, Theobaldus, RODULPHUS, Petrus Damiani, Mainardus, alter Julianus, Teubaldus *etc. Quod vero nulla sint antiquiora monumenta, quæ itidem in testimonium vocari possint, non est quod mire-*

(1) Act. SS., t. I Junii, p. 6. — (2) Ibid., t. V Junii, p. 155. — (3) Ibid., t. III Februarii, p. 407. — (4) Mauri Sartii monachi et cancellarii Camaldulensis de episcopis Eugubinis. Pisauri, 1755, p. 48. — (5) Cfr Papebrochius, Comment. de S. Ubaldo, n. 9, t. IV Maii, p. 630. — (6) Ibid., p. 49. — (7) Muratori in Chronic. Eugubin. præfat., Scriptt. Rer. Italic., t. XXI, p. 919. — (8) Chron. Eug., t. cit., 921. — (9) Ibid., l. c. — (10) Sartius, de Episc. Eugubin. præf., p. CXXXVI. — (11) Annal. Camal., lib. V, n. IX, t. I, p. 186. — (12) De Gestis Eugubi. historia Ms., p. LXX.

mur

A *mur, quoniam de episcopis Eugubinis nil fere scriptum supersit* (1), *ne catalogi quidem paulo vetustiores.*

qua appellatione passim a recentioribus ornatur.

4 *Nemini itaque stupori sit quod Wion, Menardus, Ferrarius, Bucelinus, aliique* Rodulphum *Fastis suis sacris adscripserint. Quod vero majus est, Surius ad diem* 26 *Junii* (2), *Mabillonius ad annum* 1063 (3) *ediderunt, ille sub titulo* Vitæ Sancti Rodulphi, *hic sub titulo* Vitæ B. Rodulphi episcopi Eugubini et V. Petri ejus fratris monachorum Fontis Avellanæ, *epistolam S. Petri Damiani ad Alexandrum II Papam. Jacobillus* (4) *similiter, Herrera* (5), *Basilius Duvergius seu Duverchius* (6), *debito cum encomio celebrant et cum* Sancti *appellatione proferunt. Sartius* (7) *demum, supralaudatus Eugubinorum Episcoporum historicus, et post eum Mittarelli et Costadoni* (8), *præcellentes Annalium Camaldulensium scriptores, data opera pugnant pro* Sancti *titulo, passim* Rodulpho *dato.*

Ad Fontem Avellanæ tamen et Eugubii in ecclesiis non colitur.

5 *Fatendum tamen est argumentum præcipuum, quo nituntur Camalduleneses Annalistæ* (9), *caducum esse omnino. Redarguentes enim Henschenium quod dixerat* Rodulphum *nullum apud Eugubinos obtinere cultum, opponunt ei Jacobillum* (10) *affirmantem* corpus ipsius repositum fuisse super aram in

B ejus honorem erectam, ubi etiam hodie colitur, et claruisse signis multis et prodigiis ; *et in catalogo, quem subjunxit de insignioribus reliquiis Sanctorum quæ asservantur in Umbria, hæc recensentem* (11) : In ecclesia cathedrali urbis Eugubinæ quiescunt sacra corpora Mariani lectoris et Jacobi diaconi martyrum, quibus dicta ecclesia est dicata, item Sanctorum Fructuosi et Rodulphi et Beatorum Theobaldi et Villani episcoporum ejusdem sedis. *Qui locus laudatus fuerat ab ipso Henschenio in sylloge de B. Forti ad diem* 9 *Maii* (12). *Verum Sartius, testis omni exceptione major, pro suo animi candore fatetur hæc totidem esse commenta.* Sed nullum, *inquit* (13), in ecclesia Eugubina altare est, nulla ejus corporis memoria, nihil umquam auditum de miraculis, ob ejus merita divinitus patratis; ut mirum sit bonum hunc scriptorem non pravitate animi, ut opinor, sed inconsulto quodam pietatis studio hæc atque alia his similia passim in suis libris propinantem, subveritum non esse non dicam eruditorum censuram, sed omnium hominum subsannationem, qui tam splendida mendacia nullo negotio detegere, atque exsibilare

C potuissent. *Et continuo post de eremo Fontis Avellanæ sermonem* (14) *instituens :* Neque apud eum locum, *ait*, ullum est Sancti viri monumentum, quemadmodum ne ullum quidem est tot Sanctissimorum hominum, qui primis illis temporibus eo loci diem extremum clauserunt, si unum excipias S. Albertinum, cujus corpus in templo Avellanensi religiosissime asservatur. *Quod testimonium similiter indubium est, quum Sartius opus suum in Avellanensi eremo maximam partem absolverit* (15). *Paucis, concedit vix probari posse semper eum in ecclesia Eugubina cultum beatis cœlitibus debitum obtinuisse, quum ne suis quidem temporibus publicus ei cultus ullus in ea ecclesia tribueretur, licet vulgo ab Eugubinis aliarumque gentium scriptoribus* Sanctus *appellaretur* (16).

Hinc tam non vetamur eum Beatum appellare,

6 *Verum enimvero, licet hæc ita habeant, quum nunc tamen vero cultu ecclesiastico fruatur in ipsa urbe Roma, quum duo saltem sæcula ante Urbaniana decreta passim* Sanctus *diceretur, quum ipse Benedictus XIV eum hoc titulo designet* (17), *non video quomodo in opere nostro ei negari possit locus, maxime postquam Surius et Mabillonius (quibus multo pauciora aderant ad faciendum argumenta) ejus Vitam inter Acta Sanctorum ediderint.*

V. D. B.

maxime quum ipse et frater B. Petrus Romæ altare habeant,

7 *Quod autem ei cultus ecclesiasticus Romæ tributus fuerit, perenne testimonium est altare quod familia Gabriellia* Rodulpho *aliisque, quos e gente sua prognatos autumabat, anno* 1740 *in templo Camaldulensium S. Gregorii de Urbe excitavit, atque hanc ei inscriptionem curavit apponendam* (18) :

D. O. M.

BEATIS * RODULPHO EPISC EUGUB. PETRO GERMANO FRATRI,

FORTI EREMITÆ,

MONACHIS CŒNOBII SANCTÆ CRUCIS FONTIS AVELLANÆ

ET CASTORÆ VIDUÆ TERTII ORDINIS S. FRANCISCI,

VIRTUTIBUS CLARIS,

FORTES VALLETTA, OLIM GABRIELLIUS, PATRIC. EUGUB.

COMES BACCHARESCHÆ ET CORRADUTII

AC ISABELLA VALLETTA NOBILIS ROMAN. ET SETIN. CONJUGES *

GENTILIBUS SUIS

ANNO BEATI FORTIS SÆCULARI MDCCXL

PIETATIS ET VENERATIONIS

MONUM. POSUERE.

* *Sartius omittit* Beatis.

* *Mittarelli* conjux.

E

Neque putandum est hæc clanculum fuisse procurata; acta quippe sunt paucos ante annos quam ille idem Gabriellius totus in eo esset ut B. Fortis cultus auctoritate apostolica confirmaretur (19); *quos tandem conatus anno* 1756 *fausto coronatos fine gavisus est* (20). *Quum itaque Sancta Sedes aut saltem S. R. C. hæc ferat, quid hinc sequatur intelligere est ex his quæ habet Benedictus XIV, ubi de gloria circumdante caput Alexandri II, Gregorii VII aliorumque Pontificum et de* Sancti *titulo eis in sacello S. Nicolaï adscripto agit. Ait enim* hæc sufficere ut illi quibus talis honor conceditur haberi queant inter eos, quibus cultus aliquis in determinato loco permittitur ; *qui tamen cultus, nisi subinde augeatur, nec canonizationem formalem, nec æquipollentem constituere potest ; adeoque inde ipsemet deducit antiquitatem cultus S. Gregorii VII* (21). *Quocirca quum hæc determinati cultus permissio beatificationis rationem habeat, nil video quo impediamur quin* Rodulpho *ejusque fratri* Petro Beatorum *titulum adscribamus. Unde et Alexandrum II Papam, qui sæpius occurret, Beatum appellabimus.*

F

et quum serie actum fuerit de concedendo in ejus honorem Officio.

8 *Insuper consideranda venit historia eorum quæ acta sunt ab anno* 1656 *ut Officium ecclesiasticum de B.* Rodulpho *auctoritate apostolica concederetur. Die scilicet* XVIII *Februarii S. R. C. oblatus fuit ab Odoardo Baranardo procuratore generali Ordinis Camaldulensis supplex libellus, quo petebatur facultas recitandi Officium S. Romualdi singulis feriis tertiis non impeditis, et lectiones insuper proprias SS. Camaldulensium Alberti Senensis, Petri Damiani, Parisii, Theobaldi, Dominici Loricati, Martyrum Polonorum Joannis, Benedicti, Matthæi, Isaac et Christini, necnon Bonifacii archiepiscopi Martyris et Apostoli Ruthenorum. Ineunte mense Martio insequente prodit decretum, quo postulatio de S. Romualdo rejiceretur, et ad alteram de lectionibus propriis responderetur, prius exhibendas esse et examini subjiciendas ipsas lectiones. Contagium quod supervenit Urbi, rem ad multos menses pro-*

(1) Sartius, de Episc. Eugub. præf., p. CXXXVI. — (2) De Vitis probatis Sanctorum, t. VI, p. 314. — (3) Act. SS. Ord. S. Benedicti, sæc. 6, part. II, p. 152 et seqq. — (4) Sancti Umbriæ ad 26 Junii. — (5) Vidas de Santos, etc. de la sagrada religion de N. P. S. Benito, ad diem 1 et 26 Junii. — (6) Diarium, oder Camaldulensisches Tag-Buch, ad diem 26 Junii — (7) De Episc. Eugubin., p. 47 et seq. — (8) Annal. Camald., lib. 17, n. 12, t. II, p. 241 et seq. — (9) Ibid., loc. cit. — (10) Sancti Umbriæ, t. I, p. 660. — (11) Ibid., t. III ad calcem, p. 4. — (12) T. III Maii, p. 464 — (13) De Episc. Eugub., p. 45. — (14) Ibid., loc. cit. — (15) Ibid. Præfat. LXXXV. — (16) Ibid., p. 45. — (17) De Canonizat. SS., lib. IV, part. I, cap. V, n. I, t. IV, p. 22, Venetiis, 1788. Item de Synodo diœcesana, lib. III, cap. VI, n. 4, t. XI, p. 81. — (18) Sartius, de Episc. Eugub., p. 51, et Mittarelli, Annal. Camald. ad annum 1740, lib. LXXX, n. 22, t. VIII, p. 661. — (19) De Episc. Eugub. Præf., p. XCV. — (20) Annal. Camald. ad ann. 1756, lib. LXXX, n. 52, t. VIII, p. 698. — (21) De serv. Dei beatific. et canoniz., lib. I, cap. XLI, n. 19 et seq.

traxit

V. D. B.

traxit tum sub Baranardo, tum sub Tiburtio Buffa, qui vices procuratoris generalis absentis egit. Inde factum est ut Tiburtius interea addiderit lectiones Sancti Rodulphi *episcopi Eugubini, nonnullaque alia proposuerit immutanda in Officiorum celebra- tione vel adjungenda, consentiente et approbante secretario Phebeo, et præsertim hymnos et antiphonas proprias in festo S. Bonifacii, in Officio S.* Rodulphi *atque in alio SS. Martyrum Polonorum. Cessante flagello pestis, anno sequenti mense Aprili iterum admota est manus huic negotio, præsertim quia plu- res difficultates in medium objecerat Waddingus a cardinali ponente Hieronymo Columna examinator constitutus; puta quod Sancti, de quibus in Officio petebantur lectiones propriæ, non certo pertinerent ad Ordinem Camaldulensem; nec omnes in Martyro- logio Romano descripti essent; neque lectiones redo- lerent styli ecclesiastici gravitatem, et demum quod difficilius concedendi essent hymni proprii; neque defuerunt oppositiones promotoris fidei; unde quum moræ ex moris necterentur, die* XVII *Novembris restrinxerunt Camaldulenses postulationes suas ad Sanctos, ut loquitur Mittarelli, notiores et omni exceptione majores, et mense Martio anni 1658 ex-* B *hibuerunt S. R. C. correctiora Officia de Sanctis, Martyrologio Romano insertis* (1).

Parcecultifuere Sancti ex Ordinibus Eremitarum.

9 *Verumtamen tunc peractum est nihil; sed postea variis temporibus confirmationem cultus et lectiones proprias de SS. Alberto Senensi, Petro Damiani, Parisio, Theobaldo, Dominico Loricato, Martyribus Polonis et Bonifacio obtinuerunt Ca- maldulenses; quæ quum sigillatim petita atque concessa fuerint, nil vero amplius quod sciam pro S.* Rodulpho *tentatum fuerit, hinc fit ut integra remaneat sententia secretarii S. R. C., æstimantis honorem quo huc usque* Rodulphum *prosecuti fue- rant satis esse ut et Officio ecclesiastico proprio honoraretur. Et re quidem vera non rigide agendum est erga Sanctos ex Ordine Camaldulensi, Avellanensi et similibus, qui eremiticam maxime profitebantur vitam: nam sive vitare vellent populi concursum, Sanctorum cultu facile excitatum, sive alias ob cau- sas, ratum statutumque eis fuisse videtur minori studio Sanctorum contubernalium honorem promo- vere; adeo ut Sancti, quorum cultus nunc latissime obtinet, duobus abhinc sæculis nec altaria suo patrocinio munita, nec nomina in Martyrologiis descripta, nec reliquias suas venerationi expositas* C *haberent; sed omnis eorum cultus eo redigeretur ut* Sanctorum *titulo appellarentur et tabula aliqua picta vel statua honestiori loco eis erigeretur: quæ tamen res impedivit nequaquam Henschenium et Papebrochium quin plures Actis Sanctorum inse- ruerint, quorum memoriæ non tantus quantus S.* Rodulpho *honor exhiberetur. Quocirca, priorem Henschenii sententiam amplexi, de eo ad hanc jam dicemus diem, qua ejus memoria recolitur in Hagio- logio Italico, et quæ non multum abesse potest a die ejus emortuali, ut ex his quæ § 3 disputabimus facile colliget lector ipsemet.*

D

§ II. Scripta præcipua de BB. Rodulpho et Petro; eorum genus; castrum in monasterium mutatum; conversio.

S. Petrus Damiani scripsit BB. Rodulphi et Petri encomium, nequaquam in ordine ad canonizationem:

E*t primo quidem verba habenda videntur de fontibus unde omnia fere, quæ de B.* Rodulpho *ejusque fratre* Petro *innotescunt, hauriantur. Venit autem primo loco epistola S. Petri Damiani ad B. Alexandrum Papam II, qua summatim præcipua B.* Rodulphi *ejusque fratris* Petri *capita perstringit, encomiastæ potius quam historici sequens morem. Omni autem exceptione major est hæc scriptio, quoniam utriusque magister fuerat sanctissimus vir, et proin testis egregius. Post Vitam B.* Rodulphi *adjunxit S. Petrus Damiani Vitam B. Dominici Loricati, qui anno ante obierat. Eam jam ediderunt decessores nostri ad diem* XIV *Octobris, qua hujus Beati* (2) *memoria colitur; atque in hac parte, non* E *vero in illa quæ de B.* Rodulpho *est, occurrit phrasis quædam, quam maximo suo operi intulit Benedictus XIV, ita scribens* (3) : B. Petrus Damiani epist. 19 ad Alexandrum Papam II miracula quærentem ad S. Rodulphi Eugubini episcopi sanctitatem statuendam, hoc dedit responsum : « Qui
» miraculum quæris, nonne tibi videtur esse
» mirabile, hominem fragili adhuc carne circum-
» datum (ut ita loquar) angelitus vivere, adeo ut
» inter quam plurima hominum millia vix unum
» ejus similem valeas reperire. » *Verum triplex hic admittitur error: nam primo hæc non ad B.* Rodulphum, *sed ad B. Dominicum pertinent; deinde nedum Alexander petierit miracula ad statuendam sanctitatem utriusvis, ignorabat et eorum sanctam vitam et mortem, adeoque beatum eorum transitum tamquam rem novam narrat sanctissimus scriptor; tertio demum hæc verba non diriguntur ad B. Alexandrum, sed ad lectorem quemlibet; quinetiam prima hujus loci verba ita sonant* (4) : Sed hic me quispiam fortasse redarguat, qui videlicet non tam quem vivendi ordinem vir sanctus habuerit, sed quibus miraculis in hac vita claruerit, audire festi- F nat *etc. Cæterum ex ipso præambulo satis superque innotescet lectori aliam omnino fuisse hujus scriptionis occasionem, quam instructionem processus canonizationis, ut nunc loquimur.*

erudite item eorum gesta explicuere Sartius, Mittarelli et Costadoni.

11 *Secundo loco veniunt Maurus Sartius Camaldulensis, qui, plurium laudatissimorum operum auctor, typis Gavelliis anno* 1755 *Pisauri edidit jam sæpius citatum Commentarium de Episcopis Eugubinis, cui præmittitur dissertatio de civitate et Ecclesia Eugubina. Porro non est quod hujus viri laudes celebrem, quas nullus facile non reperiet apud Mittarelli* (5), *Ziegelbaur* (6) *et secundum Tiraboschi, Fantuzzi aliosque Italos apud de Angelis* (7) *atque etiam Feller* (8). *Porro in hoc de Eugubinis episcopis opere, in quo se passim virum sagacem, antiquarum rerum peritum et multi candoris prodit, obscuriora quæque B.* Rodulphi *vitæ rerumque ab eo gestarum loca ad trutinam revocat, minime contentus rerum contingere faciem. Tertio autem loco veniunt ambo Camaldulensium Anna- lium*

(1) Annal. Camald., lib. LXXVII, n. 12, t. VIII, p. 361 et seq. — (2) Act. SS., t. VI Octobris, p. 626, n. 11. S. Petri Damiani Opp., t. II, p. 214. Edit. 1664 Mabillonius, Act. SS. Ord. S. Benedicti, sæc. VI, part. II, p. 148. — (3) De Canonizatione SS., lib. IV, part. II, cap. V, n. 2, t. IV Opp., p. 22. Venetiis 1788. — (4) Locis supra citt. — (5) Annal. Camald., lib. LXXX, n. 61, t. VIII, p. 696 et seq. — (6) Centifolium Camaldulense, p. 39. — (7) Biographie Universelle, t. XL, p. 439 et seq. — (8) Dictionnaire Historiq., v° Sarti.

A *lium scriptores Mittarelli et Costadoni, qui inter eruditissimos superioris sæculi scriptores Italos referuntur. De his iterum latius disputare non libet, quum eorum laudes reperire sit apud præcitatos Ziegelbaur* (1), *Feller* (2), *necnon in Biographia Universali* (3). *Quum autem hi post Sartium venerint atque omnia iterum revocarint ad examen; sat subsidiorum adesse ut firmo incedatur pede nemo non videbit.*

Nondum probatum est eos ad familiam Gabrielliam pertinere:

12 *Ex inscriptione, quam superius num. 7 edidimus, liquet familiam Gabrielliam Eugubio oriundam inter suos computare B.* Rodulphum *ejusque fratrem B.* Petrum, *B. Fortem, cujus Vitam Henschenius ad diem 9 Maii edidit* (4), *atque etiam B. Castoram, cujus gesta similiter illustravit Henschenius ad diem 14 Junii* (5), *anonymus vero Romæ anno 1732* (6). *Porro Sartius concedit B. Castoram e gente Gabriellia fuisse* (7); *de B. Forti videtur dubitare* (8); *de B.* Rodulpho *vero ejusque fratre manifestis negat verbis. Ecce enim quomodo disserit de patria, de gente et juventute:* Ac de patria quidem, *inquit* (9), Rodulphi incerta omnia. Non desunt qui Eugubinum esse velint et familiam etiam assignent Gabrielliam (10), quæ B jam inde a pluribus sæculis clarissima est in ea civitate. Sed hæc nullo suffragio antiquitatis suffulto rejiciuntur. Silet enim his de rebus Petrus Damiani, quem unum habemus qui de eximio hoc episcopo aliquid scriptis tradiderit. Picottus, historiarum Eugubinarum (11) scriptor, quum, auctore Damiano, comperisset castrum munitissimum Avellanitis a Rodulpho donatum, quum ad eremum venit, de Campetri castro interpretatur, quod erat olim in extremis agri Eugubini finibus ad quinque passuum millia ab eremo Avellanensi ad euroboream, ubi et aliqua ejus exstant vestigia, et vetus nomen perseverat, et antiquam Avellanitæ ecclesiam habent Divo Petro sacram, unde fortassis Campetri nomen manavit, quasi castrum Petri diceretur.

rejicitur historiuncula de B. Rodulphi conversione;

13 Hanc porro historiolam, vel ab se confictam vel acceptam ab aliis, narrat Picottus. Quum enim avitum ejus castri dominatum obtineret Rodulphus et sæpenumero graves cum vicinis inimicitias pro more temporum gereret, aliquando factum est, ut armis victus, et agro ejus hostili populatione vastato, pecoribus abductis, et frugibus vel asportatis, vel incensis et corruptis, ad C summam commeatus inopiam redactus sit. Ex calamitate fractus non est ejus animus, sed consilium tamen cepit haud se dignum. Circumjecta itinera obsidere instituit, ut siquis per ea loca, Campetri castro vicina, annonæ quidpiam imprudens transvexisset, in eum faceret impetum et quidquid illud esset interciperet. Contigit autem, ut monachorum Avellanensium agasones, qui farinæ ingentem vim ad Avellanam convehebant, in ejus insidias inciderint. Quod quum Avellanensibus esset nuntiatum, adeo de vindicanda injuria non cogitarunt mansuetissimi homines, ut quoniam non erat obscurum quæ Rodulphi inopia esset, saccos farinæ multo etiam plures quam qui ablati fuerunt ad eum miserint, rogantes ut quod ipse ante cepisset et quod ad eum mitterent commeatus subsidium munusculi loco haberet. Movisse dicitur tantæ caritatis atque humanitatis exemplum efferatum Rodulphi animum, qui quum ex eo tempore saniora consilia agitare cœpisset, pace cum vicinis æquissimis conditionibus facta ac duobus fratribus cum matre in eamdem sententiam adductis, nuntium terrenis rebus remittere decrevit. Itaque quum servos omnes libertate donasset et Campetri castrum cum suis prædiis omnibus Avellanensibus obtulisset, austerum illud vitæ institutum cum fratribus sub Damiani disciplina arripuit. Hæc fere Picottus, veris falsa multa admiscens.

non dedit Avellanitis castrum Campetri,

14 Si enim demas, *pergit Sartius,* quæ de Rodulphi conversione et castri sui munitissimi oblatione ex Damiano accipimus, cetera unde expiscatus sit ignoro. Opinor ex vano vulgi rumore et anili traditiuncula, quæ mihi quoque quum in iis locis essem non semel incurrit; quam Picottus libenter exceptam et verbis ornatam ad Rodulphum traduxerit. Ego merum commentum judico, nam et legitimo antiqui auctoris testimonio caret et Campetri castrum in antiquioribus Avellanensium tabulis non occurrit. Tantum initio sæculi XIII tres ex decem ejus castri partibus Avellanitas obtinuisse constat, reliquæ partes septem Eugubinorum erant, qua de re in antiquitatibus Avellanensibus dicendum erit. E Sed quid quod Petrus Damiani in laudata epistola monachorum coloniam ab se inductam narrat in castrum illud quod a Rodulpho et fratribus acceperat? At monasterii ullius apud Campetri locum non modo certum aliquod monumentum, sed ne levissimum quidem indicium nancisci licuit, quamquam celeberrima sit ejus loci memoria in tabulis Avellanensibus ab initio sæculi XIII ad nostram usque ætatem. Explodenda igitur Picotti fabella. *Hactenus Sartius.*

sed verisimiliter Campumregium.

15 *Probant hæc omnino Mittarelli et Costadoni, adduntque sequentia* (12): Majorem veri speciem præ se fert, licet id liquido nobis non constet, monasterium constructum in possessione Rodulphi fuisse illud S. Bartholomæi in Camporegio seu Camporegiano diœcesis Eugubinæ, quod ædificatum fuisse anno 1053 a Petro Damiani asseruit Jacobillus. Non una vice Damianus monasterii Camporegiani mentionem ingerit, hocque suum monasterium appellat. In epistola ad Johannem (13) monachum sub annum 1061 Richardum nominat rectorem *monasterii, cui Camporizani vocabulum est,* et in epistola ad Moricum legum doctorem (14) eumdem Richardum appellat *Priorem nostri monasterii; religiosæ vero vitæ et honestæ* F *gravitatis fratrem nostrum et commonachum Richardum* vocat in epistola ad Rainerium (15) marchionem. Hæc demonstrant Jacobilli, imo etiam Lancellotti assertionem veram esse, scilicet monasterium Camporegianum primordia sua debere Damiano. An vero jaceret in possessione Rodulphi non omnino exploratum; illud scimus cœnobium S. Bartholomæi conditum fuisse apud castrum sive arcem Campiregii in territorio Eugubino et Rodulphum Damiano tradidisse locum constitutum in possessione sua, sive castrum inexpugnabili munitione vallatum, ut inibi monasterium construeretur. Domini castri Camporegiani totum ipsum castrum anno 1350 monasterio Avellanensi subjectum voluere. *Adde Lancelottum testem esse egregium, quum Camporegianum monasterium congregationis Olivetanæ postea factum sit* (16), *ipse vero hujus conscripserit historiam. Ex eo* (17) *insuper*

(1) Centifolium, p. 33.— (2) Diction. Histor., vº *Costadoni* et *Mittarelli.* — (3) T. X, p. 51, et t. XXIX, p. 181 et seq. — (4) T. III Maii, p. 464. — (5) T. III Junii, p. 1006.— (6) Cfr Sartius, de Episc. Eugub., præf., p. XCII — (7) Ibid., loc. cit.—(8) Ibid., p. XCV.—(9) Ibid., p. 33 et seq. — (10) Jacobillus, de SS. Umbriæ, t. I, ad 26 Junii. Vincent. Armannus, Epist., t. I, p. 700. — (11) Exstabant Mss. in archivo Armanni. — (12) Annal. Camald., lib. XIV, n. 23, t. II, p. 147. — (13) Lib. VI, epist. XXV, t. I Opp., p. 99.—(14) Lib. VIII, epist. X, t. I Opp., p. 131. — (15) Lib. VII, epist. XVII, t. I Opp., p. 118 et 119. — (16) Sartius, de Episc. Eugub., præf., p. LXXXV, et in op., p. 131 et seq. — (17) Hist. Olivetanæ lib. II, n. 50, p. 308.

per

V. D. B.

per notamus hoc monasterium non tantum dictum fuisse de Camporegio *aut* de Camporegiano, *verum etiam in tabulis reperiri* de Camporiano, *atque etiam innotescere nomen Abbatis seu Prioris qui illi anno* 1053 *præfuerit, nempe* Joannem. *Præterea annus ille* 1053, *quo secundum Ludovicum Jacobillum etiam fundatum fuerit istud monasterium, convenit satis cum tempore, quo BB.* Rodulphus et Petrus *sæcularem vitam posuere, ut mox videbimus.*

§ III. Tempus mortis BB. Rodulphi et Dominici Loricati, connexum cum anno emortuali Hugonis I archiepiscopi Vesontionensis.

Præcipua documenta, quibus variæ de anno emortuali B. Rodulphi *nituntur sententiæ.*

Teste *S. Petro Damiani* (1), *B.* Rodulphus, quum vix triginta plus minus videretur annorum, ad veræ lucis auctorem ex hac infelici luce migravit. *Deinde recens erat hæc mors quum epistolam suam conscripsit S. Petrus ; habet enim* (2) : A vobis itaque nuper egressus, cum Florentinæ ur- B bis mœnia subii, nuntius mihi mox repentinus occurrit... episcopum scilicet Eugubinum esse defunctum. *Tertio obiit B.* Rodulphus *anno circiter post B. Dominicum Loricatum, ut initio Vitæ B. Dominici testatur idem S. Petrus, inquiens* (3) : Vir itaque Dei Dominicus, pater et dominus meus, ante annum defunctus est, *die scilicet sabbato* (4), pridie Idus Octobris, *ut habet impressa Vita seu sæpius dicta Epistola S. Petri Damiani* (5), *quarto vero Idus Septembris secundum Necrologium Avellanense, habens ad hanc diem* (6) : Obiit dn. Dominicus Loricatus, inclusus, venerabilis eremita. *Novimus præterea hanc mortem accidisse, dum S. Petrus Romæ versaretur ; ait enim* (7) : Tertio die, postquam Romanis mœnibus sum egressus, ecce mihi occurrit relatio... Dominicum ex hoc sæculo nuper egressum ; *et demum dictam S. Petri epistolam scriptam fuisse paucis diebus post* XXVIII *Octobris, quum in ea legamus* (8) : In festivitate Beatorum Apostolorum Simonis et Judæ, quam nuperrime celebravimus. *Cæterum extremi limites temporis, quo hæc scriptio confici potuit,* C *desumuntur ex pontificatu B. Alexandri II, qui autumno anni* 1061 *fuit inthronizatus, de qua re plura disputabuntur.*

B. Rodulphus *non obiit anno* 1067, *ut voluit Grandius :*

17 *Ex tot notis chronicis inter se collatis conflarunt præstantissimi scriptores systemata varia. Scilicet Grandius* (9), *præclarus inter Camaldulenses de re historica et mathematica scriptor* (10), *quoniam dies emortualis B. Dominici seu sabbatum cum die* XIV *Octobris anno tantum* 1060 *vel* 1066 *convenire poterat, statuit B.* Rodulphum *(defunctum uno anno post) hanc sortem nactum esse anno* 1067, *non vero anno* 1061 ; *quem annum excludit, quoniam B.* Rodulphum *supponit die* XXVI *Junii mortuum ; unde dicendus foret diem obiisse suum aliquandiu ante B. Alexandri II pontificatum, dum tamen aliam omnino mentem ingerit B. Petri Damiani scriptio. Verum dies illa emortualis solo Wionis asserto et* D *nullo vetustiori monumento nititur* (11), *et æque pugnat (si tota scriptio attente legatur) contra annum* 1067 *et quemcumque alium, quam contra annum* 1061, *quod B.* Rodulphi *mortem quatuor tantum mensibus post rescivisset ejus magister S. Petrus. Quæ difficultas, quamdiu admittetur B.* Rodulphum *exeunte mense Junio defunctum esse, in omni supposito remanebit eadem.*

sed anno 1061, ut tenetur communius,

18 *Secunda sententia, quam propugnant Octavius Turcius, canonicus Apiranus* (12), *Mittarelli et Costadoni* (13) *et imprimis Siardus Dyckius* (14) *referunt* Rodulphi *mortem ad mensem Octobris anni* 1061, *et in rem suam convertunt, primo simplicitatem et naturam magis redolere ut prima vice S. Petrus commemoret commendationem sibi a B. Alexandro II factam de scribendis rebus seriis et perenni memoria dignis, quam ut id faceret postquam alias multas ad eumdem dedisset litteras ; secundo constare ex S. Petro Damiani* Rudolphi *episcopatum brevissimum fuisse, quum monachatus ejus simul cum episcopatu septem tantum durarit annos; jam vero eum interfuisse Concilio Romano anni* 1059 *qua* episcopum Eugubinum ; *tertio de B. Dominico sermonem fieri tamquam de viro mortuo in Opusculo* XXXIX *S. Petri Damiani* (15) ; *porro* E *istud opusculum scriptum fuisse ad Hugonem, archiepiscopum Bisuntinum, anno uno post legationem gallicanam, seu* 1064.

licet primum argumentum quod profertur vacillet,

19 *Licet hanc ego amplectar sententiam, candide tamen dicam quid de singulis argumentis sentiam. Primum mihi in hac peccare videtur parte quod supponat commendationem hanc factam a B. Alexandro II statim post suam electionem, quasi occasio ejus non potuisset esse valde multiplex ; deinde hæc commendatio videtur pertinere ad rumores et res novas; unde quum primum ad Alexandrum litteras daret S. Petrus nude res novas continentes, nil vero de ecclesia administranda, poterat etiam pluribus post factam commendationem annis eamdem in memoriam revocare, quin in simplicitatis et naturæ leges offenderet.*

sed secundum, quod scilicet B. Rodulphus *anno 1059 Concilio Romano interfuit, frustra impetitur a Sartio.*

20 *Secundum argumentum vexavit maxime Grandium* (16) *impulitque ad duos sibi invicem succedentes Rodulphos sedi Eugubinæ assignandos ; nec minus Sartium, qui statuit in Concilii Romani subscriptionibus* Rodulphum Gabinum *pro* Eugubino (17) : *tunc nempe temporis etiamnum Gabinos seu Gabinenses fuisse episcopos, teste diplomate Gabinensi* (18) *cui subscripsit* Petrus Gabinensis episco- F pus ; *non mirandum fore quod Rodulphus Gabinus cum Eugubino confusus fuerit, quum ille idem Petrus dicatur jam* Agubinus (19), *jam* Eugubinus (20); *illam porro confusionem reapse admissam fuisse eo credibilius esse, quo minus constet de Concilii Romani subscriptionibus ; adeoque in Chronico Farfensi* (21) *legi* Rofredum Eugubinum *et* Rodulphum Gubinum ; *unde anno* 1059 *sederit Eugubii Rofredus aliquis, Gubini vero seu potius Gabini Rodulphus.*

Ostenditur ibidem adfuisse B. Rodulphum *Eugubinum,*

21 *Hæc acute excogitata fuisse a Sartio negabit nemo ; verumtamen omnino stare non possunt. Re quidem vera discrepantia sat magna est inter catalogos subscriptionum, Vaticanum editum a Labbeo* (22), *Floreffiensem receptum a Martene* (23) *et Farfensem excudi jussum a Muratorio* (24). *Nihi-*

(1) Vide infra, n. 7. — (2) Vide n. 2. — (3) Act. SS., t. VI Octobris, p. 621. — (4) Ibid., p. 627, n. 19. — (5) Ibid., n. 20. — (6) Annal. Camald., t. VII, app., col. 367. — (7) Act. SS., t. VI Octobris, p. 627, n. 19. — (8) Ibid., p. 626, n. 16. — (9) Dissertat. Camaldul. num. IV, p. 129. — (10) Ziegelbaur, Centifol. Camald., p. 23 et seqq. — (11) Act. SS., t. VI Octobris, p. 618. — (12) Vit. S. Dominici Loricati, diss. præv., § II, p. 47 et seqq. Cfr Sartius, p. 36 et 54. — (13) Annal. Camald., lib. XVI, n. 29, t. II, p. 225 et alibi. — (14) Act. SS., t. VI Octob., p. 617 et seqq. — (15) Opp., t. III, p. 292. — (16) Cfr Act. SS., t. VI Octob., p. 619. —

(17) De Episc. Eugub., p. 39. — (18) Ibid., p. 10 et seqq. — (19) Mabillonius, Annal. Bened., lib. LXI, n. 81, t. IV, p. 559; cfr. Ind. gener., v° *Petrus Agubinus* et *Petrus Gabinus*. — (20) Consecratio Allat. Farfens., ap. Muratori, Antiquit. med. ævi, diss., t. V, col. 1032. — (21) Muratori, Scriptt. rer. Ital., t. II, part. II, col. 647. — (22) Collect. Concil., t. IX, col. 1259 et seqq. — (23) Monum. Vet., t. VII, col. 60. — (24) Chron. Farfense, Scriptt. rer. Italic., t. II, part. II, col. 646 et seqq.

lominus

A *lominus non ea est hæc diversitas ut ope legum critices vera apprehendi nequeat lectio. In quam rem magnum adjumentum contulit Mansius* (1). *Satis fuerit nobis de nominibus, quæ loco* 44 *et* 54 *veniunt, dixisse. Numero itaque seu loco* 44 *in codice Vaticano venit:* Nofredus episcopus Senensis; *in Floreffiensi:* Rofredus episcopus Atestensis; *in Chronico Farfensi:* Rofredus Eugubinus. *Numero vero* 54 *in codice Vaticano:* Rodulfus episcopus Eugubinus; *in Floreffiensi:* Rodulfus episcopus Egubinus; *in Chronico Farfensi:* Rodulphus Gubinus. *Quum itaque ad num.* 54 *tres codices omnino inter se consentiant, suadent tritissimæ critices regulæ ut* Rodulphi Eugubini *nomen omnino retineatur: ex qua parte ruit profecto propositum Sartii systema,* Rodulphi Gabini *nomen obtrudentis.*

non vero Rofredum Eugubinum, cum Guidone Mediolanensi,

22 *Neque minus causa cadit ad num.* 44, *ubi* Rofredum Eugubinum *substituere tentat. Nam secundum lectionem Floreffiensem* episcopus Atestensis *certo retinendus est. In isto scilicet Concilio, celebrato* in nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi anno ab Incarnatione ejusdem MLIX mense Aprili indictione XII, propositis sacrosanctis B Evangeliis, præsidente quoque reverendissimo ac beatissimo Nicolao apostolico viro in basilica Lateranensi patriarchali, quæ cognominatur Constantiana (2), *in isto, inquam, Concilio latum non tantum est celebre Nicolai II de electione Romani Pontificis decretum et Berengarii hæresiarchæ falsum dogma damnatum est, verum etiam Guidonis archiepiscopi Mediolanensis causa dijudicata fuit. De qua re Arnulphus, qui res Mediolanenses hujus ætatis parum a se remotæ scribebat, pro argumento nostro refert* (3) *Widonem seu Guidonem adversus S. Arialdi accusationes defensum fuisse ab* Astensi, Novariensi, Taurinensi *ac reliquis suffraganeis præsulibus et* dextro Nicolai II in præsenti Synodo latere fuisse positum (4). *Hoc testimonium in dubium vocare tentavit Muratorius* (5), *obtendens inter Concilii Patres nec Guidonem, nec Astensem, nec Taurinensem præsulem in Vaticano catalogo apparere. Verum, si res accuratius inspiciatur, et huic testimonio sua stabit fides, et ejus ope licebit emendare Vaticanum codicem. Imprimis non solus Arnulfus horum præsulum commemorat præsentiam; verum etiam Bonizo Sutriensis episcopus* (6), *testis coævus, et ex eo cardinalis de Aragonia* (7). C *Nominat Bonizo Guidonem Mediolanensem, Cunibertum Taurinensem, Giselinum Astensem, Belzonem Albensem, Gregorium Vercellensem, Ottonem Novariensem, Opizonem Laudensem et Aldemannum Brixinensem. Cardinalis de Aragonia Mediolanensem solum totis litteris scribit; alios initiali indicat, consonans tamen in omnibus Bonizoni. Deinde ut veniamus ad subscriptiones, ad num.* 15 *et* 16 *legitur in codice Floreffiensi:* Guido archiepiscopus; — Dominicus Gradensis patriarcha. *In Farfensi:* Wibertus archiepiscopus; — Dominicus, Gradensis patriarcha. *In Vaticano:* V. archiepiscopus Bomegradensis patriarcha. *Vult hic agi Muratorius* (8) *de Wiberto, archiepiscopo Ravennate; verum tunc temporis Ravennæ sedebat Henricus* (9), *et anno tantum* 1070 *hanc sedem occupavit Wibertus* (10). *Confusionem codicis Vaticani nemo non advertet. Restat itaque ut cum Mansio* (11), *Arnulfi testimonio nixi, intelligamus Guidonem seu Widonem, primo loco post cardinales subscribentem, esse Mediolanensem archiepiscopum, licet sedis locus non exprimatur.*

V. D. B.

Cuniberto Taurinensi et G. Astensi episcopis.

23 *Taurinensem item præsulem affuisse constat ex num.* 66; *ad quem in Farfensi Chronico occurrit:* Cumbertus Taurinensis; *in Vaticano:* Cumbertus Maurinensis; *in Floreffiensi:* Cunibertus episcopus Paulinensis. *T mutatum in M, dein idem T in P et* r *in* l *facile deprehendere est, non secus ac conversionem* ni *in* m. *Latet itaque sub hac larva* Cunibertus Taurinensis, *de quo Ughelli et Coleti in Italia sacra* (12). *Unde denuo de Arnulfi fide constat. Strata itaque jam est via ad ea admittenda quæ de Astensi episcopo tradit, adeoque secundum Floreffiensem codicem accipiendum esse* Atestensem, *seponendum omnino* Rofredum Eugubinum, *necnon* Nofredum Senensem, *qui ortus tantum est ex eo quod ex codice Vaticano interciderint quinque nomina et præterea ex* Rofredo episcopo Atestensi *et* Joanne episcopo Senensi *conflatus sit ille unus* Nofredus episcopus Senensis. *Sed quid quod Bonizo appellat Atestensem episcopum* Giselinum, *Aragonius cum littera* G *indicat, codex Floreffiensis* E *nominat* Rofredum, *Vaticanus* Nofredum? *Imprimis seponendum est* Nofredi *nomen, quod forte numquam humanum fuisse videtur. Rarius item* Rofredi. *Utut id est, primitus scripta fuisse videtur sola littera initialis* G, *prout moris erat: hinc natus* Giselinus *apud alios, apud alios* Goffredus *et inde* Roffredus. *Ughelli* (13) *barbara appellatione vocat eum* Girlemum, *Coletti* (14) *commendat* Wibertinum: *quod ex his seligendum sit, penes lectorem esto. Sat sit nobis hinc concludere corrigendos esse Sartium, illum inferentem catalogo Eugubino, et Antonium Peccium diptychis Senensibus* (15). *Felicior vero est Sartius, quum a se aliud repellit telum, ex diplomate Forosemproniensi depromptum, et secundum quod anno* 1062 *Hugo post B.* Rodulphum *sedisset. Ostendit enim chartam illam ab Ughellio* (16) *mendose editam fuisse et notas temporis has esse* (17): Actum mense Maio die vero XV, indictione VIII, *quæ cum anno* 1070 *congruit.*

Opusculum XXXIX *S. Petri Damiani, in quo de B. Dominico Loricato jam defuncto loquitur.*

24 *Tota vis tertii argumenti petitur ex tempore quo opusculum* XXXIX *S. Petri Damiani conscriptum fuerit. Ejus autem notas chronicas deduxerunt Mittarelli et Costadoni ex ipsis in eo contentis rebus. Quum legationem suam in Gallia obiret S. Petrus, Bisuntinam seu Vesontionensem visitarat ecclesiam, deprehenderatque in ea laudabilia multa.* F *Notarat tamen Vesontione clericos atque etiam alibi in Gallia monachos tempore divinorum Officiorum sedere; quod secundum disciplinam hujus* XVI *extra tempus quo lectiones Nocturnorum recitarentur omnino non licebat* (18). *Contra hunc itaque abusum in prædicto opusculo calamum strinxit sanctus vir, et inter alia demortui Dominici Loricati, inter psallendum etiam in corpus suum sævientis, exemplum allegat. Unde Mittarelli et Costadoni, credentes hanc legationem anno* 1062 *obitam fuisse, ita argumentantur:* Ex qua attestatione Damiani, *inquiunt* (19), colligitur eos falli, qui Loricati obitum ad annum 1066 retrahunt, quum verisimile non sit sanctum doctorem zelo plenum quadriennio

(1) Ad Concil. Veneto-Labbeana supplem., t. I. col. 1331 et seqq.— (2) Cfr Collect. Concil. citt.—(3) Mediolan. Histor., lib. III, cap. XIII, ap. Muratori. Scriptt. rer. Italic., t. IV. p. 29. — (4) De Controversia inter Mediolanenses et Ravennates præsules propter jus sedendi a dextris Pontificis; cfr Saxius, Archiep. Mediolan. Series, t. II, p. 423 et seq. — (5) In notis ad hunc loc. — (6) Liber ad Amicum, lib. VI, ap. Oefelium. Monum. Boica, t. II, p. 807. — (7) Vitæ Romanor. Pontific. ap. Muratori. Scriptt. rer. Italic., t. III, p. 301. — (8) In notis ad Chron. Farf. Scriptt. t. II. part. II, col. 647. — (9) Cfr Monumenti Ravennati de' secoli di Mezzo. t. I. n. 109 et 110. — (10) Ughelli Italia Sacr., t. II. col. 363 et seq. Edit. Coleti.—(11) Supplem., t. I, col. 1331, præf. ad Conc. Rom. — (12) T. IV, col. 1037 et seqq.— (13) Italia sacra, Episc. Astens., t. IV, col. 357.—(14) Ibid. ad marginem.—(15) Storia del Vescovado della città di Siena, p. 124. — (16) It. I. sacr., t. II, Episc. Forosemp., col. 829. — (17) De Episc. Eugub., p. 45. — (18) S. Petri Damiani opusc. XXXIX, cap. IV, Opp. t. III, p. 292. — (19) Annales Camald., lib. XVII, n. 26, t. II, p. 258.

cohibuisse

cohibuisse calamum suum ad carpendum hoc sedendi
V. D. B. vitium tempore Officiorum.

misso infirmiori argumento,

25 *Ast primo morale omnino est hoc argumen-*
tum, et eo minus stringens quo graviores aliæ in-
cumberent sancto viro occupationes; secundo, initio
opusculi, ut ostendat scriptor quantum sibi non-
nulla Vesontione placuerint, scribit se ea etiamnum
memoria tenere : qui dicendi modus jam spatium
aliquod temporis elapsum esse innuit; tertio, annus
integerdetrahendus est : nam obivit hanc legationem
S. Petrus æstate anni 1063, *ita ut reduxtant um*
fuerit ad Fontem Avellanæ v *Kal. Novembris ejus-*
dem anni, ut adversus Baronium manifestum fecit
Pagius (1).

scriptum fuisse ante exeuntem annum 1066 demonstratur

26 *Videtur tamen id argumentum constringi posse*
ex tempore mortis Hugonis I, Vesontionensis archi-
episcopi, cui opusculum illud S. Petri inscribitur.
Disceptatio quidem maxima exsistit de illius mortis
anno : dum alii contendunt eum mortuum esse
anno 1066 (2), *alii anno* 1066 *vel* 1067 (3), *alii*
anno 1070 (4), *alii demum anno* 1072 (5). *Uni-*
versa autem lis orta est ex diplomate Henrici IV,
dato anno Dominicæ Incarnationis MLXVII, indict. IV,
ordinationis suæ XIV, regni XX, *et quo adstruit rex*
B Hugonem *(II)* sanctæ Bisonticensis Ecclesiæ venera-
bilem electum apud Spiram jussu et rogatu sanctis-
simæ matris suæ imperatricis Agnetis Augustæ
suum adiisse conspectum, ut confirmaret, quæ
antecessor ejus beatæ memoriæ Hugo archiepi-
scopus tradiderat ecclesiæ S. Mariæ misericordiæ
matris et S. Pauli *etc. Porro has notas secum invi-*
cem omnino pugnare deprehendet unusquisque faci-
le qui obvios chronologos adire velit (6); *unde scri-*
ptores singuli pro sua sententia medicas his notis
intulere manus. Petrus Franciscus Chiffletius ursit
insuper Agnetem tunc Fructuariæ in Italia versa-
tam, nec rebus germanicis immixtam, nisi quum
pacis procurandæ causa anno 1072 *æstivo tempore*
Wormatiam venit (7), *ut auctor est Lambertus* (8)
Aschaffenburgensis, seu potius Hersfeldensis (9).

ex tempore mortis Hugonis I Vesontionensis archiepiscopi,

27 *Verum, utut hæc sunt, legimus in Libro Pon-*
tificali Eichstetensi, a Gundecharo episcopo con-
scripto, nomina plurimorum episcoporum qui post
auctoris ordinationem, seu ab anno 1057 *ad* 1075,
defuncti sunt. Porro in hac recensione, in qua
temporis ratio haberi videtur, veniunt inter alios
continua serie hi quinque (10) : Eberhart Treve-
rensis. Reginherus Misenensis. HUC VESUNTINUS
C EPISCOPUS. Oudalricus Papiensis. Einhart Spirensis :
quorum primus, teste Lamberto (11), *obiit in Sab-*
batho Sancto, seu 15 *Aprilis anni* 1066; *secundus*
item anno 1066 (12), *eadem (ut videtur* (13) *) die*
15 *Aprilis; quartus, seu Udalricus Papiensis, olim*
Gundechari scriptoris hujus libri consecrationi præ-
sens (14), *Romualdo a S. Maria* (15) *ignotus, sed*
ab Ughellio (16), *propter testimonium Arnulphi mo-*
nachi in suo Chronico rerum Germanicarum, et
propter diploma Lucense anni 1062 *sub nomine*
Aldarici *seu* Uldarici *inter Henricum Astarium et*
Guilielmum Canusinum catalogo Papiensi inscri-
ptus atque etiam ab Richard (17) *receptus, parum* D
innotescit; cujus rei causam aperire videtur Arnul-
fus Mediolanensis, hæc inter annum 1056 *et* 1059 *in-*
serens (18) : Hujus *(Henrici IV)* regnante infantia,
Papienses ab eo ut moris datum aspernantur
audacter episcopum ; nec regiæ institutioni nec
apostolicæ deferentes factæ consecrationi usque
ad obitum spreti perseverando pontificis. *Huic*
igitur opposuere Papienses alium episcopum nomi-
ne Henricum (19); *quos paulo post imitati sunt Es-*
tenses (20). *Hinc nulla de Udalrico inter Papienses*
memoria, nec modus ullus statuendi mortis ejus
tempus, nisi ex Benzone, qui ad ejus successorem
Willelmum, recenter a rege electum, scripsit post
medium annum 1066 (21). *Demum quintus Einhart*
Spirensis obiit die XXIII *Februarii anni* 1067 (22).
Atque hinc intelligitur Hugonem Vesontionensem,
qui medius venit inter hos quatuor, mortuum esse
post diem 15 *Aprilis* (23), *sed ante finem anni* 1066.

qui die XXVII *Julii anni 1066 defunctus est :*

28 *Atque hæc omnino certa fiunt testimonio Ber-*
tholdi seu Bernoldi Constantiensis. Habet enim ad
annum 1066 (24) : Hugo Bisantiensis archiepisco-
pus obiit, cui ejusdem Ecclesiæ canonicus a fratri-
bus electus a rege substituitur. *De die vero mortis*
nulla est difficultas : in Necrologio enim S. Pauli E
et in codice S. Joannis signatur ad VI *Kal. Au-*
gusti (25), *seu* XXVII *Julii. Difficultas autem quæ ex*
rogatu *et* jussu *Agnetis imperatricis petitur, exag-*
gerata nonnihil videtur : potuit enim facile litteras
dare ad filium, ut et reapse fecit pro donatione
Misnensi anno 1063 *facta, et* VII *Id. Januarii*
anni 1064 *a filio suo Triburiæ confirmata* (26).
Ruit præterea Petri Francisci Chiffletii argumen-
tatio, quod et alterum exstat diploma, anni nempe
1068, *quo Hugo I dicitur* bonæ memoriæ (27); *ple-*
rumque mortuis tantum apposita dictione.

unde intelligitur fieri non posse ut B. Rodulphus anno 1067 obierit.

29 *Quum itaque Hugo I Bisuntinus archi-*
episcopus, olim Summorum Pontificum legatus, et
S. Petro Damiani amicissimus, obierit exunte
Julio anni 1066, *et quum ex triplice illo titulo*
quam citissime ejus mors illi innotuerit oporteat,
fieri nequit ut opusculum ad eumdem Hugonem
missum, scriptum fuerit post diem XIV *Octobris*
anni 1066, *neu proin hac die mortuus sit B. Domi-*
nicus Loricatus. Unde pronum est concludere eum
ergo anno 1060 *et B.* Rodulphum *anno* 1061 *obi-*
visse.

F

Frustra contendit Sartius eum anno 1066 esse mortuum

30 *Sed intercedit Sartius, negans fundamentum*
præcipuum primæ et secundæ sententiæ, scilicet
clausulam epistolæ S. Petri Damiani de BB. Ro-
dulpho *et Dominico optimis codicibus adesse :* Obiit
autem B. Dominicus pridie Idus Octobris regnante
Domino nostro Jesu Christo etc. Video enim, *in-*
quit (28), ibi Loricatum BEATI appellatione insigni-
tum. Hæc autem dicendi ratio a summa Petri
Damiani sobrietate et prudentia aliena esse vide-
tur. *Quibus illustratis, pergit his verbis* : Quam
non inanes sint hæ conjecturæ demonstrant non-
nulli codices Vaticani manu exarati et longe anti-
quissimi, in quibus ad calcem epistolæ Petri

(1) Critico ad annum 1062, n. 3. Annal. Baronii, t. XVII, p. 223,
Edit. Mansi. — (2) Dunod, Hist. de l'Église de Besançon, t. I, p. 104
et seq. — (3) Jo. Ja. Chiffletius, Vesontio, part. II, p. 221; J. B. Guil-
laume, Hist. Généal. des Sires de Salins, t. I, p. 21. — (4) Sammarthani,
Gallia Christ. Archiep. Bisunt., t. I, p. 124 et seq. — (5) Pet. Fr. Chif-
fletii Illustrationes Claudianæ. Act. SS., t. I Junii, p. 694 et seqq. —
(6) Art de vérifier les Dates, t. II, p. 19; Helwig, Zeitrechnung, p. 146,
De Indictione; cfr Du Cange, v° *Indictio*, et maxime Helwig, op. cit.,
p. 124. — (7) Cfr Voigt, Hildebrand, als Pabst Gregorius der Siebente,
1 theil, p. 165. Wien 1819. — (8) Pertz, Monum. Germ. Scriptt., t. V,
p. 190 et seq. — (9) Cfr Lud. Frid. Hesse, præf. ad Annales Lamberti,
ap. Pertz, t. cit., p. 134 et seqq. — (10) Pertz, Monum. Scriptt., t. VII,
p. 249. — (11) Ibid., t. V, p. 172; cfr Browerus, Antiquit. et Annal.
Trevir., lib. XI, n. 145, t. I, p. 539. — (12) Lambertus, Annales, ad an.
1066, ap. Pertz, t. V, p. 173; Annalista Saxo ad an. 1066, ap. Pertz,
t. VI, p. 694. — (13) Cfr Lambertus et Annalista Saxo, loc. citt., et
Sigismundus Calles, Series Misnens. Episc., p. 71 et seqq. — (14) Pertz,
tom. VII, p. 246. — (15) Cfr ejus Flavia Papia sacra, p. 53. — (16) Ital.
sacra, Papiens. Episc., t. I, col. 1089. — (17) Bibliothèque ecclés.,
V° *Pavie, évêque*. — (18) Pertz, Monum., t. VIII, p. 18. Muratori,
Scriptt. rer. Italic., t. IV, p. 22. — (19) Robolini, Storia di Pavia, t. II,
p. 54. — (20) Muratori, Scriptt. rer. Ital., t. IV, p. 23. — (21) Panegy-
ricus Henrici III, lib. IV, cap. XXXVIII, ap. Menckenium, t. I, col. 1030.
— (22) Philippus Simonis, Hist. Beschreibung aller Bischoffen zu
Speyr, p. 47, Edit. 1773. Cfr Lambertus, Pertz, t. V, p. 173. — (23) Cfr
diploma de juribus abbatiæ S. Benigni, confectum, præsente Hugone
archiepiscopo Vesontino, feria VI hebdomadæ II Quadragesimæ seu
17 Martii anni 1066, in App., t. I Historiæ Burgundiæ, p. XXIX et seq.
— (24) Chronicum, seu Hermanni Contracti Continuatio altera, ad
an. 1066 ap. Ussermann, German. sacr. collect. Monum., t. II, p. 9, et
ap. Pertz, t. V, p. 429. — (25) Jo. Ja. Chiffletii Vesontio, part. II,
p. 220. — (26) Cfr Sigism. Calles, Series Misnensium Episcop., p. 70 et
seq. — (27) Dunod, Hist. de l'Église de Besançon, t. I, p. 105. — (28) De
Episc. Eugub., p. 38.

Damiani

A Damiani ad Alexandrum II desunt ea verba : OBIIT BEATUS DOMINICUS LORICATUS etc. Quemadmodum accepi a viro amicissimo Octavio Turcio, canonico Pirano, qui postulante me codices illos consulendos curavit per amicos Romæ agentes. *Et continuo postulat Turcium quod hæc in Vita B. Dominici ab eo edita tacuerit. Quocirca inhærens Necrologio Avellanensi, reponit B. Dominici mortem ad diem* x *Septembris anni* 1065, *quæ cum sabbatho conveniebat, et mortem B.* Rodulphi *mense Octobri anni* 1066.

ob Necrologium Avellanense.

31 *Verum vana est Sartii exceptio adversus* Beati *titulum, a S. Petro Damiani Dominico additum, quum et S. Odilonem eadem appellatione, et S. Laurentium Amalphitanum* sanctæ ac venerandæ memoriæ *vocabulo ante concessos ecclesiasticos honores ornarit, ut scite annotarunt Mittarelli ejusque collega* (1). *Non æque placet eorum responsio, quum de alio Dominico Loricato intelligunt Necrologii Avellanensis descriptam memoriam, obtendentes* (2) inclusi *nomen B. Dominico parum quadrare, non diu satis id vitæ genus secuto. Validius telum est ipsius Necrologii recentior ætas, utpote initio sæculi* XVI *seu quatuor et dimidio sæ-* B *culis post B. Dominici mortem conscripti. Eam confessus est ipse Sartius* (3), *licet postmodum* (4) *antiquioris ævi hunc codicem esse voluerit. Verum adversantem sibi habet codicem ipsum, in quo multa annotata sunt prima manu nomina virorum qui exeunte sæculo* XV *obierunt* (5). *Unde quam infirma sit hæc auctoritas incurrit in omnium oculos. Sane nequaquam comparanda est cum auctoritate clausulæ epistolæ S. Petri Damiani, quam in multis codicibus exstitisse fatetur Sartius; quod vero affirmat eam in optimis Vaticanis non fuisse repertam, id per se non compererat, neque per Turcium virum doctum, sed per anonymos Turcii amicos Romæ agentes. Ast quam exiguæ hi essent auctoritatis, patet vel ex hoc solo quod Turcius tam parvi fecerit eorum diligentiam, ut ne voluerit quidem hujus rei meminisse in sua S. Dominici Vita* (6). *Adde his ipsis verbis :* Regnante Domino nostro Jesu Christo, *inesse authentiæ signum novumque argumentum quod B. Dominicus anno* 1060 *obierit. Etenim, licet hæc formula aliquando adhibita fuerit dum rex terrenus esset in vivis, vulgo tamen tunc solum in usu fuit posita, quum regnum vacaret* (7). *Henricum autem anno* 1060 *regium nondum induisse* C *diadema, et contra anno* 1065 *et* 1066 *ab omnibus pro rege fuisse agnitum, adeoque a die* V *Octobris anni* 1065 *regni sui annos computasse res certa est* (8). *Quæ quum ita sint et quum secundæ sententiæ argumenta reliquarum opinionum fundaminibus prævaleant, suadent prudentiæ leges ut huic omnino inhæreatur. Superest tamen aliqua difficultas, qua non soluta, omnia labare necesse est. De ea in sequenti paragrapho.*

§ IV. Tollitur difficultas oriens ex tempore electionis et inthronizationis B. Alexandri II. Hujus inthronizationis historia.

Difficultas oriens ex tempore electionis et inthronizationis B. Alexandri II.

D*ifficultas illa, quam modo memorabam, petitur ex inscriptione opusculi* XX *libri* III *S. Petri Damiani comparata cum inscriptione epistolæ de B.* Rodulphi *et Dominici morte. Illa scilicet hujusmodi est* (9) : Dilectissimis Apostolicæ Sedis ELECTO, et Virgæ Assur Hildeprando Petrus monachus servitutem ; *unde colligitur priorem scriptam esse ante B. Alexandri inthronizationem* (10), *(non vero consecrationem, erat enim antea jam episcopus Lucensis) ; hanc vero post inthronizationem. Jam plerique omnes statuunt electionem celebratam fuisse die* I *Octobris ; inthronizationem vero sat diu dilatam fuisse vult Faustus Antonius Maronus* (11) : *adeoque nonnulli scriptores referunt* XX *opusculum ad sequentem saltem mensem Novembrem, dum Cadalous jam Romæ insidias per pecuniam procuraret* (12). *Unde quum opusculum istud certo scriptum sit ante epistolam de BB.* Rodulphi *et Dominici morte, consequens foret hanc non potuisse exarari paulo post festum SS. Apostolorum Simonis et Judæ anni* 1061, *sed in alium annum, i. e.,* 1066 *aut* 1067 *esse referendam ; unde omnia corruerent. Probandum itaque est hanc inthronizationem Kalendis Octobris anni* 1061 *fuisse factam et proin ante illud tempus scriptum fuisse opusculum* XX ; *quæ disquisitio locum dabit erudenrandis nonnullis maximi momenti gestis.* E

Quocirca ostenditur hunc Pontificem inthronizatum fuisse

33 *S. Petrus Damiani, in disceptatione synodali inter defensorem Romanæ Ecclesiæ et regium advocatum, hunc ita loquentem inducit* (13) : Dicitis quia necessitate constricti et velut angusti temporis brevi spatio coarctati, nequaquam potuistis in electione Romani Pontificis exspectare consensum regiæ majestatis : quod profecto frivolum esse constat. Constat enim tres plus minus menses interim decurrisse, ex quo sanctæ memoriæ Papa Nicolaus occubuit, usque ad Kalendas Octobris cum iste successit. *Jam vero per hæc verba* cum iste successit *intelligendam esse* inthronizationem, *non* vero electionem, *manifestum facit ipsa disceptationis materia. Ex decreto enim Nicolai II de eligendo Pontifice, cui continuo innititur advocatus regius, non requirebatur consensus Henrici electioni prævius, ut scilicet electio fieret, sed ut electioni factæ accederet assensus regius, priusquam ordinatio seu inthronizatio celebraretur ; quod non tantum liquet ex decreto, prout nunc circumfertur, quodque in medium afferre nolo, quoniam Baronius, testimonio cardinalis Deusdedit usus, id corruptum fuisse contendit* (14) ; *sed maxime ex S. Petro Damiani. Scribit enim ad Cadaloum, antipapam B. Alexandro II* F *objectum* (15) : Nimirum cum electio illa per episcoporum cardinalium fieri debeat principale judicium, secundo loco jure præbeat clerus assensum, tertio popularis attollat applausum ; SICQUE SUSPENDENDA EST CAUSA, USQUE DUM REGIÆ CELSITUDINIS CONSULATUR AUCTORITAS. *Unde et advocatus regius in disceptatione synodali ab initio statum quæstionis his definit verbis* (16) : Sufficiat nobis dicere quoniam inthronizastis Papam sine consensu domini nostri regis. *Et dein tota controversia de intronizatione est, nequaquam vero de electione, nisi quatenus advocatus regius objiciat fieri debuisse ut assensus regis accederet ; quem exspectari non potuisse ob seditionis periculum contendit defensor Ecclesiæ Romanæ. Adeoque trimestre spatium, de quo loquitur advocatus regius, definitur morte Nicolai II et mox secuta electione B. Alexandri II ex una parte, et ex altera parte inthronizatione, seu* Kalendis Octobris cum iste successit.

(1) Annal. Camald., lib. XVI. n. 30. t. II, p. 230.—(2) Ibid., loc. cit.—(3) Ibid., loc. cit.—(4) De Episc. Eugub., p. 57.—(5) Cfr Necrologium, ap. Mittarelli, etc., t. VII, app., col. 356 et seqq.—(6) Cfr Sartius, p. 38.—(7) Cfr Nouv. Traité de diplomatique, t. IV, p. 591 et seqq.—(8) Cfr Art de vérifier les Dates, t. II, p. 19.—(9) T. III Opp., p. 193.—(10) Cfr Henschenius, t. III Februar., p. 413 ; item Pagius, ad an. 1061, etc. —

(11) Comment. de eccles. et episc. Ostiens. et Velitern., p. 36. — (12) Voigt, Hildebrand als Papst., etc., part. I, p. 67. Wien 1819 ; Baronius, Annal., ad an. 1061, n. 27. — (13) Opusc. IV, t. III Opp., p. 26. — (14) Annal., eccles. ad an. 1059, n. 31 — (15) Epist. XXII, lib. I, t. I Opp., p. 19. — (16) Opusc. IV, t. III, p. 22.

34 *Habemus*

V. D. B. die I Octobris anni 1061 :

34 *Habemus et aliud testimonium scriptoris synchroni Bernoldi nempe Constantiensis, qui ad annum* 1061 *hæc habet* (1) : Romæ Nicolao Papa defuncto VI Kal. Augusti, Romani Heinrico regi, ejusdem nominis quarto, coronam et alia munera mittentes, de Summi Pontificis electione regem interpellaverunt. Qui generali consilio Basileæ habito, imposita corona a Romanis transmissa, patricius Romanorum est appellatus. Deinde communi omnium consilio, Romanorumque legatis eligentibus, Chadelo Parmensis episcopus VII Kal. Novembris Papa eligitur et Honorius appellatur, Papatum numquam possessurus. SED VICESIMA SEPTIMA DIE ANTE EJUS PROMOTIONEM, Lucensis episcopus, nomine Anshelmus, a Nordmannis et quibusdam Romanis Papa CLVIII ORDINATUS, Alexander vocatus, sedit annos 12. *Similiter anonymus Zwetlensis, exeuntis sæculi* XII *scriptor* : Dum hæc aguntur, *inquit* (2), *scilicet dum antipapæ pararetur electio*, Nordmanni aliquibus Romanis sibi adscitis Luccæ urbis episcopum Anshelmum, dato sibi Alexandri nomine, in Kal. Octobris, XXVI (*imo* XXVII) diebus ante Parmensis episcopi ad Papatum promotionem, SEDI IMPOSUERUNT APOSTOLICÆ. *Porro propter* B *testimoniorum abundantiam extra controversiam est Cadaloum promotum fuisse die* XXVIII *Octobris, quæ anno* 1061 *et festum erat SS. Simonis et Judæ et simul dies Dominica. Unde iterum liquet B. Alexandrum* ordinatum *seu* Sedi Apostolicæ impositum *fuisse* Kal. Octobribus.

dissolvuntur difficultates petitæ ex Leone Ostiensi.

35 *Et quidem si probe intellectus fuisset Leo Ostiensis, nedum locum dedisset interturbandæ chronotaxi, contra facem prætulisset. Re quidem vera ait* (3) *B. Alexandrum* electum *fuisse* post tres circiter menses *a morte Nicolaï II ; verum per* eligendi *vocabulum intelligit* institutionem *canonicam seu inthronizationem : primo enim synonymas facit* electionem *et* ordinationem, *quum continuo ante scripserit* : Cum maxima seditio inter Romanos cœpisset de ORDINANDO Pontifice exoriri ; *secundo ait imperatricem et Henricum maxime indignatos* quod hæc sine illorum consensu et auctoritate gesta fuisset : *jam vero, ut ex oratione advocati regii apud S. Damianum patet, non de electione, sed de inthronizatione absque suo consensu facta conquerebantur Agnes ejusque filius ; tertio affirmat B.* Desiderium *Cassinensem abbatem* cum principe Capuano *propter eam, quam vocat,* electionem Romam C profectum : *porro Capuanum principem Romam ivisse causa inthronizationis, non vero electionis, manifestum inferius fiet ex Benzonis testimonio. Quod autem ipse pro* institutione *seu* inthronizatione *etiam* ordinationem *dicat, idem fecit Bernoldus* (4), *idem ipse S. Petrus Damiani, qui post depositam Ostiensis diœcesis administrationem reservarat sibi, ut inferius videbitur,* jus ordinandi *B. Alexandri II, licet hic jam esset episcopus. Cæterum monachi in cœnobio* instituti *dicebantur etiam tunc temporis ibidem* ordinati (5). *Adeoque satis patet Leonem de inthronizatione loqui et proin quartum esse testem. Adde catalogos seu series Romanorum Pontificum in hoc fere consentire ut B. Alexandri Pontificatum ad annos undecim, menses sex et dies plus minus viginti extendant* (6) ; *deinde B. Alexandrum mortuum esse die* XXI *Aprilis anni* 1073, *ut manifestum fecit Pagius* (7) ; *et demum principii loco assumi posse tempus, quo tunc* D *sederint pontifices, supputandum esse a die inthronizationis* (8) : *quæ tria si inter se conferantur, necessario circa initium mensis Octobris anni* 1061 *collocanda veniet B. Alexandri II inthronizatio.*

ex initio anni Pontificis in bullis,

36 *Verum adversus hæc opponi potest ex ipsis B. Alexandri II bullis deduci posse eum post diem* XII *Octobris fuisse inthronizatum ; aut saltem non die* I *Octobris : quod iterum vel ex bullis constet vel quod dies Dominica non esset ; atque hæc jam ordine examinabimus, dein rerum gestarum ordinem ob oculos posituri. Imprimis itaque obvium habemus Mansium, qui ex bullis ipsius Alexandri deduxerit eum die* XII *Octobris anni* 1061 *nondum fuisse inthronizatum. Quum enim dubitasset Pagius* (9) *utrum annos suos a die electionis, an vero a die inthronizationis computasset B. Alexander, quæstionem ita solvit Mansius ut et simul dicta nostra subvertat. Ex bulla scilicet, data* Capuæ IV Id. Octobris per manus Speri S. R. E. subdiaconi et bibliothecarii anno VI pontificatus Dom. Alexandri Papæ II, indict. VII, *deduxit die* XII *Octobris anni* 1068 *septimum Alexandri anni nondum cucurrisse et proin eum non fuisse inthronizatum Kal. Octobribus. Verum animadvertere debuit sed oscitan-* E *ter hæc descripta fuisse ab Ughellio* (10) : Speri *enim venit ibidem loco* Petri (11) ; *adde, quod præcipuum est, ex indictione* VII *nequaquam concludi posse hanc bullam ad annum* 1068 *pertinere, quoniam falso circumfertur* (12) *B. Alexandrum indictionem Constantinopolitanam seu a die* I *Septembris usurpasse ; adeo ut indictio* VII *ad annum* 1067 *in Alexandri bullis omnino pertinere possit. Quod autem assumptum istud falsum sit, habes ex plurimis Alexandri II litteris, quarum unas hic indicabo, quoniam inferius venient binæ aliæ. Bulla videlicet qua confirmat bona monasterii S. Severi in Classe ita desinit* (13) : Datum Anagnie per manum Alberti sancte Romane ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii VI Kal. Januarii, indictione XV, incarnationis dominice anno MLXII, pontificatus vero domini Alexandri pape II anno secundo. *Præterea aliunde retundi potest Mansii assertio, nempe ex charta Joannis Prioris S. Reparatæ de Salto, qua constat die* XIV *Octobris anni* 1063 *tertium Alexandri annum concurrisse ; quod tamen ex Mansii dictis fieri non posset, quum feria* II *(ut inferius videbitur) S. Petri cathedram occuparit et prima feria* II *post diem* XII *Octobris inciderit anno* 1061 *in diem* XV F *hujus mensis. En hujus chartæ notæ chronicæ* (14) : Anni ab Incarnatione ejusdem *(J. C. D. N.)* sexaginta et duo post mille *(annus cavus seu incompletus omissus est* (15)), sitque domnus Alexander Papa in sede beati Petri Apostoli anno tertio, die quarto decimo mensis Octobris, indictione secunda, *nempe Constantinopolitana seu a die* I *Septembris.*

ex consecratione ecclesiæ Cassinensis.

37 *Secundo opponi queunt duæ aliæ, quarum hæc est conclusio* : Datum in Castro Cassino die Kalendarum Octobrium per manus Petri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, atque vice domni Annonis Coloniensis archiepiscopi bibliothecarii. Anno decimo pontificatus Alexandri Papæ secundi. Ab Incarnatione vero Domini millesimo septuagesimo primo, indictione nona. *Harum altera edita est in Bullario Cassinensi num.* CVIII (16) ; *alteram,*

(1) Pertz. Monum. Germ., t. V. p. 427 et seq. — (2) Hist. Roman. Pontif. ap. Pez. Thesaur. Anecd., t. III. col. 384 et seq. — (3) Chron. Cass., lib. III. cap. XXI. ap. Muratori. Scriptt. t. IV. p. 431. — (4) Loc. sup. cit. — (5) Cfr Chronic. Farfense. t. II. part. II. col. 665. — (6) Cfr Catalogus Colbert. ap. Gueranger. Orig. de l'Égl. Rom., p. LXXXII ; alter Colbert., ibid., p. XCIII ; Mallianus, ibid., p. XCIX ; tertius Colber., ibid., p. CIV ; Continuator Mariani Scoti, ap. Pertz, t. V, p. 487. — (7) Critice ad hunc annum. — (8) Papebrochius. Propylæum Maii, p. 1*. — (9) Critice ad an. 1061, n. 1. — (10) Italia sacra. Episc. Salernit., t. VII. col. 383. — (11) Cfr Nouveau Traité de diplom., t. V. p. 255. — (12) Cfr Natalis de Wailly. Élém. de paléographie, t. I, p. 260. — (13) Annal. Camald., t. II, app., col. 184. — (14) Ibid., tom. cit., col. 191. — (15) Nouv. Traité de diplomat., t. III. p. 195 et 524 ; t. IV, p. 709 et seq. — (16) Cfr Pagius in Critice ad an. 1071, n. 2.

qua

A *qua SS. Benedicti et Scholasticæ apud Cassium inventio narratur, nuper edidit Ludovicus Tosti, doctus illius abbatiæ monachus* (1). *Utraque data est, quum B. Alexander II consecravit ecclesiam, nuperius ab abatte Desiderio, dein B. Victore Papa III excitatam, scilicet* prima die Kalend. Octobrium, die sabbathi, anno divinæ Incarnationis 1071, ind. IX, *ut habet synchronus hujus solemnitatis historicus* (2) : *quem notet lector adhibere etiam* indictionem IX, *non vero* X *pro more Constantinopolitano ; ita ut per hanc trium documentorum consonantiam vetamur primum diploma cum Pagio* (3) *sollicitare, indictionem Constantinopolitana m obtrudente. Verum quum Kal. Oct. anni* 1071 *decimus tantum Alexandri pontificatus annus curreret, nonne hic consequens fit ut decennio ante iisdem Kalendis inthronizatus non fuerit? Huic difficultati responderi imprimis potest non raros esse in diplomatibus hujusmodi errores ; dein eo facilius huc mendum irrepsisse, quod diplomata aliquot diebus ante parata essent, quum decimus annus adhuc ageretur.*

B *et ex eo quod die Dominica non fuerit inthronizatus;*

38 *Verum ex ipsis, quæ die Dominica, ordinationi atque etiam inthronizationi Pontificum assignata diximus, opponetur nobis Kalendas Octobres in feriam* II *cecidisse et deserendum propterea S. Petrum Damianum aliosque qui Kalendas istas indicant. Sensit jam pridem istud argumentum Papebrochius et propterea Alexandri inthronizationem in diem* XXX *Septembris retraxit* (4) ; *qua in re aliquot sequaces habuit, multos vero adversarios, quum scilicet nunc plerique omnes B. Alexandrum Kal. Oct. solummodo electum arbitrentur ; electio vero omni celebratur feria. Verum ex historia hujus inthronizationis solvitur facile Papebrochii difficultas : scilicet pridie Kal. Octobris seu die Dominica tentata fuit inthronizatio, sed incassum ; unde noctu perficienda fuit, quum jam feria* II *curreret : vesperis enim finiebatur tunc fors adhuc Romæ Dominica dies, prout olim usus ferebat* (5).

post diuturnam exspectationem præter regis consensum

39 *Sed ordine jam dicamus de hac inthronizatione, quæ inter audacissima et prudentissima Hildebrandi gesta referenda videtur, et quam a nemine hactenus expositam reperio. Atque in hac quidem adornanda sparta, non vereor uti narratione Benzonis, Albensis episcopi, iniquissimi optimorum Pontificum suggillatoris et Henrici IV assentatoris fœdissimi. Ut enim mittam id jam factum fuisse a* C *Mansio* (6) *(qui tamen B. Alexandri inthronizationem confudit cum ejus electione), manifestum est multum luminis ex ejus scriptis affundi narratui S. Petri Damiani, Leonis Ostiensis, aliorumque. Mortuo itaque Nicolao II tribus circiter mensibus ante Kal. Oct.* (7), *die* XXIV *Junii, ut habet anonymus Florentinus* (8), *die* XIX *Julii secundum Necrologium Cassinense* (9), VIII, VII, *aut* VI *Kal. Aug. secundum anonymum Zwetlensem,* (10), *Bernoldum et Auctarium Bertholdi* (11), *necnon cardinalem de Aragonia* (12), *electus fuit quam primum juxta decretum Concilii Romani anni* 1059 *Anselmus, Lucensis episcopus et nomine Alexandri II seu Junioris ornatus. Speraverant cardinales hanc electionem gratam fore regi, quod non esset de propriis, sed domesticus et familiaris regis* (13). *Quum autem a sumptio novi Pontificis deberet fieri, ex decreto Nicolai II,* salvo debito honore et reverentia Henrici (14), *id est quod ordinatio seu inthronizatio fieri non posset sine consensu regis* (15), *instructa est legatio magnifica satis ex episcopis, senatoribus et Romanis præcipuis civibus* (16) : *quibus princeps præibat venerandus cardinalis Stephanus* (17), *in mandatis habens litteras apostolicas regi tradere* (18) *et patriciatus Romani insignia, chlamydem, mitram, annulum et patricialem circulum* (19). *Verum curialibus non placebat electio, quoniam Anselmus comes fuerat S. Petri Damiani in legatione Mediolanensi, qua acriter adversus simoniacos et clericos concubinarios secundum Hildebrandi mentem functi fuerant* (20). *Et quidem quum Hildebrandus hujus electionis præcipuus auctor haberetur, nec bello adversus scandala et abusus finem fore intelligeretur, quamdiu rerum gerendarum potiretur præclarus hic administer pontificius, studium posuere curiales ut hic penes se fieret. Quod miro candore Benzo his patefacit verbis* (21) : Statim autem ut curiæ præsentantur *(Stephanus et comites)*, de tota Italia E cæterisque regnis proceres convocantur. Visum est enim dominæ imperatrici suisque silentiariis *(i. e., secretariis seu administris)* non esse recipienda Capitolii dona nisi cum regnorum primariis. Interea dum exspectatur Prandellus *(jocularium Hildebrandi nomen)*, non immemor suæ artis, annoxiatur, tergiversatur. *Unde factum est ut Stephanus* per quinque fere dies ad B. Petri et Apostolicæ Sedis injuriam præ foribus manserit occlusus, nec permissus regis se præsentare conspectibus (22).

tentata fuit hæc inthronizatio die Dominica, sed feria II *noctu potuit tantum perfici.*

40 *Verum et Romæ adversarios nanciscebatur Alexander, videlicet nobiles aliquot corruptissimos, maxime Gerardum comitem Galeriæ, a Nicolao II ob deprædationes excommunicatum* (23). *Adornarunt hi etiam* ex clero, et senatu ac populo, *ut habet Benzo* (24), *legationem, quam ille idem Galeriæ comes et abbas Clivi Scauri comitati sunt* (25), *coronam et patriciatus insignia secum ferentes* (26). *Instituere maxime apud Agnetem ejusque consiliarios, ut alius Pontificis electio fieret* (27), *seu* ut rex cum legatis eligeret quem vellet Papam secundum Deum (28). Quo audito (29), *et* quum ingens inter Romanos seditio de ordinando Pontifice cœpisset oriri, Hildebrandus archidiaconus habuit consilium F cum cardinalibus nobilibusque Romanis (30), *scilicet* cum Leone originaliter procedente de judaica congregatione *(et avo, ut videtur* (31), *Petri de Leone, postea antipapæ)*, simulque cum Cencio Frajapane (32) atque cum Brachiato (33) Joanne. Cetera turba erat ex mendicis, solita victitare de reliquiarum cibis; *ita hostili calumno Benzo, pergitque* (34) : Cum his tribus prædictus Sarabaïta *(Hildebrandus)* Richardum principem (35) de Capua petit, ducit ad urbem sub mille librarum conditione, quo sibi præbeat adminiculum in novis antichristi constitutione. Quid plura ? Acceptat pecunia

(1) Storia della Badia di Monte-Cassino, t. I, p. 408 et seqq. —
(2) Ap. Muratori, Scriptt. rer. Ital., t. V, p. 77. — (3) Critice, loc. cit.
— (4) Propylæum Maii, p. 196*. — (5) Cfr Sermo 380 in app. ad t. V
Opp. S. Augustini, col. 467. — (6) Supplem. ad Concil. Veneto-Labb.,
t. I, col. 1355, et in Animadv. ad Baronium passim ad posteriorem
partem sæc. XI. — (7) S. Petrus Damiani et Leo Ostiensis ap. Baro-
nium, ad an. 1061, n. 1, et ad an. 1062, n. 49. (8) Ap. Papebrochium,
Propyl. Maii, p. 196*. — (9) Ap. Muratori, Scriptt. rer. Italic., t. VII,
p. 944. — (10) Ap. Pez, Thesaurus, t. III, col. 381. — (11) Ap. Pertz,
Monum., t. V, p. 271. — (12) Ap. Muratori, Scriptt. rer. Italic., t. III,
p. 301. — (13) S. Petrus Dam. Opusc. cit., p. 29. — (14) Labbe, Collect.
Concil., t. IX, col. 1104. — (15) S. Petrus Dam. Opusc. cit. p. 22. —
(16) Benzo, Comment. de rebus Henrici III (aliis IV), seu Panegyri-
cus in Henricum IV, lib. VII, cap. II, ap. Ludowig, Reliquiar., t. IX,
p. 398, et ap. Menckenium, Scriptt. rer. German., t. I, col. 1064. —
(17) S. Petrus Dam. Opusc. cit., p. 27. — (18) Ibid., loc. cit. — (19) Benzo,
loc. cit. Cfr S. Petrus Dam., loc. cit. *Veruntamen Romana Ecclesia*, etc.
— (20) Cfr Baronius, ad ann. 1059, n. 41 et seqq. — (21) Benzo, loc. cit.
— (22) S. Petrus Dam., loc. cit. — (23) Ibid., p. 28. Cfr Baronius, ad
annum 1061, n. 2. — (24) Lib. II, cap. IV, Ludewig, t. IX, p. 257;
Menckenius, t. I, col. 981. — (25) Ibid., loc. cit. — (26) Bertholdi Annal.,
ad an. 1061, ap. Pertz, Monum. German., t. V, p. 271. — (27) S. Petrus
Dam. Opusc. cit., p. 28. — (28) Benzo, lib. II, loc. cit. — (29) Ibid. —
(30) Leo Ostiensis, seu ejus continuator Petrus diaconus, lib. III,
cap. XX, ap. Muratori, Scriptt. rer. Ital., t. IV, col. 431. — (31) L. A.
Anastasio, Istoria degli antipapi, t. II, p. 32. — (32) Ita scribebatur
nomen : cfr Const. Gaetani, Vita del Pontefice Gelasio II, p. 115 ; item
L. A. Anastasio, op. cit., p. 36. — (33) Appellatio probrosa, pro *habente
longiora brachia*. — (34) Lib. II, cap. IV, et lib. VII, cap. II, ap. Ludewig et Menckenium, locc. citt. — (35) Cfr Leo Ostiensis, loc. cit.

et

V. D. B.

et Desiderio, *abbate Cassinensi et Cardinali de titulo S. Cæciliæ*, Romam cum principe proficiscente (1), conatus est Richardus Lucensem hæreticum decucere ad Vincula S. Petri (2); sed Romani bellicis armis restiterunt ei; facta est autem ab utraque parte magna strages et sic clauditur dies. Richardus vero adjutus noctis caligine, adgreditur alia via, et manibus sanguineis (sua ipsius manu tres ex nobilibus Romanis *inter dimicandum* morti destinarat (3)), nocturnam Papam inthronizavit et ad Laterani palatium asportavit (4).

Secutum schisma Cadaloi.

41 Quod cum imperatrix audisset, una cum filio tulere graviter, hæc sine sua auctoritate gesta fuisse; Cadalumque Parmensem episcopum a Placentino dumtaxat et Vercellensi episcopis ipsa die festivitatis Apostolorum Simonis et Judæ (xxviii *Octobris*) Papam eligi faciunt (5). *Quæ luculentissime exponuntur a Bonizone, Sutriensi episcopo et scriptore coævo* (6), *et ab altero scriptore Romano aliquantum Henrici partibus faventi et non ita pridem a Pertzio* (7) *(cui tot egregia monumenta debemus) edito. Verum hæc et quæ secuta sunt, minus ad nos pertinent. Ex hoc itaque narratu satis intelligitur quare feria* II *inthronizatus fuerit B. Alexander.*

B

Indicatur reliqua chronotaxis vitæ B. Rodulphi.

42 *Ex hoc itaque diverticulo regredientes ad propositam quæstionem, nihil obesse novimus quin B.* Rodulphus *anno* 1061 *obierit. Cognito autem ejus mortis tempore, facile ejus vitæ stabilitur chronotaxis. Quum enim, teste S. Petro Damiani, annos plus minus* XXX *vixerit, hinc fit ut circumcirca anno* 1031 *natus sit. Eodem auctore, decessit ex hac vita septennio postquam eremum petiisset; unde conversio ejus ad annum circiter* 1054 *referenda sit, seu etiam* 1053 *propter conjecturam de monasterio Campiregiani, num.* 15 *hujus Commentarii propositam. De ejus episcopatu dicendum superest sequenti paragrapho.*

C

§ V. B. Rodulphus fueritne vere Eugubinus episcopus, an solum vicarias S. Petri Damiani partes expleverit, inquiritur. Mutua horum amicitia. Pauca de B. Petro nota.

B. Rodulphus post annum 1057 Eugubinus episcopus factus est.

V*alde breve fuisse tempus, quo B.* Rodulphus *Eugubinam cathedram occupavit, non apparet tantum ex septennio aut octennio quo perfectiorem duxit vitam, sed maxime ex eo quod ejus decessor Guido seu Wido subscripserit Concilio Romano anni* 1057 *his verbis* (8): Guido Egobinensis episcopus. *Æstimat Sartius Guidonem sedisse usque ad annum* 1059. *Ad quemdam scilicet episcopum, cujus nomen incipit littera* U, *scribit S. Petrus Damiani* (9): Nunquid oblitus es, quod ante fere quinquennium Victor Apostolicæ Sedis episcopus, in plenario Concilio Florentiæ celebrato, cui simul et imperator Henricus interfuit, hoc sub excommunicationis censura prohibuit, *nempe Ecclesiæ prædia alienare? Unde Sartio hæc duo affirmari posse videntur: nempe hunc episcopum ipsum esse* Guidonem, *seu* Widonem, Uvidonem *Eugubinensem, tum propter initialem litteram, tum quod ex ipsa epistola intelligitur S. Petro in hunc episcopum auctoritatem fuisse, quali eum in Eugubinos præsules diu usum fuisse continuo videbimus; deinde hanc epistolam fuisse scriptam anno* 1059, *quoniam hæc tria inter se, quantum fieri potest, ordinanda sunt: primum, Concilium Florentinum, de quo mentio est, habitum fuisse in Pentecoste anni* 1055 (10); *secundum, anno* 1059, *mense Aprili,* Rodulphum *subscripsisse Concilio Romano* (11); *tertium, hanc S. Petri epistolam scriptam esse* quinquennio fere *a Pentecoste, seu ineunte Junio anni* 1055: *quocirca per dictionem* ante fere quinquennium *intelligendum esse de quinquennio constante ex medio anno* 1055, *ex tribus annis sequentibus integris et ex uno alterove mense anni* 1059. *Verum, quum hæc ad summum annos dent tres et octo menses, arbitrarer epistolam S. Petri ad alium quemdam datam fuisse episcopum, cujus nomen etiam littera* U *inciperet, et in quem auctoritatem aliquam sibi tribueret sanctus Ostiensis præsul, quod* studio suo eum ad episcopatus apicem promovisset (12). *Quocirca* E *planior est Mittarelli* (13) *conjectura arbitrantis hic potius agi de Ugone Calliensi, Camerinensi vel Humanatensi, subscriptis Concilio Romano anni* 1059. *Satis itaque fuerit affirmasse Guidonem Eugubii sedisse ineunte Junio anni* 1057 *et B.* Rodulphum *mense Aprili anni* 1059; *quo tempore eum Concilio Romano celeberrimo interfuisse satis superque ostendimus.*

D

nequaquam vero vicarias tantum S. Petri Damiani partes habuit.

44 *Eugubinam vero regebat Ecclesiam B.* Rodulphus, *inspectore et duce S. Petro Damiani. Verum et hæc res difficultatibus plena est, ut ex prolatis tabulis continuo intelliget lector, in epistola, qua B. Alexander II Papa Ecclesiam quamdam Eugubinam sub tutela Sanctæ Sedis suscipit, et quæ inscribitur* omnibus Eugubinis, clero et populo, fidelibus videlicet S. Petri, *dicitur hæc* Ecclesia carissimi fratris et coepiscopi nostri Petri Damiani (14). *Tempore Mainardi, B. Rodulphi successoris, sub beneficii (prout moris erat) nomine alienata fuerant Ecclesiæ Eugubinæ prædia aliquot; adeoque in alia etiam probrosiora lapsus fuisse videtur ille præsul: quocirca, tamquam auctoritatem habens,* correptionis adhibuit virgam *S. Petrus* (15). *Videntur hæc ad aures B. Alexandri II venisse; qui et expostulavit hac de re cum S. Petro. Exprobatio hæc elicuit ex hujus stylo epistolam, cujus id est initium* (16): Quod Eugubina Ecclesia, QUÆ MIHI DUDUM A VESTRIS DECESSORIBUS EST COMMISSA, nunc, proh dolor! est omnino confusa, et velut area quæ pedibus conculcatur, abjecta, peccatis meis id exigentibus deputo, non vitio, quod absit, vestræ pravitatis adscribo. *Quæ epistola ad annum* 1069 *differenda est, propter ea quæ de suis pro Alexandro adjicit legationibus. Sed diu ante, scilicet mense Octobri anni* 1061, *in opusculo* XX *satis superque a nobis illustrato, scripserat ad eumdem Pontificem:* Benedicta omnipotentis dispensatio Conditoris, quia ad vos nuper ascendens duorum episcopatuum unius regendi, alterius visitandi mole depressus, prærupta Alpium juga transivi, moxque sarcina tribulationis abjecta, exoneratus, et liber ad dile-

F

(1) Cfr Leo Ostiensis, loc. cit. — (2) Cfr Bonizo, Liber ad amicum, lib. vi, ap. Œfelium, Monum. Boica, t. II, p. 811; et Anonym. Roman. ap. Pertz, t. V, p. 472. Hinc corrige Pagium, Critice, ad an. 1049, n. 6, et ad an. 1073, n. 5. — (3) Benzo lib. ii, cap. ii, ap. scriptt. citt. loc. cit. — (4) Ibid., lib. vii, cap. ii. Cfr lib. ii, cap. ii et iv. — (5) Leo Ostiensis, loc. cit. — (6) Liber ad amicum, sive de persecutione Ecclesiæ libri novem; lib. vi, ap. Œfelium, Rer. Boicar. Scriptt., t. II, p. 807. — (7) Monument. German., t. V, p. 472. — (8) Mansi, Supplem. ad Collect. Conciliorum Labbe, t. I, col. 1314. — (9) Epist. xii, lib. iv, t. I Opp., p. 56. — (10) Muratori, Annali d'Italia, ad an. 1055, t. VI, p. 171. — (11) Cfr supra, n. 26 et seqq. — (12) S. Petri Damiani epist. xii, lib. iv, t. I Opp., p. 56 et seq. — (13) Annal. Camald., lib. xvi, n. 26, t. II, p. 223. — (14) Labbe, Collect. Concil., t. IX, col. 1446. — (15) Lib. iv, epist. viii, t. I Opp., p. 50. — (16) Lib. i, epist. xiv, t. I Opp., p. 10.

ctam

V. D. B.

A ctam solitudinem, tamquam fugitivus, postliminio repedavi. *Demum in diœcesi quadam alia quam Eugubina coepiscopum habebat Albertum, cui pa*terni vigoris auctoritate præcipiebat, *cui* animas commendarat sicuti Deus eas sibi commiserat *et qui minimum auctoritate episcopi suffraganei seu coadjutoris potiebatur* (1); *quinetiam Albertus ille et S. Petrus solitos in illa diœcesi percipiebant census. Quæ omnia de diœcesi Ostiensi intelligi volunt (et quidem, ut videtur, recte) Sartius* (2) *et post eum Maronus* (3). *Quidni similiter Eugubinus episcopus fuerit S. Petrus et B.* Rodulpho *vicarias crediderit officii episcopalis partes?*

ut quidam voluere.

45 *Ex singulis vel ex collatis his inter se locis prodierunt variæ sententiæ. Baronius* (4) *et Henschenius* (5) *dixerunt regendam traditam fuisse S. Petro diœcesim Ostiensem, visitandam Eugubinam; Alexander Borgia* (6) *et post eum Mittarelli* (7) *et Sartius* (8) *senserunt ei regendas commissas Ostiensem et Veliternensem; contra Faustus Maronus* (9) *contendit eum rexisse Ostiensem et visitasse Veliternensem et præterea Eugubinam; et demum, quod ad hæc speciatim attinet, scribunt Mittarelli et Costadoni hæc totidem verba* (10): Cum B Eugubinam Ecclesiam sibi traditam ab *Alexandri* prædecessoribus, non ab ejus prædecessore, scribat Damianus, deducitur sanctum cardinalem inibi ab anno 1058 præsedisse, sub duobus nimirum Pontificibus Stephano IX et Nicolao II, vicesque suas commisisse primum Rodulpho, deinde Hugoni et forte etiam Mainardo, qui potius appellandi erunt episcopatus Eugubini coadjutores et administratores sub Damiano.

explevit.

46 *Verum ut et brevibus meam de his sententiam proponam, facile inducor ad credendum S. Petrum Damiani nude fuisse episcopum Ostiensem, adjutum ab Alberto episcopo suffraganeo; deinde ei visitandi munus seu auctoritatem concreditam in Ecclesiam Veliternensem, postquam Joannes Mincius ejus pastor abs conscensa seu usurpata S. Petri cathedra in Concilio Sutriano dejectus fuisset; adeo ut administratio, non vero ipsa Veliternensis sedes, penes S. Petrum foret. Tertio S. Petrum numquam posuisse* episcopatum *Ostiensem (retinebat nempe jus ordinandi pontifices) sed nuntium misisse* administrationi *Ostiensis et Veliternensis diœceseon; quam tamen renuntiationem, initio Alexandro probatam, paulo post rejectam fuisse ab eodem pontifice ejusque* C *cancellario Hildebrando. Quarto ei concreditum fuisse in diœcesim Eugubinam et nonnullas forte alias diœceses vicinas jus quoddam, quale fere est legatorum pontificiorumque nuntiorum; ita ut designare posset eos qui episcopi creandi viderentur, in eorum invigilare gesta, eos monere, verbo ut præfecturam quamdam haberet censoriam.*

ut Maronus fusius

47 *Ast quum Vitam B.* Rodulphi, *non vero B. Petri Damiani, illustrandam præ manibus habeamus, non est quod omnes hujus sententiæ partes suis testimoniis fusius comprobemus. Satis fuerit ea solum stabilivisse quæ proxime pertinent ad B.* Rodulphum, *videlicet eum vere, non secus ac Hugonem et Mainardum, Eugubinum fuisse episcopum, nequaquam vero S. Petrum Damiani. Hujus rei argumenta feliciter collegit Maronus; quem itaque audiamus:* Quum enim, *inquit* (11), in ipsis etiam Conciliis legam eos, quos nominavimus supra, semper dictos episcopos Eugubinos; quum hoc se nomine semper distinxerint; quum Petrus ipse Damianus Eugubinos eos episcopos denominaverit; quum idem Petrus numquam se dixerit episcopum Eugubinum; quum nullus eum episcopum Eugubinum denominaverit; quum numquam se ut Eugubinum episcopum gesserit; quum in serie episcoporum eum nullus collocaverit; quum numquam precibus impetrandum curaverit, homo oneris episcopalis impatiens, ut ab eo liberaretur, quemadmodum frequenter factum legimus de Ostiensi; quum Ecclesiam Eugubinam asserat sibi fuisse commissam *a decessoribus* Alexandri II, non *decessore*, inferre non possum ex Eugubinæ Ecclesiæ cura S. Petro demandata episcopali eidem auctoritate præfuisse.

ostendit.

48 *Argumentatur dein Maronus ex epistola ad episcopum V., supponens agi de episcopo Eugubino; quod suppositum quam difficiliter admitti possit demonstravimus ad num. 43. Verumtamen juverit audire Maronum de hac re disputantem, quoniam et hinc licebit B.* Rodulphi *intelligere conditionem. Pergit itaque Maronus:* Adde quod, quum corripiendus esset a sancto viro episcopus V., quem doctissimus Sartius fuisse probat Guidonem, sive, ut tunc dici solebat, Vidonem episcopum Eugubinum, ob Ecclesiam non bene administratam, ali- E qualem quidem auctoritatem supra eum ostendit, numquam tamen episcopalem: sed eam solum, quam sibi inesse merito arbitrabatur, quod se auctore atque patrono selectus fuisset episcopus: « *Obsecro,* inquit, *Frater, ne gravis videatur ista correptio. Nam qui nostro studio te provectum ad episcopatus apicem non ignoras, dignum est ut sic provehentem ita nihilominus et redarguentem aliquando æquanimiter feras.* » Non cum dicit *ad ministrum*, non denominat *coadjutorem*; non producit auctoritatem suam episcopalem; non profitetur se teneri errantem corripere ex munere suo; non denunciat eam Ecclesiam sibi [*a Deo et*] a se illi commissam, sicuti denunciavit Alberto vices suas in Ostiensi pontificatu gerenti.... Non ideo tamen eum *procuratorem* aut *administratorem* dicam ejus Ecclesiæ eadem auctoritate qua præerat Veliternensi. Qui enim fieri potuit, ut ejus Ecclesiæ administrator esset et procurator, quæ suis numquam caruit episcopis qui eam administrarent et procurarent? Quo igitur sensu commissam sibi a Summis Pontificibus Eugubinam Ecclesiam S. Petrus dicere potuit? Opinor titulo peculiaris patrocinii, clientelæ et vigilantiæ. Quandoquidem F S. Petrus etsi cardinalis et Ostiensis episcopus solitudine Avellanensi in Eugubina diœcesi plurimum delectabatur, eam Ecclesiam Summi Pontifices illi commendatam peculiariter voluerunt, ut ex eo loco auctoritate, consiliis, monitis, omni qua posset ope ejusdem bono consuleret; episcopos præcipue, quos idoneos nosceret, nominaret præficeretque.

licet S. Petrus in Eugubina diœcesi ecclesiam habuerit.

49 *Neque his aliquid opponi posse videtur, nisi forte ea quæ de ecclesia S. Lucæ num. 44 proposita fuere. Verum et hæc non ita difficilia explicatu sunt; quum olim disciplina ferret ut quum episcopus ecclesiam consecrasset etiam extra suam diœcesim, ea diceretur ipsius consecratoris ecclesia et ab ejus jurisdictione penderet, quemadmodum et presbyteri ad arbitrium starent illius, qui eis imposuisset manus. Quam rem jam alibi tetigimus* (12).

Instituit eum S. Petrus librorum suorum correctorem;

50 *Cæterum quanti faceret S. Petrus Damiani discipulum suum* Rodulphum; *intelligitur maxime*

(1) Cfr epist. I, l. IV, t. I Opp., p. 44 et seq.—(2) De Episc. Eugub., p. 49. —(3) De Eccles. et Episc. Ostiens. et Velitern., p. 40 et seq.—(4) Annal. eccles., ad annum 1061, n. 36.—(5) Act. SS., t. III Februarii, p. 413.—(6) Hist. Velitern., lib. III, sæc. IX, n. 33, p. 224 et seqq. — (7) Annal. Camald., lib. XVI, n. 1, t. II, p. 195; et lib. XVIII, n. 23, t. II, p. 301. — (8) De Episc. Eugubin., p. 30. — (9) De Eccles. et Episc. Ostiens. et Velitern., p. 62 et seqq. — (10) Annal. Camald., lib. XIX, n. 9, t. II, p. 333. — (11) De Eccles. et Episc. Ostiens. et Velitern., p. 64 et seq., not. 2.—(12) Examen historicum et canonicum de regularium et clericorum juribus et officiis, cap. VII, n. 12 et seqq., p. 170 et seqq.

ex

A. D. D.

ex epistola quam sanctus Ostiensis præsul ad Theodosium Senogalliensem et Rodulphum *Eugubinum episcopos dedit. Iis enim mandavit vir sanctus, de se admodum demisse sentiens, ut opuscula et scripta sua, se vivo, vel saltem post suam mortem, quotquot in eorum manus pervenire poterint, diligentissime ad trutinam revocent, et si quid minus recte dictum repererint, vel omnino expungant et deleant, vel ipsi corrigant atque emendent. Atque id se propterea facere vir sanctus confirmat, quod neminem iis habeat sibi cariorem et in Sanctarum Scripturarum meditatione versatum :* Porro autem, *inquit*, quoniam ex his, qui exercitati sunt in meditationibus Scripturarum, puriores circa me fidei et abundantioris caritatis aliquem esse non arbitror, idcirco vobis potissimum hujus fascem laboris injungo (1).

alia dat ei æstimationis signa.

51 *Inter S. Petri Opera exstat et alia epistola* (2), charissimis fratribus Rodulpho et Ariprando *circa annum* 1057 (3) *scripta. Arbitratur Sartius hanc epistolam amoris plenam ad* Rodulphum *nostrum datam fuisse. Et sane, si conferantur inter se epistola de vita B.* Rodulphi, *prælibata* XI *libri* IV *et hæc* XIX *ex libro* VI, *plura continuo occurrent quæ* B *huic sententiæ faveant. In hac enim commonitos vult de recuperata a se divinitus valetudine* complices et amicos *suos et præ singulari amore* uterinos fratres; *et in fine addit :* Hunc filium nostrum *(scilicet tabellarium)*, dilectissimi, in vestra post Deum fiducia dirigo. Nam quidquid profecerit de causa, pro qua mittitur, vobis dumtaxat specialiter adscribetur. *Præterea, ut ostendere Mittarelli et Costadoni* (4), *verisimillime Acerata vel Gamugno missa est hæc epistola Avellanam, ubi tum versabatur B.* Rodulphus. *Cajetanus, S. Petri Damiani Operum editor, æstimavit epistolam* X *libri* IV (5) ad R. episcopum *datam, etiam pertinere ad B.* Rodulphum; *verum quum Massa Sorbituli, in qua episcopalia egerat Forosempronionsis præsul, tunc temporis esset de jure episcopatus Senogalliensis, oportet ut episcopus ille R., qui de usurpatis suis juribus apud S. Petrum conquestus fuerat, sit Senogalliensis episcopus, non vero Eugubinus. De qua re fusius agens videndus est Sartius* (6).

De ejus fratre B. Petro pauca nota.

52 *B.* Petrum, *fratrem B.* Rodulphi, *omnino omisissem nisi et ejus nomen altari, de quo num.* 7 *dictum fuit, inscriptum esset. Cæterum præter ea, quæ gestis B.* Rodulphi *immiscuit de eo S. Petrus* C *Damiani, nil certo innotescit. Quod et ex sequentibus Mittarelli et Costadoni annotatis manifestum est :* Petri, *inquiunt annalistæ illi* (7), memoriam omisere in Actis Sanctorum socii Bollandiani, nil insuper habet Jacobillius præter ea quæ refert ex Damiano. Hugo Menardus in Martyrologio Ordinis S. Benedicti his verbis ipsius meminit ad diem XXVI Julii : *In eremo Fontis Avellanæ venerabilis Petri eremitæ.* Et in annotationibus : *Hic beatus Petrus fuit frater dicti Rodulphi, monachus et eremitæ Fontis Avellani et discipulus B. Petri Damiani.* Ceteri silent. *(Ejus tamen cum* Beati *titulo meminit Duverchius* (8) *ad diem* I *Junii).* Distinguendus est Petrus Rodulphi frater ab alio Petro, qui de mundi rhetore factus fuerat philosophus et teres cœnobitarum forma, ad quem et ad Albizonem Damianus anno 1065 Apologeticum de contemptu sæculi scripsit (9) : ille enim eremiticam, hic cœnobialem vitam professus est. Distinguendus quoque a Petro Nonantulano, qui post septuaginta monasticæ vitæ annos eremita factus fuit Avellanensis (10). Forte idem est cum Petro, de D quo hæc scribit in epistola ad Theuzonem idem Damianus (11) : *Transeo Petrum, qui nullum cubilis in cella sua patitur superesse vestigium, sed nudum jugiter terit sive hiberno, sive æstivo tempore pavimentum.* Pauca quidem de Petro Rodulphi fratre scribit Damianus, præter factum... moderationis, pœnitentiæ et abstinentiæ, quum esset novitius, et præter quod addit eumdem Petrum, *ut major erat ætate, nihilominus etiam in ardui propositi et districtæ vitæ semper* præcessisse *itinere* Rodulphum. Verum magni elogii vicem tenent verba illa : *Sane si de Petro vellem cuncta referre, quæ suppetunt, prius schedula fortassis ista deficeret, quum adhuc dicendi materia superesset.* Tempus ejus mortis incompertum. Facile est ipsum jam ad superos abiisse ante Rodulphum fratrem suum, et ante annum scriptionis epistolæ Damiani ad Alexandrum Papam. *Sequitur jam utriusque fratris Vita, quam partem priorem esse epistolæ* XIX *libri* I *S. Petri Damiani, seu opusculi antepenultimi tomi II ejus Operum, alibi dictum fuit.*

E

VITA
BB. RODULPHI ET PETRI,
Auctore S. Petro Damiani.

CAPUT UNICUM.

BB. Petri et Rodulphi vita pœnitens.

BB. Rodulphi et Petri

Domno Alexandro beatissimo Papæ Petrus peccator monachus servitutem *a*. Præcepit *b* mihi Beatitudo tua, ut numquam tibi litteras mitterem, quæ leve quid et oblivione dignum ac frivolum continerent; quas scilicet, mox ut lector transsiliendo percurrerit, edax flamma *c* consumit : sed tale tibi semper aliquid scriberem, quod et ad ædificationem legentium suscipi et inter scripturas mereretur authenticas reservari. Unde Patri luminum agendæ sunt gratiæ, qui sacrarium tui pectoris hoc igne sui amoris accendit, ut et in antiquorum Patrum studiis jugiter requiescas; et insuper, si qui tibi videntur idonei, ad scribendum eos provocare non negligas. F

ortus et conversio;

2 A vobis itaque nuper egressus *d*, cum Florentinæ urbis *e* mœnia subii, nuntius mihi mox repentinus occurrit, qui mihi diem medium in tenebras vertit, omniumque meorum viscerum venas amarissimæ legationis felle complevit, episcopum scilicet Eugubinum esse defunctum *f* : cujus utique conversatio si recolitur, non mediocriter ædificare poterit audientes. Valet enim et ad exprimendam recte vivendi formam, et ad adhibendam corrigendis moribus disciplinam. Nam ante fere septennium *g* ille cum matre et duobus fratribus, se paulisper ætate præcedentibus, servis dumtaxat libertate donatis, castrum *h* suum mihi inexpugnabili munitione vallatum, cum omnibus, quæ sui juris erant, prædiis contulit, atque ad eremum *i* veniens habitum monasticæ professionis accepit. Monasterium plane in eorum

(1) S. Petri Dam. epist. IX, lib. IV, t. I Opp., p. 55. Cfr Sartius, p. 31 et seq. — (2) Ibid., lib. VI epist. XIX, t. I, p. 92. — (3) Annal. Camald., lib. XV, n. 1, t. II, p. 168. — (4) Ibid., loc. cit. — (5) Opp., t. I, p. 51. — (6) De Episc. Eugub., p. 32. — (7) Annal. Camald., lib. XIV, n. 22, t. II, p. 146. — (8) Diarium, t. II. p. 205 et seqq. — (9) Opusc. 12. — (10) Opusc. 33. — (11) Opusc. 51.

possessione

possessione construximus, de cujus nunc sancto conventu regulariter victitante satis in Domino gratulamur *k*; ubi matre *l* et fratre, qui infirmior est, constitutis, iste Rodulfus, qui postmodum ad episcopatum evectus est, et Petrus primogenitus frater eremiticam vitam tam continenter, tam districte duxerunt, ut et audientibus prædicaret eos fama mirabiles et conviventibus vita monstraret insignes.

B. Petri insignis obedientia et pœnitentia;

3 Sane si de Petro vellem cuncta referre quæ suppetunt, prius schedula fortassis ista deficeret, cum adhuc dicendi materia superesset. Nam ut e multis unum saltem breviter referam, dum in capitulo consideremus aliquando de disciplinis regularibus disputantes, ille, ut erat novitius, unum et sæculari consuetudine inordinatum protulit verbum. Tunc ego velut ira permotus, dura satis illum invectione corripui, postque redargutionum atque correptionum longiora flagella, tamquam quæstione pulsato sententiam inferens *m*, per quadraginta dies illum vino abstinere præcepi; ea tamen intentione, ut tantum ad præsens illum cum ceteris ab incautis sermonibus deterrerem, postmodum vero sententiam discretæ remissionis moderamine temperarem *n*. Sed cum me contigisset diversis intentum esse negotiis, neque hoc mihi quilibet in memoriam revocasset, elapso jam præscripto dierum circulo, tandem recordatus expavi, et quid ex injuncta sibi pœnitentia Petrus egisset, attonitus exquisivi. Fratrum itaque relationibus didici pœnitentiam esse peractam. Pœnituit, fateor, prolatæ sententiæ, sed gaudens admiratus sum tantam pœnitentiam fratris, ut pro uno solo verbo inconsulte prolato, tam longam pœnitentiam pertulisset; et neque per se neque per alios indulgentiam postulasset *o*.

B. Rodulphi in episcopatu vita severa;

4 Nunc igitur ad episcopum, a quo cœperat, sermo recurrat. Quamvis enim Petrus idem, ut major erat ætate, nihilominus etiam in ardui propositi et districtæ vitæ semper præcederet itinere; hic tamen ad sacerdotalis officii *p* jura promotus, quod in eremo didicit, in ecclesia non omisit. Eisdem quippe terebat semper membra ciliciis, eisdem contentus erat perexiguis admodum ac despicabilibus indumentis. Plane dum juvenilis ætatis ingruente natura, gravissimam sæpe pateretur acediam, laquearibus cellulæ funiculos innectebat, sicque ulnis insertis psalmodiæ studio pendulus insistebat. Numquam adipe, numquam ovis vel caseo *q* vescebatur. In eisdem vero quæ apponebantur eduliis, continens eum frugalitas cruciabat, ut discumbens non tam se reficeret, quam certaret; et intestinum potius esset gulæ bellum, quod extrinsecus videbatur esse convivium. Sæpe pugnavi ut saltem in hyemalis inclementiæ frigoris aut papyrinæ sibi storeæ *r* stramenta supponeret, aut vestitus saltem nocte dormiret. At ille in nuda ligni tabula nudus, sola contentus interula *s*, cubitabat.

labores et abstinentia;

5 Ecclesiam porro deputabat hospitium, solitudinis autem cellulam habitaculum decernebat *t*. Inconditi siquidem mores populi, et indisciplinatæ cervices leve jugum Domini nequaquam sibi patiebantur imponi: sed muneribus terrenis intenti, non ex ore pontificis Dei verbo, sed tamquam de manibus præsidis commodis inhiabant. Hæc enim regio quo magis invenitur aliena divitiis, eo copiosius exuberat vitiis. Ab *egeno* siquidem denominari videtur Eugubium, vel *egens bono u*. Ideoque me vim ingerente coactus, ecclesiam, quam dimiserat voto, retinebat officio; in eremo tamen perseverantius habitabat. Quandocumque impetrare poterat, ut hujusmodi panis in eremo fieret, edebat panem non fratrum, non denique puerorum *x*; sed eum, qui vel ex puro fieret ordeo, vel ex cantabro *y* potius, quod projiciendum canibus de puerorum panibus remansisset: et licet præter celebriores dies hoc esset quotidie pane contentus, mensuram tamen attentius æquitatis lancibus appendebat *z*. Unde mihi quandoque conquestus est, quia si sibi mensura *aa* concederetur, hunc eumdem panem prurienti gulæ largius indulgeret. Tanta quippe juvenculum hominem castigabat inedia, ut undecumque solatium alimenti perciperet, vacuo ventre stomachus non curaret. Aliquando vero etiam diebus Dominicis pulmentum nesciens, panis tantum et pane cum aqua vivebat. Ferreo circa pectus circulo jugiter cingebatur; quem tamen circulum sub ilia dimersum, dum coram fratribus nudaretur, diligentius occultabat. Numquam scilicet capitulo confessor intererat, in quo non acciperet disciplinam; et tunc festivus exultabat, si non ab uno tantum, sed a duobus flagellari fratribus juberetur *bb*. Sæpe pœnitentiam centum suscipiebat annorum, quam scilicet per viginti dies allisione scoparum, cæterisque pœnitentiæ remediis persolvebat *cc*. Psalterium quotidie, quum duo non posset, unum saltem non negligebat implere *dd*. Quod nimirum, quum esset in cellula constitutus, armata scopis utraque manu, totum cum disciplina continuare consueverat *ee*.

frigoris tolerantia et simoniæ fuga;

6 Porro autem, quum in expeditione aliqua esset constitutus, quantalibet intempestæ noctis profunditate consurgeret, nudis semper cruribus et pedibus *ff* usque dum dilucesceret, psallere non cessabat. Quam videlicet consuetudinem, dum in cella consisteret, diebus ac noctibus sine cessatione servabat. Quamlibet gravis bruma rigesceret, simplicibus soccis muniebat pedes, quum tamen frater ejus solis calceis *gg* contentus esset. Sæpe me per clementiam Christi terribiliter adjurabat, ut si quando fortassis excederet, nequaquam me ab ejus correptione subducerem; sed omnem in eo disciplinæ modum, qui monachis debebatur, implerem. Ita plane et regulam monachi et auctoritatem episcopi *hh* sub alterna vicissitudine laudabiliter observabat. Opportune siquidem et inopportune verbo prædicationis instabat, et quidquid domesticis surripere valebat expensis et bene prodigus in pauperes dispergebat. Congregans annualiter *ii* synodum, nullum assuetæ oblationis vel xeniorum canonem *kk* a clericis exigi permittebat; sed ne a lapsis quidem commodum aliquod præter solam pœnitentiam requirebat: Absit, inquiens, ut synodum vendam, lapsos etiam potius erigam, quam ex eorum cadaveribus corvino more pinguescam. Tædet ulterius scribendo procedere et velut paternas a pictura manus dolor videtur Icareus cohibere *ll*.

beata sed præmatura mors.

7 His igitur et hujusmodi virtutum floribus adornatum, quasi candens lilium, immatura mortis pruina decoxit, ita ut, quum vix triginta plus minus videretur annorum, ad veræ lucis Auctorem ex hac infelici luce migrarit *mm*. Consummatus enim in brevi, sicut Scriptura loquitur, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. Et jure consummatus in brevi multa tempora dicitur explevisse; quia dum in eo parvo, quod vixit, justitiæ tramitem tenuit, quantum ad se omnia tempora in obsequium Conditoris expendit. Plane quidquid illic de sancto viro Sapientia loquitur, ita huic per omnia congruit, ac si de illo specialiter diceretur. Senectus, inquit, venerabilis est,

AUCTORE S. PETRO DAMIANI.

est, non diuturna nec numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis et ætas senectutis vita immaculata, placens Deo. Unde et sequitur : Factus dilectus et vivens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut fictio deciperet animam illius; propter hoc properavit educere illum e medio iniquitatis *nn*.

ANNOTATA.

a *Ex his quæ* § 3 *et* 4 *Commentarii prævii disputata sunt colligere est hanc epistolam ad B. Alexandrum II Papam conscriptam fuisse initio mensis Novembris anno* 1061.

b *Post electionem B. Alexandri II scripsit ad eum S. Petrus Damiani de dimissa administratione episcopali, quam iterum ab eo suscipi jusserat Pontifex consilio Hildebrandi, dein S. Gregorii VII. In fine hujus opusculi, scilicet* XX, *reservat sibi tamen S. Petrus officium ordinandi seu inthronizandi (confunditinterdum hæc vocabula S. Petrus) Summi Pontificis. Unde S. Petrus videtur Romæ versatus fuisse, quum hæc inthronizatio pridie Kal. Octobris anni* 1061 *tentata et ipsis Kalendis peracta est. Verisimile itaque est tunc temporis id jussum ei datum fuisse ab Alexandro.*

c Oamma : *multum hæc vox vexavit Benedictinos, qui alteram Cangiani Glossarii editionem pararunt. Dixere prius significare* auditionem, *a græco* ὠάζειν; *dein in Supplemento statuere potius legendum* Oiancia, *quod censum seu canonem consuetudinarium significat; sed nemo non videt neutram explicationem ferri posse, quum dictio :* Edax oamma consumit *opponatur illi :* Inter scripturas authenticas mereretur servari. *Quid tam longe explicatio quæritur? Lege* flamma, *et omnia fluunt.*

d *Brevi post Kal. Octobris anni* 1061, *seu inthronizationem B. Alexandri II.*

e *Noscuntur aliquot S. Petri Damiani Florentiam itinera ; illud vero, quod anno* 1061 *instituit, aliunde non innotescit.*

f *Nil mirum quod adeo hoc nuntio turbatus fuit S. Petrus, quum tenerrime B.* Rodulphum *diligeret. Cfr numm.* 50 *et* 51 *Commentarii prævii.*

g *Anno* 1053 *aut* 1054. *Cfr num.* 42.

h *Non castrum* Campetri, *sed verisimiliter* Campumregianum. *Cfr numm.* 13 *et seqq.*

i *Intelligitur eremus Fontis-Avellanæ, cujus origines obscuræ valde referuntur ad B. Lodulphum, exeunte sæculo* X *florentem* (1), *et quæ in diœcesi Eugubina sita est* (2). *Multum versata fuit quæstio essentne Avellanenses et Camaldulenses ejusdem Ordinis eremitæ. Grandius* (3) *et Mittarelli cum socio Costadoni* (4) *propugant sententiam unum esse eumdemque Ordinem, quoniam S. Romualdus Avellanensibus leges dederit : hinc utriusque cœtus leges et consuetudines identicas fere fuisse : hinc S. Romualdum a S. Petro Damiani Avellanensibus in exemplum fuisse propositum. Verum Hélyot* (5) *scite animadvertit ex his rationibus æque sequi Congregationem Vallis Umbrosæ esse Camaldulensem, quum S. Joannes Gualbertus partim instituta sua apud Camaldulenses et fors apud ipsum S. Romualdum hauserit : quod tamen, si pictorem quemdam excipias* (6), *sustinuerit nemo. Verum si ponatur omnes, qui regulam S. Benedicti umquam professi fuerint, ejusdem esse Ordinis, sane erunt omnes Benedictini; sin autem inter Benedictinos discrimen aliquod instituendum sit, atque ii, qui aliquam aliam præter regulæ communitatem inter se habeant cognationem spiritualem et majorem similitudinem, in unum Ordinem compingantur, Avellanenses, Camaldulenses et Vallumbrosani ejusdem dicendi erunt Ordinis ; sin autem, ut ex pluribus monasteriis unus confletur Ordo, requiratur insuper ut ab uno capite aut capitulo omnia asceteria pendeant seu ut regimen aliquod commune sit, frustra tentabis unum ex his tribus eremitarum generibus constituere Ordinem* (7). *Avellanensis itaque fuit B.* Rodulphus ; *verumtamen, quum ab anno* 1596 *Camaldulenses et Avellanenses in unum corpus coiverint et secum invicem thesauros suos spirituales communicarint, præsentes Camaldulenses recte B.* Rodulphum *inter suos numerant.*

k *Cfr num.* 13 *et seqq.*

l *Nomen matris et alterius fratris B.* Rodulphi *ignoratur. Mittarelli et Costadoni* (8) *post relatum diploma Avellanense ad annum* 1062 *hæc subdunt :* Ermegardam donatricem confundunt aliqui cum matre Rodulphi monachi Avellanensis, inde episcopi Eugubini ; sed tempora non patiuntur, et donatio matris Rodulphi præcessit aliquot annis donationem Ermegardæ, quum Rodulphus hoc anno jam obiisset episcopus Eugubinus, ut alibi probavimus.

m Quæstione pulsari, inferre sententiam, *videntur verba ex foro criminali desumpta.*

n *Hanc gubernandi rationem vide fuse vindicatam a D. de Rancé* (9).

o *Mirum non nihil est quod S. Petrus intercessiones aliorum in sua eremo ferret. Triennium saltem vixit S. Petrus Damiani cum BB.* Rodulpho *et* Petro, *donec scilicet anno* 1057 *exeunte Ostiensis episcopus et cardinalis a Stephano Papa IX creatus fuerit* (10).

p *Ut ex contextu constat, loquitur S. Petrus de charactere episcopali ; unde hinc elicere non licet B.* Rodulphum *per presbyteratum transiisse. Neque olim solemne erat, prout nunc est, monachos sufficienter litteris instructos ad presbyteratum promoveri. Statuunt scriptores nonnulli B.* Rodulphum *episcopum Eugubinum designatum fuisse a S. Petro Damiani ; quæ res probabillima est, ex numm.* 44 *et seqq. Commentarii prævii facile colligitur. Adde Mainardum, Hugonem et Dominicum B.* Rodulphi *in cathedra Eugubina successores item ex Avellanensi S. Petri Damiani schola assumptos fuisse* (11).

q *Hæc tamen non pertinebant ad instituta Avellanensia* (12). *Item Camalduli non is erat ex lege rigor. Cfr Constitutiones B. Rodulphi Prioris, a Mittarelli et Costadoni* (13) *editæ.*

r Storeæ papyrinæ *ab eremitis usurpatæ meminit et alibi S. Petrus Damiani* (14). Storea de papyro confecta *occurrit in Vita S. Romualdi,* stratum quod molle juncus est vel papyrus *in epistola* 30 *libri* VI (15). *Jam ab antiquissimis temporibus similes storeas seu mattas monachis loco lecti fuisse, ex priscis regulis solitariorum satis innotescit. Papyrus autem ista non est Ægyptiaca : teste enim Strabone, extra Ægyptum et Indiam non crescebat ; sed Sicula, quæ in Calabriæ et Apuliæ locis palustribus etiamnum venit et genere diversa est ab Ægyptiaca, habetque stipites nudos, quatuor interdum cubitis lon-*

(1) Annal. Camald., lib. III, n. 39, t. I, p. 124 et seq. — (2) Sartius, de Episc. Eugub., præf., p. LXXXV. — (3) Dissertat. Camald. IV. — (4) Annal. Camald., lib. V, n. 10, t. I, p. 186 ; et passim tum in præfationibus, tum in opere. — (5) Dictionnaire des Ordres relig. d'après Helyot, t. II, col. 292 et seqq. — (6) Soldani da Poppi, Questioni Vallombrosane, quæst. VIII, § 1, p. 104. — (7) Hélyot, loc. cit. — (8) Annal. Camald. Addenda et Emendanda, t. IX, p. 11. — (9) Devoirs monastiques, t. I, cap. XII, p. 239 et seqq. — (10) Annal. Camald., lib. XV, n. 21, t. II, p. 181. — (11) Sartius, de Episc. Eugub., p. 58 et seqq. — (12) Cfr opusc. XV S. Petri Damiani, cap. XIV, t. III, p. 148. — (13) Annal. Camald., t. III Opp., col. 524. — (14) Opusc. XV, cap. XIV, loc. cit. — (15) Cfr Glossarium Cangii v° *Papyrus*.

gos

A *gos* (1) : *unde facile est hanc plantam in storeas texere.*

s Interula *est vestis interior seu intima ; de qua plura apud Cangium* (2). *Ex hoc loco patet legem seu consilium de dormiendo cum veste religiosa* (3) *apud Avellanenses non obtinuisse.*

t *Significare intendit auctor raro Eugubii, frequenter Avellanæ versatum esse B.* Rodulphum.

u *Amabat ludere S. Petrus Damiani in etymologicis, ut ex variis ejus Operum locis apparet ; sed pro tempore parum feliciter.* Eugubium, *antiquissima civitas, olim dicebatur* Inguvium, *seu potius* Iguvium, *nunc* Gubbio. *Sæculo præterlapso multum disputatum fuit de ejus initiis et nominis origine* (4), *sed non felicius forsan quam id a S. Petro Damiani factum est. Antiquariis maxime nota est ob duas æneas tabulas, inscriptionibus vetustissimis insignes, et vulgo* tabulas Eugubinas *nuncupatas. Situm hujus civitatis indicavit Henschenius* (5) *initio Commentarii de S. Petro Damiani.*

x *Per* pueros *intelligit S. Petrus* famulos, ministros, servos; *inferius in eadem epistola, ubi de S. Dominico Loricato, eodem sensu eamdem adhibet vocem* (6). *Videntur hi tamen species converso-*
B *rum fuisse. Etenim S. Petrus in opusculo de suæ congregationis institutis caput habet* de servorum disciplina ; *in quo et formula est oblationis, qua* obedientiam et perseverantiam, *non tamen conversionem morum, promittebant et potestatem dabant monachis se* coacte et violenter, *si fugerent,* in servitium suum revocandi. *Proprio insuper non secus ac monachi spoliati vivebant. Vocabantur autem non monachi, sed* laici. *Videntur ab initio exstitisse in Valle Umbrosa, Camalduli et ad Fontem Avellanæ* (7).

y *Ipse S. Petrus Damiani* quotidie præter dies festos jejunando cantabro pane cum hesterna aqua vescebatur (8). *Sæpius meminit S. Petrus (prout apud Cangium videre est) panis illius ex cantabro seu ex furfure canibus parato.*

z *Peculiaris hæc laus est : nam ex institutis Avellanensibus panis pendendus non erat quotidie, sed diebus tantum jejunii ; unde singuli eremitæ lances habebant. Pondus autem tribus ovis anserinis par erat* (9).

aa *Dabatur semper eremitis eadem mensura ac monachis, quam diebus refectionis licebat integram manducare* (10), *diebus vero jejunii partem tantum,*
C *scilicet pondus trium ovorum. Maluisset itaque B.* Rodulphus *hanc tantum quotidie accipere partem, quam ordinariam mensuram.*

bb *B. Rodulphus, Prior Camaldulensis, in Constitutionibus* (11) *ita de hoc usu loquitur :* Cæteris vero temporibus (scilicet extra utramque Quadragesimam) omni Dominico die in capitulo convenientes, præmissa exhortatione fraterna, se invicem debent accusare caritative. Postremo, communi confessione præmissa, verberum ictus super nuda membra suscipiunt, non tamen causa cruciandi corpora, cum sibi graviora in cellulis supplicia infligant, quam studio divinæ Passionis et humilitatis exempla sectandi, ad confusionem illius, qui est rex superbiæ. V. D. B.

cc *De hac re, toties ab eruditis versata, satis dictum fuit ex Mittarelli in Commentario prævio de B. Dominico Loricato* (12), *hujus instituti inventore. Videat ibidem lector quomodo pœnitentia centum annorum intra viginti dies fieret.*

dd *Ex institutis Avellanensibus* (13) *quotidie unum psalterium pro vivis recitandum erat, unumque medium aut totum pro mortuis, prout per tempus liceret.*

ee *Non minus celebris est controversia de ea flagellandi ratione, qua quis propria manu in corpus sæviat, eaque eatenus ad B.* Rodulphum *pertinet, quod ipsi non secus ac S. Petro Damiani, B. Dominico Loricato aliisque Avellanensibus ejus inventio adscribatur ; verum Guido Pomposejanus abbas et S. Poppo pariter abbas jam ante eos eam adhibuerant aut certe ab iis didicerant* (14). *Maxime tamen per S. Petri scripta propagata fuit. Paucis multa complectitur Benedictus XIV* (15) *in laudem hujus instituti.*

ff *Præscriptum id tantum erat, etiam post, pro tempore, quo quis in cellula sua esset* (16).

gg *Oportet ut postea eremi suæ leges severiores fecerit S. Petrus ; nam in opusculo* XIV *hæc pro omnibus habet* (17) : Illud etiam non minima pars pœnitentiæ est, quod omni tempore, sive æstate, sive hieme, non calceis, non ocreis utuntur in cellulis ; sed nudis semper cruribus et pedibus consuetudo est permanere, exceptis his, qui gravi molestia infirmitatis urgentur.

hh *Hinc liquet B.* Rodulphum *monachicam professionem et statum cum episcopatu conjunxisse.*

ii *Quum tres aut quatuor ad summum annos episcopatum gesserit, potuit solummodo synodum instituere annis* 1058, 1059, 1060 *et* 1061. *Quod nil de his synodis superest, profecto nemo mirabitur, quum celebrarentur ad inquirenda in clericorum vitia et ad salutaria eis danda monita.*

kk Oblatio *hæc aut* xeniorum canon, *vulgo* cathedraticum, synodaticum, synodus *etc., appellata, e duobus solidis secundum Ecclesiæ leges constabat. S. Petro Damiani, qui totam fere vitam simoniæ bellum indixit, parum placuit innoxius legitimusque ille usus, propter abusuum* (18) *forte facilitatem, ut ex hoc loco patet. Verum hunc ipsum locum illustratum aliaque multa ad synodaticum pertinentia videre est apud Benedictum XIV* (19). F

ll *Alluditur ad tritissimam Dædali et Icari fabulam, adeoque ad hæc Ovidii Nasonis verba* (20) :

Et patriæ tremuere manus.

mm *In Commentario* § 3 *et* 4 *ostensum est B.* Rodulphum *obiisse anno* 1061, *et quidem non diu ante festum SS. Apostolorum Simonis et Judæ, seu* XXVIII *Octobris.*

nn *Hæc omnia desumpta sunt ex Sap. cap.* IV.

(1) Encyclopédie méthod. Arts et Métiers, v° *Papier*, t. V, part. II, p. 469 Paris 1788. — (2) Glossar., v° *Interula*. — (3) Cfr Ferraris. Bibioth. Canon., v° *Habitus*, n. 20 et seqq. — (4) Cfr Sartius, de Episc. Eugub., præf., p. I et seqq. — (5) Act. SS., t. III Februarii, p. 406. — (6) Cfr Act. SS., t. VI Octobris, p. 626 et 628. — (7) Cfr Mittarelli et Costadoni, dissertat. de Conversis, in app. ad t. I. Annal. Camaldul., col. 353 et seqq. — (8) Vita S. Petri Damiani, n. 40. Act. SS., t. III Februarii, p. 424. Cfr p. 425. — (9) Cfr opusc. S. Petri Damiani XV,

cap. VIII, t. III Opp., p. 147. — (10) Ibid., loc. cit. — (11) Cap. XIX, in Annal. Camald., t. III Opp., col. 521. — (12) Act. SS., t. VI Octobris, p. 615. — (13) Cfr opusc. XV, cap. IX et XVIII, S. Petri Dam., t. III Opp., p. 147 et 150. Cfr opusc. XIV, p. 141. — (14) Mabillonius, Præfat. in sæc. VI Bened., n. 39. — (15) De Serv. Dei Beatific., etc., lib. III, cap. XXXIX, n. 7 et seqq. — (16) Cfr opusc. XIV S. Petri, p. 142. — (17) Ibid., loc. cit. — (18) Opusc. XXXI, cap. V, t. III, p. 239. — (19) De Synodo, lib. V, cap. VI et VII, t. XI, p. 80. — (20) Metamorphoseon lib. VIII.

DE

D D

DE S. HEDWIGE,

VIDUA, DUCISSA SILESIÆ,

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sanctæ cultus; ejus Acta, et Legenda Minor.

ANNO MCCXLIII. Cultus S. Hedwigis

In hunc diem distulimus agere de S. Hedwige, Vidua, ducissa Silesiæ, quia plerumque auctoritatem Martyrologii Romani sequimur, quod, impedita per solemnitatem S. Teresiæ die decima quinta, in septimam decimam Octobris transcripsit Sanctæ Viduæ festivitatem. Nam Idibus (XV) Octobris vita functam esse S. Hedwigem, extra controversiam est, id testantibus cunctis, qui B de ejus gestis scripserunt, Romanisque Fastis concinentibus : etenim hi sub hodierna die hæc habent : Sanctæ Hedwigis Viduæ, Poloniæ ducissæ, quæ Idibus Octobris obdormivit in Domino. Et re quidem vera, sub Idibus hujus mensis sequens legimus elogium, quod tamen in eo cespitare videtur, quod pro Wratislavia, cui adjacet Trebnicium, Cracoviam, ubi nulla specialis Sanctæ nostræ memoria exstat, posuerit : Cracoviæ Sanctæ Hedwigis, ducissæ Poloniæ, quæ pauperum obsequiis dedita, etiam miraculis claruit, quam Clemens Papa quartus numero Sanctorum adscripsit et Innocentius undecimus ejus festum sexto decimo Kalendas Novembris celebrari indulsit. Ex hisce verbis habemus Ven. Servum Dei Innocentium XI auctorem esse cultus, quem per universum orbem obtinet S. Hedwigis.

ad universam Ecclesiam

2 Indulserat scilicet laudatus Pontifex die XVII Septembris 1680 ad preces Joannis III Sobieskii, Poloniæ regis, facultatem recitandi in Ecclesia universali Officium S. Hedwigis sub ritu semiduplici ad libitum. Quare regina Maria Casimira, prædicti Joannis vidua, institit apud Clementem XI, ut concederet dictum Officium imposterum sub ritu duplici de præcepto, cum Oratione propria celebrandum. C Annuit ex parte Clemens petitioni reginæ : nam decreto SS. Rituum Congregationis, Pontifice probante die XXVII Martii 1706, sancitum fuit, ut deinceps S. Hedwigis coleretur ritu quidem semiduplici, sed de præcepto (1), habereturque Oratio propria, jam approbata pro Ordine Cisterciensi. Nescio porro cur Orationem, Ordini præscriptam, immutarit Breviarium, jussu Francisci Trouvé, Cistercii Abbatis generalis, anno 1752 editum, assumendamque censuerit Orationem propriam S. Elisabethæ Viduæ ad diem XIX Novembris, Tuorum corda fidelium etc., mutato solum nomine proprio Hedwige pro Elisabeth : nihil enim in Oratione Romana, Deus qui B. Hedwigem a sæculi pompa ad humilem tuæ Crucis sequelam etc., occurrit, quod non undecumque rebus gestis coaptetur.

pro die XVII Octobris extenditur :

3 Restat, ut paucis exponamus, cur, omissa die quinta decima Octobris, festivitas Sanctæ nostræ decimæ septimæ illigata fuerit. Præoccupaverat nempe, ut diximus, sedem diei quintæ decimæ S. Teresia : cujus memoriam sub ritu duplici jam ante indixerat Clemens IX omnibus Ecclesiis recolendam his ipsis Idibus Octobris, ut late monstratum est in Commentario prævio Vitæ S. Teresiæ ad istum diem (2). Oportebat igitur S. Hedwigis festivitatem differri in aliam diem : vacabat quidem in Breviario Romano dies decima sexta, sed obstabat in Germania solemnitas S. Galli, quæ per universam fere regionem istam celebrabatur : atque hanc puto fuisse causam, cur diem decimam septimam Octobris assignaverit Innocentius XI celebrandæ S. Hedwigi. E Nihilominus Sanctæ festum, tamquam patronæ primariæ, sub ritu dupl cis primæ classis die XV Octobris recolunt Silesii atque Poloni ex ordinatione Clementis IV, qui litteris apostolicis, datis VII Kalendas Aprilis anni 1267 archiepiscopo Gnesnensi ejusque suffraganeis mandaverat quatenus festum ipsius Sanctæ Idibus Octobris, die videlicet, quo de via migravit ad patriam et de mundanis transcendit finibus ad coronam, attenta devotione celebrare curent et faciant per suas civitates et diœceses a Christi fidelibus solemniter celebrari (3). Favebat igitur Sanctæ nostræ viduæ possessio hujus sedis, quando ad orbem Christianum extensus fuit cultus S. Teresiæ, quæ Wratislaviæ die XVI colitur. Hæc quidem præmisimus, ut constet lectori ratio translatæ festivitatis S. Hedwigis ad diem XVII Octobris.

biographi varii, notissimus Surius;

4 Non est, quod operose inquiramus in Martyrologia, quæ Sanctæ nostræ mentionem fecerint; quoniam hisce subsidiis adminiculanda non sunt sanctitas et cultus B. Hedwigis, quam Sanctam esse promulgavit Clemens IV bulla data Viterbii VII Kalendas Aprilis anno tertio pontificatus sui, Christi 1267. Gressum igitur facimus ad Sanctæ F nostræ biographos præcipuos, qui ejus res gestas narrarunt. Inter hos porro primus, tamquam notissimus, occurrit Laurentius Surius, qui pro more suo non solum stylum mutat, sed Vitam antiquam, cui suam narrationem superstruxit, multum contrahit et pleraque miracula omittit (4). Ipse tamen fatetur Vitam primævam esse opus incerti quidem Authoris, sed gravis et fide digni ; additque : stylum Fr. Laur. Surius, ubi visum fuit, nonnihil elimavit (5). Nobis igitur, quibus propositum est antiquiores Vitas, servato etiam primogenio stylo, præferre recentioribus, inquirendum fuit, omissa Suriana lucubratione, in Acta antiqua, quæ Surio præluxerant, ut ipse superioribus verbis luculenter indicat.

ex antiquioribus superest duplex Legenda,

5 Porro ex Prologo Legendæ Majoris, de qua mox agemus, constat exstitisse aliquando in monasterio Trebnicensi, ubi Sancta sepulta jacet, Acta examinatorum, a Sede apostolica deputatorum, qui opera ejus meritoria et exercitia virtuosa atque miracula diligentissime conscripserunt et conscri-

(1) Guéranger. Instit. liturg., t. II, p. 524. — (2) T. VII Octobris, p. 762, n. 52. — (3) Stenzel. Scriptt. rer. Silesiac, t. II, p. 125. — (4) Ibid., præf., p. IV. — (5) Surius ad XV Octobris.

pta

A pta fideliter Summo repræsentaverunt Pontifici. *Sed hujus scriptionis, nullum, quod sciam, superest vestigium, nec quempiam novi, qui ejus, tamquam hodie exsistentis, mentionem faciat. Similem sortem subiit lucubratio Engelberti, Cisterciensis monachi, de quo plura infra dicemus. Antiquissima igitur Acta S.* Hedwigis, *quæ reperire potuimus, sunt binæ Vitæ ejusdem Sanctæ, quæ certissime sæculo* XIII *finiente conscriptæ jam erant. Easdem cum variis manuscriptis collata, edidit Cl. V. Gust. Adolphus Stenzel, professor historiæ in Academia Wratislaviensi, in Tomo secundo Scriptorum rerum Silesiacarum. Post Acta ad Romanam Curiam transmissa ad promovendam causam Canonizationis S.* Hedwigis, *uti narratur in ejus Vitæ infra edendæ Prologo, nullum antiquius monumentum exstare putem de rebus gestis Sanctæ nostræ, quam binæ Vitæ istæ. Certum est enim saltem sæculo* XIII *finiente illas conscriptas fuisse, quoniam in fine utriusque Vitæ hæc leguntur* (1) : Explicit Legenda Major et Minor de Sancta Hedwigi, anno Domini millesimo ccc consummata. *Liquet igitur annis post obitum Sanctæ omnino quinquaginta septem, ut tardissime, conscriptas fuisse has Legen-* B *das : et quidem duplici libello, quorum alter* Legenda Major, *alter* Legenda Minor, *pro majori minorive prolixitate dicebatur. Unum vero eumdemque esse utriusque lucubrationis auctorem manifeste demonstrat ipse auctor, qui in Legenda Minori agens de miraculis S.* Hedwigis *dicit* (2) : Sicut alias, UBI ABUNDANTIUS DE VITA ET MIRACULIS IPSIUS POSUI, satis patet. *Atque hoc de Legenda Majori intelligendum esse clarum fit ex oblatione seu Oratione, quæ utramque Legendam concludit, quæque in variis codicibus, iisque optimæ notæ, reperitur post superius relatam indicationem anni* MCCC : *istic enim auctor duplicem scriptionem S.* Hedwigi *offert, seu, ut ipse loquitur* (3), cum paupercula vidua offerente in templo, in gloriæ Dei Sanctæque laudis gazophylacium mittit hæc duo minuta MAJOREM VIDELICET ET MINOREM vitæ atque miraculorum Sanctæ TRACTATUM. *Ex hactenus dictis constat igitur utramque Legendam ab auctore coævo aut suppare exaratam fuisse, illumque merito virum* gravem et fide dignum *Surio vocari.*

sed incerti

6 *Sed quam laudabilis auctor, tam incertus videtur Surio, quippe qui nihil edat, quo nomen scriptoris ejusve conditionem aliquatenus dilucidet.* C *Ejus tamen ætatem utcumque tenemus, quum saltem sæculo* XII *jam adulto floruerit : ejus dein conditionem nobis deducere, utcumque posse videmur ex jam citata oblatione seu oratione finali, qua se Sanctæ, cujus gesta descripsit,* profitetur servum, *simulque* collegio pauperum aggregatum *se gloriatur. E quibus verbis satis manifestum existimo illum aut professione monachum, sed Ordinis hactenus incerti fuisse, aut aliquo ministerio sacro monasterium Trebnicense contigisse. Sed non est quod præterea divinem. Est quidem aliqua traditio, quæ hujus utriusque Legendæ auctorem facit monachum Leubensem, et quidem Engelbertum quemdam seu Engebertum. Hæc enim in Schedis antiquorum hagiographorum, quæ in scriniis nostris superstites manserunt, reperio. Scripserat Praga Joanni Bollando P. Carolus de Grobendoncq, die* XVII *Martii 1635, P. Andream Stredonium, Nyssæ in Silesia Rhetorices professorem, virum, ut aiebat, sat curiosum, habere varia, quæ illustrare possent Acta Sanctæ. Fidem etiam, a Carolo datam, liberavit Andreas.: nam litteris* I *Septembris ejusdem anni varia submittit hagiographiæ utilia. Inter hæc autem et illud habet :* Quod ad auctorem attinet, memini me audivisse ab abbate Casparo Henrichoviensi, Cisterciensis Ordinis, nuper mortuo, auctorem fuisse omnino abbatem Lubensem Engelbertum hujus Vitæ, quæ secundum virtutes distributa fuit. Inquisivissem etiam hoc ipsum, nisi mihi constaret monasterii illius bibliothecam nuper direptam, in qua codex ex membranis auctoris manu conscriptus habebatur.

J. V. B.

auctoris,

7 *Hæc quidem utcumque procederent, si inter abbates Leubenses, qui sæculo* XIII *floruerunt, unus occurreret, qui Engelberti aut Engeberti nomen gessisset : verum in Catalogo abbatum Leubensium nullus invenitur tali aut etiam simili nomine insignitus. En seriem abbatum ab origine monasterii usque ad annum Christi* 1304 (4) : *Florentius obiit circa an.* 1177 : *Guntherus I obiit circa an.* 1190 : *Conradus obiit circa an.* 1203 : *Guntherus II, confessarius S.* Hedwigis, *obiit circa an.* 1230 : *Joannes I obiit circa an.* 1239 : *Henricus obiit circa an.* 1253 : *Nicolaus I obiit circa an* 1270 : *Hermannus I obiit circa an.* 1279 : *Hartlibus obiit circa an.* 1296 : *Theodoricus obiit circa an.* 1304. E *Expungendus est igitur, siquidem Engelbertum auctorem utriusque Legendæ S.* Hedwigis *retinere quis velit, abbatis Leubensis titulus, dicendumque Engelbertum esse ejusdem monasterii professum monachum. Atque ita reapse legitur in paralipomenis et mendis circa* Hedwigem *olim a Silesia ad P. Joannem Bollandum submissis : indigitat nempe emendator ubi Surius habet verba* incerti auctoris *legendum esse :* Ex Engelberto, Cisterciensis Ordinis Lubensi professo. *Verum hæ investigationes omnes evanescunt, si attenderimus Prologum Vitæ, infra edendæ : etenim scriptor alium se omnino ab Engelberto, Ordinis Cisterciensis monacho, pronuntiat, quum dicit se hujus compilatione usum fuisse. Quare neque Lubensem, neque Cisterciensem fuisse biographum nostrum existimo, qui in eo casu signo aliquo fraternitatem indicasset. Neque ex recentioribus Ordinibus, Fratrum Prædicatorum aut Minorum, arbitror, quoniam nulla in hac Vita mentio fit horum Ordinum, certe non omittendorum, quoniam, ut videbimus, aliqua cœnobia, S.* Hedwige *cooperante, fundata fuere. Unde biographus noster anonymus habendus est, qui tamen aliquo nexu cum S.* Hedwige *conjunctus erat, quum, nisi scriberet,* F *haberet se* servitutis suæ debitum exsolvere negligentem et sic pro culpa omissionis redarguendum, ut ingratum (5).

quam edimus : hic quidem

8 *Dolendum certe est periisse codicem, qui perferebatur ipsius auctoris manu descriptum : in quo forsan scriptoris nomen conservatum erat. Casparus vero, de quo in epistola Andreæ Stredonii, supra n. 6 agitur, Henrichoviensem abbatiam tenuit ab anno* 1627 *ad* 1633, *quando peste sublatus fuit* (6). *In bello Sueco-Germanico, anno* 1634 *ita direptum fuit monasterium, ut, dispersis monachis, ablataque omni supellectile, unus equus relictus fuerit* (7). *Periisse tunc autographum Engelberti, satis crediderim. Nam quod laudat Stenzelius manuscriptum Henrichoviense, nunc in bibliotheca Universitatis Wratislaviensis* (8), *quoniam dicit sæculo* XV *exaratum fuisse, cum codice ab abbate Gaspare et Andrea Stredonio laudato nihil commune habere potest. Atque hæc de antiquis Actis S.* Hedwigis *dicta sunto : unum adjungam exstare etiam Vitam, germanico*

(1) Stenzel, t. II, p. 105. — (2) Ibid., p. 101. — (3) Ibid., p. 105. — (4) Henel. Silesiograp., t. I, cap. VII, p. 654. — (5) Oratio in fin. utr. Legend. Stenz. Scriptt., t. II, p. 105. — (6) Ibid., p. 667, et Zimmermann Beyträge zur Beschreib. von Schlesien, t. IV, p. 104. — (7) Ibid. — (8) Scriptt. præf., p. IV.

J. V. B. *manico idiomate scriptam, et anno 1504 Wratislaviæ excusam, quæ ex laudatis Legendis desumpta est.*

Legendam Minorem, infra autem Majorem.

9 *Legendam Majorem, prout eam publici juris fecit laudatus Gust. Stenzel* (1), *infra dabimus, appositis notis opportunis: ne vero lectorem fraudemus documento pariter coævo, Legendam Minorem hic subjicimus; id eo lubentius, quo res gestas et virtutum dotes S.* Hedwigis *compendiosius exhibeat. Unum monendum ducimus, scilicet mutasse nos orthographiam, quæ pro more medii ævi abnormis est, et consuetam scribendi rationem restituisse: sic* patientiæ *scribimus, non vero* paciencie, scientium *non* sciencium; *quod in recudendis tum Legenda Majori, tum Tractatu seu Speculo genealogiæ Sanctæ* Hedwigis, *porro servabimus, rati per istiusmodi alterationes nihil auctoritatis perire monumentis antiquis, et id accedere emolumenti, ut lectores commodius universam scriptionem pervolvant.*

S. Hedwigis natales

10 Lux lucis et fons luminis, Pater de cœlis Deus obtenebratum vitiis mundum illustravit novo quodam splendore gloriæ suæ, dum diebus istis novissimis beatam Hedwigim virtutibus et miraculorum prodigiis radiantem fecit quasi stellam matutinam in medio nebulæ apparere. B Quæ ducis Meraniæ filia, matrem habens de marchionum orientalium prosapia generosam, nobilitate virtutum magnificentiam natalium transcendebat. Gratia namque sibi opitulante divina, semper a sua juventute vixit honestissime, dans operam diligentem ad confovendam cordis et corporis puritatem. Ætatis enim suæ anno duodecimo per conjugale vinculum nobili viro Henrico, cognomento Cum Barba, duci Poloniæ et Silesiæ alligata, leges atque jura sollicite custodiebat matrimonii, nec tamen studium et amorem deseruit continendi, ita quod statim cum se sensit concepisse, mariti devitabat consortium usque post puerperium et tempus purificationis completum.

et nuptiæ :

11 Aliis quoque temporibus, sex aut octo quandoque hebdomadibus abstinebat a carnis illecebris, quamvis marito quoad thalamum jungeretur. Quadragesimæ et Adventus Domini, quatuor temporum et dominicos dies, vigilias ac festa Sanctorum atque ferias sextas venerabatur et honorabat specialiter pudicitiæ cultu, sic, ut carnis tunc petulantiam et voluptatem penitus devitaret. Tandem maritum suum, auxiliante Deo, salutari induxit consilio, C ut una secum in manu episcopi perpetuam voveret continentiam, et hanc annis fere triginta postmodum viventes pariter servaverunt. Ne vero alicujus sinistræ opinionis caligine obscuraretur ipsius continentiæ pulchritudo, illis omnibus annis, quibus quoad thorum separata permansit, ipsi non loquebatur marito nisi pro utili et necessaria causa et hoc in ecclesia vel in alio publico loco, honestis pluribus personis præsentibus, nec eum decumbentem visitare volebat, nec etiam ad grabatum decumbentis accedere absque comitiva decenti. Ad amorem quoque castitatis, cujus ipsa fuit amatrix, quoscumque poterat verbo et exemplo atque beneficiis invitabat. Unicam enim quam habebat superstitem filiam cum multis virginibus et fœminis in monastico clausit reclusorio ad carnis et spiritus munditiam propter Christum perenniter conservandam.

ejus profunda

12 Et quia, teste Scriptura, quanto castior fuerit homo tanto humilior esse debet, cum virtutum et præcipue castitatis decor et custos sit vera humilitas, hæc Dei famula humiliabat se in omnibus. D Vestes quoque scarleticas et sericos pannos aliaque ornamenta superflua, quibus supervacue decorari solent fœminæ mundo et hominibus placere volentes, non deferebat etiam tempore juventutis, licet alias tunc satis honesto sibique pro illo statu competenti uteretur amictu. Prolixiorem vero perveniens ad ætatem, griseum portavit simpliciter indumentum, parvipendens omnem ornatum sæculi et exterioris hominis cultum, ut in interiori homine soli Deo placere humilisque Christi et Matris ipsius humillimæ posset per humilitatem aliqualiter vestigia imitari. Pedes quapropter sæpius abluit egenorum, tergens et deosculans eos. Et non solum pedibus ac manibus pauperum, sed etiam locis, in quibus sive ipsi sive alii religiosi steterant aut sederant, oscula ingerebat. Et ut liberius in humilitate posset Domino famulari, derelicta multitudine sibi ministrantium, se apud Trebnicense monasterium cum pauca familia recollegit, ibique faciens mansionem humilitatis admirandum exercuit studium.

13 In quo etiam studio profecit in tantum, ut illa, quæ quodammodo videbantur abominabilia et ideo difficilia ad agendum, ipsa in fervido et humili spiritu faciliter actitaret. *humilitas :* E Frequentius enim accedebat ad aquam, in qua sorores pedes mundificaverant et lavabat oculos suos, quandoque etiam totum caput et collum similiter abluebat. Sororibus congregatis ad mensam vel alio tempore congruo, circuibat in choro stallos et sedes omnes singulosque passus in gradu, vergente ad dormitorium, et scabellos coram lectis depositos manutergia et virgas disciplinæ et res alias, quibus in locis publicis utebantur sorores, deosculabatur flexis genibus reverenter. Et ubi majores videbat sordes congregatas in pannis, quibus exterserant dominæ in monasterio manus, fortiora oscula imprimebat ex humilitate magna, in earum comparatione indignam se reputans peccatricem. Dum quadam vice per chorum transiens in circuitu deosculata fuisset sedilia et reversa ad altare se in oratione stravisset, vox de cruce insonuit, dicens : « Tua jam est oratio exaudita. » Cibum nolebat accipere, antequam flexis genibus cibos pauperibus ministrasset. Præterea nec potum sumebat priusquam de ipsius poculo ille bibisset, qui inter pauperes, coram ea discumbentes, magis erat deformis. F Sæpe ab illis, quibus lautam ministrabat alimoniam per internuncios pro amore Dei fragmentorum clam accipiebat eleemosynam. De minutiis, a mensa sororum vel monachorum pro pauperibus congregatis, dum aliquid latenter accipere potuit, pro deliciosis hoc sibi ferculis reservavit, id escam esse reputans Angelorum, de quo manducaverant Domino servientes.

patientia,

14 Patientiæ disciplinam veræ humilitatis consortem tam perfecte didicerat, quod in turbativis eventibus, cordis tranquillitatem non deseruit, nec ab ore ipsius responsio mollis aut verbum dulce recessit, ut probari sufficit ex duobus, quæ homines, non munitos patientia, maxime consueverunt turbare, mors videlicet amicorum et perditio rerum. Mariti namque sui obitum et mortem filii sui, a Tartaris occisi, dum multi quasi inconsolabiliter deplorarent, inter lugentes virili animo et siccis manens oculis consolabatur illos, a quibus ipsa potius debuisset accepisse consolatoria verba in tam vehementi tristitia pro amissione carorum. Hæc autem agebat spiritu Domini confortata ad relinquendum exemplum fortitudinis tunc presen-

(1) Scriptt. rer. Siles., t. II, p. 1 et seqq.

tibus

A tibus et futuris. Unus quoque de servitialibus suis plures scyphos argenteos, quibus ipsa propinari faciebat hospitibus, perdidit. Cui tantummodo dixit in spiritus lenitate : « Vade, quære si forte invenire valeas vasa, per negligentiam perdita. » Quando sibi occurrebant aut recitabantur ei aliqua tristia, non murmurans resonabat nec promebat querimoniam, sed dicebat : « Voluntas Domini compleatur in nobis. » Danti etiam offensionem molesta non fuit nec invectivis illum verbis gravabat, sed dixit pacifice : « Quare hoc fecisti ? Deus tibi indulgeat. » Sic mens ejus bene conscia, corde tacite conabatur continue patientiam conservare.

vitæ summa

15 Sciens quoque famula Dei, quod illi lapides vivi, in ædificio cœlestis Ierusalem collocandi, expoliri deberent in hoc mundo tunsionibus et pressuris, per multasque tribulationes oporteret transire ad illam supernam gloriam et patriam gloriosam, totam se aquis passionum exposuit, corpusque suum absque compassione multis jugiter castigationum flagellis attrivit. Maceravit enim se jejuniis et abstinentiis quotidie adeo magnis, quod multi mirabantur, quomodo fœmina tam debilis et delicata poterat hujusmodi cruciamina sustinere. B Abstinuit namque pluribus annis a cibis carnalibus, nec piscibus aut lacticiniis utebatur, nisi diebus dominicis aut in festivitatibus magnis. Panem et aquam comedebat sæpissime, præcipue feria VI et in Sanctorum vigiliis. Aliis quoque temporibus pane grosso et arido contenta fuit pulmento. De vino quid dicatur non invenio, cum aqua decocta frequenter utens, cervisiam biberet vix in festis. Subtus ad carnem durum ferebat cilicium, et lumbos zona, de pilis equorum contorta, stringebat in tantum ut ex tali tortura exulceraretur caro ipsius.

austeritas.

16 Una tantummodo tunica et pallio simplici tecta, sine pellibus et pellicio, nudis semper pedibus incedebat, hyeme et æstate. Et quia sibi nullatenus condescendit, quin in frigore et in algoribus nivis taliter seminuda procederet ad ecclesiam, sæpe tota gelida videbatur et scissuris pedum ac manuum ejus cruoris stillicidia proruperunt. Sed quia cœlestem flammam interius per desiderium attigit, frigus illud exterius tolerare satis facile sibi fuit, ut patet ex eo, quod quadam vice hyemali tempore dum in nuda humo, nudatis more solito plantis stans, diutius divinis intenderet lau- C dibus, famula ipsam expectans multum infrigidata, sibi de necessitate cogebatur edicere, quod frigus non posset amplius sustinere. Cedens ergo ad partem, pedissequam ad locum in quo steterat ipsa stare præcepit, quod dum fecisset, mirabilem cito sensit calorem, ut fervor æstuans in spiritu dominæ, virtute mirifica efficaciam haberet in carne ancillæ. Non in mollioribus culcitris aut pulvinaribus, sed in sacco de paleis, aut super ligneas tabulas post longas orationum vigilias quiescebat ad modicum, nisi forte filitro super stramina posito aliquando corpusculum debile quietis gratia relevaret. Atrocibus disciplinis carnes corporis sui laceravit noctibus singulis, nec contenta plagis, quibus se affligebat manibus propriis, quin etiam sæpe usque ad effusionem sanguinis a quibusdam sibi familiaribus dominabus se faceret verberari. Tot et tantis genuflexionibus sua contuderat genua, ut quidam globi, pugnis æquales, de eorumdem genuum carnibus exurgentes, ipsis genibus adhærerent.

devotionis fervor

17 Afflictione assidua mortificationi carnis, discretione tamen prævia, quanto invigilabat attentius, tanto magis in vigore spiritus et profectu gratiæ succurrebat, devotionis quoque ac divini amoris incendium in ea sumebat abundantius incrementum. Ferebatur namque sæpius tam ardenti desiderio sursum et agebatur in Deum, ut effecta insensibilis, quæ circa ipsam erant non adverteret, donec superna dulcedine in quantum Deus tribuit degustata, tandem ad exteriorum sensuum usum rediret. Et quia suavitatem illam dulcem super mel et favum cordis pallato degustare consueverat, non diebus neque noctibus a colloquiis divinis et oratione cessabat, ut vel jam oblato sibi a Deo valeret devotionis dulcore diutius perfrui vel novi saporis dulcedine mereretur in benedictionibus Domini præveniri. Ne autem familiaritatis suæ arcanum illi cum Deo commune et devotionis ipsius exercitium posset ab assistentibus aut percipi aut aliqualiter impediri, ad orandum loca quærebat solitaria vel orans in ecclesia sub pannorum se obumbraculis ab intuentium oculis quantum potuit occultavit, quamvis per gemitus et suspiria, vi divini amoris extorta, secretum ejus sæpius proderetur. *S. V. H.*

et assiduitas.

18 Lacrimarum namque profluviis ipsius perfundebantur maxillæ, et facies ejus ex castigationibus multis attenuata, macie et obducta pallore E quasi in vultum quandoque mutabatur angelicum, dum ei dilectus internæ consolationis gratia dulciter arridebat. Quantumcumque mane venisset ad ecclesiam, abinde tamen, aliis recedentibus, non recessit, nisi post meridiem, dum circa horam vesperarum sumere volebat corporis alimentum. Nam, ut quidam delectantur in epulis et quærunt sapores in variis corporalibus cibis et poculis, sic ipsa et multo amplius delectabatur in hymnis et psalmis atque spiritualibus canticis, in genuflexionibus et prostratione totius corporis, dum supplex Dominum exorabat. Et hoc præcipue sibi magnas reputavit delicias, quando habere et audire poterat plures missas, pro eo quod tunc in altari oculis fidei cerneret et delectabiliter perciperet faucibus mentis illud magnificum et delicatissimum ferculum immaculatum, videlicet agnum in cruce pro omnibus immolatum. Pro cujus amore venerabatur et remunerabat presbyteros honorabatque plurimum omnem clerum. Cultum quoque divinum decorabat promovitque multis et nobilibus ornamentis.

opera misericordiæ

19 Quemadmodum mentis devotione semper tendebat in Deum, ita benefica pietate inclinabat F se ad proximum, liberaliter indigentibus eleemosynas tribuendo, quia et collegiis et religiosis personis, intra vel extra manasteria commorantibus, viduis et pupillis, infirmis et debilibus, leprosis et reclusis in vinculis aut in carceribus, peregrinantibus quoque et nutrientibus parvulos fœminis indigentibus, subventionis beneficia impendebat, et universaliter neminem ad se pro auxilio venientem inconsolatum abire permisit, unde quocumque præibat, ipsam veluti matrem suam pauperes sequebantur. Infirmos et vinculatos, aut personaliter, aut per suos nuntios eis mittendo necessaria visitavit Eos quoque, qui ducebantur ad mortem sæpius eruit. Captivos quoque, et detentos pro quibuscumque causis, aut ære alieno oppressos et vexatos a judicibus tam prece quam pretio liberavit. In tantum intuitu pietatis dispensavit de bonis suis, non solum tribuendo pauperibus, sed etiam sibi censum debentibus relaxando, ut de magnis redditibus, quos habebat, vix ei pro suis et familiæ suæ necessitatibus pars modica remaneret. Et dum sibi sua deficerent, ita quod non posset opus misericordiæ adimplere, maritum suum, ut pro ea satisfaceret

J. V. B. satisfaceret et relevaret indigentias pauperum, inducebat. Coram ea semper XIII ad minus discumbebant mendici, quibus sibi præposita fercula meliora cum meliori poculo transmittebat. Ipsa namque abstinens ab epulis, in charitate lautis reficiebat alimentis viscera egenorum. Sed quia ipsorum multitudinem ante mensam suam locare non erat expediens, specialem habebat coquinam, de qua ministrabantur cibaria illis pauperibus, qui ejus curiam sequebantur et quibus ipsa solebat in locis diversis habitantibus de alimonia providere.

et miracula : 20 Et quia hæc Dei famula quæcumque poterat exercere bonorum operum non neglexit, hanc etiam ei Deus gratiam contulit, ut ubi humana sibi defuit in operatione facultas et deficiebat in agendis propriis viribus, divina passionisque Christi virtute posset perficere, quod proximorum ab ea in necessitatibus desideria flagitabant. Ad se ergo recurrentibus, tam pro corporis quam spiritus removendo incommodo, potens fuit auxiliari secundum divinæ beneplacitum voluntatis. Nam curabat languidos, illuminabat cæcos, liberabat periculis et morti expositos; et multa hujusmodi, quæ naturalem excedebant virtutem, deitatis sibi assistente
B potentia, mirifice faciebat. Multa quoque prædicebat futura et quorumdam malitias, molestias ac pericula declarabat. Ad emendationem quoque animarum quibusdam conscientiarum secreta delictaque abscondita detegebat prophetico spiritu. Et ut constaret plenius eam perfectionis culmini appropinquasse per opera meritoria et præcipue fervida Dei dilectione et gratia, multorum et etiam suam mortem prædixit. Sic supernaturali actione existens adhuc in corruptibili corpore quædam signa gloriosæ vitæ mortalibus exhibebat.

Sanctæ obitus 21 Appropinquante autem vitæ ipsius termino, Deus, qui cor ejus accenderat per amoris flammam interius, mirabiles ei delectationes, quæ sunt in dextera ejus, usque in finem ostendebat exterius, per nuntios scilicet suos apparentes visibiliter, ipsam alliciendo et invitando ad convivium, quod se diligentibus præparavit. Dum enim jam decumberet, Beata Maria Magdalena, Sancta Catharina, Sancta Thecla, plures quoque alii Sancti advenientes loquebantur cum ea. Cui dubium, quin de transitu ejus conferrent, et de cœlesti gaudio, cui jam appropinquabat, cum ea collationem haberent? Transiit autem felici exitu de hoc mundo anno do-
C mini MCCXLIII, idibus Octobris. Quis umquam potuit dubitare, quin de exilio ad patriam, de labore ad requiem, de mœrore ad indeficientem consolationem decedens mox transierit, cum futuræ gloriæ quædam indicia statim post exitum animæ in ipsius corpore luculenter omnibus apparerent? Nam color, qui prius in ea ex afflictionibus et ægritudine fuerat pallidus sive cæruleus, in candorem niveum est mutatus. Genæ vero ejus et labia veluti flos rubeus rutilabant, exhalabat quoque contra morticinii et carnis jam corruptæ naturam odor suaveolens de illo venerabili corpore, quod potius margaritæ quam funeri debuit atque decuit comparari. Illius mirandi jucunditas spectaculi dolorem mœrentium mortem ejus bene poterat mitigare, dum ex evidentibus signis ejus se jam intelligerent patrocinium habituros in cœlis, cujus consortium eos in terris relinquere oportebat.

et crebra miracula. 22 Cum enim corpus ipsius nondum terræ commendatum fuisset, Deus dignatus est per eam multa facere mirabilia et postmodum pluribus annis successive fidelibus suis, ejus intervenienti- D
bus meritis, consolationem impendit multiplicem et gratiam sanitatis. Nam infirmis et debilibus, cæcis et cæcutientibus ac capita dolentibus, surdis et mutis, mancis et claudis atque contractis, gibbosis et strumosis, paralyticis et quartanariis, epilepticis et dæmoniacis, dissentericis et squinanticis atque infistulatis, in periculo mortis et mortuis, in variisque dolorum miseriis constitutis, Deo favente, manum auxilii porrigebat, sicut alias, ubi abundantius de vita et miraculis ipsius posui, satis patet. De quibus omnibus et singulis, dum per fidelia testimonia fuisset diligentius informata et ex consequenti certior effecta de sanctitate ipsius Sedes Apostolica eam Catalogo Sanctorum adscripsit. Quam et nos, quia sanctam esse credimus, te jam nunc paterna claritas affatim postulamus, ut, ejus pro nobis interpellantibus meritis et precibus, gratiæ tuæ, cordibus nostris lumen infundas et post præsentes miserias nos participes esse facias gaudiorum, quibus hæc Sancta nunc in cœlestibus fruitur per Christum Dominum nostrum, qui tecum et cum Spiritu Sancto vivit et regnat per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

E

§ II. Sanctæ Hedwigis genus illustre et pia in puerili ætate institutio : nonnulla de educatione fœminea medio ævo.

S. Hedwigis, *Bertholdi, hujus, nominis, juxta Butlerum* (1), *tertii, juxta Andechsense Chronicum* (2), *quarti, juxta Æmilian. Ussermann* (3), *quinti, imo juxta Lud. Gabrielem Du Buat* (4), *undecimi, comitis Andechsensis et Agnetis Rochlizensis filia fuit. Hæc vero numerorum varietas provenit ex varietate originum, a quibus ordiuntur; quum alii ab adeptione comitatus Andechsensis, alii a satore gentis, Arnulpho, duce Bojariæ, anno Christi* 937 (5) *defuncto, familiæ principium deducunt. Ex quo jam claret S.* Hedwigem *e nobilissima stirpe prodiisse. Verum quam illustres, tam sanctos nacta est prosapiæ suæ contribules. Etenim* F *ex Andechsiorum gente fertur imprimis B. Rathardus, presbyter, fundator ædis S. Georgii in Diessen (antiqua probabiliter Strabonis Damasia), qui obiit sæculo nono. Sollerius noster, qui ejus cultui nullum specialem diem assignat, de eo agit sub die* VIII *Augusti* (6), *atque in Commentario prævio, quo brevem Vitam B. Rathardi illustravit, dubitat utrum iste Beatus Andechsenibus sit annumerandus, utpote qui principium sumpsisse dicuntur in Ratholdo, qui B. Rathardo junior aut coævus existit* (7). *Sancti varii*

ex Andechsiana gente, 24 *Certior proinde esset B. Rassonis seu Rathonis genus, quum hic dicti Ratholdi filius existat, si constaret caput stirpis Ratholdum fuisse. Sed Gabr. Du Buat, qui accuratissime origines Boicas scrutatus est, nullum quidem hujus nominis principem in Andechsiana genealogia invenit* (8); *quin imo Rathonis genus et annum funebrem ignorare se fatetur laudatus scriptor* (9). *Nihilominus ut Andechsianis accenseamus B. Virum, facit aliquid, quod B. Ra-*

(1) Vies des SS. XVII Octobr. Edit. Lovan. — (2) Chronick des Klost. Andechs. p. 6. — (3) Episcopat. Bamberg., p. 123. — (4) Orig. Boic. Domus, t. II, p. 250. — (5) Meibom. Rer. Germ., t. I, p. 687. — (6) T. II Aug., p. 354. — (7) Rader. Bavar. Sancta, t. I, p. 154. — (8) Orig. Boic., t. II, p. 250. — (9) Ibid., p. 53.

tho

A *tho dicatur anno 959 tenuisse Sundergoviæ comitatum* (1), *quem possessum scimus anno 980 ab Arnulpho III, avo Bertholdi, qui primus Andechsensem occupavit* (2). *Ferebatur porro Ratho bellica laude adversus barbaros Germaniæ infestos et fundatione Werthensis cœnobii illustris: obiit* XIX *Junii, qui eidem festus est, anno, ut supra vidimus, incerto* (3). *Ex hactenus dictis sequitur eodem censu habendum S. Conradum, Constantiensem in Germania episcopum, cujus Acta dabimus, die, quo colitur,* XXVI *Novembris; hic enim ex Hassa seu Beata, Rathonis sorore, nupta Henrico, Altorfiensi comiti, prodiit: obiit anno 976* (4). *Andechsianis adscribitur quoque S. Otto I episcopus Bambergensis et Pomeranorum Apostolus, qui anno 1139 obiit* (5). *Ast Sollerius in Commentario prævio ejus Vitæ ad diem* II *Julii hanc cum Andechsiana gente necessitudinem rejecit* (6), *quam adstruere nititur P. Fripeis, Andechsensis cœnobii supprior* (7); *utrum feliciter, dijudicare nobis, quibus lucubratio deest, non licet. Certe Æmiliam, Ussermann, agens de S. Ottone amplectitur sententiam Sollerii* (8), *opinaturque errorem inde manasse, quod Otto II, Bambergensis eodem sæculo episcopus,* B *ex Andechsensi familia cum S. Ottone I confusus fuerit* (9).

inter quos SS. Mathildis et Elisabetha.

25 *Sed enim si viros quosdam sanctitate insignes e censu Andechsianæ gentis expungere suadet sanior crisis, certiora affirmare licet de fœminis, quæ summarum virtutum laude principalem familiam illustrarunt. Clara, imprimis est memoria S. Mechtildis seu Mathildis, Virginis et abbatissæ, filiæ Bertholdis fundatoris Diessensis, Andechsensis comitis* (10), *quæ colitur in fundato a patre monasterio feria* II *post dominicam Trinitatis: obiit circa annum 1160. De Sancta hac Virgine agunt nostri sub die* XXXI *Maji* (11). *Ejusdem Sanctæ soror fuit B. Euphemia, abbatissa monasterii S. Altonis; quæ obiit anno 1180: Syllogen historicam habent nostri sub die* XVII *Junii* (12). *Sed fama sanctitatis et cultus celebritate omnes superat S. Elisabeth Hungarica, Thuringiæ ducissa, quæ ex Gertrude, B.* Hedwigis *sorore nata, materteram habuit Sanctam nostram. Ejus res gestas egregie illustravit nobilissimus vir Carolus de Montalembert, qui hodie inter præcipuos rei Catholicæ pugiles eminet. Recurrit ejus festivitas die* XIX *Novembris, quo obiit anno 1231. Possemus* C *et alios adjungere cum S.* Hedwige *consanguinitate conjunctos, v. g. S. Ludovicum, ex Ordine FF. Minorum, Tolosanum episcopum, atnepotem prædictæ Gertrudis, ejusdemque neptem, B. Cunegundem, Boleslai Pudici, Cracoviensis ducis, conjugem; sed prolixior curreret sermo noster, et, quæ retulimus, sufficiunt ad monstrandum S.* Hedwigi *non defuisse exempla domestica, quæ imitaretur, quæque ipsa ad seros nepotes fideli traditione demandaret.* J. V. H.

ejusdem gentis.

26 *Sanctitatis gloriam cumulavit etiam sanguinis nobilitas, cujus explicatio plerumque cum ipsis Legendis conjungitur, sub titulo* Tractatus seu Speculi genealogiæ S. Hedwigis. *Hujus opusculi non eumdem auctorem arbitror, qui et utriusque Legendæ, quamvis id primo aspectu suadere aliquatenus posset ejus in variis manuscriptis insertio ante oblationem, de qua num. 5 et seq., egimus; unde pronum fit concludere Legendarum et Speculi unum eumdemque esse auctorem. Verum id omnino vetat diversitas inter biographum et genealogistam: hic enim Bertholdum ejusque filium Ottonem marchionem de Hysterich seu Istriæ et Andechsensem recte nuncupat num. 7; dum biographus num. 1 omisso Andechsensi genere, Badensem marchionem et comitem Tyrolensem nominat omnino false. Cæterum facile mihi persuaserim etiam genealogistam ante annum 1300 scripsisse, quum in Tractatu suo nullum e posteris S.* Hedwigis *nominet, qui ante finem sæculi* XIII *non exstiterit. Hanc genealogiam ad calcem Legendæ majoris, secundum editionem Cl. Gustavi Stenzel, dabimus, subjiciemusque annotationes, tum ex ipso doctissimo editore, tum ex aliis depromptas.* E *Sed quamvis amplissimus videatur iste Tractatus genealogicus, auctor tamen solam stirpem maternam recenset,* quia, *ait,* de progenitoribus patris ejusdem Sanctæ multa non didici, pro eo quod scripta aut doctores de ipsis habere non potui, quamvis et ipse procul dubio prodierit de valde prosapia nobili. *Hunc scriptoris nostri hiatum compendiose implebimus per ea quæ de originibus Andechsianæ gentis tradit supra laudatus comes Du Buat.*

Paternum genus enucleatur:

27 *Hic scriptor, refutatis iis, qui ad Ratoldum quemdam, Arnulphi Cæsaris nothum, originem Andechsiadum referebant* (13), *monstrat ex variis diplomatibus documentisque coævis, illos ex dynastis Schirensibus ortum trahere* (14). *Ita enim genealogiam ordinat: Adalbertus, comes in Trungau, circa annum 860 defunctus, genuit Luitpaldum marchionem* (15), *qui uxorem habuit filiam Ludovici III regis Bojariæ* (16); *hac ratione contingebant Luitpaldus ejusque posteri gentem Carolingicam. Ex Luitpaldo porro prodiit Arnulphus, dux Bojariæ, qui obiit anno 937* (17). *Reliqua facilius e sequenti tabella patescent.* F

Arnulphus, Luitpaldi filius, dux Bojariæ a. 908 † 937 (18).

Arnulphus II, comes palatinus † 954 (19).

Bertholdus II, comes Schyrensis occisus a. 955 (20).

Arnulphus II, comes Sundergoviæ, † circa 1010. Uxor Adelhaid (21).

Arnulphus IV dictus Bellator, de Riddershusa 1025-1046 (22).	Fredericus I, comes 1025-1040 (24).
Arnulphus V, comes in Andechs, fundator Attilensis a. 1073 † 1080 (23).	Otto, comes Schryrensis † 1070 (25), ex quo Wittelsbachii, domus Bavarica hodierna (26).
A	

(1) Orig. Boic., loc. cit. — (2) Ibid., p. 127 et 250. — (3) Rader, t. I, p. 163 et t. III Jan., p. 892. Cfr tamen Du Buat. Orig. Boic., t. I, p. 265. — (4) Rader t. III, p. 91. Cfr Neugard Episc. Constant., p. 281. — (5) Butler XVII Octob. Vie de Ste Hedwige, not. a. — (6) T. I Jul., p. 357 et seqq. — (7) Butler, t. II Julii. — (8) Episcopat. Bamberg., p. 54. — (9) Ibid. Cfr Act. SS., t. VII Maii, p. 442, n. 1. — (10) Ussernum. p. 121. — (11) T. VII Maii, p. 442. — (12) T. III Junii, p. 470. — (13) Orig. Bois., t. II, p. 192. — (14) Ibid., p. 196. — (15) Ibid., t. I, p. 83 et 226. — (16) Ibid., p. 322. — (17) Meibom. Rer. Germ., t. I, p. 687. — (18) Du Buat, t. II, p. 9. Meibom. l. c. — (19) Ibid., t. II, p. 33 et 35. — (20) Ibid., p. 37 et seqq. — (21) Ibid., p. 137 et seqq. — (22) Ibid., p. 139 et seqq. — (23) Ibid., p. 142 et 196. — (24) Ibid., p. 202. — (25) Ibid., p. 154. — (26) Ibid., p. 228 et 233 et seq., 245.

Arnulphus VI, comes de Diessen et Andechs, præses Hallensis † circa 1120. Ux. Agnes de Fornbach (1).

- Bertholdus IX (II), comes de Andechs, fundator Diessensis † 1160. Ux. Sophia de Ammerthal (2).
  - Poppo, comes de Andechs. Ux. Chunissa de Truhendingen, improlis (3).
  - Bertholdus X (III), comes de Andechs, marchio Istriæ † 1188. Ux. Hedwig, filia Conradi de Dachau, ducis Dalmatiæ (4).
    - Bertholdus XI (IV) de Andechs, marchio Istriæ, dux Dalmatiæ et Meraniæ † 1204. Uxor Agnes de Rochlitz (7).
      - Egbertus, episc. Bamberg. a. 1203 † 1237 (8).
      - Bertholdus, patriarch. Aquilej. a. 1218 † 1251 (9).
      - Henricus, marchio Istriæ † 1228 (10).
      - Otto I, dux Meraniæ † 1234 (11).
        - Otto II, familiæ ultimus, † 1248 (14).
      - S. Hedwigis, uxor Henrici Barbati, ducis Silesiæ, † 1243.
      - Agnes, seu Maria, dicta uxor Philippi Aug. reg. Galliæ, † 1201 (12).
      - Gertrudis, ux. Andreæ, regis Hungariæ, † (13).
        - S. Elisabeth, Vidua Ludovici, ducis Thuringiæ, † 1231.
  - Otto II, episc. Bamberg. 1177 † 1196 (5).
  - S. Mathildis, abbat, † c. 1160 (6).

ex Bertholdo, non Moraviæ,

28 *Bertholdum*, S. Hedwigis *patrem, non pauci dixere ducem Moraviæ, quem titulum eidem adscripsit quoque Breviarium Romanum in Lectionibus Sanctæ nostræ ad diem* XVII *Octobris. Atque id quidem errore manifesto, quum Moravia sæculo* XII *aliis dominis pareret, ac documenta Hedwigiana patrem Sanctæ sine ambagibus ducem Meraniæ vocarent. Causam erroris facile crediderim, utriusque appellationis qualemcumque consonantiam, propagatior Moraviæ quam Meraniæ notitia, tandem ipse illius provinciæ situs, qui est Silesiæ ad meridiem conterminus. Ast aliis dominis paruisse Moraviam, quando Bertholdus*, S. Hedwigis *pater, Andechsensem tenebat comitatum, monstrat Codex diplomaticus Moraviæ a Cl. Antonio Boczek anno* 1836 *editus; in quo anno* 1151 *occurrit nobis Otto, dux Olomucensis* (15), *qui in alio diplomate anni* 1160 *vocatur dux Moraviensium* (16). *Quum Fridericus I imperator anno* 1158 *concessisset Wladislao, Bohemiæ duci, usum regalis circuli ferendi, cavit ne hoc supremæ dignitatis insigne ab aliis episcopis, quam a Pragensi vel Olomucensi imponi posset, quo certe significabatur Moraviam tum ad reges Bohemiæ pertinuisse* (17). *Anno dein* 1174 *Udalricus, Moravorum dux, in expeditionem Italicam profecturus, confert Ecclesiæ Olomucensi villam* (18). *Eamdem appellationem assumunt quoque Fridericus dux Bohemiæ anno* 1180 (19), *Wladimirus anno* 1191 (20) *et Wladislaus anno* 1199 (21). *Quæ omnia abunde ostendunt Moraviam ad Andechsenses numquam spectasse.*

sed Meraniæ duce

29 *Bertholdus, Sanctæ nostræ parens, in Speculo genealogico infra dando, vocatur dux Meraniæ et marchio de Hysterreich, sive Istriæ, quæ hodiernæ Dalmatiæ Austriacæ pars est. Plerique autumant Meraniæ appellationem esse derivandam a castro Meran, quod vix milliari germanico a Tyroli castro distat, unde hodiernus comitatus Tyrolensis nomen suum mutuatus est* (22). *Licet inficias non eant, castrum Meran ad Andechsensem familiam pertinuisse, sunt tamen nonnulli eruditi, qui autumant Meraniam, de qua agit Vita, esse potius oram maritimam Istriæ* (23), *orientem versus: atque id quidem, quantum de veritate nominis constat, satis probabile est, quoniam mappæ geographicæ, ab Abrahamo Ortelio exhibitæ in Theatro Orbis terrarum Tab.* LXV, *exhibent adhuc locum, ad orientalem Istriæ oram situm, qui* Mernfels, *aliis* Mahrenfels *dictus* (24), *rupem Maranicam commode significare potest. Quis porro dicet hujus maritimæ oræ nomen, ob memoriam primævæ sedis gentis, ad Meranum, Tyrolense castrum, traductum non fuisse? Quo casu Meraniæ titulus ab plaga Dalmatica potius, quam a Tyrolensi castro deducendus esset.*

et Istriæ marchione,

30 *Porro Istriæ marchia atque adeo Meraniæ ducatus ad Andechsensem familiam devoluta videntur circa annum Christi* 1173, *quo primum occurrit Bertholdus, hoc titulo decoratus. Rem explicat Erasm. Frolich, societatis nostræ presbyter in suo Specimine Archontologiæ Carinthiæ cap.* IV (25): Qua porro, *inquit*, occasione causaque marchia Istriæ, quæ eatenus ad stirpem ducum Carinthiæ in tribus deinceps Engelbertis perduraverat, ad Andechsios transierit, puto me deprehendisse in tabulis Codicis Diplomatici Admontensis (26), ubi legitur circa annum MCLX « Bertholdus comes de Andechsen, cognatus Henrici ducis » ac præterea « Henricus, dux Karinthiæ et Hermannus frater ducis ». Cognationis ratio nos quidem fugit, attamen ipse cognationis titulus satis esse videbatur, ut circa annum MCLXXIII Hermannus, dux Carinthiæ (cujus fratres decesserant improles, quique ipse aut nondum aut admodum infantes eo anno haberet) marchiam Istriæ daret, aut ab imperatore dandam curaret cognato suo Bertholdo II, comiti de Andechs, quem titulo marchionis Istriæ deinceps usum fuisse docet *citatus Erasm. Frolich e variis monumentis coævis.*

(1) Du Buat. Orig., t. II, p. 202. — (2) Ibid., tab XXXI. — (3) Ibid., p. 244. Cfr tamen Usserm. Episc. Bamberg. p. 122. — (4) Ibid., p. 247. — (5) Usserm., p. 119-133. — (6) Act. SS., t. VII Mai. p. 342. — (7) Usserm., p. 123. — (8) Ibid., p. 137-148. — (9) De Rubeis Monum. Eccl. Aquilej., col. 677 et seqq. — (10) Usserm., p. 123 et seq. — (11) Ibid., p. 124. — (12) D. Bouquet, t. XVII, p. 54. — (13) Specul. Geneal. infra edend. — (14) Usserm., p. 124. — (15) Cod. diplom. Morav., t. I, p. 263. — (16) Ibid., p. 270. — (17) Ibid., p. 267. — (18) Ibid., p. 286. — (19) Ibid., p. 303. — (20) Ibid., p. 332. — (21) Ibid., p. 354. — (22) Butler XVII Octobris. — (23) Stenz. t. II, p. 2, not. 1. — (24) Zylii Topog. Prov. Austriac., p. 67. — (25) Frohlich Specim. Archont. Carinth., p. 64. — (26) Pez Thes. Anecdot., t. III, part. III, col. 714.

31 *Annus*

nascitur S. Hedwigis circa an. 1174

31 *Annus S.* Hedwigis *natalis incertus est. Unum scimus duodennem nupsisse duci Silesiæ, Henrico, quippe quod constet ex ejus Vita num.* 3 : Ipsa autem famula Domini, Hedwigis, habens ætatis annos duodecim, magnifico principi Henrico, duci Slesiæ et Poloniæ matrimonialiter jungebatur. *Sommersbergius porro in Tabula genealogica I* (1) *nuptias istas anno* 1186 *illigat; unde pronum est judicare Sanctam nostram anno* 1174 *lucem primum aspexisse. Neque controversiæ locus esse posset, si suam de anno nuptiarum opinionem fulciisset Sommersbergius certo documento : verum isto deficiente, conjecturis usus est, iisque probabilibus, quibus et nobis inhærendum esse arbitramur, donec certiora edoceri possimus. Videtur scilicet Henricus, S.* Hedwigis *filius natu maximus, jam anno* 1210 *aut* 1211 *annos viriles, id est* XXV *vitæ attigisse : etenim anno* 1213, *partito inter ipsum et fratrem suum, Conradum Crispum, qui et ipse jam togam virilem induerat, imperio, contentio exorta est inter fratres, commissoque prælio, fugatus est Conradus et paulo post vita functus. Jam vero si anno* 1210 *Henricus vigesimum quintum numerabat annum, ejus nativitas in annum* 1186 *aut* 1187 *incidit : unde pro-*
B *babiliter statuitur alteruter annus, cui nuptiæ Sanctæ nostræ sint connectendæ : qua propter annus Sanctæ natalis in annum Christi* 1174 *aut sequentem stabilitur.*

nubitque Henrico Silesiæ, duci,

32 *Neque hæc temere statuimus; Dlugossus enim in sua Historia Polonica narrat sequentia sub anno* 1213 (2) : Tam virili ætate quam viridi Henricus Wratislaviensis et Slesiæ dux, cum felici et beata Hedwige, fœmina consorte sua, in prospera et æquabili fortuna traducta, magna uterque conjugum tempestate sub media pace, dum jam in occiduam vergerent ætatem, obrutus est. Duorum siquidem filiorum, videlicet Henrici et Conradi, qui Crispus vocatus est, qui usque in virile robur evaserat, dum jam tertius Boleslaus fato subtractus esset, livoroso inter illos serpente, collidebantur odio; alterum Esau, alterum Jacob ex eventu, et conditione crederes, cum pro uno pater Henricus, pro altero genitrix staret Hedwigis. Henricus siquidem dux pater minorem natu Conradum singulari affectione complectens, ducis Saxoniæ illi filiam desponsat et Lubucensem terram, Lusatiæque regionem perpetua illi consignat portione. Henricum autem, natu majorem,
C B. Hedwigi persuadente, Slesitis et Wratislaviensibus destinat. Id cum molesto et irato animo Conradus ferret, et ex naturali instinctu Polonis amicus facilis et blandus, Teutonicis vero hostis infestissimus foret, parentum ordinationem armis rescindere, dum preces invalidæ essent, constituit, exercituque notabili ex Polonorum et Lubucensium militibus et agminibus comparato, fratrem invasit *etc. Ex quibus videmus utrumque fratrem jam anno* 1213 *virilem ætatem attigisse, cui tuto committi posset provinciarum administratio, quæque apta foret ad bella gerenda.*

circa an. 1186 ;

33 *Atque hæc quidem faciunt, ut nuptias S.* Hedwigis *vix tardius quam anno* 1186 *nobis ponere liceat : ast neque multo citius easdem statuere possumus, ut nempe Sancta nostra aliquam ætatis proportionem habere dicatur cum sororibus suis, Gertrude, quæ S. Elisabetham Thuringiæ enixa anno* 1207, *vix ante initium sæculi* XIII *Andreæ II, Hungariæ regi, nupsit et Agnete (quam alii Mariam aut Ediltrudem nominant), quæ anno* 1196 *Philippo Augusto, Francorum regi, illegitime conjuncta, anno* 1201 *e vita decessit. Nisi itaque nimiam inter tres sorores ætatis disparitatem statuere velimus, satis manifestum est retinendam esse epocham a Sommersbergio assignatam. Ex hactenus dictis liquet non undecumque probandam esse breviorem Legendam, quam appensam dicit Sommersbergius* (3) *tumulo S.* Hedwigis, *in qua legitur (nisi forte typothetæ vitium sit) :* collocavit Bertholdus nuptum filiam suam, B. Hedwigen, Henrico, duci Wratislaviensi, anno 1178. *Hactenus de anno Sanctæ natali et nuptiali.* J. V. H.

piæ a parentibus educata :

34 A sua *ait biographus num.* 2, pueritia cor gerens senile, satagebat levitates vitando, bonos assuescere mores et insolentias fugere juveniles. Fovendo quoque innocentis vita munditiam honestati semper et disciplinæ dabat operam diligentem. In omnibus iis et aliis operibus suis, præter homines, quos sibi deputatos a progenitoribus suis ad bonorum informationem morum rectores habebat, eruditorem habuit Spiritum Sanctum, qui ab infantia ipsam timere Deum docuit et abstinere ab omni peccato, ita ut mundam servaret animam suam ab omni concupiscentia. Unde numquam cum ludentibus reprehensibiliter se miscuit neque E
cum iis, qui in levitatibus ambulabant, participem se præbebat. Nam in ætate puerili in claustro Kicingo sacras litteras didicit, quarum studio et tempus in juventute expendit utiliter, ac in earum intellectu postmodum consolationis internæ et devotionis hausit gratiam affluenter. *Ex hisce verbis liquet nulli curæ et industriæ pepercisse parentes, ut filiam suam* Hedwigem *ad omnem virtutem informarent, simulque erudirent iis artibus, quæ fœminam nobilem decent. Porro jam actum fuit de Kitzingensi ad Mœnum monasterio in Vita S. Theclæ, abbatissæ ad diem* XV *Octobris* (4) : *unum addendum hic videtur, ut, quoniam S.* Hedwigis *infans, id est ante an.* 1186, *quo nupsisse videtur, monasterium istud incoluerit, dicamus eamdem non habuisse aliam magistram, quam Bertham III, quæ monasterium rexit ab anno* 1175 *ad* 1195, *de qua plura monumenta refert Æmilian. Ussermann* (5).

qua occasione aliqua

35 *In eodem Kitzingensi asceterio perfugium et solatium sibi liberisque suis aliquot post annis invenit S.* Hedwigis *neptis, S. Elisabeth Hungarica, quando, mortuo conjuge Ludovico, expulsa fuit e Thuringia* (6). *Præerat tunc quidem Kitzingensibus Sanctæ nostræ soror, Mathildis abbatissa* (7), *cujus tamen mentionem non facit Speculum genealogicum supra n.* 27. *Et quum postea Bambergensis episcopus, Ecbertus, nepotem suam Elisabeth in castrum Botenstein, transtulisset, remansit tamen Sophia, Sanctæ filia, in monasterio, cujus dein summam præfecturam adepta est. Atque hoc quidem consonat cum iis, quæ Carolus Magnus præscripserat circa monasteria puellaria* § VI (8) ; *nolebat siquidem, ut educationis gratia a monialibus aliæ admitterentur puellæ, quam quæ oblatæ a parentibus in monasterio sperarentur perpetuo remansuræ :* Sin autem, *ait,* domi infantes suas nutriat, et non aliam infra monasteria mittere nutriendi causa præsumat, nisi quæ in ipso loco firmiter in Dei servitio perseverare voluerit, vel secundum instituta Sanctorum Patrum seu canonicam auctoritatem. F

circa educationem fœminarum

36 *Hæc quidem recte procedunt cum Sophia Thuringica, S. Elisabethæ filia, quæ reapse Regulam Benedictinam apud Kitzingenses professa, abbatialem dignitatem post annos consecuta est. Verum, ut*

(1) Scriptt. Rer. Silesiac., t. I, p. 298. — (2) Dlugoss. Hist. Polon., t. I, col. 615. — (3) Scriptt., t. I, p. 313. — (4) T. VII Octob., p. 61, n. 21. — (5) Episc. Wirceburg. p. 447. — (6) Montalembert. Vie de Sainte Elisabeth, cap. XX. — (7) Usserm. Episc. Wirceb., p. 449. — (8) Labbe, t. VII Conc., col. 1182.

habemus

J. V. H.

habemus ex biographo nostro, S. Hedwigis *institutionis causa apud easdem moniales per tempus aliquod morata legitur, quamvis certe oblata non fuerit, ut istic in* Dei servitio perseveraret. *Unde datur intelligere legem Carolinam sæc.* XII *aut non viguisse amplius, aut saltem exceptiones non infrequentes passam fuisse. Quamvis Joanni Harenbergio minime assentiri possim, qui in Historia Ecclesiæ Gandersheimensi ostendere contendit* (1) cœnobia omnino circa initia sua fuisse sedes optimarum litterarum, *et, quasi id negasset, in jus vocat Nicolaum Schatenum nostrum, qui tamen, postquam deprædicasset* salutare scholarum institutum non solum apud clericos probatæ vitæ, *sed etiam* in monasteriis (2), *id unum subjungens,* qua tamen, *inquit,* in re *(scholastica)* multum falluntur hæretici nostrorum temporum scriptores, dum illico cœnobia omnia nil nisi scholas ludosve puerorum comminiscuntur, quo sanctissimum illud religiosæ vitæ institutum proscribant : tamquam non multo sublimior finis instituti monachorum ex cultu religionis et divino servitio præscriptus sit, cui scholæ, adscititium munus, ultroque susceptum in subsidium laborantis Ecclesiæ. *Distinguit dein Schatenus*
B *duplices scholas, interiores pro ipsis monachis, et exteriores, in quibus nobilium et honestorum liberi ad omnem pietatem et di ciplinas liberalium artium excolebantur. Tandem id affirmat auctor, monialium cœnobiis* nullas umquam scholas, nec docendi munus *adjuncta fuis e.*

evolvuntur.

37 *Et re quidem vera mihi adhuc non occurrit in antiquis monumentis schola puellaris apud monialium cœnobium constituta, nisi forsan interior pro ipsis virginibus, Deo sacratis aut sacrandis ; simile enim quid in Gandersheimensi fuisse cœnobio non omnino repugnabo. Quamvis et id post medium sæculum nonum commune non fuisse, testatur biographus SS. Herlindis et Renildis ad diem* XXII *Martii, qui circa istud tempus scripsisse videtur : En ejus verba* (3) : In prædicto monasterio *(Valencina)*, quo creditæ erant beatissimæ virgines erudiendæ, largiente desuper spirituali misericordia, omni divino dogmate pleniter erant eruditæ diversis usibus divini Officii et ecclesiastici ordinis, id est in legendo, modulatione cantus, psallendo, necnon, quod nostris temporibus valde mirum est, etiam scribendo atque pingendo, quod hujus ævi robustissimis viris oppidum onerosum videtur. Simili
C etiam modo in universi operis arte, quod manibus fœminarum diversis modis ac varia compositione fieri solet, honestissime fuerant instructæ, videlicet nendo et texendo, creando ac suendo, in auro quoque ac margaritis in serico componendis, miris in modis exstiterant opifices. *Quæ hactenus descripsimus satis adæquatam exhibent imaginem institutionis fœmineæ, qualis erat sæculo* VIII, *quo vivebant SS. Herlendis et Renildis in Belgio, sed simul monstrant eamdem institutionem posterioribus sæculis multum degenerasse : dicit enim id* suis temporibus valde mirum esse. *Unde non videmus quo modo Harenbergius exprobrare potuerit Schateno opinionem, quam pro viris non profitebatur : pro fœminis vero externis scholam exstitisse apud sanctimoniales uno probat argumento Harenbergius, erat nempe apud Gandersheimenses canonica, uti, se dicit, scholastica, sed ex isto officio nemo facile scholam exteriorem deducet. Unum de hac re, idemque incertum exemplum, afferri posset, scilicet monasterium Trebnicense, a Sancta nostra* Hedwige *fundatum, in quo, ait Biographus noster num.* 8, plures puellas nobiles genere et quasdam de genealogia simplici prodeuntes, orbatas parentibus ac opibus destitutas, D
assumpsit in curam. Ex quibus alias inclusit in monasterio ad virginalem, alias vero junxit matrimonio ad conservandam pudicitiam conjugalem. *Profecto si omnino certum esset S.* Hedwigem *in monasterio Trebnicensi dictas puellas, postea nupturientes, collocasse, indubitatum haberi deberet, istic educationis beneficium sæcularibus virginibus impensum fuisse : verum, quamvis in isto sensu hunc locum interpretetur Cl Stenzel, ipse contextus id clare non enuntiat. Hæc dicta sunto, circa argumentum, quod nemo adhuc, quantum scio, tractavit et ideo quæstionem indigitandam duxi. Nunc ad Sanctam nostram* Hedwigem, *a qua paululum digressi sumus, revertimur.*

§ III. Fundatio cœnobii Trebnicensis sanctimonialium Ordinis Cisterciensis.

E

Henricus, Silesiæ dux,

Duodennem S. Hedwigen *in matrimonio collocatam fuisse, jam supra n.* 31 *ex nostro biographo narravimus : simul, donec meliora edocti, ratam habuimus Sommersbergii conjecturam, has nuptias circa annum Christi* 1186 *celebratas fuisse. Maritus Sanctæ fuit Henricus I, qui avis Wladislao, duce Silesia et Adelheide, Henrici IV Imperatoris filia* (4), *patre Boleslao Alto et matre Adelheide, Berengarii, comitis Sulzbacensis, filia* (5), *ex Piastarum gente, jam a nono sæculo Polonis dominante* (6), *descendit : dictus etiam fuit Henricus Barbatus seu Cum Barba, quia, ut narrant Chronica Polonorum* (7), pius princeps cum beatissima conjuge sua Hedwige fere triginta annis amore castitatis simul continenter viventes, abstinuerunt utrobique a thoro conjugii et ob gratæ religionis insigne, tonsuram clericalem et barbam ipse dux Henricus ad instar gessit barbati conversi, unde Dux Barbatus communiter est nuncupatus. *Defuncto die* VI *Decembris* 1201 *patri, Boleslao Alto, successit Henricus, cujus regni initia tranquilla fuere usque ad annum* 1212 *quando, facta divisione regni sui inter filios, fraternum bellum exarsit, de quo quidem infra agemus.* F

ut prosperitati publicæ consuleret.

39 *Regni tranquillitatem et prosperitatem adhibuit Henricus ad promovendum inter populares suos religionis spiritum : ad quod maxime utile erat ædificare cœnobia et alia religiosa instituta, e quibus tum maxime manabant quidquid ad religionem, ad bonos mores et artes omnes informare populum poterat. Obversabatur nempe Henrici animo florens status Franconiæ et Sueviæ, quas provincias ducens ex Kitzingensi asceterio sponsam suam,* Hedwigem, *perlustraverat. Nihilominus fuere non pauci scriptores rerum Silesiacarum, qui ducis Barbati liberalitatem in Ecclesiam minus æque æstimaverunt. Iidem certe laudarunt consilia eorum, qui pedetentim fortunam ecclesiarum et monasteriorum arroserunt, et tandem maxima ex parte sustulerunt. Nempe istiusmodi opinatores non animadverterunt, convulso semel, quo clerus res suas tuebatur, repagulo, nihil deinceps sacrum sanctum fore turbæ, ut hodie dicitur, proletariorum; iisdemque ratiociniis expugnari posse fortunas domesticas singularum familiarum, quibus omni tempore impetita et direpta fuere bona ecclesiastica. Portentosa ista allucinatio peperit nostra ætate horrendum monstrum,* Socialismum *seu* Communismum,

(1) P. 605. — (2) Hist. Wesph., lib. VIII. p. 346. — (3) T. III. p. 387, n. 5. — (4) Sommersb. Scriptt. Rer. Silesiac., t. I. p. 304. — (5) Ibid., p. 306. — (6) Ibid., p. 300. — (7) Ibid., p. 42.

A smum, *quod bellum intenecinum indicit universæ hominum societati, ingentesque populis calamitates præsagit. Res sibi suas Ecclesia vindicabat eodem dominii jure, iisdem possessionis, per sæcula continuatæ, titulis et scopo longe præcellentiori, quibus hodie fortunas suas adversus Socialistas defendunt privati : et quæ olim adversus cleri divitias prævaluerunt argumenta, quæque passim, quamdiu agitur de Ecclesia, approbantur, incluctabiliter adversus civem quemlibet ejusque opulentiam retorqueri possunt : nec clare video, qua ratione possint arceri. Quando sua se majestate, sanctitate et possessione religio defendere non valet : quid mirum, si perditis hominibus nihil sacrum, nihil inviolabile in jure dominii, in vinculo conjugii, in familiæ necessitudine agnoscatur? Ad fundationes Henrici ducis explicandas progredimur.*

fundat monasterium

40 *Celeberrima Henrici ejusque Sanctæ conjugis* Hedwigis *fundatio est Trebnicensis. Est Trebnicium oppidum* 2256 *incolarum, duobus milliaribus Germanicis Wratislavia distans, cujus ecclesia S. Bartholomæo sacra et sepulchro S.* Hedwigis *insignis, hodie, sublato conventu sanctimonialium Ordinis Cisterciensis, est parochialis cum tribus presbyteris*(8). B *Trebnicium nomen suum sortiri suum dicitur a phrasi Polonica* nullius indigens, *quia aliquando interrogatæ moniales, num qua re indigerent, nullius se indigere* (Trebnitz) *respondisse. Id tamen fabulam sapit, quoniam, ut ex litteris fundationis liquet, locus, monasterio destinatus, jam ante nomen suum, Trebnicium, sortitus fuerat* (9). *Sunt qui narrant cœnobium fundatum fuisse vi voti, emissi ab Henrico, qui quadam die venationi operam dans in ipso loco, in quo nunc est ecclesia, in foveam palustrem una cum equo suo incidit, quumque nulla salutis spes affulgere videretur, votum concepit, si periculum evaderet, ædificandæ istic ecclesiæ* (3). *Verumtamen hæc cum litteris fundationis non undequaque conveniunt. Siquidem dux Henricus istiusmodi periculi aut voti nullam mentionem faciat : Sed solum profiteatur* (4) *se id fundare* in remissionem peccatorum suorum et pro salutaribus incrementis animarum patris et matris et omnium progenitorum suorum, omniumque Christi fidelium, ad honorem Dei Sanctæque Mariæ Virginis et Beati Bartholomæi Apostoli. *Nihilominus exstat hodiedum in ecclesia subterranea, ad dexteram altaris fons, vulgo a S.* Hedwige *nuncupatus, cuique* C *mirabiles effectus adscribuntur ; dicitur porro hanc aquam esse vestigium paludis in quo olim Henricus dux periclitatus est* (5). *Traditur et aliud, quod suavem Sanctæ nostræ indolem accuratissime exprimit : nempe toto ædificandi Trebnicii tempore, nullum reum morte fuisse multatum, sed quotquot erant capitali pœna plectendi, deprecante apud maritum* Hedwige, *ad opera in ædificio fuisse damnatos. Tertiam tandem causam fundati Trebnicii assignant Chronica Polonorum, edita a Sommersbergio* (6) *et ab Adolpho Stenzel*(7), *qui existimat Chronographum circa finem sæculi* XIII *aut initium sequentis vixisse* (8), *quocirca non minima illi fides habenda est in iis, quæ ejus tempora propius attingunt. Causam itaque constructi monasterii ita exponunt laudata Chronica* (9) : Quæ *(Gertrudis, filia Henrici et S.* Hedwigis) cum desponsata fuisset palatino Rheni *(Ottoni de Wittelsbach)* qui occidit Philippum, regem Almaniæ *(anno* 1208), propter quod et ipse postmodum peremptus est *(anno* 1209 (10)) et ideo alteri nubere nollet, instinctu B. Hedwigis, pater nobile cœnobium Trebnicense construxit filiæ, in quo ipse et beata conjux illius feliciter migrantes, reconditi sunt. *Atque hanc causam subindicare videtur Henricus in litteris, datis anno* 1208, *dicens* (11) : Et sciendum quod imo hunc Sanctimonialium Ordinem *(Cisterciensem)* prælegi *(prælegi ?)*, quia cum triplicis Ordinis in terra mea sint claustra, ad quæ virilis sexus confugere poterat et potest pro salute animarum, claustralis quietis refrigerium solummodo sexui deerat muliebri. Sed modo in sæpe memorato claustro per Dei misericordiam fragilitas muliebris habere potest confugium pro suorum expiatione peccatorum. *In transcribendo Sommersbergio correxi locutiones quasdam, quæ sensum verborum turbabant, idque tanto liberius, quod Adolp. Stenzel dicat* (12) *vitiose editas esse litteras fundationis.*

J. V. H.

Trebnicense, accitis e Germania

41 *Totius rei seriem hisce verbis complectitur Dlugossus* (13) : Henricus, dux Wratislaviensis et Silesiæ, frequentibus suæ consortis, ducissæ Hedwigis, fœminæ devotissimæ et religiosæ, precibus, consiliis et persuasionibus permotus, in ducatu suo et loco, qui nunc *(imo et tunc vide num. præc.)* appellatur Trzebnica, tribus milliaribus a Wratislaviensi civitate distante, fundat monasterium sanctimonialium Ordinis Cisterciensis, sub honore E et titulo S. Bartholomæi Apostoli. Pro dote autem monasterii oppidum Trzebnicense, item villas, Lipnicam, Comescham, Breinow, Cotlowice, Tuczmandorff, Hartlipdorff, Sudlino, Lawor, Srankowa, Rotzonice, et plures alias villas, census et introitus, qui pro mille personis sufficerent, donatione perpetua contulit et donavit, ducissa B. Hedwige abdicanti se jure dotalitii, quod in bonis monasterio largitis habebat inscriptum. A fundamentis autem tam ecclesiam B. Bartholomæi, quam monasterium et ejus officinas initians, muro pulcherrimo et somptuoso infra annos quindecim consummavit et anno 1219 ecclesiæ ipsius perfecit dedicationem. Compertum autem est, facto calculo, sumptus ecclesiæ et monasterii ad triginta millia marcarum Polonicarum ascendisse. Sub omnibus autem quindecim annis, quibus opus prædictum perficiebatur, B. Hedwigis nullum maleficium, quantocumque scelere inquinatum, sive per Henricum ducem sive ejus officiales et judices, capitis damnanti sententia permisit notari, sed quemlibet monasterii Trzebnicensis applicabat laboribus, ut secundum culpæ demeritum duriori vel faciliori F labore, diuturno vel breviori tempore, patratum facinus expiaret. Ex monasterio autem Bambergensi moniales, ad suscipiendum illum locum novum accitæ primum, præfatum monasterium incolere cœperunt, primaque loco illius abbatissa fuit virgo Petrusza Almana, secunda, Gertrudis Henrici ducis et B. Hedwigis filia, et tam in primitiis quam post, centum moniales in monasterio ipso uno tempore, dote monasterii abundante, immorari et degere consueverant. Idcirco autem locus præfatus pro fundando monasterio prædicto acceptus est, licet se alii majori commoditate offerrent, quod Henricus dux venationibus operam dans, in eum ipsum locum, tunc quidem paludinosum, cum equo incidens, non se aliter periculum imminens evitaturum existimaret, limosa congerie involutus, ut amplius, nisi invocasset auxilium ex alto, familiaribus comitibusque per alia loca saltusque discurrentibus, ferret opem nemo, nisi se voto obstrinxisset, monasterium sanctimonialium

(1) Schematism. der diöc. Bresl. 1842, p. 179. — (2) Manriq. Ann. Cisterc. ad an. 1203, cap. VII, n. 10. — (3) Ritter Ges. der diöc. Bresl., p. 125. — (4) Sommerzb., t. I, p. 827. — (5) Fragmente der Kloster Schles, p. 62 et seq. Ritter. Gesch. der diöc. Bresl., p. 125. — (6) Rer. Silesiac. Scriptt., t. I, p. 1 et seqq. — (7) Ibid., l. c. — (8) Ibid. Præf. p. VI et seqq. — (9) Ibid., p. 25, et Chron. Princ. Polon. Ibid., p. 110. — (10) Cfr Oefel. Rer. Boic. Scriptt., t. I, p. 666. — (11) Sommersb., t. I, p. 822. — (12) Scriptt., t. I, p. 25, not. 2. — (13) Hist. Polon., lib. VI sub an. 1203.

illic

J. V. H.

illic quamprimum fundaturum. Verum, ut est conditio hominum periculorum articulo multa arduaque polliceri et promissionum vota facile consecuto, oblivisci, Henricus dux ab imminenti voraginis exitio, cum qua diutius luctatus fuerat, sola ope divina liberatus, quod solemniter voverat, cœpit negligere; voti sui cunctatorem se magis aliquanto tempore exhibens, quam impletorem. Fœmina autem, B. Hedwigis consors sua, et votum hujuscemodi virum suum, ducem Henricum, sub præfata necessitate emisisse et in eam diem neglexisse per Spiritum intelligens, non prius illum salubribus tum precibus tum monitis, ad reddendum votum, quod emiserat, ut cujus emissionem, quod absque arbitris facta esset, tam ducissam suam, Hedwigim, quam quoslibet alios celatum iri crediderat, adducere destiterat, donec sponsionem suam pleno operi mandavit; cujus quidem monasterii tam ædificatione quam dotatione perfecta, cum dux illustris a Petrusa, abbatissa, et sanctimonialibus quæreret, si qua re ipsa vel monasterium ipsarum indigeret, offerens se cuilibet indigentiæ ducali munificentia provisurum, et responso accepto, dotalia sibi et monasterio ab eo
B præstita munera plena ac sufficientia fore, neque monasterium ampliori provisione indigere, ex responsionis eventu loco nomen indidit, et ipsum « Trzebanic, quod in vulgari Polonico sonat, nullius egens » appellavit. *Hactenus Dlugossus.*

monialibus Ordinis S. Benedicti.

42 *Jam supra vidimus monasterio novo ab istiusmodi responso nomen derivandum non esse, utpote quod etiam ante fundationem exsisteret: sed e nomine loci talem responsionem manasse, facile crediderim. Primam Trzebnicensem abbatissam Petrusam, e Germania advenam, fuisse omnes constanter affirmant; eamque Petrusam fuisse S.* Hedwigis *magistram in Kitzingensi asceterio, habemus ex biographo nostro num.* 54: *oportuit igitur ut Petrusa, deposito Virginum Benedictinarum habitu nigro, album Cisterciensium induerit* (1); *et nihil est in hoc facto, quod undequaque moribus sæculi* XIII *repugnat; sed quoniam agebatur de deducenda nova colonia virginum in terram longinquam et incognitam, maximum indicium est fiduciæ quam prælati regulares in Petrusa repositam habuere, quum credere voluerint selectam monialium manum alicui virgini, quæ usu diuturno ad mores Cistercienses informata non fuisset. Dein Bamberga accitæ*
C *Cistercienses referuntur* (3): *Manriquez quidem, Ordinis annalista, dicit* (2): De monasterio Bambergensi, unde adductæ moniales, vix alia major nobis notitia subest.

Regulam Cisterciensem professis.

43 *Citatur quidem diploma anni* 1179, *a Petro, Tusculano episcopo, datum, quo Apostolicæ Sedis auctoritate confirmat* (4) *ecclesiam* Sanctimonialium ad B. Virginem et S. Theodorum, *statuens imprimis,* ut Ordo monasticus secundum B. Benedicti regulam, et institutionem fratrum Cisterciensium ibidem institutus perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. *Sed Æmilianus Ussermann, qui anno* 1802 *totam Bambergensem diœcesim quam accuratissime investigavit et descripsit, postcitatum diploma hæc addit* (5): Numquam Cisterciensi, sed Benedictino Ordini adscriptum fuit hoc monasterium, unde hic errore calami Cistercienses positos fuisse existimo loco Cluniacensium, quo nomine monachi nigri denotantur. *Et vero nullam Ci terciensis monasterii Trelnicensi antiquioris mentionem apud eos qui de episcopatu Bambergensi scripsere reperire licet. Laudatus Æmilianus tria enumerat* D
Cisterciensium virginum asceteria, in episcopatu Bambergensi sita, videlicet Sclüsselau (6), *Himmelscron* (7) *et Grundlach, sive Himmelsthron* (8), *ast nullum eorum Trebnicensi antiquius est; unde perperam, mea sententia, moniales Trebnicenses Bamberga accitæ dicuntur. Errori etiam locum dedisse censeo, quod Egbertus, frater S.* Hedwigis, *qui hoc eodem anno* 1203 (9) *episcopus Bambergensis creatus fuit, operam suam contulerit ad accersendam monialium coloniam e quodam parthenone Cisterciensi: unde quoque, quoniam Bambergensis episcopi ope collectæ fuerant, sic etiam quasi Bambergæ olim consedissent, opinio invaluit. Portensi in Saxonia abbati primum subjectus Parthenon Trebnicensis, in curam postea abbatis Lubensis, utpote vicinioris, transiit.*

cœnobium inter quasdam

44 *Turbavit principis munificentiam et monasterii pacem, paucis post annis, Thomas I, episcopus Wratislaviensis. Etenim hic, ut habet ejus Vita, ex variis testimoniis congesta* (10), videns mensam episcopalem Wratislaviensem per donationes parum providas dominorum suorum prædecessorum Cypriani et Laurentii immediatorum, monasteriis Lubensi et Trebnicensi factas, graviter castratam et læsam fore, quorum notabiles uterque decimas E
manipulares præfatis monasteriis donatione perpetua contulerant, ipsas rescidit et irritavit ac mensæ suæ reunivit, non sine maximo indignationis nubilo Henrici Cum Barba et filiorum ejus Henrici et Boleslai, ad quorum intercessiones donationes illæ fiebant, ut qui monasteria ipsa, a se fundata et dotata, spoliari tam crassa dote, quasi a se largita, iniquo animo ferebant; nec taciti quidem querebantur, coacervabanturque assidue odia contra illum tam principum quam baronum, multisque persecutionibus et adversitatibus, quas forti tolerabat animo, conquassabatur. *Neque hic stetisse vexationem refert idem scriptor: nam* fortis deinde et valida sibi manus injecta est a Boleslao Legnicensi duce, filii Henrici Cum Barba de annuentia aliorum principum, cum Bogufalo præposito et Heicardo canonico Wratislaviensi apud Gorkam, villagium abbatis S. Mariæ in Arena, cujus ecclesiam dedicaturus advenerat, sexta Octobris captus est et carceratus, compede vinculatus. Et quamvis archiepiscopus Gnesnensis tulisset ob ejus captivitatem et in captivatorem ejus, ducem Legnicensem, Boleslaum, sententias exsecrabiles interdicti; quamvis insuper Innocentius papa F
quartus, sollicitante illum Fulcone, achiepiscopo Gnesnense et universis Polonicæ Ecclesiæ episcopis, per litteras et nuntios Crucem et generale passagium contra Boleslaum ducem per bullam, quam ego originaliter vidi, promulgaverit, tot tamen et tantis flagellis ferreum Boleslai ducis emolliri non potuit pectus, donec Thomas ipse, capitulo reclamante Wratislaviensi, decimas manipulares universi grani, quas pia veterum regum et principum Poloniæ religio et devotio instituerat, ducibus et baronibus exigentibus, nec aliter in suam solutionem assentiri volentibus, sed suos census augere, Ecclesiam diminuere nitentibus, in maldratas et fertones decimales verti pro se et universo clero Wratislaviensi, impie et miserabiliter, cum satius sibi omnem mortem appetere debuerat pro Ecclesiæ libertate, consensit, et tam beneficia diœcesis Wratislaviensis in majori dimidietate suorum introitorum illo consensu exsecrabili mutilavit. Fuitque illud primarium schisma,

(1) Ritter. Gesch., p. 126. — (2) Cfr Diplom. Gesch. der Abt. Banz, p. 219. — (3) Annal. Cisterc. an. 1203. cap. VII. n. 10, t. III, p. 411. — (4) Ussermann. Episcopat. Bamberg, p. 401. — (5) L. c. — (6) Episcopat. Bamb., p. 406. — (7) Ibid., p. 408. — (8) Ibid., p. 412. — (9) Ibid., p. 137. — (10) Sommersb., t. II, p. 155. Cfr Stenz. Chron. princ. Pol. Scriptt., t. I, p. 161.

quo

J. V. H.

A quo se duces et barones Silesiæ a corpore regni Poloniæ non sine Dei et Ecclesiæ gravi et enormi offensa scindere, decretisque veteribus abrogatis, scita sua instituere cœperunt.

adversitates

45 *Hæc quidem Thomæ I biographus, sed minus accurate: nam captivitas episcopi anno Christi* 1256 *illiganda est, ut nos docet Bogufalus II, episcopus Posnaniensis* 1255-1265 (1), *scilicet Henrico Barbato, octodecim jam annis defuncto; unde liquet biographum annorum seriem ad amussim non observasse. Dein laudatus Bogufalus aliam omnino causam captivitati Thomæ episcopi assignat, nempe Boleslaum* inductum vesania diabolica et suasu Teutonicorum, quorum regebatur consilio, episcopum..... rebus omnibus spoliasse, *ob causas frivolas*, quarum tamen hæc major fuerat, ut ab ipsa pecunias extorqueret, Theutonicis erogandas (2). *Atqui hæc nullatenus conveniunt controversiæ de decimis, cum Monasteriis Lubucensi et Trebnicensi agitatæ, quæ cæterum jam anno* 1235 *a Gulielmo, Mutinensi episcopo et Legato sedis Apostolicæ composita videtur* (3). *Quæ vero in utroque textu a nobis allegato, de scissione a regno Poloniæ et de favore, Teutonicis impenso, leguntur, opportunius alio* B *loco examinabimus. Cæterum Chronica principum Polonorum dicunt* (4) *Thomam*, de nobili progenie Polonorum natum, sic litterarum sapientia et virtutibus morum claruisse, ut ejus fama celebris esset in Romana curia et apud nobiles et magnates. *Ædificavit etiam chorum ecclesiæ Wratislaviensis, adjuvantibus Henrico II* (5) *et Boleslao II ducibus* (6), *e quo iterum liquet decimarum quæstionem jam diu ante tempora captivitatis Thomæ compositam fuisse, quod etiam indicant diplomata filiorum Henrici II Micislai, ducis Oppoliensis, anni* 1241 (7) *et Boleslai II ducis annorum* 1244 (8), 1249 (9) *et* 1250 (10), *quæ omnia captivitatem præcesserunt. Sunt alia diplomata, quæ, ad annos* 1258 (11) 1260 (12) *pertinentia, hanc captivitatem omnino supponunt.*

usque ad suppressionem an. 1803 prosperavit.

46 *Sed siquandoque Trebnicenses moniales minus sibi propitios experiebantur Wratislavienses episcopos, non tamen semper faventes sibi habebant Silesiæ principes: nam anno* 1284, *dissidio orto inter ducem Henricum IV et Wratislaviensem episcopum Thomam II*, dictus dux, *ait diploma Silesiacum* (13), forte credens se posse invenire pecunias aliquas, evertit quædam altaria et cavavit parietes in C ecclesia monasterii sanctimonialium Trebnicensis. *Supposuerat nempe episcopus omnes ecclesias, tam sæculares quam regulares, interdicto, quocirca dux vicissim sub gravibus pœnis prohibuerat ne ullus civis* alibi audire præsumeret divina officio, nisi in ecclesia Fratrum Minorum, *qui scilicet interdicto non obedierant. Instituti nostri non est curiosius inquirere causam, tunc vertentem satisque ambiguam, quoniam generalioribus verbis utuntur scriptores coævi* (14). *Id unum nobis sufficiet allegasse, ut monstremus constantem non fuisse principum favorem Trebnicensibus impensum. Inter hæc prospera et adversa crevit Trebnicium, et ad tantam opulentiam pervenit, ut inter Silesiaca cœnobia locupletissimum haberetur: possidebat enim unum oppidum et pagos rurales septuaginta quinque* (15). *Anno* 1803 *sextum sæculare jubilæum celebravit, cuso in hanc celebritatem nummo* (16), *cujus antica pars imaginem S.* Hedwigis *exhibet cum inscriptione:* St Hedwiga Ux*(or)* Heinr*(ici)* d*(ucis)* S*(ilesiæ)* Aut*(rix)* Trebn*(icii)* 1203: *postica vero monasterii ichnographiam, et verba:* Sæculum VI a cond*(ito)* monast*(erio)* celebratum MDCCCIII. *Verum septennio post monasterium Trebnicense suppressum fuit, eodem anno* 1810 *jam præmortua postrema ejus abbatissa, Dominica de Gillern* (17). *Ædes monasterii, excepto templo catholicæ religioni adhuc sacro, sunt hodie officina, in qua telæ conficiuntur. Sic periit post cursum prosperum sexcentorum annorum monasterium insigne: utrum porro feliciores sint Silesii, ex quo monialium bona sunt inter sæculares dispertita, et ipsum cœnobium pro virginibus sacris, turbam operarum incolas habeat, merito controverti potest.*

§ IV. Aliæ fundationes, cooperante S. Hedwige, ab Henrico Barbato factæ.

Præter Trebnicense varia fundata cœnobia :

N*eque in amplissima Trebnicensis cœnobii fundatione stetit pia Henrici ducis ejusque Sanctæ conjugis,* Hedwigis, *liberalitas. Nam consequentibus annis plurima reperimus monasteria eorum opera aut a* E *solo ædificata et dotata, aut multum adaucta. Piam principum munificentiam mirari quis posset, imo etiam vitio vertere, quoniam videntur prædia principalia in monasteria conferri, ac proinde ærarium publicum depauperari. Verum non ita se res sæculo* XII *et* XIII *in Silesia habebant; quæ enim monachis donabantur bona, plerumque neglecta et inculta jacebant: proficiebat itaque universæ patriæ, quando immensi agrorum tractus, quales plurimi in Silesia erant* (18), *ut testatur Josephus Ritter, culturæ subigebantur. Hac etiam ratione transferebantur in Silesiam, tunc quidem fere totam Polonicam, Germanicæ artes et industriæ; quæ tam potenter sub imperatoribus Hohenstauffícis effloruerant. Huc etiam accedit, quod istis quidem sæculis, quæ barbara vocamus, vix aliud subsidium ad cicuranda ingenia moresque informandos occurrebat, quam ut cœnobia fierent magisteria optimæ disciplinæ. Tandem advertendum est principes istorum temporum ærarium suum non debuisse impendere, ut nunc fit, in exercitus semper armatos, in aulæ suæ splendorem et luxum, in theatris instituendis, quæ omnia limpidissimos fontes pecuniæ publicæ exhauriunt. Cæterum approbant isti Sanctorum critici plurimorum* F *regum et populorum consilia, quando Ecclesiam bonis omnibus, aut saltem præcipuis, exuunt: quia nempe Ecclesiæ opulentia nostris cum moribus non quadrat: ut quid igitur tam severe habent antiquos principes, qui et ipsi rem utilem regnis suis præstare volebant? Certe quando rex Fridericus Gulielmus III uno decreto* XXX *Octobris* 1810 *omnia instituta ecclesiastica et cœnobia in Silesia sustulit, ingenium, indolem et necessitates ævi sui, tamquam momenta spoliationis, adduxit. En ejus verba e Germanico idiomate latine reddita* (19): attento quod *a)* scopus, ob quem adhuc instituta ecclesiatica et cœnobia fundata sunt, partim cum opinionibus et necessitatibus nostri sæculi insociabilis sit, partim alio modo obtineri possit: *b)* quod regiones finitimæ eadem remedia adhibuerint: *c)* quod hac sola via solvendo Gallis debito pares esse possimus: *d)* quod hac ratione tributa, subditis nostris, jam gravatis, minuimus, decernimus *etc. Non est nostri operis hæc omnia latius*

(1) Sommersb., t. II, p. 69. — (2) Cfr Sommersb., t. II, p. 71 et t. XI Conc. Labbe. t. II. col. 773.—(3) Stenzel. Urkund. der dioc. Bresl. Einl., p. XXVIII.—(4) Sommersb., t. I, p. 62.— (5) Stenzel. Scriptt., t. II, p. 135. — (6) Stenzel. Urk. der dioc. Bresl. Einl., p. XXXI. — (7) Ibid., p. 5.— (8) Ibid., p. 6 et seqq. — (9) Ibid., p. 16 et seq. — (10) Ibid., p. 18.— (11) Ibid., p. 20.—(12) Ibid., p. 21 et seq.—(13) Ibid., p. 142.—(14) Ibid., p. 120. — (15) Herber Statistik des Bisth. Breslau 1826, p. 117 et seq. Fragment aus der Gesch. der Klost. Schles., p. 70 et seqq. —(16) Fragment, p. 69.—(17) Ibid., l. c. — (18) Ritter Gesch. der dioc. Breslau, t. I, p. 96. — (19) Sauer. Die Elisabetherinnen in Breslau, p. 66.

evolvere,

J. V. B.

mini MCCXVI, ut patet ex Chronica Romana sive Martiniana *(Martini Poloni)* confirmatos, instituit; populum parochialem ejusdem ad ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ Wratislaviæ transferendo et limitando. *Primos Prædicatores Wratislaviam inductos fuisse a B. Ceslao Odrovantia, qui et ibidem sepulcrum nactus est, referunt nostri in Commentario prævio ejus Vitæ, ad diem* XVI *Julii* (1).

7° Eorumdem Prædicatorum Boleslaviense:

54 *Alterum Prædicatorum conventum ab Henrico nostro fundatum reperio Boleslaviæ* (Bunzlau, *in districtu Silesio-Lignicensi). Initia ad annum* 1234 *referuntur; perstititque conventus usque ad bellum Hussiticum, quando ejus ædes omnino vastatæ et monachi interfecti fuere anno* 1427. *Mansit cœnobium desertum usque ad annum* 1668, *quo Hyachintus Tuschke, prior ad S. Adalbertum, solum et relicta in eo rudera jure postliminii Ordini suo vindicavit. Repugnasse non paucos restitutioni, tot annis procrastinatæ aut neglectæ, nemo mirabitur: nihilominus transactione res composita fuit die* VI *Julii* 1677, *ac deinceps instauratum conventum incoluere Dominicani usque ad annum fatalem* 1810 (2). *Ad idem circiter tempus referenda est ædificatio et dotatio ecclesiæ parochialis B. M. V.* B *Assumptæ et S. Joannis Baptistæ, Leobergæ* (Lowenberg *seu* Lemberg, *in districtu Lignicensi). Auctorem et fundatorem habet dicta ecclesia Henricum nostrum; pertinebat initio ad Ordinem S. Joannis Hierosolymitani* (3): *unde quando milites Ordinis pro presbyteris occupare commendas cœperunt, jus patronatus in dictam ecclesiam remansit penes Ordinem* (4). *Nunc hæc parochia fiscum regium patronum habet* (5).

Henricus Conrado Mazoviensi

55 *Neque tam multiplicibus in favorem Silesiæ suæ fundationibus contentus dux Henricus, alios etiam, quando sese offerebat opportunitas, ad similem munificentiam adhortabatur. Sic ejus potissimum consilio factum fuisse legimus, ut milites Teutonici terram Culmensem obtinuerint. Rem narrat Boguphalus, sæculi* XIII *scriptor hisce verbis* (6): Conradus, Mazoviæ dux, qui multas infestationes a Pruthenis et a Pollexianis in terra Culmensi sustinebat, ad concilium Guntheri episcopi, barbatis nigra cruce signatis hospitalariis S. Mariæ Jerosolymitanæ de domo Theutonica, concessit terram Culmensem viginti annis, ut resisterent Pruthenis et Pollexianis cum ipsis præliando, ejus juvamine mediante. Infra quos annos cum Pruthen et aliæ C gentes paganicæ terris Mazoviæ ducis Conradi prædicti nimium fuissent infesti, prædictus Conradus Henricum Cum Barba, nepotem suum, ducem Sleziæ in sui adjutorium evocavit, cujus fretus auxilio et cruce signatorum prædictorum in Pruthenis et in aliis gentibus paganicis magnam stragem commisit, ipsos fortiter debellando. Post cujus victoriæ famosum triumphum, Henricus dux sæpe dictus Conradum, patruum suum, petiit, ut cruce signatis terram prædictam Culmensem perpetuo adscribere dignaretur. Ad cujus preces idem Conradus terram prædictam infra Ossam, Wislam et Drwanczam fluvios hospitalariis prædictis gratiose donando perpetue adscripsit.

auctor est fundandi Culmæ milites Teutonicos.

56 *Manriquez, Cisterciensis annalista eadem fere habet* (7), *nisi quod præcipuas partes transactionis tribuat Christiano, Ordinis Cisterciensis, episcopo Culmensi. Ast omnia bene componit Dlugossus, Historiæ Polonicæ scriptor. Hic enim narrat* (8) *Conradum ducem, de consilio Christiani, quem ipse Christinum appellat, septem fratres, equites Teu-* D *tonicos, in sui auxilium e Germania accersiisse: processu temporis iisdem castrum et oppidum Nieszow cum villis Murzinow et Orlow largitum fuisse.* Cum autem, *pergit citatus auctor*, aliquot secundis præliis usus, adjuvantibus illum Fratribus Cruciferis, stragem ingentem in Pruthenos edidisset, precibus assiduis Henrici Cum Barba, Wratislaviensis et Slesiæ ducis, persuasus, de consilio consortis suæ, Agasiæ, et filiorum suorum Boleslai, Casimiri et Semoviti, necnon prælatorum et baronum terrarum suarum, videlicet Guntheri, episcopi Plocensis, Michaelis, episcopi Cujaviensis, Christini, episcopi Clumensis, Pacoslai, comitis Dersoviensis, terras Chelmenses et Lubaviæ, infra fluvios Ossam, Drwancam et Wrolam sitas, in quibus barbari Rogow castrum et oppidum et alias munitiones occupaverant, eis inscribit et donat, licet de facto non de jure; cum in præjudicium regni Poloniæ donationem ipsam Conradus dux non poterat aliquatenus fecisse. Quæ quidem donatio, etsi pro ea tempestate videbatur salutaris, ex post tamen Cruciferis ad occupandum terras residuas regni Poloniæ semper anhelantibus, maxima Christiani sanguinis, Polonis sedes suas naturales de- E fendentibus, secuta sunt profluvia et cædes etiam, relatu horrendæ commissæ...... In ea autem terrarum Culmensis et Lubaviæ per Conradum Masoviæ et Cujaviæ ducem donatione Fratribus Cruciferis facta, id primum et præcipue fuit cautum et ad id se tam magister Hermannus, quam Fratres Cruciferi patentibus litteris adstrinxerant, quod Pruthenicæ terræ et cujuslibet alterius, sub barbaris conquirendæ, possessio debeat inter Conradum, Marsoviæ et Cujaviæ ducem, suosque filios et successores, Poloniæ principes, et magistrum atque Ordinem Cruciferorum ex æquo partiri et terrarum Culmensis et Lubaviæ donatio, terra Pruthenica conquisita, irritari et ad Conradum ducem suosque successores pleno jure devolvi. *Quantum ad donationis modum et durationem pertinet, videmus non convenire Boguphalum et Dlugosum: uter vero pactum recte exponat, deficientibus instrumentis, definire nobis non licet. Sommersbergius ad citatum textum Boguphali addit* cumulatius hoc negotium ex diplomatum quidem fide exposuisse *auctorem Bibliothecæ Polonicæ. Hactenus de fundationibus Henrici Barbati, S.* Hedwigis *mariti, dicta sunto.* F

§ V. De Dissidio orto inter filios Henrici ducis et S. Hedwigis.

Filii S. Hedwigis post mortem fratris Boleslai.

E*x suo cum S.* Hedwige *matrimonio Henricus, dux Silesiæ, ternos filios, totidemque filias Agnetem, Sophiam et Gerthrudem genuit. In Speculo genealogico posteritatis Henrici nomina filiorum hoc ordine recitantur* (9): *Henricus, Conradus, Boleslaus; quæ nomina inverso ordine reperiuntur in Genealogia* (10), *nemque, Boleslaus primo, Henricus autem tertio loco: quocirca inter Henrici filios certum ordinem definire ipsa varietas vetat. Satis tamen crederem quod Conradum Henricus ætate præcesserit, quia in Chronicis Principum Poloniæ* (11) *sine ambagibus Conradus junior, Henricus senior Hen-*

(1) T. IV Julii, p. 188, n. 26. — (2) Henel. Silesiogr., cap. VI, p. 47. Zimmerm. Beytr., t. VI, p. 171. — (3) Nicht auf gehobene Kloster in Schles., p. 616. — (4) Zimmerm. Beytr., t. VI, p. 862. — (5) Schematism. des Bisth. Breslau, p. 72. — (6) Sommersb., t. II, p. 59. — (7) Annal. Cist. ad an. 1227, cap. VIII, n. 7 et seq., t. IV, p. 342. — (8) Dlugoss. Hist. Polon., lib. VI, col. 644. (9) Stenzel. Scriptt., t. II, p. 115. — (10) Ibid., p. 110. — (11) Ibid., t. I, p. 104.

rici

A *rici filii appellantur : ast eadem Chronica* (1) *aperte dicunt Boleslaum fuisse Henrici* primogenitum ; *unde secundum hæc primogenituræ series ordinanda esset, ut natu maximus diceretur Boleslaus, secundo genitus Henricus, quos tertius sequitur Conradus. Dux porro Henricus curarum humanarum pertæsus, in continentia, utroque conjuge assentiente, triginta postremos vitæ suæ annos transegit* (2), *quod circa annum* 1208, episcopali benedictione solemni *interveniente, accidisse arbitror, quoniam anno* 1238 *vita functus est. Utque magis etiam se negotiis sæculi expediret, hereditatem suam inter filios dispertitus est : num vero inter tres, ut habet Cl. Josephus Ritter* (3), *an solum inter duos, Henricum et Conradum, superstites, nam Boleslaus juvenis obiit, non ausim definire. Nullus mihi quidem occurrit antiquu scriptor, qui in ternos principatum divisum referat ; dein Boleslaus, cum sororibus suis Agnete et Sophia in Lubucensi cœnobio sepultus fuit* (4), *quum Conradus circa annum* 1213 *defunctus Trebnicii fuerit compositus. Unde, mea sententia, datur intelligere, Boleslaum non diu post fundatum Trebnicium, id est annum* 1203, *proindeque satis juvenem, exstinctum fuisse.*

B 58 *Quidquid sit, certum est post mortem Boleslai aut ejus occasione paterni principatus divisionem factam sive retractatam fuisse, et Conrado obtigisse terram Lubucensem et Lusatiæ, Henrico fratri reservata reliqua hereditate. Rem dilucide exponit Dlugo sus hisce verbis* (5) : Tam virili ætate quam viridi Henricus Wrastislaviensis et Slesiæ dux cum felici et beata Hedwige fœmina, consorte sua, in prospera et æquabili fortuna traducta, magna uterque conjugum tempestate sub media pace, dum jam in occiduam vergerent ætatem, obrutus est. Duorum siquidem filiorum, videlicet Henrici et Conradi, qui Crispus vocatus est, qui usque in virile robur evaserat, dum jam tertius Boleslaus fato subtractus esset, livoroso inter illos serpente, collidebantur odio, alterum Esaü, alterum Jacob ex eventu et conditione crederes, cum pro uno pater Henricus, pro altero genitrix staret Hedwigis. Henricus siquidem dux pater minorem natu, Conradum, singulari affectione complectens, ducis Saxoniæ illi filiam desponsat et Lubucensem terram Lusatiæque regionem perpetua illi consignat portione. Henricum autem natu majorem, B. Hedwigi persuadente, Slesitis et Wratislaviensibus C ducem destinat. Id cum molesto et irato animo Conradus ferret, et ex naturali instinctu Polonis amicus facilis et blandus, Theutonicis vero hostis infestissimus foret, parentum ordinationem armis rescindere, dum preces invalidæ essent, constituit ; exercituque notabili ex Polonorum et Lubucensium militibus et agminibus comparato, fratrem invasit. Et licet uterque parens tollere dissidium fratrum et quietare maximis conatibus laborassent, videntes tamen suum laborem incassum recidere, utrumque filium propositum suum (dux Henricus Glogoviam, et ducissa Hedwigis in Neptz secedens) exsequi passi sunt. Non tulit et Henricus, natu major, fratris Conradi invasionem, sed exercitum ex Polonis et Theutonicis colligens, Conrado inter Legnicam et Aureum Montem, in loco, qui dicitur Studnica seu Ruffa Ecclesia, occurrit ; ubi dum, congressu facto, fortiter ab utraque parte pugnatum foret, plurimis in ore gladii cadentibus, Henrico cessit victoria. Conradus Crispus cum, multis suorum amissis, ex prælio diffugisset, ad patrem Henricum in Glogoviam divertit, ratus, prout evenit, et se illic tutum fore. Verum cum dierum processu in sylvas Tarnovienses venandi gratia processisset, feram agitans, ex equo corruit, fractisque cruribus exspiravit; in monasterium Trebnicense delatus, operante sorore Agneta *(Gertrude)*, abbatissa Trebnicensi, quæ eum tenerrime viventem dilexerat, in capituli loco sepelitur. J. V. H.

divisa a patre hereditate,

59 Quo sic absumpto, fraternum et domesticum bellum, quod quandoque resumi et reintegrari nemo dubitabat, conquievit. Ne autem matri religiosissimæ, Hedwigi ducissæ, mors filii Conradi Crispi præcordia dolore ingenti, repente denutiata, sauciaret, non ad funereas filii, sed ad visitationem ægroti venire regota est. Illa autem et cladem primum et mortem filii dudum in spiritu præcognoscens, et illum jam exstinctum esse sciens, nuntiis respondit : « Quare, inquit, languidum Conradum, filium meum, simulantes, » vivere illum confingitis ? Cujus occasus dudum » ante mihi fuit cognitus, quoniam sua temeritate » sanguis funderetur plurimorum. » Ivit dein ad exsequias filii, et justa illi pro ducalis dignitatis excellentia et pro maternæ charitatis affectu im- E pendit. *In hoc quasi duello, quo duo fratres germani de principatu Silesiæ contendebant, operæ pretium est animadvertere conflictum duorum populorum, qui in ista regione incipiebant ex æquo terram partiri, nempe Slavorum seu Polonorum et Germanorum. Jam pluribus principalibus connubiis intermixta erat gens utraque; sic Wladislaus II, Henrici Barbati avus, uxorem duxit Adelheidem, Henrici IV imperatoris filiam, aut, ut alii volunt, Christianam, Henrici V aut Leopoldi, marchionis Austriæ filiam* (6); *quidquid sit, certe avia Henrici e stirpe Germanica oriunda erat. Similiter et ejus mater, Adelheidis, Sulzbachensis comitis filia, soror imperatricis, conjugis Conradi II* (7). *Uxor vero Henrici fuit Sancta nostra* Hedwigis. *Pronum est porro judicare ex istiusmodi conciliatis nuptiis, ut etiam paulatim mores, consuetudines et leges gentis Germanicæ, utpote limatioris et politioris ingenii, in regionem conterminam, qualis erat Occidentem versus Silesia, paulatim transplantarentur et altiores in dies radices agerent. Est enim indoles gentis cultioris, ut etiamsi esset armis subacta, tamen victori artes suas, litteras, scientias et instituta paulatim inserat : ita olim Græcia victa Romam intulit suas F artes, mores suos, et victores Tartari a Sinis subactis leges et industriam acceperunt. Atque id tanto etiam facilius fit, quanto major est in cæteris, v. g. bellica virtute, soli natura et climatis indole affinitas. Tali nempe ratione, fiduciam conciliantibus connubiis, pedetentim usus et consuetudines amicæ nationis insinuantur.*

armis invicem aggrediuntur,

60 *Istiusmodi tamen mutationes, quæ intimam regionis cujusdam indolem afficiunt, leges moresque, longo sæculorum usu stabilita, subvertunt, gentem peregrina facie investiunt, tales, inquam, mutationes neque brevi tempore, neque sine lucta et collisione inducuntur. Est enim natio omnis quam maxime suorum institutorum tenax. Atque hæc quidem ad oculum apparent in germanisatione, si ita loqui fas est, Silesiæ. Repugnabant profecto Poloni moribus Teutonicis, et nonnisi ægre ad mores Germanicos inclinabant. Fraternum istud inter Henricum et Conradum Silesios bellum, licet ex privata principum ambitione ortum, vires tamen a mutua gentis*

Polonis pro Conrado

(1) Stenz. Scriptt., t. II, p. 106. — (2) Vita S. Hedwigis, n. 6. — (3) Gesch. der dioc. Breslau, t. I, p. 97. Cfr Henel. Annal. Siles. apud Sommersb., t. II, p. 243. — (4) Chron. Polon. Stenzel. Scriptt., t. I, p. 24. — (5) Hist. Polon., lib. VI, col. 615 et seq. — (6) Sommersb., t. I, p. 303. Cfr Stenzel. Scriptt., t. I, p. 16, not. 3. — (7) Ibid., p. 306.

utriusque

J. V. H.

utriusque invidentia sumebat. Id aperte dicunt Chronica tum Polonorum tum principum Poloniæ (1), *quorum posterius ita loquitur* : Conradus, qui plurimum exsecrabatur Theotonicos, ex diversis Poloniæ partibus exercitu congregato, fratrem, qui cum paucis Theotonicis fuit in Slezia, de terra propellere nitebatur. *Istiusmodi dissidia etiam in Ecclesia manifestabantur, cum Poloni, renitentibus Theutonicis, Silesiaca suis popularibus beneficia et prælaturas commissas contenderent. Sic in Vitis episcoporum Wrastislaviensium legimus* (2), *anno* 1319 *capitulum cathedrale, in duas partes scissum fuisse aliis Teutonem, Vitum, aliis Polonum, Lutholdum, episcopum eligentibus: permansitque toto fere septennio ingrata controversia, donec Joanne Papa XXII pronuntiante, Vito Teutonico cesserit victoria; ast illa quidem brevis, episcopo octo post diebus exstincto. In consequentibus electionibus, idem istud malum, ut l. c. videre est, grassabatur, donec Conradus episcopus, ut Polonis aditum ad Ecclesiam Wrastislaviensem præcluderet, statuto suo cavit* (3), *ne cuipiam liceret præbendam aut dignitatem in Ecclesia Wratislaviensi, nisi diœcesano aut doctori juris, theologiæ aut medicinæ obtinere. Hac quidam ratione videtur dignitas pontificalis deinceps apud* B *solos Teutonicos perseverasse.*

Teutonicis pro Henrico stantibus;

61 *Neque inter sæculares solum serpebat istiusmodi dissidium : sed idem malum Ordines etiam sanctissimos inficiebat. Hæc enim reperimus in epistola ab archiepiscopo Gnesnensi, Jacobo, directa die* XVI *Februarii* 1285 *ad legatos pontificios* (4) : *post deprædicatam gentis Polonicæ erga Sedem Apostolicam fidelitatem, pergit* : Nunc vero, subintrante gente Theutonica et jam per multa loca Poloniam occupante, non tantum vestræ sanctitati, verum etiam et nobis grave dispendium in nostris juribus provenit atque damnum. Romanæ quidem Ecclesiæ damnum provenit, quia dum fines Poloniæ per principes Theutoniæ occupantur, qui principes subsunt imperio et sic fines occupati devolvuntur ad imperium, et ob hoc Ecclesia Romana proprio dominio frustratur, subintrantibus tam militibus quam colonis Theutonicis in Poloniam, et occupantibus villas et alia loca, quæ Poloni possederant, et exinde de singulis capitibus solvebant censum Romanæ Ecclesiæ, videlicet denarium Sancti Petri, quem ipsi Theutonici, tam milites quam coloni, penitus solvere contradicunt, et sic C Ecclesia Romana privatur similiter jure suo et tandem omnino privabitur, nisi his per vestram solertiam efficaciter occurratur. Nobis vero per ejusdem gentis Theutonicæ ingressum ecclesiastica libertas et jura nostra nunc adimuntur, devote primitus observata, imo quædam penitus denegantur, sicut in solutione decimarum patet liquido, quas quidam eorum omnino non solvunt, quidam vero non jure terræ consueto, sed juxta primam consuetudinem gentis suæ. Sed et alia mala per ejusdem gentis ingressum multiplicata sunt in terra, dum gens Polonica despicitur, guerris concutitur, juribus et consuetudinibus patriæ laudabilibus privatur, noctis intempestæ silentio in propriis commodis capitur, et quod his est deterius, Ecclesiarum emunitas violatur et ecclesiastica censura per eosdem contemnitur et parvipenditur omnino. Et ut de aliis taceamus, hoc solum non sine dolore cordis referimus, quod et religiosi quidam gentis prædictæ, perniciosis exemplis alios seducentes, primi sunt ad irrumpendum et enervandum omnino prælatorum sententias et rigorem D ecclesiasticæ disciplinæ. Fratres siquidem Ordinis Minorum Theutonici, ejectis terræ Poloniæ filiis, non sine gravi totius populi atque nostro scandalo provinciam scindentes Poloniæ, quæ per filios terræ, fratres sui Ordinis, laudabiliter et honorifice recta fuit, nunc fecerunt et ordinaverunt Saxoniam nominari. Sed nec his contenti domos novas in medio Polonorum, nobis contradicentibus, recipiunt; in conventibus ipsorum singulis, quos retinent, vix unum aut nullum omnino fratrem Polonum in sui medio sustinentes, cum per fratres indigenas et prælatis Ecclesiarum debita reverentia sit exhibita et consolationi utriusque populi commodius et efficacius sit provisum. Nos igitur, ne de tantorum excessuum negligentia argui possimus et merito reprehendi, vestræ paternitati querelando duximus deferendum, quod sæpe dicti fratres Theutonici de provincia Saxoniæ in medio Poloniæ positi se censentes, nos et sententias nostras latas legitime vilipendunt pariter et contemnunt, et faciunt apud alios vilescere suis persuasionibus et perniciosis exemplis *etc.* E

quæ nationis dissensio utramque gentem diu tenuit.

62 *Quæ hactenus allegavimus, satis superque monstrant, quam insociabiliter ad invicem utraque gens se haberet, pacemque non nisi diuturno tempore componi potuisse. Populo magis favebat Teutonismus; atque hinc fiebat, ut et civitates et privati uti mallent jure Teutonico, quam Polonico. Etenim jure Polonico tum homines tum res multo magis obnoxii erant domino territorii, graviora erant onera realia et personalia* (5). *Curabant igitur cives jus Teutonicum introduci : sic circa annum jam* 1241 *Wratislaviensis civitas istiusmodi jure gaudebat, nam defuncto hoc anno Henrico II, S.* Hedwigis *filio, quum, aiunt Chronica principum Poloniæ* (6), *debuisset terra Silesiæ respirasse, contrarium accidit. Nam Boleslaus, Henrici filius, Wratislaviam tribus expeditionibus obsedit,* quæ quum adhuc novella, Theutonicis jure Theutonico illic se locantibus, foret viribus quasi nulla, se tamen in angustia sua se contrahens, viriliter defensavit (7). *Ex hujusmodi documentis, quæ plurima afferre possemus, videre licet Teutonismum paulatim sese moribus legibusque Silesiorum insinuasse : cui rei, ut præfati sumus, multum contulisse nuptias principum cum fœminis, Teutonico cretis sanguine : id certe constat Sanctam nostram* Hedwigem *vires suas intendisse ut Teutonicum per Silesiam elementum* F *magis semper magisque explicaretur : quod quidem meritis beatissimæ fœminæ adnumerandum videtur, quoniam tali ratione Silesiam intimius cum reliqua Europa Christiana conjungebat, religionemque catholicam potentius confirmabat. Simili modo, et eo sane, qui sanctitatis normæ undecumque consentanea est, explicatur præcipuus amor, quæ Sancta nostra in Henricum filium, utpote in Teutonicos inclinatiorem, ferebatur : dum Henricus Barbatus, qua Polonus, Conradum, filium Polonis faventem, anteferret.*

(1) Stenzel Scriptt., t. I p. 25 et 104. — (2) Sommersb., t. II. p. 289. — (3) Ibid., p. 193. — (4) Stenzel, Urkund. der dioc. Breslau, p. 152 et seqq. — (5) Ibid. Einleitung. p. XIX et seq. — (6) Stenzel. Scriptt., t. I, p. 107. — (7) Cfr Stenzel. Urkunde der dioc. Bresl., p. 6, not. 3.

§ VI.

A

§ VI. Varia bella ab Henrico Barbato gesta; ejus obitus; bellum Tartaricum seu Mongolicum, in quo periit Henricus II, filius S. Hedwigis.

Henricus I e manibus Swentopolki eripitur:

Circa annum 1227 alia series calamitatum in mulierem vere fortem S. Hedwigem *devoluta est. Wladislaus scilicet, Ottonis filius* (Odonicz), *dux majoris Poloniæ, quem Henricus Silesius anno 1216 hereditati paternæ restituerat* (1), *nunc fœdere inito cum Swentopolko, Pomeraniæ præfecto, patruum suum, Wladislaum Laskonogium, aggreditur. Verum hic in sui auxilium advocat Henricum Silesium, cum quo jam pridem intimam amicitiam contraxerat. Communi consilio indicunt conventum principum, habendum die S. Martini,* XI *mensis Novembris. Moras nectit Swentopolkus, et, Wladislao*
B *Odoniczio conscio, conventum per exploratores observat. Dum autem Ganzavæ (hodie Gonzawæ, in districtu Brombergensi, circulo Scubinensi) principes securi consultant, et plurimis rebus perfectis, balnea ad curandum abluendumque corpus intrant, Swentopolkus Pomeranus, collecta Pomeranorum et Polonorum manu valida, supervenit et hostiliter tam in hospitia quam in tabernacula ducalia et militaria irrumpens, omnes sibi resistentes obtruncat. Wladislaus quidem Laskonogius fuga primum se periculo subducit, sed brevia Swentopolko interimendus; ast Henricus Barbatus a carnificibus in ipso balneo comprehensus, aliquot sauciatur vulneribus, occubiturus sine dubio, nisi miles Peregrinus de Weszemberg, mira fide miraque devotione in principem suum, objecto proprio corpore, ducem ab exitio liberasset. Sic Wratislaviam in lectica transvectus, brevi curatus est.*

a Conrado Mazoviensi captus a S. Hedwige liberatur;

64 *Crudeli nece Wladislai Laskonogii, res Polonicæ plurimum turbatæ fuerunt. Vacabat nempe Poloniæ monarchia et tutelæ liberorum Wladislai providendum erat: utramque dignitatem ambiebant Conradus, Mazoviæ et Cujaviæ dux, defuncti Laskonogii frater, et Henricus, dux Sile iæ: atque hunc*
C *quidem annositas, et ducissæ viduæ amicitia, illum vero sanguinis propinquitas commendabant. Intricata controversia armis dirimenda commissa est: duobus porro præliis victus Conradus, omnem apparatum bellicum ad dolos et artes convertit. Jam siquidem Henr cus debellatum adversarium ratus, filium suum Henricum cum copiis in Silesiam remiserat, colonis ab utroque exercitu vexatis compassus, et securus in Cracoviensi ducatu versabatur. Conradus per exploratores suos de hoc statu rerum certior factus, faventibus etiam nonnullis Cracoviensibus, Henricum ducem, in Spytkowice consistentem et Missæ auditione occupatum, in ipsa ecclesia captivum fecit, atque in Masoviam deportavit. Verum Henricus, filius captivi ducis, paternam liberationem effecturus, ingentem exercitum conscripsit et hostili incursione Masoviam divexare intendit. Sed Beata* Hedwigis *plurima mala, clades, neces, Christiani sanguinis effusionem, incendia, vastationes terrarum, agrestium pauperumque oppressiones prævidens, ipsa se, frustra contra nitentibus suis, in Masoviam contulit, hostemque, nullis, ut dicebatur, precibus flectendum, adiit. Ad cujus conspectum Conradus, omnem, qua æstuabat, ferociam deposuit, et quasi victus, quodamque terrore correptus, omnibus* Hedwigis *votis ac precibus morem e gesturum promisit. Illa vero, Deo fisa, non solum virum a captivitate liberavit, d ssidentesque principes pro ea, qua pollebat prudentia, reconciliavit, sed etiam affinitatis jura, quo deinceps quietiores essent, inter ipsos connexuit; desponsando nempe binas ex filio suo neptes, Constantiam et Gertrudem Casimiro et Boleslao, Conradi filiis.* J. V. H.

composito bello.

65 *Insuper Henricus reliquit Conrado et tutelam filiorum fratris ejus et monarchiam Poloniæ. Quibusquidem omnibus jurejurando firmatis, pax inter principes opera S.* Hedwigis *firmata fuit. Nihilominus Gregorius Papa IX Henricum ab eo juramento, utpote vi et metu extorto, absolvit, quo spondebat se renuntiare tutelæ filiorum Laskonogii et monarchiæ Poloniæ. Neque id quispiam Henrico vitio vertere potest, quum inter juris peritos certum sit, jusjurandum vi et dolo extortum, si ab initio invalidum non fuerit, saltem esse, ut dicitur, rescindibile. Hæc quidem præcipue extraximus ex Historia Poloniæ Dlugossi* (2), *qui hæc gesta refert ad annum* 1228. *Ab-* E *solutionem pontificiam serius collatam arbitror, quoniam usque ad annum* 1230 *Henricus solummodo se ducem Silesiæ in diplomate* XIV *Septembris* 1230 *profitetur, quamvis aliis diplomatis ejusdem anni præter Silesiam etiam sibi ducatum Poloniæ et Cracoviæ adscribat. Quæ omnia tandem confirmata fuere bulla Gregorii IX data* 1235 (5). *Atque sic quievit perniciosum dissidium.*

Videtur tamen iniquior fuisse in res ecclesiasticas,

66 *Unum tamen non est dissimulandum, scilicet Henricum ducem, occasione istarum controversiarum, apud Gregorium Papam IX accusatum fuisse violatæ ecclesiasticæ immunitatis. Pontifex enim commisit Gulielmo, olim Mutinensi, post Sabinensi episcopo et S. R. E. cardinali, tunc suo pœnitentiario et Sedis Apostolicæ ad Septemtrionales gentes legato* (4), *ut contra Poloniæ principes, qui Ecclesias nequiter opprimebant, inquireret, et compelleret ducem Henricum Barbatum illatas episcopo Gnesnensi et aliis ecclesiasticis viris injurias et damna sarcire* (5). *Ast monitionibus ac mandatis Gulielmi morem non gessit Henricus, imo coram legato citatus princeps, ne per suos quidem procuratores comparere voluit, quocirca excommunicationis vinculo innodatus fuit, quod effugere, interposita* F *ad Sedem Apostolicam appellatione, quam frivolam appellat Gregorius, tentavit* (6). *Admissa nihilominus videtur appellatio; siquidem, ut habemus ex epistola Gregorii ad Henricum, Barbati filium, data* VIII *Kalendas Junii* 1238, *e qua præcedentia hausimus* (7), *archiepiscopo Gnesnensi et procuratoribus Henrici apud Sedem Apostolicam constitutis, Diaconus Cardinalis SS. Cosmæ et Damiani concessus fuerit auditor:* Coram quo, *inquit Gregorius,* aliquamdiu litigato, nos volentes eidem patri tuo sine juris læsione deferre, ipsum per abbatem de Stragon et collegas suas ad cautelam absolvi mandavimus, et citari coram nobis per se vel per procuratorem idoneum certo termino compareret, super principali facturus et recepturus, quod justitia suaderet. Sed ipsi formam mandati apostolici non servantes, licet ipsum juxta formam eis traditam citavissent, certo ei termino assignato; per alium tamen ipsum de facto, cum de jure non possent, absolvi fecerunt perperam ad cautelam.

(1) Ritter. Gesch. der diœc. Bresl., t. I, p. 98. — (2) Hist. Polon., lib. VI, col. 637 et seq. Cfr Stenzel. Scriptt., t. I, p. 19 et seqq. et 103. — (3) Stenz. Scriptt., t. I, p. 20, not. 3. — (4) Ughelli Ital., sac., t. II, col. 123. — (5) Raynald. Contin. Annal. Baron. an. 1236, § LXV. — (6) Ibid., an. 1238, § LVI. — (7) Ibid., § LVII.

67 Cum

J. V. H. quamvis utcumque excusari possit :

67 Cum autem in præfixo termino nullus pro eo, etiam post terminum expectato, nisi dumtaxat ad impetrandum et contradicendum, comparuerit procurator, dilectus filius noster S. tituli S. Mariæ trans Tyberim presbyter Cardinalis, super hoc a nobis deputatus auditor, ipsum merito reputans contumacem, eumdem in expensis legitimis, quas dictus archiepiscopus a tempore emissæ citationis fecerat, condemnavit. Tandem vero quidam, qui pro procuratoribus se gerebant, mandatum sufficiens exhibentes, recepto ab archiepiscopo supradicto libello, tam super exactionibus et gravaminibus antedictis quam damnis in villis, possessionibus, hominibus ac rebus aliis sibi et Gnesnensi Ecclesiæ irrogatis; nec non et expensis factis a tempore motæ litis super ipso coram eodem Cardinali aliquamdiu ad invicem litigarunt : sed antequam rumor de dicti patris tui obitu ad nostram notitiam pervenisset, ad litis contestationem non potuit perveniri. *Hortatur dein Pontifex Henricum filium, ut de illatis Ecclesiæ injuriis et damnis satisfactionem præstet. Quæ certe indicant Henricum seniorent seu Barbatum satis dure prælatos Poloniæ habuisse.* Cæterum, *ait Raynaldus laudatus,* si aspersa aliqua ipsius nomini labes ob Ecclesiam Gnesnensem afflictam videtur, hac excusatione detergi potest, in ea opinione versatum, ut jus suum juste persequi arbitraretur; vel ministros illius nomine (quod sæpius colligendæ principum gratiæ ac derivandi ad se alicujus quæstus causa facere solent) Ecclesiam illam oppressisse. *Equidem non mirarer id etiam in cogitatis Henrici intercurrisse, ut rem ecclesiasticam, quoad res temporales spectat, in Polonia ad normam quamdam Germanicam adigere voluerit, quæ populo passim minus onerosa erat* (1).

Henrici ducis obitus,

68 *Hisce controversiis necdum compositis immortuus est Henricus, S.* Hedwigis *conjux; cumque unanimi ore laudant rerum Silesiacarum et Polonicarum scriptores. Obiit autem Crosnæ, die* XIV *Kalendas Aprilis* 1238; *Vita quidem S.* Hedwigis *n.* 21 *dicit* circa *annum* 1237 *ducem extremam diem clausisse; quod, licet non omnino affirmet, errori tamen videtur simillimum: nisi tamen biographus initium anni* 1238 *a paschate illo anno in* II *nonas Aprilis incidente* (2) *duxerit. Quocirca Chronica principum Poloniæ scribunt* (3) : Tandem pius princeps cum beatissima conjuge sua Hedwige fere XXX annis amore castitatis simul continenter viventes, abstinuerunt utrobique a thoro conjugii, et ob gratæ religionis insigne tonsuram clericalem et barbam ipse dux Henricus ad instar gessit conversi, unde dux Barbatus est communiter nuncupatus. Qui ultimo ad inferiores sui principatus partes descendens, in Crosna videlicet, XIV Kalendas Aprilis feliciter diem suum clausit extremum, et inde deductus ad monasterium Trebnicense, quod ipse pro conventu sanctimonialium, in castimonia Deo servientium, magno studio pietatis pridem fundaverat et large dotaverat, ibidem anno Domini 1238 solemniter, sicut talem decuit principem, est sepultus. *Tumulus ejus Trebnicensis sequenti inscriptione ornatur* (4), *quæ compendiose præcipuas defuncti virtutes et dotes edicit :*

Dux Henricus, honor Zlesie, quem plangere conor,
Hic jacet, hunc fundans fundum, virtutis abundans,
Tutor egenorum, schola morum, virga reorum,
Cui sit ut absque mora locus in requie bonus, ora.

quem fortiter fert S. Hedwigis

69 *Porro mortem conjugis longe sibi charissimi non æquo solum, verum etiam forti animo tulit S.* Hedwigis, *imo, ut narrat ejus biographus n.* 21, dum omnes sorores in Trebnicz pro amissione tanti ac talis patroni et fundatoris monasterii flerent inconsolabiliter, ipsa siccis apparens oculis inter eas, fœminei cordis earum redarguebat mollitiem.... Præterea consolabatur illas in causa tristitiæ propriæ, non quod ipsa mariti mortem diligeret, quem in Domino diligebat, utpote virum religiosum et utilem populo, sed quia divinæ voluntati ipsa se nitebatur per omnia subdere et volebat constantiæ atque patientiæ exempla in tempore suæ tribulationis sororibus demonstrare. Similiter dum audivit filium suum, ducem Henricum, occisum in prælio Tartarorum, nullis erumpentibus lacrymis aut signis ostensis doloris, filiam suam, abbatissam in Trebnicz, et nurum suam, ejusdem occisi filii conjugem, flentes et quasi morientes præ tristitia consolabatur et dixit : Dei voluntas est et nobis placere debet quod vult Deus et quod placet Domino Deo nostro. In ipsa quoque hora exultavit in Domino spiritus ejus, levatisque in cœlum oculis et manibus, ajebat : Gratias tibi ago, Domine, quod talem mihi dederas filium, qui me, dum viveret, semper dilexit et in magna reverentia habuit, nec umquam in aliquo molestavit. Quem licet libenter mecum haberem in terris, ei tamen quam plurimum faveo, quod per sui sanguinis effusionem tibi Creatori suo est jam conjunctus in cœlis. Cujus animam tibi, Domino Deo diligentius recommendo. *Cæterum filii sui mortem, triennio antequam accideret, prædixisse testatur ejus biographus num.* 76; *quin et ipsum temporis momentum, quo occubuit Henricus dux, secretariæ suæ, Demundi, manifestavit, ut ibidem narratur.*

Mongoles Europæ inhiant,

70 *Occubuit autem Henricus II, dictus Pius, S.* Hedwigis *filius, die* VIII *Aprilis anni* 1241, *a Tartaris occisus. Erant porro hi Tartari, gens Mongolica, quæ duce Gengiskano, Sinense imperium universum suo jugo subegerat et late per Asiam dominata fuerat* (5), *quando circa annum* 1224 *hostes persequens ad fines hodiernæ Rossiæ pervenerunt* (6). *Erat porro gens effera et crudelis; quæ magnam misericordiam urbi captæ impendisse sibi videbatur, quando, quinquaginta millibus vita donatis, reliquam multitudinem, id est triginta millia incolarum morti, et alia totidem millia captivitati addixerat; quod quidem de Samarcanda, præcipua Indiarum urbe, referunt historici* (7): *imo serio apud Gengiskanum deliberatum fuit, utrum opportunum non esset omnem terram Sinensem septemtrionalem advastam, occisis omnibus accolis, solitudinem redigere, quæ lata præberet pascua armentis; sed vicit tandem benignior opinio, quæ tuebatur longe majus emolumentum fisco regio afferre agros cultos, ferrum, sericum atque his similia* (8). *Talis erat gens, quæ imperante Oktajo, ab anno* 1227 *patris sui Gengiskani successore, duce Batuone irruptionem in Occidentem moliebatur.*

Poloniamque, frustra contranitentibus

71 *Anno quidem Christi* 1236 *quingenta millia equitum Mongolum sub Batuone seu Bato Rossiam orientalem invaserunt : ac primum accolas Ponti Euxini subjugarunt, dein postquam Bulgariam in suam redegissent potestatem, Moscuam, imperii Rossiaci caput, acceperunt, qua in urbe, pacta licet deditione occupata, ingentem populi multitudinem gladio occiderunt, universamque regionem sibi tributariam et obnoxiam effecerunt. Neque hisce victoriis contenti, anno* 1240, *denuo Rossiam invadunt, et Kioviam occupant. Atque istinc copias sub Bela duce,*

(1) Stenzel. Urk. der diöc. Bresl. Præf., p. XIX. —(2) Stenz. Scriptt., t. II, p. 13, n. 2.—(3) Ibid.—(4) Sommersb., t. I, p. 312.—(5) Deguignes, Hist. des Huns, t. III, p. 53 et seqq.— (6) Ibid., p. 61.—(7) Ibid., p. 50 et seq. — (8) Ibid., 62.

quem

A (quem Petam dicit Jos. Ritter (1)) misit, qui Poloniam, Silesiam et Moraviam vastarent. Usque ad Vistulam progressi, occupataque arce, flumini imposita, iterum in Moscoviam sese recipiunt; ex qua hyemali tempore anni 1240 tertio erumpentes Vistulam, glacie solidatam, trajiciunt et Sendomiriam civitatem capiunt omnesque incolas ad internecionem cædunt; jamque Cracoviæ imminebant, quando in Moscoviam regrediuntur, quin princeps Cracoviensis, Boleslau , auderet repagulum regredientibus objicere. Sed audacior Wladimirus, Cracoviensis Palatinus, communem hostem apud villam Tursko, ad fluvium Zarna, aggreditur multosque occidit. Qua clade territi Mongoles, in Moscoviam abierunt, ut, redintegratis viribus sociisque conscriptis, fortiores in Poloniam irruere possent (2).

Polonis, invadunt:

72 Interea Poloni, victoria sua animati, novas quoque vires sibi etiam conquirunt : palatini Wladimirus et Pacoslaus ac Clemens, Cracoviæ castellanus, ad Sidloviam conveniunt et aciem cum Mongolibus committunt : initio quidem levem de hoste victoriam capiunt, sed barbari, unitis viribus, in Polonos irruunt, eosque infringunt. Consternati christiani terga hosti vertunt, terroremque Mongolici nominis late B propagant. Boleslaus quidem, Pudicus cognomine, una cum matre et uxore sua in Hungariam aufugit : Cracovia, a suis civibus deserta fit hostium præda, qui igne omnia vastant, ita ut ne una quidem ecclesia illæsa manserit, excepta S. Andreæ æde, extra urbem posita, in qua Poloni aliqui refugi vim Mongolicam repellunt : verum barbari, quibus non vacat hacce obsidione detineri, omissa ista qualicumque arce, porro pergunt usque Wratislaviam, quam incolæ ipsi ante irruptionem hostilem incendio destruxerant.

tunc Henricus II arma assumit,

73 Talis erat rerum facies, quando Henricus dux, S. Hedwigis filius, bellorum aleam subire statuit. Ineunte jam Januario anni 1241 Bela seu Peta dux cum suis Mongolibus tam nopinato Ratiboriæ, quæ Wratislavia circiter viginti quinque milliaribus Germanicis distat, imminuit, ut vix civibus tempus reliquum fuerit ad portas claudendas : urgebant foris hostes urbem, fame atrocissima intus enecatam. Verumtamen qua demum cumque ex causa, adhuc ignota, barbari die XVI Januarii civitatem obsidione liberant; unde in hunc usque diem Ratiboriæ festum in gratiarum actionem agitur. Sed mense Martio iterum hostes se urbi applicant, quam Mieslaus II, C dux Opoliensis conscripto exercitu, defendere satagebat: neque id quidem infeliciter, quoniam Mieslaus barbaros, occisis quingentis circiter viris fugavit, et Cracoviam usque persecutus est, ubi vis et robur Polonorum pro acie stabat. Ast hic quoque fortuna barbaris favit : nam die XVIII Martii in Chimielnik, prope Cracoviam cæsi fuere, Mieslausque per devia Ratiboriam regressus est; ubi opportuna sumpsit consilia ad urbis tuitionem (3).

prœliumque

74 Hisce ex tempore constitutis, perrexit Mieslaus cum militibus suis Henricum, Silesiæ ducem, qui exercitum triginta millium virorum conscripserat, conventurus. Nec multo post Mongolum ingens multitudo tertio in conspectum venit Ratiboriæ, qua tamen omissa, per utramque Oderæ ripam copias suas Wratislaviam versus dirigunt, omnia ferro et igne vastantes; erat autem ipsa Wratislavia a civibus suis aut a militibus jam flammis destructa. Atque ita demum Lignitium, ubi stabat Henricus cum exercitu suo, accedunt barbari (4). Milites porro suos Henricus dux in quatuor turmas distribuerat : primæ, militibus voluntariis et fossoribus Goldbergensibus constanti præfectus erat Boleslaus Szepiolka, marchionis Moraviæ filius; secundam, quam copiæ Cracovienses et Poloniæ superioris formabant, ducebat Sulislaus, Wladimiri, Cracoviensis palatini, frater; in tertia, ex Oppoliensibus et militibus Ordinis Teutonici coacta, dux erat præfatus Mieslaus : quartæ tandem, e selectis bellatoribus Poloniæ et Silesiæ conscriptæ, præpositus erat ipse dux Henricus. Mongoles quadrifariam etiam diviserunt exercitum suum, singulæque ejus partes numerosiores erant universo agmine christiano.

J. V. H.

infaustum committit.

75 In campo itaque, ait Dlugossus, quem contrahendo exscribimus (5), qui Bonus Campus, sive a soli ubertate sive quod in omnes partes porrectus et latus est, uterque exercitus V Idus Aprilis convenit. Prima turma, quam ex voluntariis et auri fossoribus conflatam diximus, initium, magno sibi studio efflagitatum, pugnæ fecit: acri primum impetu ab utraque parte concursum est, atque voluntarii et Goldbergenses primos Mongolium ordines lanceis confecerant; sed quum gladiis cominus res agi cœpisset, turma christiana, a barbarorum sagittariis undequaque circumacta, sagittarum multitudine obruta est : Boleslao Moravo cæterisque primorum militum cadentibus, residui ad Polonorum agmina refugerunt. E Duæ deinde catervæ, sub Sulislai et Mieslai ducatu consistentes, in pugnam succedunt, quamquum feliciter constanterque gessissent, ac stragem ingentem barbarorum fecissent, barbari primum pedem referre et, Polonis acrius instantibus, in fugam verti coacti sunt. Quidam interea de Mongolum agminibus, an autem Ruthenicæ aut Mongolicæ nationis essent, incertum habetur, inter utramque aciem celerrimo passu discurrentes, terribiles edebant clamores, Polonos quidem Polonice inclamantes, ut fugerent, Mongoles vero sua lingua, ut in pugna perseverarent. Ad hanc vocem Mieslaus, non hostem, sed amicum ex compassione quadam esse vociferatum credens, deserto prælio fugit magnamque militum, eorum præsertim, qui sibi in tertio agmine parebant, catervam in similem fugam traxit (6).

in quo ipse Henricus

76 Henricus autem dux, nihil Mieslai eorumque qui sub ejus erant agmine fuga deterritus, quartam suam aciem, ex melioribus et fortissimis pugnatoribus compositam, in prælium producit et barbarorum exercitum fugam capessere impellit. Sed Bathus pugnam redintegrat, labantibus ac disjectis Mongolibus opem fert, terribilique impetu in Polonos invehitur. Verum hi obnitentibus hostibus non cesserunt; F imo inclinante jam in Christianos victoria, barbari spectare cœperant fugam, quando specialis cujusdam vexilli signifer, vexillum suum agitare cœpit, probabilius, ut quasi signum ad incendendum stuparum manipulos, quibus fumum et fœtorem in hostes incuterent (7). Poloni, nebula offusi et odore stupefacti, vacillant; Mongolesque, horrido clamore sublato, in hostem irruunt, ac diruptis, quæ in id tempus integra perstiterant, agminibus, stragem ingentem edunt, in qua Boleslaus Moravus, et Pompo, Teutonicorum equitum magister ceciderunt. Henricum tamen ducem, fortissime pugnantem suus nondum exercitus deseruerat : sed, quando quidem cæteri omnes aut occisi aut fuga dilapsi erant, densa barbarorum corona cingebatur; ita ut a tergo et a fronte cingeretur : ob id tamen pugnam non omisit, sed obvios quosque interimendo Mongoles, per eorum multitudinem perrumpere nitebatur: facile tamen pauci a multis absorpti et obtriti sunt. Jam circa ducem Henricum nonnisi quatuor milites versabantur, Sulislaus, Wladimiri Cracoviensis

(1) Gesch der dioc. Bresl., t. I. p. 136. — (2) Ibid., p. 95 et seqq. — (3) Ritter. Gesch. der dioc. Bresl., t. I, p. 137. — (4) Ibid., l. c. — (5) Hist. Polon., lib. VII, col. 678 et seqq. — (6) De Guignes. Hist. des Huns. t. III, p. 98. — (7) Ibid., l. c.

frater, Clemens, palatinus Glogoviensis, Conradus Conradowiczet Johannes Iwanowicz : atque hi quatuor ducem Henricum, ne in discrimen necis incideret, quanta poterant vi, ex acie et prælio educere conabantur, rati, principe servato, cladem minus acerbam, minusque fœdam fore.

miser. occiditur :

77 Et respondisset forsitan eorum consilio effectus, nisi equus, cui dux insidebat, jam plurimis vulneribus confectus, cursum retardasset. Henricus itaque, ex insignibus ducalibus agnitus, barbarorum oculos in se unum traxit, stipatusque tribus commilitonibus (quarto, Joanne Iwanowicz, ab aliis segregato) undique hostilibus turmis vallatus fuit : neque propterea cum ternis sociis fortiter decertare cessavit. Interea Iwanowiczius equum recentem et integrum, a Rocislao cubiculario ducali repertum, Henrico, discussis hostium cuneis, exhibuit ; qui Iwanowiczium, per medios barbaros viam præsternentem, secutus, jamjam secure evasurus erat summum periculum, quando, socio et stratore suo vulnerato, et intercipitur fuga ac tertio a Mongolibus circumcingitur. Omni igitur salutis spe destitutus dux contra barbaros, undique prementes, audacissime dimicat. Dum autem manu dextera elevata,
B Mongolem ferire vellet, et altero barbaro lancea sub ascella transfixus, ex e.uo moribundus defluxit, quem Mongoles, clamore ingenti et vocum inconditarum strepitu sublato, capiunt, et extra certaminis locum pertractum framea capite minuunt, corpusque, suis insigniis spoliatum, nudum relinquunt (1). Hic fuit exitus prælii atrocissimi, quo ferociores effecti Mongoles universæ Chr.stianitati jam imminebant, nisi Deus hanc calamitatem ab Europa avertisset. Cæterum corpus ducis Henrici post dies plures, Mongolibus Ratiboriam abeuntibus, ad sepulturam quæsitum, dum inter cadavera, eo quod capite truncatum dignosci non posset, Anna ejus conjuge signum dante, pedem lævum sexdigitalem, tandem repertum, Wratislaviamque deductum, in ecclesia S. Jacobi, post S. Vincentii, FF. Minorum terræ mandatum fuit (2).

Mongoles tamen, licet victores,

78 Et vero barbaros Ratiboriam post tam insignem victoriam retrogressos fuisse, dum interior Germania aliæque regiones occidentales patereeorum armis viderentur, mirari merito quis posset. Nihilominus res probabiliter explicatur, quia nempe Mongoles, licet victores, multum viribus et ipsi attriti erant, similisque iterum victoria, tot suorum
C necibus parta, longe magis triumphatoribus quam triumphatis fatalis tandem fuisset. Ex epistola quidem Wenceslai III, regis Bohemiæ, habemus, ipsum cum potentissimo exercitu versatum fuisse juxta campum eo ipso, quo pugnabatur tempore, dieque pugnam subsequente in armis stetisse paratum ad hoste. viriliter excipiendos. Quod quidem inaudientes barbari, veriti ne hostem validissimum a tergo relinquerent, pedem retulerunt : hac scilicet ratione explicatur, quomodo tam subito tamque præcipiti cursu, omissis Germaniæ provinciis, Moraviam invaserint.

veriti aliorum principum arma :

79 *En verba Wenceslai* (3) : Tartari provinciam (*ni fallor, Hungariam*) occupaverunt potenter ; pars autem exercitus, quæ venit in Poloniam, duce et nobilibus terræ plurimis interfectis, ad partes Moraviæ terræ nostræ iter convertit, et adeo bestialiter et horribiliter eam devastat, ut etiam gladius eorum nullius parcat vitæ, sine differentia sexus, ætatis et conditionis : siquidem tempore, quo fuerunt in Polonia nos cum exercitu nostro vicini fuimus duci adeo, quod cum die sequenti D
postquam occubuit, cum omni virtute nostra contingere poteramus; ipse autem proh dolor! nobis inconsultis et irrequisitis cum ipsis congressus, ex qua re miserabiliter est occisus; quo experto, ad metas Poloniæ cum exercitu processimus, volentes die crastina de ipsis, divino mediante auxilio, condignam sumpsisse vindictam ; sed iidem proposito et intentione cognitis, fugam dederunt, et fluviis magnis et rapidissimis, quos transierunt, non obstantibus, naturali die solo in progressu XL milliarium expleverunt, et sic, ut prædictum est, in terram nostram Moraviam diverterunt, ubi moram trahentes, maxima et intolerabilia nobis damna inferunt incessanter, a maximo usque minimum cum mulieribus et parvulis jugulantes : claustra nobilium destruxerunt et monachos plurimos occiderunt : quocirca vestram dilectionem, de qua specialem gerimus fiduciam, rogandam duximus attentissime, quod amore Jesu Christi et pro fidei Catholicæ defensione, qualiter eorum sit obviandum in tempore malitiæ, vestrum nobis consilium pariter et auxilium dignemini exhibere.
E

quos ad bellum sacrum Papa convocarat,

80 *Incertum est, quoniam non indicatur, tempus scriptæ hujus epistolæ. Attamen quum Wenceslaus dicit, Tartaros seu Mongoles tunc, quando scribebat, in Moravia versatos fuisse, ad mensem Aprilem aut Maium anni* 1241 *omnino pertinere videtur epistola, si verum est barbaros uno tantum mense istic fuisse moratos* (4); *quod quidem insinuat etiam Joannes Dubravius, dicens hostes delusos ab Olomucensibus, quos ignavos timidosque arbitrabantur, consuetas vigilias relaxasse : de qua re certior factus bellidux Chri.tianus ex improviso hostes opprimit, occisoque eorum duce Peta, ad fugam coegit, qui, relinquentes M.rav am, septem dierum itinere in Hungariam ad Bathum, supremum belli Europæi imperatorem, pervenerunt. Interea Gregorius IX, qui jam* IV *Kalendas Martii* 1241 *Belam, regem Hungariæ, hortatus fuerat, ne Ecclesiam Dei in tanta necessitate destitueret suo auxilio* (5), *per alias litteras apostolicas, datas* XIII *Kalend. Julii ejusdem anni, abbatem S. Crucis Cisterciensem et Fratres Prædicatores ac Minores jubet prædicare cruciatam adversus barbaram irruptionem* (6).

in Rossiam regrediuntur.
F

81 *Neque hisce invitamentis surdas præbuerunt aures principes Christiani; plerique enim se ad bellum sacrum suscipiendum paratos expeditosque professi sunt. Conradus, Romanorum rex, Germanos provocat ad expeditionem Crucis* (7 , *S. Ludovicus, Galliæ rex, audita calamitate, exclamat : « Aut Tartaros repellamus, aut, si contingat nos vinci, Chr sti Confessores vel Martyres ad Deum migrabimus* (8) ». *Quin et ipse Fredericus II, imperator, tunc infensissimus Ecclesiæ Romanæ hostis, simulare saltem eumdem fidei defendendæ ardorem visus est, quum in hanc rem auxilium regis Angliæ expeteret: sed, ut ait Parisius, communis fama increbuerat, Tartaros a Friderico in perniciem Christianorum efferatos, sive ut eorum ope Ecclesiam everteret, sive ut, immisso crudelissimo hoste, Pontifex deturbandi ip.ius ex imperio consilia abj.ceret* (9). *Tandem Mongoles ex regno Hungariæ in Austriam processerant; quum vero istic oppositum sibi exercitum Christianorum validissimum sub vexillis Wenceslai Bohemi, ducum Austriæ aliorumque principum viderent, pedem retuerunt; quin et ipsam Hungariam deserentes in Rossiam confugerunt,*

(1) De Guignes. Hist. des Huns. t. II, p. 99. Ritter. Gesch. der diöc. Breslau. t. I. p. 137.—(2) Sommersb., t. I. p. 316.—(3) Stenzel. Scriptt., t. II, p. 462.—(4) De Guignes. Hist. des Huns. t. III, p. 99.—(5) Boczek Cod. diplom. Morav., t. III. p. 4. — (6) Ibid., p. 5 et seqq. — (7) Ibid., p. 10. — (8) Raynald. Cont. Baron. an. 1241, § XIII. — (9) Ibid., § XXIX.

A *runt, cui per ducentos annos occupatæ elementum Asiaticum Ruthenorum indoli inseruerunt* (1).

§ VII. Ad beatam mortem per Sacramentorum receptionem præparat se S. Hedwigis : ejus obitus, canonizatio et cultus.

Licet videretur sana, extremum inungitur;

Defuncto filio suo, Henrico II, non diu superstes mansit S. Hedwigis. *Quod vero imprimis notabile in narratione ejus obitus occurrit, illud est, quod voluerit Sancta ante ægritudinem suam extremo infirmorum oleo inungi. Cujus quidem rei exempla aliquot referunt ii qui sive de Sacramentorum ritibus sive de re theologica scripserunt. Sic Edmundus Martene, in suo de antiquis Ecclesiæ ritibus Tractatu* (2), *varios monstrat, qui sani hoc extremum Sacramentum recepere: Odilam, filiam Herimanni comitis, monachum Majoris Monasterii, divinitus* B *de proxima sua e sæculo migratione admonitum, et Ginguríanum, fratrem laicum Rugensis monasterii. Sed animadvertamus primo Sacramentum istud impensum fuisse iis, qui naturali morte e vita discessuri erant, et quidem quam proxime: unde mea sententia firmatur principium semper et ubique, saltem in Ecclesia Latina, receptum, ut solis infirmis conferatur extrema unctio; namque quæ afferuntur exempla id habent commune, quod agatur de morti proximis, proindeque hujusmodi hominibus, qui habebant jam intra se, quamvis occulte, causam proximam mortis, atque adeo morbum gravem, qui sufficeret ad conferendum extremum morientium Sacramentum. Unica adest differentia inter casus hos speciales et ordinarios; quod nempe in illis prophetæ, in his vero medico fides adhibeatur, quæ quidem differentia essentialis non est. Sic quoque Sancta nostra* Hedwigis, *quamvis sana et incolumis videretur, revelatione tamen cœlesti sciebat habere in se morbum occultum, in morte resolvendum; erat ergo causa sufficiens, siquidem crederetur mulier sanctissima, supernis luminibus illustrata, ut petenti Sacramentum administraretur, quod ejus confessarius denegare noluit, nec forsitan etiam potuit.*

C

et Idib. Octobris 1243 sancte obit:

83 *Cæterum id etiam certum habemus S.* Hedwigem *sat diuturno morbo laborasse antequam moreretur; quoniam ut habet biographus noster num.* 86 *ægrotasse jam referatur, sororibus post insultum Tartarorum, id est anno* 1241, *revertentibus: nulla enim adest ratio, ut conjiciamus moniales per solidum biennium extra claustra absque necessitate vagatas fuisse. Sanctam porro obiisse die* XV *seu idibus Octobris omnes consentiunt gravioris notæ scriptores, et si qui secus loquuntur, id ignorantiæ aut librariorum vitio adscribendum est. Hæc habet biographus noster n.* 91 : Transiit autem Beata Hedwigis ex hoc mundo anno Domini millesimo CCXLIII idibus mensis Octobris circa horam vesperarum, ut illa utique hora, qua solita fuit in quotidiano jejunio corporaliter cibo arido refici, transferretur ad delicias cœli et ad interminabilis requiei sabbathum, cum Sanctis omnibus celebrandum. *Quod itaque Sommersbergius refert* (3) *S.* Hedwigem VII *Idus seu die* IX *Octobris discessisse ex hoc sæculo et idibus ejusdem mensis sepultam fuisse, non magni ponderis habendum est, quando scriptor ejus Vitæ subæqualis constanter absque ulla varietate lectionis asseverat diem sanctæ emortualem esse* XV *Octobris. Et quoniam quidem statuimus supra num.* 31 *natam S* Hedwigem *circa annum* 1174, *manifestum est illam fere septuagenariam obiisse.* J. V. H.

miraculis clara, de ejus canonizatione

84 *Postquam ex hoc mundo discessisset S.* Hedwigis, *quam Deus pluribus et illustribus miraculis, tam in morte quam post mortem, glorificaverat, continuo, uti videtur, agi cœptum est de ejus canonizatione. Statim enim ac spiritum exhalavit, sorores Trebnicenses, ut habet biographus noster num.* 93, cum magno accurrentes desiderio et animi aviditate, quævis, quod poterat, de Reliquiis capere corporis rapiebat. Aliæ namque digitorum, aliæ pedicarum ejus ungues, quædam vero capillos sancti capitis præcidebant. *Et re quidem vera, vix viginti annis ab obitu S.* Hedwigis *elapsis* dum, *ut loquitur bulla canonizationis,* tot panduntur miracula... non potuit non fervere populi fidelis devotio, non clamor arceri, quin in mundi notitiam expeditis adduceret labiis supradicta. Sicque vos *(archiepiscopus Gnesnensis ejusque suffraganei)* et nobiles viri, duces ejusdem provinciæ, ipsius popul clamoribus vehementius excitati, ne Dei magnalia supprimendo videremini digne E de ingratitudine posse notari, una cum dilectis in Christo filiabus... abbatissa et conventu ejusdem monasterii, in quo cum illa, quæ decuit, honorificentia est reconditum corpus ejus, felicis recordationis Urbano Papæ (IV) prædecessori nostro rem, in præmissis gestam, prout veritas postmodum est comperta, curavistis exponere seriatim, devotione supplici et instantia non remissa petentes, ut Sanctam ipsam, quam vita et miracula Beatorum collegio prænunciaverant aggregatam, inter Sanctos cæteros celebritate faceret congrua venerari.

agere jubet Pontifex Romanus,

85 *Igitur, ut habet biographus noster num* 165, dominus Volimirus, Wladislaviensis episcopus et frater Simon, prior provincialis Poloniæ Fratrum Prædicatorum, examinatores a Sede Apostolica deputati sunt, qui vitam et miracula B. Hedwigis investigare et examinare cœperunt anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, septimo Kalendarum Novembris, depositiones et nomina testium totumque processum suum circa hoc sibi commissum negotium inscribentes et sigillis appositis transmittentes Summo Pontifici, significaverunt eidem, quod etiam alia multa signorum genera et curationes ægritudinum, quas a fide F dignis meritis B. Hedwigis factas audierant examinare nequiverunt propter difficultatem testium advocandorum partibus de remotis. Unde a Summo Pontifice secunda eis facta fuit commissio super eodem negotio inquirendi et tunc denuo ad examinationem procedentes invenerunt plura prioribus, quæ conscribentes, iterato ad Sedem Apostolicam transmiserunt. Prima ergo supradicta examinatio facta est in loco capituli sororum Trebnicensium, anno Domini memorato; secunda anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, X Kalendarum Martii, in domo earumdem Sororum; tertia anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, sextodecimo Kal. Apr., ibidem in ecclesia S. Bartholomæi; quarta eodem anno Wratislaviæ in domo Fratrum Prædicatorum septimo Kalendas Aprilis. In aliis etiam locis examinationes fecerunt de istius Sanctæ vita et miraculis prælati et inquisitores prædicti. *Ad Canonizationem S.* Hedwigis *urgendam missos Romam legimus Nicolaum Scholasticum et Salomonem archidiaconum, Cracovien-*

(1) Ritter. Gesch. der diöc. Bresl., p. 139. — (2) Lib. I, cap. VIII, art. 1, t. I, p. 296. Edit. Venet., 1783. — (3) Silesiac. rer. Scriptt., t. I, p. 313.

ses,

J. V. H. *ses, Herebertum, decanum Wissegradensem et multas alias personas honorabiles, ut habet biographus numm.* 166 *et* 167 (1).

quæ tandem a Clemente IV perficitur:

86 *Sed causam retardante obitu Urbani IV, qui ei successit Clemens IV*, quamvis, *ait biographus num.* 167, idoneo multorum testimonio esset sufficienter instructus de prærogativa meritorum dictæ B. Hedwigis, desiderabat tamen signum a Deo per ejus merita fieri, quod dum corporeis conspiceret oculis, ipsius etiam ipse testis existeret sanctitatis. *Narratur dein sanatio filiæ ipsius Papæ Clementis, quam olim militiæ sæculari deditus de legitima sua uxore habuerat : ac tandem dicitur S.* Hedwigis *canonizata Idibus* (XV) *Octobris* 1267. *Siquidem veram habeamus istam canonizationis epocham, dicendum meo judicio erit, biographum agere de solemnitate per Silesiam celebranda; etenim quum ipsa bulla, qua S.* H·dwigis *Albo Sanctorum adscribitur, data sit* VII *Kal. Aprilis* (XXVI *Martii*) *quæ anno* 1267, *signato littera dominicali* b, *incidebat in sabbathum ante dominicam* IV *Quadragesimæ, quæ* Lætare *vocatur, recte aptantur dicta biographi num.* 168, *referentis miraculum multiplicatorum piscium*, dies enim illa, in qua prædicta

B peragebantur solemnia, erat abstinentiæ nec carnibus in ea uti licebat, nec pisces pro tali festivitate competentes haberi poterant. *Unde quoque non censeo admittendam eam variantem lectionem codicum Trebnicensis et Lubensis, quæ diem canonizationis assignat anni* 1266 XVIII *Kal. Decembris* (XIV *Novembris*), *quæ illo anno incidebat in diem Dominicam, quo proinde carnibus vesci licebat. Hac ratione et suus constat dies bullæ datæ, nec omnino aberrasse dicendus est biographus, qui non tam actum pontificalem, quam celebritatem Silesiacam indicare visus est. Bullam canonizationis subnectimus.*

cujus bulla exhibitur:

87 Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Gneznensi et ejus suffraganeis salutem et apostolicam benedictionem. Exultat cunctorum fidelium pia mater Ecclesia, novæ laudis prodeuntem ex intimis jubilum productura ex eo, quod declinante mundo ad vesperam, tamquam inæstimabilem margaritam invenisse fortem dignoscitur mulierem, cujus constantis animi munimenta nec aries, ex adversis impulsus eventibus, quatere potuit, nec ab illo ipsam avertere, quod in mentis utero digne conceperat proposito sanctitatis. Sed cum inven-

C tionem difficilem sapiens asserat hujusmodi mulieris, quænam sit illa, deducatur in lucem et habeatur ejus notitia, ne ab hominum, ignorantiæ nebulis notione subducta, laudum defraudetur præconiis, quibus per mundi climata est suis ubilibet meritis attollenda. Non enim quam tantæ virtutis titulus illustravit, decet amplius occultari sub modio, quodque teneatur in abditis, quam divina meritorum cumulo benignitas sic provexit. Nec enim fortium mulierum voluit antiquitas oblivisci, sed supra candelabrum virtutis et gratiæ sic posuit et erexit easdem, quod ipsarum memoriam edax non potest abolere vetustas, et, quæ aliorum bona graviter inficit fascinatio, denigrare. Hinc Judith et Jahel, quæ Holofernem et Sysaram virili dextera peremerunt, suorum claritate gestorum ipsa deputavit perpetuis antiquitas monimentis, ut, quæ antiquis utilitati fuerunt, esset deinceps ipsarum prorogata memoria posteris in exemplum. Propter quod, ne ipsi antiquitati, quæ sollicitudinis manum, ut posteris ipsis proficeret, a laboribus non subduxit,

quæ, ut nobis disciplinæ ac morum relinqueret D instituta, noctis observavit excubias, dissimiles judicemur, dignum duximus, quæ sit mulier ipsa et quid egerit expressius aperire, ut id eos minime lateat, quos in sinceritatis proposito pia reddit devotio studiosos.

S. Hedwigis virtutes deprædicantur;

88 Et quidem ipsa est piæ memoriæ sancta Advigis, cujus per sanguinis derivationem natalium claritas sic refulsit, quod ab his, qui sceptra gestarunt regnorum, quosque insignes efficit imperii celsitudo, tamquam propago generosa processit, radiis nobilitatis plus splendoris adjiciens ex se ipsa, quam sibi, unde originem traxerat, provenerit ex radice, pro quo, si secundum carnem et mundum gloriandum fuerat, merito potuit, nullo blandiente mendacio, gloriari. Sed cum hujuscemodi gloria plerumque virtutis prospectum evacuans in elationis præcipitet vitium, quos exaltat, ut in ejus pectore virtus Christi per gratiam redundaret uberius, non in ea, quæ est carnis nobilitas, sed in suis dumtaxat infirmitatibus gloriam assumebat, advertens, fructibus divinæ dilectionis nequaquam destitui nec munere supernæ benedictionis illos fraudari, quos salutiferæ infirmitatis acredine a Patre contingit benevolo visitari. E Porro, dum puerula fuit, vix quidquam puerile gessit in opere, et productioris ætatis tempore succedente, ne adversario ulla occasio maledicti suppeteret, cum claræ memoriæ Henrico, duce Poloniæ matrimonium duxit legitime contrahendum, in quo, impartitum bonum conjugii salubriter conservando, sic prudenter se gessit, quod thori fidem inviolatam custodiens, prolem in Dei timore susceptam erudiens, ab ipso duce, cui non præcipiti voluptatis affectu, sed discreto semper inhæsisse judicio creditur rationis, quousque sorte fatali est assumptus de medio, per separationis injuriam non divertit, licet, ut orationi et contemplationi vacarent devotius, thorum ex pari voto et consensu unanimi per multa annorum curricula habuerint sequestratum, cum Creatori suo minus obsequi valeat ad plura distractus animus et viro placere cupiens mulier in his, quæ Dei sunt, interdum segnior habeatur.

præcipue in statu viduitatis

89 Ipso denique duce, christianissime, prout asseritur, spiritum exhalante, protinus ad illius, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, tamquam libera et a lege viri terrestris soluta, familiare consortium amplius aspiravit, sed cum non F inveniatur in terra suaviter viventium, cœtumque malignantium detestetur, ubi potuit, cum totus mundus in maligno sit positus, reperire, ubi eum quæsivit, ubi illum invenit, cujus desiderio languit, et quidem dum difficultatem inveniendi attenderet et non posset non quærere quem amabat, fluctuabat nimirum ipsius animus et inter perplexitatis scopulos vehementius jactabatur; urgebat namque amor quærere, sed difficultas inveniendi quærendum interjectis obicibus sui finem propositi retardabat, sicque dum in ancipiti teneretur, Sacræ demum Scripturæ relatibus est ejus auribus cœlitus instillatum, quod invenitur in campis silvæ et est cum simplicibus sermo ejus. Tunc sollicita discurrere cœpit indagine et perquirere tota mente, ubi sunt isti campi, quos sua Deus præsentia sic illustrat et in quibus illa viget simplicitas, quæ digna divinis affatibus perhibetur. Sed qui dat intelligentiam spiritus, ei nutanti confestim occurrit et nodum cujuslibet dubietatis dissolvens campos silvæ, loca religionis explicuit, in quibus, tam-

(1) Cfr Prosp. Lambertini (Bened. XIV). De Canoniz. SS., lib. I. cap. XX, n. 12.

quam

A quam in mundo non sint, quæ mundi sunt non aguntur, sed tanto quod optabat in eis reperitur facilius, quanto a tumultibus sæculi amplius secernuntur. Hinc Sancti Spiritus unctione, cujus est docere de omnibus, taliter erudita, casti amoris suffragante vehiculo, ad monasterium de Trebnicz Cisterciensis Ordinis eo celerius trahitur, qui minus terrenis affectibus aggravatur, in cujus quidem monialibus intentionis simplicitas et mentis puritas sic placebant, quod cum eis esse * divina clementia poterat suas delicias deputasse. Et licet quæ regularis disciplinæ fuerunt, quantum suo licebat statui, præ cunctis monialibus observaret, votum tamen professionis emittere et renuntiare proprio renuit, non ob aliud, prout fertur, nisi ut haberet unde palmam porrigeret inopi et aperiret munificentiæ dexteram indigenti.

* usso videtur superfluum.

per orationis assiduitatem,

90 Invento atque ibi, quem quæsierat anima sua, floridum in conscientia sibi protinus lectum parat et ex suavi contemplatione tamquam ad ejus amplexus admissa, haustu novæ capta dulcedinis ex tunc amarum censuit quidquid calix propinat aureus Babylonis. Dedignabatur enim tamquam ejus inebriata amore loqui seu audire de alio quam B de ipso, munera venerabatur ipsius et deligens ejus amicos et ad ipsius se nutum componens non creditur, quam adimplere prorsus studuerat, ejus scienter transgressa postmodum voluntatem. Sed qui Evam omnium matrem seduxerat, similem matri filiam æstimans invenire, postquam mundum ab ea contemni et conculcari præsensit, fraudis ordiebatur commenta, virus iniquitatis fundebat et acuens vitiorum sagittas, ipsam conabatur pervertere, cui cœlestibus inhærenti, unde ipse corruerat, invidebat. Quia tamen frustra rete ante oculos jacitur pennatorum, cum ipsa ejus novisset astutias, parum ipsius insidias procul dubio formidabat. In sublimiori enim, quam vallo virtutum munierat, arce feliciter se tenebat, ubi velut divino fulta præsidio ipsum inimicum prostravit, castra subvertens ipsius et ejus machinamenta despiciens, telum minime timuit, quod inimicus ipse ad perdendum hominem de pharetra sæpius impietatis educit. In hoc apparens prædictis mulieribus eo fortior atque præstantior, quo magnificentius est spiritualem quam temporalem hostem prosternere et triumphi gloriam de ipso finaliter reportasse; cum plures, velut per eum seductos legamus, C pectora deputasse delictis, qui terga visibilibus hostibus non dederunt. Sed ubi peccati fomes, ubi carnis fragilitas et domesticus inimicus? Numquid cessit certamini, pugnare renuit et cum ipsius Sanctæ mulieris congredi spiritu dubitavit? Non enim in hoc mortali corpore prorsus potest extingui, sed latens in medullis serpit in carne, furit in venis et in vitiorum insaniam nisi cohibeatur, erumpit.

pœnitentiæ austeritatem,

91 Quod utique ipsa prudenter attendens, vigiliis et jejuniis quasi assiduis et vestium asperitate stupenda, velut temperantiæ vomere sic corporis terram excoluit, quod vitiorum spinas et tribulos tamquam ipsi subacta spiritui non produxit. Cumque corporis sui ager, tanta sollicitudine cultus et fructuum honestatis fuisset ubertate refertus, ipsum Deo hostiam obtulit in suavitatis odorem, concupiscentias ejus mortificans et non carnem; quia profecto non esset cum ratione obsequium, si quis ad interemptionem corporis niteretur et de ipso fieret hostia, quæ non viveret per naturam. Postremo in omnibus his ei non defuit quæ est lima et auriga virtutum, prudentia, sed cuncta per eam sic promovit et direxit gerenda, quod nec excessus in modo nec in ordine fuit error. Quid enim fuit prudentius, quam gratis obsequiis cœlestis regis thalamum promereri, quid seriosius, quam momentaneis æterna et temporalibus sibi mercari divina? Si enim Abigail prudentissimam Scriptura commemorat, quia David, quem sermone disserto prius placaverat irritatum, est per interventum connubii conjux effecta, quanto ista ea debet censeri solertior, quæ et sponsa Christi meruit fieri et orationum fragrantia, quibus se dederat incessanter, ipsum pronum fecit ad gratiam, provocatum interdum delinquentium excessibus ad vindictam? O virtutum forma, pudicitiæ titulus, naufragis portus et in via morum errantibus semita veritatis! O vas admirabile, opus quidem excelsi, quod in terris Deus constituit, ut his, qui recto sunt corde, foret sinceritatis speculum vita ejus. J. V. B.

humilitatis sinceritatem

92 Nam illius fuit humilitatis dum viveret, quod per illum modum pauperum se deputavit obsequiis, quod eis flexis interdum genibus vitæ necessaria ministravit et manum leprosis ex voto compassionis exhibens liberalem, erumpentia saniem ipsorum ulcera nequaquam abhorruit, non morbi contagiosi formidavit periculum, sed quo sedulitatis studio, quo ad Deum et proximum ipsam amplius vis urgebat amoris, eo dictorum leprosorum subsidiis accuratius se inflexit, ita quod ubi producebantur hujusmodi ulcera, continuo viscera pietatis, tamquam ipsorum infirmitatem indueret, solvebantur in ea. Illius quoque in omni sinceritate devotionis permansit, quod ex aqua, cum qua ejusdem monasterii moniales laverant pedes suos, tamquam per ipsarum contactum aliquid ei sanctitatis inesset, faciem sibi et oculos sæpissime aspergebat. Divinis officiis et Missarum præsertim sic attente vacans solemniis, quod a solis ortu usque ad meridiem ab ecclesia, dum hujusmodi dicerentur officia, non discessit, non torpore languida, nec acediæ quantum perpendi poterat malo interim fatigata, nec tamen sessionis, cum hujusmodi solemnia cantarentur quis eam æstimet se dedisse quieti, cum tunc vel staret erecta vel curvato poplite oraret reflexa. E

et omnimodam patientiam:

93 Cujus vero in obitu quondam Henrici ducis Silesiæ, unici nati sui, patientiæ fuerit, non est prætereundum silentio, cum id Deum timentibus delectabile sit audire. Ingressus enim est ad ipsam doloris bajulus, veste lacera vultuque demisso, et ejus singultu sæpius interrumpente sermonem vix, quomodo idem dux, vir utique gloriosus, tartaricæ gladiis feritatis occubuit exprimere potuit, hujusmodi singultibus impeditus. Quo tandem audito ipsa non contraxisse faciem, non emisisse suspiria dicitur, sed exultante spiritu protinus respondisse: « Gratias tibi ago, Domine Deus, quod talem mihi dare dignatus es filium, qui nullas umquam mihi molestias ingerens, me semper honore coluit et filiali affectione dilexit, et licet ipsum, dum vivo, lætarer habere præsentem, ei tamen in hoc congaudeo, quod per viam martyrii suo meruit Redemptori conjungi, ipsius itaque animam tibi suppliciter recommendo. » O verbum acceptione dignissimum et monimentis perpetuis solemniter annectendum! Sed pro Deo quid fuit, in casu tam flebili ubi tota patria suam orbitatem deflebat, non eam mœrore affici et fletibus non perfundi, nisi quod ipsum præmissum noverat, non amissum, et ut matribus in morte filiorum immoderate mœrentibus esset efficax medicina doloris et consolationis exemplum. F

94 Denique cum in spirituali certamine vincenti in

J. V. B. quibus virtutibus immortua est:

in præmium debeatur corona, volens ipsam eidem reddere justus judex, quam, mundum, carnem et diabolum superans, sibi debitam fecerat tot triumphis, ipsam suis stigmatibus insignitam, corporis mole deposita, vocavit ad patriam, illa sibi regni corona concessa, quæ non marcescit, non tollitur nec arescit, sed felicem perenniter efficit, quem fulgoribus gloriosis insignit. Non enim tempori, quod corruptionis est causa, subjacet hæc corona, cui semel conceditur, postmodum non aufertur, cum ea concessa non possit ingratitudo committi, quæ est causa sufficiens muneris revocandi, cumque semper inhæreat fonti vitæ, numquam deponit virorem nec dispendiis ariditatis afficitur, cum sine intermissione irriguum percipiat talis fontis. Quis non ad hanc venire festinabit coronam? Quis labor, quod onus, quæ tanti non leviget præmii magnitudo? aut quæ ad præsens amaritudo tam vehemens, tam molesta, quæ tantæ remunerationis non dulcescat stipendio? O felicem fœminam, quæ hanc coronam obtinuit, quam bonorum omnium exhibet retributor! Regali itaque diademate sic insignis cœlesti regnat in patria, non immemor exulum suspirantium ad ipsam cum
B lacrimis, quod suis adeo beneficiis consolatur, quod suorum interdum reatuum veniam et languorum percipiunt ejus patrocinio medicinam legitime in hoc mundo certantes: quod quidem subjecta declarant evidenter miracula, pauca ex multis ad præsens electa tamquam validissimis et indubitatis testimoniis procul dubio comprobata.

varia Sanctæ intercessione

95 Nam puer quidam fuerat casu fortuito delapsus in amnem, quo per alveum ligneum sub rota molendini dum volveretur deducto, stetit ipsa rota, revolutionis officio propter hoc impedito, et dum ab his, qui ipsius custodiæ præerant molendini, cur istud accideret exquiritur diligenter, ipsorum de puero offertur aspectibus, quæ super aquæ verticem pedum extremitas ferebatur. Et licet compassionis spiritu suggerente, ipsum de aqua ubi per horam et amplius sic stetit immersus deducere moliuntur, eis tamen, rotæ magnitudine obsistente, perficere nequeunt, quod ex officio pietatis intentant. Sed ut ars virium suppleat ingeniosa defectum, rotam ipsam quibusdam artificiose instrumentis adhibitis cum puero sursum trahunt, cujus corpus sic erat ob ipsius magnitudinem rote compressum, quod in ea parte, qua
C venter dorso dignoscitur adhærere, redactum id judicent ad spissitudinem palmæ manus. Cumque attritum, gelidum et nimio esset rigore protensum, ita quod ipsum exanimem testes assererent procul dubio extitisse, ipsius Sanctæ nomine suppliciter invocato, vita sic redditur puero, quod suis mane diei sequentis, nullo in eo perdurante læsionis vestigio, pedibus ambulavit.

enarrantur

96 Fuit etiam quædam nobilis mulier quæ propter vehementem et diutinam cephalicam passionem illam caliginem incurrerat oculorum, quod eorum intuitu defectivo manus ejus non poterat comprehendi et cum ope medicorum sibi succurri non posset, ad ipsius Sanctæ sepulcrum adducitur, ubi munere protinus sanitatis adepto, recidivæ passionis molestiam postmodum non incurrit. Alia quoque mulier fuit, quæ nervis contractis, pedes per annum habuerat inhabiles ad progressum, cujus ita utrumque femur computruit, quod vermibus inde nascentibus erat expositum corrodendum. Cumque ad ipsum tumulum suffragio fuisset amicorum portata, inde sana, sustentationis alicujus subsidio in domum revertitur non adjuta.

obtenta miracula:

97 Insuper quidam fuit, qui tantam a puero gracilitatem habuerat tibiarum, quod vix cannæ grossitiem excedebant et idcirco nec ire poterat nec standi etiam super eas habebat aliquam facultatem, et tamen se ad ejus sepulcrum appodians, ejusdem implorato subsidio reverenter, prius quidem non absque timore, sed procedente tempore tibiis solidatis et ad debitam quantitatem perductis, omni trepidatione semota, libere atque secure perrexit. Alia quoque mulier fuit, quæ manuum, pedum et linguæ erat prorsus, imminente paralysi, officio destituta, sed quam cito ad locum, in quo ipsa Sancta fuerat tumulata defertur, in integrum suscepit sanitatem et ad illa restituitur evidenti miraculo, quibus eam prædicta privaverat ægritudo. Fuit etiam quidam nobilis, qui biennio et amplius a lecto ægritudinis non surrexit ex eo, quod paralysi in dextera corporis erat parte percussus, quæ, tegmine pellis amoto, plena remanserat foraminibus cancerosis. Et cum effectum cujuslibet medicinæ morbi excederet magnitudo, ad tumulum ipsum manibus amicorum portatur, ubi in lacrymas resolutus sanitatem ad plenum fletibus impetrat, quam ei medicina conferre carnalis etiam periti medici studio non valebat. E

hisce omnibus motus Pontifex,

98 Tam variis itaque morbis non dissimile sed unum paratur antidotum et remedium singulare, quod ex devotionis et fidei puritate conficitur ad salutem, quod euangelica mulier et rex ille, cujus orationem audivit et lacrymam vidit Dominus, in suis infirmitatibus sunt experti, cum fides illam salvaverit et ad augmentum dierum sibi, sanitate indulta, cum lacrymis oratio alterius sit admissa. Hinc regnat virtus, vitium exulat et accrescente merito eliminatur impietas. Sed ubi provincia Poloniæ tantis decoratur muneribus, ejus pretiosi corporis ditata thesauro, quid apud Deum favoris et gratiæ sibi poscenti poterit denegari, ex quo apud ipsum talis advocatæ meruit præsidio confoveri? Quod enim Polonos ipsos suo susceperit patrocinio promovendos, hoc sit eis in signum, quod ipsis relinquit in pignus corpus ipsum, sui videlicet spiritus indumentum, nec tamen per hoc credatur sic eam Polonorum esse patronam, quod aliorum vota fidelium non promoveat coram Deo, cum in patria nunc perfectius habeat, quam habuisset dum viveret, et tunc tamen diffusam ad omnes obtinuit caritatem. Sed dum tot panduntur F miracula, crebrescunt signa et beneficia conferuntur, non potuit non fervere populi fidelis devotio, non clamor arceri, quin in mundi notitiam expeditis adduceret labiis supradicta. Sicque vos et nobiles viri, duces ejusdem provinciæ, ipsius populi clamoribus vehementius excitati, ne Dei magnalia supprimendo videremini digne de ingratitudine posse notari una cum dilectis in Christo filiabus *... abbatissa et conventu ejusdem monasterii, in quo cum illa, quæ decuit, honorificentia est reconditum corpus ejus, felicis recordationis Urbano Papæ prædecessori nostro rem, in præmissis gestam, prout veritas postmodum est comperta curastis exponere seriatim, devotione supplici et instantia non remissa petentes, ut Sanctam ipsam, quam vita et miracula Beatorum collegio prænunciaverant aggregatam, inter Sanctos cæteros celebritate faceret congrua venerari.

* Gertrude, Sanctæ filia

post diligentem inquisitionem, B. Hedwigem Sanctorum

99 Et quidem, licet vestræ devotionis sinceritas in porrectione petitionis hujusmodi, in eo quod sic porrigebatur, commendabilem se præberet, quia tamen circa præsentis vitæ judicium, quæ Sanctum efficit, si eam finalis justitia comitatur, Ecclesiam ipsam decipi plerumque contingit, ne quicquam

A quicquam fraudis incideret seu erroris in præmis-
sis surreperet, oportuit super hoc non præcipiti
festinatione sed decenti adhibita procedere gravi-
tate, quod idem prædecessor diligenter advertens
per venerabilem fratrem nostrum.... Wladislavien-
sem episcopum et dilectum filium fratrem Simo-
nem, priorem provincialem Fratrum Prædicato-
rum Poloniæ et Bohemiæ, primo, et hujusmodi ad
eos negotio remisso, secundo de præmissis inquiri
mandavit diligentius veritatem. Cum itaque per
inquisitionem taliter factam et ad Apostolicam per
ipsos episcopum et priorem postmodum Sedem
remissam et ex fideli relatione venerabilis fratris
nostri.... Tusculanensis episcopi, cui per ipsum
prædecessorem fuerat examinatio inquisitionis
ejusdem commissa, de ipsius sanctæ vitæ sinceri-
tate et veritate signorum constiterit evidenter, nos
post multam deliberationem cum fratribus nostris
præhabitam, prout tanti negotii exegerat magni-
tudo ipsam, quæ contempto obsequii sui fastu,
despecta magnificæ domus reverentia et calcato
fastigio potestatis ad inopis claustri pro Christo se
inclinavit angustias, ut cunctis esset humilitatis
exemplum, tam de ipsorum fratrum quam præla-
B torum, qui tunc apud Sedem morabantur eamdem
consilio, Sanctorum catalogo decrevimus adscri-
bendam, imo verius denunciavimus jam adscri-
ptam.

Catalogo adscribit jubetque, ut B. Hedwigis tamquam Sancta honoretur.

100 Cæterum etsi ad omnia sufficiat Dei Filius
Jesus Christus, tamen voluit in opere pietatis plu-
res homines habere consortes, quia, licet solus
obtineat quod alii non merentur, non tamen apud
Patrem pro nobis solus est advocatus, imo cum
ipso et per ipsum justorum omnium, qui nos in
regno præcessere cohortes, juxta quod legitur
multa ei data incensa quæ sunt orationes Sancto-
rum, ut super altare aureum ea in conspectu
Altissimi adoleret, sed cum ex assiduo lapsu mor-
talis infirmitas hujusmodi orationum suffragiis ju-
giter indigeat adjuvari, ut subsidium ei magis
acceleret, debet per imitationis exemplum et ob-
sequii servitutem ipsos Sanctos devotius revereri,
unde ne agat istud quod ejus saluti expedit negli-
genter, fraternitati vestræ per apostolica scripta
mandamus, quatenus festum ipsius Sanctæ Idibus
Octobris, die videlicet, quo de vita migravit ad
patriam et de mundanis transcendit finibus ad co-
ronam, attenta devotione celebrare curetis ac fa-
C ciatis per vestras civitates et diœceses a Christi
fidelibus solemniter celebrari. Cupientes itaque
sepulturam ipsius, quæ tam evidentibus signis ru-
tilare dignoscitur, congruis honoribus frequentari
et ad id fideles ipsos muneribus illectivis induci,
omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui cum
reverentia illuc in eodem festo annuatim accesse-
rint ipsius suffragia petituri, de Omnipotentis Dei
misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolo-
rum ejus auctoritate confisi unum annum et qua-
draginta dies, accedentibus vero ad prædictam
sepulturam infra ejusdem festi octavas, centum
dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer
relaxamus. Datum Viterbii VII Kalend. Aprilis,
pontificatus nostri anno tertio.

Cultus Sanctæ in Silesia,

101 *Quoad cultum S.* Hedwigis *attinet, ex ipsa
Vita, infra exhibenda, abunde monstratur late pro-
pagatus fuisse per universam Silesiam; nam plera-
que miracula perhibentur patrata ad ejus sepulcrum
et legimus num.* 124 *Catharinam, uxorem Cunonis
Gallici vovisse annuum jejunium in pervigilio festi-
vitatis S.* Hedwigis, *si hujus intercessione filia ejus
Margareta sanaretur, quod alios quoque imitatos
fuisse pronum est judicare. Confirmatur etiam ex-
tensio cultus Sanctæ nostræ ex concursu facto ad
ejus corporis translationem, ut narrat biographus
num.* 171; *nam* ad prædictam festivitatem, *ait,*
de diversis mundi regionibus confluxit populi
multitudo quasi innumerabilis: principes quoque
et domini terrarum, prælati et rectores plurimi
ecclesiarum cum religiosarum multitudine perso-
narum Ordinum diversorum sua solemnizaverunt
præsentia festum illud, in quo fuit hæc translatio
celebrata, *die scilicet* XVI *Kal. Septembris* (XVII *Au-
gusti), quædam tamen Mss. diem* XV *Kal. Septembris
indicant. Memoria porro hujus translationis quo-
tannis in diœcesi Wratislaviensi, uti habemus ex
ejus Proprio,* XXV *Anjusti recolitur, illa scilicet
die, qua, secundum fragmentum vetustissimi Chro-
nici Silesiæ* (1), *exaltatum fuit corpus S.* Hedwigis.

ejus cyathus Laureti asservatus:

102 *Non mihi constat multum dispersas fuisse
S.* Hedwigis *Reliquias: leviores probabiliter parti-
culæ distributæ fuerunt, sed præcipua ossa adhuc
hodie in ecclesia Trebnicensi (nunc parochiali* (2)*)
asservantur. Ex epistola, a P. Christophoro Gurio
olim ad Papebrochium die* XXII *Maii* 1671 *data,
cyathus chrystallinus in sacra æde Lauretana exhi-* E
*betur, ex quo Sancta solebat sumere purificationem
post sacram synaxim. In aurea lamina, quo oper-
culum poculi illigatur, hæc verba sunt insculpta:*
Poculum sanctæ Hedwigis. *Verum Papebrochio hæc
minime sufficiebant, volebat nempe ut authentico
aliquo instrumento monstraretur origo et veritas
istius cyathi: et quum ultro citroque aliquot misæ
fuissent epistolæ, prod it tandem desideratum instru-
mentum, firmatum sigillo et subscriptione donatoris,
quod est sequentis tenoris:* Præsens poculum S.
Hedwigis, ducissæ Poloniæ, multis præcibus Sermi
et Revmi Caroli, archiducis Austriæ, magni magri
Ordis Teutonici equitum, Episcopi Brixinensis et
Wratislaviensis etc. obtentum a ducibus Ligni etc.
et Brig, ex sanguine S. Hedwigis recta linea descen-
dentibus, postmodum a me ex thesauro ejusdem
Sermi archiducis Caroli acquisitum, quo idem
Sermus tantum ad ablutionem post sumptam sacram
synaxim piissime utebatur, in tesseram debitissimi
obsequii Magnæ Matri Virgini Lauretanæ offero anno
millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono,
humillimus clientulus Antonius Crosinius Eps
Brixinensis etc. *Hæc autem omnia e scriniis nostris
domesticis eruimus.* F

ecclesiæ in ejus honorem erectæ

103 *Cultum et venerationem erga S.* Hedwigem
*testantur templa sub ejus invocatione et patrocinio
erecta, ut sunt Berolini ecclesia primaria catholica
sæculo proxime elapso ædificata, Sagani ecclesia
abbatialis, anno* 1479 *die* XXV *Aprilis, a Rudolpho,
episcopo Wratislaviensi consecrata in honorem San-
ctæ Trinitatis, B. Mariæ Virginis, SS. Joannis
Baptistæ,* Hedwigis *et Augustini episcopi. Addit
vero chronographus abbatum Saganensium, ex quo
superiora extraximus* (3): Hedwigim et Augusti-
num in antiqua consecratione non habuit, quia
consecrationem priorem æstimo ante tempora
Beatæ Hedwigis, aut, ea adhuc vivente, actam
fuisse ante adventum nostrum in Saganum. *Quæ
olim Parisiis dicebatur ecclesia de S.* Avoie, *an.* 1288
*erecta, nomen Sanctæ nostræ præ se fert, quo indi-
catur late intra breve spatium propagatus ejus cul-
tus* (4). *In prædicto Saganensi cœnobio Simon qui ab
anno* 1451 *ad* 1468 *sedem abbatialem occupavit,
instituit ut singulis feriis quintis pro officio feriali
fieret de S.* Hedwige (5). *Neque intra episcopatum*

(1) Sommersb., t. II, p. 17 — (2) Schematism. des Bisth. Breslau, p. 179. — (3) Stenzel. Scriptt., t. I, p. 385. — (4) S. Victor. Tabl. de Paris, t. III, p. 318. Edit. Lævan. 1830. — (5) Stenzel. Scriptt., t. I, p. 361.

Wratislaviensem

J. V. B.

Wratislaviensem continuit sese specialis ille cultus Sanctæ nostræ: etenim olim in diœcesi Misnensi festum S. Hedwigis *celebrabatur cum Octava* (1), *quemadmodum et hodie adhuc servatur non solum in diœcesi Wratislaviensi, sed per universam Poloniam Catholicam.*

aliaque monumenta:

104 *In schedis Andreæ Stredonii, num.* 6 *supra laudati, duo referuntur, quæ apud alios non reperi, quæque famam S.* Hedwigis *popularem monstrant. Hæc scribit præfatus Stredonius:* Ex eodem monasterio Henrichoviensi scribit mihi Fr. Edmundus Fontanus, meus olim discipulus, sequentia: in pago Dobrzan fons est S. Hedwigis in hodiernam diem dictus, qui oratione S. Hedwigis miraculose productus, miram habet limpiditatem, salubritatem et saporem. *Traditio est* apud cives Glivicenses *(Gleiwitz, in districtu Oppolensi, circulo Tostensi?)* in superiori Silesia, precibus S. Hedwigis, a fundis omnibus illius civitatis fugatos serpentes; nec hodie conspiciuntur ibidem, in vicinia tamen alterius juris magna frequentia eorumdem visitur. Hujus postremi ipse oculatus testis sum, qui in quodam alneto vidi serpentes medium pontis occupasse, quod extra terminos Glivicensium erat,
B medium omnino vacuum peste illa fuisse quod Glivicensis juris fuit. *Cæterum perseverat post tot rerum et temporum vicissitudines etiam hodiedum devotio populi Silesiaci erga Sanctam patronam suam: nam anno* 1839 *in pervigilio festi S.* Hedwigis, *die* XIV *Octobris, inceperunt Trebnicium accurrere peregrinantium agmina, quæ ad quindecim millia hominum ascenderunt, inter quos multi ex Polonia, tum Borussica tum Rossiaca convenere. Licet autem presbyteri viginti quatuor pro tribunali pœnitentiæ sederent, omnibus fieri satis non potuit; imo non pauci Sacramentorum perceptionem usque ad reditum suum procrastinare fuerunt coacti, ideo maxime, quia Polonorum sacerdotum numerus messi impar erat* (2).

hymnus S. Hedwigis.

105 *Pro coronide apponimus hymnum, quem ex Breviario Misnensis Ecclesiæ, anno* 1510 *edito, extraxit Hermann. Daniel* (3). *Lubentes binos alios hymnos, ab eodem allegatos* (4), *sed non exscriptos, attulissemus; sed desunt nobis ex quibus extracta sunt Breviaria.*

Gemma fulget Ecclesiæ
Hedwigis ductrix Slesiæ,
In lucem data gratiæ
C Gaudiumque Poloniæ.
Fulget vita miraculis,
Plena bonis operibus,
Multiformis in populis
Meritorum virtutibus.
Sub annis pueritiæ
Dei timori subdita,
Cor gerit innocentiæ
Devotioni dedita.
Sacris imbuta litteris,
Ætate licet tenera,
Thesauro sui pectoris
Nova condit et vetera.
Instat orationibus,
Psalmos non cessat promere,
Pro malis imminentibus
Die noctuque gemere.
Hujus præclara merita
Nobis implorent veniam,
Ut dimittantur debita
Per Jesu Christi gratiam,
Deo Patri sit gloria etc.

VITA D

Auctore anonymo subæquali.

Ex editione scriptorum rerum Silesiacarum tom. I, Gustavi Adolphi Stenzel, collata cum ms. musæi nostri.

PROLOGUS.

Auctoris in scribendo consilium.

Splendoris æterni genitor lumenque indeficiens, Dominus Deus Omnipotens, qui novissime diebus istis in eodem Filio suo illuxit mundo, vitiorum tenebris obnubilatum jam sæculum novo quodam lucis suæ radio clarius illustravit, dum beatam Hedwigim veluti ardentem faculam illi exhibuit, et ut præclaram lucernam super candelabrum posuit ad lucendum pulcherrimis virtutum me- E
ritis et sanctæ conversationis exemplis, omnibus in Sanctæ Matris Ecclesiæ domo existentibus. Ipse enim Pater misericordiarum, sicut eam in vita mirabiliter sanctitatis privilegio extulit, sic ipsam quoque in morte inæstimabili decore et miraculorum prodigiis exaltavit, prout infra plenius innotescet. Nam ad Dei gloriam et ad ædificationem audientium devotionemque fidelium excitandam, ad laudem quoque ipsius Sanctæ in subsequentibus exprimuntur seriosius opera ejus meritoria et exercitia virtuosa atque miracula, quæ propter ejus merita operari dignatus est altissimus, secundum quod ea diligenter examinantes diligentissime conscripserunt et conscripta fideliter summo repræsentaverunt Pontifici, hi, qui fuerunt examinatores prædictorum a Sede Apostolica deputati. Quæ scripta in Trebnicensi cœnobio
reservata *a*, dum studiosius relegissem, cum illis sæpius contuli, qui dicta factaque noverant istius negotii et sic, certa materia habita probatæ veritatis, seriem stilo simplici prosequens, quanta potui diligentia simul jungere studui ea, quæ de eodem genere virtutis sive miraculi erant ibidem F
diffusius consignata. Præterea frater Engelbertus, ordinis Cisterciensis *b*, in sua compilatione de hac Sancta posuit quædam notabilia, quæ addidi supradictis, et rubricis appositis, per certos titulos et capitula distinxi singula, de quibus post tractabitur, ut quod quis de qualibet hic posita materia videre voluerit, facilius valeat invenire. Agitur ergo primo de conversatione ejus in ætate puerili et tempore matrimonii et amore continentiæ; secundo, de humilitate ipsius; tertio, de ejus patientia; quarto, de austeritate vitæ ejus; quinto, de oratione ejus et devotione ad Deum; sexto, de operibus misericordiæ et pietate ejus ad proximum; septimo, de miraculis, quæ perpetravit in vita sua; octavo, de spiritu, quem habuit prophetiæ; nono, de transitu ejus et miraculis factis tempore mortis ipsius; decimo, de miraculis quæ contigerunt post mortem ejus; undecimo, de ejus canonizatione et miraculis tunc factis; duodecimo, de translatione ipsius et de iis, quæ facta sunt tempore translationis, miraculis et solemniis
aliis *c*.

(1) Daniel Thesaur. hymnolog., t. I, p. 99. — (2) Sion. XX Novemb. 1836, n. 139, col. 1347. — (3) Thesaur. Hymnol., t. I, p. 296. — (4) Ibid., p. 271, et t. II, p. 169.

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a *Ex hoc testimonio liquet exstitisse olim apud sanctimoniales Trebnicenses Acta Canonizationis S.* Hedwigis, *de quibus hodie, quantum novi, nullum superest vestigium.*

b *De isto primario Vitæ S.* Hedwigis *scriptore egimus in Commentario prævio num.* 6.

c *Pro more nostro hanc capitum divisionem non undecumque servamus, ut scilicet sua stet inter varia capita proportio.*

Caput I. *De conversatione S. Hedwigis in ætate puerili et tempore matrimonii, de amore castitatis et continentiæ.*

B *S. Hedwigis, a* Hedwigis, jam in cœlis beata, in terris de stirpe generosa progrediens *a*, nobilis quidem erat secundum corporeæ propagationis originem, morum autem elegantia fulgens et pollens honestatis decore, longe fuit nobilior animo ac in anima multo laudabiliori erat generositate præclara. Nimirum pulchritudo gratiarum et donorum sibi superinfusa divinitus magnificabant in ipsa altitudinem generis, et natalium ipsius magnificentia gratiosiorem reddebat in ea sublimatam virtutibus nobilitatem atque pulchritudinem mentis.

patre Bertholdo Meraniæ duce orta, b 2 Hæc utique magnifici principis Bertholdi, marchionis Badensis, comitis Tyrolensis atque ducis Meraniæ *b* filia, matrem habebat nomine Agnetem, non minus secundum dignitatem sæculi nobilem, utpote de marchionum orientalium prosapia prodeuntem, filiam scilicet Orientalis marchionis et comitis de Rochlethz Dedonis, filii Conradi Mysnensis et de Landesberch ac Lusatiæ marchionis. Unde ipsa filia, tamquam nobilissimæ arboris fructus egregius et electus, bonitatis suæ vigorem vigorosumque dulcedinis suæ saporem temporis diuturnitate non perdidit, immo divinis adauctum benedictionibus, posteris in Christo degustandum C per consolationis gratiam conservavit. A sua namque pueriti cor gerens senile satagebat, levitates vitando, bonos assuescere mores et insolentias fugere juveniles. Fovendo quoque innocentis vitæ munditiam honestati semper et disciplinæ dabat operam diligentem. In omnibus his et aliis operibus suis præter homines, quos sibi deputatos a progenitoribus suis ad bonorum informationem morum rectores habebat, eruditorem habuit Spiritum Sanctum, qui ab infantia ipsam timere Deum docuit et abstinere ab omni peccato, ita ut mundam servaret animam suam ab omni concupiscentia. Unde numquam cum ludentibus reprehensibiliter se miscuit neque cum iis, qui in levitatibus ambulabant, participem se præbebat. Nam in *c* ætate puerili in claustro Kicingo *c* sacras litteras didicit, quarum studio et tempus in juventute expendit utiliter ac in earum intellectu postmodum consolationis internæ et devotionis hausit gratiam affluenter.

plures fratres et sorores habuit, d e 3 Quatuor germanos, tres vero sorores germanas habebat, quarum una Philippo regi Franciæ nupsit *d*, altera Andreæ regi Ungariæ in conjugio exstitit copulata *e*, de qua nata est illa laudabilis et nunc gloriosa in cœlis, beata Elyzabeth, lantgravia Thuringiæ cujus in Marchurch corpus sanctissimum requiescit. Tertia vero fuit abbatissa sanctimonialium Ordinis Sancti Benedicti in Kicingo, Franconiæ monasterio supradicto *f*. Unus *f* fratrum ejus, Bertholdus nomine, Aquilegiensis patriarcha exstitit, alter vero, Ekebertus scilicet, Babenbergensis episcopus fuit, reliqui duo, Otto videlicet et Henricus sæculari militiæ dediti, patri successerunt in dominio. Ipsa autem famula Domini, Hedwigis, habens ætatis annos duodecim, magnifico principi Henrico, duci Slesiæ et Poloniæ matrimonialiter jungebatur *g*. Hunc utique nobilem virum, ut altera Sara in timore Domini, non cum libidine consensit suscipere. *g*

4 Nam in contrahendo matrimonium illud suorum potius progenitorum quam voluntatem propriam creditur implevisse, ut ex post facto constare sufficientissime potuit, dum tam notabili se continentiæ loro strinxit. Conjugali enim vinculo alligata studebat secundum doctrinam Apostoli honorabile connubium et thorum immaculatum in omnibus custodire, leges ac jura matrimonii peroptime conservare. Per filiorum quippe generationem æternam salutem consequi sperans, Deo E nihilominus castitatis amore placere desiderans, quantum pro tempore licuit, de mariti consensu se lege continentium vinciebat. Mox enim ut se concepisse sensisset, reverenter a viri thoro deinceps abstinuit et ab ejus copula usque post completionem puerperii separata permansit. Istius sanctæ legis et honestæ consuetudinis observantiam inchoavit a primæ prolis suæ conceptu, qua gravida fuit, cum esset annorum tredecim et tredecim hebdomadorum nec eam destitit observare usque ad tempus illud quo desiit parere. Trium namque filiorum, Bolezlai scilicet, Conradi et Henrici ac trium filiarum, Agnetis, Sophiæ et Gertrudis mater effecta *h*, ad plenariæ statim se castitatis *h* contulit cœlibatum. Hunc quoque modum in matrimonio continendi, sancitum a sancta Matre Ecclesia, quoscumque poterat instruebat. Præcipue dominam Annam, nurum suam *i*, hanc legem docuit observare ex speciali affectu et se ipsam dum *i* de hoc eam instrueret, ei posuit in exemplum. O quam felices sunt matronæ matrimonialibus adhuc vinculis subjugatæ, si hujus beatæ fœminæ imitari conantur exemplum, quæ non solum, ut prædicitur, concepta sobole continenter de cetero F vivere studuit, verum etiam salutaribus consiliis et exhortationibus suum ad hoc generosum maritum inflexit, ut una secum voluntarie continentiam observaret singulis annis per totum Adventum et per Quadragesimam, omnibus diebus Quatuor Temporum et sextis feriis, in Sanctorum vigiliis ac solemnitatibus eorumdem et in diebus dominicis. Non enim reputabat gratam esse venerationem Sanctis exhibitam nec Deo acceptum fore jejunium, quod cum oblectamentis carnalibus celebratur. Propterea ipsa cum consorte suo sæpe per mensem et quandoque per sex, aliquando vero per octo hebdomadas, quamvis tempore suo uno simul jungerentur in lecto, a carnali copula penitus abstinebat.

in matrimonio collocatæ,

5 De tam sancta ergo radice et sancti sunt rami progressi, de bona quoque arbore bonus factus est fructus. Soboles quippe, quam isti beati genuere parentes, Deum colere studuit et cultum divinum pro viribus ampliavit. Nam filius eorum, dux Henricus, patri succedens in dominio, vir utique Deo devotus et bonorum patrator operum extitit. Qui, ut fidelis ac strenuus miles Christi, Tartaris pro populo *liberos sancte instituit.*

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

populo Dei constanter se opposuit fusoque sanguine suo mortem suscepit anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo primo, quinto Idus Aprilis *k*. Filia vero, domina Gertrudis, piorum parentum imitata vestigia, non quidem in conjugali sed potius in virginali puritate intra Ordinem Cisterciensium Domino serviebat.

et tandem, consentiente marito, continentiam vovit,

6 Et quia felices hi conjuges devota mente taliter virtuoso castimoniæ exercitio Deo docente instabant continue et sanctificabant per vitæ munditiam corpora sua, ad majora tandem pervenire meruerunt divinæ gratiæ incrementa, ita ut uno animo parique consensu cum episcopali benedictione solemni ad continentiam se perpetuam obligarent *l*. Spiritu namque Domini confortati circiter triginta annos a thoro tantum divisi duxerunt cœlibem vitam et castitatis pulchritudine mirabiliter exornatam. In omni autem illo tempore ipsa Christi ancilla summo præcavebat conamine, ne ipsius, qui tunc jam pluribus innotuerat et frequentius declarabatur multis per satis evidentia signa, decorem pudicitiæ aliqualiter obfuscari contingeret opinione sinistra in cordibus infirmorum, qui de facili quandoque sibi assumunt B materiam scandali et veluti spinarum aculei lingua detractionis lacerant boni operis rosas sibi vicinius pullulantes. Mariti quapropter sic ipsa devitabat consortia atque colloquia, ut eum non adiret nec ei ullatenus loqueretur, nisi dum vellet promovere apud ipsum opera pietatis aut negotia religiosorum sive personarum miserabilium expedire. Nec tamen hoc faciebat alibi, quam in publico loco vel in ecclesia pluribusque, vel ad minus duabus honestis personis præsentibus et sæpe audientibus verba sua. Insuper ipsum in ægritudine positum non visitabat nisi cum domina Anna, nuru sua, et cum aliis dominabus. Ipsa quoque dum esset in Trebnicz frequenter in dormitorio cum sororibus quietis suæ commodum habuit, tum propter devotionis sedulum studium tum propter honestatis exemplar mundius confovendum, et quam in se diligenter excoluit, in aliis quoque bonam famam studiosius conservavit. Nam religiosis ad se venientibus frequenter de quieto et honesto providebat hospitio, ubi extra tumultum sæcularium commorantes, ora loquentium iniqua poterant C facilius declinare.

familia sua bene disposita,

7 Studebat amica Christi semper in vita sua, sicut coram Deo sanctissime, sic etiam coram hominibus honestissime conversari. Honestam enim semper nitebatur habere familiam in tota curia sua et præcipue suo speciali mancipatos obsequio fœminas, camerarios aliosque officiales habuit disciplina et bonis moribus decoratos. Detractores Deo odibiles, familiares habere nolebat, sermones quoque ipsorum derogatorios, duas pariter interficientes animas, loquentis videlicet et audientis, veluti venenum ac morsum serpentinum et ut instrumentum diabolicum abhorrebat.

et monasterio Trebnicii fundato

8 In carne præter carnem vivere, quia magni credebat esse meriti et vitam angelicam ideo adamandam conservandamque castitatem, quam ipsa semper dilexerat a sua juventute et diligebat tenerrime, quotquot et quos poterat invitabat. Constructo denique Trebnicensi monasterio procuravit in eo multas locari fœminas et virgines sacras ad serviendum Domino pro corona ineffabilis gloriæ in cordis et corporis castitate. Inter quas suam quoque obtulit Deo filiam, Gertrudim prædictam, ibidem postmodum abbatissam. Plures quoque puellas nobiles genere et quasdam de genealogia D simplici prodeuntes, orbatas parentibus, ac opibus destitutas, assumpsit in curam. Ex quibus alias inclusit in monasterio ad virginalem, alias vero junxit matrimonio ad conservandam pudicitiam conjugalem, ut sic Christo fideliter servientes, illæ centesimum, istæ vero tricesimum fructum a Domino expectarent. Aliquas insuper secum habebat viduas, jejuniis et orationibus die noctuque vacantes pro fructu sexagesimo congregando.

omnium saluti consulit.

9 Sic ergo hæc Christi vernula, non solum semetipsam, verum etiam consortem suum divino mancipavit obsequio, sic pia mater prolem quam genuit, ad laudem Domini dulciter educavit, sic benigna domina familiæ suæ ministerium Deo devotum cupiebat esse et gratum, sic famula Dei morum pulchritudine et honestæ conversationis exemplis omnes homines, quantum per eam effici potuit ad melioris vitæ studium provocavit. Christi namque caritate repleta, ipsius ad amorem famulatumque cunctos pertingere affectabat. Et quoniam intus puritate conscientiæ floruit, et exterius exemplaritatis splendore clarius radiavit, fama nominis ejus crescebat quotidie et, odore bono de sanctitatis ipsius opinione procedente, omnes vi- E ciniæ replebantur. Unde non solum pro dignitate sæculi, qua pollebat, sed amplius pro virtutis merito, quo fulgebat, habebatur venerabilis, et apud religiosos et apud homines sæculares, qui ejus, aut videntes aut intelligentes opera bona, glorificabant omnium Creatorem, qui talem et tam præclaram sanctitate famulam sibi elegit mundoque in solatium et juvamen ipsam exhibuit.

ANNOTATA.

a *S.* Hedwigis *stirpem maternam explicat Speculum genealogicum, ad calcem hujus Vitæ publicandum, paternam vero supra* § II *Commentarii prævii.*

b *Badensem marchiam obtinuisse aliquando Andechsenses, nuspiam reperitur apud scriptores, qui accuratius de hac gente tractarunt : errorem ortum autumat Cl. Stenzel ex eo, quod, quum biographus Istriam ignoraret, marchionatum Badensem, sibi bene cognitum, posuerit; maxime quum inter principes Badenses varii recenseantur Bertholdi, inclinatius in hanc foveam incidit. Idem judicium esto de comitatu Tyrolensi, quem numquam gessit S.* Hedwigis *pater; quamvis enim in ambitu hodierni comi-* F *tatus Tyrolensis multa præsidia atque etiam castrum Meran contineantur, nihil est tamen quod suadeat, ut Bertholdo nostro titulus comitis Tyrolis tribuatur. Ex hoc sphalmate monstravimus num.* 26 *Commentarii prævii Vitam et Speculum genealogicum non unum eumdemque auctorem habere.*

c *Hodie Ketzingen ad Mœnum ; erat olim celebre cœnobium sanctimonialium Ordinis S. Benedicti, postea asceterium VV. Ursulinarum, de quo actum fuit in Commentario prævio Vitæ S. Theclæ, abbatissæ, ad diem* XV *Octobris* (1).

d *De fratribus et sororibus S.* Hedwigis *vide Speculum genealogicum ejusque Annotata infra danda.*

e *Duodennum fuisse S.* Hedwigem, *quando nupturiebat, habemus ex hoc textu, quod vero addit Sommersbergius nuptias anno* 1186 *illigandas esse, quamvis, ut supra num.* 31 *diximus, certo testimonio non nitatur, tamen ut probabile admisimus.*

f *Boleslaum, Agnetem et Sophiam, S.* Hedwigis *liberos, obiisse in juventute probabilibus argumentis ostendimus Commentarii num.* 55. *Gertrudim vero* ab

(1) T. VII Octobr., p. 63 et seq.

A *ab anno* 1232 *ad* 1268 *parthenonis Trebnicensis præfecturam gessisse, ex diplomatum fide probari dicit Cl. Stenzel* (1), *atque adeo, instante filia, ut habet bulla canonizationis num.* 96, *matrem catalogo Sanctorum inscriptam fuisse: igitur lapsus est Sommersbergius, qui Gertrudis mortem in annum* 1262 *reponit* (2).

g *Vitam Annæ, Henrici II conjugis, fœminæ innocentissimæ, edidit Cl. Stenzel* (3).

h *De morte Henrici II, S.* Hedwigis *filii, late agimus Commentarii nostri num.* 73 *et seqq.*

i *Hæc verba innuunt votum continentiæ utriusque conjugis, circa an.* 1208 *emissum, fuisse solemne: et tunc quidem temporis hujusmodi conjuges non adigebantur monasterium intrare, nisi ageretur de marito promovendo ad episcopatum, quo in casu, uxor præter professionem continentiæ, debebat sacrum velamen sibi imponere et religiosam vestem assumere c.* 6 de convers. conjug. (III. 32).

k *Trebnicense cœnobium fundatum fuit, ut in eo alerentur mille personæ, supra Commentarii nostri num.* 41, *quæ certe non omnes vitæ claustrali erant addicendæ, ut cæterum liquet ex hoc biographi loco. Clarissime hic ostenditur juxta mentem fundatorum*
B *Trebnicium erectum fuisse non solum ut moniales aliquæ in sancta solitudine viverent, sed ut christianæ institutionis ope totus fœmineus sexus ad bonos mores informaretur.*

l *Alludunt hæc verba ad Matthæi* XIII, 8 *et* 24, *quem textum Sancti Patres de triplici statu virginali, conjugali, et viduali interpretati sunt. Cfr Cornelium a Lapide ad hunc locum.*

Cap. II. *De humilitate et patientia S. Hedwigis.*

Humilis in vestibus,

Sciens igitur Christi famula Hedwigis, Dei filium Dominum Jesum ad hoc venisse in mundum, ut homines in terris non solum verbaliter, sed etiam exemplariter humilitatem doceret, se quantumcumque poterat humiliabat in omnibus, illarumque se conformabat moribus fœminarum, quæ secundum Apostolum considerant in timore sanctam conversationem suam, quarum est extrinsecus non capillatura, aut circumdatio auri, aut
C indumenti vestimentorum cultus, sed qui est absconditus homo cordis in incorruptibilitate quieti
a et modesti spiritus *a*. Et ideo a sua juventute vesti-
b menta de scarleto *b* et pannos superflue sumptuosos, aut valde splendidos non ferebat, licet alias, cum esset juvencula, satis bonis usa fuerit indumentis. In quibus tamen nec pompam exquirebat mundanam nec corporis cultum neque mollitiem aliquam, sed status sui solummodo decentiam attendebat. Sub cultiori quoque amictu aut in exteriori modesto sibique competenti ornatu, in quo tunc pro tempore ipsam apparere inter homines contigit, cor devotum et humile nullatenus dereliquit. In ejus ergo capite non crocea pepla, non crispata videbantur velamina, pectusque illius non monilia aurea circumposita gemmis nec digitos ejus pretiosi annuli decorabant. Omne enim signum superbiæ aut vanæ gloriæ abominabatur cum Esther, nec ferebat illud etiam tempore juventutis.

ad eamdem virtutem conjugem suum inclinabat,

11 Postquam vero aliquantulum in diebus suis processerat et continentiæ proposito jam effectui mancipato, omnem sæculi ornatum contemnens vestes sæculares et coloratas omnino deposuit et de panno griseo se vestivit, in solemnitatibus tamen induebatur de simplici camelino *c*. Desiderans autem in devotionis et humilitatis proficere studio post Christum, in spiritus fervore exiit extra castra et in Trebnicz cum pauca se familia transferens, ibidem juxta claustrum dominarum Cisterciensis Ordinis serviebat Domino, marito adhuc vivente sibique in hoc, sicut et in aliis bonis actibus annuente et præbente consensum. Qui eo felicius tunc principatum Poloniæ gubernabat, quo tam sanctæ fœminæ conjugis suæ, non solum sanctitatis amator sed etiam virtutum imitator effectus, per castitatis et humilitatis ipsius semitas, quas a Christo ipso didicerat, quantum sibi fuit possibile incedebat. Nam Domino inspirante et per ipsius Sanctæ continuas exhortationes jam quasi monachus factus erat, non quidem professione vel habitu, sed religiosa devotione cordis et humili spiritu, qui in ipsius operibus relucebat. Tonsuram enim rotundam et barbam ferebat non quidem longam, sed moderata pilorum precisione decenter aptatam. Propter quod etiam usque in hodiernum diem, dum ejus in aliqua narratione fit E memoria, appellatur dux Henricus Cum Barba *d*. Hic, quamvis esset princeps magnificus, adeo tamen ex humilitate condescendebat pauperibus et personis simplicibus, ut eorum, si qua sibi aliquando deferebant munera etiam parvi valoris, et gratanter susciperet et ipsis humiliter inclinaret, plus sibi gratum fore indicans, dum pauper aut homo rusticus ei scutellam cum ovis exhibuit, quam si dives majora xenia obtulisset, cogitans intra se, ut vir pius et dicens: Quia hic pauper victum, quem sibi subtraxit nobis utique intuitu gratiæ obtulit, solatii saltem ei dona rependimus, si gratanter ipsius munera acceptamus. Ecce non dubium, quin hujus bonæ mulieris sit vir iste beatus, cui, licet ipsa esset legitime subdita, facta est in virtutibus et religiositate magistra.

AUCTOR ANONYMO SUBÆQUALI.

habitat Trebnicii, quamvis non monialis,

12 Dum autem Beata Hedwigis moraretur in claustro Trebnicensi, sororum quidem illarum induit habitum, sed Ordini se non obligavit per votum, ne ligata per professionis obedientiam, a pietatis operibus et a consolandis pauperibus ipsam existere oporteret de cetero elongatam. Filia vero ipsius, in eodem monasterio Trebnicensi existens et Ordine, ista quidem dissimulabat interim quod F pater vivebat; eo autem defuncto, instabat ei seriosius, ut in ipsa religione per votum obedientiæ stringeretur. Cui illa respondit: Num ignoras filia, quanti sit meriti eleemosynas elargiri? Et sic quodammodo filiæ declinavit instantiam, non quod parvum reputaret esse obedientiæ meritum, sed quia monasterii, cujus ipsa fundatrix erat, adhuc promotrix et gubernatrix esse diutius cupiebat pro Christoque pauperes consolari volebat in visceribus charitatis. In monasterio tamen faciens mansionem, in servando silentium in aliisque observantiis regiditatis vitam ducebat cunctis sororibus arctiorem.

admonentibus tamen docilis,

13 Præter ea vero, quæ jam de vestium ipsius Beatæ Hedwigis dicta sunt vilitate ac simplicitate hoc prætermittendum esse non puto, quod ipsa vestem novam nullatenus induere voluit, nisi prius ab aliqua secum commorante fœmina fuisset portata et pro parte attrita. Portabat etiam quandoque causa humilitatis tam diu aliquod indumentum, quod in eo, præ vetustate consumpto, fila

(1) Stenzel. Scriptt. — (2) Rer. Silesiac. t. II, p. 317. — (3) Scriptt., t. II, p. 127 et seqq.

evidentius

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

evidentius prominebant. Unde quodam tempore soror quædam sibi familiaris, dum sic attrito eam videret pallio incedentem, dixit ad eam: Domina! quamdiu pallium hoc vos portare delectat? Subtraham illud vobis et dabo pauperi indigenti *e*. Cui illa, ut erat semper mitis et humilis in dulcedine cordis, respondit: Si de hoc scandalizaris, quod ipsum diutius defero, citius emendabo. Et statim alio sibi pallio procurato, vetus a se removit, in hoc uno facto geminum adimplens humilitatis officium, dum pro Christo vilibus indumentis contegi nequaquam erubuit et ad commonitionem sororis simplicis illud, quod tunc ferebat contemptibile indumentum deponere festinavit. Hoc quoque faciendo docuit suo exemplo, debere hominem esse suadibilem et non in sensu proprio pertinacem.

omnes imprimis moniales,

14 De se hæc Christi famula semper humilia, de aliis vero sublimia sentiebat. In propria enim reputatione non erat aliud quam peccatrix, licet revera sinceritate conscientiæ coram Deo et Angelis ejus esset vasculum omni sanctitudine plenum et coram hominibus exemplaritate vitæ appareret veluti speculum luminosum. Sanctitatem ergo, quam sibi putabat deesse, in aliis, quos bonos credebat, mira quadam affectione amplexari non destitit, devotioneque ferventissima insequi non cessavit. In spiritu enim humilitatis et in animo contrito loca, in quibus viderat stetisse aut orasse religiosas personas aut homines bonos, suo judicio nacta opportunitate humiliter super genua sua procumbens deosculando labiis contingebat. Sororibus quoque, hora comedendi congregatis, ad mensam accedens, in choro ad stallos singulis sororum sedibus oscula imprimebat. Similiter ascendens ad dormitorium omnes gradus et passus, per quos transibant sorores, insuper et scabellos positos ante lectos, virgas quoque, quibus accipiebantur disciplinæ, deosculabatur humillime et devote. Sanctum namque credebat omne illud, quod tangebant sanctimoniales prædictæ et homines Domino servientes, et ideo, quod illi tractabant ad usum, hoc ipsa tangebat osculis reverenter, ut bonorum hominum et justorum meritis, quos venerabatur in rebus inanimatis, ipsa et suorum peccaminum veniam et majorem gratiam mereretur. Nec poterat ista humilitatis quotidiana exercitatio peragi absque interna dulcedine admiranda. Qualiter autem ipsam in benedictionibus dulcedinis prævenerit Deus, qui in orationem humilium respicit, perpendi poterit ex sequenti exemplo.

quarum vestigia pedum,

15 Quadam die, una de sanctimonialibus in monasterio Trebnicensi scire desiderans, quali modo famula Christi solitaria post alios remanens in ecclesia se in divino exerceret obsequio, cæteris sororibus in conventu discumbentibus, clam intravit chorum et latuit, ibique vidit ipsam post singulorum deosculationem sedilium et locorum, in quibus steterant pedes sororum, procedentem seque prosternentem et referentem more solito gratias omnium Creatori ante altare, ibidem in honore Virginis gloriosæ constructum, cui videlicet supereemineret crux non parvæ magnitudinis, expressam continens venerandam imaginem Crucifixi. Ubi dum in oratione prostrata moram faceret, ut solebat, imago jam dicta manum et brachium dextrum de ligno crucis absolvens extendensque, ipsam benedixit, dicens voce sonora: Exaudita est oratio tua et quæ postulas, impetrabis. Satis credibile est, eam tunc a Domino postulasse, ut et sorores, ad quarum se frequentius humiliabat vestigia, in bonis perseverare operibus faceret et participationem meritorum ipsarum sibi Salvatoris clementia non negaret.

imo et sordes osculabatur,

16 Ad illa humilitatis exercitia, in quibus ipsa se delectari sciebat, quoscumque poterat exhortationibus et exemplis sedule invitabat. Unde sæpe veniens ad pannos, quibus sorores, postquam se laverant, manus tergebant, ubi in ipsis pannis vidit majores sordes congregatas ab extersione jam dicta, ibi præ amoris dulcedine et ex humilitatis virtute oscula fortius intulit, cum eisdem pannis, hujusmodi sordibus delibutis, crucis signum faciens oculos et pectus suum veluti cum pretiosis reliquiis consignavit. Insuper de aqua, in qua ipsæ sorores mundificaverant pedes, crebro tangebat oculos suos et sæpius faciem totam, imo, quod amplius est mirandum, totum caput et collum suum ac nepotulorum suorum adhuc parvulorum, quos de filio habuit, facies et capita multoties abluit, spem firmam habens et credens, quod sororum sanctitas, quas aqua ipsa contigerat, tam sibi, quam dictis pueris, proficeret ad salutem. Nurum quoque suam, dominam Annam, informatione diligenti et sedula alliciebat ad similia facienda.

dein alios pauperes,

17 Exemplo humilitatis Salvatoris nostri, qui pedes pauperum lavit discipulorum, prout ex Euangelio didicerat, quamplurimum excitata, flexis genibus sæpissime abluebat pauperum pedes de calida aqua, quam acceptam a ministris sibi pedissequæ præsentabant. Lotis autem pedibus et extersis linteo, deosculabatur humiliter non solum pedes sed et manus eorum ipsosque pauperes, data eleemosina, studebat semper dimittere consolatos. In Cœna Domini specialiter illius amore, qui pro nobis ut leprosus voluit æstimari, pedes abluit leprosorum et novis eosdem leprosos, quos laverat, vestibus induebat. Paupertatem quoque Domini nostri Jesu Christi, qui propter nos egenus factus est, tanto amplexabatur affectu et venerabatur obsequio, quod coram se semper habere pauperes, præcipue dum discumberet, voluit et illis humili corde, antequam sederet ad mensam, manu propria et flexis genibus cibaria ministravit. Deinde ad refectionem se ponens, potum non sumpsit, nisi prius de suo bibisset cyato pauper ille, qui inter alios pauperes deformior videbatur. Loca etiam in quibus sederant egeni, dum secretius id fieri poterat, deosculando labiis tetigit, Christumque sic in pauperibus, tamquam in suis amicis, specialibus honoravit. Petebat quandoque, sibi per sororem aliquam de relevamine pauperum a mensa sororum apportari panis fragmenta, pro quibus minutiis reddebat panes similagines *f* integros, sorori quæ hæc ei portabat.

ac religiosos omnes profundissime honorabat.

18 Conventus religiosorum, possessiones habentium, sæpe benefica pietate visitare curavit et extra septa monastica faciens stationem ab omni eorum cavebat gravamine nec quemquam suorum sinebat de ipsorum contingere substantia violenter. Et quia cibos religiosarum personarum reputabat ut Angelorum escam sanctorum, fragmina panum recollecta de monachorum et monialium mensa a mendicis, quibus tribuebantur in eleemosina, pretio comparabat et antequam in cibo acciperet ea venerabatur multiplicibus osculis. Nolens quoque diu carere illis, quæ sibi dulces erant pauperum epulis, duas appretiaverat pauperes fœminas, quæ portam Lubensem *g* adibant alternatis hebdomadibus et quidquid ibidem eis panis et casei conventualis dabatur, ei pro refectione delectabili apportabant. Similiter post refectionem religiosorum, quos coram se quandoque faciebat discumbere

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

h A bere panis peripsima *h* collectum velut Sanctorum Reliquias sibi pro cibo cum summa reverentia conservabat. Cupiebat enim exemplo pauperis Lazari buccellis mendicorum tenuiter refici potius, quam deliciosis panibus aut delicatis cibariis saturari, attendens illius magnæ fidei mulieris Cananeæ verbum, dicentis, quod et catelli de micis de mensa i dominorum suorum cadentibus edunt *i*. Pauperes omnes et præcipue religiosos, quia reputabat dominos suos, non quidem divitiis sed sanctitate sibi prælatos, ideo de ipsorum delectabatur ciborum reliquiis manducare. Christi quoque catulis, id est vere humilibus et pauperculis et a mundo despectis, quia se conformare quantum valuit, studuit, idcirco et ab iis, quos accuratius aluit, sæpius taliter, ut prædicitur, mendicavit. Humilitatem, quam hæc Dei famula in vita sua studiose didicerat, usque in finem in ea perseverans, in morte quoque nullatenus deserebat. Nam circa finem vitæ suæ, dum tractaretur de sepultura ipsius, petebat humiliter sepeliri in communi sororum cœmeterio aut in loco, quem reputabat magis humilem in ecclesia, ut infra, in tractatu de spiritu k prophetiæ, ultimo capitulo plenius ostendetur *k*. B Unde et vivens et moriens post Christum, dicen-l tem: Discite a me quia mitis sum et humilis corde *l*, nitebatur incedere.

Patienter quoque molestias aliorum,

19 Patientiam quoque, humilitatis comitem et amicam, summe necessariam omnibus, ut in ea suam possideant animam secundum verbum Domini studuit diligentissime conservare, nulli umquam irascens aut dure respondens, sed omnes benigne alloquens verbis consolatoriis, se cunctis exhibebat affabilem, semper ut bene decebat, religiosa maturitate adjuncta. Quicumque enim turbativum aliquod aut motivum molestiæ sibi quocumque casu non cavisset inferre, aliud non audivit ab ea, nisi hoc aut simile verbum, cum mansuetudine tamen prolatum: quare hoc fecisti? Deus tibi indulgeat! Talia fuerunt ad molestatores suos convicia, talia improperia, taliter ipsa de suis se molestatoribus vindicabat. Contigit quadam vice m ut unus de camerariis *m* ejus, nomine Chualizlaus, postmodum conversus in Ordine Prædicatorum, ipsius perdidisset tres pulchros scyphos argenteos, cui ipsa numquam improperavit nec indignationis signa ostendit neque dixit ei aliud quam: « Vade et quære diligentius, si forte invenire valeas C vasa, quæ incurate custodiens perdidisti. » Et hoc ipsum cum tanta modestia protulit, quod molestari non poterat homo, qui negligentiam jam dictam commiserat, ut ipsemet postmodum fatebatur.

et calamitates

20 In causis magnæ turbationis, secundum hominem, virilem semper animum et constantem ac vultum hilarem exhibebat, ostendens, per patientiam omnem molestiam esse vincendam. Audito namque nuntio de captivitate et vulneribus, quibus graviter existitit sauciatus vir ejus dux Henri-n cus, dum caperetur a Conrado duce Cujaviensi *n* cum omni mansuetudine tranquilloque animo respondebat: « Spero quod eum cito Dominus liberabit suorumque vulnerum plenariam recipiet sanitatem, » quod et factum est. Nam dum detentorem prædictum, multis tractatibus habitis congruisque exhibitionibus intercedentibus, nullus inducere posset, ut ducem captivum dimitteret, inventum est consilium, quod suorum manus valida populorum armis eum bellicis liberare deberet. Exhorrescens autem ancilla Christi Christianorum inter se pugnare volentium stragem et sanguinem effundendum, pro omnibus se exposuit adiitque personaliter præfati detentoris viri sui præsentiam. Qui videns Dei famulam, veluti ad conspectum vultus angelici subito pavefactus pavoreque correptus, mentis ferocitatem prius inflexibilem omnino deposuit, concordiam iniit, ac ducem dimisit *o*. o Sic amica omnipotentis, quia in se conatu virtuoso plenissime motus impatientiæ et rancoris superaverat, ipsos quoque in aliis virtute mirifica refrenabat. Occurrunt alia adhuc patientiæ ipsius exempla, ædificationis nostræ ejusque laudis gratia non tacenda.

mortemque suorum ferebat.

21 Mortuo namque jam dicto duce Henrico, ejus marito, qui defunctus est circa annum Domini millesimum ducentesimum XXXVII *p*, dum omnes p sorores in Trebnicz pro amissione tanti ac talis patroni et fundatoris monasterii flerent inconsolabiliter, ut quasi præ lacrimis viderentur deficere et essent multæ ex eis quasi exanimes, ipsa siccis apparens oculis inter eas, fœminei cordis earum redarguebat mollitiem dicens: Quid turbamini? Numquid vos divinæ voluntati vultis contraria fieri? Hoc non expedit vobis, carissimæ, cum Creator de sua creatura possit et debeat absque nostro tædio agere quod placuerit suæ clementiæ ejusque circa nos et de nobis operatio, nostra præcipue debet esse consolatio, præsertim ipsius cum E simus factura. Hæc et his similia loquens, sororum lacrimas intendebat compescere et earum graves molestias mitigare. Præterea consolabatur illas in causa tristitiæ propriæ, non quod ipsa mariti mortem diligeret, quem in Domino diligebat, utpote virum virtuosum et utilem populo, sed quia divinæ voluntati ipsa se nitebatur per omnia subdere et volebat constantiæ atque patientiæ exempla in tempore suæ tribulationis sororibus demonstrare. Similiter dum audivit filium suum, ducem Henricum, occisum in prælio Tartarorum *q* q nullis erumpentibus lacrimis aut signis ostensis doloris, filiam suam, abbatissam in Trebnicz et nurum suam, ejusdem occisi filii conjugem, flentes et quasi morientes præ tristitia consolabatur et dixit: Dei voluntas est et nobis placere debet, quod vult Deus et quod placet Domino Deo nostro. In ipsa quoque hora exultavit in Domino spiritus ejus levatisque in cœlum oculis et manibus ajebat: « Gratias tibi ago, Domine, quod talem mihi dederas filium, qui me dum viveret, semper dilexit et in magna reverentia habuit, nec umquam in aliquo molestavit. Quem licet multum libenter mecum haberem in terris, ei tamen quamplurimum faveo, F quod per sui sanguinis effusionem tibi Creatori suo est jam conjunctus in cœlis. Cujus animam tibi Domino Deo diligentius recommendo ». His humilitatis et patientiæ donis, quibus ipsa Domino præstante extitit gratiosa, proximis exempla præbens, ipsos roborabat non solum in prosperis, verum etiam in adversis. Humilitate namque sua docebat, ne prospera quemquam extollerent, patientia vero, ne adversa nimis hominem ad ima jactarent.

ANNOTATA.

a I *Petri* III. 3.

b *Scarletum, seu Scarlatum, Squalata erat color maximi pretii, cum, ut habet Du Cange V°* Scarlatum, *Gulielmus, comes Pontivi monasterio S. Mauritii Agaunensi contulerit* XIII *libras Parisienses ad emendas* XX *ulnas scarlatæ*, ad facienda *scilicet* caputia, quæ prædicti canonici in signum martyrii BB. MM. Mauritii sociorumque ejus jure Ordinis et consuetudinis in ecclesia gestare dignoscuntur. *Summi quoque pretii fuisse* crocea pepla *et* crispata velamina,

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

velamina, *de quibus paulo infra loquitur biographus, ex simili ratione judicare licet.*

c *Camelinum est panni genus ex pilis camelorum confectum ; licet quandoque apud antiquos habeatur tamquam vilissima vestis species, ut videre est in Glossario Du Cange* V° Camelotum : *sed quoniam a S.* Hedwige *adhibebatur diebus solemnibus, hic certe significatur pretiosior pannus, quam quotidianus griseus, quo Sancta nostra utebatur. Cameraci olim optimi conficiebantur panni Camelini : vide Du Cange l. c.*

d *Barbati cognomen, Henrico I inditum, monstrat isto sæculo, saltem in Silesia, laicos non consuevisse barbam, etiam* moderata pilorum præcisione decenter aptatam gerere.

e *Laudat hoc factum Canonicus Ritter* (1) *tamquam insigne documentum humilitatis et simplicitatis Sanctæ nostræ, et quidem merito, quum aperte monstret, quam longe a corde S.* Hedwigis *exularet omnis propriæ sententiæ tenacitas, quæ falsæ pietatis est quasi tessera.*

f Panes similagines *non necessario panes triticeos interpretari oportet, sufficit enim ut sua stet vocibus veritas panes istiusmodi confici de* granorum medullis. *Du Cange* V° Simenellus.

B

g *Lubense seu Lubucense cœnobium dicitur circa annum* 1050 *pro monachis Ordinis S. Benedicti fundatum fuisse a Casimiro I, rege Poloniæ, et ipso antea Benedictino. Ast intepescente religionis fervore, statuit Boleslaus Altus, pater Henrici Barbati, in monasterium inducere ascetas Cistercienses, ex abbatia Portensi in Thuringia accitos* (2) : *perseverarunt istic præfati monachi usque ad initium hujus sæculi, quo communem fatalemque sortem cum reliquis cœnobiis subiit.*

h Peripsima, *Cangio,* V° Peripsema, limatura metalli, purgamenta pomi, quisquiliæ domus et rasura cujuscumque rei. *Biographum itaque interpretabimur, quasi S.* Hedwigis *cibum suum ex micis et abjectitiis collegisset, quod confirmatur ex textu Euangelii paulo infra allato.*

i *Matth.* XV. 27.

k *Secundum nostram capitum divisionem, ista requirenda sunt capite* VII.

l *Matth.* XI. 29.

m *Hujusmodi camerarii, licet non essent servi, videntur tamen obligati servitio domini sui : sic in Catalogo abbatum Saganensium legitur abbas Theo-*

C

doricus, sæculo XIV *tot inimicos habuisse* (3), ut manu armata cum pluribus servitoribus, et CAMERARIIS armatis et balistariis eum de loco ad locum incedere sæpius oporteret. *Vide plura apud laudatum Stenzel* (4).

n *Chronica principum Polonorum vocant Conradum, ducem Cujaviæ et Masoviæ. Confer dicta n.* 62 *et* 63 *Commentarii prævii.*

o *Tempus concordiæ initæ satis accurate definitur binis diplomatibus, quorum prius, datum* II *Octobris* 1233 in colloquio, quod fuit inter ducem Henricum et ducem Conradum, cui facto interfuit F. ep. Gnesnensis ; *posterius exhibet Henricum jam* XI *Novembris ejusdem anni Wratislaviæ negotia principatus procurantem* (5).

p *Omnium consensu deficit biographus integro anno in indicanda morte Henrici I Barbati, qui obiit anno* 1238. *Vide dicta n.* 68 *Comment. prævii.*

q *De occisione Henrici II, quæ* VIII *Aprilis* 1241 *contigit, late egimus Commentarii prævii num.* 73 *et seqq.*

D

CAP. III. *De austeritate vitæ S. Hedwigis.*

Ut Christo, qui pro omnibus mortuus est, vivere posset Beata Hedwigis membra sui corporis super terram continue mortificabat pœnarum flagellis crucem quotidianæ castigationis accipiens, et post Christum virili gressu incedens, non formidabat pro ipsius amore sicut occisionis ovicula fieri, qui pro omnibus ex nimia dilectione voluit crucifigi. In carne enim sua trucidabat afflictionis gladio vitia, bestiales motus frenabat, domabat lasciviam sensuum exteriorum ad uberioremque gratiam et profectum virtutum interiorem hominem disponebat. Quotidianum namque observabat jejunium, exceptis diebus Dominicis et præcipuis quibusdam festivitatibus, in quibus bis quandoque refectionem sumebat. Ab esu carnium ab omnique cibo, carnis pinguedine saginato, abstinuit omnino annis circiter quadraginta, nullius umquam precibus aut reprehensionibus acquiescens, ut bonam hanc consuetudinem violaret. Nam dominus Ekebertus, Babenbergensis episcopus, germanus ipsius *a*, quem reverebatur et diligebat, ut decuit diligere fratrem, indignatus aliquando eam redarguit pro eo, quod non comederet hujusmodi esculentum, ipsa tamen prætermittere noluit propter quantumcumque sibi dilectum hominem bonum propositum et opus sanctum, quod pro Dei dilectione jam dudum inchoaverat et perficere cum Dei adjutorio intendebat.

Sanctæ jejunia assidua,

E

a

23 Vivente adhuc marito suo, antequam plene in notitiam devenisset ipsius abstinentiæ miranda religiositas, parcius comedebat in diebus, in quibus alii carnibus utebantur, quam in diebus jejunii, pro eo, quod simulatione sancta sibi deluderet ministrantes. Nam formando volvendoque hinc inde per scutellam et tangendo ac si comederet bolos carnales sic caute agebat, ut eam non possent cognoscere abstinentem, unde nec cibi competentes ei pro jejunio parabantur. Surgebat ergo a cibariis, corpore sæpius vacua, sed mente spirituali gaudio plena et in Deo jucunda. Dum igitur perseveranter sic carnale devitaret edulium, dominus Wilhelmus Mutinensis *b* veniens Apostolicæ Sedis legatus per Poloniam, ei tunc ægrotanti, ut reficeretur carnibus præcipiendo injunxit. At illa mandantis quidem adimplevit præceptum, sed tamen dicebat, se plus mentaliter de carnium comestione gravari, quam de illa satis gravi, qua tunc laborabat, ægritudine corporaliter tormentari. Intelligens autem hæc Deo docta et superno illustrata lumine fœmina, discretionem virtutum esse aurigam, nec oblationem bonorum operum Deo fore acceptam, si discretionis sale careret, in castigationibus suis aptis intendebat modificationibus et quantum poterat diligentem operam dabat, ut asinum animæ, corpus suum videlicet, et satis dure flagellando attereret et modeste cibando pro viribus sustentaret, ne si forte ipsum indiscrete gravaret et nimium prius eum sub onere domini cogeret ruere, quam pondus diei et æstus portantem usque ad tempus remunerationis ordinatum a Domino sineret pervenire.

abstinentia carnibus,

b

F

24 Pro hac absque dubio causa sic primo in abstinendo dies hebdomadæ distinxerat, et apta-

et certis diebus a lacticiniis;

(1) Gesch. der diöc. Bresl., t. I, p. 140. — (2) Zimmermann. Beytr. zur Beschreib. Schles., t. VII, p. 270 et seqq. — (3) Stenzel. Scriptt., t. I, p. 192. — (4) Ibid., p. 12, not. 1. — (5) Ibid., t. II, p. 13, not. 1.

verat

A verat pro se cibos, ut die Dominico et tertia ac quinta feria piscibus ac lacticiniis, sabbato vero et secunda feria leguminibus aridis, quarta autem et sexta feria pane et aqua solummodo vesceretur. Hanc formam abstinendi dum per tempus aliquod observasset, in servitio Domini postmodum effecta robustior spiritu, diebus singulis legumina tantum arida cum pane grosso siligineo comedebat, decoctam ac infrigidatam continue bibens aquam, exceptis diebus Dominicis et quibusdam solemnitatibus magnis, in quibus coacta per diœcesanum episcopum ac per confessores suos bis utebatur piscibus et lacticiniis et bibebat tunc cervisiam, quandoque tamen ad hoc vix inducta precibus secum commorantium dominarum. Multos dies in Adventu Domini et in Quadragesima majori *c*, multorumque Sanctorum et Sanctarum et præcipue Sanctorum Apostolorum vigilias ac feriam sextam semper in pane jejunabat et aqua. Sed nec de eodem tenui alimento tunc suo debili corpusculo sufficientiam ministrabat, præsertim cum tres morsellos solummodo sumeret panemque mixtum cinere, prædicta die sæpius manducaret. Quod jejunium strictissime B observavit, donec notabiliter in ipsa cœpit prævalere debilitas, ex tunc utendo leguminibus ac pultibus in cervisia decoctis, hunc nimium rigorem abstinentiæ temperavit. Dum ei aliquando diceretur, cur tot dies et Sanctorum vigilias tam arcto jejunio coleret? respondebat : « Sancti sunt nobis necessarii et idcirco, ut nobis subveniant et in hora mortis occurrant, ipsos debemus merito venerari. Præterea constat, corporali jejunio vitia comprimi, mentes ad cœlestia elevari virtutesque et æterna præmia *d* donari a Deo, etiam satis necessarium et utile reputo, carnem abstinentia macerari. » Juvenes quidam nobilium filii, in curia ipsius conversantes, quandoque dicebant : « Deus a talidominio nos custodiat, quale ista habet domina nostra, quæ tantum comedit de pane et aqua. » Hoc quidem dixerunt, non pro eo, quod ipsi defectum aliquem paterentur, sed quia de tam stricta dominæ abstinentia mirabantur.

aqua, aliquando in vinum

25 Accusata fuit aliquando coram marito suo de aquæ continua bibitione, propter quod ipse indignatus, indiscretionem hoc reputans excessivam et infirmitatum, quas ipsa patiebatur frequentius, fore causam, eamque refrenare volens, venit ad C locum, ubi ipsa sedebat ad comedendum in mensa, et ex improviso ingrediens accessit subito et tollens scyphum coram ipsa positum cum aqua, bibit de eo, sentiens quoque boni vini saporem in eo, quod fuerat aqua pura, irascens accusanti dicebat : « Tibi deberent jam oculi pro tuo mendacio erui : » nesciebat enim, quod illud a Domino factum fuit et erat mirabile in oculis personarum ibidem ministrantium, quæ sciebant, quod infuderant dominæque suæ propinaverant aquam puram. De qua mox aqua vinum factum et ipsæ personæ post ducem experiri volentes rei veritatem gustabant, advertentesque factum miraculum propter Sanctæ Hedvigis merita, Dominum collaudabant. Una de personis ibidem tunc existentibus de vinoque miraculose facto bibentibus erat Adelheydis, relicta Theoderici de Janonicz *e* militis, fœmina utique in bonis operibus fervida, quæ bis Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum visitaverat limina *f*. Unde testimonium ipsius de præfato miraculo tanto fuit efficacius, quanto vitam ejus constabat amplius religiosis actibus adornatam. Isto ergo opere mirifico Deus et delatores famulæ suæ compescuit et ipsius devotionem fortius roboravit.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

conversa, utitur;

26 Præter ea vero, quæ jam dicta sunt de Beatæ Hedwigis continuo et valde stricto jejunio hoc quoque ipsam admirabilem, etsi non imitabilem cunctis reddit, quod ipsa semper parum comedendo temperatissime corporis refectionem accepit in tantum, ut etiam plurimi mirarentur, quomodo non fame tantæ abstinentiæ fœmina moreretur. Sibi autem sufficere videbatur et optime sufficere poterat ex quo eam virtus Altissimi confortabat. Unde magistro Ægidio archidiacono Wratizlaviensi, viro utique magnæ austeritatis, corripienti eam pro tanta abstinentia et cibo tam parco, respondit : « Quod mihi sufficit, comedo. » Intelligebat enim, alimenta esse sumenda, veluti medicamenta, idcirco accipiendo sufficientiam ad necessitatem sustentationis naturæ, summopere superfluitatem cavebat.

corpusculum suum

27 Christo pro nobis in cruce nudato, quamvis in denudatione omnimoda non potuerit conformari, ipsum tamen instantissime imitari conabatur, in quantum valebat, in vestimentorum paucitate et penuria ; et ideo vix illa retinuit corporis indumenta, quibus ad se contegendum carere non poterat, deformata per peccatum natura. Dimissis ergo multiplicibus, quibus abundabat vestibus pel- E liciisque ac pellibus derelictis, una tantum tunica et pallio simplici hyeme et æstate, in frigore et calore macilentum contegebat corpusculum, adeo attenuatum jejuniis, ut sub cute squalida et pallida, disciplinis ac frigoribus hyspida, remansisse ossa tantummodo marcida viderentur. Et quia fervore caritatis æstuabat interius, exteriores non æstimabat algores, quamvis existentes circa ipsam fœminæ viderent eam sæpius totaliter gelidam, præcipue tempore hyemis asperioris. Quibus etiam, dum rogaretur ab eis, ut sibi aliquantulum condescenderet, respondebat : « Faciam, cum fuerit opportunum ; » et sic nihilominus perseverans in oratione manebat. Nec mirum si seminuda et discalceata vadens Dei famula in algoribus hyemis, dum alii bene vestiti videbantur deficere, tam diu potuit orando persistere, ex quo intra eam cor ejus sic concaluit sicque in meditatione ipsius ignis divinus exarsit, quod exinde vis quædam flammea foras erumpens, non solum sibi, verum etiam alteri impressiones frigoris receptas in corpore mitigaret.

F

macerat vestium inopia.

28 Accidit enim, quodam tempore hyemali, ut dum diutius devotionis suæ exercitio inhæreret, una, quæ ipsam exspectabat famula, nimium algefacta ei cogeretur exprimere, quod illius, quam tunc sentiebat asperitatem frigoris, non posset amplius sustinere. At illa cedens in partem eam, in eo, in quo ipsa nudis pedibus steterat loco, stare præcepit. Quod dum fecisset pedissequa, statim, eliminato intolerabili frigore, gratioso fuit relevata calore Ipsa quoque delicata Dei vias ambulabat difficiles, nam sequendo Christum nudis gressibus in gelicidiis et nivibus incedebat. Habebat tamen semper apud se sine filitro *g* et absque soccis calceos simplices, quos sub ascellis portans continue, tunc tantummodo induit, cum venerabilibus personis occurrere voluit ; quibus abeuntibus, ipsos protinus deponebat. In operibus suis, quia soli Deo, qui videt in abscondito, desiderabat placere et laudes humanas devitare curabat, ne deprehenderetur nudis frequenter incedere pedibus, vadens ad ecclesiam quandoque calceis usa fuit, ad eam autem perveniens, mox, nudatis pedibus, in nudo deinceps residens pavimento orationibus insistebat. Sic intuentium oculis occultationis prudenter opposuit pallium, maxime adhuc vivente marito. Quem

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

Quem in principio dum hæc bona inciperet agere, non immerito cum reverentia formidabat, metuens ne forte bonum opus sibi prohiberet, primo humanum aliquid passus, quod postmodum ex assuefactione dissimularet in ea et permitteret, factus Deo magis devotus.

excalceatione,

29 Unde accidit quadam die, ut more solito ipsa sine calceamentis incederet et ex opinato eventu dominus dux, ejus maritus, sibi veniret ex abrupto et sic artato tempore obviam, ut calceos, si quos tunc apud se habebat, induere non valeret. Sed quod per se non potuit facere, ille, pro cujus amore nudis pedibus incedebat, dignatus est miraculose subimplere. Nam subito calceata coram marito apparuit et sic indignationem et improperium ipsius evasit. Contigit aliquando per oblivionem aut per negligentiam aliquam, ut illi quos secum gestabat calcei, sibi de sub brachio caderent, quos eam sequentes famulæ vel aliæ familiares invenientes ei reddebant. Confessores ipsius eam sæpius hortabantur, ut calceis uteretur et dominus Guntherus abbas *h*, tunc ejus confessor, novos ei calceos obtulit per obedientiamque, ut eos portaret, injunxit. Quos ipsa gratanter accipiens, portavit non quidem in pedibus, sed, ut prædicitur, sub ascellis. Completo anni circulo abbas eam, quia non portasset calceos, de inobedientia inculpabat. Ipsa vero calceos, ut acceperat, non attritos sed recentes produxit, humili voce dicens: « Immo, pater, obediens fui, en hi sunt calcei, quos mihi dedisti et ego eos frequenter portavi. » Similiter dum jam post longam macerationem multum debilis esset, domina Anna nurus ejus, rogavit fratrem Herbordum de Ordine Fratrum Minorum, tunc confessorem ipsius, ut eam cogeret per mandatum, induere calceos et portare. Illa mandato accepto de induendis calceis et portandis, pedulos laneos imposuit pedibus suis, calceos vero more solito ferebat sub brachio, donec ad fratrem prædictum confessorem veniens precum instantia obtineret, quod eam in consueta nudipeditatione perseverare usque in finem vitæ permitteret. Pedes sæpius habuit lutulentos, quos tamen lavari rarius permittebat.

unde pedes manusque

30 Calcanei ejus, quibus nudatis terram terebat grossi erant et duri, multas habentes et adeo magnas fissuras, quod in eis magna poterat collocari festuca, immo quod amplius est, imponi digitus potuit, secundum quod compertum est a Juliana sorore monasterii Trebnicensis, quæ ipsas fissuras perspexerat, ut postmodum coram examinatoribus asserebat. Nam tempore quodam in Cœna Domini domina Gertrudis abbatissa, filia Sanctæ Hedwigis, dum celebrando mandatum pedes lavaret sororibus, sicque post loturam a singulis, quas laverat, transiens pervenisset ad matrem, quæ ibidem mandato intererat, eam ut sorores alias flexis genibus lavare volebat. Sed matre hoc humiliter declinante, nihilominus abbatissa prædicta surgere noluit, donec reverenter ablutionis beneficium pedibus matris impendit. Unde perseverante filia et piam continuante pertinaciam, tandem precum instantia victa mater humillima pedes ad lavandum protendit. Tunc dicta soror Juliana, quæ tunc pelvim cum aqua tenebat, vidit scissuras præfatæ magnitudinis in pedibus Beatæ Hedwigis, de quibus cruor eductus vi frigoris sæpius emanabat. Hunc cruorem, ipsa ignorante, in luto et in nive familia ejus sequens vestigia, multoties recentem reperit et perspexit.

congelabantur.

31 Viderunt et fœminæ sibi familiariter ministrantes, qualiter ipse cruor erumpens plantis ipsius inhæsit. Nam quadam die, dum post orationem fatigata, quietis gratia divertisset ad calefactorium, obdormivit ibidem, soror vero Jutha domus Trebnicensis, sibi tunc serviens, supervenit et videns coagulatum cruorem, qui de scissuris præfatis effluxerat, ipsius dormientis pedibus aliquantulum extra vestimentum prominentibus adhærentem, admirans ipsa austeritatem pœnitentiæ, quam in Sancta Dei ancilla perspexerat et hoc ipsum austeritatis signum, caute tamen, aliis ostendebat. Quantacumque esset asperitas frigoris, nudatis tamen semper manibus ad legendum psalterium tenebat et lumen. Orando quoque, nudis manuum articulis terræ frequentius incumbebat, propter quod et manus ipsæ multas habebant fissuras, de quibus sæpe guttæ sanguinis effluebant. Quæ signacula sanctitatis, quamvis cum diligentia abscondere conaretur eas, tamen sæpe sibi ministrantes famulas contigit intueri, dum ad lavandas manus aquam sibi præberent. Nec ab omnibus diu potuit esse absconditum, quod ad gloriam suam tandem Deus fieri voluit manifestum.

vestibus cilicinis

32 Cilicium durum, de pilis equorum contextum, ferebat proximum corpori. Cui cilicio manicas de albo assuerat panno, sic pie volens deludere intuentium oculos, ne ab eis intrinsecus latens vestis asperior videretur. Zonam quoque nodosam, de pilis equorum contortam, super lumbos suos constrictam portabat, cujus asperitas in tantum exulceraverat carnes ejus, quod per familiares sibi fœminas eam oportuit ab ejus corpore extrahi et saniem de ipsis jam putrefactis carnibus pannis mollioribus desiccari. Vir quidam religiosus de Ordine Templariorum zonam de simili opere factam clausam diligenter in sacculo, ipsi dominæ, præsente nuru sua domina Anna, obtulit corde simplici et devoto. Dicta domina Anna ex specialis familiaritatis confidentia oblatum dominæ sacculum solvit et aperuit inveniensque in ipso tam crudele pro laceranda carne fragili instrumentum, vehementer impatiens facta, virum qui zonam exhibuerat verbis invectivis aggrediens arguit, quia talia tali dominæ xenia præsentare præsumpsit. Quod Dei famula audiens et factum intelligens, ut erat semper mitis, benigna voce nurum compescuit dicens: » Desine, filia, indignari et reprehendere hominem, divinum enim est beneplacitum et Dei voluntas, quod fecit. Nam si Domino non placeret, ut hac zona deberem salubriter uti, non eam mihi pro munere ordinasset ab homine exhiberi. » Illa nemque zona, quam prius super lumbos portaverat, corrodendo diutius corpus ejus, jam erat consumpta, ideo novam tamquam sibi a Domino missam cum gaudio acceptabat. Domina Anna, considerans quod ista Beata ex afflictione diutina jam tunc esset quamplurimum viribus destituta, et, si quid adhuc in ea supererat virium, tali genere tormenti contingeret penitus enervari, fratri Herbordo prædicto confessori ipsius precibus institit, ut ei de indiscretione conscientiam faceret et hoc cruciationis machinamentum sibi strictissime prohiberet, compelleretque ipsam, abjecto cilicio et zona cilicina deposita, uti tunica leniori. Ad quod faciendum rogatus confessor, dum forte ipsam niteretur consiliis flectere, mœsta dicebat: « Deus indulgeat filiæ meæ, » nurum suam dans intelligere, quod meum revelavit secretum. Non tamen quam assumpserat vestem duram deposuit, sed usque in finem se castigans in ea mortua fuit *i*.

humi cubatione.

33 Ut enim salutis esset fructibus opulenta, glebam continue conterebat corpoream et agrum corporis exercuit diligenter, nullius consiliis acquiescens

A quiescens aut precibus, dum in his impedimenta sensisset. Quapropter filius ejus, dux Henricus, ei, ut decebat, dilectæ matri compatiens, sæpius quasi conquerendo dicebat : « Matrem meam nulla supplicatione possum inducere, ut velit mitius agere in operibus afflictivis. Ipsa namque veraciter cum Apostolo dicere poterat : Omnia possum in eo qui me confortat! » *k* quia vires, quas fœminea denegabat infirmitas, virtus sibi divina mirabiliter confovebat. In lecto, sibi secundum ducalem decentiam præparato ad quiescendum, se non deposuit, sed aut super tabulas ligneas, aut super pavimentum scori tectum, quando eam sopor opprimeret post longas orationum in sero vigilias, repausabat. Si autem cum jam debili et infirmo aut nimis fatigato corpore volebat aliquando indulgentius agere in stramentis filitro coopertis, aut in saccone, ut quiescere posset, pro tempore se locavit. Super culcitram *l* vero numquam, quantumcumque esset infirma, sinebat requiescere membra sua. Semel namque ægrotanti sibi substrata fuerat culcitra, quam mox, ut sensit, amoveri precepit.

vigiliis

34 Supra vires humanas sacris instabat vigiliis, B nam ad matutinum, quantumlibet mane et sæpe priusquam pulsaretur surgebat, nec postmodum redibat ad lectum, ut se somni beneficio relevaret, sed pervigil in orationibus remanens meditabatur nocte cum corde suo et scopebat non solum fusis lacrimis spiritum suum sed etiam scoparum *m* ictibus corpus suum acerrime affligebat. Infra matutinas namque sororum capituli locum ingrediens se disciplinabat in tantum, ut guttæ cruoris de ipsius corpore remanentes in scorio a subsequentibus viderentur. Nec contenta plagis, quas propriis manibus sibi inferebat, quin et fœminas familiares aliquas ad hoc induceret, ut ipsam sæpe usque ad effusionem sanguinis verberarent, prout posmodum cum lacrimis narraverunt. Interrogata enim aliquando domina Demundis cur fleret, respondit : « Quomodo non plorabo, cum cogar flagellare hominem donec effundat sanguinem, in quo sunt solummodo ossa arida cute contecta ? » Hujuscemodi enim verbis dabat intelligi, dominam suam Beatam Hedwigim, cui ipsa semper familiarissima extitit et eam modo prædicto ad ipsius mandatum flagellis afflixit, præcipue in Quadragesima, in vigiliisque Sanctorum et diebus Quatuor C Temporum ac in sextis feriis specialiter ob memoriam Dominicæ Passionis. Soror quoque Victoria domus Trebnicensis, ejus coacta mandato ac precum ipsius compulsa instantia, ipsam modo consimili flagellavit sæpissime, ut postmodum coram examinatoribus enarravit.

et flagellationibus.

35 Sic ista cœlestis colona, mente superna inhabitans in cultura spiritus, carnis tellurem solemnibus tantum diebus exceptis, scindebat quotidie, nec cessabat etiam in infirmitatibus, quin se flagellari juberet. Nitebatur quidem hæc Sancta flagellationes has duras, in abscondito ei factas, sic ab aliis occultare, quod manifestari non possent, sed tamen omnino celari non poterant, præsertim cum verbera gravia longius resonantia pedissequarum foris præstolantium auribus intonarent. Idcirco nec ostia diligentius clausa nec custodiæ sufficienter appositæ foribus præcavebant, dum hæc fierent, quin istius castigationis beneficium proderetur. Et quia brevibus explicari verbis non poterit, qualiter assidue hæc famula Christi carnem suam crucifixerit cum vitiis et concupiscentiis, verba dominæ Annæ nurus suæ hunc tractatum de austeritate vitæ ipsius concludant, quæ sic dicebat : « Cum audiverim Vitas diversorum Sanctorum, numquam aliquid de ipsis tantæ asperitatis intellexi, quin in ista majus vel simile viderim. »

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

ANNOTATA.

a *De Ekeberto seu Egberto, Bambergensi episcopo, consule Æmilian Ussermann* (1). *Sedit ab anno* 1203 *ad* 1237, *et neptem suam profugam, S. Elisabeth Thuringicam, excepit et fovit.*

b *De Wilhelmo, Mutinensi episcopo, vide Italiam Sacram* (2) : *creatus Cardinalis episcopus Sabinensis ab Innocentio IV, obiit Lugduni anno* 1251.

c Quadragesima major *est jejunium, quod solemnitatem paschalem præcedit : tres nempe numerabantur Quadragesimæ, ante Nativitatem Domini, ante Pascha et post Pentecosten. Du Cange V°* Quadragesima.

d *Quæ in laudem jejunii a biographo hic proferuntur desumpta sunt ex Præfatione quadragesimali Missalis Romani :* Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et præmia per Christum *etc.* E

e *Familiam Janowicziam, ut antiquissimam, ex Sinapio deprædicat Cl. Stenzel* (3) : *attamen Henelius, qui libro* VIII *suæ Silesiographiæ minutissime describit nobilitatem Silesiacam, eam nullo verbo dignari videtur.*

f *Antiquitatem et universalitatem peregrinationum ad limina Apostolorum testantur vel sola Martyrologia.*

g *Filtrum in calceis adhibebatur ad procurandum calorem pedibus. Du Cange V°* Veltrum *sub* Feltrum. *Atque hinc discimus S.* Hedwigem *calceos absque Filtro gestasse, ut etiam hac industria pedes suos, si quando calceos induere cogeretur, opportuno calore privaret. Paulo infra num.* 29 *occurrunt* peduli lanei, *scilicet socci absque solea, quæ asperitatem viarum et frigus averteret. Du Cange V°* Pedulus.

h *Quatuor novimus S.* Hedwigis *confessarios, scilicet Fr. Herbordum Ordinis Minorum de quo hic sermo fit : eodem numero alter nominatur confessarius, Guntherus II, abbas Leubensis, qui prælaturam gessit ab anno* 1203 *ad* 1230. *Tertius occurrit infra num.* 85, *Matthæus, Ordinis Cisterciensis,* F *qui Sanctæ morituriendi confessarius adstitit. Quartus occurrit in Vita Annæ, ducissæ Silesiæ* (4), *cujus erat capellanus, apud quem S.* Hedwigis, *deficientibus FF. Minoribus, quandoque confitebatur.*

i *Ne defecisse dicamus Sanctam nostram ab ea humilitate et simplicitate quam laudavimus supra cap.* II *Annotato* e *verisimile habendum est S.* Hedwigem *in hoc casu obtinuisse ab Herbordo, confessario suo, ut porro pergeret in ferendis cilicio et zona asperrima.*

k *Philipp.* IV 13.

l *Quas hic habemus voces filitrum et culcitra, interpretamur ; filitrum quidem grossiori panni genus, quo etiamnum, præcipue hyemali tempestate, utimur decumbentes. Cfr Du Cange V°* Feltrum. *Est autem culcitra, hic stramentis opposita, mollioris lecti, lana vel plumis inferti, species.*

m *Scopæ hic virgas, quibus se flagellabant homines, indicant ex viminibus confectas ; scorium vero est flagellum ex corio aptatum. Du Cange V°* Scoriata.

(1) Episcopat. Bamberg., p. 137 et seqq. — (2) Ughelli, t. II, col. 120 et seqq. — (3) Scriptt., t. II, p. 16, not. 1. — (4) Ibid., p. 127.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

Cap. iv. *De oratione ac devotione S. Hedwigis.*

In oratione assidua

Sciebat amica Dei, hominem in corpore positum peregrinari a Domino, ne in hoc exilio foret absque consolatione divina, spiritu et animo semper se conabatur Domino exhibere præsentem et dilecti, miro modo consolantis et consolari scientis, præsentiam totis affectabat præcordiis, ut arcano ejus potiretur alloquio, amoris frueretur dulcedine et salutaris effectum gratiæ, degustaretque cordis palato mirandæ suavitatis ipsius saporem. Et, ut hoc fieri posset secretius, ageretur quietius, certius eveniret et sæpe contingeret, explorabat convenientiam temporum, aptitudinem quærebat locorum, modos quærendi ipsum dilectum diversimode variabat. Et quia jam experientia certa didicerat, omne tempus esse conveniens ad eum quærendum et quod frequenter appareret vigilantibus quærentibusque cum desiderio se prior ostenderet, quamplurimum, ut prædicitur,
B vigilabat meditandoque et orando continue circuibat, quærens quem diligebat anima ejus. Ardens erat cor ejus unde nec quiescere poterat præ amore Dei, quem amabat, et desiderabat habere præsentem, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.

diu noctuque

37 Dies ergo noctibus continuando et noctem jungendo diei, in sacris perseverabat excubiis, præstolando consolatoris adventum, ut venienti et pulsanti ad januam cordis, celeriter aperiret. A Completorio namque usque ad profundæ noctis silentium prolixius insistebat orationibus, ut quando desides solet sopor homines occupare, ipsa vocem audiret dilecti pulsantis et dulciter alloquentis. Audiret, inquam, verbum illud a sæculis absconditum ac a mundi tumultibus elongatum, audiret utique verbum dulcissimum, quod deliciis affluit et redundat salutaribus sacramentis. Istius verbi suavitate quia perfrui desiderabat, sollicite vigilabat, ut cæteris dormientibus quasi furtive susciperet auris sua venas susurri ejus. Dilectus vero hanc ei reddebat vicissitudinem, ut excubantem in tam vigilanti custodia non transiret nec declinaret ab ipsa, sed stabat et loquebatur
C amatoria inflammabatque cor ejus ita, ut in flamma amoris ipsius eum præsentem cognosceret ac in immutativa virtute ipsum adesse intelligeret, quem amabat. Quis modo in nobis omnibus est adeo vigilans et observans tempus visitationis Domini sponsumque advenientem ita per singula ejus momenta diligenter explorans, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiat ei sicut ista, quæ paululum dormitavit, paululum dormiebat, quando post longas vigilias eam somnus irruens opprimebat? Quoties enim familiares quædam dominæ apud eam manentes, bene somno refectæ, surgebant, eam adhuc vigilantem et orantem in cubiculo ante lectum suum et confabulantem cum illo inveniebant, qui est desiderabilis totus. Postquam autem modico relevata somno fuisset, denuo exsurgebat, vel mediæ noctis tempus observans, vel diluculum ad minus præveniens, ut cum laudarent astra matutina Dominum et jubilarent omnes filii Dei, ipsa quoque devotas persolveret Deo laudes.

in oratione perseverabat,

38 Cognovit namque informata divinitus præveniendum esse solem ad benedictionem Domini capiendam, et ad manna cœlestis gratiæ colligen- D dum, ideo perseveravit in laudibus Dei per diem a colloquiis divinis et oratione non cessans, nisi deberet comedere aut alia de Deo audire aut si volebat operibus insistere pietatis. Nec tunc vere ab orationibus desiit, ex quo benefacere non cessavit. Corporis quoque dum sumeret alimentum, divinum non deserebat colloquium; nam ei, quia bene litterata erat et intelligebat Scripturas, frequenter legebatur ad mensam. Cui sacræ lectioni sæpe tam avide intendebat, quod bolum levatum tenens manibus, ori non imposuit vel masticationis oblita in ore positum tenuit et lacrimas fudit, ut veraciter posset dicere cum psalmista *a*: a
« Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. » Vivaciorem enim habuit gustum in refectione mentis quam ventris. Sic benedicebat hæc Sancta in omni tempore Dominum et semper laus ejus erat in ore ipsius.

sæpe cœlestibus

39 Considerabat quoque, omnem locum esse aptum ad benedicendum Deum, unde in omni loco dominationis ejus anima ipsius benedictionem Domini resonabat et laudem. Loca tamen secretiora et Deo dicata plus inductiva mœroris advertens ad orandum, libentius frequentavit, ut aliorum devitato aspectu, familiarius scala devotionis parietem carnis transcendens menteque ad dilectum pertingens, ei spiritu et fervore animi commodius jungi posset. Dilectus quoque hanc ei vicissitudinem rependebat, ut dum devotionis brachio et amoris glutinio ipsum avidius stringeret, ab inquietudine aliquando, casu aliquo superveniente, virtute eam mirifica præservaret. E

gratiis cumulata:

40 Accidit enim tempore quodam, dum sic sequestrata oraret in quodam domicilio, ut unus de ministris ejus, nomine Boguslaus de Sauon *b*, b
cui ipsa coquinam pro pauperibus commiserat specialiter procurandam, ollam, in qua decoqueretur aqua pro ea more solito ad bibendum, de eadem domo vellet accipere et dum appropinquaret ad locum, vidit eam in oratione positam tantaque luce circumdatam, quod territus pavoreque non modico compulsus a domo subito retrocessit, nec de cætero ausus fuit accedere, sed magis recedere festinabat, per dominam autem revocatus, accepto vase cum tremore abibat, ut in ipsa luce visibili et in timore, qui cecidit in cor viri, perfecte daretur intelligi, quod ipsa mente jam tunc appropinquaverat illi, qui lucem inaccessibilem habitat illiusque lumine, qui omnem F
illuminat hominem, in hunc mundum venientem, tunc specialiter fuerat illustrata. Unde, prohibente divina virtute, non permittebatur aliqua inquietudine forinseca distrahi, quamdiu ei placebat; aut, disponente Deo, debebat somno contemplationis et requie perfrui in cordisque lectulo dilecti consolationibus immorari. Nonne in ea tunc fuit impletum illud verbum dulcissimum sponsi? « Ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit. » *c*. c

quocirca secreta

41 In ecclesiis quoque dum ipsam contigit interesse divinis, ab aliis se abscondit sub quibusdam pannorum velaminibus, orans et flens tam largiter, ut domina Anna nurus ejus, cum ab ea infra Missam deberet pacis accipere osculum, oculos ejus quasi cruentatos præ lacrimis et faciem ipsius videret fletibus irrigatam. Frequenter etiam videbat eam in oratione coruscantem, vel niveo vel roseo vultu et quasi in angelicum mutatam aspectum præ jubilo in quo erat. Ipsa enim jam dictæ dominæ Annæ intuitum non semper declinare nec omnino subterfugere potuit, quia inter omnes fœminas familiarissima ei fuit et in ecclesia maxime sibi

A sibi vicinior assistebat. Unde delectamenta, quæ Christi famula in spirituali habuit gaudio, ipsa domina Anna sæpius perpendebat. Vidit namque jam dicta domina Anna et frater Herbordus confessor ejus eam frequenter ex devotione raptam in tantum mentis excessum, ut insensibilis esset. Dominus etiam Cosmas, honestus miles in ipsius dominæ ministerio sedulus, dicere solitus erat : « Multoties, cum domina mea beata Hedwigis esset in orationibus contigit me venire pro aliquibus negotiis ante ipsam et vidi eam adeo intentam precibus et abstractam a sensibus, quod me stantem coram se non vidit, donec post magnam moram ad se rediret. » Surgebat animus ejus a cognitis ad incognita seque de terrenis ad cœlestia transferebat.

plerumque loca secretiora, etiam

42 A visibilibus ad invisibilia transiens in pulchris cognoscebat pulcherrimum et in creaturis non sufficiebat creatoris magnificentiam admirari. Levabat proinde ad cœlos multoties oculos suos, ut visa stellarum gloria cœlique specie vivacius ad amorem cœlestis patriæ alliceretur mens ejus. Unde factum est, ut quandoque de speculatione siderum et corporum superiorum contemplationis B oculum ad summæ majestatis thronum dirigeret divinique splendoris radium tanta plenitudine susciperet intus, ut etiam exterius fieret manifestus, dum corpus ejus, luce clara circumdatum, de terra videretur in aera sublevatum, secundum quod aliqui notaverunt. Et sic lux illa exterior et visibilis præsentiam lucis æternæ in anima radiantis et sublevatio corporis, sublimationem declarabat mentis in Deum tendentis. Nulli infra divinum officium sui exhibebat copiam ad loquendum, nisi forte in casu inopinato, aut in necessitatis inevitabilis articulo, nimium indecens et indignum existimans, divinis eloquiis humana interserere verba, ubi urgens et rationabilis causa hoc opportune non exigeret, cum utique solatium, quod in D o habere poterit anima, impediri ab homine permittere homo non debeat. Et licet ista Beata se occultaret diligentius, ne secretum, quod erat ei commune cum Domino, divulgaretur, ne aliqualiter fieret manifestum aut hominibus innotesceret, per rugitus tamen et suspiria, quæ intra se non poterat continere, vi amoris devicta et devotionis agitata dulcedine, frequentius pandebatur.

C

in ecclesiis, quærebat :

43 Quamvis ad orandum loca desideraret et eligeret secreta quantum decebat pro eo, ut dulcedinem, quam, propinante Domino, consueverat degustare avidius posset absque impedimento haurire, publicum tamen divinum officium nolebat in domo aut in camera sua, ut solent quandoque principes et magnates, audire, sed in ecclesia semper cum nota *d* matutinum, missas, vesperas et alias laudes Dei coram se faciebat solemniter decantari. Dato ergo matutinali signo mox cum juncta sibi familia ad ecclesiam festinavit. Non luto, non nivibus, non frigore, non pluviis nullaque asperitate aut aeris intemperie nec occasione aliqua, nisi forte actu esset infirma, poterat detineri, quin ad ecclesiam pergeret quantumcumque etiam a suo distaret hospitio, pro divino ibidem officio audiendo. Quotquot habere poterat sacerdotes, qui Missas legerent, devotissime interfuit omnibus, orans interim vel toto prostrata corpore aut procumbens super genua vel ulnis appodiata humiliter super terram. Sæpe quoque sic procumbens tunc in orationibus ex devotione humilique corde, deosculando terræ pulverem contingebat. Quicumque ad ejus curiam presbyteri veniebant, sive sæculares essent, sive religiosi, vix umquam evadere poterant, quin eos coram ea Missam legere oporteret. Et si quandoque incuria presbyterorum numerositas defuit, undecumque haberi poterant, vocabantur ad supplendam paucitatem Missarum, quam absque displicentia ipsa non poterat sustinere. Quemadmodum enim capellani et servitiales gravabantur de Missarum multitudine, sic ipsa gravabatur præ tædio, si earum ei deficeret multitudo. Unde quidam clericus de ipsa composuit istos versus :

In sola Missa non est contenta ducissa,
Quot sunt presbyteri Missas tot oportet haberi.

Missas plurimas devotissime audiebat.

44 Die quadam, dum desideraret Missis pluribus delectari, capellanum suum Martinum nomine, postea Wratislaviensem canonicum, misit ad vocandum quemcumque presbyterum, ut legeret ei Missam. Ille mandato, cui non decuit eum contradicere, coactus ibat, licet invitus, ut exequeretur mandatum et casu occurrentem sibi calvum quemdam conversum, qui ad curiam ducis tunc pro quodam expediendo negotio venerat, secum assumens dominæ præsentavit. Ipsa vero, ut erat commendandæ simplicitatis, non conversum ex habitu sed tantummodo calvum considerans et putans, eum esse presbyterum, rogavit suppliciter, ut sibi Missam legere dignaretur. Qui cum obstupescens respondisset, quod nec presbyter nec litteris esset imbutus, domina deceptionem advertens petivit ab homine humiliter veniam, ostendens se non animo illudendi, sed per ignorantiam hoc fecisse, capellano quoque cum lenitatis mansuetudine dixit : « Parcat vobis Deus, quod me taliter decepistis. » Nam tali cum impatientia solita erat redarguere illos, qui ei molestiam aut verecundiam inferebant, ut jam superius, scilicet in tractatu de ejus patientia est ostensum. E

et sacerdotes summo

45 Cum quanta devotione ipsa divinis et præcipue celebrationibus Missarum interfuerit ostendunt non solum lacrimæ prostrationesque corporales, ut prædicitur, verum etiam hoc plurima religiosa opera et virtuosa exercitia indicabant. Ad omnes namque Missas, quas audivit, vel personaliter obtulit, vel offertorium suum misit, et ab ipso, qui Missam legerat, sacerdote petivit manus capiti suo imponi et se de aqua benedicta aspergi, indubitanter credens, per hoc a Deo aliquam specialem percipere gratiam et a suis infirmitatibus relevari, quod etiam sæpius accidit, ut ipsamet sibi familiaribus postmodum propalavit. F Frater Herbordus, qui fuerat confessor ejus, de ipsa dicebat : « Quantæ devotionis Beata Hedwigis et fidei fuerit circa officium Missæ atque ad altissimum Sacramentum dominici corporis nullus posset hominum enarrare. »

honore

46 Considerans autem, presbyteros tantæ dignitatis esse, ut Dominum cœli et terræ in Sacramento tractarent altaris, quodque illa conferrent Sacramenta quotidie, quibus assistente divina virtute fidelis sanctificatur et munditiæ redditur anima, sacerdotes et omnem clerum, sive sæculares essent sive religiosi, in magna reverentia habuit et non modicum honoribus extulit in tantum, ut etiam eos, qui se pro aliquo emolumento sacerdotes fingebant, tamquam veros presbyteros muneribus honorabat. Ad mensam sedere nolebat, nisi prius sacerdos, qui Missam celebraverat, discubuisset in ea.

et fiducia reverebatur :

47 Coruscationes et tonitrua metuebat quam plurimum, pro eo, quod his elementorum commotionibus novissimæ diei judicium et gladium ultionis divinæ ad memoriam revocaret, rememoransque tota contremeret et quasi tumentes super se

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

se fluctus cum Beato Job semper Deum timeret. Unde nec a tremore cessavit, donec vocatus aliquis sacerdos adveniens sacras manus pro scuto protectionis Dominicæ capiti ejus imposuit. Sub quarum umbraculo, tamquam secura de periculo evadendo, genuflexionibus et orationibus per totum tempestatis spatium insistebat. Tranquillitate vero reddita post intemperiem, pro gratiarum actione dictis manibus oscula ingerebat. Quas ideo potestative credebat tempestati posse resistere, quia ad hoc, ut iram Dei reconcilient, sunt sacratæ. Speciali quodam dilectionis affectu movebatur ad illos, quos sciebat diligenter interesse Missarum celebrationibus. Unde nec dubium est, quin eos diligeret amplius, qui parati erant ad ipsas sæpe Missas devotius celebrandas.

Sanctorum quoque cultrix eximia,

48 Ad Sacramentum Dominici corporis suscipiendum quando volebat accedere tanto lacrimarum facies ejus infundebatur profluvio et tantis orationibus, genuflexionibus corporisque prostrationibus se tunc specialiter exercebat, quod fervor devotionis ipsius ad devotionem non immerito movebat efficaciter intuentes. Sanctorum quampluri-mas habebat imagines atque Reliquias, quibus B decentem exhibebat reverentiam et eas coram se portari faciebat ad ecclesiam et in loco ubi orabat reponi, ut in earum intuitu, Sanctorum quos amabat merita vivacius revocaret ad memoriam et per ipsorum suffragia se ad devotionis incendium amplius præpararet. Matrem vero Domini inter alios Sanctos, quia majori, ut dignum erat, amplexabatur amore, ideo ipsius parvam semper apud se gerebat imaginem, quam etiam sæpe accipiens in manibus deferebat, ut ex dilectione sæpius eam posset respicere et respiciendo devotius se valeret ad amorem glorioæ Virginis amplius excitare. De qua imagine dum aliquando benediceret languidos, protinus curabantur, ut sic miraculorum virtute comprobaretur et innotesceret omnibus, ad quantam meritorum celsitudinem illa jam pervenerat, quæ ex fervore caritatis hanc Filii Dei Matris sedule secum imaginem deportabat.

altaria exornabat :

49 Passionem quoque Domini nostri Jesu Christi, quanta devotione ejus versaretur in corde, colligi aliqualiter poterit ex eo, quod nec minima signa mysterium crucifixionis Christi repræsentantia venerari neglexit. Nam ubicumque in terra videbat C stipulas crucem figurantes, genibus flexis adorans tollensque et deosculans eas in loco tali reposuit, ubi non poterant conculcari. Decorem domus Dei quia diligebat, ornamenta et paramenta pretiosa ecclesiis et altaribus contulit necnon et vestimenta sacerdotalia ac levitica ministrorumque altaris suis sumptibus comparavit et præparavit hujusmodi, tam per semetipsam, quam per alias fœminas secum manentes, quæ de auro et serico sciebant subtiliter operari. Sic sacra cum aliis, ut prædicitur, frequentabat mysteria, sic divina ministeria promovebat, sic cum fidelibus terebat domus Domini limina, sic cum moderamine præsentibus hominibus conabatur devotionis suæ studium exercere.

alia ejus

50 Peractis autem divinis officiis, cunctis qui affuerant tempore congruo ad propria redeuntibus, ut refectioni corporis intenderent et de exterioribus providerent, ipsa cum paucis in ecclesia pedissequis remanens, ad interiora capienda convivia et ad spirituales delicias in domo Domini requirendas se diligentius disponebat, cupiens illius divinæ consolationis dulcedine renovato gustu adhuc amplius perfrui, cujus sapore jam aliquoties meruerat dulcorari. Et quia tunc absentibus aliis se D solitariam inveniens et pacatam, vacare liberius potuit ac plus intendere valebat diversis modis quærendi dilectum, orando per singula circuibat altaria et pectus tundens gemitus effundebat et suspiria, levatisque in cœlum oculis cum corde simul et manibus stans preces Domino supplices obtulit, in terramque cadens ad pedes Domini Jesu cum Magdalena humiliter se prostravit. Verum licet Salvatoris nostri vestigia corporaliter jam deosculari non posset, loco tamen ipsorum terram deosculabatur sæpissime aut labiis pulverulentum crebro contingebat humiliter pavimentum humumque lacrimis irrigabat, ut et dilectionis quo æstuabat nec occultare valebat fervorem, dilecto ostenderet et peccatorum veniam atque abundantiorem gratiam impetraret. Pulverem se recognoscens ac cinerem, os suum audacter ponebat in pulvere, spem habens et confidentiam, quod dilectus sibi tandem æternæ pacis osculum exhiberet. Propter quod delectata non modicum in hujusmodi prostrationibus, tam diu sæpe jacuit coram Domino protensa in longum, quod ejus corpusculum adeo debile sustinere nullatenus potuisset, nisi fervore devotionis fuisset et fortitudine spiritus Domini E confortatum.

devotionis

51 Quadam vice soror Gaudentia, curiosius considerare volens ipsius dominæ devotionem et modum orandi, a prandio se absentavit conventus et intrans ecclesiam, vidit eam toto prostratam corpore in oratione tam diu, quod ipsam sic expectando dimidium perfecit psalterium relegendo. Pro majori quoque corporis sui fatigatione et propter divini amoris admirandum fervorem, qui eam semper ad ardua impellebat, quandoque dum orando solotenus prostrata jaceret, pectus et caput erigebat ad librum coram se positum, in quo scriptas orationes legebat. Surgens tandem, multiplicatis genuflexionibus honorabat eum, qui pro nobis flexis genibus est illusus. Numquam in orationibus videbatur sedere, sed postquam aliquantulum steterat, subito resiliens super genua nuda procubuit. Unde calli prominentes et duri ad magnitudinem duorum ovorum aut, ut alii referunt qui viderunt, ad quantitatem duorum pugnorum excreverant in genibus ejus, qui tempore hyemali amplius intumescebant. Occultabat autem pro viribus hunc thesaurum nec cognitus est dum viveret, nisi a paucissimis sibi famulantibus fœminis. F His amica Dei caritatis decorata insigniis coram dilecto apparuit, his ornata resplenduit margaritis, hæc amoris indicia, videlicet callos in genibus, scissuras in manibus et pedibus in cæterisque membris livores plagarum semper secum portans, dilecti se obtutibus præsentavit ; talibus lætitiæ canticis, his jucunditatis carminibus, suspiriis scilicet et gemitibus, regem demulcebat supremum ; hoc decachordo psalterio, hac dulcissona cythara, devota videlicet psalmodia et intenta supplicatione jugiter amabili sponso canebat ; hujusmodi tripudio cordis, his gesticulationibus corporis, genuflexionibus scilicet et prostrationibus, ludebat coram throno Dei et Agni et sic ex omni corde suo Dominum collaudavit.

testimonia referuntur.

52 Taliter omni die, etiam vivente adhuc marito, laudes continuavit divinas, ut ab hora matutina perseveraret orans in ecclesia, donec post meridiem, pedissequarum eam expectantium condescendens tædio potius quam suo satisfaciens desiderio, venit ad hospitium ad suscipiendum illud modicum, de quo supra dictum est, corporis alimentum. Dulcedo namque illius superni, cui tota mente

A mente inhærebat, convivii adeo cordis ipsius immutaverat gustum, ut eam sapor cibi corporei minime delectaret. Unde quasi quotidie contemplationis suæ intenta ferculis et vino consolationis internæ refecta, vix circa horam vespertinam cibum curabat sumere corporalem. Tam avido desiderio et tanto dilectionis fervore hæc Christi famula ferebatur in Deum, ut non solum se ei conaretur offerre per devotionis incendium, verum etiam alios quoscumque poterat hortaretur ad sibi devote et fideliter serviendum. Et ideo tam per se quam suum ministerialem, quem ad hoc deputaverat, simplices homines, ipsius curiam frequentantes confiteri et orare et illa, quæ ad salutem animarum pertinent, instruebat. Inter alias sibi ministrantes fœminas unam habebat lavandriam mulierem grandævam, omnino Dominicæ orationis ignaram, quam ipsamet cum tanta informabat diligentia Pater Noster, quod eam etiam in noctibus a se per decem hebdomadas non dimisit, sed ancte lectum suum in cubili, in quo manebat ipsa, eam manere compulit et dormire, ut forsan verba sacræ orationis, quæ in die sibi inculcaverat, in nocte ipsam quandoque ad rumınandum induceret
B et sic fortius ea memoriæ commendaret. Maritum quoque suum, ut sibi cumulare posset continue virtuoso exercitio salutis optimum fructum et præcipue ad devotionis se vigilantiam sollicite excitare, plures docuit orationes. Hoc enim semper habebat in desiderio, ut ipse, quem inter homines maxime diligebat, in Domino etiam Deo suo serviret corde devoto.

ANNOTATA.

a *Psalm.* CXVIII. 103.

b *Savon hodie Schawoine, uno milliari Trebnicio in Oriente ad Septemtrionem vergente distans; spectabat olim villa ista ad monasterium Trebnicense, ex donatione S.* Hedwigis *infra num.* 54.

c *Cant.* II. 7.

d *Cum nota id est ad modos musicos sive cum cantu. Du Cange* V° Nota.

Cap. v. *De charitate S. Hedwigis ad proximum.*

C *Trebnicense monasterium. a marito fundatum,*

Donum pietatis et misericordiæ cor ancillæ Christi tanta repleverat copia, ut ad gloriam Dei et Sanctorum ejus atque ad subventionem proximorum affectu pariter et effectu semper promptissima fuerit. Verbum quoque illud Salvatoris nostri *a* : « Estote misericordes, » scriptum in corde suo indelebiliter tenuit ac diligenter opere adimplevit. Ingenitam hæc generosa propago habebat clementiam, quam adauxit pietas Jesu Christi, cujus gratia instigante, studebat, quæcumque poterat manus ejus instanter operari in operibus bonis, quæ vero per semetipsam nequibat perficere, aliorum invocato auxilio peragebat. Inter cætera misericordiæ opera maximæ pietatis opus reputabat, animarum promovere salutem et ideo maritum suis consiliis et hortationibus suis induxit, quod de propriis sumptibus construi fecit Trebnicense monasterium sanctimonialium Ordinis Cisterciensis. Cujus ædificationis expense, secundum quod a procuratoribus operis est compertum, ascenderunt usque ad marcas triginta circiter millia. Nam soli parietes præter tectum, quod per totum claustrum de plumbo confectum usque hodie permanet, marcas constitisse XX millia æstimantur. Fundatum est autem prædictum templum et claustrum ad honorem Omnipotentis Dei et gloriosæ Virginis Mariæ atque Beati Bartholomæi Apostoli anno Domini millesimo ducentesimo tertio *b*, dedicatum vero anno Domini M. ducentesimo decimo nono. Interim autem quod fiebat ipsius cœnobii ædificatio, nullum permittebat pro quocumque facinore in judicio principis aut curiæ condemnatum ad mortis supplicium interire, sed vita ei donata, ipsum deservire faciebat in eadem structura usque ad tempus ad emendationem facinoris proinde ordinatum. Unde prout quisque talis plus minusve deliquerat, mancipatus operi servitium impendebat. Constructo quoque monasterio ipse dux Henricus ad ipsius consortis suæ sanctæ consilium dotavit et ditavit illud copiosis reditibus, qui sufficerent ad omnes sumptus necessarios mille personis et hospitalitati continuæ, sua volens promereri eleemosyna et dignus cupiens fieri audire vocem Domini dicentis in extremo examine : « Hospes fui et collegistis me » *c*.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

Sanctæ de suo quoque dotat.

54 Ipsa etiam Beata Hedwigis contulit eidem monasterio bona dotalicii sui Savon *d* scilicet cum villis adjacentibus mansos circiter quadringentos de optima gleba. De Babenbergensi autem civitate
E et diœcesi vocavit dominas Ordinis Cisterciensis, quas locavit in claustro prædicto *e*. In quo tempore procedente, inclusæ ad serviendum Domino centum dominæ morabantur, immo in eodem hodie dicuntur centum viginti dominæ commorari. Prima quoque ibidem abbatissa fuit domina Petrissa, magistra pueritiæ ipsius Beatæ Hedwigis, quam cum præfati Ordinis de Babenberch advocaverat dominabus. Et licet ipsis sororibus sufficientissime provisum esset in his, quæ ad victum et vestitum atque divinum cum eis necessaria erant, non quievit tamen in ea pietatis affectus, quin superadderet multa et eis in hujusmodi necessitatibus provideret, præcipue cum reputabat, eas in talibus aliquando sustinere defectum, quibus indigebant ad usum. Quibusdam aliis religiosis de Ordine Templariorum impetravit a marito donari quædam magna prædia, quæ Olsnicz vocantur *f* in optimo terræ solo ubi, procedente tempore, multæ sunt et magnæ villæ locatæ. Religiosis ipsa multa impendebat beneficia et eos quamplurimum honorabat, volens honore, quo eos propter Christum extulit apud semetipsam, etiam honorabiles facere in oculis aliorum. Nam dum
F veniebant ad eam, ipsa eis assurgens et gratanter eos suscipiens apud se in mensa locabat. Et ut bonam famam ipsorum conservaret a detractoribus, non solum coram se ipsos faciebat honorifice pertractari, sed eis etiam de honestis, quam diu morari volebant, hospitiis et ministris ac sociis providebat mittebatque ipsis necessaria omnia et ipsorum apud ducem diligenter promovebat negotia et citius expedivit. Dum vero volebant abire, in saccis eorum faciebat clam reponi panes, pisces et alia religiosorum cibaria, ut haberent ad edendum in via. Ubi etiam eos stetisse conspexerat, ibi post eorum dicessum veluti ad vestigia Christi genua flectens, Deum, quem in eis susceperat, adoravit.

In alia etiam monasteria munificas

55 Ad diversa insuper monasteria largas dabat et transmittebat eleemosynas, utpote in Lubes *g*, Henrichow *h*, Wratislaviæ ad Sanctum Vincentium *i*, ad Sanctam Mariam *k*, Minoribus et Prædicatoribus Fratribus multis quoque aliis hominibus, qui in habitu religioso signum deferebant Jesu Christi necnon et quam pluribus miserabilibus personis non cessabat benefacere, tamquam si euangelicum

AUCTORI ANONYMO SUBÆQUALI.

gelicum illud : « quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis » et cætera, semper coram oculis suis positum legeret ac opere adimpleret. Heremitas aut inclusas, ubicumque sciebat aut attingere poterat, personaliter consolari studebat beneficiis, distantes vero per nuntios in vestibus et esculentis ac aliis necessitatibus procurabat. Leprosorum curam habuit specialem pro amore illius, qui pro nobis fieri voluit ut leprosus. Unde leprosas quasdam fœminas insimul habitantes prope oppidum,
l quod dicitur Novum Forum *l* sic in suam receperat curam, ut eis aliquoties in hebdomada mitteret pecunias, carnes et ferinas ac in vestibus et aliis vitæ necessariis largiter providebat eisdem, procurabatque ipsas in omnibus tamquam filias speciales.

pauperes, infirmos, incarceratos,

56 Mira compassionis teneritudine condescendebat afflictis qualicumque molestia corporali, liquescebatque animus ejus ad pauperes et infirmos, quibus et affectum exhibebat et manum auxilii. Si quem defectum, si quid penuriæ in aliquo cerneret, supplebat dulcedine pii cordis. Circuibat proinde, suis dormientibus pedissequis in ancillis, et earum circumspiciebat diligentius calceamenta, et si aliquam in eis inveniebat fractu-
B ram, dissimulationem earum redarguens, celerius emendari jubebat. Dum soror aliqua in monasterio decumbebat, personaliter singulis diebus veniebat ad lectulum ejus flexisque coram ea genibus ipsam verbis consolatoriis confortabat, dans ei semper aliqua subsidia opportuna. Numquam enim ab aliquo recedebat infirmo, nisi prius, oblato munere, ipsum consolata fuisset. Ægrotos quoque de
m familia *m* sua in propria visitabat persona et ad eos mittebat medicos et eis medicamina procurabat, eratque de ipsis sollicita, tamquam mater. Illius Dominicæ allocutionis allecta dulcedine :
n « Infirmus fui et visitastis me » *n* nullum quem percipere poterat infirmum, et maxime pauperem, dummodo adesset possibilitas, visitare neglexit. Eundo etiam in via ad remotiora loca, si intellexit infirmum, ad eum, neglecto itinere, accedebat. Ad infirmos autem, quos propter distantiam nimiam visitare non poterat, nuntios cum donariis transmittebat, et quanto quis inter infirmos erat miserabilior, tanto per eam percipiebat consolationis beneficia ampliora. Fœminas jacentes in puerperio, præcipue pauperes, visitabat, dum hoc aliquo modo facere poterat, ipsisque necessaria
C ministrabat. Incarceratos, etsi in propria persona visitare non potuit, eos tamen magnis visitare beneficiis non neglexit. Inflammata namque desiderio audiendi vocem Domini, dicentis in judicio :
o « In carcere fui et venistis ad me » *o* ex quo per se non valebat ad ipsos accedere, eis per suos transmittebat nuntios esculentum et poculentum atque tegumentum sufficiens, ne a frigore læderentur. Et ne nimis gravarentur a vermibus de mutatoriis et in vestibus lineis sufficienter eis providit ac de candelis, ut beneficio luminis horrores sibi minuerent et tenebras carcerales, præcavens omni, qua poterat diligentia, ne aliquo ex defectu ipsis posset periculum imminere.

imo inimicos juvat:

57 Ascendit quoque famula Domini gradum perfectionis majoris in scala præcipue caritatis, dum etiam hostes et adversarios mariti sui, quos aliquando contigit in carceribus poni, prædictorum non sinebat beneficiorum esse expertes, sed eis omnia largiter necessaria ministrabat, adimplens opere illud, quod scriptum est : « Si esurierit
p inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi » *p*. Post omnia autem, quæ clausis in carceribus aut alias captivatis impendit beneficia, hoc superaddidit, ut eos sæpissime suis intercessionibus libe- D
raret a vinculis et restitueret solatio libertatis. Similiter illos, qui ducis mariti sui indignationem incurrerant, non cessabat ipsius ad gratiam revocare. Nam flexis genibus et fusis lacrimis, tam diu se coram eo humilians interpellabat pro ipsis, donec se intelligeret exauditam. Tribulatis et afflictis, si quo modo possibilitas aderat, efficaciter succurrebat. Numquam in consolatione plorantibus defuit, nec unquam auxilium egentibus opportunum subtraxit. Illos namque, qui pro debitis gravabantur, aut detinebantur inclusi, ac oppressos ære alieno, sua redimebat atque relevabat pecunia, damnatos quoque ad mortem aut affligendos aliis generibus tormentorum pro suis demeritis, intercessione sua sæpius eruebat.

clericum morte plectendum liberat,

58 Clericus quidam Gallicus natione pro crimine sacrilegii, quod perpetraverat, ex sententia judicis erat morte plectendus. Intelligens autem pia domina, clericum, sorte Domini electum, ad tam miserabile damnatum supplicium, amplius commota sunt viscera misericordiæ ejus propter clerum, quem reputabat omni veneratione dignissimum, potestatem habenti precibus institit, nec a supplicationibus destitit, quousque ipsum clericum E
a nece sibi inferenda ereptum incolumem conservavit. Mater erat omnium pauperum et præcipue viduarum atque orphanorum fuit maxima consolatrix. Quorum causas et negotia, dum esset necesse, coram duce promovebat, et agebat pro ipsis, ut fidelissima advocata. Pluresquoque puellas, orbatas parentibus et amicis apud se collectas, pio pertractabat miserationis affectu et refovebat in Christo, singulis providens, prout ei secundum Deum videbatur melius expedire, eas aut matrimonio aut religioni tradendo. Pauperes ergo, quia continue ipsius beneficia sentiebant, eam, quocumque ibat, sequebantur ut matrem, semper enim in ecclesia coram ea jacebat cumulus denariorum, qui distribuebantur egenis et ipsa sæpius eos manu propria pauperibus erogabat. Non præsumebat aliquis de familia, post eam currentes repellere inopes, quamvis ipsorum nimia multitudine fatigati, sæpe afficerentur tædio satis magno multi ejus ministerio inhærentes. F

aliis pauperibus præsertim clericis large subveniens,

59 De quadam, dum ipsa coram altari, quod erectum in sua habuit camera, faceret moram orando, mendici, foris more solito pro accipienda eleemosyna expectantes, clamabant, dicentes : « Hodie domina est a nobis abscondita, hodie consolatrix pauperum nobis non exhibuit vultum suum, quia nondum percepimus ipsius beneficium. » Quod ei mox una de familiaribus ejus, ut audierat, recitavit. At illa statim narranti sibi dicebat : « Vade velociter, accipe pixidem, in qua sunt pro pauperibus nummi repositi et da unicuique, prout tibi Dominus inspirabit. » Sic enim per alios eleemosynam dispensare consueverat, quandocumque personaliter eam distribuere non valebat, et ideo se de negligentia reprehendit, quod hanc dispensationem tunc committere prætermisit. Egentibus clericis, tamquam divino cultui amplius mancipatis et per vitæ munditiam præ aliis popularibus ad Christum plus appropinquare debentibus, multa specialiter beneficia impendebat. Quapropter ad loca quandoque remotiora sequentes veniebant ad ipsam. De Wratislavia namque usque in Rochetniez ad tredecim fere milliaria *q* transeuntes reportaverunt ab ea in argento et vestibus munera et alia vitæ necessaria receperunt. Dominus Razlaus, presbyter et homo maturus, Gneznensis et Wladislaviensis canonicus, testis existens operum pietatis q

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

A tatis jam dictæ beatæ Hedwigis, se ipsum ponens in exemplum dicebat: « Pauper scholaris eram, Wratislaviæ studens, et auditis beneficiis, quæ pro Dei amore indigentibus præstabat, dum viveret Christi famula, post ipsam ivi cum sociis ad loca, ubi manebat in Lesnicz *r* atque Rokethnicz tribus vicibus, totiesque ego et alii, qui mecum advenerant socii, dimidio fertone argenti accepto *s*, ab ipsa reversi fuimus consolati et semper in curia ejus inveni, quotiescumque intravi, multitudinem pauperum copiosam. » Ad limina Sanctorum ire volentibus et cruce signatis aliisque peregrinis larga ministrabat subsidia, ut ipsos promovendo in via salutis æternæ eorum mereretur particeps fieri meritorum.

vix centesimam redituum suorum partem

60 Vix umquam ab ea eleemosynam petens inexauditus recessit. Nam, ut magister Hermannus, canonicus Glogoviensis et in Suidenicz *t* plebanus, dicebat, ipsa de copiosis quos habebat redditibus vix centesimam partem pro sua suæque familiæ necessitate retinuit, reliqua omnia ad ecclesiarum utilitatem ac in usus pauperum erogavit. Et dum sua in opere pietatis expensa deficerent, ad suum recurrebat maritum, postulans, ut B ministrando egenis necessaria, ejus vices suppleret. Quamdam magnam habuit grangiam de quatuor aratris, quæ Zeuina vocabatur *u*, ex qua annona plurima et hujusmodi, quæ ad victum pertinent, habebantur abunde. Superveniente autem tempore quodam, gravi caristia, ipsa Dei famula proclamari fecit per fora, ut omnes indigentes ad dictam accederent grangiam, qui accipere vellent eleemosynam propter Deum. Congregatis ergo illic egenis in non modico numero, eis distribui fecit annonas, prout unicuique sufficiebat ad sustentationem naturæ. Deficiente vero annona omnes, quæ ibi habebantur carnes in eis expendit. Consumptis quoque carnibus, eis caseos dari jussit, et iis deficientibus arvinas et sal ad condienda olera tribuit et quæcumque alia ad edendum apta inveniri et haberi poterant eis dedit. Sic fidelis dispensatrix et prudens familiæ Domini dabat cibum in tempore opportuno. Hanc autem et ipsa observavit et maritum suum servare docuit regulam, ut dum pluribus simul benefaceret æqualitati operam daret, ne occasione beneficii inæqualiter dispensati, inter accipientes germen invidiæ nasceretur.

sibi reservat, omnibus, quoad potest

C 61 Habebat quoque hæc Dei famula speciales in curia sua infirmos pauperes numero XIII, quos ob memoriam Christi et XII Apostolorum ejus, cum iret de loco ad locum, deduci jubebat in curribus, et illis, dum pervenisset ad hospitium, primo providebat de commodo eosque semper coram se faciebat discumbere et antequam resideret ad mensam, illis transiens ministrabat, singulis præponens flexis genibus alimentum. Postmodum vero residens ad manducandum, ipsa quidem aridis contenta cibariis, optimas scutellas cum carnibus et aliis sapidioribus cibis sibi oblatas ipsis et aliis pauperibus dividebat. Dicebant quapropter quandoque hæc videntes pueri nobilium, filii principis curiales, quod vellent potius fore mendici reficiendi de ferculis dominæ, quam in mensa principis manducare. Potum similiter sibi optimum propinatum eis mittebat. Dum vero capellani vel alii familiares indignarentur quandoque et dicerent: « Domina, coram vobis dimittite potum stare qui vobis præponitur, quia pauperibus, ut expedit, providetur, » ipsa respondit: « Ideo meum eis poculum offero, quia scio, quod ipsis non dabitur de tam bono » Omnia, quæ coram se habuit, etiam si unicum erat pomum, cum pauperibus dividebat. Tanto quoque affectu movebatur ad ipsos pauperes, quod si decuisset et fieri potuisset absque derogantium murmure, cum unoquoque ipsorum de scutella libentissime comedisset. Pro illa autem egenorum multitudine, quæ ante mensam ipsius locata non fuerat, specialem habebat coquinam et ministros pro ipsis specialiter deputatos, quibus mane et vespere, secundum exigentiam temporis, victui necessaria præbebantur.

benefaciens

62 Ecce Dei famula, quam vere pauper exstitit spiritu, quæ inter copias mundanarum rerum et in epularum deliciis sic egere voluit propter Christum, ut esuriret et sitiret ac in frigoribus nuda esset. Magnum tamen sibi reputabat convivium, dum laute reficiebat viscera pauperum, incalescebatque amplius per amorem divinum, dum contegeret vestibus corpora egenorum. Ista est ergo fortis illa mulier, quæ manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperes, quæ utique pro tanto pietatis officio ridebit in die novissimo. Præterea felix ista fœmina, Domino dicente in Euangelio: « Date et dabitur vobis, dimittite et dimittemini *w*, » per omnia parere desiderans, non solum dabat et expendebat in usus pios, quæ habuit, sed etiam liberaliter, quæ sibi a suis subditis E debebantur, dimisit. Nam tributariis *y* suis debitorum relaxationem maximam faciebat in tantum, ut quidam de capellanis suis, Otto nomine, exclamaret quadam vice ea præsente et diceret: « Domina! vos tanta vestris rusticis relaxatis, quod nos vobis servientes non habemus unde sustentare possimus. » At illa de pio corde respondit: « Nolite timere, Deus vobis bene poterit providere. » Et quia vel omnino nihil vel adeo modicum recipiebat a suis censualibus, scriptores ejus dicebant ironice: « Nihil habebimus de bonis dominæ nostræ, nisi hoc, quod ipsa relaxat. »

in omni humilitate.

63 Dum aliqui per judices suos puniti fuissent pro excessibus suis pœna pecuniaria, quasi totaliter relaxavit, ita quod aliquando una die de hujusmodi multa circiter XXX marcas remisit hominibus suis de Savon et Javor *x*. Cum autem censuales suos et pauperes alios non posset aliter judicum aliorumque ministerialium invasionibus liberare, propria vexationes eorum pecunia redimebat. Notarium habebat virum prudentem et honestum, dominum Ludolphum, quem sæpe rogavit cum lacrymis, ut cum hominibus misericorditer ageret nec importune exigendo debitas pen- F siones eos gravaret. Ne autem per judices suos homines nimium angariari contingeret, ipsa judiciis sæpe voluit personaliter interesse et tunc non per camerarium aut per judicem suum, sed per aliquem de capellanis faciebat judicium exerceri, ut sic pauperes mansuetius tractarentur. Quid plura? Fons iste pietatis adeo erat communis et suæ dulcedinis diffusivus, ut omnis qui appropinquaret ei, potitus suavitate ipsius recederet consolatus. Cunctis enim ad ipsam recurrentibus, si quandoque secundum affectum cordis non valebat effectum impendere operis, ad Omnipotentis gratiam se convertens, divino impetrabat miraculo fieri, quod pia hominum circa se affectabant desideria consummari, ut ex aliquibus, quæ jam sequuntur patebit.

ANNOTATA.

a *Luc.* VI 36.

b *Difficile est conjicere quanti hæc pecuniæ vis in moneta nostra hodierna sit æstimanda, ex eo etiam capite, quoniam tot fere sunt marcæ diversæ, quot*

sunt

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

sunt regiones. Cfr Du Cange V° Marca. *Imo hic merito dubitamus utrum biographus de marca Germanica, an de Slavonica loquatur, quum tamen se habeant ad invicem ut* 26 : 12, *ut eruere licet ex laudato Du Cange. Ne igitur istiusmodi calculis incertis nimium implicemur, sufficiat animadvertere valore · pecuniæ sæculo* XIII *esse ad valorem sæculo* XVIII, *ut* 4 : 70 (1): *ita ut* 30,000 *marcarum ja · ad* 525,000 *ascendant.*

c *Matth.* XXV 35.

d *In litteris donationis, iste locus vocatur* Shavoyn, *mansi vero adjecti, est mensura agraria, quæ variat pro varietate gentium: Ha · burgi tamen, ut aliquod exemplum ex Germania, licet disslta, afferamus, mansus septingentas et viginti in longitudine, in latitudine vero triginta habebat regales virgas. Du Cange* V° Mansus.

e *Diximus Commentarii prævii num.* 43 *quo sensu accipienda sint verba, quibus deprædicantur Bamberga accitæ moniales Cistercienses.*

f *Olsnicz hodie* Klein-Oels, *in districtu Wratislaviensi, circulo Olaviensi* (Ohlau).

g *Circa Leubense monasterium vide superiora cap.* II *Annot.* g.

B h *De fundatione Henrichoviensi loquitur Commentarius prævius num.* 50.

i *Monasterium S. Vincentii Wratislaviæ, quod ab Ordine S. Benedicti ad Præmonstratensem transiit, fundatum fuit anno* 1149. *Gesta ejus abbatum edidit Cl. Stenzel* (2).

k *Cœnobium S. Mariæ canonicorum regularium S. Augustini, Wratislaviæ, anno* 1108 *a Petro Wlast duce Silesiæ conditum fuit, ut habent Chronica ejus abbatum a Cl. Stenzel edita* (3).

l *Novum Forum*, Neumarkt, *in districtu Wratislaviensi, caput circuli. Leprosi severe a sanis per interminatas etiam pœnas sejungebantur. Vide Martene. De antiquis Ecclesiæ Ritibus lib.* IV, *cap.* X (4).

m *Per familiam hic intelligendi sunt omnes, qui ratione servitii debiti in personali famulatu S.* Hedwigis *erant.*

n *Matth.* XXV 35.

o *Matth.* XXV 36.

p *Rom.* XII 20.

q Rochetnicz, *si scriptionis modus attendatur, interpretari oportet* Rokitnice, *villa Silesiæ superioris, in districtu Oppelensi, circulo Beuthensi: verum*
C *ne hæc interpretatio admittatur, prohibet tum quod hæc villa ad Henricum Barbatum numquam pertinuerit, tum maxime quod villa ista non* XIII *milliaribus Wratislavia, sed saltem* XXVI *distet. Est et alia villa, Rogytnicz, alio nomine* Schönwald, *vocata, et ab Henrico Barbato Trebnicensibus data, ast hæc tantum* VIII *milliaribus Wratislavia abest. Atque hinc fit, ut quidam autument huc Rochlitzium indicari, in districtu Lignicensi et circulo Goldbergensi; atque id quidem satis probabiliter; nam et distantia optime quadrat, et exsistebant non ita pridem rudera templi in honorem S.* Hedwigis *olim erecti, ideo forsan quia istic moram trahere consueverat, ut patet etiam ex num.* 68.

r *Lesnicz, hodie Lissa, in districtu Wratislaviensi, circulo* Neumarkt.

s *Ferto est juxta Guntherum quarta pars marcæ. Du Cange* V° Ferto, *unde adhunc hodie anglicum* Farthing.

t *Crediderim Suidenicz hic potius intelligendum esse* Schweinitz, *quam* Schweidnitz, *licet magis litteraliter ad textum biographi accedat: quum enim Hermannus esset simul Glogoviensis canonicus et in Suidenicz plebanus, quærendus fuit locus Glogovia non multum dissitus* (9 *milliaribus*), *dum Schweidnitz villa quintuplo longinquior est.* D

u *Dubitat Cl. Stenzel utrum Zevina sit nomen proprium loci, ipsi incogniti, an vero commune, male scriptum pro Dziedzina, grangia, possessio hereditaria* (5).

w *Luc.* VI 38.

y *Scilicet qui censum annuum præstare debebant.*

x *Duplex est* Javor *seu* Javer *in Silesia, alterum in districtu Lgnicensi, alterum Wratislaviensi: illud quidem ad jus S.* Hedwigis *pertinuisse non videtur; hoc ad Ordinem Melitensem postea spectavit; nam fieri potest, ut Sancta nostra in istis partibus bona aliqua habuerit.*

(1) L'Art de vérif. les dates, t. I, p. 584. Edit. Paris, 1783. — (2) Scriptt., t. II, p. 135 et seqq. — (3) Ibid., p. 161. — (4) T. II, p. 858. Edit. Venet. 1783. — (5) Scriptt., t. II, p. 35, not. 2.

Cap. vi. *De miraculis S. Hedwigis in ejus vita.*

Plura miracula vivens perpetrat:

Animam istius dilectæ et electæ Dei, quia Salvatoris clementia tanta repleverat gratia, ut devotione continua sursum ageretur in Deum, et pietate E benefica incessanter moveretur ad proximum, adhuc ea in mortali corpore existente, quædam indicia et signa exteriora manifestam fecerunt illam familiaritatem et amicitiæ gratiam, qua Domino jungebatur, nam ob amorem ipsius et merita Deus faciebat miraculosa quædam et mirabilia opera. Plura quoque ab oculis et a cordibus abscondita viventium, sibi divinitus antequam fierent, pandebantur, ut sic, per signa et prodigia pollens virtute apostolica et per revelationem eventuum futurorum actuumque occultorum spiritu prophetico esse repleta certissime probaretur.

monialem ab osse piscis liberat;

65 Domina Razlaua, sanctimonialis in monasterio Trebnicensi, familiaris erat Beatæ Hedwigi, nec immerito, quia ipsa eam a pueritia educaverat et locaverat in prædicto monasterio, cujus procedente tempore custos, deinde in claustro, cui vocabulum est Ouenzko *a*, extitit abbatissa. Hæc dum die quadam ad vescendum resideret in mensa Beatæ Hedwigis, os piscis, de quo tunc edebat, gutturi ejus adeo firmiter inhærebat, quod nec gluttiendo nec ejiciendo valebat ab eo absolvi. Unde F non modicum cruciata tandem surrexit a mensa, ut si forte in sequestro vomitum provocando posset os ejicere, de quo diutius inhærente sibi sentiebat periculum imminere. Sed dum tali conatu nihil omnino proficeret, nec relevamen sentiret, necessitate cogente ad dominam, adhuc in mensa sedentem, cum fiducia rediit et ei audacter dolorem, quem ab ea prius forsitan præ verecundia occultaverat, indicavit, sperans ipsius meritis liberari. Cujus dolori ex solita pietate compatiens ipsam in Dei nomine benedixit, et ecce, mox signo Crucis edito, cœlestis medicus affuit et signantis merito et patientis fidei correspondens, sororem eruit a tormento simul et a mortis periculo, ita quod sororibus, quæ aderant, Victoria scilicet et Wencezlava in Trebnicz postmodum priorissa, quæ tunc dominæ legebat ad mensam, cernentibus, dicta soror Razlaua, os guttur atrocius stringens, omnino exspuit cruentatum.

duarum oculos

66 Jam dicta domina soror Razlaua, multum deflendo fratrem suum germanum defunctum, in oculo contraxerat quamdam visus impeditivam al-

buginem

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

A buginem sibique non modicum tædiosam. Tali ergo sarcinata gravamine satis prudenter de relevamine cogitavit. Nam ad suam recurrens mox dominam, ei, cujus beneficio erat in claustro, impedimentum exposuit oculi, quo retardari poterat in servitio Jesu Christi, cui per eam fuerat mancipata. Quod illa, pietate et fide plena, dum vidit, dicebat : « Vade, accipe Psalterium meum et cum ipso signum Crucis facito super oculum tuum macula obumbratum et sanaberis. » Obedivit soror mandanti, credens verbo dominæ, sciens scriptum esse : Quod omnia possibilia sunt credenti *b*, acceptoque Psalterio, ut jussa fuerat, signum Crucis expressit et statim albuginem, qua gravabatur, evasit.

curat: 67 Alia quædam soror de Trebnicensi monasterio, Gaudentia nomine, ex fletu in utroque oculo incurrerat tam gravem albuginem, quod eam multis medicaminibus adhibitis repellere non valebat. Unum namque oculorum ejus macula per totum obtexerat ita, quod nil de ipso videre valebat, in alterius vero pupilla oculi pars remanserat aliqua albugine non obducta. De illo ergo aliquid videre poterat oculo, sed adeo diminute, ut homines plene B non posset agnoscere. Cui Juliana, soror ejusdem monasterii, volens ex caritate succurrere medicina, colirium, quod multis similem oculorum infectionem habentibus profuerat, in oculos ejus misit, sed nihil in eis profecit. Quamobrem prudenti usa consilio, cum sibi humano videret non posse subveniri auxilio, ad opem divinam se contulit et per Beatæ Hedwigis merita sanitatem se consequi sperans, circuivit, dum solitarium esset monasterium, quærens et illo cæcutienti oculo diligenter considerans notavit locum, ubi quodam in angulo ecclesiæ ipsa Beata Hedwigis orare consuevit. Et explorans temporum vices venit, quando sola erat domina, surgentique ab oratione procedit ante pedes, rogans suppliciter, ut signaculo Crucis ipsius oculos consignaret infectos. Ipsa vero hæc videns et audiens a se peti, quod sanctitatis erat indicium ac declarativum divinæ virtutis suaque superexcelleret merita, ex humilitate obstupuit et facere recusavit, dicens sorori petenti : « Deus tibi parcat, quia cum ego sim homo et testa lutea fragilis, rem a me summæ postulas potestatis. Desine ergo, nam frustra niteris sic quærendo beneficium sanitatis, quod per me a Deo obtinere non C poteris. » Instabat nihilominus soror, ut ipsi benedictionem desideratam tribueret, nec destitit, donec illa, pertinaciæ nescia et contentionis ignara, pietate devicta, super eam signum Crucis faceret dicens : « Te, soror carissima, Dominus benedicat. » Et sic, quod auditu valde mirabile est, fugata caliginosa, quæ per decem hebdomadas oculos ipsius occupaverat macula, visum mox clarum recepit.

mulierem a cæcitate liberat: 68 Quodam tempore dum esset in Rokethnitz et ibidem orando in ecclesia more solito faceret moram, una de pedissequis ejus, nomine Catharina, pro alleviatione fatigationis ex diutina expectatione contractæ vel alterius causa necessitatis, suum perrexit ad hospitium, horaque competenti ad associandum dominam rediit. Reversa vero invenit duas mulieres Teutonicas apud ipsam, quarum unam diu noverat et cæcam fuisse sciebat, tunc autem jam vidit videntem et audivit manifeste gratias referentem Deo et famulæ Dei dominæ Hedwigi, quia lumen oculorum ejus meritis procul dubio recepisset, et ideo tamquam Sancta merito esset ab omnibus veneranda. Ad vocem hujus mulieris erubuit domina dolensque, tantum thesaurum sic poni in publicum, quem summo conamine semper nitebatur abscondere, fœminæ, divulganti sanctitatis ejus præconia, dixit : « Non ego, sed Dominus illuminavit te et fecit videre. » Et fugit quantum potuit a facie verborum ipsius, ostendens, se in illis sermonibus commendatitiis nullatenus delectari, illa tamen sanctitatem ejus extollere vocibus non cessabat. Advertens autem Beata Hedwigis, quod prohibitione simplici eam non posset ab hac commendatione compescere, cogitavit, si forte muneribus quietari valeret, et effundens de pixide nummos pro pauperibus repositos, dedit ei. Quos illa suscipiens, de oculorum lumine simul et de munere gaudens abscessit. Tali ergo et novo hoc miraculo domum majestatis suæ, quam hæc beata frequentavit tam fervide et habitavit tam sedule, Dominus honoravit.

duos jam suspensos 69 Pauper quidam furatus fuerat suo vicino pernam porci, id est dimidium bachonem *c*, et C captus in ipso furto ductusque coram duce, ipsius Sanctæ marito, jussus est absque mora puniri suspendio. Consanguinei vero suspendendi furis, recolentes dominæ Hedwigis ducissæ pietatem fore magnam ad miseros, venientesque coram ipsa rogabant, ut pro vita occidendi intercedere dignaretur. E Ipsa supplicantium preces audiens et exaudiens, virum supplex adiit, postulans ne pro re tam modica auferretur homini vita. Cui cum maritus responderet, quod eum jam suspensum crederet, si autem viveret ipsum ei donaret, statim militem quemdam, nomine Henricum Cattum misit, ut hominem liberaret. Qui velociter pergens et ipsum jam in ligno pendentem reperiens, evaginato gladio funem præcidit et sic sanus qui suspensus fuerat, ad dominam venit ejusque procidit ante pedes, gratiarum ei pro sua liberatione referens actiones. Hoc protestatus fuit in curia Romana coram examinatoribus dominus Nicolaus de Wirbina *d*, qui de familia ipsius dominæ fuerat, *d* præsens quoque erat, quando domina præfatum militem misit et quando fur de patibulo in sanitate reversus dominæ grates egit.

a morte vindicat: 70 Prædicto miraculo simile notatum in scriptis quibusdam inveni, quod ideo pono, quia aliud esse puto ex iis quæ narrantur ibidem. Quidam facinorosus, publicus hostis ducis, et terræ adversarius proscriptus tandemque fuit detentus. Quem dux in carcerem trahi jussit propter noctis tenebras F imminentes, ita ut, dilatione remota, mane diei sequentis morte debita plecteretur, antequam ejus detentio, fama prodente, ad ipsius dominæ Hedwigis conjugis suæ notitiam deveniret. Volebat namque dux taliter festinando cavere, ne ipsa malefactorem suis intercessionibus more solito liberaret. Executores mandatum ducis eo celerius perficiunt, quo ejus voluntatem plenius de agendis agnoscunt, et illum, dum illuxisset dies, suspensum reliquentes in patibulo ad propria revertuntur. Dum autem Dei famula tarde, ut consueverat, rediret ab ecclesia, dux obviam ei venit. At illa, quæ factum jam agnoverat, eum primo de crudelitate redarguit, postmodum suppliciter exoravit, ut sibi donaret hominem, mortis sententia jam damnatum. Ipse vero, præsumens maleficum utique mortuum, utpote diluculo jugulatum, protracto aliquamdiu exauditionis solatio tandem dixit : « Istum, ut alios tibi dono. » Accito ergo procuratore suo ei diligentius recommisit, ut velociter ad locum supplicii pergeret et hominem revocatum sibi incolumem præsentaret. Minister vero, dum allegaret ex opposito, quod frustra contingeret laborem impendi in hoc exequendo mandato, nisi forte

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

forte cadaver defuncti sibi vellet adduci, præsertim cum mane malefactor suspensus, procul dubio jam foret extinctus, imperantis nihilominus prævalebat auctoritas. Cui contraire quia non licuit, execrabile funus adducere cogitavit, ut sic dominam quasi de præcepto supervacuo subsannaret, et juncto curru pergens perveniensque ad patibulatum, funem, in quo pendebat miser pro demerito, amputavit, et ipsum quem credebat exanimem, reperiens vivum, cum stupore multorum, qui ejus tormento interfuerant, sine læsura ad præsentiam dominæ deducebat. Nulli dubium, quin divina potentia prædictos maleficos inter torquentium manus ideo a morte præservaverit, ut et famulæ suæ fidelibus ostenderet merita et ipsis peccatoribus propter intercedentis justitiam tempus concederet pro pœnitentia peragenda. Ex tunc mandavit princeps, ut ubicumque ipsa de cætero pertransiret custodias publicas, illico aperirentur carceres atque ergastula, vinctique ob ipsius reverentiam a captivitate et a vinculis eruti gauderent restituti plenariæ libertati.

mulieris manum sanat; e

71 Mulier quædam prope Leen *e*, dum die Dominico far suum in mola, quæ vulgariter Quirna B dicitur, moleret, ultione divina baculus, quo molam trahebat, manu ejus adhæsit adeo fortiter, quod etiam sui auxilio viri eam non valuit removere. Cum ergo ei omne juvamen deficeret et consilium, vir prædictus lignum tam subtus quam supra manum fœminæ amputavit, eamque duxit ad famulam Dei, exponens sibi totaliter quod acciderat et ostendit per partem baculi, quam mulier tenebat indissolubiliter manui adhærentem, casus, quem ei exposuit, veritatem. Ipsa ergo clementer illam consolans, in secreto pro ipsa orationem obtulit Domino et accedens manum ipsius aperuit et a ligno, quo irretita fuerat, liberavit, rogans et committens eidem, ne factum aliqualiter faceret manifestum. Sed latere non potuit, quod Deus ad suam gloriam noluit occultari.

codicem suum ab igne illæsum servat.

72 Occurrit et aliud miraculum, quod puto non esse tegendum silentio, sed magis ad Dei, qui operatus est, gloriam revelandum. Accidit quadam nocte, ut ipsa Beata Hedwigis ex vigiliis et orationibus fatigata somni violentia fuisset oppressa, et ecce lumen quod accensum prope librum ad legendum tenuerat vigilans, dormitantis lapsum de manibus cecidit ardens totaliter super librum. Audite C mirabile! Candela libro inhærens ardebat et consumebatur ad totius libri longitudinem, nec tamen consumebat neque corrumpebat volumen. Quod a Demundi familiari dominæ et ab aliis comperum pedissequis, postmodum devenit ad notitiam aliorum ut vere cunctis ostendatur laudabilis Dominus majestatis, qui miranda potentia custodivit illæsum ab igne devotæ suæ famulæ codicem, sicut quondam incombustum conservavit rubum ardentem. Pluribus quoque aliis operibus gloriosis mirificavit Dominus hanc Sanctam suam in vita ipsius, de quibus supra jam aliqua sunt expressa, videlicet quod aqua in vinum mutata fuit, et quod coram marito subito calceata apparuit, ut scribitur in tractatu de austeritate vitæ ipsius (cap. IV.) *f*, item quod lux cœlica ministerialem ipsius exterruit et quod imagine Beatæ Virginis multos curavit (cap. V.) *g*, ut in tractatu de oratione ejus est positum.

f

g

Varia prædicit.

73 Quia vero non solum operatione mirifica, verum etiam cognitione præclara valde admirabilis exstitit ista Sancta dum viveret, ideo post miracula, quæ perpetravit in vita sua hæc Christi famula, non immerito explicantur aliqua, in quibus habuisse revelationis et prophetiæ spiritum declaratur. D Irradiata namque luce superni luminis, limpido mentis cernebat intuitu, quæ tamen corporeis oculis non videbat, multa quoque, post longa tempora perficienda, cœlestis lucis beneficio cognoscebat. Quorum quædam, dum prædiceret et, ut prædixerat, evenirent, convertebantur mentes audientium in stuporem, admirantes in famula Dei gratiam donorum sibi divinitus collatorum. Cœpit quoque satis tempestive veri luminis claritas in ipsa splendescere, ita ut a sua juventute usque in senectam et senium ad suorumque completionem dierum prænosset multos ac prædiceret futuros eventus.

mortalitatem hominum,

74 Quodam enim tempore, dum adhuc juvenis esset, in die natalis Domini, venit, qui diceret coram ea sedente in mensa, quod arbor una cerasus, stans in horto, recentibus esset floribus decorata. Quod audiens misit ad considerandum, si prædicti flores in inferiori aut in superiori parte arboris pullularent. Qui missus fuerat renuntiavit, arborem in ramis inferioribus florescentem. At illa: « Signum est, inquit, mortalitatis futuræ, multi enim pauperes morientur homines isto anno. » Et sic, ut prædixerat, omnino evenit. E

mariti et pedisequæ mortem,

75 Consortem suum præmonuit, ut de castro Legenicensi non exiret, sed in ipso diutius faceret mansionem et sciret prænoscens, quod quam cito de ipso recederet. non diu subsisteret in hac vita. At ille credulus verbis ejus mansit triennio in eodem. Tandem abinde recedens et usque in Lesnicz *h* perveniens ibidem decubuit migravitque de hoc sæculo infra dies octo anno Domini millesimo CCXXXVII *i*, sepultus in monasterio Trebnicensi. Erat quædam fœmina nomine Catharina natione Pruthena *k*, sed per ipsam Dei famulam de sacro levata baptismate et nutrita junctaque matrimonialiter honesto viro, nomine Boguzlao de Sauon. Huic fœminæ, quia ipsa specialiter extitit famularis *, multa prædicebat futura et etiam ea, quæ ipsa Catharina in suis revolvebat cogitationibus ei sæpius declarabat. Unde semel ei aliqua cogitanti de vita præsenti, suspirans respondit dicendo: « O Catharina! cur frustra de præsentibus occuparis, cum sis subito moritura? » Quo audito expavit mulier et timor irruit super eam, sciens quod verbum in ore ipsius dominæ utique verum esset. Videns ergo eam sic vehementer turbatam dicebat: « Noli Catharina tristari, quia tu quidem morieris, sed iterum revivisces et hoc tibi signum. Ecce concipies et paries filiam, quæ morietur et tu post eam decedes. » Mulier hæc nondum gravida erat, sed, procedente tempore, nata filia, ut ei prædictum fuerat, est defuncta, ipsa quoque mater oppressa ægritudine valida per triduum pro mortua tenebatur. Non autem et tradita sepulturæ pro eo, quod valde modicum in ea videbatur de vitali spiritu remansisse, unde nec ignem, corpori ejus pro experimento vitæ appositum, sentiebat. Tandem restituta fuit, ut pie creditur, per merita Beatæ Hedwigis pristinæ sanitati, ut in hoc manifestaretur et propheticus spiritus, quem Beata in se habuit et virtus divina, quæ meritis ipsius assistens, vitam sibi devotæ et familiari fœminæ reparavit. Habuit quoque Beata Hedwigis procuratricem sibi multum familiarem et gratam, quæ Demundis proprio nomine vocabatur. De hac in absentia ejus, sed præsente Catharina prædicta, cum magna compassione dicebat: « Demundis ex hac vita odiosa morte decedet. » Tristem, proh dolor! prophetiam lugubris comprobavit eventus. Nam post felicem transitum Sanctæ aliquot annis fœmina

h

i

k

* familiaris

F

A fœmina supervixit, sed tandem morte subitanea ex hac vita migravit.

filii sui occisionem,

76 Triennio antequam occideretur dux Henricus, filius Beatæ Hedwigis, ipsa mater cuidam sorori Cisterciensis Ordinis in Trednitz, Adelheydi nomine, dixit : « Sis memor filii mei, quia ex hoc mundo, more in lecto decumbentium, non transibit. » Cui dum soror stupens ac territa responderet, inquiens : « Absit domina, unicus vobis est, ideo timetis ne forte sic ei eveniat, abjicite hunc timorem ; » e contrario ipsa dicebat : « Non timeo, sed certissime scio, quod occisione occumbet. » A quibus autem esset occidendus subticuit hac putatur de causa, ne forte si Tartarorum præconizasset adventum, homines nimium territi aut pusillanimes effecti ad fugæ convolassent præsidium ante tempus. Annis autem tribus completis, ut prædixerat, Tartarica rabies partes Slesiæ invadens in tantum prævaluit, ut ipsa domina Hedwigis cum filia sua et uxore filii sui, domina Anna, pro vitando periculo se ad castrum, cui Crozna *l* vocabulum est, transferret. Et dum moraretur ibidem, quadam nocte vocata secretaria sua, proprio nomine dixit ei : « Demundis ! scire debes, quod B jam amisi filium meum. Unicus filius meus, quemadmodum avicula velociter fugiens a me recessit, ipsum in hac vita de cætero non video. » Collecto namque exercitu idem filius, qui patris successor in dominio erat, Tartaris processerat obviam ad bellandum cum ipsis, fuitque in eodem prælio interremptus, anno Domini millesimo CCXLI, ut dictum est in principio, sed ejus interitum nondum rumor ad loca remotiora detulerat. Demundis autem, consolari volens dominam et verbum, quod putabat eam ex opinione dixisse, veraci responsione repellere cupiens, dixit : « Domina, nuntius nondum venit nihilque auditum est de his, quæ dicitis, quapropter opinionem hanc relinquite et nolite vobis credere in hac parte. » At illa : « Sic est, ut dixi, sed cave summa cum diligentia, ne alicui detegas, ut ad nurum et ad filiam meam tristis hæc relatio non pertingat. » Putabat enim, quia sola soli loquebatur infra nocturnum silentium in conclavi, quod mutuæ collationi ipsarum auscultando nullus hominum interesset. Sed soror Pinnosa, in eodem requiescens cubiculo, quæ dormire putabatur, colloquentium verba audivit. Tacentibus autem illis, ut domina jusserat, C post triduum nuntio veniente et divulgante, quod acciderat, compertum est, ducem in bello cum multis eodem die, quo mater prædixerat, corruisse.

nepotis sui Boleslai malitiam

77 Non solum autem prænuntiabat mortem corporum, sed etiam animarum et rerum pericula prædicebat. Quadam enim vice, audiente domina Anna, nuru sua, de nepote suo duce Bolezlao *m*, filio ejusdem dominæ, tunc absente, dolorosis vocibus loquebatur : « Væ, væ tibi, Bolezlae, quanta mala tu adhuc inferes terræ tuæ ! » Hoc utique adimpletum fuit, secundum quod quidam declarant, quando idem dux Bolezlaus alienavit clavem terræ, castrum videlicet et territorium Lebusanum *n*, et dum per multa, quæ suis ipsæ movit temporibus prælia, non tantum perditionis rerum, sed etiam extitit quam pluribus causa mortis. Unde quasi in exordio dominationis ejus, cum sumpsisset in terra Slesiæ principatum, propter mala statim suborta incepit populus gemere, quoniam per ipsius exercitum in ecclesia et in cœmeterio Novi Fori promiscui sexus homines perierunt incendio circiter octingenti, et alia plura pericula per ipsius tyrannidem in Polonia diversis temporibus contigerunt.

mala procuratori suo aliisque impendentia.

78 Domino quoque Lutholdo, capellano et procuratori suo, dicebat ipsa famula Dei : « Compatior tibi, domine Lutholde, quia nepos meus, dux Bolezlaus, tibi multa faciet mala, te tuosque omnes bonis omnibus spoliabit. » Idem vero Lutholdus, quia tunc in magna gratia ducis erat, quasi indignatus de verbo dominæ respondebat : « Utinam vos, domina, semper pacem habere possetis, ego atque mei bene semper habebimus cum Bolezlao, domino meo. » At illa intuita eum dixit : « Ego quidem pacem habebo, sed tibi eveniet, quod jam dixi. » Eidem duci Bolezlao, dum adducta fuisset domina *o*, sibi matrimonialiter copulata, filia comitis de Anhalt, et eam Beata Hedwigis primo suscipiendo respiceret, statim prædixit ei, quod a viro sua plurima ipsam mala perpeti oporteret. Præterea quod præfatus Bolezlaus duas, quas habebat in Trebnicensi claustro germanas sorores suas, Domino traditas, esset violenter extracturus de ipso monasterio, ipsa similiter antequam fieret enarravit. Et hæc singula, ut prædixerat, evenerunt. Una tamen de abstractis a claustro sororibus ejus, scilicet domina Agnes, ad monasterium rediit et in Ordine vitam finivit. E

apostasiam fratris Minoris :

79 Quidam, Fridericus nomine, Sophiæ filius *p*, professus fuerat observantiam Ordinis Fratrum Minorum. Sed quia secundum Euangelii veritatem non omnes qui vocantur a Domino, electi sunt, immo, quod valde terribile est, de multo numero vocatorum vix pauci electionis beneficium sortiuntur, ut, qui stat, timeat ne forte cadat, et quomodo caute ambulet, videat : iste Fridericus, quod unus de ruentibus esset futurus, Beata Hedwigis ostendit coram domina Anna nuru sua et Gothlinda, ejus pedissequa, his verbis, dicendo : « Dominæ Sophiæ multum compatior, quia heu filius ejus apostatando suum, quem professus est, Ordinem derelinquet. » Quod miser ille, ut prædixerat domina, expleto decem annorum curriculo, adimplevit.

culpam sororis revelat :

80 Soror Razlaua, de qua superius facta est memoria, quadam vice portans in manica ericium sub chlamyde occultatum, ad Beatam Hedwigim intravit. Quam domina intuens redarguit, dicens : « Quare, filia, rem tecum portas immundam ? » At illa, oblita de bestia, quæ in ejus manica latuit, et recedens cum rubore, cogitare cœpit, quænam hæc res esset immunda, cujus domina fecisset memoriam. Et occurrit menti ejus, si forte displicentiam haberet de ericio, quem apud se gestabat F sub pallio, et illum statim rejiciens ad dominam est reversa. Cui illa dicebat : « Sic, filia, sic prima vice debebas ad me venire. Cave, ne de cætero feras hujusmodi rem deformem. »

Canonizandum S. Stanislaum prævidet,

81 Juliana, soror domus Trebnicensis, quadam die dato signo veniendi ad chorum ad persolvendas laudes divinas, veloci properabat incessu, ne tempus congruum intrandi negligeret et sic accelerando locum quemdam in ecclesia sancti Bartholomæi, ubi nunc altare beati Stanizlai Martyris et episcopi est positum, pertransivit, nulla ibidem facta speciali reverentia, quia nec causam faciendi sciebat, cum nullo venerationis titulo adhuc locus ille foret specialiter insignitus. Ipsam ergo sic accelerantem domina revocavit eique locum ostendens dicebat : « Filia Juliana ! locus iste cuidam magno Sancto deputatus est, in cujus honore tandem construeretur in eo altare, unde hic, quoties pertransieris, ne exhibere reverentiam pigriteris. » Dum autem hæc ipsa diceret, et doceret, non solum jam dictam sororem Julianam sed etiam dominam Catharinam sibi familiarem pedissequam, nihil

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

nihil adhuc de canonizatione Sancti auditum fuerat Stanizlai *q*. Post obitum vero ipsius Sanctæ, annis transactis XIV in loco eodem, altari constructo ad gloriam Dei et Sancti Stanizlai honorem completum est, quod ab ipsa fuerat prophetatum.

q

et pedissequæ suæ paupertatem

82 Istam, de qua jam paulo ante facta est mentio, Catharinam, natione Pruthenam hortabatur, ut aurum filare ac de aurifrigio *r* disceret operari, prædicens eidem, quod talis operatio sibi multum fieret utilis in futuro. Acquievit humilis famula consilio dominæ, sibi ex dilectione utilia consulentis, artificiumque didicit memoratum. Quo post mortem ipsius dominæ tribus vicibus, rebus suis omnibus perditis, rerum copiam conquisivit: eratque non solum temporalibus verum etiam in virtutibus dives et mulier bonæ famæ, hoc geminum recipiens præmium pro fideli servitiò, ut virtuosæ adhærens dominæ et semita virtutis ipsius apprehenderet et bonis nihilominus transitoriis abundaret.

r

mortem propriam prædicit,

83 Sed ne ipsa Dei famula, quæ multis multa prædicebat futura et mortem sciebat aliis imminentem, proprium videretur de hoc sæculo exitum ignorare, revelante sibi Domino, dixit quibusdam familiaribus suis, quod corporis sui sarcinam, aggavantem multis defectionibus animam, sciret in proximo deponendam. Unde quadam vice, dum quædam nobilis et honesta fœmina, nomine Myleisa, quam ipsa non modicum diligebat, venisset ad eam, ut dilectioni ejus vicem rependeret, visitandam, potitaque solatio ejus post moram competentem, dum ad propria redire disponeret, vocavit eam et dixit: « Myleisa, mi dilecta, ad me accede et suscipe osculum oris mei. Dico enim tibi, quod, postquam ex nunc recesseris, me in hac mortali vita de cætero non videbis. » Haud dubium illa flens, accepto a domina osculo, abiit, nec eam amodo vidit, quia cito post ejus discessum domina correpta ægritudine decedens in pace quievit.

B

quare advocat fidelem sibi famulam,

84 Spiritu ergo prophetico prænoscens dissolutionem sui corporis imminere, et vicinam intelligens infirmitatem, de qua ex hoc transire mundo debebat, adhuc tamen sana existens, misso nuntio venire jussit ad se dominam Catharinam, patrinam suam superius memoratam, mandans ei per nuntium, ut moram non faceret, sed cito veniens sibi in imminenti ægritudine deserviret. Illa, ut fidelis vernula, festinabat ad ministerium dominæ, sanam tamen eam inveniens, remansit nihilominus apud ipsam, eique in omnibus sedule ministravit. Quadam vero die, cum domina quamdam ingressa fuisset cameram, ipsa Catharina vidit tres dæmones in humana effigie, maximo strepitu facto, in ipsam dominam irruentes et eam atrociter flagellantes audivitque eos cum furore dicentes: « Quare tam sancta es? quare tot sanctitatis operibus occuparis? » Has ergo dæmonum pugnas et impetus sustinens, cum tremoreque signaculo Crucis se muniens, eos illæsa evasit. Et dum de loco agonis egrederetur devota famula, dominæ sequens vestigia eique compatiens multiplicabat benedictionem Domini super eam, post tergum ejus Crucis signum sæpius faciendo. Quod quidem domina, corporalibus oculis, facie aversa, non vidit, virtutem autem sentiens Crucis Christi, regirans se dixit: « Catharina hoc me signo semper consigna. » Mirandam enim habet efficaciam signum istud ex Dominica Passione.

C

et sacro oleo inungi se curat.

85 Tempore quodam, priusquam incideret ægritudinem, in qua tamen et mortua fuit, vocato ad se fratre Mattheo Cisterciensis Ordinis, quem pro confessore tunc habuit, extremæ unctionis sacramentum ab eo suppliciter postulavit. Quod percipientes sorores, quam plurimum conturbatæ fuerunt simul et conterritæ, quia in tam evidenti signo ipsis sufficienter dabatur intelligi, quod jam appropinquaret ei tempus de hac vita migrandi, præsertim cum scirent, quod ipsa supervacue hoc nullatenus faceret, quæ spiritu prophetico et gratia Dei pollebat. Dolebant ergo et non modicum turbabantur, nec immerito, quia matrem, quæ ipsas fovebat ac diligebat in Christo, perdere metuebant. Accedens tamen soror Adelheydis, ei specialiter familiaris, « Domina, » inquit: « quare inunctionem sacram petendo concutitis corda nostra, cum sitis sana, nec ulla in vobis appareant mortis signa? Præterea nec languenti antidoto tali succurritur, nisi de ipsius periculo metuatur. » Cui illa respondit: « Scio, Adelheydis charissima, scio, quod ita sit et Ecclesiæ tu bene morem edisseris, sed est aliquid, quod circa ista considerare te convenit. Cum enim extremæ unctionis sacramento decedens homo, quasi armis spiritalibus contra spiritales nequitias muniatur, idcirco hujusmodi munimentum est cum summa devotione a fidelibus suscipiendum. Ego autem, licet adhuc incedam incolumis, deputabor tamen subito cum ægrotis et timeo, quod invalescentibus infirmitatum doloribus non possim tunc illud auxilium salutare cum tanto devotionis fervore suscipere, ut competit animæ debenti ad Dominum properare. » Satisfactum est ergo ejus desiderio inunctaque fuit oleo sancto et post non longum tempus in lectum ægritudinis decidit, nec sacramentum hoc postmodum iteravit. Factum hoc potius admirabile quam imitabile recitatur, cui spiritus Domini per revelationem efficaciam tribuit et super quo sancta devotio, ut pie creditur, dispensavit *s*.

D

E

s

illam invisente etiam non videns agnoscit

86 Postquam vero decumbere cœpit et languoribus fatigari, filia ipsius, tunc abbatissa Trebnicensis, districte prohibuit cunctis sororibus et aliis sibi ministrantibus, ne ipsam gravarent aut gravari permitterent narratibus quibuscumque. Pandebantur tamen ei per inspirationem divinam multa, quæ ab homine non didicit nec audivit, et agnoscebat ad se intrantes, quos aversa jacens facie non videbat, præsentiam quoque ipsorum etiam expresso nomine indicabat. Unde post insultum Tartarorum reversis ad claustrum sororibus, ad se venire jussit sororem Wencezlauam, postmodum in Trebnicz priorissam, de cujus reditu adhuc nihil audierat *t*. Præterea dominæ custodientes et ministrantes ei in ægritudine, timentes ne forte decederet in absentia dominæ Annæ, nurus suæ, quæ tunc erat apud regem Bohemiæ, fratrem suum, ei significare languorem ipsius celeriter satagebant. Ipsa vero prohibuit, dicens: « Nolite timere, nec laboretis mittendo ad filiam meam Annam. Non enim moriar antequam veniat. « Et sic factum est. Dum autem reversa fuisset, dicebat: « Numquid non dixi vobis, quod ante reditum filiæ meæ non decederem? »

F

t

sororem nobedientem redarguit

87 Eodem tempore, ea sic decumbente in lecto ægritudinis, duæ sorores domus Trebnicensis, Pinnosa scilicet et Benedicta, eam adierunt gratia visitandi. Ipsa vero, dum Pinnosam propius assistentem fuisset intuita, ventilabro parvo de palmis contexto, quod tunc manu tenebat, tetigit eam dicens: « Tu, quod huc absque licentia veneris abbatissæ, jam si velis negare non expedit. Vade ergo et veniam pro negligentia quære petitaque et obtenta licentia ad me cum volueris, revertaris. » Obstupuit soror et quamvis plurimum abbatissam timeret, mandatum tamen dominæ adimplere festinans,

A stinans, celerius abiit abbatissæque, quod perpetraverat, accusando se exposuit et de ipsius indulto dominam denuo visitavit. Ipsa autem domina jacendo averterat vultum ab ostio, nec Pinnosam venientem carnalibus oculis vidit, præsentem tamen cognovit in spiritu et improperans ei dixit: « Egredere prævaricatrix Ordinis tui, egredere! » At illa procidens petivit ab ipsa indulgentiam. Quæ statim indulgens ei dicebat: « Amodo, filia, nil absque licentia facias, cum valde meritorium sit obedientiæ sanctæ jugum. »

moniali peccata ejus detegit.

88 Dum ipsa Dei famula jam in illa, de qua mortua est, ægritudine laboraret, Eugenia, soror domus Trebnicensis, germanam suam, quam in eadem domo et Ordine habuit, proprio nomine vocans dixit: « Soror Gaudentia! eamus ut istam Sanctam visitemus dominam matrem nostram, ad lectumque ipsius noctis hujus supervenientis vigilias observemus. » At illa respondit: « Hoc quidem libenter facerem, sed non præsumo, timeo enim, si coram ea comparuero, quod mea mihi peccata improperet, ut sorori Pinnosæ culpam recitavit inobedientiæ, et ut sororem Razlauam reprehendit pro bestia, quam latenter portavit sub chlamyde, » ut B supra dictum est hac eadem dictinctione, octava scilicet in proximo præcedenti capitulo de primo et nundecimo capitulo de secundo tractatur *u*. Hanc autem excusationem Eugenia non admittens, sua tandem instantia devicit Gaudentiam, ut una secum ad dominam properaret. Procedentes igitur pariter usque ad domum, in qua languens domina jacuit, pervenerunt, ubi Eugenia introgrediens, Gaudentia vero pavefacta stans ad ostium foris remansit. Mirabile certe, nec visu nec auditu perceperat de illius adventu, quæ exterius metus causa substiterat, sed spiritu hoc prænoscens, dixit ei, quæ ingressa fuit sorori: « Eugenia vade et Gaudentiæ, quæ stat foris ante cameram dic ex parte Dei et mea: Tu hæc et illa commisisti peccata, » exprimens delicta, in quibus ipsa offenderat, « unde cito recurre ad lamentum pœnitentiæ et quas contraxisti maculas delictorum absterge. » Fecit Eugenia, ut ei fuerat per dominam imperatum, Gaudentia vero suscipiens nuntium, mox ut audivit sibi detegi veritatem, non modicum perterrita, ivit, et per confessionem delevit offendicula, et sic emundata a peccatorumque sordibus libera, quoties voluit postmodum ad dominam introivit C secura.

futuram suam gloriam prævidet.

89 Invalescente sensim infirmitate, domina Gertrudis, abbatissa Trebnicensis, filia ejus, ab ipsa sciscitabatur, ubi eligeret sepulturam. At illa, quæ jam dudum omnem fugerat pompam, ex humilitate sincera respondit: « In communi cœmeterio sepeliri desidero. » Filiam autem in hoc non consentientem intelligens, in loco capituli sororum petivit suppliciter sepeliri. In hoc quoque non consentiente filia, sed dicente: « In ecclesia te, mater, in patris mei sepulcro ponemus, » dicebat: « Si oportet me humari in ecclesia, contestor te per Deum et obsecro, filia, ut in tumulo patris tui, a cujus thoro pluribus annis disjuncta fui, non colloces corpus meum. Nolo enim conjungi mortuo mortua, a quo castitatis amore, quantum ad thorum, dum viverem, diu extiti separata. » Dicente vero filia: « Te ergo, mater, cum filio tuo, fratre meo *w* faciam tumulari, » respondit: « Cum nullo habere volo consortium in sepulcro, sed si omnino in ecclesia me decreveritis sepelire, ante altare Beati Johannis Euangelistæ me, consulo, sepelite. » in ecclesia namque Beati Bartholomæi coram jam dicto altari sepulti jacebant quidam pueri, nepotuli sui, quorum amans innocentiam, eorum quoque sequi voluit humiliter sepulturam, quia noverat Dominum dixisse in Euangelio *y*: « Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum. » Dum autem filia diceret: « Ante altare Beati Petri te, mater, collocabimus, ut sepulcrum tuum semper ante oculos habeamus, » illa prophetico illustrata spiritu dixit: « Hoc si feceritis pœnitebit vos in brevi propter gravamina, quæ vobis ibi ex mea supervenient sepultura. » Et sicut ipsa prædixerat sic evenit, nam sorores, ex multitudine hominum sepulcrum ejus visitantium, in requie sua sæpius perturbantur. Sic ista felix et beata divinis irradiationibus illustrata de futuris contingentibus determinatam veritatem edocuit ab humanis sensibus occultatam. Quod enim per investigationem humanam sciri non potuit, lux vera, cui familiaris extitit, ei detexit, quamvis non omnia vulgaret exterius, quæ divina luce irradiata interius cognoscebat. Abbatissa quoque, filia ipsius, quantum discrete poterat prohibendo cavebat, ne sibi manifestata revelando aliis, præcipue in ægritudine gravaretur. E

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

ANNOTATA.

a *Hujus nominis claustrum nuspiam reperi: certe Jongelinus in Notitia abbatiarum Ordinis Cisterciensis non meminit monasterii, Ouenzko appellati, neque aliud occurrit nomen, quod aliquatenus consonat.*

b *Marc.* IX. 22.

c *Du Cange* V° Baco *dicit hac voce promiscue denotari porcus saginatus, ustulatus et salitus et petasonem aut pernam. Eodem sensu adhibetur gallice et Anglice, germanice vero dicitur* Bache.

d *Siquidem iste Nicolaus ad Wirbensem, seu ut Bohemi scribunt, Wrbnensem gentem pertineat, cujus antiquitatem laudat Henelius*(1), *manifestum est etiam illustrissimas regionis familias principali familiæ ratione servitii obnoxias fuisse. Cæterum in tam remota antiquitate difficile secernitur, utrum hæc nomini proprio adjectitia locum originis an vero gentis indicent.*

e *Hodie Lahn, in districtu Lignicensi, circulo Leobergensi.* F

f *Secundum nostram divisionem capite* IV *n.* 29.

g *Apud nos capite* IV *num.* 48.

h *Est hic confusio sive personarum sive locorum: nam Henricus Barbatus non Lissæ, sed Crosnæ, quem locum etiam designant variantes lectiones hujus Vitæ, obiit, ut habent Chronica Polonorum* (2): Ipse pius princeps *(Henricus)* ad inferiores partes principatus sui profectus, in Crosna beatum vitæ finem adeptus, ad cœnobium solemne monialium in Trebnicz.... sepeliendus anno Domini MCCXXVIII deductus est. *Ast pater dicti Henrici, Boleslaus Altus Lissæ seu in Lebnicz obiit et in monasterio Leubensi sepulturam nactus est* (3).

i *Jam supra diximus a biographo perperam notari annum Henrici emortualem.*

k *Num.* 53 *Commentarii prævii diximus Henricum Barbatum armis et consilio suppetias tulisse contra Pruthenos Conrado Mazoviensi; atque hac occasione verisimiliter Henricus secum in Silesiam deduxit aliquot captivos, inter quos fuerit hæc Catharina Pruthena, ancilla data S.* Hedwigi.

(1) Silesiogr., t. II, p. 439. — (2) Stenzel. Scriptt., t. I, p. 21. — (3) Sommersb., t. I. p. 307.

l *Crosna,*

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

l *Crosna, hodie* Krossen, *in districtu Francofurtensi ad Viadram, caput circuli cognominis, contermina est Germanicis regionibus, atque ideo magis tuta ab incursu Tartarorum seu Mongolum.*

m *Boleslaus II, filius Henrici II et Annæ, cognomen Sævi seu Crudelis adeptus est. Vide ejus gesta in Chronicis principum Poloniæ* (1).

n *Territorium Lebusanum* (Lebus, *in districtu Francofurtensi), accurate distinguendum est a monasterio Lubensi* (Leubus, *in districtu Wratislaviensi, circulo Wohlau).*

o *Conjux Boleslai II erat Hedwigis, filia Henrici principis Anhaltini et Mathildis Brunwicensis.*

p *Videtur illa Sophia, e primariis fœminis fuisse, quoniam S.* Hedwigis *illam vocat* dominam : *ast nihil occurrit, quo genus ejus illustretur.*

q *Canonizatio S. Stanislai, episcopi Cracoviensis et Martyris, cujus festum celebratur* VII *Maii, facta est ab Innocentio IV, anno* 1253, *atque adeo decem integris annis post mortem S.* Hedwigis.

r Aurifrigium *seu* Aurifrisium *(cfr Du Cange h. v.) pro fimbria aurea aut limbo aureo sumitur: quandoque etiam, sicut hic, omne genus operis acupicti interpretatur. Inde derivatur vox gallica* B Orfroy, *quod hodie quidem latam fimbriam, quæ anterius cappam choralem exornat, posterius vero in caputium desinit, significat.*

s *Egimus num.* 80 *Commentarii prævii de impenso S.* Hedwigi, *adhuc, ut videbatur, sanæ hoc Sacramento, solis infirmis administrando.*

t *Ex hoc textu liquet diuturnum fuisse morbum S.* Hedwigis, *siquidem jam a biennio omnis Tartarorum metus evanuerat: neque suspicabitur quis moniales tam longo tempore* 1241-1243, *absque necessitate ex monasterio exulasse.*

u *Scilicet apud nos Vitæ num.* 80 *et* 87.

w *Loquitur Gertrudis abbatissa de Conrado Crispo, uti relatum est Commentarii prævii n.* 56. *Nam Henricus II, alter Gertrudis frater, sepultus fuit in templo S. Jacobi, post S. Vincentii, FF. Minorum, ut diximus Commentarii prævii num.* 77.

y *Matth.* XVIII. 3

CAP. VII. *De Miraculis factis tempore mortis S. Hedwigis.*

C

In ægritudine a variis

Appropinquante vero termino, in quo post consumationem bonorum laborum Beata Hedwigis deberet a Domino gloriosum percipere fructum, ipse Deus ei illius æternæ jucunditatis quædam præludia ostendebat consolationibusque suis lætificabat animam ejus, ne propheticum illud : « Consolatio abscondita est ab oculis meis, *a* » in peccatoribus a seculo migrantibus verificatum, in ea locum haberet. Mittebat namque ad ipsam supernæ patriæ cives, qui, utpote jam experti, plenius eam possent de civium jucunditate supernorum instruere ipsamque ad paratum illud ineffabile convivium invitare. In solemnitate enim diei Nativitatis Beatæ Virginis *b*, omnibus sororibus et aliis, quæ ei ægrotanti ministrabant egressis ad concinendum vel ad auscultandum canticum vesperarum, sola Catharina, ejus patrina, remanserat apud eam. Quæ vidit quosdam homines et personas, luce fulgentes, ad ipsam dominam ingredientes ipsisque advenientibus eam audivit dicentem : D « Bene veniant domina mea Sancta Maria Magdalena, Sancta Catharina, Sancta Thecla, Sancta Ursula, pluresque nominavit alias Sanctas, quarum nomina non retinuit ipsa, quæ aderat Catharina. Audivit quoque cum ipsis litteraliter eam loquentem et quantum advertere poterat et colligere per conjecturas probabiles, de hora sui transitus conferentem. Finitis vero vesperis visio illa cum luce abscessit.

Sanctis visitatur;

91 In die quoque Sancti Matthæi Apostoli et Euangelistæ *c*, sororibus domus Trebnicensis more solito ad capitulum congregatis, duæ ex ipsis, Pinnosa scilicet et Benedicta, eam languentem visitare venerunt. Quibus ipsa præsentibus ait : « Flectite genua et orate. » Interrogantibus autem illis ab ea, cur facere hoc deberent ? respondendo subintulit : « Numquid non videtis Sanctam Mariam Magdalenam et Sanctam Catharinam ? » Quemdam etiam Sanctum Martyrem nominavit, cujus vocabulum, quia inusitatum erat, ab earum memoria lapsum fuit et maxime quia soror Benedicta litteras ignoravit, nomen illud retinere non potuit. Sic Dominus electam et dilectam suam in infirmitatum doloribus per Sanctorum frequentiam E relevavit, priusquam transferret eam ad plenitudinem gaudiorum. Cum autem fatigationibus ejus finem vellet Deus imponere et eam absolvere a labore, quem tamen non sensit præ amore, animam ipsius sanctissimam de ergastulo carnis in abyssum æternæ translulit claritatis, ubi Regem supremum et Dominum nostrum Jesum Christum, pro cujus amore regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsit, in quem credidit, quem dilexit *d*, beatis videbit * oculis in sæcula sæculorum. Transiit autem Beata Hedwigis ex hoc mundo anno Domini millesimo CCXLIII *e* Idibus mensis Octobris, circa horam vesperarum, ut illa utique hora, qua solita fuit in quotidiano jejunio corporaliter cibo arido refici, transferretur ad delicias cœli et ad interminabilis requiei sabbatum cum Sanctis omnibus celebrandum.

* videt

in morte corpus Sanctæ splenduit:

92 Corpore vero jam exanimato, dum more claustralium domina Wenzeslaua, priorissa domus Trebnicensis, accedens cum sororibus aliquibus abluere corpus disposuit, ipsa Beata Hedwigis inventa est habere durissimum ad carnem cilicium et zonam de pilis equorum contortam. Quibus dum nudata fuisset, futuræ gloriæ signa cœperunt F apparere in ipsa. Nam color corporis ejus, qui ex frequenti jejunio et castigatione continua pallidus erat seu croceus, cutisque ipsius quibusdam superducta rugationibus totumque corpus ejus quod adustum caumate ac algore pœnitentiæ declinabat ad nigredinem, in omnium aspicientium oculis veluti nix splendescere cœpit lucisque repræsentare candorem. Insuper prius ex infirmitate glaucam, in morte vero albescentem faciens et genas rubore perfusas ac rutilantia labia intuentibus exhibens, quasi quædam pulcherrima videbatur imago, signa mortui hominis nulla habens. Pedes quoque ipsius, prius frequenter squalidi, tunc uti lac nitidi cernebantur, significans cunctis dealbatione forinseca, quod opitulatione divina multimodis tunsionibus et pressuris jam esset ad statum innocentiæ reformata securaque foret de stola immortalitatis æternaliter possidenda. Tunc etiam illa, quæ prius dum viveret absconderat cum summa diligentia insignia meritoria, calli scilicet in ejus genibus apparebant et apertius tractabantur a cir-

(1) Stenzel. Scriptt., t. I. p. 107.

cumstantibus

A cumstantibus fœminis, in admirationemque aspicientes vertebant et jubilum, dum in tam excellenti fœmina cernebant signacula tam excessivi fervoris in servitio summi regis. Erant enim, ut testabatur soror Juttha, quæ præsentialiter viderat, calli prædicti adeo magni, ut duobus pugnis essent æquales et unus alteri superpositus fuit. In callorum quoque duritie videbantur tunc rupturæ et quædam cavernulæ pulvere arenoso repletæ. Nam in oratione genua ejus nuda, nudo impressa sæpius pavimento, de humo arenulas hauserant, quas, intra rimulas scissurarum receptas, adhuc tenebant calli præfati evidentius prominentes.

mons ex curantur, alia ab inflata manu

93 Loto autem corpore et aptato super feretrum, ut decebat, sorores domus Trebnicensis mox cum magno accurrentes desiderio et animi aviditate, quævis, quod poterat, de Reliquiis capere corporis rapiebat. Aliæ namque digitorum, aliæ pedicarum ejus ungues, quædam vero capillos sancti capitis præcidebant. Tandem cum sollemnitate debita thesaurus ille inæstimabilis ad ecclesiam deportatus ibidem remansit triduo insepultus, vigilantibus juxta corpus et orantibus multis cunctisque laudantibus Deum super omnibus, quæ B viderant et audierant et quæ faciebat, adhuc non sepulto corpore, clementia divina magnalia per merita Sanctæ suæ. Quædam namque soror domus Trebnicensis, Juttha nomine, manum habens ex minutione periculose inflatam et lividam, dum aliud non haberet remedium, Beatæ Hedwigis patrocinium invocabat, sperans ejus meritis a periculo liberari. Accedens ergo cum fiducia manum infirmam corpori sancto, in feretro posito, quanto poterat vicinius applicabat. Dum autem appropinquasset et cilicium, in quo involutum corpus jacebat attingeret, fragrantiam odoris sensit mirabilem et subito manus sua recepit plenariam sanitatem.

alia a siti :

94 Martha, soror domus Trebnicensis, desiccationem oris, linguæ et pectoris patiebatur. Ex qua ariditate continue tantam sustinuit sitim duobus annis et amplius, quod multoties dum matutinum pulsaretur, eam bibere oportebat. Et aliquoties dum non occurreret aliud ad bibendum, ecclesiam intrans, aquam benedictam bibebat. Pro qua bibitione extraordinaria contra eam murmurabant sorores et per abbatissam in capitulo culpabatur dicentem, quia vitium hoc potius ex consuetudine perversa procederet, quam ei ex ægritudine in- C hæreret, ideo per abstinentiam illud bene, si vellet, a se repelleret. Ipsa autem siti quasi inextinguibili fatigata, quamvis verecunde, publice et occulte correpta, corrigere non potuit hunc defectum, qui ei non, ut opinabantur alii, ex pravæ consuetudinis, sed ex morbi et passionis jam dictæ vitio inhærebat. Cum vero corpus Beatæ Hedwigis in die defunctionis lotum, ut prædicitur, deferretur ad ecclesiam, soror Martha, patiens dictam sitim, ad locum ablutionis confidenter accessit, et de meritis Sanctæ Hedwigis non immerito præsumens, orationem fecit, dicens hoc modo : « Domina mea, Beata Hedwigis, libera me ab ista passione et ab improperio, quod patior ratione sitis, quam sustineo. » Oratione completa, accessit ad pelvim plenam aqua, in qua lotum fuerat corpus sanctum, quam invenit ibidem relictam, absentibus cunctis, jam funere deportato, lavitque os et collum ac guttur suum. et fuit subito relevata sic quod nullam innaturalem aut inordinatam de cætero sensit sitim.

mirus ex ejus corpore candor et odor.

95 Die tertio, priusquam sepulturæ traderetur corpus Beatæ Hedwigis, filia ejus, abbatissa Trebnicensis, dixit sorori Wenceczlavæ, ibidem postmodum priorissæ, ut velamen, quo tegebatur caput Sanctæ, deponeret et alio superposito velamine jam dictum caput velaret. Ipsum enim velamen, quod removeri jubebat extiterat Sanctæ Elizabeth *f*, cujus Sancta Hedwigis matertera fuerat et ideo ipsa Beata illud quoad vixit, in magna reverentia habuit, ob ejusque amorem ipsum studiosius conservavit. Pro hac etiam procul dubio causa prædicta ejus filia, ut et matris et materteræ memoriam in illo velamine confoveret ac juge dilectionis memoriale non amitteret, dictum velamen voluit reservare. Accedens ergo soror ad feretrum et perficere mandatum abbatissæ festinans revelataque facie Sanctæ, vidit eam ore aperto jacentem, de ipsoque ore sensit odorem suavissimum emanantem. Corpus quoque ipsius, quod prius dum ablueretur lacteum seu niveum representabat colorem, tunc vidit multo ampliori candore perfusum. Et sic dos claritatis stolaque gloriæ videbatur in ea tunc quodammodo relucere.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI. *f*

ANNOTATA.

E

a *Osee* XIII, 14.

b *Celebratur festum Nativitatis B. Mariæ Virginis die* VIII *Septembris ; obiit autem S.* Hedwigis *die* XV *Octobris.*

c *Festum L. Matthæi Apostoli inc dit in diem* XXI *Septembris.*

d *Hæc verba desumpta sunt ex responsorio* VIII *lectionis de Communi non Virginum Breviarii Romani.*

e *Sommersbergius varios affert* (1), *qui dicunt S.* Hedwigem VII *Octobris obiisse, terræ vero mandatam fuisse* XV *ejusdem mensis : sed perperam ; nam antiquiores in Idus Octobris consentiunt, quum dicunt Sanctam illa die* transiisse ex hoc mundo, *quibus verbis non inhumationem, sed obitum indicare dicendi sunt. Cfr dicta Commentarii prævii num.* 81.

f *Inenumerandis monumentis S. Elisabethæ Thuringicæ omittitur mentio istius velaminis, duplici titulo sacri* (2).

CAP. VIII. *De miraculis post mortem S. Hedwigis.*

F

Variorum morborum curationes ad tumulum S. Hedwigis obtentæ :

Ne autem virtus illius inæstimabilis margaritæ et pretiositas thesauri absconditi in agro sepulcri ignoraretur ab hominibus, Dominus eam dignatus est virtutis suæ potentia facere manifestam. Nam corpore cum decenti celebritate sepulto, mox Beata Hedwigis pluribus et magnis cœpit coruscare miraculis quibus fideles suos, cum devotione ipsius Sanctæ auxilium invocantes, longe lateque consolabatur clementia Salvatoris, secundum quod in subsequentibus declaratur. Recitantur ergo, Primo, miracula de infirmis sanitati restitutis. Secundo, de curatis in capite et oculis. Tertio, de cæcis illuminatis. Quarto, de surdis in auditu reformatis. Quinto, de mutis in loquela relevatis. Sexto, de passione manuum liberatis. Septimo, de dolore pedum sanatis. Octavo, de passione manuum et pedum simul curatis. Nono, de contractis. Decimo, de gibbosis. Undecimo, de paraliticis. Duodecimo,

(1) Rer. Silesiac., t. I, p. 313. — (2) Montalembert. Vie de Sainte Élisabeth, p. 403. Edit. Paris 1841.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

decimo, de quartanariis. Tredecimo, de epylenticis. Quartodecimo, de dæmoniacis. Quintodecimo, de dissentericis. Sextodecimo, de squinanticis. Decimoseptimo, de infistulatis. Decimooctavo, de erutis a periculo mortis. Decimonono, de mortuis suscitatis *a*.

a

sanantur filius domini de Borech.

97 *b* Puer quidam, Dominicus nomine, filius Witoslai militis de Borech, *c* septem annorum gravi erat decumbens ægritudine. Infirmitate autem crescente, ad hoc tandem deductus est, quod ei certitudo mortis tunc jam de proximo humano judicio imminebat. Nam manus ejus et pedes erant emortui, oculi quoque ipsius transversi claudi non poterant, modicus adhuc solummodo strepitus resonabat in gutture ejus, pectore totaliter elevato enormiter, ut solet in mortuis elevari. Mater ergo sic appropinquantem morti considerans filium, patri pueri, videlicet marito suo, qui et ipse tunc in lecto decubuit dixit : « Filius noster a te accipit licentiam et recedit, jam non habemus filium nostrum. » Pater hæc audiens, elevatis manibus cum fletu, dicens clamavit : « Domina mea, Beata Hedwigis, ego tibi servivi et tu me dum viveres, dilexisti : hanc nunc mihi facias gratiam, ut filium meum per tuam intercessionem vivum retineam. Restitue mihi, domina, filium meum sanum et hæc a tua liberalitate sit mihi præcipua specialisque retributio pro laboritio meo. » Mirabile valde, minister fidelis, fidele ministerium in spe gratiæ impetrandæ dominæ recitat; domina, veluti non oblita de fideli impenso sibi ministerio, remunerationem non prorogat nec procrastinat exaudire petita. Subito enim, dum pater orationis verba compleret, filius, qui exhalare jam spiritum putabatur, se vertens, patrem incepit respicere ipsumque suo intuitu consolari. Pectoris elevatio recessit visibiliter, evanueruntque celeriter signa mortis et ipse puer, qui ex infirmitate quasi totus aridus erat, utpote qui langueral a festo Sancti Michaelis usque ad diem proximo sequentem festum Sancti Martini *d*, nulla crisi aut immutatione alia naturali facta circa ipsum, tertia die sanus et incolumis de lecto ægritudinis est egressus. Pater quoque ipsius pueri, tempore examinationis miraculorum coram inquisitoribus hoc miraculum recitans, vix illud præ lacrimis et singultibus poterat enarrare.

filius Amilii Wratislaviensis.

98 Waltherus puer, filius divitis viri Amilii civis Wratislaviensis, lapsu nutricis suæ adeo fuit collisus, quod vehementem fracturam renum et inflaturam, quam ex ipsa collisione incurrerat, nulla poterat repellere medicina. Unde mater ipsius, domina Berchta, in spe curationis ipsum per chirurgicum fecit incidi. Sed neque per hoc incolumitati extitit redditus, immo fuit amplius infirmatus. Videns igitur fœmina, omne humanum abesse remedium, ad sui sanitatem filii reformandam, inspirante Deo, præcipuum excogitavit sanitatis antidotum et hoc per Beatæ Hedwigis intercessionem ab altissimo medico obtinendum. De ipsius ergo Sanctæ meritis confisa mulier devote vovit filium letaliter ægrum ad ejus reducere tumulum, sperans suo desiderio non fraudari. Voto sic emisso, curavit ocius, quod voverat reddere, multis tamen consulentibus, ne deduceret puerum, quem tunc putabant veluti proximum morti, celerius tumulandum. Eoque in Trebnicz perducto prope sepulcrum Sanctæ lichno, qui ratione curationis immersus fuerat carni sauciatæ, extracto de vulnere, mater filium cum cereo, quem ad longitudinem ejus præparaverat, offertorio alio superaddito, imposuit Sanctæ sepulcro multis præsentibus et stans de prope, sic dicens orabat : « Domina mea Beata Hedwigis, sana filium meum, aut fac, quod prius quam de tuo recedat tumulo, moriatur. » Hoc ipsius matris jam erat desiderium propter tædium, quod habebat de filii nimis prolixo languore; nam ægrotaverat a festo Sancti Vincentii episcopi præcedente festum Nativitatis Beati Johannis Baptistæ usque ad vigiliam Beati Bartholomæi Apostoli *e*. Tunc enim idem ægrotus ad Sanctæ mausoleum est perductus, et ecce, quod valde mirabile nec minus delectabile est, mater filium, quem super tumulum multorum judicia quasi mox moriturum, collocaverat, oratione facta, omnino sanum recepit, vulnus quoque incisuræ, de quo lichnum extraxerat ipsa mater, ut prædicitur, obductum est inventum et adeo consolidatum, quod in signum præhabiti vulneris modica cicatrix remansisse tantummodo videretur. Puer iste sic per merita Sanctæ Hedwigis redditus sospitati pluribus annis vixit incolumis, et tempore examinationis miraculorum sanus, fuit ipsis examinatoribus præsentatus ad perquirendam istius miraculi plenariam veritatem.

Petrus, familiaris ducis Henrici.

99 Petrus quidam, de familia et familiaritate ducis Henrici, in festo Nativitatis Domini correptus gravi ægritudine, diebus multis decubuit dolorum aculeis fatigatus. Quibus dum vehementius urgeretur, recordatus sanctitatis Beatæ Hedwigis et de ipsius confisus suffragiis, dixit : « Beata Hedwigis, adhuc proroga tuis intercessionibus vitam meam. » Dum ergo in vigilia Sancti Silvestri Papæ et Confessoris *f* in grabato hanc orationem devotius funderet Sanctæ patrocinium invocando, audivit vocem sibi dicentem aliquoties : « Surge, surge! quid jaces? » Audita voce, continuo pressus somno, non explevit jubentis mandatum, sed post soporem evigilans, statim sanus surrexit, annuntians, se divina misericordia per Sanctæ Hedwigis merita a doloribus liberatum.

Elisabeth puella sex annorum.

100 Elizabeth, puella sex annorum, filia Mechtildis, uxoris Hermanni Cranzonis, civis Wratizlaviensis, ex ægritudinis protractione corpusculum habuit adeo arefactum, ut omnia ipsius membra multo minoris essent quantitatis quam ætas tanti temporis requirebat. Sciens autem mater, jam nullum posse efficacius remedium adhiberi miserabili filiæ suæ, cujus vires et vigorem languor perseverans devastaverat, quam miserationem divinam, voto facto Beatæ Hedwigis adiit mausoleum, infirmam illuc secum deferens filiam. Quam prope sepulcrum deponens, hæc dicens verba orabat : « Domine Jesu, per merita Beatæ Hedwigis tuam misericordiam invoco, sana filiam meam languidam hic prostratam. » Et ecce misericors et miserator Dominus, qui prope est omnibus se invocantibus in veritate, subito miserationis suæ beneficium invocatus exhibuit et puellam, per dimidium annum continuis languoribus arefactam, plene sanitati restituit, ita quod ipsa, quæ quasi jam fuerat desiccata, statim resumpsit per Beatæ Hedwigis auxilium corporis incrementa.

Hermannus Cisterciensis.

101 Frater Hermannus, presbyter de domo Lubensi *g* Ordinis Cisterciensis, quodam tempore graviter ægrotabat in Lubes, ita quod tam ipse quam fratres alii in hac cum ægritudine moriturum putabant. Dum sic languore depressus, quadam vice extaticum quemdam pateretur excessum, audivit vocem, sibi dicentem : « Vade in Trebnicz ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum et sanaberis. » Ex illa hora incepit frater convalescere et melius se habere. Sanitate autem adepta, monitionem sibi factam de visitando Sanctæ sepulcro adimplere neglexit

A neglexit et recidivans, tamquam ingratus benefició, majoribus quam antea cœpit infirmitatum stimulis perurgeri. Inflicta autem vexatione sibi dante intellectum, ad cor reversus, spretam admonitionem divinam esse causam recidivi et adaucti flagelli non immerito judicabat. Velocius ergo a Patre monasterii, domino Ludewico tunc abbate Lubensi *h*, petiit et impetravit licentiam adeundi Sanctæ Hedwigis sepulcrum, sicut sibi a Domino fuerat revelatum, et cum duobus sibi assignatis pro sociis Fratribus, Nicolao videlicet laïco et Berthodo presbytero in curru subvectus, totus languidus illuc perveniens, ipsi tumulo, quia erat debilis, incumbendo pro sua sanitate recuperanda per Sanctæ Hedwigis utique merita Dominum invocabat. Mox dum sic confidens insisteret precibus Dei servus, affuit ille, qui promisit veraciter, dicens *i* : « Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, » et famulum suum, priusquam ad recedendum se levaret a tumulo consolatus est, restituendo ei desideratam corporis sanitatem. Nam protinus cum orasset, sudorem incurrit salvificum, deductusque ad hospitium, eadem nocte convaluit ab ea ægritudine, quam passus fuerat a B vigilia Assumptionis gloriosæ Virginis usque prope festivitatem Beati Archangeli Michaelis, et sic per intercessionem Beatæ Hedwigis sanitati pristinæ redditus ad suum conventum breviter est reversus. De jam dicto Lubensi monasterio multi Fratres alii fuerunt curati a Deo per Sanctæ Hedwigis suffragia, quorum unus e pluribus erat Frater Gotfridus, Prior domus ejusdem.

uella, virginitem mentita, mittit crines:

102 Beata Hedwigis suis intercessionibus apud Deum non tantum corporum, sed etiam mentium dignabatur procurare salutem et cordium effugare tristitias, ut in his quæ sequuntur luculenter appareat. Quædam adolescentula, corde et habitu sæcularis, virginalem pudicitiam, quam coram Deo amiserat, se habere propter erubescentiam coram hominibus simulabat. Ad sepulcrum autem Beatæ Hedwigis perveniens, velamen, quo caput suum contexerat, dum pro integritatis signo ibidem deponere vellet, capillos pariter defluentes deposuit, et sic capite depilato remansit. Et quia suum noluit defectum cognoscere, sed potius de statu virgineo, a quo infelici casu ceciderat inaniter gloriari volebat, coram omnibus revelata est ignominia ejus, ut ad cor rediens, in oculis suis fieret C postmodum humilis, quæ prius superbire delectabatur cum virginibus fatuis, non solum oleo caritatis, verum etiam pulchritudine carentibus castitatis. Quidam Clemens nomine, de Orinico, coram examinatoribus in Romana curia se asserebat prædictos vidisse capillos, quamvis tunc non interfuerit, cum de capite dictæ virginis fuerunt elapsi. Simile factum de Sancto legitur Stanizlao *k*, ut per Sanctos et Sanctas suas comprobet Dominus, quantum sit facinus, culpam velle mendacio obumbrare.

puer perditus invenitur:

103 Faber quidam manebat Wratizlaviæ, filium habens trium annorum, quem sibi tempore nundinarum in festo Sancti Johannis Baptistæ, mulieres vagæ furtim abstulerant. Dum ergo per vicos et plateas circuiens quæsivisset triduo cum dolore, nec eum ullatenus invenisset, votum sic dicens emisit : « Beata Hedwigis, fac me rehabere puerum meum et ego tibi offeram bladi *l* mensuram secundum gravitatem ponderis quam præferet idem puer positus in statera. » His verbis cum intentione prolatis statim affuit quædam fœmina, dicens ei, ut veniret et reciperet puerum perditum, ostenditque ei locum, in quo cum gaudio invenit eum sibi per Sanctæ Hedwigis suffragia demonstratum.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

Michael a dolore capitis,

104 Vir quidam, Michael nomine, devotus et timens Deum, habens in Trebnicensi monasterio sororem, quæ Gaudentia vocabatur, gravi capitis oppressus dolore per unius anni spatium continue decumbebat. Qui quanto poterat devotionis studio Beatæ Hedwigis invocabat auxilium, quod eum a tali ac tanto cruciatu dignaretur Dominus, ipsius interveniente suffragio, liberare. Tandem Beata Hedwigis dormienti apparuit et per somnium ei dixit : « Si curari desideras, sepulcrum meum personaliter adeas et recipies sanitatem. » Expergefactus homo, salutis consilium, quod acceperat dormiens, vigilando perficere festinabat, pertingensque ad locum sepulcri, se protinus ad orationem projecit. Cui sic oranti pro capitis sospitate vir quidam, alba indutus veste apparens, dicebat : « Sic debes orare et his verbis Deum per Beatæ Hedwigis merita invocare : « Da nobis quæsumus, Omnipotens Deus, in te semper gloriari et concede propitius, ut, qui Sanctæ Hedwigis merita devote recolimus, ipsius adjuti auxilio tuam gratiam sentiamus. » Ægrotus iste adeo modicum exstitit litteratus, quod hanc orationem, sicut nec componere, E sic nec retinere aliquatenus valuisset, nisi virtute mirifica ejus fuisset memoriæ inculcata. Orationem ergo, instructus a Deo, retinuit et perfecte curatus a sepulcro ad propria cum gaudio remeavit. Antequam tamen abiret, veniens ad sororem suam præfatam Gaudentiam, ei aliisque Sororibus claustri et curationis suæ processum et orationis, quam didicerat seriem recitavit. Unde Soror Gozlava, ob venerationem et recordationem miraculi, de ore ipsius cui acciderat viri, dictam orationem conscripsit et posteris in scripto reliquit.

Siffridus a dolore oculorum,

105 Siffridus, civis et frater judicis civitatis Wratizlaviensis, vehementem oculorum dolorem incurrerat, qui eum nec modicum sinebat videre. Vocatus ergo magister Hermannus chirurgicus, dum paratus assisteret ad carnem superfluam, quæ excreverat, de ipsis oculis excidendam, ipse qui patiebatur, dolorem dolori superaddendum considerans, nec præsumens, tantum genus tormenti jam patiens, sustinere se posse de novo alium supervenientem aliqualiter cruciatum, omisso curationis remedio, quod ei per humanam forte industriam poterat adhiberi, ad Sanctæ Hedwigis F auxilium, quæ ipsum pridem de alia infirmitate liberaverat, se contulit invocandum, votoque emisso ad ipsius Sanctæ visitandum sepulcrum, in curru noctis tempore, quia lucem diei sustinere non poterant ejus oculi ægrotantes, quantocius properavit, illucque perveniens, sic dicens oravit : « Sancta Hedwigis, fer mihi auxilium, ut hujus doloris vehementiam evadere valeam, tuo juvamine mediante. » Oratione completa, homo, qui vix cæcutiens ductus advenerat, subito sanatus mane sequenti ad domum suam rediit bene videns.

Boguzlava a dolore capitis,

106 Nobilis mulier Boguzlava, uxor domini Simonis castellani Gnezenensis, tam vehementem dolorem capitis habuit, quod nec comedere, nec bibere bene poterat, nec dormire. Pulvillos, quantumcumque delicatos aut cervicalia mollia supponeret capiti, non potuit sustinere, nec in ipsis præ doloribus requiem invenire, unde tantam incurrerat ex consequenti oculorum caliginem, ut manum propriam videre non posset. Quæ dum nec colyriis nec medicamentis aliis pro remedio sibi adhibitis aliquatenus juvaretur, Sanctæ Hedwigis vovit se velle visitare sepulcrum, si forte per ipsius Sanctæ merita eam dignaretur Dominus liberare

33 ab

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

ab ingenti, quo detinebatur, dolore. Voto sic emisso, maritus ejus eam cum decenti comitiva transmisit ad Sanctæ limina visitanda, dicens dum ipsam in vehiculo collocaret : « Sive vivas, sive moriendo deficias in hac via, Domino te et Sanctæ Hedwigi committo. » Et ecce, quam cito in curru posita fuit statim in capite levius sensit, in oculis adhuc caligine remanente. Sed cum deducta pervenisset ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum, hoc modo dicens oravit : « Domina mea Sancta Maria, exaudi me et præcipias famulæ tuæ Sanctæ Hedwigi, ut me liberet, et tu, Beata Hedwigis, succurre mihi indignæ famulæ tuæ. » Oratione completa, priusquam de tumba recederet, in præsentia militum et familiæ, quæ secum advenerat, necnon et multarum Sororum domus Trebnicensis, quæ ibidem astabant, fœmina evasit plenarie dolorem capitis et oculorum caliginem, ita ut et clare videret et nullum deinceps capitis dolorem sentiret. Et sic ipsa, quæ per biennium fuerat præfatis cruciatibus afflicta immaniter, restituta in die Sanctæ Catharinæ *m*
m celerius sanitati, ad propria est reversa gaudenter. Ipsi quoque examinatores miraculorum protestati sunt, se jam dictam postmodum mulierem vidisse
B et eam claros oculos habuisse.

Vitozlava ab oculis sanguinolentis curantur.

107 Puella quædam nomine Vitozlava, filia Clementis militis, oculos habuit depravatos totaliter et compactos, de quibus crebro sanguis manabat, nec poterat præ dolore lucem aliquam sustinere. Et quia ipsa puella in infantia sua ad invocationem nominis Beatæ Hedwigis vitæ fuerat reddita, ut post dicetur dum de mortuis suscitatis
n tractabitur miraculo tertio *n*, parentes ejus, rememorantes beneficii sibi primitus præstiti, in spe gratiæ ac removendi doloris, ipsam ad Sanctæ Hedwigis tumulum deduxerunt. Illuc autem properantes, cum pervenissent ad locum, de quo jam videri poterat monasterium, in quo corpus sanctissimum est sepultum, ibidem aliquantulum subsistentes puellamque de curru ponentes ad terram, divinam procul dubio clementiam invocabant, secundum commendabilem multorum consuetudinem, qui dum Sanctæ Hedwigis accedunt ad limina, quam cito Beati Apostoli Bartholomæi ecclesiam viderint, reverentiam exhibent genibus provolutis. Mox ergo benignus affuit Dominus per Sanctæ merita invocatus et in eodem loco puellulæ præfatæ reddit luminum claritatem. Quæ recepta
C videndi a Domino gratia, statim more puerili, quia tempus æstivum erat, flores de prope in campo stantes consurgens carpebat, reductaque est cum laude Dei et Sanctæ Hedwigis præconio sanctitatis necnon et gaudio amicorum.

Visus restitutus Wenceslao,

108 Wenzeslaus, filius Bratheconis de Solnic, infirmatus ad mortem, in festo Pentecostes in ipsa ægritudine lumen perdidit oculorum. Post festum
o autem Sancti Michaelis *o* ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum adductus, per aviam suam, nomine Sulizlavam, tribus vicibus; dum tertio ad illud venisset taliter ipsius Sanctæ auxilium invocavit : « Domina benigna, Beata Hedwigis, succurre mihi afflicto, ut cuilibet infelici subvenire misericorditer consuevisti, » sic quoque orans paululum dormitavit et quasi territus, est subito excitatus, excussaque somnificentia, miserante Deo et Beatæ Hedwigis interveniente suffragio, visum, quo privatus fuerat fere per annum rehabuit et ad domum suam rediit bene videns.

juveni Olsnensi.

109 Juvenis quidam, per omnia cæcus, de villa
p forensi, quæ Olsnicz *p* nuncupatur, cum patre suo in Trebnicz descenderat, ut ibidem misericordiam Dei ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum pro lumine oculorum sibi reddendo, quanta posset diligentia, D
invocaret. Et quoniam pauperes erant, in hospitali cui Frater Giselbertus, tunc custos Trebnicensis, præerat, sunt collecti. Quos idem Frater infra tres hebdomadas, quibus illic moram fecerunt, crebro audivit pro restitutione visus, Beatæ Hedwigis patrocinium invocare. In die autem Sancti Georgii Martyris *q* circa sepulcrum Sanctæ, multis q
præsentibus, iste pauper juvenis, qui fuerat omnino cæcus adductus, per Sanctæ Hedwigis auxilium claro lumine oculorum est a Domino consolatus. Nam dictus Frater Giselbertus de hoc cæco illuminato testimonium perhibens dixit : « Quem prius videram penitus cæcum, pulchra vidi postea virtute visiva ornatum. »

Razlavæ ex Thomaskyrche, r

110 Razlava, filia Bogdani de Thomaskirchen *r*, per dolorem oculorum penitus visum amiserat, ita quod absque ductore nullatenus prodire valebat. Excreverat enim illi caro de oculis, cujus superfluitas ei lumen totaliter auferebat. Pro recuperando vero sibi perdito lumine oculorum, mater ejus sex continue jejunavit diebus ad Sanctæ Hedwigis honorem, expletoque jejunio memorato, ipsa mater in die Sancti Bartholomæi Apostoli cæcam perduxit filiam ad Sanctæ sepulcrum et eam E
desuper collocans stansque juxta illud, cum lacrymis pro ipsius illuminatione Dominum per Sanctæ Hedwigis merita precabatur. Exaudita est ergo mater orans pro filia, et reddita sunt ei lumina adeo clara, ut oculi ejus tamquam duæ stellæ lucidæ viderentur. Et sic a sepulcro cum matre ad propria rediit filia, per divinam bonitatem decorata clarissimis oculis, quæ per biennium oppressa fuerat caligine cæcitatis.

Elisabeth de Altaripa, s

111 Elizabeth puella, filia Friderici, de Altaripa *s* trahens originem, cæca fuit. Quam mater ejus in Trebnicz se vovit ducturam ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum, si forte misericordem invocando Dominum per intercessionem Sanctæ jam dictæ posset filiæ suæ restitutionem visus devotis supplicationibus impetrare. Aptata ergo vectura, dum se fœmina ad votum perficiendum disponeret, honestus vir Conradus, tunc judex in Altaripa, patruus ejusdem, quæ cæca erat, puellæ accessit et dixit : « Multo esset utilius, si hos, quos ad hanc viam deducitis equos, domi remanentes ad colendum agros aratro jungeretis. Nam quid ei, quæ omnino cæca est, poterit proficere labor iste ? Frustra expensas hoc pro itinere facitis et F
vos supervacue fatigatis. » Devota nihilominus mulier promissum adimplere non distulit perveniensque ad Trebnicense monasterium primo super altare Beati Bartholomæi Apostoli cæcam, quam adduxerat filiam posuit et quia quam quærebat ibi gratiam non invenit; deinde ipsam super Sanctæ Hedwigis mausoleum detulit et ejus ibidem cum devotione auxilium invocavit. Quo peracto statim puella, quæ plus quam dimidio anno excæcata remanserat, Beatæ Hedwigis suffragantibus meritis, illuminata a Domino videntibus oculis apparebat.

Sdizlavæ de Trebniz,

112 Sdizlava, uxor Pribizlai de Trebnicz, quodam tempore existens Wratizaviæ, de quodam antiquo aquam hauriens puteo, faciem suam et oculos abluit et ex ipsa ablutione cæca effecta per annum integrum in eadem cæcitate permansit. Maritus ergo ipsius, ex hoc concepto fastidio eamque spernens, dimittere voluit et aliam sibi de facto, quia de jure non poterat, in uxorem assumere fœminam cogitavit. Dominus vero Bertholdus, in Trebnicz tunc plebanus, hoc, ut debuit fieri, prohibebat. Cum autem in festo Circumcisionis Dominicæ prædicta mulier cæcitate percussa ad Sanctæ

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

A Sanctæ Hedwigis sepulcrum, ductore prævio, pervenisset, ibidem cum lacrymis sic oravit : « Beata Hedwigis, adjuva me, ut possim hanc, qua detineor, cæcitatem evadere et lumen cœli videre. » Mox fœmina, quod devote petiit, impetravit et quæ cæca adducta per alium fuerat, accepto per Sanctæ Hedwigis merita beneficio luminis a Domino Jesu Christo, videns per semetipsam ad domum suam reversa est cum gaudio.

Elisabeth puellæ Wratislaviensi. t

113 Puella quædam sex annorum, Elizabeth nomine, filia Mechtildis, uxoris Hermanni Cranzonis, civis Wratizlaviensis, de qua supra dictum est *t*, dum de infirmis curatis tractaretur, erat prorsus privata lumine oculorum. Mater ergo ipsius Domino Deo vovit, quod ad Beatæ Hedwigis sepulcrum nudis pedibus et in cilicio vellet cum filia quanto posset expeditius pergere, dummodo eamdem filiam dignaretur a cæcitatis miseria liberare. Tandem circa festum Pentecostes iter arripuit, sed ex itinere fatigata sub quadam arbore aliquantulum requiescere filiamque volens refocillare, currum, in quo ducebatur eadem puella, stare fecit. Et ecce, subito in eodem requietionis loco puella solotenus posita cum pulchris, siccis et claris apparuit oculis, B et quæ per quatuor hebdomadas nihil penitus viderat, jam illuminata a Deo per Sanctæ Hedwigis interventionem clare videbat, secundum quod ipsi examinatores se vidisse postmodum testabantur.

Redditur auditus Julianæ moniali Trebnicensi:

114 Soror Juliana de domo Trebnicensi surditatem incurrerat, de qua opitulatione humana non poterat liberari. Rememorans autem, optimum medicamentum et medicum esse Christum, non de suis sed de Sanctorum et specialiter de Beatæ Hedwigis præsumens meritis sanctitatis, ad ejusdem Sanctæ accessit sepulcrum caputque suum desuper ponens, relevamen haud dubium postulavit. Dum vero sic inhæreret mausoleo, quasi quidam calculus igneus, ut ei videbatur, ingressus est ocius aures ejus, et sic Soror, Deo et Beatæ Hedwigi devota, in die sancto Pentecostes surditatem evasit, quam in festo Epiphaniæ Domini eodem anno conceperat, Domino permittente. Et licet jam dicta Soror Juliana sola esset apud tumulum Sanctæ Hedwigis, quando circa ipsam istud evenit miraculum, nec aliquis ei, quo tempore Dominus eam curare dignatus est, ferre posset testimonium, tamen Sororum ejusdem conventus congregatio, C quæ ipsius surditatem diutius noverat, sensum auditus, ei per Sanctæ Hedwigis suffragia a Domino restitutum, nullatenus dubitabat. Immensa namque Dei bonitas, quæ orantibus Apostolis ipso die in igneis linguis apparens amoris incendium tribuit, famulam suam secretius intendentem orationibus ignito calculo a surditatis vitio expiavit. Fuit quoque alia fœmina, nomine Snegula, similiter surda, de cujus curatione in sequenti rubrica secundo capitulo explicatur *u*.

u mutis loquela; Maguschæ, w

115 Maguscha, uxor Andreæ de Michoweiz *w*, per tres annos et dimidium linguæ officium et usum pedum omnino perdiderat, ita quod linguam in tantum spasmatam habebat, ut in ore ipsius de ea modicum appareret, sensum quoque ac motum pedum suorum non habuit penitus. Mater ergo ipsius, confidens filiam suam per Sanctæ Hedwigis merita posse a Domino liberari ab illis ægritudinibus, votum vovit, ut ipsius Sanctæ tumulum una cum filia visitaret, quod et fecit. Perveniens quoque in Trebnicz, quatuor continue hebdomadibus manens ibidem, ipsa Maguscha rependo quotidie Sanctæ mausoleum visitavit. Tandem per visum quædam splendida et formosa domina ei dixit : « Cur jaces ? curre ad ecclesiam ! » quæ statim ut potuit reptando velocius intravit monasterium præfatamque pervenit ad tumbam. Sed quia loqui lingua non poterat, devoto affectu cordis orabat, ut ei sanitas linguæ pedumque a Domino donaretur. Et statim, soluto linguæ ipsius vinculo, loquebatur, usu quoque pedum sibi reddito, quæ trahendo se super terram advenerat, sabbato infra octavam Pentecostes ambulans et laudans Deum ad mansionem pristinam remeabat.

et Snegulæ Wratislaviensi. y

116 Snegula, uxor Adæ de Wratizlavia, dum quadam vice in die Sancti Laurentii Martyris *y* in silva nuces colligeret avellanas, subito in lingua, manibus et pedibus paralysi est percussa, insuper perdidit tunc sensum auditus. His ergo oppressa doloribus per annum decubuit, ita quod absque aliorum adminiculo se de loco movere non potuit nec cibum sumere valuit, nisi manibus alienis sibi porrectum. Dominus autem Bertholdus, tunc plebanus Trebnicensis, qui eidem fœminæ sacramenta ecclesiastica ministraverat consuluit, ut deferretur ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum in spe sanitatis per ipsius Sanctæ merita impetrandæ, ex quo sibi alia curationis antidota omnino deficere viderentur. E Audito vero consilio pietatis et sano, mater ejusdem Snegulæ, Beliza nomine, cum alia religiosa fœmina, nomine Juttha, filiam ad Sanctæ Hedwigis in uno liteamine detulit tumulum portandique vices sæpius iteravit. Tempore autem Quadragesimæ in dominica, qua cantatur ad introitum Missæ : Lætare Jerusalem et cetera, deportatam ac depositam filiam ad sepulcrum, mater sic dicens orabat et invocabat suppliciter Sanctam Dei : « Domina Sancta Hedwigis, digneris adesse filiæ meæ. » Et dum tam diu perseveraret in prece, donec completis divinis officiis homines pro claudendis foribus templi de ecclesia pellerentur, mater, ut efferret invalidam filiam domumque cum ipsa pergeret, apprehendit. Quæ subito, voce et loquela sibi restituta a Domino, exclamavit et dixit : « Mater, mater, tu me interficis quia nescis, quod bene agitur mecum. » Deinde surgens, ab omni, qua diu detenta fuerat, ægritudine libera et a surditate curata per Sanctæ Hedwigis suffragia, demum absque bajulo est reversa : completis quoque postmodum tribus annis, viro matrimonialiter est conjuncta.

F

Curantur manus Petri de Socolnitz. x

117 Petrus de Socolnicz *x* in una domo simul oves et alia pecora sua servabat. Quadam vero die vidit inter jam dictas oves ovem unam debilem, et putabat eam ab aliis pecoribus conculcatam et sic viribus destitutam, unde ipsam occidens comedit cum familia et de carnibus illis tam ipse quam omnes, qui ex ipsis comederant, fuerunt periculosissime infirmati. Nam alii spasmati, alii contracti sunt, quidam vero et specialiter tres pueri ex ipso carnis edulio sunt defuncti. Ipse autem Petrus infirmitatem quidem evasit, quam incurrerat, sed in ambabus sic spasmatus fuit manibus et contractus, ut digiti manuum ejus curvati adhærerent juncturis, quæ sunt inter manus et brachium, quapropter ipsum pasci oportuit manibus aliorum. Rememorans autem Beatæ Hedwigis clementiam, cujus fama sanctitatis jam tunc diffusa per circuitum ad se invocandam plurimos attrahebat, ipsius invocavit auxilium et votum vovit, dicens corde devoto : « Beata Hedwigis, redde mihi manuum mearum necessarium usum et ego tuum laborando pedibus meis adibo sepulcrum. » Ut autem suo non fraudaretur desiderio, satagebat omnem subterfugere obicem, gratiæ resistentem. Unde accedens ad virum maturum, dominum Michaelem, plebanum

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI. z

plebanum de Costhomloth z, ei non solum corporis, verum etiam cordis sui detexit languores, confessionem suorum sibi faciens peccatorum, recitans eidem seriosius eventum facti, secundum quod acciderat, et benedictione ab ipso accepta, ut votum expleret, iter arripuit. Dum ergo in via positus esset, manus ipsius, quæ per quatuor hebdomadas contractæ fuerant, subito sunt distentæ ipsoque tandem ad tumulum pertingente, plenariæ sanitati sunt redditæ.

Simonis Wratislaviensis,

118 Simon, civis Wratizlaviensis, filium habuit nomine Simonem, manus habentem inflatura turgidas ac dependentes ab ulnis inferius, ita quod eas neque levare nec ori suo poterat aliqualiter applicare, manibus quapropter ipsum cibari oportuit alienis. Cum autem plurimæ sibi fuissent adhibitæ medicinæ ac per chirurgicos sectus esset ratione medelæ, nec ei profuissent in aliquo, sed semper deterius habuisset, mater ipsius, domina Christina, voto facto cum ad Sanctæ Hedwigis tumulum deducere studuit, ibique tam ipsa quam aliæ duæ honestæ matronæ suæ consanguineæ, Bertradis scilicet et Christina, quæ simul illuc pervenerant, viva voce dicebant : « Beata Hedwigis,
B sana puerum istum, vel, si tibi hoc non placet, age apud Deum, ut hic celerius moriatur, antequam ad propria redeamus. » Reputabant namque, fore commodius per mortem ejus a vexationibus redimi, quam cum ipsius languore diutius occupari. Quarum Deus vota per Sanctæ Hedwigis interventionem exaudiens extemplo sanavit in manibus puerum in die Sancti Calixti, qui a festo Beati Jacobi Apostoli *aa* eodem anno cœperat infirmari. Sic vero sanatus Wratizlaviam cum amicorum gaudio atque solatio est reductus. *aa*

mulieris Pomeranæ, *bb*

119 Muliercula quædam satis annosa, de terra Pomeraniæ *bb*, plus quam tredecim annis manum aridam habuit et contractam sicque suo adhærentem et impressam fortiter femori, quod abinde nullatenus poterat amoveri. Audita vero fama miraculorum Beatæ Hedwigis, in Trebnicz pervenit cum multis hominibus, qui similiter fuerant profecti de Pomerania, ad præfatæ Sanctæ Hedwigis limina visitanda. Coram quibus omnibus, virtute Omnipotentis Dei, manus a femore ejus soluta exstitit et sanata, dum orationem faceret ad Sanctæ sepulcrum. Accedens ergo Frater Lambinus de Ordine Prædicatorum, qui tunc temporis in Treb-
C nicz erat, diligenter investigavit genus ægritudinis et modum curationis, ut cognita veritate de facto miraculo securius posset testimonium perhibere. Illi vero homines, qui cum ægra advenerant fœmina, plus quam viginti numero, viva voce dicebant : « Hanc fœminam scimus, quod, sicut asserit, manum contractam femorique conjunctam habuit primitus et nunc sanatam eam videmus. » Ipsa quoque muliercula Fratri studiosius perscrutanti de singulis, aiebat : « Quod sim miraculose curata, satis constare vobis poterit per evidentia signa, nam manus mea, prius arida et contracta, est adhuc alia manu mea gracilior et locus femoris, cui manus inhæsit, valliculam continet et habet cutem in colore ab alia cute corporis mei dissimilem. Hæc vobis, si complacet intueri, ostendo. » Frater autem prædictus propter honestatem signum relictum in femore nolebat videre, credens verum esse, quod multi, qui viderant, asserebant, sed manum ejus intuitus eam abire permisit. Quæ post gratiarum actiones dum in Pomeraniam rediisset, quidam assumentes eam coram duce Pomeraniæ, qui tunc erat in castro
cc Swetensi *cc*, duxerunt eique dixerunt : « Domine,

hæc fœmina hic nata est et cognovimus quali vinculo passionis ligata fuerit multis annis et nunc sana est et sanata meritis, ut asserit, Beatæ Hedwigis. » Et sic pronuntiantes, passionem ejus per ordinem enarrabant, ostendebantque patrem ipsius fœminæ, qui præsens astabat et quæ illi recitabant de infirmitate et curatione filiæ suæ, hæc ipse dicebat indubitanter omnia vera esse. Dux ergo et ab ipsa et ab aliis audiens, quod per merita Sanctæ Hedwigis a tali fuerat ægritudine liberata, erumpens in lacrymas dixit præsentibus multis militibus et aliis quampluribus, qui illic convenerant : « Domine Deus meus, multum peccavi tibi, quia istam Sanctam videre non merui, dum in mortali viveret corpore, cum tamen sæpe in Polonia fuerim, ea adhuc vivente. » D

Adelheidis viduæ,

120 Adelheydis, relicta Volkmari de Legnicz, dextræ manus et totius brachii dextri ab humero usque ad digitos tanto vexabatur dolore, quod nec se velare, nec aliquid manu poterat tollere, neque ipsum brachium sublevare. Bogdanca vero, ipsius ancilla, ei dum opus erat, velamen imposuit et in aliis secundum indigentiam sedule ministravit. Sed cum multa sibi causa curationis adhibuisset remedia et minime profecisset, ad Beatæ se Hed- E
wigis convertit auxilium invocandum, his verbis : « Beata Hedwigis! tu me dilexisti dum viveres, fac mecum modo misericordiam et restitue mihi brachium et manum meam. » Rogavitque Henconem clypeatorem *dd*, ut sibi manus et brachii usque ad cubitum formaret de cera similitudinem, ob reverentiam Sanctæ Hedwigis ad ipsius tumulum offerendam. Formata similitudine, junxit fœmina brachio suo ceram, manus et brachii sui imaginem exprimentem, et statim levius habuit cessavitque dolor, quem per sex hebdomadas continue passa fuit. *dd*

et Pribconis pueruli.

121 Pribco, puer septem annorum, manum habebat aridam et ex infirmitate ita confractam, quod ruptura ossis deforis apparebat. De cujus sanatione, quamvis spes nulla vel modica haberetur, avia tamen ejus et Radic de Pelazcovicz, consanguineus ejusdem pueri, dictum puerum in festo Sancti Bartholomæi Apostoli ad Sanctæ Hedwigis tumulum detulerunt, invocantes clementiam Domini, ut ei per merita Sanctæ suæ sanitatem tribuere dignaretur. Oratione completa, relicto puero juxta mausoleum, præfati portitores de ecclesia se sequestrare volentes, aliquantulum processerunt, F
sed, audito tumultu, subito revertentes invenerunt puerum, qui per quatuor annos infirmitatem prædictam sustinuerat, restitutum plenariæ sanitati. De passione quoque manuum plures alii curati sunt, videlicet Gotfridus, require de paralyticis miraculum secundum *ee*; item Bratumila, require de dæmoniacis miraculum tertium *ff* : item Sdeslava, require de paralyticis miraculum quartum ; item Stronizlava, require de infistulatis miraculo secundo *gg*. *ee* *ff* *gg*

Ab infirmitate pedum liberati, Albertus de Pruzicz, *hh*

122 Henricus, filius Alberti judicis de Pruzicz *hh*, a nativitate sua usque ad octavum annum habuit tibias tam exiles, ut vix se extendere ad quantitatem parvæ, in qua canitur, fistulæ viderentur, et non solum pedum, sed etiam renum officio caruit, unde nec stare nec ire præ nimia imbecillitate poterat nec sedere. Aliquando tamen, dum de loco ad locum moveri appeteret, manu se juvando reptabat. Mater autem ipsius, nomine Beatrix, honesta utique matrona, anxia pro sanitate filii rehabenda, vovit Beatæ Mariæ Virgini, quod quamdiu viveret, diem sabbati ad ipsius honorem vellet jejunio colere, si ejus filium dignaretur curare. Votum

A Votum hoc emissum, quamvis cum multa studeret adimplere diligentia, secundum tamen suum non meruit exaudiri desiderium, Deo in hoc aliquid melius providente, ut sic et dilata desideria crescerent et Beatæ Hedwigis gloria evidentius aperto in miraculo appareret. Nec tamen devota fœmina perdidit servitium illud, quod devote ipsi gloriosæ exhibuit Virgini, quia Beata Virgo, desiderium ipsius prorogando et preces ejus non statim exaudiendo, etiam voluit eam facere devotam Beatæ Hedwigi, quod sic factum est. Per somnium namque fuit admonita, ut filium suum imbecillem ad Sanctæ Hedwigis deportaret sepulcrum et devote pro sanitate ipsius ejusdem Sanctæ invocaret auxilium. Fecit mulier, ut divino fuerat edocta oraculo, puerumque deferens ad mausoleum, sic dicens oravit : « Beata Hedwigis, digneris sanare puerum meum, quem si sanaveris, ego voveo et promitto tibi, quod eum faciam litteris imbui et tuo ipsum servitio perpetuo mancipari. » Dum sic pro filio mater sollicita preces effunderet, domina Petronilla, abbatissa in Trebnicz *ii*, dominoque *ii* Bertholdo plebano Trebnicensi, qui eumdem baptizaverat puerum, et aliis multis præsentibus, puer B se subito elevans appodiavit sepulcro stansque erectus accipit ovum, ibidem coram se positum, et gaudens circuibat sepulcrum. Domina vero Petronilla, tunc custos sepulcri, aliud pictum ovum accipiens projiciensque ante puerum, impulit illud remotius a sepulcro, pro quo similiter accipiendo puerulus ivit et ad matrem suam gradiens rediit. Ob gradiendi autem inconsuetudinem et propter tibiarum nimiam gracilitatem nondum valebat perfecte corpusculum sustentare. Sanatus autem per Sanctæ Hedwigis merita infra hebdomadam Paschæ feria quarta cum matre incolumis ad hospitium rediit ipsiusque tibiæ deinceps incrementum sumpsere secundum debitam proportionem. Totus quoque puer, qui per septem annos vix pervenerat ad staturam pueri duos annos habentis, infra biennium excrevit in tantum, ut in quantitate novem annos ætatis habenti puero æquaretur, sanus existens et agilis, Domino concedente.

Juttha Wratislaviensis,

123 Juttha, uxor Jacobi, civis Wratislaviensis, Budisin Mysnensis diœcesis oriunda, per guttam sic contractos pedes habebat, quod eos non valebat extendere. Et quia ob hanc causam continue eam C oportebat jacere, utrumque femur ipsius computruerat et vermibus plenum erat, de quo non modica fœtoris materia per totum ipsius domiculum spargebatur. Portabatur autem a viro suo vel ab aliis quocumque necessitas requirebat. Voto vero emisso, ut ad Beatæ Hedwigis pertingeret tumulum, maritus eam, vehiculo impositam, illuc usque perduxit, ubi etiam hanc orationem fudit, suppliciter dicens : « Sancta Hedwigis, adjuva me afflictam, ut pedum passionem evadam, ita ut ambulando inter homines incedere valeam. Beata Hedwigis, rogo te per sanctitatem tuamque copiosissimam pietatem, ut me ab hac ægritudine digneris sanare. » Oratione completa in die S. Bartholomæi Apostoli surrexit a tumulo fœmina plene sana, vecturaque, in qua pervenerat ad tumbam Sanctæ, relicta, pedinatdo Wratislaviam rediit et ad propriam mansionem, quæ per annum integrum potentia gradiendi caruerat, ambulando pervenit.

Cuno Gallicus, Wratislaviensis,

124 Cuno Gallicus, civis Wratislaviensis, filiam habuit nomine Margaretam, quæ a sua juventute pedes et tibias ita molles habebat, quod esse absque ossibus putabantur. Cui et aliud supervenit incommodum, nam dum duos et dimidium haberet annos ætatis, excrevit in ea gibber immanis, totum occupans pectus ejus. His ergo depressa naturæ defectibus, toto tempore vitæ suæ nec stare poterat nec sedere, sed jacebat continue, et dum mater eam supra pedes statuere conaretur, frendebat dentibus præ dolore. Qua de causa ipsa genitrix ejus, nomine Catharina, sæpius quando eam intuebatur, percussa compassionis jaculo, lacrymas effundebat. Confisa tamen de Sanctæ Hedwigis suffragio conditionaliter vovit, dicens : » Beata Hedwigis, si filiæ meæ sanitatem impetraveris et me de tanto labore corporis et ab anxietate spiritus liberaveris, festivitatis tuæ vigiliam, annis singulis, jejunabo, quamdiu eadem mea supervixerit filia » Voto emisso, maritus cum uxore filiam assumentes ad Sanctæ Hedwigis tumulum properabant. Mater vero majori succensa devotionis fervore, quamvis gravida esset, dictam filiam, humeris suis impositam, pergens in itinere bajulavit. Pervenientes autem ad sepulcrum puellam deposuerunt ibidem, patre longius recedente propter multitudinem illic existentium fœminarum, cum quibus se premere noluit. Mater apud filiam suam mansit et Beatam Hedwigim, sic inquiens, invocavit : « Domina mea Beata Hedwigis, per tuam magnam virtutem, quam habes et per merita, E quibus es prædita apud Deum, redde mihi peccatrici lætitiam sanando filiam meam. » Dum sic instanter oraret cum lacrymis, ipsa puella subito se appodians tumbæ surrexit et absque difficultate coram omni congregata illic multitudine ambulavit.

Rudgerus Teutonicus,

125 Rudgerus, Theutonicus de Mysnensi diœcesi oriundus, pedes contractos habebat et aridos in tantum, quod nec tactum sensit nec frigus Propter defectum ergo rerum et virium ab amicis omnibus derelictus, hinc inde rependo per annos quatuor mendicabat. Quidam autem, pietatis intuitu, eum ad Sanctæ Hedwigis deduxit sepulcrum. Ubi dum moram faceret aliquamdiu et oraret, ut ei a Domino per Sanctæ Hedwigis merita sanitas redderetur, nec tamen ipsius exaudiretur oratio, ad villam, de qua venerat prope Stregom, Pascurove *kk* nuncupatam, revertentes, Beatæ Hedwi- *kk* gis auxilium non destitit invocare. Quadam ergo nocte post factam orationem nervi pedum ejus ipsique pedes cœperunt extendi et tactum sentire, et sanatus est homo gressusque sibi restitutus est die septimo, postquam redierat a sepulcro. F

Joannes puer Beroldivillanus, ll

126 Johannes puer, a Beroldivilla *ll* trahens originem, pedes habens contractos, nusquam procedere poterat de loco ad locum. Mater ergo ipsius, Helwiga nomine, in curru eum deduxit in Trebnicz et a vehiculo tandem acceptum portavit eum in humeris suis usque ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum eumque desuper ponens, de prope stans orabat et hæc dicens, vovebat : « Sancta Hedwigis, ego tibi voveo, me semper in viduitate victuram, sana tantummodo filium meum. » Tandem dixit ad filium : « Move te, fili, et surge ! » Qui respondens : « Non possum, » inquit, « quia doleo crura mea. » Surrexit tamen celerius, et quasi rumperentur nervi ejus, reddebant stridorem, se dum erigeret ad eundum. Sicque puer ille, præsente domino Giselberto, custode Trebnicensi, et aliis multis, sanatus est ab ea, quam a nativitate sua usque ad quinquennium in pedibus sustinuerat, passione. Qui postmodum ad scholas missus litteras didicit materque ipsius, votum exsolvens, in viduitate permansit.

Bratumila, ex ducatu Opoliensi; mm

127 Bratumila, puella, de Croscina *mm*, villa ducatus Opuliensis, trahens originem, peudm officio penitus caruit, quia a renibus et infra totum corpus ipsius fuit totaliter ariditate quadam consumptum,

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

sumptum. Ideo, etiam necessitate cogente, moveri de loco non poterat, nisi ab aliquo deportata fuisset. Invalescente autem fama miraculorum, quæ per Beatam Hedwigim operari dignabatur clementia Salvatoris, ad consilium hominum Deum diligentium, parentes ipsius puellæ deduxerunt eam competenti vectura ad jam dictæ Sanctæ sepulcrum, ubi Christi gratia invocata, puella per Sanctæ Hedwigis merita non quidem ex integro, sed a pedibus tantum usque ad genua est sanata. Quæ sic reducta, rependo tandem super genua transferre se poterat, quo volebat. Potens utique Deus erat puellæ statim integram restituere sanitatem, sed ad hoc differre disposuit, ut, dilato desiderio, multiplicaretur oratio et sic tandem postulantium precibus annuens, novo miraculo Beatæ Hedwigis sanctitatem copiosius faceret manifestam. Unde revoluto anni circulo, postquam in parte curata fuerat præfata puella, denuo a parentibus ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum deducitur et ut plene sanetur a Deo devotius postulatur. Deus autem, cujus est proprium misereri petentibus, per Sanctæ Hedwigis merita misericorditer affuit et puellam integraliter a suis passionibus liberavit, ita quod exiliens ambulavit, quæ a sua nativitate usque ad septennium inclusive numquam valebat pedes suos ad gradiendum movere.

et Milozlava Legnicensis.

128 Milozlava, puella de Legnicensi castellatura *nn*, magnum corpus et flavos crines comasque magnas habens, sed pedes ac tibias claudas, ita quod non nisi rependo quo voluit movebatur : hæc ad sepulcrum Sanctæ Hedwigis in Trebnicz perveniens, reptabat, sæpissime et per intercessionem ipsius Sanctæ sanitatem sibi donandam a Deo, ibidem faciendo moram diutius exspectabat. Quam videns dominus Gaudentius, plebanus de Sadalno *oo*, illic reptantem atque divinum præstolantem auxilium, dixit : « Beata Hedwigis, si hanc puellam sanaveris, amodo credam miraculis tuis, quod in veritate tuo fiant merito sanctitatis. » Dum autem diu moram faceret juxta tumbam, nec post tempora multa ei donaretur sanitas concupita, domina Petronilla, tunc custos sepulcri Sanctæ Hedwigis, postmodum abbatissa Trebnicensis monasterii *pp*, indignata jussit eam a tumba recedere dicens : « Tu vides, quod Deus te non dignatur juvare, quapropter hic exspectando non facito amodo moras, ne ampliorem nobis verecundiam inferas, dum hic in omnium oculis frustrata tuo, ut videtur, desiderio volutaris. » At illa, quamvis repulsam taliter pateretur, nihilominus permanebat, divinam consolationem exspectans et quærens a Domino gratiam sanitatis. Et quia remansit ut quæreret, contigit ut inveniret. Nam in die Sancti Calixti Papæ et Martyris *qq*, quando erat anniversarius Beatæ Hedwigis, dicta puella, quæ in festo Sancti Jacobi Apostoli præcedenti *rr* eodem anno pervenerat in Trebnicz, liberata est ab impotentia gradiendi, quam a nativitate sua per viginti annos sustinuerat, et coram domina Gertrude, Trebnicensi abbatissa, ac Sororibus Razlava, Petronilla prædicta, multis quoque aliis præsentibus et videntibus, sana surrexit, collaudansque Deum recessit. Quo viso miraculo Frater Giselbertus, custos Trebnicensis, procuravit : Te Deum laudamus, solemniter decantari. De passione pedum plures alii curati sunt per Sanctæ Hedwigis auxilium, videlicet Siffridus, require de paralyticis miraculo primo *ss*; item Magusca, require de mutis, miraculo primo *tt*; item Adelheydis, require de gibbosis, miraculo secundo *uu*; item Laurentius, require de infistulatis, miraculo primo *ww*.

Manus simul et pedes sanantur. Wencemilo, yy

129 Vencemil de Mechovice *yy* adolescens, habens annos circiter decem et octo, totaliter in manibus et pedibus erat contractus, ita quod semper eum jacere oportuit, nec cibari valuit, nisi manibus alienis. Hoc autem incommodum a Quinquagesima usque ad proximum sequens festum Beati Bartholomæi sustinuit, in ipsa namque festivitate per patrem suum deductus in curru pervenit in Trebnicz, sperans, Sanctæ Hedwigis interveniente suffragio, liber fieri ab incommodo supradicto. Sed Dominus curationem ipsius aliquantulum differebat, ut ex ipsa mora probaretur, si devotio ejus foret continua, vel si spes, quam de meritis Sanctæ Hedwigis habuit, esset efficaciter perseverans et vera. Unde sequenti die, dum ad sepulcrum non recepisset gratiam sanitatis, pater filium denuo locavit in curru et ad propria festinavit. Non tamen cessavit æger invocare Dominum et Sanctam ejus, quamvis procederet in vectura. Et ecce, priusquam egressus fuisset septa curiæ claustri, apparente adhuc ecclesia Sancti Bartholomæi, currus, in quo æger homo sedebat et Dominum Sanctamque Hedwigim invocabat, casu evertitur, et languidus cadens in terram a suis languoribus penitus liberatur, surrexitque sanus in manibus atque pedibus, excepto eo, quod in uno pede et manu pro signo infirmitatis præteritæ aliquæ languoris reliquiæ remanserunt.

et Nicolao, Ordinis Prædicatorum.

130 Frater Nicolaus Ordinis Prædicatorum, cum tempore quodam esset in Bresno *xx*, Gneznensis diœcesis, ut ibidem prædicationis officium exerceret, dormiebat una nocte et socius ejus, nomine Richardus, in quadam camenata *zz*, ubi in camino pro eis erat ignis compositus. Et ecce, titio, succensus ab igne, corruens paleam in pavimentum prostratam accendit, flammaque invalescens totam domum illam, in qua quiescebant, consumptura celerius invadebat. Dum ergo Fratres viderent se in periculo positos, prædictus Frater Nicolaus flammam ingrediens, manibus ac pedibus nudis accensam paleam extinguebat. Extincto vero igne, incendium in membris illis, quibus flammam extinguendo tetigerat, non modicum reliquit dolorem. Quem ut evaderet, Beatam Virginem ter salutando supplex orabat; Beatam quoque Hedwigim, cujus tam * miracula multa audierat, ter flectendo genua sic inquiens invocabat : « Beata Hedwigis, libera me ab isto dolore, quem patior. » Oratione facta se denuo ad quiescendum deposuit pustulasque magnas in manibus habens ac pedibus obdormivit, post somnumque expergefactus, nullum sensit dolorem, sed adeo sanus erat ac si numquam fuisset adustus. Hoc factum contigit anno Domini MCCLXIII in Quadragesima. Plures quoque alii sunt curati per merita Sanctæ Hedwigis de passione pedum ac manuum, videlicet Snegula, require de mutis, miraculo secundo *aaa*; item Nenkerus, require de paralyticis, miraculo tertio *bbb*; item Idka, require de dissentericis, miraculo primo *ccc*.

* jam

Contracti curantur, Sestremilus Wratislaviensis,

131 Sestremil, in Wratizlavia manens, omnino fuit contractus, gutta namque spinam dorsi ejus confregerat et eum effecerat ad ambulandum penitus impotentem. Uxor autem ipsius, Crisca et alia fœmina, nomine Sczarnucha, ipsum portabant quotidie ante fores ecclesiæ Fratrum Prædicatorum, ut a transeuntibus eleemosynam, quia pauper erat, acciperet, ad alia quoque loca secundum indigentiam suam tempore opportuno eum ferebant. Tandem, inspirante Deo, votum vovit taliter dicens : « Beata Hedwigis, et si aliter nequeo, tuum tamen sepulcrum rependo et me trahendo manibus

A manibus visitabo, tu quoque me dignare ab hac impotentia liberare, aut saltem hanc mecum digneris gratiam facere, ut crura pedesque meos ad me valeam applicare. » Erant enim prædicti pedes cum cruribus aridi et veluti lignum inflexibiles et nisi per alium componerentur ad ipsum, dum extenti jacebant, eos ad se retrahere non valebat. Levavit ergo se, voto emisso, ut perficeret, quomodo posset, quod promiserat et feria III ante festum Rogationum, reptando de Wratizlavia exiens, feria sexta sequenti pervenit in Wesnam *ddd*, locum non plene a Trebnicz per milliare distantem. In ipso loco, aut in proximo monte, de quo videri poterat ecclesia Beati Bartholomæi, in qua Sanctæ Hedwigis corpus conditum requiescit, recepit plenariam sanitatem. Procedens autem, Sanctæ Hedwigis visitavit sepulcrum et gratias agens Deo, die tertio reversus Wratizlaviam, in admirationem mentes convertit multorum, qui eum prius contractum et miserabilem noverant, divinamque misericordiam et jam dictæ Sanctæ, in eo quod contigerat, merita cognoscentes, pro facto miraculo Dominum benedicebant.

ddd

B *mulier Pomerana.* cee

132 Mulier quædam, in Swece *cee* Wladislaviensis diœcesis et terra Pomeraniæ manens, tam enormiter incurvata exstitit et contracta, quod dum aliquo deberet procedere, pectus suum fere genibus propriis contingebat. Quæ, voto emisso, levavit se ad Sanctæ Hedwigis limina visitanda circa festum Assumptionis Beatæ Virginis et baculo sustentata processit de die vix per dimidium milliare. Sicque paulatim progrediendo, dum ultra Milicz *fff* venisset, et adhuc in Trebnicz sibi restarent ad eundum milliaria quatuor, Beatæ Hedwigis ei opitulante merito, erecta est a Domino et plene sanata. Processit ergo lætabunda et laudans et Sanctæ Hedwigis, ut promiserat, cum gratiarum actione visitavit sepulcrum, reversaque est in domum suam, unde exierat de Swecz, secum portans munus plenariæ sanitatis, qua caruerat plus quam anno. Addidit quoque Dominus jam dicto miraculo miraculum aliud. Nam præfata mulier, postquam sanata est et rediit ad partes ubi nota fuit, multo pulchrior apparuit, quam esset antequam prædictam ægritudinem incidisset. Et quia eadem fœmina prius visa fuerat totaliter languida, non solum a communi populo verum

fff

C etiam ab ipso duce Pomeraniæ Swentopolco et a filio suo *ggg* nec non et a palatino et ab aliis nobilibus multis, reversaque videbatur cum sanitate integra et inopinabili, sinistra opinio penitus ab omnium cordibus pellebatur, neque locum habere poterat deceptoria fictio, ubi probata veritas exstitit in aperto.

ggg

et Razlavus pauper.

133 Quidam vir pauper, nomine Razlavus, divino castigatus flagello, diu jacebat contractus, quem Crisca uxor ejus, ad petendum a transeuntibus eleemosynam frequenter portabat Wratizlaviæ ad Sancti Alberti ecclesiam : tandem bono usus consilio, vovit se Sanctæ Hedwigis limina visitare, si forte per ejusdem Sanctæ patrocinium Deus ei dignaretur sanitatem restituere. Et quoniam propter inopiam non valebat habere vecturam, rependo manibusque trahendo posuit se ad viam, ut votum expleret emissum. Dum ergo esset in itinere, quod arripuerat pro eo, ut ipsius Sanctæ adiens tumulum, ejus auxilium efficacius invocaret, cum magno dolore nervos et ossa sua, quasi rumperentur, sentiebat extendi. Et sic alleviatus processit ad jam dictæ Sanctæ sepulcrum, ubi per ipsius suffragia sanitatem adeptus plenariam incolumis postmodum Sanctorum visitavit limina Apostolorum. Plures alii contracti curati sunt per merita Sanctæ Hedwigis, videlicet Pribislava, require in sequenti de gibbosis, miraculo primo *hhh*; item Adelheydis, require ibidem, miraculo secundo *iii*.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI. hhh iii

Gibbosæ, Pribislava

134 Pribislava, manens Wratizlaviæ in domo Zanstogoi, contracta fuit plus quam per biennium, et ex ipsa contractione gibbum habebat a tergo prominentem ad unius ollæ magnitudinem. Audiens autem mater ipsius miracula, quæ Deus operabatur per Sanctæ Hedwigis merita in diversis partibus, tulit ipsam filiam suam et ad Sanctæ Hedwigis tumulum properavit, illucque in festo Beati Bartholomæi perveniens, ibidem consolata non modicum exstitit in eo præcipue, quod filiam ejus quam contractam adduxerat et gibbosam, statim curata ab utroque incommodo per ipsius Sanctæ Hedwigis auxilium libera fuit.

et Adelheidis sanantur.

135 Adelheydis, puella septem annorum, filia Methze de Wratizlavia, contracta fuit in pedibus et in tantum curvata, quod se movere non poterat ex diutinaque recurvatione facta fuit gibbosa. Cumque diversarum medicinarum ope juvari non posset, vovit mater, eam se ducturam ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum, quod et fecit ; ipsamque juxta illud deposuit atque cum lacrymis pro sanitate E ipsius Beatæ Hedwigis auxilium invocavit. Affuit autem subito flenti fœminæ et oranti divina consolatio. Nam puella, pro cujus curatione mater flebat et orabat, sepulcrum apprehendens se levavit stetitque super pedes suos et pergere cœpit, quæ a festo Beati Martini Episcopi et Confessoris usque ad tertium diem post festum Beati Johannis Baptistæ sequentem anno eodem *kkk* clauda simul fuerat et gibbosa. Et recuperata sanitate integra utriusque defectibilitatis, domum cum matris gaudio rediit, modicum tamen ipsius gibbi vestigium in ea remansit, sic forte providentia disponente divina, ut postmodum patrati certitudo miraculi evidentius valeret ad Beatæ Hedwigis commendandam sanctitatem ostendi. Plures quoque alii gibbosi curati sunt per Sanctæ Hedwigis patrocinium, scilicet Margareta, require supra, de infirmitate pedum, miraculo tertio *lll*.

kkk

lll

Paralytici curati, Suffridus Wratislaviensis.

136 Siffridus, civis et frater judicis Wratizlaviensis, percussus fuit paralysi in parte dextera, ita quod in pede dextro ambulare non poterat et illa pars percussa, sic erat repleta foraminibus ac si subula perforata fuisset, in ipsaque parte omnino caruit corporis cute. Et cum multorum habuisset F et magnorum consilium medicorum, multaque expendisset propter medicamina nec aliqua sibi ad prædictos languores repellendos proficeret medicina, conjugis suæ, dominæ Bertradis, usus consilio, ad divinum se convertit auxilium requirendum, ad quod etiam facilius impetrandum, Beatæ Hedwigis vovit ad tumulum se venturum. De Wratizlavia ergo processit in vehiculo versus Trebnicz, illucque perveniens, duobus eum viris ducentibus, ad sepulcrum Sanctæ Hedwigis accessit in die translationis Beati Bartholomæi Apostoli et se totum super illud deposuit, flensque amarissime sic dicens, oravit : « Beata Hedwigis, digneris me miserum adjuvare et a doloribus istis eruere. » Oratione finita, statim homo, qui anno et dimidio miserabili dolore fuerat cruciatus, aspicientibus pluribus de claustro Trebnicensi dominabus et aliis multis præsentibus, surrexit subito sanus et ab omni illa ægritudine divina providentia per Sanctæ Hedwigis merita liberatus.

Gotfridus de Cosmin.

137 Gotfridus de Cosmin, oppido Poloniæ, febrem acutam inciderat, quam dum nimis graviter per dies quindecim pateretur, Beatam invocavit Hedwigim

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

Hedwigim et votum ei faciens aiebat : « Domina mea Sancta Hedwigis, adjuva me impetraque mihi a Domino sanitatem et ego tuum peditando sepulcrum adibo. » Voto emisso, a passione febris remissius habuit, sed paralysi percussus officium et motum manuum perdidit, in quibus tanto cruciabatur dolore, quod magis mori appetiit, quam diutius tormento tam vehementis affligi doloris. Unde quibusdam eum in illa ægritudine visitantibus pro munere exhibuit equum suum, si ipsum occiderent, et sic a dolorum aculeis, quos sustinuit liberarent *mmm*. Sed quia nullus hoc opus nefarium aggredi voluit, sicut nec debuit, Beatum cœpit invocare Stanizlaum eique vota offerre, ut sibi succurrere dignaretur. Dum autem nec sic profisceret, sed magis ac magis prædicta tortura invalesceret, iterato ad Beatam Hedwigim cordis sui convertit suspirium votumque faciens, ipsius ad tumulum se promisit venturum. Germanum quoque suum, nomine Theodericum, ad hoc precibus impulit, quod illuc eundi secum laborem assumpsit. Qui dum pariter procedentes de itinere quatuor explevissent milliaria, in via se reficiendi gratia resederunt. Gotfridus vero, quia manibus propriis uti non poterat, fratrem suum, pro refe- B ctione bolos formantem, residens intendebat. Facto ergo modico intervallo, idem æger aspiciens et a germano cibationem exspectans, exclamare cœpit et dicere : « Frater carissime ! jam sentio, quod in manibus meis per gratiam Dei et meritis Beatæ Hedwigis melius habeo. » Et continuo manum extendens panem accepit et ori proprio ad comedendum imposuit, levatisque statim ad cœlum manibus dixit : « Gratias tibi ago, Domine Deus, et Beatæ Hedwigi, quia manuum mearum usum nunc resumo et officium, quo diutius fueram destitutus. » Deinde ultra progredientes et expleto itinere, duobus diebus ante festum Sancti Vincentii Episcopi in Trebnicz ad Sanctæ Hedwigis pervenerunt sepulcrum. Ubi dum Gotfridus se prosterneret in oratione et diceret : « Beata Hedwigis, rogo te, ut tuis me digneris meritis adjuvare et pro me ad Dominum intercedere, » subito sensit se quasi perfusum de calida aqua et sic, fratre suo et aliis pluribus, qui secum in via fuerant, similiter peregrinis præsentibus, a passione, quam per quatuor menses sustinuerat in manibus et in toto corpore suo fuit plane sanatus.

C *Wislavæ nepos Nenkerus,*

138 Domina Wislava, uxor Ulrici, subdapiferi domini Henrici, ducis Slesiæ, nepotem quemdam Nenkerum nomine habuit. qui in sua pueritia ex quadam infirmitate in una manu et in uno pede paralysim incurrit tam graviter, quod nec ope medicorum nec unctionibus unguentorum neque remediis quibuscumque, hominum arte appositis, poterat adjuvari. Mater ergo vovit eum ad Sanctæ Hedwigis mausoleum deferendum. Quo dum deportatus fuisset et desuper positus, continuo quidem evasit jam dictorum tremorem membrorum, sed reductus ad hospitium, facto brevi intervallo temporis recidivum passus, in eamdem relapsus est ægritudinem, sic forte Domino disponente, ut Deus denuo invocatus per merita Sanctæ Hedwigis et suam potentiam atque misericordiam esse magnam ostenderet et virtutem sanctitatis Beatæ Hedwigis novo miraculo abundantius humano generi declararet. Unde prædicta mater, postquam sensit recidivasse filium, iterato eum ad Sanctæ Hedwigis reportavit sepulcrum, fusisque ibidem ex cordis desiderio lacrymis, multiplicare preces supplicationesque non destitit, donec filio memorato in eodem loco sanitatem plenariam impetra- D vit. Nam statim, quidquid ei ad accipiendum exhibitum fuit et accipere potuit et tenere, rediitque sanus, qui per duos annos et dimidium prædicta infirmitate fuerat fatigatus.

et Sdezlava puerpera.

139 Sdezlava, uxor Matthæi de Thincia, existens in puerperio proxima feria sexta post diem Cinerum, in manibus pedibusque ita fuit percussa paralysi, quod de manu aliena eam oportuit et per calamum liquoribus recreari. Magnis quoque affligebatur doloribus, si quandoque propter necessitatem aliquo movebatur. Jacebat enim continue et dum mota seu alicubi portata vel girata fuisset ad alteram partem etiam hoc, pro lenitate si fiebat in linteamine, vix poterat sustinere. In his ergo afflictionibus deduxit tempus usque ad festum Beati Georgii Martyris, *nnn*, in quo festo, quia jam appropinquare videbatur ad finem, Extremæ sibi fuit Unctionis ministratum salvificum sacramentum. Nocte vero quadam ei quædam in somnis apparuit venerabilis domina in religioso habitu, dicens : « Vade, visita sepulcrum Beatæ Hedwigis et curaberis. » Quæ expergefacta viro narravit, quæ viderat et audierat dormiens et petivit instanter, ut secundum quod revelatio præfata docuerat, eam E ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum deduceret festinanter. Recusabat autem maritus, uxoris adimplere desiderium, timens ne si moreretur in via, homines dicerent, quod mortem ipsius voluntarie accelerasset, et sic improvide actitando famæ suæ neglector existeret; putabatur namque ab omnibus ipsa fœmina subito moritura. Prævaluit nihilominus mulieris importuna petitio et vir, de amicorum consilio, uxorem languidam usque ad mortem, in Trebnicz transmisit cum comitiva decenti, filium enim et filiam et duos famulos ei adjunxit. Hi ergo cum ante Trebnicense cum vectura pervenissent monasterium, in sede ponentes eam ad Sanctæ Hedwigis tumulum portaverunt, ubi cum lacrymis aiebat : « Beata Hedwigis, subveni mihi in ægritudine hac laboranti. » Multa quoque turba populi, quæ præsens tunc erat, ex compassione pro ipsa Dominum invocabat. Et statim a sepulcro ad modicam deportata distantiam, Sanctæ Hedwigis mediante auxilio, sanitatem recepit a Domino, currumque. in quo advenerat, absque famulantium adminiculo, dum volebat abire, ascendens, ad propria rediit; et in via, postquam tria recedens a Sanctæ tumulo perrexisset milliaria, in vigilia F Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum *ooo*, ab omni, quam eodem anno incurrerat, ægritudine exstitit plenius liberata. Dum autem ad proprium intrasset domicilium, maritus ejus, videns eam sine juvamine de curru descendere, in quo a pluribus viris vix fuerat collocata, et sibi celeri gressu obviam venientem considerans, quam infra triduum emiserat semivivam, admiratione et gaudio est repletus. Festinabant quoque de tota villa homines concurrentes videre fœminam, quasi a mortuis suscitatam, glorificabantque Deum ac Sanctæ Hedwigis merita devotione supplici extollebant. Plures alii paralytici Sanctæ Hedwigis auxilio sunt curati, videlicet Snegula, require de mutis, miraculo secundo *ppp*.

A febri Adelheidis Wratislaviensis liberatur :

140 Adelheydis, uxor Bernardi civis Wratizlaviensis, febres quartanas patiebatur pluribus annis et multa pro eis evadendis expendit in medicis et medicinis, quæ sibi tamen minime profuerunt. Cum autem adverteret, quod curari non posset, Sanctæ Hedwigi votum faciens ad ipsius accessit sepulcrum, orans et dicens : « Beata Hedwigis, si alicujus es meriti apud Deum, de ista quam patior me absolve quartana. » Sed incassum laboraverat, quia

A quia febres, quas veniens ad tumbam attulerat, abiens secum portabat. Laborem nihilominus semel factum aliquoties iteravit, nam quatuor vicibus Sanctæ Hedwigis visitavit mausoleum, quamvis desideratam abinde tunc reportare non meruerit sanitatem. Et non mirum si ægritudinem nequibat evadere corporis, quæ languorem voluntariæ retinuit mentis, cum ferrum, reclusum in vulnere, carnem prohibeat a plenaria sanitate. Ista namque mulier, ut postmodum fatebatur, semper dubitaverat, utrum Beatæ Hedwigis merita sibi possent ad sanitatem aliqualiter suffragari. Unde curationem ipsius Dominus distulit, ut labores ejus tandem remuneraret duplici munere, dum videlicet, detecta ac sanata cordis ægritudine, languores similiter ipsius effugaret a carne. Admonita ergo per quamdam visionem a Domino, et sermone cujusdam viri religiosi non modicum confortata, qui eam docuit, spe firma Beatæ Hedwigis adire sepulcrum, omni diffidentiæ abjecto velocius obice, quinta vice Sanctæ jam dictæ mausoleum adiit supplexque curationis antidotum postulavit, cum fiducia dicens : « Beata Hedwigis, libera me, alioquin tibi valde irascar. » Et ecce statim omnes B digitorum manuum ipsius articuli cœperunt distendi cum magno dolore, moxque a febribus, quibus duodecim annis et viginti quatuor diebus fuerat languida, per Sanctæ Hedwigis auxilium plene exstitit absoluta.

Epilepticæ, Beatrix de Prussicz

141 Beatrix, filia Sbilitci militis de Prussicz, epyleptica fuit. Quæ dum illa passione miserabili torqueretur, quæcumque rapere poterat, etiam sui vel alterius corporis carnem dentibus laniabat, et in tantum prævaluerat in ea morbus ille detestabilis, quod quandoque infra unius diei naturalis spatium, triginta vicibus sustinebat illud incommodum, nec ei prodesse poterant quævis remedia, sibi pro curatione apposita. Mater ergo ejus, domina Wencezlava, confidens de meritis Beatæ Hedwigis, voto facto, filiam in curru positam, ipsa vero peditando currum sequens, ad ejusdem Sanctæ tumulum venit filiamque desuper ponens, hæc dicens oravit : « Beata Hedwigis, sicut tu habes potestatem apud Deum et te credo utique fore Sanctam, adjuva filiam meam. » Mox miserante Deo puella per intercessionem Sanctæ Hedwigis illam evasit ægritudinem, nec deinceps, quam duobus annis et amplius sustinuerat, sensit abominabilem passionem.

et Dobromira de Yeskotel liberantur.

C 142 Dobromir, filia Clementis, militis de Yeskotel, a sua nativitate caducum habuit morbum. Quod autem illo laboraret morbo cognosci non poterat priusquam ætatem infantiæ transcendisset et tantum processisset in diebus, quod valebat repere super terram. Bis vero aut ter, sæpius etiam quater in die, hoc incommodo vexabatur. Pater ergo cum matre puellæ nudis pedibus peregrinantes infra hebdomadam Pentecostes ad Sanctæ Hedwigis tumulum processerunt, pueroque super idem sepulcrum posito, invocabant Deum cum lacrymis, ut eum propter merita Sanctæ Hedwigis curare misericorditer dignaretur. Oratione completa, filiam omnino receperunt incolumem, ita quod in ipsa de cætero illius morbi horribilis numquam signum aliquod apparebat.

Ad sanam mentem revocantur, Adelheydis,

143 Adelheydis, privigna uxoris Hildebrandi, mente capta, vix etiam reclusa poterat detineri et multa dicebat se monstra videre. Quam dum Jutha, noverca ipsius, ob gratiam curationis duceret ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum, expletaque majori parte itineris pervenisset ad quemdam montem, de quo poterat videri ecclesia, in qua corpus Beatæ Hedwigis conditum requiescit, cœpit languida cum clamoribus dicere : « Jam hic ego submergor, » cum tamen in eminentia montium posita nihil in vicino esset de aqua. Deducta nihilominus ad Sanctæ Hedwigis mausoleum, et orantibus pro ipsa multis, qui tunc affuerunt hominibus, statim liberata est a malo, quo quatuor hebdomadibus fuerat fatigata.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

Frater Ordinis Prædicatorum.

144 Frater quidam in Ordine Prædicatorum quasi freneticus erat. Quem Frater alius ejusdem Ordinis ad Sanctæ Hedwigis deduxit sepulcrum. Ubi dum orationem pariter facerent, Frater infirmus caput reclinans ad Sanctæ tumulum obdormivit et postmodum evigilans surrexit, ab ægritudine liberatus tam integre, quod eam de cætero numquam sensit.

Dobrozlava de Breulicz,

145 Dobrozlava, uxor Michaelis militis de Breulicz, quia maniaca erat et arreptitia, vinculis detinebatur ligata, ne vestes suas discerperet et alia quæcumque apprehenderet, dissiparet, nam ad quæ manus mittere poterat, crudeliter pertractabat. Si quandoque sibi offerebatur Crucis signaculum spuebat dentibusque frendebat, dum aliud facere non potuit contra ipsum. Deducta tandem fuit ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum, ibique pro ipsa oratione facta ad Dominum, in multorum præ- E sentia per ejusdem Sanctæ suffragia a passione, quam a festo Sancti Viti *qqq* usque ad festum Beati Bartholomæi eodem anno sustinuerat, exstitit liberata.

qqq

et Bratumila ex villa Gelz.

146 Bratumila, uxor Wencezlai, in villa Gelz nomine commorantis, quadam die vidit, sibi in forma unius mendici dæmonem apparentem, quo viso, Crucis statim signaculo se munivit. Hostis autem antiquus adversus eam voce intonuit, inquiens : « Quid contra nos moves hoc lignum? » per lignum volens intelligi manum, qua se Crucem faciens benedixerat, ipsamque manum apprehendens compressit tam valide, quod omnes digitos ejus volæ impressit, et ex tunc manus illa exaruit impressique palmæ sic deinceps digiti permanserunt. Multas quoque hæc fœmina illusiones, tamque vehementes corporis afflictiones ab eodem salutis adversario est perpessa, quod ex toto fuit usu rationis privata. Nam ei dum nominarentur Sancti, aut Crux offerebatur, e contra sputum mittebat. Deducta vero ab amicis ad sepulcrum Sanctæ Hedwigis feria sexta infra paschalem hebdomadam illucque per octo dies, dum singulis diebus adducta fuisset, tandem liberata a dæmonio fuit et usum F rationis rehabuit, Beatæ Hedwigis mediante juvamine, manu tamen ipsius, quam dæmon attigerat, arida remanente. Quam per biennium et amplius quia portabat inhabilem ad labores, maritus ejus non modicum ex hoc affectus tædio, eam ducens coram Wratislaviensi episcopo, domino Thoma Primo, divortium petiit, allegans ipsam sibi fore inutilem pro auxilio opportuno. Episcopus autem, ut vir utique litteratus et prudens, ei respondit : « ex quo sanam accepisti etiam nunc servabis infirmam. » Dominus quoque Bertholdus, Trebnicensis plebanus, quia archipresbyter erat, compulit virum eumdem divortium petentem, præstare fidejussoriam cautionem, ne demitteret fœminam propter manum, quam habuit aridam, cum hoc nullatenus ei de jure liceret. In tertio vero anno postquam liberata fuit a dæmonio, ad Sanctæ Hedwigis iterum properavit sepulcrum, si forte per ipsius Sanctæ auxilium manus suæ posset ariditatem evadere, et ob hanc causam dictum sepulcrum septem diebus continue visitavit, orans et dicens : « Sancta Hedwigis, tibi commendo animam meam corpusque meum et rogo, ut manus meæ mihi restituas sanitatem. »

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

sanitatem. » Tandem misertus illius Dominus, Beatæ Hedwigis intercedentibus meritis, in ostio capellæ, in qua corpus ejusdem Sanctæ sepultum ostenditur, manus jam dictæ ariditatem sua potentia celeriter circa festum Beati Jacobi Apostoli *rrr* repulit et plenariam ei sospitatem donavit.

rrr

Curatæ a fluxu sanguinis, Idea Wratislaviensis,

147 Idea, filia Lucæ, civis Wratislaviensis, dum esset cum jam dicto patre suo et matre sua, Helwiga nomine, apud avunculum suum in Ratebor, quæ civitas distat a Wratislavia per viginti Polonica milliaria *sss*, gravissimam dissenteriam incidit, qua vexabatur hebdomadibus sexdecim, ita quod de ipsius vita longiori dubium habebatur. Præterea in ipsa ægritudine aliud sibi flagellum superaddidit Dominus, sic ut nec manibus neque pedibus uti posset, dum enim pedes ejus applicari deberent corpori aut extendi, ciboque quando eam contigit refici, totum hoc oportuit manibus fieri alienis. Præfati ergo parentes ipsius votum fecerunt, ut eam ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum deducerent, imponentesque ipsam vecturæ Deo supplicare cœperunt, ut ei dignaretur per Sanctæ Hedwigis merita subvenire. Cum autem ante civitatem Wratislaviensem venirent, puella integre in toto corpore est sanata, incepitque pedibus et manibus plene uti. Unde non modico exultantes gaudio parentes cum filia inchoatum iter ad Sanctæ Hedwigis limina compleverunt in Sancti Michaelis vigilia *ttt*, laudesque Domino persolventes ac S. Hedwigis præconizantes gloriam sanctitatis ad propria sunt reversi.

sss

B

ttt

et Bertradis de Cyrna.

148 Bertradis de Cyrna fluxum sanguinis sexdecim hebdomadibus patiebatur tam graviter, quod nulla medicorum ope, licet multa in eis expendisset, poterat adjuvari. Non ergo erat opinio quod evadere posset, quin de illa ægritudine moreretur. Vovit tamen Beatæ Hedwigis visitare sepulcrum, si ei sanitas donaretur et continuo est sanata. Sed quia de viri sui consilio votum emissum distulit adimplere, recidivavit celerius et cœpit gravius infirmari quam prius. Iteravit ergo votum et sollicite adimplevit sanitatemque obtinuit, Beatæ Hedwigis auxilio mediante.

Convalescunt a squinancia Petrus Bohemus;

149 Petrus Bohemus de Scassicz, de familia ducis, morbum, qui squinancia dicitur, in suo gutture patiebatur, qui eum in tantum occupaverat, quod loqui non poterat per tres dies nec cibum nec poculum sumere neque commode potuit respirare. Cumque vovisset, nudis pedibus et in cilicio se venturum ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum, si eum curaret a morbo prædicto, voto emisso, se ad quiescendum deposuit et dormivit post somnumque evigilans se sensit omnino sanatum et gratias egit Deo Sanctæque Hedwigi, cujus intercessione sanitatem sibi credidit restitutam.

C

fistula Laurentius de Licovicz;

150 Laurentius de Licovicz, vir grandævus et canus, vulnus in pectore habuit infistulatum, de quo sanies profluebat et fœtor maximus exhalabat, propter cujus fœtoris intolerantiam uxor eum odio habuit et ab eo recessit. Pedes insuper contractos habebat et ideo nec valuit ambulare, sed jacens continue hoc multiplici incommodo pulsabatur. Spem tamen habens in Domino, ipsius clementiam per Sanctæ Hedwigis merita invocabat et relevatus fuit in tantum, quod et de lecto surgebat et aliquantulum progredi poterat. Fecit ergo votum veniendi ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum; duobusque sustentatus baculis, quia debilis adhuc erat, hinc inde nutando, a suo domicilio, quod per tria distabat milliaria, et infra quinque dies vix ad dictum pervenit sepulcrum feria sexta ante festum Beati Bartholomæi cum magno labore, ubi etiam sic oravit : « Sancta Hedwigis, libera me, quia ego volo esse, quamdiu vixero, servus tuus. » Statim, qui langueral fere quindecim mensibus homo, in pedibus plene curatus est evasitque infistulatum et fœtidum pectoris vulnus, uno quoque die rediit in domum suam, gradiens super pedes suos per iter, quo quinque diebus venerat difficulter. Dominus Volimirus, Wladislaviensis episcopus *uuu*, qui unus fuit de examinatoribus miraculorum, locum præfati vulneris miraculose curati per Sanctæ Hedwigis merita suis postmodum manibus attrectavit, perhibensque testimonium dixit, quod ipsum vulnus plene sanatum invenerit.

D

uuu

a struma Stronizlava;

151 Stronislava in humero dextro habuit strumam ad unius panis magnitudinem, quæ tandem rupta fuit et sanies exinde profluxit, postmodumque exstitit infistulata. Eadem quoque mulier usum perdiderat dextræ manus et talibus obruta malis ante primum introitum Tartarorum in Poloniam sic oppressa permansit, donec fere sex anni post Beatæ Hedwigis obitum complerentur. Eo namque tempore ipsa fœmina ad Sanctæ jam dictæ sepulcrum accedens oravit cum lacrymis, dicens : « Domina mea Beata Hedwigis, redde meo sanitatem omnimodam corpori, ut de labore ipsius valeam sustentari. » Continuo sanata est mulier et liberata plenarie ab utroque, quo laboraverat, ægritudinis morbo. Aliqua tamen signa tumoris, omni remoto dolore, in loco strumæ, postquam curata fuerat, remanserunt.

E

a mortis periculo, Dominicus puer,

152 Dominicus, puer erat octo annorum filius Vitozlai, militis de Borech, quem equus ungula pedis ad tempus percussit tam valide, quod pro mortuo habitus fuit, ita diu quod aliquis peditando unum pertransire poterat Polonicum milliare. Tandem, resumptis viribus, ad vitam quidem corporis rediit, sed in capite receptum lætale vulnus permansit. Cui dum parentes et amici pulveres et unguenta, quæ poterant habere, apponerent, et tamen sanitatem nullatenus conferebant, quia caro quædam in ipso vulnere crescens ad unius longitudinem digiti obsistebat, ne posset vulnus obduci. Existente ergo puero in mortis periculo, recordatus pater ejus, qualiter prius fuerat per Beatæ Hedwigis auxilium liberatus ab alia letali ægritudine (secundum quod supra ostenditur, ubi de infirmis curatis refertur, miraculo primo *www*), in Trebnicz ivit ad Sanctæ Hedwigis limina, oraturus pro ejusdem pueri sanitate. Et ecce, in ipso triduo quo in eundo fecit moram pater, prædictus filius ejus, qui a festo Nativitatis Beatæ Virginis, recepto, ut prædicitur, mortifero vulnere, languerat usque ad octavam Epiphaniæ Domini *yyy* eodem anno sequentis sanatus est adeo plene, ut mater venienti marito cum gaudio currens obviam diceret : « Filius noster est per Dei gratiam bene sanus. » Modicum autem signum in loco remanserat vulneris, Domino sic disponente propter patrati miraculi evidentiam clariorem.

www

F

yyy

Hysentrudis Wratislaviensis,

153 Hysendrudis, uxor Beroldi de Wratizlavia, dum concepto fœtu gravida esset, elapsisque novem hebdomadibus et expleto tempore, quo conceptus in utero vivificari communiter solet, nec ipsa, ut debebat naturaliter, moveri conceptum sentiret infantem, gravari mortisque sibi procul dubio imminentis cœpit periculum formidare. Nullum autem ei dabatur nec forte dari poterat efficacius pro corporis salute consilium, nisi ut Beatæ Hedwigis invocatura patrocinium ejus adiret sepulcrum, quod et fecit. Sed quia de jam dictæ Sanctæ meritis dubitavit nec sufficienter credula exstitit,

A exstitit, gratiam sanitatis, quam desiderabat, merito non invenit. Nec poterat utique ad perfectam curationem pertingere, donec diffidentiæ tenebras ipsius inhærentes firmius pectori, credulitatis luce contingit plenius effugari. Admonita ergo per fidelem virum, hospitem suum, in cujus se collegerat domo, ut cum omni fiducia Sanctam Hedwigim pro sua invocaret salute, si a tanto vellet celerius liberari periculo, iterato ad Sanctæ sepulcrum accessit abjectoque totius dubitationis offendiculo, ipsam devotis, ut eam adjuvare dignaretur, precibus invocavit. Mirabile certe, mox mente a dubietatis morbo sanata, salus corporea est secuta, nam postquam ad tumulum Sanctæ Hedwigis fuisset reversa et orasset ibidem, puer ejus in utero cœpit moveri, dum autem iterasset orationem, puer iterum amplius movebatur, tertio vero dum confidenter oravit, conceptum plene vivere sensit. Reversa autem ad domum propriam, tempore debito, cum salute peperit filiam, vocatam postmodum proprio nomine Margaretam, gratias agens Deo et Beatæ Hedwigi cujus auxilio a mortis faucibus exstitit liberata.

et Bertha Wratislaviensis.

B 154 Puella quædam nomine Berchta, apud Wratizlaviam hauriendo aquam, in Odram fluvium cecidit et sub rotas quatuor molendinorum sese invicem subsequentium nimio aquæ impetu tracta fuit. Vir quidam hæc videns, consanguineam ejusdem puellæ proprio nomine vocando clamavit : « Berchta, Berchta, cognatam tuam flumen jam absorbuit ! » Quod dum illa audivit, de domo sua protinus exiliens exclamavit et dixit : « Domina, Sancta Hedwigis, rogo te, ne meam patiaris perire consanguineam, sed de præsenti periculo libera eam. » Has preces dum vociferando multoties iteraret, ad accurrendum ut viderent, quod acciderat, circiter centum homines provocabat. Multi quoque ex illis, qui ad spectaculum illud convenerant misericordem Dominum invocabant, ut per merita Sanctæ Hedwigis puellam in profundum mersam erueret, ne tam miserabili casu lapsa periret. Per quosdam nihilominus afferebantur instrumenta navesque ad extrahendum, si forte fuisset inventum corpus submersum in aquis, habentibus prope viginti cubitos profunditatis. O quam mirabilis Deus in suis est Sanctis, cujus utique mirabilia opera fideli animæ cognoscenda etiam in præsentibus relucescunt ! Divina namque potentia C præfata puella decem et octo annos habens ætatis, subvoluta rotis molendinorum, ut prædicitur, absque sui corporis et sine rotarum fractione pertransiit, cum tamen, sicut dixerunt experti, eædem rotæ modico ligno ipsis subjecto frangi faciliter potuissent. Præterea dum astantes expectarent, donec de aquarum profunditate mortua traheretur, quia ipsam vivere non putabant, quam fluminis abundantia tempore tam prolixo absconderat, subito ex altera parte fluvii, cunctis videntibus, in littore stans apparuit de vestibusque suis humores aquosos excussit. Sic per intercessionem Sanctæ Hedwigis puella evasit feria quinta post festum Sancti Michaelis periculum mortis, quæ tanto temporis spatio fuerat obruta undis, quanto quis pergere poterat quintam partem Polonici milliaris. Ut autem factum hoc miraculosum evidentiori signo innotesceret omnibus, corpus puellæ prædictæ, quamvis esset alias bene sanum, in dorso tamen et pedibus livores, quos machinamenta rotarum ipsum comprimendo effecerant, intuentium oculis exhibebat.

155 Nicolaus puer, filius cujusdam molendinarii, in festo Exaltationis Sanctæ Crucis *xxx* in aquam, quæ super molendinum defluebat, corruens est submersus. Quod dum mater ejusdem pueri comperisset, magnis clamoribus, de cordis dolore prodeuntibus, plures advenire coegit. Accurrens autem inter alios Waltherus de Praczov, illius dominus molendini, vidit jam dictum puerum, in alveo ligneo sub rota compressum jacentem, pedesque ipsius modicum prominentes de undis, sub quibus mersus jacebat, et quia, deficientibus instrumentis ad levandum maxime opportunis, rotam illam magnam, sub qua puer compressus erat, sublevare non poterant, ipsum tamen, ut quocumque modo possent eruerent, ad revolutionem ipsius rotæ aliquoties aquæ impetum submittebant. Cum nec sic proficerent, præsertim cum puer, inter rotam et alveum ligneum positus, non sineret volvi rotam, quamvis aquarum inundantia desuper flueret, allatis tandem securibus perticas amputaverunt, quibus rotæ machinam sublevabant, et extraxerunt puerum, utpote mortuum, glaucum, frigidum et rigidum inflexibilemque veluti lignum. Nec mirum si puer ille mortuus erat, qui mersus sub undis tamdiu jacuerat, donec quis ambulando potuisset milliare Lombardicum pertransisse *zzz*. Et licet nulla spes vitæ haberetur de ipso, præfatus tamen Waltherus, de Beatæ Hedwigis confisus suffragio, eam sæpius invocando dicebat : « Beata Hedwigis, suscita puerum istum, quem si suscitaveris, tuum cum ipso pedibus meis adibo sepulcrum. » Excussa quoque de corpore pueri, quantum excuti potuit, aqua, posuit ipsum ad ignem. Jacuit autem immobilis, ut procul dubio mortuus, a meridie usque ad solis occasum diei festi prædicti. Cum vero non desisterent fideles Dominum invocare per Beatæ Hedwigis merita pro puero revocando ad vitam, eodem fere respirare incipiens, sequenti mane surrexit puer incolumis, nihil patiens omnino doloris, in dorso ipsius, ad instar panni nigri, ex compressione prædicta livore tantummodo remanente.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

Suscitati mortui, Nicolaus puer,

zzz E

Gulielmus puer.

156 Wilhelmus puer, non plene duos annos habens ætatis, filius Vincentii castellani de Olesno *aaaa*, in villa quæ dicitur Othmant portatus ad fluvium Odram, eoque deposito et derelicto in riparia, pædagogus ipsius flumen ingressus est ad se refrigerandum pariter et natandum. Dum autem taliter occupatus faceret moram, puer, ipsum eo non vidente, sequi volens, prolapsus in flumineque est submersus. Quem pædagogus postmodum ad F ripam rediens et, ubi eum reliquerat, non inveniens tandem quæsivit in undis, submersumque reperiens et extrahens eum excussit quantum potuit aquas ab ipso, quas mersus imbiberat. Reversus autem ad domum cum ipso puero, volebat factum a parentibus occultare, sed latere non poterat, cum puer, calefactus a matre, residuam emoveret aquam et subito moreretur. Cujus obitum parentes et familiæ deplorantes, Deum nihilominus per Beatæ Hedwigis merita invocabant, ut vita puero redderetur. Pater autem cum conjuge sua, nomine Berchta, matre pueri, dum fecisset votum, quod ad Beatæ Hedwigis sepulcrum ipsum, si revocaretur ad vitam, vellet deducere puerum, statim puer revixit. Differentes vero perficere, quod promiserant, in crastino iterum idem puer morti succubuit. Quod suæ imputantes, ut debebant, parentes negligentiæ, iteraverunt orationem et votum et denuo sunt exauditi a Domino, Beatæ Hedwigis interveniente suffragio, ad cujus sine cunctatione limina processerunt. Ab illo ergo die præfatus puerulus semper visus est proficere in corporis sospitate.

aaaa

157 Vitoslavá

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

Vitoslava infantula,

157 Vitoslava infantula primo nata, priusquam baptismi perciperet sacramentum, mortem accepit. Accedens autem avia ipsius, domina Sulizlava et accipiens eam, matri, filiæ suæ scilicet, mortuam detulit. Convocata quoque familia vocibus clamorosis defleverunt omnes, non infantulam mortuam, sed potius absque sacramento baptismi defunctam, et pariter oraverunt, ut Dominus per Sanctæ Hedwigis merita saltem tanto tempore dignaretur sibi vitam donare, donec præfatum reciperet sacramentum. Et ecce, petentium precibus subito Dominus affuit et puellæ quædam vitæ signa concessit, quæ tamen, quamvis adhuc plus mortui quam viventis præferret similitudinem, in capisterio est ad baptismum portata. Baptizata vero mox recuperavit plenius sanitatem.

Petruscha Wratislaviensis,

158 Petruscha, filia Martini de Wratizlavia, quinque hebdomadas ætatis habens mortua fuit; nam Elzuna, mater ipsius, volens ad aliam pergere villam, quamdam rogavit fœminam, nomine Boguzlavam, ut sibi jam dictam custodiret infantulam, donec suis rediret negotiis expeditis. Intromisit se quidem matrona prædicta de custodia, sed misere custodivit; infantem namque relinquens in cunis, vicinam domum, ut ibi aliquid operis faceret, adiit, et interim porcus veniens cunas evertit B
et puerum, sub vestibus multis cadentem super faciem, suffocavit. Rediens tandem mater Boguzlavam interrogavit de puero, quem ei commiserat. At illa se de illo fuisse oblitam ratione occupationis, quam habuit, respondebat. Ingrediente vero matre domicilium, porcus exiliit fugiens et puer mortuus est inventus, cujus corpusculum utique jam frigidum diriguerat, quasi lignum. Deplangit mater defunctam filiolam doloremque ipsius duplicabat timor, quo non modicum metuebat a marito pro hac negligentia castigari. Superveniens autem jam dictus maritus deplangit et ipse lugubre funus, nec tantum doluit de extinctione filiæ suæ, quantum de peccato negligentiæ fuit compunctus; timebat enim, quod sibi et uxori deberet facinus interemptionis pueri imputari. Rememorans vero publicam esse famam de miraculis Beatæ Hedwigis, conjugi dixit: « Invocemus fiducialiter Sanctam Dei, quæ in cœlis regnans hanc accepit a Domino potestatem, ut quod juste per ipsius merita petitur, consolabiliter impetretur. » Et sic in partem domus secretiorem euntes pariter orave-
C runt. Præfata quoque Boguslava, remanens apud funus, hæc dicens oravit: « Beata Hedwigis, rogo te per tua merita, libera me a peccato, quod incidi non custodiendo sufficienter puerum istum, et ego promitto, quod si revixerit mortuus, tuum pedi-tando adibo sepulcrum. » Oratione completa, parentes ad loculum, in quo puella ad sepeliendum collocata fuerat, accedentes invenerunt viventem, quam paulo ante reposuerant mortuam, et sugens ubera, resumptisque viribus successive convaluit, quæ post reditum matris jacuerat exanimis tanto temporis spatio, quanto panis in clybano coqui posset. Qua vero diei hora decesserit ignoratur, pro eo, quod nullus hominum tunc præsens fuit.

mulier e villa Lissocitz.

159 In villa hospitalariorum, Lissocitz nuncupata, Olomucensis diœcesis, quædam mulier finem vivendi accepit. Quæ dum per diem mortua teneretur, pro delictis, a quibus se vivens non plene per satisfactionem purgaverat, pœnis addicta flammarum incendia sustinebat. Deus autem, secundum prophetam mirabilis in Sanctis suis, volens Beatæ Hedwigis admirabilem etiam in remotis manifestam fieri sanctitatem, sic disposuit, ut præfatæ mulieri defunctæ et in flammis existenti ipsa jam dicta Sancta visibiliter appareret et eam potenter ab incendio traheret ipsamque divina vir- D
tute pristinam revocaret ad vitam. Hæc fœmina prius in vita sua numquam audierat de Sanctæ præconio sanctitatis aut de ipsius miraculis, sed per ipsam de flammæ cruciatibus eruta et a mortuis ad statum pristinum revocata, per quatuor annos, quibus vixit post resurrectionem jam dictam, non cessavit eam extollere laudibus, sed enarravit omnibus, quibus poterat, quod factum fuerat circa ipsam, ostendensque multis quædam signa adustionis, quæ in ejus remanserant corpore, ad miraculum divinæque pietatis beneficium plenius comprobandum.

vir ex oppido Prussicz. bbbb

160 In oppido Prussicz, *bbbb* Wratizlaviensis diœcesis, quidam mortuus fuit. Qui, dum sepeliri deberet in cœmeterio monasterii, in quo Sanctæ Hedwigis est corpus sepultum, postquam duobus jam jacuerat diebus exanimis, a mortuis resurrexit. Istius fama miraculi pervenit ad ducem, qui statim credere noluit, sed hominem resuscitatum coram se adduci præcepit, fecit quoque ad suam vocari præsentiam dominum villæ, in qua manens decesserat homo ille, qui dicebatur revocatus ad vitam, ut et ipse veniens, si quam de hoc facto sciret in- E
terrogatus diceret veritatem. Uterque autem comparens coram ipso duce, constanter asserebat et veram fuisse illius hominis mortem et resuscitationem jam dictam interventu Beatæ Hedwigis veraciter esse factam. De fœtu in utero matris vivificato miraculose supra require, de erutis a periculo mortis, secundo miraculo Hysendrudis et cetera *cccc*.

cccc

Avicula vivificata:

161 Dominus Omnipotens, qui testante propheta homines et jumenta salvare disposuit, in eo quoque hanc Sanctam suam Beatam Hedwigim honorabilem reddidit, ut non tantum hominibus sed etiam mortuis irrationabilibus creaturis pro sibi devotorum solatio vitæ restitutionem obtinere valeret, ut in uno quod subjungitur patet exemplo. Soror enim Cristina, domus Trebnicensis, causa deductionis quamdam nutriebat aviculam, quæ Quiscula dicitur. Quam Soror Agatha dum una die teneret in manibus ejus mortua fuit et abjiciens eam in muro quodam exposuit bestiis devorandam. Intelligens vero Cristina prædicta suo se fraudatam solatio et teneritudine fœminea dolens de avicula mortua, Beatæ Hedwigis tumulum adiit et oravit, sic dicens: « Domina mea Beata Hedwigis credo, quod F
si volueris, me poteris consolari, unde te deprecor, ut cordi meo infundas lætitiam, reviviflcando nunc mortuam avem meam. » Oratione completa ad locum, in quo exanimem projectam sciebat aviculam, rediit et eam ibidem vivam invenit. Noluit enim hæc Sancta in rebus etiam modicis post obitum suum Sorores turbatas relinquere, quas dum viveret studebat semper consolationibus confovere, prout in eo quod sequitur amplius comprobatur.

velamen monialis in igne servatum.

162 Soror Juliana, de domo Trebnicensi, in nocte Circumcisionis Domini, decantato matutinali officio, ad fornacem calefactorii Sororum se calefaciendi gratia venerat et ibidem insignia capitis sui, coronam scilicet et velamen projecit per negligentiam in foramen. Fornax quoque præfata tantis æstuabat caloribus, quod si quis incurate stabat ad ipsius fenestrulæ aperturam, calceamenta et vestes alias, quas attingere poterat, calor egrediens, consumebat. Turbata non modicum prolapsis in furnum jam dictis insigniis, quæ propter incendium recuperare non valuit, vocanteque campana conventum, quæ jam tunc pulsabatur pro Laudibus matutinis, Soror abiens res quasi perditas dereliquit.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

A quit. Spem tamen habens de Beatæ Hedwigis patrocinio ad ejus tumulum pergens, velociter sic oravit : « Beata Hedwigis, quia te credo vere Sanctam et de tuis confido meritis, insignia mea mihi conserva. » Festinans vero ad chorum non solum Laudibus sed etiam Missæ, Primæ et Capitulo interfuit successive. In jam dictis autem corporaliter perseverans officiis, Dominum nihilominus et Beatæ Hedwigis invocabat auxilium, ut illæsæ sibi res cellulæ suæ servarentur. Finito autem ex more Capitulo, ad locum properat in quo supradicta reliquerat ornamenta. Sed quia præ calore nimio manum mittere ad quærendum non poterat, per fenestram acum curvatam, virgæ infixam, extendit deque foramine traxit illæsa a caumate et penitus inviolata insignia supradicta. Quæ postmodum examinatores sub suis sigillis transmiserunt Romanæ curiæ in testimonium veritatis hujus miraculi et sanctitatis Beatæ Hedwigis.

ANNOTATA.

a *Post distinctionem* XIX de mortuis suscitatis, *habetur* XX de quibusdam miraculis specialibus, quæ circa Sorores in Trebnicz et alias evenerunt non diu ante canonizationem S. Hedwigis. *Hanc distinctionem longiusculam conjunximus cum historia ipsius canonizationis, qua ratione secundum nostram divisionem caput* IX *conficimus.*

b *In capite hujus divisionis leguntur hæc* : In nomine Domini. Amen. Incipiunt miracula ; et primo de infirmis sanitati restitutis per merita B. Hedwigis.

c *Hujus familiæ, ejusque scuti gentilitii meminit Henel* (1).

d *Scilicet a die* XXIX *Septembris usque ad* XII *Novembris ; pridie recolitur S. Martinus.*

e *Celebratur Wratislaviæ festum S. Vincentii, episcopi Teatini, die* VII *Junii, cujus Reliquiæ in ecclesia ejusdem civitatis, Ordinis Præmonstratensis, honorantur. De Sancto agunt Nostri die* VI *Junii* (2). *Miraculum accidisse refertur in solemnitate S. Bartholomæi, die* XXIV *Augusti ; erat autem templum Trebnicense in honorem hujus Sancti erectum : quare in sequentibus plura narrantur miracula, illa patrata die, qua frequentior Trebnicium accurrebat populus.*

f *S. Silvestri ies agitur* XXXI *Decembris.*

g *Vide supra capite* II, *annotatum* g.

C h *Nullus hujus nominis nobis abbas Lubensis occurrit in Catalogo* (3) *usque ad annum* 1696; *quare hic legi debent Joannes, Henricus vel Nicolaus qui ab anno* 1239 *ad* 1270 *sedere, illo nempe intervallo, quod inter obitum S.* Hedwigis, 1243 *et ejus canonizationem,* 1267, *intercurrit.*

i *Matth.* XXII. 22.

k *Hæc referuntur a Nostris in Vita S. Stanislai episcopi Cracoviensis et Martyris* (4).

l *Bladum gallice* Bled.

m *Festum S. Catharinæ celebratur die* XXV *Novembris.*

n *Id est secundum nostram divisionem infra numero* 157.

o *S. Michaelis festum, ita simpliciter appellatum, recurrit die* XXIX *Septembris, quia illa die cum majori celebritate frequentatur.*

p *Olsnicz, hodie oppidum* Oels, *caput circuli, in districtu Wratislaviensi.*

q *S. Georgii, Martyris, festum celebratur die* XXIII *Aprilis.*

r *Thomaskyrchen, olim* Domaicerke, *duobus milliaribus ab Ohlau distans, in districtu Wratislaviensi.*

s *Alta Ripa est latine redditum nomen* Briegæ, *civitas, quæ est caput districtus et circuli.*

t *Jam locutus est biographus de ista Elisabeth supra num.* 100.

u *De Snegula agitur infra num.* 116.

w *Michowicz, hodie* Miechowitz, *in districtu Oppelensi, circulo Beuthensi.*

y *S. Laurentii festum incidit in diem* X *Augusti.*

x *Socolnicz, hodie* Zaugwitz *seu* Zaulkwitz, *in parochia Gross-Peterwitz, in districtu Wratislaviensi, circulo Schweidnicensi.*

z *Costhomloth, hodie* Kostenblut, *in districtu Wratislaviensi, circulo Neumarkt.*

aa *Duravit itaque infirmitas a die* XXV *Julii ad* XXV *Novembris, quibus diebus bini Sancti coluntur.*

bb *Favebant duces Pomeraniæ monialibus Trebnicensibus : nam iisdem inter alia concesserunt* ut cum annuatim navem suam, quæ scuta dicitur, (*flandricum nostrum* Schuyte) pro comparando sibi alec ad partes ducales duxerint transmittendam, eadem a teloneo et exactione libera sit perpetualiter (5).

cc *Castrum Swetense, hodie* Schwetz, *in districtu Marienwerdensi, caput circuli.* E

dd *Clypeus non solum pro instrumento belli defensivo sumitur, sed etiam pro imagine, quæ in eo depringebatur : quare clypeator, sicuti hoc loco, sumendus etiam est pro artifice, qui imagines effingit. Du Cange V°* Clypeus.

ee *Infra num.* 137 *et* 139.

ff *Infra num.* 145.

gg *Infra num.* 151.

hh *Prussicz, hodie* Prausnitz ; *in parochia Seichau, districtu Lignicensi, circulo Javrensi.*

ii *Hic error in nomine aut in qualitate obrepserit, necesse est : nam medio tempore inter mortem et canonizationem S.* Hedwigis, *alia non fuit Trebnicii abbatissa, quam ejus filia Gertrudis, quæ ab anno* 1232 *ad* 1268 *præfecturam gessit : imo in serie abbatissarum nulla est, quæ Petronillæ nomen sortita fuerit præter primam Petrusam, ast de illa, utpote S.* Hedwigi *præmortua, agi non potest.*

kk *Pascurove prope Striegau, locus hodie incognitus : animadvertit autem Cl. Stenzel multa loca in hac vicinia alia habuisse olim, quam hodie, nomina* (6).

ll *Beroldivilla,* Bernstadt, *antiquum Lignicii nomen* (7), *quamvis Bernstadium oppidum etiam hodie in districtu Wratislaviensi, circulo* Oels, *recenseatur.* F

mm *Duplex hujus nominis olim occurrebat villa : scilicet, quæ etiam hodie nomen retinet* Chroscina, *in districtu et circulo Oppelensi, quamvis aliquando* Schmeilsdorf *appellata fuerit. Est et alia villa, olim Croscina, hodie* Weisdorf *appellata, in eodem districtu Oppelensi, sed in circulo Falkenbergensi. Utra villa hic intelligenda sit, hodie discerni non posset.*

nn *Erat olim Silesia in Castellanias divisa, ut liquet ex hoc loco* (8).

oo *Sadalno numquid quod olim Sadilno appellabatur? Hodie* Zadel, *prope Frankensteinium, in districtu Wratislaviensi.*

pp *Jam supra annotato* ii *diximus nullum superesse vestigium abbatissæ hujus nominis.*

qq *Festum S. Calisti Papæ et Martyris celebratur* XIV *Oct., atque adeo pridie anniversarii S.* Hedwigis.

rr *Scilicet* XXV *Julii.*

ss *Infra num.* 136.

tt *Infra num.* 115.

(1) Silesiograph., t. II, p. 655. — (2) T. II Jun., p. 639 et seq. — (3) Zimmermann. Beytr. zur beschreib. Schles., t. VII, p. 277 et seq. — (4) T. II Maii, p. 251, n. 46. — (5) Stenzel. Scriptt., t. II, p. 68, n. 1. — (6) Ibid., p. 72, n. 1. — (7) Ibid., n. 2. — (8) Ibid., p. 73, n. 2.

uu *Supra*

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

uu *Supra num.* 135.

ww *Infra num.* 150.

yy *Mechovice, hodie* Münchwitz, *sub hodierna parochia Bralin, capite circuli, in districtu Wratislaviensi.*

xx *Bresno seu Bresna, castellania in Vaivodia Lencziz.*

zz *Camenata, conclave seu cubiculum, in quo caminus exstat. Du Cange h. v.*

aaa *Supra num.* 116.

bbb *Infra num.* 138.

ccc *Infra num.* 147.

ddd *Wesna, hodie* Wiese, *prope Hochkirch, ex quo patet aspectus in Trebnicense oppidum, in districtu Wratislaviensi, circulo Trebnicensi.*

eee *Schwetz ad Vistulam, in districtu Marienwerdensi, caput circuli.*

fff *Milicz, hodie* Militsch, *in districtu Wratislaviensi, caput circuli.*

ggg *Swentopolkus erat dux illius partis Pomeraniæ, quæ Vistula alluitur, quæque postea Pomerelia dicta est : obiit dux anno* 1266.

hhh *Infra num.* 134.

iii *Infra num.* 135.

B kkk *Fuit itaque Adelheydis infirma a die* XI *Novembris usque ad* XXVI *Junii.*

lll *Supra num.* 124.

mmm *Hunc textum explicat Cl. Stenzel* (1), *quasi ageretur de occidendo equo, adeoque hoc habet tamquam vestigium paganicæ superstitionis. Mihi videtur sermo esse de suicidio, quod verba præcedentia jam præsagiunt, quando dicitur Gotfridus* tanto cruciatus dolore, quod magis mori appetiit, quam diutius tormenta tam vehementis affligi doloris.

nnn *Festum S. Georgii, Martyris, incidit in diem* XXIII *Aprilis.*

ooo *Vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli occurrit* XXVIII *Junii.*

ppp *Supra num.* 116.

qqq *A Festo S. Viti usque ad festum S. Bartholomæi, id est, a* XV *Junii ad* XXIV *Augusti.*

rrr *Festum S. Jacobi recurrit* XXV *Julii.*

sss *Viginti milliaria Polonica hic viginti duo milliaria Germanica æstimantur.*

ttt *S. Michaelis vigilia est* XXVIII *Septembris.*

uuu *Vlodimirus, Wladislaviensem sedem occupavit ab anno* 1262 *ad* 1271, *quo obiit.*

www *Supra num.* 97.

C yyy *A Nativitate B. Virginis usque ad octavam Epiphaniæ, id est ab* VIII *Septembris ad* XIII *Januarii.*

xxx *Exaltatio S. Crucis celebratur* XIV *Septembris.*

zzz *Milliare Lombardicum brevius erat Polonico.*

aaaa *Olesno, hodie* Rosenberg, *caput circuli in districtu Oppelensi.*

bbbb *Prussicz, hodie* Prausnitz, *oppidum in distictu Wratislaviensi, circulo Militsch. Cfr supra annot.* hh.

cccc *Supra num.* 153.

Cap. IX. *De miraculis tempore canonizationis S. Hedwigis, de ejusdem canonizatione et de translatione ejus corporis.*

E Sanctæ sepulcro manant lux

Soror Elizabeth, custos domus Trebnicensis, nocte quadam ante matutinum de somno consurgens, lumen in dormitorio invenit extinctum, quod ut reaccenderet, pro lumine ad ecclesiam ivit. D Perveniens vero versus locum sepulturæ Sanctæ Hedwigis, totum vidit sepulcrum clarissima luce circumdatum et pusillanimitate fœminea pavefacta, ad dormitorium rediit et qualiter lucem magnam, utique designantem aliquid, viderit postmodum enarravit. Soror etiam Juliana, de domo Trebnicensi, simili modo lumine extincto in dormitorio, vadens ad ecclesiam pro lumine accendendo, non solum lucem magnam circa Sanctæ Hedwigis tumbam, verum etiam quasi duos episcopos et duos abbates, omnes albis indutos, vidit astantes sepulcro, quorum significatio inferius declaratur *a*. *a*

et mira fragrantia :

164 In quodam anniversario defunctionis Beatæ Hedwigis, ad sepulcrum ejusdem Sanctæ quædam dominæ vigilabant orantes, inter quas Agnes, Christina, Margareta, Johanna, de monasterio Trebnicensi Sorores, sacris intendebant excubiis, psalterium relegendo. Dum ergo pariter psallerent et orarent, odor suavissimus, sed extraneus, omnium se naribus ingerebat. Stupebant autem omnes de tanti ac tam inconsueti odoris fragrantia, amplius vero singulæ mirabantur pro eo, quod nullæ essent apud ipsas res odoriferæ, non tamen de hujusmodi E aliqua alteri quidquam loqui volebat, ne strictum silentii vinculum solveretur *b*. *b* Odore autem non cessante, Soror Agnes per signa requirebat ab aliis, si olfactu perciperent suavitatem odoris, quo ipsa jam dudum fuisset mirabiliter immutata. At illæ : « Sensimus, inquiunt, et sentimus. » Lux ergo prædicta, noctis in obscuro refulgens et apparitio prælatorum odorisque suavitas in domo Domini circumfusa, signanter dabant intelligere, quod Sancta, ibidem sepulta, cujus vita luce bonorum operum inclaruerat mundo Christique bonus odor fuerat in omni loco, jam lumen videret in lumine et esset sicut odor balsami ante Deum. Indicabant etiam, jam tempus esse propinquum, quo in sancta Dei Ecclesia ipsa, de prælatorum conniventia, Sanctorum foret Catalogo adscribenda.

incipit processus canonizationis ; c

165 Eodem namque anno dominus Volimirus *c*, Wlasdislaviensis episcopus, et Frater Symon, prior provincialis Poloniæ Fratrum Prædicatorum, examinatores a Sede Apostolica deputati sunt, qui vitam et miracula Beatæ Hedwigis investigare et examinare cœperunt anno millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, septimo kalendarum novembris, depositiones et nomina testium totumque F processum suum circa hoc sibi commissum negotium inscribentes et sigillis appositis transmittentes Summo Pontifici, signficaverunt eidem, quod etiam alia multa signorum genera et curationes ægritudinum, quas a fide dignis, meritis Beatæ Hedwigis factas audierant, examinare nequiverant propter difficultatem testium advocandorum partibus de remotis. Unde a Summo Pontifice secunda eis facta fuit commissio super eodem negotio inquirendi ; et tunc denuo ad examinationem procedentes invenerunt plura prioribus, quæ conscribentes, iterato Sedi Apostolicæ transmiserunt. Prima ergo supradicta examinatio facta est in loco capituli Sororum Trebnicensium anno Domini memorato ; secunda anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, V kalendarum martii, in domo earumdem Sororum ; tertia anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, sextodecimo kalend. aprilis, ibidem in ecclesia Sancti Bartholomæi Apostoli ; quarta eodem anno Wratislaviæ in domo Fratrum Prædicatorum septimo

(1) Scriptt., t. II, p. 79, n. 1.

A kalend. aprilis. In aliis etiam locis examinationes fecerunt de istius Sanctæ vita et miraculis prælati et inquisitores prædicti, ut a narrantibus didici, de quibus, forte causa brevitatis omissis, quia scriptum nil reperi, hic addere non curavi.

et interea puella morti proxima

166 Cum autem plures nuntii et procuratores solemnes, causa promovendi Sanctæ Hedwigis canonizationem mitterentur ad curiam Domini Papæ, magister quoque Nicolaus *d*, Cracoviensis scholasticus, propter hoc ipsum illuc ire disposuit. Videns vero filiam fratris sui tanto depressam languore, ut plus morti quam vitæ videretur proxima esse, præsertim cum jam posita in agone oculos compressisset, amicis dolentibus de transitu puellæ, compatiens dixit: « Beata Hedwigis, ego te Sanctam fore credo et ad promovendam tuæ canonizationis gloriam, propono curiam adire Romanam, ut ergo in agendis audacior fiam, fac mecum signum in bono, hanc fratris mei filiam ab ægritudine liberando. » His dictis ad mensam accessit cum aliis, et ecce, priusquam prandium finiretur, venit quidam annuntians et dicens, ipsam puellam in tantum jam convaluisse de languore, quod matri suæ jucundo applausu alluderet, ipsiusque B prius tristem animum lætis gestibus demulceret.

et cæca filia Clementis IV sanantur.

167 Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, die secunda exeunte Augusto, pontificatus Domini Urbani Papæ Quarti anno tertio, existente tunc in curia Romana magistro Salomone, archidiacono Cracoviensi, et Herengeberto, decano Wissegradensi, ac multis aliis honorabilibus personis, in procuratione canonizationis Sanctæ laborantibus, commissa fuit denuo per Summum Pontificem oretenus examinatio testium in curia existentium super vita et miraculis Beatæ Hedwigis; sed canonizatio ipsius exstitit prorogata usque ad tempora Domini Clementis Papæ Quarti. Iste Dominus Clemens, tunc universalis Pater Ecclesiæ, quamvis idoneo multorum testimonio esset sufficienter instructus de prærogativa meritorum jam dictæ Beatæ Hedwigis, desiderabat tamen signum a Deo per ejus merita fieri, quod dum corporeis conspiceret oculis, ipsius etiam ipse testis existeret sanctitatis. Et quia olim sæculari militiæ deditus *e*, de sua legitima habuit filiam, lumine oculorum privatam, inter sacra Missarum solemnia quæ agebat, Dominum exoravit, ut per illius intercessionem, de cujus tunc agebatur canonizatione, si C Sancta existeret, filiæ suæ cæcitatis incommodum tolleret eique lumen donaret. Affuit absque mora Pontifex æternus, sui annuendo Vicarii precibus, et natam ipsius claris decoravit luminibus sibique optatum tribuit visum, ut et ipse clarificaret Filium Dei in Sancta sua, celerius eam extollendo in Ecclesia, quam ex novi consideratione miraculi satis perpendere poterat jam esse translatam ad cœlestis patriæ claritatem. Veritate ergo comperta et cognita voluntate divina, summus antistes non distulit adimplere, quod diu flagitaverant pia vota.

Viterbii canonizatur S. Hedwigis:

168 Congregata enim in Viterbio curia, vitam et miracula Sanctæ Hedwigis coram omnibus recitat et ejus merita publico sermone commendat, eamque Sanctorum solemniter adscripsit Catalogo anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, Idibus Octobris *f*. Tunc verificata fuit et adimpleta illa, de qua paulo ante dictum est, visio Sorori Julianæ ostensa de duobus episcopis, quia quod Dominus Urbanus Papa inchoavit committendo examinationis officium, hoc Dominus Clemens Papa feliciter consummavit, numero eam adscribendo Sanctorum pontificatus sui anno tertio. Duo autem abbates, qui similiter eidem Sorori in visione apparuerant, rem perficiendam translationis tempore indicabant, ut in sequenti tractatu de translatione ipsius Sanctæ dicetur. Illam quoque canonizationis solemnitatem præclaram mirabiliter consolabilem reddidit potentia Creatoris, dies enim illa, in qua prædicta peragebantur solemnia, erat abstinentiæ nec carnibus in ea uti licebat, nec pisces pro tali festivitate competentes haberi poterant, quamvis undique per loca etiam adjacentia requisiti. Vallis enim quædam erat Viterbii, piscinam revera continens, quæ non habebat nec umquam pisces habuerat, quæ tunc inventa est magnorum numerositate piscium abundare. Quorum copia refectioni fidelium a Domino præparata spiritualis gaudii jucunditatem non modicum cumulavit.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

Sanctæ sepulcrum, præsentibus multis,

169 Nuntiis de curia reversis cum lætitia, præfata canonizatione Beatæ Hedwigis Viterbii, ut prædictum est, peracta, solemniter statim præconizata fuit festivitas translationis ejusdem Sanctæ, corpusque ipsius omni veneratione dignissimum translatum est anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo VIII XVI Kalend. mensis Septembris *g*. Cujus tumba, quæ cæmento lapidibusque firmiter clausa erat, dum difficilime, ferreis etiam E accedentibus instrumentis, fuisset aperta coram honorabilibus dominis Nicolao videlicet, abbate Lubensi *h* et Mauritio, quondam Kamenecensi abbate *i*, qui nobilibus ornamentis sacerdotalibus præparati per omnia, ut Missam celebraturi in die solemni, domino Conrado *k*, Glogoviensi duce cum filiis suis Sororeque Agnete, germana ducis ejusdem et aliis quibusdam personis præsentibus accesserunt cum devotione ac magna reverentia ad illas omni veneratione dignissimas de terra Reliquias sustollendas. Multi quidem advenerant et * admitti poterant prælati venerabilesque viri, dum hæc agi debebant, sed exclusa multitudine propter devitandum inquietudinis strepitum, præfati Patres tantummodo, tamquam ad hoc opus electi a Domino, dispensative forsitan sunt assumpti, ut illud, quod Sorori Julianæ de episcopis et abbatibus duobus, secundum quod prædicitur, ostensa docuerat visio, veraciter compleretur in facto et de ore ipsorum veluti duorum testium fide dignorum mirabilia, quæ tunc operari et ostendere dignabatur Salvatoris potentia, ad aliorum notitiam devenirent.

* nec

F *aperitur,*

170 Nam ejecta humo de tumulo remotaque superiori tabula de sarcophago, in quo corpus sanctum jacebat, odor tanti vigoris et tam suavissimus emanavit, ut omnium illic existentium mentes in admirationem commutaret et gaudium. Sacri quoque corporis ossa dum levarentur a terra, consumptis carnibus membrorumque compage soluta, tres digiti sinistræ manus ipsius inventi sunt totaliter integri, intra se clausam retinentes Beatæ Virginis imaginem parvulam, quam dum viveret secum frequenter portaverat et cum defuncta fuerat tumulata, quia moriens adeo eam inter juncturas prædictorum compresserat digitorum, quod abinde extrahi non poterat bono modo *l*. Illo ergo, quæ superius recitantur miracula per hanc imaginem facta, tunc novum sumpserunt augmentum, dum Mater incorrupta imaginis suæ retinacula tanto tempore a corruptionis vitio præservavit intacta. Cerebrum quoque capitis ipsius, quod fere per viginti quinque annos sepultum in terra jacuerat, inventum fuit recentissimum divinaque virtute mirabiliter conservatum, cum tamen secundum traditionem quorumdam primo medullæ et materia cerebri putrefiant. Præterea quidam liquor purus

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

purus et clarus ad instar olei olivarum suavissimi mirandique odoris de ipso capite resudabat, qui sindones et pannos, quibus involvebatur ipsum caput, reddebat totaliter madidos, quasi de flumine tracti essent et ad desiccandum extorti *m*.

m *et, confluente ingenti populi multitudine.*

171 Ad prædictam autem festivitatem de diversis mundi regionibus confluxit populi multitudo quasi innumerabilis. Principes quoque et domini terrarum, prælati et rectores plurimi Ecclesiarum cum religiosarum multitudine personarum Ordinum diversorum sua solemnizaverunt præsentia festum illud, in quo fuit hæc translatio celebrata. Inclitus namque rex Bohemorum Odakarus *n* dominusque Wlodislaus, Slesiæ dux, et Salzburgensis episcopus *o* et fratres ipsius, duces Slesiæ, ejusdem Sanctæ nepotes ac plures Poloniæ duces, singuli cum suis nobilibus, secundum status sui dignitatem et sæculi, qua pollebant, gloriam advenientes, multicoloribus miraque tentoriorum varietate atque pulchritudine decorabant camporum planities, in quibus faciebant in circuitu Trebnicensis monasterii stationes. Insuper devotionis affectum, quem ad Sanctam Dei habebant, unusquisque donario speciali et oblationis munere
B ostendebat, et exsolvebat omnis populus vota sua devotaque mente offerebat quisque, quod promiserat, sive quod ei Dominus inspiravit, ponebat de facultatibus suis ad Sanctæ reverentiam et honorem. Quamvis autem præ numerositate et ex innumera hominum illic congregatorum multitudine nimium foret difficilis aditus, certatim tamen, alter alterum antecedere cupiens et prævenire desiderans ad salutandas deosculandasque Sanctæ Reliquias, pressuram indicibilem et periculosam plurimi sustinebant. Vox exultationis et salutis audiebatur in templo, decantabant enim dulcisono melodia : Gloriam in altissimis Deo, non solum viri et fœminæ sæculares ac religiosæ personæ, sed etiam sonitus organorum laudes Domini resonabant, quibus fidelium corda excitabantur ad devotionem et ad lætitiam spiritalem. Floribus adornati stantes et die noctuque ardentes per plura loca cerei decorabant continuo lumine domum Dei. Speciali vero delectamento intuentium oculos demulcebat quarumdam ardentium candelarum artificiosus ascensus et descensus, quæ quibusdam speris volubilibus in sanctuario pendentibus adhærentes, sursum deorsumque motæ, secundum
C aptationem opificis stellas in firmamento erraticas simulabant. Et bene divina ordinatione factum est, ut hujusmodi lumina ejus decorarent solemnia, quæ dum viveret ex cœlestium speculatione luminum crebro exurgebat, ut supra dicitur, in admirationem et jubilum et accendebatur ad amorem divinum.

Sanctæ corpus exaltatur.

172 Aura quoque atque cœli dispositio quadam hilaritate illi jucundæ festivitati alludere videbatur, tanta denique tunc erat serenitas et ventorum inclusio in thesauris Domini, ut præ multitudine homines hinc inde per nemora seu campestria etiam sub divo manentes aëris magna puritate gauderent. Nam et ea, quæ ad Dei laudem et Beatæ Hedwigis honorem accenderant lumina festivitatem illam, in qua sacrum ejus transferebatur corpus, seu solemnitas translationis ejusdem corporis agebatur, decorare volentes, nullo afflamine venti ardoris sui impedimenta senserunt. Is, qui teste Scriptura *p* : Concordiam facit in sublimibus, est hæc magnalia operatus. Cujus gratia non solum superiora verum etiam inferiora, hominum
p

D scilicet corda, ad tantam tunc fuerunt tranquillitatem disposita, ut in congregatione tam magna contingit frequentius, nec occisus nec vulneratus aliquis sit inventus, et dignum utique fuit et congruum, ut populus, qui ad celebrandum ejus festivitatem convenerat, quæ mortuos suscitabat, vulnera et languores curabat, ipsius intercedentibus meritis, cum salute et gaudio ad propria remearet. Quia vero ex vita et miraculis præcedentibus, ex auctoritateque Sedis Apostolicæ jam luce clarius innotuit et innotescit fidelibus, eam vere esse Sanctam et Angelis sociatam, multi adhuc ad ejus basilicam properant, venerantes eam et orantes, ut ipsius adjuti suffragiis gratiam inveniant apud Deum. Ora quoque pro nobis supplicibus tuis, o Beata Hedwigis, ut Dominus Deus noster, qui te ad æternam transtulit gloriam, nos post præsentis vitæ miseriam ad societatem transferat Angelorum, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Legenda Major de Beata Hedwige.

Oratio auctoris utriusque Legendæ.

Domina mea, Sancta Hedwigis, Dei omnipotentis tuæque sanctitatis me profiteor esse servum, quamvis proh dolor! inutilem et pro perceptis E
beneficiis gratiarum actionis utique debitorem. Ne ergo servitutis meæ debitum exsolvere negligam, et sic pro culpa omissionis redarguar ut ingratus, ego pauper et modicus, collegio pauperum aggregatus *q*, qui cum magnis magna exhibere non q
valeo, cum paupercula vidua, offerente in templo, in gloriæ Dei tuæque laudis gazophylacium mitto hæc duo minuta, Majorem videlicet et Minorem Vitæ tuæ atque Miraculorum tuorum Tractatum : devote et humiliter supplicans, ut ea, o digna et benigna domina mea, dignanter suscipias, meque cum illis omnibus, qui quocumque modo promoverunt aut legunt textum voluminis hujus et offerunt una mecum tuæ sanctitati hoc munus, Domino recommendes et tuis precibus impetres nobis in præsenti Spiritus Sancti donum, securum de hoc sæculo exitum, æternæque vitæ gaudium et solamen per Christum Dominum Nostrum. Amen.

ANNOTATA.

a *Infra num.* 168.

b *Juxta Regulam S. Benedicti, quam et Cistercienses sequuntur, cap.* XLII *strictissimum silentium observandum est nocturnis horis* (1). F

c *Vide capite præc. annotato* uuu.

d *Nicolaus, scholasticus Cracoviensis, fuit episcopus Posnaniensis ab* 1265 *ad* 1273.

e *Clemens IV, ante electionem Guido Grossus dictus, e vico S. Ægidii Galliæ Narbonensis oriundus, militiæ sæculari et juri dicundo primum operam dedit, et duas filias suscepit, e nobili conjuge, qua mortua, sacris Ordinibus initiatus fuit* (2).

f *Num.* 84 *Commentarii prævii dedimus momenta, quibus suademur canonizationem Viterbii celebratam fuisse tempore Quadragesimæ, atque adeo biographum, dum indicat Idus Octobris, agere de solemnitate, jussu Pontificis per Silesiam celebrata.*

g *Licet translatio corporis S.* Hedwigis *peracta fuerit die* XVII *Augusti, incidente in feriam* VI *et octavam S. Laurentii, ejus memoria solemnis quotannis juxta Proprium Wratislaviense recolitur die* XXV *Augusti.*

h *Nicolaus Lubense monasterium administravit ab anno* 1253 *ad an.* 1270 (3).

(1) Holstein. Cod. Regul., t. I, p. 127. Edit. Brockie-Aug. Vind. 1759. — (2) Ciacon. Vitæ Rom. Pontt., t. II, col. 166. Edit. Rom. 1677. — (3) Zimmermann. Beytr. zur beschreib. Schles., t. VII, p. 277.

i *Mauritius*

i *Mauritius clavum Camenecensis abbatiæ tenuit ab anno* 1259 *ad* 1271 (1).

k *Conradus, dux Glogoviensis, Henrici II filius, nepos S.* Hedwigis

l *De hac imagine B. Mariæ egit biographus supra num.* 48.

m *Agit Gretserus de Sancta nostra, enumerans illa Beatorum corpora, quæ oleum exsudant* (2).

n *Qui hic nominatur Bohemorum rex Odakarus, est Premislaus Ottocarus, hujus nominis II, qui regnavit ab anno* 1253 *ad* 1278.

o *De Wlodislao agetur infra in Speculo Genealogico Annotato* yy.

p *Job* xxv 2.

q *Ex his verbis conjecimus Commentarii prævii n.*6 *biographum castra regularia secutum fuisse; sed ut istic diximus, non est quod præter id divinemus.*

Incipit Tractatus sive Speculum genealogiæ Sanctæ Hedwigis, quondam ducissæ Slesiæ.

Auctore anonymo subæquali. Apud Stenzel Scriptt. rer. Silesiac. t. II.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

Ad cognoscendum aliqualiter, de qua radice processerit stirps generosa Beatæ Hedwigis progenies, multiplicatos hinc indeque tamquam de nobili arboris stipite dependentes generationis ipsius quam plurimos ramos, non quasi ignobiles aut superfluos, sed pro legentium forsan præcavendo fastidio abbreviationis cultro sæpius amputavi, illos tantummodo in lectionis et scripturæ tenore relinquens, inter quos vicinius et a quibus immediatius flos ille vernans, ut rosa vel lilium, meritis et exemplis, Beata Hedwigis videlicet, filia ducis Meraniæ, ducissa patronaque Slesiæ nascendo processit. Sed quia de progenitoribus patris ejusdem Sanctæ multa non didici, pro eo quod scripta aut doctores de ipsis habere non potui, quamvis et ipse procul dubio prodierit de valde prosapia nobili *a*, matris Sanctæ præfatæ consanguinitatis lineam prosequar in aliqua parte, secundum quod descripta in quibusdam historiis et antiquis codicibus reperitur. Posteritatem quoque et germen egregium ipsius Sanctæ Hedwigis, prout me scientium relatio docuit, subjungere volo, ut præsentibus et futuris, qui præsentia legerint, innotescat, si ignoraverint, quam decoro jucundoque liberorum fructu fœcundus exstiterit pulcherrimus flos præfatus.

2 Unde sciendum quod tritavus Beatæ Hedwigis Dedo vocabatur, et fuit comes Merseburgensis *b* qui de conjuge sua, nomine Theburga, filia Theodorici marchionis, habuit filium Theodoricum *c* appellatum, sui utique dominii successorem. Atavus itaque Sanctæ Hedwigis fuit præfati Dedonis filius, nomine Theodoricus, comes Merseburgensis, de Hilburch et Suselicz dominus, qui de Mechtilda conjuge sua, Ekehardi marchionis filia, habuit Dedonem marchionem *d* et Thimonem et alios plures filios comites, de quibus per successionem generationis marchiones et alii multi nobiles processerunt. Abavus tamen Sanctæ Hedwigis fuit Thimo comes *e*, filius supradicti Theodorici, qui de Ida conjuge sua, filia ducis de Northeym *f*, habuit filium Dedonem, qui claustrum canonicorum inchoavit in Monte Sereno *g* et Conradum, qui illud consummavit in honorem Beati Petri Apostoli. Proavus autem Beatæ Hedwigis fuit prædictus Conradus comes *h*, præfati Thimonis filius, quem Lotharius sive Lutherus imperator constituit Misnensem et Orientalem, quæ Lusatia dicitur, marchionem. Qui etiam de conjuge sua Lucarda, filia cujusdam Alberti, nobilissimi viri de Suevia, habuit filios sex et totidem filias.

3 Quorum omnium diffusas propagationes omittens, trium solummodo filiorum prædicti Conradi marchionis, videlicet Ottonis, Friderici, Dedonis generationes subjungo. Otto namque, Misnensis marchio, qui fundavit Cellam *i*, Cisterciensis Ordinis monasterium, habuit Hedwigim, filiam Alberti marchionis de Saxonia *k* conjugem, de qua habuit Albertum marchionem Misnensem et Theodoricum comitem filios *l*. Mortuo autem marchione Alberto, Theodoricus comes, frater ejus, dominium ipsius, scilicet marchiam Misnensem, obtinuit, ducens uxorem Juditam, filiam Hermanni, Landgravii Thuringiæ, et habuit ex ea Henricum, qui Misnensis et Orientalis marchio, comesque palatinus Saxoniæ et Landgravius Thuringiæ fuit *m*. Iste Henricus uxorem habuit filiam ducis Austriæ, de qua nati sunt duo filii, Albertus, Landgravius Thuringiæ et Theodoricus marchio de Landesberch.

4 Albertus duxit uxorem filiam Friderici secundi imperatoris *n*, de qua habuit tres filios, Henricum, Fridericum et Thizmannum. Henricus duxit Hedwigim, filiam Henrici tertii, ducis Slesiæ, ex qua habuit filium Fridericum *o*. Fridericus marchio duxit filiam ducis Carinthiæ, sororem reginæ Almanniæ *p*. Thizmannus Landgravius et Orientalis marchio duxit uxorem Juttam, filiam comitis Bertholdi de Henneberch *q*. Theodoricus autem marchio de Landesberch, Henrici præfati marchionis filius, habens uxorem Helenam, filiam Joannis marchionis Brandenburgensis, habuit ex ea filium Fridericum Misnensem et Orientalem marchionem, cui nupsit filia Henrici ducis Bavariæ *r*. Habuit quoque idem Theodoricus marchio de Landesberch duas filias, scilicet Sophiam, prius ducis Conradi Glogoviensis uxorem, postmodum in Wizenfels monasterio, quod mater ejusdem Sophiæ construxit, abbatissam sororum Ordinis Sanctæ Claræ *s* et Gertrudem, in eodem monasterio monialem.

5 De secundo filio supradicti Conradi, proavi Sanctæ Hedwigis, Friderico, comite de Bren *t*, et de Hedwiga, uxore ipsius, filia Dypoldi, patrui Odakari, ducis Bohemiæ, natus est Otto comes, Sophia, Quedlingensis abbatissa et Fridericus comes, qui duxit uxorem Juditham, filiam Friderici, comitis de Cygenhagen, fratris Hermanni, Landgravii Thuringiæ *u*, de qua habuit Ottonem, comitem de Within, Theodoricum, comitem de Bren, et Hedwigim, matrem Henrici, comitis de Hoinsteyn *v*. Iste Theodoricus, ultimo positus, duxit uxorem Eudoxiam, filiam ducis Conradi Cujaviæ et Mazoviæ *w*, de qua habuit quatuor filios Ottonem, Conradum, Theodoricum, Henricum et duas filias, Juditham, quam duxit Myscivoyus, dux Pomeraniæ *x*, et Hedwigem, Gerbistedensem abbatissam *y*.

6 Primus filius, Otto, fuit comes de Wethin, secundus, Conradus, comes fuit de Bren *z*, qui ducens uxorem Elisabeth, filiam Alberti, ducis Saxoniæ, habuit ex ea, Albertum, Conradum, Ottonem comites et Theodoricum fratrem Ordinis militiæ

(1) Zimmermann. Beytr. zur beschreib. Schles., t. IV, p. 192. — (2) Oper., t. X, p. 908. Edit. Ratisbon. 1737.

litiæ Templi *aa*. Tertius filius Theodorici, Theodoricus, fuit similiter frater in supradicto Ordine Templariorum *bb*. Quartus filius, Henricus, fuit frater professus Ordinem Fratrum Minorum, ad quem se contulit, relicta canonia majoris ecclesiæ Magdeburgensis. Quem domnus Papa Martinus IV, in Ordine prædicto commorantem Wratislaviæ, dedit in archiepiscopum Gneznensis Ecclesiæ, sed ipse hanc suscipere dignitatem pro viribus recusavit, immo ut absolveretur ab ipsa ad curiam Romanam personaliter laboravit *cc*. Supradicti filii Theodorici, comitis de Bren, fuerunt consanguinei Beatæ Hedwigis in tertio gradu.

7 Avus autem Sanctæ Hedwigis fuit Dedo, comes et Orientalis marchio et dominus de Groyz, filius supradicti marchionis Conradi. Iste Dedo, habens uxorem Mechtildam *dd*, filiam comitis Gozwini de Hornesberch, habuit ex ea Conradum marchionem, qui duxit uxorem Elisabeth, filiam Mesekonis, ducis Poloniæ *ee*, de qua natæ sunt ei duæ filiæ, una Mechtildis, quam accepit uxorem Albertus, marchio Brandeburgensis, alia vero vocabatur Agnes, quam duxit Henricus, comes palatinus Rheni, frater Ottonis Quarti imperatoris. Habuit quoque præ- B fatus Dedo filiam nomine Agnetem, de qua nata est Beata Hedwigis. Fundavit etiam prædictus Dedo marchio, avus S. Hedwigis, monasterium regularium canonicorum, quod Zcillen *ff* vocatur et obiit anno Domini MCXC. Bertholdus autem, dux Meraniæ, accepit in uxorem jam dictam Agnetem, filiam Dedonis prædicti marchionis, de qua nati sunt Otto, dux Meraniæ, marchio de Hysterich, qui etiam de Andasse dicitur, Ekenbertus, Babenbergensis episcopus et Bertholdus, patriarcha Aquilejensis. Habuit quoque tres filias, quarum una nupsit regi Franciæ *gg*, alia regi Hungariæ, scilicet mater Sanctæ Elisabeth *hh*, tertia Henrico, duci Poloniæ, quæ nunc est Sancta Hedwigis.

8 Ad cujus Sanctæ posteritatem disserendam procedentes, primo nobis considerandum occurrit, quod pater S. Hedwigis fuit supradictus Bertholdus, Meraniæ dux, Badensis marchio et comes Tyrolensis *ii*; mater vero ejusdem Sanctæ fuit domina Agnes præfata, jam supradicti Dedonis filia. Quæ Henrico primo *kk*, duci Slesiæ, dicto Cum Barba, in conjugio copulata genuit tres filios, Boleslaum, Conradum, Henricum, et tres filias, Agnetem, Sophiam, Gertrudim. Omnibus aliis in C juventute defunctis *ll*, solus remansit filius Henricus, patris successor in dominio, et una filia Gertrudis, in Trebnicensi monasterio abbatissa, quod pater ejus dux Henricus construxit. Henricus autem prædictus, S. Hedwigis filius, duxit uxorem dominam Annam, Primizli, regis Bohemiæ, et Constantiæ, filiæ regis Hungariæ, filiam. Quæ domina Anna genuit quatuor filios, Boleslaum, Henricum, Conradum, Wlodislaum, et quinque filias, Hedwigim, Agnetem, Constantiam, Elisabeth, Gertrudim. Dux vero Henricus Secundus, S. Hedwigis filius, occisus fuit a Tartaris anno Domini MCCXLI, quinto Idus Aprilis, sepultus Wratislaviæ apud Fratres Minores *mm*. Boleslaus autem, primus filius ducis Henrici, filii S. Hedwigis, dux fuit Slesiæ et dominus Lignicensis, qui ducens uxorem Hedwigim, filiam Henrici, comitis de Anhalt, habuit ex ea filios tres, Henricum, Bolkonem, Bernardum, et tres filias, Agnetem, Hedwigim, Ancam sive Annam.

9 Henricus, primus filius ducis Boleslai, fuit dux Slesiæ et dominus Lignicensis, qui duxit uxorem Elisabeth, filiam ducis Poloniæ et domini Kalizensis. De qua habuit tres filios, Boleslaum, Henricum, Wlodislaum et quinque filias, Hedwigim D (quæ nupserat marchioni Brandeburgensi *nn*, quo mortuo, intravit Wratislaviæ Ordinem S. Claræ) Annam et Elisabeth (quæ ibidem in eodem Ordine sunt locatæ *oo*), Helenam (quæ in Gneznensi civitate aviam suam, dominam Jolendam, ad claustrum præfati Ordinis est secuta), et Euphemiam, quam duxit Otto, dux et comes Karinthiæ, in uxorem *pp*. Bolko, secundus filius ducis Boleslai, dux Slesiæ et dominus de Vurstenberch fuit, habens conjugem Beatricem, filiam Ottonis Longi, marchionis Brandeburgensis, de qua habuit quatuor filios *qq*, Bolkonem, Henricum, Bernardum..... et duas filias, unam Juttam, quam duxit Stephanus, dux Bavariæ *rr*, et Beatricem *ss*, quam in Strelin claustro, quod ipse dux fundavit et dotavit in honorem S. Claræ, collocare disposuit ad Domini famulatum. Bernardus, tertius filius Boleslai, absque liberis est defunctus. Prima filia ducis Boleslai, Agnes, nupsit Ulrico, comiti de Wirthemberch : secunda filia ejusdem ducis, Hedwigis, nupsit Conrado, duci Mazoviensi : tertia filia præfati ducis Boleslai, Anna sive Anca, fuit in Trebnicensi monasterio monialis et ibidem abbatissa *tt*.

10 Henricus Tertius, filius ducis Henrici, filii E S. Hedwigis, dux Slesiæ fuit et dominus Wratislaviæ, habens conjugem Judítham, filiam Conradi, ducis Cujaviæ et Mazoviæ, germanam dominæ Eudoxiæ supradictæ *uu*, matris fratris Henrici de Bren et fratrum ipsius, de qua nati sunt Henricus et Hedwigis. Henricus dux fuit Slesiæ et dominus Wratislaviæ, dux etiam Cracoviæ et Sandomiriæ ac dominus Glacensis, qui dicitur hodie Henricus Quartus, dux probus et habuit conjugem dominam.... *vv*, filiam Ottonis Longi, marchionis Brandeburgensis, mortuusque est absque liberis et sepultus Wratislaviæ in ecclesia canonicorum, quam ipse fundavit in honore S. Crucis. Hedwigis nupsit Henrico, filio Alberti, landgravii Thuringiæ, nato de filia Friderici imperatoris et habuit filium Fridericum, ut supra dictum est. Mortuo vero marito, ipsa Hedwigis duxit maritum Ottonem Pinguem, comitem de Anhalt et dominum Ascharíæ et habuit filios et filias. Alii filii præfati ducis Henrici Tertii sunt omnes in juventute defuncti.

11 Conradus, tertius Henrici secundi, filii S. Hedwigis filius, dux Slesiæ fuit et dominus Glogoviensis, habens conjugem Salomeam, filiam ducis Wlodislai, ducis totius Poloniæ, de qua habuit tres F filios, Henricum, Premconem sive Primizlonem et Conradum et tres filias, Annam, Eufemiam, Hedwigim. Primus filius Henricus, dux Slesiæ et dominus Glogoviensis, habens uxorem Mechtildam, filiam Alberti, ducis de Brunswic, habuit filios, Henricum, Conradum, Boleslaum, Joannem *ww*, et filias, Agnetem et Salomeam. Secundus filius Conradi, scilicet Primizlo fuit dux Slesiæ et dominus Stinaviensis, interemptus in prælio ac sine liberis mortuus. Tertius filius, Conradus, dux Slesiæ fuit et dominus Saganensis et præpositus in majori ecclesia Wratislaviensi *xx*. Prima prædicti Conradi ducis filia, domina Anna, nupsit Ludewico, comiti palatino Rheni et duci Bavariæ. Secunda filia, Eufemia nupsit comiti de Goricz et habuit filium Henricum, comitem Goricensem. Tertia filia, Hedwigis, in monasterio Ordinis S. Claræ exstitit abbatissa. Wlodislaus, qui Wlodco dicebatur, quartus ducis Henrici, filii S. Hedwigis, filius, fuit dux Slesiæ et dominus Wratislaviæ atque archiepiscopus Salzburgensis, in qua ecclesia mortuus est et sepultus *yy*.

12 Expleto Tractatu de filiis ducis Henrici, filii S. Hedwigis,

A S. Hedwigis, occisi a Tartaris, sequitur de filiabus. Prima filia ipsius Secundi Henrici ducis fuit Hedwigis, Wratislaviæ abbatissa in ordine S. Claræ. Secunda filia ducis ejusdem, Agnes, fuit abbatissa in Trebnicensi monasterio *zz*, quod, ut supra dicitur, avus ipsius, dux Henricus Primus, Cum Barba dictus, fundavit et solemniter consummavit. Tertia filia ducis Henrici Secundi, filii S. Hedwigis, Gertrudis, nupsit Boleslao, duci Mazoviensi, sed liberis caruit. Quarta filia dicti Henrici, Elisabeth, nupsit Przimizlio, duci Poloniæ et domino Poznaniensi, de qua habuit filium, nomine Przemizlo ducem, postea regem Poloniæ, et quatuor filias, Constantiam, quæ nupsit Conrado, marchioni Brandeburgensi, et peperit filium, Joannem, Eufroscam in Trebnicz abbatissam *aaa*, Annam, in Duenzko abbatissam *bbb*, Eufemiam sive Ofcam, Wratislaviæ in Ordine S. Claræ defunctam et ibidem in claustro ejusdem Sanctæ sepultam. Quintam filiam ejus, Constantiam, accepit conjugem Kasimirus, dux Cujaviæ, filius Conradi, ducis Cujaviæ et Mazoviæ, et habuit per eam duos filios, Lezconem et Semomizlonem, qui diminutive Simasco vocabatur. Primus filius Kasimiri ducis, Leztco, fuit dux Siradi-B nensis et Cracoviensis et Sandomiriæ, habens uxorem Griffam, filiam Rozlai, Ducis Ruziæ. Secundus filius ducis Kasimiri, Semomizl, fuit dux Cujaviæ, habens conjugem Salomeam, filiam ducis Pomeraniæ, de qua habuit tres filios, duces Cujavienses, Letzconem, Przemizlonem, Kasimirum, et duas filias dominam Phenennam, regis Ungariæ conjugem, et dominam Constantiam, in Trebnicz monasterio abbatissam *ccc*.

ANNOTATA.

a *Auctor hujus genealogiæ, quum Silesius esset (vide supra n. 5), ignoravit lineam ascendentem Bertholdi, patris S.* Hedwigis; *ast satis constat Bertholdi genus paris nobilitatis cum prosapia matris Agnetis fuisse* (1). *Sive enim cum comite de Buat in suis Originibus Boicæ domus auctorem gentis accipiamus Arnulfum Malum, Bavariæ ducem, anno Christi* 937 *defunctum, sive cum Chronico Andechsiensi* (2) *familiæ originem ad Batholdum, eodem sæculo* x *florentem referamus, non est, quo stirpis splendor in dubium revocari possit. Stirps masculina Andechsiorum desiit anno* 1248 C *in Ottone II, Meraniæ duce et Andechsensi comite.*

b *Hunc Dedonem e tribu Buzicorum seu Burchardina oriundum dicit et explicat Eccardus in Historia Geneal. principum Super. Saxoniæ* (3) : *Buzicorum patrem pronuntiat Burchardum, comitem stabuli Caroli Magni. Obiit Dedo anno* 1009.

c *Theodoricus, hujus nominis II, dicit Cl. Stenzel, fuit dominus in Zörbig et Eilenburg, villæ hodierni regiminis Merseburgensis* (4) *et comes de Siusili loco mihi ignoto, nisi sit Sulzfeld, in hodierno ducatu Saxo-Meningensi* (5) : *aut pagus Sulzensis, quem Chronicum Gottwicense* (6) *ponit in ducatu Bavariæ prope Novum Forum* (Neumarkt); *nam Sultz etiam Sulze, Susse, Suslen scribi, mihi probabile videtur* (7). *Obiit Theodoricus II anno* 1034 (8).

d *Dedo, marchio obiit anno* 1075 (9).

e *Thimo obiit circa annum* 1104.

f *Otto de Northeim, pater Idæ, conjugis Thimonis, ducis titulum retinuit propter Bavariæ ducatum, quem ab anno* 1062 *ad annum* 1070 *possedit, depositus in comitiis Gozlariensibus ab Henrico IV imperatore.*

g *Mons Serenus, olim* Lauterberg, *nunc vulgo* Petersberg, *prope Hallam Saxonum. Cfr ejus Chronicum apud Menckenium Scriptt. rer. Germ. T. II.*

h *Conradus, marchio Misnensis et Lusatiæ inferioris, obiit anno* 1157 (10). *A sæculo* xii *sub nomine Marcæ Orientalis Lusatia inferior, nempe regio, inter Salam et Muldam fluvios interjacens, intelligebatur.*

i *Vetus-Cella, seu Cella Misnensis fundata fuisse videtur anno* 1160 ; *quamvis Annalista Cisterciensis Manriquez ejus initia ad annum* 1145 *referat* (11). *Obiit Otto fundator anno* 1190 (12).

k *Albertus, pater Hedwigis, conjugis Ottonis, Ursus dictus, erat marchio Saxoniæ Borealis, et fundator Marcæ Brandeburgicæ.*

l *Albertus Superbus obiit anno* 1195, *Theodoricus anno* 1221 (13).

m *Henricus Illustris, Theodorici Misnensis filius et per Juditham matrem, Hermanni I, Landgravii Thuringiæ, nepos, Thuringiam, quatenus esset feudum imperii, post obitum Henrici Rasponis, a Fri-* E *derico II Imperatore consecutus est, exclusa Sophia, S. Elisabethæ Hungaricæ filia, quæ bona allodialia, Hassiam, obtinuit, posterisque suis usque in hodiernam diem reliquit. Obiit Henricus anno* 1288.

n *Albertus obiit anno* 1314. *Filiæ imperatoris Friderici Margaritæ ejectæ, concubinam Kunnam de Isemburg subrogavit, ex qua habuit filium Aspicium, quem sibi successorem delegerat : unde graves et diuturnæ inter Albertum ejusque filios legitimos Fridericum et Witzmannum exortæ sunt dissensiones* (14).

o *Fridericus, Henrici filius, Alberti nepos, obtinuit testamento Henrici IV, ducis Silesiæ,* totam terram Crosnensem, *quia, ut loquitur testator,* filius erat sororis suæ, *nempe Hedwigis : vivebat etiamnum anno* 1305, *quo tamquam testis subscripsit diplomati episcopi Wratislaviensis Henrici* (15).

p *Fridericus, Alberti Landgravii filius, Admorsus dictus, quia mater ejus, Margarita, fugiens, illum trimulum in gena momorderat, ut duræ separationis olim recordaretur* (16). *Obiit, juxta Eccardum* (17). *mense Novembris anni* 1324.

Titzmannus anno 1308 *in die Parasceves occisus fuit in ecclesia, Lipsiæ apud FF. Prædicatores* F *sepultus* (18).

r *Nescitur, num Fridericus, Theodorici filius, qui Catharinam Bavaricam duxit uxorem, reliquerit posteros obiens anno* 1291.

s *Quæ hic appellatur Sophia, apud Sommersbergium tabula* II *genealogica* (19) *Brigitta vocatur.*

t *Fridericus, comes de Bren, villa prope Landsbergum in tractu Misnensi, obiit anno* 1182 (20).

u *Otto obiit anno* 1203, *Fridericus anno* 1221 *et Sophia, abbatis a Quedlinburgensis, ante annum* 1230 *diem supremum clausit* (21).

v *Otto et Theodoricus pari imperio comitatus Brenensem et Wettinensem regebant ; obiit ille anno* 1233, *hic anno* 1264 (22).

w *Antiquissimum testimonium, quod Eudoxia fuerit filia Conradi Masoviensis* (23).

x *Juditha inter conjuges Myscivoyi seu Mestwini II a scriptoribus Pomeranis passim non numeratur,*

(1) Cfr. L'Art de vérif. les Dates, t. III. p. 584. — (2) Chronick des Klost. Andechs, p. 4. — (3) Eccard. Opusc. col. 51 et seqq. — (4) Hoffmann. Beschreib. der Erde, part. II. p. 1838. — (5) Ibid., p. 1656. — (6) P. 792. — (7) Ibid., p. 794. — (8) Eccard., col. 58. — (9) Ibid., col. 64. — (10) Ibid., col. 71. — (11) Annal. Cist., t. II. p. 20. — (12) Eccard., col. 77. Vide Knautz das Stiffts-Closters Alten-Zella Geogr. und Histor. Beschreibung. — (13) Eccard., col. 95 et 98. — (14) Ibid., col. 437 et seqq. — (15) Stenz. Scriptt. Siles., t. II. p. 107. not. 6. — (16) Mencken. Rer. Germ. Scriptt., t. II. col. 1448. — (17) Geneal., col. 455. — (18) Ibid., col. 452. — (19) Scriptt. rer. Silesiac. t. I, p. 342. — (20) Ibid., p. 108, not. 3. — (21) Ibid., not. 4. — (22) Ibid., not. 5. — (23) Ibid., not. 6.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

ratur, quamvis ejus nuptiæ hoc loco extra omnem controversiam positæ sint (1).

y *Situm erat Gerbstadiense monasterium in comitatu Mansfeldico.*

z *Otto floruit anno* 1264. *Conradus vero inter annos* 1274 *et* 1278 *defunctus est* (2).

aa *Albertus obiit anno* 1283 *aut* 1284, *Otto, ultimus comes Brenensis, anno* 1290, *Conradus circa annum* 1285 (3).

bb *Sunt recentiores qui inter milites Templi etiam ponunt Ottonem, filium Theodorici ; sed perperam, quoniam hic simpliciter comes vocatur* (4).

cc *Dlugossus in Historia Polonica lib.* VII (5), *nulla facta mentione Henrici Brenensis, dicit sedem Gnesnensem, diu post mortem Martini vacantem, occupatam fuisse a Jacobo Swinka. Exstant nihilominus litteræ apostolicæ a Martino Papa IV datæ* x *Kalendas Januarii anni* 1281, *quibus Henricum de Bren,* fratrem Minorum Ordinis professorem, *Ecclesiæ Gnesnensi* in archiepiscopum præficit et pastorem (6). *Silentium Dlugossi interpretari utcumque licet ex eo, quod licet institutus a Pontifice, summam dignitatem deprecatus fuerit vir humillimus, ut nos docet fragmentum, adscriptum Vitæ*

B *Annæ, ducissæ Silesiæ* (7), *quod sic sonat* : Frater Henricus de Bren, filius comitis de Bren et consanguineus principum Slesiæ et Poloniæ, obiit anno Domini MCCCII. Hic a venerabili domino Martino IV datus pro archiepiscopo Gnesnensis Ecclesiæ, archiepiscopatum eidem resignavit, ac mundi gloriam spernens, in Ordine Fratrum Minorum et habitu feliciter hujus carnis debitum exsolvit. Sepultus est in medio chori cum eisdem Fratribus in Wratislavia ad S. Jacobum. Hic longo tempore visitator dominarum S. Claræ exsistens, easdem in omni sanctitate et puritate vitæ conservans, non modicum lucrum de ovibus sibi commissis Deo conquisivit. Cujus memoria est in benedictione. *Henricum porro summis negotiis sacerdotii et imperii implicitum fuisse monstrant litteræ Rudolfi Imperatoris ad Henricum datæ, hujusque responsio* (8).

dd *Obiit Dedo, juxta Annales Vetero-Cellenses* (6), *anno* 1190. *Videtur porro Mechtildis, filia Gozwini Heinsbergensis, soror Philippi, archiepiscopi fuisse, ut probare conatur Meibomius* (10).

ee *Conradus, marchio Lusatiæ, obiit anno* 1210 (11).

C ff *Tschillen, hodie Wechselburg, prope Rochlitcium in territorio Lipsiensi.*

gg *Agnes nupsit anno* 1193 *Philippo Augusto, regi Galliæ, qui repudiaverat conjugem suam, Ingeburgem, quam alii Bothildam appellant, Daniæ regis filiam, ex decreto Concilii Rhemensis anno* 1195 (12) : *quare Philippus Agnetem, Bertholdi filiam, anno* 1196 *superinduxit. Ast regina Ingeburgis, interposita ad Sedem Romanam appellatione, per legatos Danos primum apud Cælestinum III conquesta est : artibus Philippi lis protracta est, ita ut Pontificis successor, Innocentius III, eamdem adhuc pendentem invenerit. Sed, ut ait scriptor Gestorum coævus* (13), Innocentius, Cælestino succedens, statim per litteras suas et per Parisiensem episcopum, sæpedictum regem studuit commonere, ut eam *(Agnetem Meraniæ)* removeret a se, quam contra interdictum Ecclesiæ superduxerat, et reciperet illam *(Ingeburgem)* in gratiam conjugalem, quam legitime ductam, illegitime duxerat

D amovendam, juris ei licentia non negata, quominus, facta restitutione, postmodum audiretur, si quid duceret proponendum. *Misit itaque Innocentius ad Philippum Petrum Capuanum, Cardinalem Diaconum tituli S. Mariæ in Via Lata, cui præcepit, ut Galliam universam ecclesiastico subjiceret interdicto, utque nullum in ea, præter baptisma parvulorum et pænitentiam morientium divinum celebraretur officium. Legatus igitur congregato Divione et Viennæ* (14) *Concilio, interdictum promulgavit* (15), *quod per octo continuos menses in Gallias incubuit, donec Innocentii legatus, Octavianus, Cardinalis episcopus Ostiensis, adacto Philippo per juramentum, ut Ingeburgem reciperet, ut reginam tractaret nec absque judicio Ecclesiæ dimitteret, sententiam interdicti relaxavit. Addunt Gesta :* Superinductam rex a suis separavit amplexibus ; sed a regni finibus non exclusit, quia gravida erat et partui jam vicina. Porro, causam ipsius Dominus judicavit, quia, post partum graviter infirmata, debitum carnis exsolvit, *circa initium anni* 1201, *relicto ex concubinatu bina prole, quam Innocentius legitimavit* IV *non. Novembris anno* IV *Pontificatus sui, Christi vero* 1202 (16), *ita ut* nullus ex natalibus defectus existat : *ratus scilicet* E *Pontifex*, cum major idoneitas in spiritualibus, quam in sæcularibus requiratur, dubitari non debere, quin *Sedes Apostolica* tales *(minus legitime genitos)* ad actus legitimare valeat sæculares, præsertim ad petitionem eorum, qui præter Romanum Pontificem, alium inter homines superiorem minime recognoscunt habentem hujusmodi potestatem. Cum igitur carissimus filius noster, Ph. rex Franciæ illustris, præter primogenitum suum, quem de conjuge prima suscepit, aliam prolem non habeat, præter puerum et puellam, quos ei nobilis mulier, quondam filia nobilis viri, ducis Meraniæ, peperit, nuper defuncta, de sua posteritate provide cogitans, a nobis humiliter postulavit, ut eos legitimare per favorem auctoritatis Apostolicæ curaremus, vehementer affirmans, quod posteaquam venerabilis frater noster W. * Remensis archiepiscopus, S. Sabinæ Cardinalis, tunc Apostolicæ Sedis legatus, inter eum ac carissimam filiam nostram I. * reginam Francorum illustrem, devortii sententiam promulgavit, licet ipsa sententia per Sedem Apostolicam postmodum fuerit revocata, propter judiciarium ordinem non servatum, nulla tamen ad F ipsum de alia non ducenda prohibitio facta pervenit, et propter probationes affinitatis, exhibitas coram eodem archiepiscopo, quas idem rex veras esse credebat, inter eum et præfatam nobilem putabat esse vinculum conjugale, quamquam nostra fuerit auctoritate compulsus, ut et ipsam dimitteret et reginam reciperet memoratam. *Cæterum, quoad successionem regni Franciæ attinet, legitimatio nullum sortita est effectum, quoniam Ludovicus VIII, natus ex prima Philippi conjuge, Isabella Hannoniensi, pater fuit S. Ludovici regis, ex quo reges Franciæ in hunc usque diem prodierunt.*

* Gulielmus de Campania

* Ingeburgem

hh *De S. Elisabetha, filia Andreæ, regis Hungariæ et Gertrudis, sororis S.* Hedwigis, *agendum erit ad diem, quo colitur,* XIX *Novembris. Vide Sanctæ Vitam pie et curiose scriptam a comite de Montalembert.*

ii *Errasse hic genealogum nostrum, manifestum est ex Historia Tyrolensi. Quamvis enim Andechsium in Tyroli situm sit, consequens non fit, Bertholdum*

(1) Stenz., not. 7. — (2) Ibid., p. 109, not. 1. — (3) Ibid., not. 2. — (4) Ibid., n. 3. — (5) T. I, col. 852. — (6) Stenz. 182 et Wadding. Ann. FF. Min., t. V. p. 101, 106 et 482. — (7) Scriptt., t. II, p. 132. — (8) Ibid., p. 174. — (9) Mencken., t. II, col. 398. — (10) Rer. Germ. Scriptt., t. III, p. 254.— (11) Eccard. Princ. Sax., col. 82.—(12) Mansi Suppl. Conc., t. II, col. 772. — (13) Brequigny. Diplom., t. II, p. 56 et seqq. — (14) Cfr Mansi Suppl. Conc., t. II, col. 777. — (15) Vide Interdicti formam apud Martene, t. IV. Anecd., col. 147. — (16) Brequigny Dipl., t. III, p. 1087.

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

A *tholdum universam regionem tenuisse; attamen circa hæc tempora Bertholdum quemdam Tyrolensem comitem fuisse monstrat Rotulus Pollinganus* (1). *Ast gravius labitur genealogus, quando Bertholdum nostrum etiam Badensem marchionem pronuntiat, siquidem non videantur Andechsenses quidpiam illic territorii habuisse: suspicor famam Bertholdorum Zahringicorum, Badensium marchionum, ad scriptorem nostrum devenisse, ansamque dedisse, ut Zahringicam et Andechsensem gentem in unam confuderit. Cæterum quoniam, ut ipse fatetur genealogus supra n.* 1, de progenitoribus patris S. Hedwigis multa non didicerit, *est unde excusetur, si cespitaverit in titulis paternis Sanctæ nostræ.*

kk *Henricus Barbatus, Silesiæ dux, ex gente Piastarum, qui adhuc ducis titulo Poloniam obtinebant, filius erat secundogenitus Boleslai Alti, ducis Silesiæ, natus anno* 1168 *obiit* 1238 (2).

ll *Ex hoc textu discimus, non solum Boleslaum et Conradum ante patrem obiisse, sed etiam eorum sorores, Agnetem et Sophiam, quas perperam Sommersbergius Tab.* I *nn.* 20 *et* 21 (3) *dicit sanctimoniales fuisse, quum nihil hujusmodi apud antiquiores occurrat; imo earum sepultura in monasterio*

B *Lubensi virorum, videtur indicare in statu sæculari supremum diem illas clausisse.*

mm *Circa annum* 1236 *exstructum dicit Waddingus* (4) *cœnobium FF. Minorum Wratislaviæ, atque illic, jussu Annæ conjugis, tumulatum fuisse corpus Henrici II, filii S.* Hedwigis. *Quod vero dicitur in Vita Annæ, ducissæ Silesiæ* (5), *illam, post mortem mariti, Minoribus domum construxisse, hoc ita intelligendum est, ut refertur paulo infra* (6), *quod dux Henricus cœpisset construere claustrum FF. Minoribus, sed, morte intercedente, illud perfecerit Anna conjux.*

nn *Adnotat Cl. Stenzel* (7) *Hedwigim nupsisse Ottoni, filio Ottonis Longi, marchionis Brandeburgensis, adducitque testem Chronicum Bohemiæ Pulkavæ: unde certum fieret, quod a quibusdam revocatur in dubium* (8), *Ottonem Longum habuisse saltem duos filios, Hermannum scilicet et Ottonem. Historia Brandeburgica, a Pauli conscripta, Hedwigem uxorem adscribit Ottoni, dicto Cum Sagitta, filio Joannis I, dum Otto Longus esset filius Joannis III Brandeburgensis. Si accurata refert Vigilius Greiderer in sua Germania Franciscana* (9), *jam anno* 1301 *Hedwigis monialis fuisset, quo casu*

C *Ottonis Cum Sagitta, anno* 1308 *defuncti, conjux esse non potuisset. Obiit Hedwigis anno* 1339.

oo *Annam et Elisabetham cum sorore sua vidua, Hedwige, moniales S. Claræ fuisse, monstrat diploma Henrici VI, ducis Wratislaviensis, quo dat facultatem construendi moletrinam in Moslitz, intuitu, ait,* dilectarum sororum nostrarum, Annæ abbatissæ, Hedwigis, relictæ olim marchionissæ et Elisabeth, sanctimonialium monasterii S. Claræ apud Wratislaviam (10).

pp *Obiit Otto, Carinthiæ dux, Œniponte, anno* 1310, *relictis quatuor filiabus* (11).

qq *Deest, ut videtur, in omnibus codicibus nomen quarti filii* (12).

rr *Sequentia habet Compilatio chronologica rerum Boicarum sub anno* 1240 (13): Stephanus duxit dominam Intam, filiam Bulconis ducis Poloniæ *(Silesiæ)*, quæ genuit Heinricum et Ottonem, qui duxit Richardim, comitissam Guliacensem. Heinricus duxit Margaretham, filiam Joannis, regis Bohemiæ, quæ genuit Joannem ducem, qui obiit sine liberis.

ss *Strehlen, oppidum ad Olam seu Olavam fluvium in ducatu Brigensi habuit, nunc destructum, monasterium Virginum Clarissarum, fundatum a Bulcone, Boleslai Silesio-Furstembergensis filio, anno* 1295 *aut* 1296 (14).

tt *Ab anno* 1287 *ad* 1297 *abbatissa Trebnicensis erat Euphrosyna, quæ se dicit Bolconis Furstembergensis sororem, unde datur intelligere Annam, monasterium ingressam, pro more mutasse nomen suum et Euphrosynam appellatam fuisse* (15).

uu *De Eudoxia jam actum fuit supra n.* 22 *et Annotato* w.

vv *Supplent hanc lacunam aliquot codices manuscripti, addentes nomen filiæ Ottonis Longi et conjugis Henrici Glacensis fuisse Mechtildam* (16).

ww *Si conferatur hic locus cum iis, quæ habet Sommersbergius de filiis Henrici III Glogoviensis Tab. II* (17), *liquebit genealogum nostrum omisisse Primconem et tres filias. Quod forsitan ex eo explicari debet, quod necdum isti liberi nati essent tempore, quo genealogus scribebat. Nam Primconem fuisse filium Henrici III supradicti monstrat diplo-* E *ma, quo anno* 1312 *ipse Primco paternam hereditatem devidit cum fratribus suis, Henrico, Joanne, Conrado et Bolcone* (18). *Quod ad filias attinet, Agnetem et Saloneam, nominatas a genealogo, adjicit Sommersbergius trinam prolem; Beatricem, quam Pohlius dicit in suis Annalibus Wratislaviensibus Mss. filiam Henrici III Glogoviensis et uxorem Ludovici Bavari imperatoris fuisse: et duplicem Hedwigim, quarum alteram in Catalogo abbatissarum Trebnicensium, alteram in lapide ejus sepulchrali Lubensi detegit* (19).

xx *Ex hoc loco concludit Cl. Stenzel* (20) *genealogiam S.* Hedwigis *scriptam fuisse ante initium sæculi decimi quarti, siquidem Conradus, qui hic simpliciter* præpositus majoris ecclesiæ Wratislaviensis *vocatur, in diplomate, dato* XXIII *Maii anni* 1299, *adjiciebat titulum* Sedis Aquilejensis electi *et in altero diplomate, dato* II *Augusti sequenti se nominabat* patriarcham Sanctæ Aquilejensis Ecclesiæ. *Stringeret certe argumentum, si Conradus dictam sedem pacifice occupasset: verum, ipsa Ecclesia Aquilejensis vix vestigium hujusmodo electionis, retinuit, quum Bern. de Rubeis, Aquilejæ Sacræ accuratissimus scriptor* (21) *rotunde dicat,* Conradum F electum Aquilejensem frustra quæri, nuspiam reperiri. *Certum tamen est electum fuisse Conradum: quare accuratius scripsit Ughelli* (22): Post Raymundi (*Turriani die* XXI *Februarii* 1298) excessum. Conradum, Poloniæ ducem, promoverunt ad sedem, qua tamen, abnuente Bonifacio VIII Pontifice, non est potitus. *Successit Raymundo Petrus Gerra, renuntiatus patriarcha Aquilejensis a Bonifacio Papa die* VIII *Julii* 1299. *Quoniam itaque irrita fuit Conradi electio, fieri potest genealogum ejus mentionem non fecisse, quin stricte concludere liceat lucubrationem ante hoc tempus, nempe initium sæculi quarti decimi, scriptam fuisse. Cæterum obiit Conradus anno* 1304 (23).

yy *Wlodislaus, qui etiam Ladislaus dicitur, successit Udalrico, qui exauctorato Philippo Ortemburgico, ex Seccoviensi antistite factus fuerat archiepiscopus Salisburgensis. Sed pertæsus cruentæ*

(1) Œffel. Rer. Boic. Scriptt., t. II, p. 830. — (2) L'Art de vérif. les Dates, t. II, p. 69, et t. III, p. 450 Edit. Paris 1784. - (3) Scriptt. Siles., t. I, p. 298. — (4) Ann. Minorum, t. II, p. 422. Edit. Rom. 1732. — (5) Stenzel Scriptt., t. II, p. 128. —(6) Ibid., p. 132. —(7) Ibid., p. 111.— (8) L'Art de vérif. les Dates, t. III, p. 517. —(9) T. I, p. 858. —(10) L. c. — (11) Frolich Tent. Archontol. Carinthiæ, tab. VI. — (12) Stenz., p. 111, not. 3. — (13) Œffel. Rer. Boic., t. II, p. 337. — (14) Greider. Germ. Francisc., t. I, p. 588. — (15) Stenz., p. 111, not. 6.— (16) Ibid., p. 112. — (17) Scriptt., t. I, p. 342. — (18) Ibid., p. 869. — (19) Ibid., p. 353 et 354. — (20) Stenz., p. 112, not. 2. — (21) Monum. Eccles. Aquilej., col. 801. — (22) Ital. Sac., t. V, col. 96. — (23) Sommersb. Scriptt., t. I, p. 346.

controversiæ,

controversiæ, cui cum æmulo suo Philippo implicatus erat, sedi Salisburgensi anno 1264 *renuntiavit. Itaque Clemens Papa IV per litteras diei* x *Novembris* 1265 *instituit Wlodislaum, qui, licet juvenis,* XXVIII *Aprilis* 1270 *obiit, sublatus, ut suspicio erat, veneno a propinquis, quia partem hereditatis suæ Ecclesiæ Salisburgensi transcribere intendebat* (1).

zz *Agnetem abbatissam Trebnicensem fuisse, monstrat bulla B. Gregorii X, data* II *Januarii* 1273, *qua mandat abbati canonicorum regularium Wratislaviæ*, ut constitutione contraria Cisterciensis Ordinis non obstante, redditus Agneti, abbatissæ monasterii Trebnicensis, debitos studeat ministrare (2).

aaa *Euphrosca in diplomatibus Trebnicensibus abbatissa habetur ab anno* 1287 *ad* 1297 (3).

bbb *De monasterio Ouenzko hæc refert Dlugossus* (4) : Przemislaus I, majoris Poloniæ et Posnaniensis dux, cultum divinum in suis principatibus aucturus, in villa sua ducali Owienska, prope

B

D

fluvium Wartham sit, monasterium sanctimonialium Ordinis Cisterciensis fundat, *anno* 1242.

ccc *Ex iis, quæ hic dicuntur de posteris S.* Hedwigis, *facile esset monstrare omnes fere familias principales Europæ S.* Hedwigem *recensere inter majores suos : ne tamen recensio æquo longius excurrat tabulam synopticam, ex probatioribus fontibus haustam, exhibemus, quæ ostendit sanguinem ducum Silesiæ in plerosque hodiernos principes transfusum; unde facili negotio etiam pro aliis id conficeretur : omisimus etiam stirpes ad hodiernos usque principes deducere, quia ista obvia habentur in libris, qui de Genealogiis principum agunt. Duces secuti sumus, quos cognovimus fidissimos, Sommersbergii Scriptores rerum Silesiacarum, Schwantheri Scriptores rerum Hungaricarum, Anselmi Historiam Genealogicam domus regiæ Francicæ, librum chronologicum Benedictino-Maurinum* L'Art de vérifier les dates, *etc.*

(1) Hanziz. Metrop. Salisb., t. II, p. 366 et seqq. — (2) Stenz., p. 113, not. 1. — (3) Ibid., n. 4. — (4) Hist. Polon., lib. VII, t. I, col. 692.

E

C

F

POSTERITAS S. HEDWIGIS,

ad hodiernos Europæ principes propagata.

Ad pag. 270.

Henricus I Barbatus, dux Silesiæ, nat. 1168 † 1238 ducit S. Hedwigem Andechsensem, nat. 1174 † 1243.

Henricus II Pius, dux Silesiæ † 1241 ducit Annam, fil. Prismilai III regis Bohemiæ † 1265.

Boleslaus II, dux Lignicensis, † 1278
ducit
Hedwigem de Anhalt † 1259,

Agnes † 1265
uxor
Udalrici Fundatoris seu Cum Pollice, comitis Wirtembergensis;
ex quo
omnes rami universæ domus Wirtembergicæ hodie regnantis descendunt.

Henricus Crassus, dux Lignicensis et Wratislaviensis † 1296
ducit
Elisabeth, filiam Boleslai ducis Calissensis † 1304,

Boleslaus III dux Lignicensis † 1352
ducit
Margaritam, filiam Wenceslai IV regis Bohemiæ † 1322,

Henricus dux Lignicensis
ducit
Elisabeth, filiam ducis majoris Poloniæ,

Euphemia
uxor
Ottonis ducis Carinthia,

Elisabeth
uxor
Petri II regis Siciliæ,

Beatrix
uxor
Roberti Tenacis seu Parvi, comitis Palatini Rheni;
ex quo
Universa domus Palatina, quæ ab anno 1777 universæ Bavariæ dominatur descendit;
porro
ex Roberto III imperatore, filio Roberti Tenacis, nata est Margarita, nupta Carolo II, ex quo familia Lotharingica; et per Catharinam ejus filiam, nuptam Jacobo marchioni Badensi, universa familia Badensis hodierna descendit.

Conradus dux Glogoviensis †
ducit
Salomeam fil. ducis Poloniæ

Henricus III, Fidelis, dux Glogoviensis † 1309
ducit
Mechtildim, Alberti Brunswicensis F.

Beatrix
uxor
Ludovici Bavari imperatoris

Mechtildis
uxor
Friderici Severi seu Serii ducis Thuringiæ † 1349;
ex quo
omnes lineæ regnantium hodie principum Saxonum;
dein
Elisabeth, filia Ludovici I Pacifici Landgravii Hassiæ et Annæ Saxonicæ, quarta generatione a Friderico Severo prognata nubit Joanni Nassoviensi † 1480 ex quo domus Nassoviensis in Germania descendit;
eodem modo
altera Elisabeth filia Henrici Hassiaci, filii ejusdem Ludovici Pacifici, nupta alteri Joanni Nassovio † 1516 mater est hodiernæ domus Auriaco-Nassoviensis, quæ Hollandiæ dominatur;
porro
ex Margarita, Ernesti electoris Saxoniæ filia 1528, uxore Henrici ducis Brunswico-Cellensis, prodeunt omnes principes hodierni Brunswicenses, ac proinde familia hactenus regnans in Anglia;
similiter
Dorothea Joannis Marchionis Brandenburgici et Barbaræ Saxonicæ filia, nubit 1449 Christierno I regi Daniæ, a quo universa domus Danica et Holsatica hodierna descendit;
unde etiam
per Carolum Petrum Udalricum ducem Holsato-Gottorpiensem, conjugem Catharinæ II universa hodierna familia imperatoria Rossiæ propagata fuit.

Stephanus Fibulatus dux Bavariæ
ducit
Elisabetham, fil. Friderici II regis Siciliæ,

Fridericus dux Bavaro-Landshutanus
ducit
Magdalenam, fil. Bernabonis ducis Mediolanensis

Elisabeth
uxor
Frederici, primi electoris Brandeburgici;
ex quo
Universa domus Borussica hodierna descendit;
et porro
per Dorotheam, Friderici I electoris fil. Henrico Pingui, Mecklemburgensium duci nuptam, prodit universa familia hodierna Mecklemburgica.

Constantia
uxor
Casimiri ducis Cujaviæ,

Semomizlus dux Cujaviæ
ducit
Filiam ducis Pomeraniæ,

Phenenna † 1292
uxor
Stephani V, regis Hungariæ † 1272,

Maria
uxor
Caroli Claudi, regis Neapolitani,

S. Ludovicus, Ord. Minorum, episcopus Tolosanus, † 1297.

Margarita † 1299
uxor
Caroli Valesii † 1325, filii Philippi III Audacis regis Galliæ,

Philippus VI, rex Galliæ, † 1350.
ducit
Joannam Burgundicam,

Joannes II, rex Galliæ
ducit
Bonam Luxemburgicam,

Phillippus Audax, dux Burgundiæ † 1404
ducit
Margaritam, comitissam Flandriæ,
ex quo
domus Burgundica, per Mariam, filiam Caroli Audacis in Austriades transfusa; unde hodierni procedunt imperatores Austriæ, magni duces Etruriæ et duces Mutinenses.

Joannes dux Bituricensis filius tertio genitus Joannis regis † 1416
ducit
Joannam Arminiacensem *(Armagnac)*,

Bona
uxor
Amedei VII, Rubri, comitis Sabaudiæ † 1391,
ex quo
Universa domus Sabaudica hodie regnans prodit;
porro
ex Amedeo VII avo procedit Ludovicus dux Sabaudiæ, conjux Annæ Lusianensis,

Margarita
uxor
Petri II Luxemb. comit. S. Pauli,

Maria
uxor
Francisci Borbonii, com. Vindocini † 1495;
ex quo
Borbonides hodierni omnes Francici, Hispani, Neapolitani et Parmenses.

Blanca
uxor
Jacobi II regis Aragoniæ,

Alphonsus IV
ducit
Teresiam Enteçam,

Petrus IV † 1387-Joannes I † 1395 recta generatione sibi succedunt

Ferdinandus I † 1416
ducit
Eleonoram Albuquerquiam,

Eleonora † 1445
uxor
Eduardi regis Portugalliæ † 1438;
ex quo
universa familia regia Portugalliæ propagata est.

A D

DIES DECIMAOCTAVA.

SANCTI QUI COLUNTUR DECIMO QUINTO KALENDAS NOVEMBRIS.

Sanctus Lucas, Evangelista.

S. Asclepiades, Episc. et Martyr Antiochiæ.

S. Tryphonia, Romæ.

S. Justus puer, Mart. Bellovaci et Autissiodori.

B
S. Lucius,
S. Victor,
S. Dasius,
S. Leucius,
S. Victoricus,
S. Beresus Episc.,
S. Victrix,
S. Faustinus vel Faustina,
S. Martialis,
} Martyres in Africa.

S. Lucius vel Lucas,
S. Victorinus vel Victorina aut Victoria,
S. Agnes Virgo,
} Martyres, partim ad Ostia Tiberina, partim Nicomediæ.

SS. Hermes et Taxius, Martyres Axiopoli in Bulgaria.

S. Julianus Sabas, eremita in Mesopotamia.

S. Brothenus Conf.,
S. Gwendolina Abbatissa,
} in Wallia. E

SS. Felix et Augebertus, Martyres in Gallia.

S. Monon, Martyr in tractu Luxemburgico.

SS. Justus, Artemius et Honesta Virgo, Martyres in diœcesi Atrebatensi.

SS. Justus, Flavianus et socii Martyres, ut fertur, Ulcii in Pedemontio.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI. F

C

S. Agnes Virgo et Martyr *Romana hic memoranda, si forte ea sit quam Hieronymiana quædam Martyrologia ad hunc diem notant. Videnda circa hanc rem Sylloge quam hodie damus de SS. Lucio, Victorino et Agnete, ubi conjecturas Florentinii afferimus. De S.* Agnete *Romana actum fuit* xxi Januarii.

S. Martyrii monachi, cujus meminit B. Gregorius in omelia. *Ita Kalendarium Sanctorum Ord. S. Benedicti, quod ex MS. monasterii S. Salvatoris Antverpiæ desumptum habebant majores nostri, nosque adhuc habemus. Est hic Sanctus de quo passim fasti sacri et cum his Bollandus agunt ad diem* xxiii Januarii.

S. Ildephonso archiepiscopo Toletano *Deiparam hoc die apparuisse eique candidam vestem dedisse, scribunt Antonius de Balinghem in Kalendario Mariano et Bucelinus in Menologio Benedictino cum aliis paucis, contra longe plurimos auctores, a quibus celebre illud factum diei* xviii *Decembris illigatur ; uti etiam fit ab ipsa ecclesia Toletana in lectionibus Officii quo postridie festi S.* Ildephonsi *hoc prodigium sub titulo* Descensionis B. Virginis *celebrat, diem* xviii *Decembris Expectationi, artus ejusdem B. Virginis veteri more reservans. Vide Bollandum ad Vitam S.* Ildephonsi xxiii Januarii.

S. Popponis abbatis translatio *aliqua Stabuleti hoc die anno* 1626 *locum habuit, ut scripsit Bollandus noster ad diem* xxv Januarii.

Ven. Levianum, qui S. Constantium Perusinum sepelivit, *inter aëmeros ponit Castellanus, adjecta illa annotatione :* Hunc Jacobillus Beatum appellat, ejusque natalem xviii Octobris consignat, pridie S. Levangii, *nempe episcopi Silvanectensis, alias Livanii vel Libanii nuncupati, de quo ad sequentem diem agendum nobis erit. Ughellus, inter Fulginatenses episcopos S. Felicianum dilaudans, ait* (1) : Dum autem Felicianus in vivis ageret, B. Levianus e vivis excessit die xviii mensis Octobris

(1) Ital. Sacr., t. I, col. 685, edit. Colet.

Octobris anno 203, homo quidem laicus, sed studio religionis, oratione ac pœnitentiæ operibus admirandus, ita ut acclamatus Sanctus a vivis, mox vita functus, prope S. Constantium Martyrem atque episcopum Perusinum in templo eidem Sancto prope Perusiam consecrato meruerit tumulari. *Quæ quidem Ughellus ex Jacobillo acceperit, quem paulo ante pro S. Feliciani actis allegaverat. Ubi autem de S. Constantio inter episcopos Perusinos apud eumdem Ughellum sermo est* (1), *dicitur* Livianus Fulginas vir sanctimonia vitæ clarus, *omisso* Beati *titulo : qui titulus etiam a* Leviani *nomine abest in lectionibus Officii S. Constantii, relatis a Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XXIX *Januarii ; neque ipse Ferrarius alias* Levianum *inter Sanctos vel Beatos recenset. Cæterum quidquid de* Leviano *rescitur, continent Acta S. Constantii a Bollando vulgata ad dictum diem* XXIX Januarii.

S. Aldegundis Virginis *commemoratio Officio S. Lucæ addita est in Officiis propriis Malbodiensibus, idque* ob elevationem aliquam vel translationem, quæ hodierna die facta creditur, *ut fert nona lectio. De Sancta hac egit Bollandus* XXX Januarii.

S. Gilberti Confessoris, *canonicorum regularium de Sempringham institutoris*, translationem, *de qua* XIII *Octobris inter Prætermissos dictum est, ad hunc diem notatam invenit Bollandus in MS. Cartusiæ Bruxellensis. Suspicari licet scriptum fuisse* 18 *pro* 13; *quoniam constat translatum fuisse S. Gilberti corpus anno* 1202 die Dominica proxima post festum S. Dionysii, hoc est, III Idus Octobris, *ut habet Vita ejus Monastico Anglicano inserta* (2), *perinde ac altera ex duabus Vitis ab Henschenio datis ad diem* IV Februarii.

S. Athenodori episcopi, *fratris S. Gregorii Thaumaturgi, hodie meminit Martyrologium Romanum. Bollandus ex vetustioribus Martyrologiis de eo egit* IX Februarii.

S. Hermelandus *sive* Herblandus abbas, *addita passim loci designatione* Andegavis, *hodie refertur in pluribus Usuardinis Auctariis apud Sollerium, in Martyrologio Usuardino ad usum ecclesiæ Sarum, cujus anglicam versionem Richardus Whitford anno* 1526 *Londini edidit, in Martyrologiis Maurolyci, Felicii, Canisii, Wionis, in Supplemento Saussayi, in Catalogo generali Ferrarii, etc. Magis expresse Martyrologium Parisiense recolit translationem S.* Hermelandi *ex insula Antro Andegavum, de qua in Chronico Andegavensi apud Labbeum* (3) *sermo est ad annum* 869; *ac Parisiense Breviarium ad hunc diem habet de eodem Sancto commemorationem et nonam lectionem, quæ illis verbis clauditur :* Balneonensis prope Parisios ecclesia, ubi est Patronus, translationem ejus hodie celebrat. *Est is vicus qui vulgari nomine dicitur* Bagneux ; *eratque ibi olim pars Reliquiarum S.* Hermelandi, *sed eam inter clades quas res sacræ civilesque in Gallia passæ fuere sæculo* XVIII *exeunte, amissam fuisse scribit R. D. Tresvaux in nova editione Vitarum Sanctorum Britanniæ Minoris scriptarum a Lobineau* (4), *ubi alia etiam de Reliquiis hujus Sancti breviter collecta habes, quæ in nostro Opere, ubi de eo agitur, frustra quæsieris : scilicet potissimum illo thesauro ditatas fuisse ecclesiam S. Magnobodi Andegavis ac basilicam castri Luccarum (vulgo* Loches) *in agro Turonensi, in qua major corporis S.* Hermelandi *pars deposita fuit circa annum* 962 *cura Godefredi Andegavorum comitis* (5); *præterea portionem aliquam fuisse servatam Rotomagi in parochiali S.* Hermelandi *templo, sed anno* 1562 *a Calvinianis combustam : cui tamen damnosarciendo particulæ aliquot Andegavis ad idem templum Rotomagense fuere delatæ. Annotare insuper juverit S.* Hermelandi *memoriam cum nona lectione extare in Officiis propriis diœceseos Nannetensis ad diem* XXV *Novembris*, quæ, *ut ibi dicitur*, probabiliter est dies translationis Reliquiarum ejus, *illius fortasse quæ ad castrum Luccarum facta fuerat. Denique memorandum hic est sacra ea lipsana, profanationi impiorum ad sæculi superioris finem subtracta, nuper devenisse ad manus Ill. D. Francisci Morlot archiepiscopi Turonensis, ab eoque pro majori parte fuisse communicatas Nannetensi episcopo Joanni Francisco de Hercé ; qui eas inter plures diœceseos suæ parochias quæ S.* Hermelandum *patronum habent, anno* 1848 *paulo ante obitum suum dispertiit, reservata interim civitati suæ parte earum satis notabili, quæ die* VII *Novembris* 1848 *solemni pompa ecclesiæ cathedrali illata fuit* (6). *Atque hæc quidem paucis saltem indigitare operæ pretium duximus : cætera vero ad S.* Hermelandum *spectantia dederunt majores nostri ad diem ejus emortualem, ad quem Romano quoque Martyrologio inscriptus est, nempe* XXV Martii.

S. Brioci episcopi et confessoris translatio Reliquiarum, *Andegavo ad propriam ipsius sedem anno* 1210 *a Petro episcopo facta, hoc ipso anniversario die commemoratur a Ferrario, Wione, Saussayo, Menardo ; eamque Officio ecclesiastico quotannis celebrat diœcesis San-Briocensis. Continebantur olim illæ Reliquiæ herma argenteo ; nunc vero inclusæ sunt thecæ ex ære deaurato, quam S.* Brioco *dicavit anno* 1820 *Hyacinthus de Quélen, ex diœcesi illa oriundus, tunc archiepiscopus Trajanopoleos, postea Parisiorum* (7). *Historiam translationis jam dictæ Henschenius noster dedit post Vitam S.* Brioci *a se illustratam* I Maii.

S. Petri archiepiscopi Tarentasiensis *elogium texitur ad hunc diem apud Whitfordum in versione anglica Martyrologii Usuardini ad usum ecclesiæ Sarum. Hodiernum Martyrologium Cisterciense ad calcem Romani editum, ubi S.* Petri *memoriam agit ad diem* XI *Maii, item Officium quod de eo recitari solet a Cisterciensibus et clero Sabaudiæ, affirmant eum obiisse* XVIII *Kalendas Octobris seu* XIV *Septembris, quo die eum a Claudio Chalemot item notatum invenere decessores nostri. Hinc suspicari forsitan liceat scriptorem Auctarii hodierni Sarisburiensis alicubi legisse* XVIII Octobris *pro* XVIII Kalendas Octobris. *Henschenius noster de hoc Sancto scripsit ad diem quo eum mortuum esse multi tradunt, et quo Martyrologio Romano inscribitur,* VIII Maii.

S. Carauni Martyris translatio *Martyrologio abbatiæ ejus nominis apud Carnutum hodie inscripta, eodem fere ritu inibi celebrabatur ac ipse dies natalis S.* Carauni ; *Octavaque etiam gaudebat, quoties Octava diei natalis occursu Ascensionis Domini aut Pentecostes impediebatur. Hanc notitiam hausimus ex erudito commentario de hujusce S. Martyris Reliquiis, quem a se concinnatum anno* 1842 *ad nos misit vir aliis quoque nominibus optime de nostro opere meritus Ludovicus Eduardus Pie, tunc ecclesiæ B. Mariæ Carnuti vicarius, nunc vero episcopus Pictaviensis. Quem*

(1) Ital. Sacr., t. I, col. 1156. — (2) T. VI, part. II, p. *XXVII, nov. edit. — (3) Biblioth. Manuscr. t. I, p. 285. — (4) Vies des Saints de Bretagne, t. II, p. 213. — (5) Expilly, Diction. Géograph., t. IV, p. 338. — (6) Ami de la Religion, 11 et 21 Novembre 1848, t. CXXXIX, p. 418, 503 et 504. — (7) Tresvaux, Vies des Saints de Bretagne, par D. Lobineau, t. I, p. 85, not. 1.

licet

A *licet hic integrum describere nequeamus, juverit tamen præcipua illius capita summatim exhibere, ut aliqua saltem eorum memoria in Opere nostro, usquedum plenius de iis tractare licebit, extet. Dies igitur* XVIII *Octobris secundum vetera scripta anniversarius est primæ translationis, factæ sæculo* VI *sub Pappolo episcopo et Aspro abbate, ut in Miraculis S.* Carauni *narratur. Alia translatio vel elevatio videtur altero tertiove inde sæculo locum habuisse, quamquam de hac monumentum superest nullum. Certum deinde est Robertum abbatem anno* 1198 *corpus S.* Carauni *novo feretro ligneo inclusisse, caput vero seorsum thecæ argenteæ; cui die* XVIII *Octobris* 1507 *theca ditior et elegantior substituta fuit. Inter turbas Calvinianas Reliquiæ S. Martyris in tuto positæ fuere intra mœnia civitatis Carnuti; sed inde anno* 1614, *die* XVIII *Octobris recurrente, solemni supplicatione ad pristinam sedem reportatæ: ubi post medium fere sæculum, die* XIV *Augusti, sacrum corpus ex veteri feretro in novum inauratum translatum fuit, in eoque quievit ad annum usque* 1793. *Hoc autem anno, grassante apud Gallos impietate, vastatores ecclesiæ S.* Carauni *utrumque reliquiarium* B *abstulerunt, capite Sancti (ut fama est) in flumen projecto, et corporis exuviis in cœmeterium excussis: quas tamen pii aliquot fideles religiose collectas inter se dispertierunt. Partem aliquam thesauri illius die* XXII *Maii* 1841 *legitime recognovit Ill. D. Claudius Hippolytus Clausel de Montals Carnutensis antistes; eaque quinto post die, quo pervigilium festi S. Martyris agebatur, in sacello minoris seminarii, quod veteris abbatiæ S.* Carauni *locum et nomen hodie tenet, publicæ venerationi rursum fuit exposita. Atque hæc quidem omnia, uti diximus, compendio retulimus: integer vero doctissimi scriptoris commentarius cum documentis authenticis eidem insertis aliquando invenire poterit pro Supplemento ad ea quæ S.* Carauno *scripta fuere apud nos ad diem Passionis ejus* XXVIII Maii.

SS. Gertrudem et Odam virgines in territorio Catalaunensi *refert hodie Gynecæum Arturi a Monasterio, quasi sorores SS. Eliphii, Eucharii, Libariæ, Susannæ et Mennæ, qui hoc eodem mense Octobri variis diebus memoriam in fastis sacris habent. Sed videantur quæ de prætensa hac cognatione tam Calmetus in Historia* C *Lotharingiæ* (1) *quam Bueus noster in Commentario prævio ad Vitam S. Mennæ* (2) *disputaverunt. Notat porro Bueus Sanctam quamdam* Oddam *virginem in Breviario Tullensi anni* 1535 *annuntiari ad diem* XVI *Februarii; sicut et Castellanus eodem die eam commemorat uti in Lotharingia cultam: verum nuperius Breviarium, quod Scipio Hieronymus Begon episcopus et comes Tullensis anno* 1749 *edidit, prorsus de ea silet. Quod autem ad S.* Gertrudem *attinet, patet ex Marloto Remensis ecclesiæ historiographo, qui eam similiter sororem prædictorum Sanctorum facit* (3), *esse Virginem et Martyrem, quæ in Valle Dioleti (vulgo* Vaux-Dieulet) *apud cœnobium Præmonstratense Bellæ Vallis in Argona* (4) *cultum satis insignem nacta fuit, festo ejus agi solito postridie Ascensionis Domini. Ipsam Castellanus Indici hagiologico ad calcem Martyrologii sui inseruit, haud indicato cultus die. Papebrochius vero noster, reputans hunc diem, licet quotannis varium, plerumque tamen intra mensem Maium incidere, Sylloge de S.* Gertrude *edidit in mensis illius Corollario* (5), *ubi legere est commentarium de S. Virginis vita, martyrio et cultu, conscriptum a religioso* D *quodam monasterii Bellæ Vallis. Interim nonnulla quæ huic commentario addamus, suppeditarunt nobis litteræ R. D. Vinot hodierni parochi Vallis Dioleti, quas seminarii Remensis præses R. D. Aubry societatis S. Sulpicii presbyter humanissime ad nos transmisit. Continent eæ imprimis integre descriptam notitiam de S.* Gertrude, *quæ initio hujus sæculi typis excusa fuit; huicque subdidit laudatus parochus ea quæ sunt præsentis temporis maximamque partem zelo ipsius adscribenda. Ut a topographicis, quæ apud Papebrochium desiderantur, ordiamur, duæ sunt intra Dioletum valles, quas Sancta incoluisse fertur: altera* Vuamelle *dicta, ubi sæculo* XII *cœnobium Bellæ Vallis conditum fuit; altera antiquitus* le Bos de Noë, *hodie* le Bout de Noë *appellata, in qua est aquæ scaturigo quæ* fons sanctus *vel* fons S. Gertrudis *vulgo audit, prope confinia vici* St Pierremont. *Clivus autem in quo martyrium a fratribus pertulisse fertur et ubi in ejus memoriam crux lapidea astetit, occurrit in septentrionalem partem euntibus versus vicum* Sommauthe, *qui in mappa Cassiniana* (6) Sommotte E *scribitur. Hic vicus anno* 1649 *in parochiam erectus, particulam tunc accepit reliquiarum S.* Gertrudis, *novo suo altari insertam, ut ex diplomate erectionis constat. Porro ipsius Vallis Dioleti templum parochiale vetustum, de quo apud Papebrochium sermo est, anno* 1774 *existere desiit; eique novum successit, quod adhuc sub S.* Gertrudis *patrocinio perstat ac corporis ejus possessione gaudet. Sæviente nimirum in Gallia impietate, anno* 1794 *destructus quidem fuit puteus in quem fons S.* Gertrudis *defluebat, crux item S.* Gertrudis *confracta, dejectæque duæ aræ lapideæ quæ apud fontem et crucem assurgebant, neque ab ipsa ecclesia sacrilegi vastatores abstinuere manus; verumtamen provida parochi ac fidelium cura sacræ Virginis exuviæ intra murum templi fuere tempestive absconditæ, ibidemque latuerunt amplius quinquennium ad annum usque* 1799: *quo tempore, republica aliquantum pacata, inde in lucem prolatæ, rursus fidelium venerationi patescere cœperunt. Ac caput quidem etiamnum loculo æneo, ut olim, seorsum continetur; reliquum item corpus in antiqua sua capsa ferrea duabus seris munita (quarum claves non* F *amplius in parochia reperiuntur) adhuc requiescit: ipsa vero capsa inclusa est arcæ querneæ, quæ olim cælaturis et picturis historiam S. Martyris repræsentantibus adornata erat, at præpostera peregrinorum pietate, ungulis et cultris cruces ei insculpere satagentium, ita deturpata fuit, ut, quando eam parochus annis abhinc duodecim reficiendam curavit, pristinus ei decor reddi nequiverit, sed novis ex integro obducenda fuerit coloribus. Idem parochus anno* 1846, *facta excavatione repertoque veteri pavimento, restauravit puteum fontis sancti et crucem ligneam supra eum erexit. Biennio post alteram quoque ligneam crucem, in locum lapideæ quam destructam fuisse diximus, constituit in clivo ubi Sanctam expirasse fert traditio. Cæterum nulla amplius imago, nulla statua nec aliud quodcumque S.* Gertrudis *monumentum in æde parochiali superest præter sacras reliquias. Hæ autem quotannis postridie Ascensionis Domini pro more antiquo circumferuntur solemni supplicatione, ad quam magnus fit vi-*

(1) Hist. de Lorraine, t. I, liv. v, col. 195 et seqq., liv. vi, col. 283 et seqq. — (2) T. II Octobr., p. 151 et 152. — (3) Metrop. Rem. Hist., lib. I, cap. xxx, p. 167. — (4) Cfr Hugo, Ord. Præm. Annal., t. I, col. 256. — (5) T. VII Maii, p. 514 et 515. — (6) Cartes de Cassini, 5 K seu n. 78.

cini cleri populique concursus. Horas circiter quatuor durare consuevit, quatuor stationes agente pio agmine: primam ad fontem sanctum sive eremitorium S. Gertrudis; *secundam in ecclesia parochiæ* Sommauthe, *ubi canuntur Vesperæ; tertiam apud crucem S.* Gertrudis; *quartam denique apud aliam crucem non ita pridem erectam in introitu vici Vallis Dioleti. Testatur denique optimus parochus nullum esse illic ægrotum qui aquam fontis sancti non adhibeat in mali sui levamen, ac per totum anni decursum ecclesiam S.* Gertrudis *a peregrinis frequentari, ita ut vix ulla prætereat hebdomas quin aliqui ex vicinis locis homines aut infirmi aut ex infirmitate convalescentes opem Sanctæ imploraturi vel gratias illi acturi eo adveniant. Hæc igitur, uti jam diximus, pro Supplemento sint Sylloges Papebrochianæ, quæ in opere nostro extat post diem* xxxi Maii.

S. Amabilis Confessoris translationem Ricomagi *huic diei affigit Saussayus; id quod incuriæ ipsius imputatur a Papebrochio, arbitrato eam potius collocandam esse die sequenti, quo S.* Amabilem *Breviaria Claromontana notabant. At animadvertere Papebrochius debuisset translationes Reliquiarum frequentissime locum habuisse diebus Dominicis aut festivis, qualis erat S. Lucæ evangelistæ dies, in quem etiam SS. Babylæ et Simpliciani, Popponis, Aldegundis, Hermelandi, Brioci, Carauni, Rumoldi, Lucæ Carbonensis, necnon Aleydis S. Bernardi matris et forsitan alias etiam translationes incidisse hic notamus: quod vero annuum Officium postridie recitaretur, id non aliunde explicandum quam ex ipsa S. Lucæ festivitate, propter quam secundum Rubricas Officia inferioris ritus fuerint alio amandanda: sicut eadem de causa Mechliniæ quoque, uti mox dicemus, Officio translationis S. Rumoldi dies* XIX *Octobris assignata erat. Imo vero falli Papebrochium ostendit usus ecclesiæ Ricomagensis: quæ quum solemniori ritu coloret S.* Amabilem *quam S. Lucam, huic alium diem, illi vero* XVIII *Octobris addixit, uti ex Savarono et Faydit colligimus. Savaronus enim, de S.* Amabili *loquens, diserte ait* (1): Translationis ejus celebratur Officium xv Kal. Novemb.; *citatque ex Officio Ricomagensi lectiones primæ diei, qua re innuit octavam inibi celebratam fuisse Faydit item aperte adstruit* (2) *Ricomagi die* XVIII *Octobris festum Sancti hujus agi: quamquam negat hunc diem esse translationis anniversarium; verum eo recoli contendit ipsum Sancti obitum, licet is Kalendis Novembribus contigerit: hujus autem anticipationis rationem repetit ex solemnitate S. Benigni præcipui Ricomagensium Patroni, cujus Passio, teste S. Gregorio Turonensi* (3), *Kalendis Novembris celebrari antiquitus consueverat, nempe ante institutionem festi Omnium Sanctorum. Vitam S.* Amabilis *edidit Papebrochius ad festum ejus æstivale* xi Junii.

S. Rumoldi Martyris atque Pontificis translatio *notatur a Molano, Dempstero, Galesinio, Canisio, Saussayo, Ferrario, et in Florario Sanctorum quod sæpe allegarunt decessores nostri. Est hæc translatio in Steenockerseel, quam olim metropolitana Mechliniensis ecclesia annuo Officio die* XIX *Octobris, quia diem* XVIII *occupabat festivitas S. Lucæ, recolere solebat; uti in Opere nostro jam dudum expositum fuit ad diem S.* Rumoldi *præcipuum* 1 Julii.

S. Joelis Prophetæ *natalem hunc diem Castellanus facit; sed videtur inadvertentia quadam præter propriam suam mentem hic scripsisse id quod ad sequentem diem scribendum erat, quo Græci S.* Joelem *colunt: nam ipse* XIX *Octobris indicat in nota marginali ad diem quo S. Prophetam annuntiat Martyrologium Romanum, ac de eo scripsit Sollerius noster,* XIII Julii.

S. Marinus senex et Martyr, *qui hodie occurrit in Menæis Græcorum et in Sirleti Menologio, ab illo diversus non est cujus Acta a Pinio data fuere ad diem* VIII *Augusti. Id jam suspicatus fuit Pinius; sed ut res extra omnem dubitationis aleam ponatur, en Synaxarium ex collectione Ms. Sirmondi, quam decessores nostri olim sibi exscribi curaverunt:* XVIII Octobris. Certamen S. Marini senis, qui fuit sub Diocletiano primum et Aristobulo. Deductus autem ad Ciliciæ præsidem, virgis dire cæditur, pedibusque ferro constrictis in carcerem detruditur; et rursum diluculo prodiens, ex summis pedibus equuleo suspenditur, et verberatus immaniter, et ab equuleo depositus, animadversionem per gladium subit, Deo spiritum committens. *Cui Synaxario illud quod in eadem collectione ad* VIII *Augusti prodit, ensu ubique, sæpe etiam verbis consonat; utrumque porro convenit cum Actis a Pinio vulgatis Colligimus insuper ex relato Synaxario passionem S.* Marini, *quam Pinius generali tantum locutione ad Diocletiani persecutionem retulit, incidisse in annum* 285, *Diocletiano et Aristobulo consulibus, quo anno sub eodem Lysia præside passi quoque sunt Ægis in Cilicia SS. Claudius, Asterius et socii, de quibus apud nos ad* XXIII *Augusti actum est Cætera de S.* Marino *videsis* VIII Augusti.

In Belgio commemoratio Beatæ Virginis Mariæ, quando per os imaginis Affligemiensis, præsente monachorum cœtu et copiosa populi multitudine, sanctissimum Patrem Bernardum salutavit, clara voce dicens: SALVE BERNARDE; quæ imago in tanti miraculi testimonium magno servatur honore. *Ita Henriquez in Menologio Cisterciensi ad hunc diem, ac post eum de verbo ad verbum Martyrologium Ms. Villariense sæculo* XVIII *exaratum, quod apud nos asservatur. De statua Affligemiensi commentatio paucis abhinc annis a viro docto edita fuit* (4); *cujus quidem conclusionem partim amplectimur et nonnullis abjectis stabilire conabimur, scilicet S.* Bernardum *aliquando Affligemium venisse, ac tum memoratam salutationem contingere potuisse; quousque vero ipsum miraculum ex fontibus historicis asseverari possit, deducendum erit ex iis quæ de monumentis extantibus mox proferemus. Ante omnia autem advertimus, licet ab Henriquezio miraculum diei* XVIII *Octobris annexum fuerit, non ideo hoc die contigisse; sed hunc ab eo selectum videri, sive quia secus pauciores clausulas exhibuisset quam reliqui dies* (5), *sive quia eodem die memoratur translatio Aleydis matris S.* Bernardi, *post quam Henriquezius, pro methodo in Apparatu suo exposita* (6), *de eodem Sancto miraculum referre potuit: præsertim quum dies* XX *Augusti, S.* Bernardo *sacer, jam aliunde esset satis copiosus; ad quem tamen dictam salutationem consignarat Raissius in suo ad Natales Molani Auctario, ex quo Henriquezius omnia fere quæ hodie de ea habet, tam in textu quam in Notationibus, deprompsit. Neque hic*

(1) Orig. de la ville de Clairmont, in notis ad lib. II de eccl. et monast. Claromont., § XII, p. 353. — (2) Vie de S. Amable, IX eclairc., p. 283 — (3) De glor. Mart., lib. I, cap. LI, Biblioth. Patr., t. XI, p. 845. Edit. Lugd. 1677. — (4) Revue catholique, Louvain 1848, p. 425 et seqq. — (5) Cfr Menol. Cisterc., p. LI. — (6) Ibid., p. L.

ullum

A *ullum Kalendarium in Notationibus adducit, quod tamen facere numquam omittit, quando fastos qualescumque duces habet; et aliunde certum est nullum ei Martyrologium Villarienseaut Affligemiense præ manibus fuisse* (1). *Nutante igitur, s, eciatim circa diem quo S.* Bernardus *Affligemii adfuit, Henriquezii atque adeo recentioris Martyrologii Villariensis auctoritate, ad antiquiora monumenta ascendamus oportet. Porro Sanctum abbatem multoties in Belgium venisse certissimum est. Sic anno* 1131 *Leodii fuit cum Innocentio II, aliisque in locis Belgii* (2); *anno* 1132 *Cameraci* (3), *in Valcellensi monasterio* (4) *et alibi* (5). *Ab anno* 1133 *ad* 1138 *plerumque in Italia versatus* (6), *interea ad Belgium fortasse non venit; verum ipso anno* 1138 *aut sequenti* (7) *ad monasterium Dunense in agro Furnensi iter habuit. Anno* 1140 *Theodoricum comitem Flandriæ sibi amicitia devinctum invisit* (8): *biennio post aut aliquanto serius Tornaci videtur adfuisse* (9): *anno* 1146 *diplomata aliquot in Belgio edidit, vel ut testis signavit, nempe unum pro monasteriis Ninoviensi et Jettensi, in quo Petrus abbas Affligemiensis ut*
B *testis comparet* (10), *alterum pro abbatia Eeckhoutensi in civitate Brug's* (11), *tertium pro abbatia S. Nicolai Furnis* (12). *Eodem anno Walterus Bertholdus domini Grimbergensis filius, agente S.* Bernardo, *e carcere liberatus et ad bellum sacrum profectus fuisse fertur* (13). *Accedit testimonium antiquæ Historiæ Villariensis, ubi narratur S.* Bernardus *eo anno in Brabantiam ac nominatim Affligemium venisse, ibique reliquisse pedum, ac post Pascha monachos aliquot ad locum Villare misisse* (14); *cui testimonio consonat quod de itinere Sancti ex Germania* (15) *ad conventum Catalaunensem* (16) *memoratur: eum nempe per Leodium et Huum tunc iter habuisse, atque ex posteriori hoc oppido die* XXII *Januarii* 1147 *profectum, per Villarium transiisse, quo* ante paucos menses Pater sanctus congregationem miserat monachorum, *indeque* XXVIII *Januarii Valencenas pervenisse* (17). *Anno denique* 1148 *iterum in Hennonia* (18), *et anno* 1151 *Villarii et in Cameracensi pago* (19) *versatus fuit. Jam vero quum Sanctus, ex celeberrimo Germanico itinere anni* 1146 *redux, ineunte anno* 1147 *per Belgium orientale, idque intra paucos om-*
C *nino dies peragrans, Galliam petierit, ac proinde Affligemium tunc adire haud potuerit, et tamen Sanderus aliique huic anno iter Affligemiense affigere viderentur, negavit Pinius noster se illud iter ex monumentis historicis satis firmare posse* (20); *neque enimvero, quando ille scribebat, chartæ quæ nomen S.* Bernardi *cum anno* 1146 *adscriptum habent, ut supra diximus, innotuerant. Et quidem is ipse annus* 1146 *fuerit necesse est, quo visitatio Affligemiensis in veteri Historia Villariensi tam diserte asserta contigerit: ex ejusdem autem Historiæ narratione ante Pascha contingere debuit; ex traditione vero Affligemiensi circa initium Quadragesimæ* (21). *Quod quidem cum annalibus illius temporis congruit: nam die Paschatis illius anni* 1146 *S.* Bernardus *jam intererat conventui Vezeliacensi cum Ludovico rege Francorum et Theodorico comite Flandriæ* (22); *et Eugenius III, tum in Gallia agens, litteras de bello sacro dederat Kalendis Decembris* 1145: *undeverisimile est primisjam mensibusanni* 1146 *S.* Bernardum *ad illud exhortari cœpisse, moxque in Belgium perrexisse. Superest tamen levis difficultas enodanda, ut hac occasione eum Affligemium divertisse dicamus. Annalistæ scilicet Affligemienses Amerius sive Joannes Vendermeeren* (23) *ac post eum Odo Cambier* (24) *et Hubertus Phalesius* (25) *visitationem Sancti constituunt sub abbate Godescalco, qui anno* 1146, *Petro abdicante, electus fuit* (26); *at in charta S.* Bernardi, *de qua supra, signat Petrus abbas Affligemiensis, non vero Godescalcus. Verum quæ inter hæc duo apparet antilogia tollitur, si admittatur Petrum cessisse dignitati eo ipso tempore quo S.* Bernardus *in Belgio versabatur; id quod firmari forte potest ex eo quod scribit Odo Cambier, S.* Bernardum *Affligemium advenis e* sub initio prælaturæ *Godescalci abbatis. Quærendum modo de ipsa traditione monasterii Affligemiensis, num* E
scilicet præter pedum S. Bernardi *ibi asservatum et statuam de qua miraculum refertur, scripta extent monumenta quæ ultra sæculum* XVI *ascendant: Amerius enim, ex quo posteriores monasterii annalistæ hauserunt, eo sæculo floruit, mortuus anno* 1556 *die* XXVI *Octobris* (27). *Notandum est itaque Amerium vetera aliquot cœnobii sui monumenta, quæ reperit, exscripsisse commentariisque illustrasse; cujus operis pars codice Ms.* 16586 *Bibliothecæ Burgundicæ, quæ Bruxellis est, continetur. Ac libro quidem quinto descripsit et explicuit commendationem metricam monasterii Affligemiensis, concinnatam a Nicolao Mys ejusdem monasterii cœnobita* (28), *quem sub Godescalco abbate quinto vixisse asserit; in Præfatione vero quam operi suo præfixit, seu Epistola ad Henricum de Quercu præpositum monasterii, dicit se in secunda sectione acturum de versibus quibusdam ejusdem Nicolai, quos tamen subdubitando ei tribuit. Sectio hæc secunda in codice Bruxellensi desideratur; in codice autem qui Teneramundæ apud monachos Benedictinos asservatur, quique nec ipse completus est, leguntur eo loco versus tredecim mutili, ut ex apographo R. D. Pitra et* F
ex analysi Huberti Phalesii (29) *novimus Agunt hi versus de visitatione S.* Bernardi *sub Godescalco abbate, de mutua salutatione Deiparæ et S.* Bernardi, *de duabus concionibus ibi a Sancto habitis et de pedo quod ibi reliquit; eosque sequitur commentarius Amerii, quem Phalesius, nomen auctoris ignorans, se ex Annalibus abbatiæ desumpsisse asserit. Porro Amerium propria carmina fuisse commentatum, verisimile non est, nec vero comperitur umquam poëtam egisse: quocirca, uti libro suo quinto fecit, ita hic etiam opus alienum commentariis instruere voluisse credendus est; ac proinde dicendum versus illos Amerio an-*

(1) Cfr Menol. Cisterc., p. XLV et in Indice Auctorum. — (2) T. IV Augusti p. 139. Cfr Bouquet, Rer. Gall. Script., t. XIII, p. 582 et 610. et t. XV, p. 346 in not; item Chronycke van Vlaenderen, t. I, p. 176. — (3) Gall. Christ. nov., t. III, col. 28. Cfr t. V, Instrum. col. 308. — (4) Pertz, Monum. Germ. hist., t. VI Script., p. 459. — (5) Miræus, Dipl., t. I, p. 384, Edit 1723. — (6) T. IV Augusti, p. 239 et seqq. — (7) Ibid., p. 169 Cfr But. Chron. abb. de Duns, p. 6 et 27; Iperius apud Martene, Anecd., t. III, col. 626; Chron. van Vlaend., t. I, p. 179. — (8) Iperius, loc. cit., col. 639; Chron. van Vlænd., p. 180. — (9) Gall. Christ. nov., t. III, col. 262 et 298; De Smet, Corp. Chron. Flandr., t. II, p. 505. 508, 509 et 566. — (10) De Smet, Ibid., p. 757 et 758. — (11) Miræus, op. cit., t. III, p. 45. — (12) Bulletins de la commiss. royale d'histoire, t. XVI, p. 72. — (13) Haræus, Annal. Brabant., t. I, p. 222. Cfr Miræus, op. cit., t. I, p. 728. — (14) Martene, Anecd., t. III, col. 1269 et 1270. — (15) T. IV Aug., p. 192 et 331. Cfr Pertz, op. cit., t. III Script., p. 16. — (16) T. IV Augusti, p. 344. — (17) Ibid., p. 342 et 343. — (18) Delewarde, Hist. du Hainaut, t. II, p. 489 et seqq.; Le Waitte, Hist. Cameracensis, part. II, p. 5; Martene, l. c., col. 1271. — (19) Martene, ibid.; Le Waitte, loc. cit., p. 29. — (20) T. IV Augusti, p. 208 et seqq. — (21) Revue cathol., loc. cit., p. 126. — (22) Bouquet, op. cit., t. XV, p. 607. — (23) Cod. Ms. 17792 Biblioth. Burgund. Bruxell., p. 21. — (24) Apud Dachery, Spicileg. t. II, p. 777, nov. edit. — (25) Apud Sanderum, Chorogr. sacr. Brabant., t. I, p. 50. Cfr Raissius ad XX Augusti, et Wichmans, Brabant. Marian., p. 592. — (26) Gall. Christ. nov., t. V, col. 38; Sanderus, loc. cit., p. 42. — (27) Cod. Ms. 17792 Biblioth. Burgund., p. 26. — (28) Cfr Sanderus, loc. cit., p. 39. — (29) Ibid., p. 50, et Cod. Ms 7040 Biblioth. Burgund., p. 3 et seqq.

tiquiores

A *tiquiores esse. Num tamen Nicolai Mysii partus sint, et num Nicolaus ille, quod Amerius scribit, vere sub Godescalco abbate vixerit, definiri non potest. Ergo iter S.* Bernardi *Affligemium, quod in Historia Villariensi circa annum* 1236 *conscripta asseritur, atque ex monumentis coævis Annalibusque Affligemiensium confirmatur, extra dubitationis aleam positum arbitramur. Verum ut prodigiosa illa per Deiparæ statuam salutatio, quam eadem Historia Villariensis silentio premit, dum tamen pedum a S.* Bernardo *Affligemii relictum memorat, dici queat certissimis nitihistoricis documentis, aliquid adhuc demonstrandum superesse nemo cordatus non agnoscet. Unde non est cur de ea aliter censeamus ac se censere professus est Pinius noster ad diem* xx Augusti.

Aleydis *S. Bernardi abbatis matris* translationem *Divione ad Claramvallem hodie celebrant fasti Cistercienses; quibuscum tamen* Beatæ *titulum piissimæ mulieri tribuere decessores nostri non fuerunt ausi. Quare, sicut ipsi fecere ad diem* IV *Aprilis inter Prætermissos, ita et nos pro iis quæ ad* Aleydis *vitam attinent, lectores iterum remittimus ad festum Sancti ejus filii diem* xx Augusti.

B

S. Chagnoaldi *velut Lugdunensis archiepiscopi hodie meminit Bucelinus, secum ipso haud constans: nam recte eumdem ut episcopum Lauduni sive Lugduni Clavati antea annuntiarat, primum die* XXIII *August., iterumque die ad quem Suyskenus noster Acta ejus illustravit* VI Septembris.

S. Januarium *Beneventanum episcopum ac Martyrem cum aliquot passionis ejus sociis non solum hodie, sed etiam triduo sequenti annuntiant varii fasti sacri* (1), *addita plerumque hac aut simili indicatione topographica :* In Campania civitate Puteolis. *Quæ quidem observatio momento suo non caret; siquidem iidem fasti pro variis diebus quibus de his Sanctis agunt, varia iis loca assignant, puta* VII *Septembris* Beneventum, XIX *Septembris* Neapolim, XXIII *Septembris* Misenum, *et hoc quatriduo* Puteolos. *Nimirum, prout dudum observavit Stiltingus* (2), *illæ quatuor civitates, quæ aliqua horum Sanctorum corpora primitus nactæ fuerunt, singulos singulæ statuerunt festivitatis dies, inter quos verisimile est nullum esse qui sit dies ipse martyrii, sed omnes esse potius anniversarios translationum; atque initio quidem unaquæque* C *civitas eos præ cæteris videtur coluisse Martyres qui speciatim ad se pertinerent, quibus dein Martyrologi alios addiderint socios. Ita Misenates suum colebant S.* Sosium *die* XXIII *Septembris, sicuti etiamnum facit Aversana diœcesis, ad quam præsenti tempore pertinet tractus ubi Misenum fuit, excidium a Saracenis passum* (3). *Ita Beneventani venerabantur die* VII *Septembris SS.* Januarium, Festum *et* Desiderium; *id quod tamen nunc aliter se habet, quandoquidem solemnitatem S.* Januarii *die* XIX *Septembris agunt, diem vero* III *Octobris SS.* Festo *ac* Desiderio *sacrum esse jussit Cardinalis Ursinius archiepiscopus* (4). *Neapolitani autem præcipuo cultu S.* Januarium *ab antiquo prosecuti fuere die* XIX *Septembris, ad quem diem is solus inscriptus habetur vetusto Kalendario marmoreo, dum in eodem SS.* Festus *et* Desiderius *ad* VII *Septembris,* Sosius *ad* XXIII *ejusdem mensis,* Eutyches *et* Acutius *ad* XVIII *Octobris juxta S. Lucam memorantur* (5) : *imo, translato Neapolim S.* Sosii *corpore, festum ejus Benedictini Neapolitani eodem* D *illo die* XII *Septembris agere perrexerunt quod id egerant olim Misenates* (6); *quemadmodum in metropolitano Neapolis templo SS.* Eutyches *et* Acutius, *ex quo Puteolis ad illam devecta fuere lipsana eorum, die* XXII *Octobris coli consueverunt, translato scilicet Officio ex die* XVIII *per festum S. Lucæ impedita. Puteolis tandem hic dies* XVIII *Octobris imprimis deputatus fuerat honorandis SS.* Proculo, Eutycheti *et* Acutio, *ut ex antiquis Officiis Stiltingo innotuit* (7); *sed deinde S.* Proculus *solus, ecclesiæ cathedralis Patronus, hoc die Officium solemne inibi obtinuit* (8) *usque ad annum* 1708, *quo anno (ut ex litteris a P. Paschali de Matthæis S. J. ad decessores nostros datis intelligo) a S. R. Congregatione transpositum fuit in diem* XVI *Novembris, petentibus Puteolanis ob vindemiæ curis occupatos Octobris dies. Ex hisce igitur causa ratioque patescit cur hodie S.* Januarius *sociique aliquot in fastis compareant. Quod vero cras rursum recolantur, id explicandum haud dubie est ex festo S. Lucæ hodiernum diem occupante: unde factum est, judice Stiltingo* (9), *ut monachi Richenovienses, qui reliquias SS.* Proculi, Eutychetis *et* Acutii *(incertum an S.* Januarii *etiam) possidebant, cum tota* E *diœcesi Constantiensi festivitatem S.* Januarii *et sociorum ejus celebrarint die* XIX *Octobris, et hunc pariter diem servarint Rhinovienses, qui earumdem reliquiarum partem acceperant. Denique si ad duos insequentes dies* XX *et* XXI *rursum aliqui ex his Martyribus in Hieronymianis, sed minus clare, nominantur, censet merito Stiltingus* (10) *hoc imputandum errori illorum qui antiqua illa Martyrologia transcripserunt, auxerunt multisque modis ex ignorantia luxarunt. Cætera ad inclytum hoc SS. Martyrum agmen pertinentia a laudato Stiltingo abunde pertracta habes ad diem quo eos Romana Ecclesia colit* XIX Septembris.

S. Epiphania Virgo *Ticinensis occurrit hodie in Kalendario seu Martyrologio Benedictino germanice edito a monacho Donawertensi anno* 1786. *Ipse vero scriptor monet eam alias referri, uti et apud nos relata est, ad diem* VI Octobris.

S. Lucam abbatem Carbonensem *Ferrarius in Catalogo generali huic diei as eruit, sive ex errore in nota numerali* 18 *pro* 13, *sive propter translationem Reliquiarum, quæ sæculo* XI *in festo* F *S. Lucæ evangelistæ, ut refert Paulus Gualtieri* (11), *facta fuit a Luca II Carbonensi item abbate. Verum idem Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ cum aliis hagiographis S.* Lucæ *abbati eum diem assignat quo Officio ecclesiastico colitur a monachis Basilianis utriusque ritus in Italia, et quo item locum habet in opere nostro. Est is dies* XIII Octobris.

S. Mommolinum *annuntians Benedictinus Donawertensis, quem modo citavimus, dupliciter errat: tum scilicet quod cathedram ejus episcopalem collocat Noviomagi in Geldria, tum quoque quod memoriam ejus ponit biduo serius quam fit in aliis passim fastis, cum quibus nos de eo egimus* XVI Octobris.

S. Ambrosii episcopi translatio *in notis ex Ms. Cartusiæ Bruxellensis a Bollando collectis assignatur huic diei, quo etiam canonici regulares ecclesiæ SS. Petri et* Ambrosii *Bituricis festum hujusce Patroni sui agere solebant. Alias vero Martyrologia et Kalendaria S.* Ambrosium *Ca-*

(1) Cfr t. VI Septemb., p. 761. — (2) Ibid., p. 808. — (3) Cfr Ughelli, Ital. Sacr., t. X, col. 141. Edit. Colet. — (4) Cfr J. de Nicastro. Benevent. Pinacoth., p. 71. — (5) Apud Mai, Script. vet. nov. collect., t. V, part. 1, pag. 63 et 64. — (6) Cfr t. VI Septemb., p. 805. — (7) Ibid., p. 807 et 808. — (8) Ibid., p. 790. — (9) Ibid., p. 788. — (10) Ibid., p. 764. — (11) De Sanctis Calabriæ, lib. I, cap. XXXVI.

durcensem

A *durcensem biduo ante commemorant, quæ et nos secuti sumus* xvi Octobris.

SS. Alexander et Victor *commemorantur rursus ad hunc diem in Auctariis quibusdam Usuardinis. De iis egimus die superiori* xvii Octobris.

S. Lupus episcopus Andegavensis, *cujus hoc die meminit Ferrarius in Catalogo generali, datus quoque est a nobis ad præcedentem* xvii Octobris.

Dedicationem ecclesiæ Mediolanensis, *huic diei addicit Ferrarius. At festum mobile est, agi consuetum Dominica tertia Octobris, uti S. Eusebium archiepiscopum sæculo* v *instituisse refert antiqua de eo lectio Breviarii Ambrosiani* (1) ; *et S. Carolus Borromæus hanc consuetudinem confirmavit, postquam die* xx *Octobris* 1572 *novam totius basilicæ metropolitanæ consecrationem solemnissima pompa peregisset, excepta ara maxima, jam dudum a Martino Papa V die* xvi *Octobris* 1418 *consecrata, prout notat Bosca ad diem* xx *hujus mensis in suo Martyrologio Mediolanensis ecclesiæ.*

Dedicatio ecclesiæ metropolitanæ Senis *hic pariter a Ferrario collocatur. Utrum recte, an unius mensis errore? Sane idem ipse consecratæ ecclesiæ*
B *illius rursus meminit ad* xviii *Novembris, ac reapse posteriore hoc die solemnitas annua dictæ consecrationis jam ante sex sæcula celebrabatur, ut ex Oderici Ordine Officiorum a Trombellio edito liquet* (2).

Dedicatio ecclesiæ S. Mariæ Remis *hodie annuntiatur in Usuardo Centulensi et in Martyrologio Saussayi, quibuscum convenit Breviarium Remense anno* 1759 *editum, in quo propterea festum S. Lucæ pridie ponitur.*

Consecratio ecclesiæ de Monasteriis in Argona, in territorio Catalaunensi *(vulgari nomine* Monstier en Argonne) *notatur hoc die in Kalendario Cisterciensi.*

Dedicatio sanctæ ecclesiæ Funchalensis *in insula Madera annuntiatur in Martyrologii Romani lusitana lingua a PP. Soc. Jesu editi supplemento.*

Dedicationem ecclesiæ S. Francisci Xaverii Parisiis, *quæ erat tirocinii Societatis Jesu, recenset Castellanus in Supplemento Elenchi Festorum ad calcem Martyrologii, adscribitque diem* xviii *Octobris.*

Jacobi diaconi *venerabilis Dei servi memoriam apud*
C *Eboracum signat hodie, id est, postridie octavæ S. Paulini archiepiscopi, eruditus Martyrologii Britannici lingua anglica an.* 1761 *editi auctor* (3). *Erat is sane, secundum testimonium S. Bedæ* (4), vir industrius, nobilis in Christo et in Ecclesia, ecclesiasticus et sanctus ; *nec solum S. Paulino apud Northumbros laboranti ministerium suum naviter præstitit, sed etiam ab eo in Cantiam profugo Eboraci relictus,* multo exhinc tempore in ecclesia manens magnas antiquo hosti prædas docendo et baptizando eripuit : cujus nomine vicus, in quo maxime solebat habitare, juxta Cataractam, usque hodie, *inquit Beda,* cognominatur, *isque etiamnum* Akeburgh *dicitur* (5), *quod* Jacobi vicum *sonare videtur. Scribit insuper de eodem venerabilis historiographus :* Qui, quoniam cantandi in ecclesia erat peritissimus, recuperata postmodum pace in provincia, et crescente numero fidelium, etiam magister ecclesiasticæ cantionis juxta morem Romanorum D seu Cantuariorum multis cœpit existere ; et ipse senex ac plenus dierum, juxta Scripturas, patrum viam secutus est. *Item de controversia paschali agens, ait* (6) : Observabat autem Jacobus, diaconus quondam (ut supra docuimus) venerabilis archiepiscopi Paulini, verum et catholicum Pascha cum omnibus quos ad correctionem viam erudire poterat. *Quæ quidem omnia* Jacobum *valde commendant ; at nihilominus satis esse non possunt ut eum inter Sanctos ab Ecclesia cultos recenseamus : quemadmodum nec ipsemet Martyrologii jam laudati auctor eum Sanctum aut Beatum nuncupandum existimavit. Secus foret, si* Cantariam S. Jacobi, *quam olim* infra ecclesiam parochialem de Katerike in comitatu Eboracensi *extitisse discimus ex Catalogo librorum Mss. Bibliothecæ Harleianæ* (7), *ab hoc S. Paulini diacono nomen traxisse nobis constaret : sed documenta deficiunt quibus ea de re certiores fiamus.*

Colmanus filius Cortchidii abbas,	*nominantur hodie in Martyrologiis Hibernicis Tamlactensi, Dungallensi et Mariani Gormani.*
Moluanenus Tamlactensis in Bairche,	
Teca *sive* Moteca virgo de Ruscagh,	

E

Arnulphi comitis Hollandiæ passionem, *epitheto* Beati *eum afficiens, hoc die ponit Rayssius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii, idque, uti ipse testatur,* ex Auctario cujusdam Cartusiani ad Usuardi Martyrologium ; *quibus verbis eum designare videtur quem more decessorum nostrorum Grevenum appellare solemus, et qui* Arnulphum *cum titulo* beatæ memoriæ *memorat ad diem* xviii *Septembris, ut ibi dictum fuit. Quemadmodum autem tunc de cultu ejus nihil rescivere nostri decessores, ita nec nobis de eo quidquam compertum est.*

Luitprandi episcopi Prænestini, *quem S. Anno Sibergæ sepelivit, commemoratio agitur hodie a Gelenio in Sacris et piis Fastis Agrippinensibus* (8). *Nullus hoc nomine episcopus Prænestinus noscitur ; sed forsitan loqui Gelenius voluerit de* Leoperto, *qui floruit sub B. Alexandro II adeoque fuit S. Annoni coævus* (9). *Hunc tamen utrum S. Anno Sigebergæ sepeliverit, nusquam potuimus reperire, neque eum ut Sanctum uspiam coli credimus.* F

Delatio reliquiarum Sancti Patris nostri Joseph fundatoris e sepulcro terreno in capsam anno 6635 *(Christi* 1127), indictione v. *Ita pro hoc die* xviii *Octobris legitur in Necrologio sive Commemorationibus priscorum hegumenorum S. Nicolai* τῶν Κασούλων *apud Hydruntem, quas Pasinus publici juris fecit* (10) *ex codice Ms. græco* ccxvi *Bibliothecæ Taurinensis, continente inter cætera* Typicum... seu Ordinem ecclesiastici Officii... secundum traditionem sanctorum ac religiosorum Patrum, nempe S. Sabæ et Studitæ, et maxime sancti Montis *(Atho),* sed et partim ex traditione sanctissimi Patris nostri Joseph monasterii S. Nicolai Casularum. *Exaratum fuit hoc Typicum anno Christi* 1174 *manu Nicolai tertii hegumeni Casulensis, prout ipse ad calcem testatur ; atque, uti ex titulo colligitur, consonum illi est quod ab Arcudio Romam missum et in Bi-*

(1) Cfr t. II Augusti, p. 724 et 725 ; Saxius. Hist. archiep. Mediol., p. 124 ; Antich. Longob. Milan., t. III. dissert. xxv, part. III, n. 77, p. 216 et 217.—(2) Ord. Offic. Eccl. Senens., cap. ccccxxvi, p. 383. Cfr Pecci, Storia del vescov. di Siena, p. 173 et seqq.— (3) A Memorial of ancient British piety, or a British Martyrology, p. 146. — (4) Hist. eccl., lib. II, cap. xvi et xx. — (5) Giles, Bede's eccl. hist. Lond. 1849, p. 108, not. *.— (6) Lib. III, cap. xxv. — (7) T. I, n. 605, p. 368.— (8) De Magnit. Coloniæ lib. IV, p. 7?2. — (9) Ciacconi, Vit. Pont. Rom., t. I, col. 837, edit. 1677 ; Ughelli, Ital. Sacr., t. I, col. 196, edit. Colet. ; Cecconi, Stor. di Palestrina, lib. IV, cap. II, n. 13, p. 239.— (10) Codic. Mss. Biblioth. Taurin., part. I p. 308.

bliotheca

A *bliotheca Barberina servatum præ oculis habuit Allatius* (1), *et quo ipse Arcudius pro Anthologio suo videtur fuisse usus* (2) *Verum commemorationes quas Pasinus ex dicto codice edidit, serius quam Typicum, saltem majori ex parte, ei fuisse insertas, inde liquet quod non solum ipse Nicolaus Typici scriptor in iis laudatur, sed insuper signantur dies obitus quatuor ejus successorum Callinici, Hilarionis, Nicodemi ac Nectar i; quorum postremus quandonam mortuus fuerit, docet hæc annotatio :* Mense Februario, die IX, dormitio Patris nostri Nectarii anno 6743, *id est, anno Christi* 1235. *Porro, quamvis nulla sanctitatis nota Nectarii nomen hic afficiatur (ubi contra* Joseph *et* Victor ἅγιοι *et* ὅσιοι, *Nicolaus, Callinicus ac Hilarion* μακαρῖται *dicuntur), tamen ex eo quod is monasterium Casularum fuit moderatus, suspicio nascitur fuisse monachis Casulensibus, sin minus ab initio, saltem ineunte sæculo* XIII *sensa minus catholica vel etiam a catholica unitate prorsus aliena. Fuit enim Nectarius, Allatio judice* (3), vir et dicacitate et pertinacia et propugnando schismati et Græcorum erroribus impudentia longe post natos homines improbissi- B mus ; *talemque se palam exhibuit, quando pro Georgio Corcyrensi metropolita, apud Casulenses infirmitate detento, Romam profectus, acerrimum ibi schismatis patronum egit : qua re ingentem sibi laudem comparavit apud sectæ suæ homines, ut demonstrant Georgii jam dicti ad eum datæ litteræ* (5), *et quam de eo jam mortuo scripsit idem Georgius Monodiam ad Nicolaum Hydruntis judicem* (5). *Unde merito cavendum nobis arbitramur, ne, quos Necrologium Casulense Sanctos Beatosve appellat, tamquam vere tales nostro operi inseramus, ni certa aliunde nanciscamur documenta quæ ostendant hunc eis honorem reapse competere. Jam vero abest* Josephi *nostri memoria a Martyrologio latino Ordinis S. Basilii, quod Romano nuper in Urbe edito moxque Mechliniæ recuso adjectum fuit : abest pariter a Kalendario græco Romæ anno* 1845 *excuso ad usum monachorum ejusdem Ordinis ritus italico-græci : quamquam in utroque nonnulli commendantur Sancti qui in Sicilia, Calabria aliisque Italiæ partibus sæculis* XI *et* XII *floruerunt. Neque alibi nobis, quantumvis plures fastos sacros perlustrantibus atque apud varios scriptores anquirentibus,* C *quidquam contigit de* Josepho *eodem reperire præter ea quæ in titulo Typici et Necrologio jam citatis circa ipsum perhibentur. Habet autem Necrologium duas alias, præter jam allegatam, de illo commemorationes; quæ quum decessoribus nostris fuerint ignotæ, eas quoque hic describere visum est. Prior ita se habet :* Mense Septembri, die IV, dormitio Sancti Patris nostri Joseph conditoris monasterii S. Nicolai Casularum anno 6633 *(Christi* 1125), indictione III, in diebus Boemundi principis Antiochiæ et Constantiæ matris ejus. Incepit autem iste hegumenus et Pater noster dominus Joseph sanctum hoc monasterium anno 6607 *(Christi* 1099) in diebus Boemundi patris dicti Boemundi principis Antiochiæ. *Altera vero :* Mense Julio, die XVI, altera delatio reliquiarum Sancti Patris nostri Joseph conditoris, et reliquiarum Sanctorum Patrum nostrorum Victoris successoris illius et secundi D hegumeni ac Beati Patris nostri Nicolai tertii hegumeni hujus sancti nostri monasterii, anno 6706 *(Christi* 1198), indictione I. *Quippe Victor obierat* indictione I in diebus Rogerii magni regis, *id est, anno* 1152, *ac Nicolaus* indictione VIII in diebus Gulielmi junioris, *id est, anno* 1175, *ut item ex Necrologio discimus. Cæterum frustra quis opinaretur plura de* Josepho *referri in Nectarii abbatis Casulensis* Carmine in abbates Casulenses, *quod contra Hottingerum adducit Allatius* (6), *et cujus exemplar mutilum extat in codice Ms.* MCCCLXXI *Bibliothecæ Regiæ Parisinæ* (7) *sub hoc titulo quem ex græco latinum facimus :* Nectarii hieromonachi et abbatis sacri monasterii Casularum versus de abbatibus qui eum præcesserunt. *Singulos singulis tetrastichis a sanctitate commendat Nectarius ; at vero hominis schismatici testimonium satis esse nequit ut nobis persuadeat, aliis argumentis deficientibus, fundatorem monasterii S. Nicolai Casularum inter Sanctos Ecclesiæ catholicæ esse collocandum. Hæc igitur de eo modo dicta sufficiant. Sed quandoquidem huc incidimus, operæ pretium videtur aliquas addere animadversiones, quibus* E *sphalmata quædam historica e medio tollantur. Primum, ut a re leviori ordiamur, non bene a Fabricio distinguitur Nectarius auctor Carminis de abbatibus qui ante ipsum claruerunt* (8) *a Nectario abbate Casulano* (9), *quum unum eumdemque virum esse satis liqueat ex Allatii indicatione; neque hæc ipsa indicatio sufficiens Fabricio ratio esse debuerat cur Nectarium abbatem Melodis Græcorum annumeraret* (10) *: etenim illi tantum Melodi dicendi sunt, qui cantica Officiis ecclesiasticis apta pepigerunt. Deinde, corruit plane conjectura Papebrochii, monasterium S. Nicolai Casularum forsitan Constantinopoli stetisse, cujus auctor fuerit S. Joseph hymnographus* (11); *id quod jam refutatione non indiget, dum ex ante allatis manifestum est conditum ab alio* Josepho *fuisse illud monasterium, ac de situ ejus dubitare non sinunt quæ de eo scripsere Ant. Galatæus* (12), *Fr. Mar. de Aste* (13), *Ferd. Ughellus* (14), *Aug. Lubin* (15) *: apud quos auctores simul videre est monasterium illud, etsi aliquando fuerit schismatica tinctum fuligine, postmodum tamen catholicæ unitati adhæsisse. Quisnam vero S. Nicolaus* F *datus fuerit Casulensibus Patronus, ignoramus : namque eum in Commemorationibus a Pasino editis modo* ἅγιον, *modo* ὅσιον *dici animadvertimus : epitheton autem* ὅσιος *quod monachis Sanctis Græci tribuunt* (16), *non ita bene convenit S. Nicolao episcopo : unde de S. Nicolao Peregrino, quem brevi post canonizationem suam* (17), *anno probabiliter* 1098 *vel* 1099 *factam* (18), *ecclesiam apud Hydruntinos nactum fuisse Agnellus Brunus tradit* (19), *cogitare cœpimus ; quin nobis interim vacet rem penitius investigare. Majoris momenti est quod observandum nobis restat : nimirum corrigendam omnino esse, quod ad res Georgii Corcyrensis ac Nectarii hegumeni Casularum spectat, chronotaxim Baronii. Refert is iter Romanum a Nectario vice Georgii ægrotantis susceptum ad Concilium Lateranense* III *sub Alexandro III anno* 1179, *mortemque Nectarii*

(1) De lib. eccl. Græc., p. 11 et 12. — (2) Cfr Du Cange, Glossar. Græc., t. II. Ind. Auctor. col. 63. — (3) De Georgiis, n. XXX, apud Fabricium, Biblioth. Græc., t. X, p. 619 vet. ed. vel t. XII, p. 59 ed. Harl. — (4) Apud Baronium, ad an. 1179, n. X et seqq., t. XIX, p. 497 et seqq. Edit. Luc. — (5) Ibid., ad an. 1180 n. XXXIX et seqq., p. 515 et 516. — (6) P. 181, item de Synod. Photiana, cap. XIV, p. 539. — (7) Catal. cod. Mss. Biblioth. Reg., t. II, p. 309. Cfr Labbe, Biblioth. nov. Mss., p. 135. — (8) Biblioth. Græc., t. VIII, p. 407, vel t. IX, p. 310. — (9) Ibid., p. 408, vel p. 311. — (10) Op. cit., t. X, p. 135, vel t. XI, p. 81. — (11) T. I Aprilis, p. 268. — (12) De situ Japyg. apud Burmannum, Thes. Antiq. Ital., t. IX, part. V, col. 11. — (13) In Memor. Hydrunt. Eccl. epit., cap. I, ibid., part. VIII, col. 3. — (14) Ital. Sacr., t. IX, col. 53, Edit. Colet. — (15) Abbat. Ital., p. 93. — (16) Cfr t. I Maii, p. VII. — (17) Cfr t. I Jun., p. 249. — (18) Ibid., p. 250, not. *a*. — (19) Ibid., p. 259.

sequenti

A *sequenti anno* 1180 *illigat, atque ex codice quodam Metiano plures subinde recitat Georgii epistolas tamquam ante finem sæculi* XII *scriptas. Jam vero hæc consistere nequeunt cum Necrologio Casulensi, quo docemur ab anno* 1175 *ad* 1195, *intra quod tempus celebratum fuit tertium Concilium Lateranense, monasterio Casularum præfuisse Callinicum, huic Hilarionem successisse, Hilarioni anno* 1201 *Nicodemum; quo defuncto* indictione VIII, *id est, anno* 1205 *vel* 1220 *(constat enim indictio quindecim annis), regimen tenuit Nectarius ad annum usque* 1235. *Ad hæc ipse Georgius Corcyrensis in quodam opusculo testatur se, dum morbo detineretur in monasterio Casularum, de controversiis ecclesiasticis collocutum fuisse cum Fratribus Minoribus* (1) *: atqui S. Franciscus primum cœpit habere Fratres anno* 1209 (2)*; quod mirum est non attendis e Allatium, qui iter adeoque ægrotationem Georgii cum Baronio ad Concilium Lateranense* III *refert : Casimirus vero Oudinus, ubi medicam huic errori chronologico manum afferre voluit, pejori etiam errore duos Georgios metropolitas Corcyrenses commentus est, seniorem alterum* (3), *alterum* B *juniorem* (4) *vocitans. At figmento Oudini rejecto, unoque tantum admisso Georgio Corcyrensi, ex præmi sis evidenter liquet* 1° *epistolas quas Baronius a Georgio ad Fredericum I imperatorem datas asserit* (5), *Frederico II fuisse inscriptas. Liquet* 2° *Emmanuelem Comneno-Ducam, ad quem extant item apud Baronium epistolæ Georgii* (6), *non fuisse Emmanuelem Comnenum, qui Constantinopoli imperavit ab anno* 1143 *ad* 1180, *sed Emmanuelem Angelum Comnenum, qui, fratre Theodoro apud Bulgaros captivo, ab anno* 1230 *ad* 1232 *despotam egit Epiri ac Thessaliæ, cui ditioni Corcyra insula accensebatur, seque etiam imperatorem appellavit* (7). *Liquet* 3° *Georgium non fuisse invitatum ad synodum Constantinopolitanam circa annum* 1180, *ut putavit Baronius* (8), *sed ad eam quæ anno* 1232, *Latinis Byzantio jam diu potitis, Nicææ in Bithynia a Græcis habita fuit sub Patriarcha suo Germano* (9), *qui inde ad Emmanuelem Comneno-Ducam paulo ante memoratum, cum quo et alias habuit epistolare commercium, ablegavit Christophorum metropolitam Ancyranum cum Mandato seu Commonitorio synodali, idque, ut videtur, ut* C *principem illum a communione cum Latinis ineunda deterreret* (10) *: scripserat enim is circa id tempus ad Gregorium Papam IX velle se Romanæ Ecclesiæ adhærere suamque illi ditionem fiduciario jure addicere* (11). *Liquet* 4° *iter Georgii Corcyrensis in Italiam, siquidem se illud jussu Emmanuelis Comneni suscepisse scribit ut imperatorem Fredericum ac Romanum Pontificem nomine ejus conveniret* (12), *incidisse intra triennium quo Emmanuel principatum tenuit, nec proinde diu ante mortem Nectarii hegumeni Casulensis, qui tunc vice Georgii Romam se contulit, quum jam, ipso Georgio teste* (13), *valde senex esset. Liquet* 5° *delendum esse ex serie patriarcharum Græcorum Antiochiæ Simeonem illum quem Lequienus inibi ante Theodorum Balsamonem* D *collocavit* (14) *non aliam ob causam quam quia cum Baronio* (15) *existimavit patriarcham hunc ad Georgium Corcyrensem scripsisse ab eoque responsum tulisse anno* 1178 *: enimvero litteras patriarchæ accepit Georgius, uti ipse ad eum rescribens testatur, eo tempore quo in Italia ægrotabat : fuit igitur is patriarcha Simeon qui synodo Græcorum in Bithynia anno* 1232 *interfuit; quem Lequienus* (16) *Simeonem III vocat, sed dicendus est Simeon II. Liquet* 6° *Athanasium II patriarcham Hierosolymitanum, qui a Georgio Corcyrensi litteras accepit et vicissim suas ad eum dedit* (17), *non sedisse circa annum* 1188, *uti visum fuit Baronio ac Lequieno* (18), *nec circa annum* 1193, *ut Pagius censuit* (19)*; sed omnino serius, nempe inter Theophanem I et Gregorium II* (20) *: unde forsitan superfluus fuerit Athanasius III, quem Lequienus Gregorio II subjungit ex auctoritate Allatii* (21), *quæ in rebus chronologicis non ita magni facienda est. Idem autem Lequienus, ubi de episcopis Corcyrensibus agit, veram Georgii epocham assignat* (22), *citans epistolam ejus ad Germanum II patriarcham Constantinopolitanum, servatam in codice Bodleiano Oxoniensi* E CXXXI. *Verum alii scriptores qui de Georgio Corcyrensi et Nectario Casulano abbate mentionem fecere, ut Labbeus* (23), *Allatius* (24), *Cave* (25), *Ellies Dupin* (26), *Fabricius* (27), *Zavarronus* (28), *ne Oudinum rursus memoremus, in eumdem aut in graviorem etiam quam Baronius anachronismum impegerunt, ac proinde pari emendatione in hac parte indigent.*

Vulchinum abbatem Sichemensem *ad præsentem diem referri a Claudio Chalemot inter viros sanctos et illustres Ord. Cisterc., posseque hac occasione iterum de cultu ejus inquiri, monuere majores nostri ad* XVIII *Septembris, quo videbant eum memorari ut* Beatum *apud Chrysostomum Henriquez in Menologio cum dubiis cultus indiciis, necnon in Kalendario Cisterciensi Parisiis impresso anno* 1689. *Quod quidem Kalendarium ad dictum diem (non ad* XVIII *Octobris, ut majores nostri per errorem scripserunt)* B. Vulchini abbatis *meminit in additione lectioni publice recitandæ subjecta minoribus typis; atque adeo, ut ex Mandato abbatis generalis Kalendario præfixo colligitur, eum excludit e censu illorum qui cultu publico gaudent vel Sedis Apostolicæ auctoritate in Sanctorum numerum sunt relati.* F *Neque ad locum* Vulchino *in nostro opere dandum movemur asserto Henriquezii, Missale antiquum de eo inter Beatos agere : nam Missale illud Parisiis anno* 1526 *typis editum non refert* Vulchinum *inter Sanctos aut Beatos quorum memoria inter Sacrum faciendum recolenda sit; sed annexum sibi habet longum catalogum virorum Ordinis Cisterciensis vitæ sanctimonia insignium, qui quidem generali appellatione* Sanctorum *et* Beatorum *inibi cohonestantur, nec tamen ideo omnes ecclesiastico cultu fruuntur : id quod ipse Henriquez in Fasciculo Sanctorum sui Ordinis, ubi totum illum Catalogum descripsit, satis indicat* (29).

(1) Apud Allatium, de Eccl. Occid. et Orient. consens., lib. II,
cap. XI, col. 663; de Georgiis, apud Fabricium, t. X, p. 619, vel t. XII,
p. 39. — (2) Cfr t. II Octobr., p. 573. — (3) Comment. de Scriptor. eccl.,
t. II, col. 1536. — (4) Ibid., t. III, col. 110. — (5) Ad an. 1176, n. XXI, et
ad an. 1178, n. XIII, p. 432 et 481. — (6) Ad an. 1176, n. XXIII, XXIV et
XXV, p. 433 et seqq. — (7) Cfr Rainaldus in Continuat. Baronii, ad
an. 1232, n. LV, t. XX, p. 74; Ducange, Famil. Byzant., p. 206. —
(8) Ad an. 1180, n. XXV, t. XIX, p. 513. — (9) Cfr Mansi, Supplement.
ad Concilia Veneto Labbeana, t. II, col. 979 et seqq. — (10) Cfr Lambecius, Comment. de Biblioth. Cæsar., l. V, p. 107, vet. ed., p. 225 et seqq.
ed. Kollar. — Fabricius, op. cit., t. X, p. 211, vel t. XI, p. 166 et 167. —

(11) Cfr Rainaldus, loc. cit., et Ducange, loc. cit. — (12) Apud Baronium, ad an. 1178, n. XIII, p. 481 et 482. — (13) Ibid., ad an. 1180,
n. XXX, p. 516. — (14) Orient. Christ., t. II, col. 759. — (15) Ad an. 1178,
n. XIII et XIV, p. 482. — (16) Loc. cit., col. 761, 762 et 763. — (17) Apud
Baronium, ad an. 1188, n. XXX et seqq., p. 604 et seqq. — (18) Op. cit.,
t. III, col. 503 et 504. — (19) In Critice, ad an. 1188, n. XIII. — (20) Cfr
Lequien, ibid., col. 505. — (21) Contra Hottingerum, p. 475. — (22) T. II,
col. 105. — (23) Concil., t. X, col. 1527 et seqq. — (24) Locis citatis. —
(25) Script. eccl. sæc. XII, p. 578 et 579, edit. Genev. 1720. — (26) Biblioth.
des Auteurs ecclés., t. IX, p. 201, édit. 1697. — (27) Loc. cit. — (28) Biblioth. Calabr., p. 42. — (29) Lib. II, dist. XXVI, cap. LXIX, p. 313.

Porro

A *Porro in eo Catalogo, tam apud Henriquezium quam apud Miræum* (1), *ita scribitur* : Brekinus Walkeidæ monachus, postmodum Sichem abbas, *duplici sphalmate, quum* Brekinus *dicatur qui* Vulchinus *erat, et* Walkeidæ *nomen pro* Walckenredæ *positum sit, ut observat Leuckfeldius in Antiquitatibus Walckenredensibus* (2). *In hoc autem opere Leuckfeldius plura de* Vulchino *(qui et* Vulcuinus, Volcuinus, Fulkuinus, Wilkinus *quandoque vocatur) affert et ab aliis allata indicat, atque inter Addenda integrum exhibet Sermonem synodalem ab eo habitum* (3). *Nobis satis sit breve ejus encomium ex Seguino describere* (4) : Vulchinus vir honestis moribus præditus, monasticæ vitæ studio adductus Walkenrode Saxoniæ cœnobio se tradidit : ex quo post in Sichem transiit, ubi abbatis officio functus, suæ sanctitatis magna posteris reliquit indicia. Nam pauperum et infirmorum xenodochia, vinctorum cellas, viduarum et pupillorum tuguriola lustrabat, et necessaria singulari caritate subministrabat. Peregrinos quoque et advenas libenter suscipiebat, eorumque pedes Christi exemplo ipse abluebat. Hujus tanti viri
B plurima opera miraculis satis comprobata leguntur et creduntur.

Theobaldi cognomento pii, Campaniæ comitis, *addita pro more suo* Beati *appellatione, hodie meminit Bucelinus. Idem ad diem* II *Octobris fecerat Chrysostomus Henriquez, quo die item Kalendarium Cisterciense cum sequenti encomio ornat :* In Claravalle obitus Theobaldi Campaniæ comitis, qui sub finem vitæ assumpto habitu, et prævisa mortis suæ hora, eleemosynas quas fecit ecclesiis Sanctorum, fine sanctissimo coronavit. *Hoc tamen encomium minoribus typis excusum est.*

Guichardi monachi *cum* Beati *titulo meminere ad hunc diem Bucelinus, Manrique, Henriquez, et cum iis, sed minoribus typis, Kalendarium Cisterciense, ita eum dilaudans :* In Claravalle B. Guichardi monachi, cujus morientis gloria ostensa est B. Roberto abbati suo.

Benno episcopus, *qui ex monacho Hamburgensi ad apostolicum munus electus, quintus Wandalorum apostolus appellari meruit, obiitque anno* 1190, *laudatur ad hunc diem ut* Sanctus *a Bucelino aliisque Fastorum Benedictinorum scriptoribus.*
C *Nobis de ejus cultu nihil notum est.*

Petrus archiepiscopus Upsalensis *ad hunc diem, quo obiit anno* 1366, *tamquam* Beatus *laudatur inter cultores B. Virginis Mariæ ab Antonio de Balinghem in Kalendario Mariano. Vastovius in Viti Aquilonia sive Vitis Sanctorum regni Sueo-Gothici laudes ejusdem narrat* (5) : *quamvis autem generalis hujus libri titulus omnes in eo commendatos tamquam* Sanctos *videatur deprædicare, attamen auctor, ubi de singulis in specie scribit, illos tantum eo epitheto passim decorat quibus cultum ecclesiasticum attribui compererat ; atque adeo neque* Petrum, *de quo hic agimus,* Sanctum *aut* Beatum *in Vitæ ipsius compendio vocat. Joannes item Messenius tom. IX Scondiæ illustratæ ab eo inter Sanctos recensendo abstinet. Utut igitur is præsul Upsalensis, de quo etiam in Revelationibus S. Birgittæ* (6) *et in Joannis Magni Historia Pontificum Upsalensium* (7) *cum laude fit mentio, sanctimonia vitæ fuerit conspicuus ; quum tamen nusquam cœlitum honores ritu* D
legitimo ei collatos fuisse reperiamus, pro operis nostri instituto vetamur plura de eo disserere.

Henricus de Calstris *Ord. Præd. Lovaniensis ex tribu patricia* Van del Calstre, *de qua Divæus in Rebus Lovaniensibus agit* (8), *insertus est Fastis Sanctorum Rosweydi, qui Vitæ ejus apographum nobis inter documenta a se collecta reliquit, desumptum ex Ms. Hagiologo Brabantinorum Joannis Gilemans præpositi Rubeæ Vallis juxta Bruxellas. Magnam hujus Vitæ partem typis vulgavit Hyacinthus Choquet in Sanctis Belgii Ordinis Prædicatorum* (9), *ubi* Beatus Henricus *dicitur, quem Gilemannus titulo* Venerabilis *tantum affecerat. Eumdem ex Choquetio ad hunc diem commemorant Miræus in Fastis Belgicis (remittens ad* XVIII *Septembris), Raissius in Auctario ad Molani Natales, Balinghemius in Kalendario Mariano, Fisenus in Floribus Ecclesiæ Leodiensis, auctor anonymus Anni Dominicani gallice editi anno* 1670, *Marchesius in Sacro Diario Dominicano ; qui omnes, solo Fiseno excepto, notam* Beati *nomini ejus præfigunt, at sensu quodam liberiore, ut ipse Choquetius in monito ad lectorem explicat. Recentiores autem* E
Quétif et Échard ubi Henricum Calstrium *laudant inter sui Ordinis scriptores* (10), *cum* Beatum *haud nuncupant ; et Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano* (11) *satis habet eum dicere* B. M. Ven., *id est,* Beatæ memoriæ venerabilem.

Conradum *et* Servatium *item Lovanienses ejusdem Ordinis, a Thoma Cantipratano dilaudatos* (12), *hoc eodem die commendat Raissius, illum* Beatum, *hunc* Venerabilem *appellans, præeunte rursus Choquetio* (13). *Bernardus de Jonghe utrique notam* B. M. Ven. *adscribit* (14).

Petri Soliutri, apud Salinas superiores Bosnæ Argentinæ, Confessoris, miraculis clari, *mentio hodie est cum titulo* beati *in Martyrologio Franciscano Arturi a Monasterio ; ad diem vero* XI *Octobris eum laudat Hueberus, et quidem ut Martyrem. Verum error Hueberi est, arbitrati vivum* Petrum *cultris pugionibusque Turcarum confossum fuisse, quum tamen ea injuria corpori ejus post mortem integro illata a Turcarum pueris fuerit.* Quapropter, *ut ex Gonzaga* (15) *et Barezzo* (16) *refert Arturus,* illustris Comes Paulus Sychius illud inde noctu raptum proprioque F
equo impositum, per medios Turcas somno oppressos, ad propriam domum, indeque cum luminaribus ac solemni fidelium processione ad conventum quem anno 1541 ex propriis facultatibus construi fecerat, transtulit : ubi et ab iisdem fidelibus summa veneratione colitur, miraculisque coruscat. *Porro ex Arturo Coletus eum in Martyrologium Illyricum a se adornatum transtulit, aiens* (17) : In Bosna B. Petri Soliutri miraculis clari. *Habemus autem Kalendarium Romano-Seraphicum ad usum Fratrum Minorum provinciæ Bosnæ Argentinæ dispositum pro anno* 1842 ; *at nulla inibi* Petri Soliutri *mentio. Quare et a nobis prætermittendus videtur.*

Joannis Parisotus Martyr,
Bernardus a Fraxineto *seu* de Fresneda *archiep. Cæsaraug.*,
Guilielmus Abrincus,
Catharina Vaaz,
item ut Beati *referuntur ab Arturo. Primum et secundum laudat quoque Huebcrus, sed* Beatos *haud vocat.*

(1) Chron. Cisterc., p. 320. — (2) Cap. vi. § xi. p. 62. — (3) P. 180 et seqq. — (4) Sanct. Ord Cisterc., lib. iii, cap. liii. — (5) P. 87 et 88, edit. Upsal. 1708. — (6) Lib. iii. cap. xiii. et lib. vi. cap. xxii — (7) Lib. iv. p. 82, 83 et 84. — (8) Lib. ii, trib. ii, p. 43 et seqq. — (9) Cap. xiii, p. 77 et seqq. — (10) Script. Ord. Præd., t. I, p. 602. — (11) De conv. Lovan., cap. v. p. 142.—(12) Lib. ii, cap. i.— (13) Cap. xv et xvi. p. 103 et seqq.— (14) Loc. cit., p. 145. — (15) De Orig. seraph. Relig. Francisc., part. ii. Prov. Bosn. Argent., conv. vii. p. 514. — (16) Chron. Frat. Min., part. iv, lib. iii. cap. xxxiv, p. 265 et 266 vers. gall. — (17) Illyr. Sacr., t. VIII, p. 313.

A Anonyma Martyr *in India*
Anonymæ *duæ S. Gertrudis discipulæ*,
Maria ab incarnatione *Clarissa*.
} Beatæ *dicuntur ab Arturo in Gynecæo, sed cultum non habent.*

Gaspar Barzeus *S. J. Armuziæ urbis ad ostium sinus Persici apostolus. S. Francisco Xaverio percarus, hoc obitus sui die laudatur a Miræo in Fastis Belgicis et Burgundicis, ab Antonio de Balinghem in Kalendario Mariano, et a scriptoribus fastorum nostræ Societatis. Viro sanctissimo nullus cultus ecclesiasticus hactenus obtigit.*

Ven. Dei Servus Paulus a Cruce, *institutor Congregationis clericorum regularium SS. Crucis et Passionis Domini nostri Jesu Christi, obiit* XVIII *Octobris anni* 1775. *Causa beatificationis ejus jam multum provecta, at nondum terminata est. Vide ad finem hujus tomi page* 1107.

S. Aquilinus episcopus Ebroicensis *hodie memoratur in codice Corbeiensi apud Florentinium, et in Usuardi editione Greveniana ; in hac vero additur :* Secundum alios die sequenti, *id est* XIX Octobris.

S. Petrus de Alcantara Confessor Ord. Min. *obiit*
B *die* XVIII *Octobris, ad quem ideo encomium ejus extat in variis fastis sui Ordinis, sicut et apud Tamayum de Salazar ac Castellanum necnon in Martyrologiis Parisiensi, Autissiodorensi et Ebroicensi ; sed ab Ecclesia Romana colitur die sequenti* XIX Octobris.

S. Maurontum ex abbate S. Victoris episcopum Massiliensem *laudat hodie Castellanus et cum eo Martyrologia Parisiense et Ebroicense. Nos de hoc Sancto agemus ad diem quo Massiliæ colitur, et quo eum migrasse in cœlum asserit sexta lectio Officii proprii* (1), XXI Octobris.

S. Philippum Martyrem, *Hermeti Axiopolitano conjunctum in codice Hieronymiano Epternacensi, transmittimus, propter rationes in Sylloge hodierna de SS. Hermete et Taxio allatas, ad diem* XXII Octobris.

B. Marci clarissimi doctoris *meminit hoc die Beiini editio altera, ut retulit Sollerius inter Auctaria ad Usuardum. Bollandus in Elencho Ms. notavit :* Vide V Martii alium Marcum. An hic scriptor de quo Niceph. lib. XIX cap. LIV. *Atque in ipsa Synopsi de S. Marco monacho in Ægypto, quæ ad* V *Martii in opere nostro extat, de pluri-*
C *bus homonymis disputatur. Quo respiciens Sollerius ait :* Multos Marcos novi, sed de quo hic agat nescio. Si de Hierosolymitano, colitur XXII Octobris.

S. Oelbertus Confessor *obvius ad hunc diem fuit Bollando in Ms. Florario. De eo agendum erit ad diem* XXII Octobris.

SS. Servando et Germano Martyribus *hic dies ad-* D
scribitur in Catalogo Sanctorum Hispaniæ, quem habemus manuscriptum a nescio quo ex Joanne de Marietta. Verum in Martyrologiis memorantur et ab Ecclesia Hispana Coluntur die XXIII Octobris.

Henrici Bonnensis, qui cum aliis nobilibus anno 1147 expeditioni contra infideles se adjunxit, et Olissipone pro fide Christiana occumbens multis claret miraculis, *est annuntiatio ad hunc diem in Fastis Agrippinensibus Gelenii, qui* Beatum *eum appellat, sicut pariter hoc ipso die extat* Olissiponis per Belgas captæ et martyrum ibi cæsorum memoria *apud Miræum in Fastis Belgicis et Burgundicis, octiduo citius quam fert Lusitanorum traditio. Secundum hanc Lisbona seu Ulyssipo urbs anno* 1147 *e potestate Sarracenorum erepta fuit die festo SS. Crispini et Crispiniani, qui hac de causa ibi coluntur Officio ritus duplicis majoris. Quare de ea victoria, deque equitibus Belgis, Germanis, Gallis, Anglis, Lusitanis, qui vitam pro illa obtinenda profuderunt, loqui differimus ad dictum usque diem* XXV Octobris.

S. Honoratum episcopum *ex Officiis Ecclesiæ Ver-* E
cellensis recensuit Bollandus inter Sanctos hujus diei. De eo agendum erit decimo post die XXVIII Octobris.

SS. Anonymos Martyres *Rictii Vari jussu haud procul Basilea demersos refert ad hunc diem Henricus Murer in Helvetia Sancta* (2), *nempe quod S. Justus puer, ex cujus Actis metricis res innotescit, hodie in fastis Sanctorum memoratur. Acta illa, de quibus postea in Commentario de S. Justo sermo erit, ita canunt de Rictio Varo* (3) : Et ingressus civitatem Basileam nomine, qua suos cursus in Rhenum infert Ara fluvius, multos ibi Christianos demergi præceperat. *Sed hæc manifeste desumpta sunt ex Passione S. Quintini antiquiore et fide digniore, in qua idem factum refertur, variantibus codicum lectionibus circa civitatis ac fluviorum nomina. Poterit igitur res examinari ad S. Quintini diem* XXXI Octobris.

S. Maudeto abbati *adscribitur dic dies a R. D. Garaby canonico Briocensi in Vitis Beatorum et Sanctorum Britanniæ Minoris : verum alii Fasti ei assignant diem* XVIII Novembris.

SS. Babylæ et Simpliciani Martyrum translationem F
anno 1460 *hoc die factam Cremonæ refert Ludovicus Cavitellius, citatus a Bollando, qui de S.* Babyla *egit ad diem* XXIV Januarii. *De S* Simpliciano *agendum erit ad postremum anni diem* XXXI Decembris.

(1) De Belsunce, l'Antiquité de l'église de Marseille. t. 1, p. 301. — (2) P. 168. — (3) T. I Aug., p. 34.

A D

DE S. LUCA EVANGELISTA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. Sancti elogia in variis Martyrologiis : ejus patria, genus et professio ante susceptum Christianismum.

SÆC. I POST MEDIUM

Martyrologia variis diebus

Licet unanimi voce Martyrologia omnium Ecclesiarum Sanctitatem Lucæ *et cultum Evangelistæ proclament, in hoc tamen non pauca dissentiunt, quod varios dies ejus cultui celebrando assignent. Plurima quidem in hodiernam diem conveniunt; imo, quantum assequi possum, nulla e thod'e Ecclesia, quæ diem* XVIII *Octobris sacram S.* Lucæ *non habeat. Ast olim variabant Eccles æ in festivitatis die assignanda. Sic vetustissimum Kalendarium Africanum, a Mabil-* B *lonio editum* (1), *quod circa annum* 526 *sub Bonifacio, Carthaginensi episcopo, concinnatum existimat Stephanus Morcelli* (2), *diem* III *Idus* (XIII) *Octobris celebrem colit S.* Lucæ Euangelistæ et Martyri (3). *Sic quoque, ut recte adnotat Dominicus Georgius in Adonis Martyrologium ad diem* XVIII *Octobris, Hieronymiana varia varios indicant dies, nempe* XXI *et* XXVI *Septembris et* XXVII *Novembris. Est et aliud, in quo laudati Fasti non conveniunt; scilicet quid proprie hac die recolatur, num passio, an vero translatio S.* Lucæ. *Certe hodiernum Romanum Martyrologium hujus diei celebritatem Natalem vocat, quum dicit :* Natalis Beati Lucæ Euangelistæ, qui multa passus pro Christi nomine, Spiritu Sancto plenus obiit in Bithynia; cujus ossa Constantinopolim translata sunt, et inde Patavium delata.

annectunt festivitatem S. Lucæ,

2 *Ast Florentinius hanc diem non assignat* Natali *sed* Translationi *S.* Lucæ; *quia nempe id præcipua Hieronymiana apographa eum docebant. Græci, qui passim, quoties de martyrio non agitur, utuntur voce ambigua* μνήμη, commemoratio, *inter has diversitates seu scopulos securi procedunt, sed nihil quoque conferunt ad quæstionem elucidandum. Cæ-* C *terum si quidem translatio aliqua die* XVIII *Octobris celebrata fuerit, eam non esse Constantinopolitanam ex eo liquet, quod hæc facta dicatur a Theodoro Lectore, sæculi sexti scriptore, per Morcellium citato* (4), πρὸ πέντε νοννῶν μαρτίου, *die* III *Martii : quocirca, translatio diei* XVIII *Octobris illiganda, quoniam vetustissima Hieronymiana eam recolunt, ad anteriorem quamdam, nobis ignotam, traducenda est, quando scilicet S.* Lucæ *corpus e primo sepulchro ad aliud delatum fuit. Translationem Constantinopolitanam S.* Lucæ *celebrat Martyrologium Romanum sub die* IX *Maii, una cum translatione SS. Andreæ Apostoli et Timothei discipuli S. Pauli; hæ tamen salemnitates, de quibus nullam memoriam in Kalendario* C. P. *Morcellii reperio, non eodem die celebratæ fuere, quum Theodorus Lector SS. Timotheum* VIII *Kal. Julii, Andream et* Lucam V *non. Martii translatos referat* (5). *Ex quibus omnibus elucet non nimium urgendas esse, sive voces* Natalis *aut* Translatio, *sive ipsas dies, quibus annuntiantur; quum magis memoriam facti, alia forsan die patrati, quam ipsam diem indigitare possint.*

(1) Vet. Analect., p. 163. Edit. Paris. 1723. — (2) Afric. Christ. an. 526, n. 2, t. III, p. 262. — (3) Vet. Analect., p. 166. — (4) Kalend. C. P., t. I, p. 196. — (5) Biblioth., Patt., t. XXVI, p. 87. —

cujus breve ex Adone

3 *Juverit hic adnectere præcipua elogia, quibus S.* Lucam *ornarunt Martyrologi, ut| otequæ summa lineamenta ejus vitæ exhibent. Imprimis Wandelbertus hoc metricum encomium exhibet* (6) :

Lucas ter quintum *(Kal. Novembris)*, festo officioque
dicatum,
Monstrat, Paule, tuo Christum sermone locutum.

Ado autem Viennensis, qui prolixius laudare solet, quos annuntiat Sanctos, jejune quidem hac die habet : Natalis Sancti Lucæ Euangelistæ; *quia videlicet in libello de Festivitatibus SS. Apostolorum enucleatius de Sancto nostro egerat hisce verbis* (7): E D. XV Kalendas Novembris. Natalis Sancti Lucæ Euangelistæ, qui fuit natione Syrus Antiochensis, arte medicus, discipulus Apostolorum; Paulum secutus usque ad confessionem ejus, serviens Domino sine crimine : neque uxorem unquam habens neque filios. Septuaginta et trium annorum obiit in Bithynia plenus Spiritu Sancto. Sepultus autem nunc Constantinopoli, ad quam urbem vicesimo Constantii anno, ossa ejus cum Reliquiis Andreæ Apostoli translata sunt. Scripsit Euangelium, quod non solum ab Apostolo Paulo didicit, qui cum Domino in carne non fuerat, sed et a cæteris Apostolis. Quod et ipse quoque in principio voluminis sui declarat, dicens : « Sicut tradiderunt nobis, qui a principio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis. » Aliud quoque volumen edidit egregium, quod titulo Apostolicarum ΠΡΑΞΕΩΝ prænotatur. Cujus historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, id est, usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eadem urbe librum esse compositum. F

et Menologio Basiliano

5 *Qui hoc elogium contulerit cum eo, quod S. Hieronymus in suo libro de Scriptoribus Ecclesiasticis de S.* Luca *texuit* (8), *facile percipiet multa Adonem ex isto mutuatum esse. Neque otiosum fuerit animadvertere nullo verbo Martyrologium attingere pervulgatam opinionem de arte pictoria, a S. Luca exercita. Ast quod tacuit Ado, sæculi* IX *scriptor, id mox sæculo sequenti recenset Menologium Basilii Junioris, ab anno* 976 *ad* 1025 *regnantis, quod tale edit de S.* Luca *elogium sub hac die :* Λουκᾶς ὁ Εὐαγγελιστὴς ὑπῆρχεν ἀπὸ Ἀντιοχείας Ἀπελτῆς μεγάλης· ἰατρὸς τὴν τέχνην καὶ ζωγράφος. βασιθὼν δὲ εἰς Θήβας τῆς Μακεδονίας ἐπὶ Τιβερίου τοῦ Παύλῳ· λέως, διὰ τὸν διωγμὸν, ἐνέτυχε τῷ ἁγίῳ Ἀποστόλῳ ἠκοκαὶ ὡς ὑπάρχων εἷς τῶν ἑβδομήκοντα Ἀποστόλων, Καὶ λούθησεν αὐτῷ, καὶ σὺν αὐτῷ ἐκήρυσσε τὸν Χριστόν. συνήργει εἰς τὴν τοῦ κηρύγματος καὶ τοῦ Εὐαγγελίου διακονίαν προθύμῳ γνώμῃ. Συνεγράψατο δὲ πρότερον τὸ κατ' αὐτὸν Εὐαγγέλιον, πρὸς Θεόφιλον τινὰ ἡγεμόνα, πιστεύσαντα εἰς τὸν Χριστὸν, ὑπαγορεύσαντος αὐτῷ τοῦ ἁγίου Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου. Ἔπειτα ἐξέθηκε τὰς πράξεις τῶν Ἀποστόλων, πρὸς τὸν αὐτὸν Θεόφιλον. Καὶ

(6) D'Achery, Spicil., t. II, p. 54. Edit. Paris. 1723.—(7) Mart. Adonis, editio Dominici Georgii, p. XLIII. — (8) Hieron. Opera, t. IV, part. II, col. 104.

ταῦτα

J. V. H.

A ταῦτα πράξας, ἐν εἰρήνῃ τὴν ψυχὴν ἀπέδωκε τῷ Θεῷ. Τὸ δὲ ἱερὸν καὶ τίμιον αὐτοῦ λείψανον ἐτάφη μὲν πρότερον ἐν Θήβαις· ὕστερον δὲ ἀνακομισθὲν ἀπὸ Θηβῶν ἐν Κωνσταντινούπολει, κατετέθη ἐν τῷ ναῷ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων.

Texitur elogium:

5 *Quæ quidem latine sic sonant*: Lucas Evangelista in Antiochia Magna natus, professione medicus et pictor, cum Thebas Macedoniæ, Tiberio imperatore, ob persecutionem venisset, congressus collocutusque cum Sancto Apostolo Paulo, ut qui ex Septuaginta numero erat, eidem Apostolo se socium adjunxit, et una cum ipso Christum prædicavit, promptoque animo in prædicationem et Evangelii ministerium cooperatus est. Conscripsit autem primo sanctum, quod ejus nomen præfert, Evangelium ad Theophilum quemdam præfectum, qui in Christum crediderat, dictante sibi Petro Apostolo: deinde Apostolorum Acta ad eumdem Theophilum. Post hæc in pace animam Deo reddidit. Sacræ vero et pretiosæ ejus Reliquiæ Thebis primum sepultæ, postmodum inde Constantinopolim translatæ, in Sanctorum Apostolorum templo conditæ fuerunt. *In isto encomio bina præcipue occurrunt, quæ a receptis opinionibus exorbitant:* B *imprimis videlicet S.* Lucam *fuisse unum e septuaginta discipulis Christi, seu, ut habet textus græcus, ex septuaginta Apostolis; id enim, licet ab antiquis quibusdam assertum, stare non posse videtur, ut infra monstrabimus, cum iis quæ ipse de se profitetur S. Evangelista. Alterum est, quod refertur de Tiberiana persecutione; nam Tiberius solido quidem quadriennio Christi resurrectioni superstes fuit, nempe usque ad* XVII *Kal. Aprilis anni æræ vulgaris 37, ast nuspiam legitur sinistri aliquid de Christianis, tunc adhuc fere ignotis et in Judæa delitescentibus, statuisse. Si quid igitur veri est in persecutione Tiberiana, id totum interpretari nos oportet, de expulsione Judæorum ex Italia circa annum Christi 50, jubente imperatore Claudio, qui prænomen Tiberii gerebat.*

Acta edenda.

6 *Hactenus de Martyrologiis. Plura etiam exstant Acta S.* Lucæ *latina et græca: sed quæ passim in Legendariis exhibentur, sunt magis homiliæ, optima quæque proferentes ad ædificationem fidei, sed parcissime agentes de rebus gestis Sancti nostri. Mombritius paulo explicatiora tradit, quamvis et ipse, ut monstrant frequentiores repetitiones, præcipua ex istiusmodi homiliis sua decerpsisse videatur. Pri-* C *mus, quem sciam, compendium Vitæ S. Lucæ edidit S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, qui in editione Joannis Martianay, monachi Mauro-Benedictini, importune satis in mediis epistolis Sancti Doctoris delitescit* (1). *Operæ pretium esset Hieronymianum istud fragmentum in medium adducere, nisi, ut præmonuimus, præcipua ejus lineamenta in Adonis loco, a nobis num. 3 citato, reperiremus: nam a martyrologo omissa nihil quidpiam ad notitiam rerum gestarum Sancti nostri conferunt. Quocirca, siquidem antiquiora nancisci non potuimus, edemus Acta S.* Lucæ, *a Simeone Metaphraste consarcinata, quæque Laurentius Surius in sua collectione latine reddidit: quæ cæterum nihil fere continent, quod auctoritatem aliquam non mutuetur ab antiquiori traditione, ut ex decursu hujus Commentarii facile dijudicari poterit.*

Antiochiæ natus S. Lucas.

7 *Ac imprimis Antiochiam Magnam, Syriæ, atque adeo totius Asiæ metropolim populi frequentia, urbisque amplitudine et magnificentia principem, S.* Lucæ *natalem locum testantur inter antiquos quotquot de Sancti patria scripserunt* (2). *Ast inter neocriticos citatur Winer* (3), *qui putat hanc patriæ assertionem derivatam esse ex male intellecto loco Actorum* XIII, 1, *in quo inter socios Pauli, Antiochiæ consistentes, numeratur etiam* Lucius Cyrenensis, Λούκιος ὁ Κυρηναῖος. *Verum si ex hoc textu mutuati fuissent antiqui S.* Lucæ *patriam, profecto Cyrenensem, quum id habeant omnes codices* (4), *potius, quam Antiochenum dixissent: quod igitur ant qui scripsere, ex remotiori traditione manavit* (5). *Id quidem fatemur, fuisse interpretes, qui opinati sunt S.* Lucæ *nomen, in linguam latinam detortum, Lucium sonare; ast admissa hac hypothesi, nullatenus consequitur, quoties Lucius quidam in Scripturis canonicis occurrit, toties de S.* Luca *ibi sermonem institui. Nam qui Lucium per Lucam interpretandum sibi existimant, præcipue animadvertunt ad epistolam S. Pauli ad Romanos* XVI, 21, *ubi dicit:* Salutat vos Timotheus, adjutor meus, et Lucius et Jason et Sosipater, cognati mei. Ἀσπάζονται ὑμᾶς Τιμόθεος, ὁ συνεργός μοῦ, καὶ Λούκιος καὶ Ἰάσων καὶ Σωσίπατρος, οἱ συγγενεῖς μοῦ. *Cæterum voce illa* συγγενεῖς *indicat in eadem epist.* IX, 3 *populares suos Apostolus, quando dicit* optare se anathema esse pro fratribus suis, qui sunt COGNATI E sui secundum carnem, τῶν συγγενῶν μοῦ κατὰ σάρκα.

qui perperam cum Lucio confunditur.

8 *Atque hanc interpretationem sibi assumendam autumant, tum quia tunc S.* Lucas *erat comes S. Pauli, mirumque videbatur inter tam multiplices salutationes nomen* Lucæ, *individui comitis, non occurrere, tum quia scribens ad Romanos opportunum visum fuerit S. Apostolo nomen græcum* Lucæ *latinitate donare dicendo*, Salutat vos... Lucius, cognatus meus. *Hanc opinionem Estius, fultus auctoritate Origenis, sibi sequendum duxit. Sed quominus similem interpretationem admittant, reponunt nonnulli Paulum, Judæum ex tribu Benjamin, non potuisse habere cognatum Gentilem, qualem multi S.* Lucam *existimant. Verum istiusmodi objectio imbellis satis est, quoniam Judæos inter et Gentiles quandoque matrimonia conciliabantur: cujus rei exemplum nobis suppeditant Actus Apostolorum* XVI, 1, *ubi* Timotheus filius mulieris Judææ fidelis, patre Gentili *dicitur*, Τιμόθεος, υἱὸς γυναικὸς Ἰουδαίας πιστῆς, πατρὸς δὲ Ἕλληνος. *Ex similibus itaque nuptiis cognatio Judæi cujusdam ad Gentiles facile propagari poterat. Cæterum Lucium, de quo agit S. Paulus Rom.* XVI, 21 *distinguunt* F *Martyrologia utriusque Ecclesiæ a S. Evangelista, eumque Laodiceæ faciunt episcopum, ut videre est in Notis Card. Baronii ad Martyrologium Romanum sub die* XXII *Aprilis ad verba:* Smyrnæ Sanctorum Apellis et Lucii ex primis Christi discipulis: *et ad eamdem diem apud nostros* (6). *Atque id etiam observandum est, istum Lucium græcis esse Lucam, ut liquet ex Menologio Card. Sirleti. a nostris citato.*

religione gentilis.

9 *Porro cujus religionis, ante suam ad Christianismum accessionem, fuerit S.* Lucas, *utrum nempe Judæus an Gentilis disceptant eruditi. Certe illi, qui eum unum e septuaginta discipulis Christi faciunt, absque ambagibus* Lucam *e gente Hebræa dicent. Verum ista sententia nulla ratione stare potest cum iis, quæ ipse de se testatur in proœmio sui Evangelii, ubi profitetur se ibidem narrare res gestas*, sicut, *ait*, tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis; Καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου. *Quod si ipse S.* Lucas *discipulus*

(1) S. Hieron. Oper., t. IV, part. II, col. 101. — (2) Cfr Euseb. Hist. Eccles., lib. III, cap. IV. Hieron. Catal. Scriptt. Eccles., cap. VII. — (3) Ap. Ludewig. Die. Apostel. Jesu Christi, p. 113. — (4) De la Haye, Biblia Maxima, t. XVII, p. 140. — (5) Ludewig. Die Apostel. p. 113. — (6) Act. SS., t. III April., p. 4. Cfr Le Quien Oriens Christ., t. II, p. 790.

fuisset

J. V. H.

fuisset Christi, scripsisset Evangelium suum non solum ex traditione eorum qui ab initio viderant, αὐτοπτῶν, *sed ipse se ad fidem dictis conciliandam testem oculatum* αὐτόπτην *professus fuisset. Quocirca S. Hieronymus in suo catalogo* (1), *cui consentit Eusebius* (2), *recte dicit :* Euangelium, sicut audierat, scripsit : Acta vero Apostolorum, sicut viderat, composuit. *Ex simili ratione Tertullianus lib.* IV *adv. Marcion. c.* 2 (3) *vocat S.* Lucam *Apostolicum, quia discipulus Apostolorum : idem apertissime dicit S. Augustinus De Consensu Evangelistarum lib.* I, *c.* 1 (4) : Ac ne putaretur, quod adtinet ad percipiendum et prædicandum Euangelium, interesse aliquid utrum illi annuntiant, qui eumdem Dominum, hic in carne apparentem, discipulatu famulante, secuti sunt, an ii, qui ex illis fideliter crediderunt, divina providentia procuratum est per Spiritum Sanctum, ut quibusdam etiam ex illis, qui primos Apostolos sequebantur, non solum annuntiandi, verum etiam scribendi Euangelium tribueretur auctoritas : hi sunt Marcus et Lucas.

abjudicato Christi discipulatu

10 *Nihilominus, ut alios taceam, S. Gregorius Magnus lib.* I *Moral. c.* I (5) *arguit S.* Lucam *unum* B *ex duobus discipulis, euntibus in Emmaus, fuisse ex eo, quod alterius nomine studiose prætermisso, Cleopham nominarit, quasi ipse se suo silentio indicasset. Sed præterquam quod hic loci S. Gregorius quasi per transennam de Sancto nostro agat, caute adjungit*, ut quidam dicunt, *unde dat intelligere se id non censere, aut saltem dubium hærere. Ast id de S.* Luca *aperte affirmant Græci recentiores, ut supra num. 4 vidimus in elogio Menologii Basiliani et liquet ex Menæis ad* XVIII *Octobris, in quibus canitur* (6) : Ὃν μετὰ τὴν ἀνάστασιν, εἰς Ἐμμαοὺς ἔβλεψας, καὶ καιομένῃ καρδίᾳ, μετὰ Κλεόπα συνέφαγες. Quem post resurrectionem in Emmaus vidisti et quocum ardenti corde cum Cleopha comedisti. *Sed hæc recentiora sunt, quam ut veterum auctoritatem ac præsertim apertum textum ipsius S. Evangelistæ infringere possint.*

fuisse videtur;

11 *Discusso argumento ex discipulatu S.* Lucæ *assumpto, restat nihilominus videndum utra in religione educatus fuerit Sanctus : nam Antiochiæ apostolicis temporibus fuisse Judæos patet ex Act.* XI, 19, *ubi dicuntur illi qui post necem S. Stephani dispersi fuerant, nemini annuntiasse Evangelium,* nisi solis Judæis. *Ex hoc itaque capite fieri potuit,* C *ut* Lucas *noster fuerit Judæus. Verumtamen nobis admodum probabilis videtur opinio eorum, qui censent S.* Lucam *Gentilem fuisse, atque suam sententiam fulciunt textu Coloss.* IV *ubi re ipsa præmissis v.* 11 *salutationibus eorum, qui erant* ex circumcisione ἐκ περιτομῆς, *seu Judæorum, subjungit v.* 14 Salutat vos Lucas medicus charissimus, ἀσπάζεται ὑμᾶς Λουκᾶς, ὁ ἰατρὸς ὁ ἀγαπητὸς : *quibus verbis aperte satis indicatur* Lucas *ex circumcisione non fuisse. Contra hanc opinionem objicitur quidem* (7) *S.* Lucam *in suis scriptis tantam explicare doctrinam circa res Judaicas, plerisque obscuras, ut illam a primæva sua institutione hausisse debuerit. Atque hæc objectio maximi mihi videretur momenti, si S. Evangelista ipse suopte ingenio nullisque externis adhibitis instrumentis, historiam scripsisset. Sed hæc non ita se habent ; nam coram habebat scripta multorum, ut ipse dicit initio sui evangelii,* qui conati fuerant ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum ; *dein secutus est traditionem eorum*, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis ; *tandem quando hæc omnia assecutus est, ut* ex ordine *scribere posset, habebat laboris sui socium, Paulum magistrum, qui se fatetur Act.* XXII, 3 nutritum *Jerosolymis,* secus pedes Gamalieli eruditum juxta veritatem paternæ legis. *Quæ omnia abunde sufficiunt, ut explicemus nobis accuratum scribendi modum, quem S.* Lucas *adhibuit in evolvendis Judæorum ritibus et consuetudinibus, quin adacti simus ad judaismum Sancto nostro affingendum.* D

et professione medicus, ut monstrat traditio

12 *Porro satis perspicitur vis omnis supra positi argumenti pendere ex recta interpretatione verborum epistolæ ad Colossenses ; nam si de alio quodam Luca ageretur, quam de S. Evangelista rueret omnis ratiocinatio. Et sunt inter recentiores, qui existimant istic non agi de S.* Luca, *sed alio quodam homonymo, quia nempe nomini additur perico, e* medicus charissimus : *dicunt enim, si de S.* Luca, *comite suo individuo, egisset S. Paulus, nihil nomini, omnibus Ecclesiis notissimo, apponere oportuisset, quemadmodum monstrat locus parallelus* II *Tim.* IV, 11, *ubi dicitur simpliciter* Lucas est mecum solus, Λουκᾶς ἐστι μόνος μετ' ἐμοῦ : *ut igitur significet se de alio Luca loqui, discriminis causa addit* medicus, ὁ ἰατρός (8). E *Sed hoc mea sententia est cavillari magis, quam argumentari ; quis enim non facile addit nomini personæ etiam notissimæ aliquam qualitatem, licet hæc non sit necessaria? Dein siquidem apices sectari volumus, numquid non erat aliqua differentia inter Timotheum, diuturnum discipulum Apostoli et frequentem ejus peregrinationum comitem, ac Colossenses, qui, ut habet Apostolus Coloss.* II, 2, *non viderant faciem Pauli* in carne? *Poterant itaque ignorare, quod optime noverat Timotheus,* Lucam *ejusque conditionem ; adeoque a scribente ad Colossenses recte exprimebatur qualitas* medici. *Tandem maximi hac in parte facienda est antiquorum perpetua traditio, quæ unanimi voce tradit S.* Lucam *medicum fuisse : id sine hæsitatione enuntiant Cajus presbyter, sæculi* II *scriptor* (9), *S. Irenaeus adv. Hæreses. Lib.* III, *cap.* 14 (10), *Eusebius Hist. Eccles. Lib.* III, *cap.* 4, *S. Hieronymus de Script. Eccles. cap.* 7 (11) *etc. Sed instar omnium est laudatus Hieronymus, commentans in Js.* VI, 10 (12) : Euangelistam, *inquit,* Lucam tradunt veteres Ecclesiæ tractatores medicinæ artis fuisse scientissimum, et magis Græcas litteras scisse quam Hebræas F

et N. T. textus.

13 *Atque antiquorum constanti traditioni suffragatur etiam ratio. Scimus enim S.* Lucam *Evangelistam S. Pauli socium fuisse, quando Romæ vinctus erat : qui autem fieri potuit, ut tot aliorum fecisset mentionem, unius autem* Lucæ *tacuisset nomen, qui aliquando* solus *cum eo permansit,* II *Tim.* IV, 11, *quemque scribens circa idem tempus ad Philemonem v.* 24 *vocat* adjutorem suum? *Quæ omnia etiam eo ex capite confirmantur, quod nuspiam alibi de altero quodam* Luca *agatur. Sunt imo, qui sibi videntur medicæ artis indicia deprehendisse in ipsius* Lucæ *voluminibus. Hujusmodi illud est, quod unus S.* Lucas *subinde notet in universum ac subinde miretur divinam illam vim, qua Christus hujusque discipuli morbos prodigiose depellebant (Luc.* V, 17 : VI, 18: IX, 2). *Item illud, quod, ubi Matthæus aut Marcus prodigia hæc referentes vulgatioribus verbis utuntur,* Lucas *propriam magis adeoque aptiorem aliquam periphrasim usurpat, veluti quum* ἀσθενοῦντας *(Luc.* IV, 40) *dicit, quos Matthæus (Matth.* VIII, 16) *et*

(1) Hieron. Oper., t. IV, part. II, col. 104. — (2) Hist. Eccl., l. III, c. IV. — (3) Opera, p. 845. Edit. Plantin. 1584. — (4) T. III Oper., part. II, p. 3. Edit. Paris. 1680. Cfr Iren. Adv. Haer., lib. III, cap. XX, p. 267. Edit. Paris. 1675. Theodoret. Hist. Relig. seu Vit. Patt., præf. Oper., t. III, part. II, p. 1107. — (5) T. I Oper., col. 8. Edit. Paris. 1705. — (6) Μὴν Ὀκτώβριος. p. 107. Edit. Venet. 1843. — (7) Butler. Vies des SS., XVIII Octobr., t. XVI, p. 52. Edit. Lovan. 1832. — (8) Rosenmüller, Schol. in N. T., t. IV, p. 679. — (9) Ap. Murat. Antiq. Ital., t. III. col. 845. — (10) Oper., p. 267. Edit. Paris. 1675. — (11) Oper., t. IV, part. II. col. 104. — (12) Ibid., t. III, col. 63.

Marcus

A *Marcus (Marc.* I, 34) κακῶς ἔχοντας, *quum* ὑγιαίνοντας *(Luc.* V, 31), *quos* ἰσχύοντας *(Matth.* IX, 2 : *Marc.* II, 17), *quum* χρείαν ἔχοντας θεραπείας *(Luc.* IX, 11) *quos Matthæus* ἀῤῥώστους *(Matth.* XIV, 14) *vocant : sic etiam pro illis verbis Matthæi :* ἰάθη ὁ παῖς *(Matth.* VIII, 13), Lucas *scripsit :* εὗρον τὸν ἀσθενοῦντα δοῦλον ὑγιαίνοντα (Luc VII, 10), *sic pro illis verbis Marci :* κατέκειτο πυρρέσσουσα *(Marc.* I, 30), Lucas *hæc usurpavit :* ἦν συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ *(Luc.* IV, 38). *Ad hæc illud* πυρετῷ μεγάλῳ *quod legitur in Evangelio (ibid.), illudque* ἀχλὺς, *quod in Actis Apostolorum* (XIII, 11) *esse in medecina* ὀνόματα τέχνικα *testimonio Galeni affirmavit Westeinius in hæc loca : adde denique, quod nomina* ἴασις *et* ἰατρός *verbaque* ἰάομαι, ὑγιαίνω *vel unus* Lucas *usurpaverit, vel longe pluries quam cæteri.*

§ II. Conversio S. Lucæ ad Christum, ejusque cum S. Paulo peregrinationes.

Synopsis chronologica.

B Quoniam *quidem præcipua momenta chronologica vitæ S. Lucæ ex Actis Apostolorum desumenda sunt, præmonendum ducimus instituto nostro non satis convenire, inter tot sententiarum varietates, velle quæstiones arduas et intricatissimas componere ; maxime quoniam non paucæ a singulari cujusque existimatione, quæ varia apud vario est, pendent. Actum igitur ageremus, si nostris opinationibus alienas cumularemus : ne tamen lectorem in labyrintho multiplicium ambiguitatum omni ope destitutum relinquamus, tabellam subjicimus eorum Criticorum, quos consulere nobis licuit : hac duce aliquousque ex innumeris tricis emergere poterit* (a).

S. Lucas in secunda ad gentes

15 *S.* Lucam *e primis Apostolorum discipulis fuisse, ex imposito scribendi Evangelii ministerio, individuoque Pauli comitatu, certo desumere licet. Inquiri tamen potest, quo tempore Sanctus noster Christi doctrinæ adhæserit. Triplex autem statui potest epocha, qua id accidere potuit, secundum triplex tempus, quo Evangelium istis in initiis apud Antiochenos prædicatum fuit : nihil enim nos suapet extra patriam civitatem S. Lucæ christiana dogmata illuxisse. Qui primo evangelicam facem Antiochiam intulerunt, fuerunt* illi, qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano *Act.* XI, 19 ; *sed hi referuntur* nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis : *quoniam igitur supra num.* 11, *probabilibus ducti argumentis, statuimus* Lucam *non Judæum sed Gentilem fuisse, tunc quidem ad Christum converti non potuit. Sed brevi post, eodem circiter tempore, quum utraque narratio conjungatur, quidam ex eis, ex dispersis scilicet propter calamitatem Stephani, viri Cyprii et Cyrenæi, cum introissent Antiochiam loquebantur et ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum, v.* 20. Ἦσαν δὲ τινὲς ἐξ αὐτῶν ἄνδρες Κύπριοι καὶ Κυρεναῖοι, οἵτινες ἐλθόντες εἰς Ἀντιόχειαν, ἐλάλουν πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς, εὐαγγελιζόμενοι τὸν Κύριον Ἰησοῦν. *Vexatus hic locus est, aliis* Ἑλληνιστάς, *græcisantes, aliis* Ἕλληνας, *græcos legentibus* (15). *Aliqui proinde hunc locum interpretantur, quasi Cyprii et Cyrenæi Christum annuntiassent iis Græcis, qui tamen ad religionem Judaicam pertinerent, ita ut inter Judæos et Græcos hic nominatos sola linguæ diversitatem faceret, eo nempe sensu quo vox* Ἑλληνισταὶ *sumitur Act.* VI, 1, *ubi differentiam utriusque linguæ indicat : nam quando* factum est murmur Cræcorum adversus Hebræos, γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους, *nullus e* E *Gentilibus accensebatur discipulis Apostolorum, ut ex serie historiæ satis demonstrari potest, Cornelio centurione, primo ex gentibus, tardius sacra Christiana amplexo,* Act. X, 1.

s. v. n.

16 *Nihilominus, licet lectionem recentiorem, quæ* Ἑλληνιστάς *habet, nequaquam repellamus, voci tamen controversæ ampliorem significationem dandam censemus, quam quæ Act.* VI, 1 *haberi potest. Imprimis enim si Judæi græce loquentes per* τοὺς Ἑλληνιστάς *intelligendi essent, Cyprii et Cyrenæi, v.* 20, *nominati, nihil fecissent aliud, quam quod fecerant alii Christiani Hierosolymitani, post Stephani necem* dispersi, *qui* perambulantes usque Phœnicem et Cyprum et Antiochiam, *solos Judæos, inter quos certe erant Græcum unice callentes, edocuerant : quoniam hæc altera priori subnectitur prædicationi, diversum quid indicare voluit scriptor. Dein eodem capite superioribus verbis refertur disceptatio inter Apostolum Petrum et Judæos circa assumptionem et baptismum Gentilium, monstratque* et gentibus, ἔθνεσι, pœnitentiam dedisse Deum ad vitam. *In confirmationem dictorum narrat S.* Lucas *binam prædi-* F

prædicatione,

C

(a) CHRONOTAXIS ACTUUM APOSTOLORUM.	EUSEBIUS (1).	HIERONYMUS (2).	CHRONICON PASCHALE (3).	BARONIUS (4).	PETAVIUS (5).	USSERIUS (6).	PEARSONIUS (7).	TILLEMONTIUS (8).	BASNAGIUS (9).	CLEUS (10).	KUINOELIUS (11).	SCHRADERUS (12).	SCHOTTUS (13).	ROTERMUNDT (14).
Christi ascensio in cœlum. *Act.* I, 2.	33	32	32	32	31	33	33	33	33	29	33	35	33	33
S. Stephani cædes. *Act.* VII, 57			41	32	31	33	34	33	37	29	37-38	35	37	34
S. Pauli conversio. *Act.* IX, 1-23			42-43	34	33	35	35	34	37	31	40	39	40	
S. Paulus primo tendit Hierosolymam. *Act.* IX, 26. Gal. I, 18		33	43-44	37	36	38	38	37	40	34-35	43	42		
S. Paulus Tarso Antiochiam venit. *Act.* XI, 25			43-44	41	40	43	42	43	40	37		43	44	
S. Jacobi mors. S. Petri Vincula *Act.* XII, 1.			43-44	42	41	44	44	44	44	44	43-44	44	44	44
Fames in Palæstina, S. Paulus iterum Hierosolymam. *Act.* XII, 30	41	44	47	42	41	44	44	44	42	44	44	44		
S. Paulus primum ad Gentes iter suscipit. *Act.* XIII. XIV.			45-46	44-47	42	45-46	44-47	44-46	45-47			44-45		46
S. Paulus tertio venit Hierosolymam ad Concilium. *Act.*, XV, 5				49	49	52	49	51	50	49	52	47	50	51
S. Paulus secund. ad Gentes iter suscipit. *Act.* XXI, XVII.				49	49	53	50	51	50			47	57	
S. Paulus Corinthum venit. *Act.* XVIII, 1.		49		49-50	50	54	52	52	51		52	49		49
Quarto S. Paulus Hierosolymis, hinc ad Gentes. *Act.* XVIII. 22				52	52	56	54	54	53			51	54	
S. Paulus Ephesi commoratur. *Act.* XIX, 1-8.				53-55	52-54	56-59	54-57	54-57	53-55	55		54-56	57	57
Quinto S. Paulus Hierosolymis, initium vinculorum. *Act.* XXI, 15			53-54	55	55	60	58	58	56	55	57	58	59	56
S. Paulus Cæsarea Romam mittitur. *Act.* XXVII	55	57		56	56	62	60	60	59		59	60	61	60
S. Paulus Romæ commoratur. *Act.* XXVIII, 30				57-59	59	63	61	61	60		60	61	62	61

(1) Chronicum. Edit. Mediol. 1818. — (2) Chronic. Eusebii. Edit. Scaliger. Amstelod. 1658. — (3) Corp. Scriptt. Byzant. Edit. Bonn. 1832. — (4) Annales Ecclesiast. — (5) Doctr. tempor., t. II, p. 374. Edit. Antv. 1703. — (6) Annal. V et N. Test. Edit. Veron. 1741. — (7) Annal. Paulini. Edit. Londin. 1688. — (8) Mém. pour servir à l'Hist. ecclés., t. II. — (9) Annales politico-eccles. Roterod. 1706. — (10) Comment. hist. crit. ad Act. Apost. Lovan. 1765. — (11) Act. Apost. Lips. 1827. — (12) Der Apostel Paulus. Lips. 1830. — (13) Erort. chronol. Punkt. im Leb. Paul. Jenæ. 1832. — (14) Synopsis IV Evang. Passav. 1835. — (15) Crit. Sacr., t. VII, col. 2268. Millii Nov. Test., h. l.

cationem

c. v. n.

cationem Antiochenam, priorem quidem ad solos Judæos, *altera vero* et ad Græcos : *certum itaque est nostræ interpretationi omnimode favere consequentiam sermonis. Ad quas rationes accedit tandem auctoritas antiquorum* (1), *qui hanc interpretationem ratam habent. Inter hos neophytos satis probabiliter et S.* Lucas *accenseri potest ; quum S. Paulus illum nuspiam legatur vocasse filium, quo vocabulo utebatur erga eos, quos ipse in Christo genuerat, sic Timotheum et Titum, licet jam episcopos, vocat* filios dilectos *in capite suarum epistolarum.*

aut a S. Paulo

17 *Sunt tamen qui malunt S.* Lucam, *Paulo magistro, sacra Christiana amplexum fuisse, quando anno integro Gentium Apostolus Antiochiæ conversatus est et docuit* turbam multam *Act.* XI, 26. *Qui ita opinantur, hi tale sibi efficiunt argumentum : quum videlicet inaudiisset* Lucas *mirabiles curationes, a Paulo patratas, ipse non solum propter communem curiositatem, quæ omnes ad consideranda portentosa allicit, sed propter artem, qua medicus, prodigiosas sanationes propius et intimius circumspicere voluit. Postquam autem miraculorum veritatem comperisset, in Christum, Paulo instructore, credidit : et Paulum* Lucæ *initiatorem fuisse narrat* B *Menologium Basilianum, num. 4 citatum ; verum id Thebis Macedoniæ accidisse non admiserim, quia nulla hujus nominis urbs in Macedonia, sed in Bœotia. Sed iis omissis, quæ, quia recentioris traditionis sunt, minorem sibi fidem vindicant, ex hactenus relatis elucet, alterutri prædicationi, Gentilibus factæ adscribendum esse transitum S.* Lucæ *ad Christiana. Porro ex contextura Actorum satis constat utramque prædicationem spatio octodecim mensium includi debere ; hæc enim referunt Act.* XI, 19-30 : Et illi quidem, qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicen et Cyprum et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii et Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur et ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum. Et erat manus Domini cum eis : multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Jerosolymis, super istis : et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. Qui cum pervenisset et vidisset gratiam Dei, gavisus est : et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino : quia erat vir bonus et C plenus Spiritu Sancto et fide. Et apposita est multa turba Domino. Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum : quem cum invenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia : et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani. In his autem diebus supervenerunt ab Jerosolymis prophetæ Antiochiam : et surgens unus ex eis, nomine Agabus, significabat per spiritum, famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus : quod fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli.

circa annum 43 ad Christum traductus videtur

18 *Ut autem tempus horum gestorum accuratius definiamus, consideranda sunt, quæ in Actis* XII, 1 *immediate sequuntur, nempe* κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, eodem tempore Herodem misisse manum, ut affligeret quosdam de Ecclesia, *et consequenter occidisse Jacobum et apprehendisse Petrum, sed mirabiliter* D *dein ab Angelo liberatum. Quibus omnibus subnectitur mors ejusdem Herodis, quem Angelus percussit, Act.* XII, 23 : *atque hæc quidem intercalantur inter Jerosolymitanum aditum et reditum Pauli et Barnabæ, nam v. 25 dicitur :* Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Jerosolymis, expleto ministerio, assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus. *Uno igitur, quo commoratus est Paulus Antiochiæ, anno ante mortem Herodis, Antiochena conversio facta est. Atque adeo secundum annum Herodis emortualem tempus prædicationis Antiochenæ, proindeque S.* Lucæ *conversionis definire poterimus. Ex Flavio autem Josepho duo habemus : nempe Herodem Agrippam a Claudio imperatore brevi, post assumptum imperium die* XXV *Januarii anni æræ vulgaris 41, accepisse universum regnum avitum* (2) ; *et exacto tertio regni sui anno Cæsareæ diem supremum obiisse* (3). *Concurrit autem annus quartus Claudii imperatoris, proindeque Herodis regis cum anno æræ vulgaris 44, atque prædicatio Antiochena et S.* Lucæ *transitus ad Christiana sacra in annum præcedentem seu vulgarem 43 incidunt.*

E

S. Paulus deinceps adhæsit,

19 Quoniam, *inquit S. Irenæus lib.* III *adv. Hær. c.* 14 (4), Lucas inseparabilis fuit a Paulo et cooperarius ejus in Euangelio, ipse facit manifestum, non glorians, sed ab ipsa productus veritate. Separatis enim, inquit, a Paulo, Barnaba et Joanne, qui vocabatur Marcus, et cum navigassent Cyprum, nos venimus Troadem, et cum vidisset Paulus per somnium virum Macedonem dicentem sibi : Veniens in Macedoniam opitulare nobis, Paule ; statim ait : Quæsivimus proficisci in Macedoniam, intelligentes, quoniam provocavit nos Dominus euangelizare eis. *Narrat dein S. Doctor eodem tenore reliqua itinera Pauli cum S.* Luca *usque ad commorationem Romanam. Ex hoc loco S. Irenæi, commentantis textum Act.* XVI, 10 *deducit Tillemontius* (5) *tum primo S.* Lucam *Paulo Apostolo associatum fuisse. Et vero ex allato Actorum textu habemus quidem certum et authenticum argumentum, S.* Lucam *socium S. Pauli in navigatione Troadem versus fuisse ; quod circa annum vulgarem 50 accidisse statuendum est ; cfr tabellam num. 13. Nihilominus an tunc primum inceperit Apostolo adhærere, non undequaque liquidum est. Et certe admodum verisimile est S.* Lucam *Doctori gentium eatenus adhæsisse, quatenus se eidem probarit, ut assumere-* F *tur in* opus ministerii, *quod quoniam circa annum 50 contigit, existimamus, jam aliquo ante tempore Paulum magistrum et doctorem sectatum fuisse.*

sed sub initus

20 *Sed occurrit alia quæstio, utrum scilicet ita deinceps S.* Lucas *Apostolum secutus fuerit, ut* inseparabilis a Paulo *dici potuerit. Et vero quum Act.* XVI, 10-17 *in prima persona,* nos quæsivimus etc., *locutus fuisset scriptor, reliqua dein usque ad Act.* XX, 6 *in tertia persona refert, quasi Paulus et Silas a sociis fuissent separati : et id quidem verisimiliter ; quoniam hi duo referuntur* apprehensi, oblati magistratibus, virgis cæsi, missi in carcerem, *ac tandem qua* homines Romani *honorifice* educti de carcere, profecti sunt *Act.* XVI, 19-40. *Quoniam igitur hæc solis Paulo et Silæ conveniunt, regulæ interpretationis legitimæ requirunt, ut et sequentia, donec mutato stylo admoneamur, de iisdem interpretemur. Hæc autem ratio ex regulis logices et grammatices deprompta, robur etiam accepit ex eo, quod ubi* Lucas *primam verborum personam usurpat, narratio plenior atque uberior appa-*

(1) Euseb. Hist. Eccles., lib. II, cap. III. Chrysost. Hom. XXV in Act. Apost. Oper., t. XI, p. 200. — (2) Antiquit. Judaic., lib. XIX, cap. V. Edit. Havercamp., t. I, p. 943. — (3) De bello Judaic., lib. II, cap. XI. Edit. Havercamp., t. II, p. 172. — (4) Iren. Oper., p. 267. Edit. Paris. 1675. — (5) Mém. pour serv. à l'Hist. Eccles., t. II, p. 536.

ret,

A *ret, pluribusque rerum adjunctis ornata, quæ res testem oculatum omnino prodit; at non ita, ubi tertiam personam adhibet. Quocirca satis recte existimatur S.* Lucas *Philippis finitimisve regionibus substitisse, donec S. Paulus huc rediret, ut cum eo Troadem proficisceretur, ut habetur Act.* XX, 5. *Tandem separatio* Lucæ *et Pauli hinc etiam confirmatur, quod, quamvis Silæ aliorumque sociorum mentio fiat Act.* XVII, 4, 10, 14; XVIII, 5; XIX, 22, 29 *et* XX, 4, *nuspiam tamen S.* Lucas *nominetur aut se præsentem fuisse ipse insinuet. Sed postquam secundo Troade solvisset Hierosolymam, deinceps Sanctus Apostolo gentium individuus comes fuit in vinculis et omni tribulatione usque Romam, ubi quoque saltem biennio integro substitit.*

interposito quinquennio :

21 *Hisce positis, venit quæstio de tempore, quo duravit hæc SS. Pauli et* Lucæ *separatio, quæ facile nostro judicio ad quinquennium pertingit. Quæ enim per S. Paulum gesta referuntur a cap.* XVI, 19 *ad cap.* XX, 5 *Actorum, absente ab ejusdem consortio S.* Luca *acciderunt. Jam vero ista temporis intercapedine S. Paulus Corinthi* sedit annum et sex menses (*Act.* XIX, 8), *ac dein* segregatis discipulis *a conversatione Judæorum,* disputavit in
B schola tyranni cujusdam per biennium (*Ibid. v.* 10); *in Græcia quoque* fecit menses tres (XX, 3). *Quæ simul juncta jam solidum quadriennium efficiunt. Præterea* cum perambulasset Amphipolim et Apolloniam, venit Thessalonicam *et ibidem* per tria sabbatha disserebat *Judæis* de Scripturis *Act.* XVII, 1 *et* 2), *hinc pervenit Beræam, ubi multi ad Christi conversi sunt* (*Ibid. v.* 10 *et seqq.*) *ac dein Athenas, ubi* disputabat in synagoga cum Judæis et in foro per omnes dies ad eos qui aderant. *Relicto autem Corintho post octodecim, ut diximus, mensium incolatum, ivit ad breve tempus Ephesum, et descendit Cæsaream Palæstinæ ac Antiochiam* et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem et Phrygiam, confirmans omnes discipulos (*Act.* XVIII, 21-23), *donec veniret* Ephesum (*Act.* XIX, 1), *qua in urbe, sicut promiserat* (*Act.* XVIII, 21), *et supra diximus, per biennium et tres menses perseveravit.* Postquam autem cessavit tumultus, *a Demetrio Ephesi excitatus* (*Act.* XIX, 23-40), *Paulus* profectus est ut iret in Macedoniam, *consumptisque in Græcia mensibus tribus,* reversus est per Macedoniam, *ac circa dies Azymorum S.* Lucas *Philippis occurrit S. Paulo,*
C *eidem deinceps perpetuo comes individuus futurus* (*Act.* XX, 1-6). *Atque ex hisce multiplicibus itineribus Ecclesiarum fundationibus ac visitationibus facile annum conficimus, qui quadriennio additus, quinquennium efficit.*

qua occasione inquiritur,

22 *Quærunt quoque Critici sacri, an de S.* Luca *agat Apostolus 2 Cor.* VIII, 18 *dicens :* Misimus etiam cum illo (*Tito*) fratrem cujus laus est in Euangelio per omnes Ecclesias : non solum autem, sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ. Συνεπέμψαμεν δὲ μετ' αὐτοῦ τὸν ἀδελφὸν, οὗ ἔπαινος ἐν τῷ Ευαγγελίῳ διὰ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. Οὐ μόνον δὲ ἀλλὰ καὶ χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν συνέκδημος ἡμῶν. *Hunc textum de S.* Luca *interpretatur S. Hieronymus in suo Catalogo scriptorum* (1) *dicens :* Scripsit Euangelium, de quo idem Paulus : « Misimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. » *Hic quidem S. Hieronymus sumit vocem* Euangelium *pro ipso volumine, quam etiam significationem adoptant Origenes et Sophronius, uti videre est in editione Novi Testamenti græci per Millium* (2) : *quamquam fatendum sit in sacris litteris Novi Testamenti vocem istam plerumque esse sumendam non pro libro aliquo, vitam et doctrinam Christi complectente, ut hodie passim intelligimus, sed pro ipsa doctrina Christiana ejusve prædicatione. Certe hoc posteriori sensu intelligendum est istud vocabulum, Marc.* XVI, 15 : Prædicate Euangelium omni creaturæ ; *neque existimem ullum reperiri posse locum in Novo Testamento, in quo hanc vocem et frequentissime non debeamus, et semper non possimus commode eo sensu interpretari. Nihil itaque præsumendum censent critici sacri ex pericope,* cujus laus est in Euangelio, *quam varii de variis interpretantur* (3), *ita ut soli S.* Lucæ *applicari non possit; quoniam S. Paulus plures secum adjutores habuit prædicationis, atque adeo Euangelii sui, quorum nomina passim in ejus epistolis et Actis Apostolorum occurrunt.*

J. V. F

an textus 2. Cor. VIII, 18

23 *Et profecto, ut notat Estius* (4), *Græci hunc titulum tribuunt S. Barnabæ, qui euangelica prædicatione laudem meruit apud omnes Ecclesias, et, ut dicit : S. Joannes Chrysostomus, Hom.* XVIII *in 2 Cor.* (5), ordinatus *fuit* ab Ecclesiis comes peregrinationis Pauli. *Verum, ut habet Estius l. c., hæc opinio non bene fundata est. Nam non videtur decuisse, ut Barnabas, magni nominis Apostolus, Tito* E
socius subjungeretur : dein, quod præcipuum est, ante scriptam ad Corinthios utramque epistolam imo ante Apostoli Corinthum adventum jam diu ab invicem discesserant Paulus et Barnabas, Cfr Act. XV, 39 *et* XVIII, 1 ; *neque postea reperiuntur convenisse. Post hanc igitur discessionem a primo Corinthum venit Paulus, Act.* XVIII, 1 : *atque adeo ejus utraque epistola, directa* Ecclesiæ, quæ Corinthi est, *Pauli prædicatione instituta, posterior est temporeillis, quæ de primo Corinthi adventu narrantur. Quocirca ab opinione Græcorum circa S. Barnabam omnino recedendum esse existimamus.*

de Sancto nostro,

24 *Verum hac discussa opinione, res confecta non est. Etenim præter S.* Lucam, *sunt et alii, qui Evangelii et comitatus laude a S. Paulo ornari potuerunt; quales fuerunt Apollo et Silas. Non tamen Apollo hic designari putem, notum Corinthiis, quorum aliquos baptizarat et inter quos sectatores nactus fuerat, ut satis constat ex priore ad Corinthios epistola* I, 12 *et* III, 4 *et seqq. Proinde hunc aut nomine proprio aut laude, si dicere licet, magis locali exornasset. Quoad vero Silam attinet, de quo nostri ad diem* XIII *Julii* (6) *egerunt, fatendum est huic omnino favere, quæ aliunde de ipso nobis nota* F
sunt. Nam post discessionem a Barnaba, destinato socio apostolatus Act. XIII, 2 *et* XV, 39, *legitur Paulus* electo Sila profectus *esse,* traditus gratiæ Dei a fratribus : *quoniam porro Silam deinceps frequenter comitem S. Pauli reperiamus, satis probabile efficitur, Apostolum de illo locutum fuisse in citata epistola. Verum hisce non obstantibus, dicendum est citata verba etiam de S.* Luca *commode interpretari licere; quod quidem pronius erit, si vocem* Euangelium *de ipso volumine cum quibusdam Patribus. num.* 22 *allatis, intelligamus.*

fideli S. Pauli socio, explicandus sit.

25 *Actum ageremus, si res, a S.* Luca *in comitatu S. Pauli gestas, exponeremus, quoniam istas in libro Actuum Apostolorum reperire possumus. Id certum Sanctum nostrum id opus absolvisse, quando cum Paulo per integrum biennium Romæ commoratus fuerat, ut habent postrema libri verba, Act.* XXVIII, 30 ; Mansit autem (*Paulus*) biennio toto in suo conducto; et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, *etc.* Ἔμεινε δὲ ὁ Παῦλος διετίαν ὅλην ἐν ἰδίῳ μισθώματι· καὶ ἀπεδέ-

(1) Oper., t. IX. part. II, col. 104. — (2) P. 120. Edit. Roterod. 1710. —(3) Corn. a Lapide ad h. l.—(4) Comment. in Epist. Ap., t. V, p. 1932. Edit. Lovan. — (5) Oper., t. X, p. 565. Edit. Montfaucon. — (6) Act. SS., t. III Julii, p. 476.

χετο

J. V. H.

χετο πάντας τοὺς εἰσπορευομένους πρὸς αὐτόν· κηρύσσων τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ κ. τ. λ. *Quoniam vero inter eruditos non constat de anno, quo S. Paulus Romam advenit, ut videre licet ex tabella num.* 13 *exhibita, certo definiri nequit in quem annum desinat liber Actuum. Utrum vero S.* Lucas *magistro suo usque ad ejus martyrium adhæserit, atque adeo comes fuerit tum peregrinationis in Orientem, tum reditus ad Romanam metropolim, non undequaque liquidum est. Qui tamen illi tribuitur titulus comitis individui S. Pauli, satis nobis suadet S.* Lucam *deinceps usque ad Apostoli obitum fideliter eidem adhæsisse.*

§ III. De scriptis S. Lucæ, eorumque authentia.

Actis Apostolorum, Paulo Romæ commorante, scriptis.

Quo *tempore S.* Lucas *Paulum, gentium Doctorem sectabatur, conscripsisse videtur utrumque librum canonicum, videlicet suum Evangelium et Acta Apostolorum. Et quidem, quoad Actus Apostolorum attinet, compositi sunt post biennium, a* B *Paulo Romæ transactum, quoniam in id tempus desinunt. Quod si serius scripsisset, in ulteriora tempora narrationem suam protendisset; Act.* XXVIII, 30 : Mansit autem *(Paulus)* biennio toto in suo conducto, et suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei ; *quibus in verbis historiam suam Apostolicam absolvit S.* Lucas. *Non crediderim ullum esse inter interpretes, qui epocham hanc neget, quamvis propter diversitatem multiplicem in chronologia Paulina, ægre eadem alicui anno vulgari illigari possit. Sed constat tempore Evangelium præcessisse scriptionem Actuum Apostolorum ; nam id aperte pronuntiat ipse S.* Lucas *in Prologo Actuum* I, 1 : Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem , qua præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est. Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην περὶ πάντων, ὦ Θεόφιλε, ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν, ἄχρι ἧς ἡμέρας ἐντειλάμενος τοῖς Ἀποστόλοις διὰ Πνεύματος ἁγίου, οὓς ἐξελέξατο, ἀνελήφθη.

præcessit Evangelium,

27 *S. Hieronymus in suo Prologo ad Commentarios super Matthæum* (1) *dicit* : Tertius *(Evangelista)* Lucas medicus, natione Syrus Antiochensis (cujus C laus est in Euangelio) qui et ipse discipulus Apostoli Pauli, in Achajæ Bœotiæque * partibus volumen condidit ; quædam altius repetens; et ut ipse in Procemio confitetur, audita magis, quam visa describens. *Si istam opinionem accipiamus, dicendus erit S.* Lucas *Evangelium suum scripsisse illo intervallo temporis, quo S. Paulum sectari cœpit, donec eidem Apostolo associatus, Jerosolymam, atque hinc Romam traductus fuit : quæ intercapedo temporis octennium fere complectitur. Inter Græcos quosdam vigebat opinio Evangelium scriptum fuisse anno quintodecimo ab Ascensione Domini, proindeque anno vulgari 48 æræ Christianæ* (2) : *sed passim critici rejiciunt hanc epocham, utpote quæ triennio præcesserit comitatum S. Pauli* (3). *Sed istud undequaque accuratum non est, quoniam sunt eruditi, qui gesta Act.* XVI, *quando primum S.* Lucas *Doctori gentium associatus legitur, ad annum Christi 47 referunt (supra num.* 13). *Nihilominus licet in istiusmodi chronotaxi discipulatus scriptionem præcesserit, opinionem istam minus probandam existimo, tum quia ipsa chronologia incerta est, tum maxime quia in ipsis initiis discipulatus vix componi* D *liber tanti momenti potuerit.*

* *alii plures, Bithyniæque*

quod probabiliter

28 *Si autem certo constaret textum* II *Cor.* VIII, 18 de Luca *intelligendum esse, haberemus momentum aliquod ad quæstionem chronologicam solvendam. Etenim alteram ad Corinthios epistolam scriptam esse anno 58 aut 59 satis convenit inter eruditos* (4) ; *atque adeo ante illum scribi oportuit Evangelium. Sed supra num.* 22 *vidimus ancipites esse commentatores circa hunc textum, proindeque nihil ex illo certi confici posse. Certum nobis videtur, quod S.* Lucas *Evangelium suum non scripserit, quamdiu S. Paulo prædicanti verbum salutis adjutor fuerit : Apostolo enim ejusque sociis in agendo magis quam in scribendo occupatis, otium non erat ad librum tanti momenti et justæ prolixitatis exarandum. Tale otium nactus est Sanctus noster primo quando S. Paulus prædicavit in Macedonia, Græcia, Asia et Syria, absente S.* Luca *per quinquennium et in Græcia commorante, uti monstravimus supra num.* 21 : *alterum quando cum S. Apostolo biennium facile in Palæstina transegit, Act.* XXI-XXVII, 1 ; *tertium demum, quando Romam cum S. Paulo vincto per biennium incoluit. Otium itaque triplex scribendo opportunum, nactus est S. Evangelista,* E *quin tamen certo definiri possit, cui e tribus potius illiganda sit Evangelii scriptio ; partim tamen pendet a loco, ubi liber probabilius scriptus fuerit.*

non in otio Græciæ,

29 *Non credimus imprimis Evangelium a S.* Luca *exaratum fuisse illo tempore, quo, absente Paulo Apostolo, in Græcia per quinquennium commoratus est. Etenim tunc recens erat Sancti nostri ad Christianismum conversio, adeoque videtur magis discere quam docere debuisse : aberat quoque magister, quo duce, arduum consilium exsequi potuisset : tandem quoniam ipse Lucas in Prologo sui Evangelii* I, 2 *profitetur* se assecutum omnia a principio diligenter, ex ordine scribere *velle ; videtur potius ejus scriptio proroganda usque ad illud tempus, quo magistro suo adhærebat, et in Judæa cum eodem exsistens, coram inspicere poterat loca et audire illos, qui rerum gestarum spectatores, ab initio,* οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται, *fuerant, proindeque ad narrationem* diligenter *et* ex ordine *texendam maximo adjumento esse poterant. Verum quidem est, ut vidimus supra num.* 27, *S. Hieronymum locum scriptionis Evangelii* Achajæ Bœotiaque partes, *seu, ut plures alii legunt* Bithyniam, *vel ut verbo gene-* F *rali utamur,* Græciam *assignare. Licet autem maximi nobis ponderis sit et esse debet S. Doctoris in quæstionibus, ad S. Scripturam pertinentibus, auctoritas, fateor tamen me difficile conciliare posse S. Hieronymi assertionem cum dictis S. Irenæi, qui lib.* III *Adversus Hæreses cap.* I (5) *dicit* : Lucas, comes Pauli, Euangelium ab ipso prædicatum, in librum congessit. Λουκᾶς ὁ ἀκόλουθος Παύλου, τὸ ὑπ' ἐκείνου κηρυσσόμενον εὐαγγέλιον ἐν βιβλίῳ κατέθετο. *Quod si ita est, difficile mihi persuadeo, absente longeque posito magistro, librum tanti momenti edidisse discipulum.*

sed Romæ.

30 *Primo itaque otio in Græcia non videtur S.* Lucas *uti potuisse, siquidem neque adjutorem scriptionis habebat S. Paulum, neque adhuc tam* diligenter *res gestas assecutus fuerat eosque qui* ab initio ipsi viderant, *audire potuerat. Quod si præterea consideremus, utrumque librum, nempe Evangelium et Acta Apostolorum, inscriptum fuisse uni eidemque* Theophilo, *facile acquiescemus opinioni eorum, qui censent eodem circiter tempore et Evangelium et Acta composita fuisse. Fuerunt quidem interpretes,*

(1) T. IV. Oper. part. I. col. 3 — (2) Millius. Lect. var. ad fin. S. Lucæ, 196. — (3) Glayre. Introd. à l'Écrit. Sainte, p. 352. Sionnet. La Sainte Bible, t. XIII, p. 1. — (4) Glayre. Introd., p. 401. — (5) Oper., p. 229. Edit. Paris. 1675.

inter

A inter quos Origenes Hom. I, in Lucam et S. Epiphanius hæresi LI, qui Theophili nomen commune censuerunt omnibus piis et Deum amantibus; plerique tamen existimant esse proprium alcujus viri, probabiliter ab ipso S. Luca ad Christiani nominis professionem adducti: quod suadent etiam verba, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem, quæ indicant hominem certum, jam in Christiano dogmate eruditum: dein ex compellatione κράτιστε, optime, quo utitur auctor sacer, colligitur homini certo, noto et alicujus dignitatis locutus: eadem enim appellatione salutat Paulus Judææ præsides felicem Act. XXIV, 3 et Festum Act. XXVI, 25, utrumque κράτιστον optimum nominat (1). Quæ quidem omnia faciunt, ut Evangelium a S. Luca conscriptum existimemus Romæ, postquam omnia considerasset, loca inspexisset et contulisset sermonem cum iis, qui ab initio ipsi viderant. Est porro Romæ traditio, quam Card. Baronius ad an. 29 § V in antiquis monumentis diaconiæ S. Mariæ in Via Lata meminit se legisse, istic scilicet primum hospitio exceptum fuisse S. Paulum, adeoque et ejus socium S. Lucam; quapropter erectus fuit lapis, veteris traditionis testis, in quo sequentia
B leguntur (2): ORATORIUM QUOND(am) S. PAULI APOST(oli), LUCÆ EVANGELISTÆ ET MARTIALIS MARTYRUM, IN QUO ET IMAGO B. MARIÆ VIRGINIS REPERTA SISTEBAT, UNA EX VII A B. LUCA DEPICTIS.

B. M. V. varia communicante.

31 Et quoniam mentio incidit de B. V. Maria (de ejus imaginibus infra agemus), operæ pretium est animadvertere, quod ea, quæ de Christo puero narrat S. Lucas, ab ipsa hujus matre audiisse credendus sit. Nam dicit se assecutum esse omnia a principio diligenter, scilicet ea etiam quæ prima sunt in historia ab ipso conscripta: horum autem quinam testis tunc supererat ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπτης qui ab initio ipse viderit et ex quo hæc sciscitaretur, ut omnia a principio diligenter assequi valeret, nisi Maria Virgo? Aliqua ejus rei vestigia exhibet ipsum Evangelium, in quibus S. Lucas sanctissimam Dei Matrem nominat, non aliam ob causam, prout videtur, nisi ut hujus testimonio comprobet ea, quæ narrat. Duo præcipue sunt textus qui id satis clare demonstrant, nempe II, 19 quando pastores ex Bethleem venerunt adoraturi Christum natum et eodem capite V, 51, quando Maria et Joseph invenerunt Christum duodennem V, 46, sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos: in utroque hæc dicitur
C Maria conservasse verba hæc in corde suo: priorem locum exhibebo: Ἡ δὲ Μαριὰμ πάντα συνετήρει τὰ ῥήματα ταῦτα, συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς. Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo (3). Atque ex eo quoque capite mihi probatur vetus unanimisque, si unum Clementem Alexandrinum apud Eusebium (4) excipias, traditio, quæ habet S. Lucam post Matthæum et Marcum scripsisse, eorumque libris usum fuisse; multa enim mutuatus est ex utroque, et simul accuratius ordinem temporum sequitur, ab prioribus non ita observatum. Duo priores porro pauca habent, eaque minus enucleate de adventu, nativitate ac infantia Salvatoris nostri.

aut in Palæstina,

32 Quamvis autem mihi probabilior videatur opinio eorum, qui censent S. Lucam Evangelium suum Romæ, quando ibidem cum magistro suo Paulo morabatur, scripsisse, non tamen omnino repugno eorum sententiæ, qui censent Evangelium a S. Luca compositum fuisse, quando in Palæstina, sive Jerosolymis sive Cæsareæ versabatur. Erat nempe et istic, quemadmodum post Romæ, otium ad scribendum opportunum, aderant frequentes testes oculati, αὐτόπται, ut ipse dicit, eorum quæ a Christo gesta erant, ipsa etiam loca, in quibus Christus conversatus fuerat, et suum conferebant, ut accurate, diligenter ἀκριβῶς scriberet. Neque hæc opinio undequaque destruit sententiam eorum, qui eodem circiter tempore utrumque librum exaratum existimarunt, proptereaque eumdem scriptionis locum assignarunt. Etenim, ut ex serie Actorum Apostolorum liquet, S. Paulus, ejusque comes individuus, S. Lucas, Jerosolymis in custodia constituti, indeque propter appellationem ad Cæsarem Romam transvecti, quadriennium circiter in vinculis manserunt: quæ quidem temporis intercapedo tam diuturna non est, ut quæcumque tunc gesta sunt, ad idem circiter tempus referri non possint.

s. v. n.

græco idiomate exaratum fuit.

33 Minor est difficultas in statuenda lingua, qua S. Lucas in scribendo suo libro utroque usus est. Si paucos excipias, qui dixerunt hebraica vel latina lingua usum fuisse (5), omnes censent græco sermone libros suos edidisse. Cujus rei locupletem habemus testem, S. Hieronymum, qui commentans in Isaiæ cap. VI hæc habet (6): Euangelistam Lucam tradunt veteres Ecclesiæ tractatores medecinæ artis fuisse E scientissimum, et magis græcas litteras scisse, quam hebraicas. Unde et sermo ejus tam in Euangelio, quam in Actibus Apostolorum, id est, in utroque volumine comptior est, sæcularem redolet eloquentiam: magisque testimoniis græcis (LXX interpretum versione) utitur quam hebræis. Atque idem in epistola ad Damasum Papam, vocem Hosanna interpretans, Lucas, inquit (7), qui inter omnes Euangelistas græci sermonis eruditissimus fuit, quippe ut medicus, et qui Euangelium Græcis scripsit, qui se vidit proprietatem sermonis (Hosanna) transferre non posse, melius arbitratus est tacere, quam id ponere, quod legenti faceret quæstionem. Licet vero græci sermonis eruditissimus inter scriptores canonicos habeatur S. Lucas, ad syriacum idioma sæpe inclinare ejus dictionem, animadvertit Grotius in Prologo Actorum (8).

Lucæ narrationem impugnavit primo Frischius.

34 Ea est S. Lucæ scriptorum indoles, ut, quamvis multi acatholici, qui Rationalistæ dicuntur, repetitis insultibus reliqua Evangelia concutere conati sint, immota tamen semper steterint scriptoris nostri opera, nec quisquam illa usque ad ætatem nostram impetere ausus fuerit. Veracitatem enim F S. Lucæ scriptoris impugnavit anno sæculari Lutheranismi 1817 Samuel Frisch, concionator ad ædem S. Petri Fribergæ in Saxonia, dissertatione exarata ad summos in Theologia honores consequendum in academia Lipsiensi. Titulus libelli erat: Utrumque Lucæ commentarium de vita, dictis factisque Jesu et Apostolorum non tam historicæ simplicitatis, quam artificiosæ tractationis indolem habere. Operæ pretium est raptim animadvertere, protestantes, etiam dum Luthero, unis Bibliis insistenti, applaudunt, sæpe tamen ipsa Biblia, adeoque unicum ipsis veritatis Christianæ fontem, quodam modo exsisare; quatenus deinceps populus Christianus omni cœlesti pabulo, sive ex S. Scriptura sive ex Traditione quæsito, destitutus jaceat. Huc demum devenit Protestantismus, prout vaticinando quasi prædixerat magnus Bossuetius (9).

quasi nimis poeticam.

35 Scriptis igitur S. Lucæ objicit Magister Samuel Frisch formam poeticam et delectum memorabilium; atque propterea demonstratum putat S. Lucam non simplici scribendi genere, sed arti-

(1) Cfr Maldonat. Comment. ad Evang. Luc. I, p. 3. — (2) Arringhi. Roma Subterr., t. II, p. 188. Edit. Paris. 1659. — (3) Cfr Rosenmüller. Scholia in N. T., t. II, p. 69 et seq. — (4) Hist. Eccles., lib. VI, c. XIV. — (5) Cfr Kninoel in Act. Apost. Proleg., p. XIII et seq. — (6) Oper., t. III, col. 63. — (7) Oper., t. IV, part. I, col. 148. — (8) Crit. Sacr., t. VI, p. 1152. — (9) Hist. des Variat., lib. V, § XXXI.

J. V. B.

ficioso usum fuisse (1) Ut a posteriori difficultate ordiamur, quis, rogo, scriptor, dum qualemcumque exarat historiam, non aliquem in factis aut memorabilibus referendis adhibet delectum? nullum ad hunc usque diem novi auctorem, qui similem in scribendo non præstat discretionem et delectum. Selegit certe S. Joannes Apostolus quando dicit xxi, 25 : Sunt et alia multa, quæ fecit Jesus : quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. Nec quemquam censeo eo ex capite, quia non omnia, sed selecta quædam exposita sunt, scriptori fidem abrogaturum. Etenim sufficit, ut vera narret, licet per ipsam factorum veritatem scopum attingere velle se profiteatur. Quin aperte dicat Mgr Samuel nullatenus credendum esse historico, quoties fatetur particulas vitæ alicujus se edere. Quod quam absonum sit, non est demonstratione opus.

adeoque fictitiam :

36 Formam porro poeticam, adeoque, ut ipse dicit (2), fictionem persentiscit M. Samuel quoties plures homines, vel locis remotis habitantes, vel nullo hucusque necessitudinis vinculo conjunctos, una divinitus monitos narrat Lucas, ut alterius causa aliquid agant, perficiant, credant. In exemplum adducit Act. x, ubi agitur de Cornelio centurione. Duplex istic refertur visio, monens tum Cornelium, tum Petrum, de conversione Gentilium. Ut hæc humano modo tractemus, et visionem, quæ supernaturale sapit, per cogitationem interpretemur, cui nostrum, si præteritæ vitæ eventus recolere velit, non aliquando contigit istiusmodi cogitationum concursus, ut, quod ipso momento cogitaveramus, id fortuito quasi nobis accidat? Certe si quis rem talem referret, non continuo inter poetas amandandus esset. Ast hic habemus præterea certissimum argumentum, nempe Deum voluisse veram fidem etiam ad gentes propagare ; proptereaque et Petrum et Cornelium mirabili suæ providentiæ dispositione ad tantum opus præparasse. Atque ita, fatente Mgro Samuele (3), difficultatem solvit Eichhornius, in Scripturas interpretando satis liber, neque id prorsus negat dissertator : sed similis concursus non occurrunt, ait, exempla in reliquis scriptoribus sacris : quocirca hujuscemodi historias, tamquam poeticas, proindeque fictitias, rejiciendas pronuntiat. Secundum similes critices regulas vere non video quæ historia, sive sacra sive profana, repudianda non sit. Etenim si scriptores secundum formam semper eamdem sibique constantem narrationes suas digerant, facile dicetur stylum eorum nihil nativum redolere, proptereaque nihil auctoritatis habere, quoniam alius alium exscripserit. Si vero differant in narrationibus exornandis, quoties a trita via recesserint, tamquam solitaris incedentes explodendi essent. Vere si secundum similem critices normam dijudicanda esset historia profana, nihil non ruinosum occurreret, et scepticismi barathrum omnem fidem historicam absorberet. Hactenus de Magistro Samuele.

Straussius vero graviori impetu

37 Huic quasi velitationi successit gravior impetus Straussi in suo famoso libro de Vita Christi, in quo tamquam fabulosa traducebantur omnia mirabilia, quæ de Salvatore nostro in Evangeliis traduntur. Fatetur quidem Straussius (verba ejus latine reddo ex confutatione scripta a doctore Tholuck (4)) Lucam discipulum fuisse Apostolorum : id enim testatur liber Actorum ejusdem auctoris ; quoniam dictus auctor ibidem citatur frequenter tamquam Pauli, præsertim in itinere Romano socius. Ex abrupta porro Actorum terminatione, (quæ in biennio Romanæ commorationis, nulla data appellationis ad Cæsarem ratione, finiunt) deduxere plerique consequentiam, librum scriptum fuisse tempore incolatus Romani, adeoque Evangelium, quod tamquam primo sermo πρῶτος λόγος, designatur, exaratum fuisse paulo ante ista tempora, quando edoceri a Paulo cæterisque Apostolis poterat. Sed id demum est, ait Straussius, argumentari ex silentio auctoris, quod argumenti genus, ut valeat, momentis internis corroborari deberet. Fieri itaque potest, ut Lucas Evangelium multo serius, quando scriptionem adjuvare non poterat Paulus, cæterum et ipse mediate tantum et imperfecte informatus, exaraverit. Tali ratione Lucæ deficere potuerunt testes oculati, adeoque eidem accidere potuit, ut factis historicis mythica elementa admiscuerit. Hactenus Straussius.

38 Videmus Straussium in meris possibilitatibus, quibus nulla ratio utcumque probans suffragatur, hærere, quæque tam facile negantur, ac proferuntur. Sed istiusmodi conjecturis opponi potest, nullam verisimilem inveniri posse rationem, ut supponatur S. Lucas librum ad umbilicum non duxisse : habet enim clausulam finalem, quæ monstrat perfectum esse ; explicit enim per participuum præsens, quo continuata adhuc actio designatur, Act. xxviii, 30. Mansit autem (Paulus) biennio toto in suo conducto prædicans regnum Dei et docens quæ sunt de Domino Jesu Christo. Ἔμεινε δὲ διετίαν ὅλην ἐν ἰδίῳ μισθώματι.... κηρύσσων τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ καὶ διδάσκων τὰ περὶ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Neque ullo modo credi potest Lucam tali clausula finiisse suam scriptionem, si tunc ulteriorem Pauli liberationem, posteriores prædicationes, ac tandem martyrium cognovisset. Atque tamen id dicere necesse est, si aliquot post S. Pauli obitum annis librum suum absolvisset S. Lucas. Legenti, ut exemplo utar, vitam Pii VII, si biographus in captivitate Gallica desinat, ubi Pontifex exhibetur continuo orans pro Ecclesia Sancta Dei et secundum temporis necessitatem fideles instruens, numquid non statim cogitatio subibit, tunc librum scriptum fuisse, quando Pontifex adhuc in captivitate agebat ; non vero postquam, Romam gloriose redux, novennio adhuc integro Ecclesiam rexit et vitam sanctam sancta morte cumulavit. Quod si tali modo librum quemcumque ejusque ætatem tractaremus, qua ratione, quæso, pro libro canonico aliam normam aut trutinam adhiberemus?

licet meris conjecturis Lucam aggreditur :

39 Manifestum est igitur Straussianam conjecturam subsistere non posse : quocirca reliquum est, ut ostendamus S. Lucam et voluisse tradere nobis librum sincerum, adeoque vere historicum, et potuisse etiam id præstare, utpote omnibus iis subsidiis instructum, quæ ad veritatem adstruendam necessaria sunt. Optimæ imprimis voluntatis testum habemus ipsum Evangelii ejus Proœmium. Ante omnia excusat se quodammodo, quod licet eorum, quæ relaturus est, testis oculatus non fuerit, propter multos tamen, qui conati sunt ordinare narrationem, quæ completæ sunt, rerum, visum est et ipsi scribere. Quo exordio significat jam tunc fuisse plures, qui verba et opera Christi scriptis consignarant. Dein S. Lucas profitetur se adhæsisse iis, qui ab initio ipsi viderunt, αὐτόπται, et ministri fuerint sermonis. Talibus munitus subsidiis, assecutus est omnia a principio, ἄνωθεν, et diligenter, ἀκριβῶς : tandem ipse scopus libri vadimonium certum præstat voluntatis viri cupidæ ; scriptus est enim ut Theophilus cognoscat eorum verborum, quibus eruditus erat, veritatem, ἀσφάλειαν, soliditatem, certitudinem : ideo enim tam accurate et diligenter inquisivit de Christo apud testes oculatos et ministros sermonis

quocirca monstratur Sanctus

(1) Frisch. p. 5. — (2) Ibid., p. 6. — (3) Ibid., p. 7. — (4) Valroger. Essai sur la crédibil. de l'Hist. Évang., par A. Tholuck, p. 139.

sc

A *seu Apostolos et præcipuos discipulos. Hæc omnia clare et nitide consequuntur ex Proœmio, fidemque faciunt S. Lucam sincere veritatem rerum gestarum scrutatum fuisse.*

et potuisse et voluisse vera referre,

40 *Operæ pretium fuerit Evangelistæ nostri proœmium cum initio Prologi Fl. Josephi conferre; nam ex collatione utriusque documenti, auctoritas* Lucæ *nostri elucescet. Sic orditur Josephus* (1): Quoniam bellum, quod cum Romanis gessere Judæi, idque maximum omnium, non modo quæ ætas nostra vidit, sed et omnium fere quæ auditione accepimus, cum aut civitates, aut gentes cum gentibus conflixerint, quidam, qui rebus non interorant, sed narrationes futiles interque se dissidentes ex rumoribus colligunt, et sophistarum more scribendum suscipiunt; alii vero qui præsentes aderant, aut studio assentandi Romanis, aut odio Judæorum, rerum veritatem ementiuntur, scriptisque illorum partim accusationes, partim laudationes reperiuntur, nusquam vero exacta historiæ fides. Idcirco ego proposui, quæ mediterraneis barbaris jam ante miseram patria lingua conscripta, nunc græce versa in gratiam illorum, qui sub Romano degunt imperio, eadem narrare, ego Josephus B Matthiæ filius, Hebræus genere, ex Hierosolymis, sacerdos, qui et ipse cum Romanis initio præliis dimicavi, et rebus deinde gestis, necessitate adactus, interfui. *Qui hæc apud Josephum legerit, quomodo non facile in animum sibi inducet, talem virum ad amussim examinasse quæcumque narrabantur, ut dispiceret num fabulosa an historica referrent. Quod si ad talem normam judicemus Josephum, historicum profanum, ac plenam fidem ejus dictis adhibeamus, quæ tandem ratio esse potest, ut auctoritatem Evangelistæ abrogemus, nisi quia scriptor est canonicus?*

utpote qui omnibus subsidiis instructus fuerit

41 *Hactenus dicta sufficere credimus ad monstrandum S. Lucæ voluntatem non defuisse ad veritatem indagandam et exponendam. Reliquum est, ut ostendamus scriptorem nostrum iis subsidiis fuisse instructum, quibus veracissimam historiam exarare poterat. Nam quatenus medicus, liberalem sortitus erat educationem: jam tunc summa artis peritia requirebatur ab iis, qui corporibus curandis præficiebantur; suos habebant medicos legiones singulæ* (2), *qui et suos habebant professores, ut innotescit ex inscriptione Aventicensi in Helvetia* (3). *Ad liberalem istiusmodi educationem accedunt frequentes pe-* C *regrinationes, quæ natæ sunt ad hominis ingenium acuendum, et quidem ad ea loca, in quibus scriptor accuratissime investigare poterat historiam, quam componere volebat: integro scilicet biennio in Palæstina cum Paulo detentus Act.* XXIV, 27 *opportunissimam occasionem nactus est, ut coram audiret testes oculatos, eorum relationes conferret, coramque inspiceret loca, in quibus Christus egerat. Idem quoque scriptor Matrem Domini, Mariam, probabiliter, ut ostendimus supra num.* 31, *allocutus, mysteria nativitatis, et infantiæ Christi ex ejus ore excipere potuit: sive Palæstinam necdum reliquerit S. Joannes Evangelista, et serius Ephesum advenerit, quia Matrem Domini, quam* in sua recepe*rat derelinquere nolebat: sive ipse* Lucas, *Mariam Virginem, jam Ephesi commorantem, S. Pauli socius frequentium per Græciam et Asiam Minorem peregrinationum, Ephesi adierit. Etenim ad præsentem scopum non attinet, chronotaxim Gestorum B. Mariæ Virginis hic operose indagare, quoniam sufficit scopo nostro monstrasse, quod S. Lucas, quæ refert, ex legitimis testibus protulisse.*

s. v. II. ad veritatem investigandam;

42 *Sed summam scriptoris fidem adstruunt non solum hæc subsidia externa, verum etiam probata ex coævis monumentis accuratio exquisitissima in omnibus, quæ narrat. Auctoritatem scriptori certe conciliant notitiæ circa chronologiam, geographiam, et archæologiam, quæ undequaque conveniunt cum iis, quæ ex aliis historiis et documentis certo cognoscimus. Id quidem argumenti genus in Evangelio non facile evolvitur, quoniam res gestæ in Judæa, regione profanis scriptoribus vix nota, passim referuntur: sed amplius se aperit campus in Actis Apostolorum. Hic siquidem habetur varietas regionum, quoniam ex Palæstina in Græciam, ex Græcia in Asiam Minorem et Italiam continuo traducitur narratio; occurrunt etiam personæ, profanis quoque historicis notissimæ. Si itaque* Lucas *non facta sed ficta retulisset, quam pronum erat cespitare, et hinc inde nunc in chronologiam, tunc in geographiam aut archæologiam offendere. Sed nihil horum timendum est in Sancto nostro, ubique sibi constat, aliorumque scripta utilissimas suppetias suæ fidei confirmandæ afferunt. Allatis quibusdam exemplis assertionem nostram illustremus.*

E *III ut monstratur in referendo Herodis obitu*

43 *Obitum Herodis referunt* Lucas *noster et Flavius Josephus; utriusque narrationem perpendamus. Act.* XII, 19 *hæc habemus:* Descendensque (*Herodes*) a Judæa in Cæsaream ibi commoratus est. Erat autem iratus Tyriis et Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, et persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo: statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali et concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, et non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo: et consumptus a vermibus exspiravit. *Idem factum Josephus refert sequenti tenore; Antiquit. Jud. lib.* XIX, *cap.* VIII, *num.* 2 (4): Tertius jam effluxerat annus, ex quo totius Judææ regno potiebatur, cum in urbem Cæsaream ingressus est, quæ antea Stratonis vocabatur. Illic autem in honorem Cæsaris spectacula edebat, cum intelligeret pro illius salute hos festos dies institutos fuisse. Ad quam festivitatem frequens numerus eorum, qui honore inter suos ac dignitate pollebant, ex tota provincia, ἐπαρχία, confluxerat. Secundo autem spectaculorum die, veste indutus, tota ex argento admirabili opere contexta, processit in theatrum primo diluculo. Ibi F argentum, primis solarium radiorum ictibus illustratum, mirum in modum resplendescebat, metuendum quiddam atque horrendum oculos in id defigentibus incutiens. Moxque adulatores, vocibus, ne ipsi quidem bono futuris, alii aliunde acclamare, Deum appellantes, dicentesque « propitius nobis esto, et licet hactenus te veluti hominem reveriti sumus, in posterum vero se eum mortali sorte majorem habituros. » At rex neque illos objurgavit, neque impiam eorum adulationem rejecit. Post paululum vero oculis in altum sublatis, supra caput bubonem funiculo cuidam insidentem conspexit: et statim hunc malorum esse nuntium, ἄγγελον, intellexit, qui et antea bonorum nuntius fuerat, moxque cordicitus dolebat; accesserunt autem ventris cruciatus, etiam a principio vehementissimi. Conversis itaque ad amicos oculis, « Ecce, inquit, Deus ego vester cogor nunc » e vita discedere, fati necessitate voces mihi im» probe affictas falsi protinus coarguente; et qui » immortalis appellabar a vobis, jam rapior ad » mortem.

(1) Oper., t. II, p. 47 Edit Havercamp. — (2) Steiner, Codex Inscriptt. Rom. Rhemi. n. 379, 471, 529, etc. — (3) Ibid., n. 568. — (4) Oper., t. I, p. 950.

J. V. B.

» mortem. Sed ferenda est fati conditio, quando- » quidem sic Deo visum est; neque enim male et » abjecte viximus, sed in eo splendore, quem ho- » mines beatissimum existimant. » Hæc cum dice- ret, augescente interim vi doloris, torquebatur. Ocyus igitur in palatium delatus erat, rumorque continuo per urbem sparsus est, regem in eo fere esse, ut vitam relinquat. Statim autem plebs omnis cum uxoribus et liberis, stratis ciliciis more patrio sedens, Deum pro salute regis obsecrabat, atque loca omnia ejulatu et lamentis plena erant. Rex vero, in excelso solario decumbens, cum eos humi prostratos ex alto prospiceret, ne ipse quidem temperabat a lacrymis. Tandem continuis per quinque dies ventris doloribus confectus, vitam finivit.

ex summa consensione

44 *Animadvertamus primum mire concordare* Lucam *nostrum et Josephum in designanda indole Herodis. Erat, teste Josepho Antiq. lib.* XIX, *cap.* 7 (1), in suæ *Judaicæ* gentis homines benignus et promptus ad juvandos præ cæteris in adversitatibus.... institutorum ac rituum patriæ servator religiosissimus. *Hæc autem apprime conveniunt cum iis quæ* Lucas *habet Act.* XII, 1 *et seq. quod Hero-*
B *des, occiso Jacobo, fratre Joannis,* videns quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. *Religionis scilicet zelo et in Judæos propensus, consilium iniit persequendi Christianos. In referendo Herodis obitu, exhibet S.* Lucas *circumstantiam, a Josepho, ut minutiorem, omissam, scilicet Tyrios legationem misisse ad deprecandum regis iram; quo monstratur scriptor noster de omnibus narrationis suæ adjunctis optime informatus. Ne omisit quidem arte aulica usos Tyrios, nempe opera præfecti cubiculi, cujus et nomen cognoscit, Blasti, ut viam sibi ad principem sternerent: similiter ac in Domitianum conjurati Parthenium cubiculo Cæsaris præpositum adhibent, tamquam intime domino suo familiarem, ut Domitianum alliciant ad paratas insidias. Sueton. Domit.* 17 *Neque id quidem sua auctoritate caret, Tyriorum magni interfuisse, ut Herodem sibi omni ope conciliarent; nam portus Cæsareæ recens constructus, ut habet Josephus Antiq. lib.* XV, *cap.* IX, *num.* 6 (2), *unicus erat qui in Ægyptum navigantibus tutam præberet stationem, qua occlusa, magnum Tyriorum commercio impendebat detrimentum.*

C *cum Fl. Josepho*

45 *Ast videntur tamen* Lucæ *inter et Josephi narrationem discrepantiæ, quas componere oportet. Imprimis enim Sanctus noster buboni Angelum Domini substituit: et quidem* Lucas *nullatenus dicit Domini ministrum visibili specie in scenam prodiisse. Cæterum sive bubo Josephi, nuntius mali, rei interfuerit nec ne, non magni refert, imo laudandus* Lucas *noster quod avem augurem a sua narratione exsulare jusserit, quod nemo indulgentius accipere debet, quam illi, qui omnem intercessionem cœlestem superstitionis damnant. Altera discrepantia in genere morbi consistit, quatenus Josephus causam mortis, dolores ventris,* τῆς κοιλίας ἄλγημα, Lucas *vero vermes assignat; ast hæc nullatenus se excludunt, quum ipsi dolores ventris vermibus excitari potuerunt: neque omittendum,* Lucam, *qua medicum, melius Josepho genus morbi cognoscere debuisse. Est demum tertia, neque gravior, discrepantia, quatenus Lucas tempus morbi, admissionem legatorum Tyriorum, Josephus vero spectaculum assignavit. Sed nulla hic pugna est: videtur enim Herodis oratio ad pacis cum Tyriis compositionem* D *spectasse, et, ut recte notat Rosenmüller ad hunc locum Actorum, erat in institutis Græcorum, ut quas res in quam plurimorum notitiam volebant pervenire, eas in celebritate ludorum proponerent; quod in Tacito Hist. lib.* II, *cap.* 80 *reperimus, dicente:* Antiochensium theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est. *Ex his omnibus liquet, quam accurate S.* Lucas *omnes partes historiæ suæ, cæterum ad res gestas Apostolorum indifferentes, sectatus fuerit.*

et ex accuratis notitiis Geographiæ et archæologiæ :

46 *Accuratam ejus in scribenda historia solertiam ostendit alterum exemplum, quo confirmatur nihil ipsi defuisse cognitionis ad rem suam bene tractandam. Certe nihil facilius erat viro, ut adversarii supponunt, rebus a se narratis non coævo, quam cespitare in provinciali imperii divisione, præfectorumque appellatione: aqui tamen et hic summam suam fidem probat S.* Lucas. *Erant tunc Romani orbis provinciæ divisæ in senatorias, quatenus senatui populoque, et in imperatorias, quatenus Cæsari attribuebantur: hisce quidem præficiebantur magistratus, procuratoris, legati aut proprætoris nomen sortiti, dum præfecti provinciarum senatoriarum proconsules appellarentur* (3). *Videamus ergo, an S.* Lucas *et in hisce historiæ* E *quasi argutiis recte semper processerit. Duo in Actibus Apostolorum nobis occurrunt proconsules. Primus est Gallio, proconsul,* ἀνθύπατος, *Achajæ sive Græciæ Act.* XVIII, 12: *ast Achaja sub Tiberio, Tacit. Annal. lib.* I, *cap.* 76, *Cæsari attributa erat: feliciter vero ex Suetonio, Claud. cap.* XXV, *habemus Claudium Cæsarem* Provincias Achajam et Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam transtulerat, senatui reddidisse (4), *atque adeo proconsules istis provinciis impositos fuisse. Alter proconsul in Actis* XIII, 7 *laudatur Sergius Paulus, Cypro præfectus, cui, utpote provinciæ imperatoriæ, prætor præesse debuisset; ast quamvis Augusto primum tributa* (5), *post tamen,* quia nihil armis indigeret, populo reddita, atque ita proconsules etiam in istam provinciam mitti cœperunt (6), *quam sententiam etiam adminiculat numisma cum imagine Claudii imp. in cujus facie postica stat media vox* **ΚΥΠΡΙΩΝ** *cum inscriptione orbiculari* **ΕΠΙ ΚΟΜΙΝΙΟΥ ΠΡΟΚΛΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ**. *Tandem Act.* XXVIII, 7 *exhibetur nobis* Publius, princeps insulæ, πρῶτος τῆς νήσου, *cui titulo auctoritatem suam præstat nummus. Prudenti, equiti Romano, inscriptus, qui habet:* **ΠΡΩΤΟΣ ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ** (7). F *Istiusmodi exempla multiplicare possemus, sed sufficientia dedimus ad ostendendum, quanta diligentia,* ἀκρίβεια, Lucas *noster libros suos composuerit.*

nihilominus Straussius objicit Luc. II, 1 *locum.*

47 *Ast licet tantam etiam in rebus minimis et secundariis præ se ferat Evangelista noster rerum cognitionem, tamen graves, Straussio judice, ejus Evangelium continet errores, ut omnis auctoritas illi, quatenus recte informato et coævo, abroganda videatur. Quod præsertim Straussius et duobus momentis chronologicis demonstrat. Prius est ubi agitur de tempore Nativitatis Christi; quam* Lucas II, 1 *sic describit:* Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino *etc.* Ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. Αὕτη ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. κ. τ. λ. *In hoc textu et iis, quæ sequuntur, accumulatos videt Straussius capitales errores, qui monstrant S.* Lucæ

(1) Oper., t. II. p. 948. Edit. Havercamp. — (2) Oper., t. I, p. 772. — (3) Dion. Cass. Hist. Rom., lib. LIII. cap. XIII, t. I, p. 705. Edit. Hamburg 1750. — (4) Cfr Dion. Cass. Ibid., lib. LX, cap. XXIV, t. II, p. 961. — (5) Ibid., lib. LIII, cap. XII, t. I, p. 704. — (6) Ibid., lib. LIV, cap. IV, t. I, p. 733. — (7) Essai sur la crédibil. de l'Hist. Evang., p. 184.

narrationem

A *narrationem nullam mereri fidem. Etenim prima jam fronte esse offert descriptio universi orbis, tamquam sub Augusto facta, cujus tamen nullum ad antiquos vestigium reperitur. Dicitur quidem hæc vox* universus orbis, πᾶσα ἡ οἰκουμένη, *ad solam Judæam restringenda esse : sed neque hæc qualiscumque explicatio difficultatem tollit, quoniam Christus, vivente Herode natus est, adeoque Judæa, necdum Romanis subacta, Romanam non poterat subire descriptionem,* ἀπογραφὴν, *et maxime sub* præside Syriæ Cyrino ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, *qui decem tandem aut duodecim annis post Christum natum isti provinciæ præfectus fuit : sed etsi omnibus istis nodis expediremur, remanet et alia difficultas solvenda, quomodo nempe Romana descriptio more judaico facta fuerit,* ascendente Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David ; *quomodo tandem cum Joseph Maria quoque ascenderit, quandoquidem, etiam more Judaico, fœminæ in istiusmodi descriptionibus non recenserentur.*

qui tum ex quæstione præjudiciali

48 *Hactenus rationes Straussii exposuimus. Quibus, quantumvis speciosis, opponere nobis licet quæ-* B *stionem, quam vulgo præjudicialem vocamus. Etenim si apud scriptorem profanum invenisse nos putaremus tantum errorum acervum, inquireremus profecto, an quas habemus circa auctorem notitias tales sint, ut errores facile supponi possint, adeoque nihil miri sit tam fœda sphalmata in eodem occurrere. Quod si e contrario, facta diligenti investigatione, scriptorem in reliquis narratis apprime gnarum fuisse rerum, quas refert, invenerimus; concludemus criticum, talem errorum acervum invenientem, in judicio suo falsum fuisse : quo casu interpretationibus aut etiam conjecturis indulgeremus ad objectas difficultates removendas : si autem neque tali via lis componi posset diceremus tamen* Lucam *errare non potuisse circa factum sibi undequaque notum, quale erat* ἀπογραφὴ, descriptio seu professio, *cujus mentionem facit Act.* v, 37 *agens de Juda Galileo. Quæ quum ita sint, viso prœmio Evangelii, consideratis etiam exemplis supra allatis, quæ ostendunt summam scriptoris solertiam, juxta sanæ criticesregulas, pronuntiare debemus, talem esse* Lucam *nostrum ut auctoritatem eidem non abrogemus etiam tum, quum difficilia quædam, imo explicatu impossibilia, nobis oggeruntur : ac tunc quidem aliqua nobis* C *documenta, quæ rem illustrant, deesse intrepide pronuntiaremus. Verum ad tantas angustias compulsi non sumus.*

tum ex interpretatione

49 *Ac primum nobis occurrit vox* ἀπογραφὴ, descriptio, *quæ duplici sensu sumitur pro censu seu descriptione tum fundorum solum, tum fundorum simul et capitum, apud Græcos etiam quandoque bonorum proscriptionem, adeoque spoliationem complectebatur. Quo porro sensu hic loci vox accipienda sit, indagabimus infra. Subit dein* πᾶσα ἡ οἰκουμένη, universus orbis, *quod interpretantur adversarii de* orbe Romano ; *verum quoniam tum Græci tum Romani regionem suam singularem* orbem universum *appellabant, non videtur quid prohibeat* Lucam *eodem vocabulo uti ad Judæam designandam; maxime si* οἰκουμένη *non orbem, sed terram interpretemur, quo casu significare posset universam terram Judææ : atque eo sensu a multis intelligitur eadem vox Act.* XI, 28 *quando dicitur fames* ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην, in universo orbe terrarum *superventura, de qua agere videtur Fl. Josephus Antiquit. lib.* XX, *cap.* V, *num.* 2 (1), *restringitque* κατὰ τὴν Ἰουδαίαν, per Judæam. *Et re quidem vera in Judæa potissimum desævituram alimentorum inopiam insinuat versus sequens, etenim* Discipuli, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus ; *unde intelligere datur, Antiochiam, ubi degebant hi discipuli, non tanta annonæ charitate vexatam fuisse, siquidem et externis adjutricem manum porrigere potuerit.* J. V. H.

50 *Quoad vero spectat descriptionem, quatenus* factam a præside Syriæ, Cyrino, *et id suis non caret difficultatibus. Etenim quo tempore natus refertur Christus, non Cyrinus, seu P. Sulpitius Quirinus, sed C. Sentius Saturninus Syriæ cum potestate præerat : quocirca hic lapsum S.* Lucam, *aut saltem mendose Cyrini pro Saturnini nomine in Evangelii textum, errore librariorum vetustissimo, utpote ubique uniformi, irrepsisse multi existimant. Ultro fatemur Sentium Saturninum tunc temporis, quando Christus natus est, provinciæ præfuisse nempe juxta supputationem Sanclementii ab anno Urbis conditæ* 744 *ad* 748, *Christo anno* 747 *nascente* (2). *Certe etiam Tertullianus, de quo infra plura, descriptionem Sentio Saturnino adscribit. Verum licet ita se res habeat, non est tamen, quod falsi S.* Lucam *arguamus, quum variis modis objectam difficultatem* E *solvere valeamus. Atque imprimis textus græcus commode verti potest hoc modo :* Hæc descriptio facta est, priusquam præses Syriæ esset Cyrinus ; *Ita ut* πρώτη *hic pro* πρότερα, *superlativus pro comparativo, exemplo minime novo* (3) *ponatur : adeoque* ἡγεμονεύοντος.... Κυρηνίου, *genitivus comparativo gradu, græcorum more, regitur. Imo tali forma construi notas chronologicas monstrat nobis luculenter versio* LXX, *ubi Jeremiæ* XXIX, 2 *Gr.* XXXVI, 2 *legitur :* Ὕστερον ἐξελθόντος Ἰεχονίου τοῦ βασιλέως, *quæ verba vulgata reddit :* Postquam egressus est Jechonias rex. *Quocirca litteralis versio textus nostri esset :* Hæc descriptio prior est præside Syriæ Cyrino, *qui alteram post descriptionem fecit.*

singulorum vocum.

51 *Si vero quibusdam minus placet istiusmodi interpretatio, adest et altera. Exstat scilicet marmor Tiburtinum, a Sanclementio editum, erectum post Augusti obitum in honorem cujusdam viri primarii, qui Syriam ac Phœniciam* iterum *rexisse fertur* (4) : *monstrat autem Sanclementius hunc virum alium non esse, quam Cyrinum seu Quirinum, adeoque hunc bis præfecturam Syriæ administrasse ; prius quidem cum potestate extraordinaria ad descriptionem faciendam, qua occasione a* Luca *nostro, omisso* F *ordinario præside Sentio Saturnino, citatur ; iterum autem Syriæ præpositus fuit Quirinus cum potestate ordinaria decem circiter annis post priorem præfecturam* (5). *Qui istiusmodi interpretationem aut conjecturam admiserit, fatebitur accuratissimum esse scriptorem* Lucam *nostrum, et nihil* ἀκριβείας, *quam promisit, omisisse, utpote qui res, etiam minutissimas et ab instituto suo alienas, scrutatus fuerit, proindeque ex hujusmodi investigationibus non tantum non minuetur, sed confirmabitur Evangelistæ auctoritas.*

et rerum

52 *Verum ut hisce nos tricis expediamus, non ita profanis scriptoribus insistere debemus, ut domestica repudiemus testimonia. Censum enim, Christo nascente, peractum, tamquam rem notoriam, profert Justinus Martyr in sua prima, quæ olim secunda dicebatur, Apologia, quæ hæc habet* (6) : Vicus quidam est Bethlehem in regione Judæorum.... ubi natus est Christus Jesus, quemadmodum et ex descriptionibus factis sub Cyrenio, primo vestro in Judæa procuratore. *Idemque apertius profitetur*

difficultatem facientium.

(1) Oper., t. I. p. 965. — (2) Sanclem. De Vulgar. æræ emendat., p. 313, 346 et 349. — (3) Essai sur la crédibilité de l'Hist. Evang., p. 195. — (4) Sanclem. p. 414. — (5) Ibid., p. 421 et seq — (6) Oper., p. 58. Edit. Sylburg 1593.

Tertullianus,

s. v. m. *Tertullianus, fidenter ad archiva imperii provocans, lib.* IV *adv. Marcion. cap.* VII (1) *ubi dicit agens de veritate carnis, adeoque nativitatis Christi :* Quomodo in synagogam potuit admitti *(Christus)*, tam repentinus, tam ignotus, cujus nemo adhuc certus de tribu, de populo, de domo, de censu denique Augusti, quem testem fidelissimum dominicam Nativitatis Romana archiva custodiunt? *Et cap.* XIX (2) : Sed et census constat actos sub Augusto nunc in Judæam per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus *(Christi)* inquirere potuissent. *Tandem lib de Carne Christi cap.* II (3) : Odit moras, qui subito Christum de cœlis deferebat. Aufer hinc, inquit, molestos semper Cæsaris census, et diversoria angusta, et sordidos pannos et dura præsidia. *Ex hisce certe manifestum sit antiquis, quibus antiqua documenta presto erant, persuasum fuisse, tempore Nativitatis Christi censum aliquem actum fuisse, imo descriptorem nominat Sentium Saturninum Tertullianus, sive quia ordinaria potestate tunc Syriæ præsidebat, sive quia sub Quirino censum in Judæa agebat : id certe constat Tertullianum, dum Saturninum descriptorem designat, non tam ex S.* Luca, *quam ex aliis documentis suam notitiam hausisse.*

plenissime B 53 *His tamen gravioribus discussis difficultatibus, restant et aliæ. Nam* Lucæ *nostro objicit Straussius, quasi præter Judæam nihil in toto orbe viderit, proindeque hanc descriptionem primam dixerit, quamvis jam sæpe census apud Romanos ante ista tempora acta fuissent. Hic vero fatendum est Straussium abuti regulis critices sanæ. Quid enim si diceretur : anno* 1846, *mense Julio, præconisati fuere episcopi pro toto orbe : hæc præconizatio prima facta est a Romano Pontifice Pio IX : numquid ex istiusmodi dicendi formulis deducere liceret ante hunc annum nullam præconizationem esse factam? Ast ait Straussius, si descriptio fuit, certe more Romano, nequaquam Judaico, facta fuerit. Certe hic retorquere liceret toties ab ipso oggestam responsionem, unde nempe hoc didicerit. Sed esto : objecta difficultas aliquid valeret, si ageretur de descriptione, facta in provincia aliqua Romana, quæ, ut docent nos rei antiquariæ periti* (4), *non solum populo Romano vectigalis erat, sed propriis etiam legibus spoliata, jure Romano provinciali utebatur. Talis certe non erat, nascente Christo, Judææ conditio, quæ adhuc sub Herode consistens, patrias leges sequebatur, adeoque, incidente censu aut descriptione,* C *secundum tribus et familias antiquas dispertiebatur. Verum infert Straussius, et a Judæorum more abhorrebat, ut Maria sponsa profiteretur ; sufficiebat enim Josephum describi. Interpretes aliqui* (5) *dicunt, idcirco et Mariam abiisse in Bethlehem, quia unica heres erat suæ familiæ Cfr Num. c.* XXXVI *: quamvis autem certo argumento id ostendi nequeat, sufficit tamen ad retundendam oppositionem, quoniam textus falsitatis redargui non potest. Cæterum Romanos etiam conjuges et liberos, in exteris gentibus, descripsisse constat ex tabula marmorea M. Plautio Silvano inscripta, in qua dicitur* (6), *quod* plura quam centum millia ex numero Transdanuvianorum ad præstanda tributa cum conjugibus ac liberis et principibus aut regibus suis transduxit, *seu transcripsit. Erat Mœsia provincia Cisdanubiana ad Hemum montem, quæ hodie Serviam et Bulgariam capit : ut autem Silvanus Transdanubianos populos ad præstanda tributa traduceret, censum agere debuit, in quo, ut patet, non solum viri, sed et* conjuges ac liberi *descripti fuere. Hæc abunde sufficiunt ad monstrandum iter Mariæ, Matris Domini, inutile* D *non fuisse.*

justificatur : 54 *Neque hic tamen difficultatum finis, quum gravior adhuc supersit ; quomodo nempe, Herode in Judæa regnante, censum seu descriptionem præcipere potuerit Augustus, imperator Romanus. Id argumenti genus valeret, si ageretur de veri nominis regibus, nulli mortalium obnoxiis, quorum proin in regno nemo imperium aliquod exercere posset. Verum talis non erat Herodiani sceptri conditio. Jam ante Augustum Judæa tributum pendebat Romanis, ut clare affirmat Appianus de bellis civilibus lib.* V, *cap.* VII (7) : *dein Herodes, qui partes Antonii secutus fuerat, et post Actiacam victoriam sibi timebat, Augustum Rhodum adiit, solertique oratione demulcens, regium diadema rursus obtinuit, ita ut, ait Josephus Antiq. lib.* XV, *cap.* VI, *num.* 7 (8), ex insperato videret regnum rursus ab integro sibi magis confirmatum, tam donatione Cæsaris, quam Romanorum senatus consulto. Παρ' ἐλπίδας ὁρῶν αὐτῷ πάλιν ἐξ ὑπαρχῆς βεβαιοτέραν τὴν βασιλείαν δόσει Καίσαρος καὶ δόγματι Ῥωμαίων. *Ex his manifestum fit Herodem omnino Cæsari obligatum fuisse, tum propter tributum Romanis pendendum, tum propter confirmatam aut redintegratam regiam dignitatem. Quo-* E *circa nemo jure dubitare potest, Cæsarem præcepisse descriptionem in Judæa, tum maxime, quando iniquiore in Herodem animo, minas in illum propter bellum Arabicum intentabat. Etenim Josephus refert iratum Augustum de Herode dixisse, Antiq. lib.* XVI, *cap.* IX, *num.* 3 (9), se eum aliquando in amicis habuisse, nunc pro servo habiturum ; ὅτι παλαι χρώμενος αὐτῷ φίλῳ, νῦν ὑπηκόῳ χρήσεται. *Tandem descriptionis, sub Augusto actæ, documentum habemus in Tacito Annal lib.* I, *cap.* IX (10), *quando Tiberius, imperium adiens* proferri libellum recitarique jussit. Opes publicæ continebantur ; quantum civium sociorumque in armis ; quot classes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, et necessitates ac largitiones : quæ cuncta sua manu descripserat Augustus. *Liquet igitur Augustum non solum provincias imperii, sed et socios et regna descripta habuisse accuratissime. Ruit igitur et postrema hæc accusatio, et ipsa difficultatum scrutatione elucescit diligentiam,* ἀκρίβειαν, Lucæ *nostri in scribendo.*

pari modo textus 55 *Est et alter textus, in quo lapsum et rerum, quas describit, ignarum traducit Straussius Sanctum nostrum. Scribit videlicet S.* Lucas *in Evan-* F *gelio suo* III, 1 : Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caïpha, *etc.* Ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καισαρος, ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας, καὶ τετραρχοῦντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρώδου, Φιλίππου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς Ἰτυραίας καὶ Τραχονίτιδος χώρας, καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος, ἐπὶ ἀρχιερέως Ἄννα καὶ Καϊάφα κ. τ. λ. *Hoc textu passim utuntur critici ad monstrandam accuratam S.* Lucam *scribendi rationem. Est v. g. Abilene regio parvi momenti, ad Libanum sita, vixque scriptoribus nota ; hic tamen* Lucas *noster nomen principis et tempus ejus regiminis exprimit : unde apprime informatus ostenditur scriptor de rebus, etiam minutissimis. Nihilominus id fabulam reputat Straussius : quia Antonius, instigante Cleopatra, anno 33 ante Christum Lysaniam, Abilenes dominum, occiderat, Joseph. Antiquit. lib.* XV,

(1) Oper., p. 839. Edit. Plantin 1584. — (2) Ibid., p. 854. — (3) Ibid., p. 619. — (4) Cfr Pet:sc Lexicon. Antiquit. Rom. v° *Provincia*. — (5) Rosenmull. Schol. in N. T. ad h. l., t. II, p. 48. — (6) Sanciem, p. 415. — (7) Appian. Histor., p. 516. Edit. Paris. 1840. — (8) Oper., t. I. p. 758. — (9) Ibid., p. 812. — (10) Cfr Dion Cass., lib. LVI, cap. XXXIII Oper., t. II, p. 832. Sueton. August., cap. XXVIII et CI.

cap. IV,

J. V. B.

A *cap.* IV, *n.* 1 (1), *cujus possessiones, conductoris, ut videtur, titulo, dein administravit Zenodorus, ibid. cap.* X, *num* 1 (2), *quo mortuo, aliqui contendunt eam regionem Herodi fuisse donatam : sed inter regiones, ista occasione donatas, quas idem Josephus recenset, non occurrit Abila, ibid. num.* 3 (3), *adeoque aut Syriæ adjuncta fuerit, aut eamdem sibi reservarit Cæsar. Videmus quidem postmodum sub Caligula Agrippam I ab isto imperatore regem constitutum fuisse tetrarchiæ, quæ Philippi fuerat,* adjecta etiam Lysaniæ tetrarchia, δωρησάμενος αὐτῳ καὶ τὴν Λυσανίου τετραρχίαν, *Antiq. lib.* XVIII, *cap.* VI, *num.* 10 (4), *quibus ex verbis satis probabiliter deducitur tunc in Cæsaris potestate fuisse Lysaniæ principatum. Vacasse igitur videtur ista tetrarchia intervallo bene longo.*

Luc. III, 1. *explicatur.*

56 *Quocirca ut hunc nodum explicarent, dixere critici S.* Lucam *non agere de illo Lysania, qui ab Antonio occisus fuit, sed de altero quodam, qui ei successit. Hæc quidem conjectura est, cui, si nullum documentum historicum suffragatur, nihil etiam habet, quod notis monumentis contradicit, quod certe sufficit, ut S.* Lucam *ab omni erroris labe vindicemus. Imo conjecturam etiam probabilitas adminicu-* B *lat. Notum enim est in familiis, maxime regiis, idem nomen ad posteros propagari, cujus rei luculentum præbet exemplum ipsa Herodiana familia. Quid igitur si Lysanias, ab Antonio occisus, heredem sui nominis reliquerit, mirum cuipiam videbitur Augustum, cujus intererat, læsos a rivali suo Antonio, in pristinos gradus redintegrasse? Silentium Josephi valeret aliquid, si juxta morem nostrum, historiam suam concinnasset : in ordinandis enim regibus et principibus singulis numeris singulos distinguimus, quod profecto multum confert ad perspicuitatem historicam, sic nullo negotio Lysaniam I ab ejus posteriore homonymo discerneremus. Verum tali methodo non procedebant antiqui, nomina quidem dabant, sed plerumque nullis distincta notis : sic Josephus de variis agit, qui Herodis nomen gesserunt, sed nisi quis attente legerit, in memoriam etiam revocarit jam lecta, sæpe quod ad diversos homonymos spectat, in unum eumdemque hominem conferet, ex quo magna confusio orietur. Atque hæc sunt, quæ de authentiæ librorum S.* Lucæ *dicenda habuimus, quoniam istiusmodi difficultates in obviis libris non reperiuntur : qui vero plura novisse cupit, adeat libros, qui ex insituto suo de sinceritate et auctori-* C *tate sacrorum librorum agunt. Cæterum hactenus dicta satis indicant nos retractasse S.* Lucæ *libros, quasi mere historicos, sed isto argumentandi modo, nihil detractum volumus eorum auctoritati et debitæ reverentiæ, quatenus sunt* θεοπνεύστοι.

§ IV. S. Lucæ prædicationes per varia loca et de imaginibus ejus manu depictis.

S. Lucas in *Germania.*

Post *S. Pauli passionem (nulla enim ratio nobis suadet S.* Lucam *ante Apostoli mortem magistrum reliquisse, quoniam constanter ab antiquis Pauli* comes individuus *vocatur) S.* Lucas *et ipse ministerium prædicandi Evangelii continuavit. Cujus prædicationis testimonium refert S. Epiphanius Hæresi* LI *quæ est Alogorum cap.* XI (5) : Huic (Lucæ) igitur prædicandi Euangelii munus est creditum : idque ipse primum in Dalmatia, Gallia, Italia, Macedonia præstitit : ut de nonnullis comitibus suis Paulus in epistolis testatur : « Crescens, inquit, in Gallia. » Non enim in Galatia legendum est, ut quibusdam immerito placuit ; sed in Gallia. *Antiquiora hoc documento circa S.* Lucæ *prædicationem non occurrunt nobis. Quoad in primis Dalmaticam prædicationem attinet, eamdem confirmatam dicit Daniel Ferlatus noster* (6), eximia quadam erga hunc sanctissimum Euangelistam propensione ac religione, insita hac propemodum innata animis Dalmatarum, qui, cum fama et traditione acceperint, patriam suam ejus vestigiis impressam et Euangelicis præceptis excultam fuisse, meritam eidem gratiam, pro eo ac debent et possunt, summa veneratione et memori mente persolvunt. *Quin et ex Dalmatia in Noricum excurrisse Sanctum nostrum antiqua, teste Hansizio* (7), *habet traditio Laureacensis*, cujus monumentum, *inquit laudatus scriptor,* sunt versus, antiquo charactere descripti, in turri oppidi Anasini, vulgo Ens superioris Austriæ, quorum auctor ignoratur quidem, uti et ætas, quæ forsitan Luthericolarum tempora, qui templum illud tempore Maximiliani II Cæsaris arripuerunt, haud excedit : tamen valet eorum E auctoritas, ut pateat constantem fuisse de Sanctis duobus Euangelistis, seu fundatoribus Ecclesiæ Laureacensis traditionem : sic autem habent :

Aspicis exiguam nec magni nominis urbem,
Quam tamen æternus curat amatque Deus.
Hæc de Laureaco reliqua est : his Marcus in oris
Cum Luca Christi dogma professus erat.

58 *Prædicationis Italicæ nullum quod sciam apud* Italia *Italiæ Ecclesias superest vestigium, quamquam, si germanicis monumentis fidem aliquam adhibemus, quoniam S. Marci in Norico comes traditur, non absurdum esset conjectare et Aquilejensis Ecclesiæ, cujus Marcus fundator dicitur* (8), *aliquam sollicitudinem habuisse. Ast Macedonicum seu Achaicum S.* Lucæ *apostolatum confirmat S. Gregorius Nazianzenus Orat.* XXXIII *al.* XXV (9), *dicens :* Sit sane Petri Judæa, *quia nempe ipse Judæus ;* quid Paulo cum gentibus commune, Lucæ cum Achaja, Andreæ cum Epiro, Joanni cum Epheso, Thomæ cum India, Marco cum Italia. *Persuasum igitur erat Gregorio Achajam fuisse S.* Lucæ *præcipuum prædicationis theatrum. In Vita infra edenda n.* 9 *dicitur quoque in Ægypto, præsertim in Thebaide* F *evangelizasse, imo inferioris Thebaidis* pontifex ac pastor a Spiritu præpositus *fuisse. Sed suspicari licet Ægyptiacam missionem manare ex confusione nominum et urbium. Duplices enim sunt Thebæ, Ægypti scilicet et Bœotiæ, quæ Achajæ adjacet ; et quamvis Metaphrastes Ægyptiacam missionem referat, ita tamen de Thebis loquitur, ut Bœoticas intelligere debeamus : nam Thebaidi S. Evangelistam addicens, regionis tamen urbem primariam, Thebas,* ἑπτάπυλους, septem portarum *cognominat, quod Thebis Bœothicis unice convenit, dum Thebæ Ægyptiacæ,* ἑκατόμπυλοι, centum portarum, *appellarentur* (10). *Ex istiusmodi confusione opinionem de Ægyptiaca missione S.* Lucæ *profluxisse existimandum est* (11).

et Gallia *prædicasse dicitur.*

59 *Superest nunc quæstio, utrinque solerter ventilata, de prædicatione scilicet S.* Lucæ *in Gallia. Videmus in allato supra S. Epiphanii textu, illum considerate locutum esse de Gallia, quoniam et secundum hanc sententiam textum Paulinum* II *Tim.* IV, 10 *corrigendum dicit. Petavius in suis*

(1) Oper., t. I, p. 749. — (2) Ibid., p. 774. — (3) Ibid., p. 775. — (4) Ibid., p. 897. — (5) Oper., t. I p. 433. Edit. Paris. 1622. — (6) Illyric. Sac., t. I, p. 259. — (7) Germ. Sacr., t. I, p. 15. — (8) De Rubeis. Monum. Eccl. Aquilej., p. 1. — (9) Oper., t. I. p. 611. Edit. Paris. 1778. — (10) Le Quien. Oriens Christ., t. II, col. 207. — (11) Cfr Tillemont. Mém. ecclés., t. II, p. 538.

Animadversionibus

J. V. B. *Animadversionibus ad hunc locum Epiphan i dicit* (1) : Lucam in Gallia prædicasse, nullus, quod sciam, prodidit. Atque haud scio, an Galliam Cisalpinam intelligat, per quam in Dalmatiam Græciamque contenderit. *Modestam hanc opinionem non probavit Petrus de Marca in epistola ad Henricum Valesium, Historiæ ecclesiasticæ editorem, data, atque Eusebianæ Historiæ præfixa, qua omnino tuetur eorum sententiam, qui dicunt SS.* Lucam *et Philippum Gallias suis prædicationibus illustrasse, et Apostolorum discipulos primarios fundasse Galliarum Ecclesias. Sed Petri de Marca sententiam aggressus est Joannes Launojus, temerariæ opinionis facile patronus, in suo Tractatu inscripto :* Disjunctio epistolæ de tempore, quo primum in Galliis suscepta est Christi fides (2). *Dixerat Petrus de Marca Augustum, abolito Galliæ per Italiam nomine, Gallias objectu Alpium terminasse;adeoque hoc nomine nequaquam partem Italiæ,olim Galliam Cisalpinam, venire : monstrat autem Launojus etiam post Augusti ævum Galliæ Cisalpinæ nomen apud scriptores perseverasse* (3). *Id quidem libens concedam : sed difficile inducam in animum, Galliæ nomen, quoties simpliciter et absolute ponitur, de* B *parte aliqua sive Italiæ sive Græciæ intelligi posse, quatumcumque monstretur id nomen aliis etiam gentibus, e Galliis Transalpinis prodeuntibus, commune olim fuisse. Atque id genus argumenti tanto fortius hic stringitur, quod S. Epiphanius hoc eodem loco dicat S.* Lucam *etiam in Italia prædicasse. Cæterum circa origines Christianitatis in Galliarum regione, satis copiose egimus supra in Commentario de S. Florentio, quem consulere potest lector benevolus.*

Eumdem pictorem fuisse, 60 *Nunc ad operosiorem digredimur quæstionem, de arte nempe pictoria, quam exercuisse aliquando S.* Lucas *perhibetur, quatenus sub ejus nomine variæ exponuntur imagines, præsertim Deiparæ Virginis, ejus manibus, ut fertur, depictæ. Concedet certe facile quisquis etantiquitatum Christianarum aliquantulum gnarus, vetustissimum esse et ad ipsa Christianismi incunabula pertingentem usum sacrarum imaginum, ut satis manifestum fit ex picturis, quæ in antiquissimis catacumbis Romanis repertæ fuere et quotidie reperiuntur. Quamvis autem post exortam et profligatam hæresim Nestorianam frequentior pingendæ beatissimæ Virginis,filium suum brachiis aut gremio sustinentis, usus invaluerit,* C *illo ævo tamen antiquiores istiusmodi imagines reperiuntur ; unam exhibet Boldettus in vitro impressam,adnotatque eamdem inventam fuisse sanguine respersam ac in sepulcro Martyris reconditam, quocirca ad tempora Constantino priora revocanda est ejus confectio* (4). *Hæc ideo animadvertenda duco, ut monstretur nullum præjudicium creari aut sacrarum imaginum usui aut Virginis Deiparæ cultui, quocumque tandem opinionem quisque suam inclinaverit. Nunc ipsam quæstionem aggrediamur. Rationes utriusque sententiæ clarissime exponit abbas Joan. Chrystomus Trombelli Bononiensis in suis Dissertationibus de cultu Sanctorum.*

plerique recentiores negant, 61 *Plerique critici recentiores* (5) *negant S.* Lucam *umquam pictorem fuisse,adeoque imagines ejus nomine insignes alteri cuipiam adjudicandas esse pronuntiant. In suæ vero sententiæ confirmationem sequentia fere afferunt argumenta. Aut enim Sanctus noster Hebræus fuerit, aut Gentilis. Si Hebræus fuit genere, scitur picturam et artes affines ab Hebræorum finibus severa interdictione exsulasse : qua igitur ratione* Lucas, *pingendi nescius ,imaginem aliquam exprimere potuisset? Quod si Gentilem illum dicimus, exsilit alia difficultas, quoniam aliquo a morte Christi tempore Christiana sacra, Paulo prædicante, amplexus, Mariam nonnisi sexagenariam cognoscere potuit, quam tamen pictura sua in flore juventutis exhibuisset. Sed istiusmodi argumento recte quidem responderi potest : non videri S.* Lucam *genere Hebræum fuisse, ut ostendimus supra num.* 9. *Si vero Gentilem illum fuisse concedimus, certe Virginem Deiparam, nonnisi sexagenariam cognovit : verum istud non impedit, quominus pictor illam in florenti juventute repræsentare valuerit, præsertim Virginem ab illis animi motibus, qui humanam faciem alterare solent, immunem, quocirca non ita difficile erat pictori lineamentis jam senescentibus aliquid juvenile aspergere : neque propterea aliquid portentosi excogitare necesse est : occurrunt quandoque homines, quibus quam tardissime senectutis forma imprimitur.* D

tum propter auctoritatem S. Augustini 62 *Alterum criticorum argumentum petitur ex S. Augustino Lib.* VIII *de Trinit. num.* 7 (6), *quum dicit :* Neque novimus faciem Virginis Mariæ, ex qua ille (*Christus*) a viro intacta, neque in ipso partu corrupta, mirabiliter natus est. Nec quibus membrorum lineamentis fuerit Lazarus, nec Bethaniam, nec sepulcrum lapidemque illum, quem removeri jussit, cum eum resuscitaret, videmus ; nec monumentum novum, excisum in petra, unde ipse resurrexit, nec montem Oliveti, unde ascendit in cœlum : neque omnino scimus, quicumque ista non vidimus, an ita sint, ut ea cogitamus ; imo vero probabilius existimamus non esse ita.... Credimus Dominum Jesum Christum natum de Virgine, quæ vocabatur Maria. Utrum autem illa facies Mariæ fuerit, quæ occurrerit animo, cum ista loquimur aut recordamur, nec novimus omnino, nec credimus. Itaque hic salva fide licet dicere, forte talem habebat faciem, forte non talem : forte autem de Virgine natus est Christus, nemo salva fide Christiana dixerit. *Hunc textum varie explicant patroni sententiæ asserentis S.* Lucam *pictorem fuisse : sensus tamen obvius et verus mihi videtur, S. Augustinum ejusve auditores non vidisse faciem Deiparæ, quin tamen idcirco asseveret ejusdem effigiem non existere: certe idem affirmando de* monumento novo, exciso in petra, unde Christus resurrexit, *nequaquam negat istud existere, sed solum umquam se vidisse. Quod similiter dicere licet de imagine Mariæ Virginis, tum quidem non adeo nota.* E F

tum quia Maria V. filium gestat 63 *Patrocinium quoque quærunt critici in eo, quod Deipara in laudatis picturis exhibeatur manibus aut gremio gestans filium suum, quod ante Concilium Ephesinum et profligatam Nestorianam hæresim vix fieri consueverat : ast post istud Concilium, sic pingi cœpit, ut vel imaginibus ipsis populus Christianus doceretur atque in orthodoxa fide confirmaretur. Verum quidem est non tam frequentes ante quam post Nestorium, negantem Mariam Deiparam esse, fuisse imagines Virginis, gestantis filium suum : attamen istiusmodi imagines, Nestorio antiquiores, repertæ sunt, non solum quando repræsentabatur aliquod mysterium Christi, v. g. adoratio Magorum, in qua visitur B. Maria, e sede ornata exhibens filium suum adorandum* (7); *sed etiam ubi præcipua ipsa B. Virgo fidelium venerationi offertur. Jam supra num.* 57 *egimus de vitro picto, quod Mariam, filium suum gestantem exhibet, et ad tempora*

(1) Epiphan. Oper., t. II, p. 90. — (2) Launoi. Oper., t. II, part 1, p. 72. — (3) Launoi. p. 78. — (4) Boldetti Osserv. sopra Cimeteri, t. I, p. 202. — (5) Tillemont. Mem., t. II, p. 137. — (6) Oper., t. VIII, col. 870. Edit. Paris. 1694. — (7) Arringhi Roma Subterr., t. I, p. 347, t. II, p. 44 et 272.

J. V. R.

A *pora anticonstantiniana revocandum est. Exhibet quoque similem imaginem in fronte egregii sui Operis de Monumentis artium Christianarum primitivarum* (1) *P. Josephus Marchi, nec dubito quin plures ejuscemodi effigies repererit; utinam aliquando eximius liber, temporum iniquitate interruptus, omnibus suis numeris absolutus prodeat! Citatur apud Arringhium* (2) *alia Deiparæ effigies, in cœmeterio Papæ Julii, Via Flaminia, reperta, cujus tamen ætas non undequaque liquet, quum apud Anastasium Bibliothecarium legatur hic Pontifex* fecisse cœmeteria tria, *et* unum *quidem* Via Flaminia; *animadvertit autem Emmanuel a Schelstrate, Papam Julium* dupliciter intelligi posse cœmeteria fecisse, vel quod antiqua Martyrum cœmeteria, suis temporibus detecta, Christianis fidelibus aperiri jusserit, vel quod loca subterranea, seu cryptas arenarias ad usum sepulturæ Christianorum adaptari mandarit. Utroque modo Julius potest dici fecisse cœmeteria. Quo autem modo ea fecerit, mihi compertum non est (3). *Cæterum etsi vel unum, quod profertur, esset istiusmodi imaginis exemplum, sufficeret ad ostendendum ex hoc capite non recte stringi argumentum; nam quod* B *semel factum est, in talibus rebus sæpius fieri potuit. Id tamen concedendum est, propagata Nestoriana hæresi, multiplicatas fuisse imagines Deiparæ, filium suum gestantis, pro more scilicet Catholicæ Ecclesiæ, quæ tanto sollicitius fidelibus suis doctrinam suam tum ritibus, tum signis ingerit, quanto gravius eadem impetitur: ut videre licet in Sacra Eucharistia, cujus cultus et frequentior et solemnior celebratur ab eo tempore, quo variæ hæreses prodiere.*

tandem ex silentio

64 *His discussis rationibus, gravius insurgit argumentum, silentium nempe scriptorum antiquorum, ita ut nullus prodiderit S.* Lucam *aut imaginem aliquam B. Virginis effinxisse, aut etiam pictorem fuisse. Et vero antiquiorem nullum auctorem reperire est Theodoro Lectore, qui sæculo sexto floruit, ac de imagine a S.* Luca *effigiata locutus fertur, quod ipsum tamen in dubium revocant critici; quoniam emergente Iconoclastarum hæresi sæculo* VIII, *fideique orthodoxæ undique vetera monumenta, antiquam doctrinam comprobantia, conquirentes, neque S. Joannes Damascenus, neque Patres Concilii Nicæni II ullius a S.* Luca *pictæ imaginis meminerunt, quod sane non omisissent, si* C *Theodori Lectoris scriptio tunc nota fuisset. Id genus argumenti, ex auctorum silentio petiti, vulgo negativum vocatur: ut autem potenter stringeret duæ requiruntur conditiones, nempe ut omnes, aut saltem plerique, auctores, qui ante stabilitam traditionem scripserunt, notisint et dein ut suas scriptiones via potuerint concinnare absque mentione ejus historiæ, quæ postmodum traditione inolevit* (4). *Profecto binæ illæ conditiones argumenti negativi in præsenti controversia non occurrunt: notorium enim est multorum scriptorum libros injuria temporum periisse, neque ex scriptis, hactenus conservatis, satis constat, auctores non potuisse præterire factum, de quo agimus.*

antiquorum

65 *Contra tamen posterius assertum excipi forsan posset silentio Patrum, qui in causa Iconoclastarum scripsere; ut enim dictum, maximi eorum intererat, monstrare usum sacrarum imaginum non solum ipsi Christianismo coævum, sed etiam artem pictoriam exercitam a tali viro, qualis S.* Lucas, *cujus laus erat in Evangelio per omnes Ecclesias, quique comes individuus S. Paulo adhæserat. Non levis videtur exceptio: si tamen, quod infra examinabitur, vere est Theodori Lectoris, sæculi* VI *scriptoris, fragmentum, in quo refertur imago Deiparæ, a S.* Luca *picta, Jerosolymisque Constantinopolim missa, ruit exceptio, utpote quæ facto contrario et anteriori destruitur. Non enim licebit dicere, opinionem circa artem pictoriam S.* Lucæ *primum post Concilium Nicænum II, adeoque post octavum sæculum jam senescens, enatam fuisse. Quod cæterum ostenditur ex Oratione adversus* Constantinum Caballinum *(Copronymum), cap.* VI (5) *in qua asseritur S.* Lucas *Deiparam pinxisse: licet autem hæc oratio Damasceno abjudicetur, tamen ante Nicænum II scripta fuit, tum quia in Copronymum dirigitur, qui a* 741 *ad* 775 *regnavit; tum quia citat pro cultu SS. Imaginum Concilium Quinisextum, nulla facta mentione Nicæni. Quomodo autem fieri potuerit, ut nemo in controversia, tam solerter acta, id genus argumenti peremptorii adhibuerit, illorum investigationi permittimus, qui nimium pondus silentio Auctorum tribuunt, quoniam ex fragmento Theodori et Oratione adversus Constantinum, infringitur vis argumenti negativi, etiam tunc, quando istiusmodi* E *silentium sive præteritio nulla videtur ratione posse explicari.*

quod refellitur ex testimonio

66 *Igitur ad testimonium Theodori Lectoris (nam primum est tempore, in quo asseritur S.* Lucas *pictor imaginis Deiparæ) est deveniendum. Floruit autem, teste Joan. Alberto Fabricio* (6) *sub Justino et Justiniano imperatoribus seu circa medium sæculum sextum: Aubertus quidem Miræus eum vixisse refert* sub annum millesimum trecentesimum vigesimum (7); *sed hoc omnino rejiciendum videtur, quoniam jam de illo agit S. Joannes Damascenus, ad calcem Orationis* III *De imaginibus* (8), *et Fabricius, D. Ceillier aliique Theodorum sæculo sexto illigant. Hæc porro refert lib.* I, *num.* 1 (9): Pulcheria Eudocia *(imperatrix Jerosolymis agens)* imaginem Matris Christi, quam Lucas Apostolus pinxerat, Hierosolymis misit *Constantinopolim. Si admittitur Theodori lectio, omnino probabilis evadit opinio jam sub S. Pulcheria, proindeque circa medium sæculum quintum percrebuisse S.* Lucam *aliquam imaginem Deiparæ pinxisse, adeoque satis antiqua habenda est sententia affirmantium Evangelistam nostrum pictorem fuisse; quo quidem in* F *casu argumentum negativum præcipuam vim amitteret. Quocirca contra genuitatem Theodoriani textus varia contrariæ opinionis asseclæ excipiunt. Atque imprimis objiciunt, deperditorum operum Theodori vadimonium aliud non esse, quam Nicephorum Callistum, hominem schismaticum, in cujus Historia ecclesiastica non pauca occurrunt falsa.*

Theodori lectoris

67 *Verum ea solvendæ difficultatis ratio, nimium videtur probare et in detrimentum vergere historicæ veritatis. Quot enim sunt auctorum, tum profanorum tum ecclesiasticorum, fragmenta, apud recentiores conservata, quæ tamen idcirco non repudiamus, quia opera integra ad nos non pervenere? Nisi itaque convincatur Nicephorus perperam citasse auctores eorumque scripta, aut eadem vitiasse, non est hac in parte, ut illi fidem abrogemus; maxime quoniam in istiusmodi narratione nullo modo attingebantur controversiæ, Latinam inter et Græcam Ecclesiam agitatæ. Quod vero Theodori Historia sive ejus excerpta dicantur* ἀπὸ φωνῆς Νικηφόρου

(1) Monum. delle arti Christ. primitive nella metropol. del Christian. Cfr Gaume. Les trois Rome, t. IV, p. 219. — (2) Rom. Subt., t. II, p. 165. — (3) Bianchini. Vit. Rom. Pontt., t. III, p. 6. Edit. Rom. 1728. — (4) Honoré de S. Mar. Sur l'usage de la Crit., t. I, p. 265. — (5) Joan. Damasc. Oper., t. I, p. 618. Edit. Le Quien. Venet. 1748. — (6) Biblioth. Græc., t. VII, p. 435. Edit. Hamburg. 1801, et Ceillier. Aut. ecclés., t. XVI, p. 186. — (7) Biblioth. eccles., p. 259. Edit. Antv. — (8) Oper., t. I, p. 380 et 386. — (9) Euseb. Hist. Eccles., t. III, p. 563. Edit. Cantabr. 1720.

J. V. B.

Καλλίστου τοῦ Ξανθαπούλου, *id est, Nicephoro dictante* (1), *non officit authentiæ : nullum enim uspiam est vestigium, Nicephorum supposititia opera ementito nomine, in lucem dedisse. Neque juvat dicere, Theodorum suam Historiam concinnasse ex Socrate, Sozomeno et Theodoreto, adeoque, quum nihil simile in istis scriptoribus de S.* Luca *occurrat, id falso illi tribui : scripsit enim aliam Historiam ecclesiasticam proprio marte compositam* (2), *cujus fragmenta, seu, ut vulgo vocantur, collectanea ad nos pervenere, ubi et citatum supra textum est reperire.*

non temere abrogando,

68 *Quæ quum ita sint, salvo meliori judicio, textum Theodori retinendum censemus. Porro imaginem Deiparæ, ab Eudoxia missam Constantinopolim, reposuit S. Pulcheria in ædificata a se ecclesia S. Mariæ, quæ, quoniam variæ essent* C. P. *sub nomine S. Mariæ ecclesiæ, Hodogetria,* ἀπὸ τῶν Ὀδηγῶν, *cognominabatur. Hæc enim refert Nicephorus Callistus lib.* XIV *Hist. eccles. cap.* II (3) : Templum item, quod τῶν Ὀδηγῶν, hoc est, viæ ducem, cognomine clarum est, in quo divinam illius imaginem, quam Lucas Apostolus in tabula pictam reliquit, et sacram colum et servatoris ipsius fascias, perinde atque thesaurum, quem ad eam Eudocia B
Augusta, quum Hierosolyma profecta est, misit, servandas curavit *Pulcheria. Et lib.* XV, *cap.* XIV (4): Secundum templum *(a S. Pulcheria exstructum)* ὁδηγῶν, viæ ducum est, ubi Antiochia missam Verbi Matris imaginem dedicavit, quam divus Apostolus Lucas suis ipse manibus depinxit, illa adhuc vivente et tabulam ipsam vidente gratiamque adeo illi formæ suæ immittente. Hæc imago primum in loco, qui Tribunal dicitur, fuit, ubi ea, quæ nunc quoque fiunt, miracula peracta sunt. Porro in templo isto, ut tertio quoque septimanæ die pervigilium itidem et supplicatio perageretur, curavit; quod ad hunc usque diem servatur.

cujus ope posterior traditio.

69 *Quocirca rejiciendum est, quod refert Codinus* (5), Templum Deiparæ, cognomine viæ ductricis ædificasse Michaelem Methystam, quem Basilius Macedo interemit. Prius oratorium erat complurium cæcorum, qui in fonte ejus loci se lavantes visum receperant; quamobrem ipsum quoque templum viæ ductricis ὁδήγος cognominatum est. *Sed major fides habenda est Theodoro Lectori, scriptori antiquo, dicentis a S. Pulcheria hanc ædem constructam, quam Codino, auctori recentiori, nisi forsan dicatur templum, vetustate dilabens, a Michaele* C
Methysta instauratum fuisse. Tradit quoque Carolus Du Cange (6) *in Sicilia asservari imaginem Deiparæ, ab Itria cognominatam, quod sit exemplar expressum ex imagine, quæ* C. P. *asservabatur in æde* τῆς Ὀδηγητρίας, *unde et appellationem servavit, voce licet truncata : additque morem in Sicilia invaluisse, ut plurimi feria* III *hebdomadis, quemadmodum et S. Pulcheria instituerat, aliquid devotionis faciant, sive abstinendo a carne et lacticiniis, sive visitando binas Deiparæ ecclesias, in quibus, veteri more, Sanctissimum Sacramentum exponitur publice adorandum magno populi concursu.*

admisso etiam aliquas imagines

70 *Non est porro quod pluribus ostendamus S.* Lucæ *pictoris artem tributam fuisse, hæc enim traditio medio ævo apud omnes, tum Græcos tum Latinos, invaluerat. Propterea tamen non omnes imagines, quæ sub* Lucæ *nomine coluntur, ejus unius manu depictas fuisse defendimus:* neque sane, *inquit Du Cange* (7), mihi dubium est, quin cæteræ Deiparæ imagines, quæ a S. Luca pictæ feruntur, et Romæ et alibi coluntur, exemplaria sint ejus, D
quæ in æde τῶν Ὀδηγῶν asservabatur. *Qua quidem cautione occurritur difficultati, ortæ ex imaginum multiplicitate, quasi, posito S.* Lucam *fuisse pictorem, ipsi tamen in mediis peregrinationibus et laboribus apostolicis non vacasset, tam diutinam pingendo operam impendere: facile enim exemplaria, ex prototypo desumpta, lapsu temporis, tamquam ipsa prototypa habentur, uti experimento quotidiano discimus in tabulis et statuis longe recentioribus. Quæ hactenus dicta sunt, non eo collimare quis existimet, quas hic tamquam rem indubitatam tradere vellemus S.* Lucam *et pictoriam artem exercuisse et repræsentasse Deiparæ imaginem. Etenim id solum monstrare voluimus, silentium antiquorum seu argumentum negativum exaggerandum non esse; quoniam non nisi raro et sub conditionibus num. 64 indicatis, tantum habet virium, ut traditionem aliquam falsam et fabulosam demonstret. Simul tamen fatemur, id efficere argumentum negativum, ut incertum reddat vigentem aliquam traditionem, nisi aliunde adminiculari possit.*

perperam S. Lucæ *attributas fuisse, adminiculatur.*

71 *Ex hactenus dictis id tamen consequitur, quod rejicienda sit interpretatio eorum, qui volunt vulgarem opinionem de S.* Luca *pictore manasse ex quadam confusione cum altero homonymo, nempe* E
quodam monacho Florentino, qui sæculo nono aliquas imagines Deiparæ Virginis depinxit. Nempe tali interpretatione non explicatur, quo tandem modo traditio non solum ad universam Ecclesiam Latinam, sed etiam ad Græcam derivata fuerit : etenim illo maximo sæculo incepit et crevit fatale schisma, quod deinceps impedivit, quominus traditio aliqua ab una ad alteram Ecclesiam traduci posset. Obstat quoque sententiæ de Luca, monacho pictore, testimonium Theodori Lectoris, longe antiquioris. Ex hoc itaque capite traditio vulgaris impugnari non potest : si pictor aliquis, Lucas nomine, celebratas Deiparæ imagines effinxit, antiquior quidam homonymus reperiendus est. Quoad porro modum pingendi (vulgo stylum appellant) is non sum, ut de eo certum judicium proferre valeam, etiamsi, quæ mihi desunt, coram haberem imagines varias, de quibus controversia nasci posset. Contra imaginem Deiparæ Bononiensem, quominus S. Lucæ *Evangelistæ manu depicta habeatur, objicitur in ea distincte legi :* Opus Lucæ cancellarii. *Utrum id verum sit, indagare mihi non licuit : si tamen est, id unum consequitur, nempe imaginem Deiparæ Bononiensem* F
S. Lucæ *attribuendam non esse, quin ex tali negatione deducere liceat Sanctum nostrum pictorem non fuisse, adeoque nullas picturas post se reliquisse* (8).

§ V. De obitu S. Lucæ ejusque circumstantiis.

Tempus obitus S. Lucæ *ubi umque statuitur :*

C*irca obitum S.* Lucæ *varia occurrunt incerta, quæ hic elucidanda aliquatenus sunt. Controvertitur enim ejus ætas, mortis genus et locus : de singulis afferemus ea, quæ antiquiores tradiderunt. Et imprimis quoad ætatem spectat, passim habetur S. Hieronymus scripsisse :* Vixit octoginta quatuor annos, uxorem non habens : *hæc quidem verba, quasi Hieronymi, leguntur in Breviario Romano ad diem* XVIII *Octobris, sed, ut animadvertit D. Martianay in sua Hieronymiana editione* (9), nullum exstat vestigium

(1) Bibl Gr., t. VII, p. 436.— (2) L. c. — (3) T. II. p. 410. Edit. Front. Ducæi. Paris. 1630. — (4) Ibid., p. 607. — (5) De ædif. C. P., p. 80. Edit. Bonn. 1843.— (6) C. P. Christ., p. 92.—(7) L. c. — (8) Cfr Biogr. univ. v° *Luca Santo.* Gretzer Oper., t. XV, p. 179. — (9) S. Hieron. Oper., t. IV, part. II, col. 101.

horum

A horum verborum in manuscriptis codicibus, neque novi, unde putrida hæc commenta fluxerint. *S.* Lucam *senem obiisse omnes conveniunt, sed discrepant in annorum numero assignando. Glossema, Hieronymiano Catalogo interpolatum, e Græcis videtur manasse; Latini enim plerique septuagenarium faciunt. Menæa octoginta annos tribuunt,* ὀγδοήκοντα ἐτῶν γενόμενος, ἐν εἰρήνῃ ἀνεπαύσατο, (1) *quam ætatem S.* Lucæ *assignat quoque Nicephorus Lib.* II, *cap.* XLIII (2). *Latini vero, ut monui, septuagenariam vitam Sancto adscribunt, cum aliqua tamen discrepantia. Beda enim (neque antiquior testis nobis occurrit) in Martyrologio dicit* (3) : Neque uxorem unquam habens, neque filios, septuaginta quatuor annorum obiit in Bithynia. *Bedam exscripsit Rabanus* (4). *Sed Bedæ elogium ampliavit Ado, nisi quod ætatem uno anno contrahat, quod et Usuardus fecit; ita ut hi S.* Lucam *annos natum septuaginta tres obiisse referant. Satis facile in Latinorum opinionem flectimur, quoniam hi antiquitatis prærogativa gaudent. Id tamen animadvertendum est aliquot exemplaria Usuardina ætatem octoginta trium annorum, sed absque idonea auctoritate, ut habet Sollerius noster ad hunc diem; quapropter miran-* B *dum est, id etiam fucum fecisse Tillemontio* (5). *Unde, ut in capite hujus Commentarii notavimus, Sanctum nostrum inter annum Christi* 75 *et* 100 *obiisse existimamus.*

afferuntur variæ auctoritates

73 *Neque minor est inter antiquos opinionis diversitas in genere mortis indicando. Menæa supra citata, quum dicunt in pace quievis e Sanctum nostrum,* ἐν εἰρήνῃ ἀνεπαύσατο, *insinuant naturali morte vitam clausisse, quod ipsum confirmat Vita infra edenda num.* 10 *dicens :* Plenus jam dierum *(quorum tamen numerum non reddit)* effectus, redit in pace ad Deum pacis, pulvere quidem pulveri relicto, anima vero in manibus ejus, qui dederat, commendata. *Sed istiusmodi testimoniis prævalere debet auctoritas S. Gregorii Nazianzeni Orat.* IV, *alias* III, *num.* 69, *aperte* Lucam *nostrum inter Martyres numerantis* (6) : Non victimas pro Christo cæsas veritus es *(Juliane)* ? nec magnos pugiles extimuisti, Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Teclam, eos, qui, et post illos, pro veritate periculis se objecerunt? .. Quorum vel solæ sanguinis guttæ atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora. *Nihilominus Elias, Cretensis metropolita, sæ-* C *culo* VIII *S. Gregorii Scholiastes* (7), *negat S.*Lucam *Martyrem obiisse* (8) *idque monstrat exemplo Joannis, quem Evangelistam, non vero prophetam dicit. Verum textum Gregorii inspicienti non clare patet, de utro loquatur, dicit quidem* Joannem illum Ἰωάννην ἐκεῖνον. *Sed non satis perspicitur ex superioribus verbis uter designatus sit; licet porro de Evangelista illum locutum concedamus, non tamen tollitur difficultas; quoniam Joannes Evangelista, oleo fervemti fuit immissus, quo in supplicio, nisi ope divina servatus fuisset, morte afficiendus erat, vere Martyr, atque adeo* victima pro Christo cæsa *dici potuit. Cæterum totus Nazianzeni contextus demonstrat illum de Martyribus agere, quibus S.* Lucam *accenset.*

SS. Patrum

74 *Gaudentius, Brixiensis episcopus, circa initium sæculi* V *vita functus, absque ambiguitate aliqua S.* Lucam *Martyrem pronuntiat in oratione* in die dedicationis basilicæ concilii Sanctorum. *Enumerat enim Reliquias, quibus dicta ecclesia illustratur, nempe SS. Joannis Baptistæ, Andreæ, Thomæ, ac tandem, quarto loco,* Lucæ (9) *et sic pergit :* Horum quatuor beatas habemus Reliquias, qui regnum Dei et justitiam prædicantes, ab incredulis et iniquis occisi, Deo semper vivere operationum suarum virtutibus demonstrantur. Joannes in Sebastena urbe provinciæ Palæstinæ, Thomas apud Indos, Andreas et Lucas apud Patras, Achajæ civitatem, consummati referuntur. *Joan. Mabillon in notis ad Kalendarium Ecclesiæ Carthaginensis vetustissimum, in quo sub* III *Idus* (XIII) *Octobris annuntiatur Sanctus noster his verbis* (10) : III Id. Oct. Sancti Lucæ Evangelistæ et Martyris, *hæc subdit :* Duo hic cum cæteris non conveniunt, nempe dies et Martyris nomen : cum Lucas XV Kal. Nov. notari solitus sit, nec Martyris nomen passim obtineat. Quamquam id insinuat Gregorii Nazianzeni oratio in Julianum et aperte dicunt Paulinus et Gaudentius. *J. V. E.*

circa mortis genus

75 *Verum Paulini testimonium tam clarum non est, ut censet Mabillonius, quum ejus valor ab interpunctione, antiquis vix usitata, pendeat. Loquitur nempe Sanctus de Reliquiis, in Fundana basilica asservatis, quas describens epistola* XXXII, *alias* XXII, *dicit* (11) : E

Hic Pater Andreas et magno nomine Lucas
Martyr et illustris sanguine Nazarius.

Quos in versiculos commentator, qui laudatam editionem illustravit, sequentia adnotat (12) : Baronius ad Martyrologium Romanum XVIII Octobris, conjunctim legit Lucas Martyr existimatque Paulinum in ea fuisse sententia, ut Lucam martyrio affectum crediderit, quod et Servius noster in Apparatu suo Euangelico sequitur, qui addit Paulinum etiam Natali IX Lucam Martyrem vocare. Sed neuter locus plane evincit Lucam martyrio functum fuisse. Nam priore loco Martyr referri potest ad Nazarium, uti impressimus ex veteribus editionibus : posteriore, nulla mentio martyrii in carminibus, quæ Lucam spectant. Nisi Martyrem velis, quia ibi *(v.* 424 (13)) Martyribus interjungitur : sed et Martyr dici potuit, quia multa passus est pro Christi nomine, uti habet Martyrologium Romanum, quomodo Paulinus Felicem quoque Nolanum Martyrem vocat eodem Natali *(v.* 152 *et* 309 (14)). *Atque hæc postrema verba faciunt, ut nullius momenti ad præsentem quæstionem mihi videantur prolata a S. Paulino; quo demumcumque modo interpungantur, nihil efficient, quoniam vocem* Martyris *non stricte interpretatur S. Paulinus.* F

per martyrium

76 *Verumtamen, omissa etiam S. Paulini auctoritate, satis liquet apud antiquos viguisse opinionem, S.* Lucam *Martyrem occubuisse, dum contraria sententia tantum inter recentiores suos nacta sit patronos; nisi inter veteres illos etiam recensere velimus, qui, quia de morte violenta nullam mentionem fecere, supponuntur existimasse Sanctum naturali morte functum fuisse. Ast talis ratiocinandi modus in argumentum negativum degenerat, cujus non magnum est robur, quando contraria apud antiquos referuntur. Probabilius itaque censeo, his ductus testimoniis, S.* Lucam *Martyrem obiisse, quin propterea undecumque veram habeam ejus passionis historiam, prout a Nicephoro Callisto lib.* II *cap.* XLIII (15) *refertur his verbis :* Cum Paulo autem Romæ quum fuisset, in Græciam est reversus, plurimosque ibi divinæ doctrinæ et cognitionis luce illustravit : et tandem a divini verbi contemptoribus ex fructifera oleæ arbore suspensus, quod

(1) Mens. Octob., p. 110. Edit. Venet. 1843. — (2) Niceph. Hist. Eccles., t. I, p. 170. Edit. Paris. 1630. — (3) Act. SS., t. II Mart., p. XXXV. — (4) Canis. Thes. Monum., t. II, part. II, p. 334. — (5) Mém. Ecclés., t. II, p. 33?. — (6) Oper., t. I, p. 108. Edit. Paris. 1778. — (7) Fabric. Bibl. Gr., t. VIII, p. 430. — (8) S. Greg. Naz. Oper., t. II, p. 322. Edit. Paris. 1630. — (9) Collect. Vet. Patt. Brixianæ Eccl., p. 336 et seqq. Edit. Brix. 1738. — (10) Vetera Analect., p. 166. Edit. Paris. 1723. — (11) S. Paulini Oper., t. I. Epist., p. 210. Edit. Paris. 1685. — (12) Ibid., t. II, p. 75. — (13) Ibid., t. I. Poem., p. 153. — (14) Ibid., 146 et 150. — (15) Niceph. Hist. Eccles., t. I, p. 210.

aridi

J. V. H.

aridi ligni, unde crux fieret, copia non esset, Deo spiritum commendavit. *In editione græca Novi Testamenti Millii, in præfatione Evangelii secundum* Lucam *citatur textus S. Hippolyti ex Mss. bibliothecæ Bodlejanæ* (1), *qui dicit Marcum per Petrum*, Lucam *per Paulum ad Dominum conversos, dignatos fuisse Evangelica prædicatione seu scriptione*, εὐαγγελίζεσθαι καταξιοῦνται, *pro qua et martyrium subiere* ὑπὲρ οὗ καὶ ἐμαρτύρησαν, *ille quidem igne consumptus*, πυρποληθεὶς, *hic vero crucifixus in olea*, σταυρωθεὶς ἐπ' ἐλαίας. *Magnum certe pondus opinioni nostræ adderet S. Hippolyti auctoritas, si satis constaret de ejus scriptis; sed horum sinceritas multis est dubia, quin et hic facit S.* Lucam *unum e* LXX *discipulis Christi, quod supra num.* 10 *refutavimus, et S. Marcum igne Martyrium consummantem, de quo tacent antiqui, nisi quod referant ethnicos ad abolendas ejus Reliquias, voluisse corpus comburere, sed, irruente procella, dispersos fuisse* (2).

utrum vero id Thebis Bœotiæ,

77 *Inquisito utcumque mortis genere, restat, ut indagemus obitus locum. Circa quam quæstionem variæ sunt sententiæ. In Vita infra edenda legimus illum Thebis* ἑπταπύλοις, *cum septem portis, finem*
B *vivendi fecisse; atque, ut jam supra animadvertimus num.* 58, *evidenter biographus Thebas Ægyptiacas cum Bœoticis confundit neque, aliquis antiquiorum, quod sciam, Ægyptum Sancto nostro assignat, sed omnes ejus prædicationem intra Europam et Græciam definiunt. Ac quidem Thebis Bœotiæ sepultum adeoque et istic mortuum S.* Lucam *dicit Nicephorus* (3); *sed hanc assertionem tamquam errorem traducit Alb. Butler in compendio Vitæ sub die* XVIII *Octobris, ratus illam ortam ex confusione* Lucæ *Stiriotæ, in Bœotia defuncti, cum Sancto nostro. Quod a vero aberrare existimo: nam Sterium seu Stirium, ut liquet ex Stiriotæ Vita, ab ejus discipulo conscripta et a nostris die* VII *Februarii edita, in Chrysiaria provincia situm est, ut manifestat laudatus biographus* (4), *quando dicit monachum quemdam, Cosmam nomine, qui in Italiam proficiscens*, quum ad Chrysiariæ partes venisset, aliquantula illic quiete reficiendum corpus putavit. Dormienti viro divinum quoddam insomnium exhibitum est, quod ille loci incolis narrans, sistendum sibi eo loco iter audivit. *Intelligens igitur se ad inserviendum S.* Lucæ *destinatum, ab incolis ducitur ad locum, ubi Sancti viri sepultura erat, quam* inve-
C nuste atque neglecte haberi *vidit, quare eamdem repurgavit et ornavit.*

confuso Luca Stiriota cum Evangelista,

78 *Ex his liquet Stirium in Chrysiaria provincia reperiundum esse. Est autem Chrysaria seu Chrysis eadem regio ac Phocidis provincia, ut aperte docet Vita* (5) Divini Lucæ avos ad Phocidis sive Chrysi provinciam commigrantes. *Atque istic situm est oppidum* Stiris, Στίρις (6), *quod tamen, utrum idem ac nostrum Stirium*, Στήριον, *sit, non plane definiam. Satis nobis sit monstrasse Stirium S.*Lucæ *monachi non in Bœotia, sed in Phocide esse requirendum: atque adeo non undecumque valere rationem, ab Alb. Butler allatam. Imo Thebis, Bœotiæ capite, satis distare Stirium elicitur ex alio loco ejusdem Vitæ cap.* X (7), *in quo Sanctus, Thebas a Crinito Atticæ præfecto evocatus, eidem exprobrat quod illum accersendo* tot laborum causa exstiterit. *Etenim si proximum Thebis Stirium jacuisset, non fuisset tali expostulationi locus. Tandem quoniam iste* Lucas *obiisse notatur circa annum* 946, *difficilis supponitur duorum homonymorum, novem ferme*
D *sæculis ab invicem distantium confusio. Ex hac igitur ratione rejicienda non videtur opinio, quæ statuit Thebis S.* Lucam *Evangelistam obiisse, sed potius quia nullam ab antiquitate auctoritatem mutuatur. Idem censendum est de iis, qui cum laudato Alb. Butler, dicunt S. Evangelistam Eleæ diem supremum obiisse, in quam sententiam citatur S. Hippolytus, quod manare videtur e textu num.* 75, *in quo legitur* σταυρωθεὶς ἐπ' ἐλαίας, *oleæ affixus, quasi* ἐλαία *hic urbem significaret, quo casu satis male conjunctio* ἐπὶ *adhiberetur.*

an vero in Bithynia, aut in Achaja sepultus fuerit, examinatur.

79 *Martyrologia classica Usuardi, Adonis et Romanum nuntiant S.* Lucam obiisse in Bithynia plenum Spiritu Sancto. *Quod quidem, deficientibus documentis antiquioribus, accipiendum esset, quoniam sunt testes graves, qui ipsos plerumque fontes sectati sunt. Verum quominus in istam descendamus sententiam, prohibent tum antiquiorum dicta, tum translationis locus, corpore non ex Bithynia, sed ex Achaja Constantinopolim transvecto. Et quod antiquiores spectat, S. Gregorius Nazianzenus, quum Patras, Achajæ urbem designat, tamquam proprium prædicationis S.* Lucæ *locum, insinuat istic illum obiisse, ubi maxime Evangelio disseminando allaboraverat: confutans enim sibi factam* E
objectionem, quod ipse peregrinus et alienigena sedi Constantinopolitanæ impositus fuerat, inter alias rationes hanc etiam affert, Apostolos eorumque discipulos, si Petrum, Judæis prædicantem, excipias, missos fuisse ad gentes extraneas, Orat. XXXIII, *alias* XXV, *cap.* XI (8): Sit sane Petri Judæa. Quid Paulo cum gentibus commune, Lucæ cum Achaja, Andreæ cum Epiro, Joanni cum Epheso, Thomæ cum India, Marco cum Italia? *etc. quam Gregorii sententiam eximie confirmat S. Gaudentius Brixiensis, jam citatus, in sermone in Dedicatione Basilicæ Sanctorum* (9): Joannes *(Baptista), inquit*, in Sebastena urbe provinciæ Palæstinæ, Thomas apud Indos, Andreas et Lucas apud Patras, Achajæ civitatem, consummati referuntur. *Quoniam cæterum certum est S. Andream in Achaja et passum et sepultum fuisse, recte concludi potest Sanctum nostrum Evangelistam eamdem laborum palæstram et sepulturæ sedem nactum fuisse. Huc etiam accedit Bithyniam in altera Bosphori ripa, nempe in Asia sitam esse. Quapropter nulla fere ratione explicari posset, quomodo S. Evangelistæ corpus per tantas ambages Constantinopolim advectum fuisset. His ductus rationibus censuerim locum sepulturæ S.* Lucæ *magis* F
in Achaja, quam in Bithynia constituendum esse. Quoniam porro tam ambigua sunt, quæ de ætate, mortis genere et loco S. Lucæ *traduntur, satis intelligitur definiri non posse, quo anno æræ vulgaris diem suum clauserit extremum: quocirca late tempus obitus sæculum primum assignavimus: quamvis, inspecta chronotaxi Vitæ S. Pauli, cum aliqua probabilitate intra annos Christi* 75 *et* 100 *determinari posset.*

§ VI. De variis translationibus corporis S. Lucæ.

Corpus S. Lucæ primo Constantinopolim

Primum Constantinopolim translatum fuisse, una cum S. Andrea, S. Lucæ *corpus, antiquissima et coæva habemus testimonia. In Scaligeriana editione Eusebii Cæsariensis adnotatur quidem hæc translatio* (10): *verum si accuratiorem Chronici Eusebiani,*

(1) Mill. N. T. Gr., p. 120. — (2) Act. SS., t. III April., p. 348, n. 9. — (3) Hist. Eccles., t. I, p. 210. — (4) Act. SS., t. II Febr., p. 97, n. 69. — (5) Ibid., p. 84, n. 3. — (6) Cellar. Orb. antiq., t. I, p. 915. Edit. Lips. 1773. — (7) Act. SS., t. II Febr., p. 95, n. 59. — (8) Oper., t. I, p. 611. Edit. Paris. 1778. — (9) Vet. Patt. Eccl. Brix., p. 339. — (10) Scalig. Thesaur. temp., part. I. Edit. Amstelod. 1658.

quam

A *quam anno* 1833 *Angelus Mai, nunc S. R. E. Cardinalem, Romæ in lucem dedit, consulamus, genuinum Eusebii chronicum in annum vigesimum Constantini Magni desinit, quum explicit in hæc verba :* Vicennalia Constantini Nicomediæ acta, et sequenti anno Romæ edita (1). *Ast Sancti nostri translatio, omnibus consentientibus, in annum vigesimum Constantii reponitur : proin ad posteriorem quemdam Chronologum recurrendum est. Huic translationi auctoritatem suam præbet S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum dicens* (2) : *S.* Lucas sepultus est Constantinopoli, ad quam urbem vicesimo Constantii anno, ossa ejus cum Reliquiis Andreæ Apostoli translata sunt : *similia quoque habet in Libro adversus Vigilantium* (3) : *quibus omnibus consonat ipsum Hieronymianum Chronicum, quod notat sequentia* (4) : Constantio Romam ingresso, ossa Andreæ Apostoli et Lucæ Euangelistæ a Constantinopolitanis miro favore suscepta. *Eadem tandem habet Prosper Aquitanus in suo Chronico, translationem consulatui* IX *Constantii et* II *Juliani Cæsaris illigans* (5).

translatum,

81 *Martyrologium autem Romanum sub die* IX *Maii uno elogio complectitur translationem* B *SS. Andreæ,* Lucæ *et Timothei, cui annuntiationi procul dubio Usuardus præluxit ; sed, ut animadvertit Sollerius noster ad dictum diem, minus feliciter.* Constat enim trium illorum Apostolorum translationem non bene connecti, pejus ad idem tempus, pessime ad eumdem diem, et præsertim hunc diem IX Maji revocari. *Ac imprimis horum Sanctorum ossa non uno anno Constantinopolim translata fuere ; quum in Chronico, tum Hieronymiano tum Prosperiano, S. Timothei transvectio uno anno aliorum translationem præcesserit. Notandum deinde est in diem* IX *Maii translationem Sanctorum minime incidisse. Etenim Fasti consulares, vulgo Idatio, episcopo Aquaflaviensi* (Chavas *in Lusitania*) *egregioque chronologo* V *sæculi tributi* (6), *diem* III *Martii translationi SS. Andreæ et* Lucæ *assignant, his verbis* (7) : Constantio IX et Juliano Cæs. II *(id est anno Christi* 357, *cum* XX *Constantii concurrenti).* His consulibus, introierunt Constantinopolim Reliquiæ SS. Apostolorum Andreæ et Lucæ die V non. Mart. et introivit Constantius Aug. Romam IV Kal. Maji *Quæ duo, nempe ingressus Constantii Romam et translatio Sanctorum, sub* C *eodem anno in Chronico Hieronymiano supra citato adnotantur. Ast dies translationis S. Timothei iisdem Idatianis Fastis, l. c. in annum præcedentem et Kalendas Junii referuntur. Qua in re consentientem habemus alium idoneum testem, Theodorum Lectorem, in Excerptis suis lib.* II, *cap.* LXI *scribentem* (8): *Constantii* temporibus allatæ sunt Constantinopolim Reliquiæ Sanctorum Apostolorum, Timothei ante diem Octavum Kalendas Julias *(quoad diem spectat differt Theodorus ab Idatio : sed id habemus, diversam esse a sequenti translatione)*; Andreæ autem et Lucæ ante diem quintum nonas Martias; et deposita sunt in magna ecclesia Sanctorum Apostolorum ab ipso dedicata.

ac dein sub Justiniano inventum fuit :

82 *Ut porro aliquid veri inveniatur in notata, die* IX *Maii, non juvat recurrere ad translationem quamdam, factam sub Justiniano imperatore, de qua agit Procopius lib.* I *de Ædificiis Justiniani cap.* IV (9). *Diruta nempe basilica veteri, omnibus Apostolis dicata a Constantino, novam molitus est Justinianus :* artifices autem, *ait Procopius,* (effosso penitus pavimento, ne quid restaret male compositum) ligneos viderunt loculos tres, illic habitos derelictui, ac suis significantes inscriptionibus, Andreæ, Lucæ ac Timothei Apostolorum inesse corpora, quæ imperator ipse Christianique omnes maxima cum voluptate spectarunt. His pompa ac festi celebritate ornatis, solitisque honoribus rite persolutis, occlusos loculos humo denuo mandarunt; ac ne locus nota ad memoriam insigni et frequentia careret, Apostolorum corporibus illum pie dedicarunt. *Hæc quidem translatio annuo ritu recoli potuisset, quamvis et hanc taceat Kalendarium C. P., a Steph. Morcelli editum et illustratum ; ast Theophanes in sua Chronographia hanc pompam ordinat sub anno* 542 *fer.* III *die* XXVIII *Julii* (10) : *vitium quoddam librarii oscitantia irrepsit, aut enim feria* II *translatio est facta, aut procrastinanda est in diem mensis* XXIX, *illo anno littera dominicali E signato. Nescio autem cur totum istud negotium in annum Christi* 550 *laudatus Morcelli transtulerit* (11) : *nulla enim mihi cognita ratione hanc difficultatem solvere valeo.* E

annus vero istius translationis

83 *Satis convenit translationem SS. Andreæ et* Lucæ *factam fuisse anno Constantii imperatoris vigesimo, ut luculenter testatur S. Hieronymus in suo Catalogo, supra num.* 77 : *ast non ita convenit de anno Christi, cui illigandus est vigesimus annus Constantii. Difficultatem parit Chronicum Hieronymianum, accuratius ab Em. Mai editum, quod vigesimum Constantii annum cum æra vulgari* 362 *conjungit, si quidem Constantius, mortuo patre suo Constantino Magno, anno Christi* 342 *Augustus appellatus fuerit. Quæstio pendet ab anno Constantini emortuali, quem plerique* 337 *statuerunt* (12), *dum laudata Chronici editio eumdem ad quintum annum seu* 342 *procrastinat. Ast communiorem sententiam tenendam esse varia nobis suadent. Ac imprimis Idatius in suis Fastis consularibus obitum Constantini notat sub consulatu Feliciani et Titiani, qui ad annum Christi* 337 *designantur, his verbis* (13) : His consulibus Constantinus Augustus ad cœlestia regna ablatus est XI Kal. Junias, et ipso anno nuncupati sunt tres Augusti, Constantinus et Constantius et Constans V Idus Septembris.

licet reclamet nova editio Eusebii.

84 *Quod si verum est, quod adducunt Eusebius et Chronicum Paschale seu Alexandrinum, Constantinum obiisse ipso Pentecostes die* (14) *apprime an-* F *nus* 337 *tali relatione confirmatur : nam illo anno, paschate incidente in diem* III *Aprilis, Pentecostes cum* XI *Kal. Junias seu* XXII *Maii conveniebat. Fidem communiori sententiæ adstruunt, quæ affert Baronius ad hunc annum* ℥ III *de legibus, sub iisdem consulibus latis nomine novorum imperatorum.* » *Exstant, ait, de his plura exempla, ut in Codice* » *Theodosiano titulo de* Annona et Tributis, *ubi* » *quarta constitutio data legitur a Constantio* VIII » Idus Decembris Thessalonicæ Feliciano et Titiano » coss. *Sed et in titulo* de distrahendis pignoribus » *habetur rescriptum Constantii Augusti ad Egnatium Faustinum, datum iisdem coss.* pridie Idus » Decembris. *Rursus vero eodem in Codice titulo* de » Honorariis Codicillis, *sub sequentis anni consu-* » *libus Urso atque Polemio,* XVII *Kal. Junii exstat* » *data Constantii constitutio ad Asconium, Africæ*

» *vicarium.*

(1) Mai. Scriptt. Vet. Collect., t. VIII, p. 400. — (2) Oper., t IV, part. II, col. 104. — (3) Ibid., col 282 et seq. — (4) Mai. Scriptt. Vet., t. VIII, p. 403. — (5) Canis. Thesaur. Monum., t. I, p. 292. — (6) Nicol. Anton. Biblioth. Vet. Hispan., t. I, p. 256-260 et Idat. Chron. Præf., p. 13 et 41. Edit. Bruxell. 1845. — (7) De Aguirre. Conc. Hisp., t. III, p. 70 — (8) Hist. Eccles. Euseb., t. III, p. 583. Edit. Cantabr. 1720. — (9) Corp. Hist. Byzant. Procop., t. III, p. 189 et seq. Edit. Bonn. 1838. — (10) Ibid. Theophanes Chronogr., p. 352. — (11) Calendar. C. P., t. I, p. 197. — (12) Baron. et Pagi ad h. an. Petav. Doctr. temp., t. II, p. 413. Edit. Antw. 1713. Rationar. temp., p. 904. Edit. Lugd. Bat. 1710. L'Art de vérif. les dates. — (13) De Aguirre Conc. Hisp., t. III, p. 70. — (14) Corp. Hist. Byzant. Chron. Pasch., t. I, p. 533. Euseb. Vit. Constant., lib. IV, cap. LXIV.

J. V. B.

» vicarium. Quæ quidem leges, sicut aliæ a Con- » stantino latæ, inscribendæ erant titulo Constan- » tini, si fuisset superstes et in sequentes annos vitam » prorogasset; verum quod ex hac vita migrarit, » ejus filii Constantii Augusti nomine notatæ ha- » bentur. Tandem ne ab antiqua et communiori sententia dicedamus, vetat etiam celebris ecli sis solaris diei XXVIII Augusti 360, quæ, ut notat Peta- vius (1) ex Ammiano lib. XX, uno anno mortem Constantii præcessit; dum altera ecli sis solaris die VI Junii 346 in annum Constantii decimum incidat.

cum anno Christi 357 conjungendus est.

85 *Quanticumque igitur meriti sit Chronicum Eusebianum et Hieronymianum, recenseditum, al- latæ tamen rationes tanti sunt ponderis, ut a vulgata opinione, obitum Constantini ad annum Christi 337 referente, recedendum non censeam. Si porro hic annus retinendus est, jam sponte sua fluit, vigesi- mum Constantii annum cum annis partim 356 et 357 concurrere. Ast quoniam ex Idatio habemus, supra num.* 81, *Reliquias SS. Andreæ et* Lucæ V *non. Martias C.P. translatas fuisse, id referendum est ad annum Christi* 357, *quo vigesimus Constantii annus currebat usque* V *Idus seu diem* IX *Septembris. Atque in hunc cæterum annum, consulatu Constantii*
B *Aug.* IX *et Juliani Cæs.* II *insignem, consentiunt Prosper Aquitanus* (2) *et Chronicum Paschale* (3), *quod quoque habet mense Dystro, qui mensi latino, Martio, respondet, die* III *C. P. allatas esse Reliquias SS. Andreæ et* Lucæ, *idque anno Constantii* XX, *quando idem imperator Vincennalia sua Romæ ma- gno apparatu celebravit. Sæpe dictorum Sanctorum translationem ordinat Beronius sub anno* 358, ꝫ XXV, *sed nulla idonea nixus ratione, quare etiam a Pagio emendatur ad an.* 356 ꝫ XIII *et an.* 357 ꝫ I.

quando ex Achaja corpus allatum fuit :

86 *Promisimus supra num.* 79 *locum mortis* S. Lucæ *confirmaturos nos ex loco, unde ejus sacrum corpus CPolim translatum fuit. Pleræque editiones Hieronymianæ legunt* ex Achaja *transvectum fuisse corpus S. Evangelistæ, sed id perperam irrepsisse textui genuino, quum absit a plerisque melioribusque codicibus adnotat Maurinus editor Operum S. Hie- ronymi, Joannes Martianay* (4). *Verum tacenti Hieronymo coævus, Philostorgius, licet hæreticus Eunomianus* (5), *in sua Historia Ecclesiastica, a Photio per epitomen conservata, lib.* III, *cap.* II (6) *aperte docet* Lucam *Evangelistam ex Achaja tran- slatum fuisse Constantinopolim. Florentinius qui- dem in sua editione Martyrologii Hieronymiani sub*
C *die* XVIII *Octobris ex loquendi modo Philostorgii au- guratur diversos esse dies translationis tum Andreæ tum* Lucæ : *Sed id ex verbis ejus nequaquam desumi potest : quæ sic sonant :* Reliquias Andreæ Apostoli ex Achaja eum *(Constantium)* transtulisse scribit *(Philostorgius)* in ecclesiam, quam ipse absolverat, quæ Apostolorum vocatur : et juxta eam ecclesiam patris sui tumulum collocasse : Lucam præterea Euangelistam ex eadem Achaja ab eo translatum esse in supradictam ecclesiam : Timotheum deni- que Apostolum ab urbe Ioniæ, Epheso, in cele- brem illam ac venerabilem basilicam jussu ejusdem Constantii deportatum fuisse. *Ex hoc, inquam, textu arguit Florentinius diversis diebus translationem SS. Andreæ et* Lucæ *celebratam fuisse, maxime quia et dies* XVIII *Octobris in suo Hieronymiano exem- plari signatur* Translatione S. Lucæ. *Sed hæc tanti non sunt, ut deflectere nos oporteat ab iis, quæ do- cent nos Hieronymus, Prosper et Idatius, ut mon- stravimus supra num.* 80.

occurritur objectioni ex Arianismo Constantii desumptæ.

87 *Ex hactenus dictis satis liquet ex Achaja al- latas fuisse in urbem regiam Sancti nostri Reliquias, simulque removetur scrupulus Card. Baronii in No- tis ad Martyrologium Romanum sub die* IX *Maii. Quum enim vir doctissimus retulisset verba S. Hie- ronymi adversus Vigilantium, qua ironice dicit sa- crilegum fuisse imperatorem qui Sanctas Reliquias Andreæ et* Lucæ *transtulisset Constantinopolim* (7), *subjungit :* Quæ quidem verba Constantio conve- nire non posse, compertum est; quem Arianum fuisse omnes norunt. *Attamen licet aliquot exem- plaria nomen Constantini substitutum habeant pro Constantio, omnes tamen conveniunt Sanctorum translationem huic imperatori adscribendam esse; tum quia melioris notæ exemplaria Constantium scribant, tum quia Chronologi antiqui in hoc etiam consentiant. Quod vero Arianis faverit Constantius, non officit sententiæ nostræ, quoniam inter illorum errores non occurrit ille, quo Sanctis debitus honor denegetur. Quin et S. Gregorius Nazianzenus Ora- tione* IV *(al.* III) *postquam* § 3 (8) *Constantii fidem laudasset, postmodum tamen indigne deceptam, ex- probrat Juliano imperatori, quod Reliquias Sancto- rum, non solum non colat, sed et contemnat* § 69 *et* 70 (9). *Ex quibus omnibus luculenter evincitur* E *Constantius exteriorem Religionis formam, ad quam certe et cultus Sanctorum pertinet, retinuisse, quam- vis in dogmatis fidei gravissimis fœde erraverit et sanctissimis viris infestus fuerit* (10).

Circa corpus S. Lucæ ex Oriente advectum plures Ecclesiæ decertant :

88 *Quomodo porro Constantinopoli seu ex Oriente in Occidentem devenerit S.* Lucæ *corpus, nullum, quod sciam, monumentum nos docet. Interea tres præcipue ecclesiæ has sibi Reliquias vindicant. Prima est monasterium S. Salvatoris de Gulleto, etiam S. Gulielmi, a sepultura hujus sancti viri, fundatoris Congregationis Benedictinæ Montis Vir- ginis, dictum, et in Principatu Ulteriori regni Nea- politani, diœcesi Nuscana, situm, de quo pluribus agit Papebrochius noster in Appendice ad Vitam S. Gulielmi sub die* XXV *Junii* § II (11). *Historiam hujus translationis, in schedis Musæi Bollandiani servatam* (12) *referimus ex Breviario Gulielmitano. Quum S.* Lucæ *corpus Constantinopoli Brundu- sium transvectum fuisset, istic a pio illius urbis viro, Nicolao Campanino, diu custoditum fuit. Hic autem mente revolvens, qua ratione posset sacris Reliquiis debitum procurare honorem, anceps hæ- rebat; quando ejus filius unicus, adolescens medi-* F *cus, dira febri vexatus, cœpit invocare opem S.* Lucæ. *Tunc S. Evangelista utrique apparuit in somno, promittens sanitatem, si corpus ejus ad ecclesiam Gulletanam deferrent servandum. Ac reapse, vale- tudine filio restituta, advocat Nicolaus aliquos Fra- tres Gulletanos, qui sacrum corpus Brundusio ad ecclesiam S. Salvatoris deferunt. Quod magno po- puli comitatu, in ecclesia sæpe dicta repositum fuit.*

imprimis Gulletensis in regno Neapolitano ;

89 *En historia, excerpta ex Breviario Gulielmita- rum sub die* II *Maii. Cui narrationi quominus fidem nostram præstemus, multa impediunt. Imprimis quidem nulla temporis nota additur, nihil habetur sive circa annum, sive circa episcopum aut Brun- dusinum aut Nuscanum, sive abbatem Gulletanum, sub quibus hæc acta, sane momentosa, referuntur : atqui temporis adjuncta magnæ utilitatis essent ad veritatem quamdam historiæ adstruendam. Alterum quoque est, quod fidem labefactat, nempe veritatem corporis sacri in solo testimonio Nicolai Campanini, viri incogniti, reponendam esse, quoniam nec testes*

(1) Rationar., p. 994. Cfr ejusd. Doct. temp., lib. XI, cap. XLV. — (2) Canis. Thes. Monum., t. I, p. 292. (3) T. I, p. 542. — (4) S. Hieron. Oper., t. IV, part. II, col. 104. — (5) Ceillier. Hist. des Aut. Eccles., t. VIII, p. 659. — (6) Hist. Eccles. Euseb., t. III, p. 486. — (7) Hieron. Oper., t. IV, part. II, col. 282 et seq. — (8) S. Gregor. Naz. Oper., t. I, p. 78. Edit. Paris. 1778. — (9) Ibid., p. 88. — (10) Ibid., p. 76. — (11) Act. SS., t. V Junii, p. 138. Cfr Helyot. Hist. des Ordres relig., t. VI, p. 121. — (12) Mss. biblioth. reg. Bruxell., n. 8913.

miraculi,

A *miraculi, in filio facti, allegantur, nec ratio redditur, qua tantus thesaurus in manus viri privati inciderit. Certe quando tales ex Orientis partibus afferebantur Reliquiæ, præsertim Sanctorum celebriorum, qualis erat S.* Lucas, *in primariis templis collocabantur, aut certe magna erat inter populos æmulatio, ut sibi quisque tantum patronum vindicaret. Ast hic nihil simile occurrit; accipit sacrum corpus Nicolaus,* diu *illud custodit, mente resolvit, nemine, qui saltem nominetur, adhibito consiliario, qua ratione sacro corpori cultum procuret. Hæc, fateor, tam mira sunt, ut fidem meam, nisi idonea documenta aliud persuadeant, superent. Tandem id ipsum Breviarium, quo historia continetur, Venetis typis excusum dicitur anno* 1555 : *non dicam tunc primum exortam narrationem, sed, antiquis monumentis deficientibus, licet dubiam habere translationem, donec certiora edoceamur. Legitur quidem in Felice Renato, sæculi* XVI *in finem vergentis scriptore, brachium S.* Lucæ *Galleto in Montem Virginis fuisse translatum* (1), *sed recentius est istud testimonium, quam ut fidem faciat, et cæterum possessionem totius corporis aut majoris ejus* B *partis neutiquam demonstrat.*

dein Veneta FF. Minorum:

90 *Altera ecclesia, quæ possidere se corpus* S. Lucæ *gloriatur, est monasterium S. Jobi FF. Minorum de Observantia Venetiis. Rei seriem ex Waddingi Annalibus Minorum exhibemus* (2) : Turcæ hoc anno (1463) regno Bosnensi... longe lateque potiti... in omnes Christianos desæviunt. Profligati inter alios Franciscani ex munitissima arce Jayczæ,... felici ausu, dum urbs diriperetur, corpus S. Lucæ Euangelistæ, illuc Constantinopoli translatum, subtraxerunt, et Venetias delatum, Christophoro Mauro, piissimo principi ea conditione donarunt, ut liceret eis domos et habitacula, quæ in dominio Veneto sub nomine et regimine provinciæ Bosnensis hactenus possederant, libere et sub patrocinio reipublicæ deinceps incolere, aliosque adderet serenissimus princeps conventus provinciæ Dalmatiæ colligendis fratribus Bosnensibus, e suis sedibus expulsis. Sacri pignoris religiosos delatores pius princeps honorificentissime prosecutus, Reliquias in templum S. Nicolai, ad Littus exstructum, ex navi deferri curavit, quas solemni apparatu ad ecclesiam S. Bernardini, alias a S. Jobo nuncupatam, a se mirifice in hunc finem exornatam, transferre et pretiosa theca reponere C cogitabat.

tandem Patavina S. Justinæ:

91 Interim sparso rumore, verum corpus S. Lucæ a trecentis annis Patavii asservari in cœnobio S. Justinæ Ordinis S. Benedicti, cœptum est de hoc recenter allato dubitari. Propere convolarunt Venetias abbas, monachi et cives aliquot Patavini, nobile suum depositum defensuri, adversamque fidem infirmaturi. In re gravissima, ne temere videretur quidpiam attentare, aut contra urbem Patavinam statuere, misit princeps viros illustres, qui Reliquias monachorum diligenter inspicerent, et, qua fide constarent, prudenter examinarent. Non illæ erant monasterii tabulæ aut monumenta, quæ dubium omne repellerent et certam fidem extorquerent. Jussus proinde Bernardus Justinianus Venetus, in urbe orator, Pii (II) Pontificis judicium expetere. Erat tunc Venetiis pontificius legatus Cardinalis Nicænus (Bessarion), cui causam examinandam et judicium ferendum Pius Papa commisit. Ille per Sipontinum archiepiscopum, Nicolaum Perottum, eruditione et rerum agendarum peritia clarum, observato judicii ordine, auditis utrinque partibus, discussisque rationibus, non semel prolatis, tandem sententiam protulit : *nempe* (3) ossa, in ecclesia S. Justinæ de Padua exsistentia, quæ hactenus pro ossibus S. Lucæ Euangelistæ tenta, habita et venerata fuerunt, non fuisse nec esse ossa ejusdem S. Lucæ Euangelistæ, nec pro talibus habenda, tenenda seu venerari debere : corpus vero, nuper e regno Bosnæ delatum et nunc in ecclesia S. Nicolai in Littore Veneto exsistens, et hactenus pro corpore dicti Euangelistæ tentum, habitum et veneratum, pro tali et ut tale habendum, tenendum et venerandum esse, haberique, teneri, reputari et venerari debere, ipsumque pro tali et ut tale habemus, tenemus, reputamus et veneramur, haberique, teneri, reputari et venerari volumus et decernimus.

inter binas posteriores oritur controversia:

92 *Litteræ Apostolicæ, quibus Pius Papa II examen et judicium controversiæ Cardinali Bessarioni committebat, quæque in instrumento judiciali, cujus præcipua verba supra retulimus, datæ erant sub annulo piscatoris Tiburc die penultima Augusti* 1463 : *quæ vero intervenit sententia, lata fuit die* IX *Decembris ejusdem anni. Rationes autem Venetorum pro vindicando corpore S.* Lucæ, *saltem primariæ, reperiuntur in codice Vaticano, signato n.* 392 *fol.* 59 (4). *Ac primo allegant instrumentum, græco idiomate conscriptum, datumque anno* 6753 *æræ, ut puto, Constantinopolitanæ, qui cum anno nostro vulgari* 1245 *concurrit : in dicto autem instrumento refertur, corpus* S. Lucæ *ab Athanasio, patriarcha Hierosolymitano, emptum Constantinopoli, Hierosolymam primum, dein per duos monachos Accon, quæ hodierna Ptolemais est, delatum fuisse. Istic autem occurrerunt lipsanophoris mercatores tres, Nicolaus Cataflonis, Joannes Marconisa et Canatius Xanthus, qui sacrum corpus, pretio* 700 *Byzantiorum Zaracenicorum dato, Thebas Bœotiæ asportaverunt.* E

rationes Venetorum

93 *Allatum instrumentum id profecto habet meriti, quod in notam historiam et chronologiam non impingat; nam illa tempestate sedem Hierosolymitanam occupabat Athanasius III, ab Agarenis trucidatus, ut habet instrumentum* (5). *Ast merito contra illud excipi potest, quod sit confessio privata, imo quæstum quærentium, seu eorum, qui ipsum corpus vendiderunt, quibus proinde standum non est. Dein parum verisimilis duplex sacri corporis venditio, ejusque per mercatores Thebas avectio, qui potius* F *videntur tantum thesaurum ad proprias sedes asportare debuisse. Atque eo sane magis, quo hoc ipso anno* 1245 *gravius imperio CPolitano adeoque Græciæ immineret periculum, ut testantur verba Innocentii IV in Concilio Lugdunense I : etenim Pontifex, ut præsentissimam ruinam averteret, præscribit instit.* XIV (6) *remedium extremum, scilicet* ut medietas omnium proventuum, tam dignitatum et personatuum, quam præbendarum ecclesiasticarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum *solvatur ab omnibus, qui per sex saltem menses personaliter non resideant, iis duntaxat exceptis, qui in obsequio sunt Romani Pontificis, cardinalium aut suorum prælatorum, vel in scholis aut negotiis Ecclesiæ versantur aut cruce signantur. Quis vero credat, rebus ita in ancipiti positis, mercatores illos, qui ingenti pretio thesaurum sibi comparaverant, eumdem in mediis periculis relicturos?*

94 *In probationem etiam afferebant Veneti tum* Bullam

(1) Act SS., t. V Junii, p. 114. — (2) Wadding. Ann. Minor., t. XIII, p. 271 et seqq. Edit. Rom. 1735. Cfr Flam. Cornel. Eccl. Venet., t. XXII, p. 91. — (3) Ibid., p. 277. — (4) Mss. biblioth. reg. Brux., n. 8913. — (5) Le Quien. Or. Christ., t. III, col. 506. — (6) Labbe. t. XI Conc., col. 651.

J. V. H.

J. V. H. *expenduntur :* *Bullam Pie II indulgentiarum, tum varias epistolas scriptas ex Bosnia anno* 1463 *: sed hæ nihil certi docere possunt in rebus, quæ duobus solidis sæculis antecesserunt, nisi, quod tamen non præstant, monumenta antiquiora referrent. Hac fere ratione Patavini documenta, a Venetis allata discusserunt. Restat igitur ut ipsorum Patavinorum rationes ad trutinam revocemus. Usi sunt majores nostri instrumento coævo, in bibliotheca Ambrosiana asservato, cujus apographum, circa finem mutilum, in scriniis nostris adhuc conservavimus, simul cum alio Ms., ex bibliotheca S. Justinæ desumpto, cujus lectiones, quia simplicius procedit, præferimus. Ante tamen quam ulterius progrediamur, operæ pretium fuerit animadvertere Petrum de Natalibus, episcopum Equilinum, sæc.* XIV *scriptorem in suo Catalogo Sanctorum lib.* IX, *cap.* LXXX *tamquam* fabulam *habere, quod cives Patavini possiderent corpus S.* Lucæ. *Id tamen certum est, eosdem jam anno* 1174 *gloriatos fuisse dictum corpus apud se recond tum habuisse, ut fidem facit Ms. supra laudatum, quod auctorem habet coævum anonymum. Id enim ostendit sub narrationis suæ principium, hoc modo loquens* (1) : Novissime vero anno millesimo centesimo septuagesimo quarto, Paduæ nobilis cuncta fere domi-
B cilia nec non ejus possessionis res mobiles propter ignis pestilentiam dilapsa noscuntur in cinerem. *Sic etiam in fine ejusdem :* Narrationis autem sonus, quamquam verborum appositione minime decoretur, nihilominus veritatis argumento clarificatur. Ego ipse namque Euangelistæ inventionis tempore ad odoriferam ejus arcam sæpenumero dirigendo vestigia, Passionis atque Resurrectionis Dominicæ præconem, indignus licet, aspiciebam, necnon prodigiorum signa, quæ tunc Deus ibi suscitaverat, avide considerabam.

antiquior tamen traditio 95 *Referunt nostri in Commentario de S. Justina supra laudato* (2) *anno Christi* 1174 *Patavinæ urbis partem longe maximam incendio delatam fuisse, sed brevi post tempore ad pristinum splendorem dignitatemque rediisse : eodem simul tempore* repente nobiles ac ignobiles viros incessit desiderium Sanctarum Reliquiarum, quas olim metu barbarorum sepultas pone templum D. Justinæ, tenuis adhuc fama retinebat. *Ut igitur votis populi fieret satis magistratus Patavinus Kalendis Martii* 1177 *sexaginta viros elegit*, qui Sacrarum Reliquiarum inquisitioni interessent. *Itaque Gerardus Pome-*
C *della, episcopus, sub Quadragesimæ initium (feria* IV *Cinerum hoc anno in diem* IX *Martii incidente) una cum Dominico, S. Justinæ abbate, cum clericis laicisque permultis inquirendarum Reliquiarum initium fecit. Ac primo quidem binas arcas, alteram plumbeam, marmoream alteram, in qua exuviæ SS. Innocentium continebantur, eruerunt.* Horum, *inquit anonymus* (3), ita visione gavisi, dum divini thesauri vacarent inquisitioni, B. Justinæ sepulchrum cœmeterii meditullio sub altari tunc invenerunt.

favet Patavinis 96 *Pergit dein scriptor noster anonymus his verbis :* Plurima itaque Sanctorum corpora, titulis declarata singulis, inter quæ B. Apostoli Mathiæ exstitit principale, antequam B. Lucæ sepulturæ fruerentur visione, fodientes invenerunt et inventa cum devotionis honoribus collocarunt. Sanctorum itaque collocatis Reliquiis, admirabilem saxorum compaginem fodiendo feliciter accedentes, ejusque connexus pro viribus erumpentes, marmoream arcam latitantem invenerunt, in qua plumbeam arcam, nullis suspicantibus, invenerunt. Ea namque tres vitulorum facies, duplicis quoque D
figura crucis extrinsecus opere formoso designatæ apparebant. Periti, diligenter inspicientes, quartum Euangelistarum vituli formam figuraliter gerere meminerunt, unde S. Lucam repræsentare dixerunt. Fideles autem pro titulo latente minime credentes, arcam plumbeam pallio velaverunt, divinamque majestatis clementiam precibus sollicitarunt, quatenus titubationes ab eorum cordibus removere, claraque significationis nota suis famulis revelare dignaretur. Horum vero precibus devotis Deitatis benignitas satisfaciens, eorum dubitatione considerata, latebras tituli plurimorum fidelium mentibus, adventante noctis tempore, per visionem revelavit.

97 Lucescente aurora, quibus tituli descriptio supremo munere fuerat tunc revelata, velociter ad Dominicum, ipsius ecclesiæ abbatem, simulque ad custoditas Reliquias * vestigia direxerunt, eisque visionem feliciter insinuaverunt. Horum itaque triduana suasione commoti, plurima clericorum simulque laicorum religione congregata, latebras tituli summa cum reverentia quæsierunt. Dum arcam plumbeam aperirent, odor tantus a beatissimi Lucæ corpore tunc emanabat, quatenus ex aroma- E
tum combustione solitus est emanare, in angularem arcæ compaginem sic scriptum erat : SANCTUS LUCAS EUANGELISTA : ita sub velamine, quia nisi divini muneris gratia fidelium mentibus revelasset, nequaquam ibi descriptionis aliqua nota latere crederetur. Tanti thesauri gloria cognita, clarum scripturæ titulum, vitulorum formosas facies cereo sigillo descripserunt, episcopoque suo, qui Ferrariam ad Apostolicum (nempe Alexandrum Pp. III) iverat, delegarunt. Illis namque temporibus Alexander, summus Pontifex, Ferrariam iverat, acceptoque sigillo Paduanus episcopus Alexandro sanctissimo præsentavit atque inventionis seriem notificavit.

quorum possessio jam ab anno 1127

* *custodes Reliquiarum* Ambros.

98 Interim vero Paduanæ majoris ecclesiæ canonici, civitatisque clerici, vexilliferi, præcedentibus crucibus, cum civitatis populo properarunt, ibique divina celebrarunt : Paduanusque episcopus, Paduam rediens, populum suum doctrina cœlesti refecit. Interim vero civitatis, castellorum atque villarum coloni, de B. Lucæ revelatione congratulantes, ad ejus arcam cereos, aliaque reverentiæ munera deportantes, devotissime concur- F
rebant. Plurimos, visione privatos, ad Euangelistæ arcam accedentes, divina misericordia clarificavit, aridosque plurimos, quorum curationes ipse cognovi, sanavit. Quædam enim juvenis de Ora, quæ dicitur Terra-Longa, cujus manus arida fuerat, Beatissimi Lucæ virtute sanari desiderans, ad ejus arcam sexto decimo die intrante mense Aprili accessit, quam divinæ gratiæ munus percepturam, quum vespertina celebrarentur mysteria, benignitatis divinitas pristinæ reddidit sanitati. Sequens * autem noctis tempore quidam puer, a nativitate cæcus, de villa, quæ dicitur Titulus, secus arcam Euangelistæ residens, oculos suos digitis, quibus arcam tetigerat, gaudendo palpans oculorum visionem accepit.

saltem inceperat :

* sequentis

99 Quidam de Montis Silicis oppido, oculorum visione privatus, ad tanti medici limina properavit, ibique visione accepta, ad propria rediit. Audiens autem Joannes Bonus de Caldera S. Lucæ virtute varios curari languores, natum suum, cujus oculus fuerat scrofula velatus eximia, tunc * ad Euangelistæ arcam ægritudinis loco tetigisset, pueri

quando miraculis illustrata fuit inventio:

* quum

(1) Cfr Act. SS., t. III Octob., p. 810, n. 86.—(2) L. c., n. 86 et seqq. — (3) L. c., n. 87.

scrofula

A scrofula S. Lucæ virtute sanatur. Undecimo itaque die mensis maji tunc exeunte, quum villæ cujusdam, quæ dicitur Montagnana, cuncti fere coloni cum devotionis muneribus ad Euangelistam videndum, laudes canendo, concurrissent, quemdam illorum, cui nomen erat Almericus, cujus aridum fuerat brachium, Dominus Noster Jesus Christus coram populi multitudine sanavit. Marcus de Verona, Dominici Fundaci filius, caput lancea transfisus *, (quum) a nullo medicorum sanari posset, B. Lucæ virtute vulnus suum sanandum commisit et se ad ejus arcam, sanitate percepta, accedere promisit : quum itaque diu noctuque Sancti Euangelistæ cogitaret virtutem, vulneris locus adeo noscitur esse consolidatus, ut acus puncturæ cicatrix esse similis putaretur : sanitati restitutus, ad limina sui medici devote properavit, ad honorem B. Lucæ Euangelistæ super ejus arcam imaginem ceream suspendit.

* transfixus.

anno 143 visitantur Reliquiæ Patavinæ

100 *Hactenus relatio anonymi coævi, ex qua manifeste patet jus possessionis, utpote longe antiquius, magis favere Patavinis, quam Venetis. Sed quoniam controversiæ, quæ in facto aliquo radicem suam habent, non tam præsumptionibus, quam historia fulciri debeant, reliqua instrumenta, quæ præ* B *manibus habemus, subjicienda censemus : hac enim ratione facilius lector motam quæstionem solvere poterit. Quum monachi S. Justinæ Patavii, ut diximus supra num.* 91, *sinceritatem Reliquiarum Venetarum S.* Lucæ *infringere conarentur, præcepit Senatus Venetus, ut arca, quæ S. Evangelistæ ossa continebat, aperiretur, et tali modo ad veritatis investigationem via sterneretur : cujus visitationis jam laudatum Ms. Patavinum exhibet instrumentum hujus tenoris :* Jus dicentibus urbis Paduæ pro sereniss° imperio Veneto clarissimis Zaccaria Trevisano, jure consulto et auratæ militiæ equite, et Luca de Lege ; quum inclyto Venetiarum principi, Christophoro Mauro, ex Liburnia *(hodie Croatia)* corpus, quod dicebatur B. Lucæ Euangelistæ dono delatum esset, et ob id orta contentione dubitaretur, ne * in ecclesia B. Justinæ in capella dedicata B. Lucæ prædicto, corpus suum reperiretur : decreto illustrissimi senatus Veneti aperta est arca quædam alabastri in prædicta capella. In qua inventa est capsa quædam plomea *(plumbea)* longitudinis pedum circa sex et latitudinis unius cum dimidio vel circa, clausa, nulla tamen clavi sive compagine ; quæ desuper erat ad modum unius C cophini, habens in medio fundi foramen quoddam penetrans, quod vetustas fecerat.

* an

et reperiuntur omnia ossa, capite excepto,

101 In qua tegebantur ossa, quæ dicuntur et affirmantur corporis beatissimi Lucæ, divisa tamen et ab invicem separata, capite dumtaxat excepto, quod quodam sereniss° Romanorum imperatore, quem nonnulli fuisse dicunt Fredericum Barbarossa, asportatum fuisse fertur : et ob eam rem, ne diminui aut accipi posset, quod reliquum gloriosissimi corporis supererat, repositum cum hac plumea capsa, in quadam alia lignea imposita in quadam arca ferrea, quæ jacent hodierno die a tergo altaris, et arcæ alabastri, jubente clero, in hoc sepulcro lapideo collocatum est. Inventum est præterea cum his sanctissimis ossibus numisma quoddam, sive moneta raminis *(cupri)*, tenentis aliquantulum argenti, ad similitudinem unius copuleti cum scriptione ab uno ex lateribus : Sanctus Marcus, reliquum vero litterarum cerni non poterat. *(Si idem sit numisma de quo agunt nostri in Commentario S. Justinæ num.* 121 (1), *ex aversa parte cernebatur imago ducis Venetiarum cum inscriptione :* Franciscus Foscari D. G. Venetiarum dux. *Rempublicam rexit ab anno Christi* 1423 *ad* 1457*).* De his igitur ossibus ad augendam devotionem et confirmandam futurorum fidem, rogatus ego Zandominicus Sparzarenus, notarius et civis Paduæ, mentionem infra facturus cum unumquodque eorum denominando, ossa spatularum, brachiorum utriusque fucilis *(focilis)*.... coxarum et crurium, pedum ac manuum, patellæ genuum, costæ et spondiles dorsi, quæ omnia et vidisse et tetigisse testor, anno Christi MCCCCLIII. Idem Zandominicus Sparzarenus nots. *Quæ hic habetur enumeratio ossium, multum intricata est nec facile lectu in apographo, quo utor, unde divinando aliquoties, magis quam exscribendo, processi.*

J. V. R.

quod olim Romam

102 *Præter id genus argumenta, objiciebant etiam Patavini Venetis, corpus, in ecclesia S. Jobi servatum, non esse S.* Lucæ, *utpote quod esset integrum, quando e contrario genuinum Evangelistæ cadaver erat truncatum capite, quod ab antiquo Romæ servabatur. Et re quidem vera exhibetur in ecclesia Vaticana S. Petri hoc caput cum inscriptione satis antiqua* (2) : Capud Beati Luce Euãgeliste trãlatũ de cõstãtinopol romã per btm gg doctore pp primum, *id est :* caput B. Lucæ Euangelistæ, translatum de Constantinopoli Romam per Beatum Gregorium doctorem, Papam primum. *Cujus rei fidem facit instrumentum, confectum anno* 1464 *a Francisco de Tolomeis de Aquila, Decretorum doctore et Vicario basilicæ Vaticanæ. Idem habet Card. Baronius ad annum Christi* 586, § XXV, *adducitque in testem assertionis monumentum conscriptum in priori pagina codicis, Dialogos S. Gregorii continentis. Sed scite animadvertit Lucas Waddingus* (3), *non sibi constare cardinalem, dum in Notis ad Martyrologium Romanum* IX *maii agat solum de brachio S.* Lucæ, *in Annalibus vero de ejusdem capite. Et vero si ipsum, ad quod provocat Baronius, documentum inspicimus, satis manifestum est de capite S.* Lucæ *transferendo nequaquam agi potuisse.* E

a S. Gregorio

103 *Nam quum S. Gregorius, tunc diaconus et apud Tiberium imperatorem Sedis Apostolicæ apocrisarius, obtentis jam S. Andreæ Reliquiis, cuperet etiam vel particulam sacri corporis B.* Lucæ *impetrare,* accessit *(verbis documenti utor ex Waddingo l. c.)* ad Tiberium imperatorem et quod eum in hoc etiam exaudire dignaretur, magna humilitate supplicavit : videlicet ut de Reliquiis Euangelistæ Lucæ brachio S. Andreæ sociaret. Imperator F autem quum hoc audisset, cœpit tristari et esse mœstissimus, quum id, quod D. levita petebat, absque gravissima difficultate fieri non posset. Erat enim sarcophagus, in quo Euangelista jacebat, marmoris durissimi ad instar adamantis, ferro et plumbo arctissime colligatus. Verebatur etiam imperator, ne tumultus inde fieret in civitate, si corpus tanti et tam pretiosi Apostoli et Euangelistæ aliquo ingenio moveretur. Quomodo ergo sanctissimo Gregorio satisfaceret, invenire non poterat, et ait B. Gregorio : Dominum Jesum Christum more solito deprecare, quatenus viam perficiendi opus desideratum misericordiæ dono tibi aperiat; cave tamen, ut quod feceris, caute et sine vulgi rumore patretur. Hoc itaque audito, levita beatus sibi et suis jejunium septem dierum indixit. Quo cum multo fletu peracto et lacrymis, accessit octavo die ad locum, in quo Euangelista quiescebat, et flectens genua oravit, ut auctor mirabilium Deus eum suo desiderio non fraudaret.

translatum fertur,

104 Deprecabatur etiam B. Lucam, ut si ejus devotio

(1) Act. SS., t. III Octob., p. 819. — (2) Cancellieri. De Secretar. eccles. Vatic., t. III, p. 1195. — (3) Annal. Minor. an. 1463, t. XIII, p. 279. Edit. Rom. 1735.

J. V. H.

devotio esset honesta, daret ei posse perficiendi, quod volebat, alias autem frustraretur, quod desiderabat. Et dum ante sepulcrum incumberet levita beatus, plumbi duritia versa est in ceræ mollitiem, et ferrum, quo sepulcri marmora ligabantur, confractum ante Beati Gregorii pedes cecidit, sarcophagus vero absque humano suffragio divinitus apertus est. Beatus igitur Gregorius, ab oratione surgens, vidit sepulcrum reseratum, et ecce glo-riosus Euangelista proprium erexit brachium et Beato Gregorio tribuit. Quod cum magna reverentia recepit levita beatus, et diligenter una cum brachio B. Andreæ in argentea capsula cum aromatibus collocavit. Tempore ergo opportuno ascendit in navem et confestim, surgente vento secundo, Romam cum suavitate pervenit, pignoribus Sanctorum in Ostia civitate relictis. Quo audito Pelagius Papa venerandus, gaudio repletus, illico surrexit et convocatis episcopis et cardinalibus, diaconis et subdiaconis, omnisque curiæ ordinibus, una cum B. Gregorio (quem honorifice jam susceperat) civitatem Ostiam gradu concito adivit, et inclinato capite accipiens brachia SS. Lucæ atque Andreæ, cum psalmis et hymnis, omnique veneratione Romam devexit. *Refert deinceps qua ratione S. Gregorius, Pontifex factus, anno secundo, brachia eorumdem Sanctorum deponi curavit* ad ecclesiam S. Andreæ juxta basilicam Principis Apostolorum in Vaticano, *unde in ipsam basilicam, destructo templo Andreano* (1), *translata fuere.*

sed perperam:

105 *Ex hactenus relatis satis liquet in ipso documento, quod pro se allegat Baronius, non solum taceri de S.* Lucæ *capite, Romam allato, sed implicite id negari, quando exponuntur variæ difficultates oppositæ, miraculum, in porrectione brachii factum, constans mentio brachii, summum silentium de capite, satis innuunt nihil præter brachium ex S. Evangelistæ Reliquiis Romam a S. Gregorio allatum fuisse. Franciscus Cancellieri in erudito suo opere de Secretariis novæ basilicæ Vaticanæ lib.* II, *cap.* II (2), *satis perplexe agere videtur de præsenti quæstione : nam omnino tenet* caput S. Lucæ *a B. Gregorio Romam allatum fuisse, adducitque in hanc rem varia testimonia : nihilominus dicit varios scriptores, inter alios Turrigium et Maurino-Benedictinos Baronii auctoritate inductos fuisse, ut dicerent* caput S. Lucæ *Romam asportatum fuisse a S. Gregorio, quod ipsissimum est, quantum assequor, Cancellierii assertum, quando dicit Mallium* (3) perperam pro capite S. Lucæ, Brachium nominasse *aut probat Vegium dicentem* (4) caput S. Lucæ brachio ejus junctum fuisse, *quasi caput, tamquam aliquod accessorium, simul cum brachio ex sepulcro extraxisset.*

nam ante sæc. XII

106 *Quod igitur tradunt recentiores scriptores (neque enim alios a Cancellierio video citatos) id admittendum non censeo : totum enim fundamentum, quo nititur translatio, a S. Gregorio facta, in documento supra allato jacet. Aut igitur accipiendum est, prout sonat, atque adeo S. Gregorium e Reliquiis S.* Lucæ *nihil aliud præter ejus brachium obtinuisse : aut si dicatur et caput Romam eadem occasione allatum fuisse, rejiciendum erit documentum citatum et alio idoneo testimonio demonstranda erit assertio, quod adhuc nemo præstitit. Propterea tamen nullatenus negamus caput S. Evangelistæ Romæ asservari. Potuit enim Romam asportari a Friderico I imperatore, Barbarossa dicto, ut refert instrumentum visitationis Reliquiarum, factæ anno* 1463, *supra num.* 101 *allatum; circa idem tempus, quo corpus S.* Lucæ *inveniebatur P tavii, Fridericus in Italia versabatur, et quidem Quadragesimæ tempore Cæsenæ, dum interea Alexander Papa III Venetias* XXIV *Martii appulit, unde Dominica Passionis, incidente illo anno* 1177 *in diem* X *Aprilis, Ferrariam venit* (5). *Atque id optime cum historia inventionis Reliquiarum convenit, in qua refertur episcopus Patavinus, quoniam* illis temporibus Alexander, summus Pontifex, Ferrariam iverat, Alexandro sanctissimo inventionis seriem notificasse : *supra num.* 97.

nulla fit capitis idonea mentio;

107 *Ex his satis probabile evadit tunc primum Romæ apparuisse caput S.* Lucæ : *novimus quidem celebrem fuisse istam inventionem, multorumque concursu frequentem; et quoniam tunc agebatur de pace inter Pontificem et imperatorem componenda, quæ et postmodum ejusdem anni æstate composita fuit, facile persuademur, Fridericum, cujus intererat Pontificis gratiam sibi conciliare, hac etiam arte animum Alexandri, piissimi viri et Sanctorum præcipui cultoris, demulsisse* (6) ; *quin et Romanis, Apostolica Sede gloriantibus, gratificare voluisse de pignore tam pretioso. Quum vero postea ex documentis aut traditione innotuisset, S. Gregorium Constantinopoli Romam Reliquias aliquas S.* Lucæ *attulisse, facile fieri potuit, ut, orta confusione, capiti tributa fuerit translatio, quæ ad solum brachium pertinebat. Quocirca immota perstabat objectio Patavinorum, dicentium verum S.* Lucæ *corpus Venetiis esse non posse, utpote capite integrum, quando ista corporis pars jam a sæculis Romæ servabatur. Neque Waddingum juvat ad abolendam objectionem arguere Baronium, quasi non constaret sibi* (7). *Erraverit profecto doctissimus cardinalis circa tempus aliasque circumstantias, aliosque secum in errorem traxerit, quod lubentes fatemur ; sed istiusmodi error non derogat opinioni dicentium caput S. Evangelistæ Romæ fuisse, quando incepit controversia ; adeoque veras S.* Lucæ *Reliquias in trunco potius, quam in integro corpore requirendas esse, quod adhuc soli Patavini demonstrarunt.*

quamvis Constantinopolitanæ divisionis Reliquiarum

108 *Verum toti controversiæ intercedit Petrus de Castro epistola sua ad Maurino-Benedictinos,* super quibusdam parum consonis, prætermissis atque improbabilibus, in Vita S. Gregorii Magni, ab ipsis adornata et in T. IV Operum in lucem edita, repertis (8); *affirmatque sacra istiusmodi dona ab imperatore Gregorium minime impetrare potuisse; porro suæ assertionis rationem affert, quod ipse Gregorius epist.* XXX *lib.* IV (9) *pronuntiet* in Romanis vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile esse atque sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere quispiam voluerit, *proindeque dubitare se ait,* utrum verum sit, quod levare veraciter ossa Sanctorum dicuntur *Græci. Quamvis ex hoc textu apud primi subsellii viros constans satis sit opinio ante sæculum* VIII *nefas fuisse de Sanctorum corporibus quocumque modo ossa aut particulas colligere, monstrant tamen alii* (10), *id etiam ante Gregorii tempora non solum in Oriente sed et Occidente aliquando factitatum fuisse, imo et ipsum Sanctum Pontificem factitasse, ut aliquatenus ostendimus in Commentario prævio Vitæ S. Magnobodi ad diem* XVI *Octobris* § III (11).

non obstet mos Latinorum.

109 *Cæterum Græcos consuevisse particulatim*

(1) Cancell. De Secret., t. III, p. 1105. — (2) T. III, p. 1192 et seqq. — (3) Ibid., p. 1194. — (4) Ibid., p. 1193. — (5) Muratori Annali d'Ital. an. 1177, t. VII, p. 23 et seqq. — (6) Ciaccon. Vitæ Rom. Pontt., t. I, col. 831. Edit. 677. — (7) Annal. Min. an. 1463, § XVII, t. XIII, p. 278. — (8) Cancell. de Secret., t. III, p. 1197. — (9) Greg. M. Oper., t. II, col. 710. Edit. Paris. 1705. — (10) Honoré de S. Mar. Réflex. sur les règles de la Crit., t. III, p. 396 et seqq. — (11) Act. SS., t. VII Octob., p. 935.

Sanctorum

A *Sanctorum ossa et cineres distribuere, fidem faciunt tum ipsa Constantiæ Augustæ petitio, qua partem corporis S. Pauli sibi postulabat, tum usus contrarius solis Romanis prætensus : adeoque dubitatio non tam ipsam Reliquiarum partitionem, quam earumdem sinceritatem attingebat, ante enim quam dubitationem exprimeret suam, retulerat* Græcos monachos, Romam venientes, nocturno silentio juxta ecclesiam S. Pauli corpora mortuorum, in campo jacentia, effodisse, atque eorum ossa recondidisse, servantes sibi, dum recederent. Qui quum tenti et cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt, quod illa ossa ad Græciam essent, tamquam Sanctorum Reliquias, portaturi. Ex quorum exemplo, *pergit S. Doctor*, sicut prædictum est, major nobis dubietas nata est, utrum verum sit, quod levare veraciter ossa Sanctorum dicuntur. *Sensus igitur postremæ sententiæ est, Gregorium, quoniam tam temere Græci in tali negotio procedebant, vehementer dubitasse, utrum veræ ac genuinæ essent Reliquiæ, quæ per Græcos homines circumferebantur. Quæ quum ita sint, nullatenus repugnat S. Gregorium usum con uetudine, apud Orientales vigente, et donum Reliquiarum impera-* B *torium accepisse et simul eamdem, quatenus apud Occidentales incognitam, imo quandoque periculosam, improbasse.*

Pro Patavinis tandem stat Martyrologium Romanum;

110 *Sed ut, unde digressi sumus, revertamur, tanti momenti Patavinis visa est truncati corporis* S. Lucæ, *quia ejusdem caput Romæ asservabatur, circumstantia, ut eam ante omnia, teste Waddingo*(1), *tamquam solidissimum argumentum producendam censuerint. Quod vero laudatus Annalista tamquam nudam assertionem scriptoris anonymi recentis traducit, nempe inhibitum fuisse FF. Minoribus S. Jobi, ut quidquam circa cultum Reliquiarum innovarent, id certissime constat ex instrumento, in archivio S. Justinæ Patavii asservato. Paulus Papa II appellantibus Patavinis judices dederat Cardinales, Joannem de Carvajal, Hispanum, episcopum Placentinum et diaconum primo Cardinalem tituli S. Angeli, unde ei nomen adhæsit, dein episcopum Portuensem* (2) *et Berardum Herulum, dictum Spoletinum tituli S. Sabinæ* (3). *Hi vero die* XXI *Martii* 1465, *publicum instrumentum ediderunt, cujus vigore FF. Minores monasterii S. Jobi seu S. Bernardini ad suum citabant tribunal, iisdemque inhibebant, ne lite pendente, in litis hujusmodi præjudicium* C *ac Sedis Apostolicæ contemptum, quidquam per se vel alium, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæsito colore attentare præsumerent. Quid vero ulterius factum fuerit, non reperimus : id solum habemus Martyrologium Romanum, quibusdam reclamantibus* (4), *pro Patavinis pronuntiasse, his verbis :* Natalis Beati Lucæ Euangelistæ, qui multa passus pro Christo, Spiritu Sancto plenus, obiit in Bithynia : cujus ossa Constantinopolim translata sunt, et inde Patavium delata.

anno 1562 nova fit Patavii

111 *Dum autem hæc Martyrologio Romano inscribebantur, jam sub Pio Papa IV anno* 1562 *facta fuerat nova SS. Reliquiarum in novum S. Justinæ templum translatio. E cujus instrumento authentico discimus sequentia circa Sanctum nostrum* (5) : Die mercurii, IV nonas Martii,... deventum est ad capellam, D. Lucæ dicatam; elevato cooperto arcæ, ex alabastro factæ, in ea cooperta indeque in templum novum devote delata, una capsa plumbea, ad instar cophini, longa circiter pedes quinque, nulla fune, nullisque sigillis clausa tantum, in qua ossa S. Lucæ Euangelistæ inesse, verissimum reddetur testimonium per ea, quæ paulo post adducentur. *Istud autem testimonium aliud esse non potuit, quam hæc duo, quæ paulo inferius in eodem instrumento narrantur. Scilicet :* Interea quidam juvenis curiosus ingressus altare, ex quo Sanctorum corpora extracta fuerunt, invenit, præfatoque reverendo abbati, præsentibus DD. sapientibus, provisoribus et aliis, exhiberi fecit unam capsulam plumbeam, longam circiter pedem dimidium, ita clausam et consolidatam, ut facile aperiri non posset, in qua tres globuli, syndone viridi sericea involuti, muniti * fuere, quibus resolutis in singulis index exstabat sub his verbis : uno « S. Simeonis et Judæ Apostolorum » : alio « Istæ sunt Reliquiæ S. Lucæ : » tertii verba, ob vetustatem caduca, legi non potuerunt : quas Reliquias tempore consecrationis altaris, ibi repositas, assertum fuit, D. Celso priori in eadem capsula traditas custodiendas. Verum ne ea quæ memoria digna sunt, silentio prætereantur, divina majestas hoc in primis signum in Sanctis suis ostendere voluit. Nam quum, dirupto pariete altaris, corpora amicorum Dei extrahi cœptum est, cœlo tunc limpido, soleque claro ex improviso nebula obumbratis, nix hoc anno in urbe Patavio E minime visa, e cœlo cadere cœpit et per fenestram ex opposito altaris, forte tunc apertam, super corpora Sanctorum ad nosque adstantes venti vi impulsa, vere manna apparebat. Corporibus autem Sanctis extractis, cœlum solque clarior apparuit : ex quo (manna enim bonum designatur) credendum est, omnipotentem Deum ob merita amicorum suorum urbem Patavinam conservaturum.

s. v. p.

* inventi

Reliquiarum

112 *Quæ hic subita cœli mutatio tamquam portentispecies traducitur, non videtur valde mirabilis, si recogitemus id Martio, mense cœli maxime mutabilis, accidisse ; quare ex hoc capite deficit verissimum testimonium, quo S.* Lucæ *Reliquiæ comprobari possunt. Ad instrumentum nostrum redimus* (6): Die Jovis III nonas ejusdem mensis, Rev. abbas, monachi, sapientes, provisores, cæterique cives corpora Sanctorum videre, et populo universo, devotionis gratia adstanti, ostendere cupientes, in locum subconfessionis perventi, capsas aperire jusserunt. In capsa plumbea, ad instar cophini comperta et visa fuerunt ossa S. Lucæ Euangelistæ sine capite, de quibus documentum, in urbis archivio rubeo folio 174, anno a Christi natalibus F LXIII supra MCCCCXL *, celebratum reddit testimonium. Hoc item duobus elogiis in ipsa capsa, altero in vitreo, altero in ligneo bussolis compertis, infra registratis, comprobantibus : « Qui Spiritu » Sancto repletus Euangelium scripsit, Actusque » Apostolorum, teste D. Hieronymo, declaravit, » et annis LXXIV natus, in Bithynia obiit, cujus be» nedictum corpus, XX anno imperii Constantini » *(imo Constantii)* Constantinopolim delatum, in » ecclesia Apostolorum custodiebatur. » In alia capsa lignea consimili comperta fuerunt ossa S. Mathiæ Apostoli sine capite cum uno elogio hoc testante : « Hic, cooperante Spiritu Sancto, orante » Petro, in Apostolorum felici consortio connume» ratus est. »

* *lege* MCCCC

ex antiqua in novam S. Justinæ ecclesiam.

113 Horum corpora in Apostolorum ecclesia in Constantinopoli urbe devote custodita, D. Urius, ecclesiæ custos, videns sævitatem Juliani Apostatæ, Constantini *(imo Constantii, Constantini filii, saltem proximi)* successoris contra Christi fideles (impius enim imperator non solum in vivos Christi servos sæviebat, sed mortuos etiam, cruces et

(1) Annal. Min. an. 1463, § XVI, t. XIII, p. 278. — (2) Ciacon. Vitæ Pontt. et Cardd., t. II, col. 925. — (3) Ibid., col. 1036. — (4) De Asle. In Mart. Rom. Discept., p. 474. — (5) Act. SS., t. III Octob., p 815, n. 105. — (6) Ibid., n. 107.

alias

alias Sanctorum imagines, ne quid eorum memo-
J. V. B. riæ posteris relinqueretur, concremare procurabat)
divino afflatu, capite S. Mathiæ Grusillo, ejus so-
cio, relicto, in navi Italiam petens imposita Vene-
tias primum, deinde Patavium detulit, et in æde
S. Justinæ devote collocavit, ubi et ipse Deo ser-
viens voluit sepeliri. Caput autem S. Lucæ per
Predericum imperatorem, Barbarossa nuncupatum,
ablatum exstitisse fertur, Romæ autem defatum
custodiri, testatur breve apostolicum, datum Ro-
mæ anno a Nativitate Dominica MCCCCLXIV eodem
in Rubeo pag. 174 regist. *Quæ refert instrumen-
tum de translatione Patavina sub Juliano Apostata
veritate carent; nam ut monstravimus supra n. 82
erat adhuc Constantinopoli corpus S.* Lucæ *quando
sub Justiniano imperatore, adeoque sæculo* VI, *occa-
sione renovati templi SS. Apostolorum inventum
fuit et condignis honoribus in eadem basilica reposi-
tum. Quocirca Hagiologium Italicum hac die Urium
quidem profitetur S. Evangelistæ corpus Patavium
avexisse, sed, ut ait*, eo tempore, quo impius Con-
stantinus Copronymus contra sacras imagines sa-
crilege furebat. *Utinam assertum idoneo testimonio
comprobasset !*

B
translatio, miraculis illustrata.
114 *Postquam autem laudatum instrumentum re-
tulisset, varia prodigia contactu SS. Reliquiarum
patrata fuisse, narrat num.* 114 (1), *easdem per no-
vem continuos dies, ad populi devotionem expositas
mansisse, ac dein Dominica die*, XV *Martii, quæ illo
anno* 1562 *in Dominicam Passionis incidebat, facta
fuit totius cleri et populi solemnis supplicatio, in
qua Sacram Eucharistiam præcedebant Sanctorum
Reliquiæ, quæ in templum relatæ, per nonnullos
dies, populo id maxime cupiente, ibidem expositæ
permanserunt. Tandem fer.* V *die* XIV *Kalendas
Aprilis* (2) : Rev. Suffraganeus (*Patavinus*), abbas,
monachi, sapientes et provisores in loco subconfes-
sionis, ubi corpora ipsa reperiebantur, perventi,
omnibus jam præparatis, decreverunt corpora San-
ctorum in arcis suis reponere in perpetuum per-
mansura. Singulis itaque capsis ligneis apertis,
singula Sanctorum corpora extracta, et in sindone
sericea rubei coloris involuta, in totidem capsis
plumbeis, longis circiter pedes tres, de novo factis,
posita exstiterunt, elogio unius cujusque Sancti
et præsentis actus mentionem faciente, in qualibet
capsa incluso. *Narrato dein quomodo ex Sancto-
rum quorumdam corporibus aliquæ Reliquiæ sepa-*
C *ratæ fuerint, pergit :* Dein apertis Reliquiis capsis
duabus plumbeis, ex una corpus S. Justinæ, ex
altera corpus S. Lucæ, extracta, in sindone consi-
mili quibuslibet separatim involutum, in suis
capsis prioribus repositum fuit cum elogio consi-
mili prædictis incluso...

ut liquet ex instrumento authentico,
115 Quumque prædictæ novem capsæ plumbeæ,
novem corpora Sanctorum continentes, clausæ,
fune ligatæ, tribusque sigillis, uno S. Justinæ, se-
cundo prædicti suffraganei, tertio communis Pa-
duæ signum habentibus, cera congrue impressis,
capsis item ligneis in singulis arcis conservandi
gratia impositis, quumque cætera omnia præparata
essent. Rev. suffraganeus et abbas, monachis, ce-
reis accensis, laudes condignas omnipotenti Deo
reddentibus, mag(*istris*) sap(*ientibus*), *sap*(ientibus)
provisoribus, patribusque et populo assistenti-
bus, devoteque subsequentibus, singula altaria,
singulasque arcas solemniter benedixerunt, sin-
gulas singulis dedicantes. Demum sub ipsius San-
cti nomine prædicta Sanctorum corpora singula in
singulis arcis cujuslibet dedicatis, reposita, coo-
perto marmoreo super imposito, clausa fuerunt, D
ibi in perpetuum permansura, hoc ordine servato :
nam in choro novi templi ad altare majus S. Justi-
næ : a dextero latere chori in prima capella trium
Innocentium : in secunda S. Arnaldi : in tertia in
sua arca alabastri S. Lucæ : in quarta S. Felicitatis.

116 *Instrumento, cujus partem quod S.* Lucam et bino
*attinet, recitavimus, subnectuntur in Commentario
prævio S. Justinæ num.* 120 (3) *duplex elogium
Sancti nostri sub his verbis :* Hæc sunt elogia com-
perta in capsa S. Lucæ in vase ligneo. Ut posteris
hujus sanctissimi Lucæ Euangelistæ relinquatur
memoria, operæ pretium esse duximus, quod no-
stris diebus acciderit, compendiosa narratione
digerere. Anno Domini MCCCCLXIII, quo tempore in
urbe Venata erat dux inclytus vir Christophorus
Maurus et in hoc monasterio præsidebat Rev.
D. Bernardus Placentinus, qui fere LXX monachos
sub se tenebat, degentes in observantia veræ pie-
tatis Christianæ et Religione Sancti Patris nostri
Benedicti, reformatæ per vere beatum virum
D. Ludovicum Bacto, duo Fratres S. Francisci detu-
lerunt Venetias a partibus Boxinæ * quoddam cor- * Bosniæ
pus, quod asserebant esse S. Lucæ Euangelistæ :
sed quoniam jam annos mille ex clarissimis testi- E
moniis scripturarum, tam latinis quam Græcis,
certissima notitia habebatur, quod isdem Euange-
lista esset Paduæ in cœnobio Justiniano, ut rei
veritas cognosceretur, per inclytum dominium
Venetum decretum fuit, ut ejus sepulcrum aperi-
retur, in quo fere omnia ejus ossa, præter caput,
quod imperator Fredericus Barbarossa huc trans-
iens abstulisse dicitur, in capsula plumbea re-
perta sunt, et ita universi, veritatem perspicientes,
Deum glorificaverunt, et universa populi multi-
tudo ad eam gloriosam inventionem concurrerunt,
laudantes Deum, qui hanc regiam urbem digno
sublimavit munere. *Jam supra numm.* 82 *et* 113
*egimus de tempore, quo ista translatio locum habere
potuit, vidimusque eamdem regno Juliani impera to-
ris illigandam non esse : eædem vero rationes quæ
contra istiusmodi chronotaxin militant valent etiam
contra Patavinos, quando sibi milliariam posses-
sionem anno* 1463 *arrogabant. Certum est enim
S.* Lucæ *corpus sæc.* VI *adeoque nongentis ante an-
nis Constantinopoli exstitisse.*

117 *In laudato instrumento leguntur et sequen-* Sancti elogio.
tia : Infra scripta in vase vitreo reperiebantur :
« Jesus In nomine Sanctissimæ Trinitatis. In hoc F
» sanctissimo altare, dedicato ad honorem Bea-
» tissimi Lucæ Euangelistæ, sunt recondita ejus-
» dem Euangelistæ ossa, quod consecravit Rev.
» in Christo Pater D. Marcus Niger, episcopus Ca-
» tharensis, die Dominico II Octobris, an MCCCCLXV
» et auctoritate a Sede Romana ibi (*sibi?*) concessa
» visitantibus devote hoc altare in die suæ conse-
» crationis quadraginta dierum indulgentiam mi-
» sericorditer indulsit, in perpetuum duraturam. »
Dominica secunda Octobris in diem II *mensis Octobris
incidere non potest, adeoque numerus medius inter
verba* dominico *et* mensis *ad diem mensis referri
non potest ; utpote qui in feriam* IV *concurreret.
Marcus Niger, Catharensis episcopus, ad istam
Ecclesiam electus legitur die* V *Decembris* 1459 (4),
*Patavinam cathedram tunc occupante Jacobo Zeno
nobili Veneto* (5). *Quantum quidem hactenus dixi-
mus, monstrant antiquiorem esse Patavinorum pos-
sessionem præ cæteris omnibus. Nihilominus faten-
dum est sacrarum exuviarum translationes, propter
pericula aliasve causas, non raro ansam præbuisse*

(1) Act. SS., t. III Octob., p. 817. — (2) Ibid., p. 818, n. 116. — (3) Ibid., loc. cit. — (4) Ughelli. Ital. Sacr., t. VII, col. 698 — (5) Ibid., t. V, col. 456.

errori

J. V. H.

A *errori et confusioni, ut recte adnotat Honoratus a S. Maria* (1). *Quod vero attinet ad corpus, quod sub nomine S.* Lucæ *Venetiis in ecclesia S. Jobi colitur, quid si Lucæ Styriotæ essent exuviæ? Supra num.* 76, *quamvis Lucam monachum Thebis Bœotiæ sepultum negaverimus, imo Sterio Thebas satis distare monstraverimus, non est tamen absurda conjectura, quoniam Phocis regio, ubi S. Anachoretam tumulatum scimus, a Bosnia, unde corpus elatum fuit, non multum distat: et ut pronum est fieri, quando duo sunt Sancti homonymi, populus, conivente quandoque clero, sancto celebriori, quem sæpius et nominari et laudari audit, ut frequentissime fit de Evangelistis, Reliquias eidem attribuit, ex quo demum nascitur traditio, multorum annorum testimonio firmata.*

Reliquiæ S. Lucæ in Hispania,

118 *Præter corpus S.* Lucæ, *quo gloriantur Patavini, multæ aliæ ecclesiæ ditatas se ejusdem Evangelistæ Reliquiis dicunt, et sacri corporis particulas majores minoresve possidere se ajunt. Sic ex descriptione montis Atho habemus in monasterio magnæ lauræ S. Athanasii Athoniti recondi in medio altari in arca affabre facta et opere musivo exornata*, pars venerandæ manus S. Apostoli et Euan-B gelistæ Lucæ (2): *et in monasterio Iberorum ejusdem montis venerationi esse partes quasdam S. Apostoli* Lucæ (3). *In Hispania autem leguntur servari in ecclesia S. Salvatoris Oveti in Asturiis in tabula diptycha, laminis argenteis obducta, S.*Lucæ *exuviæ, quamvis propter capsæ exiguitatem, minutæ* (4). *Similiter juxta Vallem Oleti est monasterium Cisterciense, quod a Spina Coronæ Domini nomen suum mutuatur* (5) *et* Espina *vocatur : istic colitur os brachii S.* Lucæ (6). *Ejusdem S. Evangelistæ brachium monstrabatur Barcinone in regio sacello palatii : quarum quidem Reliquiarum jam anno* 1407 *mentionem facit Martinus, Aragonum rex, in suo testamento : videntur nihilominus istæ Reliquiæ lapsu temporis deperditæ aut dispersæ fuisse, quod et brachio S.* Lucæ *existimandum est accidisse, quoniam inter conservatas non recensetur* (7). *Valentia, urbs Hispaniæ archiepiscopalis gloriatur duos digitos manus sinistræ S.* Lucæ *se possidere, qui cum aliis Reliquiis quotannis feria* II *paschatis, solemni ritu, populi venerationi exhibentur, sub his verbis, quæ ex dialecto Hispano-Lemovicensi latina reddo :* Devoti Christiani, in hoc reliquiario sunt duo digiti manus sinistræ S. Lucæ Euangelistæ, quos C regina D. Margarita, conjux regis D. Martini huic ecclesiæ *(cathedrali)* dono dedit (8). *Margarita de Prades nupsit Martino, Aragoniæ regi, jam viduo Mariæ Lopez de Luna, cognatæ pseudopapæ Petri de Luna, dicti Benedicti XIII.*

in Gallia et Belgio coluntur ;

119 *Ad Galliam quod attinet, est in scriniis nostris epistola Claudii Chastelain ad Papebrochium data* XXXI *Decembris* 1683, *in qua refert ecclesiam cathedralem Senonensem, S. Stephano sacram, possidere digitum S.* Lucæ, *suo ungue et pelle munitum. Sed ut rescribit mihi hodiernus Senonensis Ecclesiæ Canonicus et thesaurarius, R. D. Carlier, die* XIX *Februarii* 1849 *insigne istud pignus anno* 1793, *impietate furente, disparuit. Valencenis autem, in diœcesi Cameracensi, erat olim capsa reliquiaria* (Fierte de Notre-Dame des Miracles), *quam custodiebat et solemni pompa per urbem, quotannis die* VIII *Septembris, circumducebat confraternitas nobilium* (Confrérie des Damoiseaux). *Anno* 1565 *propter metum hæreticorum in terra defossa ac anno* 1572 *detecta, igni cremata fuit : quocirca anno* 1588 *nova arca confecta fuit* (9), *in eaque inter alias Reliquias Ludovicus de Berlaymont, Cameracensis archiepiscopus, reposuit partem capitis S.* Lucæ (10), *quæ forsan desumpta fuit ex parte cranii superioris, servati Duaci in ecclesia parœciali S. Albini* (11), *quemadmodum id refertur de quarta parte cranii, quam Lætienses possidere se gloriabantur* (12). *Neque Belgium nostrum expers fuit Reliquiarum S.* Lucæ : *nam Mechliniæ in templo, olim Societatis Jesu, nunc parœciali SS. Petri et Pauli, servatur Dens S. Evangelistæ* (13), *dono datus ab Adriana de Ridder : in ecclesia cathedrali Tornacensi erant tria ossa S.* Lucæ, *unum grande et duo parvula* (14). *Id tamen animadvertendum est, has Reliquias, multasque alias, quæ variis in locis venerationi habentur, participare dubitationem, quæ ipsum corpus S. Evangelistæ involvit.*

templo S. Martinæ, Romæ adjectus titulus S. Lucæ.

120 *Quæ olim Romæ erat ecclesia, ad radices Capitolii, S. Martinæ Virgini et Martyri sacra, quum pictorum sodalitio curanda commissa fuisset, renovata fuit jussu Urbani VIII, adjecto S.* Lucæ *titulo, ut docet inscriptio, posita in facie interiori dicti templi* (15) : Urbanus VIII, Pontifex Maximus, E S. Martinæ, Virginis et Martyris, antiquissimam ecclesiam, adjuncto S. Lucæ Euangelistæ titulo, insignem, post hic repertum et repositum ejusdem Virginis corpus, in meliorem formam exstrui mandavit. Franciscus Cardinalis Barberinus patrui voluntatem et pietatem sequutus, ornavit, absolvit, anno Domini MDCL. *Consueverunt enim pictores et sculptores celebrare, tamquam proprium patronum, S.* Lucam, *utpote qui eamdem artem exercuit, ut communis habet opinio. Eumdem sibi tutelarem elegerunt, propter similem rationem, quædam medicorum collegia, licet alia SS. Cosmam et Damianum sospitatores adsciverint. Quantæ porro antiquitatis sint istiusmodi societates artium opificiorum non facile determinari potest. Est enim congenitum humanæ naturæ, ut ejusdem conditionis aut generis homines confœderatione quadam inter se conjungantur, tum ad rem communem accuratius et utilius gerendam, tum ad opem ferendam illis, qui forte ad inopiam devenerint. Sub Romanis erant istiusmodi collegia, ut patet præsertim ex l. 4 D. De Colleg. illicitis* (XLVII. 22), *qua dicit Gajus :* Sodales sunt, qui ejusdem collegii sunt : quam Græci ἑταιρίαν vocant. His autem potestatem facit lex, F pactionem quam velint, sibi ferre ; dum ne quid ex publica lege corrumpant *etc. Tales consuetudines et leges, utpote quam optime Christianæ religioni consonas, nullatenus abrogavit Ecclesia, imo promovit, ut monstrat Lud. Antonius Muratori in suis Antiquitatibus medii ævi* (16). *Quonam vero tempore istiusmodi collegia, quæ pro varietate regionum et temporum Confraternitates, Societates, Scholæ, Gildæ seu Gildoniæ, Sodalitia, dicebantur, speciales inter cœlicolas sibi adsciverunt patronos, non satis constat, ut prolixiorem sermonem in præsenti faciamus. Manum a tabula removere non possum, quin profitear me in iis, quæ de libris S. Lucæ scripsi, plurimum debere sodali nostro Francisco Xav. Patrizzi Sacrarum Litterarum Romæ et non ita pridem, Societate nostra vi tempestatis dispersa, Lovanii professori : cujus magnam accuratamque eruditionem omnes deprædicant, qui noverunt.*

(1) Réflex. sur la crit., t. III, p. 410. — (2) Montfaucon. Palæogr. græc., p. 456. — (3) Ibid., p. 474. — (4) Moralez. Viage Santo, p. 74. — (5) Cfr Act. SS., t. IV Augusti, p. 203, n. 470. Manriq. Annal. Cisterc. an 1147, cap. XVIII, t. II, p. 86. — (6) Moralez. Viage, p. 188. — (7) Ribera. Cappill. Real de Barcelon, p. 57 et seqq. — (8) Villanueva. Viage literar., t. II, p. 43. — (9) D'Oultreman. Hist. de Valenciennes, p. 431 et seqq. — (10) Bulletins de la comm. royale d'hist. de Belgique, t. X, p. 110. — (11) Raissius Gazophylac. Belg., p. 10. — (12) Ibid., p. 279. — (13) Ibid., p. 494. — (14) Ibid., p. 315. — (15) Ciaccon. Vitæ Rom. Pontt. et Card., t. IV, col. 521. — (16) Dissertat. LXXV. De piis laicorum Confratern., t. VI, p. 449. Edit. Mediol. 1742.

VITA

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE.

VITA LUCÆ,

APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Auctore Simeone Metaphraste : *exstat in Œconomio post Apocalypsim et Vitam S. Joannis Apostoli.*

Lucas, patria Antiochenus et professione medicus, a

Si justi memoriam cum encomiis celebrare divinus quidam vir ac sapiens divina lege statuit *a*, quantam sane convenit Apostolo Christi nos simul afferre laudem? Siquidem hunc justitia mirum in modum fecit et Apostolatu dignum, et ut Paulo dilectus videretur. Verum enimvero quoniam hic in Euangelio laudem adeptus est, relictis omnino
B encomiorum legibus, quæcumque de eo narrare necesse est, per modum historiæ referemus. Quis Antiochenam ignorat civitatem, quem situm ac magnitudinem, quosve terminos habeat? et quænam hæc sit, et quantam occupet terram, quove irrigetur flumine? Orontes hic est, ubi primum homo Christiani appellatione ditatus est, ex qua divus Lucas ortus est : et naturam quidem ac indolem habens, ut quæ generosa esset ac pretiosa, veluti ex hoc manifestum est, quod et vita apparuit studiosissimus, et sermonem tradidit vitæ maxime conformem. Cum autem omni disciplinæ generi vacasset a puero, et Syriacam ac Hebraicam linguam exactissime edoctus est *b*, et velut
b arbor juxta fontes floridus jam et augmentatus, divinarum scripturarum studio mirum in modum profecit. Adolescentiam itaque attingens, gymnasia frequentabat, quæ tum in Græcia erant, tum in Ægypto, ac pulcherrimam apud Græcos eruditionem collegit, grammaticem quidem ac poëticem perfecte assequutus : ad rhetorices vero, artisque bene dicendi cacumen pertingens, neque in philosophiæ dignitatibus alicui cedens, sed logica quidem ad ethicem, ethice vero ad practicem tamquam gradu utens.

in Christum credit

C 2 Ita omnibus bonis incumbens, tandem pulcherrimam simul ac humanissimam medicinam assequitur, idque in tantum, ut ab hac ut plurimum designaretur ac appellaretur. Postquam autem ingenii dexteritate ac magnitudine omnem artem citius percurrit, quam volucris aëra, satisque humanæ doctrinæ adeptus est, ad sublimiorem ac meliorem transit habitum. Quis autem fuit modus transitus? Habebat quidem interim de mundi salute disputationes ac congressus is, qui liber a peccato venerat, ut peccatores vocaret ad pœnitentiam, idque post luctam contra adversarium et trophea de illo relata, post auditum superne Patris testimonium, ac Spiritus descensum. Percurrebat autem fama universam Judæam ac Galilæam, et alicubi etiam extra terminos ea, quæ Euangelicæ prædicationis erant, sequebantur. Tunc multi sane ad veram hanc doctrinam cordis aures obturabant, ac mentis oculos claudebant, neque vitæ suscipere sermonem, neque veram lucem intueri digni erant. Hi autem, in quibus veritatis vestigium impressum erat, quique terræ bonæ rationem ac proportionem habebant, totis (quod ajunt) oculis intuebantur, et arrectas adhibebant D
animæ aures ad auscultationem, ac velocissime ad veritatem transferebantur, nihilque, quod facere decens erat, prætermittebant, ut ad id, quod honestum erat, accederent, et ad ipsam nudam animam transmitterent certam veritatem.

et omnia relinquit :

3 Horum unus erat admirandus hic præco veritatis ac præceptor, qui ad piam prædicationem mentis oculo illustratus, despicit cognationem omnem, despicit et naturæ viscera, abjicit pecunias, possessiones, omnemque substantiam, ita ut nemo adeo facile pedum pulverem, ac manuum sordes abjiceret : ut ne vel hoc ipso præ festinantia occupari certe potuerit, quo facultates indigentibus distribueret. Utque breviter dicam, despectis cunctis inferioribus, superna velociter amplectitur, et ad Judæam accedit, vaditque ad eum, quem concupiscebat, ac statim ad conspectum ac sermones Jesu efficitur splendidum receptaculum ad pretiosum gratiæ unguentum *c*. Neque tamen illi c
frequentibus fuit opus sermonibus ac miraculis ad illius cognitionem, sed quanto doctrina ac prudentia, animique dexteritate in aliis præpollebat, tanto velocius et ipsam pure veritatem, et prædicatum sermonem cognoscit. E

et Christi discipulus :

4 Ab hoc tempore efficitur legitimus ac verus Christi discipulus. Cumque frequenter præceptori adfuisset, et ejus signa ac prodigia assectatus esset, ne in salutaribus quidem ipsius afflictionibus deest. Et quemadmodum omnibus adfuerat, ita sane et resurrectionis conspector fuit. Cum Cleopa enim ad agrum Emmaus proficiscenti adstans post resurrectionem Dominus, (o horrore plenum illum accessum) tarditatem ac cordis eorum incredulitatem improperat, et Scripturarum interpretationibus suam passionem, ac magnum resurrectionis mysterium confirmat *d*. Verumtamen quæ fuit hujus d
divinæ collocutionis agricolatio? Ignis divinus jam in horum animis relucet jamque, die declinante, manere secum Dominum quodam modo coëgerunt. Porro ipse majori Dei cognitione illos afflare volens, non solum vulgari modo congressus est, verum etiam ad mensam una recumbit, panisque fractione exactius agnitus hic idem, qui triduo mortuus fuerat, tandem disparuit, nullo eorum sensu id percipiente, effecta hoc modo in eis firmiori resurrectione mortuorum. F

prædicat Evangelium,

5 Præterea a Salvatoris in cœlum assumptione, ac sanctissimi spiritus inde descensione, hic duodecim Apostolis associatus, et eadem gratia ac potestate repletus, Gentium præceptor designatur, divino modo docens dispensationis mysterium, et multos ad Creatoris cognitionem ex errore manu ducens, ac baptismate consecrans. Siquidem currebat divinus hic Lucas, prædicationem ubique disseminans, in sermonum sagena plures ex profunda ignorantia ad Deum adducebat, afflictus pro Euangelio, cum ad pessimos Græcos ad disseminandos sermones accederet. Multa aspera sustinebat in terra, in mari, in singulis civitatibus. Desertum dicebatur ei amicum solum, dummodo aliquos in eo invenit et, quos Deo adduceret, ac transferret ad pietatem.

et comes S. Paulo adjungitur :

6 Ubi autem et Paulus cœlestia conscendisset, ut intueretur veritatem, et aperte eam prædicaret, ab abjectis erroris tenebris, veritati adhæsisset, et choro discipulorum annumeratus esset, Lucas ipsi socius itineris ubique constituitur, ac peregrinationis comes, certamina pro pietate exoptans, et ob id se hujusmodi conjungens militi, et una cum eo usque ad vincula afflictus quasi maleficus, simulque cognitionis radios ad fines terræ emittens, adeo

A adeo ipsi conformis ac domesticus, et per omnia gratus effectus, ut Paulus scribens fidelibus, Lucam frequenter nominaret dilectum : qui a Hierosolymis, et circum adjacentibus locis Illyricum usque, una cum ipso implevit Euangelium, et a Judæa Romam usque una cum eo vinctus, eisdem laboribus, eisdem afflictionibus, eisdem communicavit naufragiis, volens omnino particeps declarari etiam coronarum, propter hos labores recipiendarum.

ejus scripta; 7 Ita ergo ubi variis modis in talento prædicationis simul cum Paulo negotiatus esset, atque tot gentes adduxisset ac irretiisset ad pietatem, totius præceptoris dispensationis et vere amator, et amatur discipulus, sasæ scriptor historiæ, simul et Euangelista ostenditur, ut qui et prius assequutus esset, et ab his, qui ab initio ministri fuerant, hæc cognovisset, aut etiam superne in sacris edoctus esset. Siquidem hic Euangelista mysterium retexuit Gabrielis paranymphi delatum ad Virginem, qui communem mundo gratiam annuntiaverat. Hic etiam Christi nativitatem aperte exaravit, tamquam recens in præcepi jacentem manifestans, et fascias, ac pastores, gaudiique præcones Ange-
B los describens. Hic sententias ac doctrinas, omnem mentem excedentes, veri simul ac honesti amore manifestavit, rerum veritati sermonum ingenuitatem commiscens, ut et mentis simul ac linguæ virtutem ob oculos poneret. In parabolis quoque doctrinas salutares retexuit, in hoc etiam copiosior cæteris. Utque breviter dicam, quemadmodum verbi descensum in terram dilucide cognoscendum dedit, ita et ascensum in cœlos, et reditum ad thronum paternum, sicut quispiam e cœlo veniens, manifestavit *e*. *e*

ars pictoria: 8 Hoc autem inter cætera gratissimum est, quod ipsum quoque typum assumptæ humanitatis Christi mei, ac signum ejus, quæ illum pepererat, et assumptam humanitatem dederat, primus hic cera ac lineamentis tingens, ut ad hæc usque tempora in imagine honorarentur, tradidit, tamquam non satis esse existimans, nisi etiam per imaginem ac typum versaretur cum his, quos desiderabat, quod ferventissimi amoris signum est. Neque id solum, sed et fidelibus omnibus, Christique amatoribus hæc, quæ maxima erant, gratiose donavit *f*. *f* At non in his solis Lucas gratiam spiritus, quæ in se erat, coarctavit, neque ad solum Euangelium
C hic ministrantem habuit linguam, sed post finem miraculorum Christi, etiam Apostolorum exponit actiones. Et primum Salvatoris divinam in cœlum assumptionem, deinde super ipsos in igneis linguis spiritus descensum, dehinc Stephani lapidationem, Pauli conversionem, nempe per Christum factam de cœlis vocationem, et transitum a littera ad spiritum, hujus in singulis locis vincula, carceres, plagas, flagellationes, varias gentium insidias, quomodo a Hierosolymis Romam pervenerit, labores in mari, afflictiones, pericula, calamitates, naufragia : quorum non spectator tantum, sed et particeps fuerat *g*. Atque ob id diligens est horum enarrator. *g*

prædicat in Ægypto: 9 Sed Paulo quidem Romæ relicto, rursum hic ad Orientem discedit, totamque Libyam percurrens, in Ægyptum pervenit *h*. Et cum superiorem *h* Thebaida intra suam doctrinam recepisset, ac ad magistrum per Euangelium adduxisset, inferiorem Thebaida, septem portarum civitatem accedit, in qua etiam pontifex ac pastor a spiritu præponitur. Statuis, impurisque dæmonum delubris in terram dejectis, (id enim studio sibi erat, ut errorem totis, quod ajunt, pedibus fugientem demonstraret) sacra templa contra soli Deo erigit, eisque qui in profundis ignorantiæ tenebris tenebantur, per Euangelium ad Dei cognitionem regeneratis, mites filios effici curat. *AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE.*

10 Hujusmodi igitur fructibus magistro oblatis, *obit.* impietate de medio sublata, erectis templis, altaribus stabilitis ac consecratis, et sub credentibus, presbyteris ac diaconis inter hos creatis, retæque fidei præfinitione ipsis tradita : et nunc quidem a veteris instrumenti scriptura ad lucens testimonia, nunc vero ab eo, quod ipse contexuerat, Euangelio interpretans ipsis ea, quæ de Christo erant, et ostendens vetus instrumentum omnino consonum esse novo, unumque et eumdem esse Deum, qui et hoc et illud statuerat, plenus jam dierum effectus, redit in pace ad Deum pacis, pulvere quidem pulveri relicto, anima vero in manibus ejus, qui dederat, commendata, illuc transiens, ubi regio est viventium, ubi sonus festa celebrantium, ubi inhabitatio est omnium lætantium. Hujusmodi sunt certaminum Apostoli pro pietate narrationes : hic fuit ipsi finis laborum pro Christo perpessorum, quorum etiam manipulos nunc metit in lætitia, ita ut possit et ipse cum Paulo dicere : Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem ser- E vavi : propter quæ reposita est mihi corona justitiæ.

Corpus S. Lucæ ex Achaja. 11 Verumtamen his nunc consequens esse opinor mentionem facere, unde et quomodo, quibusve sane temporibus sacræ hujus Reliquiæ ex Achaja, veluti divinus quidam thesaurus reportatæ sint, et claræ ac regiæ civitati redditæ. Transibat quondam a Sirmio ad Istrum Constantius, Constantini Magni filius, sed fratrum tertius : atque ad hanc Istri ripam non longo tempore castrametatus, audivit barbaros, qui ultra Istrum erant, conflicturos cum Romanorum principatu : et ipse formidans, ne quid mali in suo principatu facerent, confestim ad Thraciam ac Byzantium equitavit. Cumque ad regionem Odrisiorum pervenisset, ubi Adrianus Romanorum Imperator exstructa civitate, sui appellationem loco dedit *i*, accedit ad *i* eum quidam Episcopus, veluti donum quoddam ipsi gratissimum deferens, Andreæ ac Lucæ Christi discipulorum corpora indicans in Achaja esse sepulta. Porro ille et nuntio gavisus est, et Artemium *k*, quo maxime utebatur, et quem sciebat *k* fervidum amatorem charitatis erga Christum *. Attestatur vero divinum hujus amorem certamen ac periculum, temporibus Juliani propter Christum susceptum. F

* supple *vocavit*

Constantinopolim sub Constantio. 12 Hunc ergo tanto fervore pro pietate spirantem amicum Artemium, ad pretiosorum corporum reductionem confestim emittit. Etenim erat hic Constantius et in cæteris moderatus, et moribus mitis ac modestus, ac magno admodum circa ecclesiarum ædificationem amore occupatus. Unde etiam ad patris sui civitatem circa illius sepulcrum, veluti reddens patri honorem, templum ab ipsis fundamentis maximum ædificat : in quo etiam, ubi Artemius sacrorum Apostolorum Reliquias ex Achaja retulisset, in ipso divino altari sacræ mensæ reposuit : Andreæ quidem e civitate Patræorum, Lucæ autem ex Thebis Bœotiæ translatis corporibus Ac brevi tempore intermedio etiam Timotheum, qui in choro discipulorum Christi velut perspicua quædam stella splenduerat, ex Epheso refert Joniæ, ministro quoque rursum ad hoc usus Artemio. Sed habuit et ipsum sacræ mensæ ambitus veluti reddentem debitum quoddam pietatis suis auxiliatoribus. Verum Timotheus quidem hujusmodi habuit corporis reductionem. Porro in divi

Lucæ

transfertur.

Lucæ reductione tale editur miraculum, sermone ac memoria dignum.

13 Anatolius quidam eunuchus unus eorum, qui tunc e regio erant cubiculo, misero corporis morbo detentus erat. Ubi ergo majorem novit esse morbum, quam qui medicorum posset arte curari, probe sciens ille, quod quæ impossibilia sunt apud homines, Deo possibilia sunt, omnibus aliis relictis, ad Lucam Christi discipulum confugit, et hoc auxiliatore utitur adversus morbum. Ubi enim urna, quæ pretiosum continebat ipsius corpus, ad sacrum templum jam esset delata, quod a fundamentis Constantius erexerat, accedens hic dictus Analolius, simulque bajulans cum his, qui illam portabant, confestim deprimente morbo absolvitur : et vivens ex mortuo tale adeptus beneficium, tota sua vita non intermisit gratias agere Apostolo ac Deo, qui per ipsum hujusmodi edebat miracula.

ac denuo sub Justiniano invenitur.

14 Ita igitur primum ex Thebis relatum divinissimi Lucæ corpus, honorifice admodum ac magnifice una cum Andrea ac Timotheo in templo reponitur, quod a Constantio ædificatum erat : cum circa sacrarum Reliquiarum repositionem fidei opera ac fervidum Constantii desiderium plu-
B rimum demonstrata sunt. Quamquam hic postea maligni laqueis aliquantulum captus, (o casum miserum, heu turbulentam subversionem !) Arianorum dogma ebibit. Multis autem postmodum temporibus, Justinianus, assumptis imperii sceptris, multo adhuc amplificentius circa hæc sacra Apostolorum corpora afficitur, et theca argentea hæc concludens, circa ipsum altare vehementi Dei amore reponit, nempe pretiosa in pretioso conditorio. Et quidem sacri altaris mensam theca constituit : porro communi Apostolorum nomine
l templum appellatur *l*. Ad quod sane omnes qui conveniunt fideles, laudant hunc tamquam disci-
m pulum, celebrant ut Euangelistam *m*, beatificant tamquam eum, qui in sacris sudoribus ac laboribus divino Paulo semper fuit socius. Et inde sanctificationem participantes, spirituali implentur gaudio : idque gratia ac benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria in sæcula sæculorum, Amen.

ANNOTATA.

a *Alludit biographus ad verba Prov.* x, 7. Memoria justi cum laudibus.

C b *Hebraicam linguam calluisse S.* Lucam, *nullo certo testimonio cognoscimus : supra in Commentario prævio num.* 11 *probabili argumento monstravimus Sanctum nostrum religione adeoque et genere Judæum non fuisse : quocirca non facile ostenditur S.* Lucas *hebraico idiomate imbutus fuisse. Quæ vero in ejus scriptis a norma linguæ græcæ exorbitant, syriaco idiomati, Antiochiæ vernaculo, adscribi commode possunt, sive Evangelista a pueritia syriace edoctus fuerit sive ipsum græcum, prout Antiochiæ vigebat, idiotismos quosdam contraxerit, prout fieri consuevit, quando diversæ linguæ in eodem loco passim adhibentur.*

c *S.* Lucam, *quod infra latius ostenditur, a Christo Domino edoctum fuisse, multi opinati sunt : sed id sine idoneo satis testimonio, quum ipse S. Evangelista in prologo sui Evangelii indicet, se non scribere ea quæ vidit, sed quæ* tradiderunt qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis. *Unde recte habet S. Hieronymus* (1) : Euangelium, sicut audierat scripsit ; Acta vero Apostolorum, sicut viderat composuit. *Cfr Comment. præv. num.* 14, *ubi agitur de tempore conversionis S.* Lucæ.

D d *S.* Lucam *alterum fuisse ex discipulis, euntibus in Emmaus, Luc.* XXIV, 13 *tradit S. Gregorius Magnus atque huic opinioni adhærent varii scriptores (Cfr Comment. præv. num.* 15*). Videtur quidem verisimile duos illos ex septuaginta discipulis fuisse, quum infra v.* 33 *referantur* eadem hora regressi in Jerusalem, invenisse congregatos undecim ; *quibus ex verbis concluditur nullus Apostolorum in Emmaus migrasse. Sed quinam isti discipuli fuerint, satis aperte insinuat textus evangelicus : unus certe erat Cleophas, ut habet v.* 18, *alter vero Simon, quoniam introeuntes ad undecim, dicunt v.* 34 : Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni. *S. Augustinus, lib.* III *de Consensu Evangelistarum c.* XXV (2), *censet hunc Simonem esse Petrum, Apostolorum principem, idque deduxit e loco parallelo I. Cor.* XV, 5, *scilicet Christum redivivum* visum esse Cephæ et post hoc undecim. *Quamvis omnino affirmemus Christum apparuisse S. Petro et post undecim Apostolis ; nihilominus textus* Lucæ *neutiquam admittit Simonem, de quo agit, esse Petrum; quoniam si S. Petrus vidisset Dominum, id jam innotescere debuerat, antequam discipuli ad* undecim, *adeoque ad Petrum regressi fuissent : nam Petrus, qui tunc inter Apostolos erat, jam manifestare de-* E *buerat, apparitione se dignatum fuisse, quin hi Emmaunitæ id primum declarare debuerint. Censemus itaque propter istas rationes hunc alterum discipulum neque S.* Lucam *propter nominum diversitatem, neque aliquem ex Apostolis, propter annuntiationem iisdem factam, fuisse.*

e *Operæ pretium duco hic annotare, quæ specialiter in scriptis S.* Lucæ *habentur et ab aliis Evangelistis aut nullo modo aut vix attinguntur.*

Gabriel apparet Zachariæ, concipitur Joannes	*Luc* I, 5-25.
Gabriel mittitur ad Mariam, quæ concipit de Spiritu Sancto	I, 26-38.
Maria Virgo ad Elisabeth festinat	I, 39-58.
Nativitas S. Joannes Baptistæ	I, 59-80.
Christus suscitat filium viduæ in Naïm	VII, 11-18.
Parabola de Samaritano misericorde	X, 25-37.
Christus hospitatur apud Mariam et Martham	X, 38-42.
Christus docet orandi modum et efficaciam	XI, 1-13.
De fermento Pharisæorum : quis metuendus sit: de blasphemia in Spiritum Sanctum : de persecutionibus: divitis parabola : de sollicitudine vitanda	XII, 1-34.
De fideli et infideli dispensatore : Jesus venit, ut ignem mitteret in terram : de gratiæ tempore dijudicando	XII, 35-59.
De pœnitentia omnibus necessaria : parabola de ficu infructuosa : mulier sabbatho curata	XIII, 1-17.
De porta angusta : de insidiis Herodis et incredulitate urbis Jerusalem	XIII, 22-35.
Christus hydropicum sanat et parabolas de loco infimo in nuptiis, de cœna magna, de turri, de bello et sale proponit	XIV.
Parabolæ de ove et drachma repertis ac de filio prodigo	XV.
De villico iniquitatis parabola	XVI, 1-12.
De divite epulone et Lazaro mendico	XVI, 19-31.
Christus humilitatem inculcat : decem leprosos mundat	XVII, 7-19.
Parabola de judice iniquo	XVIII, 1-14.
Parabola de decem mnis	XIX, 11-28.
Christus a Pilato mittitur ad Herodem, qui ejus innocentiam agnoscit	XXIII, 6-12.

F

(1) Hieron. Oper., t. IV, part. II, col. 104.—(2) August. Oper., t. III, part. II, col. 140.

Huic

A *Huic elencho adnecti possent varii contextus, qui rem, ab aliis Evangelistis narratam, abundantius explicant : v. g. historia Ascensionis Dominicæ, quæ uno versu a Marco* XVI, 19 *relata, jam amplior apud nostrum* XXIV, 50-53 *recurrit, et tandem amplissime in Actis Apostolorum* I, 9-12. *Hæc eo exposuimus, ut constet quam accurate biographus Sancti scripta recensuerit.*

f *Circa ea, quæ ad artem pictoriam, a S.* Luca *exercitam, spectant, vide dicta Comment. præv. num.* 60 *et seqq.*

g *Acta Apostolorum a capit.* I *ad* IX *historiam præsertim Ecclesiæ Jerosolymitanæ, seu Apostolorum, adhuc Jerosolymis et in Judæa versantium, continent : sed a capite* IX, *si vocationem gentilium in Cornelio centurione c.* X *et* XI *excipias, usque ad finem libri, Acta res gestas S. Pauli exhibent.*

h *Quæ hic habentur de prædicatione S.* Lucæ *in Ægypto, putem provenire ex falsa opinione, quod diem supremum Thebis Ægyptiobierit, quam improbandam diximus in Commentario prævio num.* 77.

i *Odrysia etiam Thracia appellabatur, ut docet Cellarius* (1) : *exstat etiamnum civitas Adrianopolis, primaria Turciæ Europææ civitas.*

B k *S. Artemii mentionem facit Martyrologium Romanum ad diem* XX *Octobris, quo ejus Acta edentur.*

l *Historiam hujus inventionis in Commentario prævio num.* 82 *ex antiquis scriptoribus retulimus.*

m *S.* Lucæ *ejusque Evangelii emblema seu insigne est passim hodie Vitulus.* Porro communis, *ait Joan. Baptista Villalpandus Commentario in Ezechielem* (2), Patrum et Doctorum consensus recepit tam Ezechielis animalibus (I, 10), quam Joannis (Apocal. IV, 7) significari quatuor Christi Euangelia D vel Euangelistas eorum scriptores. Ita habet Irenæus lib. III, adv. Hær. c. II (3), Athanasius Synops. S. Script. § 76 (4), Hieronymus in Ezech. lib. I et Proœm. in Matth. (5), Augustinus de Consens. Euang. lib. I, cap. 6 (6), Isidorus in Prol. lib. N. T. (7), Gregorius M. Hom. lib. I, 4 in Ezech. (8), Ambrosius in Luc. Prol. (9), et Beda in Apoc. et Epist. ad Accam (10).... *Sed illud hic adnotandum videtur, varios Patres vario modo accommodasse animalibus Euangelia : sic Irenæus leonem comparavit Evangelio S. Joannis, aquilam S. Marci, quum cæteri Patres Marco leonem, Joanni vero aquilam conferant. Sed ne in hac quidem analogia consentiunt Patres; nam S. Augustinus Matthæum significat per leonem, Marcum per hominem : quam significationem, a Ven. Beda admissam, improbarant quidem, ut liquet ex ejus ad Accam episcopum epistola, l. c. :* Quod vero ais movere, quosdam, quare in Apocalypsi nova interpretatione, Matthæum leoni, Marcum homini adsignarim, intueri debuerant quicumque illi sunt, quos hoc movet, quod non hoc mea nova, sed antiqua Patrum explanatione traditum dixi. Neque enim mihi a meipso ita visum, sed ita a Beato E Augustino expositum fuisse memoravi. *Recitat dein Ven. Beda S. Augustini ex Tractatu de Consensu Evangelistarum verba deprompta. Hæc ideo dicta sunt, ut licet passim prævaluerit opinio S. Hieronymi, Matthæo hominem, Marco leonem,* Lucæ *vitulum, Joanni aquilam tribuentis ; quandoque tamen aliqua typorum varietas occurrere potest, prout artifices in diversam sententiam propenderint.*

(1) Notit. Orbis antiq., t. I, p. 1085. Edit. Lips. 1773.—(2) T. VI, p. 54. Edit. Rom. 1596.—(3) P. 259. Edit. Paris. 1675.— (4) Oper., t. II, p. 202. Edit. Maurin. Paris. 1698. — (5) Oper., t. III, col. 701, et t. IV, col. 4, —(6) Oper., t. III, part. II, col. 5.— (7) Oper., t. II, p. 423. Edit. Matri. 1778. — (8) Oper., t. I, col. 1200. — (9) Oper., t. IV, p. 11. Edit. Venet. 1781. — (10) Oper., t. X, p. 269, et t. XII, p. 357. Edit. Giles. 1844.

DE SANCTO ASCLEPIADE

EPISCOPO ANTIOCHENO.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

B. B.

C F

Ejus memoria apud Eusebium et in Martyrologiis. Quibus et quot annis S. Asclepiades sedem tenuerit Antiochenam.

VERSUS ANNUM 217. *Summa dicendorum.*

Pauca de hoc Sancto ad nos pervenerunt. *Eusebius Cæsariensis* (1), *ejus electionem memorat, paucis iisque gravibus verbis electi virtutes commendans ; et* (2) *mortuo* Asclepiadi *successisse tradit Philetum. (Sic enim passim scribitur ; alii* Philitum, *alii* Philippum ; *Eutychius, sed minime accuratus,* Philemonem *appellat.) Ex Eusebiano fonte hauserunt, quotquot postea de sancto nostro Præsule scripsere, sive Historici, sive Martyrologi. Brevibus itaque absolveretur præsens Commentarius noster, ni obstaret fides a prædecessoribus nostris data, fore ut* res omnis suo loco, *ut habet Sollerius* (3), de integro accuratius examineretur, *an scilicet S.* Asclepiades *passus sit sub Decio an sub Macrino. Eadem habet Boschius noster in* Patriarchis Antiochenis (4). *Primum igitur colligemus quæ in Historicis de S.* Asclepiade *occurrunt : tum Martyrologia excutiemus ; denique quæstionem chronologicam, id est quibus et quot annis sedem Antiochenam tenuerit expendemus. Exordium, ut par est, ducimus ab Eusebio, qui ut omnium maxime prolixe, ita etiam omnium (quorum scripta ad nos pervenerunt) primus* Asclepiadis *meminit.*

Eusebius de S. Asclepiade :

2 *Ait itaque :* Antiochiæ vero Serapione mortuo, episcopatum ecclesiæ suscepit ASCLEPIADES ; qui persecutionis tempore fidem Christi confessus, maximam gloriam retulerat. Hujus Ordinationis

(1) Hist. Ecclesiast., lib. VI. cap. XI. — (2) Ibid., cap. XXI. — (3) Martyrol. Usuardi. In Observatione ad diem XVIII Octobr., p. 609. —(4) Act. SS., t. IV Julii. Hist. chronologica Patriarcharum Antioch., n. 53, p. 14.

D. B. mentionem facit Alexander in epistola ad Antio-
chenses his verbis : *Alexander servus Dei et vin-*
ctus Jesu Christi, beatissimæ Antiochensium eccle-
siæ in Domino salutem. Ex edita mihi ac levia
vincula Deus effecit custodiæ meæ tempore, post-
quam comperi Asclepiadem *virum fidei merito*
maxime idoneum, sanctissimæ ecclesiæ vestræ, epi-
scopatum divina providentia suscepisse. Hanc autem
epistolam Clementi se perferendam dedisse signi-
ficat, sub finem ita scribens : *Porro has litteras,*
inquit, Domini fratres (κύριοί μου ἀδελφοί) *per bea-*
tum presbyterum Clementem ad vos misi, virum
virtute præditum et probatum : quem vos et nostis
jam, et amplius cognoscetis. Qui quidem Dei nutu
ac providentia, dum hic apud nos præsens esset,
Ecclesiam Christi et confirmavit et magnopere au-
xit (1). *Deinde paulo inferius tradit :* Apud Antio-
chiam mortuo Asclepiade, episcopatum ejus eccle-
siæ sortitus est Philetus (2).

item S. Hieronymus. 3 *Incidenter meminit beati* Asclepiadis *S. Hie-*
ronymus in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum,
ubi de Clemente Alexandrinæ ecclesiæ Presby-
tero (3) *qui post mortem Pantæni, cujus auditor*
Clemens fuerat, Alexandriæ ecclesiasticam scho-
B lam tenuit et κατηχήσεων magister fuit *Tum scripta*
ejus, quæ insignia volumina *dicit, recenset ; inter*
alia : de Canonibus ecclesiasticis et adversum eos
qui Judæorum sequuntur errorem, liber unus :
quem proprie ad Alexandrum Jerosolymorum
episcopum προσεφωνησε. *Et paucis interjectis addit :*
Exstat Alexandri Jerosolymorum episcopi, qui
cum Narcisso postea rexit ecclesiam, Epistola su-
per ordinatione ASCLEPIADIS confessoris ad Antio-
chenses, congratulantis eis, in qua ponit in fine :
Hæc vobis Domini ac fratres, scripta transmisi, per
Clementem beatum presbyterum, virum illustrem
et probatum ; quem vos quoque scitis, et nunc ple-
nias recognoscetis, qui cum huc venisset juxta pro-
videntiam et visitationem Dei, confirmavit et auxit
Domini Ecclesiam. Constat Origenem hujus fuisse
discipulum. Floruit autem Severi et Antonii filii
ejus temporibus. *Hæc Hyeronymus, ex quibus dig-*
noscetur Clemens, lator Epistolæ de ordinatione
Asclepiadis. *Lequien, ubi patriarchatum Antioche-*
num illustrat, ordine decimum *inter episcopos sedis*
illius ponit Asclepiadem, *de quo hæc habet* (4) :
Eusebius in Chronico : *Post Serapionem, Antio-*
chiæ nonus (Eusebius ab Apostolis numerat episco-
C *pos, si igitur cum Lequien addatur S. Petrus,*
Asclepiades *erit decimus) episcopos constituitur*
Asclepiades, cui octo *(id falso dici postea videbi-*
tur) Pontificatus annos assignat. *Positis deinde*
partim, quæ in Eusebii historia, ut supra, repe-
riuntur, concludit Lequien : Episcopatum itaque
Antiochensem ASCLEPIADES tenuerit ab anno Christi
211, ac 1 Antonini Caracallæ, ad annum usque
Domini 219 ; et Elogabali 2. Nicephorus annos nu-
merat θ'. 9. *De his infra ex professo dicetur. Suf-*
ficiat hic apposuisse aliqualem S. Alexandri (cujus
frequens occurrit mentio) notitiam. Colitur apud
Græcos die XVI *Maii et die* XXII *Decembris* (5) ; *apud*
Latinos die XVI *Martii, quo die ita annuntiat Mar-*
tyrologium Romanum ; Cæsareæ in Palestina nata-
lis beati Alexandri episcopi, qui de Cappadocia,
ex propria civitate ubi erat episcopus, sanctorum
locorum desiderio Hierosolymam veniens, quum
Narcissus ejusdem urbis episcopus jam senex ec-
clesiam regeret, divina revelatione ejus guberna-
cula suscepit : postmodum vero in persecutione
Decii, quum jam longævæ ætatis veneranda cani-
tie præfulgeret, ductus Cæsaream et clausus in D
carcere, ob confessionem Christi martyrium comple-
vit. *Ejus acta apud nos eodem die illustrantur* (6).

Martyrologia varia ; 4 *Ad Martyrologos quod spectat : Vetus Roma-*
num Rosweydi nostri, ad XV *Kalend. Novemb. me-*
minit Asclepiadis, Antiocheni episcopi. *Eodem die*
in Beda nihil de Asclepiade *occurrit (licet Baro-*
nius contrarium insinuet) ast in Auctariis ad
diem 19 *(quo vacat Beda) jungitur cum S. Luca :*
Lucæ Evangelistæ et Asclepiadis. *Menologium Ba-*
silii Imp. et græci generatim silent, licet ab illis,
ut diximus, colatur. Annuntiationem sequentem
habet hac die Ado Viennensis : Sancti Asclepia-
dis, Antiocheni episcopi, qui unus fuit ex præ-
claro confessorum numero, qui sub Decio gloriose
passi sunt. *Usuardus ad verbum repetit Adonem.*
Juverit hic transcribere Sollerii nostri Observatio-
nem *in Usuardi textum.* De Asclepiade ita primus
ex Rufini Eusebio lib. VI, cap. 9, meminit auctor
Romani parvi : *Et* Asclepiadis *Antiocheni episcopi.*
Et re quidem vera, ut supra vidimus, hæc leguntur
in Vetere Romano *Rosweydi, ast plane desiderantur*
in Vetustiore Romano *florentinii : Altum ibi de*
Asclepiade *silentium. Pergit autem Sollerius :* Plu-
sculum habet Ado, et ex eo Noster *(puta Usuar-* E
dus) : quæ nescio unde omnia accepta sint ;
præsertim si *gloriose pati* de mortis supplicio in-
telligatur. Nam vere passum fuisse, satis exprimit
Eusebius lib. VI, cap. XI, dum de eo Serapioni
succedente, ait : *qui persecutionis tempore, fidem*
Christi confessus, maximam gloriam retulerat ; vel
ut interpretatur Rufinus, cujus verba textui Usuar-
dino inserta sunt : *qui et ipse unus ex præclaro con-*
fessorum numero fuit. At certe de violenta morte
non plane constat ; nec dici potest sub Decio pas-
sus; quod a Baronio observatum, eum impulit,
ut pro Decio, Macrinum substitueret. Nos suo loco
rem omnem de integro accuratius examinabimus.
Observari interim potest, verosimiliter ab Adone
confusos duos ASCLEPIADES ; hunc nimirum Antio-
chenum episcopum, qui sub Severo passus est ;
et alterum, Pionii socium, cujus certamen ad Decii
tempora spectat, ut vide in Commentario prævio
ad Acta Pionii I Februarii § 3. Paucula, quæ ad
ASCLEPIADES nostri laudem supersunt, citato loco
breviter exponit laudatus Eusebius. *Hactenus Sol-*
lerius (7). F

Romanum. 5 *Evidens nobis est Passionem* Asclepiadis *Antio-*
cheni non posse referri ad tempora Decii, qui im-
perio primum potitus est mense Octobri ann. 249.
Ni ergo incredibiliter hallucinatos dicamus Euse-
bium, Hieronymum et quotquot de Asclepiade *inter*
veteres scripserunt, admitti nequit Annuntiatio Ado-
nis et Usuardi. Unde et verosimile aliquatenus est,
ut observat Sollerius, Adonem, nominis similitudine
deceptum, ad Asclepiadem *Antiochenum transtu-*
lisse, quæ de Asclepiade, *socio S. Pionii, dicta re-*
perit. Propterea etiam Baronius in Martyrologio
Romano annuntiat : Antiochiæ, Sancti Asclepiadis,
episcopi, qui unus fuit ex præclaro Martyrum nu-
mero, qui sub Macrino gloriose passi sunt. *Et in*
hunc locum notat. Eusebius in Chronico, cum
ipsum (Asclepiadem) refert sub Antonino Cara-
calla, ejusque successorem Philetum sub Macrino
Imp., ad ea usque tempora pervenisse demon-
strat ; idem, *(Eusebius)* in Hist. eccles. lib. VI.
De eodem agit Hieronymus de Scriptor. eccles.
cap. 38 in Clemente Alexandrino, ubi meminit de
epistola sancti Alexandri episcopi Jerosolymorum,
de Ordinatione ASCLEPIADIS confessoris, cum eam

(1) Euseb. Hist. ecclesiast., lib. VI. cap. XI. *Juxta Valesium.* — (2) Ibid., cap. XXI. — (3) Cap. XXXVIII. — (4) Oriens Christianus, t. II, col. 703. — (5) Ibid., t. III, col. 151. — (6) Act. SS., t. II Martii, p. 614-617. — (7) Martyrol. Usuardi, p. 609.

sedem

A sedem accepisset. Nicephorus item lib. IV cap. 19 et lib. V cap. 10 et 26. Ex quibus omnibus manifesti erroris arguuntur Usuardus, Ado et alii eos secuti, qui eum in persecutione Decii passum dicunt.

Passus S. Asclepiades est sub Severo.

5 *Recte quidem expunxit Baronius nomen Decii, ast et ipse manifesti erroris arguendus est, si, ut verba per se sonare videntur, sub Macrino passum putaverit. (Vita tamen infra n. 9). Ex disquisitione nostra chronologica, mox ponenda, efficietur probabiliter quidem, versus finem Macrini vel initio Heliogabali, obiisse S.* Asclepiadem, *ast nullo modo tunc temporis passum; bene vero, antequam episcopus ordinaretur, sub imperio Lucii Septimi Severi, qui solium tenuit ab anno Christi* 193 *ad annum* 211. *Nec proinde* Asclepiades Martyr *proprie dicendus, sed potius* Confessor, *quo nomine insigniebantur, qui persecutionum tempore, fidem inter supplicia strenue confessi fuerant; et quorum deinde non pauci, sedata in Christianos procella, carcere liberati, ecclesiarum regimini adscripti leguntur. Nihilominus, ut late ostendit Benedictus XIV* (1), *voces* martyr *et* confessor *olim promiscue usurpabantur; et citat, inter alios, Galesinium, qui ita habet :* non desunt, qui Martyris et
B Confessoris nomen olim synonymum fuisse contendant; *sicut etiam Franciscus Amatus Pouget :* olim, *inquit,* Confessores Christi dicebantur ii solum, qui, cum testimonium perhibuissent veritati cum carceris, exilii, rei familiaris, suppliciorum, ipsiusque vitæ periculo, non tamen morti traditi fuerant; Confessores autem dicebantur, propter gloriosam et publicam nominis Christi confessionem; Martyres quoque appellabantur, propter exhibitum veritati testimonium (2). *Cæterum stari posset Adone et Usuardo, si in locum Decii ponatur Severus in hunc modum :* Antiochiæ, Sancti Asclepiadis episcopi, qui unus fuit ex præclaro confessorum numero qui sub Severo gloriose passi sunt.

De initio episcopatus S. Asclepiadis juxta Eusebii Chronicon.

7 *Ast quo anno cœpit, quo desiit S.* Asclepiadis *Episcopatus? De utroque termino non convenit inter eruditos. Ad initium Episcopatus illius figendum duo præcipue habemus : alterum est Chronicon Eusebii Cæsariensis; alterum ejusdem Historia ecclesiastica, in qua Ordinatio* Asclepiadis *contigisse legitur dum* in Vinculis esset *Alexander Hierosolymitanus, ut manifeste constat ex hujus epistola ad Antiochenos, superius a nobis laudata et partim re-*
C *citata. Jam vero ad Chronicon quod spectat;* græcum Eusebii opus *(verba sunt Fabricii in Bibliotheca græca* (3) *)* intercidit præter fragmenta et lacinias, quas recentiores Chronologi servarunt; Syncellus imprimis. Codices latini *(ex S. Hieronymi interpretatione)* oscitantia librariorum mire inter se variant, et sæpius nec inter se, nec cum historia facile possunt conciliari. *Et revera hoc loco varia varium annum ponunt exemplaria. Plerumque annus occurrit* 211; *Chronicon ex recensione Scaligeri annum habet* 212 (4), *ex editione Chronicorum juxta codicem Haicanum, cura Angeli Maii et Johannis Zohrabi* (5), *annus est* 213, *primo scilicet Olympiadis* 248, *item primo Caracallæ; idem annus diserte ponitur in altera ejusdem operis editione, quæ reperitur in* scriptorum veterum nova collectione (6) *quam decem tomis publici juris fecit idem celeberrimus Maius. Apud hos omnes, citatis locis, legitur :* Antiochiæ nonus Episcopus constituitur Asclepiades. *Tres ergo diversos jam habemus annos, quibus illius episcopatus initium innectitur.*

8 *Georgius Syncellus, quem Eusebii Chronico maxime usum imo et abusum omnes norunt, juxta Canonem Goari, habet ad annum Christi* 208, *Antonini Caracallæ VI :* Antiochæ episcopus IX, Asclepiades, annis 9 (7). *Ast in ipso Syncelli textu* (8) *scribitur* Asclepiades *post mortem Macrini, anno* 210; *et rursus sub imperio Antonini Aurelii (quem imperasse tradit annis* 4, *nempe ab anno Christi* 211 *ad an.* 215) Antiochiæ Episcopus IX, Asclepiades annis 9. *Et Synchronus indicatur cum Calisto Romano pontifice (cujus initia incidunt in annum* 219, *vel, ut vult Scaliger in annum* 217) *et Hierosolymorum Episcopo 34° Sardiano (dum 34s est Alexander, nec Sardianus uspiam apparet apud Lequien et alios)* (9). *Ex Syncelli igitur rudi et indigesta farragine nihil certi in rem nostram concludi potest. Cum præterea nec fixi omnino aliquid haberi ex Eusebii Chronico supra notaverimus; restat hujus Historia eccles. juxta quam* Asclepiadis *Ordinatio incidit in tempus, quo* in Vinculis erat *S. Alexander. Ast hic audiendus Baronius in Annal. ad annum* 213, *n.* 12 (10).

E
atque ejusdem Historiam ecclesiasticam.

9 Si cum Alexander in vinculis esset, tunc contigit celebrari electionem Asclepiadis Antiochiæ; quonam modo id fieri potuerit, si a morte Severi in universa Ecclesia pax fuit (ut Sulpitius Severus numerat) annis triginta octo? Quamobrem dicere oportet, Alexandrum ante præsentem annum (213) in persecutione Severi fuisse vinculis illis nobilitatum, ac sic etiam eo tempore Asclepiadem ipsum eadem persecutione multa passum, fuisse quoque Episcopum Ordinatum. Sic igitur sicut non electio Asclepiadis ita nec carcer Alexandri post obitum Severi ponendus est, quem (puta Alexandrum) constat sua ipsius sententia *(scilicet in superius laudata epistola)* fuisse antea (nempe sub Severo) carcere afflictatum, ac sic postea sub Antonino, hoc anno (ut Eusebius vult) Episcopatu Hierosolymitano donatum. *Unde recte concludit idem Baronius :* Quoto Severi anno Alexandri carcer atque Asclepiadis Ordinatio contigerint haud facile est affirmare.

Probabilius refertur ad annum 211.

10 *Cum tamen Severus, Eboraci in Anglia, mortuus sit 4 Februarii anno Christi* 211; *et, teste Sulpicio Severo* (11), interjectis deinde annis octo et triginta pax Christianis fuerit, nisi quod medio
F Maximinus nonnulla- tempore *(post Alexandrum)* rum ecclesiarum clericos vexaverit; *inferre licet non posse* Asclepiadis *initia ultra hunc annum* (211) *vel sequentem removeri; posito non statim ab inchoato imperio Antonini Caracallæ (qui Severi successor fuit) edicti, in Christianos a præcedente imperatore late, ubique cessasse effectus. Quare non improbabiliter Ordinatio S.* Asclepiadis *ponitur anno* 211. *Atque reapse hunc scribunt Baronius, Lequien, Tillemontius, etc., item Boschius noster in* Historia Chronologica Patriarcharum Antiochenorum, *quam videsis ad caput tom. IV Julii.*

Quo anno obierit S. Asclepiades.

11 *Quo autem anno vita functus est?* Res admodum est implexa, *inquit Boschius loc. cit.* Adeo ut ignotum esse putaverit Tillemontius (ubi de Serapione et Asclepiade) obieritne, Macrino imperante, anno Christi 217; an M. A. Heliogabalo, anno Christi 220; an denique anno 1 Alexandri imperatoris, Christi 222. Primum est in Chronico Eusebii;

(1) De Servorum Dei Beatif., lib. I, cap. II. — (2) Ibid. n. 6. — (3) T. VII, p. 339. Edit. Hamburg. 1801. — (4) Chronicorum liber posterior., p. 172. — (5) Eusebii Pamphili Chronicorum canonum libri duo. Opus ex Haicano codice Angelus Maius et Johannes Zohrabus ediderunt. Mediolan 1818. — (6) T. VIII, p. 391. Edit. Rom. 1833. — (7) Corpus scriptorum hist. Byzantinæ, Syncellus, t. II, p. 291. Bonn. 1839. — (8) Ibid., t. I, p. 673 et 674. — (9) Cfr Act. SS., t. III Maii, *Episcoporum Hierosolym. Historia Chronologica*, p. XIII. — (10) T. II, p. 437. Edit. Lucæ. 1738. — (11) Histor. Sacræ, lib. II, cap. XXXII.

B. B.

sebii; alterum colligi videtur ex Georgio Syn-
cello, S. Nicephoro, catalogo Harlemiensi et Eu-
tychio, qui omnes ASCLEPIADI annos IX adscri-
bunt; tertium erui putatur ex Eusebii Historia
lib. VI cap. XXI, et eruit Nicephorus Callistus lib. V
cap. XXVI, cum dicit : *Ant ochiæ sub Alexandri im-*
perio in episcopali functione Asclepiadæ *suffectus*
est Philetus. Ita breviter et lucide Boschius.

Ex chronico Eusebii eruitur annus 217 vel 218.

est Philetus. Ita breviter et lucide Boschius. — *In Chronici Eusebiani plerisque exemplaribus*
12 *In Chronici Eusebiani plerisque exemplaribus*
scribitur Ordinatio Phileti ad annum 217 ; *juxta*
recensionem Scaligeri incidit in annum 218 ; *cum*
Scaligero concordat Eusebius Angeli Maii, qui
ut notum est, Chronicum illius edidit ex codice
Haicano. Cæterum admitti potest varia Chronici
Eusebiani exemplaria hic ab invicem non recedere :
cum discrimen in notando anno 217° *vel* 218° *oriri*
possit ex modoquodiversum a diversis sumatur anni
initium, sive aliis ex causis bene multis, quæ et in
recent oris ævi Datis, haud infrequenter occurrunt.

Ex Eusebii Historia

13 *Quod autem spectat ad Eusebii historiam lo-*
cus, de quo hic agitur, plures admittit interpretandi
modos; nec certe ex illo clare efficitur obiisse Ascle-
piadem *sub initio Alexandri imperatoris. Hanc in*
rem juverit ipsa Eu ebii verba recitasse. Cæterum
B Antonino, *inquit* (1), cum per annos septem sexque
admodum menses imperavisset, successit Macri-
nus. Qui cum usque ad anni unius spatium vitam
simul atque imperium protraxisset, alius denuo
Antoninus principatum Romanum accepit. Hujus
primo imperii anno, Zephyrinus Romanæ urbis
Episcopus abiit e vita, cum per annos octodecim
sacerdotium obtinuisset. Post quem Callistus Epi-
scopatum suscepit : qui cum quinquennio super-
stes vixisset, Urbano ecclesiam regendam reliquit.
Alexander post hæc Romanum Imperium capessi-
vit, cum Antoninus quadriennium dumtaxat regna-
visset, quo quidem tempore apud Antiochiam
mortuo Asclepiade, Episcopatum ejus ecclesiæ sor-
titus est Philetus. Porro mater Alexandri Impera-
toris, Mamæa nomine, pia imprimis ac religiosa
femina, cum Origenis nomen ubique jam celeber-
rimum haberetur, adeo ut ad ipsius quoque aures
perlatum esset, conspectu ejus frui, et scientiam
rerum divinarum, quam omnes in eo viro magno-
pere admirabantur, certissimo experimento cogno-
scere concupivit. Igitur illa Antiochiæ degens,
misso militari satellitio, hominem accersit. Qui
apud eam aliquamdiu commoratus.... ad consuetas
C mature sedes regressus est. *Hucusque Eusebius.*

Idem annus haut improbabiliter assumitur.

14 *Jam rursus audiamus Boschium nostrum in*
præfata Eusebii verba : Si paulo attentius addu-
ctum Eusebii caput introspexeris, facile, ni fallor,
ad annum in Chronico assignatum reducetur :
nam cum istic, quasi per anacephalæosim, multa
congerat : ut tempus imperii Caracallæ, Ma-
crini, Heliogabali ; deinde Romanorum Pontifi-
cum, Zephyrini, Callisti, Urbani, ac tandem Helio-
gabalo succedentem Alexandrum ; ita pergit : ἐν
τούτῳ δὲ καὶ ἐπὶ τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας Ἀσκληπιάδην
Φιλητὸς διαδέχεται, quod sic interpretatur Valesius :
quo quidem tempore (Alexandri utique capessentis
imperium) *apud Antiochiam mortuo* Asclepiade,
Episcopatum ejus ecclesiæ sortitus est Philetus. Sed
latius patet ἐν τούτῳ, *id est,* inter hæc (quæ jam
scilicet narravi a morte Antonini Caracallæ) *interea,*
interim, hoc interim spatio etc. Non alligat igitur
Phileti successionem imperio Alexandri ; sed vagis
particulis utens, totum illud spatium complectitur,
quod a Caracallæ interitu usque ad initium Alexan- D
dri interjacet. Licet ergo per Historiam successo-
rem Asclepiadæ Philetum sub Macrino Imp. anno
Christi CCXVII cum Chronico collocare : atque huic
sententiæ subscribit S. Prosper in Chronico inte-
gro, cum ordinatum ait Philetum, S. Asclepiadæ
successorem, Coss. Præsente et Extricato, *quibus*
juxta Petavii nostri Rationarium, primo Maii 217,
suffecti fuerunt Opilius Macrinus et Opellius An-
tonius (2). *Nihil profecto est quod cogat nos ab hac*
interpretatione recedere, quam jam indigitaverat
Tillemont us Nota I in S. Serapionem (3).

Ex Origenis profectione ad Mamæam, nihil in rem nostram potest concludi.

15 *Addit dein Boschius :* Huc etiam facit, quam
eodem capite statim subjicit *(Eusebius)* profectio
Origenis ad Mamæam, Alexandri matrem, tunc
Antiochiæ commorantem, quam anno Christi CCXVIII
contigisse contra Huetium probat Tillemontius
not. 16 in Origenem (4), et contra Pagium ad an-
num Christi CCXXIX num. 16, tom. 3 (5), not. 8 in
Alexandrum Imperatorem, sedente jam apud An-
tiochenos Phileto. *Si revera solide id probaret Til-*
lemontius, argumentum haberetur haud spernen-
dum. Ast suppositio vel conjectura potius et quam
probatio, ut constabit ex subjecta hic Tillemontiani
ratiocinii summa (6). *Non apparet, inquit, Ma-* E
mæam, imperante filio, Antiochiæ umquam degisse,
nisi post confectum bellum Persicum, quod quidem,
juxta omnes, in finem incidit Alexandri, versus
annum Christi 234. *Nec tamen profectio Origenis,*
post annum 227 *suscepta dici potest, quin universa*
Eusebii series Historica susde ue vertatur. Satius
itaque erit admittere id contigisse, dum Heliogaba-
lus, Mamææ nepos, post Macrini interitum, Antio-
chiam venit anno Christi 218; *Eusebiu. autem hac de*
re egisse sub Alexandro, quod hujus imperii initium
ansam daret loquendi de ejus matre, nec aliunde in
comperto haberet Euseb us, quo præcise anno Ori-
genes, illa vocante, Antiochiam accessisset. Atque
hæc quidem verborum Eusebii interpretatio est haud
absurda ; ast probanda foret certis argumentis, quæ
non reperio apud Tillemontium, quem non recte
igitur asserit Boschius noster probasse, profectio-
nem Origenis ad Mamæam incidere in annum Chri-
sti CCXVIII. *Nec etiam satis med tate scripsit idem*
Boschius id a Tillemontio probatum contra Huetium
et Pagium, *cum hos inter et illum, locis citatis, lis*
proprie sit de Bello Persico, quo scilicet anno
Alexandri sit gestum. Nihilominus si, ut Huetius
autumare videtur, bellum istud ad prima omnino F
initia præfati imperatoris esset referendum, a fun-
damentis rueret laudata superius Tillemontii con-
jectura : hoc enim posito, convenire Origenes Ma-
mæam potuisset ante annum 227. *Hinc haud abs re*
fuerit incidenter et summarie quædam de hoc ar-
gumento disputasse, tum quod a scopo nostro non
sit valde alienum, tum quod in supra recitatis Bos-
chii verbis castiganda aliqua sint.

Incidenter quædam attinguntur de Bello Persico, ex Eusebii chronico,

16 *Ait itaque Tillemontius, ab Huetio bellum Per-*
sicum innecti initio regni Alexandri ; ast perperam
ab eodem invocari Chronicon Eusebii, cum ibidem
nulla Persici belli fiat mentio ; bene vero in S. Hie-
ronymi Chronico ad annum 1^m^ *vel* 2^m^ *Alexandri,*
Christi 222. *Et re quidem vera in ipso Eusebii*
textu græco, non notatur bellum Persicum; ast quis
ignorat textum hunc, prout hodie habetur, mutilum
esse? Græcum opus Eusebii, *ut jam supra monui-*
mus ex Fabricio, intercidit, præter fragmenta et
acinias, quas recentiores chronologi servarunt,

(1) Hist. ecclesiast., lib. VI, cap. XXI, *ab initio. Juxta Valesium.* — (2) Rationarium temporum. Parte III, p. 128. Edit. Veron. 1741, in-fol. — (3) Mémoires pour servir à l'hist. ecclésiast. des six premiers siècles, t. III. p. 648. Edit. Paris. 1701, in-4°. — (4) Ibid., p. 763, 764. — (5) Hist. des Empereurs, t. III, p. 257. Edit. Bruxellis. 1732. in-fol. — (6) Nota XVI in Origenem. Mém. pour servir à l'Hist. eccles., t. III, p. 763 et 764.

Syncellus

A Syncellus imprimis, et Cedrenus, chronicique Alexandrini sive Paschalis scriptor. *At Eusebii Chronicon latine vertit S. Hieronymus, ita ut hinc inde quædam adderet :* sciendum etenim, *ait in Præfatione* (1), me esse et interpretis et scriptoris ex parte officio usum, quia et græca fidelissime expressi, et nonnulla, quæ mihi intermissa videbantur adjeci, in Romana maxime historia, quam Eusebius, hujus conditor libri, non tam ignorasse, utpote eruditissimus, quam, ut græce scribens, parum suis necessariam, perstrinxisse mihi videtur. Itaque a Nino et Abraham, usque ad Trojæ captivitatem, pura græca translatio est ad Troja usque ad vigesimum Constantini annum, nunc addita, nunc mixta sunt plurima, quæ de Tranquillo et cæteris illustribus historicis curiosissime excerpsimus. *Licet ergo haud facile quis definierit an, quæ de bello Persico ibidem occurrunt, ex Eusebiano fonte veniant, an vero de suo addiderit Hieronymus; attamen vix non cavillatur hic Tillemontius, cum promiscue Hieronymiana versio, Eusebii Chronicon nuncupetur. Denique in Eusebio Scaligeri, Bellum Persicum notatur ad annum* 1 *et* 2 *Alexandri, Christi* 223 *et* 224 ; *in Eusebio Angeli Maii* B *(postrema editione in* Scriptorum veterum nova collectione (2)) *ad Alexandri annum* 1, *Christi* 225.

et Herodiano.

17 *Quod autem addit Huetius (ita prosequitur Tillemontius) nec Herodianum, nec alium quemquam historicorum, præfati belli annos notasse, falsum est saltem quoad Herodianum : hic enim diserte affirmat Alexandrum decimo quarto sui imperii anno nuntium accepisse de Persarum in Romanorum fines incursione. Atque id recte quidem : scribit enim Herodianus* (3) : Cum (Alexander) ad hunc modum tredecim annos (quod quidem ad se attineret) sine querela cujusquam imperium gubernasset, ecce tibi haud opinato litteræ e Syria Mesopotamiaque, redditæ a ducibus, in quibus scriptum esset : Artaxerxem, Persarum regem, Parthis jam devictis, atque Artabano (qui rex magnus primus appellatus est, duplicique diademate utebatur) non solum Orientis regno, sed vita quoque expulso, subigere vicinos barbaros, ac sibi vectigales facere ; neque jam intra fluvium Tigrim tenere se ; sed superatis ripis ac Romani finibus imperii, excurrere per Mesopotamiam, Syriæque minitari ; omnemque Europæ oppositam continentem, quæ mari Ægæo fretoque Proponti- C dos terminatur, atque Asiæ nomen habet, ceu veterem Persarum possessionem sibi vindicare etc. *Ex quo efficitur, juxta Herodianum, (nisi cum Pagio admittamus locum hunc corruptum, prout mox indicabitur) Alexandri anno* XIII *jam elapso, ac proin inchoato* XIV *nuntium acceptum de incursione hostili Artaxerxis quæ Persici belli initium fuit. Hoc utique Herodiani, qui Alexandro Imperatori coævus vixit, testimonio standum foret, nisi aliunde certo constaret, Alexandrum una cum matre sua Mamæa, in finibus Germaniæ interemptum anno, ab aliquot diebus tantum inchoato, imperii decimo quarto. Unde fieri nequit ut belli Persici principium incidat in præfatum annum, cum* Alexander in eum *(Artaxerxem)* duxit exercitum vicitque, ut ex Actis Senatus docet Lampridius, ac triumphavit 7 Kal. Octobr. Etsi longe alia Herodianum *(hic enim rem infeliciter a Romanis gestam narrat)* scripsisse idem *(nempe Lampridius)* referat. Hac functus expeditione, novam contra Germanos suscepit, in qua, conspiratione paucorum militum occiditur.... Id anno Christi factum est 235. Imperavit annos paulo plus 13 ; vixit novem et viginti cum mensibus 3. *Ita Petavius* (4). *Evidens igitur est labi Herodianum in assignandis belli Persici annis. Ast, ut haud absurde reponit Tillemontius, si falli potuit Herodianus uno vel altero anno, non est verosimile errorem ejus ad duodecimum vel decimum tertium usque sese extendere ; et, cum coætaneus esset, ad finem regni posuisse, quod initio acciderat, præsertim cum bellum Persicum inter res ab Alexandro gestas principem obtineat locum.*

B. B.

Quo anno sit gestum.

18 *Nihilominus, cum juxta ipsum Tillemontium* (5), *Herodianus nullatenus sit infallibilis, et verosimiliter fide dignus non sit dum narrat rem Alexandro contra Persas infeliciter cessisse, ac præterea manifeste erret in assignando Belli Persici initio ; efficitur ejus hic testimonium haud magni ponderis esse censendum. Cæterum ipse Tillemontius* (6) *Artabani ruinam et Artaxerxis in fines Romanorum incursionem refert ad annum Christi* 226, *Alexandri* 4m *et* 5m. *Quod profecto non adeo recedit ab Huetii sententia : quartum enim et quintum Alexandri annum haud absurde ad ejus regni initium spectare quis dixerit. Postea quidem addit* E *Tillemontius, Artaxerxem cœptis suis in Romanos nuntium pro tempore misisse et vertisse arma contra Medos : at, qua ratione id supponat, non ita facile cernitur, præsertim cum belli Persici originem et causas, prout ab ipso Herodiano redduntur ibidem exponat. Finem belli seu triumphum Alexandri innectit annis regni ejus* XI *et* XII, *Christi* CCXXXIV (7). *Pagius contendit initium belli Persici statuendum anno* CCXXIX *vel* CCXXX, *Alexandri* V *vel* VI (8) ; *triumphum vero Alexandri, hujus anno* IX, *Christi* CCXXXII. Anno autem præterito, *inquit* (9), imperium Romanum in armis fuit, ideoque et bellum Persicum, quod primum Alexandri fuit, gestum, et hoc anno triumphus ductus. *Et infra.* Herodianus lib. VI, cap. VI narrato bello Persico scribit : *triennio mox aut quadriennio Barbari nequaquam arma resumpserunt. Quibus intellectis Alexander Antiochiæ commorabatur, hilariorque jam et liberior, laxatis bellorum curis, urbis ejus deliciis indulgebat.* Quibus ex verbis liquet primo, Alexandrum post triumphum Roma Antiochiam rediisse ; secundo, ibidem tres aut quatuor annos ante bellum Germanicum egisse ; tertio communem sententiam, quæ bellum Persicum in postremos Alexandri annos conjicit, F Herodiano adversari, qui tradit, Persas post bellum triennio aut quadriennio quievisse. Si enim postquam tredecim annos Alexander regnavit, bellum in Persas movisset, ut locus corruptus Herodiani habet, eo confecto, Antiochiæ Alexander per tres aut quatuor annos minime commorari potuisset (10). *Atque ex his satis apparet, quantis tenebris hæc omnia obvoluta sint. Non itaque satis constat de tempore quo gestum illud bellum est ; ac proinde absque sufficienti ratione affirmat Boschius noster* probare Tillemontium contra Huetium *profectionem originis* anno Christi CCXVIII contigisse.

Probabilius sedem Antiochenam tenuit S. Asclepiades ab an. 211 ad an. 217.

19 *Non admodum firmum igitur argumentum est ex Origenis vita deductum, ad definiendum tempus, quo obierit S.* Asclepiades, *nec proinde solide quidquam exinde concluditur. Remanent ergo, quæ supra ex Eusebii Chronico et Historia disputavimus : hæc enim, quod ad obitum spectat, inter se conciliari possunt. Unde infert Boschius* (11) : quando itaque a

(1) Thesaurus temporum Scaligeri, p. 4 ad calcem. Edit. Amstel. 1658. — (2) T. VIII. Edit. Romæ 1833. — (3) Lib., VI, cap. II. — (4) Rationarium Temporum. Part. I, lib. V, cap. X ad calcem. — (5) Histoire des Empereurs, nota IX in Alexand., t. III, p. 259. — (6) Ibid., p. 85. Vita Alexand., art. XV. — (7) Ibid., p. 93. — (8) In Critica ad an. 229, n. II. Baron., t. II, p. 480. Edit. Lucæ. — (9) Ibid., p. 509, ad an. 232, n. IV. — (10) Ibid., p. 510. — (11) Act. SS., t. IV Julii. Historia chronologica patriacharum antiochen., p. 14.

Chronico

G. B.

Chronico non discedit Eusebii historia, quid est, quod annum auctoremve alium requiramus; imo admittamus? Præfuit ergo Asclepiades annis sex circiter expletis : tot enim sunt ab anno Caracallæ 1, Christi ccxi, ad anni, sub Macrino, Christi ccxvii diem xviii Octobris, cum ejus obitus celebratur. Et sane post illius anni Septembrem obiisse Asclepiadem patet ex anno, quem adscripsit Eusebius initio Phileti, Abrahami mmccxxxiv, Olympiad. ccxlix secundo, qui apud ipsum inchoatur ab Autumno anni Christi ccxvii. *Baronius, licet scripserit non posse præcise definiri, quoto Severi anno Asclepiadis ordinatio contigerit, tamen postea sex annorum Episcopatum ei tribuit. Chronographia Syncelli, Chronographia compendiaria Nicephori,* D *Catalogus Harlemiensis et Eutychius novem ponunt annos : quos sequuntur Auctores operis* (l'art de vérifier les dates (1)). *Aliquid minus tribuit Lequien.* Episcopatum Antiochensem, *inquit* (Oriens Christianus, *ubi de Patriarchis Antiochenis* (2)) Asclepiades tenuerit ab anno Christi 211 ac 1 Antonini Caracallæ ad annum usque Domini 219 et Elagabali 2. Nicephorus anno numerat 6' 9. *Atque hæc sunt quæ de quæstione Chronologica colligere licuit. Ex quibus apparet, plus minusve verosimiliter tantum statui posse de annis Episcopatus S.* Asclepiadis.

(1) P. 241. — (2) T. II. col. 703.

DE S. TRYPHONIA,

QUÆ DICITUR VIDUA ET MARTYR, ROMÆ.

B E

E. C.

SYLLOGE.

§ unica. An S. Tryphonia dicenda sit uxor Decii imperatoris aut alterutrius ejus filiorum; an serva ejus uxoris. Reliquiæ a S. Paulo I papa translatæ.

Sæculo III. *Uxor Decii imperatoris S.* Tryphonia *classicis in Martyrologiis*

C*lassica Martyrologia omnia, quæ post sæculum* vii *conscripta sunt, laudant ad præsentem diem, qua in cryptis humata fuit,* S. Thryphoniam *viduam Romanam; quæ et interdum (nullo tamen fundamento) Martyr appellatur. Imprimis Romanum vetus seu potius parvum, quod Sollerius optimis nixus argumentis circa annum* 740 *conscriptum ostendit* (1) : Romæ, *habet,* Triphoniæ, uxoris quondam Decii cæsaris. *Beda seu potius Florus* (2), *editus a Papebrochio, uberior est :* Romæ S. Triphoniæ uxoris Decii cæsaris, quæ, viro suo post interfectionem Beatorum Sixti et Laurentii divinitus punito, petiit baptizari C cum Cyrilla *(vel, ut Blanchinus* (3) *legit,* cum filia Decii Cyrilla) a Justino presbytero et alia die est defuncta, ac juxta S. Hippolytum in crypta sepulta. *Ado, Rabanus, Notkerus ab Floro vix differunt; Usuardus contractior est, habetque :* Romæ Sanctæ Triphoniæ, uxoris Decii cæsaris; *Wandelbertus ei hunc dicavit versiculum :*

Regni calcatrix juxta et Triphonia claret.

Demum Martyrologium Romanum Baronii : Romæ, *inquit,* Sanctæ Tryphoniæ, uxoris quondam Decii Cæsaris, quæ in crypta juxta Sanctum Hippolytum sepulta est.

aliisque fastis dicitur

2 *Præ oculis quoque habendi sunt fasti aliquot sacri minoris nominis, Martyrologia videlicet Fuldense* (4) *et Ottobonianum* (5), *Romano parvo et Usuardo fere similia, Augustanum* (9) *et Labbeanum nudum referentia* Trifoniæ *nomen, et unum alterumve Usuardi Auctarium quod aliquid singulare habeat. Bruxellense hæc refert :* Romæ natale S. Triphoniæ seu Cephniæ, uxoris Decii Cæsaris, *reliqua fere ut in Floro, Adone etc. Hagenoyense vero ita sonat :* Romæ depositio Sanctæ Triphoniæ, uxoris minoris Decii imperatoris, quæ satis erat crudelis et tamen arguit eum de nece Sanctorum. Hæc post mortem viri sui cum filia sua Cyrilla per Beatum Justinum Christiana est effecta, et sequenti die orans ad confessiones Sanctorum migravit ad Dominum. *Atque huc etiam referenda est vetus Notitia de locis Sanctorum Martyrum, quæ sunt foris civitatis Romæ, edita ab Eckharto* (7) *ex exemplari sæculi noni. In ea autem legimus :* Juxta viam Tiburtinam ecclesia est S. Agapiti... et prope eadem via ecclesia est S. Laurentii major... Inde in Boream sursum in monte basilica S. Hippoliti F est, ubi ipse cum familia sua tota, xviii * martyres jacet; carcer ibi est in quo fuit Laurentius. Ibi est Trifonia, uxor Decii cæsaris, et Cyrilla filia ejus : inter utrasque Concordia et Geneseus, et multi Martyres ibi sunt. *Eamdem notitiam edidit Frobenius in Appendice Operum Alcuini* (8); *cui et alteram Notitiam adjecit, in qua legimus* (9) : Deinde via Numentana ad ecclesiam Sanctæ Agnæ, quæ formosa est, in qua sola pausat, et ipsam episcopus Honorius miro opere ornavit. Postea illam viam dimittis et pervenies ad Sanctum Ippolytum Mart., qui requiescit sub terra in cubiculo; et Concordia mulier ejus Mart. ante fores. Altero cubiculo Sancta Triphonia Regina et Mart. et Cyrilla filia ejus et Mart quas Meditus Decius *(lege* Messius Decius) interfecit, uxorem et filiam, et Sanctus Genesius Martyr. Postea pervenies ad ecclesiam Sancti Laurentii. *Ad priorem partem sæculi* vii *refert utramque notitiam P. Marchi* (10), *qui et animadvertit earum, auctores via inversa itinerarium suum circum Romam instituere. Similis*

* In edit. Frobenii. xix.

(1) Præf. ad Usuard., n. 142, p. xxxviii. — (2) Ibid., n. 45 et seqq., p. xiii et seqq. — (3) Anast. Vit. Pontif., t. IV, p. lxxxiii. — (4) Ap. Georgium, Martyr. Adonis, p. 671. — (5) Ibid., p. 687. — (6) Editum a Sollerio, p. 22. — (7) De reb. Franc. Orient. et episc. Wirceb., t. I, p. 831 — (8) Alcuini Opp., t. II, p. 598. — (9) Ibid., p. 597. — (10) Monumenti delle arti Christ. primit. Architettura, p. 68.

Notitia

A *Notitia sæculo* XII *conscripta fuit a Guilielmo Malmesburiensi, in qua habe* (1) : Et ibi non longe basilica S. Hippolyti, ubi ipse cum familia sua pausant, id est decem et octo. Et ibi requiescunt B. Trifena uxor Decii et filia ejus Cyrilla et Concordia nutrix ejus. Et in altera parte viæ ejus est ecclesia Agapiti Martyris. *Quæ ex vetustiori Notitia descripta sint oportet, quum tunc temporis ibidem non amplius es et S.* Tryphoniæ *corpus.*

secundum Acta S. Laurentii, quibus inserta conversio et sepultura S. Tryphoniæ;

3 *Atque ex his manifesto habemus sæculo* VII *Romæ creditum fuisse atque hinc per Galliam, Germaniam aliasque nationes perragatum S.* Tryphoniam *uxorem fuisse Decii Cæsaris. Neque difficile cognoscere est cui fundamento hæc vetus innitatur persuasio, Actis scilicet S. Laurentii, in Mss. Codicibus ubivis fere terrarum obviis et a Surio ad diem* 10 *Augusti editis. Ibidem de S.* Tryphonia *legimus* (2) : Jussit vero Decius Cæsar in amphitheatro editionem munerum apparari sedensque in carruca aurea cum Valeriano præfecto, descendit ut in amphitheatrum introirent, multorumque Martyrum funestas cædes exhiberent. Ecce autem exclamat Decius Cæsar arreptus a dæmonio : S. Hyppolyte, tamquam captivum catenis horridis B vinctum me ducis. Valerianus quoque exclamat : O Laurenti igneis catenis me trahis : eademque hora, præsente Decio expiravit. Decius autem, rediens in palatium, triduo perpetuo vexatus a dæmonio, clamabat die ac nocte : Adjuro te, Laurenti, vel parum cessa a tormentis. Orto autem luctu magno in palatio, uxor Decii Tryphonia, pagana crudelis, videns Decium a dæmone exagitari, jussit Sanctos omnes, qui clausi erant dimitti. Eadem hora mortuus est Decius. Uxor autem ejus Tryphonia venit ad Beatum Justinum presbyterum, et cum filia Decii Cyrilla misit se cum lacrimis ad pedes ejus, orans ut baptizaretur. Eas cum gaudio excepit B. Justinus presbyter, indixitque illis jejunium ad septem dies. Die septimo expleto, baptizavit eas : quæ res toto orbe divulgata est. Altera die Tryphonia orans reddidit spiritum et corpus ejus B. Justinus presbyter in ea sepelivit crypta in qua humatus est S. Hippolytus, quintodecimo Calend. Novembris. Ab illa die B. Justinus accurate pervestigavit sicubi corpora Sanctorum abscondita essent, promisitque præmium militibus. Audientes autem milites Tryphoniam Decii uxorem cum filia Cyrilla C Christo nomen dedisse, ad sex et quadraginta venerunt ad B. Justinum cum uxoribus suis; prostratique ad pedes ejus, petierunt se baptizari *et dein sub Claudio principe martyrium adepti sunt.*

verum hæc Acta apocrypha habentur.

4 *Verum quum hæc lacinia a Passione S. Laurentii decerpta unica origo sit eorum omnium quæ de S.* Tryphonia *circumferuntur, satis fuerit hujus aliquantisper auctoritatem explorare. Carpit in his Actis Card. Baronius* (3) multa apocrypha, multaque veritati contraria, præsertim illa de obitu Decii et Valeriani. *Pagius* (4) supposititia *hæc Acta appellat, et Norisius* (5) *maximam de SS. Abdon et Sennen partem* plane fabulosam *dicit, pergitque :* Itaque fictitia est illa Decii in Persas expeditio, in memoratis Actis narrata; uti etiam perperam ibidem dicuntur Xystus papa et Laurentius martyres sub Decio occisi, qui Valeriano imperante interfecti sunt... Cum in iisdem Actis cap. 7 legamus : Latuerunt autem corpora Sanctorum Abdon et Sennen usque ad tempora Constantini, patet Scripta fuisse a posterioris ævi scriptore, eorum quæ in litteras mittebat imperitio. E. C.

licet multa bona capiant :

5 *Equidem facile dabo Norisium severiorem forsitan dicendum. Nam quod ad expeditionem Persicam attinet, plurima erudite opposuit Caperus, Acta SS. Abdon et Sennen propugnans* (6) *; quibus aliquam auctoritatem etiam adduntquæ Suyskenus ad* VIII *Octobris de S. Reparata disputavit* (7), *et ipsa fortasse S. Isidori Acta* (8), *in insula Chio sub Decio martyrio coronati. Quod ad conjunctionem seu confusionem Decii cum Valeriano spectat, idem Cuperus* (9) *versavit hanc quæstionem. Et quidem adeo ille nævus in Actis Martyrum communis est, ut inde quidem concludi queat ea non esse coæva, sed nullius esse frugis nequaquam. Recole enim Acta S. Secundinæ ad* XIV *Januarii* (10), *S. Polyeucti ad* XIII *Februarii* (11), *S. Alphei ad* X *Maii* (12) *etc. Quin ipse S. Hieronymus, cujus verba Cuperus* (13) *recitat, non semel in errorem hunc lapsus est; idemque de S. Optato Milevitano* (14) *dicendum. Neque latent hujus conjunctionis et confusionis causæ, quæ quum toties in opere nostro expositæ fuerint, iterum hic non videntur aperiendæ. Dabo et Pagium* (15) E *longius progressum esse, quum in S. Laurentii Acta Claudii II nomen, sub quo quadraginta sex milites passi traduntur, male infertum esse statuit, quod Claudius ille numquam persecutorem egerit; ad* XXV *scilicet Octobris ex ipso Trebellio Pollione id aliter habere ostendemus. Verbo, abest multumque abest ut omnia a veritate in his Actis habeamus aliena ; recte quippe dixisse nobis videtur Stillingus* (16) *ea plerumque cum his quæ a Patribus traduntur convenire.*

pessimus locus est de S. Tryphonia.

6 *Verum ea fere omnia, quæ ad S.* Tryphoniam *pertinent, jure merito* apocrypha, veritati contraria, supposititia *et* plane fabulosa *dici possunt. Imprimis Decius anno* 251 *occidit; et anno* 258, *quo S. Laurentius et S. Hippolytus martyrium subiere, Valerianus non Romæ, sed in Oriente versabatur* (17). *Loco igitur Decii et Valeriani substituendi sunt præfecti, judices, tortores fortasse, Valeriani decreta seu Decii, quæ Valerianus instauraverat* (18), *exsequentes. Deinde S. Justinus, qui B.* Tryphoniam *baptizavit et tumulavit (ut traditur in recitatis Actis), presbyter creatus est a S. Sixto; quem anno tantum* 257 *ad pontificatum promotum fuisse satis alibi ostensum est* (19). *Verum, si res ita* F *est, quid illa in Decii palatio tragœdia, quæ S.* Tryphoniæ *conversioni locum dedit? Quæ fides S.* Tryphoniam *Decii uxorem fuisse anno* 258, *quum septennio ante jam obiisset Decius? Quid de adjunctis reliquis, si in his, quæ maximi erant momenti, tam enormiter cespitavit scriptor?*

quum Decius uxorem non habuit.

7 *Sed, ne quis dicat S.* Tryphoniam *Decio marito superstitem fuisse, visaque SS. Martyrum in perferendis tormentis constantia, ad fidem conversam; inquiramus in Decii uxorem. In notis ad Martyrologium Romanum ad hanc diem vocat eam Baronius* Herenniam Sallustiam. *Sed reclamat Pagius* (20), *Seguinum secutus, statuitque ex nummis* Herenniam Etruscillam *nomen fuisse Decii uxoris, his concludens verbis :* Adeo ut indubitatum sit Etruscillam uxorem Decii fuisse, matremque Etrusci et Hostiliani... Baronius Herenniam Sal-

(1) Ap. Bianchini, Anast. Vitt. RR. pontif., t. II, part. II, p. CXLI. —
(2) SS. Vit. Augusti. p. 98. Edit. 1618. — (3) Martyrol. Rom. in notis
ad 10 Aug. — (4) In Crit. Baron. ad an. 261. — (5) De epochis Syro-
Macedon. diss. III, cap. XX. — (6) T. VII Julii, p. 133, n. 22 et seqq. —
(7) T. IV Oct., p. 26, n. 15 et seq. — (8) T. III Maii. p. 449 et seqq. —
(9) T. IV Aug., p. 504, n. 5 et seqq. — (10) T. I Jan., p. 996.— (11) T. II
Febr., p. 651. — (12) T. II Maii, p. 503, § II. — (13) T. IV Aug., p. 404,
n. 8.— (14) Opp., p. 71. Paris. 1621.— (15) In Critica ad an. 268, n. 6.—
(16) T. V Sept., p. 471, n. 5. — (17) T. II Aug., p. 485, et t. III Aug.,
p. 8, n. 18. Cfr Pagius, ad an. 258, n. 12. — (18) Cfr Henschenius, t. II
Febr., p. 651, n. 11. — (19) Act. SS., t. V Sept., p. 470, n. 1 et 6. —
(20) In Critica ad an. 251, n. 29, t. II Baronii Annal., p. 631 et seq.
Edit. Mansi

lustiam,

E. C.

lustiam, aliqui antiquarii Sallustiam Barbiam Orbianam uxorem Decii faciunt. Verum prior fictitia; posterior vero Alexandri Severi imperatoris conjux, ut in ejus nummis apud Mediobarbum videre est. *Ita ille, partim recte.*

quum, ut ex numis Dacicis constat, Herennia Cupressenia Etruscilla

8 *Et quidem Herenniam Etruscillam, (quam et* Cuperiam *dictam fuisse voluere Ephemerides Trivultianæ* (1), *sed* Cupresseniam *appellatam fuisse jam patet) Decii uxorem fuisse complures ostenderunt: sed hac mortua aut dimissa, inquies, potuit Decius* Tryphoniam *ducere; quam conjecturam in notis ad Martyrologium suggerit Baronius:* Nisi dixerimus, *inquiens,* plures illum habuisse uxores. *Neque id stare potest. Certum enim est Etruscillam adhuc in vivis fuisse anno Decii emortuali* 251, *eamque tunc adhuc temporis fuisse Augustam seu imperatoris uxorem, et dein eamdem jam a vigenti circiter annis Decio in conjugio fuisse. Quæ quum nondum demonstrata uspiam reperiam, operæ pretium fuerit in lumine collocasse. Porro quod anno* 251 *adhuc viveret et Augustæ titulo honestaretur, manifestum fit ex numo, a Frœlichio in lucem dato. Eum ita describit* (2) : HER. ETRUSCILLA. AUG. *id est :* HERENNIA ETRUSCILLA AUGUSTA. Caput Heren-
B niæ, uxoris Decii. *Ex facie aversa :* PROVINCIA. DACIA. Mulier stans, patrio vestitu ornata, dextra ramum, sinistra baculum gestat : ad pedes a dextris aquila, sertum rostro attollens, a sinistris leo; inferius AN. V. ANNO QUINTO. *Anno itaque* quinto *æræ provinciæ Daciæ adhuc in vivis erat Etruscilla et* Augusta *dicta. Sed quod hujus æræ initium? Hieremias a Bennettis* (2), *paucis præcipua Daciæ fata complexus :* A Philippo, *pergit,* Dacia in libertatem adserta novam ipsius in honorem induxisse videtur epocham, quæ in nummis cum Philippi imperii annis I et II ac epigraphe DACIA FELIX insculpta conspicitur. *Unde æra Daciæ ab anno* 244 *inchoanda esset. Sed aliter Frœlichius* (4) : Anni provinciæ Daciæ, *inquit,* numis his temporibus inscripti a Philippo senioris anno quarto, *seu* U. C. 1000 *et Christi* 247, initium sumunt, quo eumdem Daciam a Carpis liberasse e Zosimi l. 1 colligitur; ac præterea liberam tunc ac immunem factam esse a Philippo Daciam existimat Vaillantius.

ultimis ejus vitæ mensibus adhuc uxor esset,

9 *Et quidem hæc Frœlichii sententia, quantum attinet ad æram Dacicam et secundam victoriam Carpicam* (5), *omnino certa fit ex altero numo, ab*
C *eodem Frœlichio* (6) *edito ; habet autem :* IMP. C. C. VIB. VOLUSIANUS. AUG. *id est :* IMPERATOR CÆSAR CAIUS VIBIUS VOLUSIANUS AUGUSTUS. Caput ejusdem laureatum. *Ex parte aversa :* PROVINCIA. DACIA. AN. V. *id est.* PROVINCIA DACIA, ANNO QUINTO. Figura muliebris, pataio ritu induta, utraque manu vexillum sustinet, quorum alteri V, alteri XIII inscriptum visitur : ad pedes a dextris aquila, sertum rostro gerens, a sinistris leo. *Jam vero si hunc numum cum altero conferamus et mente teneamus in utroque annum* V *Daciæ signari, facile deprehendemus æram Dacicam. Volusianus enim, quem sibi Gallus collegam dedit, imperator esse non potuit ante mensem Decembrem anni* 251, *quo Decius occubuit* (7) ; *ex altera vero parte eodem adhuc anno Etruscilla Augusta dicebatur in numis Dacicis; unde consequens fit annum* V *Daciæ per partem anni* 251 *et per partem sequentis concurrisse ; et*

simul (quæ præcipua nunc nostra conclusio est) D
Etruscillam ad ultima Decii tempora vixisse.

et quidem a viginti et pluribus annis, ut ex ætate communium liberorum liquet.

10 *Quod autem Etruscilla non nupera Decii conjux tunc temporis esset, sed vigenti et forte plures annos cum eo matrimonii lege viveret, non minus certum est, videlicet ex ætate filiorum Decii. De ejus quidem filiis multiplex est sententia ; alii ei tribuunt quatuor* (8) ; *alii tres, Herennium Etruscum, Hostilianum et Trajanum* (9) ; *alii demum duos, dementes nempe Trajanum. Atque hæc certior est sententia. Nam, ut observat Eckelius* (10), liberi ex numis cogniti, Herennius et Hostilianus... plures alios adfinxere alii, verum ex conjecturis plane infirmis. *Varii item varie opinantur ex qua geniti sint matre ; alii utrumque natum volunt ex Etruscilla, alii unum ex Etruscilla, alterum ex altera matre. Verum ex commentariis, quos ex Ephemeridibus Trivultianis jam citavimus, satis planum est Herennium æque ac Hostilianum matre Etruscilla natum esse, adeoque Herennium Etruscum natu majorem esse. Atque ut Eckelii in Thesauro suo* (11) *verba usurpemus,* dubium, quod superesse posset, omne abstersit lapis ante annos non multos Carseolis effossus, quem edidit Muratorius :

HERENNIÆ E

CUPRESSENIÆ

ETRUSCILLÆ. AUG.

CONIUGI. D. N. DECI

AUG. MATRI. AUGG.

NN. ET. CASTROR. S. P. Q.

En luce clarius Etruscillam Decii conjugem et matrem Augustorum, Herennii et Hostiliani. His præmissis (quæ et inferius usu venient), facile intelligitur valde diuturnum fuisse Decii cum Etruscilla matrimonium. Anno enim imperii sui secundo, Christi 250, *adversus Gothos, Danubium transgressos, filium suum cum copiis misit* (12). *Similiter arma gerebat Herennius Etruscus in prælio, in quo ipse cum patre Decio occubuere* (13). *Quum autem ætas militaris apud Romanos annus decimus septimus esset* (14), *nemo non intelligit necesse esse ut Decii et Etruscillæ matrimonium ex quo Herennius progenitus fuit, celebratum circa fuerit annum* 230; *seu etiam aliquandiu ante, si consideretur Herennium anno* 250 *copiis jam præfuisse. Atque ex his satis superque patet meram fabulam esse S.* Trypho- F
niæ *cum Decio conjugium.*

Neque potuit S. Tryphonia *uxor esse filii natu majoris, qui duxit Herenniam Sallustiam;*

11 *Neque valde placuit Baronio id conjugium ; quocirca præter eversam conjecturam proposuit in notis ad Martyrologium aliam, videlicet* Tryphoniam *potius filii, qui cum patre imperavit, uxorem fuisse ; et in nupero eruditoque Commentario de Salonina Augusta* (15) *cl. v. De Witte, academiæ Bruxellensis socius, eamdem amplexus est sententiam. Porro, ut diximus, erant Decio duo filii, alter natu major Q. Herennius Etruscus Decius, alter C. Valens Hostilianus, uterque a patri Cæsares et Augusti creati* (16). *Hostiliano, qui patri superstes fuit et Galli in imperia socius, illam ipsam Herenniam Sallustiam, quam Pagius supra fictitiam appellabat, uxorem fuisse ex numis docuit Tristanus* (17); *et in uno apud Frœlichium* (18) *numo eadem dicitur* Gneia Seia Herennia Sallustia Barbia Orbiana Augusta : *neque alteram huic fuisse conjugem vel ex eo colligitur, quod post paucos imperii menses anno* 252 *obivit.*

(1) Journal de Trévoux, Oct. 1725, p. 1812 et seqq., et Avril, 1726, p. 643 et seqq. — (2) Quatuor Tentamina, p. 135. — (3) Chronolog. et crit. Hist. part., t. IV, p. 397. — (4) Tentam., p. 135. — (5) Cfr Biogr. univ. vº *Philippe*, t. XXXIV, p. 87. — (6) Tentam., p. 137. — (7) Cfr Biogr. univ. vº *Dèce*, t. X, p. 628, not. 1. — (8) Cfr Tillemont, Empereurs, not. II sur Dèce, t. III, p. 273, Bruxelles, 1732. — (9) Cfr Biogr. univ. vº *Dèce*, t. X, p. 628, not. 1. — (10) Doctr. numor. vett., t. VII, p. 347. — (11) T. XIII, p. 347. — (12) Cfr Tillemont, Empereurs, t. III, p. 130. Edit. Brux. 1732. Item Biogr. univ. vº *Dèce*, t. X, p. 620. — (13) Ibidem et passim alibi. — (14) Petiscus, Lexicon Antiq. vº *Ætas militaris*. — (15) Mémoire sur l'impératrice Salonine. — (16) Cfr Caronnus, Manuale, p. 118. Rom. 1808; Biogr. univ. vº *Dèce*, t. X, p. 628. — (17) Cfr Frœlich, Quat. Tentam., p. 345. — (18) Ibid., loc. cit.

12 *Et*

nec dicenda est uxor natu minoris, quum nullum suppetat argumentum,

12 *Et quidem non video ullum scriptorem tentasse* S. Tryphoniam *Decii filio natu minori in conjugium adscribere, sed Herennio Etrusco Decio, qui cum patre in bello Gothico periit. Ad eam amplectendam sententiam motus videtur Baronius, quod hic non secus ac pater diceretur Decius: cl. v. De Witte nititur Auctario Usuardi Hagenoyensi, quod num.* 2 *recitavimus, et in quo reapse S.* Tryphonia uxor Minoris Decii imperatoris *dicitur. Verum quum omnes annuntiationes martyrologicæ unum fontem agnoscant Acta S. Laurentii, secundum hæc et secundum Notitiam num.* 2 *citatam explicanda sunt et proinde omnino censendum est in illis sermonem fieri de eodem Decio, de quo in his Actis: atqui ibidem de Decio seniore seu de Messio Decio agi nemo, puto, qui ea legerit revocabit in dubium. Re quidem vera Hagenoyensis Auctarii scriptor Decium Minorem posuit; ast propterea dici nequit cum aliis usum esse documentis: nullus enim manifestius magisque ad verbum descripsit in reliquis S. Laurentii Acta, ut conferenti statim patebit. Quocirca si ipse Decium Minorem pro arbitrio seu conjectura dixerit, nil hinc magis movendi sumus quam cujusvis alius scriptoris suspicionibus. Adde*
B *hoc Auctarium ex recentioribus esse; nam qui id exaravit scripsit ad calcem:* Anno milleno quater c et duodeno. Junii die decima sexta. Penna facit litteras Wydo Kreutzelin has glutinatas; *et certe post annum* 1369 *primum collectum est, et tam pingui quidem ingenio ut ab Sollerio inter pessima referatur* (1). *Quæ si animadvertisset doctissimus vir, quem hic obviam habemus, sane pro egregio suo judicio nobiscum sensisset non valere istud documentum ad testandas res sæculi Christiani* III.

neque Decii patris concubina.

13 *Quum itaque Acta S. Laurentii disceptationis cardo remaneant, sensit Baronius vel ea sequenda, vel deserenda, ac nunquam vero immutanda, seu Decium Minorem non substituendum Decio seniori. In Annalibus itaque dixit* Tryphoniam conjugem vel concubinam *Decii senioris fuisse* (2). *Conjugem non fuisse certo certius est: concubinam nil suadet. Immo Cuperus noster* (3) *scite animadvertit Decium libidini deditum non fuisse: unde non ita facile ei assignandæ videntur concubinæ.*

Aliqui voluere eam fuisse servam uxoris Decii, ingeniose quidem,

14 *Sæculo itaque præterlapso excogitata fuit sententia alia, quam, suggerente collega suo Leslæo, Gaspar Odericius S. J. primus in lucem protulit. Interpretans scilicet inscriptionem suam* XLI:
C VERVS CÆ. N, *ita disserit* (4): Lege: VERUS CÆSARIS NOSTRI, *scilicet* SERVUS; quam vocem frequenter omissam innumera ostendunt exempla, quorum plura collegit Fabrettus: « Cimber Liviæ, Philadelphus Cæsaris, Pythion Germanici Cæsaris, Doridi Asinii Galli, Artemisiæ Cæsaris, » apud eumdem occurrunt. Hujusce ignoratione factum ut quæ famulæ fuerant, uxores habitæ sint. Sic TRYPHONIA Martyr, ut illustri exemplo rem confirmem, quæ Etruscillæ Decii uxoris serva fuerat, Decii ipsius uxor evasit. Docuit me olim Leslæus noster iis, quas supra citabam litteris: « Altera quæstio erat de S. Tryphonia, an fuerit uxor Decii Cæsaris; ad quam etiam negative respondeo. Acta S. Laurentii, in quibus opinio fundatur, quæ S. Tryphoniam Decii conjugem facit, in hoc loco absque dubio corrupta sunt et quidem etiam male intellecta. Antiquissimum Martyrologium, in quo S. Tryphonia memoratur, Romanum parvum est, ex quo eam accepere Ado, Usuardus, Beda aliique. Atqui in prædicto Martyrologio ad XVIII Octobris ita annuntiatur: « Romæ Tryphoniæ, uxoris quondam Decii Cæsaris: » ex quo loquendi modo apud antiquos plurimum usitato, eruitur, ipsam non Decii uxorem, sed servam uxoris Decii. Ex eadem locutione non bene intellecta, postea scripsere: « Tryphonia uxor Decii, » loco « Tryphonia uxoris Decii. » *Hæc Leslæus, cujus epistola italica, latina hic facta est. Atque hæc calculo suo probavit Antonius Morcellus noster* (5).

sed minus vere.

15 *Jam si operæ pretium sit meam de his cognoscere sententiam, imprimis in memoriam revocabo quæ antea monui annuntiationes Martyrologicas omnes uno ex fonte esse haustas, Actis nempe S. Laurentii. De Beda seu potius Floro et proin de ejus surculis Adone, Rabano, Notkero, Usuardo aliisque ambigi non potest, quoniam integræ ex his Actis laciniæ in eorum operibus reperiuntur. Quod autem ad Romanum parvum attinet, ibidem quidem annuntiationes passim breviores sunt, quam ut eodem argumento res conficiatur; verumtamen quum hoc Martyrologium non valde antiquum sit et circa annum* 740 *conscriptum, omnia suadent ut ejus quoque scriptori S. Laurentii Acta præluxisse credamus. Cæterum ipsa, quæ in eo fit de S.* Tryphonia, *memoria satis indicat auctoris mentem non fuisse* Tryphoniam *fuisse servisse uxori Decii, sed* QUONDAM E *(recolatur hæc vox) uxorem fuisse Decii: unde ruit omne fundamentum conjecturæ Leslæi.*

Plurus Sanctæ perhibentur fuisse imperatrices Romanæ:

16 *Quod si quæratur unde demum factum sit ut* S. Tryphonia *in Actis S. Laurentii cum Augustæ titulo seu uxoris Cæsaris prodeat, continuo vastissimus conjecturis patet campus; quem cuilibet pro ingenio suo percurrere fas sit. Id unum ego notabo Romanos olim liberaliores fuisse in creandis imperatricibus Christianis. Sic S. Serena, quæ die* XVI *Augusti colitur, uxor dicitur Diocletiani; quod argumentis sat solidis (quantum video, licet aliter sentiant Farlatus noster* (6) *et eruditus vir De Witte* (7)) *negavit Cuperus noster* (8); *similiter S. Artemia Diocletiani et S. Serenæ filia perhibetur; quod non minus displicuit Cupero in Actis S. Cyriaci* (9); *S. Alexandra quoque Diocletiani uxor prædicata fuit; sed et illud etiam emendavit Cuperus* (10); *adde in fabulosis Actis græcis S. Theclæ prodire S. Tryphænam seu Tryphænam, quæ seculo primo æræ Christianæ princeps fuisset et cognata Cæsaris, quæque alibi etiam imperatrix appelletur* (11). *Generatim* F *vero decessores nostri maluere cum SS. Irenæo et Cypriano, cum Tertulliano, Lactantio et Eusebio has omnes Augustas Christianas ignorare, quandoquidem ex minoris fidei scriptis innotescunt.*

nomen Tryphoniæ videtur fuisse servile.

17 *Præter hæc juverit forsan animadvertisse* Tryphoniæ *nomen quod idem est ac Tryphæna seu Tryphæna* (12)) *servile videri uti fors ex inscriptione* XLII *apud Odericium colligitur:*

D. M.
P. ÆLIUS. MONIUS
LARTLÆ. TRUPHENÆ
CONIUGI. B. M. ET
P. APOLLINARI. ET LAR
TLÆ SECUNDINÆ
LIBERTIS. POSTERISQUE
SUIS.

Fateor nonnihil obscuram esse hanc inscriptionem; quam ob causam nimium ei inhærere nolim.

Sepulta fuit S. Tryphonia in crypta S. Cyriacæ seu S. Hippolyti.

18 *In Actorum S. Laurentii fragmento, quod superius num.* 3 *edidimus, asseritur corpus S.* Try-

(1) Præf. ad Usuardum. n. 234. — (2) In Annal. ad an. 269, n. v. — (3) T. II Aug., p. 630, n. 32. — (4) Dissertat. et adnotat. in aliq. ined. vett. inscript. et numism. Rom. 1765. p. 212 et seq. — (5) Opp. epigr. Patavii, 1819, t. I, ad inscript. CLXXXIII. — (6) Illyria sacra, t. II, p. 350 et passim. — (7) Mémoire sur l'impér. Salonine. p. 23 et seqq. — (8) Act. SS., t. III Aug., p. 263 et seqq. — (9) Ibid., t. II Aug., p. 331, n. 20 et seqq. — (10) Ibid., p. 630, n. 30 et seqq. — (11) Ibid., t. II Sept., p. 663, n. 6, et t. VI Sept., p. 547. — (12) Cfr t. I Junii, p. 74, d.

42 phoniæ

E. C.

phoniæ a B. Justino presbytero depositum fuisse in ea crypta in qua humatus est S. Hippolytus, seu ut tum alia monumenta, tum vero eadem Acta docent, in cœmeterio S. Cyriacæ in agro Verano, cui frequenter accensetur crypta S. Hippolyti, quum aditus subterraneus utrumque locum conjungeret (1); et de quo copiose egerunt Romæ subterraneæ scriptores, Bosius, Boldetti, Bottari, Marangoni aliique. Plurima etiam in opere nostro de eodem cœmeterio tum in Actis S. Cyriacæ ad 21 Augusti (2), tum in Actis S. Laurentii ad diem 10 ejusdem mensis (3) habes. Et paucis ab hinc annis P. J. Marchi, qui plurimas res arcanas Catacumbarum fauste reseravit, in ipso S. Cyriacæ cœmeterio duo nova sepulcrorum genera, pristinis antiquariis ignota, detexit et descripsit (4): quorum alterum insignioribus Martyribus reservatum fuisse videtur, alterum quarto aut quinto sæculo in latioribus nonnullarum cryptarum spatiis extructum. Non enim illico post persecutiones arenariæ seu catacumbæ sepulcreta esse desierunt; quin imo gestiebant Christiani consanguineos suos inter Martyres sepelire: quorum corpora non statim post redditam Ecclesiæ pacem hinc extracta sunt; sed ibidem diu fuere a Christianis
B
visitata et culta, donec in basilicas et monasteria delata fuere. Quo porro tempore S. Tryphoniæ corpus hinc extractum fuerit, jam inquirendum est.

ibique ædificata fuit basilica;

19 *Supra ex Notitia de locis Sanctorum corporum et ecclesiarum intra et extra Romam, quam num. 2 citavi, discere fuit basilicam sub titulo S. Hippolyti constructam fuisse, in eaque corpus S.* Tryphoniæ *conditum. Quod enim vox* basilica *ibi non mere cœmeterium seu cryptam designat, manifestum fiet legenti notitiam universam: in qua quæ corpora in cryptis sepulta sunt probe distinguuntur ab his quæ in ecclesiis. Porro vix dubium est quin elatum fuerit S.* Tryphoniæ *corpus seu saltem scalæ ad ejus sepulcrum constructæ fuerint, quum ædificata est illa S. Hippolyti basilica. Operæ pretium itaque foret hujus basilicæ cognovisse ætatem; verum ad id monumenta mihi desunt. Porro etiam nunc Romæ sub nomine S. Hippolyti (propter veterem sane ibidem olim exstructam ecclesiam) designatur pars cœmeterii S. Cyriacæ; basilicæ vero ne vestigia quidem apparent; sed via, qua ad illam olim ibatur, adhuc exstat* (5).

nunc servatur in Monasterio S. Silvestri de Campo Martio. Ex comparatione tabulæ Vaticanæ.

20 *Devenit postea S.* Tryphoniæ *corpus ad monasterium SS. Stephani et Silvestri; seu ad ecclesiam S. Silvestri de Campo Martio; ubi etiam his postremis sæculis servatum fuisse constat ex Catalogo generali Sanctorum Ferrarii ad* 14 *Octobris, collato cum ejus Catalogo Sanctorum Italiæ ad* 18 *ejusdem*
C
mensis, ex Severano (6), *Pancirolo* (7) *aliisque. Sed quæri potest, an priusquam huc delatum sit, non quieverit aliquando alibi, videlicet in cryptis Vaticanis. Dubitandi causa est quod hic* in capella parvula, *ut loquitur Alpharanus* (8), in atrio basilicæ sub musiva navis exstat tabula marmorea, quæ multarum reliquiarum Sanctorum ibi reconditarum memoriam comprehendit; *atque hic legitur etiam S.* Trifoniæ *nomen. Ast in monasterio S. Silvestri in modum calendarii exstat etiam tabula marmorea, eadem capiens. Unde suspicari pronum est has reliquias prius depositas fuisse in basilica Vaticana, dein in monasterio S. Silvestri. Verum ut hæc suspicio stare posset, oporteret ut tabula antiquior esset Vaticana: quod ut definiatur, oculi in illa monumenta conjiciendi sunt. Non tamen est quod* D *ea hic iterum edamus, quum nuperius optimam editionem in lucem dederit Card. Majus. Porro Vaticana tabula exhibet primo longam seriem nominum virorum; in cujus fine veniunt feminæ* (9):

Scar. Dariæ et Hilariæ
Scar. Memmiæ et Julianæ
Scar. Arthemiæ Concord.
Scar. Sofiæ Pistis. Helpis et
Agapæ. Scę Conchiliæ et
Trifoniæ. Sev. Cyrilla

et ultimo demum loco legitur: Scr Stephani Silvestr. *Cæterum his tabulis nullus est titulus, et omnia nomina ponuntur in gignendi casu, licet nulla præcedat aut sequatur vox, quæ hunc casum regat.*

cum Silvestrina in quibus S. Tryphoniæ *nomen inscribitur,*

21 *Altera tabula duplex est, nactaque est locum in porticu S. Silvestri in capite. Utraque pars seu Calendarium Sanctarum et Sanctorum hunc habet titulum* (10): † In N Dni hæc est notitia nataliciorum. scorum, *seu* scarum hic requiescentium. *Posterior pars fuit rupta et dein restituta* (11) *verisimillime ex altera vetusta tabula menbranacea, de qua Waddingus* (12); *litteras restitutas separabimus uncinis* (13):

Mense. mart. D. xviii. N sca[e Dariæ]
et Hilariæ V. [et M.]
E
Mense. aug. D. viii. N. scar. M[emmeæ]
et Julianæ
D. viii. M. SS. N. scæ Arthe[miæ]
Mense. sept. D. xxx. N. scar. [Sophiæ viduæ]
Pistis. Helpis et Agape.
Mense. oct. D. xiii. N. scæ [Cyrillæ V. et M.]
D. xviii. M. SS. N. scæ Trifo[niæ viduæ]
D. xxvii. M. SS. N. scæ Co[nciliæ V. et M.]

et ex translatione SS. Stephani et Silvestri

22 *Advertendum autem est in neutra tabula Silvestrina, non in virorum, non in feminarum, mentionem fieri SS. Stephani et Silvestri: quorum tamen nomina in tabula Vaticana legimus. Hinc pronum est concludere corpora horum Sanctorum tardius quam reliquorum fuisse translata: quæ si aliunde firmentur, cognito tempore translationis SS. Stephani et Silvestri, patebit simul tabulam Vaticanam recentiorem esse, Silvestrinas antiquiores. Ante omnia itaque inquiramus quando SS. Stephani et Silvestri corpora in id devenerint monasterium. Porro rescitur id tempus ex appendice ad bullam, cujus authentiam olim in dubium vocarat Papebrochius* (14), *postea vero errorem suum palam confitens firmissime adstruxit* (15). *In appendice scilicet ista legitur* (16): Mense Junii die decima nona F introduximus in hoc oraculum corpus Beati Silvestri episcopi et confessoris Christi. Mense Augusti die septima decima introduximus corpus B. Stephani Martyris atque pontificis tempore Constantini et Leonis Augustorum et Pipini excellentissimi regis Francorum et defensoris Romani indictione quarta decima, *seu anno* 761.

et ex bulla S. Pauli I cognoscitur S. Tryphoniæ *corpus ad monasterium S. Silvestri delatum fuisse circa annum 760;*

23 *Quod itaque ex tabularum comparatione conjectabamus SS. Stephani et Silvestri corpora translata fuisse serius quam reliquorum, firmatur ex ipsa modo vindicata bulla. Bulla enim ista data* fuit *non* quarto nonas Julii indictione decima quarta, *ut typothetæ forte vitio edidit Baronius, sed* quarto nonas Junii, *ut correxit Pagius* (17), *aliquot videlicet diebus ante translationem S. Silvestri. Quum autem data est ista bulla, aliorum Sanctorum translata jam erant corpora, ut ex sequenti fragmento (unde et causas harum translationum cognoscere licebit) facile eruet lector.* Cum per evoluta

(1) Marchi, Monum. delle arti Christ. primit. nella metrop. del Christianesimo, p. 77. — (2) T. IV Aug., p. 40. — (3) T. II Aug., p. 496, n. [illegible], 55, et p. 486, n. 6. — (4) Monum. delle arti Christ. primit., etc., p. 110 et 225 et seq. — (5) Marchi, Monumenti, p. 78. — (6) Le sette Chiesi di Roma, p. 6[illegible] et seq. — (7) Sacrar. reliq. Urbis index. — (8) Ap. Cancellieri, de Secret. Basil. Vatic., t. IV, p. 1660. — (9) Scriptt. vett. nov. Coll., t. V, p. 44. — (10) Ib., p. 56. — (11) Ib., p. 58. — (12) Annal. Min. ad an. 1285, n. 20, t. V, p. 148. — (13) Mai, Coll., t. V, p. 58. — (14) Propyl. Maii, p. 122*. — (15) Act. SS., t. V Junii, p. 380, not. g. — (16) Baron. Annal. ad an. 761, n. 13. — (17) Critica ad. an. 7[illegible], n. 1.

annorum

E. C.

A annorum spatia, *sic loquitur Paulus Papa I* (1), diversa Sanctorum Christi Martyrum atque Confessorum ejus foras muros hujus Romanæ urbis sita antiquitus cœmeteria neglecta satis manerent diruta : contigit postmodum ab impia Longobardorum gentium impugnatione funditus esse demolita. Qui etiam et aliquanta ipsorum effodientes Martyrum sepulcra et impie devastantes; quorumdam Sanctorum deprædati, auferentes secum deportaverunt corpora... Unde conspecta eorumdem sanctorum locorum desidiosa incuria, et ex hoc valde ingemiscens atque plurima doloris attritus mœstitia, aptum prospexi, Deo annuente, eosdem Sanctos Martyres et Confessores Christi et Virgines ex iisdem dirutis auferre locis. Quos et cum hymnis et canticis spiritualibus in hanc Romanam introduximus urbem, et in ecclesiam, quam noviter et a fundamentis in eorum honorem construxi (intra mœnia scilicet, in domo quæ mihi parentali successione obvenit, in qua me natum constat atque nutritum) eorum sanctissima collocans condidi corpora. *Et licet ibidem non recenseantur Sanctorum nomina, quum tamen hæc bulla et tabulæ Silvestrinæ sibi invicem (ut ita loquar) testimonium* B *dent, quis dubitet hæc nomina ex illis tabulis cognosci posse? Tenendum itaque omnino videtur S.* Tryphoniæ *corpus ad monasterium, quod dein SS. Stephani et Silvestri seu nude S. Silvestri nuncupatum est, a S. Paulo I Papa delatum esse inter diem* 28 *Maii anni* 757, *quo pontificatum adeptus est* (2) *et diem* 2 *Junii anni* 751, *quo memoratum edidit diploma.*

tabulam Silvestrinam ad idem pertinere tempus;

24 *Præterea tabularum Silvestrinarum ætatem licet hinc etiam concludere; factæ sint oportet ante illationem corporum SS. Stephani et Silvestri: quomodo enim in eis notata non fuissent nomina eorum, quorum cultus præcipuus fuit et qui dein soli patroni titulares habiti sunt? Atque hinc videtur tolli posse controversia quæ fuit inter Muratorium et Mazochium, quum hic has tabulas sæculo* XI *adjudicaret, ille eas antiquiores faceret* (3). *Mazochius* (4) *duo reprehendebat : prius quod non per kalendas, nonas et idus dies signabantur, sed numeris ordinalibus; dein quod more græco scribebatur* mense Septembrio : *ast miror eruditum virum non advertisse hæc eidem deberi causæ cui adscribendi sunt numeri ordinales in Kalendario Neapolitano sæculi* IX, *quod ipse illustravit; videlicet usibus græcanicis. Ut enim hi vigebant Neapoli propter Græcorum præsentiam, ita et in monasterio Græco Romæ viguisse nil singulare est. Græcos autem olim ignorasse et postea parcius usitasse Kalendas, notum est omnibus. Adde ipsos Romanos sequiori ævo more Græco æque ac prisco Romano signasse dies : quod qui epistolas S. Gregorii M. volutarit, vel oculis lustrarit opus aliquod de re diplomatica, facile novit. Utut est, numquam sane hæc scripsisset Mazochius, si aliquantisper expendisset Anastasium. Hic enim, postquam narrasset SS. Stephani et Silvestri corpora a S. Paulo recondita fuisse in oraculo seu oratorio in superioribus monasterii ædibus, in ecclesia vero, (ut videtur, sub ciborio,)* aliorum innumerabilium Sanctorum corpora; *multaque ab eodem pontifice collata fuisse prædia, subdit* (5) : Ubi et monachorum congregationem construens, græcæ modulationis psalmodiam cœnobium esse decrevit, *in gratiam nempe monachorum Copro-* E *nymi persecutionem fugientium.*

Vaticanam recentiorem esse et proin ex ea concludi non posse S. Tryphoniæ *reliquias umquam in cryptis vaticanis fuisse depositas.*

25 *Sed quid de tabulis Vaticanis censendum? Unde fit ut SS. Stephani et Silvestri nomina non inter viros sed ad calcem feminarem scribantur? Ad quam ætatem sunt referendæ? Qua occasione sculptæ seu pictæ? Suntne indicium in hoc cryptarum Vaticanarum loco omnium horum Sanctorum et Sanctarum servari reliquias, ut Alpharanus tradit? Fueruntne saltem ibi hæc corpora servata, priusquam deferrentur in S. Silvestri cœnobium? Ego arbitror hanc tabulam nil aliud esse quam memoriam translationis a S. Paulo I factæ : et Alpharani assertum de reliquiarum præsentia meram esse suspicionem. Ceterum, quibus præsto est insigne de Cryptis Vaticanis opus, ipsi nos docere velint, si aliter res habeat.*

(1) Annal. ad an. 761, n. 3. — (2) Act. SS., t. V Junii, p. 378. — (3) Cfr Mai, Collect., t. V, p. 56. — (4) Kalendar. Neapolit., t. III, p. 906. — (5) Bianchini, Anast. Vit. Pontif., t. IV, p. 257.

C DE S. JUSTO PUERO ET MARTYRE, F

AUTISSIODORI ET BELLOVACI IN GALLIA.

E. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Narratio primigenia martyrii S. Justi in triplice Actorum specie servatur.

ANNO 287.

Quemadmodum frequenter Acta unius Sancti aptantur alteri,

Ex uno Sancto interdum duos fingi, ita ut unus idemque, qui diversis in locis seu temporibus colitur, credantur diversæ fuisse personæ, in re hagiologica non ita inusitatum esse eruditi satis norunt; atque in hoc ipso volumine illud idem de S. Aquilino animadvertetur. Similiter Acta unius Sancti adscribi alii non valde rarum est. Sic Acta eadem communia sunt S. Martinæ et S. Tatianæ; S. Juliano hospiti et S. Baldo; S. Dorotheæ V. et M. et S. Honorinæ de Confluentia in agro Parisino; S. Frigidiano Lucensi et S. Finniano Magbilensi; S. Seznio apud Guic-Seznienses in Armoricis et S. Kierano Sagiriensi; S. Joanni M. apud Venetos et S. Procopio; S. Saturninæ Herisiensium patronæ et S. Benedictæ; S. Symphoriano M. et S. Silvano Ageduneusi, quin etiam S. Caprasio; S. Othiliæ in Alsatia et S. Adelæ in Brabantia; S. Verano et S. Florentio Arausicano.

E. C.

*cano. Cæterum de hoc argumento jam dixit Pape-
brochius* (1); *et quidem omnium nobis difficillimum
est hunc scopulum vitare, quoniam nec omnia le-
gisse nec omnia mentis acie complecti licet.*

ita Acta S. Justi aptata fuere S. Justino.

2 Porro de S. Justo *Bellovacensi, de quo secundum
Martyrologium Romanum hodie nobis agendum est,
quæritur ante omnia : primo sitne diversus necne a
S. Justino de Lupara* (Louvre) *in agro Parisiensi :
esse diversum ostendemus; secundo an alterius alteri
aptata fuerint Acta ; quod omnino affirmabimus ;
tertio an Acta S. Justini afficta sint S.* Justo, *an
vice versa : Parisienses illud affirmant, nos vero
ostendere conabimur S.* Justi *Acta accommodata
fuisse S. Justino.*

SS. Justus et Justinus a se invicem distincti :

*3 Porro eos diversos esse aliquando quidem dubi-
tatum fuit, quum Parisienses sibi arrogarent
S.* Justi *reliquias eumque cum suo S. Justino con-
funderent. Sed evanuit jam pridem error. Et qui-
dem, non tantum diversum est nomen, sed et diverso
die coluntur, Justinus die* I *Augusti,* Justus *die*
XVIII *Octobris : quæ distinguendi causa, licet fallax
interdum sit, generatim tamen multi est ponderis.
Secundo distinguuntur ambo Sancti in ipsis Mar-
tyrologiis et Kalendariis vetustis. Quam in rem ut*
B *antiquissimos tantum codices signem, habes in
Usuardo puro ad* I *Augusti :* In territorio Parisia-
censi, Justini Martyris, *et ad diem* XVIII *Octobris :*
In territorio Belvacensi, Sancti Justi Martyris ;
in Hieronymiano apographo sæculi XI *ad diem*
I *Augusti legitur* (2) : In territorio Parisiacensi, in
ipso loco qui dicitur de Lupera, passio S. Justini
Martyris *et ad* XVIII *Octobris :* Et depositio Justi
pueri. *Sæculo itaque* IX *et* XI *probe distincta vides
ipsa nomina et festa. Tertio asservatæ et inspectæ in
utroque loco reliquiæ, necnon translationes, de qui-
bus fuse in commentario dicetur, dubium relin-
quunt nullum. Atque hæc omnia ita gravia visa
sunt recentioribus hagiographis ut vix aut ne vix
quidem dubium ea de re moverint* (3).

quadruplicia fata Actorum S. Just ;

*4 Nil autem facilius est quam demonstrare eadem
gesta seu ejusdem passionis adjuncta ab uno trans-
lata fuisse ad alterum, mutatis tantum locorum ho-
minumque nominibus. Quibus vero in scriptionibus
id fiat jam explicandum est. Passiones in quatuor
distribuam classes : quarum prima narrationem
primigeniam retinet; secunda antiquiorem Pari-
siensem ; tertia Pseudo-Bedæ et recentiorem Pari-
siensem; quarta demum Autissiodorensem et Bello-*
C *vacensem recentiores. Narrationem primigeniam
paucis hic accipe ex Breviarii Bellovacensis anni* 1618
*lectionibus, in quibus tamen aliquot vocabula mu-
tanda erunt, ex Pseudo-Beda illuc etiam illata.*

narratio primigenia de ejus ortu,

5 Lectio I. Justus puer, Justino et Felicia hone-
stis Christianisque parentibus Autissiodori geni-
tus, ab infantia divino cultui deditus, prophetiæ
spiritu clarus effulsit. Nam cum esset annorum
novem, patri suo Justiniani patrui, quem ne no-
mine quidem noverat, infortunium ac diutinam
sub Lupo Ambianensi negotiatore servitutem Deo
revelante narravit ; eumque ad præstanda ger-
mano pietatis officia vehementius inflammavit.
Pater latentem in puero divinæ mentis afflatum
demiratus, illico per ignota viarum diverticula,
Deo duce et filio comite, fratrem perquirendi
gratia iter arripuit. Meleduni novennis ille pueru-
lus, reclamante et invito patre, tunicam suam
detraxit, qua pauperis nuditatem vestiret. Ab ea
urbe digressi, cœptum iter omni festinatione pro-
perantes, tandem, transmisso Isaræ fluvio, Ambia- D
num feliciter pervenerunt,

occasione martyrii,

6 Lectio II. Ea in urbe, tunc temporis furentibus
in Christianos persecutionem procellis agitata,
Lupum adeunt : et suscepti ad eum itineris ac di-
verticuli causam aperiunt. Ille Christianæ reli-
gionis intuitu eos illa nocte ad hospitium humaniter
invitavit : et ingressis duodecim servos exhibuit.
Justus, oculos in unumquemque circumferens,
patruum accensa lampade illis omnibus prælucen-
tem, quem numquam viderat et pater provectæ
ætatis ignorabat, omnibus stupore attonitis, divi-
nitus agnovit. Interim eorum adventus ad Rictio-
varum in Galiis sub *Maximiano* præfectum celeri
fama defertur, qui eos ex tempore inquiri jubet :
at illi, ab hospite celerius excitati, cum Justiniano
propinquo libertate donato intempesta nocte dis-
cesserant. Satellites, jam aurora illucente, Lupi
domum irrumpentes, ut se elusos ac spe frustratos
agnoscunt, fuga lapsos insequuntur equorum cursu
concitato.

loco cædis et sepulturæ

7 Lectio III. Jam illi in antiquo Belvacensis ter-
ritorii loco, cui *Synomovicus nomen erat et dein
Villa S. Justi,* juxta Syricam fontem, cujus decur-
sum Arayæ rivus excipit, resederant ut cibo ac E
potu fessos artus recrearent. Justus, satellitum
adventum divina mente præsagiens, parentes ad-
monet ut se spelunca promptius occultent. Ille
vero missos carnifices intrepidus exspectat ; et ab
iis interrogatus quis esset, cum supra ætatem et
humanum morem de fide Christiana prudenter
constanterque dissereret et nullis pœnarum minis
ad prodendos parentes induci posset, capite trun-
catur decimo quinto Kalendas Novembris circa
annum Christi CCLXXXVII. Illico Justus Martyr,
stante trunco corpore ante tortores immobili,
caput suum propriis manibus excipiens, parenti-
bus Autissiodorum matri perferendum tradidit.
Corpus vero suum in ipso loco *Synomovico* sepeliri
mandavit : (ubi propagata religione Christiana a
fidelibus basilica constructa est. A qua post mul-
torum annorum curricula Martyris corpus Bello-
vacum translatum est, et in basilica B. Petri
collocatum, ubi hodie a fidelibus religiose colitur.)
*Pro præsenti, in quo versamur, argumento ani-
madvertenda sunt sequentia : primo S. Martyris
patrem dici Justinum ; dein servum quæsitum Am-
biani, nomine Justinianum, perhiberi patruum
non vero fratrem S.* Justi ; *tertio martyrii palæ-* F
*stram et corporis sepulturam in pago Bellovacensi,
non vero Parisiensi collocari ; demum, quæ ad
finem uncinis includuntur, Passioni postea fuisse
adjecta.*

occurrit in lectionariis sæculi VIII *et* IX,

*8 Porro narratio hæc primigenia triplici modo
sese mihi offert in Mss. codicibus. Prima species
ante omnia mihi obvia est in antiquissimo codice,
qui olim ex cœnobio Wissemburgensi in Alsatia ad
decessores nostros devenit, nunc vero ad. num.* 7984
*in Bibliotheca regia Bruxellensi, vulgo Burgundica
dicta, exstat. Ex litterarum forma saltem ad sæcu-
lum* X *et quidem non valde productum referendus
est ; quin, dum hæc scriberem, suggerebat mihi vir
rei antiquariæ peritissimus nono potius quam decimo
sæculo codicem hunc sibi adscribendum videri. Scri-
pta autem sunt hæc Acta stylo rudi et sæpe hianti.
Unde, quum sæculo* XI *et* XII, *reviviscentibus litteris,
passim medicæ manus adhibitæ fuerunt inconcinnis
Sanctorum Actis, ut honestius in choro legi possent ;*

(1) Act. SS., t. V Maii, p. 63, n. 5, et t. VII Maii, p. 825 de S. Silao. —(2) Spicileg. edit. in-fol., t. II, p. 20.— (3) Cfr Tillemont, Mémoires eccl., t. XIV. p. 749; Baillet, Vies des Saints, 18 Oct. Giry., t. II, edit. 1719, col. 461 ; Loisel. Mémoires du Beauvaisis ; Louvet, Hist. du Beauvaisis, t. I, p. 500.

correctus

A *correctus fuit hujus quoque Passionis stylus in multis codicibus; adeo ut penes nos sex fuerint hujusmodi exemplaria; ex quibus eas desumpsimus lectiones variantes, quas operæ pretium esset annotare. Verum ipsa Passio, prout in codice Wissemburgensi descripta est, composita fuit diu ante: eadem enim reperitur in Lectionario San-Germanensi* 1045, *quod ad sæculum* VIII *pertinet, ut testis mihi est cl. v. C. M. F. de Fontette* (1); *cujus Lectionarii etiam mentio fit in Novo Tractatu de re diplomatica* (2), *ubi et specimina characterum habes in tabulis* XLVIII, LI *et* LII.

in Bellovacensi 9 *Ad secundam speciem spectat apographum Bellovacense, quod ad nos destinavit anno* 1848 *D. Barraud Bellovacensis canonicus, hæc addens de apographo illo et de codice S. Michaelis, quo in suis Commentariis ecclesiasticis usus fuerat Tillemontius:* Legendarium ecclesiæ collegiatæ S. Michaelis a Tillemontio citatum jamjam Bellovaci non exstat. Verosimile est illud in subversione anni 1793, cum reliquis quæ abstrahere licuit ex ecclesia abreptum fuisse et dein in bibliothecam Parisinam publicam delatum. Verum habeo præ manibus codicem Ms. ex variis collectum olim a Stephano de B Nully, Bellovacensi canonico, qui anno 1699 e vivis ereptus est. Legitur in eo Vita S. Justi, quam idem canonicus se descripsisse testatur ex Legendariis ecclesiæ cathedralis S. Petri et collegiatæ S. Michaelis; atque hæc legendaria, inquit, facile quingentos aut sexcentos annos numerant; ita ut ad sæculum XI aut XII pertinuerint. Videntur ambo hæc Passionalia nusquam lectiones variantes exhibuisse; nullas enim in Actis S. Justi annotavit, prout accurate id fecit alibi.

sæculi XI, quod multis aliis præluxit, 10 *Passionem hanc S.* Justi *primum scriptam arbitror sæculo circiter* XI, *tum quoniam in ea mentio fit de* nominis ejus basilica, *et de* ossibus *quæ* elapsis multorum annorum curriculis Bellovacum deportata sunt et in sacrario B. Petri deposita, *tum quoniam nomen* Sinomovici *jam antiquatum innuitur his verbis:* Est locus antiqua appellatione Sinomovicus, *qui, ut inferius videbimus, anno* 1015 *jam* Villa S. Justi *dicebatur. Præluxit hæc Vincentio Bellovacensi in libro* XII *Speculi Historialis, ubi ad compendium collatas easdem locutiones reperies. Præluxit item Petro de Natalibus, atque omnibus fere qui S.* Justi *explicuere gesta sive in antiquioribus Breviariis, sive in Legendariis. Boninus Mombritius tomo* II *Sanctuarii, circa annum* 1480 C *Mediolani excusi, nude Vincentii Bellovacensis epitomen edidit. Quoniam vero prima Passio stylo rudiori est conscripta, hæc vero sat bono; quoniam insuper complures desiderabunt præ oculis habere hunc ipsum textum, de quo olim multa fuit controversia; dabimus inferius hæc quoque S.* Justi *Acta. Unde non est quod fusius hoc loco describantur et minoris momenti indicentur discrepantiæ: quod facilius fiet in ipsis annotatis.*

et Malmundariensi sæculi forte x ineuntis. 11 *Tertia tandem species repræsentatur Actis Malmundariensibus, quæ per modum penegyreos conscriptæ fuerunt ut in festo S.* Justi *in choro recitarentur. Hæc olim ex Ms. codice Patronorum Malmundariensium descripsit P. Gamansius eaque cum multis aliis jam ditis* (3) *et in posterum edendis, ad decessores destinavit. Capiuntur eadem Acta in codice Ms. San-Trudonensi sæculi* XIV, *qui nunc in bibliotheca universitatis Leodiensis ad num.* 58 *signatur. Porro hujus Passionis scriptor alius videtur ac ille qui circa annum* 1095 *Acta S. Agilulfi et S. Quintini miracula, in eodem reperta codice, metrice conscripsit* (4) *Propter styli similitudinem facile inducerem in animum hanc Passionem ab eodem conscriptam a quo instrumentum translationis, scilicet a vero aut falso Liruthardo. Notandum est insuper auctorem quasi testem oculatum loqui de his quæ in Villa S.* Justi *quotannis in ejus festo fiunt; addit etiam:* Ibidem augusta resplendet ecclesia tum Sancti Martyris memoria venerabilis tum devotione populi insignis, *deque eadem ecclesia sermo est in translationis historia. Nomen vero* Villæ S. Justi, *quod anno* 1015 *jam in usu erat, nondum in Passione illa apparet; sed designatur his verbis:* Cui vocabulum est Synomovicus, ubi fons purissimus et ad potandum habilis sese offert iter facientibus. *Quocirca probabile dicerem eam fuisse conscriptam paulo post annum* 900, *quo tempore reliquias aliquot Malmundarium translatæ fuisse inferius legetur; nisi sat gravibus difficultatibus implicaretur ipsa translationis historia, ut suo loco dicetur. Ex Passione vero illa solummodo pauca delibabimus.*

§ II. Aptantur Acta S. Justi S. Justino Luparensi seu Parisiensi; multiplex hinc in Breviariis perturbatio. F

S. Justino Parisiensi H*ac triplici Actorum forma narrationem primigeniam satis integram servari diximus. Ast nunc substitutiones et introductiæ mutationes aperiendæ sunt, et imprimis declaranda antiquior narratio Parisina, quam ad secundam classem supra retuli. Ut jam dictum fuit, colebatur jam tempore Usuardi in vico Parisiis propinquo, nomine Lupara* (Louvre), *S. Justinus. Porro (si jam fas sit nunc asserere quod ex accurata rerum consideratione lectori persuasum iri confido) huic aptarunt S.* Justi *Acta; et quidem hac ratione; primo, quum pater S.* Justi *in primigenia narratione diceretur Justinus, in affictis S. Justino Actis nomen patris omissum est; secundo quum in eadem narratione Justinianus servus esset frater Justini, remansit Justinianus in immutatis Actis frater quidem Justini, at non jam patris, sed sancti pueri; tertio, in novatis his Actis omissa fuere nomina locorum, si Ambianum excipias* E *et Autissiodorum; quarto hinc factum est ut persuasum etiam aliquando fuerit Parisiensibus S. Justinum Parisiensem eumdem esse ac S.* Justum *Bellovacensem.*

aptatur Passio S. Justi, nihilo fere mutato: 13 *Adaptatæ autem hujus narrationis vestigia habes imprimis in historia de translatione S. Justini in novam Corbejam ex Francia, quæ meditullium fere præsentis Galliæ est. In ea legitur* (5): Passus est beatus puer Justinus... sub judice impiissimo Rictiovaro.. Caput autem B. Justini in Autrico, quod nunc Autiosodorum dicitur, corpus vero in loco, quem ipse designaverat, sepulturæ traditum est. *Facta est hæc translatio anno* 891, *historia scripta sat diu post annum* 1018, *siquidem Dithmari Merseburgensis libri in ea citantur. Similiter in ipsis Breviariis Parisiensibus ab anno saltem* 1557 *usque ad* 1680, *quo nova successit immutatio. Etenim in Breviario anni* 1557 *habes Justinum quærentem Justinianum fratrem suum Ambiani, et reliqua quæ in narratione primigenia, præter omissa nomina propria. In Breviario anni*

(1) Biblioth. Hist. de France, t. IV. p. 265, n. 4528. — (2) Nouveau traité de diplomat., t. III, p. 245, 312 et 316 — (3) Cfr inter alia, t. II Julii, p. 719; t. I Sept., p. 687, et t. V Oct., p. 550. — (4) T. II Julii. p. 720. — (5) Act. SS., t. I Aug., p. 33.

e. c.

1584 *eadem occurrunt cum adjectis castri Meloduni et Lupi civis Ambianensis nominibus et hoc aliquanto auctiori fine:* Itaque missis carnificibus qui vias obsiderent, in Belvacensi agro Justinus repertus est: et interrogatus quis esset, cum puer tantillæ ætatis supra humanum morem de fide dissereret, Christo animam truncatus capite reddidit. Cujus caput præcisum Altissiodorum ad matrem delatum est. At corpus ejus, ibi sepultum, ad ædem Belvacensem translatum, demum in Parisiensi ecclesia depositum quiescit. *Atque eumdem finem habes in Breviario anni* 1607.

metro subjicitur, multis mutatis.

14 *Tertia classis capit ante omnia Acta metrica S. Justini, Bedæ falso attributa. Hervagius scilicet anno* 1563 *Basileæ hæc primum operibus Ven. Bedæ inseruit; quod et factum ab editoribus annis* 1612 *et* 1618. *Post Hervagium eadem Surius inter Vitas Sanctorum anno* 1570 *excudi jussit; quumque exinde in eadem collectione sæpius recuderentur, multi de hujus scripti genuitate jam non dubitabant. Quum autem ea ad diem* 1 *Augusti ediderit in opere nostro Sollerius* (1), *non est quod eorum partem hic inseramus: sed satis fuerit paucis indicare quæ per eas præcipuæ immutationes veteri narrationi inductæ fuerint. Scilicet S. Justinus puer patrem hic habet Matthæum, fratrem Ju tinianum; quo ex servitute liberato, veniunt terni Luparam, ubi S. Justinus impie cæditur. Corpus ejus eodem in loco sepelitur, caput defertur ad matrem Autissiodorum. Si lubet specimen horum versiculorum habere, accipe sequens, in quo miser Christianorum status sub Diocletiano describitur:*

Non illis emendi quidquam,
Aut vendendi copia,
Nec ipsam haurire aquam
Dabatur licentia;
Antequam thurificarent
Detestandis idolis:

in quo ut aliquousque metrum, non dicam cum quantitate, sed cum accentu constet, legendum esset: Dabätur, idölis *seu* Dàbatur *et* ídolis *secundum recentiorem pronuntiandi modum.*

a Pseudo-Beda quodam.

15 *Atque ex hac quidem sola animadversione subrueretur sententia eorum, qui hæc metrica Acta Bedæ adjudicarunt. Adde Bedam, ut recte animadvertit cl. v. Giles in præfatione ad novam editionem hujus scriptoris operu*[m] (2), *classicis ac scholasticis studiis unice deditum, metrum, a Romanis classicisque scriptoribus usitatum, non facile fuisse derelicturum. Sed majoris etiam ponderis argumenta ad manum sunt. Imprimis animadvertit Sollerius* (3) *quædam ibidem componi, quæ toto cælo a se invicem distant, atque hæc proinde tam longe abesse a Bedæ sinceritate et historiæ peritia quam distent a vera ratione temporum turpissime confusorum. Præterea in nullis ex Martyrologiis, quæ sub Bedæ nomine circumferuntur, non in eo quod initio tomi II Martii in opere nostro excusum, quodque Sollerius potius Flori esse æstimavit; non in Libello annali Domini Bedæ presbyteri, edito a Martenio* (4); *non in Metrico quod primus in lucem protulit d'Acheri* (5), *correctius vero J. A. Giles* (6); *non in codice Floriacensi, quem Martenio debemus* (7), *licet ei festa Autissiodorensia inserta sunt; neque tandem in codice Florentino, quem Bandinus* (8) *typis dedit. Demum ipsemet Beba in catalogo operum suorum, quem ad summum quatuor ante mortem suam annis contexuit, hoc de S. Justino poëma non recenset; neque ullus ex antiquioribus bibliographis, puta Honorius Augustodunensis, Sigebertus, Trithemius aliique, hoc carmen Ven. Bedæ tribuunt.*

sæculo ut videtur, XV;

16 *Verum jam in confesso est Ven. Bedæ hoc opus non esse. Quocirca potius jam quæritur quo tandem ævo illi versiculi orti sint. Censent historici de re litteraria in Gallia eos verisimilius pertinere ad medium circiter sæculum* X, *quoniam sæculo sequenti S.* Justi *fama (ut ex Glabro Radulpho patet) vulgatissima erat* (9). *Verum hæc ratio ad Acta metrica, quibus non S.* Justi, *sed S. Justini nomen in criptum est, nequaquam spectat, sed ad Acta S.* Justi *antiqua, de quibus diximus num.* 8, *et quibuscum Glabri dicta apprime conveniunt. Equidem arbitror metrica sæculo* XV *conscripta fuisse. Etenim perraro et nonnisi in sat recentibus codicibus in Bibliothecarum Catalogis notata ea reperio. Exemplar commodatum ab illustrissimo Brugensi episcopo Joanne Baptista Malou in musæo nostro habemus; sed non secus ac quæ alibi servantur, recens est, utpote exeunte fere sæculo* XV *in monasterio SS. Thomæ et Nicolai de Bursfeldia exaratum, nullumque auctoris nomen præfert. Præterea nullus ex veteribus hagiographis, Vincentium Bellovacensem intelligo, S. Antoninium, Jacobum de Voragine, Petrum de Natalibus, Mombritium etc. S. Justini Luparensis meminere: quod sane fecissent, si eorum ævo ejus circumlata fuissent Acta. Demum est mera paraphrasis metrica, non antiquissimorum S.* Justi *Actorum, sed Bellovacensium, de quibus numm.* 9 *et seqq. diximus. Quod vero mireris, Actorum Luparensium (ita distinctionis gratia ea appellare lubet) prima deprehendimus vestigia in Breviario Bellovacensi, anno* 1554 *Parisiis impresso. In eis enim S.* Justi *officium conscriptum est dictionibus plerumque ex Actis illis metricis desumptis; quin etiam antiphonæ integræ hinc ad verbum haustæ. Verumtamen historia primigenia servatur integra, si excipias Justinianum S.* Justi *fratrem dici. Graviores mutationes factæ sunt tardius: atque de his quidem seu de quarta classe Actorum jam dicendum.*

hinc ingens oritur turbatio in Breviario Bellovacensi et Autissiodorensi

17 *Ex quo itaque tempore Acta metrica sub nomine Bedæ toties in hujus viri operibus et in Vitis Surianis prodierunt, passim creditum est recte historici Anglicani nomen eis fuisse præpositum: unde prona erat conclusio hanc tanti viri scriptionem longe præferendam Actis anonymis S.* Justi, *atque hæc omnia secundum Ven. Bedam esse excipienda. Quanta hinc orirt debuerit in mentibus perturbatio nemo non videt. Bellovacenses imprimis credidere Justinum qui his carminibus celebratur esse suum S.* Justum. *Sed quid* Lupara, *ubi in his S. Justinus cæsus et tumulatus dicitur? Crediderunt hoc nomen olim fuisse synonymum Synomovico seu Villæ S.* Justi. *Quocirca commentitiam hanc Luparam posuere* in territorio Bellovacensi, *et apertam fecerunt mentionem de fluviolo* Araja *sive* Araga, *qui S.* Justi *Villam alluit. Atque hæc in Breviario anni* 1618 *primum nobis obvia sunt. In Breviario anni* 1670 *lectiones de S.* Justo *(cæterum optimæ) deturpantur eodem errore:* Jam illi, *sic habent,* in antiquo Belvacensis territorii loco, cui Lupera nomen est, juxta Syricam fontem, cujus decursum Aragæ rivus excipit *etc. Nil tunc mutatum in adjunctis reliquis. Similes mutationes inductæ sunt in Breviarium Autissiodorense anni* 1670.

major in Bellovacensi anni 1741 et in Royensi,

18 *Quidni ecclesia Bellovacensis has lectiones, supra a nobis recitatas numm.* 5, 6 *et* 7, *amandata* Lupera, *et restituto* Synomovico, *retinuit? Verum in Breviario novo anni* 1741 *(quo circiter tempore*

(1) T. I Aug., p. 34 et seqq. — (2) The complete Works of ven. Bede, t. I, p. CLXIX. — (3) T. I Aug., p. 32. — (4) Ampliss. Collect., t. IV, col. 637 et seq. — (5) Spicileg., t. II, p. 23 et seqq. Edit. in-fol. — (6) The complete Works, etc., t. I, p. 50. — (7) Ampliss. Collect., t. VI, col. 650. — (8) Bibl. Laurent. cod. lat., t. I, p. 171. — (9) Hist. de la France, t. VI, p. 205.

tot

A *tol mirabilia in reformandis Breviariis Gallicanis*
patrata sunt) admiserunt Bellovacenses Legendam
Parisiensem anni 1680, *mutato* Justino *in* Justum,
et hoc apposito fine de reliquiis : Matthæus vero et
Justinianus, e specu egressi, Martyris caput Au-
tissiodorum ad matrem detulerunt, humato prius
apud Luparam corpore, quod inde in ecclesiam
Bellovacensem translatum est ; *dum Parisienses*
anno 1680 *scripsissent :* Quod inde in ecclesiam
Parisiensem translatum est. *Canonici Royenses in*
afficiis suis propriis admisere lectiones Breviarii
Bellovacensis anni 1741.

maxima in Parisiensi anni 1680.

19 *Sed jam dicendum de Breviario Parisiensi*
anni 1680 *Ostendimus supra num.* 13 *ex Breviario*
anni 1584 *olim Parisiensibus persuasum fuisse*
suum S. Justinum eumdem esse ac S. Justum, *pas-*
sum in agro Bellovacensi seu Synomovici, cujus
corpus ad ædem Belvacensem translatum, demum
in Parisiensi ecclesia depositum quiesceret. *Verum*
anno 1680 *vicit Pseudo-Beda. En initium novæ*
Legendæ : Justinus, ut refert venerabilis Beda ,
Autissiodori Christianis parentibus natus , etiam-
num puer prophetiæ dono præditus , auctor fuit
patri Matthæo, ut Ambianos una proficiscerentur
B ad redimendum fratrem suum Justinianum. *Ecce*
jam finem : Humato prius, uti optaverat, apud Lu-
param corpore; quod inde in ecclesiam Parisien-
sem translatum est. *Integram Legendam dedit Sol-*
lerius ad diem I *Augusti* (1).

Error detegitur sed in Breviaro Parisiensi anni 1736 dissimulatur.

20 *Verum, postquam passim agnitum fuit Bedæ*
non esse hæc carmina, quid Parisienis Breviarii
scriptores, episcopo Ventimiglio? Cognoscet id lector
ex Legenda inserta Breviario anni 1736; *accipe ini-*
tium : Justini Martyris Passio in territorio Pari-
siaco, loco qui Lupara dicitur, ad Calendas Augu-
sti refertur in antiquissimo Martyrologio, quod
S. Hieronymi nomine insignitum, jam ante sæculi
septimi finem passim describi cœpit in ecclesiis.
(Non in Martyrologio. S. Hieronymi, sed inter Au-
ctaria codicis Corbejensis sæculi XI *hæc leguntur).*
Hinc inter opera Bedæ Venerabilis qui octavo
sæculo floruit, legitur carmen de Justino Martyre.
in quo pariter pro certaminis loco villa antiqua,
cui Luparæ nomen, assignatur. Unde jam a plu-
ribus sæculi in hoc opusculo hunc suum Justinum
agnoscit ecclesia Parisiensis. Is ergo secundum
perscriptam illic narrationem, Autissiodori paren-
tibus Christianis natus *etc. Quomodo a pluribus sæ-*
C *culis hæc* agnovit ecclesia Parisiensis, *quum anno*
1680 *primum hæc sententia Breviario illata sit ?*
Cfr supra num. 13. *Quis veritatis amator sincerus*
ferat hanc dictionem : Inter opera Bedæ Venerabi-
lis legitur carmen, *dum in mente habent scriptores*
erronec istud carmen ibidem insertum et nequaquam
Sancti hujus viri esse? Nonne ita fucus fit iis, quibus
nulla inter res sacras suspicio est de vocabulis tam
vigilantibus? Notanda etiam sunt in Legenda illa hæc
verba : Caput ejus socii e specu egressi, Autissio-
dorum detulerunt, *quibus significatur Justinum*
Luparensem seu Parisiensem eumdem esse ac S. Jus-
tum, *cujus caput colebatur Autissiodori. Omissa hæc*
fuere in Breviariis annorum 1787 *et* 1836; *cæte-*
rum legenda anni 1736 *servata.*

Convelluntur argumenta, quibus anno 1680 nixi sunt Parisienses.

21 *Cognita historia Actorum S.* Justi *et S. Justini,*
nemo non intelligit S. Justi *Acta aptata fuisse S. Jus-*
tino, non vero S. Justini S. Justo. *Verum ex multis*
aliis capitibus id ostendi potest, quæ statim aperie-
mus ac convulserimus argumenta, quibus in con-
trariam sententiam inducti sunt Parisienses anno

1680. *Hæc cognovimus ex epistola Claudii Castel-* E. C.
lani de die 16 *Februarii anni* 1685, *suntque tria*
numero. Primum petitur ex auctoritate et antiquitate
carminis de S. Justino, quod indubitanter Bedæ
esse crediderant ; sed quantum hac in re erraverint,
ex numm. 14 *et seqq. jam satis perspicuum est. Se-*
cundum argumentum ex eo desumitur quod Lupara
vicus Parisiis adjacet : hinc quidem conficere poterant
Parisienses se errasse hactenus quum putaverant
suum S. Justinum eumdem esse ac Justum *Bello-*
vacensem, adeoque verisimile esse Luparæ et Parisiis
hunc eumdem coli ; sed nil omnino hinc sequitur
adversus genuitatem Actorum S. Justi. *Tertium de-*
mum argumentum ex ipsa narratione depromitur,
videlicet Parisios jacere ad viam, qua Ambiano itur
Autissiodorum, non vero Bellovacum ; quumque
Sanctus Martyr cæsus fuerit, dum Ambiano Au-
tissiodorum iret, Parisiis pati potuisse, non vero
Bellovaci. Verum in Actis metricis non dicitur
S. Justinus Parisiis passus, sed Luparæ , et in Actis
antiquis non traditur S. Justus *Bellovaci cæsus, sed*
in territo io Bellovacensi in Villa S. Justi; *quam*
villam secus stratam regiam, qua Ambiano Pari-
sios itur sitam esse *docent Annales Præmonstraten-*
ses (2), *ubi de monasterio, quod ibidem habebat hic* E
ordo sacer. Adeo ut nil debilius pro hac nova sen-
tentia excogitari posset.

Ex celebriori S. Justi *quam S. Justini cultu.*

22 *Sed exponenda jam sunt argumenta sententiæ*
adversæ. Imprimis res notissima est celebritatem
Sanctorum maxime pendere ab Actorum existen-
tia ; adeo ut, si Sanctus aliquis passim celebretur,
indicium fere certum sit simul ejus Acta circumlata
fuisse. Porro antiquiori tempore S. Justinum Lu-
parensem a solo Usuardo, qui Parisiis scribebat, et
in uno codice Hieronymiano Corbejensi sæculi XI
celebrari, res nota est ; dum contra S. Justus *Bello-*
vacencis non tantum ab Usuardo et in hoc Hiero-
nymiano laudatur codice, verum etiam in multis
aliis ; nempe in Gellonensi, quod circa annum 804
conscriptum tradit Dacherius (3) *et in quo ad hanc*
diem legitur : Justi Martyris; *in Autissiodorensi*
sæculi XI *exeuntis, ubi habes* (4) : In territorio Bel-
vacensi passio S. Justi Martyris, cujus caput re-
quiescit in basilica S. Amatoris; *in Labbeano* (5),
quod habet : Justi Martyris; *in Augustano* (6), *ubi*
similiter : Justi Martyris ; *in Calendario Corbejensi,*
quod sæculo X *ex antiquiori Atrebatensi descriptum*
est (7), *quodque hæc verba exhibet :* In pago Belva- F
censi S. Justi Martyris ; *demum in Hagiologio*
Franco-Gallico, quod Labbeus (8) *edidit :* In terri-
torio Belvacensi Sancti Justini *(imo* Justi) Martyris ;
in Martyrologio Fuldensi sæculi X (9) : In territo-
rio Bellovacense passio S. Justi Martyris , cujus
caput Autissiodoro delatum est ; *et demum memo-*
ratur ad hanc diem in Martyrologio Hibernico,
medio sæculo XII *a Mariano Gormanno concinnato.*
Præterea repererunt decessores nostri ad diem 4 *Se-*
ptembris (uti inter Prætermissos notarunt) S. Justi
Bellovacensis nomen scriptum in Florario suo Ms.
et in aliis fastis sacris : quo die olim celebratum fue-
rit oportet aliquod ejus festum, quum hæc quoque
dies signetur in fronte Actorum antiquiorum, quæ
primo loco dabimus. Ex quibus manifestum est
S. Justum *multo celebriorem fuisse S. Justino.*

ex Martyrologiis, ad Acta S. Justi *non vero Justini alludentibus.*

23 *Secundo, nemo ex antiquis martyrologis novit*
S. Justini Acta, multi vero Acta S. Justi. *Imprimis*
tres codices Vaticanos, olim reginæ Sueciæ, signati
511, 512 *et* 514. *quorum primus sæculo* XI, *duo*
reliqui sæculo XII *exarati Georgio visi sunt* (10), *hoc*

(1) T. I Aug., p. 30 —(2) Annal Præmonst., t. I, p. 941. —(3) Spicileg.
in-fol., t. II. p. 25. — (4) Martene. Ampliss. Collect., t. VI, col. 726. —
(5) Act. SS., t. VII Junii ad calc. — (6) Ibid., loc cit. — (7) Martene.
Thesaur. Anecd., t. III, col. 1612. — (8) Biblioth. Mss., t. II. p. 700. —
(9) Ap Georgium, post Martyr. Adonis, p. 671. —(10) Martyrol. Adonis,
præf., p. IX.

Adoni

E. C.

Adoni annectunt auctarium, manifesto ex Actis S. Justi *desumptum :* In territorio Belloacensi, passio S. Justi Martyris, tempore Rictiovari; cujus caput cum Autisiodoro genitrici ejus delatum fuisset, Sanctus Amator, qui tunc temporis forte episcopus præerat, noctis tempore vidit immensam lucem splendescere; qui studiose quidnam hoc esset perquirens, ut cognovit quæ acta fuerant in Martyre, Deo gratias agens, cum hymnis et laudibus eundem reverentissimum caput sub altaria tumulavit. *Nonnulli similiter, qui Auctaria adjecerunt Usuardo plura norunt de S.* Justo *Bellovacensi quam quæ scripserat ipse Usuardus : sic in Matricula Cartusiæ Ultrajectinæ additur S.* Justum *fuisse* puerum ; *in codice Centulensi fuisse* puerum *et passum* de tempore Rictiovari ; *demum in editione Lubeco-Coloniensi :* In territorio Belvacensi, Sancti Justi pueri et Martyris, qui temporibus Diocletiani imperatoris, sub Rictiovaro judice, capite cæsus est. *Longior est annuntiatio codicis Hagenogensis ad diem* 22 *Decembris, quam ut hic recitetur. De S. Justino nil tale : ad diem primam Augusti habes apud Usuardum nude :* In territorio Parisiacensi. Justini Martyris; *et ad diem* 8 *Au-*
B *gusti, qua celebratur Parisiis, in Auctariis Muneratensi et Moloni :* Ipso die, Sancti Justini Martyris, cujus corpus requiescit in magna ecclesia beatæ Virginis de Parisiis. *Nil præterea.*

ex historicis qui cognovere Acta S. Justi non vero Justini, ex ignoratis a Parisiensibus S. Justini Actis,

24 *Tertio, nullus antiquus profertur historicus aut hagiographus, qui noverit S. Justini Acta ; quod jam explicuimus satis numm.* 15 *et* 16 *: contra Acta S.* Justi *passim fuere nota. Videlicet Glaber Radulphus in Historiis sui temporis ad annum* 1029 *nonnulla refert de falsis reliquiis, quæ in monasterio civitatis Secusiæ in Pedemontio collocatæ fuissent, eademque brevius complexus est Hugo Flaviniacensis* (1). *Pleraque pertinentia ad S. Justum Novaliacensem paulo inferius ad ejus Acta excutiemus ; sequentia tantum huc spectant* (2) : Contigit ergo ista fieri die XVI *(potius* XV) Kalendarum Novembrium. Idcirco nempe, quoniam fautores hujus erroris asserebant esse eadem Justi Martyris ossa, qui eo die Belvaco Galliarum passus urbe ; cujus etiam caput Autissiodoro, ubi natus et nutritus fuerat, relatum est et habetur. *Similiter Vincentius Bellovacensis, scriptor sæculi* XIII, *Petrus de Natalibus uno sæculo recentior, Mombritius aliique breviata edidere S.* Justi *Bellovacensis Acta.*
C *Quarto ipsi olim Parisienses ignorabant Acta S. Justini eique ita aptabant S.* Justi *Acta ut etiam S. Justinum suum in agro Bellovacensi mortuum haberent. De qua re supra num.* 13 *plura jam diximus.*

et demum ex multis adjunctis, quæ convenire nequeunt cum S. Justino, et recte quadrant S. Justo, demonstratur hujus Acta aptata fuisse S. Justino.

25 *Quinto demum, res evincitur ex ipsorum Actorum penitiori inspectione : videlicet primo, traduntur in Actis metricis S. Justini plura de Lupara, quæ conveniunt cum Villa S.* Justi, *nequaquam cum Luparæ topographia ; contra hæc eadem, quæ in Actis S.* Justi *etiam leguntur, adhuc oculis in ejus Villa cernere est. Habes nempe in Actis metricis plura de fonte et de spelunca, quæ essent Luparæ :*

Locus habetur antiquus
Lupera cognomine...
Tunc Justinianus Sanctum
Justinum alloquitur :
Opportunitatem, ait,
Istic cernis affore
Qua aqua possit hauriri
Et nos cibo refici...
Cui Beatus Justinus... D
At vos ingredimini
Et in præsentis speluncæ
Antro vos abscondite.

Porro nil horum Luparæ inveniri testatur Louvet (3) ; *et certe in Mappis topographicis Cassini nullum fontis indicium apparet. In Passione autem S.* Justi *hæc referuntur ad* fontem Siricam, qui etiam rivolus nominatur Aragga * : *quæ omnia in Villa S.* Justi *etiamnum habes. Detegitur et aliud suppositionis vestigium in Actis metricis. Aperte enim colligitur ex his Actis* (4), *non secus ac ex prosaicis S.* Justi, *S. Martyrem eodem illo die capite truncatum fuisse, quo Ambiano cum Justiniano et suo patre discessit. Jam vero Lupara Ambiano distat leucis viginti sex ; quod iter nemo pedes uno die perfecerit ; contra Villa S.* Justi *decem tantum ab Ambiano distat leucis ; quod iter quum de nocte profecti legantur, nil obstat quin perfecerint. Demum, quum Ambiano pergerent Parisios atque hinc Autissiodorum, animadvertendum Luparam sitam non fuisse ad viam, qua Ambiano Parisios itur ; contra Villam S.* Justi *huic insedisse vix jam supra num.* 21 *monuimus. Atque his omnibus lumen plurimum affundetur ex reliquiarum historia.* E

* l'Arre.

§ III. Sinceritas Actorum S. Justi ; reliquiæ et cultus Autissiodori et in Corbeja Nova.

In Actis deprehenditur gravis lapsus chronologicus et miraculum de capitis gestatione;

Licet *autem tam operose hactenus de S.* Justi *Actis disputaverimus, ut (quantum per nos staret) Bellovacensibus, Autissiodorensibus, aliisque viam sterneremus ad libros suos liturgicos secundum veterem ecclesiarum suarum traditionem iterum digerendos ; multum tamen abest ut hæc Acta omnino sincera seu primæ notæ habeamus. Imprimis nequaquam coæva sunt, quum S. Amator, qui ad calcem S.* Justi *caput transtulisse scribitur, mortuus sit anno* 418 (5), *integro sæculo post Maximiani seu Rictiovari tempora. Deinde etiam in Actis antiquissimis S. Amator et Rictiovarus eodem vixisse tempore traduntur : quod sphalma chronologicum in omnibus recurrit Actis, si Petri de Natalibus* F *scriptionem excipias. In omnibus item Actis legitur truncum S. Martyris corpus caput suum manibus excepisse et ad itineris detulisse socios :* circa quod miraculorum genus quam cautissime versandum esse *iterum monebo cum uno ex collegis meis* (6) ; *tum quoniam similis opinio facile apud vulgus suboriatur ex prava interpretatione imaginum SS. Martyrum, tum ob ingentem numerum Sanctorum quibus illud miraculum adscribatur, licet mihi quoque* incognita sint alicujus Sancti Acti quæ ea polleant fide ut ab omni dubio vindicent hanc mirabilem capitis gestationem : *atque* his nonnihil infirmari hoc miraculorum genus (7) ; *quæ nemo jure minus moderate dicta æstimet, postquam Papebrochius* (8) *adversus Sebastianum a S. Paulo hanc propositionem tuitus est :* Agnito semel falso principio, de nullo sancto potest prudenter credi, cujus Acta non sint omnino firmissima.

secundum omnia Acta cæsus est S. Justus sub Rictio Varo.

27 *Ast propter difficultates aliquot non plane rejiciendas esse Sanctorum Vitas et Passiones nemo* non

(1) Chronic. Virdun. ap. Labbe. Bibl. Mss., t. I, p. 165. — (2) Bouquet. Recueil, t. X. p. 46. — (3) Hist. du Beauvaisis, t. I, p. 500. — (4) Cfr Act. SS. t. I Aug., p. 36, n. 15 et seqq. — (5) Act. SS., t. I Maii, p. 59. — (6) T. VII Oct., p. 819, n. 9 et 10. — (7) Ibid., p. 816. — (8) Papebrochii responsio ad exhibit. errorum. art. IX, acc. V, n. 31 et seqq.

A *non videt. Quibus monitis, investigandum est ante omnia quandonam S.* Justus *passus fuerit: an scilicet tempore Rictiovari, an vero S. Amatoris. Et quidem si ad S. Amatoris ævum recedendum sit, qui ab anno* 388 *ad* 418 *Autissiodorensem sedem tenuit, habes Alanos, Suevos ac Wandalos circa annum* 407 *et sequentibus septentrionales Galliæ plagas vastantes; adeoque nonnulli eos auctores faciunt martyrii S.* Justi, *nullum certum annum assignantes. Adeoque Tillemontius perpendens caput S.* Justi *Autissiodori in ecclesiam delatum fuisse* cum honore atque hymnis ab omni clero, *atque hæc minus convenire cum Maximiani temporibus, inclinare videtur in hanc sententiam. Sin autem Rictiovaro adscribenda sit S.* Justi *cædes, referenda videtur ad annum* 287, *quo ex Actis S. Quintini Veromanduensis verisimile est illum præsidem mense Octobri hujus anni Ambiani degisse: mense Octobri enim anni præcedentis versabatur Treviris* (1). *Verumenimvero nequaquam ab hac sententia discedendum videtur. Omnia enim fluunt in narratione Petri de Natalibus, cui fors meliora, quam quæ nobis, preluxerunt documenta. Martyrium itaque hic ponit sub Rictiovaro; dein vero de sepultura:*

B Illi igitur, *inquit, (pater et patruus Justinianus)* corpus ad territorium Belvacense portantes, illud ibidem sepelierunt; et Autissiodorum regressi caput matri obtulerunt, omniaque gesta narraverunt. Quod illa ut caput Martyris suscipiens, reverenter digno loco reposuit et ipsum pro reliquiis devotionis conservavit. Sanctus autem Amator episcopus POST DECURSUM TEMPORIS caput Justi Martyris in loco, ubi ipse [*requiescere*] decreverat, collocavit

S. Justi caput prius defertur Autissiodorum;

28 *Et quoniam nil præter Martyris cultum illustrandum superest, juvat initium ducere a reliquiis Autissiodorensibus, quas modo attingebamus. A S. Amatore caput S.* Justi *depositum fuisse in ecclesia, in qua ipse requiescere decreverat, tradunt communiter Acta. Hanc autem ecclesiam fundaverat ipse S. Amator sub titulo S. Symphoriani in Monte-Autrico, suburbio Autissiodorensi. Indutum est postea huic ecclesiæ, quæ et abbatia erat, S. Amatori nomen* (2): *unde nemo mirabitur, si postmodum audiamus S.* Justi *capitis reliquias in templo S. Amatoris servari. Sed sæculo* x *amiserunt Autissiodorenses magnam capitis partem. Quum enim Nova Corbeja, ut num.* 13 *diximus, corpus aut corporis partem S. Justini Luparensis seu Parisiensis anno* 891 *accepisset, studium posuerunt hujus abbatiæ monachi ut et caput S. Justini nanciscerentur.* C *Quum autem tunc temporis jam S. Justino aptaretur S.* Justi *Passio, ibique legeretur ejus caput Autissiodori servari, hinc factum est ut sæculo* x *imperator Otho I eis S.* Justi *capitis partem magnam donarit. Jam memini Historiæ hujus translationis, quam Meibomius* (3) *edidit et cujus etiam fragmentum dedit Sollerius in Actis S. Justini* (4). *Quocirca licet hæc maxime ad S.* Justum *pertineant, vix tamen aliquid illinc huc inferendum.*

ejus pars anno 949 aptatur in Nova Corbeja corpori S. Justini;

29 *Ibidem imprimis laudatur Othonis imperatoris pietas in adornando archiepiscopatu Parthenopolis seu Magdeburgensi atque in instruenda reliquiis ecclesia:* Inter quæ, *pergit auctor*, caput beati pueri Justini *(imo* Justi), quod ipse abscissum matri direxit, ab Autrico sibi asservatum conservabat *Otho*, corpusque a loco *(Nova Corbeja)*, ubi requiescere videtur, transferre cogitabat. Gerbernus autem, Corbejensium abbas decimus, cum omni congregatione precibus apud Deum et homines quosque poterat, caput corpori adjici precabatur. Sed quia multum valet deprecatio justi assidua, servorum Dei vicit instantia, et imperator, divina clementia commonitus, caput suo adjungendum corpori Gerberno abbati venerabili dedit. Abbas autem et sui fratres monasterio, anno D. 949, tertio Kal. Augusti, gaudentibus et populis ac in laudem Dei conclamantibus, intulerunt. *Ad eumdem annum hæc referunt Annales Corbejenses breviores et vetustiores, editi a Pertzio* (5), *et Annales majores excusi a Leibnitzio* (6): *unde ruit conjectura Lebeuf* (7) *scribentis de Hugone Cabilonensi, qui ab anno* 999 *ad* 1039 *Autissiodori sedit:* Unum ex his pontificalibus ornamentis *(quæ Hugo cessit ecclesiæ suæ)* datum ei fuerat ab imperatore Othone, a quo plurimi fiebat et cui... speciatim S. Justi reliquias aliquot misisse creditur. *Atque hæc insuper ad Othonem III referenda essent. Tenendum itaque omnino est anno* 949 translationem capitis S. Justini *(imo* Justi) Martyris de Magathaburg ad Novam Corbejam *factam esse, ut loquuntur Annales Breviores, et proinde hoc modo partem magnam capitis S.* Justi *additam fuisse in Corbeja nova corpori S. Justini.* E *Adeptus autem censendus est Otho has sacras exuvias, quum anno* 946 *auxilio venit Ludovico Ultramarino et quidem Parisios usque transgressus est; unde ad obsidendam Rothomagum profectus legitur. Corbejenses et Pragenses, quibuscum thesaurum suum communicarunt, colebant suum Martyrem die* I *Augusti, S. Justino sacra.*

30 *Verumtamen non integrum S.* Justi *caput imperatori Othoni datum fuerat; remansit quippe pars penes Autissiodorenses. Hinc in Martyrologio Autissiodorensi sæculi* XI *ad* XVIII *Octobris scribitur* (8): In territorio Belvacensi *(viden' iterum palæstram apud Bellovacenses)* Passio S. Justi Martyris, cujus caput requiescit in basilica S. Amatoris. *Quum autem monasterium, quod ibidem institutum erat, pessum ivisset, data fuit hæc ecclesia cum possessionibus ecclesiæ S. Satyri Bituricensis anno* 1163 (9): *quo forte tempore (nam certus annus ignoratur* (10)) *S.* Justi *superstites reliquiæ in templum cathedrale Autissiodorense translatæ fuerunt, ne scilicet deferrentur Bituricas. Hinc in Inventario reliquiarum, vasorum sacrorum etc. cathedralis ecclesiæ Autissiodorensis, quod anno* 1531 *confectum fuit* (11), *annotatur reliquiaria capsa* F *capitis S.* Justi, *quæ ibidem gallice in hunc describitur modum:* Item caput Domni S. Justi, capiti ex argento deaurato inclusum; collo gerit torquem, cui appendet corona B. M. V. ex gemmis, et bullula, encaustica S. Joannis imagine ornata flosculisque candidis et cæruleis. Torques scapulis adhæret componiturque ex intermixtis lapillis mediocris pretii globulisque argenteis, gemmularum formam habentibus. In dicto parvo capite exstat circulus crystallinus, cui adscribitur: CAPUT SANCTI JUSTI. Sustinetur capsa quatuor leunculis ex argento deaurato, et grave est viginti bessibus et duabus unciis. *Verum licet* caput S. Justi *dicatur in Martyrologio sæculi* XI *et in hoc inventario, id pro more temporis dicebatur pro parte capitis, capiti argenteo inclusa. Unde in recentiori exemplari illius inventarii, manu canonici Lebeuf exarato, legitur per circulum crystallinum* videri fragmentum capitis sancti pueri illic inclusum. *Teste eodem*

altera pars honorifice servatur Autissiodori.

(1) Act. SS., t. II Oct., p. 353 et seqq. — (2) Gallia Christ., t. XII, col. 357. — (3) Scriptt. Germ., t. I, p. 769. — (4) T. I Aug., p. 34. — (5) Monum. Germ., t. III, p. 4. — (6) Scriptt. Brunswic, t. II, p. 299. — (7) Mém. sur l'Hist. eccl. et civ. d'Auxerre, t. I, p. 236. — (8) Ampl. Coll., t. VI, col. 726. — (9) Gallia Christ., t. XII, col. 357. — (10) Lebeuf in nota Ms. et in Historia capti Autissiodori. — (11) Archives de la Préfect. de l'Youne, fonds du grand chapitre, fasc. XVIII.

 canonico

E. C.

canonico Lebeuf (1), *constructa fuit hæc lipsanotheca expensis capituli cathedralis anno* 1425, *ut registra, inquit, testantur; in quibus etiam annotatæ fuerunt supplicationes publicæ seu processiones, in quibus circumlata fuit.*

ubi anno 1576 et 1739 pessime habetur;

31 *Autissiodori servata fuit hæc capsa, donec* anno 1567, *ut tradit Breviarium Autissiodorense anni* 1580, civitatem reliquiis Sanctorum aliisque rebus sacris spoliarunt, *et, ut scribit Louvet* (2), S. Justi combusserunt caput. *Eorum tamen furori aliquid subductum fuit, quum Lebeuf, agens de confraternitate quadam Autissiodorensi, ita scribat* (3): Confraternitas canonicorum Autissiodorensium uti et Bellovacensium fundamentum habet reliquias S. Justi pueri... Quod ex fragmentis ejus capitis superest, hodie in cathedrali ecclesia asservatur. *Et quidem exstat instrumentum recognitionis* (4) *episcopi Seguier, anno* 1636 *confectum, in quo et eximium de antiquo S.* Justi *cultu testimonium obvium est; exstat et simile instrumentum* (5), *quod episcopus de Caylus die* XIV *Augusti anni* 1751 *condidit. Non est itaque unde dubium moveatur quin aliquot particulæ Autissiodori servatæ fuerint post diram anni* 1567 *vastationem: de qua jam* B *dictum fuit in opere nostro, ubi de S. Germani et S. Aunarii Autissiodorensium episcoporum reliquiis* (6). *Nova lipsanotheca, quæ post stragem Calvinianam parata fuerat, perierit oportet in media rerum sacrarum subversione anni* 1793. Verumtamen, *subdit cl. v. Quantin, tabularii præfecturæ Icaunensis præpositus ac tam egregie non ita pridem de re diplomatica meritus, et cui pleraque hæc Autissiodorensia debemus,* verumtamen novi qui habeat particulam de S. Justi reliquiis. *Sed quum sæculo præterlapso servaretur Autissiodori etiam rotula S.* Justi, *fierique possit ut hinc desumpta fuerit illa particula, asserere non ausim aliquid etiamnum de capite superesse. De hac rotula dicetur certis de causis post enarrata Bellovacensium reliquiarum fata.*

situs domus paternæ S. Justi Autissiodori.

32 *Etsi vero Autissiodorenses amiserint pretiosissimum S. Patroni pignus, superest tamen inter eos assiduus ad ejus cultum stimulus. Viget nempe inter eos traditio, quam commemorant Giry* (7), *Lebeuf aliique de situ domus paternæ S.* Justi *in platea templi (vulgo* rue du Temple). *Etiamnum domus fastigium occupatur statua, referente puerum, longa tunica indutum, palmam dextera, sini-* C *stra librum tenentem, subscripto anno* 1780. *Quum olim canonici cathedralis ecclesiæ supplicationem instituerent ad ecclesiam S. Amatoris, quæ ducentis hinc distat passibus, consueverant ibidem gradum sistere et S.* Justi *recitare orationem. Simon Tribolé, prior S. Eusebii Autissiodorensis, quoniam hic locus caperetur ambitu sibi concreditæ parochiæ, laudabili zelo hac de causa laboravit ut S.* Justi *officium in sua ecclesia celebraretur. Obiit ille anno* 1583 (8). *De officio et lectionibus in templo cathedrali recitatis nonnulla diximus num.* 17. *Atque hæc Autissiodorensia tandem claudimus memoria, quæ (ob festum S. Lucæ) ad diem* XIX *Octobris in Martyrologio Autissiodorensi, anno* 1751 *auctoritate Caroli de Caylus edito, legitur:* Autissiodori festum Sancti Justi Martyris, hac in urbe nati, qui cum adhuc puer Christianum se esse persequentibus respondisset, gladio cæsus est in territorio Bellovacensi, die Octobris decima octava.

D

§ IV. Reliquiæ et cultus Bellovaci, Pictavis, Centuli et in Villa S. Justi.

S. Justi corpus sepelitur Synomovici; ædificatur ecclesia,

A*d explicanda fata trunci S.* Justi *corporis transeuntibus, consideranda nobis ante omnia veniunt ipsa Acta. In antiquissimis ita loquens inducitur abscissum S.* Justi *caput:* Accedite ad speluncam, quærite ædificium antiquum opertum de edera et sedulium [sedulo] ibi recondite corpus meum.... Qui conlocantes corpus ejus in loco eodem, qui ex macheriis [maceriis] antiquis erat circumdatus *etc. In Actis Bellovacensibus:* Parentes namque sanctum corpus colligentes quomodo et ubi jusserat, reservato capite, tumulaverunt. Erat spelunca, intra quam ædificii antiqui fundamenta latebant, in quibus congruum exciderunt monumentum, et in eo sacram Martyris glebam diligenter composuerunt; ubi postea, crescente religione christiana, nominis ejus basilica exstructa est: in qua patrociniis ipsius divina exuberant beneficia. Sed ut majore confluentia populi frequentaretur elapsis multorum E annorum curriculis ossa ejus Bellovacum honore debito deportata sunt et in sacrario B. Petri sepultura honorifice vallata.

et quotannis rivus sanguine tingi traditur;

34 *Acta Malmundariensia sequuntur antiquissima et speluncæ antiquique ædificii hedera cooperti mentionem injiciunt. Addunt vero sequentia:* Requievit ergo ibidem multo tempore. Quantumque apud Deum valeret, frequenti cæcorum, claudorum vel qualibet imbecillitate detentorum curatione commendavit. De quibus haud piguit unum inserere huic scedulæ, equidem oppido mirabile et forte incredulis minus credibile. Sed dum singulis annis innovatur, vota credentium ardore fidei in Dei et Martyris amorem augentur et confirmata veritate tepidus auditor redarguitur. Infulgente igitur semper votivo gaudio hujus patroni nostri solemnitatis, ipse rivulus, qui derivatur de sinu superius memorati fontis, ostendit quasi venarum sanguinis non aquæ quidem immixti, sed tamen per ipsum alveolum effluentis; ubi loci incolæ et plures undique secus solemniter concurrentes vota sua fideliter effundunt Deo et Sancto Martyri, et ignem amoris, quo fideli pectore ar- F dent, accensis circa ipsum fontem cereis innumeris protestantur quantum valetur seu possibile est. Nam ibidem augusta resplendet ecclesia, tum Sancti Martyris memoria venerabilis, tum devotione populi insignis. *Hæc de sepulturæ loco et de primæva populi ad eumdem pietate.*

circa an. 851 defertur Bellovacum;

34 *Quum hæc post annum* 900 *et forte multo tardius scripta sint Malmundariæ, non amplius S.* Justi *corpus Synomici requiescebat, sed Bellovaci in templo cathedrali. Scribit enim Louvet in parte ecclesiastica sui operis* (9), adventantibus Normannis delata fuisse Bellovacum corpora et reliquias SS. Ebrulfi, Justi, Geremani et Angadrismæ. *Quum itaque horum quatuor Sanctorum corpora uno tempore Bellovacum translata tradantur, hinc fit ut, si quo tempore unum ex his huc delatum cognoverimus, simul intellecturi simus tempus translationis aliorum. Porro ex Historia translationis S. Geremari seu reductionis ejus corporis Bellovaco Flaviacum novimus Flaviacenses cum sui patroni ossibus fu-*

(1) In nota Ms. et in Hist. capti Autissiodori. — (2) Hist. du Beauvaisis, liv. I, p. 500. — (3) Mém. sur l'hist. d'Auxerre, t. I, p. 815. — (4) Lebeuf, Mém. sur l'hist. d'Auxerre, t. II. — (5) Archives de la préf. de l'Yonne, fonds de l'év. d'Auxerre, fasc. IX. — (6) T. VII Julii, p. 187 et seqq.; t. VII Sept., p. 99 et seqq. — (7) Vies des Saints, 8 Août. — (8) Lebeuf, Mém. sur Auxerre, t. I, p. 848. — (9) Hist. du dioc. de Beauvais, liv. III, cap. XI.

gisse

A *gisse Bellovacum, priusquam destructum esset eorum monasterium* (1) *: neque est cur de hac notitia moveantur dubia, licet alias sat graviter in chronologiam offendat scriptor* (2). *Flaviacum autem anno 851 a Normannis destructum fuisse tradit Fontanellensis Chonographus* (3). *Verum, quum eodem anno ipsum Bellovacum a Normannis captum fuerit et magna ex parte concrematum, non minora ibidem manserunt pericula has sacras exuvias. Subductæ tamen fuere incendio, ut ex dicendis satis manifestum fiet.*

circa annum 942 particulæ conceduntur Pictaviensibus :

36 *Vult Louvetus* (4) *SS.* Justi *et Geremari corpora anno 940 in abbatiam agri Pictaviensis ob metum Normannorum delata fuisse, nitens Annalibus Aquitaniæ Boucheti* (5), *qui ad annum 940, ubi restaurationem monasterii S. Cypriani in suburbio Pictaviensi narrat, hæc subdit verba :* In dicta abbatia plura sunt corpora Sanctorum.... Ibidem quoque servantur.... corpus S. Geremari.... et S. Justi Martyris, in Autissiodorensi terra oriundi ; quæ corpora in dictam abbatiam deferri jusserunt præfati comites Pictavienses, *Ebulus scilicet ejusque filius Guilielmus. Ad quæ primo animadvertendum est Ebulum vita functum esse anno 932, ut ex* B *certo testimonio ostensum fuit* (6) *; quam ob causam monasterii restaurationem et reliquiarum donationem ad annum 930 potius referendas esse ; dein ibidem pro more corpora dici loco particularum corporum : et quidem ita intelligenda esse hæc verba liquet ex imprecationibus, additis instrumento donationis episcopi Pictaviensis, Froterii, qui maxime ad monasterii restaurationem contulit :* Quod si præsumpserit, *inquit* (7), in primis iram Dei incurrat et S. Dei Genitricis Mariæ et S. Petri Clavigeris, Sanctæque Mariæ *(imo* Sanctique Martini), necnon et S. Severiani et aliorum quorum reliquiæ ibidem continentur. *Viden' SS.* Justus *et Geremarus ne nominantur quidem. Præterea, si integra ibidem sacra corpora cum* S. Justi *aut S. Geremari nomine servata fuissent, id sane omissum non fuisset in Gallia Christiana ; præcipua hujus monasterii decora recensente* (8). *Facile itaque dabo SS.* Justi *et Geremari reliquias aliquot impetratas fuisse ab Ebolo, Pictaviensi comite, abbatiæ S. Cypriani, plurimum ei dilectæ ; corpora vere illuc translata nequaquam. Cæterum in adstruendis suis assertis plura peccat Louvetus in chronologiam et nomina locorum ; sed* C *operæ pretium non est hæc convellere.*

anno 1069 corpus defertur ad dedicationem ecclesiæ S. Quintini ;

37 *Placet et reliquam Bellovacensium reliquiarum historiam hic texere. In Actis S. Romanæ, quæ Bellovaci passa est, occurrunt sequentia de dedicata a Guidone Bellovacensi episcopo S. Quintini ecclesia* (9) : Orta est interim, *sic habent,* Dominica dies et ex præcepto antistitis processit ad dedicandam ecclesiam congregatio omnis clericorum atque monachorum cum sanctorum corporum pignoribus et reliquis sacræ militiæ insignibus. Hic ergo sanctorum sociorum Quintini et Luciani corpora sibi obviam facta sunt ; hic sancti pueri et Martyris Justi, Sanctorumque Geremari et Ebrulfi atque Constantiani Confessorum ; hic Sanctarum Romanæ atque Angadrismæ Virginum collecta sunt. *Ex appositis notis chronologicis monstravit Bueus hanc solemnitatem celebratam fuisse die* IV *Octobris anni 1069. Qui vero hic recensentur Sancti, præcipuo honore coluntur Bellovaci : S. Lucianus die* VIII *Januarii, S. Ebrulfus die* XXV *Julii, S. Geremarus die* XXIV *Septembris, S. Romana die* III *Octobris, eodemque mense die* XIV *S. Angadrisma et die* XXXI *S. Quintinus, et demum S. Constantianus die* I *Decembris : quorum omnium Acta, si SS. Quintinum et Constantianum excipias, ad suos dies in opere nostro illustrata fuerunt.*

E. C.

anno 1132 ponitur in novo feretro, multa cum celebritate,

38 *Anno* 1132 *S.* Justi *reliquiæ in novo feretro repositæ fuerunt, in quo Louveti temporibus adhuc claudebantur. Eccum instrumentum quod apud eumdem legitur* (10) : Petrus Belvacensis episcopus omnibus orthodoxis præsentibus et futuris perpetuam in Domino felicitatem. Noverit dilectio vestra quod sanctum pueri ac Martyris Justi corpus in hoc feretro collocavimus sub honestarum præsentia et attestatione personarum, videlicet Goislani Suessionensis episcopi, Serlonis S. Luciani abbatis, Radulphi S. Quintini abbatis, Garini Britoliensis, Balduini Sylvanectensis, Bartholomei Hamen. abbatis, Rogeri decani, Theobaldi, Henrici archidiaconorum, Ursionis succentoris, Roberti, Ogeri presbyterorum, Fulconis cancellarii et totius conventus S. Petri et omnium ecclesiarum Belvacensis civitatis. Interfuerunt etiam multæ et honestæ personæ Ausculphus præpositus, Adelardus archidiaconus Suessionensis, Odo decanus Compendiensis et alii clerici Suessionenses, Ambianenses et Sylvanectenses et Parisienses. E Convocavimus insuper Casatos Belvacenses, Manassem de Buglis, Odonem Castellanum, Hugonem de Anodio, Drogonem Bretescam Sansuualonem, Hugonem fratrem Urselli, Petrum fratrem Adam. Hoc autem factum est anno incarnati verbi 1132 indictione decima in natali beatissimorum Petri et Pauli, regnante rege Ludovico cum Dei gratia. Amen. *Eodem die et anno iisdemque testibus simile de S. Geremaro instrumentum confectum est instrumentum, quod Pericrus in hujus Actis recitavit* (11).

sæpius dein recognoscitur, nec reperitur, integrum ; male habetur sæculo XVIII, *et nunc cum aliis reliquiis confusum jacet.*

39 *Reliquias S.* Justi *iterum recognovit anno* 1204 *mense Martio Philippus Bellovacensis episcopus, condiditque diploma, in quo præcedentis etiam memoriam injecit. Easdem suo tempore visitatas fuisse a viro fide digno scribit Tillemontius* (12), *repertumque non modo caput sed et alias multas corporis partes abesse, visaque ossicula pueri octennis seu novennis. Hanc operam Tillemontio præstitam arbitror a canonico Hermant diœceseos historico : cujus codices Mss. ex quinque majoribus tomis constant et in Bibliotheca Parisina Maxima asservantur. Remansere S.* Justi *lipsana in ecclesia cathe-* F *drali usque ad turbinem ultimi sæculi, quando in eam irruerunt impii, et, sublatis pretiosis thecis, combusserunt in ipso loco sacra pignora. Ereptæ tamen fuere plurimæ Sanctorum exuviæ, quæ in capsa simul collectæ etiamnum asservantur, quin tamen certo constet inter eas S.* Justi *reliquias reperiri. Hæc ad nos scripsit R. D. Barraud. Liceat autem mihi suggerere nil facilius posse recognosci quam novennis pueruli ossicula : unde satis foret Bellovacensibus ipsam aperire thecam, ut ponere possent suum dubium et iterum sui S.* Justi *colere reliquias. Recole inferius quid egerint anno* 1698 *Malmundarienses.*

Cultus S. Justo pristinus et præsens apud Bellovacenses.

40 *Louvet, anno* 1621 *primum suum librum de agro Bellovacensi in lucem edens, ubi de S. Geremari, S.* Justi *et S.* Ebrulfi *lipsanothecis agit, hæc de sui temporis more habet :* Die Palmarum, *inquit* (13), in processione deferuntur S. Geremari feretrum a curatis S. Margaretæ et S. Ægidii ; S. Justi vero a curatis S. Thomæ et S. Martini ;

(1) Act. SS., t. VI Sept., p. 704, n. 2. — (2) Ibid., p. 696. — (3) Ap. Chesnium. Scriptt. Hist. Franc., t. II, p. 387 et seqq. — (4) Hist. du Beauv., p. 437. — (5) Cfr Act. SS., t. VI Sept. — (6) Art de vérifier les dates, t. II, p. 352. — (7) Gall. Christ., t. II, app. col. 328. — (8) Ibid. col. 1231. — (9) Act. SS., t. II Oct., p. 134. — (10) Hist. du Beauvaisis, liv. I, p. 502. — (11) T. VI Sept., p. 697. — (12) Mem., t. IV, not. 6 et 8 de S. Justo. — (13) Hist. du Beauvaisis, liv. I, p. 438.

denique

E. C.

denique et S. Ebrulfi a curato S. Andreæ et ca-
pellano S. Honorati. *Alii ritus indicantur in Cæ-*
remoniali ecclesiæ cathedralis anno 1721 *typis dato,*
in quo legimus : Die 18 *(Octobris)* festum S. Justi
Martyris, cujus officium fit ritu triplici cum octava
tertiæ classis et fit processio mane post tertiam ;
in qua per circuitum exteriorem fit processio mane
post tertiam, in qua per circuitum exteriorem
insignis ecclesiæ, defertur capsa ejusdem Sancti
Martyris, ritu eodem qui in festo SS. Geremari et
Ebrulfi designatur et post processionem fit concio
ad populum ex parte capituli. Ad Missam chori,
quæ immediate post concionem celebratur, D. suc-
centor fert baculum et chorum tenet cum duobus
magnis vicariis. *Atque hæc perstiterunt usque ad*
annum 1793. *In hodierno Breviario anni* 1828
signatur officium S. Justi *ritu duplici majori absque*
octava : ita ut S. Justi *cultus plurimum passus vi-*
deatur. Faxit Deus ut iterum floreat, et ut Bellova-
censes, qui olim ejus memoriam faciebant in ipso
Missæ ordinario, pristinos (quantum licet) instau-
rent honores! Quid enim, si ille nunc minus cola-
tur, qui ex Pontificali Rogerii I Blesensis seu Cam-
paniæ circa annum 1000 *conscripto, cum ipsis*
B *apostolis quotidie ad aras sacras invocabatur?*
Quam in rem juverit et hoc ipsum documentum
omnibus notum fieri : Libera nos, quæsumus, Do-
mine, ab omnibus, malis præteritis, præsentibus
et futuris et intercedente beata et gloriosa semper
Virgine Maria et beatis Apostolis tuis Petro et
Paulo atque Andrea, sanctisque Martyribus tuis
Luciano, Maximiano, Juliano, Justo et omnibus
Sanctis, *etc.*

Anno 866 Centulenses accipiunt partem de reliquiis S. Justi;

41 *Reliquias S.* Justi *a Bellovacensibus cum aliis*
communicatas fuisse indubium est. Ut enim mit-
tam, quæ supra num. 36 *de Pictaviensibus perhibui,*
aliquid ex iisdem acceperunt Centulenses anno 866.
Hæc enim leguntur in Centulensi Chronico (1) :
Anno quoque Incarnationis Domini nostri Jesu
Christi DCCCLXVI indictione XIII obtinuit custos
sæpedictus *(ecclesiæ S. Richarii Centulensis, Odul-*
fus,) apud Hugonem Belgivagorum præsulem,
intercessu Hilmeradi præpositi S. Luciani Mar-
tyris, quo sibi aliquid e suis reliquiis dependere
dignaretur. Legatus itaque, illo veniens, a jam
dicto episcopo reliquias ex capillis S. Luciani et de
veste ejus, necnon de corpusculo S. Justi os quod-
dam accepit, attulitque ad cœnobium Centulum,
C II idus Junii ; quas fratres cum hymnis et laudibus
adorantes exceperunt et cum capite S. Richarii,
Pontivorum patris, condiderunt. *Biennio videlicet*
ante, VI *Kal. Novembris anni* 864, *Guelfo seu Welfo,*
e sanguine regio, Centulensis abbas, e cap a lignea
in argenteam, auro gemmisque redimitam, trans-
poni curaverat S. Richarii caput (2). *Jacebat autem*
Centulum in diœcesi Ambianensi.

anno 1674 canonici Villæ S. Justi,

42 *Anno tantum* 1674 *delatæ fuerunt Bellovaco*
in locum martyrii aliquot S. Justi *reliquiæ. Verum*
antea vigebat jam pridem in loco isto S. Martyris
cultus, ut ex dicendis manifestum fiet. Imprimis
reperimus hunc vicum (sane quia sanctissimus puer
patronus titularis erat ecclesiæ, de qua dictum fuit
num. 34) *jam ineunte sæculo* XI Villam S. Justi
dictam : cum hoc enim nomine comparet in charta
Roberti regis Francorum anni 1015, *qua omnes*
exactiones et redditus et quidquid in ea pertinebat
ad comitatum, data a comite Odone ecclesiæ Bello-
vacensi, confirmantur a rege (3). *Quo vero impensius*
in hoc loco coleretur Deus et Sancti Martyris major
esset veneratio, condidere ibidem Bellovacenses epi- D
scopi monasterium, quod prius penes sanctimoniales
fuisse tradit Hugo, Stivagiensis abbas (4) ; *sed desi-*
deravere Galliæ Christianæ scriptores probatio-
nem (5) ; *et (ut mihi videtur) recte quidem. Etenim*
in charta Odonis II seu potius III, Bellovacensis
episcopi, anno 1147 *illuc canonicos Præmonstraten-*
ses primum inducentis, scribitur (6) : Contuli etiam
eidem loco et confirmavi quidquid venerabiles
prædecessores nostri Belvacenses episcopi, Domi-
nus Godefridus, D. Petrus et D. Odo contulerunt,
justitiam scilicet post episcopum ecclesiasticam,
jus archidiaconale, capellaniam integram totius
capellaniæ.

quorum origo et fata indicantur :

43 *Porro Godefridus, qui primus inter donatores*
seu conditores hujus asceterii recensetur, anno tan-
tum 1105 *sedem Bellovacensem adeptus est* (7). *Po-*
suit ibidem prius canonicos sæculares, quibus XV
Kal. Septembris anni 1107 *dedit diploma, in quo :*
Concedo, *inquit* (8), et sigilli mei corroboratione
confirmo quod canonici de S. Justo vices archi-
diaconi in mea villa apud S. Justum in perpetuum
obtineant et in loco capellani mei super his quæ
apud S. Justum pertinent immobiliter persistant.
Ante eos itaque capellanus episcopi ibidem degebat; E
et æque animadvertendum est episcopum adhuc suam
villam *eam appellare. Anno* 1113 *aut sequenti suc-*
cessit Godefrido Petrus de Domno-Martino, atque
hic anno 1119 *canonicos regulares ad S.* Justi *sub-*
stituit. En diplomatis initium (9) : Quoniam apud
nos ecclesia B. Justi apta erat divino servitio, pla-
cuit nobis ponere in ea regulares canonicos, qua-
tenus et Deo devotius servirent et alios exemplo
bonæ conversationis incitarent. Nobis ergo atten-
dentibus diversas congregationes istius congre-
gationis, emicuit ecclesia B. Quintini, ex cujus
veneranda religione locus præfati Martyris posset
illustrari.... Domos redditusque, quos clerici
sæculares possidebant post decessum eorum libere
et absque calumnia obtinere concessimus... con-
firmantes eidem ecclesiæ justitiam ecclesiasticam
post episcopum, jus archidiaconale et capellaniam
integram in eadem ecclesia et in parochia, perti-
nentem ad eamdem ecclesiam. *(Erat itaque tum*
ibidem jam parochia seu templum parochiale diver-
sum ab ecclesia S. Justi.) *Quid vero Odo II contule-*
rit ex nullo superstite diplomate cognoscere est.
Verum hæc satis, ut ibidem numquam moniales de- F
gisse videantur; sed primum capellanus episcopi, dein
canonici sæculares, post regulares S. Quintini, et
demum ab anno 1147 *usque ad exiens sæculum* XVIII
Præmonstratenses: quorum monasterii, ut me docuit
anno 1848 *R. D. Costenoble, parochus et decanus,*
ne vestigium quidem amplius superest, ecclesia vero
viginti abhinc annis diruta fuit. In transitu addi-
dero in eodem oppido, anno nempe 1572, *sub*
S. Justi *titulo conditum fuisse monasterium monia-*
lium S. Claræ, de quo plura leguntur tomo IX *Galliæ*
Christianæ.

plebis S. Justi sæculo XII in patronum veneratio ;

44 *Verum non soli clerici maxima prosequeban-*
tur S. Justum *veneratione, sed et ipsa plebecula ;*
adeo ut præsentia ejus reliquiarum eam sedari posse
arbitrarentur Bellovacenses. Testis est Guibertus
abbas S. Mariæ de Novigento, cujus opera Dache-
rius edidit : Et quia, *inquit* (10), de reverentia San-
ctis exhibenda dicere cœpimus, municipium est
in eodem pago Belvagensis episcopii, quod Sancti
Justi vocatur. In quo cum seditio mota fuisset, et
enormi insolentia viles quique clientuli cum bur-

(1) D'Achery, Spicil., t. II, p. 318, in-fol. — (2) Gall. Christ., t. X, col. 1247. — (3) Ibid. inter instrum., col. 243. — (4) Annal. Præmonstr., t. I, p. 941. — (5) T. IX, col. 849. — (6) Annal. Præmonstr., t. I, instr., col. DCCXXVIII. — (7) Gall. Christ., t. IX, col. 718. — (8) Louvet, Hist. du Beauv., liv. I, p. 503. — (9) Ibid., p. 504, et Gall. Christ., t. X, instr., col. 250. — (10) Lib. III, cap. XVII.

gensibus

A gensibus baccharentur, clerici sancti pueri ac Martyris Justi reliquias ad sedandum populum in loculo detulerunt. Cui quidam oportunior cæteris revera parasitus cum se retulisset obvium, gladium irreverens et nequam sacratissimo loculo intulit. Qui dicto citius in terram ruens, fœtida, ut ille superius *(Compendiensis præpositus)* alvi manatione computruit. *Hæc reliquiarum delatio ante annum 1124 facta sit oportet, quoniam hoc anno Guibertus obiit* (1). *A clericis Bellovacensibus ad S. Justi Villam reliquias delatas fuisse apparet, nam tunc temporis nullæ in ipsa Villa videntur fuisse. Certe in diplomatibus, quæ modo citavi, memorantur nullæ; et dein eccum diploma, quo satis constat etiam anno 1674 nullas ibidem exstitisse, sed tunc tandem aliquot concessas.*

diploma anni 1674 de concessis Villæ S. Justi reliquiis.

45 Nicolaus, miseratione divina episcopus et comes Belvacensis, vicedominus de Gerboredo, par Franciæ, omnibus præsentes litteras inspecturis, in Domino salutem. Redditæ sunt nobis et venerabilibus fratribus nostris decano, canonicis et capitulo nostræ cathedralis ecclesiæ a fratre Roberto Cahier priore abbatiæ Sancti Justi Ordinis Præmonstratensis nostræ diœcesis una et altera littera B reverendi Domini Michaelis Colbert abbatis Præmonstratensis totiusque Ordinis generalis præpositi cæterorumque abbatum et definitorum in abbatia de Joyenval congregatorum die quinta Junii postremo elapsi, quibus enixe orant corporis beatissimi martyris Justi quod in dicta nostra ecclesia ante hominum memoriam servatur et colitur partem insignem aliquam concedi ecclesiæ recens in dicta abbatia instauratæ, qui locus sit ipsius nomine, victoriis et ad gloriam natalibus longe illustris, contestati se hoc munus magni beneficii loco esse habituros; qua quidem re a præfatis canonicis et capitulo in frequenti conventu deliberata, delecti sunt ab iisdem collegæ magistri Claudius Duval doctor ac socius Sorbonicus succentor, Mauritius Tiersonier et Stephanus Leroy presbyteri qui thecam argenteam in brachii typum fusam ad nos perferri curarunt; qua coram iisdem delectis reclusa, comperimus os HUMERUS serico involutum cum scheda nomen Sanctissimi Martyris Justi exhibente, et temporis quo illic insertum fuit notam qui annus est 1543us cujus particula prius excisa postquam eodem in serico recondita est, nos reliquam ossis sacri partem in theca ad id parata rite et decenter clausimus ac de præfatorum C decani, canonicorum et capituli consilio atque consensu prædictæ abbatiali ecclesiæ donatum illuc a duobus ex eodem canonicorum collegio et præfato Cahier quorum in manus consignata est transferri ibique publicæ venerationi fidelium exponi concessimus et concedimus per præsentes. Datum Belvaci sub signo sigilloque nostris ac secretarii nostri ordinarii subscriptione, anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto die mercurii 25a mensis Julii. —Signatum † Nicolaus E. et C. Belvacensis — Duval — Tiersonier et Leroy — in minuta præsentium Gontier.

§ V. Confusio in reliquiis; Translatio Malmundariensis in examen vocatur.

Confusio in reliquiis SS. Justorum, et sententia Lippomani et Leibnizii de reliquiis dubiis;

P*riusquam de sacris pignoribus, quæ alibi asservantur seu servata fuerunt sub S.* Justi *pueri nomine, aliquid proferam, cum Sollerio* (2) *secure dixero tot in Actis nostris exstare* JUSTINOS *et* JUSTOS *ut aliæ Sanctorum synonymorum reliquiæ non defuerint. Ea enim olim fuit et perseverat hodie bonorum Catholicorum pietas, dicam, an zelus et fervor quandoque prænimius, ut quas colunt Sanctorum reliquias, celebrioribus quibusque istius ejusdem nominis vel contentiosius adscribi velint; quos eo solo et justo titulo acquiescere oporteret, quod veras et genuinas Sancti alicujus, sive synonymi sive alterius cujuscumque sacras exuvias licito et probato cultu venerentur. Placet et sententia doctissimi Veronensis episcopi et aliquando Concilii Tridentini præsidis, Aloysii Lippomani, a quo, priusquam describerentur raræ aliquod Veronenses reliquiæ, fuit per archipresbyterum* facta admonitio pro fide ipsarum reliquiarum;... nimis scrupulosum esse in Sanctis reliquiis honorandis mirabile non esse, cum eo major sit honor Dei in Sanctis reliquiis, quæ etiam eas, quæ non vere essent reliquiæ, fideles populi amore Dei, studio devotionis, quando complectantur (3). *Placent eamdem in rem ipsius Leibnitzii verba; qui, postquam sanctarum reliquiarum probavit cultum,* E *hæc sapienter subdit* (4) : Quoniam autem pii tantum affectus res est, nihil refert, etiamsi forte contingeret reliquias, quæ pro veris habentur, suppositilias esse. Interea danda opera est ne imprudenti devotione nos risui, ecclesiam contemptui exponamus apud eos qui foris sunt. *Atque hæc præmittenda duximus, quoniam jam dicendum est de reliquiis, de quarum origine vel non constat, vel saltem dubia suboriuntur.*

anno 1042 recognoscuntur Malmundariæ reliquiæ SS.;

47 *Has inter primo veniunt loco reliquiæ Malmundarienses. Malmundarium autem, gallice* Malmédy, *sæpius in hoc Commentario appellatum, jacet in Germania, in confinibus ducatus Rhenani et Leodiensis provinciæ, eratque olim celebre monasterium, cujus origines in Actis S. Remacli fundatoris* (5) *declaratæ fuere, et cujus ædificia nunc ad profanos usurpantur usus. Ex Chronico porro Malmundariensi hæc nobis descripsit R. D. Leloup, parochus et decanus Malmundariensis :* De reliquiis in ecclesia Malmundariensi asservatis. Ab antiquo fuerunt ad altare majus scrinia quinque argentea, mirifice gemmis elaborata, auroque ornata, plurimis diversorum Sanctorum reliquiis referta, quæ anno 1042 ob quorumdam incredulitatem a S. Pop- F pone abbate fuere visitata; quæ autem in illis scriniis fuerint reliquiæ repertæ in antiquis membranis ita sunt specificatæ : In scrinio S. Quirini M. : corpus integrum S. Quirini Presb. et M. In scrinio S. Justi M. : corpus ejusdem pueri novennis, quem Rictiovari satellites pro nomine Christi interfecerunt, et ibidem fuerunt etiam repertæ aliorum Sanctorum multæ reliquiæ. *Contendit Ignatius Roderique* (6) *incredulos illos fuisse monachos Stabulenses, qui Malmundario reliquias invidebant, et qui jam anno 1040 in dedicatione ecclesiæ suæ falsa S.* Justi *lipsana circumtulerant : et quidem in dedicatione ecclesiæ Stabulensis, quæ facta est anno 1040 sub abbate S. Poppone leguntur* corpora beati patroni Remacli necnon Justi Martyris circuitu ejus lustrando *vecta fuisse* (7). *Hæc tamen Rodericii incusationem certam non faciunt, quoniam aliunde et ex ipso Malmundario potuerunt sacra lipsana illuc deferri; cujus moris exemplum habes supra num.* 37.

(1) Hist. litt. de France, t. X, p. 438.—(2) Act. SS., t. I Aug., p. 34.—(3) Ap. Biancolini, Dei Vescovi di Verona. diss. II, p. 163.—(4) Systema theolog., n. 40, p. 116, edit. Lovan. 1845. — (5) T. I Sept., p. 680. —

(6) Discept. de abbat. Malmund. et Stabul., p. 151.—(7) Martene, Coll. Ampliss., t. II, col. 61.

et inter eas reperitur corpus integrum et caput S. Justi;

48 *Utut id est, oculi interea conjiciendi sunt in vetustam chartam, non tamen coævam, quam ad* xxv *Januarii edidit Bollandus* (1), *et in qua legitur:* Factus est de reliquiis SS. Quirini et Justi, per ignorantiam populi nos eas non habere autumantis, promiscuus error, aliis alia submurmurantibus, nunc latenter nunc in publico : quod prædictus venerandæ memoriæ pater *(S. Poppo)* comperiens ex petitione et communi consilio fratrum et fidelium laicorum scrinia Sanctorum pridie idus Junii aperuit : et non modo, quæ ignorabantur, reliquias, sed alias plures, quæ sperabantur, adstantibus nobis invenit.... Reliquiæ autem hæ fuerunt duo dentes S. Petri Apostoli, corpora Sanctorum integra cum capitibus Quirini et Justi, et maximæ reliquiæ S. Nigasii et B. Scuviculi et S. Melantii et S. Audœni et casula ejusdem et aliorum Sanctorum nobis incognitorum : *in quibus verbis animadversione dignum est* corpora Sanctorum INTEGRA cum CAPITIBUS Quirini et JUSTI *reperta fuisse et* maximas *tantum* reliquias *aliorum Sanctorum : licet ostenderit Byeus ad* XI *Octobris* (2) *fieri non posse ut integrum ibidem adfuerit S. Quirini corpus. Quæ vero ad* integrum S. Justi corpus *et* caput B *pertinent; quis ea composuerit cum historia reliquiarum Autissiodorensium et Bellovacensium?*

unde vacillat fides historiæ harum reliquiarum;

49 *Donec autem id fiat, vexabitur timore aliquo lectoris animus, ne, dum antiquam historiam Translationis S.* Justi *pueri novennis et Martyris oculis lustret, narrationem parum certam coram se habeat. Cæterum si quis eam severius excutiat, reperiet spontanei luminis aut ignis duplex miraculum, quod illo ævo multo in favore fuisse ex Flodoardi scriptis intelligere est; deprehendet pecuniam datam fuisse ut liceret furari reliquias, quin tamen appareat, cui data fuerit; obvium habebit* in regno Caroli pagum quemdam vicum Koniensem, *qui alibi nuspiam signatur et satis difficile a librario fingi potuerit ex* Vico Synomo *seu* Synomovico, *qui apparet in Passione S.* Justi; *cæterum nulla pugna in topographicis, nulla in Chronologicis a me detegi potuit : quod tamen minoris hic est ponderis, quoniam pauca notantur loca, et Liruthardus, Malmundariensis præpositus, hujus scriptionis et reliquiarum furti auctor, aliunde mihi cognitus non sit; unde non licet ejus componere ætatem cum tempore Stephani, Cameracensis episcopi, qui ibidem nomine designatur, et qui cathedram tenuit ineunte* C *sæculo* X (3); *alia nomina non comparent. Ecce autem istud instrumentum, quod Martenius ad annum circiter 9000 refert* (4)

quam Liruthardus conscripsit.

50 In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, omnibus in quadrifidi mundi hujus plagis constitutis catholicæ ecclesiæ filiis, Liruthardus hujus ecclesiæ præpositus, omnibus quamvis indignissimus, Christicolis honor et lætitia, salus et vita sit opto per sæcula. Talenti sibi crediti omnes norunt fideles Domino se rationem reddituros, et ab ipso æquissima lance pro bene dispensato talento perpetuæ remunerationem vitæ percepturos, pro male vero offenso (quod absit) ignis maledictionem æterni. Hæc ergo semper animo revolvens, nolui tamquam invidus occultare quædam, licet perpauca, magnalia, quæ Dominus mihi propriis concessit oculis perspicere, sancti Justi martyris pretiosi, sed multis proferre in medium et facere commune, certus quod quantum plures ex eis Deum magnificaverint tantum major merces mihi acquiritur : qui cum exiguum ad hanc narrationem me considerarem, elegi hoc detegere, quod parvi sim sermonis et inertis ingenii : unde obsecro, ne D qui culpam taciturnitatis vitare volui, præsumptionis noxam incurram.

narrans eas a se furto sublatas fuisse in incomperto vico, miraculis spontanei luminis,

51 Hic igitur beatissimus Christi martyr noster vita et nomine clarus, dum adhuc infantiæ operam gestaret, tempora Domino consecravit martyrio. Furiosi namque jussu Rictiovari Christi nomen constanter confitens, a militibus mucrone percussus, æternam a Domino percepturus coronam, migravit. Ego igitur dum hujus Sancti Martyris ardenti desiderio sacra pignora, quodam in partibus Galliarum in regno, quod dicitur Caroli, pago vico Koniensi, data quantum tunc temporis oportebat pecunia, expetiissem, illeque assensum votis præbuisset, nocte soli pariter, nam die non audentes timore vicinorum, ad ecclesiam in qua sacrum corpusculum humatum honorifice consistebat, properaturi proficiscimur. Itaque dum secundum divinæ pietatis piissimam dispositionem, vestræque propositum voluntatis de mausoleo sanctum foras corpus super altare poneremus, divina nobis apparuere insignia. Nam ut se beatus Martyr cœlesti insertum declararet lumini, amovit a nobis densissimæ noctis tenebras. Dum enim una nobis sufficeret candela, divino mox cuncti per ecclesiam E accensi sunt lumine cerei.

et Cameraci

52 Quo viso, mox tanto obstupefacti miraculo, timoreque perculsi, magnas Deo et Sancto Martyri referebamus gratias, quia nobis, licet indignis, sua panderet mirabilia, quæ aliis ad laudem sui nominis et honorem Sancti Martyris veridica oportet relatione referre. Suscipientes igitur a supradicto sacras reliquias, raptim cum militibus carpere iter cœpimus. Post paucos dies devenimus ad civitatem Cameracensem in qua aliquantisper moraturi, jussu Domini Stephani episcopi, quemdam ejusdem civitatis adivimus civem, apud eum illis hospitaturi diebus; qui nos cum exultatione in suam introduxit domum. Nobis ergo ipsa nocte magnam humanitatem intuentibus, etiam omnino ex tanta itineris longitudine fessis, pabula exuberanter tribuens. Habebat autem filium clericum, qui cum nos in patris sui comperit domo nocte degere, advenit, nobisque condelectari cœpit. Ego vero dormitum pergens, sacrum corpus in quadam arca recondidi, tum clave munivi, quam nequaquam patri familias crederem, ad proprium dependi cingulum. F

stupendi tonitrus.

53 Soporem itaque nobis dulciter capientibus, pater proprium decipit filium, hortatur ad crimen, auferre nobis equos jubet, et ad vicinum ducere proximum, futurum ut mane facto pretium distributis susciperet. Deinde arcam in qua corpusculum pueri innocentis a me repositum fuerat, alium in ea thesaurum putantes reconditum, effringere moliuntur. Sed Deus omnipotens.... Sancti sui, noluit nos proprio frustrare patrono. Jam jamque enim frangenda arca maximum dedit fragorem, ita ut omnes stupidi a somno excitaremur. Ignis etiam qui jam cineribus adopertus erat, resplenduit, quasi omnis accensa domus esset. Videntes hos propius assistere, rem ignorare nequivimus. Gratias igitur Deo per cuncta fateor dignissime referendas, qui nos inter micantes gladiorum ictus, qui ex utraque parte processerant, non solum incolumes conservavit, verum etiam sicut de ablatione equorum humana nos (incitante bonorum omnium invidia) mœstos reddiderat malignitas, ita ejus piissima benignitas de ereptu lætificavit immaniter.

(1) T. II Januar., p. 638. — (2) T. V Oct., p. 542, n. 119 et 120. — (3) Gallia Christ., t. III, col. 14 et seqq. — (4) Ampliss. collect., t. VI, col. 833 et seqq.

54 Aliud

in Condustrio vero feliciter transmissi fluvii translationem illustrantibus.

54 Aliud etiam mihi quidem lætabile, ceteris vero venerabile, huic non dispar, ad declarandum ejus in omnibus periculis, invocato ipsius nomine, potentiam, silere refugio, et huic narratiunculæ inserere. A præfata civitate gressum dirigentes cum sanctarum auxilio reliquiarum, in medium iter habuimus in Condustrium, quo in pago quoddam oportebat navi transnatare nos flumen, ab incolis Urtam vocitatum. Hoc autem dum nimiis conspiceremus pluviis alvei sui ripas transiisse, mortis timore ingredi minime audebamus, etiam equis cunctis intransmeabilis extiterat. Sed tandem in opitulatione Dei Sanctique Martyris Justi animum et spem ponens, mediam sacri corporis glebam colloco in naviculam, et sic inundationem fluvii illius secure transmeavimus. Postea prospero congressu iter carpentes, adventum nostrum fratribus nostris Malmundarii positis innotuimus, qui cum ingenti exultatione nobis obviam procedentes cum hymnis et laudibus corpus Beati Martyris in locum suum honorifice collocavimus, ubi per merita Sancti, ad laudem et gloriam nominis sui Deus quotidie virtutes operatur; qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula B sæculorum. Amen.

Floresius Hispanus aptat hanc translationem S. Justo socio S. Pastoris. Fata harum reliquiarum usque ad præsens tempus.

55 *Sed ecce ut mirabilia succedunt mirabilibus : Floresius, de Martyribus Complutensibus Justo et Pastore agens, his translationem hanc aptandam esse autumavit* (1). *Advertit solum ibi non Dacianum, qui sub Diocletiano in Hispania sæviit, sed Rictiovarum vitiose (ut ipsi videbatur) appellari, et* S. Justo *annos novem, non septem, ut in Actis* (2), *tribui. En recentius exemplum ut unius Sancti Acta adscribantur homonymis! Verum Malmundarium revertamur. Ex quo tempore hæ reliquiæ illic asservatæ fuerunt, magno in honore ibidem fuit* S. Justi *memoria. Et quidem in Passione Malmundariensi bis miraculorum et beneficiorum fit mentio. Usque ad annum* 1587 *servatæ fuere Malmundarienses reliquiæ in quinque memoratis pretiosis scriniis; sed tunc temporis hæretici Calviniani, duce Martino Schenck, de nocte in Malmundarium irruerunt, monasterium deprædati sunt et sacras abstulerunt thecas, dispersis reliquiis. Has collegerunt monachi et novis capsis ex ligno sculpto et inaurato incluserunt. Ferunt Mss. codices, R. D. Fabri, monasterii priorem, anno* 1698 *visitasse SS. Quirini et* Justi *reliquias, quæ a tempore vastationis* C *Calvinianæ permixtæ jacebant; et, juvante medico Limbourg, eas distinxisse et reposuisse in duabus capsis : quod non ita operosum erat, quum S. Quirinus vir ætate provectus, et, qui sub S. Justi nomine colebatur, puerulus esset. Servatur etiamnum S. Quirini theca in pristino monasterii, nunc ab anno* 1819 *parochiali, templo ; S.* Justi *vero loculus in sacello Resurrectionis, quod centum fere abhinc annis Ignatius Roderique (quem supra memorabam) suis expensis construxit. Malmundarienses monachi, ut ex Passione constat, S.* Justum *tamquam patronum, non tamen titularem, coluerunt : et quidem eodem die, quo Bellovacenses et Martyrologium Romanum, ut ad nos scripsit R. D. Leloup, præ oculis habens Collectorium Monasticum anno* 1713 *Malmundarii excusum.*

§ VI. Reliquiæ et cultus apud Einsidlenses, apud Zutphanienses, Antverpienses, iterum Autissiodori et in Anglia.

De reliquiis S. Justi Einsidlensibus dubitat Eichhorn:

D*ubius incedere videtur Ambrosius Eichhorn, presbyter congregationis S. Blasii, quum, de Hartmanno episcopo Curiensi agens, ad Reliquias S.* Justi *in Helvetia asservatas venit :* Hartmannus, *inquit* (3), a Conrado, qua occasione nescio, legatus in Galliam missus, en urbe Autissiodorensi reliquias SS. Martyrum seu capita SS. Justi novennis pueri et Sigismundi reportavit, ut referunt Murerus (4), Hartmannus Einsidlensis (5) et Leo Tigurinus, quorum fide hæc refero. Reliquias istas sibi vindicant Einsidlenses ; legitur (6) tamen caput S. Justi in parœcia Flums asservari. *Hartmannus autem, dictus de Planaterra, olim monachus et decanus Eremi B. M. V. dein Fabariensis abbas, sedit* E *Curiæ ab anno* 1026 *ad* 1039. *Quibus ex causis dubia orta sint Eichhornio, ipse non prodit ; quæ vero me vexent, accipe paucis.*

alii dicunt corpus, alii caput illuc translatum fuisse:

57 *Imprimis pugna est inter vetera instrumenta, cum in aliis caput, in aliis corpus S.* Justi *ad Eremum delatum perhibeatur. Ex vetusto Necrologio et Libro fundationum hæc decerpsit Einsidlensis scriptor, qui exeunte superiori sæculo monasterii sui Chronicum gallice edidit* (7) : Hermannus, *sic ibidem legitur,* episcopus Curiensis, monachus antea hic, tradidit huic loco Sanctum Justum Martyrem, quem de territorio Bellovacensi huc detulit et caput S. Sigismondi regis Burgundionum. *Sed in Annalibus Einsidlensibus ad annum* 1143 *mentio fit* capitis *S.* Justi, *quod numquam Bellovaci fuisse satis superque compertum est. En verba* (8) : Caput Sancti Justi Martyris Alpirspacenses jussu venerabilis cardinalis Tie'ewini, *(ab anno* 1138 *Innocentii II per Germaniam legati* (9),) et Herimanni Constantiensis ecclesiæ episcopi plurimorumque abbatum domno nostro abbati secundo Ruodolfo vix coacti red liderunt ; quod ante triginta fere annos, nobiscum pacifice in dolo conversati, furtive abstulerunt. *Similia leguntur apud Tschu-* F *dium in libro Heremi. De prima vero acceptione corporis seu capitis S.* Justi *nulla in Annalibus mentio.*

eodem tempore illuc translatum fuisset caput S. Sigismundi; quod creditu difficile: variant Einsidlenses de translationis tempore:

58 *Suboritur mihi deinde dubium, quod eodem tempore Hartmannus S. Sigismundi, regis Burgundionum, caput in Eremum detulisset. Contra apud Henschenium nostrum hæc de eo capite lego* (10) : De sacro capite S. Martyris facile etiam assentientur omnes, illud Pragæ in Bohemia haberi, Agauno allatum a Carolo IV imperatore sub annum MCCCLXVI : *quod pluribus dein confirmat testimoniis, ex quibus constet Agauno, non vero Eremo B. M. V. (ut volunt Einsidlenses* (11)) *acceptum fuisse. Ex qua animadversione si labet testimonium necrologii de capite S. Sigismundi, æque labet necesse est de corpore S.* Justi, *ex pago Bellovacensi allato. Nonnemo fors item movebitur inconstantia traditionis Einsidlensis. Imprimis monasterii Necrologium ad diem* III *Junii hæc habet* (12) : Obiit Rmus Dnus Hermannus de

(1) Espana Sagrada, t. VII, p. 191 et 103. — (2) Tom. II August. ad diem VI. — (3) German. Sac. Episc. Curiens., p. 61. — (4) Theatr. Helvet. — (5) Annal. Eremi, p. 126. — (6) Propr. Curiense ad 20 Oct. — (7) Chronique d'Einsidlen, t. III, p. 239. — (8) Ibid., t. I, p. 83 et 116, not. c; t. III, p. 239, not. t, et ap. Pertz, Monum. Germ., t. III, p. 147. — (9) Ciacconius, Hist. Rom. Pontif. et Card., t. I, col. 989. Edit. 1677. — (10) Act. SS, tom. I Maii, p. 88. — (11) Chronique, t. III, p. 240. — (12) Chronique, t. I, p. 143, not. o.

Eschibach,

E. C. Eschibach, monachus noster, postea abbas Fabariensis, ac tandem episcopus Curiensis. Hic dedit nobis capita SS. Justi et Sigismundi. *Similiter Tschudius, qui de eremo B. M. V. etiam scripsit, nixus alio vetusto documento, quod et Chronographus Einsidlensis recitat* (1), *retulit reliquiarum adventum ad annum* 1320; *et in eodem fere errore versatus videtur Bucelinus* (2), *qui Hermannum seu Hartmannum, ex legatione ad pontifices Avenionenses reducem, hæc sacra pignora secum tulisse scripsit; quin imo ipse Chronici auctor* (3) *susceptionem quamdam reliquiarum SS.* Justi *et Sigismundi ex indice authentico reliquiarum et ex Libro Vitæ sui monasterii refert ad Hartmannum Eschenbachensem. Verum distinguamus oportet duos Hartmannos seu Hermannos, Curienses episcopos : quorum alter seu de Planaterra sedit ab anno* 1026 *ad* 1039; *alter seu de Eschenbach ab anno* 1324 *ad* 1325 (4). *Quocirca, quum hæc omnia ex confusione nominum et ex attributis uni gestis alterius facile oriri potuerint, his insistendum non arbitror.*

caput dicitur etiam servari in vico Flums.

59 *Sed quidquod in parœcia Flums S.* Justi *caput asservari traditur? Operæ pretium est de his audire ipsum Eremi chronographum : Flums, inquit* (5), B antiqua parœcia est balivatus Sargaus ultra lacum Wallstat. Ut probent possessionem suam reliquiarum S. Justi, antiquam traditionem adducunt; dein Sancti festum, quod anno 1520 Curiensis episcopus solemniter celebrari jussit; tertio veterem reliquiarum capsam, in qua S. Justi historia delineata est, denique rudera antiqui sacelli, ubi ejusdem Sancti reliquiæ dum transferebantur constitissent... *Appellat dein ad lectoris judicium, et demum ita prosequitur :* Fatemur tamen non certo nobis constare veras hujus Sancti reliquias olim *ab Alperspacensibus* nobis redditas fuisse; nam caput apud nos asservatum certa signa non præfert ex quibus vere prædicti Martyris esse dignoscatur; nec ideo umquam in altaribus nostris venerationi exposuimus. Barnabas Saxo, bonorum nostrorum administrator, anno 1494 aut circiter caput argenteæ figuræ imponi curavit; et ita permansit usque ad annum 1784. *(Quid tunc evenerit non refert Chronographus, cujus liber anno* 1788 *lucem vidit.)* Fieri etiam potuit ut hæ reliquiæ relatæ fuerint non ad nostram abbatiam sed ad parœciam Flums. Ulterius in id non inquirimus, et satis est nobis, si patronorum nostrorum sacra lipsana C digno honore et veneratione circumdentur.... Semper S. Sigismundum et S. Justum ut patronos coluimus et invocavimus : anno enim 1039, quando ecclesiæ nostræ facta est dedicatio, eorum pretiosa ossa jam possidebamus. *Hactenus ille. Quibus subjungimus in Rhætia sacra et profana Bucelini referri de Hartmanno de Planaterra, quem diximus Fabariensem abbatem aliquando fuisse, eum pristinis suis monachis partem reliquiarum S.* Justi *concessisse; atque hinc usque ad tempus quo scriberetur ille liber S. Martyrem inter Fabarienses patronos habitum et cultum fuisse : quod tamen non probat Einsidlensis Chronographus* (6).

Olim putabant Zutphanienses apud se corpus S. Justi, Treviris ejus caput :

60 *Sed ex Helvetia jam gradus faciendus est ad Neerlandiam et Belgium. Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis ad diem* XVIII *Octobris ita scribit :* Sutphaniæ *(vulgo Zutphen)*, quod oppidum est *pristinæ* diœcesis Daventriensis, Isalæ fluvio adsitum, magna in veneratione olim habitum fuit corpus S. Justi, patria Autissiodorensis, pueri ac Martyris, cujus festivitas ibidem celebrabatur XI Octobris, hoc est postridie SS. Victoris et Gereonis Martyrum. De quo sic inter alia cantabatur D in Hymno ecclesiastico :

Ejus caput nunc habetur
Magna Treviris reverentia;
Sed corpus oblinetur
Diligenter in Sutphania
Laudetur hinc Dei clementia.

Corpus ejus periisse putatur nostra ætate per vastationes Calvinianas : sed caput, ex tractu Trevirensi allatum, servat Antverpiæ canonicus ac plebanus Egbertus Spitholdius, apud Annuntiatas moniales eadem in urbe post collocandum. *Ita Miræus.*

61 *Obliterata prorsus erat Zutphaniæ S.* Justi *memoria, nec aliud de eo in tabulariis publicis reperiebatur præter annuntiationem* Epistolæ et Evangelii S. Justi Martyris *in Evangeliaro Ms. sæculi* XIV, *quod in festis solemnioribus in usu erat, quum illa Miræi verba, ab Heussenio* (7) *repetita, nuper collecta fuere in opusculo de Zutphania : quemadmodum me monet R. D. Steenhof, lector in majori seminario Warmundensi. Juverit itaque Zutphanienses paulo plura docuisse de pristino apud eos S. Justi cultu. Quam in rem suppeditat mihi Musæum Bollandianum codicem membranaceum,* E *quo vetus Breviarium Zutphaniensium canonicorum continetur, conscriptum ante annum* 1471, *ut ex tabula confluentina septuagesimæ liquet, et olim a Petro de Suchtelen, canonico Zutphaniensi ac pastore de Weesp et dein anno* 1550 *Decano Zutphaniæ* (8), *adhibitum. In hujus autem Calendario ad* XI *Octobris legitur :* Justi Martyris, celebre canonicorum.

unde celebre apud eos festum;

62 *Ad Vesperas proprium est responsorium, versus et hymnus; quæ ita sonant :*

℟. O Deus omnipotens, verus amator,
Justus, decens, puer iste, tuus famulator,
Justitiam peragens, meruit tua dona viator.
Hinc petimus, clemens nostrum sis justificator.
℣. Justus enim Deus es
Diligis ergo pares
Æque cuncta vides
Sed feritate cares
Justitiæ dator.
Hinc petimus, clemens nostrum sis justificator.
H. Hymnum Deo personemus vocum cum letitia
Menteque rogitemus ejus beneficia,
Ut quod jubet observemus actuum justitia. F
Sanctus Justus martyr Dei servat hæc memoria,
Deo servit mente spei, spreta mundi gloria :
Deus ergo reddit ei pacem pro victoria.
Amans Jesum tota mente Justus ab infantia
Vota solvit et devota precum abundantia
Deo placet, et immota ejus constantia.
Deus igitur reddebat ei mirabilia :
Nam futura prædicebat, postponebat vilia,
Bene agens reducebat captum ad ædilia.
Quem vivendo præamavit, legeapostolica,
Moriendo non negavit, respuens idolica.
Hunc gens fera decollavit, pro fide catholica.
Caput matri præsentatur; humo carne reddita,
Lux in nocte videbatur urbe toti prodita;
Caput templo dum portatur, cæco lux est tradita.
Idem caput nunc habetur magna reverentia.
Treviris, sed oblinetur corpus diligentia
In Zutphania; laudetur hinc Dei clementia.
Sit laus ergo Trinitati, unitatis gloria,
Patris, Pneumatis et Nati virtus et victoria
Sit hujus humanitati vigilans memoria. Amen.

(1) Chronique, t. I. p. 144, not. p. — (2) Rhætia Sacra et prof. ad an. 1028.—(3) Chronique, t. I, p. 144.—(4) Eichhorn, Episc. Curiens., p. 104. — (5) Chronique, t. III, p. 239 et seqq. — (6) T. III, p. 239. — (7) Episcop. Daventriens, p. 70. — (8) Ibid., p. 71.

E. C.

A Ad Magn. Sanctus Justus, verna Dei, hoc nomen a parentibus
Sumpsit, modo datur ei pro meritis patentibus:
Erat enim imitator in omnibus justitiæ,
Pius Dei famulator, calcatorque nequitiæ,
Fide plenus, spe serenus, caritatis passagia
Hic perfecit et subjecit cuncta carnis contagia.
O pie juste Jesu, nos protege mortis ab esu
In tua justitia, per sua suffragia.

Collecta : Deus qui beatum Justum ætate parvulum sed fide magnum per trophæum passionis ad sempiternam gloriam perduxisti, concede nobis quæsumus ad illius venerandam intercessionem adjuvari et æternæ gloriæ effici consortes. Per. *Lectiones, quas ibidem conformes habes codici Ultrajectensi, inferius littera U designato, desinunt in martyrio; sed additur :* Cetera supra nota sunt, *nempe ex hymno.*

sed hæ reliquiæ videntur pertinere ad S. Justum Atrebatensem.

63 *Hæc vero omnia aliquot laborare difficultatibus deprehenditur facile. Imprimis librarium quemdam ex* Autissiodoro *seu* Autrico, *quod in Passione legebatur, effinxisse Treviros vix credibile est; sed tamen tenendum, tum quoniam ita habebat Passio quæ per Neerlandiam ferebatur, tum quoniam Treviris nullus alius Justus cultum obtinuisse videtur* B *quam Justus aliquis confessor, cujus vita ignota est et de quo dubitari etiam possit an eum sibi pleno jure vindicare queant* (1). *Deinde qui fit ut hic S. Justo dies* XI *Octobris assignetur? Equidem arbitror Zutphanienses prius alium omnino Justum coluisse, videlicet Atrebatensem, socium S. Artemii; postmodum vero ei aptasse S.* Justi *Bellovacensis Acta. Quam firma sit hæc mea sententia patefacit vel ipse dies festus* XI *Octobris. Hac enim numquam cultus fuit S. Justus Bellovacensis, sed S. Justus Atrebatensis, qui nunc quidem die* XVIII *Octobris colitur, sed olim non item in his partibus septentrionalibus, ut inferius in ejus Actis ostendemus.*

Earum pars jam pridem servatur et colitur Antverpiæ.

64 *Licet autem canerent Zutphanienses canonici* S. Justi *caput Treviris haberi, intra eorum tamen mœnia colebatur apud FF. Minores pars capitis* S. Justi, *inserta capiti cereo : unde vulgari appellatione dicebatur* S. Justi caput. *Translatum fuit hoc sacrum pignus Antverpiam, ubi hodieque in ecclesia S. Caroli, olim Domus Professæ Societatis Jesu, nunc parochiali, asservatur. Satis olim inter pueros promotus fuit ejus cultus Antverpiæ : in cujus rei gratiam teutonice versa fuere sub titulo* C S. Justi *Acta metrica S. Justini. Plura, quæ pertinent ad has reliquias, collegit et mecum communicavit D. Leo de Burbure. Quæ inter venit primo loco extractum ex Inventario domus mortuariæ Dni Egberti Spitholdii, Zutphaniensis, plebani ecclesiæ collegiatæ B. M. V. Antverpiæ, die* XV *Aprilis anni* 1627 *defuncti et ante altare Circumcisionis sepulti. Istic porro legimus* (2) in prædicta domo mortuaria repertum esse armariolum ligni prædurī, in quo inclusa erant caput S. Justi juvenis et Martyris; quinque capita undecim millium Virginum; duos dentes S. Apolloniæ V. et M.; os notabile S. Bartholomæi Apostoli; aliasque anonymas reliquias : quas omnes exuvias cum capsis propriis et cum epistola D. Abbatissæ Burbacensis N. D. in diœcesi Coloniensi, de tribus Ursulanis capitibus die XXVI Martii anni 1594 scripta, a prædicto D. Plebano, traditas fuisse Annuntiatis Antverpiensibus, ea lege ut ecclesiæ et oppido Zutphaniensi restituantur, siquando hæc regio ecclesiæ catholicæ et regi Hispaniarum reconcilietur, subscribentibus Provinciali FF. Minorum, Matre Ancilla, Vicaria prædicti conventus Annuntiatarum, Notario de Witte et testibus ad id convocatis. *Venerunt hæc sacra pignora in manus Annuntiatarum, ut ipsæmet testantur* (3), *die* XVI *Junii* 1628, *die* XX *Julii sequenti tentatum fuit decentius S.* Justi *componere reliquias; sed cessatum ne exciderent particulæ* (4). *Anno vero sequenti, die* XXIII *Februarii, Joannes Collaert, qui Spitholdio a domesticis fuerat, testatus est inter alia plura coram notario De Witte* acceptum esse caput S. Justi a FF. Minoribus Zutphaniensibus, qui illud, dum ab hæreticis fugiendum esset, conventus sui incendio subtraxerant; Plebanum vero die festo S. Justi solitum fuisse illud in ecclesia B. M. V. supra altare collocare, in quo hac litabat die; et seipsum bis id tulisse ad altare; *idemque testimonium renovavit die* V *Aprilis ejusdem anni coram canonico pœnitentiario Antverpiensi, R. D. Zegero Van Hontsum* (5). *Celebratur etiamnum quot annis festivitas, non quidem die* XI, *ut olim Antverpiæ* (6), *sed* XVIII *Octobris, cum indulgentia a Pio papa VIII concessa.*

Reliquiæ aliquot Autissiodorenses ignotæ originis. Cultus in Anglia.

65 *Dicendum superest de pignore Autissiodorensi, quod ordine temporis huc reservavi, quum ejus origo me lateat. Colitur id etiam his temporibus in pristino cathedrali templo Autissiodorensi; et quum illustrissimus Senonensis præsul intellexisset notitias a nobis peti de reliquiis, singulari erga nos studio jussit detrahi sigillum ultimi Autissiodorensis episcopi Joannis Baptistæ de Cicé et thecam aperiri : in qua repertum est extractum commentarii de translatione reliquiarum SS. Justi et Hippolyti, die* XXVIII *Octobris anni* 1789 *in abbatia Autissiodorensi B. M. V. Insularum facta a vicario generali episcopi R. D. Josepho Maria Closet, et dein ossiculum S.* Justi *quod* os rotulæ *esse videbatur. Qua vero via Bellovaco huc devenerit, ibidem indicatum non reperi. Quæ claudimus, pauca adjicientes de S.* Justi *cultu antiquissimo apud Anglos. In Missali Anglicano sæculi* XI *ineuntis* (7), *a Roberto Londoniensi et dein Cantuariensi antistite Gemmeticensibus dato, legebatur :* XV Kal. Novemb. Nat. S. Justi Martyr. Prima oratio : Deus, qui B. Justo talem fortitudinem tribuisti ut in puerilis corpusculi membris immanium victor existeret tormentorum, concede propitius, ut ipsius intercedentibus meritis ab omnibus nos absolvas peccatis. Per. Præfatio : Vere dignum... æterne Deus, B. Justi martyrio gloriantes, cui admirandam gratiam in tenero adhuc corpore et necdum virili more maturo virtutem fidei et patientiæ fortitudinem tribuisti; [ut] sævitiæ persecutoris non cederet conscientia puerilis, et inter acerba supplicia nec sensu potuerit terreri, nec frangi ætate, ut gloriosior fieret corona martyrii. Et ideo etc. *Atque hæc, quamtumvis luxata, mirifice ostendunt quam late olim S.* Justi *cultus extenderetur. Superest ut, his finem imponentes, singulares habeamus grates nobili viro comiti de l'Escalopier; qui, quum ipse plura in suum usum de SS.* Justo *et Justino pueris collegisset, hæc nobiscum quam liberalissime communicavit. De edendis Passionibus dictum supra numm.* 8 *et seqq.* F

(1) Cfr Sollerius, ad 14 Julii, t. III, p. 650. — (2) Ex Archiv. eccl. colleg. B. M. V. Antverp.—(3) Ex Archiv. Annunt.—(4) Ibid.—(5) Ex Originalibus.— (6) Cfr Act. SS., t. V Oct., p. 495 f.— (7) Cfr Martene, de antiq. eccles. discip. in Syllabo operum.

E. C.

PASSIO

S. JUSTI PUERI,

Ex Ms. bibliothecæ Burgundicæ Bruxellensis sæculi X *collato cum codicibus, in quibus stylus emendatus fuit, Audomarensi* (A), *Berliniano* (B), *Colbertino* (C) *et Ultrajectino* (U) a.

a

Caput unicum.

S. Justus cum patre Justino it Ambianum, liberaturus patruum; in reditu martyrio coronatur. Sepultura.

B

Incipit Passio sancti Justi martyris; id est IV nonas Septembris *b*. Cum * Deus omnipotens Sanctorum numerum multiplicare permitteret *; igitur Justus cum esset novem annorum *c*, et Justinianus avunculus *d* ejus fuisset ductus captivus, ait ad patrem suum Justinum: Pater mi, vidi * visionem eo quod Justinianum avunculum meum homo bonus Lupus nomine eum in * Ambianis *e* civitate ad servitium * suum retineat. Dicit pater ad filium: Quid sumus ergo facturi. Dum ipse Justinus quæreret Autisiodoro *f* in civitate * pecuniam offerre ut hominem inveniret, qui cum eodem ad ipsum Justinianum inquirendum accederet, et inveniebat *, dicit Justus ad eum: Ego tecum dispono accedere. Ait mater ejus Felicia: Fili Juste, quomodo posses * tam longum iter aggredi * et ne forte aliquid tibi contingat. Qui respondens ait: Si Deus jubet vadam et si illi placuerit revertam *. Et ait: Alleva pecuniam et accipe bucellam et iter quod disposuimus Christo præsule ambulemus.

2 Qui circa horam tertiam de urbe Autisiodoro egredientes, sed * contigit ut ad Milidonem * castrum cum dies declinaret ad vesperam advenirent. Ubi cæcus et claudus ad portam ejusdem castri clamavit dicens: O beate Juste, refice animam meam quia patior injuriam famis. Dicit puer ad patrem suum: Tolle bucellam *h* et refice eum; et insuper expolians se vestimento, induit pauperem; et pater cœpit illum increpare. Et respondens *: Scriptum est enim: beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Et mane exeuntes iter capere cœperunt. Et accedentes Parisius *i* civitatem invenerunt ibidem hominem optimum nomine Ippolitum *. Interrogavit eos ex qua provintia essent; at illi dixerunt de civitate Autisiodorense, captivum quærimus; et ait Ippolitus ad eos: ite in domum meam et ego reficiam vos vino et sicera *.

3 Qui cum saturati fuissent accepto itinere venerunt ad fluvium Isore *, *k* sed navem non invenerunt, et ait prius Justus ad patrem suum Justinum: ecce jubente Dei misericordia quidam homo cum nave * descendit, rogemus ut ipse nos ultra transponat. Et dum illi loquuntur *, ipse cum nave * advenit et dicunt ad eum: Amice fac caritatem, ut nobis transeas fluvium, et ut de nobis accipias naulum, et animæ tuæ adquiras * remedium. At ipse interrogans qui aut unde essent; et cum ei ratiónem panderent quod captivum quærere ambularent, et ipse transposuit eos ultra et ait puer ad patrem suum: Tolle bucellam et redde illi mercedem. Sed ipse non requirens pecuniam, nisi * condessit eis in * pace. Et ipsi iter quod cœperant properantes venerunt ad prædictam urbem Ambianensem et quærebant Lupum negotiantem vel ubi esset domus ejus. Et cum eum repererunt, dicunt ei: parens noster ductus est in hac regione * captivus quem tecum conversare * audivimus. At ipse interrogavit * unde vel quis esset vel quod nomen haberet quem quærerent; ad hæc Justinus respondens *: Christiani sumus de civitate Autisiodorinse, et frater meus, quem quærimus, Justinianus vocatur. Et Lupus ait ad illos: Accedite ad domum meam et dabo vobis hospitium et ostendam vobis pueros meos, et si cognoscitis eum quem quæritis, data pecunia reducetis fratrem vestrum. E

4 Et cum vespertina hora accessissent in domum Lupi, protulit eis duodecim pueros suos. Sed cum inter eosdem non fuit repertus, aspiciens Justus vidit Justinianum quem quærebat lampadam * ignis tenentem, et ait: Ecce est * puer noster qui lumen accendit. At * ipse dixit: unde me nosti, quia te ego in regione natum non vidi. Et cum hæc loqueretur *, erat ibi miles junior * Riciovari * persecutoris, qui surgens maturius pertulit fabulam ad ipsum tyrannum dicens: Sunt quidam homines in urbe Ambianis * magicis artibus dediti qui se Christianos fatentur; quid est faciendum de eis. At ipse ait: Euntes, celerius adducite eos ad me, et si venire contempserint, in custodia retrudantur, * quousque nostris obtutibus præsententur. Egredientes ministri ad prædictam urbem requirentes domum Lupi, jam eos ibidem non invenerunt; eo quod Lupus prius nocte temporis * dixerat ad eos: surgite et accipite hominem vestrum et pecuniam quam detulistis, et citius remeate in patriam, ne forte judicis * præfecti vos comprehendunt. Et cum ministri præfecto Riciovaro * ita renuntiassent quod jam ipsi de prædicta urbe discesserant, dicit eis tyrannus: Surgite quattuor pueri, cum equis * *l* velociter insequentes eos ut coacti revertantur, et si contradixerint interficiantur.

5 Qui cum eosdem insecuti fuissent repererunt eos ad fontem Sirica * *m*, quod etiam rivolus nominatur Aragga * *n*. Et ait prius Justinianus ad fratrem suum Justinum: Modice requiescentes dum opportunitatem aquæ habemus, cibum sumamus ut melius iter carpere possimus. Et Justus dicit ad eos: Edite celerius quia Riciovarus * præfectus dirigit quattuor ex junioribus suis cum equis ut nos, aut reducere, aut interficere debeant; et dum vos cibum capitis ego aspiciam, et si evidenter venient ego loquar * cum eis; et vos accedite in spelunca *, abscondite vos. Et cum hæc loqueretur, aspiciens a longe, vidit eosdem venientes, et ipsi parentes sui abstulerunt se in atrio * speluncæ. Et accedentes ministri Regis *, interrogaverunt Justum ubi essent parentes ejus, vel quibus diis * sacrificarent. At ille Christianum se esse respondit; et cum parentes suos prodere nollet *, dicit alter ad alterum *: duc gladium et amputa caput ejus, et feramus illud * præfecto: et cum caput ejus fuisset excisum,

S. Justo Justiniani avunculi captivitas revelatur;

b
* A. B. tempore illo cum...
* Cod. permittitur U

c
d
* C. vide
* A. B eum in desunt C. h. n. in Ambiensium.

e
* A. servum

f
* A. B apud Authisi civitatem C. Autiss.
* A B. U. et non inveniret C. et inveniret
* C. ei F. quom. f. J.
* Cod. aggredere
* al. revertar *ad quem redimendum, per Melodunum et Parisios,*
* A B Authisi C Autiss.
* A B sic C. U. deest
* A. B. melledunum C. milidone U. melidonem

g
h
* C r. ait
* ita omnes codd.

i
* C. hypolithum. Ille vero int. A B apolitem. U. Ipol
* U cicera.

Isaram trajiciens, Ambianum pervenit:
* A. B. Isera C. U. Isare

k
* C. loqueremur
* C. requiras
* A. B C inter-rogavit
* C. requisivit
* A. B. U nisi om.
* A B C U cum p.
* A. B. C in hanc r.
* A B. conversari. C. versari.
* Cod. interrogans
* C r. ait

ubi Justinianum in Domo Lupi reperit. Riciovari equites eos insecuti
* A. B C. lampadem
* C. est abest.
* Cod. Et
* A B C ...ntur
* A B ex junioribus.
* C Rict
* C nensi A B. mag. a. d. deest
* C. detr. A B reclud.
* al. noctis tempore.
* A B C. Judices
* C. O. Rict. A B abest
* Cod. cum eo quos

l

ad fontem Sirica, seu rivulum Aragga, S. Justo caput amputant.
* A B Siricam qui C Syrica U Syriacam
* A B Arausia C. Araga U. Aragga

m
n
* C. l. Rict.
* Cod. loquar
* al. speluncam
* C. atrium.
* A B. Rictiovari
* Cod. quorum diis
* Cod. noluit
* Cod. alium
* Cod. eum

A excisum, corpus erigens se stetit immobile, et accipiens caput in manibus suis *o* posuit in atrium * suum et oravit anima ejus ad Dominum: Deus cœli et terræ, recipe spiritum meum, quia innoxius et mundo corde sum. Et cum vidissent ministri mirabilia magna quæ fecerat corpus ejus, pavore * perterriti timuerunt valde *. Confugientes referunt Riciovaro tyranno qualiter hæc facta fuerant.

o
* C in humerum s. A B in atrium speluncæ U. om.
* Cod. a pav.
* Cod valde timore magno

6 Et cum parentes beati Justi qui retrusi erant in spelunca audissent orationem, quam ipse ad Dominum fuderat, recedentibus persecutoribus, egredientes foras, viderunt * cadaver ejus tenens *. Et dicit Justinus ad fratrem * suum Justinianum: Quid faciemus de hoc corpore? et ita fertur quod * lingua de capite locuta fuisset, dicens ad eos: Accedite ad speluncam, quærite edificium antiquum opertum de edera et sedulium *; ibi recondite corpus meum. Caput genetrici meæ afferte ut in amore dilectionis * osculetur illud et si optat me videre, in paradiso me requirat. Qui conlocantes corpus ejus in loco eodem, qui ex macheriis * antiquis erat circumdatus, et properantes itinere * tertia die Autisiodorum civitatem sunt ingressi *. Et dicit Felicia mater ejus: Ubi est filius meus Justus? Et ait Justinianus avunculus ejus: Contigit B quod mortuus est. Dicit ipsa: Gratias tibi ago Deus Pater * cœli et terræ, qui recepisti animam innocentem et puram; et addidit etiam: O beate fili Juste, ora pro me qui martyrium consequi meruisti. Sed dum inter hæc orando cum * fleret, caput Martyris in domo eorum linteo circumdatum pependerat *. Cum esset utique noctis tempus *, divina jubente virtute, non solum domus, sed et tota urbs resplenduit.

sepulto ibidem corpore, caput ad matrem Feliciam defertur.
* Cod. videntes; C. et videntes
* C et t. c. s. dicit
* Cod. patrem
* A. abest.
* U omnis. C. et sedulo ibi... A B et bene recon.
* Cod. eum
* A B C U maceriis
* A abest
* Cod Autissiodori civitate S. aggressi
* C pat. abest
* A B hæc or. compleret C U or. fleret
* U ...rant A B et cap... ...linteamine ...pendere. C. pendebat.
* Cod. temporo

7 In illis vero diebus erat Pontifex civitatis illius* sacerdos Dei nomine Amator *p*. Surrexit autem maturius ad cursum matutini * *q*, et dicit fratribus suis: Vidi luminaria magna super domum Justini, unde tota urbs resplenduit; ambulate citius et scrutamini quid hoc fuisset *. Quo tres presbyteri accedentes, interrogantes Justinum * quæ fuisset hæc virtus de lumine, quæ * nocte super domum suam apparuerat. Et ait Justinus ad eos: Filius meus Justus defunctus * est in regione longa *, eo quod juniores * præfecti Riciovari persecutoris, nos pariter persequentes *, dum nos fugaciter discessimus, ipso filio meo adprehenso, amputaverunt caput ejus et reversi sunt. Et nos sepelientes corpus ejus in eodem loco, juxta Sirica fonte *, in territorio Belvacinse *, et levantes caput ejus * ut mater ipsius oscularetur eum *. Et cum in domum nostram allatum fuisset, tertia hora noctis lumen de cœlo advenit, unde et domus et cuncta civitas Deo jubente resplenduit.

Dum caput Autissiodori a S. Amatore
* Cod ejus
p
* C matutinum
q
* A. B. sit
* C. Justinianum A B Justinum interrog.
* C. quod
* C. mortuus
* A. B. longinqua
* A. B. missi
* C. persecuti sunt. dum enim
* A. B. C. j. Syricam f U. Syriacam
* C ..cense attulimus A B Belloac.
* C. illud.

8 Quod presbyteri, qui missi fuerant a Pontifice mirantes renuntiaverunt fratribus, vel ipsi Sancto Amatori, et exultantes de tam perfecto mysterio, gratias Deo omnipotenti egerunt. Et præcipiens Pontifex ut accipientes feretrum et lampadas cum candelabris exhiberent eum * ad sanctam ecclesiam, et tumularetur in secretario domus Dei, ubi et ipse Pontifex requiescere decreverat. Et ad complendum boni operis testimonium, erat in urbe illa puella sedecim annorum ab * oculis nata et clamabat dicens: Sancte Juste ora ad * Dominum Deum tuum in quem et ipsa credo et confiteor; ut det mihi lumen oculorum meorum. Et continuo divina favente virtute, aperti sunt oculi ejus, et viderunt sacerdotes gloriam Dei et omnes laudaverunt et benedixerunt Deum; quia ostensum est eis miraculum magnum. In quem credunt gentes, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

honorifice sepelitur, puella cæca sanatur.
* Cod. qui
* C. et i. episcopo A. exult.
* C. illud
* A. B. oculis cæcata.
* C. decet.

ANNOTATA.

EX MSS.

a *Scribebat anno circiter* 1607 *Rosweydus noster initio apographi sui:* Vitam hanc nunc primum edo ex Mss. duobus vetustissimis Bertiniano *(monasterii S. Bertini)* et Audomarensi, quæ plane inter se conveniebant; *et in margine:* aliam habeo ex Ms. Claremaresimo. *Quod vir zelosus a* 240 *annis facere intenderat nunc tandem ad executionem pervenit. — Codex Colbertinus in Catalogo Bib. Parisiensis numerum fert* 5308. *Exemplar Ultrajectinum desumpsit ipse Rosweydus ex Ms. ecclesiæ S. Salvatoris Ultrajecti; habet illud locutiones variantes quandoque longiores: et tum in margine remittetur Lector ad hæc Annotata, ubi recitabuntur. Dictum est in Comm. n.* 62 *Breviarium Zutphaniense Ms. cumh ac Passione apprime convenire.*

b II Nonas Sept. *id est pridie nonas seu die* 4. *Cfr Comm. n.* 22.

c *Cod. Ultraj...* permitteret, hoc ordine Sanctum Justum vocare est dignatus ad Martyrum coronam. Igitur. *Cod. Ultraj.* Dum ergo ipse Justinus quæreret in Autisiodorensi civitate hominem, quem mercede conduceret, oblata ei pecunia, qui secum ad ipsum. E

d Avunculus *medio ævo promiscue sumebatur pro Patruo et hoc sensu occurrit, teste Cangio, in Decretione Childeberti Regis. Ceterum nn.* 3 *et* 5. *Justinianus aperte Justini frater dicitur.*

e *Ambianum, Galliæ civitas episcopalis, veteris Picardiæ caput, vulgo dicta* Amiens (Somme).

f *Autissiodorum in Burgundiæ ducatu, vulgari nomine* Auxerre (Yonne). *Vide Comment. passim.*

g Milidonem Castrum, *alias* Melodunum *gallice* Melun (Seine et Marne), *quod Autissiodoro distat leucis minimum viginti. Non itaque potuerunt eodem die illuc pertingere; et ex errore isto forsitan conficitur Passionem hanc potius Bellovaci quam Autissiodori fuisse conscriptam.*

h *Cod. Ultraj.* tollamus buccellam panis et reficiamus eum et insuper expolians se... statimque pater ejus cœpit. *Deinceps pauciores codicis Ultrajectini variationes adscribentur, siquidem plusculum distant ab originali. Idem fere esto de codicibus Audomarensi et Bertiniano, ex quibus præcipua solum excerpta sunt. Demum ex Colbertino, qui nostro textui proximus est, vix quidquam omissum fuit.*

i Parisius, *indeclinabile, jam in codicibus sæculi noni dicitur obvium esse, nempe in codicibus quibusdam operum Alcuini. Postmodum diu in usu fuit. Vide Glossarium Cangii ad illud verbum.* F

k Isore, *sæpius* Isara, *gallice* l'Oise, *Bellovacensis territorii fluvius est, qui infra Parisios Sequanæ jungitur.*

l Cum eo quos velociter insequentes. *Alii Codices omnes:* cum equis velociter... *quod rectum esse ex contextu patet. Mendum istud nostri Codicis, uti et alia quædam, manifeste indicant Passionem hanc non ab ipso compilatore Passionalis de quo in Comm. n.* 8. *confectam fuisse, sed ex alio Codice exscriptam. Eum vix imperitum amanuensem fuisse, ex vitiis plurimis quæ delenda fuerunt, deprehendimus. Attamen inter omnia exemplaria nostra vetustissimum esse et originali proximum ita probatur ex aliorum Codicum varia emendatione: n.* 5 *ubi noster habet: S.* Justus accipiens caput in manibus suis, posuit in atrium suum et oravit anima ejus, *Ultrajectinus codex, quia hæc verba* posuit in atrium suum *non bene intelligebantur, eadem omisit; Colbertinus mutat:* posuit in humerum suum; *Audomarensis et Bertinianus, qui ita sibi consonant ut videantur unus ex altero exscriptus:* posuit in atrium speluncæ

EX MSS.

luncæ — *n.* 6. Sed dum inter hæc orando cum fleret, *Colbert et Ultraj. habent*... orando fleret; *Audom. et Bertin.* : dum hæc orando compleret — *similiter initio n.* 2 sed contigit ; *ubi sed sensum non habet, C. U. illud omiserunt, A. B. scribunt* : sic contigit. *Nemini tamen in mentem veniet hæc exemplaria immediate ex codice nostro descripta esse, nimia est diversitas vel in sola ratione scribendi nomina propria. Juvat etiam recolere codicem nostrum pertinuisse olim ad Cœnobium Wissenburgense in Alsatia, quamquam eum ibi scriptum esse non constat. Antiquiorem indicavimus in Comment. num.* 8.

m Sirica *nomen est abbatissæ apud Mabillonium* de re Diplomatica. *Existit hodie in pago S.* Justi *fons nomine* puchot *(a veteri verbo* pucher, *haurire) intra septa nimirum pristini monasterii de quo in Comm. nn.* 25,33 *et* 43. *In descriptione quadam illius regionis* (1) *prædictus fons nominatur* la fontaine Syrique, *quæ tamen appellatio non est vulgo nota. Sed constans viget traditio non procul inde S.* Justum *martyrium subiisse, et quidem narratur eum ibi lavisse sibi caput et manus. Ante infelicem annum* 1793 *visebatur ibi sacellum S.* Justo *dicatum, ad*
B *quod peregrinantes affluebant febrium curationem efflagitaturi, dein ad fontem bibebant, lavabant manus, ex eoque aquam hauriebant. Quæ consuetudo fonti nomen hodiernum asseruit et conservavit. In prælaudata descriptione additur anno* 1476 *indulgentiam centum dierum sacellum visitantibus concessam fuisse ; sed nescio cur illud S. Martino dicatum ibi feratur, quod falsum esse, diserte in epistola mihi missa scribit loci Decanus.*

n Aragga, Araya, Arausia *in secunda Passione* Araia, *gallice* Aré, Arre *vel* Aire *fluviolus est, qui intra terras veteris abbatiæ ex variis fontibus exoritur ; sed unanimis est opinio olim originem cum duxisse inter* Plainval *et* Fosse-thibaut, *sub silva* Conatte, *tribus kilometris cum dimidio ultra fontem* Puchot ; *unde hodie fluvioli caput a pristino maxime remotum est. Et ex hoc mirum non foret de fonte Syrica in altera Passione scribi :* Cujus decursum Araiæ rivus excipit. *Nomina propria :* Sirica, Aragga, Sinomovicus *de quo ad secundam Passionem, nomen etiam matris S.* Justi Felicia *in Passione metrica omittuntur.*

o *De miraculo gestati capitis, vide n.* 26. *Omissum fuit in Breviario Parisiensi anni* 1736, *in*
C *cæteris vero servatum.*

p *Rictiovarus Ambiani fuit anno* 287, *S. Amator vero a* 388 *ad* 418 *sedem Autissiodorensem tenuit. Quomodo hæc videantur posse componi vide in Comm. n.* 27.

p Cursus matutinus, *cum paulo inferius de hora tertia noctis sermo sit, officium nocturnum videretur significare ; sed sæpius pro ea parte quam* Laudes *dicimus usurpatum est.* Cursus matutinarius B. Mariæ *legitur apud Hugonem Flaviniacensem ad an.* 951. *In altera Passione* hymni matutini, *in Malmundariensi* matutinæ laudes *indicantur. Cfr Martene* de Antiqua Ecclesiæ disciplina *cap.* 7.

(1) Statistique du canton de S. Juste, par M. Graves, 1835.

D

ALTERA PASSIO
S. JUSTI PUERI,
Secundum tria Legendaria Bellovacensia a. a

Caput unicum.

S. Justi patria et parentes ; liberatio Justiniani patrui ; martyrium ; sepultura ; ecclesia.

Prologus.

Ad morum ædificationem et virtutum incitamenta Beatorum Martyrum certamina fidelibus proponuntur, ut quos per temporales cruciatus E vivere cognoscunt, eos per exercitia laborum ad gaudia æterna devotius subsequantur. Neque in hujusmodi agone cuiquam vel sexui vel ætati suum deest exemplum, cum non solum viri sed et fœminæ et pueri ad martyrii palmam cucurrisse legantur ; de quorum numero beati pueri et martyris Justi natale veneramur, qualiter eum mater Ecclesia Domino per martyrium peperit, et quomodo de angustiis cruenti sæculi victor elapsus, veram lucem in æternum victurus intravit.

S. Justus patria Autissiodorensis, cum patre Justino b

2 Hic apud urbem Autissiodorum clara satis prosapia *b* in tenera ætate virtutum floruit maturitate ; cui ab infantia spiritualibus intento cum in dies profectum gratia Dei tribueret inter alia obtinere meruit ut etiam plerumque futurorum præscius existeret. Pater ejus Justinus, mater Felicia dicebatur, digni qui talem generassent, qui Justus nuncupari mereretur. Huic itaque Justino frater erat vocabulo Justinianus, qui furtim de civitate illa puer sublatus fuerat et Ambianum Galliæ urbem deductus, ac negotiatori cuidam Lupo nomine venumdatus in servum. Quam rem ea tempestate, et longinqua regio et annorum numerositas ita penitus F deleverat ut nullus indigenarum de illa proferret indicium. Sed cum jam Dei clementia sanctissimi pueri Justi innocentiam per opera pietatis disponeret perducere ad coronam martyrii, nono ætatis suæ anno, superna visione docetur quomodo patruum inquireret ac redemptum populo suo restitueret.

pergit Ambianum ad redimendum Justinianum patruum.

3 Quod ubi parentibus retulit et quod sibi cœlitus injunctum fuerat perficere statuit, cœperunt ei pater et genitrix obsistere, ne, si unicum suum ignoto itineri crederent, casu accidente, ut assolet, periclitaretur. Quorum dissuasionibus puer Domini aurem non applicat, sed patrem ut se deducat hortatur, Deum sibi ductorem adesse confidens, qui sperantibus in se numquam desinit auxiliari. Animadvertens autem pater rem divinitus agi, tandem non invitus filio assentit, et post aliquot dies sumptis in via necessariis, providentiæ Christi se committentes pariter profecti sunt. Ut autem venerunt ad Militunense castrum, cæci et claudi in ipso portæ introitu alimoniam ab eis vociferando petebant. Quibus esca refocillatis, benignus puer tunicam sibi detraxit et unum quem inter alios veste carentem aspexit, ejus inopiæ compatiens,

A tiens, induit. Quamobrem cum argueretur a patre, quod alteram non habens suam inopi tribuisset vestem, ejus indignationem prophetico mitigavit testimonio : Beatus vir qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Lupo, viro christiano servientem.

4 Digressi vero ab oppido, cœptum iter properantes, devenerunt Parisius, ubi eos quidam Hypolitus homo religiosus susceptos hospitio benigna sedulitate tractavit; inde recepto tramite cum ad Isaræ fluenta venissent gratis a portitore transpositi properato itinere pervenerunt Ambianos. In hac urbe tyrannus quidam Rictiovarus a principibus Romanis consecutus præfecturam, adeo in Dei cultores suam exercebat tyrannidem ut crudelitas ejus nihil magis sitiret quam christianorum cruorem; quapropter et suis imperaverat ut sicubi Christicolam invenirent aut protinus suæ audientiæ sisteretur aut gladio trucidaretur. Erant tamen in eadem urbe Christiani, sed propter ejus metum occulti, quorum unus erat memoratus negociator Lupus, ad quem accedens puer beatissimus et pater ejus exposuerunt cur venissent; orantes ut recepta pecunia fratrem illorum a servitutis jugo solveret et ad patriam redire permitteret. Tunc B Lupus, quum didicisset quod christianæ religioni deservissent, nutu divino factus eis benevolus, ut ad ejus hospitium nocte illa declinarent præcepit, pollicitus se illis omnem domus familiam ostensurum et si interesset quem quærebant, servi prætium adnumerarent sibi et haberent copiam reducendi.

Justinianum recuperant; sed Rictiovari exploratores

5 Introgressis igitur domum omnes suos sicut spoponderat exhibuit famulos et quis eorum propinquus existeret intueri concessit; cumque puer sanctusque martyr futurus oculos circumferret, vidit quemdam assistentem cum accensa lampade atque hunc esse quem quærebat recognovit germanum. Unde vehementer stupor omnes qui aderant invasit, quomodo illi fuisset revelatum, cum etiam pater ejus qui provectæ esset ætatis hoc ignoraret. Interea qui forte aderant exploratores suggesserunt præfecto advenisse in domum Lupi peregrinos ritu christiano viventes; quo audito : Observate, inquit, ne ab urbe discedant donec meis obtutibus puniendi offerantur. At Lupus noctis tempore de salute hospitum sollicitus excitatos secreto admonuit, et ut fugam maturarent suasit, vererique se ne opera delatorum tyranno proderentur, C si crastinam expectarent auroram; et ne diutius moras innecterent, propinquum quem reposcebant absque redemptione illis dimisit et repatriare concessit. Recepto igitur fratre, semitam ocius ingressi observatores præsidis fefellerunt; qui mane facto Lupi domum irrumpentes, quos ibi viderant sero, ab eo violenti exigebant; postquam vero illos fugisse certum tenuerunt, confusione pleni suo retulerunt principi.

eos insequuntur, et in Sinomovico, ua fontem Siricam

6 Ad hæc infremuit tyrannica rabies et tanquam e faucibus raptos esse vehementer ingemuit. Quid statis, intonat? Cur non eorum vestigia cursu velocissimo premitis? Paretur ergo jussioni diabolicæ et post Christi famulos persecutorum frena laxantur. Viri autem christiani fines Ambianensium excesserant et in Belvacensi territorio jam posuerant gressus. Est locus antiqua appellatione c Sinamovicus *c*, ubi fons dictus Syrica exoritur, cujus decursum Arajæ rivus excipit. Hic propter loci amænitatem et opportunitatem aquæ fessos artus recreare et cibum sumere decreverunt. Sed puer beatissimus sacro spiramine afflatus quid sibi immineret præsensit, nec eum insectatio carnificum potuit latere qui cuncta videntem corde gerebat, totusque jam in cœlestibus membra mox interitura corporali esca reficere noluit, cujus homo interior rore superno alebatur; parentibus itaque dixit : Absque dilatione vires cibo revocate; judicis enim tortores nos cum impetu insequuntur qui nos aut vinculis arctatos reducant aut gladio feriendos objiciant; interim ego editiore loco stans in specula, si eos ingruere perspexero, in speluncam quæ adjacet ut occultemini significabo. EX MSS.

S. Justum

7 Dixerat hæc et ecce visis persecutoribus ut sese occulerent suasoriis compulit verbis. Haud mora carnifices furibundi adveniunt et ubi sint alii percunctantur, atque ut eorum latebras puer detegat tormenta minando imperant. Quibus sedato pectore imperterritus dixit : Quod mibi præcipitis in sancto prohibetur euangelio, nam Dominus tentus a Judæis discipulos voluit liberare quam perdere; verum de me ipso vobis respondeo, Christianus Christum confiteor, cujus servos et cultores vestra insania persequi et affligere non timet. Puer, inquiunt, obmutesce ne pro tua stultitia vapules vel forsitan gladiis nostris occumbas. Non stultitiam, ait Justus, sed sapientiam quæro; illi vero stulti sunt et rei qui vestro obtemperantes principi idola omni sensu carentia adorant, et E plasmatorem suum fugientes quæ ipsi finxerunt venerantur, quibus digna inferetur ultio cum pro tanta nequitia igne perpetuo cremabuntur, ut semper ardentes non deficiant, sed magis innoventur ad pœnam.

truncant capite :

8 Talia eo perorante, unus carnificum, cæteris hortantibus ut in protervum puerum Diis et præsidi convicianlem ulcisceretur, manum capulo aptat et se ad occisionem innocentis præparat. Tunc ab æthere vox audita fuisse perhibetur quæ devotum Christo puerum confortans ad passionis tolerantiam, retributionis illi gloriam pollicetur. Inde cum roboranti se Domino gratias egisset, speculator elatus in jugulum paratam cervicem ense truncavit *d*. Amputato ergo Sancti capite, truncum corpus sumens illud manibus, immobile perdurabat; et lingua palpitans, ac si integro vigeret in corpore, Deo supplicans ut sese respiceret eloquebatur. Comites etiam absconditos et ultra quam dici possit admirantes, postquam hujus horror miraculi persecutores fugatos abegerat, ubi eum sepelirent edocuit, et ut caput genitrici pro consolatione deferrent monuit eique dicerent si filium cernere desideraret eum sequi ad supernam Hierusalem studeret. F Confestim lucis æthereæ coruscatio eum circumfulsit et cum luce pariter ad cœlos migravit. d

ibidem ejus corpus reconditur.

9 Hac morte pretiosa resolutus virginitatis et innocentiæ stola indutus, comitatu angelico insignis, regis æterni conspectibus præsentatur sine fine cum eo regnaturus, eorum procul dubio sociatus collegio qui cum mulieribus non sunt coinquinati et sine macula sunt ante thronum Dei et sequuntur agnum quocumque ierit. Parentes namque sanctum corpus colligentes, quomodo et ubi jusserat, reservato capite, tumulaverunt. Erat spelunca intra quam ædificii antiqui fundamenta latebant in quibus congruum exciderunt monumentum et in eo sacram martyris glebam diligenter composuerunt, ubi postea crescente religione christiana nominis ejus basilica exstructa est in qua patrociniis ipsius divina exuberant beneficia *e*. e Sed ut majore confluentia populi frequentaretur elapsis multorum annorum curriculis ossa ejus Bellovacum honore debito deportata sunt et in sacrario B. Petri sepultura honorifice vallata. Post funus Christi martyris et exequias prout rei copia dictabat

EX MSS.

dictabat celebratas, propinqui ejus sanctum caput mundis involutum linteaminibus ad patriam detulerunt secum.

Caput vero Autissiodorum ad matrem Feliciam defertur

10 Ingredientibus autem illis domum Felicia Sancti mater gaudens obvia procedit et filium, quem non videt, inquirit. Cui postquam rem ut erat gesta enarraverunt, vix se præ gaudio ferens, sumpto reverenter capite, lacrimarum inundatione perfusa tandem hæc protulit verba : Tibi, Christe, laus et jubilatio qui dignatus es recipere filium meum, et tu, Beate Juste fili mi dulcissime qui Christi regnum intrasti, ibi mei memor esto in tuis suffragiis. His dictis sacratissimum pignus syndone obvolutum candido et theca repositum idonea, nocte suam terris inducente umbram, a laquearibus domus interioris suspenderant et accensis luminaribus insomnem ducentes noctem sacris insistebant vigiliis, cum repente fulgor nimius cœlo delapsus, nocturnas depellens tenebras, ædes in quibus ille magnus thesaurus dependebat, perlustravit claritate, et non ædes tantum, sed et urbis totius ambitum, ut hæc cernentibus daretur intelligi, quanto radiaret splendore in cœlis cujus membra divino lumine revelabantur in terris.

B

ibique dum a S. Amatore episc.

11 In illis diebus pontifex Sanctus Amator nomine in civitate Dei populo præsidebat, hic venerabilis antistes, cum matutinos decantaturus hymnos maturius surrexisset, vidit qualiter hujusmodi lux super domum Justini effulserit et dilataverit se per civitatem reique ignarus vehementer obstupuit : convocatis ergo fratribus retulit quid vidisset atque ut luminis causam celeriter euntes investigarent mandavit, perrectum est illico ac ministris ecclesiæ pretiosa margarita reseratur, quia lux in tenebris occultari nequivit sed aulam Christi inhabitantibus effulsit. Ac ubi quæ in via gesta erant didicerunt cum ingenti admiratione regressi venerando indicaverunt præsuli qui maxima cordis alacritate Domino gratiarum persolvit actionem, qui tempore sacerdotii sui tantis decorasset mirabilibus. Inde vero plebis clerique magna comitatus cæterva, cum vexillo crucis thuribulis et luminaribus et cætero sanctæ religionis apparatu processit, et Martyris caput impositum feretro ad matris ecclesiæ *f* gremium deportavit.

f

12 Is autem Dei sacerdos monumentum sibi in eadem exstruxerat basilica quod multis conditum aromatibus Sancti Martyris dedicavit sepulturæ. Sed Deus omnipotens sanctas collocantibus reliquias aliud prodidit indicium, illum vivere in cœlo cujus caput tegebant sepulcro. Erat namque puella quædam annos nata sexdecim, habitatoribus loci fere omnibus nota, quæ inter frequentiam populi circumstantis fidei radiis illuminata Martyris propinquat tumbæ et sic ejus indulgentiam precatur : Inlumina, Sancte Martyr, intercessione tua tenebras meas qui æternæ jocunditatem claritatis intrare meruisti. Ad hanc vocem oculi ejus aperti sunt et quantam in corde fidem habuerit inluminata facies demonstravit. Tunc cum ipsa in Dei laudibus omnis populus acclamabat et ejus magnalia confitebatur qui ita Sanctos suos mirificat ad gloriam et honorem nominis sui quod est benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

honorifice reconditur, puella cæca visum recipit

ANNOTATA.

a *De hac Passione cfr Commentarius prævius numm.* 8 *et* 9.

b *Ita etiam habet Passio Malmundariensis; antiquissima vero Acta id non adstruunt. Arbitratur Tillemontius* (1) *ex Actis metricis facile deduci posse parentes fuisse pauperes. Quumautem olim multum studium positum fuerit in tribuenda generis nobilitate Sanctis, pronum est æstimare* claram *S.* Justi prosapiam *commentitium ornatum esse.* E

c *Secundum Louvet* (2) Sinomovicus *suo tempore dicebatur* Oremus *et constabat ex tribus aut quatuor domibus, quas nunc jam non amplius exsistere monitus fui. Attamen loco remansit nomen* Pré d'Orémeaux *et distat trecenta et quadringenta metra ab ultimis domibus Villæ S.* Justi, *versus* Plainval *juxta viam quæ ad montem Desiderii* (Montdidier) *vergit.*

d *Statuit Louvet* (3) *S.* Justum *occisum fuisse inter Sinomovicum et hodiernam S.* Justi *Villam.*

e *Hic, ut annotat Stephanus de Nully, desinebat S.* Justi *Passio in Legendario S. Symphoriani Bellovacensis.*

f *Cfr Commentarius prævius num.* 28.

(1) Mémoires, t. IV, p. 541.— (2) Hist. du Beauv., p. 499.— (3) Ibid., loc. cit.

C F

DE SS. MARTYRIBUS AFRIS

LUCIO, VICTORE, DASIO, LEUCIO, VICTORICO, BERESO EPISC., VICTRICE, FAUSTINO VEL FAUSTINA ET MARTIALE.

A. T.

SYLLOGE HISTORICA.

SÆCULO III VEL INITIO IV.

Horum Sanctorum nomina varie

In *Kalendario Carthaginensi apud Mabillonium* (1), *post consignatam ad diem* XVI *Kalendas Novembris Sanctorum Bolitanorum memoriam, mox sequitur illa annuntiatio :...* Kal. Nov. Sancti Leuci et Victurici martyr., *vel, ut Ruinartius* (2) *et Münterus* (3) *ediderunt :...* Kal. Nov. Sancti Luci et Victurici martyrum. *In qua quidem annuntiatione notam numeralem, quæ deleta erat, non aliam quam* XV *fuisse existimandum est ; quandoquidem ad hanc ipsam in qua versamur diem* XV *Kalendas Novembris iidem quoque SS.* Leucius *seu* Lucius *et* Victoricus *cum pluribus aliis Martyribus Afris comparent in Martyrologio Hieronymiano, ex quo eos omnes Morcellus in suo Martyrologio Ecclesiæ Africanæ ita recenset* (4) : In Africa SS. MM. Lucii, Victoris, Dasi, Leuci,

(1) Vet. Analect., p. 166 nov. edit.— (2) Act. Mart. sinc., p. 619. Edit. Amstelod. — (3) Primord. Eccles. Afric., p. 255. — (4) Afric. Christ., vol. II, p. 373.

Victorici,

A Victorici, Beresi episc., Victricis, Faustinæ, Martialis. *In his fœmininum* Faustinæ *nomen, quod habet codex Epternacensis seu Antverpiensis* (1), *nescio cur Morcellus adoptaverit præ masculino* Faustini, *quod in codicibus Lucensi* (2), *Blumiano* (3) *et Corbeiensi* (4) *legitur; nisi forte ad id motus fuerit proximo* Victricis *nomine, pariter fœminino. Porro* Victoricis *pro* Victricis, *sicut et* Boresi *pro* Beresi, *scribit Lucensis, a cæteris codicibus hac scriptione dissonans. Epternacensis vero, ubi alii tria* Dasi, Leuci, Victorici *nomina perhibent, horum loco mendose, ni fallor, profert duo tantum* Dasilæ, Gesarici.

in variis fastis recensita.

2 *Inter Martyrologia Hieronymiana contracta ad calcem Junii nostri a Sollerio edita Labbeanum post alios hujus diei Sanctos* (5) *meminit etiam* Beresi, Dasi *et* Leuci, *sed male interposito inter duos priores Eutyce sive Eutyche, qui Januario antea nominato conjungi debuerat; sicut et Januario Eutychique competit loci designatio Potioli (id est, Puteolis), quæ ibidem inter Hermetis et Justi nomina perperam ponitur, ac si Sanctus aliquis Potiolus esset designandus. Hæc autem quæ sunt in Labbeano sphalmata, eadem prorsus videre est in Gellonensi* B *apud Dacherium* (6), *ubi præterea notanda est erronea scriptio* Bereſi; *nec dissimilis inordinatio cernitur in Augustano Sollerii* (7), *in quo solus ex nostris Afris memoratur* Beresus, *omissa mentione* Dasi *et* Leuci. *Auctarium Bedæ Barberinianum annuntiationi Januarii et Eutychis subjicit* (8) : Et alibi Victricis, Marcialis. *Similiter Grevenus, relata Januarii et Eutychis (qui* Citricis *nomine per mendum typographicum in utraque editione annorum* 1515 *et* 1521 *appellatur) memoria, ait* (9) : Item Victricis, Marcialis; *atque insuper, interjectis Victorino et Hermete tamquam Nicomediæ passis, ad extremum addit :* In Aphrica Victoris et Fausti, *quem* Faustinum *esse verisimile est.*

Inter eos Leucius seu Lucius et Victoricus

3 *Jam vero de plerisque his martyribus nihil habeo quod dicam; neque illud quidem certum mihi appareto mnes ad unam eamdemque classem pertinere; sicut etiam dubius hæreo utrum solus S.* Beresus *fuerit episcopus, an vero idem titulus pariter conveniat quinque illis qui ante eum nuncupantur. Abest* Beresus *a Morcelliano episcoporum Ecclesiarum Africanarum catalogo* (10) ; *neque ullus hujus nominis Sanctus præter hodiernum in fastis Sanctorum mihi obvius fuit. Sanctos Dasios inibi reperire* C *est ad* v *Augusti,* IV, XX *et* XXI *Octobris ac* XX *Novembris, sed patria aut palæstra diversos* (11), *ita ut nonnisi unum hunc inter Sanctos Africæ* Dasium *invenerim, qui hodie commemoratur. Cætera vero antea relata nomina, ut cuique Martyrologia aut opus nostrum aliaque opera hagiologica pervolventi facile patebit, singula Martyribus et episcopis Africanis permultis communia sunt. Hæc igitur de SS.* Bereso *ac* Dasio *in specie et de quinque aliis in genere animadvertisse satis habens, de* Leucio *tantum ac* Victorico *Kalendario Carthaginensi inscriptis paulo plura disseram, vel potius ab aliis dicta discutiam, oportet.*

ab homonymis Carthaginensibus

4 *Nimirum Mabillonius in adjecta ad Kalendarii illius annuntiationem jam a me relatam annotatione* (12), *sin minus aperte adstruit, saltem innuere videtur Sanctos hosce* Leucium *seu* Lucium *et* Victoricum *eosdem esse qui cum Montano, Juliano, Flaviano aliisque non diu post S. Cyprianum, cujus discipuli fuerant, illustre martyrium fecerunt, insertique sunt Martyrologio Romano ad diem* XXIV *Februarii, ad quem Acta passionis eorum Surius et Henschenius edidere, quæ Baronius* (13) *et Ruinartius* (14) *quoque exhibent. Annotatio illa Mabillonii Castellanum deinde impulit ut in Elencho hagiologico ad calcem Martyrologii sui Lucio ac Victorico Carthaginensibus non solum dies* XXIV *Februarii et* XXIII *Maii, ut in corpore Martyrologii jam fecerat* (15), *sed insuper diem* XVIII *Octobris assignaret* (16) : *neque enim dubito quin ad nomen Victorici errore typographico posita sit nota* 8 *pro* 18. *Diserte item Morcellus ad eum de quo agimus locum Kalendarii Carthaginensis* (17) : Lucius et Victoricus, *inquit,* e clero Carthaginiensi Martyres cum aliis insignes, de quibus superius scripsimus; *et remittit ad ea quæ de Montano cæterisque jam laudatis S. Cypriani discipulis scripserat ad annum* 259 (18) : *quam sententiam ex Mabillonio et Morcello suam quoque facit Münterus* (19).

A. T.

die XXIII *Maii verisimillime passis*

5 *Verum ab hisce scriptoribus dissentit Ruinartius in Admonitione quam Passioni SS. Montani et sociorum præmisit; ubi hunc in modum loquitur* (20). Eorum vero festum cum Romano alia etiam Martyrologia ad diem XXIV Februarii assignant... Quamquam Lucii et Montani natale non solum Martyrologia quædam, sed ipsum etiam vetustissimum Carthaginense Kalendarium decimo Kalendas Junii memorant; cujus certe Kalendarii auctoritas quibuslibet aliis præferri debet. Ibi etiam Flaviani passio VIII Kalendas Junii, quod Actis ipsis consentit, celebratur... De Juliano autem et cæteris nihil habet. Nam Leucus seu Lucius et Victoricus de quibus agit... Kal. Novembris, ab his videntur esse diversi qui in his Actis memorantur. *Ac re quidem vera, quum ex Actis ipsis constet SS. Montanum, Lucium, Julianum ac Victoricum biduo ante Flavianum coronatos fuisse, longe probabilissimum est natales eorum dies esse ipsos quos Kalendarium Carthaginense, servato illo bidui intervallo, ita signat* (21) : x Kal. Jun. Sanctorum Luci et Montani, *et* VIII Kal. Jun. Sancti Flaviani et Septimiæ. *Idque adeo non solus censuit Ruinartius, sed censuerat ante eum Papebrochius* (22), *atque ante Papebrochium Mabillonius ipsemet in duplici ad dictum Kalendarium annotatione* (23) *ita sibi videri haud obscure significaverat; hisque accessere Castellanus, qui rem hanc tamquam certam asserit* (24), *et Morcellus, cujus hæc sunt verba de passione S. Flaviani* (25) : Peracta hæc fuisse VIII Kal. Junias ex Kalendario Carthaginiensi novimus, in quo et cæterorum Martyrum memoria x. Kal. easdem celebratur, id est biduo ante Flaviani martyrium, quod et Martyrologia antiqua confirmant; *quibus verbis consona scribit idem Morcellus, ubi Sanctos Kalendario illi mense Maio insertos enumerat* (26). *Adde Münterum, qui Mabillonii annotationes, citato simul Morcello, in compendium redegit* (27).

E

F

distinguendi videntur.

6 *Si ergo Kalendario, quo, ut fert titulus ei præfixus,* continentur dies natalicіorum Martyrum et depositiones Episcoporum, quos Ecclesia Carthagenis anniversaria celebrat, *S. Lucius Cypriani discipulus nominatim cum Montano socio fuit inscriptus ad illum ipsum diem qui, Mabillonio, Castellano, Morcello et Müntero non diffitentibus, imo potius asserentibus, verus natalitii ejus dies fuisse videtur;*

(1) Apud Florentinium, Vet. Occid. Eccl. Martyrol., p. 923. — (2) Ibid. — (3) Ibid., p. 1069. — (4) Ibid., p. 923, et apud Dachery, Spicil., t. II, p. 20, nov. edit. — (5) Pag. 29. — (6) Tom. cit., p. 35. — (7) Pag. 22. — (8) T. II Martii, p. xxxv. — (9) Cfr Sollerius in Martyrol. Usuard., p. 610. — (10) Op. cit. vol. I, p. 377 et seqq. — (11) Cfr t. II Oct., p. 412. — (12) Loc. cit., not. b. — (13) Ad an. 262, t. III, p. 107 et seqq. Edit. Luc. — (14) Op. cit., p. 230 et seqq. — (15) P. 97 in margine, item, p. 257. — (16) P. 1151 et 1180. — (17) Op. cit., vol. III, p. 265. — (18) Vol. II, p. 153 et seqq. — (19) Loc. cit., not. 33. — (20) Loc. cit. — (21) Apud Mabillonium, p. 164. — (22) T. VI Maii, p. 25 et 26. — (23) Loc. cit., not. l et m. — (24) Loc. cit. — (25) Vol. II, p. 157. — (26) Vol. III, p. 263. — (27) Op. cit., p. 252 et 253, not. 11 et 12.

haud

A. T.

haud equidem concipio qua ratione hi scriptores sibi in animum induxerint eumdem rursus Lucium inibi commemorari ad alterum anni diem, nempe XVIII *Octobris: præsertim quum nullum aliud, ut arbitror, exemplum in hoc Kalendario existat unius Martyris duobus anni diebus ab ecclesia Carthaginensi culti. Sane quod* Victoricus *hoc loco adjungitur* Lucio, *quemadmodum et Lucius mense Maio passus Victoricum quemdam habuit socium, id sufficere ad identitatem utrorumque comprobandam nemo dixerit. Ut enim taceam tam Lucii quam Victorici nomina fuisse apud Afros frequentissima, reliqui certe martyrii consortes utrobique recensentur diversi: mense Maio Montanus, Julianus, Flavianus, cum concaptivis, sed alio tempore passis Primolo, Reno, Donatiano, item Victore, Successo, Paulo, Quartillosia cum marito et filio; mense vero Octobri, ut supra visum est,* Lucius, Victor, Dasius, Beresus, Victrix, Faustinus *aut* Faustina, Martialis, *quos si non omnes (id quod dubium mihi esse jam professus fui), saltem aliquos una cum* Lucio *et* Victorico *agonem suum complesse credibile est. Quare Ruinartio binos illos SS. Martyres homonymos inter se discriminanti assentiendum reor. Quod vero ad tempus martyrii eorum attinet, quandoquidem nihil de hoc certi reperiatur, visum est generali locutione sæculum tertium vel quarti initium indicare, uti ad hesternum diem de Martyribus Bolitanis feci.* D

DE SS. LUCIO VEL LUCA,

ET VICTORINO VEL VICTORINA AUT VICTORIA,

ITEM DE S. AGNETE VIRGINE,

MARTYRIBUS, PARTIM AD OSTIA TIBERINA, PARTIM NICOMEDIÆ.

B E

A. T.

SYLLOGE HISTORICA.

SÆCULO III VEL IV, AUT UTROQUE.

Horum Sanctorum

In Nicomedia Luci, Victorini, *annuntiat hodie Martyrologium Hieronymianum Florentinii* (1); *dein, interpositis Hermete et Taxio Axiopolitanis, de quibus alia in Sylloge agimus, idem Martyrologium ait :* Et justa Porta Romana passio S. Agnetis Virginis. *Blumianum seu Weissemburgense* (2) : In Nicomedia Lucæ, Victorinæ.... Et juxta Porto Romano passio S. Agnitis Virginis. *Corbeiense* (3) : In Nicomedia Lucæ, Victurinæ, Justini... Et juxta Portum Romanum passio S. Agnetis Virginis; *quæ* Agnetis *annuntiatio pariter extat in Corbeiensi parvo apud Martenium et Durandum* (4). *Antverpiensis sive Epternacensis codicis lectio, prout eam initio exhibet Florentinius,* C *ita habet :* In Nicomedia Agnæ. In Ostea civitate Puteolis Januarii et Euticii, *etc., ut prorsus ibi* Lucius *et* Victorinus *prætermissi esse videantur. Verumtamen hunc defectum non fuisse in ipso codice, sed vitio transcriptoris aut typothetæ factam esse mutilationem, satis patet ex Florentinii annotatis: etenim in his pronuntiat* (5) *Antverpiensem codicem circa Sanctos de quibus modo agimus, minus quam cæteros codices luxatum videri; item ait :* Cum vero pro Porta Romana in Lucio et Victore *(seu* Victorino) Ostiam civitatem retineat M. Antverpiense; *ac rursum :* M. Antverpiense inter Ostienses Taxum enumerans *etc. Ex quibus conficitur in prædicto codice illa fere verba de Sanctis illis extitisse :* In Nicomedia Agnæ. In Ostea civitate Lucii, Victorini, Taxii. *Taxius autem Hermeti jungendus fuerat, utpote cum eo passus Axiopoli; quum contra codex Antverpiensis, ut alibi dicam, Axiopoli ponat SS. Lucam Evangelistam, Philippum et Hermetem. Et quod de his tribus cum Antverpiensi convenit Martyrologium Richenoviense* (6), *item de* Agnete *eidem consonat sic ;* In Nicomedia Agnæ. *In aliis quibusdam fastis, puta Augustano* (7), *Labbeano* (8), *Gellonensi* (9), *mera extant* Lucæ *sive Evangelistæ sive Martyris,* Victoriæ *aut* Victuriæ *atque* Agnetis *Virginis nomina. Grevenus* Victorinum *cum Hermete quodam diverso ab Axiopolitano conjungit, palæstram designans Nicomediam* (10).

2 *De hisce omnibus, quæ nemo non videt esse perturbata admodum, afferam Florentinii judicium, conantis ea ad ordinem quemdam saltem aliquatenus probabilem revocare. Præmonitum autem lectorem velim verba aliquot ex textu Florentinii per sphalma verisimiliter typographicum videri excidisse; quæ ego inter uncinos ea ratione restituam ut mens scriptoris, quoad eam assequi potui, accurate repræsentetur. Ita igitur ille* (11) : Verendum hic est ne qui Martyrologium vetustius concinnavit vel ex vetustiori autographo excepit, Agnetem Romanam celebrem Martyrem prope Romanam portam sepultam recogitans, et pro Portu Romano Romanam Portam legens, Agnem sive Agnetem ab urbe sua Nicomedia removerit et juxta Portam Romanam accommodaverit, duplici errore: primo quod Lucium et Victorium Martyres, Ostiæ vel juxta Portum Romanum veneratos, Nicomedienses [fecerit; secundo quod Agnetem Nicomediensem] Romæ juxta portum vel portam indicaverit. In hoc vetustissimum Antverpiense minus luxatum videtur, et unicum emendationis nostræ auctorem proferimus. F

notæ quidem ambæ palæstræ,

3 Si quis vero lectionem potius nostrorum codicum et M. Corbeiensis sequi velit, et post Lucium et Victorinum Nicomedienses, Hermetem et Taxium Axiopolitanos, in aliis editis Martyrologiis prætéritos ac in Antverpiensi aliter signatos, Agnetem

dubium vero est

(1) Vet. Occid. Eccl. Martyrol., p. 923.—(2) Ibid., p. 1069.—(3) Ibid., p. 923, et apud Dachéry. Spicil., t. II, p. 20 nov. edit. — (4) Thes. Anecd., t. III. col. 1584. — (5) Pag. 925. — (6) Apud Sollerium, ad calcem Junii, p. 13. — (7) Ibid., p. 22. — (8) Ibid., p. 29. — (9) Apud Dachéry, tom. cit., p. 35. — (10) Cfr Sollerius ad Martyrol. Usuard., p. 610. — (11) Pag. 924 et 925.

Romanam

A. T.

A Romanam hic recoli contendat; ex tantis ubique D. Agnetis reliquiis sciat dubitatum esse an plures fuerint sub hoc nomine Martyres, et aliquas adduxisse Bollandum ad diem XXI Januarii cap. de Reliquiis Agnetis (1). Aliam quidem Romanam Martyrem indicarent verba M. Corbeiensis: « Juxta » Portum Romanum passio S. Agnetis Virginis »: de celeberrima quippe Agnete nusquam legitur quod martyrium compleverit juxta Portum Romanum. Eamdem tamen esse celebriorem non pugnarent verba illa in nostris codicibus addita: « Juxta Porta Romana passio S. Agnetis Virginis »; quoniam præcipua ejus basilica juxta portam Viminalem Constantiæ Augustæ jussu erecta in ipso urbis prospectu erat, ibique sepulta venerabatur, ut Prudentius cecinit in Peristeph. Hymno XIV:

« Agnes sepulcrum est Romulea in domo,
» Fortis puellæ, martyris inclytæ:
» Conspectu in ipso condita Turrium. »

Græci certe non eodem die quo Latini S. Agnetis memoriam recolunt, sed XIV Januarii, XXI *(Januarii)* et V Julii.

ultra

4 *Hæc scribens Florentinius nescio quomodo non* B *attenderit diem* XXI *Januarii esse ipsum S. Agnetis apud Latinos festum, iisque adeo cum Græcis communem: ut proinde discrimen inter utrosque potius in eo sit quod hi memoriam ejusdem Martyris præterea agunt diebus* XIV *Januarii et* V *Julii, illi vero* XXVIII *Januarii, qui est dies S.* Agnetis secundo, *ut notatur in Kalendario Romano. Cæterum Bollando ac Florentinio omnino assentior S. Agnetem quam fasti nonnulli Græcorum ad diem* V *Julii recolunt, eamdem esse de qua iidem Græci agunt ad* XIV *et* XXI *Januarii; quandoquidem carmina Menæorum his tribus diebus unam eamdemque Sanctam verbis iisdem concinunt, et lectio Menologii Basiliani ad* V *Julii non aliud est quam compendium Synaxarii quod ad* XXI *Januarii Menæa de S. Agnete perhibent: de quibus videatur etiam Assemani ad* XIV *Januarii animadversio* (2). *Quare mirum est Pinium nostrum ad diem* V *Julii tamquam de altera S. Agnete scripsisse, cujus patria ac palæstra Martyrii ignota sit* (3). *Sed jam reliqua Florentinii verba audire pergamus.*

utris

5 Neque in Actis quæ S. Ambrosii nomine signata passim prostant, diem certum passionis statuitur. Verum vetustiora Romana monumenta, C quæ adduximus ad diem XII Kal. Febr., constanter illum esse passionis diem asserunt; nec alium conjectandi locum relinquunt nisi diem hunc XV Kal. *(Novembris)* dedicationis basilicæ vel reliquiarum translationis esse juxta portam Romanam, non natalem Passionis. Cum vero pro porta Romana in Lucio et Victore Ostiam civitatem retineat M. Antverpiense, germanam magis lectionem esse suaderet Martyrologii Corbeiensis: « Juxta Portum Romanum »; ubi Ostia Tiberina erant, ut alibi diximus. Nicomedienses Martyres in eodem M. Corbeiensi tres sunt: Luca pro Lucio, Victorina pro Victorino seu Victoria, et Justinus in libris nostris desideratus. Sed Justinus Autissiodorensis Martyr ille fortassis est, cujus Vitam contexuit Beda tomo III operum, et tom. X Surii ad diem XVIII Octobris *(de quo Justino seu potius Justo puero nos quoque hodie agimus)*. Addit etiam supra codices nostros idem Martyrologium cœlitibus Axiopolis Julium; sicut M. Antverpiense, inter Ostienses Taxium enumerans, Philippum superaddit. *Hactenus Florentinius.*

6 *Unde liquet variis hic conjecturis esse locum:* sit assignanda. *vel enim SS.* Lucium *et* Victorinum, *alias* Lucam *et* E Victorinam *vel* Victoriam, *esse Nicomediæ passos, et S.* Agnetem, *aliunde incognitam, Portui Romano sive Ostiis Tiberinis esse deputandam, nisi tamen notissimæ S. Agnetis Romanæ dedicatio aut translatio aut alia quædam celebritas hoc die fortassis occurrerit; vel e contrario* S. Agnetis *hodiernæ palæstram fuisse Nicomediam, Ostienses vero Martyres dicendos esse* Lucium *ac* Victorinum: *quæ quidem posterior conjectura magis Florentino arrisit, nec sane momento suo caret; quamvis fatendum sit non exiguas contra eam difficultates exurgere ex codicum plurium ab Antverpiensi et Richenoviensi in hac re discrepantia. Quæ quum ita sint, litem sub judice relinquere malui; atque idcirco hanc Syllogen tribus Sanctis, quamquam non simul nec eodem loco passis, communem feci, ambas palæstras in titulo adscribens, inscius tamen utra* S. Agnetis, *utra aliorum duorum fuerit. Nec de tempore martyrii utriusque posse certi aliquid statui, quisque facile perspiciet; nisi forte martyrium Nicomediense revocandum alicui videatur ad persecutionem Diocletiani, quam in ea civitate anno potissimum* 303 *et proxime insequentibus sæviisse notum est.*

F

(1) T. II Januar., p. 354. — (2) Kalend. Eccl. univ., t. VI, p. 74 et 75. — (3) T. II Julii, p. 228.

DE SS. HERMETE ET TAXIO MARTYRIBUS

A. T.

AXIOPOLI IN BULGARIA.

Axiopoli, cujus situs ignoratur,

F*uit Axiopolis munitum olim ad Danubium oppidum, sive Scythiæ, sive inferioris Mysiæ* (1), *ubi* milites superventores *habitasse, ac sedem extitisse* præfecturæ ripæ legionis secundæ Herculeæ, cohortis quintæ pedaturæ inferioris, *docet Notitia Imperii* (2). *Cathedram episcopalem ibi fuisse sub metropoli Marcianopolitana existimat Lequien* (3), *dubitante Coleto Illyrici Sacri Farlatiani continuatore* (4), *quum Carolus a S. Paulo* (5) *et Holstenius* (6) *episcopatum illius nominis omnino sileant, neque aliud Lequieno pro eo argumentum suppetat præter titulum episcopi S. Cyrillo Martyri Axiopolitano datum in codice quodam Cassinensi quam ad* X *Maii allegat Henschenius* (7). *Quod attinet ad locum ubi oppidum illud stetit, nomen Axiopolis tamquam hodiernæ Bulgariæ civitatis mappis quibusdam inscriptum cernitur; verum id non secundum exploratam rei veritatem, sed ex aliquot tantummodo geographorum de antiquæ Axiopoleos situ conjecturis, factum esse monet Bruzen de*

(1) Cfr Constant. Porphyrog. de Them., lib. II, t. III Op. p. 47. Edit. Bonn.: Hierocl. Synecd., ibid. p. 391; Bandur et Wesseling. in not. ibid. p. 292 et 410. — (2) Pag. 235 et 236. Edit. Genev. 1623. — (3) Orient. Christ., t. I, col. 1231 et 1232. — (4) T. VIII, p. 112. — (5) Geograph. Sacr., p. 303. Edit. Amstel. — (6) In not. ibid. — (7) T. II Maii, p. 557.

A. 7. *la Martinière* (1) : *quod vero Ptolemæus tradit* (2) *Axiopoli desiisse Danubii nomen, successisse Istri, ne id quidem ad topographiam hujus oppidi multum conducit; quia aliter de hac nominis permutatione loquuntur alii, ut apud Cellarium ac Schwartzium* (3) *necnon apud Coletum supra laudatum* (4) *videri potest. Quare, varias de hac quæstione prolatas sententias* (5) *geographis discutiendas relinquens, illud solum annotabo, quod ad rem sacram spectat, ex tota provincia ecclesiastica Marcianopolitana catholicæ communionis unum præsenti tempore superstitem esse episcopatum Nicopoleos, ad eumque universam Bulgariam nunc pertinere; idque ex ordinatione Pii Papæ VII, qui, ut Coletus docet* (6), *antistitem illi ecclesiæ præfecit Fortunatum Mariam Herculanum e familia clericorum Excalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. J. C., vulgo Passionistarum, cumque simul vicariatu apostolico totius principatus Valachiæ fungi jussit. In Catalogo vero episcoporum catholicorum a cl. Hieronymo Petri sub anni* 1851 *initium concinnato Romæque edito* (7) *notatur Ill. D. Angelus Parsi ejusdem piissimæ Congregationis alumnus, factus episcopus Nicopolitanus et vicarius apostolicus Valachiæ* XXX B *Julii* 1848. *Hujus proinde sacræ ditioni subjacet locus, quisquis sit, ubi Axiopolis vetus fuit.*

passi sunt SS. Hermes et Taxius;

2 *Plures jam Axiopolitanos Martyres commemoravere majores nostri, puta ad dies* XXVI *Aprilis,* IX *et* X *Maii,* V *Augusti et* IV *Octobris. Ad hunc diem* XV *Kal. Novembris Martyrologium Florentinii habet* (8) : In Acxiopoli Hermetis et Taxii, *consentiente Blumiano seu Weissenburgensi* (9). *Corbeiense :* In Axiopoli Hermetis et Taxis, Julii. *Antverpiense sive Epternacense :* In Axiopoli natalis Lucæ Euangelistæ, Filipi Martyris, et Hermetis; *ubi suspicatur Florentinius transpositionem vocum intercessisse, ita ut prius ponendum sit natale S. Lucæ, dein :* Axiopoli Philippi Martyris et Hermetis : *quæ animadversio cadit itidem in Martyrologium Richenoviense Sollerii, quod est ad calcem Junii nostri.* Taxius *vero in jam dicto Antverpiensi Martyrologio ad Ostia Tiberina ponitur cum Lucio et Victorino, ut monet quoque Florentinius* (10), *quamvis primum ex ipso textu illius Martyrologii hæc tria nomina excidere passus fuerit. Augustanum* D *et Labbeanum apud Sollerium, perinde ac Gellonense apud Dacherium* (11) *atque Autissiodorense S. Germani apud Martenium et Durandum* (12), *memoriam* Hermetis *sine loci designatione subdunt Lucæ ac Victoriæ, tacito* Taxio; *sed hunc solum Ottobonianus codex ita annuntiat* (13) : In Axiopolim natale Taxii. *In Auctario Bedæ Barberiniano est ad hunc diem* (14) : In Axiopoli natale SS. Hermetis et Taxii ; *sicut ad hesternum in Usuardino codice Bruxellensi scriptum esse diximus ibi inter Prætermissos. Utraque demum Greveni editio Martyrologii Usuardi ait* : In Axiopoli SS. Hermetis et Rexii, *utique pro* Taxii, *præterquam quod Grevenus mox etiam Nicomediæ Hermetem aliquem cum Victorino ponit.*

3 *Singulare est quod Sanctum quemdam Julium recenset hodie Martyrologium Corbeiense, cæteris omnibus cum prætermittentibus; sicut etiam biduo post Martyribus Nicomediensibus Julium annumerat, quem alii haud agnoscunt fasti, adeoque* non sine suspicione, ut candide fatear, vanæ additionis, *ait ibi Florentinius* (15). *Observandum interim est in ipso illo Martyrologio* Taxium *quidem* Hermeti *conjungi particula copulativa* et, *idem vero de* E *Julio haud obtinere : ut proin hic solus potius stet, vel saltem fueritne palæstra ejus Axiopolis, scriptor Martyrologii dubium reliquisse videatur. Unde de Julio nihil occurrit quod statuere possimus. De Philippo autem Martyre, qui in codice Antverpiensi cum* Hermete *comparet, mihi liceat conjecturam, cui equidem multum momenti attribui nolim, proponere aliquam : nempe hodiernam annuntiationem ex quadam dierum simul ac nominum perturbatione esse forsitan repetendam. Occurrit enim post quatriduum natalis SS. Philippi episcopi, Severi presbyteri, Eusebii et Hermetis Martyrum Hadrianopoli in Thracia. At pro* Hadrianopoli *in Hieronymianis apud Florentinium scribitur* Atriopoli ; *ex qua scriptione incurius vel minus peritus amanuensis satis facile confecerit illam* Axiopoli. *Sic igitur fieri potuerit ut nescio quis S.* Hermeti *hodierno Axiopolitano Philippum adjunxerit Hadrianopoli cum alio Hermete passum* XI *Kalendas Novembris.*

sed non item, ut videtur, Julius ac Philippus.

(1) Dict. geogr., voce *Axiopolis.* — (2) Geogr., lib., cap. VIII. — (3) Not. Orb. ant., t. I, lib. II, cap. V, § XXIV et XXV, et cap. VIII, § LXVI, p. 368 et 468. Edit. 1773. — (4) Illyr. Sacr., tom. cit., p. 211. — (5) Cfr Baudrand, Lex. geogr., voce *Axiopolis*; D'Anville, Geogr., anc. abrég., t. I, p. 307 ; De la Martinière, Op. cit., voc. *Axiopolis, Flotz, Galacz, Tiarantus.*—(6) Tom. cit., p. 105 et 110.—(7) Gerarchia de'la S. Chiesa, p. 139 et 223. —(8) P. 923.—(9) Apud Florentinium, p. 1069. —(10) P. 925. —(11) Spicil., t. II, p. 35 nov. edit. —(12) Thes. Anecd., t. III, col. 1562. — (13) Apud Georgi, Martyrol. Adon., p. 686. — (14) T. II Martii, p. XXXV. — (15) P. 925.

C F

DE S. JULIANO SABA,

EREMITA IN MESOPOTAMIA,

E. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti ab altero Juliano monacho coævo distinctio. Memoria ejus in fastis sacris.

PROBABILITER INTER ANNUM CCCLXII ET CCCLXX. *S. Julianum, de quo Menæa die* XVIII *Octobris agunt,*

Semel iterumque ac tertio monuit Bollandus agendum ad hunc diem fore de S. Juliano Saba. *Nempe quum ad* XIV *Januarii occurreret hæc annuntiatio Martyrologii Romani :* In Syria S. Juliani Sabæ senioris, qui Valentis imperatoris tempore fidem catholicam Antiochiæ pene collapsam virtute miraculorum restituit, *ita in illius diei Prætermissis notavit :* Sed in eodem Martyrologio, et a Græcis in Menologio et Menæis celebratur XVIII Octobris. *Deinde de Juliano Chaba apud Maurolycum et Felicium* XXVII *Januarii scripto ait* : Hic est Julianus Sabas, de quo agemus

XVIII

B. C.

A XVIII Octobris. *Tum advertens a Galesinio atque in Martyrologio Germanico eumdem Sanctum laudari* XXVIII *Januarii, rursus ibi in Prætermissis scripsit :* De eo agemus XVIII Octobris. *Neque vero hoc labore nos Papebrochius exemit, quando ad diem* IX *Junii, ubi in Martyrologio Romano extat memoria S. Juliani monachi a S. Ephrem diacono laudati, hunc a S.* Juliano Saba *haud distinguendum esse suspicatus, conjunctim edidit orationem S. Ephrem de Juliano monacho et Synaxarium de S.* Juliano Saba *ex Menæis Græcorum; ac si ex duobus hisce scriptis, nihil inter se commune habentibus, sed quæ ita accipienda esse arbitrabatur ut quæ alteri deessent partes, ex altero supplendæ essent, integra tandem unius ejusdemque Sancti biographia exurgeret. Haud legerat illa scilicet quæ de S.* Juliano Saba *narravit Theodoretus in Philotheo seu Religiosa Historia. Hæc enim si cum Ephremiana oratione contulisset, facile videre poterat alium hic, illic alium Sanctum commendari. Noster quidem, teste Theodoreto, multos ad speluncam suam monachos traxit diuque tamquam pater ac magister rexit; quumque annos amplius quadraginta in ascesi traduxisset, subinde tamen Dei causa ex eremo egressus, ad hæc dono* B *miraculorum clarus, tandem e vita excessit eo usque senio venerabilis ut inde* Sabæ *cognomen, quod* senem *significat, apud omnes consequeretur. Nihil vero simile de amico suo Juliano tradit S. Ephrem; sed refert eum optimo exemplo inter fratres versatum obdormisse in Domino post annos monachatus, non quadraginta, sed ultra viginti quinque : senem autem fuisse cognominatum, aut miracula perpetrasse, aut ullum iter suscepisse, ne innuit quidem. Cætera persequi omittimus, ex quibus diversitas magis appareat.*

Papebrochius ad IX Junii,

2 *Ansam autem duos Sanctos homonymos confundendi Papebrochio præbuit Sozomenus, cujus hæc a Bollando* (1) *ipsoque Papebrochio* (2) *allegantur verba :* Per idem tempus circa Edessam Julianus accuratissimum genus disciplinæ monasticæ exercuit : qui velut corporis expers, talem vitæ institutionem ac modum secutus est ut carne carere atque ex ossibus solum et cute constare videretur. Quare Ephræm scryptor Syrus tractatum de ejus vita contexuit. *Quæ eadem, sed alia phrasi, a Bollando pariter adducta* (3), *Nicephorus enuntiat. Ac Bollandus quidem, propter mentionem de tractatu S. Ephræm, hæc accepit tamquam de Juliano dicta* C *cujus Vita apud nos die* IX *Junii danda esset, quemque a S.* Juliano Saba *discriminabat, a se jam ter ad* XVIII *Octobris remissum ; at Papebrochius, ulterius progressus, hinc conjicere cœpit id ipsum discrimen esse omnino tollendum : præsertim quum Martyrologium Romanum ad diem* XVIII *Octobris cum Menologio Sirleti ac Menæis* S. Julianum *nostrum collocet* ad ripam Euphratis, *atque alterum Julianum* IX *Junii* Edessæ in Syria, *quæ civitas haud longe a prædicto fluvio jacet ; quumque accedat insuper temporis quo uterque vixit identitas, ut ex anno interitus Juliani apostatæ a S. Juliano divinitus præsciti et anno obitus S. Ephrem Syri evidenter colligitur. Neque suæ conjecturæ obstare Papebrochio visum est quod memorat S. Ephrem consilium Juliano contubernali suo datum fuisse ne extra cellam discendi causa oberrans eremum circuiret, et Menæa e contrario plura S.* Juliani *nostri itinera describunt.* Fieri enim, *inquit,* potest ut idem curiositatis quidem ergo numquam ex cella sua excesserit, consilio salubri parens; aliis tamen justissimisque de causis et discipulos multos suo exemplo attraverit ad cellas ipsi vicinas construendum, et in montem Sinai excurrerit ad ecclesiam ibi fabricandam, et anno CCCLXXII, pulso jam secundum S. Meletio Antiocheno, ad ecclesiam illam solandam accersitus fuerit ; et Cyrum similiter ad compescendam Ariani istic episcopi vesaniam ; ad Regiam quoque ipsam aliquando profectus; ac denique ad priorem juxta Euphratem reversus palæstram, vitam ibi sancte consummarit ipso quo colitur die XVIII Octobris. *Verum, ut jam supra indigitavimus, aliter haud dubie censuisset, si consuluisset Theodoreti Philotheum, nec solo Synaxario fuis et contentus, in quo ut præcipua quidem Vitæ* S. Juliani *capita compendio ex Theodoreto ipso recitantur, alia tamen non pauca ab eodem narrata prætermittuntur, atque errore topographico spelunca* Sancti ad ripam Euphratis *fuisse asseritur, secus ac a Theodoreto fieri postea ostendemus.*

uti jam olim fecisse videtur Sozomenus.

3 *Quod si jam attendamus ea quæ Sozomenus verbis supra citatis adjungit* (4) : Porro Deus opinionem quam de illo homines conceperant, testimonio suo comprobavit, concessa ei potestate dæmones abigendi et omne morborum genus curandi, idque non medicamentis, sed sola precatione ; *quæ omnia* E *S.* Juliano Sabæ *bene conveniunt, nec alteri Juliano, quoad hunc ex S. Ephrem cognoscimus, apte queunt applicari, quamvis ea, uti diximus, Bollandus de hoc Juliano intellexerit : hæc, inquam, si attendamus, est unde suspicio haud immerito subeat ipsum Sozomenum res utriusque Juliani non satis accurate habuisse perspectas, ita ut quæ de celebriore* S. Juliano Saba *audiendo aut legendo didicerat, eadem a S. Ephrem fuisse dilaudata existimasse videatur. Id jam suspicatus fuit Remigius Ceillier, ubi de scriptis S. Ephrem disseruit* (5), *et ante eum Tillemontius, cujus en de hac re judicium* (6) : Sozomenus loquens de S. Juliano cujus historiam S. Ephrem conscripsit, ait eum vitam adeo austeram egisse ut corporis carne ossibusque constantis videretur expers, multaque ei tribuit miracula. Quæ quidem apprime S. Juliano Sabæ congruunt, dum in altero S. Juliano nullam S. Ephrem notat austeritatem quæ valde extraordinaria sit, nullum item miraculum : unde credibile est duos hosce Sanctos a Sozomeno fuisse in unum confusos. Illud quoque quod is scribit, Sanctum de quo loquitur, circa Edessam habitasse, referendum esse reor ad S. Julianum Sabam. Etenim S. Ephrem de seipso F pro eo tempore quo se cum S. Juliano versatum fuisse narrat, ita loquitur ut satis aperte indicare videatur se merum tunc monachum in cœnobio vixisse : jam vero, siquidem S. Gregorius *(Nyssenus scilicet in Oratione de S. Ephrem)* memorat eum Dei nutu ex patria, quæ Nisibis erat, Edessam fuisse deductum, eo quod non conveniret ut sub terra diutius sol occultaretur (7), credere licet eum obscuram illam inter monachos vitam egisse Nisibi potius quam Edessæ; proindeque pro tempore primum monachatui se dedit S. Ephrem, sub imperio scilicet Constantini et Constantii, illum quoque S. Julianum Nisibi aut in vicinia vixisse verisimile est.

cum S. Juliano monacho.

4 *Sane alibi se cum Juliano habitasse quam ubi postmodum Orationem de vita ipsius habuit, satis indicat S. Ephrem illis verbis* (8) : Ἀμέλει καὶ ἐν οἷς ἐκαθεζόμην τόποις μοναχός τις, *id est,* Profecto *(nam Vossius vocem ἀμέλει perperam latine vertit per negligens)* et in iis quibus residebam locis mona-

(1) T. I. Februar., p. 54. — (2) T. II Junii, p. 175. — (3) Loc. cit. — (4) Lib. III, cap. XIV, p. 115. Edit. Cantabrig. 1720. — (5) Hist. des auteurs ecclés., t. VIII, chap. I, art. II, § III, n. 20, p. 72. — (6) Mém. pour servir à l'hist. ecclés., t. VIII, not. VII sur S. Éphrem, p. 740 et 741. Edit. 1713. — (7) Cfr t. I Februar., p. 70. — (8) Oper. græco-lat., t. III, p. 254. Cfr t. II Junii, p. 175 et 176.

chus

E. C.

chus quidam *etc. : ut adeo quod ad topographiam spectat, corrigenda probabiliter sit Martyrologii Romani ad* IX *Junii lectio :* Edessæ in Syria S. Juliani monachi, cujus præclara gesta S. Ephrem diaconus scripsit ; *ubi Sozomenum et Nicephorum sibi duces fuisse Baronius in Notationibus significat. Neque ideo tamen pro* Edessa *illico cum Tillemontio* Nisibim *substituerim ; quandoquidem vel circa Heliopolim apud Libanum, ubi Julianus sub hero gentili servus vixerat, vel alibi terrorum eo contubernali uti S. Ephrem potuit, utpote quem octo annos peregrinando et monasteria visitando traduxisse refert biographus ab Assemano vulgatus* (1). *Cæterum, prout jam indicavimus, probabilem habemus Tillemontii opinionem duos Julianos apud Sozomenum perperam in unum coaluisse ; eo magis quod quæ Sozomenus de S.* Juliano *refert, ea accepisse videtur ex Palladio similia narrante in hunc modum* (2) : Audivi de Juliano quodam in partibus Edessenorum, maximæ exercitationis viro, qui supra modum carnem suam exhausit, ita ut sola ossa et pellem circumferret. Ipse vero dignus est habitus ut usque ad ultimum vitæ finem gratia curationum polleret. *Ubi nemo non videt res easdem alia phrasi narravi ; quibus Sozomenus nihil adje-* B *cerit præter mentionem de tractatu S. Ephrem, de quo Palladius omnino siluit, quamvis paulo antea scripta ejusdem Sancti impense commendasset* (3).

cujus vitam S. Ephrem descripsit.

5 *At tractatus illius sive homiliæ de S. Juliano* Syriacum fragmentum, *teste Assemano* (4), extat apud Philoxenum seu Xenaiam Hieropolitanum episcopum in libro de Uno ex Trinitate incarnato et passo, Cod. Nitriens. 26, fol. 133, ubi inscribitur Ode seu Hymnus de Juliano Saba. Ex quo, *inquit Assemanus*, palam fit Sabæ seu Senioris cognomentum duobus Julianis apud Syros impositum, quorum primus fuit de quo Martyrologium Romanum XIV Januarii : « In Syria » etc., ut fuse narrat Theodoretus in Philotheo... Alter Julianus est de quo idem Martyrologium die IX Junii : « Edessæ » etc., quemadmodum refert Sozomenus lib. III, cap. XIII. An idem Sabæ titulus tertio Juliano monacho tributus fuerit, cujus meminit Martyrologium die XVIII Octobris : « In Mesopotamia » etc., mihi non constat. Certum tamen videtur duos priores Julianos a Sozomeno nequaquam confundi, quemadmodum Tillemontius tom. VIII, pag. 740 conjicit ; quum Julianus ab Ephræmo C laudatus, de quo Sozomenus loquitur, nihil commune præter nomen habeat cum Seniore illo quem Antiochiæ fidem catholicam erexisse Theodoretus affirmat. *Ita vir doctus ille quidem; verum rebus, ut videtur, parum examinatis. Præterquam enim quod Tillemontius bene ostendit ei Juliano circa cujus laudes homilia Ephremiana versatur, dicta Sozomeni (adde et Palladii) minime convenire, observandum insuper est homiliam illam Odæ seu Hymni speciem præ se ferre nullam : ita ut Hymnus de* Juliano Saba *a Philoxeno citatus opus omnino diversum fuisse videatur ; ex quo proinde concludi nequeat* Sabæ *sive* Senioris *cognomentum fuisse Juliano S. Ephremi quondam contubernali cum altero eoque celebriore* Juliano *commune : quin imo hinc potius conjicere detur S. Ephrem, qui tot hymnos concinnavit ut vel ad duodecim millia aut etiam plura ei tribuantur* (5), *unum notissimo Sancto, qui in regione Edessena vixit et ante eum obiisse creditur, consecrasse. Enimvero Philoxenus laudatam a se Ephremi lucubrationem syriaca lingua* Madroscho *vocat* (6), *quæ vox certis operibus rythmicis cantuique accommodatis* (7), *at non cæteris ejusdem Sancti scriptis convenit, aiente ipso Assemano* (8) : D Sciendum est omnibus Ephræmi Hymnis, qui Madrosce vocantur, præmitti litteris rubris Tonum, Normam seu Exemplar cantus, cujus ad formam Hymnus ipse Ephræmiticus elaboratus est. *Nempe* Madrosce, *ut idem explicat* (9), sunt versus ex pluribus strophis conflati, instar Odarum latinarum, qui aliquando ex æqualibus pedibus constant, aliquando ex diversis et inæqualibus.

perperam confudit.

6 *Interim, ut ex allatis liquet, illud contestatur Assemanus, quod præcipue demonstrandum susceperamus, alium esse Julianum qui Martyrologio Romano ad diem* IX *Junii insertus est, alium qui hodie inibi atque in Menæis Græcorum celebratur. Unde Bollandi promissis, fore ut ad hunc diem de S.* Juliano Saba *in opere nostro ageretur, standum adhuc nobis est, deserendaque in hac parte Papebrochii opinio. Quæ quidem nunc eo magis deserenda est quod inter opera græca S. Ephrem, quæ Assemanus aliique una cum syriacis edenda curavere, integra de Juliano monacho homilia prodiit* (10) *cum clausula quo hujusmodi orationes absolvi consueverunt; neque inter pauca quæ hæc editio editioni latinæ* E *Gerardi Vossii deesse demonstrat, ullum factum reperire est, nec quidquam aliud nisi monitoria quædam quæ ad finem Vossiani exemplaris exciderant : ut adeo illa quoque Papebrochiana conjectura evanescat initium tantum Vitæ Juliani ab Ephremo scriptæ per versionem Vossianam innotescere, et ex iis quæ post relatam amici sui mortem disserit Ephrem, apparere* adhuc alia hunc de illo narranda habuisse, quæ si ad nos pervenissent integra, fortassis continerent omnia quæ narrantur in Menæis.

Baronius vero non animadvertit

7 *Quærendum modo est num recte Bollandus judicarit* Julianum Sabam *in Martyrologio Romano* XIV *Januarii memoratum eumdem esse de quo ad præsentem diem idem Martyrologium ita canit :* In Mesopotamia ad ripam Euphratis Sancti Juliani eremitæ, *quin moneat, quod alias de Sanctis bis aut pluries occurrentibus fieri solemne est, de eo ad dictum Januarii diem jam actum fuisse. Sane. Græci hodie S.* Julianum Sabam *recolunt, uti ex Synaxario manifestum est, quod ex Vita ejus a Theodoreto scripta congestum fuisse antea monuimus ; sed a quo repræsentando hic abstinemus, quoniam in opere nostro ad* IX *Junii, intempestive licet* F *et præpostere, adductum jam fuit. Dubium igitur nullum esse potest quin idem Sanctus hoc ipso die in Menologio Sirleti indiceturillis verbis* (11) : Commemoratio.... Sancti Patris nostri Juliani, qui apud ripas fluminis Euphratis speluncam habitans, monasticam vitam exercuit. *Atqui hinc derivatam esse Martyrologii Romani lectionem non solum cuique vel obiter hanc cum phrasi Sirleti comparanti in oculos incurrit, verum ab ipso Baronio docemur, in Notationibus ita scribente :* Agunt de eodem hac die Græci in Menologio ; *quo nomine opus Sirletianum semper intelligit, cujus codex Ms. ei obtigerat : neque enim ipsa Menæa videtur umquam usurpasse. Atque hinc jam fontem aperire incipimus erroris in quem vir summus circa propositum argumentum impegit.*

eumdem esse S. Julianum Sabam,

8 *Nempe quum* Juliani *nomen absque epitheto* Sabæ *et cum nuda vitæ eremiticæ apud Euphratem actæ mentione apud Sirletum hodie compareat, ne suspicatus quidem Baronius fuerit illum ipsum hic a se Martyrologio inscribi Sanctum quem* XIV *Ja-*

(1) Biblioth. Orient., t. I, p. 24 et seqq.—(2) Apud Rosweydum, Vit. Patr., lib. VIII, seu Hist. Laus., cap. CII. — (3) Ibid., cap. CI. — (4) In Prolegom. ad Opera S. Ephrem. Cfr Biblioth. Orient., t. I, p. 154 et 155. — (5) Biblioth. Orient., t. I, p. 59, 80 et seqq. — (6) Ibid., p. 56.— (7) Cfr Augusti, de Hymnis Syrorum sacris, p. 9. — (8) Loc. cit., p. 80. — (9) Ibid., p. 61. — (10) T. III, p. 254 et seqq. — (11) Apud Canisium, Lect. antiq., t. III, part. I, p. 480. Edit. Basnag.

nuarii

A *nuarii prædicarat ut thaumaturgum ac fidei catholicæ apud Antiochenos vindicem, et de quo ibidem sic annotarat :* Græciæ itidem. Scribit plura de eo Theodoretus lib. Sanct. Patr. c. II, et Hist. lib. III, cap. XIX, et lib. IV, cap. XXV. Hic ille Julianus quem S. Joannes Chrysostomus dignis laudibus exornat homil. 21 in Epist. Pauli ad Ephes. Alius ille est Saba de quo inferius agitur Non. Novemb. *(lege* Decemb.). *Et eo minus fuerit id suspicatus inter primam Martyrologii Romani restituti scriptionem, quod tunc nomen ipsum* Juliani *a lectione diei* XIV *Januarii aberat ; siquidem, teste Polito* (1), *in editione principe hujus Martyrologii ita legebatur Sancti elogium :* In Syria Sancti Sabbæ senioris, qui Valentis imperatoris tempore, virtute miraculorum, fidem catholicam Antiochiæ pene collapsam erexit, *ac si* Sabbas *nomen proprium esset :* quod elogium, *inquit idem Politus,* in altera statim editione, mutato verborum ordine, reconcinnatum *(scilicet prout illud sub hujus Commentarii exordium exhibuimus), remanente tamen pleonasmo, qui in vocibus* Sabæ senioris *jacet. Nam* Saba *Syris, ut apposite Theodoretus observat, idem est ac Græcis* πρεσβύτης senex *Latinis ; sed* seniorem *hunc vocavit Baronius*
B *ut distingueret a S. Saba abbate, quem* V *Decembris colimus, prout ipse in Notatione jam allegata satis innuit. Quam tamen distinctionem superfluam esse liquet, quum Sanctus noster nomine proprio* Julianus, *nec nisi cognomine* Sabas *audierit.*

quem jam Martyrologio Romano inscripserat.

9 *Unde merito, si pauca corrigas, Politus scripsit* (2) : Est igitur SENIOR interpretatio τοῦ SABA ; ideoque hanc ego interpretationem e nomine Juliani illius Sabæ in Martyrologio Romano penitus rejiciendam suaserim. Non enim Julianus ille Saba senior dictus, quasi ad differentiam alterius Juliani Sabæ junioris ; sed Saba titulus est honoris, quo Syri titulo Julianum illum monachum percelebrem affecerunt, quasi dicerent SENIOREM. Hæc enim est appellationis illius syriacæ interpretatio. Græce honoris causa πρεσβύτην eumdem dixisses. Hinc, si roger ego sententiam, scribendum in Martyrologio suaserim : « In Syria Sancti Juliani » Sabæ, qui Valentis imperatoris tempore fidem » catholicam Antiochiæ pene collapsam virtute » miraculorum erexit ; de quo iterum XV Kalendas » Novembris. » Quo pariter die, si Pontifici Romano videbitur, ego in Martyrologio scripserim : « In » Mesopotamia ad ripam Euphratis *(sed hæc quoque*
C » *loci designatio delenda)* Sancti Juliani eremitæ, » cognomento Sabæ ; de quo etiam agitur XIX Ka» lendas Februarii. » Utrobique nomen Juliani Sabæ celebre, et in Mesopotamia ad flumen Euphratem *(imo sat procul ab Euphrate)*, ubi magna sanctimoniæ fama solitarius vixit, et in urbe Syriæ Antiochia, ubi egregiam fidei catholicæ restituendæ operam navavit. Alibi Sabbas *(vel* Sabas *potius)* nomen proprium, ut ille Sabbas vir plane admirabilis, de quo Nonis Decembribus. Hic proprium est Julianus, cognomen Sabbas. Nec vero nisi Juliani nomine alii plerique omnes hunc vocitarunt, ut Johannes Chrysostomus, *etc. Atque ex his Politi dictis cæterisque quæ hactenus observavimus, sponte consequitur sententiæ Bollandi esse nobis plane adhærendum.*

ad diem XIV Januarii,

10 *Quare autem* XIV *Januarii Sancto nostro Baronius assignarit, ibidemque notaverit Græcos itidem de eo agere, nobis quidem ratio nulla sat probabilis in promptu est, sicut nec Polito fuit, qui id se mirari profitetur* (3), *additque sibi videri* æque etiam mirandum Rosweydum memoriam Juliani Sabæ in Menologio Græcorum minime invenisse, quod ipse de se ad Vitas Patrum affirmat, *dum ea illic extat* XVIII *Octobris : verum, uti ipse mox Politus advertit, cognominis* Sabæ *a Menologio absentia effecerit ut Rosweydus, perinde ac Baronius, Julianum illum qui eremita ad Euphratem fuisse scribitur, diversum a S.* Juliano Saba *crediderit. Occurrit quidem Sabæ nomen in Menologio Græco* XIV *Januarii, ubi memorantur Sancti Patres in Sina interfecti a Saracenis,* ex quibus, *ut ibi dicitur,* Hesaias et Sabas reperti sunt vivi, alii vero mortui sunt inventi, *quod et in Menæis narratur ; at vero hunc Sabam ut cum S.* Juliano Saba *confuderit sapiens Baronius, qui hujus gesta ex Theodoreto noverat, fieri omnino non potuit. Quod si cui illud saltem hinc conjectare placeat Baronium ex Sabæ modo dicti commemoratione occasionem sumpsisse laudandi eodem die* Juliani Sabæ, *quem (ut supra ex Polito ostendimus) in prima editione Martyrologii mere* Sabam *appellavit, haud equidem multum repugnavero ; quoniam præter morem Martyrologorum non est Sanctis quibus unum idemque est nomen, hac ipsa de causa diem addicere communem. Cæterum selectus ille Sancto nostro a Baronio dies exiguo intervallo distat ab illo quem Græci quoque ei sacrum esse olim voluerunt.* E

E. C.

11 *Quamquam enim memoria ejus abest a Menæo Januarii editionis Venetæ anni* 1843, *qua nos utimur, eam tamen antea in Menæis excusis extitisse* XVII *Januarii ex Polito discimus* (4), *allegante hunc Synaxarii titulum :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰουλιανοῦ, *id est,* Eadem die memoria Sancti Patris nostri Juliani, *una cum disticho :*

quemque Menæa etiam XVII Januarii.

Ἐκ τοῦ παρατρέχοντος ὡς ὄναρ βίου
Ἰουλιανὸς ἄσμενος παρατρέχει.

Quod distichon, nulla voce mutata, ad XVIII *Octobris repetitur, et sic latine verti potest :*

Ex hacce, Juliane, tamquam somnium
Vita volante lætus in polum volas.

Discimus idem a Sibero, qui hosce versus ad XVII *Januarii adducit* (5), *necnon ex indicibus in Menæa excusa, quos majores nostri olim confecere ; habemusque et Synaxarium illius diei de S.* Juliano, *sed latine tantummodo, ex Raderi interpretatione Menæorum, quam Bibliotheca Burgundica asservat. Ecce illud, a Synaxario diei* XVIII *Octobris diversum quidem, sed æque, ut videtur, ex Theodoreti Philotheo contractum :* Hic primum sibi mappale fecit ad Euphratem, loco qui dicitur Osroenorum : F deinde in intimam solitudinem penetravit, ubi speluncam ingressus, semel dumtaxat in hebdomade panem gustavit, qui tamen ipse erat furfuraceus, solo sale conditus : aqua vero sufficiebat sitienti. Deliciæ porro illius et luxus et epulæ erant assiduæ preces et laudes quas Deo canebat. Omnes ergo certatim ad eum concurrebant, omnes cum illo vivere cupiebant. Hic cum olim solitudinem obiret, in immanem incidit draconem, quem signo crucis effecit ut medius creparet. Puerum etiam præ siti deficientem a morte liberavit, quando per preces subito fontem elicuit et ori deficientis instillavit. Templum quoque in illa rupe ædificavit in qua olim Moyses Dei aspectu dignatus est, quantum homini fas est Deum videre, et altare in eodem posuit. Ad quod cum aliquando preces funderet, accepit divinitus vocem, quæ affirmabat infelicem porcum Julianum apostatam e medio sublatum. Puer præterea cujusdam feminæ ad fontem hauriendum missus, in puteum decidit, quem ille per preces salvum et illæsum extraxit. Asterium

(1) Martyrol. Rom. illustr. ad XIV Januar., p. 236.—(2) Ibid., p. 237. — (3) Ibid., p. 236 — (4) Ibid., p. 237. — (5) Martyrol. metric. Eccl. Græc., p. 18.

E. C. rium ab Arianis in episcopum consecratum et de eloquentia sua gloriantem, volentemque cum ipso de fide disputare, per preces morti transmisit. Cumque alia plurima et ingentia miracula designasset, ad vitam illam beatam, quæ senio et molestia caret, emigravit. *Hæc ibi. Et quantum ex decessorum nostrorum excerptis colligere licet, hoc* S. Juliani *encomium ad diem* XVII *Januarii repertum quoque ab iis fuit apud veterem Synaxaristam Ms. Sirmondi seu collegii Claromontani, necnon in Menæis Mss. Bibliothecæ Ambrosianæ et antiqui cœnobii FF. Prædicatorum Florentiæ; in quibus contra ad* XVIII *Octobris nihil de ipso videtur fuisse lectum: ita ut, si antiquitati hac in re standum est, melius* XVII *Januarii* S. Juliano Sabæ *assignetur.*

et alii fasti aliis diebus recolunt.

12 *Inter Latinos fastorum sacrorum scriptores, præter Baronium de quo supra abunde diximus, Maurolycus ad diem* XXVII *Januarii elogio S. Juliani Cenomanensis episcopi, tamquam hinc accepta occasione, subjicit:* Fuit et alter Julianus, frater Beati Julii.... Item Julianus Chaba eremita, qui Juliani principis interitum prædixit, *quæ posteriora verba de Sancto nostro intelligenda esse Bollandus rite monuit. Maurolycum Felicius sequitur. Alii ad* B *proxime sequentem diem memoriam ejusdem Sancti agunt. Sic Usuardus auctus seu Martyrologium ad usum ecclesiæ Sarum anglice editum Londini anno* 1526 *de eo habet ad* XXVIII *Januarii:* Item festum S. Juliani confessoris, cognomento Sabbæ, eremitæ sanctissimæ vitæ ac maxime contemplationi dediti, qui et prophetiæ spiritu præditus fuit; *et subdit alium Julianum confessorem et scriptorem græce et latine doctum: pridie vero præter S. Julianum Cenomanensem memorat S. Julianum Hospitatorem cum Castellana conjuge, S. Julianum Martyrem cum socio Fercolo atque alium insuper Julianum sub Diocletiano passum. Sic et Petrus de Natalibus, facta memoria S. Agnetis secundo ac S. Constantiæ Virginis, laudatisque duobus Julianis, altero Cenomanensi episcopo, altero B. Julii fratre, dehinc de nostro ait* (1): Julianus heremita cognomento Sabba fuit: de quo dicit Theodoretus in Historia tripertita, quod angelicam vitam ducebat, et in heremo consistens contemplationi et orationi vacabat. Hic per spiritum cognovit et prædixit obitum Juliani apostatæ imperatoris, longe XX dietis positus ab eo loco ubi interfectus fuit. Quod ut prænuntiaverat, sic contigisse repertum est. *Post* C *quæ sequitur caput de S. Juliano viro docto, quem laudat Gennadius* (2). *Sic pariter jam dicto die* S. Julianum Sabam *inscripserunt Adam Walasser in Martyrologio Germanico, cui Ven. Petrus Canisius præfatus est manumque adjutricem contulit, Molanus in prima Usuardi editione, Galesinius in suo item Martyrologio anno* 1577 *edito. Rursus autem apparet rationem cur is dies ab hisce scriptoribus assumptus fuerit, non aliunde quam ex homonymia Sancti nostri cum aliis Julianis repeti debere. Num vero et quemnam apud Syros aliosque Orientales seu catholicos seu acatholicos diem cultui suo assignatum Sanctus habeat, nobis hactenus non innotuit: quamquam ab Assemano* (3) *docemur inter orationes juxta ritum Syrorum per anni circulum recitandas, quæ Prœmia et Sedræ seu Ordines vocantur, unam* de S. Juliano Saba monacho *in codice quodam Vaticano existere, et cantum de eodem in alio codice* (4), *quo Severi patriarchæ Antiocheni Octoëchus continetur.*

D

§ II. Laudes Sancti apud scriptores ecclesiasticos. Vitas ejus a Theodoreto scripta. De loco ubi vixit ac tempore quo obiit, disquisitio.

Præ cæteris scriptoribus ecclesiasticis

Q*uæ Palladius, Sozomenus ac Nicephorus Callistus de S.* Juliano Saba *scriptis mandarunt, in superioribus jam retulimus. Honorifice item nomen ipsius appellavit S. Hieronymus in Epistola ad Paulinum de institutione monachi:* Et ut ad nostra veniamus, *inquiens* (5), episcopi et presbyteri habeant in exemplum Apostolos et apostolicos viros; quorum honorem possidentes, habere nitantur et meritum. Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos et Antonios, Julianos, Hilarionem, Macarios. *Nec minus præclare S. Joannes Chrysostomus de illo ad populum Antiochenum dixit* (6): Scitis utique et audivistis, et vidistis etiam nonnulli, virum quem sum dicturus, Julianum illum inquam admirandum. Homo is erat rusticus, humilis et humili loco natus, neque omnino externæ eruditionis peritus, sed philosophia non ficta repletus. Hoc ingrediente civitates, quod quidem raro contingebat, tantus fiebat concursus quantus neque ad rhetorum, neque ad sophistarum, neque ad alius cujuscumque ingressum fieri assolet. Quid vero dico? Nonne nomen ejus nunc quoque clarius quam quorumvis regum decantatur? *Et fortasse ad laudem* Juliani *illud etiam pertinet quod in Actis syriacis S. Ephrem apud Assemanum ita narratur* (7): Interea quum nocte quadam ille sanctissimus senex qui Ephræmum ad montem adduxerat, e cella pedem extulisset, Angelum Domini videt e cœlo labentem, manuque volumen seu tomum intus et a tergo scriptum præferentem; audiitque ejusdem Angeli voces quasi alterum Angelum alloquentis: « Ecquem putas a me hoc libro munera- » tum iri? » Quumque ille respondisset: « Origenem arbitror monachum in Ægyptiaca eremo » morantem », ait Angelus qui codicem tenebat: » Non hoc mandat Deus. » Et rursus: « Quemnam, » inquit, hoc volumine dignum putas? » Cui alter Angelus: « Julium credo monachum, qui in terris » aquilonaribus consedit. » At ille: « Erras, erras: » nemo est hoc tempore cui pro merito codex iste » debeatur nisi Ephræm Syrus, Edesseni montis » accola. »

E F

de S. Juliano Saba

14 *Etsi enim hic* Julius *scribitur, legendum tamen* Julianum *suadet compendium ejusdem narrationis, quod ita se habet* (8): Illud vero de eodem S. Ephræm, antequam sapientiæ donum acciperet, proditum est. Anachoreta quidam, qui in Edessæ montem secesserat, intempesta nocte audiit Angelum Domini cœlo delapsum, manuque ingentem codicem deferentem intus et a tergo conscriptum, his verbis ipsum compellantem: « Ecquem putas » hoc ego volumine munerabor? » At ille: « Origenem credo aut Julianum monachos. » Cui Angelus: « Nemo est cui illud merito debeatur nisi » forte unus Ephræm Syrus. » *Ubi notandum est auctorem hujus compendii, dum colloquentem Angelum cum sene facit, recedere non tantum ab Actis*

(1) Catalog. Sanct., lib. III, cap. XXXVII. — (2) De vir. illustr., cap. XLV, p. 21 et 22, apud Fabricium, in Biblioth. eccl. — (3) Biblioth. Orient., t. III, part. I, p. 636. — (4) Ibid., t. I, p. 613. — (5) T. IV Oper., part. II, col. 565, edit. Martianay. — (6) T. XI Operum, p. 162, edit. Montfauc. — (7) Biblioth. Orient., t. I, p. 33 et 34. — (8) Ibid., p. 25 et 26.

syriacis,

A *syriacis, sed etiam a S. Gregorio Nysseno* (1) *ac Metaphraste*(2),*qui colloquium inter plures Angelos habitum, senemque illum auditorem tantum fuisse asseverant ; id quod tamen non impedit quominus nomen* Juliani *recte ab eo ex veterioribus scriptis expressum fuisse credere liceat, siquidem illo ipso de quo agitur tempore Sancti nostri fama erat apud Edessam certe celeberrima. Nyssenus vero ac Metaphrastes nec* Julianum *aut Julium nec Origenem (quem Assemanus S. Antonii discipulum a Rufino in Vitis Patrum lib.* II, *cap.* XXVI, *et a Sozomeno lib.* VI, *cap.* XXX, *laudatum putat) nominatim designant, sed indefinite referunt alios ex Angelis hunc, alios illum, alios rursus alium ex præstantioribus eo tempore hominibus dignum munere voluminis e cœlo allati pronuntiasse : ita ut non duo illi tantum quos Acta syriaca perhibent, sed plures etiam Sancti monachi tunc angelicis vocibus laudati fuisse videantur.*

egit Theodoretus in Philotheo, ac semel

15 *Præ cæteris autem in S.* Juliani Sabæ *vita exponenda copiosissime versatus est Theodoretus, uti jam antea indigitavimus : qui quidem omnia quæ de eo perscripsit, Acacio Beræensi in Syria episcopo, cui res ejus omnes accurate notas fuisse testatur, in* B *acceptis refert. Atque imprimis integra S. Juliani acta scribendo prosecutus est in Philotheo seu Religiosa Historia, ex qua eadem cum nostris annotationibus post hunc Commentarium edemus. Deinde etiam Historiæ ecclesiasticæ duo capita de eodem Sancto inseruit, alterum ubi de morte Juliani apostatæ, alterum ubi de Valentis persecutione agitur : quæ jam nunc lectoribus nostris exhibebimus, quoniam ad disquisitiones deinde instituendas de loco ubi Sanctus vixit et tempore quo obiit, aliquid conferre poterunt. Itaque agens de Juliani imperatoris interitu, ita de nostro* Juliano *Theodoretus* (3) : Sed et qui corporis expertium vitam in corpore est imitatus, Julianum dico, cui Sabæ cognomen Syrorum lingua fuit, cujusque vitam in Philotheo Historia conscripsimus, cum de impii illius minis perlatum esset, Deo universorum studiosius preces offerebat. Eo autem ipso die quo ille cæsus fuit, hic ejus cædem inter preces edidicit, quamvis viginti amplius mansionum intervallo distaret a castris monasterium. Ferunt autem illum, cum enixius oraret et clementi Deo supplicaret, fluentes lacrimas subito repressisse, effusumque in læ- C titiam hilari vultu fuisse, qui animi gaudium testaretur. Quam ejus mutationem conspicati familiares ejus rogarunt ut lætitiæ causam ipsis aperiret. Tum ille suem agrestem, vastatorem vineæ Domini, pœnas injuriarum in illum suarum exolvisse dixit, et nunc jacere mortuum, atque insidiarum finem fecisse. Quibus auditis, exiliere omnes, Deoque gratiarum laudes cecinere. Cognitum autem est ex iis qui ejus mortem nuntiarunt, eamdem ipsam diem atque horam fuisse qua extinctum sceleratum divinus senex cognovit et prædixit.

iterumque in Historica ecclesiastica.

16 *Postmodum, furentibus apud Antiochenos Arianis, missoque in exilium S. Meletio, quidnam ibi præclare a S.* Juliano *gestum sit, breviter explicat hisce verbis* (4) : Eodem vero tempore celebris etiam ille Julianus, cujus antea meminimus, relicta solitudine, Antiochiam venire coactus est. Nam cum mendaciorum alumni texendarumque calumniarum gnavi semper artifices, Arianos dico, magnum illum virum suarum esse partium affirmarent, misere Flavianus, Diodorus et Aphraates, clara lumina veritatis, Acacium strenuum virtutis athletam, qui Berœensium ecclesiam sapienter postea rexit, ad laudatissimum virum illum, obsecrantes ut tot hominum millia miserari et adversariorum falsitatem refutare veritatisque prædicationem confirmare vellet. Quæ porro veniens rediensque atque in ipsa maxima urbe miracula edidit, in Philotheo Historia nostra perscripta sunt, quam adire iis licet qui hæc volunt cognoscere. Quod vero populum urbis universum ad conventus nostros aggregarit, dubitaturum puto neminem qui humanam naturam considerarit. Solent enim res unisitatæ omnes ad se ut plurimum trahere : magnitudinis autem miraculorum ejus testes sunt etiam hostes veritatis. Idem vero ipsum jam antea Constantii temporibus Alexandriæ præstiterat magnus Antonius.... Ita sciebant divini illi viri congruentia cuique tempori accommodare, et quando quietem amplecti conveniat, et quando urbes solitudini anteferre. *Hactenus Theodoretus.*

Vixit Sanctus in parte septentrionali Osroënes,

17 *Jam, ut modo prædicebamus, examinandum quo circiter loco Sanctus vitam eremiticam egerit.* Circa Edessam *eum habitasse fert Sozomenus, Palladius* in partibus Edessenorum ; *Theodoretus vero in Philotheo specialiora scribit quæ ad locum pro-* E *pius determinandum juvare possunt. Imprimis notat eum tugurium suum defixisse in extrema maximeque inculta parte Osroënes sive regionis Edessenæ. Deinde, de Asterio loquens S.* Juliani *discipulo ac multorum vicissim monachorum magistro, qui palæstram fixerat monasticam in locis Gindaro vicinis, ait hunc bis vel ter quotannis iter non minus quam septem dierum suscepisse ut Sanctum senem inviseret : erat autem Gindarus, quæ* acropolis Cyresticæ *a Strabone appellatur, Antiochiam inter et Cyrum* (5), *distabatque trium circiter dierum itinere ab Edessa Osroënes metropoli. Scribit præterea Theodoretus S.* Julianum, *quando ex Antiochia ad eremum suam rediit, per urbem Cyrum iter habuisse: jam vero iter illud recta Edessam ducit, per Zeugma scilicet, ubi Euphrati pontem impositum fuisse idem scriptor docet in Vita S. Publii* (6). *Ex hisce colligere pronum est Sancti speluncam sitam fuisse itinere quatuor saltem dierum ultra Edessam, et quidem ex parte septemtrionali orientem versus, ubi minor erat incolarum frequentia : cui conclusioni confirmandæ inservire forsan queat locus quem paulo ante ex Vita S. Ephrem syriaca adduximus* F *(n. 13), si tamen verba illa Angeli :* Julium credo monachum, qui in terris aquilonaribus consedit, *de S.* Juliano Saba *intelligenda sint.*

non ad ripam Euphratis.

18 *Quod si certo constaret ubinam commissum fuerit prælium in quo Julianus apostata cecidit, juvaret id quoque ad locum quem S.* Julianus *incoluit, accuratius definiendum ; quandoquidem paulo ante ex Theodoreto didicimus (num.* 15) *locum hunc vigenti amplius mansionum intervallo a castris abfuisse. Interim, dum attendimus, quæ narrat Ammianus Marcellinus* (7), *Julianum ab obsidione Ctesiphontis deterritum, castra inde versus septentrionem movere cœpisse die* XVI *Junii, qui erat ante ejus interitum decimus, atque intra illud decem dierum spatium Romanos pluries cum Persis manus conseruisse, eosque biduo substitisse apud villam Hucumbra, et rursus triduo post victoriam in tractu cui nomen Maranga de Persis relatam ; consequens est ut dicamus castra Romana ad diem* XXVI *Junii, quo lethale vulnus imperator accepit, nondum longe*

(1) Apud Bollandum, t. I Februar., p. 70. — (2) Apud Surium ad diem I Februarii, p. 9, edit. Colon. 1618. — (3) Hist. eccl., lib. III, cap. XIX, t. III Operum, p. 657, edit. Sirm. — (4) Ibid., p. 691. — (5) Cfr Cellarius, Notit. Orb. antiq., t. II, lib. III, cap. XII, § XXXVI et LI, p. 353 et 360, edit. Schwartz. — (6) T. III Oper., p. 802. — (7) Rer. gest., t. II, lib. XXIV, n. 8, et lib. XXV, n. 1, 2 et 3, p. 30 et seqq. edit. Bipont. 1786.

a

B. C.

a Ctesiphonte fluvioque Tigri fuisse remota : ita ut locum eorum, si non omnino, saltem præterpropter cognitum habeamus. Inde autem stathmi sive mansiones facile viginti numerantur ad borealem usque Osroënes plagam, ubi S. Julianum *habitasse ex aliis Theodoreti assertis modo deduximus. Et ante nos Tillemontius jam animadvertit* (1) *Synaxaristen Menæorum, qui Sancti speluncam juxta Euphratem collocat, id ex auctoritate Theodoreti facere non potuisse, imo hunc potius illi refragari. Sane Osroënem versus occasum ad ripam usque Euphratis pertingere scripsit quidem Theodoretus ; non vero scripsit Sanctum juxta illud flumen vixisse, sed alium antro ejus situm satis clare assignavit, ut supra ostendimus. Male igitur duo hæc, S.* Julianum *in Osroëne vixisse et Osroënem ad Euphratem pertinere, Synaxaristes in unum sic conflavit ut Sancti habitaculum ad ripam Euphratis positum fuisse scripserit ; quam topographiam deinde a Menæis mutuati sunt Sirletus in Menologio Græcorum ac Baronius in Martyrologio Romano.*

Obiit autem satis diu post annum 367.

19 *De anno obitus S.* Juliani *nulla foret instituenda inquisitio, si fidere liceret Chronico Edesseno Bibliothecæ Orientali Assemani inserto, ubi disertis*
B *verbis legitur* (2) : Anno sexcentesimo septuagesimo octavo migravit ex hoc sæculi Mar Julianus Saba. *Ostendit autem Assemanus* (3) *numero annorum quos auctor Chronici computat secundum æram Græcorum, quæ et Seleucidarum seu Syro-Macedonum appellatur, detrahendos ubique esse trecentos et undecim, ut anni æræ Christianæ inveniantur : quo fit ut qui hic morti S.* Juliani *assignatur annus Græcorum* 678 *æquivaleat anno Christi* 367. *At si tunc ex hoc sæculo Sanctus migraverit, quonam tempore Antiochena ipsius profectio locum habere potuerit, prorsus non videmus. Ivit illuc sub persecutione Valentis, quando magnus Meletius erat ex sua ecclesia ejectus, hancque vice ac nomine ejusdem regebant Flavianus et Diodorus presbyteri, suppetias ferente S. Aphraate monacho : qui quidem tres viri egregii S.* Julianum, *missis ad eum Acacio atque Asterio monachis, Antiochiam accersiverunt ad confirmandum in fide catholica populum, uti partim jam supra ex Theodoreti Historia ecclesiastica accepimus, latius vero ab eodem in Philotheo enarratur, idque ex relatione ipsius Acacii, qui rebus interfuerat. Porro Valens imperare cœpit anno* 364, *quo tempore catholica adhuc sensa præ se fere-*
C *bat ; neque ab his aperte descivit nisi tertio imperii sui anno, quando ante expeditionem adversus Gothos anno* 367 *susceptam, ab uxore seductus, baptisma accepit ab Eudoxio episcopo Ariano, qui, ut Theodoretus ait* (4), jurejurando infelicissimum obstrinxit ut in impio dogmate perseveraret, omnesque qui contraria sentirent, omnibus locis expelleret. *Quocirca non potest initium persecutionis Valentis altius quam ab anno* 367 *repeti* (5).

ut ex itinere ejus Antiocheno ostenditur

20 *Enimvero quod Socrates* (6) *ac Sozomenus* (7) *scribunt Valentem Antiochiam accessisse antequam Procopius imperium invaderet, id est, anno* 365, *et jam tunc fuisse S. Meletium ab eo exilio mulctatum, cæterosque qui cum Euzoio episcopo Ariano communicare renuissent, ecclesiis ejectos affectosque suppliciis, communi calculo rejiciunt eruditi : quoniam, ut verum est Valentem eo tempore Antiochiam cogitasse et ea mente Cæsaræam usque Cappadocum perrexisse, ita etiam constat, accepto nuntio de rebellione Procopii, eum pedem inde retulisse ut adversus*

Procopium moveret, quem intra Phrygiam salu- D
tarem oppressit atque extinxit mense Maio anni 366 (8). *Unus Tillemontius, neque is quidem sine multa dubitatione, opinatur utcumque probabile illud solum ex narratis a Socrate et Sozomeno esse posse, nempe expulsum anno* 365 *jussu Valentis ex sede Antiochena fuisse S. Meletium* (9). *Sed et hoc improbabile esse contendit non immerito Stiltingus noster* (10); *atque ipse Tillemontius fateri cogitur, si tunc exilium aliquod S. Meletius passus fuerit, id certe non diu durasse, adeoque Sanctum verisimiliter occasione rebellionis Procopii fuisse ab ipso Valente sedi suæ restitutum, quo animos populi Antiocheni sibi imperator conciliaret : quod si ita sit, redierit Sanctus oportet vel ipso anno* 365 *vel certe initio sequentis ; neque ad breve illud temporis spatium reduci queunt omnia illa adjuncta quæ Theodoretus cum itinere Antiocheno S.* Juliani Sabæ *connectit. Dehinc, judice Tillemontio* (11), *dubitari plane nequit quin Antiochiæ anno* 357 *sequentique triennio S. Meletius præsens adfuerit : quippe quum constet per tres saltem annos S. Joannem Chrysostomum illi familiariter interim adhæsisse sacrisque dogmatibus ab eo fuisse instructum* (12). *Necessario igitur nobis deveniendum est ad ultimum ac diuturnius* E
illud S. Meletii exilium cujus initia anno 370, 371 *aut* 372 *pro variis eruditorum sententiis affiguntur; quo etiam tempore Valens reapse Antiochiæ fuit, et a S. Aphraate, quum sciscitaretur cur solitudinem cum urbe frequentissima commutasset, sagax illud dignissimumque responsum tulit quod Theodoretus tam in Historia ecclesiastica* (13) *quam in Vita Aphraatis* (14) *refert. Accedit quod idem Theodoretus sub finem Vitæ S.* Juliani Sabæ *scribit, hunc Antiochia ad sodales reducem non exiguo tempore cum eis versatum esse : ut proinde, hisce omnibus perpensis, vel decennio circiter serius obitum ejus statuendum esse arbitremur quam fit a Chronici Edesseni auctore aut transcriptore.*

contra chronographum quemdam Edessenum

21 *Et sane, præterquam quod Theodoreto in rebus Antiochenæ ecclesiæ, atque iis præsertim de quibus hic agimus, multum fidendum est, quum ipse natu Antiochenus ac civitatis Cyri haud procul Antiochia episcopus fuerit, temporibusque S. Meletii propinquus, ad hæc S. Aphraatem puer cum matre sua aliquando inviserit* (15), *denique res gestas* S. Juliani Sabæ, *uti jam observavimus, accurate didicerit ab Acacio monacho, postmodum Berœensi* F
episcopo : præter hæc, inquam, quæ præjudicium afferunt non exiguum contra Chronici Edesseni mortem S. Juliani *anno* 367 *affigentis auctoritatem, alia etiam sunt quæ faciant ut ab ejusdem Chronici assertionibus, maxime quod ad tempora spectat, libere recedere nos posse arbitremur. Esto enim Assemanus* (16) *conjiciat scriptorem Chronici vixisse circa annum Christi* 550 *et archivum ecclesiæ Edessenæ præ manibus habuisse, quam conjecturam ipsi permittimus, anachronismis tamen opus hoc minime vacare candide confitetur in hunc modum :* Ordinem temporis nonnumquam negligit aut pervertit; quod tamen amanuensi potius quam auctori tribuendum existimo. Quare in eo publicando res gestas in primis suo loco et ordine restituam. *Ac subinde ipse Assemanus nonnullos hujusmodi errores corrigit. Sic, ubi Chronicon ad annum Græcorum* 689 *his loquitur verbis* (17) : Eodem anno, die 27 Decembris, postliminio reversi orthodoxi Edessenam ecclesiam recuperarunt, *ille monet*

(1) T. VII, p. 585.—(2) T. I, p. 397.—(3) Ibid., p. 387.—(4) Hist. eccl., lib. IV, cap. XII, p. 672.—(5) Cfr Baronius, ad an. 366, n. III, IV et V, et Pagius, ibid., n. III et IV, t. V, p. 228, edit. Luc.—(6) Lib. IV, cap. II, p. 215, edit. Cantabrig. — (7) Lib. VI, cap. VII, p. 228. — (8) Cfr Tillemont, Hist. des Empereurs, t. V, p. 34 et seqq., edit. Bruxell. 1732.— (9) Mémoires, etc., t. VI, p. 534, et t. VIII, p. 359 et 765. — (10) T. IV Septemb., p. 415. — (11) Mémoires, etc., t. VIII, loc. cit. — (12) Cfr t. IV Septemb., p. 412.— (13) Lib. IV, cap. XXIII, p. 698. — (14) In Philotheo, p. 816.—(15) Ibid., p. 819. —(16) Biblioth. Orient., t. I, p. 387. — (17) P. 398.

hanc

A *hanc rem integro anno serius contigisse, extincto nimirum Valente die* V *Idus Augusti* 378. *Sic erroris arguit Chronicum circa annos ordinationis SS. Joannis Chrysostomi* (1) *ac Cyrilli Alexandrini* (2). *Sic item sua manu annum Græcorum* 742 *assignavit Concilio Ephesino œcumenico :* Ita, *inquiens* (3), emendavi errorem amanuensis, qui id factum anno Græcorum 744, Christi 433, refert contra communem sententiam et contra ipsius Synodi Ephesinæ Acta. *Tempus vero pseudosynodi Ephesinæ, in qua inter cæteros Ibas Edessenus episcopus a Dioscoro anathemate perculsus fuit, ab auctore Chronici præverti laudatus Assemanus observat* (4) ; *imo vero male adscribi anno Græcorum* 759, *Christi* 448, *Ibæ ex civitate Edessa excessum et Nonni in sedem ejus intrusionem, quandoquidem ipsum in quo Ibas damnatus est conciliabulum anno tantum* 449 *die* VIII *Augusti inchoatum fuit. Ex quibus colligere est ne in ipsis quidem rebus Edessenis satis firmam esse scripti hujus chronotaxim.*

in multis non satis accuratum.

22 *Quid vero quod S. Ephremi obitus inibi ad annum Christi* 373 *refertur? Sic enim scribitur* (5): Anno sexcentesimo octogesimo quarto, mense Junio, die nona, migravit ex hoc sæculo Mar Ephræem
B doctrina celeberrimus. *Quo admisso, quorsum evadunt ea quæ de mutua S. Ephremum inter et S. Basilium Magnum necessitudine a Syris decantantur? Narrant* (6) *S. Ephremum, quum octennio toto desiderio Basilium conveniendi flagrasset, tandem ex Ægypto Cæsaræam Cappadociæ adventasse, ibique aliquamdiu cum Basilio fuisse versatum et sacrum diaconatus Ordinem manuum illius impositione accepisse : quatuor vero post annos quam inde Edessam rediisset, missos a Basilio qui Ephremum Cæsaræam reducerent, quem episcopum creare dudum deliberatum haberet ; sed simulata amentia Ephremum se illi honori subduxisse : demum hunc indoluisse vehementer, quando nuntium de S. Basilii morte accepit, scriptisque in laudem ipsius carminibus hymnisque doloris sui acerbitatem utcumque lenivisse. At S. Basilius episcopus ordinatus certe non fuit ante annum* 369, *imo longe probabilius anno tantum* 370 (6) ; *utroque autem testante Gregorio Nysseno ac Nazianzeno, thronum ecclesiæ Cæsaræensis occupavit annos octo cum nono inchoato : ergo vitam produxit saltem ad Kalendas usque Januarias anni* 378, *vel potius anni* 379, *quidquid Assemanus* (8), *hoc loco proferens pu-*
C *gnantia iis quæ alibi dixit* (9), *in contrarium disserat, ut Chronici Edesseni assertum de anno mortuario S. Ephremi tueatur. Quæ quum ita sint, restat ut vel narratio illa itineris S. Ephremi in Cappadociam rerumque huic itineri conjunctarum inter fabulas deputetur, vel respuatur Chronici sæpe dicti circa tempus quo celeberrimus apud Edessenos Sanctus ex hoc sæculo migravit, auctoritas. Si autem hac in re minimum quinquennio, fortassis etiam sexennio, a veritate aberraverit Chronographus, non est cur magis et credamus, ubi de obitu S.* Juliani Sabæ *agit ; præsertim quum dicta ejus, uti pridem demonstravimus, cum certissimis factis aliunde notis prorsus componi nequeant. Hæc facta jam, lector, accipe ex Vita S.* Juliani, *auctore Theodoreto, quam pro more nostro in capita numerosque divisam cum nostris annotationibus hic subjicimus.*

AUCTORE THEODORETO.

VITA S. JULIANI SABÆ

AUCTORE THEODORETO,

ex editione Sirmondi (10).

CAP. I. *S. Juliani vita eremitica. Multi ab eo instituti monachi, in quibus insigniores Jacobus Persa et Asterius. Successus in montem Sinai.*

S. Julianus in extrema Osroene antrum inhabitans,

Julianus, quem indigenæ Sabbam, quod nomen senem significat, honoris causa cognominabant, in regione quæ olim Parthyæorum, nunc Osroenorum *a* dicitur, monasticum tugurium defixit. Pertingit autem regio illa versus occasum quidem ad ripam usque fluminis, cui nomen Euphrates ; ad orientem vero solem, limitem habet Romani imperii *b* : excipit enim illam Assyria, quæ Persici regni occidentalis est terminus, quam posteri Adiabenem *c* appellarunt. In hac gente multæ quidem sunt urbes magnæ et populosæ : regionis autem partes plurimæ incolis frequentes, plurimæ desertæ et incultæ. Ad extrema hujus solitudinis vir hic divinus cum pervenisset, antrum nactus non manu factum, neque bene ac pulchre excavatum, sed quod adventantibus exiguum tegumentum præbere posset, locum lubenter inhabitavit, auro et argento fulgentibus palatiis magnificentiorem existimans.

E a b c

vitam agit sanctissimam.

2 In hoc degens semel in hebdomada cibum capiebat : cibus autem erat panis miliaceus, isque furfuraceus, et obsonium sales ; potus vero suavissimus nativum aquæ fluentum, nec potum hunc satietate metiebatur, sed sumpti ante cibi necessitate definiebat. Deliciæ porro illi, et lautæ atque opiparæ dapes erant Davidicorum hymnorum decantatio, et assidua cum Deo colloquia. His inexplebiliter cum frueretur, satietatem capere nolebat, sed cum semper impleretur, semper clamabat : F Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel et favum ori meo. Beatum quoque David audivit dicentem : Judicia Domini vera, justificata in idipsum, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum. Audivit illum rursus dicentem : Delectare in Domino et dabit tibi petitiones cordis tui ; et iterum : Lætetur cor quærentium Dominum ; et : Lætifica cor meum, ut timeat nomen tuum ; et : Gustate et videte quam benignus sit Dominus ; et : Sitivit anima mea ad Deum fortem et vivum ; et : Adhæsit anima mea post te. Atque illius qui hæc dixit amorem in se transtulit. Ideo enim magnus David canens docebat, ut amoris divini participes sociosque multos efficeret. Neque vero spe falsus est, sed et divinum hunc virum et alios innumerabiles divino amore sauciavit. Hic enim tanto amoris igne fuit incensus, ut desiderio inebriaretur, et terrenarum rerum nihil videret, solum dilectum et noctu somnians, et meditans interdiu.

(1) P. 400. — (2) P. 401. — (3) P. 403. — (4) P. 404. — (5) P. 397. — (6) In Actis S. Ephrem, ibid., p. 39 et seqq. — (7) Cfr t. II Junii, p. 812, 813 et 845, et S. Basilii Oper., t. III, p. LXXXIII et LXXXIV, edit. Maurin. — (8) Op. cit., p. 397 et 398. — (9) Ibid., p. 52 et seqq., et Oper. S. Ephem græco-lat. t. II, p. LII. — (10) T. III, p. 771 et seqq.

AUCTORE THEODORETO. *Socios nanciscitur multos.*

3 Hanc summam ejus philosophiam multi tum e vicinis tum e longius dissitis, cum audivissent, (alata enim fama oras omnes pervaserat) accurrebant, orantes ut palæstræ participes fierent sub eoque tamquam gymnasii magistro et pædotriba in posterum viverent. Non enim aves solæ cantando aves venantur cognatas ad se evocantes, et subjectis laqueis implicantes, sed homines etiam naturæ suæ socios captant, alii quidem ad exitium, alii vero ad salutem. Hoc modo congregati brevi decem fuere, dehinc duplo et triplo plures, inde
d ad centesimum postea numerum pervenere *d*. Eos autem cum tot essent, antrum illud contine-
e bat *e*. A sene quippe didicerant curam corporis negligere. Vescebantur autem ipsi quoque, sicut magister, hordeaceo pane sale condito. Successu vero temporis olera sponte nascentia colligentes, et fictilia vasa implentes, muriæ quantum satis erat miscebant, obsonium iis futurum qui opus haberent curatione.

eosque ad vitam monasticam informat:

4 Huic autem olerum generi humida habitacula infesta sunt, situm enim illi et putredinem inducere solent. Quæ labes huic obsonio cum accidisset (in antrum enim multus undique humor influe-
B bat), rogarunt senem discipuli, ut sibi parvam aliquam cellulam extruere liceret, quanta capiendis obsonii hujus vasis satis esset. Ille quidem primo non acquievit petitioni, tandem vero persuasus (a magno enim Paulo didicerat non sua quærere, sed accommodare se humilibus), cellulæ brevem et exiguam mensuram dedit, proculque ab antro discessit, solitas Deo preces oblaturas. Solitus enim erat ad quinquaginta interdum stadia, nonnunquam ad duplo plura per desertum ambulans, et se ab omni humana consuetudine separans, atque in seipsum rediens, privatim versari cum Deo, ac divinam illam et ineffabilem pulchritudinem speculari. Hoc otium nacti ejus discipuli, usui quidem et necessitati congruentem, sed majore quam jussi fuerant mensura cellulam extruxere. Decimo post die reversus velut Moses quidam de monte et contemplatione illa ineffabili, majorem quam volebat structuram factam conspiciens : Vereor, inquit, o viri, ne, dum terrena dilatamus habitacula, minuamus cœlestia : et tamen temporaria sunt illa, nec diu nobis usui futura, illa autem æterna, nullumque finem habitura. Utque hæc quidem dixit ad perfectiora chorum
C erudiens, toleravit tamen vocem exaudiens apostolicam : Non quæro quod mihi utile est, sed quod multis ut salvi fiant.

inter quos est Jacobus Persa.

5 Docebat autem illos intus quidem communem Deo hymnodiam offerre, post auroram vero binos exire in solitudinem, et unum quidem genua flectentem debitam Domino exhibere adorationem, alterum vero stantem psalmos quindecim canere Davidicos. Tum deinde operis facta commutatione, illum surgentem canere, hunc vero humi procumbentem adorare. Atque hoc illi crepusculo matutino exorsi, ad vespertinum usque assidue faciebant. Ante occasum vero solis paululum quiescentes, hinc illi, illinc alii, omnes undique in antrum conveniebant, et hymnos vespertinos Domino simul offerebant. Solebat autem ipse quoque senex unum aliquem ex insignioribus officii socium assumere. Sequebaturque illum frequentius vir quidam Persa genere, forma quidem magnus et admirandus, sed admirabiliore anima præditus quam forma ; cui nomen Jacobus, qui etiam post illius mortem in omni virtute resplenduit. Insignis autem et illustris fuit, non in illis modo quæ illic erant, sed in iis etiam quæ in Syria, philosophiæ gymnasiis seu monasteriis, in quibus vitam finiit, D
cum vixisset annos, ut ferunt, centum et quatuor
f. Is cum magno sene iter faciens per desertum, f
eminus sequebatur. Non sinebat enim magister illum propius accedere, ne qua inde colloquendi esset occasio, et colloquium mentem a Dei contemplatione abstraheret. Sequens igitur, draconem maximum conspicit in via. Quem jacentem contemplans progredi non audebat : declinare autem præ metu cum vellet, animum rursus confirmavit. Deinde lapillum inclinatus arripiens, in eumque conjiciens, eodem in statu manere draconem, nec commovere se posse animadvertit : ex quo mortuum esse intelligens, senis opus esse mortem belluæ arbitratus est.

Draconem signo crucis interficit.

6 Peracto itinere, completoque hymnorum officio, cum tempus quietis advenisset, et sedens senex ipsum etiam modicæ quieti corpus tradere jussisset, primum quidem tacitus sedebat. Deinde cum senex sermonem quemdam exorsus esset, tum illum leniter subridens Jacobus rogavit, sibi ut quod ignorabat aperiret. Et cum interrogandi potestatem fecisset : Vidi, inquit, in via jacentem maximum draconem, ac primum quidem timui vivum existimans. Ut vero mortuum animadverti, E
securus iter sum ingressus. Dic ergo mihi, pater, ait, quis hunc interfecit? Tu enim præcedebas, nullus autem alius hac præteriit. Tum senex : Cessa, inquit, talia perscrutari, quæ sciscitantibus utilitatem nullam afferre possunt. Sed instabat nihilo secius admirandus Jacobus, verum scire desiderans. Et senex diu quidem celare conatus, diutius autem amicum angi non ferens. Ego, inquit, si scire aves, tibi dicam : sed veto ne quod dicam ex te alius me vivo quisquam resciat : celare namque talia convenit, quæ arrogantiam sæpe et fastum excitant. Cum vero hinc excessero, et ab ejusmodi perturbationibus liberatus fuero, non repugno quin dicas, divinæque gratiæ virtutem enarres. Scito ergo, ait magnus Julianus, belluam illam in me eadem in via irruisse, osque ad devorandum patefecisse. At ego Dei nomen appellans, digitoque tropæum crucis ostendens, et omnem metum excussi, et belluam extemplo corruentem vidi, communique laudato Servatore, perrexi ulterius. Sic finita narratione, ad antrum profectus est.

F

Asterius Julianum sequitur in solitudine,

7 Alias quidam adolescens, nobili loco natus, molliterque educatus, animi alacritatem gerens viribus majorem, precibus a sene contendit, sibi ut cum ipso deserti peregrinationem obire liceret, non illam communem quam omnes inibant quotidie, sed longissimam, quæ sæpe ad septem, sæpe ad decem quoque dierum iter producebatur. Is autem erat celeberrimus Asterius. Quem cum divinus senex prohiberet, et aquis carere solitudinem moneret, instabat adolescens obsecrans ut hoc ei donum concederet. Victus ergo precibus cessit senex ; et ille sequebatur primo quidem alacriter : sed post primum et alterum ac tertium diem elapsum, radiis solis ardens (æstas enim erat, et vigente æstate flamma solis est ardentior), siti perpetuo laborabat. Et principio quidem memor eorum quæ magister prædixerat, morbum aperire non audebat.

et sitim fonte lacrymis ejus elicito extinguit.

8 Tandem vero victus, ac plane deficiens, senem oravit ut sui misereretur. Tum ille revocans in memoriam quæ præmonuerat, jussit eum reverti : sed cum diceret adolescens, se nec viam scire quæ ad antrum ducat, nec si sciret ire posse, viribus siti consumptis, adolescentis vicem miseratus vir divinus, et imbecillitati corporis ignoscens, genibus

A genibus flexis Dominum oravit, solumque calentibus lacrimis irrigavit, viam salutis exquirens adolescenti. Qui autem facit voluntatem timentium ipsum, eorumque orationem exaudit, stillas lacrimarum ad pulverem effusas in fontem aquarum convertit: et sic fluento repletum adolescentem protinus abire jussit, manetque fons in hodiernum usque diem, Mosaicæ divini senis orationis ferens testimonium. Quemadmodum enim ille olim, cum sterilem petram virga percussisset, exundantes aquas fluviatiles elicuit, ut multa hominum millia siti confecta satiaret: ita hic aridissimam illam arenam irrigans lacrimis fecit ut fontana fluenta emanarent, non ut multarum myriadum, sed ut unius adolescentis siti mederetur. Mente enim a divina gratia illuminatus, futuram adolescentis perfectionem aperte prævidebat.

Idem postmodum monasterium excitat apud Gindarum;

9 Hic siquidem longo post tempore divina impulsus gratia, ut alios quoque multos ad eamdem virtutem exerceret, in locis Gindaro *g* vicinis (qui vicus est maximus sub Antiochia constitutus) palæstram fixit monasticam, et cum alios multos ad se traxit athletas philosophiæ, tum magnum quoque traxit Acacium *h*, summum inquam illum et B fama clarissimum, qui et vita monastica excelluit, et splendidos virtutis radios emisit pontifex creatus et Berœam *i* pascendam sortitus. Quinquaginta autem et octo per annos gregis curam gerens, monasticæ vitæ formam non reliquit, sed monasticam civilemque virtutem simul temperavit, et illius quidem exactam sumens perfectionem, hujus autem dispensationem, ea in unum quæ erant disjuncta conjunxit. Ceterum hujus virtutis et venator et magister fuit Asterius, qui magni illius senis tanto semper amore tenebatur, ut ad eum sæpe bis in anno, sæpe ter etiam proficisceretur. Veniens autem solebat caricas afferre sodalibus tria vel quatuor onerans jumenta: duos vero medimnos seni toto anno suffecturos colligens, id onus ipse humeris suis imponebat, jumentum se magistro suo exhibens.

indeque sæpe Juliano cibaria suis humeris affert.

10 Portabatque id onus non decem vel viginti stadiorum spatio, sed toto septem dierum itinere. Quem cum aliquando caricarum sarcinam humeris gestantem senex vidisset, ægre id ferens esurum se negavit. Nec enim justum esse, ut ille tantum subiret laborem, ipse vero delicate ejus laboribus frueretur. Sed cum jurasset ille, se onus ab humeris C non depositurum, nisi allato cibo se usurum senex confirmaret: Faciam, inquit senex, quod jubetur, tu modo saccum extemplo depone. Nam in hoc quoque imitabatur primum apostolorum, qui cum pedes ejus lavare Dominus vellet, primum recusavit, magnopere affirmans id non futurum; ubi vero audivit abscindendum se a Domini communione, nisi permitteret, oravit ut et manus cum pedibus et caput lavaret. Ita et magnus Joannes jussus tingere Servatorem, principio quidem et servum se confessus est, et Dominum ostendit; postea vero fecit imperata, non proterve resistens, sed obsequens Domino. Ita hic etiam vir divinus gravabatur quidem alio laborante cibum sumere, sed ardentissimam famulantis alacritatem considerans, voluntati suæ illius ministerium anteposuit.

S. Julianus in montem Sinai ad tempus se recipit.

11 Erit fortasse quispiam, ex iis qui reprehensionibus delectantur, et honesta tantum carpere didicerunt, cui hæc narratio commemoratione digna non videatur. Ego vero aliis hujus viri miraculis hoc etiam adjeci, non solum ut magnorum virorum erga eum observantiam ostenderem, sed quod morum ejus suavitatem et moderationem declarari operæ pretium existimarim. Nam cum tanta esset et tali virtute, ne levissimo quidem honore dignum se esse censebat, sed hunc ut ad se nihil attinentem repellebat: rursus autem tolerabat, quod eos qui deferebant afficeret beneficio. Hunc ergo fugiens (omnibus enim cum innotuisset, bonorum amatores per famam ad se trahebat), in montem Sinæum tandem cum paucis familiaribus profectus est, non oppidum ingrediens ullum, nec vicum, sed per inviam inter agens solitudinem. Ferebant autem humeris quoque alimentum necessarium, panem, inquam, et salem et poculum ligneum et spongiam fune alligatam: ut si quando profundiorem aquam invenissent, spongia haurirent expressamque in poculum biberent. Multorum itaque dierum iter emensi, ad montem optatum perveniunt, et cum Dominum suum adorassent, longum ibi tempus transegerunt, loci solitudinem et animæ quietem maximam ducentes voluptatem. Cumque in petra illa, sub qua princeps prophetarum Moses latens, Deum quo pacto videri poterat meruit videre, ecclesiam extruxisset, E divinamque aram, quæ usque in hodiernum diem manet, consecrasset, in palæstram suam reversus est *k*.

AUCTORE THEODORETO.

ANNOTATA.

a Osrhoëne, *inquit Lequien* (1), trans fluvium Euphratem posita regio, quæ Arabia olim propter incolas ex Arabia profectos, audiebat, a potiori urbium suarum nomen habuit, Edessa nimirum, quæ a fonte perlucidis undis illic fluente Callirhoë vocitata fuit, et per syncopen Rhoe.... Edessa autem nuncupata fuit a Macedonibus incolis, propter Edessam Macedoniæ, postquam illa a temporibus Alexandri Magni potiti sunt; sed et Justinopolis dicta fuit, ex quo Justinus I imp. eam exundantibus aquis eversam instauravit. Cæterum a prisco suo nomine græco Rhoe a Sarracenis, qui illam posthac obtinuerunt, Ourfa subinde audivit, *vel* Orfa, *corrupto scilicet nomine ex* Orrhoa, *quod aliud non est quam græcum* Rhoe *cum præfixo articulo arabico, ut observat Danville* (2). Nec tacendum, *ait porro laudatus Lequien,* in Syriaco Chronico Edesseno (3) primum Edessæ regem Orrhoën dici, a F quo proinde tota regio Osrhoëne nuncupata sit, quod etiam adstruitur testimonio Procopii (4). In notitia Hieroclis et duabus aliis Osrhoënes metropolis est Edessa, civilis et ecclesiastica. *Incertum autem est Diocletianusne an Constantinus Magnus Mesopotamiam in duas provincias diviserit, alteram proprie sic dictam, cujus caput Amida, alteram Osroënem, in qua Edessa* (5). *Norisius in opere de epochis Syro-Macedonum suspicatur ne sub Constantino quidem, sed sub Constantio id accidisse, quandoquidem ea divisio hauddum apparet in subscriptionibus Concilii Nicæni* (6), *bene vero in Constantinopolitani* (7), *atque exinde occurrit frequenter. Ita fere Bayerus in Historia Osrhoëna et Edessena nummis illustrata* (8).

b Nisibim, *quæ et* Antiochia Mygdonia *aliquando audiit, in Persici et Romani imperii finibus sitam fuisse scribit Theodoretus in Historia ecclesiastica* (9). *Josue Stylites sæculi* V *scriptor, ut refert Assemanus* (10), *eamdem civitatem anno Christi* 363

(1) Orient. Christ., t. II, col. 953 et seqq. — (2) Géogr. anc. abrég., t. II, p. 193. — (3) Cfr Assemanus, Biblioth. Orient., t. I, p. 388. — (4) De Bell. Pers., lib. I, cap. XVII. — (5) Cfr Cellarius, Notit. Orb. antiq., lib. III, cap. XV, § 11, p. 604. — (6) Apud Labbe, t. II, Concil., col. 52. — (7) Ibid., col. 955 et 956. — (8) P. 214. — (9) Lib. II, cap. XXVI, p. 632. — (10) Biblioth. Orient., t. I, p. 262.

a

AUCTORE THEODORETO.

a Joviano imperatore Persis ad annos centum et viginti concessam fuisse tradit, quo tempore expleto, Romano restituenda esset imperio. Amida *sive* Constantia, *quæ hodie* Diarbekir *nuncupatur, nec multum a Nisibi versus Septentrionem distabat, in ditione Romanorum erat. Quod autem ad septentrionalem Osroënes limitem attinet, apud quem S.* Julianum *habitasse credimus, eum Theodoretus definire omisit. Forsitan ex ea parte Osroënem ab Armenia dividebat mons Masius, qui Tauri montis ab Euphrate continuatio est, et totam Mesopotamiam per Nisibim usque ad Tigrim intersecat* (1).

c Adiabene, *ab Adiaba seu Anzaba fluvio sic dicta, pars Assyriæ erat, ubi Ninive fuit, ad ripam sinistram Tigris fluminis. Nonnumquam tota Assyria hoc nomine appellata fuit, ævo præsertim posteriore* (2).

d *Ex hoc Theodoreti loco concludit Nicolaus Antonellus* (3) *S.* Julianum *primum videri qui monachos in Mesopotamia instituerit. Sed conferantur quæ de distinctione ab Antonello excogitata* ascetas *inter et* monachos *quidam ex collegis nostris alio in opere scripsit occasione disputationis de origine vitæ religiosæ* (4). *Præterea Antonelliano asserto*
B *contraria sunt quæ scribit Assemanus* (5), *nempe monasticum institutum in Mesopotamiam invectum fuisse ab Aone seu Eugenio S. Antonii discipulo, ejusque deinde æmulatores fuisse multos, atque inter cæteros S.* Julianum Sabam: *quamquam in universum opinionem Assemani de vitæ monasticæ ortu nequaquam admittimus, quam ille ex Thomassino hausit, ineptissimo S. Hieronymi hoc argumentum tractantis interprete, ut dictus collega noster abunde demonstravit* (6).

e *Num prope speluncam extiterit* monasterium S. Juliani Sabæ ad fluvium Medorum, *quod Dionysius Jacobitarum patriarcha* (7) *inter illa monasteria numerat e quibus monachi ab Asclepio Edesseno episcopo anno Græcorum* 837, *Christi* 526, *expulsi fuere, eo quod sacrum Chalcedonense Concilium recipere detrectarent, frustra inquisivimus; neque usquam reperimus quisnam fluvius nomine* fluvii Medorum *intelligendus sit.*

f *Theodoretus in Vita S. Eusebii, qui prope vicum Teledam inter Antiochiam et Berœam monasterium regebat, iterum Jacobum Persam commemorat. Eusebii enim famam referens, ita Sirmondo interprete loquitur* (8): Hæc viri, *Eusebii*
C *nempe*, gloria cum in omnium ore versaretur, omnes virtutis cupidos ad illum trahebat. Venerunt itaque divinissimi quoque Juliani senis (τοῦ πρεσβύτου, *alias* Sabæ), cujus historiam jam scripsimus, præstantissimi gregis arietes. Postquam enim divinus ille vir fato functus ad supernam vitam migravit, Jacobus Persa et Agrippa gregis illius præpositi ad magnum Eusebium convolarunt, recte regi satius quam regere arbitrati. Jacobi autem, cujus etiam supra memini, cum ejus virtutem summatim ostendi, nunc quoque summæ philosophiæ evidens proferam argumentum. Nam cum abiens e vita divinus Eusebius præesse illum gregi jussisset, præfecturamque recusans iis non persuaderet qui hanc ab eo suscipi cupiebant, ad alium gregem se contulit, pasci malens quam pascere, ibique post multos annos vitam finiit. Suscepit proinde præfecturam illam Agrippa, vir tum aliis multis virtutibus ornatus, tum præcipue animæ puritate.

g *De Gindaro scribit Lequien* (9): Gindarus D
Ptolemæo censetur inter oppida ultra Antiochiam posita: Plinio (10) est in Cyrrhestica ejusve finibus, quam latronibus aptum fuisse receptaculum ait. Joannes vero Malalas Antiochenus (11), eo quo Antiochus cognomento Chuzon præfectus prætorio Orientis erat tempore, Gindarum, Lytargum aliaque multa oppida Syriæ rustica mœnibus cincta esse narrat. Gindarum Syricæ primæ fuisse urbem declarat (12), ubi narrat venerandas S. Marini *(non Maximi, ut per sphalma apud Sequienum excusum est)* Martyris reliquias, quæ in prima Syria extra Gindarum civitatem sepultæ erant,... revelatas fuisse.... diœceseos lustratori, et inde ad S. Juliani extra Antiochiæ muros translatas.... Inter episcopos Antiochenæ Synodi quæ anno 341 habita est, in latinis codicibus legitur Petrus Gindarensis (13): ut proinde oppidum hoc ante Theodosii Magni tempora proprio pastore potitum sit. *Imo legitur item* Petrus Gindarensis *in subscriptionibus primi Concilii Nicæni inter episcopos provinciæ Syriæ Cœles* (14): *præter hunc vero nullus alius loci illius episcopus Lequieno innotuit.* Gindarum *uti hodiedum superstitem exhibent tabulæ topographicæ recentiores, in quarum aliquibus* Dschindaris *legitur bar-* E
bara scriptione ad pronuntiationem germanicam accommodata.

h *Sicuti hic, ita pluribus aliis scriptorum suorum locis Theodoretus Acacium magnis effert laudibus, neque immerito; quamquam in quibusdam Acacius idem reprehendendus est, maxime quidem quod acerrimum S. Joannis Chrysostomi hostem sese præbuerit, deinde vero quod Nestorio favere et alienum a S. Cyrillo Alexandrino animum præ se ferre aliquamdiu visus sit. Vitam protraxisse videtur ad annum Christi* 438, *ætatis suæ* 116. *Videatur Commentarius quem de vita ejus Tillemontius magna cura composuit* (15).

i Berrhœam Syriæ condidit Seleucus Nicator, Antiochiam inter et Hierapolim, seu potius instauravit et amplificavit, quum prius Chalybon appellaretur: unde circumvicina regio Chalybonitis vocabatur. Datum scilicet ei Berrhœæ nomen a rege Macedone ob Berrhœam priscam Macedoniæ civitatem. Ejus Strabo, Plinius, Ptolemæus aliique geographi meminere, ut et Notitiarum compositores. Antiquum nomen apud indigenas Syros servavit, atque Arabes Chalibam dicunt, nostri Halep. F
Celebris hodie civitas est, mercibus undequaque congestis abundans, metropolitica jurisdictione aucta. *Hucusque Lequien* (16). *Plura de* Halep *sive* Alep *docebant hodierni geographi.*

k *Ad hæc Theodoreti verba, quæ S.* Julianum *e monte Sinai reducem fuisse ostendunt, quando ei mors Juliani apostatæ cœlitus innotuit, non attendit Synaxarista quem num.* 11 *Commentarii prævii allegavimus. Quippe perperam scribit revelationem illam factam fuisse S.* Juliano *oranti ante altare quod in eo monte erexerat.*

(1) Cfr Cellarius, loc. cit., § xxxiv, p. 622. — (2) Ibid., cap. xvii, §§ i, vii et xii, p. 654, 656 et 658. — (3) Dissert. de Ascetis, apud Opera S. Jacobi Nisibeni, p. 111. — (4) Examen hist. et canon. etc., cap. ii, p. 50 et seqq. — (5) Biblioth. Orient., t. III, part. ii, p. dccclxi et seqq. — (6) Loc. cit., p. 67 et seqq. — (7) Apud Assemanum, Op. cit., t. III, p. 303 et 304. — (8) T. III Operum, p. 798. — (9) Op. cit., t. II, col. 789 et 790. — (10) Lib. v, cap. xxiii. — (11) Chronogr., lib. xiii, part. ii, p. 42 edit. Oxon. vel p. 347 edit. Bonn. — (12) Ibid., lib xviii, p. 187 et 188, vel p. 452. — (13) Apud Labbe, Concil., t. II, col. 560. — (14) Ibid., col. 51. — (15) Mémoires, etc., t XV, p. 220 et seqq. — (16) Op. cit., t. II, col. 781 et 782.

Cap.

A

Cap. II. *Mors Juliani apostatæ S. Juliano divinitus revelata. Hujus iter Antiochenum, miracula, reditus in eremum et obitus.*

Julianum apostatam interiisse cœlitus cognoscit.

De minis porro ejusdem cum ipso nominis, sed impii imperatoris certior factus, qui pios omnes se funditus deleturum jactans, profectus est in Persas, cum abominandum illum reditum inhiantes expectarent qui eadem sentiebant, ipse tunc Deo enixas preces offerens, easque ad decem usque dies producens, audivit vocem quæ dicebat execrandum illum et fœtentem porcum de medio esse sublatum. Sed neque finitis precibus statim finiit orationem, sed petitionem in laudes mutavit, gratias agens servatori suorum, clementique et potenti hosti alienorum. Impium enim longissimo tempore toleravit : sed cum ejus patientia majorem in rabiem sceleratum concitasset, opportune intulit supplicium. B Completa oratione, ad suos conversus, lætum palam et tranquillum animum præ se tulit : animi enim lætitia hilarem vultum exhibebat. Admirantibus autem iis qui aderant novum spectaculum, quod qui tristi semper aspectu videbatur, tunc subridere cerneretur, causam rogantibus : Lætitiæ, inquit, o viri, præsens tempus est et gaudii. Cessavit enim impius, ut ait Esaias, et audacium inceptorum meritas pœnas dedit, et qui tyrannidem in Deum factorem et servatorem exercuit, ab obsequente dextera jure cæsus est. Ideo lætor ecclesias quas ille oppugnabat exultantes videns, et sceleratum cernens a dæmonibus quos colebat nihil auxilii consequutum. De hujus ergo impii cæde talent habuit præscientiam.

Valente imperatore Ecclesiam persequente,

13 Cum Valens autem qui post illum habenas Romani tenuit imperii, abjecta evangelicorum dogmatum veritate, Ariani erroris imposturam suscepisset, tunc major adversus Ecclesiam coorta est procella, cum gubernatores undequaque pellerentur, et prædones atque hostes in eorum locum sufficerentur. Ac ne totam illam in præsentia tragœdiam persequar, aliis prætermissis, unum tantum C commemorabo, quod florentem in hoc sene divini Spiritus gratiam aperte demonstravit. Ejectus ex Antiochena ecclesia fuerat magnus Meletius *a*, cui Deus universorum pascendam illam commiserat, ejectique ex divinis templis fuerant cum populo illis consentiente clerici omnes, qui Trinitatis divinam unam colebant essentiam. Et nunc quidem ad montis ima venientes, sacros ibi conventus celebrabant : nunc autem in ripa fluminis statuebant oratorium ; nonnumquam etiam in bellico gymnasio, quod situm est ante portam septentrionalem. Non enim permittebant hostes uno in loco pios consistere.

Arianisque S. Julianum suum esse jactantibus,

14 Jactarant autem alumni mendacii, et rumorem in illa civitate sparserant, quasi magnus Julianus, hic inquam senex, dogmatum quæ ipsi sequebantur amplecteretur communionem. Quæ res pios maxime angebat, ne fama hæc rudiores forte ac simpliciores decipiens hæreticorum illos laqueis implicaret. Sed divini beatique viri, Flavianus et Diodorus *b* presbyteratu ornati ambo, religiosoque populo præsidentes, et Aphraates, cujus vitam vobis seorsim Deo dante adjiciam *c*, magno illi Acacio, cujus mentionem jam fecimus, persuadent ut viæ comitem accipiat, suum quidem magistrum, sed sancti senis discipulum, insignem Asterium, festinetque ad communem pietatis splendorem, evangelicæ doctrinæ sustentaculum, eique persuadeat, ut solitudinis habitatione relicta veniat, feratque auxilium tot millibus fraude pereuntibus, et adventus sui rore flammam extinguat Arianam.

AUCTORE THEODORETO.

hic ab Acacio et Asterio accersitus,

15 Accurrit divinus Acacius, et sumpto ut jussus erat magno Asterio, ad maximum ecclesiæ lumen se contulit, et cum eum salutasset : Dic mihi, inquit, o pater, quanam de causa totum hunc laborem tam lubenter toleras ? Illo autem in hæc verba respondente : Mihi et corpore et anima vitaque et rebus omnibus pretiosior est Dei cultus; conor autem quoad ejus a me fieri potest, mundum illi offerre ministerium, eique perpetuo placere. Rationem tibi, ait Acacius, exponam, qua illi plus quam nunc servias. Idque ego, non sola ratiocinatione ductus, sed ipsius disciplina edoctus ostendam. Nam cum Petrum aliquando interrogasset, an eum plus ceteris amaret, audissetque id quod vel ante Petri vocem sciebat : Domine, tu scis quod amem te ; ostendit ei quidnam agens eum coleret impensius : Si amas me, inquit, pasce E oves meas, et pasce agnos meos. Hoc quoque tibi, o pater, faciendum est ; periculum enim est ne oves a lupis devorentur : has autem valde amat, qui a te valde amatur, et amantium proprium est illa facere, quæ cum fiunt, eis qui amantur grata sunt. Et alioqui periculum est non parvum, multorumque et magnorum istorum sudorum detrimentum, si veritatem graviter oppugnatam silentio prodi patiare, ejusque sectatores capi atque ad eos capiendos tui nominis escam apponi. Te siquidem impietatis suæ socium habere se inaniter jactant præsides Arianæ abominationis.

Antiochiam proficiscitur;

16 His auditis senex quietem statim ad tempus valere jubens, nec civitatis strepitus sibi inusitatos refugiens, Antiochiam profectus est. Duorum autem vel trium dierum itinere progressus in solitudine, noctu venit in oppidulum quoddam. Ibi dives mulier sacrum illum cœtum venire audiens, obviam occurrit eorum perceptura benedictionem, genibusque provoluta, rogavit ut domus suæ diversorio uterentur. Cessit senex, tametsi annis amplius quadraginta tali spectaculo abstinuisset. Dum in sanctorum virorum ministerio admirabilis illa mulier esset occupata, F puer septennis filius unicus matri, quæ hospitalitatem Saræ est æmulata, sub vesperam et tenebras cecidit in puteum. Ex quo cum tumultus ut par erat exortus ingens esset, mater, re cognita, quiescere omnes jussit, puteoque operculum quoddam imponens, rediit ad ministerium. Mensa autem sanctis viris apposita, divinus senex mulieris filium vocari jussit, ut benedictionem acciperet. Cumque admirabilis mulier male illum habere diceret, perstitit jubere ut duceretur. Ubi autem significavit mulier quod acciderat, accurrit mensa relicta senex ad puteum, et ablato ipsius jussu operculo, lumineque allato, puerum videt summæ aquæ insidentem, aquamque manu pueriliter pulsantem, ac pro ludo ac joco habentem quem interitum putarant : funibusque adstricto quodam, et in puteum demisso, puerum extraxerunt : qui ad senis pedes mox properavit, vidisse se illum in aquis dicens sustinentem, et ne mergeretur prohibentem. Hanc hospitalitatis suæ mercedem recepit mulier a beato sene.

ubi miraculis

17 Ut alia autem prætermittam, quæ in itinere facta sunt, venerunt tandem Antiochiam : confluebant

AUCTORE THEODORETO.

fluebant omnes undique, Dei hominem videre gestientes, et morbi quisque sui medicinam expetentes. Habitabat autem in speluncis quæ in imo sunt monte, ubi divinum quoque Apostolum beatum Paulum habitasse et latuisse fama est. Sed ut omnes hominem illum esse agnoscerent, invadit eum statim febris vehementissima. Cumque multitudinem eorum qui eo convenerant animadvertens magnus Acacius, ægritudinem moleste ferret, veritus ne perturbarentur qui aderant, si viri morbum rescirent, de cujus manu medicinam se adepturos sperabant : Noli angi animo, inquit senex, quia si necessaria est sanitas, ea illico dabit Dominus. Statim ergo post hæc verba ad preces conversus, et genua, ut solebat, frontemque solo admovens, rogavit ut sanitatem reciperet, si ex illa reditura esset aliqua utilitas ad eos qui convenerant. Nondum preces finierat, et repente profluens copiosus sudor flammam febris extinxit.

orthodoxos in fide confirmat

18 Cumque multos illic ab omni morborum genere liberasset, ad piorum conventum profectus est. Dum regiæ domus portas præterit, mendicus quidam, qui pedum vice clunibus suis utens per humum trahebatur, pallium ejus extensa manu
B tangens fide morbum exegit, exsiliensque cucurrit ut ante morbum solebat, claudo illi similis, quem Petrus et Joannes erexerunt. Quo facto confluxit totius urbis multitudo, ita ut bellicum gymnasium hominibus repleretur. Unde pudore affectis calumniantibus, artificibusque mendacii, læto contra et hilari animo erant alumni veritatis; et qui aliqua ope indigebant, in domos suas trahebant splendidum lumen pietatis. Vir quidam summo præditus magistratu, qui præfecturam gerebat Orientis, ad eum misit rogans ut ad se veniret, ipsumque ab urgente morbo liberaret. Accessit ille nihil moratus, communemque Dominum deprecatus, verbo depulit ægritudinem, et gratias Deo agere jussit.

Per civitatem Cyrum, quam ab hæretico episcopo liberat, d

19 Cum hæc aliaque id genus peregisset, statuit deinceps exercitationis monasticæ tugurium repetere. Cyro autem iter faciens, quæ urbs duorum dierum itinere distat Antiochia *d*, divertit in ædem præclari martyris Dionysii. Qui religionis ibi antistites erat, una omnes rogarunt, ut sibi certum exitium expectantibus opem ferret. Dicebant enim Asterium, virum in arte sophistica exercitatum, qui ad hæreticorum ecclesiam defecerat et episcopale munus erat assecutus, falsitatem acriter defendere
C et improbo artificio veritatem oppugnare. Veremurque, aiebant, ne facundia velut esca quadam falsum tegens, et syllogismorum nexus tanquam retia expandens, simpliciores multos implicet. Hac enim de causa ab adversariis accitus est. Ad quos senex : Bono, inquit, animo estote, et Deo nobiscum supplicate, jejunium et afflictionem precibus adjungentes. Dum orant in hunc modum, pridie D
festi illius diei quo verba facturus erat falsi defensor et hostis veritatis, divina plaga percussus est, et cum unum tantum diem ægrotasset, vivis excessit, vocem illam scilicet audiens : Stulte, hac nocte repetunt a te animam tuam : quæ autem mala parasti, retia et laqueos, tibi erunt et non alii. Eadem itaque passus est quæ Balaam, qui et ipse adversus Dei populum accersitus, contra illum impia quædam consilia Balaco cum dedisset, Israelitica dextra cæsus pœnas dedit. Sic ergo iste in Dei populum prava meditatus, vita per Dei populum privatus est. Hoc autem beneficium per hujus intercessionem Cyrus accepit.

eremum suum repetit, ibique moritur.

20 Mihi vero ista quæ narravi, divinum illud caput, magnus tradidit Acacius, qui res ejus omnes accurate noverat. Illinc ergo digressus, ad sodales suos cum pervenisset, atque una cum eis non exiguo tempore versatus esset, ad vitam senii ac molestiæ expertem alacriter migravit, impassibilitatem in mortali natura consectatus, corporisque immortalitatem expectans. At ego meæ de illo narrationis finem hic faciens, ad alium pergam, Sanctos orans quos commemoravi, mihi ut per suam intercessionem supernam benevolentiam E
concilient.

ANNOTATA.

a *De S. Meletio patriarcha Antiocheno egit Bollandus noster ad diem* XII *Februarii.*

b *Flavianum, qui S. Meletio successor datus, ac per plures annos opera S. Joannis Chrysostomi presbyteri sui ad erudiendum populum Antiochenum usus fuit, Sancti titulo decorandum esse Tillemontius autumavit, qui gesta ipsius commentario prosecutus est* (1). *Verum decessoribus nostris aliter visum fuit: quare eum ad diem* XXVII *Septembris inter Prætermissos reposuerunt. Idem Tillemontius* (2) *exposuit quoque vitam Diodori, qui S. Joannem Chrysostomum sacras litteras docuit, factusque postea fuit Tarsensis in Cilicia episcopus.*

c *Vita S. Aphraatis ex Theodoreti Philotheo operi nostro inserta exstat ad diem* VII *Aprilis.*

d Cyrus *seu* Cyrrhus *aut etiam* Cyrrhum, *hodie* Choros, *Euphratensis Syriæ civitas erat, cui Theodoretus episcopus præfuit, octingentas, uti ipse ad S. Leonem Magnum scripsit, sub se habens ecclesias.* E
Caput fuit Cyrrhesticæ regionis, quæ ab illa nomen habuit. In notitia veteri ecclesiastica Ἁγιούπολις *appellatur; quod ideo fieri suspicatur Lequienus* (3), *quod celebris ibi quondam fuit cultus SS. Cosmæ et Damiani, de quo consulendus Stiltingus noster ad diem* XXVII *Septembris* (4).

(1) Mémoires, etc., t. X, p. 523 et seqq.—(2) Ibid., t. VIII. p. 558 et seqq.—(3) Orient., Christ., t. II, col 929 et 930.—(4) T. VII Septemb., p. 449.

DE S. BROTHENO ET S. GWENDOLINA,

CULTIS IN WALLIA.

A. T.

SÆCULO VI
Utriusque Sancti

Quod multis in Wallia Sanctis accidit, ut nuda fere illorum nomina, sive ex sacris quibus inscripta fuere fastis, sive ex templis Deo sub eorum invocatione consecratis, ad notitiam nostram pervenerint, dum rerum præclare ab ipsis gestarum vix aut ne vix quidem distinctare mansit apud homines memoria; idem S. Brotheno *ac S.* Gwendolinæ, *quantum equidem investigando assequi potui, videtur accidisse. Neque tamen est quod eos ideo prætermittamus; quandoquidem*

A *quandoquidem nos agere profitemur de Sanctis quotquot toto orbe coluntur, ac fere quotidie plures Martyres non aliam ob causam nostro operi inserimus quam quia nomina eorum et palæstras Martyrologia Hieronymiana indicant. Paucis igitur accipe quæ de utroque Sancto dicenda habemus.*

memoria apud scriptores

2 *Diligens rei hagiographicæ pro patria sua scrutator, qui Londini anno* 1761 *anglico idiomate edidit Memoriale antiquæ pietatis Britannicæ seu Martyrologium Britannicum* (1), *in hujus operis Supplemento ad diem* XVIII *Octobris ita scribit* (2) : In Wallia festivitas S. Gwendolinæ abbatissæ, in cujus honorem variæ ecclesiæ dedicatæ fuerunt. Item memoria S. Brotheni, culti in parochia Llanfrothen in comitatu Merionethensi. *Hæc autem ex Willisio se profitetur accepisse, nempe ex recensionibus diœceseon Sant-Asaphensis et Bangorensis, quas is Londini annis* 1720 *et* 1721 *vulgavit* (3), *sed quibus nos caremus. Comparent quoque SS.* Brotheni *et* Gwendolinæ *nomina in Calendario Sanctorum alphabetico quod cl. Harris Nicolas Chronologiæ suæ inseruit* (4); *verum hic utrique dies* XV *Octobris adscribitur. Præterea ambo illa nomina, secundum Wallicam orthographiam* Brothen *et* Gwyddelan, *invenire est in Glossario prævio Lexici topographici Walliæ a Nicolao Carlisle compositi* (5) ; *ubi* Brothenus *dicitur circa sæculi sexti finem vixisse, de* Gwendolina *vero asseritur pauca tantum nota esse.* A. T.

et ecclesiæ in Wallia.

3 *Ex dicto autem Lexico confirmatur, id quod supra jam vidimus, S.* Brothenum *parochiæ Llanfrothen in Mervinia seu Merionethensi comitatu patronum esse ; ac vel ipso parochiæ nomine hoc satis indicatur : vox enim* llan *designat* ecclesiam, *et* Frothen *pro* Brothen *est per flexionem seu permutationem litterarum idiomati Wallico propriam, ita ut* Llanfrothen *idem sonet ac* Ecclesia Brotheni. *Quod ad S.* Gwendolinam *attinet, quamvis facile crediderim laudato Martyrologo ex Willisio asserenti varias ecclesias sub hujus Sanctæ abbatissæ patrocinio fuisse erectas, nullam equidem in Carlislii Lexico obviam habui præter ecclesiam parochiæ Llanwyddelan in comitatu Montisgomerici. Componitur hujus parochiæ nomen ex voce* llan *et patria ipsius Sanctæ appellatione* Gwyddelan, *littera* g *per grammaticæ Wallicæ leges evanescente ; proindeque* Ecclesiam Gwendolinæ *significat.*

B (1) Memorial of anc. Brit. piety, or a British Martyrology. — (2) Supplement to the Brit. Martyrology, p. 27. — (3) Survey of the cathedral church of St Asaph,... of Bangor. — (4) Chronology of History, p. 139 et 152. Edit. Lond. 1838.—(5) Topograph. Diction. of the dominion of Wales, p. XXX et XXXV. E

DE SS. FELICE ET AUGEBERTO, MARTYRIBUS

IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. B. B.

Cultus variis in parœciis diœceseos Lingonensis. Eorum Legenda et Passio. Corpora asservata in abbata S. Petri Vivi prope Senonas.

SÆC. VII. Pauca de his Sanctis habemus.

C S. Augeberti, *seu* Angilberti *meminit Castellanus. Præter hunc, Martyrologorum reperi neminem, qui illius mentionem faciat: nec enim supinus, in quo hic versatur Saussaius, error sinit ut vel tantilli verba ejus pendamus. Scilicet ad diem sextum Septembris annuntiat :* apud Senonas, natalis Sanctorum Martyrum Sanctiani, Augustini, Felicis, Auberti ac Beatæ, Virginis itidem purpuratæ, qui Aureliani Imperatoris tempore... ab Hispaniis in Gallias profecti... Christi confessionem... fuso cruore obsignarunt ; *quæ quidem, pro more suo, prolixe amplificat Saussaius. Cæterum Stiltingus noster ad præfatum diem sextum Septembris nomina* Felicis *et* Auberti *expungenda declarat* (1) Sanctos, *inquit,* Martyres, quos in titulo proposui, nullibi omnes simul annuntiatos reperio, nisi apud Saussayum et in Breviario Senonensi ad hunc diem, ubi in præfixo Kalendario ita leguntur : *Sanctiani, Augustini, Felicis, Auberti, et Beatæ, Virginis, Martyrum.* Lectiones vero Breviario anni 1625 insertæ de tribus fere tantum agunt, et brevissimam Felicis et Auberti memoriam eo modo in fine addunt, ut insinuare videantur, hos duos non simul cum aliis tribus martyribus passos fuisse, sed aliis adjunctos, ut omnium simul ageretur festivitas. *Quod postremum infra amplius declarabitur. Nec solum de* F *Sanctis nostris silent Martyrologi, sed nec in historicis quodcumque vel levissimum deprehendere potui vestigium ; ac proinde inter* Prætermissos *amandandi SS.* Felix *et* Augebertus *fuissent, nisi ex benevolentia amplissimi D. Lamy, Seminarii Lingonensis Præsidis, documenta quædam accepissemus, ex quibus de eorum cultu certo constat.*

Coluntur in Diœcesi Lingonensi.

2 *SS.* Felix *et* Augebertus *duabus in ecclesiis Lingonensis diœceseos hodie habentur patroni : scilicet in Silva Rubra seu Silva Roborum (vernacule* Silvarouvre *vel* Silvarouvres : *diverse enim a diversis scribitur) et in Villa (Vernacule* Villars-en-Azois, *Castellanus scribit* Villers-en-Azois), *Uterque pagus, (quos sibi e regione, nec procul ab invicem positos, interfluit Alba fluvius) est in districtu Calvimontis* (Chaumont). *Sed est et alius pagus seu vicus ejusdem districtus, Sexfontes, seu Siccumfons nuncupatus (vernacule* Sexfontaine) *in quo ab immemoriali SS.* Felicis *et* Augeberti *coluntur Reliquiæ.*

Eorum Legenda.

3 *Ex tribus laudatis pagis seu vicis varia, ad*

(1) Acta Sanctorum, t. II Septembris comm. præv., n. 1, p. 668.

Sanctos

B. B.

Sanctos nostros eorumque cultum pertinentia, acce-
pimus. Et quidem R. D. Franciscus Hieronymus
Mettrier, parochus in Silvarouvres, submisit Legen-
dam, quam testatur se descripsisse ex officio Ms. ho-
rum Sanctorum. Codex annum præ se fert 1710, *et*
recognitus et approbatus fuit anno 1843 *ab amplis-*
simo D. Farrel, vicario generali illustrissimi
DD. Petri Ludovici Parisis, Episcopi Lingonensis,
hodie Atrebatensis, viri ob doctrinæ et eloquentiæ
famam per orbem notissimi. Sufficiat ex præfata
Legenda (quam inferius integre editam reperies) hæc
pauca excerpsisse. SS. Felix *et* Augebertus *ex An-*
glia oriundi, ducuntur captivi in Galliam. Exinde,
libertate donati, Romam perveniunt. Ubi, post fidem
Christo dictam, a Sancto Gregorio magno socii dan-
tur SS. Augustino et Mellito, Anglorum apostolis.
Felix *præsbyter* ; Augebertus, *diaconus ab Augu-*
stino ordinantur. Postea Romam missi, dum pa-
triam repetunt, in Silva, haud procul a villa Nucei,
in partibus Barrensibus, trucidantur in odium fidei,
a duobus latronibus. Septem interjectis diebus, eo-
rum corpora incorrupta et a bestiis intacta, studio
piæ matronæ transferuntur in ecclesiam sitam in
agro trecense, cui nomen Supinus Rubus, quæ
B translatio miraculis claruit ; inde ad siccum fontem
translata hodie requiescunt. *Anglo-Saxones S. Gre-*
gorius Magnus ad fidem convertit, misso illuc Au-
gustino, aliisquë monachis anno Mauricii 14,
Christi 596. *Ita Petavius* (1). *Ex his sequeretur*
Sanctos Felicem *et* Augebertum *trucidatos sæculo*
septimo non admodum provecto. In Angliam perve-
nerunt cum S. Augustino. Ponamus eos decennio
ibidem evangelizasse, et aliud decennium peregri-
nando insumpsisse, perveniemus versus annum 620.
Mera tamen hæc conjectura est : quare ab initio
indicamus simpliciter sæc VII.

Reliquiæ in Sexfontio :

4 *Ex* Villars-en-Azois *aliud non habemus, nisi*
quod Patroni sunt illius ecclesiæ. Castellanus, qui
hunc pagum in Annuntiatione sua ponit, solum,
Angilbertum, *prætermisso* Felice, *nominat. Sequen-*
tia ad amplissimum Seminarii Lingonensis Præsi-
dem scripsit R. D. Parochus ex Sexfontaine. Versus
annum 650, SS. Felix et Augebertus, Fabianus et
Silvianus, Angli natione, dum Roma patriam ver-
sus suam redirent, martyrium subierunt ad Silvam
Rubram. Reliquiæ partim depositæ fuerunt in
Prioratu Sexfontium, partim reperiuntur in Silva-
rouvres. Quomodo facta sit hæc translatio ignoro,
C cum nullas habeamus litteras authenticas. Popu-
laris traditio fert, sanctas Reliquias quievisse in
specu juxta oratorium præfati Prioratus. Solebant,
dum deficeret pluvia, circumferri per agros, nec
quidem umquam, ut aiunt, sine sperato eventu.
Olim nundinæ celebrantur, ad quas populus cater-
vatim affluebat. Ast propter abusus, hodie sup-
pressæ sunt. Fertur etiam thecas in quibus, dum
huc ego adveni anno 1820 sacræ asservabantur
Reliquiæ, reseratas a fœderatis *(Galliam, post*
Napoleonis lapsum occupantibus). Nescio an au-
thenticas litteras abstulerint

earum ibidem cultus,

5 Quod ad cultum spectat : usque ad annum
1830, festum agebamus sanctarum Reliquiarum,
24a Octobris : tota die hac expositæ manebant ; et,
pro antiquo more, cranium sancti Felicis fidelium
venerationi exhibebam : ast ab aliquot annis jam
non ita devote festum illud peragitur. Mulieres
hujus parœciæ, sicut et circumjacentium locorum,
dum post partum lacte destituuntur, vitreas lenti-
culas benedici a me petunt sub invocatione S. Fe-
licis.

Traditio de earum translatione.

6 Nuperrime consului senem quemdam octo-
ginta sex annorum, in ordine ad Reliquiarum trans-
lationem ; qui respondit se audivisse a majoribus
suis, incolas Silvæ Rubræ, sæviente bello, sacras
exuvias, quo sanctius servarentur, asportasse in
Sexfontaine, illasque deposuisse in specu, de qua
supra dixi ; ubi vero, reddita pace, easdem recu-
peraturi venissent, non potuisse eas loco movere,
ipsis curribus deffractis ; ac ita permansisse in
Sexfontaine. *Hactenus R. D. Parochus.*

Legenda non uno ex capite suspecta.

7 *Atque hæc sunt, quæ nobis submissa fuere, et*
satis concordant cum Legenda, de qua supra dictum
est. Sed hæc ipsa Legenda unde hausta. Quam me-
retur fidem? Ut candide dicam : non uno ex capite
mihi suspecta admodum est. Haud magnam impri-
mis prodit antiquitatem, ut vel ex stylo satis superque
apparet. Præterea illam excerptam *scribit laudatus*
D. Mettrier ex officio, concinnato ann. 1710, cura
R. Dni Crevel, tunc parochi in Silvarouvres. *Dein*
cunctis scriptoribus ignoti sunt socii illi duo, imo
quatuor, Sanctorum Augustini et Mellit . Tum
Sancti Gregorii Magni exclamatio manifesta imi-
tatio alterius illius est, quam passim referunt scri-
ptores prolatam, ubi per compita transiens primum
in Anglos servituti addictos, publice Romæ venun- E
dandos incidit. Nec quoad martyrii locum liquida
sunt omnia. Juxta Legendam hospitio recepti fue-
runt in villa Nucei. Sequenti die mane proximam
silvam vix ingressi *in latrones incidunt et trucidan-*
tur. Jam vero Villa Nucei, *probabiliter locus est ab*
urbe Trecensi leucis undecim dissitus, atque hodie
dictus Ville-noce, *ut scribit Sanson,* Ville-noxe, *ut*
habet Cassini, seu Villenauxe-la-Grande, *ut legitur*
in Dictionario Galliæ Geographico (2). *Nil profecto*
repugnat Sanctorum corpora post septem dies incor-
rupta et a bestiis intacta exinde ad ecclesiam in
agro Trecensi *translata. Ast, teste præfato D. Met-*
trier, fert traditio regionis suæ passos SS. Martyres
in loco, inter Silvarouvres *et* Villars-en-Azois *sito,*
qui quidem haud amplius quam decem circiter leucis
ab urbe Trecensi distant, ast cum opposita jaceant
ex parte, Viginti et amplius leucis disjunguntur a
Villa Nucei, modo, ut nostra est opinio, locus hic
hodie sit Villenoxe.

Reliquiæ in duabus diversis diœcesis Lingonensis ecclesiis.

8 *Ex supradictis efficitur Reliquias reperiri par-*
tim in Sexfontaine, partim in Silvarouvres. Ast
utrobique, ut diserte scribunt uterque parochus, defi-
ciunt litteræ authenticæ. In priori ecclesia depositæ
dicuntur sacræ exuviæ in hierothecis, solentque F
XXIV *Octobris in publicum proferri ; et nominatim*
S. Felicis *cranium fidelium venerationi exhibetur.*
In Silvarouvres asservantur in Reliquiario, cujus
summa pars utriusque Sancti refert effigies. Conji-
cere licet aliquid Reliquiarum similiter exhiberi in
Villars-en-Azois ; atque etiam authenticas deside-
rari. Nihil tamen exinde ad nos rescriptum. Cum
vero præfatus pagus in vicinio sit paræciæ Silva-
rouvres, vix dubitandi superesse potest locus ullus,
quin proxime nominatæ ecclesiæ parochus, si aliter
res se haberet, id indicasset. Ast notat solum hoc,
nempe sanctos Martyres nostros, sicut suæ, ita et
ecclesiæ in Villars-en-Azois esse patronos, quin vel
ullum addat verbum de Reliquiis harumque authen-
ticis instrumentis.

Corpora asservata in abbatia S. Petri vidi

9 *Ast aliud occurrit, ex quo præfatarum Reli-*
quiarum destrueretur fides, saltem si de corporibus
vel maxima eorum parte, interpretetur. Constat enim
ex recensionibus sive inventariis pluribus, diverso
confectis tempore, in abbatia Sancti Petri Vivi,
juxta Senonas, corpora sanctorum Martyrum Feli-

(1) Rationarium, part. I, lib. VII, cap. XII, *ad finem*. — (2) Dictionn. universel Géographique de la France. Paris, an XIII (1304).

cis

A licis et Augeberti *reposita permensisse in thesauro illius ecclesiæ. Hanc in rem sequentia ad nos misit Reverendus admodum D. Carlier, Canonicus Thesaurarius ecclesiæ metropolitanæ Senonensis. Ejus verba, latine reddita, subjicimus.*

ut constat ex inventariis.

10 Excerpta ex Inventariis Sancti Petri Vivi. A sæculo xiii° ad annum usque 1793, Thesaurus Reliquiarum illius abbatiæ regulariter recensitus et recognitus fuit quinquies.

Primum a Gaufredo a Callone anno 1294. Instrumentum reperitur in archivo civili urbis Senonensis. Cum tamen inventarii sequentes satis expliciti sunt, haud necessarium duxi formulam de SS. Felice et Augeberto transcribere. *(Porro Gaufredus, de quo hic agitur, chronographus est S. Petri Vivi. Vide Gallia Christ.* (1). *Abbas erat illo tempore Jacobus I de Champigny.)*

2ª Reliquiarum generalis recensio facta est vi Septembris 1438 a Michaele de la Sousterraine, abbate sancti Petri Vivi, et Ægidio du Tartre, abbate S. Columbæ, juxta Senonas. *(In serie abbatum S. Petri Vivi in Nova Gallia Christiana* (2) *hæc leguntur :* L. Michael de la Sousterraine, ex priore beatæ Mariæ de Retiaco electus xxx Julii

B 1437, cum abbate S. Columbæ utriusque ecclesiæ Reliquias recensuit 1438, obiit 1439. *Habetur autem in instrumento authentico præfatæ recensionis) :*

Art. 15. Item corpora sanctorum Martyrum Felicis et Auberti.

3ª Recensio facta est iv Septembris 1455 ab Olivario Chapperon, abbate S. Petri, *(et legitur) :*

Art. 13. Item corpora sanctorum Felicis et Auberti martyrum.

4ª Ab eodem Olivario Chapperon, xvi Nov. 1462.

Art. 14. Item corpora beatorum Martyrum Felicis et Auberti.

5ª Peracta est xxv Maii 1660 ab Hugone Mathoud, priore S. Petri Vivi, assistentibus D. Ruperto Michel, Thesaurario et Cellario abbatiæ, ac D. Gregorio Huguet ejusdem abbatiæ.

Art. 7. Item altera theca lignea, in qua sunt corpora santi Augustini Martyris et socii S. Beatæ ; item sancti Felicis et Auberti, qui martyrium subierunt apud Lingonas; sancti Ebbonis monachi et abbatis præfatæ abbatiæ S. Petri Vivi, nec non archiepiscopi Senonensis. Horum nomina vidimus in Inventariis seu Catalogis tum antiquis tum recentioribus thesauri dictæ abbatiæ. In quibus tamen

C animadvertimus , singulos olim Sanctos singulas habuisse thecas. Ast præfati monachi testati sunt sibi de facto constare, quo tempore combusta eorum ecclesia est, thecas illas fuisse admodum vetustas et vaducas, ac propterea quemdam nomine Du Rollot, curasse novam confici, atque ibidem deposuisse præfata Sanctorum ossa, linteis seu telis illitis involuta. *Tum subjicitur :* Infra scriptus Thesaurarius ecclesiæ metropolitanæ Senonensis testatur se fideliter supra dicta transsumpsisse ex instrumentis authenticis S. Petri Vivi, hodie asservatis in archivo metropolitano. Senonis xx Februarii 1849.

Signatum erat : Carlier Canon. Thesaurar.

De duplici S. Petri Vivi incendio.

11 *Ast hic animadvertenda quædam veniunt, tum ut dicta luculentius innotescant, tum etiam ut consectaria nonnulla ex eis indigitemus. Duplex ecclesiæ S. Petri incendium memorari videtur.* Guillelmus Chignard, *aiunt Sammarthani in Antiqua* Gallia Christiana (3), *ubi de Abbatiis,* absolvit ecclesiam, injuria bellorum exustam. Transiit e vivis 1512. *Et paulo latius in* Nova Gallia Christiana (4) : Guilielmus II Chignard *(est inter abbates*

D. B.

S. Petri Vivi ordine quinquagesimus quartus) Senonensis, ex Priore de Auxono electus est abbas xv Kalendas Nov. *(xviii Octobris)* 1491, præter archiepiscopi votum, qui ad ejus loci infulas anhelabat. Hinc communione summotus confugit ad summum Pontificem *(Sixtum IV)* i Januarii 1481 (1482), qui ejus institutionem episcopo Meldensi commendavit. Refectorium et capitulum perfecit a fundamentis ; campanile parvum et ecclesiam, quæ a Burgundis exusta fuerat, cum magno labore et expensis perfecit a turre quadrata ad aliam ecclesiam, in qua divinum officium persolvebant monachi.... Guillelmus vivere desiit xiii Aprilis 1511. *Si de hoc incendio agatur in 5ª a nobis superius memorata recensione Reliquiarum, non facile intelligitur quo pacto monachi, anno* 1660 *affirmare potuerint* de facto sibi constare, *antiquis vetustate cadentibus thecis,* novam fuisse confectam, *in qua plurium Sanctorum ossa simul collecta fuere deposita. Unde verba illa forte respiciunt ea, quæ acciderunt, dum abbatiæ præerat Carolus Prevost. de quo hæc reperio apud collectores* Novæ Galliæ Christianæ (5). lxvii. Carolus Prevost, archidiaconus Senonensis, regia consiliis et eleemosynis, verbi Dei præco eximius, Bartholomæum *(de Crot- E tes, commenda privatum, supremi regis consilii decreto, quod monasterii reparationibus non intenderet, nec victum monachis ministraret)* e sede dejecit an. 1594, quam annis circiter 42 tenuit. Ejus temporibus Urbanus VIII Papa ab archiepiscopo Senonensi petiit anno 1628 Reliquias S. Gregorii, cujus caput Senonis in basilica Viviana depositum legerat in archivo Vaticani. Ecclesiam an. 1632 fulmine ictam doluit Carolus, qui cernens monasterium undequaque dirutum, proventibusque non mediocriter attenuatum, mæstitia oppressus, sequenti ex sorore nepoti consignavit anno 1636. *Si* ecclesia fulmine icta *incendium (ut verba in obvio suo sensu sonare videntur) indicant, potuerunt utique anno* 1660 *monachi testare* sibi de facto constare, *quæ illo tempore acciderant.*

Unde factum sit ut Augebertus et Felix cum aliis simul colerentur.

12 *Porro, ut recte notat R. D. Carlier, ex hac plurium Sacrorum Corporum in una eademque theca insertione, orta videtur simultanea, eodemque die recurrens, festivitas plurium Sanctorum, ætate et patria diversorum.* Animadverti, *inquit,* numerum hierothecarum ad Sancti Petri Vivi, post incendium, notabiliter imminutum, pluriumque Sanctorum pignora uni eidemque thecæ imposita. At- F que hinc forte inducti paulatim fuerint monachi ad colendas Reliquias simul reconditas, licet ipsæ diversa respicerent et regiones et tempora. Cæterum alibi id etiam usui esse comperitur. Atque exin ratio reddi posset, cur quondam in S. Petri Vivi colerentur SS. Felix et Aubertus, apud Lingonas passi, simul cum SS. Augustino, Sanctiano et Beata, martyrio coronatis in agro Senonensi, die sexta Septembris anno 273 vel 274

Corpora eorum Senonis ad hunc usque diem servata.

13 Jam non amplius occurrit memoria Sancti Felicis et Sancti Auberti, in Breviario Senonensi, post annum 1792. Ast celebratur eorum festivitas in abbatia sancti Petri Vivi, ob asservatas ibidem Reliquias, quæ quidem hodie adhuc cernuntur, instrumentis suis authenticis munitæ. Scilicet anno 1793 servatæ cum reliquo S. Petri Vivi thesauro fuerunt, opera aurifabri cujusdam Senonensis, illius nempe ipsius, qui deputatus fuerat ad spoliandas hierothecas ornatibus suis aureis argenteisque. *Hactenus ex rescripto R. D. Carlier.*

Conclusio.

14 *Ex præfatis quoque efficitur, non omnia quoad sacras Sanctorum nostrorum exuvias, liquida esse.*

(1) T. XII, col. 141. — (2) Ibid., col. 143. — (3) T. IV. pag. 728. — (4) T. VII. col. 143 et 144. — (5) Ibid.

 Imo

D. B.

Imo vero fieri nequit, ut traditio, quam obtinere supra vidimus in Silvarouvres et Sexfontaine, subsistat cum iis quæ de sancti Petri Vivi recensionibus seu inventariis retulimus ; nisi forte dicatur, antiquitus Reliquiarum ad hanc abbatiam fuisse factam translationem, cujus documenta injuria temporis interciderunt. Dici prætera posset inventaria S. Petri Senonensis interpretanda non esse de integris corporibus. *Notum enim est in istiusmodi totum pro parte per synecdochen frequenter usurpari.*

Notitia S. Petri vivi.

15 *Cum pluries prædictæ abbatiæ mentionem fecerimus, haud ingratum erudito lectori fuerit, hic, quæ Mabillonius de ejus origine et situ nitide et eleganter tradit, adscripsisse.* Apud Senonas... etiam nunc viget monasterium sancti Petri, in suburbio ejusdem civitatis ad orientalem plagam situm, eo in loco, ubi primitus Sanctorum Martyrum Saviniani et Potentiani ecclesia erat, et quidem in vico S. Petri : unde monasterio *Sancti Petri de Vico* corrupte *Vivi* cognomen adhæsisse volunt nonnulli : cum alii *Vivi* vocabulum præferant, a nomine Vici, quem *Vivum* antiquitus appellatum malunt. Sed id parum interest ad notitiam monasterii nobilissimi, ubi Senonensium archiepiscoporum
B conditorium, etiam ante inductos monachos, fuit, sanctarum reliquiarum multitudine et dignitate insignitum. Conditricem agnoscit Theudechildem reginam, quam alii Chlodovæi Magni, alii Theodorici, ejus filii, prolem ; plerique Virginem, quidam nuptam dicunt. Et certe fuere per id tempus duæ ejusdem nominis notissimæ fœminæ : una regiæ stirpis, a Venantio Fortunato laudata duobus in locis (nam unam eamdemque utrobique designari cum Hadriano Valesio non dubito) et quidem Theodorici Austrasiorum regis filia, Hermigiselo Varnorum regi conjugata, ea scilicet, quam Suavegottæ filiam vocat Flodoardus : altera vero ex opilione orta, quæ Chariberti Parisiorum regis concubina fuit. Priorem monasterii Sancti Petri Vivi.... auctorem fuisse, mihi pro comperto est ; quam Theodorico rege natam illud satis probat, quod Nunnichius, Arvernorum tribunus, *Theudechildæ reginæ tributa reddidisse* a Gregorio memoratur : quia scilicet Theodorico, ac postea Theodeberto ejus filio, Arverni tum parebant. Nec alia fuisse videtur Theudechildis Sancti Petri cœnobii conditrix, quæ Basolum Arvernorum comitem, ob defectionem a Theodorico in vincula conjectum,
C in idem monasterium excepit..... Ex his argumentum deducitur, istius monasterii originem circiter annum sæculi sexti vicesimum reponendam esse (1).

Abbatiæ destructio et præsens status.

16 *Ad præsentem quod attinet statum nobilissimæ illius abbatiæ, hæc nobis, die* x *Julii hujus anni* 1852, *rescribere dignatus R. D. Mourrùt, Sacerdos, et Professor Theologiæ Moralis in Seminario Senonensi. (Liceat hic tum illi, tum etiam Adm. R. D. Seminarii Præsidi, ad quem litteras hac super re dederamus, gratias publice rependere). Cum, sæculo* XVIII *exeunte, sæva illa tempestas universam galliam funestaret, qua tot tamque veneranda Religionis monumenta sacrilege sive destructa sive deturpata fuere ; Abbatia S. Petri Vivi, pulsis monachis, subhastata est, atque coëmpta a Cardinali Lomenio a Brienna (Loménie de Brienne) Archiepiscopo Senonensi (qui a Pio sexto exauctoratus fuit, quod nefarium præstitisset sacramentum civili, ut aiunt, constitutioni, et misere ex hac vita discessit* XVI *Februarii* 1794 (2)). *Ædes dein partem eversæ, partim laïcis in habitationem concessæ ; ecclesia vero* D
diruta, atque veneranda crypta S. Serotini conversa (quod vel dictu solum est indignum) in gallinarium. Anno autem 1845 *septum Abbatiæ redemptum fuit a Sacris Virginibus a Bono Pastore nuncupatis* (Religieuses du Bon Pasteur) ; *quæ illud et hodiedum incolunt, ibique domum seu Asylum mulierculis, a meretricio quæstu avocandis vel præservandis, aperuerunt.*

Reliquiæ SS. Felicis et Augeberti.

17 *Thesaurus (ut supra indicatum jam obiter est) servatus a cive quodam Senonensi e aurifabro, nomine* Thomas ; *hic sacras exuvias noctu transtulit in ecclesiam S. Petri* (St Pierre-le-Rond) *quæ adhuc substitit. Scilicet præfatus ille vir thesaurum publice coëmerat, eo tamen fine ut ossa sancta, quando per tempora liceret, fidelium venerationi restitueret. Quod et factum, atque hodie requiescunt in ecclesia Metropolitana Senonensi, ut testatus est R. Domino Mourrùt thesaurarius dictæ ecclesiæ, addens inter illas Reliquias recenseri corpora* SS. Felicis et Augeberti ; *quæ cæteroquin a fidelibus hodie vix et ne vix quidem nota sunt. Denique certum est olim ad S. Petri Vivi horum SS. Martyrum celebratum fuisse officium : ast non constat id umquam obtinuisse in Liturgia diœceseos Senonensis, ubi nuper breviarium* E
et ritus Romanus assumptus fuit. Atque hæc ex rescriptis, Senonis hac die XI *Julii* 1852, *acceptis.*

LEGENDA

SS. FELICIS ET AUGEBERTI.

Desumpta est ex officio quodam completo ad festum horum Sanctorum Martyrum.

Felix et Augebertus socii S. Augustini

Felix et Augebertus, in Anglia nati, lugenda bellorum sorte in Galliam captivi ducti et venundati sunt. Quos Sanctus Papa Gregorius Magnus, per Candidum redimi curavit eleemosynarum pretio quas in hoc regno colligere debebat. Hos libertate donatos idem Candidus Romam duxit. Quos ut vidit Sanctus Pontifex, miratus eorum pulchritudinem exclamasse legitur : Siccine tales Anglos F
Angelos infernus vorabit ? Illos ergo felices Anglos inter Angelos in monasterio suo educari, baptisari, et vitam religiosam profiteri mandavit. Jam ætatem decem et octo annorum attigerant. Cum autem præfatus Pontifex nil majus desideraret quam totius gentis Anglorum conversionem ad Christum : Felicem et Augebertum ad hoc opus tam arduum destinabat. Quapropter illos pro tempore in religione perfectos, et professos, sanctis Abbatibus Augustino et Mellito electis Angliæ apostolis junxit cooperatores, et linguæ sibi cognitæ fideles interpretes.

Angliam petunt, indeque reduces varias suscipiunt peregrinationes.

2 Mandatis ergo summi Pontificis Gregorii Magni muniti, et confirmati, veniunt in Angliam Crucifixi imaginem portantes, ubique Crucifixum prædicant. Regem Edelbertum cum multis populorum millibus convertunt. Sanctus Augustinus, Angliæ Episcopus tunc consecratus, Felicem Presbyterum, et Augebertum Diaconum ordinavit. Nec multo post, illos cum Sancto Mellito, Londoniæ Episcopo,

(1) Annales Benedictini. t. I, p. 44, lib. XI, ad an. 525. — (2) Biographie universelle, ad verbum Loménie de Brienne, *confer etiam* : Brefs et Instructions de Pie VI. Edit. Romæ 1797, t. II; p. 144, ubi reperitur : *Acta in consistorio secreto... XXVI Sept.* MDCCCXVI... *super admissione abdicationis Cardinalatus factæ a Stephano Carolo de Lomenie de Brienne.*

Romam

A Romam misit de necessariis Ecclesiæ Anglorum causis cum Bonifacio *a* Papa Sancti Gregorii successore acturos. Ubi autem Romam pervenerunt, loca Sancta Apostolorum limina pio mentis affectu visitant; inde dum Sanctus Mellitus in Angliam vertitur *(revertitur)*, ipsi Jerosolymam voti causa ad Sepulcrum Christi festinant. Edelberti Anglorum regis prætiosa dona offerunt. Sancta Christi vestigia omnia sequuntur, et adorant; donec eodem per Gallias itinere quo venerant redire ad propria cogitaverunt.

Eorum martyrium. 3 Ubi autem pervenerunt ad villam Nucei *b* dictam, in partibus Barrensibus, a Rictruide nobili et pia matrona hospitio sunt recepti. Proximam silvam sequenti die mane vix intrarunt, cum duo latrones infideles odio fidei iniquo, simul et pecuniis inhiantes ipsos in oratione genuflexos invadunt. Duplicem sibi prædam, et fidei, et pecuniæ promittentes. Armantur gemina face viri sanguinum pecuniæ cupidi, et veritatis inimici, avaritia ut raperent aurum, impietate ut auferrent Christum. Inveniunt humilem asellum, quem Sancti secum ducebant, sacris tantum vestibus oneratum. Tunc fremunt frustrati prædones et direptionem potioris thesauri aggrediuntur, ut illud depositum quo sacratius erat divites auferrent. Renuntiare Christum Felicem et Augebertum jubent; sed nil obtinet sæva crudelitas, uterque caput potius quam fidem perdere paratus, uterque capite truncatus moritur, latrones corpora foliis et frondibus in spelunca occultarunt. ubi post septem dies incorrupta, et a bestiis intacta permanserunt, quæ pia Rictrudis in Ecclesiam, sitam in agro Trecense, cui nomen Supinus Rubus *c* transferri curavit, quæ translatio miraculis claruit, inde ad Siccum-Fontem translata hodie requiescunt. EX MSS.

B

ANNOTATA.

a *S. Gregorio M. successit Sabinianus, anno* 604; *hic, sexto mense ab adepto Pontificatu obiit; et Bonifacius, hujus nominis tertius Sedem, ab anno vacuam, obtinuit* 606.

b *Villam Nucei, probabiliter* Villenauxe. *Urbecula est inter* Arcis-sur-Aube *et* Bar-sur-Aube. *Vide dicta in Commentario præv. n.* 7.

c *Supinus Rubus. Hujus nulla hodie videntur exstare vestigia. Ita plures, quos consuluimus, rescripserunt.*

E

DE S. MONONE EREMITA ET MARTYRE,

IN DIŒCESI NAMURCENSI IN BELGIO,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

V. D. B.

Cultus S. Mononis; historia ecclesiæ et capituli in ejus honorem Nassoniæ erectorum.

ANTE MEDIUM SÆC. VII. *Monumenta de S. Monone;*

De S. Monone, Anachoreta et Martyre, egit jam Ghesquierus in Actis Sanctorum Belgii; quod in hoc opere non ordo Kalendarii sed ratio temporis servata fuerit. Præterea præ manibus habemus duplicem S. Mononis *Vitam, alteram breviorem, fusiorem alteram. Hæc autem fusior sæculo* X *in dubie posterior est, quum in ea citetur Harigeri Lobiensis abbatis scriptio de Gestis pontificum Tungrensium, Trajectensium et Leodiensium; quod quum in illa non fiat videtur etiam esse antiquior. Verumtamen ipsa fusior scripta videtur ante* C *tempora B. Theodorici, qui ab anno* 1055 *ad* 1086 *Andaginense S. Petri seu S. Huberti abbatiale pedum tenuit, quum scilicet Nassonienses clerici jus Andaginensium libenter adhuc agnoscerent. Non tamen multo antiquior est prior Vita, cujus apographum ad nos destinavit R. D. Henricus Josephus Bichet, decanus Nassoniensis, quamque etiam reperire est apud Surium ad* 18 *Octobris et cum mutato prologo in Hagiologico Ms. Brabantino Rubeæ Vallis; sed ad iniens forte sæculum* XI *referenda est, quum in ea mentio fiat de corpore S. Eloquii, Walceodori conservato. Operæ pretium non esse arbitratus est Ghesquierus alterutram typis subjicere. Verum quum alia sit operis nostri ratio, alia Actorum SS. Belgii, quumque insuper præstet ipsa documenta præ oculis habere, edemus hic Vitam breviorem et antiquiorem, postquam pauca de cultu ex Ghesquiero præmiserimus.*

ejus cultus ex Martyrologiis. 2 « *Tametsi, inquit* (1), *de antiquo S.* Mononis *cultu ecclesiastico nulla se dubitandi ratio offerat, nuspiam tamen apud antiquos seu classicos martyrologos ejus annuntiatio seu commemoratio invenitur; idque ego factum reor, quod Acta ejus non nisi post Usuardum aliosve veteres martyrologos scripta fuerint. Refertur tamen S.* Monon *in quibusdam recentioribus Martyrologiis, fastisve ecclesiasticis, quorum hic seriem subjicio ipsaque annuntiationis verba. In compendioso Martyrologio, excerpto ex Matricula Cartusiæ Ultrajectinæ, ad diem* XVIII *Octobris, Sancti nostri annuntiatio ex duabus solum vocibus constat, his nempe* Mononis martyris. *Vocibus quidem at re nihilo uberior est annuntiatio, quæ in Auctario Usuardi Florentino exstat, hæc nempe:* F Sancti Monnonis, *vel* Mononis martyris; *quarum posterior etiam apud Grevenum legitur. Haud ita parcus fuit Molanus in suo ad Usuardum Auctario. Ejus verba habe :* Eodem die (XVIII *Octobris)* in Nassonia apud S. Hubertum in Ardenna, Beati Mononis Martyris. *Denique multo uberior in Natalibus Sanctorum Belgii fol.* 236, *ita nempe Sanctum nostrum celebrans :* In Nassonia, natalis S. Mononis martyris. Qui angelico monitu de Scotia Arduennam deveniens, ubi solus soli Deo multo tempore servivit et feliciter occubuit, a sicariis latronibus confossus : ubi etiam est sepultus in ecclesia, quam ipse construxerat. *Post datam Nassoniæ notitiam, subdit laudatus scriptor* , S. Mononem nominari discipulum Sanctorum Remacli et Joannis Agni, episcoporum Trajectensium ad Mosam. *Rectius S. Joannem Agnum præmisisset S. Remaclo, utpote antiquiorem, quandoquidem S. Remaclus non nisi post mortem Joannis Agni ac dein post S. Amandi abdicationem ad Mosæ Trajectensem cathedram evectus fuit. Mitto Miræi in Fastis Belgicis et Burgundicis annuntiationem, utpote, si admissum ab eo*

(1) Act. SS. Belgii, t. II, p. 419.

errorem

V. D. B.

errorem unum demas, ex jam transcriptis Molani verbis haustam. Martyrologorum seriem non bene longam claudant Castellanus et auctor Martyrologii Parisiensis anno 1727 *editi; quorum ille ad eumdem diem* XVIII *Octobris, his verbis latine redditis ita loquitur :* Nassoniæ in Arduenna S. Mononis Hiberni a sicariis occisi, *nimirum, ut ipse ad marginem adnotat,* circa annum 630 ; *alter vero sic :* Nassoviæ *(lege* Nassoniæ) in Arduenna S. Mononis, discipuli S. Remacli, *cujus mortis epocham figit anno* 643. » *Hactenus Ghesquierus; qui illi annuntiationum seu scriptorum seriei addere potuisset Wionem in Ligno Vitæ, Canisium in Martyrologio Germanico, Ferrarium in Catalogo Generali, Saussayum in Martyrologio Gallicano, Bucelinum in Menologio et in Annalibus Germaniæ, Willotum in Martyrologio Belgico, Martyrologum Anglum* (1) *et Florarium Ms., quod ad diem* 12 *Julii S* Mononis *natalem nuntiabat, ut ad hanc diem inter prætermissos in Actis notatum fuit.*

et ex aliis belgicis et exteris indiciis :

3 *Inter exteros historicos aut hagiographos non solus Butler, quem appellat Ghesquierus, meminit S.* Mononis; *verum etiam Joannes Severano, illustriores Romanos peregrinos recensens* (2), *Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum* (3) *necnon* B *historicus Ecclesiæ Hibernicæ Lanigan* (4). *Nec Nassoniæ tantum cultum obtinet S.* Monon; *sed olim in universa diœcesi Leodiensi, qua Nassonia capiebatur ; nunc vero in diœcesi Namurcensi, cui vicus ille jam includitur, commemoratio de eo fit; et quidem in novo Namurcensi Proprio lectionem nonam habes de S.* Monone. *Refert Butler* (5), *Calendarium King secutus, ecclesiam sub S.* Mononis *patrocinio exstare in Scotia prope civitatem S. Andreæ cum vernaculo nomine* Monon's kirk ; *de qua tamen nullum verbum reperio in Dictionario Topographico Scotiæ Carlisle. In adversariis Bollandi reperio etiam annotatum penes Colganum, Minoritam Hibernum et in Sanctorum patriæ suæ Vitis colligendis versatissimum, a se repertum fuisse Officium de S.* Monone, *quod antiphonas et hymnos haberet propria, nequaquam vero lectiones ; quocirca dignum non duxit quod describeretur. In aliis Annotatis Bollandi manu reperio in Kalendariis Hibernico et Scotico S.* Mononis *festum signatum fuisse ad præsentem diem* XVIII *Octobris.*

C

floret autem maxime. Nassoniæ quem vicum nonnulli eumdem esse volunt ac antiquum Nasonacum :

4 *Maxime autem S.* Mononis *cultus floruit floretque etiamnum Nassoniæ, gallice* Nassogne *seu* Nassoigne, *olim in diœcesi Leodiensi, nunc in Namurcensi; ubi celebratur ejus festivitas cum octava ; et quidem ultima die recitabantur iterum lectiones propriæ, ex historia Nassoniensis ecclesiæ depromptæ. Verum non est quod eas lectori exhibeamus. Ast præterire fas non est vexatissimam de Nassoniensibus originibus quæstionem. Codex Theodosianus exhibet ab anno* 367 *usque ad annum* 375 *plures leges datas Treviris per frigidiores menses et in vicinia per calidiores ; quæ series quum continua sit, æstimandum est eum iis in locis habitasse, ubi leges datæ inscribuntur; quod ideo animadverto, quoniam generatim ex loco datæ legis concludi non potest de loco commorationis imperatoris, prout splendidissimis exemplis manifestum fecit Baluzius* (6). *Porro ad annum* 372 *prodit* Lex ad Probum PF. P. data VII Kal. Maji, Treviris (7); *dein* Lex ad Julianum Proc. Africæ, data III Kal. Junii, NASONACI (8); *post* Lex ad Probum P. P. data VI Kal. Julii Treviris (9) ; *aliæ* ad Ampelium P. V. datæ III Non. Jul. NASONACI (10) ; *deinde* Lex ad Bapponem P. V. data XI Kalend. Septemb. NASONACI (11) ; *demum* Lex ad Paulinum præsidem Epyri novæ, data Kalend. Decemb. Treviris (12). *Æstate aliorum annorum dantur leges aliis in villis imperialibus* (13). *Ex hac itaque serie sequitur Nasonacum tantum dissitum fuisse a Treviris, ut qui* VI *Kal. Julii seu die* 26 *Junii versarentur Treviris,* III *Nonas seu die* V *Julii Nasonacum pervenire potuerint ; nisi tamen in lege Treviris data obtineat, quod ex Baluzio monuimus. Utut id est, Nasonacum villam imperialem fuisse, non ita procul a Treviris distantem nemo non fatebitur. Jam vero sitne Nasonacum idem ac Nassonia, eruditorum non una est sententia. In Dictionario geographico Belgii, quod merentissimus vir Philippus Van der Maelen edidit, asseritur nil certius esse* (14) ; *non quidem eadem procedit securitate Gothofredus, arbitratur tamen esse Nassoniam; ejusdemque sententiæ est Wilthemius noster* (15), *Steininger subdubitans* (16), *Ghesquierus* (17), *Honthemius* (18) *aliique bene multi.* D

cui sententiæ favet vicina via Romana,

5 *Urgent pro hac sententia nominum similitudinem ; sed validius forsan accedit argumentum ex vestigiis viæ Romanæ Consularis, de qua hæc habet* E *Wilthemius* (19) : Ad *Mandam S. Stephani,* qui respicit Bastonacum *(Bastogne)* intra teli jactum tenditur portio aggeris a *Senonchampio* usque *Giveroulium,* leucis in porrectum tribus, structa lapide, calce et sabulone importatis; horum quippe omnino sterilis Arduenna. Testes extrema descriptæ portionis, non sectati, nec docuere, nisi quod fama ferente, hinc in Lotharingiam, inde in interiora Belgiæ protendi asserebant. At situs ipse dictæ portionis ex Giveroulio recta Marchiam ac Namurum : ex *Senonchampio* autem Orolaunum et Diviodurum prospectat. Ab Orolauno quidem retro Mandam usque relictis vestigiis, non uno loco se prodit agger. Primum vico Schackweilerio et peragrata deinceps *Anslaria silva* maxima vico, *Wisembachio,* ubi Suram vado superans, summam glaream sub aquis (quæ ut plurimum limpida) ostendit. Imposterum per incomperta nobis adhuc adit *Mandam,* quam Meduantum interpretabar, ibi alteri ex Rhemis in Ubios proficiscenti decussatim occursat. *Duas itaque hic indicat vias Whilthemius, quarum prior a Mosa juxta Mosomagum pergit per Epoissum, trans Sesmarum fluvium, vergitque per* F *Meduantum et Mericam Ubios seu Coloniam Agrippinæ versus ; altera autem ex Orolauno Meduantum petit, ubi priorem secat viam, et ad dextram linquens Ambram et Nassoniam, Namurum seu Namurcum protenditur. Schayes, qui inter conscribendum commentarium suum de rebus Belgicis sub dominatione Romanorum, præ oculis habuit Wilthemii opus, tunc nondum excusum, neutrius viæ mentionem fecit; verumtamen Wilthemii indicia videntur satis certa : unde et Steininger utramque viam Mappæ, quam Trevirorum inseruit historiæ, illevit, cum hoc discrimine quod Nasonacum ad sinistram collocarit. Utut id est, hinc manifestum fit Valentiniani tempore non ita arduum fuisse Trevirensibus Nassoniense iter; et proin Nassoniæ potuisse esse villam imperialem.*

sed alia argumenta adversantur.

6 *Difficultatem tamen parit quod ex Passione S.* Mononis *videatur hic locus sæculo* VII *omnino desertus et solitarius fuisse, ut legenti statim patebit.*

(1) Memorial of ancient british piety. — (2) Memorie sacre delle sette Chiese di Roma, t. I, p. 242. — (3) Ad an. 643, t. III, p. 171. — (4) Eccles. Hist. of Ireland, t. III, p. 195 et 197. — (5) Lives of the Fathers, etc., t. X, p. 313. Edit. 1814. — (6) Notæ ad lib. de Morte Persec. in cap. XLV. Lactantii opp. t. II, p. 338. Edit. 1748. — (7) Codex Theodos., t. V, p. 348. Lugduni, 1665. — (8) Ibid., t. II, p. 581. — (9) Ibid., t. III, p. 400. — (10) Ibid., t. II, p. 77, 81, 92, 101 et 119. — (11) Ibid., t. II, p. 58. — (12) Ibid., t. VI, p. 51. — (13) Cfr D. Bouquet, t. I, p. 756 et seqq. et Steininger, Geschichte der Trevirer unter der Herrschaft der Römer, p. 274 et seqq. — (14) Diction. géogr. Prov. de Namur v° *Nassogne.* — (15) Luciliburgensia, p. XVII. — (16) Op. cit., p. 275. — (17) Act. SS. Belg., t. II, p. 418. — (18) Prodrom. Hist. Trev., part. I, p. 170. — (19) Luciliburgensia, p. 109.

Deinde

A *Deinde in utraque S.* Mononis *Passione non legitur* Nassonia, *sed* Nassania, *seu* Nasania; *et constans est eadem scriptio in editione Pertzii Cantatorii seu Chronici S. Huberti Andiginensis. Non placuit itaque Valesio, Notitiæ Galliarum scriptori, Nasonacum idem facere ac Nassoniam; maluit villam imperialem ponere in Schoneck seu Schonnech, municipio aut certe castello inter Prumiam et Bedam vicos insignes ad fluvium Nemesam. Ad quam sententiam non alio argumento adductus videtur, quam quod ibi olim castellum seu municipium esset. Posset forsan tertia proponi opinio, nempe Nasonacum idem esse ac hodiernum* Nassau, *quod principatui in Germania nomen dedit. Istud enim olim dicebatur* Nassonia, *ut habemus ex Wandelberto Prumiensi, de Carolo M. scribente* (1): Ob quam rem data est ab imperatore villa, quæ NASSONIA nuncupatur; *quod vero hæc Nassonia sit præsens Nassau colligitur ex ipso Caroli M. diplomate, in quo et pagus indicatur, videlicet* Longenahe *a fluvio Longa seu Lahna, villa vero dicitur* Nasonga (2). *Neque video proin quare Nasonacum esse non posset Nassau, ubi ab antiquissimis temporibus castellum quoque fuit. Porro ex tribus his sententiis eligat lector, jam præ oculis habens potissima instrumenta.* B

Nassoniæ condit S. Monon ædiculam,

7 *Redeuntes itaque Nassoniam, S.* Mononis *cultu illustratam, sitam eam offendimus in mediis Luxemburgi Belgici silvis duabus a S. Huberti oppido, olim monasterio, leucis. Operæ pretium videtur paucis hic attexere quæ fata fuerint ecclesiæ, in S.* Mononis *honorem illic conditæ. Ex utraque Passione videtur vicus suum sortitus nomen ex fonte Nassonia, quum n. 2 legamus ipsum locum olim dictum* Fridier *(quod et adjacentis silvæ nunc nomen est), eumque irrigatum fuisse Nassonia fonte. Pauperculam exstruxit ibidem S.* Monon *ædiculam, ut habet Passio num. 4. Post ejus vero mortem divinus cultus ibidem auctus fuit per fundationem capellaniæ et dein capituli. Narratur in Passione breviori S. Joannem Agnum ordinasse ut ex Hojo castro et Ammania villa per septimanas sacerdotes missam celebrarent ad S.* Mononis *sepulcrum; postea ad has partes accessisse venandi ergo Pippinum regem; auditisque miraculis, regalem suum donasse pileum et decimas inter Urtam et Lessiam, et condidisse collegium canonicorum qui pro Pippino rege et Francorum regno supplicarent Deo et S.* Mononi. *Juverit autem hæc omnia aliis nonnullis exornasse testimoniis.* C

quam auget et aliunde accersitis presbyteris instruit S. Joannes Agnus

8 *Porro lectionibus fusioribus, quæ in octava S.* Mononis *recitabantur Nassoniæ, hoc erat initium:* Joannes quoque episcopus, conspecta amantissimi sui morte, ex affectu humanitatis mœrorem exsolvit ejus interfectioni; quamvis sciret potius ei congaudendum, quem a Christo constabat jam in vita æterna coronatum. Cooperantibus autem fidelibus vicinis, basilicam condecentem illi ædificavit; qui etiam consecratam in honore beatæ et gloriosæ semper Virginis Mariæ matrem ecclesiam et ab omni exactione liberam episcopali auctoritate in provinciali synodo perpetuo esse decrevit: et ne ex tunc deesset ibi officium sacerdotale, ab ecclesia Hoyensi ad hoc agendum sacerdotes procuravit, qui vicibus determinatis succedentes, ibi Missarum solemnia in honore Sancti Martyris Deo exhiberent, quousque per accessum temporis eadem ecclesia ex devotione fidelium proficiens, suis stipendiis ad obsequendum sibimet ipsi sufficeret. Hæc autem sacerdotalis successio ibi perseveravit a tempore Joannis Tungrensium pontificis, qui sub Martino papa et Dagoberto rege claruit, usque ad tempus regis Pippini tertii. V. D. S.

inter annum 630 et 647, non diu post obitum S. Mononis;

9 *Atque hic prima occurrit quæstio, quo scilicet tempore S. Joannes Agnus hanc ad S.* Mononis *sepulcrum ecclesiam fundarit; quod si modo quocumque determinaverimus, statutum simul fuerit S.* Mononis *emortuale tempus. Porro ex sat certis indiciis ostendit Ghesquierus in Commentario de S. Joanne* (3) *hunc ad Trajectensem (dein Leodiensem) sedem promotum fuisse inter annum* 622 *et* 624. *Ex altera vero parte Smetius noster* (4), *controversiam retractans de anno, quo S. Amandus S. Joanni in sede Trajectensi successerit, ostendit annum* 647 *retinendum esse. Unde S. Joannis episcopatus durarit oportet ab anno circiter* 623 *ad* 647; *quo temporis spatio floruit quoque S.* Monon; *ita ut ejus initia connectenda sint cum S. Joannis episcopatus principio (huc enim pertinet narratiuncula de pallio, quæ est in Passione); dein ut annos aliquot versatus fuerit in aula episcopali et aliquot alios in eremo Nassoniensi; et demum ut qui mortem S.* Mononis *et structuram ecclesiæ ad ejus sepulcrum inter annum* 630 *et* 647 *collocarit, prudenter is egerit. Sed quo determinato anno? quærit Ghesquierus* (5). *An* 630, *aut circiter, uti habet Castellanus? an contra anno circiter* 643, *prout tradit Cointius ad hunc annum, num.* VI, *vel eo ipso anno, ut vult Parisiensis Martyrologii auctor ad diem* XVIII *Octobris? Id enimvero est quod ego, ut Ghesquieri dictione utar, deficientibus veterum testimoniis, indubitate definire nequeo.* E

accersi non potuere presbyteri ex Amania, utpote nondum fundata;

10 *Quod ad Hojum attinet, unde accersiti traduntur presbyteri, dictum id etiam est* Huum, Huyum, Hoyum, *gallice* Huy, *theutonice* Hoey, *jacetque ad Mosam Namurcum inter et Leodium, apud priscos Condrusos. Videtur ibidem ecclesia sub B. Mariæ V. patrocinio exstitisse a S. Materni temporibus* (6); *ipse vero S. Joannes Agnus ibidem SS. Cosmæ et Damiani oratorium reditibus instruxisse legitur: ubi et anno* 1230 *reliquiæ ejus, a terra levatæ, honestiori loco fuere repositæ* (7). *Nil itaque obstat quominus jam S. Joannis Agni tempore presbyteri Hojenses Nassoniam iverint, sacris operam daturi. Verum idem dici nequit de Amania, seu Ammania villa, unde secundum Passionem breviorem evocati etiam fuissent presbyteri: equidem arbitrarer recte hac de re sileri in Passione seu lectionibus fusioribus: quoniam S. Oda, S. Lamberti, Leodiensis episcopi ab anno* 670 *usque ad annum circiter* 709, *discipula, legitur ibidem* in prædio suo, quod Amanium dicunt, non longe a Leodio ecclesiam in honorem B. Georgii Martyris extruxisse (8). *Unde oratorium istud conditum tantum fuisset medio sæculo post S. Joannis Agni obitum. Propterea tamen non negarim Amaniensibus presbyteris una cum Hojensibus aliquando curam concreditam fuisse Nassoniensis ecclesiæ; sed id tardius factum omnino tenendum videtur. Quin etiam dubium hinc fit utrum S. Joanni Agno recte tribuatur ecclesiæ Nassoniensis fabrica. Certe facile fieri posset ut hæc omnia ad exiens sæculum* VII *pertineant.* F

Pippinus rex inter annum 752 et 768 fundat ibidem collegium clericorum;

11 *Pippini regis, Caroli Martelli filii, donationem nitidius etiam exhibent lectiones ampliores:* Prædictus ergo rex Pippinus, *ita habent,* cum in venando Arduennensem villam lustraret, Deo disponente, ad ecclesiam B. Mononis devenit, eamque (ut erat devotus erga Deum) devotionis causa oraturus intravit. Visis ergo miraculorum signis, quæ infirmi sanati ibidem reliquerant, admiratus est

(1) Miracula S. Goaris, n. 16, Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. II, p. 291. — (2) Hontheim, Histor. Trevir. diplom., n. 59, t. I, p. 142. — (3) Act. SS. Belgii, t. II, p. 424. — (4) Ibid., t. IV, p. 184 et sequ. — (5) Ibid., t. II, p. 421. — (6) Cfr Gorrissen, Hist. de la ville de Huy, p. 32. —

(7) Act. SS. Belgii, t. II, p. 423 — (8) Cfr Dominicius, Ansberti famil. rediv. ad calc., p. 19; Act. SS., t. V Sept., p. 527 et 611; et t. IV Julii, p. 425.

meritum

V. D. P.

meritum B. Martyris; utque ibidem relinqueret memoriam sui regalis beneficii, per pileum, quem capite gestabat, auro gemmisque decoratum, omnes decimas sui juris inter Urtam et Lætiam perpetuo habendas B. Mononi tradidit; ipsumque pileum in testimonium hujus largitionis suæ in eodem loco servandum reliquit: ex quibus decimis ipsa ecclesia partem adhuc retinet, partem pervasorum violentia ac dolo se amisisse dolet. Exinde, constitutis ibidem clericis, non jam conductitium, sed proprium cœpit habere eadem ecclesia obsequium, sub eadem constitutione perseverans a tempore regis Pippini usque ad tempus nepotis sui Ludovici piissimi Augusti, filii videlicet Caroli Magni. *Hujus donationis instrumentum sæculo* XVIII *non videtur amplius exstitisse* (1). *Quum autem Pippinus ab anno 752 usque ad 768 regnum tenuerit, aliquod hinc indicium habemus temporis ad quod hæc decimarum collatio referenda sit. Quod autem investitura per pileum fit, norunt satis eruditi res fere quascumque usurpatas fuisse in traditionum signa. Catalogum bene longum contexuit Cangius* v° Investitura; *Maurini in Cangii supplemento addidere alium; plura alia exempla collegit cl. v. Guérard;* B *et alii demum alia. Veruntamen investituræ* (2) *seu traditiones per pileum videntur satis raræ. Duo tantum exempla ex Anglicanis scriptoribus, Rogero Hovedeno et Thoma Wasinghamo, refert Cangius; et unum tantum addidere Maurini, depromptum ex charta seu diplomate Romano. Quod autem Pippinus decimas inter Urtam haberet et Lessiam, nil mirum, si admittatur sententia eruditi viri Raepsaet, qui in commentario speciali* (3) *ostendere conatus est ante Caroli M. tempora nullas fuisse decimas ecclesiasticas, sed tantum patrimoniales; atque tunc tantum paræciarum divisionem introductam fuisse per agrorum decimabilium circumscriptionem; et proinde vanas esse Carolo Martello impactas incusationes de usurpatis decimis. Quam sententiam retulisse juverit; alii viderint an probanda.*

quod cum monasterio Andaginensi unitur

12 *Perseveravit Nassoniæ hic rerum status usque ad tempora Ludovici Pii et Walcandi episcopi Leodiensis. Ita enim pergunt Lectiones fusiores :* Cum autem idem Augustus *(Ludovicus Pius)*, data sibi cœlitus pace, corrigendis et ampliandis rebus ecclesiasticis non solum per se ipsum intenderet, sed et præsules ecclesiarum ad hoc agendum et exemplo incitaret et imperiali edicto compelleret, Wal- C candus venerabilis Leodiensium pontifex devotionis suæ studium Andaginensi cellæ applicuit; et, ut erat in honore B. Petri Apostolorum principis, eam ædificiis honestavit et prædiorum redditibus ampliavit. Cumque consilio et auctoritate Leonis papæ, præfati quoque Ludovici imperatoris necnon Hildeboldi metropolitani sui Coloniensis episcopi pro ordine clericali religionem monachorum ibidem substituisset, illoque translato corpore B. Huberti, Arduennensem provinciam tali patrono decorasset, Nassoniensem ecclesiam etiam cum omnibus suis appendiciis eidem Andaginensi cœnobio legaliter traditam subjecit: et ut erat libera ab omni exactione episcopali a tempore Joannis episcopi, in omnibus procurandam et disponendam abbati ejusdem loci synodali auctoritate perpetualiter confirmavit [consentiente clero et senatu Leodiensi]. *Clausula hæc manifestum additamentum est.*

non diu post translationem S. Huberti anno 825 peractam;

13 *Scriptori harum lectionum præluxisse libellum de Translatione corporis S. Huberti ad Andaginense seu S. Huberti monasterium* (4) *utrumque* D *documentum conferentibus manifestum est. Ex ejusdem translationis tempore intelligi potest quando nam Nassoniensis ecclesia Andaginensi monasterio unita fuerit, quum non multum intercessisse videatur tempus. Porro hæc translatio inchoata est anno incarnationis Dominicæ octingentesimo vigesimo quinto, undecimo Kalendas Octobris* (5), *quæ erat dies Dominica; ita ut sacra ossa pridie Kalendas Octobris seu sabbato ad monasterium devenerint* (6) *ibique postridie potuerint decenter recondi* (7). *Quæ notæ chronicæ videntur omnino retinendæ. Ex celeberrimo Chronico S. Huberti, quod Cantatorium vulgo appellatur, de hac unitione etiam mentio fit; et passim adsunt persistentis hujus unitionis signa. Ad annum 1074 de controversia inter Bosonem archidiaconum Leodiensem et B. Theodoricum, abbatem Andaginensem, legitur* (8) : Idem Boso abbati jam diu infensus erat, eo quod præbendam unam cuidam nepoti suo Nasaniæ expetierat nec impetraverat. *Ecce ut Boso confert præbendas Nassoniæ.*

Sæculo XI *clerici subesse nolunt Andaginensibus, sed iterum subjiciuntur;*

14 *Paulatim tamen relaxata fuerunt subjectionis vincula, adeo ut ad annum circiter 1086 in Cantatorio legatur* (9) : Mater ecclesia B. Mononis Martyris Nasaniæ a Gualcando episcopo data fuerat cum omnibus quæ ad eam pertinent ab antiquo E ecclesiæ Beati Huberti in potestativa ditione. Ejus clerici, acceptis ab abbate præbendis, tamen consensu et laude fratrum, condicto eis et soluto servitio debiti honoris, jam ex tunc detrectabant per insolentiam subesse justitiæ abbatis, nisi in clericalibus conciliis sub districtione episcopali. Hanc quoque insolentiam, petente abbate, episcopus *(Henricus)*, liberum constituens altare ejusdem ecclesiæ absolvit, et omnes exactiones et justitias archiepiscopales et archidiaconales, præsente ibi et secum condonante Bosone archidiacono, ecclesiæ Beati Petri et Beati Huberti in perpetuum remisit, eamdemque remissionem legali facto privilegio auctorizavit.

anno 1253 absentiæ abusus tollitur.

15 *Medio sæculo* XIII *jacebat omnino disciplina ecclesiastica Nassoniæ, ut habemus ex instrumento visitationis, anno 1253 per deputatos Hugonis card. S. Sabinæ legati apostolici et Henrici episcopi Leodiensis institutæ. Legitur quippe illic* (10) : Invenimus prædictam ecclesiam præ cæteris ecclesiis conventualibus Leodiensis diœcesis debito servitio miserabiliter destitutam. Cujus defectus a longo tempore ab iniqua radice processit, videlicet quod sex præbendæ, quæ sunt in prædicta ecclesia, non F veniebant ad manum communem: sed divisæ erant per loca, nec erant æquales, et erat in potestate cujuslibet canonici statim, messe collecta, fructus congregatos in horrea recipere et deinceps negligere debitum servitium in ecclesia antedicta. Verum contingebat, quod præpositus ejusdem ecclesiæ idemque Decanus canonicorum per substractionem beneficii temporalis eos non poterat cohercere ad residentiam faciendam. *Plura dein adversus hos abusus conduntur statuta et ordinatur ut abbas S. Huberti, ecclesiæ Nassoniensis patronus, scholastriam Nassoniensem conferat personæ idoneæ, non canonico, ut numerus in ecclesia servientium augeatur. Hæ leges latæ die* XXIX *Augusti anni 1253. Aliæ in eamdem rem ab iisdem deputatis latæ fuere die* VI *Martii anni sequentis* (11). *Perstitit hoc capitulum, donec exeunte sæculo* XVIII *turbo gallicus omnia in patria nostra vastavit ecclesiastica instituta. Parochialis nunc facta est Nassoniensis ecclesia,* S. Mononis *reliquiis etiamnum illustris. Alia ad-*

(1) Cfr Bertholet. Histoire du Luxembourg, t. II. p. 151.—(2) Cartulaire de l'abb. de S. Père de Chartres, t. I, prolégom. p. CCXXIV et seq.—(3) Défense de Charles Martel, opp. t. I. p. 281 et seqq. Edit. 1838.— (4) Ap. Roberti, Histor. S. Huberti, p. 63 et seqq.— (5) Ibid., p. 68.—(6) Ibid., p. 69.—(7) Cfr Roberti, ibid., p. 209 et seqq.—(8) Ap. Pertz. t. VIII. p. 584. — (9) Ibid. p. 595.— (10) Foppens, Diplom. Belgic. nov. collect. sive supplemen. ad opp. dipl. Miræi. t. IV, p. 556. — (11) Ibid., p. 557 et seq.

juncta

A *juncta facilius dilucidari poterunt in Annotatis ad Passionem breviorem, quam jam subjicimus.*

VITA ET PASSIO

S. MONONIS MARTYRIS,

Ex Lectionario Ms. Nassoniensi, collato cum Ms. Ultrajectino, Hagiologico Brabantino Ms. Rubeæ Vallis et editione Surii.

Fructus ex cultu SS.; Quotiescumque, Fratres dilectissimi unice percolendi, eorum vitam vel obitum Sanctorum, quorum memoria redolet pretiosa, digne recolimus, toties fructum salutis nostris miseriis credimus affuturum. Quapropter sanctissimi patroni, Mononis scilicet Martyris egregii, nostræ fragilitati specialiter a Domino bonorum largitore prædestinati, B ortum, vitæ gesta et martyrii palmam secundum nostri sermonis ariditatem aliquantulum recitantes, Christo Domino propitiante, aggredimur describere.

S. Monon, non secus ac multi alii SS. Hiberni, 2 Lect. II. Fuit enim dictus Sanctus de occiduis mundi partibus oriundus, videlicet de Provincia Scotiæ *a*, quæ multos Sanctos veluti stellas lucifluas ad diversas mundi transmisit partes, ut fuit pretiosus Confessor Furseus *b* quem Perona retinet læta, cum fratre suo Ultano *c* multum colendo, et frater eorum Follanus *d*, quo Fossense *e* congaudet Castrum, Sanctusque Bertuinus *f*, Sanctus Fredegandus *g*, necnon Sanctus Eloquius *h*, Confessor magnificus, quem Walcedorum *i* veneratur Cœnobium aliique quam plures, quorum numerum et nomina retinet cœlestis littera. Huic ergo Sancto Mononi jam memorato sæpeque memorando, vigilias nocturnales, quibus Deo serviebat velut miles invictus, membra quieti paululum resolventi, nuntius cœlestis a Deo adfuit in hoc verbo : Mono, serve fidelis, cœlorum possessor altissimus mandat tibi ut Galliam impiger adeas, locumque in silva, quæ Arduenna nuncupatur, diligenter perquiras, cui nomen est Fridier *k*, quam Nassania *l* C fons leviter irrigat : ubi repositionis tuæ locum in corpore vindicabis, donec dies generalis examinis, peccatoribus terribilis, arridebit justis, tibique una tui laboris mercedem redditurus.

divinitus monitus post peregrinationem Romanam 3 Lect. III. Qua visione vir Dei sollicitus petiit ut a Deo si hoc esset, tertio sibi appareret, quod et ita factum est sine mora. De Angelico visitatu certificatus, sumptis necessariis quibus indigeret in via, iter suum arripuit, versum hunc Psalmi decantans : Vias tuas, Domine, demonstra mihi et semitas tuas edoce me ; quia tu es Deus meus Salvator meus et te sustinui tota die. Cui tamen prius sedit in voto Apostolorum Petri et Pauli limina visere, quatenus eorum fretus auxilio postmodum locum injunctum bono exposceret omine. Ea vero tempestate dignæ memoriæ Joannes, ob morum simplicitatem Agnus dictus *m*, cujus possessio paterna fuerat Tyhancia *n* villa juxta Hoium castrum sita, cum benedictione apostolica jam transgressis Alpium jugis, Tungrensis episcopii partes repetens, viro tanto factus est obvius, Mononi scilicet, levitico jam ordine sublimato ; a quo auditis itineris sui causis, et quid subsequenter acturus, data benedictione jam facto amico fidelissimo, injungit illi ut pallium episcopale quod pro maturandi itineris anxietate intermiserat, redeundo reportaret : quod constat actum *o*. *EX MSS.*

venit ad S. Joannem Agnum episcopum Leodiensem, 4 Lect. IV. Quantus vero qualisve postmodum in famulatu pontificis *p* prælibati fuerit, tenui ingenio aliqua perstringere habemus : fuit namque dapsilitatis amator præcipuus, pernox in orationibus continuis, jejuniorum executor laudabilis, pacis exhibitor strenuus, Dei dilector supra modum, proximorum condescensor promptissimus ; quid plura ? Quidquid in Dei servis attendere laudabile, hæc in isto Dei famulo ubertim crescebat quotidie in tantum, ut consodales ejus, talia videntes in illo, pessumdati sint inde ad pejus, unde sublimari ad melius debuerant. Homo Dei vero justus, inter ista non immemor visionis nocturnæ a Deo jam sibi revelatæ, cum episcopi præscripti licentia locum sibi cœlitus præsignatum expetit, quem truncis et vepribus pro posse emundatum ibidem oratorium construxit, in quo solemnia redderentur Deo precum vota. Huic operi sic incumbenti, obtulit Christi miseratio largiflua levamen amabile, nolam videlicet ferream *q* in sui præsentia a porco de terra effossam ; quo dono multum E lætificatus, agnovit Dominum Jesum operi jam incepto benigne favere. Mox fama, quietis inscia, circumcirca volitans, paganos excitavit non mediocriter, ut huic Dei homini adhærerent, quorum ope simul et opere sustentatus ædiculam, divitiis sæculi vacuam, sed virtute superna plenam ædificavit.

dein in eremum Nassosiensem, ubi cæditur. 5 Lect. V. Provenientibus enim vivacibus ejus meritis, multorum languentium corpora inibi offerentia sua munera integræ sunt sanitati restituta ; unde generis humani hostis multiformis, supra modum tristans locum illius eremi titulo christianitatis a viro justo sic nobilitari, anxius quid ageret, qualiterve opus inceptum interrumperet secum tractabat ; face tandem succensus invidiæ, accivit sibi voluntatis suæ compotes sicarios, latrones sæviter jam diu sibi obsecundantes, et ægre ferentes quod vir, omnigena sanctitate plenus, suarum inhabitaret lustra silvarum, sine mora irruentes, pestiferoque perstrepentes cuneo, morti crudeli mancipaverunt Sanctum Dei. Sic Martyr *r* effectus gloriosus, calcato mundo cum suis concupiscentiis, indefectivis fruitur gaudiis, conspiciens cum Angelis desiderabilem excelsi faciem Patris, associatus F Prophetarum choris, Apostolorum collegiis, Martyrum dignitati, Confessorum societati, Virginum conventiculis. Quæ res vicinos vehementer perculit ; et, nimiopere condolentes servum Dei lethali affectum vulnere, lacrymarum rivulis dolori satisfacientes, lætitia tamen replebantur immensa, quod Christi Domini nutu, in confiniis suis patronum et tutorem haberent vigilantissimum : inde quam plurimi Martyris pretiosi locum adeunt ; quem illustratum undique tumulo, gloriosas exhibentes exequias, thesaurum reddunt incomparabilem, scilicet corpus testis Dei invictissimi undique candidis (ut decebat) glorificatum ornamentis.

Pippinus et S. Joannes augent ejus cultum. 6 Lect. VI. Quo de loco quot postea Dei beneficia derivarunt supra ægrotantium membra, claudorum scilicet, cæcorum, aridorum, febricitantium aliisque quam plurimis detentorum doloribus, nullus sermo noster sufficeret ad dicendum. Ad quem processu temporis venerabilem locum studio venandi, accedente divæ memoriæ rege Pipino *s* notificatum est illi, quod ibi requiesceret corpus Martyris Mononis miraculis clarum, præstaretque poscentibus sanitatem : tunc auditis et visis miraculorum signis, quæ ibi in testimonium sanati reliquerant

EX MSS. liquerant infirmi ad laudem et honorem Dei, corpore prostrato adorat tumbam, sacrosanctam debitas reddens supplicationes et insuper offerens, quo utebatur, pileum regalem *t* auro gemmisque decoratum, tradensque pariter decimas quas habebat inter Urtam et Lessiam *u*; quarum partem huc usque possidens, alteram ingenio malorum surripientium amisit Nassaniense collegium. Sanctus vero episcopus memoratus, ad exemplum sequentium superstes, dolens servum Dei sibi in famulitio divinctum a conversatione hominum ereptum sic vitæ transitoriæ ex insperato cursum perfecisse, ex Hoïo castro et Ammania villa sacerdotes idoneos ordinavit *x*, qui ad corpus Martyris vicissim sibi succedentes septimanarii debitas inibi redderent Missarum celebrationes, donec miseratione D. N. J. C. de grege pontificis constituerentur canonici, qui tempore diurno scilicet et nocturno persolverent odas Domino, ejusque Martyri Mononi glorioso, orantes pro statu Francorum regni, maximeque pro vita regis Pipini, cujus munificentia dotata et exstructa est ecclesia nostra, adjuvante simul et præstante Domino nostro JesuC hristo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. B Amen.

ANNOTATA.

a *Scriptores Leodienses. Fisen* (1), *Foulon* (2), *aliique, item Bertholet* (3), *adeoque ipse Butler* (4) *et Ghesquierus*(5) *intelligunt præsentem Scotiam, ad septentrionem Angliæ. Contra Lanigan* (6) *statuit intelligendam esse per Scotiam Hiberniam, quoniam, quum viveret S.* Monon, *Hibernia diceretur hoc nomine. Et quidem egregius criticus Scotus Pinkerton* (7) *ostendit a sæculo* IV *ad* XI *usque per* Scotiam *solam Hiberniam designatam fuisse et per* Scotos *solos similiter Hibernos. Neque obstat quod S.* Monon *ecclesiam in præsenti Scotia suo nomine ornatam habuerit, quoniam plures alii Sancti Hiberni nomina sua ecclesiis Scoticis dederunt, ut recte observat Lanigan* (8).

b *S. Furseus, natione Hibernus, colitur die* 16 *Januarii, ad quam ejus Vitam dederunt decessores nostri* (9).

c *S. Ultanus, colitur die* 1 *Maii, ad quam ejus Gesta illustravit Henschenius* (10). *Ex Beda habemus eum reapse fratrem fuisse S. Fursei, et utrumque Hibernos fuisse natione.* C

d *S. Follanus seu Foillanus colitur die* 31 *Octobris, ad quam ejus dabimus Gesta.*

e *Fossense castrum seu oppidum erat et monasterium, conditum ad Sabim jacensque ad occidentem Namurci in Belgio.*

f *Colitur S. Bertuinus Maloniæ, prisco monasterio, nunc convictu FF. Doctrinæ Christianæ, ad Sabim. Dabimus ejus Vitam ad diem, qua colitur,* 11 *Novembris.*

g *S. Fredegandus Turnini* (Deurne) *prope Antverpiam monasticam vitam duxit. Servabatur magna pars ejus Reliquiarum a canonissis Monasteriensibus ad Sabim. Edidit de eo commentarium Cuperus ad diem* 17 *Julii, qua colitur* (11).

h *S. Eloquius, monachus Latiniacensis* (Lagny), *colitur die* 3 *Decembris, qua ejus dabimus Vitam.*

i *Walcedorum, seu Valciodorum, gallice* Waulsort, *jacet in provincia Namurcensi, in districtu Dinantensi, habebatque olim monasterium; quo* D *S. Eloquii reliquiæ Latiniaco delatæ fuere circa annum* 970 *aut* 974.

k *Cfr Commentarius prævius num.* 7.

l *Cfr Commentarius prævius num.* 4 *et seqq.*

m *S. Joannes Agnus ab anno circiter* 623 *ad* 647 *episcopatum Trajectensem tenuit. Cfr Comment. præv. num.* 9. *Edidere ejus Acta Sollerius ad* 25 *Julii* (12) *et Ghesquierus ad annum* 646 (13).

n *Tyhancia, Tihonium, Thyangium, gallice* Tihange, *vicus est oppidum Huum contingens, jacetque ad dextram Mosæ. Patria habetur S. Joannis Agni.*

o *In hanc historiunculam hæc scribit Ghesquierus, laudans Butlerum quod hæc omisit:* Quasi vero, *inquit* (14), umquam S. Joannes Agnus, jam Trajectensis ad Mosam episcopus creatus, peregrinatus Romam fuisset, idque ignorasset Harigerus? Quasi vero simplici episcopo, qualis erat S. Joannes Agnus, archiepiscopale insigne, quale est pallium, concessum a summo Pontifici fuisset, idque Trajectensis ille episcopus usque adeo flocci fecisset, ut sine eo reversus sit in Belgium? *Propter Harigeri silentium tum de peregrinatione tum de accepto pallio fabulam enarrari in Passione libenter con-* E *cessero. Sed probari mihi non potest argumentum, quod pallium non detur episcopis: id quidem generatim verum est secundum præsentem ecclesiasticam disciplinam; sed olim hæc eadem non erat: de qua re videndus inter alios bene multos Pertschius in Tractatione canonica de origine, usu et auctoritate pallii archiepiscopalis.*

p *De discipulatu S.* Mononis *sub S. Joanne Agno hæc apud Harigerum legimus* (15): Qui *(Joannes Agnus)* qualem quantumque post inthronizationem in sanctis operibus se exhibuerit, præmissa declarant, cum constet eum omni morum honestate præditum quam plures perfectos habuisse discipulos: e quibus unum accepimus, Beatum scilicet Mononem, responsis sub eo ecclesiasticis insistentem, perfectum exhibuisse martyrium.

q *De nola ferrea hæc habet Ghesquierus:* Abest quoque a Butleri narratione, et abest jure merito, nolæ ferreæ per porcum e terra erutæ inventio; quæ omnia ego nugis ac plebeis narratiunculis accensenda existimo. *Ita Ghesquierus; alii forsan ut nil admirabile, ita nil improbabile in hac inventione deprehendent. Utut est, operæ pretium animadvertere est passim in Vitis SS. Hibernorum mentionem fieri de nola, quam secum circumgestarent sanctimonialesæque ac monachi* (16). *Volunt nunc* F *passim S.* Mononem *illa nola usum fuisse ad cogendos accolas in ædiculam suam: quod negare nolim, licet probabilius mihi sit eam ad usus plane monasticos seu eremiticos inserviisse.*

r *Vide quæ in præsenti volumine* (17) *jam monuimus de martyrio in Commentario de SS. Ethelredo et Ethelberto. Ex Passione manifestum est S.* Mononem *obiisse ante S. Joannem Agnum et proin eum non potuisse umquam esse discipulum S. Remacli, qui sedem episcopalem Trajectensem conscendit tantum post S. Amandum, S. Joannis Agni successorem, ordinatus scilicet anno* 653, III *Non. Februarii, quæ erat dies Dominica. Multo magis aberravit Ware, qui, teste Lanigan* (18), *statuit S.* Mononem *sæculo* XIII *vixisse.*

s *Vide Commentarium prævium num.* 11.

(1) Flores eccles. Leod., p. 452. — (2) Hist. du Luxembourg, t. II, p. 148. — (3) Ibid. l. c. — (4) Lives of Saints, 18 Oct. — (5) Act. SS. Belgii, t. II, p. 420. — (6) Eccl. hist. of Ireland, cap. XIX, n. 168, t. I, I, p. 197. — (7) Enquiry into the Hist. of Scotland, part. IV, cap. 1, t. II, p. 58; part. V, cap. IV, p. 233 et seqq. — (8) Eccles. Hist. of Ireland, loc. cit. (9) Act. SS., t. II Januar., p. 35 et seqq. — (10) Ibid., t. I Maii, p. 118 et seqq. — (11) Ibid., t. IV, Julii, p. 288 et seqq. — (12) Act. SS. t. VI Julii, p. 225. — (13) Act. SS. Belgii, t. II, p. 422. — (14) Ibid., p. 420. — (15) Gesta Pontif. cap. XXXIX, ap. Chapeavillum, t. I, p. 71. — (16) Cfr Act. SS., t. II April., p. 33. — (17) Vide supra, p. 96. — (18) Eccles. Hist. of Ireland, t. III, 197.

t Vide

A t *Vide quæ de modo investiendi per pileum diximus num.* 11.

u Urta *gallice* l'Ourthe *et Lessias* la Lesse *duo sunt rivi, qui ex Arduenna silva scaturiunt, et inter quos medios jacet S. Huberti oppidum. Utriusque fontes duabus vix leucis a se invicem distant. Urta minor, de qua hic mentio, distinguenda est a majori Urta, in quam illa ad occidentem Houffalizæ influit. Decimæ itaque, quæ a Pippino dantur, non ita copiosæ erant; maxime si attendatur non omnes datas, sed eas tantum quas ipse rex a patre suo Carolo Martello haberet. Intra idem spatium multi agri dati fuerant nascenti Andaginensi monasterio.* EX MSS.

x *Cfr Commentarius prævius num.* 10.

DE SS. JUSTO, ARTEMIO ET HONESTA VIRGINE,

MARTYRIBUS,

IN DIŒCESI ATREBATENSI IN GALLIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

E. C.

B Dies cultus varius; vetera Officia; tempus et locus cædis; E reliquiæ.

TEMPORE INCERTO. *Die 11 Octobris quibusdam in locis,*

Ubi *supra ad præsentem diem de S. Justo Autissiodorensi seu Bellovacensi agebamus, incidimus in reliquias S. Justi, quæ olim Zutphaniæ conservabantur, deinde partim devenerunt Antverpiam; ibique notavimus huic* S. Justo *aptata fuisse Acta S. Justi Bellovacensis, licet idem habendus esset ac S.* Justus *Atrebatensis, qui olim non secus ac Zutphaniensis colebatur die* 11 *Octobris. Et quidem in antiquissimo Calendario Lyrensi, cui Martenius ineunte sæculo proxime præterlapso* 600 *annorum vetustatem facile tribuebat, hæc ad dictum diem* 11 *Octobris leguntur* (1): Sancti Justi, Arthemii; *ad eamdem item diem in editione Lubeco-Coloniensi Usuardi anni* 1490: Sanctorum Justi, Arthemii et Honestæ Virginis, Martyrum; *Usuardus vero Ms. ecclesiæ B. Mariæ Ultrajecti, quem Rosweydinum Sollerius nuncupat, solam* Honestam *commemorat his verbis:* Item Sanctæ Honestæ. *In Florario autem Ms., quod penes* C *decessores erat, solos* Justum *et* Honestam *indicatos fuisse oportet* (2). *Viden' ubique in his partibus septentrionalibus nostros Martyres die* 11 *Octobris celebrari: unde crescit argumentum S.* Justum *Zutphaniensem eumdem esse ac SS.* Artemii *et* Honestæ *socium.*

die 17 Octobris in Diœcesi Ambianensi colebantur olim SS. Martyres: nunc vero die 18.

2 *In Ambianensi vero diœcesi colebantur SS.* Justus *et* Artemius *(nam* Honestæ *nomen aliquando omittitur) die* 17 *Octobris, ut colligitur primo ex antiqua annuntiatione martyrologica, quam margini ad hanc diem apposuit Castellanus:* Monticelli prope Cuniciacum ad Quantiam Justus et Artemius; *similiter in Calendario præfixo Breviario Ambianensi anni* 1554: XVI Kal. Novemb. Justini *(imo* Justi, *ut corrigitur in corpore Breviarii)* et Arthemii Mart. III lect. et Te Deum. *Similiter ad diem* 17 *Octobris signatur SS.* Justi *et* Artemii *festum in Breviario Ms. secundum usus ecclesiæ collegiatæ S. Vulfranni Abbatisvillæ in diœcesi Ambianensi, quod anno* 1464 *exaratum fuit ab* Hugone de Bosco presbytero diœcesis præfatæ ecclesiæ *(Ambianensis)* in artibus licentiato, sub exemplari venerabilis necnon famosi viri domini Petri Alou presbyteri curati S. Eligii in Abbatisvilla *ad usum* Joannis de Boulenois ecclesiæ collegiatæ divo Vulfranno sacræ canonici et apud Abbavillæos gymnasiarchæ. *Quod vero in diœcesi Ambianensi celebrabatur SS.* Justi *et Sociorum festum non die* 11 *Octobris, sed* 17, *certa ratio non apparet: quandoquidem dies* 11 *non impediretur, siquidem commemoratio tunc tantum fieret S. Venantii abbatis. Ab anno autem* 1746 *non jam die* 17 *Octobris, multoque minus die* 11 *SS. Martyrum memoria recolitur, sed die* 18 *Octobris. In Calendario enim Breviarii Ambianensis, jussu Ill. de la Motte illo anno editi, legitur ad hanc diem:* Lucæ Evangelistæ... cum Commemoratione SS. Fratrum Justi et Artemii in Artesia Martyrum circa VIII sæculum. *Unde fit ut jam ad hanc diem de iis nobis dicendum sit. Ut itaque Antverpiæ hoc demum sæculo celeberrimus S. Justus Bellovacensis ad se traxit S.* Justum *Atrebatem, sic jam idem factum fuit sæculo ante Ambiani, atque nunc etiam apud Atrebates, ut ex Proprio anni* 1817 *intelligimus. Verum omittere* F *non possumus (ne aliquando uterque* Justus *confundatur) olim apprime apud Ambianos distinctionem observatam fuisse: in Breviario enim anni* 1554 *non tantum SS.* Justi *et Sociorum festum agitur die* 17 *Octobris, sed postridie inter officium de S. Luca fit memoria S. Justi Bellovacensis.*

Eorum Passio ex antiquo

3 *De S.* Justo *et Sociis nulla antiquiora documenta ad manus nostras devenerunt præter lectiones Breviarii Abbatisvillæ et Ambianensis anni* 1554, *quæ utrobique non secus ac reliquum Officium et Missa eadem sunt, et ita sonant:* LECT. I. Fuit in regione Tholosana rex quidam, cujus nomen in libro vitæ non invenitur scriptum, et ideo est tacendum. Gentilis enim erat: qui duos habuit filios et unam filiam Deo promissam virginem. Nec mirum creditur quod miro usu assidue cernitur. Profert enim terra stercora, et ignobilis herba lilia, rubus flores, spina rosam, Judæa Mariam. LECT. II. Primogenito autem impositum est nomen

(1) Thes. Anecd., t. III, col. 1625. — (2) Cfr Act. SS., t. V Octobr., p. 493 e, et 496 a.

E. C.

Justus, secundo Arthemius; Virgini vero datum est nomen Honesta. Igitur hi tres, de domo patris et cognatione sua exeuntes, peragratis multis terrarum finibus, tandem in episcopatu Ambianensi ad quemdam locum juxta oppidulum, quod dicitur Conchiacum, devenerunt. Jam multorum evolutis annorum spaciis, dictus rex senescens ubinam essent tres sui pueri inquiri precepit : addidit etiam ut, si inventi nollent redire, capitali plecterentur sententia. Lectio III Multarum investigatis terrarum spaciis, regis exploratores in nemore prædictos duos fratres orationi continue vacantes invenerunt. Et rogaverunt eos ad patrem venire regnique dominium in pace et hereditarie possessuros. Qui respondentes nullatenus reverti affirmaverunt. Cumque hæc audissent nuncii dixerunt : Ex quo regis edictum contemnitis, istius loci ambitu capitibus cæsis vos puniemus. Et his dictis capita decollationi jussi submiserunt.

et recentiori Breviario Ambianensi;

4 *Quum nonnulla in his minus placerent, comparata fuit pro Breviario anni* 1746 *nova lectio, quæ nunc etiam in Proprio Atrebatensi anni* 1817 *legitur, demptis paucis, quæ uncinis includemus. Accipe hanc lectionem, quæ nona est in Officio de*
B *S. Lucæ :* Justus et Arthemius fratres in (eo Diœcesis Ambianensis) vico, qui Mons-cœli dicitur, ad amnem Quantiam, mortem gloriosam pro Christi nomine fortiter obierunt. Proditum memoriæ est illos, patre ethnico viro præpotente natos, fide Christiana inscio patre imbutos, ut Deo libere servirent, domo paterna profugos in Galliam devenisse, inque iis locis ubi interempti sunt consedisse : missos esse a patre homines, qui ipsos perquirerent, inventosque aut ad se domum reducerent, aut si redire nollent, interficerent. Ab his deprehensi fratres, quia se in eam regionem quæ Deum verum nesciebat, redituros negaverunt, ab impiis necati sunt, octavo ut creditur sæculo. Eorum corpora ibidem sepulta sunt; et super illorum sepulcrum (quod hodieque visitur), condita est ecclesia parochialis, Deo Sancti Justi nomine consecrata, ubi coluntur Sancti Martyres. Eorum nomina in antiquo Martyrologio Ambianensis Ecclesiæ leguntur. *Præmittitur hæc deprompta esse ex* Monumentis ecclesiæ Ambianensis; *verum hæc non amplius Ambiani reperiuntur : et quidem arbitror scriptoribus nil aliud præluxisse quam vetus Martyrologium et Breviarium, necnon Malbrancquii*
C *scriptionem, inferius dandam.*

a Malbrancquio perhibentur Persæ patria,

5 *Abstinuere tamen a proponendis Malbrancquii conjecturis de compluribus adjunctis passionis SS. Martyrum. Hic enim, commemoratis Aaronis Sarracenorum in Persia monarchæ, ad Carolum M. legationibus :* Ad hanc inexspectatam legationem, *inquit* (1), referenda nobis egregia trium juvenum pro fidei catholicæ cultu tutius servando in campis Moricinis certamina : quæ ex pervetusto eoque plane lacero Ambianicæ ecclesiæ Breviario exscripsit mihi Hesdinicus *(erat Hesdinii domus Societatis)* e Societate nostra sacerdos : cum vero illic neque certa rei gestæ tempora, neque expressus barbaræ gentis unde prodierint locus, neque parentis eorum nomen statusve quantumvis prænobilis perhibeantur, sed quæpiam (ut vocamus) circumstantiæ innuantur, quæ hujusmodi legationes soleant comitari, non video quo opportune magis referantur hæc fusius, quam ferat Breviarium illud, enarranda. *In his alludit Malbrancquius (ut e nota marginali constat) ad legationem, quam Eginhar-*
D *dus* (2) *in Vita Caroli M. memoriæ tradidit. Verum aliæ duæ memorantur in Annalibus Loiselianis* (3), *ad annos* 801 *et* 807: *quæ postrema ultima sane fuerit, quum Aaron anno sequenti, æræ Arabicæ* 192, *Christianæ* 808 *e vivis excesserit.*

in aliis monumentis Tolosates; dicuntur Sarraceni origine et sæculo VIII *cæsi: Honesta male Constantia appellatur.*

6 *Verum malim ego adhærere Breviariis Ambianensi et Abbatisvillensi, ubi regio Tolosana indicatur pro SS. Martyrum patria, quam cum Malbrancquio Persidem excogitare, quæ nuspiam omnino designatur. Deinde quod Malbrancquius et secundum eum recentius Breviarium Ambianense horum Martyrum cædem ad sæculum* XIII *referunt, nedum negare velim, in capite hujus Commentarii præfixi. Veruntamen hoc tempus valde dubium mihi esse non possum non fateri. Re quidem vera Sarraceni, quos introducit Malbrancquius, primo in Galliam irruerunt circa annum* 719 *et biennio post a duce Odone prope Tolosam profligati sunt* (4) ; *anno* 732 *fuere iterum cæsi a Carolo Martello Turonos inter et Pictavos; nihilominus remanserunt adhuc diu in Septimannia, quin tamen ad Tolosam accessisse videantur. Ast licet hæc Malbrancquii de tempore mortis opinioni aliquantum faveant, non tamen stabiliunt ipsum hujus opinionis fundamentum, SS. Martyres scilicet Sarracenos fuisse : quod tamen ante omnia*
E *probandum foret. Contra* Justus *et* Honesta *latina sunt nomina,* Artemius *græcum, sed latinis etiam usitatum. Unde, si auctor me melior aliquando hos Sanctos ad tempora Romanæ in Galliis dominationis retulisset, libenter in ejus ivissem sententiam. Interea non placet a trita via discedere. De sororis nomine hic aliquid addendum. In adductis locis ubique* Honesta *dicitur; Malbrancquius vero eam appellat* Constantiam, *quod tamen in lacerato suo Breviario non erat. Propter quod sane discedendum non est a Martyrologiis initio citatis, a Breviariis antiquis Ambianensi et Abbatisvillensi, ab instrumentis recognitionis reliquiarum et ab inscriptione lipsanothecæ (de qua inferius) :* Sancti Juste, Artemie et Honesta, orate pro nobis, *apposita sculptilibus imaginibus trium Martyrum, quæ loculo supereminent.*

Locus martyrii Monticellus, non vero Mons Cœli.

7 *De loco martyrii, Monticello scilicet, nulla exorta est disceptatio. Est autem perexiguus pristinæ provinciæ Artesiæ vicus, ad rivum Quantiam* (la Canche) *inter Hesdinum vetus et Ferventum* (Frévent) *non parochialem habens ecclesiam, sed annexam vicinæ parœciæ Cuniciaco* (Conchy-sur-
F Canche), *ad alteram Quantiæ ripam sitæ. Gallice vocavit Malbranchius hunc vicum* Monciel, *unde latinum conflavit nomen* Montem-Cœli; *quod hinc in Breviaria irrepsit. Verum, ut me monuit R. D. Parenty, Atrebatensis canonicus, cui plerasque has notitias debeo, in charta anni* 1079, *Atrebati asservata, et qua confirmatur instauratio monasterii Alciacensis* (Auchy-les-Moines) *legitur* Moncels ; *in instrumentis vero Malbrancquio coævis* Monchel ; *latine vero in Martyrologio, abs Castellano citato,* Monticellus ; *quod nomen pluribus in Gallia locis commune est* (5). *Ne itaque phantasmata cum pietate misceantur, servet* Monticellus *suum vetus nomen, eo abire jusso quod posterius excogitatum est.*

eorum cultu,

8 *Ad cultum quod attinet, Monticelli nunc etiam eodem die festum horum Martyrum celebratur, qui in recentioribus Breviariis Ambianensi et Atrebatensi assignatus est, nempe* 18 *Octobris; sic enim scribit R. D. Véniel Cuniciaci et Monticelli parochus, in epistola anno* 1845 *ad eminent. cardinalem episcopum Atrebatensem data, cujus apographum ad*

(1) De Morinis, t. II, p. 109.—(2) D. Bouquet. Recueil, t. V. p. 95.—(3) Ibid., p. 53 et 56.—(4) Cfr Hist. du Languedoc, t. I. p. 694 et seqq.—(5) Cfr Mabillon, de re diplom., p. 302 et 469 ; Felibien, Hist. de l'abbaye de S. Denis, pr., p. LXIX. Du Cange, Glossarium, v° *Monticellus, Moncellus,* etc.

me

A *me directum est. Attamen remittitur præcipua solemnitas in Dominicam proxime sequentem, ut testatur epistola ejusdem D. Véniel, scripta die 3 Novembris 1849; quæ cum et alia in rem nostram contineat, hic e gallico sermone in latinum versa recitari meretur.*

satis celebri,

9 In territorio Monticelli, *inquit,* juxta viam quæ inde ducit ad vicum Flers, dimidio circiter kilometro a prioris loci ecclesia, cernitur mediis in agris monticulus quidam, qui nomen habet tumba S. Justi *(tombe de S. Just)* et in quo crux erecta est. Locum hunc, qui videtur semper culturæ expers remansisse, populus omni tempore magnopere veneratus est, ac semper æstimavit Sanctos, quorum reliquiæ Monticelli asservantur, hic primitus fuisse sepultos. Dominica post diem 18 Octobris, qui Sanctis Justo, Arthemio et Honestæ sacer est, multitudo fidelium ex vicinis pagis Monticellum accurrunt, veneraturi pretiosas Martyrum reliquias, quæ pomeridiano tempore, Vesperis decantatis, in processione cum cantu litaniarum omnium Sanctorum ad tumbam S. Justi deferuntur; qua in processione conspicua est fidelium modestia et pietas.

reliquiis

10 *Horum trium Martyrum* Justi, Artemii *et* B Honestæ *Monticelli asservantur reliquiæ bene multæ, ut testatur idem D. Véniel in laudata jam epistola anni 1845. Depositæ sunt in arcula portatili et eleganti, quæ medio in altari per totum annum in altero quodam tabernaculo, porta vitrea concluso, fidelium venerationi exponitur. In hac arcula reperiuntur varia instrumenta recognitionum, quorum antiquissimum in duabus ardosiis, quas vocant, exaratum est et est sequentis tenoris :* Anno Domini millesimo quingentesimo decimo nono septima Februarii repositæ sunt hæ reliquiæ, quas, ut audivimus a patribus, speramus esse de corporibus Sanctorum Justi, Arthemii et Honestæ in præsentia Dni Philippi Cressent Capellani, fratris Johannis de le Warde prioris Caricampi *(abbaye de Cercamps)*, Dni Johannis Matthieu, Johannis Attagnant et Johannæ Dorion et aliorum presbyterorum, Guillonis Le Cointre, Walrini Le Cointre et Reginaldi Lamiot. *In minori ardosia nonnisi hæc pauca leguntur :* Firmissime credendum est quod in apertione hujus tumuli odor suavissimus erupit et multos consolavit.

sæpius recognitis,

11 *Facta est alia recognitio die 15 Octobris 1617 ab Antonio Perotin, parocho in* Auxi-le-Château *et* C *decano de* Labroye; *præsentibus DD. Tussano de Bomy parocho in* Monchel *et Petro Danthon parocho in* Conchil *(nunc* Conchy), *ac pluribus aliis. In quo instrumento, uti etiam in sequenti, quæ in duabus ardosiis exarata sunt, verbotenus inseruntur. Tertium instrumentum confectum est 12 Julii 1737 a D. Antonio Devis parocho in* Monchel *occasione translationis reliquiarum ad monasterium Caricampi, unde relatæ et ab ipso illustrissimo De la Motte Ambianensi episcopo traditæ fuere nobili viro de Gargan Rollepot, domino in* Monchel *ut testatur de hac re confectum instrumentum die 26 Octobris 1737, sigillo munitum cum subscriptione ipsius domini de Rollepot. Tribus post annis loci pastor et incolæ rogavere eumdem antistitem Ambianensem* ut sibi liceret ossa S. Justi Martyris dicti loci patroni, ubi omni tempore in honore fuerunt, publicæ fidelium venerationi exponere; *qua de causa ad examinanda lipsana missus est D. Romanus Ducrocq, parochus in Bernatre et Decanus de* Auxi-le-Château, *qui, recognitis instrumentis, testatur se vidisse supra altare B. Virginis paratum loculamentum, in quo reliquiarum capsa reponenda erat, ac jussisse se ut eadem lignea capsa intus tapete serico instrueretur, exterius vero obduceretur auro.*

E. C.

novoque templo decoratur.

12 *Instrumentum, ex quo hæc desumpta, conditum est die 12 Decembris 1740; et mense Januario sequente, die 28, sæpedictus Ambianensis antistes eidem instrumento petitam facultatem adscripsit. Refriguit, ut arbitror, Martyrum cultus a tempore, quo, præcipiti jam sæculo* XVIII *res sacræ in universa Gallia sus deque versæ sunt; divendita tum et diruta Monticelli ecclesia, ita ut quæ nunc ibi cernitur cœpta sit exstrui anno solum 1828, deinde anno 1840 addita nave et turri campanilli plurimum est amplificata. Præcedenti anno D. Joan. Bapt. Loire, qui tum ecclesiis Cuniciaci-ad-Quantiam et Monticelli deserviebat, novam efflagitaverat reliquiarum recognitionem; quam ob causam Monticellum missus est R. D. Robitaille parochus et decanus Paulopolitanus* (St-Pol-sur-Ternoise) *et diœcesis Atrebatensis vicarius generalis, qui die 16 Octobris 1830 supradicta instrumenta in lipsanotheca reposita inspexit, authentica sigilla agnovit et ut pergeret parochus has reliquias fidelium venerationi exponere permisit. De reliquiis S. Justi, quæ olim Zutphaniæ, nunc partim Antverpiæ asservantur, satis dictum fuit supra in Commentario de* E *S. Justo Bellovacensi* (1). *Sequitur jam Passio, a Malbrancquio nonnihil pro genio suo adornata.*

PASSIO

SS. JUSTI, ARTEMII ET HONESTÆ,

Auctore Jacobo Malbrancq, ex lib. V de Morinis.

SS. Martyres, ad fidem conversi.

Igitur *a* in medio nationis pravæ adeoque in aula paterna idolorum et aulicarum deliciarum spurcitiis scatente gemini fratres Justus et Arthemius cum sorore Constantia *b* juvenilem agitabant vitam, aut potius etsi genio et opiparis mensis indulgere plus nimio daretur, etsi marsupia auro turgerent affatim, etsi connubia præclarissima, dosque opulentissima proponerentur, nihilominus ægerrime trahebant : ex quo enim a pio mysta quopiam clam F patre baptismi lymphis tincti fuerant, nihil istorum sapiebat prorsus, solæ in divinis rebus deliciæ, solæ dapes sapidæ, quæ furtim e sacro Christiani alicujus eloquio excipiebantur. Quæ tamen non ita clancularia ratione perfici potuerunt, quin parens ethnicorum dynastarum impiissimus et Christianorum vivendi ritum cane pejus et angui exosus, nonnullam in liberis adverteret mutationem : tum serio magis invigilare, ne de die domo paterna elaberentur, neque aliorum, quam idoli cultorum congressus frequentarent : quia, cum prius inanes illas statuas respuerent, tribuebat ipse juvenili incuriæ, et animo magis in venationes et hujusmodi propenso.

petunt cum legatione in Galliam venire :

2 Itaque parente jam sensim ad superstitiones suas liberos promissis multis pelliciente, et iis in surdas aures labentibus, graviores minas intentante, Justus et Artemius de capesenda fuga agitant consilia. Inaudiunt in Galliis belle se habere res christianorum; illic malle se nemorum latibula petere, et herbidis vesci, quam cum Christiani

(1) Vide supra, p. 337.

nominis

B. C. nominis jactura in paternis ædibus lautissime haberi. Et ecce jam conspiciunt opportunam admodum se in Galliæ transferendi præbere occasionem. Cum enim parens honorum esset impense avidus, non reformidarunt eum in hujusmodi verba convenire : Non est, parens amantissime, quod filios tuos ad majora aspirantes super religionum tricis lacessas, altiora et heroïca magis meditamur : est vero, quo regi nostro gratificere plurimum et nos in aulica educatione perpolitos consequare, si legatis in exteras regiones transeuntibus siveris sociari : adeo formosæ in Galliis principum filiæ perhibentur, nonnullam forsan in retia cassesque fiet copia pertrahendi : tunc, cum reducibus, quidquid adlibuerit, præstabis parens.

consentit pater: comes it soror;

3 Placuit viro libellus supplex, sed non a se dimittere visum est, priusquam legato cæterisque comitibus, quos omnes norat Sarracenæ sectæ addictissimos et Christianis infensissimos, de meliore nota commendaret, ne a latere suo vel latum unguem sinant discedere. Erat geminis fratribus soror Constantia, quæ diu noctuque illacrymans fratrum discessum ferre non sustinebat : et ne forsan in fatalem exitum eæ deducerent lacrymæ, B uxori legati, quæ proficiscenti adhærebat marito, data est comes, nihil periculi patre ab societate impiæ mulieris metuente, nihil etiam toto itinere a tribus illis metuitur, nulla prorsus de Christianorum rebus colloquia serentibus, sed hilarem vultum ad quosvis aulicos sermones præ se ferentibus, grates referebant mille legato et uxori, quod multo rogatu florentes adeo regiones visendi copiam ipsis impetrassent, immortalem ejus rei memoriam mentibus inhæsuram.

in Gallia, ut fidei suæ consulant, fugiunt in silvam: pater eos inquiri

4 Ubi vero ab Galliæ rege in rurale palatium excepti sunt et munera Sarraceni regis obtulere, opipara admodum cæna refecti sunt. Ipsis postmodum somno vinoque sepultis, Justus, Artemius, Constantia (sibi mutuo tempus horamque condixerant) facta ardenti ad superos prece, nescio qua ratione elapsi sunt, quamve viam capessiverint. Scio tamen ex eorum historia venisse in umbrosum c collem qui a flumine Quantia *c* Hedinensi assurgit, dorsumque attollit, qua Teruanam seu Paulopolim iter est, Hedinum inter et Ferventum. Illic degunt, quam possunt occultissime ; donec legati patriam suam repetierint, qui profecto e precipiti adeo fratrum fuga animo consternati, non sine metu ad C regem suum sunt regressi. Parens vero, ubi liberorum illo ternione præ cæteris carissimorum sibi carendum vidit, multo ejulatu domum implet : dein ad se reversus, et in profugos excandescens, fidissimos quosque e suis asseclis, luculento viatico instructos, transmisit, qui Galliam perlustrent universam, donec e multiplici trium juvenum delineatione, in eorum pertigerint latibula : et si profusæ haud parcant nummorum largitioni, aut si reverti renuant, gravia comminentur ; si neque minis obtemperent, perfidos et parricidas mala morte mulctent ; parenti enim et matri proximam mortem haud dubie nuntient creaturos.

jubet et occidi.

5 Viam igitur priorum legatorum retexunt, et ad aulam regiam pertingentes, ediscunt in Morinis sylvas inter versari par juvenum, qui e vultu quidpiam spirent prænobile, peregrina utentes lingua ; et quibus vescantur, aut vivant, vix innotescere, ad superos mentem solidas horas evehere, abstinere mortalium pene omnium consortio. Nil clarius legati volunt, et superatis Samara seu Somona d et Altheia *d* fluminibus, ad Quantiam provolant cito, sed tacito vestigio, umbrosum illum collem, D ubi didicerant eos orationum suarum sedem figere conscendentes. Deprehensi igitur, minime genus suum negare, parenti ac matri multam salutem in Christo precari, hæc nemora *e* paternis ædibus, e nihil nisi fœdum dæmona et inanes Deos promentibus, prævalere. Illi contra utriusque parentis preces, lacrymas, suspiria et propinquam mortem, ni redierint, opponunt : impetrata illis potissima inter aulæ primores munia, selectissimas regni virgines pulchritudine, opibus, genere vix ulli secundas, ipsorum connubium demorari. Servent sibi parentes, ajunt, et opes suas, et dignitates et aliis liberis opima conjugia ; stat nobis, quamdiu futilibus suis diis inhæserint, per calcatum patrem pergere, ut ad Christi signa convolemus. Et cum dirissima quæque ex jussibus paternis comminarentur, denudant præbentque cervicem, quam demetere impii non verentur, præcipiti fuga barbaram suam gentem repetentes. Res profecto attentiori consideratione digna, ecce in Morinos, ubi modo summa Christianæ vitæ tranquillitas, e media barbarie Deus Martyres accersit. E

Coluntur Monticelli.

6 Ab Christianis res ad Morinorum præsulem delata, honorificum tumulum gemina fratribus eo ipso loco æde condita peperit ; etiamnum visitur ante aram principem supernus sepulcri lapis *f* pede f uno e terra eminere, visuntur, inquam, juvenculi duo habitu nobilium opere emissitio effecti *g* : quot- g annis per novenam eo ab advenis concurritur magno ardore, et adversus ægritudines præsidio. Vico Mons Cœli videtur (vulgo Monciel *h*) inditum no- h men. In templi fenestris depicta paret Constantia illorum soror, cujus tamen non meminere lectiones istius breviarii laceri. Sed asserit, (ajebat loci curio), Recollecta Valentinus apud Hedinum vetus, in sacrario suo conditam, qua eo, quo superius, modo in has oras devenisse videtur : quandoquidem cum fratribus appulisse credatur. Cæterum poterunt hæc forsan ansam præbere complura et certiora ad peregrinantium frugem inveniendi.

ANNOTATA.

a *Quæ hæc adducant vide in Commentario num.* 5.

b *Imo* Honesta. *Vide dicta in Commentario num.* 6. F

c *Quantia, gallice* la Canche, *aquis suis pagum Morinicum et diœcesim Teruanensem a meridie terminabat.*

d *Samara* la Somme, *Altheia* l'Authie.

e *In Menæo Atrebatensi* (1) *abhinc aliquot annis editus fuit articulus de SS. nostris Martyribus. Ibidem vocatur illud nemus* le bois des vignes.

f *Lapis ille post eversam dimidio abhinc sæculo ecclesiam aliquandiu neglectus jacuit; postea adversa ejus facies epitaphio sculpendo adhibita est.*

g *Pristinus sepulturæ et reliquiarum status apprime intelligitur ex instrumento anni* 1617, *cujus meminimus in Commentario num.* 11. *Legitur ibidem* super sepulcro repertus lapis albus, duas habens insculptas imagines ; item locus in armariolum cavatus, plura capiens ossa, scilicet magnam capitis partem cum aliis capitis ossiculis, quartam partem cruris, os spinæ dorsalis, magnam partem parietis ventriculo proximi, partem genus acetabuli, et demum partem brachii.

h *Legendum* Monchel ; *vide Commentarium n.* 7.

(1) Le Puits Artésien, revue mensuelle du Pas-de-Calais, 1838.

A D

DE SS. JUSTO, FLAVIANO ET SOCIIS XC,

MARTYRIBUS, UT FERTUR, ULCII IN PEDEMONTIO,

SYNOPSIS HISTORICA.

E. C.

§ Unica. Cultus certi origo incerta; translatio; Novaliciensis, Secusiensis et Ulciensis monasteriorum initia.

TEMPORE INCERTO. *Sententia de his Sanctis varia est;*

Difficultatibus quam plurimis, non tamen inextricabilibus, S. Justi Bellovacensis historiam implexam esse, et S. Justi Atrebatensis Acta multis implicari dubiis ad præsentem diem videre est. Verum enim vero ibi nulla irremediabilis inter documenta pugna, nulla de cultus legitimitate anxietas, errores quidem ingentes, B *sed nulla fraudis suspicio. Hic vero, ubi jam de* S. Justo *Novaliciensi ejusque Sociis agendum est, obscura omnia, tenebræ palpabiles, et gravissima doli falsique incusatio : quam ut lector jam nunc cognoscat, ecce ut eam ad annum* 1027 *compendio exhibet Hugo Flaviniacensis, Radulphum Glabrum secutus :* Tunc temporis, *inquit* (1), contigit innoti ossa hominis de loco abjectissimo a quodam mangone collecta et feretro imposita in monasterio S. Mariæ apud Seusiam sub nomine Justi Martyris a Mainfredo marchione fuisse reposita. Sed licet multis et probatis documentis demonstratum sit, religiosis id vanissimum et stultissimum fuisse vulgus tamen injustum pro Justo venerans in suo permansit errore. *Quocirca nobis fatendum est (quum prima nostra lex sit posita in animi sinceritate) nos prorsus discernere non posse stetne veritas a parte Radulph Glabri et Hugonis asserentium* S. Justum *Novaliciensem Sanctum commentitium esse, an a parte Ulciensium, qui ut semper optima fide, sic se jure* S. Justum *colere contendunt. Quocirca nihil aliud nobis superest quam ut duplicem narrationem subjiciamus lectoris judicio.*

C *male negat Baronius eorum cultum;*

2 *Nuspiam autem magis necessarium est, ut ab adstruendo cultu ducamus exordium. Baronius enim, postquam ex Radulpho Glabro retulisset monita divina non defuisse Ulciensibus ut a veneratione inventarum reliquiarum cessarent, hæc subdit* (2) : Si quis autem divinitus factæ de his revelationi non pareat, sed obstinatus in errore permanere voluerit, excipiet illam digne sententiam : Qui sordescit, sordescat adhuc. Sed et si non tunc, eo modo incalescente vulgo in defensionem erroris, postea emendatam constat fuisse fraudem illam, cum neque ibi, neque circumcirca alicubi locorum remanserit memoria Justi Martyris, titulo falso conficta. *Hæc ille. Verum aliter res habet. In Calendario enim affixo nuperæ editioni Breviarii ad usum Taurinensium, ad præsentem diem indicatur* S. Justus Monachus et Martyr ; *neque dubito quin multo etiam celebrior sit* S. Justi *cultus in diœcesi Secusiensi propter delatas ejus reliquias in monasterium B. Mariæ, dein* S. Justi *titulo honestatum. Præterea Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum S.* Justum *Martyrem et primum Novaliciæ in Gallia Subalpina abbatem producit, et Pernottus in Historia Tripartita canonicorum* (3) *Officium S.* Justi *ex Breviario Novaliciensi citat nosque inferius plura dabimus ex Officio Secusiensi, quod anno* 1654 *ad decessores nostros misit Turinellus noster. Demum, ut me docet vir eruditus ex dispersa Provincia Societatis Jesu Taurinensi, in Pedemontio et maxime in Alpibus plura sunt sacella* S. Justi *nomine insignita, adeoque ædicula villæ collegii nostri Tauri-* E *nensis, quæ est prope Lanzo ad orientem Secusiæ,* S. Justi *fruitur patrocinio. De cultu itaque tam antiquo quam recenti* S. Justi *frustra moveretur dubium.*

Chronicum Novaliciense sæc. xi plura de eorum martyrio, raque prodigia

3 *Inter antiquissima de* S. Justo *monumenta venit jure merito Chronicum Novaliciense ; quod anno* 1846 *ex autographo edidit cl. v. Ludovicus Conradus Bethmann, cujus labores, sagacitatem et eruditionem quam libentissime prædicamus. In hoc autem monumento, ante medium sæculum* XI *conscripto, legimus* (4). Antiquis quoque temporibus erat monasterium, subditum Novalicio, in vallem Bardoniscam, ubi dicitur Plebemartyrum, pro eo quia ibi quondam occisi fuerunt monachi ipsius monasterii, cum diversi generis atque sexus, qui ibidem quasi confugium fecerant, a paganis Longobardis ; eo tempore, quo ipsi Novaliciensem monasterium similiter depopulaverunt. Inter quos interfectus fuit quidam monachus nomine Justus, qui justus erat et nomine et opere ; atque alter, cui nomen fuit Flavianus. Horum namque monachorum epytaphia suis capitibus subposita sunt tempore interfectionis eorum. Quorum unus sic legebatur : HIC JACET JUSTUS MONACHUS FRATER LEONIS, F SOTIUS SANCTI PETRI VERI. Alterum vero non reminiscimus. *In sequenti capite dicere agi adhuc de Ulcio; ego tamen arbitror de Novalicio fieri sermonem, quoniam tunc temporis dirutum jacebat Ulcium, ut inferius videbitur. Cæterum ex mente auctoris videntur hæc etiam pertinere ad nostros Martyres. Pergit itaque :* In eodem denique monasterium multæ fiunt semper Sanctorum visitationes, quæ sæpissime bonis monachis et simplitioribus hominibus apparent. A quibus nonnullis audivi, Domino teste, referre, quia tanta turba beatorum hominum albatorum ibi bonis apparent in silentio noctis, quanta si videres ex civitate aliqua omnes viri et femine simul pergere, sicut faciunt Christicoli tempore Rogationum, quando pergunt per ecclesias Sanctorum suffragia flagitare. *Post hæc verba monet Bethmannus folium excidisse, in quo erat finis capitis* XV, *integrum* XVI *et initium* XVII. *Qui defectus antiquus sit oportet, siquidem Passio* S. Justi, *ex Chronico verbatim deprompta, suppletur ex Responsorio* VI *Officii de Translatione. Quæ vero per lacu-*

(1) Chronic., lib. II, ap. Pertz, Monum., t. VIII, p. 302. — (2) Annal. eccl ad an. 1027, n. 12. — (3) Lib. III, cap. XLVI, n. 2. — (4) Pertz, Monum., t. VII, p. 95.

nam

E. C.

nam hanc omissa fuerint, difficile est investigare, quum index capitum turbatus sit omnino. Pronum est conjicere de revelatione sepulturæ S. Justi *ibidem sermonem fuisse deque ejus translatione ad Secusiam seu Susam : unde rueret Terronei* (1) *et Bethmanni* (2) *argumentum, quo sibi visi sunt stabilire posse hanc partem ante translationem S.* Justi, *anno* 1027 *factam, fuisse conscriptam ; siquidem hujus non fieret ibidem mentio.*

mira valde de eis perhibet;

4 *Paulo inferius refert Novaliciensis chronographus nonnulla prodigia, Novalicii (ut videtur) facta, et quæ ad nostros Martyres etiam pertinuisse videntur.* Narrabo, *inquit* (3), etiam adhuc miracula, quæ de tanto bene condecet fari loco. Erat præterea nostri temporis in familia prædicti cœnobii bubuleus quidam, ortus ex viculo quodam Viennensi urbi proximo, nomine Gislardus, qui amplius quadraginta annorum fertur in ipso servisse loco. Hic cum quadam die summo surrexisset crepusculo, ut boves eiceret in pratum, quod est ante ipsum sacrum monasterium ad pascendum, continuo se ubi pervenit in quodam loco conculcans obdormivit. Qui cum post somnii quietem surrexisset, omnem comam capitis hac barbam in eodem loco, B ubi obdormivit, mox cecidit, ut surrexit. Erat enim valde capillatus, ut asserunt qui eum ante viderunt, hac barbam habens prolixam. Mecum enim per triennium habitans, sepissime loquelæ ejus et aspecti omnino ubertim fruitum sum. Alio namque tempore militum turba in eodem causa orationis convenerat loco. Ubi dum omnes quietem corporis in nocte dedissent, unus ex illis, cui æqui traditi fuerant ad custodiendum, in prædictum eos eiciens pratum, ut pastu herbarum reficeret, eos ilico insecutus est. Ubi cum se inclinasset et obdormisset, omnes capilli ejus a capite defluxerunt. Iisdem namque vir ut surrexit, mox caput ejus denudatum apparuit, lucens tamquam quis galeam ferret in capite micantem hac perlucentem. Continuo sotii illius cum vidissent quæ evenerat, mirati sunt dicentes : « Supra tumbam » alicujus Sancti obdormisti. » Ipse vero, lacrimis totus profusus, cùm maximo dolore et ignominia talia videbatur invitus sustinere. Et quid mirum, si in eodem tanta fiunt miracula loco, in quo multa quondam fuerunt martiria diversa genera celebrata.

C

occisi traduntur Ulcii a Longobardis:

5 *In primo narratu clare indicat chronographus S.* Justum *occisum fuisse in loco, qui* antiquis temporibus erat subditus Novalicio, in vallem Bardoniscam, ubi dicitur Plebemartyrum ; *quam Ulcium fuisse extra controversiam est. Ulcium autem, vulgo* Oulx, *provinciæ Secucianæ vicus est ad confluentem Duriæ et Bardonescæ, quem veteribus Romanis Martis fanum fuisse eruditi viri arbitrantur. Leucis quinque a Secusia sive Susa distat, tribus vero a monte Genevro, ac* 1400 *incolis frequens est. Quum, cæsus fuit S.* Justus *Ulcii, jam tum* monasterium *ibidem fuisse aperte tradit chronographus ; verum per* monasterium *sæpius designari ecclesiam quamlibet satis demonstravit Cangius* (4). *Quocirca, quum chartæ inferius recitandæ, de monasterio taceant et* Plebs *vulgo parochiam designaret, nil aliud ante medium fere sæculum* XI *ibidem exstitisse arbitramur, quam templum parochiale, patrocinio S. Laurentii insigne, dependens prioratuum more a Novaliciensi monasterio, et de quo sæpius inferius redibit sermo. Quod itaque securior hic videretur locus, eo confugissent Novalicienses monachi, quos* D *inter S.* Justus *noster. Ita ex Chronographo.*

verum cum Novalicium, cujus habentur monachi, conditum sit anno 726,

6 *Cognito martyrii loco, tempus jam inquirendum est. Res tricis et difficultate plena. Affirmamus itaque primo fieri non posse ut S.* Justus *(siquidem Novaliciensis monachus perhibeatur) cæsus fuerit ante annum* 762, *quoniam tunc tantum temporis Novaliciense monasterium conditum est. Re quidem vera Paulus Britius in Historia ecclesiæ occidentalis et Ludovicus Rochexius in Gloria Novalicii referunt monasterii hujus origines ad prima æræ Christianæ tempora ; decepti absurdissima rerum, hominum et temporum confusione chronographi Novaliciensis. Augustinus ab Ecclesia in Chronologia Pedemontana et post eum Ughellius, nitentes diplomate Benedicti Papæ VIII et infirmis aliquot conjecturis, easdem retulerunt ad sæculum* VI. *Verum satis eos jam castigavit Henschenius in Actis S. Heldradi Novaliciensis ad diem* XIII *Martii* (5). *Præterea jam pridem vulgavit Rochexius et nuperrime ex ipso originali exemplari Societas regia Taurinensis* (6) *ipsum fundationis diploma, quod Abbo, filius Felicis, patricius Francorum, monasterium condens, scribendum curavit* sub die tercio Kal. Februari anno quinto regnante Domino nostro E Theoderico rege in indictione nona, *id est, die* XXVI *Januarii anni* 726. *Cujus chartæ genuitas confirmatur tum testamento ipsius fundatoris, quod a Cointio, Mabillonio, Muratorio aliisque ex variis exemplaribus editum est et in cujus præambulo annus* 739 *aperte indicatur; tum ipsa Bulla Benedicti VIII, in qua de charta illa fit sermo. Cæterum de anno fundati Novalicii legi potest eruditum opus professoris Casalis de regno Sardiniæ* (7).

non potuerunt occidi a Longobardis, qui sæculo VI has vastarunt regiones;

7 *Atque hinc liquet quam insulse chronographus Novaliciensis perhibeat S.* Justum *et Socios eo tempore interfectos fuisse,* quo pagani Langobardi ipsi Novaliciensem monasterium similiter depopulaverunt; *quantoque insulsius hæc adornarit auctor Passionis Ms. S. Justi et Sociorum, a Turinetto nostro ad decessores missæ. En hujus verba :* Erant enim, *inquit*, isti pagani tres duces Langobardorum, quorum nomina sic leguntur : Amon, Zaban et Rodanus. Qui cum totam Italiam bellis et prædationibus devastassent, capitolium Romæ etiam vi capientes, necnon Cassinum castrum depopulantes cum tota Apulia. Tunc isti tres jam dicti duces Langobardorum cum valida militum manu F Galliam expetunt vastaturi regredientes. Cumque ad urbem venissent Secusinam, Rodanus dux per montem Cinisium tetendit usque Grationapolim. Itaque destructum est sanctissimum Novaliciense cenobium. Amon vero et Zaban, alii duo duces, per montem Genevensem viam carpentes, totam Provinciam agressi sunt, destruentes Ebredunum, Vapincum, Arelatem, Avinionem, Marcilliam et omnes in circuitu civitates; ubi tantam stragem de Burgundionibus fecerunt, quod numerus occisorum colligi non possit. Tunc introitu istorum ducum depopulata est prædicta ecclesia Sancti Laurensii, in qua hodie dicitur Plebemartyrum, quia ibi tunc generale martyrium actum est ; inter quos interfectus fuit quidam monachus nomine Justus, qui justus erat nomine *etc., ut supra num.* 3. Hoc tempore apud Italiam regnabat Alboynus rex Langobardorum. *Hæc pleraque ex S. Gregorio Turonensi* (8) *et Paulo diacono* (9) *deprompta, mirum in modum confusa sunt. Imprimis cædes Burgun-*

(1) Adelaide illustrata, t. II. p. 124. — (2) Pertz, Monum., t. VII, p. 74. — (3) Ibid., p. 96. — (4) Glossar. v° *Monasterium*. — (5) T. II, Martii. — (6) Chartæ. col. 15. — (7) Dizionario Geografico Storico di Sardegna. vol. XII. p. 64, v° *Novalesa*. — (8) Hist. eccl. Franc., lib. IV, cap. XXXVI. — (9) Gesta Longobard. lib. III, cap VIII.

dionum

A *dionum ante Amonis, Zabam et Rhodani adventum obtigit; hi vero anno tantum* 580, *ut Mabillonius scribit, aut* 576, *ut æstimat Muratorius, in Galliam irruperunt; quo tempore non regnabat Alboynus, utpote anno* 573 *interfectus; dein, et quod præcipuum est, a Longobardis sæculo* VI *destrui non potuit Novaliciense monasterium, quum (ut vidimus) anno tantum* 726 *conditum fuerit; adeo ut destructum fuisset* 150 *annis priusquam exsisteret!*

et multo minus sæculo v a Wandalis, qui etiam ad has regiones non accesserunt;

8 *In Ms. Officio Novaliciensi S.* Justi, *ad decessores olim misso, per tres lectiones fit dissertatio quædam ad probandum hunc Sanctum esse fratrem S. Leonis Papæ I; in cujus rei gratiam adstruitur S. Martyrem sub Theodosio II a Wandalis occisum fuisse; ast multo etiam difficilius simile assertum componi poterit cum Novaliciensi ejus monachatu. Cæterum et ex alio capite hanc opinionem aggressus est Papebrochius, ad diem* XXV *Junii de S. Maximo Taurinensi agens. Quum enim auctor Vitæ S. Maximi, sæculo* XI *posterior,* S. Justum *fratrem S. Maximi faceret, animadvertit ille sequentia :* Addidit, *inquit* (1), auctor etiam tertium fratrem, S. Justum Novaliciensem, monachum et martyrem, patro-
B num Secusiensis oppidi, ubi corpus asservatur, inventum circa annum 1029; quo sub ejus nomine erecta ibi abbatia fuit. Verum hunc ego, donec res accuratius definiatur XVIII Octobris, non dixerim occisum a Wandalis, quos sæculo V utramque Galliam, Belgicam et Celticam depopulatos scio: ad Alpes autem penetrasse non credo; sed a Sarracenis occisum conjectarim; iis scilicet qui, occupato sub finem sæculi IX Fraxineto, Provinciam, Sabaudiamque et Pedemontium excursionibus prædatoriis fatigaverunt, annis fere centum, usque ad annum 973, quo eos inde a S. Bobone expulsos ostendit Henschenius ad XXII Maji.

neque intelligitur quomodo incunte sæculo x Ulcii occisi fuissent Novalicienses, quum non Ulcium,

9 *Verum, ut recte ostendit Papebrochius* S. Justum *a Wandalis occisum non fuisse, sic in medias incurrit difficultates, ubi ejus necem Sarracenis tribuendam autumat. Certe Sarracenorum vastationes memorantur a coævis Luidprando et Flodoardo et sæpius in diplomatibus hujus temporis indicantur. Verum Novaliciensis chronographus depopulationem sui monasterii quæ tunc facta est, ita narrat ut planum sit Novalicienses tunc non fugisse Ulcium, ubi* S. Justum *occisum volunt, sed Taurinum. Pauca excerpam :* Circa hæc tempora, *inquit* (2), *videlicet*
C *circa annum* 906, maxima pars Sarracenorum mare navium vehiculis transfretantes, ingressi sunt Fraxinetum ad habitandum.... Audiens itaque Domnivertus abbas profanissimam famam eorum, qui tunc sanctæ Novaliciensi præerat æcclesiæ, nimis pavidus de eorum metu factus, Taurinensi civitate fugere malo suo et nostro curavit cum suis. Erat autem æcclesia in præfata civitate in honore Sancti Andreæ et Sancti Clementis dedicata, ubi hodie dicitur Sanctum Benedictum, scilicet ad portam Sigusinam, quæ longe ante pertinens fuerat de ipsa Nuvaliciensi abbatia.... Discedentibus denique monachis ab ipso cœnobio, statim dirissima gens Sarracenorum occupavere locum. Qui ilico deprædantes universa quæ invenire poterant, concremaverunt omnes æcclesias ac domos universas. Invenerunt siquidem ibi duos senes monachos, qui illic ob custodiam æcclesiarum domorum relicti fuerant; quos arripientes, ad necem usque vulnerantes vapulaverunt.

sed Taurinum fugerunt:

10 *Quæ fuga confirmatur diplomate Hugonis* (3) *regis Italiæ, dato die* XXIV *Julii anni* 929, *et tribus aliis anni* 972, *Belegrimi abbatis Bremetensis* (4), *Joannis papæ XIII* (5), *et Othonis Magni imperatoris* (6). *Et cum ex ultimis his tribus diplomatibus pateat anno* 972 *Novalicium adhuc dirutum jacuisse, sane eo redire non potuit* S. Justus *cum sociis suis, atque inde iterum fugere et Ulcii versari, priusquam ejecti fuerint Fraxineto Sarraceni, anno (ut diximus)* 973. *Ut itaque teneatur* S. Justum *a Sarracenis occisum fuisse nil opportunius occurrit, quam ut dicatur S.* Justus *addictus fuisse ecclesiæ S. Laurentii Ulciensi, ibique cum aliquot sociis degisse, prout in prioratibus minoribus moris erat. Quæ si teneatur sententia, statuendum erit e nonaginta aliis Martyribus plerosque non monachos fuisse, sed, ut habet chronographus,* diversi generis atque sexus, qui ibidem quasi confugium fecerant.

temere traditur S. Justus frater fuisse S. Leonis M. et S. Maximi Taurinensis.

11 *Ex Epitaphio, quod supra apud chronographum obvium fuit, miræ quoque exortæ sunt narrationes. Quum enim id ferret :* Hic jacet Justus monachus frater Leonis, sotius Sancti Petri Veri, *hinc Novaliciensis monachus, sæculo* XI *posterior, hanc in S. Maximi Taurinensis Vita tenuit genealogiam* (7) : Beatus Maximus, doctor egregius et E
confessor Domini gloriosus, regionis Tusciæ et patre Quintiano, ex nobili scilicet Tuscorum sanguine propagatus est. Tres enim fratres ex utroque parente esse dicuntur, scilicet B. Leo primus, Justus cujus corpus requiescit in urbe Secutiensi et B. Maximus. Primus quidem, id est S. Leo, in throno apostolici culminis, sicut honore, ita cunctos doctrina et virtute præibat; secundus, id est S. Maximus, ecclesiam Taurinensem sibi creditam mira providentia gubernabat; tertius vero S. Justus, his duobus non inferior, quod ipsi verbo docebant vita et operibus adimplevit. *Credidit Papebrochius* (8) Leonis *nomini pontificis titulum in epitaphio adjectum fuisse : unde quum S.* Justum *sæculo* IX *interemptum habuerit, æstimavit S.* Justum *fratrem Leonis IV, V, VI, VII aut VIII fuisse : verum quum in epitaphio merum Leonis nomen prodeat, quis universam hanc genealogiam flocci non faciat? Quis vero sit ille* S. Petrus Verus, *cujus socius perhibetur in epitaphio* S. Justus, *frustra inquisivimus : unde alius forsan me audacior fictionis arguet ipsum epitaphium. Verum stylum jam ad se vocat S. Justi translatio.*

F

Stephanus quidam Turonensis detegit S. Justi corpus, quod multa celebritate

12 *Anno* 1654 *Turinettus noster non tantum Passionem S. Justi, sed etiam Translationem et Miracula ad decessores nostros destinavit. Verum hæc nil aliud sunt quam responsoria et versiculi aliquot Officii S. Justi; quæ tamen, quum nil melius præsto sit, edenda videntur : Veniunt primo loco sex Antiphonæ :* I. Cum revelari voluit diu jacens occultus, tunc Stephano *(Turonensi, ut se ferebat)*, innotuit, locus quo fuit sepultus *(Ulcii)*. II. Exhumantur reliquiæ, quas efferunt devote, laudant voce lætitiæ, ad horam sunt immotæ. III. Quas statim ferunt levius, vehunt corpus sacratum, laudat clerus et populus tantum patronum datum. IV. Justum locavit marchio *(Italiæ, et comes Taurinensis* (9) *Maginfredus sive Manfredus Odolricus II)* in urbe Secutiæ, in qua fulsit continuo, ut stella matutina. V. Hic patrantur miracula, ægri cuncti sanantur, cæci, claudi, dæmonia, incommoda fugantur. VI. Hoc sentit urbs Secutiæ, clerus et sæcularis, hoc totus cultus patriæ, gradusque militaris.

13 *His succedunt octo responsoria cum versiculis*

(1) T. V Junii, p. 49. — (2) Ap. Pertz, t. VII, p. 108. — (3) Monum. Patr. Chart., col. 135. — (4) In Chron. Novalic. ap. Pertz. t. VII, p. 122. — (5) Monum. Patr. Chart., col 229. — (6) Ibid., col. 231. — (7) Act. SS., t. V Junii, p. 50. Cfr supra n. 8. — (8) Ibid., p. 49, n. 5. — (9) Bertolotti, R. Casa di Savoia, p. 19.

ad

et crebrescentibus miraculis transfertur

ad lectiones, quæ olim historias dicebant : I ℟. Multis latet temporibus corpus sacratum illud, quod Stephanus Turonicus per visum revelatum cunctis pandit fidelibus, postquam est honoratum. ℣. Involvunt cervæ corio, quam capiunt miraculo; obsequium fert gratum. II ℟. Tunc temporis consilium insigne congregatur, ad quod Justi corpusculum ferentes, divulgatur : claudum curat, dæmonium coram cunctis fugatur. ℣. Cæcus visum recuperat, laudat cœtus et jubilat, a cunctis honoratur. III ℟. Defert cœtus et marchio reliquias sacratas, solemni cum obsequio decenter bajulatas, quas condunt in cœnobio *(Secusiensi)* reverenter humatas. ℣. Mirantur ex gravamine, lætantur ex levamine, laudes prætendunt gratas. IV ℟. Cum adolescens lubricus ad corpus impudenter accederet, quantocius vehementer percussus, visum amisit oculus, quem post reddit clementer. ℣. Hujus compuncta viscera Sancti poposcunt lumina, fundunt pias ferventer præces. V ℟. Dum presbyter blasphemiam ad Sancti contumeliam profert sine timore, statim tactus divinitus, versatur os retrotenus cum cunctorum horrore, verbum et sensus perditur; cum ad domum reducitur, expi-

B rat cum mœrore. ℣. Servus ob Sancti gratiam precatur indulgentiam, sed ferit cum furore. VI ℟. Dum fabrica *(Secusiensis monasterii)* construitur quoddam lignum præscinditur; ad arboris ruinam cadit vir nec extinguitur. Justi virtus exposcitur, adest ad medicinam. ℣. Quidam in præputio collisus, Sancti merito nullam sentit jacturam. VII ℟. Dat fomentum lisciviæ aqua; dum deest oleum, liquor pinguescit; lux paruit obsequio, dum custos stravit cereum, nec sic cera liquescit. Hoc mirando judicio thronum tenere ethereum, nobis sic innotescit. ℣. Ignis hic non extinguitur, nec cereus consumitur; sic laus Sancti clarescit. VIII ℟. Plura patrat miracula, cæcis redduntur lumina, claudique relevantur; percutitur blasphemia, expelluntur dæmonia, furesque verberantur, mutis datur facundia, propulsantur incommoda, divinaque conservantur. ℣. Quo pelluntur periculo, fugit carnis molestia, deformes reformantur. Mortis instante termino, incepto jam liscivio, vires vitæ donantur.

anno 1027 in novum monasterium Secusiense, dein S. Justi dictum.

14 *Multo plura de hac inventione et translatione commemorat Radulphus Glaber, quem inferius exhibebimus. Interea inquiramus quo hæc facta sint*

C *tempore. Ex charta dotationis monasterii S. Justi, tunc temporis Secusiæ a comite Mainfredo ejusque fratre Alrico, Astensi episcopo, conditi, novimus* anno imperii Domini Chunradi imperatoris Deo propicio tertio, nono die mensis Julii, indictione duodecima, *id est anno* 1029, *quo illa charta Taurini confecta est, S. Justi corpus ibidem jam requievisse. Legimus enim illic* (1) : Et ideo omnibus notum sit quia habemus et detinemus ad nostram proprietatem peciam unam de terra intra hanc Secusiensem civitatem positam, ubi basilica in honore Domini nostri Ihu Xpi, et Sancte Trinitatis, Sancteque Mariæ Virginis sive Sancti Michaelis archangeli, seu Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum principis, etiam Sanctorum Johannis Baptiste et Johannis Evangeliste, atque Sancti Mauri Confessoris Xpi necnon Sancti Justi Martyris, UBI EJUS SANCTUM QUIESCIT CORPUS, atque omnium Sanctorum est constructa. *Verum non diu ante illuc transferri potuit, quum Mabillonius* (2) *hujus cœnobii initia ad annum* 1027 *referat, neque aliquid occurrat quod*

D *huic sententiæ opponatur; dein ipsemet Radulphus Glaber translationem illam anno* 1027 *assignare videtur. Quum enim capite* II *libri* IV *historiunculam ad diem* XXVI *Martii anni* 1027 *pertinentem narrasset; capite sequenti, ubi de translatis S.* Justi *reliquiis sermonem instituit :* Fuit enim, *inquit* (3), in præscripto tempore homo plebejus; *et pergit reliquiarum inventionem explicare et translationem. Adde Hugonem Flaviniacensem, ut num. 1 dictum est, eamdem ad annum* 1027 *consignare. Deinceps floruit in Secusiensi cœnobio S.* Justi *cultus; adeoque ab hoc Sancto nomen suum mutuatum est hoc asceterium.*

Ulcii in loco martyrii conditur nova congregatio canonicorum regularium

15 *Ut sæpius dictum jam fuit, repertum est S.* Justi *corpus Ulcii; quocirca religione non caruit hic quoque locus, adeoque occasione retectorum S.* Justi *aliorumque corporum cœnobium ibidem fundatum fuit, quod dein caput factum est congregationis Canonicorum S. Laurentii de Ulcio. Origines hujus cœnobii facile intelliguntur ex diplomate Cuniberti Taurinensis præsulis, a Joffredo* (4) *recitatum. Sequentia ad rem nostram pertinent :* Erat equidem intra fines nostri episcopii locus inter

E Alpes situs, qui Plebs Martyrum nuncupatur, inter Secusiam et Jani montem *, secus ripam Duriæ fluminis, reverentia et religione revera dignus, sed multo tempore incuria et negligentia post persecutionem et desolationem paganorum usque ad nostrum tempus desertus. Postea vero revelatione divina sacerdos quidam, Geraldus nomine, qui postmodum in Sesteriensi * ecclesia episcopus est ordinatus, primum adjunctis sibi Odolrico et Nantelmo, adhuc bonæ indolis puerulo, nunc vero ibidem a nobis sanctæ congregationis præposito constituto, compertis quidem innumeris signis et prodigiis, etiam confinibus loci illius adhortantibus, abrenuncians solo *, divina illustratione compunctus, habitaculum in eodem loco construxit. Pauco autem interjecto tempore, Taurinum ad nos veniens, hujusmodi nobis et canonicis nostris fecit professionem, ut, collata sibi a nobis licentia et auctoritate, tam ipse, quam cæteri, quos divina misericordia aggregasset, ibi omni tempore canonicam tenerent institutionem. Huic igitur tam competenti petitioni gratuito adquivimus; et quoniam inter gelidas illas Alpes, algore nivium et affinium horribili sublimate rupium durus est, et difficilis incolatus et asper, ut vehementiori locus ille suis F

ab incolis ad plenitudinem perfectionis ducatur et affectiori mente atque lætiori semper inhabitetur, de nostræ pietatis et misericordiæ visceribus viatorum immensæ necessitati compatientes.... liberam ac venerabilem canonicam... fieri volumus ac peroptamus. Ideoque fratrum nostrorum canonicorum communi consilio ac voluntate huic sanctæ noviter inceptæ regulari canonicorum aggregationi S. Laurentii Ulciensis et Martyrum præfata plebe, præsenti et futuræ, Deo ibi famulanti, perpetuo donamus.. Factum est hoc anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1065 indictione secunda; datum Taurini.... pridie Kalendas Maji.

* Monginevro.

* Sisteron.

* Sæculo.

circa annum 1050 maxime a Cuniberto Taurinensi

15 *Initia hujus canoniæ refert Helyot* (5) *ad annum* 1050, *quo in Plebe Martyrum Gerardus Caprerius* (6) *seu Charbrerius* (7) *cellulam ædificasset. Lelarge vero hæc habet* (8) : Anno 1053 canonica Ultiensis in Delphinatus et Pedemontium confinio sita ad regularis institutionis forman converti jam cœpta erat. Hinc donum quoddam isto anno assignatum (9) « ecclesiæ B. Petri cum cæte-

(1) Monu m Patriæ. Chart.. col 480.—(2) Annal. Bened. ad an. 1027. —(3) Bouquet. t. X. p. 46.—(4) Storia delle Alpe maritime. Monum. Patr., t. IV. col. 341.—(5) Hist des Ordr. relig., t. II, cap. x. p. 75.—(6) Gallia Christ., t. I, col. 483.— (7) Hélyot. t. II. p. 75. — (8) De ord. canon. regul., p. 340.—(9) Ap. Guichenon, Biblioth. Sebus. Centur. 1, cap. LXXXVIII.

» ris

A » ris Apostolis et ecclesiæ S. Laurentii Martyris in » loco, qui dicitur Plebem Martyrum, et canonicis » in supranominatis ecclesiis regulariter viventi» bus. » *Verum quum in charta Cuniberti anni* 1065 *legatur Gerardus* primum sibi adjunxisse *præter Odolricum* Nantelmum adhuc bonæ indolis PUERULUM, nunc vero ibidem, *ait Cunibertus*, a nobis Sanctæ Congregationis præpositum constitutum; *quum insuper inter Gerardum, anno* 1060 *in Concilio Avenionensi Sistaricensem episcopum creatum* (1), *et Nantelmum nullus inveniatur præpositus intermedius, adeoque Nantelmus anno* 1060 *præposituram adeptus dicendus sit; hinc fit ut planum crederesit Gerardum cum puerulo Nantelmo Ulcium accessisse circa annum* 1040. *De fundatore etiam lis est. Bourchenu* (2) *fundationem tribuit comitissæ Secusiensi Adelaidæ propter multas donationes ab anno* 1057 *usque ad* 1098. *Contra Ughellus* (3) *fundatoris titulum tribuit Cuniberto Taurinensi propter diploma anni* 1065. *Equidem arbitror Gerardum cum sociis occupasse Ulcium, utpote locum derelictum, absque ullius licentia; eosque ibidem initio opera manuum vel forte ex patrimonio victitasse; dein vero auctos fuisse piis aliquot donis,* B *donec anno* 1065 *Cunibertus in eos transtulit ipsius Ulciensis ecclesiæ rudera et circumjacentem agrum; quæ sibi olim subdita fuisse asserentes audivimus Novalicienses in Chronico.*

anno 1073 conservatur ibidem ecclesia.

17 *Crevit in dies loci illius celebritas, nempe ex illis* innumeris signis et prodigiis, *ab episcopo Taurinensi memoratis; et dum anno* 1073 *nova ibidem ecclesia consecrata est, accurrerunt fideles ex variis partibus, ait Joffredus* (4), *maxime ex Alpibus maritimis et Cottiis et ex diœcesibus Ebredunensi et Taurinensi. Nec vero sola veneratione erga locum sanctum, sed exemplo etiam principum et prælatorum movebantur. Hos inter Guigo comes Albonensis, Gratianopolitanus et Viennensis, eodem peregrinatus est: verum cum ad Brianconense castrum in Ebredunensi diœcesi pervenisset, morbo gravissimo correptus, parum abfuit quin supremus ei dies obtigerit. Impetravit demum a Deo sanitatem, fors, inquit Joffredus, ob insignem liberalitatem quam erga eamdem ecclesiam demonstravit. Pauca ex ejus diplomate hic excerpenda sunt:*

et novæ fiunt donationes.

18 Ego Guigo comes in Dei nomine dono, atque dando confirmo de hæreditate mea, sicut ego possideo, medietatem unius mansi, quæ est in villa C quæ Ulcis vulgo dicitur, qui fuit Martini Balbi, sacrosanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est ædificata juxta basilicam S. Laurentii Martyris de Plebe Martyrum, et quæ modo est consecranda a catholicis episcopis, et ita pro amore Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, sive pro redemptione animæ meæ, seu animæ patris mei vel parentum meorum concedo hoc sponsalicium vel dotalicium supermemoratæ ecclesiæ, quæ, ut diximus, modo est dedicanda in honore Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, atque S. Johannis Baptistæ et omnium Apostolorum sive S. JUSTI MARTYRIS QUI IN EODEM LOCO PRO DEO OCCISUS FUIT CUM ALIIS NONAGINTA MARTYRIBUS, atque S. Nicolai, seu S. Sebastiani, confirmo et corroboro, ut firmiter maneat et ipsi pro me ad Deum intercessores fiant... Ego Guigo comes, qui, infirmitate detentus in Brianconi castro, ad consecrationem illam non possum ire, *etc. Idem Guigo confirmavit donationes suas et novas obtulit Alberto Præposito Ulciensi anno* 1105, *recordatus scilicet se ante annos triginta sanitatem consecutum* in Brianzono castro, cum jam esset in articulo mortis positus. *Qui plura de Ulcienci præpositura et congregatione cupiat, adeat Pennottum, Hélyot, Bourchenu, Joffredum aliosque.* E. C.

Quæ faveant cultui SS. Justi et Sociorum.

19 *Nostrum vero jam est ea omnia in unum colligere quæ faveant cultui SS.* Justi *et Sociorum. Circa annum itaque* 1027 *extraneus quidam, qui se nomine Stephanum, patria Turonensem ferebat, detexit corpus quoddam Ulcii, in loco, qui certo aliquando vastatus fuit, et qui ab antiquo tempore dicebatur Plebs Martyrum; detectum fuit et aliud corpus, et epitaphia sub capitibus reperta: unde* Justi et Flaviani *innotuerunt nomina. Ante medium sæculum* XI *asseruit chronographus Novaliciensis vocabulum Plebis Martyrum ex horum martyrio ortum; idem affirmavit comes Guigo anno* 1073. Justi *corpus revera corpus viri sancti fuisse crediderunt marchio Maginfredus ejusque frater Alricus, Astensis episcopus, fundatores Secusiensis monasterii: qui ambo de egregia sua prudentia laudantur a Guilielmo Aquitaniæ duce, scribente ad Leonem, episcopum Vercellensem, de deponendis Italiæ episcopis:* Non laudavit, *inquit* (5), mihi hanc vituperabilem conditionem prudens marchio Maginfredus, E nec frater ejus Alricus bonus episcopus, quorum me sanissimo plerumque uti consilio numquam pœnituit, quos supra omnes Italos præstantioris ingenii, fidei et bonitatis esse censeo. *Quin imo ipse Radulphus Glaber* (6) *appellat* Mainfredum marchionum prudentissimum. *Præterea anno* 1073, *postquam terra multum fossa et cavata fuisset, ut nova exstrueretur basilica, innotuerunt alii nonaginta Martyres, teste charta Guigonis Viennensis comitis. Præterea hi plerique admiranda memorant prodigia ad confirmandum reliquiarum veritatem.*

Radulphus Glaber, cujus fides flocci facienda non est.

20 *Verum alia omnino occinit Radulphus Glaber, cujus opus historicum maximi factum fuit a cardinalibus Bona et Baronio, sed nunc non tanti. Plurimum enim eum vellicaverunt scriptores præstantissimi; ex quibus appellare sufficiet de la Curne de Sainte-Palaye* (7), *D. Rivet* (8), *D. Bouquet* (9) *et cl. v. Waitz* (10); *verum quamquam valde ab eis vapulet, a nemine tamen mendacii incusatur; imo de sua laudatur sinceritate. Præ cæteris audiatur nuperrimus ejus editor cl. v. Waitz:* Verumtamen, *inquit* (11), quæcumque ipse vidit aut a coævis F accepit, fideliter in schedas retulit, animo satis candido et justo sæculi genium descripsit, moresque depravatos coloribus vividis pinxit. *Quibus monitis, lectoris judicio jam subjicio Radulphi Glabri narrationem, cui ipse titulum fecit:* Quod peccatis hominum exigentibus, Domino permittente, a nequam spiritibus aliquando fiant miracula.

contendit revelationem reliquiarum esse figmenta cujusdam nequam.

21 Divina igitur auctoritas per Moysem Judæis prolata, taliter illos monuit, dicens: « Si fuerit, » inquit (12), propheta inter vos, loquens in nomine » alicujus deorum gentium et prædixerit quid» piam futurum, et fortuito evenerit, non credatis » ei, quoniam tentat vos Dominus Deus vester, ut » sciat si diligatis eum, an non. » Habemus ergo in præsentiarum in re dissimili non dispar exemplum. Fuit enim præscripto tempore homo plebejus mangonum callidissimus, ignoti tamen nominis et patriæ, quoniam pro diversitatibus locorum fraudulenter quærens latebram ne agnosceretur, fraudulenter

(1) Gallia Christ., t. I, col. 483. — (2) Hist. du Dauphiné, t. II, p. 8, edit. 1721. — (3) Italia sacra, t. IV, col. 1039. — (4) L. c., col. 348. — (5) Guilielmi epist. v. ap. Bouquet, t. X, p. 484. — (6) Ap. Bouquet, tom. cit., p. 45. — (7) Mémoires de l'Académie des inscriptions, t. VIII, p. 549 et seqq. — (8) Hist. lit. de France, t. VII, p. 410 et seqq. — (9) Recueil, t. X, præf., p. XIII et seqq. — (10) Ap. Pertz, Monum., t. VII, p. 48 et seqq. — (11) Ibid., loc. cit. — (12) Deutor. 13.

B. C. imponebat sibi vocabula, vel de qua foret provincia. *(Turonensem se tunc temporis dicebat. Cfr supra n. 12 et 13.)* Effodiebat quoque e tumulis clancule ossa evellens a cineribus nuperrime defunctorum hominum; sicque imposita in diversis apophoretis *(seu feretris)*, venditabat apud plurimos pro Sanctorum Martyrum seu Confessorum reliquiis. Hic vero post innumeras hujusce illusiones in Galliis patratas, perfuga venit ad loca Alpium, ubi persæpe brutæ gentes inhabitant, habentes in arduis plurima domicilia. Ibi nempe se Stephanum nuncupavit, qui alias Petrus, alias Johannes dictus fuerat. Illic ergo more solito noctu colligens a loco abjectissimo ignoti ossa hominis, quæ posuit in cassella et feretro, dicebat sibi angelica ostensione revelatum fuisse *(Cfr num. 12)*, quem fingebat esse Sanctum Martyrem nomine Justum *(eumdem scilicet quem Bellovacenses et Autissiodorenses jam pridem colunt)*.

miracula diabolica esse, 22 Mox quoque vulgus, ut se in talibus habere solet, ignavum quicquid rusticanæ plebis fuit, totum ad hanc famam confluit; pœnitet insuper si non est sibi morbus, quo curari deposcat. Tunc ducit debiles, confert munuscula, pervigil tenet B excubias, præstolans repentina fore miracula; quæ, ut diximus, aliquotiens permittuntur fieri a malignis spiritibus tentatorie, peccatis hominum præcedentibus: quod tunc procul dubio evidentissime claruit. Multimodæ quippe membrorum reformationes ibidem visæ sunt exstitisse, ac insignia pendere oscellorum multiformia; nec tamen Moriannæ, vel Utzeticæ, seu Gratinonæ urbium præsules, in quorum diœcesibus talia profanabantur, diligentiam hujus inquirendæ rei adhibuere: quin potius conciliabula statuentes, in aliquibus nihil aliud nisi inepti lucri quæsitum a plebe, simul et favorem fallaciæ exigebant.

Mainfredum et multosepiscopos fuisse deceptos: 23 Interea Mainfredus, marchionum ditissimus, hujusmodi famam comperiens, misit e suis, qui vi rapientes illud, quod colebatur simulacrum, sibi deferrent, quem æstimabant Martyrem venerandum. Cœperat enim isdem marchio constituere monasterio in Seutiæ castro *(Cfr num. 14)*, quod est antiquissimum inter Alpes, in honore Dei omnipotentis, ejusdemque genitricis Mariæ semper virginis: in quo etiam post expletionem operis illum cum aliis quam plurimis Sanctorum pignoribus locare decreverat. Post paululum quoque C completo ecclesiæ opere, statutoque dedicationis die, accersitis episcopis in gyro degentibus, cum quibus etiam sæpe nominatus abbas Willelmus *(Divionensis Sancti Benigni)*, nonnullique abbates affuerunt. Erat autem tunc ibi prædictus mango, jam dicto marchioni percarissimus effectus, quippe quoniam spondebat se multo pretiosiora Sanctorum pignora in proximo revelaturum *(et quidem anno* 1073 *jam nonaginta detecta fuerant, cfr num.* 18), quorum scilicet gesta et nomina atque passionum certamina, ut cætera, fallaciter confingebat.

a se incredibilia audita esse ex ore istius vafri. 24 Qui cum a doctioribus quibusque interrogaretur, qualiter taliter pernosceret minus verisimilia blatterans personabat: nam et egomet cum sæpius nominato abbate illuc deveniens intereram. Ajebat namque: Apparet, inquiens, mihi noctu Angelus narratque ac docet quæcumque me velle scire noverit, et tamdiu apud me manet, usque- D dum ego recedere compello. Cum vero ad hæc respondentes sciscitaremus, an vigil seu in somnis hoc cerneret, subjunxit: Per singulas pene noctes eripit me Angelus e lectulo, uxore mea ignorante; qui post multa colloquia salutans me atque deosculans recedit. Nos quoque expoliatum calliditatibus intelligentes mendacium, cognovimus virum non angelicum, quin potius fraudis ac malignitatis ministrum. Præterea pontifices rite peragentes, ob quam venerant, ecclesiæ consecrationem, intromiserunt cum cæteris reliquiarum pignoribus ossa illius profani astu adinventa: non tamen sine magna utriusque plebis exaltatione, quæ innumerabilis illuc convenerat. Contigit ergo ista fieri die XVI *(immo* XV, *ut patet ex die cultus utriusque* Justi) Kalendarum Novembrium. Iccirco nempe quoniam fautores hujus erroris asserebant esse eadem Justi Martyris ossa, qui eo die Belvaco Galliarum passus urbe: cujus etiam caput Autissiodoro, ubi natus et nutritus fuerat, relatum est et habetur.

25 Sed ego, qui rei novitatem noveram, frivolum quod dicebatur asserebam: elegantiores tamen virorum personæ, cognoscentes figmenta E fallaciæ, fidem dabant assertioni quam protuleram. *(Cfr num. 13, ubi presbyter apparet, a Radulphi stans parte.)* Nocte denique insecuta, visa sunt a quibusdam monachorum seu aliorum religiosorum monstruosa in eadem ecclesia phantasmata atque a locello, quo inclusa habebantur ossa, formas nigrorum Æthiopum exisse, necnon ab ecclesia recessisse. Et licet plures sanæ mentis detestabile figmentum abominandum clamarent, vulgus tamen rusticanæ plebis mangonem corruptum injusti nomen pro justo venerans, olim in suo permansit errore. Nos autem iccirco ista retulimus, ut a multiformis dæmonum seu humanorum errorum, qui in orbe passim abundant, præcipue in fontibus seu arboribus ab ægris incaute veneratis caveatur. *et prudentiores sibi consensisse:*

26 *Secundum Radulphum itaque persuasit ille peregrinus Mainfredo ejusque fratri Alrico ossa monachi* Justi *esse ejusdem Justi, quin in multis Galliæ partibus colebatur et de quo nil præter nomen noverant Taurinenses: quæ confusio quam absurda esset ostendit Radulphus vel ex eo quod Belvaci obiisset martyrium et caput ejus servaretur* F *Autissiodori. Hæc ejus sententia: quæ non tantum ut initio vidimus, placuit Baronio, sed et aliis quoque egregiis scriptoribus; ex quibus ego unum appellabo Mabillonium* (1), *virum æque doctum ac moderatum. Cæterum, propositis utriusque sententiæ argumentis, ipsum judicium auctoritati ecclesiasticæ permittimus: ad eam enim solam pertinet ex diptychis liturgicis expungere nomina, si quæ forte illegitime instrusa sint; donec vero id fiat, nostrum est de iis dicere, quoniam opus nostrum omnes complectitur Sanctos et Beatos, qui per universum orbem coluntur; et penes nos arbitrium non est utrum recte colantur an secus. Atque hæc eo potiori jure hic nobis profitenda sunt, quod, ut huic synopsi historicæ præfabamur, nil determinare volumus, nec possumus in tanta coævorum documentorum pugna.* *quæ nos permittimus ecclesiasticæ auctoritati.*

(1) Annal. Bened., lib. LVI, n. 24, t. IV. p. 311.

A D

DIES DECIMANONA.

SANCTI, QUI XIV KAL. NOVEMBRIS COLUNTUR.

Sancti Ptolemæus, Lucius et alter eorum Socius Martyres Romæ.

S. Maximus, Levita et Martyr Aquilæ in Vestinis.

SS. Beronicus, Pelagia et alii XLIX Martyres Antiochiæ
B **in Syria.**

S. Varus miles et socii ejus ascetæ, Martyres in Ægypto; ac S. Cleopatra vidua cum filio suo Confessore in Palæstina.

S. Eusterius, Episcopus Salernitanus Confessor in Italia.

S. Gratus, Episcopus Oloronensis Confessor in Gallia.

S. Levangius seu Livanius, Episcopus Silvanectensis Confessor in Gallia.

S. Lupus, Episcopus Suessionensis Confessor in Gallia.

S. Veranus, Episcopus Cavellicensis Confessor in Gallia.

S. Ethbinus, Abbas Confessor in Hibernia.

S. Aquilinus, Episc. Ebroicensis Confessor in Gallia. E

S. Desiderius, Abbas Confessor in Gallia.

S. Theofredus, Abbas Calmeliacensis Martyr apud Velaunos in Gallia.

S. Frideswida, Virgo Oxoniæ in Anglia.

S. Laura Vidua Martyr Cordubæ in Hispania.

B. Thomas Helias presbyter in Normannia inferiori.

S. Petrus de Alcantara, Confessor Arenis in Hispania.

C F

PRÆTERMISSI, ET IN ALIOS DIES RELATI.

Translatio Sanctæ Austrebertæ Virginis Pauliacensis Abbatissæ. *Ita Saussaius et Arturus in Gynecæo. Taruano Morinorum in Belgica II, præclarissimis orta natalibus, sancta Virgo, Portensis primum cœnobii juxta Somonam amnem Præposita, dein Pauliacensis in Normannia fuit Abbatissa. Martyrologium Romanum meminit* in pago Rhotomagensi sanctæ Austrebertæ Virginis, miraculis celebris x Februarii.

S. Sciahdustes *(ita Persis scribitur et* amicum regis *significat) qui a græcis* Sadoth *vel* Sadoch, *a Cophtis* Zaduk *nuncupatur, Seleuciæ et Ctesiphontis in Perside Episcopus cum* sociis CXX. *MM. in Menæis græcorum* (1) *ad hunc diem* XIX *Octobris commemoratur, dum apud alios ejus, et quidem cum Sociis* CXXVIII, *mentio occurrit die* XX *Februarii, quo et in Romano Martyrologio colendus indicitur, et majores nostri acta ejus ex græco versa ediderunt. Postea vero Stephanus Evodius Assemani archiepiscopus Apamensis* SS. Sciahdustis et centum viginti octo Sociorum Martyrium *ex primigenia phrasi Chaldaica Actis suis inseruit* (2), *quod cum nostris quoad substantiam satis concordat. Præcipuum fere discrimen est, quod apud nos referantur* consummati vigesimo mensis Februarii *dum juxta textum Chaldaicum* illustris iste Sanctorum chorus coronam adeptus est Luna vigesima Februarii. *Et additur:* Beatus autem Sciahdustes vinculis onustus ad Huzitarum provinciam in urbem Lapetam perductus, ibique data carnifici cervice, pro Christo in beata sua spe fortiter occubuit. *Quæ apud nos ita redduntur:* Athletam vero victorem et Episcopum Sadoth in aliam regionem, Bethusam dictam, in urbem Bethla-

(1) Act. SS., t. III Febr., p. 177. — (2) Act. SS. Martyrum Orient. et Occident., part. I, p. 88 et seqq. Edit. Romæ 1748.

pat vinctum duxerunt, ibique caput ejus amputarunt. *Notat Assemani:* Huzitarum provinciam perperam Metaphrastes vocat Bethusam, ut et Lapetam ejus urbem Bethlapat (1). *Hæc autem hic ideo adscripsimus, ut videatur Acta nostra, licet quoad substantiam concordent, tamen ex textu Assemaniano in nonnullis emendari posse. Præterea chronotaxis a Bollando admissa impugnatur. Cum enim laudatus Assemani* (2), *ex Agathia Scolastico aliisque rerum Persicarum scriptoribus deduxisset, persecutionem sub Sapore II cœptam, non anno* 343, *ut S. Hieronymus scribit, sed jam anno* 340; *concludit in* Admonitione (3), *S.* Sciahdustem, *cum sociis martyrio coronatum, mense Februario anni* 342, *ubi Bollandus annum habet* 345. *Et re quidem vera, si cœpta sit persecutio, quo vult Assemanius anno, recte etiam martyrii tempus ab eo determinatur. Hujus loci non est quæstionem chronologicam longius prosequi; sufficiat monuisse, judicio eruditi Fr. Hieremiæ a Bennettis* (4), verius *Assemanium* arguisse *contra Petavium, Ruinartium, Bollandum, Pagium etc. Quod autem ad diem spectat, diximus supra apud nos* diem, *juxta textum Chaldaïcum,* Lunam *poni* XX *Februarii. Jam vero, juxta Assemanium, incidit, anno Christi* 342, *in diem* VIII, *Luna* XX *præfati mensis* (5). *Scilicet Assemanius dies lunares ad solares redegit assumendo ex Tabulis ordinariis* (6) *epactam anni sequentis. Epactæ autem litteram Martyrologii singulorum annorum ordinant, ex qua luna pro singulis diebus habetur. Jam vero annus* 342 *habet epacta* » XI, *cui respondet littera Martyrologii* l; *atque in diem* VIII *Februarii occurrit isto anno luna* XX. *Cæterum poterit ratio calculi Assemaniani alibi latius explicari. Vide etiam Bennetti* (7). *De S.* Sadoth *seu* Sciahduste *egimus* XX Februarii.

Centula monasterio, Dedicatio Orientalis cryptæ in honorem S. Mariæ et S. Richarii sacerdotis gloriosi. *Ita ad hunc diem* XIX *Octob. legitur in Ms. Martyrol. Centulensi. Quæ huc spectant reddita fuere in Actis S. Gervini abbatis Centul., cui præfata* Dedicatio *in acceptis refertur* III Martii.

Translationis SS. Emetherii et Celedonis seu Celedonii *MM. Calagurritanorum, in Hispania, meminit Tamayus, quando scilicet sacra eorum pignora ad urbem Cardonensem solemniter deportata fuerunt. Eorum Acta, ubi et de hac quoque* Translatione *sermo est, dedimus* III Martii.

S. Winwaloeius Abbas. *Ejus memoria hac die agitur in Menologio Benedictino Bucelini et in Martyrologio Cherleano, una cum S. Ethbino:* In Hibernia Sanctorum Ethbini et Winwaloci abbatum. *Vide infra Acta S. Ethbini Com. præv. num.* 20 *et seqq., ubi inquirimus quis sit Winwaloeus S. Ethbini magister. Cæterum de quodam S. Winwaloco, cujus aliquam Hugo Menardus notat Translationem ad* I *Augusti, egimus* III Martii.

S. Eusebius Cremonensis, Confessor, *memoratur hodie, apud Castellanum* in Bethleem Palestinæ. *Ille est, cui S. Hieronymus Commentaria in Jeremiam et Matthæum dedicavit. Actum de eo, sicut et de celebri ejus Veneratione (quæ hodie potissimum recolitur) Bethleemitica fuit* V Martii.

Roberti Casæ Dei abbatis Elevatio *hodie alicubi memoratur. Ejus acta dedit Henschenius* XXIV Aprilis.

S. Amabilis, Abbas Arvernensis et Confessor. *Ejus memoria hac die recolitur in Martyrologio Benedictino. Olim,* uti etiam hodie, *ait Papebrochius, idem obtinebat Riomagi in majori ecclesia. Cum tamen non sit dies Obitus (hic enim in ipsas Kalendas Novembris incidisse dicitur); oportet ut sit dies primæ vel secundæ Translationis. Accessit, sub annum* MCCCLXXV, *Festivitas alia,* III *Idus Junias, estque nunc præcipua. Propterea de S.* Amabili *egimus* XI Junii.

S. Similianus Confessor episcopus Nannetensis. *Scilicet ad diem* XVI *Junii, inter* Prætermissos *notavit Henschenius:* si probetur cultus sacer Abbatis *(Similiani)* poterit agi de eo cum S. Ethbino discipulo XIX Octobris. *Confer itaque Acta S. Ethbini a nobis hoc die illustrata* (8), *ubi demonstramus Similianum abbatem a nonnullis confusum cum Sancto Episcopo Nannetensi ejusdem nominis; addentes nihil nos reperisse, quo illius cultus sacer probetur.* S. Similiani Nannetensis *Acta vide* XXI Junii.

S. Mnasonis et Sociorum *fit hodie memoria apud Bandinium* (9). *Scilicet in* Bibliothecæ Mediceo-Laurentianæ Catalogo, Pluteo VI, *recensetur Codex XVIII, quem Bandinius* antiquissimum præstantissimumque *vocat,* tum ob ea, quæ nondum vulgata præ se fert; tum ob ea, quæ vel edita, non satis nota sunt. *Hujus Codicis pag.* 5, *habetur* Συναξάριν σὺν Θεῷ ἀρχόμενον ἀπὸ μηνὸς Σεπτεμβρίου μέχρι μηνὸς Αὐγυστου Synaxarium cum Deo, incipiens a mense Septembris usque ad mensem Augusti, *ubi præfata legitur memoria, quæ eadem, nisi quod* Masom *scribatur, occurrit in* Supplemento *nostro Ms.* ad Menæa Græca excussa, *ex Ms. Synaxario P. Sirmondi et Ms. P. Chiffletii. Sic etiam in Kalendario Ostromiri,* Slavicorum omnium longe antiquissimo, *inquit Bartholomæus Kopitar* (10), *habetur ad* XIX *Octobris:* Passio S. M. Mnosonis episcopi Cypri, et qui cum eo. *Acta dedimus* XII Julii.

Joël propheta *notatur in Menologio Græcorum, jussu Basilii imperatoris græce olim edito, et postea græce et latine, Romæ excusso* 1727, *curante cardinali Albano:* Commemoratio sancti et gloriosi prophetæ Joelis. *Eadem commemoratio reperitur in Menologio Sirleti, in Ephemeribus græcis tum ordinariis tum metricis, item in Tabulis Possevinianis* (11), *Capponianis* (12), *et Papebrochianis* (13). *Unde apparet hunc diem* XIX *Octobris, in ecclesia græca sancto Prophetæ solemniorem esse, utpote cui ejus mors innectitur:*

Ἔννεα καὶ δεκάτῃ μόρος ἀμφεκάλυψεν ΙΩΗΑ.

Mors decima nona Joëlem sustulit orbi (14). *Cum tamen Joël et Esdras simul annuntiantur ad diem* XIII *Julii in Martyrologio Romano, de utroque apud nos actum est* XIII Julii.

S. Bimerius Episcopus *in opere nostro occurrit inter* Prætermissos *ad* VIII *Junii, hac cum notatione:* illic XIX Octobris, aliis XVII Junii. *Posteriore hoc die Acta commentatus est Papebrochius. Qui autem fiat, ut modo* Cremonensis *modo* Amerinus *dicatur, elucet ex Martyrologii Romani annuntiatione, quæ sic habet* XVII *Junii:* Ameriæ in Umbria, Sancti Himerii Episcopi, cujus corpus

(1) Act. SS. Martyrum Orient. et Occident., part. I, p. 92. — (2) Ibid in *Præfatione*, p. LXXV. — (3) Ibid., p. 84. — (4) Chronologia et Critica historiæ profanæ et sacræ, t. IV, part. I, p. 493. Edit. Romæ 1767. — (5) Assemani. ubi supra, p. 92. — (6) Vide. L'art de vér. les dates, in Chron. tab. — (7) Chronologia et Critica, t. IV, part. I, p. 480 et seqq. — (8) Commen. præv., n. 17 et 18. — (9) Codd. Græci, t. I, p. 130. — (10) Glagolita Glozianus id est Codicis Glagolitici λείψανον (reliquiæ). Vindobonæ 1836. p. LXI et LXIII — (11) Antonii Possevini Apparatus sacer., t. II, p. 365. Edit. Coloniæ Agrip. 1608. — (12) Apud Assemanum: *Kalendaria ecclesiæ universæ*, t. V, p. 308 et 309. Edit. Romæ 1755. — (13) Act. SS., t. I Maii ab initio: *Ephemerides Græco-Moschæ*, p. XLVIII. — (14) Act. SS., ubi supra, p. XLV.

Cremonam

A Cremonam translatum est xvii Junii.

SS. Mauri Episcopi, Pantaleemonis, et Sergii Inventio, *teste Ferrario in Catalogo Generali, celebratur hodie Vigiliis in Apulia. Inventio hæc (quæ secunda est: duplex enim distinguitur) contigit anno* 1475, *teste Paul. Reg. in* i *Parte de SS. regni Neapolitani, licet pro Pantaleemonis, Pantaleonis habeat, putetque eum esse Pantaleonem, qui Nicomediæ passus est. Quidquid sit, Acta tum trium Sociorum, tum Pantaleonis Nicomediensis vide in opere nostro ad diem* xxvii Julii.

Amatus, *inquit Hugo Menardus in Indice,* xiii *Septembris*; Elevatio xxviii *Aprilis*; Translatio xix *Octobris. Ejus Acta proinde veniunt* xiii Septembris.

Item Alterius S. Amati, Abbatis Luxoviensis et Confessoris *meminit codex Greven inter Usuardi Auctaria apud Sollerium nostrum. Duos amatos perperam distinguit Trithemius, Luxoviensem alterum, alterum Montis Romarici; cum S.* Amatus *primum fuerit monachus Agaunensis, dein Luxoviensis; ac tandem Abbas et fundator Montis Romarici, seu Habendensis in Lotharingia. Unde* B *perperam quoque annuntiatur Abbas Luxoviensis. Ejus Acta vide* xiii Septembris.

Andegavis Translatio Maurilii *notatur in Martyrologio Gallicano Saussaii. Egimus de S.* Maurilio xiii *Septembris, quo die annuntiatur in Martyrologio Romano* xiii Septembris.

SS. Januarii, Sosii, Proculi, Euticetis, Acutii, Festi et Desiderii *mentio fit ad hunc diem in Martyrologio Richenoviensi apud Sollerium. Iidem Martyres vel ex eis aliquot, sed minus nitido passim ordine, recensentur etiam in aliis codicibus Hieronymianis et quibusdam Auctariis Usuardinis. Confer Florentinium* (1). *Videantur etiam quæ de hac re observavimus in* Prætermissis *diei præcedentis, et quæ Stiltingus noster de hisce Sanctis scripsit ad diem* xix Septembris.

Commemoratio sancti Meletii episcopi Cypri. *Ita ad* xix *mensis Tesrin (Octobris) in* Synaxario anni *seu Kalendario Sanctorum, pro quibus evangelicæ lectiones assignantur, a Kalendis mensis Septembris, a quibus anni ecclesiastici initium græci Melchitæ urcessunt, ad Augustum inclusive. Vide Angelum Majum in* Scriptorum veterum nova collectione, *ubi de codicibus Arabicis Biblio-* C *thecæ Vaticanæ* (2). *De S. Melitio egimus* xxi Septembris.

S. Geremarus abbas Flaviacensis et Confessor. *Ejusdem recurrit annuntiatio in Auctariis Usuardi* xxi, xxiii *et* xxiv *Septembris Postremo hoc die ejus Acta dedimus* xxiv Septembris.

S. Ositham V. M. in Anglia *hac die consignat J. Schönleben in anno sancto Hapsburgo-Austriaco, sed dies cultus ad amussim non sequitur. Egimus de ea cum cæteris Martyrologis* vii Octobris.

S. Ludovici Bertrandi, *Ordinis Prædicatorum, hac die meminit Valentiæ Tamayus de Salazar in Martyrologio Hispanico. Ejus Acta dedimus* x Octobris.

S. Bruno, Archiepiscopus Coloniensis *hodie recensetur in quibusdam Sanctorum Germaniæ collectionibus. De S. Brunone Colonien. agitur* xi Octobris.

SS. Alexandri et Victoris MM. *fit mentio in Hagenoyensi Usuardi codice. Proprius eorum dies, quo et Acta illustravimus, est* xviii Octobris.

S. Justi Mart. *natale in territorio Belvacensi, memoratur in mox laudato Usuardi codice apud Sollerium. Ejusdem meminit hac die Martyrologium Autissiodorense. De S.* Justo *egimus die præcedenti* xviii Octobris. D

S. Lucæ, Evangelistæ *fit mentio hac die in Auctariis Bedæ*;

Item Asclepiadis Ep. Antiocheni. *Utriusque Acta dedimus heri* xviii Octobris.

S. Austerius, *seu* Asterius. *Nam, ut observat Florentinius,* sive Austerium, sive Asterium S. martyrem presbyterum Romanum dixeris auctores habebis. *Ejus ad hunc diem occurrit mentio in Hieronymianis, in Auctariis Bedæ et Usuardi, sicut et in Appendice Adonis. Nos de eo agemus ad* xxi *Octobris, quo inscriptus est Martyrologio Romano, licet, ut jam notavit Bueus noster in Actis S. Callisti* (3), *id factum probabilius sit ex errore quodam correctorum Romanorum* xxi Octobris.

S. Amatus Episcopus Senonensis et Confessor *notatur hodie in pluribus Bedæ et Usuardi Auctariis, sicut etiam in Martyrologiis Benedictinis aliisque.*

B. Amedeus Monachus et Presbyter, *cognomento* senior, *in Bonavalle Viennensi, memoratur in Kalend. Cisterciensi.* E

Venerabilis Agnes a Jesu, Ordinis S. Dominici. *Obiit Laniaci* (Langeac) *in Galliis, in monasterio sui Ordinis, cum altera vice præesset, anno ætatis trigesimo primo, die* 19 *Octobris* 1634. *Fama sanctitatis, quam vivens adepta erat, post mortem perseveravit, imo et invaluit. Plura ei tribuuntur miracula. Anno* 1698 *cœptus est processus Canonizationis, ipso Rege Ludovico XIV per litteras intercedente apud Clementem Papam XI. Causa hæc pluries interrupta et reassumpta, currente sæculo decimo octavo. Dein rursus de ea serio actum ab anno* 1805 *usque ad annum* 1808, *quo Pius Papa VII, die* 19 *Martii, declaravit constare de heroicitate virtutum* (4).

B. Anonymæ, *sancti Aquilini Ebroicensis Episcopi, cujus hodie Acta damus, uxor. Arturus solus est, qui illius meminerit. Vide Acta S. Aquilini, in quibus laudibus utique extollitur ejus uxor, sed nomen siletur. Ex quo satis apparet cur Anonyma nuncupetur.*

S. Aquilonius, Confessor, *cujus apud solum Castellanum hac die mentionem reperio; qui et ipse aliud non habuit quod diceret, nisi olim cultum fuisse apud Gebennenses.* F

B. Baltazar *frater laicus, Ordinis Minor. apud Calabazanos, oppidum in territorio Palatino. Ejus corpus, post quadraginta sepulturæ annos effossum, integrum est repertum et incorruptum an.* 1530 *vel* 1603.

B. Benedicta Virgo. *In monasterio S. Damiani prima fuit Abbatissa, post decessum S. Claræ. Floruit vitæ sanctitate et miraculis.* Ejus sacrum corpus, *inquit Arturus,* honorifice repositum est Assisii in ecclesia S. Georgii, ubi magna in veneratione habetur. *Nulla tamen ejus fit mentio in Martyrologio seraphici Ordinis.*

S. Bevagius episcopus Silvanectensis et confessor *annuntiatur in Usuardo Greveni. Nomen istud non reperitur in serie Præsulum Silvanectensium. Unde vix dubitari potest eumdem esse cum Levangio, cujus Acta hoc die a nobis exhibita vide.*

B. Cleopatra Vidua, *Edræ in Palestina, prope Thabor. Arturus in Gynecæo. De illa agitur in Actis*

(1) Vetustius occidentalis eccl. Martyrol., p. 927. Edit. Lucæ 1668. —(2) T. IV, p. 46 et 48.—(3) Acta SS., t. VI Octobr., die xiv. Comm. præv., n. 82, p. 426.—(4) Vide Butler. Vies des Saints. Edit. Lovan. 1832. Ad diem xix Octobris.

A *Actis S. Vari et Sociorum, quæ hodie damus.* S. Cronanus, filius Ængussii, filii Cormaci, filii Senachi, filii Davidis, filii Fiachrii etc. 20. Februarii vel 19 Octobris. *Ita Johannes Colganus in Appendice ad Vitam S. Colmani* (1) *capite* II, *ubi catalogum texit* Sanctorum qui ex familia S. Colmani sive domo Hyfiachriorum orti sunt, *numero vigenti et amplius. Addit Bollandus noster in* Prætermissis *ad diem* XX *Februarii* : Nomen nudum Cronani est XX Februarii in Martyrologio Tamlachtensi et Festilogio Gormani, et XXI Februarii Cronanus Kill-Beggiæ. Tamen ad utrumque diem, Cronani non meminit Colganus, forsan daturus meliora argumenta XIX Octobris. *Spes Bollandi frustranea fuit, cum Colganus ultra mensem Martium Acta sua non protraxerit vel saltem prælo non commiserit. Vix enim dubium superesse potest, plura, quam quæ typis edita habemus, ab eo fuisse collecta, quæ, morte ejus interveniente, publici juris non sunt facta, et hucusque frustra ab eruditis præsertim Hibernis conquisita.*

Porro nemo nescit plures Sanctos apud Hibernos Martyrologos reperiri nomine Cronani. Mirum B dictu est, cum in nostris Menologiis memorentur octo Cronani, natalibus distincti ; et octodecim etiam Mochuani, etiam festis distincti ; quod tamen passim reperiatur idem Sanctus, nunc Cronanus, nunc Mochua appellatus. In Martyrologio Tamlachtensi, Gormani et Dungallensi, 28 Aprilis, S. Cronanus de Roscree vocatur *Mochua* : et similiter 22 Junii S. Cronanus Abbas Fernensis appellatur Mochua ; item XXX Martii S. Mochua Abbas Bullensis et S. Mochua de Cluain-Dolcain 6 Aug. vocantur ibidem Cronani *(Tribus posterioribus hisce diebus nempe* XXII *Junii,* XXX *Mart. et* VI *Aug., nulla apud nos Cronani fit mentio ne in* Prætermissis *quidem).* Adde quod apud Keledeium lib. I Homonimorum cap. XIX, numerentur quinquaginta et amplius Mochuani, quorum plerique in prædictis Martyrologiis vocantur Cronani. Originem hujus synonimiæ derivatam existimo ex significatione harum vocum Hibernicarum, *Cron* et *Cua, Cronan* et *Cuan*, quæ videntur idem significare. *Ita Colganus nota 2 in Vitam S. Cronani Abbatis et Martyris* (2).

C *Tres sunt Cronani de quibus in opere nostro hucusque actum fuit. Primus est S.* Mochua *sive* Cronanus, abbas Ballensis, *cujus acta dedit Bollandus* 1 *Januarii, quod ignorem, inquit, quo die obierit. Bollandum exscripsit Colganus et notis quibusdam illustravit et auxit ad diem* 30 *Martii : ast nec hoc die, nec* 1 *Januarii*, *nec alio quovis memoratur in Martyrologio Britannico.*

Secundus est S. Cronanus, qui et Curcanus, Episcopus et Confessor *Incidit in diem* IX *Februarii :* nam hoc ipso die, *ait Colganus,* nostra Festilogia meminerunt S. Cronani Confessoris et Episcopi, cujus plura reperio præconia quam lego gesta. *De eo egit Henschenius noster præfato die, multum contrahens quæ Colganus congesserat, licet hæc jam pauca essent. Confer Lanigan* (3), *qui cum ignota ipsi esset Sedes, eum vocat* a Munster Bischop *verbotenus* monasterii episcopum. *Nihilominus* Martyrologium Britannicum (4), *libellus cæteroquin vere eruditus, in* Supplemento, *ad* IX *Februarii habet :* In Hibernia Festivitas S. Cronani, Lismoriæ episcopi, qui ad Dominum migravit anno 717. *Unde vero sedes,* D *Henschenio et Lanigano ignota, innotuerit, ibidem silentio premitur. Probabilius confunditur cum altero S.* Cronano, Lismoriæ, *ut scribit præfatus Lanigan* (5), Episcopo, et quidem probabiliter immediato S. Colmani successore, defuncto anno 718, cujus memoria colitur 1 Junii. *(Hujus apud nos nulla mentio). Istiusmodi confusio jam facta fuerat a Ware et Harris, licet, juxta Colganum, duo illi Cronani ab invicem distinguendi omnino sint, quod videlicet diverso floruerint tempore* (6). *Et re quidem vera,* Cronanus, *de quo* IX *Februarii, coævus fuit S. Columbæ, qui obiit* IX *Junii an.* 597 (7), *ac proinde ad sæc.* VI *pertinet, ut etiam notatur ab Henschenio nostro ; Cronanus vero Lismoriensis sæculo octavo vita functus est.*

Tertius est S. Cronanus *abbas Roscreensis, cujus in Colgano sæpius occurrit per transennam mentio in tribus, ab eo illustratis, prioribus anni mensibus, cum sibi proponeret Acta ejus ex professo dare ad diem 28 Aprilis; quo die leguntur in opere nostro a Papebrochio adornata. De S.* Cronano *isto satis prolixe agit Lanigan* (8), *juxta quem certum videtur, illum episcopum non fuisse; aliud* E *sentit Papebrochius, subdubitans tamen. Et re quidem vera, in Actis, quæ a Lanigano habentur* Monumentum haud spernendum (respectable and very circumstantial) abbas *dicitur, quin vel levissima de Episcopatu injiciatur suspicio. Hinc quoque in Martyrologio Britannico ad præfatum diem annuntiatur :* Festivitas S. Cronani Abbatis.

Atque tres isti sunt Cronani, de quibus antecessores nostri plus minusve prolixe aut operose tractarunt. Sunt alii, de quibus mentionem nullam habent, ut supra notabamus ; denique sunt, quorum in Prætermissis *meminere. Hujusmodi est S. Cronanus Abbas et Martyr, de quo Colganus* X *Februarii, congessit varia ; quibus tamen haud multum se fidere majores nostri satis aperte declararunt : ita enim, dicto mox die, inter Prætermissos legitur.* S. Cronanus Abbas quidam memoratur a Jo. Colgano, tom II, de Actis SS. Hiberniæ, *sæculo Christi septimo a Nortmannis occisus ;* alio nomine, ut ait, *Mochua de Meliuc* nuncupatus, inque Vita S. Carthagi, cujus traditur discipulus fuisse, F *Mochua filius Mellani.* Citat Colganus hibernensia Martyrologia, nobis ignota. De S. Carthago XIV Maji agemus. *Nec etiam in Britannico Martyrologio ad præfatum Februarii diem* X *ulla fit mentio. Attamen Lanigan* (9) *diserte eum vocat* Sanctum, *ejusque hanc breviter texit historiam. Natus probabiliter est versus annum* 570. *Post plures annos laudabiliter Ratheni sub. S. Carthago transactos, parvo præfectus monasterio fuit* in proximo civitatis Rathen ; *ast simul ei prædixit S. Carthagus* futurum ut illo in loco non resurgeret, sed alio migrandum ei fore. *Quo præcise tempore hæc gesta sint, definiri non potest. Acciderunt tamen, et quidem forte aliquot annis, ante Rathenensis Institutionis Monachorum dispersionem, qua et Cronanum comprehensum fuisse recte supponitur : unde et cum postea in alia Hiberniæ parte, ut prædixerat S. Carthagus, moratum invenimus. Videtur præfuisse ecclesiæ et forte monasterio Glasmoriæ, in comitatu Waterfordiensi; juxta alios rexit monasterium item Glasmoriæ,*

(1) Acta SS. Hiberniæ. III Februarii. — (2) Ad diem X Februarii. — (3) An ecclesiastical history of Ireland. t. II. p. 178 et 179. Dublin, 1829. — (4) A Memorial of antient British piety, or, a British Martyrology. London 1761. — (5) T. III, p. 163. — (6) Ibid., p. 164 et 165. — (7) Ibid., t. II, p. 245. — (8) Ibid., t. III, p. 6-8. — (9) Ibid., t. II, p. 357 et 358.

ast

ast alio in tractu sitæ, nempe prope oppidum Swords, tribus fere leucis (14 kilometris) Dublinio distans. Hæc tamen dubiæ valde sunt fidei, nec alio videntur nixa fundamento, nisi sola nominum similitudine. Subdit Lanigan : Quo anno Sanctus ille mortuus sit, non perhibetur. Ejus memoria colitur Lismoriæ et alibi in Nandeso *(other parts of Nandesi)* die x Februarii. *Observat denique* (1) *Martyrologium Tamlactense, mox dicto die, annuntiare :* S. Cronani, filii Mellain, in Desiis et Lismoriæ; *attamen ex his et similibus locutionibus non efficieum, ut opinatur Colganus,* Abbatem Lismoriæ *fuisse ; sed in solum, scilicet cultum ibidem habuisse. Hæc Lanigan. Ex quibus sequeretur perperam asseri ab eodem Colgano* Cronanum a Nortmannis fuisse occisum, *nec proinde recte a Bollando* (2) Martyrem *vocari; Sanctis tamen annumerandum, utpote qui cultum habuerit variis in locis.*

Rursus, apud nos, VIII *Martii pariter inter* Prætermissos : Conallus et Cronanus, Episcopi et Confessores, de quibus nihil quod dicamus occurrit, nisi in Martyrologio Tamlactensi et apud Marianum Gormanum hac die reperiri *Cronanum de Airdne, id est, abbatem Aranensem* , justa explicationem Colgani, *qui pauca hæc tantum notat* : Quatuor tantum ex nostris Martyrologis, *(Tamlachtensis, Marianus, Maguir et Dungallensis)* tradunt sanctum Cronanum coli hac die (VIII *Martii*) in Ardnensi, sive Araniensi insula, quæ jacet inter fines Australis Connaciæ, et septentrionalis Mumoniæ, quæ Tuamonia appellatur; sed Episcopum non appellant, nec tempus quo floruerit designant. Unde potius abbatem monasterii Arannensis crediderim fuisse, nisi alibi sedem Episcopalem rexerit. Ex multis, quæ in aliorum Sanctorum vitis de diversis sanctis Cronanis lego, non possum quidpiam huic adscribere, ob multitudinem Sanctorum hujus nominis, quibus ea potius attribuenda videntur. *Hucusque Colganus. In sæpius laudato Matyrologio Britannico Sanctus ille non recensetur. Ex quibus apparet, quam confusa necessario sint, quæ de sanctis Cronanis traduntur ; ut jam nemo miretur, tres tantum a prædecessoribus illustratos reperiri; alios vero* Prætermissos, *vel alto silentio pressos. Nec nobis, licet Mss., ad Sanctos Hiberniæ spectantibus, non destituamur, lucem densissimis illis affundere tenebris datum est. Quantum licuit, hic (quoniam opportunior locus non erat) prædecessorum nostrorum lapsus nonnullos notavimus et partim saltem emendavimus.*

Denique ad sanctum Cronanum, *cujus memoria ansam huic nostræ diatribæ præbuit, redeuntes, supradictis hæc coronidis instar adjicimus. Ipse Colganus dubitanter tantum* Cronano *nostro diem* XX *Februarii, vel* XIX *Octobris assignat. Antequam enim Sanctos, ex domo Hyfiachriorum oriundos, enumeret, in hunc modum præfatur :* Dies autem natales, qua licuit colligere et aliquando conjicere, ex Martyrologio Tamlachtensi, ex Festilogio S. Ængussii, Mariani Gormani, Cathaldi Maguir, Martyrologio Dungallensi designavimus. *(Appendix ad vit. S. Colmani c.* II, III *Feb.). Cum itaque nihil certi quoad diem cultus statuatur, nec præterea aliquid memoria dignum tradendum nobis occurrerit, superest ut clariora et certiora expectemus documenta.*

S. Desiderii episcopi *fit mentio in solo Greveni Usuardo. Cum nihil prorsus addatur sive quoad Sedem, sive quoad aliud quodvis vitæ adjunctum, autumari licet annuntiationem hanc vel ex errore vel ex negligentia huc irrepsisse : nisi malueris dicere, ob peculiarem forte quamdam Festivitatem aut Translationem vel Elevationem, agi de sancto aliquo Episcopo ejusdem nominis : plures enim occurrunt : puta* XI *Februarii* XXIII *Maii ; item* XXVII *Octobris etc.*

Eadnothi *seu* Eadnochi *episcopi Dorcestrensis qui anno* 1016 *in prælio Essendunensi, dum preces Deo funderet, cæsus est, mendose meminit Usuardi editio Parisien. anni* 1521 : Eodem die (XVII *Oct.*) Sancti Eadnochi martyris, episcopi Eboracensium. *Exinde, verbis iisdem, Molanus in prima sua editione Lovaniensi anni* 1568 ; *sed in secunda et subsequentibus annuntiatio illa omissa est. Constat Molanum in posterioribus Usuardi sui editionibus varia mutasse, alia delevisse, quod scilicet non satis probata essent* (3). *Eadnothus enim, sive Ednothus, non Eboracensem sed Dorcestrensem, quæ postea Lincolniam translata est, sedem occupavit. Molani auctoritate falsus est Ferrarius in Catalogo generali :* Eboraci in Anglia S. Eadnochi episcopi et martyris. *Vir emendatior Claudius Castellanus in Martyrologio Gallico :* In Anglia sancti Eadnochi *(vernacule* Esneu) qui Eboraci olim titulo episcopi et martyris colebatur. *Eum Eboraci cultum fuisse aliunde non eruerit Castellanus, quam ex Ferrario et Molano ; sed certum est primo nullum hujus aut similis nominis episcopum Eboraci sedisse. Nec etiam hujus nominis præsul Eboracensis occurrit ullus sive apud Goswinum* (4), *sive in* Monastico Anglicano *ubi illius Sedis archiepiscopi recensentur* (5). *Deinde Eadnothus Dorcestrensis, licet ob pietatem sit laudandus, ut mox patebit, in Martyrologiis Anglicanis et in Catalogo SS. amplissimo quem ex tabulis ecclesiarum Angliæ editis et Mss. concinnavit Harris Nicolas* (6), *nusquam occurrit, sicut nec in quovis præcedentium operis Bollandiani tomorum, nec etiam in vere erudito* Martyrologio Britannico (7), *cujus tamen auctor sibi proposuit brevem dare notitiam omnium Britannorum, qui ab antiquo ut Sancti cultum habuerunt, vel aliunde ob peculiarem suam sanctitatem seu pietatem innotuerunt. Addit præterea viros sive in Scotia sive in Hibernia virtute et sanctimonia insignes. Cæterum profitetur usum se esse Martyrologio Joannis Wilson, varia tamen castigando, plurima addendo. Qui Belini editionem Usuardinam Parisiis anno* 1521 *auctiorem dederunt, sua de Eadnocho ex mendosis Chronicorum Angliæ exemplaribus excerpserint. Florentius Wigorniensis ad an.* 1016 *de his qui in prælio apud Assendun vel Essendun ceciderunt :* Eadnothus quoque Lindicolinensis *(rectius Dorcestrensis)* episcopus, Ramesiensis quondam præpositus et Wulfius abbas *(Ramesiensis)* qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente convenerant, interfecti sunt. *Westmonasteriensis quidem ad eumdem annum scribit pugnam factam esse in festo S. Lucæ,* XVIII *Octobris; sed in* Libello de Anniversariis in ecclesia Ramesiensi observatis (8) *hæc leguntur :* Quarto decimo Cal. Novemb. *id est* XIX *Oct.* obiit dominus Eadnothus episcopus, primus abbas hujus loci qui attulit huc S. Ivonem et Wulsin. abb.

(1) T. II, p. 362, not. 218. — (2) Vide Indicem historic., t. II Februar. ad vocem : *Cronanus.* — (3) Nicéron. T. XXVII, p. 341. — (4) De Præsulibus angliæ commentariis. — (5) T. VI, p. 1172 et 1173. — (6) The Chronology of History, 2de edit. 1838, p. 132. — (7) A Memorial of antient British piety, or, a British Martyrology, London 1761. — (8) Monasticon Anglicanum, t. II, p. 566.

id

id est Wulsinum abbat. alias Wulfium, qui simul cum Eadnotho occisus est. Eadnothi corpus quando a loco prælii Rameseiam deferebatur, a monachis Eliensibus retentum est. Quocirca in Historia Eliensi habes integrum caput XIII *libri* II. De Ædnodo Pontifice (1), *ibique breviter, sed magnifice ejus laudibus celebratis, ista de morte et translatione adjiciuntur :* Tandem vero Martyris gloria pro gloriosa conversatione decorandus, in bello, quod fuit inter Ædmundum regem, et Canutum apud Assandum, dum missam cantaret, a Danis Canuti sociis prius dextera propter annulum amputata, deinde toto corpore scisso, interfectus est cum abbate Wlfio, qui, secundum chronicam, ad adorandum Dominum pro milite bellum agente convenerant. Hujus *(Ædnodi scilicet, sive Eadnothi)* corpus cum ad hanc Elyensem Ecclesiam a suis fuisset allatum, ut confestim hinc ad Rameseiam, ubi abbas fuerat, deferretur, Ælfgarus vir Sanctus qui tunc temporis relicto Helmanensi episcopatu hic ex toto se dederat, corpus illud ad augendam loci hujus dignitatem inebriatis custodibus in secreto loco sepelivit, tum quia illum sanctas nostras (ædes, *vel aliud simile supplendum videtur)* valde dilexisse cognoverat, tum quia Martyrem eum esse credebat. Qui et ipse de veteri sepultura inter alios translatus, magno nobis honori habetur. Passus est anno ab incarnatione Domini millesimo sexto decimo et fuit in diebus Ædelredi et Ædmundi regum temporibus. *In Historia Ramesiensi similiter Ædnothus, ut ibi appellatur, diversis locis laudibus effertur* (2), *et ubi de corpore retento a monachis Eliensibus,* fuerunt fratres quidam illius Ecclesiæ *Eliensis, inquit scriptor,* qui ipsa nocte, *qua ad Eliense monasterium delatum est,* lumen cœlitum divinitus super defuncti feretrum asserunt micuisse, cujus assertionis fide, domesticam familiam ad tollendum corpus animabant. Raro siquidem alicujus affectio alienæ unquam utilitati fuit quam suæ propensior, et idcirco venerabilis viri Reliquias nobis, dum sibi consulunt, invidebant; sed quia super horum certitudine vacillamus, nutantem opinionem, quam fama dubia serit, confirmare non audemus. *Ex quibus omnibus et ex iis quæ de Martyrologiis dicta sunt, si eruitur de miraculis et cultu Eadnothi Dorcestrensis episcopi non plene constare, conficietur simul cum sibi amplum locum inter* Prætermissos *vindicare. In episcopatu successit Ethericus et anno* 1034 *alter Eadnothus* junior *dictus, quem nonnulli a seniore, de quo agimus, non distinxerunt, præsertim cum uterque, sicut et Ethericus, ex eodem Ramesiensi cœnobio prodierunt. De seniore in Registro Ramesiensi legitur* (3), *cum per annos* 22 *prioratum gessisse, abbatem electum anno* 993 *post obitum Ailwini fundatoris, episcopum vero Dorcestrensem anno* 1008 *et demum anno* 1016, *ut dictum supra, in Essendunensi prælio fuisse occisum.*

Beata Elizabeta Spalbecana *(a Spaelbeeck)*, Sanctimonialis Herkenrodensis cœnobii, primo lapide ab Hasseleto, Leodiensis provinciæ *(nunc diœceseos tantum, provinciæ vero Limburgicæ in Belgio). Ita Hugo Menardus in* Appendice Altera. *In Gynecæo Arturi memoratur ad hunc diem* XIX *Octobris ; item in Fiseno nostro et Kalendariis Cisterciensibus.* Meditationi, *inquit Arturus,* Passionis Christi sic addicta erat, ut et illius stigmata (ut fertur) in suo corpore tulerit impressa. *Abstinentiæ haud vulgaris fuit. Obiit post medium sæculum decimum tertium. Nullæ illius noscuntur reliquiæ, nec icones videntur in sacris ædibus, nec alia cultus liturgici seu ecclesiastici deprehenduntur vestigia. In populo viget ejus memoria die præcipue* XIX *Novembris, quo etiam occurrit in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Molani. Forte (vix ulla tamen affulget spes) præfato die licebit ejus vitam dare.*

B. Franciscus de Yeppes *Ord. Minor. Toleti, confessor, dono orationis sublimis, apud Arturum.*

Servus Dei Jacobus Graffius *seu ut Bucelinus habet* (4) de Graffiis *notatur in Calendario ecclesiastico Sanctorum Ord. S. Benedicti, edito, ad finem sæculi* XVIII *a monacho Insulæ Danubii (Donauwerd). Bucelinus, loco cit. dicit solum :* Floret in Italia Jacobus de Graffiis nobilis Capuanus. *Unde vel inter* Prætermissos *vix nominari meretur.*

B. Leo Lechensis *Celentiæ in Apulea, confessor Ord. Minorum, apud Arturum.*

B. Ludovica a Vingtimillio, *vidua, Tertiaria Ord. Minor. Catanæ in Sicilia, obiit hac die* 1619. *Arturus in Gynecæo.*

S. Maximi *meminit Castellanus in Supplemento, quem Martyrem Episcopiensem vocat. Est autem Episcopium urbs in Sabinis, vernacule* Vescovo *seu* Vescovo di Sabina. *Non putem diversum esse a S. Maximo Aquilano, cujus Acta, inferius hac die illustrata, vide.*

S. Milonius *memoratur hac die in* Hagiologio Italico *et apud Ughellum. Hic* (5) *inter Episcopos Nepesinos secundo loco numerat sanctum Milonium. Primus fuit sanctus Romanus, martyrio coronatus anno Christi* LI. *Tertius, nomine Eulalius, mortuus dicitur versus annum* CCCCXX. *Inter utrumque habetur itaque intercapedo trium fere sæculorum, quibus alius sedi Nepesinæ haud reperitur præfuisse præter Milonium, de quo hæc apud laudatum Ughellum leguntur :* Sanctus Milonius episcopus Nepesinus et martyr, cujus Reliquiæ anno 1116 reconditæ fuerunt in ecclesia Prænestina sub altari sancti Agapiti per Cononem Episcopum Prænestinum, ut ex marmorea Inscriptione visitur. *Hæc porro Inscriptio ita sonat apud Suaresium :* Anno Dominicæ Incarnationis millesimo CXVI, XVIII Kal. Febr. Indict. X dedicatum est altare et crypta S. Agapiti Martyris, per domnum Cononem Prænestinum episcopum ; in quo videlicet altari requiescunt corpora SS. Martt. Agapiti, Gordiani et Abundii, et reconditæ sunt Reliquiæ SS. Mart. Miliani et Nymphæ (6). *Differt ergo in Inscriptione nomen ; loco* Melonii *legitur* Milianus. *Diserte etiam affirmat Suaresius* (7) *hunc ab illo diversum esse :* Cuno, *inquit, seu* Cono altare atque cryptam sancti Agapiti dedicavit, recondiditque Reliquias sanctorum Martyrum Miliani et Nymphæ, non (ut legit Ughellus) Miliani episcopi et Nepesini. *Præterea nuspiam reperitur mentio de cultu. Nec memoratur a Ferrario in Catalogo SS. Italiæ, nec a quovis alio Martyrologo.*

S. Pelagius *M. Antiochiæ memoratur in Hieronymianis et Parisiensi. De illo agimus hac die in Actis SS. Beronici, Pelagiæ etc.*

Petrus Calaber, Conf. *Ordinis Minorum, notatur in Arturo et Menologio Franciscano Hueberi.* Provinciatus Calabriæ munere præclarissime functus, sanctitate celeberrimus exstitit. Con-

(1) Gale, Scriptor., t. XV. p. 497. — (2) Gale, l. c., p. 385 et seqq. — (3) Monast. Angl. l. c., p. 379. — (4) Benedictus redivivus, p. 130. — (5) Italiæ Sacræ t. I, col. 1024. — (6) Præneste antiqua, lib. I, cap. XII. — (7) Ibid., lib. II, cap. XII.

stans

A stans et fundata opinio est, hunc esse, Pierium, D. Francisci socium, Cutronensis cœnobii extructorem, cujus corpus honorifice asservatur in marmoreo sepulcro, effundebatque pretiosum liquorem, ab incolis Manna dictum, morbis, vulneribus medendis efficacissimum, donec *a maleferiato improbe aliquando usurpatum*, emanare cessavit. Multa referebantur hujus pii viri miracula, quorum descriptio in incendio Catanzarensis cœnobii periit. *Hæc Hueberus. Non constat de cultu, ni malueris dicere constare de non cultu.*

S. Pelagiæ, Pœnitentis in monte Oliveti *meminit Rabanus Maurus in suo Martyrologio. Confer ad hunc diem* XIX *Octobris acta SS. Beronici, Pelagiæ etc.*

B. Vitalis Albanensis *in Apulia, Ordinis Minorum, Confessor, apud laudatos Arturum et Hueberum. Vixit anno* 1460.

S. Udelinæ, Scotorum reginæ et Martyris *fit mentio in Gynecæo Arturi; quam* tradunt Eugenii I, a Maximo imperii invasore et tyranno occisi, uxorem exstitisse, circa annum 382 (1). *Hunterus, in tractatu suo de sanctis feminis Scotis, testatur se* B *vidisse Coloniæ Agrippinæ pervetustum monumentum hujus sanctæ Reginæ. Sic etiam Camerarius, hac die, lib.* III *de Scotorum pietate et Sanctis regni Scotici cap.* IV. *Cum tamen Martyrologorum nullus S. Udelinæ memoriam celebret, nec uspiam ejus cultus deprehenderimus vestigia, non est cur plura hic disseramus.*

Dedicatio ecclesiæ Mindoniensis *notatur ad hunc diem in codice Ms. Bollandi nostri ex Ferrarii Catalogo Generali. Et re quidem vera hic ad hunc diem ita habet: Mindone* Dedicatio ecclesiæ cathedralis. *Est autem* Memdon *seu* Mindonea *vel* Mindonium, *vernacule* Mondoñedo, urbs Hispaniæ, in Gallæcia, episcopalis, sub archiepiscopo Compostellano, Bretoniæ urbi proximæ excisæ subrogata inter Lucum 9 et Ribadium 5 leucis. *Ita Baudrand* (2). *Confer de sede Mindoniensi Florez* (3). *Hæc* Britonia *primum translata fuit* Dumium (4). *Deinde* Adefonsus III rex Dumiensem prope Bracaram diœcesim Ecclesiæ donavit Mindunienst, Era hispanica 915, anno 877. *Ita ex Instrumento* (5). *Hinc etiam in* Titulo *Voluminis* XVIII *posuit Florez:* De Ecclesiis Britoniensi et Dumiensi inclusis præsenti Ecclesiæ C Mindoniensi. *Cæterum apud laudatum scriptorem nullam* Dedicationis *reperio mentionem. Meminit tantum* Consecrationis majoris altaris *factæ* XXII *Augusti* 1462 *a Frederico de Guzman:* Dominica die sequenti Dñs Fredericus de Guzman Mindon. Eps. prædictus consecravit altare majus ejusdem Ecclesiæ B. Mariæ Villæmajoris *etc.* (6). *Nec hujus* Consecrationis *occurrit apud nos mentio ad mox dictam diem.*

Urbini *celebratur* Dedicatio majoris ecclesiæ, *ut constat* ex Tabulis, *inquit Ferrarius in Annotatis ad Catal. Gen.*, ipsius ecclesiæ Urbinatis, quæ nunc metropolitana est.

Dedicatio *duplex hac die recolitur in Kalendario seu Martyrologio Cisterciensi: altera* B. Mariæ de Valcellis; *altera* Regalis Montis in agro Bellovacensi.

Dedicationis ecclesiæ Servorum B. Mariæ, *sub titulo* Annuntiationis *Parisiis meminit hodie Castellanus in* Supplemento (7). *Porro* Servitæ *seu* Regulares Servi B. Mariæ *Parisiis vulgo dicebantur,* D *ex vesta sua,* albi mantelli *(Blancs-Manteaux) quo item nomine vocabantur et eorum domus et platea, in qua hæc sita erat. Cæterum domus illa anno* 1298 *in manus venit* Guillelmitarum, *et anno* 1618 Benedictorum Cluniacensium, *ac tandem* Congregationis S. Mauri, *qui licet* nigri *nihilominus* Albi Mantelli *audiebant* (8).

Festum Reliquiarum ecclesiæ Eboracensis *memoratur hac die apud Harris Nicolas* (9) *in* Calendario Romano et Ecclesiastico, *quod compositum fuisse putatur a D. Lingard ex Missalibus Sarisburiensi, Eboracensi et Dunelmensi; item ex Martyrologio Anglicano anni* 1640 *et ex Capegravio* (10).

S. Acca Episcopus et Confessor Hagustaldiæ in Northumbria *ad hunc diem refertur in Notis Mss. prædecessorum nostrorum, juxta Simeonem Dunelmensem pag.* 101 *lin.* 5 (11). *Ast inadvertenter hæc notavit Bollandus noster. Nam a Simeone Dunelm. loc. cit. dicitur S. Acca obiisse* XX *Octobris seu* XIII *Calendas Novembris, ut jam dictum est ad diem* XIX *Februarii, ubi inter* Prætermissos *mentio habetur S. Accæ ex Martyrologio Anglicano Joannis Wilsoni, quem secuti sunt Ferrarius et* E *Colganus, et nostra ætate Harris Nicolas in Calendario Sanctorum Alphabetico* (12). *Acta dabimus sequenti die* XX Octobris.

S. Nicea mater S Proculi *ad hanc diem Puteolis assignatur ab Arturo, secuto Petrum de Natalibus aliosque. Examinari poterit an nomen istud ortum sit ex vocabulo* Nicea, *civitate Bithyniæ, ad diem quo Hieronymiani codices Puteolis et Niceæ S. Proculum memorant* XXI Octobris.

S. Theudericus, abbas, *Viennæ in Galliis. Illius meminere Ferrarius in Catalogo Generali, item Saussaius in Martyrologio Gallicano: ast in Romano ejus Depositio celebratur* XXIX Octobris.

Divione Translatio *sacratissimi corporis beati* Benigni, *presbyteri et Martyris, Burgundiæ Apostoli, celebratur apud Saussaium. Ejus Acta dabuntur* I^a^ *Novembris, quo die in Martyrologio Romano ejus recensetur memoria* I Novembris.

Translatio S. Willebrordi Epternaci *memoratur in Benedictinis, uti et in Ferrario, Canisio, Usuardi Auctariis. Locus erit de hac disserendi in Actis S. Episcopi* VII Novembris.

Dedicatio (ἐγκαινία) S. Tryphonis in ecclesia Apostolica S. Ap. et Ev. Joannis prope magnam ecclesiam *id* F *est S. Sophiæ Constantinopolitanæ. Ita in Synaxario Sirmundi.* Tryphonem, *ait Morcelli* (13), latini colunt IV Idus Novembris, at græci omnibus in fastis hoc die, *nempe* 10 *Februarii, quo etiam a nobis inter Prætermissos memoratur remittiturque ad* X Novembris.

S. Amphilochius, Episcopus Iconii in Lycaonia, *commilito Sanctorum Patrum Basilii Magni, Gregorii Theologi et Gregorii Nysseni. Notatur hac die ejus* Commemoratio, *in Menologio græcorum, curante Cardinali Albano, Romæ, græce et latine edito* 1727. *Ejus Acta dabimus nono Kalendas Decembris, quo die festiva ejus memoria celebratur in Martyrologio Romano* XXIII Novembris.

S. Columbani depositio Turonis *memoratur in Auctariis Bedæ et Usuardi: ille* Abbatem *vocat; hic* abbatem *quidem, sed inferius etiam* Episcopum Turonensem, *quibus verbis subjungit Sollerius*

(1) Confer Joannem Leslæum Ep. Roffensem. p. 119 et seqq. — (2) Novum Lexicon Geographicum. Item Bruzen de la Martinière. Dictionn. Geograph. — (3) España Sagrada, t. XVIII. — (4) Ibid. Tract. LVIII, cap. III et IV, p. 11-27. — (5) Ibid. in Appendicibus, p. 313. — (6) Ibid. Tract. LIX, cap. IX, p. 208. — (7) P. 1190. — (8) Dictionnaire de Trévoux. Edit. Paris, 1771. Verbo: *Blancs-Manteaux.* — (9) Chronology of history, p. 113. — (10) Ibid., p. 97 et 98. — (11) Apud Twysden. — (12) The Chronology of history, p. 132. Edit. London, 1838. — (13) Kalendarium ecclesiæ Constantinopol., t. II, p 52. Edit. Romæ 1788.

 noster:

A *noster:* neque sic notus. *Forte agitur de festivitate quadam S. Columbani, Abbatis Bobiensis; quod quidem elucidandum erit ubi hujus Acta recurrent* xxi Novembris.

S. Folquini Episcopi *meminit Grevenus. De eo agendum erit* xiv *mensis Decembris, quo die, teste Molano aliisque, celebratur in* Monasterio Sithiu, *Transitus beati Folquini Morinorum Episcopi, cujus vitæ et sanctitatis meritum commendat abyssus vehemens aquarum, una nocte, flante austro, congelata ad ejus corporis transitum.* xiv Decembris.

Modesti, Episcopi Hierosolymitani *memoria occurrit ad hunc diem in Synaxario Sirmundi.* Per annos xxi, *ait Papebrochius* (1), partim vicarius, partim patriarcha. *In Menæis colitur* xvi Decembris.

Turonis Revelatio sancti Gratiani, Metropolis illius primi Pontificis. *Ita Saussaius. De sancto Gratiano agendum erit cum Martyrologio Romano* xviii Decembris.

SS. Altinus *(alibi* Altitus) Eodaldus *(al.* Totaldus) et Serotinus MM. *Priores duo celebrantur in Auctariis quibusdam Usuardi; omnes tres nominantur in Martyrologio Petri Canisii, germanice edito. Cum Socii fuerint SS. Saviniani et Potentiani, de eis agendum erit* xxxi Decembris. D

SS. Savinianus, Potentianus et Socii MM. *celebrantur apud Senonas in Auctariis Bedæ, Usuardi; item apud Ferrarium, Galesinium etc. In codice Usuardino Tornacensi sic legitur:* Ipso die *(19 Oct.)* Festivitas seu Translatio beatorum Martyrum Saviniani et Potentiani sociorumque eorum. Horum festivitas dum ab antiquis temporibus ageretur pridie Kalendarum Januariarum, transmutata est a Patribus, xiv Kalendarum Novembrium, eo quod ipso *(anno* 1026 *vel* 1030) die translata sunt corpora eorum et angelicæ voces in cœlo sunt auditæ, sicut in Translatione eorum sacra legitur. Ideo et hic venerabilior habetur eorum solemnitas, quo et eorum corpora sancta honestius sunt tumulata... *Nihilominus eorum Acta in diem pridie Kal. Jan. rejecimus, quo die eorum memoria celebratur in Martyrologio Romano* xxxi Decembris.

(1) Act. SS., t. III Maii. In *Patriarchis Hierosol.*, p. xxxi.

B E

DE SS. PTOLEMÆO, LUCIO ET ALTERO SOCIO

MARTYRIBUS.

B. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Acta ex S. Justino et Martyrologiis. De duplici S. Justini Apologia. Posterior, quæ concidit cum anno martyrii SS. Ptolemæi et Lucii, oblata fuit Marco Aurelio.

VERSUS ANNUM 165

Acta ex S. Justini Apologia desumpta.

Ruinartius *in Admonitione prævia ad Acta illa* (1), inutile esset, *inquit*, de istius narrationis sinceritate vel auctoritate fusius disserere, cum lectorem monuisse sufficiat eam desumptam esse ex sancti Justini C Martyris Apologia prima, quam secundam debere appellari eruditi consentiunt, utpote quæ post alteram, et paulo ante ipsius Justini passionem conscripta est. *Et inferius.* Ptolemæi ac ejus Sociorum memoriam celebrant vulgata Martyrologia Usuardi, Adonis, Notkeri cum Romano duplici, Rosweydi scilicet *(quod Romanum parvum dici solet)* et Baronii ad diem xix Octobris.

Martyrologia non omnimodo concordantia. Ado.

2 *Cum in Martyrologiis illis quædam emendanda occurrant, non abs re erit præcipua ex iis hic adscribere, initium ducentes ab Adone, qui ad* xiv *Kalendas Octobris hæc habet:* Item ipsa die, beati Ptolemæi, sed et beati Lucii Martyrum. Qui beatus Ptolemæus, comprehensus a quodam centurione, interrogatur si Christianus esset. Hoc Ptolemæus tamquam amator veritatis, nequaquam gloriam suæ professionis occultans, percontanti, Christianum se esse confessus est. Hunc continuo centurio in vincula conjecit, et multo tempore squalore carceris maceratum, ad ultimum Urbicio judici obtulit. A quo simili modo hoc solum interrogatus est, si esset Christianus: qui rursum tanti boni sibi conscius, divinam religionem præ se tulit, et de Christi magisterio ac totius boni institutionibus publica confessione testatus est. Qui enim negat quod est, sine dubio culpabile judicat esse quod negat. Continuo ergo post confessionem ab Urbicio duci jubetur. Lucius autem quidam Christianus F vir videns tam temere latam sententiam, ait ad Urbicium: quid, quæso, causa est, quod neque adulterum, neque corruptorem aut homicidam, vel latronem raptoremve, aut alterius cujuslibet facinoris reum, sed tantum pro nomine Christiano, quod hoc se vocabulo confessus est nuncupari, ad mortem hominem duci præcepisti? Non sunt hæc digna pio imperatore, nec sapientissimo puero, filio ejus, neque sacro senatu, quæ agis Urbici. At ille nihil aliud inquirens, ait ad Lucium: videris mihi et tu Christianus esse. Cumque Lucius respondisset, hoc plane sum; etiam ipsum duci jussit ad mortem. Ille, gratias, inquit, ago, quod me nequissimis dominis absolutum, ad bonum et optimum Patrem et Regem omnium Dominum remittis. Sed et Tertius quidam, pari modo libertate usus, pari quoque sententia punitus est. Passi sunt autem sub Antonino cognomento Pio et filio ejus, hi beati Martyres et sepulti apud Alexandriam metropolim Ægypti.

Sphalmata Adonis notantur.

3 *Hæc, more suo, Ado valde prolixe, secutus S. Justinum*

(1) Acta primorum martyrum sincera et selecta, p. 52. Edit. Amstelædam 1713.

B. D.

A *tinum, quædam etiam de suo addens. Hujus Martyrologium Romæ editum anno* 1745 opera et studio Dominici Georgii, *ad hunc diem* (1), *sequentem adjectam habet notam :* Ptolemæus et Lucius Martyres coluntur hac die ab auctore Romani parvi (de hoc Martyrologio vide Sollerium in *Præfatione ad* Usuardum (2)) his verbis : *Et* Ptolemæi, *qui a quodam centurione Urbicio judici traditur ; et Lucii ac Tertii simul decollatorum qui Alexandriæ sepulti sunt.* Fuse de his Ado noster, qui tamen, ut animadvertit Sollerius, in eo errat, quod his Martyribus socium addat, cui nomen *Tertius* qui in Eusebio lib. IV, cap. XVIII tertius quidem ordine est, sed anonymus ; præterea quod sub Antonino Pio, hos martyres narret, et *Alexandriæ*, Ægypti metropoli sepultos, cum *Romæ* et sub *M. Aurelio* passi sint. *Ita Dominicus Georgius, addens præterea de his martyribus* agere etiam ex Adone Martyrologium Fuldense.

Usuardus; in quo discrepet ab Adone.

4 *Usuardus, ut assolet, contracto Adonis encomio, ita ponit :* Apud Alexandriam Ægypti metropolim, natalis sanctorum Martyrum Ptolemæi et Lucii, sub Antonino cognomento Pio; quorum prior multo tempore squalore carceris maceratus, et ad
B ultimum cum de Christi magisterio publica confessione testaretur, jussus est duci ad mortem. Sequens quoque, cum se Christianum liberrime fateretur, similem sententiam excepit. *Differt tum ab Adone tum a Romano parvo Usuardus, quod hic de duobus tantum agat martyribus,* Ptolemæo *et* Lucio, *omittens tertium illum anonymum, de quo in prioribus fit memoria. Notat in hunc Usuardi locum Sollerius* (3) *diversimode apud antiquiores scribi nomen* Ptolomei, *puta*, Phtolomei, Tholomei, Ptolomæi *etc.* Nos, *inquit,* plerorumque codicum simplicem inflexionem secuti sumus, quamvis putemus legendum Ptolemæi *Postremam proinde hanc nos secuti sumus lectionem, hac insuper ducti ratione, quod modus hic scribendi, ita invaluerit, ut qui alium adhiberet, singularitatis notam vix effugeret.*

Observatio Sollerii, castigantis encomium Usuardi.

5 *Deinde hanc ponit Sollerius* Observationem. Ut superius non semel apud viros harum rerum peritos, in confesso esse diximus, auctorem (Martyrologii) Romani parvi, præcipue ex Rufini Eusebio, Martyrologium suum compilasse, ita id hodie manifeste patet, dum de Ptolemæo et Sociis ita habet : *Et* Ptolemæi, *qui a quodam centurione Urbicio judici traditur, et* Lucii *ac* Tertii *simul decollatorum, qui Alexandriæ sepulti sunt.* Hæc certe,
C si ultimas particulas excipias, ex Eusebii lib. IV, cap. 17 evidenter desumpta sunt, et ex eodem loco ab Adone ampliata, servatis duobus, quæ in citatis verbis omnino displicent. Primum est, quod *Tertius* pro nomine proprio accipi videatur..... Alterum, quod *Alexandriæ sepulti* dicantur, quos *Romæ* passos esse constat ex historiæ hujus fonte, Justini *(scilicet)* apologetico, apud Halloix pag. 48. Adjunxit præterea *(Ado)* Viennensis Martyrologus, *passos esse sub Antonino, cognomento Pio :* at *liquet,* inquit Halloix, in notis pag. 361, *hæc accidisse sub Marco Antonino Philosopho, Pii filio.* Erratum primum de Tertio evitavit *(seu potius prætermisit)* noster *(Usuardus)*, sed in turpius labitur, dum Annuntiationem incipit : *Apud Alexandriam Ægypti metropolim,* quod nec in Adone nec alibi reperit, nisi forte bona fide supposuerit, ibi passos martyres, ubi sepultos inveniebat. Non diffitebor tamen martyrii locum apud Eusebium satis dubium relinqui, imo ex toto contextu ansam præberi, ut alibi, et præsertim Alexandriæ, Ptolemæus et Socii passi intelligantur ; verum hæc omnia in Romano moderno, ex ipsa Justini Apologia rectissime castigavit Baronius.

Martyrologium Romanum, cum notatione Baronii.

6 *Et re quidem vera hodie in dicto Martyrologio ponitur in hunc modum :* Romæ natalis sanctorum Martyrum Ptolemæi et Lucii sub Marco Antonino : quorum prior, ut scribit Justinus Martyr, cum impudicam mulierem ad fidem Christi convertisset, et castitatem colere docuisset, ab impuro viro apud Præfectum Urbicium accusatus, multo tempore squalore carceris maceratus est, et ad ultimum cum de Christi magisterio publica confessione testaretur, jussus est duci ad mortem. Lucius quoque cum Urbicii sententiam improbaret, et se Christianum libere fateretur, similem sententiam excepit ; quibus et alius tertius adjunctus est, qui etiam eodem supplicio damnatus fuit. *Hic vero notat Baronius :* PTOLEMÆI ET LUCII. De his hac die Beda, Usuardus, Ado et alii recentiores, qui dum habent eos passos esse Alexandriæ, errare noscuntur : nam S. Justinus Martyr, qui in oratione ad Senatum Romanum eorum martyrium narrat, eosdem Romæ coronatos esse demonstrat. De his item Eusebius lib. IV, cap. XVI *(lege* XVII) Nicepho- E rus lib. III, cap. XXXIII, ac cæteri omnes ex Justini auctoritate. *Atque hæc in Martyrologio Baronii ad diem* XIX *Octobris, notatione* 1. *Hic obiter animadvertamus emendatiores Bedani Martyrologii editiones nullam facere horum Sanctorum mentionem nec in textu Bedæ, qui ad hunc diem vacat, nec in Auctariis quæ communiter Floro tribuuntur* (4). *Ubi Baronius nomina SS.* Ptolemæi *et sociorum apud Bedam legerit, ignoro, nec operæ pretium est inquirere* (5).

Romæ passi sunt SS. Ptolemæus, Lucius et alter cujus nomen ignoratur.

7 *Ex hactenus dictis colligimus, primum omnes melioris notæ criticos in eo concordare, martyrium Romæ contigisse ; secundo tertium* Ptolemæi *et* Lucii *socium nomine ignotum esse. Posterius evidenter habetur ex verbis Eusebii* (5) : καὶ ἄλλος δὲ τρίτος ἐπελθὼν κολασθῆναι προσετιμήθη et alius tertius accedens eodem supplicio addictus est. *In textu seu phrasi græca, ne unus quidem apex reperitur qui vel minimum indicet hic agi de Martyre cui nomen Tertius, voces* καὶ ἄλλος δὲ τρίτος ἐπελθὼν *manifeste indicant ordinem passionis, non vero nomen patientis. Quod autem Romæ et non Alexandriæ passi sint, efficitur ex S. Justino, qui martyrii hujus narrationem habet primigeniam, ex quo et ipsi nata* F *occasio est, ut mox dicemus, secundam suam seu Breviorem conscribendi Apologiam, quam ita ordi-tur.* Quæ heri et proximis diebus in urbe vestra, o Romani, sub Urbicio (Οὐρβίκου Urbico) accidere, et quæ ubique locorum similiter, citra rationem omnem a Præsidibus fiunt, necessitatem hanc mihi imposuere, ut pro nobis, qui eisdem vobiscum affectionibus, perpessionibusque obnoxii, et (quamvis id ignoretis et propter earum quæ habentur dignitatum splendorem nolitis) fratres vestri sumus, orationem hanc componerem. *Et paucis interjectis ita prosequitur :* Ut autem causa tota quæ sub Urbicio est acta, manifesta sit, rem ipsam exponam. Mulier quædam *et reliqua narrationem martyrii quam integram infra damus. Nullum itaque dubium, quin Romæ passi sint, modo sua stet Justino fides, qui, utpote testis ocularis, non facile recusabitur.*

Occasione hujus martyrii scripsit Justinus Apologiam;

8 *Cum vero scribat Justinus se ad hunc suum apologeticum sermonem suscipiendum præ cæteris* impulsum

(1) Pag. 536.—(2) Cap. II, pag. XX-XXXVIII.—(3) Martyrol. Usuardi, p. 611.—(4) Vide Acta SS., t. II Martii. *Ubi ab initio habetur Bedæ Martyrologium ab Henschenio et Papebrochio editum.* —(5) Confer Acta S. Aquilini, hoc ipso tomo et die XIX Octobris. Comm. præv., n. 19. — (6) Historia Ecclesiastica, lib. IV, cap. XVII, Ex editione Valesii.

B. B.

impulsum fuisse crudelitate quam adhibuerat Urbicius in sanctos Martyres Ptolemæum *et* Lucium, *sequitur hanc ejus scriptionem cum illorum morte coincidere; ac proinde noto tempore quo illa edita est, noscetur et tempus quo martyrium illud contigit. Hic itaque inquirenda veniunt quæ ad hanc Justini Apologiam pertinent; tanto magis quod non paucæ circa illam motæ fuerint difficultates, idque a viris eruditione præstantissimis, inter quos numeratur Papebrochius noster ad* XIII *Aprilis, ubi Acta sancti Justini illustravit.*

circa quam, ut tempus martyrii statuatur, tria examinanda :

9 *Primum inquiremus an una tantum, an vero duæ vel etiam tres numerandæ sint sancti Justini Apologiæ; tum an illa, quæ brevior est, ætate præcedat longiorem; tandem cui imperatorum inscripta hæc brevior sit, an Tito Antonino Pio, ut placuit Henrico Valesio, an vero Marco Aurelio, quod hodie communiter ab eruditis tenetur. His nempe elucidatis, facilis sternetur via ad tempus martyrii determinandum.*

An unam tantum, an vero duas vel etiam plures Justinus scripserit Apologias.

10 *Ad primum quod attinet :* Ullam omnino genuinam Justini Apologiam superesse, negabat Harduinus, ab Dupin aliisque jam refutatus. Sic quoque Scaligeri opinionem (in Animadversionibus Eusebian. p. 201) Apologiam secundam non amplius B exstare Kortholdus in libro *de Persecutionibus ecclesiæ primitivæ veterumque martyrum Cruciatibus..* copiose examinavit et rejecit. Henr. quoque Valesius... Scaligerum longe falli docet. *Ita Harles* (2). *Cæterum nullum esse hodie putem eruditorum, qui neget genuina esse sancti Justini scripta quæ in omnibus ejusdem operum editionibus nomine Apologiarum veniunt. Ast dissentiunt in eo quod quidam velint Breviorem, quæ ab his incipit verbis :* Quæ heri et proximis diebus in urbe vestra, o Romani, *præfationem esse ad alteram longiorem, ita ut ex duabus illis elucubrationibus una tantum efficiatur Apologia. Atque hæc est opinio Papebrochii, qui in Commentario prævio ad Acta sancti Justini* (3) : Præfatio, *inquit,* seu inductio quædam est ad imperatoris, senatus populique animos præparandos, expositione injustissimæ actionis contra Christianos exercitæ, cujus occasione orationem Apologeticam scripsit. *Quod quidem sibi, ait Harles* (4), non aliis persuasit Dan. Papebrochius.

Duas scripsisse Justinum, diserte tradit Eusebius.

11 *Et re quidem vera, duas a Justino conscriptas Apologias diserte asserit Eusebius; postquam enim dixisset* (5) : Idem porro Justinus, C præter opuscula, quæ adversus gentiles doctissime elaboravit, alios etiam libros, qui fidei nostræ defensionem continent (καὶ ἑτέρους λόγους ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας πίςεως ἀπολογίαν ἔχοντας) imperatori Antonino cognomento Pio et senatui romano nuncupavit; *scribit ibidem* (6) : Iisdem temporibus et Justinus, cujus supra mentionem fecimus, cum alterum δεύτερον librum pro fidei nostræ defensione imperatoribus supra memoratis obtulisset; *et iterum* (7): Idem porro Justinus aliorum quoque, qui paulo ante ipsum martyrio perfuncti erant, in priori Apologetico ἐν τῇ προτέρᾳ ἀπολογίᾳ mentionem facit his verbis. *Itaque non potest ullum remanere dubium quin Eusebius duas agnoverit Justini Apologias diverso tempore imperatoribus oblatas.*

Item S. Hieronymus aliique.

12 *Eusebio consonat sanctus Hieronymus in* Catalogo *Scriptorum ecclesiasticorum* (8). Justinus Philosophus... pro religione Christi plurimum laboravit, in tantum ut Antonino quoque Pio et filiis ejus et senatui librum contra gentes scriptum daret, ignominiamque crucis non erubesceret, et D alium librum successoribus ejusdem Antonini, M. Antonino Vero et L. Aurelio Commodo. *Sic etiam Photius in Bibliotheca.* Porro quatuor, *inquit,* adversus gentes composuit *(Justinus)* tractatus; quorum primum Antonino cognomento Pio, filiisque ipsius ac Senatui obtulit. Alterum similiter, ejus successoribus. In tertio autem de natura dæmonum disseruit. Quartus denique similiter contra gentes conscriptus, *Elenchus* inscriptionem habet (9). *Quotquot inter veteres de rebus ecclesiasticis illius epochæ tractarunt, similiter duas Justini commemorant Apologias, quæ propterea etiam in omnibus hujus sancti Martyris editionibus sub nomine* primæ *et* secundæ *veniunt. Nec omnimodo dissentit Papebrochius noster, qui et ipse duas a Justino conscriptas apologias fatetur, ast alteram vult constare ex duabus quasi partibus* præfatione *scilicet et* apologia *proprie dicta; alteram negat ad nos pervenisse, imo umquam publici juris fuisse factam : ait enim* (10): Gratis assumitur a Valesio, Eusebium non habuisse aliam causam differendi martyrium sancti Justini ad Antonini Veri et Aurelii Commodi tempora, quam quod sibi falso persuasisset *iisdem imperatoribus obtulisse* Justinum *alterum librum pro fidei nostræ defensione.* E

Papebrochius ex illis duabus unam facit; alteram ad nos pervenisse negat;

13 Hoc siquidem vere fecit (nam quomodo in facto tam recenti ita cæcutivissent Eusebius atque Hieronymus et omnes post secuti scriptores?) Sed secundus liber non eodem quo primus exceptus favore atque successu, vel suppressus a gentilibus principibus est, neque permissus vulgari, vel certe hodie nusquam exstat, quæ est Scaligeri in Animadversion. Eusebianis pag. 201 opinio. Quod fuerit suppressus suadet altum de eo apud antiquos silentium, quorum nemo invenitur aliquid ex Justini apologiis citasse, quod in prima Oratione, aut ea quam diximus ad ipsam Præfatione, non reperiatur. Eusebius autem non tantum pro una eademque Apologia prima, accipit Præfationem et Orationem, quando cap. XVI ex dicta Præfatione insignem contra Crescentem Cynicum adducit locum, ἐν τῇ δεδηλωμένῃ ἀπολογίᾳ legendum; sed etiam insinuare videtur, solam primam Apologiam prodiisse in publicum.

atque in hunc sensum interpretatur Eusebium.

14 Quid enim est δεδηλωμένη? Valesius suæ conjecturæ obsecundans *(quod scilicet altera sit Justini vere Apologia, quam Papebrochius assumit esse tantum præfationem)* vertit *præfatæ*, ut intelligatur F liber secundus, de quo immediate ante locutus erat Eusebius. Christophorssonus, ad mentem auctoris et veritatem longe aptius vertit, *quam dudum commemoravimus*, ut intelligatur locus acceptus, non ex libro secundo, sed ex prima Apologia de qua cap. VIII egerat. Sed si penitius vox ipsa introspiciatur, non aliud significabit quam *publicata seu manifesta*, ut sic secernatur ab ea, quæ ab imperatoribus suppressa, in publicum non prodiit. Neminem autem perturbet quod in Valesii versione, dicto Eusebii capite, appellentur *augustissimi imperatores*, ut duo corregnantes intelligantur, Verus et Commodus : absunt enim ea verba a græco, etiam apud ipsum Valesium, et solum ὑμᾶς invenitur, id est, *Vos* ii scilicet ad quos sermo est, imperator et filii Cæsares. Fuerunt qui putarunt, quod ea quæ sub nomine Athenagoræ, exstat Legatio pro Christianis, Vero et Commodo oblata paulo post annum CLXXV, sit secunda Apologia Justini : sed eos solide refellit Halloix, tum ex

(1) Acta SS., t. II April., p. 104-119. — (2) Bibliot. græca Fabricii, t. VII, p. 55. nota *h*. Edit. Hamburgi 1801.—(3) T. II Apr., p. 106, n. 13. —(4) Ubi supra.—(5) Histor. Ecclesiast., lib. IV, cap. XI.—(6) cap. XVI. — (7) Cap. XVII.— (8) Oper., t. IV, part. II, p. 110. Catalogi, n. XXIII. Edit. Martianay. Paris. 1706.—(9) Bibliotheca Photii, n. CXXV. p. 303. Edit. Rothomagi 1653.—(10) T. II Aprilis, loc. cit. Comm. præv., n. 14.

styli

A styli maxima diversitate, tum ex ejusdem Legationis loco, qui ipsius Athenagoræ verbis et nomine citatur a Proilo, Origenis æquali, apud Epiphanium, hæresi 64, egregie hac occasione correctum. *Hactenus Papebrochius.*

Refutatur Papebrochius.

15 *Ast pace tanti viri dixerimus, ejus argumenta ca non esse, quæ assensum rapiant. Nam quod antiquorum nullus citet aliquid, quod in duabus superstitibus Justini Apologeticis sermonibus non contineatur, quid inde legitime quis inferat, nisi quod opus, cujus apud neminem vestigia reperiantur, numquam exstiterit? Ut aliud concludamus, ut que ante omnia solide esset probandum. Justinum præter illas quas habemus apologias, aliam exarasse; hoc autem Papebrochius non probat. Argumentum quod deducit ex voce* δεδηλωμένη, *infirmum seu potius nullum est. Vox enim illa non necessario corelativa est cum altera quæ suppressionem vel negationem alterius operis indicet. Ut enim recte observat Ceillier* (1) vox græca δεδηλωμένη, qua utitur Eusebius, aliud nihil significat, nisi quod superius jam inciderit mentio illius apologiæ quam dicto loco B (*cap.* XVII) citat.

cui Eusebius manifeste adversatur.

16 *Totius orationis contextus id manifeste probat, præsertim cum ibidem eadem utatur voce ad indicandos imperatores de quibus, in præcedentibus capitibus locutus erat. Juverit initium capitis* XVII *ex libro* VI *Historiæ eccles. Eusebii hic adscribere.* Iisdem temporibus et Justinus, cujus supra mentionem fecimus, cum alterum librum pro fidei nostræ defensione imperatoribus superius memoratis τοῖς δεδηλωμένοις ἄρχουσι obtulisset, sacro martyrio exornatus est, fraude ac machinationibus Crescentis Philosophi, qui vivendi rationem prorsus convenientem ac respondentem Cynicæ appellationi æmulabatur. Quem cum ille disputans, audientibus plurimis, convicisset, tandem veritatis illius quam prædicaverat, præmium martyrio consecutus est. Hunc autem exitum vitæ, idem ille veræ sapientiæ studiosissimus sectator, in supradicto apologetico ἐν τῇ δεδηλωμένῃ ἀπολογίᾳ aperte, prout erat ipsi propediem eventurus, prædicit his verbis : Ego etiam expecto ut ab aliquo eorum qui philosophi appellantur, insidiis appetar, et in nervum compingar : ab ipso forsitan Crescente etc. *Ita Eusebius ex versione Valesii.*

Ergo duæ ad nos Justini pervenerunt Apologiæ.

17 *Atque ex his satis apparet quæ sit Eusebii mens tum quoad vocem* δεδηλωμένη, *tum quod* alterum C illum librum pro fidei nostra defensione, *qui alius esse nequit quam Brevior Apologia, ex qua desumpta sunt verba illa :* ego etiam expecto etc. *Nihil ergo mirum Papebrochium inter eruditos vix unum habuisse hic asseclam, atque ad unum fere omnes duas Justini agnovisse Apologias diversas, diverso tempore conscriptas.*

Ordine præpostero veniunt dictæ Apologiæ in vulgatis Justini editionibus.

18 *Quod secundo loco inquirendum proposuimus, utra scilicet Apologia alteram ætate præcedat, facile expediemus.* Sciendum est autem, *inquit Bellarminus de Scriptoribus ecclesiasticis,* Apologiam priorem, ut in nostris libris habemus, reipsa esse posteriorem. *Et explicatius Henricus Valesius in Notis ad lib.* VI, *cap.* XVII (2) Eusebius alio ordine Apologias Justini recenset, quam quo nunc sunt editæ. Eam enim quæ in vulgatis editionibus secunda inscribitur, Eusebius priorem appellat ut videre est in cap. XII, lib. IV et in cap. XVIII ejusdem libri. Sed et in lib. II, cap. XIII, ubi Justinum de Simone Mago loquentem inducit, locum affert ex priore ejus apologetico, qui in 2ª Justini Apologia hodie legitur. Quæ vero in vulgatis editionibus prima dicitur Apologia... eam Eusebius Secundum vocat, ut videre est in cap. XVI, et M. Aurelio Antonino post obitum imperatoris Pii, oblatam esse dicit a Justino in cap. XVI et XVIII. Ego vero quod quidem spectat ad ordinem Apologiarum Justini, facile assentior Eusebio; et illam quæ ad senatum vulgo inscribitur, posteriorem esse concedo : præsertim cum videam idem placuisse viris doctissimis, Bellarmino, Baronio et iis quos supra memoravi. Sed et Gregorius Syncellus in Chronico, ejusque interpres Anastasius Bibliothecarius ad annum Christi 46 prorsus cum Eusebio consentiunt. P. B.

Brevior, ordine temporis, prolixiorem Apologiam subsequitur.

19 *Est itaque præposterus ordo, quo in vulgatis editionibus Justini Apologiæ excussæ sunt : brevior, quæ prima ibidem dicitur, reipsa secunda est, longior vero, quæ vulgo secunda inscribitur, prima est, præceditque ætate breviorem, ut abunde constat ex Eusebio* (3) *ita scribente.* Hic porro vir *(Justinus)* plurima ingenii sui doctrinæque et intenti in res divinas studii monumenta nobis reliquit, plena multiplicis utilitatis. Ex quibus ea quæ ad notitiam nostram pervenerunt, titulis suis designasse contenti, discendi studiosos ad illa rejiciemus. Pri- E mum igitur locum inter ejus libros obtinet Oratio ad Antoninum cognomento Pium, et ad ejus liberos senatumque romanum pro religione nostra conscripta. Altera vero ejusdem Oratio, defensionem similiter fidei nostræ continens, Antonino Vero nuncupata est, imperatoris supradicti successori πρὸς τὸν τοῦ δεδηλωμένου αὐτοκράτορος διάδοχόν τε καί... *Ex quo rursus apparet quanti valeat Papebrochii superius notata interpretatio* et cognomini, cujus tempora in præsentiarum exponimus. *Evidens est, inquit Ceillier* (4), *Eusebium distinxisse duas illas Apologias quæ ad nos pervenerunt : cum primam referat ad annum* 141, *sub imperio Antonini Pii;* 20 *scilicet annis ante imperium Marci Aurelii, ad quem refert secundam. Quod autem per hanc intelligat breviorem illam, liquet ex loco quem citat de Crescente Philosopho, qui locus et hodie in breviori Apologia legitur. Similiter Tillemontius, variis ex Eusebio collectis testimoniis atque inter se comparatis ita concludit* (5). Indubium est, juxta Eusebium, longiorem Apologiam ordine primam esse, siquidem diserte id affirmet; nec loquitur de Minori, ex qua loca quædam refert, nisi postquam tractavit de Majori; hanc conceptis F verbis vocat primam; alteram, secundam; declarat Minorem oblatam fuisse Marco Aurelio et Lucio Vero, qui imperium tenuerunt ab anno 161. *Quæ quidem et clare et nitide deducta nemo non agnoscet. Paulo ante ibidem animadverterat idem Tillemontius brevitatem ipsam hujus Apologiæ satis supponere aliud scriptum, in quo latius evolvuntur plura quæ in Breviori tantum attinguntur. Et revera varia sunt quæ obiter et quasi per transennam tantum notat Justinus, addens uti jam diximus, non ut remittat ad alia loca ejusdem scripti, in quo nihil amplius reperitur, sed ad primam suam seu longiorem Apologiam, quæ in omnium manibus erat.*

Unde natus sit in vulgatis Justini editionibus præposterus ordo.

20 *P. Halloix S. J. rationem hanc dat ob quam præpostero ordine veniunt in vulgatis Justini editionibus Apologiæ :* tota erroris occasio fuit, partim unus locus Eusebii vitiosus : partim Christophorsoni versio locis aliquot minus accurata : partim quorumdam opinio scriptas a Justino tres Apologias;

(1) Auteurs ecclésiastiques, t. II, p. 19, Paris 1730. — (2) Eusebii, Socratis, Sozomeni, etc., historiæ ecclesiasticæ. Edidit Guilielm. Reading Cantabrigiæ 1720, t. I, p. 176, not. 2. — (3) Histor. ecclesiast., lib. IV, cap. XVIII. — (4) Auteurs ecclésiastiques, t. II, p. 19. Paris. 1730. — (5) Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique, t. II, p. 650. Edit. in-4°, Paris, 1704.

B. B.

Apologias; ita ut ea quam primam ponunt, sit ad senatum; reliquæ duæ ad imperatores; prior quidem ad Antoninum Pium quæ jam supersit; posterior ad ejus successores M. Aurelium et L. Verum, quæ interierit. Sed horum nihil bene dici, parebit brevi postea. *Ita Halloix* (1). Locus igitur Eusebii vitiosus, *ita prosequitur laudatus scriptor*, est is, *qui lib.* IV *historiæ ecclesiasticæ, cap.* XVI *sic habet. Hic ipse vir* (Justinus) *ante suum certamen, aliorum, qui ante ipsum passi sunt martyrium, mentionem facit in priore* (ἐν τῇ προτέρᾳ) *Apologia*. Inde colligunt eam priorem esse Apologiam in qua fiat eorum mentio; et ubi exemplum illud, quod ibidem subdit de muliere, unde prima martyriorum ansa profluxit, reperitur. Et rectissime quidem ita colligerent, si locus Eusebii non esset vitiosus, et accipiendus esset prout jacet. Atqui certum est loco ἐν τῇ προτέρᾳ corrigendum esse ἐν τῇ δευτέρᾳ; et ipsa Eusebii verba proxime antecedentia sic legendum esse satis innuunt, nempe iste πρὸ οὗ κατ' αὐτὸν ἀγῶνος *ante suum certamen* sive *ante suum martyrium*, quæ idem valent, atque *paulo ante suum martyrium*, mentionem facit aliorum *qui ante ipsum passi sunt*: quod itidem intelligendum:
B *paulo ante....* 2° Probatur e sequenti capite Eusebii, ubi contexit indicem librorum Justini, et duas tantum recenset Apologias; unam ad Antoninum Pium, alteram (quam secundam expressissime vocat) quæ oblata fuerit ejus successoribus: alterius autem Apologiæ nusquam, nec ipse, nec S. Hieronymus, nec Photius meminit. *Halloix ibidem. Ubi præterea notat* (2) *hanc secundam non dedicatam sed* oblatam *tantum fuisse imperatoribus: nullibi enim alloquitur imperatores, sed ab initio ponit:* ὦ Ρωμαιοι; *et inferius de muliere:* καὶ μέν βιβλίδιον τῷ αὐτοκράτορι ἀναδέδωκε et ipsa libellum imperatori obtulit. — *Editio Parisiensis dum ita scribit:* σοί τῷ αὐτοκράτορι tibi imperatori *manifestum committit errorem: nemo enim sic loquitur; sed bene:* tibi, o imperator, obtulit, *et græce* σοί, ὦ αὐτοκράτορ, ἀναδέδωκε. *Hinc latina interpretatio emendata sic habet:* libellum imperatori obtulit. — *Denique Eusebius lib.* II, *cap.* XII, *ubi Apologiam ad Antoninum vocat priorem, citat locum qui in magna reperitur. Hæc rursus Halloix. Porro locus qui hic postremo indigitatur, in versione Henrici Valesii legitur lib.* II, *cap* XIII, *atque ita sonat:* Hic (Justinus) igitur in priore apologetico, quem
C pro nostra doctrina ad imperatorem conscripsit sic ait. *Sequitur textus ex majore Justini Apologia ubi sermo de Simone Mago, et statua ei erecta cum inscriptione:* SIMONI DEO SANCTO. *Atque ex his demonstratur quo ordine veniant duæ Justini Apologiæ: longior scilicet ætate præcedit breviorem.*

Brevior Justini Apologia oblata M. Aurelio fuit.

21 *His elucidatis, tertium remanet inquirendum, cui scilicet imperatorum brevior hæc Apologia fuerit oblata. Ex allatis hucusque testimoniis, non videtur ullum posse moveri dubium, quin Marci Aurelii temporibus sit edita ac proinde ipsi primarie inscripta. Atque ita etiam statuunt Eusebius, Hieronymus, Chronicon Alexandrinum, Photius, et plurimi scriptores, qui post illos floruere. Sed Henricus Valesius in Notis ad Eusebii historiam ecclesiasticam probandum assumpsit illam oblatam fuisse Antonino Pio. Papebrochius, qui ex utraque unam tantum facit, in eamdem transiit opinionem.* Ne autem, *inquit*, possimus dubitare, Pius ne, an Verus sit, quem hoc scripto appellat (Justinus), facit Ptolemæi christiani ad Urbicium increpatio, exprobrantis eum judicare οὐ πρέποντα Εὐσεβεῖ Αὐτοκράτορι, οὐ Φιλοσόφῳ, Καίσαρος παιδὶ *(non ut decet Imperatorem Pium et Philosophum Cæsaris filium)*, Marcum scilicet Aurelium, ab Antonino Pio, cum adhuc Cæsar esset, jussu Adriani adoptatum. Ita pluribus Valesius in Annotat. ad cap. XVII Eusebii: cui in re evidenti non possumus hactenus non assentiri. Verum quod præeuntium secutus turbam, scriptum istud acceperit tamquam Apologiam alteram ab Oratione jam dicta, et consequenter velut eam, quam Antonini successori nuncupatam credens Eusebius turpiter exerraverit, in hoc ei non possumus assentiri (3). *Quid sit de Papebrochii sententia, supra satis vidimus. Quare motas a Valesio difficultates examinasse sufficiet. Audiamus itaque Pagium ad annum* 162, *(Baronii* 164) ubi, *inquit Ruinartius* (4), invicte probat hanc Apologiam Marco oblatam fuisse. D

Refutatur H. Valesius. Prima hujus ratio.

22 Valesius *(verba sunt Pagii* (5)) in Notis ad lib. IV Eusebii cap. XVII contendit Eusebium deceptum, et apologeticum illum, non M. Aurelio, sed Antonino Pio nuncupatum esse. Verum quæ ad id probandum argumenta in medium adducit, rem minime evincunt. Hæc prima ejus ratio. *Initio* E *Apologetici, ait Justinus, mulierem illam Christianam, cum a viro accusata esset, dedisse libellum imperatori: et illa quidem, libello tibi oblato, inquit,* sacratissime imperator, postulavit *etc. Si vero Marco et Lucio apologeticus ille dicatus fuisset, ut vult Eusebius, Justinus in plurali numero locutus esset. Marcus enim et Verus ambo simul erant Augusti.* Hæc Valesius. Verum videre potuit vir doctissimus in epistola ecclesiæ Smyrnensis ad ecclesias Ponti scripta post Polycarpi martyrium (quod Marco Aurelio et Lucio Vero imperantibus contigit (etiam dum plures imperium administrarent, in actis publicis sæpe unius tantum mentionem factam. Herodes enim Irenarcha et pater ejus Nicetes dicebant Polycarpo: *Quidnam mali est dicere hæc verba, Domine Cæsar, et sacrificare atque ita incolumem evadere?* Ibidem narratur, Proconsulem semel et iterum his verbis Polycarpum ursisse: *Jura per genium Cæsaris.*

Licet plures simul essent Augusti, unius tantum occurrit sæpius mentio.

23 Martyres Lugdunenses, Marco Aurelio et Commodo filio cum patre regnante, martyrium passi: et tamen in epistola a Lugdunensibus et Viennensibus ad Christianos Asiæ et Phrygiæ scripta, quam refert Eusebius lib. v, cap. I, dicitur: F *Rescriptum fuerat a Cæsare* (nempe Marco Aurelio) *ut confitentes quidem gladio cederentur: hi vero qui negarent, dimitterentur incolumes.* Pari eademque ratione, licet plures imperium Romanum gubernarent, pax tamen v. g. ab omnibus sancita, in Nummis uni attribuitur, anno scilicet CLXVI, quo orbis Romanus in pace fuit, quove Marcus et Lucius Verus imperatores erant, annoque CLXXVII quo Marcus cum filio Commodo imperabat. In Nummo enim Lucii Veri apud Mediobarbum legitur; TR. P. VI. COS. II PAX. AUG. In Nummo vero Marcii Aurelii tribunitia potestate XXXI notato habetur: PAX ÆTERNA AUG. cum in utroque numismate dicendum fuisset: *Pax Augg.*, id est, *Pax Augustorum*, si Valesii argumenti ratio aliqua habenda esset. Præterquam quod Roma forsan aberat Lucius Verus, quando libellus ille porrectus. Quod si Eusebius et auctor Chronici Alexandrini tradant hanc secundam Apologiam Marco et Lucio Vero oblatam esse, aliud non intelligere videntur, quam, iis imperantibus, eamdem scriptam ac præsentatam.

(1) Illustrium Ecclesiæ orientalis scriptorum, qui secundo Christi sæculo floruerunt, vitæ et documenta, t. I, p. 289. Duaci 1636. — (2) Pag. 290. — (3) T. II Aprilis, p. 106, n. 13. — (4) Acta Martyrum sincera, p. 53. *Observat.*, n. 2 ad linem. — (5) Annales Baronii cum Critica Pagii, t. II, p. 221, n. II, Pagii. Edit. Lucæ, 1738.

Imo

A Imo Eusebius, qui lib. IV, cap. XVI prodit, eam Marco et Vero oblatam; cap. XVIII nulla Veri facta mentione, ait eam Marco nuncupatam esse. *Cæterum hæc prima Valesii ratio, vix non cavillatio dicenda est. Nam ut recte animadvertit Joannes Carolus Otto*, si apologia revera Pio exhibita est, simili modo pluralis desideraretur, quoniam inde ab anno CXLVII M. Aurelium imperii collegam sibi associaverat. Si quis forte dixerit, eam esse ante illum annum oblatam, is legat c. III p. 47 B; c. XIV p. 51 E, et c. XV p. 52 C, ubi nec est, cur illo numero singulari (σοι τῷ αὐτ.) offendamur. Etenim in Justini Actis præfectus mox unum mox plures imperatores commemorat; huc accedit, quod mulier illa, cum Verus ad Parthicum bellum profectus procul abesset, sane uni dumtaxat imperatori, nimirum Marco, libellum poterat exhibere. *Hæc laudatus Otto* (1).

Secunda Valesii ratio exponetur.

24 *Secunda Valesii ratio. Scribit Justinus*, Lucium *quemdam, cum* Ptolemæum *christianum ad supplicium duci videret, his verbis judicem compellasse* : οὐ πρέποντα εὐσεβεῖ αὐτοκράτορι, οὐδὲ φιλοσόφου Καίσαρος παιδὶ, non hæc decent imperatorem Pium, non Philosophi Cæsaris filium. Apud Eusebium in B cap. XVII, lib. IV rectius, *ait Valesius*, legitur : οὐδὲ φιλοσόφῳ, id est *neque Philosophum* : quam lectionem manuscripti codices confirmant. Quis igitur est qui non videat Antoninum Pium hic designari? Nam et cognomentum ipsum εὐσεβεῖ id satis indicat : et quod sequitur de Philosopho imperatoris filio, sententiam nostram manifeste confirmat. Dicet forte aliquis, nomine *imperatoris Pii*, Marcum designari, quippe qui patris sui cognomen assumpserit. Sed si hoc conceditur, quisnam erit ille Philosophus Cæsaris filius? Cur Lucium Verum Augustum hic omisisset Justinus; cum in priore Apologetico ejus mentionem faciat? An non luce clarius apparet, Antoninum Pium hic a Justino designari, cui Apologeticum suum inscripsit. *Ita Valesius, qui non observaverat, Marcum Aurelium, passim Antoninum Pium nuncupatum, qui error illi cum multis viris eruditissimis communis.*

et refellitur. M. Aurelius non raro Antoninus Pius dictus.

25 *Scaliger in animadversionibus Eusebianis ad num.* 2199, *ubi de mirabili illa pluvia, quæ Marci Aurelii tempore contigit, loquens, ait manifesto falsum (errasse) Themistium, gravissimum alioqui scriptorem, qui hoc sub Pio, non sub Marco accidisse scripserit, qua lectiam judicium tulit Harduinus v. c.* C *in Notis ad Orationem* XV *Themistii* de regia virtute ad Theodosium Imp. *Verum Marcum Aurelium modo tantum Antoninum, modo Antoninum Pium, modo Marcum Antoninum nuncupatum ex Nummis apud Mediobardum liquet. Et ut de Pii tantum cognomine loquar, pag.* 228 *Nummi exhibentur, in quibus legitur* : DIVUS M. ANTONINUS PIUS, *in postica:* CONSECRATIO. *Pag.* 271, *Severus qui sese in M. Aurelii familiam inseruerat, in multis Nummis dicitur,* DIVI M. PII F. *id est,* Divi Marci Pii filii. *Sponius in Miscellaneis Eruditæ Antiq. refert inscriptionem Commodi imperatoris, quæ Romæ exstat in Thermis Antonianis, cujus initium*

DIVO COMMODO DIVI PII F
COH. VII VIGIL. L. ANTONINUS
AURELIANUS PRÆF. *etc.*

id est : Divo Commodo Divi Pii filio cohortis VII præfectus (2). *Quare non dubitandum quin Themistius in citata Oratione, ubi ait* : Cum Antonini Romanorum imperatoris, cui ab eadem illa pietate cognomen inditum fuit, siti laboraret exercitus *etc. ac Justinus loco laudato, de Marco Aurelio Antonino, non de Antonino Pio intelligendi sint.*

B. B.

Voces Philosophum Cæsaris filium non de M. Aurelio, sed de Lucio Vero intelligendæ.

26 *Secunda vero pars loci Justini citati, non de Marco, ut perperam Valesius, sed de Lucio cum Marco imperante omnino exponenda, locusque, non ut apud Justinum corrupte, sed ut apud Eusebium habetur, legendus hoc modo* : οὐ πρέποντα εὐσεβεῖ αὐτοκράτορι, οὐδὲ φιλοσόφῳ καίσαρος παιδὶ, οὐδὲ (τῇ) ἱερᾷ συγκλήτῳ κρίνεις ὦ Οὐρβίκη, non hoc sicut imperatorem Pium, non ut Philosophum Cæsaris filium decet, non ita ut sacrosancto senatui convenit, judicas, urbici. *Articulus* τῇ *ab Eusebii editione abest; et in editione Justini perperam scribitur* φιλοσόφου, *ut videre est loco a Valesio citato ac supra descripto* : Justinus *igitur Marcum Aurelium, Lucium Verum ac Senatum Romanum alloquitur, et tam in hoc, quam in priori Apologetico, Philosophiæ ac Pietatis nomina frequenter allegat, ut imperatores Marcum Aurelium.* Pium *cognominatum, et Lucium ejus collegam, quem in priori apologia etiam Philosophum vocat, quique Ælii Cæsaris filius erat, erga pietatem et philosophiam christianorum æquiores reddat ac propensiores. Nec enim conveniebat, ut Marci et Senatus Romani, non vero Lucii mentionem faceret. Porro Lucium Cæsaris filium, naturalem nempe, Cæsarem sine addito vocatum fuisse patet* E *ex inscriptione Ælii Cæsaris ejus patris, quam suo loco (verba sunt Pagii) de hujus adoptione loquentes retulimus. Unde et in vita Lucii a Capitolino scripta, modo legitur* : mortuoque patre Cæsare; *modo* : illatum ejus corpus est Hadriani sepulcro, in quo et Cæsar pater ejus naturalis sepultus est. *Ex hoc igitur loco, Marci Aurelii, Lucii Veri, et Senatus Romani, quibus omnibus apologia illa dedicata, sermo habetur, nostra sententia certa redditur, manifestumque fit deceptum Valesium, qui* Pii *nomine Antoninum,* Philosophi *vero vocabulo M. Aurelium intelligendos arbitratur. Neque enim M. Aurelius* Cæsaris filius *ullibi appellatus, neque Justinus, qui in priori apologia Antonini Pii, M. Aurelii, et Lucii meminit, hunc prætermisisset, in secunda apologia, uti prior, Antonino Pio dicata fuisset. Nec est quod Valesius in* Philosophi *voce vim faciat; cum* Lucius *(martyr) tam in priori Justini apologia, quam in Athenagoræ legatione pro christianis, Lucium Philosophum appellet, non ratione ejus eruditionis, sed propter austeriorem vivendi formam : ad quam duplicem Philosophiæ notionem Valesius animum non advertit. Atque hæc vix non ad verbum ex Pagio* (3). F

Ostenditur M. Aurelium variis rationibus Pium a Martyribus appelari potuisse.

27 *Antequam ulterius in citando Pagio progrediamur, quædam circa secundam hanc Valesii rationem observamus. Vult itaque ipse ex voce* εὐσεβεῖ *concludere hic agi de Tito Antonino Pio, siquidem cognomen Pii non conveniat M. Aurelio. Sed ostendendum incumberet Valesio, memoratam vocem ad cognomen alludere; nam si solum qualitatem quamdam vox illa designet; jam non erit ratio cur negetur eam et M. Aurelio posse competere* : Adde, *inquit Ruinartius* (4), Marcum a Justino *Pium*, dictum tunc fuisse, non quod proprium ejus nomen fuerit, sed ut ipsum, qui lenissimi principis nomen affectabat, ab innocentium Christianorum persecutione avocaret. *Deinde, posito in voce* εὐσεβεῖ *allusionem esse ad cognomen, nondum inde sequeretur, non hic agi de M. Aurelio : quamvis enim nomen* Pii *ipsi tunc a Senatu non esset datum, nemo tamen negaverit illud alia ratione invalescere potuisse* : Quod vero Marcus a Lucio Martyre *Pius* appellatus fuerit, nil mirum est, *inquit rursus Ruinartius* (5), quandoquidem Imperatores prædecessorum

(1) De Justini Martyris Scriptis et doctrina. Jenæ 1841, p. 18. — (2) Miscellanea eruditæ Antiquitatis Sect. VIII, col. 1185 et 1186.

Apud Polenum, t. IV. — (3) Annales Baronii. Ubi supra, n. III. — (4) Ubi supra, p. 53. — (5) Ibid., p. 53.

B. B.

sorum suorum nomine sæpius donabantur; idque sexcentis exemplis confirmari posset, nisi res esset evidentior, quam ut probari debeat. *Et supra jam laudatus Otto, contra Valesium disputans, primum ex Marano citat hæc verba :* In titulo Pii, qui alteri imperatori tribuitur, non Antoninus agnoscendus est, sed Marcus, cui etsi nondum Senatus hujus nominis honorem decreverat, mirum tamen aut incommodum videri non debet, si ei a privatis hominibus, quales erant Lucius et Justinus, defertur. *Tum subjungit :* Atque revera Marcum Aurelium nomine Antonini Pii nuncupatum esse, non solum Themistius in narratione mirabilis illius pluviæ, Suidas aliique, sed etiam nummi lapidum, que inscriptiones (1) luculenter testantur (2). *Quod si Valesius nolit M. Aurelium dici* Pium, *quia hoc nomine a Senatu insignitus non fuerit; eadem ratione et philosophum a, pellare non ; oterit: Senatus enim de hoc nomine nihil umquam decrevit; et proinde corruet deductio, qua utitur idem Valesius, ut stabiliat* Philosopho Cæsaris filio *designari M. Aurelium. Facili itaque negotio diluitur mota a Valesio difficultas, quæ proinde labefactare nequaquam potest testimonium Eusebii et Sancti Hieronymi diserte asserentium secundam seu breviorem* B *Justini Apologiam M. Aurelio oblatam.*

Aptissime Lucius Verus Philosophus Cæsaris filius, *nuncupatur.*

28 *Ex his præterea manifeste apparet ; er verba* Philosophum Cæsaris filium *minime designari M. Aurelium, ut su; ponit (nec enim probat) Valesius.* Imo, *ait Tillemontius* (3), omnia suadent agi de Lucio Vero, siquidem Justinus iisdem omnino verbis ipsum designat initio majoris suæ Apologiæ. Et re quidem vera titulus *filii Cæsaris* nulli aptius convenit quam L. Vero, cujus pater *(Lucius Aurelius Ceionius Commodus, quibus communiter additur Verus)* mortem obiit cum tantum Cæsar esset, qua dignitate eum Adrianus imperator donaverat. Non tamen negabimus Verum a placitis philosophorum discessisse in vita sua ordinanda; ast illorum libros lectitabat, eorum perpetuo utebatur consortio, atque identidem disciplinam graviorem et severiorem affectabat; quæ quidem abunde sufficiebant quo principi nomen tribueretur Philosophi. Dici quoque potest mores ejus privatim magis quam publice corruptos.

Frustra contendit Ruinartius præfatis verbis filium M. Aurelii designari.

29 *A Tillemontio Pagioque dissonat Ruinartius ubi dicit* (4) : Qui vero Philosophi Cæsaris hic filius appellatur, ipse est Commodus Marci filius. C Nam, ut refert Capitolinus in Marci vita, Lucius *(Augustus M Aurelii in imperio collega)* e Syria redux ; *etiit* ut Marci filii Cæsares appellarentur. *Ast audiendus est hic Baronius (ad annum* 164 *num.* 14), *ubi ea refert quæ Ruinartii sententiam evertunt. Secunda seu brevior Justini A; ologia* cum scripta fuisse dicatur *(verba sunt Baronii)* ad eosdem imperatores, Marcum Aurelium et Lucium Verum, ne quis miretur, si apud S. Hieronymum Lucio sit superadditum nomen Commodi : nec quis hunc Lucium Aurelium Commodum putet filium Marci, qui nec nisi decimosexto ejus imperii anno cœpit regnare cum patre : longe enim ante S. Justinus subierat martyrium : nam Lucium Verum, Commodum quoque dictum fuisse, quod filius Lucii Commodi esset, quem Hadrianus in filium adoptaverat, superius dictum est. *Confer Tillemontium* (5) *ubi statuitur Lucium Commodum simul cum M. Aurelio ab Antonino adoptatum; quo demortuo, Senatum soli M. Aurelio imperium detulisse : hunc vero regni socium fecisse Commodum, creasse Augustum, eique, loco Commodi, nomen Veri imposuisse. Quod autem ad filium M. Aurelii spectat : natus est anno* 161, *initio imperii patris sui ; Cæsar creatus an.* 166; *Augustus anno* 177 *id est* 16 *M. Aurelii, in patris demortui locum successit anno* 180; *atque tandem interiit strangulatus postrema nocte anni* 192. D

Tertia Valesii ratio explicatur;

30 *Redeamus ad Pagium diluentem objecta a Valesio. Tertio, inquit* (6), *Valesii ratio.* Urbicus *ille præfectus, cujus ibidem meminit Justinus, vixit sub Antonino Pio. Is enim est Lollius Urbicus, qui legatos Imperatoris Britannos compescuit* ut refert Capitolinus in Vita Antonini. Eum præfectum Urbis fuisse imperante Pio, docet Apuleius in Apologia sub initium. Nam cum Apuleius eam orationem habuerit sub Pio, ut ipsemet in ea testatur; Lollium quoque Urbicum præfectum Urbi, a quo Æmilianum damnatum fuisse dicit, sub eodem Pio fuisse dicendum est. De eodem Q. Lollio Urbico præfecto Urbi, vetus exstat inscriptio apud Gruterum pag. XXXVIII. Cæterum ex his quæ dixi, colligi potest, Justinum sub Antonino Pio, non autem sub Marco fecisse martyrium. Nullam enim aliam causam habuit Eusebius, cur Justini martyrium in tempora M. Aurelii conferret, nisi quod secundum E Apologeticum Marco dedicavit. Atqui certissimis argumentis ostendi, Apologeticum illum Pio nuncupatum fuisse : ruit ergo funditus Eusebii ratio atque sententia. Quid, quod quidem Eusebius ipse in Chronico, eumque secutus Georgius Syncellus, Justini martyrium temporibus Antonini Pii videtur abscribere? Atque ita diserte ponit Michael Glycas in Annalibus. *Hæc Valesius.*

et haud magis, quam duæ præcedentes, solida ostenditur.

31 *At quid vetat* Urbicum, *cujus sententia in* Ptolemæum *et* Lucium *christianos lata occasionem dedit huic Justini Apologetico, præfecturam Urbanam, Antonino Pio imperante, iterumque eamdem dignitatem, Marco im; erium administrante, gessisse? Denique si Justinus, Antonino rempublicam Romanam gerente, passus esset, non dubium quin sub eodem secundam Apologiam Justinus scripsisset. Sed cum ex ejus Martyrii Actis a Baronio laudatis constet, illam Junio Rustico præfecto Urbi existente, morte affectum; eam Apologiam M. Aurelio, non vero Antonino Pio oblatam, certum indubitatumque esse debet. Ulpianus D.* 49 *L.* I de Appellatione *laudat rescriptum M. Aurelii et Lucii Veri* ad Junium Rusticum præfectum Urbi, *qui in vetustis* F *lapidibus Prætor Urbanus etiam dicitur. Plures a Grutero inscriptiones pag.* 221 *recitantur, in quibus legitur :* Q. IVN. RVSTIC. PR. URB. *et rursus pag.* 222. *Neque dici potest,* Rusticum, *de quo in Justini Actis, sub Antonino Pio præfectum Urbi fuisse; cum, præterquam quod id gratis assereretur, con:tet, per Marci im; erium, Rusticum quemdam præfecturam Urbis exercuisse, et, ut hujus anni initio ex Ca; itolino diximus, omnia apud ipsum potuisse. Hic porro Q. Junius Rusticus diversus est a Junio Rustico hoc anno consule; cum Junius Rusticus non dicatur ; ræfectus Urbis a Capitolino loco laudato, ubi ejus dignitates enumerat. Neque verum est, Eusebium in Chronico, Justini Martyrium sub Antonino Pio consignare, ut ostendimus anno* CXLVIII *num.* 6, *(infra recurret de Chronico sermo). Imo cum Historia ecclesiastica post libros Chronicorum ab Eusebio com; osita sit, si is in iisdem scripsisset, Justinum sub Antonino Pio passum, cum contrarium doceat in Historia, id sequendum esset quod in ea scriptum, ut in simili observat Vale-*

(1) Gruterus. Inscription. Ant. totius orbis. Rom., p. 258. — (2) Otto, de Justini M. scriptis et doctrina, p 18 et 19. — (3) Mémoires pour servir à l'hist. ecclésiast., t. II, p, 656, — (4) Ubi supra, p. 53. — (5) Histoire des Empereurs. *Marcus Aurelius*, art. v. — (6) Ubi supra, n. IV.

sius

A *sius in Notis ad lib.* IV, *cap.* I. *Quoad Michaelem Glycam, is adversus Eusebium, Hieronymum lib. de Script. ecclesiast. ac auctorem Chronici Alexandrini, qui Justinum secundam Apologiam M. Aurelio porrexisse tradunt, nullo modo audiendus. Hactenus, et quidem rursus vix non ad verbum Pagius. Ex quibus abunde constare putamus rationes Valesii parum solidas imo plus minusve cavillatorias esse, nec ullo modo prævalere auctoritati Eusebii et sancti Hieronymi.*

§ II. Refutantur Gallandius et Longuerueus de Secunda S. Justini Apologia. Quo tempore is martyrio coronatus fuerit. Annus quo passi sint SS. Ptolemæus et Socii.

Gallandi, secutus Longuerueum, Valesii sententiam partim renovavit.

B Sententiam *Valesii fere obsoletam renovavit versus finem sæculi præteriti doctissimus Andreas Gallandi Præsbyter Congregationis Oratorii in* Prolegomenis *ad suam* Bibliothecam veterum Patrum antiquorumque Scriptorum ecclesiasticorum, Venetiis 1765. *Hic quamvis in quibusdam a Valesio discedat, præcipua tamen hujus placita sua fecit. Quapropter necessarium ducimus quædam hic ex Gallandio adscribere, tum ob viri eruditi auctoritatem, tum quod Lumperus* (1) *ejus sententiam, versus finem sæculi proxime elapsi, amplexus sit, contendens secundam seu breviorem Justini Apologiam oblatam Tito Antonino Vero non obstantibus disertis in contrarium Eusebii Hieronymique assertis. Quæ subjicimus, excerpta sunt ex Prolegom. Cap.* XVII de Justino Philosopho et Martyre (2). Prolixiorem quidem, *inquit*, Apologiam, quæ in vulgatis editionibus, si Thirlbii Londinensem et Marani Parisiensem excipias, breviori postponitur, omnium consensu eruditorum, uno Baraterio contradicente, *primum* litteris consignasse Justinus perhibetur, qui et illam, ut verbis utar Hieronymi, *Antonino*

Apolog. prolixiorem, Antonino Pio oblatam dicit;

C *Pio et filiis ejus Senatuique tradidit.*

32 De anno autem quo hanc Apologiam I scripsit vel obtulit S. Martyr, varia circumferuntur virorum doctorum judicia. Nos illis accedimus, qui sub Antonini Pii initium, sive circa Christi annum CXXXIX id contigisse censent. Sic nimirum Scaliger, Petavius, Dodwellus, Pagius, sed in primis cl. abbas de Longuerue, cujus proinde verbis hanc sententiam adstruere satis ducimus. *Sequuntur verba laudati scriptoris ex ejus Dissertatione de Vita S. Justini M.* § XXII (3), *quæ hic adscribere supervacaneum foret.*

Breviorem, pariter præfato imperatori oblatam probabilius censet,

33 *Et rursus* (4) : Post habitum in Asia Dialogum cum Triphone Judæo, exinde in Italiam reducem, Romæque agentem S. Justinum, Apologiam II Breviorem Senatui Romano, ut vulgo fertur, inscripsisse, apud omnes constat; sed quo tempore, haud una est virorum eruditorum sententia. Valesius quidem præ cæteris et Longuerueus, quibus accedit Pearsonius, Antonino Pio imperante : Pagius vero Tillemontius aliique, quum rerum potirentur Marcus Aurelius et Lucius Verus, hanc Apologiam ab Justino fuisse oblatam existimant. Priorem sententiam amplectimur, quod ea firmioribus rationum momentis innixa nobis videatur, quam etiam præstantis Longuerueì verbis exponere placet. *Atque hæc deinde ex supralaudata hujus Dissertatione de* Vita S. Justini M. *subjungit.* B. B.

citans verba Longuerueì;

34 Ethnicis ubique in Christianos furentibus, et Domini Jesu cultorum carnificina recrudescente sub præfecto Urbis Lollio Urbico, ut malo grassanti occurreret S. Justinus, qui tunc Romæ degebat, aliam *Apologiam*, quam secundam appellant omnes veteres, obtulit Romanis principibus et proceribus, ut eorum exacerbatos deliniret animos, atque objecta Christianis crimina et calumnias dilueret, utque locum conflictus cum Crescente pseudophilosopho cynico ab imperatoribus expostularet.

juxta quem Acti manifeste Antoninum Pium et M. Aurelium indicant.

35 Imperatores vero illi non alii fuere, quam Antoninus Pius Augustus et Marcus Aurelius Cæsar Philosophus, Pii gener et adoptatilius : quod opinatur etiam Valesius. Id enim evincunt hæc Lucii cujusdam Christiani verba relata a Justino, quæ sic legit Eusebius : οὐ πρέποντα Εὐσεβεῖ αὐτοκράτορι, οὐδὲ φιλοσόφῳ Καίσαρος παιδὶ, οὐδὲ ἱερᾷ συγκλήτῳ, κρίνεις, ὦ Οὐρβίκιε. Non decernis, Urbice, consentanea Pio imperatori, nec Philosopho Augusti E filio, neque sacro Senatui. His verbis conceptis exhibetur imperator Pius, qui senior est Antoninus, et Augusti filius Philosophus, qui idem est ac Marcus Aurelius seu junior Antoninus; quique dum viveret Pius ejusdem socer, dictus est Aurelius Cæsar, Augusti Pii filius, ut ex nummis liquet. *Atqui hic assumit cl. Abbas quod probandum venit. Tota enim quæstio in eo præcise vertitur an* Pius *ille* Imperator, *sit senior Antoninus; an* Philosophus Cæsaris filius, *sit Marcus Aurelius?*

Asserit, sed non probat, Longuerueus, M. Aurelium, dum viveret nusquam fuisse vocatum Pium.

36 Neque objicias, *prosequitur Longuerueus*, Marcum Aurelium Antoninum dictum fuisse Pium, eodem plane modo quo senior Antoninus hanc denominationem sortitus est. Hoc enim reperitur nullibi, nisi apud Themistium, qui, ut censent eruditi, quum labente sæculo IV scriberet rhetorque esset, priscæ historiæ non admodum peritus, ea quæ ad Marcum Philosophum pertinebant, ad Pium transtulit, inepte prorsus; nec Marcum alium principem, sed solum Pium Antoninum seniorem intellexit. Nam alias a nemine intelligi voluisset F Themistius, quum apud omnes historicos, jurisconsultos et in imperatorem constitutionibus senior Antoninus semper appelletur *Divus Pius*; ejusdem vero gener, *Divus Marcus*; vel quoties ei Lucium associant collegam, ambos appellant *Divos fratres*. *Tota cl. Abbatis ratiocinatio ruit, siquis dicat haud necesse esse, ut M. Aurelius dictus sit* Pius, eodem plane modo quo senior Antoninus hanc denominationem sortitus est. *Sufficit enim ut alia quavis ratione. Conf. n. 27. Quod ad Themistium spectat, quem Longuerueus* Rhetorem priscæ historiæ non admodum peritum *facit; opponimus primum, hunc eumdem Themistium a Scaligero* gravissimum *haberi* scriptorem; *deinde probandum esset verba ejus, dum de mirabili illa pluvia precibus Legionis fulminantis obtenta agit, necessario ad Antoninum non vero ad Marcum Aurelium referenda. Quod utique nullatenus probat cl. Abbas. Addi posset, sæculo* IV *non adeo* prisca *fuisse tempora Justini Martyris.*

Quidquid dicat Longuerueus, integra subsistit Pagii argumentatio.

37 Deinde in nummis cusis vivente Marco, numquam *Pius* ipse appellatur. *Esto. Quid inde? An ergo omnes nummi in illius honorem cusi ad nos pervenerunt? An, quamvis in nummis non adhiberetur, cognomen illud vulgo usurpari non potuit?*

(1) S. Gottefridi Lumper monachi Benedictini Historia Theologico-critica. Part. seu Tom II, p. 73-82. Edit. Augustæ Vindelicorum 1784. — T. I. p. LXXXII et seqq. — (3) Pagg. 220, 242, 343, 378. — (4) Prolegomen., p. LXXXVII.

V. D. B.

An præsertim sæculo IV, *quo florebat Themistius, nomen* Pii *Marco Aurelio non erat communiter assertum? Nonne præterea res erat omnibus notissima pluviam illam mirabilem M. Aurelio imperante cecidisse? Ut quid proinde* a nemine intelligi voluisset *Themistius* Rhetor, *dum M. Aurelium indigitavit nomine* Antonini Romanorum imperatoris, cui ab eadem illa pietate cognomen inditum fuit? *Imo vero si alium quam M. Aurelium intenderit, fatendum erit ipsum in meridiana luce cæcutiisse; quod non facile admittetur inco quem ipse Scaliger* gravissimum *habet* scriptorem. Sed, *ait Longuer.*, hoc imperatore mortuo, postquam consecratus fuit atque inter Divos relatus, tunc demum dictus est etiam *Pius*, vivente Commodo. Iste vero licet impius esset, voluit etiam *Pius* appellari, sed non eadem ratione ac Pius Augustus. Nam quemadmodum omnes imperatores dicti sunt *Augusti* post Augustum Cæsarem, licet hujus solius verum nomen Augustus fuerit; sic cæteri principes fere omnes post Commodum et Caracallam dicti sunt *Pii* et *Felices*, quamvis sæpius fuerint impii et infelicissimi. Inscriptiones autem quæ ad testimonium ab
B adversariis citantur, vel pertinent manifeste ad Caracallam qui dictus est *Marcus Antoninus Pius*, vel jam defuncto Marco sculptæ fuerunt. Inscriptio vero quam refert Sponius, ubi pater Commodi dicitur *Divus Pius* omisso Marci nomine, nihil est, et cæterarum inscriptionum, quæ omnes conveniunt, auctoritate emendandus, non Sponius, qui hanc inscriptionem numquam legit, sed schedarum Barberinarum descriptor, aut saltem exemplaris ad Sponium transmissi : nisi quis dicat, primum hujus epigraphes descriptorem fugientem litteram M non vidisse, quæ ut in cæteris, præponi debuit voci *Pii*. *Non opus est multis hic ostendere argumenta Pagii ex nummis et inscriptionibus deducta, nihil obstantibus Longuerueι rationibus, plane subsistere. Nec enim directe refellitur Pagius; nec præterea ejus argumenta vim suam amitterent, etiamsi daretur constare (quod tamen minime damus) nummos illos post M. Aurelii obitum cusos fuisse. Exinde enim non sequeretur ipsum, dum viveret, nomine Pii non vulgo vocatum fuisse, quamvis illud senatus consulto non esset assertum.*

C

Frustra indignatur Longuerueus Philosophum a nobis vocari Lucium Verum. Est quæstio facti.

38 Præterea contendunt adversarii, eo loco solum Lucium appellatum fuisse *Philosophum* : nam unus saltem dicitur Philosophus : iste autem, ut ipsis placet, Lucius est. Ipso solus Marcus dictus esset αὐτοκράτωρ licet Lucius pari honore et potestate esset imperator Augustus : quod absurdum et falsum est. *(Mera sunt illa verba, quibus, ni addatur probatio, nemo assentietur).* Et quod falsum magis, Marcus a Lucio Martyre non dicitur Philosophus, sed ejusdem collega. Itane? Marcus ille, qui assidue scholas frequentabat, philosophos audiebat, vitam vere philosophicam et stoicam vivebat, libros philosophicos edebat, non est appellatus philosophus : hac autem nuncupatione decoratus est ille Lucius, qui neque philosophiam discebat, neque philosophos curabat; sed mimos, aurigas, scurras, meretrices; totus ludis theatralibus et circensibus intentus, helluo, vorax, impudicus; ille, inquam, hoc honorificio titulo, quo prorsus indignus erat, ornatus fuisse creditur? *Quorsum pathetica illa oratio? Sit, potiore jure M. Aurelium nomen Philosophi meruisse; an inde, efficitur nulla ratione Lucium eodem nomine potuisse designari et reapse fuisse designatum? Hæc tota quæstio est. Confer. n.* 28.

Solus est qui Καίσαρος παῖς reddi vult : Augusti filius.

39 Καίσαιρος παῖς autem *filius Augusti* est : nam Romanus imperator Augustus vulgo et eo usitatissimo more absolute Καῖσαρ appellatur. Lucianus (1) qui tunc in vivis erat, docet nos, imperatoris præsidium consuevisse invocari hac voce, ὦ Καῖσαρ (non ὦ σεβαστέ). Nil mirum igitur si Lucius martyr Augusti filium appellat Καίσαρος παῖδα. Unicum hic nominat Lucius martyr imperatorem, sicut et Justinus : solus enim Pius erat imperator Augustus, sed non est oblitus Augusti filii, Marci scilicet, quia reipublicæ regimen Pius cum Marco genero vivens participaverat, et quidem anno Christi CXLVII, quod liquet ex Capitolino : *Faustinam*, inquit, (filiam Pii *anno* CXLVI) *duxit uxorem, et suscepta filia* (Lucilla *anno* CXLVII) *Tribunitia potestate donatus est, atque imperio proconsulari extra Urbem, addito jure quintæ relationis.* Et paulo post : *Omnino apud Pium* (insusurratio adversus Marcum) *nihil valuit. Tanta erat Marci probitas et tanta in imperatorio principatu modestia. Hactenus Longuerueus. — Nemo unus, putem, erit eruditorum qui notationem hanc magni faciat, quum speciem cavillationis præ se ferat. Quod vel ex eo constat nulli ante cl. Abbatem in mentem venisse* E
verba Καίσαρος παῖς *latine reddere* filium Augusti ; *ad unum omnes ponunt* Cæsaris filium *et recte quidem. Secus vox* Καίσαρος *referretur ad Antoninum de quo eadem in linea legitur* εὐσεβεῖ αὐτοκράτορι. *Non hic est Justino scribendi modus. Si ad mentem Longuerueι* Philosophus *intelligeretur* M. Aurelius, *hac potius vel simili usus fuisset Justinus locutione:* Non hæc decent Pium imperatorem nec Philosophum ejus filium. *Jam semel atque iterum laudatus Joann. Carolus Theod. Otto decem adhinc annis de S. Justino edidit* Commentationem, in certamine, *ut habetur ex Titulo*, litterario civium Academiæ Jenensis, die v Sept. MDCCCXL, præmio Principum munificentia proposito, publice ornatam ; *ubi hæc in rem nostram reperio* (2). Nullibi in veterum monumentis M. Aurelius Καίσαρος παῖς appellatur; quod si Apologiam Antonino Pio traditam crederemus, illud cognomentum Marco contra consuetudinem a Lucio imponeretur. Revera autem Verus jam prioris Apologiæ initio hunc titulum acceperat a Justino : Καὶ Λουκίῳ φιλοσόφῳ Καίσαρος (*et Lucio Philosopho Cæsaris h. e.* L. Ælie Veri, qui ab Hadriano adoptatus, ut Capitolinus narrat, primus Cæsar est dictus) φύσει υἱῷ *(natura filio).* Quid porro? F
Haudquaquam conveniebat, ut Justinus, si Apologia II. Pio oblata fuisset, Marci quidem et Senatus Romani, non tamen Lucii Veri, quem in priori Apologia claris verbis nominat, mentionem faceret. Quæ quum ita sint, erit acquiescendum in vulgata sententia, a veteribus jam proposita, ex qua hic Apologeticus M. Aurelio et L. Vero est repræsentatus.

Vitium latet capitale in adversariorum argumentatione.

40 *Atque hæc sufficiant ut ostendatur argumenta Longuerueι parum esse firma. In tota hac disputatione vitium latet radicale. Nemo negaverit Eusebium Hieronymumque disertis affirmare verbis* Breviorem *Justini Apologiam oblatam Marco Aurelio. Capitalis itaque quæstio eaque simplicissima hæc est : An scilicet duo illa historiæ ecclesiasticæ lumina erraverint hoc affirmantes? Quod si obtineat, positivis demonstretur testimoniis oportet. Ast alia prorsus ab adversariis incediitur via. Assumunt illi difficultates quasdam, exurgentes sive ex verbis sive ex locis hinc inde dubium vel minus perspicuum admittentibus sensum, atque ex obscurioribus istis interpretantur clariora : dum juxta sanæ interpreta*

(1) In Lucio, p. 600 b.— (2) De Justini M. scriptis et doctrina, p. 19.

A *pretationis regulas, tenebræ ex luce essent dissolvendæ.*

De anno martyrii S. Justini

40 *Superest ut aliud expendamus argumenti genus, quod ab eodem mutuatum Longuerueo, præ cæteris urget Gallandi Prolegom. cap.* XIX (1). *Inquirit nempe quo anno passus sit Justinus. Laudat Mazochium,* qui *quidem,* acta sancti Martyris perquam erudite illustravit, et textum græcum nova interpretatione donavit, relicta Sirleti versione, quam secuti fuerant Bollandiani et Ruinartius; *quem tamen errasse censet in determinanda martyrii epocha: fluctuat enim Mazochius inter annos* CLXV, CLXVII, CLXIX *et* CLXX; *dum Gallandio martyrium Justini* Christi anno CL illigandum videtur. *Quod ut stabiliat, primum assumit breviorem Apologiam Tito Antonino oblatam, repetens breviter argumenta a Valesio adducta. Deinde pergit hoc modo* (2). Neque vero a posteriore Justini Apologetico abludunt *Acta*. In his enim *unius* Cæsaris fit mentio, *uniusque imperatoris* edictum proponetur. *(Quanti hæc valeant supra ex Pagio ostendimus* n. 23). Sub initium quidem eorumdem actorum, præfectus sic allocutus fuisse Justinum perhibetur : ὑπάκουσιν τοῖς βασιλεῦσιν, *Imperatoribus morem gerito.* Verum B quo demum sibi omnia constent, illud βασιλεῦσιν ad omnes retro principes, quotquot edicta in Christianos promulgarunt, referendum omnino videtur, ut recte interpretatur ipsemet Mazochius *(Atque ex his nova accedit ratio, ob quam recte etiam superiora interpretatus nobis videtur Pagius.)*

quod Gallandius refert ad annum Christi CL.

41 Ergo sub Antonino Pio, non sub M. Aurelio passus est Justinus, et quidem anno Christi CL, paulo post oblatam Apologiam II. Probatur ex Justini verbis *(citatur locus ubi Justinus insidias imo et crucis supplicium expectare se ait a Crescente).* Ex Tatiano discipulo Justini: *Crescens igitur ille,* inquit Tatianus, *in magna Urbe nidum posuerat.... mortis autem contemptor ita mortem metuebat, ut eam Justino non secus ac mihi, veluti malum aliquod, machinationibus inferre conatus sit; eo quod ille veritatem prædicans, gulæ et fraudis Philosophos arguebat.* Neque aliter, *(ita prosequitur Gallandi)* Justinum Tatianumque accepit Eusebius. Quod si vero Episcopus iste Cæsariensis, M. Aurelio imperante sanctum Martyrem passum tradit, eo demum nomine ita ipsum censuisse novimus, quod secundum Apologeticum Marco oblatum existimavit. C Atque, ut jure arguit Valesius, certissimis argumentis comprobatum est, Apologeticum illum seniori Antonino fuisse nuncupatum. Ruit ergo funditus Eusebii ratio atque sententia. *(Hæc si tam solide probarentur quam confidenter proferuntur, profecto manus victas daremus. Ast cum nihil novi adducat eruditus scriptor, licitum nobis erit in nostra perstare sententia, eoque firmius quo clarius perspicimus oppositæ sententiæ patronos non rationibus decertare, sed verbis iisque valde canoris).* Quid, quod ipsemet Eusebius in Chronico, anno ab Abrahami ortu MMCLXVI, Antonini vero Pii XIII currentibus, id est anno Dionysiano CL, Justinum Martyrio sublatum litteris consignavit? Ut proinde historica Eusebiana, (quo sibi cohæreant) ex ejusdem auctoris chronicis emendanda videantur. *Quidni ejus chronica emendanda ex historia? Ast operæ pretium argumentum ex chronicis deductum inspicere penitius.*

Chronica Eusebii contradicere ejus historiæ asserit Gallandi;

42 *Et primum quæri potest, num reipsa chronica Eusebii contradicant ejus historiæ ecclesiasticæ? Scribit Eusebius chronicorum libro posteriore, ad annum Abrahamiticum* MMCLXVI. Crescens Cynicus agnoscitur, qui Justino nostri dogmatis philosopho, quia se gulosum et prævaricatorem philosophiæ arguebat, persecutionem suscitavit, in qua ille gloriose pro Christo sanguinem fudit (3). *Ita Eusebius ex interpretatione S. Hieronymi.* Neque, *subdit Gallandi* (4), aliter idem Eusebius in chronicorum libro priore; siquidem sibi constans, eo etiam loci Justini martyrium inter res sub Antonino Pio gestas recenset. *Porro ita in laudato chronico legitur.* Antoninus Pius, tertius decimus Romanorum imperator regnavit ann. XXII, menses III. Huic Justinus philosophus, nostri dogmatis librum pro nostra religione conscriptum reddidit; cui Crescens cynicus, quia se gulosum et prævaricatorem philosophiæ coarguebat, persecutionem suscitavit in qua ille gloriose pro Christo sanguinem fudit (5). D. E

ex quibus concludit Justinum passum esse an. CL.

43 *Difficultatem hanc ex duplici Eusebii loco petitam jam dudum solvit Pagius, et, nostra quidem sententia, penitus eam summovit, quidquid in contrarium excogitaverit Gallandi cum Longuerueo.* Quid vero, *inquiunt illi,* ad hæc Pagius? *Eusebius,* inquit, *de Crescente philosopho loqui intendit, et ut moris ejus est, uno tenore recitat mortem, quam ille sancto Justino infligendam curavit.* Itane chronographus ecclesiasticus et post eum Hieronymus, epochæ martyrii Justini prorsus obliti ad solum putidum Crescentem animum adverterunt? Incassum enim vero laborant qui ita sentiunt; nec violentus iste conatus illis proderit. Nequidquam enim ipsis reclamantibus, ratum erit Eusebio atque Hieronymo auctoribus in *Chronico* sanctum Martyrem nostrum necatum fuisse anno Abrahami MMCLXVI et Pii imperatoris XIII currentibus, id est anno æræ Christianæ CL (6). *Quæ mera rursus sunt verba et voces, nec rationem seu potius explicationem Pagii ullatenus attingunt.* E

Ostenditur variis exemplis immerito ita concludi.

44 *Nemo enim, qui vel obiter posteriorem chronicorum Eusebii percurrerit partem (ut de hac primum agamus) negaverit usitatum ipsi esse notare annum quo sive philosophus, sive rhetor, sive scriptor, sive alius aliquis inclaruerit (sexcentis id ostendi exemplis posset) addens non raro quædam in specie quibus famam sibi acquisiverit, licet hæc sequentibus tantum contigerint annis. Sic ad annum Abrahamiticum* MMLXVII, *Christi* LII *legitur.* Claudius Felicem procuratorem Judææ misit, apud quem Paulus apostolus F accusatus in defensionem sui perorat (7). *Num dicet Gallandi Paulum primo anno, quo Felix in Judæam advenit, causam suam apud eum dixisse, cum apud omnes in confesso sit, id diu post (juxta Tillemontium octavo vel nono post anno (8)) locum habuisse? Atqui tamen et hic objici posset:* Itane chronographus ecclesiasticus et post eum Hieronymus Pauli prorsus obliti ad solum putidum Felicem animum adverterunt? *Nihil proinde ex istiusmodi interrogatiunculis in rebus historicis efficitur. Rursus ad annum Abrahamiticum* MMXCI, *Christi* LXXVI *legitur in Eusebii chronico.* Q. Asconius Pedianus scriptor historicus clarus habetur: qui LXXIII ætatis suæ anno captus luminibus, XII postea annis in summo omnium honore consenescit (9). *Hæc profecto non incidunt omnia eumdem in annum. Ast notato tempore quo vir ille innotuit, cætera quæ ad eum pertinent uno tenore recitantur. Quidni idem statuerimus de Crescente philosopho? præsertim cum ipse Eusebius in historia sua ecclesiastica (quam multis post*

(1) Ubi supra, p. XCV et seqq. — (2) Ibid., n. 11, p. XCV. — (3) Vide Thesaurus temporum Eusebii Pamphili, studio Josephi Scaligeri, p. 45. Edit. Amstelodam, 1658. — (4) Ibid., n. IV, p. XCVII. — (5) Thesaurus Temporum Eusebii Pamphili, p. 168. — (6) Gallandi, ubi supra, p. CXVII. — (7) Thesaurus Temporum, p. 160. Concordat *Eusebii Pamphili Chronica bipartitum græco-armeno-latinum,* part. II, p. 153. Edit. Venetiis 1818. — (8) Hist. eccles., t. I. p. 276. Paris. 1702. — (9) Apud Scaligeum, p. 163. Deist in græco-armeno-latino.

nica

B. B.

Chronica annis conscripsit, et ex qua proinde chronica, si opus foret, emendanda potius essent, quam historia ex chronicis) statuat martyrium Justini Marci Aurelii temporibus, ut satis aperte fatetur vel ipse Gallandi.

Nec alter Eusebii locus magis Gallandio favet.

45 *Quod vero ad locum ex* Chronicorum parte priori *descriptum attinet, nec hic majorem facit difficultatem. Atque imprimis verum est* Antonino Pio Justinum Philosophum nostri dogmatis librum pro nostra religione conscriptum, reddidisse *(priorem scilicet seu prolixiorem Apologiam); nec etiam negamus* suscitatam a Crescente contra Justinum persecutionem in qua hic gloriose pro Christo occubuit; *sed simul contendimus ex Eusebii verbis haud posse concludi, persecutionem hanc referri ad tempora Titi Antonini. Nam sicut in* posteriore parte *ex occurrente Crescentis mentione occasionem cepit Eusebius agendi de mota contra Justinum persecutione: sic in* priori parte, *ex injecta de Justino mentione ad Crescentem dilabitur. Discrimen inter utrumque Eusebii locum in eo situm est, ut in altero Crescens memoriam injiciat Justini, in altero Justinus Crescentis. Ast ex utroque nihil definitur quoad Martyrii tempus. Nullo modo itaque sibi con-* B *tradicit Eusebius: in historia ecclesiastica diserte affirmat breviorem seu secundam Apologiam Marco Aurelio fuisse oblatam, ac brevi post Justinum pro Christo sanguinem fudisse; in Chronicis incidenter tantum agit de Martyrio nec quidquam de ejus epocha definit. Standum proinde regulæ, quæ pronuntiat: determinata, certa, clara, ex obscuris et indeterminatis haud infirmari.*

Quo jure Gallandius provocet ad Georgium Syncellum,

46 *Transit Gallandi ad aliud argumenti genus. Favere sibi dicit* (1) *Syncellum, Cedrenum, Glycam,* et *Anonymum Vossianum apud Pearsonium, item S. Prosperum in Chronico et præsertim S. Epiphanium. Singulorum verba describamus, quæ tamen apponere supervacaneum judicavit Gallandi. Scribit Georgius Syncellus in chronographia ad annum mundi* 5629, *Divinæ Incarnationis ann.* 130 (2). Romanorum Imperator 13 Titus Antoninus cognomento Pius, una cum filiis Aurelio et Lucio annis 23. *Recensitis aliis quæ ad hujus imperium spectant, hæc habet ad rem nostram.* Justinus quoque Philosophi nomen adeptus est; qui in rectæ fidei nostræ defensionem librum Antonino obtulit. *Et inferius.* Crescens cynicus philosophus cyni- C corum liguritione inustus et ab Justino reprehensus, divino viro inter nostros philosophiam profitenti mortis per martyrium auctor fuit. *Non magis explicita hæc: sunt quoad Martyrii epocham quam in* Chronicis *Eusebii. Non ergo recte dicitur Syncellus omnino favere sententiæ Gallandii.*

Cedrenum,

47 *Cedrenus hæc habet:* Sub eo *(Tito Antonino)* Polycarpus Joannis Evangelistæ discipulus et Justinus Philosophus ac Dionysius Corinthi Episcopus ob divinæ veritatis professionem supplicio affecti sunt (3). *Quam fidem mereatur Cedrenus vel ex eo elucescit, quod eodem anno ponat passionem sanctorum Justini et Polycarpi, cum certum sit hunc passum esse sub M. Aurelio, anno Christi* 166, *ut vult Tillemontius, vel ann.* 169, *ut placet Baronio.* Valesius in Notis ad lib. iv Eusebii existimat cum hoc scriptore *(Eusebio nempe)* S. Policarpi martyrium hoc anno (Christi 167) contigisse: *ita in critica ad Baronii annum* 169 *Pagius, qui ipse tamen censet annum hujus martyrii obscurum, licet nullo dubitet modo quin sub M. Aurelio contigerit et quidem versus tempora a laudatis scriptoribus assignata. Quod* D *autem sanctum Dionysium attinet, indubium est ipsum floruisse Corinthi sub eodem M. Aurelio. Eusebius de eo prolixe agit* (4) *septem ab ipso conscriptas laudans epistolas; atque in Chronicis ad annum Christi* 172 *(ex recensione Scaligeri) hæc leguntur:* Dionysius Episcopus Corinthiorum clarus habetur (5). *Aliud ad ejus vitam et mortem spectans nihil tradidit antiquitas. Ast ista sufficiunt, ut videatur quanti sit facienda Cedreni auctoritas, et quam prudenter Gallandius abstinuisset ab ejus testimonio.*

Glycam et Anonymum Vossianum.

48 *Nec ipsi magis prodest Glycas, cujus annales quamvis pluris ab eruditis æstimentur quam compendium Cedreni, hic tamen in eumdem fere impegit errorem, ut ex citatis verbis liquebit.* Post Adrianum Antoninus cognomento Pius ob morum benignitatem, annos 28 imperavit: sub quo Justinus Philosophus et Dionysius Corinthi antistes, ut doctrinæ christianæ testimonio essent vitam amiserunt. Successit huic Marcus Antoninus. *Ita Glycas* (6). *Cæterum notemus Syncellum, Cedrenum et Glycam longe recentiores Eusebio esse, nec cum ipso sub eruditionis respectu posse comparari, idque eruditorum omnium judicio. Non vacat inquirere quid* E Anonymus *ille* Vossianus *apud Pearsonium scripserit; cum enim Anonymus sit et insuper ejus opera vix ab ullo nominentur aut citentur, constat non magni ejus testimonium ponderis æstimandum.*

et S. Prosperum.

49 *Sequitur apud Gallandium divus Prosper quem etiam sibi faventem facit. Quo jure judicabit lector. Versus finem imperii T. Antonini, sub consulatu Tertulli et Sacerdotis scribit sanctus Prosper in suo Chronico integro:* Crescens Cynicus in nostri dogmatis Philosophum Justinum, a quo ob nimiam gulam prævaricator Philosophiæ arguebatur, persecutionem suscitavit, in qua ille gloriose pro Christo sanguinem fudit (7). *Evidens est hausta hæc esse ex Eusebii Chronicis; sunt enim, paulo immutato stylo, eadem; nec proinde plus probant quam apud Eusebium.*

Nec magis Gallandium juvat Epiphanius.

50 *Remanet sanctus Epiphanius quem omni modo sibi vindicare nititur Gallandius.* Primum, *inquit Epiphanius* (8), in Mesopotamia novam sectam condere aggressus est *(Tatianus)* circa annum xii Antonini cognomento Pii. *In hunc textum ita ratiocinatur Gallandius.* Cum vero plane compertum sit, paulo post Justini martyrium F a Christiana religione descivisse Tatianum, hinc omnino colligendum, beatissimum Justinum circa Christi annum cl martyrii coronam fuisse consecutum. Verba enim Epiphaniana περὶ τὸ δωδέκατον ἔτος *circa annum duodecimum,* inquit vir eruditus *(Longuerue)* non modo de anno currente, sed de exacto etiam intelligi possunt; ita ut hæreseos Tatianeæ initium assignari queat anno Christi cli, quum Antoninus imperii annum ageret xiii. *Mirandum sane virum cæteroquin eruditum tantam ponere operam in deducendis ex Epiphanii textu sequelis. Quasi vero non esset res notissima Sanctum illum, aliunde de re catholica optime meritum, in rebus historicis ac præcipue in distinguendis temporibus minime esse accuratum.*

S. Epiphanii in rebus chronologicis exigua auctoritas.

51 Quod autem Melchior Canus scriptum reliquit, *ait Possevinus noster,* verum est, Epiphanium utique in rerum gestarum temporumque ratione nullos graves auctores sequi solitum, in his interdum falli (9). *Sic etiam Oudinus* (10): Ex his itaque,

(1) Ubi supra, p. xcvi. — (2) Corpus historiæ Bizantinæ. Bonnæ. 1829. Georgii Syncelli, vol. I, p. 662 et 663. — (3) Ibid. Georgii Credeni Historiarum compendium. t. I, p. 439. — (4) Hist. ecclesiasti., lib. iv, cap. xxiii. — (5) In Chronico posteriori, p. 170. — (6) Corpus script. hist. Byzantinæ. Glycas, Annalium, part. iii, p. 449. — (7) S. Prosperi opera omnia. Paris. 1711, col. 712. — (8) Hæres. xlvi, § 1. — (9) Apparatus sac. Colon. Agrippin. 1608, t. I. p. 511. — (10) Comment. de script. eccles. antiquis. Lipsiæ 1722, t. I, col. 539.

quæ

A quæ scripsit Epiphanius, constat neque illum fuisse in antiquitatibus ecclesiasticis apprime eruditum, in temporibus distinguendis parum accuratum, narrationibus nullo examine adhibito nimis credulum : quorum omnium vel solæ Meletianæ et Arianæ hæreseon enarrationes testes esse possunt, de quibus Dionysius Petavius *(qui, ut notum est, plurimum in vertendis illustrandisque S. Epiphanii libris laboravit)* in *animadversionibus* ad hæresim LXIX Arianorum pag. 286. Hic enim ferme perpetuus est in corrigendis vel emolliendis Epiphanii lapsibus. *De Meletianis actis ac tota Schismatis historia, quam hic proponit Epiphanius, quid sentiendum sit, in Baronianis annalibus explicatur anno* 306 *num.* 45, *quibus ego lubentissime subscribo.* Hæc Petavius contra Epiphanium de schismate Meletianorum. Melchior Canus insignis Theologus, *locorum Theologicorum lib.* II, *p.* 477, quam parum Epiphanium æstimaret in historicis, his aperit verbis : *Epiphanii*, inquit, *sententia, quæ contra historiæ fidem ponitur, nihil prorsus movere nos debet : quoniam in rerum gestarum temporumque ratione, nullos ille graves auctores sequi solet.* Cæsar Baronius in *Annalibus* tomo præsertim 3 B aliam de Epiphanio sententiam non habuit, quem passim relinquere, imo refutare in fabulosis et anilibus coactus est. *Hucusque Casimiris Oudinus, a quo non dissentit ejus ex professo contradictor Guillielmus Cave. Epiphanius* vir erat, *inquit* (3), pietate, reliquisque virtutibus Christianis ornatissimus; Hebraice, Syriace, Ægyptiace, græce et latine doctus, unde Hieronymo πεντάγλωττος audit, antiquitatum ecclesiasticarum callentissimus; in narratiunculis tamen nullo habito examine admittendis nimis credulus, in temporibus distinguendis parum accuratus; cujus rei sola Arianæ hæreseos historia nobis fidem facit. *Similiter et Fabricius* (4) : In chronologia fere semper insistere eum *(Epiphanium)* vestigiis Eusebii, monet Petavius in notis p. 16; non raro tamen turbare et hallucinari, idem non uno in loco observat. *Eadem tradunt Natalis Alexander* (5) *Ceillier* (6) *(aliique communiter. Ita ut cum Tillemontio* (7) *dicere liceat :* Non solemus consulere S. Epiphanium ubi C quæstio de Chronologia est.

Nihil ergo ex præfatis scriptoribus contra Eusebium potest deduci.

52 *Multo igitur nimium Epiphanio tribuunt Gallandius ejusque antesignanus Longuerueus, quando ex ejus quibusdam incidentibus verbis, nec quidem omnino conceptis, destructa volunt diserta Eusebii Hieronymique testimonia. Atque ex his videre est quanti valeant auctores, quos illi sibi consonos affirmant. Alii quidem æque prudenter dici possunt nobis favere ; alii obscure loquuntur vel talia afferunt quæ secum invicem pugnant.*

Nova difficultas in sententia Gallandii, ex nomine Rustici.

53 *Quod si etiam daretur Gallandio et Longueruco, Justinum passum fuisse sub Tito Antonino, dispellenda remaneret difficultas ex ipsis S. Martyris actis (quæ ut genuina uterque admittit) enascens. Omnia exemplaria ferunt martyrium istud contigisse sub præfecto urbis Rustico, qui munus hoc exercuit imperantibus M. Aurelio et Lucio Vero, ut constat ex eorum rescripto ab Ulpiano recitato* (8). *Difficultas hæc non præteriit Gallandium, ut appareat vel ex ipso modo quo illam solvere aggreditur.* Quum ex iis, *inquit* (9), quæ modo sunt disputata, compertum habeam, et jure sane ut mea fert sententia *(statuat lector quodnam possit esse jus illud)*, S. Justinum sub seniore Antonino Martyrium subiisse, facile adducor ut credam, in Actorum textum *Rustici* nomen pro *Urbici* ex loco Epiphanii depravato irrepisse. *Res est Gallandio sacra, Epiphanium in historicis chronologicisque ducem sequi, nequidquam reclamantibus eruditis quotquot hucusque exstiterunt.* B. B.

quam solvit Gallandius supponendo et Epiphanii et actorum textum corruptum.

54 *Quidquid de eo sit, verba subjiciamus ad quæ hic recurritur. Epiphanius hær.* 46 § I *scribit Justinum* pro Christo martyrio perfunctum ἐπὶ Ρωστικοῦ ἡγεμόνος sub Rustico præfecto, *quæ concordant cum actis. Ergo Epiphanius hic Gallandio adversatur. Ast parvi refert. Duplici facta suppositione omnis evanescit difficultas. Primum itaque supponit Gallandius corruptum fuisse textum Epiphanii; deinde ex hoc textu depravato similem adulterationem irrepsisse in Acta S. Justini. Jure expectat lector, qua ratione hæc probentur. Primum de textus Epiphaniani adulteratione, ut certum assumit Gallandius, nec id probatione indigere ipsi videtur. Secundum vero ita evolvit (neque enim probat).* Aliquis antiquarius (forte ipsemet Metaprastes....) noverit Epiphanium tradidisse Justinum *pro Christo martyrio perfunctum sub Rustico præfecto;* atque adeo Epiphanii auctoritate permotus, contra exemplaris fidem, quod exscribebat, post- E habito Urbici nomine, Rusticum rescripserit; conjiciens ob litterarum ταυτότητα in utroque pœne occurrentem, facile potuisse librarium in errorem induci. Noverat præterea idem antiquarius, quisquis fuerit, traditum ab Eusebio, M. Aurelio imperante, Justinum Martyrio sublatum, sub quo item Rusticus urbana præfectura fuerat ornatus. His accedit, longe notius fuisse Rustici nomen ex fastis consularibus, in quibus Urbicus nusquam comparet. Quæ quidem omnia in causa fuerint, cur librarii lapsum, ut ipse putabat, admissum in Actis Justini describendis, corrigendum existimarit, Rustici nomen superinducens ubicumque Urbicus occurrebat.. Jam porro cum viri docti compertum habeant, hinc loci Epiphaniani vulnera, sive importuna antiquariorum licentia, sive supina librariorum incuria, esse prorsus immedicabilia; illinc vero Eusebius nullibi gravius peccasse quam in Antoninorum gestis enarrandis, quos passim absurde confundit : propterea enim vero in Actis Justinianis Rustici nomen delendum, ejusque loco Urbicus restituendus. *Addit deinde, verbis utens Longuerui :* Neque enim, *inquit cl. Abbas*, ullus alius agnoscendus Urbi præfectus qui Justinum F damnavit, quam L. Lollius Urbicus, qui quo tempore Apologiam II obtulit noster Philosophus, variis suppliciis Christianos vexabat, ut ipsemet testatur his verbis Καὶ τὰ χθὲς δὲ καὶ πρώην ἐν τῇ πόλει ὑμῶν γενόμενα ἐπὶ Οὐρβίκου, ὦ Ρωμαῖοι *quæ heri et proximis diebus in urbe vestra, o Romani, sub Urbicio accidere.* Vixdum enim Apologeticum illum obtulerat (Justinus) quum instigante potissimum Crescente Cynico fuisse martyrio coronatus, ex superius dictis comperitur. *Hactenus Gallandius cum Longueruco* (10).

Quam præpostera et temeraria sit Gallandii argumentatio.

55 *Fatendum est quod si ita in rebus historicis liceret argumentari, facile esset quemcumque transformare textum, qui nostris non quadraret placitis. Verum non ita probatur libri seu scripti adulteratio. Ast initium ducitur a comparatione plurium exemplarium, et si hæc inter se differant, tum denique solidum habetur fundamentum quo innitamur in probanda adulteratione. Quod si exemplaria omnia sive antiquiora sive recentiora inter se conveniant, quis admittat hujusmodi concordantiam oriri ex*

(1) Scriptorum ecclesiast. historia litteraria, Genevæ 1720, p. 147 —
(2) Bibliot. Græca. Hamburgi 1802, t. VIII, p. 267.—(3) Hist. Ecclesiast.
sæc. IV, cap. VI, art. XXVIII, n. VI.—(4) Bibliotheca Græca, Hamburg.
1802, t. VIII, p. 267. — (5) Hist. ecclesiast., sæc. IV, cap. XVI art. II,
n. XXVI, p. 684, Paris, 1740. — (6) Auteurs ecclés., t. VIII, cap. XVI,
art. II, n. XXVI, p. 684, Paris, 1740. — (7) Mémoires, t. II, p. 666,
Paris, 1701.—(8) Digestor., lib. XLIX, tit. I, n. 1. — (9) Prolegomena.
Ubi supra, p. XCVI. — (10) Ibidem.

ignorantia

D. P.

ignorantia vel incuria sive antiquariorum sive librariorum, potius quam ex ipsius auctoris facto, qui librum seu scriptum ita edidit? Esto, unum alterumve in publicum spargi exemplar corruptum; ast fieri nequit ut nullum reperiatur sinceri et genuini textus vestigium. Tandem si tales ratiunculæ non ex visceribus causæ, sed ex proprii genii vel etiam phantasiæ penu haustæ valerent, jam nullus erit textus qui non pro libitu concuti, immutari, susdeque verti possit. Mirandum profecto, virum, cæteroquin eruditum, qualis absque controversia est Gallandius, ad istiusmodi nænias confugisse. Sed bonus quandoque dormitat Homerus.

Perstringitur Longuerueus.

56 *Quod vero tradit Longuerueus* alium agnoscendum non esse Urbis præfectum, qui Justinum damnavit, quam Urbicum; *hoc enimvero est, quod ipse non probat et quod nos negamus nixi rationibus superius enumeratis, et in specie* Actis *ipsius sancti Martyris, in quibus constanter præfectus ille, sub quo passus est,* Rusticus *vocatur. Nec valet ratio petita ex eo, quod Justinus martyrium subierit paulo post conscriptam seu oblatam Apologiam* II. *Non enim repugnat, post adhibitas a Lollio Urbico vexationes, de quibus queritur Justinus vel altera quavis de causa nobis ignota, alium in præfecturæ* B *munere successisse; quod et factum ex sæpius memoratis Actis constat.*

Ergo secunda seu Brevior Justini Apologia oblata fuit M. Aurelio.

57 *Remanet itaque, nostra opinione, inconcussum Eusebii Hieronymique testimonium, quo efficitur secundam seu Breviorem Justini Apologiam, oblatam Marco Aurelio fuisse; quod insuper confirmatur ex Actis S. Justini, quæ ut sibi cohæreant, ad tempora eorumdem imperatorum referenda sunt, ut satis manifestum fit vel ex ipsis suppositionibus, quas vix non absurdas quis dixerit, ad quas confugere coguntur Gallandius et Longuerueus, ut suam stabiliant sententiam.*

Ac proinde SS. Ptolemæus, Lucius, *etc. passi sub eodem Imperatore sunt.*

58 *Tandem eo deveniamus quorsum spectat tota præcedens disputatio, ut scilicet determinetur epocha seu tempus martyrii sanctorum* Ptolemæi *et Sociorum.* Stante itaque, *ait Ruinartius* (1), Eusebii sententia, cum Apologiam hanc Justinus occasione mortis Ptolemæi ac Sociorum ejus conscripserit, inferendum est eos martyres sub M. Aurelii principatu passos fuisse. Nec opponat aliquis quorumdam Martyrologiorum auctoritatem, in quibus ii martyres *sub Antonino Pio et ejus filio* mortem C subiisse dicuntur. Horum enim Martyrologiorum scriptores Justini Apologiam accurate non legisse, vel ex eo convincuntur, quod eorum martyrium Alexandriæ contigisse putaverint, quod tamen Romæ fuisse consummatum Justinus disertis verbis asserit, sic Apologiam incipiens : *Quæ heri et proximis diebus in Urbe vestra, o Romani, sub Urbicio accidere etc.* Id vero Christi anno circiter 166, Marci autem Imperatoris 5 contigisse colligimus ex sancti Justini morte, quæ anno sequenti consignatur. Certum est enim Justinum paulo post hos Martyres passum fuisse : siquidem in laudata Apologia prædicit se brevi Crescentis cynici philosophi insidiis interiturum. *Ego,* inquit, *exspecto, ut ab aliquo eorum, qui Philosophi appellantur, insidiis appetar et in nervum compingar : ab ipso forsitan Crescente etc.* Quod revera contigisse, Eusebius Hist. Eccles. lib. IV, cap. XVI aliique auctores, ex Tatiano ejusdem beati Justini discipulo referunt. *Hucusque Ruinartius.*

quorum martyrium incidit inter annos CLXIV *et* CLXVII.

59 *Quod ad annum spectat, quo Justinus martyrio coronatus est, non est omnimoda inter scriptores concordia, quamvis parum inter se discrepent.* D *Tillemontius annum ponit* CLXVII *vel* CLXVIII; *Butler* CLXVII; *Baronius cum* Chronico Alexandrino CLXV. *Ex his ergo determinandus erit annus quo passi sunt* Ptolemæus *et Socii, qui proinde inter sæculi secundi annum* LXIV *et* LXVII *incidet : assumendo scilicet eorum passionem fere uno anno præcessisse martyrium sancti Justini.* Crediderim, *inquit Otto* (2), non ita multo ante Justini interitum *oblatam fuisse Apologiam*, fortasse anno 164 : nam quod ipse expectaverat in Ap. II c. III p. 46, se propediem a Crescente in judicium capitis vacatum iri, id evenisse confirmat præter Tatianum, Eusebium, Photium, etiam auctor Chronici Alexandrini, cujus testimonium haud contemnendum est. *Porro in præfato* Chronico Paschali *ita legitur Olympiade* CCXXXVI, *ann. Christi* 164 *et* 165 : Ἰουστῖνος φιλόσοφος τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου δεύτερον ὑπὲρ τῶν καθ' ἡμᾶς δογμάτων βιβλίον ἀναδοὺς Μάρκῳ Αὐρηλίῳ καὶ Ἀντωνίνῳ Βήρῳ τοῖς αὐτοκράτορσι θείῳ καατακοσμεῖται, οὐ μετ᾽ οὐ πολὺ στεφάνῳ τῷ τοῦ μαρτυρίου, Κρήσκεντος αὐτὸν ὑποβάλλοντος : *Justinus Philosophus cum pro nobis et ad firmanda nostra dogmata librum alterum Marco Aurelio et Antonino Vero imperatoribus tradidisset, haud multo post a Crescente delatus,* E *divina Martyrii corona adornatur* (3). *Ex quo præter rem hic loci a nobis intentam, habemus et* secundam *Apologiam, eamque oblatam* Marco Aurelio *et* Antonino Vero. *Quod ad posterius hoc nomen attinet, juverit meminisse ex Tillemontio* (4), *Marcum Aurelium, cum Augusti nomine donasset Lucium Commodum, eum posthac Verum appellari voluisse, ita ut deinceps, jam non diceretur L. Commodus, sed Lucius Verus; imo et nomen Antonini, quod et ipse M. Aurelius assumpserat, Vero quoque dedit.*

Papebrochius retractavit quæ alibi de Justino scripserat;

60 *Antequam finem huic nostro commentario imponamus, haud abs re erit quædam adscribere ex Actis SS.* tom. 1. *Junii ubi Papebrochius corrigit ea quæ mense Aprili de S. Justino scripserat, de quibus et nos superius quædam delibavimus.* Ergo quidquid in Aprili disputavi in contrarium *(verba sunt Papebrochii* (5)) sic accipiat lector, et ut per me ei liberum sit Baronianam hic sequi sententiam ipsique Philosopho sequentia acta aptare *(quæ et nos in toto hoc commentario respeximus)*... quia optime quadrant Philosopho... *atque* (ut ait Baronius) *sincera, nullisque paraphrasibus circumdata sed prout descripta fuerunt ex actis publicis...* Mirum F autem non amplius mihi videtur, quod in actis istis nihil de Justini vita anteriore, nihil de Crescentis machinationibus legatur : quia scilicet auctori solum cura fuit, fideliter græce reddere, quam reperiebat, tam authentice descriptam martyrum confessionem; additis dumtaxat initio ac fine lineis paucis, quibus, ut dixi, forma historiæ induceretur.

subscribit Actis Baronianis :

admittit Justinum secundam obtulisse Apologiam M. Aurelio.

61 *Et infra, agens de* Præfecto Urbis, *qui in* actis nominatur Rusticus, *ita prosequitur Papebrochius* (6) : *Rustici* præfectura optime componi potest cum iis temporibus, quibus Justinum obtulisse alteram suam apologiam scribit Eusebius lib. 4, cap. 16, id est (ut dicitur in fine capitis 14) quando *mortuo Antonino Pio, Marcus Aurelius ejus filius cum Lucio fratre successit.* Successit autem anno CLXI et usquead annum CLXIX corregnarunt. Interim vero præfecturam urbis gessisse *Rusticum*, certissimum fit ex *divorum fratrum* (M. Aurelii et Lucii) jam nominatorum *rescripto*, quod Ulpianus lib. 1 de appellationibus allegat, referturque in lib. 19 digestorum, tit. 1 n. 3 (7). Rescripti verba hæc sunt :

(1) Acta Martyrum sincera. Ubi supra, p. 53. — (2) De Justini scriptis et doct., p. 19. — (3) Corpus scriptorum hist. Byzantinæ. Chronicon Paschale, t. I, p. 482, Edit. Bonnæ. 1832. — (4) Hist. des Empereurs, t. II. art. 5, p. 145. Edit. Brux., an. 1732, in-fol. — (5) Act. SS., t. I Junii, p. 18, n. 8. — (6) Ibid., n. 9. — (7) Male citat Papebrochius; lege Digestor., lib. XLIX, tit. 1, n. 1.

A sunt : *Cum per errorem factum dicis, uti a judice, quem ex rescripto nostro ab amplissimis consulibus acceperas, ad Junium Rusticum amicum nostrum, præfectum Urbis provocares* etc. Urbis ergo præfectus fuit *Rusticus*. Sed quo anno ex novem prænotatis *(quibus videlicet coregnarunt divi fratres)*? Non primo ; quia tum ordinarium consulatum gessit cum Vettio Aquilino : non etiam multis annis post ; siquidem ipse Eusebius sanctorum Polycarpi et Pionii martyrium cap. 15 *(supple* hist. eccles.) relatum, in chronico suo adscribit anno VII prædictorum imperatorum, qui fuit Christi CLXVII : chronicum autem oblatam a Justino Apologiam alteram adscribit anno imperatorum istorum VI, seu potius V : nam primus ipsorum annorum perperam geminatur in dicto chronico simul cum consulatu, quem tamen illi juncti semel tantum gesserunt : et hic annus V convenit cum indictione XIII consulatuque *Pudentis* et *Orphisi*, cum anno VI perperam compositis : omnia autem simul notant annum Christi CLXV.

62 *Hic vero evidenter labitur Papebrochius : nihil enim horum de Justino legitur in* chronico B *Eusebii; sed, quoad substantiam saltem, reperiuntur in ejus historia ecclesiastica l.* 4, *cap.* 16 *apud Valesium absque expressa tamen indicatione chronologiæ, ut notum est cuivis, qui in historia Eusebii non plane est hospes. Notæ igitur chronologicæ, quas hic reddit Papebrochius, non ab Eusebio appositæ fuerunt, sed ab alio, adhibita factorum inter se comparatione et coordinatione. Forte etiam Papebrochius notas illas legit in exemplari historiæ ecclesiasticæ, quod præ manibus habuit, non quidem ad præsentem usum, cum loquatur de* chronico ; *quod profecto in hac quæstione non magis consuluit quam* historiam. *Ergo vel ex memoria hæc recitavit, vel descripsit ab alio, qui ante ipsum hallucinatus fuit.*

sed quæ in Chronico Eusebii reperiri dicit, in hujus historia quærenda sunt.

63 *His notatis, cætera quæ ibidem tradit Papebrochius, prosequamur.* Cumque idem *chronicon (lege* historia ecclesiastica) dicat Justinum οὐ μετ' οὐ πολὺ non post multum temporis *(hæc verba apud Eusebium non leguntur, bene vero quod iis indicatur : aliud proinde argumentum hic Papebrochium ex memoria scripsisse)* divina martyrii laurea exornatum haud incongrue dicetur, id factum esse annorum mox sequentium uno, puta CLXVII, vel CLXVIII, vel etiam CLXVI....... Neque mirum cuipiam videa- C tur, quod qui initio imperii præfati dicitur Consul fuisse, postea gesserit Urbis Præfecturam. Quam enim familiare eo ævo fuerit, ut ex Præfectis Urbis Consules ; et Consulatu annuo trimestrive perfuncti, rursum fierent Urbis Præfecti, docebit utrumque series, ab anno CCLIV expansa apud Bucherium pag. 236, ubi usque ad Diocletiani imperium nihil frequentius. *Hactenus Papebrochius, quibus satis indicat se in plerisque mutasse sententiam quam alibi de Justino propugnaverat.*

Quo anno Justinum passum tradat Papebrochius.

B. B-

MARTYRIUM

SS. PTOLEMÆI, LUCII ET ALTERIUS

ANONYMI.

Ex Apologia S. Justini Martyris apud Euseb. hist. eccles. lib. IV, *cap* XVII. *Edit. Valesii.*

Castitas apud Christianos.

Mulier quædam virum habebat intemperantem. Ipsa quoque prius quidem lascive admodum se gesserat : sed postquam salutarem Christi doctrinam accepisset, statim modestior facta est, viro etiam persuadere studuit, ut castius viveret : christiana præcepta illi suggerens, et ignis æterni supplicium paratum iis, qui obscene et sine recta ratione vixissent. Verum ille in eadem semper lascivia perseverans, ea agebat quæ uxoris animum penitus ab ipso alienarent. E Mulier enim nefas esse existimans, cum eo viro, qui contra naturæ leges præterque jus, undecumque vias libidinis exquireret, thori consortio jungi ; discedere ab illo constituit. Verum propinquis mulieris consulentibus, ut in conjugio adhuc permaneret, spemque ei facientibus virum ad meliorem frugem tandem reversurum, consiliis eorum obtemperans mulier, ac sibi ipsa vim faciens, mansit cum viro. Sed posteaquam vir ipsius Alexandriam *a* profectus, gravioribus adhuc flagitiis sese inquinare nuntiatus est, illa verita ne scelerum atque impietatis particeps foret, si in conjugio ejusdem permaneret, victusque et thori consors existeret ; misso ei repudio, discessit *b*.

Mulier christiana delata

2 At bonus ille vir, qui gratulari sibi debuerat, quod uxor sua nihil eorum ageret quæ prius cum ministris ac mercenariis in vinum atque omne vitiorum genus effusa licenter perpetrare consueverat ; verum etiam maritum ab ejusmodi flagitiis abducere studeret ; mulierem, quæ ab eo idcirco discesserat, quod recte suadenti ipse obtemperare F nollet accusavit et christianam esse detulit. Et illa quidem libello tibi oblato *c*, sacratissime Imperator, postulavit ut prius rei familiaris procurandæ atque administrandæ sibi facultas daretur ; ac deinde rebus domesticis recte constitutis, accusationi responsuram se esse pollicita est. Idque tu mulieri permisisti.

S. Ptolemæus coram judice sistitur.

3 At maritus, qui tum quidem nihil adversus eam dicere poterat *d*, in Ptolemæum quemdam, qui mulierem christianæ religionis præceptis imbuerat, impetum suum vertit hoc modo. Centurioni cuidam amico suo persuasit, ut Ptolemæum comprehenderet, eumque in vincula conjiciens, hoc unum interrogaret, essetne christianus. Cumque Ptolemæus, utpote amantissimus veri, et ab omni fraude ac mendacio alienus, christianum se confessus esset ; eum centurio custodiæ mancipavit, diuque in carcere affixit. Oblatus *e* tandem Urbicio judicii Ptolemæus, id unum similiter interrogatus est, utrum esset christianus. Ille vero qui per Christi doctrinam cuncta se bona consecutum esse intelligeret, illam cœlestis ac divinæ virtutis institutionem iterum confessus est. Qui enim negat se esse christianum, vel idcirco negat quod religionem

EX S. JUSTINI APOLOGIA.

gionem illam improbet, vel certe eo quod se indignum et alienum ab ejus instituto esse cognoscit. Quorum neutrum cadere potest in eum qui vere christianus sit.

Ei damnato se S. Lucius et alius tertius adjungunt.

4 Cum vero Urbicius Ptolemæum ad supplicium duci jussisset, Lucius quidam, qui et ipse christianus erat, adeo injustam audiens sententiam, sic Urbicium allocutus est. Quid causæ est, inquit, ut hominem neque adulterii, neque stupri convictum, nec homicidam, nec furem, nec raptorem, nec ullius denique sceleris reum, nominis dumtaxat christiani vocabulum confitentem condemnaveris? Hujus modi forma judicii non convenit temporibus Imperatoris Pii, nec Philosophi Cæsaris filii, nec Senatui Romano. *f* Tum Urbicius nullo alio responso hominem dignatus, sic eum alloquitur. Tu quoque, inquit, christianus esse mihi videris. Cumque Lucius ita esse respondisset, jussus est itidem ad supplicium duci. Statimque magnam se gratiam Urbicio debere professus est, quippe qui hujusmodi malis dominis liberatus ut aiebat, ad optimum Patrem regemque esset migraturus. Sed et tertius *g* quidam cum accessisset, eodem supplicio condemnatus est.

B

ANNOTATA.

a *Ex hoc loco male intellecto, aliqui hos martyres Alexandriæ passos existimarunt, quod forte hanc historiam apud Eusebium aut Ruffinum solummodo legissent. Nam alias, ut diximus, Justinus eam Romæ contigisse disertis verbis refert.* Ita Ruinartius. *Et re quidem vera statim ab initio sermonis sui indicat quo loco Passio contigerit. Vide Comm. præv. num.* 7.

b *Græce* Ῥεπούδιον δοῦσα *i. e.* dato libello repudii. *Scilicet non viris dumtaxat uxores repudiare legibus erat concessum, sed et mulieribus a maritis hoc pacto divertere licebat. Testimonia eam in rem tum ex profanis, tum ex sacris collecta scriptoribus videsis apud Justellum, Notis in Codicem Canonum Universæ Ecclesiæ, ad Can.* CV. *Hæc Annotatio reperitur sub rubrica* Variorum, *in Eusebio Valesiano. Edit. Cantabrigiæ, curante Reading,* 1720, *pag.* 177. *Et citatur* Kortholt. in hunc Justini locum. *Nihil ego tale reperio in Kortholti* Commentario *editionis Kilonensis an.* 1675, *quam præ manibus habeo. Forte in alia præfati Commentarii editione hæc leguntur.*

C c *Græce* Ἡ μὲν βιβλίδιόν σοι τῷ αὐτοκράτορι *Libellum supplicem, inquit Valesius in hunc locum, intelligo, quo mulier dilationem judicii ab Imperatore postulaverat. Nam cum a viro quocum divortium fecerat, accusata fuisset tamquam Christiana, ab imperatore dilationem sibi dari petiit, ut rem familiarem prius ordinaret, responsura post hæc accusationi. Solebant quippe apud Romanos dilationes concedi causa cognita, tam reis quam accusatoribus, ut docent leges in Codice Theodosiano titulo* 36. Ut intra annum quæstio criminalis terminetur. *Sed quæri potest, cur mulier imperatorem adierit, cum a judicibus ordinariis, ad quos delata erant crimina, hujusmodi induciæ peterentur. An forte judex poscenti mulieri dilationem negaverat? Unde mulier necesse habuerat imperatoris auxilium implorare. An forte ad imperatorem ipsum delata erat, quod esset Christiana, ut censuit Nicephorus, ac Christophorsonus? Verum hæc posterior sententia parum probabilis mihi videtur. Primo quia Justinus id non dicit : deinde quia moris non erat, ut criminalis quæstio recta ad principem, omisso quod aiunt medio, deferretur.* Hæc Valesius in cap. XVII, lib. IV, Eusebii. D

d Qui tum nihil adversus illam dicere poterat, *scilicet quoad usque pendebat dilatio ab Imperatore concessa. Mulier enim dilationem a principe impetraverat, cum justa esset ejus petitio : ne scilicet ex calumnia viri, a cujus consortio ob legitimam causam discesserat, rei familiaris dispendium pateretur. Hinc maritus contra uxorem nihil suscipere poterat, donec concessa huic dilatio finem accepisset.* E

e *Græce* Ἦλθεν *proprie* ivit, venit. *In Codice Mediceo et Fuketiano legitur* ἤχθη *id est* actus, productus, oblatus est. *Quod magis arridet. Urbicus erat Præfectus urbis Romæ, cujus sententia in* Ptolemæum *et* Lucium *Christianos lata, occasionem dedit huic Justini Apologetico. Dicebatur autem O. Lollius Urbicus, ut docet vetus inscriptio Romæ posita, et Apuleius in Defensione sua haud procul ab initio, ubi Præfecturæ Urbanæ, quam idem Urbicus gessit, non obscura fit mentio.* Mirum est tamen, *ait Valesius,* in omnibus nostris exemplaribus eum constanter Urbicium appellari. Semel tantum atque iterum apud Justinum Urbicus recte dicitur, initio scilicet Apologetici.

f *Conf. comm. præv. nn.* 25 *et* 26.

g *Diximus in Comm. præv. n.* 7 *perperam a quibusdam vocem* Tertius *ut nomen proprium assumi.* F *Tertius hic alterum a* Ptolemæo *et* Lucio *martyrem designat, sed nomine ignotum.*

DE SANCTO MAXIMO

LEVITA ET MARTYRE AQUILANO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. De Avia et Aquila Urbibus. S. Maximi Passio. Ejus Acta.

AN. 250 VEL 251.

De civitate, quæ in Actis Sancti Maximi, Habiensis vocatur

Initium facimus a disquisitione topographica. *Levita Christi Maximus* (verba sunt vitæ Ms. quam inferius editam reperies) *nobili genere ortus est, ex civitate Habiensi, quæ sita est in provincia, quæ apud antiquos ipsa etiam Habiensis nuncupata est; nunc autem forum Conæ appellatur. Sed quamvis pristinum nomen civitatis seu provinciæ illud amisit; campus tamen, qui juxta civitatem illam est* Habie *nuncupatur, per quem et fluvius pergit* Habellicus *nominatus. Avia,*

inquit

A *inquit Ferrarius* (1), sive Haviac in Vestinis, quæ et Forum Conæ, apud Aquilam penitus jacet; manet campus, in quo erat *Abie*, adhuc incolis dictus, per quem *Abellinu* amnis decurrit. *Ast, ni vehementer errem, Ferrarius non aliunde quam ex laudata sancti* Maximi *Vita, suam hausit notationem. Id certum nec in* thesauro Antiquitatum Italiæ, *nec apud Muratorium in* Antiquitatibus Italiæ medii ævi, *nec in* Geographia Antiqua *Cellarii quidquam reperiri quo hæc, excepta Avia civitate, sufficienter imo vel aliquatenus illustrentur.*

Amplior quorumdam locorum, de quibus in Actis, elucidatio.

2 Aviæ civitatis *apud illos quidem mentio occurrit; ast de* provincia habiensi, *de* Foro Conæ, *sicut et de* campo Habie *et præterfluente fluvio* Havellico *silent. In Dictionario Geographico recenti, italice conscripto, notatur* Aquila *primum :* Provincia regni Neapolitani, hodie nota sub nomine Abrutii ulterioris; *tum sequitur :* AQUILA antiquitus AVELLA, aut AVIA conspicua urbs in regno Neapolitano *etc.* (2). *Cum autem vulgo perhibeatur Aquilam urbem ex ruderibus Aviensis civitatis exsurrexisse (quod quousque verum sit, inferius indagabimus); haud absurde dici posset scriptorem actorum sancti* Maximi, *deprædicare de urbe et* B *provincia Habiensi, quæ in laudato Dictionario referuntur de urbe et provincia Aquilana. Nec etiam opus omnino est admittere provinciam Habiensem in publicis tabulis quondam exstitisse; sufficeret in rem nostram, ita vulgo dictam fuisse. Non raro enim regio aliqua in populo denominatur a principaliori urbe, quin tamen ratione publicæ administrationis, hujusmodi titulum habeat. Quod ad* Forum Conæ, campum Habie, *et* Habellicum *spectat, quamvis nihil de illis occurrat apud antiquos, verosimile tamen est hæc nomina vulgo obtinuisse. Secus quomodo hæc finxisset scriptor actorum sancti* Maximi, *quem scriptorem in ipsa regione vitam duxisse omnia suadent. In specie,* Avellicus *seu* Habellicus, *rivulus erit Aterni fluvii, qui ad sinistram Aquilæ a septentrione in meridiem currit deflectendo orientem versus, ut videre est in mappis geographicis.*

De Avia civitate juxta Cellarium.

3 *Cæterum pauca de antiqua civitate Aviensi ad nos pervenerunt. Hæc habet Cellarius* (3) *ubi de Vestinis, Marruccinis, Pelignis et Mursis :* Vestini, *inquit,* qui a fontibus Vomani, Matrini et Aterni incipientes, in ripis illorum fluminum usque ad mare incoluerunt. Ptolomæus oppida illis tribuit Pinnam, AVIAM, Angulum; addit Amiternum quod C vero Sabinorum esse postea ostendemus. Plinius addit Peltuinates *et* Aufinates. *Et infra de singulis in specie agens :* Avia, Ptolomæi Αὐΐα, Tabulæ *(Peutingerianæ)* AVEIA XX millibus ab Alba, quæ Fucentis videtur Cluverio esse. Prope urbem Aquilam fuit, quod ex Martyrologio Romano elucet a. d. XIII Kal. Novembris : In Aviensi civitate prope Aquilam in Vestinis, natalis beati Maximi, Levitæ et Martyris. *Hæc Cellarius. Quamvis in citato Dictionario italico innuatur civitatem quæ olim dicebatur* Avia *seu* Avella *hodiernam Aquilam esse ; multo tamen verosimilius, ne dicam certum, est hanc novam esse urbem recentioris originis, conditam non in eodem loco, sed haud procul ab antiqua Avia.*

Avia, a Furconio diversa civitas.

4 *Audiamus RR. DD. Josephum Coppola, quondam Aquilensem episcopum, postea ad sedem Castri Maris* (Castellamare *seu* Castello a Mare, *in regno utriusque Siciliæ) translatum. Hic luculentam edidit, medio sæculo decimo octavo, de S.* Maximo *elucubrationem* (4), *cujus frequens in his actis recurret mentio.* Plures, *ait* (5), scriptores *(inter quos ad imam paginam citat Martinière, Baudrand, Cluver etc.)* confuderunt Aviam et Furconium, existimantes unam eamdemque esse civitatem. Quod utique falsum est, ut perspicuum fit ex utriusque urbis ruderibus, hodie adhuc spectandis, atque ab invicem fere trium milliarium intercapedine dissitis; in cujus intercapedinis medio exurgit mons haud spernendæ altitudinis, ut vel exin in oculos incurrat, vestigia illa antiqua non esse reliquias unius ejusdemque civitatis. Id ipsum efficitur ex vetustis codicibus Actorum S. Eusanii, *(de quo alteram edidit RR. Coppola dissertationem)* et gloriosæ virginis S. Justæ, in quibus mentio habetur ambarum civitatum; *Furconii* quidem in Martyrio S. Justæ; *Aviæ,* in Actis S. Eusanii, quæ referunt ibidem resedisse Priscum regem. Passus autem S. Eusanius est anno Christi trecentesimo die octava Julii, quatuor scilicet et decem annis postquam S. Justa Martyrio coronata fuisset (6). *De* S. Eusanio et sociis Mart. *actum apud nos est ad diem* IX *Julii, ast eorum* Acta suspecta (7) *dicuntur; de S. Justa vero ad diem* I *Augusti egit Sollerius; ejus cultum* satis certum *habet, additque :* Atque utinam pari felicitate argumenta suppeterent ad tuendam vindicandamque auctoritatem Legendæ (8). *Ex quo sequitur argumentum a RR. Coppola ex eorum actis deductum non adeo forte validum esse ; ast alterum ex ruderibus, quæ ipse, utpote Aquilanus episcopus, oculis usurpare potuit, subsistit. Dein ex quodam Titi Livii loco concludit initia urbis Aviensis non pertingere ad annum* 460 *a Roma condita, et subjungit :* ex reliquiis murorum, et vico, qui adjacens loco *Terra di fossa* dicto, hodie etiam antiquum, licet paulisper corruptum, nomen præ se fert, *Avea* nempe, dignoscitur urbs sita fuisse in amœna planitie, irrigata aquis Aterni fluvii, qui medius illam intersecabat; ornata et circumcincta suburbiis, versus septemtrionem diffusis, ut apparet ex ruderibus, aquæductibus, et sepulcris. Nec dubium est insignem eam fuisse civitatem, utpote quæ Provinciæ nomen dabat *(confer dicta n.* 2). Denique destructam conjicere licet sæculo sexto, a Longobardis vel altera ignota ex strage, quoniam a sæculo tertio jam ejus nomen in nullo reperitur scriptore; regium tamen palatium memoratur, quod longe F diutius substitit, et cujus adhuc visuntur vestigia. In hac itaque civitate fidem annuntiavit atque confessus est S. Martyr Maximus, imo ex ea oriundus habetur. *Hactenus RR. Coppola* (9). *Et rursus alibi, agens de Othonis Magni diplomate, quod ipse datum dicit de* Aviæ Palatio *(de quo infra latius) addit hujus* Palatii *hodie adhuc spectari vestigia eo ipso in loco, ubi erat antiqua* Avia; *quæ quidem rudera ab habitatoribus communiter* Palatium Regis *vocantur* (10).

Urbis Aquilæ Origo.

5 *Extat in* Thesauro Antiquitatum Italiæ (11) *Henrici Bacci et Cæsaris de Engenio elucubratio, sub titulo :* Descriptio d'Abruzzo ultra decimæ regni Neapolitani provinciæ, *ad cujus finem reperitur,* Brevis dissertatio de Origine urbis Aquilæ. *Ex qua hic quædam adscribenda duximus.* Illustris, *inquiunt illi,* claraque admodum urbs Aquila est, non modo propter egregia

(1) Catalogus Sanctorum Italiæ 19 Octobris.—(2) Nuovo Dizionario Geographico Universale... di una societa di dotti. Venetiis 1826. Ad verbum *Aquila*.—(3) Geographia Antiqua, lib. II, cap. IX, sect. II.—(4) Dissertazione sopra gli atti di S. *Massimo* Levita e Martire, principal protettore della citta dell' Aquila; e sopra el diploma dell' Imperadore Ottone il Grande, che appartiene allo stesso Sancto; col la relazione della Translazione delle sue sacre Reliquie della Cattedrale della distrutta citta di Forcone in quella dell' Aquila. Di Giuseppe Coppola, della congregazione dell' Oratorio, Vescovo della medesima citta. In Napoli MDCCXLIX.—(5) Ibid., p. 5 et 6.—(6) Ibid.—(7) Acta SS., t. II Julii, p. 692.—(8) Ibid., t. I Augusti, p. 39, n. 7 et 8.—(9) Dissertazione p. 6.—(10) Ibid., p. 27.—(11) T. IX, part. I. *Versus initium.*

civium suorum facinora, structurarumque magnificentiam, verum et propter originem, quam habet a quinque deletis jam Samnitum oppidis, quorum præcipuum erat *Amiternum*. Quoniam vero temporibus imperatoris Frederici II *(sæculo decimo tertio)* cives Amiterni atque Forconæ per montana Abruzzi dispersi erant, adunari eosdem imperator jussit, atque civitatem condere in opportuno pro defensione regni loco, parte ista, quæ Aquila dicitur, prout testantur Summontes et Caraffa. Et Pontanus quidem libro ultimo Belli Neapolitani adnotat, haud longe ab Aterno exiguum fuisse vicum seu villam a fonte suo Aquilam dictam *(hæc forte non absurde interpretarentur de* Avia *seu, ut habet Coppola,* Avea *et fluvio* Habellico) quo etiamnum nova pars urbis gaudeat nomine. Salvator Massonius, in dialogo de Origine Aquilæ, scribit, Aquilam ædificatam fuisse in loco Aquila vocato, inter Forconum et Amiternum, et hinc (ut addit idem) imperator prædictus, tam in imperii honorem, quam (ut superius diximus) quod eo loco fabricata esset, qui Aquila diceretur, Aquilam vocari voluit, sicut eadem quoque leguntur in Privilegio *(videsis hoc Privilegium seu diploma apud Muratorium)* (1)
B dictæ fundationis, cujus originale servatur in Archivio Aquilæ, in charta pergamena, incipiens : *Regnantibus nobis feliciter et triumphantibus gloriose etc.* Adducitur idem Privilegium in Epistolis Petri de Vincis, Campani judicis Aulæ, atque eidem imperatori a secretis; licet Mazzella (verum non sine errore) dicat, cives Forconæ conjunctos cum Amiternimis, Abiensibus et Duroniis palatum ivisse per Longobardorum terras et duce Amiterno quodam Aquilo seu Aquila urbem ædificasse, quam de nomine ducis sui Aquilam dixerint, postea ampliatam atque decoratam a Frederico II. *Obiter hic notemus in præcedentibus constanter haberi* Aquilam fundatam, conditam inter Amiternum et Forconem, *quin mentio fiat de Avia; cum tamen æque recte diceretur* condita inter Aviam et Forconem : *atque hinc confirmatur quod scripsit Coppola, a sæculo* III *jam non occurrere apud scriptores nomen* Aviæ. *conf. n.* 4.

Quædam Ughelli placita arguuntur.

6 *Mazzellæ sententiam, suam fecit Ughellus, moreque suo, pluribus illam amplificat* (2). *Addit :* quo tempore hæc contigerunt, vix apud aliquem scriptorem ad calculos revocatum reperias (3). *Et infra :* cum interea anceps non sit, ab Amiterni
C Furconiique populis ante *(annum)* millesimum fuisse fundatam *(Aquilam)* celebritate populi opibusque subinde adauctam (4). *Ast ad imam paginam subjicit Venetianus, Italiæ Sacræ editor, ex Lucentio :* Aquilanæ civitatis exordium recitat Anonymus de Rebus gestis Friderici Imper., cujus vetustum exemplar exscripsit noster Ughellus tom. IX Ital. Sacr. ubi habetur : Aquilam primum emersisse anno Dom. 1252, favente Conrado rege, in odium Baronum illius contractæ *(districtus seu tractus)*; sed illico superbiens de suis viribus tamquam rebellis excisa est an. 1258; non adeo tamen in nihilum redactam credimus, quin considere adhuc potuisset episcopus ibi, cum superiori anno, in eam translata fuerit episcopalis Sedes, eaque continuaverit continuata successione. *Ast inquit Ughellus* (5) : Illud constat Aquilæ fieri mentionem, jam inde a Nicolai II temporibus, hoc est 1060, cum ducatum Apuliæ Roberto Guiscardo ille Pontifex, ex pactione Aquilæ facta, dilargiretur. Unde facile possunt redargui Collenutius in Neapolitani Regni D
Historia, Ranzanus et alii cum asserunt ad imperium Friderici II Beneventanos, Cassinos Soranosque populos, quorum oppida deleverat Fridericus, Aquilam civitatem fundasse, eoque nomine in honorem Imperii, cujus insigne Aquila est, appellari voluisse.

7 *Reponit ad hac RR. DD. Coppola* (6) : *dato sincerum esse instrumentum illius Pactionis, quod Ciurci in sua Ms. Historia Aquilana recitat ex transumpto, quod asservatum dicit in Archivo Casæ-Novæ, nihil inde inferri potest, cum ex ipso Friderici diplomate constet Furconium inter et Amiternum exstitisse pagum seu villam* Aquila *dictam, urbemque jussu ejusdem Friderici ædificatam ab illa nomen suum, partim saltem, mutuasse.* Provida nuper *(verba sunt Friderici)* consideratione providimus, ut in loco, qui dicitur Aquila, inter Furconem et Amiternum, de circumjacentibus Castris et etiam Terris, quæ veluti in membra dispersa, quantacumque fidei claritate vigentia, nec nostrorum rebellium poterant repugnare conatibus, nec inter se sibi mutuis auxiliis subvenire, unius corporis civitas construatur, quam ab ipsius loci vocabulo, et a victricium signorum nostrorum auspiciis, Aquile E
nomine decrevimus titulandam (7). *Atque hic apposite infert Coppola* (8) : si ibidem jam exstitisset civitas, ut quid juberetur construenda.

8 *Paucis interjectis ita prosequitur Fridericus in laudato diplomate :* ut igitur tam nobile opus nostrarum manuum speciali nostræ munificentiæ gratia se gaudeat insignitum, civitatem ipsam infra scriptis finibus, videlicet a Cornu Putridi usque per totum Amiternum statuimus limitandam : publicantes ad situm et districtum civitatis ipsius et ad opus universitatis ejusdem colles omnes adjacentes, qui Aquila nuncupantur, et Terras ommes circumjacentes etc. *Ad hæc observat Antonius Antinorius :* Aquilæ nomine designare hic patet Colles Villæ ejusdem nominis et idcirco ad districtum *Terras omnes circumjacentes... silvas et nemora terrarum* subjungit Fridericus. Postea hæc omnia Aquilæ nomine vocitata (9). *Porro de authentia præfati diplomatis nihil dubitat Antenorius (licet, ut postea videbimus, hac in materia haud admodum indulgens), quod dicit* validis exemplaribus in Aquilanis Tabulariis servatum (10); *additque :* obiit Petrus a Vineis, Friderici a secretis, anno 1249, unde desumitur diploma hoc, vel superiori anno datum F
fuisse, vel antea, non vero anno 1250, ut vulgo creditur. *Denique, assertum suum de fundata ante annum millesimum Aquila, hausit forte Ughellus ex Ciaconio; quod si ita habeat non recte hujus verba interpretatus est.* Pontifex *(Nicolaus II)* Robertum Guiscardum et Normannos in Apostolicæ Sedis gratiam et communionem suscipiens, Robertum jam vectigalem ecclesiæ factum, Campaniæ, Calabriæ et Apuliæ Ducem, et Siciliæ Comitem creavit. Hæc acta sunt anno Christi 1060, eo loci, ubi nunc Aquila condita est inter Amiternum et Forconem (11). *Ex postremis verbis luculenter efficitur, judice Ciaconio, Aquilam urbem, illa tempestate nondum exstitisse; nihil tamen impedit quominus apud villam ejusdem nominis hac gesta dicantur. Ex his omnibus satis apparet Ughellum non semel lapsum.*

De Aquila, Villa oppidi Pilæ

9 *Eodem sensu Aquilæ mentio occurrit in membranula anni* 1195, *cujus initium est :* In nomine Domini Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejus

(1) Antiquitates Italiæ medii ævi, t. VI, col. 511 et seqq.—(2) Italia Sacra. t. I, col. 373. Edit. secunda Venetiis 1717.—(3) Ibid., col. 373.—(4) Ibid., col. 373.—(5) Ibid.—(6) Dissertazione de S. Massimo. p. 8.—(7) Vide Diploma Friderici. Antiq. Ital. Medii ævi, t. VI, col. 512. Edit. Mediolan. 1742.—(8) Loc. cit.—(9) Nota 5, in Diploma Friderici.—(10) Antiq. Ital. Med. ævi, t. VI, col. 511.—(11) Vitæ et res gestæ Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium, Alphonsi Ciaconii opera, cum notis Oldoini S. J. Romæ 1677, t. I, col. 826.

millesimo

A millesimo nonagesimo quinto *(lege millesimo centesimo nonagesimo quinto. Error est amanuensis, ut ostendunt Antinorius* (1) *et Papebrochius* (2)). Indictione XIII, primo Nonas Octobris, ecclesia beatæ Mariæ de Aquila ab Odorisio, venerabili Furconensi episcopo, cum duobus altaribus, uno inferius, altero superius, dedicata est. *Notat autem Antinorius* (3), ecclesiam olim parochialem sanctæ Mariæ de Aquila modo esse monialium sanctæ Claræ de Aquila intra urbis mœnia; *deinde subjungit:* Erat nempe tunc Aquila, villa oppidi Pilæ, sicut præclare docet Boetius Raynaldus, stropha 88. *Scilicet Antinorius* (egregius juvenis, *inquit Muratorius* (4), atque eruditus scriptor, Aquilanus et ipse civis, mihi ab aliquot annis notus magnique factus) *plurima edidit notisque illustravit ad urbem Aquilam spectantia, atque inter alia Poëma Boëtii Raynaldi, vulgo dicti* Buccio Ranallo, *quod mille ducentis quinquaginta quatuor constat strophis (singula stropha quatuor habet versiculos italicos) de rebus Aquilanis ab anno* 1252 *ad annum* 1362; *et reperitur, prout Antinorius illud illustravit, in Muratorii* Antiquitatibus Italiæ Medii Ævi (5). *Denique juverit notasse in Tabulis* B *geographicis vulgo* Carta generale del Regno di Napoli *auctore Rizzi Zannoni (opus præclarum triginta et uno foliis seu mappis comprehensum* (6)) *ponitur ad occidentem Aquilæ, sed extra mœnia, vicus, nomine Pila, fere ad ripam Aterni fluvii.*

Præsens urbis Aquilæ status

10 *Atque hæc de origine et antiquitate Aquilæ urbis. Præsens ejus status describitur in supra laudato Dictionario geographico* (7) *his verbis:* Aquila pulchra et conspicua civitas regni Neapolitani, caput provinciæ Abrutii ulterioris secundi, caput etiam districtus... Sita est in colle, ad cujus radices præterfluit Aternus seu Pescara. Sedes episcopalis immediate subjecta sanctæ Sedi. Præter cathedralem, ecclesias parochiales numerat viginti quinque, pluresque conventus regulares; Lyceum quoque, fundatum a Ferdinando IV, Seminarium... Incolas habet 13615. Civitas fundata dicitur vel adaucta a Friderico II imperatore ex ruinis antiquarum civitatum Amiternum et Furconium. Id certum, posterioris urbis sedem episcopalem translatam ab Alexandro Papa IV, Aquilam fuisse *anno nempe* 1257. *Juxta Balbi incolas numerat Aquila ad octo millia, floretque inter cæteras regni Neapolitani urbes mercatura* (8). Ornatam, C *dicit Coppola* (9) magnificis ædificiis, splendidis templis, divitem supra modum prætiosarum reliquiarum, undequaque muro cinctam. Et quamvis, *ita prosequitur,* horrendis terræ motibus non semel quassata, et vix non destructa, nihilominus hodie cernitur ita, magnam partem, splendide restaurata, ut vere vocari possit: PULCHRIOR EX FUNERE. *Præterea jam ab origine sua multas passa Aquila est clades:* Mortuo enim, *ait idem Coppola* (10), Conrado, filio Friderici, Manfredus, qui illi successerat, cum Papæ adversaretur, Aquilam anno 1259 succendi jussit et solo æquari: ast devicto Manfredo a rege Francorum Carolo I reædificata est anno 1265, et muro cincta anno 1316. *Jam ad Acta S.* Maximi *veniamus.*

Passionis S. Maximi compendium ex Ferrario.

11 *Sancti* Maximi *meminit hac die* XIX *Octobris, Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ; cujus verba, utpote quæ compendium haud inelegans actorum exhibent, hic adscribimus:* Maximus Levita Aviensis (urbs erat Vestinorum prope Aquilam) D. B. cum Christi Domini fidem prædicaret Decio Imp., comprehendi jussus, ultro se satellitibus exhibuit. Qui ad præsidem ductus, deque genere et religione interrogatus, se ex ingenuo genere, et religione Christianum, officioque Levitam respondit. Interrogatus autem cur Deos immortales non coleret; *quia,* inquit, *novi Deos vestros simulacra vana esse et surda, non Deos.* Multis vero ultro citroque dictis, præses filiam Maximo in matrimonium pollicetur, si mandatis imperatorum pareat. Qua optione recusata, cum nullis promissionibus, neque minis a constantia fidei dimoveri posset, in equuleo suspensus diutissime torquetur, Christo gratias agens: quod dignus pro nomine illius pati haberetur. Dicenti autem præsidi: *Sacrifica Diis nostris, ut teipsum lucreris,* respondit martyr: *Animam meam lucrabor si dæmoniis non sacrificavero.* Quo responso præses ira excandescens, illum fustibus cædi jubet, et, ut Dianæ sacrificet, interpellat. Cui Maximus: *Quid adhuc verba superflua loqueris? Ego Dianæ vestræ non sacrifico; sed me ipsum offero sacrificium Deo meo vivo et vero.* Tunc majori ira exardescens tyrannus Maximum ad locum, qui *circulus* dicebatur, duci, indeque ex E alto præcipitari mandat. Cum itaque Maximus aliquantisper orasset, eaque verba pronuntiasset: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum,* e sublimi dejectus gloriosum martyrii agonem absolvit XIV Kal. Novembris. Cujus corpus noctu a christianis sepultum fuit. Ex offic. Eccl. Aquilanæ, Romæ approbatis an. 1603.

Mentio in Martyrologiis.

12 *Eodem hoc die* XIX *Octobris solemniori ritu atque officio hymnoque propriis celebratur festum sancti* Maximi *in ecclesia Aquilana. Illius etiam meminit Usuardus (cui fere ad verbum consonat Martyrol. Romanum) sed die sequenti, in hæc verba:* Apud Aviensem provinciam, natalis beati Maximi levitæ et martyris, qui patiendi desiderio, inquirentibus se persecutoribus palam ostendit, et post responsionum constantiam, equuleo suspensus ac tortus, dein fustibus cæsus et ad ultimum obrutus occubuit. *Hic autem observat Sollerius noster* (11): De Maximo hoc nostro Aviensi antiquorum Martyrologorum meminit nullus, excepto solo Usuardo, qui unde illum acceperit, divinare prorsus nequeo, nisi suspicemur, Martyris illius passionem, aut brevia quædam acta, in F ejus manus pervenisse, qualia ferme edidit Petrus de Natalibus lib. IX, cap. 85. Alia apud nos Mss. exstant et quidem varia *(de quibus infra)* in quorum nonnullis manifesta inter Maximos apparet confusio, de qua disputantem vide Tillemontium tom. III pag. 710 et 711. *Hæc Sollerius.*

Alii duo Sancti ejusdem nominis.

13 *Scilicet Maximi, ad quos alludit, præter hodiernum, duo sunt: Alter apud nos celebratur* XXX *Aprilis* (12), *alter* XXIX *Maii* (13). *Prioris Acta illustravit P. Henschenius, in quorum* Commentario prævio *citantur plurima Martyrologia, quæ sancti Martyris mentionem variis diebus faciunt* apud Asiam *vel* in Asia civitate. *Acta vero ipsa (quæ eadem etiam reperies apud Ruinartium* (14) *et Baronio in Notis ad Mart. Rom.* Proconsularia *videntur* (15)) *aliud non sunt nisi abbreviatio actorum, quæ nos hodie primum publici juris facimus. Præcipuum discrimen est quod in nostris Præses anonymus sit, apud Henschenium vero et Ruinar-*

(1) Historiæ Aquilanæ, cap. I. Apud Muratorium, Antiq. Italiæ Med. ævi, t. VI, col. 497. — (2) T. II Junii, p. 608, in vita S. Placidi eremitæ. — (3) Loco supra citato. — (4) Ubi supra in Monito in *Historias civitatis Aquilanæ*, p. 485. — (5) T. VI, col. 533-704. — (6) Extat Bruxellis in Bibliotheca Philippi Van der Maelen, cujus Institutum Geographium ubique terrarum notum est. — (7) Nuovo Dizionario Geographico universale. Ad verbum *Aquila*. — (8) Abrégé de Géographie, par Adrien Balbi, t. I, p. 409. Edit. Bruxell. 1840. — (9) Dissertazione de S. Massimo, p. 7. — (10) Ibid., p. 8. — (11) Acta SS. Martyrologium Usuardi ad diem XX Octobr. *Observatio*. — (12) Acta SS., t. III April., p. 732. — (13) Ibid., t. VI Maii, p. 14. — (14) Acta primorum Martyrum sincera et selecta, p. 156. Edit. Amstelodam. 1713. — (15) Ad diem XXX April., litt. *f*.

tium

B. B.

tium jam non de Præside agatur, sed de Proconsule, qui nomine Optimus dicitur; interrogationes autem et responsiones vix in utrisque differunt, nisi quod apud illos plura omissa sint quæ apud nos habentur. Notandum præterea est ab Henschenio commemorari (1) alterum eodem die S. Maximum ex græcis Menæis, quem a nonnullis Maximinum vel Maximianum Ruinartius (2) dicit vocari. Sed hic ad nos non spectat. Die XXIX Maii agitur de altero S. Maximo martyre, et quidem etiam apud Asiam passo: ast ibi Papebrochius vocem hanc interpretatur de Asisia, quæ Liburniæ civitas est, a multo jam tempore deleta; deinde dicit corpus S. Maximi hinc translatum fuisse Æmoniam, Istriæ urbem, et paulo post ad Civitatem Novam, Æmoniæ ruderibus superstructam; atque tandem Venetias in ecclesiam sancti Gratiani. Illo die non adscribuntur apud nos acta, quæ, ait Papebrochius (3), jam dedimus die XXX Aprilis.

Tres illi Sancti non videntur diversi: sed unus idemque diversis locis et diebus celebratus.

14 Evidens est inter duos præfatos martyres et nostrum, nominis non solum intercedere paritatem, sed et præterea in cæteris magnam haberi similitudinem. Imprimis acta, ab Henschenio primum, dein a Ruinartio edita, vix, ut diximus, differunt a nostris, nisi quod illa in compendium sint contracta. B Deinde in utroque, Henschenio scilicet et Papebrochio, legitur apud Asiam, in Asia civitate, quod vix, si apices spectentur, differt ab Avia seu Abia. Insuper, teste Ruinartio, in codice Ms. Monasterii S. Germani a Pratis, habentur acta sancti Maximi levitæ et martyris, actis sancti Maximi, quæ proferimus omnino similia, præter quasdam interpolationes in responsionibus. Is vero Maximus in fine Actorum passus dicitur APUD AMBIENSEM PROVINCIAM QUARTO DECIMO KAL. NOVEMBRIS (4). Quod quidem apprime nostro sancto Martyri convenit. Exstat etiam in monumentis, a prædecessoribus nostris olim collectis, quæque hodiedum in Bibliotheca regia Bruxellensi asservantur, apographum ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris, quod notatur de S. Maximo ad diem XX Octob. (qui noster est), inscribiturque Martyrium S. Maximi Levitæ. In illo autem ad verbum repetuntur acta ab Henschenio et Ruinartio prolata. Desunt solum in fine aliquot lineæ, quibus apud Ruinartium dicitur S. Maximus passus sub Decio imperatore et Optimo proconsule, secundo Idus Maji. Quapropter non improbabile ducimus (quod jam suspicatus Tillemontius est loco a C Sollerio citato), tres illos Sanctos esse unum eumdemque diversis in locis, diversisque diebus celebratum. Verosimilius nobis quoque est passionem duorum priorum ex actis sancti Maximi Aquilani seu Aviensis desumptam fuisse.

Frustra nititur RR. DD Copola probare diversos esse, eorumque acta diversa;

15 Multis attamen probare nititur RR. DD. Coppola (5) actorum supradictorum diversitatem, quam elucere imo demonstrari contendit, ex loco Passionis, ex conditione et officio pugilum, item ex Passionis genere et adjunctis, tempore denique quo hæc contigit. Et quod ad locum attinet, ad unum omnes, inquit, qui de nostro S. Maximo scripserunt, passum affirmant in Aviensi civitate (6) dum quoad alios hac in parte mirum in modum discrepant inter se auctores. Ast haud magni momenti hanc ducimus notationem, cum nihil repugnet tres illos Sanctos unum eumdemque esse, sed variis in locis cultum, tanto magis quod Avia, Asia, Asisia vix ab invicem, si apices seu litteras spectes, differant. Conditio, Officium diversum est. Noster respondet ingenuo ex genere sum, Levitico ordine utor. S. Maximus Asianus: Ingenuus natus, servus vero Christi. D Quærenti dein Proconsuli: Quod officium geris? Reponit: Homo sum plebeius, meo negotio vivens, Uterque ingenuus vocatur: cave tamen exinde, ait Coppola (7), concludas utrumque nobili genere ortum: quamvis enim quandoque vox ingenuus idem sonet ac nobilis, proprio tamen sensu aliud non significat quam virum liberæ conditionis, sive qui non sit servus, ut videre est in Glossario Ducangii. Nobilem autem fuisse Maximum nostrum, apparet ex universo actorum textu, atque ex eo etiam quod Præses filiam suam in matrimonium promittat, si Christo nuntium remittere voluerit; quod utique non promisisset si plebeiæ fuisset extractionis. Hinc etiam in antiquo Breviario pergameno quod in archivo Aquilanæ cathedralis asservatur, deserte habitur: Levita Christi Maximus nobili genere exstitit oriundus. Est ergo diversa conditio, est diversum officium. Atque ita quidem laudatus præsul. Quæ tamen cum pauculis indicenter verbis, tanti non sunt, ut in omnimodam actorum diversitatem cogant vel solum ducant. Istiusmodi corruptelæ frequenter occurrunt in monumentis ejusdem certo certius originis, ut facile concedet quisquis in hac materia non prorsus peregrinus est. E

cum altera ex alteris contracta tantum fuerunt.

16 Ipsa vero tormenta (ita prosequitur Coppola (8)) utut prorsus similima appareant, si tamen attente perpendantur, diversa sunt sive quod ordinem seu seriem, sive quoad adjuncta plurima. Aliud tamen in specie vix notat, nisi quod S. Maximus Asianus legatur primum virgis cæsus, et tum in equuleo distentus: dum Noster, antequam torqueatur, oblatam sibi in matrimonium filiam Præsidis recusat, quapropter in equuleum conjicitur: is ergo S. Martyris nostri primus fuit cruciatus, alterius vero primæ fuere virgæ. Dum autem ille in equuleo torqueretur, gratias agit Jesu Christo, qui eum sanctis Martyribus suis dignabatur adjungere, quod de altero Maximo non legitur. Deinde fustibus cæditur, sed addito igne: Sin autem, ait Præses S. Levitæ, igne supposito faciam te acerrime fustibus cædi. Hæc utique levia sunt, nec quemquam inducent ut exinde acta diversa esse concludat. Cæterum vel obiter percurrat eruditus lector Passionem S. Maximi, prout huic Commentario nostro subjiciuntur, legatque simul acta alterius S. Maximi sive in opere nostro (9) sive ad calcem nostrorum actorum, ubi illa, quo facilius collatio fiat, ex Ruinartio subjicimus; atque ni vehementer fallar, nihil dubius F hærebit, utraque ejusdem originis esse, alteraque ex alteris, ut diximus n. 15, contracta. Noster quidem ex alto præcipitatus occubuisse legitur, alter vero lapidibus obrutus; ast ipse Coppola, ad hoc inductus ex annuntiatione Usuardi (quam vide supra n. 12) concedit S. Maximum levitam, postquam præcipitatus esset lapidibus obrutum fuisse (10). Tandem ex eo quod in assignanda die Passionis S. Levitæ nostri, concordent omnes, discordent vero in alterius die Passionis figenda, nihil deduci potest, cum a Martyrologis plerumque dies indicetur sive festus, sive translationis, imo et in iisdem ecclesiis festorum dies, multiplici ex causa mutati fuerint. Quid, quod et S. Maximus levita die vigesima Octobris occurrat in Usuardino et Romano Martyrologiis, in actis vero passus legatur die XIX ejusdem mensis, quo etiam Aquilæ colitur, imo Aquilæ diversis temporibus quatuor diversis diebus sit celebratus? Nullo itaque modo, ut nobis quidem videtur, actorum ac proinde Sanctorum, diversitatem probat

(1) Ad diem XXX April., p. 733.—(2) Ubi supr. n. 4.—(3) Ubi supra, p. 14, n. 2.—(3) Ruinart loc. cit. in Admonitione, n. 2.—(5) Dissertazione de S. Massimo, p. 10-16.— (6) Ibid., p. 12.— (7) Ibid., p. 13.— (8) Ibid., p. 13 et 14. — (9) T. III April., p. 732. — (10) Dissertazione de S. Massimo, p. 15.

Coppola;

A *Coppola; quinimo adeo levia sunt, quibus nititur, argumenta, ut potius contrariam sententiam, quæ nostra est, exinde confirmatam censeamus.*

De duobus actorum cujusdam S. Maximi apographis:

17 *His elucidatis, ad accuratius examen actorum nostrorum gressum facimus. Et primum quidem duo habemus apographa Mss., quæ vitam seu potius passionem S. Maximi prolixam satis exhibent. Ejusdem sunt originis, cum vix inter se differant, nisi quoad verba quædam sive omissa sive addita. Alterum descriptum fuit ex collectione P. Antonii Carraccioli; alterum ex Ms. membr. Legendario Vallicelli, quod et collatum fuit cum Ms. Longobardico S. Severini. Utrumque refert martyrium ad persecutionem Diocletiani et Maximiniani; et in altero quidem id contigisse dicitur* tertio Kalendas Novembris; *in altero,* quartodecimo Kalendas *ejusdem mensis. In utroque præses nomine Fabianus seu Favianus vocatur; ast in priore hic* Cumas directus *legitur, unde etiam* titulus *seu* inscriptio *sequens :* Passio sancti Maximi Cumanæ ecclesiæ Levitæ et Jesu Christi Martyris; *in posteriore nullum indicatur urbis nomen : hinc etiam titulus brevior :* Passio sancti Maximi Levitæ. *Cæterum utraque narratio penitus recedit ab actis quæ* B *hucusque sive apud nos, sive apud Ruinartium aliosque laudata vel exhibita fuerunt; si tamen Proœmium excipias, quod non ita discordat ab actis nostris, estque hujusmodi.*

quorum proœmium recitatur;

18 Diocletianus igitur et Maximinianus imperatores tyrannidis suæ, quo contra christianos ebullirent, tempus invenientes, illos satellites in cunctis reipublicæ dignitatibus præfecerunt, qui eos non tantum sævitia, sed et novi cruciatus adinventionibus coæquarent. Proh dolor! non illos fefellit hujusmodi cogitatus. Nam cum quidam Antonius, totius calliditatis vir, Urbis præfectus ab eis esset factus, tanta inhumanitate obduruit, ut circa domos, circa lymphas, et, ut breviter dicam, circa omnem locum, ubi alicujus negotiationis mercimonium (esse poterat), simulacra erigeret, quatenus omnes qui illuc accesserant (accederent), non emerent vel venderent aliquid, nisi prius sacrificassent. Et hoc non solum in Romulea urbe faciebant, sed etiam per universum mundum transmissi sunt cruentissimi homines, qui omne genus hominum tanto compellerent sacrilegio maculari. Ob id ergo (et Cumas) directus est quidam nomine Favianus (Fabianus) obstinatissi- C mus christiani nominis inimicus. Qui cum advenisset et solium suum jussisset præparari dementiæ; continuo universum populum voce præconis fecit acciri. Mox illi velut ad novum præsidem confluebant; tribunal ascendit, et, facto silentio, sic orsus est : Audiat populus cunctus, audiat cœtus omnis, audiat simul parvus et magnus, quam invictissimi imperatores vivificandi et mortificandi mihi tribuerunt (potestatem). Ita dumtaxat ut nullus (*lege* illum) qui sacrificare contempserit, diversis interficiamus pœnis; illum vero, qui decretis ipsorum libenter obtemperaverit, magnis ditem divitiis, magnis sublimem honoribus. Accedat ergo unusquisque et thura offerat, ne invitus cogatur perficere quod sponte recusat *etc.*

ex quo constat Maximum nostrum ab altero illo longe diversum esse.

19 *Hæc paulo latius hic adjecimus tum ut videatur quis sit modus et caracter seu indoles actorum illorum; tum præcipue ut appareat nihil inter Maximum illum et nostrum haberi commune præter nominis et officii (utrobique agitur de Levita) similitudinem. Recte ergo scripsit Sollerius loc. cit.* Apud nos Mss. exstant, et quidem varia, in quorum nonnullis manifesta inter Maximos apparet confusio. B. B.

Acta illa spuria sunt.

20 *Tandem acta illa spuria imo fictitia esse, suadent mira, quibus ab initio ad finem abundant; exem lo sit puerulus trium mensium, qui longam doctamque de Christi religione habet orationem,* quemque sceleratus *præses,* præcavens ne ad seditionem populus converteretur, tenerrimum puerum articulatim retortum fœdissime interfecit. *Nec solum puerulus ille novus addendus esset martyr, sed et milites decem et octo, qui a sancto Maximo ad fidem conversi, illico capitali sententia a præside damnati sunt. Præterea interrogationes responsionesque rhetorem imo et declamatorem quam maxime verbosum sapiunt, minime vero mitem et humile corde Christi martyrem. Quidquid autem sit, si nova quædam lux insperato oriatur, retractanda hæc erunt ad diem tertium Kal. Novembris. Id interea certum in actis illis agi de sancto Martyre, qui toto cœlo diversus a nostro est.*

Passio S. Maximi ex Mss. ecclesiæ Aquilanæ,

21 *Aliam habemus sancti* Maximi *Passionem, item manuscriptam, quam prædecessores acceperunt Neapoli a P. Antonio Beatillo an.* 1638. *Desumpta est ex manuscriptis ecclesiæ Aquilanæ, seu ut notatur in ipso fronte :* Vita ex Breviario antiquo Ms. E quod in Episcopio ejusdem civitatis asservatur. *Nec dubium nobis videtur quin hæc sit vita, ad quam alludit Baronius in Martyrologio Romano ad diem* XX *Octobris, ubi ait :* Ejus Martyrii acta atque Translationis historiam manuscriptam accepimus ab ecclesia Aquilana. Ibi etiam plura de accessu Othonis Magni Imperatoris ad sepulcrum sancti Maximi, deque reliquiis inde acceptis et in Germaniam translatis. *Hæc enim omnia in Apographo nostro reperiuntur.* Optaremus, *inquit Tillemontius* (1), ut Baronius acta, quæ præ manibus habuit, publici juri fecisset. Nam ex iis quæ Ferrarius refert de sancto Maximo, acta illa haud spernenda videntur; modo tamen non omnia et singula, quæ Petrus de Natalibus habet, proferant. Notatur festum Sancti hujus die XIX vel etiam XX Octobris.

hodie primum a nobis edita.

22 *Votis Tillemontii hodie nobis satisfacere datum est, typis mandando illa ipsa acta, ex quibus Ferrarii compendium, quod supra dedimus n.* 11, *manifeste concinnatum est. Quod autem ad Petrum de Natalibus spectat, forte quis crediderit illum prolixe satis agere de sancto nostro Martyre; ast contra,* F *pauca tantum hæc habet* (2) : Maximus Martyr et Levita vir Sanctus, tempore Decii cæsaris apud Ambiensem provinciam passus est. Qui, cum esset plebeius, patiendi desiderio inquirentibus se persecutoribus palam ostendit. Et a Preside comprehensus, post responsionum ejus constantiam, dum Christum confiteretur, in equuleo suspensus ac diutius tortus est. Cui dum Preses Cæsariam ejus filiam nimis speciosam in uxorem promitteret, si Deis sacrificare consentiret; et ille se Mariam Virginem Dei genitricem habere sponsam assereret; ac omnino sacrificare renueret; fustibus diutissime ceditur, deinde ad carcerem duci jubetur. Qui dum duceretur emisit spiritum XIII Kalend. Novembris. *Quid in his suppressum velit non definit Tillemontius. Sufficiat notasse in quibus citata Petri verba differunt ab actis Aquilanis. Quem ille* plebeium *dicit, acta* ingenuum *deprædicant : nec in his, sicut apud Petrum, Maximus se sponsam habere as erit* Mariam Virginem *(quod suspicamur a Tillemontio præcipue reprehensum), sed* habeo, *inquit,* sponsam immortalem, sanctam scilicet Ec-

(1) Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique des six premiers siècles, t. III, p. 334. Paris 1701.—(2) Catalogus Sanctorum et gestorum eorum ex diversis voluminibus collectus, editus a Petro de Natalibus. Vicentiæ an. MCCCCLXXXXIII, lib. IX, cap. LXXXV.

clesiam

n. n.

clesiam *quod utique nullius vel delicatissimi offendet aurem. Tandem juxta Petrum, sanctus Martyr emisit spiritum* dum in carcerem duceretur ; *juxta acta* ex alto præcipitatus *consummavit agonem. Demum nihil in actis illis nos invenimus, quod intrinsecæ falsitatis notam dicere possis. Non ideo tamen omnia et singula, quæ in eis proferuntur, ita probamus, ut eorum omnimodam authentiam propugnare velimus. Sed, ut sunt, digna censemus quæ operi nostro inserantur.*

Officium sancti Maximi *ex actis nostris desumptum.*

23 *Ex actis compositum fuit (hoc vel obiter legenti in oculos incurrit)* officium S. Maximi Martyris. Aquilanæ ecclesiæ patroni, pro dicta ecclesia Aquilana et tota ejus diœcesi. *Hujus extat apud nos exemplar editum Romæ an.* 1604. *Lectiones secundi Nocturni (compendium continent valde accuratum actorum) et plures Antiphonæ sicut et Hymnus ad Vesperas proprii sunt. Cæterum nec in Hymno illo, nec in Oratione quidquam, speciali mentione dignum reperi. In exemplari nostro ad calcem leguntur sequentia.* Officium hoc sancti Maximi Martyris, Aquilanæ Ecclesiæ Patroni, jam diu visum, emendatum, et approbatum in sacra Rituum Congregatione ab anno 1587, tempore fel.
B rec. Sixti Papæ V, coram Illustriss. et Reverendiss. bon. mem. Alphonso Cardinali Gesualdo. Ut in ecclesia Aquilana et tota ejus diœcesi sub ritu duplici libere et licite recitari possit, ac etiam ad majorem commoditatem imprimi, eadem sacra Rituum Congregatio censuit et declaravit ac licentiam concessit die 29 Novembris 1603. *Erat signatum* Pth. Eps. Ostien. Card. Comensis. *Festum celebrandum indicitur die* XIX *Octobris. Atque hæc præcipua ratio nobis fuit, obquam hac die de sancto* Maximo *egerimus, licet sequenti die ejus recurrat memoria in Martyrologio Romano.*

Festum variis diebus Aquilæ celebratum.

24 *Notandum tamen festum illud aliis quoque diebus olim Aquilæ fuisse celebratum. Discimus enim ex Poemate Boëtii Rainaldi* (1), *quod, cum annis præcedentibus multi excommunicati fuissent, quia die* XX *Octobris, S.* Maximo *sacro, laborarant, episcopus transtulerit anno* 1360 *festum S* Maximi *ad diem* X *Maii, et paulo post ad diem* X *Junii, hac potissimum ductus ratione, quod mense Octobri, ob vindemias, debitus populi concursus haberi vix posset. Quod confirmatur ex* Chronica Compendiata *Ms. (ita Coppola, sed jam tum edita erat* (2)) *quam videre est Aquilæ in Bibliotheca Hiacinthi Benedicti*
C *Baronis de Scoppito, ubi habetur :* Anno 1360, Paulus episcopus curavit transferri festum S. Maximi Martyris. *Ratio ob quam festum affixum est diei decimo Junii, hæc redditur, quod communis esset opinio, hac luce contigisse insigne illud sub Othone Magno miraculum (de quo prolixe agemus inferius* § II) *prout etiam memoratur in antiquo Ms. Archivi ecclesiæ cathedralis Aquilanæ. Ad hanc quoque diem, ex concessione seu Privilegio Joannæ Reginæ, translatæ sunt Nundinæ; quæ tamen, sive quod temporis decursu negligi cœpissent, sive quod mense Maio commodius illas haberi visum est, illuc ex Privilegio Regis Alphonsi anno* 1456 *relatæ fuerunt, in diem scilicet festum S. Bernardini, cujus sacrum depositum in hac civitate venerationi est* (3). *Nec similia quisquam mirabitur, qui perpenderit quam solemniter dies S.* Maximi *ageretur. In constitutionibus Synodalibus Berardi seu Bernardi Episcopi*(4) *quas conditas autumat Antinorius* (5) *post annum* 1395, *ita habetur n.* 1. In primis licet alma Mater Eccle-
D sia universos in Regnis cœlestibus constitutos, studiis honorare sollicitis et sonoris affere *(efferre)* preconiis non desistat; Nos vero gloriosissimos Martyres præcipuos Aquilanorum apud Dominum dignissimos Advocatos, videlicet Maximum et Georgium, quorum vocabulis Aquilana Ecclesia est fundata, dignis laudibus extollere cupientes, presenti constitutione statuimus et ordinamus, quod tam in Ecclesia Aquilana, quam in omnibus aliis civitatis et diœcesis ejusdem, ipsorum Beatorum Martyrum, Patronorum nostrorum Festivitates annis singulis, sub officio duplici solemniter celebrentur cum tota Octava, sicut de Festo Apostolorum Petri et Pauli omnibus est preceptum, et singulis diebus, quibus fit commemoratio dictorum Apostolorum, fiat et dictorum Patronorum nostrorum. Non observantes, indignationem dictorum Sanctorum et nostram noverint incursuri. *Celebratum itaque festum est, primum* XX *Octobris ; dein* X *Maii; paulo post* X *Junii; denique nunc celebratur* XIX *Octobris ; quando autem postremo huic diei affixum fuerit, non omnino compertum habeo. Id certum, anno* 1413 *vel potius* 1414 *(ubi incidit Translatio Reliquiarum S.* Maximi *ad civitatem Aquilanam, ut infra videbimus ad calcem* § II) *id* E
obtinuisse, ut perspicue constat ex Notis quibusdam Mss. Jacobi de Donadeis ; sic enim ibidem legitur : Die XVIII Octob., in primis vesperis Festi S. Maximi *etc.*

S. Maximus *passus est sub Decio, anno* 250 *vel* 251.

25 *Quo autem tempore passus B.* Maximus *sit, determinatur ex annis quibus Decius tenuit imperium.* Orientales, *inquit Joannes Baptista Ricciolus noster* (6), avaritiam Prisci non ferentes, imperatorem Jotapianum, Missi vero ac Pannonii Marinum; contra quem Philippus Senior mittit Decium *(reluctantem quidem, ut habetur apud Tillemontium* (7)) ; sed hunc Pannonii sibi conciliant, et imperatorem esse compellunt, et cum eo contra Philippum illuc tendentem infesto agmine veniunt ; quare ad Veronam Philippus exercitu amisso cæsus est, ejusque filius duodennis Romæ interfectus est Majo mense. *Hæc contigisse anno Christi* 249 *apud omnes in confesso est; ast lis est, quibus mensibus. Pearsonius opinatur*, quantum ex ejus epistolis, *inquit Pagius* (8), conjectura capi possit, *ineunte mense Maio anno* CCXLIX *Marinum in Pannonia sumpsisse imperium ; exeunte Julio Decium, sublato Marino, sumpsisse purpuram ; mense Augusto occisum esse Seniorem Philippum Veronæ, et*
F *paulo post Juniorem Romæ ; ac denique mense Septembri Decium se imperatorem renuntiasse.* Sed anno sequenti videbimus *(Pagii verba sunt)* jam circa mensem Julium Decium imperasse, Philipposque occisos. *Atque reipsa ad annum sequentem, scilicet* 249 *n.* 4 *ita habet Pagius* (9) *:* quoad mensem, quo uterque *(Philippus ; pater et filius imperatores)* occisus, eliciendus ex lib. VIII Cod. Justinianei tit. XXXV, ubi Lex. I, *de revocandis donationibus* inscripta est : *Imp. Philippus Aug. Casmino;* subscripta vero XV *Kal. Jul. Æmiliano et Aquilino Coss.* Præterea in eodem Codice exstat rescriptum lib. IV, tit. XVI cum hac inscriptione : *Imp. Decius A. Telemacho,* cum subscriptione : *PP.* XIV *Kal. Novemb. Æmiliano et Aquilino Coss.* Quibus ex Legibus certissimum fit, non tantum Philippum sub hujus anni (249) consulibus interiisse, et sub iisdem Decium imperare cœpisse ; sed etiam XV Kal. Julias, seu die decima septima mensis Junii Philippum adhuc in vivis fuisse. His

(1) Antiq. Ital Medii ævi. t. VI, col. 684 et duabus et seqq. A Stropha scilicet 1121 ad 1135. — (2) Reperitur Antiq. Ital. eodem t. VI, col. 875-880 sub hoc titulo : *Cronica dal principio de la Edificatione della Citta de l'Aquila, extracta da piu Scriptori*.—(3) Coppola dissertat. de S. Massimo, p. 82-84.—(4) Antiq. Ital. Medii ævi, t. IV, col. 954 et seqq.—(5) Ibid., not. 53. —(6) Chronologiæ reformatæ et ad certas conclusiones redactæ, t. I. p. 48. Edit. Bononiæ 1669.—(7) Histoire des Empereurs. Philippe, art. VI.— (8) In critica ad annum 248, n. x. Baronii Annales, t. II, p. 568. Edit. Lucæ. — (9) Ibidem t. II, p. 570.

mensis

A si addas quæ in morte Decii in medium adducemus, liquebit Philippum, circa mensem Julium peremptum, nec usque ad mensem Augustum, quod voluit Pearsonius in Annalibus Cyprianicis, vitam protrahere potuisse. *Atque hæc quidem ita Pagius. Ast in Lucensi Annalium Baron. editione* (1), *Nota scilicet 2 additur :* Serius aliquanto Philippi exitum ut consignemus cogit nos lex quædam Philippi in Codice Justiniani lib. VI, tit. XXXVI ; quæ cum data sit Idib. *(Id est* XV) Octob. Æmiliano et Peregrino (corrupte pro Aquilino) satis demonstrat, Philippum usque ad eam diem Imperium prorogasse. Nec ex hac chronotaxi quidquam incommodi retrahitur ; superest enim locus uti Deciano Imperio, quod desiit anno 251 ante diem sextam Kal. Novembris, anni tres inchoati assignentur, quod optime evincit Pagius ad A. 251, 30. *Hinc Tillemontius* (2) *certum esse ait, Philippum interiisse anno* 249, *et quidem ante diem* XIX *Octobris (quo pacto hunc præcise diem statuat, cum lex supra memorata sit data* XV, *ipse viderit) sed post* XVII *Junii imo post* XV *Augusti, si standum sit legum Datis. Ad finem ergo hujus anni* 249, *vel initio sequentis* 250, *exiit ferale Decii in Christianos edictum,* B *ut habet Pearsonius in* Annalibus Cyprianicis, *quem etiam sequitur Pagius, fundaturque in Epistola Dionysii Alexandrini ad Fabium episcopum Antiochenum, relata ab Eusebio* (3). Sed continuo, *inquit,* imperii illius erga nos benignissimi mutatio nobis nuntiata est : et gravissimus nobis minarum terror intentabatur. Jamque aderat edictum Imperatoris, illud ipsum fere quod a Domino nostro prædictum est, horificum et terribile exhibens, adeo ut ipsi etiam electi, si fieri posset, scandalum paterentur. Omnes certe mirum in modum exterriti sunt (4). *Porro duobus annis imperavit Decius ; initio tertii* Roma, ubi adhuc erat vicesima Octobris, adversus Scythas Tanaim transgressos profectus, Abruti cum filio periit (5) *ad finem Novembris vel initio Decembris. Ex his sequitur S.* Maximi *Passionem referendam ad annum* 250 *vel* 251; *diem vero, si actis stemus,* XIX *Octobris, Confer Coppolam* (6).

§ II. De Reliquiis S. Maximi. Earum Inventio seu Visitatio sub Othone Magno; hujus Diploma. Reliquiarum Translatio.

C

Reliquiæ S. Maximi primum Furconii repositæ;

Aquila, dum adhuc, *inquit Ughelli* (7), proprio pastore careret, Furconensi episcopo subdita erat. Qui postea tam Amiterna diœcesis quam Furconensis sancti Maximi in possessionem cessere, ac utriusque præpositum præsulem declaratum, Aquilanum episcopum appellaverunt, qui veterum præsulum excusso fræno, unam hoc tempore sanctam Apostolicam Sedem veneratur et colit. Cathedralis SS. Maximo et Georgio præclaris martyribus dedicata est. Præterea, quæ e Furconio Amiternoque antiquis civitatibus translata, Sanctorum corpora ibidem honorifice conquiescunt. *Furconiensem episcopatum antiquum valde esse constat ex catalogo apud Ughellum, ubi primus episcopus nomine* Florus *refertur ad annum* 680 ; *res quoque apud eruditos notissima est sedem Furconiensem passim sancti* Maximi *vocatam fuisse.* Furconienses episcopi sive Turonienses olim appellabantur *Episcopi sancti* Maximi, cujus Martyris ac Patroni corpus in majori templo colebatur. Nunc ad Aquilanum episcopum ea ditio spectat. *Hæc Muratori in chronicon Farfense, in quo, cum de Furconii sede sive præsulibus agitur, plerumque a* Sancto Maximo *nuncupantur. Vide Rerum Italicarum scriptores* (8). B. E.

atque hinc Aquilam delatæ.

27 *Ex his efficitur sacras sancti Martyris exuvias Furconii ab immemoriali repositas fuisse atque ibidem asservatus usque ad translationem Sedis illius ad Aquilanam urbem auctoritate Alexandri Papæ* IV, *Bulla* data x Kal. Martii Indict. XV, Incarnat. D. anno 1257, Pontificatus anno III. *Quam vide apud Ughellum* (9).

De inventione Corporis S. Maximi.

28 *Hic autem agendi locus est de facto in annalibus Furconiensibus imo et Aquilanis celebri, de quo etiam in Ms. apud nos sermo sub titulo* Inventio sancti Maximi. *Ad hanc refertur etiam diploma Othonis imperatoris,* quod, *inquit Antinorius,* servatur in membrana Langobardis litteris exaratum in archivo Cathedralis Aquilanæ, et transcriptum E denuo in membranaceo codice alio, cum hac præfatione, desumpta ex antiquiori *Legendæ S. Maximi,* jam nunc deperdito. *Præfationem hanc ex Antinorio*(10) *damus, tum quod ad rem nostram maxime faciat, tum quod nostrum apographum Ms., olim Aquila transmissum, sit quibusdam in locis plus minus seu obscurum seu depravatum ; denique quod Antinorius, teste Muratorio ut supra diximus, scriptor sit diligens atque in rebus urbis suæ patriæ præ cæteris eruditus. Quæ tamen in nostro apographo vel addita vel diversa occurrunt, diligenter, uncinis textui Antinorii insertis, notabimus. E tautem præfatio (quæ potius historia dicenda esset) hujusmodi.*

Inventionis præfatæ historia ex Archivo ecclesiæ Aquilanæ collata cum Antinorio.

29 Quomodo et quando per ecclesiam Furconensem sub uno capitulo gloriosissimi Levitæ et Martyris Patroni nostri fuerit erecta cathedralis et dotata apparet in legenda ejusdem in qua, inter alia sic legitur. *Hæc quidem in nostro apographo desiderantur ; ast eorum loco leguntur sequentia :* Post beatum et gloriosum Passionis triumphum B. Maximi martyris, omnipotens Deus ad ejus sepulchrum multa miracula ipsius meritis dignatus est ostendere *(forte* exercere) ac demonstrare. Sed F qua ratione præfata miracula ad posteros non sint transmissa incertum *(forte* incompertum) habemus. credimus enim, quod aut præpositorum negligentia, aut peccatorum *(forte* precatorum) dissidio *(desidia?)* peccatis nostris exigentibus, nobis sunt tecta silentio ; sed unum est quod nos ratum compertumque habemus tanta fuisse etc. *ut sequitur ex Antinorio.*

Convenit imperator Otho Magnus Papam Joannem

30 Certum habemus tanta fuisse miracula et tam præclara *(desunt apud nos tres illæ voces)* quæ Deus per B. Maximum martyrem suum temporibus illis dignatus est exercere ; qui *(melius in nostro apographo* quod) miraculorum rumor Magni Othonis imperatoris aures perculit et ad ejus sepulcrum visitandum ejus mentem ardentissime excitavit. Ea itaque tempestate præfatus gloriosus *(vox hæc apud nos deest)* imperator Otho Magnus *(desunt hæ duæ voces)* pro imperialibus negotiis Romam venire decreverat : sed auditis miraculis,

(1) Ubi supra.—(2) Histoire des Empereurs. Philippe. art. VII, t. III, p. 122. Bruxellis 1732. — (3) Historiæ Ecclesiasticæ, lib. VI, cap. XLI, Juxta Valesii editionem Readingianam. Cantabrigiæ 1720, t. I, p. 304 et seqq.—(4) Ibid., p. 305.—(5) Pagius ad an. 251, n. XXIX. Annal. Baron., t. II, p. 631.—(6) Dissertazione di S. Massimo, p. 9.—(7) Italia Sacra, t. I col. 374 —(8) T. I, part. secunda, col. 457. — (9) Italia Sacra, t. I, col. 380. — (10) Historiæ Aquilanæ, cap. I. Apud Muratorium, *Antiquitates Italiæ Medii ævi*, t. VI, col. 489 et seqq. Edit. Mediolan. 1742.

quæ

M. B.

quæ Omnipotens Deus per beatum martyrem suum *(deest apud nos ambo illa vox)*, Maximum in Italia quotidie operabatur, cum imperiali apparatu archiepiscoporum, episcoporum *(deest hæc vox)*, principum, marchionum et comitum, ut mos est imperatorum, de ultramontanis partibus movit iter, ac *(desiderantur hæc tria verba)* festinanter Romam venit. Eo itaque tempore venerabilis Papa Johannes Romanam gubernabat ecclesiam *(sedem)*; qui cum audisset imperatoris adventum, ut decuit, tam gloriosum principem benigne recepit, atque infra palatium Lateranense cum suum sedere fecit; cumque ita *(apud nos* simul) sederent, idem venerabilis Papa (Joannes) itineris causam a præfato imperatore solerter inquirere cœpit. At quem devotus imperator itineris causam, et devotionem suam humiliter et devote narravit. Audivi, inquit, Pater Beatissime *(Sanctissime)*, multa mirabilia de beato S. Maximo martyre, cujus corpus jacet in Furconensi provincia, quæ fecit Deus per eum; et ideo veni ego Otho Magnus Imperator, ut si Dominus permiserit, aliquam partem ipsius sanctissimi Corporis in patriam meam transferre desidero. (*In nostro Apographo :* ut, si Deus permiserit aliquam partem ipsius sanctissimi corporis in patriam B meam transferre possim).

Simul accedunt ad tumulum.

31 Hoc audito Vener. Papa Johannes benigne annuit ejus devotioni atque petitioni, et simul cum ipso imperatore ac magno comitatu ad locum illum, videlicet ubi sacratissimum corpus B. Maximi reconditum erat, unanimiter perrexerunt. Venientes igitur ad præfatum tumulum, simul cum ipso Papa prostraverunt se ante sacrum sepulcrum rogantes summi conditoris clementiam, ut ipse, quia Omnipotens est *(Apogr. nost.* qui omnia potest), dignaretur eis concedere auferre aliquid de tam sacratissimo (sanctissimo, *apud nos)* Martyre. Et accedens quidam cum malleo ut frangeret præfatum sepulcrum, statim brachium ejus obstupuit, et locus totus contremuit. Tunc venerabilis Papa Johannes simul cum ipso imperatore et cum omnibus, qui eis assistebant, valde pavidi ac tristes a loco illo recesserunt.

Visio mirabilis

32 Erat autem ibi quidam religiosus episcopus nomine Cesso, vir magnæ sanctitatis; cum enim se in ventura nocte sopori dedisset (cum enim ibi se nocte sopori dedisset *apud nos)*, apparuit ei angelus Domini per visionem dicens illi : vade et C dic imperatori, quod nisi fecerit, quæ dicturus sum tibi, de corpore isto Sancto aliquid secum nullo modo portare poterit. Dilet nimirum *(Clarius apud nos :* dices ei nimirum, ut ecclesiam in qua requiescit corpus sacrum Apostolicus *(Papa nempe)* qui cum eo est, episcopatum constituat et episcopum ibi ordinet) nunc ecclesiam, in qua modo requiescit corpus sacrum, et Apostolicus qui cum eo est ipsam ecclesiam episcopatum constituat, et episcopum ibi ordinet, et sic tali modo de Martyris corpore aliquid secum portare poterit. Evigilans autem episcopus Cesso, visionem visam imperatori narravit. Vidi, inquit, o imperator, angelum Domini *(additur apud nos :* in visione) dicentem mihi : nuntia hoc *(hæc)* imperatori, quod *(quæ)* dicturus sum tibi, et dic ei, quod *(quia)* ista quæ ei narraveris vera sunt, et qui hoc *(hæc)* non crediderit in perpetuum maledictus et anathematizatus erit; et omnes qui ista crediderint, et auxilium et consilium *(apud nos :* consilium et auxilium) ibidem fecerint ab omnipotenti Deo et B. Maria semper Virgine, et ab omnibus ordinibus angelorum, simulque *(quatuor præcedentes voces apud nos* D *non leguntur)* omnibus sanctis sint benedicti. Hoc audiens imperator perrexit ad Apostolicum, et convocatis omnibus archiepiscopis et episcopis et principibus *(apud nos :* omnibus archiepiscopis principibusque) qui cum eo erant, narravit omnibus *(omnia)*, quæ a supradicto episcopo audierat. Tunc omnes levantes manus ad sidera glorificaverunt Deum, qui non fraudat servos suos a sancto desiderio.

Pontifex cum imperatore redit ad tumulum.

33 Tunc religiosus et Pius Johannes Papa simul cum magno episcopo Cesso et cum omnibus aliis archiepiscopis et episcopis, et etiam magnus imperator Otho cum omnibus principibus cum Letaniis devotissime accedentes ad tumulum B. Maximi martyris prostraverunt se ante illud, deprecantes omnipotentis Dei clementiam, ac B. Martyris *(vox* Martyris *deest in nost. Apograp.)* Maximi pietatem, ut desiderium eorum a sancto proposito gloriosus Deus *(deest apud nos* Deus) non defraudaret. Exurgens Apostolicus ab oratione simul cum imperatore et cum omnibus aliis archiepiscopis et episcopis et principibus vota voverunt Deo et B. Maximo in omnibus et per omnia (se) facturos sicut angelus Domini per prædictum episcopum E eis mandaverat *(ordinaverat)*. Imperator vero cordis sui desiderio vehementer accensus, zelo Dei ductus, testimonium Evangelii super sepulcrum B. Maximi posuit, et propria manu juravit, quod si Deus permiserit ei aliquid de ipso sacratissimo corpore ad patriam suam transferre, quod (hic) hujusmodi episcopatum clarissimum atque ditissimum suo sacro præcepto firmaret, ultra *(additur apud nos* vero) montes nihilominus longe ditiorem ad honorem Dei et B. Maximi martyris episcopatum construeret.

Aperitur sepulchrum.

34 His omnibus peractis accesserunt artifices illius artis cum timore et tremore, absque læsione aperuerunt sacrum sepulcrum. Tantus quippe suavis *(suavitatis)* odor ex ipsius sacris ossibus emanavit, ut omnes se sentirent omni *(deest vox* omni) suavitate usquequaque refertos *(refectos)*. Devotus autem imperator gratias agens omnipotenti Deo particulam *(Brachium scilicet, ut habet Coppola* (1)) sacri corporis B. Maximi Martyris sibi vindicavit, et in dignissimo loco *(loculo)* ad deferendum eam constituit. Convocatis vero fidelibus suis, qui in Furconensi provincia degebant, illorum consilio largissime ditavit ecclesiam et magni- F ficavit, ac episcopatum constituit, et Deo et B. Petro Apostolo sub tutela Romanæ ecclesiæ per manus Apostolici assignavit et suo sacratissimo *(sanctissimo)* Præcepto proprio sigillo bullato devotissime roboravit. Venerabilis autem Papa Johannes prædictum episcopatum sub Romanæ Ecclesiæ tutela suscipiens, proprio nihilominus privilegio omnia, quæ prædictus imperator Furconensi episcopatui concesserat et determinaverat, roboravit. Insuper vero rogatus ab imperatore et ab ejus principibus cum omnibus archiepiscopis et episcopis, qui cum eo erant, benedixit omnibus, qui prædictum episcopatum adjuvare nituntur, (ac) defendere cupiunt; illos nimirum *(autem)* qui præfatum episcopatum maligno animo immimuere, vel molestare volunt, nisi digne satisficerint, maledixit eos et excommunicavit, et Judæ proditori et omnibus qui crucifixerunt Dominum Nostrum Jesum Christum, qui dixerunt Domino Deo : recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, in perpetuum terribiliter eos associavit.

(1) Dissertazione de S. Massimo, p. 58.

35 Si

Conclusio.

35 Si quis autem scire desiderat quæ et quanta gloriosus et devotus *(absunt apud nos ambæ posteriores voces)* Otho Magnus *(vox hæc apud nos rursus deest)* imperator Furconensi ecclesiæ concesserit, vel sub ejus dominio submiserit, vel fines episcopatus, per quæ loca determinaverit, legat Privilegium ejus, quod in eadem ecclesia reconditum est. *Post hæc in nostro apographo adduntur, posito post verba :* reconditum est, *Commate :* et plenius, Christo propitio, scire poterit. His igitur omnibus ordinatis et compositis, Magnus Otho imperator viam *(forte* iter) arripuit, gaudens et exultans pro tanto dono sibi a Deo collato. Joannes igitur Papa divino cultui ad honorem Dei et B. Maximi martyris Furconensem *(alias* Furconensis) composuit ecclesiam, et sic Christo duce ad Lateranense rediit palatium. *In apographo autem quo usus Antinorius est, post superius laudata verba :* reconditum est, *describitur Diploma (de quo infra agemus) Othonis; et dein additur* (1) : Privilegium sanctæ memoriæ Johannis Papæ, qui cum dicto glorioso imperatore fuit ad erigendum Furconensem ecclesiam cathedralem non reperitur nunc, nisi tantum sub ipsius Privilegii scripta in
B fine Legendæ gloriosissimi Patroni nostri Maximi levitæ et martyris *(hæc utique sensum non faciunt)* in qua sic legitur. Hic porro recitatur non Privilegium aliquod Johannis P., sed Breve Alexandri P. II ad Raynerium anno 1028. *Ad finem additur :* Johannes igitur Papa divino cultui *etc., ut in nostro apographo. Atque ex his satis apparet ab imperito conscriptum fuisse Antinorii apographum; nec proinde nimium quid tribuendum verbis, quibus* erectio Furconiensis sedis *adscribitur Othoni Magno : quod prorsus falsum est, ni si verba illa interpretentur de erectione minus proprie dicta. Quod quidem hic notasse necesse erat ad ea quæ mox subjicienda sunt. Denique (ne quidquam eorum prætermittamus, quæ ad hanc rem pertinent) testatur Coppola sepræ manibus habuisse manuscriptum, versus finem sæculi* XVI *compositum a Joanne Josepho Alferi Aquilano, ex quo sequentia Dissertationi suæ de S.* Maximo *inseruit* (2) : Venerabilis autem Papa Joannes prædictum episcopatum sub Romanæ Ecclesiæ tutela suscipiens, proprio nihilominis privilegio omnia, quæ prædictus imperator Furconensi episcopatui concesserat et determinaverat, roboravit etc. *siculi supra num. præcedenti, nisi*
C *quod paulo aliter concludatur :* volumus in perpetuum terribiliter eis associari. — *Ideo præsertim textum Antinorii cum nostro apographo tam diligenter contulimus, quod scriptor ille, quem deinceps ex professo impugnandum habemus, plus nimium textu suo innitatur, quo falsitatis insimulet totam hanc narrationem. Cæterum Antinorius (prout perspicue videbitur, ubi paragrapho* II *hujus Commentarii disputabimus de Othoniani diplomatis sinceritate) in tota hac quæstione, juvenili quodam abreptus ardore, facilius invalescenti ævi sui indulsit genio, multaque haud satis meditate, ne dicam nimis temere, protulit, vel arrogantius impugnavit, quod ex mox subjiciendis jam constabit.*

Objecta ab Antinorio contra præfatam narrationem :

36 *Totam scilicet præfatam narrationem perstringit Antinorius hoc epiphonemate :* Pulchra quæ hic de Ottonis adventus causa narrantur : utinam æque fundata; miraculosa nunc omittenda, uti quæ de sacri corporis Inventione. Unum tantum observandum, nempe tempore Ottonis, quin imo ab ipso fundatum narrari episcopatum Furconiensem, cum ab inde retro sæculis fundatum et existentem manifeste demonstrant præ cæteris acta Conciliorum annorum 680 et 861. *Atque his suppositis (nec enim probat)* patentem *hanc* fictionem *esse confidenter pronuntiat.* B. P.

quam universim haud fundatam censet;

37 *Quod ad primum attinet, universam nempe haud fundatam esse narrationem; verum quidem est codicem ex quo hausta hæc est, non adeo vetustum esse, quem quidem ad sæculum* XIV *refert Antinorius, sed ad initium sæculi* XV *pertinere opinatur RR. DD. Coppola, his ductus rationibus :* Sciendum est, *inquit* (3), in illo ipso archivo ecclesiæ cathedralis Aquilanæ, in quo a tot sæculis conservatur Originale Diplomatis Othoniani, reperiri etiam codicem alterum, qui scribi cœptus est in charta pergamena, tempore Jacobi de Donadæis e Rodiano (4) *(Donadei di Roio), ut efficitur ex his verbis initio codicis :* Jussu R. Patris Domini Jacobi Episc. *Hic vero in Aquilanam sedem intrusus fuerat 31 Augusti an. 1391 ab antipapa Benedicto XIII; sed paulo post, relicta sede, Bonifacio IX reconciliatus, ab eodem Pontifice Aquilanus factus episcopus est 24 Januarii an. 1401 obiit autem an. 1431* (5). *Si ergo laudatus codex conscriptus est sub episcopatu Jacobi, ad initium sæc.* XV; E
sin tempore intrusionis, ad finem sæculi XIV, *ut vult Antinorius, spectabit. Ut autem sinceritatem sæpius dictæ narrationis vindicet, invocat Coppola* (6) *traditionem, ex qua profecto anonymus ille scriptor asserta sua hauserit, et præcipue Diploma Othonianum, in quo hæc inter alia habentur :* Pro his miraculis, quæ Dominus dignatus est ostendere pro te, beate Maxime, et pro tuo sancto Corpore, de quo *etc. Porro, ut infra videbimus, authentiam præfati Diplomatis, pro aris et focis Coppola tuetur, adversus Antinorium, qui illud spurium diserte pronuntiat.*

ast absque sufficienti ratione.

38 *In confirmationem adducit Coppola totam Muratorii Dissertationem, quam ipse perperam 68am dicit (est enim 58va)* (7), *citatque hæc verba :* Erat ergo ferreis illis sæculis incredibilis sacrarum Reliquiarum aviditas *etc.* Præ cæteris vero certare consueverunt episcopi, ac potissimum Germaniæ, in quorum regionem invecta serius Christi religio nullos dederat Martyres, ut quisque suam patriam ac templa ornarent pretiosis hujusmodi spoliis. Quam in rem auctoritate principum, precibus, pecunia, violentia cæterisque artibus utebantur (8). *Immediate vero subjungit Muratorius :* Celebrem ea de causa se præbuit olim Theodoricus Metensis F
episcopus, ut reliquos omittam. Erat is Ottoni Magno Augusto arcta affinitate conjunctus, utpote illius consobrinus, eique inter paucos carus, atque una cum illo *in Italica expeditione per triennium militavit,* uti Sigebertus ad annum DCCCLXIX scribit *(Mendum est, lege* DCCCCLXIX *imo juxta Pertzium* DCCCCLXX (9)). *Verba Sigeberti loc. cit. sunt :* Deodoricus, Mettensium episcopus, imperatori sanguine, dilectione ac familiaritate cæteris devinctior, dum in Italica expeditione per triennium sub eo militaret, multa corpora et pignora sanctorum de diversis Italiæ locis QUOCUMQUE POTUIT MODO *(quæ tria verba attente animadvertenda dicit Muratorius* (10)) collegit. Primum a Marsia sanctum Elpidium confessorem, cujus socium Euticium ipse imperator jam sustulerat; ab Amiternis Euticetem martyrem cum reliquiis Maronis et Victorini sociorum ejus; a Fulginis Felicianum episcopum et martyrem; a Perusio Asclepiotatum martyrem, a Spoleto Serenam martyrem cum Gregorio Spole-

(1) Antiquitates Italiæ Medii ævi, t. IV, col. 491. — (2) Dissertaz. di S. Massimo, p. 80 et 81. — (3) Ibid., p. 56. — (4) Confer Ughelli Ital. Sacra, t. I, col. 390. — (5) Coppola, loc. cit. et p. 72. Item Ughelli, loc. cit. — (6) Ibid., p. 59 et 60. — (7) *De Christianorum veneratione erga Sanctos post declinationem Romani imperii* Dissertatio quinquagesima octava. Antiq. Ital., Medii ævi, t. V, col. 1-60. Edit. Mediolan 1741. — (8) Ibid., col. 8. — (9) Monumenta Germaniæ, Scriptorum, t. VI, p. 251. — (10) Ubi supra.

tino martyre; a Corduno (Cerdonia ?) pignora Vincentii martyris et levitæ, ab Hispania olim a duobus monachis Capuam, a Capua vero illuc deportata; Mevania alterum Vincentium episcopum et martyrem; a Vincentia Leontium episcopum et martyrem; a Florentia Miniatem martyrem; ab urbe Tudertina Fortunatum episcopum et confessorum; a Corfinio Luciam Syracusanam virginem et martyrem (*cujus corpus aliæ urbes sibi vindicant* (1)), a Furoaldo duce Spoletinorum olim a Syracusis illuc translatam; a Sabinis partes corporum Proti et Iacincti martyrum. Hæc omnia cum parte catenæ S. Petri Apostoli, cum capillis ejusdem, et sanguine sancti Stephani prothomartyris, et parte de craticula sancti Laurentii martyris a papa Johanne sibi donata, cum aliis multis Sanctorum pigneribus præsul Deodoricus in Galliam hoc anno (970) transtulit, et in ecclesia sancti Vincentii martyris a se in insula urbis constructa locavit. *Hæc Sigebertus in Chronico. Ex his omnibus infert Coppola, præfatam narrationem de Visitatione, seu, ut habet apographum nostrum, de* Inventione S. Maximi *non ita universim absurdam aut ridiculam esse, ut insinuat Antinorius in aculeato (ut ipse putasse videtur) suo epiphonemate. Cæterum posito quædam adjuncta in dubium vocari posse; num propterea ipsum factum dubium aut suppositum erit? Id sane nemo prudens dixerit, admissa præsertim Othoniani diplomatis sinceritate, quam, ut paulo inferius disputabimus, Antinorius non admodum feliciter impugnat.*

Num fictitia sint quæ dicuntur de fundata sede Furconiensi.

39 *Quod attinet ad* patentem *illam, ab eodem* detectam fictionem, *jam supra, versus finem n.* 35, *notavimus ex sæpius dicta narratione, prout in nostro habetur apographo, nullatenus effici* erectam *ab Othone fuisse ecclesiam Furconiensem; quod si vox* erigendum *in Antinori apographo reperiatur, parum refert; quoniam satis constat ab imperito illud conscriptum fuisse. Quod si etiam ita non esset, voces* fundare, erigere *latiore sensu interpretandæ forent ex ipso Diplomate (cui* Narratio *ad instar* Præfationis *est) quod constanter supponit Furconiensem exstitisse sedem, ut latius prosequitur Coppola* (2). *Notandum præterea Cessum quidem vocari episcopum, sed ejus sedem non designari :* erat autem ibi quidam religiosus episcopus nomine Cesso, vir magnæ sanctitatis *etc. Neque etiam in sequentibus dicitur Cesso ille ad Furconiensem sedem promotus; atque tamen ab Ughello et Coppola præsulibus illius ecclesiæ annumeratur. Insuper dixit Angelus in visione :* ditet *imperator* ecclesiam *(variam lectionem notavimus)* in quo modo requiescit corpus sacrum B. Maximi, et Apostolicus, qui cum eo est, ipsam ecclesiam episcopatum constituat et Episcopum ordinet. *Ex his nonne opinari liceret, jam pridem, ex mente* Narrationis, *Cessum episcopum Furcon. fuisse, sed hac occasione ejus cathedram translatam in ecclesiam, in qua requiescebat S.* Maximus, *quam et Otho ditavit? Ita et hic vere* Fundator *dici poterit. Adde præfatam sedem deinceps vocatam fuisse :* ecclesia Furconiensis S. Maximi. *Ut candide dicam, quod sentio;* detecta *ab Antinorio* fictio, *mera cavillatio est. Quid, quod ipse, dum alium fictionis arguit, ejusdem criminis reum se facere ibidem videatur? Re quidem vera apud Labbeum* (3) *in actis Concilii œcumenici Constantinopolitani* III *adversus Monothelitas, ubi recensentur acta in Concilio Romano, sub Agathone Pontifice an.* 680, *reperitur inter subscriptiones :* Florus exiguus episcopus Furconiensis ecclesiæ in hanc suggestionem, quam pro apostolica nostra fide unanimiter construximus, similiter subscripsi. *Et rursus in synodo Romano an.* 853, *sub Leone IV, dicta sententia est contra Anastasium, jam nuper excommunicatum, presbyterum sancti Marcelli; sententiæ subscripserunt episcopi numero* LXVII, *inter quos* Joannes Episcopus Furconiæ (4). *Ut quid ergo invocat Antinorius* acta Conciliorum annorum 680 et 861 ? *Quo quidem posteriori anno unam et alteram synodum Romæ celebratam invenio* (5); *ast in illis nullus episcopus Furconiensis subscripsisse legitur; imo in utraque nullæ sunt subscriptiones, ut videre est apud Labbeum* (6), *qui alterum refert ad an.* 861, *alterum ad an.* 862. *Cæterum unde natus sit Antinorii lapsus ostendit Coppola in Catalogo Episcoporum, quem vide si libeat* (7).

Diploma Othonis Magni,

40 *Jam gressum facimus ad sæpius memoratum Othonis Magni Diploma, in cujus fide seu sinceritate vix non tota actorum S.*Maximi *veritas reposita est. Cum itaque scripserit Antinorius :* qui Diploma illud falsum non videt, nihil videt; et legere tantum, refutare est (8). *Atque hæc ipsa verba, adeo confidenter ab erudito, juvene tamen, auctore prolata, ansam dederunt Coppolanæ de S.* Maximo *Dissertationi, ut ex hujus Præfatione non obscure efficitur. Muneris nempe sui, utpote Aquilanæ ecclesiæ præsul, existimavit gloriam Patroni suæ diœceseos quo posset rationum pondere vindicare : si enim supposititium sit Othonis Diploma, supposititium quoque erit S. Martyris corpus, quod postea Aquilam translatum fuisset.*

in archivo Aquilanæ ecclesiæ ab immemoriali asservatum,

41 *Cum autem ex constanti traditione habeatur, originale illius Diplomatis asservari in archivo ecclesiæ Aquilanæ; ante omnia voluit RR. DD. Coppola oculis illud usurpare diligenterque inspicere. Juverit instrumentum hac opportunitate confectum subjicere quod ex italico latinum facimus, et reperitur ad calcem Coppolanæ scriptionis. Est autem sequentis tenoris :* fidem facimus nos subscripti Notarii, qualiter hac die infrascripta ad requisitum Archidiaconi, reverendissimi Domini D. Francisci Carli, pro tempore Vicarii Generalis hujus civitatis de Aquila, et reverendissimi Domini canonici Decani D. Petri Alfieri, perrexerimus ad Sacrarium cathedralis hujus civitatis, in quo, nobis præsentibus, iidem reverendissimi Vicarius et canonicus Decanus aperuerunt cum duabus clavibus distinctis, archivum reverendissimi Capituli hujus Cathedralis Aquilanæ et ex Capsula *(Cassettina)* desumpserunt vetustam chartam pergamenam, plicatam, valde attritam et laceram *(mollo logora e rotta)* qua explicata, visum est in illa haberi Diploma Othonis Imperatoris, scriptum antiquo charactere; sub quo sunt signa Crucis cum nominibus imperatoris, episcopi Cessi, trium aliorum qui donationem confirmant, trium Marchionum testium, ac tandem Judicis et notarii, qui illud exaravit; et inter *(a traverso)* illa nomina spectatur Monogramma imperatoris Othonis, quod clare distinguitur utpote valde *(ben)* magnum, et dignoscitur formatum eodem atramenti colore, quo ipsum Diploma conscriptum fuit. Et iidem reverendissimi Canonici dixerunt se de suo archivo auferre hujusmodi Diploma, quo illud ostendant Illustrissimo DD. episcopo *(Coppola)* qui declaravit sibi propositum esse conscribere Dissertationem de actis S. Maximi Levitæ et Martyris, ac præcipui hujus civitatis Protectoris, sicuti et

(1) Muratorius, ibid., col. 9. — (2) Dissertazion. di S. Massimo, p. 60. — (3) Concil. t. VI. col. 696. Lutetiæ. Paris 1671. — (4) Labbe. Ibid., t. VIII, col. 122 et 123. — (5) L'Art de vérifier les dates, p. 195. — (6) Ibid., t. VIII, col. 736 et col. 738 et 739. — (7) Dissertazione di S. Massimo, p. 62 et seqq. — (8) Hist. Aquilanæ, cap. 1. Apud Murator. Antiq. Ital. Med. ævi, t. VI, col. 489.

A et de hoc Diplomate Othonis imperatoris, quod redundat in honorem et gloriam ejusdem Sancti. Atque hoc est quod pro facti veritate possumus testificare.... In quorum fidem *etc.* Aquilæ 4 Junii 1749. *Subjunguntur latine sequentia :* Et in permissorum (præmissorum) fidem ego Dominicus Antonius Zampetti de Staffoles Aquilæ degens Apostolica et Regia auctoritate requisitus Notarius in Archivio Romanæ Curiæ descriptus præsentem feci et signavi auctoritate ✠ locus signi In quorum retroscriptorum fidem *etc.* Testor ego Dominicus Antonius Rietelli ab Aquila, publicus Apostolica atque Regia auctoritate Notarius, et in Archivio etiam Romanæ Curiæ descriptus, præsentem feci, nec non meo, quo utor signo munivi ✠ locus signi.

42 *Habetur et aliud simile Instrumentum ejusdem Datæ a capitulo subscriptum, in quo* testantur omnes scripturas præfati Archivi perpetuo AB IMMEMORIALI servatas fuisse sub duplici clavi, altera penes Archidiaconum, altera penes Decanum Capituli; nec illas claves ab hominum memoria ulli alteri umquam creditas fuisse ; quando vero inspiciendæ fuerunt, sive ad aliquid ex iis auferendum,
B sive ad scripturas illas in Archivo ordinandas, id semper factum, præsentibus Canonicis ad hoc deputatis. Cum itaque in præsentiarum voluerit Illustrissimus DD. Episcopus noster videre originale Diploma Othonis Imperatoris, quod spectat ad præcipuum Protectorem nostrum S Maximum, accesserunt ambo Domini Canonici, qui penes se habent duas claves illas diversas ad illud auferendum ; atque ad majorem cautelam secum adduxerunt duos publicos Notarios, qui attestarentur qualis formæ et quo in statu Diploma esset, cum ex Archivo extraheretur, antequam dicto Illustrissimo DD. Episcopo illud traderent, qui illud lectum restituet, quo reponatur in eodem Archivo. *Sequuntur subscriptiones duodecim Canonicorum. Quam diligenter illud inspexerit Præsul et accurati exam inaverit ex illius constabit textu (annotato et collato cum textu Ughelliano* (1) *quem hic integre, prout in sæpe laudata* Dissertatione (2) *habetur, subjicimus.*

hic in extenso recitatur.

43 In nomine Domini Dei (3) et Salvatoris Jesu Christi. Anno ab incarnatione Domini 956. Ego Otto Imperator Augustus Divina ordinante clementia (4) anno Imperii mei sextodecimo mense Junio
C Indictione undecima, hoc preceptum fieri precepi ad honorem, et restaurationem beati Maximi Martyris. Ideo constituit me Otto (5) gratia Dei Imperator Italici Regni defensor de Asie Palatio habitus (6). Sana mente, et spontanea mea bona voluntate, et pro his miraculis, que Dominus dignatus est ostendere pro te beate Maxime, et pro tuo sacro corpore; de quo humiliter rogo ut aliquantulum nobiscum portare (7) consentias, pro quo jusjurandum tibi feci, quatuor tantum plus dare, quamquam (8) tu hic habeas in nostris partibus, silicet (9) Ultramontanis, et facere tibi, quod Archangelus Michael (10), per Episcopum nobis mandavit ; qua in re (11) trado, concedo, atque dono tuo Episcopatui totum Furconensem comitatum, finis cujus hic est. A Septentrionali parte incipit a loco qui dicitur Rotilianus *(hodie Rotigliano)* simul cum toto Guasto *(hodie Guasto)* ubi sunt mille (12) millia modiola terre, et revertitur ad Occidentalem partem per medium locum Popleti *(hodie Coppito)* et sic pertransit per Triculiolum (13) *(hodie dictum Tricagliolo)* et per medietatem Forule (14) *(hodie vocatur Civita Tomassa)* ubi sunt mille modiola de terra, que tenent usque ad sanctum Silvestrum *(hodie Castrum c.t dirutum impendens Civitæ Tomassæ)* deinde transit per Vilianum *(hodie Vigliano terra diruta)* usque ad sanctum Stephanum *(hodie Rocca S. Stefano)* cum decem millibus modiolis de terra usque ad montem super Petram Cornutam *(hodie vertex montis S. Stephano impendentis)* deinde transit per meridianam partem per montem Subclivianum (15) *(hodie forte locus seu villa dicta Poggio S. Maria)* et per Saltum Felicem *(hodie Campofelice contingens Montem di Lucoli)* qui cum omnia sua possessione pertinens est eidem Episcopatui, et egreditur cum hoc fine usque ad Roborem *(hodie Rovere)* sicque revertitur ad orientalem plagam pertransiens Ansedonam civitatem *(Ansidonia hodie destructa)* et pergit per Bletinium (16) montem usque in Barizanu *(hodie Barisciano)* duo millia modilia de terra, que tendunt usque ad locum qui dicitur Vadus, et sic revertitur ad priorem finem. Jubeo ego Imperator, ut infra hos fines non dominetur alter episcopus, neque E comes, nisi tantum Episcopus S. Maximi; adhuc interjacent (17) alie petie de terra Adselici (18) *(hodie Assergi)* que tendunt usque supra Paganicam, et usque in supra dictum Vadum, et usque supra Picentiam *(hodie Picenze)* in quo fine sunt mille modiola de terra, et in isto eodem fine interjacet (19) Ecclesia sancte Euphemie cum quincentis modiolis de terra, ibi etiam est Ecclesia sancti Justini, et sancte Marie de Paganica cum trecentis modiolis de terra simul cum alia petia de terra ubi requiescit corpus Beate Juste super illum montem (20) et super illum poiu *(sic)*, et sub illo monte est medietas ipsius, que ambe terre protendunt (21) ex duabus partibus usque in aquam cum ducentis modiolis de terra simul cum ipso poio (22) qui super ipsa est que omnia sint Ecclesie S. Maximi. Similiter concedo eidem episcopatui tria millia modiola terre que incipiunt in illo loco, ubi corpus S. Eusanii requiescit et protenduntur (23) usque ad locum qui Vallis dicitur *(hodie Valle di Ocre)* et usque in illum locum qui serra (24) vocatur, et protenduntur (25) usque super Ecclesiam sancti Savini. Et adhuc trado jam dicte Ecclesie tres petias terre in comitatu Marsicano jacentes, F quarum una est Marentino *(hodie Marano haud procul á Magliano)* que continet in se modiola trecenta, cujus fines ex duabus partibus est terra Elpici, et ex aliis duabus partibus est territorium sanctum Savinum *(haud procul a lacu di Celano, ubi hodie habetur locus* Santa Sabina *dictus)* secunda petia jacet in loco ubi edificatus est sanctus Marcellus, que similiter continet in se modiola centum, et piscationem infra aquam fucini (26) mille millia destri, et per longitudinem usque in Paternum *(adhuc hodie Paterno)* sunt decem millia destri, cujus finis est de tribus partibus terra Apici, et de consortibus ejus, et ex quarta parte terre aliorum hominum, sed et de aqua precipio ut quicumque ibi piscaverit (27) semper de triginta piscibus, predicto episcopatui unum reddat. Tertia petia terre jacet in loco Felimine, que continet in se modiola quatuorcentum, cujus fines sic

(1) Italia Sacra, t. I, col 375 et seqq. — (2) P. 19 et seqq. — (3) Apud Ughel. deficit hoc verbum *Dei.* — (4) Ughel. *Divinæ ordinationis clementia.* — (5) Ughel. *me Ottonem gratia Dei Imperatorem. Italici Regni defensorem.* — (6) Ughel *habitum.* — (7) Ughel *nobiscum portare.* — (8) Ughel. *Quem tu.* — (9) Ughel. *Scilicet.* — (10) Ughel. *Sanctus Angelus Michael.* — (11) Ughel. *Quamobrem.* — (12) Ughel. *Sint mille.* —

(13) Ughel. *Triculiolum.* — (14) Ughel. *Foruli* — (15) Ughel. *Succliniarum.* — (16) Ughel. *Blesimum.* — (17) Ughel *Intus jacent* — (18) Ughel. *Asseliet* — (19) Ughel. *Intus jacet* — (20) In Ughel. *deficiunt hæc verba :* Super illum montem. — (21) Ughel. *procedunt.* — (22) Ughel. *poggio.* — (23) Ughel *protenditur.* — (24) Ughel. *Sora* — (25) Ughel. *protenditur.* — (26) Ughel. *fucinu.* — (27) *piscaverit.*

continentur

B. P. continentur. De una parte est fucinus cum sua piscatione, in quo quicumque piscaverit reddat ut dictum est superius, et ex alia parte est terra Luidini (1), et ex tertia parte est via, et ex altera parte terra aliorum hominum. Insuper trado supradicte Ecclesie in Comitatu Aprutii in loco qui sanctus Flavianus vocatur unum portum, qui reddat centum pondera inter aurum, et argentum, et etiam ferrum, et sal, qui portus continet, infra se quinque millia modiola inter terram, et aquam intra mare. Similiter in civitate de Aterno dono septem millia modiola terre cum quinta parte illius portus, et cum quinta ipsius civitatis, et cum quinta parte tributi ipsius civitatis, et etiam modiola quingenta in terra que vocatur colomente (2) cujus finis sic est : de duabus partibus est terra Tosani (3) et ex aliis duabus partibus terra aliorum hominum. Do adhuc totum Castellum de Roge *(hodie Rojo)* exceptis terra Attonis (4) et Guenisii (5) et aliorum minorum hominum, finis cujus Castelli (6) cum villa sua tenet usque ad Mozanum *(hodie Nazzano prope Rojo)* juxta terram Attonis, et usque ad sanctam Mariam Tophanis (7) de Silva plana, et usque ad Lardizanum, et transit
B inde per medietatem castri de prædicto castro de Colomento (8) cum tota Silva de Casamaine, et revertitur usque ad Furcam de jam dicto Roge *(Forca di Rojo sopra Nazzano, hodie vocatur Vallone di Forca)*, et usque ad pilam, et transit per illum campum de popleto usque ad Mozanum infra hos fines sunt (9) mille millia modiola de terra, que omnia predictus Episcopatus possidet, et insuper illam terram do, que jacet per medietatem bagno (10) usque ad Flumen, et usque ad Acillem (11) et usque ad terram de Castillone (12) *(hodie dominium dirutum loci Tornimparte)* et transit per Gucurazzum habens secum totum collem Paidonis (13) et sic revertitur ad flumen, et infra hos fines nemo habet hereditatem, nisi tantum Atto, et Guesto, et Guinisius (14) qui sunt hereditanei hujus terre et simul mecum dotaverunt hanc Ecclesiam de illis terris, que continentur infra hos infinitos quos modo diximus ; fines quarum terrarum quas in dotem miserunt hec sunt : prima petia de terra jacet in illo loco, qui dicitur Solagno, que continet in se quingenta Modiola, cujus finis est totum illum pratum de pantano *(vocantur hodie prata inter Civita Tomassa et Scoppito)* tenens (15) usque ad planulem (16)
C et usque ad caput de via, que revertitur in Castellione (17) et sic vadit per illos fines de Silva usque ad volubrum *(hodie locus ad Scoppito spectans, situs in monte Calvo)* et revertitur in Fontozuli *(hodie Fonte dell' Orzo haud procul a Volubro)* cum toto illo colle de Solagno usque in Muris, et usque ad pedem de supra dicto prato. Secunda petia de terra jacet ubi Ecclesia S. Justini est edificata, que est per mensuram modiola centum. Tertia petia de terra jacet ubi dicitur Casale *(hodie Villetta di Scoppito)* que continet in se (18) modiola duodecim, cujus finis est ab una parte aqua de lacu et de duabus aliis partibus terra ejusdem Attonis. Quarta petia terre jacet ubi fonte maina (19) dicitur, que continet octingenta modiola cujus finis est ex una parte via quæ transit ad Ponticellum *(hodie locus non procul a Civita Tomassa)* per viam Salariam, et per pedem de Monteclo (29) et sic revertitur usque in Muris, Quinta petia de terra jacet ibidem ad Forcellam, quæ continet in se (21) D mille modiola cujus finis incipit per pedem de Ronca et transit usque ad viam Salariam, et de alio latere vadit per viam illam de Forcella usque ad flumen, et a pede illius fluminis extenditur usque in viam de limite, et veniens per eamdem viam limitis, pergens per medietatem civitatis Cone, et per medietatem lacus, cujus alia medietas est attonis (22) et sic revertitur ad viam Salariam. Pro his terris, quas modo descripsimus dedi ego Otto Imperator illis tribus hominibus Attoni, et Guestoni, atque Guinisio (23) duo millia libras pro pretio, et quantum plus valerent donanda una mecum dederunt Beato Maximo pro redemptione animarum suarum totum hoc quod superius scriptum est. Ego Otto Imperator Ecclesie tue B. Maxime pro redemptione anime mee, et etiam propter hoc ut aliquantulum tui Corporis mecum (24) permittas deferre, dono, concedo, confirmo, et semper firmiter permanere (25) et quicumque ex hoc defraudare, vel aliquo malo ingenio minuere, vel subtrahere voluerit, vendendo, cambiando, donando, sive prestarium (26) alicui faciendo, nisi ad utilitatem, et honorem ejusdem Ecclesie, ex parte Dei Omnipotentis, et B. Marie semper Virginis E
B. B. Apostolorum Petri et Pauli, et B. Maximi Martyris et omnium sanctorum, et nostram simul cum omnibus nobiscum manentibus maledictionem habeant in perpetuum, et cum Juda, qui tradidit Christum, et cum Anna et Caïpha, qui Dominum crucifixerunt associentur. Et insuper illud quod fecerint sit vanum, et inutile, et qui comparuerit, vel aliquo malo ingenio tenuerit nisi sicut supra scriptum est, sit debitus legaliter componere sicut pessimus præsumptor, qui preceptum frangit imperiale. Unde pro stabilitate hujus rei ego Otto Imperator precepi Bonifacio Notario scribere (27) hanc cartam signatam mea manu, et manu Episcopi Cessi, et laudatam, et confirmatam ab omnibus ibidem stantibus, scilicet Episcopis, Ducibus, et Principibus, Marchionibus, Comitibus, ac Populo, ac testibus subscriptis ut feliciter in perpetuum permaneat.

✠ Signum manus Ottonis Imperatoris qui hanc cartam scribere rogavit, et signum Sancte Crucis impressit.

✠ Signum magnus (28) Episcopi Cessi, cui Angelus hanc cartam manifestavit, et rogatus ab imperatore signum Crucis impressit. F

✠ Signum manus Attonis (29) qui concensit, et confirmavit hanc cartam, et signum Crucis fecit.

✠ Signum manus Guestonis (30) qui similiter consensit, et confirmavit hanc cartam, et signum Crucis impressit.

✠ Signum manus Guinisii qui concensit, et confirmavit hanc cartam, et signum Crucis impressit.

✠ Signum manus Ugonis (31) Marchionis qui rogatus ab Imperatore si testis, signum S. Crucis impressit (32).

✠ Signum manus Alberti Marchionis rogatus ab Imperatore si testis, signum Crucis fecit.

✠ Signum manus Roberti Marchionis, qui rogatus ab Imperatore si testis, signum Crucis fecit.

Ego Bonifacius judex, et Notarius rogatus omnibus complevi, et finivi.

Atque hoc illud Diploma est, de quo diserte pronuntiat Antinorius : Qui illud falsum non videt,

(1) Ughel. *Luidinis.*— (2) Ughel. *Collemonte.*— (3) Ughel. *Tofoni.*— (4) Ughel. *Astonis.* — (5) Ughel. *Guinisii.* — (6) Ughel. *cujus Castelli finis.*—(7) Ughel. *Japhanis.*—(8) Ughel. *Collomonte.*—(9) Ughel. *Sinit.* — (10) Ughel. *Banio.* — (11) In Ughel. deficiunt verba *et usque ad Acillem.*— (12) Ughel. *Castillione.*—(13) Ughel. *Pulonis.*—(14) Ughel. *Asto, Buesto.*—(15) Ughel. *tendens.*—(16) Ughel. *Canalem.*—(17) Ughel. *Castilionem.*—(18) In Ughel. deficit *in.* —(19) Ughel. *Fontemayna.*— (20) Ughel. *de Ficulo et si.* —(21) In Ughel. deficiunt *in se.* —(22) Ughel. *Astonis.* — (23) Ughel. *Aston.* — (24) In Ughel deficit. *mecum.* — (25) In Ughel. adest. *volo.*— (26) Ughel. *præstativum.* — (27) In Ughel. deficit ; *scribere.* — (28) Ughel. *Manus.* — (29) Ughel. *Astonis.* — (30) Ughel. *Buestonis* — (31) Ughel. *Augdis.* — (32) Ughel. *fecit.*

nihil

A nihil videt; et legere tantum, refutare est. *Videamus itaque quibus quamque validis argumentis hoc suum stabiliat assertum, multo confidentius prolatum.*

Prima objectio Antinorii

44 Incipit, *inquit*, Diploma invocatione in reliquis ævi illius non totaliter usitata, et maxime ab Othone; inde immediate scribitur: *Anno D.* 956 *Imperii Othonis* XVI, *mense Junii Indict.* XI. Locus deest et dies (1). *Ast, fatentibus rei Diplomaticæ peritissimis, pluressunt leges et chartæ certo certius authenticæ, quarum Datæ accuratæ non sunt. Plurimas reperire est, ex omni parte sinceras, quæ vel nullam ferantDatam,vel imperfectam: puta diei aut mensis, omisso anno etc. Ut rectum de in trumento qualicumque feratur judicium, non sola attendenda est Data; sed omnes simul pensandi sunt characteres, tam extrinseci, uti est membrana, attramentum, apices; quam extrinseci, ut invocationes, subscriptiones, stylus, contextus.* Neque ex uno solo characterismo, *inquit Mabillonius*, sed ex omnibus simul de vetustis chartis pronuntiandum (2). *Quod ad formulam spectat Invocationis, hic ab Antinorio reprehensam, laudati operis scriptores hanc regulam statuunt generalem*: formula singularis imo et B prorsus insueta pro tempore, quo apparet, nullatenus suspectum reddet diploma, modo aliquoties repetita inveniatur per decursum sæculi proxime sequentis (3). *Atque jam Otho II, filius Othonis Magni, adhibet inter alias hanc Invocationis formulam*: In nomine Dei æterni et Salvatoris nostri Jesu Christi, *vel etiam* In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi æterni. *Quin imo, juxta Papebrochium nostrum in Propylæo Antiquario* (4) Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, primus *fuisse videtur, qui scribere cœpit*: In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi; Ludovicum patrem avumque Lotharius Imperator VII et Ludovicus Junior secuti, idem usurparunt vel scripserunt: In nomine Domini Jesu Christi Dei æterni. *Et re quidem vera habetur apud Muratorium* Ludovici Pii Augusti præceptum *an.* 822, *quod ita orditur*: In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi (5); *et rursus* (6) *recitatur charta Guaiferii, principis Salernitani, an.* 1118, *quæ incipit*: In nomine Domini Dei æterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. *Atque in hac charta includitur in extenso cartula Ludovici Pii an.* 874, *ita exordiens*: In nomine Domini Dei Salvatoris Jesu Christi. C *Quid, quod et ipsius Othonis Magni recitetur apud eumdem Muratorium* (7) *charta an.* 963, *his inchoans verbis*: In nomine Domini nostri Jesu Christi Regis æterni? *Ex his profecto evanescit ab Antinorio mota difficultas, quam verius ineptam cavillationem dixeris. Nec potiori ratione reprehendit iste, post Invocationem* immediate scribi anno D. 956. *Sed hoc idem fere in multis aliis ejusdem epochæ observatur Instrumentis. Sic in Donatione facta Monasterio sancti Salvatoris Ticinensis ab Adelaide imperatrice Vidua, an.* 999, *hæc leguntur ab initio* (8): In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi Tercius Otto gratia Dei Imperator Augustus, anno Imperii ejus Deo propitio tercio etc. *Quæ sane parum a nostro Diplomate abludunt. Hujusmodi plura adduci possent. Ast, addit Antinorius*, locus deest et dies. *Sed ipse paulo inferius agnovisse videtur datum esse diploma* de Asiæ Palatio; *quod quidem affirmat Coppola, textui inhærens, sed loco* Asiæ, *legendum dicens* Aviæ. *Quod vero ad* Diem *attinet, frequentissime accidit hunc in Instrumentis optimæ notæ desiderari. Certe in* Catalogo *(quem recitat Muratorius* (9)) Chartarum Archivi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, confecto an. MCCCLXVI, *plures habentur tum Henrici, patris Othonis, tum hujus, tum aliorum sequentium imperatorum, in quibus non solum desideratur dies, sed et mensis, aut etiam quævis data* (10). *Nec propterea illi in mentem venit falsitatis illas arguere.*

secunda

45 Characteres Chronologici falsissimi *(ita prosequitur Antinorius)*: Indictio namque anni 956 non XI sed erat XIV. Anno eodem Otho nondum imperator, nam talis coronatus fuit anno 962. Vel si nomine Imperii Regnum intelligas, Regni tunc erat annus XX. *Ast propter levem Indictionis confusionem non facile quis repudiabit chartam qualemcumque.* Reperiuntur Datæ erroneæ et anachronismi in instrumentis, quorum cæteroquin sinceritas in dubium vocari nequit. Talis est Charta a Guarino, episcopo Ambianensi, concessa monasterio sancti Salvii apud Monasteriolum. Legitur enim in Originali Authentico: *Actum anno dominicæ Incarn.* MCXLI *Indict.* II *feliciter*, cum Indictio VI in illum annum quadret (11). *Nec hoc loco prætermittendum quod acute notat Coppola. Scilicet Christophorus Clavius (quem perperam laudatus præsul* E Claudium *vocat) in* Computo ecclesiastico per digitorum articulos et tabulas tradito *hanc statuit regulam*: Indictionem per Arithmetices præcepta facile reperiemus, si annis Domini adjiciemus 3, numerumque collectum per quindecim dividemus: numerus enim ea divisione reliquus erit Indictio quæsita, aut si nihil supersit, Indictio quæsita erit quindecim. *Additur exemplum.* Ut si indictio quæratur anno 1589, additis 3, et numero conflato 1592 diviso per 15, superest numerus 2 pro Indictione anni 1589. *Si ergo et nos anno Diplomatis nostri* 956, *addamus* 3, *habebimus numerum* 959, *qui divisus per* 15, *residuum dabit* 14; *quodsi negligatur additio numeri* 3, *et* 956 *dividantur per* 15, *residuus erit numerus* 11, *quæ est Indictio in Diplomate notata* (12). *Cæterum plurimæ sunt Chartæ sinceræ et authenticæ, in quibus hujusmodi notantur errores*, sive ex notariorum hallucinatione; sive ex falsis principiis chronologicis (13). *Quidni et hic id contigisse admittas? Duo etiam citantur Othonis Magni diplomata, alterum anni* 952, *alterum anni* 961; *in utroque occurrunt voces* Imperator Augustus. *Nec propterea laudati Operis scriptores* F *chartas illas falsitatis arguunt; id unum concludunt, Othonem jam ab illo tempore imperatorem se dixisse; quamvis constet eum a Papa coronatum non fuisse nisi* XIII *Februarii anno* 962 (14). Sæpius in assignando anno Imperii vel Regni, Chartæ videntur nec inter se concordare, nec cum factis historicis (15); *nec propterea statim falsitatis sunt arguendæ; secus innumeræ, quæ ab omnibus sinceræ pronuntiantur, forent rejiciendæ. Notandum itaque cum Muratorio, Mabillonio aliisque, initium Imperii seu Regni sumi sive ab anno, quo imp. eratores vel reges, vivente eorum patre, ad imperium assumpti sunt (quod communiter* Inaugurationis *nomine venit); sive ab anno, quo, mortuis parentibus, soli regnare cœperunt; sive quo coronati sunt (Germaniæ imperatores trinam tribus diversis in locis accipiebant coronam* (16)), *sive quo alium secum ad imperium assumpserunt, sive quo alia regna asseculi sunt per temporis decursum* (17). *Horum omnium frequentis-*

(1) Antiquitates Italiæ Medii ævi, t. VI, col. 491. —(2) Nouveau traité de diplomatique, t. VI, n. 336. — (3) Ibid., p. 383. — (4) Part. I, de Diplomatis discernendis, n. 29. Acta SS., t. II April., p. VII. — (5) Ant. Ital. Med. ævi, t. I, col. 771. — (6) Ibid., col. 831 et seqq. — (7) Ibid., t. III, col. 183 et seqq. — (8) Ibid., t. II, col. 171 et seqq.

(9) Ibid., t. VI, col. 75 et seqq.—(10) Vide Ibid., col. 79.— (11) Nouveau traité de diplomatique, t. V, p. [illegible].—(12) Dissertazione di S. Massimo, p. 36.—(13) Nouveau traité de diplom., t. VI, p. 336 et 337.— (14) Ibid., t. V, p. 737.— (15) Ibid., p. 707. — (16) La Barre.—(17) Coppola dissertazione di S. Massimo, p. 33.

sima

P. P. *sima occurrunt exempla.* Venio, *inquit Mabillonius* (1) ad Carolum Magnum, cujus epochæ tres leguntur in vetustis monumentis. Prima regni Francici; altera regni Langobardorum, seu Italici; tertia Imperii. Has tres epochas simul conjunxit ac distinxit in diplomatibus ab anno DCCCI quo renuntiatus est Imperator in Natali Domini præcedente; duas primas usurpavit ante initum imperium. *Similia ibidem notat Mabillonius de Caroli Magni successoribus. Idem occurrit in Othonis Magni Diplomatis, prout prolixe evolvit Coppola* (2). *Addamus ex Dictonario Diplomatico* (3) Datæ regnorum innumeris subjacent variationibus. Sæpius nec inter se concordare videntur nec cum monumentis historicis; unde Semi-Antiquarii *(Demi-Antiquaire)* inducti fuerunt ad rejiciendi plurima Instrumenta valde sincera, quorum datæ ipsis non videbantur accuratæ.

tertia 46 Anno denique 956, *subjungit Antinorius,* nec Otho in Italia morabatur, sed in Germania peste correptus. Witich. de lib. Saxon. lib. xxv. *Witichindus hic citatus monachus fuit Corbeiensis, et scripsit libros tres de* Saxonum Gestis, *in quibus agitur de Henrico Aucupe et hujus filio, Othone*

B *Magno. Cætera a Witichindo scripta periere.* Supersunt, *inquit Pertz* (4), libri tres rerum gestarum Saxonicarum, quibus auctor tam populi originem, quam res ab Henrico et Ottone gestas descripsit. *Atque hinc jam in oculos incurrit quam absurda sit Antinorii istiusmodi citatio;* Witich, de lib. Saxon. lib. xxv. *Baronius ut mox dicemus habet :* De Reb. Sax. lib. III. *Ast Witichindus ad annum* 956 (5) *pestis per Germaniam grassantis nec Othonis ex morbo decumbentis meminit; bene vero ad annum* 958 *ubi hæc leguntur :* Eo tempore Imperator et ipse ægrotare cœpit, sed meritis Sanctorum, quibus fidele jugiter obsequium præbet, maximeque patrocinio inclyti Martyris Viti, cui aperuit os suum, de infirmitate convalescit, et mundo ut sol lucidissimus post tenebras ad omnem decorem et delicias condonatur (6). *Baronius* (7) *(Criticam Pagii, qui hac de re ne verbum quidem habet, citat Antinorius) morbum imperatoris, ex Witichindo, refert ad an.* 956. *Anno Pertziano consonat, teste Meibomio* (8), *Hermannus Contractus. Unde saltem valde dubius fit annus ab Antinorio assumptus. Qui si etiam admitteretur, nondum sequeretur Othonem, cum adeo prompte valetudini*

C *restitutus fuerit, in Italiam dicto anno venire non potuisse. Ad* Lib. III Witichindi. *Annalista saxo* ad annum 956 *Pestis quidem mentionem habet, sed Othonem ea correptum non dicit; imo contrarium haud obscure insinuat. Ejus verba sunt :* Rex *(Otho)* in pace et otio degens maximo suorum fidelium conventu Coloniæ placitum regale habuit. Ea tempestate gravis per omnes regni partes pestilentia grassabatur, quæ innumeram populi multitudinem passim extinxit. Ex qua Robertus Archiepiscopus Trevirensis et Hadamarus abbas Fuldensis obierunt (9). *Sigonius* (10) *nec pestis nec morbi Othonis meminit. Denique Muratorius* (11) *in* Annalibus Italiæ *ad hunc eumdem annum* 956, *meminit, ex Annalista Saxone, pestis; ast de morbo imperatoris silet.* Fuit anno, *inquit,* Germania horribili devastata peste, Nihilominus Rex Otho... cogitavit de reprimenda Regis Berengarii insolentia. Qua-

propter Ludolphum, filium suum in Italiam misit D cum exercitu *etc. Atque ex his rursus efficitur quam fidem mereatur Criticus noster. Confer Coppolam*(12).

47 *Addit dein Antinorius :* quid de forma Diplomatis? Forma est ad instar Instrumenti inter privatos Imperiali incipit phrase, desinit pontificia cum censurarum comminationibus. Deest Monogramma, stylusque sæcula dicit subsequentia. quarta *Quoad formam observat Muratorius* (13) nullam regionem aut civitatem numeratam, cui non aliquod Formularium suppeteret, atque usurparetur a Notariæ Artis alumnis, *quos ibidem acriter ob imperitiam et ignorantiam perstringit. Si itaque forma ad instar Instrumenti inter privatos revera occurrere, (quod tamen nemo tam facile dixerit) quid inde sequeretur? Tanto magis, quod cum Othone tres alii* privati *viri,* Atto *nempe,* Guesto *et* Guinisius, *in donationem S.* Maximo *factam, concurrant, ut apposite notat Coppola* (14). *Deinde sæculo præcipue decimo communior evasit usus imprecationum in principum et regum diplomatibus. Sic in diplomate* Caroli Simplicis *pro instauratione Abbatiæ Compendiensis, anno* 917, *hæc in fine leguntur :* Si vero aliquis hæc statuta violare præsumpserit, et quæ avus noster stabilivit, et Sanctæ Romanæ E Sedis Papa Johannes in privilegio consensit, et violare temptarit, excommunicavit, ac maledixit, cum juda Traditore Domini portionem habeat, et anathema maranata sit, et exclusus a consortio fidelium in pœnis infernalibus perpetualiter existat concremandus (15). *Et rursus in Præcepto regis Rodulfi (vulgo* Raoul) *anni* 933 : Si quis autem huic Præcepto voluerit obesse, aut illud infringere, a liminibus Sanctorum excludatur, et sicut Dathan et Abiron tartarus vivum eum suscipiat, et cum Juda proditore Domini æternos cruciatus sustineat (16). *Similia videre est in Antiquitatibus Medii ævi apud Muratorium* (17). *Nedum ergo hujusmodi spurium ostendant diploma, potius sincerum probarent. Nec etiam absentia Monogrammatis per se rem Antinorii conficit. Apud rei diplomaticæ peritos ut Axioma quoddam habetur,* Titulos Originales non ideo fictitios esse consendos, quia desunt Monogrammata, quæ in textu annuntiantur vel annuntiari videntur (18). *Multo proinde minus si ne annuntientur quidem. Quid vero, quod Monogramma minime desit, ut authentice constat ex Instrumento, superius n.* 39 *recitato. Notum denique est, quam infirmum generatim sit argumentum,* F *quod ex stylo deducitur, nisi hic ita abludat a sæculo, ad quod refertur diploma, ut discrimen in omnium oculos primo quasi aspectu incurrat; quod profecto non obtinet in instrumento, de quo hic disputamus. Ipse Antinorius aliud in specie non reprehendit præter hæc verba :* De Asiæ palatio Defensorem. *Quidquid autem de iis sit, num propterea ex integro corruit fides?* Non assentior iis, *inquit Hahnius,* qui una vel altera in diplomate reperta voce, quæ sæculi sui genium non redolet, dictatoria statim auctoritate totum privilegium pro falso et supposititio, et a cucullatis confecto habent, licet alia suppositi partus indicia non accedant.

48 Imperator, *prosequitur Antinorius,* donat quinta episcopatui totum Furconensem comitatum *(hucusque recte, sed non ita in sequentibus)* etiam in

(1) De re diplomatica. lib. II. cap. XXVI. n. XII. p. 191. Edit. Paris 1709. — (2) Dissertaz. de Massimo, p. 34 et 35. — (3) Dictionnaire raisonné de Diplomatique, par Dom de Vaines, religieux Béned. de la Congrég. de S. Maur. Paris 1774. Confer *l'Art de verifier les dates, passim.* — (4) Monumenta Germaniæ, t. III, p. 409. — (5) Ibid., p. 461. n. 57. — (6) Ibid., p. 462, n. 62. — (7) Annales, t. XVI. p. 43. — (8) Rerum Germanicarum, t. I, p. 700. Edit. Helmæstadii 1688. In Notis ad lib. III, Witichindi. — (9) Pertz. t. VI. p. 614. — (10) Opera omnia, t. II. De regno Italiæ, lib. VI. col. 419 et 420. Edit. Mediolan 1732 — (11) Annali d'Italia, t. V. p. 385 et seqq., in Monaco 1762 — (12) Dissertaz. p. 37-41. — (13) Antiq. ital. Medii ævi t. I. col. 466 in Dissertat. II, de *Notariis.* — (14) Ubi supra, p. 41. — (15) Mabillon de Re Diplomatica, p. 561. — (16) Ibid., p. 567. — (17) T. V, col. 339; et ibid., col. 401 et 402; item, t. VI, col. 208 et 209. — (18) Nouveau traité diplomat., t. VI, p. 403.

temporalibus :

A temporalibus : nam dicit : *non dominetur alter episcopus nec comes, nisi tantum episcopus S. Maximi :* At numquam episcopus illum possedit. *Atque hic haud minus quam in præcedentibus criticum nostrum hallucinari, haud operosum fuerit demonstrare. Et primum quidem notemus cum Muratorio* (1) : *Expulsis Longobardis et* occupato a Francis Italico regno ad regimen cujusque Civitatis delectus est Præfectus cum titulo *Comitis*, ad quem præ cæteris spectabat justitiam unicuique ministrare in placitis. *Alio autem loco diserte pronuntiat idem Muratorius* (2) : Vulgatissimum est in vetustis Imperatorum et Regum Tabulis interdictum fuisse comitibus et aliis Reipublicæ Ministris ditionem suam exercere in cleri utriusque Agros et Homines. *Et paulo post* (3) : Attamen prætereundum non est, ut in Diplomatis sæpe numero eximantur Deo militantes, imo et eorum servi et coloni a jurisdictione comitum, aliorumque Reipublicæ Ministrorum; attamen a Judicio Regiorum Missorum, ipsorumque Regum et Augustorum non fuisse re ipsa immunes. Quum tot Tabulas hujus moris testes in hoc ipso opere evulgaverim, et res confirmari indigere neutiquam B videatur, id unum ostendam diu perdurasse ejusmodi consuetudinem. *Ex his sufficienter elucet, quanti valeat Antinorii animadversio. Cæterum qui plura hac de re videre voluerit adeat Coppolam* (4).

sexta

49 *Sed, addit Antinorius,* etsi admittatur *episcopum* etiam *Comitatum Furconensem* possedisse (non enim revera nisi tria feuda possedit) ; possedisset ante Othonem, nam patet ex dictis anno 866 a Ludivico pro subditis taxatum Johannem episcopum. *Alium sui asserti vadem non habet nisi auctorem anonymum* Historiæ rerum a Langobardis Gestarum, *quæ reperitur apud Muratorium* (5). *Affirmat ex illa Antinorius* (6), episcopum *(Johannem)* anno 866 ab Ludovico Imperatore in expeditione contra Saracenos taxatum pro ejus Ecclesiæ feudis et subditis, *additque*, ejus subscriptio fuit : Johann. ep. Furconæ. *Re quidem vera, Anonymus n.* v (7) *scribit :* Langobardi vero dum nimia suis pro factis pericula sustinerent, ob hoc nimium afflicti, necessitateque compulsi Franciam legatos dirigunt, atque gloriosi Imperatoris Hludovici implorant Augusti clementiam, ut patria sua cum gente veniens, eos omnino a Saracenis quantocijus eriperet. Qui veniens hoc decretum suæ reliquit C patriæ, *quod dein recitatur. Ast in Decreto seu constitutione illa nihil est quod Antinorii assertum stabiliat, unde concludere licet illud ab eo, saltem in Muratorio, ad quem tamen provocat, non fuisse lectum. Statuit scilicet ibidem ab initio Ludovicus qui per singulas familias nomen militiæ dare debeant; deinde ordinat, qui variis in locis ad custodiam præfuturi sint :* A fluvio Pado usque Trebia sit Missus Lotselmus. Inter Padum et Tuinum, Ernulfus Inter Ticinum et Adda Erimbertus... Petrus et Arthemius episcopi, junctis secum Missis Episcoporum et Comitum, Pisa, Luca, Pistoris et Lunis.. In ministerio Witonis, Rimmo et Joannes episcopus de Forcona. In ministerio Verengari Hiselmundus *etc. Atque alia non fit Joannis mentio, nec ullum subscriptionis apparet vestigium. Imo admissa Antinorii citatione, nonne dicere liceret cum Coppola* (8), *constare quidem ex illa, feuda illa ad ecclesiam illam pertinuisse sæculo* IX; *ast quis affirmet, pro tanta præcipue temporum iniquitate, ablata non fuisse postmodum, et sæculo* X *ab Othone restituta?* B. H

50 *Denique objicit Antinorius :* Totius Furconiensis Comitatus in Diplomate asseruntur confinia : per *Anzedonam civitatem* (non recta chrorographia) *usque Barizanum*, quando ultra pertendebant, *et citat Boëtium Raynaldum, qui suum poëma composuit sæc.* XIV *et* XV; *ast ex eo quod confinia regionis talia essent mox dictis sæculis, num consequens est alia non fuisse sæculo* X? *Idem esto judicium de postrema, ab Antinorio mota difficultate :* Donantur res in Marsis et Portu S. Flaviani : verum in exactis Indicibus omnium stabilium Episcopatus sæculo XIV confectis illarum nulla adest mentio. *Confer Coppolam* (9), *qui donationes omnes et singulas, in Othonis diplomate factas, erudite evolvit et vindicat. Atque in specie plura invocat Instrumenta posteriora quibus Othonis donationes haud parum confirmantur : nominatim Privilegium Alexandri P. III, an.* 1128; *item Bullam Clementis III, an.* 1188, *et alteram Innocentii III, an.* 1204; *Diploma Rogerii, an.* 1147; *tandem Diploma Friderici Regis, an.* 1209. *Quæ omnia ad calcem Dissertationis integre descripta leguntur, prout asservantur in codice anonymi cujusdam in* E *archivo cathedralis Aquilanæ.*

septima

51 *Ex his judicet eruditus lector de Antinorii effato :* qui illud falsum non videt, nihil videt; et legere tantum, refutare est. *Id certum vir aliquid esse quod ex illius animadversionibus subsistat. Unde haud immerito retorqueret quis :* Qui illas falsas non videt, in Re Diplomatica nihil videt; et legere tantum, refutare est. *Illis nempe annumerandus Antinorius est, quibus solemne, ob quemlibet fere defectum vel nævum, falsitatis et suppositionis insimulare instrumenta, quæcumque demum illa sint. Contra quem præposterum judicandi modum acriter insurgunt, nec optima sine ratione, omnes, qui erudite et studiose de Re Diplomatica umquam scripserunt* (10). *Non utique facile rejiciendum existimamus præfatum Othonis diploma, in quo notæ nullæ tam intrinsecæ quam extrinsecæ, quibus falsum vel suspectum reddatur, hucusque satis manifestæ et idoneæ fuere demonstratæ. Hinc etiam Ughellus illud absque asterico operi suo inseruit. Coppola vero illud omni ex parte vindicare suscepit, et quidem pleno cum successu, si fides sit Jacobo Martorelli, viro in litteris græcis et rebus archeologicis haud parum versato* (11). *Hic itaque deputatus ad revidendam Coppolæ Dissertationem, hæc* F *inter alia publice nec ineleganter testatus est :* Pontifex Aquilanus concrediti sibi gregis cum apprime studeat salubritati, Ecclesiæ suæ veterem honestatem et decora summo labore vestigavit unaque contraxit, et hodiedum et publicæ lucis usuræ, atque elegantibus typis, quod ei lubentissime cedendum est, commendari expostulat. Porro cum in libellum pro Actis S. Maximi M. Aquilanæ civitatis Principis Patroni, atque pro γνησιότητι Othoniani Diplomatis eruditissima quæque corrogaverit, magnum ei debet Ecclesia Aquilana, cujus Sanctorum genuinam historiam ac Imperatorum quasi effusam munificentiam, a doctissimo viro utramque νοθείας accusatam, secundum exactos Diplomaticæ disciplinæ canones sartam tectamque tutatus est (12). *Quibus et nos subscribimus, optantes tamen ut Diplomatis origo, ex rerum et temporum adjunctis, clariori in luce poneretur, et, ut aiunt, positive pro-*

Quæ sit diplomatis Othoniani authenticia.

(1) Ant. Ital. Med. ævi, t. I, col. 268 in Dissert. sexta : *de Marchionibus Italiæ.* — (2) Ibid., t. V, col. 967. — (3) Ibid., col. 969 et 970. — (4) Dissertazione di S. Massimo, p. 47-50. — (5) Rerum Italicarum scriptores, t. II, p. 264. — (6) Ant. Ital. Med. ævi, t. VI, col. 488. — (7) Ubi supra, p. 264 ad finem. — (8) Dissertaz. di S. Massimo, p. 51. —

(9) Ibid., p. 51-55. — (10) Nouveau traité de Diplomatique, part. VIII, cap. III. *Ubi ex professo agitur de regulis, quibus vera a falsis diplomatis discernuntur.* t. VI, p. 320-338. — (11) Biographie universelle. In *Suplemento.* — (12) Vide dissertaz. di S. Massimo. *Post Præfationem.*

bari

B. D.

bari posset. Hic enim superesse videntur tenebræ, non satis discussæ, nec forte umquam discutiendæ. Quod de cætero in plurimis Instrumentis locum habere, notissimum eruditis est.

Coppolæ scriptio a Ben. XIV commendata.

52 *Unum liceat addere in commendationem RR. DD. Coppolæ, cujus libellus tanto nobis fuit subsidio. Benedictus XIV, cui utramque suam obtulerat eruditus Præsul Dissertationem, alteram de S.* Maximo, *alteram de S. Eusanio* (1), *respondit Brevi, die* III *Januar.* MDCCCL,*in quo inter alia legitur :* ingenti proinde cum voluptate accepimus utrumque libellum a Fraternitate Tua magna cum pietatis, sapientiæ, et doctrinæ laude adornatum; alterum quidem continentem Acta S. Martyris Maximi Levitæ, ejusque Sacrarum Exuviarum ad Cathedralem Ecclesiam Aquilanam, cui laudabiliter præeras, ab antiqua, eversaque civitate Furconii translationem; alterum vero complectentem detectionem, inventumque Corporis S. Eusanii Sacerdotis Martyris, cujus Acta multiplici eruditione vindicare satagis, atque hunc etiam nostro nomini inscribere voluisti. Quamobrem meritas Tibi rependimus laudes, atque Fraternitati Tuæ Pontificium animum nostrum pro singulari tuæ erga nos observantiæ officio obstrictum profitentes. Tibi persuasum esse magnopere optamus, jucundissimas nobis fore oc- B casiones, per quas caritatem nostram rebus ipsis Tibi testatam facere possimus. Perge porro, venerabilis Frater, in ista quoque, ad quam nuper te transtulimus, Castri-Maris Cathedrali Ecclesia Pastorales curas tuas majori cum studio impendere tum in iis, quæ ad Deum sunt,... promovendis; tum in iis, quæ respiciunt vetera ejusdem Ecclesiæ decora, diligenter adornandis (2).

Reliquiæ S. Maximi Aquilam translatæ

53 *Reliquum est ut dicamus de Reliquiarum* S. Maximi *translatione,ex antiqua et collapsa Cathedrali Furconiensi ad Aquilam civitatem.Ughellus*(3) *agens de Berardo de Padula,* ille est Berardus, *inquit,* qui postremus Furconiensem rexit Ecclesiam, quam Alexander IV ad Aquilam transtulit, fuitque primus Aquilanus Episcopus, ut ex sequenti Alexandri diplomate clare videtur, *quod ibidem recitatur, estque anni* 1257, *decimo Kal. Januarii, id est, die vigesima tertia Decembris. Ast multo tardius, mense scilicet Maio anni* 1413, *corpus seu Reliquiæ S.* Maximi *Aquilam allatæ sunt, ut liquet ex scripto quodam in Archivo Episcopali præfatæ urbis conservato. Notat Coppola* (4) *originale illius scripti, Baronii ætate adhuc, exstitisse; id tamen* C *celeberrimus Cardinalis perspicue non declarat; ait solum :* Ejus *(S. Maximi)* martyrii Acta atque Translationis historiam manuscriptam accepimus ab Ecclesia Aquilana : ibi etiam plura de Accessu Othonis Magni Imp. ad Sepulchrum S. Maximi deque reliquiis inde acceptis et in Germaniam translatis (5), *quibus ex verbis non omnino efficitur* historiæ Translationis *archetypum tempore Baronii superfuisse,quod tamen non repugnat; ast quidquid sit, testatur Coppola jam non existere nisi transumptum seu copiam illius* historiæ, *cum major pars antiquorum Mss. Archivi perierint incendiis et terræ motibus,quibus afflicta civitas Aquilana fuit. Jam vero memoratum transumptum ita habet.*

anno 1413, ut habetur ex archivo Aquilano.

54 Die 25 Maii 1413, in qua fuit Pascha Pentecostes portare fecimus Reliquias gloriosissimi Martyris Patroni nostri sancti Maximi Levitæ et Martyris de Ecclesia Forconensi ad Ecclesiam Aquilanam, et simul Reliquias Beati Raynerii Episcopi olim dictæ Ecclesiæ Forconensis, ut pro eorum meritis Ecclesia et civitas Aquilana erigatur ad majorem devotionem. Reliquiæ S. Raynerii fuerunt reportatæ in Civita S. Maximi ad Ecclesiam S. Maximi (6). D

Difficultas ex falsa diei Pentecostes designatione.

55 *Ast hic tria notanda;* unum *quidem obiter ex Ducangio* (7) : Pascha, *inquit,* quodlibet magnum festum in quibusdam provinciis vocari observat Durandus. Certe constat hodie omnes majores festivitates Paschata Italos et Hispanos vocare. *Quod et nostra ætate apud populos illos plus minusve adhuc obtinet.* Alterum, *et rursus obiter, civitatem* di Bagno *postea dictam Civitatem S. Maximi, ut testatur Antinorius* (8); *de qua jam habet Alexander III in Brevi an.* 1178 : Ecclesiam majorem S. Maximi cum villa quæ vocatur Civitas (9). *Tertium, quod majoris est momenti*, Pascha *seu* diem Pentecostes *non incidisse anno* 1413 *in diem* 27 *Maii, bene vere in diem undecimam Junii, cum dicto anno celebraretur Pascha Resurrectionis* 23 *Aprilis* (10). *Ast anno sequenti, nempe* 1414, *Pascha notatur ad diem* 8 *Aprilis, ac proin Pascha Pentecostes reipsa tunc concurrit cum die* 27 *Maii* (11). *Hinc supponendo* E *errorem amanuensis, præsertim cum agatur de transumpto non de Archetypo, difficultas composita esset. Obstat aliud manuscriptum Jacobi de Donadeis (mox recitandum) ex quo rursus habetur translationem factam anno* 1413. *Alter itaque error, priori similis admittendus foret. Insuper in historia Aquilana apud Muratorium* (12), *nec memoratis duobus annis nec alio quovis, occurrit mentio illius translationis; cum tamen res multo levioris momenti scribantur sive in* Cronica Nicolai di Borbona de rebus Aquilanis *ab anno* 1363 *ad an.* 1424 (13) *sive in* Cronica ab initio fundatæ Aquilæ (14); *sive, quod magis mireris, in* Catalogo Pontificum Aquilanorum *ab anno* 1254 *ad annum usque* 1472, qui, *ait Antinorius,* a duobus anonymis auctoribus, sæculis XIV et XV descriptus, nunc primum luci datur ex Ms. autographo Aquilanæ Cathedralis Ecclesiæ (15), *quibus addendus quoque Ughellus est* (16). *Nihilominus putem haud facile quemquam adductum iri, ut historiam Translationis, prout eam ex Coppola describimus, falsam seu suspectam habeat: undequaque enim, sive stylum spectes, sive rerum adjuncta, ut plurimum satis minuta, sinceritatem spirat.* F

Balnenses tentant auferre Sacras Reliquias.

56 Die 2 Junii *(ita progreditur Translationis Recordatio)* Dominus Petrus Macedonii de Neapoli Capitaneus Aquilæ, et Camerarius, quinque Artium Civitatis Aquilæ, ad quærelam hominum de Balneo *(Bagno)*, qui nullum jus habent nec eorum interest, exportare fecerunt Reliquias sanctorum Maximi et Maximi *(patris, ut ex sequentibus patet, prioris)* atque Raynerii *(forte redundat et irrepsit ex amanuensis defectu, cum supra dicantur S. Raynerii reliquiæ reportatæ in* Civita *S.* Maximi, *nisi de minoribus seu separatis quibusdam Reliquiis sermo sit)*, et abstraxerunt de confessione ecclesiæ Aquilanæ. Finaliter remanserunt Reliquiæ sancti Maximi levitæ et martyris, et Reliquiæ sancti Maximi Patris sancti Maximi. Die 11 dicti mensis præfatus Capitaneus, Camerarius Aquilæ, et Abbas de Collimento, et Dominus Jacobus de Furfona cum multis aliis de Balneo personaliter accedentes,

(1) Relazione dello scoprimento *(inventione)* del corpo e degli atti antichi del glorioso sacerdote e martire S. Eusanio, exposta alla publica luce da Giuseppe Coppola, della congregazione del Oratorio, Vescovo dell' Aquila e regio consigliere. In Roma DCCCXLVIX. *Agitur de* S. Eusanio in Opere nostro, 9 Julii. Confer Comment. præv. nostrum. n. 4. — (2) Dissertaz de S. Eusanio Ad initium, ubi Breve adscribitur. — (3) Ital. Sacra. t. 1. col. 379 et 380.—(4) Dissertaz. p. 84. — (5) Ad diem XX Octobris *a.* — (6) Coppola. Ubi supra, p. 85. —

(7) Glossarium, verbo *Pascha.*—(8) Ant. Ital. Med ævi, t. VI, col. 685. Nota 213 in Boet. Raynaldum. — (9) Ibid., col. 495. — (10, L'Art de vérifier les dates. In Tabula Chronologica, et in Calendario, p. 136.— (11) Ibid., Calendarium, p. 100. — (12) Antiq. Ital. Med. ævi, t VI, col. 487 *usque ad finem voluminis.*—(13) Ibid., col. 853-876. Præsertim, col. 853 *ubi anni a nobis interti recensentur.* — (14) Ibid., col. 875-880.—(15) Ibid., col. 929 962 Præsertim col. 935 et 936, *ubi de episcopatu Jacobi de Donadeis.* — (16) Italia sacra, t. 1, col. 390

fecerunt

A fecerunt reportare dictas reliquias ad ecclesiam sancti Maximi de Civita sancti Maximi, et ab hora qua discesserunt, Balnenses fecerunt pulsare campanas sancti Marci et sanctæ Mariæ de Balneo *(hæc indicant Balnenses non ita* Civitæ *S.* Maximi *unitos fuisse, ut cum illius incolis confunderentur: unde et paulo ante dictum est:* qui nullum jus habent nec eorum interest) usque ad horam vespertinam, non ob reverentiam reliquiarum, sed ad jactantiam, et quasi deludendo episcopum et capitulum ecclesiæ Aquilanæ. Et eundo versus Civitam S. Maximi, transeundo ante ecclesiam S. Mariæ de Collemadio fecerunt pulsare campanam magnam ipsius ecclesiæ, et pulsando fracta est cicogna *(trabes lignea ex qua suspensa erat campana* (1)) in qua funis est, quæ trahitur pulsando. Et discedendo cum pallio supra dictas reliquias et cum cereis accensis, ecce ventus validus dejicit ad terram dictum pallium, et cereos extinxit. Devenientes ad dictam ecclesiam S. Maximi reposuerunt reliquias drædictas et adsumpserunt reliquias S. Maximi, et partem reliquiarum S. Maximi, patris dicti S. Maximi, et sic cum reliquiis reversi sunt, et statim in ictu oculi congregati sunt clerici et layci civitatis cum episcopo B processionaliter exivere obviam dictis reliquiis usque ad dictam ecclesiam, et cum magno gaudio, devotione et reverentia deportatæ sunt ad ecclesiam Aquilanam, et repositæ in sacro loco sub altari majori dictæ ecclesiæ etc. Ad laudem Dei etc. Ego Jacobus de Donadeis episcopus Aquilanus hanc Recordationem scripsi etc. *Qui, cum sederit legitime ab anno* 1401 *ad annum* 1431, *testis imo et actor fuit eorum quæ memoriæ commendavit. Præterea in codice Ms. in quo solebat idem episcopus annotare quæ singula die memoratu digna accidebant, post præfatarum rerum narrationem, hæc sequuntur.*

Reliquiarum depositio.

57 Die 18 Mensis Octobris in primis Vesperis festi S. Maximi cum magna solemnitate fuerunt repositæ reliquiæ gloriosi levitæ et martyris Maximi, et Maximi patris ejusdem Sancti, et de reliquiis infrascriptorum Sanctorum; S. Andreæ Apostoli, S. Thomæ Apostoli, S. Bartholomæi Apostoli, S. Georgii martyris, S. Sebastiani martyris, SS. Victorini, Germani et Severi, S. Martini episcopi et confessoris, de cilicio S. Petri Cælestini, S. Agathæ Virginis, de petra sepulchri S. Catharinæ, S. Cæciliæ, de vestimentis S. Claræ, et factum est per C me, præsente toto capitulo ecclesiæ Aquilanæ, et omnibus prælatis ecclesiarum civitatis Aquilæ, et magna copia laicorum, et fuit rogatus de hoc Notarius Marinus de Pizzulo et Judex Antonius de S. Victorino. Anno 1414 dedi ad bonum computum pro cimiterio in ecclesia, et pro altari, seu lapide, et fabrica capellæ cimiterii Dominico Agnelli de Rodio ducatos viginti duo cum dimidio, et pro panno picto pro altare Sacrarii, in quo sunt reliquiæ S. Maximi tres libras et soldos duodecim.

Quæ essent illæ reliquiæ,

58 *Firma perpetuo omnium animis, teste Coppola* (2), *inhæsit persuasio, reliquias S.* Maximi *repositas permansisse sub antiquo altari confessionis, in aliqua illarum Cathedralium, quæ ex terræ motibus destructæ fuere ita, ut ne accurate quidem determinari queat, quo præcise loco sitæ essent. Id enim innumeri tradunt scriptores; atque inter alios doctor Franciscus Vivius Aquilanus in libro suo, cui titulus :* Selva delle communi opinioni *ubi opinione* 203 *num.* 25 *pag.* 178 *hæc habet :* Nec non in ecclesia cathedrali subterranea adesse corpus S. Maximi martyris non dubitatur. *Quid autem vox corpus hic valeat, explicatur in codice Ms. Anonymi cujusdam, ubi sequens datur notitia illarum reliquiarum, sicut et de modo quo reconditæ erant, agiturque tamquam de re suo tempore omnium oculis subjecta in cathedrali Aquilana.* Denique, *ait,* ibi quiescunt reliquiæ huc superstites gloriosi martyris S. Maximi : os scilicet brachii præcipuum et costa una, cum crystallo, quod collo appensum gerebat, cum ex turri (rupem *Acta habent*) præcipitatus fuit, recepturus martyrii coronam. B. B.

quarum hodie vix aliquid superest.

59 *Quo tempore hæc scribebat Coppola (medio nempe sæculo proxime præterito) nihil, quod nosceretur, supererat de reliquiis S.* Maximi, *ut luculenter efficitur ex Monito ipsius præsulis, ad calcem suæ scriptionis posito :* dum vix non tota jam typis subjecta erat hæc nostra dissertatio, rescripsit mihi archidiaconus D. Carli, meus Aquilæ vicarius generalis, in hunc modum : *illustrissimæ dominationi vestræ mitto nuntium, me scilicet invenisse reliquiam S.* Maximi *martyris levitæ, quæ consistit in parvula* (picciola) *parte ossis, extracta ex locis authenticis a cardinali Paolucci, olim vicario Urbis; quam ego reperi in pixide, reliquiarum Sanctorum plena, quæ mihi submissa fuerat, ut illas separarem et authenticarem. Dicere non valeo quanta exinde* E *perfusus lætitia sim. Feria tertia sequenti scribam, quo mihi Romæ venustissimam conficiant hierothecam etc.* Atque ego etiam ingentes Deo refero laudes, quod, dum finis imponeretur typis edendo exiguos meos labores, sicut et dum jam proximus esset meus ex Aquilana sede discessus atque transitus ad ecclesiam Castri-Maris, hanc obtinuerim a Sancto gratiam, quam numquam destiti illum rogare, atque ardentissime expetere. *Hactenus Coppola.*

VITA

S. MAXIMI LEVITÆ ET MARTYRIS,

PATRITII CIVITATIS AQUILÆ.

Ex Breviaro mss., quod in Episcopto ejusdem civitatis asservatur, descripta.

F

S. Maximi natales et vita.

Levita Christi Maximus (a), nobili genere ortus est, ex civitate Habiensi, quæ sita est in provincia, quæ apud antiquos ipsa etiam Habiensis nuncupata est, nunc autem Forum Conæ appellatur; sed quamvis pristinum nomen civitatis seu provinciæ illud amisit, campus tamen, qui juxta civitatem illam est, Habie cuncupatur, per quem et fluvius pergit, Habellius nominatus *b*. In præfata igitur cum esset levitico munere sublimatus B. Maximus et plebis Christi curam gereret, tempore persecutionis Decii imperatoris, patiendi desiderio, ingruentibus se persecutoribus palam ostendit, atque post responsionis constantiam, equuleo suspensus, ac tortus, ad ultimum de alto (obrutus) martyrium consummavit, cujus natalis quartodecimo Kalendarum Novembris celebratur *c*.

Decius imperator per provincias mittit præsides qui in Christianos inquirant.

2 Tempore igitur Decii impiissimi imperatoris, sæva persecutio orta est *d* Christianis. Decius enim iniquissimus imperator satagens comprimere et superare Christianos et nomen Christi funditus delere de terra, per universas provincias suo imperio subjectas, strenuos ac sapientes omnique astutia

(1) Vide du Cange Glossarium. Voce ciconica seu ciconium. —

(2) Dissertaz. di S. Massimo, p. 86.

Ex MSS. Aquilan.

astutia præditos præsides direxit, ut ubicumque quoslibet Christum confitentes invenissent, aut his (patrocinantes), Deo nostro derelicto, diis suis facerent sacrificia immolare, atque eos veneranter adorare; aut diversis suppliciis maceratos interimerent; asserens siquidem eos, qui hoc adimplere satagerent, donis imperialibus et honoribus magnificis amplificare. Qui autem ignaviæ dediti, id mediocriter perficere studerent, privatos propriis dignitatibus, sub tributo regali perpetua damnatione redigere. His ergo taliter præordinatis, acceptis apicibus, præsides ad provinciam sibi assignatam, decreta Cæsaris volenti animo impleturi, festinanter properant.

Præses convocat coram se populum Habiensem, e

3 Præses *e* itaque iniquissimus, cui Habiensis provincia fuerat ad judicandum assignata, cum prædictam civitatem fuisset ingressus, præcepit sibi in medio civitatis tribunal parari. Cumque solio sibi præparato insedisset, jubet omnem populum prædictæ civitatis a minimo usque ad maximum præsentari suo aspectui. Qui mox *f*..... præsidi ex integro assistentes lectis prius imperialibus apicibus, talia ad eos ex suo nefandissimo pectore proprio cœpit ore proferre.

f

B

cui imperatoris edicta denuntiat.

4 Audiat et noverit populus universus, me ideo ab imperatore ad hanc urbem directum, ut cultores sublimium Deorum exaltem et magnificem, Christicolas vero nefandissimos, quoscumque invenire potero, variis suppliciis excruciatos interimere satagam. Perinde moneo (vos) atque imperiali edicto præcipio, ut nullus vestrum, aliqua sive consanguinitate atque affinitate seu amicitia copulatus, aliquem Christicolam occultare seu contegere audeat, alioquin sublimium Deorum iram incurret, imperialem quoque acerrimam experietur ultionem. His ergo idololatræ auditis, gratulabundi ad propria remeantes, per omnem civitatem regale edictum lætabundo pectore personabant; Christicolæ attoniti præstolabantur, quid de eis Domini pietas facere deliberaret.

S. Maximus Levita ultro se apparitoribus offerens,

5 Eo vero tempore erat in prædicta urbe Habiensi, quidam vir Deo devotus, levita perfectissimus, nomine Maximus, plebis Christianæ religionis (religiosæ) curam gerens, qui in Christi fide eos, jugiter prædicationi insistens, confirmabat. Quod confestim præsidis auribus ab infidelibus intimatum. Qui mox missis apparitoribus, præcepit eum inquiri ac teneri, ac suo conspectui celeriter præsentari. Famulus autem Dei Maximus,

C

cum comperisset quod iniquissimus præses ad nquirendum se suos satellites direxisset, noni passionis timore perterritus, sed amore Christi succensus patiendi desiderio, quærentibus se satellitibus palam semetipsum ostendit, dicens: Quem quærebatis, ecce adsum. Qui mox illum comprehendentes iniquissimo præsidi in medio publicæ civitatis pro tribunali sedenti præsentaverunt.

sistitur coram præside atque interrogatur.

6 Quem cum fuisset iniquissimus præses intuitus moderata illum inquisitione prius interrogare cœpit, dicens: Dic mihi quis es, vel quo voceris nomine? Et famulus Dei ad eum; ego, inquit, servus sum Domini mei Jesu Christi; nomine vero proprio Maximus dicor. Præses dixit ei: Ex quo genere es? S. Maximus respondit: Ingenuo *g* ex genere sum, quemadmodum et omnis origo parentum nostrorum protendit. Præses dixit. Quare ergo secundum generositatem non adoras Deos immortales, quos romanus imperator veneranter adorat? S. Maximus respondit: Quia novi Deos tuos simulacra vana et surda, dæmonia esse, et non Deos. Præses dixit: Maxime, quo officio fun-

g

geris? S. Maximus respondit: Levitico ordine utor, et plebis Christianæ curam gerens, hoc solum negotium exerceo. D

Christianum se manifeste declarat.

7 Præses dixit: Ergo Christianus es? S. Maximus respondit: Quamvis peccator, Christianus tamen sum, et sanctum nomen Christi jugiter prædicare, collaudare et venerari non cesso. Præses dixit: Cognovisti decreta invictissimi imperatoris, quæ nuper decrevit? S. Maximus dixit: Quæ? Præses dixit: Ut omnes Christiani Christum Dominum derelinquant, et falsam (vanam) suam superstitionem cognoscant, et sanctissimos Deos nostros reverenter adorent, quibus omnia subjacent, et nullum alium Deum sequantur; qui vero ejus jussionis contemptor repertus fuerit, diversis atque acerrimis suppliciis attritus intereat. S. Maximus levita Christi constanter respondit: Iniquam rem in hac tui imperatoris sententia agnovi; et ideo me tibi palam ostendi, ut per hujus temporalis (*forte* corporalis) vitæ amissionem, pœnarumque (sustentationem), æternæ vitæ merear accipere retributionem.

Præses ei filiam suam in matrimonium offert.

8 Præses dixit: Maxime, acquiesce utilissimo consilio meo et adora Deos nostros omnipotentissimos, et sacrifica eis a quibus poteris honorari, et E accipe sponsam filiam meam Cæsariam, speciosam et pulchram nimis cum puellis suis. S. Maximus respondit: Ego quidem consilio tuo minime acquiesco, et Deos tuos aureos et lapideos non adoro, neque sacrifico eis, quia dæmonia sunt, et non Dii; sed sacrifico Domino unico et vero, qui te et patrem tuum diabolum disperdet; filia quoque tua cum puellis suis non ingredietur mecum; habeo enim sponsam immortalem, sanctam scilicet Ecclesiam *h*. Præses vero adhuc patienter audiens dixit ei: Maxime, sacrifica Diis omnipotentibus, et fruere amicitia imperatoris nostri. Respondit Maximus: Jam dixi tibi, non sacrifico, nisi soli Deo meo, vivo et vero, cui me quotidie hostiam viventem, adjuvante Sancto Spiritu, sacrificasse congratulor; amicitiam autem vestram ideo non concupisco, quia vos me ab amore æterni regis mei separare nitimini.

h

Minæ Præsidis

9 Præses dixit: Maxime, sacrifica reverendissimis Diis nostris, ac salves animam tuam, alioquin per salutem imperatoris arescere faciam tormentis corpus tuum. S. Maximus respondit: Hoc est quod semper optavi, propterea enim palam me manifestavi, ut tandem carens miserabili et temporali F ista vita, illam perpetuam vitam merear accipere. Cui iterum præses proloquens ait: Quis auxiliabitur tibi, miser, ut tormenta tibi præparata possis evadere? S. Maximus respondit: Mihi alius auxiliator non est, nisi ille quem confiteor. Præses dixit: Quem confiteris? S. Maximus levita Christi respondit: Confiteor Deum meum unicum et verum Dominum Jesum Christum.

In equuleo suspenditur S. Martyr.

10 Tunc indignans præses jussit eum in eculeo suspendi et diutissime torqueri. S. vero Maximus levita Christi suspensus in eculeo, cum torqueretur dicebat: Gloria tibi, Domine Jesu Christe qui in numero istorum, qui pro te passi sunt, annumerare me dignatus es. Præses dixit ad eum: Jam hic resipisce ab insania tua, Maxime, et sacrifica Diis nostris, ut animam tuam lucreris; quod si facere contempseris, igne supposito, faciam te acerrime fustibus cædi. S. Maximus respondit: Animam lucrabor, si non sacrificavero dæmoniis, et si sacrificavero, sicut vos sacrificatis, perdo eam: mihi enim nec ignis nec fustes vestri dant dolorem, quia in me manet gratia Christi, quem pura mente confiteor, qui salvum faciet in æternum, et participem faciet

EX MSS. AQUILANO.

A faciet omnium Sanctorum suorum, qui hac collectatione vestras superaverunt insanias, nobis autem virtutis exemplum reliquerunt. Præses dixit : Maxime, quem Deum tuis legibus confiteris ? S. Maximus respondit : Illum de quo propheta dixit : « Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus ; » et iterum : « Ne tradas bestiis animam confitentes tibi *i*. »

Fustibus cæditur.

11 At vero præses his auditis, ira vehementi commotus, jussit eum fustibus cædi, cumque cæderetur dixit ad eum : Maxime, sacrifica Diis, ut ab his libereris tormentis. S. Maximus levita Christi respondit : Hæc non sunt tormenta, quæ propter amorem Domini inferuntur, sed sunt victoriæ æternæ. Quare si recessero a præceptis, quibus sum de Euangelio Domini mei eruditus, tunc mihi vera et perpetua tormenta præparabuntur. Præses dixit ad eum : Miser, præbe assensum mihi ; et accedens sacrifica magnæ Deæ Dianæ *k*, antequam corpus tuum exterminetur. S. Maximus respondit : Quid adhuc verba superflua loqueris, inimice Domini excelsi ! Ego enim assensum vobis numquam commodabo, et Dianæ Deæ vestræ nec sacrificavi nec sacrifico ; sed me ipsum offero sacrificium Deo meo vivo et vero in odore suavitatis.

B

Jussu Præsidis extra civitatem ductus ex alto præcipitatur.

12 Audiens vero iniquissimus præses, abundantiori ira excandescens, continuo præcepit ministris suis, ut ducerent eum in locum ejusdem civitatis, qui vocatur Circulus *l*, et sic eum inde de alto præcipitarent. Ministri autem sceleris confestim rapientes athletam Christi Maximum pertraxerunt illum ad prænominatum locum, jussa crudelissimi præsidis perficere gestientes. S. vero Maximus cum perductus fuisset ad prædictum locum, ab his qui eum ducebant, petiit orandi licentiam et impetravit ; cumque orasset, gratias egit Deo omnipotenti, et Jesu Christo filio ejus, et Spiritui Sancto, qui eum dignatus est inter sanctos Martyres suos dinumerare, et dixit : « In manus tuas Domine commendo spiritum meum ; » et hoc dicens statim de alto a ministris præcipitatus emisit spiritum.

Sepelitur a Christianis.

13 Christiani *m* autem notantes locum, tulerunt corpus ejus nocte, et sepelierunt eum. Passus est autem athleta Christi Maximus XIV Kalendas *n* Novembris, sub Decio impiissimo imperatore, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Deo Patre *o* in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

C

ANNOTATA.

a *Hoc numero compendiose vita exhibetur, ad instar legendæ seu lectionis in Breviario usitatæ. Sequentibus numm. describitur Passio.*

b *De his locis vide dicta in Commentario præv.* § 1.

c *Confer Comm. præv. n.* 24.

d *Ad finem anni* 249 *vel initio anni* 250, *ut diximus Comm. præv. n.* 25.

e *Notavimus in Comm. prævio n.* 13 *in actis ab Henschenio et Ruinartio editis, loco* Præses *poni* Proconsul *et quidem nomine* Optimus. *Cum nostra opinione ex actis S.* Maximi *nostri alia illa contracta fuerint, vocis* Procunsul *substitutio exin ortum habere potuit, quod, qui Asiæ præerant communius hoc nomine dicerentur; cumque ibidem passum S. Martyrem suum referant, facile in hujusmodi mutationem inducti fuerint. Quod autem attinet ad nomen* Optimus, *unde illud acceperint, ignoro ; nisi forte ex eo, quod nomen illud frequenter occurrat, et forte illa tempestate præfuisse in Asia cognoscerent vel existimarent aliquem hujus nominis. Usu venit hic quod tradit Samuel Pitiscus* (1) : præsides provinciarum dici cœperunt post divisionem provinciarum ab Augusto factam. Sic enim provincias divisit, ut aliæ Cæsaris, aliæ Populi dicerentur. Cæsaris, quæ validiores erant, et quas annuis magistratuum imperiis regi, nec facile nec tutum erat. Has ipse suscepit, in easque rectores mittere instituit viros, ut ait Strabo, tum consulares, tum prætorios, tum equites. Quos et ille generali nomine διοικήτας et Macer, præsides appellat : *præsidis nomen generale est : eoque et proconsules, et legati Cæsaris, et omnes provincias regentes, licet senatores sint, præsides appellantur.* Ubi tamen senatores non sint, cum negatione legendum videtur : ut equites significaret, de quibus hoc ipsum Strabo testatus est. *Alibi rursus habet laudatus Pitiscus* (2) : provincias Augustus divisit in eas quæ populi essent, et in eas quæ Cæsaris dicerentur. Populo pacatas... reliquit, in quas proconsules atque prætores mitteret. Impacatas... sibi... In eas itaque legatos suos, procuratores et præsides mittebat. *Addit paulo inferius :* Commutarunt tamen imperatores pro arbitrio (3). *Cæterum nemo ignorat valde confusa esse quæ ad hujusmodi dignitatum nomina spectant, ut non raro in unis iisdemque actis, optimæ notæ, promiscue usurpentur. Nec proin ex his plerumque aliquid inferri potest.* E

f *Occurrunt hoc loco voces quædam ita prave exaratæ, ut, quid sibi singulæ velint, non facile dixerim. Sensus tamen difficultatem non habet : refert præsidem universo populo, timore perculso atque in unum collecto, verba fecisse.*

g *Confer Comm. prævium n.* 15.

h *Petrus de Natalibus* (4) *hunc locum ita contrahit :* Cui dum præses Cæsariam filiam nimis speciosam in uxorem promitteret, si Diis sacrificare consentiret ; et ille se Mariam Virginem Dei Genitricem habere sponsam assereret, ac omnino sacrificare renueret, fustibus diutissime ceditur. *Unde sua Petrus* de Maria Virgine *hauserit prorsus ignoro. Sane multo melius actu nostra habent. Vid. Comm. præv. n.* 22.

i *Psal.* CXXXV ℣ I *et Psal.* LXXIII ℣ XIX.

k *Non desunt quibus acta nostra visa sunt suspecta, quod in eis mentio fiat Dianæ. Notum enim, inquiunt, est, hanc speciali modo cultam Ephesi, quæ Asiæ civitas est. Hinc concludunt non solum* S. Maximum *nostrum, sed et alios ejusdem nominis Martyres ibidem esse passos. Ast utique non repugnat unam eandemque Deam diversis in locis cultum habuisse, ut apud nos frequenter contingit eosdem Sanctos in regionibus, quam longissime ab invicem dissitis, coli. Et quod ad Dianam spectat, sufficit vel obiter pervolvisse Pausaniam, ut in oculos incurrat, quot illa per universum fere orbem Romanum fana et lucos habuerit. Certe* Romanæ fidicen lyræ, *tot fere fuisse insinuat, quot erant rivuli :* F

Inceptis gravibus plerumque et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Assuitur pannus : quum lucus et ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros
Ad flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus (5).

Sed quod majus est, constat, teste Coppola (6), *ex antiqua traditione, Silvam, quæ Aviensi civitati supereminebat (ubi nunc videtur PP. Reformatorum conventus de S. Angiolo) Dianæ dicatum fuisse ac propterea vocatam :* lucus Dianæ. *Unde mirum nemini videbitur, præsidem S. Martyrem nostrum hortatum ut patriæ Divinitati sacrificaret.*

(1) Lexicon Antiquitatum Romanarum. Verbo *Præsides*. — (2) Ibid. Verbo *Provincia*. — (3) Confer Auctarium nostrum ad t. V Octobris. Nuper Bruxellis editum, nota 56. — (4) Lib. IX, cap. LXXXV. — (5) Horat. de Arte Poetica, v. 14-18. — (6) Dissertazione di S. Massimo, p. 14.

l *Una*

A l *Una omnium vox est, inquit Coppola* (1), *et antiqua traditio*, circulo *hic designari montem illum inaccessibilem, rupibus horridum, locis præcipitibus undequaque scatentem, in formam semicirculi flexum, qui impendebat* Terræ di Fossa, *in cujus cacumine spectatur castrum* di Ocre *dictum. Conf. Comm. præv. n.* 4.

m *Quæ sequuntur, actis forte superaddita, a posteriori scriptore.*

n *Id est* XIX *Octobris. Hinc mirum videbitur festum S.* Maximi *hac die cœpisse celebrari tantum versus sæcul.* XV. *Conf. Comm. præv. n°* 24.

o *Hæc formula, verbis paulisper hinc inde immutatis, frequens occurrit in actis Martyrum antiquissimis. Sic in passione S. Felicitatis et septem Filiorum ejus ita concluditur* : Christi facti sunt amici : qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen. *Notat vero Ruinartius* (2) *nullum esse dubium, quin acta S. Felicitatis eadem sint cum* Gestis emendatioribus, *quæ Gregorius Magnus laudat in Homilia* 3 *super Evangelia.*

B

LECTIONIS DE S. MAXIMO

Ex Proprio Aquilano.

Lect. IV. Maximus levita cum in Aviæ olim Vestinorum civitate, prope quam urbs Aquila postea condita est, Christi fidem prædicaret, in persecutione Decii eam ob causam jussus est comprehendi. Qui non passionis timore perterritus, sed Christi amore succensus; quærentibus satellitibus palam semetipsum ostendit. Quare comprehensus ad præsidem ducitur, a quo de genere, et religione interrogatus respondit : Ingenuo ex genere sum, quemadmodum et omnis origo parentum meorum prætendit, religione autem Christiana imbutus, levitici ordinis officio fungor, cui præses : Cur secundum generositatem tuam non adoras Deos immortales, quos romanus imperator veneratur? Quia, inquit, Deos vestros novi simulacra vana et surda esse, non Deos.

Lect. V. Cum autem multa ultra citroque dixissent, demum ei præses : si mandatis imperatorum parere vellet, filiam suam in matrimonium C se ei daturum spopondit. Quam optionem cum ille libere refutasset, nec ullis aut promissionibus, aut minis a Christianæ fidei proposito dimoveri posset, indignatus præses in equuleum suspendi eum jubet, et diutissime torqueri. Sanctus vero cum torqueretur dicebat : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me in numero Sanctorum, qui pro te passi sunt, annumerare dignatus es. Cui præses : Maxime, sacrifica Diis nostris, ut te ipsum lucreris; sin autem igne supposito faciam te acerrime fustibus cædi. Et martyr : Animam meam lucrabor, si non sacrificavero dæmoniis, quia in me manet gratia Christi, quam pura mente confiteor, qui me salvum faciet in æternum.

Lect. VI. Eo responso vehementer commotus præses, illum fustibus cædi jubet, et ut Dianæ sacrificaret, interpellat. Cui martyr : Quid adhuc verba superflua quæris, inimice Dei excelsi? Ego enim Dianæ Deæ vestræ non sacrificabo, sed meipsum offero sacrificium Deo meo vivo, et vero in odorem suavitatis. Ad hæc ira magis exardescens tyrannus, præcepit duci eum ad locum, qui dicebatur Circulus, et inde e sublimi præcipitari. D Cumque eo loco aliquantisper orasset B. Maximus Deo gratias egit, qui se cum sanctis Martyribus Dominici calicis participem facere dignaretur, et in illis verbis : In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, ex alto præcipitatus, gloriosum pro Christo martyrium complevit XIV Kal. Nov. Christiani autem notantes locum, tulerunt corpus ejus nocte, et sepelierunt.

MONITUM.

Ob rationes, n. 16 *Commentarii prævii positas, necessarium duximus, hic subjicere acta S.* Maximi, *qui passus perhibetur in* Asia provincia. *De illo apud nos actum est die* XXX *Aprilis.*

ACTA
SANTI MAXIMI MARTYRIS

Ex Ruinartio.

E

Maximus comprehenditur

Decius imperator volens opprimere, vel superare legem Christianorum, decreta constituit per universum orbem, ut omnes Christiani recedentes a Deo vivo, et vero, dæmoniis sacrificarent : qui vero noluissent, suppliciis subjacerent. Eo tempore famulus Dei Maximus, vir Sanctus ultro se palam ostendit. Erat vero plebejus, negotii sui curam gerens. Comprehensus igitur oblatus est Optimo proconsuli apud Asiam : Proconsul dixit ad eum. Quis vocaris? Respondit : Maximus dicor. Proconsul dixit : Cujus conditionis es? Maximus dixit : Ingenuus natus, servus vero Christi. Proconsul dixit : Quod officium geris? Maximus respondit : Homo sum plebejus, meo negotio vivens. Proconsul dixit : Christianus es? Maximus respondit : Etsi peccator, Christianus tamen sum. Proconsul dixit : Non cognovisti decreta invictissimorum Principum, quæ nuper advenerunt? Maximus respondit : Quæ? Proconsul dixit : Ut omnes Christiani relicta superflua superstitione cognoscant verum Principem, cui omnia subjacent, et ejus Deos adorent? Maximus respondit : Iniquam regis hujus sæculi prolatam sententiam cognovi, et ideo me palam ostendi. Proconsul dixit : Sacrifica ergo F Diis. Maximus respondit : Ego non sacrifico, nisi soli Deo, cui me ab ineunte ætate sacrificasse congratulor. Proconsul dixit : Sacrifica, ut salveris; quod si nolueris, variis faciam te deficere tormentis. Maximus respondit : Hoc est, quod semper optavi, propterea enim me manifestavi, ut tandem carens miserabili et temporali vita æternam reciperem.

Fustibus cæsus equuleo suspenditur.

2 Tunc Proconsul jussit eum fustibus cædi. Cumque diceba ei : Sacrifica, Maxime, ut ab his liber sis tormentis. Maximus respondit : Hæc non sunt tormenta, quæ pro nomine Domini nostri Jesu Christi inferuntur, sed unctiones. Si enim recessero a Domini mei præceptis, quibus sum de Evangelio ejus eruditus, vera, et perpetua mihi manebunt tormenta. Tunc Proconsul jussit eum in equuleo suspendi. Cumque torqueretur, dicebat ad eum : Jam resipisce, miser, ab insipientia tua, et sacrifica, ut animam lucreris. Maximus respondit : Animam meam lucrabor, si non sacrificavero, quod si sacrificavero, perdo eam. Mihi enim nec

(1) Dissertazione di S. Massimo, p. 15.—(2) Acta primorum Martyrum sincera et selecta. *Admonitio* in Passionem SS. Felicitatis, etc., n. 1, p. 25.

fustes.

A fustes, nec ungulæ, nec ignis sentiendi dant dolorem, quia in me manet gratia Christi, quæ me salvum faciet in æternum, omnium Sanctorum orationibus, qui in hac colluctatione certantes vestras superaverunt insanias, nobisque virtutum exempla reliquerunt. Tunc proconsul dedit in eum sententiam, dicens : Eum, qui sacris legibus assensum noluit accommodare, ut magnæ Deæ Dianæ sacrificaret, ad metum reliquorum Christianorum obrui lapidibus præcepit divina clementia. Et sic raptus est athleta Christi a ministris diaboli, gratias agens Deo, et Patri per Jesum Christum filium ejus, qui eum dignum judicavit certando diabolum superare ; ductusque foras muros lapidibus cæsus reddidit spiritum. D

Lapidibus obruitur.

3 Passus est autem famulus Dei Maximus apud Asiam provinciam secundo Idus Maji sub Decio imperatore, et Optimo proconsule, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

DE SS. BERONICO, PELAGIA VIRGINE

ET ALIIS QUADRAGINTA NOVEM MARTYRIBUS

ANTIOCHENIS.

SYLLOGE.

E B. B.

B

Eorum passio ex Martyrologiis. Quæ sit S. Pelagia, hac die celebrata.

SÆCULO I, II VEL III. Acta desunt

Horum SS. Martyrum occurrit hac die memoria in Martyrologiis sive antiquis sive recentioribus fere omnibus. Ast præter hanc nihil quod ad eorum acta spectet, uspiam reperitur. Aliud itaque hic nobis incumbit nihil, nisi, quæ in Martyrologiis habentur, exhibere simul cum adnotationibus, quas, per modum Commentarii, hinc inde adjecerunt viri eruditi, quos vexavit monumentorum idoneorum defectus.

Martyrologium Rom. cum Notatione Baronii minus recta.

2 *Romanum ita ponit :* Antiochiæ sanctorum Martyrum Beronici, Pelagiæ Virginis et aliorum quadraginta novem. *Notat autem Baronius :* De his item Beda, Usuardus, Ado et alii, licet Beda hic agens de Pelagia confundat cum illa pœnitente de qua supra die VIII hujus *(Octobris). Proprie loquendo vacat hac die Beda. In* Auctariis *autem* C *vulgo quidem (ast non recte, ut ostendit Sollerius in Præfatione ad Usuardi Martyrologium) Floro adscriptis, habetur :* Et in Antiochia Syriæ *(hæc vox in quibusdam codicibus deest)* passio sanctorum Pelagii et Beronicæ *(alibi* Beronici*). Labitur itaque Baronius ; siquidem nec Beda, nec ejus auctator de Pelagia mentionem faciunt. Unde eminentissimus cardinalis suam notationem hauserit, non facile quis conjecerit, fortee.r Mss. quibusdam exemplaribus. Id generatim constat in notis suis ad Martyrologium Romanum non raro a genuinis fontibus adeundis eum abstinuisse.*

Alia Martyrologia.

3 Vetustius occidentalis ecclesiæ Martyrologium, *D. Hieronymo a Cassiodoro, Beda, Walafrido, Notkero, aliisque scriptoribus tributum, editumque a Florentinio* (1), *partim concordat cum Auctario Bedæ, sed addit et alia :* In Antiochia Syriæ natalis sanctorum Pelagii, Beronici, Pelagiæ et aliorum XLVIII. *Vetus Romanum seu Romanum Parvum a Rosweydo nostro in lucem adductum ab utroque differt :* Antiochiæ, Beronici, Pelagiæ et aliorum XLIX. *Ado omittit Pelagium :* Apud Antiochiam Syriæ, natalis sanctorum Beronici *etc. Adoni consonat Usuardus. Eadem canit Wandelbertus :*

Beronius bis septeno atque Pelagia fulget,
Quos pariter quadraginta atque novem comitantur.

Item ex recentioribus Petrus de Natalibus, Bellinus de Padua, Maurolycus et Galesenius, qui omnes quadraginta novem anonymos socios addunt, *inquit Florentinius* (2), præter Notkerum, penes quem quinquaginta novem tantum *(evidens est vocem* tantum *Florentinio imprudenter excidisse)* prostant... Pelagium omnes silent, quamquam antesignanus omnium sit, tam in libris nostris quam in M. Corbeiensi et Antverpiensi.

In quibusdam confunditur Pelagia nostra cum Pœnitente ejusdem nominis : sed perperam.

4 *Recte itaque observat Sollerius noster* totam ipsam de Antiochenis annuntiationem Usuardum ex Adone descripsisse, quam hic ex Romano parvo transtulerat (3). *Deinde subjungit sequentia :* Est et hujus Antiochenæ classis memoria apud Hieronymianos codices *(notum est Sollerium* (4) *in dubium vocare an reapse D. Hieronymus auctor sit Martyrologii quod ipsi tribuitur ; propterea, data opera,* codices *dicit* Hieronymianos, *quod scilicet vulgo tribuantur* sancto doctori ; *non autem :* Codices seu Martyrologia Sancti Hieronymi, *quod non sufficienter constet de genuino illorum auctore)* hoc die, præfixo tamquam ducis aut primipili nomine Pelagii... Porro quænam sit hodierna Pelagia operosius suo tempore disquirendum erit ; *pœnitentem* non esse, quam hic importune obtrudunt Rabanus et Notkerus, certum puto. *Juvat utriusque verba hic adscribere. Notkerus quidem ita annuntiat* (5) : F Apud Antiochiam Syriæ natalis sancti Beronici, Pelagiæ et aliorum quinquaginta novem ; *(Solus Notkerus est, ut jam innuimus, qui socios ponat* LIX ; *alii omnes habent* XLIX. *Probabile est mendum Notkeri codicibus irrepsisse)* quæ Pelagia primo fuit sub gentilitatis ritu meretrix, postea per gratiam Dei et sancti Dei Nonni episcopi dogma ad fidem conversa

(1) Lucæ, an. 1768.—(2) Ibid., p. 927.—(3) Martyrologium Usuardi, p. 611.—(4) Præfatio in Usuardi Martyrol., cap. I, art. I, p. V et seqq.—(5) Martyrologium apud Henricum Canisium : *Thesaurus Monumentorum*, t. II, part. III, p. 182. Edit. Amstelædam, 1735.

B. P. conversa, et baptizata, omnia sua pauperibus erogavit, et in monte Oliveti, Antiochiam deserens, in loco ubi Dominus cœlum ascendit, parvulam sibi cellam construxit, et sub virili habitu hac monastica conversatione, præsentem vitam finivit. *Rabanus, apud eumdem Canisium* (1), *ad verbum fere repetit quæ Notkerus habet de sancta* Pelagia ; *in hoc et a Notkero et ab aliis differt, quod omissis cæteris, solius* Pelagiæ *memoriam faciat. Cæterum et nos cum Sollerio certum putamus* Pelagiam, *de qua hoc die mentio recurrit, omnino diversam esse ab illa celeberrima* Pœnitente *Antiochena. Hujus quoque sententiæ est Cornelius Byeus noster, qui, ad octavam Octobris* (2), *posterioris acta illustrans, Commentarium suum prævium auspicatur, distinguendo* Sanctam, a binis Pelagiis jam datis *(ad* IV *Maii et* IX *Junii)*, tertiaque adhuc danda *quæ nostra est.* Pelagia enim, *inquit*, fastis sacris quam plurimis ad XIX Octobris inserta, martyrio coronata vitam hanc mortalem terminavit, quod de Pelagia nostra *(pœnitente)*, utpote quam dicenda in pace quievisse ostendent, dici non potest. *Addimus hanc in Martyrologio Romano et aliis* Jerosolymis, *illam* Antiochiæ *commemorari.*

Rursus, nec potiori ratione, confunditur Beronicus cum Berinna seu Berenice.

B 5 *Idem Cornelius Byeus jam antea ad diem* IV *Octobris in vita SS. Domninæ, Berinnæ et Prosdoces MM.* (3), *observarat :* Porro in Hieronymianis aliquot ad XIX Octobris, annuntiatur *Domna seu Domnina Virgo* ; annuntiatur *Prosducus seu Prosdocia* ; annuntiatur et *Natalis SS. Pelagii, Beronici, Pelagiæ et aliorum quadraginta novem.* Hinc nonnulli putant, iterum hic *Domninam* nostram, ejusque sanctas filias *Berenicen* et *Prosdocen* vel ratione cujusdam translationis vel alia simili de causa celebrari. Quod autem jam pertinet ad natalem SS. *Beronici* et *Pelagiæ*, qui ad præfatum quoque Octobris diem et antiquis Martyrologiis apud Florentinium occurrit, ponitur ille quidem Antiochi in Syria, verum numerus major assignatur martyrum, quam ut Berenicæ nostræ conveniat ; ac proin ab hac verosimillime distinguitur Beronicus ; qui præterea non feminina sed masculina terminatione omnibus prorsus antiquis apud Florentinium Martyrologiis inseritur. *Hæc Byeus.*

et Veronica Hierosolymitania.

6 *Simile quid notat Henschenius noster* (4) *in vita sanctæ Veronicæ, matronæ Hierosolymitanæ.* C *Scilicet in Chronico sub nomine Juliani Petri Archipræsbyteri S. Justæ ex Bibliotheca Olivarensi edito, ad annum* XC *legitur.* Per hoc tempus... Romæ in magno pretio erat sudarium illud... quod Clementi primo, Romano Pontifici, reliquit pientissima mulier Beronice, quam alii corrupte vocant Veronicam ; quæ neptis... magni Herodis... vixit aliquando in urbe Cæsarea Palæstinæ, aliquando vero Jerosolymis... Quidam volunt passam martyrium Antiochiæ cum aliis quinquaginta, ut tradit Beda : *Verum hæc Berenice a sancta Veronica prorsus alia est, ut probat Henschenius loc. cit. Ubi deinde addit* (5) : Quæ supra Berenice ex Judæa, et forte ante Christum natum mortua, fingebatur S. Veronica pia et christiana matrona, jam mutato sexu, in eodem Juliani Chronico, ex sancto Beronico fingitur sancta Veronica Martyr. Ille est qui *cum quinquaginta aliis Antiochiæ passis* colitur XIX Octobris, in omnibus fere martyrologiis, etiam Bedæ Mss. exemplaribus : in cujus exemplari excusso confusionem esse etiam advertit ibidem in Annotationibus Baronius. *Confer. n. 2. præsentis Commentarii, ubi Baronium perstrinximus. Notandum etiam est Henschenium suam Bedani Martyrologii editionem post vulgata Februarii acta adornasse.* D

Sic etiam altera est Pelagia quæ colitur IX Junii.

7 *Janningus noster ad* IX *Junii, ubi de S. Pelagia Virg. et Martyre Antiochiæ in Syria, inquirit* Commentarii historici *paragrapho secundo* (6) : A quibus ejusdem nominis distincta, a quibus indistincta *illa Pelagia sit, atque* (7) : Est qui suspicatur de his matre ac sororibus S. Pelagiæ agi a Chrysostomo sub nominibus Domninæ, Berenices ac Prosdoces homilia LI apud Frontonem lib. III. Est iterum, qui fieri posse putat, quod Martyrologium Romanum XIX Octobris, ubi *Antiochiæ sanctorum Martyrum* Beronici, Pelagiæ *Virginis et aliorum quadraginta novem* passionem notat, de *Pelagia* nostra ejusque matre ac sororibus intelligi debeat. Sed Chrysostomi Oratio de Pelagia, aliaque de Domnina et Filiabus nimis disparata inter se exprimunt loca et circumstantias. Martyrologium vero numerum majorem assignat, quam ut Pelagiæ nostræ conveniat. Quare de his agere nunc nihil attinet ; attinebit forte ad XIX Octobris. *Hactenus Janningus. Quibus quasi coronidis loco addimus quæ habet Sollerius in jam citatis ad* E XIX *Octobris* Observationibus, *agens de* Pelagia, *cujus hac die inter alios mentio occurrit martyres Antiochiæ passos :* Sitne, *inquit* (8), Antiochena illa celebris Virgo et Martyr ab Ambrosio laudata, de qua in Actis nostris IX Junii, id ex characteribus, in Commentario prævio, egregie a collega nostro Janningo delineatis tom. II, pag. 154 et seqq. dispiciendum erit. Ibi interim pag. 157, tantum non prævie refutatam invenies Castellani notulam de Domnina Pelagiæ, ut ipse vult, matre, et sororibus Bernice et Prosdoce, quarum primæ et postremæ nomina, quomodo ex hodiernis Hieronymianis tabulis laudatus Castellanus extundat, et cum Antiochenis hisce conjungat, fateor me saltem hactenus non satis perspicere. *Nec nos id hodie clarius perspicimus. Cæterum Castellanus, qui hic perstringitur, ita habet ad hunc diem* XIX *Octobris :* Antiochiæ SS. Martyrum Beronicæ, Pelagiæ Virginis et aliorum quadraginta novem. *Et notat ad marginem :* Est hæc sancta Bernice ex XIV Aprilis, et sancta Pelagia (quam S. Ambrosius sororem suam appellat) huc relata ex IX Junii, ut clare videtur ex codicibus Hieronymianis, ubi sancta Prodoce, altera soror, et sancta Domnina earum mater, hac die simul memorantur. F

Quid de Pelagio.

8 *Ad* Pelagium *quod attinet, reperitur quidem ille in apographis Hieronymianis a Florentinio exhibitis ; ast, cum nec ab Adone, nec ab Usuardo referatur, credere fas est eos hunc non reperisse in antiquis, quibus usi sunt codicibus. Forte in quibusdam irrepsit exinde, quod non constanter nomen illud eodem proferatur ubique modo : constat enim vel ex Beda Henschenii, dictam fuisse* Pelagiam, *quæ ab aliis nuncupatur* Pelagius. *Potuerunt itaque amanuenses et ipsi etiam scriptores suspicari utrumque et Pelagium et Pelagiam admittendos. Singulare est hac in re, quod habet Martyrologium Hieronymianum apud Dacherium* (9) : in Antiochia Syriæ, natalis sanctorum Pelagii, Beroni, Pelagiæ et aliorum quadraginta octo Martyrum, *dum alii passim, etiam illi qui* Pelagium *ponunt simul cum* Pelagia, quadraginta novem *numerant socios. Forte existimavit amanuensis vel alius, dum superadderet nominatum unum, alterum esse demendum ex innomi-*

(1) Thesaurus Monumentorum, t. II, part. II, p. 344. — (2) Acta SS., t. III Octobris, p. 248 et seqq. — (3) Ibid., t. II Octobris, p. 398. — (4) Acta SS., t. I Februari, p. 451, n. 8. — (5) Ibid., IV Februar., t. I, p. 451, n. 9. — (6) Ibid., t. II Junii, p. 156. — (7) Ibid., p. 157. — (8) Usuardi Martyrol., p. 611. — (9) Spicilegium, t. II, p. 20. Edit. in-fol. Paris, 1723.

natis

B. B.

A *natis. Quod quidem quo jure fecerit, ipse viderit. Lectionem Dacherianam sequitur Martyrologium Ebroicense.*

SS. Martyres nostri verisimillime ad priora sæcula pertinent.

9 *Ex quibus omnibus satis constare existimo, sanctos martyres, quorum hac die celebratur memoria, diversos esse ab aliis homonymis, quæ variis diebus in Martyrologiis annuntiantur. Cæterum, ut ab initio monuimus, nihil, quod ad eorum acta pertineat, uspiam reperitur, ne apud Legendarios quidem ipsos, teste Petro de Natalibus, qui eorum mentionem rejecit in capitulum ultimum libri undecimi, in quod ita præfatur.* Plures sancti ultra supra positos existunt de quorum vita vel gestis nihil penitus potui invenire, nisi eorum solummodo nomina et dies festivitatum, et nihil ultra, nisi de paucis de quibus etiam loca in quibus passi sunt, vel sine Martyrio decesserunt, conscripta reperi ex Martyrologio videlicet Hieronymi, Usuardi vel Adonis. Et idcirco ut nihil eorum, quæ de sanctis invenire potui omittatur, in fine præsentis operis, hoc unico capitulo ea quæ de nominibus et diebus festivitatibus dictorum Sanctorum in prædicto libello conscripta sunt recolligere curavi. Reservata tamen mihi atque posteris potestate eorum gesta et passiones scribendi distinctius, si ea quandoque in futurum reperire contingat. Ad litteram tamen præmissa ut inveni subjiciam. *Deinde hæc habet :* Beronicus et Pelagia et alii quadraginta novem, in Antiochia Syriæ passi sunt XIV Kalendas Novembris. *Atque defectus ille monumentorum forte causa fuit, quæ plures induxerit Martyrologos in confusionem illam nominum, de qua diximus. Nihil itaque habetur nec de modo, nec de natura Martyrii, nec de tempore, quo illud contigit. Cum tamen in antiquissimo quoque Martyrologio reperiatur eorum memoria; dubitari non potest, quin prioribus ecclesiæ sæculis passi sint. Præterea hæc ipsa memoria argumento est, cultum eorum esse pariter antiquissimum.*

B

DE SS. MARTYRIBUS ÆGYPTIIS

E

VARO MILITE ET SOCIIS EJUS EREMITIS,

ET DE B. CLEOPATRA VIDUA,

EJUSQUE FILIO CONFESSORE, IN PALÆSTINA.

E. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Martyrum annuntiatio in fastis sacris. Passi sunt sub Galerio Maximiano.

CIRCA AN. CCCVII.

S. Varum fasti græci et latini annuntiant

C I*n Martyrologio Romano ad* XIX *Octobris post SS. Martyres Ptolemæum et Lucium, Beronicum et Pelagiam cum sociis, tertio loco annuntiatur S. Varus in hunc modum :* In Ægypto Sancti Vari militis, qui sub Maximino imperatore, dum sanctos septem monachos, in carcere detentos, visitaret atque reficeret, uno ex ipsis defuncto, in ejus locum subrogari voluit, et cum illis sævissima passus, Martyrii palmam adeptus est. *Utrum S. Varus sub Maximino, an vero sub Galerio Maximiano passus sit, num ejus socii vere monachi fuerint, et num ille cujus loco est passus, in ipso carcere obierit, infra examinandum erit. Porro annuntiationem illam de S. Varo deduxit Baronius, ut in Notationibus monet, ex Menologio Græcorum, quo nomine designat Menologium Sirleti Ms. quod ab Henrico Canisio postmodum in Lectionibus antiquis vulgatum est. In hoc itaque Menologio ad diem* XIX *Octobris S. Varo et sociis sequens obtingit elogium* (1) : Commemoratio B. Martyris Vari qui fuit sub Maximiano imperatore, militans apud Ægyptum, claris et piis ortus parentibus : cumque septem viri sancti multo tempore christianæ fidei causa in carcere detinerentur, Sanctus Varus quotidie illorum curam gerebat; e quorum numero cum unus obiisset, ipse pro illo numerari voluit. Itaque ad judicem cum reliquis ductus, vectibus graviter verberatus ac laniatus, in ipsis cruciatibus in horam quintam extensus, beatam animam Deo reddidit. F

2 *Menæa Græcorum, ex quibus Sirletum suum Menologium latine conscriptum collegisse non immerito asseruit Papebrochius* (2), *referunt S.* Varum *cum sociis similiter ad diem* XIX *Octobris :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, μνήμη τοῦ ἁγίου μάρτυρος Οὐάρου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ : Eadem die (XIX *Octobris)* memoria sancti Martyris Vari et sociorum ejus.

Στίχοι· Ξεσμοὺς ἀπείρους καρτεροῦντος Οὐάρου,
Σατὰν πλάνης ἔξαρχος, οὐαί μοι, λέγει.

Dum laniatus intolerabiles Varus fortiter sustinet,
Satan, erroris princeps : Væ mihi, clamat.

Sequitur dein Synaxarium, seu compendium Actorum S. Vari, sed quum ad litteram repræsentetur in Sirleti versione, numero præcedenti relata, illud hic græce proferre supersedemus. Menæis in assignando die cultus S. Vari et sociorum consentiunt fasti plerique omnes præter Menologium Basilianum, in quo hæc in laudem Martyrum nostrorum, paulo explicatius quam in Menæis, occurrunt : Eodem die

(1) Ap. Canisium. Lect. Antiq. Edit. Basnagii, t. III. p. 410. —
(2) T. II April., p. 4, n. 5; cfr t. I Martii, p. 862, t. III Martii, p. 443, n. 4, et t. I Augustini, p. 168*.

E. C.

(xxv *Octobris)* certamen S. Martyris Vari et sanctorum septem sociorum. Sanctus Martyr Varus, Maximiano imperatore, in Ægypto militans et pietate insignis, cum sancti quidam viri ex montium specubus, in quibus diu latuerant, extracti, in vincula ob Christi fidem essent conjecti, carcerem ingressus, solutos catenis sanctos multa benignitate prosecutus est. Cui illi auctores fuerunt, ut, absterso animi metu, aperte et palam Christum coleret. Cum igitur unus illorum septem in carcere obiisset, in defuncti locnm S. Varus se substituit. Quod ubi rescivit præfectus, adductum in conspectum suum Varum una cum reliquis, et palam Christum confessum, virgis cædi jussit, et suspensum in lateribus dilaniari. Similiter et sex reliqui Sancti in sublime arrepti, ferreis ungulis depexi sunt, virgisque per quinque horas percussi, donec spiritum Domino tradidere.

ad XIX *Octobris,*

3 *Ad diem autem cultus quod attinet, nullos fastos vidi qui B.* Varum *cum Menologio Basilii ad* XXV *Octobris referant, nisi Slavicos quosdam, quorum clausula, ex prædicto forte Menologio desumpta, apud Assemanum* (1) *legitur :* Varus martyr et septem socii. *Reliqui omnes S.* Varo *assignant diem*
B
XIX *ejusdem mensis, neque soli fasti, sed item collectio hagiographica, quam medio circiter decimo sæculo Symeon Metaphrastes Cpoli vulgavit, idque tam in vetustissimis exemplaribus, quæ Parisiis* (2), *Vindobonæ* (3), *Venetiis* (4) *asservantur, quam in recentioribus. Ex Metaphraste Acta S.* Vari *ad* XIX *Octobris dedit Surius in Vitis Sanctorum et post hunc ad eumdem diem illum Molanus annuntiat in Usuardi editione secunda* (5) *et sequentibus. Ante Metaphrasten jam illo die S.* Varum *fastis adscriptum fuisse colligitur, tum ex ipso Metaphraste, qui dies cultus, quos constitutos reperit, non immutavit, tum ex consensu Menologiorum brevium, etiam valde antiquorum, quæ in codicibus Evangeliorum frequenter occurrunt et sola nomina Sanctorum consignant, cum indicatione Evangelii in eorum die festo recitandi. Exemplo sit Menologium Hierosolymis in Monte Sancto, sæculo decimo, ut pronuntiat editor Scholzius* (6), *conscriptum, in quo ad* XIX *Octobris sic legitur :* Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Οὐάρου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ : Sancti Martyris Vari et sociorum. *Hoc etiam die memoratur in Typico S. Sabæ, ut ex decessorum notis colligo, in Menologio Ruthenorum diœcesis Kjoviensis a Georgio David, missionario*
C
S. J. Moscuæ residente, anno 1688 *ad decessores misso, demum in Menologio Slavo-Russico, quo Baro de Sparwenfeld circa idem tempus musæum Bollandianum donavit. Atque his omnibus consentit nuperum Kalendarium græco-catholicum ad usum monachorum Ord. S. Basilii ritus Italo-græci, quod anno* 1845 *Romæ typis Congreg. de propag. fide excusum est.*

S. Varus *in Actis*

4 *Ex fastis, si inter se et cum Actis conferantur, assurgunt difficultates tres præcipuæ, ut initio hujus* § *dictum ; has itaque jam ex ordine tractandas suscipimus. Primo inquirendum sub quo imperatore S.* Varus *passus sit et quo anno id contigerit. In Menæis et in Menologio Basilii fertur sub Maximiano Martyrium consecutus, sed quum Græci sæpe Maximianum pro Maximino scribant, res prius examinanda est. Baronius, ut vidimus, substituit Maximinum (supra num.* 1), *qua in re eum Tillemontius secutus est* (7). *Verum Acta, quæ edimus,* D
clare loquuntur (num. 1) : In diebus Maximiani, qui Diocletiani gener fuit. *Hæc soli Galerio Maximiano conveniunt, qui anno* 292 *Cæsar creatus, uxorem duxit Valeriam Diocletiani filiam* (8), *et ab antiquis scriptoribus sæpe uno nomine Maximianus dictus est* (9). *Symeon Metaphrastes, qui Acta nostra, ut infra uberius dicetur, elegantiori calamo retractavit, subdubitans fortasse num accurata esset anonymi assertio de cognatione cum Diocletiano, solum nudumque nomen Maximiani retinuit :* Μαξιμιανοῦ τοῦ τυράννου τὸ δυσσεβὲς ἀνὰ πᾶσαν σχεδὸν τὴν οἰκουμένην ἐκδόντος διάταγμα, πέμψαντος δὲ καὶ τοῖς κατ' Αἴγυπτον ἄρχουσιν.... Cum Maximianus tyrannus per universam fere terram edidisset edictum, illudque ad præsides etiam qui in Ægypto erant misisset *etc. Attamen Metaphrastes Actis vetustioribus non contradixit, tum quia Galerius Maximianus, uti dictum est, non raro posteriori solum appellatione obvius est, tum etiam quia Maximianus alter plerumque prodit cognomine Herculii insignitus, fuitque notissimum Occidentis imperium, non vero Orientis eum tenuisse. Denique nec Maximinum, qui ab anno* 305 *ut Cæsar, et ab anno* 307 *vel* 308 (10) *ut Augustus et imperator Syriam et* E
Ægyptum gubernavit, designare potuit, siquidem scribit Maximiani illius edictum per universam fere terram editum fuisse : hæc enim soli Galerio Maximiano, qui anno 303 *Diocletiano auctor fuit ut persecutionem inchoaret, et plura continenter edicta in Christianos ferret, convenire possunt. Attamen Baronius, cui sola Acta Metaphrastica innotuerant, cum aliunde non ignoraret a Græcis Maximianum sæpe pro Maximino dici, Galerium vero Maximianum in Ægypto numquam per se imperasse, sed per Cæsarem Maximinum, jure aliquo huic illum substituendum esse credidit. Sed ex quo expressam adeo Actorum nostrorum designationem nacti sumus, (quum ea facile possit admitti), solum remanet, ut quomodo sit intelligenda, et quibus fulciatur rationibus, breviter explicetur.*

recte sub Galerio Maximiano passus dicitur.

5 *Martyres, qui in Oriente, id est in Ægypto et Syria vicinisque regionibus* (11), *decima sæviente persecutione passi sunt, duplici ratione sub Galerio Maximiano consecuti esse martyrii palmam dici queunt. Primo quidem sensu latiori, quia persecutio ab eo suscitata est* (12), *eaque durante eadem edicta semper retenta* (13), *ipseque ab anno* 305 *ad annum* F
308 *in Ægypto et Syria supremum dominatum, ut imperator obtinuit* (14); *quinimo dum anno* 307 *exeunte, aut initio sequentis* (15), *Maximinus Augustus et imperator renuntiatus est, non tale imperium consecutus est, ut in Oriente Galerio tamquam seniori Augusto non aliqua potestas et auctoritas obtingeret : quod ex utroque Victore* (16) *et ex Eusebio* (17) *manifestum est. Non igitur illico culpanda Acta, quæ Martyres illarum regionum, in quibus Maximinus dominatus est, sub Galerio Maximiano passos ferrent. Altera tamen ratio accuratior est, qua id de illis tantum dicatur, qui antequam Maximinus Augustum se declarasset, id est ante annum* 308, *martyres facti sunt. Ut itaque paucis plura complectamur, qui in Oriente ante mensem Maium anni* 305, *quo Galerius Diocletianum imperio cedere compulit, passi sunt, rectius quidem sub Diocletiano, tamen non immerito etiam sub Galerio passi dicen-*

(1) Kalendaria Ecclesiæ, t. V, p. 319.—(2) Manuscr. de la biblioth. du roi, Paris 1740, t. II cod. 1480, 1484, 1495, etc. — (3) Lambecius. Comment. Edit. Kollarii. t. VIII, col. 537 et seqq. cod. 16, 17 18.— (4) Biblioth. D. Marci Venet. cod. 352.—(5) Usuardi Martyrologium, Lovanii 1573. folio 176.- (6) De Menologiis etc. Bonnæ 1823.—(7) Mémoires, t. V, Part. III, p. 103. Bruxell. 1707.—(8) Cfr Pagius ad an. 292, n. 2. — (9) Cfr Lactant. de mort. persec. cap. IX et passim : t. III April., p. 484, n. 5 et seqq. ; et ad calcem Tomi, p. LXI, etc. —

(10) Pagius ad an. 307, n. 23 : Tillemont, Hist. des Emp., Paris, 1697. t. IV, p. 107.—(11) Cfr Tillemont, loc. cit., p. 88. Euseb. hist. eccles., lib. IX, cap. 1. Taurini 1746, p. 387, cum not. *a* : Lactant. de mort. pers., cap. XIX. Paris 1748, t. II, p. 210.— (12) Euseb., lib. VIII, cap. ult., p. 355.—(13) Euseb., lib. IX, cap. X, p. 403. — (14) Pagius ad an. 307, n. 17 et 23 : Tillemont, Hist. des Emp., t. V, p. 107.—(15) Ibid., loc. cit.—(16) Ap. Pagium ad an. 314, n. 12.— (17) Lib. IX, cap. 1, loc. cit., p. 387 et de Mart. Pal. cap. III, p. 362 c.

tur,

tur; itemque, qui ab anno 308 *usque ad mortem Galerii in Ægypto et Syria, ubi Maximinus imperavit, passi feruntur, rectius ad Maximinum, sed nec immerito ad Galerium referes; denique qui ibidem a Maio mense anni* 305 *ad annum* 308 *martyrium obtinuerunt, tam ad Galerium quam ad Maximinum referri possunt.*

passus dicitur

6 *Non itaque mirum videri debet, si ex his apud hagiographos antiquos aliqua confusio orta sit, iique persecutorum unum sæpe pro altero posuerint. Sic Prudentius in hymno de S. Romano, qui* XVII *Novembris anni* 303, *cum adhuc Cæsar sub Diocletiano Galerius esset, Antiochiæ martyrium subiit, hæc scripsit inter alia* (1) :

Galerius orbis forte Romani statum
Ductor regebat, ut refert antiquitas,
Immitis, atrox, asper, implacabilis :
Edicta late mundum in omnem miserat,
Christum negaret, quisquis mallet vivere.

Prudentium excusat Ruinartius (2), *adducta Valesii sententia, qui censet anno* 303, *dum Romanus pateretur, Galerium Antiochiæ versatum esse. Sed Prudentius, et alii qui ita scripserunt, hac excusatione non indigent, nisi aperte scripserint Galerium ante annum* 305 *non Cæsarem solum, sed Augustum jam et imperatorem fuisse* (3). *Præterea nec id ipsum in defensionem Prudentii afferri potest; quod contra Valesium et qui eum secuti sunt* (4) *sic adstruo. Diserte scribit Eusebius Romanum Martyrem Antiochiæ coram ipso* imperatore *comparuisse* (5) : Cum ministri, qui rogum accensuri erant, imperatoris (τοῦ βασιλέως) tum forte præsentis judicium exspectarent : Ubinam, inquit, mihi ignis? Quibus dictis, accitus coram imperatore sistitur *etc. Atqui anno primo persecutionis* (6), *seu Christi* 303, *quo Romanus passus est, Galerius Cæsar quidem sub Diocletiano imperatore, sed imperator nondum erat, quemadmodum ipse Eusebius alio loco notavit* (7). *Insuper Eusebius post locum quem recitavimus, paucis versibus interjectis, scribit de eodem Romano Martyre* (8) : Post quod supplicium contrusus in carcerem, ac diutissime ibidem maceratus, tandem cum imperii vicennalia jam adessent et ex solemni more *etc. Quo loco de Diocletiani vicennalibus agi, qui anno* 284 *electus est imperator, quemque ex Lactantio, mense Novembri anno* 303 *Romæ vicennalia celebrasse constat, nemo umquam dubitavit. Sed cum Eusebius ibi scribat Romanum, postquam coram imperatore comparuit,* diutissime *fuisse maceratum, et distinctius in Libris de Resurrectione* (9), multis mensibus in carcere constitutum *fuisse; quidni Diocletianus per illos* multos menses *Antiochia Romam ire potuit, ibique mense Novembri, dum Romanus Antiochiæ martyrium, diu dilatum, tandem consequebatur, vicennalia celebrare? Diocletianus igitur, non vero Galerius* (10), *currente anno* 303 *Antiochiæ fuit, et hunc ibi tum versatum esse jam in defensionem Prudentii afferri nequit. Nec primo cum Valesio* (11) *objici potest Diocletianum anno* 303 *tamdiu Nicomediæ versatum esse, ut Antiochiæ (quæ non plus quam sexdecim dierum itinere a Nicomedia distat) primis suppliciis, quibus S. Romanus affectus est, interesse non potuerit; cum, ex quo Lanctantii liber detectus est, id jam admittere non cogamur* (12). *Nec secundo dici potest cum Steph. Evodio Assemano* (13), *Diocletianum anno* 303 *Antiochiæ vicennalia celebrasse et Romæ solum anno* 304; *quandoquidem prorsus oppositum docet locus Lactantii, ad quem Assemanus non advertit* (14) : Diocletianus... perrexit statim Romam, ut illic vicennalium diem celebraret, qui erat futurus a. d. duodecimum Calendas Decembris (xx Novembris). Quibus solemnibus celebratis... prorupit ex urbe, impendentibus Calendis Januariis, quibus illi nonus consulatus deferabatur. Tredecim dies tolerare non potuit, ut Romæ potius quam Ravennæ procederet consul. *Porro hunc nonum consulatum chronologi unanimi calculo, mense Januario anni* 304 *inchoatum statuunt* (15). *Ergo anno* 303, *non vero* 304, *Romæ sua vicennalia Diocletianus celebravit. Atque hæc sufficiant ad conciliandum Eusebium cum Lactantio, et ad defendendum tum Prudentium, tum Acta nostra, et alia quæcumque, in quibus Diocletiani persecutio, ejusque edicta Galerio tribuerentur.*

7 *Superest ut quæramus num ipse annus, quo* S. Varus *passus sit, definiri possit. Ex iis quæ in Actis tum nostris, tum Metaphrasticis initio leguntur, pronum esset conjicere non diu post edictum, quod anno* 304 (16) *in omnes Christianos latum est,* S. Varum *martyrium subiisse; et hæc fortasse causa est, cur in Horologio Magno Græcorum, quod anno* 1845 *typis Venetis excusum est, S.* Varus *dicto anno passus legatur* : Οὗτος ἤθλησεν ἐπὶ Μαξιμιανοῦ ἐν ἔτει 304 : Iste passus est sub Maximiano anno 304. *circa an.* 307 *Certe ante illum annum ei martyrium obtigisse non dicemus; sed ut id paulo serius factum dicamus, suadent quæ in Actis nostris scribuntur de filio B.* Cleopatræ, *quæ corpus S.* Vari *post ejus martyrium abstulit et abscondit. Narratur scilicet eum tum fuisse annorum duodecim (num.* 10), *et dein, intercedente* tempore non exiguo persecutionem in Christianos quievisse *(num* 11), *et corpus S.* Vari *in Palæstinam fuisse translatum : quo loco, ita de eodem filio sermo instituitur, ut pateat cum etiam tunc valde juvenem fuisse. Unde Menæa, infra adducenda, eum alicubi filiolum vocant, Moschi vero in suis Ephemeridibus figuratis, ut item infra dicetur, eumdem ut puerum juxta matrem depingunt. Quod si S* Varum *anno* 304 *passum dicamus, cum persecutio ante annum* 313 *non quieverit, dicendum erit* Cleopatræ *filium, qui tempore martyrii annorum duodecim erat, anno* 313 *ad annum ætatis saltem vigesimum pertigisse. Serius itaque illud martyrium contigit, verum ut ad ultimos annos persecutionis non differatur, sed referatur potius ad tempus medium, duo in Actis videntur requirere. Primo quidem, quod nova illa supplicia, quæ sub specie humanitatis et clementiæ, ab initio anni* 308 *in usu esse cœperunt, nempe oculi dextri effossio, sinistri poplitis adustio et damnatio ad metalla* (17), *in Actis nostris non memorentur, sed ordinaria illa quæ ante illum annum usurpabantur, et ab Eusebio* (18) *et S. Philea Thmuita* (19) *descripta sunt. Deinde narratur de filio* Cleopatræ *(num.* 12), *cujus genitor miles fuit, cum in patriam rediisset, eum militiæ fuisse adscriptum et vestem militarem adeptum. Porro novimus, ex antiquitatum Romanarum peritis, ætatem militarem apud Romanos fuisse annum decimum septimum, ut itaque annis quinque circiter, post Martyrium S.* Vari, *B.* Cleopatra *in Palæsti-*

(1) Edit. Arevalo, p. 1066.—(2) Acta Martyrum, Veronæ, p. 279.—(3) Cfr Arevalo, col. 1063. — (4) Ruinart, loc. cit.; Tillemont, Hist. des Emp., t. IV, p. 45. — (5) Euseb. De Martyribus Pal., cap. II, p. 360.—(6) Ibid., p. 361.—(7) De vita Constant., lib. I, cap. 18, p. 353. —(8) P. 361.—(9) Opera Sirmondi. Paris. 1696, t. I, col. 69. — (10) In not. ad Euseb. de Pal., cap. II, p. 360, not. b. — (11) Cfr Tillemont, Hist. des Emp., t. IV, p. 608, note 16 et p. 47. — (12) Lactant., cap. XII et seqq.; cfr Tillemont, Mém., t. V, part. I, not. 7, p. 317.—(13) Acta Martyr. Oriental., part. III, p. 175. — (14) Lactant., cap. 17, p. 201.—(15) Cfr Pagius ad an. 304, n. 1; Tillemont, Hist. des Emp., t. IV, p. 49; Baluz. in not. ad Lactant., p. 301, edit. 1748.—(16) Euseb. de Mart. Palæst., cap. III, p. 361; cfr Tillemont, Mem., t. V, part. I, p. 735, not. 20.—(17) Euseb., Hist., lib. VIII, cap. 12, p. 314; de Mart. Pal., cap. VIII, p. 368; Lactant., cap. XXXVI, p. 232. — (18) Lib. VIII, cap. VIII, p. 358. — (19) Ibid., cap. X, p. 341; cfr Acta, n. 1, 7 et seqq.

E. C.

nam redierit, et sic ipsum martyrium quinquennio ante pacem ecclesiæ redditam, id est circa annum 307 *evenisse dicendum sit.*

Socii S. Vari

8 *Jam de Sociis. Eos* monachos *a Baronio vocari non placebit omnibus. Et quidem in Actis nude dicuntur* in eremo solitarii vixisse et a triginta annis versati inter feras et reptilia *(num.* 2 *et* 3). *Nec in Menologio Sirleti monachi sunt dicti (supra num.* 1), *verum Baronius ex Actis Metaphrasticis, apud Lipomanum et Surium editis, ut in notatione ad* XIX *Octobris indicat, id deduxisse videtur. Hæc itaque ibidem subdit :* Complures monachos sub Maximino martyrio coronatos esse, non tantum ex Martyrologiis et Menologiis expressum habes, sed apud Eusebium hist. lib. 8. Porro ipsum monachorum institutum non recens, sed ab initio nascentis ecclesiæ viguisse ex his quæ scribit Philo de Essæis *(sive de Therapeutis)* et quæ habet Dionysius Areopagita et alii, facile colliges, licet nomen ipsum non adeo vetus fuerit. Unde Augustinus in Joannem Tract. 97 sic ait (1) : Monasteria et Xenodochia postea sunt appellata novis nominibus, res autem ipsæ ante sua nomina erant. *Huic sententiæ, dempto Areopagitæ testimonio (de cujus* B *antiquitate varia sententia est), tuto subscribi posse censemus, hoc pacto scilicet, ut, nisi contendamus S. Antonium ejusque discipulos monachos non fuisse, a Baronio dissentire non possimus. Etenim ante S. Antonium et S. Hilarionem, hujus instituti sectatores plerumque nec monachi, nec anachoretæ sunt dicti, sed ab Eusebio aliisque passim ascetæ aut philosophi vocantur* (2). *Hos ascetas si indiscriminatim neges monachos fuisse, quia cœnobitæ non fuerunt, similiter de S. Antonio ejusque discipulis anachoretis id negare debebis: nam eremus monachum non facit, et præterea veteres ascetas aliquot eremitas fuisse, dubitari non potest* (3). *Imo de S. Hilarione etiam et de S. Aone sive Eugenio, quorum prior in Palæstina* (4), *alter in Mesopotamia prope Nisibim* (5) *monasteria condidit, id pariter negare debebis. Uterque enim S. Antonii discipuli fuerunt, et Lauras potius quam cœnobia condidere : quos omnes si monachos appellare detrectaveris, contra te stabit tota antiquitas. Profecto S. Athanasius non S. Antonium solum ejusque discipulos monachos vocavit, sed ascetas etiam, qui ante S. Antonium in Ægypto floruerant :* Nondum enim, *inquit* (6), *(dum S. Antonius eremum ingressus est)* tam crebra erant in C Ægypto monasteria, neque ullus omnino monachus noverat vastam eremum ; sed quisquis sibi vacare cuperet, is haud procul a suo vico solitarie se exercebat. *Licet autem in Ægypto ante S. Antonium ascetæ jam monachi dicti sint, alibi tamèn diu post eum, pristinum nomen perstitit : quod ex Basilio et Gregorio Nasianzeno facile conficitur* (7), *itemque ex canonibus synodi Gangrensis, quæ inter annum* 362 *et* 370 *habita est, ut Ballerinii fratres demonstrarunt* (8).

non immerito monachi sunt dicti.

9 *Sed ut ad S.* Vari *Socios jam redeamus, ex S. Athanasii verbis, Baronius eos recte monachos vocavit, quos etiam Menologium Basilianum loco supra adducto (num.* 2) ὁσίους *nuncupat ; etenim Græci hanc appellationem sanctis monachis communiter reservant. Attamen non facile fors admittetur eosdem per annos triginta in eremo versatos esse, ut in Actis scribitur (num.* 3), *propter S. Athanasii locum modo laudatum : sed a S. Hieronymo* (9) *et* D *a scriptore Vitæ S. Pachomii* (10) *nonnullæ exceptiones statuuntur. Fuerit itaque ante S. Antonium talis secessus in eremum Ægyptiacam rarissimus ; Actis tamen fidem servemus.*

Unus ex septem in eremo mortuus videtur.

10 *Restat ultima difficultas, quam initio hujus* §, *ex comparatione fastorum cum Actis exsurgere diximus. In Menologio Basiliano unus ex septem eremitis in ipso carcere obiisse asseritur et id idem in Menologio Sirleti, indeque in Martyrologio Romano satis clare exprimitur ; verum huic asserto contradicunt Acta, tum nostra, tum quæ ex nostris Symeon Metaphrastes adornavit.* Erant autem sex numero, *inquiunt priora (num.* 3) ; nam septem quidem fuerant, dum in deserto vivebant segreges... Sed unus in deserto obierat. *Et iterum num.* 4, *sex præsentes sic a præside interrogantur :* Ubi est alius septimus ex vobis, qui maxime quæritur? *Fuit ergo quæsitus septimus, sed non inventus ; in carcere itaque obire non potuit.*

§ II. De B. Cleopatra, quæ corpus S. Vari ex Ægypto in Palæstinam transtulit. De reliquiis S. Vari et de Actis edendis. E

B. Cleopatra, aliquot hagiographis olim ignota.

In *Actis nostris, postquam martyrium S.* Vari *narratum est, locum amplum obtinent gesta B.* Cleopatræ *Viduæ, quæ corpus S.* Vari *auferri et in domo sua abscondi jussit, donec, pace Ecclesiæ reddita, illud ad Palæstinam, ex qua oriunda erat, transtulit. Hæc* Cleopatra *repræsentatur cum filio suo, ad* XX *Octobris, in Ephemeridibus Moschorum effigiatis, a Papebrochio editis ante tomum primum Maii. De hac effigie sic Papebrochius* (11) : Cleopatra, sanctimonialis *(ut ex habitu conjectat).* Suum ante se filiolum nobiliter vestitum hic habet, sed quæ sit et cujus, necdum comperi, ac ne aliquam ejus nominis Sanctam in hactenus visis Græcorum fastis. Quid autem si martyrium fecerit sub Batyro Russiæ tyranno et indigena sit? *Nec plus de B.* Cleopatra *noverat Ignatius Kulczinski, Ordinis S. Basilii, qui in specimine ecclesiæ Ruthenicæ anno* 1733 *Romæ edito, adjecit Animadversiones in Ephemerides Moschorum figuratas Actis Sanctorum insertas : ibi enim ad diem* XX *Octobris* (12) *sic scribit :* F De hac Sancta Cleopatra nihil invenio in meis libris : sed laudo conjecturam Papebrochii, ipsam forsan passam martyrium cum prole, non sub Batyro, sed sub Batto Tartarorum tyranno, qui deprædatus est Russiam ann. 1241 et sequent. *Desideratur B.* Cleopatræ *effigies apud Assemanum in Tabulis Capponianis* (13), *sed abs re non erit proferre, quid idem de ea, quæ apud Papebrochium expressa est, commentetur :* Pictura, *inquit,* repræsentat Cleopatram cum corona virginea in capite, habitu sanctimonialium, crucem manu dextera tenentem, sinistra expansa ; ante se habentem filiolum nobiliter indutum, cruciculam etiam manu tenentem. Eodem ac Cleopatra habitu depictæ cernuntur *(apud Papebrochium)* hoc eodem mense die XXVIII Neonilla et Parascevia ; die XXIX Anastasia ; die XXX Zenobia ; mense Julio die XII Euphemia ;

(1) Edit. Maurin, t. III, part. II, col. 738. — (2) Euseb. Hist., lib. II, cap. XVII, p. 60, lib. VII, cap. XXXII, p. 326 etc.; cfr Examen historicum et canonicum libri de regularium et sæcularium juribus. Bruxellis 1847, p. [illegible] et seqq. — (3) Euseb. Hist., lib. VI, cap. IX de Narcisso, p. 232 ; cfr Examen historic., p. 59. — (4) Opera S. Hieronymi edit. 1565, t. I, p. 246 et seq. — (5) Assemani, Biblioth. Orient., t. III, part. II, p. 864 et seq. — (6) Opp. edit. 1627, t. I, p. 453. — (7) Ap. Antonellum, Opp. S. Jacobi Nisib., p. 118 et seqq. — (8) Append ad Opp. S. Leonis, p. XXV ; cfr Opp. S. Basilii, edit. 1730, t. III, p. LII, col. 2, c ; et Lequien. Oriens Christ., t. I, col. 371. — (9) In Vita S. Pauli eremitæ. — (10) Act. SS., t. III Maii, p. 296, n. I et cfr ibid. not. g. — (11) T. I Maii, p. XLVIII. — (12) Part. I, p. 54. — (13) Kalendar. a Eccles., t. V, p. 310.

A die xv Julitta cum filio Cyrico; die xxii Maria; die xxv Anna. E quibus nonnullæ moniales, uti Parasceva; aliæ Virgines et Martyres uti Neonilla, Anastasia, Euphemia, aliæ nec Virgines nec Martyres, nec sanctimoniales, uti Anna mater Deiparæ, Julitta et Maria Magdalena. Igitur ex habitu quem Cleopatra gestat, nihil certi posse colligi videtur, utrum monialis fuerit, an Martyr.

ex Actis innotescit.

12 *Ex Actis nostris evanescunt omnes illæ dubitationes et conjecturæ de B.* Cleopatra *ejusque filio. Græci sæpissime, dum Sanctum aliquem colunt, Sanctos alios minus notos, quorum in ejusdem Actis fit mentio, remittunt ad diem sequentem. Sic cum in Ephemeridibus Papebrochii* (1), *uti in Tabulis Capponianis* (2), *S.* Varus *ad* xix *Octobris repræsentatus fuerit, habitu militari et manu crucem gerens, Ephemerides B.* Cleopatram *cum filio, referunt ad diem sequentem. De* Cleopatra *vero confirmatur conclusio Assemani, ex habitu colligi non posse utrum monialis, an vero martyr fuerit. Nam martyr certe non fuit, sed ideo jure aliquo ipsam et filium crucem manu tenentes depingere licuit, quod erga martyrem S.* Varum *devotissimi exstitere. Quare vero habitu monastico depingatur, docent Acta nostra, numero ultimo :* B Paravit igitur convivium magnum et ministravit discumbentibus cum lætitia magna et alacritate, et die sequenti, dimissis turbis, sequestravit se in martyrio *(seu in Ecclesia, in qua corpus S.* Vari *depositum erat)*, et erat ibi ministerio orationum vacans continuo et invocans Dominum. *Verum Metaphrastes hæc paulisper adornat, nisi quid aliunde didicerit, quod non est verisimile :* Deinde etiam, *inquit* (3), cum mysticum curasset peragendum sacrificium, in quo eam oportebat initiari, ad lautam invitat cœnam eos, qui sacrorum hymnorum fuerant cum ea participes. Deinde cum sic mundum valere jussisset, et in thesauros qui non possunt eripi, in pauperum, inquam, ventres, omnes suas contulisset divitias, et se tenui induisset tunica, sepulcro ministrabat Martyris; et sic jejuniis vacans et orationibus, *etc. Ex quibus verbis mirum non est B.* Cleopatram *a pictore Moscho ut monialem habitam fuisse.*

Ejus cultus ex Actis et Ephemeridibus Moschis,

13 *Eamdem autem simul cum S.* Varo *et cum filio suo fuisse cultam, non ex solis Ephemeridibus Moschis conficitur, sed multo magis ex Actis, in quibus et* Beatæ *titulo insignitur et ejus memoriam celebrari diserte exprimitur. Locus græce infra in* C *Actis legi potest (num. 19), latine vero eum sic interpretamur :* Elapsis annis septem obiit B. Cleopatra et sepulta est juxta eos *(S.* Varum *et proprium filium)* in martyrio : quibuscum et vobis *(forte* nobis*)* partem det Dominus, sicut et omnibus qui congregati sunt ad memoriam eorum *(nempe S.* Vari, *B.* Cleopatræ *ejusque filii)* celebrandam. *Ex quibus postremis verbis patet hæc Acta scripta fuisse, ut in eorum die festo recitarentur. Cum itaque eodem die olim cum S.* Varo *culti fuerint* Cleopatra *et filius, et fere omnia quæ ad eos spectant ex Actis ejusdem Martyris sint depromenda, hic merito congerimus quæcumque de iisdem innotuerunt; ad diem vero sequentem, quando in Ephemeridibus Moschis occurrunt, recensebuntur solum inter* Prætermissos *et in alium diem relatos. Restat ut quædam de B.* Cleopatra *proferamus ex Menæis, ubi in officio S.* Vari *inter Versus prosomœos, sive similares, versu tertio hæc habentur, ex græco latine versa.*

ac laudes ex Menæis.

14 Mirabilis Cleopatra, cum aromatibus unxisset te, S. Vare, sub terra deposuit et ædem sacram exstruxit, mirificam agens festivitatem et multa cum fiducia te deprecans; cujus filiolum spiritali militiæ adscripsisti et decorasti gloria ac choris Sanctorum intulisti. *Dein in Canone, cujus auctor B. Josephus Hymnographus post vitam longævam anno* 883 *e vivis excessit* (4), *Ode* 7 : Splendentem certaminum decore, martyr illustris, Cleopatra te abstulit, gloriam nacta ex te in remunerationem scilicet fiduciæ, quam fervide erga te professa est, mentem exhibens perfectam. Cum lacrimas fudisset super te et pretiosis aromatibus te unxisset mulier omni veneratione digna, in terra abscondit te, qui ipse mentem pravam tumulo tradis et ex tumulo tuo nos collustras. Mulier æternum memoranda non cessavit tibi, Christi serve, sancte servire, donec procurator regni cœlorum ei exstitisti; cujus digna facta est per te cum amantissimo filio. *Ode* 8 : S. Martyr, tu precibus exauditis maternis, augustum illum puerum splendidæ cœlorum militiæ adscripsisti, et ostendisti eum ineffabili dilectione, gloriæ tuæ participem factum. Te ex Ægypto Cleopatra ceu thesaurum inæstimabilem extulit, qui locupletas Palæstinam omnem, tanta devotione te venerantem, sanationum divinis muneribus. B. C.

E

Nullæ reliquiæ S. Vari videntur olim Cpoli adfuisse

15 *Hujus Odæ Troparium tertium et Odas reliquas omittimus, siquidem ad solum S.* Varum *aut ejus Socios spectant et nihil docent quod aliunde non noverimus. Pauca solum in Ode nona et ultima de S.* Vari *reliquiis occurrunt, quæ latine versa sic sonant :* Ideo nos fideles laudamus te, qui ex lipsanis tuis copiose donum sanitatis haurimus... Divina virtute sanctificata est terra, in qua jacet fortissimum corpus tuum. *Ex iis quæ interjecta puncta præcedunt (nam posteriora ad Palæstinam referri, ex ultimo Tropario numeri proxime antecedentis indubium est) diceres Constantinopoli, ubi B. Josephus Canonum scriptor degebat, S.* Vari *lipsana quædam adfuisse. Similiter Chrysostomus homiliam habuit de Martyribus Ægyptiis* (5) *quorum reliquiæ ad civitatem, in qua prædicabat, devectæ fuerant, et censent eruditi verisimilius Cpoli quam Antiochiæ, dictam eam fuisse, siquidem in urbem imperialem frequentissime hujusmodi res sacræ transferebantur; fateor insuper in codice quodam Coisliniano* (6) *Bibliothecæ Parisinæ, eamdem homiliam exscriptam mihi occurrere post Acta S.* Vari. *Verum neque ex S. Josepho Hymnographo neque ex S. Joanne Chrysostomo certum argumentum deducere licet, quo probes reliquias aliquot S.* Vari *Constantinopoli delatas fuisse. Quod enim ad S. Chrysostomum attinet, nullum in hac homilia nomen Martyrum prodit, et quidem dicuntur illi, tergo et costis dilaceratis, ad metalla damnati : quod manifeste nostris, de quibus agimus, applicari non potest. Verba vero S. Josephi Hymnographi facile intelliguntur de fidelibus generatim, qui in Palestinam S. Martyris reliquias veneraturi undequaque confluunt. Præterea scriptores Actorum, noster nempe et Metaphrastes, nullam de translatis Constantinopolim reliquiis mentionem faciunt; quod si factum fuisset, sane Metaphrastes civis Cpolitanus id ignorare non poterat.* F

Acta nostra Metaphrasticis antiquiora sunt.

16 *Jam breviter de Actis dicendum, quæ nunc primum edimus, addita interpretatione latina. Ea scilicet anno* 1661, *dum Romæ versabantur, describi curarunt Henschenius et Papebrochius, ex codice Vaticano* 866. *Habemus quidem et illa Symeonis Metaphrastæ* (7), *quorum initium dedimus num.* 4, *et de quibus sæpe in hoc Commentario mentio incidit,*

(1) P. XLVIII. — (2) Kalendar., loc. cit., p. 308. — (3) Surius, t. V, edit. Colon. 1580, p. 953, cap. XIV. — (4) Acta SS., t. I April., p. 169. — (5) Edit. Montfaucon, t. II, col. 699. — (6) Montfaucon, Bibl. Coisliniana, cod. 110. — (7) Cfr Allatius, de Simeonibus, p. 127.

a. c. *dit: sed cum ex illorum collatione cum prioribus, manifestum sit Symeonem nostra præ oculis habuisse, eaque hinc inde contracta, nitidiori (uti consuevit) stylo adornasse, sola antiquiora typis mandamus. Factum enim nullum, quod in nostris desideretur, adjecit, uti comperiet quicumque interpretationem scriptionis Metaphrasticæ, quæ apud Surium ad* XIX *Octobris exhibetur, cum nostra conferre volet; ita methodum simul, qua Metaphrastes usus est in veterioribus actis adornandis, et de qua adeo in utramque partem disceptatum est* (1), *apprime perspectam habebit: ad quod etiam conferent quæ mox in Annotatis ad singula capita proferemus. Hæc Acta autem ideo Metaphrasticis antiquiora dicimus, quia quædam habent, quæ ex Metaphraste hauriri non potuerunt, ut ex Annotatis patebit; dein quia post Metaphrasten, qui summam existimationem apud Græcos consecutus est, nova Acta de iisdem* D *Martyribus confecta non sunt, nisi forte raræ quædam homiliæ ab oratoribus sacris in formam panegyrici dictæ. Tertio denique, quia Acta Metaphrastica maximam affinitatem habent cum nostris, et cum certum sit anonymum nostrum sua omnia ex Metaphraste haurire non potuisse, restat ut dicamus, quod supra jam enuntiatum est, ipsum Metaphrasten nostra in exemplar assumpsisse. Neque hic sistere lubet: si quis enim hæc Acta nostra comparare voluerit cum aliis probatissimis, v. g. SS. Tarachi, Probi et Andronici, quæ tomo V Octobris, excusa fuerunt, facile consentiet priorem partem haustam fuisse ex optimis monumentis; adeo ut hæc Acta inter sincerissima (post proconsularia seu præsidialia tamen) recensenda videantur.*

(1) Cfr Montfaucon, Palæographia græca, p. 269, 273, 275; Honoratus a S. Maria animadv. in regul. critic., t. I, p. 203 et seqq.

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ

B ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΣΥΝ ΑΥΤΩ.

MARTYRIUM

S. VARI ET SOCIORUM.

Ex cod. Vaticano 866, fol. 121 et seqq.

Caput I. Eremitis sex in carcerem conjectis, S. Varus in locum septimi, qui antequam caperetur, obierat, successit. Martyrium S. Vari.

Ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Μαξιμιανοῦ γαμβροῦ Διοκλητιανοῦ, ἀπεστάλη πρόσταγμα παρ' αὐτοῦ ἐν πάσῃ γῇ Αἰγύπτῳ τοῖς κατὰ Μητρόπολιν ἡγεμόσιν, ὥστε πάντας τοὺς χριστιανοὺς ἐπιθύειν τοῖς θεοῖς καὶ ἀπολύεσθαι, τοὺς δὲ ἀντιλέγοντας τοῖς προστάγμασι μετ' αἰκισμῶν καὶ βασάνων ποικίλων ξίφει καὶ πυρὶ ἀναιρεῖσθαι. Τοῦ δόγματος δὲ τουτοῦ καταλαβόντος, πάντες οἱ ἅγιοι ἔτρεχον ἐπὶ τὸν ἀγῶνα τῆς οὐρανίου κλήσεως· ἀνὴρ δέ τις τῶν ἐν Αἰγύπτῳ ἱδρυμένων ἀριθμῶν ἐτύγχανεν ὀνόματι Οὐάρος, τίμιος ἐν τῇ στρατιᾷ καὶ τῶν πρώτων εἷς, εὐσεβὴς δὲ καὶ φοβούμενος τὸν Κύριον ἐξ ὅλης καρδίας αὐτοῦ· ὃς κατὰ νύκτα κρυφέως ἠγείρετο καὶ προσέπιπτεν τοῖς ἐν τῇ φυλακῇ ἠσφαλισμένοις, καὶ τοῖς αἵμασιν αὐτῶν ἐσφράγιζεν αὐτοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τὰ στήθη· ἐφοβεῖτο γὰρ C ὁμολογῆσαι τὸν Χριστὸν φανερῶς, ἵνα μὴ κακῶς ἀπολεῖται· θανατὸς γὰρ αἴσχιστος ὥριστο κατὰ τῶν εὑρισκομένων ἐν τῇ πίστει ταύτῃ, ὧν οἱ μὲν τῷ πυρὶ κατακαίοντο, οἱ δὲ ἐν τοῖς λέβησιν ἐρρίπτοντο, ἄλλοι δὲ διαφόροις βασάνοις καὶ αἰκισμοῖς ἀνηλίσκοντο· μέθη γὰρ δεινὴ καὶ ἀχλὺς ἐπέκειτο τοῖς ἀνθρώποις, σκότος δὲ καὶ γνόφος εἶχεν τὰς ψυχὰς αὐτῶν, ὥστε μηδὲ τὸ σύμφορον κατανοεῖν.

2 Συλλεφθέντων δὲ τίνων ἁγίων ἀπὸ τῆς ἐρήμου, ἀπὸ χρόνου ἱκανοῦ ἀποδράντων τὴν ἐπιβουλὴν τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων, ἠγγέλθη τῷ ἄρχοντι ὅτι δὲ διδάσκαλοι τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως παρέστησαν καὶ ἔξω εισιν χειροπέδαις δεδεμένοι. Τότε περιχαρὴς γενόμενος ὁ ἀσεβέστατος ἡγεμὼν ἐκέλευσεν ἀσφαλισθέντας αὐτοὺς, προσαχθῆναι τῇ ἑξῆς καὶ ἑτοιμασθῆναι τὰς στρεβλώσεις, καὶ τὸ ξύλον. Παραδοθέντες οὖν τοῖς δημίοις ἐνεβλήθησαν ἐν τῇ ἐσωτέρᾳ φυλακῇ, οἱ δὲ καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν εἰς τὸ ξύλον ἠσφαλίσαντο. Οὐάρος δὲ, γνοὺς ὅτι ἐν πολλῇ ἀνάγκῃ εισιν οἱ περίφημοι ἅγιοι, χρήματα τοῖς φυλάσσουσι δέδωκεν, καὶ εἰσελθὼν νυκτὸς ἔλυσεν αὐτῶν τὰς ἁλύσεις, καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν ἀφῆκεν ἐκ τοῦ ξύλου καὶ

In diebus Maximiani, qui Diocletiani gener *a* fuit, emissum est edictum *b* ab ipso in omnem Ægyptum, ad eos directum qui in metropoli *c* præerant, ut scilicet Christiani omnes diis sacrificarent; id si facerent, illico liberarentur, si vero edictis contradicerent, post flagella aliaque tormenta interficerentur gladio et igne. Quum edictum illud innotuisset, omnes Sancti currebant ad certamen, ad quod eos cœlum vocabat *d*. In cohortibus vero militum, quæ in Ægypto versabantur, vir erat nomine Varus, in exercitu honoratus et ex primoribus unus, pietate vero conspicuus ac timens Dominum ex toto corde suo. Qui surgens de nocte F provolvebatur ante eos, qui in carcerem detrusi fuerant et eorum sanguine oculos et pectus suum signabat *e*. Verebatur enim confiteri Christum publice, ne male periret, siquidem in eos, qui in hac fide deprehendebantur, mors turpissima decreta erat; quorum alii igne comburebantur, alii projiciebantur in lebetas, alii denique diversis tormentis ac suppliciis consumebantur Etenim gravis stupor et caligo incubuerat hominibus, et tenebris obvolvebantur animæ eorum, ita ut quid sibi salutare esset, ne cogitarent quidem.

In persecutione Galerii Maximiani

a
b
c
d
e

2 Tunc capti sunt Sancti quidam ex eremo *f*, qui a longo tempore impiorum hominum insidias fefellerant, cumque præsidi nuntiaretur, Christianæ fidei magistros adesse et ad fores stare manibus vinctos, gavisus magnopere impiissimus vir jussit eos carceri tradi et parari tormenta et nervum *g*, et postera die *h* produci. Traditi igitur carnificibus, projecti sunt in interiorem carcerem, illique pedes eorum in nervo fixerunt. Varus autem, cognita horum insignium Sanctorum magna penuria, custodibus pecuniam dedit, et ingressus nocte, solutis vinculis eorum *i* pedibusque e nervo laxatis, procidens venerabatur eos. Suppliciter

sex eremitæ Ægypti in carcerem traduntur.

f
g *h*
i

A citer etiam suadebat ut se a cibum acciperent, siquidem octo jam dies jejuni remansissent; deinde: Sancti Martyres, inquit, servi Christi, crastina die vobis vita auferetur a perfidis hominibus istis, orate Christum Salvatorem ut participem me faciat fortitudinis vestræ. Vir enim sum militiæ deditus et in exercitu insignis, Christianus quidem et sanctorum servus; sed animi sensa confiteri vereor, ne male peream. Novi enim cui morti traditi fuerint qui in hac fide sunt deprehensi, sed orate ut evanescat turbidum tempus, Christianis imminens, et ut possimus manifestum facere nos in Christum credere.

et in locum septimi, qui in eremo obierat, k — 3 Dicunt ei Sancti : Nemo metit, nisi in turbido tempore *k* seminaverit, nemo timori obnoxius martyrium consummat, præsertim clamante Christo et dicente : « Amen, amen dico vobis, si quis non confitetur me coram hominibus nec ego confitebor eum coram Patre meo qui in cœlis est. » Age porro, sis nobis comes itineris ad cœlum; tale enim iter quod simul perficerimus, alias vix possit tibi obtingere. Iis autem colloquentibus, ecce superveniunt milites, qui jussi erant Sanctos ad actionem judiciariam deducere, et deprehen- B dunt Varum deosculantem pedes eorum cum fletu, dicuntque ei : Insanis, o homo, non times ne nuntietur præsidi Christianum te esse et ita gradum simul et vitam male perdas. Dicit eis Varus : Utinam Christianus inveniar et ab his non divellar in perpetuum! Quis autem deteget me, siquidem amici mei estis vos et alii similiter? Milites igitur Sanctos illos, postquam manus eorum et collum catenis ligarant, a loco trahunt. Erant autem sex numero; nam septem quidem fuerant, dum in deserto vivebant segreges, a triginta annis versati inter feras et reptilia, vere ut dictum est, super aspidem et basiliscum ambulantes et conculcantes leonem et draconem; sed unus obierat in deserto *l*, consummato cursu et fide servata.

S. Varus subrogatur. m — 4 Publice igitur cum sedisset præses, multitudine populi circumdatus et militum *m*, Sanctos adduci jussit, et ait illis : Cujus conditionis estis? Dicunt ei : Christiani. Ait illis : Unde estis et ex quibusnam parentibus nati? Dicunt ei : Patriam non habemus in terra, si autem vere civitatem nostram cognoscere vis, crede in Christum, nam patria Christianorum in cœlis ædificata est. Et dicit iterum ad eos : Unde estis, et quomodo vocamini? respon- C dete, nam adjuro deos omnes Ægyptiorum *n*, vivos vos trucidabo et tradam viscera vestra canibus devoranda *o*. Dicunt ei : Tuas quidem minas non veremur, diximus autem tibi advenas nos esse et peregrinos sicut omnes patres nostri. Tum præses : Una eademque mens, inquit, est reis istis; nudentur itaque et verberibus cædantur. Et postquam cæsi fuerant, dicit eis : Ubi est alius septimus ex vobis, qui maxime quæritur? Et confestim exsiliens de turba S. Varus, stetit in medio dicens : Iste e vita excessit, sed me constituit hæredem patientiæ suæ. Si igitur aliquid ille debet, adsum pro eo redditurus; patrum enim debita hæredes exsolvunt.

S. Varus — 5 Commotus autem præses, ait : Quis est iste? Dicunt ei : Miles est et ex primoribus unus. Ait iterum : Cuinam cohorti *p* adscriptus est? Dicunt ei : Civitatis Tyanorum *q*. Dicit præses Sancto Varo : Istinc te illud abduxerunt, ut locum in cohorte amitteres et annonam sane copiosam, utque demum male perires? Dicit ei Varus : A multis annis vescor annona illa, et nunquam fui satiatus; eam enim comedens iterum esuriebam *r*, sed horum annonum inveni multo meliorem. Di-

EX MSS.

πεσὼν προσεκύνησεν αὐτοῖς· καὶ δεηθεὶς αὐτῶν ἔπεισεν αὐτοὺς μεταλαβεῖν τροφῆς, ἡμέρας γὰρ ὄκτω εἶχον νηστεύοντες· καὶ μετὰ ταῦτα εἶπεν αὐτοῖς· δέομαι ὑμῶν, ἅγιοι μάρτυρες δοῦλοι τοῦ Χριστοῦ, αὔριον ἔχετε τελειωθῆναι ὑπὸ των πονηρῶν ἀνθρώπων τούτων, ἀλλὰ δεήθητε τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ, ἵνα δῴη μοι μέρος μετὰ τῆς καρτερίας ὑμῶν· ἀνὴρ γὰρ εἰμὶ στρατιώτης τῶν ἐν τῇ στρατίᾳ ἐπισήμων, χριστιανὸς καὶ τῶν ἁγίων δοῦλος, ἀλλὰ φοβοῦμαι ὁμολογῆσαι, ἵνα μὴ ἀπολλύωμαι κακῶς· οἶδα γὰρ οἵῳ τέλει παρεδόθησαν οἱ ἐν τῇ πίστει ταύτῃ ληφθέντες, ἀλλ' εὔξασθε ἵνα ἀπέλθῃ ὁ χειμῶν οὗτος κατὰ τῶν χριστιανῶν καὶ φανῶμεν οἱ τῷ Χριστῷ πεπιστευκότες.

3 Λέγουσιν αὐτῷ οἱ ἅγιοι· οὐδεὶς θερίζει, ἐαν μὴ τῷ χειμῶνι σπείρῃ, οὐδεὶς φοβούμενος τελειοῦται, καὶ μάλιστα τοῦ Χριστοῦ βοῶντος καὶ λέγοντος· ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, ἐαν μή τις ὁμολογήσοιεν ἐμοὶ ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, οὔδε ἐγὼ ὁμολογήσω αὐτὸν ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· δεῦρο οὖν συνόδευσον ἡμῖν εἰς τὸν οὐρανόν· τοιαύτην γὰρ συνοδίαν οὐκ εὑρίσκῃς· Διαλεγομένων δὲ αὐτῶν, ἰδοῦ ἐπεισέρχονται στρατιῶται ὀφείλοντες λαβεῖν τοὺς ἁγίους εἰς τὴν ἀγώγιμον δίκην, καὶ εὑρίσκουσιν Οὐάρον φιλοῦντα τοὺς πόδας αὐτῶν κλαίοντα, καὶ λέγουσιν αὐτῷ οἱ στρατιῶται· μαίνῃ, ἄνθρωπε, οὐ φοβῇ μὴ πως ἀναγγέλθῃ τῷ ἡγεμόνι ὅτι χριστιανὸς B τυγχάνεις, καὶ τὸν βαθμόν σου καὶ τὴν ψύχην σου κακῶς ἀπολέσῃ; λέγει αὐτοῖς ὁ Οὐάρος. γένητό μοι χριστιανὸν εὑρεθῆναι, καὶ μετὰ τούτων διαπαντός· τίς δέ με καταμηνύσει, φίλων μου ὑμῶν ὄντων καὶ ἑτέρων; καὶ ἕλκουσι τοὺς ἁγίους οἱ στρατιῶται, ἁλύσεσι τὰς χεῖρας καὶ τοὺς τραχείλους δήσαντες· ἦσαν δὲ ἓξ τὸν ἀριθμόν· ἑπτὰ γὰρ ἦσαν ἐν τῇ ἐρήμῳ ἀποταξάμενοι ἀπὸ τριάκοντα ἔτων, θηρίοις καὶ ἑρπετοῖς συνδιατρίβοντες, καὶ ἀληθῶς, κατὰ τὸ εἰρημένον, ἐπὶ ἀσπίδα καὶ βασιλίσκον ἐπιβαίνοντες καὶ καταπατοῦντες λέοντα καὶ δράκοντα· ἀλλὰ εἷς ἐτελειώθη ἐν τῇ ἐρήμῳ τὸν δρόμον τετελεκὼς καὶ τὴν πίστιν τετηρηκώς.

4 Δημοσίᾳ οὖν καθίσας ὁ ἡγεμὼν, δήμου πολλοῦ, στρατιωτῶν καὶ ἰωτῶν* κυκλωσάντων αὐτὸν, ἐκέλευσεν τοὺς ἁγίους ἀχθῆναι, καὶ λέγει αὐτοῖς· ποίας τύχης ἐστέ; καὶ λέγουσιν αὐτῷ· χριστιανοί· λέγει αὐτοῖς· πόθεν ἐστὲ καὶ τίνων παῖδες; λέγουσιν αὐτῷ· πατρίδα οὐκ ἔχομεν ἐπὶ γῆς· εἰ δὲ ἀληθῶς τὴν πόλιν ἡμῶν θέλεις καταμαθεῖν, πίστευσον εἰς τὸν Χριστόν· ἡ γὰρ πατρὶς τῶν χριστιανῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς ᾠκοδόμηται· καὶ πάλιν λέγει πρὸς αὐτούς· πόθεν ἐστέ, καὶ πῶς λέγεσθε, εἴπατε, ἐπεὶ ὄμνυμι τοὺς F θεοὺς πάντας τῶν Αἰγυπτίων ὅτι ζῶντας ὑμᾶς διαχειρίσομαι καὶ κυσὶν κελεύσω κατεσθίειν τὰ σπλάγχνα ὑμῶν· οἱ δὲ λέγουσιν αὐτῷ· τὴν μὲν ἀπειλήν σου οὐ φοβούμεθα, εἴπαμεν δέ σοι ὅτι ξένοι ἐσμεν καὶ παρεπίδημοι, καθὼς πάντες οἱ πατέρες ἡμῶν· λέγει ὁ ἡγεμών· μιὰν μελετὴν ἔχουσιν οἱ κολάσιμοι οὗτοι, τοιγαροῦν γυμνωθέντες τυπτέσθωσαν. Τυπτομένων δὲ αὐτῶν, λέγει αὐτοῖς· ποῦ ὁ ἕβδομος ἕτερος ὑμῶν, ὁ μάλιστα καὶ ζητούμενος; καὶ εὐθέως ἀποπηδήσας ἀπὸ τοῦ ὄχλου ὁ ἅγιος Οὐάρος ἔστηκε μέσον καὶ λέγει· ἐκεῖνος ἐτελειώθη, ἐμὲ δὲ ἐνεστήσατο ἀντ' αὐτοῦ κληρονόμον τῆς αὐτοῦ ὑπομονῆς· εἴ τι οὖν χρεωστεῖ ἐκεῖνος, ἔστηκα ὑπὲρ αὐτοῦ πληρῶν, τὰ γὰρ ἐπιφερόμενα τοῖς πατράσιν οἱ κληρονόμοι ἀποτιννύουσιν.

5 Καὶ θυμωθεὶς ὁ ἡγεμὼν λέγει· τίς ἐστιν οὗτος; λέγουσιν αὐτῷ· στρατιώτης, καὶ τῶν πρώτων εἷς· ὁ δὲ λέγει· ἐν ποίῳ ἀριθμῷ ἀναφέρεται· λέγουσιν αὐτῷ· ἐν Τυάνων* τῇ πόλει· λέγει ὁ ἡγεμὼν τῷ ἁγίῳ Οὐάρῳ· οὗτοι σ' ἐπλάνησαν ἀπολέσαι σου τὸν ἀριθμὸν καὶ τὰς ἀννώνας μεγάλας οὔσας, καὶ ἀπολέσθαι κακῶς; λέγει αὐτῷ Οὐάρος· ἀπὸ πολλῶν ἐνιαυτῶν ἀποτρέφομαι ἀπὸ τούτων των ἀννώνων*, καὶ οὐδέποτε ἐνεπλήσθην· πάλιν γὰρ ἐπείνουν ἐξ αὐτῶν τρώγων, ηὗρον δὲ ἀννώνας ἐκείνων πολὺ κρείττους· λέγει ὁ ἡγεμών· ποίας ταύτας; λέγει αὐτῷ· τὸν

ἄρτον

* *forte* θωπῶν.

* *Cod.* Τυάνοιο *forte* Τυάνοις

* *Cod.* ἀνόμων

EX MSS.

ἄρτον τὸν ἐξ οὐρανοῦ καταβάντα, καὶ ζωὴν τοῖς ἀνθρώποις παράσχοντα· ἔχω δὲ ἀντὶ τοῦ οἴνου, τοῦ μεθὴν καὶ κατηβαρίαν ἐργαζομένου, τὸ ποτήριον τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, τὸ πηγὴν ἀθανασίας πάρεχον τοῖς μεταλαμβάνουσι· ἀντὶ δὲ τῶν κρεῶν, τῶν φθορὰν ποιούντων, ἔχω τὰς σάρκας τοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου ἄμνου, τοῦ αἴροντος τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου.

6 Λέγει ὁ ἡγεμὼν τοῖς ἁγίοις· οὐχ ὑμεῖς ἐστέ οἱ προάγοντες αὐτὸν ἐλθεῖν εἰς ταῦτα; καὶ ἰδοὺ ἀπολέσατε τοιοῦτον στρατιώτην τοῦ βασιλέως· ὄμνυμι τοὺς μεγίστους θεοὺς ὅτι τὰς ψυχὰς ὑμῶν κακῶς πρὸ αὐτοῦ ἀπολέσω. Λέγουσιν αὐτῷ οἱ ἅγιοι· ἄφρων! τοῖς ἀγγέλοις ἐστρατολογήσαμεν αὐτὸν καὶ ἔγνως παρ' αὐτοῦ τὰ σωτήρια ὀψώνια τῆς στρατίας· μικρὸν δὲ ἀνάμεινον καὶ ὄψει τῆς στρατίας τὴν ἀνδρείαν. Λέγει αὐτοῖς ὁ ἡγεμών· ποίαν ἀνδρείαν τῶν κολασίμων; λέγουσιν αὐτῷ οἱ ἅγιοι· τί ἀνδρειότερον ἑνὸς νικῶντος σε τὸν ἄρχοντα τῆς ἀπωλείας καὶ τὰ στρατεύματά σου, τὰ μικρὸν ὕστερον ἅμα σοι ἀφανιζόμενα; Λέγει αὐτοῖς ὁ ἡγεμών· τὰ σώματα ὑμῶν ἄρτι ἀφανίζω, ἐὰν μὴ πεσόντες τοῖς θεοῖς προσκυνήσητε. Λέγουσιν αὐτῷ οἱ ἅγιοι· θεοὶ οἱ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν μὴ ποιήσαντες ἀπολέσθωσαν ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς, ὅτι πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια εἰσιν, ὁ δὲ Κύριος τοὺς οὐρανοὺς ἐποίησεν. B Λέγει αὐτῷ Οὐάρος· τί κόπους παρέχεις τοῖς ἁγίοις φλυαρῶν, τῆς ὁμολογίας ἀνάξιος ὤν; ἰδοὺ πρόκεινται σοι ἡπλωμένοι, ποίει ὃ βούλει. Λέγει ὁ ἡγεμών· ὁ ἐμὸς σκοπός ἐστιν, ἵνα ἀπολέσω πάντας τοὺς μὴ λατρεύοντας τοῖς θεοῖς τῶν Αἰγυπτίων· φείσασθε οὖν ἑαυτῶν καὶ ἀπαλλάγητε τῶν ἡτοιμασμένων ὑμῖν δεινῶν. Λέγει αὐτῷ ὁ Οὐάρος· τὰ ἡτοιμασμένα ἡμῖν παρὰ σου, δίκην ἀράχνης, διαλύεται· τὰ δὲ ἡτοιμασμένα σοι καὶ πάντι τῷ οἴκῳ σου, τέλος οὐκ ἔχει.

7 Καὶ θυμωθεὶς ὁ ἡγεμὼν ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐπὶ τοῦ ξύλου ἀνασταθῆναι, καὶ λέγει τοῖς ἁγίοις· ἐὰν μοῦ περιγένησθε, μανεὶς ἀρνήσομαι τοὺς θεούς. Λέγουσιν αὐτῷ οἱ ἅγιοι· δοκίμασον τέως τὴν σὴν δύναμιν ἐν τῷ ἑνὶ τῶν προκειμένων, καὶ ἐὰν αὐτὸν νικήσῃς γνῶθι ὅτι καὶ ἡμᾶς καταβάλεις. Λέγει τῷ ἁγίῳ Οὐάρῳ ὁ ἡγεμών· μὰ τὴν ἐμὴν κεφαλήν, ἐξ ὧν πάσχεις κακῶν, ἀσφαλίσονται οἱ λοιποὶ στρατιῶται μὴ καταλιμπάνειν τοὺς ἰδίους θεούς, καὶ προσκυνεῖν ὃν προσκυνεῖτε Χριστόν. Λέγει αὐτῷ ὁ Οὐάρος· ὅμοιος γένοιο τοῖς θεοῖς σου, σὺ καὶ πάντες οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτοῖς, τοῖς μὴ λαλοῦσιν, μήτε ἀκούουσιν, μήτε ὁρῶσιν, μήτε κινουμένοις· καὶ θυμωθεὶς ὁ ἡγεμὼν ἐκέλευσεν αὐτὸν κατενεχθῆναι ἀπὸ τοῦ ξύλου, καὶ ταθῆναι λώροις καὶ ῥοπάλοις ἐκ τῶν τεσσάρων πλευρῶν αὐτοῦ κατακοπῆναι. Ὅτε δὲ ἤρξαντο αὐτὸν τύπτειν, λέγει ὁ Οὐάρος τοῖς ἁγίοις· C εὐλογήσατε τὸν δοῦλον ὑμῶν, ἅγιοι πατέρες, καὶ εὔξασθε ἐνδυναμωθῆναι μέ, πρῶτος σβέσαι * τὸν θυμὸν καὶ τὰς βασάνους τοῦ δυσσεβοῦς τούτου. Καὶ ἀνατείναντες οἱ ἅγιοι ἄνω τοὺς ὀφθαλμοὺς εἶπον· εὐλογητὸς εἶ, Κύριε, ὁ τοὺς ὑπέρ σου πάσχοντας στεφανῶν διαδήματι τῆς ὑπομονῆς· δερόμενος δὲ ἐπὶ πολὺ ὁ ἅγιος Οὐάρος λέγει τοῖς ἁγίοις· μὴ ταραχθῆτε· οἶδεν γὰρ ἡ ἁγία ὑμῶν εὐχή, ὅτι ἐρέων αἰσθάνομαι καταφερομένων μᾶλλον ἢ τῶν ῥοπάλων.

* λύσω

8 Λέγει αὐτῷ ὁ ἡγεμών· τί ἄρτι ὠφελήθης, ἄθλιε; λέγει αὐτῷ Οὐάρος· τοσοῦτον ὠφελήθην ὅσον σὺ ἐζημιώθης. Λέγει αὐτῷ ὁ ἡγεμών· οἱ πλάνοι οὗτοι σέ ἐδίδαξαν τοιαῦτα λαλεῖν. Λέγει αὐτῷ Οὐάρος· οὐδέποτε πλάνοι πραγματεύοντες σωτηρίαν, ἀλλ' ἀγαθοὶ ὄντες καὶ ἄφθονοι εὐεργέται, ἐκ τοῦ ἰδίου θησαυροῦ προσήνεγκαν μοὶ τὴν εὐεργεσίαν ταύτην· ὁ δὲ πλάνος καὶ γόης σὺ εἶ καὶ πάντες οἱ ἀνεχόμενοι τῆς σῆς ἀφροσύνης· καὶ χολάσας ὁ ἡγεμὼν ἐκέλευσεν αὐτὸν πάλιν προσαχθῆναι τῷ ξύλῳ, καὶ ξέεσθαι ἐντόνως τὰς πλεύρας αὐτοῦ. Ὡς δὲ εἶδον τὰς πλεύρας τοῦ ἁγίου Οὐάρου οἱ ἅγιοι ἐπὶ πολλὰς ὥρας ξεομένας, λέγουσιν τῷ ἡγεμόνι· ἀσεβέστατε, λίθοις τῶν ἀκροτόμων οὐκ ἀνήλισκες οὕτως ἀποξέων; λέγει ὁ ἡγεμών· ἔλθῃ ὁ Χριστὸς ὑμῶν, καὶ ῥύσεται αὐτόν. Λέγει αὐτῷ ὁ Οὐάρος· μὴ γένοιτο μοὶ ῥυσθῆναι ἐκ τῶν βασάνων τούτων, τῶν ἀεὶ μοὶ ἀνάπαυσιν παρεχουσῶν· τῶν

cit præses : Qualem ? Ait illi : Panem qui de cœlo D descendit et vitam præstat hominibus; loco autem vini, quod ebrietatem et capitis gravedinem operatur, poculum habeo sanguinis Christi, quod fontem immortalitatis adaperit ex eo bibentibus; loco carnium quæ corruptionem generant, carnem habeo Agni puri et immaculati, qui tollit peccata mundi.

6 Tum præses dicit Sanctis : Nonne vos estis qui cum ad talia perduxistis? Ecce perdidistis tantum militem imperatoris. Adjuro deos maximos, vitam vestram pro ipsius amissione male perdam. Dicunt ei Sancti : Demens homo! Angelis adscripsimus eum et jam didicisti ab eo salutaria militiæ nostræ obsonia, sed exspecta paululum et videbis etiam hujus militiæ fortitudinem. Dicit eis præses : Qualem fortitudinem in viris supplicio tradendis? Respondent ei Sancti : Quid fortius illo qui te vincit, principem perditionis, et præsidia tua, tecum non diu post peritura? Dicit eis præses : Ecce corpora vestra mox destruo, nisi procidentes deos adoraveritis. Dicunt ei Sancti : Dii, qui cœlum et terram non fecerunt, pereant a facie terræ, quia omnes dii gentium dæmonia sunt, Dominus autem cœlos fecit. Dicit ei Varus : Quid his Sanctis gar- E riendo molestiam creas, tu qui confessione non es dignus? Ecce jacent coram te extensi, fac quod vis. Dicit præses : Scopus meus est, perdere omnes qui non adorant deos Ægyptiorum. Cavete ergo vobismet ipsis et vitate parata vobis supplicia. Dicit ei Varus : Quæ a te nobis sunt parata, sicut araneæ tela, evanescunt; parata autem tibi et toti domui tuæ finem non habebunt.

et so ii interrogantur.

7 Et iratus præses jussit eum in catasta nervo constringi. Sanctis autem dicit : Si me viceritis, ex rabie deos negabo. Dicunt ei Sancti : Experire quantum potes in uno eorum, qui hic coram te sunt, et si eum viceris, scias te et nos dejecisse *s*. Dicit sancto Varo præses : Per caput meum, ex his quæ tu pateris firmabuntur reliqui milites ne derelinquant proprios deos et ne adorent quem vos adoratis Christum. Dicit ei Varus : Similis fias diis tuis tu et omnes confidentes in eis, qui nec loquuntur, nec audiunt, nec vident, neque moventur. Et iratus præses jussit eum solvi nervo, extendique loris, et flagellis ex quatuor partibus cædi *t*. Quando autem eum verberare cœperunt, Sanctis dicit Varus : Benedicite servo vestro, sancti patres, et orate ut conforter et primus superem iram et F tormenta impii istius. Sancti vero sursum levatis oculis dixerunt : Benedictus es Domine qui diademate patientiæ coronas eos qui patiuntur propter te. Tum excoriatus magnam partem sanctus Varus dicit Sanctis : Ne turbemini, novit enim sancta pietas vestra me lanam potius inflictam quam flagella sentire *u*.

S. Varus.

8 Dicit ei præses : Quænam utilitas modo ex his tibi obtigit, miser? Dicit ei Varus : Utilitas tanta quanta tibi punitio. Dicit ei præses : Seductores isti docuerunt te talia loqui. Dicit ei Varus : Nequaquam seductores sunt qui salutem operantur, sed boni cum sint et liberaliter benefici, ex proprio thesauro beneficium illud mihi contulerunt; tu vero seductor es et incantator, tu et omnes dementiæ tuæ fautores. Et indignabundus præses jussit eum iterum nervo imponi et acriter discerpi latera ejus. Sancti autem, ut viderunt latera sancti Vari per horas plurimas discerpi, præsidi dicunt : Homo impiissime, nonne lapides rupium destrueres ita discerpens? Dicit præses : Veniat Christus vester, et liberabit eum. Dicit ei Varus : Non mihi contingat a tormentis his liberari, quæ requiem mihi

s ... *u* ... *d versa tormenta*

A mihi donabunt æternam; ipsa enim me a futuris jam liberabunt. Tum dentibus frendens impius homo, jussit eum in jecur verberari : Viscera ei auferte, inquit, ipso intuente. Dicit ei Varus : Fili diaboli et inimice omnis justitiæ, auferre quidem potes viscera mea, sed non es ita potens ut fide mea me spoliare possis.

passus expirat. 9 Sancti autem, videntes ventrem ejus dilaceratum, flebant; et dicit eis tyrannus : Ecce victi estis et quare lugetis et ploratis, si mortem a me illatam vere immortalitatem esse ducitis? Dicunt ei Sancti : Ex compassione lugemus deprecantes quod ferum et inhumanum est, ridemus autem et quasi festum agimus videntes per pauca tormenta sempiternam fruitionem nos acquisituros. Et iratus iterum preses illos quidem in carcerem, ut ad pœnam asservarentur, abduci jussit, Varum vero ad nova in nervo tormenta adigi. Videns autem eos Sanctus Varus catenis raptatos, dicit eis magna voce : Recordamini mei, sancti athletæ Christi, et bono animo estote; jam enim ne verbum quidem respondebo impio isti, nec os aperiam. Sed ecce ad Dominum meum, benedicens vobis qui mihi facti estis procuratores vitæ æternæ. B Cum autem per horas quinque tormenta perpessus esset, emisit spiritum; ac tortores quidem, arbitrati eum adhuc spirare, pergebant torquere; sed videntes se vexare mortuum corpus, dicunt præsidi : A longo tempore mortuus est quo ergo jubes corpus ejus deferri? Dicit ille : Deponite eum et extra urbem pertrahatur et ibi projiciatur canibus. Et depositum traxerunt extra urbem et projecerunt in locum, ubi morticina jaciebantur brutorum animalium.

γὰρ μελλούσων ἤδη ἐξῤῥύσαντό με. Καὶ τρίσας τοὺς ὀδόντας ὁ ἀσεβὴς ἐκέλευσεν κατὰ τοῦ ἥπατος αὐτοῦ τυφθῆναι, εἰπών· ἐξενέγκατε αὐτοῦ τὰ σπλάγχνα, ὁρῶντος αὐτοῦ· λέγει αὐτῷ ὁ Οὐάρος· υἱὲ διαβόλου καὶ ἐχθρὲ πάσης δικαιοσύνης, τὰ μὲν σπλάγχνα μου ἐξελέγκαι δύνη, τὴν δὲ πίστιν μου ἀποσυλῆσαι οὐκ ἰσχύσεις. *ex mss.*

9 Ἰδόντες δὲ οἱ ἅγιοι τὴν κοιλίαν αὐτοῦ ῥισσομένην, ἔκλαυσαν, καὶ λέγει αὐτοῖς ὁ τύραννος· βλέπετε ὅτι ἡττηθε, καὶ διὰ τί κλαίετε καὶ λυπεῖσθε, εἰ ἀληθῶς ἀθανασίαν ἡγεῖσθε τὸν δι᾽ ἐμοῦ θανατόν; Λέγουσιν αὐτῷ οἱ ἅγιοι· κλαίομεν διὰ τὴν συμπάθειαν τὸ θηριῶδες καὶ ἀπάνθρωπον παραιτούμενοι, γελῶμεν δὲ καὶ ἑορτάζομεν εἰδότες ὅτι διὰ τῶν ὀλίγων στρεβλώσεων τὴν αἰώνιαν ἀπόλαυσιν κληρονομοῦμεν· καὶ θυμωθεὶς πάλιν ὁ ἡγεμών, ἐκείνους μὲν συλληφθῆναι εἰς τὸ δεσμωτήριον εἰς κόλασιν τηρουμένους, Οὐάρον δὲ πρός τὸ βασανισθῆναι ἐπὶ τοῦ ξύλου πάλιν. Ἰδὼν δὲ ὁ ἅγιος Οὐάρος ἁλύσεσι συρομένους λέγει αὐτοῖς μεγαλῇ τῇ φωνῇ. παραθέσθε με, ἅγιοι ἀθληταὶ τοῦ Χριστοῦ, καὶ θαρσεῖτε, ὅτι οὐ μὴ ἀποκριθήσομαι τῷ ἀσεβῆ τούτῳ ἄχρι λόγου ἑνός, οὐδ᾽ οὐ ἀνοίξω τὸ στόμα μου πρὸς αὐτόν· ἀλλ᾽ ἰδοὺ πορεύομαι πρὸς τὸν Δεσπότην μου, εὐχαριστῶν ὑμῖν προξένοις γενομένοις τῆς αἰωνίου ζωῆς. Βασανισθεὶς δὲ ἐπὶ ὥρας πέντε ἀφῆκεν τὸ πνεῦμα· ἔμειναν δὲ οἱ βασανίζοντες.... αὐτὸν E ἔτι ἐμπνέειν, ἰδόντες δὲ ὅτι νεκρὸν σῶμα ᾔκιζον, λέγουσιν τῷ ἡγεμόνι· ἀπὸ πολλῆς ὥρας τέθνηκεν, ποῦ οὖν κελεύεις τεθῆναι τὸ σῶμα αὐτοῦ; λέγει αὐτοῖς· κατενεχθεὶς συρέσθω ἔξω τῆς πόλεως καὶ ῥιπτέσθω τοῖς κυσίν. Κατενέγκαντες δὲ αὐτὸν ἔσυραν ἔξω τῆς πόλεως καὶ ἔῤῥιψαν αὐτὸν ὅπου τὰ θνησιμαῖα ἐῤῥίπτοντο τῶν ἀλόγων ζώων

ANNOTATA.

a *Cfr Commentarium num. 4 et seqq.*

b *Edictum illud in omnes Christianos, hujus persecutionis quartum fuit* (1). *Fragmentum unius ex his, lingua Thebaica, prout in Thebaide vulgatum fuit, penes se fuisse perhibuit Antonius Georgius* (2).

c *Alexandria designatur* (3).

d *Quid tunc egerint sancti viri discimus ab oculato teste Eusebio, Hist. eccles. lib. 8, et lib. de martyribus Palestinæ.*

e *Veneratio veterum Christianorum erga sanguinem martyrum ex plurimis actis patescit* (4). *Vide infra Annotat.* h.

f *Quare Baronius eos monachos fuisse dixerit, vide in Commentario num.* 8 *et seqq.*

g Ξύλον *hic* nervum *designare videtur, quum paulo post eadem significatione certo redeat. De nervo plura dicta fuerunt in Auctario ad tomum* V *Octobris, pag.* 46. *Juverit et hic aliquid de eo dixisse. Nervus itaque constabat ex tabulato, duobus, quatuor aut quinque locis perforato. Per hæc autem foramina* F C *transmittebantur nervi, quibus adstringebantur ferrea aut lignea vincula pedum, manuum seu etiam colli; ita ut, si rei solis revincirentur pedibus, starent; si etiam manibus, pecudum more proni seu extensi jacerent; multoque magis, si constringeretur ipsum collum. Atque uno ex his modis custodiebantur in carcere; inferius in hac passione exhibentur similiter constricti in catasta, seu in tabulato, aliquantum elevato coram tribunale judicis.*

h *Die prima postquam capti sunt, jam coram judice comparent; et eodem S.* Varus *passus fertur. Unde fit ut unam tantum noctem in carcere transegerint, et dum in Actis num.* 1 *dicitur S.* Varus *sanguine martyrum sibi pectus unxisse, id de aliis martyribus, non vero de passionis ejus sociis intelligendum; quod ibi ex contextu plurimum confirmatur. In Menologio Sirleti itemque in Menæis (vide Commentar. num.* 1 *et* 2) *indicatur S.* Varum *per plures dies Martyrum illorum, qui hac die cum eo coluntur, curam gessisse, sed arbitror synaxaristen Menæorum Acta Symeonis Metaphrastæ, quæ nostris plane consonant, non bene interpretatum esse; id enim alias sæpe evenisse nobis in comperto est.*

i *Non video cur hæc Tillemontius admittere renuat* (5). *Quidni S.* Varus *eorum vincula solvere potuisset vel solus vel ope custodum quibus pecuniam largiebatur?*

k In hieme, *tempore turbido seu in tempestate, aut afflictione. Eamdem vocem habet Symeon Metaphrastes :* Εἰ μὴ χειμῶνος πρότερον τὰ σπέρματα καταβάλῃ; *cui Gentianus Hervetus apud Surium ad* XIX *Octobris, cap. 2 substituit :* in lacrymis, *Scripturæ consentire volens. Memoriter hæc scripsit anonymus; quod et in sequentibus egit, ubi Christi verba ab sociis expresse allegantur Matth* X. 32. *Luc.* XII. 8; *hæc vero a Metaphraste omittuntur, qui tamen continuo post iisdem fere verbis loquitur ac anonymus :* δεῦρο δὴ οὖν, ἀδελφέ, σύνοδος ἡμῖν γενοῦ. *Hæc ejus methodus, quædam resecare, alias sua substituere, præsertim in sermonibus hinc inde prolatis, crebras sententias admiscere ex sacris litteris depromptas, denique omnia universim ornatius exprimere.*

(1) Cfr Euseb. Hist. eccl., lib. VIII, cap. VI, p. 336 et not. *d*, Tillemont. Mem., t. V, p. 80. — (2) Fragm. Evangelii S. Johannis græcocoptothebaicum, p. CX, not. 1. — (3) Cfr Georgius, de antiq. Italiæ Metropolibus, p. 7. — (4) Cfr t. I Februarii, p. 388 h et opus gallicum Les trois Rome, par l'abbé Gaume, t. IV, edit. Bruxell., p. 311. — (5) Mem., t. V, part. III, p. 380.

I Cfr

EX MSS.

l *Cfr Commentar. num. 9.*

m *In græco additur* καὶ ἰωτῶν, *quæ vox mihi ignota est. Scribit Simeon :* πλῆθος στρατιωτῶν τῶν ἐκείνου λόγων καὶ νεύματος : Multitudo militum qui pendebant a verbis illius et nutu *(apud Surium cap. 3). Unde* ἰωτῶν *forte scriptum pro* θωπῶν, adulatorum.

n *Metaphrastes hæc ita :* τὴν ἔφορον γὰρ ὑμῖν ὄμνυμι, φησὶ, δίκην καὶ τὴν μεγάλην τῶν θεῶν δύναμιν; *vertit Hervetus apud Surium cap.* 3 : Præpotentem enim vobis juro, ajebat, deorum virtutem et justitiam, *sed melius :* Inspectricem enim vobis juro, ajebat, justitiam *(græcis* Dicen *aut Astræam)* et potentem Deorum virtutem.

o *De his suppliciis cfr Commentar. num.* 7 *circa finem.*

p Ἀριθμός, numerus, cohors. *Metaphrastes habet* τάγμα, *quod est idem, ut patet ex Sozomeno lib.* 1, *cap.* 8 : τὰ Ῥωμαίων τάγματα, ἃ νῦν ἀριθμοὺς καλοῦσιν. *Emendandus ergo Surius cap.* 3 : E quanam sit legione.

p Ἐν Τυάνοις *vel* Τυάνων. *Metaphrastes sic habet :* τάγματος μὲν τοῦ ἐκ Τυάνων. *Surius vero :* Ex legione quidem Tyanensi ; *sed vertendum :* Ex cohorte Tyanensi, *vel* quæ ex Tyanis est. *Cohortes enim a civitate in qua conscribebantur frequenter nuncupatæ sunt, legiones non item. Tyana quidem urbs Cappadociæ est satis nota, sed verisimile est hic agi de Tyanis Ægypti, quorum mentio apud Stephanum geographum.*

r *Hæc omittit Metaphrastes, et quæ sequuntur breviter absolvit. Ita sæpe in his Actis aliquot verbis longas collocutiones complexus est.*

s *Hic mitigat Metaphrastes quod in Actis nostris rudius est :* δοκίμασόν σου τέως τὴν δυναστείαν εὐρήκασιν ἐπὶ τοῦ παρόντος ἡμῶν ἀδελφοῦ, καὶ εἴγε τούτου κρείττων ὀφθῇς, τότε τάχα καὶ ἐφ' ἡμῶν χρηστῶν οὐκ ἀμοιρήσεις ἐλπίδων : Experire in hoc nostro fratre quid possis, et si eo superior fueris tum fortassis etiam contra nos bona minime privaberis spe. Ἐν τῷ ἑνὶ τῶν προκειμένων *in Actis nostris interpretatur Metaphrastes de S.* Varo, *cui interpretationi quædam favent, sed et de quocumque ex sociis intelligi possent.*

D t Jussit eum... ex quatuor partibus cædi : ἐκ τῶν τεσσάρων πλευρῶν, *ad litteram :* ex quatuor lateribus ; E *unde Metaphrastes deducit quatuor adfuisse viros :* διὰ τεσσάρων ἑλκόμενον ῥοπάλοις ἀνδρῶν συνθλᾶσθαι : per quatuor viros trahi et fustibus cædi.

u *Hæc nonnihil aliter Metaphrastes, ex Herveti versione apud Surium, cap.* 5 : Ecce enim vestræ preces, quæ Deo persuaserunt, aspera tormenta plana effecerunt et levia, et molestiam mutarunt in recreationem, adeo ut nec plagas quidem sentiam.

Cap. II. Martyrium Sociorum S. Vari. B. Cleopatra hujus corpus, pace ecclesiæ reddita, in Palæstinam defert. B. Cleopatræ ejusque filii felix obitus.

Κλεοπάτρα δέ τις γυνὴ ἐκ τῆς Παλεστίνης ὁρμωμένη, εὐσεβὴς καὶ φοβουμένη τὸν Κύριον, ἐσημειοῦτο τὸν ἁγιώτατον βασανιζόμενον· ἥτις καὶ ἔκλαιεν πικρῶς, καὶ κατασπαραττομένη τὸ στῆθος, ἐφοβεῖτο ὁμολογῆσαι ὅτι χριστιανὴ ἦν. Λαβοῦσα οὖν νύκτωρ τοὺς παῖδας αὐτῆς, καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς δώδεκα ἐτῶν ὄντα, ἔκλεψεν τὸ σῶμα τοῦ ἁγίου, καὶ ὀρύξασα ὑποκάτω τῆς κλίνης αὐτῆς ἔκρυψεν αὐτὸν, ἀλείψασα μύρῳ καὶ περιβαλοῦσα αὐτὸν ἐσθῆτι πολυτελῆ, ἔμεινεν πᾶσαν θεραπείαν αὐτοῦ ποιουμένη. Τῇ C δὲ ἐπαύριον ὁ δυσσεβὴς ἡγεμὼν ἐκέλευσεν παραστῆναι τοὺς ἁγίους τοὺς ὄντας ἐν τῇ φυλακῇ· σταθέντων δὲ αὐτῶν ἔμπροσθεν τοῦ ἡγεμόνος, λέγει αὐτοῖς· ἑωράκατε οἵῳ τέλει παρεδόθη Οὐάρος ὁ ὑμέτερος μαθητὴς, καὶ ὅπως αὐτοῦ περιεγενόμην αἰκίσας μέχρι θανάτου; ἔτι δὲ καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ θηρίοις ἀγρίοις παραδοθῆναι ἐπέτρεψα, πρὸς τὸ μηδὲ λείψανον αὐτοῦ εὑρεθῆναι· πιστεύθητε οὖν μοι, καὶ θύσατε τοῖς θεοῖς, ἵνα μὴ καὶ ὑμεῖς κακῶς ἀπολεῖσθε. Λέγουσιν αὐτῷ οἱ ἅγιοι· Οὐάρος ὁ ἡμέτερος ἀδελφὸς ἐνίκησέν σου τὴν κακότεχνον γνώμην, περιεγένετο τῶν ἀπειλῶν σου, καὶ πέγνιον ἔδειξεν τὰς πολυτρόπους σου μηχανὰς τῶν κολαστηρίων, καὶ ἀπέλαβεν* τὸν μισθὸν, παρὰ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ κληρονομήσας τὰ ἐν οὐρανοῖς ἀγαθά· σὺ δὲ ἀνθ' ὧν τοὺς δούλους τοῦ Θεοῦ μηδὲν ἐπταικότας βασανίζεις, καὶ ἀναιρεῖς, μένουσίν σε αἰώνιοι βάσανοι.

* *Cod.* ἀπέλαβον *pluries.*

11 Θωμωθεὶς δὲ ὁ ἡγεμὼν ἐκέλευσεν ἕνα ἕκαστον αὐτῶν ταθῆναι ἐπὶ τοῦ ἐδάφους, καὶ νεύροις ὠμοῖς τύπτεσθαι αὐτούς· ἐπὶ πολλὰς δὲ ὥρας βασανισθέντες, καὶ ἀτονισάντων τῶν δημίων, τοῦ τε αἵματος αὐτῶν τὴν γῆν πεπληρωκότος, ἐκέλευσεν ἔξω τῆς πόλεως ἀπενεχθῆναι, καὶ ξίφει τὰς κεφαλὰς ἀποτμηθῆναι, καὶ τὰ σώματα αὐτῶν ῥιφθῆναι ὅπως ἀπὸ κυνῶν καὶ θηρίων καὶ πετεινῶν καταβρωθῶσιν· καὶ οὕτως ἐτελέθησαν οἱ ἅγιοι καὶ ἔν-

Cleopatra corpus S. Vari clam aufert. Martyrium

Femina quædam, Cleopatra nomine, ex Palæstina oriunda, pia et timens Dominum, sanctissimum Varum, dum tormentis subjaceret, observabat ; quæ et flebat amare, sed spiritu turbata, non ausa est confiteri se esse christianam. Assumens igitur nocte pueros suos et filium annorum duodecim, abstulit Sancti corpus, et cum aromatibus unxisset ac splendide vestisset, terram fodiens sub lecto suo, ibidem abscondit. Ipsa autem perseverabat ei omne obsequium exhibens. Postera die *a* impius præses F adduci jussit Sanctos qui in custodia detinebantur, et cum adstarent : Vidistis, inquit, cui morti traditus fuerit Varus discipulus vester et quomodo vici cruciando eum usque ad mortem ? Insuper et corpus ejus feris tradi jussi, ne vel cadaver reperiri queat. Mihi igitur credite et diis sacrificate, ne et vos turpiter moriamini. Dicunt ei Sancti : Frater noster Varus devicit malitiam tuam, minis superior fuit, et pignus (fortitudinis suæ Deo) exhibens multifarias tuas tormentorum adinventiones, mercedem accepit, bona cœlestia a Christo Domino consecutus. Te vero, quia Dei servos qui nihil mali fecerunt tormentis et morte afficis, te manent æterna tormenta.

Sociorum S. Vari

11 Tum iratus præses jussit unumquemque supra solum extendi et crudis nervis verberari. Cumque horas plurimas tormenta subiissent, defessis carnificibus ac terra undequaque sanguine madefacta, jussit eos extra urbem deferri et capita abscindi gladio, deinde projici eorum corpora ut a canibus, a feris et a volatilibus vorarentur. Ita igitur usque ad mortem passi sunt sancti et præclari

A clari Martyres et coronas suas acceperunt ab Agonotheta Christo Deo. Cum autem corpora eorum illic permanerent nec a feris comederentur, Christiani quidam, eos clam de nocte auferentes et diligenter funerantes, deposuerunt ibi in proximo. Præterlapso itaque tempore non exiguo et quiescente persecutione *b* in Christianos, Beata Cleopatra deliberabat patriam suam repetere, cumque sua omnia disposuisset, per insignem aliquem virum *c* ad præsidem accessum consecuta, dixit : Vir meus miles fuit ex illustrioribus, et valde potens contra hostes, sed mortuus est et hic jacet, nondum perfectam sepulturam consecutus : rogo igitur celsitudinem tuam, fac ut sine periculo eum auferam et ita eum rite sepulcro tradam. Præses, accepta multa pecunia, supplicanti annuit jussitque ut petitionem suam exsequi posset.

B. Cleopatra S. Vari corpus in Palæstinam fert,

12 Exiens itaque Cleopatra maritum suum reliquit in Ægypto *d*, sanctum autem Varum e terra levatum veste pretiosa et aromatibus iterum circumdatum, secum tulit ex Ægypto, sed in culcitra positum cum lana *e* multa, ita ut nemo suspicaretur eum adesse, aut auferre cogitaret. Incipiebant enim Christiani apparere et lipsana Sanctorum exquirere, B atque in monasteriis *f* deponere et eorum monumenta perficere. Quum autem ad pagum suum Cleopatra appropinquasset, deposuit eum in monumento patrum suorum, quod erat in via; et, elapso die, exiit illuc, domesticis suis stipata cum lampadibus et suffitibus. Didicerunt autem et fœminæ et viri eam iis comitibus exiisse ; et post paucos dies habitantibus in vicinia manifestum fuit sanctum martyrem jacere in pago Syre *g* (situs est is juxta montem Thaborium) ; cœperuntque ægrotos suos afferre et qui ab impuris spiritibus vexabantur et omnes curati sunt. Videns vero Cleopatra premi multitudinem, nam angustus erat locus, deliberavit quidquid habebat vendere ut ei templum exstrueret. Habebat eadem filium unigenitum annorum duodecim *h* quem misit ad aulam imperatoris *i* ut militiam perdisceret, et propter hoc multam dedit pecuniam ; attamen partem martyris sepulcro consecravit. Missa est illico charta militiæ ex aula ; et festum erat celebrandum, siquidem dives erat et ex illustrioribus regionis.

eique templum exstruit.

13 Dicebat autem sibi ipsi interius : Cum absolutum erit templum, debeo simul vestire filium meum chlamyde, et ipse tum primum habitu militari C insignis, mecum feret loculum sancti Vari. Exstruxit igitur templum sancta fœmina multis impendiis, et omni ornatu donavit illud ; convocatisque omnibus episcopis et incolis monasteriorum *k* ceterisque Christianis extulit Sanctum ex arcula, posuit feretrum novum et stravit sindonas mundas filiumque ad sacerdotes adduxit, qui eidem benedixerunt. Tunc currens ad conclave deposuit chlamydem et zonam pueri supra sancti loculum, iisque dein eumdem præcinxit. Quando autem congregata fuit multitudo, protulit sacrum corpus quod cum puero suo voluit deferre et tanta accessit turba virorum et mulierum ut loci incolæ sollicite cogitarent ubi sufficiens aquæ quantitas suppeteret. Insonuit vero continua psalmodia a gallicinio matutino usque ad horam nonam ; et facta depositione, mensam struxerunt et sacram oblationem perfecerunt, publica etiam pro Cleopatra et filio ejus precatione instituta.

B. Cleopatræ filius

14 Finita synaxi, inclinavit se super operculum quod faciem tegebat martyrio et orabat eum dicens : Rogo per coronam tuam et patientiam, si quid est utile aut decorum, pete a Domino ut id prestet filio meo pro servitio quod tibi tunc exhi-

EX MSS.

δοξοι Μάρτυρες, καὶ ἀπέλαβον τοὺς στεφάνους παρὰ τοῦ ἀγωνοθέτου Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ. Τῶν δὲ σωμάτων αὐτῶν κειμένων, καὶ μὴ βεβρωσκομένων ὑπὸ θηρίων, τίνες τῶν χριστιανῶν λαθραίως νυκτὶ λαβόντες αὐτὰ, καὶ κηδεύσαντες ἐπιμελῶς, κατέθεντο ἐκεῖ πλησίον. Κρόνου δὲ διαδραμόντος ἱκανοῦ, καὶ παυσαμένης τῆς κατὰ τῶν χριστιανῶν διώξεως, ἡ μακαρία Κλεοπάτρα ἐσκέψατο τὴν πατρίδα αὐτῆς καταλαβεῖν· ἑτοιμάσασα δὲ πᾶσαν τὴν ὕπαρξιν αὐτῆς, διὰ ἐπισήμου προσελθοῦσα τῷ ἄρχοντι, ἔλεγεν· ὁ ἀνήρ μου στρατιώτης ὑπῆρχεν τῶν τὰ πρῶτα φερόντων, πλεῖστα δυνηθεὶς κατὰ τῶν πολεμίων· τεθνήκε δὲ καὶ ἐνταῦθα ἀπόκειται, τελείας ταφῆς μὴ ἠξιωμένος· δέομαι οὖν τοῦ μεγέθους σου, κέλευσόν μοι ἀκινδύνως αὐτον μετενέγκαι ἵνα τελείᾳ ταφῇ αὐτὸν παραδώσω; καὶ ἐπινεύσας τῇ ἱκεσίᾳ αὐτῆς ὁ ἡγεμῶν, ἐκέλευσεν παρασχεθῆναι αὐτῇ τὴν αἴτησιν, χρήματα πάμπολλα εἰληφώς.

12 Ἐξελθοῦσα δὲ, τὸν μὲν ἄνδρα αὐτῆς ἀφῆκεν εἰς Αἴγυπτον, τὸν δὲ ἅγιον Οὐάρον ἐκβαλοῦσα ἐκ τῆς γῆς ἱματισμῷ πολυτελῆ καὶ μύροις παλὶν περιβαλοῦσα, ἔβαλεν αὐτὸν ἐν τύλῃ μετὰ ἐρέας πολλῆς, καὶ οὕτως αὐτὸν ἐξένεγκεν ἐκ τῆς Αἰγύπτου, ἵνα μὴ νοηθῇ καὶ ἀποσπασθῇ παρ' αὐτῆς· ἤρξαντο γὰρ οἱ χριστιανοὶ ἀναφαίνεσθαι καὶ τὰ λείψανα τῶν ἁγίων ἐπιζητεῖν, καὶ ἀποτίθεσθαι ἐν τοῖς μοναστηρίοις αὐτῶν, καὶ τὰ μνημόσυνα αὐτῶν ἐπιτελεῖν. E Ἐγγίσασα δὲ ἡ Κλεοπάτρα τῇ κώμῃ αὐτῆς, ἀπέθετο αὐτὸν ἐν τῷ προγονικῷ αὐτῆς μνήματι, ἐν τῇ ὁδῷ διακειμένῳ. Μεθ' ἡμέραν δὲ ἐξήει μετὰ τῶν ἰδίων μετὰ λύχνων καὶ θυμιαμάτων· συνέμαθον δὲ καὶ γυναῖκες καὶ ἄνδρες ἐξιέναι μετ' αὐτῶν. Μεθ' ἡμέρας δὲ ὀλίγας δῆλον γέγονεν τοῖς τὴν περίχωρον οἰκοῦσιν ὅτι μάρτυρ ἅγιος ἀπόκειται ἐν Σύρῃ τῇ κώμῃ. ἔστιν δὲ παρὰ τὸ Θαβώριον ὄρος· καὶ ἤρξαντο φέρειν τοὺς ἀῤῥώστους αὐτῶν καὶ τοὺς ἐνεργουμένους ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων, καὶ πάντες ἐθεραπεύοντο· ἰδοῦσα δὲ ἡ Κλεοπάτρα ὅτι συνέχοντο οἱ ὄχλοι, (στενὸς γὰρ ὁ τόπος) ἐσκέψατο ὅσα εἶχεν πωλῆσαι καὶ ἐγεῖραι αὐτῷ ναόν· εἶχεν δὲ υἱὸν μονογενῆ ἐτῶν ιβ', ὃν ἀπέστειλεν στρατεῦσαι ἐν τῇ τοῦ βασιλέως αὔλῃ δοῦσα οὐκ ὀλίγα χρήματα, (τὰ δὲ πλείονα ἀνήλωσεν εἰς τύμβιον τοῦ Μάρτυρος), ἀπήντησεν τε τὸ χαρτίον τῆς στρατίας ἵνα ἑορτάσωσιν μετ' αὐτῆς. Ἦν γὰρ πλουσία καὶ τῶν ἐπισήμων πρώτη.

13 Λέγει δὲ καθ' ἑαυτὴν ἐνθυμηθεῖσα ὅτι, ἅμα τελειώσει τοῦ ἁγίου νάου, ὀφείλω ἐνδύσαι τὴν χλαμύδα τὸν υἱόν μου καὶ ἅμα ἐμοὶ βαστάσει τὴν κλίνην τοῦ ἁγίου Οὐάρου, φορῶν τὴν ἀρχὴν τοῦ σχήματος τῆς στρατίας. F Πολλὰ οὖν δαπανήσασα ἡ ἅγια ἐκείνη γυνὴ, ἤγειρεν αὐτῷ ναόν, πάντι τῷ κόσμῳ αὐτὸν κοσμήσασα. Τότε συγκαλέσασα πάντας τοὺς ἐπισκόπους, καὶ τὰ πλήθη τῶν μοναστηρίων καὶ τῶν λοιπῶν χριστιανῶν, ἐξέβαλεν τὸν ἅγιον ἀπὸ τῆς θήκης καὶ ἤνεγκεν κλίνην καινὴν καὶ ἔστρωσεν καθαρὰς σινδόνας καὶ προσήγαγεν τὸν υἱὸν αὐτῆς τοῖς ἱερεῦσιν καὶ εὐλόγησαν αὐτόν, καὶ εἰσδραμοῦσα εἰς τὸ ταμίειον ἔθηκεν τὴν χλαμύδα καὶ τὴν ζώνην τοῦ παιδίου ἐπὶ τὴν λάρνακα τοῦ ἁγίου, καὶ λαβοῦσα περιέζωσεν αὐτόν· συνηχθέντων δὲ τῶν ὄχλων ἐξήνεγκεν τὸ λείψανον, καὶ ἐβάστασεν σὺν αὐτῇ τὸ παιδίον αὐτῆς. Γέγονεν δὲ πρὸς αὐτοὺς πλῆθος ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν, ὧν οὐκ ἦν ἄριθμος, ὡς τοὺς κατοικοῦντας τὸν τόπον φροντίζειν πόθεν ἔχοιειν ὕδωρ τοσοῦτον ἐπαρκοῦν αὐτοῖς· συνεκροτήθη δὲ ἡ ψαλμωδία ἀπὸ ἀλεκτοροφωνίας ἕως ὥρας θ', καὶ γενομένης τῆς καταθέσεως ἔπηξαν τράπεζαν καὶ ἐτέλεσαν τὴν ἀναφορὰν, καὶ πάνδημον εὐχὴν πεποίηκασι ὕπερ τῆς Κλεοπάτρας καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς.

14 Λυθείσης δὲ τῆς συνάξεως, ἔπεσεν τῇ χώνῃ τῇ ἐπικειμένῃ τῷ προσώπῳ τοῦ Μάρτυρος, καὶ ἐδέετο αὐτῷ λέγουσα· δέομαί σου τοῦ στεφανοῦ καὶ τῆς ὑπομονῆς, εἴ τί ἐστιν συμφέρον καὶ εὐάρεστον, παρακάλεσον τὸν Δεσπότην ποιῆσαι τῷ ἐμῷ υἱῷ ἀνθ' ὧν ἐθεράπευσα σε

EX MSS. τότε ἐν τῷ διαβολικῷ χειμῶνι, καὶ νῦν ἐν τῇ εἰρήνῃ· παρεκάλεσον τὸν Θεὸν δοῦναι ἐμῷ υἱῷ ὑγίειαν ἐν Χριϛῷ καὶ χάριν ἐν τῇ στρατιᾷ αὐτοῦ ἐνώπιον τοῦ βασιλέως· ναὶ δέομαί σου, μνήσθητι ὅτι οὐδέν σοι προετίμασα, οὐκ ἄνδρα, οὐ παῖδας, οὐ χρήματα· καὶ ἐξελθοῦσα ἐκεῖθεν ὑποδοχὴν πολυτελῆ τῷ πλήθει ἐκείνῳ ἐποιεῖτο· διηκόνει δὲ καὶ ὁ υἱὸς αὐτῆς, ἵνα μηδενός γεύσηται ἕως ἂν ἀναστῶσιν οἱ ἀνακλινόμενοι· εἰποῦσα ὅτι ἐκ τῶν περισσευμάτων ἀναπαυσόμεθα, ἐγώτε καὶ σὺ, τέκνον· ἀναστάντων δὲ τῶν ὄχλων, ἠτόνησεν τὸ παιδίον καὶ ἀνεκλίθη· ἐλθοῦσα δὲ ἡ μήτηρ μετὰ τὸ ἀναπαῦσαι τοὺς ὑπηρέτας, ἐφίλησεν τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ παιδίου λέγουσα· ὑπὲρ τῆς ὑγιείας σου, τέκνον, ταῦτα πάντα εἰργασάμην, ἵνα προπέμψῃς με ἐν τῇ ζωῇ σου πρὸς τὸν ἅγιον, ἀλλ' ἀνάστα καὶ μετάλαβε τροφῆς, ὅτι νῆστης εἶ, καὶ πολλὰ κεκοπίακας· ὁ δὲ μόλις αὐτῇ ἐλάλησεν· ἐφλέγετο γὰρ ἐκ τοῦ πυρετοῦ.

15 Καὶ ἐπιπεσοῦσα αὐτῷ ἡ μήτηρ, ἐνηγκαλίσατο τῷ αὐτῷ καὶ εἶπεν· ζῇ Κύριος καὶ ἡ εὐχὴ τοῦ ἁγίου, ὅτι οὔτε ἐγὼ γεύσομαί τινὸς ἕως οὗ ἴδω τί ἀποβαίνῃ τῷ μονογενῆ μου· δι' ὅλης δὲ τῆς νυκτὸς ἐβάστασεν ἐν τῷ κόλπῳ αὐτῆς τὸ παιδίον. περὶ δὲ τὸ μεσονύκτιον παρέδωκεν ὁ παῖς τὸ πνεῦμα αὐτοῦ. καὶ ἀναστᾶσα ἐβάστασεν
B τὸ παιδάριον, καὶ ἐνδραμοῦσα εἰς τὸν ναὸν ἔῤῥιψεν αὐτὸν ἐπάνω τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ἀπελάβετο τῆς τραπέζης, καὶ ἔκραζεν λέγουσα· ὢ τῆς ἀντιμισθίας τοῦ δικαίου τούτου! ὢ βία ἀντιποιοῦσα οἷα ἀπεδόθη μοι τῇ ἀθλίᾳ! δός μοι τὸν υἱόν μου, ὃν μετὰ μόχθου ἔθρεψα, δός μοι τὸ παιδίον μου τὸ ὀρφανὸν, καὶ ἀπερίστατον, ὢ τῆς βίας τοῦ δικαίου τούτου, ἀντ' ἐκείνων ταῦτα μοι ἀποδεδοκότος! δός μοι τὸν ὀρφανὸν, δι' ὃν ὅλα ἐκεῖνα πεποίηκα ἵνα ζήσῃ, καὶ γένηταί μοι παρηγορία· δός μοι τὸν ὀρφανὸν, ἐπεὶ γινώσκε ὅτι ἔνταυθα ῥίσσω τὴν κεφαλήν μου ἐγγύς σου· παρακάλεσον τὸν δεσπότην σου ἀποδοῦναί μοι τὸν μονογενῆ μου, πολλοὺς γὰρ ἀνέστησεν καὶ ἀπὸ χρόνου ἀποθανόντας, δός μοι τὸν ὀρφανόν μου ἐπίλαβε κἀμὲ πρὸς αὐτόν. Πᾶσα δὲ ἡ ἐκκλησία ἔκλαυσεν σὺν αὐτῇ, ἦν γὰρ τὸ παιδίον ὡραῖον καὶ τῷ ἴδει εὔμορφον· ἔκλαιον δὲ διὰ τὴν εὐσ[ε]βεστάτην ἐκείνην, ὅτι οὐκ ἄξια ὧν ἐποίησεν ἀπέλαβ[ε]ν.

16 Διημέρευσεν δὲ ἐκεῖ κλαίουσα· πάντες δὲ οἱ ἱερεῖς αἰδοῦντο παραμυθήσασθαι αὐτήν· περὶ δὲ τὸ μεσονύκτιον ἡσύχασεν περιπτυξαμένη τῷ παιδίῳ· ἦν γὰρ ἀπὸ πολλοῦ κλαυθμοῦ....? καὶ ἰδοὺ ἐπιφαίνεται αὐτῇ ὁ ἅγιος Οὐάρος ἔχων τὸ παιδίον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ· ἦσαν δὲ ἐζωσμένοι ζώνας ἀπὸ χρυσοῦ, καὶ αἱ χλαμύδες αὐτῶν
C ὡς ἀπὸ φωτὸς, καὶ τὰ φιβλώματα αὐτῶν ὡς ἀστέρες, διαδήματα ἔκειντο ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, ἔχοντα ἀστέρας περὶ κύκλῳ, καὶ ἰδοῦσα ἐπτοήθη φόβῳ, καὶ πεσοῦσα προσκύνησεν ἔχουσα τὸν πόδα τοῦ ἁγίου εἰς τὴν μίαν χεῖρα καὶ τὸν πόδα τοῦ παιδίου εἰς τὴν ἄλλην χεῖρα· καὶ ἤγειρεν αὐτὴν ὁ ἅγιος Οὐάρος, καὶ εἶπεν· τί μου καταβοᾷς, ὢ γύναι, ὡς ἀδικίαν κατὰ σοῦ πεποιηκότος, καὶ ὡς ἀντ' ἐκείνων πάντα τὰ ἐνάντια ἐργασαμένου· μὴ γὰρ ἐπιλέλησμαι ὧν μοι πεποίηκας ἐν τῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν τῇ ὁδῷ· οὐ καθ' ἑκάστην εὐφραινόμην τῶν θυμιαμάτων σου; καὶ ἐπέβλεπον εἰς τὰς λυχναψίας σου; οὐκ ᾐσθόμην ὅτι ἀνέστειλάς με ἀπὸ τῶν ὀστέων τῶν ἔξω τῆς πόλεως ῥιφέντων, καὶ ὑπέθηκάς με ὑπὸ τὴν κοίτην σου, ἢ ὅτε ἔλαβές με ἐν τῷ σάκκῳ τῆς ἐρέας;

17 Οὐκ ἔγνων ὅτι ἀπέθου με ἐγγὺς τῶν γονέων, οὓς συνέχομεν, οὓς ὑπὸ ἁμαρτιῶν πολλῶν ἠλευθέρωσα διὰ τὴν χάριν σου, παρακαλέσας τὸν δεσπότην Χριϛὸν δοῦναι αὐτοῖς τὴν ἄφεσιν; οὐκ ἔγνων ὅτι ἐξήνεγκάς με ἀπὸ τοῦ μνήματος καὶ ἐβάστασας τὴν κλίνην μου, μετὰ τοῦ φιλοχρίστου σοῦ υἱοῦ; οὐκ ἐγὼ συνυπηρέτουν ὑμῖν τοῖς πλήθεσιν, καὶ ἐν ὀνόματι Χριϛοῦ εὐλόγησαν τὴν ἑτοιμασίαν σου; οὐ σὺ με παρεκάλεσας, ὅτε με κατέθου ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ, ἵνα παρακαλέσω τὸν Θεὸν ὑπὲρ τοῦ σοῦ υἱοῦ, ὅπως ποιήσει μετ' αὐτοῦ τὸ εὐάρεστον καὶ στρατολογήσει αὐτὸν

bui (in Ægypto) in illa tempestate a diabolo adducta; et nunc etiam hoc tempore pacis pete a Deo D
ut filio meo det sanitatem in Christo, et in militia sua gratiam coram imperatore. Rogo te sane ut reminiscaris me nihil magis quam te veneratam esse, non virum, non pueros, non divitias. Exiens inde convivium splendidum dedit multitudini isti, et ipsa inserviebat cum filio suo, nolens ut quidquam gustaret antequam discumbentes recessissent; dicebat enim : Ego et tu fili, ex mensæ reliquiis reficiemur *l*. Cum autem turbæ recessissent, ægrotavit puer et decubuit, ac mater eum adiens, dum servi jam quiescebant, oculos osculata est pueri, dicens : Pro sanitate tua, fili, hæc omnia feci, ut tu mihi superstes præmittas me ad Sanctum nostrum, sed surge et cibum sume, siquidem jejunus es et multum laborasti. Ille autem vix ei respondit, quia ardebat febri.

15 Tum projiciens se mater super eum, et ulnis *moritur.*
amplexa dixit : Vivit Dominus et oratio sancti martyris, quia nec ego aliquid gustabo donec videam quid unigenæ meo adveniat; et ita per omne tempus tenuit filium in sinu suo donec nocte media tradidit spiritum. Surgens igitur abstulit puerum et currens ad templum *m* projecit eum super E
altare, mensaque apprehensa, clamabat dicens : O qualem remunerationem justi hujus, o violentiam quæ pro omnibus quæ ego misera dedi, contraria præstat et adversa! Da mihi filium meum, quem cum labore nutrivi, da puerum orphanum et derelictum. O justi hujus violentiam, qui pro omni servitio meo istud mihi legat. Da mihi puerum orphanum propter quem hæc omnia feci ut viveret et esset consolatio mea. Da mihi eum, nam scito me hic prope te caput mihi rupturum. Roga Dominum tuum ut mihi reddat unigenam, siquidem multos suscitavit etiam ab anno jam mortuos redde mihi orphanum meum vel me etiam assume ad eum. Interim omnis ecclesia cum ipsa flebat, nam puer venustus erat et pulcher visu : flebant autem propter piissimam fœminam, quoniam eorum quæ fecerat dignum præmium non recipiebat.

16 Porro diem ita transegit ibidem plorando et *S. Varus*
omnes presbyteri timebant eam solari; versus mediam vero noctem requievit super puerum reclinata, ex multo fletu videlicet defessa, et ecce apparet ei Sanctus Varus, puerum manu ducens, utrique zonis aureis præcincti et chlamydes eorum quasi ex lumine, fibulæque ut stellæ et diade- F
mata in capite eorum stellas habebant in circuitu. Hæc videns Cleopatra perterrita est et procidens venerabatur eos, manu altera pedem Sancti tenens, altera vero pedem pueri. Sed excitavit eam sanctus Varus : Quid me clamoribus impetis, inquit, o fœmina quasi injustitia te affecissem et pro benefactis reddidissem prorsus opposita. Non enim me fugerunt quæ in Ægypto mihi fecisti et in itinere. Nonne quotidie lætabar de oblationibus tuis et inspiciebam luminaria tua accensa, sentiebamque te sustulisse me ex ossibus quæ projiciuntur extra urbem et collocasse sub lecto tuo, deinde vero posuisse in sacco illo cum lana?

17 Numquid non novi juxta parentes tuos posi- *cum filio*
tum me fuisse, qui nobiscum sunt, quos a peccatis multis liberavi propter te, rogans Christum Dominum ut eis remissionem impertiret? Nonne novi te monumento me extulisse et portasse meum feretrum cum pio filio tuo? Nonne vobiscum inserviebam multitudini et in nomine Christi vestræ promptitudini benedicebant? Nonne rogasti, quando in altari me deponebas, ut Deum deprecarer super filio tuo, quo fieret de eo juxta beneplacitum et militiæ

A militiæ adscriberet eum in Catalogo primogenitorum? Ideo oravi Dominum et mihi præstitit illud, militiaque præclara, ut vides, eum donavit; nunc autem si vis resume illum. Sed puer statim ei se implicans: Non, Domine, inquit, magister mi, non sustineo eam iterum me tradere mundo iniquitatis ex quo vix excessi, non Domine mi, ne tollas me de conversatione tua et Sanctorum quibuscum vivimus.

matri apparet. 18 Tum matri dixit: Recede a me mulier; numquid invidet mulier unigenæ suo et ex aula regia ad paupertatem eum assumet, ex lumine ad tenebras? Dixit eis mulier: Me vobiscum assumite ut et ego regnem sicut vos. Sancto autem dicit: Obsecro te ne me removeas ab unico filio meo. Dicit ei Varus: Ibi remanens etiam nobiscum es, sed recede in pace et corpus pueri quod habes in ulnis depone juxta me in loculo, nostrique memoriam perage in terra et nos visitabimus te, quando volet Dominus. Ecce tu credidisti, vade in pace o. Cum esset expergefacta tremens narravit multitudini visionem et assumpta veste nitida cum aromatibus, induit ea filium suum, ibique juxta Sanctum eumdem recondidit. Omnes autem amicæ ejus et B ancillæ rogabant eam ut ei imponeret vestem militiæ, dicentes: Ne eam videas in domo tua et præ mœrore anima tua vulneretur. Illa autem nolebat dicens: Vos non novistis qualia ferat filius meus.

Mors B. Cleopatræ. 19 Tum exiens rogabat omnes, dicens: Rogo vos ut adsitis omnes crastina die; nam celebrabo festum magnum quia adscriptus est filius meus militiæ Angelorum. Vidi enim et lætata est anima mea et laudavi Dominum. Paravit igitur convivium magnum et ministravit discumbentibus cum lætitia magna et alacritate, et die sequenti dimissis turbis sequestravit se in martyrio et erat ibi ministerio orationum vacans continuo et invocans Dominum. Apparebant ei Sancti die dominica splendidam suam gloriam variantes. Elapsis autem annis septem, obiit beata Cleopatra et sepulta est juxta eos in martyrio; quibuscum et vobis partem det Dominus sicut et omnibus qui congregati sunt ad memoriam eorum celebrandam; ad gloriam Patris et Filii et Spiritus Sancti, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ἐν τῷ καταλόγῳ τῶν πρωτοτόκων; διὰ τοῦτο ἐδεήθην τοῦ Κυριοῦ, καὶ ἐποίησέν μοι τοῦτο, καὶ ἔνδοξον στρατίαν δέδωκεν αὐτῷ ὡς ὁρᾷς, καὶ νῦν, εἰ βούλει, λάβε αὐτόν, καὶ εὐθέως περιεπλάκη αὐτῷ τὸ παιδάριον λέγων· μὴ Κύριέ μου διδάσκαλε, μὴ ἀνάσχῃ αὐτῆς παραδοῦναί με τῷ κόσμῳ τῆς ἀδικίας, οὗ μόλις ἀπηλλάγην, μὴ Κύριέ μου, μὴ ἀποστερήσῃς με τῆς συνδιαγωγῆς σου καὶ τῶν ἁγίων μεθ' ὧν οἰκοῦμεν. *EX MSS.*

18 Τῇ δὲ μητέρι εἶπεν· ὕπαγε ἀπ' ἐμοῦ, ὦ γύναι, ἐστὶν γυνὴ διαφθονομένη τῷ μονογενῇ αὐτῆς, καὶ παραλαμβάνουσα αὐτὸν ἀπὸ βασιλείας εἰς πτωχείαν, καὶ ἀπὸ φωτὸς εἰς ζοφόν; καὶ εἶπεν αὐτοῖς ἡ γυνή· λάβετέ με μεθ' ὑμῶν ἵνα κἀγὼ συμβασιλεύω ὑμῖν. καὶ λέγει τῷ ἁγίῳ· δέομαί σου μὴ ἀποῤῥίψῃς με τοῦ μονογενοῦς μου· λέγει αὐτῇ ὁ ἅγιος Οὐάρος· καὶ ἐνταῦθα οὖσα ἐκεῖ μεθ' ἡμῶν εἶ, ἀλλ' ὕπαγε ἐν εἰρήνῃ καὶ τὸ σῶμα τοῦ παιδίου, ὃ ἔχεις ἐν ταῖς ἀγκάλαις σοῦ ἀπόθου παρ' ἐμοὶ ἐν τῇ σορῷ καὶ ἐπιτέλει τὰ μνημόσυνα ἡμῶν ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἐπισκεψόμεθά σε ὅτε βούλεται ὁ Δεσπότης· ἰδοῦ ἐπιστεύθης, πορεύου ἐν εἰρήνῃ· καὶ ἐξυπνίσασα ἔντρομος διηγεῖτο τῷ ὄχλῳ τὸ ὅραμα, καὶ λαβοῦσα στόλαν καθαρὰν καὶ μύρα, ἀνέδυσεν τὸν υἱὸν αὐτῆς καὶ παρέθετο τῷ ἁγίῳ ἐκεῖ· πᾶσαι δὲ αἱ φίλαι αὐτῆς καὶ αἱ διακονοῦσαι αὐτῇ παρεκάλεσαν αὐτὴν ἐπιθῆναι αὐτῷ τὴν ἔσθητα τῆς στρατίας E αὐτοῦ λέγουσαι· μήπως εἴδῃς αὐτὴν ἐν τῇ οἴκῳ σου καὶ ἀπὸ τῆς θλίψεως πληγῇ ἡ ψυχή σου· ἡ δὲ οὐκ ἐβούλετο, λέγουσα· ὑμεῖς οὐκ οἴδατε οἷα φορεῖ ὁ ἐμὸς υἱός.

19 Καὶ ἐξελθοῦσα παρεκάλεσεν πάντας λέγουσα· δέομαι ὑμῶν παραμείνατε ἐγγύς μου τὴν αὔριον, ποιήσω γὰρ ἑορτὴν μεγάλην διότι ἐστράτευται ὁ υἱός μου ἐν τῇ στρατίᾳ τῶν ἀγγέλων· εἶδον γὰρ καὶ ἐχάρη μου ἡ ψυχή, καὶ ἐδόξασα τὸν Θεόν· καὶ ἐποίησεν δοχὴν μεγάλην καὶ διηκόνει τοῖς ἀνακειμένοις μετὰ χαρᾶς μεγάλης καὶ εὐθυμίας καὶ τῇ ἑξῆς πέμψασα τοὺς ὄχλους ἀπετάξατο ἐν τῷ μαρτυρίῳ καὶ ἦν ἐκεῖ λειτουργοῦσα ταῖς εὐχαῖς διαπαντὸς καὶ δεομένη τοῦ Κυριοῦ· ἐπεφαίνοντο δὲ αὐτῇ κατὰ κυριακὴν οἱ ἅγιοι ἐναλλάσσοντες αὐτῶν τὴν δόξαν λαμπροτέραν· μετὰ δὲ ἕβδομον ἔτος ἐτελειώθη ἡ μακαρία Κλεοπάτρα καὶ ἐτέθη παρ' αὐτοῖς ἐν τῷ μαρτυρίῳ; μεθ' ὧν δῴη καὶ ὑμῖν ὁ Κύριος μερίδα καὶ πᾶσιν τοῖς συναγομένοις ἐν τοῖς μνημοσύνοις αὐτῶν. εἰς δόξαν Πατέρος καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNOTATA.

C a *Si S.* Varus *passus est die quo colitur,* XIX *Octobris, ejus socii nonnisi die* XX *eamdem palmam consecuti fuerunt.* F

b *Persecutio quievit exeunte anno* 312, *aut initio sequentis* (1).

c *Metaphrastes hic :* διὰ τινος τῶν ἐν ῥήτορσι γεγραμμένων τῷ ἐπὶ τοῦ τόπου ἡγεμονεύοντι προσφοιτᾷ : Per quemdam ex iis, qui adscripti erant in numerum oratorum, accedit ad loci præsidem.

d *Hæc eodem modo a Metaphraste narrantur cap.* 9 *et* 10.

e *Metaphrastes :* ἐν τύλῃ ἐρέας : *sed Hervetus legerit* ἐλαίας; *nam vertit apud Surium cap* 10 : In arca oleagina, *quod nunc ex Actis Metaphrastæ Mss., quæ præ manibus sunt, et ex anonymo nostro procul dubio rejiciendum est. In sequentibus apud Surium agnoscitur stylus et amplificatio Metaphrastæ, sed ab Herveto (cap.* 10) *quædam non bene reddita, alia omissa sunt. Sic itaque vertendum e græco Metaphrastæ :* Cum igitur Martyris corpus abscondisset, (nam primum quidem timebat gentilium insaniam, deinde autem et multo magis piorum fervorem, omnibus, ut par erat, opus illud auferendi lipsana eorum, qui passi erant pro Christo, maximo studio præstantibus) his igitur suavissime circa hæc laborantibus, ipsa venit in Palæstinam.

i *Infra num.* 13 *scribit de incolis monasteriorum. Verum hæc vox non intelligenda est ac si ageretur de monasteriis, ut aliquot tantum annis post persecutiones exstiterunt. Talia in Palæstina tum non erant* (2), *sed forte asceteria quædam in quibus pauci ascetæ simul vivebant* (3) : *itaque de his debent intelligi quæ in Actis utroque loco leguntur.*

g In pago Syre, *sed Metaphrastes :* Ἔδρα δὲ κατωνόμαστο, *et ita etiam in codice suo Hervetum legisse patet ex interpretatione apud Surium cap.* 10 : In quodam vico... cui nomen erat Edra ; σύρη *vel* σύρα *et* ἔδρα *fuerint unum pro altero scriptam, ex litterarum similitudine, præsertim prout in codicibus Mss. efferuntur. Ista nomina nec apud Dapperum, nec apud diligentissimum Van de Cotte* (4) *reperimus.*

(1) Pagius ad an. 313, n. 15 et 16 : Tillemont. Hist. des Emp., t. IV, p. 142 et 146.—(2) S. Hieronym. in Vita S. Hilarionis.Oper., t. I. edit. 1565, p. 344 — (3) Cfr Opera S. Basilii, t. III, p. LIII, et seq., n. 2 ; Examen Historicum, etc., p. 47 et 57 ; Acta SS., t. III Maii, p. 324 b. — (4) Cartes topographiques de la Palestine. Bruxelles 1847.

h *Repetit*

h *Repetit hic scriptor filium* Cleopatræ *fuisse annorum duodecim, quod jam de eo dixerat, dum sæviente persecutione in Ægypto, matri auferenti Corpus S.* Vari *adfuit (num.* 10). *Hic itaque vel ab amanuensi* ιϛ' *loco* ιζ' *intrusum, vel ab anonymo inadvertenter repetitum id videtur. Etenim a morte S.* Vari *ad reditum in Palæstinam tempus non modicum effluxit; nam in Palæstina militiæ adscriptus est, quod apud Romanos nonnisi anno ætatis decimo septimo fiebat. Cfr Commentar. num.* 6 *circa finem, et Acta num.* 13 *et* 14 *Metaphrastes neutro loco ejus ætatem indicavit, sed priori scribit solum eum tum primam egisse ætatem, nempe dum S.* Varus *passus est :* Πρώτην ἄγοντα τὴν ἡλικίαν. D

i *Quæ hic habentur de itinere filii ad aulam imperatoris, a Metaphraste mutata sunt cap.* 10 : Pecuniam mittit ad eos qui rerum potiebantur, petens ut honore suum dignarentur filium ; statim autem sunt missæ ad eam litteræ imperatoriæ, dignitatem filio tribuentes.

k *Cfr Annotat.* f. *Metaphrastes similiter episcopos et presbyteros memorat, dein :* ὅσοι τῶν μοναχῶν ἐπὶ τῶν κατ' ἀρετὴν βίῳ διέλαμπον.

l *Metaphrastes hic suum lectorem præmunire voluit :* Sed id quod nunc dicendum est, turbabit quidem aures et animos eorum, qui sunt pusilli et abjecti animi ; eorum autem qui, quo ad ejus fieri potest, Dei modum norunt et magnæ illius sapientiæ providentiam admirabilem, magis movebit linguam ad benedicendum, et factum admittendum, propter eam, quæ ex eo evenit, utilitatem. *Apud Surium cap.* 11.

m *Hæc a Metaphraste nonnihil adornata sunt :* Cum ergo acerbum hunc vidisset eventum, *inquit,* primum quidem caligans, humi decidit, eamque cum animo vox defecit, cum repentinus fuisset dolor linguæ instar vinculi. Sed cum parum ad se rediisset, et nonnihil resipuisset, humeris tollens mortuum corpus filii, *templum quod Martyri ædificaverat ingreditur* et ad sacram aram id ferens ibi deponit. *Sic apud Surium cap.* 12, *paucis suppletis quæ alio charactere impressa sunt. Quæ habet initio cap.* 13 : Sic dicebat et procidens rursus lugebat etc. *similiter ab Actis nostris absunt, sed ibi ingenio indulserit Metaphrastes; hæc enim profecto leviora sunt, quam ut idcirco ei alia Acta præter* B
B *nostra ad manum fuisse dicamus. Quum vero lector percipiet quæ hoc loco in Passione traduntur de oratione S.* Cleopatræ, *indubie menti occurrent quæ de pietate, qua plebs in quibusdam regionibus Sanctos prosequitur, vulgo perhibentur. Verum in his minus verba quam ipse animi affectus consideranda sunt. Cæterum non dubitavit S. Augustinus laudare matrem, quæ amiserat in gremio ægrotantem filium, catechumenum, infantem lactentem, et quam populo suo exemplo proponit his verbis* (1) : Impleta affectu fiduciæ tulit illum mortuum, et cucurrit ad memoriam B. Martyris Stephani et cœpit ab illo exigere filium et dicere : Sancte Martyr, vides nullum mihi remansisse solatium. Non enim possum dicere filium præcessisse, quem nosti periisse : tu enim vides quare plangam. Redde filium meum, ut habeam eum ante conspectum coronatoris tui. Hæc et talia cum precaretur, lacrymis quodammodo non petentibus, sed (ut dixi) exigentibus, revixit filius ejus. *Operæ pretium est de his legisse Bossuetium in Monito suo ad Protestantes de incusatione idololatriæ.*

n *Tillemontius* (2) *hic similitudinem invenire se credit inter* Cleopatræ *filium et Cleobin ac Bitonem, de quibus si Herodoti libro* I *legitur et apud Ciceronem in Tusculanis. Eam procul dubio longe quæsitam reperiet, quicumque alterum ex his scriptoribus cum Actis voluerit conferre, et quidem si hac qualicumque analogia (nam vix ulla hic est) contentus quis sit, poterunt ei innumeræ narrationes ex ethnica historia in ecclesiasticam transiisse videri. Ceterum se Ciceronem aut Herodotum scriptor noster familiariter novisset, non est dubitandum quin felicius, quod posterorum memoriæ tradere volebat, enarrasset.*

(1) Serm. 324, al. 33 de div.

DE SANCTO EUSTERIO

C

EPISCOPO SALERNITANO.

COMMENTARIUS.

B. B.

Pauca ad nos de S. Eusterio pervenerunt. Ejus festum variis celebratum diebus. Quo tempore floruerit. Chronologia ecclesiæ Salernitanæ.

VERSUS MED. SÆCULI V.

Notitia civilis et ecclesiastica principatus Salernitani.

Juvat *exordium ducere a notitia, quam more suo compendiose texit Cantelius noster principatus Salernitani* (1) ; Salernum, *inquit,* quod principatus citerioris nunc caput est, in ora Tyrrheni maris, olim a Sem Noëmi filio conditum fabulantur : ab amne Silare illi nomen inditum. Romanorum alias colonia fuit. A Longobardis regibus, hæc urbs servire jussa est ducibus Beneventanis, donec anno MCCCLI suos etiam cœpit habere principes. Cæso, uti antea diximus, per tumultum Sicardo, Beneventano duce, Adelgisus ejus ditionem occupat : Landulfus Capuæ Guastaldio Siconulfum Sicardi filium, Capuæ principem constituit. Inter utrumque atrox inde bellum exarsit, quod vario marte gestum est ; res tandem a Ludovico imperatore anno DCCCLI ita composita est,

(1) Metropolitanarum Urbium historia civilis et ecclesiastica, auctore Petro Josepho Cantelio S. J. Paris 1685. Unicum prodit volumen.

ut

A ut Aldegisus Beneventi, Siconulfus et Capuæ et Salerni, quod armis receperat, imperaret. Hæc prima, ut perhibent, Salernitani principatus initia: nec omnes tamen postea principes ejusdem familiæ aut fuerunt aut gentis; sed alii vel pro imperatorum libidine, vel pro suis in publicam rem aut dejecti aut asciti in principes. Anno MLXXV Gisulfus a Roberto Viscardo, jam tum Apuliæ duce, principatu spoliatus est: illi Rogerius filius, Rogerio Wilhelmus successit, huic Rogerius Siciliæ comes, qui paulo post utriusque Siciliæ rex appellatus est. Denique Salernitana civitas principatus titulo data est viris principibus, ut Jordano Columnæ, ducibus Sanseverinis et aliis, donec principis a rege defectione, regiæ, ut loquuntur, Cameræ iterum adjuncta est. *Hactenus Cantelius* (1). *Nostra ætate, caput quoque est* principatus Citerioris *(Ulterioris est Avellinum) incolas numerans ad* 11,000 (2).

A primis nascentis ecclesiæ temporibus, *subjungit Cantelius* (3), Christianam fidem Salerni receptam, vulgo creditum est, ibique institutum, qui civium pietatem foveret, episcopum; vere an secus, alii viderint. Episcoporum sane, si qui fuerunt, nomina aut perierunt aut ita nullo ordine
B produntur ab auctoribus, ut quo quisque tempore sederit, dignoscere nullo modo liceat. *Ast de his infra redibit sermo. Sufficiat hic notasse Gaudentium, Salernitanum episcopum subscripsisse Concilio Romano, sub Symmacho Papa, anno* 499. *Jam ad S.* Eusterium *veniamus.*

Sancti Eusterii memoria in Mart. Romano et Baronio;

2 *Illius meminit ad hunc diem Martyrologium Romanum:* Apud Salernum sancti Eusterii episcopi. *Quem in locum notat Baronius:* Tabulas ecclesiæ Salernitanæ ac vetera monumenta ejusdem Romam allata vidimus, nec non ejusdem ecclesiæ Breviarium. Reconditum est ejus corpus in ecclesia cathedrali in crypta inferiori, sub altaris confessione, ubi et posita sunt aliorum sanctorum Episcoporum ejusdem civitatis veneranda corpora; ut Bonosii episcopi, cujus dies natalis illic agitur XIII Maji; Gramatii episcopi, de quo XI Octobris; Valentiani episcopi, quem celebrant III Novembris; itemque Veri et Eusterii episcoporum, de quibus inferius agitur. Asservantur ibidem aliorum sanctorum Confessorum corpora, ut Elpidii, Cionii, et Elpigii, quorum celebritas agitur XXIV Maii; itemque Cyrini et Quinsegii, quorum agitur dies anniversaria V Decembris. Hæc ex antiquis ejus
C ecclesiæ monumentis exscripsimus. *Ita Baronius in* Notationibus ad Martyrol. Rom. (4).

et apud Ferrarium.

3 *Ejusdem Sancti fit mentio apud Ferrarium in* Catalogo Sanctorum Italiæ, *ad XIX Octobris his verbis:* Eusterius episcopus Salernitanus IV post S. Verum Salernitanæ præfuit ecclesiæ: quam ea sanctitate administravit, ut cum diem suum XIV Novembris obiisset, Sanctorum numero adscribi meruerit. Corpus in Crypta majoris ecclesiæ cum corporibus aliorum SS. Episcoporum asservatur. In cujus natali (XIX *Octob.*), qui dudum hac die celebrari consuevit, hæc oratio recitatur: *Deus, cui B.* Eusterius *pontifex ita sanctitatis gratia decoratus complacuit, ut tuorum consortium in cælis promereretur Sanctorum; da ecclesiæ tuæ, quæsumus, ejus interventu perpetuam consequi lætitiam, cujus depositionis diem gratulando celebrat solemnem.* Ex Brev. antiq. Salernitano. *Dein hanc apponit Ferrarius Annotationem:* Acta ejus perierunt, ut neque patria, neque tempus quo vixit, sciri potuerit. *In Hagiologio Italico* (5) *ad verbum fere repetitur encomium Ferrarii, dempta* Oratione *et* Annotatione. *Nihil Usuardus habet de sancto* Eusterio, *et quod notatu dignius, nihil quoque de eo occurrit in innumeris Auctariis, undequaque a Sollerio nostro corrasis, in suæ Usuardini Martyrologii editione.* D. B.

Pauca de S. Eusterio habet Ughellus, sicut et Proprium Salernitana.

4 *Nec plura quæ ad res gestas sancti nostri Præsulis spectant reperies apud Ughellum. Agens de* ecclesia Salernitana (6), *paucis hisce verbis complectitur quæ de sancto* Eusterio *dicenda habuit.* Eusterius hujus civitatis episcopus memoratur in tabulis ecclesiæ Salernitanæ, et in romano martyrologio XIV Kalend. Novemb. quo die solemni ritu ejus festum celebratur. *In Proprio Salernitano, quod Neapoli primum prodiit anno* 1594 *sub titulo:* Officia propria festorum Salernitanæ ecclesiæ ab Ill. et Reverendissimo viro DD. Marco Bolognino, archiepiscopo Salernitano et regio consiliario, apostolica auctoritate, in quem sequitur modum, reformata; *in hoc, inquam, Proprio nihil amplius de Vita S.* Eusterii *habetur. Sequenti modo indicatur officium:* In festo S. Eusterii episcopi Salernitani, quod celebratur die XIV Octobriis. Omnia de communi Confess. Pontif. præter oratio- E
nem, *quam hic adscribimus.* Devotum tibi populum, benignissime Deus, clementer exaudi, ut qui pio affectu, venerandam beati Eusterii confessoris tui atque pontificis recolit solemnitatem, ejus meritis apud te, peccatorum obtineat remissionem. Per Dominum nostrum. *Hæc oratio valde diversa est ab altera illa quam ex Ferrario paulo ante dedimus.*

Non concordant in assignando ejus die festo;

5 *Notatu quoque dignum est hic, sicut et in calendario quod* Proprio *præmittitur, festum S.* Eusterii *assignari ad diem* XIV *Octobris, ubi tamen Ughellus asserit* XIV *Kalend. Novemb., seu* XIX *Octobris, festum illud solemni ritu celebrari. Quæ diversitas indigitata jam a prædecessoribus nostris fuit. Legitur enim ad diem* XIV *Octobris* (7) *inter Prætermissos:* S. Eusterius Salernitanus episcopus, ab ecclesia Salernitana, uti ex propriis hujus festivitatum officiis disco, hodie colitur. De Sancto isto agendum nobis pro instituto nostro est ad diem, quo in Martyrologio Romano hodierno celebratur, XIX Octobris.

quod ab initio videtur celebratum XIX Octobris.

6 *Videtur tamen reipsa festum illud etiam Salerni jam olim* XIX *Octobris celebratum; siquidem Gaspar Musca in* Catalogo (8) *suo scribat:* Sanctus F
Eusterius, Salernitanus episcopus: de quo idem Breviarium *(quod paulo superius notaverat quadringentos ab hinc annos amplius, editum)* et Martyrologium Romanum: cujus natalis dies colitur Salerni die XIX Octobris. *Deinde addit:* In ipso quidem Breviario de eo orationem habemus ad hunc modum (9). *(Eadem est, quam supra ex Ferrario descripsimus).*

Anno 1594 Proprium Salernitanum reformatur.

7 *Ast anno* 1594 *idem ille Marius Bologninus typis mandari curavit* Proprium ecclesiæ Salernitanæ, *quod satis diversum a præcedentibus fuisse vix dubitandi est locus vel ex ipso titulo:* Officia propria.., apostolica auctoritate, in quem sequitur modum, reformata. *Clarius id etiam constat ex Brevi Sixti V, quod in capite hujus Proprii exhibitur, atque inter alia hæc habet:* Sane ex dilectorum filiorum capituli ecclesiæ Salernitanæ insinuatione accepimus, quod officium divinum per eos celebrari solitum, quod a ducentis annis et

(1) Metropolitanarum Urbium historia civilis et ecclesiastica auctore Petro Josepho Cantelio S. J., part. III. Dissertation. III, cap. VII, p. 406 Paris 1685. — (2) Balbi. Abregé de Géographie. t. I, p. 401 et 406. Edit Bruxell. 1840. — (3) Ibid., loc. cit. — (4) Lit. g. ad diem XIX Octobris.— (5) Bassani, edit. 1773, t. II, p. 246. — (6) Ital Sacra, t. VII, col. 252. Edit. Venetiis 1721.—(7) Acta SS. t. VI Oct., p. 396.— (8) De Salernitanæ Ecclesiæ Episcopis et Archiepiscopis Catalogus, auctore Gaspare Musca, ejusdem civitatis presbytero, ac I... et Ampl. virum DD Marium Bologninum, Salernitanum antistitem. Neapoli 1591. — (9) Ibid., p. 13.

ultra

A ultra compilatum, ac forsan et a sede Apostolica confirmatum et approbatum fuit, in multis, si cum romano officio conferatur, inconcinnum sit, rubricas quoque confusas, ac multa nimis prolixa, nonnulla etiam ex parte diminuta habeat, ac denique adeo intricatum existat, ut contingat sæpius in choro ipsius ecclesiæ altercationes et differentias inter dilectos filios illius canonicos super recitatione ac celebratione primo dicti officii, illiusque occasione exoriri. Nos igitur qui personarum ecclesiasticarum commoditatem et quietem, ac divini cultus in recitatione et celebratione officiorum divinorum reformationem totis ex optamus affectibus... prædicto capitulo, ut ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus divinum officium more ac usu Romano quoad omnia recitare et celebrare libere et licite valeat, de venerabilis fratris nostri archiepiscopi Salernitani consensu, auctoritate apostolica, tenore præsentium indulgemus. Et nihilominus eidem archiepiscopo singulas Sanctorum et Sanctarum in dictu ecclesia celebrari solitas et alias loci festivitates circa modum illas celebrandi ac alias aliaque, desuper prout sibi convenire et melius esse videbitur, reformandi,
B mutandi, corrigendi, cæteraque necessaria seu quælibet oportuna faciendi et exsequendi licentiam et facultatem ac omnimodam auctoritatem eisdem auctoritate et tenore concedimus... Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Dominicæ Incarnationis millesimo quingentesimo octuagesimo sexto.

Ordinatio Mari Bolognini archiepiscopi reformato Proprio Salernitano præfixa

8 *Hoc igitur nixus indulto, Marius Bologninus reformando Proprio manum admovit, quod tandem anno* 1594 *typis mandatum ab omnibus per suam diœcesim observari voluit, ut habetur ex ordinatione quæ eidem Pro rio præmissa legitur :* Quoniam, *inquit*, illud, quo utebantur officio, et mancum erat in multis, et quæ continebat, pluribus ac prolixe narrabat, confusisque ac perturbatis indicibus, iis quas vulgo Rubricas appellant, ut contingeret in choro, sæpe sæpius, altercationes super recitatione dicti officii inter ipsos canonicos exoriri; supplicarunt iidem Salernitani canonici romano pontifici Sixto Quinto S. memoriæ, ut hisce rebus aliquo pacto, pro ea, qua fungebatur auctoritate, prospiceret. Annuit ille perhumaniter postulantibus, eosque Brevi, quod supra posuimus, Salernitano archiepiscopo, quæcumque in
C Salernitanæ ecclesiæ officio viderentur, immutandi, reformandi et corrigendi provinciam dedit, edixit universo collegio, ut emendatum omnes susciperent, eoque in posterum uterentur. Igitur dilatum adhuc negotium, ut considerate res fieret, nunc tandem reverendorum fratrum nostrorum dignitatum et canonicorum aliquot, aliorumque gravissimorum theologorum, tam sæcularium quam regularium, ad eam rem electorum opera usi, confecimus, et opus in hoc volumen redactum typis (Deo bene juvante) mandamus. Itaque auctoritate illa, quæ in dicto Brevi a Sanctissimo nobis tribuitur, Salernitanum capitulum et canonicos in Christo monemus, eique et eorum singulis mandamus, ut hoc officium intra dies quindecim ab impressione et publicatione suscipiant, eoque inviolabiliter utantur, cum eorum Sanctorum festi dies et solemnia, aliaque inciderent, quæ in eo ejusque Rubricis specifice continentur : in reliquis autem omnibus volumus ut festorum, Rubricarum, aliarumque rerum omnium observatio ad præscriptum Romani breviarii, Pii Quinti pontificis jussu editi, dirigatur... Datum Salerni... die XIX mensis D
Aprilis MDLXXXXIII.

Hac occasione festum S. Eusterii ad XIV Octobris videtur translatum : postea rursus in diem XIX rejectum.

9 *Hac itaque occasione et mutatam putamus sancti* Eusterii *orationem seu collectam, atque ejus festivitatem a* XIX *Octobris translatam ad* XIV *ejusdem mensis. Secus non conciperetur tanta in Gaspare Musca hallucinatio. Aliud est de Ughello, qui diu postea floruit, cum opus ejus* Italia sacra *secundis typis in lucem primum prodierit sæculo decimo octavo ineunte ; quo tempore jam rursus festum sancti* Eusterii *celebrabatur* XIX *Octobris, ut liquet ex altero proprio Salernitano, quod excussum habemus anno* 1696, *cura Cajetani Antonii Marottæ, et sub auspiciis Blasii de Vicariis, sede tunc vacante, Vicarii generalis capitularis. Exstat in bibliotheca nostra et tertium ejusdem proprii exemplar, majoris formæ, impressum anno* 1798 ; *hic etiam festum S* Eusterii *indicatur ad diem* XIX *Octobris. Nec putem postea diem hunc mutatum fuisse. Cæterum in duobus proxime laudatis pvopriis officium ordinatur sicut in proprio Marii Bolognini.*

De Episcopis Salernitanæ ecclesiæ.

10 *Uterque scriptor, Musca et Ughellus, quartum in ordine temporis sancto* Eusterio *assignant locum inter præsules Salernitanos.* 1 *S. Bonosius, de quo in opere nostro ad* XIV *Maii ;* 2 *S. Grammatius, cujus sylloge habetur ibidem* XI *Octobris ;* 3 *S. Verus, de* E
quo probabiliter agetur X *Kalendas Novembris ;* 4 *S.* Eusterius. *Hic, si laudatis duobus auctoribus adhæreamus, floruit sæculo quinto ; cum, juxta illos* Eusterio *successerit S. Valentinus seu Valentinianus ; huic S. Gaudentius, qui postremus, ut habet Ughellus* (1), Salernitanæ præfuit ecclesiæ anno 500 (vel 499) Symmacho pontifice, sub quo romanæ synodo interfuit et subscripsit. *Et paulo ante dixerat* (2) : Recte, meo judicio, senserunt, qui sacra Christi vel ab ipsis Apostolis vel ab eorum discipulis suscepisse Salernum, et proprios priscis illis temporibus habuisse pastores arbitrati sunt, quorum memoria non exstat. Salernitana ecclesia nobilissima et vetusta est ; ab anno Domini quingentesimo, ex quo tempore in hodiernum diem, spatio scilicet annorum mille et quinquaginta novem supra octuaginta præsules numerantur, quorum triginta tres fuere episcopi et LVI archiepiscopi. Ex episcopis sex inter Sanctos adscripti, nempe Donatus, Gramatius, Gaudiosus, Verus, Eustasius et Valentinianus, quorum corpora in majori basilica requiescunt. Metropolitana dignitate ornata fuit anno Salutis 984 a Benedicto VII Papa. F

Reliquiæ S. Eusterii aliorumque in metropoli.

11 *Et alibi* (3) *enumerans reliquias quæ in variis metropoleos Salernitanæ altaribus reperiuntur :* in altari, *inquit*, quod constructum est ad honorem confessorum, ex parte meridiei requiescunt corpora confessorum B Bonosii, episcopi Salernitani ; B. Gramatii, episcopi Salernitani ; B. Veri, episcopi Salernitani ; B. Eusterii, episcopi Salernitani ; B. Gaudiosi, episcopi Salernitani ; B. Valentini, episcopi Salernitani, *qui utique sex illi sunt episcopi, quos supra dixerat* inter sanctos adscriptos. *Ut quid ergo sibi non constat Ughellus in scribendis eorum nominibus, quorum aliqua, puta* Donatus Eustasius, *prorsus diversa sunt ab iis quæ in altera enumeratione leguntur ? Præterea cum utraque hic adscripta Ughelli enumeratione non concordat catalogus, quem ipse* (4) *texit Præsulum Salernitanorum : in hoc enim sex, imo septem, illi episcopi inter sanctos adscripti sunt : SS. Bonosius, Gramatius, Verus,* Eusterius, *Valentinus, Gaudentius et Gaudiosus Hæc nominum scribendorum diversitas indicat quidem discordiam in veteribus monumentis occurren-*

(1) Ital Sac., t. VII, col. 352. — (2) Ibid., col. 345. — (3) Ibid., col. 349. — (4) Ibid., col. 352 et seqq

tem,

D. D.

tem, sed simul etiam quamdam arguit Ughelli negligentiam, qui, nulla opposita monitione, nomina illa promiscue adhibet.

Antiqua Ecclesiæ Salernitanæ chronologia valde obscura.

12 *De tempore quo floruit sanctus* Eusterius, *vix est quod confidenter asseras. Antiqua enim ecclesiæ Salernitanæ chronologia densissimis involuta tenebris est. Observat Ughellus ex Antonio Caraciolo (in* sacris ecclesiæ Neapolitanæ monumentis) *Muscam (quem tamen quoad Bonosium saltem, Gramatium, Verum, et* Eusterium *sequitur ipse Ughellus) non videri rationem omnimodam temporis habuisse in ordinanda episcoporum suorum serie. Majores nostri quoties in Actis Sanctorum agendum de beatis dictæ civitatis Episcopis fuit, constanter circa chronologiam hæserunt dubii. Sic Henschenius in vita Bonosii ad diem* XIV *Maii* (1) *maluit a determinando sæculo quo Sanctus ille floruerat, abstinere; simul tamen indicat rationem præcipuam a Caraciolo adhibitam, qua scilicet hic Bonosium ad sæculum* IX *rejiceret, sibi non undequaque probari. Sic etiam Cornelius Byeus in vita sancti Gramatii,* XI *Octobris* (2), *multa disputat, quibus in sententiam Caracioli inclinari se satis prodit. Attamen cum ejus argumenta talia nobis haud videantur, quibus rem definitam et confectam dixeris; nec alia nos lucidiora invenerimus; vestigia partim prememus Henschenii, qui satius duxit nihil quoad tempus determinare. Nihilominus tamquam satis probabile assumimus S.* Eusterium *sæculo quinto floruisse.*

Ex Synodo Romana I, sub Symmacho Papa,

13 *Quinimo stando hinc catalogis Muscæ et Ughelli, atque illinc spectando Concilium Romanum, sub Symmacho Papa celebratum, S.* Eusterius *sæculo* V *floruisse dicendus certo esset. Extra enim omne dubium esse admittitur Gaudentium huic Concilio subscripsisse. Hinc etiam Cantelius habet :* Nullius *(episcoporum Salernitanorum)* certa exstant vestigia ante Gaudentium, qui anno D in romana synodo, sub Symmacho, subscripsisse legitur (3). *Scissa nempe ab Romanæ sedis communione Constantinopolitana fuerat ecclesia, eo quod Acacii, qui in hæresi et schismate decesserat, e sacris tabulis nomen eradere illius urbis nollent aut non auderent episcopi. Quos ut ad officium concordiamque revocarent, nihil omisere Pontifices Romani : Gelasius imprimis qui anno* 492 *Felici Papæ subrogatus est. Hic sequenti anno per Faustum magistrum Officiorum a Theodorico (qui Ostrogothorum rex, devicto Odoacre, Italiam obtinuit anno* 493) *missum Constantinopoli frustra Euphemium et Anastasium aggressus est. Idem et Anastasius Papa, qui anno* 496 *Gelasio successit, et, qui Anastasium excepit anno* 498, *Symmachus obtinere conati sunt. Sed adeo Anastasio imperatori pax et concordia persuaderi non potuit, ut is in hortatricem ipsam Romanam ecclesiam dissidii sui pestem refunderet. Festus quidam Romanus senator Constantinopolim missus a Theodorico, clam Anastasio imperatori pollicitus, effecturum se, ut Henotico Zenonis Romanus pontifex Anastasius subscriberet, Romam ut rediit, defuncto jam Anastasio, cum legitimis suffragiis Symmachus esse electus, corruptis pecunia factiosis quibusdam, alterum ei pontificem opposuit Laurentium anno* 498 *ex quo cædes in urbe grassationesque factæ* (4). Cum ad perniciosum schisma componendum, *inquit Severinus Binius,* regis sæcularis et ariani *(Theodorici scilicet, qui Arii hæresim sequebatur)* judicium contra leges et canones ecclesiasticos importuna necessitas ecclesiæ interpellasset, et jam rex arianus, suo judicio schismate ecclesiæ et tumultu populi sedatis, Symmacho, utpote qui plurium suffragiis electus esset sedem Apostolicam adjudicasset, jamque legitimæ synodo cogendæ locus concessus esset; mox Symmachus Papa ad Italiæ episcopos litteras dedit, quibus iidem ad synodum quam primum convenire jubebantur, ut omnium etiam episcoporum cognitione et judicio approbaretur legitimus Romanæ ecclesiæ episcopus, quem rex arianus sua sententia legitime electum confirmaverat. Id habent acta concilii... Anastasius in Vita Symmachi hisce verbis : *Papa Symmachus synodum congregavit.* Errat itaque Theodorus lector in collectaneis suis, ubi hanc synodum a Theodoro rege congregatam scribit (5). *Porro subscripserunt, ut communiter dicitur, episcopi* LXXII, *vel etiam* LXXIII, *ut ferunt Acta, ipsa scilicet numerata Symmachi subscriptione* (6); *presbyteri* LXVII ; *diaconi* V (7).

probabilius infertur S. Eusterium floruisse medio sæc. V.

14 *Celebrata vero est, juxta Labbeum, Binium aliosque* (8) *Kalendis Martiis anno* 499 ; *unde corrigendus vel saltem interpretandus Cantelius, qui, ut supra vidimus annum ponit* D. *Huic synodo subscripsit* Gaudentius Salernitanus. *Atque hæc nota chronologica certa. Si itaque pariter certo Salernitanorum episcoporum catalogi ab Ughello et Musca contexti essent, jam non foret dubium, S.* Eusterium *sæculo* V *floruisse : cum hunc inter et Gaudentium, in Ughelliano catalogo, unus tantum medius ponatur S. Valentinus; tali nempe ordine :* I. *S. Bonosus,* II. *S. Grammatius,* III. *S. Verus,* IV. *S.* Eusterius, V. *S. Valentinus,* VI. *S. Gaudentius; concordet Musca nisi quod duos numeret intermedios, hoc scilicet modo : S.* Eusterius, *S. Gaudiosus, S. Valentinianus, S. Gaudentius. Verum, ex jam dictis n.* 12, *catalogi illi non satis firmiter stant; unde et nutat tempus seu epocha, qua Salernæ præfuit S.* Eusterius. *Probabile tamen est versus medium sæculum* V *id contigisse.*

Conclusio.

15 *Atque hæc sunt, pauca sane, quæ de actis sancti* Eusterii *scribere licuit. Deficiunt nempe monumenta. Forsitan, cum de aliis Salernitanæ ecclesiæ Præsulibus sermo in posterum erit instituendus, amplius aliquid ex probatis fontibus dicendum occurret.*

(1) Acta SS., t. III Maii. p. 374. — (2) Ibid., t. V Octob., p. 671 et seqq. — (3) Metropolitanarum urbium Historia civilis et eccles., p. 107. — (4) Petavius, Rationarium temporum, part. I, lib. VII, cap. III. — (5) Apud Labbe, Concilior. t. IV. col. 1317. Edit. Paris 1671. — (6) Ibid., col. 1312 et 1314. — (7) Ibid., col. 515 et seqq. — (8) Art de verifier les dates, p. 181.

A D

DE SANCTO GRATO

EPISCOPO ET CONFESSORE OLERONE IN GALLIA.

B. D.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

Urbis et sedis Oleronensis antiquitas. S. Grati Legenda et Officium. Reliquiarum inventio, descriptio, translationes.

SÆCULO VI INEUNTE. Olero, quondam sedes Episcopalis, nunc suppressa.

Illuro, seu Illuro, nunc Olero sive Oloro, ad Gavum amnem, urbs olim erat episcopalis sub metropoli Ausciensi, in Bearnensi principatu. Sedes Oleronensis suppressa remansit post novam diœceseon gallicarum circumscriptionem, factam ineunte sæculo decimonono, vi Concordati Pium VII inter et Napoleonem Buonapartam. Atque adeo ecclesia sanctæ Mariæ, olim cathedralis B *Oleronensis, hodie parœcia est, ut vocant, secundæ classis* (cure de 2e classe) *diœceseos Bajonensis, sub metropoli Ausciensi. Notatu dignum est, ecclesiam* Sanctæ Crucis *in eadem urbe Oleronensi parœciam esse primæ classis* (1).

Urbis Oleronensis antiquitas,

2 *Urbs Illuronensis, teste Expillio* (2), *antiquissima est, quamvis a veteribus geographis græcis et latinis fuerit omissa.* Primus omnium, *inquit Hadrian. Valesius* (3), aut saltem unus e primis Iluronem memorat Æthicus in itinere a Cæsar-Augusta Beneharnum, et inter Aspalucum, oppidum citra Pyrenæum in Aquitania situm, vulgo *Aspe* dictum, ac Beneharnum sive Lascurim (vulgo *Lescar) ponit. Notum est porro Valesium sub nomine Æthici non solum intelligere hujus Cosmographiam (in qua nihil* de Ilurone) *sed et Itinerarium Antonini. Cellarius* (4) *similia Valesio tradit de Beneharno :* In eo tractu, *inquit,* Beneharnum fuit ; sed dubium an ad veterem geographiam, in qua versamur, vere pertineat, quia nullum ejus vel leve monumentum, ante auctorem itinerarii, quod Antonini vel Æthici vocatur, superest. *Sirmundus* (5) *noster primus edidit,* conciliisque Gallicanis *præfixit* Notitiam provinciarum et civitatum Galliæ, *quam ipse refert ad tempora Honorii Augusti, quamque Valesius* omnium forte veterrimam, certe emendatissimam notitiam Galliæ *vocat. In hac, ubi de civitatibus provinciæ Novempopulanæ, undecimo loco ponitur:* civitas Elloronensium.

varia nomina,

3 *Quod ad ipsum nomen attinet, varie a variis, ut plerumque in hujusmodi obtinet, illud scribitur. In priscis Notitiis legitur* Elloronensium *vel* Elleronensium civitas ; *in quibusdam :* civitas Lurunensium Elarona, *et* civitas Loronensium Helaronna ; *in aliis* civitas Elloronensium, id est Elinia, *vel* Elurona, Elorona, Elarona. *In Conciliis Galliæ antiquioribus jam* Oloro, *jam* Olero *nuncupatur. Concilio Agathensi, anno* 506, *subscribit :* Gratus episcopus de civitate Olorone ; *Parisiensi* IV, *an.* 573 ; Licerius episcopus ecclesiæ Eloronensis; *Matisconensi II, an.* 585 : *idem* Licerius, *alias* Lucerius episcopus ecclesiæ Eloronensium. *Recentiores truncato nomine* civitatem Olorensem *vel* Olerensem *habent.* Sincerum, *inquit Valesius* (6), et incorruptum nomen urbis Iluro *vel* Illuro, ex quo postea factum est Eloro *seu* Elloro, non numquam et Oloro. Ex Eloro factum est Elorona *et* Elarona ut ex *Narbo,* Narbona, ex *Barcino,* Barcinona. Nostri vulgo *Oleron* nuncupant, urbem commercio Hispanorum divitem. Quod tamen decursu temporis magnopere imminutum *est. Est et* E *in Hispania Tarraconensi* Illuro, *a Mella memoratus his verbis :* Inde ad Tarraconem parva sunt opida, Blanda, Illuro, Betullo. *Hallucinantur etiam qui Apollinarem Sidonium de lepusculis* Olarionensibus *loquentem ep.* VI *lib.* VIII *interpretantur de lepusculis in agro* Olorensi *natis* Olario *enim hic est Uliarus insula in sinu Aquitanico contra Santones, vulgo* ile d'Oleron, *de qua apud Plinium, quæ lepusculis, hoc est cuniculis, abundat* (7).

Historia,

4 Oloronem *urbem a Saracenis, ex Hispania irruentibus, vastatam anno* 732 *tradit P. de Marca in* Historia Benearnica. *Post hanc cladem, alteram subiit, cum a Normannis solo æquata est ; instaurata seu potius reædificata fuit circa annum* 1080, *a Centullo IV, Benearni vice-comite, et quidem in adversa ripa Gavi, ubi erat erecta cathedralis ecclesia, sub invocatione S. Mariæ, juxta quam cum plurimæ jam assurgerent ædes, exin et* Burgus S. Mariæ *audiebat. Centullus exstructis mœnibus palatium vice-comitum ædificavit, utramque ripam, ponte super Gavo imposito, junxit, portam urbis versus Hispaniam alta munivit turri, condiditque ecclesiam parochialem Sanctæ Crucis. Incolas multis* F *auxit privilegiis immunitatibusque ; præterea jus concessit pascuorum, et lignationis per vicinas sylvas. Nova clade affecta urbs illa fuit sæculo* XVI *ab irruentibus Calvinianis hæreticis, sub episcopatu Gerardi Rufi, quo præsertim auctore et hortatore plures a catholica defecerunt fide, favente tunc maxime novatoribus Navarræ regina* (8).

præsens status.

5 Nunc urbs, eodem quo a Centullo condita est in loco satis amœno visitur, inter duos amniculos Ossavum *(Osseau)* et Aspam *(Aspe). Ita scilicet* Gallia Christiana (9) ; *quæ tamen non undequaque accurata sunt, ut constabit ex his quæ subjicimus hic juxta majores tabulas geographicas* (10), *auctore Cassini, initio hujus sæculi, expensis guberni gallicani excussas; quas dono accepit musæum nostrum Bollandianum, ex munificentia Clarissimi marescalchi* Soult, *Dalmatiæ ducis, pro tempore regii ministri in rebus bellicis ordinandis. In his tabulis n.* 108, *notatur* Olero, *sita ad confluentem duorum amnium, a meridie in Septemtrionem quidem, sed*

(1) Confer Almanach du clergé de France. An. 1844.— (2) Dictionnaire Géographique des Gaules et de la France, ad verbum : *Oleron.* —(3) Notitia Galliarum, ad verbum : *Iluro.*—(4) Geographia Antiqua, lib. II, cap. II, sect. I, n. XXXI. — (5) Concilia Antiqua Galliæ, ad initium tomi I. — (6) Notitia Galliarum, loc. cit. — (7) Nova Gallia Christiana, t. I, col. 1261 et 1262. — (8) Ibid., loc. cit. — (9) Ibid. — (10) Carte générale de la France.

cum

A *cum magna tamen in occiduum inflexione, currentium. Alter vocatur Gavus Ossavi* (Gave d'Osseau) *estque magis ad orientem, quam Gavus Aspæ* (Gave d'Aspe), *quod est nomen alterius, qui magis ad occiduum situs. Hic postquam ad* Oleronem *urbem confluxit cum Ossavo, cursum suum prosequitur, vocaturque Gavus seu Gaberus* Illuronensis *seu* Oleronensis (Gave d'Oleron) *donec, prope oppidum* Peyrehorade, *concurrat cum Gavo Benearnensi seu Palensi* (Gave Béarnais *sive* Gave de Pau) *ita dictus ab urbibus, quas alluit; atque ad orientem tum Ossavi tum Aspæ cursum orditur atque prosequitur. Ex tribus itaque fluviis seu amnibus* Gavus *nuncupatis, duo in unum confluunt ad ipsam urbem* Oleronem, *dein* Gavus Oleronensis *jungitur* Gavo Palensi, *postque hunc confluxum, prolabitur, postremum hoc sibi retinens nomen* (le Gave de Pau), *atque paulo post in Aturum* (Adour) *incurrit. Ipse vero Aturus, haud longo hinc absoluto cursu, prope Bajonam Oceano immergitur. Sita ergo est urbs* Oleronensis *ad confluentem Ossavi et Aspæ. Quinimo in duas quasi partes a præterlabente fluvio scinditur: in quarum altera reperitur antiqua cathedralis sanctæ Mariæ; in altera, quæ urbis*
B *præcipua est pars, assurgit ecclesia sanctæ Crucis, quæ modo primaria est. Hæc hodie proprie* Olero *vocatur*; illa, Urbs S. Mariæ *audit*.

Sedis Oleronensis antiquitas.

6 *Quoad sedis* Oleronensis *initia atque primævam antiquitatem, obscura sunt omnia. Id unum scimus ineunte sæculo sexto illam jam extitisse, ut liquet ex subscriptionibus concilii Agathensis, de quo ita habet* Gallia Christiana (1); anno Christi quinto supra quingentesimum Alaricus Gothorum rex, quamvis hæreticus, indulsit ut episcopi catholici convenirent Agatham ut synodum celebrarent, in qua multa decreta sunt ad meliorem ecclesiæ constitutionem, ecclesiasticamque disciplinam resarciendam; cujus concilii pars magna fuerunt episcopi provinciæ Novempopulaniæ; undecim enim ad illud convenerunt; octo per se, et tres per præsbyteros a se missos. Ex his autem qui interfuerunt, fuit Gratus episcopus de civitate Olorone : sic enim legitur in subscriptionibus (2).

Concilio Agathensi subscribit S. Gratus,

7 *Hic porro* Gratus *agmen ducit in catalogis episcoporum Oleronensium, alius ante ipsum, si quis fuerit, haud innotuit; unde communiter primus illius civitatis præsul habetur. Id quam maxime singulare animadvertitur in catalogo illorum epi-*
C *scoporum* (Gallia Christ. *loco cit.*), *quod nullus omnino sit, qui Sancti vel Beati titulo insigniatur; raro sane et fors unico exemplo in antiquiorum per Gallias sedium antistitibus. Est nihilominus extra dubium* Gratum *Sanctis annumerari, cum ejus cultus exstent certa in Ecclesia* Oleronensi *vestigia, ut ex dicendis elucebit.*

de quo pauca ad nos pervenerunt.

8 *Post hæc mirabitur nemo pauca admodum de sancto* Grato *ad nos pervenisse. Ejus mentio a Martyrologiis prætermittitur. Vix apud scriptores ecclesiasticos etiam notissimos aliud reperias quam nudum ejus nomen, occasione concilii Agathensis; solus fere Longuevallius noster* beatum *dicit* (3). *Imo et nos, agentes, ad diem* XVII *Octobris* (4) *de SS.* Grato *et* Ansuto, *apud Ruthenos cultis, hanc proposuimus conjecturam, duplici nixam argumento, sanctum nempe* Gratum *Ruthenensem eumdem esse ac* Oleronensem. *Atque exinde fortassis factum est, ut nec hic inscriptus fuerit catalogo sanctorum, de quibus agendum nobis remanet usque ad finem Decembris; quem catalogum edidimus et quaqua versum misimus anno* 1838. *Quapropter*

R. D. Darré, director majoris seminarii Ausciensis D. B.
litteras ad nos dedit benevolentia plenas quibus hagiographos commonefaceret de omisso nomine sancti Grati, *simulque submisit documenta, quæ actis ejus illustrandis inservirent.*

9 *Atque hic ante omnia veniunt lectiones ex breviario Ausciensi, in quibus, quidquid de sancto* Grato *traditum est, continetur. Illas apponimus prout leguntur sub hac inscriptione :* Die XIX Octobris sancti Grati episcopi. Semiduplex.

Ejus Legenda ex Breviario Auscitano,

Lect. II. Gratus ineunte sæculo sexto, Oleronensem regebat ecclesiam : subscripsit enim celebri concilio Agathensi, quod anno Christi quingentesimo sexto (*supra num.* 6 *ponitur* quinto) ex episcopis provinciæ Arelatensis, Narbonensis, Auscitanæ seu Elusanæ, Burdigalensis, Bituricensis et Turonensis congregatum est, præside sancto Cæsario Arelatensi. Quid præterea egerit Gratus, et quo tempore diem supremum obierit, incertum. Sed illum eximii pastoris partes omnes implevisse et sanctissime decessisse constat : antiquissimo quippe ritu colitur hac die ejus memoria in ecclesia Oleronensi, quæ jam pridem ejus patrocinio gloriatur. Caput ejus cum maxilla superiori in capsa argentea eadem ecclesia hactenus servavit. E

Lect. III. Reliquum corporis, quod ob hæreticorum furores Jaccam in Hispania translatum fuerat, inde in ecclesiam Oleronensem, motibus compositis, relatum fuisse colligitur ex Actis inventionis corporis sacri anno millesimo septingentesimo decimo a Josepho Oleronensi episcopo ecclesiam cathedralem visitante, circumstantibus multis tum canonicis aliisve de clero, tum magistratibus et civibus, reperti intra murum supra eum locum in quo sacrosancta Eucharistia asservatur. Etenim huic sacro corpori Hispanicis sericis involuto deest caput, sola maxilla inferiore superstite, quæ collata juridice maxillæ superiori capitis beati Grati, cum ipso aptissime cohæret. Desunt vero ossa quædam, quorum partem ecclesia Jaccensis se ex canonicis Oleronensibus accepisse fatetur in gratiam servati sancti depositi. Ex eo tempore ecclesia Jaccensis missam in honorem sancti Grati, quotannis hac ipsa die solemniter celebrat in capella sancto Pontifici sacra; ejusdem reliquias capsa argentea clausas in solemnibus supplicationibus circumfert. Variis autem et insignibus miraculis ad hæc usque tempora probavit F
Deus quam acceptum habeat cultum sancto Præsuli impensum. *Confer infra num.* 12.

11 *Lectiones illæ descriptæ sunt ex Breviario Ausciensi, typis edito anno* 1753. *Facile perspicitur eas magna cura concinnatas fuisse, utpote quæ nihil contineant quod ad severiorem crisim revocari non possit. Quo vero tempore conscriptæ fuerint satis elucet ex iis quæ de Inventione corporis traduntur, cum hæc contigerit anno* 1710, *die Januarii* 13ª *et sequenti, sub RR. DD. Josepho de Revol, qui sedi Oleronensi præfectus fuit anno* 1705.

officium proprium,

12 *Anno sequenti dictam Inventionem sub auspiciis laudati præsulis, prodiit :* Officium proprium sancti Grati episcopi Oleronensis, totius diœcesis patroni, quod celebratur die 19 Octobris, *impressum* Pali apud Hieronymum Dupoux typographum episcopi Oleronensis 1711. *Officio præmittitur mandatum RR. de Revol, quo injungitur, ut novum hoc officium substituatur loco alterius quod hucusque dicebatur. Lectiones eædem sunt ac Ausciensis, hoc solo discrimine, quod aliter dividantur (loco duarum tres habentur), et in fine tertiæ addantur sequentia :*

(1) T. I, col. 1263. — (2) Confer Sirmondum. Concilia Ant. Gall., t. I, p. 160-174. — (3) Histoire de l'Eglise Gallicane, t. III, p. 90, Paris in-12, an 1825. — (4) Vide supra, hoc tomo.

In acceptorum ejus intercessione memoriam mittuntur quotannis Olorum hac die magistratus, qui nomine plurium oppidorum intersint, ex veteri voto, solemni ejus officio cum facibus ardentibus. Sed et experitur quotidie Christiana plebs, quantam vim habeat apud Deum sanctus Pontifex ad sanandos morbos quoslibet et sedandas tempestates aerisque intemperiem depellendam.

Hymni. 13 *Hymni ad Vesperas, sicut et ad Matutinum et Laudes proprii sunt. Primus et tertius auctorem habent Sanctolium Victorinum (præclarum in fastis poëticis nomen); secundus ab Antonio Mureto concinnatus fuit. Digni sunt omnes tres suis auctoribus: quapropter eos hic transcribendos judicavimus.*

Ad I Vesperas. Hymnus auctore Sanctolio.

Quæ dies redit tibi, Grate,
Hæc redit nobis quoque veneranda;
Tu bonus nostros (tua nos propago)
Accipe cantus.

Quantus es cujus veniens ad ædem
Dexterum sentit sibi quisque numen,
Et domum semper redit impetrato
Munere lætus.

Te nurus castæ, viduæque matres,
B Virgines, sponsæ, juvenes senesque,
Omnis et sexus reperit patronum
Omnis et ætas.

Quin rudis fandi puer ore blæso
Te sinu matris resonare gaudet,
Et tuas laudes hilaris juventus
Carmine tentat.

Dux viæ quem nos sequimur valentes,
Ire des tuto pede quo præisti;
Sic erit semper bene fida proles
Juncta parenti.

Mec tuæ prolis tibi cura cedat:
Ut gubernasti pater et gubernes;
De tuis largas bibat ut bibisti
Fontibus undas.

Christe, qui nobis, Patre sic jubente,
Pontifex factus, tibi laus, suaque
Una sit Patri, sit et una sancto
Semper Amori. Amen

14 *Ad Matutinum. Hymnus auctore Mureto.*

Pastor beate qui tuæ
Concreditum curæ gregem
Sævis luporum faucibus
C Patere numquam passus es;
Tu læta dux ad pascua,
Fontes recludens limpidos
Oves videbas florido
Semper nitentes vellere.
Quod si quæ forsan rabido
Languere morbo cœperat,
Salubria, ut mitis pater,
Illi admovebas pharmaca.
Cujus laboris nunc tui
Digna assecutus prœmia
Favore (nam potes) tuo
Qui te precantur adjuva.
Æterne cunctorum Pater
Æterne Fili, par Patri,
Et par utrique Spiritus
Tibi Deus sit gloria. Amen.

15 *Ad Laudes. Hymnus auctore Sanctolio.*

Aurea qui nunc olympo
In stola stas pontifex;
Nube Verum qui remota
Jam vides securius,
Hæc dies, quam concupisti,
Grate, dat Christo frui,
Tu rudes doce magister D
Nos, tibi qui subdimur,
Finge pectus et liquescat
Igne, quo nunc ureris;
Prome dulce lac alumnis
De cibo, quo pasceris.
Nocte multa tu sepultis
Fer facem dux prævius;
Quæ reducunt nos olympo
Fac tenere semitas;
Quod notas iter sequamur,
Ad Deum nos ibimus.
Sit suprema laus Parenti
Qui creavit omnia;
Filioque qui redemit
Morte nos volens sua,
Flaminique cujus almo
Recreamur habitu. Amen.

16 *Ad Processionem (post Tertiam) dicuntur tres hymni supra positi; si non sufficiant, canuntur* Litaniæ sancti Grati; *quas hic describimus, cum ex illis sicut et ex præfatis Hymnis, innotescat, quos ob fines sanctus Præsul maxime invocatur.*

Kyrie eleison etc.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis. E
Sancte Grate, pontifex sanctissime, o. p. n.
Sancte Grate, gratiarum donis abundans,
Sancte Grate, vas electionis,
Sancte Grate, Christi minister dignissime,
Sancte Grate, ministeriorum dispensator fidelissime,
Sancte Grate, lumen ecclesiæ,
Sancte Grate, sal terræ,
Sancte Grate, imitator Apostolorum,
Sancte Grate, præsulum decus et ornamentum,
Sancte Grate, gloria sacerdotum,
Sancte Grate, peccatorum reconciliator,
Sancte Grate, iræ divinæ placator,
Sancte Grate, miraculorum patrator,
Sancte Grate, tempestatum sedator,
Sancte Grate, sublevamen pauperum,
Sancte Grate, afflictorum solatium,
Sancte Grate, languentium remedium,
Sancte Grate, pater amantissime,
Sancte Grate, doctor noster egregie,
Sancte Grate, pastor bone,
Sancte Grate, custos vigilantissime,
Sancte Grate, pax nostra, F
Sancte Grate, dux noster,
Sancte Grate, protector noster potentissime,
Sancte Grate, refugium nostrum,
Sancte Grate, fiducia nostra,
Sancte Grate, divitiæ nostræ,
Sancte Grate, gaudium nostrum,
Sancte Grate, corona nostra,
Sancte Grate, nostræ splendor patriæ,
Sancte Grate, bonorum nostrorum conservator,
Sancte Grate, portus tutissime,
Sancte Grate, firmamentum gentis,
Sancte Grate, hujus stabilimentum populi,
Sancte Grate, quies et tranquilitas nostra,
Sancte Grate, columna firmissima,
Sancte Grate, legislator noster,
Sancte Grate, gubernator noster,
Sancte Grate, præses noster,
Sancte Grate, propugnaculum nostrum,
Sancte Grate, amor noster.
Agnus Dei etc,

17 *Subsequitur Oratio*: Deus qui B. Gratum confessorem tuum atque pontificem populo tuo præesse, et quibus præerat verbo et exemplo prodesse voluisti; concede plebi tuæ ejus petenti suffragia,

A fragia, ut quæ pie ejus intercessione poposcerit, impetrare et ad vitam pervenire mereatur æternam; per Christum *etc. Oratio, quæ in Breviario Ausciensi ponitur, haud parum ab hac differt, estque hujusmodi.* Omnipotens, sempiterne Deus, qui ad immortales triumphos, B. Gratum pontificem extulisti, da nobis dignam pro ejus veneranda solemnitate lætitiam, et præsta, ut qui ejus patrocinio gloriamur, sanctis moribus ad ejus mereamur pervenire consortium. Per. *etc.*

Hujus officii causa, acris disceptatio Episcopum inter et ejus Capitulum.

18 *Novum hoc officium acerrimæ causa fuit disceptationis episcopum Oleronensem inter et ejus capitulum; quæ, cœpta anno* 1711, *finem demum habuit anno vigesimo primo ejusdem sæculi. Documenta varia ad hanc quæstionem spectantia, asservantur in bibliotheca majoris seminarii Ausciensis. Præcipua sunt.* 1. *Censura illustrissimi et reverendissimi Episcopi Oleronensis in quasdam antiphonas veteris cujusdam officii sancti Grati* (1). *Exemplar hujus censuræ, typis excussæ, Ausciense subscriptionem habet autographam* Josephi *(de Revol)* episcopi Oleronensis; *contrasignata item autographice:* Saubidet, *dataque est* ex seminario Palensi 15 Septembris 1712. *Scilicet laudatus Præsul nixus* B *axiomate:* Modus orandi est modus credendi, *et exemplis S. Pii V, Clementis VIII et Urbani item VIII sex proscribit antiphonas veteris officii, quod in his falsa fiat scripturæ sacræ applicatio, allusiones reperiantur ineptæ ad* S. Grati *nomen; aliquæ ex illis nihil habeant, quod magis episcopo, quam alii cuivis sancto proprium sit; quod antiphonæ ad vesperas desumptæ sint et psalmis ad laudes; et præcipue quod in singulis sex illa viro sancto tribuantur, quæ Deo aut Christo Domino tantum conveniant. Quapropter sub pœna suspensionis* ipso facto *incurrendæ, prohibetur ne quis deinceps dictas antiphonas vel unam ex illis præsumat adhibere, sive publice sive privatim. Protestatur tamen se nullatenus velle inculpare mentem illius qui primus illarum antiphonarum auctor fuit; nec etiam se hac sua censura intendere vel minimum detrahere cultui sancti* Grati, *quem profitetur se venerari non secus ac qui maxime.*

19 2. *Ab hac sententia, quasi per abusum lata, appellavit syndicus capituli Oleronensis* (2): *negabat enim episcopo competere jus reformandi dictum officium. Simul etiam protestatur contra mandatum quo illud typis edi jubebatur. Deinde simile scriptum* C *ad commissarios, a rege Christianissimo ad hanc elucidandam quæstionem designatos, datum est; et paulo post rursus apparuit tertium ejusdem argumenti.* 3. *His omnibus opposuit episcopus commentarium satis prolixum, quod et typis mandari curavit.*

Fertur sententia in favorem Episcopi.

20 *Consequenter ad hæc rex Christianissimus 27 Februarii anno* 1714 *commisit archiepiscopum Ausciensem, episcopum Adurensem (vernacule* Aire), *decanum Parlamenti Palensis* (de Pau) *simul cum duobus canonicis, Ausciensi altero, altero Adurensi, qui statuerent super dicta appellatione. Hi itaque rem diremerunt, contra capitulum ferentes sententiam; pronuntiantes episcopum Oleronensem nullatenus limites suæ potestatis prætergressum, nec proinde locum appellationi fuisse. Hæc omnia hausimus ex Analysi documentorum, quam adornare atque nobis submittere dignatus est laudatus R. D. Darré; cui etiam, fere quidquid ad acta sancti* Grati *pertinet, nos debere cum gratiarum actione profitemur.*

B. r. Reliquiæ

21 *Vidimus supra n.* 10 *sacrum sancti* Grati *corpus, propter turbines ab hæreticis excitatos, Jaccam, Aragoniæ urbem, fuisse delatum; deinde, motibus compositis, Oleronensi cathedrali restitutum, relicta tamen parte aliqua sacri depositi Jaccæ; quod quidem factum non opinamur ante annum* 1620, *quum a Ludovico XIII, devictis Calvinistis, templa catholicis et bona ecclesiastica clericis et sacerdotibus restituta sunt* (3). *Tandem idem sacrum corpus, quod sub altari reconditum fuerat, repertum seu recognitum anno* 1710 *a RR. DD. Josepho de Revol, Oleronensi episcopo. Hæc omnia elucent ex sequentibus authenticis instrumentis.*

transferuntur Jaccam, et hinc rursus Oleronem.

22 *Et primo quidem de translatione in urbem Jaccam et hinc Oleronem, constat ex processu, Jaccæ instituto, de mandato illustrissimi episcopi Jaccensis. Partes præcipuas instrumenti adscribemus ex apographo, nobis a R. D. Darré transmisso. Prævie duo notamus, quo dicenda inclarescant; alterum, Jaccam, civitatem esse episcopalem in Arragonia, quam inter et Oleronem olim et usque ad exiens sæculum* XVII *frequens agebatur mercatura* (4). *Alterum, posteriori medio sæc.* XVI *hæresim Olerone debacchatam esse. Scilicet Gerardus Ruffus seu Russellus* (le Roux, *al.* Roussel) *in Germaniam profec-* E *tus, aliquamdiu apud Lutherum moratus est. Inde in Galliam reversus, ad Margaritam Valesiam, Francisci sororem, atque Henrici de Albreto regis Navarræ conjugem, se recepit, a qua benigne exceptus, inter domesticos familiaresque assumitur, illiusque patrocinio Cleyracensi abbatia, demum episcopatu Oleronensi potitus est, ab anno* 1542 *ad an.* 1599 (5). *Qui cum catholicum se simularet, et cæteroquin doctrina morumque gravitate valeret, (in tantum ut hac specie deceptus Carolus Sammarthanus in funebri encomio Margaritæ, cum* virum undecumque doctissimum *dixerit),* hoc præcone, *inquit Spondanus* (6) *(cujus tum parentes seducti fuerunt) in Bearnea atque in aula regis Navarræ* ingens religionis facta corruptio est. *Tali sub pastore quid detrimenti Ecclesia Oleronensis passa sit, facile est concludere. Duravit hæc pestis usque ad annum* 1599, *quum Arnaldus Maytius, ex patre intrepide catholico (qui Ruffum in civitate Malleone, armatus securi, suggestu semivivum dejecerat) natus et ab Henrico IV episcopus Oleronensis designatus, impigre cum episcopo Lascurrensi restituendæ religioni allaboravit* (7). *His præmissis, ad instrumen-* F *tum Jaccense veniamus.*

Instrumentum Episcopi Jaccensis recitatur anni 1712.

23 In nomine Domini. Noverint præsentes et futuri, quod anno a nativitate D. N. J. C. millesimo septingentesimo duodecimo, die vigesima septima Julii, in urbe Jaccensi, ego Michael Joannes de Sas, notarius et actor primarius curiæ ecclesiasticæ Jaccensis, comparui personaliter, coram illustrissimo domino Matthæo Foncillas, Dei gratia et sanctæ Sedis Apostolicæ, episcopo Jaccensi, regio consiliario etc., qui dominus episcopus declaravit se habere notitiam, quod contigerit, annis præteritis corpus domini sancti Grati, episcopi Oleronensis et diœceseos patroni, afferri in hanc urbem Jaccam a canonicis sanctæ ecclesiæ cathedralis sanctæ Mariæ Oleronensis, quod timerent reformatores, qui provinciam Benearnensem invadebant; et quod, cum, rebus pacatis dictum sacrum corpus restitutum est dictæ sanctæ ecclesiæ cathedrali Oleronensi, remanserint reliquiæ dicti Sancti in dicta urbe Jacca, quæ reliquiæ agnoscuntur esse pars ossis cruralis, longitudinem

(1) Censure de Mgr l'Illustrissime et Révérendissime Évêque d'Oléron, contre certaines Antiennes d'un vieil office de S. Grat, patron du diocèse.—(2) Mémoire imprimé pour le Syndic du chapitre d'Oléron appelant comme d'abus, etc. — (3) Nova Gallica Christiana, t. I, col. 1279.—(4) La Martinière. Dictionnaire Géographique. Voce Oléron. — (5) Nova Gallia Christ., t. I, col. 1277. — (6) Annal. Baronii Continuat. ad an. 1549 n. 7. et seqq.— (7) Gall. Christ. Ibid., col. 1278 et seqq. Confer Spondanum loc. cit.

habens

D. B. habens trium digitorum, latitudinem vero unius digiti, atque reconditæ sunt in reliquiario argenteo, cum hac inscriptione: Sancto Grato Vincentius Blascus obtulit.

2 Scilicet, juxta traditionem sanctæ ecclesiæ Jaccensis, dictæ Reliquiæ datæ fuerunt domno Vincentio Blasco, canonico ejusdem ecclesiæ, a canonico dictæ sanctæ ecclesiæ cathedralis sanctæ Mariæ Oleronensis, in signum grati animi, quod illum domi suæ hospitio recepisset, cum Jaccam venisset ad recuperandum atque transferendum dictum corpus domini sancti Grati ad ecclesiam Oleronensem; postea dictus canonicus Vincentius Blasco dono dedit dictas reliquias cum dicto reliquiario dictæ sanctæ ecclesiæ cathedrali Jaccensi, quæ reliquiæ coluntur præcipue, singulis annis, die decima nona Octobris, celebrata missa solemni in oratorio, in quo visitur picta effigies dicti sancti; circumferuntur etiam dictæ reliquiæ in supplicationibus generalibus, quæ quotannis occurrunt faciendæ. Cumque conveniat certos ob fines certasque ob causas, ut hæc innotescant, de iisque constet testimonio et scripto authenticis, quæ fidem horum faciant, me requisivit requiritque *(episcopus Jaccensis)*, ut idoneas ad dictos fines facerem
B investigationes.

25 Itaque ego supradictus notarius, juxta præfatam requisitionem et mandatum, una cum testibus præsenti instrumento subscriptis, comparui in aula illustrissimorum dominorum Decani et canonicorum capituli dictæ sanctæ ecclesiæ cathedralis Jaccensis, ubi capitulariter congregati erant *(sequuntur nomina, quæ brevitatis causa prætereo)* omnes Decanus, dignitarii et canonici dictæ sanctæ ecclesiæ Jaccensis, quibus prælegi, quæ supra scripta sunt *(intelligit testimonium episcopi Jaccensis)* atque notam feci præfatam dicti episcopi requisitionem, rogavique ut exponerent et declararent, quid ipsi circa prædicta scirent. Tum dicti illustrissimi Decanus, dignitarii et canonici, omnes et singuli dixerunt declararuntque se perbene novisse, publice notorium esse in tota urbe Jaccensi, corpus domini sancti Grati episcopi Oleronensis et diœceseos patroni, allatum fuisse in hanc urbem Jaccam *(hic repetitur ad verbum declaratio episcopi, quam supra vidimus)* quæ omnia dicti DD. Decanus, dignitarii et canonici veritati conformia, prout præsenti continentur scripto, testati
C sunt.

26 Post hæc ego supradictus notarius simul cum testibus infra scriptis comparui coram illustrissimo domino Blas de Torrejon y Lasala, inquisitore apostolico jubilari Aragoniæ, et archidiacono Gorgæ, quæ dignitas est sanctæ ecclesiæ cathedralis Jaccensis, atque coram Raymundo Borruel, archidiacono de Anzo, quæ altera dictæ ecclesiæ est dignitas, sicut et coram D. Josepho Carrera de Arto, vicario generali et officiali dictæ urbis et diœcesis Jaccensis, quibus prælegi tenorem declarationis ac requisitionis seu mandati præfati illustrissimi episcopi, et rogavi ut dicere vellent, quid ipsi his super rebus novissent; qui declararunt se perbene novisse; atque publice notorium esse in tota urbe Jaccensi, corpus domini sancti Grati *et cætera ut superius. Postea declarat notarius se eodem modo comparuisse coram DD. Petro Paulo Bonnet, Joanne Antonio Bernuez, Hieronymo Loriente et Petro Borrez, viris nobilibus et primoribus civitatis Jaccensis, qui de eadem notorietate publica iisdemque de rebus testati sunt. Tandem instrumentum absolvitur sequentibus.*

27 Et nos supranominatus Matthæus Foncillas, Dei gratia et sanctæ Sedis Apostolicæ, episcopus D
Jaccensis, regius consiliarius etc., visis præfatis delarationibus omnibus et singulis; cumque eas compererim conformes traditioni, quæ, prout etiam in illis dicitur, subsistit in nostra sancta ecclesia cathedrali Jaccensi; pronuntiamus et declaramus, quæcumque in supradictis continentur, vera esse: atque ut de illis magis authentice constet, mandavimus confici, et confecimus præsens instrumentum, signatum manu nostra sigilloque munitum etc. Datum in palatio nostro episcopali urbis Jaccensis die vigesima octava mensis Julii anno millesimo septingentesimo duodecimo. Præsentes erant testes domn. Michael Benefonte presbyter, et Petrus de Cylo, incola urbis Jaccensis. In originali signatur: Matheo Obispo de Jacca. *Et infra:* por mandado: Miguel Juan de Sas Notario. *Juxta nomen episcopi impressum sigillum est.*

28 *Instrumentum hoc conscriptum est Hispanico et Gallico idiomate; nos latinitate donavimus, verbum verbo, quantum licuit, reddentes; unde si quæ reperiantur minus terse latina, indulgebit eruditus lector. Non enim a nobis ante omnia requirit elegantiam sermonis, sed fidem instrumenti.* *Latine hic redditum.*

E
29 *Cætera, quæ spectant ad reliquias sancti* Grati, *subjicimus ex* processu visitationis, *institutæ a RR. DD. Josepho de Revol in ecclesia cathedrali Oleronensi, cœptæ die duodecima Januarii, anno millesimo septingentesimo decimo, absolutæ die trigesima ejusdem mensis et anni. Ex gallica in latinam vertimus.* *Instrumentum Visitationis ecclesiæ Oleronensis an. 1710.*

30 *Pag. 4 et 5 legitur:* Decima tertia die præfati mensi Januarii anno millesimo septingentesimo decimo, cum jam discederemus, monemur reperiri retro altare majus, supra locum ubi solet populo distribui sacra Eucharistia, portam ferream, quæ indigitare videtur reconditas Sanctorum reliquias aut simile quid pretiosi. Quo igitur accuratius investigaremus quid ibi lateret, accersimus Raymundum fabrum lignarium ecclesiæ sanctæ Mariæ, qui prædictam portam aperiret. Quo facto, reperit in muro loculamentum *seu spatium excavatum)* aptum capiendæ thecæ seu arcæ. In loculamento latebat theca. Quod ut cognovimus, ascendere jussimus magistrum Joannem de Balthazard, præsbyterum beneficiarium sanctæ Mariæ, ut thecam ex alto demitteret; quam accipientes, altari, quod e regione est et sancto Petro dicatum, imponi curavimus, ubi et reserata fuit, F
præsentibus DD. d'Abbadie Igon et Lamouroux Gurmaçon, canonicis dictæ ecclesiæ, atque Petro Lamouroux, parocho, et aliis pluribus clericis laicisque. Et primum quidem vidimus thecam ligneam valde attritam et cariosam, nec jam clavi obseratam, quamvis olim sera apposita fuerat, ex parte superiore ansa, qua deferretur, instructam. Involuta erat panno, cujus extrema latera acu picta rubro colore; intus latebant ossa magno numero, quæ nobis visa sunt integrum fere corpus referre, dempto tamen capite. Ossa involuta erant panno vetusto, et magis etiam obsoleto quam alter de quo supra. Adjacebant et alia involucra ex lino, vix non in pulverem redacta, quæ opinamur ideo in theca deposita fuisse, quod olim sacris ossibus tegendis adhibita fuissent, cum nulli cæteroquin usui viderentur, et insuper vetustate sua ossium ipsorum antiquitatem indigitarent. His peractis, cuncta thecæ restituimus, prout primum fuerant. Dein thecam ipsam in sacrarium ferri jussimus, atque, nobis præsentibus, includi in armarium, cujus clavem abstulimus, ne quis sacrum depositum attingere posset. Post hæc discessimus. *Inventio reliquiarum. Thecæ descriptio.*

32 *Pag.*

Accersitur chirurgus, qui detecta ossa examinet.

31 *Pag.* 6 *et* 7. Advenientes dicto die decimo quarto currentis mensis *(Januarii)*, sacris ipsi operati, et post cantatam missam solemnem, susceptum visitationis opus prosecuti sumus... Quod vero ad sacra ossa spectat, accersiri jussimus Petrum Marsaing chirurgum juratum, qui illa examinaret: cui labori impendit totum tempus usque ad horam meridianam, qua discessimus, postquam rursus omnia thecæ, et thecam armario restitueramus, cujus clavis apud nos remansit. *Eodem loco servatæ sunt reliquiæ donec conveniens locus paratus esset, de quo infra recurret sermo. Sequitur declaratio chirurgi.*

Chirurgi authentica declaratio. Ossium accurata enumeratio.

32 Ego infrascriptus regius chirurgus juratus civitatis sanctæ Mariæ, testor ubi et coram quibus opus erit, quod hac die, decima quarta Januarii anno millesimo septingentesimo decimo, inter horam decimam et undecimam requisitus fuerim ab illustrissimo et reverendissimo DD. Josepho de Revol episcopo Oleronensi, accedere ad ecclesiam cathedralem, ut examinarem, inspicerem et conferrem ossa quædam reperta in capsa lignea, ad mediam deposita altitudinem parietis exterioris chori dictæ ecclesiæ. Hæc vero ossa mihi exhibita B fuerunt ab eodem RR. RR. episcopo, ut illa componerem et simul viderem, quid adesset, quid deesset, in conspectu dicti episcopi et DD. d'Abbadie Igon et Lamouroux parochi, et plurium aliorum tam clericorum quam laicorum, atque etiam dictæ ecclesiæ ædituorum de Porte et Andrea. Inveni autem bonam partem maxillæ inferioris, omoplatam sinistram, ossa fere integra brachii et lacerti sinistrorum, claviculam unam, costas septem, sternum in duas sectum partes; vertebras cervicales tres, et alias quinque dorsales, coxam utramque, illium, ischion, pubim, ex utraque parte bene servata; item ossula quædam ad manus pertinentia; femora, ex inferiori parte aliquantulum attrita; rotulas integras, ossa cruralia inferius discissa *(alia quædam ad talos et pedes spectantia hic enumerantur)*. Omnia porro hæc ossa existimo ex uno eodemque provenire corpore proceræ staturæ. Præterea cum RR. episcopus optasset videre an inferior maxilla *(inventa)* quadraret parti capitis quod perhibetur esse caput sancti Grati, tentamine facto, comperimus dictam maxillam ad præfatam capitis partem undequaque aptari.

Ossa quæ desunt.

C 33 Desunt autem pars maxillæ *(inferioris scilicet quæ confracta est et partem dextram tantum exhibet)*, omoplata, clavicula, ossa brachii et lacerti ac manus, hæc omnia ad partem corporis dextram pertinentia; item desunt costæ septemdecim, vertebræ sexdecim. Et quia supradicta omnia ita reapse se habent, præsentem dedi declarationem, rogatu dicti illustrissimi episcopi, apud sanctam Mariam dicto die et anno, decima quarta Januarii, millesimo septingentesimo decimo. *Erat subscriptum :* Marsaing Chirurgus.

Debite recondita ossa loco suo restituuntur.

34 *Pagina* 55: Redeuntes dicto die XXIII currentis mensis, post auditam missam cantatam, visitationis opus prosecuti sumus. Et primum quidem in Theca nucea, ad hunc finem recenter confecta, deposuimus serico involuta candido ossa, de quibus superius facta mentio est, atque jussu nostro examinata a magistro Marsaing, jurato civitatis chirurgo. Eadem in theca recondidimus declarationem præfati chirurgi; operculo dein thecæ, ex parte interiori, affiximus acta omnium, quæ contigerunt, in prædicta ossium inventione, ut sint in memoriale perpetuum. Tum thecam reclusimus in loculamentum, de quo initio hujus processus occurrit mentio. Clavem deposuimus in Armario sacrarii cum chartis, quæ in communi possidentur ab episcopo et capitulo. Porro Armarium duplici obseratum est sera: altera in nostra remanente potestate, altera in manibus syndici seu deputati a capitulo. B. B.

Finis Visitationi imponitur.

35 *Paginis* 70, 71, 72 *et* 73 *post alia plurima quæ ad prædictorum confirmationem faciunt, dicitur absoluta visitatio* XXX *Januarii* 1710; *ejusque acta prælecta in choro ecclesiæ a Magistro de Poey, episcopo a secretis, præsentibus canonicis, præbendariis etc. qui omnes actis illis post episcopum subscripserunt.*

S. Grati Reliquiæ anno 1710 inventæ Olerone, hodiedum ibidem existunt, ut constat ex recenti solemnitate in honorem S. Grati celebrata.

36 *Ex his liquet caput sancti* Grati *ab immemoriali in ecclesia cathedrali Oleronensi fidelium venerationi fuisse exhibitum; ossa vero, anno* 1710 *ab illustrissimo Josepho de Revol inventa capiti prædicto recte aptari; et cum aliunde ipsa hæc ossa omnia, judicio laudati chirurgi Marsaing, ad unum idemque corpus pertinent; pronum est concludere ecclesiam Oleronensem, dum ejus solemnis instituta visitatio est, sacras sancti* Grati *exuvias possedisse. Constat præterea eas ibidem ad nostra usque* E *tempora permansisse. Nam in ephemeridibus Gallicis, vulgo* l'Ami de la Religion, *ad diem* II *Novembris* 1844 (1) *leguntur sequentia :* Solemnitas, quæ singulis annis celebratur Olerone, in festo sancti Grati cui ab anno 1830 nullus interfuerat episcopus, videtur hac vice votis respondisse utriusque civitatis, Oleronis scilicet et S. Mariæ. Locum habuit, ut refertur in *Memoriali Pyrenæorum* (2), die Dominica, XX Octobris. Quamvis plurimis ex ruricolis tempus, quo adesse possent, defecerit, densa tamen cernebatur populi multitudo, per totum, quem emensa est supplicatio, circuitum clerus trium parœciarum, cui se adjunxerant sacerdotes plurimi ex vicinio congregati, occasione sacrorum exercitiorum, spectabilem efformabant coronam, cui præibant duplici ordine puellæ candidis ornatæ vestibus. Numerosus ille clerus, piæ sodalitates, speciosum illud agmen puellarum gestantium vexilla, hymnos inter et incensa procedentes, oculos spectantium mirifice rapiebant. Inter cathedralem S. Mariæ et forum vulgo *Marcadet*, collocata fuerant varia altaria; ad quorum singula RR. episcopus Bajonnensis benedictionem sanctissimi populo impertiit. Redux ad cathedralem pontifex ad F multitudinem verba fecit, illi gratulans de religiose servata animi recollectione. Inspecta hierotheca, compertum est caput beati Apostoli Novempopulaniæ adhuc intactum seu integrum post tredecim sæcula remansisse. Hierotheca fert sigillum RR. DD. Josephi de Revol, postremi Oleronensium episcopi; atque hac occasione suum quoque apposuit præsul Bajonnensis.

Confirmatur præcedens narratio et partim emendatur.

37 *Circa præcedentem narrationem rescripsit nobis sæpius laudatus D.* Darré, *solemnitatem, prout refertur in dictis ephemeridibus, celebratam reapse fuisse, atque hierothecam S.* Grati *recognitam ab episcopo Bajonnensi. Ratio cur festivitas non indicetur sabbato seu* XIX *Octobris, quo in breviario occurrit, sed die Dominica,* XX *scilicet ejusdem mensis, hæc est, quod in Galliis, inde a Concordato anni* 1801, *festa patronalia rejiciantur in Dominicam proxime sequentem. Falsum vero prorsus est, Josephum de Revol postremum fuisse ecclesiæ Oleronensis episcopum, cum sedes hæc perduraverit usque ad sæculi præsentis initium. Ex regio Calendario* (Almanach

(1) T. CXXIII, p. 229. — (2) Le Mémorial des Pyrénées.

A (Almanach royal) *inter alia efficitur, anno* 1767 *præfuisse RR. DD. Franciscum de Revol; anno* 1786 *episcopus erat RR. DD. Joannes Baptista Augustus de Villoutreix de Faye.* D

DE S. LEVANGIO SEU LIVANIO

EPISCOPO SILVANECTENSI ET CONFESSORE.

COMMENTARIUS.

B. B.

Primordia ecclesiæ Silvanectensis densis tenebris involuta. Memoria S. Levangii ex Martyrologiis et officio ecclesiastico. Quo anno celebratum fuerit Concilium Aurelianense I, cui interfuit S. Levangius. Reliquiæ.

SÆCULO VI INEUNTE. *Vix aliquid ad nos pervenit de primis Silvanectensibus Episcopis.*

Scribit *Cointius* (1) : A prima synodo Aurelianensi, cui Livannius seu Livangius episcopus Silvanectensis anno DXI subscripsit, ad synodum usque Aurelianensem quintam, cui Gonotigernus episcopus Silvanectensis anno Christi quingentesimo undequinquagesimo interfuit, non occurrit in antiquis monumentis character ullus chronologicus, quo nomenclatura Silvanectensium antistitum niti possit. In catalogis Silvanectensium præsulum inter Levangium et Gonotigernum medii collocantur Pasius et Nonnullus. Quot annis singuli sederint, referemus ex annalibus Silvanectensibus Caroli Jaulnay, qui quamvis in plerisque locis contra chronologiam aperte peccet, annos prædictorum pontificum sic assignat, ut nullatenus recedat a præcitatorum conciliorum subscriptionibus, quæ solæ, ad circumscribendos illos pontificatus, supersunt æstimandæ temporum notæ. Imprimis mortuum hoc anno (513) tradit Levangium, deinde Pasio tribuit sex annos pontificatus, et Nonnullo duodetriginta, ita ut ejus calculo mors Pasii cum anno Christi quingentesimo quadragesimo septimo coincidat. Observat præterea sanctum Levangium coli septimo Idus Octobris, et ejus reliquias in ecclesia sancti C Reguli (S. Rieule) prope majus altare custodiri.

Fama sanctitatis ex Martyrologiis.

2 *Martyrologium Romanum non meminit sancti Levangii. Ejus memoria occurrit in Auctariis Usuardi ex codice Greven. apud Sollerium his verbis:* Bevagii episcopi Silvanectensis et confessoris; *sicut et in Martyrologiis sancti Reguli et sancti Frambaldi, quæ sic habent :* XIV Cal. Novemb. Silvanectis depositio sancti Levangii episcopi et confessoris. *Ambæ memoratæ ecclesiæ sancti Reguli (vernacule* S. Rieul) *et sancti Frambaldi* (S. Frambourg) *nobiles olim collegiatæ, post status eversionem atque subsecutum anno* 1801 *Concordatum, suppressæ manserunt, sicut et ipsa sedes Silvanectensis, cujus cathedralis nunc paræcia est, ut aiunt, primæ classis, in diœcesi Bellovacensi.. Similiter annuntiatur sanctus* Levangius *in Martyrologiis Parisiensi et Ebroicensi. Autissiodorense paulo prolixius habet encomium :* Sylvanecti, natalis sancti Libanii episcopi, qui sedit in concilio Aurelianensi primo. Non solum in diœcesi Sylvanectensi, sed etiam in Cabilonensi, peculiari cultu honoratur. *Concordat cum Castellano, qui eadem fere ad verbum, sed gallice, habet. Memoratur etiam, ut tradit Gallia Christiana,* in ecclesiarum Silvanectensis Trecensisque necrologiis (2). *Atque in his omnibus sancti* Levangii *memoria agitur hac die* XIX *Octobris; nec ullum reperi, qui, ut supra Cointius ex laudato ibidem Carolo Jaulnay, scribat, illum coli septimo Idus, seu* IX *ejusdem mensis, præter Pagium in critica* (3). E

Dies cultus.

Lectiones ex Breviario Silvanectensi.

3 *Certe in Breviario Silvanectensi notatur dicta die* XIX, in festo sancti Levangii Sylvanectensis episcopi *officium* semiduplex; *cujus lectiones* II *et* III *propriæ sunt, quas propterea hic adscribimus.*

LECTIO II. Levangius qui et Livanius et Levianus appellatur, octavus post sanctum Regulum Antistes Sylvanectensis, se'em episcopalem tenuit sub ea tempora, quibus Franci, expulsis Romanis, Gallias subegerunt. Antiquissima traditio est, Præsulem nastrum, postulante Clodoveo rege, avulsisse unum dentem ex maxilla sancti Reguli. Quod factum prosecuta est unda recentis sanguinis. Tu autem *etc.*

LECTIO III. Eodem rege exoptante, Levangius interfuit concilio primo Aurelianensi, in quo tot canones sapientissimi ad disciplinam pertinentes conditi sunt. Ad extremam usque senectutem indefessus pastor sollicite pavit et custodivit gregem F suum. Paulo post transitum, Sanctorum fastis inscriptus est. Ejus reliquiæ servantur in capsa deaurata et religiose coluntur in sanctuario ecclesiæ sancti Reguli. Tu autem *etc. Ex quibus ipsis lectionibus apparet quam pauca ad nos pervenerint de Sancto nostro. Hinc etiam quicumque ejus nominis (quod quidem varie a variis scribitur, flectiturque, ut ex superioribus videre est) vix quidpiam certi habent, nisi quod episcopus fuerit Sylvanectensis, et qua talis adfuerit concilio Aurelianensi I, an.* 511, *ut ex subscriptionibus efficitur* (4).

S. Levangius interfuit Concilio Aurelianensi I, an. 511, sub consulatu Felicis.

4 *Atque hæc unica etiam nota est certa, ex qua desumi queat, quo tempore pontificali fulserit dignitate sanctus* Levangius. *Non igitur abs re erit breviter hic attingere ea, quæ ad figendum hujus concilii annum faciant, tanto magis, quod in aliis actis ad hunc præsentem diem illustrandis id usui sit futurum. Baronius celebratum vult anno* 507, *ast perperam, ut recte concludunt Sirmondus, Pagius aliique ex consulatu Felicis, quem in subscriptionibus præferunt multi optimæ notæ antiqui codices.*

(1) Annales Ecclesiastici Francorum ad an. 513, n. III t. I. p. 295. Edit. Paris, 1665. — (2) T. X, col. 1381. — (3) N. XII ad annum Baronii, p. 507. — (4) Sirmond, Concilia Antiqua Galliæ, t. I, p. 177-184. Edit. Paris, 1629.

His

A *His scilicet verbis prima concepta subscriptio est :* Cyprianus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Burdegalensis metropolis canonum statuta nostrorum subscripsi, sub die VI Idus Julias, Felice viro clarissimo consule (1). *Hujus autem consulatus incidit in annum* DXI (2).

Contendit Cointius supposititiam esse mentionem consulatuum in Conciliis Galliarum.

5 *Cointius quidem ad eumdem hunc annum Aurelianense refert Concilium, ast rationem ex fastis consularibus petitam omnino rejicit.* Quæri potest, *inquit*, utrum Franci mentionem consulum romanorum in publicis instrumentis facere consueverint. Quamvis eruditi viri nostra ætate multum studii collocarint in ordinandis consulatibus, quos synodis intra Franciæ fines coactis appositos invenerunt, supposititium semper existimavimus talem characterem, quia reges Francorum non erant obnoxii Romano imperio. et inter tot authores francos, qui de rebus gentis suæ scripserunt, unus dumtaxat occurrit Marius Aventicensis seu Lausannensis episcopus, qui chronicum suum ideo per consules digessit, quod illud consularibus fastis Prosperi subjecit. Cæteri scriptores hoc abstinuerunt charactere. Cregorius Turonensis vix unius aut alterius consulatus sub romanis imperatoribus ante conditam Francorum in Gallia B monarchiam meminit *(Quæ quidem argumenta mere negativa sunt)*. Sola pene concilia præferunt consulatus in suis subscriptionibus. Prima synodus Aurelianensis exhibet consulatum : Felicis sub Chlodovecho rege. *(Sequuntur tres aliæ synodi consulum mentionem habentes ; dein pergit Cointius)*. Ab his consulatibus non recedemus ; synodum enim Aurelianensem primam ponemus hoc anno (511) Felice consule.... Nostram tamen chronologiam non intendimus hujuscemodi consulatibus fulcire, sed aliæ nos ad eumdem calculum trahent rationes aut conjecturæ. Prima synodus Aurelianensis ad hæc postrema Clodovei tempora pertinet; habita est enim ex *evocatione gloriosissimi regis Chlotovechi* post bellum Gothicum, sive post annum Christi quingentesimum octavum, nam multi subscripserunt Aquitaniarum episcopi, qui sub Alarico Wisigothorum rege prius interfuerant Agathensi concilio; quin et aliquot annos inter synodos Agathensem et Aurelianensem intercessisse vel ex eo patet, quod inter episcopos, qui synodum Aurelianensem sua subscriptione corroborarunt, occurrunt nonnulli, quorum decessores Agathensi subscripserant. *Hactenus* C *Cointius* (3).

Ast perperam, ut patet ex analogia Visigothorum et Burgundionum.

6 *Has quidem Cointii conjecturas probamusatque ex iis probabilem effici fatemur Concilii epocham ; ast simul etiam cum Pagio opinamur*, frustra virum doctissimum viam regiam deseruisse, ut dubiam incertamque sequeretur. *Nam, ut subjungit Pagius* (4) : Visigothi et Burgundi imperio Romano subditi non erant, et tamen concilium Agathense anno superiori *(intellige non proxime superiori, sed anno* 506) in regno Visigothorum congregatum Messalæ consulatu, eo anno gesto, notatur; concilium Epaunense in regno Burgundico habitum signatur consulatu Agapiti anno DXVII, quo illud indictum, suscepto. *Reponeret forte ad hæc Cointius, se nec de Visigothorum nec Burgundionum, sed de Francorum regno locutum, ac proin se Pagii argumento vel non satis vel etiam nullatenus stringi : ast reponere et nos vicissim possemus : ut quid Franci alio prorsus modo ac cæteræ in vicinio nationes et populi egissent? contrarium utique eo usque præsumendum erit, donec certa* D. H. *adducatur probatio. Deinde nonne vel ipse Cointius plura adducit Concilia, quæ, stabilito jam regno Francorum, in subscriptionibus meminerunt consulatuum ? Ait quidem consulum notas postea subscriptionibus fuisse assutas. Ast quo id probat argumento?* Non erant, *inquit*, Francorum reges obnoxii Romano imperio. *Sed nec etiam obnoxii erant Visigothorum Burgundionumque reges. Haud majoris ponderis est quod addit Cointius, quotquot fere supersint scriptores antiqui, qui de rebus francicis egerunt, non per consules distinxisse annorum seriem : non enim necessario exinde sequitur Concilia eumdem tenuisse modum, ac proinde supposititiam esse mentionem consulum, quæ in variis subscriptionibus occurrit, præsertim cum agatur de Conciliis, quæ ad ipsa Franciæ monarchiæ initia proxime accedant, quale est Aurelianense primum, sub finem vitæ Clodovæi celebratum. Res enim notissima est, quam difficulter immutetur temporis supputandi ratio, quæ longo annorum spatio adhibita invaluit.*

et ex variis inscriptionibus.

7 *Cointianæ præterea assertionis veritas aliunde nutat.* Chlodoveus rex, *inquit Pagius* (5), consulatum ab Anastasio imperatore seu patriciatum accepit, ut infra ostendetur ; et Sigismundus Burgundiæ rex patriciatu ab Anastasio imp. exornatus fuit, ut ibidem ostendemus. E *Non ergo Franci adeo Romanis tunc temporis infensi reputandi sunt, ut vel ipsam consulum mentionem penitus suppressam ubique valuerint. Pergit Pagius :* Ad hæc varii lapides in variis Galliarum partibus detecti, in quibus leguntur nomina consulum, qui post celebratum concilium Aurelianense primum, fastis nomen dedere. Baronius anno CLIII num. CCLIV refert Epitaphium sancti Florentini abbatis, quod etiamnum Arelate legitur, ubi Florentinus dicitur obiisse *duodecies P. C. Basilii V. C. junioris Indict. prima*, anno scil. CLIII, quo tamen tempore Arelate francis parebat. *Aliam adjicimus inscriptionem, quam ipse Sponius Lugduni, unde oriundus erat, exscripsisse se testatur, habeturque in* Miscellaneis eruditæ antiquitatis *sectione* IX *ad calcem* (6).

Lugduni ad D. Irenæum.

IN HOC LOCO REQUIESCIT
FAMOLVS D̄Ī STEPANVS PRIMICIRIVS
SCOLÆ LECTORVM SERVIET IN SECL. F
LVGDVNINSI VIXIT ANNOS FXIV
OBIIT VIIII XL DECEMBRIS
DVODECIES P. C. IVSTINI
INDICTIONE XV.

Subjungit Sponius sequentem notionem (7) ; Stepanus sive Stephanus, iste Primicerius scholæ lectorum Lugdunensium defunctus erat duodecim annis post consulatum Justini anno nempe Christi 579 *(urbs autem Lugdunensis jam ante annum* DXL *Francis subdita erat)*. SERVIET IN SECL. id est, *serviet in sæculo* seu inter sæculares. FXIV videtur sculptum pro LXIV. *Hæc Sponius loco citato. Ex quibus omnibus satis manifestum fit caducam esse Cointii assertionem, ac proinde ex consulatu Felicis certius determinari annum quo Concilium Aurelianense primum est habitum, quam ex laudati scriptoris conjecturis.*

Desunt monumenta, quibus figantur anni episcopatus S. Levangii

8 *Dolendum est non alias notas suppetere chronologicas, quarum ope initium et finis figantur episcopatus sancti* Levangii. *Mortuum scribit Cointius*

(1) Sirmond. Concilia Antiqua Galliæ, t. I, p. 183. Edit. Paris, 1629. —(2) Art de vérifier les dates, p. 335. —(3) Annal. ecclesiastic. Franc. ad an. 511, t. I, p. 278 et seqq. — (4) In Critica ad Baronii an 507 n. XI. Annal, Baronii, t. IX, p. 68, Lucæ 1741. — (5) Ibid., loc. cit. — (6) Vide apud Polenum. *Utriusque Thesauri Antiquitatum Romanarum Græcarumque nova supplementa*, t. IV, col. 631 1399. Venetiis 1737. — (7) Ibid., col. 1275.

B. B. *tius anno* 513, *quin ullam certam adducat rationem. Nec quidem potuisset cum deficiant Concilia, quæ sola idoneas hac ætate præberent supputandi temporis notas, ut ipse Cointius observat. Vide supra n.* 1. *Id ergo unum de Sancto nostro affirmare tuto licet, cum Silvanectensi ecclesiæ præfuisse anno* 211.

Reliquiæ. 9 *Vidimus supra n.* 3 *Reliquias sancti* Levangii *reconditas in sanctuario sancti Reguli. Idem habetur, et quidem paulo explicatius, ex Gallia Christiana* (1); asservantur ejusdem sancti reliquiæ in scrinio deaurato inter pilas summi altaris sancti Reguli. *Atque ibi remanserunt usque ad finem præteriti sæculi. Anno autem* 1793, *furente turbine qui gallias imo et universam Europam funestavit, reliquiæ illæ sicut et multæ aliæ in variis ecclesiis et* D *monasteriis Silvanectensibus asservatæ, in unum collectæ atque, præsentibus testibus, depositæ fuerunt in cæmiterio. R. D. Groy, piæ memoriæ parochus, post restitutum Borbonicis thronum, cogitaverat de exhumandis sacris exuviis. Ast restitit R. D. Clausel, tunc temporis vicarius generalis Bellovacensis nunc episcopus Carnotensis; attamen locus, in quo reconditæ sunt, cancellis septus fuit, et simul crux imposita cum inscriptione. Exinde nihil amplius susceptum. Periere etiam litteræ, authentiæ testes, nisi forte, quod vix verosimile, simul cum reliquiis compositæ fuerint. Hæc didicimus ex rescripto R. D. Parochi Silvanectensis ad nos dato, mense Augusti, præsentis anni* 1848.

(1) Tom. X, col. 1381.

DE SANCTO LUPO,

EPISCOPO SUESSIONENSI.

B E

B. B.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

Fama sanctitatis. S. Lupus non est filius S. Principii; natus est ex altero S. Remigii fratre. Quo tempore sedem tenuerit Suessionensem. Ejus res gestæ. Reliquiæ.

VERSUS AN. 535. *Dicendorum synopsis.*

Pauca *de hoc sancto ad nos pervenerunt. Quod idem dici debet de cæteris priorum sæculorum præsulibus ejusdem sedis :* Chartæ enim illius ecclesiæ periere, *ut notant collectores* Novæ Galliæ Christianæ (1). *In tanta itaque monumentorum inopia, sequentia capita breviter examinabimus : scilicet an reapse* Lupus *Sanctis sit annumerandus; utrum fuerit filius sancti Principii, fratris sancti Remigii Rhemensis, an potius ex altero ejusdem sancti Remigii fratre natus sit; dein quo tempore sedem Suessionensem tenuerit; quæ ex ejus præclare gestis ad nos pervene-* C *rint; tandem quæ fuerit ejus reliquiarum sors.*

Testimonium sanctitatis 2 *Ad primum quod attinet, non est dubium quin sanctorum Episcoporum albo sit inscribendus. Nomen quidem ejus non reperitur in antiquioribus martyrologiis Bedæ, Adonis, Usuardi; nec etiam in hujus auctariis apud Sollerium; nec in Romano. Ast occurrit in Martyrologio Gallicano Saussayi, cujus elogium inferius integre reperies. Occurrit etiam apud Castellanum, hac eadem die* XIX *Octobris :* Suessione, sancti Lupi I, episcopi, nepotis sancti Remigii *et in margine scribitur :* Versus annum 535. *Item eodem die memoratur in Martyrologio Francico, quod annectitur* historiæ ecclesiæ Gallicanæ *Longuevallii nostri* (2). *Beatus seu sanctus dicitur ab Hincmaro Rhemensi et Flodoardo; item in* Gallia Christiana *diserte* Sanctus *vocatur; atque a Baronio in Annalibus* (3) *ad an.* 507, *cui ipse perperam innectit Concilium Aurelianense I, recensetur inter eos qui,* sanctitate conspicui, *dicto Concilio adfuerunt. Præterea ejus reliquiæ asservatæ usque ad posteriora sæcula, Suessione in ecclesia cathedrali fuerunt cum aliorum Sanctorum pignoribus, quorum elevatio memoratur a quibusdam Martyrologis ad* I *Junii. Cointius* (4) *quoque ita habet :* post obitum sancti Lupi, quem Suessionenses XIV kal. Novembris colunt.

an S. Lupus filius S. Principii Episcopi, an potius nepos fuerit? 3 *Baronius, loco citato,* fuit, *inquit,* filius sancti Principii *(vernacule* S. Prince) episcopi Suessionensis et ejus successor in episcopatu; nepos vero sancti Remigii Rhemensis episcopi, ut ex ejus *(puta Remigii)* actis apparet, nec non ex ejusdem sancti Remigii Testamento. *Saussayus ad* XXV *Septembris in encomio S. Principii, hunc* patruum *dicit B.* Lupi, *quem tamen postea ad* XIX *Octobris,* patri F *Principio, episcopali in regimine successisse scribit. Collectores Galliæ Christianæ rem in medio relinquunt.*

Qui filium dicunt, nituntur præsertim Flodoardo; 4 *Ast audiendus hic est P. Joannes Clee, in Opere nostro ad* XXV *Septembris* (5), *ubi examinans an sanctus Principius ante episcopatum matrimonium inierit, genueritque* Lupum, *hæc habet.* Quod Lupus fuerit nepos sancti Remigii indubitatum est ex ejusdem Sancti et scriptorum aliorum testimonio. Genitum a S. Principio *(cujus acta dicto loco illustrantur)* affirmant Baronius aliique inter quos etiam Longuevallius. Reclamant Colvenerius in notis ad Flodoardum, easque adoptant Sirmondus, Robertus Stephanus, Savaro, Baillotus aliique. Galliæ Christianæ continuatores rem intactam reliquerunt : *Ita Cleus noster. Prioris sententiæ patroni nituntur Flodoardo, qui in historia Remensis ecclesiæ* (6) *scribit de Cilinia, matre sancti Remigii :* Hæc autem beata genetrix in flore dudum juventutis ex unico viro suo Æmilio pepererat Principium, Suessorum

(1) Nova Gallia Christiana, t. IX, col. 335.— (2) Histoire de l'Église Gallicane, tom. ultimo, ad calcem. Edit. in-12, Paris 1825 et seqq. — (3) T. IX, p. 69, n. XXV. Edit. Lucæ 1741. — (4) Annales ecclesiastici Francorum, t. I, p. 581.—(5) Acta SS., t. VII Septembris, p. 61, n. 7. —(6) Lib. I, cap. X. Extat in Maxima Bibliotheca Veterum Patrum, cum Notis Colvenerii, t. XVII, p. 500 et seqq.

civitatis

R. B.

A civitatis postea sanctum episcopum et patrem B. Lupi ejusdem Principii successoris. *Obvius utique verborum (saltem si extra Flodoardini operis contextum spectentur) sensus hic videtur, sanctum Principium et patrem et decessorem fuisse beati* Lupi. *Atque ita Flodoardi verba interpretati sunt supra citati scriptores, sicut et Claudius Dormay in* historia sua urbis Suessionensis *ubi* (1), *de sancto Principio agens,* dignam, *inquit,* natalibus suis recepit institutionem, moresque ex illa hausti parentum responderunt expectationi. Postea matrimonio junctus genuit filium nomine Lupum. Mortuo Edibio, omnium votis et suffragiis electus episcopus est.

ast nepotem fuisse constat ex Hincmari

5 *Qui contrariam sequuntur sententiam, nempe sanctum Principium patruum, non vero patrem fuisse sancti* Lupi, *ad Hincmarum provocant. Si ex Hincmaro, inquit P. Joan. Clee* (2), decidenda lis esset, non diu hæsitarem : is enim ita loquitur in vita sancti Remigii : *Quæ (Cilinia) in flore juventutis pepererat de unico viro suo Æmilio Principium, Suessionum civitatis postea sanctum Episcopum, et fratrem ejus, patrem beati* Lupi, *ejusdem Principii successoris.* Qui volunt Principium B S. Lupi genitorem fuisse, Hincmari verba accipiunt.... sic nimirum ut pronomen *ejus* ad sanctum Remigium referatur ; *fratrem, patrem,* continuati ejusdem Principii tituli sint. Verum non parum inepte ita torquetur Hincmari phrasis, quæ omnino innuit *ejus* referendum esse ad Principium, qui immediate ante nominatur : ubi contra nusquam præcessit nomen Remigii, de quo proinde non censetur loqui. *Atque hæc quidem juxta grammatices regulas recte deducit P. Clee; sed et alia est ratio, quæ efficacius suadet hanc amplecti sententiam.*

narratione,

6 *Scilicet narrat Hincmarus* (3) *Remigii nativitatem divinitus per somnum nuntiatam fuisse venerabili monacho, nomine Montano :* Cilinia in utero concipiens filium pariet nomine Remigium, cui a me salvandus populus committetur. *Quibus verbis immediate subjungit Hincmarus :* Beata siquidem Cilinia, intenta piis operibus, licet corpore teneretur in mundo, mente tamen conversabatur in cœlo Quæ in flore juventutis pepererat *et reliqua ut supra. Atque hæc numeris 2 et 3. Deinde n. 4 narrat, Ciliniam, ut audivit divinum oraculum de Remigio nascituro, Montano dixisse :* Quomodo C fieri potest, ut anus lactem filium, cum mihi a temporibus diu transactis muliebria defecerint, et vir meus Æmilius vetulus sit. *Numeris proxime sequentibus exponit quomodo infans in lucem editus sit. Ex ipso itaque Hincmarianæ narrationis processu, evidens fit Ciliniam in flore juventutis genuisse* Principium... *Et* fratrem, *alterum sane a Remigio, quem ætate jam provecta peperit, cujusque nativitas prorsus mirabilis longe lateque describitur. Rite notetur vox copulativa* et ; *nec ulli, putem, in mentem jam veniet, voces* et fratrem *ad S. Remigium, non adhuc natum, referri posse.*

juxta quem interpretandus est Flodoardus ;

7 *Ad Flodoardum quod jam attinet, palam fit cuique vel obiter legenti caput decimum ejus libri* I historiæ Remensis ecclesiæ, *eum ad amussim secutum esse Hincmari vestigia. Nuntiatur Montano nasciturus Remigius; oraculum refertur Ciliniæ :* Hæc dudum in flore juventutis pepererat Principium *etc.* Miratur beata Cilinia, utpote jam provecta, quonam pacto sit anus paritura vel sobolem lactatura. *Ita ut apud Flodoardum sicut et apud Hincmarum ex ipsa narrationis serie indubium fiat, supra laudata prioris verba exponenda esse, ut sensus sit : Ciliniam in flore juventutis peperisse* Principium, *et alterum filium,* patrem beati Lupi, ejusdem Principii successoris.

ut recta notat Colvenerius ;

8 *Ast hic juvabit quædam ex Colvenerio adscribere* (4). Cæterum etsi hæc verba *(nempe Flodoardi, quæ hic commentatur Colvenerius)* accipi possent ut significent B. Ciliniam matrem S. Remigii non duos habuisse filios in juventute, sed ipsum Principium fuisse patrem B. Lupi, ut expresse in Gallica translatione dicitur : in vita tamen S. Remigii per Hincmarum diserte significatur duos habuisse *(hic citantur laudata a nobis Hincmari verba).* Idem dicere voluisse Flodoardum, qui Hincmarum abreviat, non est dubium.... Sane Joannes Savaro in notis ad epistolam Sidonii 14 lib. 8 et 8 libri 9 dicit Principium fuisse patruum Lupi Suessionis episcopi, suique successoris, non patrem. De hac difficultate consultus a me Dominus Guillelmus le Begue, S. Theol. doctor, et archimagister collegii Remensis, respondit conformiter his quæ habent Hincmarus et Savaro, addens testimonium anonymi cujusdam scriptoris monasterii S. Remigii, quem vixisse scribit circa annum 1400, quod sic E habet : Cilinia in flore juventutis, peperit de unico viro suo Æmilio duos filios, videlicet Principium et alium, cujus nomen nobis est incognitum, qui uxorem duxerat, ex qua filium procreavit nomine Lupum, qui quidem post S. Principium avunculum suum (vult dicere patruum) episcopatum Suessionensem suscepit. *Hactenus Colvenerius.*

cui consonat Marlotus.

9 *Concordat Marlotus in sua* historia Metropolis Remensis *scribens* (5) : *Cilinia* in flore juventutis duos filios Principium scilicet et *(hic loco nominis interponuntur aliquot puncta)* patrem sancti Lupi pepererat ; sed elapso longioris vitæ cursu, adeo provectæ erat ætatis, ut rursum generandæ sobolis, nulla spes adesset, unde vix Cilinia Montani dictis fidem adhibere poterat. *Constat itaque ex Hincmaro, imo et ex Flodoardo,* Lupum *nostrum, nepotem, non autem filium sancti Principii dicendum. Adde, quod nuspiam apud antiquos ne vel minima quidem initi a Principio ante sacerdotium matrimonii reperiatur mentio. Ex testamento autem sancti Remigii aliud eruitur nihil, quam beatum* Lupum, *illius nepotem esse in primis dilectum.*

F *Quo tempore sederit sanctus* Lupus? *Sententia Dormayi.*

10 *Jam ad aliam transeamus quæstionem : scilicet quo tempore sanctus* Lupus *sedi præfuerit Suessionensi. Claudius Dormay mortuum perhibet sanctum Principium 25 septembris ineunte sæculo quinto (sed mendum est; intelligit sæculum sextum). Certum est sanctum* Lupum *interfuisse Concilio Aurelianensi I, quod habitum est anno* 511 *(errat Baronius dum illud celebratum vult an.* 507) (6). *Hoc ergo anno jam episcopus Suessione erat ; nam qua talis subscribit.* Ad provectam pervenit ætatem *(ait laudatus Dormay* (7), *cujus verba hic latine reddimus)*, quoniam hæres scribitur a sancto Remigio, qui diem supremum obiit 24 annis post celebratam synodum Aurelianensem. Consequens inde est sanctum Lupum haud minus quam per annos 38 aut etiam 40 pontificatus honore functum. Præterea cum sanctus Principius, ejus patruus non minori temporis spatio eidem præfuerit ecclesiæ, constat sanctum Lupum saltem octogenarium obiisse. Imo major etiam ipsi tribuenda ætas esset, si, ut vult Flodoardus, quem alii quidam sequuntur, sanctus Remigius superstes fuerit usque ad annum

(1) T. I, p. 144. — (2) Acta SS. Ubi supra. — (3) In Vita S. Remigii. Acta SS., t. I Octobris, p. 139. — (4) Maxima Bibliotheca Veterum Patrum, t. XVII. Scholia Colvenerii in Flodoardi lib. I, cap. X, p. 622. — (5) Lib. II, cap. II, t. I, p. 139. Edit. Insulis 1666. — (6) Confer Acta S. Levangii, hoc tomo illustrata, n. 4 et seqq. — (7) Histoire de Soissons, t. I, p. 240.

B. B.

annum 543. Reponi quidem posset, testamentum a sancto præsule Remensi diu ante mortem conpi potuisse, nec repugnare patruum nepoti supervixisse. Ast evanescet difficultas, si attendatur Remigium in laudato testamento declarare, duo alia jam a se scripta fuisse hujusmodi instrumenta: alterum 7 annis post mox memoratum. Hinc ergo sequitur illud, ex quo desumitur præsens difficultas, conditum versus finem ejus vitæ *(seu 21 saltem annis post Concilium Aurelianense).* Dixi Remigium obiisse vigesimo quarto anno post laudatam synodum; licet non desint qui ad provectiorem eum velint pervenisse ætatem: ast immerito, ut mihi quidem videtur: cum Flavius interfuerit concilio Arvernensi *(seu Claromontano an.* 535) eique qua episcopus Remensis subscripserit. Nonnulli, ut hujus effugiant vim argumenti, Flavio Rothomagensi præfatam tribuunt subscriptionem. *Hæc Dormayus.*

quæ impugnatur ex testamento S. Remigii.

11 *Ast notandum hic probe est duo circumferri sancti Remigii testamenta: prolixius alterum, quod in Flodoardo legere est* (1): *alterum brevius quod ediderunt Chiffletius et Labbeus in bibliotheca* (2); *quodque reperitur apud Cointium* (3) *et in Opere nostro ad* I *Octobris* (4). *Priori innititur Claudius Dormay: cum solum in prolixiori legantur hæc verba*: neque ei *(præsenti meo testamento)* duo priora testamenta, primum quidem, quod ante quatuordecim annos, et alterum, quod ante septem condidi annos, obsistere, obviare, aut ullatenus nocere potuerunt. *Quibus quidem verbis, non jam* 21 *annorum, ut innuit Dormayus, sed* 14 *tantum spatium comprehenditur: non enim addendi sunt septem anni posteriores aliis quatuordecim prioribus. Sed præterea testamentum hoc prolixius est* tot auctum interpolationibus, *ait Cointius* (5), quæ nec tempora nec genium Remigii sapiunt, ut plerisque suppositium videatur. *Quod etiam tradit Constantinus Suyskenus noster, qui in actis S. Remigii ex professo discutit* (6) *geminum illius testamentum, concluditque prolixius esse spurium, utpote quod non sit aliud nisi amplificatio quædam brevioris, non Remigii sed alterius manu multo tardius conscripta. Ghesquierus noster, in annotatis ad* § XV *Suyskeni* (7) *ita habet:* Cum laudatis *(a Suyskeno)* criticis *(Cointio, Pagio, Natali Alexandro, Longuevallio aliisque)* cum Suyskeno item et Byeo testamentum illud *(prolixius)* pro *suppositilio* seu pro *supposito* agnosco. Per *supposititium* autem seu *suppositum*, intelligo subjectum productumque loco veri testamenti, testamentum falsum. *Hoc autem posito, magnam partem a fundamentis ruit Dormayi argumentatio.*

ex quo tamen nihil certi colligi potest.

12 *Cæterum ex utroque testamento vix aliquid certi in rem nostram concludere licet, cum nec unum nec alterum fixam præferat datam. Utrumque enim signatur:* Actum *vel* peractum Remis die et consule suprascripto *vel* supradicto. *In quæ verba notat Suyskenus* (8), hinc liquere, exemplaria hujus testamenti *(brevioris)* quæ extant, non omnino integra esse, cum nec tempus nec consul supra memoretur. Eodem defectu laborat testamentum prolixius, quod ex hoc breviori auctum putamus. *Nihilominus, cum pronum sit judicare, sanctum Remigium haud multo ante mortem tempore hoc testamentum exarasse; atque aliunde verior sit sententia, quæ etiam in Opere nostro ad primam Octobris obtinuit, sanctum præsulem diem obiisse supremum, versus annum* 532, *probabiliter concluditur beatum* Lupum, *saltem usque ad eumdem circiter annum fuisse superstitem, cum a patruo suo hæres scribatur.*

Ex actis sancti Bandaridi videtur S. Lupus usque ad annum 535 superstes fuisse.

13 *Præterea acta sancti Bandaridi, qui Sancto nostro in pastorali dignitate successit, aliquot annos suadent addere, ita ut usque ad annum fere* 535 *perveniatur. Cardo scilicet rei in hoc vertitur, ut figatur annos, quo sanctus Medardus Noviomensis obierit, et prope Suessionem sepultus sit. Certum namque est sanctum Bandaridum præsentem fui se dum funus sancti Medardi deferretur. Hæc porro solemnis depositio a Cointio et in Actis nostris ad* VIII *Junii, innectitur non anno* 565, *ut Sammarthanis visum est, nec anno* 560, *ut vult Dormayus; sed anno* 545; *quod quidem longe verosimilius est, prout etiam admittunt* novæ Galliæ Christianæ (9) *collectores, qui funus S. Medardi celebratum asserunt an.* 545 *die* 8 *Junii, corrigentes Sammarthanos. Igitur hoc anno jam tenebat Bandaridus Suessionenses infulas, quoniam, præsentibus aliis non paucis præsulibus, dictæ præfuit solemnitati. Constat præterea ex ejus legenda, edita a Sollerio nostro ad* I *Augusti, ubi acta sancti Bandaridi habentur, eum* reducem ab exilio suo *sepulturam sancti Medardi curasse. Juverit hic quædam ex Cointio* (10) *adjicere. Bandaricus (ita ipse vocat)* episcopus Suessionensis, cum populum, post obitum sancti Lupi, quem Suessionenses XIV kal. Novembris colunt, per aliquot annos exemplo vitæ inculpatæ singulari... rexisset,.... Clotarii regis jussu... ad quorumdam malevolorum tumultum urbe et episcopatu abire hoc anno (538) coactus est. Transit in Angliam, ubi in monasterio per septennium... degit, vili olitoris officio fungens..... Certa autem exilii epocha colligitur ex eo quod paulo post reditum, funus sancti Medardi, cum multis aliis episcopis, sua præsentia celebravit, anno videlicet Christi DXLV. Unde corrigas eos, qui B. Lupum, Bandarici decessorem, anno Christi DXLIII mortuum scribunt. *Ita Cointius. Et Sollerius noster*, sanctum Bandaridum toto septennio, *inquit*, in Britannia exulasse, tam diserte non uno loco exprimit dicta legenda nostra, ut, si in eo fallat, totam corruere necesse sit. Cum autem redux ab exilio, sancti Medardi celebrem sepulturam certo curaverit, anno jam dicto 545; quid evidentius sequitur, quam quod totis septem ante annis cathedram Suessionensem conscendere debuerit, atque eodem anno, ut minimum, 538, imo, *si annis* ante *aliquot* eam ecclesiam *(ut innuebat Cointius)* rexerit, multo citius sacras infulas consecutus sit (11). *Ex his admodum probabile est initia illius episcopatus haud multo post obitum sancti Remigii figenda esse.*

Initium et finis episcopatus S. Lupi probabiliter ex præcedentibus deducuntur.

14 *Ut itaque summatim totam complectamur disputationem, certum dicimus sanctum* Lupum *anno* 511 *præfuisse ecclesiæ Suessionensi, cum illo anno subscripserit Aurelianensi Concilio; imo haud difficulter admitti potest id non præcise primo ejus episcopatus anno contigisse, unde probabiliter satis ponuntur hujus initia sæculo sexto ineunte apud Dormayum. Rursum probabile fit ex testamento sancti Remigii, sanctum* Lupum *superfuisse adhuc versus annum* 532, *ad quem probabilius refertur obitus S. Præsulis Remensis; imo aliquot annis Remigio supervixisse, puta usque ad annum circiter* 535, *ex actis sancti Bandaridi haud absurde concluditur.*

Gesta S. Lupi vix nota.

15 *Sancti nostri præclare gesta vix non penitus interciderunt. Gallia Christiana* (12) *ita paucis ejus*

(1) Historia Remensis ecclesiæ, lib. I, cap. VIII. — (2) Bibliotheca manuscript. librorum, t. I.—(3) Annales ecclesiastici Francorum. t. I, p. 407, ad an. 533, n. I. — (4) Acta SS., t. I Octobris, p. 167. — (5) Ubi supra.— (6) Comment. præv., § XV. — (7) Acta SS. Belgii, t. I, p. 605.—(8) In *Annotatis* ad Testamentum, litt. *ll*, t. I Octob., p. 170. — (9) T. IX, p. 336. — (10) Annal. Ecclesiast. Francor., ad an. 538, n. LXXIX, t. I, p 581.—(11) Acta SS., t. I Aug., p. 61, n. 5.—(12) T. IX, col. 335.

elogium

A *elogium complectitur.* Sanctus Lupus filius fratris S. Remigii, quem præcipuo semper amore dilexit, ab ipso, ut creditur, ordinatus, Principio successit. Concilio Aurelianensi interfuit anno 511. A sancto Remigio, testamento condito an. 533 (confer n. 10) hæres institutus est. Defuncti XIV Cal. Nov. reliquiæ in cathedralem translatæ. *Haud plura habet historicus Suessionensis Dormayus, secutus Saussaium, qui, pro more suo, penuriam factorum supplet verborum abundantia. Cum tamen nonnulla habeat, nitide satis dicta, atque ad pietatem facientia, non absre fuerit, in aliorum præcipue defectu, posterioris hic encomium adscribere.*

Encomium ex Saussayo.

16 Suessione, sancti Lupi episcopi et confessoris, qui sancti Remigii, apostoli Francorum, ex fratre nepos, patri *(imo* patruo) Principio, sanctitatis absoluto exemplari, episcopali in regimine ob fulgentia merita successit. Oviumque fidus custos, lupum quidem se gregis hostibus præbuit : at agnum iis ostendit, qui spiritum pacis et justitiæ ac pietatis habebant affectum. Cum autem in carne adhuc ageret sanctus Remigius, episcopatum iniit. In quo adeo laudabiliter se gessit, ut inter præcipua Galliæ lumina virtutum admirabilium splendore rutiB laret. Quamobrem primo Concilio Aurelianensi, pia instantia ipsius sancti Remigii coacto, ad coercendum defluentes a recto tramite cleri et populi mores, disciplinamque sacram sarciendam, primos inter Galliæ pontifices interfuit, spectabilique loco non tam ob ætatem, quam præcellentem sanctitatem consedit. Quo intuitu sanctus Remigius cum testamentum suum conderet, ipsum evocavit : ut syngrapha sua illud cum sanctis Vedasto, Genebaudo et Medardo sanctissimæ vitæ episcopis communiret. *(Hæc applicantur prolixiori, quod circumfertur, Remigii testamento, quod suppositilium esse vidimus).* Cui et potioris affectus pignora reliquit : atque extremorum votorum vindicem ipsum constituit. Porro Lupus illius non modo cupita implevit, sed et exempla adeo strenue persecutus est, ut quasi Elizeum raptum Eliam proxime actibus referentem, Remigium ipsum evectum ad superos repræsentarit, et vitæ inculpatæ moribus, et vigilantiæ pastoralis studiis, pontificalique administratione sanctissima. Qui demum ad cumulum gratiæ et meriti perfunctus in assiduo sacrorum cultu, meditationum divinarum studio, pauperum cura, sedula clericorum informatione, populi eruC ditione, sitiens æternæ felicitatis fluenta, ad perennem vitæ fontem evolavit ; plurimisque fulsit post mortem emeritæ gloriæ radiis.

et ex testamento S. Remigii

17 *Præcipua laus beati* Lupi *desumitur ex testamento S. Remigii, ex quo, quæ in rem nostram faciunt, hic describenda judicamus.* Ego Remigius episcopus civitatis Remorum, sacerdotii compos, testamentum meum condidi jure prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi, si ei juris aliquid videbitur defuisse. Quandocumque ego Remigius episcopus de hac luce transiero, tu mihi hæres esto, sancta et venerabilis ecclesia catholica urbis Remorum ; et tu, fili fratris mei, Lupe episcope, quem præcipuo semper amore dilexi ; et tu nepos meus Agricola præsbyter, qui mihi obsequio tuo a pueritia placuisti, in omni substantia mea, quæ mea sorte obvenit, antequam moriar, præter id quod unicuique donavero, legavero, darive jussero, vel unumquemque vestrum voluero habere præcipuum. *Et infra, ubi de variis in specie agit legatis.* Aliud argenteum vas, quod mihi Dominus illustris memoriæ Hlodowicus rex, quem de sacro Baptismatis fonte suscepi, donare dignatus est, ut de eo facerem, quod ipse voluissem, tibi hæredi meæ ecclesiæ supra memoratæ jubeo thuribulum *(Chiffletius et Marcotus legunt* turriculum ; *quæ si vera sit lectio, designabitur* turricula, *sive hierotheca, in modum turris fabricata, ad SS. Eucharistiam asservandum)* et imaginatum *(puta operis celati)* calicem fabricari ; quod faciam per me, si habuero spatium vitæ *(hæc innuunt Remigium, dum conderet testamentum non se morti proximum existimasse)* ; si ante clausero ultimum diem, tu fili fratris mei, Lupe episcope, species ante dictas, ordinis tui memor, efficies. *Et iterum ubi de servis, quos libertos facit :* Commendo sanctitati tuæ, fili E fratris mei, Lupe episcope, quos libertos esse præcipio, Cattusionem et Auliatevam, conjugem suam, Nonnionem... Vasantam coquum, Cæsariam *etc.* hos totos, fili fratris mei, Lupe episcope, sacerdotali authoritate liberos defensabis. *Denique sub finem hæc, quæ utique temporum illorum genium apprime sapiunt, leguntur :* Hæredes mei, Lupe episcope et Agricola præsbyter ; porcos meos inter vos æqualiter dividetis.

Reliquiæ in cathedrali asservatæ, sæc. XVI combustæ.

18 *Reliquias sancti* Lupi *longa sæculorum serie in ecclesia cathedrali Suessionensi, sanctæ Mariæ et SS. Gervasio et Protasio dicata, repositas fuisse, antiqua et constans fert traditio ; nec illa a quoquam in dubium vocatur : nuspiam tamen authentica seu depositionis seu translationis reperi instrumenta. De sacris illis pignoribus hæc tradit Dormayus* (1). *Narrat scilicet sanctum Principium inhumatum fuisse primum in oratorio sanctæ Theclæ, atque tum prosequitur in hunc modum :* Dein sacrum corpus ex tumulo levatum est, atque in loco magis honorifico repositum in ecclesia cathedrali, cum reliquiis sancti Lupi episcopi, et sancti Agricolæ presbyteri. Hæritica rabies hoc nos spoliavit Thesauro F anno 1568, quando, effractis direptisque Hierothecis, ossa sanctorum combusserunt. *Vastatio urbis et ecclesiarum late et ex professo describitur ibidem* (2).

Earumdem quædam Elevatio.

19 *Teste Sollerio in Usuardi Martyrologio, notat Molanus ad 1 Junii reliquiarum quamdam Elevationem his verbis :* Suessione, Elevatio sanctorum episcoporum Principii et Lupi, confessorum, Gaudini martyris et Agricolæ præsbyteri confessoris. *Hac eadem Elevatio celebratur a Saussayo, Gelasinio, Ferrario.*

(1) Histoire de Soissons, t. I, p. 144 et seqq. — (2) Lib. VI, cap. XLII et seqq. t. II. p. 470.

DE

A D

DE SANCTO VERANO

CONFESSORE ET EPISCOPO CAVELLICENSI IN GALLIA.

B. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. S. Veranum Tamayus de Salazar annumerat episcopis Tarraconensibus. Ejus commenta refutantur.

VERSUS FINEM SÆC. VI. Variant scriptores in assignanda S. Verani sede.

In territorio Aurelianensi depositio sancti Verani episcopi. *Ita Martyrologium Romanum ad hunc diem* XIX *Octobris. Quæ verba non parum hucusque hagiographos vexarunt. Non enim adeo facile est determinare quis ille sit* Veranus, *de quo ibidem agitur. Plerique in hoc concordant, quod* territorium Aurelianense *ad Gallias referant, ast dissentiunt inter se in assignanda sede quam* Veranus, *qui ibidem depositus dicitur, tenuit. Alii volunt Cabilonensem fuisse episcopum, alii Cavellicensem, alii Lugdunensem; sunt etiam qui Venciensem dicunt. Ab omnibus discrepat Salazarius in* Martyrologio Hispanico : *hic enim diserte affirmat agi de sancto Verano Tarraconensi Præsule, qui in tractu Aurelianensi* Carpetaniæ in Hispania, *non vero in Gallia, exul vitam finivit. Operæ pretium ducimus, quæ in hanc rem disputat Salazarius, hic in extenso adscribere, et quidem duplici potissimum de causa. Altera, quod ex iis innotescet sanctus Episcopus, quem hac die colit ecclesia Toletana (si qua tamen Salazario fides esse possit): altera, et quidem præcipua, quod exinde via sternetur ad discutiendas sententias illorum, qui territorium Aurelianense de Galliis interpretantur, quamvis inter se discrepent de cathedra, cui insederit* Veranus. *Locus præterea erit, perstringendi Salazarii, ejusque Martyrologii, cujus haud infrequens apud nos recurrit mentio, dijudicandi.*

Salazarius eum Terraconensem episcopum facit;

2 *Scribit itaque Salazarius ad* XIX *Octobris* (1), Aurelianis in Carpetania Hispaniæ, S. Verani episcopi Tarraconensis, qui cum Maurorum in populo sibi commisso conspectasset ruinam, et totius Hispaniæ circumspectasset excidium, a sede pulsus, Toletum veniens, ubi a beato Concordio, regiæ urbis episcopo benigne susceptus, cum eo miserabilem christianæ religionis deploravit statum, donec ab urbe expulsus, in Aurelianensi tractu, virtutum et miraculorum operibus flagrans requievit in pace. *Deinde in* Notis *latius hæc evolvuntur in hunc modum.*

diversis tentans sententiam suam firmare rationibus.

3 Sanctus Veranus episcopus Tarraconensis confessor. Plures fuisse hujus nominis sanctissimos episcopos, eo patet, quod eminentissimus cardinalis Cæsar Baronius in Not. ad Martyrolog. Roman. h. d. lit. F. fol. 648 quinque enumerat. Primum hunc in territorio Aurelianensi occumbentem, secundum Cabilonensem, de quo S. Gregorius Turonensis Hist. Francor. lib. III, c. XXXI qui claruit ad annum DLXXX; tertium Lugdunensem, de quo Petrus Esquilinus Catalog. SS. lib. X, c. L, licet cum Cavalicensi confundat, ut notavit Theophilus Raynaudus in Indiculo SS. Lugdunens. fol. 375 et vixit ad annum CCCCLX; quartum Venciensem, cujus meminit Philippus Ferrarius in Catalog. General. SS. die XI Novembris fol. 439; claruit ad annum CCCCLXV, vel circiter. Quintum Cavillicensem, de quo idem Ferrarius in General. Catalog. SS. XIV Novemb. fol. 443; vixit ad annum DLXXXVIII, ut placet Baronio. Quibus et nos sextum addimus, scilicet Pisanum, cujus meminit idem Ferrarius in d. Catalog. General. SS. die XXVI Octobr. fol. 419 eumque fuisse martyrem affirmat, ejusque Sacrum corpus ex alia parte translatum, Pisisque conditum scribit. Ex quorum relatione patescit, Veranum nostrum, et episcopum Tarraconensem, diversum esse a Cabilonensi, Lugdunensi, Venciensi, et Cavillicensi, ad quod asserendum temporum, sedium, et eventuum discrimina suadent : cum constet nostrum vivere desiisse ad annum DCCLIV episcopumque Tarraconensem egisse. Quod Luitprandus in Chron. ann. 744 n. 219 his verbis probat : *Carpetania, tractuque Aurelianensi S.* Veranus *exulat, episcopus Tarraconensis. Colitur* XIX *Octobris.* Sequitur Julianus archipresbyter Toletanus in chron. ann. 743 n. 381 fol. 92 hac serie : *Successit Sinderedo B. pontifex Concordius, archidiaconus Urbani, vir egregie doctus, pauperum compatiens, et in subeundis pro grege periculis alacer et promptus. Hic excepit tectis, domoque sanctum Veranum episcopum Tarraconensem exulem et virum mirificum, qui non multo post in Carpetania, tractuque Aurelianensi sancte moritur, die* XIX *mensis Octobris, cujus corpus defertur in Toletum, et tunc multis cum lacrymis Muzarabum et Concordii pontificis in Æde sanctæ Justæ honorifice sepelitur.* Hinc jam Baronii hæsitantiam sedabis, qui dubius de sede nostri sancti Præsulis hallucinatur, suspicans illum, de quo Martyrologium Romanum, hoc die in tractu Aurelianensi occubuisse refert, fuisse episcopum Cabilonensem, cum inter Aurelianenses Antistites non numeretur. Quia ut ex nostris liquet historiis, cujus mentio est in Martyrologio Romano, his verbis : *In territorio Aurelianensi depositio S.* Verani *episcopi,* intelligi debet de Verano Tarraconensi præsule, qui in tractu Aurelianensi Carpetaniæ in Hispania, non vero in Gallia, exul vitam finivit. Hinc etiam venit respuenda assertio Andreæ Saussayi in Martyrolog. Gallican. tom. II h. d. fol. 1182 in Supplemento, ubi Cavillecensem pontificem cum hoc nostro confundit, cum re vera nihil ille cum hoc nostro commune habeat, ut supra recensuimus. De nostro præter Romanum Martyrologium, etiam Castellanum P. Dionys. Vasq fol. 171 col. 2; Lusitanum Joan. lup. fol. 225; Luitprandus d. n. 219; Julianus d. n. 381; D. Thoma Thamayo in not. ad Luitprand. fol. 130; P. Higuera fol. 401; M. Rus-Puerta Histor. SS. Giennens. 1 p. secul. VIII

(1) Martyrologium Hispanicum. Edit. Lugduni 1658.

C. II.

A c. II, n. 3 fol. 221; P. Antonius Quintana-Duennas Histor. SS. Toletanor. fol. 418 ex quibus sic ejus Acta describimus.

Inter episcopos Tarraconenses.

4 *Antequam ulterius progrediamur, notemus, recte quidem, ut infra reddemus, Baronium a Tamayo Salazario reprehendi, quod S.* Veranum *nostrum annumeraverit episcopis Cabilonensibus; ast longe potiori jure perstringendus Tamayus est, quod eum Tarraconensibus intrudat. Ultimus, qui certo sedem tenuerit Tarraconensem, antequam a Mauris urbs hæc eversa esset, vocatur* Vera (1). *Qui, quo præcise anno assumptus fuerit, non omnino liquet. Florez loco citato inclinat in annum* 689 *vel* 690. *Id certum* Veram *subscripsisse Concilio Toletano XVI an.* 693, *imo et Concilio XVII an.* 694. Post hæc, *inquit laudatus Florez* (2), potuit vitam diu protrahere et forte attingere infausta illa tempora ingruentium Maurorum. Ast deficiunt documenta. Atque hic postremus fuit episcopus, antiquo persistente ecclesiæ Tarraconensis statu; octo quidem alii nominantur, ast incerta est illorum pontificatus epocha, nec proinde certo statui potest, an ante Maurorum irruptionem floruerint. *Postea tamen addit* (3) multo credibilius esse Georgium successisse Veræ,
B ineunte sæculo VIII, *ac consequenter ad antiquos illius sedis pertinere præsules.*

ex catalogis illius ecclesiæ constat.

5 *Cæterum tres habet Florez* (4) *Tarraconensium antiquorum episcoporum Catalogos. Primus ex Mss. Joannis Baptistæ Perez, ita desinit:* An. 693: Vera ultimus archieps. Tarracon. obiit II Maji Era 731. *Subjungit Florez:* Si eo obiit anno, non fuit ultimus, nisi sermo sit de cognitis et certis. — *Secundus catalogus habetur ex* Constitutionibus *synodi Tarraconensis an.* 1555, *typis editis an.* 1557, *ubi ad finem hæc leguntur* (5): Vera, susceptis post Cyprianum Ecclesiæ Tarraconensis administrandæ veris laboribus, anno DCXCIII naturæ concessit. In hujus tempus illa miserrima nec umquam satis deploranda Saracenorum in Hispaniam irruptio incurrit, et totius Hispaniæ vastatio: qua factum est, ut multi archipræsules in ecclesia Tarraconensi non sederint. Sed qui hi fuerint, non admodum ad intelligentiam hujus operis cognosci interest. Guilelmus quidam Barcinonencis, episcopus dicitur an. DCXCIV electus, qui vixit ad an. DCCXIII. Interim partim ob Saracenos, partim ob veterrimum monstrum *(quod sit illud monstrum dicit Florez sibi non vacare inquirere* (6)) quod civitatem
C obsederat, eam cædibus, sanio et tabo infecerat, Tarraco jacet inculta, et colonis omnibus exhausta. Succedentibus vero temporibus, Saracenis magna ex parte ab hac regione expulsis, iterum Tarraco post CCC annos, aut eo plus, variis calamitatibus afflictata cœpit habitari. *Scilicet Joannes Papa XIII an.* MLXXI *eversam sedem Tarraconensem transtulit ad ecclesiam Ausonensem (vernacule* Vique), ut Ausonensis Ecclesia *(verba sunt bullæ)* (7) potestates et primatus teneat Tarraconensis ecclesiæ, et ut omnes episcopi suffraganei ejusdem sanctæ Tarraconensis ecclesiæ ad Ausonensem ecclesiam confugiant. *Postea reædificata Tarracone, Berengarius de Rosanis* ab Ausonensi pontificatu in Tarraconensem traductus Kal. Jul. MXCI, vixit usque ad annum MCVIII (8). *Ita quidem in catalogo secundo: non tamen omnino constat de annis Berengarii; id certum ad finem sæculi undecimi sedem Tarraconensem eum tenuisse. Vide Florez Tract.* LXIII *cap.* V, *n.* 9 *et seqq.* (9), *qui præterea observat* (10) *generatim* multum abesse ut dictus catalogus hoc loco sit accuratus, quippe qui Saracenorum irruptionem referat ad episcopatum Veræ. At si hic obierit an. 693, non ejus tempore vastata a Saracenis Hispania est, cum id factum sit, non hoc, sed sæculo sequenti. Nec etiam incidit in annos Guillielmi, si is mortuus sit an. 713, quoniam ejus obitus concurrit cum initio dominationis Saracenicæ. *Scilicet ex professo probare suscepit Florez* (11), *quo anno Mauri Hispaniam occuparint, concluditque hujus ruinam* ortam *ex pugna, in qua rex Rodericus occubuit, exeunte anno* 713; consummatam *vero an. sequenti* 714 (12). *Confer, hoc ipso die, Acta S. Theofredi Comm. præv.* § I, *n.* 15 *et seqq. ubi vidimus hærere scriptores in figenda morte Roderici, quam alii innectunt anno* 711, *alii anno* 712, *alii* 713, vulgus historicorum, *ut loquitur Petrus de Marca* (13), *anno* 714. — *Tandem tertius Tarraconensium Præsulum catalogus, auctore Antonio Augustino, quem cæteris præfert Florez, sub num.* 13 *hæc tradit:* Vera interfuit XVI et XVII concilio Toletano, ut Rodericus antistes refert, quem Alfonsus rex Verum appellat. In Actis autem eorum conciliorum Vera nuncupatur. XVI concilium habitum est VI Nonas Majas, E
anno sexto Egicæ regis, anno Christi DCXCIII. Mox anno proximo XVII concilium V Idus Novembris. Subscriptiones in Actis, quæ vidimus, desiderantur. Horum Archiepiscoporum nomina certa retulimus: plures fuisse non dubitamus, in quibus exstat mentio Georgii episcopi, cujus incerta sunt tempora. Etenim altaris cujusdam diruti hanc inscriptionem legimus:

STEPHANUS ALEXANDRINUS IN HONORE DEI ET OMNIUM SANCTORUM DIE VIII ID. APRIL AN. TERTIO ORDINATIONIS EJUS CUM SUIS SUB PONTIFICATU GEORGII EPI. SIGILLUM HIC EST O.

Omisimus Prudentium, Æmilianum, Paternum, Idacium, Phaluacem et Agnellum, ut incertos, licet eorum nomina in ecclesiæ Tarracon. libris legantur (14). *Hic non notatur annus, quo decesserit Vera; cum tamen interfuisse dicatur an.* 694 *Concilio Toletano, liquet eum non obiisse anno* 693, *ut vult Antonius Augustinus.*

locum non esse S. Verano

6 *Ex his porro jam apparet locum non esse S.* Verano *inter Tarraconenses episcopos; nisi forte, quod non mirarer, Tamayus existimaverit, vel potius sibi persuadere voluerit,* Veranum *eumdem esse ac* Veram; *et exinde, more suo, totam illam cuderit*
F *narrationem, cujus ne vel unum apicem reperire est apud probatos scriptores. Prosequitur itaque Tamayus loc. cit.*

Ejus res gestæ ex Tamayo.

7 Veranus natione Hispanus, et civis Tarraconensis in Hispania Citeriori, cum (postquam Sarracenorum Hispanias irruentium lues totum regionis angulum occupasset et urbem illam præclarissimam invasissent) ad illius metropoliticæ ecclesiæ fastigium meritis interpellantibus devenisset, jura suis Muzarabibus conservare disposuit. Sed Arabum insolens crudelitas adversus integerrimum penitus pastorem insurgens, illum vita privare decrevit. Ast fidelium turba Antistitem e medio tollens, ex urbe discedens Veranus, et suis vale dicens, exul Toletanam urbem ingreditur, qui a beato Concordio regiæ urbis pontifice benigne susceptus, illi, prout illa ferebant tempora, sumptus congruos, ut sanctorum Patrum decretis inhæreret adsignavit. Igitur cum sanctus vir per

(1) España Sagrada, t. XXV, p. 93. — (2) Ibid. — (3) Ibid., p. 94. — (4) Ibid., in Appendice, p. 227. — (5) Ibid., p. 231 et 232. — (6) Ibid., p. 95. — (7) Florez. España Sagrada. Ibid., p. 102. — (8) Ibid., p. 232. — (9) Ibid., p. 110 et seq. — (10) Ibid., n. 94. — (11) España Sagrada, t. II, part. I, cap. III, § IV et V. Item, part. II, cap. III. — (12) Ibid., p. 187, n. 218. — (13) Marca Hispanica, col. 226. Edit. Paris, 1688. — (14) Florez. España Sagrada, t. XXV, p. 238.

aliquod

B. B.

aliquod temporis spatium apud Toletum egisset, desiderio perfectioris occupationis, et ut animæ suæ saluti consuleret, urbem regiam deserere constituit, et a sanctissimo præsule Concordio obtenta facultate, in agrum Aurelianensem, qui non procul ab Oleadibus Carpetaniæ conspicitur, secessit. Idem beatissimus Antistes sic vitam texuit piissimam, ut virtutibus clarus, et miraculis insignis, gloriam promereretur æternam die XIX Octobris, anno Domini DCCXLIV. Cujus corpus a sancto Concordio in lectica honorifice compositum, Toletum transferre curavit, et in ecclesia sanctæ Justæ Toletanorum lachrymis sepelivit, ubi cultu honorifico in posterum venerationem accepit.

et Epitaphium,

8 In cujus sarcophago, hoc posuit carmen sepulchrale sanctus Concordius.

Continet hic tumulus Verani præsulis ossa ;
Tarraco quem relegat barbara in exilium.
Hic fuit illius urbis præsul, origine civis,
Tempore dum Maurus omnia calcat Arabs.
Sed cum jura Dei Sanctus servare potenter
Procurat ; Maurus instruit insidias.
Tunc sanctus præsul, propriis comitantibus, urbem
Deserit ; et nostram sanctificavit humum.
B Aureliæ moritur clarus, quem Astra, polique
Illustrant ; corpus Justa sed alma tenet.
Hæc Concordius illi inscripsit carmina Præsul ;
Sit memor ut nostri, urbis et orbis idem.

item notæ quædam topographicæ.

9 Sepulcrale hocce Carmen mihi suppeditavit codex meus Ms. Auli Hali, quo mirifice Luitprandi et Juliani sententia probatur, nec aliquid quod addatur habemus ; nisi velimus adnotare qualiter a SS. Patribus statutum fuerit, ut episcopi a suis sedibus pulsi, in aliis civitatibus recipiantur benigne et humane, quod probat concilium Sardicense canon. 21 et notavit P. Higuera ad Luitprand. d. n. 219 fol. 402. Hinc etiam in Hispania hoc decretum observatum legimus, tempore Sarracenorum, quo episcopi a suis Sedibus ejecti, apud Ovetum recepti suas mansiones habuere consignatas, et eleemosynas ad eorum sustentationem, ut inquit Julianus. *Addit tamen Tamayus.* Aurelia est urbs antiqua Hispaniæ in Carpetania prope urbem Olcadum, quam Ocanna dicunt, et nunc hæc Aurelia vocitatur Orexa, ut notavit P. Higuera d. n. 219 fol. 401. Alia etiam fuit Aurelia in Hispaniæ Vettonibus, quam adhuc nostri Orellana vocitant ; sed hæc diversa a Carpetanensi, qua S. Præsul vitæ C finem imposuit. Nam illa diœcesis Toletanæ, ista Placentinæ.

Cardinalis Aguirrius acerrime perstringit.

10 *Atque hæc quidem Salazarius, more suo, fidenter asserit. Ast notum inter eruditos est, quam exigui ponderis sit viri illius auctoritas. Sane cum acriter, non tamen ultra meritum, perstringit Cardinalis Aguirrius, haud veritus et veteratorem et mendacem appellare.* Hæc, *(nempe Pseudo-Luitprandi* Adversaria, *sicut et* Pseudo-chronica *Dextri, Maximi ac Juliani Perez,* conficta *a P. Hieronymo Roman de la Higuera,* perniciosissimo corruptore historiæ *Hispanæ præsertim ecclesiasticæ)* fuit origo tot fictionum et fabulosissimarum narrationum, quibus pleni sunt plerique libri historiæ Hispanicæ ab initio fere hujus sæculi scripti *(obiit Romæ Aguirrius anno* 1699) : præsertim sex vasta volumina *martyrologii Hispani* edita a Joanne Tamayo de Salazar, qui commentis Higueræ plurima alia, eaque insulsissima, addidit et ubique sparsit, magno quidem vulgarium et semidoctorum hominum plausu, sed ingenti dolore ac rubore eruditissimorum quorumlibet intra et extra Hispaniam. *Ita Aguirrius* (1).

historiæ ecclesiasticæ corruptores hispanos,

11 *Et rursus* (2) : Exiis turbidis et fœculentis lacunis Joannes Tamayus de Salazar, nimia credulitate et crisi nulla, delibavit, aut potius coacervavit figmenta sinnumera, iisque implevit sex illos tomos sui martyrologii Hispani, a vulgo et semidoctis receptos cum ingenti plausu, sed stomachum ac bilem moventes eruditissimis quibusque Hispanis et exteris. Nec contentus Tamayus aliena commenta suis scriptis inserere, adjecit e suo plurima tertio quoque verbo, ac præsertim carmina insulsissima, et nec grammatices nec poeseos leges servantia, tamquam olim a Maximo aliisque viris gravissimis scripta, quæ tamen partim ab ipso Tamayo, partim ab aliis convictoribus ejus in domo illustrissimi D. Didaci de Arce Reynoso, inquisitoris generalis Hispaniarum, absque ullo genio aut sale composita fuerunt.

præsertim Higueram et Tamayum.

12 Verum inter omnia gravia absurda ab Higuera, Tamayo et aliis similis farinæ hominibus inducta, illud imprimis intolerandum est, quod sanctitatis titulo donare ausi fuerint, sive in numero sanctorum Hispaniæ, vel ad Hispanias spectantium recensere, ac certis illarum ecclesiis, urbibus, vel populis assignare plurimos homines, idemque de fœminis, quos nec ecclesia universalis, E nec illa particularis venerata fuerat, seu cognoverat usque ad annum circiter MDXCIII., quo Higuera cœpit vulgare ea figmenta. Inveniuntur quidem in martyrologiis aut menologiis, Sancti plurimi ejusdem nominis, cujus fuerunt alii innumeri non Sancti. Immanis vero ausus eorum veteratorum fuit, ubi inveniebant in conciliis vel monumentis exploratis Hispaniæ quosdam episcopos, presbyteros, diaconos, vel alterius conditionis homines, confundere illos cum aliis sanctis viris, aut mulieribus ejusdem nominis, exstantibus in martyrologiis menologiisve ; aut cum iis, qui peculiari traditione cujuspiam provinciæ vel urbis, censentur et coluntur ut Sancti. Qua fictione quænam alia in rebus adeo sacris perniciosior esse possit, ego non video.

quos veteratores et mendaces

13 Et hoc ipsum plane accidit circa patres illos, sive episcopos sive presbyteros sive diaconos, qui intervenerunt præsenti concilio *(Illiberitano, de quo agit Aguirrius toto volumine secundo sui operis).* Felix enim episcopus Accitanus, qui subscribit primo loco, ponitur ab iis veteratoribus inter sanctos, et confunditur cum Felice illo episcopo, F qui in martyrologio Romano memoratur ex Usuardo XVIII Maji, et fuit episcopus Spoletinus in Italia, aut Spalatensis in Dalmatia, ut habet Petrus de Natalibus in catalogo lib. V, cap. XIII. Similiter Melantius, præsul Toletanus, septimo loco subscribens, nova metamorphosi mutatur in S. Melanium, episcopum Rhotomagensem, cujus festum ponitur ad diem XXII Octobris in martyrologio Romano. Patricius quoque episcopus Malacitanus, decimo loco subscribens, transformatur in S. Patricium Hiberniæ apostolum primatem, qui colitur XVII Martii. *Alia his similia adduntur exempla, ex quibus pronum jam est concludere quam caute subscribendum supra relatis a Tamayo S. Verani actis, quæ cæteroquin falsa esse et fictitia nos inferius demonstrabimus.*

probat,

14 Porro ex iis, aliisque plurimis *(ita prosequitur Aguirrius)* inter alia damna, id malum secutum vereor, ut in multis ecclesiis et populis Hispaniæ, nimia simplicitate ac credulitate delusis, celebrentur plura festa eorum Sanctorum, qui nullo prorsus titulo ad illas spectant, nisi fictitio ; imo et eorum, qui Hispani quidem fuerunt, verum

(1) Collectio Maxima Conciliorum Hispaniæ, t. II, p. 68. — (2) Ibid., pag. 76.

numquam

A numquam ab ecclesia inter sanctos relati. Dignum censeo suprema illa Hispaniarum inquisitione, imo et hac sancta Sede, in ea omnia inquirere et gravissimis quibusdam, lectissimisque viris injungere onus examinandi omni studio atque ingenuitate sex illa volumina martyrologii Hispani, et resecandi innumeras fabulas similes quibus scatent in materia adeo gravi et sacra.

et qua tales, ab omnibus notos cupit.

15 Verum præterea, ut radix tanti mali extirpetur, nec illud postea revocetur ex orco, oportet idem examen adhiberi omnium Pseudo-Chronicorum Dextri, Maximi, Helecæ, Luitprandi ac Juliani nomine vulgatorum a P. Higuera, eorumdem architecto, et propterea irriso semper ab ipsius doctissimo contubernali Joanne Mariana, ac toties gravissime reprehenso nominatim a Bollandianis ejusdem Instituti. Pleraque enim figmenta in eo Martyrologio sparsa, ex iis Higueræ fabulis desumpta sunt, licet Tamayus multa etiam alia de suo addiderit, et ex magisterio illius in arte mentiendi aut fingendi profecerit. Id ipsum fere moneo circa Pseudo-Aubertum Hispalensem, obtrusum paulo post medium hujus sæculi labentis ab Antonio Lupian Zapata, in quo similes fictiones occur- B runt, præsertim circa Sanctos, ecclesias, et alias res sacras Hispaniæ. Eas fere omnes tuendas recepit, imo et vindicandas vastis voluminibus, Gregorius Argaiz, præsertim ex testimoniis illorum Pseudo-Chronicorum, quasi ea essent exploratæ fidei. *Hactenus Aguirrius* (1).

Commenta Tamayi de S. Verano a Papebrochio jam suggilata.

16 *Non ergo fides potest adhiberi Salazario asserenti, non vero probanti,* Veranum *nostrum ad Hispaniam pertinere. Nec Baronio, nec Florentinio, sive Sollerio nostro, sive Raynaudo, qui in excutiendis martyrologiis plurimum laborarunt, in mentem venit* territorium Aurelianense *dicto loco de Hispania interpretare. Imo præter Salazarium et alios quosdam ejusdem patriæ scriptores, haud validioribus nixos argumentis nullus nobis occurrit, qui in hanc abierit sententiam. Extat etiam, inter documenta, olim a prædecessoribus nostris collecta, epistola patris Ampringer S. J. Roma ad P. Papebrochium* XVIII *Septembris* 1683 *missa, cujus initium est:* Rogat P. Provincialis Hispaniæ pro sequenti informatione. *Apponitur dein ipsa petitio italice conscripta,* qua rogantur hagiographi, ut Romam mittant notitiam de vita sancti Verani Cabillionensis, qui obiit versus annum 530; eo C quod instantia fit apud S. Congregationem Rituum, ut approbetur officium dicti Sancti, quod prodiit Avenione anno 1620. Ast S. Congregatio illud approbare recusat, donec ostendatur vita illa conscripta ab auctore fide digno (da qualche autore classico a degno di fede). *Quid responsum fuerit a nostris, legere est in ipso hujus epistolæ folio, in quo manu sua Papebrochius, pro memoria, ut aiunt, scripsit:* Respondi cavenda figmenta Hispanica, quibus adscribitur S. Veranus Tarraconensibus. Suspicabar enim a Tarraconensibus officium postulari vel a Castellanis. *Hinc satis apparet* S. Veranum *nostrum, ex mente Papebrochii, Hispanis haud annumerandum. Atqui hæc omnia nobis suadent, Salazarium errasse, vel si mavis genio suo indulsisse dum* territorium Aurelianense, *de quo in martyrologio Romano, in Hispaniæ finibus credidit inveniri. Quod ex dicendis manifestius fiet.*

B. B.

§ II. S. Veranus, de quo hac die in Martyrologio Romano, episcopus fuit Cavellicensis, cujus Reliquiæ translatæ Jargolium, in territorio Aurelianensi.

Non fuit S. Veranus, ut vult Baronius, episcopus Cabilonensis.

B*aronius in Notis ad Martyrologium Romanum:* Licet, *inquit,* hic (Veranus) ponatur in territorio Aurelianensi; tamen cum in tabulis episcoporum Aurelianensium nullus ejus nominis reperiatur scriptus episcopus, suspicor interim, hunc illum esse Veranum fama celebrem episcopum Cabilonensem, cujus meminit Gregorius Turon. Hist. Franc. lib. III, cap. XXXI et lib. IX, cap. IV. Ubi hæc de ipso: *Erat enim eo tempore ipse pontifex magnis virtutibus præditus; ita ut plerumque infirmis signum crucis imponens, statim sanitatem, tribuente Domino, restitueret.* Hæc Gregorius. Claruit temporibus Childeberti regis Francorum, circa annum E Domini 580. *Hactenus Baronius ad* XIX *Octobris.*

Refutatur Baronius.

18 *Baronio diserte contradicunt collectores Galliæ Christianæ* (2): Veranum hic *(Flavium scilicet inter et Lupum episcopos Cabilonenses)* inserunt multi, tum antiqui tum recentiores, Gregorii Turonensis editorum mendo decepti: in illis enim Veranus exhibetur Cabilonensis episcopus, sed ubique legendum Cavellionensis de *Cavaillon,* ut habent manuscripti; et recte quidem, cum constet utrumque, Flavium Cabilonensem et Veranum Cabellicensem eodem tempore concilio Matisconensi II interfuisse et subscripsisse. *Est et alia ratio quæ suadet a Baronio discedere, deducta ex ipsis Gregorii Turronensis verbis, quæ Baronius non integre descripsit:* Eo anno, *inquit Gregorius* (3), Childeberto regi alius filius natus est, quem Veratus Cabilonensis episcopus suscipiens a lavacro, Theodorici nomen posuit. Erat enim eo tempore ipse pontifex magnis virtutibus præditus ita ut plerumque infirmis signum crucis imponens, statim sanitati, tribuente Domino, restauraret. *Jam vero extra controversiam est* Veranum *Cavellicensem fuisse, qui Theodoricum II Childeberti filium e sacro fonte levavit, ut videre est apud* F *Cointium* (4) *ubi ad annum* 587 *citans Gregorium Turronensem, post verba:* Childeberto filius natus est, quem Veranus Cavillonensis episcopus, *addit inter parenthesim Cointius:* in nonnullis exemplaribus Gregorii perperam legitur Cabillonensis. *Et Longevallius noster* (5) *haud minus diserte idem tradit:* Childebertus II patrem suum *(Sigebertum)* secutus est, sanctum venerando episcopum *(Cavellicensem* Veranum), quem patrinum esse voluit filii sui Theodorici. *In Martyrologio Autissiodorensi, quod editum fuit auctoritate RR. DD. Caroli de Caylus, Autissiodorensium episcopi et ejusdem ecclesiæ capituli consensu anno* 1751, *sequens habetur ad diem* XIX *Octobris annuntiatio:* Eadem die translatio sancti Verani Cabellicensis episcopi, qui Childeberti secundi Austrasiorum regis filium Theodoricum e sacro fonte suscepit.

P. Claudius Perrijus ex professo probat S. Veranum Cabilone numquam sedisse.

19 *Ex his itaque efficitur deserendum esse Baronium, opinantem,* S. Veranum, *de quo hac die in Martyrologio Romano, episcopis Cabilonensibus an-*

(1) Collectio Maxima Conciliorum Hispaniæ, t. II, p. 76. — (2) T. VI, col. 867. — (3) Historia Franc., lib. IX, cap. IV. Bibliotheca Maxima Patrum, t. XI, p. 789. — (4) Annales Ecclesiastici Francorum, t. II, p. 326. — (5) Histoire de l'Église Gallicane, t. IV, p. 222. Edit. Paris 1826, in-12.

numerandum

B. P.

numerandum. Ratio ab eruditissimo scriptore adducta ex Gregorio Turonensi, non obtinet, cum hic diserte satis indicet sanctum Præsulem ecclesiæ Cavellicensis. Hinc P. Claudius Perryus, in sua Historia Cabilonensi, agens de Verano, *qui e sacro fonte suscepit Theodoricum, filium Childeberti:* Fieri non potest, *inquit* (1), ut Veranus ille episcopus fuerit Cabilonensis; illo enim tempore sedem hanc tenebat Flavius. Admittendum ergo irrepsisse errorem apud Gregorium Turonensem, atque typographos *(adde et amanuenses aliquos)* loco *Cavellicensem* posuisse *Cabilonensem*, quod ex vocum similitudine facile fieri potuit *(Confer infra n.* 30). Non solum tunc temporis præfuit Flavius ecclesiæ Cabilonensi, sed, quod ex sequentibus patebit, haud parum supervixit concilio Matisconensi, quod habitum est anno ante baptismum Theodorici. Huic concilio interfuit Veranus Cavellicensis una cum Flavio Cabilonensi. *Hæc Perryus. Et inferius, ubi ex professo tractat de episcopatu sancti Verani, ita ordiur* (2): Quoniam ecclesia Cabilonensis inter sanctos suos præsules recenset beatum Veranum, reverentia impedit quominus nomen illud expungam. Traditio ecclesiarum tanti apud me ponderis
B est, ut, quocumque in loco ejus repererim vestigia, maximopere venerer. Sufficiat ergo superius ostendisse Veranum, qui de sacro fonte levavit regem Theodoricum, non fuisse episcopum Cabilonensem. Hoc enim evidenter patet. Proinde si quis umquam nomine Veranus sedit Cabilone, profecto diversus est a susceptore dicti regis, quamvis in Breviario illius ecclesiæ lectiones illi tribuant, quæ supra ostendimus pertinere ad S. Veranum Cavellicensem. Eædem lectiones vehementer etiam errant, dum mortem ejus ponunt anno 590: constat enim Flavium anno 591 superstitem fuisse. Nihilominus ecclesia Cabilonensis S. Verani festum agit die vigesima Octobris, cumque annumerat episcopis inter sanctos relatis a Joanne Papa VIII. Martyrologium ejus mentionem habet eodem die *(si de Romano agatur, lege: die præcedente, scilicet decima nona Octobris)* quidquid tandem sit, si umquam fuerit Cabilone episcopus nomine Veranus, successit Flavio. *Hactenus Perryus.*

Agit Martyrologium Rom. de S. Verano Cavellicensi,

20 *Non ergo probatur suspicio Baronii de Verano Cabilonensi; imo ex dictis satis manifeste sequitur, in laudato Martyrologii Romani loco agi de S.* Verano *Cavellicensi: hic enim et Theodoricum regem de*
C *sacro fonte levavit, et Concilio subscripsit Matisconensi II. Aliunde extra dubium est, tunc temporis Flavium præfuisse ecclesiæ Cabilonensi, qui et anno* 585 *in prædicto sedit Concilio, et saltem usque ad annum* 591 *superstes fuit. Baptismus autem Theodorici incidit, juxta Cointium, in anno* 586. *Ast quæri potest, qui fiat ut depositio sancti* Verani *Cabellicensis celebretur in territorio Aurelianensi, potius quam in propria ejus sede? Hanc difficultatem solvunt Castellanus et Saussayus. Ille in suo* Martyrologio Universali *testatur reliquias beati Episcopi asservari in dicto territorio:* Albingauni *(Albenga in ducatu Januensi Italiæ)* inter finarium et Uneliam... Veranus... Cabellicensis, cujus reliquiæ Gergolii *(Gergeau)* in diœcesi Aurelianensi. *Ita in margine ad diem undecimam Novembris. Et multo explicatius Saussayus in* Supplemento *ad Martyrologium Gallicanum, die* XIX *Octobris.*

cujus reliquiæ translatæ fuerunt Jargolium in territorio Aurelianensi.

21 Apud Jargolium in agro Aurelianensi susceptio corporis sancti Verani episcopi Cavellicensis. Qui Gabalis in Aquitania ortus, a pueritia in Dei
D timore et sacris disciplinis institutus, clericus Mimatensis ecclesiæ effectus est. Cumque fama ejus sanctitatis jam erumperet, declinandæ humanæ existimationis affectu, ad Cavellicensem provinciæ Massiliensis urbem contendit, ubi fugato immani dracone ecclesiam beatæ Dei Genetricis ædificavit. Tum Romam peregrinus veniens, et in multis urbibus plurima sanctitatis signa operatus, dum persequentem se nominis gloriam quocumque fugit, supernæ dispositionis arcano, iterum ad Cavellicensem urbem delatus, episcopali honore invitus quamvis sublimatus est. Quo in munere majora gratiæ divinæ lumina propalavit: cumque in sincero Dei famulatu et gregis sedula procuratione consenuisset, concilio Matisconensi secundo interfuisset, plenus diebus et meritis vitæ immortalis præmia adeptus est. Sepultus fuit sanctus Antistes in oratorio, quod in honorem Deiparæ Virginis pridem construxerat. At postea crebescentibus ad ejus tumulum prodigiis in civitatem delatum sacratissimum ejus corpus cathedrali ecclesiæ titulum sui nominis indidit: et universæ diœcesi, cujus fuit primus pastor perenne contulit beati jam Cœlitis patrocinium. Verum jam pridem inde ipsum ejus corpus translatum in interiorem Gal- E
liam, apud Jargolium, tribus ab Aurelia passuum millibus, repositum est in ecclesia sanctæ Crucis, quæ postea ob gloriosi hospitis celebritatem de ejus nomine insignita est: in qua decanus cum capitulo canonicorum, nocturnis et diurnis horis sedulam Domino persolvunt servitutem. Colitur autem præcipue sanctus hic Pontifex pridie Idus Novembris, quo die fidelis dispensationis remunerationem accepit.

ut probatur ex Carolo Sausseio,

22 *Ex hac Andreæ Saussaii narratione facile intelligitur, cur in Martyrologio Romano fiat mentio* territorii Aurelianensis, *ubi de sancto* Verano *Cavellicensi agitur. Proinde si sua stet dictis Saussaianis veritas, mota paulo ante a nobis difficultas evanescit. Porro quamvis laudatus scriptor non omnimodam semper sibi conciliet fidem, utpote qui in critica historica haud infrequenter deficiat, præcipua tamen quæ de sancti Cavellicensis Antistitis translatione Jargolium refert, nobis extra controversiam posita videntur, cum fulciantur testimonio gravium aliorum scriptorum. Sic Carolus Sausseius, ecclesiæ Aurelianensis decanus, in suis ejusdem ecclesiæ* Annalibus, *agens de Concilio Matisconensi II,* item, *ait,* subscripsit Veranus, episcopus ecclesiæ Avelianensis *(in margine* Gavaillon) cujus corpus in urbem Jargolium *(in margine* Gergeau) allatum in ecclesia sui nominis conditum est in F
hac diœcesi *(Aurelianensi):* in qua serviunt Domino diurnis et nocturnis horis Decanus, Cantor, Capicerius, Canonici et Capellani multi, cum ante illationem sancti illius Corporis ecclesia sanctæ Crucis nominaretur (3).

Expillio

23 *Ita etiam vir eruditus Expilly, in Dictionario Geographico,* Jargolium urbem dicit territorii Aurelianensis, sitam in sinistra ripa Ligeris. Illius ecclesia parœcialis dedicata est sub invocatione sancti Stephani; collegiata vero sub titulo sancti Verani *(S. Vrain)*. Capitulum duas numerat dignitates, decanum et cantorem atque præterea canonicos decem (4). *Præclarum Expillii opus imperfectum remansit; desinit ad litteram* S. *Obiter hic notemus tres dignitates numerari a Carolo Sausseio, scilicet Decanum, Cantorem et* Capicerium. *Est autem Capicerius, juxta glossarium Cangii, dignitas*

(1) Histoire civile et ecclésiastique de la ville de Châlons-sur-Saône, par Claude Perry S. J. Paris 1659, p. 48. — (2) Ibid., p. 51. — (3) Annales Ecclesiæ Aurelianensis, lib. III, cap. XXXV, p. 138. Paris, 1615. — (4) Dictionnaire Géographique, Historique et Politique des Gaules et de la France.

et

A *et officium in ecclesiis et monasteriis, gallice* Chevecier, *cui* Capicii *ecclesiæ cura incumbit. Capicium pars est ædis sacræ, quæ vulgo* præsbyterium *seu locus ubi altare statuitur et Græcis* βῆμα *dicitur.*

et Francisco Le Maire.

24 *Superius dicta confirmantur a magistro Francisco Le Maire in* historia urbis et ducatus Aurelianensis. *Ejus verba hic partim adscribimus, quod particularia quædam ad rem nostram facientia contineant.* Ex quo pars reliquiarum sancti Verani Jargolium translatæ fuerunt, ecclesia illius urbis, quæ olim a sancta Cruce dicebatur, a sancto Verano vocata est. Porro reliquiæ illæ erant pars Capitis *(une partie du chef)*... Ablatæ fuere ab Hugonotis ultima die Aprilis anno 1562, quando scilicet destruxerunt omnes illius ecclesiæ imagines, ipsa vero ædes sacra dejecta tantum fuit sequenti eorumdem turbine. *Sequitur vita sancti* Verani *Cavellicensis, quem distinguendum monet ab antistite Cabilonensi ejusdem nominis* (1). *In hoc opere multa quidem reperiuntur ad antiquam spectantia historiam, accurata minus. Ast cum hic agatur de re, quam scriptor quasi oculis usurpare potuit, non est profecto cur idoneus testis non habeatur.*

Conclusio.

25 *Opus non est plura congerere hic testimonia.* B *Hæc enim abunde sufficiunt, ut unicuique constet de traditione ab immemoriali, qua tenetur reliquias sancti* Verani *Cavellicensis asservari Jargolii in ecclesia collegiata, quæ propterea ab ejus nomine vocata est. Hac de re, quæ nobis præcipua est, convenit inter omnes; quod vero ad ipsas reliquias spectat, est aliqua dissentio: aliis affirmantibus Corpus, aliis partem tantum Capitis eo delatam. Atqui posita hac translatione et asservatione, nemo mirabitur in Annuntiatione sancti* Verani *Cavellicensis martyrologium mentionem facere* Territorii Aurelianensis.

Diversus etiam est S. Veranus noster ab altero cujus meminit Martyrol. Rom. ad XI. Novembris;

26 *Quinimo in nullo alio loco Romani martyrologii memoria ejusdem sancti Antistitis celebratur. Equidem scio alteram illam Annuntiationem, quæ habetur ad diem* XI *Novembris, a quibusdam ad Sanctum nostrum referri. Ast, ut candide dicam, nescio quo jure. Textus martyrologii est :* Lugduni, sancti Verani episcopi, cujus vita fide et virtutum meritis fuit illustris. *Utique verba illa, prout sonant, antistitem indigitant Lugdunensem, nec facile perspicitur quomodo de alio intelligi queant. Nihilominus in hanc abiit sententiam laudatus Franciscus Le Maire, qui, loc. cit. testatur in diœcesi Aurelianensi celebrari festum S.* Verani *die* XII *Novembris, transla-* C *tionem vero die* XIX *Octobris. Et, auctore Raynaudo,* Petrus Exquilinus *(alias de Natalibus)* sanctum hunc Veranum Lugdunensem, cujus festa dies incidit in XI Novembris, confudit cum sancto Verano Cavellicentium episcopo, in quem cadunt omnia quæ ibi dicit de sancto Verano. *Vide Indiculum SS. Lugdunensium.*

probatur ex Raynaudo, Sollerio

27 *Ast eruditorum longe maxima pars censet cum Raynaudo, sanctum* Veranum, *de quo ad* XI *Novembris, diversum esse ab episcopo Cavellicensi. Scribit Sollerius noster in* Observationibus *ad Usuardum :* Verani, haud dubie Lugdunensis episcopi, meminit, non in appendice, ut ait Florentinius, sed in ipso textu Martyrologus Viennensis *(scilicet Ado)*... In Hieronymianis etiam legitur; sed *non dubitaret* Florentinius, *quin sit ex additis ad Vetustius Martyrologium*. Quidquid sit, notat ibi laudatus scriptor Veranos plures, nempe alterum *Gabalitanum seu Cavallicensem* episcopum, alterum *Venciensem*, eosque a Lugdunensi et hodierno nostro diversos, ex Hagiologio Labbei, Saussayo et Raynaudo. Aliter sentire videtur Castellanus; nam Veranum adjecta notula *Venciensem* declarat ex IX Septembris huc translatum, qui gallice vocetur *Veran :* secundum vero, gallice *Vrain*, Cabellicensium episcopum statuit, qua ratione Veranus Lugdunensis omnino excludendus esset. Hæ sunt controversiæ, alibi operosius discutiendæ. Textus noster Lugdunem haud obscure designat, isque et Usuardinus est. *Hucusque Sollerius in Martyrologio Usuardi ad diem* XI *Novembris.*

B. D.

Baronio, Tillemontio et catalogis Lugdunensibus.

28 *Hi itaque omnes concordant in eo (quod solum hic ad rem nostram facit), scilicet* Veranum, *qui Lugduni memoratur, diversum esse a* Verano *Cavellicensi. Nec dissensit Baronius in* notis *ad* XI *Novemb. dicens :* De eo (Verano) Beda, Usuardus, Ado et alii. Petrus *(de Natalibus)* autem in Catalogo lib. 10 cap. 50 hac die ponit Verum (Veranum) Cabalitanum. Numeratur hic, de quo agimus, vicesimus tertius sedis Lugdunensis episcopus, quartus ab Eucherio. Hunc illum putamus Veranum, cujus meminit Gennadius de vir. illustr. cap. 63 et 67; et ad quem Hilarius Papa epistolam scripsit. *Quæ verba idcirco tantum adscripsimus, ut constet a Baronio distingui* Veranum, *de quo* XI *Novembris, ab episcopo Cavellicensi. Nam cætera examinanda* E *venient ibi agendum erit de Sanctis, quorum dicto die occurrit memoria. Audiatur tandem et Tillemontius.* Sammarthani *(in antiqua Gallia Christiana)* agnoscunt Salonem immerito successorem dici sancti Eucherii in sede Lugdunensi, ponunt ipsi sanctum Veranum; quin tamen utriusque illius asserti dent rationem; cum utique ratio potentissima militet pro sancto Verano : plura enim Martyrologia, eaque antiquissima memoriam agunt hujus Lugdunensis præsulis. Idem habent Usuardus et Ado (2). *In Nova Gallia Christiana* (3) *notatur in tribus Catalogis a Chiffletio editis, post S. Eucherium referri Salonium,* Veranum *et Patientem, tamquam illius sine medio successores. Unde triplex nata sententia est. Alii Salonium et* Veranum, *Eucherii filios, sedem Lugdunensem post patrem tenuisse affirmant. Ast contra est, ex Gennadio constare illos fuisse S. Eucherii filios; et ex Salviani ad eumdem S. Eucherium epistola aliisque monumentis, eos ad hanc dignitatem, vivo adhuc parente, evectos, et quidem non in civitate Lugduno, sed in provincia Alpium Maritimarum, saltem de* Verano *id* optime probat doctus S. Leonis editor. *Additur in* Venciensibus episcopis probatum fuisse F Veranum, Eucherii filium, Venciæ præsulem et fuisse et obiisse ; idem de Salonio alibi præstituros. *Alii Salonium et* Veranum *distinguentes ab Eucherii filiis, eos Lugdunenses episcopos admittunt ante S. Patientem. Ast contra est tertia (quæ Bollandi nostri) sententia, nempe Patientem Eucherio sine medio successisse ;* Veranum *vero ab Eucherii filio distinctum, Stephanum inter et Viventiolum sedisse; id autem eruit ex vita S. Aviti Viennensis Antistitis, in qua sanctus ille præsul* Veranum *abbatem Lugdunensi ecclesiæ in episcopum dedisse pronuntiatur.* Nostrum porro non est *(ita concludit Gallia Christi).* tantas lites componere. *Nostrum forte erit ad diem* XI *Novembris. Ast id liquidum,* Veranum *illum, quiscumque demum fuerit toto cœlo a nostro distare.*

Ergo hac die agit Martyrologium de S. Verano Cavellicensi.

29 *Ex his omnibus, nostra opinione, solida quidem exurgit probatio, primum verba martyrologii Rom. ad hunc diem* XIX *Octobris intelligenda esse de sancto* Verano *Cavellicensi ; deinde in aliis ejusdem locis, ubi mentio occurrit sancti* Verani, *accipiendam hanc esse de sanctis, qui nomine quidem conveniunt cum*

(1) Histoire et Antiquité de la Ville et Duché d'Orleans. part. II, p. 6 et 7. Secund. edit. Aurelianis 1648.—(2) Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiast. Notæ in S. Eucherium, t. XV, p. 849. Edit. Paris 1711. — (3) T. IV, col. 24 et 25.

B. b. *episcopo illius sedis, sed ab ipso tamen prorsus diversi existunt. Atque hæc sunt, quæ nos moverunt, ut hac die* XIX *Octobris ejus acta illustraremus.*

§ III. Urbs Cavellicensis. Sedis antiquitas. Res gestæ S. Verani et episcopatus. Ecclesia ejus nomini dicata.

Urbis Cavellicensis situs, illiusque varia nomina.

R*egionem quæ jacet Druentiam inter et Isaram fluvios, in provincia Narbonensi, occupabant* Caveres *seu* Cavari. *Priori nomine designatur populus iste apud Pomponium Mela et Plinium; posteriori apud Ptolemæum*, qui quatuor urbes huic populo adscribit : duas in ripa *(Rhodani)*, *Avenionem* et *Arausionem*; unam inde in ortum paulo reductam, *Cabellionem*; quartam dubitat juris et situs, *Acusionem* Coloniam.... Ab Rhodano recedit urbs *Cabellio*, Druantiæ fluvio adposita. *Cabellio*
B dicitur Plinio, Ptolemæo, Stephano *(Byzantino)* et Itinerarii *(vulgo Antonini)* auctori. At Straboni *Caballio*, (Καβαλίωνα πόλιν Καουάρων) etiam in Peutingeriana *(tabula)*. Ptolemæo colonia est; Plinio numerata in latinis (*id est jure Latii veteris donata*). In *Notitiis civitas Cabellicorum; nunc* Cavaillon. *Ita Christoph. Cellarius* (1). *A Stephano, Artemidorum secuto*, Cabellio urbs Massiliæ Καβελλίων πόλις Μασσιλίας *nuncupatur, quemadmodum et Avenio, quæ urbes ambæ sunt Cavarum. Unde apparet magnam partem Cavarum, Cabellionemque et Avenionem Massiliensium regioni olim attributas fuisse*(2).

Præsens status.

31 *In chartis bene multis, quæ recitantur inter Probationes* (preuves) *ad* historiam Occitaniæ *(Languedoc) auctoribus duobus Benedictinis cong. S. Mauri, perpetuo fere scribitur* Cavellio, urbs Cavellicensis. *Videatur tom.* III *inter probation. col.* 593 testamentum Joannæ comitissæ Tolosanæ (3); *item in* Homagio comitis Valentini comiti Tolosano (4); *rursus ibid. pag.* 402 *in Homagio comitis Tolosani episcopo Albiensi et archiepiscopo Arelatensi, ubi legitur* (5). Actum est hoc apud Cavellionem in Camera D. Cavellicensis episcopi *anno* 1241. *Et ita porro. Hunc nos scribendi mo-*
C *dum, utpote a pluribus jam sæculis usitatiorem, adhibuimus. Cæterum Cavellio urbs est ad montem Druentiæ proximum posita, in comitatu Vindascino, sedes episcopalis, primum metropoli Arelatensi, deinde Avenionensi suffraganea, donec ex recenti, sub Pio Papa VII facta, diœceseon circumscriptione suppressa fuit. Hodie ecclesia est parochialis, ut vocant, primaria* (de première classe) *sub invocatione S.* Verani *in diœcesi et districtu Avenionensi* (6). *Supra vidimus* § II *n.* 18 *et seqq. quo modo ex verbis Gregorii Turonensis orta sit confusio, ita ut Baronius S.* Veranum *sedi Cabilonensi adscribendum duxerit. Cabellio seu Cavellio et Cabillonum urbes utique sunt ab invicem maxime dissitæ; cum illa ad Druentiam* (Durance) *in Provincia; hæc ad Ararim* (Saone) *in Burgundia reperiatur. Ast nomina non ita dissimilia sunt, et insuper varie apud varios scribuntur, ut vidimus de Cavellione; ad Cabillonum autem quod spectat,* non aliam, *inquit Valesius* (7), urbem reperias, cujus nomen pejus accep- D
tum, aut a variis scriptoribus sæpius magisque mutatum fuerit, vel si mavis etiam corruptum. *Unde etiamsi sincera esset Gregoriana lectio, vix quidquam ex ea concludere liceret.*

Primi ejus Episcopi.

32 Non accurate noscitur tempus, quo lux evangelica Cavellionem delata sit. Quæ narrantur de primis ejus apostolis, haud idoneo seu potius nullo nituntur testimonio. Ast quamvis Genialis, qui florebat anno 322, dicatur primus illius urbis episcopus, facile tamen esset probare, sedem illam multo ante suos habuisse præsules. *Ita Expilly* (8). *Utilem profecto operam præstitisset eruditus auctor, si quod ipsi tam facile videtur, reipsa effecisset; tanto magis quod notum satis est, origines plerarumque in Galliis ecclesiarum densis involvi tenebris. Statui quidem, ut notat Longuevallius noster in dissertatione præliminaria ad* historiam ecclesiæ Gallicanæ (9), *in genere potest, religionem Christianam in illas regiones primo jam sæculo ab apostolorum discipulis invectam; at non minus certum est, eam duobus prioribus æræ nostræ sæculis, exiguos omnino habuisse progressus. Sufficit vel levissime oculis percurrisse volumina novæ* Galliæ Christianæ, *ut, quæ hic asserimus, ad evidentiam usque pateant. Quidquid sit, collectores laudati Operis, hoc modo* E
seriem episcoporum Cavellicensium auspicantur(10).

33 I. S. Genialis. In diptychis ecclesiæ Cabellicensis primus episcopus notatur sanctus Genialis, cujus tempus assignatur ad annum circiter 322, potius ex conjectura, quam ex ulla certa ratione.

II. Julianus sive Julius. Adfuit hic epicsopus concilio Rejensi (*Riez*) coacto anno 439, omisso in conciliorum collectionibus. Consulendus de eo Tillemontius tomo XV commentariorum ad historiam ecclesiasticam. Idem memoratur episcopus anno 451, quo subscripsit epistolæ synodicæ episcoporum Galliæ, ad sanctum Leonem Papam missæ. Ipsi et multis aliis episcopis inscribitur epistola quinquagesima secunda ejusdem sancti Leonis.

III. Porcianus. Porciani nudum nomen, ut repertum est a nobis, relinquimus. Nihil enim nobis occurrit unde illustraretur ejus episcopatus, cui assignatur annus 459.

IV. Philagrius. Philagrius variis ex conciliis in lucem erupit quibus subscripsit ab anno 517 usque ad annum 529.

V. Prætextatus. Æque certa sunt de Prætextato F
episcopo testimonia, iisdemque ex fontibus deprompta. *Ejus nomine subscripsit Optatus Aurelianensi V anno* 549; *ipse vero interfuit Arelatensi V anno* 554, *et Pariensi II an.* 555, *juxta Cointium, an.* 551.

VI. Sanctus veranus (S[t] Vrain). *Ejus vita ibidem synoptice exhibetur* (11) *quam hic adscribimus, interjectis hinc inde notationibus, quarum ope explicatior fiat narratio.*

S. Verani ortus

34 Sanctus Veranus ex Pago Gabalitano ortus, ab Evantio, Gabalorum episcopo, clero urbis adscriptus est. *Addit nescio quo nixus fundamento, Petrus de Natalibus,* invitis *id factum* parentibus; *quod nec in actis nec alibi uspiam ego reperi.* Gabali *populus erant conterminus* Rutenis *et provinciæ Narbonensi. Urbs illorum apud Ptolemæum dicitur* Ανδερίδον, Anderidum, *vel, ut legit Scaliger* Ανδερηδών Anderedon, *in tabula Peutingeriana habetur* Anderitum : *in Conciliis vocatur* Gabalitana ecclesia et civitas. *Apud Plinium legitur* pagus Gabalicus;

(1) Notitia Orbis antiqui. lib. II. cap. II. sect. III, n. 123 et 124. Edit. Lipsiæ 1773.—(2) Vide Valesium. Notitia Galliarum. Ad voces : *Cabellio Colonia*, p. 109. — (3) T. III. col. 593 *inter Probationes*. Paris, 1737.—(4) Ibid., col. 383.—(5) Ibid., col. 402.—(6) Almanach du Clergé de France, an 1851. p. 107.— (7) Notitia Gall. ad verb. *Cabilonnum*. — (8) Dictionnaire Géograp. des Gaules et de la France. Voce *Cavaillon*. — (9) T. I, p. LXIII-LXXX. Edit. in-12. Paris 1825. — (10) Nova Gallia Christi., t. I, col. 940 et seqq. — (11) Ibid., col. 941.

posteriores

A *posteriores scribunt* pagum Galvadanum; *unde hodiedum Gallice nuncupatur* Gevaudan. *Ex Gabalis, urbis nomine venit* Javols, Javouls, *et* Javoux, *quatuor leucis a* Mimate, *(Mende). Hæc ex Christo h. Cellario* (1). *Concordant Expilly et Valesius, licet hic in nonnullis subdubitet.* Gabalas, *inquit,* recentiores geographi aliique, similitudine nominis adducti, putant esse oppidulum Javouls, IV leucis distans a Mimate, quem in locum sedes episcopatus ex urbe Gabalis translata est (2).

Emendatur Ferrarius.

35 *Unde paulo confidentius (non tamen putem erronee) Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XV *Novembris, in annotatione asserit:* urbs Gavalitana quæ et Mimatum dicitur, vulgo Mande. *Ibidem quoque perstringit, ast partim immerito, Petrum de Natalibus, qui lib.* X *cap.* I. *vitam texens sancti* Verani *(quæ cæteroquin aliud vix est quam compendium Actorum) ita scribit.* Veranus episcopus apud *civitatem Gavalitanam* Galliarum claruit tempore imperatoris *Valentis* Hic ex ipsius urbis territorio, nobilibus parentibus ortus, a pueritia Deo deditus; divinis litteris imbutus, adhuc juvenis sæculum dereliquit, et in ecclesia Migmatensi, invitis parentibus, clericus factus est. Et in virtu- B tibus proficiens, ad sacerdotalem ordinem ascendit; signisque ingentibus et multis pollere cœpit. Sed propter multos ad se confluentes, fugiens mundi gloriam, uno tantum assumpto comite ad civitatem Gavalitanam devenit : ubi dum esset draco immanissimus.... Veranus orans ipsum de specu, in qua latebat, exire seque sequi compulit.... Atque terræ visceribus introclusit. *Et infra, postquam reversus in Gallias esset ex longa in Italiam peregrinatione :* demum ad civitatem Gavalitanam applicans, in ecclesia beatæ Mariæ, quam *(olim in Antro interempti draconis)* construxerat manere cœpit.... Post hæc defuncto antistite, Veranus a rege et clero ac populo in episcopum electus est. *Notat itaque Ferrarius pro* apud urbem Gavalitanam, *scribendum videri* urbem Cavellicensem *seu* Cavillicensem, *vel etiam* Cabellicensem (tot enim modis dicitur). Est autem hæc urbs in Avenionensi provincia, *Cabellio* latinis, sed vulgo *Cavaillon* dicta. Urbs vero Gavalitana, quæ et Mimatum dicitur, ac vulgo *Mande,* apud Avernos, longe abest a Druentia fluvio, apud quem civitas, cujus S. Veranus fuit episcopus sita est. *Ex actis corrigendus et ipse Ferrarius; ex quibus efficitur,* C *natum esse quidem sanctum* Veranum *in agro Gavalitano, ibique clericali veste donatum, sed postea ad Cavellicenses accessisse, cujus deinde civitatis, pluribus interjectis annis, factus episcopus est. Errat ergo Petrus de Natalibus, quod ubique agrum vel urbem Gavalitanam scribat; ast labitur quoque Ferrarius, dum ubique loco* Gavalitanam, *substituendum insinuat* Cavellicensem. *Præterea in vitæ compendio (quod ex Petro de Nat., non tamen ad litteram, desumptum est) scribit Ferrarius etiam urbem* Gavalitanam : *quidni hanc vocem mutavit ubi de electione in episcopum agitur? Cæterum recte addit Ferrarius ibidem :* Veranus episcopus Gavellicensis circa annum D. 588 vixit, cum concilio Matisconensi interfuerit; non ergo vixit sub Valente, qui an. D. 378 a Gothis victus concrematus fuit. *Redeamus ad Veranum nostrum.*

Romam sanctus Veranus peregrinatur: et redux eligitur Episcopus.

36 Sed *(ita Gallia Christiana)* declinandæ gloriæ causa (jam enim virtutum ejus fama percrebuerat) fugit, et transmisso flumine Rhodano, in pago Cabellicensi aliquamdiu latitavit. Inde Romam profectus, iterum suum Cabellicensem secessum petiit, futuri tunc minime præscius. Vacabat tum sedes episcopalis mortuo episcopo, cui unanimi cleri populique consensu suffectus est Veranus. Quo vero tempore id factum sit, aliquatenus assequi possumus ex conciliis et negotiis ecclesiasticis, quibus interfuit. Anno videlicet 585 subscripsit synodo Matisconensi II. Anno sequenti, Prætextato Rotomagensi episcopo Fredegundis dolis enecato, Guntramnus rex misit Veranum Cavellionensem, cum Arthemio Senonico et Agræcio Tricastino episcopis *ut perquirerent hujus sceleris personam et in conspectu ejus exhiberent.* Qui fortiter hac defuncti sunt provincia; absque enim formidine reginæ Fredegundæ audacter dixerunt : *Noveritis quia si persona, quæ hæc perpetravit in medio posita non fuerit, rex noster cum exercitu huc veniens, omnem hanc regionem gladio incendioque vastabit; quia manifestum est hanc interfecisse gladio episcopum, quæ maleficiis Francum jussit interfici.* His dictis obtestati sunt, ut numquam in ecclesia Rotomagensi Melantius, qui prius in loco Prætextati subrogatus fuerat, sacerdotis fungeretur officio.

Conjecturæ de anno quo factus Episcopus est Cavellicensis.

37 *Ex his quidem efficitur annis* 585 *et* 586 *S.* Veranum *ecclesiæ Cavellicensi præfuisse; ast nullatenus constat quo anno cæperit ejus episcopatus. Certum est Prætextatum sedem illam ad minimum tenuisse usque ad annum* 555 *vel* 554; *ulterius* E *nihil de eo ad nos pervenit. Prima autem authentica sancti* Verani *episcopi mentio occurrit in subscriptione Concilii Matisconensis II anno* 585. *Existit proinde intercapedo* 30 *annorum, quorum alicui adscribenda erit* Verani *electio. Ast hic notanda sunt quæ scribit Cointius* (3) : Veranus clericus pietate insignis, qui Romam ante aliquos annos iverat, in Franciam reversus est sub hæc tempora; in reditu enim Honoratum adiit episcopum Mediolanensem, quem hoc anno (562) in vivis fuisse omnes consentiunt; et superatis Alpibus fines attigit Galliarum, cum *regnum Francorum, jam rege eorum mortuo nomine Clotario, ejus filii regebant quadrifarie :* Ob virtutum famam a Sigeberto rege per litteras accersitus est, cumque *post multum tempus* in aula regia Caballione versaretur, Prætextato illius loci episcopo demortuo subrogatus est unanimi regis, cleri ac populi consensu. *Hactenus Cointius. Ex quibus edocemur sanctum* Veranum *pastoritia dignitate non ante annum* 562 *fuisse insignitum. Sed insuper, mortuus est Clotarius I* F *post diem* X *Novembris an.* 531 (4). Veranus *autem fines Galliarum attigit dum* ejus filii regebant quadrifarie. *Quæ verba desumpta sunt ex vita S.* Verani *in Bibliotheca Labbei de qua inferius ex professo erit agendum. Ex eadem illa vita discimus præterea virum sanctum* multo tempore *apud regem Sigebertum Clotarii filium mansisse antequam electus in episcopum sit. Unde jure concludimus initia ejus administrationis aliquot tantum annis præcessisse synodum Matisconensem anni* 585. *Obiter hic notemus vehementer errare Expillium* (5) *dum episcopatum hunc ad sæculum quintum retulit.*

In Synodo præclare disputat de Castitate sacerdotum.

38 *Exstat apud Sirmondum et Labbeum* sententia *seu oratio* Verani episcopi Cabellicæ de castitate sacerdotum, *decerpta, ait Sirmondus,* ex veteri codice S. Germani Parisiensis; *atque hanc sententiam* dictam *affirmat* in aliqua hujus temporis Synodo; *unde etiam ejus tenorem adscribit inter synodum Valentinam secundam an.* 584 *et Matisconensem item secundam an.* 585. *In utraque hac synodo*

(1) Notitia Orbis antiqui, p. 153.— (2) Notitia Galliarum.— (3) Annales Ecclesiast. Francorum, ad an. 562, n. 48.—(4) L'art de vérifier les dates, p. 524. Item D. Bouquet. t. II, p. LXXIX. In Indice chronologico. — (5) Dictionn. Géograph. voce *Cavaillon.*

nihil

B. P.

nihil occurrit, quod, directe saltem, ad castitatem sacerdotum spectet; nisi forte excipias canonem Matisconensem XVI, de uxoribus clericorum, ne post eorum mortem ineant secunda matrimonia. Illud quoque, *inquiunt Patres,* rectum nobis visum est disponere, ut quæ uxor subdiaconi, vel exorcistæ, vel acolythi fuerat, mortuo illo, secundo se non audeat sociare matrimonio. Quod si fecerit, separetur, et in cœnobiis puellarum Dei tradatur, et ibidem usque ad exitum vitæ suæ permaneat. *In prævia ad hunc canonem discussione, potuit* Veranus *incidenter de castitate sacerdotum generatim disserere. Ast quidquid de loco sit, in quo prolata fuere, verba illa, utpote præclara valde et testantia quantæ esset inter coævos suos S.* Veranus *auctoritatis, nefas esset hic prætermittere. Sunt autem juxta præfatos Sirmundum* (1) *et Labbeum* (2) *sequentia.* Veranus episcopus dixit. Quis præsidentem sacris altaribus, atque ad ipsa Sancta Sanctorum honoris privilegio venientem indignissimis carnalium voluptatum contaminari inlecebris patiatur; ac sub ipso conjugalis licentiæ nomine adquiescat quemquam clericorum et sacerdotis agere officium et mariti implere personam? Cum purificatis corB poris atque animi motibus multa cogitatione perpendendum, quam idoneus esse debet is, qui ad celebranda mysteriorum loca non solum pro suis, verum etiam pro alienis peccatis intercessurus accedit. Incongruum siquidem mihi videtur, de conjugali toro aliquem consurgentem altariorum septa penetrare. Ipsi utique inluminati et docti de Spiritu Sancto optime nostis, oblaturum spiritalis sacrificii victimas quali oporteat igne flagrare. Si enim in lege veteri, ubidum (sic) evangelicæ perfectionis auctoritas præfulgeat, sancto David, cum fugæ necessitate premeretur, sacerdos Sadoch non prius panes Propositionis tradidit, quam se et pueros suos jam die tertio mundos esse a mulieribus fateretur; quis immaculati agni carnes ad salutem mundi præstitas post passionum inquinamenta, vel etiam audeat consecrare? Beatus Paulus Apostolus in veritate nos contestatur dicens; probet se unusquisque ministrorum, et sic panem illum præsumat offerre. Notum vobis est, circa loca beatitudinis vestræ, sub magnorum patrum disciplina, monachorum congregationes esse non parvas, unde ad supplenda clericorum officia in promptu est viros bonos adsumi. Utilior est enim C in ecclesia paucorum bonorum electa probatio, quam erraticæ multitudinis præsentia conglobata: ac plus ædificationis adferunt rara virtutis exempla, quam popularis licentiæ abundans et incorrecta præsumptio. *Sane hæc ostendunt et antiquitatem disciplinæ de continentia sacerdotum, et sapientiam ecclesiæ Romanæ, quæ nullo non tempore acerrima invigilavit sollicitudine, ut lex illa intemerata custodiretur.*

Reliquæ ejus res gestæ: mors et sepultura.

39 *Reliqua ad acta sancti* Verani *spectantia ita exhibet* Gallia Christiana: Anno 587 idem episcopus (Veranus) suscepit e Sancto lavacro filium Childeberti regis, cui Theodorici nomen posuit. Anno 589 cum rege Guntramno apud Augustodunum fuerunt aggregati multi ex ejus regno episcopi, ad deliberandum de sedandis tumultibus in puellari sanctæ Radegundis apud Pictavos monasterio a Chrodielde et Basina regiæ stirpis monialibus excitatis. Ex his autem præsulibus erat Veranus, cujus nomen legitur in inscriptione epistolæ synodi hujus ad episcopos Ætherium Lugdunensem, Syagrium Augustodunensem, Aunacharium Autissiodorensem. Gregorius Turoni- D cus, ex cujus Historia hæc edocti sumus, narrat lib. III, de miraculis sancti Martini, se ad visitandam genetricem suam, territorium Cavillonensis urbis adiisse, ibique audivisse a Verano episcopo, quomodo invocata ope sancti Martini fuisset sanatus a febre quartana. Ad Christum migravit sanctus Antistes die XI Novembris, quem Cabellicenses in patronum elegerunt. Exstat ejus vita tomo II Bibliothecæ Labbei (3). *Quibus adduntur quædam apud Cointium ex vita Labbei desumpta.* Obiit, *ait* (4), tertio Idus *(id est* XI) Novembris; sepultus est pridie easdem Idus in oratorio, quod pridem in honorem beatæ Virginis prope fontem Sorgiæ construxerat... Postea delatus est Cavellicum, ubi multis miraculis inclaruit. Habetur patronus ecclesiæ civitatisque Cavellicensis, ubi colitur Idibus Novembris, *id est die decima tertia, quod non concordat cum aliis plerisque qui diem ponunt undecimam. Forte ob festum S. Martini in alium diem translata ejus festivitas fuit, ut alio etiam loco notabimus.*

Licet ecclesia Cavellicensis B. M. Virgini primarie dedicata sit.

40 *Notandum præterea est ecclesiam cathedralem Cavellicensem dedicatam fuisse ad honorem B. Mariæ Virginis, curante Innocentio IV, dum is, ut Frederici imperatoris declinaret furorem, in Galliis degeret, ut constat ex sequentibus ejusdem Pontificis* E *litteris:* Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis præposito et capitulo Cavellicensi, salutem et apostolicam benedictionem. Licet is de cujus munere venit, ut a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur de abundantia pietatis suæ, quæ merita supplicum excedit et vota, bene servientibus multo majora retribuat quam valeant promereri; nihilominus tamen desiderantes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam illecturis muneribus, indulgentiis scilicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur ut ecclesia vestra, *quam ad honorem Beatæ Mariæ Virginis duximus dedicandam,* congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus et confessis qui ecclesiam ipsam in die dedicationis ipsius usque ad octavas ejusdem singulis annis venerabiliter visitarint, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, unum annum et quadraginta dies, injuncta sibi pœnitentia, mi- F sericorditer relaxamus. Datum in castro Fugentiæ, III Nonas Maji, pontificatus nostri anno octavo, *id est millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, cum electus fuerit Innocentius IV die* XXIV *seu potius* XXV *Junii* 1243; *et consecratus die* XXVIII *vel* XXIX *ejusdem mensis et anni. Litteræ reperiuntur in* Collectione instrumentorum *ad tomum I* Galliæ Christianæ (5), *alibi eas non vidimus.*

secundarius Patronus est S. Veranus

41 *Quidquid de illis sit, certum est ecclesiam cathedralem Cavellicensem beatæ Virgini Mariæ dedicatam esse; sed simul etiam hujus ecclesiæ patronus est sanctus* Veranus (Saint Vrain). *Consonat Expillius:* Ecclesia, *inquit* (6), cathedralis, plures a barbaris experta ruinas, tandem ædificata fuit, qualis hodie cernitur. Innocentius Papa IV, Lugduno rediens, eam dedicavit, anno 1251. Consecrata est beatæ Virgini et sancto Verano. Magna cum veneratione ibi asservantur quatuor sanctorum corpora; sancti Verani nempe urbis illius quondam episcopi; sanctæ Eucletæ seu Eveletæ; sancti Honorati abbatis Lirinensis, et postea ponti-

(1) Concilia antiqua Galliæ, t. I, p. 380. — (2) Concilia, t. V, col. 977. Edit. Paris. 1671. — (3) Gallia Christiana, t. I, col. 941 et 942. —

(4) Annales Eccles. Francor. Ad an. 589, n. 15. — (5) Pag. 155. — (6) Diction. Géograph., ubi supra.

ficis

A ficis Arelatensis; ac tandem sancti Faustini martyris. *Quinimo in Calendario Ecclesiæ Francicæ* (1) *alius ecclesiæ Cavellicensis patronus non indicatur præter S.* Veranum.

§ IV. De Reliquiis S. Verani. An corpus translatum fuerit Jargolium et Albingaunum; an vero hodie adhuc reperiatur in ecclesia Cavellicensi. Instrumentum visitationis.

Plures asserunt S. Verani corpus translatum fuisse Jargolium.

Quod *ad reliquias S.* Verani *spectat, varia a variis, et quidem sibi invicem adversantia traduntur. Ex dictis nn. proxime præcedentibus sequeretur B. Præsulis corpus usque ad ultima hæc tempora Cavellione permansisse. Id clare efficitur ex allatis mox testimoniis. Ast aliunde indubium est, earum* B *saltem partem Jargolium fuisse translatam, ibique magnam habuisse celebritatem, ut abunde vel ex eo constat, quod urbis illius ecclesia, primitus a S. Cruce insignita, postea a S.* Verano *sit dicta, quod et in hunc diem perseverat. Dixi :* earum saltem partem. *Nam si reipsa, ut asserit Expillius, corpus S.* Verani *Cavellione requiescit, admittendum erit, illarum partem tantum asservari Jargolii, quod diserte etiam, ut vidimus n.* 25, *tradit Franciscus Le Maire, juxta quem* pars capitis *ibidem reperiebatur ante irruptionem Hugonotorum, qui omnes illius ecclesiæ reliquias disperserunt. Nihilominus plures affirmant ipsum sancti* Verani *corpus fuisse translatum. Ita* Gallia Christiana (2), sancti Verani corpus ad Jargoliensem *(Gergeau)* ecclesiam diœcesis Aurelianensis allatum esse, auctor est Saussayus lib. III Annal. eccles. Aurel. cujus translationis dies festus recolitur die XIX Octobris. *Eodem modo loquitur Cointius :* Tandem delatus est Jargolium, quod oppidum est diœcesis Aurelianensis, ubi quiescit in basilica sui nominis, quæ prius ecclesia sanctæ Crucis nominabatur, ut Carolus Saussayus observavit (5). *Sic etiam in Historia generali Occitaniæ* (4) : Ejus reliquiæ asservantur Jargolii ad C Ligerim in Diœcesi Aurelanensi.

Varia hujus sententiæ argumenta afferuntur et expenduntur.

43 *Accedit Breviarium et Manuscriptum Nivernensia, in quibus, teste Severtio* (5), *dicitur :* Postmodum corpus *(sancti* Verani) Jargolium in territorio Aurelianensi translatum est. *Ipse vero Severtius paulo ante* (6) *dixerat :* Is *(Veranus)* autem interfuit secundo provinciali concilio Matisconensi, et Saussayus videtur inuere illum pastorem fuisse eum, qui quovis pio fine ignoto versus Aureliam profectus est, defunctus in illo extraneo territorio, corpusque delatum ad Jargolii oppidum, nec non in ecclesia sui nominis ibidem conditum diœcesis Aurelianensis. *Alium, excepto Severtio, novi neminem, qui S.* Veranum *vel suspicatus sit obiisse in territorio Aurelianensi. Cæterum multum abest, ut præfato scriptori facile fides adhibeatur ; hic vero, cum solus sit, nec dicta sua probet, omnino rejiciendus. Concordat quoad translationem, Breviarium Parisiense in quo die* XII *Novembris, in Lectione de* simplici, *ubi post exhibitam brevi compendio sancti Antistitis vitam, legitur :* Obiit tertio Idus *(id est* D *die undecima)* Septembris *(absque dubio legendum :* Novembris) post annum quingentesimum undenonagesimum. Corpus ejus post aliquot sæcula Gargolilum, quod est oppidum diœcesis Aurelianensis ad Ligerim, delatum est. Inde extractæ reliquiæ, in parochiam sub sancti Verani nomine constructam in finibus agri Parisiensis prope Castra, translatæ sunt. *Atque hinc patet quare ejus memoria agatur in ecclesia Parisiensi. Juxta Baillet* (7) *decursu temporis corpus sancti* Verani *Cavellione translatum prius fuit in oppidum diœcesis Nivernensis, ubi sub ejus invocatione ædificata ecclesia est ; exinde vero Jargolium, atque ibidem deinceps asservatum magna cum veneratione. Festum hujus translationis inter omnes in honorem sancti* Verani *institutas celebritates maxime solemne habetur, agiturque Jargolii* XIX *Octobris in ecclesia ejus nominis, olim dicta a Sancta Cruce. Superius vidimus testimonium Andreæ Saussayi in eumdem sensum. Singulare est quod scribit Oldoinus in* Additionibus ad Ciacconium (8). Sanctorum, *inquit,* Verani et Honorati confessorum reliquias, terminato concilio Lugdunensi (primo, *an.* 1245) omnium venerationi exposuit (Innocentius IV) apud Jargolium E in agro Aurelianensi, et ibidem ecclesiam consecravit. *Hausit hæc Oldoinus ex Andrea Saussaio, qui in Martyrologio suo, ad* VII *Julii notat :* Apud Jargolium in agro Aurelianensi reseratio ac translatio sanctorum Verani et Honorati confessorum, facta per Innocentium Papam IV, post dissolutionem concilii Lugdunensis ; nec non dedicatio ecclesiæ ibidem per ipsum pontificem consecratæ. *Ast hic observat Baillet concilium Lugdunense cui intererat pontifex cœpisse feria secunda post festum sancti Joannis Baptistæ anno* 1245, *atque absolutum fuisse* XVII *Julii ejusdem anni. Unde, cum verosimile sit festum translationis illius fuisse celebratum die quo facta fuerat, non intelligitur quomodo pontifex, qui Lugduni concilio præsidebat, simul Jargolii translationem fecerit reliquiarum. Forte festivitatem hanc confudit Saussayus cum dedicatione ecclesiæ Cavellicensis. Confer n.* 45. *Reperiuntur inter manuscripta a prædecessoribus nostris pro vita santi* Verani *collecta, quædam notæ Bollandi manu exaratæ, in quibus hæc inter alia huc facientia leguntur :* « *Sancti* Verani *corpus translatum Jargolium, vulgo Jargeau* » *et inferius.* « *Tempore hæreticorum dissipatæ sunt reliquiæ ob capsam.* F *Caput ab uno milite servatum ; qui id pro sua portione prædæ sibi sumpsit absque capsa et alio averit, quia erat catholicus.* » *Hæc aliquatenus concordant cum Francisco Le Maire, qui forte vidit caput, vel ejus partem, a milite illo ablatam ; unde potuit judicare solas illas Jargolii fuisse S.* Verani *reliquias. Aliud tamen aperte satis asserit Bollandus, totum scilicet sancti corpus olim Jargolii fuisse ; et sub finem indicat se hæc didicisse a P. Francisco Chesneau S. J., qui Jargolio oriundus,* « *nuper, inquit, rector Ambianensis fuit, et adhuc ibi habitat.* » *Atque hæc de Jargolio.*

Alii tradunt corpus S. Verani requiescere Albingauni Ughellus

44 *Sed et tertia ecclesia est quæ sibi sacrum illud vindicat corpus ; atque hæc jam non in Galliis, sed in Italia ; ecclesia scilicet Albingaunensis (Albenga), metropoli Januensi suffraganea. Cathedralis sancto Michaeli Archangelo consecrata* Reliquiis Sanctorum, *ait Ughelli* (9), locuples est, ac præcipue sancti Verani episcopi corpore, qui dum Roma reverteretur,

(1) Almanach du clergé de France, 1851, p. 107. — (2) T. I, col. 942. —(3) Annal. Ad an. 589, n. 15. — (4) Histoire générale de Languedoc, t. I, p. 31.—(5) Chronologia historica successionis Hierarchiæ Lugdunensis Archiepiscopatus, part. I, p. 57, § VIII. Edit. Lugdun. 1628.—

(6) Ibid., § VII. — (7) Vies des Saints. Ad XI Novembris. — (8) Vitæ Pontificum Ciacconii, t. II, col. 110. Edit. Romæ 1677. — (9) Italia Sacra, t. IV, col. 912. Edit. Venetiis, 1719.

B. B.

reverteretur, illic excessit e vivis sub Honorato episcopo, qui sedem illam per id tempus administrabat, patratisque quam plurimis miraculis, dignus habitus est, quem pro tutelari Divo Albigaunenses revererentur. *Hic enimvero stupendum in modum hallucinatur Ughell : nam commemorationem sancti* Verani *inter Albigaunenses non aliunde haurire potuit quam ex ejus* Actis. *Atqui hæc disertissime tradunt iter Romanum ab eo institutum, dum clericus esset ; nec vel ullo indicant verbo eum altera vice post susceptum episcopatum ad Urbem accessisse : imo prolixe narrant quæ in ejus obitu Cavellione contigerint. Unde concludere utique licet acta ab Ughello ne visa quidem fuisse. Paulo post auspicatur catalogum episcoporum Albigaunensium, hoc modo* (1). 1. Honoratus. Ille ipse, qui sanctum Veranum dum Roma reverteretur excepit hospitio, anno 377 *(hic rursus labitur Ughellus)* ut in hujus Sancti Actibus plane legitur. *Et infra* (2) : XXXIX Napoleon de Flisco, Naulensis antea episcopus..... Ad hanc ecclesiam fuit translatus anno 1459 die XXI mensis Decembris. Hic sacra ossa sancti Verani ex veteri sepulcro prope sacram turrim transtulit ad altare, quod ipse magnifice construxerat exor- B naveratque VI Idus Junii, quo ipso die ejus festum concelebratur.

et Ferrarius.

45 *Similia habet Ferrarius in* Catalogo Sanctorum Italiæ *ad diem* XIV *Novembris. Postquam breviter indicarit natales sancti* Verani *atque Romanam ejus peregrinationem*, in patriam rediens, *inquit*, Ravennæ obsessos complures et ægrotos sanavit. Idem præstitit Mediolani, ubi duodecim energumenos curasse, cæco visum restituisse et mortuum suscitasse legitur. Inde Albingaunum veniens, pluviam post diutinam siccitatem agris Christianorum impetravit, quod cum idolatræ vidissent, et ipsi ad Christum conversi, et templa deorum demoliti, pluviæ participes effecti sunt. Ibi etiam draconem a quibusdam adoratum e specu eductum in flumenque præcipitatum demersit. Quibus miraculis totam ad Christum perduxit civitatem. *Et rursus paulo inferius :* Tertio Idus Novembris e vita cessit. Omnibus ægris qui loculum tetigerunt, sanatis. Cum vero cives, an in cathedrali ecclesia, vel in ea quam ipse ædificaverat sepeliendus esset, disceptarent ; pallium, quo corpus tegebatur, elevatum, funus in aere præcedebat, donec ad Druentiam flumen deven- C tum est, quod divinitus siccatum omnes trajecisse ferunt. Pallium autem populum cum funere præcedens ad sanctæ Mariæ ecclesiam substitit ; ibique corpus honorifice fuit tumulatum : quod aliquando Albingaunum delatum, ibi in maxima habetur veneratione. Ex monum. eccles. Albingaun. et Pet. in Cat. *Godefredus, qui in concinnanda S.* Verani *vita se Ferrario et Petro de Natal. inhæsisse profitetur, in sua* Historia Alpium maritimarum *in modum dubitantis scribit :* quamquam feratur postea ejus (S. Verani) corpus vel integrum vel partim translatum in civitatem Albingaunensem, quæ memor beneficiorum ejus intercessione obtentorum, illum in patronum elegit, et singulis annis dicto die (XIV Novembris) illius celebrat festivitatem, quam Philippus Ferrarius in novo suo Martyrologio his annuntiat verbis : *Albingauni S.* Verani *episcopi Cavallicensis* (3).

qui Ughellum in quibusdam perstringit.

46 *Adjicit, ubi supra, Ferrarius* Annotationem, *qua in duobus Petrum de Natalibus ex quo pleraque superius dicta hausit corrigendum dicit : alterum quoad* locum : *nam Cavellicensem, non vero* Gabali- D tanum *episcopum iste scribere debuisset. (Supra n. 36 vidimus quid valeat hæc notatio). Alterum quoad* tempus ; quia Veranus, episcopus Cavellicensis circa annum Domini 588 vixit, cum concilio Matisconensi interfuerit : non ergo vixit sub Valente imperatore, qui an. D. 378 a Gothis victus vivus concrematus fuit, cum diu ecclesiam catholicam vexasset. *Quibus verbis feritur etiam Ughelli, qui* Veranum *nostrum coævum facit Honorato Albingaunensi. Cæterum erroris hujus fons latet in actis, quæ inferius damus. In illis enim reipsa dicitur vel saltem dici videtur Albingauni sedisse Honoratum, dum illac transiret S.* Veranus; *quamvis certum sit nullum ejus nominis sedem illam tenuisse post sæculum quartum, ut ex ipso Ughelli catalogo patet. Aliunde autem extra controversiam est sanctum* Veranum *nostrum adhuc floruisse sæculo sexto ad finem vergente. Constat etiam episcopum, nomine Honoratum Mediolanensi præfuisse ecclesiæ temporibus sancti* Verani, *atque hunc, dum Roma in Gallias rediret, aliquam moram in dicta urbe traxisse, antequam Albingaunum pergeret. Manifeste ergo errat scriptor actorum, et cum ipso Ughellus, dum ad Albingaunensem præsulem referunt ea, quæ de* E *Honorato Mediolanensi prædicanda essent. Nec fas videtur hunc errorem rejicere in negligentiam amanuensium, quum varia, quæ vidimus,* Actorum *exemplaria in hoc loco plane concordent. Consulto posui superius :* Vel saltem dici videtur. *Non enim necessario fluit ex actis Honoratum, cujus ibidem incidit mentio, Albingauni potius quam Mediolani sedisse. Postquam scriptor mira, a S.* Verano *in urbe Mediolanensi patrata, enarravit, sic prosequitur :* Deinde, petente sanctissimo viro Honorato, ipsius civitatis episcopo, ad civitatem, cui nomen est Albingauno, profectus accessit. *Non utique vim intulerit verbis, qui dixerit,* Veranum, *petente S. Honorato, episcopo* ipsius civitatis *(Mediolanensis nempe) de qua mox egerat, Albingaunum ivisse.*

Verosimilius est corpus S. Verani ad nostra usque tempora Cavellione permansisse.

47 *Quod ad sacrum sancti* Verani *corpus attinet ; probant testimonia Ughellii et Ferrarii traditionem ecclesiæ Albingaunensis ; ast repugnat ut eadem sacra ossa in tribus locis diversis simul reperiantur, nisi, quod non raro occurrit, per synecdochen pars pro toto sumatur. Atque ut dicam quod sentio ; videntur mihi minoris ponderis argumenta quæ militant pro dicta ecclesia, quam alia illa qua* F *afferuntur in favorem præsertim ecclesiæ Cavellicensis, ubi sanctus* Veranus *diem obiit supremum. Admitti enim nullo modo potest, quod tradit Ughellus de morte illius sancti Pontificis in urbe Albingauno ; quod etiam rejicit Ferrarius, dum asserit reliquias, de quibus hic sermo est, Cavellione in Italiam fuisse allatas, quin tamen ullam addat probationem, præter antiquam particularis ecclesiæ traditionem ; hæc autem æque favet et Cavellicensibus et Jargoliensibus. Verosimilius nobis videtur corpus sancti* Verani *remansisse Cavellione ; cum nuspiam reperiantur nec Acta translationis in aliam urbem ; nec ullum aliud habeatur positivum testimonium, quo ecclesia Cavellicensis possessione sua, quam ab initio juxta omnes habuit, deturbetur. Hinc etiam Breviarium Aurelianense, ad 19 Octobris, quo die festum Translationis sub ritu semiduplici agit, dubitanter loquitur in hunc modum :* corpus ejus in ecclesiam collegiatam Jargoliensem translatum dicitur; ejusque memoria fastis Aurelianensibus a plurimis seculis legitur inscripta.

(1) Italia Sacra, t. IV. col. 913. Edit. Venetius, 1719. — (2) Ibid., col. 920. — (3) Gioffredo Storia delle alpi maritime. Lib. IV, *versus finem. Reperitur inter* Monumenta historiæ patriæ edita jussu Regis Caroli Alberti. Augustæ Taurinorum MDCCCXXXIX. *Scriptorum*, t. II, col. 249.

Cum

A *Cum ergo, omnibus, si Ughellum excipias, fatentibus, pro ecclesia Cavellicensi stet primæva possessio, nec ullo satis idoneo argumento ab hac possessione probetur deturbata; atque insuper ecclesia Jargoliensis (ad quam utique, si qua umquam locum habuit, translatio corporis facta est) de jure suo dubitet, non videmur nobis nimium præsumere, dum probabilius dicimus, partes tantum illius insignes translatas fuisse ad duas illas urbes, præcipue Jargolium; non obstantibus testimoniis illis plurimis, quæ supra retulimus: nullum enim eorum vim decretoriam habere videtur ad probandam ipsius corporis translationem.*

Instrumentum reserationis seu Visitationis Reliquiarum an 1845.

48 *Atque hæc juxta monumenta hactenus allata. Sententia nostra haud parum confirmatur ex documentis, quæ nuper, cum commentarius noster jam hucusque perductus esset, nobis perofficiose submisit, 10 Februarii 1848, R. D. Joannes Michael Allaud, canonicus honorarius et pastor seu curatus Cavellicensis; inter quæ habetur apographum* instrumenti reserationis, seu visitationis *reliquiarum sancti* Verani. *Hæc porro reseratio facta est jussu Ill. Pauli Naudo, archiepiscopi Avenionensis, die 19 Junii 1845, præsentibus laudato J. M. Aillaud,* B *cum reliquo clero Cavellicensi et simul etiam fabricæ consiliariis. Scopus erat extrahere partes quasdam sacrorum ossium, quæ traderentur D. Valleret (qui et reserationi interfuit) pastori S.* Verani, *quæ parœcia est diœceseos Vapincensis (Gap) et D. Rey pastori Vallis Clausæ (Vaucluse) diœceseos Avenionensis. Uterque nempe petierat ecclesiæ suæ hujusmodi reliquias. Instrumentum Gallico conscriptum est idiomate; cujus nos præcipuas hic partes, latine redditas, subjicimus.*

Capsa seu theca a S. Verano dicta tres continebat reliquiarum portiones distinctas,

49 Invenimus capsam, triplici clavi obseratam, in Armario seu thesauro antiquæ ecclesiæ cathedralis, reposito in sacello sancti Verani. Apertis valvulis duabus, priori ex ligno, posteriori ex ferro (utraque munita erat sera valida); sacerdotes duo reverenter susceperunt, altarique imposuerunt capsam; atque subinde quotquot aderant ad terram prostrati sacras venerati sunt reliquias; et manu cereum tenentes singuli accensum, processerunt ad sacrarium seu sacristiam... Comperimus capsam ex ligno deaurato, et a sancto Verano dictam, sera quidem rite clausam; ast nullum ferebat sigilli vestigium. Hanc aperientes tres reliquia- C rum vidimus distinctas portiones.

quæ accurate describuntur,

50 I. Ossa nonnulla, haud exiguæ magnitudinis, involuta mappa linea: hæc erat candida valde, atque ipsa cooperta panno serico, satis diligenter consuto. Ast et hic aberant sigillum et quodvis scriptum authenticum. *Ex his desumptæ fuere Reliquiæ duabus supradictis parœciis destinatæ. Quo facto ossa debito modo involuta, in capsam reposita sunt.*

II. Juxta prædicta invenimus dimidiam partem cranii et alia ossa pulverulenta; hæc imposuimus purificatorio; cranium involvimus veteri corporali; atque omnia simul collecta in panno serico rubri coloris capsæ restituimus. *Infra declarabitur unde ossa hæc translata in capsam fuerint.*

III. Invenimus in eadem capsa, thecam alteram minorem, ligneam, coopertam membrana chartacea varii coloris, tænia seu vitta rubea revinctam, atque quatuor diversis in locis sigillo munitam. Totum, mediante funiculo rubro, involvebatur panno chremesini coloris *(rouge cramoisi)*. Pannum hunc inter et ipsam thecam aderant litteræ authenticæ duæ: alteræ Ill. de Manzi, archiepiscopi Avenionensis, data vigesima nona Septembris anno millesimo septingentesimo sexagesimo primo; alteræ RR. de la Baume, Cavellicensis episcopi, datæ decima sexta Julii, anno millesimo septingentesimo septuagesimo quinto. *Non abs re erit, antequam ulterius pergamus, hic quædam adscribere ex litteris R. D. Aillaud ad nos missis simul cum instrumento authentico.* Anno, *inquit*, 1761 Fr. Maria de Manzi, archiepiscopus Avenionensis, antea Cavellicensis antistes, declaravit se invenisse in sepulcro capellæ in Valle Clausa, ubi depositum fuerat corpus sancti Verani capsulam plumbeam, continentem ossa quædam S. Verani, quæ omnia ipse inclusit theca lignea, et dono dedit ecclesiæ Cavellicensi. Dicta theca adhuc exstat. Illam vidi et reseravi anno 1845 ex mandato RR. Naudo, hodierni Avenionensis metropolitæ. *Litteræ R. D. Aillaud datæ sunt* 10 *Feb.* 1848. *Die vero 23 Aprilis ejusdem anni, festo scilicet Paschatis, sub ipsa sacri solemnis celebratione, cum illi manus abluerentur, RR. DD. Naudo extinctus apoplexia est* (1).

D

demptis quibusdam particulis,

51 Lectis his authenticis *(ita sequitur in Instrumento)* quæ et thecam, et quod illa continebatur, indicabant, rupimus sigilla. Hic reperimus primum duplicata authenticarum, dein alteram capsulam, E plumbeam, valde antiquam, continentem ossa sacra pulverulenta, simul et duo involucra papyracea albi coloris, quibus inclusæ erant plures particulæ reliquiarum sancti Verani, ut constat tum ex Sancti nomine inscripto cuidam particulæ, tum ex ipsis authenticis litteris. Ex hac capsula extraximus os debitæ magnitudinis *(duorum centimetrorum)* dividendum inter ecclesias sancti Verani et Vallis Clausæ. Quibus peractis cuncta reposita et sigillata fuere. Post hæc, Reliquiæ extractæ sive ex proxime dicta capsula, sive ex ossibus, quæ involuta diximus in mappa linea, divisæ fuere in tres partes: prima destinata parœciæ sancti Verani diœceseos Vapincensis; secunda parœciæ Vallis Clausæ; tertia Ill. Archiepiscopo Avenionensi, prout ipse petierat.

prout erant anno 1845.

52 *Ex his itaque valde accurate descriptum habemus quo statu essent, anno* 1845, *Reliquiæ quæ sancti* Verani *esse putantur. Ast alia in dicto instrumento subjunguntur, quæ propius ad rem nostram faciunt; quæ propterea hic etiam apponimus rursus ex Gallico latine reddita.* Ut candide fateamur, non mediocris nos tenuit admiratio, cum aperta sancti Verani capsa *(majori scilicet quæ totum capiebat depositum)*, nullum videremus sigillum impressum parti spectabiliori *(de qua primo loco actum)* reliquiarum quæ in illa latebant... Non tamen inde imminuta nostra veneratio est, attendentes ad monumenta quæ apud nos aliunde existunt authentiæ testes. Præcipua sunt. F

Dictarum reliquiarum Authentiam suadent, primum Translationis festum;

53 1. Festum translationis illarum reliquiarum, quod celebratur dominica post diem septimum Julii, nisi dies hæc ipsa in dominicam incidat, quo casu festum non transfertur. *Ut argumenti hujus vis percipiatur, addimus nonnulla ex litteris ejusdem R. D. Aillaud, quæ originem et rationem festivitatis indicant.* Natus est, *inquit*, sanctus Veranus in Valle Clausa *(Vaucluse)* quæ celebritatem habet a fonte ejusdem nominis. *Ignoro unde R. D. Aillaud hauserit* natum *S.* Veranum *in* Valle Clausa. *Diserte tradunt acta natum esse in agro Gabalitano. Unde in vita Ms. S. Præsulis ex collectione Gallonii tom. 1, apposite in rem nostram habetur:* Quamquam autem ubi quove tempore natus sit definiri satis non possit, tamen illud constat plane in fini-

(1) L'Ami de la Religion, 27 Avril 1848, t. CXXXVII, p. 268.

B. B. bus Alvernorum, agro Gabalitano, cujus provincia et metropolis et caput hodie Mimate dicitur, honestis cum parentibus natum et educatum esse, Valentinianique imperatoris temporibus floruisse. *Confer n.* 35 *et* 36. *Sequitur apud laudatum D. Aillaud compendium vitæ sancti Præsulis. Tum addit:* Inhumatus fuit in Valle Clausa, in oratorio quod ipse ibidem in honorem beatæ Virginis ædificari curaverat, atque positus in sepulcro lapideo, quod hodiedum adhuc visitur, sed vacuum ; ex quo scilicet Pontius Algerius, episcopus Cavellicensis ab anno 1303 ad annum 1320, solemniter corpus sancti Verani Cavellionem in ecclesiam cathedralem transtulit septima Julii, nescitur quo præcise anno, licet verosimile sit id factum sub initium illius episcopatus. *(Nova Gallia Christiana* (1) *annum habet* 1311, *quo, inquit, solemni pompa transtulit ex Valle-Clusa corpus sancti* Verani *episcopi et ecclesiæ patroni).* Solemnitas, quæ singulis annis in ecclesia Cavellicensi celebratur dominica post septimum Julii, nisi hic dies in dominicam incidat, monumentum authenticum est memorandæ illius translationis, quam Petrarcha testatur suis se vidisse oculis, et de qua etiam canit in versiculis ad

B Lauram. Officium dicto die proprium est, quo quidem confirmatur antiqua traditio, juxta quam Reliquiæ sancti Verani in ecclesia cathedrali Cavellicensi asservantur. *Hactenus R. D. Aillaud in sua ad nos epistola. In quam animadvertimus, non recte dici Franciscum Petrarcham* testari se translationem illam oculis suis vidisse, *si sua stet asserto Galliæ Christ. veritas. Natus enim ille est mense Augusto an.* 1304. Honestis, *inquit,* parentibus, Florentinis origine, fortuna mediocri, et (ut verum fatear) ad inopiam vergente, sed patria pulsis, Aretii *(Arezzo)* in exilio natus sum, anno hujus ætatis *(sæculi)* ultimæ, quæ a Christo incipit MCCCIIII die lunæ ad auroram Cal. Augusti. *Ita ipse Petrarchia in epistola ad* Posteritatem de origine, vita, conversatione et studiorum suorum successu (2). *In Biographia universali* (3) *natus dicitur præfato anno, sed non Cal. seu die* I *Augusti, ast* XIII *Kalend. Augusti, seu* die 20 Julii, *quæ apparenstantum discordantia est, cum ille scripserit ante reformatum Calendarium, in Biographia autem Petrarchæ calculus reducatur ad Calendarium Gregorianum, juxta quod* dies ille lunæ *alius esse non potest quam* 20 *Julii* (4). *Atque id per transennam. No-*

C *vennis in Gallias Petrarcha venit :* Primum vitæ annum, *inquit* (5), neque integrum Aretii egi... sex sequentes, Ancisæ paterno in rure, supra Florentiam quatuordecim passuum millibus..., octavum Pisis, nonum ac deinceps in Gallia Transalpina ad lævam Rhodani ripam, Avenio urbi nomen.... Ibi igitur ventosissimi amnis ad ripam pueritiam sub parentibus, ac deinde sub vanitatibus meis adolescentiam totam egi ; non tamen sine magnis degressionibus. *Atque ex his jam patet Petrarcham S.* Verani Translationem *(si hæc revera facta sit, ut habet Gallia Christiana, anno* 1311) oculis suis videre *non potuisse, cum ante annum* 1313 *Avenionem ille non attigerit. Quo autem operum suorum loco eam se vidisse scribat Petrarcha, non reperi, licet ejus volumina satis diligenter pervolverim, in illa, quæ omnium locupletissima est, Basilæensi Henricpetri editione, quæ tamen, cum indicibus prorsus destituta sit, facile fieri potuit, ut, quod incidenter de S. Verano forte occurrit, me fugerit. Prætermittendum hoc loco non est, quod refert But-*

lerus in vita Ven. Cæsaris de Bus (6), *Cavellione,* D
ut notum est, oriundi, et postea ejus ecclesiæ canonici. Postquam narravit Virum Dei sumptus contulisse in reparandam ecclesiam illius urbis cathedralem, subjungit (7). Reparata ornataque ecclesia, obtinuit Ven. Cæsar ut solemnis fieret translatio reliquiarum S. Verani primi illius urbis episcopi *(id enim vero manifeste falsum est, Conf. n.* 34) et regionis Apostoli. Tumulus a fidelibus frequens adibatur ; ast corpus non satis decenti quiescebat loco : atque hac motus erat Ven. Cæsar ratione ut translationem urgeret. *Cum natus sit venerabilis ille anno* 1544, *mortuus an.* 1607, *facile cernitur hic non agi de translatione facta ab episcopo Algerio ; quod cæterum verba mox recitata satis indicant ; referunt enim corpus decentiori tantum loco in eadem cathedrali fuisse positum.*

Tum, quod vacuum sit sepulcrum S. Verani in Valle Clausa;

54 II. Sepulcrum Sancti Verani in Valle Clausa, quod prorsus vacuum remansit, ex quo ecclesia loci illius perdiderit, post annum 1789, instrumentum, quo constabat de authentia costæ, quam, ut fert constans loci traditio, solam reliquerat Pontius Algerius, dum Reliquias transtulit Cavellionem. Atque hinc intelligitur ut quid pastor et fideles illius parœciæ adierint RR. archiepiscopum E
Avenionensem, cujus jussu nos eorum votis hac die satisfecimus.

tertium desumitur ex Legendis Breviarii;

55 III. Legendæ officii, quas adhuc recitamus, mentionem faciunt de solemnitate hujus festi; de veneratione qua susceptæ a Cavellicensibus Reliquiæ fuerunt ; de pecuniis, quas diversis temporibus expendit capitulum ut sacrum depositum debito custodiretur honore.

quartum ex testimonio Seniorum

56 IV. Traditio constans, confirmata a senioribus, qui adhuc supersunt, testatur, dum civilis inter nos discordia, cœpta anno 1789, sæviret, capsam sancti Verani, atque alteram etiam grandiorem, qua continebantur reliquiæ plurium aliorum Sanctorum, spoliatas fuisse laminis argenteis quibus exterius contegebantur ; item ablata fuisse brachium et statuam (utrumque ex argento) sancti Verani ; in cujus statuæ vertice inclusa erat pars cranii sancti Antistitis ; reliquias autem ipsas, utpote quæ cupiditatem barbaricam non accenderent, servatas fuisse. Scilicet quæ in capsis fuerant, R. D. Præpositus, præsentibus pluribus ex capitulo præsbyteris, reposuit in pristinas sedes, suis tamen spoliatas ornatibus, prout diserte asserit, A
in tertia lectione officii Translationis, R. D. de Crousnilhon, olim præpositus et prædecessor noster, qui ipse præfuit dum sacræ Reliquiæ capsis primævis restitutæ sunt. *Atque hic rursus inserenda quædam sunt ex epistola R. D. Aillaud, quibus patefiat quanti sit dictum officium momenti ad probandum Reliquias S.* Verani *ad hodiernum usque diem Cavellione permansisse.* R. D. de Crousnilhon, *inquit,* olim præpositus capituli Cavellicensis, mortuus anno 1838, annos natus fere 88, adornavit officium S. Verani, quod typis excussum prodiit anno 1823. Ad hanc elucubrationem, susceptam post extinctas civiles nostras discordias, contulit primum, quæ ipse memoria tenebat, quorumque saltem partim testis fuerat ; deinde usus etiam est antiquo sancti Verani officio, quod servatum fuit ab incendio Archivorum episcopalium. Novum hoc officium aliud vix est, quam recens editio officii editi versus annum 1610 ab Octavio Mancini *(vel Manchiny, ut scribit Gallia Christiana, quæ et hujus officii meminit)* ordinem

(1) T. I, col. 948. — (2) Operum, t. I, ad initium. Edit. Basiliææ per Sebastianum Henricpetrum 1581. — (3) Biographie universelle ad vocem : *Petrarque,* — (4) Confer. *L'Art de verifier les dates.* In Calendario, p. 119. — (5) Opera, quæ extant, omnia. Ubi supra. — (6) Ad diem XV Aprilis. Edit. Lovanii 1829. — (7) T. V, p. 157.

paululum

A paululum intervertit D. de Crousnilhon; quod non ab omnibus probatur. In hoc Proprio assumitur absque ulla hæsitatione, corpus sancti Verani Cavellione asservari.... Atque hoc concordat cum constanti traditione, et cum historia manuscripta episcoporum Cavellicensium, quæ protenditur usque ad sæculum decimum septimum. *Reliqua ex instrumento reserationis adjicimus, resumendo immediate post verba paulo superius citata.*

quintum, ex officio,

57 V. Hoc officium Translationis, sicut et cætera officia propria ecclesiæ Cavellicensis probata fuere ab Illmo DD. de Mons archiepiscopo Avenionensi, ut constat ex litteris D. Reboul, vicarii generalis, datis ad D. de Crousnilhon, tunc temporis parochum. Quod vero ad Reliquias attinet inclusas statuæ et brachio sancti Verani, illas servatas etiam fuisse, efficitur ex scripto testimonio parochi intrusi *(Constitutionnel)* Roux. Hoc quidem testimonium recuperare nos non valuimus; ast D. Granon, venerabilis senex, Cavellione oriundus, atque ecclesiæ nostræ parochiali jam fere ab annis quadraginta, qua vicarius adscriptus, illud vidit legitque in capsa sancti Verani, quod et juramento firmare paratus est. *(Vidimus supra inter Reliquias* B *in capsa sancti* Verani *repertas recenseri* dimidiam partem cranii et alia ossa pulverulenta, *unde præclare confirmatur non periisse quæ statua et brachio contenta fuerant).*

sextum, cultus ab immemoriali.

58 VI. Veneratio fidelium, cultus Cavellione sanctis illis exuviis perpetuo exhibitus, consuetudo ab immemoriali servata illas circumferendi aliquoties per annum in publicis supplicationibus, illasque exponendi populi votivis precibus; quæ omnia conjuncta cum cæteris hucusque enumeratis nos exstimulant ut RR. archiepiscopum, nomine tam nostro, quam cleri et consiliariorum fabricæ, rogemus ut dignetur dictas Reliquias sigillo suo firmare earumdemque testare authentiam. *Utrum petitioni factum sit satis, non dicitur: ast addunt in laudato Instrumento se aperuisse præterea alteram capsam, a prædictis diversam, in qua, juxta authenticas litteras depositum erat corpus sancti Rademi, et reliquiæ sanctorum Honorati, Victorinii etc.; sperabant nempe hic inveniendum titulum aliquem certum seu scriptum authenticum de Reliquiis sancti* Verani. *Ast, quamvis omni cum diligentia facta perquisitio sit, nihil repertum.*

C

§ V. Cultus variis diebus et diversis in locis. Supplicationes. Acta.

Dies cultus: Jargolii et

Q*uamvis per decursum commentarii nostri inciderit hinc inde mentio dierum quibus festivitas sancti* Verani *celebratur, cum tamen plura sint ad hanc rem pertinentia, quæ prætermittere hucusque oportuit; hic uno sub conspectu exhibemus dies, quibus in variis ecclesiis sancti Præsulis recolitur memoria. Jargolii celebratur festum* Translationis *die* XIX *Octobris*; Depositionis, X *Novembris, licet hæc contigerit undecima ejusdem mensis. Propter festum sancti Martini, retrotrahitur in hujus vigiliam. Juxta Saussaium, habetur Jargolii et alia solemnitas,* VII *scilicet Julii, qua agitur festum* Reserationis *et novæ translationis reliquiarum sancti* Verani, *simul et consecrationis ecclesiæ Jargoliensis ab Innocentio papa IX; postremum hoc quidem ex manifesta hallucinatione, cum Innocentius Cavellicensem, non vero Jargoliensem consecraverit ecclesiam. Conf. n.* 40.

in diœcesi Aurelianensi.

60 *In diœcesi Aurelianensi duplex item occurrit festivitas: altera* Depositionis, *die* XII *Novembris (procul dubio rursus ob festum santi Martini); altera* Translationis, *die* XIX *Octobris, et officium sequenti notatur modo:* Translatio sancti Verani episcopi *semiduplex.* III *lect. de communi SS. Pontific.*

Lectiones ex festo Translationis.

61 Lectio II. *(Ex concilio Matiscon.* II *et S. Greg. Turon. hist. lib.* VIII *c.* XXXI, *lib.* IX *c.* IV *et lib.* X *c.* XXVIII) sanctus Veranus, qui vixit tempore Guntramni regis, a quibusdam Gabalitanus, a nonnullis Cabilonensis, et ab aliis Cabellicensis episcopus dicitur. Non fuisse Gabalitanum, nunc extra controversiam est; at post Flavium Cabilonensem episcopum, concilio Matisconensi secundo, jussu Guntramni regis congregato, subscripsisse reperitur; et in subscriptione episcopus Cabellicarum appellatur. Quidquid sit de ejus sede, fuit inter illius temporis episcopos celeberrimus. Legatus enim cum Artemio Senonensi et Agrœcio Tricassino ad Clotharium regem, post necem Prætextati Rotomagensis episcopi, a Guntramno missus est, E et e baptismi lavacro suscepit Theodoricum Childeberti regis filium.

Lectio III. *(Ex iisdem et ex fastis Aurelianensibus)* Veranus autem, teste sancto Gregorio Turonensi, erat magnis virtutibus præditus, ita ut plerumque infirmis signum Crucis imponens, statim sanitati, tribuente Domino, restauraret. Fuit etiam unus ex episcopis, qui ejusdem Guntramni jussu aggregati sunt, ut dissidium inter abbatissam monasterii Pictaviensis sanctæ Radegundis, et Chrodieldem. Chariberti regis filiam ortum, discuteret. Corpus ejus in ecclesiam collegiatam Jargoliensem translatum dicitur, ejusque memoria fastis Aurelianensibus, a pluribus sæculis, legitur inscripta.

Colitur etiam Parisiis, Albingauni.

62 *Rursus die* XII *Novembris, fit ejusdem memoria in breviario Parisiensi. Albingauni ejus festum agitur, teste Ferrario, die* XIV *Novembris; translatio autem celebratur* VIII *Junii. Castellanus, die* XI *Novembris, annuntiat:* Albingauni obitus sancti Verani episcopi Cabellicensis; *et ad diem* XIX *Octobris:* In diœcesi Aurelianensi depositio sancti Verani episcopi. *Quid intersit* obitum *inter et* depositionem *ipse viderit. Notat Godefredus* F *S. Præsulem cultum quoque habuisse Ebroduni (Embrun)* ubi ejus caput et brachium asservabantur, quæ cum cæteris SS. reliquiis dispersa fuere ab hæreticis (1). *Quo id jure Godefredus asserat, mihi prorsus ignotum.*

et Cavellione.

63 *Juxta Cointium, Cavellicenses festum celebrant Idibus (decima tertia) Novembris. Supra vidimus solemnem Translationis memoriam recoli ibidem Dominica post diem septimam Junii, nisi hæc ipsa dies in Dominicam incidat. Hoc quidem, ut apparet, ex regula generali post Concordatum anni* 1801 *stabilita, ut festa patronalia rejiciantur in Dominicam sequentem.*

Cur Acta S. Verani dentur ad XIX *Oct.*

64 *Atque ex his liquet satis magnam esse in diebus cultus diversitatem. Nos hac die sancti* Verani *acta damus, secuti martyrologium Romanum, quod sancti Præsulis Cavellicensis hic tantum meminit, licet aliorum Sanctorum ejusdem nominis in diversis locis mentionem faciat. Accedit, quod, juxta Baillet, festum translationis Jargoliensis omnium sit celeberrimum.*

(1) Groffedo Storia delle Alpi Marittime. lib. IV ad finem.

D. B. *Supplicationes Jargolii.*

65 *Variæ etiam in honorem sancti* Verani, *olim fiebant supplicationes. Jargolii* Feria tertia post Pascha, *ait Bollandus in nota Ms.*, est aliqua supplicatio in ejus honorem. Item ad quoddam ejus sacellum ex variis pagis fiunt supplicationes ad obtinendam pluviam. Et Dominica post Pentecostem conveniunt ad alium locum supplicationes variorum pagorum. Colitur et in Nivernensi ecclesia. *Ex quibus satis declaratur quanta his in tractibus esset Sanctus noster in veneratione.*

et in diœcesi Nivernensi

66 *Quod ad cultum Nivernensem spectat, hic specialiter declaratur a Jacobo Severtio in* Chronologia historica Lugdunensis archiepiscopatus (1). Accepimus, *inquit*, responsum indaginis nostræ de vita sancti Verani, Gabalitani quondam episcopi subtus Avenionem, fideli epistolio, diligentia et conquisitione D. Guilelmi Rapine de sancta Maria (missum II Novembri 1618 et receptum die ultimo) jurium candidati ac criminalis Assessoris in foro Nivernensi, qui inde nostri gratia profectus est ad oppidum sancti Verani diœcesis Nivernensis, duodecim bimiliaribus ab ea episcopali urbe distans, ubi is recens totam excerpsit, quam dudum ibi perlegerat, historiam anno 1607, quo B tunc devoto Niverniorum civitas ex professo iter fecerat, una cum clero et cruce et lugubrium vestium apparatu ob pestem tunc in urbe grassantem, eamque divino munere repellendam, quæ ad instans miro modo extincta est, publico celebrato voto, ex vi precum ad Deum per intercessionem sancti Verani oblataram. *Post hæc agit Severtius de pallio sancti* Verani, *quod divinitus sublatum in aera viam præstitit civibus Cavellicensibus, qui, demortuo sancto Antistite, hæsitabant quo in loco ejus esset tumulandum corpus, ut prolixe describitur in actis.* Cæterum, *subjungit*, hinc ejusmodi historia, postero tempore, depicta est in Sacello Castri S. Verani, scilicet anno 1519, cura ac opera M. Andreæ Verjus præsidis in curia Parlamenti Parisiensis (Matiscone oriundi) ac prioris Curati (aiunt) ejusdem loci sancti Verani. Quod universum ornamentum ab hæreticis tandem Calvinistis misere traditum est ignibus anno 1576. Capellam tamen reverem. Eustachius Du Lys, Antistes hodie Nivernensis restituere peroptat. *Hæc Severtius, quibus addimus ex diction. geographic. Martinierii:* Saint Vérain, latine S. Veranus *(Castrum S. Verani)* urbecula Galliæ, in tractu Nivernensi, diœce- C seos Autissiodorensis.... Illius antiquum nomen ignoratur. A S. Verano, episcopo Cavellicensi vocari cœpit, ex quo ejus corpus, dum Cavellione transferretur Jargolium ad Ligerim, eo loci aliquamdiu requievit. Hinc etiam originem habuit prioratus S. Verani, nunc parœcia dependens ab abbatia S. Germani Autissiodorensis.... Olim ad hanc ecclesiam confluebant peregrini. Eo etiam, calamitosis temporibus, supplicationem instituebat civitas Nivernensis, quamvis decem et amplius leucis abhinc dissita. *Hodie S.* Verani *ecclesia est succursalis* (2).

Acta S. Verani.

67 *Restat ut quædam de actis sancti* Verani *dicamus. Philippus Labbeus noster omnium primus, ut videtur, in* bibliotheca manuscriptorum librorum (3) *acta illa typis mandavit sub titulo :* Vita sancti Verani episcopi Cavellicensis, *quæ quidem incerti est auctoris, ut notat in* syllabo *ad initium tomi* II; *sed quam* descripsisse *se testatur* ex apographo reverendissimi atque eruditissimi episcopi Monspelliensis. *Modus scribendi virum prodit gravem et laboriosum atque alicujus litteraturæ et eruditionis.* Dolemus, *ait Cointius ad an.* 562 D *n.* 48 (4), ad nostras manus haud pervenisse membranas, in quibus habebantur res ab illo in pontificatu præclare gestæ separatim descriptæ ab auctore vitæ, qui cum antea satis prolixus fuisset, vix ullum de illius præsulatu verbum fecit, et ab initio pontificatus statim ad mortem transiit hoc contextu. « Accepta, *inquit*, episcopi dignitate more solito plurimos languentes, ut antea agere consueverat, pristinæ sanitati medicus laudabilis per Dominum reddidit. Dæmones autem ab obsessis corporibus assiduitate orationis ejecit. Apud majestatem vero supernam, cui omnia possibilia, integre tenetur et aperte, quod nihil superfluum in hoc opusculo, nec mendacissimum scripsimus nec incertum; sed ne etiam audientibus fastidium multa prolixitas fieret, plurima quæ in episcopatu gessit signa, quæ in aliis descripsimus membranis, ab hoc opere subtraximus; sed super hæc pauca, quæ supra memoravimus, Deum testem invoco, quoniam ita omnia veraciter acta sunt, qualiter hic leguntur descripta. Nunc ergo ejus sanctissimum obitum fideliter litteris posteris intimare curavimus. » *Atque hæc ex Cointio. Nullus profecto erit antiquitatis amator qui non* E *doleat cum eo membranas illas ad nos transmissas non fuisse. Tanto magis quod ex citat s verbis appareret facta a scriptore relata non temere ac sine delectu congesta in* actis. *Post tam solemnem protestationem, viri in narrando sinceritas extra omnem posita suspicionem est. Nihilominus, habet nonnulla, nostris temporibus haud facilem habitura fidem; ut sunt quæ tradit scriptor de draconibus illis immanibus tetricisque urbes Cavellicensem et Albigaunensem infestantibus. Certum præterea est auctorem hallucinari in iis quæ scribit de sancto Honorato Albingaunensi, quasi hic Verano nostro coævus exstitisset; si tamen ejus verba, ut diximus, non referantur ad episcopum Mediolanensem ejusdem nominis. Cæterum stylus paulo tersior est quam assolet in hujusmodi legendis; et divisio regni Francorum inter quatuor Clotarii filios, accurate indicatur, unde nota eruitur chronologica magni ad vitam sancti Præsulis momenti. Obiter hic notamus hæc eadem acta tribui S. Florentino Arausicano; sed perperam, quoniam propria sunt S.* Verano. *Vide de S. Florentino, hoc tomo ad* XVII *Octobris.*

Altera Vita Ms. ex Rubra Valle;

68 *Inter Mss. Bollandiana exstat hæc eadem vita ex manuscripto Rubræ Vallis* (Rouge Cloître *prope* F *Bruxellas). Parum hæc differt a textu Labbeiano. Lectiones variantes, et cætera, ubi operæ pretium videbitur in* Annotatis *nostris indicata reperies.*

tertia ex collectione Gallonii.

69 *Tertiam denique Vitam S.* Verani *item Ms. habemus, descriptam Romæ ex collectione Gallonii tom I. Scilicet anno* 1661 *die* VII *Januarii in Urbem advenerant PP. Henschenius et Papebrochius, prædecessores nostri; die autem ejusdem mensis* XXII, *ita Bollando scripsit Henschenius :* Apud PP. Oratoristas hactenus insudamus feliciter in libris Mss. P. Gallonii, et jam circiter XX vitæ ibidem descriptæ sunt ex duobus libris, et sunt valde multi. *Ex his innotescet quid sit præfata collectio Gallonii. Cæterum vita illa recentioris est ætatis. Hunc in modum orditur auctor:* Beati Verani vitam scripsere multi : sed eorum plerique panegyrium potius edere quam historiam texere maluerunt. Nos quæcumque de illo comperta certissimis autoribus habere potuimus, rerum ordinem prosecuti, quam brevissime fieri potest, perstringemus. *Multum tamen abest, ut omnia, quæ tradit, liquida sint,*

(1) Pag. 57. — (2) Almanach du clergé de France. — (3) T. II, p. 690, Paris 1657. — (4) Annales Ecclesiast. Francorum. t. II, p. 20.

imo

A *imo in nonnullis a vero prorsus aberrat, ut videre erit in Annotatis, ubi plurima ex hac scriptione recitabimus. Cum alio modo, quam cæteri, mortem B. Præsulis narrat, et præterea multa subjiciat, quæ post ejus obitum secuta sunt, et in specie recenseat aliquot miracula, ad ejus tumulum Cavellicensem patrata, partem hanc integram per modum Appendicis dabimus, adjectis, ubi res postulaverit, notis criticis.*

VITA SANCTI VERANI

EPISCOPI CAVELLICENSIS,

Descripsi ex Apographo Reverendissimi atque Eruditissimi Episcopi Monspelliensis. *Ita Labbeus noster in Nova Bibliotheca Manuscript. librorum, t. II, p. 690 et seqq. ex qua vitam et titulum desumpsimus.* B

PROLOGUS.

Cur S. Verani Vitam scribendam auctor susceperit.

Beatissimi Verani gloriosa solemnitas *a* et vigorem sui nominis exprimit et gratiam magnæ salutis, quia dum Veranus diversa superavit pericula istius vitæ, meritis mundana vicit cuncta impedimenta. Sicut enim in apostolico fundamento sancta *b* ecclesia, et a Christo firma petra Petrus auctor insuperabilis statutus est; ita triumphatoris Æterni Veranus in gentibus confessor efficitur, quem si gladius persequentium non tetigit, dignitatem martyrii non amisit.

INCIPIT *c* VITA.

2 Post vindictam scelerum quæ facta est a Domino cæde Galliarum *d*, misericordiam cœli distillaverunt, dum Veranum mundo pontificem protulerunt. C Benedicta gloria Domini de loco sancto suo, quæ nos, dignis Sanctorum meritis, eripit ab ira suæ indignationis. Dignum igitur atque laudabile esse censuimus, ut beatissimi Verani vitam, qui meritis ascendit in cœlos, litteris memoremus in terris.

S. Præsulis natales. Fit Clericus.

3 Beatissimus *e* itaque Veranus, natione Gallicus, civis fuit Gavalitanus *f*: haud procul ab ipso territorio parentum studio nutritus: quos constitit genere non fuisse minimos nec præcelsos. Cujus adolescentia tantum fuit bonis instituta moribus, ut in timore Dei usque ad vitæ suæ exitum permaneret: contigit ergo ut beatissimi Privati martyris *g* festum solemnitatis, quod annis singulis veneratur in territorio Gavalitano et excolitur, causa devotionis expeteret, ubi insomnem totam duxit noctem, nec ab eo loco discedere voluit, quo se ad expectandas vigilias collocavit: in qua statione non minus stetit mente quam corpore. Denique jam mane facto loci ipsius episcopo reverenter occurrit, et ab eo petiit, ut desectis capillis in clericorum numero admitteretur, quo facilius quid infanti Dominus in mente conceperat, etiam religione perfectius monstraret. Quod ubi cum summa devotione eum expetere vidit episcopus, cæsis ejus comis in clericorum sortitus est habitu, et per aliquantos dies est ibi moratus.

EX LABBEO.

Draconem Cavellicensibus infestum, pellit.

4 Supradictus ergo vir Dei exinde progrediens, in pago, cui nomen est Cavellico *h*, cum summa velocitate devenit. Populus autem ille Cavellicensis per plurimos annos fuerat oppressus ab impurissimo serpente, qui vulgo draco vocatur, qui in fonte versabatur plures jam dies, qui Sorgia *i* dicitur. Quo audito vir Dei nimio dolore compassus iter cœpit ad supradictum fontem, quo cum vehemens draco sanctum Dei ad se venire videret, nimio terrore timidus flammam de ore suo cœpit projicere. Tunc vir Dei pronus in terram ore et corde oravit devote. Cum autem surgere ab oratione cœpisset, vir ad draconem: Adjuro te draco per Jesum Christum æterni Regis filium, ut me non possis lædere, neque hic amplius stare. Ad hanc vocem beati Viri teterrimus draco velut mortuus in terram cecidit. Vir autem Domini Veranus quam secum portabat catenam in collo ejus misit, et catenatum usque ad montem Debriesonem quasi mortuum traxit. Tunc beatus Veranus catenam de E manu tulit, et facto signo Crucis serpens surrexit, et ait ad eum vir Dei; adjuro te per viventem in æternum, ut sicut hodie a me læsus non es, ita ab hac hora et deinceps neminem lædas.

Ædificavit cellam in honorem B. V. Mariæ.

5 Tunc draco volare cœpit et usque ad cacumen montis ab omnibus visus est et postea numquam comparuit. Sanctus itaque confessor Veranus ad fontem reversus durissima ibi saxa manu scidit propria, et viam per quam ambularent homines fecit, ibique in prædio suo cellulam in honore beatæ Mariæ construxit, ubi cum collega suo diebus aliquantis commoratus est *k*.

Romam tendens plures a dæmone liberat in civitate Ebrodunensi.

6 Devotione orandi urbem Romam expetere deliberavit. Arrepto itaque ipsius itineris cursu, asperitatem viæ vel rationis diversitatem fidei virtute et meriti superavit sanctitate. Qui cum ad civitatem Ebredunensem *l* pervenisset, ibi omnipotentis gratiam Dei quam meruerat, publicavit nobiliter: nam tantam orationis virtutem per illum, spectantibus populis, Deus ostendit, ut plurimos ibidem a passionibus liberaret dæmoniacis; tres tamen sub episcoporum *m* præsentia a terra suspendens, eorum manus ab ipso superimposito F Crucis signaculo sine ullis vinculis apparentibus, sanctitatis virtute ita ligavit, ut terram eorum non tangerent calcanei, et tamdiu penderent in aere, donec illius interventu fuissent liberati, qui diabolica insidia fuerant captivati.

Latroni dexteram, quæ, dum gladio sanctum virum ferire parabat, obriguerat restituit.

7 Accidit etiam in ipso itineris cursu cum amica latronibus loca præteriret, ut incursum pateretur ipsorum: maxima etenim montis parte qui Briençoni *n* adjacet, prope jam superata, inter obscura vel secreta silvarum ipsi latrones eidem Dei servo occurrerunt: cumque eum strictis mucronibus agrederentur, ut depositis vestibus amputandum gladio caput extensa cervice suum mitteret, eorum ordinavit impietas; quod vir Dei intrepidus Divina virtute plenus optabat, petit tamen ut orandi spatium concederent illi paululum. Completa denique oratione, ictus ferientis evanuit, et in aere dextra suspensa pependit. Quod factum, ut latrones ipsi per virtutem Dei et meritum sancti Viri perspexerunt, proni ad ejus vestigia inhærentes rogabant, ut ipsi latroni redderetur dextera. Tunc beatus Confessor Christi, ut erat piissimus, præstare non distulit postulata, et ut Evangelica inimicos diligendo compleret præcepta, manum debilem incontinenti

EX LABBEO.

continenti redditam ad vigorem revocavit pristinum. Quo tamen in loco tantus subito quasi advenientis populi fragor visus est sonuisse, ut turbati latrones silvarum fugiendo secreta repeterent.

Romam ingressus.

8 De hinc per omnem Italiam usque ad urbem Romam sine ullo obstaculo adversitatis, vel perturbatione animi divino auxilio suffragatus accessit. Qui cum venisset ad Tiberim ab urbe Roma, milliario ferme quadragesimo, ut pedibus iret statuit. Deinde hoc sibi omnibusque suis indixit, et sic usque ad sanctissimam confessionem sancti Petri apostoli, desiderii sui compos, accessit : ubi, ut pius orator devota expectatione pervenit, custodem confessionis honorifice salutavit et cum summa humilitate poposcit, ut illi sepulchri vestibulum dignaretur patefacere : quod, sanctitatit ejus ille ignarus, fieri posse negavit, multos esse dicens potentes, quorum precatu orandi tantummodo spatium concederet : et, veluti festinus, ille custos post tale responsum ad suam remeavit cellulam.

claustra Confessionis S. Petri osculando aperit.

9 Beatus vero confessor Veranus ante ipsa confessionis claustra curvans genua oraturus petiit B terram, ibique omne votum et sui cordis desiderium intenta supplevit oratione, surgensque ab oratione, ac monumenti septa nimio fidei ardore succensus deosculans, ita catenatus ille locus solutis vinculis patefactus est, ut crederetur beatus martyr et summus Apostolus ei qui illic oraverat reseratis aditibus occurrisse. Quod ubi venerandi ipsius loci custos audivit, ad petendam veniam festinus occurrit, et vestigiis sancti Verani pronus incumbens indulgentiam postulavit : quod piissimus vir Domini Veranus sine cunctatione præstitit, et totus in charitate consistens veniam, quam petiit, non negavit.

Perhonorifice a Papa exceptus, plures annos in Urbe moratur.

10 Cum autem audisset Romanus pontifex et beneficium sancti Apostoli et meritum venientis, cum summa eum in omnibus dilectione suscepit, multumque Papa reverendus immensæ sanctitatis illius amore divictus eum credidit retinendum. Quod revera ita fecit, nonnullisque annis, quibus in Romana urbe deguit non minimis resplenduit miraculis, quæ si quis studiosorum scribere voluerit per singula, dies antea puto eum deficeret quam lingua aliquid *o* prævaleat explicare. o

Gallias repetens, mira operatur Ravennæ

11 Interjecto ergo multo temporis spatio suggestione beatissimi Papæ facta ad imperatorem, jam dictam patriam repetiit *p* Gallicanam, cui p per episcopos Italiæ, vel per omnem Galliam, ex præcepto Papæ, susceptio data est honorifice, sed cum urbem famosissimam Ravennam, crescente fama, peraccessisset, qui ibidem vexabantur eum confiteri cœperunt, et eorum relatione populi inopinatum servi Dei adventum cœperunt agnoscere, et infirmorum multitudinem exhibere, ut opera Christi per sanctum Veranum videre mererentur super infirmorum scilicet recuperationem : quod revera et fides illorum obtinuit, et per servum suum potentiam divina largitio indulsit miraculorum.

et Mediolani.

12 Unde per singulas civitates evectionibus a sanctis episcopis cum charitate præstitis Mediolanum usque pervenit, ubi cum sancti martyris Laurentii festivitate teneretur, inibi enim Galla Placidia uxor quondam Zenonis (imo Constantii) q imperatoris *q* in honore ejusdem martyris domum mirificam construxit, quæ sua pulchritudine universa pene ædificia superat Italiæ *r*. Illic plurima r virtutum suarum miracula magna fidelibus suis per pretiosissimum confessorem suum Veranum D Deus ostendit. Nam die ipsa duodecim vexatos, oratione sua, Domino auxiliante, a consuetæ passionis vinculo liberavit. Item in eadem Mediolanensi urbe die quadam nepoti cujusdam nobilissimi principis orationum suarum viribus cæco restituit visum. Sublimis quoque cujusdam Constantini nomine filium vocabulo Resterarium, in ea ipsa civitate, qui nuper fuerat defunctus, a mortis sopore veluti dormientem a sumno studuit excitare. Hujus etiam corpusculum, ut erat rigidum, ante ejus præsentiam detulerunt. Vir autem Dei Veranus orationi sic institit, ut invocato Dei nomine, coram multis adstantibus eum resuscitaret turbis.

sicut et Albingauni,

13 Deinde, petente sanctissimo viro Honorato ipsius civitatis *s* episcopo, ad civitatem, cui nomen est Albingano *t* profectus accessit ; ibi quoque plurima signa virtutum, Christo auxiliante, non solum fidelibus, sed etiam gentilibus ostendit. Nam cum fuissent octo jam menses expleti, quo terræ illi pluvia negabatur, oratione sancti Verani intercedente, magnorum imbrium fuit effusio, ut ex dono Dei ager, qui siccitate afflictus aruerat, decurrens agri vigorem reciperet, et solitam rerum alimoniam ministraret. Quod tamen non M...... *u* beneficium istud amplius quam in duobus undique E millibus est concessum, quod propterea divina potentia in tam brevi terrarum spatio præstitit, ut gentilem populum circumsistentem ad credulitatem provocaret.

s

t

u

ubi et idola, fusa ad Deum oratione, disturbat;

14 Cum vidissent denique gentiles Christianis pluviam fidelibusque concessam, certatim ad beatissimum Veranum venientes, petere eum sub quadam sponsione cœperunt, pollicentes, quod, si per orationem ejus sordida idola, quæ colebant, solverentur in pulverem, statim Deum, quem colebat, credere non tardarent. Quam promissionem Dei amicus cum ambitione magna suscepit. Etenim ad paganorum ipsorum habitacula salutis portitor advenerat. Tunc conspecti sub expectatione populi sanctus Veranus in oratione pronus incubuit, petens, ut superna majestas signum, ab incredulis petitum, non negaret : sed ita omnes idolorum statuæ solverentur, ut redactæ in pulverem ulterius non parerent. Qui illico ut orationem implevit, petitionis ipsius effectus apparuit : statim namque ignis de cœlo descendit, qui simulacrorum omnium portenta et idolorum statuas in pulverem redegit. Poposcerunt igitur gentiles iterum post hoc, ut illis pluviam sicut Albingano F fecerat, suis precibus obtineret, idque per servum suum beatissimum Veranum quod petebatur divina concessit miseratio. Quod miraculum licet celeriter pietas superna præstaret, in illis tamen adhuc incredulitas perdurabat et cæcitas, quia dum implere differebant quæ spoponderant, credere minime volebant.

draconem, numinis loco cultum, fugat:

15 Tunc affirmare cœperunt se pro Deo habere miræ magnitudinis draconem, cujus auxilio fertilitas adveniret ipsis et corporum expectata succederet incolumitas, cui puerum, necdum pollutione vitii carnalis illusum, annis singulis immolarent et incorrupta virginitate puellam *v* : tauros etiam vel v juvencas similiter annis singulis mactabant, quo facilius possent in suis locis ab illo tuti subsistere. Unde dixerunt quod si qualibet conditione fugaretur, postmodum vivum et verum Deum, quem beatus confessor colebat Veranus, credere non tardarent. Quod non aspernatur vir Dei, sed pro timore divino ardore succensus fidei, ad locum ubi draco ipse dicebatur in cavernis petrarum habitare, non dubitavit accedere, ut incredulis satisfaceret, et omnium vota compleret. Igitur auxilio

Crucis

A Crucis confidens, cum oratione flexis genibus faciem terræ proximans altiori voce precatus est dicens : summe Deus cœli et terræ et dominator omnium, qui creaturarum visibilium et invisibilium factor es elementorumque dispositor, qui in Trinitate vivis et regnas, adesto precibus servi tui Verani et his famulis tuis te verum, vivumque Deum in Trinitate colendum precatus ostende, ne longo errore has omnes animas regno tuo debitas metus diabolicæ superbiæ teneat, et a fide veritatis excludat : sed præcepto majestatis tuæ, aut hic draco lubricus intereat, aut ubicumque diffugerit ad conversiones hominum nullatenus accedat.

ac populum baptizat.

16 Hac deprecatione finita horribile monstrum et immensus draco ab ipsa urbe elapsus vicini fluminis alveum petens, mare usque visus est accessisse, nec ulterius ubique depulsus apparuit, quem virtus divina per beatum Veranum fugavit. Quo facto, omnium infidelium turba conversa, Deum verum et vivum magna multipliciter voce laudavit, et per ipsum percipere sanctam baptismi purgationem meruerunt. Sic antiquæ incredulitatis nube detersa nova splendentis luminis meruerunt præ-B sidia.

In Galliam regressus, mortuam puellam suscitat.

17 Hinc ergo regressus ad Gallias cum transitis Alpibus proximasset ad quemdam vicum, qui erat proximus viæ, orandi causa, ut plerumque fit, deflexit. Qui cum in ecclesia ibidem primum intrare vellet, plangentium audivit voces. Tunc percunctatus suos, quidnam hoc esset, didicit quamdam puellam fuisse defunctam. Unde pietate et misericordia motus ait : Eamus, fratres, visitare lamentantes : et si quid his consolationis impendere possumus, conferamus charitative. Et in ipso verbo, oratione facta, gressum festinus admovit. Antequam autem intraret hospitium, ubi defunctum corpus habebatur, indicto consilio iis qui secum aderant orare præcepit. Cum ergo ab ipsa oratione surrexisset, adprehendens manum puellæ exanimis, tertio illam nomine proprio altiori voce clamavit, statimque, auxiliante Domino, a captivitate mortis erepta respondit, ac vitæ reddita parentum fletus immensa gaudii ubertate replevit.

Duo cæci visum, mutus loquelam obtinent.

18 Transitis ergo Alpibus ad desideratam Galliam gratia divina perductus advenit, cumque ad sancti Thyrsi martyris *x* basilicam in agro Cassiano *y* positam peraccessisset, duo ibi illico cæci habitatores ejusdem vici obtutibus illius se obtule-C runt, quos servus Dei Veranus secundum multitudinem deprecationum suarum, divinæ indulgentiæ largitatem spectantibus his ipsis qui occurebant, collato lumine, a perpetuæ mortem tenebris liberavit : deinde ad domum cujusdam viri spectabilis vocabulo Tharsicii, cujus fuerat prece rogatus.... *z* diaboli..... privatos eripuit, et precum obtentu redemit. Quemdam etiam.... ab ipso sane exordio nascendi.... fideliter ei in eodem obtulerunt loco . in cujus ore digitum cum oratione deposuit, et loquendi aditum patefecit, ita ut in primis, Alleluia, spiritali Medico responderet. Ipse postmodum etiam usus est communi omnium eloquio magnificans Deum per omnia. Ex cujus dono per sancti servi sui preces Verani ad ea quæ vellet dicenda pervenerat, et silentio naturali remoto, eloquio concesso gaudebat. Quæ causa tantam fidem populis fecit excrescere, ut debitas Deo gratias Regi magno et dignas laudes indesinenti voce clamarent.

Vocatur a Sigeberto, Austrasiæ rege.

19 His diebus quibus beatus Veranus confessor inclytus in Gallias est regressus, regnum Francorum jam rege eorum mortuo nomine Clotario *aa*, ejus filii regebant quadrifarie. Primus namque ex his Charibertus sedem habebat apud Parisios : secundus vero Guntramnus civitati præsidebat nobilissimæ Aurelianis : tertius autem Chilpericus apud Suessionas in loco patris sui : quartus vero nihilominus Sigebertus apud urbem regnabat Metensem. Hic itaque populo nunciante ex hujusmodi virtutibus fama comperta, missis venerabiliter litteris sanctum Dei Veranum ad se evocavit. Qui dum Domini causa accersitum se videret ad principem, quæ libentissime petiit iste, studuit ille adimplere. Apud quem multo tempore frequentans virtutibus et miraculis effulsit non modicis ; pro miserorum quoque afflictione sedulus permansit intercessor.

EX LABBEO.

Reum a supplicio incendii per miraculum liberat.

20 Cum furor regis *bb* adversus quemdam commilitonum suorum subitus et intolerabilis surrexisset, præcepit eum subjecto incendio concremari. Cumque ad hoc, secundum præceptum regiæ potestatis, fuisset cappa *cc* succensa ipso reo, jam flammæ vicino, summo cursu et magno fatigatus impetu confessor pius Veranus, ubi res agebatur, accessit, et se inter flammas et eum, qui flammæ subjiciebatur immergens, virgam, quam in manu gestabat, sævienti incendio Dei memor opposuit, et omnem impetum furentis flammæ extinxit. E Quod cum rex summa celeritate nuncii cognovisset, præcepit absolvi, quem ligni adinstar aridi jusserat concremari.

Signo Crucis carcerem aperit.

21 Memoratus denique princeps dum per civitates singulas solito more discurreret cum beato Verano, Cavillonem civitatem pervenit, ubi vir Domini solita pietate Divina complere mandata jugiter erat sollicitus, nempe Evangelicæ auctoritatis præcepti non immemor, ad visitandos fovendosque, qui in vinculis tenebantur, accedere non tardavit. Sed cum carcerem cauti nollent aperire custodes, confidenter signum Crucis cum oratione faciens sanctus Veranus universa carceris claustra repente et munimenta confregit, et ministerium quod afflictis et tribulatis exhibebat implevit. Quod cum principi celeriter, ut gestum fuerat, crebra nuntiantium relatione esset divulgatum, cordis ejus amor jugiter erga ipsum virum Dei maximus crevit, et honoris plurima veneratio. Nec immerito fovebat eum humana gratia, cui fuerat concessa divina.

Fit episcopus Cavellicensis.

22 Dum his ergo et tantis virtutum mysteriis Divino auxilio gesta illius fulgerent, operationis F casu contigit, ut sorte fragilitatis humanæ præventus, memoratæ urbis Cavellicæ Antistes, prædecessor ejus, eodem tempore de corporis tabernaculo vocatus a Domino de hoc migravit sæculo. Jam enim tempus advenerat, ut sanctus Veranus ei decenter in pontificii dignitate succedere deberet, qui per judicium regis confidenter electus, et consensu populi ambienter expetitus, et cœlesti imperio fuisse dignoscitur consecratus

Vita in episcopatu breviter perstringitur.

23 Deinceps etenim infulam sacerdotalem ibi adeptus, quam sancte, quam religiose conversatus est, amoris et charitatis perfectæ studio non minus quam culmine, multis annorum circulis beatitudine præferenda consistens. Accepta etenim episcopi dignitate more solito, plurimos languentes, ut antea agere consueverat, pristinæ sanitati Medicus laudabilis per Dominum reddidit. Dæmones autem ab obsessis corporibus assiduitate orationis ejecit. Apud majestatem vero supernam cui sunt omnia possibilia integre tenetur et aperte, quod nihil superfluum in hoc opusculo nec mendacissimum scripsimus, nec incertum ; sed ne etiam audientibus fastidium multa prolixitas fieret, plurima quæ in episcopatu gessit signa, quæ supra memoravimus

EX LABBEO.

memoravimus Deum testem invoco, quoniam ita omnia veraciter acta sunt, qualiter hic leguntur descripta.

Sancta ejus ad Dominum migratio.

24 Nunc ergo ejus sanctissimum obitum fideliter literis posteris intimare curavimus. Sanctus confessor Domini Veranus assidue in orationibus suis deprecabatur Dominum, ut notum ei faceret finem suum : responsoque accepto ab eo, appropinquare cognovit resolutionem sui corporis. Quo agnito vicinos episcopos et discipulos suos ad se venire jubet, ut eis prædicaret quod a Domino audierat. Quo audito vicini episcopi et condiscipuli cum nimio dolore virum Dei in suo languore visitare multi et plures convenerunt flentes, et contrito animo circumsteterunt, eique dixerunt : Pater, ubi sepulturam corporis tui prædestinatam habes? Ad hæc vir Dei Veranus respondit : Fratres, non in mea ordinatione, sed in Dei consistit prædestinatione. Post hanc vocem dilectum Deo ad cœlum emisit spiritum undecimo die mensis Novembris.

Lotum corpus feretro imponitur :

25 A viris itaque religiosis, qui ad ipsius confluxerant transitum, aquis, ut mos est, Sanctissimum ejus corpus ablutum est, quem, ut decebat, nimia cum reverentia imponentes feretro pallii B pretiosi cooperuerunt velamine. Noctem autem ipsam ducentes pervigilem psalmis et hymnis ac spiritualibus canticis dederunt operam. Cumque jam ipsi nocti aurora imponeret finem, et sol desiderabili terram suo lustraret lumine, episcoporum et condiscipulorum corda et eorum qui ad ejus convenerant exequias non solum mœstitia tenebantur adstricta pro tanti viri absentia : sed et dubietas in eis erat non modica, quia quo in loco ipsius Justi corpus reponi deberet ignorabant. Tandem dubietatis nebulam ab eorum mentibus pius Dominus abstergere dignum ducens ad hoc incitavit animos, ut suos humeros supponerent feretro, sed quamnam in partem iter arripi deberet, minime sciebant.

pallio divinitus sublato et præeunte, defertur funus.

26 Mirificum tunc, et pœne inauditum sæculis omnibus, miraculum divina concessit miseratio suis, qui ibidem aderant fidelibus. Pallium namque quod corpus tegebat sanctissimum repente, cunctis videntibus, se in aere sublevans, eos veluti ductor itineris semper præcessit, quousque pervenirent ad fontem suprascriptum Sorgiam, qui in maximo derivatur flumine. Dumque ibi pervenissent, non solum vadum minime reperire po- C tuerunt, sed etiam deerat navigium, nec etiam nauta illic parebat, qui navali evectione eos ad ulteriorem eveheret ripam *dd*. Mirum dictu nutu divino repente fons ille magnus stetit quousque universi siccis transirent vestigiis. Hæc tua sunt, Deus æterne, opera : hæc tua sunt magnalia, quia servus tuus Veranus gratia tua est quod est. Quid etenim esset, si ex te non esset? Sed qui dedisti ut ex te talis esset, perfecisti ut in eo tua gratia non esset vacua, non ut modo ipsi prodesset, verum et per ipsum aliis misertus uberrime subvenires. Potens es enim Domine hæc operari qui populum Hebraicum sicco vestigio rubrum mare fecisti transire columnam nubis per diem et columnam ignis per noctem eidem præbuisti ducem itineris *ee*.

dd

ee

Sepelitur ad fontem Sorgiæ, in oratorio, quod olim exstruxerat.

27 Gaudio itaque nimio pro his omnibus exhilarati sacerdos et populus in prædio tandem Beati viri pervenerunt, ubi ipse dum adhuc viveret in corpore cellulam in Beatæ semper Virginis Mariæ construxit honore. Ibi itaque cum fletu et nimio mœrore ejus sacratissimum corpus cum hymnis et psalmis sepulturæ tradiderunt sub pridie idus Novembris *ff*.

ff

Auctor omnes ad spiritualem provocat lætitiam.

28 Sed illis naturali dolore contristatis pro tanto pastore nos omnes gaudeamus in commune, quibus Sanctus iste speculum factus in mundo sanctissima reliquit exempla. Triumphet spiritali tripudio comptus pontifex, sacerdotes stola splendentes justitiæ exultent, levitæ Beatorum lætentur operum fortitudine et accincti virtutis decore, omnisque ordo ecclesiasticus omnipotenti Deo pia reboet carmina. Laica turba cum sexu fœmineo alternatim se provocent juvenes, et virgines, senes cum junioribus dicamus omnes prece supplici :

S. Veranum invocat

29 Sancte Verane pie confessor succurre nobis miseris per gratiam Christi, ut qui in hoc sæculo sumus advenæ et peregrini, abstineamus a carnalibus desideriis, ut perveniamus ad patriam cœlestis paradisi, ubi Deus Pater una cum Filio et Spiritu Sancto vivit et regnat.

aliosque hortatur, ut eum similiter invocent.

30 In eodem autem loco requietionis ejus usque hodie si petentium fides exegerit sua beneficia vir Dei præstare non desinit. Vos ergo, Fratres dilectissimi, mecum moneo pariter et exhortor, ut eumdem Christi confessorem beatissimum Veranum antistitem fusis præcibus exoremus, quatenus nos anni revoluto circulo ad suæ solemnitatis festa sua intercessione fideliter revocet, ubi nunc E unanimitas nostram devotionem conjunxit expectata. Mitiget furorem Domini Veranus almus, cui Dominus inter Apostolos principalem perfectionis tribuit gratiam, qui cœlestis præco et præcipuus Dei extitit bellatorum, et nunc gaudens in æternum regnat cum Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Ex hoc exordio videretur vitam S.* Verani *recitatam fuisse occasione ejus festi. Quod confirmatur ex ipso dicendi genere satis oratorio.*

b *Ms. Rubræ-Vallis habet :* consistit.

c *Vocem* incipit *omittit Ms. R. V.*

d *Respicit verosimiliter auctor ad discordias et cædes, quæ Gallias funestarunt sub filiis Clodovæi I, donec Clotarius I, sublatis morte fratribus suis, totius regni solus potitus est versus annum* 558. *Cæterum tota hæc periodus bellorum et cædium referta esse noscitur.*

e Sanctissimus *et* Gallus *pro* Gallicus *Ms. R. V.*

f *Confer comm præv. n.* 33 *et* 34. *Item n.* 53. *Vita Ms. ex collectione Gallonii ita habet :* quamquam autem ubi quove tempore natus sit, definiri satis non possit, tamen illud constat plane, in finibus Alvernorum, agro Gabalitano, cujus provinciæ et metropolis et caput hodie Mimate dicitur, honestis cum parentibus natum et educatum esse F Valentinianique imperatoris temporibus floruisse ; quo ferme tempore Ambrosius, Augustinus, Hyeronimus, et apud nostrates Eucherius, Honoratus, Salvianus, et is, qui a Lirino insula nomen accepit, Vincentius claruerunt. Fuit enim illud sæculum, virorum illustrium et sanctitate atque doctrina præstantium longe feracissimum. Illo ergo tam beato felicique sæculo, Veranus eo, quem supra diximus, loco exorsus est *etc.*

g *Sancti Privati meminit Usuardus ad diem* XXI *Augusti :* In territorio civitatis Gavalitanæ, passio sancti Privati, episcopi et martyris, qui passus est persecutione Valeriani et Gallieni. *Quod intelligendum monet Cuperus noster de tempore* Valeriani et Gallieni, *quo S. Privatus a barbaris in Gallias irrumpentibus ita percussus est, ut post paucos dies e vivis discesserit. Ejus acta apud nos occurrunt præfato die* XXI *Augusti.*

h *Confer*

A h *Confer comm. præv. n.* 35.

i *Vernacule* la Sorgue. *Sulia, Sulga, Sorgia.* Estque Fluvius, *inquit Baudrand* (1), Galliæ Narbonensis in Provincia, qui ortus ex Valle Clausa *(Vaucluse)* per comitatum Vindascinum labitur, et paulo supra Avenionem in Rhodanum cadit. *Et Valesius in notitia Galliarum :* Sulga, *vulgo* Sorgue. *Sorgiam* recentiores, in his Petrarcha, nuncupavere. *Ex quo sequeretur non adeo antiqua esse acta* S. Verani. *Ast tanti momenti non est hujusmodi vox, ut ex illa sola gravius quid concludatur, posito etiam, ex omni parte rectam esse Valesii notationem.*

k *Totum hunc locum operæ pretium est elucidare ex vita Ms. Gallonii.* Grasabatur autem id temporis in agro Cavellicensi teterrimus coluber inusitatæque magnitudinis, atque horrendus aspectu; jamque Cavellicensium fines atque ipsam maxime civitatem beati Verani virtus sanctitatis opinione impleverat; cum ecce tibi vixdum portas urbis ingredienti, et nihil tale suspicanti populus universus accurrere, in urbem summo cum honore deducere, orare denique, ac votis omnibus contendere sui ut misereretur, communem pestem averteret, immanem illam ac truculentam feram
B precibus suis, quas apud Deum potentissimas esse noverant, vel profligaret omnino, vel quovis alio loco, ubi nocendi facultas non esset, abigeret. Quibus auditis Vir sanctus, simulque civium universorum lacrymis et communis calamitatis sensu permotus, locum adiit. Est autem ille cum aliis rebus, tum Sergiæ *(Sorgiæ)* fonte, omnium, qui usquam terrarum existant, longe uberrimo atque amplissimo, percelebris, sanus atque præclarus, quem, quia reductis undique collibus cinctus est, Vallem Clausam etiam nunc hodie populares appellant. Hic cruentæ bestiæ latibulum erat, quo nemo ante multos annos accedere, aut eminus etiam ad intuendum consistere ausus fuerat. Illuc vir Sanctus, fusis prius ad Deum precibus, fidente animo se contulit. At illi paulo propius accedenti draco teterrimus et flammas igneas ex ore atque ex ipsis naribus efflans, sese objicit. Hic cæteri, cum ejus aspectum ferre non possent, vehementerque metuerent, ne sancto viro subitum exitium afferret; (territi sunt, *vel quid simile supplendum; deest enim vox aliqua in textu nostro).* Ille contra signo Crucis munitus, ac spei plenus irruentem in se colubrum manu prehendit, eumdemque mox ferrea,
C quæ in hunc usum parata erat, cathena constrictum et minime renitentem, ab eo loco ad tria fere milliaria protraxit. Ibique solutum ac liberum alio quopiam, ubi nocere nemini posset, abire jussit. Qui confestim erigens sese ad cacumen usque montis ejus, quem de Bresonis populares appellant, spectantibus omnibus, pernicissimo volatu pervenit, nec umquam postea comparuit. Quo facto et hominibus illis salutem attulit, et multos mortalium communi periculo liberavit : nec eo contentus vir eximius, ad specum regressus, locum illum saxis asperum et ante illud tempus inaccessum, diffractis manu propria rupibus, facilem ac pervium fecit; ibique, ut metum omnem cæteris eriperet, cellulam sibi primum exstruxit; deinde etiam templum sanctissimæ Dei Matris ac Virginis nomine consecravit.

l Embrun. *Urbs est Galliæ Narbonensis, in Delphinatu. Scribitur promiscue* Eborodunum, Ebredunum, Eburodunum, Ebrodunum. *Media est inter Brigantionem* (Briançon) *et Vapingum* (Gap); *et probe distinguenda ab altero Ebroduno* (Yverdun) *quod oppidum est apud Helvetios clarum, ad lacum Neoburgensem.* D. E.

m *Gallonius habet :* tres insignes exstiterunt, quos malus ille genius raptos in aera, sublimes suspensosque tenere ingenti omnium qui aderant stupore, solitus erat. Hos autem præsentibus metropolitano ejusque suffraganeis, qui illuc ad synodum celebrandam convenerant, eodem, quo cæteros modo, sanitate restituit. *Ipse viderit scriptor quam fidem mereatur synodus illa, de qua mihi ne vel levissima quidem in digerendis S.* Verani *actis occurrit alibi mentio vel suspicio.*

n Brienconi. *Evidenter deducitur hæc vox a* Briançon, *mutata littera* a *in* e, *quæ, ut notum est, a Gallis eodem modo pronuntiatur ac* a, *in tali, ut hic est, litterarum concursu. Est autem Galliæ urbs, latine* Brigantio *seu* Brigantium *dicta, nec usquam apud antiquiores scriptum repereris* Brienco. *Unde rursus nota quædam exurgere videtur recentioris ætatis esse vitam* S. Verani; *nisi incuriam vel Amanuensis, vel quo facilius intelligeretur, scribendi modum de industria in Apographis mutatum supponas. Vita nostra Ms. ex Rubra Valle habet* Brentioni; *et ex collectione Gallonii :* inde profectus ad montem Briansonensem. *Porro* Mons, *cui adjacere* maxima ex parte *dicitur* Brienco, *antiquis* Matrona *et alicubi* Matronæ *vocatur;* et Matrona quidem *vulgo dicitur* le Mont Genèvre inter Brigantionem et Segusionem *(Suze)* positus, sed Brigantioni proximus. Brigantio autem nuncupatur *Briançon*, olim tantum mansio seu stavia militum, nunc oppidum montanum Dalfinatus in Alpe Cottia. *Ita Had. Valesius* (2). E

o *Ms. Rub. Val. habet, et melius quidem :* aliqua.

p *Gallonius hæc fusius in hunc modum.* Nec illum *pontifex* umquam a se divelli passus esset, nisi gravis quædam Christianæ totius recpublicæ causa, interposita etiam Romani imperatoris auctoritate, eum in patriam revocasset. Neque vero summus pontifex inanem ab se abire permisit; quin ex augustissimo Crucis signo partem aliquam, et duos e sacrosancto divi Petri cranio dentes, aliasque non paucas Sanctorum reliquias in eum benignissime contulit. Quibus ille tam præclaris tamque insignibus donariis auctus reditum in Galliam parat. Et primum quidem Venetias, ut ibi sacra quædam loca religionis causa inviseret; deinde Ravennam petiit. *Hic multa quidem superaddita sunt actis nostris, ast probatione indigentia.* F

q Galla Placidia uxor quondam Zenonis imperatoris. *Hallucinatio est. Diem obiit supremum Galla Placidia anno* 450. *Zeno imperator renuntiatus est mense Februario anni* 474, *solusque rerum potitus mense Novembri sequenti, extincto scilicet filio suo, Zenone juniore. Cæterum Galla Placidia, Theodosii Magni ex secundis nuptiis filia, primum conjugata fuit Athaulpho; dein comiti Constantio (quem ob res præclare gestas in imperii occidentis societatem assumpsit Honorius) ex quo suscipit Valentinianum, præfati Honorii successorem. Recte ergo nomen Constantii inter uncinas insertum, an a Labbeo, an ab Amanuensi ignoro.*

r *Qui hanc structuram tribuat Gallæ Placidiæ, alium reperi neminem. Hinc etiam nihil de his in vita Ms. ex collectione Gallonii. Magnificam ab antiquissima ætate Mediolani exstitisse ædem sancto Laurentio dicatam, res est extra omnem controversiam posita. Arnulphus, agens de incendio, quod incidit in annum* 1071, *hæc scribit* (3) : Sanctus ipse

(1) In Lexico Geographico. — (2) Notitia Galliarum. *Ad vocem* Brigantio. — (3) Historia Mediolanensis, lib. III, cap. XXII. Apud Murator. Resum. Ital. scriptor., t. IV, part. 1, p. 34.

Laurentius

B. B. Laurentius vivæ carnis olim cruciatus incendio, iterum se flammis permisit exuri, cujus speciosissima omnium adeo fuit ecclesia, ut relatu difficile videatur. *Deinde, post ornamentorum descriptionem sic exclamat:* O templum, cui nullum in mundo simile. *Passim etiam assumitur (repugnante tamen Alciato) quo loco Laurentii fanum, eo templum Herculis quondam fuisse.* De tempore autem, *inquit Gratiolius* (1), quo ab Herculis ad D. Laurentii religionem migraverit, suspicatur Puricellus (vita sancti Laurentii cap. 26 num. 26) Ausonii usque tempestate (hic sæcularis fere ætatis e vivis discessit anno 394) Christiano ritu expiatum fuisse. Ejus sit hæc conjectura. Theodosii tamen senioris ævo, idem probabilius credit. Dubia hæc. Certum est, antequam sanctus Eusebius Mediolani episcopus legeretur (Adlectus autem fuit anno 451, ex Puricello Diss. Naz. cap. 64 num. 6) sancto Laurentio dicatum fuisse : in ejus enim fano Gregorius Turon. *De gloria martyrum* prodigium illud narrat accidisse christallini calicis, ab eodem Eusebio, tum Diacono, confracti, et fusis ad D Laurentium precibus, integre restituti. Cujus quidem Eusebii nomen, etsi Gregorius reticeat, scimus tamen illud
B esse, ex Ambrosiano Breviario, ubi die 12 Augusti de Eusebio, eam ipsam historiam legere pronum est. Prodigii hujus occasione calicem illum, dici in Basilica, ac supra altare suspensum mansisse, ab eodem Gregorio didicimus per hæc verba. « Tunc pontifex loci, suspenso super altare calice » ex tunc agens et in posterum per singulos annos » devotissime festa instituit celebrari. » *Ex his id unum efficitur non obstare chronologiam, quominus fanum S. Laurentii Gallæ Placidiæ adscribatur. Ast multum abest, ut probatio exinde habeatur, illud reapse ab ea extructum.*

s *Quæ sit ex mente auctoris* ipsa civitas, *non omnino liquet. An* Mediolanensis, *de qua mox dixit? An* Albingaunensis, *ad quam profectum scribit S.* Veranum? *Prioris fuit Honoratus episcopus : posterioris nullus occurrit illius nominis Præsul. conf. comm. Præv. num.* 46. *Vita Ms. ex Gallonio Honoratum ecclesiæ Albingaunensi diserte adscribit. Mediolano* digressus, *inquit,* Albingaunum pervenit, ab Honorato, loci illius episcopo perquam honorifice exceptus, summo etiam Albingaunensium studio et voluntate *etc. Quæ quidem solemnis hallucinatio est.*

C t *Albingaunum, Albigaunum, vernacule* Albenga, *urbs Liguriæ littoralis, episc. sub archiep. Genuensi. Inde* 60 *millibus passuum distans. Baudrand in Lexico Geographico.*

u *Desunt apud Labbeum aliquot litteræ vel voces, facile supplendæ ex Ms. nostro Rubræ Vallensi, ubi ita legitur :* Quod tamen non amplius interim beneficium istud quam in duobus undique millibus est concessum.

v *Hæc enimvero in illo Italiæ tractu sæculo quinto obtinuisse, dubitem an vel ullum reperire sit cordatum, qui credat. Recitantur nihilominus apud Gallonium, dempta tamen* puella.

x *Probabiliter hic agitur de S. Thyrso, cujus meminit Martyrologium Romanum* XXIV *Septembris :* Augustoduni *(Autun)* natalis sanctorum Martyrum Andochii presbyteri, Thyrsi diaconi et Felicis, qui a beato Polycarpo Smyrnensi episcopo ab Oriente directi ad docendum Galliam, ibidem flagellis durissime cæsi, ac tota die inversis manibus suspensi, et in ignem missi, sed non combusti, tandem vectibus eorum colla feriuntur et ita glo- D riosissime coronantur. *Eorum Acta dedimus præfato die.*

y *Nuspiam* Agri Cassiani *mentionem reperi. Forte indigitatur urbecula ad littus Mediterranei Maris, haud procul a Massilia distans, nomine* Cassis (2). *In Vita Ms. ex Gallonio habetur : Albingauno* profectus cum iter in Galliam prosequeretur, et, superatis jam Alpibus, quoddam in agro Cassiano municipium esset ingressus.... Exstabat id temporis non procul ab eo loco templum beati Thyrsi nomine consecratum *etc.*

z *Locus valde corruptus, nec emendandus ex Ms. nostro Rubravallensi, quod hic mutilum est : transit enim a voce* rogatus *ad verba :* in cujus ore digitum *etc. Vita Ms. ex collectione Gallonii ita habet :* Oblatis sibi duobus hominibus cæcis visum restituit, et illud etiam perfecit, ut mutus quidam a prima infantia, qui ad eum confugerat, subito loquendi facultatem divina virtute consequeretur. Ægros item non paucos et dæmonum furiis agitatos, sanos et incolumes a se dimisit.

aa *Agitur de Clotario I qui Francorum principatum solus biennio amplius tenuit ab anno* 558 *ad an.* 561 (3). Hujus, *ait Petavius noster* (4), filii E quatuor totidem in partes distributum Francorum imperium sortiti sunt. Chariberto regnum Childeberti, sedesque Lutetiæ Parisiorum obtigit : Gunthramno regnum Chlodomeris, cujus sedes Aurelianis fuit ; Chilperico regnum Chlotharii patris, sedes apud Suessiones ; Sigeberto regnum cessit Theodorici, cujus caput Remi fuere. *Quæ quidem apprime consonant iis, quæ subjicit auctor Vitæ S.* Verani. *Nec obstat hunc* Metis, *illum Remis regni sedem primariam fixisse : utraque urbs ad Sigebertum spectabat. Cæterum plerique* Metas *regni caput dicunt.*

bb *Hoc loco Vita Ms. ex Gallonio multum ab actis nostri recedit. Post verba, superius littera* z *recitata, prosequitur in hunc modum :* Imperabat in ea regione regulus quidam, a quo Veranus benigne admodum exceptus est. Is deinde mulionem quemdam ob grave aliquod scelus capitis damnarat, qui cum corporis conflagratione jam jamque mulitandus esset, ejus sortem miseratus vir Sanctus, virga, quam gestabat, in ignem projecta, subito et restinxit incendium, et miserum hominem liberavit. Itaque Veranum deinceps re- F gulus ille tanto studio benevolentiaque amplexus est, ut eum ad civitatem usque Cavalicensem honorificentissime deduxerit. *Unde regulum istum expiscatus auctor sit, non vacat investigare. Cæterum Actis standum hic esse, nihil non suadet*

cc *I. e. vestis, seu tunica.*

dd *Juverit hic nonnulla ex Petrarcha addidisse, quæ ad ampliorem loci illius notitiam faciunt.* Diverticulum aliquod, *inquit,* quasi portum quærens, reperi Vallem perexiguam, sed solitariam atque amænam, quæ Clausa dicitur, quindecim passuum millibus ab Avinione distantem, ubi fontium rex omnium Sorgia oritur : captus loci dulcedine, libellos meos, et me ipsum illuc transtuli... hic mihi ipsa locorum facies suggessit, ut Bucolicum Carmen, sylvestre opus, aggrederer, et vitæ solitariæ libros duos ad Philippum semper magnum virum, sed parvum tunc episcopum Cavallicensem, nunc magnum Sabinensem episcopum cardinalem, qui mihi jam solus omnium veterum superstes, non me episcopaliter, ut Ambrosius Augustinum,

(1) De præclaris Mediolani ædificiis, p. 67. Edit. Mediolan. 1735. — (2) Vide Expilly, Dictionnaire Géograph. des Gaules et de la France. — (3) L'Art de vérifier les dates, p. 524. — (4) Rationarium temp., part. I, lib. VII, cap. VI.

sed

A sed fraterne dilexit ac diligit (1). *Et rursus alibi, citat ex Virgilio Æneid. lib.* VI :

Nulli certa domus ; lucis habitamus opacis,
Riparumque thoros, et prata recentia rivis
Incolimus.

et subdit : Si enim ista sufficerent *(ad vitam beatam)* posset utique Clausa Vallis, unde Sorgiæ fons erumpit, nobis omnibus abunde rivulos nitentes, et frondosas domos, et herbosa cubilia ministrare (2).

ee *Hæc et quæ sequuntur confirmant, quod ab initio in Annotatis diximus, Vitam hanc oratorio modo et ad normam encomii conscriptam.*

ff *I. e. die* XIII *Novembris. Confer Comm. præv. num* 53.

APPENDIX.

NARRATIO DE MORTE ET SEPULTURA S. VERANI.

B

Ex Vita Ms. in Collectione Gallonii, tom. I.

MONITUM. *Operæ pretium ducimus (conf. n.* 69) *hanc narrationem hic adjicere, tum quod cætera ad vitam S.* Verani *spectantia ubi ab Actis nostris recedebant, in Annotatis descripsimus; tum quod auctor Galloniani manuscripti profiteatur, ut supra vidimus præf. n.*69 *se quam brevissime fieri potuerit, perstrinxisse, quæ* certissimis authoribus *comperta de S. Præsule habuit. Accedit multa ab eo narrari quæ post mortem S.* Verani *contigerunt ignota scriptori Actorum nostrorum. Denique prolixior est textus, quam ut inter Annotata locum haberet.*

Expirat S. Veranus in Concilio Arelatensi.

1 Quod ille munus (episcopale) quam sancte religioseque administraverit, rerum admirabilium, quas gessit, felicissimusque illius exitus facillime comprobavit. Illud autem cum inter orandum frequentissime usurpasse constat : *Notum fac mihi, Domine, finem meum.* (Ps. 38.) Quamobrem voti sui compos effectus, in Arelatensi provinciali concilio, quo ille a Metropolitano suo fuerat evocatus, collegis suis C episcopis, quo die ex hac vita migraturus esset aperuit, et ab illis ubi potissimum humari vellet interrogatus, placido vultu respondit : se id divinæ providentiæ totum penitusque committere. Atque hæc cum dixisset, corporis quidem, sed multo magis oculos etiam mentis in cœlum sublatis, claro et sereno vultu spiritum reddidit Deo, cui toto pectore servierat *a*.

a

Ejus funus defertur non sine prodigiis.

2 Cum autem orando alii atque psallendo, alii vero quæ ad funus necessaria videbantur exequendis, totam illam noctem transegissent, sacrum illud corpus perquam honorifice in feretro locatum efferre, et licet quo pergerent penitus ignorantes, progredi tamen cœperunt, ubi admirabilis Dei virtus enituit. Nam quemadmodum olim egredientem ex Ægypto Israëliticum populum columna nubis antecessit, ita nunc pallium illud, quo tectum erat feretrum, erigens sese in aera, populo, qui sanctum funus comitabatur, viam continenter præibat. Sequuti igitur qui aderant pallium, ad fluminis Druentiæ ripam pervenerunt ; verum inundante jam tunc supra modum flumine, cum neque vadum, neque navem ullam invenissent, in sanctissimi illius ferculi gratiam divina se iterum virtus ostendit. Repente enim reductis utrimque fluctibus rapidissimis, ille torrens ita se pervium præstitit, ut omnes, pallio semper in aere præeunte, siccis pedibus facile trajecerint *b*.

EX MSS. GALLONII.

b

ad Vallem Clausam, ubi sepelitur.

3 Quod idem, nec ita multo post, cum ad Sergiam ventum esset, experti sunt ; quo loco unda in partes dissecta, ita se in utramque fluminis contraxit, ut sacri illius funeris portitores iter deinceps expeditum habuerint. Ubi vero ad oppidum cui Vallis Clausa nomen est pervenerunt, ecce tibi pannus ille, quem in aera sublatum sacrum illud corpus continenter anteire diximus, in ejus oppidi templum, quod a beato Verano aliquot ante annos, haud ita procul a fonte Sergiæ divæ Virgini nuncupatum fuerat, se recepit, atque admirantibus et e vestigio sequentibus iis, qui funus portabant, una cum circumjecta multitudine, super ipsum feretrum, ad sacrum Corpus obtegendum repente illabitur, ad demum exequiis de more persolutis sanctissimum illud corpus tumulo novo quidem et perhonorifice reconditur.

E

Transfertur Cavellionem. Miraculis claret.

c

4 Quod *c* aliquanto post tempore, quamquam illius ratio satis certa iniri non potuit, Cavallionem, in supremam ac divæ Mariæ sacram ædem solemni ritu ac ceremonia translatum est ; ubi sane quam plurima contigerunt, quæ et omnem naturæ ordinem excedunt, et sancti illius Viri virtutem cœlestem haud dubie ac plane divinam ostendunt. Nam et reus quidam, vinculis ac tolo (tetro) carcere constrictus, beati Verani precibus, quibus assidue se commendabat, intempestæ noctis silentio ferro solutus, ultro sibi patefacto carceris hostio, liber evasit, et in templum, ubi ejusdem Verani corpus antiqua religione venerandum etiam nunc hodie conquiescit, ut eidem gratias ageret advolavit. Et Emanuelis cujusdam imperatoris uxor infœcunda sancti Verani precibus prolem obtinuit, atque in tanti beneficii memoriam sempiternam, ingentem patenam auro gemmisque fulgentem, quæ ad hunc usque diem in æde Cavallicensi asservatur, dono datam reliquit. Eodemque tempore Cavallicensis quædam matrona item sterilis, cum id accepisset (audivisset) et sanctum Virum precibus fatigasset, idem et ipsa beneficium facile consecuta est. Neque vero illud silentio prætereundum est, quod comes quidam, nobilitate atque opibus elatus, F cum episcopum, qui rem divinam contra ejus imperium et antequam ipse adesset persolverat, calce per summum scelus petiisset, repente pes illius una cum tota tibia prorsus emarcuit ; idemque paulo post beati Verani precibus, quas ad sacrum illius corpus episcopus ille cum toto clero ac universo populo suplex fudit, integritati pristinæ restitutus est. Adde quod duo conjuges Massilienses, cum filium suum, cui pes alter cum tota item tibia jam pridem exaruerat, divo Verano commendassent, illico pristinam valetudinem impetrarunt. Nec non viduæ cujusdam filius e Monte Pessulano, cum a dæmone obsessus esset, et mater eum Cavallionem ad corpus beati Verani perduxisset, eique filii salutem diligenter commendasset, statim eum dæmonis tyrannide liberum incolumemque recepit.

sicut et Jargolii

5 Est in Aureliæ finibus Gorgolium castrum, in eoque ædes beato Verano sacra, quam cum per vim et scelus nobilis quidam occupasset, statim a dæmone correptus est, nec ante solutus, quam ædem illam sacram una cum cæteris omnibus,

(1) Epistola de Origine et vita sua. Operum t. I ab initio. Edit. Basileæ, an. 1581. — (2) De Rebus Familiarib. Epistolæ lib. VIII, epist. III. Operum, t. II, p. 692.

EX MSS. GALLONII

quæ ille per summum scelus invaserat, episcopo et ecclesiæ, ad quam pertinebant, sarta tecta restituisset. Denique in eodem æde divo Verano sacra, quæ ad Gorgolium castrum visitur, exstat adhuc cathena illa, qua idem Vir sanctus immanem illum et mali dæmonis rabie tetrum ac funestum colubrum e fonte Sorgiæ divina virtute expulit, qua simul atque mente capti, vel a dæmone obsessi, vinciuntur, aut etiam leviter attinguntur, repente sani prorsus et incolumes evadunt. Quibus quidem rebus aliisque quam pluribus, quarum neque ratio neque numerus certus iniri ullo modo potest, sanctissimi Viri virtus apud mortales omnes clara testataque habetur, ad præpotentis Dei ac Domini nostri gloriam, cui honor et imperium in omnem æternitatem erit. Amen.

ANNOTATA.

a *Quæ hic tradit auctor de Concilio Arelatensi, cæteris omnibus ignota sunt. Recte itaque fecisset, si* D *authores suos nominasset* certissimos. *Quod cum prætermiserit, jure fictitia dicimus. Dein mors obita in ipso Concilio aperte pugnat cum Act s nostris, quibus hucusque ad unum omnes inhæserunt scriptores; a quibus nefas utique esset recedere, nisi certis iisque claris motos rationibus, quæ plane desiderantur in auctore nostro.*

b *Multiplicantur miracula, quod solidis sine rationibus non est faciendum, præsertim cum jam non desiderentur, imo et in Actis nostris abundent. Cæterum vix credibile est episcopos in synodo congregatos, vix se omnes s mul commisisse, quin scirent, quo pergerent. Nec facile supponenda est cælitus immissa inspiratio. Qua tamen deposita, præsulum agendi modus nescio qui probaretur.*

c *Quæ sequuntur fide digniora sunt, ostenduntque scriptorem res S.* Verani *recentiores haud segniter investigasse. Nec etiam parvum ex ejus testimonio additur pondus traditioni Cavellicensi de asservatione sacri B. Præsulis corpore.*

B

DE SANCTO ETHBINO

E

CONFESSORE IN HIBERNIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B. B.

§ I. S. Ethbinus fit monachus Tauracensis. Quo tempore destructum fuerit monasterium illud. Actorum S. Ethbini chronologia. De S. Samsone Dolensi et Nannonensi, sicut et de aliis quibusdam viris S. Ethbino coævis. Hujus transitus in Hiberniam. Ejus vita et festiva memoria.

VERSUS ANNUM 625. *Sanctorum Britannorum confusa chronologia.*

U*su hic venit quod jam P. Bollandus notaverat ad diem* XXIX *Januarii* (1): Plura esse in Britannorum Sanctorum gestis obscura, nec idonea chronologia contexta C et fidem supra. *Addit Sollerius noster in Commentario prævio ad Vitam sancti Samsonis* (2): In Commentario de S. Paulo Leonensi ad XII Martii non pauciora adduxit Henschenius, ex quibus jam probe docti sumus, ea solum monumenta seligere, quæ si omnem calliginem non submoveant, saltem ad receptas historias, rectamque chronotaxim exigi utcumque queant. *Hæc dum conferent ad rectam actorum sancti* Ethbini *elucidationem, simul etiam novam accipient confirmationem ex illis ipsis actis. Quapropter initium ducimus ab ordinanda quam optime fieri potuerit, chronologia, expendendo notas, in vita ms. sancti* Ethbini *occurrentes, ex quibus aliquid lucis habeatur, ad temporum seu annorum seriem probabiliter saltem stabiliendam.*

Recitatur locus ex actis S. Ethbini

2 Sanctus Ethbinus eruditus liberalibus studiis in domo patris sui usque ad quintum decimum annum fuit. Mortuo autem patre Eutio, mater Eula ad sancti Samsonis episcopi Dolensis confugit præsidium, et ut eam sacro velamine consecraret postulavit. Qui ejus voluntati petitionique assensum præbens, et eam Deo dicavit, et filium suum Ethbinum, comam capitis radens, clericavit. Mansit autem Ethbinus cum beato Samsone quibusdam diebus, serviens ei die ac nocte. *Ita acta inferius ex Ms. Aquicintino publicanda.*

F

Statuitur ætas S. Samsonis, ad quem adductus legitur S. Ethbinus,

3 *Prima igitur nota chronologica eruitur ex actis sancti Samsonis, viri inter Britannos Armoricos notissimi, cujusque mentio occurrit frequentissima apud scriptores, qui res ecclesiasticas regionis illius prosecuti sunt, utpote qui Dolensis urbis fundator communiter habetur. Natus autem est, juxta cl. Tresvaux* (3), *sanctus Samson in Majori Britannia anno* 480. *Cum jam et abbas in patria sua fuisset et episcopus ordinatus,* mare transfretavit, properans finibus territorii Dolensis *versus annum* 548; *adest Concilio III Parisiensi, cui et subscribit anno* 557; *ac tandem e vivis discedit versus annum* 565. *Haud multum ab hac chronologia differt Sollerius noster, in* Comm. prævio ad vit. S. Samsonis (4). *Natum scilicet opinatur circa annum* 490; *episcopum apostolicum seu regionarium anno* 521 *ordinatum. Dein ita pergit :* Quod unicum est ætatis S. Samsonis *(de hac enim ibidem tractat ex professo Sollerius)*, certum vestigium, nempe Pariensi synodo (sive ea secunda fuerit sive tertia) anni 557, nomen ejus penultimo loco subscriptum inveniri apud Labbeum tomo V col. 818 :

(1) Acta SS., t. II Januar., p. 959. — (2) Ibid., 28 Julii, p. 568, n. 1. — (3) Les vies des Saints de Bretagne. Paris 1836, t. I, p. 202-239. — (4) Acta SS., 26 Julii, p. 568.

Samson

Samson peccator episcopus consensi et subscripsi. *Et paucis interjectis :* Quamdiu Sanctus post eam synodum vixerit, non ausim equidem certo definire. Ad finem sæculi, imo ad annum 604 ætatem extendisse, ut cum aliis notat Wilsonus in Martyrologio, vel ad 607, imo ad 615, ut habes apud Albertum *(Legrand)*, numquam adducar ut credam. Fac superasse annum 560, atque ut Mabillonius censet ad 565 pervenisse, ut octogenario non multo junior fuerit ; haud multum refragabor ; eamque, non vero 120 annorum, fuisse ejus ætatem censebunt omnes, quibus vera placent præ mirabilibus. *Hæc Sollerius de ætate sancti Samsonis, variisque ejusdem vitæ epochis, quæ, ut jam notavimus, non multum abludunt a cl. Tresvaux, atque prorsus consentiunt quoad annum quo mortuus sanctus Samson est. Concordat etiam Longuevallius noster mortem innectens anno* 564 (1).

scilicet versus annum 556.

4 *Inhærendo verbis ex actis mss. paulo ante recitatis, nihil repugnat quominus admittatur sanctum* Ethbinum *venisse cum matre sua ad B. Samsonem anno septimo vel octavo ante hujus obitum, scilicet* 557 *aut* 556. *Nihil pariter obstat quominus dicamus* Ethbinum *sexdecim aut septemdecim vel etiam plures habuisse annos, cum eum sanctus Samson* clericificavit. Mansit autem sanctus Ethbinus cum beato Samsone episcopo quibusdam diebus, serviens ei die ac nocte. *Non videmur nobis vim inferre textui, si* quosdam *illos* dies *tres quatuorve annos fuisse dixerimus ; tanto magis quod Capgravius loco :* quibusdam diebus, *ponat :* quibusdam annis. *Id certum ex ipsa rei natura* quosdam *illos* dies *non stricte sumendos. Imo tradit Albertus le Grand* sanctum Ethbinum mansisse apud archiepiscopum *(ita designat ille S. Samsonem Dolensem)* atque ab eo ordinibus initiatum fuisse, usque ad Diaconatum incluse. *Quod quidem in ordinato proderet ætatem paulo etiam majorem quam nos hic supponimus. Decernit Concilium Agathense, celebratum anno* 506, *canone* XVI : Episcopus benedictionem diaconatus minoribus quam viginti quinque annorum penitus non committat (2).

Ethbinus *fit monachus in cœnobio Tauracensi.*

5 *Dein acta S.* Ethbini *pergunt in hunc modum :* Quadam autem die dum beatus Samson episcopus sacerdotali fungeretur officio, et Baumerus diaconus lectionem Evangelii recitaret, audivit Ethbinus verba dicentis Domini : *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* (Luc. 14, 33) Hac voce compulsus cuncta reliquit, et ad sanctum Similianum pervenit, monachalemque habitum de manu ejus accepit, et sub jugo Domini cervicem suam inclinavit in monasterio qui Tauracus nuncupatur. *Itaque si admittantur quæ supra scripsimus, consequens erit sanctum* Ethbinum *saltem viginti annorum fuisse cum habitum induerit monachalem. Atque hæc ipsi ætas vindicabitur etiamsi aliquid demeretur numeris quos paulo ante indicavimus. Ad tempus vero quod attinet quo in Tauraco monasterio habitaverit, unicum idex actis habetur, quod scilicet in suscepta ibidem vita perseveraverit, donec* supervenientes Franci vastaverunt ipsum templum et totam Britanniam. *Atque ex his* alteram *eruimus* notam *quæ ad stabiliendum chronologiam faciat.*

Inquiritur quo anno Tauracensis cœnobii ruina acciderit.

6 *Quo itaque anno vel tempore accidit illa, de qua in actis S.* Ethbini, *vastatio templi totiusque Britanniæ ?* Albertus le Grand annum huic vastationi assignat DXCIX... Verum dicto anno... non vivebat Childebertus II, sub quo illud bellum scribit gestum, triennio ante vita functus. Gregorius Turonensis, qui tum vivebat, scribit lib. V Historiæ Francorum cap. III, anno III Childeberti et XVII Chilperici et Gunthramni, qui est Christi DLXIV, bellum contra Britannos cœptum, et cap. XXX, asserit, anno sequenti *Doppolenum ducem contra Britannos dejectum, et loca aliqua Britanniæ ferro incendioque oppressisse.* Fuit dein continuatum ac resumptum idem bellum, ut ad ista tempora videatur monasterium Tauracum vastatum. Congruit ætas S. Samsonis episcopi Dolensis, maxime si anno DLVII subscripsit Concilio III Pariensi. *Hæc Sollerius* (3). *Quæ sententia doctissimi prædecessoris nostri satis aperte repugnat iis quæ nos paulo ante statuimus de ætate, qua beatus* Ethbinus *ad sanctum Samsonem venisset. Posito enim id contigisse versus annum Christi* 557 *vel* 556, *atque sanctum* Ethbinum quibusdam annis *apud beatum Dolensem præsulem mansisse, ac deinde aliquo temporis spatio vitam claustralem in Tauraco professum ; qui fieri poterit ut monasterium illud versus annum* 534 *fuerit a Francis vastatum. Est itaque hic a nobis deserendus Sollerius ; et eo quidem facilius quod nihil sit in actis mss. S.* Ethbini *quo cogamur vastationem illam Britanniæ dicto anno adscribere. Imo ut acta sibi cohæreant atque plausibili quadam ratione cum chronologia componantur, videtur nobis ruina Tauraci referenda ad aliam omnino Francorum in Britannos incursionem, quæ triginta fere annis serius memoratur. Præterea Sollerius non ex professo tractat loco citato hanc quæstionem, sed incidenter tantum de ea agit.*

Versus finem sæculi sexti Britannia vastatur a Francis, quando Tauracum opinamur vastatum.

7 *Audiamus itaque Hadrianum Valesium, qui* (4) *ad annum Christi* DXCIII *ita habet :* Anno igitur I regni Childeberti in Burgundia, novum ei adversus Britannos bellum exoritur. Vivebat tum adhuc Warocus et omnem Britanniam, aut saltem partem ejus maximam obtinebat, vir callidus atque versutus, qui Chilpericum et Guntchramnum sæpe fraudibus perjuriisque deceperat, atque alteri Venetos eripuerat, alterius copias prælio fuderat. Hic mortem Guntchramni suam putans occasionem, cum magnis copiis agrum Namnetem ac pagum Redonicum ingreditur, et regionem omnem, sicut Chilperico et Guntchramno regnantibus facere consueverat, depopulatur. Qua cognita re, Childebertus exercitum adversus Warocum misit. Franci atroci prælio cum Britannis conflixere, et magna ac mutua cæde prostrati sunt. Utra gens vicerit, historici nostri non dicunt : plane quasi nemo, aut pauci admodum de utroque Francorum et Brittonum exercitu superfuerint, nec victor victo insultare potuerit : aut certe quasi dubio marte pugnatum et pari victoria discessum sit. Ex his judicari potest Childebertum, qui tantummodo Abrincatas, urbem regni Parisiaci Britannis finitimam, prius habuerat in potestate, Redonas ac Namnetas, urbes eorum incursionibus magis expositas, alteram ambasve post Guntchramni mortem Chlotario eripuisse, tumque tenuisse : cum oppida Chlotarii ditioni subjecta potius oppugnaturus, quam a Britannis defensurus fuerit, et hostes regno provinciisque ejusdem magis immissurus quam repressurus. Nam quod Guntchramnus fecerat, missis in Britanniam nunc legatis nunc exercitibus, fecerat ut tutor, ut patruus, paterque etiam Chlotarii, cujus fines tueri, suarum esse partium arbitrabatur. *Hactenus Valesius.*

Quo posito satis feliciter actorum S. Ethbini ordinatur chronologia.

8 *Ex qua narratione satis superque constat inter illos belli furores et incendia locum fuisse vastando Tauraco, quod monasterium, utpote in agro Dolensi*

(1) Histoire de l'Église de Gallicane. Paris 182.., t. III, p. 273. — (2) Labbe, t. IV, col. 1386.— (3) Acta SS., XXVIII Julii, p. 248, n. 13.—

(4) Rerum francicarum, lib. XVI, t. II, p. 472. Edit. Paris. 1658.

vel

vel hujus vicinio positum, haud multum aberat a duabus illis urbibus, Redonis nempe et Namnetis, in quas primarius belli impetus proruisse videtur. Quod si admittatur, ruinam Tauraci monasterii cum prædicta Francorum in Britanniam incursione reapse coincidere, admittendum simul etiam erit sanctum Ethbinum *illud per triginta et ultra annos incoluisse. Quod quidem ne vel minimum ab actis abhorret, quæ longe maximam partem versantur in narrandis iis, quæ a sancto Viro gesta sunt, dum in monasterio illo degeret. Convenit prætera inter omnes qui de ejus vita scripserunt, eum ætate provectum diem obiisse supremum. Acta inferius edenda dicunt* ferme *octoginta trium annorum fuisse. Cum præterea eadem acta diserte tradant eum, vastato Tauraco, in Hiberniam transfretasse, ibique in* silva quæ Nectensis dicitur vixisse viginti annis; *poterit ex his omnibus vitæ sancti* Ethbini *sequens adscribi ordo chronologicus. Scilicet versus an.* 557, *natus annos septemdecim vel paulo etiam major, offertur sancto Samsoni; sub cujus ductu expleto quinque vel aliquanto longiori annorum spatio, monasticam profitetur disciplinam in Tauraco, usque ad monasterii hujus vastationem, quæ*
B *in finem incidit sæculi sexti. Initio sequentis sæculi in Hiberniam transit, atque* in silva quæ Nectensis dicitur, *ædificata ecclesia*, vixit beatus Ethbinus in eodem loco viginti annis. *Mortuus proin erit octogenario major, cum juxta superius dicta natus esset versus annum* 540. *Hæc utique non damus ut certa et undequaque probata ; sed ut talia*, quæ si omnem caliginem non submoveant; saltem *(juxta monitum Henschenii, supra hujus Comm. n.* 1) ad receptas historias, rectamque chronotaxim exigi, *et quidem non utcumque, sed feliciter omnino*, queant. *Hæc sufficiant de chronologia. Jam ad elucidationem aliarum difficultatum, in actis occurrentium, gressum faciamus.*

S. Ethbinus ex Britannia minori oriundus.

9 *Quamvis in actis mss. id clare non dicatur, nullum tamen dubium superesse videtur, quin natus sanctus* Ethbinus *sit in Britannia Armorica seu Minori. Quod quidem satis manifeste eruitur ex eo, quod, mortuo patre, continenter dicatur mater* ad sancti Samsonis episcopi Dolensis confugisse præsidium. *Si enim ex longinqua regione advenisset, id uno saltem alterove verbo insinuaretur, sive dum agitur de primo matris ad sanctum Samsonem recursu, sive dum ipse* Ethbinus, *diruto Taurico, Gal-*
C *liis excessit. Præterea nullum reperi scriptorem qui hac de re quæstionem umquam moverit. Ad unum omnes ex Britannia Minori oriundum tradunt, et quidem haud procul ab urbe Dolensi. Nec facile supponendum est matrem, mortuo conjuge, longam cum Juniore filio, illico suscepisse viam. Quod vero ad ipsum sanctum Samsonem pertinet, convenit inter omnes in Britannia Majori seu Anglia natum, atque ibidem monasticam disciplinam professum, postea abbatem factum, et episcopum in patria sua ordinatum: cujus vero sedis disceptatur*. Probabilissimum censet *Sollerius noster*, quod non in Gallia, sed in Britannia a S. Dubricio ordinatus sit S. Samson, incertæ seu nullius sedis, apostolicus episcopus, ut frustra plane inter se certent Eboracenses et Menevenses, quo Samsonem hunc nostrum sibi vindicent (1). *Cum parum hæc ad rem nostram faciant, sufficiat obiter indicasse.*

Utrum S. Samson fuerit Dolensis episcopus? Affirmat cl. Tresvaux;

10 *Ast paulo diligentius inquirendum ducimus an revera* episcopus *fuerit* Dolensis : *quamvis enim* D
in actis S. Ethbini *diserte id affirmari videatur; nihilominus utrimque certatur, utrum proprie talis fuerit. Ut jam superius monuimus, opinatur Sollerius Samsonem* verosimiliter *Dolensis ecclesiæ nec* episcopum *nec certe* archiepiscopum *proprie dicendum; observatque* (2), *in Usuardi originali textu, annuntiari ad* XXVIII *Julii:* In Britannia Minori, Dolo monasterio, S. Samsonis, episcopi et confessoris. *Ex quo utique non efficitur Dolensis ecclesiæ episcopum illiusque cathedræ fundatorem fuisse. Romanum vero Martyrologium Usuardi quidem utitur verbis :* In Britannia Minori, sancti Samsonis, episcopi et confessoris, *ast studiose vel ipsum* Doli *aut* Dolæ *nomen præterire videtur, nec loci illius episcopus appellari censeretur. Contra cl. Tresvaux, ubi de origine Dolensis ecclesiæ ex professo tractat* (3), *fidenter scribit : S.* Samsonem episcopum vel archiepiscopum, sedem suam Dolæ, sæculo sexto, fixisse, successoresque habuisse SS. Maglorium, Budocum, et Thurianum, idque liquido constare, *ait*, ex actis Sanctorum illorum præsulum. *Et alio in Opere, tractans de bino, quod vir sanctus Parisios instituit, itinere :* Antequam servus Dei, *inquit* (4), Parisiis discederet, rex *(Childebertus)* audito eum episcopum esse, voluit ut dignitate illa E
uteretur in regno suo ; sedemque ejus statuit in ipso monasterio Dolensi *(quod aliquibus ante annis sanctus Samson ex Anglia adveniens fundaverat).* Institutionem hanc sedis Dolensis refert Legenda S. Maglorii ad prius iter, quod Parisios suscepit sanctus Samson, dum propria hujus Legenda ad posterius vult pertinere : quod quidem verosimilius est; cum secundo hoc itinere subscripserit Samson Concilio III Parisiensi, tamquam episcopus jam ab aliquo tempore in Galliis residens. Ergo an annum 555 spectare dicenda sunt initia ecclesiæ Dolensis, atque fundator seu promotor hujus episcopatus agnosci debet Childebertus ; cum utraque legenda et S. Maglorii et S. Samsonis in hoc concordent, scilicet a Childeberto sanctum Samsonem constitutum fuisse Dolensem episcopum ; quam sedem rex etiam amplis dotavit possessionibus, quas succedentes episcopi tenuerunt usque ad finem sæculi XVIII. *Hæc cl. Tresvaux Gallice, quæ nos latine reddidimus.*

cui multa opponuntur.

10 *Quibus laudatus scriptor usus sit S. Samsonis actis, non indicat. Certe in vita, ab auctore anonymo subæquali conscripta, Operique nostro* F
inserta ad XXVIII *Julii* (5), *ne levissima quidem fit mentio Concilii Parisiensis :* id plane negligens, *ait Sollerius* (6), quod unicum est ætatis sancti *(Samsonis)* certum vestigium, nempe Parisiensi synodo (sive ea secunda fuerit, sive tertia) anni 557, nomen ejus penultimo loco subscriptum inveniri apud Labbeum tom. V col. 818 (7). *Nec uspiam quoque in præfata vita S. Samson dicitur episcopus Dolensis a Childeberto constitutus ; sed in vita S. Maglorii* (8), *quam versus sæculum* X *scriptam ab anonymo tradit cl. Tresvaux* (9), *legitur S. Samson* properans finibus territorii Dolensis a strenuissimo rege Francorum Childeberto accepisse archipræsulatus regimen (10). *Et infra* (11) : Beatissimus Maglorius post excessum gloriosissimi confessoris Christi Samsonis, juxta sermonem ejus, pontificali honore Dolensis ecclesiæ sublimatus, regimen est adeptus. *Denique, Maglorius, cælitus de abdicanda prælatura admonitus,* non multo post quemdam virum, nomine Budocum, quem a primævæ ætatis

(1) Acta SS. ad XXVIII Julii, p. 570. — (2) Ibid., p. 569. n. 10 et 11.— (3) L'Eglise de Bretagne depuis ses commencements jusqu'à nos jours. Paris 1839, p. 233.—(4) Vies des Saints de Bretagne, t. I, p. 232. — (5) Acta SS., t. VI Julii, p. 573 et seqq. — (6) Ibid., p. 569, n. 8. — (7) Item Sirmundum, Concilia antiqua Galliæ, t. I, p. 317. Edit. Paris 1629. In utroque, Labbeo et Sirmundo, *Parisiense III* inscribitur. —(8) Acta SS. Ordinis S. Benedicti, sæc. I, p. 223-231. — (9) Vies des Saints de Bretagne, t. I, p. 338. — (10) Acta SS. Ord. S. Benedicti. Vita S. Maglorii, p. 223, n. 3. — (11) Ibid., 224, n. 6.

rudimentis

A rudimentis sancte et religiose secum vivere cognovit, in ordine vicis suæ, Dolensis ecclesiæ episcopum consecravit (1). *Itaque Samson vocatur* archiepiscopus *(quod ipse non admittit cl. Tresvaux)*; *Maglorius* pontificali honore *sublimatus dicitur; Budocus consecratur* Dolensis ecclesiæ episcopus. *Hæc utique haud undequaque plana sunt. Deinde ex eo quod S. Samson subscripserit Concilio Parisiensi, anno* 557 *celebrato, deducit cl. Tresvaux, initia sedis Dolensis ad annum* 555 *referenda. Ast, ut alia mittamus, supponitur hic quod in quæstione est, scilicet S. Samsonem reipsa Dolensem fuisse episcopum, quod tamen ex subscriptione concludi non potest : imo, juxta plures, contrarium potius ex illa efficitur, ita enim habet :* Samson peccator episcopus consensi et subscripsi. *Ut quid, aiunt illi, si Dodensi præfuisset ecclesiæ, id in subscribendo non indicasset? Quod tamen argumenti genus non satis stringere videbitur inspicienti acta præfati Concilii, ubi inter quindecim, qui subscribunt, episcopos, quatuor tantum numerantur, sedis suæ mentionem facientes. Vide Sirmundum et Labbeum* (2). *Tandem dici nequit,* utramque legendam et S. Maglorii et S. Samsonis in hoc concorB dare, scilicet a Childeberto, S. Samsonem constitutum Dolensem episcopum. *Vita enim S. Samsonis, ut jam supra notavimus, ne ullo quidem verbo id declarat; in legenda autem S Maglorii S. Samson archiepiscopus appellatur. Quod si legendis standum, malim ego adhærere vitæ S. Samsonis, ab auctore subæquali conscriptæ, quam legendæ S. Maglorii, quæ, ut ipse tradit D. Tresvaux, ad sæculum decimum spectat. Cæterum locus erit hæc latius examinandi ad diem* XXIV *Octobris, ubi danda erunt S. Maglorii acta.*

et in specie canon VIII ipsius Concilii Parisiensis.

12 *Est et altera difficultas haud minus seria, desumpta ex canone* VIII *dicti Concilii Parisiensis, quo damnantur sedium episcopalium erectiones, solius regis factæ auctoritate, absque prævie petita episcoporum ejusdem provinciæ sententia, et obtento metropolitæ consensu. Faleturque ipse cl. Tresvaux, canonem hunc respicere quosdam Britanniæ Minoris præsules, et inter alios sanctum Samsonem.* Patres, *inquit,* (3) cum non esset eis datum ex integro revocare quæ facta erant, normam statuerunt, qua et futura prospicerent et præterita emendarent. *Dein recitat canonem, gallice redditum; nos apponemus latine, prout habetur apud Sirmun*C *dum* (4). Et quia in aliquibus rebus consuetudo prisca negligitur, ac decreta canonum violantur, placuit ut juxta antiquam consuetudinem, canonum decreta serventur. Nullus civibus invitis ordinetur episcopus, nisi quem populi et clericorum electio plenissima quæsierit voluntate; non principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra metropolis voluntatem vel episcoporum comprovincialium ingeratur. Quod si per ordinationem regum honoris istius culmen pervadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, a comprovincialibus loci ipsius episcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum agnoscunt. Si quis de comprovincialibus recipere contra interdicta præsumpserit, sit a fratribus omnino segregatus et ab ipsorum omnium caritate semotus. Nam de anteactis ordinationibus pontificum ita convenit, ut conjuncti metropolitanus cum suis comprovincialibus episcopis, vel quos vicinos episcopos eligere voluerit, in loco ubi convenerit, juxta antiqua statuta canonum, omnia communi consilio et sententia decernantur. *Mirum sane videri posset decretum adeo severum latum fuisse, præsente Samsone et abbate et sancto, si is* per ordinationem regiam honoris culmen pervadere nimia temeritate præsumpsisset. S. S.

quid ad hanc difficultatem reponat cl. Tresvaux.

13 *Respondet R. D. Tresvaux* (5) : Cum S. Samson episcopus esset, et quidem ordinatus pluribus annis, antequam ipsi Childebertus assignaret territorium Dolense, canon iste non tam directe ipsum ferit quam alios episcopos Britanniæ, quos idem rex constituerat, neglecta Turronensis metropolitæ auctoritate. Fieri etiam potuit, ut propter eximiam sanctitatis famam, qua gaudebat Samson, admissus inter patres Parisienses fuerit, non servata forma, quæ canone VIII præscribitur. Insuper videtur Britones episcopos, se non obstrictos existimasse hoc canone, utpote qui putarent se tales residere in Galliis, quales erant in Cambria, membra videlicet *patriæ ecclesiæ*, penitus a Gallicana distinctæ. Et re quidem vera, canoni obsecuti non sunt; quæ ratio fuit ob quam in secundo concilio Turronensi renovata ejusdem præscripta fuerint magis energice magisque distincte.

Rationes ob quas non videtur soluta difficultas.

14 *Haud inficiabimur rationes illas suum habere pondus. Nodum tamen, ut nobis quidem videtur, non solvunt. Ad hoc altius ascendendum foret, usque ad monumenta scilicet clara, authentica, quibus* E *constaret reapse S. Samsonem a Childeberto rege Dolensem constitutum episcopum fuisse. In hoc totius rei cardo vertitur. Hujusmodi autem instrumenta nusquam reperiuntur. Fere conjecturis proceditur, vel argumentis ex posteriore ætate deductis, qualia sunt legendæ vel acta singularium Sanctorum, in quibus, sicut et in actis sancti* Ethbini, *Samson* Dolensis episcopus *nuncupatur. Ast, præterquam quod, ut vidimus, inter se non consentiant, nec determinari queat quo præcise tempore legendæ et acta illa fuerint conscripta; dici posset, hanc nuncupationem ex eo obtinuisse quod et revera S. Samson episcopus esset et simul etiam fundator atque abbas monasterii Dolensis, ita ut nuncupatio illa non referatur necessario ad sedem proprie dictam. Nostra sententia, nihil certi ex illis vel similibus verbis, quæ passim in actis vetustioribus occurrunt, potest deduci; secus dicendum foret Samsonem non solum episcopum sed et archiepiscopum fuisse Dolensem. Qua de re hæc notat R. D. Tresvaux* (6) in utraque legenda *(SS. Maglorii et Samsonis)* sedes Dolensis *archiepiscopalis* dicitur, sive quod uterque auctor vixerit post F Nominæum *(Britanniæ Ducem qui ecclesiam illam ad metropolitanam evexit dignitatem)*, sive quod uterque designare intenderit ecclesiam, ubi in Britannia Majori sanctus Samson ordinatus fuerat; sive tandem quod decursu temporis vox *archiepiscopatus* loco *episcopatus* irrepserit in transumptis seu copiis, ex quo scilicet sedes Dolensis evaserat metropolitana. *Advertet eruditus lector eumdem hic occurrere errorem, quem supra perstrinximus; in vita S. Samsonis, non magis de archiepiscopatu quam de episcopatu agitur.*

Quid dubium, quid certum sit de S. Samsone.

15 *Quidquid sit, dubitandi locus non videtur, Samsonem episcopum tantum fuisse; si tamen initia ecclesiæ Dolensis ad ejus tempora ascendant, quod nobis minime probatum videtur. Ast extra controversiam est, Sanctum illum, et episcopum in patria sua ordinatum et monasterii Dolensis auctorem fuisse, quod et regebat dum illuc a matre adductus sanctus* Ethbinus *est; quæ sufficiunt ut sua actis* Ethbinianis *stet hac in parte fides, modo tamen voces* episcopus Dolensis *non interpretentur de sede episcopali*

(1) Acta SS. Ord. S. Benedicti. Vita S. Maglorii. p. 223, n. 7 et 8. — (2) Locis citatis supra. — (3) Vies des Saints de Bretagne, t. I, p. 234. — (4) Ibid., p. 316. — (5) Ubi supra, p. 235. — (6) Ibid., p. 233.

scopali proprie dicta. Cætera jam prosequamur.

P. B. *Baumerus. Similianus*

16 *Dubito an alibi occurrat ulla mentio de Baumero, sancti Samsonis diacono, quo Evangelii lectionem recitante, compulsus* Ethbinus *fuit, ut cuncta relinqueret, sanctum adiens Similianum abbatem, in cujus monasterio monachalem habitum accepit. Nec confundendus est abbas Similianus cum episcopo Namnetensi ejusdem nominis, qui colitur* XVI *Junii, et obiis e dicitur ab Alberto Le Grand anno* CCCX ; *a Papebrochio autem, determinate minus, sæculo* IV, *in sancti Similiani sylloga historica* (1), *capta a P. Henschenio, quam absolvit Papebrochius, Henschenio e vivis sublato. Ex eo quod quidam, nominis decepti similitudine, duos illos confuderint Sanctos, non pauca in vitis SS. Samsonis et* Ethbini *apud illos occurrunt incohærentia, et aperte cum omni pugnantia Chronologia. Cæterum de sancto Similiano abbate vix aliquid scriptum reperitur. Castellanus in* indice *ad suum Martyrologium* (2) *hæc habet :* Similianus *(Similien)* abbas Tauraci in Britannia, quod monasterium vastatum est. *Notat etiam eum* omissum *in Martyrologio suo et* diversum esse a sancto Sembeino *(Sembein). Hoc nomine designat episcopum Namne-* B *tensem, quem R. D. Tresvaux in ejus vita* (3) *vocat* Similinum, Similianum, Sambinum ; *alii scribunt etiam* Semblinum.

non confundus cum Episcopo Nannentensi ejusdem nominis.

17 *Mabillonius* in Indice SS. prætermissorum *in* I *sæculo Benedictino* (4) *notat :* Similianus Namnetensis, XVI Junii. Lege Albertum de Monte Relaxo (le grand de Morlaix) in Armorica sacra. *Agitur, loco ad quem remittit Mabillonius, de S. Similiano episcopo, qui ibidem obiisse dicitur anno salutis* 310 (5). *Hæc itaque ad Similianum nostrum, socium sancti* Ethbini, *non spectant. Pariter in* Actis *nostris ad decimam sextam Junii* (6), *inter* prætermissos *ponitur : S.* Similianus, *episcopus et confessor Nannetæ in Britannia Minori,* inscriptus est Martyrologio monastico Arnoldi Wionis, et in notis citatur *Trithemius lib.* 3 *de viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap.* 42, a *quo, inquit* Wion, *abbas Cauracensis et S. Ethbini præceptor vocatur, diciturque floruisse anno Domini* 600. *De episcopatu tamen ejus nihil dicit.* Et bene, quia. qui indicatur S. Similianus, episcopus Nannetensis, sæculo Christi quarto mortuus est, et hoc die colitur. Occasione cujus, Wion alterum *Similianum* protrudit, de cujus die natali nihil constat. Interim etiam ut *episcopus* re- C fertur a Dorganio in Kalendario Benedictino. At Menardus abbatem statuit, et errorem Wionis corrigit. Verum Bucelinus omnia confundit, quasi circa annum 600 fuisset abbas, ac dein *episcopus Nannetensis* scilicet sæculo quarto. Saussaius secutus Menardum, retulit eumdem in Supplemento. Quæ omnia falso fundamento nituntur. Si probetur cultus sacer abbatis, poterit agi de eo cum S. Ethbino discipulo XIX Octobris. *Atqui nullum nobis sacri cultus apparuit vestigium. Nec alia circa S. Similiani abbatis vitam habemus, præter ea quæ hoc loco notavimus et quæ inferius legentur in ipsis actis sancti* Ethbini.

Tauracus

18 *Pariter nihil reperi de Tauraco nec apud Hadrianum Valesium, nec in antiqua* Gallia Christiana, *nec in annalibus Cointii, nec in præcedentibus Actorum nostrorum voluminibus. Unde pronum est concludere monasterium illud semel dirutum numquam fuisse restitutum, ac ejus memoriam, defectu vel saltem destructione annalium et instrumentorum, vix non penitus intercedisse; quam nec* D *umquam valde celebrem fuisse vel ex eo constare videtur, quod hucusque in Opere nostro ejus semel tantum occurrerit mentio, ad diem scilicet tertiam Martii in Vita sancti Winwaloei, ubi incidenter sermo fit de sancto* Ethbino ; *hac vero occasione aliud nihil notatur nisi quod Tauracum monasterium etiam appelletur* Cauracum, Thaurocanum *et* Caurocanum ; *ita ut existimare liceat, monasterium illud ex solis actis sancti* Ethbini *ad hanc usque diem innotuisse.*

Winwaloeus monachus et Sacerdos diversus ab abbate Landevenecensi.

19 *In quibus etiam legitur, quo tempore eo advenit* Ethbinus, *in Tauraco* habitasse Winwaloeum, monachum et sacerdotem, magnæ sanctitatis virum. *Hic* ad se conjungens Ethbinum, vidit eminus eum superna gratia illustratum, ut pater filium diligebat. *Novus hic confusionis fons fuit. Plures enim hunc Winwaloeum, eumdem esse voluerunt cum sancto abbate Landevenecensi ejusdem nominis, de quo apud nos ad diem* III *Martii* (7), *ubi natus dicitur circa annum* 455 ; *mortuus sæculi sexti anno* VII, *aut* XXIII, *vel etiam* XXIX. *Ex quibus jam liquet* Ethbinum *natum haud fuisse, dum Winwaloeus Landevenecensis vita functus est. Ergo diversus est hic a socio sancti* Ethbini, *et tempore et loco :* E *alter enim in Tauraci, alter in Landeveneci vixit monasterio. Labuntur itaque qui cum Malbranco nostro* (8), *omnia quæ de abbate Landevenecensi referuntur, applicanda pariter monacho et sacerdoti Tauracensi putent.*

Malbranci hac de re hallucinationes.

20 *Imo ulterius progreditur Malbrancus, dum, suppressa qualicumque Landevenecimentione, Winwaloeum fundatorem facit Tauraci et abbatem, ibique mortuum dicit et conditum ; addens hoc* monasterium, Francis Britanniam Minorem evastantibus, excisum, salvo Winwaloei tumulo. *Unde Malbrancus hæc postrema hauserit ignoramus. Citat quidem ipse in margine* Membranas Monstrolienses Mss. *et* Surium III Feb., *atque inferius (e regione verborum :* Salvo Winwaloei tumulo) *apponit :* Sic vita habet. *Ast membranæ illæ ad quas provocat, eædem esse videntur, quæ olim Monstrolio missæ ad hagiographos prædecessores nostros, hodiedum adhuc nobis præ manibus sunt, imo quantum ad sanctum spectant Winwaloeum, typis editæ fuerunt ad tertiam Martii* (9). *In his autem nihil simile reperitur. Atqui illis eisdem usum esse Malbrancum, suadet hujus silentium de Landevineco, cujus reipsa nulla ibidem occurrit mentio ; sed simul etiam sile-* F *tur de Tauraco. Ratio probabiliter est, quod vita Winwaloei his membranis contenta,* conscripta *sit,* ut per modum exhortationis in solemnitate S. Winwaloei legeretur (10). *Nec in Surio, qui etiam apud Malbrancum in margine citatur, quidquam habetur quod vel levissime Tauracum indicet. Præterea mendose remittitur ad* III Februarii ; *legendum* III Martii. *Restat Malbrancum hic, sicut et alibi non raro, meras conjecturas, nec illas quidem admodum felices, dedisse. Ejus proin narratio haud magni est facienda.*

Ulterior de utroque Winwaloeo indagatio.

21 *Ne prolixiores simus, sufficiat quædam in rem præsentem excerpsisse ex Actis nostris ad dictam diem* III *Martii* (11), Alius ergo.... hic S. Ethbini socius a S. Winwaloeo abbate, de quo nunc agimus; distinctus scilicet tempore, quo vixit; loco, ubi vitam egit; abbate etiam et socio, sub quo et quicum monachus fuit. *(Abbas erat S. Similianus, socius Winwaloeus monachus et sacerdos).* Quibus

(1) Vide Acta SS. ad XVI Junii, p. 42.—(2) Pag. 1170.—(3) T. I, p. 19. —(4) Acta SS. Ordinis S. Benedicti, t. I ad initium.—(5) Les vies des saints de la Bretagne Armorique par Fr. Albert le Grand de Morlaix. Paris, 1837, p. 308 et seqq. — (6) Pag. 5. — (7) Pag. 245 et seqq. — (8) De Morinis lib. II, cap. XXXII, t. I, p. 184. — (9) Acta SS., p. 254. —(10) Confer Acta SS. ad 3am Martii. Comment. præv., p. 245, n. 2. — (11) Ibid., n. 14.

non

A non ponderatis, temere in unam congesti sunt apud Joannem Capgravium in Legenda Sanctorum Angliæ et in vita Ms. Ultrajectina, dum apparitio Christi sub specie leprosi S. Winwaloeo abbati Landevenecano applicatur, imo apud Cadgravium etiam Tauraci dicitur obiisse. Etiam in appendice vitæ ex Ms. Britannico assuta sunt, ubi tamen pars rerum gestarum S. Ethbini applicatur cuidam S. Idiuneto, alibi plane ignoto. *(Simile quid occurrit in altero ex duobus manuscriptis, quæ habemus de vita sancti* Ethbini. *Ast inferius redibit hac de re sermo).* In Ms. Kalendario ordinis S. Benedicti ad XXIII Novembris ista leguntur: *S. Wingalati monachi et discipuli S. Similiani abbatis in monasterio Tauraconensi?* Quæ de juniore Winwaloeo, socio S. Ethbini, intelligenda sunt. De eodem agit Trithemius lib. III de viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 43 his verbis: *Wingualocus sacerdos monachus et discipulus B. Similiani abbatis in monasterio Cauraconensi de quo jam diximus, vir sanctissimæ conversationis: Dominum Jesum in forma pauperis leprosi videre meruit, cujus dum nares ore suo contingeret, quem suscepisset protinus agnovit, a quo audire dignus fuit: Non me erubui-* B *sti, serve meus, in miseriis meis; nec ego te erubescam in regno patris mei. Hæreditas tua mecum est. Claruit anno Domini* DLXXX. Dein cap. sequenti agit de S. Ethbino monacho quem tradit *præfati Wingualoei sacerdotis ministrum fuisse et claruisse anno* DCX; at, cap. 41 et 42, ante egerat *de S. Sampsone episcopo* et *S. Similiano abbate Cauracensis monasterii.* Additque utrumque *claruisse anno* DC. Quæ omnia indicant ibi actum de juniore Winwaloeo, socio S. Ethbini in monasterio Tauraco (1). *Quæ et nos haud difficulter probamus, excepto tamen anno quo claruisse dicitur S. Samson, quem ante finem sæculi sexti obiisse supra diximus, num.* 3.

A plerisque ex duobus unus factus est Winwaloeus; exin confusio.

22 *Recte itaque notat R. D. Tresvaux* (2), *Winwaloeum, de quo in actis S.* Ethbini, *ejusdem quidem nominis esse cum abbate Landevenecensi,* sed ab eo valde diversum. *Et paulo inferius:* Stupenda hæc apparitio *(Christi sub forma leprosi)* adeo placuit iis qui vitam scripserunt S. Winwaloei, primi abbatis Landoveneci, ut illam ad hunc referre non dubitaverint, substituentes sancto *Ethbino* Tauracensi S. Ydunetum Castrolinensem *(S. Ydunet de Chateaulin)* quo confunderent duos Winwaloeos, et ex duobus unicum efficerent, licet inter utrum- C que nulla intercedat connexio, solo nomine excepto; et fere integro ab invicem distent sæculo.

Quæ ad nos pervenerint de S. Winwaloeo Tauracensi.

23 *Denique de sancto Winwaloeo Tauracensi aliud ad nos pervenit nihil, præter ea quæ in actis S.* Ethbini *habentur; scilicet monachum et sacerdotem fuisse Tauraci sub abbate S. Similiano; solitum cum* Ethbino *ecclesiam, sitam uno a monasterio milliario visitare, ibique hostias tam pro vivis quam pro defunctis,* jussu abbatis *offerre; quadam die ipsis apparuisse Christum sub habitu leprosi; eosque in cœpta orationis consuetudine usque ad vastationem illius templi perseverasse. Quid vero de S. Winwaloeo, post dirutum a Francis Tauracum, sit factum, silent acta, nec aliunde innotescit. Tradit quidem R. D. Tresvaux* (3), *Winwaloeum obiisse in monasterio suo.* Id solum, *inquit,* scitur ipsum mortuum in monasterio Tauraco seu Cauraco. Quo indicatur domum illam post Francorum discessum, fuisse restitutam. *Cum tamen cl. Scriptor non dicat quo ex fonte illa hauserit, nec ullibi nos tale quidpiam viderimus, subsistere nobis integra videntur, quæ paulo ante de Tauraco diximus.*

S. Ethbinus in Hiberniam transit.

B. B.

24 *Sanctus vero* Ethbinus in Hiberniam fugiens, in silva quæ Nectensis dicitur, ut pauper peregrinus Tugurium fecit, et in honore sancti Silvani martyris ecclesiam fabricavit, in qua assidue ut bonus servus Domino suo militavit. *Fuga seu transitus sancti* Ethbini *in Hiberniam contigisse videtur immediate post vastatum a Francis Tauracum.* Supervenientes autem Franci, *aiunt acta,* vastaverunt ipsum templum et totam Britanniam. Tunc beatus Ethbinus in Hiberniam fugiens *etc. Attamen juxta* proprium Dolense *transitus S.* Ethbini *in Hiberniam multis annis post ruinam Tauraci contigisset:* Ethbinus vero, eremiticæ (vitæ) desiderio flagrans, secessit in solitudinem, ubi triginta annos exegit. Hinc in Hyberniam transgressus... *Non putem aliis nirum documentis laudatum D. Tresvaux asserere;* sanctum Ethbinum post religiosorum in Britannia dispersionem, secessisse in solitudinem, nobis haud cognitam, ibique triginta annis latuisse, ac postea tantum in Hiberniam transmigrasse. *In Actis profecto nihil simile reperitur, imo contrarium satis aperte declaratur.*

Silva Nectensis. Vocis varia interpretatio.

25 *De* Silva Nectensi, *quam passim scriptores galli* Necth *dicunt, difficile foret aliquid sive quoad situm, sive quoad monasterium ibidem a* E *sancto* Ethbino *fundatum certo definire. Albertus le Grand verba:* silva quæ Nectensis dicitur, *Gallice reddidit:* épaisse forêt *(densa silva). In quem locum D. L. de Kerdanet* (4) *notat:* Noctensis *(ita ipse scribit)* silva, quod significat *silvam densam, obscuram* quasi *noctem.* Domn. Lobineau, existimans primam vocem, proprium indicare nomen, reddit verbo *Nocth.* Qua de re vicissim vellicari posset, sicut et ipse olim vellicavit Martenium, eo quod hic in suo Itinere litterario, ex voce *Neodmeros,* quæ græce *novum* sonat, virum fecerit, nomine *Neometum. Posset forte hic etiam paululum vellicari D. L. de Kerdanet, quippe qui contra fidem Actorum Ms. et adhibitum ab omnibus, si Bucelinum excipias, scribendi modum, silvam vocet* Noctensem, *quam reliqui omnes* Nectensem *dicunt. Præterea D. Lobineau scribit* Necth, *non vero* Nocth, *ut falso asserere videtur D. L. de Kerdanet. Id certum, cl. Tresvaux habere* Necth (5); *nec profecto recessisset a scribendi modo, quem adhibuerat D. Lobineau, nisi addita ratione ob quam dissentiret. Conf. n.* 28.

Conjectura de Silvæ Nectensis situ.

26 *Est locus aliquis in actis sancti* Ethbini, *qui situm illius silvæ aliquatenus indicare videatur.* F *Dicitur enim mulier quædam rogasse Virum sanctum ut filio suo paralytico sanitatem impetraret. Respondit* Ethbinus: Ad sanctæ Brigidæ sepulcrum perduc eum. *At illa:* illuc Pater, eum jam portavi: et in somnis vocem audivi dicentem: il silva quæ Nectensis dicitur moratur servus Dei Ethbinus; ad quem si filium tuum duxeris, sanitatem consequetur. *Hæc utique suadent tugurium* Ethbini *haud procul dissitum a sepulcro sanctæ Brigidæ fuisse. Ut quid enim, si aliter esset, mulier illa, filium secum portans paralyticum, tam facile ab uno ad alium remitteretur locum? Jam vero obiit sancta Brigida Kildariæ anno* 523, *ut probabilius censet Bollandus* (6). *Alii ponunt annum* 518 *vel* 521. *Et pagina sequenti* § IX *n.* 58 *addit Bollandus:* Probabilius est Kildariæ sepultam fuisse, ibique sæculis aliquot asservatas reliquias; Dunum (Down) postea munitam urbem asportatas; *Bollando consonat Colganus cum Camdeno. Ex his efficeretur* silvam quæ Nectensis dicitur *in vicinio Kildariensis urbis sitam fuisse. Quæ præterea opinio confirmatur ex eo quod dicta urbs non longe distet a littore insulæ*

(1) Ad III Martii, p. 248, n. 14. — (2) Vies des saints de Bretagne, t. II, p. 28. — (3) Ubi supra, p. 29. — (4) Les vies des Saints de Bretagne Armorique, par Albert le Grand. Paris 1837, p. 632. — (6) Vies des Saints de Bretagne, t. II, p. 29. — (6) Acta SS., t. I Feb., p. 109. § VIII.

orientali,

orientali, et aliquot tantum absit Dublino milliaribus occidentem versus. Unde facilis Ethbino *ex Britannia Armorica venienti erat ad silvam illa accessus. Favet etiam quod scribit Camdenus* (1). Campus Kildariensis *(the curragh of Kildare)* vasta quædam planities est, olim quercubus consita, ex quo et urbi nomen Culledair impositum. Sedes erat druidicæ superstitionis, quæ abolita fuit a sancta Brigida. Regio hæc inter fertilissimas totius Europæ numeratur, ad quinquies millena sese extendens jugera *(english acres)* quæ pascua sunt innumeris apta nutriendis pecoribus.

S. Silvanus. S. Brigida.

27 *Similiter nec sanctus ille Silvanus martyr alibi memoratur. Forte ecclesia illa dicata erat alicui ex sanctis martyribus ejusdem nominis, non in Hibernia sed alibi passis; quemque* Ethbinus *singulari in veneratione habebat, ac propterea sub ejus invocatione ecclesiam suam erexit. Aliud est de sancta Brigida, inter SS. Hiberniæ præclarissima, cujus acta reperies apud Joannem Colganum* (2). *Prolixe de illa etiam agit Bollandus noster* (3).

Circa præcedentia notantur quædam ex mente cl. Joannis O'Donovan.

28 *Hic subjicimus notas quasdam nobis missas a Joanne O'Donovan, æstimatissimo in Hibernia antiquario, tum quia in illis pleraque a nobis hucusque disputata attinguntur, tum etiam, et quidem præci-* B *pue, quia recentiorum illius regionis eruditorum sententiam patefaciunt. Notæ illæ nobis redditæ fuerunt, 26 Januarii* 1848 *a R. P. Francisco Murphys S. J., atque sequentis sunt tenoris :* 1° Sanctus Ethbinus abbas colebatur in Hibernia 19 Octobris, juxta Calendarium Michaelis O'Clery; sed hodie nusquam colitur. — 2° Nulla vestigia silvæ Nectensis nunc remanent in Hibernia. Nomen ejus penitus ignoratur; sed forte *Fidh-Neachtain* olim scriptum erat, quod latine *nemus Nectani (nomen viri)* sonat. Neith erat nomen fluvii in regione Conalliæ Muirtheimne (4). — 3° Cullidair idem non est ac Cill-Dara : illud *sylvam, hoc ecclesiam quercus* significat. — 4° Inter sanctos Hiberniæ numeratur sanctus Silvanus, ut apparet ex Festilogio sancti Ængusi (in Nota sub finem mensis Aprilis). *Deinde addit eruditus Joannes O'Donovan quædam anglice, quæ nos hic latine reddemus.* Calendarium Hibernicum, actore O'Clery, simpliciter dat nomen *Ethbini abbatis*, quin addat nomen ejus ecclesiæ. Nullam potui invenire vocem in historia Hibernica, cui respondeat *silva Nectensi*. Existimo hanc esse C formam *(a latinizing)* vocum Fidh Neachtain seu Nectani silva *(Nag htans forest)*. Antiquum nomen τοῦ Ardee *(of Ardee)*, fluvii in comitatu Lugniensi *(of Louth)* erat *Neith* sive *Nith*. Ita forte antiquitus vocabatur silva in vicinio hujus fluvii posita, qui non procul abest a loco natali sanctæ Brigidæ. Quod ad sepulcrum ejusdem sanctæ Virginis attinet, non credam id Duni fuisse usque ad tempora Jocelini. Mea opinio est, illam Kildariæ quievisse tempore sancti Ethbini abbatis, sicut et tempore Fogitosi. Vox *Curragh*, quatenus indicat planitiem sanctæ Brigidæ apud Kildariam, certissime denotat hippodromum *(a race course)*, atque ita interpretatur in Glossario Cormaci, qui præterea animadvertit vocem Curragh significare etiam paludem *(a* Sheskin *or Moor)*. Ast, his prætermissis evidens est τὸ *Curragh of Kildare* ab antiquo fuisse *plateam* seu *campum* venationum sive ludorum ad regium castellum Dun Ailleime *(the* platea *or field of sports to the royal fort of Dun Ailleime)*.—*His tum quoad chronologiam tum quoad alias in actis sancti* Ethbini *occurrentes difficultates elucidatis, ita vitam* D *ejus haud improbabiliter ordinari atque synoptice complecti posse censemus.*

Compendiosa vitæ S. Ethbini exhibitio. Natales.

29 *Natus est* Ethbinus, *versus annum sæculi sexti quadragesimum, in Britannia Minori, haud procul a monasterio Dolensi, quod fundatum a sancto Samsone, urbi ejus nominis originem dedit. Uterque parens, pater Eutius vel Eutychius, mater nomine Eula, generis nobilitate præstabant. Liberalibus studiis in domo paterna eruditus fuit* Ethbinus *usque ad decimum quintum ætatis suæ annum. Mortuo patre, ducitur a matre sua ad sanctum Samsonem, episcopum et abbatem monasterii Dolensis, dum sexdecim aut septemdecim numeraret annos, ac proinde versus annum* 557. Ethbinus *tonsa coma, clero adscribitur; mater accipit velum. Mansit* Ethbinus *cum beato Samsone aliquot annis, puta quatuor vel quinque, aut etiam diutius, si admittatur cum Alberto a Monte-Relaxo (Legrand de Morlaix) ipsum ibidem ordinatum Diaconum, usque ad annum scilicet ætatis* 22 *vel* 25. *Quadam die dum sacris operaretur sanctus Samson et Baumerus diaconus recitaret verba illa Evangelii :* qui non renuntiat omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus; *hac lectione in tantum moretur* Ethbinus, *ut illico relictis omnibus ad sanctum* E *festinaverit Similianum, abbatem monasterii Tauraci, quod, ut conjicere licet, haud procul aberat ab agro Dolensi.* Luc. 14, 33.

fit Monachus.

30 *Ibi habitum assumit monasticum Dominoque sese devovet, versus annum sæculi sexti sexagesimum primum aut quintum. In eodem monasterio vivebat Winwaloeus, monachus et sacerdos præclaræ virtutis et sanctitatis. Hic paterno* Ethbinum *diligens animo, individuum adhibebat comitem, dum adiret ecclesiam in vicinio positam, ut ibi hostias tam pro vivis quam pro defunctis, jussu abbatis, offerret, quo scilicet* sacerdos dignus diacono sustentaretur justo. *(Quæ verba, ex Actis descripta, indicare videntur,* Ethbinum *reipsa diaconum fuisse cum monasterium Tauracense adiret, ac proinde ordinatum a sancto Samsone. Quod si hic steterit canoni Agathensi, sequeretur* Ethbinum *saltem viginti quinque habuisse annos cum ab episcopo et abbate Dolensis monasterii discederet).*

Christum videt sub persona leprosi.

31 *Dum itaque quadam die Winwaloeus cum* Ethbino, *expleto munere, redeuntes ab ecclesia, iter per campos tempore messis facerent, offenderunt leprosum, plagis horridum, jacentem in terris atque* F *flebiliter plangentem. Intimis uterque movetur hoc conspectu visceribus; rogant quæ sit ejus infirmitas, quidve remedii ab ipsis expectet. Accepto responso,* Ethbinus *librum quem manu tenebat deponit, pauperemque per latera sublevans a terra, in qua pronus jacebat, erigit. Tum Winwaloeus, qua parte leprosus in vultu maxime laboraret, os suum applicans (quod genus solatii ipse æger postularet) non jam saniem attraxit sed lapillum mirabilem. Interea* Ethbinus *suspiciens videt cœlum apertum; apparet sancta Crux in capite leprosi, angelique obviam venientes turmatim cernuntur. Pater, exclamat* Ethbinus *Winwaloeo, quem ego manibus teneo, et tu ore, Christum Dominum nostrum esse credo! Qui paulo post ab oculis eorum evanuit atque receptus in cœlum est. Ipsi vero, inenarrabili spiritus perfusi dulcedine ad monasterium suum revertuntur, alter alterius tribuens meritis susceptæ gratiæ donum adeo insigne, certatim de humilitate inter se contendentes. Domum reduces, novo fervore incœpta consuetudine perseverarunt, donec versus finem sæculi sexti monasterium Tauracense ab irruentibus in Britanniam Francis vastatum est.*

(1) Britannia, t. III, p. 541. Londin. 1789. — (2) Trias Thaumaturga. Acta SS. Hiberniæ, t. II, p. 515 et seqq. — (3) Acta SS. 1 Februarii, p. 99-158. — (4) Vide Camden, Britannia, t. III, p. 690.

32 *Paulo*

In Hiberniam transit. Ejus obitus.

32 *Paulo post* Ethbinus, *sexagenario major in Hiberniam transiit, sæculo septimo ineunte. Ubi primum in Silva quæ Nectensis dicitur, haud procul a sepulchro S. Brigidæ, quæ Kildariæ mortua et tumulata erat, Tugurium, ac dein in honore sancti S lvani martyris ecclesiam seu oratorium ædificavit. Vixitque beatus* Ethbinus *in eodem loco viginti annis fideliter operans opus Dei, donans sanitatem infirmantibus, atque stupenda abstinentia omnibus admirationi. Cum octoginta trium fere annorum esset, mortem propinquam sentiens, convocavit fratres, qui in eadem silva morabantur, eosque coram se prostratos Domino commendavit, præcipiens ut mortuum ad dexteram altaris partem sepelirent, et sacras hostias in remissionem peccatorum offerrent. Quibus dictis ante altare reddidit spiritum quartodecimo Kalendas Novembris, sepultusque est honorifice in loco quo jusserat. Mors ejus obtigit versus annum* 623, *ejusque sepulcrum miraculis et prodigiis inclaruisse ejus acta testantur, quamquam illius vestigia penitus interierint.*

Videtur condidisse monasterium in Hibernia, eique præfuisse.

33 *Ex adjunctis, quæ mortem S. Ethbini concomitantur, colligimus plures ipsi fuisse discipulos, quos Fratres vocat, quique in eodem degebant loco.* B *Unde pronum est concludere, fundatum a S. Viro in Hibernia monasterium. Quod præterea huic, cum mortem obiret, præfuerit, haud obscure indicatur, cum non petat a fratribus, sed eis præscribat, quid secum post mortem actum velit. Imo saltem quosdam inter eos sacerdotio initiatos fuisse, suadent verba illa :* Sacras hostias super ipsum *(corpus)* pro remissione peccatorum meorum offerte. *Hinc in Martyrologio Romano ad hunc diem* abbas *dicitur :* In Hibernia sancti Ethbini abbatis. *Sic etiam eodem die in Martyrologio Britannico* (1) *habetur :* In Hibernia, depositio S. Ethbini abbatis, ex Britannia nobili genere oriundi, et S. Samsonis, Dolensis episcopi, quondam discipuli. Hic cœlitus vocatus, omnibus, quæ in mundo possidere videbatur, renuntians, in Hiberniam transfretavit, ibique solitariam sanctissimamque duxit vitam in eremo, Nectensis Silva *(Necten Wood)* dicta, donec ad beatas superni paradisi vocaretur mensiones versus sæculum nonum, *imo septimum, ut statuimus supra nn.* 3, 4 *et* 8. *Obiter hic (quoniam alibi id nobis excidit) notemus nullam S.* Ethbini *sicut et silvæ Nectensis apud Laniganum* (2) *fieri mentionem.* C *Atque ita Martyrologia Romanum et Britannicum.*

Ejus memoria in Martyrologiis.

34 *Similiter in multis aliis martyrologiis sancti* Ethbini *occurrit mentio. Sic in Auctariis Usuardi ex* Matricula Carthusiæ Ultrajectinæ *(de qua vide Sollerium in præfatione ad Martyrologium Usuardi n.* 244) *habetur :* Ethbini confessoris ; *item ex editione Coloniensi gemina, altera anni* MDXV, *altera anni* MDXXI, *utraque adornata ab Hermanno* Grefgen *seu* Grefgin *et communius* Greven *seu* Grevenus *dicto :* In Hibernia, sancti Ethbini, levitæ et confessoris, discipuli beati Samsonis, Dolensis archiepiscopi. Hic cum sancto Wingualoco præsbytero et confessore dignissimo (de quo supra VI et V Nonas Martii habetur) iter faciens Christum in specie leprosi suscipere, et miro fidei ardore cum eodem tractare, vocem etiam ascendentis Domini audire, salutem promittentis eis, qui amborum memores in orationibus exstitissent, meruit. Ipse tandem vita et miraculis, inter quæ et mortuum suscitasse legitur, clarus beato fine in Domino quievit. *Notabis, inquit Sollerius, parenthesim hic insertam in prima editione sic legi* (qui XI et V Nonas Martii sine egregia commendatione transiri non debuerat). *Tandem in ejusdem Usuardi auctariis ex Molano habemus :* In Britannia sancti Ethbini, abbatis Nectensis. D

Hugo Menardus et Bucelinus.

35 *Sic etiam in* Martyrologio Benedictino (3) *ad hunc diem* XIX *Octobris, sequens habetur annuntiatio :* In Hibernia sancti Ethbini abbatis Nectensis, discipuli sancti Similiani. *In Ms. Torgerloensi, quod nobis sicut et multa alia a RR. DD. Canonicis illius monasterii commodatum, et inscribitur :* Kalendarium Sanctorum ordinis S. Benedicti P. N. ; *legitur :* Sancti Geremari abbatis Flaviacensis. Ipso die sancti Ethbini abbatis Thaniacensis. *Corruptio erit vocis* Thauracensis. *Addamus quæ habet Bucelinus, ex quo, sicut et ex præcedentibus, apparebit pleraque ad sanctum* Ethbinum *spectantia, confusa a martyrologis fuisse, prout supra ex professo disputavimus. Scribit itaque Bucelinus in* Menologio (4) *ad* XIX *Octobris :* In Hibernia sanctorum Ethbini et Winwaloei abbatum. Fuit uterque, mira sanctitate et insolenti vitæ rigore spectatissimus. Inter res gestas eorumdem, illud imprimis memoria dignissimum celebratur, quo stupendam sane et animi E demissionem, et ferventissimam, qua flagrantissimi erant, in proximos charitate, manifestissimo argumento prodidere. Cum projecti in via leprosi cujusdam etc. *Sequitur narratio Christi ipsis apparentis; dein addit :* Ethbinus, Francis Britanniam vastantibus Winwaloeo superstes, in Hiberniam secessit, et viginti ibidem annis supervixit. . . . . Monachum in Tauracensi primum cœnobio professus, Nectensis dein monasterii abbatem egit ; ubi octuagesimo tertio ætatis anno, obitum suum præcognoscens et fratribus prædicens, ante altare spiritum Deo reddidit 14 Cal. Novemb. sub A. Ch. 590.

Commemoratio S. Ethbini in Monte Blandinio.

36 *In Belgico Martyrologio recentiori Ms. et lingua gallica exarato, ad hunc diem legitur :* In monasterio S. Petri Gandæ, fit memoria sancti Ethbini Hiberni. *Dicitur* Hibernus ; *non quod ex illa esset oriundus regione, sed quod ibidem mortuus Sanctis Hiberniæ non sine ratione annumeretur. Ut autem ratio reddatur commemorationis S.* Ethbini *in Monte Blandinio, in mentem revocandum est, quod habetur apud nos in Actis S. Winwaloei* (5) ; *ubi Commentarii prævii* § II *multis agitur de corpore* F *S. Winwaloei olim in Montem Blandinium translato; ita quidem ut fere in dubium revocaretur traditio (de qua mox dicemus) Monstroliensis. Omnibus tamen ponderatis, concludunt majores nostri (et recte quidem, ut ex sequentibus patebit)* corpus S. Winwaloei, *abbatis Landevenecensis*, olim translatum *fuisse* Monstrolium ibique etiamnum asservari, et aliquas hujus solum reliquias Gandavum deportatas; *adduntque*, si tamen de secundo Winwaloeo *(altero scilicet ab abbate Landevenecensi, quod quidem nobis extra omne dubium est)* vita S. Ethbini accipi possit, alterutrius corpus Gandavum olim translatum fuisse tuto videtur dici posse (6). *Sive ergo corpus fuisse crediderint S. Winwaloei Landevenecensis, sive alterius, nempe Tauracensis de quo in actis S.* Ethbini, *cum apud plerosque duo illi Sancti, ut supra demonstravimus, confundantur, mirum haud videbitur in Blandinio Monte commemorationem habitam fuisse S.* Ethbini, *cujus forte etiam aliquæ reliquiæ ibidem servabantur*

(1) A Memorial of ancient British piety, or a British Martyrology, p. 146 et 147. Edit. Lond. 1761. — (2) An eccl. Hist. of Irel. Dublin 1829. — (3) Martyrologium Sanctorum Ordinis divi Benedicti, duobus Observationum libris illustratum, auctore R. P. D. Hugone Ménard. Congreg. S. Mauri, Paris, 1629. — (4) Menologium Benedictinum Sanctorum, Beatorum atque illustrium ejusdem ordinis Virorum elogiis illustratum, opera et studio R. P. F. Gabrielis Bucelini monachi. Veldkirchii 1655. — (5) Acta SS. ad diem III Martii, p. 245-261. — (6) Ibid. Comm. præv., § II, n. 18, p. 249.

B. B.

§ II. De Reliquiis S. Ethbini. Earum translationes variæ. Sacrum corpus Monstrolii asservatum usque ad exitum sæculi præteriti, quando a sacrilegis combustum fuit. Acta.

Reliquiæ S. Ethbini primum repositæ in Silva Nectensi, dein juxta Saussaium in Pormort, prope Rothomagum translatæ.

Scribit *Saussaius in extrema parte longissimi, quod, pro more suo, de sancto* Ethbino *texit critice minus quam emphatice et verbose, encomii :* Efflato autem immaculato spiritu, corpus, purissimum tam preciosæ gemmæ vasculum, sicut discipulis circumstantibus Vir beatus moriens injunxerat, prope altare ipsum conditum est. Ex quo tot inde miracula corruscarunt, ut fratres de ejus æterna glorificatione iis divinis judiciis edocti, piis a suffragationibus, quas in animæ expiationem, Vir ipse vere humilis enixe flagitaverat, destiterint, B rati non suffragiis juvandum, cujus nota exploratáque supernis testimoniis felicitas, poscentibus quibusque illius opem, tot præsidia conferebat. Ossa tanti Cœlitis postea in Galliam ad patriæ munimentum revecta apud Rotomagenses, in vici de Pormort ecclesia, quam in ejus honorem fidelium pietas excitavit, digno Dei amici cultu reposita sunt, ibi nunc usque caput ejus venerabile, hierothecæ argenteæ inditum, omni religione adservatur. Maxilla tamen ex hoc decerpta in collegiata ecclesia sanctæ Dei Genitricis apud Vernonium ad Sequanam oppidum ejusdem tractus visitur, eo quo decet honore recondita. *Hanc reliquiarum tum præsentiam tum venerationem ignorarunt Albertus Legrand, et D. Lobineau, sicut et hujus postremus editor et corrector Cl. Tresvaux; quoniam hac de re apud omnes tres altum est silentium. Nec etiam alibi illarum reliquiarum mentionem invenimus. Non tamen exinde dictum velimus hujusmodi venerationem in præfatis sacrariis haud haberi : sed quam solide fundata sit, in medio relinquimus. Tanto magis quod Saussaiana narratio non prorsus quadret cum iis quæ tradit Malbrancus* (1).

Malbrancus translatas dicit primum in Britanniam minorem.

C 38 *Postquam enim retulit Winwaloeum (quem, ut notavimus, perperam confudit cum altero ejusdem nominis) Tauraci mortuum et sepultum ; Ethbinum vero in Silva Nectensi diem obiisse supremum, atque ibidem terræ mandatum ; pergit in hunc modum :* Etsi vero discreta mari fuerint utriusque aliquanto tempore domicilia : tamen eorum, quibus una pœne mens ac pietas inerat, voluit Deus iterum coalescere pignora : dum enim Hiberniam expilarent hostes, Ethbinus transmarino junctus est Winwaloei tumulo : atque iterum, Britannia Minore Nortmannorum incendiis conflagrante, Monasteriolum translata est una duorum sandapila, ut mænitum insigniter in rupe oppidum ab hostium injuriis tutam daret. Præstant illic eorum corpora in hodiernum diem lignea theca argento divite obducta. *Atque hæc Malbrancus quin mentionem faciat ablati capitis, quod, juxta Saussaium, haud procul Rotomago fidelium venerationi exponeretur.*

et exinde Monstrolium.

39 *Ast quæri hic potest utrum hæc ut confidenter ita etiam vere a Malbranco scripta sint? Sane de reliquiis Monstroliensibus mota jam quæstio fuit in Opere nostro ad diem tertiam Martii in Vita S. Winwaloei, ubi et exhibitum est instrumentum authenticum translationis ejusdem reliquiarum ; et nos* D *simile dabimus hic instrumentum, non minus authenticum de corpore sancti* Ethbini, *ex quo itidem antiqua stabilietur ecclesiæ Monstroliensis traditio, juxta quam reipsa olim eo, ut scribit Malbrancus,* translata *fuisset* una duorum *Sanctorum* Sandapila. *Ast unde, quando, quomodo translatio hæc facta sit, nullibi declaratur. Ita scilicet scripsit Patri Henschenio Jacobus de Boves* ecclesiæ parochialis divi Winwaloei Monstrolii humilis pastor et canonicus ecclesiæ collegiatæ B. Firmini martyris in eadem civitate. *Petierant nempe hagiographi, ut, quæ exstarent in celebri sancti Salvii abbatia Monstrolii, instrumenta et mss. ad Vitas et Reliquias Sanctorum spectantia sibi communicarentur ; curavit itaque laudatus J. de Boves pleraque exscribi, atque Antverpiam misit, addita epistola, cujus hic partem juverit adscribere.*

Notitia de reliquiis Monstroliensibus ex epistola Jacobi de Boves ad Henschenium.

40 Mittimus tandem aliquando, reverende pater, antiqua manuscripta Monstroliensia, omnino omnia, quæ in monasterio seu abbatia sancti Salvii, ordinis sancti Benedicti, habentur de S. Winualoeo et aliis Sanctis, quorum corpora aut reliquiæ ibidem asservantur. Nihil prorsus omissum est. Exscripta a monachis duobus dictæ abbatiæ ego E accurate relegi et contuli cum exemplaribus. Quæ quidem exemplaria fuerunt olim uno grandi volumine comprehensa in membranis ; nunc vero temporis folia dissuta, dissoluta, ex parte lacera, dissoluta et sparsa, ordine inversa, ipsa vetustate exesa, ut mirum videri non debeat, si vitas plerasque habet R. vestra mancas et præcipue vitam S. Winualoei tot hiatibus intercisam et per partes alias aliis assutas. Isto volumine quondam monachi usi sunt pro Breviario et inde sumptas cantabant lectiones de Sanctis totius anni. Winguafoeus, seu Winualoeus seu Winualocus, gallice est S. Waloy, dicitur quidem socius Ethbini, in vita ejusdem Ethbini. Sed ista Ethbino societas fuit cum Winualoeo Juniore ; qui Junior vixit Tauraci. Sub quo autem Similiano vixerit, ignoro, cum S. Similianus, cujus vitam describit Morleus seu Morlaisius *(Legrand de Morlaix)* scriptor vitarum Sanctorum Britanniæ, vixerit duobus ante sæculis. . . . . Quando, quomodo, qua *(via)* translatum fuerit corpus S. Winualoei Monstrolium, nihil habemus præter ea quæ continentur in fasciculo exscriptorum ad vos missorum pagina.... F Sunt authentica illa quidem, utpote exscripta ex veteri volumine terso seu libro manuscripto, ubi de immunitatibus et redditibus dictæ abbatiæ S. Salvii *(agitur hic de* instrumento translationis *ex una in aliam thecam, quod typis excusum reperitur ad* III *Martii)* ; sed translationis *(nempe primæ ex dissita regione Monstrolium)* circumstantias et modum non satis declarant. Quando præcise, quomodo aut qua Monstrolium translata sint cætera corpora seu reliquiæ Sanctorum, nihil prorsus habemus.... Nos item nihil habemus de S. Ethbini corporis translatione Monstralium ; sed translatione ejus in thecam novam nihil certius ut R. V. videbit ex instrumento.

Corpus S. Ethbini Monstrolium translatum fuisse antiquissima traditio est,

41 *Ex hac epistola (quam paulo latius descripsimus ut viri indoles seria et litteratura haud vulgaris innotesceret legenti) intelligimus plura Sanctorum corpora (decem omnino numerabantur) in abbatia S. Salvii asservata olim fuisse ; unde autem et quomodo illorum pleraque, ac nominatim corpus sancti* Ethbini *eo delatum sit, nullatenus constare. Est tamen extra dubium traditionem Monstroliensem de translatis Beati illius exuviis ad dictam abbatiam,*

(1) De Morinis, lib. II, cap. XXXII, t. I, p. 186.

antiquissimam

A *antiquissimam et maximeauthenticam esse, ut perspicue efficitur ex sequenti instrumento, quod reperitur in* fasciculo exscriptorum, *de quo in laudata epistola fit mentio.*

cujus fidem facit instrumentum authenticum episcopi Ambianensis

42 Universis præsentes litteras, sive hoc præsens instrumentum inspecturis, Johannes de Haricuria Dei gratia episcopus Ambianensis salutem in Domino sempiternam et præsentibus dare fidem. Notum facimus quod nos in ecclesia monasterii S. Salvii de Monsterolo ordinis sancti Benedicti nostræ diœcesis visitationis officium exercentes, inter cætera vidimus et palpavimus corpus beati Ethbini confessoris ab antiquissimis temporibus repositum in quadam theca seu feretro marmoreo, quæ quidem theca propter antiquitatem multum demoliebatur; unde etiam ad supplicationem et requestam et in præsentia religiosorum dicti monasterii, eorum abbate absente, et aliorum tam cleri quam populi ejusdem villæ in multitudine copiosa coram nobis comparente, assistenteque fere omni plebe dictæ villæ et plurimarum aliarum villarum et locorum adjacentium, solemniter et honorifice ac devote post celebrationem Missæ in dicta ecclesia per nos celebratæ, idem corpus beati B Ethbini confessoris a dicta veteri theca in novam thecam marmoream, honestam et notabilem reposuimus et includi fecimus realiter. In qua quidem veteri theca cum dicto sancto Corpore erat quædam cedula de antiqua scriptura facta, verba quæ sequuntur continens : Hic requiescit corpus beati Ethbini confessoris. Et his peractis venerabilis et religiosus vir frater....... lector Carmelitarum dicti loci Monsterioli verbum Domini proposuit, vitam, virtutes et merita ipsius sancti Ethbini narrando et declarando, ad laudem Dei et recommendationem ejusdem Sancti, totiusque curiæ cœlestis. Quod omnibus, quorum interest tenore præsentium certificamus; et in hujus rei testimonium fecimus præsentes litteras sive hoc præsens instrumentum fieri, ac sigillo nostro cum signo et subscriptione notarii infra scripti roborari. Datum et actum in loco prædicto, anno ab Incarnatione Domini millesimo quadringentesimo vigesimo quarto, indictione secunda, mensis vero Junii die decima tertia, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Martini Divina Pre identia Papæ V anno septimo. Præsentibus ver rabilibus in Christo Patribus sancti Judoci C sup a mare et Forestimonasterii, monasteriorum abl tibus, veneranda domina abbatissa sanctæ Austrebertæ dicti loci Monsterioli ordinis et diœcesis nostræ prædictorum, venerabilibus patribus de Longavillari Cisterciensis ordinis, Morinensis diœcesis, et sancti Andreæ in Nemore, ordinis Præmonstratensis et nostræ diœcesis, monasteriorum abbatibus, cumque provinciali fratrum Carmelitarum et Johanne Darques in sacra pagina professore, cum multis aliis *(quorum nomina ibidem expressa et hic brevitatis causa prætermissa).*

et varia chronica.

43 *Hujus translationis mentio quoque fit in Chronicis S. Andreæ in Nemore* (1). Anno 1424 Ingelrannus noster *(Enguerrand de Fruges abbas ordine vigesimus primus S. Andreæ)* interfuit cum abbatibus S. Judoci supra mare, Forestimonasterii, Domni-Martini, et Longumvillarensis translationi corporum SS. Kiliani, Ethbini, Corentini et Conocani, episcoporum confessorum, factæ in abbatia S. Salvii, die decima tertia Junii, a Joanne de Haricuria, Ambianensi episcopo. *Similiter memoratur hæc translatio in aliis duobus Chronicis Mss. ejusdem abbatiæ S. Andreæ in Nemore : altero Nicolai Ledé, ab anno* 1636 *ab annum* 1680, *abbate S. Andreæ ; de quo hæc habentur in nova Gallia Christiana* (2) : Nonnulla ejus opera typis vulgata sunt : *Catalogus sive Fundationes abbatiarum ordinis Præmonstratensis ; Kalendarium historicum pro totius anni decursu.* Volumina plura Mss. ab eodem composita ad lucem aspirant. Nicolai *(Ledé)* ad exemplum ejusque studiorum comes Claudius Sallé Chronicon edidit typis primo Parisiensibus anno 1634, dein Audomarensibus anno 1670, Rerum Memorabilium sui monasterii, aliaque edenda reliquit. *Alterum, quod innuebamus, chronicon Ms. alterius abbatis est ejusdem S. Andreæ in Nemore, nomine Antonii Bouberti, qui priori parte sæculi decimi septimi hæc scribebat :* anno 1424. Translatio reliquiarum SS. Killiani et aliorum trium episcoporum et confessorum, in abbatia S. Salvii, Monstrolii, cui interfuerunt episcopus Ambianensis, abbas noster, aliique plures.

Dubitandi ergo locus non est de veneratione. ab antiquo Monstrolii S. Ethbino exhibita.

44 *Jam ergo sæculo decimo quinto ineunte persuasum omnibus erat corpus sancti* Ethbini *ab antiquissimis temporibus Monstrolii fuisse* repositum ; *quod vel ex ipsa constabat* theca, seu feretro marmoreo, *quæ* propter antiquitatem multum demoliebatur. *Præterea* in veteri theca cum dicto sancto Corpore erat cedula de antiqua scriptura facta, verba quæ sequuntur continens : hic requiescit corpus beati Ethbini confessoris. *Non potest igitur dubitari de veneranda sacri illius depositi antiquitate, nisi authentia ipsius mox recitati instrumenti denegetur. Atqui hæc firma stat et inconcussa. Testatur enim laudatus J. de Bovesse exemplar authenticum præ manibus habuisse. En verba, quæ ad marginem* instrumenti translationis *SS. Salvii et Ingaudi, sua manu adscripsit :* Hoc instrumentum prorsus authenticum cum reliquis omnibus hujusmodi. Legi ego originalia signis seu sigillis bene munita in membranis.

Non tamen constat unde, quomodo et quando sacrum corpus eo fuerit delatum.

45 *Est igitur extra controversiam sacras exuvias, de quibus in prædicto instrumento, pluribus ante sæculis, Monstrolium delatas; easque proinde summa dignas censendas veneratione. Optandum utique foret ut æque clara haberentur indicia, quibus probaretur translatio corporis beati* Ethbini *ex Hibernia seu Silva Nectensi in Gallias atque adeo ad abbatiam Monstroliensem. Tunc enim vel obstinatissimo cuique confitendum esset reliquias Sancti nostri ibidem* F *reapse asservatas. Ast vel inviti fateamur oportet cum R. D. de Boves, nos apud antiquos nihil prorsus invenisse quo de hujusmodi Translatione constet ; sed neque etiam quidquam in veteribus monumentis offendimus quo illa vel in dubium vocetur vel negetur. Conjecturis itaque indulsit Malbrancus noster cum scriberet, sacrum* Ethbini *corpus primum ex Hibernia in Britanniam minorem, atque inde, sævientibus Nortmannis, Monstrolium delatas.*

Duo alia Instrumenta de reliquiis Monstroliensibus:

46 *Sunt tamen alia quædam, hic haud prætermittenda, quibus, si firmum omnino robur non addatur Monstroliensi traditioni de reliquiarum primæva translatione, saltem plurimum elucidatur. Recitantur nimirum in nova Gallia Christiana* (3) *chartæ duæ ad rem nostram haud parum facientes. Altera Alulfi comitis Hesdinii* (Hesdin, *urbicula hodie munita in diœcesi Atrebatensi) qui* advocatus sancti Salvii *inscribitur. Communiter charta hæc* Notitia Ramirici *apud annalistas vocatur ; cujus denominationis ratio elucescet ex illius tenore,*

(1) Recueil chronologique des choses remarquables de l'abbaye de S. André au Bois, Ordre de Premontré, par Fr. Claude Sallé, chanoine régulier de la dite abbaye et prieur de Valrestauld. S. Omer. Carlier 1651, in-4°, p. 100.— (2) T. X, col. 1377, ubi de Abbatibus S. Andreæ. — (3) T. X, col. 283-86, inter Instrumenta ecclesiæ Ambianensis.

mox

B. B. *mox subjiciendo. Quiquidem Ramiricus in catalogo abbatum S. Salvii ordine primus venit* (1), *attamen aliiplures, quorum nomina ad nos non pervenerunt, eum antecesserant, quoniam ipse in Notitia* prædecessores suos *memorat,* qui longa in pace tenuerant *villam Caveronis (Cavron St Martin) ab Helgaldo comite datam, cujus (pacis) turbatæ advocatum constituit Alulfum comitem Hesdinii anno Domini* M, *ut ex ipsa charta patet, quæ est hujusmodi.* Quoniam sæpe rerum memoria gestarum et omnium recordatio præteritorum labentibus longi temporis spatiis a mentibus hominum decidit, idcirco ego Ramiricus ecclesiæ beati Winvaloei de Monsterolo humilis minister, providens, ne quis forte pravo consilio seductus, quod suum non esset sibi usurpare præsumeret, notitiæ futurorum cartam istam legentium et audientium declarare curavi, qualiter beati Winvaloei corpus a quodam episcopo nomine Clemente et quodam abbate nomine Benedicto et quibusdam aliis monachis clericis et laicis pro terrore Francorum, terram minoris Britanniæ vastantium, fugientibus, et in majorem Britanniam deferre volentibus, utpote qui ejus famulatui prorsus dediti erant, apud Monsteriolum B allatum est. Quem Helgaldus, qui tunc comes erat, honorabiliter suscipiens, honorabilius detinuit; quia et villam Caveronis, quæ proprium ejus erat alodium, sine advocato, sine majore, penitus liberam sancto donavit, unde servitores vivere possent, et ubi laici, qui Sanctum secuti fuerant, habitarent; quam prædecessores mei longa in pace tenuerunt, sed invalescente mundana nequitia, partim a dominis circummanentibus, res nostras injuste invadentibus, partim ab habitatoribus justitiæ nostræ aliquando subdi se respuentibus, temporibus nostris pax illa turbata est. Hac igitur tam gravissima necessitate compulsus, consilio capituli et amicorum meorum, quos prudentes et fidos mihi credebam, Alulfum comitem Hesdinii advocatum constitui, quo neque fortiorem neque compotentiorem rectitudini nostræ tuendæ cognovi, ut ejus potentia dominos, res nostras invadentes, reprimeret, et habitatores, qui rebelles essent, ad justitiam nostram venire compelleret... Et sciendum est quod comes debet esse advocatus et defensor : si vero aliquis ad justitiam abbatis venire renuerit, comes cogere debet; si autem abbas ab aliquo auxilium habere voluerit, auxi- C lium comitis et justitia dari debet. Præcepi autem ego Alulfus comes Hisdinii hanc cartam ideo fieri, ut tam præsentibus quam futuris notum fiat, quod hæc conventio perpetua stabilitate ac manus nostræ confirmatione roborata consistat. Actum est hoc in cœnobio sancti Winvaloei apud castrum Monsteriolum anno Dominicæ Incarnationis M. Indictione XIII. Regnante vero rege Roberto, anno III. Signum Alulfi comitis, qui hanc cartam fieri jussit et manu propria firmavit. Signum Ramerici abbatis etc. *Haud abs re fuerit hic notasse ex Muratorio* (2) *non raro contigisse,* ut irruentibus in Italiam barbaris, aut intestinis bellis flagrantibus, aut ex aliis etiam caussis, Tabularia comburerentur, aut chartæ alio asportarentur : quod præcipue accidit ineunte sæculo Christi decimo, quum ferocissima Hungrorum gens variis irruptionibus Langobardiam fere universam afflixit. Gallia quoque et Germania ex diuturnis Nortmannorum incursionibus graviori etiam patuerunt malorum Illiadi. Tunc ergo religiosi viri, ne ex hujusmodi diplomatum, aliarumque membranarum jactura aliquid sibi incommodi crearetur, D neve improbis aditus aperiretur ad eorum bona ac jura invadenda, legitimum eligebant præsidium, nempe regis aut imperatoris litteras impetrare, quibus in posterum prospiceretur suis juribus, si quando in discrimen adducerentur.

Alterum Henrici I, Francorum regis.

47 *Altera charta, superius indigitata, inscribitur* diploma Henrici regis pro sancto Salvio. *Suffecerit hic adscripsisse illius initium, quod ad rem nostram pertinet.* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Henricus gratia Dei Francorum rex. Cum primitivæ virtutis, scilicet charitatis, fructus inter alias virtutes emineat, et pro sua dignitate superexcellat; toto nisu omnibus in commune est elaborandum et summopere decertandum, quatenus quod auctori nostro Jesu Christo, quem redemptorem habemus et judicem, magis placere comperimus, studiosius diligamus, et diligendo nostrorum bonorum erogatione strenue impleamus. Liberalitas namque, quæ charitatis officio deservit, regiam dignitatem magis ornat et excolit, dum in ea majorem effectum ostendit. Unde notum sit omnibus sanctæ matris Ecclesiæ fidelibus et nostris, tam præsentibus quam futuris, quod nos morem antecessorum nostrorum regum videlicet E et imperatorum sequentes, liberalitatem nostris locis Sanctorum et congregationibus fidelium impendere deliberavimus, quatenus eorum intercessionibus freti, præsentia bona cum felicitate et æterna mereamur obtinere cum felicitate; unde loco sancti Wingaloei, Monsterioli sito, a pluribus collata præcepto nostræ auctoritatis firmamus, et Sigilli nostri impressione signari præcepimus. Imprimis ea quæ a nostra liberalitate, vel patris mei Roberti, vel avi mei Hugonis prædicto loco concessa sunt, scilicet molendinos duos, cervisiæ usibus deservientes, a me alterum cum quinque accolis, et alterum ab avo meo prædicto Hugone cum decimo pontis denario et duabus ecclesiis in memoriam sancti Judoci sacratis, quarum una est infra munitionem, alia super fluvium sita est, cum piscatoria aquæ ab Atiniaco usque Brivermacum. Addimus præterea firmando ea quæ pater meus contulit, tres ecclesias; unam scilicet in honore sancti Petri, aliam in honore sancti Wingualoei, tertiam in commemorationem sancti Salvii sacratas; et transitum Novæ-Villæ, pro quo solvuntur unoquoque anno quinquaginta carratæ ligni et duo modia vini, cum quinque solidis et decima F levaturæ cervisiarum. Inculcamus prætcrea corroborando ea quæ a primis fundatoribus loci sunt collata, scilicet a Hilgoldo comite, qui prædictum Sanctum nuper a partibus Britanniæ propter metum piratarum deportatum, hospitio cum liberalitate et munificentia, tempore Ludovici imperatoris, filii Caroli Calvi suscipiens, dedit illi imprimis atrium publicum, sepulturam scilicet advenarum et peregrinorum, deinde novem mansos subtus Firmitatem cum prato eisdem mansis contiguo; addidit denique hiis villam Caveroniacum absque alicujus consuetudinis exactione et redhibitione, cum ecclesiis duabus et molendinis totidem (3). *Cætera, utpote ad rem nostram nihil facientia, prætermittimus.*

Quid ex utroque Instrumento efficiatur

48 *Ex duabus hisce chartis efficitur, corpus S. Winwaloei allatum fuisse Monstrolium* tempore Ludovici imperatoris, filii Caroli Calvi. *Is erat Ludovicus, hujus nominis secundus, cognomine Balbus, rex Aquitaniæ ab anno* 867; *patri suo successit* VI *Octobris anno* 877, *coronatus primum*

(1) Nova Gallia Christiana, t. X, col. 1297. — (2) Antiquitates Italiæ medii ævi, t. III, col. 6. Edit. Mediolani 1740. Dissertatio XXXIV : *De Diplomatis et Chartis antiquis dubiis aut falsis.* — (3) Nov. Gall. Christ., t. X, p. 284, *inter Instrum.*

Compendii

A *Compendii ab Hincmaro Rhemensi die* VIII *Decembris præfati anni, et deinde rursus a Papa Joanne VIII in Concilio Trecensi, die* VII *Septembris* 878; *sequentis vero anni die* X *Aprilis, in Parasceve Domini, obiit Compendii, ibique inhumatus est* (1). *Improprie tantum imperator in diplomate vocatur Ludovicus Balbus.* Carolo Calvo, *inquit Petavius noster*, quinto imperatore mortuo, sextus numeratur Carolus Crassus, Ludovici Germaniæ regis filius, ex anno 880. Falluntur enim qui Ludovicum Balbum Calvi filium imperatoribus accensent. Errori causam dedit, quod a Joanne papa VIII idibus Septembris coronatus dicitur anno 878; sed regia hæc fuit, non imperatoria corona. Tametsi Joannes, Balbo favens, in eum transferri studeret imperium, ob idque vexatus ab Romanis, urbe coactus sit excedere, ut Sigebertus ad annum 878 prodidit. Hinc ad Balbum profectus anno integro apud ipsum fuit. Ergo Balbus Franciæ rex, tertio a patris obitu anno, periit IV Eid. Aprilis *(i. e. die* X) Parasceve : qui character in annum cadit 879 (2). *Hinc B. Winwaloei Monstrolium translatio ex Britannia minori refertur ad* 878 (3). *Ast notatu hic ante omnia dignum est,* B *in utroque, mox partim saltem recitato instrumento, non agi nisi de solo Winwaloei corpore; nihil prorsus de alio quovis additur. Similiter nec sedes, cui præerat Clemens ille episcopus, indicatur, nec mentio fit Landevenecensis abbatiæ :* Qualiter beati Winwaloei corpus a quodam abbate nomine Benedicto, *verba sunt Ramerici in notitia seu charta Alulfi.*

De iisdem Reliquiis ex Chronico ms. D. Ducrocq;

49 *His pronotatis variorum de tempore et modo quibus plura Sanctorum corpora Monstrolium perducta traduntur exhibebimus narrationem. In Chronico Ms. Domni Ducrocq monachi Benedictini, hæc leguntur :* Certum est Helgodum *comitem plurimum huic* abbatiæ *(S. Salvii)* favisse, ut fidem facit notitia, quæ his incipit verbis : *ego Ramericus.* Porro Ramericus iste, qui abbas erat S. Salvii eo spectabat, ut indicaret, quo tempore Reliquiæ S. Winwaloei, S. Maclovii, S. Justini et aliorum quorumdam ex Britannia minori Monstrolium fuerint allatæ. Ex ejus enim notitia constat id contigisse anno Domini millesimo. *(Hic enim vero turpiter hallucinatur D. Ducrocq; imo nec intellexit Ramerici notitiam, quæ data quidem est anno millesimo, ast tempora respicit dudum jam elapsa, ut* C *vel obiter legenti in oculos incurrit).* Scilicet Clemens episcopus Corisopitensis *(Quimper)* et Benedictus abbas Landevenecensis, cum barbari Francique inferiorem vastarent Britanniam, præfati episcopus et abbas reliquias transportandas susceperunt in majorem Britanniam, utpote qui uterque ex Anglia essent oriundi. Cum vero Monstrolium attigissent, comes Helgodus *(Helgaud)* tanta eos excepit benevolentia, ut ulterius suum prosecuti non sint iter. Partem itaque reliquiarum apud se retinuit Helgodus; partem misit in villam Caveronis *(Cavron St Martin)*, quam et monachis concessit, quæ etiam hodie ad S. Salvii abbatiam spectat. Nec hoc solum munificentiæ reliquit Helgodus comes testimonium, sed et alia plura donavit in eorum sustentationem, et quo efficacius eos induceret ad ibidem subsistendum, voluit monasterium suum a S. Winwaloeo deinceps nuncupari, in honorem scilicet sancti abbatis cujus corpus transtulerant præfati episcopus et abbas. Et re quidem vera, vix dubium est, alio prius nomine vocatum fuisse S. Winwaloei monasterium, quod tandem a S. Salvio dictum est. *Alio in loco chronici Domni Ducrocq dictas reliquias Monstrolium allatas vult sæculo* IX, *dum Galliam infestabant Normanni; et rursus alibi, repetens fere ad verbum, quæ supra retulimus de adventu episcopi Corisopitani et abbatis Landevenecensis, inter reliquias, quas secum ferebant, corpora numerat SS. Maclovii et Kiliani, sicut et S.* Ethbini, *abbatis Tauracensis,* qui floruit anno 640.

ejus hallucinationes.

50 *Ex his satis elucet recte asseri a Carolo Henneguier, (cive Monstroliensi viro optimo et erudito, qui haud pauca nobis submisit documenta) chronicon Domni Ducrocq in multis peccare, plura confundi inter se valde diversa, nec raro in chronotaxi deficere. Alibi notavimus quam inepte ex charta Ramerici inferat S. Winwaloei corpus Monstrolium fuisse allatum anno millesimo, quod ipse alio loco contigisse scribit sæculo* IX. *Præterea inter Corisopitanos episcopos nullum reperi, qui Clemens vocetur* (4). *In catalogis Landevenecensibus occurrit quidem versus finem sæculi noni abbas nomine Benedictus, ast altum de præfata peregrinatione silentium* (5). E

De iisdem Reliquiis juxta Philippum Luto.

51 *Philippus Luto sacerdos versus annum* 1730 *scripsit historiam (adhuc ineditam) comitatus sive Pagi Gesoriaci seu Bononiensis* (Comté de Boulogne). *Diligentem hunc et accuratum Carolus Henneguier vocat scriptorem. In hujus itaque chronici parte prima (quæ sola superest) citatur Domn. Bucherius (Boucher) monachus S. Salvii, qui de antiquitatibus Monstroliensibus egit in Opere Ms. nunc deperdito.* P. Bucherius *(inquit Luto)* monachus Benedictinus *(obiter notemus a Francisco* Benoise, *abbate commendatario, Monstrolium accitos fuisse anno* 1706 *reformatos monachos congregationis S. Mauri* (6)) qui disquirendis Monstroliensibus antiquitatibus incubuit, contendit primævum monasterium fundatum a S. Salvio et reparatum ab Helgodo comite, longo temporis spatio, Winwaloei nomine insignitum fuisse, quod hujus corpus eo allatum esset ex Armorica ab episcopo, nomine Clemente, et abbate nomine Benedicto, cum ob continuas Normannorum incursiones, in Angliam properarent. Nec solum secum deducebant S. Winwaloei corpus, sed et corpora S. Maclovii seu Machuti et aliorum, quæ hodiedum adhuc inveniuntur in thesauro abbatiæ Salvianæ. *Addit* F *deinde quomodo ab Helgodo comite retenti sedem ibidem suam fixerint anno* 878, *regnante Ludovico Balbo, provocatque ad duplicem, Ramerici nempe et Henrici I chartam. Tum ipse subjungit Philippus Luto.* Oppidum *(Monstrolium)* jam munitum erat et incolis haud infrequens, cum episcopus quidam nomine Clemens, forte Corisopitensis, et abbas nomine Benedictus, forte Landevenecensis, ex Armorica, a Normannis continue vexata, in Angliam fugientes, eo advenerunt. Qui quidem relicto Parisiis corpore S. Maglorii, Monstrolium deduxerunt magnam SS. Reliquiarum vim, inter alias corpora S. Winwaloei, S. Maclovii et aliorum, quæ hodie recondita sunt in thesauro Abbatiæ S. Salvii. *Post hæc rursus agitur de Helgodo comite, qui eos ab itinere in Britanniam majorem retinuit. Alibi, teste Carolo Henneguier, allata Monstrolium dicuntur ab episcopo Corisopitano et abbate Landevenecensi fuisse corpora SS. Winwaloei, Maclovii, Justini,* Ethbini, *Kiliani, Corentini,*

(1) Art de vérifier les dates, p. 539. — (2) Rationarium Temporum, part. I, lib. VIII, cap. X. Edit. Lugduni Batavorum MDCCX, p. 324. — (3) Gallia Christiana, t. X, col. 1296. — (4) Vide l'Eglise de Bretagne, ou Histoire des siéges épiscopaux, abbayes et autres communautés régulières et séculières de cette province, par M. Tresvaux. Edit. Paris 1839, p. 112-116. — (5) Ibid., p. 395. — (6) Gallia Christiana, t. X, col. 1307.

B. B.

tini, Conoquani. Ex his omnibus efficitur immotum perstare R. D. Jacobi de Boves assertum (num. 40 hujus commentarii citatum) scilicet nihil prorsus haberi *ex quo satis constet*, quando præcise, quomodo aut qua Monstrolium translata sint cætera *(præter S. Winwaloei corpus)* corpora seu reliquias Sanctorum. *Cæterum præter septem, mox enumerata, alia tria Sanctorum, Salvii, Ingoldi (Ingaud) Wulphlii (Wulphy) corpora asservabantur in thesauro abbatiæ Salvinianæ.*

Theca S. Ethbini describitur.

52 *Anno* 1713, *die Aprilis undecima, factum est inventarium omnium reliquiarum, præsentibus monachis et scabinis, scribentibus Joanne Caudavaine et Francisco Desprez, notariis in præfata urbe publicis. Ex hujus instrumenti transumpto seu copia authentica, sequentia, ad* S. Ethbinum *spectantia, nobis submisit sæpe nominatus Carolus Henneguier* : Item altera theca, basi innixa ex ligno deaurato, laminis argenteis simulque liliatis (fleurdelysées), atque tredecim iconibus cum Christo, cruci affixo, ornata, aliisque duobus signis ad utramque extremitatem, item argenteis. Habet autem theca illa tres in longitudine pedes cum quatuor pollicibus, in altitudine pedes duos, in la-
B titudine unum; fertque superius tria vasa seu urnas argenteas et quatuordecim minores columnas ex aurichalco. In hac theca quiescit corpus S. Ethbini abbatis. Feretrum seu loculus præfatæ thecæ læsum est : habetur enim in altera extremitate foramen, ortum ex tensæ gestatoriæ clavicula; quod quidem foramen thecam pervadit ad sequi pebis et amplius altitudinem; quare apposita fuit lamina a præfato aurifabro Delhomel. *Tandem in Cæremoniali supplicationum seu processionum, anno* 1723 *exarata, legitur* : Postea incedent fabri ferrarii, reliquias gestantes S. Eligii. Postea sutores, sive cerdones, gestantes corpus S. Ethbini.

Reliquiarum Monstroliensium destructio.

53 *Remanet ut præclarissimi illius Reliquiarum thesauri nefandam impiamque destructionem, exeunte sæculo decimo octavo factam, narremus. Ultimo scilicet mensis Septembris die anni* 1793, *proconsul (Andreas Dumont) missus cum imperio in illas partes a gubernio, quod tum Galliam universam cæde et sanguine funestabat, Monstrolium ingressus, statuas, quæ magno numero præstantissimam ecclesiæ S. Salvii porticum exornabant, inter inconditos plebiculæ clamores dejicere jussit, ita ut duæ tantum integræ permanserint; reliquis omni-*
C *bus vel penitus destructis vel fœde mutilatis. Atque hæc matutino præfatæ diei peracta sunt tempore. A meridie indignius perpetratum est facinus. Sanctorum Reliquiæ sepositæ fuerant in sacrario abbatiæ : decem scilicet sacra illa corpora, superius memorata; item alia tria, nempe SS. Austrebertæ, Tramechildis et Julianæ, olim ex S. Austrebertæ monasterio allata; ingens præterea minorum reliquiarum vis; sive ex thesauro Salviano, sive ex variis abbatiis, conventibus, parœciis congestarum. Quæ omnia sicut et plurimam copiam icuncularum lignearum, librorum ritualium etc., asportare Dumontius curavit in forum* (Place d'Armes). *Cumque in acervum composita essent, advocatur ex nosocomio (Hôtel-Dieu) monialis, cogiturque, junctis amantium more brachiis, una procedere cum sacerdote, vicario seu vice pastore, ut aiunt, præfatæ urbis, qui* civili, *ut dici solet,* constitutioni *fidem præstiterat. Ambo itaque, faculam manu tenentes, vix non emortui, ast terrore compulsi, ignem, spectante proconsule, strui supposuerunt. Dum flagrabat venerandus ille non solum religionis, sed et antiquitatis thesaurus, theca, reliquias* S. Ethbini *recondens (eadem nempe de qua superius num.* 52 *diximus) cum prævie, si-*
D *cut et reliquæ thecæ, ornatibus laminisque argenteis spoliata fuisset, disjuncta est; ex qua caput seu cranium elabens, volvi versus multitudinem cœpit.* Quod, *ait toties jam laudatus Carolus Henneguier,* pater meus *(qui annos tunc fere tredecim natus, præsens ab initio fuerat nefandi facinoris spectator)* arripiens, atque sub veste sua recondens, servare tamen non potuit, a milite, qui eum inverso sclopeto inter scapulas percussit, coactus prædam suam dimittere.

Nihil ex S. Ethbini corpore superest.

54 *Tot tantarumque Reliquiarum in summa olim Monstrolii partim, partim aliis in locis veneratione habitarum, nihil servatum est, præter minora quædam reliquiaria, pleraque affabre facta, quæ moniales S. Austrebertæ, dum domo sua ejicerentur, subduxerant, et deinde converso rerum statu, restituerunt : item minora aliquot ossa a fidelibus sive accepta sive soluto pretio obtenta ab iis, qui sacras Thecas, antequam igni traderentur, ornatibus suis spoliabant : quæ quidem etiam, depulso turbine, ecclesiæ restituta fuere. Haud pauca quoque ossa semiusta, cineribus erepta, atque in plures majores thecas promiscue congesta, hodiedum, sicut et alia mox memorata, servantur in antiqua S. Salvii ecclesia abbatiali, nunc parochiali Monstroliensi.* E
Porro nihil jam superest, ne particula quidem, ex S. Ethbini *reliquiis; nisi forte inter ossa semiustulata et promiscue coacervata.*

Acta S. Ethbini ex Ms. Aquicinctino.

55 *Acta sancti* Ethbini *damus ex Ms. Aquicinctino. Hujus transumptum sive copia, integre exarata manu P. Heriberti Rosweydi, exstat inter Mss. olim Musæi Bollandiani, nunc bibliothecæ Burgundiacæ Bruxellis. Notatur in capite dicti Ms. collatum fuisse cum altero Ms. Marchianensi. Surius eadem habet acta, sed mutato stylo, cum hac inscriptione:* Vita S. Ethbini abbatis incerto quidem auctore, sed fide digna. *Nos primævum textum restituimus, adjectis notationibus, in quibus præter varias lectiones, alia quædam indicamus, quæ in prævio commentario præterire oportuit. Quo tempore acta* S. Ethbini *conscripta fuerint, non facile quis dixerit; cum nulla in eis occurrat nota quæ ad illud determinandum faciat. Satis antiqua nobis videntur. Cæterum et narrationis et scriptionis modus virum indicat gravem, qui, pro more generaliter recepto, amplificat quidem res gestas; quæ tamen, quoad substantiam rejici nequeunt nisi ab eo, cui a priori ratum fixumque est, quævis miracula ex antiquis Sanctorum legendis et vitis decerpta, cum risu vel contemptu excipere.*

Codex Landevenecensis;

56 *Habemus et alteram vitam sancti* Ethbini *descriptam* ex archivo monasterii Landevenecensi in Britannia Armorica, *ut manu sua notavit Papebrochius. Hæc parum differt a priori de qua mox diximus, nisi quod in prima pagina et initio secundæ, loco* Ethbinus *scribatur* Idinnetus *vel* Idunetus; *in reliquis paginis usque ad finem constanter servatur nomen* Ethbini. *Supra diximus sanctos* Ethbinum *et* Idinnetum *a nonnullis confusos fuisse, quod forte provenit ex Manuscripto Landevenecensi. Nec enim autumandum amanuensem seu copistam nostrum propria auctoritate nomini* Idinneti *substituisse nomen* Ethbini. *Quod si fecisset, promiscue usurpasset utrumque scribendi modum, nec ab initio solum quateraut quinquies scripsisset* Idinnetum, *et postea perpetuo* Ethbinum.

Vita ex Mss. S. Salvii Monstroliensis.

57 *Tandem est nobis præ manibus et tertia sancti* Ethbini *Vita, descripta ex veteribus manuscriptis abbatiæ S. Salvii Monstroliensis. Hæc truncata videtur, cum tantum sese extendat usque ad vastationem monasterii Tauracensis; postquam paucis verbis indicatur transitus sancti* Ethbini *in Hiberniam.*

Cæteroquin

Cæteroquin Vita hæc vix differt a duabus prioribus. Varias lectiones in Annotatis *indicabimus.*

ACTA SANCTI ETHBINI.

Ex Ms. Aquicintino, coll. cum. Ms. Marchianensi. a.

VITA SANCTI ETHBINI

LEVITÆ ET CONFESSORIS,

DISCIPULI S. WINWALOEI.

S. Ethbini natales, educatio domestica. Clero adscribitur.

Beati Ethbini *b* confessoris vitam scripturus, peto habere suffragatorem, quem ipse in se habuit habitatorem. In Britanniæ partibus natus extitit Ethbinus, patre nobilissimo et matre. Eruditus liberalibus studiis in domo patris sui usque ad quintum decimum annum fuit. Mortuo autem patre Eutio *c*, mater Eula ad sancti Samsonis episcopi Dolensis *d* confugit præsidium, et ut eam sacro velamine consecraret postulavit; qui ejus voluntati petitionique assensum præbens, et eam Deo dicavit, et filium suum Ethbinum, comam capitis radens, clericavit *e*. Mansit autem Ethbinus cum beato Samsone episcopo, quibusdam diebus *f* serviens ei die ac nocte.

Fit Monachus

2 Quadam autem die dum beatus Samson episcopus sacerdotali fungeretur officio, et Baumerus *g* diaconus lectionem Evangelii recitaret, audivit Ethbinus verba dicentis Domini: « Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus » *h*. Hac voce compulsus cuncta reliquit, et ad sanctum Similianum *i* abbatem pervenit, monachalemque habitum de manu ejus suscepit et sub jugo Domini cervicem suam inclinavit, in monasterio qui Tauracus *k* nuncupabatur.

et comes individuus B. Winwaloei.

3 In eodem autem monasterio habitabat Winwaloeus sacerdos et monachus *l*, magnæ sanctitatis vir, qui beatum ad se conjungens Virum, vidit eminus *m* eum superna gratia illustratum: ut pater filium diligebat. Consuetudo autem erat beati Winwaloei ecclesiam, quæ sita erat a monasterio milliario uno, visitare, et inibi hostias tam pro vivis quam pro defunctis, jussu abbatis offerre. In hujus enim *n* visitationis consuetudine secum sociavit Ethbinum, juvenem præclarum, diaconum magnum, ut sacerdos dignus diacono sustentaretur justo.

Obviam habent leprosum,

4 Accidit autem quadam die, dum consuetudine expleta iter per campos in tempore messis facerent, invenere quemdam leprosum jacentem in terra, graviter plangentem, cujus corpus totum vulneribus erat plenum, exclamantem flebili voce, et auxilium ab eis postulantem. Cujus gemitu et anxietate compunctus *o* beatus Winwaloeus Ethbino diacono justo ait: Frater charissime, quidnam daturi sumus huic pauperi, auxilium a nobis postulanti? Aurum non habemus, argentum non recondimus; nudi pecuniis hujus sæculi, quid daturi sumus huic egenti? Sanctus vero Ethbinus spiritus sancti gratia repletus ait: Legimus, pater, in actibus Apostolorum quod beato Petro cum Joanne introeunte in templo, claudus eleemosynam petiit, et sospitatem gressus ab eis recepit *p*. Tunc beatus Ethbinus *q*: Tu autem appropinqua pauperi et supernæ gratiæ munus impartire illi.

fœdo afflictum in naribus vulnere;

5 Tunc beatus Winwaloeus stans secus pauperem dixit: Quæ sunt in te infirmitates, frater, pro quibus tam gravia suspiria tamque debilia verba emittis? Ille ab intimo pectore trahens suspiria, cum magna humilitate ait: Magna angustia, multi gravesque dolores quatiunt meum miserum corpus: sed præ cæteris dolor unus inest, qui adeo est infirmitati meæ noxius, ut si hunc diem sine hujus doloris curatione transeam, mortem potius quam vitam esse scio. Cui beatus Winwaloeus: Dic tu, frater, quo auxilio leviari poteris: Testis est Deus, quod nostræ carnis partem in tuis auxiliis, si necessitas comprobaverit, posituri sumus. Nares, inquit, meæ dolore vulnerum plenæ, stercus congerunt ab ardore, ut vides, tantæ infirmitatis *r*.

quibus dum os suum applicat B. Winwaloeus,

6 Hæc audiens Ethbinus, librum, quem gestabat manu, ad terram deposuit, et pauperem per latera arripiens, quia pronus in terra jacebat, erexit. Sacerdos vero Christi Winwaloeus dum ad nares ejus manum porrigeret, pauper flebili voce clamare, ut poterat, cœpit: Noli, senior, noli manu capere nares, quia dolor non permittit: sed si pro remissione peccatorum tuorum dolorem meum leviare volueris, ore tuo sugendus et leviter extrahendus est dolor, qui me cruciat *s*. Quo audito humiliavit se beatus Sacerdos, qui exaltatus fuerat meritis in cœlo: et dum applicaretur ad subveniendum pauperi, in ore suo excepit carnem filii Dei.

sub leprosi specie apparuisse sibi comperit Christum:

7 O mira res et admiranda, stupendaque omnibus audientibus. Mox ut ad se traxit beatus Winwaloeus, petra mirabilis in os ejus cecidit. Et beatus Ethbinus per latera Dominum tenens, sursum aspexit, cœlum apertum vidit, et in capite Domini quem tenebat, sancta Crux apparuit, angelosque obviam venire vidit, et tunc beato Sacerdoti ait: Pater sancte, ipsum quem teneo manibus et tu ore, Dominum nostrum Jesum Christum, qui pro nobis semetipsum dedit, esse credo. His dictis dum magno gaudio exultarent, cupientes illum tenere manibus, elevavit se Dominus Jesus Christus in nubibus dicens: Non me erubuistis, servi mei, in angustiis meis, nec ego vos erubescam in regno Patris mei. Hæreditas vestra mecum est; et his, pro quibus petieritis, salus in regno meo.

qui, blande eos allocutus, disparet.

8 His dictis evanuit ab oculis eorum, et receptus est in cœlum cum magna voce. Vocem quidem audiebant sed neminem videbant. Stupefacti autem et nimio gaudio læti, laudaverunt ipsum qui eos in tantum dilexit, quatenus se eis manifestare dignaretur in similitudinem pauperis. Tunc beatus Winwaloeus dixit: Hoc tuis meritis, frater Ethbine, accidit nobis, qui tantæ es humilitatis et obedientiæ, ut quidquid humana lingua præcipere potest, tu corde devotissimus adimpleas. At contra Ethbinus ait: Non ita est, pater: sed tu, qui quotidie carnem et sanguinem Jesu Christi immolas, meruisti ipsum videre in suo corpore, quem tenes assidue in animo. Vide ne pateſiat. Nemo enim hoc factum novit, nisi solus Deus, exceptis nobis duobus. Dehinc ad monasterium revertentes nemini innotuerunt; sed in cœpti (in cœpta) orationis consuetudine usque ad vastationem ipsius templi perstiterunt *t*.

Vastato Tauraco, in Hiberniam secedit S. Ethbinus.

9 Supervenientes enim Franci vastaverunt ipsum templum et totam Britanniam. Tunc beatus Ethbinus *u* in Hiberniam fugiens, in Sylva, quæ Nectensis *v* dicitur, ut pauper peregrinus tugurium fecit et in honore sancti Silvani *x* martyris ecclesiam fabricavit, in qua assidue ut bonus servus Domino suo militavit.

Claudum sanat.

10 Igitur dum quadam die Ethbinus pro foribus monasterii sederet, claudus ad eum venit, et ab eo eleemosynam

EX MSS.

eleemosynam petiit. Cui beatus Ethbinus ait : In nomine Domini nostri Jesu Christi, surge sanus et sta super pedes tuos, et benedic Deum, qui salvat sperantes in se. Et continuo ita sanus surrexit ac si numquam claudus fuisset.

Filium paralyticum, viribus integrum, matri reddit.

11 Quædam mulier filium habens paralyticum, quum ad virum Dei pervenisset, postulavit ut ad domum ejus veniret, et sanitatem ei a Domino impetraret. Tunc beatus Dei servus ait illi : Nos enim peccatores sumus, hoc miraculum in usum non habemus. Sed si sanitatem filii tui requiris ad sanctæ Brigidæ z sepulcrum perducam. Credo per Dei misericordiam, quia ibi meritis sanctæ Virginis recepturus est sanitatem. At illa respondens dixit : Illuc, pater, eum jam portavi, et dum quadam nocte vigilias fecissem, paululum obdormivi, et in somnis vocem audivi mihi dicentem : In Silva, quæ Nectensis dicitur, moratur servus Dei Ethbinus; ad quem si filium tuum duxeris, sanitatem ejus meritis, Deo largiente, consequetur. Et vivit Dominus, quia non te dimittam, usque filium meum incolumem ante me reduxero. Tunc beatus Ethbinus oratorium intrans, tantum ante altare in oratione jacuit, quo usque a domo matris
B veniens (filius) beato viro diceret : Gratias tibi ago, pater, qui me in lecto ægritudinis jacentem visitasti, et tuis manibus erexisti, sospitatemque tantæ infirmitatis donasti. Ad hæc erigens se beatus Ethbinus benedixit Dominum, qui in Sanctis suis dignatus est operari mirabilia. Videt *, frater nemini dixeris, quia non meis meritis, sed gratia Dei munus sanitatis accepisti.

* vide

Mira S. Ethbini abstinentia.

12 Vixit autem beatus Ethbinus in eodem loco viginti annis, fideliter operans opus Dei, donans sanitatem infirmantibus. Tantæque abstinentiæ fuit ibidem Beatus iste, ut in hebdommadam non reficeretur nisi semel, in quinta feria scilicet, et tunc pane solo et aqua. Vinum in eodem loco non bibit, nisi tantummodo, quum ad sacra mysteria accederet.

Morti proximus convocat fratres;

13 Igitur cum jam ferme octoginta et trium esset annorum, acri cœpit dolore fatigari. Convocatis fratribus qui in eadem silva morabantur, obitum suum prædixit dicens : Cunctipotenti Domino fratres vos commendo, qui præsens est servis suis in cunctis necessitatibus eorum. Me autem ad præsens moriturum corpore scitote, ad dexteram partem hujus altaris me ponite : Sacras hos-
C tias super ipsum pro remissione peccatorum meorum offerte.

reddit spiritum.

14 Itaque pacificatis *aa* omnibus, ante altare spiritum reddidit, quartodecimo Kalendas Novembris. Sepultus est autem in eodem loco, ubi jusserat, honorifice. Ubi largiente Domino fiunt miracula ad laudem et honorem nominis ejus : Cujus virtus et potestas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Reperitur apud Surium* XIX *Octobris*, elimato, *ut ipse ait*, stylo.

b *In altero Ms. nostro (duas enim S.* Ethbini *vitas Mss. habemus) vocatur* Idinnetus. *Ms. hoc acceperunt majores ex archivo monasterii Landevenecensi. Nomen* Idinneti *servatur in prima pagina; in reliquis vix non semper scribitur* Ethbinus. *Notatur apud nos in Actis S. Winwaloei* (1) in *quodam* Ms. Britannico partem rerum gestarum S Ethbini D applicari cuidam *Idiuneto, alibi plane* ignoto. *Quod quidem ex simili codicum defectu ortum habuerit.*

c *Surius habet :* Mortuo autem patre ejus Eutychio. *In transumpto nostro ex Ms. Landevenecensi deest nomen patris, culpa nempe amanuensis, qui plura verba hoc loco omisit. Cæterum affirmat R. D. Tresvaux* (2) *in Ms. Landevenecensi nomen patris scribi :* Encius. *Matrem vocat Malbrancus* (3) Eulaliam ; *patrem*, Eutichium. *Vide comm. præv. n.* 29.

d *De S. Samsonis episcopatu plura disputavimus in comm. præv. n.* 10-15.

e Ethbinum tonso capite in clerum asscivit. *Surius.*

f *Capgravius habet* aliquot annis. *Confer comment. præv. num.* 4.

g *Saussaius* (4) *loco* Baumerus, *habet* Hunnerus. *Qua ratione ipse viderit. Non putem alibi uspiam de Baumero fieri mentionem.*

h *Luc.* XIV ℣ XXXIII.

i Quinianum *vocat idem Saussaius* (5), *haud meliori ductus ratione. S. Similianum abbatem non confundendum diximus cum episcopo Nannetensi ejusdem nominis. Comm. præv. n.* 17 *et seq.* E

k *Vide commentarium præv. num.* 19.

l *Diversus a S. Winwaloeo, Landevenecensi abbate, ut multis disputavimus. Comm. præv. n.* 20-24.

m *Surius habet :* ut propius cognovit eum superna gratia illustratum, perinde ut pater filium, eum dilexit. *Ms. Landeven. :* Videns eum superna gratia illustratum, ut pater filium diligebat.

n Ejus itineris comitem sibi Ethbinum adhibuit, juvenem præclarum, egregiumque diaconum. *Surius. Juxta Ms. Landeven. :* In hujus enim visitationis consuetudine sibi consociavit Idinuetum *(vel* Idiunetum) juvenem præclarum, diaconum magnum.

o Permotus ejus calamitate et angore beatus Ethbinus. *Surius. In Landevenecensi simplicius :* beatus Guingualoeus Et-bino justo ait. *Deinceps scribitur ibidem, non jam* Idinnetus *sive* Idiunetus, *sed* Ethbinus, *nisi quod hoc loco reddatur* Et-bino.

p *Act. Apostol. c.* III.

q *Non leguntur tria hæc verba in Landev. Ms. Et re quidem vera hic redundat, verosimiliter vitio amanuensis.*

r *Surius ita hæc reddit :* Nares meæ vulneribus F corrosæ a tanto morbi ardore sordes purulentas contrahunt. *Quæ quidem si minus crude, minus etiam vere dicta esse patet, ad mentem Actorum.*

s *Landeven. Ms. :* Necesse est mihi ut in ore tuo nares meas miseris et ita traxeris. *Surius :* Os tuum admoveas naribus meis, atque ita leniter exsugas extrahasque putorem, qui me cruciat.

t *Landeven. Ms. habet :* Sed suam consuetudinem usque ad vastationem ipsius templi adimpleverunt. *De tempore quo hæc vastatio accidit, vide comm. præv. num.* 6 *et seqq.*

u *Sexagenario major ut diximus in comm. præv. num.* 32.

v *De* Sylva Nectensi *plura disputavimus in comm. prævio n.* 25 *et* 26.

x *Sanctus Silvanus martyr prorsus nobis ignotus, ut qui alibi non memoratur. Comm. præv. n.* 27.

z *S. Brigida, notissima inter hibernos virgo, de qua prolixe a Bollando actum ad diem* I *Februarii* (6). *Confer comm. præv. num.* 27.

aa *Surius habet :* Ita pace omnibus data.

(1) Acta SS. ad diem III Martii tom. hujus mensis primo, p. 248. n. 14.—(2) Les vies des Saints de Bretagne, t. I, p. 27.—(3) De Morinis, t. I, p. 185. — (4) Martyrol. Gallicanum, ad diem XIX Octobris. — (5) Ibid. — (6) Acta SS., t. I Februar., p. 99-185.

DE

A D

DE SANCTO AQUILINO

EPISCOPO EBROICENSI IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B. B.

§ I. Urbis et Sedis Ebroicensis antiquitas. S. Aquilinus Episcopus, subscribit concilio Rothomagensi. Quo anno illud celebratum sit. Fama Sanctitatis. Martyrologia.

SÆCULO VII INEUNTE.

Urbis Ebroicarum varia nomina et situs.

E*broicinæ urbis* (Evreux) *sicut et gentis, cujus caput illa erat, antiquitas a nemine in dubium vocatur. Ut plerumque accidit, urbs hæc diversis temporibus diversa ha-* B *buit nomina. Apud antiquiores, Ptolomæum, Ammianum Marcellinum vocatur* Mediolanum (Μεδιολάνιον) ; *in Tabula Peutingeriana, et in Itinerario Æthici*, Mediolanum Aulercorum, *in variis Galliæ Notitiis*, civitas Ebroïcorum, civitas Euaticorum Ebroïcas, civitas Evaticorum, id est, Ebroïcum. *Usuardus* III *Idus Augusti habet :* Apud castellum Ebroas sancti Taurini episcopi et confessoris. *Confer Hadrianum Valesium* (1). *Ex his satis jam apparet* Ebroicas *a voce* Eburovices *formatas ; suppressa littera* U, *ut in similibus usu venit, habetur* Ebroices, *unde levissima inflexione exurgit Ebroicæ, et tandem* Evreux, *observando frequenter in hujusmodi vocibus gallicis a latino deductis litteram* B *mutari in* V. *Quod vero ad ipsos Eburovices (ita dictos forte ab* Edura *vel* Ebura *fluvio, gallice :* Eure) *spectat ; notandum est habitasse olim, a Sequana, versus Armoricam (nunc Britanniam Minorem) sese extendentes,* Aulercos. *Antiquissima scilicet hæc natio est, si Livio fides est ; scribit enim l.* V *Decad.* I. *c.* XXXIV : De transitu Gallorum in Italiam hæc accepimus. Prisco Tarquinio regnante... Belloveso *(Gallorum duci)* in Italiam viam Dii dabant. Is Bituriges, Arvernos, Senones, Heduos, C Ambarros, Carnutes, Aulercos excivit. *Porro Aulerci* in tria, *inquit Cellarius* (2), genera divisi erant : *Eburovices, Diablintes, Cenomanos* (alii quartum addunt genus nempe *Brannovices*). Divisio est ex Cæsare, Plinio et Ptolomæo. *Aulerci Eburovices* plene et clare nominantur a Cæsare de Bello Gallico l. III, c. XVII... Hi Sequanæ propiores, quibus Ptolomæus oppidum *Mediolanum* dat, ideo in Peutingeriana Theodosii Tabula *(non indicat Cellarius, utrum laudata Tabula referatur ad tempora Theodosii magni, annum nempe* 393, *an vero, quod recentioribus præplacet, ad annum* 435 *dum regnaret Theodosius junior* (3)) et Antonini Itinere a Rotomago Luteciam, *Mediolanum* Aulercorum dictum.

Sedis Ebroicensis antiquitas, licet S. Taurini incerta sit ætas.

2 *Sedis Ebroïcinæ antiquitas passim ab omnibus celebratur, licet quo præcise sæculo erecta fuerit, non constet. Cæterum apud omnes notum satis est, origines ecclesiarum in Galliis densis involvi tenebris* (4). *Sufficiat hic adscripsisse quæ habentur in* Nova Gallia Christiana (5) *de S. Taurino. In his continetur breviter quidquid de initio ecclesiæ Ebroïcensis disputatum ab eruditis hucusque fuerit.* Sanctum Taurinum primum Ebroicorum fuisse episcopum inter omnes convenit *(non tam expresse Petrus Boschius noster ad diem* XI *Aug.* (6) *ubi dicit :* E *Episcoporum Ebroicensium* agmen duxisse creditur S. Taurinus) a quo autem missus fuerit, et quonam vixerit tempore, non ita certum. *Acta enim ejus ab Adeodato scripta ita confusa sunt, ut veritatis lumen vix aliquod luceat*, inquit Bosquetus ecclesiæ Gallicanæ hist. lib. I, p. 53. Nam sub Domitiano natum recitant; a Clemente summo pontifice baptizatum, in Gallias cum beato Dionysio profectum, et ab eo Ebroïcensibus datum episcopum. Legationem quoque ad Sixtum Romanum episcopum a Taurino missam.... pauloque post Sixti obitum Gallias a barbaris occupatas referunt. Hæc autem omnia perpendens Bosquetus, et Galliarum a barbaris gentibus depopulationes repetens, ad Alemannorum sub Galieno irruptionem referenda Taurini tempora existimat : *Nam eodem imperante Sixtus secundus episcopus Romanus passus est circa annum Christi* 260. *Quare Taurinum longa ætate provectum sub Valeriano et Galieno cum aliis episcopis, de quibus Gregorius Turonensis, Saturnino nimirum, Paulo, Gatiano et Stremonio missum fuisse oportet.* Ita Bosquetus, quem annotarunt Sammarthani et secutus fuisse videtur Tillemontius. *Postremus vero historiæ Ebroicensis* F *scriptor (Le Brasseur, de quo frequens in hoc Comm. recurret sermo) ecclesiæ suæ antiquitati minus indulgens... occupatas a Vandalis Gallias sub initium sæculi quinti cum pluribus aliis opinatur, quo tempore mortem oppetierit Taurinus. Boschius noster initio Commentarii prævii ad Acta S. Taurini, in margine scribit* : Forte *sec.* V ; *et n.* 15 *ibid. manifeste inclinat in sententiam Brasseurianam.*

S. Aquilinus

3 *Inter sanctos ecclesiæ Ebroicensis ecclesiæ Pontifices non infimum locum obtinet* Aquilinus. *Ejus memoria occurrit in omnibus antiquæ ecclesiæ historiis. Ad diem decimum quintum Februarii* (7), *inter* Prætermissos et in alios dies rejectos, *legitur :* S. Aquilinum episcopum Ebroïcensem in sua ecclesia cathedrali hoc die coli tradit Claudius Robertus. Nos martyrologia secuti vitam ejus dabimus XIX Octobris. *Quod tamen non ita intelligendum, quasi S.* Aquilinus *patronus esset ecclesiæ cathedralis, cum hæc Divæ Virgini dedicata sit. Ast extabat Ebroïcis, ante rerum perturbationem, quæ finem*

(1) Notitia Galliarum. Verbo *Aulerci*. — (2) Notitia Orbis Antiqui lib. II, cap. II, sect. II, § LXX, p. 164. Edit. Lipsiæ 1773. — (3) Biographie universelle. Verbo : *Peutinger*. — (4) Confer Acta S. Florentini seu Florentii Ep. Treviren. et Tungren. supra ad diem XVII hujus mensis. — (5) T. XI, col. 564 et seq. — (6) Acta SS., t. II Augusti, p. 635. *In Actis S. Taurini*. — (7) Acta SS., t. II Februarii.

sæculi

B. n.

sæculi præteriti funestavit, ecclesia parochialis sub invocatione S. Aquilini, *quæ post Concordatum anni* 1801 *suppressa remansit. Erat olim beneficium* 1000 *librarum* (1). *Hodie oratorium est minoris seminarii Ebroïcensis. Exstat etiam haud procul ab Ebroïcis vicus, nomine S.* Aquilini *(S. Aquilin-de-Pacy) olim parœcia nunc vero suppressa, ut patet ex Calendario ecclesiastico* (2). *Erat præbenda* 700 *lib.* (3).

subscribit Concilio Rothomagensi.

4 *Antiquissima quæ de S.* Aquilino *Ebroïcensi episcopo occurrit mentio, habetur ex Concilio Rotomagensi, cujus, teste Sirmondo* (4), meminit Aigradus in hæc verba : facta est, inquit, hæc privilegii *(Fontennalensis)* auctoritas sub anno Dominicæ Incarnationis DCXXCII, indictione x, qui erat annus præfati gloriosi regis Theodorici XVI. *Inter subscriptiones recitat Aigradus :* Aquilinus episcopus Ebroïcæ urbis. *Nemo unus eruditorum est qui Concilii hujus mentionem non habeat, quamvis, ut notat D. Bessin* (5) : Quo anno habitum fuerit hoc concilium non consentiunt chronologi. Illud Sirmondus anno incarnationis Dom. 682, Mabillonius anno 689, Labbeus anno 692; *ipse vero D. Bessin anno* 693 *celebratum fuisse tenet, Cointius anno* 688.

B

De anno hujus Concilii, juxta Cointium.

5 *Difficultas oritur ex characteribus chronologicis, qui ab initio ponuntur in vulgato Aigrado : quatuor nempe sunt numero.* Primum, *inquit Cointius* (6), desumit a nativitate Domini ; secundum ab indictione ; tertium a principatu Theodorici; quartum ab ipsius Ansberti pontificatu. *Sub anno,* inquit (Aigradus) *Dominicæ Incarnationis sexcentesimo octogesimo secundo, indictione decima, qui erat annus præfati gloriosi regis Theodorici tertius decimus, et præfati venerandi præsulis pontificatus quintus, in synodo generali, Rotomago urbe, habita.* Duo priores *(ita prosequitur Cointius)* intrusi sunt a neoteriis. Id liquido constat. Tunc enim a Francis nec usurpabantur indictionum notæ, nec anni a Christi nativitate numerabantur. Deinde anno Christi sexcentesimo octogesimo secundo, quocum Indictio decima convenit, Ansbertus abbas erat monasterii Fontanellensis, et ecclesiæ Rotomagensi præerat Audoenus episcopus in vivis adhuc superstes. Tertius character duobus modis editus reperitur. Ex codice manuscripto sancti Michaelis in mari, Sirmondus scribit annum XVI Theodorici regis; in vulgatis exemplaribus habetur annus XIII. Plerique respuunt annum XVI, quia negant Theodoricum annos sexdecim regnasse. Nobis hæc ratio non placet. Regnum enim Neustriæ, ubi Rotomagus, tenuit post Childericum fratrem Theodoricus annos plures quam sexdecim, licet multo pauciores in Austria post Dagobertum patruelem regnarit. Ad nostrum calculum propius accedit Theodorici regis annus XVI quam XIII, hoc enim anno Theodoricus annum decimum quintum absolvit, inchoavitque decimum septum. Quartus character tutior est cæteris, et in omnibus codicibus quintum annum exhibet Ansberti pontificis. Hæc ad chronologiam. *Hactenus Cointius. Qui, cum ex quatuor prælibatis characteribus, quartum tantummodo firmum, utpote in omnibus codicibus positum, habeat, et ipse exordium episcopatus S. Ansberti statuat anno* 683 (7), *consequens est ut Concilium innectat anno* 688. *Ast multum abest, ut omnes in Cointianam supputationem consenserint. Audiamus Labbeum.*

C

Item juxta Labbeum.

6 Aigradus, *inquit* (8), Monachus, aut quisquis alius fuit vitæ S. Ansberti, ex Fontanellensi abbate D Rothomagensis præsulis, interpolator, Baronium, Binium, Sirmondum, multosque alios hactenus in fraudem induxit, productis in vulgatum textum tribus minimum, iisque gravissimis erroribus, quos hic breviter emendandos moneo, ne sacram chronologiam commaculare diutius pergant. I enim æræ Christi annus 682 in 692 mutandus; tum indictio x in v. Ansberti denique pontificatus annus quintus in tertium reformandus, cum certo certius sit die dumtaxat 20 *(lege* 24) mensis Augusti anni 689 S. Audoenum, Ansberti decessorem, annos 90 natum, cum sedisset Rothomagi annis 43 m. 3 d. 10, ex Clipiacensi villa, prope Lutetiam Parisiorum, ad superos abiisse. Plura qui volet, consulat lector R. P. Godefridi Henschenii S. J. Diatribam de tribus Dagobertis pag. 129 et Chronici nostri historici pag. 539, 545, 547. Porro hæc a nobis observatio non fuerat omittenda, quod diligentissimus atque infinitæ lectionis vir, Sirmondus noster ὁ μακαρίτης in Ms. codice S. Michaelis in periculo maris repererit adscriptum annum regis Theodorici 16 cumque Atrebatensibus diplomatis (quæ nos alias pluribus exsufflavimus) tamquam ἕρμαιον quoddam arripuerit ad stabiliendam annorum 24 regni Theodoriciani epocham illam, quam nos primi eductis E in aciem pluribus argumentis, annos 14 (non tantum 4, ut vulgo plerique omnes) Clotario ejus fratri natu majori vindicantibus, falsam esse convicimus. *Hæc Labbeus ut annum Concilio Rothomagensi stabiliat* 692 ; *quadrienno proinde differt a Cointii chronotaxi.*

Henschenium in Diatriba de tribus Dagobertis ;

7 *Jam ad Henschenium nostrum, quem laudat Labbeus, veniamus. Ille itaque in celebratissima de* tribus Dagobertis Diatriba *notat* (9) ad stabiliendam regum Francorum Merovingicæ stirpis chronologiam, supervacaneum esse ad annos *(quos paulo ante* (10) adscriptos margini a posteris, prout cujusque captus erat, *dixerat)* ab Christi nativitate numeratos recurrere, quando ea annos a Christi ortu computandi ratio in antiquis historiis ante seculum octavum minime fuit usitata. *Deinde probat* (11) epocham veterum Francorum per annos regum distinctam ; non pontificum, imperatorum externorum aut indictionum. *Posthæc, traditis quæ ad regnum Dagoberti I pertinent, ad Clodoweum II venit, cujus annus primus incidit in annum Christi* DCXLIV, cujus regnum, *inquit* (12) eo anno initum solidissime confirmat S. Audoenus, Dagoberti regis F ante Referendarius. Hic indicaturus, quem non poterat non optime meminisse, annum et diem, quo episcopi consecrati fuerant, ipse Rothomagensis, S. Eligius Noviomensis, in hujus a se edita vita testatur, ambos se *Apostolicam benedictionem meruisse eo tempore, quo apud Gallias a cuncto populo Rogationes celebrabantur.* Tum, inquit, *convenientes simul in civitate Rotomagensi decimo quarto die mensis tertii* sive Maii, *anno tertio Chlodovei, juvenculi adhuc regis* (septennis tum erat is) *die Dominico ante Litanias, inter catervas populi, inter agmina clericorum, inter choros psallentium, consecrati sumus gratis ab episcopis pariter episcopi, ego Rotomago, ille vero Noviomo.* Hæc S. Audoenus. Annus ab eo indicatur Chlodovei III, Christi DCXLVI, quo, cyclo Solis XI, littera Dominicali A, cyclo Lunæ I, Pascha celebratum fuit Luna XVIII, die IX Aprilis, et solennitas Christi ad cœlum ascendentis XVIII Maii, quam antecessit Dominica Rogationum

(1) Pouillié général contenant les bénéfices de l'Archevêché de Rouen, et des diocèses d'Avranches, Bayeux, Coutance, Lisieux, Evreux, Seez. Edit. Paris 1648. Diocese d'Evreux, p. 5. — (2) Almanach du clergé de France, 1865. — (3) Pouillié général. Loc. cit., p. 29. — (4) Concilia Antiqua Galliæ, t. I, p. 509. Edit. Paris. 1629. — (5) Concilia Rotomagensis provinciæ. Part. prior., p. 13. Edit. Rotomagi 1717. — (6) Annal. ecclesiast. Francor., ad an. 688, n. VII, t. IV, p. 191. — (7) Ibid., p. 62. — (8) Concil., t. VI, col. 1242. *Observatio.* — (9) P. 5. Edit. Antverp., an 1655. — (10) Ibid., p. 4. — (11) Ibid., lib. I, cap. II, p. 9 et seqq. — (12) Ibid., cap. IX. p. 47 et seq.

sive

A sive ante Litanias, xiv Maii. *Hæc ideo tam minute et accurate exponit Henschenius quod data illa ipsi velut cardo sit, in quo vix non tota illius epochæ chronologia volvitur. Porro juxta Fredegodum, Rothomagensem rexit Audoënus ecclesiam annos* XLIII, *menses* III, *dies* X; *scilicet a die* XIV *Maii anni* DCXLVI *ad* XXIV *Augusti anni* DCLXXXIX (1). *Et paulo inferius scribit laudatus Henschenius* (2) : S. Audoeno anno DCLXXXIX mortuo successit S. Ansbertus, cujus sedem celebrem facit synodus Rothomagensis ab eo habita, et quidem *anno gloriosi regis Theodorici decimo tertio.* Sirmondus *hunc annum Theodorici* XIII hactenus repertum in synodi Actis excussis, et Ms. Rotomagensi et Fontanellensi, quibus maxime fidendum, aliisque variis, corrigit ex solo codice S. Michaelis in mari, *annumque* XVI *Theodorici* reponit, quot eum non regnasse annos probavimus (3). Sirmondum sequitur Labbeus et cum illo refert *(Concilium)* ad annum DCLXXXII, quo, adhuc viventibus SS. Genesio archiepiscopo Lugdunensi et Audoeno Rotomagensi, sub Lamberto abbate Fontanellensi privatus vivebat S Ansbertus. *Ita Henschenius. Vidimus supra n. 9 Labbeum, apposita* observatione, *sententiam mutasse. Annos autem* B *Theodorici III ita ordinat Henschenius* (4) : *anno* 676 *Theodoricus rex Neustriæ; an.* 679 *Theodoricus regnum recipit; an.* 692 *RothomagenseConcilium sub S. Ansberto; an.* 694 *Theodoricus rex moritur. Mortem vero S. Audoëni et initium episcopatus S. Ansberti innectit, ut vidimus, anno* 689. *Unde liquet characterem Concilii chronologicum ex annis pontificatus S. Ansberti, ab Henschenio vel non visum, vel ita flocci habitum ut, nulla reddita ratione, haud dubitaverit ab illo recedere. Quod cæteroquin consentaneum erat ejus supra laudato asserto :* epocham veterum Francorum per annos regum distinctam; *cæteros vero annos* adscriptos margini a posteris, prout cujusque captus erat.

Ast postea reformavit Henschenius suam sententiam.

8 *At vero, multis post annis, plura, quæ in Diatriba de tribus Dagobertis ad chronologiam spectantia stabilita crediderat, mutare ipse animadvertit Henschenius. Quare tomo* III *Aprilis præfixit scriptionem hoc titulo :* Exegesis præliminaris innovans et stabiliens Diatribam olim editam de tribus Dagobertis Francorum regibus. *Atque imprimis S. Audoënum diem ponit obiisse supremum non jam* 24 *Augusti an.* 689 *(quod tamen tamquam certo certius admiserat ex Henschenii Diatriba Labbeus) bene* C *vero dicto die an.* 683 (5). *Ratio est, quod ejus ordinationem adscribat ad annum* 640 *die* XIV *Maii* (6). *Quod vero ad annos Theodorici III spectat; hunc dicit, in Neustria, mortuo Chlotario III, suffectum anno* 670, *sed mox ab Ebroino, reclusum monasterio, atque ejus loco substitutum anno* 671 *Childericum. Hoc autem trucidato, Theodoricus regnum Neustriæ et Burgundiæ recuperavit* (7), *non tamen continuo Austrasiam obtinuit, impetitus bello a Pippino Herstallio* (8); *tandem moritur ad finem anni* 692 *vel initio an.* 693, *postquam annis regnasset septemdecim* (9). *Ex his ruit tota, numero præcedenti exhibita, chronotaxis. Nec enim S. Ansberti episcopatus cœpit an.* 689, *ast an.* 683; prout, *inquit Henschenius* (10) in chronico Fredegarii et vita S. Eligii exigitur. *Unde non jam repugnat Concilium Rotomagense (de quo in Exegesi alte silet Henschenius) celebratum anno* 588 ; *nec etiam officit annus Theodorici XVI, quasi tot annis, ut supra volebat Henschenius, ille non regnasset; quamvis tamen præfatus annus non in omni hypothesi componatur cum mox posita chronologia; si enim initium regni Theodoriciani sumatur ab anno* 670, *additis sexdecim, devolvimur ad an.* 686 ; *si ab anno* 675, *devenimus ad an.* 691. *Quod si, ut plerisque placet, Concilium celebratum sit anno Theodorici XIII, perveniemus ad annum* 683 *vel ad an.* 688, *qui postremus utique concordat. Ast infra n.* 14 *de annis regni Theodorici III redibit sermo.*

Resumitur disputatio ex Ghesquiero et Cupero.

9 *Electi sunt (ut ex Cointio tradit Cuperus noster in Actis S. Audoëni* (11) *SS. Audoënus et Eligius anno* 639, *quo scilicet obierunt Romanus Rothomagensi et Acharius Noviomensis. Ast illi, quia laici erant, consecrari se non permiserunt ante annum sequentem.* Convenientes igitur, *inquit S. Audoënus in vita S. Eligii,* in civitatem Rotomagensem, quarto decimo die mensis tertii *(Maii)* tertio anno Clodovei juvenculi adhuc regis, die Dominico ante Litanias... consecrati sumus. *Atqui, subsumit Ghesquierus in actis S. Eligii* (12), *ab anno* 635, *qui, quoquo modo computes annos Dagoberti I, ad regnum ejus pertinet (unde eliditur Petrus Franciscus Chiffletius, qui* (13) *consecrationem SS. Audoëni et Eli*E*gii præfato innectit anno) usque ad annum* 668, *longe post mortem Clodovei II a S. Audoëno memorati, Dominica, quæ proxime præcedit Litanias seu Rogationes, non incidit in diem* XIV *Maii, nisi anno* 646. *Ergo, aiunt plurimi, anno Christi* 646 *currebat annus tertius Clodovei II; ergo die* XIV *Maii ejusdem anni consecrati sunt episcopi SS. Eligius et Audoënus. Verumtamen doctissimi viri, ut Henschenius (in Exegesi : aliter enim statuisse eum vidimus n.* 10, *in Diatriba) Cointius, Mabillonius, Pagius Longuevallius, cum epocham illam cum aliis notis chronicis conciliare non possent, aliam computandi viam aggressi sunt. Dagobertus I, inquiunt, regnavit annis sex in Austrasia, vivente patre. Et re quidem vera, scribit Fredegarius* (14) : Anno XXXVIII regni Chlotarii, Dagobertum filium suum consortem regni fecit, eumque super Austrasios regem constituit. *Cadit autem annus* XXXVIII *Clotarii in annum Christi* 622 (15). *Illi autem sex anni, ita prosequitur Ghesquierus, e numero sunt annorum sexdecim, quibus in universum regnasse perhibetur ; ergo decem dumtaxat restant computandi a morte Clotarii II; ergo obiit Dagobertus I anno* 638. F (Fata subiit, *ait Gebhardi* (16), die XIX Januarii anno XVI sui regni Dagobertus, qui, cum annus XVI a Martio 637 usque ad Martium 638 decucurrit, in annum 638 quadrat) *ergo Clodoveus II eodem anno* 338 *regnare cœpit; ergo non anno* 646, *sed anno* 640 *Audoënus et Eligius consecrati sunt episcopi. Quod confirmat Cointius ex eo quod Eligius ante annum Christi* 644 *appellatus sit* episcopus *a Jona scriptore synchrono* (17).

Dies consecrationis SS. Audoeni et Eligii.

10 *Ast posteriori hoc anno dies decima quarta Maii, qua in antiquis Kalendariis SS. Audoëni et Eligii ordinatio recolitur, non incidit in ipsam Dominicam Rogationum. Hunc nodum ut solveret Henschenius,* Dominicam ante Litanias *distinxit ab ipsa* Dominica Rogationum ; *anno autem* 640, *prior incidit in* XIV, *posterior in* XXI *Maii* (18). *Cointius aliam inivit viam, verba S. Audoëni hoc interpretans modo* (19). Hujus periodi duæ sunt partes. Prior

(1) De tribus Dagobertis, lib. IV, cap. III, p. 213. — (2) Ibid., p. 214 et 215. — (3) Ibid., lib. II, cap. XVI, p. 135 et seqq., item cap. XVII, p. 145. — (4) Ibid., ad calcem, in Indice chronologico. — (5) Acta SS., t. III Aprilis, initio. *Exegesis in diatribam*, p. x, n. 25. —(6) Ibid. p. v, n. 11.—(7) Ibid., p. VIII, n. 18.—(8) Ibid., p. x, n. 25. —(9) Ibid., p. x, n. 26. — (10) Ibid., p. v, n. 11. — (11) Ibid., t. IV Augusti, ad diem XXIV. Comm. præv., § II, n. 19, p. 796. — (12) Acta SS. Belgii, t. III, p. 196. — (13) Dissertatio de Annis Dagoberti, cap. XVII. *Ita nempe citatur a Cupero nostro.* — (14) Chronicon., cap. XLVII.—(15) Gebhardi. Reges francorum Merovingici documentorum authoritate asserti. Luneburgi 1736. p. 113. Confer Henschenium, Exegesis in Diatribam, cap. II, n. 9, p. v.—(16) Ibid., p 116. — (17) Annal. eccl., ad an. 640, n. 22 et 23.—(18) Exegesis in Diatribam, n. 12, p. VI—(19) Annales ecclesiastici Francorum, ad an. 640, n. XX.

annum

B. B. annum diemque designat quo Rothomagum Audoënus et Eligius pervenerunt. Posterior diem notat, quo consecrati sunt episcopi. Rothomagum ingressi sunt quarto decimo die mensis tertii. Consecrati autem sunt episcopi die Dominico ante Litanias, qui fuit vigesimus primus Maji. *Huic potius assentit Cuperus; illi Ghesquierus. Mabillonio scrupulus hæret circa Cointianam interpretationem, propter annuam illius ordinationis memoriam in Kalendariis ad* XIV *Maii. Respondet Pagius* (1): Si (viro doctissimo) in mentem venisset regula a nobis posita, totiesque inculcata, id *(nempe Dagoberti et Clodovei mortis annos certissime defixos; illius anno* 638, *hujus anno* 646) omni asseveratione affirmasset: depositiones enim Sanctorum, eorum reliquiarum translationes, et sanctorum episcoporum ordinationes aliis diebus, quam quibus contigerint, Martyrologiis sæpe inscriptas esse, tot exemplis in hoc opere demonstro, ut illud imposterum tamquam principium chronologiæ haberi debeat. *Ast et alius mihi occurrit ejusdem generis scrupulus. Si enim S. Audoëni consecratio differatur cum Cointio in diem* XXI *Maii, qui verum erit, sanctum Præsulem obiisse* XXIV Augusti *an.* 683, *post annos in episcopatu transactos* 43, *menses tres*, dies decem? B *Difficultatem elevat Cointius ponendo* menses tres, diesque totidem. *Cæterum primus vitæ S. Audoëni scriptor, et quidem suppar*, tantum ait, *(ita Mabillonius)* cum decessisse Waratone subregulo, seu præfecto palatii, principatu Theodorici regis. Calculum obscuravit *(Cointio* depravavit) alter ejus vitæ scriptor Fridegodus, dum scrupulosius explicare voluit, ubi ait, Audoënum rexisse Rotomagensem ecclesiam annos quadraginta tres, menses tres, dies decem (2). *Præterea Cuperus noster in Actis S. Audoëni* (3) *vix non diserte vitam hanc, quam sæculo nono vel decimo scriptam censet, Fredegodo abjudicat, tribuitque Anonymo. Quidquid tandem sit de die, quem nos in medio relinquimus hæsitantes inter Cointium et Henschenium nostrum, cum obitus S. Audoëni incidat in annum* 683, *mense Augusto, annus S. Ansberti quintus refertur ad annum Xti* 688, *vel forte propter sedis aliqualem, ut communiter contingit, vacationem et tempus præparandæ ordinationi requisitum, vel non ad amussim eumdem apud omnes computandi annos modum, ad annum* 689, *quo proinde figendum est Concilium Rothomagense.*

C

De annis regni Theodorici III.

11 *Unicum restat inquirendum, quo nempe modo præfatus annus componatur cum charactere chronologico ex annis regni Theodorici III desumpto.* Sub anno, *ut habet Aigradus*, Dominicæ incarnationis sexcentesimo octogesimo secundo *(imo octavo vel nono)* indictione decima *(imo prima vel secunda* (4)) qui erat annus præfati gloriosi regis Theodorici tertius decimus. *Jam vero juxta Henschenium in Exegesi regnum proprie orsus est Theodoricus anno* 675, *obiit ad finem* 692 *vel initio sequentis: unde et annus illius regni* XIII, *concordat, utpote incidens in annum Christi* 688. *Vide supra n.* 11. *Ast, ut facile concipitur in tantis chronologiæ tenebris, multum abest, ut omnes eadem serie regnum Theodorici III ordinent. Ne diutius in his hæreamus, exemplo sit Johannes Gebhardi, qui erudite et ex professo de regibus Merovingicis tractavit, quinque* tabulis *distinguens temporum seriem, quas ex primigeniis fontibus* asserit (5); Theodoricus III, *inquit*, natus 655, rex Neustriæ et Burgundiæ 673, regiam amittit authoritatem *(i. e. subditur Majori Domus)* 687, obiit 691 Martio (6). *Deinde in Assertionibus tabulæ* V *addit:* Mire variant in annis mortis. Sed rejiciendi omnes præpter Gesta Francorum (7); quibus Eriambertus pag. 780: *Theodoricus rex filius Clodovei, frater Clotarii regnavit annos* XIX; et Hermannus Contractus Canisianus ad annum 691: *apud Francos Theodoricus rex anno regni* XIX *moritur*, consentiunt. Apparet enim ex charta Vandemiris apud Mabillonium de re diplomatica pag. 472, quæ *anno* XVII *regni Domini nostri Theuderici* data, regem annum 690 vivendo attigisse. Decimus nonus incœpit annus Theodorici, mense Martio 691 nec multos ejus peregisse mensis dies videtur, quoniam ab Annalista Metensi tres tantum post pugnam Tertracensem *(ubi a Pipino victus præter nomen, nihil jam regiæ potestatis retinuit)* ipsi tribuuntur anni. Exactos annalista numeravit, omissis mensibus, quos anni quarti vixit. Pugna pugnata junio mense 687. Tertius annus post eam claudebatur Junio 690. Jungendi itaque novem menses anni quarti. Obiit Theodericus post tres annos exauctorationis anno XIX regni, Martio, Aprili, vel Majo mense anni 691. *Hactenus Gebhardi. Juxta hunc calculum venit synodus Rothomagensis anno* 786 *vel* 689, *prout annus Theodorici XIII vel XVI assumitur.* E

D

Longe probabilius est Concilium Rothomagense habitum an. 688 vel 689.

12 *Hæc latius disputavimus, non quod spes esset dirimendæ omnino litis (quæ a tot pendet annis diuque adhuc, ut nobis videtur, pendebit) sed ut appareret quo loco illam eruditi reliquissent. Cum tamen probabile admodum sit S. Ansbertum, cujus acta edidit Bollandus die* IX *Februarii, ad infulas Rothomagenses anno* 683 *vel* 684 *promotum, exinde fluit Concilium cui subscriptus legitur* S. Aquilinus *Ebroicensis, celebratum anno* 688 *vel* 689, *cum hic, ex quatuor characteribus chronologicis ab Aigrado positis, solus sit, qui firmus persistat, licet Henschenius, sed in Diatriba, non tantieum fecisse videatur. Confer n.* 10. *Post hæc nemini mirum videbitur historiographos variasse in assignando hujus Concilii anno; quod exinde etiam ortum, quod variis temporibus modo hæc, modo illa prævaluerit sententia. Sic plures adhæserunt Labbeo, qui, ut supra diximus n.* 9, certo certius *existimabat S. Ansbertum successisse S. Audoëno an.* 689. *Inter magis recentes, D. Bessin hæsit inter annum* 688 *et* 693: Dagobertum, *inquit* (8), Clodovei patrem annis sexdecim regnavisse apud omnes constat. Sed cum annis sex cum patre Clotario regnaverit; alii hos sexdecim F annos ab obitu patris, id est ab anno 628; alii ab anno 622, quo vivente patre, ad sex annos rex Austrasiæ dictus est Dagobertus, numerandos existimant. Unde prioris sententiæ auctores Dagoberti obitum anno 644, alii sexennio prius seu anno 638 collocant. Si anno 638, mortuo Dagoberto, regnare cœpit Clodoveus, ordinatus fuit episcopus Audoënus anno 640, obiit anno 683, habitum est concilium nostrum anno 688. At si non ante annum 644 Dagobertus I obiit, non ante 646 Audoenus ordinatus est; non ante annum 688 aut 689 ipsi successit Ansbertus, nec ante annum 693 concilium, de quo agitur, coëgit. Posteriorem hanc chronologiam secuti sumus in observatione ad epistolam S. Gregorii magni 58 lib. 11 indict. 4. *Ita Bessinus. Inter maxime recentes Domnus J.-B. Pitra, in erudita sua S. Leodegarii historia, obitum Dagoberti I adscribit anno* 638 (9); *et, ut alterius generis virum citem, concordat Sismondi* (10).

(1) In Critica ad an. 640, n. XIV. — (2) Mabillonius, Annal. Ben. lib. XVII, n. XXXVI. — (3) Acta SS., t. IV Augusti, ad diem XXIV. Comm. præv., n. 7-10, p. 597. — (4) L'art de vérifier les dates. In tabula Chronologica ad annos 688 et 689. — (5) Reges Francorum Merovingici, Documentorum authoritate asserti a Joh. Lud. Liv. Gebhardi. Luneburgi 1736. — (6) Ibid. Tabula V, ad pag. 140. — (7) Cap. XLIX. — (8) Concilia Rotomagensis provinciæ, part. I, p. 13. — (9) Histoire de St Leger, Evêque d'Autun et Martyr, p. 79. Edit. Paris 1846. — (10) Histoire des Français, par Simonde de Simondi, t. I, p. 275. Edit. Bruxellis 1846.

13 *Porro*

Privilegium Fontanellense.

13 *Porro privilegium Fontennalense, de quo actum Rothomagi est, tria præcipue spectabat ; primum ut monachi cœnobii Fontanellensis* ex semetipsis sibi perennibus temporibus abbatem eligerent ; *deinde ut iidem monachi,* sicut sub ejus regimine *(scilicet Ansberti qui ex abbate factus erat episcopus Rothomagensis, et auctor est memorati privilegii)* ita et deinceps et ipsi et posteri eorum secundum regulam sancti Patris Benedicti fideliter Christo deservirent ; *tandem definitur quid futurum sit ad correctionem si monachos corrigere aut noluerit abbas aut non potuerit. Vide Cointium* (1) ; *item Mabillonium* (2) *qui ibidem perstringit Cointium.* Cavillatur, *inquit,* hoc loco Carolus Cointius (3), cum ex hoc privilegio colligit, regulam sancti Benedicti Fontanellam introductam fuisse ab Ansberto abbate.

Fama Sanctitatis ex Martyrologio Corbeiensi,

14 *In Martyrologiis plurimis mentio fit S.* Aquilini. *Inter antiqua primo loco venit* Corbeiense, *de quo Dacherius* (4) *in Monito prævio :* vetustissimum Martyrologium, sancto Hieronymo attributum, reperi quidem in codice monasterii Corbeiensis, scripto abhinc circiter annos 600 (quod Hugo Menardus prælo inferendum paraverat) ; at næ B ego tamquam Germanum fœtum integrumve eidem doctori nolim asserere, cum plures ipso recentiores Sanctos constet diversis temporibus adjectos. *De eodem hoc Martyrologio agit Sollerius in Præfatione ad martyrol. Usuardi* (5) : jamdictos, *inquit,* duos codices *(quos statim recensuerat)* in nostra Hieronymianorum *(Martyrologiorum)* collectione, præcedit apographum aliud multo brevius, eleganti charactere Gallico, in folio descriptum, cui has notas appositas lego : Martyrologium perantiquum abhinc saltem annis octingentis exaratum, descriptum ex vetustissimo abbatiæ Corbeiensis, mense Decembri MDCLXI. In fine autem adjecit Papebrochius : *Dono adm. R. D. Lucæ Dacerii,* ex Ms. Corbeiensi antiquissimo, quod in Bibliotheca S. Germani de Pratis ipsi vidimus. *Ex his liquet, eruditorum judicio, Martyrologium illud ad sæculum duodecimum vel etiam (juxta notam de qua agebat Sollerius) ad medium sæculum decimum ascendere. Cum itaque ibidem legatur ad diem* XVIII *Octobris :* Ebrocas civitate Natalis S. Aquilini episcopi et confessoris, *argumentum est cultus Sancto huic sæculo duodecimo vel etiam decimo per* C *varias Galliæ partes adhibiti.*

Usuardi auctariis,

15 *Nec Ado nec Usuardus Sancti hujus meminere in textu originario : ast in plerisque Usuardi* auctariis *recurrit ejus mentio ad* XIX *Octobris : sic in Aquicinctino : apud castrum* Ebroïcas Natalis sancti Aquilini episcopi ; *in codice Victorino et reginæ Sueciæ, sign. num.* 130, *in fine, absque Positione, seu loci indicatione :* ipso die S. Aquilini episcopi et confessoris ; *in codice Altempsiano :* in Britannia, civitate Oxoniæ, S. Fredeswidæ virginis. Et sancti Aquilini episcopi et martyris. *Quamvis non sit hic Positio seu loci indicatio, non est dubitandum quin agatur de S.* Aquilino *Ebroicensi, cum hac die in nullo prorsus Martyrologio alius hujus nominis recurrat Sanctus. Proin error erit Amanuensis qui* martyris *scripserit loco* confessoris. *Cætera id genus quæ apud Sollerium loc. cit. videri possunt, recensere supersedeo.*

Romanum cum erronea Baronii Notatione,

16 *Martyrologium Romanum, ad hunc diem, ita habet :* Ebroicis sancti Aquilini episcopi et confessoris. *Addit Baronius in notationibus :* Aquilini episcopi. De quo Beda, et alii eum secuti. *Ast Beda nullam* Aquilini *mentionem facit, ut videre est in ejus Martyrologio, quod ediderunt Henschenius et Papebrochius* (6) *in capite tomi secundi mensis Martii ; sicuti et in nupera editione Londinensi operum Bedæ a J. A. Giles adornata* (7), *qui cæteroquin aliud non videtur spectasse, quam ut venerabilis viri Martyrologium, prout a majoribus nostris datum fuerat, denuo typis mandaret. Præterea ne subindicat quidem quæ de Papebrochiana Bedæ editione scripsit Sollerius noster in eruditissima prefatione sua in Martyrologium Usuardi* (8), *ubi ostendit Auctaria, quæ Papebrochius Floro adscripsit nullo modo huic tribuenda esse. Unde sequeretur nec Bedam nec Florum S.* Aquilini *meminisse, cum hac die* XIX *Octobris vacet Beda, et auctaria Floro adjudicanda non sint, in quibus præterea nomen S.* Aquilini *non reperitur. Videtur Baronius notationem suam hausisse ex Molano : hic enim in prima sua Usuardini Martyrologii editione* (9) *ad diem* XIX *Octobris in auctariis hæc habet :* Et sancti Aquilini episcopi et confessoris. *Cum autem Annuntiationi huic præfigatur littera* b, *indicium est Molanum hanc ex aliquo codice Bedano desumpsisse.* Quia enim, *Molani verba sunt* (10), Usuardus non potuit E annotare sanctos, qui post sua tempora claruerunt, neque etiam omnes habet qui ante eum fuerunt, ideo ut istud Martyrologium plenius prodiret, apponenda erant quædam ex diversarum ecclesiarum Martyrologiis. Quibus litteras aliquas præposui ad significandum unde eas (ea) desumpserim : paucas tamen, ne multiplicitas confusionem pareret. Litteræ vero et earum significationes sunt : A, Adonis martyrologium ; B, Bedæ *etc. Supervacaneum foret ulterius inquirere, quis et qualis fuerit codex ille in quo Molanus, apud Bedam, mentionem S.* Aquilini *invenerit ; sufficiat dixisse mentionem hanc in melioris notæ codicibus non reperiri.*

Saussaius.

17 *In martyrologio Gallicano, Saussaius (du Saussay) pro more suo longum texit encomium, quod fere descriptum est ex actis inferius ponendis. Hic subjicimus ea in quibus addita vel elucidata quædam sunt.* Ebroicis sub Lugdunensi secunda, sancti Aquilini episcopi et confessoris..... accitus est a Clodoveo rege II adversus barbaros.... Tandem beato fine Ætherio episcopo Ebroicensi Lisarchis ab hæreticis interrempto.... rapitur ab omnibus trahiturque ad ecclesiam velit nolit ordinandus.... Postquam concilio Rotomagensi.... interfuisset, F cum annos vigenti quatuor.... ecclesiam suam gubernasset.... superna petiit regna. — *In Supplemento ejusdem Martyrologii, decimo quinto Kalendas Augusti* (XVIII *Julii*) *ita legitur :* Ebroicis Clarificatio sancti Aquilini episcopi, qui apostolicæ virtutis copia plenus, decimo nono Octobris exuta mole carnis, cœlestem patriam introivit. Cujus clara gesta inter sacræ historiæ sanctorum monumenta exstant descripta : beata autem memoria perpetuæ venerationi consecrata, propria festivitate sua in ecclesia celebratur die decimo quinto Februarii. *Ast nec in textu Saussaiano nec in ejusdem Supplemento quidquam de S.* Aquilino *occurrit ad* XV *Februarii. Quid itaque sibi voluerit Saussaius non est facile dictu. Cæterum nec multum in eo laborandum, cum constet scriptorem hunc non in omnibus semper sibi cohærere.*

Martyrologium Ebroicense et Castellanus.

18 *Nec ipsum Martyrologium Ebroicense, auctoritate Petri Julii Cæsaris de Rochechouart Ebroi-*censis

(1) Annales ecclesiastici Francorum, ad an. 668, n. VIII, t. IV, p. 191 et seqq. — (2) Annales Benedictini, lib. XVII, n. LXV, t. I, p. 541. Edit. Lucæ, an. 1739. — (3) Annal. ecclesiast. Loc. cit., n. XI, p. 193. — (4) Spicilegium. Initio, t. II. Edit. Paris, 1723, in-fol. — (5) Art. I, § II, n. XXXI. — (6) Acta SS., t. II Martii. Ab initio. — (7) The complete Works of Venerable Bede in the original latin, accompagnied by a new english translation of the historical Works by the rev. J. A. Giles. Londini 1843, t. IV, p. 17 et sequ. — (8) Cap. I, art. II, n. 45-59. — (9) Lovanii apud Hieronymum Wellæum, sub signo Diamantis, anno 1568. — (10) Præfatio, cap. XII.

B. P.

censis episcopi editum anno 1752, *sancti* Aquilini *alia meminit die quam decima nona Octobris, ubi hæc primo loco ponuntur :* Ebroicis natalis sancti Aquilini episcopi, qui vota de uxoris consensu continentia, cum operibus bonis totum se daret ad hujus ecclesiæ regimen assumptus, saluti gregis sedulo consuluit, et sub vitæ finem oculorum lumine licet orbatus, injunctum verbi præsertim ministerium non intermisit. *Solus inter omnes, quos vidi Martyrologos, Castellanus (Chastelain) est qui duobus diversis diebus de Sancto nostro agat. Ejus verba, ex Gallico in latinum versa, hæc sunt :* Ebroicis sancti Aquilini episcopi et confessoris. *In margine notatur annus* 684, *remittiturque ad diem* XV *Februarii, quo die sub rubrica :* Sancti Franciæ *(Saints de France), legitur :* Ebroicis obitus sancti Aquilini episcopi ; *in margine vero scribitur annus* 695. *Quid vero celebretur ad diem* XIX *Octobris non dicit Castellanus, vir cæteroquin eruditus. Prodiit typis recentioribus Martyrologium universale, curante de Saint-Allais, cum Dictionnario Sanctorum, juxta Castellanum* (1). *Hoc dictionario ad* XV *Februarii dicitur S.* Aquilinus *mortuus anno* 684 ; *et ad* XIX *Octobris idem mortuus prædi-* B *catur an.* 695. *Mentis evagatio sane est, quæ ex ipso Castellanoemendabitur, si umquam dictionnarium istud secundis typis edatur.*

§ II. Synopsis vitæ S. Aquilini. Num duo distinguendi Sancti hujus nominis Ebroicenses Episcopi.

Synopsis Vitæ S. Aquilini.

In *nova Gallia Christiana* (2) *his vita S.* Aquilini *comprehenditur verbis :* Nobilibus apud Bajocas *(Bayeux)* ortus parentibus, Aquilinus uxorem duxit ex qua liberos procreavit. Sub Chlodovæo II militiam secutus contra Barbaros, qui fines regni desolabant, viriliter decertavit. Ad propria reversus, una cum conjuge votum perpetuæ castitatis emisit. Defuncto Ætherio, a clero et populo renuntiatus episcopus, sanctitate enituit. Concilio Rotomagensi sub Ansberto an. 689 interfuit. Illud singulare est, quod orbari oculis consecutus sit, C sæpe Deum precatus ut corporis sui fenestras aut obscuraret aut custodiret, ne per eas noxia irreperet concupiscentia. Post duos et quadraginta annos regiminis, al. 32, al. 24 obiisse dicitur. Defunctus Aquilinus sepelitur in capella quam in Burgo exstruxerat, cujus sicut nec tumuli ullum superest vestigium. Hujus nominis exstat Ebroicis parochialis ecclesia, ubi ejus festivitas XIX Octobris agitur, et certe memoratur XV Kalendas Novembris (XVIII Oct.) in Martyrologio S. Hieronymi. Vitam S. Aquilini scripsit Heccelo monachus et cuidam Audoeno dicavit, quam recitat Surius tom. V. In hac autem cum legatur Aquilinus sub Chlodovæo I adversus Wisigothos Arianos militasse ; id ansam præbuit duos distinguendi Aquilinos ; quorum primus factitius est, cum Chlodovæus I in Neustria nullam potestatem habuerit.

An duo sint Sancti ejusdem nominis.

20 *Eadem quoad substantiam habent Baillet* (3), *Longueval* (4), *le Brasseur* (5) *et alii : omnes enim ex eodem fonte hauserunt, ex actis scilicet quæ* *inferius exhibemus. Nec mirum, cum acta illa,* D *ut apud omnes in confesso est, a viro gravi et prudenti adornata fuerint, scriptores, quoties illis inhærent, inter se concordare. Ast hic, sicut et plerumque in coævis historiæ monumentis usu venit, nec tempora per annorum seriem indicantur, nec principes, si qui ejusdem nominis idem tenuere solium, adscripto successionis ordine, inter se distinguuntur. Unde non una inter eruditos orta discordia est de tempore quo floruerit S.* Aquilinus ; *an sub Chlodovæo I, an sub Chlodovæo II : sicut de annis episcopatus, cum alii quadraginta duos, alii triginta duos, alii viginti quatuor ponant. Quin etiam difficultates chronologicæ in tantum aliquos vexarunt, ut iis solvendis aliam non viderint viam, quam ut admitterent duos Sanctos ejusdem nominis diverso tempore tenuisse sedem Ebroicensem. Atque hanc primum elucidare conabimur, reliquis in sequentes rejectis paragraphos.*

Refutantur rationes quibus in Gallia Christ. oppugnatur sententia duorum Aquilin.

21 *Ante omnia juvat expendere postrema verba, superius ex Gallia Christiana adducta :* In hac autem (Vita S. Aquilini) cum legatur Aquilinus sub Chlodovæo I adversus Wisigothes Arianos militasse. *Ignoro ubi collectores operis laudati ista legerint : non in Surio* (6) *qui nec* Chlodovæum I *nominat, nec* E Wisigothos Arianos. Interea *(inquit ille)* accitus a Chlodovæo rege, qui ea tempestate rerum potiebatur, cum cæteris urbium præfectis adversum barbaros, qui in extremis regni francorum finibus cœperant efferatis animis insolescere, proficiscitur.... Exacto inde triennio et mensibus sex, omnibus facta domum redeundi potestas. *Ita Surius. Textui Suriano consonant ecgrapha duo Bibliothecæ Burgundiæ Bruxellis : alterum desumptum est ex Ms. Rubræ Vallis (Rouge Cloître), alterum ex Ms. Gigniacensi (Gigny). Utrumque ita habet.* Interea vocatus a rege Chlodoveo, qui tunc temporis imperium tenebat, cum cæteris urbium præfectis ad resistendum barbaris, qui in extremis regni finibus cœperant effrenari, proficiscitur (Aquilinus). *Oportet igitur auctores Galliæ Christ. non inspexisse Surium et corruptum habuisse Ms., vel propria eos auctoritate* Chlodoveum I *posuisse, et voci indeterminatæ* barbaros *substituisse* Wisigothos Arianos.

Clodovæus I potestatem in Neustria habuit,

22 *Haud magis probatur quod in textu citato subjungitur :* Id ansam præbuit duos distinguendi Aquilinos, quorum primus factitius est, cum Chlodoveus I in Neustria nullam potestatem habuerit. F *Atque ex indubitatis historiæ monumentis ad evidentiam efficitur Lugdunensem secundam, quæ postea cum aliis quibusdam Galliarum provinciis* Neustria *dicta est, Clodovæo I, initio regni sui, devicto scilicet Siagrio et simul cum eo extincta in Galliis Romanorum dominatione, occupatam et ad finem usque vitæ retentam fuisse.* Franci statim ab ingressu suo in Gallias, transmisso prope Coloniam Agrippinæ Rheno, sibi subjecerant tractus illos, quos hodie vocamus ducatum Lotharingiæ et ducatum Luxemburgensem ; Campaniam usque ad fines Burgundionum.... et regiones quæ nunc vocantur Picardia, Francia *(Ile de France)*, Belsia *(Beauce)*, Normannia... Hæc omnia in prædam cesserant novis Romanorum victoribus. *Ita Gallice Daniel* (7).

ex Notitia Galliarum Simondi,

23 *Inspicienti qualemcumque tabulam geographicam Antiquæ Galliæ, in oculos incurret Lugdunensem secundam contineri inter regiones a Clodovæo*

(1) Martyrologe universel traduit en français du Martyrologe Romain, avec un dictionnaire universel des Saints, etc., rédigé sur l'ouvrage de M. Chatelain et considérablement augmenté par M. de Saint-Allais. Paris 1835. — (2) T. XI, col. 567. — (3) Vies des Saints. *Ad hunc diem.*—(4) Histoire de l'Église Gallicane, t. V, p. 397 et seq. Edit. in-12. Paris, an 1826. — (5) Histoire civile et ecclésiastique du comte d'Evreux, p. 40 et seqq. Paris 1722. — (6) Ad hunc diem XIX Octobris.—(7) Histoire de France, t. I, p. 50. Amstelodam, 1712, in-12.

occupatas

occupatas. Ex Notitia *vero* Galliarum *quam Sirmondus initio tomi I Conciliorum Galliæ præfixit, et quæ concinnata videtur temporibus Honorii Augusti, his constabat Lugdunensis secunda civitatibus :* Metropolis, civitas Rotomagensium ; civitas Bajocassium *(Bayeux, patria S.* Aquilini) ; civitas Abrincatum *(Avranches)*; civitas Ebroïcorum ; civitas Sagiorum *(Séez)* ; civitas Lexoviorum *(Lisieux)* ; civitas Constancia *(Coutances)*.

et Bouqueto.

24 *Exstat in tertio volumine D. Bouquet* (1) *Mappa sequentem habens subscriptionem :* Franciæ status sub regibus primæ stirpis ex observationibus D. Mart. Bouquet Benedictini atque ex dissertationibus D. Lebœuf, canonici Antissiodor, excerptus ab Ægidio Robert, geographo regis ordinario. 1740. *Ad marginem hujus tabulæ enumerantur quæ Clodovæus in Galliis possideret. En verba ex gallico in latinum translata.* Clodovæus possidebat Austriam seu Galliam orientalem, quæ complectebatur totam regionem Rhenum inter et Mosam. Clodovæus præterea habebat Neustriam seu Galliam accidentalem quæ Mosæ et Ligeri interjacet. Clodovæus anno 507, debellato et occiso Alarico rege Visigothorum, occupavit utramque Aquitaniam et Novempopulaniam simul cum urbe Tolosa. Ex concilio Aurelianensi, celebrato anno 511 (cui interfuit Maurusio. episcopus Ebroïcensis ut ex subscriptionibus constat) apparet Clodovæum non solum tenuisse urbes inter Sequanam et Ligerim sitas, sed et eas quæ Ligeri et Garumnæ interjacent. *Hinc æstimare licet quo fundamento asseratur Clodovæum in Neustria nullam potestatem habuisse.*

Attamen aliis ducti rationibus,

25 *Supervacaneum esset hoc loco in mentem revocare Galliarum in Neustriam et Austrasiam divisionem post tempora Clodovæi primum usurpatam fuisse ; hasque partes modo latius modo contractius patuisse, cum hic non de nomine sed de re agatur. Imo ne suspicari quidem licet, viros eruditos hac ratione ductos fuisse, ut assererent Clodovæum in Neustriam potestatem nullam habuisse, quod scilicet vox hæc illo tempore nondum esset adhibita. Esset enim hæc mera cavillatio. Ergo et factitia sunt verba quæ, juxta laudatos scriptores, ansam præbuerunt duos distinguendi* Aquilinos, *cum hæc nullibi reperiantur ; et factitia seu potius falsa prorsus est ratio, qua hanc distinctionem subruere iidem volunt, cum sole clarius luceat, regionem illam, quæ postea Neustria dicta est, a Clodovico I et occupatam fuisse et conservatam.*

plerique tamen unum tantum agnoscunt Aquilinum.

26 *His elucidatis, ad primariam redeamus quæstionem an scilicet reipsa tantum unus admittendus* Aquilinus *sit, an vero duo, et quidem uterque episcopus Ebroïcensis, uterque Sanctus? Quamvis, ut jam diximus, non concordent inter se eruditi, longe tamen plures sunt, qui unum ponant, quam qui duos : ita Baronius et Pagius : ille ad annum* 682 (2), *hic in Critica ad annum eumdem* (3); *Longuev illius*(4), *Cointius* (5), *Hermant* (6), *Baillet, Butler, Surius, Saussaius, Chastelain, Gallia Christian. Adversæ sententiæ, quæ duos statuit* Aquilinos, *patronos non inveni præter D. Bessin, congregationis S. Mauri* (7), *et Le Brasseur in* historia comitatus Ebroïcenses, *Gallice conscripta* (8), *quibus antesignanus fuisse videtur Severtius* (9).

Catalogus Episcoporum Ebroicensium juxta D. Bessin,

27 *D. Bessin, ut suam firmet sententiam, texit loco cit. Catalogum episcoporum Ebroicensium, ex quo illa tantum hic subjicimus quæ ad rem nostram præcipue faciunt.*

Anno 480. Maurisio a S. Gaudo successor designatus circa annum 480. Concilio Aurelianensi interfuit et subscripsit an. 511.

B. B.

512. S. Æternus seu Ætherius. Ex Actis S. Aquilini ipsum in episcopatu præcessit. Martyrio coronatus est circa annum 515.

515. S. Aquilinus sub Clodovæo I Francorum rege, dux militum an. 506 et 507 contra Wisigothos Arianos agebat. Post bellum, ejurata militia in Ebroïcensem præsulem electus, B. Ætherio successit circa 515 et, ut Baronio placet, per annos 24 administravit.

538. Licinius, a nonnullis Lucinius appellatur ; duos fuisse opinantur non pauci, qui sibi in episcopali munere successerint. Subscripsit Aurelianensi Concilio III an. 538, et V an. 549. *Deinde, interpositis aliis nominibus quæ huc non spectant, sequitur.*

658. Concessus; subscripsit privilegio Emmonis Senonensis episcopi pro monasterio S. Petri Vivi Senon. an. 3 Clotarii II, his verbis : *In Christi nomine Concessus peccator episcopus Ebroicensis consensi.*

670. S. Aquilinus II. Hunc perperam confundunt nonnulli cum S. Aquilino I seu majore. Hujus nominis exstat Ebroïcis parochialis ecclesia, ubi ejus festivitas XIX Octobris agitur ; cum prioris solemnitas, quæ est XV Februarii, nullatenus ibi peragatur. Concilio Rotomagensi sub Ansberto ann. 693 interfuit. *Confer supra n.* 12.

non satis perspicuis nititur monumentis.

28 *Unde hæc omnia, adeo positive asserta, D. Bessin hauserit, non facile quis conjiciet. Vel sola annorum tam determinata designatio suspectum reddet catalogum hunc cuicumque, qui vel tantillam in rebus chronologicis illius epochæ elucidandis operam posuerit, cum constet pleraque, ad temporum illorum supputationem pertinentia, densissimis involvi tenebris. Hinc etiam mirabitur nemo Catalogum eorumdem episcoporum, qui reperitur in Nova Gallia Christiana* (10), *plurimum differre a Catalogo Bessiniano. Exemplo sint sequentia.*

Catalogus Galliæ Christianæ a præcedenti diversus.

29 Anno 511 Meurisio. *Concordat cum præcedenti. In fine additur* mortuus creditur anno sequenti *scilicet Concilium Aurelianense I, id est an.* 511.

549 Licinius, quem nonnulli Lucinium vocant, et diversum opinantur aliqui ; subscripsit Conciliis Aurelianensibus III anni 538, et V anni 549.

E duobus vero episcopis qui Licinium in Tabulis ecclesiæ sequuntur, Valerius non subscripsit Concilio V Aurelianensi, ut volunt ; Laban vero episcopus erat Elusensis. *Et interpositis quibusdam.*

658. Concessus. Privilegiis Emmonis Senonensis antistitis pro monasteriis S. Petri Vivi et S. Columbæ anno 658 subscriptus legitur Concessus, qui subscripsit quoque privilegio, quod S. Drausius episcopus Suessionensis concessit anno 666 parthenoni B. Mariæ. *Absque indicatione chronologica seu notatione annorum successionis sequuntur immediate :*

Æternus qui et Ætherius, Aquilinum præcessit ex actis S. Aquilini apud Surium. *Adduntur quædam ad cultum S. Ætherii pertinentia.*

Sanctus Aquilinus. Nobilibus apud Bajocas ortus parentibus, *et reliqua ut in capite hujus paragraphi n.* 22.

Desiderius.

Stephanus. *Post hunc adduntur anni successionis.*

765. Maurinus, *qui adfuit conventui Attiniacensi.*

(1) Recueil des historiens de la France.—(2) Annales, t. XII, p. 55. Edit. Lucæ 1742, ad an. 682, n. XIII.—(3) Ibid., p. 53, n. IX.—(4) Histoire de l'Eglise Gall., p. 397 et seq. — (5) Annal. ecclesiast., ad an. 688, n. XX et ad an. 695, n. XII. — (6) Histoire du diocèse de Bayeux. p. 85-87, Paris 1703. — (7) Concilia Rotomagensis Provinciæ. Parte posteriori, p. 373 et seqq.— (8) P. 34 et p. 40.— (9) Chronologia historica successionis Hierarchicæ, part. III, p. 26. Edit. Lugduni 1628. — (10) T. IX, col. 564-621.

D. B.

Rursus ab utroque differunt Le Brasseur et Severtius.

30 *Ab utroque Catalogo recedit Le Brasseur, multo tamen magis a posteriore, ut constabit ex subjectis his nominibus et annis* (1).

401 S. Taurinus. *Vacat dein per aliquot annos.*
461 S. Gaudus.
480 Maurusio.
484 S. Æternus.
514 S. Aquilinus I.
538 Licinius seu Lucinius....
657 Concessus.
663 S. Aquilinus II.

Severtius autem ita seriem ordinat :

S. Taurinus
S. Æternus
S. Aquilinus primus nominis, RECENTISSIME IN CATALOGUM EPISCOPALEM PER NOS REDACTUS, sedit Ebroicis 24 annis ex Baronio ad Martyrologium, vel annis 42 ex Guilel. Gazetio. Juxta quem interiit Sanctus XIX Octobris, anno quadringentesimo octuagesimo tertio (2). *Non ergo immerito cæteris Antesignanum diximus Severtium, qui deinde hoc modo prosequitur :*

Maurisius
Licinius
B Valerius
Desiderius
Ragnericus

Aquilinus secundus deprehenditur suffragator in quodam generali concilio Rothomagensi, aut saltem fuit nationale, idque anno sexcentesimo octuagesimo secundo, assertore ex propriis textibus Baronii num. 11. Quippe manifesta duplicis sæculi distantia inter S. Aquilinum I et hunc alterum recens additum, satis nos cogit eosdem in duas sejunctim personas dividere (3). *Præclarus sane ratiocinandi modus. Id enimvero quid aliud nisi supponere quod in quæstione est? Cæterum tanta non est Severtii auctoritas, ut ejus asserta ex professo refutanda suscipiamus, tanto magis quod alios conveniendo et hunc simul perstricturi simus.*

Ex Catalogis, si quid efficiatur, sequeretur unum tantum exstitisse Aquilinum.

31 *Circa hos Catalogos duo notemus. Primum, cum ex sola serierum exhibitarum inspectione satis appareat quantam inter se differant, sequitur nullum ex his solidum deduci posse argumentum in alterutram partem quæstionis controversæ de uno vel duobus Aquilinis ; secundum ad ipsam originem spectat Catalogorum istorum, de qua sic habet Gallia Christiana* (4) *:* Ebroïcensium episcoporum se- C riem primus compendiario texuit Johannes le Jau pœnitentiarius et canonicus Ebroïcensis, nec non vicarius generalis episcopi anno 1622. Hunc secuti Robertus et Sammarthani, quos emendare conatus est N. Le Brasseur Franciæ cancellarii bibliothecarius, in historia Civili et Ecclesiastica comitatus Ebroicensis, quam in lucem edidit Parisiis an. 1722. *(Concilia Rothomagensis provinciæ ediderat D. Bessin an.* 1717.) Ex his aliisque documentis publicis et chartis nostra quam damus concinnata series est. *Hæc ultima, cum etiam tempore postrema sit (edita enim est an.* 1759) *accuratior censenda est; ac proin si quid ex Catalogis deducere voluerimus, potius dicendum erit unum tantum fuisse S.* Aquilinum.

Frustra sibi vindicat Baronium Domus Bessin.

32 *Ast penitius excutiamus rationes quibus nituntur alterius sententiæ patroni. D. Bessin scribens de S.* Aquilino I : Post bellum ejurata militia in Ebroïcensem præsulem electus B. Ætherio successit circa 515 ; et, ut Baronio placet per annos 24 administravit (5), *hæc, inquam, scribens videtur indicare Baronium duos admittere Aquilinos, vel* D *saltem illum, de quo agit, retulisse ad tempora Clodovæi I. Ast prorsus alia est Baronii mens. In Notis ad Martyrologium Rom. censeri quidem potest rem in medio reliquisse cum dicat* (6) *:* Sedit annis 24 ; claruit temporibus Clodovæi Francorum regis et filiorum ejus. *Verum in Annalibus unius tantum :: eminit* Aquilini, *quem refert ad annum* 682. *Tractans scilicet de Concilio Rothomagensi, cui subscripsit* Aquilinus, *addit n.* XIII : *De* Aquilino vero Ebroïcensi episcopo, qui eidem synodo interfuit, certum est ipsum egregia claruisse sanctitate, et inter Sanctos relatum anniversaria memoria coli decima nona mensis Octobris. Extant ejus præclaræ Vitæ Acta. *In margine adscribitur :* Apud Sur. die XIX Octob. tom V. *Notat autem Pagius in hunc locum num.* IX : Ex sexdecim episcopis qui Concilio Rotomagensi subscripsere, septem in diœcesibus, quas rexere, coluntur : Ansbertus in Rotomagensi, die nona Februarii ; Aquilinus in Ebroïcensi, die decima quinta ejusdem mensis, qui tamen Martyrologio Rom. ad diem XIX mensis Octobris inscribitur, ad quem etiam ejus Acta refert Surius etc. *Et paulo inferius :* Aquilinus... cum in bello quodam a Clodovæo rege II annos tres E mensesque sex meruisset.... mortuo Æterno.... factus est Aquilinus episcopus Ebroïcensis et cum duos et quadraginta annos ecclesiam illam rexisset, spiritum Deo reddidit. *Ex quibus videre est Baronium et Pagium concordare in uno admittendo* Aquilino, *ast discordare in designando die cultus et numerandis pontificatus annis ; saltem si conjungantur quæ de* Aquilino *tradit Baronius tum in Notis ad Martyrologium Rom. tum in Annalibus : in his enim silet de tempore in episcopatu transacto. Lapsus itaque est D. Bessin, si revera, ut quidem videtur, fulcire suam de* Aquilino I *sententiam voluerit auctoritate Baronii.*

Nec valet Bessini ratio ex duplici festivitate depucta.

33 *Nec majoris est ponderis quod scribit laudatus Bessin* (7) *de* Aquilino II : Hunc perperam confundunt nonnulli cum Aquilino I seu majore. Hujus nominis exstat Ebroïcis parochialis ecclesia ubi ejus festivitas XIX Octobris agitur : cum prioris, quæ est XV Februarii nullatenus ibi peragatur. *Tali ratione facile quis induceretur ut, non solum duos numeret* Aquilinos, *sed et tres vel etiam plures ; cum in recensendis superius Martyrologiis alicubi diem* XVIII *Octobris cultui S.* Aquilini *datum inveneri-* F *mus, et nihil obstet quominus in Calendariis aut Martyrologiis particularium quarumdam ecclesiarum alii inveniantur dies. Præterea assumitur id quod esset probandum : nempe* Aquilini I *festivitatem* XV *Februarii peragi : dato enim alicubi hujusmodi festum celebrari, inde non sequitur illud ad* Aquilinum *primum potius quam ad secundum referendum esse ; cum ratio solemnitatis, diversis assignatæ diebus, invenire possit, sive in translatione Reliquiarum, sive in anniversario electionis, ordinationis, vel obitus et aliis id genus. Quod quidem satis indicant tum Castellanus, qui ad* XV *Februarii meminit* obitus S. Aquilini ; *tum Saussaius qui in Supplemento ad* XVIII *Julii refert ejus* clarificationem. *Non putem itaque quemquam inter eruditos facile subscripturum sententiæ Dni Bessin, ex eo quod diversis diebus diversis in ecclesiis, imo in eadem ecclesia memoria S.* Aquilini *fiat. Videntur nobis ita ex omni parte vacillare pauca illa, quæ laudatus scriptor affert ad suam stabiliendam sententiam, ut absque temeritate liceat pronuntiare*

(1) Histoire du comté d'Evreux. Ab initio in Tabula chronologica regum, ducum Normannorum, comitum, episcoporum Ebroic. — (2) Chronologia historica successionis hierarchicæ, part. III, p. 26. — (3) Ibid. — (4) T. IX, col. 556-565. — (5) Concilia Rotomag. Prov. part. poster., p. 373—(6) Ad diem XIX Octob., nota c. —(7) Ubi supra.

nihil

A *nihil in favorem duorum Aquilinorum, præter meram auctoris subsistere affirmationem.*

Haud majoris momenti sunt argumenta historici Ebroicensis,

34 *Reliquum est ut examinemus num majoris sint momenti quæ auctor historiæ comitatus Ebroicensis, Le Brasseur, in eamdem sententiam contulerit argumenta. Cum hic præcipuus sit opinionis illius, quæ duos ponit Aquilinos, propugnator, operæ pretium est paulo latius ejus verba ex gallico in latinum versa hic apponere.*

cujus verba recitantur

35 Hic nobis agendum, *inquit* (1), de S. Aquilino. *Cum duo (ejusdem nominis)* sedem tenuerint Ebroïcensem, et quidem uterque Sanctus, plures scriptores eos confuderunt, atque ex duobus fecerunt unum. Attamen centum et quinquaginta annorum intercapedine alter ab altero separantur : cum prior sub Clodovæo I, posterior sub Clodovæo II floruerit. Sanctus Aquilinus I arma tulit sub Clodovæo I, annisque 506 et 507 bellum secutus est adversus Wisigothos Arianos. Paulo post factus catechumenus, abdicata militia, solitudini vitam mancipavit. Cum id minime expectaret, electus episcopus est, atque in sedem Ebroïcensem collocatus versus annum 515 in locum S. Æterni, hancque ecclesiam, ut habet Baronius, 24 annis B gubernavit. Quem ut Sanctum colit Ecclesia, cum ejus nomen omnibus Martyrologiis inseruerit sicut est nomen S. Aquilini II, qui uterque, alter cum altero permixti fuere in ultimo Breviario Ebroïcensi; ast distincti sunt in Breviario RR. de Saintes; alteri assignata die xv Februarii, alteri xix Octobris. Liceat sperare fore ut dum novum in hac diœcesi editur Breviarium suus utrique Sancto restituatur locus. *Et infra* (2) *de S.* Aquilino II *scribit :* Inter episcopos Ebroïcenses ex notissimis est. Ejus vita conscripta fuit ab Hecelone monacho Benedictino, viro docto et sapienti. Spirat hæc vita gravitatem et pietatem, eoque firmiorem eruditorum judicio meretur fidem, quod ejus auctor vixerit sub finem sæculi octavi, si non etiam citius.

cum chronologica vitæ S. Aquilini synopsi.

36 *Post hæc exhibet Le Brasseur historicam vitæ S.* Aquilini *synopsim, desumptam ex actis, addito annorum ordine, quo res gestæ sunt, quas etiam quandoque nonnihil amplificat. Natum dicit anno* 620 *apud Bajocas nobilibus, iisque opulentis ac singulari virtute præditis, parentibus. Uxorem ducit, liberos ex ea suscipit, in aula Clodovæi regis II præclaris fungitur muneribus. Eodem regnante ad bel-*C *lum proficiscitur adversus Barbaros in extremis regni finibus hostiliter agentes. Post annos tres cum dimidio, scilicet versus an.* 651, *finito bello, redit Bajocas, servatque deinceps, uxore consentiente, continentiam. Regnante Clotario III, versus an.* 663, *unanimi populi et cleri consensu elegitur consecraturque episcopus Ebroicensis ; quo in munere eximiis claret virtutibus, studio præcipue orationis et zelo salutis suorum subditorum promovendæ. Anno* 693 *adest Rothomagi Concilio provinciali, atque circa illud tempus oculorum lumine orbatur, quod quidem ipse tamquam insigne Dei habebat beneficium, quo immunis esset a pleris que peccati illecebris. Mortuus anno* 695, *ætatis suæ* 75, *postquam sedisset annos* 32. *Sepelitur in Capella, quam ipse in Burgo ædificaverat, ubi variis dein claruit miraculis. Capellæ sicut et tumuli jam nullum superest vestigium. Festum S.* Aquilini II *notatur ad* XIX *Octobris in Martyrologio Rom. aliisque recentioribus ; agitur nihilominus die* XV *Februarii ab ecclesia Ebroicensi, et præcipue in parœcia S.* Aquilini *nomine dicata.*

In quibus differat Le Brasseur a Bessino ;

37 *Ex subjecto vitæ compendio cernitur auctor, historiæ Ebroicensis in plerisque, quæ ex suo addidit* Actis, *concordare cum D. Bessin. Est tamen in quo discrepent, cum hic disertedicat, festum S.* Aquilini II *in ecclesia parochiali ejus nominis Ebroicis* nullatenus peragi ; *Le Brasseur vero, festum S.* Aquilini II *agi* die xv Februarii ab ecclesia Ebroïcensi et præcipue in parœcia S. Aquilini nomine dicata. *Quæ manifesta contradictio est, eoque magis miranda quod ambo scriptores coævi sint. Certe Ordo divini officii recitandi missasque celebrandi, juxta ritum ecclesiæ Ebroicensis (an.* 1827) *ad diem* XIX *Octobris ita notat :* S. Aquilini Ebroicens. episc. Dupl. min. col. vir. offic. prop præter hym. ad mis. Credo. *Ad diem* xx *Februarii ne levissima quidem ejusdem Sancti mentio habetur. Quæ vero spectant ad chronologiam, ex jam dictis satis superque constat et amplius etiam constabit ex dicendis, non omnimodam ei fidem adhibendam, cum ut plurimum vix ullo nitatur fundamento, nec ipse auctor laborare videatur adducere rationes quibus illam stabiliat.*

quas pro sua habet sententia rationes

38 *Idem dici potest de primaria, quam hic tractamus quæstione. Duos fuisse vult* Aquilinos, *primum quod Ecclesia nomen S.* Aquilini I omnibus E *inseruerit* Martyrologiis *sicut et nomen S.* Aquilini II; *tum quod diverso die occurrant eorum festa ; tandem quod alter ab altero Sancto clare distinguatur in Breviario edito ab illustrissimo D. de Saintes episcopo Ebroicensi. Præter tria hæc, non putem aliud in citatis supra verbis ex historia comitatus Ebroic. contineri, quod vim probandi habeat.*

refutantur.

39 *Ast falso asseritur utriusque Sancti in* omnibus Martyrologiis *nomen reperiri ; quinimo nullum est Martyrologium alicujus auctoritatis, sive recens sive antiquum, in quo mentio fiat de* Aquilino *majore aut minore, de primo vel secundo; quod manifestum est ex iis quæ supra* § 1 *in recensendis Martyrologiis exacte notavimus. Atque hic jure merito arguitur Le Brasseur seu levitatis seu inconsiderantiæ : si enim vel minimam adhibuisset diligentiam in scrutandis Martyrologiis antiquis, absque dubio vidisset in iis de unico agi* Aquilino Ebroicensi ; *quod si inter recentiora unum alterumve mentionem hujus Sancti diversis habeat diebus, non exinde concludendum diversos memorari Sanctos ejusdem nominis, cum non sit infrequens eumdem Sanctum diversis coli diebus, habita ratione obitus, consecrationis, translationis et similium. Restat Breviarium auctoritate RR. DD. de Saintes editum. Fatemur duos et quidem diversos ibidem nominari et coli* F *Sanctos nomine* Aquilini. *Hoc vero aliud non probat, nisi quod talis esset opinio eorum qui concinnando illi Breviario operam contulerunt. Quibus vero nixi sint rationibus non liquet, cum publici juris eas, in quantum saltem mihi cognitum est, non fecerint. Auctoritati RR. DD. de Saintes opponimus auctoritatem novi Breviarii, cujus editores absque ullo dubio, rationes hinc inde militantes mature ponderarint. Nec prætermittendum, quod, Senior ex collegis meis, revidendo, ut moris apud nos est, acta nostra, apposite notavit :* Posset animadverti, RR. DD. de Saintes, quando, propter opinationes aliquorum eruditorum, duos homonymos episcopos statuit, non continuo jus habere canonizandi alterum hactenus incognitum. Id nempe limites libertatum Gallicanarum longe excedit.

Nutat itaque sententia duos statuens Aquilinos,

40 *Hactenus vidimus quæ militent in favorem sententiæ duos admittentis* Aquilinos ; *parum utique numerosa et undequaque nutantia. Superest ut ad*

(1) Histoire civile et ecclésiastique du comté d'Évreux, p. 34. — (2) Ibid., p. 40 et seq.

 trutinam

n. B.

trutinam revocemus quæ patroni alterius sententiæ afferunt, quo facilius eruditus lector utriusque opinionis tenens momenta, statuat utri æquius adhæreat.

Contrariæ sententiæ rationes. Omnimoda in utroque Aquilino vitæ conformitas.

41 *Primum quod in oculos, ut ita dicam, incurrit, omnimoda est in utroque sive majore sive minore* Aquilino *vitæ conformitas. Uterque militiam secutus, postea vitæ solitariæ deditus, ex improviso eligitur, ordinaturque Ebroicensis episcopus. Quidquid in utriusque vita legitur, depromptum est ex actis inferius edendis, et jam a Surio publici juris factis, mutato pro more suo nonnihil stylo. Unicum, quod animadvertere est, discrimen, in eo ponitur, quod* Aquilino I *pauca tribuantur, quæ usque ad ejus electionem tantum sese extendunt; dum* Aquilino II *quidquid actis illis continetur, adscribitur, si tamen exceperis ea quæ de S. Æterno ibidem dicuntur, et quæ in Historia Comitatus Ebroicensis S.* Aquilino *majori adjudicantur.*

Ut duo statuantur Aquilini dicendum est, acta fuisse interpollata.

42 *Quo id jure fiat non facile quis indicaverit, cum in textu reperiatur nihil, quod ista interposita fuisse suadeat. Omnia sive stylum sive res spectes optime sibi cohærent eumdemque referunt auctorem ut ex appositis hic verbis videre est :* Beato namque B Æterno, Ebroicensis urbis episcopo, ex hac luce ad æternam translato, ut reipsa esset, quod verbo hactenus dicebatur : totius cleri et populi animi divinitus inflammantur, ut Aquilinus ille occultus Dei servus, qui se abscondens, proximis negabat exemplar pietatis, ei substituatur. *Ita Surius, qui licet verba quædam mutarit, alia transposuerit, quoad sensum apprime concordat cum actis Mss. Jam vero quæri potest, ut quid, dum cætera omnia ad S.* Aquilinum II *referuntur, hæc S.* Aquilino I *adscribantur? Profecto probandum ante omnia foret hæc actis S.* Aquilini II *aliena manu inserta fuisse; secus qui ista pro arbitrio dempserit, levitatis notam haud effugiet.*

quod nulla probabilis suadet ratio.

43 *Quod si quis dixerit hæc supprimenda fuisse, ut ordinata haberetur episcoporum Ebroicensium successionis series, quoniam B. Æterno suffectus fuit* Aquilinus; *reponimus hoc ratiocinio præsupponi quod est in quæstione, cum in textu actorum nihil sit quod* Aquilinum *primum potius quam secundum indicet; et præterea quæ de S. Æterno traduntur non aliunde hauriri quam ex illis ipsis S.* Aquilini *actis. Quod adeo verum est ut ipsi hagiographi majores nostri vix aliud habuerint quod de S. Æterno* C *prædicarent. (Vide Acta SS.* XV *Julii* (1), *ubi n.* 1. *Sollerius noster positive affirmat S. Æternum seu Ætherium ad Sanctos sæculi septimi pertinere, imo ponit ab initio ad marginem :* circa an. DCLX). *Nec validius argumentum deducitur ex catalogis episcoporum Ebroicensium, cum, ut supra vidimus, inter se non concordent, et quidem ob hoc præsertim, quod alii unum, duos alii ponant* Aquilinos.

Hucusque disputata recapitulantur;

44 *Itaque nulla ab extrinseco sumpta ratione probatur acta S.* Aquilini, *quoad ea quæ de S. Æterno sunt, interpolata fuisse; aliunde notæ intrinsecæ pro authentia militant; insuper verba illa de S. Æterno reperiuntur tam in Surio, tum in utroque ecgrapho nostro, nec tandem aliquod exhibetur Ms. in quo verba illa desiderentur. Liceat ergo concludere sententiam auctoris Historiæ Comit. Ebroic. vel exinde vehementer nutare, quod ut prima ejus habeantur fundamenta, adulteranda imo et truncanda sint acta, quæ ab omnibus hucusque sincera habentur, et ab illo ipso scriptore qua talia laudari videntur. Atque ut latius hoc paragrapho disputata breviter resumamus : falsum est nomen S.* Aquilini *tam primi quam secundi in* omnibus D *reperiri* Martyrologiis; *quæ dicuntur de duplici festivitate diversis celebrata diebus non sibi cohærent; quod si etiam concederemus, inde non efficeretur duos ejusdem nominis admittendos esse Sanctos; tandem Breviarium RR. DD. de Saintes rem nullo modo dirimit; testatur solum opinionem illam tunc temporis invaluisse; sicut et vicissim contraria invaluit opinio dum recens compositum fuit Breviarium; ac proinde, cæteris paribus, unius auctoritas auctoritate alterius eliditur; quamvis cætera paria non sint; cum in favorem posterioris militent immensi labores, qui toto sæculo decimo septimo (mortuus est RR. de Saintes anno* 1589) *in exquirendis elucidandisque antiquæ historiæ monumentis suscepti fuerunt; denique catalogi episcoporum Ebroicensium inter se non concordant, et rursus horum maxime recens, qui reperitur tom. XI Galliæ Christ. editæ Parisiis anno* 1759, *unum habet* Aquilinum.

et concluditur unum esse Aquilinum.

45 *Aliunde summa est in utriusque* Aquilini *vita conformitas; ut indubitatum, imo evidens sit omnia et singula quæ fidem aliquam mereantur ex iisdem actis descripta fuisse; antiqua Martyrologia unum notant Sanctum hujus nominis, sicut et recentiora,* E *si unum alterumve exceperis, et in his ipsis longe rationabilius est eorum mentionem ad diversas ejusdem Sancti referre festivitates, quam ad duorum ejusdem nominis Sanctorum commemorationem; denique contraria opinio, prout adversariis defenditur, vel ex professo cum Le Brasseur admittit actorum interpollationem, vel eamdem supponere debet; secus dicendum foret S.* Aquilinum II *successisse S. Æterno; quo admisso, ruit tota eorum argumentatio. Atque ex his satis apparet quæ sit nostra in hac quæstione opinio. Indubitatum nobis est unicum esse antistitem, qui nomine* Aquilini *sedent tenuit Ebroicensem.*

Quid in Actis ansam dedisse videatur sententiæ de duobus Aquilinis.

46 *Hæc cum ita sint, quærat fortasse aliquis, unde tandem factum sit opinionem de duobus* Aquilinis *acceptam a viris gravibus iisque imprimis eruditis, acriterque defensam fuisse. Respondemus, nostro judicio, ortum id ex eo esse, quod in actis dicatur* Aquilinus *sub Clodovæo meruisse* ad resistendum barbaris qui in extremis regni finibus cœperant effrenari. *Non enim statim videtur quomodo hæc cum Clodovæo II componi possint, dum aptissime quadrant cum rege ejus nominis primo. Atque exinde nascitur quæstio historica, quæ, ut fert operis* F *Bollandiani natura, paulo latius enucleanda est; quod et sequenti præstabimus paragrapho.*

§ III. De Barbaris adversus quos S. Aquilinus sub Clodovæo arma tulit; Winidos fuisse probabilius ostenditur.

Barbari, de quibus in actis, non sunt Visigothi Ariani;

In *mentem revocemus verba illa :* Barbaris qui in extremis regni finibus cœperant effrenari *mutata, contra fidem Surii et Mss. fuisse; et quidem ita ut voci indeterminatæ :* Barbaris, *substituerentur* Wisigothi Ariani; *et, quod consequens erat, Clodovæus I diceretur, qui absque apposito regiæ successionis numero, in actis simpliciter nominatur Clodovæus. Ast tentantes vitare charybdim in scyl-*

(1) T. IV Julii, p. 48.

lam

A *lam inciderunt. Subscripsit enim* Aquilinus *aliquis* episcopus Ebroicæ urbis *Concilio Rothomagensi sub finem sæculi septimi celebrato. Hic autem dici nequit stipendia meruisse sub Clodovæo I, qui sexto sæculo ineunte (an. 511) mortem obiit. Novus itaque implicabatur nodus, cui solvendo excogitatus fuit alter Aquilinus. Verum et hujus delineanda cum esset vita, cumque unius tantum acta existerent nec aliorum inveniendorum ulla affulgeret spes, reliquum erat, ut ex unis iisdemque actis utriusque concinnaretur vita. Quod quam feliciter sit factum satis superque vidimus.*

sed potius Winidi,

48 *Si in actis revera ageretur de* Wisigothis Arianis, *etiam nobis insolubilis videretur difficultas componendi* Aquilinum, *subscribentem Concilio Rothomagensi cum* Aquilino, *qui arma contra nominatos illos Barbaros tulisset. Ast non occurrit hæc difficultas. Agitur in actis de* Barbaris, *nullo addito nomine, quod hos potius quam illos designet. Hoc autem posito, omnia cohærent si Barbari illi dicantur fuisse* Winidi *seu* Venedæ, *de quibus sæculo septimo et octavo frequens habetur mentio apud rerum Francicarum scriptores, et adversus quos in aciem processum a Francis est tempore Clodovæi II,* B *ut ex dicendis constabit.*

ut liquet ex Fredegario,

49 *Juvat ab initio hic adscribere, quæ Fredegarius diversis Chronici* (1) *sui locis tradit de Winidis, quo clarius innotescat qua ratione affirmari possit hos esse, quos acta S.* Aquilini memorant in extremis regni Francorum finibus cæpisse effrenari.

cujus verba in extenso referuntur.

50 *Numero* XLVIII (2) : Anno XL regni Chlotarii, homo quidam, nomine Samo, natione Francus, de pago Sennonago *(probabilius de pago Senonago,* Sengaw, *in Hannonia, ubi Sonegia, nostris* Soignies, *habetur)* plures secum negotiantes adscivit, et ad exercendum negotium in Sclavos, cognomento Winidos, perrexit. Sclavi jam contra Avares, cognomento Chunos *(alii* Hunnos) et regem eorum Gaganum cœperant rebellare. Winidi Befulci Chunis fuerant jam ab antiquitus, ut cum Chuni in exercitu contra gentem quamlibet adgrediebant, Chuni pro castris adunato illorum exercitu stabant : Winidi vero pugnabant : si vero ad vincendum prævalebant, tunc Chuni prædas capiendum adgrediebant : sin autem Winidi superabantur, Chunorum auxilio fulti vires resumebant. Ideo Befulci vocabantur a Chunis, eo quod duplici in congressione certaminis vestita prælia facientes C ante Chunos præcederent. Chuni ad hiemandum annis singulis in Sclavos veniebant : uxores Sclavorum et filias eorum stratu sumebant ; tributa super alias oppressiones Sclavi Chunis solvebant. Filii Chunorum, quos in uxores *(alias* uxoribus) Winidorum et filias *(al.* filiabus) generaverant, tandem non sufferentes hanc malitiam ferre et oppressionem, Chunorum dominationem negantes, ut supra memini, cœperant rebellare. Cum in exercitu Winidi contra Chunos fuissent adgressi, Samo negotians, de quo memoravi superius, cum ipsis in exercitu perrexit, ibique tanta ejus fuit utilitas, ut mirum fuisset, et nimia multitudo de Chunis gladio Winidorum trucidata fuisset. Winidi cernentes utilitatem Samonis, eum super se eligunt regem, ubi triginta quinque annos regnavit feliciter. Plura prælia contra Chunos suo regimine Winidi gesserunt : suo concilio et utilitate Winidi semper superarunt. Samo duodecim uxores ex genere Winidorum habebat, de quibus viginti duos filios et quindecim filias habuit.

51 *Et infra* (3). Eo anno (IX *Dagoberti)* Slavi, cognomento Winidi, in regno Samonis negotiantes, Francorum cum plurimam multitudinem interfecissent et rebus expoliassent, hoc fuit initium scandali inter Dagobertum et Samonem regem Sclavinorum. Dirigensque Dagobertus Sicharium legatarium ad Samonem, petens ut negotiantes quos sui interfecerant, et res quas inlicite usurpaverant, cum justitia faceret emendare. Samo nolens Sicharium videre, nec ad se eum venire permitteret ; Sicharius vestes indutus ad instar Sclavinorum, cum suis ad conspectum pervenit ; Samoni universa quæ injuncta habebat nuntiavit : sed, ut habet gentilitas et superbia pravorum, nihil a Samone quos sui admiserant est emendatum, nisi tantum placita vellens instituere, ut de his et aliis intentionibus, quæ inter has partes ortæ fuerant, justitia redderetur in invicem. Sicharius, sicut stultus legatus, verba improperia, quæ injuncta non habuerat, et minas adversus Samonem loquitur, eo quod Samo et populus regni sui Dagoberto deberent servitium. Samo respondens jam saucius dixit : « Et terram quam habemus Dagoberti est, et nos sui sumus, si tamen nobiscum disposuerit amicitias conservare. » Sicharius dicens : « Non est possibile, ut Christiani Dei servi cum canibus amicitias conlocare possint » Samo e contrario dixit : « Si vos estis E Dei servi, et nos sumus Dei canes, dum vos assidue contra ipsum agitis, nos permissum accepimus vos morsibus lacerare. » Ejectus est Sicharius de conspectu Samonis. Cum hæc Dagoberto nuntiasset, Dagobertus superbiter jubet de universo regno Austrasiorum contra Samonem et Winidos movere exercitum : ubi tribus turmis phalangæ super Winidos exercitus ingreditur : etiam et Langobardi solatione *(al.* sollicitatione, solutione) Dagoberti idemque hostiliter in Sclavos perrexerunt Sclavi his et aliis locis e contrario præparantes, Alamannorum exercitus cum Chrodoberto duce in parte qua ingressus est, victoriam obtinuit. Langobardi itidemque victoriam obtinuerunt ; et plurimum numerum captivorum de Slavis Alemanni et Langobardi secum duxerunt. Austrasii vero cum ad castrum Wogastisburc *(al.* Vocastense, Vogastense, Vocatense), ubi plurima manus fortium Winidorum immoraverant, circumdantes, triduo præliantes, plures ibidem de exercitu Dagoberti gladio trucidantur, et exinde fugaciter omnes tentoria et res quas habuerunt relinquentes, ad proprias sedes revertuntur. Multis posthæc vicibus Winidi in Thoringiam et reliquos vastando pagos in Francorum F regnum inruunt. Etiam et Dervanus dux gentis Urbiorum *(Cointius ait esse* Surbios, Sorbos *seu* Sorabos *Thuringis finitimos),* qui ex genere Sclavinorum erant, et ad regnum Francorum jam olim adspexerunt ; se ad regnum Samoni cum suis tradidit. Istamque victoriam quam Winidi contra Francos meruerunt, non tantum Sclavinorum fortitudo obtinuit, quantum dementatio Austrasiorum, dum se cernebant cum Dagoberto odium incurrisse et assidue exspoliarentur.

52 *Dein N.* LXXIV (4) : Anno X regni Dagoberti, cum ei nuntiatum fuisset, exercitum Winidorum Thoringiam fuisse ingressum ; cum exercitu de regno Austrasiorum de Mettis urbe promovens, transita Ardenna, Magantiam magno cum exercitu adgreditur, disponens Rhenum transire ; scaram *(i. e.* turmam militum) de electis viris fortibus de Neuster et Burgundia cum ducibus et Grafionibus secum habens. Saxones missos *(Legatos)* ad Dagobertum dirigunt, petentes, ut eis tributa, quæ fisci

(1) Reperitur apud Bouquetum : Recueil des historiens des Gaules et de la France, t. II, p. 413-551. — (2) Ibid., p. 432. — (3) Ibid., p. 439. — (4) Ibid., p. 441 et 442.

ditionibus

M. B. ditionibus dissolvebant, indulgeret : ipsi vero eorum studio et utilitate Winidis resistere spondent, et Francorum limitem de illis partibus custodire promittunt. Quod Dagobertus concilio Neustrasiorum adeptus præstitit Saxonibus, qui his petitionibus suggerendum venerant. Sacramentum, ut eorum mos erat, super arma placata *(al.* placita) pro universis Saxonibus firmant. Sed parum hæc promissio sortitur effectum; tamen tributum Saxones, quod reddere consueverant, præceptione Dagoberti habent indultum : quingentas vaccas inferendales *(sic nempe dictas quod* annis singulis *inferrentur)* a Chlotario seniore censiti reddebant; quod a Dagoberto cassatum est.

53 *Et numero sequenti* (1) : Anno XI regni Dagoberti, cum Winidi jussus Samonis fortiter sævirent, et sæpe transcenso eorum limite regnum Francorum vastandum, Thoringiam et reliquos pagos ingrederentur, Dagobertus Mettis urbem veniens, cum consilio pontificum seu procerum, omnibusque primatibus regni sui consentientibus, Sigibertum filium suum in Austeris regem sublimavit, sedemque Mettis civitatem habere permisit...... Deinceps Austrasii eorum *(suo)* studio limitem et regnum B Francorum contra Winidos utiliter defensasse noscuntur. *Paulo inferius N.* LXXVII : Radulfus dux filius Chamari, quem Dagobertus Thoringiæ ducem instituit, pluribus vicibus cum exercitu Winidorum dimicans, eosque victos vertit in fugam. Hujus victoriæ superbia elatus.... paulatim contra Sigebertum jam tunc *(vivo scilicet Dagoberto)* cœperat rebellare.

54 *N.* LXXIX (2). Anno XVI regni sui Dagobertus profluvio ventris in Spinogelo, villa super Sigona fluvio, nec procul a Parisiis cæpit ægrotare : exinde ad basilicam sancti Dionysii a suis defertur... Post paucos dies Dagobertus emisit spiritum, sepultusque est in ecclesia sancti Dionysii. *Neustriam Burgundiamque obtinet Clodoveus, puer quatuor quinqueve annorum; Sigibertus ejus frater natu major regnum Austriæ, superstite adhuc Dagoberto patre, obtinuerat, ut supra est dictum ex Fredegario, qui dein N.* LXXXVII *hæc, ad rem nostram præcipue facientia, habet* (3).

55 Cumque anno VIII Sigibertus regnaret, *(Clodoveus anno* III), et Radulfus, dux Thoringiæ, vehementer Sigiberto rebellare disposuisset; jussu Sigiberti omnes Leudes Austrasiorum in exercitu C gradiendum banniti *(i. e.* vocati : *Bannum enim edictum est seu denuntiatio alicujus rei)* sunt. Sigibertus Rhenum cum exercitu transiens, gentes undique de universis regni sui pagis ultra Rhenum cum ipso adunatæ sunt. Primo in loco filium Chrodoaldi, nomine Farum, qui cum Radulfo unitum habebat consilium, exercitus Sigiberti trucidans rupit, ipsumque interfecit : omnem populum hujus Fari qui gladium evasit, captivitati deputant. Omnesque primati et exercitus, dextras invicem dantes, ut nullus Radulfo vitam concederet : sed hæc promissio non sortitur effectum. Sigibertus deinde Buchoniam cum exercitu transiens Thoringiam properans (properat). Radulfus hæc cernens castrum lignis munitum in quodam monte super Unestrude fluvio in Thoringia construens, exercitum undique, quantum plus potuit, colligens, cum uxore et liberis in hoc castro, ad se defensandum stabilivit : ibique Sigibertus cum exercitu regni sui veniens, castrum undique circumdat exercitus : Radulfus vero intrinsecus ad prælium fortiter præparatus sedebat. Sed hoc prælium sine consilio initum est. Hoc adolescentia Sigiberti regis patravit, cum alii eodem die vellent procedere ad bellum, et alii in crastino, nec unitum habentes consilium. Grimoaldus et Adalegiselus duces hæc cernentes, Sigiberti periculum zelantes, eum undique sine intermissione custodiunt. Bobo dux Arvernus cum parte exercitus Adalegiseli et Ænovalaus comes Sogiontensis cum pagensibus suis, et cetera exercitus manus plurima, contra Radulfum ad portam castri protinus pugnandum perrexerunt. Radulfus cum aliquibus ducibus exercitus Sigiberti fiduciam haberet, quod super ipsum non voluissent viribus inruere; de castro per portam prorumpens, super exercitum Sigiberti cum suis inruens, tanta strages a Radulfo cum suis de exercitu Sigiberti fitur, ut mirum fuisset. Magancenses in hoc prælio non fuerunt fideles. Ferturque ibi plurima millia hominum fuisse trucidata gladio. Radulfus patrata victoria in castrum ingreditur. Sigibertus cum suis fidelibus gravi amaritudinis mœrore adreptus, super equum sedens, lacrymas oculis prorumpens, plangebat quos perdiderat : et Bobo dux et Ænovalaus comes, et ceteri nobilium fortissimi pugnatores, seu et plurima manus exercitus Sigiberti regis, qui cum ipsis in congressione E certaminis essent adgressi, conspiciente Sigiberto, hoc prælio fuerunt trucidati. Nam et Fredulfus domesticus, qui et amicus Radulfi fuisse dicebatur, hoc prælio occubuit. Sigibertus eadem nocte nec procul ab ipso castro in tentoriis cum suo remansit exercitu. In crastinum videntes quod Radulfo nihil prævaluissent, missis discurrentibus, ut Rhenum pacifice iterum transmearent; cum Radulfi convenientia Sigibertus et ejusdem exercitus ad proprias sedes remeant. Radulfus superbia elatus ad modum regis in Thoringia se esse censebat, amicitias cum Winidis firmans, ceterasque gentes, quas vicinas habebat, cultu amicitiæ obligabat. In verbis tamen Sigiberto regimen non denegabat; sed in factis fortiter ejusdem resistebat dominationi.

Constat itaque, sub Clodovæo II. bellum grave a Winidis contra Francos motum.

56 *Ex hac Fredegarii narratione constat itaque sub Dagoberto ejusque filiis Sigiberto II et Clodovæo II frequenter Francis rem fuisse cum Winidis, hosque recte dici posse* barbaros in extremis regni finibus tumultuantes. *Speciatim ex N.* LXXXVII, *quem ad extremum ex Fredegario supra descripsimus, indubium est, regnante Clodovæo II, bellum difficile ortum iisdem in partibus, rebellante videlicet Radulfo,* F *Thuringiæ duce, adversus Sigibertum Austrasiæ regem, fratrem Clodovæi; Radulfum, cui regni fines tutandi adversus Winidorum incursiones a Dagoberto cura commissa fuerat, molliter egisse, quinimo ubi* vehementer Sigiberto rebellare disposuisset, *barbaros istos sibi addixisse, et jam ante bellum cum ipsis* amicitias *iniisse, sicut et post bellum easdem* firmasse, *conceptis verbis declarat Fredegarius. Quid igitur obsit, quominus ad rebellionem hanc Thuringicam referantur verba illa quæ in act s S.* Aquilini *leguntur :* interea vocatus a rege Clodovæo, qui tunc temporis imperium tenebat, cum cæteris urbium præfectis, ad resistendum barbaris, qui in extremis regni finibus ceperant effrenari? *Singulæ expendantur voces, nulla est quæ non aptissime nostræ quadret hypothesi.*

Solvitur difficultas ex eo quod bellum illud adversus Austrasios moveretur, dum Clodovæus II Neustriæ præesset.

57 *Scio opponi posse bellum Thuringicum non adversus Clodovæum, qui Neustriam Burgundiamque tenebat, sed motum fuisse adversus Sigibertum qui Austrasiis præerat; proinde falso assumi Clodovæum urbium suarum præfectos ad arma vocasse.*

Ad

(1) Pag. 442. — (2) Pag. 443 et seq. — (3) Pag. 446.

A *Ad hanc solvendam difficultatem, juvat ante omnia in memoriam revocare quæ superius n. 52 ex Fredegario recitata fuere : scilicet* anno x regni Dagoberti, cum ei nuntiatum fuisset, exercitum Winidorum Thoringiam fuisse ingressum, cum exercitu de regno Australiorum... transita Ardenna,... Magantiam... adgreditur (Dagobertus) disponens Rhenum transire ; scaram de electis viris fortibus de Neuster et Burgundia cum ducibus et grafionibus *(comitibus)* secum habens. *Licet igitur Dagobertus bellum istud copiis Austrasiorum confectum vellet, nihilominus secum duxit* scaram, *id est turmam, de electis viris* fortibus de Neuster et Burgundia cum ducibus et grafionibus. *Non est itaque quod repugnet, si dixerimus id ipsum factum fuisse in rebellione Radulfi.*

Nihil obstat quominus Rex Austrasiæ fratrem suum Clodovæum in belli societatem vocarit;

58 *Necquemquam vehementer movebit, quod utrisque, Austrasiis Neustriisque simul Dagobertus imperaret, Clodovæus vero his tantum, illis autem Sigibertus præesset. Notum est enim utrumque regnum sæculis illis, etiamdum unius subessent imperio, separatim fere administrata fuisse. Pronum itaque est concludere in bello quod in eadem regione et adversus eumdem hostem gerebatur, duos reges patris* B *sui vestigiis inhæsisse. Idque tanto magis vero est simile, quod Clodovæus cum Sigiberto in perpetua vixerit pace; bellumque istud secundo post obitum Dagoberti ortum sit anno, et uterque rex in puerili versaretur ætate (Sigibertus, ut habet Hadrianus Valesius* (1), *decimum agebat annum, Clodovæus vixdum septimum ingressus erat). Unde efficitur regnum adhuc maximam partem sub tutela fuisse eorum, quibus ipse Dagobertus illud commendaverat, ac proinde administrationis modum non magnopere fuisse diversum. Accedit illam Neustriæ partem, ex qua oriundus erat* Aquilinus, *non adeo dissitam a finibus Austrasiæ esse : unde vel ipsa vicinia in societatem belli vocabat.*

quibus positis omnia rite sibi cohærent.

59 *Hac ratione omnia sibi cohærent :* Aquilinus *sub Clodovæo II versus annum* 640 *ad bellum profectus est contra barbaros, qui in extremis regni Francici finibus cœperant effrenari ; succedit Ætherio in sede Ebroicensi; interest Concilio Rothomagensi versus annum* 688, *senex moritur. Nihil est in his omnibus quod cum* Actis *non concordet; ubi ad aliam stabiliendam sententiam* Acta *et adulteranda et truncanda sunt. Qua propter nobis indubitatum remanet, unicum esse Sanctum hujus nominis, qui* C *ecclesiam illam rexerit.*

§ IV. De Tempore et annis Episcopatus S. Aquilini. De actis, horumque scriptore.

Quibus annis et quamdiu sedem suam tenuerit S. Aquilinus non convenit inter scriptores.

S*uperius* § II *notavimus jam, scriptores inter se non concordare de anno quo factus episcopus Ebroicensis et S.* Aquilinus; *nec etiam de numero annorum quibus sedem suam tenuerit.* Aquilinus, *ait Cointius* (2) Ebroicensem pontificatum suscepit hoc anno (653). Rexit enim diœcesim annos duos et quadraginta, senexque migravit in cœlum, anno Christi sexcentesimo nonagesimo quinto, ut ex gestis Sanctorum Ansberti, Rotomagensis episcopi, Leufredi et Sidonii abbatum, simul collatis probabimus. *Ast non stat verbo Cointius : nullibi enim reperio illum probasse, nec suscepisse quidem probandum, quod hic se probaturum promittit.* Le Brasseur (3) *initium episcopatus sancti* Aquilini *ponit anno* 663, *finem anno* 695, *unde tantum triginta duos annos sedisse eum concludit.* Nova Gallia Christiana (4) *in catalogo episcoporum Ebroicensium, in medio relinquit et initium et finem pontificatus S.* Aquilini, *cum nec uni nec alteri assignet annum. Domn.* Bessin (5) *annum habet* 670, *quo factus episcopus est* Aquilinus, *cujus obitum videtur referre ad annum* 698, *cum hunc annum adscribat iis quæ tradit de Desiderio, quem* Aquilini *proxime successorem exhibet. Possent ex aliis similia multa hic adjici, ast omnium loco adscribimus ex Cointio* (6) : Propter actorum penuriam, obvolutæ silentio manent res pene omnes, quas reges Francorum Sigebertus ejusque filius Dagobertus, nec non Clodovæus Sigiberti frater, ejusque filii Clotarius, Childericus et Theodoricus gesserunt ab anno Christi sexcentesimo quadragesimo, ubi chronicum Fredegarii desinit, usque ad annum Christi sexcentesimum octogesimum, quo Theodoricus universæ Franciæ monarchiam obtinere cœperit. *Confer* E *quæ nos prolixe disputavimus de chronologia* § I *hujus commentarii nn.* 8-15.

Juxta Acta, per 42 annos præfuit S. Aquilinus;

61 *In tanta et actorum penuria et temporum obscuritate, a nobis profecto aliud rationabiliter postulari nequit, quam ut ostendamus, qualiscumque assumatur chronologia, inconcussum permanere quidquid de S.* Aquilino *referant ejus acta, quæ ab omnibus judicantur conscripta a viro gravi et prudenti. Cum autem hic diserte affirmet S.* Aquilinum *sedem Ebroicensem tenuisse annis quadraginta duobus, non est absque evidenti ratione ab hoc numero recedendum. Et hinc etiam Pagi* (7) *Longuevallius* (8), *Baillet* (9), *Cointius* (10) *aliique melioris notæ scriptores pontificatui Sancti nostri eumdem dant annorum numerum. Nec parvum proinde opinioni nostræ accedit momentum vel ex eo quod quadraginta duo anni episcopatus* Aquilino *vindicentur, non obstante diversitate chronologica quæ varios inter scriptores existit.*

quod aliis factis historicis minime repugnare ostenditur.

62 *Nam ut terminos chronologicos singulis factis apponamus maxime inter se remotos: militiam secutus est* Aquilinus *sub Clodovæo secundo qui, juxta Bouquet* (11) *et Art. verif. dat.* (12), *regnavit ab* F *anno* 638 *usque ad ann.* 656; *juxta Henschenium in Diatriba* (13), *ab anno* 646 *ad an* 662 : *Rebellio Radulfi, quæ anno secundo Clodovæi locum habuit, juxta priores incidit in annum Christi* 640; *juxta Henschenium in annum* 646; *Concilium Rothomagense celebratum est juxta Sirmundum anno* 682, *juxta D. Bessin anno* 693. *Itaque inter Concilium hoc et rebellionem Radulphi habebitur temporis intercapedo ad minus* 36 *annorum, vel ad summum* 47. *Si ergo statuatur* Aquilinus *anno primo post reditum suum a bello in sedem Ebroicensem evectus fuisse, ut quadraginta duo episcopatus anni habeantur, dicendum erit ipsum septem vel octo annis Concilio Rothomagensi supervixisse. Quod si longiori temporis intervallo separetur prædicta rebellio a Concilio, sequetur sancti* Aquilini *episcopatum tardius cœpisse, desiisse vero paulo post habitum Concilium. Atque in his omnibus nihil est quod cum actis et aliis antiquitatis monumentis componi nequeat.*

Acta S. Aquilini.

63 Aquilini vita, *ait Le Brasseur* (14) conscripta

(1) Rerum Francicarum, t. III, lib. xx. *Confer.* § I hujus Comment. præv. ubi de concilio Rothomagensi. — (2) Ann. Ecclesiast. Franc. ad an. 653, n. XLVI. — (3) Histoire du comte d'Evreux, p. 41. — (4) T. XI, col. 567 et 568. — (5) Concilia Rotomagen. Provinciæ, part. posteriori, p. 373. — (6) Annal. ad an. 652, n. LVIII. — (7) In Critica ad an. Baroni 682. n. IX. — (8) Hist. de l'Égl. Gall., t. V, p. 397. — (9) In vita S. *Aquilini*, XIX Octob. — (10) Annal. ad an. 653, n. XLVI. — (11) T. II in Indice chronologico. p. CIII et CV. — (12) L'Art de vérifier les dates, p. 530. — (13) Ad calcem, in Indice chronologico. — (14) Histoire du comté d'Evreux, p. 40.

fuit

B. B.

fuit ab Hecelone, monacho Benedictino, viro docto et prudenti. Spirat gravitatem pietatisque sensus; tantoque majorem, eruditorum judicio, meretur fidem, quod ejus auctor non tardius videatur floruisse quam sub finem sæculi octavi. Inscribitur opus cuidam Audoeno seu Auduoino, qui tamen non erat episcopus, ut quidam crediderunt, sed et ipse monachus Benedictinus, qui peculiari veneratione prosequebatur S. Aquilinum. *Similia reperio in Historia litteraria Franciæ* (1). Vita S. Aquilini, hujus nominis secundi episcopi Ebroicensis, qui juxta quosdam floruit anno 663, et mortuus est juxta alios anno 695, auctorem habet Hecelinum, monachum Benedictinum, virum doctum et prudentem, qui illam scripsit sæculo fere post mortem S. Præsulis. Gravitatem pietatemque spirat, quamvis Surius stylum mutaverit. Inchoatur præfatione valde præclara, desinitque precatione, ex qua elucet auctorem Ebroicæ tunc moratum. Identidem occurrunt sententiæ sapientia et ædificatione plenæ. Dignoscitur auctor satis bene tenuisse res ad S. Aquilinum spectantes.

Illorum auctor Monachus Benedictus.

64 *Hæc quidem valde confidenter ab illis dicta sunt; attamen multum abest ut eamdem singula me-* B *reantur fidem. Mitto quæ asseruntur de* Aquilino, *secundo hujus nominis Ebroicensi Præsule. Evidens cæterum est auctores Historiæ litterariæ hanc quæstionem non examinasse : non enim ipsis erat his locus. Rectius tamen dixissent si minus diserte pronuntiassent : nisi quis opinetur eos ignorasse hac de re inter eruditos controverti, quod tamen non facile est supponendum. Indubium est vitam scriptam fuisse a monacho Benedictino ; id ex prologo manifestum, præsertim in fine, ubi legitur :* Tantum vestræ petitioni obtemperans incipiam, et sicut Beatus noster legislator præcipit de gravibus quibusque ac impossibilibus *etc. Alludit auctor ad caput sexagesimum octavum regulæ S. Benedicti, cui titulus :* Si fratri impossibilia injungantur. *Longe etiam probabilius est Audoënum illum, cui vita inscribitur, monachum ejusdem ordinis, non vero episcopum ; id enim si esset, saltem aliquibus indicasset scriptor verbis; imo contrarium satis aperte dicit in prologo :* in corpore nostro congregationis honesto valde et utili membro Domino Audoeno... ultimus frater. *Cum tamen magnam præ se ferat auctor observantiam et venerationem, pronum est concludere Audoenum vel ordinis prælatum, vel virum fuisse* C *ætate seu sapientia spectandum. Aliud est de nomine auctoris et tempore quo floruit. Hæc enim duo saltem valde incerta sunt.*

Juxta quosdam Hecelo vocatur.

65 *Et quidem quod ad nomen attinet, præter Le-Brasseur et collectores Novæ Galliæ Christianæ, quos probabiliter hac in re simpliciter secuti fuerint auctores Historiæ Litterariæ, nullus est scriptor melioris notæ qui de Hecelone mentionem faciat ; nec Mabillonius sive in annalibus sive in Actis Sanctorum ordinis S. Benedicti, nec Ziegelbaur in ordinis hujus historia litteraria ; nec Baillet, nec Longueval, nec Baronius, nec Pagius, nec Cointius, nec Butler. Surius asserit nomen auctoris in nullis, quos videt, reperiri codicibus.*

quod tamen non probatur.

66 *In altero ex duobus ecgraphis seu transumptis quæ ad manum nobis sunt de vita S. Aquilini, legitur in initio prologi :* In corpore nostræ congregationis honesto valde et utili membro, Domino Audoeno inter cæteros fere ultimus frater *(deinde relicto spatio septem octove litteris capiendis apto, sequitur)* celo quidquid dignum arbitratur mens sana in Domino. *In altero autem :* Inter cæteros fere nullus frater quidquid dignum arbitratur mens sana in D Domino, *atque inter verba* frater, *et* quidquid, *habetur signum quod ad marginem remittit, ubi adscribitur* Hecelo. *Utrumque, et signum et vox marginalis, exaratum est manu alicujus ex prædecessoribus nostris, forte Papebrochii. Surius ita habet :* Inter cæteros pene ultimus frater N., quidquid cœlo dignum mens sana in Domino arbitratur. *Inscriptio hæc est :* Vita S. Aquilini episcopi Ebroicensis, scripta ad Audoenum. Est historia gravis; sed codicis Mss. nomen authoris non habent. Stylum J. Laur. Surius passim non nihil correxit.

Conjectura de vocis hecelo origine.

67 *Cum igitur nullus scriptor rerum ordinis S. Benedicti eminerit Hecelonis, et aliunde codices Mss. generatim nomen illius, qui vitam S.* Aquilini *scripsit, non habeant, haud adeo facile est assequi unde nomen illud alii hauserint. Num forte vox* Hecelo *seu* Ecelo, *irrepsit quibusdam codicibus, primum incuria, deinde errore amanuensium, non separando scilicet præpositionem* e *a suo regimine,* cœlo ; *sed duas voces in unam contrahendo? Hoc admisso, legendum foret ;* e cœlo quidquid dignum arbitratur mens sana ; *quæ lectio satis concordaret* E *cum textu Suriano.*

Acta satis antiqua.

68 *Quod ad tempus spectat, quo auctor vitæ S.* Aquilini *floruerit, nihil certi definiri potest. Quinam sint eruditi illi, quorum judicio vita hæc scripta fuisset ad finem sæculi octavi imo etiam citius, non inveni. Antiqua utique est, de hoc convenit inter omnes. Nec ullam in se continet notam quæ recentiorem argueret ætatem. Ast argumentum hoc mere negativum est, ac proinde ex eo ætas certo statui nequit.*

Duo eorum apud nos apographa.

69 *Duplex, ut jam superius innuimus, nobis præ manibus est, ex duobus diversis transumpta manuscriptis S.* Aquilini *vita. Altera ex Ms. Rubræ Vallis ; altera ex Ms. Gigniacensi a Chifletio prædecessoribus nostris missa. Valde parum differunt inter se. Si quando varietur lectio, Annotata textui actorum apposita indicabunt.*

§ V. De Sancti Aquilini reliquiis, earumque translatione.

F

Sacrum corpus ubi primum requieverit.

Quod ad *reliquias sancti* Aquilini *pertinet, sequentia habemus ex vita sancti Præsulis, quam gallice scriptam nobis submittere dignatus est tertia Februarii* 1847 *R. D.* Delanoe, *canonicus Ebroicensis, et olim Vicarius Generalis.* Sacrum sancti Aquilini corpus vix depositum fuerat, cum statim ab omnibus summa dignum veneratione habere- tur. Delatum est atque conditum in oratorio quod ipse, dum viveret, ædificari curaverat extra urbis septa ; ubi postea erecta ecclesia est parœcialis sub ejusdem Sancti invocatione. Suppressam atque divenditam a gubernio anno 1792, redemit anno 1824 Ill. Du Châtellier, venerabilis memoriæ, episcopus Ebroicensis ; quam et restaurandam curavit propriis suis expensis ; atque anno 1839 in oratorium dedit minori suo seminario, quod ipse idem extruxerat juxta dictam ecclesiam.

Levatum dein et Ebroicis asservatum usque ad Normannicam incursionem.

71 Frequentia miraculorum quæ patrabantur ad sepulcrum sancti Aquilini, quemdam ex ejus successoribus *(quis ille sit non reperi)* impulit, ut

(1) Histoire littéraire de la France, cura Monachorum S. Mauri, t. IV, p. 198. Paris. 1738.

sacra

A sacra ossa de terra levaret, quo debitus eis honor et cultus redderetur. Atque ita urbs Ebroica ditabatur reliquiis Sanctorum præsulum suorum, quas merito ut præsidium et monumentum solidissimum spectabat; cum versus medium sæculum nonum, turbo barbaricus a Septemtrione appulsus, Gallias invasit devastavitque. Gens illa Nortmannica destruebat ecclesias, monasteria populabatur, sacerdotes et monachos cædebat, Sanctorum cremabat reliquias.

translatum est in Castrum Laudosum;

72 Cum appropinquarent, Guntbertus Ebroicensis episcopus, una cum aliquot monasterii sancti Taurini fratribus et pluribus ex clero suo præsbyteris maxime spectatis, urbe discessit, secum ferens partem reliquiarum sancti Taurini et totum sancti Aquilini corpus, quæ reverenter inclusa thecæ tulit in Laudosum castrum, Arverniæ vicum, (*vernacule* Lezoux), unde ipse Guntbertus oriundus videtur et quo ad tempus confugiebat. *Guntbertus, de quo hic agitur, sedem Ebroicensem tenuit, post annum* 842. *Synodis adfuit Parisiensibus annorum* 847 *et* 849; *et synodo Suessionensi anno* 862, *versus quem obiisse dicendus est, cum Hilduinus ejus successor, legatur inter subscriptiones Concilii Pistensis an.* 864. *Guntbertus corpus S. Leufredi* B *abbatis, quod propter incursiones Normannorum humi defossum fuerat, levavit* XX *Junii anno* 851, *in capsa recondidit et ad monasterium S. Crucis transtulit. Hæc ex Gallia Christiana* (1). *Ubi nihil de* S. Aquilini *reliquiis; nec etiam de illis sermo est apud historiographum Ebroicensem Le Brasseur, in gestis Guntberti* (2); *sed hæc infra latius tractabimus. Ad narrationem R. D. Delanoe redimus.*

atque hinc ad monasterium Gigniacense, ubi an. 1794 combustum.

73 Reliquiæ sacræ ibidem remanserunt usque ad annum 912, quando translatæ sunt ad monasterium Gigniacense in Burgundiæ comitatu, ubi ingenti cum lætitia susceptæ et exin summa cum sollicitudine et veneratione asservatæ sunt usque ad diem x Septembris 1794: nocte enim sequenti plebs concitata in ecclesiam irrupit, atque fractis sigillis, extractas reliquias orto die xi Septembris combussit ad radices arboris, ut vocant, libertatis. Fideles tamen partem sacri depositi subduxerunt, quam, reddita pace ecclesiæ, in manus presbyterii Gigniacensis restituere. Reliquiæ illæ hodiedum adhuc Gigniaci coluntur; ast ita simul commixtæ sunt, ut discerni ab invicem non queant, nec indicari possit quid illarum ad sanctum Taurinum, quid vero ad sanctum Aquilinum pertineat.

Anno 1158 solemniter per urbes et vicos Burgundiæ circumvectum fuit.

C 74 Anno 1158 facta est solemnis Reliquiarum illarum translatio (*potius* circumvectio) per urbes et vicos Burgundiæ, Lugdunum usque. Plurima tunc patrata sunt miracula, ut videre est apud Bollandistas ad diem xi Augusti. Post hoc relata sunt Gigniaccum. *Atque ista ex vita quam nobis gallico idiomate summa cum benevolentia composuit R. D. canonicus Delanoe, qui narrationem suam, quatenus hæc ad reliquias sancti* Aquilini *spectat, hausisse præcipue videtur ex Instrumentis variis, quibus acta sancti Taurini a Boschio nostro illustrata sunt* (3). *Instrumenta illa, ad rem nostram facientia, tria sunt:* Historia inventionis S. Taurini primæ; *alterum,* Historia translationis ejus ad castrum Laudosum et inde ad cœnobium Gigniacense; *tertium denique,* Circumvectio ejusdem corporis anno MCLVIII instituta.

Historia Inventionis S. Taurini.

75 *Porro, juxta Boschium* (4), Prima inventio *probabilius ad tempora refertur Clotarii II, (in actis tantum habetur:* tempore Clotharii regis dum beatus Laudulfus etc.) qui ab an. 584 rex fuit Suessionensis; ab anno autem 613 ad annum 628 monarcha Galliarum (5). Cum enim, *prosequitur Boschius,* Ebroicis sederit Licinius episcopus ultra annum 549, quo interfuit synodo Aurelianensi quintæ; post Licinium autem sederit Viator, inter quem et Ragnericum (qui anno 650 adstitit synodo Cabilonensi) solus apud Sammarthanos (*in altera* Gallia Christiana) intercessit Laudulfus, verosimilius apparet, adscriptam huic Inventionem, accidisse diu post annum 561, quo decessit Clotarius I, quam ante illum annum. *Ast hic ante omnia paulo emendandus Boschius noster est. Primus* Galliam Christianam, *uno tomo absolutam, edidit* (6) *Claudius Robertus, Lingonensis præsbyter; altera deinde prodiit* (7), *quatuor constans tomis:* Opus fratrum gemellorum Scævolæ et Ludovici Sammarthanorum auctum et primo in lucem editum a Petro Abelio et Nicolao Sammarthanis, Scævolæ filiis, Ludovici nepotibus. *Ad hanc provocat Boschius, ubi de episcopis Ebroicensibus agitur* (8). *Tandem sæculo decimo octavo edita est, studio Maurinorum,* Nova Gallia Christiana *longe auctior, nec hucusque* E *ad finem perducta. In hujus autem tomo XI venit provincia Rothomagensis, ac proin* ecclesia Ebroicensis. *Tomum hunc non vidit Boschius, cum editus sit tomus II noster Augusti anno* 1737, *tomus vero XI Novæ Galliæ Christianæ anno* 1759. *In hoc autem paulo aliter ordinatur episcoporum Ebroicensium successio.* Licinius *subscripsit Concilio Aurelianensi* III *an.* 538 *et* V *an.* 549; Ferrocinctus, *qui subscripsit synodo Parisiensi an.* 557, *dissimulato sedis nomine, quam Cointius* (9) *autumat Ebroicensem;* Viator, S. Landulfus (10), Deodatus, *hi tres absque certo charactere chonologico;* Ragnericus, *qui Concilio Cabilonensi subscripsit versus an.* 648 (11). *Atque ex his confirmatur (ne dicam indubium fieri) assertum Boschii, cum decesserit Clotarius I anno* 561, *et sedem Ebroicensem teneret adhuc an.* 557 *Ferrocinctus, cui non immediate, sed post Viatorem, successit Landulfus.* Historia inventionis *conscripta fuit sub Carolo Calvo, id est sæc.* IX, (12) *quo etiam facta* translatio, *de qua mox dicemus, est. Attamen in ipsa* inventionis Historia *legitur:* Corpus beati Taurini apud Laudosum Arvernensis provinciæ honorabilem vicum translatum (13). *Quid sit* Laudosus vicus *se nondum* F *didicisse scribit Boschius* (14). *Est vero oppidum seu urbicula distans Claromontio* (Clermont-Ferrand) *leucis quatuor, imo quinque seu* 22 *kilometris, vernacule* Lezoux (15); *Præter ecclesiam parochialem et Xenodochium, erat ibidem collegiata et conventus patrum S. Augustini* (16). *Incolas numerabat paulo amplius* 3000, *hodie vero juxta Adrianum Guibert* 3600 (17). *Postremo notemus in sæpius dicta* Historia inventionis *non haberi mentionem de S.* Aquilino.

Historia translationis ejusdem S. Taurini;

76 *Aliud est in* historia translationis *ejusdem S. Taurini: ex hac enim diserte habetur corpus sancti* Aquilini *junctum fuisse Reliquiis sancti Taurini* (18): Quidam de clero ea... mira devotione circa sanctissimum confessorem Taurinum ferventes, corpus illius omni sibi thesauro carius, in loculo gestatorio decentissime ornato posuerunt, et cum eo Aquilini confessoris pignora, qui post eum

(1) T. XI, col. 569. — (2) Histoire du comté d'Évreux, p. 65-67. — (3) Acta SS., t. II Augusti, ad diem XI, p. 635-636. — (4) Ibid., p. 644. Annotatio litt. *a*.— (5) Concordat l'*Art de vérifier les dates*, p. 528 et 529.—(6) Lutetiæ. Paris, an. 1626. —(7) Item Lutetiæ. Paris an. 1656. —(8) T. II, fol. 571 verso. — (9) Annal. Ecclesiast. Francor., ad an. p. 557, n. XXXVII. — (10) De quo apud nos XIII Aug., hujus mensis, t. III, p. 96 — (11) Nov. Gall. Christ., t. XI, col. 566 et 567.— (12) Boschius, in *Annotatis*, lit. *i*, t. II Aug., p. 645. — (13) Ibid., p. 644, n. 6. —(14) Ibid., p. 645. *Annotat.*, lit. *n*. — (15) Expilly. Dictionnaire géographique des Gaules et de la France. — (16) Dictionnaire universel géograph., etc., de la France. Paris, an. XIII (1805). —(17) Dictionnaire géographique et statistique. Paris 1850.—(18) T. II Aug., p. 646, n. 7.

Ebroicensem

B. B.

Ebroicensem rexit ecclesiam, collocaverunt, Florentiæ quoque Virginis corpus cum his duobus confessoribus compositæ condiderunt. Intentio eorum erat, ut sanctum Dei a canibus et margaritæ omni pretio pretiosiores a porcis, id est Normannis, non conculcarentur..... Prædicti heroes et sibi et corporibus Sanctorum providentes, non solum longe a Normannia, sed etiam extra Franciam exire, et intra Arverniæ provinciam..... apud Laudosum honorabile castrum, ubi nullus timor, nulla mentio Normannorum habebatur, abire utile crediderunt, et maxime quia episcopus Ebroicæ civitatis (*puta* Guntbertus) qui corpora præfata secum fugitando ferebat, indigena ejusdem provinciæ esse videbatur. Ibi itaque corpora Sanctorum post mortem prædicti episcopi, miraculis coruscantia per multa annorum curricula permanserunt. *Scilicet usque ad annum circiter* 912, *quo Rollo, sacro initiatus baptismate est, et exin restituta per Neustriam religio catholica. Tunc enim quidam Ebroica Laudosum profecti* (1), *animo sacra auferendi pignora, post aliquod tempus consilium suum partim saltem perfecerunt, Reliquias Gigniacum usque asportantes, ubi deinde variis de causis, quæ in* historia translationis (2) *redduntur, permanserunt. Unde* B *etiam sub finem exclamat scriptor :* Felix, inquam, Gigniacensis ecclesia, quam tria luminaria tamquam splendor firmamenti in cœlesti Jerusalem splendentia illustrant. Beata congregatio, quam Taurinus, gemma sacerdotum et honor sacerdotii; Aquilinus, gloria populi et laus Dei; Florentia quoque, virginitatis speculum, meritorum suorum radiis decorant etc. *Si itaque fides est laudato scriptori, constat Reliquias sancti* Aquilini *Gigniaci repositas fuisse.*

quo tempore conscripta fuerit.

77 *Notandum nihilominus est historiam hanc translationis conscriptam esse tribus fere post eventum sæculis. Nam, ut recte opinatur Boschius noster, ex stylo efficitur eumdem anonymum et* historiæ translationis *et* circumvectionis auctorem. *Jam vero Circumvectio contigit anno* MCLVIII, *quo Gigniacum infelici incendio absumptum est.* Translationis *historiam paulo ante confectam ex ipso textu patet, siquidem sancto Taurino adscribitur perpetua cœnobii Gigniacensis immunitas ab infortuniis, quod post dictum incendium jam non esset verum. Recte ergo asseritur, ut supra monebamus, instrumentum translationis versus medium sæculum duodecimum confectum, id* C *est tribus fere post eventum sæculis. Judicet eruditus lector num exinde fides illius nutet, sicut et ex silentio anonymi scriptoris qui* primæ inventionis *concinnavit, Carolo Calvo regnante,* historiam. *Id certum, ex hoc tempore, id est ab anno* 1158, *indubia nobis suppetere testimonia, quibus constat corpus seu Reliquias sancti* Aquilini *asservatas Gigniaci fuisse, ibique repertas anno* 1547. *Quod autem permanserint Gigniati usque ad annum* 1794, *quo sacrilege combustæ fuerunt, testatur R. D. Delanoe, supra n.* 73. *Vide commentarium prævium ad Acta sancti Taurini, auctore Boschio* (3), *speciatim vero instrumentum authenticum ibidem recitatum cujus hic partem subjiciendam duximus.* Hac die XIX mensis Maii anno MDXLVII, festo ascensionis Domini nostri Jesu Christi, in ecclesia prioratus conventualis S. Petri Gigniacensi..... nobiles et religiosæ personæ Fr. Simon de Grandmont eleemosynarius et vicarius generalis reverendi in Deo patris ac Domini Ludovici de Rye, episcopi et principis Gebennensis..... et Ludovicus Chappon dicti Gigniaci notarius, ac hoc vocati... ut visitemus capsam in qua requiescit corpus Domini nostri S. Taurini... in qua invenimus caput et ossa dicti Domini sancti Taurini... D Et eodem die et momento accepimus de duobus ossibus magnis, quæ erant in capsa Domini sancti Aquilini, unum, et posuimus in capsa Domini S. Taurini. *Et rursus in historia* circumvectionis *S. Taurini* (4) : Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo octavo..... villa Gigniacensis, quæ per multa annorum curricula sub protectione sanctissimorum confessorum Taurini, Aquilini... et Florentiæ immunis ab incendio, a peste et a tempestate fuerat, quam terribilia sint *(Dei)* judicia... veris argumentis agnovit... flamma... erumpens... domos et quæque obvia in favillam et cinerem redegit. *Atque hæc occasio circumvectionis illius sane magnificæ fuit.*

Non obstante Flodoardi silentio,

78 *Notatu dignum est Flodoardum in* Chronico *ad annum* 851 *memorare quidem de Guntberto Ebroicensi quod sancti Leufredi corpus transtulerit; sanctorum vero Taurini et* Aquilini *nullam habere mentionem.* Anno, *inquit,* Domini 851, regni autem Caroli Calvi 12, die 22 Junii Guntbertus episcopus Ebroicensis corpus S. Leufredi abbatis, quod propter incursiones Normannorum adhuc infidelium humi defossum fuerat, inde levavit, atque illud in E una et decenti capsa positum ad primariam monasterii ædem sanctæ Cruci et beato Audoeno Rothomagensi archiepiscopo dicatam, tanstulit.

probabile tamen est corpus S. Aquilini una cum S. Taurino Gigniacum fuisse translatum.

79 *His tamen non obstantibus, diffiteri non licet, probabile esse Reliquias sancti* Aquilini *una cum corpore sancti Taurini Gigniacum reapse fuisse delatas, quamvis de illo sileat auctor* primæ *inventionis; si enim ex ejus silentio aliquid concludere oporteat, nonne oporteret et idem vel simile quid concludere ex silentio Flodoardi de S. Taurino? Stat utique traditio antiqua, argumentis innixa minime spernendis. Quæ sane præsumptio est haud elidenda nisi certis omnino argumentis, secus fecisse temerarium foret. Notamus tamen cum Boschio nostro, cum dicatur* corpus, *non continuo significari integrum corpus, sed partes sæpe tantum aliquot corporis : nam in hujusmodi locutionibus frequens occurrit figura synecdoches, qua pars aliqua insignis pro toto ponitur* (5). *Atque hinc explicatur quomodo ejusdem sancti corpus variis in locis simul asservari perhibeatur. Hac adhibita notatione, non rejiciendum omni ex parte videbitur quod scribit Leroux de Liney de Fiscannensibus S.* Aquilini *Reliquiis* (6). F

Quid censendum de Reliquiis S. Aquilini Fiscannensibus.

80 Petrus Cervasius, abbas, ordine vigesimus secundus, Fiscannensis (Fescamp seu Fécamp) ab Urbano VI consecratus anno 1381 fuerat. Postea in Angliam transfretavit, ut visitaret latifundia quædam ab ejus abbatia dependentia. Dum aberat ille, prior monasterii aperuit thecam in qua repositæ erant sacræ exuviæ sancti Taurini sub hac inscriptione : hic requiescit sanctus Taurinus primus præsul Ebroicensis et alius cum eo. *(Verba hæc ita latine exhibentur a laudato scriptore).* Ignoramus quis sit alius ille. Forte non absurdum esset dicere, agi hic loci de sancto Aquilino, altero sedis Ebroicensis episcopo : tum quod hujus corpus nuspiam reperiatur Ebroicæ *(quid si reperiatur Gigniaci? Exigui itaque ponderis est hæc ab auctore adducta ratio)*; tum quod antiqua ferat traditio illud depositum fuisse juxta corpus sancti Taurini, in loco ubi ædificata ecclesia est sub hujus invocatione. Insuper in monasterio Fiscannensi olim solemniter agebatur festum sancti Aquilini. Unde conjicere licet hujus Reliquias una cum sacro sancti Taurini corpore Fiscannum translatas fuisse.

(1) T. II Aug. Historia Translat., cap. I, n. 9 et 10, p. 647.—(2) Ibid., cap. II. — (3) Ibid., p. 636, n. 4 et 5.— (4) Ubi supra, p. 637, n. 6. —

(5) Essai historique et littéraire sur l'abbaye de Fécamp, p. 327 et 328, Rothomagi 1840.

Asserit

A Asserit Ordericus Vitalis hanc sancti Saurini translationem contigisse versus finem sæculi undecimi. *Locus Orderici, ad quem hic respicitur, ita habet:* Post longum tempus *(ab obitu sancti Taurini)* religio Christiana crevit; et clerus Ebroicensis cum fidelibus indigenis primi præsulis sui Taurini polyandrum *(sepulcrum)* quæsivit, Deoque monstrante, invenit. Deinde reverenter de terra levatum est. *(Hæc manifeste spectant ad primam inventionem quæ, ut supra diximus, incidit in sæculum* VII) et post aliquod tempus a fidelibus Fiscannum translatum est. Ibi venerabile cœnobium monachorum ad Deitatis cultum jugiter agendum constructum est, ibique in capsa pretiosa sancti Viri corpus veneranter aptatum est. *Hæc Orderici verba sanctum* Aquilinum *nullo modo respiciunt; dein notat Boschius Ordericum hic vel turpiter sibi contradicere, vel ea proferre quæ sibi invicem non cohæreant. Vide Comm. præv. in Acta S. Taurini n.* 7 (1).

Conclusio. 81 *Atque ex his omnibus merito concludere posse videmur, multum abesse ut omnia, quæ de Reliquiis sancti* Aquilini *a variis traduntur, liquida sint et undequaque probata. Narrationem R. D. Delanoe putamus ea continere, quæ in hac quæstione probabiliora sunt, nec, ut jam monuimus, facile rejicienda.* B

VITA SANCTI AQUILINI

EPISCOPI EBROICENSIS.

Ex Ms. Rubræ Vallis et altero Gigniacensi. Surius habet mutato stylo.

PROLOGUS.

Inscriptio seu apprecatio. *a* *b*

In corpore *a* nostræ congregationis honesto valde et utili membro Domino Audoeno inter cæteros fere ultimus frater... *b* cœlo quidquid dignum arbitratur mens sana in Domino.

Excusat scriptor suam imperitiam et indignitatem. *c* *d*

2 Quando *c* in medio ovium positus, lanam quærendo, ad capras mittit, aut ipse, quod habet, nescit; aut alii, quo caret nescienti, inopiam suam ostendere cupit. Si enim *d* vestra dilectio me ad opus non meæ facultatis invitavit, ac si jam in quanta perfectorum in litteris virorum copia consistens ignoretis, vel mihi imperitiam meam ante oculos statuere velitis. Præterea scitis quia non est speciosa laus Dei in ore peccatoris, et, qui solvit et docet unum de mandatis *e*, in præsenti regno cœlorum minimus vocandus, in futuro autem nullus est reputandus. Cujus enim vita despicitur, quid restat, nisi ut et prædicatio hic contemnatur, et conversatio prævaricatrix illic puniatur, ubi nulla arbor ex foliis, sed ex fructu pensabitur? Inde igitur mihi animus dictandi, etiamsi possibilitas adesse videatur, deficit; quia quoties bona aliqua laudare satago, contra memetipsum disputo, in quo nihil laudatæ virtutis invenio. Inde mihi pigritia illa subrepit, qua mihi silere libet, quam aliquid proferre, unde ego primus cogar erubescere, qui cæteris coner ostendere viam. Ego ipse cadens in foveam aliis portem lucernam? Ego ipse in tenebris maneam nihilque in me de illa claritate habens, præceps eam, et reliquis ducatum præbeam? EX MSS. Nam bene loqui et male vivere, quid est aliud quam seipsum sua voce damnare? Melius ergo mihi est, sub silentio me abscondendo, intra meum tugurium privatam paupertatem meam celare, quam, aperto ostio oris, alienas divitias prædicare et propriam penuriam revelare, ut *f* et ingenii paupertas verborum manifestatione prodatur, et vitæ qualitas audita ipsa qualicumque linguæ prædicatione discussa, sententiæ suæ discrepans inveniatur.

Rationes exponit, quibus ad scribendum inducitur. *g*

3 Sed fortasse mihi obediendum putabitis *g*, quia nihil mihi prosit hæc mea verecundia, de qua oritur hujus silentii inertia, cum melius sit a semetipso quempiam judicari et propria voce increpari, sicque a somno torporis excuti; quam sub taciturnitatis umbra dormiendo, nec de virtutibus habitis loqui, nec de habendis meditari. Plerumque enim contingit, ut laudator non laudandus, dum, quod non habet, id prædicat, in semetipso contra se surgens, jacere ulterius erubescat in quibus jacebat, et studere incipiat, qualiter idoneus prædicator fiat, suisque monitis primus obediat. Credo insuper quod adjunget *h*, quia servus, qui talentum Domini sui in terra abscondit, ille esse non immerito credatur, qui ingenium litteralis scientiæ semel adhibitum, qua posset ad cœlestia sustolli, si vellet, discussis paleis, grana amplecti et molere studio piæ operationis; terrenis exercitiis et transitoriis utilitatibus immergit. Unde me excusare non possum *i*, quia multoties vacare scripturis divinis deberem, quando aliis quibuslibet opusculum intentus de cætero potius vitæ mihi accommodatum tempus, quam in sanctis lectionibus expendo. Quod *k* de dicta ignavia nascitur, qualibet potius nos alta inquirendo progredi, quam amplius onerari scientia veritatis; et de infirmitate carnis, quæ me jugiter affligens ad talia opuscula impingit, quibus occupatus utcumque ægritudinis molestiam ferendo vivam, et otiositatem animæ inimicam non incurram. Forsitam et illud annectere placebit, stultam conversionis *l* speciem videri, si homo pauper aliena domo uti erubescat, donec propriam habeat; ac per hoc non esse inconveniens probatum, si ego tamdiu virtutes alienas prædicem, quousque meas adipisci valeam; sicut parvulus agere solet, qui tamdiu maternis pedibus vehitur, quoadusque propriis gressibus consistere, et suis possit pedibus ambulare. Ad ultimum, si necesse fuerit obedientiæ fraternæ titulum prætendens *m*, qua omnes excusationum mearum (vias) F sæpiens, nullum foramen evadendi relinquetis: quod si facturi estis, quid mihi prodesset respondere objectis: tantum vestræ petitioni obtemperans incipiam, et sicut beatus noster Legislator præcepit de gravibus quibusque ac impossibilibus impiis *n* faciam *o*, vadumque de scribenda beati Aquilini vita propositum intrabo. Ne autem citra littus, quo tendo, remaneam; vestra vigilanter provideat intercessio, cum ipsius, de quo agendum est, meritorum suffragio.

ANNOTATA.

a *Surius habet:* In corpore nostræ congregationis, honesto valde et utili membro, Domino Audoeno, inter cæteros pæne ultimus frater N. quidquid cœlo dignum mens sana in Domino arbitratur. *Apographum Gigniacense:* In corpore nostræ congregationis honestæ valde et utili portioni inter cæteros fere nullus frater...

(1) T. II Augusti, p. 637.

b *Vide*

EX MSS.

b *Vide comm. præv. nn.* 64 *et* 65, *ubi de auctore vitæ S.* Aquilini *plura disputavimus, notantes in nostro apographo Gigniacensi relinqui hic spatium septem octove apicibus capiendis aptum ; in apographo autem Rubrævallensi, quod hic edimus, similiter aliquot litteras de industria omissas, ad marginem vero reperiri scriptum, manu alicujus ex prædecessoribus forte Rosweidi vel Papebrochii, nomen* Hecelo. *Diximus tamen nullatenus constare de nomine scriptoris, et simul proposuimus conjecturam de modo, quo nomen* Hecelonis *irrepserit.*

c *Surius :* Si quis in ovium grege positus lanam a capris petat, is sane ignorat quid habeat, aut alteri ejus *(suam)* inopiam nescienti illam prodere conatur.

d *Surius :* Ita tua dilectio, dum me ad opus invitat, quod virium mearum excedit facultatem ; aut nescit ipsa in quanta doctissimorum hominum frequentia versetur, aut imperitiam meam mihi ob oculos statuere vult. *Ex triplici hac Suriana interpretatione, distinctius percipitur sensus. Præterea si Audoenus, cui inscribitur hæc vita, episcopus fuisset, ut quidam opinati sunt, num auctor his vel similibus uteretur verbis :* vestra dilectio ?

B e *Ecclesiastici cap.* XV ℣. IX *et Mat. cap.* V ℣. XIX.

f *Surius :* dum ingenii enuitas ipso sermento proditur, et vitæ ratio, qualicumque linguæ prædicatione discussa, a sua sententia discrepare sentitur. *Quod quidem aliquanto clarius est, at remanet verborum intricata positio. Cæterum sensus clare elucet. Scilicet auctor : scribendo prodet ingenii tenuitatem, et, quibuscumque id dissimulare conetur,verborum ambagibus, dictis non respondebunt scribentis facta seu virtutes.*

g *Surius :* sed fortasse dices omnino obtemperandum mihi esse.

h *Surius :* forsitan etiam illud addes. *Gigniacense :* credo insuper quod adjungetis.

i *Locus corruptus. Gigniacense habet :* Unde me excusare non possum, quia multoties scripturis divinis vacare deberem, quando aliis quibuslibet opusculis intentus, detero potius vitæ mihi accommodatum tempus, quam in sanctis lectionibus expendo. *Atque hinc Surius :* Unde etiam me excusare non possum, qui cum scriptis divinis vacare deberem, crebro aliis operibus occupo tempus mihi commodatum, potius quam lectionibus sanctis.

C k *Surius :* Quod quidem tum ex ea, quam diximus, ignavia proficiscitur, ut qualibet potius, non alta inquirendo, progredi liceat, quam amplius onerari scientia veritatis : tum ex infirmitate carnis quæ *etc.*

l *Gigniacense :* confusionis ; *Surius :* verecundiæ.

m *Gigniacense :* prætendetis ; *Surius :* obedientiæ fraternæ titulum oppones. *Hinc rursus efficitur, Audoenum non fuisse episcopum. Forte aliquis ex prælatis seu superioribus erat. Vide comm. præv. n.* 64.

n *Lege* imperiis. *Singulare id est, in utroque nostro Ms. haberi :* impiis. *Loco tamen valde dissita sunt. Alterum nobis advenit ex monasterio Rubræ Vallis (Rouge Cloître) prope Bruxellas ; alterum ex Gigniacensi monasterio* (Gigny) *in partibus Galliæ Jurensibus* (Jura).

o *Alludit auctor ad cap.* LXVIII *regulæ S. Benedicti :* Si cui fratri aliqua forte gravia, aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine et obedientia. Quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus excedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, patienter et opportune suggerat, non superbiendo, aut resistendo vel contradicendo. D
Quod si post suggestionem suam in sua sententia prioris imperium perduraverit, sciat junior ita sibi expedire, confidens de adjutorio Dei obediat. *Atque ex his legitime sane concluditur, scriptorem monachum fuisse S. Benedicti Confer comm. præv. n.* 64.

VITA

CAPUT I. *Sancti Aquilini natales et adolescentia. Matrimonium init ; sub Clodovæo II meretur stipendia adversus Barbaros. Redux una cum conjuge sua, perpetuam vovet castitatem, atque sub eodem tecto manentes omni virtutum excellunt genere.* E

Quam proficua nobis sint exempla Sanctorum,

Adhuc omnipotens Deus antiqua exercens miracula moderno illustrare tempore non cessat, tum corporalibus tum spiritualibus indiciis manifestans, quam immarcessibilis sit bonitas sua, (nullique) vetustati obnoxia. Nam ut mentium nostrarum pellat fastidium, varia proposuit virtutum medicamenta, ut, de tantis speciebus, aliquam tollere et suæ infirmitati, cuivis *a* electum antidotum sumere libeat : quatenus aut uno aut alio virtutis exemplo ignescat, quisque de partibus Aquilonis ad austrum sancti Spiritus transire desiderat. Hinc est quod in nocte hujus vitæ tot nobis spiritualia oriantur sidera, quot Sanctorum præclara proponuntur gesta, in diversis ipsorum solemniis, per totius anni tempora districtis *b* ut uno discedente sic alterum succedat, ac si sint stellæ in firmamento positæ, seque oriendi et occidendi sequantur ordinata a Deo vicissitudine. F

quæ instar sunt columnæ nubis et ignis Israelitas præcedentium.

5 Legimus *c* columnam nubis et ignis præcessisse, cum populus Israeliticus, mare transiturus, fines Ægypti relinqueret, et primum phase felici principio dedicaret ; quod et nunc fieri vidimus, si rem perpendimus. Quid est enim aliud nunc sanctorum Martyrum, nunc beatorum celebrare Confessorum pia natalitia, nisi columnam ignis et nubis sequi ad transitum hujus sæculi, quasi maris rubri, ut ab illis accendamur, quorum sanguine iter nostrum rutilare videmus, quorum doctrinis æstum mundi temperare debemus ? Et ne id nos consequi posse diffidamus, quod illos adeptos esse legimus, non solum virginales triumphos audimus, sed etiam viduales et conjugales palmas aspicimus, nec tantum ex antiquis diebus, sed etiam ex modernis temporibus, quatenus torpore nullius excusationis deprimamur, qui tantis remediis erigimur *d*.

Ita nobis imitandus proponitur S. Aquilinus.

6 Ecce beatissimus confessor Domini et Ebroicæ urbis episcopus Aquilinus nobis imitandus proponitur, qui de conjugali extremitate sublatus, et ad pontificalis gradum dignitatis sublevatus, primum de Ægypto carnalis copulæ in desertum vidualis pudicitiæ, postmodum transivit per Jordanem episcopalis gratiæ in terra repromissionis æternæ. Cui ipsius nominis titulus testimonium perhibet, quod

A quod solem justitiæ non retorto contemplatus intuitu, illius amoris pennas mutaverit, et novitatem vitæ in sanctitate et justitia et veritate aquilino more instauratus et reparatus assumpserit. Quasi enim vetustate aliqua curvus incedebat, quando conjugium carnale adhuc retinebat. Sed pennas ascendendo mutavit, quando amorem conjugis in amorem transtulit æternitatis; et, filiis carnis spiritualium filiorum pignora proponens, ex se defecit ut in Deo proficeret.

Ejus patria, natales et adolescentia.

7 Hic itaque Baiocensium civitate oriundus, parentum nobilitate refulsit, sed morum dignitate clarior effectus, antiqua insignia novis laudibus obnubilavit. Qui cum sacris litteris institutus, summaque diligentia enutritus fuisset, et pluviam suo tempore reddendam nubes matutina bibisset, transmissis adolescentiæ spatiis, juventutis tempus advenit, in quo puerili flore decusso, solet humanæ probitatis fructus erumpere, et ad maturitatem segetis cultura cœpit propinquare.

Ducit uxorem, ex qua et liberos suscipit. e

8 Quæritur uxor *e* competens ejus nobilitati: invenitur, ducitur, et nuptiali celebritate conjungitur. Proles terrena primum gignitur, ut postmodum cœlestis producatur. Amor carnalis sentitur, B ut spiritualis, eo relicto, ferventius sentiatur; sicut caro puerilis, ubi cibi vigorem percipit, lac postponit. Nam proximi dilectio, quæ præcedit, divini amoris, qui præcellit dignitate, licet sequatur ordinem *f*, consuevit nutrix existere: si tamen dilectio est dicenda, quæ carnaliter exhibetur. Altiori quippe intellectu nec se, nec proximum tamquam se diligit, qui Deum diligere seque in Christo amare nescit. Verum, juxta quemdam modum, discit unusquisque in proximo, quod exhibeat Deo. Et sicut servus natu major Domini, adhuc parvuli, pedagogus efficitur; ita amor fratris amorem nutrit creatoris. Igitur Aquilinus post unius sponsæ copulam, multarum animarum curam virilem suscepturus, et Christi vicem impleturus, discit in conjuge, quam fidem, factus præsul, ecclesiæ sibi specialiter conjungendæ, debeat exhibere.

f

A Clodovæo rege mittitur ad barbaros profligandos. g h

9 Interea vocatus a rege Clodovæo, qui tunc temporis imperium tenebat, cum cæteris urbium præfectis, ad resistendum Barbaris, qui in extremis regni finibus ceperant effrenari *g*, proficiscitur, et antequam specialis *h* pugnæ certamen aggrediatur, hostium visibilium victoriis exercetur. Peracto C denique triennio et sex mensium addito intervallo, facta est universorum missio, et data est repatriandi occasio.

Voto se obligat temporaneæ castitatis ejus conjux.

10 Felix conjux beati Viri, non interim vacans a precibus pro reditu mariti, in tantum solicita exstiterat, in quantum modis omnibus potuerat. Nam et votum pro ipso, contra ipsum quodammodo, voverat, ut, si sibi eum divina gratia redderet, ipsa ab eo per anni circulum abstineret: nimirum de unanimitate adeo confisa, cujus pudicitiam satis habuerat compertam, ut sine illo promitteret, quod non nisi per ejus consensum exequi posset.

Marito redeunti obviam procedit Carnotum usque,

11 Audita ergo ejus optata reversione non potuit sustinere, quin ei obviam pergens festivitatem suæ anticiparet lætitiæ. Assumpta quippe familia, et obsoniis tanto apparatui competentibus, in tantum festinavit ut Carnotum veniens, marito prior affuerit, eumque, velut in sua domo receperit, in hospitio alienæ civitatis. Ibi se mutuis osculis complectentes, mirabantur alternis affectibus, uxor in virilis amoris sinceritate, vir in conjugalis pudicitiæ et delectionis integritate, quæ reditum ejus præveniens properaverat ipsum videre, priusquam etiam contigerat advenisse; cum soleant infideles sponsæ redeuntium virorum timere potius, quam desiderare conspectum. Solemni denique illo congratulandi officio peracto, et colloquendi expleto vel reparato desiderio, reficiunt corpora, et satiata quiescunt interim corda. Quibus consummatis familia discedens, noctis instante silentio, cubitum pergit. Remanent felices conjuges in secretis cubiculi, ubi erant arcana reseranda consilii, quod, absente Aquilino, pudica illius sponsa conceperat per gratiam Spiritus Sancti.

EX MSS.

illique patefacit quid voverit.

12 Quæ videns sibi datam familiaris copiam colloquii: amantissime, inquit, conjux, quæso ne me arguas præsumptionis; ne grave æstimes quod feci, si cognoscis me fecisse zelo nimiæ tuæ dilectionis. Timens enim ne te semper carerem, si contingeret de te quod nollem, malui *i* Deo promittere, quod a te præsente per annum continerem, tuque interim maritalem suspendens voluptatem, quam, te incolumi non relicto, perpetua viduitate orbata discerem coacta, quod non didicissem spontanea. In quo voto si quid inconsulte videor egisse, tua me caritas compellit *k* præsumere, quod præsumpsi. Nam propria temeritas incitavit, ut de tuo consensu sperans quod nesciebam, voverim quod de mea voluntate sciebam. E

i

k

Aquilinus non solum probat conjugis votum,

13 Aquilinus quid ageret, aut quomodo vicem redderet mulieri tam optime de virili salute merenti? Non enim redarguendam putabat, quam sibi scipso fideliorem probabat, ac pro sua incolumitate id promisisse, quod ipse optabat, nec promiserat. Gratias igitur refert omnipotenti Deo, qui sibi talem sponsam sociavit, quæ castitatem, quam maritus exoptando conceperat, nec protulerat, ipsa obtulit spontanea devotione, cum vix æstimaretur rogata posse concedere. Miratur Dei famulus suum in femina pectus; miratur *l* quod ab uxore præventus non prior esse potuerit virtutis, qui prior esset in conditione virili, et esse putaretur in desiderio castitatis, nisi posterior inventus fuisset in prolatione conceptæ voluntatis. Tu, inquit, me loquendo prævenisti, charissima mihi, quem optando prævenire non potuisti. Nam hoc est quod diu desiderans occultavi, sed opportunum tempus exspectavi, quo ad id perficiendum tuum mihi assensum conciliarem. Nunc ergo terram, quam colere volebam pectoris tui, divinitus cultum et cœlitus complutam video, gaudeo et cultori summo gratias ago.

l

F

sed et perpetuum illud reddere proponit. m

14 Unum tamen adjicere volo, quod a te prætermissum sentio, et necessarium agnosco: nam tuam *m* annuam promisisti continentiam, ego cupio et promitto continuam, quatenus perpetuam non annuam adipisci queamus coronam. Credo autem quoniam ille, qui omni habenti scilicet bonam voluntatem, dandam pollicetur facultatem, dabit nobis pudicitiæ affectum perseverantem, ut addatur gratia gratiæ, sicut additur promissio promissioni.

in quod et illa consentit lubens.

15 At illa gratantissime cessit. O beata copula in qua carnalis affectio facta est spiritualis æmulatio; et terrena conjunctio effecta est cœlestis commixtio, quatenus qui fuerant in carne una, essent in anima una, et socii corruptionis, fierent consortes æternitatis. Dividuntur corpora, sociantur corda: jugum contagionis subjicitur, jugum sanctitatis assumitur; nox illa in diem conversa, fructum diei operata pertransiit in spiritualibus consiliis, ubi renuntiatum est carni, mancipatum et professum spiritui; ubi felix copula dissolvitur, felicior sarcitur.

16 Die secuta profecti peragunt iter quod restabat

EX MSS.

Domum reduces sua dant pauperibus,

bat ad propria. Fit cunctis ingens lætitia; concurritur ab universis, et tanti viri postliminio de reditu debita exhibetur congratulatio. Manent simul in eadem domo, conjuncti animo, divisi carnali consortio. Impendunt post se sua; et ut perfectum sit castitatis sacrificium, additur largitio rerum in misericordiis pauperum, ut transeat in holocaustum.

omni virtutum generi dediti sicut et jejuniis ac vigiliis.

17 Magna fuit charitas prior, majorque posterior, quæ priorem superavit: et ut mors corpus occidit, ita a carnalibus desideriis animas interemit; quia nimirum consequens erat, ut plus se diligerent in spiritu, quam in carne dilexerant; qui illo igne flagrabant, quem misit Dominus in terram et vehementer accendi voluit. Unde factum est ut nemo perciperet mutationem in eis dexteræ excelsi, videns formam pristinæ conversationis, et argumentum consuetæ societatis colligens ex cohabitatione unius hospitii. Sicque thesaurus ille Deo notus servabatur, furibus occultus; videns tamen sub habitu vetustatis, opus novitatis, et sub tegmine sæculari (indicia) evidentissima gratiæ specialis. Videres enim illud par innoxiæ conjugalitatis certatim fervere in studio pietatis, ita ut *n* B mirari possis, quomodo essent *n* alterati et ipsi; quia qui vultus cerneret, ipsos cognosceret; qui opera consideraret alios putaret. Sic denique corpora jejuniis et vigiliis cruciantes exarabant, animas autem et eleemosynis recreabant, ut monachis omnino factis et crucis vestes etiam gerentibus nihil debere censeres.

Præclara eorum hospitalitas.

18 Sic enim hospitibus ministrare et cum omni humilitate in eis Christo servire conspiceres, ut domum illam potius Xenodochium, quam aliud æstimares, et tamen ita pariter conversari sub cultu laicali, ac si carnali adhuc consortio viverent copulati. Quis meliores cœnobitas quæreret, si castitatis secretum incognitum non haberet. Sed hic erat modius sub quo sic lucentes cerei latebant: habitus videlicet mundanus, quem gerebant, et per quem se ab humanis laudibus defendebant. Verum qui eos ulterius latere noluit, occasionem profecto exhibuit qua super candelabrum, amator latibuli Aquilinus poneretur, sicque ab omnibus videretur, cunctisque spectandus et imitandus proponeretur.

ANNOTATA.

C

a *In utroque Ms. legitur* cujus, *quod sensum vix faciat. Surius habet:* ut ex tam multivariis speciebus aliquam tollat, qui male habet, et suæ infirmitati accomodum inde remedium adhibeat.

b *Intellige* distributis, *vel ut Surius habet:* distinctis.

c *Exodi cap.* XIII.

d *Hæc sane præclare admodum et cogitata et scripta sunt.*

e *Hæc, in Gynecæo Arturi,* beata Anonyma *(haud quidem valde ingeniose) vocatur. In Ebroicensi Martyrologio altum de ea silentium, licet Arturus ejus memoriam annuntiet* in territorio Ebroicensi.

f *Gigniacense:* ordine: *et quidem rectius. Sensus est:* Dei amor licet dignitate præcedat proximi dilectionem, hanc tamen ordine sequitur; quia solet homo a dilectione proximi ad amorem Dei ascendere. *Viderit scriptor an id undequaque sit recte dictum; præsertim quod ejus commentatio veniat occasione legitimæ quidem, sed tamen dilectionis in carne et sanguine fundatæ. Cæterum quæ sit ejus mens, non est difficile assequi, cum ipse moneat, quid sibi objici queat.*

g *Adi comm. prævium.* § II, *ubi latissime hæc evolvimus.* D

h *Gigniacense:* et antequam spiritualiter pugnæ certamen aggrediatur. *Surius:* et antequam spirituale contra spirituales nequitias bellum suscipiat.

i *Surius:* malui Deo promittere, quod anno uno a te præsente abstinerem, tuque interim conjugii oblectamenta suspenderes, quam te e medio sublato, perpetua viduitate afflicta discerem vel invita, quod sponte non didicissem.

k *Surius:* compulit.

l *Hæc plus minusve obscure dicta, ita elucidat Surius:* miratur se ab uxore præventum, non potuisse primas *(partes)* sibi vendicare in ipsa virtute, qui prior esset conditione virili, et prior etiam esse putaretur desiderio castitatis, nisi posterior inventus esset conceptæ voluntatis significatione et enuntiatione.

m *Legitur* tuam, *sed ponendum* tu, *quod et Surius habet.*

n *Hæc rursus inclarescunt ex lectione Suriana:* ita ut non immerito admirari possis, quomodo sic illi repente mutati essent, ut qui vultus eorum contemplaretur, ipsos agnosceret: qui facta inspiceret, alios existimaret. E

CAP. II. *S. Aquilinus, in successorem electus B. Ætherii episcopi Ebroicensis, per diversos Ordinum gradus ad Pontificiam ascendit consecrationem. Munere sanctissime fungitur. Orbatus lumine oculorum, vigilantius prospicit gregi. Ejus mors pretiosa et sepultura.*

F

Æterno episcopo Ebroicensi, successor eligitur S. Aquilinus.

Beato namque Æterno *a* ex hac luce ad æternam translato, ut vere esset, quod eatenus dicebatur *b*, Ebroicæ videlicet episcopo, totius populi et cleri cor divinitus inflammatur, ut Aquilinus ille occultus Dei famulus, qui se abscondens negabat proximis exemplar pietatis, substitueretur. Non ibi una vox aut unius partis personat acclamatio, sed generalis electio diversarum vocum consonat præconio, ut patenter cunctis liqueat, quod petit vulgus, imperari et inspirari divinitus. Licentia nec ab ipso quæritur, qui eligitur; quoniam qui latere didicerat, Christoque teste contentus esse decreverat, apparere nollet, si quis ejus consensum requireret; sed capitur a cunctis, et trahitur, quasi non suus deinceps mansurus, imo omnium mox futurus.

Per diversos Ordinum gradus ascendens, Episcopalem suscipit consecrationem.

20 Primo clericus, deinde ordinatim promotus ad cacumen episcopale provehitur, ut totius ecclesiæ domum regat, curamque pastoralem gerat, qui suæ domui tam optime disposuerat, ut manens in sæculo cum carnali matrimonio, mortuus esset mundo et viveret Deo; qui uxori conjunctus spiritu, disjunctus carne assueverat spirituales filios procreare, et de vetustis utribus novum vinum profundere. Cumque ordinatus et consecratus apostolica benedictione tanti sacerdotii fuisset *c*, (non enim

A enim difficile erat ei) uxorem mutavit eamque, quam jussus est, desponsavit, qui cum ea sine ea vivere didicerat, quam tenendo reliquerat *d*.

Exultanter a populo excipitur.

21 Facta est populi paschalis *e* exultatio, tantaque adventus illius receptio, procedentibus cunctis, et in ejus laude acclamantibus universis, ut nullum dubium foret, ignem illum de cœlo missum, qui hoc fecerat in tot cordibus uniforme incendium, quatenus talis, tamque catholicus concentus, nullo discrepante, fieret, ubi Aquilinus inthronizandus adveniret.

Uxorem, quæ clam ei jam soror erat, palam ut talem manifestat.

22 Accepto igitur, non corvino hiatu, sed columbina simplicitate, sacerdotio, jam aperte uxor vertitur in sororem, in quam prius transierat, sed occulte. Nec amoris casti ardor extinguitur, imo geminatur; tum quia pudicitia immobilis in promoto permanet; tum quia fœcunditas spiritualis multiplicata utriusque coronæ est reputanda, sicut utriusque adscribitur istius fœcunditatis causa, promissa castimonia : communis quippe est utilitas, quemadmodum existit plantatio sacri propositi communis. Quæ, quia in centuplum crescit, ab uno patre tot filiis adoptatis : diligit soror tantæ benedictionis fratrem, per quem tanta au- B gmentationis consors efficitur; cujusque manibus sacerdotali gratia perunctis, tam ipsa, quam tota, cujus membrum est, ecclesia benedicitur et expiatur. Videt enim, quia factus est sequester et advocatus populi totius, atque ad Deum internuntius, qui fuerat suus solius sponsus designatus; et quia in tot ramos diffunditur arbor, quæ succisa videbatur, quando uxoris connubio divulsus, ac per hoc quodammodo truncus apparebat : neque minus, quæ diligit, quam amat diligitur, quia flamma charitatis, licet in tot partibus dividatur, non tamen ibi minuitur, ubi nata et unde propagata cognoscitur; sed eo ferventius æstuat, quo amplius exundat.

Quo liberius orationi vacet, cellam incolit S. Aquilinus.

23 Qui ergo, antequam pastor esset, vigilabat, multo magis, grege suscepto, speculator æternus vigilias extendens, orationibus incumbens, contemplationi operam dabat, quatenus ita cresceret in sanctitate, sicut profecerat in dignitate, et talis esset in opere, qualis quoque novus et perspicax significabatur ex nomine. Ut enim liberius possit theoriæ *f* vacare, et pro tumultuantibus exorare, elegit sibi non longe a muro civitatis, ab ecclesia vero centum passuum spatio, distantem cellam, in C regione videlicet portæ, quæ dicitur Rhotomagensis, sitam, ibique secretum, quod propter pastoralis curæ inquietudinem amiserat, repetens, agebat animarum negotia, tanto melius quanto *g* corporum declinabat; plus proficiens in causis populi orando, quam proficere posset concionando.

Discrimen inter bonos et malos.

24 Hoc enim proprium electorum, semper optare secretum, sicut reproborum desiderare tumultum. Illi quippe mundum, quem non diligunt nec videre volentes, Christi vultum in tantum sitiunt, ut mortalitatis ipsius vincula, quæ gestant, rumpere satagant; et, quia non possunt sursum continuare cordis obtutum, propter corporis gravedinem, in semetipsos dolentes redeant, et inviti sæculum, quod pœne evasissent, et persistere in illa claritate potuissent, videant. Illi autem semper amant videre, quod nolunt diserere, ac per hoc frequentiam, cum non habent, quæritant, ut vanitatem jugiter, in qua oculos figant, inveniant, qui intus caligantes, aliam lucem penitus ignorant, præter quam foris spectant.

Sanctus Aquilinus vacat sacris lectionibus et aliis piis exercitiis.

25 Sed beatus Aquilinus verus Israelita, optans esse potius anachoreta, quam jacens in sterquilinio, ut vilis margarita, petiit secretum oratorium, ibique secedens vitavit episcopalis frequentiæ strepitum; eo verius episcopus, quo minus frequentatus, magisque cœlo sociatus. Ibi denique lectio et oratio alternatim succedentes, perseverabant indesinenter; ibi psalmorum canticorumque melodia, Spiritus sancti attrahens gratiam, personabat; ibi se, non abrupto ab ecclesiæ suæ corpore, sed retorto ad pennulas capite, columbina anima illa immolans, pro sanguinis fluxu lacrymarum fundebat torrentem, non sine gemitu exprimens affectum, quem gerens (gerebat) ut incolatus ejus non prolongaretur, sed breviato exilio, aperiretur ei patriæ cœlestis visio. EX MSS.

Quid sit inter bonum et malum pastorem.

26 Putasne mollitiem quæreret in strato, aut aliud sibi substerneret, quam pavimentum, sicut solent sibi exhibere carnales pastores? Illi enim ut se uberius pascant, pascendis ovibus Christi se providere, in ipsa sua refectione simulant, seque ac si in domibus regum sint, mollibus vestiunt, quasi ne alii detecti remaneant, qui scilicet melius in spiritu tegerentur : si pastores sunt, minus pretiosis magisque religiosis indumentis operirentur. Sed illi se laborem ferre non posse dicunt, nisi reficiantur et induantur, dumque consulere se fingunt necessitati, consulunt voluptati et in- E dulgent superfluitati, non utique imitantes vestigia Martini illius Magni Turonensis, aut Germani Antisiodorensis, qui non pro diurna, sed pro æterna mercede militantes pauperum *h* gregem Christi jejuniis et vigiliis ac laboribus suis, ut eorum exemplis disceret redire jejunando, unde cecidit in primo parente, manducando. Nemo enim sic allicit prædicando sicut operando; nec bene jejunia suggerit, qui epulis sub quacumque specie intendit. Quod cavens Aquilinus abstinendo et vigilando melius subditos pascebat, quam si illis abstinere præcans *(prædicans)* *i* ipse reficeret *k*, seque mollius tractans aliis asperitatem mortificationis commendare tentaret.

Signo crucis morbos pellit.

27 Testimonium igitur legitimum Christus ei reddebat. Nam sicut ipse interius, quos poterat, illuminabat, erigebat, curabat, ita exterius illuminandi, erigendi et salvandi gratiam adeptus, Crucis signo liberabat, quos per eam liberandos prædicabat; nullaque corporalis infirmitas ejus precibus resistebat, cujus exemplo et documento ægritudo spiritualis discedebat. Cur enim Christus negaret argentum, cui dabat aurum? Cui conce- F debat gratiam curationis in mentibus, cur non annueret in corporibus? Quorum et levior est medicina et minor jactura. Imo per hæc evidentia munera quæ præbebat, confirmabat occulta in eo et declarabat charismata

Orbatur lumine oculorum ut petierat.

28 Sed vir Domini in cunctis quæ per eum Christus agebat, sui custodiam non relinquens, dum suarum ovium curam gerens, timebat in tantum ubi erat timor, ut ibi etiam plerumque trepidaret ubi non erat timor. Propter hoc semper Dominum precabatur, ut portas sui corporis aut obstrueret, aut custodiret; ne per eas concupiscentiæ appetitus introiret, cum quo mors irrepere solet. Malle enim se testabatur truncus intrare in regnum, quam integrum mitti in gehennæ barathrum. Cujus petitionibus acquiescens, qui omnes in suo nomine, hoc est, de sua salute vera petentes, exaudit; et exterius capitis fenestras, lucis ministras, qua pietate rogatus est, clausit; sed uberius cordis aperiens multiplici fœnore, quod abstulit, compensavit.

Nec tamen hinc impediebatur gregi invigilare suo.

29 Ita enim sine oculorum juvamine ad ecclesiam veniebat, ac si omnium (*forte* omni) eorum fultus adminiculo viam cerneret, quam tenebat. Quin

EX MSS.

Quin potius in eo quod lumen nocturnis horis non requirebat, sicut faceret si videret, absolutius pergebat, et mirabiliter agebat, ut nulli dubium relinqueret, quin Angelum lucis ductorem haberet. Secure itaque et misericorditer dedit ei, quam petitus fuerat, cæcitatem, qui videbat mentis paratæ sinceritatem, prævidebat ei duplicandam, quam amissurus erat, claritatem. Qui ergo cæcis visum præstabat, ipse cæcitatem sustinebat, non minus in se exauditus ad non videndum, quam in aliis ad videndum. Quid enim caligo exterior sensui pervigili et in divinis perspicaci, nocebat, quæ ei mundi speciem eximebat, sed Christi faciem non tegebat. Imo in tantum proderat, in quantum a visilibus formis prohibebat.

Ejus virtutes et pastoralis sollicitudo.

30 Erat enim custos innocentiæ, amator continentiæ, cultor sobrietatis, detestator cupiditatis, inimicus detractionis, persecutor pravitatis, ad quæ detestanda multum sibi valebat cæcitas impetrata. Ad illa autem sectanda populumque paterna pietate admonendum, ac pastorali diligentia custodiendum, nihil impediebat; non enim segnius orabat, minusve prædicabat aut vigilabat; sed tanto ferventius in Christo de cœlestibus agebat, B quanto de terrenis sensibus minorem sarcinam gerens, ab ea parte liberior erat, qua homo terrenus celerius ac facilius peccat: et ibi acutius videre cœperat, ubi excellentior pars hominis constat, et unde ad superna visus transmittitur, ut divina claritas videatur. Igitur quo expeditius illic tendens de fonte bibebat, eo splendidiores prædicationis radios ad inferiora dirigebat, et tanto dulciora in exhortationibus suis proferebat, quanto ea plus de ipsa veritate, quam de veritatis testibus libris, quos legere non poterat, hauriebat. Nec verba ejus cadebant in terram, quem nimirum virtus patens attollebat, quam in cunctis infirmitatibus curandis exhibebat.

Post quadraginta duos Episcopatus annos moritur.

31 Quibus bonorum operum, sanctarumque ædificationum piis exercitiis comprobatus, et pauperum recreandorum studiis elimatus, ad ultimum, cæcitatis optatæ medicinali cauterio et ab omni sorde mundanæ vanitatis purgatus, cum quadraginta in episcopatu et duos annos quasi totidem mansiones usque ad Jordanem vocationis transegisset, qua transiturus erat, ubi semper esse optaverat, reddidit Christo illibatum et incontaminatum spiritum, Domino semper cohæsurum, C illam sine dubio vocem auditurus exultationis et benedictionis, quam meruerat servus bonus et fidelis *, qui talentum quod acceperat domus suæ, tam multiplici lucro augmentatum reddebat, ut integram ecclesiæ unius custodiam Domino suo consignaret, ac tot populos parochianos, tam verbo conceptos, quam exemplo suo editos, quot filios generare non potuisset, pastori summo præsentaret. Lætatus est certe ille beatus exercitus, semel quorumdam ruina mutilatus, paulatim multorum salvatione restauratus: lætatus, inquam, in ejus

* Matth. 25.

adventu, per quem non unus sed plures peccatores pœnitentiam agentes, superno suo consortio sunt aggregati. Si enim gaudent super uno pœnitente *, multo magis tripudiant super uno illo, per quem non unus, sed multi de numero impiorum ad contubernium transeunt electorum. D

* Luc. 15.

Dolor fidelium.

32 Cæterum quanta apud illos, ad quos beata illa anima transiit orta est lætitia, tanta apud istos, a quibus discessisset tam pius, tamque egregius pastor, mansit tristitia. Nollent enim præmittere Patrem filii, sed præmitti a pastore subditi: mallentque carere in cœlis novo isto patrono, quam in terris assueto solatio. Igitur cum omni reverentia, sacerdotum et populi astante frequentia, celebratis exequiis, peractisque tanto funeri debitis vigiliis, sepelitur cœlestis illa margarita in basilica *l*, quam sibi pœnes suburbium civitatis ædificaverat; ibique depositum, cui debetur corona justitiæ, reponitur, donec reddatur ei a justo judice in regenerationis die.

Sepelitur. *l*

Precatio ad Sanctum Aquilinum.

33 Imploramus ergo pietatem tuam, Confessor beatissime, et præsul eximie, sancte Aquiline, ut qui de modicis acceptis magna et multa reddidisti, illamque sedem clarificasti, quam rexisti, id nobis divinitus obtinere digneris, quatenus quod profitemur oratione, exsequamur opere, atque in novitate vitæ ambulantes, et sicut aquilæ pennas vitiorum in virtutum mutantes, quomodo habitum mutavimus, placere illi valeamus, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen. E

ANNOTATA.

a *Plerumque* Ætherius *dicitur.*

b *Ludit auctor in verbis* Æterno *et* Æternam. *Clarior fit sensus ex verborum apud Surium positione:* Beato namque Æterno, Ebroicensis urbis episcopo, ex hac luce ad æternam translato, ut reipsa esset, quod verbo hactenus dicebatur.

c *Surius:* Quod ei difficile non erat.

d *Ex verborum lusu (cui plus nimium auctor utique indulget) obscuratur et hic sensus.* Uxorem mutavit, eamque, quam jussus erat *(ecclesiam scilicet Ebroicensem)*, despondit, qui cum illa *(scilicet uxore sua)* sine illa vivere didicerat, quam etiam retinendo reliquerat. *Surius.*

e Paschalis *id est, festiva.* Pascha quodlibet magnum festum vocari observat Durandus. *Ita Ducangius in Glossario. Hinc etiam Surius habet:* Exstitit vero in plebe mira exultatio. F

f *I. e. contemplationi.*

g *Additur in Surio:* plus.

h *Gigniacense habet* paverunt. *Vox* pauperum *non facit hic sensum, nisi addatur vox* paverunt, *vel hæc illi substituatur, quod quidem rationi magis consentaneum.*

i *Corrige ex Gigniacensi:* prædicans.

k *Supple* sc. *Surius habet:* epularetur.

l *Confer Comm. præv.* § v, n. 70.

DE

A D

DE SANCTO DESIDERIO

ABBATE ET CONFESSORE.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B. B.

Probe distinguendus S. Desiderius ab altero ejusdem nominis, discipulo S. Baronti. Ejus memoria ex Martyrologiis et cultus. Quo anno decesserit. Acta.

SÆCULO VIII EXEUNTE.

Differt S. Desiderius *ab altero ejusdem nominis, discipulo S. Baronti.*

I*mprimis* Desiderius *iste (vulgo* Didier) *probe distinguendus est, ab altero ejusdem nominis discipulo sancti Baronti, qui cum magistro suo in Pistoriensis territorii monasterio vixit. Barontus* (1) *scilicet nobili ortus progenie, post ini-* B *tum matrimonium, monasticam una cum filio suo Aigloaldo amplexus est disciplinam, in cœnobio Longoretensi, quod sanctus Sigirannus abbas exstruxerat in pago Bituricensi versus annum* 635. *Forte aliquando, finitis laudibus matutinis, febri correptus celebrem apud antiquos habuit visionem, quam lege in Actis nostris ad diem* XXV *Martii, ubi apud nos agitur simul de SS. Baronto et* Desiderio (2). *Post hæc Barontus, abbatis sui permissu in Italiam profectus dicitur, ubi, Roma rediens, in locumquemdam territorii Pistoriensis secessit, atque geminorum inter radices montium parvam extruxit cellulam. Ibi cum degeret, accessit ad eum vir quidam venerabilis, nomine* Desiderius, *ejus exemplo et doctrina erudiendus; cui et alii quatuor adolescentes se socios addiderunt. Mortuus Barontus est versus annum* 679, *multisque miraculis ejus sepulcrum inclaruit. Sæculo undecimo in illius honorem erectum est monasterium, ad quod ejus reliquiæ a Restaldo episcopo Pistoriensi translatæ sunt; nec ita multo post, corpus sancti* Desiderii, *qui haud diu magistro suo supervixisse videtur, cum corporibus quatuor sociorum ejus eodem allata sunt* VI *Ka-* C *lendas Aprilis* MXVIII.

compendium vitæ S. Desiderii *nostri,*

3 *Sancti autem* Desiderii, *cujus hac die* XIX *Octobris festiva recurrit memoria, vitam ita summatim complectitur ex actis Labbeus noster* (3). Sanctus Desiderius ex castro Blavio ad Garumnam oriundus, a sancto Sigiranno in Longoretensi cœnobio attonsus in monachum, cum indies in sanctæ conversationis studio proficeret, ad honorem sacerdotii provectus, alteroque monasterio, quod sanctus Sigirannus in eodem Bituricensi territorio extruxerat, præfectus est, ubi in honorem sancti Martini oratorium ædificavit. Aliquot elapsis annis divinæ contemplationis amore in cellulam ita se abdidit, ut tamen monasterii pauperumque curam non abjiceret. Cæcis pluribus visum restituit signo crucis, quo protectus ipse immane spectrum territantis dæmonis propulsavit. Invitatus ad immortalis gloriæ coronam a sanctis Joannis Baptista et Apostolo Paulo, discipulisque ad mutuam charitatem et observantiam regulæ inflammatis, quarto decimo Calendas Novembris ex hoc mundi cœno, ad cœlum traductus est, in basilica sanctæ Mariæ ejusdem monasterii sepultus, ubi multis miraculis claruit. Vixisse dicitur sub Dagoberto, Clodoveo II ejusque filius. *Hactenus Labbeus.*

ex quo apparet longe d versum ab altero illo Desiderio.

3 *Atque ex his satis apparet quantum distet* Desiderius *hic noster* (4) *ab altero illo, qui ex Italia oriundus, nullo umquam tempore Longoretense incoluit monasterium. Errant itaque auctores Novæ* E *Galliæ Christianæ dum* (5) *in serie abbatum sancti Sigiranni (ita scilicet postea vocatum est monasterium Longoretense a nomine sui fundatoris) notant ad vitam Francardi, qui sancto Sigiranno success t:* Circa illud tempus florebat in Longaretensi cœnobio S. Desiderius, cujus vita edita est sec. II Bened. pag. 828. *Loco citato agitur simul de SS. Baronto et Desiderio, utroque mortuo et sepulto in Pistoriensi Etruriæ agro. Id unum commune habet laudatus Desiderius cum nostro, quod ambo cum S. Baronto conversati fuerint. Prior, cum hic jam Longoretensi cœnobio excesserat, imo ex Galliis in Italiam sedem suam transtulerat; posterior vero si umquam sanctum vidit Barontum, id Longoreti contigit, nec diu, ut videtur, sub eodem tecto simul remanserunt.*

Martyrologia et dies cultus.

4 *Sanctus* Desiderius *noster antiquis Martyrologis ignotus fuit; nec ejus nomen reperitur in Martyrologio Romano. Illius meminerunt ad hunc diem Castellanus, Saussaius, Bucelinus, et præcipue Hugo Menardus tum in* Martyrologio Benedictino, *tum in* Observationibus (6). *In his præclarum texit encominium, quod integre desumptum est* F *ex actis, quæ mox subjiciemus; hoc tamen cum discrimine, quod in actorum titulo dicatur* Desiderius abbas et confessor, *dum Hugo Menardus ita annuntiat :* In pago Bituricensi, S. Desiderii confessoris, discipuli S. Sigiranni. *Ast, cum ex Longoreto* in locum territorii Bituricensis, *ut loquitur Mabillonius* (7), vocabulo Rurriacus, transmissus est a Sigiranno Desiderius, ut oratorium sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ et beati Galli, ab eodem sancto Patre conditum incoleret; *et quidem, juxta H. Menardum,* ut monachis ibi Deo famulantibus præesset, *non video cur titulus abbatis non ipsi æquali jure ac multis aliis tribueretur.*

Dies obitus et cultus.

5 *Quod vero ad locum attinet obitus seu cultus, Castellanus annuntiat :* Sancti Galli in Briona *(Sain-Gal-en-Brêne),* in diœcesi Bituricensi, sancti Desiderii abbatis, discipuli S. Sigiranni *(Siran). Porro Briona, ut ipse habet Castellanus in Indice suo Geographico, tractus est in pago Bituricensi.* Sancti Galli *vero aliud non est quam ipsum orato-*

(1) Conf. Annales Benedictin., lib. XVI, n. LXXXIX, t. I. p. 504. Edit. Lucæ 1739. — (2) Acta SS., t. III Martii, p. 567 et seqq. — (5) Bibliotheca Manuscript. Librorum, t. II, p. 367. — (4) Ann. Benedictin., lib. XVI, n. XC, t. I. p. 506. — (5) T. II, col. 131. — (6) Lib. II, ad XIX Octobris. — (7) Annales, lib. XVI, p. 506.

rium,

B. B. *rium, quod, ut acta ferunt, S. Sigirannus erexerat in honorem beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ et sancti Galli, ad quod missus deinde est S.* Desiderius, *qui fratribus præesset. Postea quidem aliud ibidem ædificavit Sanctus noster oratorium S. Martino Turronensi sacrum, et juxta illud cellulam in qua deinceps vixit et mortuus est; ast acta diserte habent, hinc translatum fuisse ad oratorium S. Mariæ, quod etiam S. Galli :* De hinc cum summo honore ablutus, dignisque vestimentis indutus, infra oratorium sanctæ Mariæ est sepultus, cernentibus multorum circumstantium turmis, ibique humatus conspicitur, et usque hodie confluentibus populis comprobatur. *Et rursus :* Hic autem Beatissimus decimo quarto Kalendas Novembris *id est decima nona Octobris*, exitiale amisit funus in terris : *quo quidem die ab omnibus, qui de illo egerunt, memoratur.*

De tempore mortis ejus.

6 *Juxta Castellanum mortuus est sanctus* Desiderius *versus annum* 705. *Mabillonius ejus ingressum in Longoretense monasterium refert paulo ante annum* 679 ; *de obitu ejus hæc dein scribit :* Denique multis defunctus inediis et laboribus, ex cellula sua ad cœlum liber evolavit XIV Kalendas Novem-
B bris, *non addit quo anno. Bucelinus, Hugo Menardus, sicut etiam Labbeus generatim ponunt :* Floruit sub Dagoberto, Clodoveo II et filiis ejus.

Disceptatio chronologica.

7 *Dagobertus I, rex Austrasiæ ab anno* 622, *patri suo Clotario II succedit anno* 628, *excluso Cariberto fratre. Huic tamen partem regni concessit Dagobertus, quo ille haud diu gravisus est, cum diem obierit supremum anno* 631, *ex quo solus toti Francorum monarchiæ præfuit Dagobertus usque ad annum* 638, *quo in patris defuncti locum suffectus est Clodovæus II. Hic solium tenuit usque ad annum ejusdem sæculi quinquagesimum sextum, atque tres reliquit filios : Clotarium, Childericum et Theodoricum. Primus, Clotarius III, in Neustria et Burgundia regnavit ; ejusque demortui locum sumpsit anno* 670 *vel* 671 *Theodoricus item III, superstes usque ad annum* 691. *Secundus Clodovæi filius, nempe Childericus II, Austrasiæ sceptrum tenuit ab anno* 660 *ad annum* 673 *vel* 674 (1). *Variant auctores quoad annos intermedios, ut videre est in* Rationario *Petavii nostri ; ast concordant quoad duos terminos extremos (qui in rem nostram præcipui sunt), nempe quoad initium regni Dagoberti et finem regni Theodorici III, filii Clodovæi II.* Mori-
C tur, *inquit Petavius* (2), Chlotarius anno 628.... cujus regnum Dagobertus in solidum accepit. *Et infra* (3), Theodoricus, Chlodovæi II filius circa annum Christi 690 obiens, Chlodovæo filio, ejus nominis III, vacuam reliquit nominis regii possessionem. *Ex his sequeretur mortem S.* Desiderii *aliquot annis citius ponendam ex mente Hugonis Menardi et aliorum, quam vult Castellanus. Nisi quis dicat potuisse præcipue florere Sanctum nostrum sub præfatis regibus, quin tamen ejus mors necessario illorum regno sit innectenda. Præterea in hujusmodi epocharum quasi generalibus indicationibus, non tanti facienda est aliquot annorum discrepantia. Fatendum tamen est hujusmodi formulis :* Floruit sub Dagoberto, Clodovæo II ejusque filiis : *per se indicari vitam ultra illos limites non fuisse protractam. Probabilius proinde est mortem S.* Desiderii, *si non citius, saltem anno* 690 *contigisse. Confer quæ late disputavimus in Vita S. Aquilini, supra pag.* 490. — 492.

Acta. Eorum origo et forma.

8 *Pauca dicenda habemus de* Actis *quæ hic subjicimus. Labbeus omnium primus publici juris illa fecit in sua* Bibliotheca, *atque descripsisse se testatur* ex apographo Illustrissimi ac Reverendissimi Fran- D cisci Bosqueti, episcopi Montispessulani. *Forma actorum, prout occurrunt apud Labbeum, speciem habet Lectionum pro officio ecclesiastico ordinatarum. Quod apparet ex modo, quo dividuntur. Abrupte procedunt, et non raro in initio sequentis lectionis terminatur argumentum, in fine præcedentis cœptum. Unde, more nostro narrationem paulo aliter distinximus; idque tanto facilius suscepimus, quod nobis non constet Labbeanam per numeros divisionem fundari in manuscripti, quo usus est, forma. Non est dubium quin eadem hæc acta præ manibus habuerit Hugo Menardus. Compendium Vitæ S.* Desiderii, *quod habetur lib.* II *Observationum, id perspicue declarat ; præsertim cum ipse sub finem addat :* Hanc vitam composui ex libello ad me transmisso ex abbatia sancti Sigiranni, territorii Bituricensis, beneficio venerabilis patris Dom. Joannis de Bourges, prioris ejusdem abbatiæ.

VITA S. DESIDERII

ABBATIS ET CONFESSORIS. E

Ex Labbeo, tom. II Bibliothecæ, pag. 367 et seqq.

Sancti Desiderii Natales. Pueritia.

Igitur beatissimus et gloriosus vir Desiderius Blavianensi *a* territorio, nobili ex progenie ortus, atque in Dei servitio ab ipsa puerili ætate mancipatus, litterarum primordia, ut assolet, in pueritia, Domino favente, omnimodis est efficax effectus. Quo factum est, ut non solum disceret imitari apostolos, verum etiam et confessores, necnon et martyres atque virgines.

S. Sigiranni egregia virtus

2 Erat autem tunc temporis monasterium a B. Sigiranno constructum in pago Biturico, in loco, cui vocabulum est Longaretus *b* super fluvio vocitato Claisia *c*, in quo ipse gloriosus cum monachorum grege Domino videbatur militare assidue : tantumque erat gloriosus idem Sigirannus atque egregius Christi confessor in sanctis artibus admirabilis, et in sancta conversatione omnimodo præcipuus, ut illis in locis, quibus ipse natus erat, aut conversatus fuerat, vix aut nullatenus reperiri posset, qui ejusdem imitari potuisset exempla. F

S. Sigirannum adit S. Desiderius ab eoque suscipitur.

3 Cujus etiam vita hinc inde longe lateque procul redolens propalata est in auribus istius sancti Desiderii, qui devotus ad eum accedens, virtutesque cernens, ait intra se : ut mihi videtur, melius est impollutum servire Christo, quam per copulam hujus mundi contagio involvi mundano. Hæc intra se volvens provolutus ante pedes beati Sigiranni, quid intimo corde gereret cum lacrymis patefecit. At ille, ut semper erat charitate plenus, gratias agens Deo pro tanta petitione pueri, imo etiam pro Dei dono suscipiens eum, in numero fidelium monachorum collocare decrevit, ac deinceps dum adviveret in cœtu inibi cohabitantium unanimem esse delegavit. Hic autem Dei dilectus Desiderius in sanctitate quam cœperat humilis ac devotus permanens, adeo charitatis gratia cunctis se studuit reddere aptum, ut se cernentibus atque colloquentibus videretur universis placere, et ab omnibus tamquam parens proximus summo studio coleretur et veneraretur.

Factus sacerdos

4 Cujus quippe eximia sanctitate atque dono orationis B. Sigirannus prospiciens arbitrabatur eum

(1) Art de vérifier les dates, p. 429-532. — (2) Rationarium temporum, part. I, lib. VII, cap. XIV. — (3) Ibid., lib. VIII, cap. IV.

A eum fore dignum sacerdotii honore fungi; sed ut intima cordis rimabatur arcana, in Dei famulo hanc adimplere studuit operam, ac sui capitis comam ut perpetuo in Christi sorte Clericus permaneret totondit, atque ad eum quem desiderabat ordinem, Domino annuente, perduxit.

mittitur Ruriacum.

5 Contigit namque ut ab ipso beato Sigiranno transmitteretur in partibus Nirsaniæ *d*, in territorio Bituricensi, in loco qui vocatur Ruiriacus *e*, in quo loco oratorium construxerat B. Sigirannus atque in honore sanctæ Dei Genitricis Virginis et beati Galli consecraverat, et ibidem monachos in Dei servitium delegaverat. Nihil enim proprium illic habebatur nisi Dei cultus, in quo indeficiens permanebat.

ubi omni virtutum genere excellit.

6 Tanto quippe in Dei servitio mancipatus Desiderius, ut vix in terris inveniretur ejus similis charitate præclarus, obedientia assiduus, humilitate præcipuus. Erat enim parcus in cibis, largus in eleemosynis, promptus in vigiliis, et in orationibus valde devotus, in Dei opere semper assiduus, totis viribus luxuriam abstinentiæ fræno ac parcitatis agone coercens, ne sibi aliquid subripere B possel.

Oratorium ædificat S. Martino sacrum.

7 Ad tanti viri famam cœperunt ad eum confluere viri et devotæ fœminæ cupientes ejus instrui disciplinis. Tum ipse beatus hoc prospiciens Desiderius in animo cœpit evolvere quatenus unum institueret oratorium in Dei opere jugiter insistendum. Verumtamen ut cogitavit, ita et mente peregit. Denique edidit cellulam parvulam in honore gloriosissimi domini Martini, in qua non parvas est virtutes operatus.

Studet se subducere fidelium accurentium multitudini.

8 Illum semper diligens locum, quem instruxerat in honore B. Martini, et semper amplecti desiderans, ipse quoque beatus Vir velut jubar veri luminis in orbe resplendens infirmitatum morbida virtutum efficacia pellebat assidue. Inspirante autem Dei clementia, qui ubi vult spirat, cœpit in animo volvere, ut se retruderet in carcere propter nimiam inquietudinem fidelium, qui ad eum confluebant.

Cellula inclusus oblatas sibi eleemosynas in pauperes distribuit.

9 Sed ipse Dominus qui invocantibus se semper adest, et respicit super filios hominum ut videat opera eorum, quis est intelligens aut requirens eum, ostendit illi locum oratorio aptum, quod ædificaverat in honore S. Martini ingredientibus sinistra parte contra aquilonem. Dehinc a fratrum C contemplatione remotus solitarie se inclusit in cellula, orans assidue Deum atque in vigiliis et lacrymis diu noctuque sine ambiguitate perdurans incessabiliter. Conferebat ei denique devotio fidelium plerumque pecuniam, sed non eam in abditis loculis, sed in pauperum condebat marsupio: illud dominicum oraculum sæpe commemorans: « Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur: quia ubi fuerit thesaurus tuus illic erit et cor tuum » *f*. Dabat enim hoc quod accipiebat propter Dei mandatum in diversis necessitatibus indigentium illud commemorans: « Eleemosyna viri abluit peccata » *g*.

Gratia curationum a Domino donatur.

10 Denique æternus Dominus, qui jugiter glorificat Sanctos suos, voluit ut sic vir Dei diu lateret in abditis, cœpitque in famulo suo mira operari, ut vel qualis esset suæ divinitatis servus ostenderet, dum ei curationum gratiam dignatus est impartiri, adimplens illud quod ille locutus est, non debere lucernam sub modio ponere, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. De conversatione quippe ejus pauca locuti sumus, multa prætermisimus. Nunc ad virtutes, quas per illum medicabilis divinæ potentiæ dextera in eum operari dignata est, accedamus.

EX LABBEO.

Cæco visum restituit.

11 Cæcus quidam ad eum venit subtiliter eum rogans, qui dum alimenti aliquid postularet, ipse almus Desiderius in oratione se prostravit orans et deprecans, ut ipse Dominus in hunc servum suum declararet cœleste mysterium. Statimque ad eum accedens Vir sanctus signo salutis super oculos impresso, protinus visum recepit, et qui alimenta petere venerat, ab ipso illuminatus abscessit.

Puero cuidam Arvernensi idem præstat beneficium.

12 Alius quoque ex Arvernensi territorio puer hujuscemodi morbo laborans, audita confessoris Christi opera, pro luminis receptione precatur obnixe: nec moratur ille, sed invocato Christi nomine, oculis ejus digito crucem opposuit, mox vero defluente rivo sanguinis luminibus apertis lux intravit. O beatum per omnia Virum, cujus etiam signa et virtutes, quas per eum Christus gessit, hinc inde declarantur in mundo! Quod si hæc tacueris, conscientia clamabit.

Vir Sanctus interea cœlestem patriam assidue anhelat.

13 Sed quid dicam plura? Nullas enim ante eum vires habere potuerat persuasionis iniquæ præstigium; sed athleta Christi atque triumphator mundi, E vitæ istius fugitivæ jacturam facere cupiens, tendere ad illam vitam voluit, quæ in exultatione perpetua manet, quæ nullo gemitu obstrepit, neque fine concluditur; quod oculus non vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit, cujus lumen numquam extinguitur, cujus serenitas nulla obscuritate obtegitur.

Dæmonem horribili specie apparentem fugat signo crucis.

14 Sed ipse insidiator qui semper bonis invidet perenniter voluit in Dei famulum immittere aliqua jacula. Quadam enim die dum solus in cella consisteret et oraret; ecce assistit ei umbra teterrima, statione procera, crassitudine valida, colore tetra; oculorum scintillantium immensitatem in modum tauri petulantis habebat, ore patulo, quasi ad deglutiendum virum Dei parata. At ille facto signo Crucis, e contra, in modum fumi ascendentis evanuit, quia phanstasma fuit. Idcirco datur aperte intelligi ipsum principem sceleris fuisse diabolum, qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret; sed in Servo Dei minime prævaluit; in jejuniis vero, ut diximus, fortis erat.

Apparent ei Paulus Apostolus et Joannes Bapt. mortem ejus annuntiantes proximam.

15 Cum autem vitæ suæ terminum proximum agnovisset, retulit fratribus dicens: Ante paucos dies vidi Paulum Apostolum cum Joanne Baptista invitantem me in requiem sempiternam: ostenderunt autem coronam mihi cœlestibus margaritis ornatam, et dixerunt ad me: corona gemmis talibus decorata oportet animam tuam coronari in regno Dei. His dictis ab oculis meis sublati sunt: jam enim tempus avocationis et decessus a corpore volvebatur.

Sancta ejus mors.

16 Imminente autem vocationis hora, cum jam egredi de corpore urgeret, convenerunt fratres, cunctaque familia, multique ex vicinis locis affuerunt, flebantque coram eo dicentes: Quare, o Gloriose, a nobis dissocias, vel quare nos derelinquis? At ille parumper lacrymans ait: Si pacem, sanctificationemque sequimini; Christus erit protectio vestra, et ego non discedam a vobis; sed invocatus statim adero in medio charitatis vestræ. His et talibus, virtutum magnarum gratia pollens Beatissimus, impleto vitæ præsentis curriculo, percepturus æternam, angelicis choris comitantibus, migravit ad Christum, tantusque odor suavitatis in cellula illius emicuit, ut omnium thymiatamum vel aromatum odores superaret.

Honorifice sepelitur in Oratorio S. Mariæ.

17 De hinc cum summo honore ablutus, dignisque vestimentis indutus, infra oratorium sanctæ Mariæ

EX LABBEO.

Mariæ est sepultus, cernentibus multorum circumstantium turmis, ibique humatus conspicitur, et usque hodie confluentibus populis comprobatur.

Ad ejus sepulchrum multi sanantur.

18 Hic autem Beatissimus decimo quarto Kalendas Novembris exitiale amisit funus in terris, cujus anima gaudens exultat cum Sanctis in cœlestibus, cujus sepulcrum miraculorum illustrium effectu plerumque redditur gloriosum. Servo etenim ipsius monasterii mentem inimicus dæmon obsidebat, qui ad sepulcrum beati Viri debachans, tandem ejus est, ut credimus, oratione, ejecto dæmone, purgatus, ut multos deinceps mente integra viveret annos. Ex ipso autem pago mutus veniens in oratione ante ejus manus decumbens, corde tantum implorabat, et non voce beati Confessoris implorans auxilium deprecans : in cujus ore de memorata benedictione parte infusa erumpente sanguine mixto cum pure meruit adipisci loquelam mutus *h*. Verum ut loquar plerisque febricitantibus, hic fuit beneficium remedii, cum pallam *i* tumuli sunt fideliter osculati, memor Dominus quod ante prædixerat : Quidquid petieritis fideliter, accipietis *k*. Illud vero nequaquam putavi silendum, cum de diversis partibus confluentium B multitudinum deferunt morborum genera, per istius Sancti interventionem inibi capiunt medicinam salutis.

Epiphonema.

19 Vere admirabilis Jesus Christus Dominus noster, qui assidue ubique dignatur operari in electis suis, qui in principio protoplastum facere opifex dignatus est : sed nequitia malignissimi anguis insidiando eum maligne circumvenit et decepit. Sed veniens mediator Dei et hominum D. N. Jesus Christus, homo fieri dignatus est ex incorrupta Virgine prodiens, Leo de tribu Juda fortissimus, debellans sævum antiquum, omnes nos a jugo servitutis eripuit misericorditer. Quapropter, ut decet, laudes Deo ex intimo cordis agamus, qui propter nos humilians seipsum, formam servi suscepit, et gaudia nobis æterna repromisit ; ubi exultant cum illo omnes electi, inter quos electus miles triumphat Desiderius, qui despecta hujus sæculi vita caduca, elegit solitariam conversationem in terris, ut postmodum cum angelicis choris triumpharet in cœlis. De talibus canit Psalmista : Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus *l*. Deprecemur ergo hujus Sancti precibus, ut nobis suis almis intercessioni- C bus impetret veniam a pio judice in cœlestibus cubilibus, operante hoc D. N. J. C., qui timentibus Nomen sanctum suum, præmia largitur æterna, qui hunc Gloriosum sociari voluit in gloria, ut regnans gauderet cum ipso, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Mabillonius habet* (1) : Blaviacensi prope Burdigalam territorio ; *Labbeus* : Ex castro Blavio ad Garumnam oriundus erat. *Hugo vero Menardus* : Ortus ex castro Blavio, quod est promontorium Sanctonum. *Confer Hadrianum Valesium ; in notitia Galliarum* (2) ; *ubi inter alia habetur* : Tabula Peutingeriana inter Burdegalam... et Tamnum, castrum hoc ponit, sed *Blaviam* sincero nomine appellat. *Et alibi addit* : Blavia vel Blavutum est *gallice* Blaye (3), *quæ urbs est ad ripam dexteram* D *Garumnæ, postquam hæc confluxit cum Duranio (la Dordogne). Ex his componuntur inter se Mabillonius, Labbeus et Hugo Menardus. Blavia enim jacet ad Garumnam, Burdigalam inter et Mediolanum Santonum (Saintes) multo tamen propius ad Burdigalam accedit ; unde duo priores scriptores illi rectius et accuratius notarunt.*

b *Communius scribitur* Longoretum, *vernacule* Lonrey *seu* Longret. *Postea* monasterium S. Sigiranni in Briona *(S. Cyran-en-Brenne) audiit* (4).

c *Clasia, vernacule,* la Claise (5).

d Nirsaniæ partes, *quid sibi velint hæ voces, non reperio. Nirsania nec occurrit in Valesio* (6), *nec apud Expillium* (7) ; *nec apud Lamartinière* (8) ; *nec in Baudrando* (9) ; *nec in Indicibus Geographicis D. Bouqueti ; nec in Indice Generali Operis nostri, quem ad usum Hagiographorum composuimus ; nec in Mabillonii Annalibus Benedictinis ; nec Labbeus, in sua Bibliotheca, voces has vel minimum interpretatur, nisi quod in Indice scribat :* Nirsaniæ partes *remittens ad pag.* 368, *ubi legitur* Nirsania : *in alterutro proinde loco mendose. Reliquum est ut conjecturis indulgeamus. In tabula Peutingeriana* (10) *notatur :* Aquæ Neri XV *haud procul a loco ubi* E Bituriges *ponitur. Unde etiam Hadrianus Valesius,* Aquæ Neri, *inquit* (11), in tabula Peutingeriana memorantur his verbis : *Aquis Neri, Cantilia, Augustonemeto.* Hoc municipium olim aquis nobile, nomen suum retinet in pago Burbonensi, finibusque Biturigum Cuborum. Vocatur enim *Neris*. Patroclus Biturix, presbyter magnæ abstinentiæ magnarumque virtutum, in *vico Nereensi*, quondam aquis insigni, monasterium puellarum, deinde et cœnobium Columbariense in Biturigibus ædificavit, monachisque loci Abbatem præfecit ; sicuti Gregorius Turonicæ ecclesiæ episcopus scripsit in cap. IX libri de Vita Patrum. *Re quidem vera agit Gregorius Turonensis, loco a Valesio citato, de* S. Patroclo abbate (12) *(cujus Vita in quibusdam haud ita absimilis est a Vita S.* Desiderii *nostri) ; ast cum in plerisque codicibus legatur* Meri, Meerensis, *non convenit inter eruditos, num laudatus præsul agat de* aquis Neri, *in tabula Peutingeriana notatis* (13). *Id vero extra dubium videtur,* aquas Neri *nunc esse oppidum* Neris *dictum, duabus leucis distans a Monte Luzzonis* (Montluçon), *et, ascendendo septemtrionem versus, circiter viginti a Biturica* (Bourges). *Ex effossis ruderibus patet olim urbem* F *fuisse haud spernendam, aquis medicinalibus notam. Nunc incolas numerat paulo amplius* 1100 (14). *Vario in antiquis Mss. occurrit nomine :* Nerus, Nerea, Nereensis vicus, Aquæ Neri (15). *Num forte Nirsania corruptio est* Neri Aquæ, Neris Aquæ, *quæ vox, si tollatur littera* q, *haud ita multum differt a Nirsania?*

e. *Mabillonius scribit* Rurriacum. Inde, *inquit*, in locum territorii Bituricensis, vocabulo Rurriacus, transmissus est a Sigiranno Desiderius, ut oratorium sanctæ Dei genitricis Virginis Mariæ et beati Galli, ab eodem sancto Patre conditum, incoleret (16). *Ex his apparet quam presse secutus sit Mabillonius acta nostra S.* Desiderii. *Aliud vero nihil de Rurriaco invenire potui.*

f *Mat.* VI. XIX, XX.

g *Alludit forte ad verba ecclesiastici cap.* XVII ℣ XXVIII : Eleemosyna viri quasi signaculum cum

(1) Annal. Benedictin., lib. XVI, n. XC, t. I, p. 506. — (2) Ad vocem *Blavia*. — (3) Ibid. ad vocem : *Santones et Mediolanum Santonum*. — (4) Gallia Christiana, t. II, col. 130. — (5) Ibid. — (6) Notitia Galliarum. — (7) Dictionnaire Géographique des Gaules. — (8) Dictionnaire Géographique. — (9) Lexicon Geographicum. — (10) Ejus segmentum vide apud D. Bouquetum, t. I, p. 112. — (11) Notitia Galliarum, ad vocem *Aquæ Neri*. — (12) Maxima Bibliotheca Veterum Patrum t. XI. p. 944 et seqq. — (13) Confer Bruzen de la Martinière, Dictionnaire Géographique, ad verbum *Neris*. — (14) Dictionnaire Universel Géograph., Statistique, de la France, Paris. an XIII (1804). — (15) La Martinière, loco cit. — (16) Annal. Benedictin., lib. XVI, n. XC, p. 506.

» ipso,

A ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit.

h *Sensus, obscurus ex verborum confusione, videtur indicare, pulverem vel simile quid de sacro sepulcro, quod hic* Benedictio *dicitur, in os infirmi immissum, fuisse. Quo facto, pus cum sanguine mixtum effluxit, atque sic misero restituta loquela est.* D

i Pallæ sepulcrales, *quibus Sanctorum et Honoratorum tegebantur sepulcra. Vide Ducangii Glossarium.*

k *Vide Mat.* XXI ℣ XXII.

l *Psal.* CXI ℣ XV.

DE SANCTO THEOFREDO

ABBATE CALMELIACENSI ET MARTYRE IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B. B.

§ I. S. Theofredi res gestæ. Calmeliacense monasterium a Saracenis vastatur. Istorum variæ in Gallias irruptiones. Quo anno passus S. Theofredus sit.

B E

VERSUS ANNUM 732. Initia S. Theofredi.

Hugo *Menardus, libro secundo* Observationum *in Martyrologium Benedictinum ad* XVIII *Nov., hoc modo exhibet vitam sancti* Theofredi, *vulgo S.* Chaffre. Sanctus Theofredus natus est Coloniæ Aurosionum *(Orange)* et matre Lerlitride. Fuit nepos S. Eudonis, primi abbatis cœnobii Calmeliacensis, in comitatu Velaunensi. Cujus sanctitate motus mundo nuntium remisit, et sanctæ conversationis habitum in eodem monasterio a patruo suscepit; a quo etiam, cum jam aliquod regularis observantiæ specimen edidisset, cellarius monasterii factus est, quod munus maxima cum charitate obiit. Sancto vero Eudone defuncto, omnium monachorum suffragiis S. Theofredus in locum patrui suffectus est.

Sarraceni monasterium invadunt;

2 Tunc temporis Saraceni, gens fera et crudelis, vocante Eudone Aquitaniæ duce, adversus Carolum Martellum numeroso exercitu ex Hispania erumpens, omnem Aquitaniam populabatur. Quod videns S. Theofredus, convocatis monachis, prædixit barbaros monasterium invasuros, suasitque C ut in sylvis latebras quærerent. Cari filii tam pium patrem deserere nolebant, sed ejus precibus victi in sylvas se receperunt. Sanctus vero Theofredus ante aram sancti Petri prostratus Deum precatus est, ut se dignam hostiam acciperet. Nec mora, Ismaelitæ monasterium invaserunt, atque huc illuc discurrentes, S. Theofredum in eodem loco orantem invenerunt, nimioque furore accensi, eum virgis atrocissime cædentes, immaniter deturbarunt; cupientesque in cæteros monachos similiter furorem suum effundere, petierunt ab illo ubinam essent, et quorsum tot ædificiorum substructiones, in quibus habitaret nemo? Christi Martyr respondit, eos Dei providentia ab eorum immanitate esse subductos, nec in eorum esse potestate illis absque Dei voluntate nocere. At illi se omnia flammis succensuros, eumque morte acerbissima excarnificaturos minitati sunt, nisi quam primum socios patefaceret. Vir Dei respondit, Deum esse loci defensorem, seque velle pro ovibus vitam ponere. Illi vero nimio furore exacerbati, nervis cædentes eum semianimem reliquerunt.

et lethali S. Abbatem afficiunt vulnere.

3 Tum forte solemnis quædam dies juxta ritum gentis intervenerat; in qua sacra quædam impia persolvebant. S. Theofredus resumptis divina virtute viribus, surrexit et in mediam turbam irrumpens, eos vehementer ob ejusmodi sacra nefanda increpavit. At sacrificulus, in eum frendens, jacto lapide, grave vulnus ejus capiti inflixit, ex quo statim in terram corruit. Mox locus ille contremuit totus; fulgura, tonitrua, tenebrosus imber et venti ultra modum furentes subsequuntur. Barbari nimio terrore perculsi, simul conglobati, impactis clypeis in modum testudinis, subsidebant, hoc pacto hujus tempestatis impetum se evasuros arbitrati. Sed frustra; nam plurimi vi tonitruum exanimati sunt.

Sancti Theofredi mors.

4 Cæteris effugatis, monachi timore adempto, paulatim e latebris emerserunt; et in monasterium reversi, S. Theofredum humi jacentem repererunt, et ictu lapidis, vertice comminuto, interiora cerebri viderunt. Sanctum Virum cum multis lamentis in cellam deportant. Pedes et manus osculabantur, quos tamen ille ejusmodi veneratione prohibebat. Hos tot calamitatibus afflictos per septem F dies blande allocutus est, divinisque suis sermonibus ad regulæ observantiam, mutuamque caritatem adhortatus, feliciter obiit martyrum trabea decoratus XVIII Novembris, circa annum Domini septingentesimum vigesimum quintum, quo allophylorum diluvium illud in Gallias exundabat.

Unde Hugo Menardus sua hauserit.

5 *Hæc Hugo Menardus. Quæ idcirco statim ab initio hujus elucubrationis exhibuimus, quod scilicet scriptor ille simul testetur* hæc excerpta *esse* partim ex Ordinario Casæ-Dei, partim ex chronicis monasterii Calmeliacensis, et ex vita et passione S. Theofredi, et aliis veteribus monumentis quæ habuit *auctor* ex illa abbatia.

Dicendorum a nobis caput.

6 *Non tamen omnia et singula, quæ in exhibito vitæ compendio occurrunt, undequaque certa ducimus. Imo sunt nonnulla corrigenda, alia evolvenda magis, quædam etiam omissa, ut per decursum commentarii hujus patefiet, in quo, pro instituti nostri rationi, agemus de variis sancti* Theofredi *nominibus, ejus natalibus, gestis ante et post assumptum habitum regularem, martyrio, reliquiis et cultu. Addemus quædam de Actis, ad calcem integre exhibendis*

Varia S. Theofredi nomina.

7 *Quod ad nomen attinet, communius apud auctores latinos scribitur* Theofredus; *ita etiam in*

instrumento

D. B. *instrumento* (1) *Pippini regis Aquitaniæ anni* 845, *ubi leguntur sequentia :* Ex cœnobio, quod dicitur Calmilius, et est situm in pago Vellaico, constructum in honore beati Petri principis apostolorum et sancti Theofredi. *Eumdem scribendi modum adhibet Mabillonius tum in* Actis *tum in* Annalibus, *sicut et Labbeus noster in* Bibliotheca. *Alii scribunt :* Theofridus, Theotfredus, Thietfridus, *etc. Gallice :* Theofroy, Thiefroy, Theofred, *vulgo et communissime* Chaffre, *enormi profecto alteratione, quam tamen genio idiomatis Occitanici haud adversam esse insinuat D. Vaissete* (2).

Ejus natale. 8 *Inter omnes convenit S.* Theofredum *urbe Arausicana oriundum, idque nobilissima ex prosapia. Filius erat unicus Leofredi (apud alios Theofredus vocatur) principis dictæ urbis et territorii, ac primoribus totius regionis seu provinciæ annumerati. Hugo Menardus, ut supra vidimus, matrem dicit Lerlitridem ; in vita a Mabillonio* (3) *edita, Leutilda, in proprio Aniciensi, Leotildes vocatur. Utrique parenti par erat nobilitati virtus, qui summa cum sollicitudine institui curarunt filium, utpote qui unica nominis propagandi spes simul et dignitatum opumque hæres. Ast* Theofredus *jam inde ab* B *infantia animum ad pietatem præ cæteris propensum ostendebat, parvi faciens quidquid ad* eminentem Jesu Christi scientiam *haud pertineret.*

Ad Philip. III *v* VIII.

Illi patruus erat Eudo abbas Calmeliacensis. 9 *Erat Leofredo frater uterinus, nomine Eudo seu Eodo, primus Calmeliacensis monasterii abbas. Hunc puer* Theofredus *singulari prosequebatur veneratione ; nec umquam de illius virtutibus sermo incidebat, quin juvenilis animus incenderetur desiderio eum imitandi. Quod multo etiam vividius exarsit, cum quondam rediens ex monasterio Lirinensi, in quo primum vitam professus erat regularem, Eudo Augustæ Tricastinorum* (Saint-Paul trois-châteaux) *aliquo temporis spatio substitit. Hac venit, fratris visendi causa, Leofredus cum filio suo, qui patruo animi in vitam monasticam pandens propensionem, ingenti illum perfudit gaudio. Redein communicata cum patre, post plurimas semotas difficultates, ex eo præsertim quod unicus tantum et nominis et dignitatum atque opum esset hæres, exoptatum accepit* Theofredus *assensum.*

Sub quo monasticam profitetur S. Theofredus vitam 10 *Nec mora, cum patruo se recepit in monasterium Calmeliacense, in quo a cunctis fratribus peramanter susceptus est.* Eique, *ait Mabillonius* (4), regularibus disciplinis apprime instituto exterio-C rem monasterii curam commisit *(Eudo). Is (scil.* Theofredus) dum aliquando Arvenicum pagum pro suo munere peragraret, Meneleum quemdam Andecavensem cum duobus sodalibus, Saviniano et Constantio, offendit, eisque, ut se sequerentur, persuadet ; qui postquam per septem annos ibidem *(in monasterio Calmeliacensi)* instituti fuere, ad Arvernos reversi, Menatense monasterium condiderunt. *Scribit Baillet in Vita S.* Theofredi, *ad* XIX *Octobris, hunc in quodam itinere contulisse ad* conversionem *sancti Menelei. Quæ vox, si obvio, ut videtur, sensu sumatur, ex errore posita est. Constat enim Meneleum in Sylvam illam, in qua a sancto* Theofredo *visus est, se recepisse, ut nuptias a patre sibi paratas declinaret. Septennis enim virginitatem suam devoverat. Vide ejus acta a nobis ad* XXII *Julii edita* (5). *Nisi, quod cæterum frequens occurrit, conversio idem sonet ac religiosa professio.*

Electus abbas, sanctissime fratribus suis præest. 11 *Mortuo Eudoni abbati sufficitur* Theofredus *ex fratrum unanimi consensu, qui ita defuncti votis satisfecere : Eudo enim moriens successorem suum* D *designarat. Præfuit* Theofredus *in sollicitudine, serpentis prudentiam conjungens cum simplicitate columbæ. Animi benignitatem ipsa faciei et aspectus lenitas docebat. Mulieres aditu basilicæ interdixit, ita tamen ut* feminei accessus procul haberent sedem circa templi januam.... Denique quodam tempore familiari semotus obsequio, Micrologum cudens de lapsu mundi senario, determinat eum sermone rhytmico. Quem quia vitiatum novimus falsidicorum carie, si... Deus annuerit..., veritati restituemus pristinæ. *Hæc excerpta sunt ex actis, quæ inferius integra exhibemus.*

12 Rogatus a Meneleo ut ipsum inviseret, novi monasterii Menatensis dedicationi interfuit, factæ ab Eusebio seu Bonito (nam binominis erat) Arvernensi episcopo, in honorem Salvatoris ac sanctæ Mariæ Virginis (6). *Addunt* Acta *rogatum a* Theofredo *hac occasione episcopum fuisse*, ut Menelei comam consecraret et detonderet ; *quod indicaret hunc tum primum monachi insignia suscepisse. Sed hæc alibi elucidanda. Confer Acta S. Menelei, a Pinio nostro illustrata* (7). *Atque hæc sunt quæ apud varios scriptores habentur de gestis sancti* Theofredi *usque ad ejus mortem seu martyrium de* E *quo jam nobis agendum, quo scilicet anno illud contigerit ; nam cætera superius jam retulimus ex Hugone Menardo, et præterea reperientur infra in* Actis. *Adest dedicationi monasterii Menatensis.*

13 *Martyrium passus videtur anno Christi* 732 *et quidem hoc ipso die* XIX *Octobris. Mabonillius in Vita sancti* Theofredi (8), *annum assignat* 728, *decimo quarto Kal. Novemb.,* uti, *inquit,* in Kalendariis Calmeliacensi et Benedictino signatur. *Ast postea mutavit vir eruditus sententiam. Nam in* Annalibus, *qui posteriores sunt Actis, annum habet* 732 (9). *Consonat Cointius ad hunc annum* (10), *ubi ex professo hanc quæstionem tractat contra Hugonem Menardum, qui, ut supra vidimus, censet id contigisse* circa annum Domini septingentesimum vigesimum quintum, quo allophylorum diluvium illud in Gallias exundabat. *Hic vero subdit Cointius :* Nec his tantum verbis, sed et aliis quæ præmiserat, *(scilicet Hugo Menardus)* super anno, quo Theofredus abbas martyrium passus est, suam quoque mentem sic aperuit : *Tunc temporis Saraceni, gens fera et crudelis, vocante Eudone Aquitaniæ duce adversus Carolum Martellum, numeroso exercitu ex Hispania erumpens omnem Aquitaniam* F *populabatur.* Utrobique locutus est in opinione chronographi Fuldensis, qui de Saracenis ad annum Christi septingentesimum vicesimum quintum hæc scripsit : *Saraceni ab Eudone in auxilium suum vocati cum rege suo Abdirama, Garonnam Burdigalemque perveniunt, cunctis locis vastatis et ecclesiis igne crematis. Basilicam quoque sancti Hylarii Pictaviensis incendunt.* *Martyrium probabilius refertur ad annum 732.*

14 At, *prosequitur Cointius,* nec Eudo præfectus Aquitaniæ Saracenos in auxilium contra Carolum Majorem-Domus ex Hispania vocavit, nec iidem Saraceni duce Abdirama, Burdigalam aut Pictavium anno Christi septingentesimo vigesimo quinto populabundi pervenerunt. Hæc Arabum in Vasconiam et Aquitaniam irruptio serius referri debet. Mauri, Burdigala Pictavioque captis, cum in agrum Turonicum ingredi vellent a Carolo et Eudone debellati sunt die Sabbati, mense Octobri, hoc anno post Christum natum septingentesimo tricesimo secundo, ut ex auctoribus, Annalista *ut Cointius ostendere suscepit.*

(1) Histoire générale de Languedoc, par deux Religieux Benedict. Congreg. T. Mauri. Edit. in-fol. Paris 1739, t. I *inter Probationes*, (Preuves) col. 63, n. LXIX. — (2) Ibid., lib., VIII. n. XXI. t. I. p. 395. — (3) Acta SS. Ordinis S. Benedicti., sæc. III. part. I. p. 479.— (4) Annales Benedictini, lib. XVII, n. XVI, t. I, p. 518. Edit. Lucæ 1739.— (5) Acta SS., t. V Julii. p. 305. — (6) Mabillonius ubi supra. — (7) T. V Julii. Comment. præv., n. 28, p. 306. — (8) Acta SS. Ordinis S. Benedicti, sæc. III, part. I, p. 485. lit. *a*. — (9) Annales Benedictini, lib. XXI, n. VIII, t. II, p. 85.— (10) Annales ecclesiast. Francorum. Ad an. 732. n. LXXVII, t. IV, p. 816.

Fuldensi

A Fuldensi longe vetustioribus, probatum supra. Magna tum clade attriti redierunt ocyus in Septimaniam. Ut autem agrum Lemovicensem, de quo proxime locuti sumus, sic et Aniciensem deformarunt. Quos autem die Sabbati, mense Octobri, prope Pictavium, in fugam Franci verterunt, eos nihil vetat prope Anicium versatos esse die proximi Novembris undecimo, quo Theofredus abbas adeo vulneratus est, ut obierit septimo post die, seu die duodevicesimo Novembris jam notato. Podiense Martyrologium ad illum diem hæc habet : In territorio Vellaico prope Aniciensem urbem, in loco, qui vocatur Calmelius, passio sancti Theofredi abbatis et martyris. *Hæc Cointius* (1), *quæ ut sua non carent probabilitate, ita etiam non omnimodam sibi vindicant certitudinem, sicut ex dicendis apparebit.*

Variæ numerantur Saracenorum in Gallias per id tempus irruptiones.

15 *Est enim difficile admodum tempus seu epocham accurate definire diversarum incursionum quibus Saraceni Gallias vastaverunt; quod vel ex ipsa eruditorum inter se discordia satis manifestum est. Verosimilius nobis est quinque hujusmodi incursiones præcipuas in varias dictæ regionis provincias distinguere, omnes ab anno* 719 *ad annum* 738.

B *Certum porro est sancti* Theofredi *martyrium illis incursionibus innectendum; ast cui? Hic scilicet tota ponitur difficultas, quam non dissolvendam quidem suscipimus, sed aliqua tantum ex parte elucidandam seu potius enucleandam.*

Prima Sarracenorum irruptio

16 *Zama, dux Saracenorum, nono post horum in Hispania adventum anno, id est versus* 719 *Pyrenæos transiit, atque Septimaniæ partem sibi subjecit. Chronologia hæc inter cæteras probabilior videtur erudito D. Vaissette, qui ex professo eam demonstrandam suscepit in Notis ad historiam Occitaniæ* (2). *Scilicet Chronicon Moissiacense tradit :* Sema, rex Saracenorum, post VIIII anno, quo in Spania ingressi sunt Saraceni Narbonam obsidet, obsessamque capit (3). *Jam vero, quamvis non concordent eruditi, probabilius censet laudatus scriptor cum D. Josepho Perez, Benedictino Hispano et professore Salmanticensi, primam Saracenorum in littora hispanica incursionem referendam esse ad annum Christi* 711 *et quidem post* 19 *Octobris; prælium vero Guadaletanum accidisse* XVII *Julii anni proxime sequentis. Plerique scriptores adventum Saracenorum innectunt anno* 713; *pugnam vero ad Guadalethem seu Lethem, vel, ut habet Ferreras,*

C *Xerem, anno sequenti. Mariana, agens de primo Gothorum cum Saracenis congressu,* incidit, *inquit,* hæc prima calamitas in annum ejus sæculi *(octavi nempe)* tertium decimum (4). *Et infra de prælio ad Guadalethem :* Die octavo *(ab incœpta pugna)* qui dies Dominicus erat, Xavelis arabum mensis nono, tertio Idus Novembris ipso Martini festo die, uti ex Aluendensi Chronico colligimus, atque salutis anno septingentesimo quarto decimo, totis utrimque viribus et copiis dimicatum est *etc.* (5). *Marchio de Mondejar, quem secutus Pagius est, anno* 710 *ponit Saracenorum in Hispania madventum et mense Julio anni sequentis stragem Roderici regis in prælio ad fluvium Guadalethem in Andalusia.* Ast cum Perezius invicte videtur refutasse totam hanc Chronotaxim, propterea, *inquit D. Vaissette,* non dubitamus illius adhærere sententiæ. *Ferreras* (6) *quoque prælium ad Xerem (ita ipse loco Guadalethes vel Lethes) mortemque regis Roderici refert ad annum* 712, *ast diem ponit festum S. Martini,* XI *scilicet Novembris. Annum eumdem admittunt, quin statuant inter utrumque diem scriptores operis* l'Art de vérifier les dates (7) : *Petrus de Marca dubius hæret inter annum* 711 *et annum* 712. Incidit, *inquit,* hæc ultima et lugenda calamitas *(pugna in qua occubuit Rudericus),* ut patet ex Isidoro Pacensi, ætatis illius scriptore ex quo Rodericus Toletanus accepit, anno Christi DCCXI, vel anno sequenti juxta veterem geographum Nubiensem. Vulgus tamen historicorum eam refert ad annum DCCXIV (8). *Unde haud multum aberrat D. Vaissette, si tamen aberret, statuens annum nonum post Saracenorum appulsum inchoasse* XIX *Octobris anni* DCCXIX, *desiisse autem eodem die anni sequentis* (9). *Denique Florez, qui ex professo refutandum suscepit systema chronologicum Marchionis de Mondejar* (10), *pugnam, in qua occubuit Rodericus, statuit quidem ad finem anni* 713 (11), *nec tamen a Vaissetto, quoad rem nostram dissonat: primum enim Saracenorum in Hispaniam adventum ponit etiam ipse anno* 711. Tribus, *inquit,* vicibus, ingressi Hispaniam Mauri sunt ab anno 711 et deinceps (12) *idque effici contendit ex chronico Emilianensi aliisque, uno et* insinuari *ab Isidorio Pacensi.* E *Ex his omnibus concludimus præfatum annum* 711, *si non certo, saltem probabiliter admitti posse.*

probabilius in annum incidit 719.

17 *Quinimo potest et accuratius, definiri tempus obsidionis Narbonensis. Legitur, teste Vaissetto, in charta, quæ refertur in Marca Hispanica :* tempore quod regnavit Aumar, Ibin-Aumar regente Narbone. *Atqui evidens est non agi hoc loco de Omaro I; qui secundus Mahumeti successor fuit ab anno* 634 *ad annum* 644 (13), *nec proinde hoc regnante Saraceni in Hispanias appulerunt: bene vero de Omaro II, qui caliphatum obtinuit ab anno* 717 *usque ad mensem Februarium* 720. *Saraceni igitur obsiderunt cœperuntque Narbonam inter* XIX *Octobris* 719 *et mensem Februarium anni sequentis, siquidem Omar dum moreretur, dictam urbem sub ditione sua tenebat. Itaque Zama, Gallias ingressus anno* 719, *Narbonam obsedit expugnavitque anno sequenti* 720, *Tolosam deinde usque procedens ingenti clade affectus anno* 721 *est ab Eudone Aquitaniæ duce, atque vitam amisit. Exercitus autem reliquiæ trans Pyrenæos fugerunt.*

Ad hanc non pertinet martyrium S. Theofredi.

18 *Porro ex chronico Isidori, episcopi Pacensis, facile est videre Saracenos longe lateque per Septimaniam et Narbonensem primam vagatos quidem* F *esse, ast ad Velaunos, apud quos Calmilius reperitur, nullatenus pervenisse. Unde liquet martyrium sancti* Theofredi *ad hanc primam Saracenorum irruptionem non referendum. Juverit verba Pacensis hic adscripsisse, scriptoris coævi, ac proinde magnæ auctoritatis; ejus tamen chronologia non ita limpida est* (14); *stylus vero, judice Mariana* (15), *adeo rudis,* ut non latine, sed alia potius lingua loqui videatur. *Postquam itaque dixisset n.* 47 : Izit gubernacula regni Saracenorum, decedente fratre, per successionem plene accepisse (16), *prosequitur n.* 48 *in hunc modum Isidorus :* Tunc in occidentis partibus multa illi *(scilicet Izito)* præliando proveniunt prospera, atque per ducem Zama nomine tres minus paululum annos in Hispania ducatum habentem, ulteriorem vel citeriorem Hiberiam proprio stylo ad vectigalia inferenda describit... Postremo Narbonensem Galliam suam facit, gentemque

(1) Annales ecclesiast. Francorum. Ad an. 732, n. LXXVII, t. IV, p. 816 et 817. — (2) Histoire du Languedoc, t. I, nota LXXXII, p. 686 et seqq. — (3) Pertz. Monumenta Germaniæ, t. I, p. 241. — (4) De Rebus Hispaniæ, lib VI, cap. XXII, t. I, p. 244. Edit. Hagæ-Comitum 1733. —(5) Ibid., cap. XXIII, p. 245. — (6) Histoire générale d'Espagne, part. IV, sæcul. VIII, t. II, p. 429, Paris 1742. —(7) Pag. 803. —(8) Marca Hispanica, sive Limes Hispanicus, col. 226 et 227, Paris 1688. — (9) Loco supra citato, nota LXXXII, n. III, p. 687. — (10) España Sagrada, t. II, part. I, *per totam*. — (11) Ibid., part. II, cap. III, p. 187. n. 218.—(12) Ibid., p. 186, n. 217 ab initio. — (13) L'art de vérifier les dates, p. 392 et 393. — (13) Florez España Sacrada, t. VIII, p. 318 et seqq. — (15) Ibid., p. 167. — (16) Ibid., p. 296.

Francorum

B. B. Francorum frequentibus bellis stimulat, et electos milites Saracenorum in prædictum Narbonense oppidum ad præsidia tuenda decenter collocat: atque in concurrenti virtute jam dictus dux *(Zama)* Tolosam usque præliando pervenit, eamque obsidione cingens, fundis et diversis generum machinis expugnare conatus est; sicque Francorum gentes tali de nuntio certæ, apud ducem ipsius gentis Eudonem nomine congregantur: ubi dum apud Tolosam utriusque exercitus acies gravi dimicatione confligunt, Zama ducem exercitus Saracenorum cum parte multitudinis congregatæ occidunt. Reliquum exercitum per fugam elapsum sequuntur (1). *Hactenus Isidorus Pacensis, seu Juliæ Pacis (Hispanis de Beja vel etiam Badajoz) episcopus, cujus Chronicon cum Notis edidit ad calcem tomi VIII* Hispaniæ sacræ *Florez. Jam vero in his manifeste circumscribitur Zamæ incursio: ultra provinciam Narbonensem non progreditur: imo occidentem versus procedit, ut videre est in Mappis geographicis ex situ Narbonæ et Tolosæ; dum Velauni multo altius ad Septentrionem ascendendo reperiuntur. Inspiciatur Tabula geographica tomo I historiæ Occitaniæ adnexa, illico in oculos* B *incurret, ex verbis Isidori Pacensis, Saracenos ne a longe quidem tum ad Velaunos accessisse.*

Nec ad secundam, an. 725.

19 *Ast nec ad secundam. Hæc incidit in annum* 725. Ambisa *(ita chronicon Moissacense* (2)), rex Saracenorum cum ingenti exercitu post quinto anno Gallias aggreditur, Carcassonamque expugnat et capit, et usque Nemauso pace conquisivit et obsides eorum Barchinona transmittit. *Cum prælium Tolosanum, in quo Zama interiit, incidat in annum* 721, *sequitur Ambisam Gallias ingressum esse anno* 725, *qui et quartum a morte Zamæ terminabat et simul quintum inchoabat. Igitur cum Nemausum usque tantum pervenerint Saraceni, ibique, ut ferunt mox recitata verba* usque Nemauso pace conquisivit, *substiterint; constat rursus eos Calmelium non attigisse, cum Velauni procul a Nemauso absint. Unde dato etiam unam alteramve manum ulterius vagatas fuisse, Velaunos usque non pervenisse manifestum est, tum quod proculdissiti sint, tum quod interjaceant juga montium asperrima. Videatur Tabula geographica. Isidorus Pacensis, ubi de secunda illa tractat incursione, vago prorsus loquitur modo.* Ambiza, *inquit* (3), semis cum quatuor annis principatum Hispaniæ C apte redemptat *(retinet)*, qui et ipse cum gente Francorum pugnas meditando et per directos satrapas insequendo, infeliciter certat *(hæc utique aperte cum aliis Chronicis pugnare videntur)* furtivis vero obreptionibus per lacertorum cuneos nonnullas civitates vel castella demutilando stimulat: sicque vestigalia Christianis duplicata exagitans, fascibus honorum apud Hispanias valde triumphat. *Nec certe quisquam dixerit, talibus in adjunctis,* furtivas *illas* obreptiones *Velaunos usque se extendisse. Paulo inferius addit Pacensis* (4). Qui dum postremo suprafatus Ambiza per se expeditionem Francorum ingeminat, cum omni manu publica incursionem illorum illico meditatur. Qui dum rabidus pervolat, morte propria vitæ terminum parat; atque Hodera consulem patriæ sibi commissæ vel principem exercitus repedantis, vel quasi refrænantis in extremo vitæ positus, ordinat. *Hæc sane prorsus diversa sunt ab iis qui tradunt alii, asserentes Ambizam res a Zama perditas restituisse* (5). *Imo asserit D. Vaissette, ex antiquis constare chronicis, Saracenos hac tempestate trans* D *Rhodanum penetrasse, expugnasse anno* 725 *Augustodunum* (Autun); *sed simul Cointium, Pagiumque reprehendit, qui multo etiam latius vagatos tunc Saracenos volunt, sed absque ulla probabili ratione; nec tamen, juxta hos quoque, ad Velaunos accessissent* (6). *Quare etiam laudatus Vaissettus ad sequentem incursionem refert mortem S. Martyris nostri. Neque hac proinde secunda videtur S.* Theofredus *procella abreptus.*

Tertia, an. 729, ad quam mors S. Theofredi a quibusdam refertur;

20 *Tertiæ meminit Beda incursionis, hisce verbis:* Anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo vicesimo nono apparuerunt cometæ duæ circa solem, multum intuentibus terrorem incutientes... Quo tempore gravissima Saracenorum lues Gallias misera clade vastabat; et ipsi non multo post in eadem provincia dignas suæ perfidiæ pœnas luerunt (7). *Aliud nihil addit Beda; nec ab alio quovis scriptore hujus incursionis facta est mentio. Quid autem sibi Beda voluerit, cum dicat* Saracenos non multo post pœnas luisse *non satis constat. Sunt qui opinantur eos cæsos illo tempore fuisse ab Eudone, Aquitaniæ duce; alii cum Pagio censent Bedam respicere prælium Pictaviense, quo ad internecionem cæsi barbari a Carolo Martello sunt anno* 732. E *Quamvis enim desinat Beda ad annum* 731, *et apud Pictavos pugnatum sit anno sequenti, potuit Beda, qui diem supremum obiit anno* 735, *verba illa historiæ suæ adjicere; quod utique nec repugnat, nec probabilitate sua caret. Nisi quis maluerit dicere lapsum Bedam esse in notando anno; vel, amanuensium vitio, mendum codicibus irrepsisse. Imo commode negari posset hæc irruptio, et cum sequente confundi. Miramur autem Dominum Vaissette, qui fatetur Bedam omnino solum hujus incursionis meminisse et quidem obiter tantum, quin singillatim aliquid circa eam attingat, subjicere nihilominus: Saracenos hac tempestate longe lateque grassatos esse; unde et probabile censet, anno huic* 729 *innectendum sancti* Theofredi *martyrium.*

sed probabilius tamen ad an. 732 spectat, quo quarta facta irruptio est,

21 *Quapropter longe nobis probabilior est sententia Mabillonii in Annalibus, et Cointii, qui illud ponunt anno* 732; *sub quarta videlicet Saracenorum in Gallias irruptione, dum, duce Abderamo, Burdigalam expugnarunt, atque dein ad Duranium fluvium (alii Garumnam dicunt; ast nihil refert cum duo illa flumina prope Burdigalam confluant, Eudonem ingenti strage affecerunt, ita quidem ut, teste* F *Isidoro Pacensi, scriptore coævo,* solus Deus numerum morientium vel pereuntium recognoscat. *Atque ad hanc, quasi priorem incursionis sub Abderamo partem respicit forte Beda, ut jam supra insinuavi. Annalista Moissiacensis ita breviter totam hanc rem comprehendit.* Anno MCCXXXII Abderaman rex Spaniæ cum exercitu magno Saracenorum per Pampalonam et montes Pyrenæos transiens Burdigalem civitatem obsidet. Tunc Eudo princeps Aquitaniæ collecto exercitu obviam eis exiit in prælium super Garonna fluvium; sed inito prælio Saraceni victores existunt. Eudo vero fugiens maximam partem exercitus sui perdidit, et ita demum Saraceni Aquitaniam deprædare cœperunt. Eudo vero ad Karolum Francorum principem veniens postulavit auxilium. Tunc Karolus collecto magno exercitu exiit eis obviam, et inito prælio in suburbio Pictavensi debellati sunt Saraceni a Francis; ibique ipse Abderaman cecidit cum exercitu suo in prælio, et qui remanserunt ex eis per fugam reversi sunt in Spaniam. Karolus

(1) Florez, España Sacrada, t. VIII, p. 297. — (2) Pertz. Monumenta Germaniæ, t. I, p. 290. — (3) España Sagrada, t. VIII, p. 298. — (4) Ibid., p. 299. — (5) Histoire générale de Languedoc, t. I, p. 392, n. XV. — (6) Ibid., nota LXXXIV, p. 695. — (7) Hist. ecclesiast., lib. V, cap. XXIII. Edit. Gilles. Londini 1843.

vero,

A vero, spolia accepta, cum triumpho gloriæ reversus est in Francia (1). *Cum itaque Velauni ad Aquitaniam, extrema nempe orientali parte, spectarent, ut videre est in Mappa Vaissetti* (2); *Saraceni autem, post pugnam Burdigalensem, Aquitaniam depopulati sint; ac tandem abderami copiæ incredibili essent numero; pronum sane est concludere, ad hanc potius quam ad præfatas incursiones, referendam Calmeliacensis monasterii vastationem, ac proinde etiam S.* Theofredi *martyrium. Quod quidem nobis videtur confirmari ex Isidori Pacensis narratione, quam idcirco hic adscribimus.*

ut suadere quoque videtur narratio Isidori Pacensis.

22 Tunc Abderraman multitudine sui exercitus repletam prospiciens terram, montana Vaccæorum dissecans, et fretosa ut plana percalcans, terras Francorum intus experditat, atque adeo eas penetrando gladio verberat, ut prælio ab Eudone ultra fluvios nomine Garonnam vel Dornomiam præparato, et in fugam dilapso, solus Deus numerum morientium vel pereuntium recognoscat. Tunc Abderraman suprafatum Eudonem ducem insequens, dum Turonensem ecclesiam, palatia diruendo et ecclesias ustulando, deprædari desiderat, cum consule Franciæ interioris Austriæ, nomine Carolo, B viro ab ineunte ætate belligero, et rei militaris experto, ab Eudone præmonito, sese infrontat. Ubi dum pene per septem dies utrique de pugnæ conflictu eucruciant, sese postremo in aciem parant, atque dum acriter dimicant gentes septentrionales in ictu oculi ut paries immobiles permanentes, sicut et zona rigoris glacialiter manent adstrictæ, Arabes gladio enecant. Sed ubi gens Austriæ molle (mole) membrorum prævalida, et ferrea manu per ardua pectoraliter ferientes regem inventum exanimant. Statim nocte prælium dirimente, despicabiliter gladios elevant, atque in alio die videntes castra Arabum innumerabilia, ad pugnam sese reservant, et exurgentes de vagina sua diliculo prospiciunt Europenses Arabum tentoria ordinata et tabernacula ubi fuerant castra locata, nescientes cuncta esse pervacua, et putantes ab intimo esse Saracenorum phalanges ad prælium præparatas, mittentes exploratorum officia, cuncta repererunt Ismaelitarum agmina effugata, omnesque tacite pernoctando cuneos diffugisse repatriando. Europenses vero per semitas delitescentes (ut) aliquas facerent cælatas, undique stupefacti in circuitu sese frustra recaptant, et qui ad persequentes C (persequendum) gentes memoratas nullo modo vigilant, spoliis tantum et manubiis decenter divisis in suas se læti recipiunt patrias (3).

Quinta tandem irruptio finem habuit an. 738.

23 *Restat ut aliqua addamus verba de quinta Saracenorum in easdem regiones incursione, quæ initium habuit anno* 736. *Carolus Martellus cum exercitu accurrens eos penitus fere expulit provincia Arelatensi, atque Narbonam usque prosecutus prelio fudit. Ast anno sequenti, cum Carolus longinquo distineretur bello, Maurentius, qui ad montes cum suis confugerat, animos resumpsit; atque denuo excurrere undequaque Saraceni cœperunt; donec Carolus, fœdere junctus cum Luitprando Longobardorum rege, eos profligavit ex provinciis et regionibus ad Rhodanum sitis. Hæc gesta sunt anno* 738, *post quem contra Gallias, vivente Carolo, nihil attentare ausi Saraceni sunt. Posset et ad hanc eorum irruptionem referri martyrium sancti* Theofredi; *probabilius tamen ad præcedentem spectat. Cæterum nullum est dubium quin referatur ad unam quamdam ex enumeratis quinque incursionibus, ac proinde contigisse inter annum* 719 *et annum* 738, *juxta expositam a nobis chronologiam.*

E. B.

Hallucinatur scriptor anonymus vitæ S. Theofredi.

24 *Ex his concludere licet quantum a vero absit auctor anonymus vitæ sancti* Theofredi, *quam inferius typis excussam videre licet. Operæ pretium est hic subjicere quæ Mabillonius hac de re senserit: tum quod nostram confirment sententiam, tum quod alia quædam elucident, quæ a nobis in supradictis prætermissa sunt:* Eadem, *inquit ille*, haud dubie procella *(quam quartam nos diximus)* Theotfredum Calmeliacensem abbatem corripuit; quamquam alia occasione id factum legitur in ejus Actis parum accuratis, quæ hac in re cum vetustis Francorum annalibus non consentiunt. In his quippe *(scilicet actis)* legitur, Eudonem, a Carolo majore domus bello non semel lacessitum, Saracenos ex Hispania in auxilium evocasse, pacto cum Abdiramane facto, qui duobus a Carolo præliis fusus, hac occasione captata, injuriam suam ultus sit, obvia quæque a Burdigala ad urbem Pictavos ferro ac flammas devastando, imo Septimaniam totam cum Gabalitanensi et Vellavensi comitatu conterendo, quo tempore Theotfredus a Saracenis cæsus sit. Quasi Burdigala et Pictavi ad Carolum, et non ad Eudonem pertinuerint, et Septimania ipsa E imperio Saracenorum subjecta non fuerit. Longe probabilius est id, quod legitur in libello de Gestis sancti Pardulfi abbatis, Saracenos hoc anno (732) a Carolo ad Pictavorum urbem cæsos fuisse, ejusque cladis reliquias in Gothiam seu Septimaniam se recepisse, et obvia omnia igni ac ferro corrupisse; quo tempore in Calmeliacense forte monasterium se intulerint, et Theotfredum necaverint, monachis in vicinos montes fugere jussis; aut forte illi sint, qui soluta obsidione urbis Senonensis in Septimaniam se receperunt. Utrumlibet horum verum sit, Theotfredum lapidibus obrutum tradunt paulo post expirasse et quidem XIV Kalendas Novembris, quod tempus non male congruit cum tempore pugnæ Pictaviensis, quæ mense Octobri facta est. Librum de Vita Sancti Theofredi scripsit anonymus auctor parum diligens et accuratus (4).

Mabillonii lapsus circa annum obsidionis Senonensis.

25 *Quæ quidem recte a Mabillonio dicta censemus; iis tamen exceptis verbis quæ ad* obsidionem urbis Senonensis *referuntur. Obsidio enim illa, ex mente Mabillonii, in annum cadit* 731, *dum reipsa ad annum* 725 *referenda est, ut ostendit D. Vaissette in* Notis *ad historiam Occitaniæ* (5); F *ubi et Cointium et nostrum P. Daniel* (5) *reprehendit, quod uterque velit Saracenos per Burgundiam Senonas usque grassatos anno* 731, *dum constat inter alios ex Isidoro Pacensi, scriptore coævo, barbaros illo tempore hujusmodi incursiones facere non potuisse. Confer D. Vaissette loc. cit.*

Quo ætatis suæ martyrio coronatus sit S. Theofredus.

26 *Antequam de cultu et reliquiis sancti* Theofredi *dicamus, non abs re erit aliquid, ex conjectura licet, subjicere de anno ætatis quo martyrium passus est. Scribit auctor anonymus Vitæ ejus:* Floruisse apud Arvernam urbem Calmilium quemdam, regnantibus Theodeberto et Theodorico, *qui solium conscenderunt anno* 592, *illudque tenuerunt usque ad annum circiter* 612. *Proinde sub finem sæculi sexti, vel sub initium sæculi septimi fundamenta sui monasterii posuit dictus Calmelius. Tum Romam perrexit, atque inde redux obtinet ab abbate Lirinensi* venerabilem virum, Eudonem nomine, sublimem statura, PENULTIMA DECORATUM ÆTATE, *qui præsit novo asceterio. Etiamsi detur Calmelium) viginti*

(1) Pertz. Monumenta Germaniæ, t. I, p. 291. — (2) Histoire de Languedoc, t. I, *ad initium.* — (3) Florez. España Sagrada t. VIII, p. 363. — (4) Annales Benedictini, lib. XXI, n. VIII, t. II, p. 83. — (5) Nota LXXXIV, t. I, p. 696. — (6) Histoire de France, t. X, p. 362 et seq. *Juxta citationem D. Vaissetti.*

ante

B. B.

ante Eudonis adventum annis, monasterii sui ædificationem inchoasse ; ac proinde, versus annum 630, *eo pervenisse Eudonem* penultima *jam* decoratum ætate ; *consequens erit sanctum* Theofredum *annis valde provectum martyrii coronam accepisse. Eudo utique non ultra viginti annos præfuisse monasterio putandus est; ac proinde* Theofredi *evectio ad infulas abbatiales incidet in annum* 650 ; *cum autem mortem subierit versus* 732, *per* 60 *et amplius annos præfuisse dicendus erit. Quibus si addatur ætas quam habebat dum abbas consecratus est, nonagenarius saltem obiit. Atque hæc ex conjectura, fundata in dictis anonymi scriptoris, cujus utique fide , præsertim chronologica, non admodum certa est, ut ex dicendis constabit. Præterea floruit Calmelius, juxta Cointium anno Christi sexcentesimo octogesimo primo, quo ejus gesta recenset* (1). *Quod si reipsa obtineat (nec enim probat Cointius, solum affirmat) sequeretur* Theofredum *ætate parum provectum, martyrii palmam suscepisse.*

De loco ubi martyrium passus sit.

27 *Duplex habetur in regione ipsa circa locum, in quo S.* Theofredus *martyrium passus est, traditio. Alii id contigisse volunt juxta porticum ecclesiæ, quæ hodie adhuc visitur : non quod hæc ab initio* B *extiterit ; ast ædificata fuit eodem loco, quo assurgebat antiquior ecclesia, temporis decursu destructa. Alii sanctum Martyrem a barbaris impetitum tradunt in exiguo quodam vico, dissito ab ipso monasterio quarta unius leucæ parte, qui vulgo dicitur* le Villars, *aut etiam* Villare. *Nullum superest instrumentum, quo traditiones illæ confirmentur. Locus qui martyrii testis perhibetur, fornix est antiqua atque depressa, nec ullam habet definiendæ ætatis idoneam notam : nunc vero in stabulum conversa est. Haud procul ab utroque Martyrii loco, fons cernitur ; uterque mirabili præditus creditur virtute. Ita scilicet Anicio ad nos rescriptum.*

§ II. S. Theofredi Cultus. Reliquiæ ; harum translatio et præsens status. Liturgia.

Variis diebus ejus celebratur memoria.

Nomen *sancti* Theofredi : Non reperitur, *inquit Baillet* (2), in vetustioribus Martyrologiis, nec C etiam in Romano. Benedictinum ejus mentionem habet ad XIX Octobris, qui habetur ut dies ejus mortis ; Gallicanum Saussaii memoriam illius facit XVIII Novembris, non tamen quasi foret festum translationis, quæ quibusdam in Calendariis notatur ad diem XVII ejusdem mensis. *Ex quibus jam concludere licet non concordare inter se Martyrologos in assignanda festivitate. Bucelinus et Hugo Menardus hic in* Martyrologio, *ille in* Menologio *ordinis sancti Benedicti diem habent* XVIII *Novembris; quod quidem contra assertum Bailleti est. Item in Podiensi Martyrologio eodem die legitur :* In territorio Vellaico prope Aniciensem urbem in loco, qui vocatur Calmelius, passio sancti Theofredi abbatis et martyris. *Hinc universim asserit Gallia Christiana* (3) : S. Theofredus colitur die XVIII Novembris non modo apud Calmeliacum, sed etiam in tota diœcesi Aniciensi. *Ast parum sibi constat : imo aperte, quod vix credas, sibi contradicit* Gallia Christiana : *columna enim sequenti* 763ᵃ, *ubi seriem texens abbatum, vitam sancti* Theofredi *adumbrat, hæc scribit* : Colitur XIV Calendas Novembris, non solum in suo, sed etiam in vicino Casæ-Dei D monasterio. Ejusdem translatio celebranda XV Cal. Decembris in Calendario monasterii indicitur. *Incredibilis utique hæc hallucinatio est.*

Apud plerosque tamen XIX Octobris.

29 *Cæterum longe plures stant pro die* XIX *Octobris, quatenus hic sit dies obitus ac principalis memoriæ. Atque imprimis Mabillonius in* Annalibus (4) *ad an.* 732, *ubi agens de martyrio S.* Theofredi : Qui, *inquit*, non solum in suo, sed etiam in vicino Casæ-Dei monasterio colitur XIV Kalendas Novembris. In Kalendario proprio Calmeliacensi notatur XV Kalendas Decembris : *Translatio sancti* Theofredi *abbatis. Ex quibus apparet verba, cum fere eadem sint, supra a nobis ex Gallia Christiana relata a Mabillonio mutuata fuisse. Hic præterea ibidem addit S.* Theofredum expirasse XIV Kalendas Novembris. *Eodem die in Martyrologio Ebroicensi hæc legitur Annuntiatio :* In Vellavo sancti Theofredi abbatis, qui a Barbaris, incursione facta, male tractatus et ab eorum falso sacerdote graviter vulneratus, post sex dies martyr occubuit, et multis clarus miraculis oppido et monasterio deinceps nomen fecit. *Item in Actis Sanctorum ordinis S. Benedicti eumdem illum diem* XIX *Octobris seu* XIV *Kalendas Novembris assignat Mabillonius* (5). E *Consonant Baillet, Longuevallius noster, Castellanus, D. Vaissette qui in sua* Generali Histor. Occitaniæ (6) *eum* expirasse *dicit* XIX *Octobris. Sic etiam in* Calendario ecclesiastico omnium Sanctorum qui sub regula S. Benedicti vixerunt *idem assignatur dies. Opus hoc, germanice conscriptum a monacho cœnobii sanctæ Crucis in insula Danubii* (Donauwerd), *in lucem apparuit anno* 1786. *Atque ex his satis videbitur quare acta sancti* Theofredi *hoc loco posuerimus.*

Cultus antiquitas.

30 *Quamvis in antiquioribus Martyrologiis ejus mentio non fiat, non tamen dubitandum est de cultus antiquitate. Hujus habemus monumentum authenticum in ipso monasterio Calmeliacensi, quod jam a sæculo nono a sancto* Theofredo *dici cœpit :* Hoc cœnobium, *ait Cointius* (7), est in Aquitania prima diœcesique Aniciensi. Dictum fuit primo Calminium seu Calmeliacum a conditore sancto Calminio seu Calmelio *(S. Carméry)*, qui florebat anno Christi sexcentesimo octogesimo primo. Direptum fuit a Saracenis, qui Theotfridum seu Theofredum illius loci tunc abbatem lethalibus vulneribus effecerunt anno Christi septingentesimo F tricesimo secundo. Reparatum postea fuit a Ludovico, nomenque gerere cœpit prælaudati martyris Theotfredi *(S. Chaffre). Narrat scilicet vetus auctor, qui vulgo Astronomus, licet juxta Bouquetum immerito, dicitur, in* Vita Ludovici Pii Imperatoris *hunc dum, vivente patre Carolo Magno, regnum Aquitaniæ, ad quod a nativitate sua assumptus fuerat, teneret, plurima monasteria versus annum* 812 in sua ditione reparasse, imo a fundamentis ædificasse, *quorum subjicit catalogum, in quo nominatur et* monosterium et S. Theotfredi.

Jam inde a sæculo nono,

31 *Quamvis in laudata Ludovici vita id non exprimatur, non tamen absque ratione affirmat Cointius monasterium Calmeliacense post dictam restaurationem a S.* Theofredo *appellatum fuisse. Argumento sunt chartæ plurimæ in quibus hæc vel similia perpetuo quasi occurrunt :* Monasterium S. Theofredi, *vel* cœnobium, cui vocabulum est Calmilius, situm in pago Vellaico, in honore sancti Theofredi constructum. *Hic integre subjicimus chartam Pipini junioris seu secundi; tum quia rem nostram confirmat, ostendendo cultus antiquitatem,*

(1) Annales ecclesiastici Francorum, tom. IV, pag. 30 et seq. — (2) Vies des Saints. XIX Octobre. — (3) T. II, col. 762. — (4) Ad an. 732. n. X, t. II, p. 84. — (5) Sæcul. III, part. I, p. 485. — (6) T. I, p. 395. — (7) Annales Ecclesiastici Francorum, ad an. 812, n. XIII, t. VII. p. 202.

A *tum etiam quia præcipua quædam ad monasterium Calmeliacum pertinentia continet. Præfert hæc charta annum Pipini II octavum et indictionem item octavam, qui Christi annus est* 845. *Porro Pipinus rex Aquitaniæ proclamatus fuit anno* 839, *regnavitque usque ad annum* 848, *quo spoliatus a Carolo Calvo fuit. Postea pluries amissum tentavit recuperare regnum. Anno tandem* 865 *carcere inclusus est, ubi paulo post obiit* (1).

ut constat ex Charta Pippini regis Aquitaniæ;

32 *Ejus vero charta hujusmodi est :* Pippinus, opitulante Divinæ Majestatis gratia, rex Aquitanorum. Si erga loca divinis cultibus mancipata, beneficia oportuna largimur, propter amorem vitæ eorum, qui sibi famulantur in eisdem locis, præmium nobis apud divinam clementiam æternæ remunerationis rependi confidimus. Noverit interea sagacitas prudentiæ omnium fidelium nostrorum, quia veniens vir venerabilis Galterius abbas, ex cœnobio, quod dicitur Calmilius, et est situm in pago Vellaico, constructum in honore beati Petri principis Apostolorum et sancti Theofredi, ubi ipse corpore quiescit, obtulit obtutibus nostris auctoritatem conscriptam, in qua erat insertum quod ipsum locum Berengarius comes, domno Ludo- B vico, piissimo Cæsari Augusto avo nostro ad habendum in proprium obtulerit, et ipse postmodum pius Cæsar, ob perpetuæ vitæ meritum, monachis in eodem loco degentibus et venerabili Bodoni, hujus scilicet Galterii antecessori, eorumque successoribus, ad gubernandum atque perenne regulariter vivendum jure proprio tradidit et consignavit. Obtulit etiam reverendi patroni nostri Caroli *(scilicet Calvi)* regis invictissimi autoritatem, nostri videlicet avunculi, qualiter ipsum locum sanctum regaliter, veluti pater illius domnus Ludovicus imperator, sicut dictum est, olim fecerat, sua defensione atque mundiburdo *(patrocinio)* recepit immunitatisque tuitione.

in qua confirmantur præcedentium regum dona

33 Ideoque pro studio firmitatis præfatus abbas Galterius deprecatus est, ut prædictum monasterium cum omnibus ad eum moderno tempore jure pertinentibus, sicut alii reges egerunt, ita et nos eorum sequentes memoriam, sub nostra reciperemus defensione atque immunitatis tuitione. Cujus precibus libenter acquievimus, eique quod petebat, concessimus; atque per hoc præceptum confirmavimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, nec quislibet ex judicia- C ria potestate, aut ullus ex fidelibus nostris, in ecclesia aut locis vel agris, seu quibuslibet possessionibus, quas nunc juste et legaliter infra ditionem regni nostri possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius monasterii divina pietas concesserit augeri; ad causas audiendas vel freda *(mulctas)* exigenda, sive paratas faciendas, aut homines tam ingenuos quam servos, super terram prædicti monasterii commanentes distringendos, aut ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, contra præceptionem nostram facere audeat, vel ea quæ super memorata sunt, penitus exigere præsumat. Quidquid etiam de præfatis rebus monasterii jus fisci exigere poterat, pro æterna remuneratione eidem concedimus monasterio; et omni tempore in alimonia pauperum, stipendia monachorum ibidem Domino famulantium proficiat in augmentum.

et nova adduntur

34 Concedimus hoc etiam, quo magis locus ipse publicetur cunctisque crescat in augmentum. Et sicut in aliis locis ejusdem regionis aggregantur aguntur que mercata, sic et in jam dicto loco juxta ecclesiam sancti Joannis, præsentibus et futuris temporibus quinta feria mercatum agatur; nec ab ullo comite vel misso comitis ab ipso aliquid exigatur; nec quislibet homo in eodem mercato ab illis distringatur; sed quidquid fiscus noster vel comes habere poterat, pro æterna remuneratione, totum eidem ecclesiæ concedimus. Quod si quislibet reus in eodem mercato repertus fuerit, a nemine distringatur, nisi Prior quicumque fuerit in eodem loco licentiam dederit, vel certe criminosi ex ipso mercato foras fuerit expulsio. Quando vero præfatus abbas Galterius ex hac vita migraverit, si tales inter se invenerint qui eos juxta regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant eligendi abbates; quatenus monachos ibi degentes pro nobis, nostrorumque salute, id est, pro stabilitate regni nobis a Deo concessi, ejus misericordiam jugiter exorare delectet. Ut autem hæc nostra semper auctoritas maneat inconvulsa, monogramma nostrum inserere curavimus, ac de annuli nostri impressione insigniri subter jussimus. Signum Pipini præcellentissimi regis, anno regnante octavo, indictione VIII. E

Aliæ multæ similes habentur chartæ

35 *Ex hac charta constat, jam a remotissimis temporibus monasterium Calmeliacense præclaris donatum privilegiis fuisse, quæ deinceps confirmata et ampliata leguntur in aliis chartis, quas in extenso videre est apud collectores Galliæ Christianæ* (2), *et D. Vaissette in* Probationibus *ad hist. Occitaniæ* (3). *Speciatim in Bulla quadam Adriani Papæ IV data Bertrando abbati Calmeliacensi* XX, *recensentur saltem* 230 *ecclesiæ* S. Teofredi, *monasterio subjectæ* (4). *Bullam hanc dedit Adrianus decimoquinto Calend. Maii, anno sui pontificatus primo, id est anno Christi* 1155. Hadrianus IV, natione Anglicus... creatus Romæ Nonis (v) Decembris 1154. Vixit annos 4, mensis 8, dies 28 (5). *Præfatæ Bullæ reperitur fragmentum inter Probationes hist. Occitan.* (6).

Reliquiæ, ab initio ubi.

36 *Ex his iisdem chartis discimus pariter quid actum de Reliquiis sancti Martyris sit.* Cænobium, quod dicitur Calmilius, constructum in honore beati Petri, principis Apostolorum et sancti Theofredi, ubi ipse corpore quiescit. *Quæ verba cum descripta sint ex supralaudato Pepini Junioris instrumento anni* 845, *legitime concludi posse videtur corpus ab initio honorifice in eodem monasterio, licet forte non in eodem prorsus loco, repositum et asservatum.*

Earum translatio.

37 *Facta deinde translatio est, de qua apud Mabillonium in Annal. ad an.* 981 (7). Præfuit, *inquit,* ad hoc usque tempus Calmeliensi sancti Theotfredi apud Vellavos monasterio Wlfaldus seu Golfaldus abbas, qui templum operis eximii eo in loco, ubi sancti Martini oratorium erat, extruxit, et in illud corpora sanctorum Theotfredi et Eudonis abbatum transtulit ex basilica sancti Petri, quæ deinceps negligi cœpit. Postmodum Wlfaldus promotus est ad episcopatum Diensem, sic tamen ut abbatis nomen retineret, commisso abbatiæ regimine Armanno, qui ex decano abbas factus est, extremis Lotharii annis. *Non determinat Mabillonius annum quo translatio hæc contigerit.*

ante an. 974.

38 *Cum tamen facta sit ante Wlfaldi episcopatum, antiquior est anno* 974, *quo ille, juxta D. Vaissette, sedem Diensem conscendit. In* Nova *quoque* Gallia Christiana (8), *ejusdem translationis mentio fit :* Vulfaldus laudatur ob extructum operis eximii templum, in quod corpora SS. Theotfredi et Eu-

(1) L'Art de vérifier les dates, p. 708.—(2) T. II. Instrumenta ecclesiæ Aniciensis, col. 221-262. — (3) T. I. ad finem, col. 73 et seqq. — (4) Gallia Christiana, t. II, col. 768.— (5) Magnum Bullarium Rom., t. I, p. 40. Edit. Luxemb. 1727. *Ubi nihil de Adriano IV, præter brevissimam notitiam.*— (6) T. II, col. 549.— (7) T. IV, lib. XLIX, n. 35, p. 4. — (8) T. II, col. 764.

D. P. donis abbatum transtulit Posteaque factus est episcopus Diensis circa annum 23 Lotharii regis. *In chartis non ab eodem die et anno initium ducitur regni Lotharii. In plerisque refertur ad* XII *Novembris* 954, *quando coronatus fuit; in aliis ad* X *Septembris ejusdem anni; aliæ, illæ præsertim quæ in Occitania datæ, initium supponunt anni* 955; *aliæ initium anni sequentis; sunt denique aliæ, paucæ tamen, quæ supponunt annum* 951, *quo, ut videtur, pater Lotharii graviter in Arvernia decumbens filium suum coronari jussit* (1). *Stando itaque communiori chronologia, annus Lotharii vigesimus tertius incidet in annum Christi* 976 *vel* 977, *quod quidem satis concordat cum chronotaxi Vaissettiana. Estiennot annum ponit* 961 (2). *Notandum præterea quod in priori Galliæ Christianæ editione nomen Wlfaldi seu Vulfaldi non occurrat in catalogo Diensium præsulum; posterior autem ejusdem Operis editio* (Nova *scilicet* Gallia Christiana *longe, ut notum est, auctior) non perducta est usque ad Viennensem metropolim, cujus suffraganea sedes Diensis erat. Quæ tamen non ideo dicta sint, quasi dubium aliquod superesset utrum Wlfaldus dictam sedem tenuerit necne. Hoc solum evincere mens nostra* B *est, ex laudato Opere nihil luminis ad propositum nostrum eruendum. Cæterum quidquid sit, ex hucusque disputatis certo efficitur, translationem, de qua agimus, contigisse ante annum* 974.

Forte versus annum 965.

39 *Ast potest et propius accedi ad tempus illius translationis. Mabillonius in* Annalibus *ad an.* 951, *scribit :* Dalmatio non multo post suffectus est Wlfaldus abbas (3). *Et infra ad annum* 956 (4) : Jam hoc tempore Calmeliensi sancti Theotfredi monasterio præerat Wlfaldus abbas, Dalmatii successor. *Huc autem præcipue facit charta, quæ reperitur apud D. Vaissette* (5), *estque sequentis tenoris :* Sacro-sanctæ Dei ecclesiæ Calmiliacensis monasterii, quæ est constructa in pago Velavense, in vico Amnoricense *(sic)* quæ est consecrata in honorem sancti Petri et sancti Martini, ubi Sanctus Theotfredus martyr humatus, et sanctus Eudo, et sanctus Fortunatus et duo Innocentes ibi in corpore requiescunt, ubi domnus Wlfaldus abbas super ipsam congregationem Deo famulantes præesse videtur. Ob hoc ego in Dei nomine Guillelmus et frater meus Armandus cogitamus de Dei misericordia vel de æterna Christi retributione...; propterea cedimus vel donamus ad supradictæ jam C casæ Dei aliquid de rebus nostris *etc. Charta hæc data est anno Christi* 959. *Cum ergo, teste Mabillonio, cujus verba superius jam recitavimus, Wlfaldus in templum a se exstructum* corpora sanctorum Theotfredi et Eudonis abbatum transtulit ex basilica sancti Petri, quæ deinceps negligi cœpit, *ex ipso laudatæ chartæ initio apparet hujusmodi translationem non fuisse factam nisi post annum* 959, *modo tamen hic vere sit annus chartæ Lotharianæ ; cujus rei vadem non habemus præter D. Vaissettum* qui ponit versus annum 959. *Nam charta ipsa hoc loco mutila est. Ita scilicet notatur :* facta carta ista eleemosynaria feria V, mense Januario anno DCCCC... regnante Lothario rege. *Admissa itaque data Vaissetti, cum aliunde satis probabile sit aliquot annos intercessisse donec novum illud templum ædificatum et præparatum esset, translatio haud absurde referri posset præter propter ad annum* 965. *Atque hæc procul dubio translatio est, quæ in Calendario Calmeliacensi,* XV *Kal. Decembris celebranda indicitur. Universim ubicumque dicto die agitur memoria sancti* Theofredi, *hanc de translatione interpretandam censemus; ita ut* XIX *Octobris celebretur festum* D *principale; quocirca etiam hoc die ejus acta damus.*

Præsens Reliquiarum status.

40 *Ad præsentem Reliquiarum statum quod attinet, sufficiet hic adscribere authenticum testimonium quod, latine exaratum Anicio nobis submisit R. P. de Prunières S. J., die* XXVI *Junii, currentis anni* 1848, *estque hujusmodi :* Corpora Sanctorum Eudonis et Theofredi, in tumulo marmoreo post altare princeps ecclesiæ abbatiæ monasterii, tunc principi Apostolorum dicatæ, servata sunt usque ad gallicam perturbationem; tum Sanctorum ossa ex impiorum manibus a piis fidelibus erepta et clanculum servata, tandem rursus devotioni fidelium exposita sunt : nunc quidem ab anno 1822, in sacello ad sinistram partem prædictæ ecclesiæ, sed jam S. Fortunato martyri Valentinensi dicatæ *(olim ille Sanctus, patronus erat antiquæ parœciæ, nunc eversæ)*, cujus sacelli altera a *(ex)* marmoribus prisci monumenti extructum est. Sanctæ Reliquiæ in armario, post altare sito, jacent in quinque thecis ligneis quadratæ formæ : duæ, sancti Theofredi martyris, altera, Caput; altera unam ex Omoplatis cum parte superiore cruris et fragmento costæ custodiunt; in tertia vero theca caput asservatur sancti Eudonis, quæ *(quid?)* ut minor mole E ac caput S. Theofredi agnoscitur : in istis tribus thecis, sacræ Reliquiæ, vitreo tegmine ex una parte copertæ, oculis patent : in duabus autem aliis nullo modo cernuntur. Thecæ omnes sigillo venerabilis episcopi Aniciensis munitæ ab anno 1822, rei gestæ authentica instrumenta intro custodiunt.

In fide quorum his præsentibus subscripsimus.

Monasterii die Junii 14ª, 1848.

Massardier
pctus

Et infra leguntur sequentia

Vidimus et authenticam recognovimus signaturam hic appositam a Dº Massardier, ecclesiæ vulgo dictæ *Le Monastier* parocho.

Anicii *vulgo* Le Puy, 24 Junii 1848.

Alirol

L. Sigilli episcopatus. Can. secr. Gen.

Quædam notanda in præfatum testimonium.

41 *Monet autem laudatus P. de Prunières, se non inquisivisse quinam essent illi, qui sanctas Reliquias* eripuerunt *et* clanculum servarunt. *Ast cum anno* 1822 *recognitæ ab episcopo Aniciensi fuerint, nullum esse potest dubium quin illa omnia præstita sint, quæ ad illarum certo stabiliendam authentiam* F *requirerentur. Præterea notandum est verba præfati testimonii, quibus asseritur ecclesia abbatiæ Calmeliacensis sancto Petro dicata, intelligi hoc sensu oportere, quod scilicet ab initio id obtinuerit, nec tamen ad ultima usque tempora perseverarit. Vidimus enim supra illam ipsam ecclesiam abbatiæ, in qua reliquiæ sancti* Theofredi *asservabantur sub ejusdem invocatione primarie consecratam fuisse. Insuper cum ex quinque thecis, in quibus Sanctorum reliquiæ contineri dicuntur, duæ sint quæ ab extrinseco introspici nequeant, nec in supradicto testimonio explicet R. D. Massadier qualis formæ seu nominis sint sacræ exuviæ in illis reconditæ, pronum est judicare, dum anno* 1822 *sacrum illud depositum examinaretur, non constitisse satis de illarum omnimoda authentia, ac propterea sepositas fuisse in thecis separatis, iisque undequaque clausis. Cæterum lux quærenda esset ex instrumentis, quæ procul dubio confecta fuerint, antequam Ill. DD. episcopus reliquias publicæ venerationi restitui permitteret.*

Officium S. Theofredi ex antiquo Breviario Ms.

42 *Exstat in Musæo ecclesiæ cathedralis Aniciensis*

(1) L'Art de vérifier les dates, p. 542. — (2) Ita Gallia Christiana. Ibid. *Ad marginem*.— (3) Annal. Bened., t. III, lib. XLV, n. 1, p. 475. —(4) Ibid., n. CIII, p. 497.— (5) Histoire générale de Languedoc, t. II, col. 101, *in Probationibus*.

A *ciensis Breviarium Ms., seu Sanctorale, quod tamen incompletum videtur. Ab initio ponuntur aliquot officia, videlicet defunctorum, B. Mariæ Virginis etc. Post hæc sequens legitur titulus :* Incipit sanctorale secundum usum Anicii. *Ibi occurrunt non solum legendæ, sed et hymni et prolixa responsoria historica, præsertim de Sanctis regionis illius, præcipue mense Novembri. Ætas præfati Breviarii partim desumi potest ex officiis S. Francisci, S. Dominici, Præsentationis B. Mariæ Virginis, B. Mariæ ad Nives. Habentur quoque officia S. Timothei et S. Silæ, qui Apostolorum nomine veniunt. Insuper notula, ad finem officii S. Catharinæ posita, indicat officium SS. Trinitatis recitari ultima adventus Dominica. Quod ad characterum formam spectant, litterarum majuscularum ornatus satis absoni, imo et ridiculi sæculum* xv, *sapiunt. Sunt tamen qui paulo altius ascendendum putent. Quidquid de eo sit : in Breviario isto habetur S.*Theofredi *officium constans collecta et lectionibus novem; quæ quidem lectiones ad verbum haustæ sunt ex Elogio, quod reperitur apud Labbeum* (1), *de quo inferius dicemus n.* 57. *Sufficiat hic monuisse Elogium Labbeanum novem quoque numeris distingui,*
B *sed duplo saltem longius esse; unde et lectiones, quas subjicimus, vix mediam illius partem capiunt. Præterea si* Theofredi *exceperis nomen, vix et ne vix quidem aliquid reperias, quod ad nostrum S. Martyrem spectet. Nihilominus, cum breve admodum sit, officium illud adscribendum hoc loco duximus.*

OFFICIUM S. THEOFREDI, ABB. ET MART.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus cui cuncta famulantur elementa, intercedente pro nobis B. Theof. mart. tuo, exaudi propicius orationes nostras et tribue nobis misericordiam tuam, ut quæcumque præcipis ut agamus, ipse adjuvet ut implere possumus *(sic)*. Per etc.

Lectiones. 1 Igitur beatus Theofredus — hujus * parentes adhuc gentiles errorem credentes — audiens Christianos Dominum Jhesum Christum fateri seseque de paganorum insidiis superstitiones desiderans liberare,

* *Labbeus,* habens.

Mat. XIX, XXIX. 2 Evangelicum sequens præceptum ubi dicitur : qui relinquerit patrem aut matrem aut filios aut sorores propter me, aut agros, centuplum recipiet et
C vitam æternam possidebit;

3 Patria parentibusque relictis, omnes possessiones suas parentibus tradidit, Christum Dominum sequi jugiter concupiscens.

4 Itaque ab urbe provinciæ regressum * videlicet civitatis disgressus, via accepta ad comutatum Vallavensem usque pervenit in vicum qui vocatur Soleniacus *. Tu autem.

* *videtur legendum* tregressum.

* Solignac.

5 Ibique sanctum Laurentium reperit presbyterum virum doctum et religiosum cujus amicitiæ se jungens et quasi familiarius se obsequium præbens apud illum tranquillam duxit.

6 Erat autem eo tempore quidam e vicino locus Vallavensem comutatum quem vulga *(sic)* lingua rusticus Calmilium vocat.

7 Erat etiam juxta illum locum rivulus qui dicitur Coleria, longius vero fluvius qui vocatur Liger in quo loco simulacrum quoddam colebatur, quod rusticorum multitudo rito prophano consecrat.

8 Audiens hæc beatus Theofridus Laurentium presbyterum ut ad locum accederent fanumque destruerent, ut populum de perfidia gentilitatis eriperent, ut impulsu dæmonum liberarent, orabat.

9 Cujus verbis Laurentius acquiescens mox iter arripuit, cum autem ad locum quo tendebant pervenissent, plurimam catervam populi ibi sacrificare diis reperierunt.

43 *In alio codice Ms. cujus nos origo et ætas latet, habetur Prosa seu Sequentia de S.* Theofredo, *quam hic prætermisisse nefas foret : ob nativam enim suam simplicitatem, imo et elegantiam haud vulgarem, eruditum procul dubio delectabit lectorem.*

SEQUENTIA IN HONOREM S. M. THEOFREDI.

Digna dies, digna laude
Læta currat : læto corde
Cantemus melodia

Theofredus princeps natus
Obliviscens principatus
Se Deo dat hostia.

Verbo et exemplo
Rure docet et in templo
Et res mirandæ patent

Mersi portum, cæci visum,
Surdi sonum, claudi gressum, E
Functi vitam obtinent.

Christum sonans ibat fervens;
Fustes, flagra parvipendens
Ut finiret pravitas.

Gentes credunt, error cedit,
Fides crescit : sic virescit
Theofredi sanctitas.

Flumen calcat instar Mosis
Sicco pede; tunc in aquis
Hostis mersus vincitur.

Morbi, pestes, simulacra
Divum cessant et delubra :
Victor Christus colitur.

Fuge pater, instat hostis
Ecce vitam tollit hostis
Ne nos linquas orphanos.

Theofredus fit securus;
Natos monet moriturus,
Ut se servent integros,

Surgit, orat et auditur;
Gregi salus conceditur,
Bonus pastor noscitur.

Cedunt oves patris jussu;
In vicino latent saltu;
Pastor solus ponitur.

Adsunt hostes, qui momento
Sanctum necent, nisi summo
Contradicat Numini.

Morte diris nec tormentis,
Nec minis nec blandimentis,
Hic pepercit sanguini,

Sed proh! furor dumptat ovem;
Per immanes lupos orans
Saxis agnus cæditur.

Horret cœlum, horret * terra,
Ingemiscit et natura
Dum cædes committitur.

* fremit, *alia manu.*

Cœlum petit mens beata
Martyrio laureata,
Et virtute nobilis.

Felix

(1) Nova Bibliotheca, t. II, p. 684 et 685.

P. B.

Felix templum, felix locus,
In quo jacet sacrum corpus
Hujus sancti Martyris.

Solvat per te clemens Deus
Supplicantes hujus cœtus
Peccatorum vincula.

Protomartyr Velaunorum,
Et exemplar monachorum,
Fac fruamur gloria. Amen.

Lectiones ex Proprio Aniciensi.

44 *In* Proprio Aniciensi, *quod anno* 1624 *ad formam Breviarii Romani redigi curavit RR. DD. Justus de Serres, illius ecclesiæ Præsul, ab an.* 1622 *ad an.* 1641, *festum S.* Theofredi *celebratur die* XVIII *Novembris. Pro secundo nocturno ponuntur Lectiones, desumptæ, ut ibidem notatur*, ex Ms. codice et Brev. Aniciensi.

Lectio quarta. Sanctus martyr Theofredus, Leofredo Arausicano principe, et Leotilde conjuge natus, ab ipsis fere cunabilis orandi fuit perstudiosus, sicut adolescentulus mundo nuntium remittendi percupidus exstitit. Ad id ei stimulos addebat Eudo avunculus, Lerinensis monachus,
B postmodum Calmeliensis cœnobiarcha primus. Quare lugentibus amicis et parentibus sæculo valedicit et ab urbe provinciæ Tregressim digressus, ad comitatum Vallavensem pervenit, in vicum (cui nomen Soliniacum) ibique Laurentium, æque virtute ac doctrina apprime excultum comperit; a quo benigne ac liberaliter hospicio acceptus est; deinde Calmelium (quod nunc vulgo Monasterium nuncupatur) et ad Eudonem abbatem et avunculum profectus, monachum egit. Cum autem omni virtutum genere fulgeret, Eudo sollicitudinis suæ partem in Theofredum rejecit; ei quippe externa dedit, sibi autem domestica negotia procuranda servavit. Quæ tamen omnia postmodum obiturus Eudo, lubentibus cænobitis omnibus, Theofredo gerenda tradidit et in Abbatem renuntiavit. Obiit autem Eudo primus Calmeliensis abbas sanctitate clarus, Calmeliique ut Sanctus colitur. *(Ex his sequeretur, saltem si verba obvio sensu sumantur*, Theofredum, *ante mortem Eudonis, renuntiatum abbatem fuisse. Quod quidem satis etiam concordat cum Actis.)*

Lectio quinta. Theofredus ubi cœnobiarchæ partes obivit, procurandæ primum rei divinæ,
C ornando templo, mulieribus aditu cœnobii interdicendis, et monasticæ disciplinæ incubuit. Ea tempestate, superatis Pyrenæorum jugis, populabunda in Gallias Sarracenorum manus ingens sese effuderat, cæde, ferro, flammis omnia devastans, donec a Carolo Martello principe invictissimo, trecentis septuaginta quinque millibus ad Turones occisis, Hispaniam repetere sunt coacti. Illi cum antea ad Velaunos usque excurrissent, ac de eorum adventu cædibus ac rapinis, deque ipsius martyrio allapsus superne spiritus Theofredum certiorem fecisset, suis edixerat ad sylvas et antra se reciperent : suarum enim esse partium, cum pastor sit, lupos exspectare et ab ovibus ipsos arcere. *(Hæc apprime quadrant anno* 732, *quo, juxta dicta, probabilius contigit sancti* Theofredi *martyrium.)*

Lectio sexta. Vix e cœnobio cœnobitæ pedem extulerant, cum ecce populabundi in cellas Calmelienses irruunt Sarraceni; Theofredum pro foribus sacelli beato Petro sacri orantem offendunt; in hominem impetum faciunt; cædunt virgis, rogant, urgent ubinam tot cellularum hospites hospitentur; mortem ipsi, tectis flammas comminantur, nisi quam primum omnia revelet. Negat Theofredus se revelare posse. Quare rursum verberibus gravius excipitur, ac semianimis a barbaris relinquitur. Ad nefaria sacra profectis, surgit tamen Theofredus, barbaros subsequitur, in eorum profanos ritus invehitur; unde amens iracundia sacrificulus, ingenti misso lapide, Theofredum ferit, et ad solum seminecem affligit. Terræ motu tunc late contremuit tellus; diffugiunt impii; fugientes fulgura adoriuntur; ad extremum valde saucius, inter discipulorum manus, septimo post die Theofredus diem clausit extremum. D

Item Lectio ex Breviario Aniciensi an. 1784.

45 *Tandem in recentiori Breviario Aniciensi, Parisiis edito an.* 1784, *ad diem rursus* XVIII *Novembris notatur :* In festo sancti Theofredi, abbatis et martyris. Duplex minus. De Comm. unius martyris. *Sequitur dein.*

Lectio II. Theofredus Arausicæ natus, a Leufredo patre, qui provinciæ præfecturam gerebat, optime educatus, egregia adhuc puer pietatis specimina præbuit. Jam totus rerum cœlestium contemplationi deditus caducas mundi delicias propter Christum calcare decrevit. Ægre admodum consentiente patre, adhæsit Eudoni patruo suo, Calmeliacensis monasterii primo abbati. Sub ejus E
regimine monasticam vitam amplexus, ita virtutum omnium laude floruit, ut ab Eudone morti proximo, maximo monachorum plausu, monasterio præfectus fuerit. Eo in munere optimi postoris partes omnes implevit. Mulieres aditu Basilicæ interdixit, nihilque neglexit, ut sua regulari disciplinæ servaretur integritas. Cum Saraceni ferro et flamma cuncta devastantes, Velauniam occupassent, suis omnibus ut in vicinam sylvam se reciperent imperavit, ipse furentium hostium impetum solus intrepide expectans. Quem præ foribus ecclesiæ prostratum cum invenissent, verberibus graviter cæsum semianimem reliquerunt, interim ad nefanda sacrificia properantes. Theofredus vero animos et vires colligens ipsos insequitur, ritus sacrilegos vehementer increpans. Ejus objurgationibus in rabiem versi, in sanctum Abbatem irruunt, lethalibusqne sauciant vulneribus, quibus confectus, paucis post diebus, inter discipulorum manus animam Deo reddidit. Sepultus est in monasterio suo, quod ab ipso nomen accepit. *Atque hæc quidem* Lectio *in paucis eleganter terseque scripta est. Post hanc sequitur* Lectio III *de sancto Odone abbate Cluniacensi.* F

§ III. Notitia monasterii Calmeliacensis seu S. Theofredi. Varia hujus Acta.

Notitia Monasterii S. Theofredi.

Cum pluries in Commentario nostro actum de rebus, ad monasterium sancti Theofredi *spectantibus, sit; hic, quasi per modum appendicis, illius situm, originem et progressus variasque vicissitudines breviter comprehendisse juverit.*

Situs.

47 *Calmeliacum seu sancti Theofredi insigne et vetus Ordinis sancti Benedicti monasterium est (vulgo Monastier-St-Chaffre) ad Ansam seu Colansam amnem, qui in Ligerim influit, in pago, vernacule nuncupato* Colanse, *una leuca dissito a celebri hac abbatia. Positum est in diœcesi Aniciensi (le Puy) apud Velaunos, ad radices montis Mesentii, ex quo Ligeris fluvius oritur, distatque tribus leucis ab urbe Anicio. Fundatum fuit in honorem Principis Apostolorum a Calminio Arvernorum*

A *norum duce, unde diversimodo appellatur : nempe* Calminium *vocant auctores utr usque Calminii vitæ, Bernardus Guidonis et Savaro ; alii* Calmelium *dicunt, uti fragmentum vitæ B.* Theofredi *in vita sancti Eudonis : alii denique Calmiacum et Calmeliacense monasterium. Quo quidem nomine* appellatum nonnullis creditur a Calmelio conditore, aliis a Calmilio, vico ejus loci, *inquit Mabillonius* (1).

Origo tenebris involuta.

48 *Notat, et recte quidem, D. Vaissette* (2), *antiqua monumenta, quæ de origine illius monasterii agunt, tot tantisque fabulis et anachronismis referta esse, ut vix aliquid certi ex illis erui possit. In vita sancti Calminii seu Calmelii, ex veteri codice Mosiacensi* (3), *hæc habemus :* Cum in ducatus officio vir insignis Calminius honeste se ageret, et, pauperibus erogans quod suum erat, misericorditer se haberet, subiit divina cogitatio mentem ejus, ut thesauri sui residuum liberaliter expenderet in opere Dei : disposuit secum in animo, ut ecclesias dedicandas suo sumptu construeret, ubi Deo servientibus quotidiani victus stipendia ex propriis redditibus ministraret. Animatus divino spiritu Calminius, in episcopatu Aniciensi locum, qui dicitur S. Theophredi ædificavit a fundo, et effectu
B operis mirabiliter consummans, quem locum rebus et redditibus vir Domino devotus adornans, ecclesiam illam et habitationem ejus sufficientibus eorum victui stipendiis cumulavit ; instauravit locum, redditus ampliavit, et ornamenta monasterio congrua vera liberalitate dilargiens, supradictum locum consummatum reddidit et perfectum. Ut autem hic locus operis sui memoriam et vocabuli quoque consortium obtineret, monasterium illud Calminiacum vocavit, ut quod fundaverat sua industria et suo labore perfecerat, sui nominis memoriale posteritati sequentium offerret. *In his quidem nec anachronismi, nec aperte continentur fabulosa ; ast nec aliud in illis vix reperias præter meram verborum plurimorum farraginem.*

Quæ de fundatione verosimiliora sint.

49 *Quæ verosimiliora de hac fundatione habentur, ita exhibet laudatus D. Vaissette loc. cit. Calmilius claris inter Arvernos ortus natalibus, atque senatorii ordinis, non minus pietate quam genere conspicuus, Arverniam, sub titulo ducis, regebat. Versus annum* 680 *(concordant Mabillonius et Cointius) ecclesiam ædificavit in honorem divi Petri, in prædio, quod possidebat inter Velaunos, dicto Villarium* (Villar), *ubi ut plurimum morabatur. Juxta*
C *dictam ecclesiam deinde erigi curavit cœnobium, quod et justis dotavit redditibus, atque Romam profectus est, ut illud sub sancti Petri collocaret patrocinio. Redux in patriam, Lirinense adit monasterium, rogavitque abbatem aliquos ex suo cœtu viros, qui recens conditum asceterium incolerent. Hic postulatis Calmelii satisfaciens, inter alios designavit Eudonem, ipsumque cæteris, quos simul mittebat, præfecit. Eudonis demortui locum et dignitatem unanimi omnium consensu, susce, it* Theofredus.

Monasterii progressus et vicissitudines.

50 *Cum versus annum* 732, *direptum a Saracenis monasterium fuisset, illud instauravit Ludovicus Pius ; ex quo tempore appellari cœpit a sancto* Theofredo ; *quæ deinceps denominatio adeo invaluit, ut jam non aliter diceretur vernacule quam* Monastier-St-Chaffre *(monasterium S.* Theofredi). *Pluribus, temporis decursu, ditatum fuit donis et privilegiis, ut patet ex chartis bene multis, quæ apud collectores rerum Gallicarum passim reperiuntur. In bulla Adriani Papæ IV (qui sedit ab anno* 1154 *ad annum* 1159) *data Bertrando abbati, recensentur plures quam* 230 *ecclesiæ sancti* Theofredi *monasterio subjectæ. Hinc in* secundo Elogio *seu passione S.* Theofredi *apud Labbeum* (4) *legitur :*

B. D.

Fama monasterii quaquaversum diffunditur,

51 Post obitum sanctissimi Martyris miraculis celebris, pro diversorum temporum seu varietate seu iniquitate status monasterii agitatur. Mirum tamen est, quanta religione et abbates et monachi successores in regimine monasterii pie, laudabiliterque vixerint, quorum religionis et devotionis fragrantia et omnia circumquaque loca exterasque provincias penetravit. Nam non in Vivarienses *(Velaunos)* solum, sed apud Gabalitanos, Arvernos, Ruthenos, et apud Delphinatos, Viennensesque et Allobroges, transito Rhodano ; ac insuper apud Lombardiam, pluresque alias gentes plurimas obtinent ecclesias, et nobilissima illis traduntur loca, fundantur cœnobia, regimini abbatum et aliorum monachorum prædicti cœnobii in perpetuum subjicienda. Hinc fit quod multis privilegiis monasterium decoratur regiis et apostolicis, juxta privilegia a Calmelo duce jam pridem obtenta. A jure siquidem et subjectione ordinariorum, episcoporum et metropolitanorum eximitur, ac immediate sanctæ Sedi Apostolicæ subjicitur, in signumque prædictæ immediatæ subjectionis quotannis quinque solidos monetæ currentis in patria (sunt enim E
Paschalis pontificis verba in Bulla ; *probabiliter Paschalis II, qui electus* XIII *Augusti anni* 1099 *obiit mense Januario anni* 1118) ecclesiæ Lateranensi solvere adstringitur. Quæ privilegia ante annum millesimum obtenta a plurimis pontificibus confirmantur. Similiter a regibus Francicis plurimis immunitatibus donantur, et regiæ majestati in temporalibus tantum prædictum monasterium cum suis limitibus subditur, ut in rescriptis privilegiorum a Carolo Magno, Ludovico Pio, et Pippino Aquitanorum principe emanatis videre licet.

ut elucet ex Elogio S. Theofredi.

52 *Quamvis, ut mox dicemus, hæc scripta s nt a viro quem Labbeus* declamatorem *vocat, cujusque eruditio non semel deficit ; cum tamen tradat hic ea, quæ ipse oculis fere usurpabat ; non est quod ejus hac in parte testimonium rejiciamus, in quantum respicit statum monasterii ineunte sæculo duodecimo. Quæ autem spectant ad* Chartas Caroli Magni ; *cum illæ intercederint (nuspiam saltem eas nos vidimus) poterit auctoris hac in re fides in dubium vocari. De multitudine ecclesiarum monasterio sancti* Theofredi *subjectarum firmatur testimonium ex bulla Paschalis, cujus mentionem jam fecimus : an vero* F
ecclesiæ illæ in tam diversis locis atque adeo dissitis regionibus positæ essent, ut in recitatis verbis asseritur, in medio relinquimus. Ast hoc generatim constat, sæculo duodecimo ineunte, quo (confer n. 58) *præfatus auctor scripsit, monasterium sancti* Theofredi *maxime floruisse. Recte proinde edicit D. Vaissette* (5) : Abbatia hæc inter cæteras perpetuo spectanda fuit, atque hodiedum *(anno* 1730) substitit sub regula sancti Benedicti.

Præsens status monasterii. Ad finem sæc. XVIII *monachi dispersi.*

53 *Atque res eodem in statu permanserunt usque ad finem sæculi ejusdem* XVIII. *Nam versus annum* 1785, *monachi, qui supererant numero quindecim atque regularis disciplinæ satis studiosi, cum præviderent turbinem jam proxime toti Galliæ imminentem, suam, ut aiunt, petierunt sæcularisationem ; qua obtenta, rebusque monasterii inter se distributis, dispersi sunt. Haud diu post irruit gens impia, quæ sicut alibi, ita et hic sacrilegam exercuit barbariem. Non tamen ad destructionem usque itum est. Hodie adhuc superest ecclesia simul cum præcipuis ædificiis. Olim haud procul a monasterio exstabat eccle-*

(1) Annales Benedict., lib. XVII, n. XVI. p. 518. — (2) Histoire générale de Languedoc, t. I, p. 364. — (3) Acta Sanctorum, ad diem XIX Augusti. Hujus mensis, t. III, p. 760, n. 7. — (4) Nova Bibliotheca manuscript. librorum, t. II, p. 687. — (5) Hist. de Languedoc t. I, p. 365.

sia

D. B. *sia parochialis sub nomine sancti Fortunati. Hæc, dum civiles discordiæ Galliam universam susdeque verterent, solo æquata fuit. Rebus deinde pacatis, titulus parœciæ translatus ad superstitem monasterii ecclesiam est : in hac secundarie tantum colitur* Ecclesia. *S.* Theofredus : *primarius patronus est sanctus Fortunatus, sub cujus invocatione, ut diximus, antiquus titulus consecratus erat. Scribit tamen P. de Prunières, S. J. (qui in vicinio monasterii degens quæ ad ejus præsentem statum pertinent nobiscum communicavit) R. D. Parochum allaborare, ut primario loco restituatur sanctus* Theofredus. *Porro ecclesia hæc spectabilis est structuræ, ac propterea a gubernio monumentis, ut aiunt, historicis annumerata. Ædificata videtur sæculo* XI *vel* XII. *Chorus seu absis recentioris est ætatis, nec sæculo* 15to *antiquior.*

Ædificia. 54 *Juxta ecclesiam ad sinistrum latus videre est monasterium, exstructum anno* 1708, *ut constat ex instrumento in archivis asservato. Pars illa ædium non in unius sed plurium privatorum possessionem venit. Retro ecclesiam exurgit Abbatia proprie dicta, quod ædificium quadratum est spectandæ magnitudinis, versus sæculum* 15um *erectum. Hodie occupa-* B *tur a fratribus religiosis, qui pueros pagi ibidem instruunt. De Reliquiis diximus supra,* § II.

Acta ex scriptore Anonymo. 55 *Ad Acta quod attinet, primum exhibemus vitam sancti* Theofredi *a Mabillonio editam* (1), *de qua ipse scribit :* Vitam S. Theofredi seu Theotfridi abbatis varii scripserunt auctores, in quibus præferendus videtur Anonymus hic, cujus libellum ex Ms. codice Calmeliacensi nunc primum edimus. Ætatem suam utcumque indicat num. 9, ubi interdictum, quo fœminis in ecclesiam monasterii negabatur ingressus, suo tempore adhuc viguisse ait. Atqui ritus ille in paucis monasteriis perseveravit ultra sæculum X. *Unde concludendum videtur scriptorem ante sæculum undecimum floruisse. Verba, quæ hic spectantur, sunt :* Oratorium tanta honestatis cautela providebat, ut nulli liceret in eo superfluitatis operari quidpiam : fœminei vero accessus procul haberent sedem circa templi januam.

Auctor in Chronologium aperte peccat. 56 *Vita hæc conscripta stylo satis barbaro atque inflato. Auctor parum accuratus est tum in aliis tum præsertim in Chronologia. Quod quidem jam ab ipso initio elucet :* Romani, *inquit,* imperii dignitatem sublimiter disponente, regnumque Fran- C corum Theodeberti atque Theodorici, Ildeberti *(Childeberti)* regis filiorum, tyrocinio cum sævissima Brunechilde regina fortiter subjugante..... floret... dux inclytus nomine Calmilius. *Qui enim imperium Justini coincidere potest cum regno Theodeberti et Theodorici? Justinus II seu Junior, curopalates dictus, imperium adeptus est* XIV *Novembris* 565 ; *et postquam solium tenuisset annis duodecim, mensibus decem, diebus viginti duobus, obiit* V *Octobris* 578 (2). *Theodebertus vero et Theodoricus, ille annos natus decem, hic novem, mortuo patre Childeberto, regnare cœperunt anno* 596, *prior in Austrasia, posterior Aurelianis et in Burgundia. Et quidem uterque fere eodem tempore extincti sunt, annis scilicet* 612 *et* 613 (3). *Confer n.* 26. *Labitur ergo scriptor noster Anonymus, conjungendo illorum regnum cum imperio Justini; dicere debuisset Mauritium, qui rerum in Oriente potitus est ab anno* 582 *usque ad annum* 602 ; *vel Phocam, qui crudeliter enecato Mauritio, imperavit usque ad annum* 610 ; *vel tamdem Heraclium, qui, post Phocam, usque ad annum* 641 *præfuit* (4). *Alia quædam minus accurate dicta in Annotatis ad vitam castigata* D *reperies.*

57 *Duo sancti* Theofredi *Elogia habentur apud* Elogia S. Theofredi duo apud Labbeum. Prioris notitia; *Labbeum* (5) ; *in priori dicitur* Theofredus *parentes habuisse gentiles (quod prorsus repugnat iis quæ supra ex probatis maxime scriptoribus retulimus) apud* Tregressim *(forte corruptio est pro Tricassina urbe) ; inde digressus venisse* in comitatum Velaunensem in vicum, qui vocatur Sollemniacus *(alias Soleviacus, vernacule* Soulignac *duabus distans leucis ab Anicio vernacule* Le Puy), *ibique* Laurentio *presbytero adhæsisse haud procul a loco,* quem vulgus lingua rustica Calmilium vocat ; *tum ob correptos incolas, quod simulacrum adorarent, lapidibus et fustibus appetitus, demum accepto in capite vulnere vitam profudisse cum sanguine, quem sanctus Savinianus cum Laurentio presbytero collegit.* Hæc autem sub Chlotario rege gesta sunt, *atque,* tunc temporis erat quidam Ritilius nomine, natione Vellaicus inclytus princeps ipsius patriæ ; civitati *autem* Arvernensi *præerat Basilius ; qui ob assidua sancti* Theofredi *miracula, in loco sepulturæ* Basilicam parvam in honore sancti Petri fabricaverunt. *Quæ quidem omnia procul recedunt ab iis quæ de vita sancti Martyris cæteri scripserunt ; ac proinde reli-* E *quis hæc narratio postponenda est. Quinimo, si nomen* Theofredi *supprimeretur, nemo unus suspicaretur narrationem* Theofredum *nostrum respicere. Hoc elogium se* descripsisse *testatur Labbeus* ex Apographo illustrissimi ac reverendissimi Domini, D. Francisci Bosqueti episcopi Monspeliensis.

58 *Alterum elogium apud eumdem Labbeum in-* item alterius. *scribitur :* Alia passio uberior quidem, sed a recentiore declamatore conscripta mendisque infecta. *Quod ad ætatem spectat, ipse scriptor clare eam sub finem indicat :* Atque hæc sunt fere, *inquit,* quæ de monasterii sancti Theofredi vetusta origine breviter dici possunt, scilicet ab anno quingentesimo septuagesimo, usque ad millesimum centesimum, vel circa ; nimirum a Calmelo, Arvernorum duce et fundatore, usque ad Guillielmum quartum abbatem *(qui præfuit ab anno* 1087 *usque ad mensem Aprilem an.* 1108), fortiter contra episcopum Aniciensem et alios, sua in temporalibus et spiritualibus jura tenentem. *Cæterum quæ de martyrio sancti* Theofredi *in dicta* passione *leguntur, plerumque ad verbum fere consonant Actis* F *anonymi scriptoris, quæ hic ex Mabillonio recudimus. Ast verbose omnia. Nec sine ratione Labbeus* Declamatorem *vocat, quod et pari fere ratione de Anonymo affirmari posset. Operæ itaque pretium haud est sive utrumque sive alterutrum hic adscribere. Ex posteriore aliqua decerpsimus in Notitia monasterii Calmeliacensis. Cætera quæ mentione digna occurrunt, in* Annotatis *reperientur.*

(1) Acta SS. Ordinis S. Benedicti, sæcul. III. part. I, p. 476 et seqq. — (2) L'Art de vérifier les dates, p. 360. — (3) Ibid., p. 528. — (4) Ibid., p. 360. — (5) Nova Biblioth., t. II, p. 684 et seqq.

VITA

A

VITA S. THEOFREDI

ABBATIS CALMELIACENSIS ET MARTYRIS, APUD VELAUNOS IN GALLIA.

Auctore anonymo, qui ante sæculum XI vixisse videtur.

Ex Mabillonio, sæc. III, *part.* I.

Caput I. Fundatio Monasterii Calmeliacensis. Illi præficitur S. Eudo, cui succedit S. Theofredus. Hujus præclare gesta. S. Meneleus, abbas Menatensis.

B

Calmelius, dux Arvernicus *a* *b* Romani imperii dignitatem Justino *a* Cæsare sublimiter disponente, regnumque Francorum Theodeberti atque Theodorici, Ildeberti *b* regis filiorum, tirocinio cum sævissima Brunechilde regina fortiter subjugante, apud Arvernam urbem floret ac præest vir christianissimus, dux inclytus nomine Calmilius, cujus suberat ditioni Aquitaniæ pars non minima, nobiliumque innumerosa tironum clientela, oppida, rura, castella, cæterarumque rerum copiosa affluentia; cum etiam suffultus dogmate litterali, nullo carebat negotio mercuriali *c*. Quadam vero die, populari privatus contubernio, contentus singulari comite, videlicet sene sapientissimo, incolit vicum Villarem vocabulo, ubi dum plura conjecit ex hujus mundi labente curriculo, transitoria commoda pro nihilo ducit, et æthereraum sedes divino perfusus spiritu quasi spiritualiter scandit.

condit monasterium S. Petri. 2 Placet ergo prædicto principi nec procul ab eodem loco orationis domum pro ponderosi criminis levigatione ædificari, et sub honore Petri apostolorum principis dedicari, cujus cœnopegiani *d* Idus Octobris annuatim instituit iterari. Tunc circumquaque discurrens prædictus heres, ibidem inducit quos potest et dignoscit famulos, pro corporea et spiritali incolumitate supernam pietatem invocaturos: quibus indulget, ut nullo vacent mercimonio, plurimos vicos et prædia, unde ibidem commorantes corporea repellant necessaria, unusque ex eis efficitur, licet non deserat sæcularia, sed jugiter consolans eos, paterno corripit verbere, ac speculativæ suggerit affamina vitæ.

C

Roma redux, Lirinum petit, 3 His ergo rite dispositis B. Petri revisit limina gratia orationis, quo præoccupatus in itinere, exiguo consolatur fidelium aggere *e*, qui post plurima ex Fori-Juliensis *f* se testantur esse congregatione *g*. Verbis quoque non exiguis ventilantibus Lirinense monasterium interserit unus, cujus summæ religionis reverentiam docet ab ipso principe rogatus, et quemadmodum summo Deo ibidem cœnobitarum famuletur grex immensus. Quod audiens vir Dei Calmilius, in arcula mentis reponit tacitus, divinæ supplicans pietati, quod tanto sit cibo refocillatus. Itinere quoque finito, comitantibus ipsis a quibus pii solaminis verba dudum acceperat, ad famosissimum prædictumque cœnobium usque properat. Ea vero tempestate sanctæ præerat congregationi beatus Maximus *h*, cujus vita magnis floruit virtutibus, in tantum quod tria resolvit cadavera tenebrosis nexibus: et sicut scriptum habetur in eorum annalibus, Regensis etiam præfuit antistes egregius. Quo accito omnia mentis arcana Calmilius retulit, et de exigui oratorii opificio, et quia patris suffragio egeret quem proponeret pleniter dixit. *Ex Mabillonio.* *h*

Eudonem inde secum adducit. 4 Quibus cognitis, justa est, inquit beatus Maximus, petitio, fili, cui summa pietas Dei, ac reverentia tui nos sine interstitio consentire jussit. Committam ergo tibi sub providentia Altissimi expectabilem virum genere et dilectum mihi persedulum litterarum, ac meditatorem divini negotii. Quem cum tu susceperis, tota caritate circumplectere, et prædicti tugurii patrem delige. Pollet enim bonis moribus, sanctis decoratus virtutibus. Tunc ex omni discipulorum religioso agmine venerabilem prælegit virum Eudonem nomine, sublimem statura, penultima decoratum ætate, probatissimum virtutibus et omni honestate; cui pater eximius quosdam fratres tradidit, inter quos eum abbatis vicem habere jussit, plurimum ejus confidens religioni, quoniam ipsum plenissime educaverat sub disciplina Christi, ac devotissimum coaptaverat pedisequum sibi. Valedicens ergo omnibus, pro fraterno discessu cœpit dare magnos gemitus: et convocans sæpe memoratum principem, movet eum de sancti viri custodia, datoque signo pacis jubet capere itinera. E

quem Monasterio præficit. 5 Profectus itaque sanctus Eudo, cum duce et sodalibus indictum maturat iter, donec deveniunt locum, qui ex conditoris nomine Calmilius dicitur: quo cum pervenissent, locum beato viro princeps ostendit, et cum omnibus quæ ejus diœcesi videbantur adjacere tradidit, ac super omnia primatem constituit *i*. Quod vir Dei benigne accipiens oratorium ibi designavit, pro tanto beneficio grates auctori referens. Quoad vero mundi naufragia declinans ibidem vixit, superbientem carnem viriliter edomuit, ac divinis exercitiis jugiter affectus, multosque divino exemplo et pia religione a tartarea fraude liberavit. *i*

Eudonis genus. 6 Cujus protractum generis si quis ignorat, pro temporis interstitio nobis aures commodet subnixis vera relatione et litterali testimonio. Uterinus quippe fuit frater Leotfredi Arausicæ civitatis nobilissimi viri *k*, qui sub ætate adhuc tenera plurima aggressus pietatis conamina, cum jamjam perfectus esset ætate et litterarum studio, Tragessinæ *l* sedis summi diaconi functus est officio. Sed perfunctorii fastus nihili pendens culmina, effectus monachus, viriliter militavit Deo sub Lirinensi regula, donec ipsius loci pater eximius transmisit eum habendum Aquitaniæ partibus, sicut supra consequenter designavimus. Hæc hactenus dicta illis sufficiant, qui, quantus, cujusve religionis beatus Eudo fuerit ignorant. Nunc vero patriam, parentesque replicabimus, unde sanctissimus Theofredus prædicti viri nepos ducat genus. *k* F *l*

S. Theofredi prænobilis ortus et ab infantia pietas. 7 Reverendissimus itaque Theofredus, summa ab ipsa pueritia honestate decoratus, quondam egregia urbe Arausicæ *m* exortus, Leotfredo ipsius urbis nobilissimo principe, ac Leutilda matre fertur progenitus *n*, qui cum totius affinitatis viros congrua sub ditione premerent, et dignitatis culmine ac rerum copia multos præirent, hac se potius opinantur sublimatos felicitate, quod tantæ probitatis prolem gignere meruissent. Unde cum jam tetigisset quinque lapsos solis annos, litteris traditur demum instruendus inter scholares egregios: ubi pegasei libans liquoris flumina intima, doctorum *m* *n*

EX MABILLONIO.

doctorum tamdiu scrutatur volumina, donec inter
eos non mediocris videtur suffragante sapientia.
Qui quamvis sæpe legendo, jugi hæreret memo-
ria, orationis tamen assiduæ nec aberat cura. Sed
quoniam paternæ hæreditatis erat unicus, subdi-
torum spes, et tantæ dignitatis salus; condigna
parabantur ei ædificia ac numerosa divitiarum ge-
nera. Hæc omnia nihili pendit puer Deo devotus,
et in pio scilicet abrenuntiandi sæculo proposito
manet immotus.

S. Eudoni patruo se adjungit,

8 Jam enim multoties incaluerant aures Eudonis
fama religiosissimi, quem si quomodo posset imi-
tari, sæpe subibat menti. Unde cum Lirinensis
cœnobii gregem dudum visitaret Eudo, ac per na-
tivam consolandi suos gratia patriam gressum
flecteret, Tragessina sede triduo statuit commo-
o rari, ubi adhuc minus ultimæ deditus professioni o,
officio fungebatur diaconii. Quod audiens Leotfre-
dus moram habens Arausicæ, ne sæpe quæsito
defraudetur solamine, convocato filio et plurima
carorum multitudine, quantocius properat fratrem
visere. Tunc videres gaudia pacta fide lacrymis
convenire, et inter fraternos amplexus omne di-
lectionis genus redundare. Gaudet visio, gemit
B affectus, fratribus ad invicem plurimum colloquen-
tibus. Tunc sancta viri monita, mores, habitus et
colloquia puer insignis Theofredus mente revolvit
sollicita, donec eum ita alloquitur semota turba:
Carissime, inquit, quem sæpe videre concupivi,
te duce, auctori rerum Domino militare decrevi.
Unde paternam adiens præsentiam nostrum edoce
propositum, et corripe ne divinæ resistet volun-
tati, licet sibi sit obviam. Quibus si assensum non
præbuerit, perpetuum inter eos dissidium pullu-
labit.

ægre consentiente patre.

9 Properat vir beatus cum legatione salutari, et
hæc mandata refert patri. Quod senex audiens
stupet inscius, et adhibito filio minas ingeminat et
assiduos fremitus. Puer, inquit, paterna resolutio
jam imminet, omnisque juvenum manus te sibi
præponi assidue monet. Ne permittas ergo exte-
rum hæredem propriam subripere sedem et tibi
debitum solium. Omnis inde turba hoc ipsum ite-
rat, indulgens incœptum si finem deserat. Sed ille
vivo subnixus lapide, nec lacrymis movetur, nec
pietatis mollescit voce, omnibusque resistit primo
adhærens incœpto, veluti immota silex ac marpe-
sia cautes circumlatrante labenti fluvio. Quod pater
C videns irrevocabile, licet mœstus itura pro sobole
adquiescit benigniter, et assidua suggerit prece.

Monachus factus, exteriorem cœnobii curam gerit.

10 Tunc peractis omnibus, agmine coram posito
incessanter deflens committit filium pater patruo;
miratur quisque puerilem animum, humectans
largo flumine vultum, quos omnes Theofredus sic
alloquitur, ut saltem in ultimo digressu console-
tur: Constrictis, fratres, doloribus nunc piæ la-
crymæ cessent et gemitus etc. Tunc dato osculo
laxat habenas itinere sumto, quem turba mœrens
oculorum prosequitur lumine, donec frustratur
p visus per oppositas Alpes p ac per spatia aeris.
Quid plura? Beatus abbas Eudo feliciter ingredi-
tur Calmiliacense cœnobium cum puero: cui de-
ponens comam capitis, piam religionem docuit, et
omni sancta conversatione informavit. Ætate vero
accedente cum jam perfectis polleret moribus,
exteriorem monasterii curam sibi commisit fun-
ditus.

S. Meneleum cum sociis secum ducit

11 Quodam vero tempore sidus q Cancri sole
q adscendente, tunc cum fervor urget nimius, et
r Canis r fert pestem miseris mortalibus, eo scilicet
s diei parte cum Virgo s jam superducit honestum
os terræ, beatus Theofredus pro monasterii utili-
tate Arvernicum pagum ingressus, sub condensa D
quercu apud Vallem-Vaveris t refici voleba cum t
commilitonibus suis: quibus prandentibus ibi tres
ex saltu contiguo prosiliunt viri, quos cum pro-
pius accessissent, B. Theofredus percontatur, unde
vel quo abirent. Horum minimus Meneleus u no- u
mine, hæc sibi placido intulit ore: Andegavensis
ego, Meneleus nomine dictor, natus Amanulfo pa-
tre, vico Pissiniaco, et Docula matre, sicut testa-
tur uterque. Cum vero jam septimum ætatis
primæ tetigissem annum, potenti Deo devovi casti-
moniam, quod dum vixero ipso juvante non fa-
ciam irritum. Heros vero quidam Barontus, ni-
mium nobilitatis genere ac divitiis fultus, suadebat
mihi legitimos filiæ amplexus, patre quoque meo
præbente assensum. Sed animadvertens quod de-
voveram, omissis parentibus et relicta patria,
sicut ipse vides, peragro deserta, assidue tamen
quærens, qui me litterarum instruat dogmata, ut
cum tempus advenerit divino studio possim va-
care. Cui Theofredus: Ipse et tui socii mecum
pergite, quoniam satisfaciam desiderio et petitioni
vestræ.

instruendum per septem annos.

12 Lætus ergo Meneleus pro tanto munere effi-
citur et Virum sanctum ad Calmiliacensis cœnobii
patre Eudonem usque prosequitur. Quem ille, E
sicut innotuit Theofredus, benigniter suscepit, et
perfectioribus viris educandum præbuit, sociis
vero suis Saviniano et Constantio per ejusdem
monasterii tuguria cibaria præbere jussit. Per
septem quoque annos B. Meneleus ibidem instrui-
tur, et utraque eruditione divina et litterali robo-
ratur. Elapso vero prædicti cursu temporis, ultima
sub requie cujusdam noctis, tunc videlicet cum
rosea micant vehiculis * solis, et corusca luce pro-
perant ad supera laxis habenis v, æthere lapsus v
angelus, his eum soporatum in oratorio verbis est
aggressus: Cum sodalibus qui huc tecum adve-
nere, ad locum ubi beatissimum Theofredum inve-
nisti revertere, et ostendam tibi quid te oporteat
agere. Expergefactus itaque Meneleus, B. Theo-
fredum expetiit, et supernos visus ac monitus an-
gelicos fideliter protulit. Quod postquam religio-
sissimo patri Eudoni innotuit, immensas Deo pro
cœlesti visione grates dedit et convocatis Saviniano
et Constantio, supernæ committens eos pietati, in
pace abire permisit.

* melius vehicula

S. Eudoni mortuo sufficitur S. Theofredus,

13 Longuo itaque confectus senio, sævissimo
debacchante ad interna corripitur morbo. Unde
fidelium adstante discipulorum collegio, sermone F
sancta produxit oracula benignissimo. Cognovi-
mus, inquit, fratres, quod præsens adest et sæpe
nobis minitatur resolutio corporis, nec vult nos
ultra perferre periculosi naufragia maris. Ergo
cum hanc deposuerimus sarcinam mortalitatis, et
ipsa coronabimur incorruptione in regnum perpe-
tuitatis, pro stabilitate vestri orabimus ante di-
vinæ majestatis conspectum. Sed ne tantus grex
absque pastore dispersus vagari incipiat, idoneum
Dei famulum Theofredum patrem habeat, qui et
pravos mores ancipiti resecabit mucrone, fidelium
quoque corda assiduo sulcabit vomere. His dictis
felix anima a Deo coronanda suscipitur, cadaver
vero rite peractis divinis exequiis, sacro cœspite
supponitur: cujus depositio nono post decimum x
Novembris mensis die recolitur x. Interea mœsti
famuli pro discessu paterno, legali jugo subjiciunt
collo procurante sanctissimo Theofredo: qui per-
sedulus erga eos, omni invitabat studio, corrobo-
rans pater filios theorico subsidio, lupumque invi-
sibilem procul pellens sancta liberabat ovilia
tartareo hiatu.

14 Cum

Qui fratres sancte prudenterque regit.

14 Cum vero summa pollens discretione magnus esset moribus, mentemque benignam similis designaret vultus; serpentis astutiam ita promeruit, ut etiam felle carens avis in simplicitate perfectius cohæreret ei. Ita enim studuit vivere, ut Deo placens hominibus esset exemplar justitiæ. Nam oratorium tanta honestatis cautela providebat, ut nulli liceret in eo superfluitatis operari quidpiam: fœminei vero accessus procul haberent sedem circa templi januam. Quam quia plures pro nihilo ducentes observantiam, divinum quondam * censent vetitum, incorruptibilis conservabitur usque in perpetuum z. Sed hæc ad præsens mandare litteris et memoriæ non est nostrum. Scribere curavimus quam viriliter militavit servus Domino, dum adhuc viveret. Nunc vero interposita Menelei legatione et tanti Patris debita consolatione, non reticebimus quemadmodum pervenerit ad coronam martyrii proprio fusus cruore.

** forte* quidam

z

Micrologum componit, aa

15 Denique quodam tempore familiari semotus obsequio, Micrologum *aa* cudens de lapsu mundi senario, determinat eum sermone rhythmico. Quem quia vitiatum novimus falsidicorum carie, si cœptum opus Deus annuerit perficere, propria decorabimus venustate, et ad laudem tanti Patris veritati restituemus pristinæ. B

S. Meneleum invisit, bb

16 Cui cum extremam manum jam imponeret, et calamus liquore mentis exhaustus quiescere vellet, beati Menelei veredarius *bb* subito paret ante faciem, sanctos ferens apices et continuam orationem Suscipe, inquit, sanctissime pater, precantis verba filii, et quem divino quondam satiasti ubere, ne differas consolari. Accelera ergo concitus, commorigerantis dispone exercitia alumni et omnes incœptus: caritas enim quæ nos una fide copulavit, hæc licet ardua deposcere suasit. His dictis surgit ocius, ac parans omnia indicto sub itinere est positus. Cumque pervenisset ad Vallem-Vaveris, quæ mox Minarum mutuavit nomen pro regalibus Minis, invenit virum Dei Meneleum, ibidem orationis ædificantem domum *cc*. Quo viso post sanctos amplexus et pacis oscula, percontari cœpit Theofredus prospera et incommoda. At ille referens quod digressus Calmiliacensi cœnobio abactæ noctis cursu sub medio, cum quieta flumina ventorum silent in mundo, ab angelo monitus fuit ut ibi pararet domum summo rerum Auctori. Injurias quoque quas patrante Baronto pertulit, vel quomodo divino correptus spiritu, amicitia ejus se copulaverit, et cætera accidentia plenius dixit. Quod præceptor audiens narrante discipulo, lætus reddit Deo grates pro tanto beneficio, totumque diem illum et noctem pervigilem ducunt in laude Dei, et ædificatione construendi monasterii. Quibus ad invicem colloquentibus, Eusebius supervenit Arvernensis episcopus *dd*: quem sanctus Theofredus benigna efflagitat oratione, ut Menelei comam consecret ac detondeat, itaque sub genere regali et pontificali moraliter cum vivere edoceat.

cc

C

dd

et ecclesiæ interest dedicationi.

17 Satisfecit votis antistes egregius, et in honore Salvatoris ac perpetuæ Virginis Mariæ dedicata Basilica, propriam domum est reversus. Prædictus vero pater cum filio spiritali refocillatur edulio: sed sollicitudo suorum et præsens familiaritas suggerit ei regressum, omnesque dissolvere moras post concessum otium. Dispositis ergo omnibus saluberrimum vale dixit fratribus, propero gradu sedem repetens, unde dudum venerat rogatus. Ubi quam religiosissime vixerit, præmissus ordo retulit: sequens vero quemadmodum ad coronam martyrii pervenerit, sicut supra polliciti sumus, explicabit.

EX MABILLONIO.

ANNOTATA.

a *Vide Comment. præv. n.* 56, *ubi demonstravimus ineptam prorsus esse Anonymi nostri chronologiam, nec ulla ratione imperium Justini posse componi cum regnis Theodeberti et Theoderici.*

b *Childeberti.*

c *Quid hæc sibi velint, nemo facile dixerit.* Negotium mercuriale *videtur per se ad mercaturam spectare. Ast quo sensu id convenerit Calmilio? forte indicatur, Calmilium virum litteratum et* eloquentem *(cum eloquentiæ Deus esset* Mercurius) *fuisse, vel favisse artibus liberalibus, aut eas exercuisse. Anonymi nostri stylus nihil sane vetat quominus ita interpretemur.*

d Scenopegia, *cujus meminit Joannes cap.* VII ℣ 2. *Festum erat Tabernaculorum,* in memoriam illius beneficii, *ait Becanus noster* (1), quo Deus Judæos voluit habitare in tabernaculis, cum egressi ex Ægypto versarentur in solitudine. *Celebrabatur die decima quinta mensis Tizri (qui lunæ Septembris nostri respondet) et quidem per octo continuos dies; primus tamen et octavus solemniori ritu agebantur* (2). *Hinc elucet quid sibi velit hic Anonymus noster, præsertim cum Idibus Octobris, id est decima quinta illius mensis, festum dicat annuatim iterandum.* E

e *Id est :* comitatu.

f Frejus. *Forum Julium seu Julii in ora Provinciæ littorali, Nicæam inter et Telonem* (Toulon). Forum Julii, *inquit Josephus Antelmius* (3), Provinciæ, nobilis olim Phocensium, seu Massiliensium colonia fuit, in Sueltorum, ut existimo, territorio sita, innumeris monimentis nota, variisque et exquisitis epithetis, ad ejus nobilitatem exprimendam decorata.

g *Id est :* civitate *vel forte etiam* familia *quadam religiosa præfatæ urbis.*

h *S. Maximus abbas Lirinensis et postea episcopus Regensis (Riez), monasticæ disciplinæ nomen dedit Lirini sub S. Honorato, qui, ad infulas vocatus Arelatenses, S. Maximum ad regendum monasterium sibi suffecit, versus annum* 426. *Hic septem præfuit annis, post quos Regensis factus episcopus est, anno* 433 *vel* 434, *et qua talis subscripsit Concilio Arausicano an.* 441 *et Epistolæ synodicæ ad Leonem Papam an.* 451; *migravit ad Dominum, die* XXVII *Novembris circa annum* 460 (4). *Concordat Baillet* (5). *Ex his denuo efficitur quantum chronologia Anonymi nostri aberret a vero. Nec enim Calmilius sæc. septimo convenire potuit S. Maximum, medio sæculo quinto vita functum.* F

i *In fragmento Chronici ipsius monasterii dicitur Calmelius his peractis* ad interiorem Arverniam se recepisse, *ibique* novo exstructo monasterio, *Mauziacensi scilicet prope Ricomagum,* vita excessisse. *Hæc Mabillonius* (6).

k *Leotfredus, numero sequenti,* ipsius urbis nobilissimus princeps *dicitur.*

l *Pro* Tricastinensis. *Varie enim corrumpitur vox illa. Civitas sancti Pauli Tricastinorum* (Saint-Paul-des-Trois-Châteaux) *Plinio* Augusta Tricastinorum

(1) Analogia, p. 273. Edit. Mechliniæ 1831.—(2) D. Calmet. Dictionnaire de la Bible, ad verbum. *Tabernacles.*— (3) De initiis ecclesiæ Forojuliensis dissertatio historica, chronologica, critica profana sacra. Aquis Sextiis 1680—(4) Nova Gallia Christiana, t. I, col. 390 et 391. — (5) Vies des Saints, ad XXVII Novembris, quo die primo loco venit S. Maximus.—(6) Nota *b* in vitam S. *Theofredi*, sæc. III, part. I, p. 478.

EX MABILLONIO. norum (1). *Confer Hadrianum Valesium* (2), *ubi notat Tricastinos ab aliis dici* Tricastrinos, *ab aliis* Tricastinenses, *velut* a tribus Castris *(hinc* St Paul des-Trois-Châteaux) ; *ab aliis* Trigastrinos *tamquam quam a* Tergeminis *(unde apud nonnullos* St Paul des-Trois-Jumeaux). *Probe distinguendi Tricastini a* Tricassibus, *qui quandoque per corruptionem Tricassini dicuntur; horum metropolis erat Augustobona Tricassium, vulgo* Troies (3).

m *Orange.* Notior *est, inquit Valesius,* quam ut indicari egeat Arausio (4).

n *Consule comm. præv. n.* 8.

o *Obscurus est sensus.* Ultima professio *respicere videtur statum monasticum : voxque* minus *significare,* non omnino, non exclusive.

p *Montes ; species sumitur pro genere. Haud parum delectatur Anonymus noster poetica dictione.*

q *Mense Junio, versus diem vigesimam primam, sol, juxta communem loquendi morem (astronomice licet falsum nunc) signum Cancri percurrit.*

r *Sidus.*

s *Signum Virginis, quod intermedio Leone, sequitur in Zodiaco signum Cancri, juxta versiculos :*

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
B Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, [Pisces.]

Indicat itaque Anonymus noster, astronomiæ non secus ac poeseos amans, dies, quos vulgus Caniculares *vocitat, mense Julio, inter signa Cancri et Virginis.*

t *Situs determinatur ex his Valesii verbis :* Sicaula vel Seulus... fluvius est in Arvernis, vulgo Siole aut *Sioule* dictus, qui Castellum Novum *Château-Neuf,* Menatense monasterium veterrimum, *Menat*..... attingit ac in Elaver *(l'Alier) influit.* Recipit Sicaula Bubulam vel Bulbulam, *la Bouble*..., apud Martiliacum, *Martilly*.... Liber de vita S. Menelei abbatis Menatensis vocat *Sivolim* his verbis : *In Arvernensi patria, in pago Viciacensi, inter fluvium Sivolis et Bulbulam statuit finem peregrinationi imponere.* Ubi legendum est *inter fluvios Sivolis et Bulbulam. Herimbertus diaconus in vita S. Vincentiani (Saint Viance) habet :* Meneleus partibus Arvernicis pergens, Vaveris silva super fluvium Seulo eremum concupivit (5). *Cæterum ex infra dicendis elucebit hoc ipso loco, quo primum S. Meneleus in S.* Theofredum *incidit, ædificatum fuisse Menatense cœnobium.*

u *Colitur S. Meneleus die* XXII *Julii, quo ejus*
C *acta dedimus* (6).

v *Auroram indicat.*

x Ipso die, nempe XII Kal. Decembris, colitur S. Eudo in monasterio suo, laudaturque in actis S. Menelei et in Martyrologio Benedictino. *(Mabillonius* (7)).

z *Verba hæc valde obscura sunt. Id tamen clarum, sanctum nempe* Theofredum, *mulieres ab ingressu in ecclesiam monasterii arcisse. Ex quo concludit Mabillonius, Anonymum his verbis indicare ætatem suam, cum asserat* interdictum, quo fœminis in ecclesiam monasterii negabatur ingressus, suo tempore adhuc viguisse. Atqui, *infert Mabillonius,* ritus ille in paucis monasteriis perseveravit ultra sæculum decimum. *Unde consequens esset, Anonymum nostrum scripsisse vitam S.* Theofredi *ante sæculum* XI. *Et re quidem vera, verba ejus innuunt Sanctum nostrum, non ex proprio sibi mandato, sed ex lege seu consuetudine antea jam obtinente, fœminas arcisse. Verba autem hæc :* quam quia plures pro nihilo observantiam *etc., si quem habent* D *sensum, is esse videtur, ut indicent observantiam illam a multis jam negligi vel impugnari ; quod quidem sæculo decimo apprime convenit, cum, teste Mabillonio, hæc in desuetudinem illa tempestate abierit. Eruditi viri ratiocinium, quo Anonymi ætatem definire intendit, ut sua probabilitate non caret, non tamen ita stringens nobis videtur, ut rem certo conficiat.*

aa *I e.* Librum in speciem Epitomæ *(abrégé). Ducangius in Glossario ad verb. Micrologus, ubi verba ex vita S.* Theofredi *adscribit, aliis utens interpunctionibus :* Micrologum cudens de lapsu mundi, senario cum determinat sermone rythmico, *ut vox* senario *referatur ad* sermone *et* versus *indicet* senarios *eodem sono, seu rythmo desinentes; dum apud Mabillonium, quem ad verbum hic damus, vox* senario *referatur ad* sermone, *et indicare videatur sex mundi ætates.*

bb *I e. Nuntius. Sunt enim* veredi, *inquit Ducangius,* equi publico cursui destinati ; *veredarii vero, dicti,* qui veredis publicis utebantur, et responsa vel mandata principum deferebat. *Addit ibidem ex Gloss. Lat. Ms. Reg. cod.* 1013 : Veredarii dicuntur a vehendo, qui festinanter in equis E currunt, non descendunt de equo, antequam liberant responsa sua : habent in capite pinnas *(pennas)* ut inde intelligatur festinatio itineris : datur semper iis equus paratus, nec manducant, nisi super equo, antequam perfecerunt (8). *Unde hic, sicut et alibi, pro more suo Anonymus noster* projicit ampullas et sesquipedalia verba (9), *voce utens splendida, ut rem significet valde ordinariam.*

cc *Ex his probatur, quod supra diximus lit.* t, *Menatense monasterium conditum in Valle Vaveris, in loco, quo primum SS.* Theofredus *et Meneleus obviam sibi fuerant facti.*

dd *Alias, inquit Mabillonius* (10), Bonitus ; cujus acta dedimus *(sæc. nempe* III *Benedictin.)* ad an. 709 ; Menelei vero ad an. 720. *S. Boniti sive Boni (qui hic Eusebius dicitur) gallice* St Bon *vel* St Bonet, *episcopi Claromontani Arvernorum (postea monachi) acta illustravit Bollandus ad diem* XV *Januarii* (11). S. Boniti acta, *ait Mabillonius* (12), notis illustravit Franciscus Lanovius in libro de sanctis Franciæ Cancellariis, et post eum Johannes Bollandus. Mirum est in opere *(opus Bollandianum verba per se indigitant)* silentium de casula S. Boniti, quam a B. Deipara dono accepisse dicitur apud Vin- F centium Bollovacensem lib. VII cap. 97, quam etiam *domnus Herbertus, præsul Norwicensis,* qui testante Mathæo monacho Westmonasteriensi, decessit anno MCXIX, *sibi visam et manu tactam* adfirmat, ut legitur in quodam rhythmo edito apud Bollandum. *Quæ postrema verba indicant, Lanovium, non Bollandum a Mabillonio paulo altius perstringi. Et reapse Comm. præv. n.* 5 (13) : Huic *(vitæ S. Boniti)* subnectimus, *inquit Bollandus,* geminam narrationem miraculi, quod eidem sancto episcopo in S. Michaelis æde contigit, cum a beatissima Virgine Dei matre casulam accepit.

CAP. II. *Martyrium S. Theofredi.*

Post incarnationem Domini nostri Jesu Christi DCCXVII, alias DCCXVIII anno *a*, cum Carolus Pip- *Saracenorum in Gallias incursio.* *a*

(1) Nova Gallia Christian., t. I, col. 703 et 704.—(2) Notitia Galliarum, ad verbum : *Augusta Tricastinorum.*—(3) Ibid., ad verba : *Tricasses et Augustobona Tricassium.*—(4) Ibid., ad voces : *Arausio Cavarum, Secundanorum colonia.*—(5) Ibid., ad verbum : *Sicaula.*—(6) Acta SS., t. V Julii, p. 302-319.— (7) Act. SS., Ord. S. Benedicti, sæc. III, part. I, p. 481, not. *a.* — (8) Glossarium, ad vocem : *Veredi.* — (9) Horat. de Arte poetic. v. 97.—(10) Loco supra cit., p. 481, not. *b.*— (11) Acta SS., t. I. p. 1069-1077. — (12) Observationes præviæ ad vitam S. Boniti, n. 1, sæc. III. part. I, p. 89. — (13) T. I Januar., p. 1069.

pini

A pini senioris filius regnum obtineret, ac de Ramfridi ducis tirocinio post multa bella et certamina Francorum magistratum favente Deo abstulisset, rebusque bellicis viriliter invigilans suæ ditioni supposuisset, necne barbaram gentem Ismaelitarum cum expulso duce totam galliam occupantem duobus magnis prœliis devicisset; Eudo dux Aquitaniæ qui a prædicto tyranno convocatus, ac semel cum eo fugatus fuerat, Hispaniam ingressus, circa regem eorum Abdirama familiariter se habuit, et placatum munere et obsequio, cum sævissimæ gentis innumerabili exercitu secum duxit *b*. Unde ob injuriam sui ulciscendam a Burdegala usque ad Pictavensem urbem veniens, omnia consumpsit, munitiones quoque et ecclesias quas devastare potuit, populante gladio et comburente flamma, hospitali subsidio vacare fecit.

b

Cameliacense usque ad monasterium penetrant.

19 Et quoniam exercitus copiosus et innumerabilis fuerat usquequoque discurrens, totam Provinciam ac Septimaniam conculcaverat, adveniensque Gabalitanensem ac Vallavensem comitatum, plurimos Dei famulos, utriusque sexus multitudinem, nulli parcens ætati, horribili morte necaverat. Interim quoque dum his debacchatur partibus, B divulgante fama adhuc piorum sanguine didicit cruentatus, quod sæpe laudans Dominum Calmiliacensi degat tugurio sancti numerosa gregis et imbecillis multitudo. Quod non latuit athletam Dei Theofredum prædicti patrem monasterii religiosissimum. Sed cœlesti perfusus dignoscit oraculo, quoniam loci ipsius proxima subsequatur desolatio. Ergo divulgat omnia evocato fideli agmine, etiam quod ipse vitam finiret proprio fusus cruore.

Suos hortatur S. Theofredus, ut diffugiant.

c

20 Scitote, inquit, proculdubio, fratres dilectissimi, quod plebs Agarena *c* quæ nostras depopulat partes nullo parcens gregi, hunc post biduum veniens locum evertere funditus autumat; nosque imbelles ferocissima dilacerare rabie, captis spoliis pertractat: ideo carissimi, qui sub lauro *d* fidei nobis præcipientibus colla submisistis, adsensum quæso jussibus præbete meis, ne sævissimi hostes cum subito advenerint, valeant triumphare de vobis. Cuncta quoque quæ possunt transvehi humano vel pecuali auxilio, in interioris silvæ multiplici reponantur diversorio. Deinde quisque vestrum propria teneat latibula, sperans in Domino, C donec videatis quam consolationem præparet Dominus sancto populo. Et cum plebs nequissima vestris discesserit domiciliis, grates Domino solventes ad propria redire valeatis.

d

Negant fratres sanctum se derelicturos Abbatem.

21 Ad hæc sancta verba Patris piissimi irrevocabiliter flentes dixerunt alumni: abstt, pater, ne doceas fugam urgente adversario, sed potius militare viriliter et diversa subire supplicia pro Christo Domino. Non est necesse, Pastor inquit eximius, sed persequentium declinate visaniam, sicut ipse Dominus. At illi: si testimonio confirmatos, debacchantium furori nos cedere præcipis, et ipse nobiscum latibula petens salvaberis. Quos Pater immolandus ilico sermone compescit saluberrimo: Audistis, filii, Dominum confitentem in evangelio, quod omnis mercede ductus opilio commissas deserit oves sub agonis articulo. Cedite ergo sancta disperdere ovilia cupientibus, sicut multorum salus expostulat et præsens tempus. Nos vero nec vita perfrui, nec mortis vincula recusabimus.

Sub noctem omnes simul ad orandum conveniunt.

e

22 Cum hæc et talia verba per diem revolverent integrum, ecce solis orbita properat ad occasum, sicut in libro ecclesiastes Salomonis Sapientia indicat *e* opinandum, terrigenas autem cœca caligine recursus offuscat noctium. Et quoniam instabat tempus labori prohibitum, præcipit omnes congregari in unum quibus dixit ad ultimum: Jam audistis fratres, quod sæva gens, cujus adventus vos merito sollicitat, Sanctorum veneranda limina ac monasteria depopulat, fundensque sanguinem innoxium nullius religioni parcat. Ergo humili poscentes devotione sanctam invocemus Trinitatem, quatenus locum hunc dignetur servare indemnem, et sibi in perpetuum servire concedat fidelium congregationem. Nec nos perire patiatur pro scelerum enormitate, sed misericorditer adspiciens, ineffabili nos protegat pietate. Tunc ingressi oratorium S. Petri, cum hæc diutius orassent, et surgentes ab oratione plurimi reclinatoria quæsivissent, remansit vir Dei cum exiguo agmine, et illam noctem insomnem duxit in omni spiritali laude.

Sequenti die, acrius instat Vir Dei, ut fratres se dispergant:

23 Hora vero solita divina cum fratribus celebrat officia: quibus peractis ex integro recreat omnes potu et spiritali cibo, statimque prædicta latibula quærere suggerit ne moriantur omnes cum hostis advenerit. Sed cum filii hoc moleste ferrent, et absente Patre exire dissimularent, cœpit eos vir egregius consolari collocutionibus: miror, fratres, et valde doleo, cur adhuc mora- E mini, sanctorum patrum vacuati testimonio, Paulus enim ut Damasceni minas præpositi evadere posset, submissus fugæ liber gaudet. Fundamentum quoque fidei princeps apostolorum Petrus Neronis quondam declinasset fremitus, nisi certamina movens obviam venisset Dominus. Ergo cum hæc et plura vobis pateant exemplaria, nolite refragari divinæ misericordiæ, quæ docet vos cavere futura mala. Nos etenim confisi in Domino hoc in loco sustinebimus, et pro communi salute cœlestia interim patrocinia implorabimus: nec decet ut tempore persecutionis pastor fugiat, licet vibrantis gladium exemtum videat. Si vero necessitas exigit, dignam mortem subire expedit.

qui tandem ejus monitis parent

24 Hæc cum sæpe diceret iterato sermone, cœtus omnis vehementissime cœpit flere. Tunc ipse commotus discipulorum lacrymis, divinæ invocat suffragia protectionis: Deus omnipotens, rex immense et inerrabilis, fons et origo totius pietatis, tu Domine, quæ licent nosti et expediunt nobis. Fiat ergo sicut placet oculis tuæ majestatis. Tunc muniti his orationibus, egredientes condensa silvarum petunt ocius, exceptis duobus fratribus, quos secum retinere probitas suasit et virtus. F Quibus fastigia montis juxta monasterium siti ascendentibus, unde eventum rei cernere possent licentius, ipse ante venerandum B. Petri titulum in oratione est prostratus.

Irruentes Saraceni S. Theofredum atrociter verberant.

f

25 Nec mora subito ferocissima Ismaelitarum venit turba, sperans innoxium fundere sanguinem et multa subripere spolia. Postquam tot ædificia videt hospite vacare provido; fremit, bacchatur *f*, nequit stare loco. Tunc circumquaque prosiliens invenit beatum Virum, sicut supra diximus, orationi deditum. Irruentes ergo viri nequissimi, acribus contudere eum verberibus, ac eliminantes *g* percunctantur, ubi tot ædificiorum lateret populus. Quorum nefandis jussibus ipse respondet intrepidus: Vobis testificor, fratres, in veritate, quod omnium protector Dominus cuncta subduxit immanitati vestræ, nec propter voluntatem ejus erit vobis licitum sancta disperdere agmina fidelium.

g

qui, ubi delitescant fratres, indicare recusat.

26 Nisi nobis, inquit plebs sævissima, omnia citius patefeceris quæ confiteris reposita, celsa monasterii fastigia videbis ruere superante flamma, ac deinde tu ipse morte peribis pessima. Quibus

Vir

EX MABILLONIO. Vir beatus respondit : cum Dominus noster hujus sit defensor loci fortissimus, exinanire eum, sicut dicitis, adversantium non valent manus. Quod si mortem mihi vultis inferre, dignum est pati pro ovibus, et in interitu nostro eas salvare. Illi vero nimio succensi furore videntes quod nihil proficiunt, acriter eum cædentes semivivum relinquunt.

S. Theofredus, dum Saracenis impia exprobrat sacra,

27 Sed quoniam solemnis dies secundum ritum gentium intervenerat, procul ab ecclesia gens Ismaelitarum ferocissima paterno more sacrificia celebrat. Quod animadvertens Vir sanctissimus, Deo annuente resumtis viribus, ad eos usque properans, in medio libantis populi hæc exhortationis verba est locutus : Si hæc dæmonibus tam devota mente sacrificia persolvitis, auctori rerum Deo, cui elementa famulantur omnia, et quem omnia cœlestium spiritalia collaudant agmina, his abdicatis ceremoniis condigna vos oporteret celebrare libamina. Ad hæc verba sævus debacchatur populus pro monitis viri, quem extinctum putaverat et votorum contemtibus.

lethali feritur vulnere.

28 Princeps vero libaminum, cum hæc rationabiliter discernere debuerat, ingentem capiti ejus lapidem vibrat, quo statim corruit ictu Vir sanctissimus, ac fuso sanguine polluta consecratur B tellus. Mundissimi vero labente gleba corporis, locus ille contremuit, tantumque sonitus ac motus terræ impiorum auribus insonuit, ac si omnis monasterii fabrica lapsum Patris vellet imitari dolore commota : paganis vero velociter fugientibus crebra subsequuntur fulgura ac tenebrosus nimbus.

Sævo orto turbine diffugiunt hostes.

29 Tunc procedente ventorum valetudine multipliciter feriuntur, ac nimio devastantur horrore, et, licet infideles, divina certamina cognovere. Abjectis ergo cæteris militiæ insignibus, parmis ad instar phœbeæ lampadis compactis, conabantur defendere suppositum corpus. Sed sublatæ furente spiritu revolvunt gyros in modum turbinis, ne scelerata plebs sancto discedens loco videretur indemnis. Ita contigit, ut qui injuste diripere aliena deliberaverant, vix evasionis locum promerentes propria amiserint *h*.

h

Reduces fratres

30 Expulsis igitur prædictis hostibus, ceteri hoc audientes ab ipso confinio reflectunt gressus. Denique fratres illi, quibus Vir Dei montis ascendere culmina indixerat, ac plurimorum cœtus qui locis tutioribus ac celsioribus interim rupibus latitaverat, videntes impacatos terribiliter discedere Ibe-C ros, sentiunt se interventu B. Theofredi ab acie nequissima esse liberatos. Convenientes ergo reperere Patrem pro communi salute horribiliter humi prostratum, verticem vero usque ad interiora cerebri cum ingenti lapide saucium.

S. Patrem suum morientem circumstant.

31 Tunc post nimios fletus et lamentationis carmina, paterna providenter pignora sacrata reportant in cellula. Ceteri quoque qui silvarum lustra ingressi longius fuerant dispersi, Pastoris domicilia repetunt universi, cujus discrimina videntes, provoluti genibus sanctos sæpe deosculantur pedes ac manus. Sed Vir sanctissimus coercet eos tam familiari obsequio, ac per septem dies divini sermonis recreantur pabulo. Septimi quoque diei imminente articulo, postquam disposuerat quam honeste se haberet præsens concio, vel quam religiose summo deserviret Domino, cum omnes circumcirca decantarent divina præconia, migravit ad Dominum felix anima, cui est honor, laus et gloria per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

D

ANNOTATA.

a Caroli *(Martelli)* victoria *(notat hic Mabillonius* (1)) adversus Ragenfridum contigit anno DCCXVII; ad vero Theofredi martyrium anno DCCXVIII, uti legitur in Elogio ejus secundo apud Labbeum, *Theodorico regnante et Carolo Pippini senioris filio super Francos principante.* Huc forsan pertinet id quod habet Beda in lib. V cap. XXIV, anno DCCXXVIII apparuisse cometas duos circa solem, eoque tempore gravissimam Saracenorum luem Gallias misera cæde vastasse. Confer tamen libellum de vita S. Pardulfi infra, in quo legitur, Saracenos ab Carolo fusos anno DCCXXXII in Gothiam *(Hispaniam)* fuga se recepisse, et obvia quæque ferro ac flammis corripuisse. An tum cæsus Theofredus? *Hæc ibi Mabillonius, dubius quidem ; ast in Annalibus postremum hunc annum assumit. Confer Comm. præv.* § I. *ubi prolixe hanc quæstionem tractavimus. Vide etiam* § III *n.* 55 *et seqq.*

b *Perperam hæc de Eudone traduntur. Vide Comm. præv. n.* 14.

c Agareni : *Saraceni, qui scilicet se existimant ortos ex Ismaële, filio Agaris et Abrahami* (2). E

d *In secundo Elogio, apud Labbeum* (3) *legitur :* loro. *Cæterum, præter verba quædam lit.* a *superius notata, Elogium istud ad verbum concordat hucusque cum nostro Anonymo.*

e *Ad quem locum sive Ecclesiastæ sive Sapientiæ hic alludat auctor, non comperi.*

f *Post hæc verba, ita habet Elogium secundum Labbei :* Et Calmeliacensis monasterii cœnobitas perimendos aggreditur *(gens Ismaëlitarum)* ac non longe a prædicto monasterio juxta festi Divi sui ritum sua sacra impia celebrat. *Omittuntur proinde quæ Anonymus noster narrat de verberibus S.* Theofredo *in oratorio S. Petri inflictis.*

g Eliminantes *i. e. extra limina oratorii trahentes.*

h *Differt hic haud parum Elogium secundum Labbei. Verbis, superius lit.* f *relatis, subjungit ;* Ad quam gentem intrepidus cœnobiarcha Theofredus accedens, illis suam impietatem exprobrat, ostendit, edocetque. Quæ dicta salubriter non sustinens *(turba)* a suis barbaris et impiis sacrificiis in furorem versa, minis et terroribus, ac etiam verberibus sanctissimum Theofredum excipiunt, ac male mulctatum a cœtu suo ejiciunt, prosequunturque a F vico Soleviaco ad rivulum usque Colemptiæ, interfecissentque, ni ille rivulus ad magni instar fluvii inundans, Dei servulo tutum iter ac sociis præbuisset, insequentesque barbaros mediis gurgitibus absorpsisset. Quid plura? Indignati Saraceni, postridie Ligeri fluvio, rivuloque Columptiæ prætergressis, ad monasterium Calmeliacense perveniunt, ubi omnia ferro, igni, prædæque exponentes, invictissimum Christi militem Theofredum, monachis cæteris in latebras interioris solitudinis dimissis, aggrediuntur, atque lapididus fere obrutum, mortuum credentes, semivivum trepidissime relinquunt. Siquidem et turbatus aer, terraque commota, quasi Deo pro servo suo militante, ad classicaque veniente, et grandine et nimbis, atque horrendis tonitruis, moram in dicto monasterio barbaros facere non permittunt, pluribusque sive deficientibus, sive fulmine ictis, pars reliqua tandem aufugit. Post obitum igitur sanctissimi Martyris miraculis celebris, pro diversorum temporum seu varietate, seu iniquitate status monasterii

(1) In vitam S. Theofredi, sæc. III, part. I, p. 482, not. *a*. — (2) Ducangii Glossarium. Verbo : *Agareni*. — (3) Nova Bibliot., t. II, p. 686.

agitatur.

A agitur. *Mirum tamen est etc. Prout dedimus Comm. præv. nn.* 51 *et* 58. *Auctor Elogii, non secus ac Anonymus noster, verborum parcus profecto non est. Uterque fere æqualiter declamat,* projicit ampullas. *Verosimilior tamen nobis Anonymi narratio* D *videtur. Nam, omissa miraculosa Colemptiæ exundatione, fuga S.* Theofredi *non concordat cum excelso ejus animo.*

DE SANCTA FRIDESWIDA

VIRGINE, PATRONA OXONIENSI IN ANGLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. B. B.

§ I. Oxoniensis urbis et Academiæ antiquitas. Quo sæculo ibi floruerit S. Frideswida.

VERSUS MEDIUM SÆC. VIII. *Opportunum scribendi S.* Frideswidæ *vitam tempus.* B

Non immerito gratulari nobis posse videmur, actorum S. Frideswidæ *publicationem in hæc incidisse tempora, quibus in universitate Oxoniensi tantus in rem catholicam renascitur favor. Cum enim per longam sæculorum seriem sancta hæc Virgo præclaræ illius urbis celeberrimæque per orbem terrarum universitatis patrona sit habita: quid contingat hagiographis jucundius, quam ejus res gestas illorum subjicere judicio, qui vetera ecclesiæ catholicæ monumenta sincero excutientes animo, tandem eo pervenerunt, ut præjudicatis, quæ diu invaluerant opinionibus sepositis, partim benigniori hanc ecclesiam intueantur oculo, partim propensis in eam ferantur animis, partim, agnita veritate, supremo Pastori sese subjicerint, quotidieque subjiciant. Sane ne optari quidem opportunior potuerit occasio. Nec diffitemur hæc animos nobis addidisse, ut quanta possemus accuratione ex veteribus monumentis colligeremus quidquid ad illustranda sanctissimæ hujus Virginis acta idoneum videretur; certi hoc nos labore gratum facturos eximiis præcipue illis viris, qui magno numero in sinum apostolicæ veritatis vel jam regressi sunt, vel qui de momentoso hoc negotio secum, divina stimulante gratia, serio matureque deliberant.*

Oxoniæ urbis nobilitas et situs. C

2 Frideswidæ *patria fuit Oxonia.* Ad confluxum Cherwelli et Isidis, *ait Camdenus,* ubi horum fluviorum aquæ numerosis iisque amœnissimis insperguntur insulis, assurgit in media planitie celebris universitas Oxoniensis; nobilissimæ nostræ Athenæ, sedes musarum, nutrix seu potius sol, oculus, anima totius Angliæ; inclytus doctrinæ et scientiarum fons, unde urbanitas, litterarum studium in universum diffunduntur regnum. Urbs hæc pulchra est et venusta, sive decorem privatarum, sive magnificentiam spectes ædium publicarum, sive etiam loci salubritatem situsque amœnitatem. Planities in qua collocata est, vallatur collibus nemorosis, quibus intercipitur sive insalubritas austri sive violentia euri, ut solum accessus pateat zephyris, boreæque quaslibet maleficas dispellenti exhalationes.

Nominis origo.

3 Ab hoc situ scriptores quidem autumarunt urbem olim dictam fuisse *Bellositum.* Alii opinantur antiquitus Britannica lingua vocatam *Caër Vortigern* et *Caër Vember* (Caër *Celtica seu Britannica lingua* urbem *sonat)* pro certo assumentes Vortigernem atque Mempricium eam fundasse. Ast quocumque tandem vocabulo Britonum tempore insignita fuerit. Saxones illam dixere Oxenford, et quidem eodem evidenter sensu, quo tum Græci E plures suos habuerunt *Bosphoros*, tum Germani suos ad Oderum *Ochenfort,* scilicet *Vada boum (Ford of Oxen),* et quo sensu nostri Britanni hodiedum etiam Oxoniam vacant *Rhid-ychen.* Nihilominus Lelandus, magna cum probabilitate nomen illius urbis derivat a fluvio *Ouse,* latine *Isis*; opinaturque dictam *Ousford* eadem ratione qua insulæ ibidem ab *Iside* formata vocantur Ousney. *Ita Camden, cujus nos verba latina fecimus* (1). *Notat vero Peshall,* conjecturam *Lelandi* ingeniosam satis esse, ast parum fundatam in antiquis chartis; unde etiam rejicitur a Wood, Twyne *etc.* (2).

Stupenda urbis antiquitas a multis obtruditur.

4 *Fabulosam prorsus tribuerunt plerique Oxoniæ antiquitatem.* De prima, *inquit Wood,* urbis Oxoniensis origine apud scriptores nostros hæc fere occurrunt. Mille et supra ante Christum natum annis Mempricius Britannorum rex eam condidisse dicitur, et de suo nomine *Caër-Mempric* appellasse: quæ deinceps *Rydychen,* quod lingua britannica *Vadum boum* sonat, et postea *Bellositum,* voce latina a soli amœnitate deducta, vocabatur. Post Saxonum incursionem, lapsas Oxonii res Vortigerus instaurasse dicitur: quas iterum corruentes magnus imperii et scientiarum stator Alfredus felicissimis auspi- F ciis, æternumque, ut speramus, duraturis, denuo stabilivit. Quandoquidem non adeo urbis ipsius quam Academiæ origines persequimur, litterarum ad Græcoladum appulsum, et deinceps ad sedes meliores recessum, enarrare par erit, quod quidem a plerisque hoc in negotio de more solemni factum observo, qui universitatis Oxoniensis initia vix aliunde quam Græcolada accersunt (3). *Tantam urbi Oxoniensi serio tribui a viro, sine controversia erudito, antiquitatem, vix credibile foret, nisi stupenda, magis nec minus serio, de Academiæ initiis, non a Woodo solum, sed et ab aliis multis vulgatissimi nominis viris, proponerentur, ubi scilicet de* Græcolada *et* Lechelada *(Academiæ juxta istos incunabilis) disserunt.*

Commenta de Græcolada,

2 *David Wilkins, notissimus ob præclaram* Conciliorum Magnæ Britanniæ et Hiberniæ *editionem,* Bibliothecæ *Thom. Tanneri, episcopi Asaphensis, Præfationem apposuit, in qua prolixe satis et ex professo* historiam litterariam Britannorum ante Cæsaris adventum complectitur; *ubi inter alia hæc*

(1) Britannia, Chronographical description. London 1769, t. I, p. 287. — (2) History of the city of Oxford, p. 10, not. *b*. — (3) Ant. Wood. historia et antiquitates universitatis Oxoniensis, lib. 1, p. 4. Oxoniæ 1674.

reperio

B. B. reperio (1). *Exstat Oxoniæ* venerandum antiquitatis monumentum, procuratorum libro insertum, quod academia Isiaca religiose servat, vulgo vocatum Historiola Oxoniensis. *In hac* Historiola, *prout recitatur a Woodo, sequentia ad rem nostram facientia leguntur.* Omnium autem inter latinos nunc exstantium studiorum universitas Oxoniensis fundatione prior, quadam scientiarum pluralitate generalior, in veritatis catholicæ professione firmior et privilegiorum multiplicitate præstantior invenitur, prout suæ fundationis insinuant historiæ Britannicæ perantiquæ. Fertur enim inter bellicosos quondam Trojanos, quando cum duce suo Bruto insulam tunc Albion, postmodum Britanniam *(ab ipso nomine* Bruti *sicut et* Britones *deductam ut serio notat Wilkins* (5)), ac demum dictam Angliam, triumphaliter occuparunt, quosdam philosophos adventantes, locum habitationis sibi congruæ in ipsa insula elegisse, cui et nomen videlicet *Grekelade*. Hi philosophi, qui Græci fuerant, usque in præsentem diem quasi sui vestigium reliquerunt. A quo quidem loco non longe municipium Oxoniæ noscitur esse situm, quod propter amnium, pratorum et nemorum adjacentium amœnitatem,
B *Bellositum*, olim antiquitas, postmodum *Oxenfordia* a quodam vado vicino sic dictum, populus Saxonicus nominavit, et ad locum studii prælegit. *Hactenus Anton. Wood* (3) *additque :* Hæc ut in aliis passim scriptis observantur, ita potissimum in *Historiola* nostra, quæ tempore regum Edoardi III *(qui regnavit ab anno* 1042 *ad an.* 1066 (4)) et Henrici IV *(ab anno* 1399 *ad an.* 1413 (5)) Statutorum codicibus, ad cancellarium et utrumque procuratorem pertinentibus, inserebatur : cui tamen quia nonnulli fidem censebunt elevandam, vel tamquam falsæ spuriæque, vel tamquam in propria causa testimonium adhibenti ; alios itaque, vel idem prorsus, vel tantumdem nobis propugnantes, authores adducam. *Citat autem Joannem Bramptonum seu Bromtonum cœnobiarcham Jorevallensem, tempore Richardi I (ab anno* 1189 *ad an.* 1199 (6)) *Lelandum aliosque. Nos eorum loco citabimus recentiorem scriptorem, magni in sua patria nominis, præfatum nempe Davidem Wilkins.*

et Lechelada,

6 Brutus, *inquit* (7), hortatus est philosophos *(quos ex Græcia et Italia itinerum socios fecerat)* manum operi *(tradendarum disciplinarum artiumque)* admovere, qui duo aperuerunt studia, quorum unum
C græci posuerunt apud Græcoladam (hodie *Cricklade* in Wiltonia) et ibidem linguam græcam docuerunt. Aliud vero latini posuerunt apud *Latinelade* (hodie *Lechlade* in comitatu Glocestriensi) linguam ibi latinam docentes, uti refert Joannes Bromtonus, magnæ auctoritatis historicus, qui, tempore Richardi I regis, annotante antiquario Oxoniensi *(puta Antonio Wood)* vixit. Cujus testimonio majus addit robur venerandum illud antiquitatis monumentum, procuratorum libro insertum, quod academia Isiaca religiose servat, vulgo vocatum *Historiola Oxoniensis.* Observatu dignum est, quod nonnulli recentiores scriptores de fundatione scholæ Lechladensis serram contentionis reciprocaverint (de Crickladensi omnes unanimi cum erudito Twino consensu adstruunt, quod origo Græcoladensium scholarum satis sit perspicua) ac illam demum post Saxonum adventum fundatam esse asserunt. Origo illius erroris ex auctoritate Joannis Rousæi Warvicensis antiquarii emanavit, qui diserte ait, in consortio virorum eruditorum, qui e Græcia cum Bruto venerant, nonnullos fuisse medicos, qui erant inter D
eos periti, quibus locum appropriarunt congruum et situ salubrem, qui usque hodie ab ipsis medicis *Lechlad* appellatur. Ast nimium enormis est hæc confusio temporis : quilibet enim saxonicæ linguæ cognitione vel mediocriter tinctus priorem vocis *Lechlade* partem, a Saxonico Leech derivatam, significare medicum novit; nemini autem ne per somnium quidem in mentem venire potest Saxones cum Bruto in Angliam venisse : quomodo ergo schola, tempore Bruti fundata, saxonico nomine appellari potest ? Hic autem lapsus judicii vel memoriæ venia dignus est in Rosso, qui, juxta Lelandi opinionem, erat vir majoris diligentiæ quam judicii; quem, si commodum respexeris, quod antiquarii ex ejus industria perceperunt, tanta contumelia afficere nolo, ut cum Caio dicam : *Equidem certe hominem infantem fuisse, ex scriptis existimo.* Ut quod res est dicam, defectus diversorum Britannicæ linguæ idiomatum, ansam dedit Rousæo, vel auctori primævo prototypo suo, hanc effingere etymologiam ; si enim vel leviter in ullo eorum versatus fuisset, facile hariolari potuisset, quod, sicut Græcolada est nomen in se Latino-Britannicum, uti doctissimus Twynus annotavit, E
ita Latinolada etiam est nomen Latino-Britannicum; unde successu temporis *Lathlade* et *Lechlade* absque ullo linguæ saxonicæ adjumento formabatur. *Hactenus Wilkins.*

7 *Atque hæc sunt quæ unanimi fere consensu tradunt antiquiores rerum Anglicarum scriptores; stupenda profecto nec facilem apud eruditos consecutura nostris diebus assensum. Nihilominus viri non vulgaris, imo et probatissimæ eruditionis, hæc omnia sua fecerunt, inter quos Lelandus (hic quidem subdubitans) Wilkins et præ cæteris Antonius Wood, qui quasi ex professo suscepit antiquitatem tum urbis tum academiæ adstruere. Pace autem tanti viri dixerimus, non illa eum proferre argumenta quæ mentis rapiant assensum : aliud enim vix præstat quam vetera Britannicæ historiæ oculis subjicere monumenta, in quibus re quidem vera hujusmodi de urbe et academia Oxoniensi deprædicantur, ast quo nixi fundamento hæc asseruerint, non dicit. Profecto non ob hoc solum fidem meretur narratio, quod reperiatur in manuscripto aliquot ante sæcula exarato, præsertim dum in ea tamquam certi assumantur eventus bello Trojano vicini. Addere præterea liceat* F
stupendum illam et urbis et academiæ antiquitatem propugnari ab iis præsertim qui Oxoniæ vel litteris bonisque artibus imbuti fuerunt vel illis tradendis ibidem operam contulerunt. Unde absque injuria saltem cogitare licet, studium gratitudinemque erga almam Matrem suam, effecisse, ut minus severos se exhibuerint in discutiendis sive traditionibus sive scriptis, quæ ad ejus gloriam facerent. Quapropter mirabitur nemo inter Angliæ eruditos non paucos inveniri qui hæc omnia non verentur in dubium vocare imo et anilibus fabulis aperte annumerare. Exemplo sit Camdenus, qui præterea longe aliam Græcoladæ et Lecheladæ assignat originem seu, ut aiunt, etymologiam.

rejiciuntur.

Opinio Camdeni de Græcolada

8 *In descriptione Wiltoniæ* (8) *agens de Græcolada (quæ sita ad ripam Tamesis, ab Oxonia distat fere* 25 *milliaribus ad occidentem inclinando versus meridiem) hæc habet.* *Crekelade* apud quosdam vocatur *Crecanford*, Cricgelada *etc.* Unanime fere omnium nostrorum historicorum monachorum (Monkish historians, *imo et aliorum; monachi enim non erant Wilkins, Leland, Wood etc.*) assertum de schola

(1) Bibliotheca Britannico-Hibernica. Londini 1748. *Præfat.*, p. VII. — (2) Ibid., loc. cit., p. VI. — (3) Historia et Antiquitates Oxoniencis, lib. I, p. 4. — (4) L'art de vérifier les dates, p. 775. — (5) Ibid., p. 784. — (6) Ibid., p. 778. — (7) Bibliothecæ, p. VII. — (8) Camden. Britannia, t. I, p. 96.

græca

A græca ibi fundata seu potius instaurata a Theodoro doctissimo Cantuariensi archiepiscopo, aliud non videtur habere fundamentum præter supposititiam nominis affinitatem (quæ non minus absona est quam dum ex *Lechlade* formatur *Latinelade*). Id primo in dubium vocatum fuit a Lelando in *Vita Alfredi*, qui suspicatur ob regionem paludosam alumnos *Bellositum* seu Oxoniam migrasse; et Ms. Bibliothecæ Trinitatis, citatum in notis ad Spelmannum item in *Vita Alfredi*, scribit *Greekislake*. Satis est Oxoniensi urbi fabulosam dedisse antiquitatem, quin opus sit duas præterea fundare academias, illam ætate superantes.... Nomen felicius derivaretur a voce britannica *Cerigwldd*, quæ regionem indicat lapidosam, quod etiam concordat cum natura soli; vel a duabus vocibus saxonicis quæ *rivulum* et *ostium* sonant, siquidem duo rivuli *(the Churn and Rey)* ibidem incurrunt in Tamesin

et Lechelada.

9 *Et infra in descriptione comitatus Glocestriensis* (1): Lechlade *(ad ripam Tamesis, ab Oxonia distans* 18 *circiter milliaribus ad occidentem deflectendo in meridiem)* erat Lelandi ætate *venustus et antiquus pagus habens ecclesiam cum turri lapidea*, nunc urbs parum conspicua; nomen suum habet B ab amne *Leche* dicto, qui ibidem Tamesin incurrit et voce *lade*, quæ latine *ostium* sonat. Nihilominus monachi *(utique non soli, ut ex præfatis constat)* ut suam scilicet stabiliant sententiam de fundata ibidem olim schola seu academia latina (sicut et græca ad *Crecklade* seu *Greeklade)* contendunt, scribendum esse *Latinelade*.

Quid hac in quæstione probabilius videatur.

10 *Cæterum facile quisque concedet urbem, quæ sanctæ* Frideswidæ *natalis fuit, antiquam esse, eamque ab omni retro tempore gloriam suam maxime mutuatam fuisse ab inclyta sua universitate; imo et lubens forte etiam subscribet verbis illis Christophori Cellarii :* Oxonia vulgo Oxford, Athenæ Anglorum, incertum cujus antiquitatis sit, aut quo olim usa nomine, quia antiqua illius memoria *(scilicet fide digna)* in historiis antiquis aut veterum geographorum lucubrationibus nulla reperitur (2).

Qua tempestate cœperint collegia et aulæ, quæ hodiedum Oxoniæ habentur.

11 *Quid recentiores et hodierni sentiant Oxonienses doctores de prætensa almæ Matris suæ antiquitate, haud obscure efficitur ex Calendario, quod singulis annis, sub eorum auspiciis vulgatur hoc titulo :* The Oxford University Calendar. *Ex quo juverit oculis nonnulla subjecisse. De Collegio Universitatis* (University college) *hæc habentur :* C Collegium hoc perhibetur fundatum ab Alfredo Magno, an. 872. Restauratum fuit a Guillelmo Dunelmensi, qui fertur archidiaconus item Dunelmensis. Pauca quidem ad nos de viro illo fide digna pervenerunt. Id solum scimus, fuisse rectorem in Wearmouth, loco præfati comitatus Dunelmensis; atque diem obiisse supremum, anno 1249, et certam reliquisse pecuniæ summam in perpetuam sustentationem aliquot magistrorum, *hac lege, ut,* qui oriundi essent ex locis Dunelmo vicinioribus, cæteris præferrentur. Prima emptio, ope præfati legati, facta noscitur anno 1253; primæva autem statuta condita sunt anno 1280 (3). — Balliolense collegium *(Balliol college)* fundatum fuit inter annos 1263 et 1268 (fundationis annus haud certo noscitur) a Joanne Balliol ex castello Bernardi, in comitatu Dunelmensi (hic pater fuit Joannis Balliol, regis Scotorum) et Dervorguilla, ejus uxore (4). — Collegium Mertonense *(Merton college)* primitus positum et fundatum anno 1264 Meandoniæ seu Maldoniæ in agro Surriensi, a Gualtero de Merton, episcopo Roffensi et Angliæ cancellario. Translatum postea fuit, scilicet ante annum 1274, Oxoniam *sub nomine* Domus scholarium de Merton (5).

B. D.

Antiquiora tria collegia fundata sæculo XIII.

12 *Tria hæc collegia, singula fundata sæculo decimotertio, ordine temporis prima veniunt. Reliqua sexdecim (decem enim et novem hodie numerantur, quibus addendæ* Aulæ *quinque, quæ quidem haud multum a collegiis proprie dictis differunt) posterioris sunt ætatis. Quædam ad sæculum decimum quartum spectant,* Exoniense *scilicet,* Orielense, Reginense, *alias* Reginæ Novum; *alia ad sæculum decimum quintum, nempe* Lincolniense, Omnium Animarum, Magdalenense; *alia ad sæculum decimum sextum,* Æneanasense, *id est* Ænei Nasi *(vernacule* Brasenose) Corporis Christi, Ecclesiæ *seu* Ædis Christi, Sanctissimæ Trinitatis, sancti Joannis Baptistæ; *alia ad sæculum decimum septimum, puta* collegium Jesu, Wadhamense *(a nomine fundatoris, Nicolai Wadham, sic dictum)* Pembrochianum; *aliud denique ad sæculum decimum octavum, nempe* Worcestriense.

Aulæ.

13 *Ad* Aulas *quod attinet, scribit Antonius Wood;* Ex ingenti Aularum et Hospitiorum, in Academia olim comparentium, numero, supersunt hodierno E die tantum septem, quæ quidem Togatis etiamnum in diversoria cedunt, Principalium subjacent ditioni, et ejusmodi nominibus internoscuntur.

I	Aula S. Albani	spectantes ad	coll. Merton.
II	Aula Cervina		coll. Exon.
III	Aula Edmundi		coll. Regin.
IV	Aula B. Mariæ		coll. Oriel.
V	Novum Hospitium.		coll. Novum.
VI	Aula B. Mariæ Magd.		coll. Magdal.
VII	Aula Glocestriensis.		coll. D. Johan. (6).

Quid intersit collegia inter et Aulas, hodie quinque numero superstites.

14 *Et Calendarium Universitatis Oxoniensis, superius laudatum* (7): Unicum, quod Collegia inter et Aulas, notatur discrimen illud est, quod Aulæ non sint Universitati, ut dicitur, incorporatæ; unde efficitur ut, quidquid possideant Aulæ sive latifundia sint sive aliud quodcumque, oppignorata Universitati censeantur et sint. Antiquis temporibus, Aulæ erant plurimæ. Sic sub Eduardo I, quando tria tantum exstabant Collegia proprie dicta, ad trecentas feruntur fuisse Aulæ. Et certe Joannes Peshall, nixus Woodi mss. codicibus, ducentas recenset. Aucto dein Collegiorum numero, plures Aulæ viciniores singulis incorporatæ fuerunt; aliæ in privatorum cesserunt domicilia; ita F ut, regnante Elisabetha, octo tantum remanerent; quarum de numero, postea tres rursus in Collegia conversæ sunt. *Supersunt proinde hodiedum Aulæ quinque ; scilicet* Sanctæ Mariæ, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Novi Hospitii, Sancti Albani *et* Sancti Edmundi. *Quæ, junctæ septemdecim supra memoratis collegiis, sedes efficiunt omnino viginti quatuor, habitationi sive togatorum sive alumnorum destinatas. Sunt præterea et alia multa ædificia ad Universitatis usum spectantia : Scholæ, Bibliotheca Bodleiana etc. etc.*

Conclusio

15 *Atque hæc dicta sint de præclarissima illa civitate, ex qua, ut apud omnes in confesso habetur, oriunda est sancta virgo* Frideswida, *quamque suis illustravit virtutibus et miraculis. Alia jam sese offert quæstio : quo scilicet nata sit tempore.*

Floruit S. Frideswida medio sæculo octavo.

16 *Convenit satis inter auctores, cum floruisse versus medium sæculum octavum. Quod vero spectat ad annum nativitatis, sicut et obitus ejus, nihil certi statui potest : nimium inter se discrepant scriptores,*

(1) Camden. Britannia, t. I, p. 282.—(2) Notitia orbis antiqui. Editio aucta a Conrado Schwartz. Lipsiæ 1773, t. I, p. 339. — (3) The Oxford university calendar, 1848, p. 240.— (4) Ibid., p. 247.— (5) Ibid., p. 253. — (6) Vide Antiquitates Oxon., lib. II, p. 338. Oxoniæ 1674. — (7) Calendar., p. 380.

ut

B. B.

ut ex sequentibus clarum fiet. Ad Frideswidam transeo, *ait Alfordus* (1), notiorem virginem inter Anglo-Saxones natam, sed tam domi quam foris cultam. Cujus res præclare gestæ et mors pie obita, quamvis certis annis consignari nequeant; consentiunt tamen authores in Cuthredi, regis occidentalium Saxonum, tempora incidisse. Et quoniam diserte ponitur in Martyrologio floruisse circa annum Domini septingentesimum quadragesimum, ideo huc potius referenda duxi, quæ passim de hac Virgine et sparsim dicuntur. *Regnavit Cuthredus ab anno* 740 *vel* 741 *ad annum* 754 (2). *Quod si regnare cœperit Cuthredus anno* 740, *non facile cernitur qua ratione affirmet Alfordus* Frideswidæ res præclare gestas, mortemque pie obitam in tempora Cuthredi incidisse. *Si enim mortua est anno primo hujus regni, vix ullus erit rebus præclare gestis locus. Præterea multum abest ut auctores consentiant in referendis S.* Frideswidæ *gestis ad tempora Cuthredi. In Historia ms. Joannis Tinemuthensis in Bibliotheca Bodleiana* (3) *legitur, teste Dugdale* (4) : Anno DCCXXXV. Frideswida virgo hoc tempore obiit. *In Lelandi collectaneis habetur :* Circa annum D. DCCXXVII. Didanus quidam subre-B gulus civitatem Oxenefordiæ incolatus sui frequentiæ honestabat. Safrida uxor Didani. Frideswida filia Didani et Safridæ. *Hæc valde indeterminata sunt : non enim definitur utrum annus ille sit nativitatis, an mortis, an fundationis monasterii; quod postremum magis forte concordat cum contextu. Additur in fine :* Obiit sancta Frideswida XIIII Kal. Novembris. *Ast nullus adjicitur annus. In Registro Oseneyen. in Biblioth. Cottoniana Vitellius* F. XVI *fol.* 4. B : Notandum quod Didanus rex Oxenfordiæ regnavit anno Incarnationis Dominicæ DCC circiter XXVI (5). *Vita Ms. inferius publicanda :* Floruit autem S. Frideswida circa annum Domini 750, et XIV Kalend. Nov. sæculum reliquit. *Mabillonius :* Vita sanctæ Frideswidæ virginis Oxoniensis in Anglia, *et in margine :* Circa an. DCCXXXV Oct. XIX (6). *Juxta Dugdale, fundavit Didanus monasterium Oxoniæ versus annum* 727 ; *quo tempore mortua est Safrida uxor Didani. Monasterio præfecta* Frideswida (7). *Malbrancus noster* (8) *mortem S.* Frideswidæ *refert ad annum* 749, XIX *Octobris. Legitur quidem in nota marginali annus* 759 ; *sed mendum est, ut patet ex posteriori alinea hujus capitis ubi legitur :* Eodem anno, qui fuit 749, Pipi-C nus *etc. Godwinus* (9) *agens de episcopis Oxoniensibus, ita orditur :* Circa annum salutis (si nostris credimus historicis) 730 Oxoniæ regulus quidam imperitabat nomine Didan *etc. Alium in decursu non ponit annum ullum. Baillet* (10) : Frideswidæ *Martyrologium Romanum,* quod eam vocat Fredeswindam, *meminit ad diem* XIX *Octobris, qui habetur ut dies obitus ejus, qui contigit anno* 735.

De anno nativitatis et obitus discrepant auctores;

17 *Non opus est diutius in hoc texendo catalogo immorari, cum satis appareat, circa epocham, qua sancta nostra Virgo floruit, aliud statui posse nihil, nisi quod ejus rex gestæ non multum ultra dimidium sæculi octavi protendantur.*

concordant circa diem festum

18 *Certius quid haberetur circa diem et mensem quibus S.* Frideswida *e vivis decessit, si constaret mortem ejus obtigisse, eo die, quo festa ejus celebratur memoria. Nulla enim hic apud scriptores invenitur sententiarum discrepantia. Quotquot videre potui, diem habent* XIX *Octobris. Ita Martyrologium Romanum ; ita Usuardus in Auctariis;* D *ita Breviarium et Missale Salisburiense. Cæterum concedimus libenter, ex hoc solo firmum desumi non posse argumentum quoad diem obitus ; cum plures occurrant rationes, ob quas frequenter festi in ecclesia vel populo dies, non coincidant cum diebus depositionis.*

§ II. Vitæ sanctæ Frideswidæ compendium. Præcipua ejus capita ad crisim vocantur. De horrore, quo Angliæ reges ab ingressu in urbem Oxoniensem prohibebantur.

Vitæ Synopsis, ex Lelando.

Q*uæ passim, apud varios scriptores, de sanctæ* Frideswidæ *vita memorantur, breviter et per modum sinopsis habes in Lelandi collectaneis* (11). Circa annum D. DCCXXVII. Didanus quidam sub- E regulus, civitatem Oxenefordæ incolatus sui frequentia honestabat. Safrida uxor Didani. Fridiswida filia Didani et Safridæ. Algiva, fœmina religiosissima, erudivit Fridiswidam. (Algiva forsan abbatissa monasterii sanctæ Mariæ Winton). Fridiswida fit sanctimonialis, et XII nobiles puellæ ejus exemplum secutæ sunt. Ex regis itaque munificentia diversoria religioni aptissima secus ecclesiam construuntur. Didanus conjugis nuper amissæ dolore percussus, ecclesiam infra urbis ambitum construxit, et in honore sanctæ Mariæ et omnium Sanctorum dedicatam, filiæ commendavit poscenti.

20 Rex Algarus inflammatus amore Fridiswidæ eam, quamvis monacham, in uxorem expetit. Fridiswida fugit, rapta navicula, per Tamesim ad Bentonam villam, decem millium passibus hinc distantem, et silvam vicinam petit, ubi in derelicto porcorum mapali, hædera obducto, delituit. Algarus comminatur excidium urbi Oxenefordensi, non inventa Fridiswida. Algarus in pœnam tyrannidis superum vi oculorum lumen amisit. Hinc innatus horror regibus Angliæ, ut nec unus profecto successorum ejus Oxenefordiam præsumat F intrare. Mansit Fridiswida tribus fere annis in solitudine præfata, sed non ignota incolis. Fridiswida, conscensa navicula propere venit ad prædium Oxoniensi civitati propinquum, quod Busencia dicitur, ubi oratorium construxit ac ædificia. Erat in prædicto prædio locus Thornebyri dictus, solitarius ac religioni aptus, ubi oratorium construxit. Fridiswidæ precibus fons erupit in Thornebyri. Obiit sancta Frideswida XIIII Kal. Novembris. Sepulta est in ecclesia sanctæ Mariæ Oxon. prope Tamesim. *Ita Lelandus apud Dugdale* (12).

Adduntur quædam ex Malbranco,

21 *Hæc passim reperiuntur apud rerum Anglicarum scriptores tum antiquos tum recentiores. Eadem habent* Mallebrancq (13) *et* Mabillon (14). *Uterque res gestas aliter paulo inter se coordinant, assignata etiam quadam annorum serie ; quo autem fundamento id faciant, cum ipsi non indicent, nec nobis in comperto habetur. Imo quoad Chronolo-*

(1) Annales ecclesiæ Anglo-Saxonicæ, ad an. 740, t. II, p. 552. — (2) Lingard. Hist. d'Angleterre, t. I, p. 163 Lovan. 1827. Item Art de vérifier les dates, p. 771. Paris 1770. — (3) Lib. XVII, cap. CCX. — (4) Monasticon. Anglic., t. II, p. 143. — (5) Dugdale, ibid. — (6) Acta SS. Ordinis S. Benedicti, sæc. III, part. I, p. 561. — (7) Monasticon. Anglic., t. II, p. 134. — (8) De Morinis, lib. IV, cap. LXVI, t. I, p. 582. — (9) De Præsulibus Angliæ commentarius. Londini 1616, p. 585. — (10) Vies des Saints. XIX Octob. — (11) Vol. I, p. 342. — (12) Monasticon Anglic., t. II, p. 143. Londini 1819. — (13) De Morinis, lib. IV, cap. LX, LXII, LXVI. — (14) Acta SS. Ordinis S. Benedicti, sæc. III, p. I, p. 561. Item Annalium, lib. XXI, n. 33.

giam

A *giam ex decursu hujus commentarii satis apparebit nihil certi statui posse, sive ex scriptoribus, sive ex antiquis monumentis. Insuper Mallebrancq, quem secutus est Mabillonius, alia quædam habet de S.* Frideswida, *quæ Angliæ scriptoribus vel ignota fuere vel prætermissa. Hæc tamen hoc loco adscripsisse non pigebit, cum antiquissima traditione Bomiensi (de qua inferius agemus ex professo) nitantur. Itaque post narratam* (1) Frideswidæ *de Algaro victoriam prosequitur* (2) :

scilicet S. Virginis in Gallias appulsus, et Romana peregrinatio.

22 Cum jam sibi reddita *(Frideswida)* esset, et superato principe, felicem ejus omnes deprædicarent victoriam, desplicuit magis sibi cum humanarum laudum applausu subeundum esse certamen. Quare satius esse duxit, solitariam vitam aliquot annis degere, et... in Morinos transfretare. Cuthredus in Anglia Westsaxonum sceptra moderabatur... duabus sodalibus stipata, rem furtim peregit et excensa ad Bononiam navi rectissimam illam viam Romanam... iniit. Mens erat tot jam Divorum reliquiis sacras ædes visere : sed placuit, cum pene Taruannam usque iissent, ad dexteram deflectere; placuit etiam colliculus a via ad dexteram dissitus paulo plus leuca, et modico vestitus nemore, e quo christallini fontis scaturientes aquæ in vicina prata venuste derivantur... Interea Marianam Taruannæ basilicam adire quandoque est in votis, nec non pias circumquaque sedes... quibus inter medium erat illud tenue in Bomico territorio domicilium. Sed longiores hic annos Anglicorum portuum vicinia trahere haud patiebatur. Salutarius esse ducit perigrinationis telam persequi et Rhemensem illam viam, quæ in Romanam perferret. Non reformidavit et Gallica *(sic)* et Alpes transcendere, ut omnia Urbis adiret sacraria : quod perfecit tanto pietatis sensu et virtutum splendore, ut in hodiernum diem illic ædicula ejus nomine dicata visatur. Jam ergo tam jucundo piorum locorum delibuta conspectu, viam relegere est animus; et Morinensibus rursum lustratis, quæ se obviam dabant, sacrariis, tandem Oxonium reditum est; quod alumnam suam gratius admisit quam olim Algarum : non enim suo ingressu vim inferre parat, sed beneficia quanto maxima conferre. Febriles complurium æstus extinguuntur, emundantur elephantiacam gerentes cutem, et istorum alteri osculum dare non refugit, quo statim integram sanitatem est consecutus.

Monasterio sanctimonialium, a patre suo Oxoniæ erecto, præficitur;

23 Etiam tunc temporis erat superstes Didanus parens, Oxoniensibus ob Fredeswidam in paucis charus : et non multo post tempore, Oxonii suis impensis insigne condidit cœnobium, loco sanctimonialium domiciliis peropportuno. Vix suum acceperat fastigium, ut magnus nobilium virginum affluxit numerus, quæ unicum Fredeswidæ expetebant contubernium, imo sibi unicam illam præfici. Igitur abbatissam advovere pontifices, et insueta gratulatione ab omnibus excepta est, et indies majori in veneratione habita : non enim apud Oxonienses hactenus ulla visa est, cujus ponderosiora apud omnes merita, cujus amplioribus experimentis probata sanctimonia, et mortificationis monasticæ studium, quæ etiam præsaga mente futura prædiceret.

ac tandem sancte moritur.

24 *Et rursus* (3) Fredeswidis, quæ non alienorum eventuum modo, sed etiam suorum præscia, sponsi amicissimi ad superos evocantis operiebatur nuntium. Cogit cubile capessere invaletudo : unde in promptu deferri curat sibi sacra mysteria. Quibus perceptis, cum jam ad extrema perduceretur, spondæ adstantes divas cernit Catharinam et Cæciliam, nec non permixtam Angelorum turmam. Eas præcipuo affectu in vivis fuerat prosecuta, earumque opitulationi sua, præsertim in Algarum, crediderat certamina. Hujusmodi conspectu, supra quam dici potest, exhilarata, inclamat nimium longas trahi moras : non potest quin adeo felici jungatur consortio : quod statim, virium deficiente præsidio, concessum est. Excessit e vita XII *(lege* XIV) Cal. Novembris.

Quid de Mallebranci narratione censendum.

25 *Hæc paulo latius ex Mallebranco descripsimus, tum quia nova quædam de sancta nostra Virgine tradunt, tum quia ostendunt quis sit auctoris illius in scribendo modus. Facile scilicet amplificat, rebus inducens adjuncta seu circumstantias quas supponit potius adfuisse quam probat. Cæterum id commune habet Mallebrancus cum plerisque ejusdem ævi scriptoribus, non vulgaris aliunde meriti.*

S. Frideswidæ nomen,

26 *Jam notanda quædam veniunt, quibus relata in synoptica hæc vitæ notitia partim evolvantur, partim elucidentur seu crisi subjiciantur. Varia ratione a variis scribitur nomen sanctæ Virginis. Plerique habent* Frideswida; *alii scribunt :* Fridiswida, Fritheswitha, Fredeswytha ; *Martyrologium Romanum habet* Fredeswinda. *Teste Baillet* (4) *in Gallia vulgo appellatur* Frewisse, *quod nomen præsertim obtinet in pago Bomiensi.* E

parentes.

27 *Didanus, pater S.* Frideswidæ, *vocatur rex, regulus, subregulus, quod aliud profecto hic non videtur dicere, nisi virum primarium exercentem imperium aliquod, ad modum toparchæ ; an vero potestatem hanc habuerit in urbem Oxoniensem, sicut et quousque potestas hæc sese extenderet, haud facile quis dixerit. Nomen* regis *satis commune videtur illis fuisse temporibus. In ipsis S.* Frideswidæ *actis ejus insecutor Algarus* rex *vocatur. Et legitur de Alfredo Magno, ipsum, dum fratres ejus regnarent, præfuisse minori cuidam regioni cum titulo* regis (5). *Fors ex his colligi potest quid regis nomen hac ætate significarit. Mater S. Virginis nostræ communiter appellatur Safrida ; Mabillonius eam vocat Frideswidam ; alterum non reperi qui eam hoc nomine appellarit. Ab omnibus exhibetur, ut matrona maximæ pietatis et meriti. Multo tempore ante Didanum conjugem suum, fato cessisse videtur, dumque filia in juvenili versaretur ætate. Tandem memoratur apud Mabillonium Algina quædam, sub cujus disciplina* Frideswida transacto quinquennio in diligenti educatione, litterarum studiis erudienda *tradita fuit.* F

Algarus.

28 *In vita Ms. sanctæ* Frideswidæ, *ex codice, in Balliolensi collegio Oxonii asservato, dicitur Algarus rex* Leycestræ. *Et in Monastico Anglicano* (6), *vocatur* rex Merciorum. *Porro regnum Merciorum inter præcipuas urbes numerabat Licestriam, Lincolniam, Oxonium etc. Ex his sequeretur patrem sanctæ Virginis nostræ subditum fuisse Algaro. Notat La Martinière* (7), *citans alium scriptorem* (8), tractum Licestriensem, Comitatus prærogativa fuisse insignitum ante Guillelmi, Normannorum ducis, ætatem *:* tres enim reperiuntur comites Licestrienses, Saxonum tempore : Leofrithus, Algarus, Edwinus. *Hæc ille. Quid autem sibi velit comitatus prærogativa seu dignitas, non facile quis definierit. Cæterum qui hic Comes vocatur, Algarus in vita S.* Frideswidæ, *Rex dicitur. Camdenus fusius paulo de iisdem comitibus agit.* Comitatus Li-

(1) De Morinis, lib. IV, cap. LX. — (2) Ibid., cap. LXII. — (3) Ibid., cap. LXVI. — (4) Vies des Saints, XIX Octob. — (5) Lingard. Histoire d'Angleterre, t. I, p. 191. Lovan. Edit. — (6) T. II, p. 134, nota e. — (7) Dictionnaire Géographique, ad verbum : *Leicester.* — (8) État présent de la Grande Bretagne, t. I, p. 82.

n. r.

cestriensis, *inquit*, perpetuo eminuit principum suorum excellentiori quadam dignitate. Cum jam ætate saxonica, jure hereditario gauderent, hic abscribam successionis seriem, secutus Thomam Talbot, rei antiquariæ apprime gnarum, qui ex publicis illam contexuit instrumentis. Tempore Ethelbaldi, Merciorum regis, anno Dñi 716, comes erat Licestriensis *(hinc perperam Algarus Merciorum rex superius vocaretur, nisi aliunde probetur hunc simul et regem et comitem fuisse)*. Leofricus cui successit in linea recta, Algarus I, Algarus II, Leofricus II, Leofstanus, Leofricus III (hic tumulatus fuit Conventriæ) Algarus III... Deficiente stirpe Saxonica... Comitatum Licestriensem adeptus anno 1102 est Robertus, genere Normannus (1). *Quæ omnia, si tamen fide digna censeantur, indicarent Algarum I vel* II, *illum ipsum esse, qui sanctam insecutus* Frideswidam *est. In re tam obscura, tantaque documentorum penuria, temerarium foret ulterius affirmare quidquam.*

Reges Angliæ Oxoniam ingredi multis sæculis reformidasse traduntur.

29 *Diximus supra regibus Angliæ insedisse horrorem quemdam, qui eos ab ingressu in urbem Oxoniensem arcebat, ex quo scilicet Algarus, dum sanctam insequeretur* Frideswidam *portas subiens, cæcitate percussus fuerat. Passim antiquiores scri-*
B *ptores horroris illius meminerunt.* Hinc, *ait Willielmus Malmesburiensis* (2), timor regibus inolevit Angliæ, illius urbis ingressum et hospitium cavere, quod feratur pestifer esse : singulis refugientibus, sui damno periculi, veritatem rei experiri. *Idem habet mutatis paulisper verbis, Mattheus Parisius* (3) : Hinc regibus Angliæ timor inolevit, illius urbis *(Oxoniæ)* ingressum et hospitium cavere, quod feratur pestifera esse illis, cum non velint rei veritatem suo damno et periculo experiri. *In eumdem modum loquitur vita Ms. quam inferius publici juris facimus :* Ob cujus equidem tyranni *(Algari)* supplicium innatus est horror regibus Angliæ, ut nec unus urbem Oxoniæ, ut fertur, præsumat intrare. *Item Alfordus* (4). Hoc miraculum percussi sanatique juvenis adeo innotuit, ut non solum authores illud passim referant, sed ipsi etiam reges scrupulose caverint portam illam civitatis ingredi, quam Algarus (hoc juveni nomen) magno infortunio fatalem sensit. *Notatu dignum est, horrorem illorum regum, ex Alfordo, restringi ad urbis ingressum per* illam portam *sub qua cæcus factus fuerat Algarus : dum supralaudati scripto-*
C *res de qualicumque ingressu agunt. Mallebrancq* (5), *vestigiis Alfordi insistens, opinatur Angliæ reges refugisse non qualemcumque, sed tantum habere* primarium suum *in urbem Oxoniensem ingressum per illam portam :* Exinde Angliæ reges per eam portam primarium in urbem ingressum moliri pepercerunt, seu nescio quid lævi inde sibi augurantes, seu Fredeswidæ ea in re deferentes nutibus. *In chronico Thomæ Witkes (qui floruit sub Eduardo primo, sæculo videlicet decimo tertio et ineunte decimo quarto) legitur ad annum* 1246 (6) : Anno regni Henrici regis *(tertii)* XLVIII non. Aprilis viz. die Sab. in vigilia Passionis, eo scilicet die quo universa per orbem ecclesia incipit canere : *Vexilla Regis prodeunt*, rex Angliæ cum fratre suo rege Alemanniæ *(Richardo)* cum Domino Edwardo filio suo, et militia copiosa veniens de parliamento Oxon, in quo primus ille rex Anglorum a multis retro actis temporibus civitatem Oxon andacter intraverat, spreta illa veteri superstitione, quæ *(qua?)* vulgariter dicebatur, quod beata virgo D
Fredeswytha suis precibus obtinuerat, adeo quod nullus umquam rex oppidum supradictum sine discrimine corporis posset intrare.

Nihilominus Henricus III Oxoniam ingreditur.

30 *Dugdal idem refert factum :* Illo tempore *(quo scilicet Robertus, alias dictus Joannes de Olney, prior esset monasterii S.* Frideswidæ) Rex Henricus tertius, non obstante traditione, quæ ut periculosum cuicumque regi exhibebat ingressum in monasterium, memorandam suam instituit visitationem. *Atque in nota adscribuntur verba ex historia majori Matthei Parisiensis.* Eo tempore Henricus rex, Oxoniam veniens personaliter orationis gratia, sanctam adiit Fredeswidam, quod nullus regum Angliæ ante ipsum audere præsumpsit, non veritus superstitiosam opinionem illorum, qui putant illicitum Anglorum regibus villam intrare, ultionem in illos virgine exercente (7). *Notandum vero est verba hæc non a Matthæo Parisiensi seu Parisio conscripta sed a Gulielmo Rishanger, monacho item sancti Albani, qui, ut habet Thomas Tanner* (8), *episcopus Asaphensis,* in historiarum contexendarum munere Matthæo successit, ejus etiam historiam ad ann. Henr. Tertii, ult. continuavit et obiit an. D. MCCCXIII. *Scilicet ut notat ibidem doctissimus* E
Tanner, statuerat subsistere Parisius ad annum Henrici III XXXV *seu incarnationis Dominicæ* 1250, *ut liquet ex verbis illis :* Hic terminantur fratris Matthæi Parisiensis, monachi sancti Albani, chronica (9). *Ast mutata dein sententia, opus suum resumpsit perduxitque ad annum Henrici III quadragesimum tertium, qui est Christi* 1259, *quo etiam anno Matthæus fato cessit. Continuatio Rishangeriana sese usque ad obitum Henrici tertii extendit, ut paulo ante diximus.*

Eduardus rex Oxoniam ingressurus, subito retrocedit.

31 *Unicum liceat addere ex chronico Thomæ Wikes* (10). Dominica, *inquit*, proxima ante festum sancti Petri ad vincula Dominus rex *(Eduardus I post Conquestum, alias IV)* venit Oxoniam, occurrentibus sibi cum inæstimabili solemnitate et lætitia viris religiosis diversorum ordinum, clericis, tunc licet paucis in municipio commorantibus, Burgensibus ejusdem villæ, cum innumerabili multitudine utriusque sexus, mulieres vero, cum pretiosis vestibus adornatæ, certatim sibi cereos sumptuosos præparaverant, et cum eisdem lucernis accensis, ob regiam honorificentiam, regi pariter et reginæ extra fores oppidi solemniter F
occurrebant ; et, licet oppidum ipsum pro tanti regis honorificentia contra primum ejus ingressum *(Eduardus enim primum ab occupato solio Oxoniam accedebat, anno scilicet regni sui tertio)* fuisset multipliciter adornatum, rex nescio quorum ductus consilio territus, ut credi poterat veteri superstitione derisoria, quod obtentu precum sanctæ virginis Frideswythe, nullus rex oppidum ipsum, patre suo duntaxat excepto, ausus fuit a multis retroactis temporibus introire, cum venisset ad portam orientalem, spreta villa, reflexis habenis equitans extra mœniam, aulam regiam in suburbio positam introivit.

Timebant sibi reges fatum Algari S. Virginem insequentis.

32 *Atque hæc ex variis adducta scriptoribus sufficiant, ut cuivis perspectum sit, regibus Angliæ per plura sæcula insitum fuisse horrorem, qui eos ab ingressu in urbem Oxoniensem retinebat ; hunc horrorem ab antiquis scriptoribus deduci ex infausto Algari fato, sanctam insequentis* Frideswidam ; *ex regibus nullum ante Henricum tertium (Woodus*

(1) Britannia, t. II, p. 196. — (2) De gestis Pontificum Anglor., lib. IV. De episcopis Dorcestriensibus seu Lincolniensibus. Vide : Rerum Anglicarum scriptores post Bedam præcipui. Londini 1696, p. 166. — (3) Mattæi Paris. Historia Major, Tuguri 1606, p. 62. — (4) Annales ecclesiæ Anglo-Saxon. ad an. 740, t. II, p. 552. — (5) De Morinis, t. I, p. 575. — (6) Historiæ Anglicanæ scriptores auctore Thoma Gale. Oxoniæ 1691, t. II, p. 60. — (7) Matth. Paris Hist. Angliæ. Henricus III, ad an. 1261. Tiguri 1606, p. 692. — (8) Bibliotheca Britannico-Hibernica, auctore Thoma Tannero. Londini 1718. — (9) Matth. Paris, ubi supra, p. 780. — (10) Ad an. 1275. Ubi supra, p. 102.

tamen

A *tamen, ut infra videbitur, censet Henricum II solemni B. Virginis nostræ translationi, anno* 1180, *interfuisse) Oxoniam ingredi ausum, quod diserte tradit Matthæus Parisiensis, nec ab eo discrepare videtur Thomas Wikes et Malmesburiensis; ipsius Henrici in urbem illam ingressum ab omnibus recenseri tamquam rem notatu dignissimam, idque propterea, quod inveterata esset illa opinio,* Frideswidam *infestam esse hujusmodi suscepto, quamquam superstitionis insimulent et reges horrori huic cedentes, et populum de salute principis ob ingressum trepidantem; denique non obstante facto Henrici tertii, qui horrorem hunc spreverat, filium ejus Eduardum adeo hac imbutum opinione fuisse, ut non sit veritus timore suum prodere coram innumerabili illa multitudine, quæ regi suo, primum in urbem intrare paranti, obviam veniebat cum ingenti pompa.*

quocumque modo urbem ingredirentur.

33 *Negari itaque haud potest hunc horrorem circa ipsum urbis ingressum obtinuisse; nec proinde facile assequimur unde tum Alfordus tum Mallebrancq* (1) *deduxerint, reges Angliæ veritos tantum esse Oxoniam intrare per* illam portam *sub qua cæcus factus fuerat Algarus, vel* primarium suum ingressum per eam portam habere. *Nisi forte quis*
B *dixerit, eos opinionem hanc suam satis fundatam existimasse in iis, quæ de Henrico et Eduardo supra retulimus; quorum alter urbem ingressus est, sed qua porta non reperio; alter ingredi non est ausus. Quod quidem posterius, per se loquendo, cum opinione Mallebrancqui conciliari posset, siquidem et agatur de* porta orientali, *et ex adjunctis manifeste declaretur, hunc* primarium *merito vocari potuisse* ingressum. *Obstat tamen quod Wikes, factum Eduardi referens, nihil habeat ex quo concludatur regem haud formidatum iri per aliam, quam orientalem, portam introire. Videtur itaque nobis antiquiores rerum Anglicarum scriptores nullo modo suffragari sententiæ, quæ prædictum horrorem ad certam restringat portam, vel ad primarium ingressum. Hinc etiam nec Dugdal, nec Camden, nec Ant. Wood hujus nec alterius cujusvis restrictionis mentionem faciunt.*

Utrum rex Henricus II adfuerit translationi reliquiarum S. Frideswidæ.

43 *Imo postremus, scilicet Ant. Wood ad annum* MCLXXX *meminit, regem Henricum II Oxoniam venisse. Ita enim legitur* (2) sub hæc tempora sanctæ Frideswydæ reliquiæ e templi eidem nuncupati obscuriore loco, in magis conspicuum deportantur; *rege* ipso, episcopis, regnique optimatibus
C translationem illam condecorantibus. *Quod si ita se habeat temere asserit Parisiensis ex regibus nullum ante Henricum tertium Oxoniam ingredi ausum. Eadem asserti sui facere videtur Wood Philippum, priorem sanctæ* Frideswidæ, *in lib. Ms. de miraculis ejusdem Sanctæ. Librum hunc, Oxoniæ asservatum et hucusque ineditum, ad calcem actorum nostrorum S.* Frideswidæ *publici juris facimus. Hic illa apponemus verba, ex quibus statuere valeat eruditus lector, quo jure asserat Woodus Henricum II, ex mente Philippi prioris, præfatæ Reliquiarum translationi adfuisse præsentem. Postquam itaque dixisset, se scriptionem suam de* Miraculis S. Frideswidæ *inchoaturum* ab ejus Translatione, quæ facta est anno ab Incarnatione Domini MCLXXX, regnante illustrissimo rege Anglorum Henrico secundo; *huncque* eo tempore propter maxima et ardua regni negotia, *Archiepiscopum Cantuariensem, aliosque episcopos plures, proceres quoque et magnates regni* apud Oxenefordiam convocasse; *subdit Philippus:* Prædicto igitur invictissimo rege votis favente, suumque benignissime præbente consensum, ad preces et instantiam Philippi tunc prioris et totius conventus, pridie idus Februarii, idem venerabilis archiepiscopus, convocatis secum Domino Ricardo Wintoniensi, Galfrido Helyensi, Johanne Norwicensi episcopis, præsente venerabili viro magistro Alexio tunc temporis, ex delegatione Domini Papæ, Scotiæ legato, et magistro Johanne tunc quidem electo sancti Andreæ, ad ejusdem gloriosissimæ Virginis ecclesiam accedens,.... sepulcrum maxima cum devotione aperiens.... gloriosæ Virginis ossa de sepulcro transtulit, et in feretro ea collocavit *etc. In his nihil est quod regis præsentiam diserte indicet; contrarium nobis verosimilius videtur, idque suadent verba:* rege votis annuente, suumque benignissime præbente consensum : *si enim Translationi rex præsens adfuisset, ut quid hoc non vigilantiori aliquo indicasset verbo Philippus, qui tam accurate alios nominat assistentes? Nec ex eo quod Henricus tunc Oxoniæ, seu potius* apud Oxenefordiam *comitia haberet, non sequitur eum urbem fuisse ingressum, cum* aula regia in suburbio extra mœniam posita *esset. N.* 31.

S. B.

35 *Supervacaneum foret latius hic discutere in quantum horror ille rationi fuerit consentaneus.* Vetus *passim et* derisoria *vocatur* *superstitio in* E
antiquis annalibus et chronicis; nec suppetit cur aliam nos feramus sententiam. Sufficiat notare ex antiquo illo regibus Angliæ ab immemoriali insito horrore argumentum haberi irrefragabile cultus etiam ab immemoriali sanctæ virgini Frideswidæ *in urbe Oxoniensi exhibiti, et opinionis quæ per totam regionem de ejus apud Deum potentiam et gratia invaluerat.*

Peregrinatio S. Frideswidæ romana non satis probatur;

36 *Meminit Malbrancus itineris a sancta* Frideswida *Romam versus suscepti; additque suo etiam tempore (medio sæculo decimo septimo) exstitisse Romæ sacellum eidem sanctæ Virgini dicatum. Peregrinationis illius romanæ mentionem non faciunt scriptores rerum Anglicarum; videturque Malbrancus conjectura solum nixus eam asseruisse. Hinc etiam Mabillonius* (Observationes præviæ in vitam sanctæ Frideswidæ (3)) *haud multum se fidere ejus asserto ostendit, cum scribat:* Romæ oratorium etiam nunc obtinere dicitur apud Malbrancum.... qui propterea opinatur eam Romam aliquando profectam esse. *Addit idem Mabillonius alibi* (4): Legitur in chronologia Saxonica: *Frithogita quædam Romam perrexisse dicitur anno ejus sæculi tricesimo sexto;* quæ si Frideswida est, in annum F
sequentem mors ejus differenda. *Nescio quo usus sit Mabillonius chronici Saxonici interprete. Gibson* (5) *ita habet:* Anno DCCXXXVII. Hoc anno, Fortherus (Scereburnensis) episcopus cum Frithogitha (West-Saxonum) regina profectus est Romam. *Simile quid legitur in Rogero de Wendover* (6), *nuper edito ab erudito viro Henrico Coxe M. A., cujus numquam non memini absque intimo gratitudinis sensu.* Anno Domini DCCXXXVIII Fortherus, Sciereburnensis episcopus cum regina occidentalium Saxonum, relictis possessionibus splendidis, Romam profecti sunt, quod multi in illis diebus reges, episcopi, nobiles et ignobiles, clerici et laici cum mulieribus hæc fecerunt. *Reginæ nomen desideratur. Notat autem D. Coxe, id referri in chronico Sax. et Florentio ad annum præcedentem, et reginam vocari Frithogitam, ab Huntingdon autem appellari Frigedidam vel Fridegiam. Nostra ætate nullum hujusmodi oratorii subsistit vestigium; nec illius etiam mentionem reperio in notitiis antiquorum in Urbe sacellorum. In eumdem sensum repetitis vici-*

(1) Locis citatis. — (2) Wood hist. et antiquit. univers. Oxon., p. 55. — (3) Acta SS. Ordinis S. Benedicti, sæc. III, part. I, p. 561. — (4) Ann., t. II, p. 94. — (5) P. 54. — (6) Chronica sive Flores Historiarum, nunc primum edidit Henricus O. Coxe M. A., t. I, p. 225. Londini 1841.

bus

bus responsum nobis Roma fuit. Transalpinum itaque illud iter mihi undequaque est suspectum. Vehementer dubito, an umquam tale Romæ exstiterit oratorium; quod si etiam daretur, non exinde statim efficeretur sanctam Frideswidam *eo peregrinatam fuisse.*

nec ejusdem apud Morinos Bomienses commoratio.

37 *Imo nec quod in Morinis, dum viveret, versata fuerit, ullo mihi probato constat argumento. Nam, utut ejus cultus apud Bomienses (quod infra probabitur) sit et antiquus et celebratus; utut ibidem ab immemoriali exstiterit sacellum ab ejus nomine dictu; hæc per se non satis probant sanctam Virginem eo venisse, cum aliæ multæ sint rationes quæ ejus cultui ansam seu originem præbere potuerint; præsertim quod plerique Sanctorum in multis colantur regionibus, quas per vitam suam mortalem numquam adierant. Atque hæc omnia tanto magis valent, quod scriptores Angli sive antiqui sive recentiores non magis meminerint prætensæ peregrinationis apud Morinos quam apud Romanos:*

Quædam ad topographiam spectantia explanantur.

38 Frideswida *(ita Lelandus; vide supaa n. 20)* fugit per Tamesim ad Bentonam villam, decem millium passibus hinc *(Oxonio)* distantem... Mansit Frideswida tribus fere annis in præfata solitudine *(ad Bentonam)*. Deinde conscensa navicula venit ad prædium, Oxoniensi civitati propinquum, quod Buseneia dicitur, ubi oratorium construxit ac ædificia. Erat in prædicto prædio locus Thornebyri dictus, solitarius et religioni aptus, ubi oratorium construxit. Frideswidæ precibus fons erupit in Thornebyri. *In his primum quædam explananda ad topographiam spectantia; deinde alia addenda speciatim de fonte.*

Tamesis

39 *Dicitur santa* Frideswida *Oxonio fugisse* per Tamesim. *Urbs Oxoniensis duobus irrigatur fluviis, Iside et Cherwello, qui posterior ibidem incurrit in priorem. Hic deinceps cursum suum, servato Isidis nomine, prosequitur, donec Dorcestriam (viginti fere ab Oxonio milliaribus si fluvium sequaris, decem vero si directa tendas via, dissitam urbem) veniens confluit cum altero flumine* Tame *nuncupato, atque exinde Tamesis vocatur, nominibus, ut acute nec ita improbabiliter notat Camdem, utriusque fluvii* (Tame et Isis) *in unicam vocem conflatis. Hæc tamen non impediunt, quominus Isis, ante suum cum Tame confluxum, sæpius Tamesis appelletur, tum apud veteres tum apud recentiores.* Oxonium, *ait Joannes Rossus*, situatur inter flumina Thamisiæ et Cherwelli ibi obviantia (1). *Non ergo culpanda legenda est, quod S.* Frideswidam *per Tamesim fugisse dicat.*

Bentona seu potius Bendona.

40 Bentona, *ut scribitur apud Lelandum sicut et in legenda inferius edenda, nunc locus est,* Bensington *seu* Benson *dictus, ad Tamesim seu Isidem; ast amplius quam decem milliaribus ab Oxonia dissitus. Hinc in altera vita Ms. S.* Frideswidæ, *Oxonii in Balliolensi collegio servata, loco* Bentona *legitur* Bendona *seu* Bendonia, *quæ lectio magis correcta et vera videtur: hac enim voce indicatur* Abingdon *(Abingdonwater) ad Tamesim atque decem milliaribus ab Oxonio distans. In* monastico Anglicano (2) *admittitur prior lectio scilicet* Bentona. *Hanc notationem in acceptis referimus laudato Henrico Coxe (de quo plura inferius). Hic enim mihi, cum Oxonii versarer, variam codicis Balliolensis indicavit lectionem, hujusque, prout hoc numero continetur, subjecit interpretationem, ab aliis quoque in Bibliotheca Bodleiana viris eruditis probatam.*

Buseneia; hodie Binsey.

41 Buseneia, Binseye, Bunsey, *hodie* Binsey, *antiquus est vicus juxta Isidem, haud procul ab Oxonio. Nomen istud (auctore Somner, quem citat Peshall (3)) videtur derivari a duabus vocibus Saxonicis* bene *et* eu, *quæ* insulam precum *sonant, cum eo supplicatum frequentissimi irent ad S.* Frideswidam *ejusque fontem* Marywel *(fontem Margaretæ) dictum. Hac occasione, superstitionem, more protestantibus seu evangelicis solemni, clamat Peshall. Posset, rursus juxta eundem, derivari Bunsey a* Bun *et* eu, *atque interpretaretur* insula juncorum seu scyrporum, *cum crescat ibidem Lysimachea; vel tandem a* Bin *et* eu, *id est,* in media aqua. *Quidquid de his admittatur nostra parvi refert. Saxonum tempore locus ille pertinebat ad Divanum (communius Didanum) regem seu Dominum Oxoniensem; qui rogatus a filia* (Frideswida), *locum hunc cum aliis prædiis adjacentibus, donavit monasterio (quod postea prioratus fuit S.* Frideswidæ) *erecto ab eodem Didano versus annum 727. Quæ quidem donatio confirmata a pluribus regibus summisque pontificibus legitur.* Notandum *(ita in registro S.* Frideswidæ) quod prædium nuncupatum Bunseye, cum Hundredo et aliis libertatibus, fuit tempore, quo sancta Frydeswida corpore vixit, prædicto monasterio donatum, et postea per chartas regum et summorum pontificum aliorumque honorifice, ut superius patet, confirmatum. *Constat etiam, regnante Eduardo I, priorem S.* Frideswidæ *possedisse hamum,* Bunsey *dictum, in suburbio Oxonii,* et jacet pro dimidia hyda terræ, *ut habetur in Instrumento illius ætatis. Res ita permansit usque ad prioratus dissolutionem, cum illius bona omnia concessa fuerunt collegio a Wolseio fundato. Nunc vero Binsey spectat ad ecclesiam Christi* (4). *Quæ ad prioratus vicissitudines, dissolutionem, collegii cardinalitii fundationem, et sedis Oxoniensis erectionem pertinent, infra ex professo tractabimus.*

Capella ibidem a S. Frideswida *ædificata:*

42 *Haud procul a Binsey* (5) *(quarta circiter milliarii parte) stabat olim ecclesia seu sacellum, nunc dirutum. Et cratibus seu viminibus fuerat contextum, informi superposita lignorum compage, et quidem ab ipsa S.* Frideswida *in honorem sanctæ Margaretæ versus annum 730. Cum autem terram hanc sive prædium sibi proprium haberet, et valde ejus solitudine delectaretur, sacello alia addidit ædificia, quo ipsa simul cum suis monialibus, quibuscum Oxonii convivebat, ab urbis tumultu hinc inde secedere valeret. Postea reædificavit sacellum ædesque ampliavit, ut aptius et quietius statis temporibus solitudini vacarent. Temporis decursu, coquoque mittebantur discoli, pœnas daturi suorum in fratres et priorem commissorum, sive carcere inclusi obscuro, sive consueta mulctati commestione, aliisque id genus. In repositorio seu loculamento chori, spectabatur præclara S.* Fredeswidæ *statua, multo pretiosoque ornatu decora.* Ad hanc confluebat superstitiosa populi turba *(ita rursus Peshall genio reformatæ religionis indulgens)*; quæ frequenti in genua provolutione pavimentum attrivit, quale et nunc cernitur (6). *Ecclesia hæc seu potius Capella (ita enim legitur in generali taxatione:* Capella de Binsey pertinens ad priorem sanctæ Frideswidæ VI s. et VIII d.) *ex lateribus coctis ædificata est, absque spira seu turri. Sexdecim virgas* (yards) *habet in longitudine, sex in latitudine. In fenestra chori ad orientem, depictus cernitur Christus Salvator cum cruce; item virgo crucem gestans, quæ supponitur esse vel Margareta, vel S.* Frideswida. Hodie beneficium *est, inquit Peshall*, quinquaginta valens libras Anglicas; et dependens ab ecclesia Christi, cui annexum fuit ab Henrico VIII.

juxta quam reperitur fons.

43 *Ad latus capellæ, tribus quatuorve distans passibus,*

(1) Wood. Hist. et Antiquitates, p. 6. — (2) T. II, p. 134, not. c. — (3) Antient and present state of the city of Oxford, in-4° 1773, p. 319. — (4) Id. ibid. — (5) Peschall. Ibid., p. 320. — (6) Ibid.

D. B.

passibus, erat celeber S. Margaretæ fons, quem, ut fertur, S. Frideswida precando aperuit, dum præfatam ædificaret capellam. Laudat Peshall versus quosdam antiqui poetæ Angli de fonte illo agentes, quos, si libeat, vide Opere cit. (1). Fonti impositum fuerat operculum lapideum cum imagine Frideswidæ, quam dejecit prætor vel scabinus (Alderman) Oxoniensis Sayre, anno 1639.

fidelium concursu celeberrimus.

44 Ad fontem, sicut et ad Imaginem et Reliquias in capella servatas, accurrebat frequens populus, ingenti cum fiducia obtinendi in angustiis solatii, vel in rebus dubiis consilii. Oraculi enim instar locus ille habebatur. Quando quis vel mutilatus vel debilitatus, sive ingressus sive potatus tantum aquas, sanabatur, suspensa relinquebat sustentacula, quibus fulciri solitus erat, in testimonium recuperatæ valetudinis. Quare, sumptibus prioris sanctæ Frideswidæ, aliquot ibidem morabantur presbyteri, qui accedentium exciperent confessiones, et cætera divina administrarent. Quinimo Sackworth, vicus (cujus hodie ne unum quidem videre est lapidem) in adversa fluminis ripa, dimidio fere distans milliari, in civitatem excrevit haud spernendam ex continuo et frequenti peregrinantium concursu. Viginti quatuor in ea numerabantur hospitia. Pons fluvio superpositus erat, quo ad sacellum patebat accessus. Unde illac iter erat consuetum tendentibus Oxonium ex Einsham et circumjacenti regione ad occidentem. Postea tantum surrexit urbs Bosley dicta, qua hodie venitur Oxonium ex præfatis regionibus. Notat quoque Peshall (5), lapides aratro exhumari, urbis et pontis reliquias; plurimi etiam reperiuntur in imo fluvio. Denique aliquot sæculis, ingens fuit peregrinantium ad fontem concursus; ita quidem, ut centum fere annis ante prioratus dissolutionem, apponenda fuerit porta obserata, licet jam antea circumtinctus ædicula esset. Quæ ædicula, ait Ant. Woodus, ante 25 annos dejecta atque ablata est. Nunc vero locus ita urticis ranisque abundat, ut vix fontem suspiceris. Cum Oxonii morarer, mense Augusto hujus anni 1850, adivi Capellam in Binsey. Res se habent fere adhuc, ut refert Peshall. Vestigia fontis vix et ne vix quidem ulla apparent. Sacellum constat duabus partibus : sanctuario et specie quadranguli eidem annexi. Sanctuarium majorem quam quadragulum præ se fert antiquitatem. Si fides incolis est, erat fons ad partem quadranguli Sanctuario oppositam ; nunc vero penitus oppletus est. Ad latus dextrum Sanctuarii habetur parvum loculamentum, ex quo depromebatur aqua ex fonte deducta, ita saltem fert loci traditio. Cæterum nulli hodie videntur peregrini, et fons S. Frideswidæ prorsus oblivione datus est.

Thornebury.

45 Restat ut quædam addamus de voce Thornebury. Si fides Lelando est, prædium, de quo supra, vocabatur Buseneia; et in prædio erat locus Thornebury dictus; ubi et constructum a Frideswida Oratorium, et fons ejus præcibus apertus. Notatu dignum est in Legenda, inferius edenda, non fieri de Buseneia mentionem. Tandem Oxoniam rediens, ne sororibus in cœnobio demissis onerosa esset, in loco quodam juxta urbem, multis arboribus consito, nomine Thornebury, oratorium ædificiaque construxit, fontemque usque hodie jugiter manantem præcibus et meritis impetravit. Atque hinc probabiliter est, quod asserat Peshall, primitus, Saxonum tempore, prædium vocatum fuisse Thornebury, ut habet, inquit ille, liber S. Frideswidæ, post conquestum vero audiisse Benseye sive Bunsey ; frequentius tamen Benseye, prout etiam legitur in charta Eduardi I anno 1122. Id certum, in territorio Oxoniensi nullum reperiri pagum vel vicum aut urbem hoc vel simili nomine dictum. Bury, juxta etymologiam Saxonicam idem sonat ac tumulus, acervus, mons, atque exinde Thornebury significaret Tumulum seu Monticulum spinis (Thorn) consitum (3). Juxta Kennett non est confundenda vox Berie cum voce Bury. Beria, anglice Berie, campum indicat planum vastumque ac proinde, posito legendum esse Thornebery seu Thorneberie, ageretur de campo spinis consito (4). Nec sane repugnat hanc vocis admittere originem, cum plurima loca in quavis regione eadem ratione nomen suum sortita sint. Si itaque Lelando stemus, universo prædio, primitus nomen Buseneia obtigisset, pars autem ejus vocata fuisset Thornebury. Alii, ut Peshall, inhærentes legendæ, in qua Buseneiæ non occurrit mentio, ponunt prædium ab initio nuncupatum Thornebury ; postea autem invaluisse vocem Buseneia, item, ut supra vidimus, desumptam sive ex natura soli, sive ex peregrinorum, eo orationis causa accedentium multitudine. (Confer sapra n. 41.)

Adduntur quædam ex Registro Osneiensi.

46 Huc refertur quod habet Registrum Osneyense, abbatiæ nempe canonicorum sancti Augustini, cujus postremus abbas, Robertus King, factus est episcopus Osneiensis, erecta scilicet abbatia in sedem episcopalem ab Henrico VIII anno 1542 ; deinde, anno 1546, translata eadem sede, ab eodem principe, ad ecclesiam Christi, primus episcopus Oxoniens s. Datæ præcitatæ satis indicant sedes illas erectas cum jam Henricus a fide romana defecisset. Tandem haud abs re fuerit, prævie notare, non procul ab Osney, progrediendo occidentem versus, reperiri Binsey. Jam ad verba Registri veniamus. Notandum quod Didanus, quondam rex Oxenfordiæ, regnavit anno incarnationis Dominicæ DCC circiter XXVI. Iste rex Didanus, pater fuit sanctæ Frideswidæ, qui sibi hunc locum dedit optatum, et monacharum habitum dari fecit : ecclesiam, diversoriaque religioni aptissima secus eam, construxit, ut patet in vita beatæ Virginis. Item patet ibidem, quod locum illum, qui tunc dicebatur Thornebirie, nunc autem Benseya, eadem Virgo pacifice optinuit ; nam ibidem latitando fontem præcibus impetravit, et unum a dæmonio vexatum, et alterum cujus manus securi adhæserat, liberavit. Ex registro Oseneyen. in Bibl. Cottoniana, Vitellius E. XVI fol. 4 b. Quæ quidem verba aperte favent sententiæ Peshalli.

Conclusio.

47 Atque hæc, longe maximam partem hausta ex Peshalli historia civitatis Oxoniensis, ostendunt sanctæ Frideswidæ legendam in notationibus topographicis valde accuratam esse, quod non parum utique ad ejus commendationem facere nemo non judicaverit.

§ III. Monasterium S. Frideswidæ Oxoniense. Ejus initia, vicissitudines. Incendium ineunte sæculo undecimo; dubia circa Chartam Ethelredi regis, qua illud memoratur. Fit Prioratus monachorum S. Au-

(1) Peschal. Antient and present state of the city of Oxford. in-4°, 1773, p. 321.— (2) Ibid., p. 321 et 322.— (3) Vide Etymologicon Saxonicum, seu explanatio vocum Anglicarum etymologica et propriis fontibus, auctore Stephano Skinner M. D. Londini 1671. — (4) Vide Parochial antiquities by White Kennett DD. Oxford 1818. In Glossario.

Clemente

B. B.

gustini. Supprimitur a Clemente VII, in gratiam fundandi a Wolseio Collegii, ac tandem in sedem Episcopal. ab Henrico VIII erigitur. De Ecclesia S. Frideswidæ.

Monasterii S. Frideswidæ origo et initia.

O*riginem monasterii sanctæ* Frideswidæ *ita paucis exequitur Dugdale* (1). Frideswide seu Fridiswida, quæ olim colebatur tamquam patrona urbis Oxoniensis, dicitur fuisse filia Didani, subreguli seu minoris dynastæ *(petty prince)* in illis partibus, qui versus annum 727, mortua conjuge sua Safrida, fundavit ibidem monasterium duodecim nobilium puellarum, quibus præerat ejus filia. Cum ibi sepulta dein fuisset Frideswida, ac postea in numerum Sanctorum relata, monasterium illud decursu temporis ejus dedicatum fuit memoriæ et ab ejus nomine nuncupatum. *Similia tradunt quot-* B *quot inter Angliæ eruditos de hoc monasterio scripserunt. Unanimiter omnes ejus originem repetunt ab ipsa* Frideswida. Tunc... *(post devictum scilicet Algarum)* Virgo beata constructo ibidem *(Oxoniæ)* monasterio, virginibus congregatis, usque ad extremum vitæ suæ Deo placens, illis præfuit nomine Abbatissæ. *Ita apud Franciscum Godwinum Parisius, qui, ut ibidem scribit Godwinus,* ex Malmesburiensi hanc videtur hausisse narrationem (2). *Atque reipsa concordat Malmesburiensis* (3); *namque ita habet :* Hinc timor inolevit regibus Angliæ illius urbis *(Oxoniensis)* ingressum et hospitium cavere : quod feratur pestifer esse; singulis refugientibus sui damno periculi veritatem rei experiri. Ibi ergo femina, virginei triumphi compos, statuit monasterium, et diebus suis sponso vocante subivit fatum. *In eumdem sensum loquitur Alfordus* (4) : Oxoniensis urbs Frideswidæ munere celebritatem nacta, vix alio nomine hoc sæculo innotuit. Ibi enim pia virgo, erecto monasterio, religiose vixit, et allectis ejusdem instituti sodalibus, exemplo præfuit, *usque ad exitum vitæ suæ Deo placens* inquit Pariensis. Ibi denique sancte moritur. *Nec plura addere testimonia opus est. Ex his satis liquet quæ* C *sit monasterii sanctæ* Frideswidæ *origo. Constat etiam a sacris virginibus ab initio inhabitatum fuisse. Quanto vero tempore illud ipsæ tenuerint non ita facile quis dixerit.* Abbatissarum, *inquit Peshall* (5), post S. Frideswidam, nulla usquam reperitur mentio.

A Danis dispersæ moniales locum cedunt Canonicis.

49 *Dugdale* (6) *tradit eas dispersas fuisse* tempore Danicorum bellorum (in the Danish wars). *Quod valde indeterminatum quoad annos est. Triplicem Danorum incursionem notat Lingard* (7) *jam sæculo septimo;* post, *inquit,* exeunte regno Egberti *(qui obiit anno* 836) singulis quasi annis redibant piratæ illi et quidem numero semper aucti, *donec tandem versus initium sæculi undecimi rerum potiti sunt,* eorum duce et rege Canuto in regem Anglorum ab omnibus unanimiter electo. *Itaque ex verbis Dugdalii certo colligi nequit, quo anno moniales canonicis locum cesserint. Mabillonius* (8) *asserit* S. Frideswidæ Monasterium sæculo undecimo canonicis regularibus datum. *Dugdale scribit,* canonicos fuisse sæculares (secular canons), *atque in* D *confirmationem adducit* Registrum Oseneyen. *(de quo supra diximus num.* 49 (9)), *ubi inter alia hæc leguntur :* Post gloriosum beatæ Frideswidæ obitum, per intervalla temporum, amotis monialibus, introducti sunt canonici sæculares. *Quæ quidem introductio ante sæculum undecimum, ex eodem registro, contigit, cum immediate post citata verba addatur :* Postea anno millesimo quarto... combusti sunt apud Oxonium omnes *(Dani)*, qui illuc *(in monasterium)*, confugerant, cum ecclesia, libris et ornamentis (10). *Conciliari posset Mabillonius cum Dugdalio, si dicatur jam ante sæculum undecimum dispersas moniales fuisse, eisque successisse primum canonicos sæculares, tum vero regulares. Ex infra dicendis constabit hujusmodi mutationes in eodem monasterio semel atque iterum postea obtigisse.*

Ineunte sæc. XI incenditur monasterium.

50 *Inter monasterii* Frideswidiani *vicissitudines varias, singulari mentione dignum est incendium, ineunte sæculo undecimo. Illius causas et effectus reddit Malmesburiensis* (11). Apud Oxenford magnum concilium est congregatum Danorum et Anglorum, ubi rex *(Ethelredus)* nobilissimos Danorum Sigeferdum et Morcardum interfici jussit delatione proditoris Edrici, perfidiæ apud se insi- E mulatos. Is illos favorabilibus assentationibus deceptos, in triclinium pellexit, largiterque potatos, satellitibus ad hoc præparatis, anima exuit. Causa cædis ferebatur, quod in bona eorum inhiaverat. Clientuli eorum necem dominorum suorum vindicare conantes armis repulsi et in turrim ecclesiæ sanctæ Frideswidæ Oxoniæ coacti : unde dum ejici nequirent, incendio conflagrati sunt. Sed mox regis pœnitentia eliminata spurcitia, sacrarium reparatum. Legi ego scriptum, quod in archivo ejusdem ecclesiæ continetur, index facti (12). *Et rursus idem Malmesburiensis* (13) : Tempore vero Egelredi *(alias* Ethelredum *scribit)* cum Dani neci adjudicati in monasterium illud confugissent, pariter cum domibus insatiabili ira Anglorum flammis absumpti sunt. Sed mox regis pœnitentia purgatum sacrarium, restitutum monasterium, veteres terræ redditæ, recentes possessiones additæ (14). *Ita pariter Parisius* (15) : Hoc autem monasterium tempore Anglorum regis Ethelredi, Danis neci adjudicatis, et causa salutis in illud confugientibus, discurrentibus flammis, cum eis consumptum est. Sed non multo post ab eodem rege constructum et competentibus prædiis ampliatum. *Hic obiter no-* F *temus nec Malmesburiensem nec Parisium vel unum adducere verbum, quo insinuent an moniales an vero canonici sive sæculares sive regulares illud tunc inhabitarent monasterium.*

Ex charta Ethelredi nex Danorum et monasterii conflagratio invidit in annum 1004.

51 *Ast hic præcipue consideranda sunt, quæ occurrunt in supra laudato registro Oseneyen. Post verba paulo ante a nobis descripta, sequitur :* Postea anno gratiæ millesimo quarto, Ethelredus rex omnes Danos Angliam incolentes utriusque sexus jussit occidere, et combusti sunt apud Oxoniam omnes, qui illuc confugerunt cum ecclesia, libris et ornamentis, quod patet per cartam Etheldredi regis in hunc modum, quæ subsequitur. « Anno Dominicæ incarnationis millesimo quarto, indictione secunda, anno vero imperii mei vicesimo quinto, Dei disponente providentia, ego Adelred, totius Albionis monarchiam gubernans, monasterium quoddam in urbe situm quæ Oxeneforde appellatur, ubi beata requiescit Frideswide, libertate

(1) Monasticon Anglic., t. II, p. 134. — (2) De Præsulibus Angliæ. Lond. 1616, p. 585. — (3) De gestis pontificum anglorum, lib. IV. Londini 1696, p. 166. — (4) Annales ecclesiæ Anglo-Saxonicæ. Leodii 1663, t. II, p. 552. — (5) Antient and present state of Oxford, p. 21. — (6) Loc. cit. — (7) Histoire d'Angleterre. Lovan. 1827, t. I, p. 171. — (8) Annal., lib. XXI, n. 23. — (9) Vitellius LXVI, fol. 4-6. — (10) Vide Monasticon Anglicanum, t. II, p. 143. — (11) De gestis regum Anglorum. — (12) Vide rerum Anglic. scriptores post Bedam. Londini 1596, fol. 40. — (13) De gestis Pontificum Anglorum, lib. IV. — (14) Rerum Angl. script. Ubi supra, fol. 166. — (15) Hist. Anglorum, p. 62.

privilegii,

A privilegii, auctoritate regali pro cuncti Patrantis amore stabilivi, et territoria quæ ipsi adjacent Christi archisterio novi restauratione libelli recuperavi, cunctisque hanc paginam instuentibus, qua ratione id actum sit paucis verborum signis retexam. Omnibus enim in hac patria degentibus sat constat fore notissimum, quoniam dum a me decretum cum consilio optimatum satrapumque meorum exivit, ut cuncti Dani, qui in hac insula velut lolium inter triticum pullullando emerserant, justissima exinanitione necarentur, hocque decretum morte tenus ad effectum perduceretur, ipsi quique in præfata urbe morabantur Dani mortem evadere nitentes, hoc Christi sacrarium, fractis per vim valvis et pessulis, intrantes, asylum sibi propugnaculumque contra urbanos suburbanosque inibi fieri decreverunt : sed cum populus omnis insequens, necessitate compulsus eos ejicere niteretur nec valeret, igne tabulis injecto, hanc ecclesiam, ut liquet, cum ornamentis ac libris combusserunt. Postquam Dei adjutorio a me et a meis constat renovata, et ut præfatus sum, retentis privilegii dignitate cum adjacentibus sibi territoriis in Christi honore roborata, et omni libertate B donata, tam in regalibus exactionibus, quam in ecclesiasticis omnino consuetudinibus. Si autem fortuito aliquo contigeret tempore, aliquem vesanæ mentis, quod absit, irretitum desidia, hujusce donationis nostræ munus, satagente diabolo, defraudare, anathema sanctæ Dei ecclesiæ excipiat æternum mortis, nisi ante exitum quæstionem, tam calumpniferam ad satisfactionem perducat exoptabilem.

Præfata charta ex registro Osneyensi,

52 *Charta hæc Ethelredi regis, monumentum pro vita S.* Frideswidæ *prætiosissimum est. Ex illa enim et monasterii antiquitas, et cultus celebritas, et ipsa reliquiarum ejus sedes habetur. Operæ proinde pretium est diligentius eam excutere. Et primum quidem, eo tenore, quo a nobis hic refertur, citata reperitur in* Monastico Anglicano (1), *ex* Registro Osneyensi *in Bibliotheca Cottaniana (quæ pars est Musæi Britannici), Vitellius E.* XV. *(In monast. Anglic. mendose ponitur F.* XVI). *Notum vero est, Bibliothecam hanc incendio satis magnam partem anno* 1731 *fuisse consumptam; eorum vero quæ supersunt, plura reperiuntur aut mutilata vel plus minusve corrupta. Hinc etiam in Catalogo Cottonianæ anno* 1802 *edito legitur :* Vitellius E. XV. : Codex C membr. in 4°, incendio corrugatus et pœne inutilis, in capsula asservatus. Ejus contenta hoc modo describit cl. Smith. 1. : Chronica Anglorum ab an. 1066 ad an. 1179, per quamdam monachum Osneyensis monasterii. 2. Series abbatum sanctæ Mariæ Osneye. 3. Registrum chartarum monasterii Osneyens. fol. 5-258. *Animadvertendum tamen est, postremis hisce annis ordinata fuisse plura manuscripta, eodem modo* in capsula asservata, *et indies ordinari. Vidi ego, mense Augusto anno* 1850 *in Musæo Britannico registrum Osneyense, et in specie chartam Ethelredi : hujus extrema folii satis corrupta sunt; media pars bene conservata. Id vero universim observatur, membranas, licet vel nihil vel partim tantum adustas, ex calore ignis valde contractas, et simul cum ipsis etiam scripturam, quæ ideo tamen non minus facile legitur: quinimo apices seu litteræ fere nitidiores exinde plerumque apparent : qualia non nulla, solita sua humanitate et benevolentia, exhibuit cl. Holmes, conservandis Musæi Britannici Mss. cl. Friderico Madden, qui tunc Londinio absens erat, socius.*

et duobus registris S. Frideswidæ

53 *Hæc eadem Ethelredi Regis charta reperitur in duobus registris Mss. prioratus S.* Frideswidæ, *hodie adhuc Oxonii spectandis. Alterum majoris, formæ, foliis constans membraneis ducentis quinquaginta uno (non computatis paucis quibusdam, ab initio vacuis, postea autem, sed alia manu repletis asservatur in æde capitulari Ecclesiæ Christi; alterum minoris formæ, et i perfectum ad calcem, reperitur inter manuscripta Bryani Twyni, et asservatur in privata Bibliotheca collegii corporis Christi. Vide Monasticon Anglicanum* (2), *ubi simul habetur index contentorum in utroque registro; et ad calcem notatur pleraque instrumenta referri ad tempora Eduardi Regis III scilicet a conquestu, alias VI foret, et regnavit ab an.* 1327 *ad an.* 1377 (3).

Variæ Lectiones.

54 *In triplici hac præfatæ chartæ exhibitione idem fere recurrit textus: præcipuum discrimen est, quod in utroque Registro Oxoniensi, loco* ubi beata requiescit Frideswide, *legatur :* ubi beatæ soma *(corpus)* Frideswide requiescit. *Cæteraminoris imo vix ullius sunt momenti : sic loco* cunctisque hanc paginam intuentibus *habetur :* paginulam intuentibus; *item pro* in Christi honore roborata, *ponitur in Majore Oxoniensi :* in Christi onomate, *in Minore,* Christi onomote; *et alia forte istiusmodi paucissima.* E *Trium Registrorum antiquius videtur Osneyense; quod et ipsum non adeo vetustum est. Cæterum nullibi indicatur ubi sit instrumentum originarium seu authenticum chartæ Ethelredi, ita ut hæc totam suam mutuetur a præfatis registris authoritatem.*

charta Ethelredi suspecta fit ex internecione Danorum, quæ describitur ex Alfordo

55 *Nunc cætera prosequamur : movet enim hæc charta non spernendam difficultatem, quæ nescio an ab alio jam seu animadversa seu delucidata fuerit. Non videtur concordare cum quibusdam factis, quæ cæteroquin ab historicis promiscue traduntur; quæ propterea hic oculis subjicimus ex annalibus Alfordi, qui et ipse ex variis scriptoribus illa collegit.* Ethelredus, *inquit* (4), Ignavi cognomentum sortitus est, tum ob alias causas, cum potissimum quia Danos, quos avita fortitudine arcere ab insula debuisset, precibus, suppliciis, muneribusque, non aliis armis, avertit. Numquam tamen magis ignavi appellationem meruit, quam, cum hoc anno, novis artibus eliminare Danos omnes e provinciis statuit. Tumebant illi quidem, et superbius efferebant sese, quam aut deberet externus hospes, aut ferre posset patienter incola. Et quia Ethelredus non potuit fastum premere eo modo, quo regem F decuit, occultis insidiis, et infami ad omnem memoriam facinore, obliteravit majorum suorum nomen famamque, et sibi Ignavi nomen acquisivit, cum *Danos levibus suspicionibus, omnes una die in tota Anglia trucidari jussit* (loquitur Malmesburiensis et pergit) *ubi fuit videre miseriam, dum quisque charissimos hospites, quos etiam arctissima necessitudo dulciores effecerat, cogeretur prodere, et am. lexus gladio deturbare.* Ita ille, sed pro criminis immanitate breviter. Paulo latius Huntindonius rei gestæ circumstantias explicat in hunc modum : *Millesimo secundo anno, Emma Normannorum gemma venit in Angliam et diadema nomenque reginæ suscepit, quo proventu rex Adelred, in superbiam elatus et perfidiam prolatus omnes Dacos* (Danos), *qui cum pace erant in Anglia, clandestina fecit proditione mactari, una eademque die, scilicet in festivitate sancti Bricii* (i. e. 13 Novembris). *De quo scelere, in pueritia nostra, quosdam vetustissimos loqui audivimus : quod in unamquamque urbem rex præfatus occultas miserit epistolas, secundum quas Angli Dacos omnes, eadem die et*

(1) T. II, p. 144. — (2) Ibid., p. 142. — (3) Art de vérifier les dates, p 782. — (4) Ad an. 1002, n. 8 et seq., t. III, p. 431.

eadem

D. B.

eadem hora, vel gladiis trucidarunt impræmeditatos; vel igne simul cremaverunt subito comprehensos. Ita ille, qui sequenti hoc factum sæculo vixit. *Hactenus Alfordus.*

et Florilego.

56 *Dein interjectis quibusdam aliis, quæ majorem etiamnum barbariem hujus carnificinæ notant, sed quæ deprompta sunt ex scriptoribus, qui, ut ipse ait,* nimium Normannis ducibus blandiuntur et immane fascinus immanius reddunt; *ita pergit sub finem n.* IX : Florilegus impiisimi facinoris invidiam in unum regis consiliarium, quem Hunam vocat, conjicit; et carnificinam hanc, post annos decem factam, narrat, pluresque stragis causas in hunc modum : *Huna quidam, regis Angliæ Ethelredi militiæ princeps, vir strenuus et bellicosus, qui sub rege regni negotia disponenda susceperat, videns Danorum insolentiam, qui jam post pacem factam, per totam Angliam adeo superbiendo invaluerant, quod uxores virorum nobilium et filias vi opprimere et ubique ludibrio tradere præsumpserant : accessit perturbatus ad regem et querelam super his deposuit luctuosam. Tunc rex non mediocriter commotus, ejusdem Hunæ consilio, misit litteras in omnes regni fines, mandans nationibus singulis et universis, ut* B *sub una die, in festo scilicet sancti Bricii episcopi, omnes Dani per Angliam constituti, furtivo impetu morti traderentur; ut simul et semel ab oppressione Danica omne genus liberaretur Anglorum. Sicque Dani, qui firmo fœdere, paulo ante utrimque jurato, cum Anglis pacifice habitare debuerant, opprobriose nimis sunt perempti : mulieres cum liberis ad domorum postes allisæ miserabiliter animas effuderunt. Cum igitur hujus decreti sententia apud urbem Londiniarum* (?) *absque misericordia exequeretur, fugerunt multi Dani ad quamdam ecclesiam in civitate, ubi omnes sine pietate, ipsis adstantes altaribus sunt perempti.* Ita ille.

Hæret Alfordus an conflagratio ad annum 1002 an ad 1015 sit referenda.

57 Nec Londini solum *(subjicit Alfordus)* sed aliis etiam in locis, ecclesiæ et loca sacra igne, ferro, sanguine fœdantur...... Sic Oxonii, cœnobium sanctæ Frideswidæ... incendio conflagravit : quod mox Ethelredus facti pœnitens, ornatius restituit, teste Malmesburiensi *(recitantur ejus verba, ut supra ; addit Alfordus)* forte hæc monasterii conflagratio posterior fuit, ut dicam anno 1015, *quo loco* (1) *hæc referuntur.* Sequitur Christi annus millesimus decimus quintus, quo nova ex Oceano tempestas Insulam inundat, quam cœli solique C nostri intemperies causasse videtur. Cum Danorum principes qui ab Ethelredo stabant et in Insula remanserant, Edrici dolo capti, occiduntur, quod ita narrat Wirgorniensis : *Hoc anno* (1015) *cum apud Oxfordiam magnum haberetur placitum* (concilium), *perfidus dux Edricus Streona, digniores et potentiores ministros, ex Seovenburgensibus, Sigeferthum et Morcarum, filios Eargrimi, in cameram suam dolose suscepit, et occulte eos ibi necari jussit. Quorum facultates rex Æthelredus accepit et derelictam Sigeferthi Aldgitham ad Maidulfi urbem deduci præcepit. Quæ cum illic custodiretur, venit illuc Eadmundus Clito et contra voluntatem sui patris, illam sibi uxorem accepit; et inter Assumptionem et Nativitatem sanctæ Mariæ profectus ad Fisburgingos, terras Sigeferthi et Morcari invasit, ac populum illarum sibi subjugavit.* Hæc ille...... Quod Dani fuerint Sigefertus et Morcarus, Malmesburiensis delucide affirmat; causamque necis, quanta fuit, sic exponit. *Subinde apponit Alfordus verba Malmesburiensis, quibus indicat fugam in monasterium hujusque incendium; qui tamen non* D *omnino concordare videtur cum Wigorniensis quoad fata uxoris Sigeferthi, quam potius (saltem si litteræ inhæreamus) oppressam ab Eadmundo insinuat.* Uxor Sigeberdi, Malmesburiam, in captionem est abducta, spectabilis nobilitatis et formæ fœmina. Quapropter Edmundus regis filius, dissimulata intentione, in partes illas iter arripiens, visam concupivit, concupitæ communionem habuit. *Aque hæc, latius forte quam oportebat, ex Alfordo, qui demum in medio relinquit, vel saltem non diserte ausus est pronuntiare, an incendium monasterii* Frideswidiani *abscribendum sit anno Christi millesimo secundo, an potius (quod quidem ei præplacet) anno millesimo decimo quinto.*

Duplex cædes Danorum: altera generalior versus an. 1002, altera localis versus an. 1015.

58 *His præmissis, jam ad rem nobis præcipuam veniamus. Absque dubio, ut ex præcedentibus liquet, duplex admittenda cædes Danica sub Ethelredo est; altera, ut apposite observat Lingard* (2), *generalior atque in annum incidens* 1002^m^ ; *altera circa annum* 1015^m^, *localis, et, ut ait laudatus scriptor* (3) : Quasi quædam prioris recrudescentia, ast minus late se extendens. *Atque hic ad posteriorem refert conflagrationem S.* Frideswidæ, *sicut et Hugo Cressy, qui duplicem carnificinam eodem modo exponit* (4). *Hæc quomodo concilientur cum charta* E *Ethelredi haud facile quis dixerit : obstat enim annus* 1004^s^, *qui chartæ huic prænotatur; obstat prætera quod ex ipso textu manifeste efficiatur incendium referendum esse ad generalem illam, quam Ethelredus decreverat carnificiam :* Ut cuncti Dani, qui in hac insula velut lolium inter triticum pullulando emerserant, justissima exinanitione necarentur, hocque decretum morte tenus ad effectum perduceretur.

Ad hanc Lingardus aliique cum Malmesburiensi referunt monasterii conflagrationem.

59 *Quid igitur? Num lapsi sunt Hugo Cressy, Lingard, Alfordus (licet hic subdubitans), imo et ipse Malmesburiensis? Ex hujus enim* de gestis regum Anglorum *libris indubium est monasterium conflagrasse post mortem* Swani *(Lingard scribit* Sweyn) *et reditum regis Ethelredi ex Normannia, quo confugerat, in Angliam.* Swanus interea, modo quo diximus, invasam Angliam rapinis et cædibus urgebat; provincialium substantiæ prius abrasæ, mox pro criptiones factæ. Hæsitabatur totis urbibus quid fieret; si pararetur rebellio, assertorem non haberent; si eligeretur subjectio, placido rectore carerent. Ita privatæ et publicæ opes ad naves cum obsidibus deportabantur, quod non esset dominus ille legitimus, sed tyrannus atrocissimus. F Sed non diu propitia divinitas in tanta miseria sivit fluctuare Angliam ; siquidem pervasor continuo ad Purificationem sanctæ Mariæ, ambiguum qua morte, vitam effudit..... Dani Cnutonem *(Canutum)* filium Swani in regem eligunt. Angli contra, naturalem Dominum chariorem sibi pronentiantes, si regalius se, quam consueverat, ageret, e Normannia Ethelredum regem accersunt. Ille primo mittit Edwardum filium, qui fidem principum, favoremque vulgi præsens specularetur. Qui ubi omnium vota in bonam partem vidit convenientia, securus pro patre revertitur. Ita rex regressus, et lætis plausibus Anglorum delinitus, ut familiarem desidiam videretur excussisse, maturavit contra Cnutonem exercitum colligere *etc. Ita Malmesburiensis* (5).

Concordat Chronicon Saxonicum.

60 *Atqui certo certius et mors Swani et reditus Ethelredi, post fugam, in Angliam, posteriores sunt anno millesimo quarto. Legitur in Chronico Saxonico, ad annum* MXIII. Dicessit deinde rex *(Ethelredus)* a classe ad Natales in Withlande, ibique

illud

(1) Num. 1, p. 469.—(2) Hist. d'Angleterre, t. I. p. 282.—(3) P. 292. —(4) Church history of Britanny. Edit. 1668. p. 909 et 923.—(5) Rerum anglicarum scriptores pest Bedam, fol. 39 verso.

A illud festum celebravit; et post festum transfretavit ad Ricardum (11 *Normanniæ ducem, fratrem uxoris suæ)* et ibi commoratus est apud eum quousque Swanus mortuus est (1). An. MXIV. Hoc anno, Swanus rex morte vitam finivit ad festum Candelarum, III Non. Febr. Et classis tota elegit Canutum in regem. Decreverunt autem omnes proceres tam clerici quam laici, Anglicæ nationis, ut ad regem Æthelredum mitterent, dicentes : Sibi nullum Dominum chariorem esse naturali ipsorum Domino, modo eos rectius gubernaret, quam antea gubernarat. Tunc mittebat rex filium suum Eadwardum cum suis nunciis in hanc terram, eosque jussit salutare totam suam gentem, pollicitus, se iis fidelem Dominum futurum, atque singula ea emendaturum, quæ iis omnibus minus placerent : singula item condonaturum, quæ adversus eum sive facta sive dicta fuerant; modo omnes unanimiter, sine perfidia, ad eum reverterentur. Deinde plenaria amicitia confirmata est dictis et factis, pignoribusque ex utraque parte (datis) et quemvis Danicum regem in perpetuum elagatum ex Anglorum terra pronuntiarunt. Tum reversus est Æthelredus rex in quadragesima ad B suam gentem, et alacriter ab iis omnibus fuit susceptus (2). An. MXV. Hoc anno, fuit magnum concilium in Oxnaforda : et ibi Eadricus dux prodidit Sigeferthum et Morcærum, nobiles thanos inter Seofonburgenses : eos enim in cameram suam allectavit, in qua turpiter fuerunt interfecti. Tunc rex accepit omnes eorum facultates, et jussit prehendi Sigeferthi relictam (uxorem) ac deduci in Mealdelmesbyrig (3). *Nulla quidem hic mentio occurrit incensi S.* Frideswidæ *monasterii ; ast cum aliunde constet hujus conflagrationem connecticum Sigeferthi et Morcari interitu, liquet illam, juxta Chronicon Saxonicum, ad annum* MXV *referri. Obiter hic notamus in laudato Chronico haud memorari cædam Danorum, quam cum Lingardo* localem *seu posteriorem diximus. Legitur autem ad annum* MII. Eodem item anno, rex *(Æthelredus)* jussit occidi omnes Danos, qui in Anglica gente erant, in Bricii festo ; propterea quod regi esset narratum, conari illos ipsum vita privare, ac dein omnes ejus proceres, ut ita, nemine renitente, ejus regnum occuparent (4). *Juxta chronologiam Lingardi reditus Æthelredi coincidit cum anno ejusdem sæculi decimo* C *quarto :* Secunda hebdomade mensis Januarii aufugit Ethelredus ex Anglia, solum relinquens suo competitori *(Sweyno)*; prima hebdomade mensis Februarii, mors inopina ejusdem competitoris eum reduxit regnoque restituit (5). *Concordant scriptores operis de* verificandis datis (6), *ubi reditus ille refertur ad annum* 1015 ; *idem habent reliqui omnes, parvo cum discrimine, oriente plerumque ex termino, quem anni vel initio vel fini ponunt.*

Unde notare videtur charta Ethelredi.

61 *Quod si lapsi non sint scriptores illi in determinando incendii anno, sequeretur spuriam esse chartam Ethelredi vel saltem corruptam ; cum data sit anno millesimo quarto, decem scilicet annis ante dictam conflagrationem monasterii sanctæ* Frideswidæ. *Præterea vix fieri potest, ut textus chartæ non interpretetur de* Generali *Danorum nece seu carnificina, quæ Angliam fœdavit anno millesimo secundo, ut ab omnibus admittitur : atqui exinde novum exurgit momentum quo ejus sinceritas vehementer labefactetur. Hinc ulterius sequeretur errasse Dugdalium qui illam ut authenticam videtur adducere, dum ait* (7) : Ex tenore chartæ Ethelredi evidens est ipsum et reædificasse monasterium sanctæ Frideswidæ et largius dotasse. *Subjungit in inferiori paginæ margine verba Malmesburiensis :* Legi ego scriptum, quod in archivo ejusdem ecclesiæ continetur ; *quo significare videtur Dugdalius chartam Ethelredi esse eam de qua testatur Malmesburiensis. Confer tamen, quæ supra (ad hanc diem in vita S. Maximi Aquilani* § II) *uberius disputavimus de notis tum intrinsecis tum extrinsecis fidem Instrumentorum seu diplomatum adstruentibus sive labefactantibus, ubi n.* 45 *ex Muratorio* (8) *aliisque diximus :* reperiri datas erroneas et anachronismos in Instrumentis, quorum cæteroquin sinceritas in dubium vocari nequeat.

Monasterii vicissitudines ante Normannorum dominationem.

62 *Ante occupationem Normannicam (vulgo* Conquestum *sub Guillielmo Normannorum duce anno* 1066) *ut scribit Dugdalius, nixus testimonio Capegravii, dicitur rex quidam expulisse canonicos, scilicet sæculares, et tradidisse monasterium monachis Abendoniensibus* (of Abingdon) *qui illud annis aliquot tenuerunt ; postea restitutos denuo canonicos fuisse. Verba Capegravii sunt :* Antequam juri Normannorum Deus Angliam subdidisset, Abendoniensi abbati ecclesia sanctæ Frideswidæ cum possessionibus suis a rege quodam donata fuit, et E expulsis canonicis per annos aliquot monachorum dispositioni res addicta subjacuit, donec, mutata tandem voluntate regis cujusdam, canonicis cuncta restituta sunt (9). *Notat porro Dugdalius hoc loco,* Joannem Peshall (10), *absque ulla specie rationis* (without any sort of authority) *affirmare,* sæculares canonicos sanctæ Frideswidæ anno 1060 monasterio ejectos fuisse quod sibi mulieres introduxissent, regemque Eduardum, ad preces Nicolai Papæ II, jussisse ut regulares in eorum locum succederent. *Quinimo addit ibidem Peshall* (11), *Nicolaum II, qui sedit ab anno* 1058 *ad annum* 1061, primum omnium Pontificum Romanorum esse, qui sacerdotum uxores scorta *(Whores)* dixerit, eorumque connubia perpetuam declaraverit fornicationem. *Quod quam absurdum sit, nemo, vel levissime in antiquitatibus ecclesiasticis versatus, non videt. S. Siricius, anno* 395, *in epistola ad Himerium Taraconensem, qui conquestus fuerat, presbyteros quosdam in diaconos cum uxoribus habitare, hos damnat, in excusationem, quam ex Mosaicis sacerdotibus afferebant, refutat, tum ex eo quod illi tempore vicis suæ* procul a domibus suis habitare jussi sunt, *tum eo quod Chri-* F *stus ecclesiam, cujus sponsus est, voluerit puriorem esse veteri et castitatis splendore radiare. Subditque:* Quarum sanctionum sacerdotes omnes atque levitæ insolubili lege adstringimur, ut a die Ordinationis nostræ sobrietati et pudicitiæ et corda nostra mancipemus et corpora. *Deinde in illos,* qui illiciti privilegii excusatione nituntur, *pœnam depositionis decernit :* Noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, Apostolicæ sedis auctoritate dejectos, *et in futurum,* si quilibet episcopus, presbyter atque diaconus deinceps talis fuerit inventus, jam sibi omnem indulgentiæ per nos aditum intelligat obseratum. *Vigentem disciplinam, quæ vim legis habuerit, ostendunt in præfatis et querelæ Himerii, et excusationis confutatio, et potissimum pœnæ in transgressores statutæ.*

Item post eorum stabilitam dominationem.

63 *Post occupationem seu Conquestum sæculares denuo ejecti fuerunt. Autumat episcopus Tanner id nonnisi post confectum librum censualem (Domesday Book) contigisse (post annum itaque* 1086, *quo*

(1) Gibson, p. 144. — (2) Ibid., p. 144 et 145. — (3) Ibid., p. 146. — (4) Ibid., p. 133. — (5) Hist. d'Angleterre. Ibid., p. 291. — (6) L'Art de vérifier les dates. Paris 1770, p. 774. — (7) Monasticon Angl., t. II, p. 134. — (8) Antiquitates med. ævi, t. VI, col. 79. — (9) Nova legenda Angliæ. Londini apud Wynand. de Worde 1516, fol. 152. — (10) Antient and present state of the city of Oxford, p. 121. — (11) Ibid.

R. D.

absolutus fuit præfatus liber (1). *Id certum in* Domesday Book, *ubi recensetur comitatus Oxoniensis, folio scilicet* 157, XIV, *agi de* Canonicis. *En verba, ex ipso originali, a me,* VI *Augusti* 1850, *Londinii, in antiqua domo capitulari Westmonasteriensi, ubi liber Censualis hodie asservatur descripta :* TERRA CANONICORUM DE OXENEFORD ET ALIORUM CLERICORUM. CANONICI S. FRIDESVIDE *etc.). Addit Tannerus abbatem et monachos ibidem mansisse aliquo temporis spatio. Dein sæculares regressi sunt donec ineunte sæculo duodecimo Rogerius episcopus Salisburiensis introduxit Canonicos regulares Ordinis sancti Augustini, quod inferius latius exequemur. Atque hæc ex Dugdalio. Non omnes tamen eodem modo varias hujusce monasterii vicissitudines exhibent. Alii pauciores, plures alii enumerant in eo incolarum successiones. Exemplo sit Franciscus Godwinus qui ita rem complectitur. Post restitutionem, inquit, conflagrati monasterii sub Ethelredo, sub adventum Normannorum in Angliam* Abendoniæ cuidam abbati *(teste Twyno ex libro* Frideswidæ) ecclesia illa cum possessionibus suis, a quodam rege donata fuit. Spoliati igitur bonis suis et sedibus expulsi canonici sæculares memorantur et monachis

B res addicta per aliquot annos, eorumque dispositioni servivit. Postea (sicut se habent res mortales) regis cujusdam beneficio, canonicis præfatis sua sunt restituta et usque ad annum Incarnationis Domini 1121 eidem ecclesiæ præfuerunt. Quo tempore *(inquit Malmesburiensis, Parisius habet* 1111) paucissimis ibi clericis, qui pro libitu viverent, residuis, datus ille locus a Rogero Salisbiriensi episcopo, Guimundo excellentis litteraturæ et non aspernandæ religionis canonico, qui non inoperose commisso insudans muneri, multos ibi canonicos regulariter victuros Deo exhibuit. *Hactenus Fr. Godwinus* (2).

Recapitulatio

64 *Ex his videre est non adeo liquida esse omnia, quæ ad vicissitudines monasterii sanctæ* Frideswidæ *ab ejus origine usque ad initium sæculi duodecimi, pertinent. Hæc tamen apud omnes in confesso sunt: fundatum scilicet a sancta* Frideswida *sacris virginibus fuisse, quæ illud ab initio incoluerunt; conflagratum sub Ethelredo atque ab eodem rege reparatum; ab illo tempore inhabitatum a canonicis fuisse, modo regularibus, modo sæcularibus, qui posteriores tandem loco cedere debuerunt in gratiam monachorum Ordinis sancti Augustini. Quod qua ratione factum*

C *sit docebit Alfordus ex libro* Frideswidæ.

Ineunte sæc. XII illud obtinent monachi S. Augustini;

65 Anno Domini millesimo centesimo vigesimo secundo, Henrici vero regis vigesimo secundo, Guimundus (*Peshall scribit* Gay Munday, *alias* Wynound) videns, quod rex clericos suos fere illitteratos in episcopos promoveret, aliis dignitates, aliis redditus non modicos conferens ; sibi, litteratus cum esset et integræ opinionis, nihil præter victum et vestitum a rege donari. Indignans super hoc, die Rogationum cum rex Missam audiret, ipse (Guimundus) lectionem propheticam, in qua scriptum est : non pluet super terram annos III et menses VI, sic pronuntiando legit : Non pluet super terram annos I. I. I. et menses V. I. distinguendo notas ; clericis omnibus super hoc admirantibus, ipsumque subsannando deridentibus. Increpatus igitur post Missam a rege, et interrogatus quare sic fecisset ; subridendo respondit : Quia vos sic legentibus episcopatus et ecclesiastica beneficia confertis. Ideoque sciatis me de cætero soli Christo regi regum summo serviturum, qui sibi servientibus, non solum temporalia beneficia largiri novit, sed et æterna. Ex qua responsione confusus rex, D ecclesiam sanctæ Frideswidæ Oxonii, ad capellam suam spectantem, cum omnibus pertinentiis suis ei dedit ; qui mox ejectis inde canonicis sæcularibus, qui usque ad tempus eidem ecclesiæ præfuerunt, regulares sibi canonicos congregavit, quorum ipse primus Prior extitit, dictam ecclesiam feliciter regens annos novemdecim (3). *Notat Alfordus, Guimundum* Henrico regi a sacello *seu capellanum fuisse; astutiam, qua usus est, ut substitueretur ipse canonicis sæcularibus,* parum decuisse regem, multo minus Guimundum regularem canonicum.

quibus. Prioris nomine, præficitur Guimundus.

66 *Utrum narratio mox data, sit omni ex parte fide digna, operæ pretium non est diligentius exquirere. Sufficiat eam communiter apud graves scriptores reperiri. Cæterum extra controversiam est, Guimundum sæculo duodecimo ineunte Priorem constitutum esse monasterii sanctæ* Frideswidæ, *atque in illud secum adduxisse canonicos regulares Ordinis sancti Augustini, quibus præfuit usque ad mortem suam; eosdem regulares deinceps illud tenuisse monasterium usque ad sæculum decimum sextum, ubi prioratus sanctæ* Frideswidæ *suppressus fuit in gratiam Wolseii cardinalis Eboracensis. Indubium quoque* E *est, Guimundum, regis Henrici, cujus capellanus erat, benevolentia et voluntate prioratum obtinuisse, ut non obscure colligitur ex tribus ejusdem Henrici chartis, quas videre est apud Dugdalium* (4) *Addit Leonardus Hutton (Letter on the Antiquities of Oxford) :* Datum fuerat monasterium Guillielmo conquestore abbati et monachis Abendoniensibus in cellam vel grangiam, sicut eis præplaceret. Ast abbas et monachi illi, videntes illud plane caducum esse, atque propterea ipsis oneri potius futurum, quam honori, donarunt Rogerio episcopo Salisburiensi, eorum Ordinario, obtenta prius regis Henrici venia faciendi quod liberet. Proinde episcopus intelligens regem, quantum in ipso erat, illud jam donasse Guimundo capellano suo, viro religioso et eximie docto, monasterium commisit regis voluntati, hic autem illud tradidit Guimundo. *In charta, quæ apud Dugdalium legitur primo loco, affirmat Henricus monasterium illud spectasse ad suam capellam :* Quare volo et concedo quod prædictus Prior et canonici regulares habeant et teneant imperpetuum prædictam ecclesiam sanctæ Frideswidæ, ad capellam meam spectantem cum omnibus terris, ecclesiis *etc.* F

Non liquet quo præcise anno hæc contigerint.

67 *Diximus sæculo duodecimo ineunte hæc contigisse ; ast non convenit inter eruditos quo præcise anno. Alii ponunt annum illius sæculi undecimum, alii vigesimum primum vel secundum pro vario scilicet modo sumendi annorum initium. Parisius illis favet scribens ad annum* 1111 : Eodem tempore Rogerus Sarisberiensis episcopus dedit locum in Oxonia, in quo corpus beatæ Frideswithæ virginis requiescit, cuidam canonico nomine Wimundo, qui multos ibi canonicos regulariter viventes, Deoque famulantes devotissime instituens, super illos vices gerebat Prioris (5). *Posterioribus adstipulatur* Registrum sanctæ Frideswidæ, *ut liquet ex superius posita narratione quæ incipit his verbis:* Anno Domini millesimo centesimo vigesimo secundo, Henrici vero regis vigesimo secundo. *Non est cur diutius his inhæreamus, cum monumenta desint, ex quibus certi aliquod hauriatur.*

Guimundi successores.

67 *A Guimundo usque ad initium sæculi decimi sexti, canonici regulares S. Augustini prioratum sanctæ* Friceswidæ *constanter tenuerunt. Nomina*

(1) Confer Hist. d'Angleterre, par Roujoux et Mainguet. Paris 1844. p. 124.—(2) De præsulibus Angliæ commentarius. Londini 1616, p. 586. — (3) Alfordus. Annales, ad an 1111. n. v. t. IV, p. 572. — (4) Monasticon. Anglic., t. II, p. 145. — (5) Hist. Anglor. Londini 1606, p. 62.

eorum

A *eorum qui præfuerunt videre est apud Dugdalium* (1); *ubi texitur catalogus Priorum juxta ordinem successionis, additis quæ memoria præcipue digna sub singulorum prioratu contigerunt, simul et indicatis donis, quibus res monasterii aucta sive regum sive aliorum liberalitate est. Anno* 1513 *ad prioratum erectus in eoque confirmatus fuit Joannes Burton, qui postremus dignitatem hanc obtinuit. Nam ejus sub administratione suppressum monasterium est a Clemente VII.*

Catharina regina S. Frideswidæ reliquias veneratur

69 *Sub initium anni* 1518, *videlicet* circa finem quadragesimæ, *ut habet Antonius Wood*, rex et regina *(Henricus VIII et Catharina Arragoniæ)* cum clarissimo Wolseio, splendidaque aulicorum et magnatum caterva, Abendoniam accessere; inque Benedictinorum cœnobio hospitabantur. Proximo die, transmissi sunt togatorum nonnulli, qui observantiam academicam profiterentur. Catharinam vero reginam incessit cupido Oxoniam ipsam, maxime autem S. Frideswydam invisendi, cui propterea, cum Wolseio accedenti, obviam processere Universitatis primores (comitante scholarium frequentia haud exigua) maximisque, ut par erat, gaudii et reverentiæ indiciis reginam exce-
B perunt, quæ ubi præfatæ S. Frideswidæ reliquias sacras adorasset *(lege : venerata esset)* apud Mertonenses, in Custodis nuperi, eleemosynarii hoc tempore regii, gratiam et honorem prandere dignata est, falsa interim aliorum collegiorum spe, a quibus frustra expectabatur; quamvis et alias universitatis ædes adierit, priusquam dissesserit (2).

Prioratus S. Frideswidæ extinctio.

70 *Wolseius cardinalis et archiepiscopus Eboracensis, academiæ Oxoniensis quondam alumnus*, pridem animo conceperat, ut collegium amplissimum Oxoniæ fundaret, atque reditus eidem assignaret, unde scholares ducenti septemque prælectores honeste ad studia nutrirentur (3). *Conventus hac super re a Wolseio Cle ens Papa VII, anno primo pontificatus sui per Bullam :* Quoniam per litterarum studia, *datam tertio Nonas Aprilis* 1524, *suppressit prioratum S.* Frideswidæ, *hujusque reditus, in gratiam fundandi collegii sub nomine* collegium clericorum sæcularium, *cardinali adscripsit* (4). *Altera v paulo post, tertio scilicet Idus Septembris, Bullam dedit laudatus pontifex Clemens, Wolseio itidem inscriptam, qua primum fere ad verbum repetit, quæ ad extinctionem prioratus sanctæ* Frideswidæ *spectant ; deinde novam addit*
C *concessionem, qua cardinali facultas impertitur, ut eodem modo in favorem collegii su disponat de bonis aliorum quorumdam monasteriorum, sive virorum sive mulierum, ea tamen adjecta lege ut horum omnium* insimul *(verba sunt Clementis Papæ)* fructus, redditus, et proventus, ultra valorem dicti monasterii sanctæ Frideswidæ, trium millium ducatorum auri de camera, secundum communem extimationem, valorem annuum non excedant. *Harum concessionum rationem dat Pontifex, quod lapsæ adeo sint res studii Oxoniensis, ut, si ei non succurratur, verendum sit, ne penitus intereat.* Dudum, *inquit*, considerantes, saluberrimos fructus et Christi fidelibus pernecessarios ex litterarum studiis provenire, et quod universitas studii generalis Oxoniensis ob penuriam reddituum propemodum extinctum ire videbatur, ac cupientes ut studium ipsum decenter continuari et incrementum suscepere posset ; motu proprio *etc. Litteras has exsequendas Henricus significavit rescripto suo septimi Januarii anni sequentis* 1525 (5).

B. B. Novum a Wolseio fundatur collegium.

71 *Quum nihil jam deesset quominus fundationi daretur initium, continuo cœpit cogitare cardinalis de erigendis ædificiis sco, o suo necessariis, atque die* XX *Martii* 1525 *ipse primum positurus lapidem venit, in quo sequens legitur inscriptio :*

Reverendissimus in Christo pater ac Dominus, Dominus Thomas Wulcy, miseratione divina, titulo sanctæ Cæciliæ, Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsbyter Cardinalis, Eboracensis archiepiscopus, Angliæ primas, et Apostolicæ sedis legatus, episcopus Dunelmensis, exemptique monasterii sancti Albani perpetuus commendatarius, cancellarius Angliæ, et dictæ Sedis Apostolicæ ad vitam suam etiam de latere legatus, hanc petram posuit in honorem sanctæ et individuæ Trinitatis, gloriosissimæque virginis Mariæ, sanctæ Frideswidæ et omnium Sanctorum XX° die Martii, anno Domini MDXXV.

Regiæ tamen litteræ pro formali monasterii Frideswidiani suppressione, in quibus prior Clementis Bulla in extenso continetur, datæ tantum sunt die X *Maii ejusdem anni* 1525 (6). *Denique mense Julio sequenti, die decima tertia in litteras suas exaravit rex patentes, quæ proprie litteræ fundationis novi collegii vocantur* (7). *Ex quibus inter alia colligitur, priori nomini* collegii clericorum E
sæculorum *aliud, nempe* collegii cardinalis, *ab Henrico rege substitutum, in testimonium suæ erga Wolseium benevolentiæ fuisse :* Collegium Thomæ Wolsey cardinalis Eborum, Anglice vero *cardinall college* appelletur et nuncupetur. *Hisce ergo tum pontificiis, tum regiis munitus facultatibus, manum Wolseius operi strenue admovit, fundavitque collegium in quo haberentur* decanus, vice-decanus, centum canonici, capellani tredecim, professores theologiæ, juris, medecinæ et artium liberalium, aliorumque numero centum octoginta sex; dedicatum sanctissimæ Trinitati, beatæ Virgini Mariæ, sanctæ Frideswidæ, et omnibus Sanctis (8).

Post Wolseii lapsum, renovatur collegii constitutio. Sedis Oxon. erectio.

72 Hæc constitutio duravit ab anno 1525 usque ad annum 1529-30, cum Wolseius dignitate bonisque privatus fuit; atque sic per duos, ut videtur, annos interrupta, seu potius dissoluta fuit.... Anno 1532, renovata a rege est sub titulo collegium Henrici regis octavi, per litteras patentes, datas VIII mensis Julii, quibus statuitur, ut dictum collegium denuo fundetur in eodem loco, fundo et circuitu, dedicetur que sanctissimæ Trinitati, sanctæ Mariæ et sanctæ Frideswidæ; dotationem habeat F
annuam duorum millium librarum, in sustentationem decani et duodecim canonicorum ; qui simul capitulum efficerent :... Hæc secunda fundatio perseveravit usque ad XX maji 1545, ubi restituta in manus regis est prior charta, qui omnes dimisit, assignata singulis pensione annua, donec alio modo unicuique provideretur.... Tandem rex collegium illud mutavit in Cathedralem ecclesiam, translata Oxoniam sede Osneiensi, quæ erecta fuerat anno 1542. (9) *Primus episcopus fuit* Robertus King ; *ecclesia vero quæ ex prima fundatione dicebatur* ecclesia cathedralis Christi et beatæ Virginis Mariæ, *postea, ex litteris* IV *Novembris* 1546, *dicta est* ecclesia Christi *(Christ-church), quod nomen hodiedum etiam servat, uti et ipsum collegium* (10). *Atque hæc sunt fata quæ monasterium sanctæ* Frideswidæ *variis subivit temporibus. Quod cum fuerit monumentum perpetuum sanctitatis et gloriæ sanctissimæ illius Virginis, operæ pretium duximus ejus vicissitudines paulo latius prosequi.*

Ecclesia S. Frideswidæ

73 *Quod vero ad ecclesiam pertinet, superius*

(1) Ubi supra, p. 135-138. — (2) Historia et Antiquitates Univ. Oxon., p. 545. — (3) Ibid., p. 248 et 249. — (4) Rymer, Fœdera, t. VI, part. II, p. 8. Edit. Hagæ-Comitis 1741. — (5) Monasticon, Anglic., t. II, p. 151, n. XXXIV. — (6) Ibid., p. 152, n. XXXV. — (7) Ibid., p. 153 et seqq., n. XXXVI. — (8) Dugdalo, Ibid., t. II, p. 138. — (9) History of the Colleges, Halls, etc., of Oxford, auctore Chalmers Oxoniæ, t. II, p. 301, *apud Dugdale*, p. 139.—(10) The Oxford University Calendar 1843, p. 322.

vidimus

B. B. *vidimus ejus originem ad sanctæ* Frideswidæ *tempora ascendere. Constat enim ex ejus vita, Didanum ædificasse ecclesiam seu oratorium in gratiam filiæ suæ :* Didanus conjugis nuper amissæ dolore percussus, ecclesiam infra urbis ambitum construxit, et in honore sanctæ Mariæ et omnium Sanctorum dedicatam, filiæ commendavit poscenti. *Ita Lelandus in collectaneis, de quibus supra. De ecclesia vel oratorii hujus ædificatione mentionem habent, quotquot ex antiquis monumentis vitam sanctæ Virginis nostræ collegerunt, licet plerique sileant nomen, quo primitus dedicatum a Lelando dicitur. Cæterum apud omnes in confesso est, decursu temporis, ecclesiam sanctæ* Frideswidæ *vulgo vocatam fuisse, quin tamen determinari possit qua occasione, sive quo anno hæc appellatio sit nata, seu communiter usui esse cæperit. Id certum, ineunte sæculo undecimo, haud alio quam sanctæ* Frideswidæ *nomine ecclesiam illam fuisse designatam, ut liquido constat ex iis quæ superius tradidimus de cæde Danorum, quorum non pauci in* ecclesia sanctæ Frideswidæ, *quo confugerant, cum ipsa æde sacra flammis absumpti fuere. Ast hæc brevi post ab Ethelredo restituta imo et amplificata est.*

B

Reædificata sæc. XII. 74 *Templum in eodem statu permansisse videtur, donec monasterium in manus venit canonicorum regularium sancti Augustini, mediante Guimundo, qui ineunte sæculo duodecimo* prior *constitutus est. Ipsi, si fides Dugdalio est, in acceptis refertur præsens* ecclesia Christi. Willis, *inquit,* adscribit ipsi *(Guimundo)* adificationem præsentis cathedralis ecclesiæ Christi, *quam deinde absolutam tradit ab ejus proxime successoribus, Roberto alias Canuto, et Philippo qui anno* 1180 *reliquias S.* Frideswidæ *transtulit. Unde sequeretur ecclesiam, quæ nunc* Christi *dicitur, olim vero sanctæ* Frideswidæ, *cæptam inito sæculo duodecimo, perfectam fuisse ad finem ejusdem sæculi ; atque hæc longe communior sententia est. Quamquam King* (monumenta antiqua) *contendat, altius hujus templi ascendere structuram, forte ad initium sæculi undecimi; ast nullam affert validam rationem. Similiter meminit Wood magnæ cujusdam ad annum* 1190, *conflagrationis.* Hoc anno, *inquit,* miserabili fato, flammis pœne haustum est Oxonium, venerando etiam illo S. Frideswidæ ædificio una deflagrante, *et in ima pagina citat* Chron. Tho. Wyke Ms. *Ast labitur, ut jam animadvertit Dugdale* (1) : Wood, *aiens,* nixus
C exemplari manuscripto chronici Wikesiani, tradit tempore hujus abbatis *(prioris Philippi)*... A. D. 1190, maximam civitatis partem flammis absumptam, simul cum sacro S. Frideswidæ ædificio. Ast nihil simile legitur in chronico Wikesiano a Gale edito, nec in alio quovis ex antiquis nostratum chronicis. Unde probabile est fictitiam esse hanc conflagrationem. *Præterea, loquitur Wood de* venerando S. Frideswidæ ædificio, *quod ad monasterium potest referri, nec necessario templum indicat. Nullibi etiam reperio, situm ecclesiæ mutatum fuisse ; unde verisimile admodum est, præsentem sedis Oxoniensis cathedralem, in eodem assurgere loco, quo constructum primitus a Didano fuerat oratorium. Denique quod ad dedicationem attinet, ex supra allatis verosimile est, ecclesiam a principio consecratam fuisse in honorem* beatæ Mariæ et omnium Sanctorum ; *tum communiter a sancta* Frideswida *dictam ; postea, erecta ab Henrico VIII sede Oxoniensi, vocatam* cathedralem Christi et beatæ Virginis Mariæ; *denique, altius indies serpentibus reformatæ religionis placitis, invaluisse nomen, quod et hodie obtinet,* ecclesiæ Christi, *Anglice* Christ-curch. D

75 *Addimus hic nonnulla ex variis, præsertim Ant. Wood, ad præsentem ecclesiæ hujus statum spectantia.* Ecclesiam sacris collegii hujusce usibus hodie inservientem, et extra orientale quadranguli magni latus positam, templi ad S. Frideswydæ (ibidem vero ipsa, æque ac parentes ejus, tumulata jacet) Prioratum olim spectantis partem esse alteram constat : navem enim ejus quasi dimidiam diruisse prædiximus Wolseium, qui, quod reliquum esset, præcibus togatorum privatis, nec non exercitiis quibusdam theologicis assignandum decreverat. Chorum ille laqueari lapideo specioso, pulchreque cœlato; navis autem partem residuam ligneo quodam, firmis compagibus coagmentato, muniendam ornandamque ; vetus porro campanile diruendum, denuoque, minori licet altitudine, exædificandum curavit ; machina insuper, campanarum sustentrice, refecta et variis passim ipsius templi locis reconcinnatis. Quæ quidem ex collegii cardinalitii, jam tum nascentis, codicibus rationariis satis habeo comperta. Addere lubet, sacra quævis sodalitii magis solemnia (imo publica omnia academica, ut fama obtinet) in ecclesia quam E ad borealem quadranguli partem moliebatur, amplissima, celebranda destinasse cardinalem ; cæterum hac etiam ex parte in irritum cecidisse (prout e retro dictis perdiscendum) saluberrima magni viri consilia (2). *Paulo ante dixerat :* Opus augustum *(collegium suum Wolseyus)* templo immenso, boream versus solemque occiduum, erigendo, claudere destinarat ; quod tamen inchoatum tantum est, jactis solummodo fundamentis, muroque ejus latissimo summam tellurem ad virgas tres, vel eo amplius in locis quibusdam superante (3).

Præsens illius status

76 *Ecclesia, prout nunc est, ab extrema abside, seu ab oriente ad occidentem, habet in longitudine centum quinquaginta quatuor pedes (pars a cardinali dejecta tres complectebatur columnas, seu pedes quinquaginta); Transeps, a meridie ad septemtrionem, pedes centum et duos ; Navis, cum lateralibus fornicibus, lata est pedes quinquaginta quatuor, alta quadraginta unum cum dimidio ; altitudo chori, pedes triginta septem cum dimidio, longitudo octoginta* (4). *Ecclesia hæc in eodem, quo a cardinali relicta fuerat, statu permansit fere usque ad annum* 1630, *quando decanus et canonici de novo ornatu cogitare cæperunt. Hunc in finem, ablatis ex choro* F *antiquis subselliis, alia, prout nunc sunt, posuerunt; quibus ut locum pararent, abstulerunt lapides sepulchrales et varia monumenta, erecta inter columnas, chorum a lateralibus fornicibus separantes. Ubique renovarunt pavimentum, quod cum facerent, operarii plurima sepulcralia marmora, passim epigraphas ferentia Saxonicas, destruxerunt : videbantur enim hæc decano et canonicis alimenta superstitionis, nec proinde novo suo strato inserenda ; unde et foras projecta sunt ; imo haud pauca adhibita condendo canali quo aqua duceretur in eorum latrinas. Quid non mortalia pectora cogis, innovandi vesana cupido* (5) ? *Postea dejectæ fuerunt etiam fenestræ (quatuor tantum exceptis in sacello theologico* Divinity chapel) *olim positæ a canonicis prioratus, vitam S.* Frideswidæ *partim exhibentes ; substitutis eorum loco aliis, item pictura ornatis, qua varia ex scriptura desumpta reddebantur argumenta, opera eximii pictoris Abrahæ Van Ling, quæ tamen rursus, anno* 1348 *tamquam opus anti-*

describitur

(1) T. II, p. 136. — (2) Historia et Antiq. Oxonien., lib. II, p. 285. — (3) Ibid. — (4) Vide Gutch, fasti Oxonienses, p. 302. — (5) History and Antiquities of the Colleges and Halls in the University of Oxford by Ant. Wood, editore Joanne Gutch 1788, p. 462.

christianum,

A *christianum, diabolicum et papisticum, confractæ, et deinde, ne penitus pessumdarentur a furentibus præsbyterianis, suppressæ fuerunt* (1). *Sequens inscriptio, (quæ, ut tum ex forma tum ex argu ento patet, recentioris est ævi) legitur in parte superiori magnæ fenestræ ad partem borealem transepti :*

FRIDESWIDA V. FORMAT ET REGIT MONASTER. A. D. 730.	ETHELDRED^s. R. AMPLIAT PRIVILEGIA *etc.* 1004.
DISPERS. MONIALIB^s. SUCCEDUNT CANONICI SÆC^s	CANONICI REG. AUGUST INTRODUCTI 1122.
GUIMUND^s. PRIOR I^s. FABRICAM HUIUS ÆDIS ORDITUR	THO. WOLSEY CARD. EBOR. COLL. STUD. SÆC. INSTITUIT.

HENRICUS VIII REX
ECCLES. CATH. CUM COLLEGIO
FUNDAVIT 1546.

Illius ætas.

77 *Communior, ut supra diximus, et verior, ut nobis quidem videtur, sententia scriptorum est, ecclesiam cœptam a Guimundo, primo priore, qui defunctus est anno* 1149; *absolutam vero a Philippo, tertio priore, qui præerat anno* 1180. *Hic scripsit librum miraculorum S.* Frideswidæ, *quem inferius editum reperies. Ipse etiam, auctore Gutch,* fasti Oxon. (2), *erigendum curavit sepulcrum seu monumentum S.* Frideswidæ, *quod hodie adhuc spectatur* B *in sacello theologico seu latino ecclesiæ Christi. Sed de postremo hoc infra latius.*

§ IV. De Reliquiis B. Frideswidæ, perpetuo Oxoniæ servatis. Earum variæ translationes. Monumenta cultus S. Virgini ejusque sacris exuviis perpetuo exhibiti; ut in specie habetur ex ejus Officio et Liturgia; ex conciliis Magnæ Britanniæ, et denique ex Libro Censuali.

Reliquiæ primum in ecclesia sui monasterii repositæ.

N*ullus est qui videatur in dubium vocare sanctan Virginem conditam in monasterio seu ecclesia quam Didanus erexerat Oxoniæ. Diserte id affirmat* C *Dugdale* (3) *citans Lelandum, qui in collectaneis scribit :* sepulta est in ecclesia sanctæ Mariæ Oxoniensi prope Tamesim. *Quamvis non expressam hac de re mentionem habeant quotquot agunt de sancta* Frideswida, *nemo unus tamen est, qui de primæva ejus sepultura difficultatem movisse inveniatur. In actis quæ ex Ms. Rubrævallensi inferius publici juris facimus, hæc leguntur :* antequam juri Nortmannorum Deus Angliam subdidisset, Abendoniensi abbati ecclesia sanctæ Frideswidæ cum possessionibus suis a rege quodam donata fuit ; et expulsis canonicis per annos aliquos monachorum dispositioni res addicta subjacuit, donec mutata tandem voluntate regis cujusdam canonicis cuncta restituta sunt. Auxilio vero et assensu Gulielmi vice-comitis patroni ecclesiæ Sanctæ Virginis, elevata sunt de terra sanctissimæ Frideswidæ ossa, et in scrinio honorifice collocata. *In charta Ethelredi regis, de qua supra n.* 51 *idem quoad præsentiam Reliquiarum habetur.* Monasterium quoddam in urbe situm quæ Oxoneforde appellatur, ubi beata requiescit Frideswide. *Huc quoque, et quidem maxime facit, quod habet Woodus ex vita Alfredi Magni.* Rerum itaque potitus *(Alfredus qui regnavit ab anno* 871 *vel* 872 *usque ad annum* 900) nihil prius potiusve *habuit* quam si viros doctos honoribus opibusque cumulando, ad bonarum litterarum studia subditorum animos accenderet. Cum locus ergo imprimis destinandus artibus esset, non aptior videbatur quam vetus eorum habitaculum, Oxonia, Saxonicis Danicisque procellis (quarum postrema in annum DCCCLXXVI incidit, Danis nimirum ibi tum hyemantibus) excidio propemodum ac ruinis data. Neque enim eo tantum perrexere illius urbis calamitates, ut musæ in exilium proturbarentur, sed pristino jam decore exuta, eam ædificiorum et monumentorum jacturam fecit, ut funditus quasi deleta, et inter excisas propemodum numeranda videretur. Stantibus tantum venerandis illis sanctæ Frideswydæ ædibus, quæ antiquum quadamtenus Oxonii splendorem seculis futuris indigitarent. *Hactenus Wood* (4). *Ex quibus colligere licet, Reliquias sanctæ Virginis, a die obitus sui usque ad initium sæculi* E *undecimi, ad quod refertur charta superius laudata, in dicta ecclesia perpetuo mansisse. Nec est quod dicamus illas, incensa sub eode n Ethelredo* ecclesia cum ornamentis ac libris, *pariter crematas vel saltem fuisse dispersas, cum id a nemine nec dictum nec scriptum reperiatur, imo contrarium efficiatur ex omnibus illius et sequentis ævi monumentis, quæ ad hanc rem pertinent, in quibus constanter supponitur Reliquias eodem in templo, regis tum pænitentia tum munificentia restituto, debito honore custoditas populique venerationi fuisse exposit as. Diserte etiam* in libro miraculorum S. Frideswidæ *(de quo postea) asseritur S. Virginis reliquias, cum anno* 1180 *transferrentur, ab annis fere quadringentis octoginta in eodem sepulcro (quod tum primum apertum insinuatur) latuisse.*

Solemnis earum translatio an. 1180 memorata in chronico Thomæ Wikes etc.

79 *Habetur itaque constans traditio de asservatis usque ad initium sæculi undecimi, sanctæ* Frideswidæ *Reliquiis, in æde sacra, quæ, illa vivente ædificata, postea ab ejus nomine dicta fuit. Hæc traditio clarior, quia locupletius scripto commendata, fit sequentibus ævis. Quo imprimis spectat Reliquiarum solemnis translatio, cujus mentio occurrit in variis chronicis et annalibus ad annum millesimum cente-* F *simum octogesimum. Sic in Chronico Thomæ Wikes reperitur :* Anno MCLXXX Henricus rex mutavit monetam suam. Translatæ sunt reliquiæ Fritheswithæ Oxon, et loculo honorifice repositæ (5). *Et paulo explicatius in Annalibus Waverleiensibus :* MCLXXX anno XXVII *(regis Henrici II)* apud Oxenford translata est sancta Frideswida virgo II idus Februarii, in præsentia Richardi archiepiscopi Cantuariensis et aliorum plurimorum episcoporum (6). *Obiter hic notemus Richardum immediatum successorem fuisse sancti Thomæ (Beketti) Cantuariensis, post cujus martyrium vacavit ecclesia Cantuariensis annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor.* Electus est *(Richardus, ait Gervasius)* apud Westmonasterium *(Westminster)* anno 1173; Dominica Pentecostes, tertio nonas Junii (7). *Mabillonius etiam in vita sanctæ* Frideswidæ (8) *ejusdem meminit Translationis :* in chronico, *inquit,* Joannis Bromtonis memoratur : anno MLXXX *(absque dubio mendum est;*

(1) History and Antiquities of the Colleges and Halls in the university of Oxford, by Ant. Wood, editore Joanne Gutch 1788, pag. 465. — (2) Appendix to the History and Antiquit., etc., p. 304, not. 3.— (3) Mon. Anglican., t. II, p. 134. — (4) Hist. et Antiq. Univ. Oxon., p. 13. — (5) Vide Gale, t. II, p. 33. — (6) Ibid., p. 161. — (7) Vide Anglia Sacra. Londini 1691, part. I, p. 111.— (8) Acta SS. Ordinis S. Benedicti. sæc. III. part. I, p. 563.

ponendus

D. B. *ponendus est annus* MCLXXX) translatio Frideswidæ apud Oxoniam. *Quidquid ad hanc translationem spectat his complectitur Antonius Wood verbis, ex quibus elucebit eam non sine pompa fuisse peractam.* Sub hæc tempora (*ita scribit ad annum Christi* MCLXXX) *sanctæ* Frideswidæ reliquiæ, e templi eidem nuncupati obscuriore loco, in magis conspicuum deportantur, rege ipso, episcopis, regnique optimatibus translationem illam condecorantibus; pluribusque interim, si fidem referenti tribueris: (*hæc ad mentem novæ, quam profitebatur Woodus, religionis in Angliam sæculo* XVI *introductæ*) e laicorum perinde et clericorum numero mirifice sanatis. Qua virtute cum Frideswyda deinceps etiam pollere crederetur, ejusdem brevi fama longe lateque glíscebat (1).

Ejusdem translationis descriptio a Philippo Priore, teste oculari.

80 *Ast longe pretiosius hujus translationis monumentum habemus in* libro Ms de miraculis S. Frideswidæ, *auctore Philippo, monasterii priore, ad cujus* preces et instantiam *levatæ reliquiæ fuerunt. Quamvis ad calcem Actorum S* Frideswidæ, *per modum* Appendicis, *præfatum* librum *integre typis edimus, hic tamen quæ ad Translationem pertinent præterire non licet.* Scripturus, *inquit,* miracula B quæ temporibus nostris per merita beatissimæ virginis Frideswidæ Dominus operari dignatus est, ab ejus translatione inchoandum duxi, quæ facta est anno ab Incarnatione Domini MCLXXX, regnante illustrissimo rege Anglorum Henrico secundo. Quæ quidem eo gloriosior apparet, quod eam non sub modio abscondi, sed super candelabrum poni Dominus voluit ut, lucerna super candelabrum posita lucis suæ radios undique defunderet. Eo nempe tempore idem gloriosus rex propter maxima et ardua regni negotia, reverendissimum patrem nostrum Ricardum Cantuariensem archiepiscopum, Dominum quoque Ricardum Wintoniensem, Galfridum Helyensem, Johannem Norwiciensem, Petrum Menevensem episcopos et copiosam Cleri multitudinem, proceres quoque et magnates regni sui ex omnibus Angliæ partibus apud Oxenefordiam convocaverat; Deo nimirum id agente, ut pretiosa Margarita, quæ tanto tempore terra jacuerat operta, gloriosius omnibus ostenderetur, cum ipsius revelatione terrena negotia, et cleri et populi tanta multitudo, Domino quasi latenter id instigante, ad hoc convocata, deservire viderentur. Prædicto igitur invictissimo rege votis favente, C suumque benignissime præbente consensum, ad preces et instantiam Philippi, tunc prioris, et totius conventus, pridie idus Februarii (*id est die* XII) idem venerabilis archiepiscopus, convocatis secum Domino Ricardo Wintoniensi, Galfrido Helyensi, Johanne Norwicensi, Petro Menevensi episcopis, præsente venerabili viro magistro Alexio tunc temporis, ex delegatione Domini Papæ, Scotiæ legato, et magistro Johanne tunc quidem electo sancti Andreæ, ad ejusdem gloriosissimæ Virginis ecclesiam accedens, prius quidem indicto jejunio, sepulcrum maxima cum devotione aperiens, ubi per quadringentos et LXXX circiter annos beatissimum ejus corpus requieverat, adstante et congaudente copiosa cleri et populi multitudine, gloriosa virginis ossa de sepulchro transtulit, et in feretro ea collocavit, ne tam pretiosa margarita terra diutius operta jaceret, quæ celebri miraculorum gloria se in cœlis vivere protestabatur. Odor deinque suavissimus astantes replevit, et aromatum more refocillavit, ut non immerito de ea dictum videretur: odor unguentorum tuorum super omnia aromata. *Ita Philippus. Supra, scilicet num.* 34, D *diximus verosimilius falli Woodum, ubi asserit regem fuisse præsentem. Notatu dignum quoque est præfatam translationem incidere in tempora, quibus, ut supra diximus, ecclesia Christi, prout nunc fere existit, perfecta fuit. Denique de translatione hac legitur ad diem, non quidem* XII, *sed* XI *Februarii, in martyrologio Britannico:* Oxoniæ translatio S. Frideswidæ Virginis, Patronæ illius civitatis, celebrata hac die in Breviario Sarisburensi (2).

Altera Reliquiarum translatio an. 1289.

81 *Sed et alterius hic mentio facienda translationes, habita anno Christi millesimo ducentesimo octogesimo nono, Eduardi primi decimo octavo, ubi, juxta Chronicon Thomæ Wikes:* Die sabbati proxima post nativitatem beatæ Mariæ scilicet IV Id. Septembris, præsentibus Domino Willielmo, Sarum Episcopo, Domino Edwardo comite Cornubiæ, et aliis viris tam religiosis quam sæcularibus, translatum est vetus feretrum sanctæ Fritheswythe Oxon, et cum honore quo decuit collocatum est in novo et pretiosiori feretro in eadem ecclesia, et prope locum quo fuit prius collocatum. Quod quidem feretrum diu ante fuerat præparatum (3). *Utrum vero feretrum seu sepulcrum, quod hic memoratur, permanserit usque ad tempora Henrici VIII, ac* E *proinde num idem sit quod hodie cernitur in ecclesia Christi, non undequaque (ut infra videbimus); constat. Id certum, præteritis sæculis (nescitur quo præcise tempore) ossa sanctissimæ Virginis, saltem partim inclusa fuisse duobus sacculis bombycinis, atque fidelium venerationi exhibita, prout latius declarabitur ex narratione Calfhilli, sequenti paragrapho hic subjicienda.*

Quanto in honore sanc a illa pignora fuerint.

82 *Quanto in honore essent sacræ illæ Reliquiæ, plurimis et continuis fere in annalibus Oxoniensibus demonstratur argumentis. Nos pauca ex præcipuis hic tantum adjiciemus iis, quæ per decursum hujus commentarii jam attulimus. Ipsi reges, sacras exuvias* Frideswidæ *veneraturi Oxoniam adibant, variisque donis devoti testabantur animi sensa. Quod non obscure tradit Parisius de Henrico tertio, dicens:* Eo tempore (*anno* 1264) Henricus rex Oxoniam veniens personaliter orationis gratia sanctam adiit Frideswidam. *Antequam discederet censum constituit in sustentationem præsbyteri qui singulis diebus divina celebraret et ut perpetuo diu noctuque, accensa tenerentur quatuor luminaria coram sacris reliquiis. Hæc constant ex charta quam ex Dugdalio* (4) *describimus:* Henricus Dei gratia rex An- F gliæ, Dominus Hiberniæ, et Dux Aquitaniæ omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint salutem. Sciatis quod pro salute animæ nostræ et animarum antecessorum et successorum nostrorum concessimus pro nobis et hæredibus nostris, dilectis nobis in Christo priori et conventui sanctæ Fritheswidæ Oxon decem marcas singulis annis percipiendas ad festum sancti Michaelis per manus vice comitis nostri Oxon et Berks (*Berkshire*), qui pro tempore fuerit, de exitibus eorumdem comitatuum, ad sustendandum quemdam capellanum singulis diebus divina celebrantem in prædicta ecclesia virginis Fritheswidæ, et ad sustentationem quatuor cerearum ardentium in die et nocte circa feretrum prædictæ Virginis in ecclesia supradicta imperpetuum. In cujus rei testimonium has litteras fieri fecimus nostras patentes. Teste meipso apud Oxon. Vicesimo septimo die Martii, anno regni nostri quadragesimo octavo.

Judæorum quorumdam procacitas et secuta pœna.

83 *Huc etiam faciunt quæ habet Wood ad annum* 1268. In die Ascensionis, Nic. de Ewelme

(1) Historia et Antiquitates Universit. Oxon., p. 55. — (2) A Memorial of antient Britisch piety, or, a British Martyrology. Lond. 1761. — (3) Gale, t. II, p. 118. — (4) Mon. Anglican., t. II, p. 149.

Cancellarius

A Cancellarius et scholares Universitatis, adhibitis quoque præsbyteris parochialibus et communitate Oxoniensi, S. Frideswydæ reliquias, pro more ab earumdem translatione recepto, invisebant; eoque præterea in loco cancellarius, quem dixi, ex consuetudine pariter invalescente, concionem habere destinabat. Ibi autem perditissima audacia Judæus, procedentibus nescio an revertentibus obviam factus, et gentilium suorum suasu impulsus, arrepta, quæ præferebatur, cruce, eamdem in Christi contumeliam, terræ illisit, et sub pedibus conculcabat. Indignum id facinus, postquam Regi, per Eduardum filium Oxoniæ tunc agentem, innotuit; mandatum illico ad vice comitem transmissum est, quo jubetur Judæos omnes comprehendere, et in arctissimam custodiam contrudere; bona insuper eorum realia detinere, usque dum sponsores invenirent, qui pœnam ipsis irrogatam subituros fidejuberent. *Quæ autem fuerit pœna ista, vide ibidem* (1), *ubi etiam addit hac occasione* crucem *aliquam* in Gazophylacio, apud monasterium S. Frideswydæ asservato, fuisse repositam.

Cista academica S. Frideswida cognominata. Nundinæ.

84 *Nec omittendum, quod ibidem notatur ad annum* 1308, *in hæc verba:* Die Jovis proximo post festum S. Trinitatis, cistam academicam a S. Fri-B deswyda cognominatam (quæ scilicet annos jam LXVIII in ecclesia, eidem nuncupata, conservata fuerat) Johannes de Sutton janitor, et Johannes Fykeys subsacrista nequissime expilarunt. Perpetratum id ferunt hora nona *(id est versus meridiem, qua, illa ætate, solebant canonici recitare* Nonas) prandente nimirum cum canonicis Priore; aufugisse autem sacrilegos, neque deinceps comprehensos supplicium, tanto flagitio debitum, persolvisse. Arculam vero illam ab Hugone Walleys, Episcopo Lincolniensi, institutam reperio, custodiendæ pecuniæ, qua urbem, propter suspensos tres clericos, in usum Universitatis mulctaverat ann. MCCIX Quæ utique summa, cum aliis quibusdam, sex marcas amplius annuas conficiens, in eamdem quotannis inferebatur. Atque dein Grostestus, successor Walleysii, constitutiones circa pecuniam illam, ad examen revocatas, nonnihil immutabat: præter statuta enim, quæ de eroganda eadem condidit, transferendam cum arcula ad ecclesiam S. Frideswydæ decrevit, ordinatis custodibus e canonicorum numero, quos penes cancellarium esset designare. Posthæc Ma-C gister Johannes de Aveton, in usum scholarium tenuiorum, XL solidos testamento reliquit; nec non (ut alios taceam) Magister Guliell. de Grey v marcas, et Magister Johan. de Manduit XL solidos in cista hac Frideswydiana conservandos; in qua porro reponi solebant mulctæ, pacem turbantibus irrogatæ, præter crucem illam argenteam, qua (ut supra dictum) plectebantur, veterem quamdam confringente, Judæi, cum ceimeliis sive jocalibus (quæ vocant) ad Universitatem spectantibus. *Hucusque Antonius Wood* (2). *Solebant etiam, die beatæ Virginis nostræ festo, haberi Nundinæ celebriores, ante fores prioratus seu collegii. Ne in his prosequendis prolixiores simus, loco plurium sit testimoniorum, quod habet Camdenus:* Ætate Saxonica, quando tot civitates destructæ fuerunt, commune Oxonia tulit fatum, et longo temporis spatio, celebris tantum fuit reliquiis S. Frideswidæ, inter Divas relatæ, quod Deo se devovisset, et princeps Algarus, dum eam in matrimonium sibi habere vellet, mirabiliter, ut fertur oculorum lumine privatus fuisset (3).

85 *Constat etiam cultus beatæ* Frideswidæ *redditus ex æstimatissimo Breviario et Missali insignis ecclesiæ Sarum seu Salisburiensis. In illo assignatur ad diem* XIX *Octobris officium novem lectionum, quæ tamen propriæ non sunt. His porro verbis notatur officium:* Omnia de communi juxta picam Sarisburiensem, licet hic sequatur oratio de proprietate. *Est autem* Pica *genus directorii seu Calendarii perpetui ad ordinandum officium ecclesiasticum, sub hac inscriptione:* Ordinale Sarum, sive Directorium sacerdotum, quod Pica vulgariter dicitur, *in cujus capite sequentia, quæ hic elucidationis gratia transcribimus, leguntur:* Liber præsens directorium sacerdotum, quem pica Sarum vulgo vocitat Clerus. Quamquam iste pluribus vicibus intra nostras atque transmarinas terras impressus ac compositus existat; nusquam tamen secundum verum Ordinale Sarum cancellatus seu correctus fuerit nec enucleatus: sed quoniam unus pastor ecclesiæ et unum ovile est: erit itaque ovium cleri videlicet Sarum unus canonicæ orationis ordo: ne quisquam, quod absit, dicat: erravi sicut ovis, quæ periit etc. Hinc est, venerabiles atque honorabiles domini lectores præsentium, quod vos non ignorare cupio, quod propter E id et bonum necessitatis commune, et ut concordet psalterium cum cithara in sancta nostra ecclesia cleri Sarum, veneranda semperque laudanda studii disciplinarum Universitas Cantibrigien, hoc onus laboris hujusmodi correctionis atque cancellationis seu collationationis Ordinalis Sarum necessario fiendarum, venerabili viro magistro Clerke, collegii regalis cantori, credidit atque commisit. Qui quidem magister Clerke hujusmodi onus correctionis sua sponte propter causam prædictam suscepit, emendavit, correxit, atque secundum verum Ordinale Sarum collationavit. Insuper per honestum virum Winandum de Worde, in civitate London., in signo solis commorantem, in vico, dicto fletestrete impressus denuo. *Ad calcem hæc habentur:* finitum et completum est hoc præsens opusculum per me Winandum de Worde, in civitate London. commorantem, vico dicto *(the fletestrete)* in signo solis, anno Dni. MCCCCCIIII; XXIII die Februarii. *Porro in præfata Pica notatur:* de sancta Frideswida; totum de communi unius Virginis non martyris, IX lect.

B. B. Officium ex Breviario Salisburiensi

86 *In Missali vero (Antverpiæ excusso* 1527) Sanctoralis fol. 63 *sequens legitur rubrica:* S. Frede- F deswide virginis non martyr. offm. *Missa ipsa nihil proprium habet præter Collectam, Secretam et Postcommunionem. Collecta hæc est:* Omnipotens, sempiterne Deus; auctor virtutis et amator virginitatis: da nobis quæsumus sanctæ Fredeswidæ virginis tuæ placitis tibi meritis commendari, cujus vita merito castitatis tibi complacuit. Per Dominum etc. *Secreta:* Offerimus tibi, Domine, preces et munera in honorem sanctæ Fredeswidæ virginis tuæ gaudentes: præsta quæsumus, ut et convenienter hæc agere et remedium sempiternum valeamus acquirere. Per Dominum nostrum etc. *Postcommunio.* Prosint nobis, Domine, quæsumus sumpta mysteria, pariterque nos, intercedente beata virgine tua Fredeswida, et a peccatis exuant, et præsidiis tuæ propitiationis attollant. Per Dominum *etc. Assignatur insuper* Sequentia *ante Evangelium dicenda, quæ, etiam dum, uti hic, communis est, non solet adhiberi nisi ratione solemnioris cujusdam festivitatis.*

et Missali.

87 *Præclarum quoque cultus* Frideswidiani *argumentum subministrat Concilium, seu convocatio prælatorum et cleri provinciæ Cant. in ecclesia* S. Pauli

Statutum Convocationis Londinensis de festo S Frideswidæ.

(1) Historia et Antiquitates Universitat. Oxon., lib. I. p. 114. — (2) Ibid., p. 149. — (3) Britannia, t. I. p. 287.

B. B.

S. Pauli Londin. Perlecto (*ita nempe apud Davidem Wilkins* (1)) mandato reverendissimi pro Convocatione, cui Breve regium insertum extitit, ac tradita potestate ab archiepiscopo certificatoria et procuratoria recipiendi et convocationem continuandi in absentia sua, Mag. Will. Pykenham in prolocutorem electus, reverendissimo die XXVI Martii MCCCCLXXXI præsentatur... Exhibuitque ibidem prælibatus prolocutor aliam schedulam papyream, sub hac serie verborum ; Decet ut exultent immensis cuncti christicolæ gaudiis, quod per gloriosissimæ Virginis Mariæ.... Sanctorumque Osmundi episcopi, Frideswidæ et Ethelredæ virginum grandia præcelsaque merita, multa et evidentia miracula ipse Dominus operatur in terris, qui et animo et omni veneratione colendi sunt, ut quanto divina clementia precibus eorum aurem suæ pietatis inclinat, tanto ipsi, qui Dei sunt mediatores et hominum, intercedere pro peccatis efficacius inducantur. Et quia nos itaque piis docti consiliis, dignisque studiis excitati, quod beatissimi Patres in apostolatu olim summi pontifices festum Visitationis beatissimæ Virginis Mariæ, auctoritate divina indixerunt; et nuper, divina clementia B annuente, beatum Osmundum episcopum, Frideswidam et Ethelredam virgines, ingentibus eorum meritis exigentibus, in Sanctorum Catalogo numerari et a Christi fidelibus venerari decreverunt ; ideoque sanctissimæ Mariæ Visitationis festum sub more duplicis festi, secundum usum ecclesiæ Sarum, cum pleno servitio, VI Nonas Julii cum Oct., quæ celebrentur cum regimine chori, festaque Osmundi XI Non. (*sic*) Decem., sanctæ Frideswidæ XIV Calend. Novembris et Ethelredæ XVI Calend. Novembris, cum regimine chori et novem lectionibus, per provinciam Cant., auctoritate hujus sacri concilii, volumus, statuimus et præcipimus, annis singulis, perpetuis futuris temporibus, devote celebrari. *Cum dicitur beatam Frideswidam nuper tantum a Summis Pontificibus* in Catalogo Sanctorum numerari, *evidens est non agi hic de cultu tum primum beatæ Virgini reddi cœpto: liquet enim ex præcedentibus, pro more illius temporis, proxime post obitum, sanctæ* Frideswidæ *divorum exhibitos honores. Ast decursu temporis indies magis magisque invaluit consuetudo adeundi sanctam Sedem, ut solemniori quodam modo cultus, non raro a sæculis jam exhibitus, confirmaretur et amplifica-* C *retur. Quod etiam hic factum videmus, cum hac occasione festum sanctæ* Frideswidæ *per totam provinciam Cantuariensem, singulis annis celebrandum declaretur. Præterea tunc forte etiam insertum Breviario Salisburiensi fuit ejus officium. Videatur Benedictus XIV* de Servorum Dei beatificatione *ubi* (2) *disputat de Romanorum Pontificum, ante tempora Urbani VIII,* interventu in cultu decernendo erga martyres et confessores. *Plura ibidem recensentur exempla Sanctorum a Papa, sive intra sive extra concilium canonizatorum, qui jam dudum a fidelibus colebantur. Sic Angliæ rex, Eduardus dictus* confessor *(ut distinguatur ab alio sancto Rege ejusden nominis et patriæ, martyre), defunctus anno* 1066, *canonizatus tantum fuit anno* 1161 *ab Alexandro III, ut patet ex hujus bulla, quam vide in Opere nostro ad diem quintam Januarii, qua acta S. Eduardi confessoris dedit Bollandus.*

Mentio S. Frideswidæ in Libro Censuali. Hujus notitia.

88 *Denique coronidis loco adjicimus quæ in rem nostram occurrunt in libro Angliæ* Censuali, *vulgo* Domesday-Book, *præmissa brevi hujus notitia. Ad calcem totius operis legitur majoribus litteris exaratum :* Anno millesimo octogesimo sexto ab Incarnatione Domini, vigesimo vero regis Willelmi, facta est ista descriptio, non solum per hos tres comitatus (*in secundo volumine recensitos*) sed etiam per alios. *Scribit Henricus Spelmannus in Glossario :* Domesdei monumentum totius Britanniæ, non dico antiquissimum, sed absque controversia augustissimum. Duobus magnis voluminibus, Angliæ descriptionem continet, inchoatam juxta Annales Waverlienses et alios an. Dn. 1083, i. e. Gulielmi Senioris 16; sed juxta Rubrum librum Scaccarii, anno ejusdem regis 14 ; finitam vero (ut ipse liber testatur), anno suo 20, hoc est ultimo ; et Domini nostri 1087 (*imo* 1086). *Chronicon Saxonicum, ex recensione et interpretatione Gibsonii, de eodem agit annis* 1085 *et* 1086. *Recentiores ut Lingard* (3), *et August. Thierry* (4), initium annectunt anno 1080, finem anno 1086. *Vario apud varios monumentum hoc venit nomine :* liber judiciarius ; liber censualis Angliæ ; Angliæ notitia et lustratio ; *interdum* rotulus Wintoniæ et liber Wintoniæ. Hic liber ab indigenis *Domes-dei* nuncupatur, id est, dies judicii, per metaphoram (Dome *enim Anglis est judicium,* dag *dies. Ita du Cange in Glossario).* Sicut enim districti et terribilis examinis illius novissimi sententia, nulla tergiversationis arte valet illudi, sic cum orta fuit in regno contentio de his rebus, quæ illic annotantur, cum ventum fuerit ad Librum, sententia ejus infatuari non potest, vel impune declinari. Ob hoc nos *librum judiciarium* nominamus ; non quod in eo de propositis aliquibus dubiis feratur sententia ; sed quod ab eo sicut a prædicto judicio, non licet ulla ratione discedere. *Ita Henricus episcopus Wintoniensis, coævus et propinquus sanguine ipsius Conquestoris* (5). *Librum breviter describit Spelmannus in hunc modum :* In hoc per singulos comitatus, rapas, lathas et centurias (quas Wapentachia et Hundredos vocant) civitates, burgos, oppida, castra, villas etc. descriptum est, quid in prædiis et domibus ; quid in terris, quæ dicuntur dominicales et tenementales ; quid in campis arabilibus, pratis, pascuis, sylvis, saltibus, piscariis, paludibus, communiis *etc.* continebatur. Quot homines et cujus conditionis, milites, colonos, mancipia, operarios (ævivocabulis distinctos) villa quælibet aleret ; quid in tributo, censu, redditibus, servitiis et consuetudinibus, de præsenti valebat, reddebatque ; quid in ævo sub Eduardo confessore elapso (6). *Clarius et luculentius forte de libro censuali agitur in Chronico Saxonico ad annum* MLXXXV. Post hæc tenuit rex (*Willelmus*) magnum concilium et graves sermones habuit cum suis proceribus de hac terra, quomodo incoleretur et a quibus hominibus. Mittebat idcirco per totam Anglorum terrram in singulos comitatus servos suos, quibus permisit scrutari quot hydarum centenæ essent in comitatu, quidque rex ipse haberet terrarum et pecorum in eo comitatu, et quantum census annui deberet percipere ex eo comitatu. Permisit etiam describi quantum terrarum ejus archiepiscopi haberent, et diœcesani episcopi, ac ejus abbates, ejusque comites, et, ne longior in hoc sim, quid aut quantum unusquisque haberet, qui terras possideret in Anglorum gente, sive terrarum, sive pecorum, quantumque illud pecunia valeret. Tam diligenter terram lustrari permisit, ut ne unica esset hyda, ne quidem (quod dictu turpe, verum is factu turpe

(1) Concilia Magnæ Britanniæ, t. II, p. 612 et 613. Edit. Lond. 1737. — (2) Lib. I, cap. VII, VIII, IX et X. — (3) Histoire d'Angleterre. Lovan. 1827, t. II, p. 72. — (4) Histoire de la conquête d'Angleterre. Bruxel. 1839, t. II, p. 91 et 94. — (5) Glossarium Hen. Spelmanni. voce Domesdei. — (6) Idem. ibid.

non

A non existimavit) bos aut vacca aut porcus prætermittebatur, quod non is retulerat in censum. Omniaque postea scripta ad eum referebantur (1). *Duobus constat universum opus voluminibus separatis : in altero triginta describuntur comitatus ; in altero, quod majusculis litteris, fusiori enarratione et ultimo regis anno est perfectum, tres solummodo habentur comitatus : Essex, Norfolk et Suffolk.* Reliqui *(inquit Spelmannus* (2)) viz. Northumbria, Cumberlandia et Westmerlandia, episcopatusque Dunelmiæ (sive morte regis, sive alio nescio quo intercepti infortunio) nusquam hic se exhibent. Nec Lancastriæ pago suus designatur titulus ; sed pars ejusdem, quæ inter Ripam et Mersam appellatur, vel sub Euruicscire *(Yorkshire)* deprehenditur, vel in Cestrescire.

89 *Jam vero in Libro Censuali, ubi recensetur Comitatus Oxoniensis* (Oxenefscire *fol.* 157), *sub hoc titulo :* Terra canonicorum de Oxeneford et aliorum clericorum *leguntur sequentia :*

Canonici S. Fridesvide ten. iii Hid. de rege juxta Oxeneford. Ipsi tenuerunt tempore regis Edwardi. Terra v car. ibi xviii villani habent v carucatas et cv acr. prati et vii acras spineti. Va-
B luit et valet xl sol. Hæc terra numquam geldavit *(solvit)*, nec alicui Hundredo pertinet nec pertinuit. *(Est autem juxta Spelmannum Hundredus portio comitatus, qua olim degebant centum pacis regiæ fidejussores : uti Decuria qua decem : et com plexus est igitur Hundredus decem Decurias; idemque sonat ac centuriatus).* Sinuardus tenet de ipsis canonicis ii *Hidas in* Codeslam. Terra ii car. quæ modo ibi sunt. Valuit et valet xl sol. De ecclesia fuit. *Ex quibus efficitur authenticum de cultu S.* Frideswidæ *testimonium sæculo undecimo, sive sub Conquestore (ab. an.* 1066 *ad an.* 1087) *sive jam sub S. Eduardo (ab. an.* 1042 *ad an.* 1066). *Imo concludere pronum est, terras ibidem enumeratas jam dudum monasterio donatas ; quod et aliunde constat. Unum liceat his addere etiamnum ex Spelmanni Glossario :* Conservatur utique nobile nostrum monumentum in thesauro regii Scaccarii *(id est* archiva fisci) sub tertia clave, scil. Thesaurarii et duorum Camerariorum ; inspecturis tamen satis præsto, sed denumerantibus prius 6 solid. et 8 denar. pro sola inspectione. Transcriptio enim uniuscujusque lineæ drachmâ præterea penditur. Mihi vero (nam acceptum a jam mortuo agnoscam beneficium) et istius
C et aliarum veterum Schedarum, quas *recorda* vocant, insignem aliquando copiam fecit senex in eisdem versatissimus, Arthurus Agard, tunc procamerarius ; exinde, gratam etiam admodum, successor ejus J. Bradshawe, ministrique alii humanissimi *(copiam fecerunt). Simile quid mihi contigit, cum Londinii versarer mense Augusto hujus anni* mdcccl. *Quare et ego grati animi testimonium hic oppono Josepho Burt, quem convenire mihi datum est Westmonasterii, in domo quondam capitulari, ubi Domesday-Book et alia majoris momenti instrumenta publica, hodie asservantur.*

Dictorum recapitulatio.

90 *Constat itaque de cultu S.* Frideswidæ *omni testimoniorum genere : ecclesia, quæ, ipsa in terris agente, ædificata et brevi post illius obitum ab ejus nomine dicta, usque ad nostra tempora permansit (Confer n.* 73 *et seqq.) ; monasterio, quod a sua erectione usque ad sæculum decimum sextum perpetuo sanctæ Fundatricis nomen tulit ; translationibus Reliquiarum, adventu regum Angliæ Oxoniam, qui singulari devotionis sensu S. Virginem venerabantur, quod sæpius declararunt innumeris in ejus honorem factis sive fundationibus sive donis ; miraculorum perpetuitate, præcipue in sanandis iis,* qui lepræ et febrium malo obnoxii erant, *ut Malbrancus loquitur, quorum fama longe lateque dispersa, innumerabiles undequaque ad S. Virginis sepulcrum et fontem (vide nn.* 43 *et* 34.) *peregrinos et devotos convocabat. Quæ quidem omnia confirmantur tum ex ejus officio et liturgia, tum ex Conciliorum decretis, tum ex ipso Libro Censuali.*

B. B.

§ V. Sepulcrum S. Frideswidæ spoliatur ab Henrico VIII. Reliquiarum ejus profanatio et permixtio. Monumentum S. Frideswidæ, quod hodie adhuc visitur Oxoniæ in Ecclesia Christi.

E

Sepulcrum S. Frideswidæ ab Henrico VIII spoliatum.

A*tque hæc ita se habuerunt utque ad medium sæculum decimum sextum, quando, consummato Angliæ cum sede Romana schismate, Henricus VIII, anno trigesimo regni sui, disturbatis monasteriis, inter alia sepulcrum sanctæ* Frideswidæ *donis ornamentisque spoliavit, sibique addixit.*

Postea ipsæ Reliquiæ sacrilege profanatæ.

92 *Paulo post (facinus dicam, an dementiam?) pejus quid in sacrum hunc thesaurum, tot sæculorum veneratione consecratum, adeoque, si vel solam spectes antiquitatem, omnium cordatorum, etiam dissidentium, oculis sanctum, susceptum est ; ita ut venerabiles illæ exuviæ nobis quasi penitus interierint. Rem, prout sive a catholicis, sive a dissidentibus tradita est, exponemus, initium ducentes a Burnetto, qui* (3) *in hunc modum narrat permixtionem Reliquiarum sanctæ* Frideswidæ.

Hujus profanationis historia, primum ex Burnetto :

93 Anni 1557 initio (regnante Maria) duas universitates lustrari voluit Polus. Scotum, Chesteriensem episcopum..... misit Cantabrigiam..... Ormanetum, Brooksium, Glocestriensem episcopum, et quosdam alios legatos Oxoniam etiam misit, ut Academiam lustrarent. Idem fecerunt quod Cantabrigiæ factum fuerat. Omnia Anglica Biblia, quæ ibi repererunt, et omnes protestantes libros, quos relegere potuerunt, cremari voluerunt. Petri etiam Martyris uxoris corpus, quod in quodam urbis templo jacebat, condemnarunt. Sed quandoquidem fœmina illa, ne ullum quidem verbulum Anglice sciverat, nullus fuit testis, qui accusaret se audivisse eam hæreses proferentem. Hoc cardinalis (Polus) ex legatis audito respondit, quandoquidem certum esset, fœminam illam monacham fuisse, eamque contra votum suum nupsisse, illud sufficere ad corpus e terra eruendum, et in fimo, excommunicatorum sepulcro, sepeliendum. Illud exequuti sunt. Ast postea corpus illud ab ita infami sepulcro, Elizabetha imperante, erutum fuit, et cum sanctæ Frideswidæ ossibus mixtum, cum quibus in sæculorum usque finem idem sortiri fatum optatur. *Hactenus Burnet, nomen inter Anglicanæ ecclesiæ scriptores haud obscurum.*

F

dein ex Sandero : incidenter quædam attinguntur de Petro Martyre.

94 *Sanderus (vulgo Sanders vel Sauders) scriptor catholicus, olim, dum Maria regnaret, in Academia Oxoniensi sacrorum Canonum professor, in libro cui titulus :* Vera et sincera Historia schismatis

(1) Gibson, p. 186. — (2) Ubi suprà. — (3) Historia reformationis ecclesiæ Anglicanæ, parte ii, p. 228 et 229. Edit. Genovæ 1689.

D. B. Anglicani (1) *breviter monet, Mariam jussisse ut* omnes externi, qui neque publicam personam gererent, nec in cives essent adscripti, ad certum diem, gravissima indicta pœna, de regno exirent. Dicuntur autem ex hoc decreto abiisse supra triginta millia hæreticorum variarum nationum et sectarum. *Speciatim vero deliberatum fuit quid facto opus esset de Petro Vermilione* (Vermilio *seu* Vermiglio *vel etiam* Vermigli, *ut habet Ranke* (2)), *Florentino, qui passim Petrus Martyr vocatur a nomine sancti Petri martyris, ipsi, dum baptizaretur, dato. Hic annos natus sexdecim, inter canonicos regulares sancti Augustini cooptatus, brevi tum prædicando, tum tradendo sive philosophicas institutiones sive sacras litteras, magnam sibi acquisiverat doctrinæ et scientiæ famam, atque hinc ad primaria inter suos munera dignitatesque fuerat assumptus. Quadragenario major, Italiam, patriam suam, reliquit, et Deo religionique perjurus, ad partes transiit novatorum. Argentoraci primum docuit quinquennio; dein, ut moris erat apud omnes præsertim monachos a recta fide deficientes, uxorem ducit Catharinam quamdam Dampmartin (sic illam plerique cognomine dicunt) Metis in Lotharingia oriundam,* B *quæ et ipsa Deo inter claustra olim virginitatem devoverat. (Id quidem negavit vel saltem in dubium vocare voluit Jurieu, sed absque ratione, ut satis aperte dicit ipse Chaufepié.) Post hæc, invitante Crammero archiepiscopo Cantuariensi, in Angliam venit anno* 1547; *ubi initio anni sequentis ab Eduardo VI ad cathedram promotus theologicam Oxoniæ, uberrimos tulit plausus apud reformatæ religionis fautores. Brevi post obtinuit præbendam canonicalem in ecclesia Christi, atque prætereu domum ad collegium spectantem, in qua cum prætensa uxore sua habitaret. Ubi apposite notat calvinista Chaufepié, primam hanc fuisse feminam, quæ ab omni retro tempore, aliquod ex collegiis Oxoniensibus umquam incoluerit* (3).

Continuatur narratio Sanderi.

95 *De hoc itaque postquam aliquamdiu deliberatum esset num flammis tradendus esset*, itum est in illud, *inquit Sanderus*, ut, quia publica fide venerat, dimitteretur potius cum suis... Buceri vero corpus, paulo ante Cantabrigiæ sepultum, jubebatur secundum leges, cum Pauli Phagii cadavere exhumari et comburi: uxoris autem Petri Martyris impura ossa, e cœmiterio in sterquilinium Oxonii projici. *Dein lib.* III, *qui* Elizabetha *inscriptus, et,* C *defuncto jam Sandero, ab alio adornatus est, ut ex prooœmio constat, refertur (nempe sub Elizabetha* (4)), cineribus *seu potius* umbris *Buceri et sodalis ejus* publica et celeberrima denuo peracta *fuisse* justa; *et additur :* Sicut Oxonii meretriciæ Petri Martyris conjugis ossa, e sterquilinio, in quod conjecta erant, summo studio collecta, in vicinam ecclesiam, ubi primum condita erant reportantur : at non jam in pristinam sepulturam, sed summo scelere, aperto sanctissimæ virginis Frideswidæ, ejus templi et loci Divæ titularis, antiquissimo monumento, in sacrum ejus tumulum inferuntur, et ejusdem Divæ venerabilibus reliquiis ita permiscentur, ut in posterum inter utrumque morticinium discerni non queat, hoc impio addito epitaphio : HIC REQUIESCIT RELIGIO CUM SUPERSTITIONE. Sic discernet vivorum et mortuorum Christus.

Idem ex Antonio Wood.

96 *Eadem fere referuntur apud Dugdale* (4) *qui ibidem mentionem facit libri in hanc rem specialiter conscripti, ut ex titulo claret : inscribitur enim :* Historia de exhumatione Katharinæ *nuper uxoris Petri Martyris in-8°,* 1562. *Ejus auctor J. Calfhill præcipuas in miserando hoc eventu habuit par-* D *tes. Ex hac Calfhilliana scriptione, quam sine dubio, sub oculis habuit, ita Ant. Wood Reliquiarum permixtionem describit* (6). Inter hæc, *inquit*, commoniti sunt visitatores *(missi Oxoniam a Paulo cardinali, quorum nomina habes n.* 92) ut quæstionem exercerent de moribus et religione Catharinæ *Cathie (id non proprie cognomen, sed corruptela quædam vocis Catharinæ)* sive Dampmartin, Martyri pridem enuptæ, ante annos autem quatuor fato functæ, et in Ædis Christi ecclesia, haud procul reliquiis sacris S. Frideswidæ sepultæ. Hi itaque Oxonienses aliquot ad se accersunt, quibus cum demortua necessitudinem intercessisse norunt; id utique in animo habentes, si ex indiciis quibuscumque hæreticæ pravitatis arguendam deprehenderent, erutum e sepulchro fœminæ cadaver flammis exurere. Cæterum respondentibus, quod ad se citarant, idiomatis quo usa fuerat Catharina imperitos fuisse se, ac proinde quod ad sententiam ejus in rebus sacris attineret, nil umquam percepisse, re infecta ad cardinalem rescribunt delegati... Is autem litteras ad Doctorem Martiall *(Marshall)*, Ædis Christi decanum transmisit, quarum summa erat : quod quoniam E Catharina Cathie, memoriæ abominandæ fœmina, matrimonium cum Petro Martyre, hæretico contraxisset, tametsi castitatis voto utrique obstricti jam pridem fuerant; quoniam etiam in detestabili fornicatione cum prædicto, sacræ Eucharistiæ veritatem Oxonii impugnante, vitam traduxisset, diemque obiens prope gloriosæ Virginis sepulchrum tumulata esset, corpus itaque bonis omnibus invisum effoderet, et prout sibi consultissimum videretur, ab ecclesia ejusque limitibus procul amandaret. Perceptis ergo litteris cardinalitiis, mandata viri perfecit Martiallus, fœminæque cadaver in sterquilinio, stabulis suis proximo, inhumandum curavit. Ibi quinquennio integro computruisse liquet. *Postea vero* devoluto ad Elizabetham imperio; ut honestiori in loco reponeretur, mandarunt Præsulum aliqui, maxime vero archiepiscopus Cantuariensis et episcopus Londinensis. Eam rem ante omnes obibat magister Jacobus Calfhill, ædis præfatæ subdecanus, qui effosso a famulis cadavere, ossa loculo satis specioso inferri jubens, ad S. Frideswydam deposuit, tempus magis opportunum expectans, quo cum solemni, F ut par erat, pompa justa exequiarum persolverentur. Reliquias interea Frideswydenses sedulo perquisivit Calfhillus, a pontificiis quibusdam repositorio (quod vocant) suo exemptas, et alibi in ecclesia reconditas intelligens, prout se occasio daret in tutiorem locum deportandas; quas quidem sacculis duobus holosericis (temporis injuria et adorantium osculis nigredine quadam obfuscatis) invenit, et Catharinæ quam dixi ossibus commiscuit; quæ scilicet contumulanda pariter meditabatur. Tertio Idus Jan. MDLXI, confluente magna hominum frequentia, laudata est pro concione Catharina (scommatis interea nonnullis in S. Frideswydam jactis) atque sepultura jam tertio donatur, cujus die proximo (Dominicus in erat) mentionem honoris plenam fecit Robertus Rogerson, ex Æde mox antedicta alumnus, dum evangelium populo annuntiaret. Atque hac ratione, superstitiosa, ex vaticinio aliquo antiquo, formidine exsoluti sumus : quippe credebant veteres, si reliquiæ Frideswydenses (quæ semper religiosissime conservabantur per canonicos ejusdem prio-

(1) Lib. II, p. 233. Edit. Coloniæ Agrippinæ 1628. — (2) Histoire de la Papauté — (3) Chaufepié. Dictionnaire. Supplément de Bayle, ad vocem : *Martyr*. — (4) Ibid., p. 275. — (5) T. II, p. 141. — (6) Hist. et Antiq. Oxon., p. 279.

ratus

A ratus) alio transferrentur, ruituram propere ecclesiam ipsam... Verum his omissis, epitaphium utrique (pariter enim, ut prædixi, inhumatæ erant fœminæ) contexuit academicorum aliquis in hæc verba: HIC REQUIESCIT RELIGIO CUM SUPERSTITIONE.

Conclusio in præcedentia

97 *Hæc absque indignationis sensu quis legat? Scilicet eo abripit mortales vesana innovandi libido, ut nec pretiosissimis patriæ indulgeant thesauris, nec commendatissimis parcant antiquitatis monumentis. Dein cui bono hujusmodi profanatio? Utique nostris temporibus neminem reperias cordatum, qui illam non improbet, non vituperet. Cæterum ex triplici, quam exhibuimus, narratione, cernitur scriptores, diversæ licet religionis, unanimes esse in referendo facto principali, Reliquiarum permixtione; satis etiam conveniunt de epitaphio, pro more temporis in catholicos ad injuriam usque probroso; quamvis ejus mentionem non habeat Burnettus. Quod ad sacculos bombycinos attinet, quibus inclusa fuerant ossa S.* Frideswidæ, *non est cur fidem Woodi et Dugdali suspectam habeamus, ut ex mox dicendis clarius innotescet.*

Monitum in sequentem Calfhilli de Exhumatione Catharinæ historiam.

98 *Hæc de Reliquiarum permixtione ex variis collegeramus, cum deinde Oxonium (id quod jam dudum in votis erat) adire nobis contigit, mense Augusto anni* 1849; *eo præcipue consilio, ut diligen-* B *tius in res* Frideswidianas *inquireremus. Atque fas sit nobis hic ante omnia grati animi apponere testimonium erga Bodleianæ Bibliothecæ administros omnes quidem simul, sed specialim erga clarissimum et eruditissimum D. Bandinell, Bibliothecæ præfectum (qui partes haud spernendas habuit in recenti* Monastici Anglicani *editione), et D. Coxe, cui cura Mss. præcipue demandata est, ob summam benevolentiam et humanitatem, quibus nos, Oxonii commorantes, et excipere et juvare dignati sunt. Inter alia, quæ in vastissimo et celeberrimo hoc eruditionis et scientiarum armamentario colligere in rem nostram licuit, haud postremo loco habemus scriptionem Calfhilli (cujus supra incidit mentio) diu a nobis antea, sed incassum, quæsitam. Nec mirum: quamvis typis edita fuerit, cum tamen paucas solum complectatur paginas, atque rem tractet urbi Oxoniensi peculiarem, haud difficulter intelligitur quomodo, in tanto præsertim illorum temporum turbine, penitus fere interciderit. Atqui tamen, paucis illis paginis continetur instrumentum imprimis authenticum facti, in actis* Frideswidianis *maxime spec-* C *tandi. Est enim Epistola, qua Calfhillus rationem episcopo Londinensi reddit eorum, quæ in perquirendis recondendisque Catharinæ ossibus suscepit atque perfecit. Quamvis itaque, prolixe jam de hoc argumento egerimus, nihil tamen dubitamus verba Calfhilli integre subnectere, integre etiam servatis, quæ hucusque disputavimus. Hæc enim posteriora, præterquam quod in rei gestæ ampliorem ducant notitiam; id præcipue, ex mente nostra, ferent commodi, ut, pleraque a Calfhillo asperius multo quam par est in catholicos jactata, corrigant. Profecto ex toto narrationis nostræ complexu, liquido efficietur, non esse cur reformatæ religionis præcones crudelitatis et barbariei insimulent catholicos; cum ipsi, ubi adversarios accusant, amplam retorquendi præbeant materiam. His præmissis, restat ut Calfhilli Epistolam exhibeamus, cum titulo, quem in exemplari typis edito præ se fert, sequentem scilicet:*

Historia de Exhumatione Catharinæ, nuper uxoris doctissimi theologi D. Petri Martyris, ac ejusdem ad honestam sepulturam, restitutione Oxonii facta III Idus Januarii anno MDLXI.

B. B. Præfatio.

99 Jacobus Calfhillus Edmundo Frindallo, episcopo Londinensi dignissimo, salutem in Domino sempiternam. Litteris, quas ad nos cum mandato dedistis, varie affecti sumus. Non enim adeo jucundum fuit (conversis divina bonitate rebus) in pia causa non malam operam posuisse: quam molestum, et prioris temporis iniquitatem vidisse, et factorum omnium atrocitatem memoria nostra repetiisse. Quis enim est, qui piorum illa tempestate graves, et non ferendas injurias, moderate ferat? Quis non ad ipsam recordationem illius tyrannicæ potestatis exhorreat? Certe cum illud Antichristi nostri sævum interregnum, et infelicem nostræ reip. dominationem, animo et cogitatione complector, etsi veterem dolorem refrico, tamen et ad habendas Deo gratias impellor, et ad nos ipsos nunc demum vere beatos prædicandos. Nam ut gravitas morbi facit, ut medicinam magis amemus: ita per amissionem verbi divini, miserabile vulnus inflictum, facit, ut curationem multo chariorem habeamus. In eo igitur toti esse debemus, ut bonis potius præsentibus digni, quam malis præteritis dolentes videamur. Quocirca, ne obductam piis animis cicatricem refricem, universa, quæ toto fere sexennio omni cum diritate atque E immanitate facta sunt, prætereo. Tantum hoc attingam, quod et a me prescribi vis, et est novissime redintegratum.

Polus.

100 Postquam igitur Cardinalis Polus, ita, uti meruerat, e finibus patriæ ejectus, exteras nationes complures annos peragraverat: regnante Maria, reginæ senatusque consensu domum revocatus est. Anno igitur Dni 1554 sic rediit, ut nihil aliud Roma, quam immanem illius civitatis crudelitatem, et inexplebilem hominum innocentium cruoris sitim domum deportasse videretur. *(Num forte etiam Roma asportarant Henricus VIII, Elisabetha, Jacobus I, feralia sua in catholicos edicta)?* Is in summa rerum potestate constitutus, certos quosdam homines, partim ob religionis, partim ob morum similitudinem, sibi præcipue charos, et delectos Oxonium cum eo mandato misit: ut pontificia jura, et diplomata, quæ regis Eduardi sexti temporibus antiquita fuerant, restituerent; diligenterque inquirerent, si qui essent, qui pontificias cæremonias negligerent, et pro nihilo ducerent: si qui tales invenirentur, apud quos vel levissima hujus rei suspicio hæreret, omni cunctatione abjecta, primo quoque tempore ejiciendos curarent. F

Visitatores missi.

101 Veniunt cum imperio et potestate Brokus, Glocestriensis episcopus, Nicolaus Ormanetus, quem vulgo Datarium appellabant, Robertus Morwennus collegii Corporis Christi præses: Henricus Colus, et Wrytus doctores juris civilis. Erat in Broko litteratura non vulgaris, eloquentia non contemnenda, ingenium acutum, morum facilitas satis amabilis, si illorum temporum iniquitas et malorum hominum consuetudo naturam ejus non immutassent. Fuit in Ormaneto nihil notabile, præter arrogantiam intollerabilem, qua re tam mirifice excellebat, ut ne fingi quidem, aut cogitari quicquam posset arrogantius. *(Acerbius imo et injuriose prorsus in Ormanetum hæc dicta esse, nemo sane erit, qui vel ex ipsis Calfhilli verbis non judicet. Longe sane aliter de Ormaneto sentiebat S. Carolus Boromeus, hujusque vitæ scriptor:* Vivebat, *inquit* (1), eo tempore Nicolaus Ormanetus, humani divinique juris peritissimus, qui et Matthæo Giberto vicariam in Veronensi episcopatu operam præstiterat, et Reginaldum Polum, notissimi nominis

(1) Vita S. Caroli, auctore Giussiano, latino reddita a Rubeo, notis illustrata ab Oltrocchio. Edit. Mediolani 1751, col. 44.

R. D.

minis cardinalem, in Angliam assectatus in reformandis ejus regni studiis eximium probitatis ac sapientiæ specimen dederat. Nunc a Tridentino concilio reversus quietam in obscura parœcia vitam agebat, contemptu claritatis illustrior, et majore parta per latendi desiderium celebritate. Hunc, impetrata ab Veronensi antistite facultate, Carolus Romam accersit, repetitisque congressibus collocutus præsidem illum ac vicarium suum Mediolanensi synodo destinabat. *Et ipse S. Carolus, ad cardinalem Alexandrinum scribens, cum Romam Ormanetum, mense Junio an.* 1566, *mitteret :* habes, *inquit,* in rebus agendis omnino integrum, doctum, fortem, ingenuum et in negotiis demandatis promovendis vix umquam cessantem (1). *Atque hic tamen est, de quo scribere non est veritus Calfhillus :* Fuit in Ormaneto nihil notabile præter arrogantiam intollerabilem, qua re mirifice excellebat. *Prosequitur Calfhillus)* : Fuit Colus eruditione ad suam opinionem eximia, ad aliorum vero mediocri, natura tam insigniter morosa, ut nihil mirum, si nec sacra biblia, quæ combusserat, nec Christi fautores, quos infestaverat, ei placere potuerint Is nihil ægrius ferre potuit, quam ut a
B quoquam vel ipse Cicero, vel Plato legeretur. Hoc cur fecerit plane nescimus, nisi ideo fortassis, quod ingenioso illo suo paradoxo *(Inscitiam et ignorantiam rerum, veræ pietatis et religionis matrem esse)* nimium delectaretur. Fuit Morwennus satis annosus pater, et parcus senex, ad rem tuendam pater familias bonus, ad doctrinæ et religionis controversias vindicandas judex parum aptus, acerrimus tamen vetustatis suæ defensor. Fuerunt, et sunt in Writo multa naturæ, et doctrinæ ornamenta; nec in illo homine quicquam desideres præter constantiam, quæ cum bonos homines maxime decet, tum pastores præcipue, quorum est stabilem et certam, non errantem et vagantem de Religione habere sententiam. *(Esto ; sed quid de Crammero, quem Oxonienses, erecto nuperrime monumento, novæ doctrinæ martyrem deprædicant, qui vel in ipsa morte clarissima fluctuantis perpetuo, nisi mavis dicere, simulantis animi, exhibuit specimina? Vide Bossuetium* (2). *Quid de plerisque Angliæ præsulibus, qui aliam sub Henrico VIII, aliam sub Eduardo VI, aliam sub Maria, aliam sub Elisabetha professi doctrinam sunt? Utique, si quibus inurenda inconstantiæ nota, et ordine priores, et*
C *numero densiores reformatæ ecclesiæ antesignani catervatim occurrent. Cæterum evidens est præfatos viros omnes hic a Calfhillo longe acerbius perstringi. Quod non modo ejus causæ non favet, quin potius plurimum officit).*

In Catharinæ religionem inquirunt.

102 Hi postquam satis diu pro libidine in complures fuerant perbacchati, et infinitum pene Bibliorum numerum, aliorumque librorum Euangelii doctrinæ sensum aperte et salutariter explicantium, in unum publicum locum apud forum convectum, concremaverant : eo tandem insaniæ devenerunt, ut non in vivos solum, sed in mortuos etiam et sepultos, crudelitatis virus evomerent. *(Eadem perpetuo in stylo et verbis acerbitas).* Fuerat Oxonii Eduardi temporibus, Petrus Martyr Vermilius Florentinus, regius theologiæ professor, vir ea docendi elegantia, disputandi subtilitate, comitate morum, totius denique vitæ innocentia : ut ingenio, doctrina, pietate complures ad Christi ovile aggregaverit, qui paulo ante in pontificio luto volutantes a veritate aberraverant. Hujus uxor Deum in primis timens, domi, forisque, cum æqualibus sobrie, modesteque vivens, anno MDLII vitam cum morte commutavit : D
maximo certe hominum egentium dolore, quorum paupertatem facultatibus suis semper munifice sublevaverat. Quæ quam pia mulier fuerit, quam chara bonis omnibus, mœrore funeris indicatum est. *(Quanto demissius adversarios deprimere, tanto altius suos extollere satagit Calfhillus. Non hæc est æqui judicis agendi ratio).* Hanc illi suspicantes eadem religione qua vir, imbutam fuisse : hujus rei veritatem elicere cupientes, singulos quibuscum vel Petro, vel uxori familiaritatem aliquam intercessisse existimabant, coram se sisti jusserunt : ut si quid tale comperissent, non aliter quam ornatissimi Buceri corpori Cantabrigiæ fecerant, hujus quoque defunctæ corpus Oxonii concremarent. Adducuntur omnes : adducti jurejurando obligantur, ut nihil simulent, aut occultent earum rerum de quibus interrogentur. De illius religione rogati, omnes ad unum responderunt, ob linguæ, qua utebatur, peregrinitatem se quidem nescire quamnam religionem profiteretur. Itaque spe sua frustrati, quod nullis illam testibus hæreseos convictam secundæ morti (qui papistarum est furor) subjicere potuerint : ad cardinalem E
revertuntur, referunt quid egerint, id est, quam impudenter se gesserint, quam multos e collegiis indicta causa detruserint, quam scelerate sacrosancta Biblia conbusserint, denique quam diligenter omnia de Martyris uxore perquisierint : nihil tamen reperisse, cur ex jure corpus crematetur. Cardinalis tamen ne sic quiescendum sibi existimans, aut ipsa dogmata, quæ Petrus aliquando docuerat, satis unquam irrita facta conjiciens, nisi demortuæ uxoris ossa iisdem flammis absumerentur, quibus ipsum virum majore multo cum voluptate flagrantem aspexisset : interjecto aliquo temporis intervallo, litteras ad Marshallum, indignissimum Ædis Christi Decanum scribit, ea perscriptione : Ut, quoniam juxta corpus sanctissimæ Frideswidæ jacebat corpus Catharinæ uxoris Petri Martyris, exhumari et jactari faciat. *Des deratur hic rursum, veritatis socia, moderatio. Partium studio continue abripitur Calfhillus, ut vel abunde ex verbis, injuria tumentibus, constat. Quisquis cum eo non sentit vel ineptus est vel impius aut probrosus. Cæterum rite notandum, in mandatis cardinalis Poli, ipso Calfhillo teste, non agi de proji-* F
ciendis Catharinæ ossibus sive in fimum sive in sterquilinum. Deinde num ipsi novatores ossibus beatæ Frideswidæ *pepercerunt? Numquid non illa disturbarunt, profanarunt? Atqui tamen a multis retro sæculis omni digna habita fuerant veneratione. Non est ergo cur tam acerbe in adversarios invehant, cum propriis ipsi se jugulent factis.*

Exhumari jubetur Catharina.

103 Homini magis idoneo res committi non potuit. Fuit enim vir et parum sobrius et furiosus : ita ut non vivis solum, sed sepultis etiam, et in terræ gremio jacentibus valde terribilis fuerit Is ubi jam advesperaverat, ab immanibus suis poculis aliquid temporis intermittens, bajulis et combibonibus suis comitatus, ad tumulum accedit : operas convocari, instrumenta parari jubet. Ubi acies satis instructa sibi ad pugnam videbatur : rem aggreditur, corpus effodit, effossum bajuli cujusdam humeris imponit, impositum foras deferri, et in sterquilinio defodi jubet. Atque hæc fabula ab his impuris hominibus sic acta est illis quidem temporibus, quibus impietas insulam Angliæ sic occupaverat, ut quo quis turpior et crudelior esset, eo

(1) Vita S. Caroli, auctore Glussiano, latina reddita a Rubeo, notis illustrata ab Oltrocchio. Edit. Mediolani 1751, col. 85, not. a. — (2) Histoire des Variations, lib. VII passim.

vir

A vir melior et sanctior haberetur. *Hæc enim vero verba jure dixeris animi parum sobrii. Non animadvertit Calfhillus istiusmodi ludibria homine cordato digna non esse, atque ad infimam plebeculam amandanda. Nec etiam virum invenerit gravem, cui talia de Marshallo persuaserit.*

Regnante Elizabetha.

104 At misericors, pater Deus Opt. Max. qui suos ad tempus solet affligere, ne si perpetuo rebus secundis, et ad voluntatem fluentibus perfruerentur, sibi ipsi nimis præfidentes, divinam bonitatem obliviscerentur (est enim ea humana infirmitas, ut neque res adversas, neque secundas vix moderate ferre queat) tandem assiduis piorum precibus commotus, servos suos e faucibus leonum cædem et interitum quotidie anhelantium, eripuit. Sacrosancti verbi sui contemptores e dignitatis sede deturbavit, vas suum electum Elizabetham, castissimam et ornatissimam virginem ad nostram Remp. pie, prudenterque gubernandum excitavit. *(Hæc nempe mera putidaque adulatio est. Novimus quid de* castissima virgine *Elisabetha vel ipsi senserint anglicani, quidve erudit hodie sentiant.*

Jubetur Catharinæ corpus

105 Hæc paucis diebus postquam regnum inierat, vos, o gravissimi et ornatissimi viri Matthee B Cantuariensis archiepiscope, Edmunde Londinensis, Richarde Goodricie (interponantur si lubet, et alii) quos ego singulos honoris causa nomino, prudenter constituit, et eam dedit authoritatem, ut causas ad cultum religionemque Dei spectantes cognosceretis, omniaque pro vestra prudentia ageretis, quæ ad evangelii lucem stabiliendam, et remp. a pontificia fœce liberandam pertinerent. Intelligentes igitur quam indignis modis avidæ hæ et rapaces bestiæ emortuum innocentis corpus tractassent : certis aliquot nostrum qui Oxonii sumus, reique veritatem cognoscere possemus, id negotium dedistis, ut hanc infamiæ notam eluendam, corpusque e fimo et stercore detractum, in honesto aliquo loco frequenti populo solemniter sepeliendum curaremus. *(Transeant hæc, demptis tamen* pontificia fæce *et* avidis rapacibusque bestiis, *quæ prudens quisquis scriptor omisisset.)*

effodi.

106 Itaque postquam omnes ad nos convocassemus, qui vel socii sceleris, vel administri fuerunt, vel certioribus saltem indiciis, honestum pii monimenti locum, turpemque sceleratæ violationis formam noverunt : ad Frideswidæ tumulum adducimur, atque non longe ab eo loco, in parte templi C septentrionali, sepulcrum quod fuit, ostenditur. Corpus *(Catharinæ)* ipsum alio delatum, atque per certos indices locus, ubi depositum fuerat, indicatus. Venitur igitur ad Marshalli stabulum, et e putri fimo, nondum penitus absumpta carne, cadaver erutum. Inerant calvariæ longiores pili, totumque cerebrum. Ossibus nulla inter se membrorum compage nexis, adhærebat candens et absumpta caro. Sed ipsa, ita ut erant, in unum vas collecta, diligenter ab æditius in æde sacra custodiri mandamus, eo usque, dum celebrioris festi opportunitas frequentiorem spectaculo populum exhiberet.

Ejus ossa permiscentur cum reliquiis S. Frideswidæ.

107 Interea, dum pro officii mei ratione, omnia studiose pararem quæ ad funus honestandum pertinere viderentur : in abditissimo fani loco, forte fortuna ossa quædam subfusca, binis manticis sericis diligenter tecta et involuta reperi. Hæc ejusdem ædis hebetes et prisci canonici, religiose asservare, et in solemnioribus festis super altare propalam, et in conspectu omnium collocare solebant, ut magna cum reverentia et honore, ab imperita multitudine colerentur. Virginis enim illius Frideswidæ fuisse vetus opinio est, quibus tantam vim et sanctitatem inesse deliri senes, et homines papistarum præstigiis infatuati existimabant : ut D. B. templi structuram penitus dissolutum iri acclamarent, si loco moverentur. Ego vero nihil minus viri boni esse existimans, quam odiosam papistarum impietatem, et importunam crudelitatem imitari, nulla ratione volui committere, ut quicquam in ea indecore et contumeliose fieret. *(Atque hanc ob rem sincere gratulamur Calfhillo; qui multo majores a nobis utique tulisset gratiarum actiones, si pretiosum Reliquiarum thesaurum intemeratum custodisset).* Rationem igitur excogitabam, qua et ossa humaniter tractarentur, et omnis simul inepta superstitio tolleretur. Quo circa cum Petri Martyris uxoris ossibus permixta et confusa, in superiori fani parte ad orientem spectante, oratione prius ad populum habita, qua nostri consilii ratio ostenderetur, in eodem monimento magna hominum celebritate, et frequentia, tertio idus Jan. *(id est die* IX) anno MDLXI sepulta sunt. *Notatu dignum est non referri a Calfhillo inscriptionem de qua supra diximus :* Hic jacet religio cum superstitione. *Nec etiam illius meminit Burnettus. Traditur autem a Sandero cui omnimode fere consonat Antonius Woodus, ut ex supra relatis constat n.* 96. E

Sequenti die pro concione laudatur Catharina.

108 Postridie ejus diei, qui Dominicus fuit, (neque enim tot simul peragendis unicus dies sufficere judicatus est) Rogersonus noster concionem ex suggestu piam quidem et eruditam ad populum habuit : in qua cum multa de communi hominum sorte dixisset : de frangendo pruritu, et sepeliendo furore carnis nostræ : de Christo ipso, qui sua morte viam nobis ad vitam communivit : tandem et aliorum clarissimorum hominum, quos vivos nefaria papistarum tyrannis e medio sustulit : et hujus etiam ornatissimæ fœminæ satis honorificam mentionem fecit, quam toto biennio mortuam et sepultam crudeles e tumulo detraxerunt. Detritum vulnus attigit, quod dolorem fecit, quamquam et causas attulit, cur minus quidem fecisse debuerit. Etenim honestæ matronæ vitam, tamquam exemplar ad imitandum : pessimorum hominum crudelitatem tamquam scopulos ad fugiendum proposuit, non ut redintegratione illius tyrannicæ potestatis pia corda vulneraret : sed ut eadem potius accenderet ad Deum nostrum in summa laude, gloriaque ponendum, suasque omnes copias ad eversionem illius sceleratæ potentiæ conferendas. At quod in oratione præcipuum esse debuit, ut, cujus causa frequentes confluxerant, eam suis F laudibus adornaret : in eo moderatus fuit ne aut immodicas laudes congerendo, desiderium bonorum augeret, aut in ornanda virtute nihil dicendo, boni viri partes officiumque negligeret. Quocirca sic dixit, ut ipsam injuriosius a pontificiis tractatam, famæ pristinæ restituerit, auditores ad pietatem multos inflammarit : ad Romanæ sedis authoritatem superstitionemque tollendam ex omni genere plurimos excitarit.

Conclusio Calfhilli.

109 Sed ne ipse etiam vel pietatis laudationem, vel amentiæ vituperationem videar instituere : cum decretum fuerit exigui cujusdam negotii, et temporis acta prescribere, finem faciam. Tacitus interim gratulantes hominum voluntates, judiciaque prætereo, qui præclaram non vultu solum atque præsentia, sed versibus etiam valvis affixis animi sui significationem dederunt. Accipe igitur, præsul optime, nostrum in mortuam studium, quam vivam merito semperque suspeximus. Accipe virtutis et pietatis tuæ qualecumque monumentum, cum et eam habeamus authoritatem ut possis; eam sanctitatis et religionis curam, ut velis, Christi et ejus evangelii promovendi causa non solum

B. B.

solum viventes præmiis afficere, sed defunctos etiam et spiritu carentes, ab immani furiosorum hominum injuria vindicare.

Calfhilli scriptio, laudanda partim, partim vituperanda.

110 *In genere dictum sit de tota Galfhilli scriptione, in ea desiderari animum pacatiorem, a studio partium magis alienum. Quæ tamen non impediunt, quominus magno in pretio quoad substantiam sit habenda. Ast multo pluris a cordatis æstimaretur, si forma auctor usus esset minus acerba. Longe utique moderatius sentiunt et scribunt hodiedum Doctores Oxonienses, quotquot sunt, viri insigni eruditione vel doctrina præstantes. Argumento sit Epigraphe, quam apponi curarunt monumento, sane præclarissimo, quod ab aliquibus annis erexerunt in memoriam Cranmeri, Ridley et Latimer, quam propterea hic, ex anglico in latinum versam, adscribendam duxi.*

AD GLORIAM DEI
ET AD * PIAM MEMORIAM
EJUS SERVORUM
THOMÆ CRAMNER
NICOLAI RIDLEY
HUGONIS LATIMER
PRÆLATORUM ECCLESIÆ
ANGLICANÆ
QUI PROPE AD HUNC LOCUM
TRADIDERUNT CORPORA SUA
COMBURENDA,
TESTIMONIUM REDDENTES
SACRO SANCTÆ VERITATI
QUAM IPSI
AFFIRMARANT ET SUSTINUERANT
ADVERSUS ERRORES
ECCLESIÆ ROMANÆ ;
GAUDENTES
SIBI DATUM ESSE
NON SOLUM CREDERE IN CHRISTUM
SED ETIAM PRO EJUS NOMINE * PATI.
HOC MONUMENTUM ERECTUM EST
EX PUBLICA COLLATIONE,
ANNO DOMINI DEI NOSTRI
MDCCCXLI

B

* gratiful.

*Sake. causa.

Esto dicant : errores ecclesiæ Romanæ ; *quoniam hæc eorum opinio est. Ast parcunt probis et contumeliis : hæc enim nimium quantum ab eorum animis absunt, non tantum doctrina egregie imbutis, sed ad omnem humanitatem præclare efformatis.*

Calfhilli notitia compendiosa.

111 *Non ita Calfhillus, cujus vitæ compendium ex Antonio Wood subjecisse hic haud abs re fuerit.* Jacobus Calfhill, in agro Salopiensi natus, ædis istius *(Christi)* alumnus sive studens, ex novissima illa Henrici VIII fundatione, emersit; logicæque et philosophiæ cognitionem, solito studiorum curriculo, adeptus, gradu magistrali ornatus est, anno MDLII. Ex quo primum tempore litteras ibidem haurire cœpit, summam spem præbuit, ad magna demum perventurum; nam et indole ad gravitatem composita, et ingenio acuto, alacrique animi vigore præditus fuit. Anno LX præbendam (subdecani nempe) ab ipsa ecclesiæ institutione adivit, et quinquennio post in sacræ theologiæ facultate incœpit. Rector postea de *Bocking*, in agro Essexiano, nec non archidiaconus Colcestriensis emicuit, et Sandysii, a sede Wigorniensi ad Londinensem translati, successor a regina *(Elisabetha)* designatus est; mortis autem interventu, prohibitus comparet, quominus in episcopum consecraretur. Inter primos seculi, quo vixit, poetas, maxime vero comicos, habebatur. Artem quoque disputatricem accurate calluit, et in concionibus non minus quam colloquiis familiaribus oratorem sese haud infacundum ostendit. D

C

Scripsit autem, ut alia omittam :

Historiam de exhumatione Catharinæ, nuper uxoris Petri Martyris. *Edit.* 1562 *lat.*

Prognen, Tragœdiam, *lat.*

Poemata varia, *lat.*

Responsionem ad Johannem Martiall, de Cruce. *Lond.* 1565, *Angl.*

Obiit Bockingiæ, XX Augusti anno Dom. MDLXX, ætatis XL, et in ejus vici ecclesia tumulum accepit, quo etiam anno canonicatui ultro renuntiarat (1).

Monumentum S. Frideswidæ in ecclesia Christi, Oxonii.

112 *Extat hodiedum adhuc in ecclesia Christi, in sacello theologico seu latino, ad partem chori borealem, sepulcrum seu monumentum sanctæ* Frideswidæ, *sive ut fert inscriptio, (oscitanti manu in lamina lapidea exarata, nec quidem affixa, sed imposita tantum tumulo) :* the Shrine of S. Frideswide, died in the yaer 740 *(sepulcrum S.* Frideswidæ, *mortuæ anno* 740). *Est structura justæ magnitudinis et altitudinis, tribus constans contignationibus; quarum inferior lapidea est; utraque superior lignea. Contignatio lapidea (in cujus superiori parte plana, videre est vestigia duarum statuarum, quas abstulit turbo Cromwellicus) paulo altior est quam inferior lignea, et hæc quam superior item* E *ex ligno. Longitudo monumenti quindenos præter propter capit pedes, latitudo fere octo. In superiorem partem planam contignationis lapideæ ascenditur per octo gradus similiter lapideos, ipsi monumento insertos ad latus sinistrum ex parte sacelli theologici. Gradus illi plurimum attriti sunt et excavati; ex quo haud improbabili conjectura effici videtur, solitos olim fideles et peregrinos devotionis gratia illac ascendere et descendere frequentissimos; cum simile quid communiter obtineat omnibus ferme in locis, ubi celebrior populi ad Sanctorum reliquias vel tumulum habitus concursus est.*

Variæ monumenti illius describuntur partes.

113 *Evidens mihi est partem monumenti ligneam factam eo fine fuisse, ut imponeretur parti lapideæ, licet nuper (cum secunda vice Oxonii versarer; mense Augusto* 1850) *audiverim a nonnullis id in dubium hodie vocari. Ornamenta utriusque partis nimium apte sibi quadrant, quam ut fortuito id contigisse credam. Loculamenta quoque, eodem in singula contignatione numero, perfecte sibi respondent. Utraque contignatio lignea satis notabiles habet incisiones, qua parte, utrimque in longitudine sua, monumentum attingit columnas duas, quas inter hodie cernitur collocatum. Incisiones istæ, cum factæ sint* F *levi vel potius negligenti manu, satis produnt contignationes ligneas, aliam ad sedem primitus destinatas : nec enim facile intelligeretur hujusmodi opus perfectum fuisse ita, ut, quin deturparetur, in propriam suam sedem locari non posset. Pars lapidea rectius quadrat cum duabus columnis : non putem tamen ab initio stetisse ubi nunc cernitur. Nec etiam mihi arridet sententia viri cæteroquin architectonices peritissimi, D. Willis, qui opinatur, partem ligneam ideo tantum impositam massæ lapideæ, ut instar speculæ monachis seu canonicis* Frideswidianis *esset, ex qua quid in ecclesia fieret, observarent, vel ut sepulcro sanctæ Virginis suæ invigilarent. Nescio qua ratione hæc hujusmodi conjectura probaretur. Cæterum, quoniam cl. D. Willis sibi proponit ex professo scribere de ecclesia Christi et in specie de sepulcro S.* Frideswidæ, *forte illa suæ sententiæ afferet (de quo tamen ego, pace tanti viri dixerim, vehementer dubito) argumenta, quæ eruditorum rapiant assensum.*

An ibidem adhuc reperiantur reliquiæ S. Frideswidæ?

114 *Vulgaris apud Oxonienses opinio est, reli-*

(1) Antiq. Oxon., lib. II, p. 263.—(2) Fasti Oxonienses, p. 504, not. 3. — (3) Ad annum 1289.

quias

A *quias S.* Frideswidæ,*permixtas cum ossibus Catharinæ, sub hoc monumento ad hunc usque diem reconditas permansisse. Id tamen non liquido efficitur ex Calfhilli narratione, quæ non omnino clara hoc loco (supra num.* 107) *est. Apparet tamen illas tantum sanctæ Virginis, cum ossibus Catharinæ, reliquias permixtas, quæ duobus manticis sericis continebantur. Hinc et alia exurgit quæstio, an scilicet* universæ *Frideswidianæ exuviæ, an vero* partes *tantum illarum notabiles præfatis manticis inclusæ essent? Equidem crediderim* universas, *motus præcipue his Philippi Prioris verbis:* Gloriosa Virginis ossa de sepulcro transtulit *(Richardus Cantuar.)* et in feretro *(quod interpretor* Hierothecam) ea collocavit, ne tam pretiosa margarita terra diutius operta jaceret *(Conf. n.* 80). *Plura et certiora afferre non licet: ad hoc enim oporteret penetrare in interiora Monumenti, quod forte (saltem quoad partem lapideam) primitus exstructum fuit super ipsum tumulum: ni malueris, ab initio erectum elevando exhibendoque feretro seu hierothecæ. Atque huc faciunt, quæ habentur in Chronico Wikesiano ad annum* 1289: Translatum vetus feretrum *(de quo mox diximus)* S. Fritheswyte, et collocatum
B in novo pretiosore feretro in eadem ecclesia, et prope locum, quo fuit prius collocatum; quod quidem feretrum diu ante fuerat præparatum. *Difficultatem tamen aliquam faciunt verba:* prope locum, quo fuerat prius collocatum; *quæ non ita facile interpretantur de simplici loculo, seu arca sive theca. Dici tamen posset hac occasione et ipsum Monumentum loco motum fuisse, additaque nova ornamenta.*

Ætas Monumenti incerta.

115 *Ex his jam liquet incertam esse Monumenti ætatem. Asserit quidem Gutch* (1) *erectum a Priore Philippo* qui, *inquit ille,* absolvit ecclesiam, et magnificum illud posuit sepulcrum suæ patronæ, hodie adhuc spectandum, in quod ipse anno 1180 intulit ejus reliquias, et scripsit de ejus vita et miraculis. *Hæc valde fidenter tradit Gutch. Ast exurgit difficultas ex sepulcri, prout nunc cernitur, forma.* Manuale *recens* viatorum (2), *ubi de ecclesia Christi: inter monumenta, inquit, præcipue eminet* quod communiter vocatur sepulcrum S. Frideswidæ. Operis forma certo *(certainly)* refertur ad sæculum decimum quintum, et probabile est, tardius tantum occupasse locum, quem nunc obtinet. *Ex quibus sequeretur falso illud adscribi priori Philippo, nec etiam erectum occasione translationis, sæculo decimo*
C *tertio exeunte. Nisi dicamus primævæ structuræ additos postea fuisse ornatus, sive (quod facilius admitti forte posset) partem monumenti lapideam sæculo duodecimo vel decimo tertio positam, partem vero ligneam sæculo decimo quinto. Quæ tamen mera conjectura est. Nec prætermittendum, cl. D. Willis diserte pronuntiasse (prout plures mihi asseruerunt ex iis, qui nuper, hac nempe æstate an.* 1850, *interfuerant prælectioni, quam in ipsa ecclesia Christi de re architectonica coram tota fere universitate habuit) hanc suam etiam esse sententiam, recentioris scilicet ævi esse monumentum totum seu sepulcrum sanctæ* Frideswidæ; *idque luculenter effici ex operis forma seu stylo et ornatuum genere. Non utique recedet quis facile ab opinione viri in hac materia, omnium consensu, versatissimi. An forte renovatum fuerit sepulcrum sanctæ* Frideswidæ, *occasione novæ indictæ celebritatis, de qua supra, n.* 87, *ubi de cultu ex professo agebamus, plura diximus: scilicet anno* 1481 *in Concilio Londinensi statutum fuit, deinceps festum S.* Frideswydæ *agendum fore* per totam provinciam Cantuariensem, cum regimine chori et novem lectionibus; *quod nempe sanctam Virginem illam Summus Pontifex* nuper in Sanctorum catalogo numerari et a Christi fidelibus venerari decreverat (3). *Absque dubio, solemniori ritu festivitas sanctæ* Frideswidæ *tum Oxonii celebrata fuerit: nec sane repugnat, inter alia ferventioris devotionis argumenta, admittere instaurationem seu renovationem illius monumenti. Quod si concedatur, reapse firma staret cl. Willis sententia, cum ad finem sæculi decimi quinti sepulcrum S.* Frideswidæ, *prout nunc videtur, esset referendum. Non tamen putem illud ab initio positum eo, quo hodie stat, loco; nec etiam partem ligneam, quæ forte serius addita fuit, instar speculæ a canonicis superimpositam. Atque hæc sunt, quæ in re haud parum obscura, nobis investigare et conjectura assequi licuit. Fors in posterum clarior orietur lux.* R. B.

Aliqua de monumento ex Wood.

116 *Quidquid de his sit, sufficiat ad propositum nostrum, addidisse quædam ex historiographo Oxoniensi, Antonio Wood, ejusque editore et continuatore Joanne Gutch, ex quibus luculentius præclarissimi monumenti pretium declarabitur.* Est sepulcrum illud nitida et elegans structura, tumulo superimposita. Olim viri et feminæ æreas ferebat effigies, nunc autem ablatæ sunt *(tempore Cromwelli id factum).* Dicuntur retulisse Didanum et E
Safridam, S. Frideswidæ parentes, quorum ossa simul cum filiæ suæ reliquiis condita in præfata ecclesia fuerant. Stabat sepulcrum ab initio in sacello ad ædis partem australem, ubi permansit aliquot sæculis, vix non oblivioni datum, plurimumque vetustate et igne deformatum: ast anno 1180 (alii habent annum 1179) huc translatum est magna cum pompa, præsentibus rege, aliisque magnatibus; quo tempore plurima feruntur contigisse miracula. Anno 1289, antiquo tumulo seu feretro penitus fere corroso, aliud fuit paratum, in quo ossa deposita sunt a Guillielmo (de la Corner) episcopo Salisburiensi etc. Nec quidquam deinceps immutatum, usque ad monasteriorum in Anglia eversionem. Tunc enim (anno nempe trigesimo Henrici VIII) spoliatum monumentum est, et donaria regio invecta thesauro; ita ut ossa intus relicta, atque dein asservata usque ad Elisabethæ tempora solum fictitia *seu spuria* essent. *Quid hæc sibi velint non facile dixerim. Nullibi enim legi sepulcrum, ab Henrico VIII apertum et sacras exuvias extractas. Dein prosequitur Gutch:*

et Joanne Gutch.

117 Antonio Wood retulit, an. 1661, Bertinus Holyday DD. archidiaconus Oxoniensis præfatum F
monumentum stetisse in parte boreali chori, medium inter duas columnas, ubi solent sedere cantores; cratibus ferreis circumdatum, superposita ejus (S. *Frideswydæ)* icone, orantis speciem exhibente, duobus geniis caput sustentantibus; ablatum sub Decano Duppa *(qui designatus et inauguratus fuit anno* 1629); dum removeretur, apertum fuisse, atque apparuisse perfectam seu integram effigiem vittis cinctam et foliis diversi coloris aliisque id genus (were they saw a perfect effigies, with many ribbons about it). *Quid hic voces* perfect effigies *indicent, non adeo liquidum est, præsertim cum dicatur vittis circumdata aliisque similibus. Videtur tamen ex sequentibus agi de statua. Cæterum, quidquid sit, non est quæstio de reliquiis S.* Frideswidæ, *tum quod voces per se nihil tale sonent, tum quod tempus spectent, quo jamdudum permixtio cum ossibus Catharinæ præcesserat. Quæ suaderent ne agi quidem in præfatis de sepulcro S.* Frideswydæ, *ut etiam, sed ex alio capite, deducit Gutch: ita enim, post mox citata verba, prosequitur.* Addebat deinde *(laudatus Bertinus Holyday)*

(1) Fasti Oxonienses, p. 504, not. 3.— (2) Handbook for Visitors to Oxford 1847. — (3) Wilkins Concil., t. III, p. 613.

day) monumentum ita remotum ex illis esse, quæ hodie in sacello Theologico spectantur. Quod si ita sit *(subsumit Gutch)* non ageretur de monumento S. Frideswidæ, bene vero de sepulcro matronæ Montacute, quod ex omnibus, quæ in dicto loco reperiuntur, unicum est mulieris effigie instructum. Probabiliter monumentum S. Frideswidæ assurgebat in superiori chori parte ad austrum, ubi vestigium aliquod arcus seu fornicis apparet. *Hactenus Gutch, cujus verba latina fecimus* (1).

§ VI. Cultus Sanctæ Frideswidæ extra Angliæ fines ; præcipue in Bomy, Artesiæ vico, haud procul a Tarvenna. Acta.

Colitur S. Virgo in Galliis, et juxta quosdam etiam Romæ.

Hactenus de cultu sanctæ nostræ Virginis Oxoniæ ejusque in vicinio. Ast, ut notat Mabillonius in ejus Vitam, Frideswida pluribus in locis colitur, B non tantum in Anglia, sed et in Gallia et civitate Romana. In Gallia quidem sesqui lapide a Tarvenna exstat vicus quidam, *Bomy* vulgo appellatus, in quo Frideswida patrona honoratur Fontanellenses nostri *(Benedictini)* eam etiam proprio quodam officio venerabantur. Romæ vero etiam oratorium etiam nunc obtinere dicitur apud Malbrancum in libro IV de Morinis capp. LXI et LXII et in Scholiis, qui propterea opinatur eam Romam aliquando profectam esse. In Chronologia Saxonica Frithogita quædam Romam perrexisse anno DCCXXXVI perhibetur ; an Frideswida (2)? *Quod ad oratorium et iter Romana attinet, non est quod addamus iis quæ supra retulimus n.* 36 *ubi utrumque in dubium vocavimus. De cultu Fontanellensium nihil invenimus quod specialem hic mentionem mereatur. De cultu apud Bomienses operæ pretium est latius quædam ad crisim vocare.*

Cultus Bononiensis

119 *In hanc rem plurimum nobis serviet libellus quidam, cui titulus* Vie de S. Frewisse *(Vita S.* Frideswidæ) *Audomaropoli anno* 1720 *editus, auctore R. D. de Neufville, curato seu parocho ecclesiæ S. Aldegondæ, ejusdem civitatis. Libellus iste hodiedum valde rarus est; unicum forte existit exemplar,* C *quod nobis commodavit ad tempus prænobilis vir D. de Vilmaret, cum summa humanitate et benevolentia nos exciperet, dum Bomium, Reliquias sanctæ* Frideswidæ *investigaturi, inviseremus. Scriptor laudatæ vitæ, in quantum ex illo opusculo conjicere licuit, vir fuit satis eruditus. Quæ ad gesta Virginis nostræ spectant, hausit præcipue ex Malbranco et scriptis R. D.* Le Heudre, *viri docti et prudentis, qui per multos annos præfuit ecclesiæ Bomiensi. Ante omnia in animo habuit R. D. de Neuville scripto suo, Bomiensium in* Frideswidam *pietatem acuere, unde maxime versatur in perquirendis iis, quæ ad ejus cultus in illo loco faciunt originem, antiquitatem et spiritualia emolumenta. Quod si, quæ ab eo adducuntur, accurata sint, sequeretur cultum apud Bomienses ipsi S.* Frideswidæ *coævum vel saltem ejus ætati valde vicinum. Cæterum judicabit eruditus lector ex subjecta narratione, quam ex gallica latinam facimus.*

Bomii habetur Oratorium S. Frideswidæ.

120 Est Bomy, *verba sunt R. D. de Neufville,* vicus diœcesis Boloniensis *(nunc Atrebatensis)* in pago Artesiensi, uno circiter distans lapide a Teruanna, ubi comes (de Trazegnie) d'Armuyden, D vici toparcha suum habet domicilium *(ædes hodie pertinent ad præfatum D. de Vilmaret).* Locus ille celeber evasit ab induciis ibidem XXX Julii anni 1537 pactis Franciscum I Galliarum regem inter et imperatorem Carolum V, qui Teruannam obsidebat, et quarum vi urbs hæc obsidione soluta est. Vicus tamen ille longe venerabilior fidelibus est ob cultum sanctæ Frideswidæ exhibitum. Quamvis hæc non sit amplius primaria hujus ecclesiæ patrona, cum a fine sæculi XII dedicata sit sancto Vedasto Atrebatensi episcopo, nihilominus maximo habetur in honore, coliturque devotissime non a Bomiensibus solum, sed et a circumjacentibus populis, qui frequentes ad ejus oratorium religionis ergo accedunt. Oratorium illud pars est cellæ eremiticæ, quæ, in summa colle sita atque adjacens sylvæ, aptissima colendæ solitudini est. Ab immemoriali vocatur Oratorium seu Capella sanctæ Frideswidæ, et subest jurisdictioni spirituali curionis Bomiensis, qui ibidem bis singulis annis primas cantat vesperas sanctumque celebrat sacrificium dominica nempe in Albis seu Quasimodo, die dedicationis oratorii, et XIX Octobris, quo E defuncta sancta Frideswida est, et ejus recurrit festivitas ; estque ibidem beneficium annuos habens redditus, ex quibus, singulis hebdommadibus, dicendum est aliquoties Sacrum. Toparchæ Bomienses, utpote illius fundatores, jure patronatus seu collationis gaudent. *Sequuntur quædam ad rem nostram minus pertinentia.*

Oratorii antiquitas probatur ex Malbranco.

121 *Dein oratorii antiquitas probatur ex Tabula Geographica quam exhibet Malbrancus* (3) *sub hoc titulo :* Morinorum sub Cæsare magnitudo, et locorum ab anno 800 nomenclatura. In hac tabula, *sic recte ratiocinatur de Neufville,* leguntur hæc verba : Sancta Frideswidis cum signo, indicante vicum, habentem ecclesiam, haud procul a Teruanna situm ; nomen vero Bomy nullibi reperitur ; unde arguere licet vicum, qui hodie Bomy audit, olim vocatum fuisse sancta Frideswidis. Atque hinc ulterius infertur sanctam Virginem ibidem plurimum innotuisse. Nam si ab anno 800 oratorium et vicus ab ejus nomine dicebantur, sequitur incolas eam jam inde ut patronam agnovisse atque singulari devotione prosecutos esse. Quæ quidem probarent cultum Bomiensem reipsa ætati sanctæ Frideswidæ coævum ; cum hæc versus medium F sæculum octavum diem obierit supremum. *Tota hæc deductio recte fluit, si ut certum assu..atur principium, ex quo procedit, accuratam nempe indubiamque esse tabulam a Malbranco exhibitam ; quod ego de omnibus et singulis ejus apicibus non facile affirmaverim, tanto magis quod non indicentur fontes ex quibus auctor sua et nomina et notas hauserit ; et præterea Malbranci, utut non indocti imo laboriosi scriptoris, auctoritas per se tanta non sit, ut ejus asserta a nemine possint rationabiliter in dubium vocari.*

ex traditione locali,

122 *Hinc etiam prosequitur Neuvillius in hunc modum :* Ita quidem fert traditio loci illius. Et. quamvis non omnimodam adhibeam fidem vulgaribus opinionibus, quæ ut plurimum satis idoneo carent fundamento, dicam tamen traditionem, de qua hic sermo, quatenus antiquitatem oratorii respicit, non carere suffragio scriptorum, qui hac in quæstione despiciendi non sunt. R. D. Le Heudre loquitur in hæc verba (4) : « Gaudemus memoria

(1) Vide History and Antiquities of the colleges and Halls in the University of Oxford, by Ant. Wood, with a continuation to the present time by the editor John Gutch. Oxford 1786. Item Apendix ad præfatam. historiam *fasti Oxonienses*, p. 306 et 307. — (2) Acta SS. Ordin. S. Benedicti. sæc. III, part. I, p. 561. — (3) De Morinis. t. I. — (4) Vita S. Trideswida. p. 12.

sanctæ

A sanctæ Frideswidæ, ope antedicti oratorii qui locus sacer est inter antiquissima totius Artesiæ. » Subjungit conjecturam esse verosimillimam, sanctam Virginem, dum viveret in agro Bomiensi aliquamdiu moratam; unde non obscure innuit, sua sententia, oratorium vel ab ipsa cœptum, vel saltem non multo post mortem ejus intervallo fundatum, licet forte non in eodem prorsus, quo nunc assurgit, loco, nec tamen procul dissito.

concessione Milonis Episcopi, et litteris Desiderii.

123 *Pergit dein Neuvillius :* Non minus perspicue loquitur Malbrancq, qui ostendit parœciam sanctæ Frideswidæ spectasse ad diœcesim Morinensem *(Térouanne)*; Milonem hujus nominis primum, trigesimum in serie episcoporum illius ecclesiæ *(Trigesimus primus est apud collectores Novæ Galliæ Christianæ* (1) *seditque ab anno* 1131 *ad annum* 1158) dictam parœciam concessisse abbatiæ sancti Augustini *(Ordinis Præmonstratensis, prope Morinum seu Teruannam, cujus fundator erat ipse Milo, patronus vero sanctus Augustinus Anglorum apostolus, a quo nomen suum abbatia sortita est)*; postea abbatem dicti monasterii illam retrocessisse Waltero Butri, toparchæ Bomiensi, ut constat ex litteris Desiderii Morinensium episcopi, datis anno 1187 B *(de his litteris inferius disquiremus)*. Agit Malbrancus de hac parœcia, sicut etiam de oratorio et fonte sanctæ Frideswidæ, quasi res essent *quid antiquissimum redolentes,* atque satis aperte innuit hæc omnia coæva esse tempori mortis ipsius S. Frideswidæ. Si itaque cum illis *(Le Heudre et Malbranco)* assumamus Sanctam revera aliquandiu agrum Bomiensem incoluisse, haud difficulter et illud dabimus summam hic occurrere antiquitatem. *Cum vero nos supra n.* 36 *et* 37 *in dubium vocaverimus hanc S.* Frideswidæ *in Morinos peregrinationem, suprapositi ratiocinii vis vel eliditur vel saltem plurimum exinde infirmatur. Videntur auctores illi in perpetuo versari, ut aiunt, circulo; dum hinc ex peregrinatione deducunt cultus antiquitatem; inde vero ex antiquitate cultus, peregrinationem. Cæterum, qui attente consideraverit hucusque allata documenta, facile concedet cultum Bomiensem* [illegible] *se ferre notas antiquitatis minime spernendæ, nec operam nos perdere, dum hæc diligentius ponderamus.*

De fonte S. Frideswidæ Bomiensi.

124 *Agit speciatim Neuvillius* (2) *de fonte qui cellæ eremiticæ adjacet, et cujus aquæ haud procul inde coeunt in fluentum, quæ* Laqueta *dicta, post aliquot milliarium cursum, in Lisiam incurrit juxta* C *Ariam. Fons ille communiter a sancta* Frideswida *dicitur* (La fontaine de sainte Frewisse) *quod nomen ab immemoriali servat, et sub hoc titulo æqualis est ætate cum oratorio, de quo supra est dictum. In diplomate seu litteris Desiderii Morinensium episcopi anni* 1187, *sermo fit de hoc fonte, tamquam de objecto maximæ venerationis, siquidem Walterus Butri, ut favorem specialem, concedit abbati et monachis sancti Augustini usum expeditum illius fontis,* et omnes vias communes et maxime ad fontem sanctæ Frideswidæ..... *Scriptores, qui fontis illius meminere, videntur ei tribuere cœlestem quamdam efficaciam.* Non parum, *inquit Le Heudre,* affert solaminis ex eo bibentibus, dum sincero veniunt devotionis affectu peregrini. *Subdit sæpe dictus Neuvillius :* Malbrancus similia habet, affirmans etiam suo tempore hujusmodi sanationes obtineri : « Ipsius fontis epotæ aquæ compluribus factæ sunt salutares, et ad hæc tempora fit propitius adeuntibus Virginis favor. » *Addimus eumdem Malbrancum, post citata mox a Neuvillio verba, protinus subdere:* Ut jam diutinus testis est Dominus de Le Heudre S. T. licentiatus, ibidem *(in Bomiensi vico)* decanus et curio, qui res, a Diva pie gestas, frugifere collegit, tum e seminario Anglorum Audomarensi, tum antiquorum scriptorum præsidio (3). *Latius mentem suam idem auctor explicat in* Scholiis *sive Notis in librum* IV (4). *Cum ibi præcipue exponatur, et quidem haud ineleganter, quo suo tempore devotio* Frideswidiana *esset loco, dignum judicamus ejus verba hic integre adscribere.*

B. B.

Sacrarii et devotionis Frideswidianæ descriptio ex Malbranco.

125 Fredeswida vel Fredeswidis illa est quæ hodie colitur in pago *Bomy* dicto, ab urbe Taruanna sesqui lapide dissito, ubi alterum Vuellulæ seu Laquetæ fluviolo caput, gallice *Sainte Frewisse* vocant. Ferunt acta eam voluntario exilio cum duabus sodalibus patriam, transmisso mari, deseruisse, idque trium annorum spatio. Cum vero Bomyensis ille vicus omni memoria templum illi Divæ sacrum gerat, quotannis XIX Octobris festam ejus diem recolens : necnon in proximo assideat sacrariolum cum cella eremitica, hactenus culta ab anachoretis, subtus scaturiente lympha, desuper obumbrante sylva : ubi etiam quotannis, prima post Paschalem solemnitatem dominica, celebris loci dedicatio recurrit : colligere est eum secessum petiisse Fredeswidem tamquam votis E suis maxime opportunum : cum enim loca Sanctorum notata vestigiis visendi esset apprime cupida, ut ferunt acta ejus, hic quasi in eorum meditullio, ut diximus, consistebat. Si hac porro iter romanum suscepisse ex ejus illic sacrariolo arguitur; simul et consedisse lucidiores hic notæ parent, ac præsertim epota in ejus fonte lympha, quæ febrium ipso pœne momento, aut brevi post ut plurimum, ipsius hodierni Curionis *(Le Heudre)* viri docti probique testimonio, extinguit æstus, arguit istic Divam quidpiam jam olim operatam, quo non solum ad se peregrinos exciret, sed ipsi e loco, virtutum ejus quodammodo hærede, medelam sibi conquirerent. Nihil enim reliquiarum in eo perhibetur. Deinde pellicere potuit insignium ascetarum et sanctimonialium, qui in hæc monasteria *(undequaque Bomyensi agro vicina, tempore quo supponitur* Frideswida *in Morinorum terras venisse)* e Britanniis concesserant, usus ac pia consuetudo; maxime vero Erkembodonis, qui anno illo 739, quo ejus adventus consignatur, in ore omnium et prædicatione versabatur. Præter auctores in marginibus citatos, Frediswidæ meminerunt Martyrologium Romanum, Breviarium Salisburiense, Molanus in Addit. F ad Usuardum XIX Octob.

cujus tamen sententia de S. Virginis nostræ in Morinis commoratione non probatur.

126 *Hæc Malbrancus, ubi congerit quidquid potuit colligere ad suam de S.* Frideswidæ *inter Morinos commoratione stabiliendam sententiam. Ejus argumenta omnia mere conjecturalia videntur. Quod autem attinet ad acta sanctæ* Frideswidæ, *ad quæ provocat, quæri jure potest, quare illa non protulerit in lucem? Nobis utique prorsus ignota sunt acta, ex quibus solida probatio deduci possit, sanctam Virginem, dum inter vivos versabatur, in has regiones venisse. Cæterum ex hactenus dictis indubia manet cultus* Frideswidiani *veneranda antiquitas. Quam probant et vetustum illud oratorium cum cella eremitica ejus honori ab immemoriali sacra, et fons, quem antiquissima eaque perpetuo sibi constans traditio oratorio celebritate coævum facit.*

De litteris Desiderii Episcopi.

127 *Superest ut litteras Desiderii episcopi, quarum pluries jam incidit mentio, inspiciamus paulo attentius. Primum itaque illa in extenso hic exhibebimus; tum earum sinceritatem seu authentiam investigabimus; tandem dicemus præcipua, quæ ex*

(1) T. X, col. 1546. — (2) Vita S. *Frideswidæ*, cap. v, p. 101. — (3) De Morinis, t. I, lib. IV, cap. LXVI. — (4) Ibid., p. 684.

 illis

D. B. *illis in rem nostram deduci queant. Litteræ reperiuntur apud Malbrancum nostrum de Morinis* (1). *Sunt autem hujusmodi.* Desiderius Morinorum episcopus. Cum abbas sancti Augustini Taruannensis multum exorasset Dominum Gualterum Butri, ut curtem suam de Fredeswide transferret, in eadem parochia ad vallem Wigelmi et Gualteri Butri, in mea præsentia, abbas cum consensu capituli, concessit Gualtero Butri, quidquid juris habebat in molendino suo, et totam curtem sanctæ Fredeswidis, cum pomeriis et cum terra contigue adjacenti. Præter hæc, concessit abbas, quod capellam sanctæ Fredeswidis, infra annum, postquam amoveretur a D. Gualtero Butri, transferret ad vallem Wigelmi et ædificaret, et presbyterum ibidem perpetuo deservientem, expensis abbatis, institueret. Corpora quoque defunctorum, a priori loco *(ad)* novam capellam, ad beneplacitum Gualteri Butri, transferret. Gualterus autem Butri, pro concambio, dedit ecclesiæ sancti Augustini decem mensuras, prope novam curtem ubicumque vellent : item sexies viginti mensuras novæ terræ excolendas et marlandas *(stercorandas)* absque semine et omni excepto. Et quidquid terræ B in parochia de Bomi emerint, vel in eleemosynam receperint, libere possiderent et excolerent, et omnes vias communes et maxime ad fontem sanctæ Fredeswidis, et similiter omnia pascua, et fratres ab omni exactione moliluræ liberi permaneant. Actum anno 1187.

Quid de illarum sit authentia :

128 *Affirmat Malbrancus has litteras consignatas esse in tabulis monasterii sancti Augustini; faleturque Tabulas illas ipsi* utilem locorum multorum notitiam suggessisse. *Constat præterea ipsum diligentem admodum fuisse in perquirendis exscribendisque vicinarum abbatiarum chartulariis seu tabulis sive registris, quod apparet etiam ex ejus quadam epistola ad P. Heribertum Rosweidum (venerabile Hagiographis nomen) ; ubi inter alia hæc scribit :* Frigoris asperitas et tabellariorum inopia fecere, ut serius paulo Rae. V. rescribam : adde quod vix rescribendi materia suppeteret. Nam undequaque quidpiam corrogaris, ut nil intactum reliquerat Ra. V. seu apud Bertinenses seu apud Winocenses.... solum reliquiarum vestrarum factus hæres, et ad tempus quidem. Id porro jactabant ipsi monachi. . Quod reliquum habeo et spero, sunt corrasæ et corradendæ ex diversis C pagis; curionibus, membranis antiquitates, Sanctorum Belgii vitam parum attengentes. Mitto tamen vitam S. Frigeswidæ, quam non putem præ manibus esse R°. V... Videbo quid posteriores anni ferent et quid illud Andrense chronicon. *Data est hæc epistola Ariæ* IV Martii 1622 ; *et reperitur inter Mss. ab Hagiographis prædecessoribus nostris olim collecta. Obiter noto subscriptionem ferre :* Jacobus Mallebrancq ; *dum fere nomen illud typis excussum legitur :* Malbrancq. *Vita sanctæ* Frideswidæ, *quæ hic corrupte* Fregesvida *scribitur, desumpta ad verbum est ex commentario Francisci Godwini de* Præsulibus Angliæ, *cujus sæpius jam fecimus mentionem.*

quæ confirmatur ex aliis instrumentis fere coævis :

129 *Cum tempore, quo suam Malbrancus scriberet* de Morinis *historiam, floreret monasterium sancti Augustini, dubitandi locus non est, quin litteras Desiderii in tabulis repererit. Hinc non facile quis contradixerit earum authentiæ. Secus cætera id genus quæ laudatus scriptor ex iisdem tabulis deprompsit, eamdem ob causam erunt vel rejicienda vel saltem ut suspecta habenda. Quod si de concessione seu Cambio, litteris illis contento,* D *mentio non fiat apud collectores Galliæ Christianæ, licet alia plura ejusdem generis ibidem recenseantur, tum in Vita Milonis I (qui fundator habetur dicti monasterii versus annum* 1131) *tum in Vita Desiderii* (2); *hujusmodi silentium, utpote quid prorsus negativum, quod multiplici ex causa provenire potest, per se nihil probat contra fidem illius instrumenti; nec enim omnia apud omnia consignari debent, ut fida ac sincera habeantur. Idem judicium esto de* Annalibus Præmonstratensibus, *ubi quoque litteræ Desiderii non exhibetur, nec illarum directe fit mentio, quamvis in* Probationibus *(seu Collectione instrumentorum) quæ in secunda parte tomi primi locupletissimæ reperiuntur, plures afferantur chartæ monasterium sancti Augustini respicientes. Multa tamen in instrumentis ibidem citatis continentur, quæ cum concessione seu Cambio in litteris Desiderii memorato, evidenter connectuntur, ac proinde probant indirecte harum litterarum fidem.*

nempe ex charta Milonis II,

130 *Sic* (3) *in charta, quæ inscribitur :* Confirmatio bonorum et jurium ecclesiæ sancti Augustini per Milonem II Episcopum Tarvanensem, anno 1168, *legitur :* Roboramus et sigilli nostri impressione E confirmamus, quæ nominatim exprimenda dignum ducimus : altare de stavela... unam carrucatam terræ *(id est juxta glossarium Cangii, tantum terræ, quantum uno aratro coli potest in anno)*, quam in parochia de Bomii, Hugo Bouterii vobis donavit. Tertiam partem totius molendini, quod in parte inferiori ad septentrionem a Bomii situm est, quam Bernardus et Hugo filius ejus pro sex raseriis annuatim solvendis, per manum Domini sui Walteri Butrii perpetuo vobis dederant. *Et rursus in charta ejusdem Desiderii,* confirmativa priorum donationum, *anni* 1174, *quæ proinde litteras ejus supra descriptas ætate antecedit :* Terram etiam quam... Walterus Botri ab omni exactione liberam, per manum Domini sui Anselmi comitis, in concambium vobis dedit, pro terra videlicet quam pater ejus Hugo ecclesiæ vestræ dederat (4).

et rescripto Alexandri Papæ III.

131 *Eadem leguntur in* charta Alexandri III pro jurium et bonorum sancti Augustini Tarvanensis confirmatione *anno* 1170 : Unam carrucatam terræ quam in parochia de Bomi, Hugo Botrii vobis donavit. Tertiam partem totius molendini, quod a parte interiori ad septemtrionem a Boucy situm est, quam Bernardus et Hugo filius ejus, pro sex F Raseriis annuatim solvendis per manum Domini sui Walteri Botrii perpetuo vobis dederunt. *Repetitio est verborum Milonis II, vitiatis quibusdam vocibus, sive culpa typographi sive errore copistæ. Tandem in* charta confirmativa Adami Episcopi Tarvanensis *anno* 1223, *hæc habentur.* Terram etiam, quam... Walterus Botry ab omni exactione liberam per manum Domini sui Anselmi comitis in concambium vobis dedit, pro terra videlicet, quam pater ejus ecclesiæ vestræ in eleemosinam dederat.

Quid in prædictis, litterarum Desiderii fidem confirmet aut impugnet.

132 *In his duo occurrunt quæ ad vindicandam litterarum Desiderii authentiam referri possunt. Primum est donatio carrucatæ; alterum concessio tertiæ partis Molendini. Quoad carrucatam, hujus donatio facta ab Hugone Butri confirmatur a Milone II Episcopo Morinensi anno* 1168, *item ab Alexandro Papa III anno* 1170; *deinde ex charta Desiderii* 1174 *habetur carrucatæ illi ab Hugone datæ, aliam ab hujus filio Waltero substitutam terram per concambium. Hucusque omnia sibi cohærent :*

(1) T. III, p. 520. — (2) Nova Gallia Christiana, t. X, col. 1540 et 1549. — (3) Annales Præmonstratenses in *Probationibus* cxxxiii. — (4) Ibid. cxxxv.

A *hærent: nihil enim obstat quominus Walterus Butri anno* 1189 *terram, quam quindecim ante annis tradiderat monachis sancti Augustini, eamdem ab his, nova interveniente transactione, recuperarit. Ast difficultatem movet charta Adami Episcopi anno* 1223 : *in hac enim supponitur terram de qua agitur in prioribus Desiderii litteris, anni videlicet* 1174, *in monachorum possessione fuisse etiam anno* 1223. *Reponi posset, haud repugnare, ut, quod anno* 1189 *monachis ademptu... fuerat, postea rursus in eorum manus venerit, quamvis ex nullo id superstite instrumento constet. Quod si quis admittere recusaverit, consequens erit in litteris Desiderii datis anno proxime indicato, non agi de terra illa, quam re piciunt chartæ Milonis et Adami, sive ipsius Desiderii priores litteræ; nec ex istis proinde aliquid in rem nostram deduci posse. Quoad Molendinum, extra dubium est, tertiam ejus partem abbati sancti Augustini donatam ab Hugone Butri, patre Walteri fuisse. Nec in supradictis chartis anno* 1168 *posterioribus (non loquor de confirmatione Alexandri III, quoniam hæc unum quid efficit cum charta Milonis) ulla amplius mentio fit Molendini; unde colligere licet illud in manibus* B *permansisse abbatis, donec anno* 1189 *in partem venit concambii, de quo in Desiderii litteris illius anni. Atque hoc posito haud spernendum habetur argumentum ad stabiliendam fidem illarum litterarum. Plurima utique sunt antiquitatis monumenta, passim probata, quæ multo pauciores præ se ferunt sinceritatis notas. Atque hucusque de authentia. Remanet ut ex his deducamus, quæ ad cultus* Frideswidiani *antiquitatem faciant.*

Consectaria ex Desiderii litteris: Sacrarium S. Frideswidæ diu instar parochiæ;

133 *Post citatas Desiderii litteras, hanc subjungit Malbrancus notationem.* Ex hoc concambio arguitur sacrarium sanctæ Frideswidis instar parœcialis templi olim habitum cum cœmeterio, ubi civium corpora sepeliebantur Bommensium, nec illud sacrarium alio translatum : sed novam parœcialem capellam, ut vocant, alibi erectam, et curionem institutum ubi nunc visitur. Gualterus autem Butri, Bommiensis Dynasta, curtem seu villam sanctæ Frideswidis ab Augustianis in suum jus translatum accipit, et in concambium, memorata illic jugera transcribit juraque frugifera. *Neuvillius, qui ipse etiam litteras Desiderii recitat sed ex latino in Gallicum versas, similia concludit, sed magis enucleate.* Pactum illud concambii, *inquit,* C abbatem sancti Augustini inter et toparcham Bomiensem, indicio est oratorium sanctæ Frideswidæ ecclesiam fuisse parœcialem loci illius, utpote quod cœmeterium haberet in quo corpora defunctorum tumulabantur, cujus in præsentem diem irrecusabilia remanent vestigia. Eremitæ enim qui oratorii illius curam hodie habent, fodiendo terras horti sui, affirmant se pluries in ossa offendisse humana; quod argumentum est peremptorium ibidem quondam exstitisse cœmeterium ecclesiæ, quæ a santa Frideswida vocabatur. Docent insuper litteræ illæ, titulum ecclesiæ parœcialis, quo antiquum sanctæ Frideswidæ oratorium longo tempore insignitum permanserat, ad aliam translatam ecclesiam fuisse, intra annum, ut ferebat pactum concambii, ædificandam in valle ejusdem vici Bomiensis, quo deferenda erant corpora in antiquo cœmeterio sepulta.

Titulus dein Bomium translatus.

134 Eo itaque tempore, scilicet anno 1188, oratorium sanctæ Frideswidæ jura amisit parœcialia, atque exinde dignoscitur tempus ex quo præsens ecclesia parœcialis Bomiensis sit erecta. *Nec officit quod in charta Milonis anni* 1168 *sermo sit de carrucata sita in* Parochia de Bomii : *ex hoc enim id solum legitime infertur, vicum, qui si fides Malbranco sit (confer n.* 121), *ab anno* 800 *a sancta* Frideswida *dicebatur, sæculo duodecimo exeunte, nomine Bomy vocatum fuisse. Quæ nominis mutatio, lapsu temporis, multiplici ex causa oriri potuit. Addit Neufvillius parœciam hanc inter præcipuas annumeratam, etiam ante dictam tituli translationem, quod constat ex iis omnibus, quæ to archa Bomiensis concessit abbati sancti Augustini, ut jus in illam obtineret. Aliam deinde deducit parœciæ illius commendationem ex persona Gilberti, quem primum translatæ ecclesiæ curionem dicit et Decanum, qui vir fuit meriti non vulgaris, atque apud omnes in magna æstimatione, ut elucet ex charta, cui anno* 1188 *subscripsisse invenitur. Hæc cum brevis sit et quædam ad Walterum Butri spectantia contineat, non abs re erit eam hic adscribere.* Ego Wilelmus, castellanus S. Audomari notum facio, quod Simon de Wal, homo Walteri Boteri, omnem comitatum in terra S. Bertini in villa de Aquin jacentem, eidem Waltero reddidit; Walterus vero me, a quo eum in feudo tenebat, consentiente, S. Bertino tam cum majore, quam cum minore justitia in eleemosinam liberam et absolutam donavit. Actum an. 1188, scribentibus E Joanne magistro Walteri filii castellani, Wilelmo de Porte, Wilelmo de Wimes, Wilelmo de Squerdes, Gileberto Decano de Bomy.

Constat itaque cultum Bomiensem antiquissimum esse

135 *Ex omnibus, quæ præ enti paragrapho disputavimus, evidenter patet cultum sanctæ* Frideswidæ *apud Bomienses antiquissimum esse. Inficiabitur nemo documenta quæ attulimus id saltem efficere, cultum illum, exeunte sæculo duodecimo, ibidem solemniter viguisse, qui, juxta illa ipsa monumenta, ab immemoriali jam obtinebat in eodem vico. Quod si in recitatis chartis vel litteris occurrant quædam, quæ non ita facile inter se componantur; animo recolendum est, vix ullam esse quæstionem historicam, tam remota a nobis respicientem tempora, quæ similes secum non ferat difficultates. Ratio est, quod numquam fere contingat omnia monumenta ad nos integre pervenisse. Plerumque pauca ex multis tantum habemus; et non raro inter ea quæ supersunt, alia sunt mutilata, alia partim saltem interpollata. Præcipuum est, ut inter instrumenta vel diplomata, quæ ad nos pervenerunt, non existat ulla contradictio : quæ si non reperiatur, ut in hac, quam tractamus, quæstione revera obtinet, censent, et non immerito quidem, eruditi, de facto ipso constare,* F *quamvis singula illius adjuncta seu circumstantiæ non irrefragabilem faciant fidem.*

Illius præsens exponitur status.

136 *Quod ad præsentem apud Bomienses sanctæ* Frideswidæ *cultum attinet, hæc reperio in relatione, missa a curione Bomiensi, paucis ante annis, ad Eminentissimum Cardinalem De la Tour d'Auvergne, Episcopum Atrebatensem, nuper in Domino defunctum in cujus hodie diœcesi sita est dicta parœcia.* Videre est in ecclesia Bomiensi statuam sanctæ Frideswidæ (sainte Frewisse) et brachium *(communis satis est forma illa includendis Sanctorum reliquiis publicæ venerationi expositis)* in quo particula ex ossibus incrustata cernitur. Ast nullum exstat documentum, quo harum reliquiarum comprobetur veritas. Ante rerum in Gallia, sæculo decimo octavo exeunte, conversionem, celebrabatur festum sanctæ Frideswidæ prima post Pascha dominica; quod quidem festum suppressum remansit, non obstante cultus restitutione per Galliam, initio hujus sæculi facta. Eversum eodem tempore fuit oratorium antiquum et adjacens cella eremitica. *Atque hæc ex litteris curionis Bomiensis ad Episcopum seu cancellariam Atrebatensem.*

137 *Addo*

Reliquiæ Bomienses non videntur authenticæ.

137 *Addo quæ ipse ego vidi et audivi cum Bomii essem* IX *Aprilis* 1847. *Brachium, de quo supra, ligneum est. Reliquiæ quæ satis spectabiles sunt, continentur in capsula oblonga, quæ media parte brachii inserta cernitur. Illas ab immemoriali populus veneratur. Ast authenticum scriptum, imo nullum prorsus, habetur quod fidem illis reliquiis faciat. Cum præterea ex Malbranco habeamus illas suo tempore ignotas Bomii fuisse: scribit namque in* Scholiis *ad lib.* IV (1) : Nil enim reliquiarum in eo *(nempe loco seu vico)* perhibetur ; *satis apparet, quid sit judicandum de particula, quæ hodie ibidem exhibetur, quin dicatur unde et quomodo recepta fuerit, quin ullum proferatur instrumentum sive antiquum sive recens, quo saltem aliqualis authentiæ nota particulæ illi imprimatur.*

Peregrini fontem S. Frideswidæ invisentes.

138 *Plures veniunt peregrini ad potandam aquam de fonte sanctæ* Frideswidæ ; *longe tamen pauciores quam præteritis sæculis. Feruntur etiam quidam sanationem, præsertim a febribus, obtinuisse : ast nulla est de qua, facta disquisitione, constet. Notatu dignum, fontem hunc nullo umquam anni tempori exsiccari, dum reliqui omnes, qui in agro Bomiensi reperiuntur, singulis annis per aliquot dierum spa-* B *tium, aquis destituuntur. Ita asserit R. D. Parochus. Viget etiam vulgo opinio, fontem hunc, defixo in terram sanctæ Virginis baculo, scaturiisse, ut jam scribebat curio aliquis Bomiensis (verosimiliter ipse Rev. D. Le Heudre) ad hagiographos, prædecessores nostros ; cujus litteræ exstant, at aliquantum mutilatæ, in Mss. Bibliothecæ regiæ Bruxellis. Tandem fluviolus egrediens ex illo fonte, qua parte ecclesiam paræcialem versus decurrit, a sancta* Frideswida *apud populum nomen habet.* (Fleuve de Ste Frewisse) ; *cæterum vero partem, scilicet a vicinio dictæ ecclesiæ, usque dum Lisiam, haud procul ab urbe Ariensi, ingreditur,* Laqueta *vocatur.*

Acta S. Frideswidæ.

139 *Acta sanctæ* Frideswidæ *edimus ex Capegravio, cum Ms. Rubræ Vallis* (Rouge Cloître *prope Bruxellas) collata. Satis antiqua sunt : conscripta tamen post conflagrationem monasterii S.* Frideswidæ, *quam ineunte sæculo undecimo contigisse diximus. Hujus enim incendii in Actis fit mentio. Imo scripta fuisse post occupationem Normannicam, (quæ in annum incidit* 1066), *satis aperte declarant verba :* Antequam juri Normannorum Deus Angliam subdidisset. *Ita scilicet legere est versus finem legendæ. Notatu dignum est, a præfatis verbis ad calcem usque,* C *jam non agi de vita S.* Frideswidæ, *sed de fatis seu historia monasterii ab ea fundati. Hinc forte alicui in mentem venerit, posteriorem hanc partem serius aliena manu superadditam. Quæ tamen mera conjectura est, nec ullo satis idoneo probata argumento. Inter Mss. Bollandiana exstat et altera beatæ* Frideswidæ *vita. Brevis admodum illa est, concinnata a D. Wilsono, præsbytero Anglo,* qui, *ut ibidem adscripsit aliquis ex prædecessoribus nostris,* martyrologium Anglicanum paratum Anglice habet. *Præterea alias duas reperimus Oxonii manuscriptas S.* Frideswidæ *vitas. Una soluta digesta oratione, altera carmine hexametro. Prior servatur inter Mss. collegii Balliolensi* 228 *fol.* 300 *(E.* 2, 7) *et videtur, spectata apicum forma, referri ad sæculum* XV. *Brevior quidem est, ast generatim concordat cum legenda a nobis edita. Sunt tamen quæ paulo distinctius in illa redduntur, indicaturque unum aliudve nomen proprium, quod nec in legenda, nec in aliis vitis ejusdem sanctæ Virginis invenitur. Cæterum sive in Annotatis, sive in hoc commentario prævio præcipua inter utramque indigitantur discrimina. Altera centum quadraginta octo constat* D *versibus hexametris haud sane elegantibus, imo plerumque satis barbaris et metrice vitiosis. Asservatur in Mss. Rawlinson c.* 558, *fol.* 153 *b., sub hac inscriptione :* Incipit tractatus de ortu et vita sanctæ Frideswide et de miraculis ejus. *Fragmenta quædam inferius descripta reperies.*

(1) De Morinis. t. I, p. 684.

VITA S. FRIDESWIDÆ
VIRGINIS.

Ex Capegravio et Ms. Rubræ Vallis.

S. Frideswidæ natales.

Sancta Frideswida Didani *a* subregali et Safridæ uxoris suæ filia exstitit, qui in urbe Oxonia morantes filiam suam omni morum honestate educari fecerunt. Transacta autem infantia super terram nudam somno victa recumbebat : illam assidue prostrata genibus poterebat, quando orationes Domino fundebat. Vilium Olerum pulmento, modicoque panis hordeacei famis expugnavit proterviam, E et aqua sitim extinguebat.

Sæculo renuntiat.

2 Parentum demum assensu habitum religionis suscepit, cujus exemplo duodecim nobilibus ortæ natalibus puellæ, relictis omnibus, sequutæ sunt Dominum *b*. Ex regis itaque munificentia cœnobium construxit ; jejuniis et orationibus instabat continuis, centiesque per noctem flexis genibus Deum exoravit *c*.

Vexatur a dæmone.

3 Sed quis prævalet esse bonus, cui non invideat, qui singulariter est malignus ? Omnes namque conatur dejicere, qui primus hominem de paradisi potuit gaudiis propellere. Corporeis oculis ejus corporalem speciem exhibuit, elatusque in antiquæ præsumptionis suæ vesaniam, qua se Altissimo fore similem promittebat, Christum se esse mentitur, magnaque Dæmonum constipatus caterva, Angelorum lucis speciem mentiuntur. His Virginem aggreditur verbis : Veni dilecta mea, veni, quia tempus est ut percipias immarcescibilem æternæ gloriæ coronam, quam promeruisti : veni et ad pedum meorum provoluta vestigia, quæ diu desiderasti adorare ; apparere quippe tibi ad hoc volui, ut me, ad quem tanta aviditate suspiras, in hac etiam vita mortali conspiceres et me F adorato ad æternæ vitæ commodum absque corporis incommodo ingredi prævaleres. Cui Virgo sancto edocta spiritu, ait : Quid miserrime, quod non habes, nec habere, pro superbia vales, aliis promittere præsumis? Quid tibi cum vita immortali? qui vivens mortuus es et manes semper in interitum virgis : sed et ego miserrima et infelix peccatrix interitus tui particeps fuissem, nisi me redemptoris mei Christi, quem tu te esse mentiris, misericordia prævenisset. Ipse enim spes mea a juventute mea. Hæc humillima virginis verba superbus ille non sustinens spiritus evanuit, et aerem ululatu horribili, fœtorequæ pestifero implevit. Beata vero Virgo in oratione perseverans æquo erat animo, et intrepida permansit.

Ejus amore inflammatur Algarus.

4 Nec enim sic antiquus hostis, licet victus et confusus abscesserit, ab impugnationis suæ arte quievit; regem *d* namque Algarum Virginis amore impudico tactum inflammat. Hic enim rex suggestionum inimici stimulis furibundus, concitus nuntios accelerare præcepit, qui Frideswidam adducant,

A cant, et nolentem æque ac volentem properare compellant. Nec mora nuntiis ad virginem venientibus, voluntatemque regis declarantibus, respondit : Si me, inquit, hominis contubernio disposuissem sociare, nequaquam regis Algari postulationi contradicerem : nunc quia regi immortali Christo desponsata sum, nefandum certe arbitror, ut eo contempto, assensum mortali præbeam peritura cum ipso. Et illi : Hæc enim te versutia juvare non poterit, quoniam si acquiescere et obtemperare regis voluntati nolueris, ad lupanar tracta multas sustinebis injurias, invita lenonibus ludibrium facta, et ignominiose corrupta doceberis, sani capitis non esse, hujusmodi regiam contemnere dignitatem. Ad hæc Virgo : Nullis revera pollutionum contagiis contaminari potest corpus, nisi ex consensu mentis.

cujus nuntii cæcitate percelluntur, et sanantur.

5 His auditis cum vim inferre, illamque rapere pararent, sancta Frideswida, ad Deum protectorem suum confugiens, preces cum lacrimis in excelsum porrexit, et ecce subito nuncii amisso lumine, ab injuriis illius desistere compelluntur vel inviti. Concurrunt undique de civitate, stupent universi paventque, ac pedibus virginis pro B excæcatorum compassione provoluti, ut ejus præcibus lumen reciperent, suppliciter postularunt. Cum autem Virgo pro eis preces ad Deum fudisset, et luminis beneficium recepissent, humiliter ad pedes ejus corruerunt, veniam flagitantes. Et post hæc ad domum redeuntes, quæ gesta sunt, regi ex ordine nuntiarunt.

Furore amens ipse Oxonium venit Algarus.

6 Quibus ille : Nequaquam, inquit, incantationes ejus falsave dogmata, aut ars magica meis eam eripiet manibus : sed quoniam me contemnere ausa est, postquam illa, ut libuerit, abusus fuero, lenonum tradetur polluenda ludibrio. Dixit, et furore agitatus ad urbem *e*, qua Virgo manebat, progreditur. Et ecce S. Frideswidæ orationi more solito incumbenti nocte illa angelus apparuit dicens : Ignoras, o Virgo, quia rex Algarus cras præ foribus urbis istius aderit, libidini suæ satisfacturus, si detur possibilitas irrumpendi pudicitiam integritatis tuæ? Ne timeas, inquit, Dominus Jesus Christus jucundum, quod in tua virginitate habitaculum præparasti, custodiet, illususque rex et spe frustratus redibit, ac pœnas perpetuæ cæcitatis solvet. Tu autem propera, et semitam, quæ ducit ad fluvium Thamisim ingredere : repertura enim C es scapham a Deo paratam, et in ipsa ducem itineris nautam.

e

Angeli monitis, urbe excedit S. Frideswida.

7 Sancta vero Virgo gratias Deo agens, duas sorores secum assumens, concita pervenit, et naviculam inventam ingressa a juvene albo habitu splendido, vultuque venustissimo, sub unius horæ spatio decem milliaria transferuntur, et sub villa nomine Bentona *f* exponuntur. Expositæ vero nec navem, nec itineris ducem uspiam conspexerunt. Nemoris profunditatem intrantes virgines, porcorum tutamen contra aeris intemperiem constructum, ab hædera, ab omni parte succrescente, contectum ingrediuntur.

f

Furit Oxoniæ Algarus.

8 Algarus interea rex Oxoniam veniens minis, precibus, ac præmiis conabatur ab incolis dignoscere, quonam Frideswida divertisset : cumque se nescire cives cum juramento assererent, iratus rex in civitatis subversionem conjuravit. Cum vero portæ Aquilonari appropinquaret, cæcitatis plaga confestim percussus est. Expavit itaque stultus repentinam in se divinæ potestatis ultionem, nec a malignitatis suæ desistens obstinatione, cor Pharaonis ad propria reportavit : ob cujus equidem tyranni supplicium innatus est horror *g* regibus Angliæ, ut nec unus urbem Oxoniæ, ut fertur, præsumat intrare.

g

EX CAPEGRAVIO ET MSS.

S. Frideswida juxta urbem ædificat oratorium. Miracula.

9 Sancta autem Frideswida tribus fere annis in solitudine illa in magna abstinentia, vigiliis, et assiduis precibus Deo vacabat. Puellam quandam ab hoste antiquo cæcitate percussam aqua lotionis manuum ejus oculis linitam illuminavit. Tandem Oxoniam rediens, ne sororibus in cœnobio dimissis onerosa esset, in loco quodam juxta urbem multis arboribus consito, nomine Thornebury, oratorium ædificiaque construxit, fontemque usque hodie jugiter manantem precibus et meritis impetravit *h*. Cum juvenis quidam diei Dominicæ non deferens, ligna incideret, manus ejus illico adhærens manubrio, incenditur adeo, ut præ doloris vehementia terribiliter exclamaret; nec enim manum laxare valuit, nec digitos a manubrio solvere; Frideswidæ tandem adducitur, et ejus precibus liberatur. Quemdam piscatorem a dæmone arreptum, fusa ad Deum prece sanitati pristinæ Virgo Deo devota restituit. Cum quadam vice urbem Oxoniam intraret, tota illico in obviam ruit civitas, et ecce inter utriusque sexus turbam adest juvenis immanissima lepra, et pustulis toto deforatus *i* corpore, ut de forma hominis nihil pene inesse E videretur præter exteriora lineamenta. Sic enim ulcera, sic tumores, sic iniquus color cuncta obduxerat, ut monstrum potius putaretur quam homo. Cum autem iste ad sanctam Virginem appropinquavit, quanta potuit voce horribiliter rauca emisit sonum satis confusum, verba tamen exprimentem, sic dicens : Adjuro te, virgo Frideswida, per Deum omnipotentem, ut des mihi osculum in nomine Jesu Christi filii ejus unigeniti. At illa charitatis igne succensa illico accessit, et signo Crucis prius impresso, osculum leproso dedit. Ore enim Virginis os leprosi tangitur, et continuo toto corpore mundatur. Cutis aspera ad squamarum modum solvitur, et velut exuviæ colubrinæ deponuntur, et statim caro ejus sicut caro pueri parvuli efficitur *k*.

h

i

k

Sanctissime moritur.

10 Instante tandem tempore dissolutionis suæ, ecce angelus Domini eidem oranti assistit dicens : Quarto decimo Cal. Novembris finis tibi, Frideswida, agonis a Deo decernitur, et merces sempiterna præparatur. Et hæc dicens discessit, et Frideswidam febris gravissima corripuit, unde et viribus corporis cœpit destitui et intentis ad superna luminibus aspexit inde venientes ad se F virgines, quas in veneratione maxima semper habebat : Catharinam scilicet atque Cæciliam, quibus et ait : Modo veniam, meæ Dominæ, modo veniam. Et valedicens astantibus, migravit ad Dominum. Lux enim cœlitus emissa domum subito illustrans ita totam explevit urbem odore inæstimabiliter suavissimo, ut non dubitaretur Unigenitum affuisse Patris luminum, cujus nomen unguentum effusum universum implevit orbem.

Ecclesia S. Frideswidæ. *l*

11 Antequam *l* juri Normannorum Deus Angliam subdidisset, Abendoniensi abbati ecclesia S. Frideswidæ cum possessionibus suis a rege quodam dominata fuit; et expulsis Canonicis per annos aliquos monachorum dispositioni res addicta subjacuit, donec mutata tandem voluntate regis cujusdam Canonicis cuncta restituta sunt.

Reliquiæ.

12 Auxilio vero et assensu Gulielmi vicecomitis patroni ecclesiæ sanctæ Virginis, elevata sunt de terra sanctissimæ Frideswidæ virginis ossa, *m* et in scrinio honorifice collocata : propter peccata vero inhabitantium primo per Danos, postea veraci flamma monasterium sanctæ Virginis extitit consumptum.

m

13 Clericus

EX CAPEGRAVIO ET MSS.

13 Clericus quidam ornamenta ecclesiæ S. Frideswidæ auferens, coram judice accusatur : et cum se purgare innocentiam suam afferret, placuit cunctis eum missam primo audire, et postea purgationem facere. Cum vero vinctus coram sanctæ Virginis tumba usque ad evangelium missæ staret intrepidus, subito saltus mirabiles in altum dare cœpit dicens : Confiteor, Domina ; confiteor Domina : et continuo cadens, exanimis videbatur. Assumpto tandem spiritu, circumstantibus ait : Numquid non videtis dominam istam Virginem sanctam, qualiter me duobus manipulis virgarum manibus suis non solum verberavit; imo crudeliter ut hoc furtum confiterer, cogit ; celare itaque non possum : confiteor sacrilegium : et exutis vestibus, scapularum cutis et totius dorsi, ventris et pectoris, ac lateris utriusque per intervalla discissa, impios (ipsos ?) accusatores ad misericordiam movit. Floruit autem sancta Frideswida circa annum Domini 750 et XIV Kal. Novembris sæculum reliquit.

ANNOTATA.

a *Varie a variis scribitur :* Frideswida, Fridiswida, Fritheswitha, Fredeswytha ; *Martyrol. Rom.* B Frediswinda ; *Domesday-Book :* Fridesvida : *gallice :* Frewisse.

b *Initia sanctæ* Frideswidæ *hoc modo redduntur in Ms. Balliolensis collegii :* Erat quædam virgo nomine Frideswida, Oxonie nata. Cum esset annorum quinque, litteras discens, infra VII menses psalterium scivit ; et proficiens omnibus se amabilem fecit. Cilicio semper utebatur ; panem ordeaceum cum parvis oleribus et aquam pro cibo habebat. Rogavit igitur patrem suum, ut se sanctimonialem fieri permitteret in ecclesia sancte Marie Virginis, quam rex Didanus in Oxonia construxit. Gavisus itaque rex de proposito suo vocavitque Edgarum, Episcopum Lincolnie, et consecrare fecit filiam suam cum aliis XII Virginibus. *Nusquam alias, ubi de vita S.* Frideswidæ, *mentionem reperi Edgari, Episcopi Lincolniensis, nisi hic, et forte etiam in vita metrica, quæ sic habet :*

Ille *(Didanus)* favens nate, mox congrua tecta paravit,
Predia dans late, quibus agros associavit.
Presulis Orgeri manibus mox sanctificatur ;
Ut docuit fieri, duodena cohors sociatur,
Ejus ad obsequium sub eadem veste puelle,
C Complevit officium lustrantes lumina celle.

Et re quidem vera in catalogis episcoporum Lincolniensium occurrit inter annum 679 *et annum* 731, *præsul nomine Edgarus. Cæterum initia præfatæ sedis, ob varias divisiones et translationes, valde obscura sunt. Vide* Monasticon Anglicanum *tom. VI, pag.* 1266 *et seqq. ubi ex professo de episcopis Lincolniensibus tractatur.*

c *Simile quid legitur de sancto Patricio, Hiberniæ apostolo, item ex Majori Britannia oriundo :* aiunt consuevisse ter centies per dies singulos, flexis genibus, Deum adorare. *Et infra :* Noctem tria in spatia distribuens, primum in centum psalmis percurrendis et bis centies genuflectendo *etc. Ita Breviarium Romanum ad diem* XVII *Martii. Floruit S. Patricius sæculo quinto.*

d *Algarus* rex *hic dicitur eodem sensu, quo supra Didanus,* subregulus : *quibus vocibus indicatur urbis vel territorii alicujus dynasta. Cæterum ex totius narrationis serie manifeste apparet Algarum, majorem quam Didanum, habuisse potentiam : hinc etiam ille,* rex ; *hic,* subregulus *vocatur.*

e *Urbem, Oxonium nempe.*

f *Bentona, legendum Bendona, ut in Balliolensi Ms., vernacule* Abingdon, *quod reapse decem milliaribus Oxonio distat. Bentona, quod modo* Bensington, Benton *sonat, amplius dissitum est. Vide Commentarium nostrum prævium num.* 38. D

g *De hoc horrore prolixe disputavimus,* § II, *Comm. præv. num.* 29-33.

h Impetravit. *Consule rursus Comm. prævium, ubi plura reperies de fonte isto, sicut et de* Binsey *et* Thornebury, *num.* 41-47.

i Deforatus *forte defloratus. Convenit etiam vox* deforatus, *cum pellis pustulis et lepra dici possit quasi perforata.*

k *In Ms. Balliolensi quartum additur miraculum.* Puella quædam in Bendonica per annos VII cœca fuit. Linivit oculos suos de aqua, quæ stillavit de manibus Frydeswide, quando lavit se, et sanata est. *Item in vita metrica :*

Ex unda manuum, qua Virgo beata lavatur
Ceca puella suum visum rehabere probatur.

l *Hucusque Vita S.* Frideswidæ. *Quæ sequuntur ad historiam monasterii ab ea fundati pertinent.*

m *Vide Comm. præv. num.* 78 *et seqq.*

FRAGMENTA E

EX VITA S. FRIDESWIDÆ

METRICA.

Juxta Ms. Oxoniense Rawlinson, c. 558, *fol.* 154 b.

. . . .

Didanus, ex serie regum, seu sanguine natus,
Urbis et Oxonie dominatu magnificatus ;
Conjuge Sefrida felix. De germine quorum
Virgo Fredeswida processit, plantula morum ;
Messis adulta cito baptismi gurgite sacri
Cum fidei merito. Genitor genetrixque beati
Applausere Deo, vehementer letificati.
Mors matrem rapuit, cujus vir funera flebat ;
Filia condoluit ; dolor unus utrumque tenebat.
Cantica psalmorum didicit stirps inclita regis,
Verbaque Sanctorum, sacra moderamina legis ;
Psalterium discens semestri tempore totum. F

. . . .

Prematura seges, carnis prestrinxit habenas.
Que solet Aelveva *a* mammis lactare tenellam, a
Tandem grandeva docuit studiosa puellam.

. . . .

Filia prona suum deposcit progenitorem,
Ut mundi vacuum contempnere possit honorem,
Et superinduta monacharum vivere veste,
Sicque degens tuta Christo famuletur honeste.
Insuper ecclesiam poscit prius edificatam
Qua Christo latriam persolvat premeditatam.
Ille favens nate, mox congrua tecta paravit,
Predia dans late, quibus agros associavit.
Presulis Orgeri *b* manibus mox sanctificatur ; b
Ut docuit fieri, duodena cohors sociatur,
Ejus ad obsequium sub eadem veste puelle
Complevit officium lustrantes lumina celle.

. . . .

Anglia tunc reges multos habuisse probatur.
Per varias leges lex cum regione cecatur.
Rex fuit, Algarus vulgari nomine dictus,
Numinis ignarus, carnis prurigine victus,
Predo, pudicitie cupiens violare pudorem
Virginis eximie, falsum simulavit amorem.

Hic

A Hic misit proceres pompose nobilitatis,
Legatos sceleris, qui sancte virginitatis
Votum mutarent, et nexus connubialis
Federa firmarent. Nec profuit accio talis.

. . . .

Quos rex premisit, contempsit virgo serena;
Dotem derisit, sacro karismate plena.
Est, ait, obscenum regem viduare polorum;
Arbitror ut cenum, preconia pollicitorum.
Nubere non potero, sponso vivente priori;
Sed nec sceptigero me subdam deteriori.
Non erit innocuum sponsum contempnere primum.
c Esse reor fatuum, qui summo prerogat igmum *c*.
Quotquo * virginibus vires facere ** molestas
Statim luminibus cecavit diva potestas;
Et qui se domibus violentos exhibuerunt,
Omnes luminibus privatos se doluerunt.
Ipsa suis precibus cecatis lumina solvit,
Et pro criminibus clemens benefacta resolvit.
Rex propulsatus tumidas exarsit in iras.
Ipsam conatus per penas cogere diras,
Impetit Oxoniam, quam depopulare minatur,
Ni per nequiciam votis utcumque fruatur.
B Dum stimulatur equus, preceps se janua clausit.
Rex gemuit cecus; gens urbis libera plausit.
Cantica leticie plebs consona conjubilavit
Autor nequicie confusus ab urbe meavit.
Reges, Oxoniam post hec intrare timentes,
Divertere viam, quamquam per regna potentes.
d Quam rex Henricus *d* primo reverenter adibat,
Princeps pacificus cum prosperitate redibat.
Angelus in fluvio Sanctam sociasque vehebat.
e Secum navigio quas clam Bamptona *e* (*sic*) tegebat.

. . . .

Infinita sibi signorum gracia favit.
Ex unda manuum, qua virgo beata lavatur,
Ceca puella suum visum rehabere probatur.
Oris ad tactum leprosus mundificatur.
Fama per hoc factum per secula multiplicatur.
Quidam vexatus piscator demonis ira,
Funibus artatus tolerabat vincula dira.
Hæc impressit ei Christi memorabile signum,
In virtute Dei sathanam pellendo malignum.
Festa luce Dei, cuidam, qui ligna secavit,
Hasta securis ei manibus se conglutinavit:
Prostratis genibus Dominum pia Virgo precatur;
C Hastula de manibus statim discontiguatur.
Virgineis meritis, qui solis (*sic* solus?) cuncta creavit,
Membra viri ditis paralitica consolidavit.

. . . .

f Continet ossa solum loculo tumulata decenti; *f*
Mens petit alma polum conregnans archipotenti.
Judeus quidam, quem trux insania movit,
Sepe Frideswidam pro (*sic* per?) probra lacessere [novit
Deridens signa blasphemans voce superba,
Protulit indigna de sacra Virgine verba.
Ulcio digna Dei, que punit per racionem,
Dignam solvit ei meritorum condicionem.
Guttur blasphemum Zona pro fune ligavit.
Funus postremum sibimet sine fine paravit.
Latrans turba canum corpus comitando caninum,
Ad stigis ignivomum duxit clamosa caminum.
Proplite (*sic*) contractus, manibus reptare coactus,
Incolumis factus, fit ad omnes utilis actus.
Quot bene credentum sibi deposuere querelas
Corpora languencium morbi meruere medelas.
Infirmos curat divine Fons pietatis
Quos non obdurat defectus credulitatis.
Virgo, decus morum, que celum promeruisti,
Hunc tueare chorum, pia mater, servula Christi.

* Quotquot.
** fecere.

ANNOTATA.

a Algina *apud Mabillonium vocatur. Vid. Comm. præv. n.* 27.

b Orgeri. *Vide* Annotata *in vitam S.* Frideswidæ *lit.* b.

c *Sex illi versiculi, si sententiarum pondus spectes, merito suo utique non carent.*

d *Vide Commentarium prævium n.* 30, *ubi ex Thoma Wikes retulimus ingressum Henrici III in urbem Oxoniensem an.* 1246.

e Bendona. *Vide in* Annotatis *ad vitam S.* Frideswidæ *lit.* f, *et Comm. præv. n.* 38.

f *Nihil hinc utique inferri potest de S.* Frideswidæ *sepulcro.*

APPENDIX
AD ACTA S. FRIDESWIDÆ.
DE LIBRO MIRACULORUM EJUS,
Auctore Philippo Priore.

E

Cur hic de miraculis S. Frideswidæ agamus.

A *scopo nobis proposito, atque a regulis, a prædecessoribus nostris constitutis, recederemus, si actis* Frideswidianis *non subjungeremus* Librum Philippi, Prioris *Monasterii, a sancta nostra Virgine dicti, de ejus* miraculis. *Est enim scriptio illa monumentum pretiosissimum de cultu beatæ* Frideswidæ *exhibito, deque ejus ingenti apud Deum gratia.*

Philippus Prior, libri Miraculorum auctor et testis.

2 *Auctor præfati operis ex ipsa ejus innotescit inscriptione, his concepta verbis:* Historia miraculorum S. Frideswidæ virginis, cum Prologo, per Philippum ejusdem monasterii Priorem. *Ille nempe ipse est cujus* precibus et instantia *Translatio reliquiarum facta anno* 1180 *est; ac proinde testis fuit ocularis eorum quæ de dicta Translatione breviter tradit antequam de miraculis agere incipiat. Ipsa præterea miracula, quæ plurima describit, omnia ejus contigerunt ætate; plurium præsens adstitit spectator, ut vere dicere potuerit:* quod vidimus testamur. *Alia rursus patrata sunt coram immensa populi multitudine, in beatæ* Frideswidæ *ecclesia,* F *præsentibus canonicis regularibus sancti Augustini, plerumque sub divino officio vel Missarum solemniis, ut non raro populus omnis, stupore attonitus, in admirationis et gratitudinis voces seu potius clamores erumperet. Nec solis creditur languentium verbis; sed de morbo idoneis constet oportet testimoniis, ut secuta sanatio, irrecusabilibus probata argumentis, tamquam divinitus per miraculum data censeatur. Mala, quæ curantur, plerumque talia sunt, quæ humanum non habeant remedium nisi diuturnum: ad tumulum autem beatæ* Frideswidæ *vel subito obtinetur sanitas, vel illo saltem temporis spatio, quod ad artis medendi efficaciam plane non sufficiat.*

3 *Hæc utique ostendunt quantum multitudo miraculorum libro Philippi Prioris contenta, et accurate prolixeque descripta ad gloriam S.* Frideswidæ *faciant; unde non immerito nobis gratulamur edendæ scriptionis illius nactos nos esse et occasionem et facultatem. Posthæc enim mirum nemini jam videbitur id, quod in commentario nostro prævio diximus, civitatem scilicet Oxoniensem plurimam a sancta sua Patrona mutuatam esse celebritatem, imo longo annorum decursu vix aliunde inclaruisse, nisi ex reliquiis S.* Frideswidæ, *ad quas,*

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

quas, ob perpetuam prodigiorum famam, undequaque fideles ingenti cum fiducia et salutari devotionis sensu confluebant.

Præfati libri monumentum historicum, authentia.

4 *Sed et aliud haud spernendum obtinet liber ille meritum. Cum, ut jam innuimus, prolixe et accurate singulæ describantur sanationes, additis nominibus personarum et indicatis locis ex quibus essent oriundæ, liquet hæc omnia haud parvum ad illorum temporum historiam habere momentum. Ex his enim discimus quinam ætate illa vigerent mores; singulares etiam indicantur morbi; multa ad geographiam, imo et quædam ad medendi artem spectantia innotescunt. Cæterum hic usu venit, quod et in quovis hujusmodi scripto authentico; ut scilicet ætatis, ad quam refertur, indoles seu character, ut aiunt, moralis legenti exhibeatur. Jam vero quod ad authentiam spectat, nullum dubium, quin liber ille conscriptus a Philippo Priore fuerit. Neminem reperias cordatum qui vel levissime hac super re hæsitaverit umquam.* Exemplar, *inquit Dugdal,* operis conscripti a Priore Philippo de miraculis sanctæ Frideswidæ asservatur inter manuscripta Digbyensia in Bibliotheca Bodleiana n. 177. *Ejusdem non semel meminit Antonius Wood in præ-* B *claro suo opere :* Antiquitates Oxonienses. *Sed et D. H. O. Coxe, ex hodiernis Bodleianæ bibliothecariis, solita sua cum humanitate et benevolentia dignatus est nobis submittere sequentem notam.*

Codicis ms. descriptio et ætas.

5 *Ms. Digby* 177. Historia miraculorum S. Frideswidæ, Virginis, cum prologo, per Philippum ejusdem Monasterii Priorem. Incipit Prologus : *Domini ac Salvatoris nostri virtus et sapientia tanto majoribus.* Incipit Historia : *Scripturus itaque miracula quæ temporibus nostris per merita beatissimæ Virginis* Frideswide *Dominus operari dignatus est.* Desinit : *Et lapidem ab ipso excisum nobis in tantæ virtutis testimonium ostenderunt.* Codex iste folia continet triginta, exaratusque est binis columnis, anno circiter 1200; notæ optimæ. *Propriis oculis nobis, cum Oxonii essemus, judicare licuit quam accurata esset hæc notatio. Vix itaque distat codex ille ab ætate auctoris, cum, juxta Dugdalum, Philippus Prior adhuc in vivis esset anno* 1189.

Liber Philippi Prioris nunc primum editus.

6 *Atque hic codex etiam est, quem describendum curavimus. Apographum accurate cum originali collatum, Oxoniaque Bruxellas nobis transmissum, opera et benevolentia ejusdem Henrici Coxe, publici juris facimus. Et quidem, in quantum nobis constat,* C *nunc primum Liber Philippi Prioris typis mandatur. Non judicavimus opus esse textum in capita et paragraphos separare. Maluimus uno tenore illum, prout accepimus, erudito lectori exhibere; ut tamen, pro regula a Bollando statuta, visu attentio juvetur legentis, per numeros distinximus, accurate ad marginem notantes quid singulis contineatur.*

a

Incipit Prologus a Domini Philippi Prioris, de Miraculis Sanctæ Frideswidæ.

(Mss. Bibl. Bodl. Oxon. Digby 177.)

Deus in Sanctis suis operatur mirabilia in terra.

Domini ac Salvatoris nostri virtus et sapientia tanto majoribus laudum præconibus attollitur, quanto mirabilior in Sanctis suis apparet, dum eos etiam post mortem mirificat. Cum enim in D carne præter carnem viventes ad superna feliciter migrant, rebus humanis exempli, signis et prodigiis se in cœlis vivere testantur. Et licet ad credendum miraculis infidelitas excitetur, hoc ipso tamen fides roboratur, ut mirabili modo inde fidelis animetur, unde confutatur infidelis. Nam in præsenti palea granis admixta, non nisi divinæ visitationis ventilabro potest separari, fitque nonnumquam ut in frumentum palea convertatur, et postmodum in æterna recondatur orrea. Sic et ecclesiæ sagena pisces bonos et malos recipit, et plerumque contingit ut letifero sapore deposito, mali bonis aggregentur, et in justitiam convertetur injustitia, ut cum psalmista recte dicere possimus, hæc est mutatio dexteræ excelsi. Ad laudem utique creatoris excreatur *(b)* creatura, dum natura *(c)*… …Quod ei fuerat ablatum restituitur, b c dum divina manu forma reformatur ablata, ut iterum creari creatura videatur. Succumbit humana prudentia, cum secreta dispensatione virtus divina coruscat; philosophia subticet sæcularis, cum in habitum vertitur privatio, ut, dum homini ad imaginem Dei creato vel quod prius datum non fuerat confertur, vel quod subtractum erat E redditur, ludentis more cum creatura sua divina bonitas exercitari videatur, tanquam majoris sit potentiæ gratia recreationis quam beneficium primæ creationis. Inter hæc eruditur imbecillitas humana, ut ad eum colendum et diligendum excitetur, qui in sanctis suis mirabilis et gloriosus existit. Nec mirum si signa exteriora hominem informent interiorem, cum et oculus formas visu comprehensas animæ denuntiet, ut eas tanquam speculo mediante consideret et apprehendat.

dum ipsi in cœlis beantur.

2 Hac mercede servos suos donat altissimus, his stipendiis milites suos beat, ut laboribus et ærumnis ereptos in æterna recipiat tabernacula, et miraculis attestetur quam placita est Deo anima casta. Felix profecto commercium, brevi questu vitam comparare perpetuam. Beata servitus quæ perhenni libertate donatur, quæ perversæ dominationi eripit, et ad regnum perducit, ut humana fragilitas ex lutea massa compacta eripiatur in libertatem gloriæ filiorum Dei. Hæc est una quam a Domino se petisse psalmista testatur, ad quam adipiscendam laudabilis prophetarum numerus et gloriosus apostolorum suspiravit chorus. Pro hac dimicavit purpurata martyrum multitudo, et huic F suam dedicavit munditiam candidatus virginum exercitus.

Opera Dei manifestare decet.

3 Opera quidem divina reticere perniciosum est, quoniam taciturnitas plerumque representat ingratitudinem, præsertim cum psalmista canticum novum Domino cantare moneat, quia mirabilia fecit. Et cum nobis præter merita nostra dona sua largitur, eo plus ad se laudandum nos obligat, quo minus ut conferantur nostra suffragantur merita. Et licet peregrinis luminum adminiculis solaris splendor non illustretur, locum tamen a quo excluditur minus irradiat. Virtus quoque divina laudum præconiis in se non augetur, suscipit tamen, dum diffunditur, incrementum, et quanto magis propalatur, gratius redolet, quod ex ipsis Domini verbis perpenditur, dum leprosis mundatis ut ora sacerdotibus ostenderent præceptum est *(d)*. d

Transferuntur Reliquiæ anno 1680,

4 Scripturus itaque miracula quæ temporibus nostris per merita beatissimæ virginis Frideswidæ, Dominus operari dignatus est, ab ejus Translatione inchoandum duxi, quæ facta est anno ab Incarnatione Domini MCLXXX, regnante illustrissimo

A simo rege Anglorum Henrico secundo. Quæ quidem eo gloriosior apparet quod eam non sub modio abscondi, sed super candelabrum poni Dominus voluit, ut lucerna super candelabrum posita, lucis suæ radios undique diffunderet. Eo nempe tempore idem gloriosus rex propter maxima et ardua regni negotia, reverendissimum Patrem nostrum Ricardum Cantuariensem archiepiscopum, Dominum quoque Ricardum Wintoniensem, Galfridum Helyensem, Johannem Norwicensem, Petrum Menevensem episcopos, et copiosam cleri multitudinem, proceres quoque et magnates regni sui ex omnibus Angliæ partibus apud Oxenefordiam convocaverat, Deo nimirum id agente ut pretiosa Margarita, quæ tanto tempore terra jacuerat operta, gloriosius omnibus ostenderetur, cum ipsius revelationi terrena negotia, et cleri et populi tanta multitudo, Domino quasi latenter id instigante, ad hoc convocata, deservire viderentur. Prædicto igitur invictissimo rege votis favente, suumque benignissime præbente consensum, ad preces et instantiam Philippi tunc Prioris et totius conventus, pridie Idus (*id est die duodecima*) Februarii idem venerabilis archiepiscopus, convocatis secum Domino Ricardo Wintoniensi, Galfrido Helyensi, Johanne Norwicensi,

præsente magna Episcoporum nobiliumque corona.

B Petro Menevensi episcopis; præsente venerabili viro magistro Alexio tunc temporis ex delegatione Domini Papæ Scotiæ legato, et magistro Johanne tunc quidem electo Sancti Andreæ, ad ejusdem gloriosissimæ Virginis ecclesiam accedens, prius quidem indicto jejunio sepulcrum maxima cum devotione aperiens, ubi per quadringentos et LXXX circiter annos beatissimum ejus corpus requieverat, astante et congaudente copiosa cleri et populi multitudine, gloriosa Virginis ossa de sepulcro transtulit, et in feretro ea collocavit, ne tam pretiosa Margarita terra diutius operta jaceret, quæ celebri miraculorum gloria se in cœlis vivere protestabatur. Odor deinque suavissimus adstantes replevit et aromatum more refocillavit, ut non immerito de ea dictum videretur: odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Præcesserant sane Translationem ejus commonitiones creberrimæ, visiones plurimæ, revelationes gloriosissimæ, de quibus aliqua præsenti inserere libet opusculo, ut beatæ Virginis sanctitas posterorum

Aperitur sepulcrum in quo per 480 annos ossa latuerant.

C memoriæ arcius imprimatur *e*.

Lucis radius ex turri S. Frideswidæ noctu emicans.

5 In pago Oxenefordiæ erat vir quidam Martinus nomine, qui mercimonii gratia, rerum venalium foros perlustrans, cum semel a Londoniis rediret, et Oxenefordiam, nocte jam instante et tenebris lucem prorsus arcentibus, propinquaret, vidit eminus tamquam radium igneum de fabrica turris ecclesiæ gloriosæ Virginis consurgere, et cœlum usque pertingere, cujus lux et vicinas partes et remotas fulgore ineffabili illustrabat. Putabat obstupescens civitatem ignium flammis comburi, necdum, sicut postmodum, lucem, quæ per merita gloriosæ Virginis usquequaque diffusa est, intelligens; spiritualem irradiationem totius provinciæ, quæ hujuscemodi signo præostensa est, materialem civitatis arbitratus concremationem.

Lucida columna supra S. Virginis sepulcrum.

6 In eodem pago matrona quædam, Editha nomine, quantum ad humanum spectat judicium integræ opinionis et honestæ conversationis, ante beatæ Virginis Translationem annis circiter octo, cum nocte quadam sopori membra dedisset, vidit in sompnis columpnam auream miræ magnitudinis et incomparabilis splendoris in sepulcro gloriosæ Virginis infixam, cujus summitas supra totam turris fabricam prominens, lucis suæ radiis non solum civitatem, verum etiam omnes circumjacentes regiones illustrabat. In ipsius vero summitate columpnæ colum *f* miræ magnitudinis, cilentibus radiis perspicuum, prospiciebat, ex cujus incomparabili splendore tota terrestris regio videbatur ignita; id nimirum Domino præmonstrante, quod postmodum rei comprobavit eventus, cum in occiduis mundi partibus novi solis claritas exorta est.

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

Alia visio.

7 Habebat prænominatus Prior Philippus famulum quendam consanguinitate sibi conjunctum, nomine Robertum, qui in ejusdem Prioris obsequio plurimum desudaverat. Cum itaque primo anno prioratus sui ob ecclesiæ suæ negotia Londoniarum civitatem adiisset, ibique diutius moram facere compelleretur, nocte quadam per visum idem Robertus ammonitus est, ut satageret quatenus beatissimæ Virginis acceleraretur Translatio. Visumque est ei, quod, cum ad sepulcrum accessisset, eo sine aliqua difficultate reserato, radius igneus cœlum usque pertingens, de sepulcro processit, omnibusque, quæ interius latuerant, patefactis, apparuit subito Domina pulchritudinis incomparabilis in medio sepulcro residens, quæ mox inde consurgens, juxta sepulcrum resedit, ubi esset E quidve prædictus Prior ageret requirens. Illico eum vocari jubet, moram redarguens, segnitiem culpans, ne diutius torpore deprimeretur admonens. Qui cum vocatus venisset: age, inquit ei Domina, ut de terra translata in feretro collocer, mihique condecens convivium præpara, quia hodie tecum pransura sum. Cum hæc et alia memorata Domina dixisset, expergefactus a sompno, mane facto, quod viderat retulit, ut mandatis pareret, sollicite Priorem admonens. Aliis denique quam plurimis non solum visiones sed et revelationes præostensæ sunt, quas ad præsens omitto, ne in immensum pagina præsens excrescat, præsertim cum ad describendas ejus virtutes, mea festinat intentio *g*.

Incipit liber Miraculorum. Puellula sanatur.

8 Cum igitur ut prædictum est pridie Idus Februarii gloriosæ Translationis expleta fuisset sollemnitas, cujus esset apud se beata Virgo meriti, Bonitas divina nocte sequenti manifestavit. Quidam enim civis Oxenefordiæ Galfridus, cognomento Padi, filiam habebat parvulam annorum circiter iiij^or, cujus collum non sine dolore maximo sic intumuerat, ut rebus humanis sine aliqua spe recuperandæ sanitatis crederetur eximenda. Pater F igitur filiam lichno metiens, et lichno ceram imprimens, ad beatæ Virginis feretrum candelam optulit. Nec voto suo fides frustrata est, sed mox ut puella aquam hausit benedictam, tumore paulatim residente, et per singula decrescente momenta, non sine intuentium admiratione et gaudio, infra breve tempus omnimodis sanitati restituta est.

Alteri puellulæ lumen oculorum restituitur.

9 Erat in eodem pago juvencula quædam Adelitia nomine, extra muros ejusdem pagi habitans *h*, quæ aliquanto tempore ante beatæ Virginis Translationem, tali correpta fuerat incommodo, quod ciliis oculorum nimio tumore depressis, præ nimia ciliorum gravedine nec oculos aperire, nec quicquam videre poterat. Mater itaque ejus filiæ, materna pietate compatiens, pro salute filiæ medicos consuluit, frustra id modicum quod habebat in medicos expendens, languore jugiter ingravescente, et incommodo de die in diem in deterius vergente. Convolat demum mater ad divinæ miserationis asilum, per dies multos ad beatæ Virginis ecclesiam filiam ducens, et pro ejus salute devotissime supplicans. Nec tædium parit dilatio, spes diffi-

 dentiam

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

dentiam relegat, perseverat impetendo fides, ut humani defectum auxilii divina suppleret potentia. Nec repulsum passa est devotio, desiderantem rei desideratæ consolatur effectus. Quippe feria quinta in Cœna Domini, antequam Missarum agerentur sollempnia, cum in oratione super beatæ Virginis sepulcrum juvencula prostrata persisteret, subito tota ciliorum gravedine tamquam manu scalpente detersa, tumor paulisper resedit, videndique perfecte recepit officium. Profluebat autem diutius ex oculis sanies, et non multo post interjecto tempore, sic divinæ manus beneficio curata est, ut in ea nulla prorsus ægritudinis pristinæ remanerent vestigia.

Vir biennio jam incurvatus erigitur.

10 Venerat illuc diebus illis de partibus Walliarum vir quidam Wilelmus nomine, qui ferme biennio sic incurvatus erat, ut se nullatenus erigere, nec nisi baculi sustentatione quoquam gressus dirigere valeret. Is in proposito habens Dominicum adire sepulcrum, vivificæ Crucis signum sibi impresserat; sed retardabat effectum miserabilis incommodi miseranda conditio. Ut igitur ad aures ejus gloriosæ Virginis fama pervenerat, fide subnixus, spe roboratus, licet toto corpore incurva-
B tus, tibiis præ nimia debilitate tremulis, locum unde gloriosa Virginis ossa translata sunt, adiit, in oratione pernoctans, et jugiter divinam implorans misericordiam, audires eum flebilibus vocibus animos etiam lapideos ad pietatem flectere, dum et gemitus edere compelleret doloris immanitas, dum pro eo et fides oraret, et perseverantia peroraret. Nocte igitur quadam lassitudinem soporis quiete recreans, vidit in sompnis virginem quandam vultu decoram, habitu venustam, gestu gravidam, alba se pelle contegentem ad modum pellis ursinæ. Expergefactus se a dolore præhabito respirasse persensit, paucisque diebus exactis, qui prius incurvatus incedere compellebatur, sic ad plenum convaluit, quod ad Dominicum sepulcrum adeundum iter incolumis arripuit.

Alter variis simul afflictus infirmitatibus sanatur

11 Erat in vico quodam cui vocabulum est Herdulucsleie, vir quidam Wilelmus nomine, bonæ quoad homines opinionis, in pauperes misericors, in hospites liberalis. Distat autem vicus ille quatuor fere a Braccheleia miliaribus. Is a xxx fere annis sic sinistro oculo orbatus fuerat, quod vix eo videre poterat, quo gressus dirigere deberet. Per anni vero et eo amplius spatium ante gloriosæ
C Virginis Translationem dextrum penitus oculum amiserat, ita quod nec etiam cœli lumen aliquatenus eo videbat. Apposita est autem super plagam plaga, et in tantum aggravata est super eum manus Domini, quod nervis contractis incurvatus, vix podio gressus sustentante ecclesiam adire valebat. Audita igitur beatæ Virginis opinione, contra spem in spem credens, de divina potentia sperans, sed de sua debilitate fere desperans, equo desidere, nisi duobus eum hinc inde sustentantibus, minime prævalens, parentum amicorumque neglecto consilio, Oxenefordiam versus iter arripuit. Cum enim incassum multa in medicos erogasset, nihil nisi divinum sibi superesse prævidebat auxilium. In itinere vero usque ad spiritus fatigatus exhalationem, amicis ipsum comitantibus reditumque suadentibus : sinite, inquit, ut si rebus humanis eximendus sim, saltem in adeundo tam beatam Virginem, si eo pervenire mihi desuper datum non est, viam universæ carnis ingrediar. Nimirum felicem se reputans, si in hujuscemodi proposito fati munus impleret. Perductus igitur ad sanctæ Virginis ecclesiam super tumulum ipsius in oratione se projecit, devotionem excitante necessitate, et ex humani consilii et auxilii defectu nata D desperatione, lacrimarum fontem exaggerante. Sensit illico divinum auxilium fidei constantia, redit in suum natura principium, sic utriusque luminis visus redditur, ut eo quo penitus privatus erat, perspicacius videret. Admiratur obstupescens divinam tam celeriter affuisse virtutem, ignorans Spiritus Sancti gratiam tarda rerum nescire molimina. Adhuc autem inter spem et opinionem fluctuans sese erexit, et incurvationis pristinæ contractionem prorsus abolitam sentiens, uxorem, fratres, amicos, qui cum eo venerant, intuens, eosque se perspicacissime videre protestans, ad Dei laudes tam præsentes quam absentes incitavit. Aliquotiens eum postea vidimus, et a prænominatis eum prorsus incommodis respirasse ipsa rerum experientia didicimus *i*. i

Miles cæcus et surdus, et dextera manu rigidus, Cantuariam frustra tendit.

12 Per idem tempus hoc quoque mirabile* et memoria dignum accidit. Miles quidam de Britannia oriundus, hamo de sancto Ciriaco dictus, tribus fere annis et dimidio sicut nobis proponebat, et videndi pariter et audiendi officium amiserat. Proponebat siquidem prius se gravissime febre correptum ad hujusmodi incommodum devenisse, et postmodum dolori dolorem accrevisse, ut et E dexteræ manus et brachii penitus destitueretur officio, ita ut nec ori manum adhibere valeret. Ad memoriam itaque revocans miracula quæ pro gloriosissimo patre et martyre nostro Thoma Deus operabatur, licet valetudine confectus esset et senio defessus, ipsius limina adire decrevit. Cum autem Cantuariam venisset, languore gravi correptus, per quindecim dies ibidem moram facere compulsus est. Sed sanitatem nequaquam ibi recipere potuit : Deo nimirum id providente, ut in ipsius curatione quanti esset apud se beata Virgo meriti, palam cunctis innotesceret, quæ a multis retro temporibus vitæ præsenti subtracta, nuper Translationis gloria decorari meruerat. Ad partes igitur Oxenefordiæ veniens gratia visitandi virum illustrem Hugonem de Plugeneio et Oliverium fratrem ejus, quibus linea consanguinitatis conjunctus erat, per aliquod tempus apud eos moram fecit. Advertens autem quam plures recuperandæ sanitatis gratia limina beatæ Virginis adire, in sollemnitate paschali ad ipsius properavit ecclesiam et se coram feretro ipsius fide armatus prostravit. Nec mora; cum in oratione cum maxima devotione F ac fidei constantia persisteret, quasi levi sompno corripitur, et elapso brevi temporis intervallo expergefactus, et visum simul et auditum Domino restituente recepit. Et manus et brachii, quam amiserat potentiam, in integrum ibidem recuperavit. Hæc tria in uno homine operari per merita Virginis suæ Salvator dignatus est, ut his eam magnificaret prodigiorum mirabilibus, quæ idcirco majori digna sunt admiratione, quia et ætatis longevitas et morbi diuturnitas curationis spem omnino denegare videbantur, tantoque majori sunt laude prædicanda, quanto sunt humano judicio difficiliora, ut in homine, cui virium copiam naturæ subtrahebat defectus, supra naturam divina manus curationis gratiam operaretur. Ne quid divinæ potentiæ impossibile humana arbitretur imbecillitas. Sicut enim ipse constanter proponebat, et testibus asseverabat, nonagesimum et eo amplius ætatis annum agebat. Huic rei testimonium prædicti nobiles viri, sed et eorum famuli constanter perhibuerunt, quos frequenter dum ei famulari compellebantur calamitatum suarum vexaverat et tædio affecerat immanitas *k*. k

ad sepulcrum S. Frideswidæ integram recuperat sanitatem.

13 Cum itaque talium signorum circumquaque fama

Mulier ab hydropisi liberatur.

fama crebresceret, ob gratiam recuperandæ sanitatis, variis obsessi infirmitatibus illuc undique confluebant. Quædam igitur mulier de Estropa, Winneva nomine, quantum ad sæculi divitias inops sed fidei copia dives, per anni spatium idropis morbo laboraverat. Quæ cum ob sanitatem recuperandam plurima Sanctorum limina visitasset, cum etiam totam substantiolam suam in medicos erogasset, nec profecisset, ad sepulcrum beatæ Virginis, ubi gloriosa ipsius ossa recondita fuerant, maxima cum devotione pernoctans post tertium diem postquam ad sepulcrum excubaverat, pristinæ sanitati reddita est. Venter siquidem ejus, qui sic intumuerat, ut præ tumoris immensitate vix intra vestimenta contineri posset, sic hausta aqua benedicta detumuit, ut in signum sanitatis receptæ, ventrem qui prorsus resederat, populo gaudente palam cunctis ostenderet.

Sanatio matricis et aliorum dolorum.

14 Hisdem temporibus mulier quædam de Abbendonia, Remildis nomine, quæ fere per tres annos continuos vitio matricis laboraverat, adeo quod nervis contractis incurvata prorsus fuerat, struma in ipsius dorso cum dedecore prominente, cum viro suo limina beatæ Virginis adivit. Laboraverat insuper interclusa ventositate in tantum, quod singulis etiam membris cum dolore maximo tumescentibus, quandoque etiam febrili concutiebatur tremore. Cum igitur in ecclesia beatæ Virginis in oratione devotissime cum viro suo persisteret, per Dei misericordiam et Virginis suæ merita sanitati restituta, a singulis se liberatam incommodis publice protestata est, quæque incurvata venerat, erecta et rigide gradiens Deumque, qui in Sanctis suis gloriosus est, benedicens ad propria remeavit. Adhuc tamen ad memoriam ægritudinis præhabitæ, struma in dorso aliquantulum prominebat, quæ tamen postmodum temporis processu prorsus abolita est.

Plurimorum in conspectu sanatur puella,

15 Venit et ob gratiam recuperandæ sanitatis puella quædam de Burcfordia, Raganilda nomine, quæ viscerum dolore, manibus quoque turpiter tumescentibus, per juge triennium incessanter fatigata fuerat. Utroque igitur comitata parente, cum et pietas simul et devotio gressus dirigeret, mox in ingressu ecclesiæ curata est, ab utroque simul incommodo, non sine omnium qui tunc aderant admiratione, prorsus immunis.

item aliæ duæ.

16 Sed et hoc laudibus Ejus non immerito annectendum videtur, qui ante omnia sæcula existens, in fine sæculorum operatus est salutem in medio terræ. Quædam mulier paupercula de Awrulla, Brithiva nomine, per xx fere annos utroque oculo minus clare videns, clare videndi per Dei gratiam et beatæ Virginis merita munus recepit. Sed et puella quædam de Gaiteshamtone, Eva nomine, per iiij circiter menses manum dexteram contractam habebat, ut ex ipso ægritudinis genere spes nulla recuperandæ sanitatis superesset, nisi Eo superante, qui etiam de lapidibus potens est suscitare filios Abrahæ. Ut itaque magis in ea divina virtus eluceret, cum semel perfecte curata esset, et postmodum, procul dubio meritis suis exigentibus, in eamdem recidisset calamitatem, iterato per Dei gratiam liberata est, quæ in se credentes et a prima et a secunda morte liberat, hic quidem in spe, in futuro autem in re.

Duæ sorores cæcitate liberantur.

17 Erant in villa cui nomen est Einesham duæ sorores quarum altera Jurkiva, reliqua vero Rilda vocabatur, a multis retro temporibus et paupertatis simul et cæcitatis infelicitate contabescentes, ut neuter (*sic*) earum absque præduce quoquam ire valeret. Utraque igitur non minori fidei quam animi constantia iter adeundi beatam Virginem arripuit. Cum ergo jam ad pagum Oxenefordiæ propinquarent, subito in ipso itinere Jurkiva visum Domino miserante recepit. Exultat mulier, reddita sibi videndi copia; protestatur se res non solum vicinas, sed et remotas perspicue videre, et quæ præducis adjuta beneficio gressus direxerat, jam nullo præeunte, Deo et beatæ Virgini gratias agens, ad ipsius properavit ecclesiam. Et ut par esset utriusque lætitia, sororem quoque ipsius Rildam Dominus visitare dignatus est. Ad sepulcrum Virginis pernoctat mulier, de salute sororis gaudens, et pro sua Deum devotissime deprecans, spem ex eo certissimam concipiens, quod eadem qua sororem potentia, se quoque curare posset. Mane igitur facto, post multos lacrimarum imbres, ancillam suam respexit Dominus, et primo cum pruritu sanie ex oculis profluente, videndi recuperavit officium. Extant utriusque rei testes quam plurimi fide digni, ejusdem villæ coloni, qui et cæcitatis pristinæ plenissimam habuerant cognitionem, et quas cæcas prius viderant, jam a Domino curatas non sine admiratione et gaudio cernebant.

Mulier a decennio paralytica sanitati restituitur.

18 Eodem tempore virgo quædam de Normannia oriunda, ætate quidem adulta, sed a multis retro temporibus paralitica, Azelina nomine, cum matre ad sanctæ Virginis sicut poterat ecclesiam advenit. Manebat autem in villa quadam non longe a Warewic, cui vocabulum est Pilasdentona. Siquidem cum octo circiter esset annorum, dextra corporis parte penitus destituta est, et tam manus dissolutione quam pedis contractione, et operandi pariter et gradiendi potestate privata, incommodo tali per decennium fere laboraverat. Igitur ad tumulum beatæ Virginis in oratione se projiciens, Ipsum devotissime cum lacrimis invocabat, qui salvos facit sperantes in se. Et sicut in Evangelio de puero quem spiritus immundus obsederat legitur, eumque frequenter et in ignem et in aquam miserat, quod clamans et multum discerpens eum, discessit ab eo; sic et ancillam suam in qua virtutis suæ potentiam Dominus exercere decreverat, magnis et diuturnis cruciatibus vexari permisit, ut in ea peccati rubiginem fornax tribulationis excoqueret. Nec mirum videatur alicui, si gratiam curationis cruciatuum aculei præcedant, cum plerique justorum non nisi per ignem purgatorium ad supernæ civitatis gaudium perveniant, ut quod hic minus penitum est, ad purum ignis ille consumat. Sed cruciatuum dolorem miseratione divina gratia sanitatis subsecuta est. Redit in naturalem potentiam dexteræ partis impotentia, et sanitas, quæ Domini datur imperio, tota simul confertur, ut nulla penitus in ipsa debilitatis antiquæ remanerent vestigia, membris tamen adhuc præ curationis novitate stupidis. Erumpit in laudem Dei plebs fidelis, quæ eam paulo ante paraliticam viderat, et jam repente sanatam admirabatur.

Eadem die alterа alterius sanatio.

19 Accidit insuper in eadem beatæ Virginis ecclesia eodem die et aliud insigne miraculum. Siquidem mulier quædam Mathildis nomine, gravissimæ cujusdam ægritudinis qua per anni jugiter laboraverat spatium, sanitatem adepta est. Sicut enim tam ex ipsius relatu quam ex vicinorum testimonio didicimus, anno fere dimidio in lecto doloris decubuerat, omnium prorsus membrorum officio penitus destituta, solo adhuc ad aliquod infelicitatis suæ solatium, videndi munere sibi reservato. Demum vero dolori dolor appositus est. Et in tantum viscerum dolore plusquam per annum dimidium laboravit, ut ipsa doloris vehementia

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

mentia cunctos, qui eam noverant, in desperationem adduceret. Cumque id modicum quod habuerat substantiæ frustra in medicos erogasset, ad beatissimæ Virginis tumulum jugiter in oratione persistens, post multos et lamentabiles cruciatus, sanitatem, quam manu non potuit humana, interventu gloriosæ Virginis, divinæ manus munere consecuta est. Ab utraque igitur valetudine qua prius contabuerat liberata, omnium qui aderant animos ad Dei laudes invitavit, qui sanctam Virginem suam tanta miraculorum gloria mirificabat.

Puella ab incunabulis incurvata illico sanatur.

20 Puella quædam, Raganildis nomine, de terra gloriosi patris et martyris nostri regis Eadmundi, a cunabulis ita lumborum dolore laboraverat, ut renibus præ tumoris enormitate deturpatis, gradiendi potestate privaretur, spina dorsi contracta, et partibus inferioribus cum doloris acerbitate penitus invalidis. Adierat autem plurima Sanctorum limina, et licet Dei virtus et potentia ubique sit æqualis, agit tamen secreta dispensatione, ut quod unius Sanctorum merito nequaquam tribuitur, alterius interventu conferatur. Veniens igitur ad sanctæ Virginis ecclesiam, seque coram ipsius sepulcro in oratione prosternens, aliquanto tempore B interjecto sanitatem adepta est. Quis vero non obstupesceret puellam a cunabulis inclinatam, pedibus debilem, tibiarum robore carentem, sic in momento divinæ manus beneficium sensisse, ut quæ incurvata et omnino imbecillis venerat, jam ab omni valetudine libera prorsus et immunis, ad propria gaudens remearet? Sed hoc Ei difficile non est, qui appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera.

Mulieri membrorum usus restituitur; renum cruciatus evanescunt.

21 His diebus mulier quædam de Amencia, Cristina nomine, per unius anni spatium, ita renum dolore cruciata fuerat, ut cruciatus anxietas ipsam nullatenus ad terram sineret inclinari. Invaluit autem eatenus sinistra valetudo, ut nec etiam aquam manibus, sicut ipsa proponebat, et testibus constanter asseverabat, sibi propinare valeret. Auditis igitur beatæ Virginis virtutibus, nullam requiem habuit spiritus ejus, donec ipsius limina visitaret, sanitatis suæ spem omnimodam in ipsa ponens. Et quia, secundum Apostolum, spes non confundit, spei confidentiam subsecutus est rei votivus effectus. Ut illa ad ipsius propinquavit ecclesiam, mox cruciari vehementissime cœpit, ut eam vidit. Vix autem ecclesiam ingressa, sic et C languoris vehementia et cruciatus languore confossa est, ut nullatenus ad locum, in quo Virginis sanctæ feretrum stabat, pervenire valeret. Sed nec sic conquievit devotio; instat orationi mulier, cum repenti divinæ miserationis respectu visitata, sanitati pristinæ restituta est. Et quæ prius languore præpediente nec ad terram se inclinare, nec aquam manus gestare poterat, nobis videntibus nec non et omnibus qui tunc aderant admirantibus, libere et absque aliqua difficultate se ad terram inclinabat, ad declarandam manifestius Dei virtutem; sanationem suam intuentium animis repetitis frequentius incurvationibus inculcans.

Hydropisi liberatur mulier.

22 Quædam paupercula mulier, Emma nomine, de partibus Exoniæ cum partum cum nimia ederet anxietate, non multo post interjecto tempore, ydropis morbo percussa est, ventre turgente, cruribus, tibiis simul ac pedibus præ tumore vix intra cutem contentis. Ad divinum igitur confugit auxilium, multa sicut poterat absque beneficio curationis Sanctorum adiens limina. Tandem languore jugiter ingravescente, laboris magnitudine fatigata, tumoris enormitate confusa, gressus impotentes baculi beneficio sustentans, cum ad beatæ Virginis ecclesiam venisset, tumore corpus deserente, sanitati restituta est. D Tantum in tibiis ac pedibus vestigia quædam tumoris in signum præhabitæ valetudinis apparebant, quod et in plerisque, quibus gratia sanitatis confertur, frequenter evenit, ut divinæ miserationis opem præ oculis semper habere noverint.

Puer a diutina artuum contractione mirabiliter liberatur.

23 Ad laudem insuper divinæ pietatis accidit stupendum quod subnectitur miraculum. Puer quidem Wilelmus nomine, de Lincolnia natus quarto ante beatissimæ Virginis Translationem aut eo amplius anno, febrium ardore correptus, et per annum jugiter sine remedio fatigatus, ad ultimam pene perductus est exinanitionem. Aggravata est autem super eum manus Domini, et jam spina dorsi recurva, struma non modica prominente, se erigere nullatenus valebat. Sinistram quoque tibiam sic contractam habebat, ut nervis arefactis terram pede nullatenus posset attingere, trium quippe digitorum mensura reliqua tibia retractior erat. Denique dolori ipsius compatiens sacerdos quidam Wilelmus nomine, qui in eadem civitate manebat, divinæ caritatis intuitu, puero vitæ stipendia largiebatur. Baculis autem duobus sub utraque ascella collocatis, gressus impotentes dirigere E compellebatur. Mater vero ipsius Christiana nomine, filium materna pietate diligens, filii jugiter calamitatem deflebat. Ad plurima Sanctorum loca filium perduxit, ignorans quod in ejus curatione præviderat Dominus Virginem suam clarificandam. Adeo autem itineris et laboris immensitate fatigatus erat, quod sub utraque ascella in carne tenera concavitas quædam ostendebatur quam baculorum effecerant summitates, licet eorum duritia pannorum mollitie quoad poterat relegaretur. Tandem mater fide fortis, pietate mirabilis, cum laboris tædium in ea vinceret materna compassio, tamquam importunitate ipsa beneficium divinum extorquere proponeret, comperta gloriosæ Virginis fama ad ejus ecclesiam filium perduxit. Nec diu votum fœminæ suspendit summe Misericors: dilationem relegavit filii festina curatio. Audires in ejus erectione nervos crepitare, jam utraque tibia equa proportione sibi invicem respondente. Et licet postmodum in dorso struma promineret, quæ ab ipsa ei coaluerat nativitate, recte tamen gradiendi seque erigendi potestatem recepit. Videres F innumeram populi multitudinem ad tam insolitum concurrere spectaculum, et lætitiam interiorem lacrimis exterius protestari. *coram innumera populi multitudine.* Surgit illico puer incolumis, baculos quibus innisus fuerat beatæ Virgini quasi pro munere offerens. Multis vero diebus ob insolentiam gradiendi, tali, instar pulpæ, molles ipsum claudicare compellebant: sed processu temporis ex gradiendi consuetudine a claudicatione liberatus est. Cum autem postmodum matre eum reducente ad natale solum remeasset, ut ad beatam Virginem reduceretur matrem fletibus vicit, sic pro beneficio sanitatis Deo et Virgini suæ gratus, ut numquam ab ea separari vellet, illum præ omnibus locum amplectens, ubi munus curationis acceperat.

Simile quid contigit parvulæ, tempore officii vespertini.

24 Accidit eodem die et aliud dignum relatu mirabile. Quædam etenim mulier de civitate Wintoniæ, Richildis nomine, filiam parvulam habebat, annum et dimidium ætatis agentem, quæ a nativitate sic contracta fuerat, ut talis firmiter natibus et inseparabiliter cohærentibus, in sperulæ l modum miserabiliter volveretur. Nec solum incedendi, verum et sedendi potestate privata, matris animum doloris aculeo perfodiebat. Delata est igitur humeris matris ad ecclesiam beatæ Virginis puellula,

A puellula, statimque oculi Domini eam intuiti sunt, et aures ejus preces illius exaudierunt. Nervis siquidem non sine strepitu crepitantibus, tali a natibus resoluti sunt, et rectitudinem quam natura negaverat, manu divina puellæ corpus accepit. Denique talis resolutis, ubi tali hæserant, fossulæ monstrabantur; et, mirum dictu, sentiens se sanari, parvulam manum ad locum jecit dolentem, quasi pruritus mordicantes unguibus exarans, statimque matri applaudens, prout poterat erigere se conabatur, ut ipsis gestibus ætas parvula Deum laudare videretur. Eo tempore canonici vespertinum decantabant officium, cum repente populorum clamoribus excitati, eoque accurrentes, rem sicut gesta erat oculata fide cernentes, non immerito laudes laudibus accumularunt.

Juvenis horrendo furore exagitatus, sub Missarum solemniis, mirabiliter pacatur.

25 Hoc quoque relatu dignum arbitror, quod in præclara salutiferæ Crucis Inventione, dum Missarum agerentur sollempnia, in eadem gloriosæ Virginis basilica Dominus operari dignatus est. Erat in vico quodam, cui nomen est Coleshulla, juvenis quidam Eustachius nomine, qui ante dimidium et eo amplius annum in tantam devenerat amentiam, ut furoris immanitas vicinis omnibus timorem pa-B riter et horrorem incuteret. Horrendis dentium stridoribus, torvis et minacibus oculis, jugi capitis agitatione, feralibus etiam conatibus, furoris impetum demonstrabat. Sic enim continuis motibus sine aliqua interpolatione die noctuque caput agitabat, ac si a vento vel arundo concuteretur vel folium arboris quateretur, ut nullius umquam sanum caput motus hujusmodi sustinere posset. Ad ecclesiam itaque perductus, vehementia cunctis qui aderant formidinem incussit. Nam et lignorum maxima robora circa ipsum posita sine aliqua difficultate a se rejiciebat, et horrendis gestibus turbam circumstantem arcebat, quandoque etiam ab ecclesia expellebat: nullus etenim vel expectare eum audebat vel contingere. Cogit furoris rabies terribiles voces emittere, clamoribus ecclesiam implere, nec Creatorem a creatura sinit agnosci, talis ac tanti mali vehementia. Non os, non mentem ad exorandam Salvatoris clementiam applicat; nihil in ipso quod hominem sapiat apparet, furoris vehementia feras etiam bestias exsuperans. Præcipitur ab ecclesia expelli, cum repente quidam canonicorum adveniens benedicti liquoris undam in faciem ejus projecit, quæ intra sinum defluens, C corpus aliquantisper roravit. Illico furor aliquantulum conquiescere cœpit, et signa furoris paulatim minui. Expletis denique Missarum sollempniis compos mentis efficitur, seque ab eo quo laboraverat incommodo respirasse cognoscit. Exuit pristinæ vesaniæ notam, et humanæ rationis diu perditam vestem resumit. Stat devote Deum invocans, non jam ut ante irritans blasphemiis, sed placans genuflexionibus. Confluunt ad tam mirabile spectaculum undique populi, de tam subita mutatione stupentes. Et qui paulo ante humani sensus expers, rictibus terrificis omnes qui aderant terruerat, adepta sanitatis gratia, cunctis et morbum et modum quo ei acciderat exposuit, populis in Dei laudes erumpentibus, et Eum qui in sanctis suis gloriosus est benedicentibus. Emenso autem modico tempore sic capitis agitatio conquievit, ut in eo pristinæ vexationis nulla penitus remanerent vestigia. Aderat tunc temporis ipsius villæ domina, quæ multo tempore paralitica, ob gratiam recuperandæ salutis advenerat. Multi quoque qui ipsum noverant præsentes erant, constanter asserentes eum tanta furoris immanitate vexatum fuisse, ut et propinquis et remotis horrori esset ipsius vesania. Frequenter eum postea vidimus, ab omni furoris molestia et capitis concussione liberum prorsus et immunem.

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

Pueri innumeris vexati malis et jam emortui

26 Sed et de hoc quod eodem die contigit signo, Dei virtus et sapientia prædicanda est, cujus et magna virtus est, et sapientiæ non est numerus. Vir quidam spectabilis Fulco nomine, qui a loco, qui Grava nuncupatur, cognomen accepit, filium de uxore sua sustulerat, tertium jam ætatis annum agentem. Is circa Dominicæ Nativitatis sollempnia languore correptus, ventre constipato, nullo purgationis remedio naturæ superflua deponere prævalebat. Procedente tempore, stomacho cibaria fastidiente, sic pueri venter induruit, ut non materiam carneam, sed lapideam repræsentaret duritiam. Ad extremam itaque perductus exinanitionem, corpore nimia macie confecto, vix ossibus sibi cohærentibus, rebus humanis sine aliqua spe curationis putabatur eximendus. Cum itaque corpus exanime vix spiritus vitalis vegetaret, ad ecclesiam gloriosæ Virginis a matre delatus est, totam spem suam in Ipso ponente, qui non derelinquit sperantes in se, et de sua virtute gloriantes humiliat. Perstat in oratione mater, filii calamitatem materno deplorans affectu. Hausta E denique puer aqua benedicta supra quam * ætas tenella pati crederetur, per superiorem purgari cœpit regionem, ventrisque paulisper emollita est duritia. Sed quoniam præ nimia, qua contabescebat debilitate, vix intra corpus anima continebatur, et animales in eo deficiebant virtutes, processu temporis, omnium qui ipsum viderunt, judicio, viam universæ carnis ingressus est. Omnibus siquidem quæ mortem præcedere solent signis in eo concurrentibus, rigentibus totius corporis membris, toto jam corpore frigescente, humanæ naturæ debitum exsolvisse credebatur. Lacrimis mater perfunditur, deflet amissum quem recuperare sperabat. Dolet votis in contrarium successisse, nec adhuc in ea fidei vigor tepescit. Credit Eum, qui quatriduanum in monumento fœtentem resuscitaverat, posse puerulum nuper defunctum ad vitam revocare. Lugentem amici consolantur, proponentes juvenilis ætatis fecunditatem prolis numerositate gavisuram. Persuadetur patri ut funeris exequias præparet; cilicium quo mortui corpus involvatur comparet, et terræ moles reddatur terrestris. Resistit persuadentibus mater, divinæ potestatis clementiam adhuc expectandam asseve- F rans. Et vere mira fidei virtus, quæ etiam naturæ vires enervat, et impossibilia facit esse possibilia. Impletum est hic procul dubio illud evangelicum: Si habueritis fidem ut granum sinapis, dicetis huic monti, transfer te in mare, et transferetur. Exacto enim trium vel quatuor horarum spatio, quidam canonicorum adveniens, ex cujus sorore puerulus procreatus fuerat, fide roboratus, os jam seratum prout poterat reserans, in os aquæ benedictæ liquorem infudit. Unde factum est ut non post multum temporis, anima redeunte, voce submissa circumstantium aures repleret, et post paululum emissa voce magna vitæ munus sibi redditum palam ostenderet. Demum oculos aperiens, matremque miserabiliter intuens, brachiorum nec non et cæterorum membrorum motibus se vivere protestabatur. Calorem nativum corpus resumit exanime, et in habilitatem pristinam membra redeunt rigentia. Et cui languoris acerbitas ciborum denegaverat alimenta, omnibus qui aderant videntibus, cor emortuum pomi confortabat edulio. Admirantur parentes virtutis divinæ magnitudinem, gaudent redditum quem amissum defleverant. Per duos

* *supple* partem

mirabilis sanatio.

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

duos autem dies in ecclesia commorati, filium quem exanimem detulerant, sanum et incolumem ad propria cum gaudio retulerunt, viribus paulisper redeuntibus, Ejusque potentia, qui omnia creavit ex nihilo, naturæ vires quæ in eo penitus defecerant, singulis reformante momentis.

Mulieris fœde afflictæ ad sanitatem revocatio. m

27 Mulier quædam Leviva nomine, de villa, quæ Wrokestan nuncupatur, quæ est juxta Bannebúriam, per juge quatriennium *m* sic continuo tumore ventris, et inflatione turgente laboraverat, ut membris omnibus præ doloris anxietate deficientibus, humeris tamquam pondere quodam depressis, manus ad nullum opus necessarium posset aptare. Tanta autem erat ventris inflatio, ut prægnantis et partui vicinæ similitudinem repræsentaret; vix etiam vestibus quibus induebatur membra tumentia continebantur. Nonnunquam cum reliquo corpore manus et pedes tumor occupabat, et maxime luna ad defectum vergente. Aiebat autem se hujusmodi incommodum incursisse (*sic*) per frigoris asperitatem dum operi necessario intenderet, ita quod quandoque latratus caninos ab ore emittebat, ut ab omnibus vesana judicaretur, B et velut amens verberibus afficeretur, et vinculis artaretur. Ob *hac* * etiam a viro suo spreta, vitam infelicem augmentatis agebat miseriis. Adiens igitur beatæ Virginis ecclesiam, et orationi per noctem devotissime insistens, post cruciatus multos et tremores inauditos, ructibus et oscitationibus a noxiis, quibus gravabatur humoribus, liberata, sanitatem consecuta est. Resedit quippe ventris tumor, et membrorum dolor omnis abscessit, et manuum pedumque debilitas in naturalem rediit potentiam.

* sic; hoc vel hæc.

Altera simili modo liberatur.

28 Hisdem quoque diebus uxor viri cujusdam de Ennestan, Childiva nomine, quæ per sexennium viscerum dolore laboraverat, nec ullo medicinæ beneficio curari poterat, per gloriosæ Virginis merita gratiam sanitatis adepta est.

Item alia puella.

29 Sed et puella quædam de Dencheswitha, Constantia nomine, cum matre, beatæ Virginis adiit ecclesiam. Siquidem cunabulis et antequam baptismi gratiam percepisset, sic incessanter capitis dolore torquebatur, ut præ doloris vehementia, quandoque septies, nonnumquam octies mente alienata, rebus humanis crederetur exempta, humanæ rationis interim omnimodis expers, et eorum quæ gerebantur prorsus ignara. Frequenter C etiam per integram septimanam, nec etiam verbum ab ore ejus exibat, ut loquendi perpetuo destituta crederetur officio. Meritis igitur beatæ Virginis suffragantibus, ab omni respiravit valetudine, nihil in se pristini repræsentans infortunii, sed acceptæ curationis beneficium mirantibus cunctis et verbis ostentans et gestibus.

Mulier undequaque desperata sanatur.

30 Quædam etiam mulier, Leviva nomine, de villa quæ Shoram nuncupatur, nata, hisdem temporibus gratiam salutis Deo donante recuperavit. Fatebatur se multis temporibus apud Oxenefordiam moram fecisse, ibique numerosam sobolem sustulisse, et quinque de liberis suis in cimiterio beatæ Virginis tumulatos asserebat. Morabatur autem tunc temporis apud Siffordiam, et ærumnas paupertatis suæ quorum poterat eleemosinis mendicando redimebat. Apposita est autem super plagam plaga, et livor livori adjectus, et duplex ei supervenit tribulatio. Anno siquidem et dimidio febrium acerrima vexatione concussa, nervis desiccatis sic incurvata est, ut nullatenus nisi baculorum podio quoquam dirigere gressus prævaleret, struma non modica in summitate dorsi prominente. Per duas autem septimanas in tantum dolor exaggeratus fuerat, quod in lecto doloris continuo decumbere compellebatur, ultimum malorum omnium remedium solam mortem exoptans. D Veniens igitur ad beatæ Virginis ecclesiam, mox ut ejus limina attigit, aliquanto tempore cruciata, languore confossa, tandem erigitur, et corporis inclinati contractio beneficium suscipit erectionis. Gaudet mulier in hoc saltem calamitati suæ esse provisum, quod paupertatis suæ damna dono salutis adeptæ compensabat. Sane in ipso curationis munere dorsi crepitantis strepitus auditus est, et ipso curationis genere, et valetudinis antiquæ vexatio et medicaminis modus cunctis palam innotuit, fidelium ore Dei laudes resonante, qui in sanctis suis semper est et ubique mirabilis.

Puella furore amens se in aquas præcipitat, eripitur a molendinario; perducitur a matre ad S. Frideswidæ sepulcrum; tandem sanatur.

31 Puella quædam, Emelina nomine, ætate adulta, de villa quadam vocabulo Edivetona nata, quæ ad ecclesiam beatæ Virginis pertinet, in autumpno proximo ante ipsius gloriosam Translationem, mentis alienatione percussa, in tantam devenit amentiam, ut quasi ultimum malorum omnium remedium, manibus propriis mortem sibi vellet ascire. Nocte igitur domum matris clanculo egressa, licet funestum haberet propositum, signo tamen crucis frontem armavit, et ad E aquam vicinam cui Keneta nomen est properavit. Cum itaque suggestione diabolicæ pravitatis seducta, super ripam staret, et submersione vitam infelicem finire proponeret, prius tamen salutationem angelica voce beatæ et gloriosæ Dei Genitrici factam, prout noverat ore deprompsit: Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui; sicque rursus frontem signo crucis muniens, in aquam capite prius immisso se præcipitavit. Impetu autem fluminis subtus rotam molendini molentis delata, quod ipsius præcipitio contiguum erat, cum nec in os ejus nec in aures aquæ stilla sicut asseveravit influxisset, in loco quodam fluminis, ubi terra aliquantulum eminebat, illæsa resedit. Molendinarius vero nomine Alvredus, in domo sua quæ paululum a molendino distabat quiescens, in sompnis admonitus est, ut ad molendinum festinans, quod in aqua reperiret, mox extraheret. Nec mora: expergefactus a sompno, illuc properat, puellam obstupescens invenit, nolentem ab aquis extraxit, et matri, quæ filiam lamentando quærebat, ipsam reddidit, mortem potius quam vitam desiderantem. In tantum vero processu temporis F languor aggravatus est, ut circa festum beati Michaelis, linguæ paulisper destitueretur officio, sicque factum est, ut de die in diem magis ac magis obmutescens, tandem Nativitatis Dominicæ propinquante sollemnitate, loquendi prorsus et usum et potestatem amisit, et usque ad mensis Maii tempora, in ipsa mentis alienatione perdurans, muta permansit. A matre igitur et quodam fratre suo ad ecclesiam beatæ Virginis perducta, nocte ad sepulcrum, ubi gloriosa ipsius ossa recondita fuerant, pernoctavit. Tandem labore simul et dolore fatigata, cum membra sopori dedisset, in sompnis admonita est, ut orationi instaret, et angelica salutatione beatæ virginis Mariæ sibi conciliaret misericordiam, et de recuperanda sanitate plenam haberet securitatem. Per quatuor igitur aut quinque dies in ecclesia moram faciens, cum nullum in ea divinæ miserationis signum appareret, ex dilatione curationis tædio mater affecta est. Regredi domum parat et filiam reducere, persuadens ubique equaliter Omnipotentis jugere (*agere?*) virtutem. Renititur sicut poterat filia; sequitur tamen invita cogentem, cum repente divina miseratione gressus

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

A gressus puellæ propediti sunt. Ad terram denique collisa, crebris fatigata singultibus, et quasi febrili tremore diutius concussa, levi tandem sompno corripitur, et modico post interjecto tempore præter spem, lingua palpitante, rauce prius loqui cœpit, et quasi balbutiendo cum difficultate verba formare, ut vix a circumstantibus posset audiri. Divina miseratione autem bonitatis suæ gratiam semper in melius promovente, triduo necdum elapso, sic linguæ vinculum resolutum est, ut distincte et aperte loquendi recuperaret officium, et suprascripta palam cunctis exponeret. Aderat tunc temporis vir venerabilis Dominus Johannes Norwicensis episcopus, in cujus præsentia prædicta puella, et morbum et casum quo ei acciderat exposuit. Mentis itaque compos effecta, loquendi recepto munere, beatæ Virginis et ecclesiæ suæ se mancipavit obsequio, curatricis suæ famulatu et corpore hærens et affectu.

Paralyticus liberatur.

32 Carpentarius quidam de civitate Wintoniensi, nomine Picardus, dum die quadam apud Wintoniam operi necessario insisteret, subito paralisi percussus est, decidente de manu securi, et loquendi potestate prorsus subtracta. Dextera igitur
B manu per annum integrum clausa simul et contracta, præ naturalium virium impotentia, nec digitos extendere, nec ori manum applicare, vix etiam a pectore brachium separare, nec ulterius quam ad ilia manum deducere prævalebat. Totam etiam dexteram corporis partem sic debilitatam habebat, ut nullatenus nisi baculo sustentante quoquam ire posset. Triduo igitur in ecclesia beatæ Virginis moram faciens, pro salute sua divinæ pietati devotissime supplicabat. Supplicantis fidem oculo misericordiæ suæ respexit Dominus et petentis desiderium effectu prosequente complevit. Redditur homini loquendi potestas, et membrorum dissolutio naturalem recipit soliditatem, et qui paraliticus advenerat, jam sanitatem adeptus, paucis interpositis diebus, sine baculi sustentamento ad solum natale remeavit.

Juvenis viscerum dolore, cæcitate aliisque afflictus malis, liberatur.

33 Hisdem diebus juvenis quidam Alexius nomine, juxta Herefordiam natus, per septennium jugi viscerum languore et dolore vexatus fuerat, et doloris acerbitate jugiter ingravescente nihil operis exercere valebat. Gutturis etiam meatum tumor obstruebat, et velut apostemate interius prominente, non nisi cum difficultate cibaria de-
C gustare, quandoque nec aquæ poculum haurire poterat. Adaucta est etiam languoris vehementia, et ut mirabilior appareret divinæ miserationis respectus, utroque orbatus est lumine. Sinistrum quidem nec etiam aperire poterat, de dextro autem luminis claritatem videbat, non autem exteriorum formarum dinoscebat sive discernebat qualitatem. Hoc incommodo per quatuor fere menses fatigatus, sanctæ Virginis adiit ecclesiam; cumque ad sepulcrum devote Domino preces funderet, viscerum dolor conquievit, et tortionum mitigati sunt aculei. Gutturis quoque, qui interclusus fuerat, meatus reseratus et relaxatus est, restituta facultate cibaria in corpus trajiciendi. Sed et videndi perspicue rediit acumen, ut utroque oculo res minutissimas, utpote pilos et capillos, Deo donante discerneret.

Muto restituta loquela.

34 Sed et juvenis quidam de Wathnesfelda, Godwinus nomine, cum subiti casus infortunio per quatuor menses auditum amisisset, sic obsurduit, ut nec etiam clamantium voces audire prævaleret. Processit ulterius incommodum miserabile, et lingua in guttur retracta, ut vix summitas ejus videretur, per integram fere septimanam mutus effectus est, et nec cibos incorporare, nec aquam poterat glutire. Cum matre igitur et amicis beatæ Virginis adivit ecclesiam, et ad sepulcrum ipsius orationi insistens, aliquamdiu cruciatus *, *videndi* simul et loquendi recepit officium. Soluto linguæ vinculo debitum a natura locum lingua retracta sortitur, et denegata ciborum redditur incorporatio. Cum igitur ad matutinas laudes signa pulsarentur, mox adepta sanitate, in Dei laudes prorumpens: Deo gratias, inquit, quoniam ab omni liberatus sum valetudine, et ab eis quibus opprimebar respiravi calamitatibus. Sic itaque mane facto, se sanum et incolumem per beatæ Virginis merita protestatus est, viris omni exceptione majoribus assertioni suæ testimonium perhibentibus. Testata est etiam mater ejus, quod antequam loquelæ privaretur officio, clamantium voces nequaquam audiebat, sine auditus beneficio loquentium labia ad loquendum formari videns, non autem verba loquentium discernens.

* *sic; lege audiendi*

Mulier orans ad feretrum B. Virginis, ethica febri liberatur.

35 Mulier quædam Isabella nomine, de Becchamtuna juxta Bukingeham, cum ab octo retro annis viro fuisset copulata, prægnans et partui vicina domum cujusdam mulieris ingressa est, cum qua vir suus adulterium exercebat. Illa malignita- E
tis furore succensa, sicut rei declaravit eventus, panem ei porrexit, quem mox ut gustavit, sic infrigidari per partes superiores sibi visa est, ac si aqua frigida caput ejus perfunderetur. Cum autem peperisset, percepta baptismi gratia, mox puer defunctus est. Aggravatus est autem mulieris languor, et tam ventre turgente quam humeris tamquam pondere quodam depressis, ita debilitari cœpit, ut quandoque nec ori manum posset applicare. Adiit autem postmodum limina beatissimi patris nostri ac martyris Thomæ, et hausta aqua benedicta, languorem sensit mitigatum. Enim vero divina procul dubio providente clementia, ut et in ipsa beatissimæ Virginis meritum innotesceret, per biennium ferme continuum ethica febre concussa est in tantum, quod septies in die quandoque in naturali tremore membra ipsius concutiebantur. Cum itaque ante beatæ Virginis feretrum oraret, repente quasi in extasi constituta, et diuturnis cruciatibus agitata, tertio in immensos erupit vomitus, nocivos nimirum quibus gravabatur vomens humores, et mane facto, tam ab humerorum gravedine, quam ab omni febrili calore se prorsus liberam testata est. F

Altera mulier curatur.

36 Eodem die mulier quædam Beatrix nomine, de Ellendona viro copulata, capitis dolore plusquam per biennium vexata fuerat, et sic viscerum dolore torquebatur, ut in lecto doloris per singula fere momenta decumbere compelleretur. Veniens igitur ad ecclesiam gloriosæ Virginis, et in oratione persistens, mane facto ab omni dolore se liberam cunctis ostendit.

Filia militis cujusdam scrophulis vexata, adducitur ad B. Virginis tumulum; solatur atque, recuperatis viribus, læta domum redit.

37 Miles quidam Rogerus nomine, filius Radulfi de villa, cui nomen est Stretona, filiam habebat annorum circiter XIV Margaretam vocabulo, a carnali pollutione prorsus immunem. Hæc post festum beati Michaelis ante gloriosæ Virginis Translationem, sub faucibus scrophulis, quas vulgo glandulas vocant, vexari cœpit, quæ contactu regiæ manus curari dicuntur. Abducta igitur a patre ad illustrissimum regem Anglorum Henricum secundum, contactu manus ejus scrophulæ fugatæ sunt. Domum igitur reversa, infra breve spatium vehementissimo languore corripitur, et per singulas corporis partes in tantum dolor invaluit, ut nec ipsa sibi pedes et tibias attrectare posset, nec ab alio præ doloris magnitudine sustineret attrectari, ita

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

ita quod voces miserabiles emittere compellebatur, si vel a festuca pedes tangerentur. Hoc incommodo sine aliqua interpolatione usque ad vigiliam Ascensionis Dominicæ fatigata, in tantam incidit debilitatem, ut os suum, compagibus vix sibi cohærentibus, corpore nimia macie confecto, in superficie cutis tantum videretur. Et si quando eam alicubi fortassis moveri necesse esset, nullatenus terram calcare, sed nec eam saltem contingere poterat; amicis omnibus sola tantum morte huic morbo terminum imponi, sine aliquo medicinæ remedio, vehementer opinantibus. Auditis autem beatæ Virginis miraculis, maximo cœpit æstuare desiderio, ut ad ejus perduceretur ecclesiam. Parentes igitur virginis desiderio satisfacientes, de divina confisi potentia, quia equitare nullatenus valebat, in reda quadam eam ad beatissimæ Virginis ecclesiam deferri fecerunt. Sed et ipsi eam comitantes, mox in eo pervenerunt ad sepulcrum filiam perducentes: per totam noctem Ascensionis Dominicæ pro salute filiæ Domini deprecabantur misericordiam. Et mirum dictu mane facto, virgo paulatim convalescens se a dolore pristino liberatam parentibus protestabatur, et pedes et manus B et tibias ad contrectandum eis offerebat, sicque membra, quæ nec a festuca tangi sustinebat, manibus non solum attrectari, verum et fricari gaudebat. Expletis autem Missarum sollempniis, nobis et omnibus qui aderant videntibus, et in Dei laudes erumpentibus, a parentibus erecta terram firmiter utroque pede calcando, cunctis se prorsus a dolore liberam fatebatur, nisi quod a nimia, qua laboraverat debilitate, necdum respiraverat. Cumque a parentibus rogaretur ut in reda qua delata fuerat domum se referri sustineret: absit, inquit, a me ut in reda reducar; si meum optatis reditum, equos mihi adducite, ut equo residens, ad propria cum gaudio revertar. Triduo igitur elapso gaudens et de adepta sanitate gratias agens, equo vecta domum a parentibus deducta est, redeuntibus paulisper viribus, et membrorum robore beneficio divinæ curationis per singula coalescente momenta. Cum itaque jam et a dolore et debilitate respirasset, redditaque sibi esset libere gradiendi facultas, non post multum temporis, ne malitia mutaret mentem ejus, aut ne fictio deciperet animam illius, valetudine correpta migravit a sæculo.

Alterius mulieris haud minus stupenda sanatio.

C 38 Eodem die cum Missarum agerentur sollempnia, mulier quædam de Siſforde, Mabilia nomine, per merita gloriosæ Virginis sanitatem cujusdam gravissimæ infirmitatis recepit. Cum enim lubricum pudoris incurrisset, utero tumescente, pariendi tempus instabat, et in tempore autumpnali cum dolore et cruciatu maximo partum edidit. Sed et cruciatum in partu habitum gravior subsecuta est molestia. Nam et dolore præhabito et paupertatis *felicitate* * in unum concurrente, nervis arefactis et contractis, spina dorsi recurva, ubi purificationis tempus advenit, sic incurvata est, ut nec se erigere, nec recte posset aliquatenus incedere, nec aliter nisi manibus super genua positis et reliquum corpus sustentantibus, gressus quoquam dirigere valebat. Ad ecclesiam igitur gloriosæ Virginis delata, mox ut audivit quod in processione feretrum ejus efferretur, ecclesiam sicut potuit egressa est, in proposito habens ut subtus feretrum transiret, procul dubio sperans se per hoc sanitati restituendam: ea nimirum fide roborata, qua mulier illa in Evangelio, quæ fluxum sanguinis patiebatur, fimbriam vestimenti Dominici tetigisse, et per hoc curata fuisse legitur. Agebat utique in ea

* fel.

D fides, quod in credentibus in Actibus Apostolorum Spiritus Sanctus operabatur, quando in plateis ponebantur infirmi, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. Sed imbrium inundante copia, nec ecclesiam egredi processio nec feretrum efferri potuit. Videns igitur turbas hominum circumquaque confluentium, ne turbis eam comprimentibus suffocaretur, reintrare ecclesiam formidavit. Sed tantæ fidei divina, quæ ubique præsto est, non defuit miseratio, sed ancillam suam pie respexit misericors et miserator Dominus. Cum enim Dei jugiter invocans bonitatem extra januam ecclesiæ ea decubaret, repente quasi per dimidiæ horæ spatium tamquam febrili tremore concussa, antequam Missarum expleta essent sollempnia, nullo eam sustentante, adhuc quidem sed modicum inclinata, manibus non sicut solebat super genua positis, sed prorsus amotis, ecclesiam ingressa cereum manu gestans, ad beatæ Virginis feretrum, cunctis qui tunc aderant, gratulantibus et unanimi voce Deum, qui est benedictus in sæcula, collaudantibus, properavit, et post dies paucos gaudens ad propria remeavit.

Judæi in S. Virginem blasphemi horrenda punitio.

E 39 Nec silentio prætereunda est ultio, quam Dominus in quodam Judaicæ pravitatis homine in ipsa civitate Oxenefordiæ, nocte sequenti, Virginis suæ vindicavit injurias. Judeus quidam, *Deus-cum-crescat* vocabulo, (sic enim orationibus, loco propriorum nominum utuntur Judei) filius Moysi de Walingeford, hominis minus quidem ceteris Judeis detestandi, nefandissimo spiritu agitatus, Christianæ plebis insultans devotioni, verbis blasphemis virtutes divinas irridebat, derisive manus contrahens, post aperiens, pedibus prius claudicans, postmodum recte incedens. Sicque se, æque ut Frideswidam nostram, virtutes facere posse jactitabat, et ideo sibi sicut et ipsi donaria conferenda, et oblationes dicebat esse faciendas. Unde factum est, ut ei sinistra plebs fidelis imprecaretur, quod et effectu prosequente postea declaratum est. Ad mensam denique patris sui residens et blasphemias exaggerans, a patre graviter correptus, ab incepto desistere noluit, asserens nihil posse Frideswidam, nec virtutes ejus sibi esse formidini. Tandem cum indignatione maxima pater ei imprecatus est, ut locum sibi post centum annorum spatium deputatum mox obtineret. Ad hanc vocem aliquantulum conquievit blasphemus, et non multo F post interjecto tempore in accidiam delapsus, tamquam mente alienatus totus animo consternatus est: id nimirum agente Dei providentia, ut qui in reprobum sensum datus fuerat, Sathanæ satellitibus traderetur. Invitatus ad cœnam a patre, respuit, vivendi tædio affectus, et circa suæ mortis accelerationem sollicitus. Cum igitur nocte succedente labores diei noctis quies recrearet, intempestæ noctis silentio surgit infelix e lecto, coquinam patris ingreditur, et ne funestum, quod animo conceperat, impediretur propositum, ostium cera interius signavit. Laqueum zona qua præcinctus erat ministrat, quam trabi et collo circumligans, in hoc Judæ proditori similis, tali suspendio vitam finivit infelicem. Et in hoc revera res admiratione digna monstrata est, quod corigia delicata tanti corporis molem tanto libravit tempore. Mane facto, pater de filio sollicitus, filium quærit, diu quæsitum non inveniens, tandem coquinæ ostium effringens, suspensum invenit. Hac tremefactus visione, secreto complices suos vocat, ne in publicum hujusmodi casus prodiret, sed Christianæ plebi potissimum celaretur. Et sicut patres eorum resurrectionis

A surrectionis Dominicæ gloriam frustra supprimere conati sunt, sic et ultionis divinæ districtionem incassum plebs impia studebat occultare, quia quod Dei virtus et sapientia manifestat, humana celare nequit astutia. Hujus rei fama repletur illico civitas, fidelibus ingerit lætitiam infidelium confusio. Magnificatur in Virgine sua Salvator, dum nec eam impune lacessiri permisit injuriis. Cum autem sicut moris est, ut Londoniis sepulturæ traderetur corpus detestandum in reda deferretur, numerosa canum multitudo latratibus cadaver prosecuta est more canino, blasphemo funeris exequias exhibens. Testati sunt viri fide dignissimi, quod in medio postmodum itinere, rota quadrigæ confracta, cadaver in terram corruit, et tam ex sua ponderositate quam casus vehementia collum, ex quo verba blasphema prodierant, in ipso casu confractum est, et merito : quoniam ex adipe prodierat ejus iniquitas, et in affectum cordis transierat. Et quia Deum blasphemiis irritaverat, et in excelso * locutus est mortis, quam sibi propria manu paraverat, infelici genere, vitæ exemptus, dupplici contritione conteri meruit, in diem perditionis reservatus, et ad diem ultionis ducendus cum eis, B qui a se Dei scientiam reppulerunt, qui gratis odio Deum habuerunt.

* excelsum

Undequaque accurritur ad B Virginis præsidium. Quod et experitur vir pluribus afflictus malis, et jam morti proximus.

40 Cum his et aliis signorum mirabilibus virtutem operum suorum populo suo Dominus annuntiaret, cotidie longe lateque beatæ Virginis disseminabatur opinio, et gloriam nominis populorum ora resonabant. Concurrunt ad eam venerandam undique fideles tantæ patronæ patrocinio communiri cupientes. Denique vir quidam Johannes nomine de vico, cui Chadelitone vocabulum est, genere satis clarus, corporis viribus strenuis, ut virium robore nonnullos anteiret, his diebus illuc advenit. Paucis namque diebus ante gloriosæ Virginis Translationem, adversæ valetudinis aculeo confossus est, ut dorso contracto, humerorum ponderositate prægravatus inclinatus incedere compelleretur. Sed et dextræ manus et brachii sic percussus est impotentia, ut si quando frontem crucis signaculo munire vellet, nonnisi sinistræ manus sustentatione manum dexteram caput usque deducere prævaleret, non ori beneficium alimentorum apponere nec poculorum sibi propinare potens liquorem. Hac igitur imbecillitate per quatuor fere menses invalidus, calami- C tatis suæ dellebat simul et erubescebat ærumnas. Consulit medicos, non modicam substantiæ suæ portionem incassum in medicos effundens. Animus enim corporeæ salutis aviditate nonnumquam fit opum prodigus, earumque parvipendit effusionem, dummodo ex hoc aliquod sibi speret provenire remedium. Sed cum jam humanum deficeret auxilium divinum censuit esse quærendum, beatam Dei Virginem adire decrevit, ut ejus interventu Dominus ei propitiaretur. Persuadetur ei ut quia ex morbi diuturnitate nimium erat attenuatus, equum sibi sterneret, ut sic commodius effectui propositum mancipare posset. Sed persuadentibus nequaquam adquiescens, iter pedes arripuit, asserens supra vires suas esse ut Virgini tantæ condignum exhiberet honorem, et meritis ejus suos impares esse labores. Uxoris itaque suæ necnon et amicorum quam plurium stipatus caterva, itineris labore confectus, et diuturnæ vexationis languore fatigatus, membris singulis jam deficientibus, gressibus jam labantibus, nequaquam ulterius sperabatur processurus. Caligantibus oculis, corporis quoque totius viribus emortuis, cum jam in terram crederetur casurus, Patronæ quam adibat invocat auxilium, postulat ne voti sui defraudetur effectu. Adest illico divina miseratio, casui vicinum sublevat, deficientem roborat, gradientem sustentat et promovet. Cum ergo ad locum pervenisset optatum, lacrimis et orationibus necessitati suæ subventionem implorabat. Invocantem Dominus exaudivit, et mane facto pristinam sibi sensit adesse virtutem. Et qui inclinatus venerat, recto jam corpore, humeris rigidis rectus incedebat, et in signum salutis adeptæ, brachium quod nequaquam ori poterat applicare, athletarum sese exercitantium gestus sine aliqua difficultate repræsentabat, Deum qui est benedictus in sæcula devotissime benedicens.

Ejus uxori, parturienti horrendos inter dolores, apparet B. Virgo; cujus ope felicem illa edit partum.

41 Habebat idem Johannes uxorem nomine Ceciliam claris natalibus propagatam. Hæc utero tumescente partui vicina credebatur. Sed cum venter in immensum distenderetur, et partus suspenderetur editio, matris et parentum judicio non pregnans, sed alio morbo putabatur oppressa. Cogitur in lecta doloris decumbere, vexationis acerbitatem miserandis revelat gemitibus, planctibus, suspiriis audientum animos flectit ad pietatem. Pariendi tempus præteriisse credebatur, et nihil aliud restare, nisi ut doloris terminum sola mors E imponeret. Hujuscemodi mesta expectatione suspensa, cum etiam tortionum immanitas mortem optare compelleret, repente nocte Dominicæ Resurrectionis levi sompno corripitur, viditque dominam elegantis formæ, faciei venustæ, habitus et verba promentem consolationis. « Ne timeas, » inquit, « filia ; jacta cogitatum tuum in Domino, » et ipse te enutriet. Nascetur tibi filius masculus » proxima sexta feria circa horam diei primam. Tu » autem post purificationis tuæ dies, ad me statim » ut potueris apud Oxenefordiam venies. Ego enim » sum Frideswida, quam Dominus his diebus mor- » talibus revelare dignatus est. » Expergefacta mulier viro quæ viderat enarrat, quæ sibi promissa fuerant exponit, miserationis divinæ visitationem spe certissima præstolans. Promissorum veritatem rei declaravit eventus, visioni fides oculata testimonium perhibuit. Nam eadem die et hora sicut in sompnis, quæ apparuerat domina prædixerat, mulieri natus est filius. Paucisque postmodum diebus elapsis, ad exhibendum beatæ Virgini debitum villicationis munus, cum viro suo et amicis præceptricis suæ monitis obtemperavit, divinæ bonitatis misericordiam palam cunctis F annuntians, quæ de tenebris infideles vocat in admirabile lumen suum.

Juvenis squinantia liberatur.

42 Erat eodem tempore juvenis quidam Walterus nomine, beatæ Virginis obsequio mancipatus, de terra sua trahens originem. Is ex insperato squinantiæ morbo perculsus, gutturis intercluso meatu, glutiendi destitutus beneficio ad divinæ pietatis se contulit adjutorium. Ante feretrum Virginis in oratione prosternitur, devotionem excitat necessitas, desiderii dilatione suspenditur, ut crederes sub ancipiti sorte duelli contra se fidem dimicare. Nam eo usque jam perductus erat, ut nec etiam salivam suam glutire posset. Hausit tamen sicut potuit aquam benedictam, quæ mox velut antidotum salubre vexationis vehementiam mitigavit, et velut tanti remedii beneficium morbus fugeret, et sustinere nequaquam prævaleret, haustum aquæ vomitus subsequitur. Unde factum est, ut tamquam ex apostemate, sanie per os defluente, sanitati pristinæ redderetur, illico restituta sibi potestate cibos incorporandi quam penitus amiserat.

43 Talium itaque signorum fama crebrescente,

vir

Oxoniam venit Ricardus archiepiscopus. Missam celebrat, sub qua mulier sanitatem recuperat.

vir venerabilis Dominus Ricardus Cantuariensis Archiepiscopus orationis causa Oxenefordiam venit, gaudens in Domino quod sic Virginem suam Dominus magnificare dignabatur, cujus ossa sanctissima de sepulcro transferre meruerat. Ad ampliorem itaque sanctæ Virginis honorem Missarum sollempnia celebraturus, se pontificalibus ornavit insignibus. Accurrit populus ut tanti Patris Missam audiret, et benedictione muniretur. Cum itaque ad plebem convocandum signa sicut moris est pulsarentur, ad primam signorum pulsationem mulier quædam de Abendonia, Wlirva nomine, quæ quinque annis surda fuerat, ut omnino audire non posset, audiendi recipit officium : Domino nimirum per hoc ostendente quod in Translatione Virginis suæ gratum sibi idem venerabilis Pater exhibuerat obsequium.

Alia mulier in ipso ecclesiæ ingressu a cæcitate liberatur.

44 Eodem die mulier quædam de partibus Londoniarum ob salutem recuperandam advenit, quæ a quinque retro annis cæcitatis infortunio laboraverat. Verumtamen plagam sibi cœlitus inflictam equanimiter sustinuerat, et ut sibi divinæ propitiationis gratiam abundantius conciliaret, nudis pedibus jugiter incedens, corpus etiam jejunio macerabat. Nam et a carnium et piscium
B esu abstinens, devotionem interiorem exterioribus ostendebat operibus. Et revera in ipsius curatione monstratum est, quia prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, et quod non despicit preces pupilli nec viduæ si effundat loquelam gemitus. Devotionem quippe mulieris intuens, diuturna voti suspensione eam torqueri non permisit, sed mox ut ecclesiam ingressa est, in ipso statim introitu visus quod amiserat recepit acumen. Ad feretrum nullo ducente properat, gressus ad votum sine præduce dirigit, et quæ cæca venerat, Deo et Virgini suæ gratias referens, incolumis discessit.

Mirabilis puellæ a cæcitate curatio; dum, die festo Pentecostes, feretrum S. Virginis solemniter circumfertur, præsente Rogero abbate aliisque innumeris testibus.

45 Nec vacat a laude Virginis insigne miraculum, quod die sancto Pentecostes, dum Missarum agerentur sollempnia (*contigit*). Puella quædam Matildis nomine, de partibus Norhamtoniæ annorum ferme decem et septem, sex annis utroque lumine fuerat orbata. A parentibus igitur et amicis ob hoc spreta, vitæ subsidia mendicando quærebat. Et quoniam ope carebat humana, ad Eum confugit qui et pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. Adiit sanctæ Virginis limina, divinam devote præstolans mise-
C ricordiam. Perseverat in oratione, miseriæ suæ calamitatem lacrimis allegat. Illuxit dies sollempnis Pentecostes, instabat tempus ut Missarum expleretur celebritas. In processione feretrum gloriosæ Virginis deferri jubetur, ut solempnius ageretur diei tantæ jocunditas. Adest illico virtus Spiritus Sancti, visitat ancillam suam summe Misericors, ut mirabilia ejus manifestarentur filiis hominum. Cum enim in loco quodam intra ecclesiam per quem processioni transitus erat, suam expectaret consolationem, repente feretro coram ea constituto, ex utroque lumine sanguis erumpens, vice lacrimarum faciem rigavit, punctionum aculeis sanguinem elicientibus. Admirantur intuentes rei talis eventum, operationis divinæ non intelligentes artificium. Novus procul dubio medendi modus, ubi videndi beneficium sanguineæ lacrimæ præcedunt. Sed et inter Missarum sollempnia ab oculis puellæ iterato sanguis erupit, et aliquantulum videndi redditur beneficium. Denique post Missarum celebritatem, prætereuntes coram se canonicos videre se testabatur, albis sicut erant vestibus indutos. Tertio quoque dum vespertinum decantaretur officium, sanguis profluens virgineam cruentavit faciem, oculis præ nimio sanguinis fluxu rubore D
jam perfusis. Sequenti nocte quietis beneficio recreata, cum adhuc punctionum stimulis puellares oculi torquerentur, mane facto oculos aperiens, res etiam minutas visu comprehendens, videndi munus sibi redditum re ipsa protestabatur. Equidem singula quæ sibi dijudicanda proponebantur sine difficultate discernebat, dolore paulatim quiescente, et oculorum acie cœcitatis ignorante caliginem. Et ne Dei munus silentii supprimeretur ingratitudine, cum per idem tempus orationis causa, vir venerabilis Dominus Rogerus Abbas Abendoniæ illuc venisset, tota rei serie ei singillatim exposita, ut de gratia puellæ facta plene sibi constaret, omnibus qui aderant cernentibus nummum ei porrexit, quid manu prætenderet sciscitans. Illa sine cunctatione nummum esse respondit. Hoc et aliis quam pluribus experimentis probata, ad decantandas Dei laudes, populi totius provocavit affectum. Adstabant tunc eique testimonium perhibebant quidam de civibus Oxenefordiæ, quos consanguinitatis necessitudine puella contingebat, fidem omnium assertionis suæ testimonio roborantes. E

Mulier violatæ castimoniæ rea, ab ingressu basilicæ arcetur, donec pœnitentiæ sacramento reconcilietur.

46 Succedunt mirabilibus mirabilia frequentia signorum, fidelis populi gaudia renovantur : et revera quod non sit speciosa laus in ore peccatoris, admirandæ virtutis Dominus declaravit testimonio. Mulier quædam juvenilis ætatis ignita calore, cum cæteris quos habebat utriusque sexus, sodalibus, juvenem quemdam et itineris simul et libidinis consortem habebat, simili cum collegis incessu, sed devotione dissimili, ad limina gloriosæ Virginis; et quia nefariæ cupiditatis ardorem domi restinguere fas non erat, devotioni causam præbuit libido, ut quod domi negabatur, viarum diverticula concederent. Nacta demum opportunitate voluptatis libidinosæ propositum actu illecebroso perficitur. Irritat ausu temerario Salvatoris clementiam, quam susceptæ peregrinationis devotione placare debuerat. Ita libidinis cauterio sauciatam gerens conscientiam, ad Virginis ecclesiam properat, tamquam oculos cuncta Videntis latere queat, quod hominibus est absconditum. Jam ante atrium cum sodalibus posita lubricæ carnis lapsum ad mentem reducente conscientia, timore percellitur, et cum turbis catervatim confluentibus basilicæ januæ paterent, januas nequaquam videns unius continuatione soliditatis æstimat constare parietes. F
Stupet infelix aliis ingressum et egressum indulgeri quem nec videre permittebatur. Conatur cum collegis ingredi, sed ipsis ingredientibus gressus ejus præpediuntur, excluditur divina virtute, vanis sese conatibus fatigans. Vidit copiosam plebis multitudinem a parte aquilonari ecclesiam ingredi, illuc continuo tendit, si quomodo sibi denegatus saltem ibi pateat aditus. Sed nec ostium videre, necdum (*nedum*) ingredi permissa est, misere simul et videns et cæca, impotens ingredi sed regredi potens. Redit tandem prævaricatrix ad cor, perpetrati facinoris recordatur, culpæ commissæ suam adscribit calamitatem. Ante oculos mentis summi judicis clementiam constituit, confessione peccati vulnus censet esse sanandum. Quærit sacerdotem, vinculum quo ligabatur indicat, revelat verecunde, quem impudenter commiserat excessum. Hesitantem consolatur sacerdos, ostendens in vera contritione cordis omne dimitti peccatum. Ut se confidenter sequatur admonet, mundatæ concedendum promittit quod immundæ negatum fuerat. Nec mora; præcedentem sequitur, nullo retardante basilicam ingreditur, et ad feretrum properans, beatam Dei Virginem

A Virginem quo tunc poterat munere veneratur, et jam non sicut prius malæ conscientiæ verme cruciata, sed ab impietatis colligatione soluta, ad propria remeavit. Discant hujus exemplo peccatores ab operibus mortuis suas emendare conscientias, nec eleemosynis se putent posse redimere peccata, quæ non dimiserunt. Quippe dona iniquorum non probat Altissimus, nec placatur victimis quas scelerosus immolat, quoniam ei qui summe mundus est, omnis displicet immunditia. Discant, inquam, confessione veniam mereri, quia confessionis antidoto cujuslibet vulneris dolor aufertur.

Sacrilegus crumenæ emunctor ab ejusdem basilicæ egressu divinitus prohibetur, donec restituerit ablatum.

47 Sicut autem hæc, de qua supra dictum est, ante criminis sui correctionem ecclesiam ingredi permissa non est, sic etiam eodem die quidam sacrilegii reus egressum sibi denegatum expertus est. Quod qualiter acciderit ex subsequentibus patebit. Cum enim ob virtutum insignia laudem Domini cleri simul et populi voces resonarent, juvenis quidam de Glocestriæ partibus illuc advenit, qui orationis causa sanctum Jacobum adire proposuerat. Lætitiæ causam requirit; respondetur a circumstantibus virtutum magnalia quæ per merita Virginis suæ Dominus operabatur gaudiorum B esse materiam. Hac delectatus novitate cum in longum protraxisset sermonem, repente turbis invicem se comprimentibus filius quidam iniquitatis, ausu sacrilego, ipsum aggreditur. Ad marsupium juvenis in quo erant solidi quinque manum deducit, et marsupium cum nummis nescienti, nefando præcidit artificio. De sacrilegio lætus, de lucro quod cum aliena fecerat jactura gaudens, tamquam nihil sibi conscius ecclesiam egredi conatur, ne casu aliquo pecunia privaretur adquisita. Sed obsistit conatibus virtus divina, nec permittit Virginis suæ peregrinum hoc affici dispendio. Ubi enim miser ostium se credit invenire, murorum invenit soliditatem, crebrisque concussionibus, arietis instar, frontem ad columnas, et qua exeat nec etiam palpitans invenit. Stupent casus novitatem circumstantes, quod * hoc portenderet nequaquam advertentes. Adhuc damni sibi illati juvenis inscius, ad feretrum properat ut beatam Virginem modico saltem honoraret munusculo. Manu igitur ad marsupium adhibita, tunc primum damnum, quod sibi acciderat, dolens advertit; ad hoc contabescens tristitia quod in tanta populi turba, remedium sibi provenire posse desperabat. C Ad supplicandum itaque se totus convertit, invocat beatam Virginem, ne devotio sua sibi in præjudicium convertatur. Obsecrat ne tam perniciosa jactura laboris et affectus, quo ipsam adierat, fieret merces, non intelligens beatæ Virginis sibi famulari virtutem. Procedit in publicum, querimoniam super amisso deponit, supplicat ut sibi restituatur, si ab aliquo fuisset inventum. Denique huc et illuc in turba deambulans, questibus audientium animos ad pietatem flectit, jamque desperans cum consolatorem non inveniret, remeare parat. Jam ad ecclesiæ januas pervenerat, voce lugubri sinistri casus acerbitatem exaggerans; cum repente sacrilegus virtute divina præpeditus, crebris tunsionum ictibus stupidus, præ stupore mente excedens, voce, quia verbis non poterat, inclamitans, marsupium cum nummis petenti porrexit, seseque mox intra turbas ne agnosceretur recipiens, clanculo ecclesiam egressus est. Quæritur in turba maleficus, sed fugæ sibi consulens beneficio, ibidem ultra non comparuit. Gaudet juvenis damno sibi resarcito, suæque Consolatrici gratias agit, quæ in tribulatione sua ei misericorditer affuit, et de cætero ipsius se addicit servituti. Repletur stupore et gaudio plebs fidelis, signi prædicat novitatem turbarum numerosa multitudo. Credebant enim sacrilegum aliqua morbi latentis incursione, ut se impingeret, agitari, et misericordia erga ipsum flectebantur, donec virtus divina ipso rerum eventu palam cunctis innotuit.

* sic; quid.

Mulier auditum recuperat ad fontem B. Virginis.

48 Mulier quædam de partibus Norhamtoniæ, Brichtiva nomine, anno integro et decem hebdomadibus, auditum dexteræ auris amiserat. Quæ cum ob gratiam recuperandæ sanitatis, ad ecclesiam sanctæ Virginis venisset, a circumstantibus monita, ut ad fontem *n* pergeret, quem in vita sua *n* precibus a Domino beata Virgo impetraverat, qui per milliarium a civitate distat, illuc protinus pedem direxit, haustamque de fonte aquam auribus infudit. Statim tinnitus aurium, et prurituum anxietas subsecuta est, et in aurem festucam immittens, carnis portiunculam extraxit. Audiendi perfecte recepto munere ad ecclesiam rediens, Deumque benedicens, omnibus qui aderant se curatam ostendit.

Puella sanatur a diuturno languore;

49 Vir quidam de Sipfordia filiam habebat, vocabulo Hawisam, annorum circiter quindecim, quæ per biennium jugi languore depressa, in lecto dolo- E ris decubuerat, nec se quoquam movere, qualibet instante necessitate, sine alterius prævalebat auxilio. Ad ecclesiam itaque gloriosæ Virginis a patre delata, ibique per octo dies moram faciens, hausta aquæ benedictæ aliquantisper, convalescere cœpit, demumque cum patre remeans aliquanto tempore benedicti liquoris usa beneficio, a pristino prorsus languore respiravit. Nullo igitur eam sustentante, nullius fulta præsidio, ut de gratia sibi collata gratias ageret, Oxenefordiam reversa, populis stupentibus, ab omni languore se per merita Virginis liberata exhibuit.

mulier quoque paralytica:

50 Venerat eisdem ferme diebus de partibus Salopesbiriæ mulier quædam Margareta nomine, per anni fere spatium paralysi dissoluta, ita quod podii beneficio gressus deficientes sustentare compellebatur. In ecclesia igitur beatæ Virginis per aliquod tempus moram faciens, sanitatem adepta est, et in robur pristinum membrorum omnium redit debilitatis *(sic)*.

item juvenis clericus:

51 Morabatur eo tempore apud Oxenefordiam studiorum causa clericus quidam Stephanus nomine, de Eboracensi regione oriundus, ætate juvenili floridus, et elegantia formæ præclarus. Is febre F cotidiana correptus ad medicorum confugit auxilium inanibus se sumptibus eviscerans, languoris acerbitate singulis ingravescente diebus. Ad divinum igitur tamquam ad ultimum, cum jam deficeret humanum, convolavit adjutorium, et cum jam nimia macie confecta, vix sibi membra cohærerent, oculis liventibus, facie pallida Virginis gloriosæ patrocinium implorabat. Mox itaque ut aquæ benedictæ poculum hausit, de cætero febrilis fatigatio conquievit, et redeuntibus paulisper viribus in brevi ad plenum convaluit.

et mulier.

52 Sed et mulier quædam de Stoches, Wimarcha nomine, cum anno ferme dimidio viscerum fatigaretur dolore in tantum, quod prorsus in ea vis apetitiva defecerat; mox ut aquam benedictam hausit, vomitus beneficio e noxiis liberari cœpit humoribus, et Deo gratias et beatæ Virgini referens omnino sana recessit.

similiter Sacerdos;

53 Sacerdos etiam quidam de Handeura Radulfus nomine, cum per annum fere dimidium morbo, quem guttam erraticam vocant, vexatus esset, nec humanæ beneficio medicinæ curari posset, totum se Virgini commendans, quod ipsius adiret limina voto se obligavit, et in signum voti lichno se metiens

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

tiens (o), ab omni Deo juvante respiravit incommodo.

O hujus filius: p

54 Sed et filius p ejusdem sacerdotis febrili tremore per integrum mensem vexatus, Robertus nomine, eodem et voti et metiendi se usus beneficio, per Virginis beatæ merita statim liberatus est.

et alter subdiaconus.

55 Quidam etiam de vico eodem subdiaconus, Thomas nomine, eadem qua supradictus presbyter per quadriennium contabescens valetudine, qui sicut asserebat numerosam in medicos expenderat pecuniam; eodem quo priores sibi providens remedio, quod humana non potuit, divina se manu liberatum gaudens prædicabat.

Mulier ab annis quinque paralytica liberatur.

56 Ad laudem insuper et gloriam Virginis suæ hoc etiam operari Dominus dignatus est, ut ex signorum qualitate meritorum clauesceret magnitudo. Mulier quædam paralitica, Emma nomine, de Suhamitsira per annos circiter quinque membrorum omnium robore destituta, manibus ad operandum invalidis, pedibus incessum denegantibus, cum in ecclesia beatæ Virginis magnis esset et diuturnis vexata cruciatibus, aliquot ibidem diebus commorata, tandem incolumis ad propria
B remeavit, et postmodum Oxenefordiam reversa, sanam se, cunctis, qui aderant unanimi voce Deum qui in Sanctis suis gloriosus est, benedicentibus, constanti voce professa est.

Sanatio viri cujusdam:

57 His etiam diebus vir quidam de Wereministra, Thomas nomine, qui ventositate intercutanea membrorum omnium officium præpediente vexatus fuerat, hausta aqua benedicta, cum per aliquantulum temporis in ecclesia moram fecisset, curatus est. Testabatur autem plusquam per anni spatium hoc se laborasse incommodo. Denique post adeptam sanitatis gratiam, eum sanum et incolumem vidimus, qui et viva nobis voce protestatus est, quod plenum et perfectum imbecillitatis suæ remedium per merita gloriosæ Virginis consecutus est.

item mulieris.

58 Quædam etiam mulier de Bricchetona, Adelicia nomine, cum longo tempore nocivis humoribus cutem distendentibus, manus quoque et pedes tumoris immensitate stupidos haberet, omni tumore penitus residente, sanitati pristinæ se restitutam esse gavisa est.

Mulier utroque oculo cæca alterius usum obtinet.

59 Hoc quoque prætereundum non est, quod in muliere quadam de villa cui nomen est Dunstiu, Agnete nomine, exercere dignatus est misericors
C et miserator Dominus. Cum enim utroque lumine *(esset orbata)*, cum patre beatæ Virginis adivit ecclesiam. Sed cum exigentibus procul dubio peccatis suis divina retardaretur operatio, tamquam desperans, ignorante filia, pater abscessit. Perseverat in pulsando fœmina, inconstantiæ fœmineæ nescia: utitur pro stratorum mollicie lapidum duritia, artus fatiscentes saxorum refocillat asperitas. Adest petenti, qui salvos facit sperantes in se, et quod fides postulat, impetrat perseverantia. Dexter fœminæ redditur oculus, et tenebris expulsis, perspicaciter videndi redit acumen. Cur autem uterque oculus mulieri redditus non sit, Ipse novit cujus judicia sunt abissus multa.

Mulieri ex utraque manu laboranti succurrit S. Virgo;

60 Illo quoque tempore mulier quædam de Bristov, Agnes nomine, sanctæ Virginis ecclesiam adiit, ut liberaretur ab ea qua detinebatur ægritudine. Siquidem cum esset ætate juvencula, repente dexteræ manus officio destituta est, manu tota tumescente, ut ad nullum opus necessarium eam posset aptare. Cum itaque biennio hac imbecillitate sine aliquo fatigaretur remedio, languor languori appositus est, et jam sinistra manu turgente, utriusque manus deflebat impotentiam, et eo usque languor invaluit, ut nec etiam calciare se D
prævaleret. Hujuscemodi valetudine per quadriennium invalida ad divinum tota confugit auxilium, beatam Virginem humiliter pro sua interpellans salute. Nec defuit credenti divina miseratio; mox enim ut aqua benedicta manus lavit, tumor omnis abscessit, et amissa manuum rediit abilitas.

item alteri, brachio dextro debilitatæ.

61 Puella quædam de terra beati Anglorum prothomartyris Albani, Emma nomine, dexterum brachium cum manu sic debilitatum habebat, ut nec brachium erigere, nec ori manum posset applicare. Hoc autem infortunio per annum fere laboraverat. Et si quando signaculo sanctæ Crucis frontem armare vellet, non nisi sinistræ manus beneficio manum dextram sursum aliquatenus ducere poterat. Per aliquod itaque tempus in ecclesia gloriosæ Virginis moram faciens, perfecte sanitati restituta est, naturali redeunte potentia, et naturæ defectum virtute reformante divina.

Juvenis miranda sanatio.

62 Sed nec hoc silendum arbitror, quod juveni cuidam de Merleburga cui nomen erat Petrus, Dominus exhibere dignatus est. Is enim cum aliquanto tempore ciatica fatigatus esset passione, die quadam cum iter faceret, casu contigit, ut de E
equo cui insidebat corruens, gravius multo quam ante vexaretur. Adeo autem vexationis invaluit molestia, ut dextri fœmoris et tibiæ nervis arefactis, baculi sustentante beneficio, super dextri pedis articulos incedere compelleretur. Auditis igitur beatæ Virginis virtutibus, nullam requiem habuit spiritus ejus, donec ad ejus perveniret ecclesiam, hujusmodi fatigationem meritis suis imputans, quia cum vovisset Dominicum adire sepulcrum, voti diutius suspenderat impletionem. Cum itaque per aliquot dies ibidem divinam præstolaretur misericordiam, nocte quadam, cum ante feretrum beatæ Virginis canonici in ipsius laude matutinarum decantarent officium, et ipse jugiter in oratione persisteret, mox ut ad orationem quæ in ejus memoriam a sacerdote dicebatur ventum est, pedem terræ impressit. Sensit illico divinæ manus beneficium, et jam nervis in naturalem redeuntibus habitudinem, qui multo ante tempore vix pedum articulis terram contingebat, toto jam pede terram calcabat. Nec mora: baculum abjicit, clamoribus implet ecclesiam, restitutam sibi gratiam sanitatis palam pronuntiat, nec se præ gaudio capiens, huc et illuc sanus discurrere cœpit, ipsis F
se gestibus curatum ostendens. Unde factum est, ut mane facto, populo gaudente manus, quas baculus, cui innixus fuerat, callosas et pustulis recentibus plenas reddiderat, palam ostenderet, Deo et beatæ Virgini super collato beneficio gratias referens. Cum ergo sanus et incolumis ad propria cum gaudio remeasset, ut votum quo se obligaverat adimpleret, crucis signaculo scapulis impresso, iterum beatæ Virginis limina adiit, sic adeptæ sanitatis prædicans beneficium, ut nihil in se pristinæ debilitatis sive doloris remansisse publice protestaretur.

Filius militis a cæcitate curatur.

63 His et aliis signorum præclara *(Virgo)* portentis, famæ suæ gloriam longe lateque diffundebat. Ruunt undique catervatim ad ejus ecclesiam fideles, fama nominis ejus ac virtutum excitati. Confluunt ægroti medicinæ gratiam postulantes. Filius igitur militis cujusdam puerilis ætatis de partibus Leicestriæ, claris parentibus oriundus, cum primum ætatis ageret annum, oculo sinistro penitus orbatus est. Sed nec sic sinistri casus quievit invidia: cum enim quintum decimum ferme ætatis suæ ageret annum, dextro quoque privatus est.

A est. Primo siquidem subeuntibus paulisper tenebris cæcitatis, incommodo jugiter ingravescente, medicis in ipsius curatione frustra laborantibus, videndi penitus officio destitutus est. Tribus itaque ferme mensibus cæcitatis suæ tenebris contabescens, parentibus dolorem, cunctis desperationem incussit. Pater itaque calamitati filii sui paterna pietate compatiens, auditis Virginis beatissimæ virtutibus, fide fortis, totam spem suam in Domino jactare decrevit. Accipiens igitur nummum super filii caput complicuit, in ejus videlicet rei signum, quod ob sanitatis recuperandæ gratiam ad limina gloriosæ Virginis ipsum erat transmissurus. Adest continuo divina miseratio, patris devotionem respicit Dominus, qui secundum Psalmistam prope est omnibus invocantibus eum in veritate. Et mirum dictu, mox tenebris paulatim discedentibus, videndi redit acumen : dexter puero redditur oculus, sinistro quem ab infantia perdiderat adhuc cæcitatis antiquæ tenebris obducto. In tantum vero circa pueri curationem potentiam suam et Virginis suæ merita Dominus declarari voluit, quod per singula momenta videndi beneficio redeunte, mane facto sine præduce libere quo vellet B gressus dirigeret, ut nullum cæcitatis pristinæ vestigium in eo deprehendi posset : parentibus sane et omnibus qui ipsum noverant non sine tantæ virtutis admiratione Deum, qui est benedictus in sæcula collaudantibus. Ut igitur votum paternum adimpleret, et de adepta salute gratias filius referret, beatæ Virginis adiit ecclesiam, publica voce divinæ manus operationem prædicans, quam oculata fide facillimum erat agnoscere.

Fullo in amentiæ furorem lapsus sanatur.

64 Prædictis adjiciendum est et hoc insigne miraculum, quo in civitate Oxenefordiæ gloriosæ Virginis suæ nomen Dominus magnificari voluit, ne a virtutis divinæ prodigiis tamquam jejuna remanere plebs videretur, quæ tanta præ cæteris insigniri meruerat patrona. In vico igitur cui nomen est Halilvella extra muros Oxenefordiæ erat juvenis quidam Thurbenus nomine, juvenis ætate, corpore robustus, artificio fullo. Is cum quadam die poliendis instaret vestibus, subito capitis dolore vehementer fatigatus, flebotomiæ beneficio remedium sibi censuit esse quærendum. Verum mens lucri cupida, etiam cum corporis dispendio quærere satagit emolumenta. Instat nihilominus operi necessario juvenis, denegat cibariorum sustentatio- C nem doloris vehementia. Stomacho cibos fastidiente, tam ex sanguinis substractione quam jejuniorum molestia debilitatus subito mente alienatur. Itaque spiritu furoris exagitatus, horrendis rictibus, torvis et minacibus oculis, gestibus furibundis, astantibus timorem pariter et horrorem incussit. Conatur pertica quam manu gestabat astantes neci tradere, cum ad miserabile spectaculum, turbis undique confluentibus, vinculis artatur, ut tali saltem ligamine furentis castigetur immanitas. Trahitur nolens ad beatæ Virginis ecclesiam, ante feretrum sistitur, perstat in furore juvenis, humanæ prorsus expers rationis, ad pietatem omnes qui illic aderant flectit. Stat sui Conditoris ignarus, horrendis oris hiatibus ipsam suam vexationem ostendens, aquæ benedictæ poculum, quod sibi offerebatur, cum detestatione refutans. Projicitur in facie furibundi benedicti laticis liquor, et ex repercussione guttis aliquantis in os hiantis inmissis et in corpus trajectis, aliquantisper furor conquievit. Haustaque postmodum aqua benedicta, mentis compos effectus, a vinculis solvitur, suæque potestati dimittitur. Accedit solutus ad deosculandum sanctæ Virginis feretrum, a cujus accessu ligatus se quoad poterat retraxerat. Requirebat a circumstantibus maxima cum devotione, quo duo cigni devenissent miræ magnitudinis, candoris ineffabilis, quos in summitate feretri se vidisse fatebatur. Respondent admirantes se cignos nequaquam vidisse, Deo gratias agentes, qui occulta suæ sapientiæ abscondit a sapientibus et prudentibus, et revelat ea parvulis. Redit ad propria juvenis sanus et incolumis, nullum penitus in se pristini furoris prætendens vestigium, et aliquandiu postmodum in eodem vico commoratus, tandem ad exhibendum gratiorem Domino famulatum, ut sepulcrum adiret Dominicum iter arripuit.

Pater simul cum filia a viscerum doloribus curantur.

65 Eodem tempore vir quidam de Aweltona Ricardus nomine ad beatæ Virginis advenit ecclesiam, divinæ miserationis implorans subsidium. Siquidem per juge quadriennium plaga maxima flagellaverat eum Dominus, in tantum ut tumore nimio cute distensa, viscerum dolore sine aliquo manus humanæ vexaretur remedio. Et ut in eo fidei simul et patientiæ virtus eluceret, quædam filia ipsius septem circiter annorum eodem quo et pater incommodo fatigata, patrem fidei passibus secuta est, ut utriusque curatione mirabilius Dei E prædicarentur magnalia. Denique mox ut aquam benedictam hausit, per superiorem regionem nocivos quibus gravabatur evomens humores, ab omni tumoris et viscerum incommodo, Deo miserante liberatus est. Ut autem de beneficio divino quam plenissimo sibi collato gratior existeret, etiam filiæ misertus est Dominus, ne de sua gaudens curatione, filiæ pater lugeret ærumpnas.

Feminæ sanatio ab amentia et fœdis corporis doloribus.

66 Sed et fœmina quædam de villa cui nomen est Piritona, vocabulo Emma, duobus circiter annis tali jugiter invaletudine laboraverat, quod quando membris omnibus cum dedecore et dolore tumescentibus, mente etiam consternaretur, in tantum rationis expers, ut brutis animalibus et sensu carentibus censeretur assimilanda. Et cum non longo terrarum interstitio a pago Oxenefordiensi villa distet prænominata, præpediente tamen gressus ejus corporis sui inæqualitate, quindecim dierum emenso curriculo, ad locum pervenit optatum. In ecclesia igitur beatæ Virginis per tres fere septimanas pernoctans, et pro salute sua devote Dei nomen invocans, tandem hausta aqua benedicta vomitus beneficio prorsus sanata est. F

Altera ab hydropisi liberatur:

67 Sicut autem propinquis sic et remotis universitatis Conditor Virginis suæ merita per beneficia curationis revelare dignatus est. Quædam enim fœmina Agnes nomine de partibus Suhamtesiræ erat oriunda, quæ ut vitæ sibi quæreret necessaria, in alieno desudabat obsequio. Hæc nocte quadam cum siti nimia laboraret, sitis ardorem aquæ poculo, votivo quidem sed immoderato restinxit. Mane igitur facto cum exhibendum domino suo debitum famulatum se præparaverat, ex insperato languore correpta, menteque consternata tanto tumoris pondere prægravari cœpit, ut præ tumoris enormitate vix intra vestimenta posset capi. Ydropis itaque morbo plusquam tribus mensibus fatigata, tandem ad Virginis sanctæ perducta est ecclesiam, ubi hausta benefici liquoris unda, humores noxios per superiorem evomens regionem, tumore residente, dolore quiescente, Deum benedicens sana et incolumis ad propria cum gaudio rediit.

Item altera a febri.

68 Filia etiam cujusdam militis, nomine Roberti de Wavera, cum multo tempore febrium ignibus vexaretur, nec aliquo modo medicorum curari posset opera, in ecclesia beatæ Virginis perfecte curata est.

69 Quædam

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

Puella ab amentia et epileptico malo expedita.

69 Quædam insuper puella de Wariwikesira ob sanitatem recuperandam illuc advenit. Siquidem ex præcepto patris ut operis quippiam faceret, nocte domum egressa, timore nimio correpta, mox ut domus paternæ limen attingit, mente alienata morbo cœpit epileptico fatigari. Sic autem ægritudinis excrevit immanitas, ut hujus valetudinis quandoque bis in die molestia fatigata, sensu prorsus destitueretur humano; non ignis ardorem, non aquarum expavescens liquiditatem, quando supradictæ valetudinis arripiebatur incommodo. Parentes igitur timore simul et dolore confossi, limina beatæ Virginis adeunt, filiam secum ducunt, unicum in Dei miseratione ponentes refugium. Nec votis suis fides fraudata est: mox enim ingressu ecclesiæ acriter et diutius, non tamen eo quo solebat modo, vexata, de cætero a pristino morbo libera prorsus et immunis domum cum parentibus rediit. Unde factum est, ut per duos aut eo amplius menses cum parentibus commorata, cum se ab ea quam passa fuerat ægritudine prorsus respirasse gauderet, iterato beatam Virginem adiret, ut grates ei de sua referret curatione.

Mulier ætate provecta visum recuperat; simul cum ea puerulus a membrorum contractione solvitur.

70 Mulier quædam de Wanburge, Ediva nomine, religionis speciem habitu prætendens, oculorum officium per quindecim annos et eo amplius amiserat. Dicebat autem hoc infortunium sibi taliter accidisse. Cum quadam die, inclinata jam die pergeret, subito visum est ei tamquam calida aqua in faciem ejus projiceretur, statimque grossessentibus oculis et palpebris seu sibi invicem cohærentibus, videndi prorsus potestatem amisit. Cum autem plurima Sanctorum limina adiisset, nec eam respexisset Oriens ex alto, veniens ad beatæ Virginis ecclesiam, et ad sepulcrum ipsius pernoctans, visum miserante Domino recepit. Et mirum dictu, visum ei Dominus restituere dignatus est, cum jam ita esset annosa sicque in diebus suis processisset, ut natura in ea deficiente, luminis gratia et potestate privanda videretur. Sed et cum ipsa puerulus quidam de vico eodem, Henricus nomine, venit, annorum circiter decem, qui annis ferme tribus et dimidio dexteram manum sic contractam habuerat, ut pollice inter digitos hærente, digitis contractis, brachio quoque impotenti et debilitato nequaquam ad caput erigere prævaleret. Sed et dexterum pedem sic contractum habebat, ut non nisi super pedis dexteri articulos claudicando posset incedere. C Ætatis igitur immaturæ innocentiam pie respiciens Altissimus, per merita Virginis suæ ipsum curavit et digitos et manum contractam in naturalem reformavit rectitudinem, brachii quoque et pedis debilitatem gratuita bonitate sine alicujus moræ intervallo in pristinum robur restituit. Quod itaque vidimus testamur, nobisque testimonium præbuerunt viri de vico eodem fide digni, qui et mulieris cæcitatem, necnon et pueri agnoverant debilitatem, et de utriusque curatione nobiscum Deo gratias egerunt.

Ab hydropisi sanatio.

71 Mulier quædam de Dorchecestria, Alvitha nomine, cum febrium dolore laboraret, et sitis ardorem haustu aquæ restinguere putaret, ventre turgente, tibiis et cruribus grossessentibus, ydropis morbum incurrit. Cum itaque ad beatæ Virginis properasset, et aliquantis ibi diebus moram fecisset, miserante Deo prorsus curata est.

Juveni, viribus exhausto longa febri, apparet B. Frideswida eumque sanitate donat.

72 Juvenis quidam de Wicumba, Jurstinus nomine, febrium cruciatu integro fatigatus fuerat biennio, ita quod ad ultimam fere devenerat exinanitionem, facie pallidus, corpore macilentus, et jam emortui hominis similitudinem prætendens. Cum ergo beatæ Virginis adisset ecclesiam, ibique per tres fere septimanas moram fecisset, die quadam cum sopori membra dedisset, vidit sicut asserebat, dominam quamdam elegantis formæ, albis indutam vestibus, quæ sicut sibi videbatur, tunicam, qua indutus erat, conscindens ab uno latere in aliud per medium corpus, quasi nervum quemdam extraxit, et absque dolore aliquo et læsione pristino dolori remedium adhibuit. Expergefactus igitur a sompno dolorem omnem prorsus a se discessisse gavisus est, et post per integram septimanam ibi commoratus, ab omni febrili quo laboraverat dolore se prorsus respirasse, publice cunctis qui aderant audientibus, et divinam laudantibus virtutem, protestatus est. D

Puerulus, utroque oculo orbatus, visum recipit. Qua ratione et quam diligenti industria probatum miraculum.

73 Hisdem diebus puerulus quidam biennis a parentibus in confinio Wicumbæ degentibus, ad ecclesiam beatæ Virginis delatus est. Cum enim ab ipsa ei nativitate videndi munus coaluisset, interjecto modico tempore, utroque lumine orbatus est. Hujus infelicis eventus infortunio conturbati parentes, de humano diffisi præsidio, divinum exposcunt, et pro salute filii beatam Dei Virginem humiliter interpellant. Devotionem itaque parentum pie Dominus prospiciens, puerulo videndi restituit acumen, et mœrorem de filii cæcitate E præhabitum meritis Virginis suæ convertit in gaudium. Et quoniam ætas tenella pro se verba facere non poterat, nec facto fidem facere, licet parentes fide digni et honestatis et maturitatis ratione viderentur, ut de gratia puero collata plenius omnibus constaret, experimento fidem censuimus roborandam, ut omnem aboleret dubitationem oculata veritas. Siquidem in conspectu multorum quidam canonicus de manu pueri ovum accipiens, nunc huc et illuc circumducebat, nunc eminus super terram volvendo projiciebat. Quod cum indubitanter puerulus prosequeretur, et longius volubilitate sua delatum incunctanter apprehenderet, gratiæ sibi collatæ, quod lingua non poterat, facto testimonium nesciens perhibuit.

Viri tres simul iter facientes, ultero eorum suadente, limina S. Virginis adire differunt, in morbum incidit consilii auctor, ei apparet S. Frideswida, cujus suasu sepulcrum visitant: æger que sanatur.

74 Hoc quoque quod subnectitur signo, Dominus declaravit devotionem sibi placere, quæ fidelium mentes ad adeunda limina Sanctorum suorum excitat. Cum enim a partibus Wintoniarum tres itineris collegas Oxenefordiam viæ necessitas deduxisset, cum ulterius eos progredi negotii qualitas compelleret, duobus beatæ Virginis ecclesiam orationis causa visitare volentibus, tertius diem inclinatam et grandem viam restare præponens, devotionis retardabat propositum, persuadens ut quod animo conceperant in reditu simul exequerentur, non attendens illud Salomonis consilium: noli prohibere benefacere eum qui potest, si vales et ipse benefac. Nam in benefaciendo acceleratio semper utilis est, et periculosa dilatio est, quid quia dies crastina pariat humana scire nequit ignorantia. Et pronior est humana natura, ut ei qui a bono retrahit quam ei qui ad bonum invitat consentiat, dissuadenti acquiescentes, iter agunt inchoatum. Et cum vix dimidio jam a pago Oxenefordiæ distarent milliario, repente qui cæteris impedimentum præstiterat in tantum ægrotare cœpit, ut præ doloris magnitudine duobus cum maxima difficultate milliaribus emensis hospitium ubi caput reclinaret ingredi compelleretur. Cum autem tota jugiter nocte sine ulla requie morbi torqueretur acerbitate, tandem illabente terris die, fatigationis nimietas soporis beneficium contulit, visumque est ei quod domina quædam decoris incomparabilis coram se astaret, eumque gravissime redargueret, quod socios suos ecclesiam suam adire volentes impedierat. Nec aliter eum sanitati restituendum, nisi

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

A nisi cum sociis ad ecclesiam suam properaret, et hac quasi satisfactione, vexationis tantæ colligatio solveretur. Expergefactus sociis visionem indicat, ut secum pergerent precibus sollicitans, vice versa quod pertinaciter dissuaserat humillime persuadens. Acquiescunt illico persuasionibus collegæ, et mane facto cum adhuc eum languoris terebraret aculeus, cum maxima devotione beatæ Virginis adeunt limina, pro salute socii una cum ipso Domini clementiam implorantes, ut flagellum quod ei intulerat, per Virginis suæ merita ab ipso averteret, cui vexatio jam intellectum dederat. Exaudivit igitur Dominus preces servorum, et sanitatem quam pertinaci servo et substraxerat, contrito et humiliato misericorditer reddidit, et ad perficiendum, quod eos urgebat negotium, vires in integrum restituit.

Puella vix incedere valens, infirmitate levatur.

75 Virgo quædam Albreia nomine, de vico quodam cui vocabulum est Fulebroc, claris et honestis parentibus oriunda, per decennium ferme gradiendi fuerat officio destituta, ut tibiis tamquam sibi invicem concatenatis omnimodis subsistere compelleretur, si vel minutissimum sibi occurreret obstaculum. Incedebat autem sine podii beneficio, B sed præ nimia partium inferiorum dissolutione pedes vix vel modicum a terra levare valebat. Cum itaque comitantibus eam parentibus suis beatæ Virginis adiisset ecclesiam, Deique misericordiam pro salute sua devotissime flagitaret, mox ita divina miseratione convaluit, ut adepta facultate naturali, libere quo volebat gressus dirigeret, tibiarum et crurium debilitate in antiquam redeunte potentiam. Parentibus igitur quos diutina virginis debilitas mœstos reddiderat, gaudium ipsius curatio ministravit, cum repente virgini collatum Dei viderent munere, quod nec ætatis beneficio, nec medicorum recuperare potuerat artificio.

Mulier ex splene vehementer laborans, sepulcrum adit S. Thomæ; solatur quidem; ast recrudescente malo, ad extrema deducitur: apparet ei B. Frideswida, cujus reliquias visitat, et perfecte convalescit.

76 Clericus quidam Gaufridus nomine, de villa cui nomen est Colingeburne, filiam habebat Margaretam vocabulo, quam viro cuidam de vico, cui Burefelda vocabulum est, Willelmo nomine nuptui collocaverat. Hæc processu temporis ita vitio splenis plusquam per biennium vexata, in tantam incidit debilitatem quod languore præpediente vix aliquid operis facere valebat. Sed postmodum in lecto doloris decumbens, artubus languore resolutis usque ad extremum veniens, ultimam more Christianorum unctionem accepit. Ad memoriam itaque reducens beati et gloriosissimi Patris ac martyris nostri Thomæ merita, licet fervore passionis depressa, vovit se limina ipsius adituram, si eam in tanta valetudine summe Misericors visitaret. Statimque melius se habere cœpit. Ab illa igitur ægritudine recreata, viribus aliquantisper resumptis, necdum splenis vitio quiescente, capitis dolor et aurium tinnitus ita successit, ut præ nimia vexatione, et mors esset desiderio et vita fastidio. Nam et corpore nimia macie confecto, vultu pallore suffuso, nihil intuentium oculis vitale repræsentabat, quippe quæ nec spirare nisi cum dolore et maxima poterat difficultate. A medicis derelicta sine remedio rebus humanis credebatur eximenda. Cum igitur nocte quadam artus fatiscentes somni quies recrearet, vidit in somnis dominam quamdam vultu serenissimo, candidissimis vestibus indutam, se exhortantem, ut ad civitatem quamdam sibi ignotam accederet, ibique medicinam expeteret, sanitatem si monitis obtemperaret, promittens. Audita igitur gloriosæ Virginis Frideswidæ fama, visionem ad memoriam revocat, monitorum recordatur, civitatem incognitam quam adire commonita est, Oxenefordiam interpretans. Ut igitur Deo et beatæ Virgini gratius offerret sacrificium, pedes ipsius ecclesiam adire decrevit, sed propositum nimia retardante debilitate, quod pedestri nequivit itinere, redam conscendens explevit. Cum igitur nocte super beatæ Virginis sepulcrum oraret, indulgere tandem sibi soporis beneficio compulsa, vidit dominam quamdam miræ venustatis et gravitatis singulorum, qui ibidem decumbebant, infirmorum ex ordine facies aspergentem et postmodum extergentem, sepulcrum sollicite circuire. Ad ipsam vero cum venisset, non solum ei faciem sed et caput, ut sibi videbatur, lavit, et crucis signaculo munivit. Hac visione expergefacta ab omni se capitis et reliqui corporis dolore respirasse persensit, et in crastino, quæ in reda devecta fuerat, sicut ab eadem domina quæ sibi apparuerat admonita est, itinere pedestri gaudens et exultans beatissimi Thomæ martyris limina adivit, et curatricem suam denuo rediens sanitati plenæ restituta visitavit.

Viri nobilis brachium et manus a paralysi sanantur.

77 Miles quidam Ricardus, cognomento Pantefot, genere clarus, amplis possessionibus præditus, sinistræ manus et brachii percussus impotentia, sensu etiam licet durissime digiti attrectarentur E destitutus est, ut paralysi sibi dissolutionem imminere formidaret. Nam nec ori manum applicare nisi dextræ manus præsidio, nec operis quippiam facere, nec pollice quemlibet digitorum contingere prævalebat. Sicut enim ipse testatus est, sic et manum emortuam et digitos insensibiles habebat, ut nullatenus punctionum sentire posset molestiam, etiam si stilis ferreis pungeretur. Proponebat autem anno fere dimidio se tali vexatum incommodo, nulla medicorum arte curari potuisse, cum et corporis robore vigeret, et juvenilis ætatis vigore floreret; quin imo languor ingravescens impotentiæ fomenta jugiter exaggerabat. Veniens itaque Oxenefordiam, cum eum illuc non devotio sed itineris deduxisset necessitas, comperta quam necdum agnoverat gloriosæ Virginis opinione, noctem coram feretro ipsius insomnem duxit, pro salute sua devote beatæ Virginis patrocinium invocans. Accersito igitur ad se juvene quodam, rogat, ut aqua benedicta manum sibi lavaret invalidam, sperans rorem salvificum per hoc sibi cœlitus conferendum. Illico sudor erumpens manum diutius emortuam et naturalis caloris nutrimento penitus destitutam, madefecit, jamque nesciens convalescebat. F Sequenti vero die, Dei circa se virtutem advertens, sanitati se restitutum lacrimis allegabat. Digitis enim in naturalem redeuntibus flexibilitatem, libere manum pro voto claudebat et aperiebat, brachiumque quo volebat sine aliqua difficultate, sine dexteræ manus præsidio deducebat. Quique hesterna die nec etiam res minutissimas præ nimio manus et brachii tremore gestare poterat, restitutis jam viribus, manibus intremulis, res etiam ponderosas librabat, et sic in Dei laudes corda fidelium excitavit.

Puella a quinquennio cæca, sepulcrum adit, nec quod petebat obtinet; redit, ac voti fit compos.

78 Erat in vico cui nomen est Ferendona puella quædam Hawisa nomine, quæ subito occæcata per juge quinquennium videndi beneficio penitus privata fuerat. Hæc mox audita beatissimæ Virginis Translatione, ob gratiam recuperandæ sanitatis ecclesiam ejus adiit, Deum suppliciter invocans, ut qui oculos cæci nati aperuerat, sibi etiam oculos aperire dignaretur. Verum omnipotens Deus qui novit quid cuique expediat, flagellum suum non statim ab ancilla sua avertit, quia justos in præsenti flagella probatiores efficiunt. Non enim continuo petenti corporis salutem præstat, etsi fideliter postulanti

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

postulanti numquam animæ salutem deneget, cum et apostolo tertio roganti, ut auferretur ab eo stimulus carnis suæ angelus satanæ qui eum colafizabat, a Domino responsum sit : sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Sed non multo post ob eamdem causam Oxenefordiam reversa est, tamquam importunitate sola pii judicis clementiam sibi propitiare proponeret. Triduo igitur in ecclesia beatæ Virginis orationi devotissime insistens, die quarta cum super beatæ Virginis sepulcrum oraret, expergefacta a sompno lumen oculorum divina miserante clementia paulatim recuperans, ita demum temporis processu convaluit, ut et res minutissimas sibi oblatas et videre posset et discernere.

Innumeræ sanitates obtentæ. Puellula oculorum sanitatem recuperat.

79 His et aliis operum suorum mirabilibus Virginis suæ merita Dominus gentibus revelabat, etiam post mortem declarans quam pretiosa in conspectu fuerit vita ipsius. Denique quot febricitantes ipsius præsidio febrium ardorem evaserint, non est meæ facultatis evolvere. Sed et quamplurimi variis languoribus obsessi, mox adepta sanitatis gratia, nemini quidquam de collato sibi salutis munere dicentes, ad propria cum gaudio remeabant. Non-
B nulla *(nonnulli)* etiam quos cognito Dei beneficio exspectare jussi, ut debitum divinæ miserationi sacrificium laudis offerretur, non exspectata laudum evolutione recedebant. Et licet ingratitudinem plerumque taciturnitas, invitetur, (*sic ; forte*, testetur), habet tamen sancta simplicitas excusationem, quia quid potissimum expediat, ignorat. Sed his omissis alia referamus, maxime cum materiam faciat copiosam virtutum numerositas. Puella quædam de villa quæ Wedburna nuncupatur, tertium ætatis annum agens anno circiter dimidio ciliis oculorum tamquam plumbea ponderositate depressis, oculis jugiter clausis, sursum respicere nullatenus poterat. Et cum a matre quandoque oculi puellares aperiebantur, luminis quidem claritatem tantummodo videbat, non autem corpora sive formas aliquas exteriores visu percipiebat. Hujus rei infelici eventu contristati parentes ad beatæ Virginis ecclesiam filiolam detulerunt, divinæ miserationis bonitatem pro salute puellæ deprecantes. Illico supra tenellæ ætatis vexata virtutem, ut in ea divinæ virtutis eluceret potentia, ciliciorum detersa gravedine visum recepit, et clare videndi Dei munere recuperavit officium, omnibus
C qui aderant exultantibus, et Dei magnalia cum gaudio personantibus.

Mulier a lepra sanata.

80 His adjiciendum arbitror quod in vidua quadam Goda nomine, de partibus Warewic, Dominus operari dignatus est. Siquidem ab octo retro annis lepræ suffusa contagio, sic interno æstuabat ardore, quasi materialis ignis esset calore succensa. Nam et pilorum fluxu, vocis raucedine, colore livido, pustularum pruritu, manuum et pedum necnon et reliquorum tumore membrorum, lepræ maculam signis evidentibus ostendebat. Sed et sicut constanter asserebat, per multum temporis in tantum aggravata est super eam manus Domini, quod si quando terram nudis calcabat pedibus, voces terribiles emittere compellebatur, ut clamorum questibus etiam corda saxea flectere posset ad pietatem. Cum igitur in ecclesia gloriosæ Virginis divinum supplex imploraret auxilium, affuit illico petenti miseratio divina, quæ non despicit preces pupilli nec viduæ, si effundat loquelam gemitus. Nam et singulorum membrorum tumore residente, naturali colore redeunte, pustularum livore recedente, ardoris etiam æstus conquievit. Et jam cute, quæ distenta fuerat, laxata, ulcerum arescente sanie, spem perfectæ curationis omnibus eam intuentibus interventu beatæ Virginis præbuit. D

Puer duodennis sanatur.

81 Vir quidam Malgerus nomine de partibus Claudiocestriæ filium habebat annorum circiter duodecim, qui per multum temporis paralysi dissolutus dextera parte corporis emortua, brachio impotenti, digitis recurvis et inflexibilibus, manum clausam et contractam aliquantisper habebat. Sopito denique membrorum robore manum sive brachium, non magis quam molem plumbeam, levare prævalebat. Cum igitur pater filio paterna pietate compatiens, filium ad ecclesiam beatæ Virginis perduxisset, quibus poterat operibus misericordiæ filio Domini misericordiam conciliare studebat. Igitur infirmis qui in ecclesia passim decumbebant, suum sedulus præstabat obsequium, procul dubio reputans in hoc gratum se Domino exhibere famulatum qui ait : quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Nec fefellit eum fides et humilis devotio. Paucis namque diebus elapsis filium sanum et ab omni languore prorsus immunem recipere meruit. Artubus enim, qui obdormierant, in naturalem redeuntibus potentiam, digitos, quos ante contractos habuerat, extendens, crucis signaculo, cunctis qui aderant admirantibus, frontem ar- E
mabat, et brachium prout volebat elevans, manum absque difficultate aliqua nunc claudebat, nunc aperiebat, ut nulla pristinæ dissolutionis in ipso remanerent vestigia, nisi quod præsubita curationis novitate necdum a stupore præhabito plene convaluerat.

Mulier ab ulceribus.

82 Mulier quædam de vico cui nomen est Inglesham, sic ulceribus per totum corpus erat obsessa, ut sanie cum pruritu defluente, jugiscabie laborare crederetur. Cum itaque coram beatæ Virginis feretro divinam pro salute sua clementiam invocaret, illico prurituum aculeis quiescentibus, ulcerum sanie desiccata, sanitati se restitutam quantum verecundia permittebat, ipsa sui corporis ostensione protestabatur.

puella ab ethica febri liberata.

83 Puella quoque nomine Cecilia, de villa quæ Saldena nuncupatur, ab ethica febre qua per juge quadriennium laboraverat, liberata est ; et quam sic morbi fatigaverat acerbitas, ut ad nullum opus necessarium posset assurgere, sana et incolumis ad propria remeavit, nihil in se pristinæ valetudinis repræsentans.

Mulieri gradiendi facultas restituitur.

84 Venerat illuc eisdem diebus uxor viri cujusdam, Agnes nomine, de villa quæ Ferningeho nuncupatur, quæ per triennium et eo amplius gradiendi F
prorsus officio destituta, ab amicis ad ecclesiam beatæ Virginis in reda delata est. Nam si quoquam necesse erat eam moveri, a duobus sustentabatur, utpote quæ inferiores corporis partes penitus amiserat. Igitur in oratione devote pernoctans sanitati restituta est, ita quod nullo eam sustentante libere quo volebat gressus dirigeret.

alteri auditus.

85 Sed et mulier quædam de vico cui nomen est Wothnesberia per septennium surda cum tinnitu aurium, mox ut ecclesiam ingressa est auditum recepit, et paulisper convalescens a tinnitu aurium prorsus respiravit. Sicque factum est, ut audiendi recepta potestate, verba submisse loquentium et audiret et cum omni facilitate discerneret.

Ab amentia et furore liberatio.

86 Sed et mulier quædam Alveva nomine, viro copulata, triennio furoris amentia laboraverat, rationis totius expers, et bestiali mente feris assimilata. Nam non solum viro suo, sed et vicinis suis omnibus horrori erat ejus vesania. In tantum enim alioquin spiritu furoris agitabatur, quod catenis necesse erat eam constringi, vel feralibus nonnullos appeteret conatibus. Ferreis itaque vinculis artata, mox ut intellexit quantum furoris rabies permittebat,

A permittebat, se ad beatæ Virginis ecclesiam perducendam, a vinculis se liberari postulavit, statimque furor aliquantulum conquiescere cœpit, ut per singula temporum momenta divinam intelligeret operationem. Mox igitur nudis pedibus ad ecclesiam properans, ab omni penitus furore respiravit, et Deo gratias agens, sana et incolumis ad propria remeavit.

Puellæ una auris a S. Thoma, altera a S. Frideswida restituitur.

87 Est vicus non longe a pago Oxenefordiæ distans, cui Jacheleia vocabulum est. Erat in eodem vico puella quædam Adelicia nomine, quæ a tribus postquam nata fuerat, septimanis utriusque auris auditu privata est; sed et sanie ex auribus profluente fetor intolerabilis procedebat, ut prope positos fetoris horror longius arceret. Adiit autem limina beati Patris et martyris Thomæ, et ipsius suffragantibus meritis auditum auris sinistræ quamvis non plene recuperavit. Enimvero divina miseratione, quæ prævideral etiam in hujus puellæ curatione Virginem suam clarificandam, per visionem admonita est, ut ob gratiam recuperandæ sanitatis ad ipsius limina continuo properaret. Sicque factum est ut monitis obtemperans perfecte salutem consequeretur, audiendi recepto munere, saniei fluxu B restricto, et fetoris horrore funditus represso.

Puellæ sanatio;

88 Iisdem quoque diebus puella quædam Havisa nomine, de vico cui Wlwarda nomen est, cujusdam gravissimæ valetudinis remedium consecuta. Siquidem dolore circa spinalia miserabiliter torquebatur, tumore membra corporis distendente, quod nonnumquam præ doloris anxietate mente consternabatur, et extra se pœne fiebat. Cum itaque semel Virginis adiisset ecclesiam, et nequaquam adepta sanitate recessisset, demum rediens, illico vomitus beneficio prorsus liberata est.

item alterius.

89 Eodem die quædam alia puella Adelicia nomine, de villa quæ Asseberia nuncupatur, divinæ manus operatione sanitati restituta est. Siquidem anno ferme dimidio in lecto doloris decubuerat, et in tantum languoris erat acerbitate confecta, ut membris omnibus invalida, toto corpore impotenti, nec etiam potus haustum sibi ministrare prævaleret. Ad ecclesiam igitur beatæ Virginis Frideswidæ perducta, expulsis vomitu nocivis, quibus gravabatur humoribus, sanitati pristinæ restituta est, et non multo post, a nimia, qua diutius oppressa fuerat debilitate, respiravit. C

A febri et renum dolore altera sanatur.

90 Virgo quædam de vico, cui Bertuna nomen est, juxta Ailesberiam, vocabulo Swethica, per annum fere dimidium, tum vi febrium tum dolore renum adeo vexata fuerat, ut nequaquam per se surgere, nec quoquam gressus dirigere, nisi podii sive baculi sustentatione, valeret; sed nec recta, sed incurvata cogebatur incedere. Itaque febrium ardore quiescente, citra spem, ad ecclesiam beatæ Virginis perveniens, triduo ibidem moram fecit, spem suæ curationis in Ipso ponens, qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum. Nec petentem circumvenit ancillam suam summe Misericors, qui et fidelis est in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Elapso etenim triduo, quæ incurvata venerat, jam recta et ab omni dolore et infestatione renum immunis, ad solum natale cum gaudio remeavit.

Mulier fœdis vexata malis, sanitati restituta.

91 Mulier quædam Godiva nomine, de villa quadam juxta Crikeladam *r*, quæ Lustella nuncupatur, decennio fere continuo capitis dolorem sustinuerat, et sic quandoque languoris acerbitate vexabatur, ut animo consternata, sensu quoque destitueretur, omnium membrorum robore et vigore sopito. Processit ulterius doloris immanitas, ut multo tempore inferioribus corporis partibus emortuis, et standi et incedendi privaretur officio. Tibiarum ac pedum emortua vis obdormierat, ut terram nullatenus calcare, nisi podio ministerium præbente, valeret. Sanie igitur ab oculis copiosissime profluente, a capitis se dolore penitus respirasse publice professa est. Sed et partium inferiorum ita robur rediit, quod abjecto, cui innisa fuerat baculo, sanitatis se munus recepisse, et stando et gradiendo profiteretur; nec verbis tantum, sed operibus gratiam sibi cœlitus collatam allegans. Sicque factum est, ut solidatis basibus ejus et plantis, mulier utroque pede terram firmissime calcaret, huc et illuc libere deambulans, ut insolentiam gradiendi deambulationis assuetudo relegaret. Hoc miraculo plebs fidelis excitata, in Dei laudes gaudens et exultans erupit.

Mulieri uterque oculus restituitur.

92 Adhuc gloriosæ Virginis merita multitudo signorum ostendit, et fidelium animos in admirationem adducit, dum exterius lingua tacente, qualis et quanta fuerit miraculorum loquuntur magnalia. Denique mulier quædam Hawisa nomine, de pago cui Neuberia (*vocabulum*) est, triennio continuo oculo sinistro fuerat orbata. Licet autem oculi dextri pupillam haberet illæsam, sic tamen ciliorum ponderositate gravabatur, ut manu admota E oculum aperire cogeretur, ut luminis gratia poti-retur. Igitur in ecclesia beatæ Virginis orationi insistens, quod medicina corporalis ei conferre non potuit, æterni medici manu dispensante consecuta est. Tenebris siquidem penitus expulsis, oculum sinistrum præter spem omnium, qui eam noverant, recepit, videndi sibi munere quam plenissime restituto. Sed et oculi dextri labe purgata, ciliorum deformitate detersa, omnimodam sanitatem, Deo miserante, sortita est.

Alterius item mulieris sanatio.

93 Non longe a pago Oxenefordiæ, virgo quædam Hugelina nomine, febrium ardore fatigata, dum sitis æstum aquæ putaret algore compescere, infestationi suæ fomenta ministrabat. Sed tandem a febribus liberata, viscerum doloribus acerrime fatigari cœpit, ut gemitus et clamores miserabiles edere tortionum compelleret acerbitas, ut singulis horis spiritum crederetur emissura. Tandem ad opem miserationis divinæ confugit, et Virginis suæ visitans limina, licet non statim Dominus precibus invocantis annuisset, modico tamen interjecto tempore, tortionum quiescentibus aculeis, ab omni dolore liberata est. F

Puella a renum doloribus liberata.

94 Sed et puella quædam Agnes nomine, de villa quæ Sicherestan nuncupatur, interventu beatæ Virginis divinæ manus operationem in sua curatione experta est. Annis siquidem octo renum dolore vexata, doloris inquietudine miserabiliter ingravescente, tandem incedendi potestate privata est. Medicis igitur in ipsius curatione deficientibus, ad ultimum ad Eum confugit, qui ut languores sanaret, voluntarie languores suscepit humanos. Ancillam denique suam pie respiciens, pristinæ sanitati restituit, et curatam ad propria cum gaudio redire permisit, nullis in ea præhabitæ vexationis remanentibus omnino vestigiis.

A diuturno et cruento morbo sanatur mulier, ubi limina B. Virginis attingit.

95 Erat in villa, cui Tecche nomen est, virgo quædam triennio languida, Christiana nomine, morbi diuturnitate contubescens, ut hominis emortui potius quam viventis prætenderet similitudinem. Nonnumquam tamen interpolabatur ægritudo, et dilucidis ita gaudebat intervallis, ut operis quippiam facere posset. Nonnumquam vero quandoque per octo, quinque vel per XV dies ita dolor continuabatur, ut secundum ægritudinis intensionem, nunc tumescentibus, nunc vero secundum ipsius remissionem residentibus, spretis etiam ciborum alimentis,

 vitam

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

vitam ageret infelicem. Ad ultimum vero tribus continue mensibus fatigata, doloris continui deplorare cogebatur ærumpnas, vitæ terminum sine curationis remedio præstolans, si non ei divina pietas opem præberet medicaminis. Sed ut virtus divina cunctis curationis celeritate patesceret, mox ut beatæ Virginis attigit limina, intervenientibus ejus meritis, et a dolore omni et tumore curata est. Nec se præ gaudio capiens, quod sibi acciderat palam cunctis annuntiavit, et beneficii singularis lætitiam professione publica gaudium fecit esse commune.

Mulier semel et iterum a fœdis malis curatur.

96 Fuit in villa, cui Wendoura nomen est, mulier quædam vocabulo Sibilla, quæ per septennium morbo, quem ciragram appellant, vexata fuerat. Manibus itaque grossescentibus et sensu destitutis, earum robore sopito, usibus eas necessariis applicare nequibat. Brachiis quoque cubitum usque tumore deformatis, manus etiam colore nigro dehonestatas prætendebat. Nonnumquam vero secundum lunæ defectum in tantum membra singula tumor occupabat, ut crederes vix a cute carnem posse contineri, cum dolore maximo et innaturalis æstus ardore. Veniens itaque ad beatæ Virginis ecclesiam, diuturni prius cruciatus excocta purgatorio, B tandem per Dei gratiam prorsus curata est. Digiti quoque quos inflexibiles et inhabiles habuerat, naturalem flexibilitatem et motum receperunt, ut et suere sine aliqua posset difficultate. Extersa quoque nigri coloris deformitate, innaturali, quem jugiter perpessa fuerat ardore quiescente, singulorum etiam membrorum tumor resedit. Sed et nervorum et compagum indignatione depulsa, virtutis antiquæ restauratione donata est. Postea quoque cum in eumdem morbum sinistro casu recidisset, iterato per Dei gratiam et beatæ Virginis patrocinium curata est.

Mulier, criminis rea, diris malis vexatur; et B. Virginis ope, mentis et corporis obtinet sanitatem.

97 Mulier quædam Helena nomine, de finibus castri, cui Lutegareshala vocabulum est, a sacerdote quodam corrupta, tribus ferme mensibus in concubinatu et operis nefarii tubernio persistens, cum eo moram fecerat. Sed operis illecebrosi voluptatem languoris acerbitas subsecuta est. Unde factum est, ut in oculis sacerdotis, qui ejus attentaverat pudicitiam, displiceret, et tandem repudiata sperneretur. Torquebatur autem interius miserabili viscerum cruciatu, et sic punctionum aculeis se jugiter terebrari dicebat, tamquam stilis ferreis per C totum corpus pungeretur. Et cum laboribus humanis noctis quies recreationem præbeat, tortionum vexatio noctes faciebat insomnes, nec in lecto quiescere prævalebat; sed jugi deambulatione quasi doloris et tortionum sibi quærebat remedium. Hoc incommodo anno dimidio fatigata, causam meritis adscribens, cum beatæ Virginis visitasset ecclesiam corde contrito et spiritu humiliato, aquæ benedictæ poculum hausit. Ut igitur in ea peccati scoriam fornax tribulationis exureret, post cruciatus acerrimos, tam a languore pristino quam a punctionibus se plenissime respirasse voce publica professa est. Sic in muliere occasionem peccandi vexatio delevit, et intellectum quem sanitatis munus præripuerat, ægritudinis molestia restituit.

Juvenis pluribus afflictus morbis primum B. Frideswidam, dein S. Thomam adit; utrumque incassum: rediens ad S. Frideswidam sanatur.

98 Sed et juveni cuidam Nillielmo nomine, de villa, quæ Srivenham dicta est, divina miseratione necnon et beatæ Virginis interventu sanitatis munus provenit. Is aliquamdiu capite jugiter languente, membris ceteris incassum vigentibus, cordis quoque defectu, quem medici sincopin vocant, sauciatus est, ut nonnumquam animo consternatus nequaquam sui compos aliquotiens fieret. Cum igitur cum matre, quæ filium materno sequebatur D affectu, Deo dilectæ Virginis ecclesiam visitasset, sanitatem nequaquam adepta, beatissimum Patrem ac martyrem Thomam Anglorum archipræsulem adivit. Sed necdum voti compos effectus, tamquam improbitate Dei Virginem vincere proponeret, iterato ad ipsius properavit basilicam. Necessitatem lacrimis allegat, quod postulat etiam, lingua tacente, cor murmurat, devotionem præhabitæ sanitatis recordatio, et ejusdem recuperandæ spes et desiderium excitat. Igitur famuli sui devotionem Dominus respiciens, inolita bonitate sua ipsum respexit, tamquam operibus comprobans, quod in Evangelio prædixerat: petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Ut ergo dolore dolor fugaretur, et cruciatus arceretur cruciatu, prius gravissime tortus, sanitati plene restitutus est, viribus corporis reparatis, recedentibus omnino pristinæ debilitatis et defectus ærumpnis.

Puella, pedum manuumque usu destituta, reficitur.

99 Nec alicui videatur onerosa miraculorum numerositas, cum divinæ manus operationem reticere, ejus sit virtuti derogare. Et ideo quod vidimus singillatim perstringimus, pro minimo habentes, si indevotis fastidium ingerat, quod devotis E internæ dulcedinis parit incentivum. Igitur ad tantæ Virginis memoriam, sanis necnon et ægrotis undique confluentibus, virgo quædam de partibus Wintoniarum, Christiana, de villa quæ Dena dicitur, diuturnæ valetudinis se molestiam evasisse gavisa est. Siquidem biennio debilis pedibus, ut multociens incessu quoque privaretur, ad extremum anno circiter dimidio, sine aliqua interpolatione gradiendi officium et potestatem amisit. Sed et manibus tumoris enormitatis deturpatis, operationis commodo destituta, vitam agebat infelicem, quippe quæ obtentu calamitatis suæ et rebus necessariis peragendis inutilem, et hominibus se despicabilem pervidebat; desiderium habens aut cito dissolvi, aut vinculo talis improperii maturius absolvi. Et quoniam aliter eo venire nequibat, in reda Oxenefordiam delata est, et in ecclesiam a duobus hominibus deportata. Aliquantis igitur diebus ibidem moram faciens, ne diutius desiderii dilatione suspenderetur, voti compos efficitur. A vinculo, quo vincta fuerat absolvitur, in naturalem redit potentiam nervorum enervatio. Suscipiunt manus contractæ directionem, et ad operandum aptæ redduntur. Pedum quoque contractio pristi- F nam sortitur rectitudinem, et ad votum incedendi reparatur facultas. Sic igitur salutis dote mulier donata, Deo suæque Curatrici gratias agens, domum incolumis reversa est.

Vir ab amentia curatur.

100 Vir quidam de partibus Salopesberiæ, Hugo nomine, quatuor ferme mensibus ardore febrium æstuans, quorumdam consilio, quo morbum facilius evaderet, infestationis tempore balneis usus, mentis incurrit alienationem, ut ad terram plerumque collisus, morbo crederetur epileptico laborare. Humerorum quoque ponderositate depressus, capite infatigabiliter languente, incurvatus incedere cogebatur. Proponebat autem siquando jejunabat, magnæ in se alienationis vicium dominari, unde et medicorum circa se defecisse dicebat artificia. Biduo igitur in ecclesia beatæ Virginis moram faciens, a singulis se respirasse incommodis viva voce protestatus est. Et ut in se Dei donum efficacius experiretur, adepta sanitatis gratia, ibidem aliquamdiu moram fecit, probans, si vel jejunio calamitate solita vexaretur. Sed cum perfecte Dei munus cognovisset, gaudens et exultans, Deumque benedicens, abscessit.

101 Mulier

Mulier, pede sanato, B. Frideswidæ offert baculum.

101 Mulier quædam de vico qui Lakinges nuncupatur, Leviva nomine, sinistro pede orbata, doloris simul ac tumoris enormitate deformis, gressus quoquam dirigere nisi baculi sustentatione minime prævalebat. Hujus eventus infelicitate, biennio jugi contabuerat. Adiit igitur beatæ Virginis ecclesiam, et interjecto modico tempore, quod ante per biennium ei denegatum fuerat, abjecto quo gressus sustentaverat baculo, terram utroque pede firmiter calcans, gratiam sanitatis sibi collatam iterata deambulatione protestabatur, et a tumoris et doloris inæqualitate prorsus respiravit. Igitur in signum tam repentinæ mutationis baculum, cui innisa fuerat, beatæ Virgini quasi pro munere obtulit.

Multa prætermittuntur.

102 Nonnulli etiam utriusque sexus quos viscerum dolor miserabiliter torquebat, adepta salutis gratia revertebantur, de quibus nobis per singula dicendum non est, ne vitiosis auditoribus derogandi *(sic)* detur occasio, morbis terminum non miraculo, sed secundum cursum solitum naturæ contigisse.

Nec solum plebi impensa beneficia, sed etiam insignioribus viris. Joannes Cestriæ Conestabularius, voto se obligat adeundi B. Virginis limina, atque illico ab omni solvitur languore.

103 Licet autem Scriptura testante, ignobilia mundi hujus Deus elegerit, ut fortia quæque confunderet, et secreta sapientiæ suæ a sapientibus absconderit, ut ea parvulis revelaret, voluit tamen et nobilium necessitatibus per Virginis suæ merita subvenire, ne velut emendicatis pauperum videretur suffulta testimoniis, quam in terris regii germinis dignitas et natalium nobilitas claram reddiderant. Denique vir quidam illustris Johannes nomine, a dignitate quam jure hereditario nactus fuerat, Cestriæ Conestabularius, longo tempore noxiis prægravatus humoribus, naturæ languentis defectum vultus pallore protestabatur. Erat ei fastidio ciborum alimonia, et vim appetitivam penitus in eo subjugaverat repletionis nimia distensio. Requisito medicorum auxilio, crebris purgationum evacuationibus fatigatus, spe recuperandæ sanitatis vel aliquo pristinæ valetudinis remedio ne * inani sumptuum jactura conquerebatur. Unde factum est, ut humani defectus impotentia considerata summum invocare decerneret medicum, qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum. Igitur novitate famæ recentis, quæ de beatæ Virginis virtutibus undique crebrescebat, delectatus, quod ipsius limina quantocius visitaret, voto se obligavit. Solvit illico languoris nexum voti vinculum, et humorum noxiorum malitiam
C vomitus repentini beneficium extirpat. Quam igitur humana non poterat, manu divina sanitatem adeptus, Curatricis suæ gaudens adiit ecclesiam, collatum sibi cœlitus beneficium voce publica fidelium auribus inculcans.

* sic de?

Matrona secum fert ampullam aqua S. Frideswidæ plenam: ad ampullam confugiens, loco aquæ, lac invenit miræ fragrantiæ.

104 Sicut autem omnipotentis Dei manus novas quotidie creat essentias, sic ad declaranda Sanctorum suorum merita creatas jam substantias eadem potentia qua eas creaverat in alias plerumque convertit, ut meritorum prærogativam miraculorum prædicet multiplicitas. Quædam matrona nobilis, quondam uxor illustris viri Ricardi filii Geroldi, nomine Margareta, non multo post beatissimæ Virginis Translationem, ecclesiam ipsius orationis gratia adiit, et in signum devotionis aquæ benedictæ liquorem in ampulla quadam in qua quondam beatissimi Patris ac martyris nostri Thomæ aqua continebatur, tunc quidem omnino vacuam, domum rediens secum detulit, hoc remedio providens futuris periculis, siquando eam sinistræ valetudinis vexaret acerbitas. Vasculum igitur domi delatum reverenter supra lectum suum suspendit, ut impromptu necessitatis imminentis haberet remedium, procul dubio sperans malorum omnium incursum a se longius arceri posse, si præ oculis spem liberationis gestaret. Nec fefellit credentem fidei fervor, quippe quod mente præconceperat, consequenter experta est. Denique die quadam languore correpta, acerrime fatigari cœpit, ut præ doloris immensitate crederetur humanis eximenda. Elevans tandem oculos ampullam, quam detulerat, sibi porrigi jubet, ut experiretur in se cujus esset efficaciæ, quod ad suæ salutis conservationem procuraverat. Cum itaque se putaret de vasculo aquam effundere, lac invenit, quod supra lactis naturam odoris inestimabilis suavitate domum replevit; ob hoc superquam credi potest stupefacta, sacerdotem protinus advocari jubet, rei eventum exponit, et ne fides ejus in aliquo vacillaret, ipsius rei ostensione fidem roborat. Sacerdos eventus talis novitatem admirans, consulit ut in loco decentiori tantus reponeretur thesaurus, loca privata tam pretiosæ rei repositioni minus esse digna proponens. Illico sacerdotis adquiescens consilio, vasculum in capella sua reposuit, languidorum necessitatibus profuturum. Confestim Virginis limina se vovit adituram, si gratia salutis sibi restitueretur. Igitur tam odoris miri fragrantia quam admirandæ virtutis gaudio re- E
creata, post votum illico convalescens, emenso modico tempore, quod voverat explevit, non sine audientium admiratione, quæ sibi acciderant sigillatim exponens. Frequenter postmodum an gratia sibi præstita circa se perseveraret, experiri volens, vasculum reseravit, et, sicut ante, aquæ loco, lactis speciem invenit, candoris admirabilis, et odoris inestimabilis, et merito : quia candore castitatis odorem sui nominis longe lateque diffudit.

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

Auctor, veritus ingratitudinem, quæ ipse recepit beneficia enarrabit;

105 Cum igitur aliis exhibita curationis remedia loquatur os meum, vereor ne laudator ingratus inveniar, si miserationis divinæ respectum in aliis prædicans, in me tacuero; sicut enim ex sacris erudimur Scripturis, vitium ingratitudinis maxime fugiendum, quia propter hoc venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nam et peccata dimissa redire facit, et perfectas revocari donationes, et libertates collatas retractari.

exponit quomodo ipse, S. Virginis ope, sanitatem recuperarit.

106 Igitur inter alia quæ de aliis edissero, referendum duxi quod in memetipso sum expertus. Tempore siquidem autumnali, quo febrilis calor magis timeri solet, febre tertiana correptus, vexari gravissime cœpi, et quia multa suberat ægri- F
tudinis materia, gravior fuit et diuturnior infestationis acerbitas. Siquidem immoderato calore frigori succedente, totam noctem ducere cogebar insomnem. Aucta est etiam ex ciborum fastidio molestia et naturæ viribus plurimum debilitatis, et robur detrimentum et debilitatio sumebat incrementum. Super hoc medicos censui consulendos, ut eorum consilio calor febrilis arceretur, vel saltem mitigaretur. Asserunt illi cibis abstinendum, diureticis utendum, et post infestationis quintæ molestiam beneficio curationis insistendum ; et quia jam tertiæ vexationis incommodo fatigatus fueram, futurorum timorem præteritorum incutiebat recordatio. Miracula quæ videram ad mentem revocare cœpi, et in me fidei lumen extinctum deflebam, quod in aliis lucere considerabam. Reducebam ad memoriam divites et pauperes, pusillos cum majoribus interventu beatæ Virginis jugum ægritudinis evasisse, mihique denegatum cœlitus dolebam, quod et parvulis et pauperibus utriusque sexus collatum esse desuper attendebam. Igitur et salutis desiderium et præhabitæ vexationis horror devotionem excitarunt, ut Ejus subsidium implorarem, qui solo sermone restaurat universa. Ingruente

AUCTORE PHILIPPO PRIORE.

gruente igitur accessionis quartæ vexatione, hora vexationis instante, coram beatæ Virginis feretro me prostravi, ejus tuitioni me committens, quam pro aliis intervenire non dubitabam. Spes cum timore dimicans, somnolentiam procul arcebat, et inter dubias animi fluctuationes totam noctem feci insomnem. Sed cum infestationis tempora præterissent, totamque noctem sine aliqua inquietudine percurrissem, diffidentiam fides vicit, et dubitationem absolvit ex adeptione sanitatis nata certitudo; at ut in me Dei munus certius experirer, instante nocte, qua quintæ vexationis molestiam formidabam, ante feretrum me projeci, ut iteratis vigiliis sanitas collata firmaretur. Et revera experientia didici quod prius audieram, quoniam sanitas, quæ Domini datur imperio, tota simul redit. Sic Dei munere ad plenum convalui, ut nullum pristinæ valetudinis indicium medici postmodum convocati, nec pulsus attactu nec urinæ consideratione, possent aliquomodo apprehendere. Roborata est igitur hoc Dei beneficio fides mea, ut in aliis Dei gratiam quam in me fueram expertus, facilius crederem.

Quomodo sanata sit uxor aurifabri.

107 Habebat aurifaber quidam Ivo nomine, de pago Leicestriæ, uxorem Agnetem nomine, claris natalibus propagatam. Hæc febrium ardore correpta, vexationis ingravescente molestia, mentis alienationem incurrit, et humanæ rationis expers, amicos et notos dolore affecit. Cum igitur calamitatis tantæ diuturnitas curationis spem omnino denegaret, doloris est accumulata materia, donec solatium induceret oblivio, ex temporis nata longevitate. Redeuntes ergo quamplurimi a beatæ Virginis visitatione, et hospitandi gratia ad virum ejus divertentes, quæ viderant magnalia vicissim inter se replicabant. Auscultabat infelix quæ dicebantur, eique cœlitus donatum est ut intellectu verba perciperet. Nec mora: tamquam infelicitatis suæ gauderet interpolatione, quod Virginis adiret limina, cujus audiebat virtutes, voto se obligavit. Illico præter spem, alienatione depulsa, mentis compos efficitur, quem amiserat paulisper singulis momentis rationis resumit obtutum. Igitur bestiali sarcina deposita, cum a pristinis omnino per Dei gratiam respirasset ærumpnis, votum quod fecerat operum executione demum complevit, Deique virtutem palam populis annuntiavit.

Describitur nobilis cujusdam matronæ sanatio.

108 Sed nec silere justum est operis divini virtutem quam in nobili quadam muliere nomine Mabilia, quæ viri illustris Willielmi Achardi quondam uxor fuerat, Salvator exhibere dignatus est. Hæc languore correpta jugi ferme quadriennio, tumore inordinato membra distendente, ydropis speciem repræsentabat. Erant ei ciborum alimenta fastidio, et debilis indigens nutrimentis, cum dedecore nocivis venter turgebat humoribus. Medicis igitur de ipsius salute desperantibus, artus fatiscentes misera lectuli requie recreabat, exitus sui diem anxia præstolans expectatione. Tandem diuturni languoris tædio affecta, corpus emortuum lichno metiens, magno cœpit æstuare desiderio, ut beatissimæ Virginis limina visitandi sibi facultas daretur; trahensque ex intimo cordis affectu suspiria, voti torquebatur dilatione, dum contra spem diffidentia dimicaret, et secum iniret interior homo conflictum. Illico nausea succedente, supra modum per superiorem purgari cœpit regionem, et usque ad carnis et animæ dissolutionem fatigata, tandem soporis beneficio membra pœne dissoluta confortavit. Expergefacta a sompno, vim appetitivam in integrum sibi redditam esse cognoscens, ciborum alimenta sibi jussit apponi. Itaque fame depulsa, iterum membra sopori dedit. Demum evigilans, cruciatu famis intollerabiliter æstuans iterata refectione gulæ satisfecit. Tertioque sopori indulgens, protinus ut evigilavit, tertio ventrem fame rugientem refecit. Mox igitur singulorum membrorum laxato tumore, in decorem et habilitatem pristinam corpus rediit exanime. Reparatis quoque quantocius viribus, gaudens gloriosæ Visitatricis suæ visitavit ecclesiam, collatum sibi cœlitus beneficium clara voce constanter exponens.

Alia femina nobilis iterum atque tertio in ecclesia S. Frideswidæ levatur; ast, ut egreditur, malum recrudescit: tandem perfecte reficitur.

109 Alia quoque spectabilis fœmina, Emma nomine, domina villæ, cui Watelcia vocabulum est, dolore spinalium cum tumoris deformitate longo tempore vexata fuerat. Aggravata est autem in tantum vexatio, ut nimia macie confecta vix sibi membra cohærerent, et oris gratiam pallor obnubilaret. Igitur a medicis derelicta ad summum confugit medicum, qui salvos facit sperantes in se. Ab amicis suis ad ecclesiam gloriosæ Virginis coram feretro ipsius in oratione prosternitur. Statimque Dominus ancillæ suæ devotionem inolita bonitate sua respexit, et quamdiu in ecclesia moram fecit, doloris conquievit acerbitas. Arbitrans sanitati se restitutam domum remeat, sed in medio mox itinere recidivo dolore torquetur. Unde factum est, ut paucis postmodum diebus elapsis, ad beatæ Virginis ecclesiam rediens, iteratis precibus et lacrimis divinam invocaret miserationem. Et sicut prius sic et tunc a dolore prorsus libera fuit, et immunis dum in ecclesia commorata est. Ut autem civitatem egressa est, dolor rediit præhabitus, eamque cum sodalibus suis mœrore perfudit. Et licet eam optatæ salutis torqueret dilatio, ad se tamen rediens et singula quæ sibi evenerant ad mentem reducens, apud beatam Virginem diuturniori tempore morari proponebat et consistere, quia sanitatem cum mora continuatam fuisse considerabat. Demum igitur eo perveniens beatæ Virginis tuitioni se tota commisit, uberiori devotioni preces exaggerans ejusque præsidium interpellans, et quoniam recidivo dolore spiritus mulieris conturbatus fuerat, noluit eam diutius summe Misericors contristari, sed ut ex celeritate gaudium proveniret, et quanto maturius eo gratius donum Dei redoleret, plenissimam continuo sanitatem adepta est, et Deo gratias agens, ad propria cum gaudio remeavit. Itaque continuatæ salutis adeptioni congaudens Dei gratiam ore prædicabat et mente.

Stupenda pueri, calculi doloribus acerbe vexati, sanatio. Chirurgi in sectione crudelitas, atque immane facinus. Immoritur puer. Parentum desperatio. Ad S. Frideswidam confugiunt. Revixit puer; narrat S. Virginem sibi apparuisse. Perfecte sanatur, miraculi testimonia.

110 Hoc quoque quam stupendum sub silentio prætereundum non arbitror esse miraculum, quod omnipotens Deus, cujus omnipotentiæ non est finis, per merita Virginis suæ gloriosæ, in civitate Oxenefordiæ etiam nostris temporibus operari dignatus est. Quidam enim civis cujusdam canonici nostri frater uterinus, spectabilis quidem genere, sed longe spectabilior fide, nomine et gratia Benedictus, cognomento Repherin, filium habebat ætate ferme quinquennem nomine Laurentium, qui ab ipsis cunabulis vitio vesicæ torquebatur, et in tantam incidit ægritudinem, quod angoris cogente vehementia quandoque sanguinem pro urina emittere compelleretur. Membris insuper omnibus nimia macie confectis, vultu pallore subfuso, nihil intuentium oculis vitale repræsentabat. Quippe nec spirare nisi cum dolore et maxima poterat difficultate. Habebat enim, sicut medici asserebant, lapidem in vesica, nulloque nisi per incisionem curari potuit medicinæ beneficio. Cum igitur tum propter puerilis ætatis imbecillitatem, tum propter ipsius morbi acerbitatem, a medicis de salute ejus desperantibus penitus esset derelictus, pater ejus filii calamitati miserabili paterna pietate compatiens,

A tiens, licet frustra in medicos non modicam effudisset pecuniam, desiderium tamen habens ipsum aut cito dissolvi, aut a vinculo tantæ anxietatis absolvi, quemdam tandem peritum, ut ipse æstimabat, chirurgicum convenit, multa ei præbens et majora promittens donaria, quatenus filium suum de prælibata qua vexabatur curaret valetudine. Chirurgicus autem lucri supra modum cupidus nephandissimi, licet nimis indiscrete ac temere, ultro se tamen tanto ingessit discrimini. Mens quippe ejus detestabilis lucri tenebrosa cupidine penitus excæcata, totius videbatur expers esse rationis. Quid plura? Toto denique curationis stipendio præ manibus accepto, discedentibus præ sanguinis horrore parentibus, solus seorsum in domo quadam puerulum, ut hujusmodi moris est, super mensam distensum ligavit, ligatum incidit, incisumque dum inartificiose ac nimis rude lapidem extraheret, miserabiliter occidit. Cum enim ab inciso infantulo lapidem utcumque extraxisset, tanta protinus subsecuta est sanguinis inundatio, quod nullo potuit artificio restringi venarum incisio, donec cum cruore etiam ipsius animæ sequeretur exalatio. Quod cum nephandus ille chirur-
B gicus aspexisset, homicidii nimirum vehementer metuebat argui, præ timore simul et stupore fere extra se positus, quid facturus quove iturus esset penitus ignorabat. Consilium tandem in districto tanti discriminis articulo sibi dedit angustia, et incisionis vix vulnere resarcito ad excusandas excusationes in verbis mendacii fugæ sibi fraudulenter occasionem adinvenit. Dissimulans igitur unguenta sua domi se fuisse oblitum, seque ut ea reportaret iturum quantotiusque reversurum, ut fugam sibi securiorem, copiamque evadendi præpararet liberiorem, callide, ne quis domum ubi puer extinctus jacebat donec rediret ingredi præsumeret, inhibuit. Parentibus itaque hujusmodi falsitate delusis, soloque puero prout jacebat in domo relicto, rebus omnibus quas habere poterat secum sublatis, fugæ sibi consulens beneficio, clanculo civitatem egressus est, nec ulterius in ea comparuit. Mater interim pueri, transacto ferme duarum horarum spatio, cum ultra quam credi possit admiraretur, cur tantum delirus ille faceret moram, commota nimirum erant super filio suo omnia viscera sua, domum in qua corpus miserabile jacebat intravit, neminemque in ea præter
C solum filium suum, et ipsum, ut præscriptum est, universæ carnis jam viam ingressum, reperit. Vehementissime igitur et ultra quam æstimari possit stupefacta, ad puerum accessit, accedens vocavit, vocatum audacter palpavit palpatumque audacius exsolvit, sed jam non erat in eo neque vita neque sensus. Quibus vero tunc demum doloribus quantisve premeretur angustiis, utpote quæ viscera sua tam crudeliter coram se dilaniata tamque cruentatâ videret, non est meæ facultatis evolvere. Præ doloris enim angustia velut amens effecta, planctus miserabiles et clamores terribiles emittere compellebatur. « Heus, » inquit, « fili mi, ut quid » meis te gestavi visceribus, cur excepi genibus, » cur lactavi uberibus, cum tanti sis mihi causa » doloris? » Quid plura? In se denique reversa, maritum suum ad tam miserabile advocat spectaculum, miserabilisque ei eventus ordinem exponit, necnon et ut puerum Deo et beatæ Virgini ejus Frideswidæ, si per ipsius merita eum Dominus resuscitare dignetur, daturum se promittat, obnixe persuadet, et suppliciter postulat. Quibus illico pater monitis auditis, non minori quam mater super filio suo dolore perculsus, uxoris suæ piis persuasionibus ac devotis libentissime petitionibus adquievit. Fusis igitur non sine lacrimarum exuberantia ad Dominum diutissime precibus, quod puerum Deo et beatæ Virgini ejus serviturum si eum Dominus resuscitaret, donarent voto se ambo obligaverunt. De divina nimirum confisi potentia, Ipsum qui per servum suum Helisæum Sunamitis filium resuscitavit, per Virginis suæ merita etiam filium suum nuper defunctum ad vitam posse revocare credebant. Et vere mira orationis et fidei virtus, quæ non solum naturæ virtutes evincit, verum etiam ex insperabilibus plenam operatur certitudinem. Impletum est hic procul dubio illud Apostoli Jacobi dicentis : si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Unde ne tanta eorum fides simul et devotio diuturna suspenderentur dilatione, quod fide non ficta postulant, orationis impetrant perseverantia. Ipsis enim in oratione devote persistentibus, repente in extincti pueri corpus anima reversa est, vitæque munus sibi redditum signis evidentibus puer ostendit. Nam oculum sinistrum quasi a sompno excitatus prius aperuit, factoque brevi intervallo aperuit E
et dextrum. Sicque paulatim reviviscens, manusque et pedes ad se *trahiciens* *, præmissis non paucis oscitationibus gravibusque gemitibus, voce tandem lacrimabili matrem prout potuit vocavit, offasque de more requisivit. Quarum, pascente matre, cum modicum confortatus fuisset edulio, calorem illico nativum corpus resumpsit exanime, membris omnibus paulo ante penitus emortuis in habilitatem pristinam paulisper redeuntibus. Requisitus postmodum a matre ubi fuisset vel quid videret, respondit quamdam illuc advenisse dominam, miræ pulchritudinis elegantissimam, quæ non solum ei locum vulneris, verum etiam omnia ejus membra, incipiens a fronte usque ad pedes, crucis signaculo consignavit, sicque disparuit. Audita igitur non sine admiratione tanta pueri visione in Dei laudem parentes prorumpunt, nec sese præ gaudio capientes mirum in modum tristes simul et gaudentes, quem præ dolore modo lugebant amissum, rursus præ lætitia lacrimantur, cum ipsum tanta sibi videant virtute restitutum. Et ut votum maturius adimplerent, ipsum in brevi perfecte redditum sanitati sacris literis tradiderunt imbuen- F
dum. Præterea ne tantum Dei munus silentii supprimeretur ingratitudine, Deo et beatæ Virgini gratias agentes, divinæque manus operationem, quam fide oculata facillimum erat agnoscere, voce publica protestantes, et ipsam in puero vulneris cicatricem, et lapidem ab ipso excisum, nobis in tantæ virtutis testimonium ostenderunt.

* sic trahens?

ANNOTATA.

a *Tota Philippi Prioris scriptio tres distincte complectitur partes : nempe* prologum, *reliquiarum* translationem, *memoratis præviis quibusdam signis;* miracula, *quæ hanc subsecuta sunt. Primum et secundum breviter expedit auctor; tertium valde prolixe tractat.*

b *Forte* recreatur, *id est, reficitur, renovatur.*

c *Desunt verba nonnulla. Sensus perspicuus tamen mansit.*

d *Hucusque prologus.*

e *Tribus sequentibus alineis (quibus nos numeros apposuimus, aliud nihil sive addentes, sive mutantes in*

A *in manuscripti Oxoniensis editione) signa indicantur, quæ translationi præluxerunt.*

f *Colum*, vas ad colandum aptum, coni inversi figura, ut patulo ore accipere humorem possit, quem acuminato fundo stillantem transmittat. *Ita Gesnerus in* Novo linguæ Romanæ Thesauro. *Et Ducangius in Glossario* : Colum accensetur vulgo sacris ministeriis, estque vasculum quoddam subtilissimis foraminibus ab imo fundo perforatum, per quod vinum ex amulis in calicem refunditur. *Videtur hic indicari urna ad formam coli.*

g *Sequenti numero inde usque ad finem exequitur Philippus Prior, quod sibi proposuerat, nempe* librum miraculorum S. Frideswidæ *contexere.*

h *Ex his verbis efficitur* pagum *Philippo Priori idem sonare ac* oppidum, urbem *Oxoniensem.*

i *Hic utique, sicut et frequenter videbitur in sequentibus, obtinet* : quod vidimus testamur. *Philippum autem virum gravem et cordatum fuisse elucet ex ejus non sane vulgari scribendi modo. An ergo ad fidem ejus elevandam satis erit supercilio uti vel scommate? Quid ad hæc Lelandus, Woodus et ipse David Wilkins, qui* historiolam Oxoniensem *non veretur vocare* venerandum antiquitatis monu-B mentum? Pondus et pondus, mensura et mensura : utrumque abominabile est apud Deum. *Confer Comm. præv. n.* 5. Prov. c. xx, v. x.

k *His haud parum confirmantur quæ superiori littera diximus.* D

l Sphærulæ *seu parvæ sphæræ sive globuli.*

m *Ita verba ponuntur. Probabilius legendum* quadriennium.

n *Vide Comm. præv. nn.* 43 *et* 44, *quo loco plura de Fonte illo habentur.*

o *Quid his indicetur, elucet ex hoc eodem* Libro Miraculorum *num.* 8, *ubi narratur de cive quodam Oxoniensi, cujus parvula filia ex collo laborabat, quod* filiam lichno metiens et lichno ceram imprimens, ad beatæ Virginis feretrum candelam obtulit. *Hinc* lichno se metiri *idem sonare videtur ac candelam tantæ altitudinis, quantæ est, qui votum facit, conficiendam curare.*

p *Procreatum hunc suppono ante susceptos a patre Ordines sacros. Certo enim certius obtinebat illa tempestate, in Anglia sicut et in universo orbe catholico, lex cœlibatus. Quod si sacerdos ille infractæ sponsionis reus fuisset, verosimiliter Philippus Prior vel non meminisset sacerdotii, vel notam aliquam sive reprehensionis sive excusationis addidisset.*

q *Vide Comm. præv. n.* 8.

r *Confer dicta superius lit.* p. E

DE SANCTA LAURA VIDUA ET MARTYRE

CORDUBENSI IN HISPANIA.

B. B.

CRISIS HISTORICA.

S. Lauræ res gestæ ex Adversariis Luitprandi et Martyrologio Hispanico Tamayi de Salazar. Adversaria Luitprando abjudicanda; Tamayi asserta commentitia sunt.

ANNO DCCCLXIV. *S. Lauræ encomium ex Adversariis Luitprandi.*

Hujus sanctissimæ fœminæ memoria et nomen hucusque dilituit, nisi Cypriani archipræsbyteri Cordubensis et Luitprandi subdiaconi Toletani opera et scripta e tenebris eruta prodirent. *Ita Tamayus de Salazar ad hunc diem, in Martyrologio Hispanico. Porro Luitprandus in Adversariis* (1) *scribit :* Ætate mea repertum est Corpus S. Lauræ Martyris, ante xc et amplius annos a Saracenis occisæ. Hæc erat de nobilissimo genere Muzarabum Cordubensium et cum S. Aurea Cutheclarensi abbatissa speciali necessitudinis vinculo conjuncta. A parentibus nobili viro data in matrimonium, duas suscepit filias; cum quibus post sex annos eo viduata, ad monasterium S. Aureæ se recipit; sed Aurea paulo post, anno videlicet DCCCLVI martyrali sanguine laureata, Laura in ejus locum assumpta, novem annos monasterium gubernavit. Quo tempore miros virtutum omnium fecit progressus, orationi et corporis macerationi semper intenta. Tandem ad judicem Sarracenorum, fama pervulgante delata, cum in fidei confessione constantissime permaneret, verberibus crudelissime cæsa, balneo ferventis picis immissa, tres horas in divinis laudibus, divino munere complens, evolavit ad cœlum die XIX F Octobris, anno Domini DCCCLXIV. Cujus quidem S. Eulogius non meminit, quia ipse anno DCCCLIX martyrio coronatus fuerat. Reliquiæ B. Lauræ per multas Hispaniarum ecclesias distribui cœperunt et ipsa in magno pretio haberi. *Hæc Luitprandus* (2).

Adversaria non sunt genuinum Luitprandi opus.

2 *Ast eruditi satis hodie consentiunt, Luitprandi opera genuina duo tantum existere,* Antapodosin *scilicet, seu* Rerum ab Europæ Imperatoribus ac Regibus gestarum, libros sex; *et alterum librum de* Legatione *Luitprandi ad Nicephorum Phocam :* Liutprando (*ita enim scribendum contendit Muratorius*) nostro tribuitur *Chronicon de Hispanicis rebus*; tribuuntur et *Adversaria* quædam, in quorum laudem Franciscus Bivarius multa congessit. Ea quoque Laurentius Ramiresius et Hieronymus de la Higuera notis illustrarunt, Matriti et Antuerpiæ edita. Jam diximus hæc Fabulis Romanensibus accensenda, utpote omnino supposititia et mendaciis ad saturitatem referta. Moguntiæ quoque anno 1602 liber *de Romanorum Pontificum gestis a S. Petro usque ad Formosum Papam* prodiit,

(1) Num. 281. — (2) Opera juxta recensionem Ramirezii. Antuerpiæ, pag. 510.

Liutprando

A Liutprando eidem tributus. Sed et hoc opus ab ipso prorsus abjudicandum contendunt eruditi, quippe ab ejus stilo nimis dissonum, et a maleferiato aliquo Germano, fortassis etiam recentiorum temporum, verisimilius profectum (1). *Muratorio consonant Caveus* (2), *Pertz* (3), *Nicolaus Antonius* Bibliotheca veteri, *scriptores* Biographiæ universalis (4), *Domn. Cellier* (5). *Hic ut specialim* Adversaria *Luitprando abjudicet, argumentum ex eo deducit, quod auctor* Adversariorum *ipse se pluries vocet* Bibliothecarium Fuldensem; dum constat, *inquit D. Cellier*, Luitprandum numquam Fuldæ moratum fuisse. *Et re quidem vera, Adversar. n.* 85 *legitur* (6) : Cum essem Fuldæ Bibliothecarius, incidi in codicem conciliorum Toletanorum *etc. Alibi dicitur :* dum fui Fuldæ reperi, *n.* 132; *vel :* sicut legi in libris Gotthicis bibliothecæ Fuldensis *n.* 137; *et tandem :* memini me legisse in bibliotheca Fuldensi *n.* 200.

Non videtur Luitprandus umquam Fuldæ bibliothecarius fuisse.

3 *Posset forte admitti Luitprandum Fuldæ aliquamdiu imo et aliquoties moratum; cum, ut scribit Muratorius** (7), post longum famulatum ita tandem in Berengarii odium incurrerit Liutprandus, ut in Germaniam ad regem Ottonem se recipere coactus fuerit. Quo in exilio circa annum
B Christi 958, historiam suam, sex libris comprehensam, Francofurti ad Mœnum cœptam, absolvit. Rediit in Italiam anno 962. *Ast difficulter quisquam adducetur ut Luitprandum bibliothecarii officio functum Fuldæ credat. Atque ex hac parte subsistit notatio Cellierii. Porro* Adversaria, *de quibus hic sermo, sunt quasi quoddam* Diarium, *in quo, quæ singulis diebus contingerent, auctor inscribebat.*

4 *Quod vero ad ipsum Luitprandum spectat, obiter hic notemus, Tamayum confidenter nimis (quod cæteroquin scriptori isti familiare est quoties sermo incidit de rebus ad gloriam patriæ suæ facientibus) asserere* subdiaconum Toletanum *fuisse. Ducem habuit Franciscum Bivarium, qui in* censura, *operibus Luitprandi præmissa,* hunc gente Hispanum, domo Cordubensem, saltem Boeticum, atque adeo subdiaconum Toletanum facit et una cum parentibus a Saracenis fugatum in Italia consedisse affirmat. *Ast, teste Muratorio* (8) *:* Natione Italum, et ex Papia civitate oriundum, uti Trithemius scripsit, cum veteres tum recentiores censuerunt. *De patria dubius hærere videtur Domn. Cellier :* Juxta Trithemium, *inquit*, Papiæ, juxta Bivarium,
C Cordubæ natus est. *Nullo modo tamen sustineri posse videtur eum subdiaconum Ecclesiæ Toletanæ umquam fuisse. Unde corrigendus A. Beuchot* (9), *qui id diserte affirmat.*

Incidenter quædam de S. Aurea.

5 *Acta sanctæ Aureæ dedimus ad diem* XIX *Julii* (10), *ubi quæstio agitata est, an cœnobium Cuteclarense ad Carmelum an ad Benedictinas spectaret. Cuperus noster non dubitat tamquam certum assumere, prætentionem Carmeli haud esse fundatam; ast simul etiam non undequaque probatum putat, Cuteclarense monasterium Ordinis sancti Benedicti fuisse. Id liquidum, prope Cordubam positum, atque jam inde a sæculo nono claruisse.*

Falsa sunt quæ ex Adversariis de S. Laura traduntur.

6 *Cum ergo* Adversaria *Luitprando abjudicanda sint, et præterea opus illud, judice Muratorio, reperiatur* mendaciis ad saturitatem refertum, *sequitur quæcumque Tamayus de sancta* Laura *tradit (solo enim nititur hucusque Luitprando) vehementer saltem nutare; imo et falsa prorsus esse, ostendit D. Bartholomæus Sanchez de Feria in opere suo :* Palestra sagrada *seu Memoriale Sanctorum Cordubensium,* in crisi Historica de sanctis falso Cordubensi urbi adscriptis (11), *ubi hæc habet :* Ad XIX Octobris anno 864 referunt Luitprandus, Tamayus et Vivar, Cordubæ vixisse sanctam Lauram, viduam prænobilem. Hæc primum sanctimonialis fuit in monasterio Cuteclarensi, cui præerat sancta Aurea, atque ibidem habitavit cum duabus filiabus suis. Mortuæ S. Aureæ successit, novemque per annos magna virtutis cum laude præfatum gubernavit cœnobium. Accusata tandem coram judice, immissa est in balneum picis ferventis, ubi post tres horas spiritum emisit. Addunt laudati scriptores, hujus martyrii non fieri mentionem apud S. Eulogium, eo quod is quinquennio ante vita functus esset. *His breviter expositis, ita prosequitur Sanchez de Feria :* Tota hæc narratio, mera fabula est foco digna. 1° Nulla præfuit (ut in præfata historia supponitur) monasterio Cuteclarensi abbatissa nomine Aureæ, ut evincitur ex sancto Eulogio *qui eam ibidem vixisse tradit. Vide Acta S. Aureæ* (12). 2° Ab anno 856, quo martyrio coronata S. Aurea est, usque ad annum 864, quo palmam adepta supponitur S. Laura, habetur intercapedo octo tantum annorum; nec proinde, mortua Aurea potuit novem annis præ- E
esse Laura. *(Nolim tamen insistere huic notationi, ne in speciem quamdam cavillationis abeat. Cum octo habeantur anni; novem, imo forte decem, dici aliquo sensu possent, prout eorum initium seu exordium et terminus numerantur : octo sunt anni revoluti, nonus potuerit inchoari).* 3° Christiani libere profitebantur dogmata sua, et solum ob hoc morti addicebantur, quod male de Mahometo loquerentur. Quod quidem ignorasse deprehenditur Luitprandus, cum dicat Lauram accusatam, quod christiana esset : nam exinde capitale judicium haud nascebatur. 4° Mauri, juxta legem suam, capite minuebant damnatos ad mortem, quemadmodum, juxta leges nostras *(hispanicas)* capitis damnati suspendio enecantur. Hæc capitis amputatio erat ipsa pœna per legem intenta et statuta. Si igitur Lauram mortis ream judicassent, caput ei, sicut cæteris illa tempestate martyribus, abstulissent gladio, nec balneo ferventis picis immisissent; quod genus supplicii ab usu Maurorum abhorrebat; nec ullum illius occurrit exemplum. Præterea fas non erat condemnatos aliis prævie subjicere tormentis : id enim per leges dictæ gentis non licebat. Benedictus Deus, quod permiserit ut mendacium pro- F
priis suis proderetur vestigiis. *Hactenus Sanchez de Feria, cujus verba ex hispanico in latinum vertimus.*

S. Lauræ epitaphium.

7 *Jam cætera, quæ Tamayus de S. Laura scripsit, expediamus.* Hactenus, *inquit*, Luitprandus, qui brevi calculo Acta describit. Cyprianus vero hoc *Carmen sepulcrale* composuit, quod sic in meo Ms. Codice carminum legitur :

Nobilis hic corpus Lauræ requiescit; et istam
Sarcophagi thecam complent sua pignora sacra.
Hæc proceri conjuncta viro per tempora multa,
Et sobolis mater; tandem Viduata, Monastem
Insequitur vitam, quam protinus Aurea Virgo
Cuteclarensis dedit. Hujus docta trophæis
Denique cœnobii Mater, atque Magistra relucet.
Sed Sarraceni regis contrita furore,
Vulnera post, ignes, cœlum coronata migravit.

Hæc de hac S. Martyre invenire potuimus; cætera Deus scit. *Ita Tamayus* (13).

8 *Sæpius jam in Opere nostro Tamayus, nec immerito*

(1) Muratorius. Rerum Italicarum scriptores. t. II. p. 422. — (2) Scriptorum ecclesiast. Historia litteraria. p. 500. Edit. Genevæ 1720. — (3) Monumenta Germaniæ, t. V. — (4) Ad verbum *Luitprand.* — (5) Auteurs ecclésiastiques. t. XIX, p. 685. — (6) Ubi supra, p. 473. — (7) Loc. cit., p. 420. — (8) Ubi supra. — (9) Biographie universelle. Voce *Luitprand.* — (10) Acta SS., t. IV Julii, p. 651. — (11) T. IV. p. 41 et 42. Edit. Cordubæ 1772. — (12) T. IV Julii, p. 651. num. 2. — (13) In Martyrologio Hispanico, ad diem XIX Octobris.

D. B. quod falso Tamayus adscribit Cypriano Cordubensi.

merito sane, vapulavit, non solum dum Pseudo-Dextri commenta obtrudit, sed etiam ubi codicem suum Ms. carminum præfert. Exemplo sit Janningus noster in Tractatu præliminari *ad tomum I Julii, pag.* 45. Credidero, *inquit,* ego totum Tamayi Carminum codicem Ms. (alibi enim sæpe alia, veluti antiqua epitaphia, indidem promit æque insulsa) alterius Pseudo-Dextri partum esse potius, quam epitaphium illud esse tam antiquum. *Agitur de epitaphio SS. Carpophori et Abundii. Nec benignius tractatur Tamayus a Nicolao Antonio in Bibliotheca Hispanica.* De Hispanica historia non optime meritus, utpote Pseudo-Dextri et spuriorum similium historicorum assecla et propugnator. Ex quorum fere scriniis parum feliciter compilavit Martyrologium Hispanicum. *Ita Nicolaus in* Bibliotheca nova *ad vocem* Joannes Tamayus de Salazar. *Item t. I Bibliothecæ Veteris lib.* VI, *cap.* VII, *ubi de Cypriani scriptis disputat.* Cyprianus, *inquit,* Cordubensis Ecclesiæ Archipresbyter, poeta suo tempore nonnullius nominis, cujus aliqua exstant etiamnum germana, sive epigrammata, sive epitaphia, sive hymni; aliaque carmina in libris Mss. Aliqua eidem supponuntur ab eis, qui larvam antiquitatis sibi adaptantes, nihil magis quam fallere
B ac de historia ludere amant.

Genuina Cypriani Carmina enumerantur.

9 *Tum genuina recenset Cypriani Carmina ex codice Joannis Lucæ Cortesii, in hunc modum :* Incipiunt epigrammata Domini Cypriani, Cordubensis sedis Archipresbyteri :

I. De Bibliis sacris repositis a comite Adulpho, Cordubæ in ecclesia S. Acisceli.

II Item ejusdem, ad petitionem Zoili filii sui, in finem bibliothecæ, quam scripserat Saturnino archidiacono.

III. Aliud Epigramma sine titulo.

IV. Epigramma ad comitem Guifredum et illius conjugem Guisindam.

V. Item aliud ejusdem in Flabellum ejusdem D Guisindæ comitissæ.

VI. Epitaphium, quod idem in sepulcro Domini Samsonis edidit metro heroyco.

VII. Item epitaphium ab eodem editum super sepulcrum Hermildis famulæ Christi.

VIII. Item super tumulum sancti Joannis confessoris.

IX. Hymni duo ejusdem in festivitate sanctæ Leocadiæ virginis et martyris, civis et patronæ urbis Toleti. *Hos tamen desiderari in isto suo codice Cortesius adjunxit.*

Epitaphium S. Lauræ spurium est.

10 *Addit Nicolaus :* Hæc Cypriani carmina sunt, quæ pro germanis ejus haberi debent, nisi producantur aliunde alia minime suspecta. Qualia sunt *(scilicet suspecta)* fere omnia, his exceptis, quæ in Martyrologio Hispano Joannis Tamayi passim leguntur. Quorum elenchum hic damus, ex codice quodam Ms. carminum Auli Hali et aliorum, quo fere omnibus utitur paginis, ut ait, desumptorum. *Inter hæc notatur Epitaphium S.* Lauræ. *Atque hæc ad propositum nostrum, in re alioquin satis aperta, sufficiant. Qui plura voluerit adeat* Bibliothecam Veterem *Nicolai loc. cit.* E

Conclusio.

11 *Ex his colliget eruditus lector, quæcumque de* S. Laura *tradit Tamayus, commentitia merito censeri. Utrum vero in Ecclesia Cordubensi vel alibi* Laura *cultum habeat, cum alius testis nobis præ manibus non est, præter solum Tamayum, saltem vehementer dubitare fas sit. Atque ex hoc capite inter* Prætermissos *de ea potius agendum fuisset. Quoniam tamen non abs re nobis visum est, paulo diligentius hic loci Tamayi commenta excutere, prolixior evasit tractatus, quam ut in serie Prætermissorum commode collocaretur. Confer supra Acta S. Verani, hoc ipso die* § I.

DE B. THOMA HELIA PRESBYTERO,

BIVILLÆ IN NORMANNIA INFERIORI.

A. T. C

COMMENTARIUS PRÆVIUS. F

§ I. B. Thomæ memoria in fastis sacris. Biographi veteres et recentiores. Aliqua horum asserta examinantur.

ANNO MCCLVII. Thomas Helias

In illa Normanniæ inferioris parte quæ Oceano Britannico, quem Galli, ut notat Valesius (1), *Manicam a figura vocitant, magnam partem cingitur, unde pro hodierna Galliæ divisione præfectura Manicæ (vulgo* département de la Manche) *nuncupatur, et quum olim duas constitueril diœceses Constantiensem atque Abrincensem, nunc tota in rebus ecclesiasticis subest episcopatui Constantiensi, situs est vicus mari vicinus Bivilla, paulo amplius tribus a portu Cæsarisburgensi (gallice* Cherbourg *dicto) in occidentem leucis. Illustratur hic locus natalibus ac sepulcro* Thomæ Heliæ *presbyteri,* XIX *Octobris* 1257 *defuncti, quem Normanni passim* beatum *et* thaumaturgum *appellant, cultuque publico jam inde a felici obitu ex omni memoria ætatum prosequuntur. Qui cultus quamvis ab apostolica Sede hactenus non fuerit agnitus, atque adeo, ut olim variis temporibus, sic nostra etiam ætate apud eamdem Sedem supplicatum fuerit ut solemniter sanciatur atque approbetur : nihilominus dubium non est quin honores publici* Thomæ *tamquam Beato dudum ante collati quam Urbanus VIII modum cultui Servorum Dei posuerat, omnino cadant sub casu excepto qui ex longissimo temporis cursu, accedente Ordinarii tolerantia, petitur ; ac proinde legitima sit eorumdem honorum continuatio, etsi eos ulterius amplificare absque permissione Romani Pontificis jam non liceat* (2). *Quocirca more*

(1) Notit. Galliar., art. *Gallicus Oceanus*, p. 218. — (2) Cfr. Benedictus XIV, de Beatif. et Canoniz., lib. II, cap. XVII et seqq.

institutoque

A *institutoque majorum nostrum, qui Sanctis ac Beatis Ollegario, Nicolao Albergato, Joanni Nepomuceno, Joanni de Monte-Mirabili, Nicolao de Furca-Palenæ, Evangelistæ et Peregrino Veronensibus, Salvatori de Horta, Jacobo de Bitecto, Nicolao de Flue sive de Rupe, Tarasiæ seu Teresiæ et Sanciæ reginis, Joannæ Alphonsi V Lusitaniæ regis filiæ, Margaritæ Lovaniensi, Humilianæ de Cerchis, Mariæ de Capite uxori S. Isidori, aliisque multis casus excepti privilegio gaudentibus locum in opere nostro dederunt, non expectato Summorum Pontificum de cultu illorum judicio, nobis pariter in præsentia de B.* Thoma Helia *agendum est.*

laudatur a Saussayo

2 *Duplex ei elogium texuit Saussayus. Primum in Martyrologii sui Gallicani corpore, recensitis Galliæ Sanctis qui* XIX *Octobris coluntur, minoribus typis ita scribit :* Perrexit ad Christum felicissimo tramite Helias sacerdos, parœcus ecclesiæ Sancti Mauritii in Constantiensi præsulatu, vir admirandæ abstinentiæ, patientiæ, castitatis, misericordiæ, pietatis et innocentiæ, quem vivum et defunctum divina operatio clarificavit. *Deinde in Corollario ad eumdem diem rursus de eo hunc in modum loquitur :* Beatæ memoriæ Thomas Helyas B rector ecclesiæ parœcialis Sancti Mauritii in diœcesi Constantiensi, et communis inferioris Normanniæ apud Deum advocatus, dictus ob edita in vita et post mortem ac in hos usque propagata dies innumera miracula gloriosus Normanniæ thaumaturgus, in parœcia natali de Bivilla ejusdem diœcesis sanctissime expirat feria sexta post festum Sancti Lucæ Evangelistæ, quæ erat XIX Octobris anno a Redemptione nostra 1257; sicut jam in Martyrologio isto eadem die obiter notatum est, inque operis commentariis (ubi lumina ejus glorificationis ampliora apparebunt) fusius commemorabitur. *At hos commentarios Saussayus numquam in lucem emisit.*

Castellano, aliisque martyrologiis;

3 *Triennio postquam Martyrologium Saussayi prodierat, nempe anno* 1640, *ut discimus ex nupero B.* Thomæ *biographo* (1), *clerus ecclesiæ S. Laudi Rotomagi, quæ ecclesia olim jurisdictioni episcoporum Constantiensium subfuit* (2), *Kalendario Manualis sui ad diem* XIX *Octobris sequentia inseruit :* Venerabilis Thomas Helye presbyter. S. Ludovici regis eleemosynarius, sanctitate insignis, in diœcesi Constantiensi moritur anno Christi millesimo du- C centesimo quinquagesimo septimo. *Castellanus in suo Martyrologio universali mentionem de eo facit hi ce verbis, quæ ex gallicis in latina vertimus :* Vallivillæ in diœcesi Constantiensi Venerabilis Thomæ Helyæ presbyteri, qui Bivillæ in eadem diœcesi sepultus est. *Qui vero Castellani vestigiis plerumque insistit D. de Saint-Allais ita habet :* Venerabilis Thomæ Helyæ presbyteri, qui anno 1257 obiit, coliturque Vallivillæ in diœcesi Constantiensi. *Sic et Martyrologio vel potius Catalogo Sanctorum Galliæ, qui anno* 1828 *adjectus fuit novæ editioni Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ, inscribitur* Ven. Thomas Helias (3). *Nec quemquam movere debet quod* Thomas *in hisce fastis* Venerabilis *tantum audit. Etenim hoc loco plane usuvenit Syskeni nostri Vitam B. Joannis de Monte-Mirabili commentantis de re simili animadversio* (4) : Castellanus...... illum titulo Venerabilis dumtaxat appellavit, nimirum quia nullo Officio Missaque celebratur..... Sed quæ de antiquo B. Joannis de Monte-Mirabili continuatoque cultu hactenus produxi, locum illi in opere nostro debitum esse probant; *quia scilicet Missa et Officium, utut præstantissimæ cultus ecclesiastici partes, non tamen ejusmodi sunt ut ad hunc constituendum necessario requirantur.*

A. T.

et in Normannia passim Beatus *audit.*

4 *Imo vero, etiamsi is de quo agimus, a nemine umquam* Beatus *dictus fuisset, ne ideo quidem, dum aliunde de cultu constat, excludendus a nobis foret; ut perspicue demonstrant exempla a Papebrochio in hanc rem olim allegata.* Sic, *inquit ille* (5), Martio nostro inseruimus ad diem XXII et XXVIII Acta Nicolari de Rupe et Mariæ de Malliaco sub nudo titulo Venerabilium, ne scilicet primi essemus in tribuendo illis titulo Beatorum, quibus tamen Beatorum cultum publice indultum probabamus. Et tali utentes moderatione, non putavimus argui nos posse vel inobservantiæ erga pontificia decreta vel exceptionis personarum aut nationum, *etc. Ac recte quidem de cultu Nicolai de Rupe decessores nostros judicasse ipse comprobavit eventus, quandoquidem a S. Rituum Congregatione* XXI *Novembris* 1648, *annuente Innocentio X, confirmata fuit sententia quam pridem Constantiensis in Helvetia episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus tulerat,* E constare de casu excepto per longissimi temporis cursum, *ut Benedictus XIV refert* (6) : *quæ quidem sententia decessoribus nostris anno* 1668, *quando tomum tertium Martii ediderunt, nondum innotuerat. Verum hisce exemplis, quæ ex abundanti adduxi, opus haudquaquam hic habemus, quum* Thomas Helias *a sex fere sæculis* Beatus *appelletur communi popularium suorum suffragio : cujus testes sunt non solum ejus biographi mox a nobis recensendi, sed et alii plerique omnes qui de eo aliquid scriptis mandarunt, quorum unum modo ex superstite Bollandi schedula citare satis habeo P. Jacobum Marchant Societatis nostræ sacerdotem, qui Cadomo anno* 1653 *ita de B.* Thoma *ad Bollandum perscribebat :* Hic passim in Normannia vocatur le Beat Thomas, et floret adhuc miraculis. *Unde nec reprehendenda est illa annuntiatio, quæ inter additiones ad Martyrologium Romanum præsenti die legitur in opere hagiographico P. Francisci Giry* (7) : In diœcesi Constantiensi in Normannia Beati Thomæ Heliæ presbyteri admirandæ sanctitatis; *sicut etiam* Beatus *dicitur circa finem compendii Vitæ suæ quod in eodem opere legitur* (8), *licet titulus hujus compendii* Venerabilem *solummodo eum vocet.*

F

Vitam ejus Clemens synchronus

5 *Vitam B.* Thomæ *primus scripsit auctor synchronus, cujus nomen creditur fuisse* Clemens, *quod scriptioni ejus præfigitur, nisi nos fallant apographa quæ præ manibus habemus. Is præterquam quod de Beati rebus multa per semet viderat manibusque, ut ait, contrectaverat, insuper profitetur se præsentem interfuisse examinationi testium quarto post obitum ejus anno institui cœptæ, atque ipsum volumen in quod acta hujusce inquisitionis relata erant, penes se fuisse asservatum : ex quibus adjunctis haud temere, ut opinor, concluserimus eum clero fuisse adscriptum. Et quidem presbyteratus ordine insignitum fuisse, inde argui potest quod Alanum, cui opus suum destinabat, fratrem carissimum appellat; hic autem non videtur fuisse alius quam Alanus Bivillensis ecclesiæ S. Petri parochus, qui anno* 1317 *cum aliis piis viris, uti postea referemus, initium dedit confraternitati in honorem B.* Thomæ *institutæ : ait enim Clemens hunc scribendi laborem eo consilio a se fuisse susceptum rogatu Alani, ut*

(1) Colin. Vie du B. Thomas Hélye, p. 159. — (2) Cfr Farin. Hist. de la ville de Rouen, t. II, p. 39 et seqq. edit. 1731. alias 1738 ; Gall. Christ. nov., t. XI, col. 868. — (3) Martyrol Gallican ou Catalogue général etc., p. 92. Paris 1828. — (4) T. VIII Sept., p. 218. — (5) T. VII Maii, p. 719. — (6) Loc. cit. cap. XXIV, § IV. — (7) Vies des Saints. t. II, col. 1466, edit. Paris 1719. — (8) In appendice, t. II, col. LVIII, LIX et LX.

A. T.

is accuratam aliquam gestorum ac miraculorum B. Thomæ narrationem haberet, quam peregrinis Bivillam undique adventantibus, a quibus frequenter de Beati rebus interrogabatur, exhibere posset, ex ea ostendendo quid imitari deberent vel mirari; quæ sane omnia viro munere parochiali fungenti apte conveniebant. Illud quoque quod jam ex allegatis satis colligitur, nempe Alanum cujus hortatione Clemens scriptionem aggressus est, res B. Thomæ parum habuisse perspectas, argumento esse potest hunc nonnisi aliquanto post Beati ætatem spatio elapso, quod facile viginti aut amplius annorum esse potuit, parochiæ Bivillensi regendæ fuisse præpos tum, proindeque eumdem fuisse quem anno 1317 adhuc egisse in vivis modo dicebamus. Quod si ita sit, tempus quo Clemens opus suum exaravit, fere ad sæculi XIV initium reducendum esse existimaverim. Post annum 1274 scripsisse certum est; siquidem loquitur de morte Joannis de Esseyo episcopi Constantiensis, quæ illo anno contigit.

et alii duo veteres.

6 Asservata fuit ipsius lucubratio in codice membranaceo ecclesiæ Bivillensis, ex quo tria nobis apographa suppetunt inter collectanea Bollandiana, quæ nunc in Bibliotheca Burgundica Bruxellis cu-
B stodiuntur. Primum Parisiis anno 1642 ad Bollandum nostrum misit P. Jacobus Dinet, Ludovici XIII regis confessarius. Secundum Henschenius ac Papebrochius, dum anno 1661 Roma redeuntes per Galliam iter agebant, dono acceperunt a celeberrimo Petro Daniele Huetio, qui postea fuit Abrincensis episcopus. Tertium iisdem impertiit P. Petrus Champion S. J. anno 1672. Huetianum exemplar solam Vitam B. Thomæ repræsentat, in aliis duobus ad Vitam accedunt miracula illa omnia quæ Clemens eidem subnexuit, quum ex prima juridica informatione, cui ipse interfuerat, tum ex secunda, quæ circa annum 1272 locum habuit. Ex hisce igitur tribus exemplaribus inter se collatis Vitam cum miraculis post hunc commentarium edemus, hisque recentiora miracula ex variis scriptoribus adjiciemus. Idem quem diximus codex, ut nuperus biographus tradit ex annotatione quadam bibliographi Angli Dibdin (1), duas alias Beati Vitas continebat: quarum altera carminibus constabat gallicis, sæculo XIII exeunte, ut creditur, compositis a Joanne Helta sive Hélye B. Thomæ cognato; altera scripta erat latine soluta oratione ab auctore non aliunde noto quam ex apposito hocce disticho:

C Nomen Baptistæ: cognomen nominis iste
Gessit qui dudum vestivit frigore nudum

Quo indicari videtur Joannes Baptista Martin: nam quæ posteriori versu canit, S. Martinum adhuc catechumenum et militem respiciunt, qui cum nihil haberet, ut verbis Breviarii Romani utar (2), præter arma et vestimentum quo tegebatur, Ambiani pauperi ac nudo petenti ut Christi nomine sibi eleemosynam tribueret, partem chlamydis dedit. At neutrum ex duobus modo laudatis scriptoribus quidquam de B. Thoma retulisse quod non retulerit etiam Clemens, satis apparet ex biographis illius recentioribus, qui vix ulla alia facta narrant quam quæ apud Clementem reperire est: imo si qua hujus narrationi addunt, hæc ex traditione repetunt, non ex antiquis illis scriptis. Porro codicem illum Bivillensem circa finem sæculi XVIII amissum fuisse testatur Stephanus Joseph Leverrier Bivillensis eo tempore parochus, in compendio Vitæ B. Thomæ a se concinnato ita loquens (3): Scripta fuit ejus Vita a viris piis coætaneis, versibus et soluta oratione, in membranis quæ servabantur in ecclesia de Biville, et quæ perierunt in infanda revolutione. D

dein plures recentiores

7 Aliquid nunc dicendum de præcipuis biographis quos Beatus post inventam artem typographicam nactus est. Horum primus, quoad rescitur, fuit P. Franciscus Lemyere seu (ut hodie scribunt) Lemière Ordinis Minorum observantium in conventu Bajocensi theologus. Actis ac miraculis a Clemente enarratis, quæ gallico expressit stylo, miracula addidit viginti et unum, intercessione Beati patrata ab anno 1624 ad annum usque 1632, quo libellum suum in lucem dedit cum epistola dedicatoria ad Guillielmum Hélye Lisernæ dominum, rei frumentariæ apud Bajocas regis nomine præpositum. Ex eo libello dein confecta fuere varia Vitæ B. Thomæ compendia, ut mox patebit. Post hæc rebus B. Thomæ illustrandis sedulam operam navavit vir ejusdem cum eo cognominis, Joannes Hélye xenodochii Constantiensis canonicus regularis et ecclesiæ S. Petri in ea civitate parochus. Nihil is prætermisit ut accuratam de omnibus quæ ad Beatum spectabant, notitiam nancisreretur. Quæcumque de eo manuscripta extabant in ecclesia S. Petri Bivillæ, sibi communicari curavit, interposita auctoritate Petri de Blanger vicarii generalis episcopi Constantiensis, cujus de hac rescriptum testimonium etiamnum su- E
perest; consuluitque insuper excusos libros quicumque de virtutibus miraculisque Beati agebant, cujusmodi erant, prout ipse eos recenset, liber P. Francisci Lemière, de quo jam diximus, opera hagiographica tam P. Antonii Girard S. J. quam PP. Simonis Martin et Francisci Giry Ordinis Minimorum, elogia sacra Renati de Cérisiers, necnon Martyrologium Gallicanum Andreæ Saussayi: ad hæc usum se testatur virorum proborum ac fide dignorum relationibus. Hisce adjutus subsidiis vir diligens acta B. Thomæ pluribus capitibus explicuit, nonnulla de ejus cultu retulit, nec solum antiquiora et jam vulgata miracula iterum memoravit, verum etiam vulgavit multa alia quæ ex scriniis Bivillensis ecclesiæ collegerat, omissis pluribus, quæ licet inibi referrentur, argumentis tamen satis firmis haud probari animadvertit: quæ cautio prudentem utique prodit scriptorem ejusque dictis fidem conciliare nota est. Opus suum membranis inscriptum anno 1691 dedicavit Constantiensi antistiti Carolo Francisco de Loménie de Brienne, ipsumque volumen originale parochiali ecclesiæ Bivillensi dono dedit, in qua adhuc asservatur; ac juxta illud anno 1822, ex F
speciali licentia die XXVIII Aprilis 1821 concessa a Petro Dupont-Poursat, qui tunc Constantiensi diœcesi præerat, excusa fuit hæc ipsa B. Thomæ Vita, recentioribus aliquot miraculis locupletata (4).

sedulo conscripserunt.

8 Commendantur etiam quæ de B. Thoma ejusque gloria posthuma Carolus Trigan Digovillensis parochus sæculo proxime elapso inseruit libro suo de vita ac virtutibus Antonii Paté parochi Cæsarisburgensis (5), et nova quædam Beati Vita quam nostra ætate quidam anonymus edidit cum prævio de cultu Sanctorum reliquiarumque veneratione commentario (6). Nobis autem ex libris hucusque recensitis nullus præsto est præter illum P. Francisci Lemière et Vitas Sanctorum a PP. Simone Martin et Francisco Giry collectas. At quominus cæteros magnopere desideraremus, effecit R. D. Joannes Lud. Aug. Colin parochus Joburgensis, qui novam B. Thomæ biographiam, Ill. D. Ludovico Joanni Robiou præsuli Constantiensi dicatam, anno 1840 publici juris fecit, a qua nihil eorum quæ præcedentes Vitæ complectuntur, abesse passus est; quin potius perplura hisce addidit, insigni cura atque industria ex variis

(1) Colin. op. cit., p. 155 et 156. — (2) Ad XI Novemb. — (3) Colin, op. cit., p. 155. — (4) Ibid., p. 161 et seqq. — (5) Ibid., p. 166 et seqq. — (6) Ibid., p. 169.

documentis

A *documentis editis ineditisque collecta* (1) : *ita ut solus hic liber nobis omnium de B.* Thoma *vulgatorum librorum loco esse possit, præcipuusque futurus sit fons unde in hunc commentarium nostrum derivemus ea quæ Vitæ a Clemente primario biographo scriptæ pro operis nostri instituto præmitti necesse est. Quod equidem præsertim intelligi velim de iis quæ R. D. Colin circa cultum Beati ad nostra usque tempora continuatum docte pieque scripsit. Nam ut candide fatear, quantum ad ipsa Beati acta nemo mihi scriptor Clemente potior est : unde si quid apud recentiores legatur quod aut omnino a Clementina narratione dissonet aut saltem non satis bene cum ea componatur, licere mihi arbitrabor id pro commentitio vel minimum pro suspecto sive ex toto sive ex parte habere ; quam mihi veniam pii B.* Thomæ *cultores pro suo veritatis amore haud gravate, ut confido, dabunt.*

Quæritur quot fere annos vixerit,

9 *Spatium vitæ quam Beatus inter mortales exegit, septuaginta annis a R. D. Colin definitur, consequenterque natus esse statuitur anno* 1187, *regnante in Gallia Philippo Augusto, et Normanniæ ducatum tenente Henrico II Angliæ rege* (2) : *quamquam ipse scriptor confitetur ætatem ad quam Beatus pervenit, a nemine superiorum biographorum* B *satis diserte indicari* (3). *Sic autem calculum suum instituit ut ab anno ætatis tricesimo quinto, quo sacrum diaconatus Ordinem ei collatum fuisse supponit* (4), *numerandos primum dicat annos duos Romam et Compostellam peregrinando insumptos, deinde quatuor Parisiis studio theologiæ datos, tum viginti sex quos Beatus sacerdotio insignitus totos impenderit evangelicis per Normanniam inferiorem laboribus, postea annum aut paulo plus, partim in aula S. Ludovici regis, partim in munere parochi ad S. Mauritii transactum, ac denique fere biennium, quo morbis infirmitatibusque Birillæ aut in vicinia fuerit afflictatus* (5). *At Clementem modo audiamus, qui tempus quod a suscepto a B.* Thoma *sacerdotio ad mortem ejus usque effluxit, hisce determinat verbis :* Animarum lucris ardenter insistens, ecclesias omnes dictarum diœcesium *(videlicet Constantiensis et Abrincensis)* per annos circiter viginti duos, in omnibus, ut præfertur, saltem semel, in majoribus bis aut ter prædicans, pedes, et ante obitum suum circiter quatuor nudipes, visitans incedebat. Ascendebat tamen in equum quandoque, cum promisisset ad aliquam ecclesiam C proficisci, non propter se, sed propter expectationem populi, ne tædio gravaretur. Ante obitum suum per biennium vel circa varias in variis locis infirmitates sustinuit corporales. *Quæ verba, quantum equidem intelligo, minime requirunt ut annis viginti duobus alios quatuor annos superaddamus, quibus Beatus nudis pedibus ecclesias obierit, et duos adhuc alios, qui vitæ ipsius postremi fuerint ; sed potius dicendum opinor duos hosce intra illos quatuor, et quatuor rursus ipsos intra viginti duos contineri. Nam ultimo etiam vitæ biennio Beatum a discurrendo per varia loca non abstinuisse, licet morbis nonnumquam detentus fuerit, satis innuit postrema quam allegavimus Clementis phrasis ; et quadriennium de quo idem Clemens superius loquitur, unice respicere videtur pedum nuditatem, quod per octodecim præcedentes annos, ex nostra sententia, Beatus pedes quidem plerumque, at calceatus tamen itinera sua apostolica fecerit. Itaque presbyterum eum ordinatum credimus anno* 1234 *aut* 1235, *septennio fere serius quam statuit R. D. Colin. Ac nostræ huic conclusioni favet aliud Clementis assertum, nimirum B. Thomam sub quadriennio quo Parisiis degit priusquam sacerdos fieret, scholarem fuisse Hugonis de S. Theuderio, qui theologicam ibi scientiam tunc temporis docebat. Qui, pe ex serie rerum ab Hugone gestarum liquet annum* 1230 *jam cucurrisse, quando is Sententiarum libros publice legere primum cœpit : ingressus autem fuerat Ordinem Prædicatorum* XXII *Februarii* 1225, *neque antea theologicas, sed juridicas prælectiones habuerat* (6). *Cæterum maturæ ætatis virum fuisse B.* Thomam, *ubi ad sacerdotium promotus fuit, omnino nobis cum R. D. Colin convenit : nam, teste Clemente, prius* rexit cholas in grammaticalibus multis in locis, *dein aliquamdiu in loco natali religiosissime versatus fuit, postea Romanam ac Compostellanam suscepit peregrinationem, et Parisiis quatuor annos vixit ; inter quæ omnia ad ætatem jam valde confirmatam pervenerit oportet. Quare et verisimile nobis est eum, dum ad cœlos abiit, septuagenario non multo minorem aut fortassis etiam majorem fuisse ; præsertim quod* plenum dierum obivisse *Clemens quoque asseveret.*

et num eleemosynarii ac parochi munera,

10 *Ad ea nunc venio facta quæ ad Clementis narrationem a recentioribus adduntur scriptoribus. P. Franciscus Lemière hæc ita exponit* (6) : S. Ludovicus Galliæ rex, cujus tota domus ac familia sancta erat, B. Thoma ministro sacrorum uti voluit. E Cujus tanti principis votis quum is obsistere honeste non posset, munus eleemosynarii regii accepit ; eoque tam sancte functus fuit ut nonnisi ægerrime licentiam inde discedendi rex ei tandem concesserit.... In Normanniam inferiorem reversus Beatus, officium parochi ad S. Mauritii in diœcesi Constantiensi exercendum suscepit ; ubi tunc ex obligatione illa omnia præstitit quæ antehac præstiterat alibi ex caritate. Populum illum intra breve tempus ad probitatem informavit : quo facto, cum divinæ custodiæ atque alterius parochi ductui relinquens, Bivillam secessit. *Eadem R. D. Colin ex Joanne Hélye prolixius evolvit, nonnullisque rebus auget* (8) : *videlicet intercessione B.* Thomæ *inter cætera obtentum videri diploma quo S. Ludovicus partem sylvæ Brixensis concessit xenodochio Constantiensi ; item Beato ex aula in patriam redeunti a Sancto rege donatam fuisse casulam sericam auro argentoque intertextam cum stola pretiosa, necnon calicem et patenam ex argento inaurato, quæ regia donaria hodieque Bivillæ visuntur ; tum Bivillam venisse Joannem de Esseyo* F *Constantiensem episcopum, Beatoque parochiam S. Mauritii administrandam commisisse hisce verbis :* Multos pauperes nutriendos, multos ægros consolandos et sublevandos, multos sudores laboresque exantlandos, en quales tibi decimas qualesque proventus offeram ; *exindeque Beatum per septem menses, ut quidam scriptores volunt, vel annum integrum aut etiam sesquiannum, ut aliis placet, dictæ parochiæ præfuisse, et in hujusce rei memoriam adhuc servari casulam, albam et cingulum, quibus ibidem inter sacrificandum usus fuerit. Hanc quoque casulam, quod biographi B.* Thomæ *tacent, ex munificentia S. Ludovici provenisse innuit auctor Summarii sæculo* XVII *exeunte compositi, quod inscribitur* Idea cultus immemorabilis exhibiti Beato Thomæ, *atque a R. D. Colin publici juris factum est* (9). *Postquam enim ex Historia antiqua, id est, ex Vita a Clemente conscripta, quatuor assignavit capita quæ ostendant quanta sancti-*

(1) Ibid., préface, p. III. Cfr Ami de la Religion, n° 3478, t. CX, p. 351 et 352. — (2) Pag. 2. — (3) Pag. 97 et 98. — (4) Pag. 26. — (5) Pag. 84, 91 et 98. — (6) Cfr Quétif et Echard, Script. Ord. Præd., t. I, p. 425 et 195. — (7) Récit de la vie et des miracles du B. Thoma Hélye, p. 35 et 36. — (8) Pag. 83 et seqq. — (9) Pag. 195 et seqq.

moniæ

A. T.

moniæ opinione Thomas *adhuc vivens apud homines frueretur, ita quintum ex Traditione propinit :* Propter sanctitatis famam S. Ludovicus rex Galliarum ipsum creavit suum eleemosynarium.... Ipsi donavit calicem argenteum et auratum cum patena et duas casulas pretiosas. *Prætermittit vero scriptor ille parochatum Beati San-Mauritiensem, quamvis paulo inferius hæc de illa parochia annotet* (1) : Erectio sive initium processionis triennalis cleri et incolarum S. Mauritii ad sepulchrum dicti B. Thomæ, quæ hucusque perseveravit, circa an 1260.

hoc in S. Mauritii,

11 *Sane hæc parochiæ S. Mauritii erga B.* Thomam *pietas, quæ pluribus etiam aliis indiciis se inde a multis sæculis prodidit, et ornamentorum ejus sacerdotalium ibidem conservatio, præter quæ et os ex ejusdem lacerto illic habetur* (2), *aliquam. præbere videntur demonstrationem insignia fuisse Beati sacerdotis erga populum jam dictum merita ; utrum tamen vere et proprie parochus eidem præfuerit, non ita videtur extra omnem dubitationis aleam positum ut firmiora hujus rei argumenta desiderare non liceat. Neque ea quæ de S. Ludovici regis cum B.* Thoma *commercio vulgo recepta sunt, sine* B *aliquo temperamento admiserim. Hujus namque commercii initium, ut R. D. Colin non diffitetur* (3), *citius poni nequit quam anno* 1254, *et eo quidem magna sui parte jam elapso : quandoquidem S. Ludovicus, quum ex portu Acconensi seu Ptolemaidis solvisset die* XXV *Aprilis illius anni, appulit mense Julio ante portum Olbiensem in Provincia ; unde terrestri itinere Parisios advenit die* VII *Septembris, quin ad Normanniam interim deflexisset, uti ex serie locorum per quæ transiit, manifestum est* (4). *Jam si cum recentioribus biographis admiseris Beatum ex aula regia reducem parochiæ S. Mauritii præpositum fuisse, sique cum iisdem a secessu ejus ex hac parochia numeres annos fere duos, quos ante mortem suam Bivillæ* (5) *vel Vallivillæ* (6) *ægrotus transegerit, consequenter statuere debebis parochiale officium non tardius ab eo susceptum fuisse quam anno labente* 1255, *imo quæcumque de Beati commoratione apud S. Ludovicum illiusque parochatu a biographis quos diximus traduntur, si omnia vera forent, necessario concludenda esse intra temporis spatium quod ab ultimis mensibus anni* 1254 *usque ad finem circiter anni proxime sequentis effluxit. Atqui, ne modo repetamus id quod pridem ex Cle-* C *mente ostendimus, id ipsum spatium temporis ad illos quatuor annos pertinere quibus Beatus ecclesias patriæ suæ, uti antea calceatus fecerat, nudipes obire consueverat : ne hoc, inquam, iterum dicamus, certe iis qui Beatum anno* 1255 *in aula regia atque exinde in parochia San-Mauritiensi versatum fuisse opinantur, difficultatem non modicam facessere illud debet quod inter narranda ejus miracula refert Clemens, neque ipse R. D. Colin commemorare omisit* (7), *eum intra hebdomadem sanctam ejusdem anni prædicasse in cæmeterio S. Georgii juxta S. Laudum ; ex quo satis apparet eum tunc missionibus sacris pro more suo frequentandis nondum valedixisse : ut hinc etiam magis in ea me obfirmem sententia, quam superius proposui, apostolicis viri sanctissimi per varia loca discursionibus nonnisi extrema ipsius ægrotatione finem impositum fuisse.*

illud apud S. Ludovicum regem, exercuerit.

12 *Interim traditioni de mutua S. Ludovicum inter et B.* Thomam *necessitudine, cujus monumentum etiamnum superest apparatus sacrificalis regii plane splendoris, refragari haudquaquam velim ; sed eam ultro libensque amplector, dummodo ad talem redigatur formulam quæ disertis Clementis testimoniis non repugnet : quidquid enim hisce contrarium esse deprehenditur, adventitium esse illi traditioni et paulatim decursu temporis, ut fit, ornamenti gratia ei adjunctum reor. Demonstravit autem Stiltingus noster* (8) *Sanctum regem anno* 1256 *adiisse Normanniam, eamque fere totam perlustrasse, et multa ibidem religiosis præsertim et pauperibus beneficia contulisse. Sub hac ergo Normanniæ lustratione, quæ mense Martio jam cœpta erat nec ante mensem Augustum finem accepit, contigisse crediderim ut S. Ludovicus B.* Thomam *obvium alicubi habuerit, vel auditis multorum de ejus eximia sanctitate zeloque apostolico sermonibus, pro eo quo erat erga pios omnes sincerosque Dei cultores animo, hominem ad sese accersiverit, ac fortassis aliquamdiu apud se detinuerit. Ad hæc, si attendamus quod in Chronico abbatiæ Savigniacensis, ut observat Stiltingus, scriptum legitur :* Et in diebus illis plurima monasteria in Normannia visitavit, et pannos plurimos olosericos eisdem obtulit, necnon et multas eleemosynas in eadem provincia fecit ; *non est utique cur mirum videatur, tum quod munificus rex presbyterum sanctissimum Normanniæque apostolum per eam occasionem pretiosissimis donaverit vestibus* E *vasibusque sacrificalibus, tum quoque quod eumdem eleemosynarum in pauperes distribuendarum arbitrum aliquando fecerit : quo quidem sensu regius eleemosynarius jure dici potuerit ; quin oporteat ut admittamus, quod admitti nonnisi ægerrime potest, eum id muneris in ipsa Sancti regis aula tempore aliquo exercuisse. Et hæc quidem de B.* Thomæ *actis animadvertisse satis habemus. Reliqua, si qua sunt, in Annotationibus ad Vitam ejus a Clemente scriptam locum invenire poterunt.*

§ II. Acta pro canonizatione B. Thomæ, et cultus ei præstitus usque ad turbas in Gallia ortas circa finem sæculi XVIII.

Causa canonizationis mox ab ejus obitu cœpta.

V*ixdum B* Thomas *animam efflaverat, quum statim de canonizatione ejus a Romano Pontifice efflagitanda cogitare cœpit Joannes de Esseyo episcopus Constantiensis, tam sua de Beato existima-* F *tione quam prodigiis quæ ad tumulum ejus contigisse acceperat, permotus. Itaque quindecim a felici illius obitu nondum evolutis mensibus, scilicet principio anni* 1259, *quemdam e suis presbyteris eum in finem ad Alexandrum Papam IV ablegavit, ut nuper R. D. Delamare vicarius generalis in veteri Ordine iis fere temporibus exarato consignatum reperit hisce verbis* (9) : Anno eodem Domini, die quarta Januarii, arripuit iter ad curiam Romanam honoratus vicarius altaris Beatæ Mariæ Constantiensis pro canonizatione Beati Thomæ de Buevilla, de mandato Joannis de Esseio Constantiensis episcopi. *Petitionem Alexander pronis suscepit auribus, nec multo post ipsi Joanni præsuli et Radulpho de Gardinis priori Fratrum Prædicatorum Constantiensium in mandatis dedit ut super Beati vita, meritis ac miraculis rite inquirerent, de eisque ad Sedem Apostolicam referrent. Quo autem rem episcopus celerius curaret expediendam, stimulos ei addiderunt scriptis ad eum epistolis Hugo a S. Theude-*

(1) Pag. 199.— (2) Colin, op. cit., p. 120.— (3) Pag. 84.— (4) Cfr t. V Augusti, p. 438 et 439.— (5) Colin, p. 91.— (6) Id., p. 98.— (7) Pag. 44. — (8) T. V Augusti, p. 452 et 453. — (9) Colin, p. 104 et 105.

A *rio et Odo a Castro Radulphi Cardinales, qui B. Thomam olim, dum in universitate Parisiensi theologiæ operam navaret, diligere ac tamquam Sanctum suscipere cœperant. Ergo duo illi auctoritate Apostolicæ Sedis delegati, assistente in omnibus Clemente B.* Thomæ *biographo, initium præceptæ inquisitioni dederunt anno* 1261 ; *quam facere perrexerunt sub pontificatu Urbani IV, qui cathedram Petri ab anno jam dicto ad diem usque* II *Octobris anni* 1264 *occupavit. Re peracta, relationem de vita Beati et selectis circiter quatuordecim ex numero longe majori miraculis, quæ ad impetrandam canonizationem sufficere videbantur, Joannes episcopus ad Clementem IV Urbani successorem apportandam commisit duobus presbyteris ruralibus. Quæ licet tum quidem Summo Pontifici fuerit probata, attamen* propter defectum solemnitatis nuntiorum, *ut ait Clemens biographus, effectu suo caruit, et rursus episcopo injunctum fuit ut iterato institueret examen* super miraculis quibusdam de quibus minus diligenter inquisitum fuerat, nec non super novis miraculis. *Jussis illis sine mora obtemperatum quidem fuit; verum altero hoc examine jam absoluto, rebusque ad exitum pene perductis, nego-*
B *tium interrupit anno* 1274 *mors Joannis de Esseyo ; neque deinceps de eodem resumendo ad sæculum usque* XVII *cogitatum fuit.*

Sacella ei erecta Bivillæ

14 *Dum hæc gerebantur, erectum fuerat anno* 1260 *in honorem B.* Thomæ *atque ejus corpori honorificentius tumulando sacellum pulcherrimum, ad cujus ædificationem S. Ludovicus rex sumptus contulisse fertur. Certe Martinus præpositus prioratus de Heauvilla Ordinis S. Benedicti, prout ex Clementis narratione miraculorum discimus, voti exolvendi causa unum operarium Bivillam misit qui novæ structuræ allaboraret.* Sacellum illud, *ait R. D. Colin* (1), pone veterem ecclesiam parochialem extructum, perelegans est ac solidum : hodie vero chorum partemque insuper gremii ejusdem ecclesiæ constituit, dejecto jam dudum pristino gremio, cujus fundamenta in cœmeterio prope prothyron adhuc visuntur. De antiquo hoc monumento, quod fideles pietate fiduciaque impulsi ad gloriam Thomæ Heliæ exegerunt, mentio fit folio LVII libri albi episcopatus Constantiensis hisce verbis : « In dicta parochia est capella beati Thomæ de Boevilla. » *Est autem liber ille, quem album vocant, elenchus beneficiorum diœceseos Con-*
C *stantiensis, circa annum* 1332 *vel* 1340 *confectus, qui quum fuisset sæculo* XVIII *exeunte amissus, demum anno* 1840 *repertus fuit, et nunc est penes R. D. Delamare paulo ante laudatum. Porro eodem quem diximus anno* 1260 *adhuc labente, corpus B.* Thomæ *ex loco ubi prius fuerat depositum ad latus australe ecclesiæ, in medium novi sacelli translatum fuit, constructusque supra illud tumulus lapideus altitudine unius pedis et dimidii a pavimento ; quem circumdabant cancelli ferrei triginta cereis recipiendis apti : quoniam votivas candelas illuc sæpe deferebant homines qui Beati opem in suis morbis aliisque calamitatibus fuerant experti, uti apud Clementem legere est ; quæ quidem religio ad hæc usque tempora perseveravit* (2).

ac Teurthevillæ ; festumque tam ad S. Mauritii

15 Ad eamdem propemodum epocham, *inquit rursum R. D. Colin* (3), referendum est sacellum in vico Teurthéville-Hague in honorem Beati nostri erectum. Verum non perinde ac Bivillense conservatum fuit, ita ut sæculo XVII non aliud quam rudera ex eo reliquum esset. Nihilominus etiam tunc et sæculo sequenti clerus illius parochiæ supplicantium agmen eo deducere quotannis consueverat, et multi fideles religionis causa eodem peregrinabantur primo die Sabbati mensis Maji. Ipsa nunc illa rudera penitus ablata sunt; sed superstites novimus, qui ea juventutis suæ tempore noverunt et visitarunt. In medio sacello lapis erat, cui imponi solebant pueri infirmi, ut sanitatem consequerentur. Hic autem lapis eodem loco hodiedum perstat, multæque, ut olim, matres pavidæ carissima pignora ulnis portantes, illuc accedunt supplicaturæ ac potentem Thomæ Heliæ apud Deum intercessionem imploraturæ. *Denique circa annum item* 1260, *uti jam supra vidimus, auctor Ideæ cultus immemorabilis exordium collocat processionis triennalis parochiæ S. Mauritii ad sepulcrum B.* Thomæ, *de qua R. D. Colin sequentia scribit* (4) : Multi sunt qui a prima juventute sua meminerunt se vidisse parochiam S. Mauritii, accedente ingenti populorum turba ex locis per quæ transibat, mirabili cum religione et pietate ad tumulum Servi Dei ordinatim procedentem. Desiit solemnis ille mos aliquot annis ante rerum in Gallia perturbationem, quando Constantiensis episcopus Talaru de Chalmazel prohibuit ne processiones ante solis ortum fierent ; quo statuto diœcesano E
accidit ut locum ea processio amplius habere non posset propter eam quæ inter S. Mauritii vicum et Bivillam intercedit distantiam *(sex leucis, ni fallor, majorem)* : namque ut intra unum diem fieret, media nocte incipi solebat. In hujus processionis locum successit festum sanctarum Reliquiarum, quod feria secunda Pentecostes agitur. *Ad hoc autem festum, sicut et ad anniversariam decessus B.* Thomæ *solemnitatem, in qua concio de laudibus ejus habetur, teste item laudato scriptore, multa undique fidelium turba ad S. Mauritii concurrere solet ; morisque est iis diebus ornamenta sacerdotalia ipsius Beati ad Sacrum faciendum adhibere. Pars lacerti ejus, quam ibi servari diximus (num.* 11), *una cum pluribus aliorum cœlitum reliquiis thecæ inclusa est, cui hæc verba inscribuntur :* Omnes Sancti, intercedite pro nobis (5).

quam Bivillæ institutum.

16 *Sed ut Bivillam redeamus, vix dubitari potest quin brevi post Beati obitum annua ejus festivitas ibi celebrari cœpta sit. Ex actis erectionis confraternitatis, cui anno* 1317 *initium datum fuit, certissime constat illam jam tunc ab aliquanto tempore solemniter agi consuevisse. Neque ullum exinde passa* F
fuit interruptionem præterquam ea tempestate qua ante hos sexaginta annos impiorum hominum furor in Dei templa per Galliam aliasque regiones debacchatus est. Perquam autem probabile est modum celebrandi festi qui olim in usu fuit, non multum ab eo discrepuisse quem Bivillensis clerus, numeroso ex vicinis locis clero ad celebritatem augendam simul accurrente, præsenti tempore ex licentia ab Ordinariis Constantiensibus concessa sæpius iterata observat. Nempe (6) *quoniam de B.* Thoma *specialim Officium cum Missa recitare nondum licet, utpote qui formalis (ut dicitur) canonizationis honore hucusque caruit, canuntur tam Officium quam Missa de omnibus Sanctis ritu annuali, id est, eo ritu qui majoribus per annum festis proprius est ; et panegyrica de eo habetur ad populum oratio. Ad Missæ sacrificium adhibentur vestes sacerdotales et sacra vasa quæ Beatus a S. Ludovico rege acceperat, quæque R. D. Colin arte lithographica repræsentanda curavit, et hunc in modum describit* (7) : Casula amplissima est, atque ex humeris ad manus usque dependet. Confecta est ex panno serico filis aureis

(1) P. 115. — (2) Pag. 131 et 132. — (3) Pag. 116. — (4) Pag. 121. — (5) Pag. 120, 121 et 122. — (6) Pag. 122 et 123. Cfr Ami de la Religion, n. 785 et 3199, t. XXXI, p. 25, t. CIII, p. 263. — (7) Pag. 119 et 120.

argenteisque

A. T.

argenteisque intexto pluribusque scutis distincto, quæ singula aut aquila aut leone aut lilio aut turri ornantur; sed nunc vix non detrita est vetustate. Stola, quæ perbrevis est, quadris constat filo aureo, argenteo sericoque elaboratis. Bursa, quæ sæculo proxime elapso adhuc extabat, serica pariter erat scutisque distincta sicuti casula. Calix ex argento aurato est, largam habens cupam, stipitem vero brevem valde; sed pes latissime se explicat, in cujus peripheria sexies insculptæ sunt voces illæ litteris gothicis: Suis donné par amour *(id est*, datus fui ex amore). Denique in medio patenæ, quæ ex eadem materia est, sculpta visitur manus velut ad benedicendum composita. Utrumque sacrum vas integerrimo in statu est.

Confraternitas anno 1317 in honorem ejus inchoata,

17 *Anno* 1317, *quem paulo ante memorabamus, die* XIX *Octobris in Bivillensem ecclesiam ad celebrandum B.* Thomæ *festum, uti quotannis fieri solemne erat, inter cæteros convenerant, ut in actis originalibus scribitur* (1), venerabiles et discretæ personæ magister Alanus presbyter curatus parochiæ S. Petri de Bivilla, frater Guilielmus de Vallivilla ex Fratribus Minoribus Bajocensibus, frater Joannes de Rouville prior Heauvillensis, magister
B Guilielmus le Repas parochus ecclesiæ S. Crucis pro secunda portione, necnon Guilielmus de Canoville clericus; *qui* pietate et devotione erga Sanctum permoti, *pactum inter se inierunt de constituenda confraternitate sive societate* in honorem Dei, omnium Sanctorum et obitus Beati Thomæ. *Itaque communi consilio sequentes statuerunt leges, quas ex gallico textu R. D. Colin* (2) *latinas facio:* 1° Singulis annis, eodem die festo recurrente, in sacello B. Thomæ celebratum iri Missas minimum tres, primam de Spiritu Sancto, secundam de Beata Virgine Maria, tertiam pro defunctis, et stipem datum iri omnibus qui illic afforent pauperibus; 2° curandum fore ut luminaria perpetuo intra sacellum arderent; 3° sacerdotem certo stipendio ex bonis sodalitatis solvendo eidem sacello addictum iri, qui singulis septimanis tres saltem Missas de Spiritu Sancto, de B. Maria et pro defunctis inibi celebraret; 4° quicumque in societatem reciperetur, eum huic pro ingressu soluturum modium frumenti annui reditus, vel viginti solidos in debiti extinctionem; 5° parocho Bivillensi fratrique Guilielmo de Vallivilla curam fore rerum accipiendarum atque expendendarum, eosque quotannis
C rationem gestionis suæ reddituros quatuor sodalibus ad hoc deputatis, et rei gestæ acta in codicem rationarium relata cum subscriptionibus provisoris ac quatuor illorum sodalium exhibitum iri præfecto societatis; 6° quod si provisorem mori vel alias muneri explendo imparem fieri contingeret, successorem ei designaturos quatuor exploratores; horum vero aliquo similiter deficiente, a tribus reliquis et provisore eligendum fore qui locum ejus teneret. *Intra breve tempus magna incrementa accepit pia societas, certatim nomina sua ei dantibus abbatibus, prioribus, parochis aliisque de clero, item abbatissis, monialibus, magnatibus et innumeris aliis promiscuæ conditionis hominibus, prout ex tabulis quæ olim in ecclesia Bivillensi sollicite conservabantur, deprehendi potuit, in quibus et nomen episcopi Constantiensis nescio cujus inscriptum fuisse fertur* (3).

ac decursu temporis

18 *Hæ tabulæ, quæ duobus codicibus, altero membranaceo, chartaceo altero, continebantur, amissæ modo sunt; sed qui eas consulere potuit auctor Ideæ cultus immemorabilis plurima inde decerpsit atque in opellam suam transtulit. Quæ quoniam ad gloriam B.* Thomæ *posthumam elucidandam apprime conducunt, eadem hic describere operæ pretium fuerit. Itaque postquam quindecim capitibus summatim prosecutus est varia sanctitatis B.* Thomæ *cultusque ei exhibiti argumenta, sic a capite decimo sexto scribere pergit* (4): 16° Erectio confraternitatis seu societatis in honorem Dei, omnium Sanctorum et B. Thomæ, facta anno 1317. 17° Catalogus omnium donationum factarum dictæ fraternitati, scilicet 93 modiorum frumenti annui reditus, quatuor clausorum *(hoc est, agrorum septorum)*, sex panum, viginti duo denariorum, quatuordecim turonensium, quatuor caponum et octo gallinarum annui reditus, factus anno 1325. 18° Catalogus eorum qui supradicta donaverunt, descriptus anno supradicto 1325. 19° Catalogus omnium fratrum et sororum dictæ fraternitatis, factus an. 1325. 20° Constitutio seu electio procuratoris dictæ fraternitatis, cum facultate substituendi, facta an. 1366, *nempe die* XXVIII *Octobris festo SS. Simonis et Judæ, qui dies deinceps destinatus fuit rationibus reddendis, ut notat R. D. Colin* (5). 21° Super campana ecclesiæ scripta sunt hæc verba: Sanctus Thomas de Biville, 1434. Instrumentum originale E
alienationis prædii ad benedictum Thomam pertinentis, sub data 1469. 22° Instrumentum divisionis cujusdam hæreditatis, quo quidam tenetur solvere septem asses annui reditus benedicto Thomæ, an. 1497. 23° Instrumentum venditionis, in quo fit mentio septem solidorum annui reditus debitorum benedicto Thomæ in ecclesia de Bivilla an. 1528.

multum promota.

19 Ad instantiam gubernatoris luminaris benedicti Thomæ mausoleum novum erectum, imagoque ejus erecta, 1530 et 1533. 24° Supplex libellus vicecomiti Cæsarisburgi porrectus per factorem fraternitatis benedicti Thomæ in ecclesia de Biville fundatæ, sub data 1534. 25° Actum jussionis sive interpellationis factæ ad instantiam administratoris luminaris benedicti Thomæ pro solutione septem solidorum annui reditus, 1541. 26° Actum quo pro solutione duorum solidorum et sex denariorum annui reditus, debitorum confraternitati B. Thomæ, vacca debitoris ab apparitore regio capitur, 1543. 27° Contractus publicus quo constituitur factori Beati Thomæ annuus reditus 20 solidorum, 1570. 28° Actus enumerationis littera- F
rum productarum coram vicecomite Valloniensi in sede de Tollevast per administratorem luminaris benedicti Thomæ in lite pendente pro 20 solidis annui reditus, 1581. 29° Sententia dicti vicecomitis Valloniensis lata inter factorem luminaris Domini Sancti Thomæ de Bivilla pro solutione 20 solidorum annui reditus, 1581. 30° Altera sententia dicti vicecomitis pronuntiata inter dictum factorem luminaris benedicti Thomæ de Bivilla et viduam pro solutione 20 solidorum, 1581. 31° Sententia vicecomitis Valloniensis apud Cæsarisburgum inter administratorem luminaris Sancti Thomæ de Bivilla *(desunt voces aliquot)*, 1581. 32° Præsentatio facta in actis dictæ sedis apud Cæsarisburgum per procuratorem luminaris benedicti Sancti Thomæ, 1582. 33° Aliud judicium vicecomitis Valloniensis apud Cæsarisburgum inter administratorem luminaris benedicti Sancti Thomæ de Bivilla et dictam viduam, 1582. 34° Testamentum sacerdotis quo donatur ovis Beatæ Mariæ luminari, et similis ovis luminari benedicti Thomæ. 1690. 35° Contractus fundationis obitus in eccle-

(1) Colin, p. 170 et 171. — (2) Pag. 171 et 172. — (3) Pag. 173 et 174. — (4) Apud Colin, p. 200 et seqq. — (5) Pag. 173.

A sia de Biville, quo tres asses annui reditus dantur luminari benedicti Thomæ, 1592. 36° Contractus donationis quo noven asses a magistro Guillelmo Frimot presbytero dantur luminari benedicti Thomæ in dicta ecclesia, 1601. 37° Testamentum dicti Frimot presbyteri, cujus codicillo dat duos nummos, unum luminari Beatæ Mariæ et alterum luminari benedicti Thomæ, 1605. 38° Inquisitio facta super miraculis a Deo patratis meritis Beati Thomæ per officialem Constantiensem, 1628. 39° Registrum fratrum et sororum confraternitatis Beati Thomæ, annis 1629 *et sequentibus ad annum usque* 1692, *quos omnes auctor singillatim recenset.* 40° Contractus acquisitionis factæ per dominum de Biville portionis terræ quæ vulgo nominatur campus Beati Thomæ, campus Crucis Beati Thomæ, 1658. *Hactenus auctor ille, quem sæculo* XVII *ineunte scripsisse alibi diximus (num.* 10), *et cujus aliqua dicta paulo latius sunt evolvenda.*

Sepulcrum semel iterumque renovatum,

20 *Campus quem modo memorabat ultimo capite, etiamnum* campus Beati Thomæ *audit, sicut et* cruci Beati Thomæ *sua mansit appellatio, ut testatur R. D. Colin* (1); *ex quo etiam accipimus extare in extrema parte occidentali vici Bivillæ fontem,* B *ad quem, ut traditio est, considere Beatus atque sitim bibendo levare solebat, quando Cæsarisburgo natale solum repetebat ut parente suos inviseret : qui ad hujus rei memoriam* fons Beati Thomæ *dicitur* (2). *Circa campanam ecclesiæ, quæ, ut fert caput* 21um *Ideæ cultus immemorabilis, anno* 1434 *nomen accepit* Sanctus Thomas de Biville, *idem R. D. Colin observat* (3) *eam perstitisse per tria amplius sæcula; nunc vero inter campanas ecclesiæ Bivillenses unam similiter esse, licet longe recentiorem, quæ* Thomæ *nomine insigniatur, at suppresso, ut conjicio,* Sancti *titulo, et substituto probabiliter* Beati. *De mausoleo, cujus mentio fit capite* 23° *Ideæ sæpe dictæ, illa rursum scribit vir diligens* (4) : Anno MDXXXIII Michael Leverrier Bivillensis parochus et decanus de Orglandes veterem tumulum elevandum curavit, ablatis cancellis ferreis quibus cingebatur. En secundi tunc extructi sepulcri descriptionem, qualis in opere Caroli Trigan legitur... : « Sepulcrum hoc tres pedes altum est, largum tres pedes cum uncia, et sex cum dimidio longum. Impositus ei est lapis, in quo Beatus repræsentatur supinus, facie ad altare versa, ac sacerdotali indutus vestitu. Ambitus sepulcri decoratus fuit C picturis varia Servi Dei facta et miracula exhibentibus, quarum particulæ aliquot adhuc visuntur; sed valde detritæ sunt inconsulta populorum religione, qui crustam cui colores inducti fuere, scabere solent, ut pulverem inde secum ferant. » At Joannes Hélye, qui dimidio sæculo ante parochum Digovillensem *(Carolum Trigan)* scripsit, certiores nos facit inter illa ornamenta repræsentatas fuisse tres Personas adorandas SS. Trinitatis, B. Thomam coram duobus episcopis prædicantem, cæcum quemdam visu donatum et sex mortuos ad vitam revocatos. *Perstitit secundum hoc sepulcrum ad annum usque* 1778, *quando vir nobilis Dugardin Bivillæ dominus ei novum substituit, lapide albo marmoreo contectum, cui Beati effigies perinde ac vetustiori lapidi insculpta fuit, sed versa facie ad populum : quam faciem, sicut et manus ac pedes, sæculo superiore exeunte, mutilarunt impii vastatores ; at cæterum lapidi illi pepercerunt* (5).

variæque erectæ effigies.

21 *Præter hanc effigiem cernitur quoque picta Beati imago in parte sinistra Bivillensis ecclesiæ. Aliam ejusdem imaginem valde antiquam possidet ecclesia S. Mauritii* (6). Initio sæculo XVII, *ut sæpe citatus D. Colin memorat* (7), Julianus Lesauvage armiger, parochiæ Vallivillensis dominus ac patronus, dejectis muris cubiculi in quo B. Thomas obierat, quod situm erat supra januam majorem ædium, qua in aream exteriorem ingressus patet, duo constituit loculamenta, in quorum altero Servi Dei imaginem collocavit. « Et credibile est, adjicit Joannes Hélye, futurum fuisse ut, nisi virum piissimum mors præripuisset, locum illum totum reædificasset et ab episcopo sacrari petiisset, quo sacellum in honorem Dei fieret sub Beati invocatione. » *Laudatur etiam* Petrus Doyard parochus vici cui Saint-Pierre-Eglise nomen est, *quod eodem* sæculo XVII, *ut R. D. Colin rursus ait* (8), clathris clauserit unum ex sacellis ecclesiæ suæ, in eoque imaginem Servi Dei appenderit. Piissimus hic presbyter largitionibus suis plurimum contulit ad ædificandam Bivillensis ecclesiæ sacristiam, quæ hodiedum perstat, ipsamque ecclesiam meliorem in statum redigendam. Per annos amplius quadraginta Bivillam quotannis venit ut B. Thomæ sepulcrum inviseret, ibique sacro in secessu rebus divinis meditandis vacaret : dicere solitus hanc esse unam de pietatis suæ praxibus præcipuis; quam E quoad posset omnibus persuadere cuperet. Pluries laudes Servi Dei die ejus festo in concione memoravit.

Frequentes ad sepulcrum

22 *Et dicto quidem sæculo peregrinationes ad Beati sepulcrum maxime fuisse frequentatas, locuples testis est P. Franciscus Lemière, qui anno* 1632 *Vitam Beati edidit, adjecta apologia pro ejus cultoribus.* Quantum, *inquit* (9), ad sepulcrum ipsius concursum nostris oculis cernimus ! Episcopi aliique prælati, viri ecclesiastici tam sæculares quam regulares, provinciarum gubernatores, primarii castrorum præfecti, administratores regii et alii viri nobiles, matronæ optimates, oppidorum, municipiorum, pagorum decem aut duodecim leucis distantium communitates, vota oblationesque suas illuc deferunt. Nostris hisce diebus videre fuit uxorem summi exercituum Gallicorum præfecti ejusque filiam comitissam (quas Deus benedictionibus suis cumulet), quæ postquam multa suæ pietatis monumenta in ecclesiis Normanniæ inferioris et alibi erexerant, tesseram quoque extare voluerunt peculiaris devotionis quam optimo consilio erga B. Thomam, sanctum patriæ patronum jure meritissimo nominandum, animis gerunt : F donando scilicet ecclesiæ ipsius, quam religiosissime visitarant, ornamenta quæ piis earum affectibus plane respondeant. Majorem vero consolationem illud mihi ingenerat quod illustri stirpe vir ad episcopatum Constantiensem modo designatus *(Eleonorus de Matignon, qui* IX *Octobris* 1633 *consecrationem episcopalem suscepit),* supremi castrorum in Gallia præfecti rebus præclare gestis celeberrimi nepos, et spectatissimi Normanniæ inferioris pro rege administratoris filius, per matrem eximiam virtute principissam *(Eleonoram Aurelianensem)* descendens ex inclyta prosapia ducum de Longavilla, ingenii adhæc animique dotibus et morum honestate conspicuus, sua erga Sanctum nostrum sensa publice testatus est, visitando sepulcrum ejus tanto cum affectu, ut spem nobis fecerit fore ut sua suorumque auctoritate et regis favore apud Summum Pontificem utatur, quo tandem aliquando causa canonizationis Sancti nostri optatum finem accipiat. Quam spem magnopere auxerunt venerabilis capituli Constantiensis, sede vacante,

(1) Pag. 118 et 138. — (2) Pag. 12. — (3) Pag. 118. — (4) Pag. 132 et 133. — (5) Pag. 133. — (6) Pag. 118. — (7) Pag. 117. — (8) Ibid.

(9) Lemière, op. cit., p. 109 et seqq.

A. T.

vacante, vicarii, quum itineribus Bivillam susceptis, tum mandatis editis ut miracula Sancti accurate annotarentur : unde etiam elucet quanta sit honorandi illius canonicorum collegii de meritis Sancti nostri existimatio

peregrinationes :

23 *Quando autem Bivillam venit Eleonorus futurus episcopus, ibidem mater ejus novemdialibus ad B.* Thomam *precibus videtur vacasse, quoad colligere est ex narratis Caroli Trigan* (1), *qui prætera inter eos qui Beati sepulcrum religionis causa adierunt, recenset Joannem Petrum Lecamus Bellicensem episcopum, olim S. Francisci Salesii familiarem, Jacobum Goïon de Matignon, qui magno Bossuetio anno* 1671 *in Condomensi episcopatu successor datus fuit, Franciscum de Carbonel de Canisy, qui dein Lemovicensi diœcesi præfuit, etc. Citatisque hactenus testimoniis addere possumus id quod Franciscus de Coret S. J. Cadomo ad Henschenium, quando ei Vitam ab Huetio acceptam transmisit, anno* 1661 *scribebat :* Mitto Vitam B. Thomæ hic celeberrimi. Nullus non ad ejus tumulum peregrinationes suscipit : maxime a sterilibus fœminis invocatur.

unde aucta vetus confraternitas.

24 *Inter hæc nata est pia societas peregrinorum B.* Thomæ, *qua pristinæ confraternitatis inde a*
B *sæculo* XIV *existentis splendor vigorque veluti renovatus fuit. Erat Hellevillæ vidua Petri Fortin, mulier piissima, quindecim liberorum parens, quos quotannis infra octavam B.* Thomæ *Bivillam religionis causa ducere consueverat. Egregium exemplum movit paulatim alios multos ut pio agmini sese singulis annis adjungerent. Unde Petro Fortin primogenito viduæ filio in mentem venit rem optimam factu futuram, si regulæ quædam piæque praxes et precum formulæ his peregrinationis sociis in commune proponerentur; uti reapse fecit libello a se composito atque a viris aliquot ecclesiasticis approbato, qui et ipsi se peregrinis illis associarunt. Libelli summarium cum elencho præcipuorum sociorum qui anno* 1688 *et sequentibus fuerant inscripti, apud R. D. Colin videre est* (2), *a quo pleraque jam dicta ac porro dicenda mutuamur. Principio socii privatas tantum habebant Missas, ad quas panem, vinum et lumen suis conferebant expensis; his finitis, conferebant se in cœmeterium, exhortationem lectionemque e suo enchiridio audituri; sua demum exercitia precando claudebant. Verum post annos aliquot, numero aucti, rogaverunt parochum sibi ut*
C *liceret lectionem solitam et appellationem peregrinorum intra ædem sacram facere. Annuit ille quidem libens; simul vero admonuit esse inibi veterem fraternitatem sub invocatione Sanctorum et protectione B.* Thomæ *ante tria sæcula eoque amplius constitutam. Quo audito, huic cuncti dedere nomina, protestati omnino se velle ut nova societas nonnisi ad dilatandam augendamque veterem spectaret. Demum sodalium cura ac sumptibus Sacra etiam cum cantu fieri cœperunt, non tantum singulis annis eo quo conveniebant die, sed et singulis mensibus; præter quæ et privata pro defunctis Sacrificia offerebantur.*

et anno 1692 institutionem canonicam nacta.

25 *Hac accessione aucta fraternitas, canonicam, quæ diu desiderabatur, institutionem consecuta est litteris apostolicis ab Innocentio XII datis die* XXIII *Decembris* 1692. *Par gratia die* XXI *Decembris anni sequentis concessa fuit alteri fraternitati in honorem B.* Thomæ *erectæ in parochia S. Mauritii sub titulo omnium Sanctorum. De hac autem R. D. Colin ex enchiridio typis excuso sequentia annotat, quæ et Bivillensi fraternitati pro majori parte applicanda esse crediderim* (3) : Summus Pontifex Ordinario loci permiserat electionem quatuor dierum lucran- D dis indulgentiis, nempe septem annorum et septem quadragenarum in refrigerium defunctorum, et sexaginta dierum sodalibus ipsis. Quocirca D. Blouet vicarius generalis Constantiensis episcopi C. F. de Loménie de Brienne, mandato die III Febr. 1694 edito, publicationem indulgentiarum concessarum permittens, inter dies quibus eæ obtineri possent, designavit festum sanctarum Reliquiarum *(de quo diximus num.* 15) et diem XIX Octobris B. Thomæ Heliæ presbytero curato S. Mauritii sacrum. Ipse episcopus confraternitatem insuper ditavit indulgentia quadraginta dierum pluribus diebus festis lucranda, ac speciatim « die XIX Octobris in festo » B. Thomæ Heliæ presbyteri ac dignissimi San-Mau- » ritiensis parochi » ut sonant ipsa indulti verba, quibus propria manu præsul nomen suum apposuit « Carolus Franciscus episcopus Constantiensis. » Authentica horum omnium actorum instrumenta adhuc perstant in archivis ecclesiæ S. Mauritii.

Nova tentamina ad finiendum

26 *Eidem Carolo Francisco studium fuit resumendi negotium canonizationis, quod licet in optatis numquam non fuisset, tamen ab anno* 1274, *id est, per quatuor sæcula, pene neglectum jacuerat. Nihil enim aliud intra tantum temporis spatium pro ea re* E *actum videtur præter examen quoddam testium anno* 1628 *ab officiali Constantiensi institutum de nonnullis miraculis, vacante interea sede episcopali per mortem Nicolai Bourgoing, cui anno* 1625 *defuncto Eleonorus de Matignon anno dumtaxat* 1633 *successit. Instrumentum examinis hunc præfert titulum* (4) : Informatio facta Valloniis die XIII Decembris MDCXXVIII per virum nobilem magistrum Joannem de Grimouville presbyterum, juris utriusque licentiatum, parochum Querquevillæ, canonicum et officialem Constantiensem, ad postulationem magistri Germani de Varangue presbyteri curati parochiæ Bivillensis diœceseos Constantiensis in Hagensi decanatu, et incolarum dictæ parochiæ suis chirographis nominatim in libello supplici designatorum, quo petierunt ut rite probarentur testificationes datæ a parochis locorum in quibus degebant ægroti qui precibus ad Deum fusis ac novemdialibus pietatis exercitiis in ecclesia Bivillensi per intercessionem B. Thomæ sanitatem recuperarant : quæ testificationes a supradicto parocho exhibitæ, lectæ fuerunt in præsentia magistri Nicolai Lefèvre presbyteri, artium magistri, decani Sairensis et parochi in Colomby, F notarii apostolici, in tabularium electi, ut exhinc prædicta informatio sistatur Sanctissimo Domino nostro ad legitimam rei instructionem. *Verum intra hos terminos negotium tunc quidem stetit, neque amplius de eo promovendo usque ad Caroli Francisci episcopatum, qui ab anno* 1668 *ad annum* 1720 *duravit, cogitatum fuit.*

negotium canonizationis, sed absque exitu.

27 *Is autem pro suo erga B.* Thomam *studio imprimis per promotorem Constantiensem Leguédois informationem ex formula juris institui voluit de novo quodam miraculo, testimonium sub jurejurando præbente Petro Dugardin armigero, parochiæ Bivillensis domino et patrono, septuaginta septem annos nato* (5). *Deinde curavit conscribendam Ideam cultus immemorabilis exhibiti Beato* Thomæ, *de qua pluries mentionem fecimus. Pertingit hæc opella ad annum usque* 1692. *Postmodum rursus manum operi admovit, quemadmodum discimus ex instrumento in quo legitur* (6) die V Maji 1705 Ægidius Douet theologiæ doctor in facultate Parisiensi, canonicus cathedralis ecclesiæ Constantiensis, archidiaconus Vallis de Sère et vicarius

(1) Apud Colin, op. cit., p. 167. — (2) Pag. 174 et seqq. — (3) Pag. 190 et 191. — (4) Pag. 256. — (5) Pag. 266. — (6) Pag. 107 et 108.

generalis

A generalis Ill. Domini de Loménie de Brienne, specialiter ab eodem delegatus ad illa omnia rite stabilienda quæ ad cultum ab immemorabili tempore Beato Thomæ præstitum comprobandum pertinent, assistentibus nobilibus et venerabilibus viris D. Lallier presbytero, theologiæ doctore, tractus Bauptensis archidiacono in ecclesia cathedrali Constantiensi, officiali prædicti Domini episcopi pro sede oppidi Valloniensis et seminarii ibidem præside, necnon D. Gourment presbytero, juris utriusque licentiato, canonico pœnitentiario supradictæ cathedralis ecclesiæ, ad se advocasse plures a memorato Domino episcopo designatos, coram quo juramentum fidelitatis præstiterant secundum formam a Sancta Sede Romana requisitam: qui omnes in palatio episcopali intra dictam civitatem Constantiam congregati, inceperunt informationem factorum in libello supplici ipsis exhibito expositorum. *Quodnam post hæc impedimentum intervenerit quominus negotium eousque promotum ulteriores progressus faceret, atque ad Sedem Apostolicam delatum peroptato demum exitu finiretur, assequi haud potuimus. Interim cultus B.* Thomæ *et populorum erga illum veneratio atque fiducia, frequentibus mi-*
B *raculis excitata, constanter perseverarunt usque ad calamitosos illos annos qui sæculum* XVIII *clauserunt.*

§ III. Prosecutio ejusdem argumenti a fine sæculi XVIII ad præsens usque tempus.

Corpus B. Thomæ

Anno reipublicæ Gallicanæ secundo, qui partim anno 1793 *et partim anno* 1794 *æræ vulgaris respondet, ecclesia parochialis Bivillensis communem sacrarum ædium per Galliam vastationem subiit; atque ab impiis tyrannis velut profanus locus haberi cœpit. Neque ii tamen initio temerarias manus inferre ausi sunt reliquiis B.* Thomæ, *satis habentes lapidem dejecisse marmoreum, qui effigiem ejus referebat: pro quo lapide pluteum scriptorium supra Beati sepulcrum constituerunt. At vero haud multo post in improborum hominum conventu Cæsarisburgi habito sententia in medium allata fuit extrahendum esse* Thomæ *corpus ex choro ecclesiæ Bivillensis; et caput quidem ludibrii causa per oppidi*
C *plateas circumgestandum, cætera vero ossa decoquenda esse* (1). *Verisimile est sacrilega illa cogitata catholicos tum quidem latuisse; verum illud certe sentiebant turbulentissima illa tempestate securos de violatione sacri thesauri Bivillæ depositi se esse minime posse. Quod animo recogitans Adrianus Lemarié, tunc vicarius generalis Angeli Francisci de Talaru de Chalmazel catholici legitimique episcopi Constantiensis, audax facinus agressus est, strenuis aliquot et magnanimis viris auxiliantibus. Rei narrationem, ut eam ipse gallico composuit idiomate* (2), *latino hic reddam.*

anno 1794 clanculo Bivilla

29 Die Dominica, XIII Julii MDCCXCIV, N. M. etc. etc. omnes fidei catholicæ confessores, et M. presbyter juramento schismatico non obstrictus, Yvetotio oriundus *(ipse scilicet Lemarié)*, executioni daturi pium quod inierant consilium subducendi furori impiorum corpus B. Thomæ Heliæ de Bivilla, simul convenere die et anno supra dictis; et post fusas ad Deum preces ut ausus eorum, quos ipse inspirarat, prosperare dignaretur, hora septima vespertina profecti sunt Virandevilla, comitati Sanctissimo altaris Sacramento, quod prædictus presbyter secum ferebat ex licentia sibi ab Ill. Domino de Talaru episcopo concessa. Ubi ad ecclesiam Bivillensem pervenerunt, ante portam maximam prostrati benedictionem Jesu Christi accipiunt: tum per januam quæ est ad latus dexterum, ingrediuntur, excussa celerrime sera, licet fortissima, quales seræ carcerum esse solent. Audita erat hora decima, et quarta horæ pars insuper elapsa. Adhibito modico lumine, oculis nostris vidimus antiquum et venerabile templum non secus ac cætera Galliæ templa devastatum, altaria eversa, tabernaculum Dei viventis effractum atque conculcatum; neque a lacrymis temperare potuimus. Inter sacras illas ruinas assurgebat adhuc sepulcrum Beati, ex quo impii dumtaxat abstulerant tabulam albam marmoream qua superne contegebatur, et in hujus locum substituerant pluteum placitis suis scribendis. Magnus lapis quo tumulus constabat, saltem sex pedum longitudinem, trium latitudinem et altitudinem item trium habere nobis videbatur. Ingens autem illa moles solide infixa gypsoque conglutinata erat alteri lapidi ejusdem latitudinis quo fossa sepulcralis claudebatur: ut tamquam desperabundus unus nostrum, ut E
quondam sanctæ illæ mulieres, exclamaret: « Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? » Sed fide mox timorem superante, ille idem solus vecte ferrea primum semovit lapidem: alter, qui velut clavis sepulcri erat, hærebat firmius, verum brevi tempore ablatus similiter fuit. Quo facto, in conspectum nostrum venerunt augustæ exuviæ Beati eleemosynarii S. Ludovici, quas ineffabili gaudio cum religiosa trepidatione mixto contemplati sumus.

Virandevillam transfertur;

30 Primum oculos nostros ad se rapuit viri eximii venerandum caput. Supererant omnes parvi dentes maxillæ inferioris, quæ a superiori disjuncta erat, et in media sui parte dentibus aliquot carebat. Bene hærebant dentes illi omnes, recto ordine depositi, servato nitore suo, hoc est, albore paululum eboris instar flavescente: tres vel quatuor concavi erant. Ossa capitis, sicut et illa reliqui corporis, valde solida et crassa sunt. Omnia ordine et loco suo naturali jacebant, præterquam ossa pedum et crurum quæ propius ad femorum ossa admota fuerant. Facies altare summum respiciebat, secus ac præsens usus sepeliendi sacerdotes habet. Incumbebant omnia ossa humo semiunciam in profundum habenti, nigræ magis quam fuscæ, in qua reperimus ligni et lintei fragmenta duas tresve uncias quadratas magna; quæ tamen, simul ac supradictus presbyter ea attigit, in pulverem abierunt. Clavos ibidem invenimus multa rubigine obductos, ea magnitudine qua esse solent illi quibus feretra compinguntur. Dictus igitur presbyter summa cum veneratione, adhibitis precibus ecclesiasticis, prodigiosa viri Dei ossa e terra levavit, candidisque linteis magna cum cura involvit. Item pretiosos corporis illius cineres summa cum diligentia ex toto sepulcro collegit, quod sex fere pedes longum est et ad duos pedes cum dimidio infra terram effossum, latitudinem vero habet unius fere pedis et quatuor unciarum. Præter ea autem quæ diximus, nihil aliud intra monumentum illud erat. Hora undecima cum dimidia ecclesiam liquimus, ditissimo thesauro onusti et hymnum TE DEUM cum aliis precibus recitantes. Progressi in sabuletum mari vicinum, genua fleximus apud reliquias huc illuc sparsas crucis coram qua Sanctus

(1) Colin, p. 140. — (2) Apud eumd., p. 135 et seqq.

A. T. ctus sacerdos vitæ suæ tempore Deum orabat. Hinc hora secunda post mediam noctem, veluti triumphum agentes, reversi sumus in domum supradicti N., ubi jam memoratus presbyter Sanctum Missæ Sacrificium obtulit in gratiarum actionem: dein arcæ magnæ quæ ferre solet altare catholicorum misere vexatorum, inseruit sanctum corpus feretro inclusum querneo, cui ipse sigillum suum impressit, præsentibus et spectantibus testibus ac pluribus aliis catholicis infra scriptis, ne quis vel minimam inde particulam auferre possit; dum summis votis precibusque a divina Providentia feliciora efflagitamus tempora, ut liceat nobis magnas hasce reliquias solemni pompa ad ecclesiam suam carissimam referre, præter notabilem portionem quæ ecclesiæ Virandevillensi relinquetur in memoriam et benedictionem pietatis ac præclaræ virtutis quam fideles hujus ecclesiæ filii exhibuerunt. Actum Virandevillæ die XIV Julii MDCCXCIV *Facile intellectu est quo furore agitati fuerint impii tyranni, ubi de pio hoc furto certiores facti fuere. Aliquos de eo suspectos in judicium adduxerunt; at frustra tamen, quia argumenta quibus convincerentur omnino deerant. Ipse parochus* B *schismaticus Lecerf, qui tunc parochiæ Bivillensi secundum civilem quam vocabant cleri constitutionem præerat, carceri mancipatus fuit veluti furti complex, neque inde emissus nisi post mortem sævissimi Robespierre. Oblata interim ei fuerat libertas ea lege ut auctorem objecti criminis denuntiaret; verum id ille constanti animo recusavit, bene secum agi existimans quod captivitate ejusmodi commissum a se schismatis flagitium expiare aliquo modo posset; prout ipse anno 1822, quando jam diu ad catholicam unitatem redierat et parochum Appevillæ agebat, publice testatum fecit. Idem, dum Bivillæ degit, licet parochiæ per nefas obtrusus, plures ibi ecclesiæ profanationes, sin minus omnes, præcavit; tutoque loco collocavit vasa sacra et alios ornatus, quos improbi rapere destinaverant* (1).

ubi pie servatur a fidelibus.

31 *Quinque anno. sub altari catholicorum Virandevillensium quieverant sacræ exuviæ, quando ii sponsione sibi facta fore ut pars illarum penes ipsos relinqueretur, minime contenti, integrum sibi thesaurum vindicare cœperunt, scriptis die* XIII *Julii* 1799 *in hæc verba litteris ad vicarium generalem Lemarié* (2): Nemo est cui notius sit quam tibi quanta quamque religiosa audacia catholici Viran- C devillenses corpus B. Thomæ Heliæ de Bivilla subtraxerint impio furori Wandalorum qui anno MDCCXCIII patriam vexare orsi sunt. Ac nos quidem libertatem vitamque nostram pro ea re discrimini objecimus; divino vero præsidio ac favore, te comite nostro, tutati fuimus. Jam inde a faustissima illa nocte quæ inter dies XIII et XIV Julii anni MDCCXCIV intercessit, B. Thomæ reliquiæ quiescunt in parochia hac Virandevillensi, quæ quum inconcussa in fide ecclesiæ universalis constantia et pacis studio, tum insigni in meritis et intercessione B. Thomæ fiducia, præsertim luctuosissimis hisce temporibus, singulariter commendatur. Persuasum enimvero habent parochiæ hujus incolæ felicitatem ac securitatem, qua post diem XIV Julii MDCCXCIV inter medias turbas horroresque ex anarchia enatos fruiti sunt, prodigiosæ protectioni viri Dei, cujus reliquiæ sub altari ipsorum requiescunt, in acceptis referendam esse. Quare tibi supplicamus ut pro ea qua polles ecclesiastica auctoritate reliquias illas integre ac perpetuo penes nos manere velis et jubeas. Sexcenta enim suppetunt in historiis ecclesiasticis translationum D ejusmodi, quæ temporibus malis factæ sunt, exempla; et jure ecclesiastico reliquiæ Sanctorum talibus temporibus ad eos spectant christianos qui se omnibus periculis atque ipsi morti objicere non dubitant ut eas manibus impiorum eripiant. *Nihilominus precibus haud cessit vicarius generalis, sed postridie, qui erat dies* XIV *Julii* 1799, *scripto edixit caput B. Thomæ Heliæ in perpetuum fore reponendum sub altari SS. Sacramenti quietioribus temporibus erigendo in ecclesia Virandevillensi; reliquum vero corpus Bivillam reportandum pristinoque condendum sepulcro.*

Post novem inde annos,

32 *Hæc sententia anno* 1803, *quando cultus divinus in Gallia restaurari publice cœperat, rite approbata et executioni mandata fuit, uti instrumenta jam citanda docebunt, quæ ex gallicis latina facio. Primum ita habet:* (3) Nos Joannes Joseph Amabilis Bonté jurium licentiatus, canonicus olim pœnitentiarius in cathedrali ecclesia Constantiensi, Illustrissimi Domini Claudii Ludovici Rousseau miseratione divina et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia episcopi Constantiensis vicarius generalis. Habitis accuratissimis informationibus de exhumatione et ablatione ossium corporis Beati Thomæ E Heliæ presbyteri, Bivilla diœceseos Constantiensis parochia oriundi, qui quondam S. Ludovico ab eleemosynis fuit, et in ecclesia parochiali dicti loci sepultus, magna ibi semper veneratione habitus est, ostensum nobis fuit rei gestæ instrumentum, ea occasione confectum die XVIII * Julii *an XIV?* MDCCXCIV, quo explicantur causæ illius exhumationis et ablationis, modusque quo hæc effecta fuit: quod quidem instrumentum authenticum esse declaravimus et præsentibus litteris declaramus, fidemque omnibus in eo contentis merito dandam esse attestamur. Item attente perlegimus responsum datum a D. Lemarié, qui tum erat diœceseos, sede vacante, vicarius generalis, ad supplicem libellum ipsi ab incolis Virandevillæ oblatum; quo ille responso declarat, spectata incolarum dictæ parochiæ pietate, statuisse se ut caput B. Thomæ Heliæ perpetuo permaneat sub altari SS. Sacramenti illius ecclesiæ. Hinc nos vicarius generalis Ill. Domini Rousseau episcopi Constantiensis, attentis iis quæ supra dicta sunt, et habita mature deliberatione, æque volentes satisfacere votis incolarum Virandevillæ, neque tamen privare Bivillenses deposito quod semper iis fuit pretiosissi- F mum, sententiam a D. Lemarié latam amplectentes, eam quantocius executioni mandari præcipimus. Quod ut ea qua oportet forma ac decentia in opus deducatur, rogamus D. Closet vicarium generalem hujus diœceseos, collegam nostrum, ut ad jam dictam parochiam Virandevillam conferre se velit. Jus ei auctoritatemque conferimus recognoscendi sigillum magnæ arcæ qua pretiosa ossa B. Thomæ Heliæ continentur appositum, illudque, si ruptum non fuerit, auferendi, statu quo illud repererit, in acta relato; tum ossa capitis B. Thomæ ab aliis sejungendi, quæ convenienti solemnitate ponantur sub altari SS. Sacramenti dictæ ecclesiæ Virandevillensis, idque, si fieri possit, in urna funeraria, sub qua vel in qua inscriptio poni poterit quæ ad separationis hujus memoriam animos revocet. Reliqua ossa intra præmemoratam ecclesiam Bivillensem, adhibitis legitimis cæremoniis, ei restituentur loco ex quo ablata fuere. Nihilominus aliquæ horum ossium partes secerni a cæteris poterunt, ut ecclesiis eas petituris concedantur

(1) Ami de la Religion, n. 794, t. XXXI, p. 168. — (2) Apud Colin, p. 141 et 142. — Ibid., p. 139, 140, 143 et 144.

aut

A aut hominibus notæ pietatis ad earumdem venerationem permittantur. Denique prædictus Dominus vicarius generalis commissarius de re tota instrumentum legitimum conficito. Datum Constantiæ sub signo nostro sigilloque sedis episcopalis hujus loci, die XX Julii MDCCCIII. *Signatum erat :* Bonté vic. gen.

capite Virandevillæ relicto.

33 *Secundum vero instrumentum tale est* (1) : Nos Joannes Baptista Julianus Closet presbyter, juris civilis et canonici licenciatus, canonicus et vicarius generalis diœceseos Constantiensis, tam hoc titulo quam accepta per abundantiam juris commissione atque auctoritate D. Bonté pariter vicarii generalis pro jurisdictione contentiosa, rite institutus instructusque ad fungendum munere commissarii pro recognoscendis ipso in loco sigillis appositis feretro, cui in parochia Virandevillensi inclusæ fuere reliquiæ B. Thomæ Heliæ de Bivilla, quondam, dum viveret, curati parochiæ S. Mauritii in hac diœcesi, et eleemosynarii S. Ludovici ; quæ quidem reliquiæ sunt ossa omnia corporis, reverenter exhumata et ex parochia Bivillensi abducta, ne ab improbis perversisque hominibus, ut his propositum erat, profanarentur : testamur nos B vidisse dictum feretrum bene clausum et cinctum vitta ex filo nigro et albo ; quæ vitta per ambas extremitates jam dicti feretri transmissa, ac supra et infra illud decussata, duobus locis ubi transversæ inter se concurrunt lineæ, sigilli impressione munita erat. Sigillum autem trigonon referebat, medium inscriptum habens sacrum Johovæ nomen ; quæ quidem erant insignia xenodochii regii Sanctissimæ Trinitatis apud Parisios. Appositum fuerat hoc sigillum a R. D. Lemarié, qui dicto xenodochio ante publici status commutationem præfuit, et factus deinde vicarius generalis diœceseos Constantiensis, sua auctoritate reliquias curavit exhumendas ac Bivilla Virandevillam transferendas, ubi eæ jam novem annos et amplius quieverunt. Idem D. Lemarié tempore illo instrumentum rei gestæ confecit, cui ipse et testes fide digni ex loci prædicti incolis sua nomine rite subscripserunt : quod instrumentum ad rei veritatem prorsus exactum nobis apparuisse declaramus. Porro recolentes quam insigniter incolæ Virandevillæ in illa translatione meriti fuerint, et eorum pietatem ac fortitudinem considerantes, judicavimus caput seorsum Virandevillæ relinquendum C esse, ideoque sejungendum a cæteris reliquiis, quæ reverenter pieque ad parochiam Bivillam referentur, at clanculo tamen et noctu. Caput includetur urnæ funerariæ, cui inscribetur brevis commemoratio translationis ac depositionis sacri hujus pignoris in ecclesia dictæ parochiæ Virandevillensis. Mandamus vero, ut reliquiæ pretiosorum ossium partes convenienti solemnitate intra ecclesiam Bivillensem eodem tumulo condantnr unde fuere extracta. Verumtamen aliquot alia ossa ab hisce sejunximus, ut concedantur ecclesiis parochialibus S. Mauritii, Vallivillæ et Yvetotii. Ita judicavimus ad gloriam Dei et honorem Beati ; atque ad omnimodam fidem præsentium actorum et declaratorum, quæ scripto consignata fuere coram *etc.*, præsens instrumentum confectum est a nobis vicario generali supradicto et infrascripto, munitumque sigillo sedis episcopalis, apposito chirographo D. Lemarié parochi Virandevillensis, quem secretarium nostrum esse voluimus. Virandevillæ, anno Domini MDCCCIII, die XVI Septembris. *Signatum erat :* Closet vicarius generalis. Lemarié parochus Virandevillæ, secretarius.

A. T. reliqua ossa pleraque Bivillam reportantur ;

34 *Simul conscriptum fuit id quod sequitur* (2) : Nos Joannes Baptista Julianus Closet.... In sequelam et supplementum instrumenti nostri Virandevillæ confecti, ubi coram testibus qui assidue sub oculis habuerant pretiosum depositum quod semper idem fuisse professi sunt, certam agnovimus præsentiam pretiosorum ossium Beati Thomæ Heliæ, Bivillæ nati, parochi quondam S. Mauritii et S. Ludovici Galliæ regis eleemosynarii ; quæ exhumata atque ex dicta parochia Bivilla Virandevillam transportata fuerant ut intentæ a perversis et impiis hominibus profanationi subtraherentur : certum facimus nos eadem restituisse ac in manus dedisse D. Stephano Leverrier presbytero curato parochiæ Bivillensis in testimonium singularis nostræ de eo existimationis ; excepto capite et aliis partibus aliquot, quæ secerni et sejungi a reliquis jussimus, et quibusdam parochiis attribuimus ac concessimus ad honorem Beati in iisdem promovendum. Dicta pretiosa ossa ita reddita et restituta cum debita veneratione ac cæremoniis referantur et reponantur, ut denuo quiescant in illo sepulcro in quo primitus fuere condita. Actum scriptumque Virandevillæ, die XVI Septembris MDCCCIII, et subsignatum a nobis nostroque secretario, apposito E sigillo episcopali cum chirographo D. Lemarié parochi Virandevillensis, quem secretarium nostrum esse voluimus. *Signatum erat :* Closet vicarius generalis. Lemarié parochus Virandevillæ, secretarius. *Ac ternis hisce actis, quæ in archivis episcopatus Constantiensis extant, adjungendum est documentum sequens, quod in scriniis Bivillensis ecclesiæ servatur* (3) : Die XVI Septembris MDCCCIII Stephanus Joseph Leverrier parochus Bivillensis interfuit apertioni arcæ cui inclusæ erant reliquiæ B. Thomæ Heliæ presbyteri, dum viveret eleemosynarii S. Ludovici regis ac deinde parochi S. Mauritii, defuncti die XIX Octobris MCCLVII, ac sepulti in ecclesia S. Petri Bivillæ in diœcesi Constantiensi. Prædicta arca in ecclesia Virandevillensi, ad quam memoratæ reliquiæ pridem delatæ fuerant, aperta fuit in præsentia R. D. Closet vicarii generalis ad hoc ab Ill. D. Constantiensi episcopo deputati, ablatis sigillis quæ eidem arcæ apposuerat D. Lemarié olim vicarius generalis Ill. Domini de Talaru ac deinde capituli cathedralis ecclesiæ, sede vacante, necnon lecto instrumento quod dictus vicarius generalis anno MDCCXCIV confecerat petentibus piis viris qui pro reliquiis illis furori F impiorum subducendis vitæ periculum subierant. Post hæc dicta arca rursus munita fuit sigillo Ill. D. Claudii Ludovici Rousseau episcopi Constantiensis, et illico delata fuit ad ecclesiam Bivillensem, ubi pretiosæ reliquiæ antiquo suo sepulcro redditæ sunt die et anno ut supra, præsentibus DD. Fleury et Déquilbec presbyteris, Petro Moulin prætore et aliis. Ita scriptum ad rei memoriam. *Signatum erat :* Leverrier parochus Bivillensis. P. Moulin. J. C. Fleury presbyter. J. Déquilbec presbyter.

hisque et caput anno 1811 adjungitur.

35 *Die* VI *Martii anni proxime sequentis* 1804 *vicarius generalis Closet rerum omnium hucusque relatarum rationem reddidit scriptis litteris episcopo Constantiensi, ubi inter cætera notabat* (4) *concessionem capitis B. Thomæ factam parochiæ Virandevillensi ab ecclesiæ legibus et praxi minime abhorrere : sic enim ecclesias Rotomagensem atque Andegavensem majori parte reliquiarum S. Laudi et S. Rompharii episcoporum Constantiensium potiri, eo quod persecutionis tempore illas servassent et ab exitio vindicassent. Fuit autem hæc ipsa res acrium*

(1) Ibid., p. 145, 146 et 147. — (2) Ibid., p. 148 et 149. — (3) Ibid., p. 150 et 151. — (4) Ibid., p. 149 et 150.

A. T. *acrium controversarium per aliquot annos agitatarum occasio, hinc Virandevillensibus in capitis possessione permanere conantibus, illinc vero Bivillensibus jus postliminii prætendentibus, quo idem caput, non secus ac cætera B.* Thomæ *lipsana, sibi remitti omnino deberet; nec timor aliquando abfuit ne ad arma utrimque procederetur: sed iras compescuit superiorum ecclesiasticorum prudentia* (1). *Quis vero fuerit contentionum illarum exitus, ex documento quod subjicimus, colligere est* (2) : Anno MDCCCXI, feria sexta, die V Aprilis, in ecclesia Bivillensi præsentes adfuere Stephanus Joseph Leverrier, et Joannes Carolus Fleury succursarius Bivillensis; Petrus Franciscus Henricus de la Roque ex hac parochia natus et oriundus, habitans Cæsarisburgi, consilio generali præfecturæ adscriptus; Thomas Henry prætor Bivillæ, et Petrus Postel prætori adjunctus; Thomas Moulin consiliarius municipalis; Joannes Carolus Allain ludi magister et Amandus Henry, omnes hujus parochiæ incolæ: qui testes fuerant restitutionis capitis B. Thomæ Heliæ factæ ecclesiæ Bivillensi, ex mandato Ill. D. Petri Dupont-Poursat episcopi Constantiensis, edito die XXXI Martii proxime elapsi, cujus hæc
B sunt verba: « Attestor caput quod inclusum est » pyxidi ex ligno tenui, ligatæ vitta extremis suis » partibus eidem affixa nostro sigillo, quam pyxidem commisimus D. Déquilbec succursario Vallivillensi reponendam in ecclesia Bivillensi, esse » idem caput quod post ablationem ossium Thomæ » Heliæ ex ecclesia Bivillensi ad ea profanationi » subducenda, separatum fuit a reliquis ossibus; ac fidem præsenti declarationi adhibendam » esse. Datum Constantiæ die XXXI Martii MDCCCXI. » † P. episcopus Constantiensis. » Originale exemplar mandati hujus, quod accurate hic descriptum est, in archivis nostris existit. Addendum autem putavimus reliqua ossa B. Thomæ jam pridem reddita fuisse sepulcro in pyxide lignea sigillo episcopali munita die XVI septembris MDCCCIII, cujus rei testimonium inscriptum fuit tabulis baptismorum et matrimoniorum dicti anni, ejusque exemplum descriptum habetur in archivis; item pyxidem qua caput B. Thomæ Heliæ continetur et exemplar instrumenti de hoc conscripti inclusa esse capsæ plumbeæ, sejunctim a pyxide quæ cætera pretiosa ossa tenet, quæ eodem hoc die plumbeæ similiter capsæ fuere inclusa. Ita actum die et anno quo supra. *Signatum erat :* Leverrier presbyter. J. C. Fleury succ. Bivillensis, Th. Henry. P. Postel. Henricus de la Roque. J. Carolus Allain. Amandus Henry. Et supradictæ capsæ, quarum altera pretiosum caput, altera pretiosa ossa B. Thomæ continet, ambæ repositæ fuerunt in antiquo ipsius sepulcro in medio choro hujus ecclesiæ, feria quinta, die XVIII Aprilis MDCCCXI, præsentibus supra memoratis viris ecclesiasticis cum prætore aliisque magno numero parochianis, ex quibus plures nomina sua subscripserunt. *Scilicet :* C. Dequilbec. Leverrier presbyter. J. C. Fleury succ. Bivillensis. J. B. Lecomte. Henricus de la Roque. Th. Henry. Julianus Déquilbec. Jeannes Ludovicus Déquilbec. F. Frigoult. C. Lemarchand.

Instauratur Beati festivitas :

36 *Ante vero quam ossa B.* Thomæ *Bivillam relata fuissent, licentiam festum ejus inibi instaurandi jam concesserat supra memoratus vicarius generalis Bonté, eamque etiam ad parochiam Virandevillensem extenderat, datis sub sigillo episcopali die* XX *Julii* 1803 *litteris hujusce tenoris* (3) : Renovantes facultatem quondam ab episcopis Constantiensibus D
datam celebrandi quotannis die XIX Octobris Officium ritus solemnis sicut in die festo omnium Sanctorum in honorem B. Thomæ Heliæ, permittimus ut eadem solemnitas continuetur in prædicta ecclesia parochiali Bivillensi vel ipsa illa die vel Dominica quæ ei proximior fuerit; atque insuper permittimus ut idem Officium eadem die vel Dominica proximiori ritu item solemni agatur in ecclesia Virandevillensi. *Eodem fere tempore videtur quoque in S. Mauritii denuo agi cœpisse anniversaria B.* Thomæ *festivitas; quandoquidem fraternitati ibi restitutæ anno* 1806 *dies lucrandis indulgentiis assignati fuere a vicario generali Lesplu-Duprey iidem prorsus qui olim, scilicet Dominica SS. Trinitatis, festum SS. Petri et Pauli Apostolorum, festum Sanctarum Reliquiarum et dies* XIX *Octobris,* in qua, *ut ipsa rescripti verba sonant,* recolitur memoria pretiosæ mortis B. Thomæ Helye (4). *De ratione qua hæc dies Bivillæ celebrari consuevit, aliqua superius notavimus (num.* 16). *Nostris temporibus annuatim illuc convenire solent ex oppidis vicisque propinquis viri ecclesiastici facile triginta aut plures etiam; populi vero tanta est frequentia ut longe minor sit ecclesia quam ut eam capere possit.* E
Plurimi autem fideles panem eucharisticum maximo cum pietatis sensu per eam occasionem percipiunt.

et populorum erga eum pietatem

37 At non solum die XIX Octobris, *inquit R. D. Colin* (5), Bivillam accurritur ad venerandam B. Thomæ memoriam illiusque exuvias religiose colendas. Vix ullus per totum anni decursum dies est, quo cernere non liceat turbas fidelium ad sepulcrum ejus prostratas. Ac genibus passim circum illud repere consueverunt præ reverentia qua afficiuntur erga pretiosos cineres et imaginem hominis Dei, quæ tot tantarumque virtutum recordationem in animos eorum reducit. Sæpe in gratiarum actionem pro beneficiis intercessione ejus perceptis cereos illuc afferunt atque accendunt. Cingitur sepulcrum baculis ad infirma membra sustentanda olim adhibitis, sed ibidem in testimonium redditarum prodigiose virium relictis. Quod vero majus etiam solamen affert, multi in ecclesia Bivillensi onus peccatorum suorum deponunt et salutari pœnitentiæ usu sanitatem ac pacem animarum suarum consequuntur. Plerique peregrini, priusquam domum redeunt, benedictione ad sepulcrum afficiendas curant imagines B. Thomæ aut F
coronas precatorias aut cruces, et sibi comparant Beati vitam, litanias et cantica in ejus honorem composita, necnon effigiem ejus, quam pene nullus nostrum domi suæ non habet. Sunt etiam qui lintea imponunt marmori quo ossa ejus conteguntur, atque ad habitacula sua reversi, illa tangenda afferunt suis ægris et infirmis, pro quibus, quum peregrinationem per se ipsi suscipere nequiverint, vota precesque oblaturi Bivillam venerant. Eorum denique fidelium qui parochum Bivillensem rogant ut Sanctum Missæ Sacrificium ad eorum intentionem offeratur, tantus est numerus ut plerusque hoc in parte satisfieri prorsus nequeat... Et hæc quidem pia sensa in animis fidelium fovent eorum parochi, qui non raro ipsi eos ad sepulcrum Beati deducunt, modo absque solemnitate, modo præeuntibus crucibus ac vexillis.

verbis et exemplo fovet Petrus Dupont episcopus Constantiensis.

38 *Quæ de cultu B.* Thomæ *feliciter instaurato honoribusque ei porro exhibitis dicenda supersunt, ordine temporum prosequemur. Anno* 1810, *die* XXVIII *Junii, Bivillam advenit Petrus Dupont-Poursat Constantiensis episcopus inter lustrandam*

(1) Apud Col., p. 153 et 154.—(2) Ibid., p. 151, 152 et 153.—(3) Ibid., p. 124. — (4) Ibid., p. 192. — (5) P. 124, 125 et 126.

illam

A *illam diœceseos suæ partem* (1), *et præclare de laudibus Beati ad circumfusum populum locutus est : se quidem, quamvis per temporis angustias tunc prohiberetur quominus singulas diœceseos suæ parochias, uti in animo pridem habuerat, visitatione pastorali obiret, tamen noluisse eam ecclesiam prætergredi quæ exuviis B.* Thomæ Heliæ *decoraretur ; hunc vero, licet secundum regulas in ecclesia nunc receptas nondum in Sanctorum et ne fortassis in Beatorum quidem censum relatus esset, cultu tamen eoque per quinque amplius sæculo continuato potiri, qui satis ostenderet eum in Sanctorum numero esse multumque sua intercessione apud Deum valere ad insignia beneficia suis cultoribus impetranda : quapropter sese non solum maxima veneratione erga sanctissimum hunc sacerdotem ac cineres illius affici, verum etiam incolis Bivillensibus summopere gratulari quod tanti thesauri possessione fruerentur, hisque adeo hortatorem se esse ut virtutum ejus mera admiratione contenti ne sint, sed iis imitandis pro suo quisque statu graduque sedulam dent operam. Quæ præsulis verba in memoriam posterorum statim scripto excepit Joannes Carolus Fleury Bivillensis* B *parochus.*

Clerus vicinus canonizationem ejus

39 *Anno* 1814, *duce Joanne Carolo Richardo Dancel, qui tum erat parochus Valloniis ac vicarius generalis episcopi Constantiensis, anno autem* 1827 *Bajocensibus infulis ornatus fuit* (2), *nonnulli presbyteri Constantiensis diœceseos supplicem libellum dederunt ad Cardinalem Congregationis Sacrorum Rituum præfectum, quo judicium Sedis Apostolicæ de cultu B.* Thomæ *exposcebant. En ipsorum verba ex gallico in latinum versa* (3) : Eminentisse Domine. Sumpsimus nobis ut ad Eminentiam tuam vota nostra transmitteremus pro cultu B. Thomæ Heliæ de Bivilla in tractu Bellomontensi Constantiensis diœceseos, qui obiit die XIX Octobris MCCLVII : de quo cultu supplicamus ut sacrum tribunal rituum cognoscat atque ea statuat quæ fixam animis ingerant existimationem de statu sanctitatis illius hominis Dei. Sane incredibile est qua religione populi erga Thomam Heliam afficiantur, quantamque in potenti ejus patrocinio fiduciam reponant : ut iniri plane nequeat numerus sepulcrum ejus visitantium propter famam prodigiorum quæ ibi olim contigerunt et hoc quoque tempore contingunt ; quamquam sepulturæ ejus locus situs est in regione paupere nec facilis ob circumjacentia deserta ad C eum patet accessus. Tanta animis insedit de sanctitate viri opinio ut haudquaquam in sacerdotum potestate sit prohibere quominus iisdem quo Sancti canonizati afficiatur honoribus ; suntque homines pene innumeri qui vel ipsum pulverem sepulcro ejus circumfusum colligere satagant. Ex quibus omnibus jam cultus aliquis veluti publicus efficitur, quem permisisse videntur plures Romani Pontifices, qui de virtutibus ejus et miraculis ad sepulcrum ejus patratis informationes institui jusserunt.

a S. Rituum Congregatione expetit.

40 Vir ille admirabilis, dum in vivis egit, ad sacras missiones obeundas adhibitus fuit quum ab episcopo suo, tum etiam ab episcopis Abrincensi, Bajocensi et Lexoviensi, qui facultatem ei fecerunt concedendi indulgentias iis qui ad conciones ejus audiendas accessissent. Quin et fama virtutum ejus ad aulam usque regiam perlata fuit, eumque S. Ludovicus rex accersiit ut sibi ab eleemosynis esset. Post mortem vero ipsius opinio sanctitatis plurimum accrevit, ut jam a quinque sæculis cum dimidio omnium ordinum homines Sanctum illum pronuntiarint atque opis ejus implorandæ gratia ad sepulcrum ejus accesserint. Noctu diuque ecclesia Bivillensis frequentatur a peregrinis sibi assidue succedentibus. Magno autem sacerdotum numero opus foret ad celebranda Sacra quæ fideles pro se offerri cupiunt in honorem B. Thomæ tam in loco ubi quiescunt ejus exuviæ quam in aliis multis ecclesiis. Itaque desiderandum esset ut nullus fidelibus timor suboriri posset ne ad Servum Dei sic honorandum errore quodam ducantur, utque adeo lata canonizationis sententia cultus ejus legitimus esse declararetur. Miracula frequentissima per annos amplius quingentos ad sepulcrum ejus patrata titulum thaumaturgi et communis Normannorum advocati dudum ei conciliarunt, ita de eis testante Tullensi episcopo *(Andrea du Saussay)* in Martyrologio suo : « Dictus » ob edita in vita et post mortem ac in hos usque » propagata dies innumera miracula gloriosus Nor- » manniæ thaumaturgus. » Quæ quidem miracula tamquam divinæ voluntatis manifestationem suspicientes, supplices petimus ut ad approbationem cultus ei hucusque præstiti deveniatur. *Sequitur epistolæ clausula cum subscriptionibus triginta quatuor presbyterorum, unius diaconi et unius subdiaconi ; quibus omnibus laudatus Joannes Dancel* E *illud adjecit testimonium :* Ego infrascriptus vicarius generalis Constantiensis et parochus Vallonensis attestor hasce omnes subscriptiones esse virorum ecclesiasticorum venerabilium et fidei æque ac morum puritate commendabilium, mihique in hac diœceseos parte, quam Ill. Dominus episcopus meæ curæ speciatim concredidit, notus esse ultra ducentos alios qui ad nomina sua hisce litteris apponenda forent paratissimi, si spatium ad id daretur. Attestor insuper devotionem erga B. Thomam in tota hac Normanniæ peninsula universim vigere, et felicissimos ex ea redundare fructus. Valloniis die IV Octobris MDCCCXIV. *Signatum erat :* Dancel canonicus et vic. gen. Constant., parochus Vallonensis.

Sacræ missiones patrocinio ejus commendantur.

41 *Idem vicarius generalis Dancel, ut sæpe alias, sic præcipue die* X *Octobris* 1820 *suæ erga B.* Thomam *pietatis atque fiduciæ præbuit indicium, quando Bivillam cum in finem se contulit ut viro apostolico, qui verbum Dei tot annos per patriam suam quondam sparserat, successum commendaret sacrarum missionum, quæ Valloniis mense Novembri, Cæsarisburgi mense Januario, ac deinde etiam in civitate Constantia inchoandæ erant* (4). *Quod* F *exemplum haud diu post secutus est alius Beati cultor eximius, qui hæc de se testata reliquit* (5) : Ego infrascriptus C. Demons parochus olim Cæsarisburgensis, ecclesiæ cathedralis Constantiensis canonicus honorarius, tam meo nomine quam speciali commissione venerandi Domini Lainé parochi Cæsarisburgensis et canonici item honorarii Constantiensis ecclesiæ, ob reverentiam ac venerationem quam erga B. Thomam Heliam de Bivilla animis gerimus, et fiduciam quam in patrocinio ejus et gratia qua apud Deum pollet collocamus, hoc die decimo Decembris sub Sanctissimo Sacrificio quod mihi in ecclesia Bivillensi apud B. Thomam Heliam offerre licuit, precibus sancti illius viri commendavi successum sacræ missionis Cæsarisburgi habendæ ; atque a Deo per intercessionem ejus postulavi justorum in sanctitate profectum et malorum impiorumque conversionem, denique ut missio illa spectet ad Dei gloriam et civium Cæsarisburgensium felicitatem temporalem atque æternam. *Signatum erat :* C. Demons. *Nec spem de*

(1) Colin, p. 126, 127 et 128.—(2) Ami de la Religion, n. 1386, t. LIV, p. 40.— (3) Apud Colin, p. 109 et seqq.—(4) Ib., p. 128.—(5) Ib., p. 129.

auxilio

A. T.

auxilio divino B. Thomæ *intercessione affuturo frustravit eventus ; quandoquidem fructus trium illarum missionum extitere luculentissimi, quos tamen, ne longius a proposito argumento digrediamur, singillatim explicare omittimus* (1). *Porro intra spatium temporis quod missionem Cæsarisburgensem inter et Constantiensem medium fuit, mense Februario* 1821, *duo præcones evangelici Marius Aubert et Bach Bivillam excurrerunt, tum ut B.* Thomæ *exuvias coram venerarentur suosque ei commendarent labores, tum quoque ut viam crucis in ea parochia erigerent populumque verbi Dei pabulo recrearent*(2). *Sequenti anno, uti alibi jam diximus (n. 7), Vita B.* Thomæ *a Joanne Hélye conscripta in lucem prodiit, editionem probante Petro episcopo ; præter quam Vitam et aliam breviorem aliquanto serius excusam vulgata etiam fuere cantica, litaniæ, precationes aliaque opuscula fovendæ fidelium erga Beatum pietati accommodata* (3).

Restituitur Bivillensis fraternitas ; et spes fit cultum brevi a S. Sede approbatum iri.

42 *Unum tamen Bivillæ præstandum restabat ad plenam pristinæ erga B.* Thomam *religionis restitutionem, scilicet ut antiqua confraternitas, quæ a fine sæculi superioris prostrata neglectaque jacebat, de novo erigeretur : qua in re Bivillensem parochiam laudabili exemplo diu præiverat parochia San-Mauritiensis, quæ suam confraternitatem renovaverat ab anno præsentis sæculi sexto, ut pridem indicavimus. Tandem igitur et Bivillensis confraternitas renata est die* XXVII *Septembris* 1833, *atque intra sex aut septem annos tam prospere accrevit, ut, quando R. D. Colin novam Beati Vitam concinnabat, numerarentur ei adscripti quadringenti octoginta sex utriusque sexus fideles ex variis diœceseos Constantiensis partibus, et ratio accepti quotannis rationem expensi superaret libris francicis circiter trecentis. Sumptibus autem sodalium prima feria secunda cujusque mensis solemne fit Sacrificium, ac noctu diuque ad B.* Thomæ *sepulcrum luminaria pro veteri more ardent* (4). *Interim Petrus Dupont-Poursat episcopus, quem sæpius laudavimus, ultimis vitæ suæ annis allaborare et ipse cœperat causæ canonizationis seu potius approbationis cultus immemorabilis* (5) ; *sed morte impeditus, propositi sui executionem reliquit Ill. D. Ludovico Joanni Robiou, qui in locum illius successit initio anni* 1836. *Hic quum die* XI *Julii* 1838 *in Bivillensi ecclesia Sanctum Confirmationis Sacramentum administraret, ea occasione panegyricam de B.* Thoma *orationem habuit, sub qua non sine ingenti auditorum suorum gaudio publice professus est se jam intendisse animum in causam Beati, omnemque curam eo collaturum ut saltem indirectam sive æquipollentem (quam vocant) beatificationem cum facultate Officium proprium ac Missam de B.* Thoma *recitandi a Romano Pontifice obtineat* (6). *Quæ quidem promissa reapse mox executus fuit : ita ut res nunc in Sacra Rituum Congregatione agitetur, atque ut nuper aliquem ex collegis nostris Constantia rescriptum fuit, spes maxima sit fore ut honoribus B.* Thomæ *summus ille tandem accedat cumulus, votis totius Normanniæ inferioris tantopere et tam longo tempore expetitus, quibus nostra vota ex animo adjungimus.*

VITA
B. THOMÆ HELIÆ,
auctore Clemente coævo.
Ex Ms. codice ecclesiæ Bivillensis.

B. Thomæ

Cogis me, charissime frater Alane, imo Christi charitas me compellit, ut de vita, virtutibus et miraculis B. Thomæ Heliæ scribam aliquid, quod peregrinis ex diversis orbis climatibus ad ipsius tumulum confluentibus, supra prædictis te frequenter, prout dicis, requirentibus, ostendere valeas, quod imitari debeant vel mirari. Quia igitur nonnullos ad amorem Dei non minus exempla quam prædicamenta succendunt, ad honorem summæ Trinitatis, ad exaltationem nostræ fidei necnon ædificationem proximorum necessarium reor ut ejus virtutes et miracula, prout ariditas miseræ linguæ meæ sufficit et ingenioli mei tenuitas patitur, imo gratia nostri Salvatoris annuit, quæ vidi et manus meæ contrectaverunt, et quod per testes omni exceptione majores, quorum examinatione una cum bonæ memoriæ Joanne Constantiensi episcopo *a* et Fratre Radulpho de Gardinis priore Fratrum Prædicatorum Constantiensium tunc temporis, qui de mandato Sedis apostolicæ super ejusdem Beati vita, meritis et miraculis inquirebant, et alias per bonos et fide dignos agnovi, proloquar, et fideli, licet rudi, stylo conscribam, posteris nostris, annuente Domino, profutura. Habeo siquidem volumen originale, videlicet inquisitionis primæ per prædictos examinatores, me præsente, factæ, cui præsentem compilationem, ne quis me putet inquisitionem (quod absit) adulterasse prædictam, conjungere dignum duxi.

natales, et vita

2 Fuit igitur Beatus Thomas Helie in parochia S. Petri de Boëvilla *b* taliter a bonis ejusdem S. Petri, prout idem B. Thomas aiebat, dicta *c*, simplicibus ex parentibus, scilicet Helia *d* et Matilis *e*, legitimis conjugibus Constantiensis diœcesis oriundus, studiisque litterarum traditus instruendus. Quantum vero diligens in disciplina magistrique statu fuerit (rexit enim scholas in grammaticalibus multis in locis), ardenter scholares ac socios suos non tam scientiam quam bonos mores instruens, verbis et exemplis exhortans, longum nimis esset scripturæ per singula commendare ; quod et satis rei comprobavit eventus : siquidem sermone dulcis, corde benignus, ardenter ac dulciter instruens, scholarium ac sociorum suorum in se provocabat affectus ; ecclesias diluculo summo frequentans, dehinc tempus disciplinis scholasticis, et si quid pro tempore de die post scholasticum studium superesset, vespertinis divinisque laudibus impendebat. Sane tunc temporis in cibis, vestibus et colloquiis jucundis, sanctis tamen, satis communis externis habebatur. Verum post regimen scholarum de Cæsarisburgo *f* valida febre correptus, per Dei gratiam convalescens, vestibus coloratis abjectis, omnino cœpit uti vestibus de vili burello *g*. Sub illo, quo carnem domuerat antea,

(1) Cfr Ami de la Religion, n. 667, 677, 685, 702 et 794, t. XXVI, p. 218 et 378, t. XXVII, p. 86, 87, 360 et 361, t. XXXI, p. 168 et 169. —(2) Ibid., n. 785, t. XXXI, p. 25. Colin. p. 130.—(3) Colin, p. 169. — (4) Pag. 192 et 193. — (5) Pag. 113. — (6) Pag. 130 et 131.

modo

AUCTORE CLEMENTE COÆVO.

A modo cilicio domans eamdem, quo numquam caruit postmodum, donec debilis et impotens fuit effectus, incultus et deformis crinibus, vestimento despicabilis, mundi contemptum habitu prædicabat et gestu.

sancte acta ante sacerdotium.

3 Carnis desideria vigiliis, disciplinis ac jejuniis multipliciter coercebat. Eo siquidem tempore cum Guillelmo fratre suo, mortuis parentibus, in jam dicta parochia moram trahens, ut de divino diurnoque servitio, cui cum presbytero loci consueverat interesse, similem clavem ecclesiæ dicti loci post Completorium retinens, obortis noctis tenebris, ecclesiam solus cum solo Deo locuturus adibat. O quot quanti quoties in continicio per prædictæ ecclesiæ cœmeterium transeuntes, eum temporibus illis audierunt, prout narrat antiquitas, in ecclesia sæpe fata gementem, suspirantem seseque disciplinis asperrimis affligentem! Inde vero satis tarde domum reversus, post modicam quietem circa noctem ad ecclesiam denuo properabat, laudibus matutinalibus, discipinis et orationibus vacaturus. Temporibus illis tribus in hebdomada diebus ad minus in pane jejunabat et aqua, cæteris diebus pane hordeaceo cum modico pulmento B contentus, rarissime carnes aut pisces comedens, refectionem plenam declinans, ad cameram vel ecclesiam post talem qualem refectionem solitarius, orationi, lectioni vel studio vacaturus, numquam minus solum quam cum solus erat, se reputans, secedebat. Ex tunc propositum paupertatis amplectens, patrimonium suum fratri suo Guillelmo jam dicto dimittens, sine quolibet murmure contentus erat iis quæ ad usum quotidianum dictus frater ministrabat eidem; qui super abstinentiæ nimietate, necnon et quia pane frumenti et aliis cibis omnibus appositis non utebatur, frequenter increpabat eumdem.

In sacerdotio h

4 Audiens autem bonæ memoriæ Joannes Constantiensis episcopus *h* famam viri Dei, fecit eum ad se vocari. Qui inter cætera, quia, sicut nec deliciæ exquisitatæ, sic nec affectatæ sordes laudem pariunt, capillorum hirsitudinem et vestium sorditatem deponere persuasit, dicens quod non decet immunditia servum Dei; quem postmodum ad omnes sacros Ordines, Domino favente, promovit. Verumtamem priusquam sacerdos fieret, Beatorum Petri, Pauli et Jacobi Apostolorum limina visitavit, et per annos circiter quatuor audivit Parisiis C theologiam. De cujus abstinentia, diligentia, jejuniis, disciplinis et occupationibus sancti socii sui scholastici multa tam miranda quam laudanda præfatis examinatoribus narraverunt; quæ ne fastidium generent, ad præsens omitto. Promotus igitur in presbyterum, cœpit per ecclesias Constantiensis diœcesis verbum vitæ seminare ferventer, in suis prædicationibus indulgentias concedere, confessiones audire, pœnitentias injungere, confitentes absolvere de diœcesani prædicti licentia speciali; ad instar cujus bonæ memoriæ Guillelmus episcopus Abrincensis *i* exercere præmissa per ecclesias suæ diœcesis commisit eidem *k*. O quam differt hic presbyter a se puero! Si comparemus vitam sacerdotis ad vitam præcedentem, quasi (ut ita loquar) inutilis fuisse videbatur vita præcedens; siquidem jejuniis, vigiliis, disciplinis, laboribus, orationibus, laudibus divinis, psalmis, hymnis, canticis spiritualibus, exhortationibus, prædicationibus, audiendis confessionibus, infirmorum visitationibus et consolationibus assidue vacans, noctem Deo, diem proximis impendebat.

jejunia, abstinentiæ,

5 Sciens itaque quod cum dispositione initur bellum, jejuniis domans carnem, proposuit in illo fervore, præter abstinentiam jam dictam, quadragesimas in pane et aqua duas annis singulis jejunare; sicque tres eo tempore continuavit in pane jejunans et aqua. Sed quia temperandum est ut obsequium Dei cœptum gradatim protrahatur potius quam per immoderantiam minuatur, ne deficeret ab incepto prædicationis officio factus inutilis præ nimia tenuitate, de mandato præfati episcopi Constantiensis austeritatem quadragesimarum temperavit eamdem. Tribus diebus per hebdomadas quadragesimæ singulas pane contentus et aqua; cæteris diebus pane grossiori quem reperisset, oleribus aut pisis in aqua sine salis condimento bullitis contentus erat frequenter. Raro siquidem necnon et parcissime piscibus in quadragesima vescebatur. Extra quadragesimam si forsan propter solemnitatem vel instantiam bonorum carnes aut pisces comederet, quod perraro contingebat, parcissime comedebat. Similiter si vinum biberet, parcissime bibebat et adeo lymphatum quod quasi mutasse vini speciem videretur. Sexta feria per singulas hebdomadas in pane et aqua, necnon diem in qua festum dominicæ Annuntiationis evenerat, dum tamen sanus existeret, jejunabat, aliis diebus pro potu cicera vel cervesia minore contentus. A nonnullis, ut reor, parsimoniam diligentibus idcirco cum gaudio suscipiebatur, quia nullis onerosus, omnibus utilis, nihil propter se parari volebat, quinimo prohibebat et prohiberi faciebat expresse; paratis vero tamquam medicina velut egregius medicus sine murmure vescebatur, ut esset cibus qui mortem arceret, non delicias ministrasset. Et quia inter lenta convivia minus fervet spiritus, non diu sedebat ad mensam; sed discumbentes relinquens, cum gratiarum actione surgens, ad orationem vel lectionem seu confessiones aut alias occupationes sanctas semet alio transferebat. E

vigiliæ, itinera,

6 De vigiliis quid referam? Pernoctabat in ecclesiis ad quas declinabat, quatenus ad vigilandum pronior, et ex corporali præsentia Salvatoris et Sanctorum suffragiis ad orandum sive meditandum de divinis ferventior, honestius vigilias exerceret. In prima siquidem vigilia noctis Officio pro defunctis, septem psalmis pœnitentibus, quindecim gradualibus, cum litaniis et aliis septem psalmis quos parvos psalmos appellabat, cum quibusdam orationibus, suo clerico comitatus, tractim satis et devotissime decantatis, clerico prædicto, qui pro tempore comitabatur eumdem, ad inferiorem partem ecclesiæ, ubi lectum sibi fecerat præparari, dimisso, remanens in cancello, non sine creberrimis gemitibus et suspiriis meditationi de divinis et contemplationibus vacabat. Cumque suum clericum crederet obdormisse, cum virgis aut propria corrigia disciplinabat asperrime semeptisum. Demum sopori quem non cupiditas, sed necessitas exigebat, ad recreationem modicam contentus modico stramine cum quodam quandoque pallio, corpus dabat, et circa mediam partem noctis ad laudes matutinales surgens, clerico suo dicens: « Socie sursum, socie sursum », valde modeste vocabat. Nullus clericorum suornm, prout referunt, vidit eum, dum sanus esset, cubantem vel de lecto surgentem. Laudibus igitur matutinalibus, orto sidere lucis, hora prima devotissime decantatis, singulis fere diebus, impedimento cessante, summo diluculo Missam celebrare solebat. Dehinc viator assiduus, peregrinus egregius, in hac peregrinatione solo corpore constitutus, ad aliam ecclesiam properans, horis canonicis aut orationibus sive psalmis, aut confessionibus quas in via frequenter F

AUCTORE CLEMENTE COÆVO.

quenter a multis eum sequentibus audiebat, vel aliis operibus sanctis ad laudem Dei ædificationem proximorum indesinenter erat intentus.

prædicationes assiduæ.

7 Animarum zelator præcipuus, ipsarum lucris ardenter insistens, singulis dominicis et festivis diebus, impedimento cessante, saltem semel, quandoque bis vel ter in ecclesiis prædicabat : in die Nativitatis Domini quater, scilicet ad primam Missam apud Boevillam, ad secundam apud Vauvillam, ad tertiam apud Sanctam Crucem *l*, ad Vesperas apud aliam de vicinis ecclesiis. Diebus singulis quadragesimæ saltem semel, quandoque bis, et etiam diebus festis quoties habebat congregationem populi, scholaribus in scholis, religiosis in suis cœnobiis prædicare solebat. De fide, pro qua fidelium cordibus imprimenda totus ardebat, articulis de quibus ecclesia solemnizat, suis sermonibus interserens, inter alia monita salutis, non subtiliter, sed faciliter pro capacitate audientium parvulis qanem frangens, decimas et oblationes reddere populos hortabatur. Post prædicationem vacabat confessionibus audiendis, frequenter, præcipue in quadragesima, usque ad tenebras jejunando. Multi siquidem viri mulieresque fideles, B alii per duos dies, alii per tres, alii per hebdomadam unam, alii per duas et amplius quandoque, tum propter salutarem ipsius doctrinam, tum propter indulgentias quas in suis sermonibus concedebat *m*, tum propter ipsius sanctitatem et reverentiam, de parochia in parochiam sequebantur eumdem. Quamplures eumdem ipsum ad suas parochias venientem cum gaudio suscipientes, conclamabant alii : « Ecce bonus homo », alii : « Ecce homo Dei. » Fama quidem sanctitatis in populo celeberrimus habebatur.

corporis afflictationes, orandi studium.

8 De disciplinis quid referam? A juventute sua cum virgis aut corrigia sua semetipsum asperrime disciplinare solebat; quod et Parisiis scholaris et postmodum factus presbyter, in ecclesiis in quibus pernoctabat, facere non omisit. Dicebat quandoque suis familiaribus quod disciplina cum genistis et husso *n* bona erat ad decipiendam carnem; quia ejus asperitas in disciplinando satis erat tolerabilis, sed diu durabat ei qui non est expertus qualis sit. Verisimile est quod tantus vir hæc non diceret inexpertus. Narrant siquidem sacerdotes qui fuerunt sui clerici, quod, cum transibant per nemora spissa ubi erant arbores præfatæ, secedebat in C partem, et tunc ictus et quandoque gemitus audiebant, sed cominus accedere non audebant. Quamdam corrigiam ferratam ferrum ad carnem *o* tamdiu portavit, donec per vetustatem defecit. Cum broca *p* suæ corrigiæ, quam ex industria fecerat fieri longiorem, se pungebat. Frequenter viderunt sui socii sanguinem ad pedes ejus usque manantem. Cicatrices vulnerum quæ sibi fecit in pectore, in brachiis, in cruribus et tibiis, apparentes in fine, punctiones probant easdem. Credo siquidem, prout ab ejus, dum adhuc viveret, audivi comitibus cognitis, quod hujusmodi punctiones faciebat sibi, quando carnis stimulos sentiebat. Genuum flexiones creberrime faciebat. Officium divinum semper stans vel flexis genibus seu prostratus dicebat. Ad illud verbum : QUI PASSUS EST PRO SALUTE NOSTRA, et ad illud : ET HOMO FACTUS EST, et ad illud : AVE MARIA, genua de more flectebat. Mirabiliter et ultra æstimationem miseriæ nostræ devotus in Officio divino persistens, lachrymas infra Missarum solemnia præcipue frequenter habebat. Celebraturus ex more præceperat suis clericis ut populum facerent stare remotum. Post verba Salvatoris : HOC EST CORPUS MEUM et cætera sub silentio, prout moris est, dicta, contemplationi diutius insistebat, frequentius lachrymas multas fundens. Post sumptionem Corporis Christi lætus et gaudens mirabiliter apparebat : rubens facies, quæ prius erat pallida, sanctum cordis prætendebat ardorem. Non in Missis tantum, sed et alias lachrymas habere consueverat, præcipue cum respiceret imaginem Crucifixi, in cujus aspectu diutino non poterat lachrymas continere. Unde semel accidit quod, cum Crucifixum respiceret instantius, inter multas lachrymas guttam cruoris emisit. Affluens itaque misericordiæ visceribus, compatiebatur peccatoribus, pauperibus et infirmis. Hortabatur divites ut pauperibus subvenirent; et quando cum notis amicis suis antiquis comedebat, ori subtrahens scutellas faciebat pauperibus erogandas, dicebatque frequenter eis : « Nimis comedis : da pauperibus. » Infirmos visitans consolabatur, invitans eos ad infirmitatem et tribulationes temporales immissas ab amantissimo patre Deo, qui melius quam nos novit quid nobis expediat, cum patientia et gaudio sustinendas.

extremi morbi pie tolerati.

9 Animarum lucris ardenter insistens, ecclesias omnes dictarum diœcesium per annos circiter viginti duos, in omnibus, ut præfertur, saltem semel, E in majoribus bis aut ter prædicans, pedes, et ante obitum suum circiter quatuor nudipes, visitans incedebat. Ascendebat tamen in equum quandoque, cum promisisset ad aliquam ecclesiam proficisci, non propter se, sed propter expectationem populi, ne tædio gravaretur. Ante obitum suum per biennium vel circa varias in variis locis infirmitates sustinuit corporales, in quibus fortior est effectus. Nam cum non posset ad ecclesiam proficisci, presbytero in ecclesia celebrante, faciebat bis, ad elevationem scilicet et sumptionem Corporis Christi, pulsari campanam, quo ferventior ejus spiritus ad suam dirigetur actionem. Communicaturus vero post Missam, per presbyterum qui celebraverat, diaconalibus vestibus indutum, præcedentibus clericis cum cereis accensis. Invitatorium de Adventu ECCE VENIT REX, OCCURRAMUS etc. *q* vel BENEDICTUS MARIÆ FILIUS etc. *r* cantando, sibi Corpus Christi deferri solemniter faciebat. Interim vero positus ante lectum, juxta quamdam formulam *s* pallio altaris opertam, Salvatoris expectabat adventum : quem sibi delatum cum gaudio suscipiens in manibus, cum ipso, quasi videret in effigie corporali, diutius loquebatur; ac demum communi- F cabat propriis manibus semetipsum. Quo sumpto, gratias eis, quod pretiosum cibum sibi detulerant, referebat. Istam solemnitatem servavit in multis infirmitatibus quasi singulis diebus quibus non poterat ad ecclesiam proficisci; solemnius autem in ultima, quia multos habebat visitatores sacerdotes et clericos, qui presbytero Corpus Christi deferenti cantantes solemniter assistebant. In hac infirmitate, prævidens obitum suum, misit litteras ad presbyteros Constantiensis diœcesis, rogans eos ut, quia migrans anima de corpore conductu indiget, prout in iisdem litteris continebatur, pro ipso migraturo Dominum precarentur. Misit et alias litteras nobili matronæ Aliciæ *t* uxori Roberti Bertrandi militis insignis, et inter alia continentes : « Ego vos faciam » scire quod vado ad curiam paradisi, ubi procu- » rator vester ero. » O grandis fiducia! Fuit autem Alicia discipula ejus valde religiosa matrona, cui multa de suis revelavit arcanis; cumque semel ei revelasset de gutta sanguinis quam inter lachrymas habuit, ut præfertur, injunxit ut gratias ageret Deo, quia de nullo secreto quod ei diceret, tenebatur.

10 Ante

ac felicissimus obitus.

10 Ante obitum suum per plures dies legi coram se de Incarnatione et Passione Salvatoris Evangelia faciebat, quæ suspirans, gaudens et ad cœlum levans oculos, devotissimus audiebat. Ipso die migrationis suæ non diu ante obitum suum Guillelmum presbyterum capellanum capellæ de Bricquebec, qui fuerat ejus clericus, assistentem rogavit ut illum versiculum Psalmistæ : « In manus tuas, » Domine, commendo spiritum meum : redemisti me, Deus veritatis » coram se diceret ; quod et fecit, et statim spiritus ejus ad suum migravit autorem. In cujus ore vel corpore nihil apparuit inhonestum : manus ejus, ac si viveret, agiles extiterunt ; caro vero reliqua, quæ fuerat in exercitio continuo, quam vulnerum sive punctionum quas sibi fecerat, ut præfertur, in argumentum nobilis militiæ cicatrices ornabant, puerilem prætendebat ætatem. Quod, sicut credo firmiter, meruit castitas virginalis : siquidem Petrus presbyter de Boëvilla parochus et alii presbyteri, quos de licentia sive consensu dicti parochi variis temporibus varios confessores elegit, quibus confessiones humillime faciebat, asserunt quod in suis confessionibus peccatum mortale numquam B perpendere potuerunt. Obiit autem plenus dierum anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, sexta feria in crastino Beati Lucæ Evangelistæ circa horam nonam.

ANNOTATA.

a *Joannes de Esseyo Constantiensis episcopus factus est anno* 1251 *: primum examen pro canonizatione B.* Thomæ *cum Radulpho de Gardinis instituere cœpit anno* 1261, *alterum vero decennio circiter post ; hocque jam absoluto, at nondum Romam delato, ut in Commentario prævio diximus (num.* 13), *obiit anno* 1274 (1).

b Boëvilla *constanter scribitur in apographo ad decessores nostros misso a P. Petro Champion anno* 1672. *Alia duo apographa nostra habent* Bivilla. *Sed horum scriptores in conomine exprimendo usum recentiorem secutos, illius vero scriptorem originali exemplari adhæsisse arbitror. Nam et auctori Ideæ cultus immemorabilis nomen* Boëvilla *apud Clementem obvium fuisse demonstrant illa ipsius verba* (2) : Innumeri ipsius exequias a domo Dni de Vauville usque ad ecclesiam de Boëville comitabantur pre- C sbyteri, clerici, nobiles et plebani ; *quæ evidenter ex Clementis narratione miraculorum, ubi de Beati sepultura agitur (num.* 4), *derivata sunt. Sic* Boëvilla *quoque scribitur in libro albo episcopatus Constantiensis, quem num.* 14 *Commentarii prævii citavimus ; et* Buevilla *in veteri Ordine ibidem num.* 13 *a nobis allegato.*

c *Secundum hanc etymologiam, cujus Clemens ipsum B.* Thomam *auctorem facit, esset proin* Boëvilla *veluti* Bonorum villa, *et* Biville *veluti* Bienville, *idque a bonis S. Petri parochiæ Patroni.*

d *Patrem Beati* Petrum *nominant Franciscus Lemière, Joannes Hélye et R. D. Colin, nescio unde. Nostra certe apographa eum nudo nomine* Helia *designant : ut Beatus noster forsan* Thomas Heliæ *potius quam* Thomas Helias *dicendus fuerit ; quamvis propter hanc conjecturam noluerimus a communi usu recedere, sed Saussayum latine scribentem secuti simus, apud quem* Thomas Helyas *vel* Helias *audit.*

e Matillis *est in apographo P. Jacobi Dinet, in aliis duobus* Matilis : *in Huetiano, nescio an ab Huetio ipso, margini adscriptum est* Matildis. *At ablativo casu, uti hoc loco est,* Matili *absque* s *scriptum oportuisset. Quare equidem opinor in genuino Clementis nostri textu hic exaratum fuisse* Mabilia, *quod nomen sæculo* XIII *inter fœminas non erat omnino infrequens ; adeoque litteras* b *et* a *perperam a librariis in* t *et* s *fuisse mutatas. Atque ad ita sentiendum eo inducor magis quod in narratione miraculorum, auctore eodem Clemente, quam infra dabimus, memoratur (num.* 3) *in apographo P. Champion mulier nomine* Mabilia, *et ea tamen ab apographi Dinetiani scriptore* Mabilis, *in libris vero excusis* Matille *aut* Mathilde *appellatur : ubi rursus videas, in his quidem* b *cum* t, *in illo vero* a *cum* s *commutatum. Quod autem hic de nomine matris B.* Thomæ *annotavi, idem postmodum observari quoque velim in narratione miraculorum, quoties inibi nomen* Matilis *recurret.*

f Cæsarisburgus *maritimum pagi Constantiensis oppidum, etsi sæculo* XIII *longe aberat ab eo splendore quem præsenti tempore habet, erat tamen jam tunc satis conspicuum veteri castello, abbatia, portu et incolarum frequentia, uti notat R. D. Colin,* E *allegans commentarios cl. viri de Gerville de antiquis castellis* (3) *et abbatiis* (4) *illius partis Normanniæ quam Manicam dicunt* (5).

g Burellus panni spissioris ac vilioris species, nostris bureau, *inquit Cangius* (6). Bureau *autem Gallis idem fere est ac* bure, *nisi quod pannus aliquanto solidior est* (7).

h Joannes Constantiensis episcopus *hic legitur in apographis Huetii et P. Champion, sicut et apud Clementem lectus fuit a P. Francisco Lemière* (8) *atque ab auctore Ideæ cultus immemorabilis* (9) ; *sed scriptor apographi P. Dinet nomen* Joannes *prætermisit, verisimiliter quia errorem seu memoriæ lapsum in Clemente hic agnoverit. Constat quippe Joannem diœcesi Constantiensi præfuisse nullum ante Joannem de Esseyo, quem anno tantum* 1251 *episcopum factum fuisse paulo superius diximus (annot.* a). *Itaque merito tradit R. D. Colin* (10) *B.* Thomam *sacris Ordinibus initiatum et in messem evangelicam missum fuisse ab Hugone de Morvilla, qui cathedram Constantiensem ab anno* 1207 *ad annum* 1238 *occupavit* (11).

i *Guilielmus V, de Sancta Matre Ecclesia cognominatus, Abrincensem diœcesim rexit ab anno* 1236 F *ad annum* 1252 (12).

k *B.* Thomam *in nonnullis quoque locis diœceseon Bajocensis et Lexoviensis prædicasse perhibent biographi recentiores : de qua re tacet Clemens.*

l Vallivilla *seu* Vauville *juxta mare una circiter leuca in septemtrionem distat a Bivilla ; estque par fere distantia inter Bivillam et parochiam S. Crucis, quæ lingua vulgari* Ste-Croix-Hague *seu* Ste-Croix dans-la-Hague *dicitur atque a mari remotior est : ut tria hæc loca sint tamquam in trigono, cujus singula latera inter se æquali ferme sunt longitudine.*

m *Jam supra narravit Clemens B.* Thomam *ab episcopis Constantiensi et Abrincensi facultatem accepisse indulgentias iis quibus verbum Dei prædicaret fidelibus annuntiandi ; cujusmodi facultas illo tempore non raro concionatoribus seu sæcularibus seu regularibus concedebatur. Quum autem in abusum aliquando degenerasset, eam synodi nonnullæ atque episcopi abrogasse vel certe modum ei posuisse*

(1) Cfr Bessin, Concil. Rotomag. provinc., part. II, p. 531 et 532 ; Gall. Christ. nov., t. XI, col. 880 et 881. — (2) Apud Colin, op. cit., p. 199. — (3) Mém. sur les anc. châteaux du dép^t^ de la Manche, p. 23. — (4) Mém. sur les anc. abbayes du dép^t^ de la Manche, p. 3. — (5) Cfr Valesius, Notit. Gall., art. *Cæsarisburgus* ; D'Expilly, Dictionnaire géograph. etc., art. *Cherbourg* ; Gall. Christ. nov., t. XI, col. 940. — (6) Glossar. lat., voce *Birrus*. — (7) Dict. de Trevoux, voce *Bureau*. — (8) Op. cit., p. 16. — (9) Apud Colin, p. 195. — (10) P. 23 et 39. — (11) Bessin, loc. cit., p. 531 ; Gall. Christ. nov., tom. cit., col. 878, 879 et 880. — (12) Bessin, ibid., p. 260; Gall. Christ. nov., ibid., col. 485.

AUCTORE CLEMENTE COÆVO.

AUCTORE CLEMENTE COÆVO.

leguntur (1). *Ita Concilium Salisburgense XXIII anno* 1274 *decrevit* (2) : Cum prædecessores nostri.... diversarum religionum fratribus in confessionibus audiendis, remissionibus et indulgentiis largiendis, et aliis pluribus...... potestatem suam duxerint committendam ;... quoniam et fratrum aliqui potestate sibi tradita sunt abusi : nos authoritate præsentis Concilii omnium authoritatem, potestatem sive licentiam.... revocamus in totum. Si quis autem ex vobis novam super his commissionem decrevit facere, in hoc illud quod saluti animarum expedit, et alieno juri non detrahat, arbitretur. *Ita Guilielmus de Flavacuria archiepiscopus Rotomagensis* (3) : Cum nos Fratribus Minoribus dudum concesserimus de gratia speciali ut ipsi convocationes parochiarum et plebium... possent facere, necnon convenientibus ad convocationes prædictas auctoritate nostra indulgentias dare, *etc.*, dictam gratiam..... revocamus. *Ita Concilium Ravennatense III anno* 1314 (4) : Quia propter potentium importunitatem nos et alii provinciales episcopi nonnullis personis religiosis concessimus ut indulgentias, quando prædicarent vel alias, possent annuntiare ; et aliquando nonnulli
B talium... annuntient indulgentias ampliores quam sit ordinariis ipsis a jure scripto permissum.... : ideo auctoritate præsentis Concilii tales concessiones de indulgentiis annuntiandis factas a nobis et a comprovincialibus cæteris revocamus omnino. *Quoniam autem episcopi jam tunc, perinde ac hodie, passim indulgentias quadraginta dierum largiri tantummodo poterant, hauddubie nec majores fuerint illæ quas Beatus noster in suis concionibus publicabat.*

n Hussum *ex gallico* houx *vocat Clemens, quod Belgis est* hulst, *Germanis* Hülse, *Anglis* holly, *Plinio vero* ilex aquifolia *aut* aquifolium, *a foliis aculeatis ita dictum.*

o Corrigiam ferratam ferrum ad carnem portavit, *gallicismus est :* Il porta une courroie ferrée, le fer à la chair. *Significat Clemens Beato fuisse corrigiam aculeis ferreis instructam ex ea parte quæ corpus ejus respiciebat : ut, quum ea cinctus esset, aculei carnem pungerent.*

p Broca *vox infimæ latinitatis, cui respondet gallica* broche, *significans* veru, veruculum, sudem acutam *aliasque res cuspidatas, hic a Clemente adhibetur pro* fibula.

C q *Invitatorium* Ecce venit Rex, occurramus obviam Salvatori nostro, *proprium est Dominicæ primæ Adventus in antiquis Breviariis variarum regionum, ut Parisiensi, Sarisburiensi, Leodiensi, Ratisbonensi, Passaviensi etc., atque etiam nunc apud Cistercienses, Præmonstratenses, FF. Prædicatores, Carmelitas Calceatos aliosque.*

r Benedictus Mariæ filius, qui venit in nomine Domini : hosanna in excelsis, *conclusio erat Trisagii ad finem Præfationis in Missis de B. Virgine Maria, prout in nonnullis Missalibus videre est ; sicut et Hymno angelico quædam in laudem ejusdem B. Virginis inserebantur olim in hunc modum :* Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, primogenitus Mariæ Virginis Matris.... Suscipe deprecationem nostram ad Mariæ gloriam.... Quoniam tu solus sanctus, Mariam sanctificans : tu solus Dominus, Mariam gubernans : tu solus altissimus, Mariam coronans. *Unde explices quamobrem Hymno angelico in Missali Romano hodierno subjecta sit illa rubrica :* Sic dicitur Gloria in excelsis etiam in D Missis Beatæ Mariæ, *scilicet ut additamenta illa ab eo Hymno prorsus exulare jubeantur. B. Michael eremita Camaldulensis, cujus Vitam nuper edidimus* (5), Jesum Mariæ filium benedictum *sæpe in ore habebat, fortasse quod menti ejus illa de qua modo diximus Trisagii conclusio obversaretur.*

s Formæ *dicebantur, ut definitione Papebrochii* (6) *utar*, subsellia choralia, ante quæ solet etiam reclinatorium aptari ad eorum qui genuflexi orant commoditatem (7). Formula *autem diminutivum est a* forma *eo sensu accepta, et sedem precatoriam significat, uti pluribus exemplis ostendit Cangius, inter quæ satis sit illud S. Gregorii Turonensis* (8) *hic selegisse :* Factum est ut quadam vice S. Germanus Parisiacæ urbis episcopus ad hunc tumulum (*B. Lusoris*) vigilias celebraret, haud procul formulam habens, in qua genua, cum necessitas cogeret, deflectebat.

t *Erat hæc Alicia de Tancarville Radulphi filia, quæ nupserat Roberto Bertrando V baroni de Bricquebec, vicecomiti de Roncheville etc., atque a patruo suo Guilielmo IV vicecomite de Tancarville multas terras in dotem acceperat* (9). *Avia fuit Guilielmi Bertrandi episcopi primum Noviomensis, post* E *Bajocensis ac demum Bellovacensis. Errasse enim Vassorium et Sammarthanos* (10), *qui Guilielmum I Noviomensem episcopum fratrem fecerunt Petri Bertrandi Cardinalis et episcopi Augustodunensis, Baluzius ex continuatore Nangii demonstravit* (11).

MIRACULA ANTIQUA,

auctore eodem Clemente.

Ex Ms. Bivillensi.

Beatus, dum vivit, futura prædicit.

Quamvis, secundum quod dicit B. Isidorus, majus sit opera bona facere quam miracula sive signa ; quia tamen, ut ait Veritas, multi non credunt nisi signa videant, ad ipsius B. Thomæ sanctitatem non tantum fidelibus per opera supra scripta, sed et infidelibus per miracula sive signa comprobandam, operæ pretium est de signis in vita sive post mortem per ipsius merita factis a F Deo scripturæ breviter aliqua commendare. Narrat autem Guilielmus de Sancta Cruce rector ecclesiæ B. Germani de Traileio Constantiensis diœcesis, presbyter juratus, qui fuit diu comes laboris ipsius, quod cum quadam nocte pernoctarent in ecclesia de Landelie ejusdem diœcesis, et Matutinas B. Mariæ gloriosæ Virginis decantarent, repente, cum serenissimum tempus esset, ventus validus sive malignus in vento spiritus irruit in ecclesiam cum tanto strepitu quod idem presbyter amisit præ timore loquelam : ipse vero constans et intrepidus psalmodiam continuavit, nec ullam syllabam quidem dimisit, et post modicum præcepit ei quod responderet, et statim loquelam ad jussionem recuperavit ipsius. In crastino vero cum recessissent, in via requisivit eum dictus presbyter si audivisset strepitum supradictum. Qui respondit : « Nonne melius fuit quod nos essemus in divino servitio quam dormire ? » Nec amplius reportavit de ipso. O grandis constantia, per quam

(1) Cfr Thomassin. Anc. et nouv. Discipline de l'Église, t. I. part. I, liv. II, chap. XV, p. 554. — (2) Dalham, Concil. Salisburg. p. 119. — (3) Bessin, op. cit. part. II, p. 86. — (4) Labbe, Concil., t. XI. part II, col. 1616. — (5) Auctar. ad Act. Sanct. tomi V Octob., p. 14 et seqq. — (6) Tom. I April., p. 641. — (7) Cfr Cangius, op. cit., voce *Forma*. — (8) De Glor. Confess., cap. XCII, Biblioth. Pat., t. XI. p. 891, edit. Lugd. 1677. — (9) Anselme, Hist. généal., t. VI, p. 690. — (10) Gall. Christ. vet., t. III, p. 28.—(11) Vit. Pap. Avenion., t. I, col. 870 et 871.

patet

A patet ipsum in tentatione probatum! Item cum Beatus vir anno Domini 1255 die quadam in septimana pœnosa *a* prædicaret in cœmeterio S. Georgii juxta S. Laudum *b*, nec enim poterat ecclesia populum continere, quidam laicus nomine Firminus de Mesnillo Oury *c* terram in qua semen jecerat, hertissebat *d* juxta cœmeterium supradictum. Quem videns Beatus vir, ipso dixit ostenso : « Ille non vult venire ad sermonem : » modo vadit, modo redit : plus curat de blado *e* » quam de anima sua ; et tamen non gustabit de » blado pro quo laborat. » Cumque dictus Firminus in fine sermonis venisset, sperans habere indulgentiam quam concedebat aliis, conversus ad eum Beatus vir dixit : « O homo, putasne te » habere indulgentiam? Non habebis, quia non » meruisti ; sed scias quod de blado pro quo la» borasti, non comedes. » Quod et verum fuit ut prædixit : nam prædictus Firminus in crastino Paschæ sequentis iter arripuit ad S. Jacobum causa peregrinationis, et in via decessit. Propter quod patet ipsum spiritum prophetiæ habuisse, et hoc fuit fama publica.

pluviam cohibet, metallum suis precibus auget.

B 2 Rursus cum idem Beatus vir in cœmeterio de Moon *f* sub divo prædicaret, essetque tempus serenum, ascendit nubes aquosa ; cumque mulieres ornatæ, timentes de pluvia magna futura (jam enim cadebant guttæ pluviæ, sed paucæ), surgerent ad ecclesiam properantes, dixit eis : « Sedete, » ne timeatis. » Et conversus ad nubem, extensa manu, præcepit ei dicens : « Vade ad Deum, ne » impedias nos. » Sicque nubes illa recessit, et ille cœptum sermonem, Deo favente, complevit ; sicque divinis obedienti præceptis obedivit nubes irrationabilis tanta, non sine admiratione multorum, qui tantam fiduciam de Deo in Beato viro mirati sunt, quod etiam nubibus imperaret. Petrus rector ecclesiæ S. Petri de Boëvilla, facturus duas campanas æqualis ponderis in eadem ecclesia, fecit fieri duos modulos quantitatis æqualis per quemdam bonum et fidelem virum campanarium. Facta vero prima campana, consideraverunt quantitatem metalli quod superfuerat ; inventoque quod deficiebant viginti quinque libræ de metallo ad secundam campanam æqualis ponderis faciendam, fecit dictus rector venale perquiri metallum per loca plura. Quo non invento, cum per octo dies cessassent, contigit B. Thomam venire ad ecclesiam præ-C fatam ; requisivitque quare non faciebant secundam campanam. Cui respondit idem rector quia deficiebat metallum, campanario prædicto præsente. Vir autem Beatus benigne alloquens eos dixit : « Si Deus me servet, credo quod satis ha» betis : faciatis audacter. » Utque erat impatiens idem rector, dure respondens ait : « Vos tenetis » nos pro follis *g*. Nonne ter ponderavimus metal» lum quod remansit? » Sicque recessit iratus. Ipse vero Beatus more solito remanens in ecclesia, more solito pernoctavit ibidem, summoque diluculo recessit. Dictus vero campanarius dixit in crastino dicto rectori : « Domine, nonne audi» vistis quod dixit magister de metallo? Eamus » et videamus si Dominus nobis gratiam fecit. » Respondit rector : « Placet. » In continenti vero venientes ad ecclesiam ponderaverunt dictum metallum, et invenerunt quinquaginta libras amplius quam prius invenerant : unde secundam campanam fecerunt. Et hoc miraculum famosum fuit, quia notorium erat per totam parochiam de defectu metalli, necnon quia campanarius remanserat per octo dies otiosus pro defectu prædicto.

3 Acelina filia Petri Fabri triennis vel circa de parochia de Morsalines Constantiensis diœcesis, per tres dies habuit inflatum et tumentem vultum, adeoque nihil videbat nec audiebat. Desperabant parentes de vita dictæ puellæ. Quædam vero religiosa mulier Dionysia nomine, quæ sequi consueverat B. Thomam per loca seu ecclesias in quibus prædicabat, hospitata fuit penes parentes puellulæ supradictæ. Compatiens autem parentibus puellulæ, detulit eam ad ecclesiam dicti loci. Ubi post Missam a B. Thoma diluculo celebratam, rogavit eum devote quatenus imponeret ei manus, hoc expresso, quibus tenuerat Corpus Christi. Attendens autem Beatus fidem mulieris et compassionem, vultum puellæ tetigit, Deum rogans ut ei sanitatem concedere dignaretur. Sicque domum relata, post modicum temporis spatium curata fuit omnino. Joanna filia Richardi le Vignon de parochia de Boëvilla habuit maculam in oculo sinistro diu, et per mensem vel circa de oculo penitus non vidit. Dictus Richardus pater puellæ prædictæ duxit eam ad dictum Beatum, dum viveret, die Nativitatis Dominicæ post secundam Missam in ecclesia de Boëvilla celebratam, rogans ut imponeret manum oculo prædictæ puellæ. Qui Beatus vir apposuit oculo prædicto manum suam, signum crucis super oculum faciendo. Cumque dictus pater re- E quireret eum quid diceret de oculo, si posset sanitatem recuperare, quia omnes vicini dicebant quod numquam de cætero sanaretur, respondit valde benigne : « Richarde, non timeas : bene sanabitur, » Deo dante. » Sicque puella post magnam Missam in eadem ecclesia celebratam vidit et fuit plene curata. Mabilia uxor Petri Guerard de Boëvilla habuit manum dexteram mutilam et infirmam per annum et amplius, adeoque nihil per eam operari poterat. Desperabat ipsa et maritus ejus necnon et medicus de convalescentia. Tandem ad suggestionem dicti mariti de sanctitate B. Thomæ præsumentis, adiit B. Thomam per annum vel circa ante obitum suum, et ostendit manum prædictam rogans eum ut eam palparet. Multum sperabat de sanitate per eum recuperanda ; ipse vero benigne respondit : « Quid putas quod ego possim facere ? » Tandem devictus ejus instantia (consanguineus ei erat), palpavit eam, et ipsa die convaluit et fecit opera consueta.

AUCTORE CLEMENTE COÆVO. medetur vultui tumido, oculo male affecto, manui mutilæ.

F *Mira in extremo ejus morbo, morte ac sepultura contingunt.*

4 Narrat nobilis vir Taluanus miles, dominus de Vauvilla, juratus, in cujus domo decessit idem Beatus vir *h*, quod cum ipse persuasisset eidem ægrotanti in domo sua, in illa infirmitate de qua decessit, ut de quadam perdice comederet, ne per abstinentiam nimiam interficeret, sed aliis profuturum se servaret, at idem victus ejus precibus cum acquievisset, idem miles suos servientes cum retibus, canibus et avibus, prout moris est, misit ad campestria pro perdicibus capiendis. Alius serviens perrexit ad littus maris pro piscibus, si qui declinassent ad quoddam genus retium quod vocant guidellos *i* ; ibique reperit perdicem vivam in guidellis captam (quod hactenus extitit inauditum ut perdices cum retibus in littore caperentur), quam statim detulit domino suo militi supradicto. Qui supra modum admirans, Deum laudans ac ab ipso miraculose pro meritis dicti Beati viri factum reputans, perdicem parari fecit eamdem, dictoque Beato viro detulit, ut comederet de eadem. In sero servientes alii vacui redierunt : quod a multis in partibus illis adhuc pro miraculo recitatur. Narrat etiam idem miles quod mater sua sexagenaria vel circa de quartana quadam per invocationem dicti Beati viri curata fuit omnino. Item narrat quod camera in qua decessit idem Beatus vir, post decessum

AUCTORE CLEMENTE COÆVO.

decessum suum per mensem miro fragravit odore. Item narrat quod aqua de qua abluta fuit barba dicti Beati viri, radenda post mortem, prout moris est, quam idem miles habet et pro reliquiis reservat, adhuc est mundissima, clarissima ac recens, ac si de fonte nuperrime delata fuisset, licet anni tres et menses totidem completi sint a tempore quo decessit *k*. Astantes vero populi pilos barbæ ejus post rasuram capiebant, ut haberent pro reliquiis. Alii se feretro supponebant. Alii manus ejus deosculabantur. Alii tam viri quam mulieres chirothecas, corrigias, monilia vel annulos apponebant super ipsum, ut ea pro reliquiis observarent. Delatum fuit corpus ejus a domo Taluani militis, domini de Vauvilla, presbyteris, clericis, nobilibus et plebanis comitantibus multis, ad ecclesiam S. Petri de Boevilla, et post Missarum solemnia sepultum juxta ecclesiam ad latus australe, ubi delegerat sepulturam. Ibique Dominus ad honorem nominis sui multa miracula Beati viri prædicti meritis operatur. Item narrat quod Ennia uxor Alexandri de Vauvilla habebat et habuerat diu manum aridam. Quæ, dum deferretur corpus dicti Beati viri ad sepeliendum, affuit; et B accipiens idem miles manum mulieris, ipsam in manum Beati viri, quæ quasi viveret erat agilis, posuit confidenter: nec mora, curata fuit ad plenum, domumque suam gaudens et agens Deo gratias post humatum corpus sanctum rediit ipsa die. Hoc idem dicta mulier jurata deposuit.

Intercessione ejus sanantur lingua muta, brachium læsum, oculi infirmi.

5 Lucia filia Rogeri de Heneville quadam dominica satis mane, mense Septembri, anno gratiæ 1259, loquelam perdidit apud Bricquebec; et existens muta, torquebatur adeo graviter quod non poterat dormire nec quiescere. Quam videns nobilis mulier Alicia domina de Bricquebec, de qua feci superius mentionem, compatiensque monuit eam ut invocaret B. Thomam et tumulum ejus adiret. Quæ consensit, et quinta feria sequenti iter arripuit, et venit ad ejus sepulchrum, ac ibidem lachrymans et orans in corde, stetit juxta corpus Sancti viri. Tandem circa horam diei tertiam, cum devote requireret in corde dictum Sanctum, inclinavit caput ad sepulchrum, et statim recuperavit loquelam; fuerunt prima, prout in corde gerebat, verba: « Domine mi Sancte Thoma, reddatis mihi » sermonem meum. » Sicque recessit, non tantum recuperata loquela, sed etiam ab alia corporis C quam patiebatur molestia plene curata, gaudens et agens gratias Deo et B. Thomæ. Joannes Trenchefer laicus de parochia S. Trinitatis de Cæsarisburgo, cum deponeret in vigilia S. Laurentii anno Domini 1260 garbas *l* de quadam quadriga, super unam virgarum quæ suo more messores habent in quadrigis ad garbas tenendas ne cadant, cecidit; eique brachium dextrum perforavit inter os et musculum, et sic aliquantisper pependit per brachium perforatum. In hac igitur anxietate positus invocavit B. Thomam, dicens: « Domine mi Sancte Thoma, » respiciatis me, et ego vobis deferam quamdam » candelam de longo brachii mei, et Sanctæ Honorinæ *m* aliam. » Sicque gutta sanguinis una manante, fecit vulnus sibi ligari. Cumque multi dicerent ei ut vulnus ipsum faceret aperire propter periculum vitandum ne cancer oriretur intus, et medicum quæreret, respondebat quod alium medicum quam S. Thomam non quæreret ad hoc opus, et sic mansit curatus omnino: quod a multis astantibus fuit et est pro miraculo reputatum. Joanna filia Odonis Potin de Esqueurdrevilla decennis vel circa habuit ruborem et telam quamdam tenuem super oculos per triennium. De oculo D dextro modicum videbat, de sinistro minus: quandoque per tres dies vel plures de sinistro nihil videbat omnino. Cujus mater a multis consilium quæsivit, et habuit annulos cum lapidibus pretiosis; sed nec per medicamenta nec per lapides curari potuit. Audiens autem mater ejus quod ad invocationem B. Thomæ Dominus ad ejus sepulchrum miracula faciebat, eam B. Thomæ devovit, eamque duxit ad ejus sepulchrum; ubi pernoctavit una nocte, et videns de utroque oculo curata plene recessit.

manus mutila, oculi maculis infecti: curantur senex debilis, juvenis paralyticus.

6 Cæcilia uxor Odonis Potin jurata narrat quod ipsa habuit manum sinistram mutilam per quindecim hebdomadas, et adeo firmiter clausam quod nullatenus eam poterat aperire. Consilium quæsivit a medicis, sed medicamenta nihil ei penitus profuerunt. Invocavit autem B. Thomam ut ei subveniret, vovitque ut ad ejus sepulchrum iret in laneis, per tria sabbata jejunans in pane et aqua. Emisso voto, statim melius ei fuit; voto vero completo, curata fuit omnino. Theophania filia Durandi de Toto de parochia de Cæsarisburgo, novennis vel circa, habuit maculam in oculo utroque per duos menses et amplius. Petronilla mater ejus consilium quæsivit, annulos cum lapidibus E pretiosis et herbas multas: nihil profuerunt omnino. Cumque desperarent parentes de visu puellæ, dicta mater devovit eam B. Thomæ de Boevilla, et eam duxit ad ejus sepulchrum; ubi fecit oculis ipsius admoveri sotulares *n* B. Thomæ, quibus calceatus solebat celebrare, sicque curata fuit omnino. Radulphus dictus Flamant de parochia S. Trinitatis de Cæsarisburgo valde senex, debilis effectus adeo quod non poterat ire sine baculo et non videre sine lumine solis, devovit se B. Thomæ ob gratiam recuperandæ fortitudinis et visus. Fecit se duci ad sepulchrum B. Thomæ, et inde rediit videns viam carpens, nec ducem viæ nec baculum sustentationis exquirens. Nicolaus filius Joannis Tessonis de Esqueurdrevilla fuit paralyticus adeo debilis quod non poterat stare supra pedes suos nec sedere. Non poterat caput erigere nisi quando mater erigeret ei caput: non poterat erectum tenere, sed in alteram partem statim cadebat. Os ejus erat torsum fere usque ad aurem dexteram, quam infirmitatem medici torturam vocant; nec videbat de oculo dextro. De neutra manu se juvare seu etiam pascere poterat, nec ad se trahere pedem dextrum. Præter hæc habuit famem validam. Quem F parentes, scilicet Joannes Tessonis et Petronilla ejus uxor, B. Thomæ devoverunt; dictusque pater eum in quodam sabbato deportari fecit in quadriga ad sepulchrum Beati viri, et ibi vigilarunt una nocte: curatusque dictus Nicolaus plene, recessit in crastino pedes, gratias agens Deo et S. Thomæ.

mulier surda, alia epileptica.

7 Sabina uxor Guillelmi Hugonis de parochia B. Mariæ de Flottemanvilla Constantiensis diœcesis, quadam nocte jacens in lecto suo, surda facta est, et amisit auditum. Devovit se B. Thomæ ob gratiam recuperandi auditum: fuit ad sepulchrum B. Thomæ quodam sabbato: vigilavit ibi nocte illa. In crastino, recuperato auditu plene, recessit gaudens et agens gratias Deo et S. Thomæ. Margarita relicta *o* Rogeri Aprilis de Parochia de Tonnevilla Constantiensis diœcesis inflata fuit in ore stomachi per quadriennium vel circa: singulis diebus vomitum faciebat usque ad sanguinem, quandoque ter, quandoque bis, ad minus semel. Sicque desperata de remedio per medicos, devovit se B. Thomæ. Fuit ad sepulchrum ejus: vigilavit ibi nocte una: in crastino domum rediit plene curata;

AUCTORE CLEMENTE COÆVO.

A curata; quia postmodum non habuit vomitus nec fuit inflata. Alberta la Hecquette de parochia de Quierquevilla *p* Constantiensis diœcesis epileptico morbo laboravit per annos duodecim vel circa: singulis diebus ter, quandoque quater, et diebus festivis in ecclesia sæpius cadere consueverat. Devovit se B. Thomæ: ivit ad sepulchrum ipsius: vigilavit ibi sabbato ante ISTI SUNT DIES *q*: in crastino rediit sana, et per mensem vel circa non cecidit, nec sensit aliquid de morbo illo. Cumque quidam quadam die diceret ei quod bene ei acciderat, quod sic esset curata, respondit: « Non: » imo mallem laborare sicut prius; » quia non inveniebat modo qui sibi subveniret ac eleemosynam, sicut antea, dare vellet: erat enim pauper et mendicans. Quo dicto, statim decidit, et per multos dies gravata fuit illo morbo amplius solito, frequentiusque cadebat. Audiens autem Radulphus de Bohon rector ecclesiæ prædictæ, vir antiquus magni nominis (fuerat enim pœnitentiarius Rothomagensis), increpans eam de ingratitudine, persuasit ut iterum se devoveret B. Thomæ, et iret denuo ad ejus sepulchrum. Ipsa vero de opprobrio sibi frequenter subjecto, quod per ingratitudinem suam B passa fuerat recidivum, non minus quam de pœna dolens, timensque ne B. Thomas exaudire nollet ingratam, rogavit ex affectu magno Deum et B. Thomam, prout mihi secreto dixit, ut pœna præsens in pœnam purgatorii mutaretur ad voluntatem Dei, dum tamen exaudiret eam; et sic ex intimo corde compuncta, denuo se B. Thomæ devovit: ivit ad tumulum ejus, vigilavit ibi, et sana recessit, nec passa est post in recidivum.

aliæ oculi morbo, surditate, arthritide laborantes;

8 Emina dicta la Galarde de parochia de Quierquevilla *r* habuit maculam in oculo sinistro per decem et octo annos et amplius. Tota pupilla oculi cooperta erat quadam tela valde grossa. Devovit se B. Thomæ, et invocavit ejus auxilium: fuit ad ejus sepulchrum; sicque curata fuit per merita dicti Sancti. Emina uxor Radulphi Parvi de parochia de Quierquevilla amisit auditum, surda persistens annis duobus vel circa. Devovit se B. Thomæ: ivit ad ejus sepulchrum; ibique per tria sabbata jejunavit vigilans, et de aqua de qua barba Beati viri radenda post mortem, prout moris est, fuit abluta, stillari sibi fecit in aures suas, et sic curata plene gaudens ad propria remeavit. Matilis uxor Roberti dicti Cervi sexagenaria vel circa, de C parochia de Esculleville, quæ distat a Boevilla per duas leucas vel circa, per novennium gutta laboravit in femore sinistro, per quorum sex dolens et claudicans, per tres alios ultimos vix cum baculo se sustentans, graviter incedebat. Devovit se B. Thomæ. Quadam die sabbati mensis Junii circa festum B. Joannis Baptistæ iter arripuit summo diluculo ad tumulum ipsius, et vix potuit illuc venire circa solis occasum. Vigilavit ibi cum aliis multis. Dominica summo mane sensit ingentem calorem in femore et odorem magnum; sicque plene curata, baculum projecit et usque ad ortum solis vel circa stetit in ecclesia, gratias agens et narrans facti seriem, qualiter infirma et curata fuisset. Inde recedens, venit ad ecclesiam suam, dum presbyter parochialis, ad cujus monitionem se B. Thomæ devoverat, decantaret TE DEUM LAUDAMUS post Matutinas; et ostendens se curatam, narravit congratulantibus et mirantibus vicinis suis seriem sive modum curationis ejusdem.

brachii rigor, tumor ventris et paralysis tolluntur:

9 Joanna filia Joannis dicti Fabri septennis de Digullevilla habebat brachium sinistrum inutile, rigidum et lateri suo vinctum, nec ipsum poterat movere, tantumque dolorem sentiebat in eo quod non poterat sinere quod aliquid apponeretur ad illud, nec supra latus quiescere vel jacere poterat præ dolore, nec de convalescentia parentes ejus sperabant. Petronilla mater ejus B. Thomæ devovit eam, duxitque ad ejus tumulum, et ibi fuit plene curata. Alicia Joannis David de Vauvilla septuagenaria vel circa debilis diu fuit in cruribus, adeo quod sine baculo non poterat incedere: curva erat, nec erigere se poterat. Devovit se B. Thomæ: proficiscens ad ejus tumbam, se vix etiam cum baculo sustentabat. Ibi pernoctavit, et sana rediit viam carpens, baculum sustentationis penitus non requirens. Guillelmus filius Ranulphi dicti Bachelier de Turquetevilla *s* septennis habuit duritiem, inflationem seu grossitiem in ventre, adeo quod non poterat comedere nec pedes suos videre præ nimia grossitate ventris, et erat curvatus retro; sicque per sex dies continuos laboravit. Cumque desperarent parentes de eo, devovit se B. Thomæ, et dixit matri: « Me vovete S. Thomæ, » quia morior. » Quod et mater fecit, cingens eum filo ad faciendam candelam deferendam ad tumulum Beati viri; statimque fuit curatus puer, et dixit: « Detis mihi manducare, quia satis jeju» navi. » Quod et factum est, et statim cum gaudio E manducavit. Thomas de Hamello de parochia de Treauvilla paralyticus est factus anno Domini 1270 in festo B. Magdalenæ, percussus in dextra parte sui corporis adeo graviter quod fere mortuus fuit. Amisit fere loquelam, nec poterat loqui nisi valde submisse et lente. Manus dextera tremula continuo facta est clausaque firmiter, adeo quod non poterat eam aperire, et non poterat ungues resecare. Creverunt adeo quod ipsum lædebant in manu; et sic impotens et tremulus stetit per annum: de cujus convalescentia desperabatur omnino. Tandem audiens miracula quæ fiebant per merita B. Thomæ apud Boëvillam, devovit se B. Thomæ. Ductus a suis ad tumbam Beati viri venit; cumque peteret candelam venalem offerendem, manus et brachium strepitum dederunt: manus aperta fuit; sicque plene curatus, post actiones gratiarum et miraculi publicationem gaudens et exultans ad propria remeavit.

aquis mersi puer ac puella ad vitam revocantur:

10 Radulphus filius Radulphi Hebert quadriennis vel circa cecidit in alveum molendini de Burnechon, dum moleret, in parochia S. Germani le Gaillart Constantiensis diœcesis; ibique tamdiu fuit ut nulli dubium foret quin esset mortuus. Cumque corpus F extractum cum multo labore positum fuisset juxta molendinum, convenerunt multi ex vicinis ad spectaculum; inter quos advenit mater, et flens exclamavit: « O vicini et amici, orate mecum flexis geni» bus S. Thomam, ut reddat mihi filium meum. » Cumque flexis genibus nonnulli cum lacrimis compatientes ei clamarent una cum ipsa ad S. Thomam, ut redderet filium suum dictæ matri, post aliquantulum tempus, cum parati essent corpus ipsum sepelire, post multum clamorem matris et astantium puer spiravit, oculos aperuit, et revixit. Agnes filia Roberti Mi de parochia S. Mariæ de Monasteriis juxta Pontem Abbatis *t* Constantiensis diœcesis, biennis vel circa, cecidit mense Julio in quoddam fossatum, in quo jacebat aqua profunda usque ad renes hominis; ibique tamdiu jacuit quod non erat dubium quin esset mortua, tum quia circa horam vespertinam, tum quia sanguisugæ multæ tenebant eam in ore, in lingua, in auribus, in cruribus et in naturalibus inferioribus et aliis multis membris. Quam videns Guillelmus Michaelis ejus patruus extraxit; et de morte puellæ dolens, devovit eam B. Thomæ, materque superveniens

AUCTORE CLEMENTE COÆVO.

niens non sine lacrimis, una cum dicto Guillelmo devovit eam similiter B. Thomæ. Post aliquantulum tempus, post clamorem et lacrimas prædictorum, multis astantibus, puella spiravit et revixit.

juvantur vir viribus destitutus, alius brachio laborans, alius nervorum stupore affectus, puella strumosa, fœmina arthritica;

11 Guillelmus dictus Hasle de parochia S. Martini de Vindefontaine Constantiensis diœcesis infirmus, debilis et impotens diu fuit, adeo quod non poterat operari, demum nec stare nec sedere. Devovit se B. Thomæ : votum statim fuit ei melius. Arripuit iter ad B. Thomam, et se sustentans cum duobus baculis sub ascellis, vix illuc advenit undecimo die. Vigilavit ibi : sanus effectus baculos dimisit ibidem, et ad domum suam die tertio gratias agens cum gaudio remeavit. Thomas Anquetilli de parochia de Vindefontaine cecidit de equo quodam super brachium ; et exinde læsi nervi duritiem contraxerunt, et factum est brachium curvum. Posuit super tumbam, et ex intimo cordis orans et auxilium ejus petens ; et cum aliquantulum orasset, extendit brachium super tumbam, et sine dolore quolibet fuit repente curatus, et ad propria cum gaudio repedavit. Nicolaus dictus de Mara de parochia de Boevilla Constantiensis diœcesis percussus fuit in sinistra parte
B corporis adeo graviter quod cum pede sinistro non poterat terram tangere, habens brachium durum et curvum cum manu sinistra ; nec eam poterat extendere nec se cingere vel vestire, sicque per septennium vel circa fuit impotens et infirmus. Tandem devovit se B. Thomæ, ivit ad ejus tumbam, ibique fuit curatus ad plenum. Matilis filia Joannis de parochia S. Joannis de Haia
u Putei *u* septennis vel circa gibbos duos habuit ex utraque parte gutturis, grossos instar duorum ovorum anseris, per triennium. Multi medici viderunt eam, dicebantque quod non audebant apponere manus, quia morbus erat qui dicitur escra-
x res *x*, de quo per tactum manuum regis Franciæ solent infirmi curari. Mater vero timens de morte puellæ, pro eo quod habuerat alium puerum masculum qui de morbo consimili fuerat mortuus, devovit, præsente patre prædicto, dictam puellam B. Thomæ; statimque dicti gibbi sunt minorati. Videns hoc mater, eam duxit ad tumbam Beati viri, sicque omnino curata fuit. Emina uxor Gaufridi dicti Delie de parochia S. Joannis de Haia Putei habuit guttam in capite, descendentem ad omnia membra. Infirma et impotens facta fuit
C graviter, adeo quod non poterat manus ad suum caput erigere, nec ire, nec stare, nec se pascere, nec puerum suum quem habebat parvulum lactare. Devovit se B. Thomæ, præsente marito prædicto, statimque melius fuit ei. Postmodum infra breve tempus ivit ad præfati viri sepulchrum, ubi curata fuit ad plenum.

puellæ submersæ vita, juveni auditus et mentis sanitas redeunt:

12 Juliana filia Guillelmi dicti Fabri de parochia S. Symphoriani Constantiensis diœcesis ætatis annorum et mensium duorum cecidit in fontem quemdam, quem vulgariter vocant Buot, ibique fuit aliquamdiu. Deinde fuit inventa sic submersa, et extracta frigida et rigida, sine flatu, sine motu, clausis oculis. Pater huc veniens exclamavit voce magna, invocans B. Thomam, ut redderet ei filiam suam; et ut impetraret, adjecit quod non comederet nec biberet, donec veniret ad tumbam ejus nudus pedes, et in continenti discalceatus iter arripuit. Nec mora, post iter arreptum, præsente presbytero loci, qui simul cum multis aliis invocabat B. Thomam, et expectabant cum magna fiducia gratiam Dei, puella aperuit oculos et revixit. Quam pater reversus in crastino lætus et agens gratias invenit viventem. Robertus filius dicti Consanguinei de parochia S. Thomæ Apo- D
stoli de Lithaire clericus scholaris per malignos spiritus in crepusculo cujusdam diei detractus et dejectus in bosco *y* loci ejusdem, fractus renes, *y*
curvus et surdus est effectus ; et licet antea bonæ fuisset indolis et bonus scholaris, nunc odio scholos et scholares habuit, nec intravit, et reputabatur dæmoniacus. Tandem in ecclesia B. Michaelis de Bosco, ubi moniales habitabant, recuperavit in renibus sanitatem : diu tamen postea fuit surdus, scholas abominans et scholares. Quem mater ejus B. Thomæ devovit, et ad tumulum duxit ipsius. Cum vero die quadam venisset ad tumbam Beati viri, flexis genibus oravit et inclinavit se super eam; sicque inclinatus super tumbam, diu fuit in extasi quasi mortuus ab hora nona usque ad Vesperas. Quem presbyteri videntes et mortuum reputantes, commendationem inchoaverunt, et eum sepelire tamquam mortuum disponebant ; cumque sacerdos orationem compleret, dicens : « Per » omnia sæcula sæculorum », audivit clericus respondens « Amen », et tunc surrexit. Mirantibus autem multis astantibus, narravit ut valde vexatus fuerat, visumque fuerat quod aures eruebantur eidem, sicque sanus effectus est ad plenum. Non E
tantum sanitatem corporis recuperavit, verum etiam mentis, ut scholares, quos abominatus fuerat, amaret, scholas desiderans ex affectu.

vir quidam morbo caduco, alius arthritide, mulier fistula, vir nervorum stupore, oves variolis.

13 Guillelmus dictus Magnus de parochia de Picquauvilla *z* Constantiensis diœcesis laboravit *z*
morbo caduco. Devovit se B. Thomæ : ivit ad tumbam ipsius, ibique curatus fuit ad plenum, nec caduco morbo postea laboravit. Guillelmus de Douvilla clericus uxoratus Constantiensis diœcesis habuit guttam in renibus adeo gravem quod ad terram non se poterat inclinare, nec opera sua facere consueta. Præterea duos filios suos eodem tempore contigit adeo graviter infirmari quod de convalescentia desperaret. Devovit se B. Thomæ, vel se pro filiis eisdem : ivit ad tumbam Sancti, non solum curatus a gutta ad plenum, sed et reversus dictos filios suos sanos invenit. Lucia filia Richardi de Hamo de parochia de Montisburgo *aa* *aa*
habuit tumorem magnum in crure sinistro satis alte sub membro muliebri, per tres hebdomadas adeo graviter laborans quod nec erigere se nec de lecto poterat exire. Tandem mandavit pro medico, qui, viso morbo, dixit quod erat fistura *bb*, quæ *bb*
non poterat sine scissura curari. Quæ dum audivit F
quod non posset sine scissura curari, devovit se B. Thomæ ; sicque factum est post emissum votum, curatum fuit crus ejus sine scissura et sine sanie, et quæ prius erat turgida et inflata, reperta est plana sine tumore quolibet, sed rugosa. Videntes eam vicinæ mulieres habentem crus sic sanatum sine tumore, sine sanie curatum, mirabantur, et multæ præ gaudio devote plorabant. Germanus Glace de parochia de Guirvilla *cc* Constantiensis *cc*
diœcesis percussus in dextra parte, scilicet in pede, manu et lingua, graviter adeo quod amisit gressum et loquelam, nec potuit se movere nec operari, in animo suo invocavit B. Thomam, cum non posset loqui. Cum esset accessio ejus juxta cursum febris solitum, cessavit omnino, nec postea sensit quidquam de quartana prædicta. Robertus dictus Rufus de parochia de Heauvilla Constantiensis diœcesis habebat duodecim bidentes laborantes morbo qui dicitur vulgariter la verolle. Desperabat de convalescentia earum, similiter et omnes vicini sui. Devovit eas B. Thomæ, sicque fuerunt omnes statim curatæ. In ecclesia dictæ parochiæ mihi scholastico *dd* constat quod nullus *dd*
erat

AUCTORE CLEMENTE COÆVO.

A erat inter eos qui non expertus fuisset vel in suis personis aut familiæ suæ vel in pecoribus beneficia Beati viri prædicti.

monachus arthritide, faber oculi dolore, vir alius febri, ejus filia sibilo aurium, puer acri morbo liberantur:

cc

ff

14 Martinus Prior prioratus de Heauvilla *ee* monachus de Ordine B. Benedicti laborabat gutta in brachio dextro. Invocavit B. Thomam, promittens unum operarium ad ecclesiam quæ de novo fiebat apud Boëvillam ad transferendum corpus ipsius *ff*. Misit operarium juxta promissionem suam: cessavit gutta per longum tempus. Postmodum cum per aliquot vices contingeret quod affligeret eum gutta, invocabat B. Thomam, dicens: « S. Thoma, nonne scitis qualiter est? » et statim cessabat afflictio. Radulphus de Treauvilla faber cum super quamdam massam ferri candentis igniti percuteret ut inde duas faceret portiones, subito pars altera ferri candentis in oculum ipsius insiliit, cumque vehementer afflixit; diuque præ nimio dolore quiescere non potuit. Consuluit medicos, qui dixerunt ei quod oculum amiserat, nec aliquod remedium sciebant apponere, ut dicebant. Devovit se B. Thomæ: adivit tumbam, et recuperavit visum. Quod idem juratus deposuit coram nobis. Adjecit etiam quod equum suum infirmatum graviter, adeo quod desperaret de ejus convalescentia, bis devovit B. Thomæ, sicque bis sanum per merita B. Thomæ recuperavit eumdem. Radulphus dictus de Toto de parochia de Vauvilla laborabat febre tertiana anno Domini 1270 mense Decembri. Devovit se B. Thomæ: adivit tumbam Sancti: ibidem pernoctavit vigilans: rediit sanus, nec aliquid postmodum sensit de febre prædicta. Item narrat idem Radulphus juratus quod filia sua septennis vel circa habebat in aure sibilum continuum. Devovit se B. Thomæ: mater duxit eam ad tumbam Sancti; ibique de aure puellæ cecidit quidam vermis mortuus instar vermis qui vulgariter dicitur oreilliere *gg*, sicque sana facta domum suam reversa est. Nicolaus filius Richardi de Gardino de parochia S. Petri de Boëvilla quadriennis vel circa, subito morbo percussus, ab ipso mane usque ad horam fere nonam diei mense Octobri laborabat in extremis, prout astantibus videbatur, lingua retenta inter dentes adeo firmiter quod non poterant aperiri. Putabant multi videntes quod esset amputata lingua prædicta. Mater ejus ipsum B. Thomæ devovit; statimque circa horam nonam diei prædictæ puer prosiliit sanus, curatus ad plenum.

B

gg

C

jumentum convalescit; lumen in morte pueli accenditur; mamilla consumi cœpta restituitur; morbo levatur adolescens;

15 Guillelmus Martini habuit jumentum, quod per quatuor dies et amplius adeo fuit infirmum quod non erat spes de convalescentia. Nuntiatum fuit relictæ Radulphi dicti Præpositi quod erat mortuum. Quod audiens ipsa devovit B. Thomæ, statimque convaluit ipsum jumentum. Guillelmus Heberti de parochia S. Germani dicti le Gaillart habuit filium biennem vel circa per annum fere languentem, qui cœpit arefieri. Cumque pater et mater viderent ipsum sic ægrotantem multamque materiam tristitiæ ministrantem, rogaverunt B. Thomam ut ipsum traheret ad alterum finem, mortem videlicet vel sanitatem. Detulerunt ipsum ad tumbam Beati viri quadam die lunæ in crastino Paschæ anno Domini 1270. Cumque illuc advenissent post Missam, et ignem quærerent ad accendendum candelas offerendas, custos dixit eis quod ignis non erat in ecclesia. Pater vero prædictus aspexit ad lampades et cereos diligenter, si videret ignem; compertoque quod non esset ignis ibi, dictus custos ivit ad domos vicinas ut ignem quæreret, et defecit. Interim puer laboravit in extremis; paterque videns instantem filii sui mortem, licet videret lampades et cereos sine lumine vel igne, præ nimio tamen desiderio luminis et ignis respexit ad cereos, viditque in uno cereo ignem circa horam qua puer spiritum emisit. Accendens autem candelam obtulit priusquam custos rediret: quod videns miratus est. Margarita uxor Petri Rogeri de parochia S. Germani dicti le Gaillart prædicta habuit in mamilla sinistra per tres menses morbum vehementissimum, qui graviter eam affligebat, adeo quod non poterat quiescere. Morbus idem mamillam consumebat, nec aliquod remedium poterat invenire. Cumque desperarent vicini de vita, tandem devovit se B. Thomæ, sicque sine quolibet medicamine curata fuit. Guillelmus filius Guillelmi de Valleto sexdecennis vel circa de parochia S. Germani le Gaillart vehementi morbo subito arreptus fuit, fuitque per spatium itineris dimidiæ leucæ quasi mortuus in extasi. Cumque parentes et vicini desperarent de vita ejus, devoverunt eum B. Thomæ, statimque convaluit, et surrexit et lusit cum suis coætaneis ipsa die.

ad sanitatem veniunt mulier et vir febricitantes, vir comitialis, duo pueri ac juvenis membris debilis.

16 Helena relicta Roberti dicti Præpositi de parochia S. Germani prædicta habuit febrem erraticam per tres menses, deinde quotidianam per quindenam. Devovit se B. Thomæ: perrexit ad tumbam ipsius, statimque cessavit febris omnino. Richardus dictus Præpositus de parochia S. Germani præfata laboravit febre tertiana per quatuor menses. Devovit se B. Thomæ: perrexit ad tumbam ipsius, ibique sanavit statim febris omnino. Thomassius filius Guillelmi de Vergerio de parochia de Alno *hh* Constantiensis diœcesis, cum esset biennis, laboravit morbo caduco. Stephania avia sua devovit eum B. Thomæ: quem eadem avia, comitante patre pueri, duxit ad tumbam ipsius, sicque fuit ibi curatus ad plenum. Gaufridus dictus Tolissac de parochia S. Symphoriani Constantiensis diœcesis habebat filium biennem et ultra, necnon et filium ætatis unius anni et quinque mensium: ambo carebant usu pedum, nec poterant super pedes stare. Parentes eorum dolentes erant: de consilio aviæ suæ mater eorum devovit eos B. Thomæ, statimque juxta modulum suum gressus recuperaverunt. Nicolaus filius Simonis de Bosco de parochia de Tourquevilla fuit infirmatus et debilis adeo quod non poterat incedere sine baculo per biennium et amplius: demum factus adeo debilis quod etiam cum baculo non poterat incedere quantum est tractus arcus, quin oporteret eum quiescere; et hoc fuit notorium. Devovit se B. Thomæ: venit ad tumbam ejus cum magna difficultate: vigilavit ibi per unam noctem, visumque fuit ei mane quod crus illud subito calere cœpit; sicque plene curatus recessit sine baculo, viam carpens, baculum sustentationis non requirens. Hæc de vita, meritis et miraculis B. Thomæ prædicti, de quibus mihi constitit, ut præfertur, rudi, sed fideli stylo conscripsi. Multa quidem et alia signa per merita dicti Beati viri, quæ non sunt scripta in libro hoc, operatus est Dominus et adhuc non desinit operari: quæ si quis omnia vellet scribere, multa volumina continerent.

hh

F

Præterea, ut ex secundo examine miraculorum liquet,

17 Illud autem notitiam posterorum latere non volo quod bonæ memoriæ Joannes episcopus Constantiensis, qui cum Fratre Radulpho de Gardinis Priore tunc temporis Fratrum Prædicatorum Constantiensium, de mandato Sedis apostolicæ, de vita, meritis et miraculis B. Thomæ sæpe dicti, me eis assistente, diligenter et fideliter inquisivit, misit ad eamdem Sedem pro negotio canonizationis ipsius duos presbyteros rurales cum inquisitione præfata. Et licet inquisitio super vita necnon super

AUCTORE CLEMENTE COÆVO.

super quatuordecim vel circa miraculis, quod ad impetrandam canonizationem sufficere poterat, fuerit approbata, tamen propter defectum solemnitatis nuntiorum remisit Dominus Papa episcopo præfato inquisitionem super miraculis quibusdam, de quibus minus diligenter inquisitum fuerat, necnon super novis miraculis faciendam. Quam juxta mandatum fecit apostolicum ; sed eam morte præventus episcopus ad curiam non remisit : siquidem duo Cardinales citramontani, videlicet Frater Hugo de Sancher de Ordine Prædicatorum, qui fuerat confessor B. Thomæ et cujus scholaris fuerat, cum idem Cardinalis legeret Parisiis theologiam *ii*, et magister Odo de Castro Radulphi, qui fuerat cancellarius Parisiis eo tempore quo dictus Beatus vir fuerat scholaris Parisiis *kk*, affectabant cum summo desiderio canonizationem prædictam, ut præfertur. Quod et eidem episcopo mandaverunt, et ut solemnes nuntios propter idem negotium mittere festinaret ; quod non fecit, ut dictum est, morte præventus. Remissa, prout præfertur, ad eumdem episcopum inquisitione tam super antiquis quam super novis miraculis de mandato Sedis apostolicæ facienda, probata fuerunt coram B ipso miracula quæ sequuntur.

puella contracta, duo pueri

18 Petrus filius Sylvestri de Gardino de parochia de Boëvilla ætatis unius anni et trium mensium cecidit in quamdam fossam, in qua erat multa aqua. Extractus fuit mortuus, frigidus, rigidus, sine motu, sine anhelitu, nullum signum vitæ prætendens. Pro quo pater, mater et alii quamplures astantes invocaverunt B. Thomam : delatus fuit ad tumbam B. Thomæ, et ibidem revixit post aliquantulum temporis intervallum. Joanna filia Guillelmi dicti Brocquet de parochia S. Nicolai de Baroflueto *ll* post febrem continuam in creticatione *mm* passa fuit dolorem magnum, et fuit facta contracta inter crura et caput, habens genua juncta pectori : non poterat erigere se nec incedere sine baculo longitudine dimidii pedis, sicque stetit per annum vel circa sine spe convalescentiæ. Tandem mater ejus dicta Joanna de Barefleu devovit eam B. Thomæ : duxit eam ad tumbam ejus ; ubi cum diutius orasset, erexit se non sine admiratione omnium qui aderant, curataque fuit ad plenum. Thomassius filius Ausberti de parochia S. Germani le Gaillart Constantiensis diœcesis in alveum molendini de Gibart de dicta parochia, dum enim C moleret, cecidit. Quem deduxit aqua sub rotam molendini molentis, et transivit per desubtus rota, sicque mortuus extractus fuit de aqua. Pro quo mater ejus invocavit B. Thomam, clamans alta voce : « S. Thoma, reddatis filium meum. » Et astantes multi flexis genibus cum dicta matre clamabant, invocantes B. Thomam pro puero ejus prædicto ; sicque post modicum tempus puer revixit.

et puella submersi, vir item contractus opem Beati experti sunt.

19 Alicia filia Nicolai de Barcade de parochia de Taillepied Constantiensis dœcesis cecidit in fontem circatum vase ligneo, quod dicitur vulgariter buhot *nn*, et ibi submersa fuit. Cujus mater nomine Matilis eam jam mortuam inveniens, clamans et invocans B Thomam : post aliquantulum intervallum reddita vitæ fuit. Radulphus dictus Hericie de parochia Ver Bajocensis diœcesis infirmitatem seu debilitatem subito, cum solus incederet, incurrit : unde contractus effectus et curvus, stare non poterat rectus, nec ire nisi baculo manibus duabus innixus. Caput gerebat valde submissum, genua quasi juncta pectori, gibbum grossum instar capitis hominis subter scapulas habens in dorso. Sic per annum vel circa fuit contractus et impotens, D quod nihil poterat operari ; quique labores manuum suarum manducare consueverat, ostiatim mendicans effectus est et pauper. Devovit se B. Thomæ ex toto corde suo, et illico convaluit, et post aliquantulum temporis intervallum omnino curatus fuit. Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Septimana pœnosa *vel* hebdomada pœnalis, *quam et* laboriosam *vocant Latini Patres, illa est quam hebdomadem sanctam vel majorem dicimus*(1).

b *Ecclesia* S. Georgii de Montcoq *semileuca distat ab oppido S. Laudi.*

c Menillo Oury *et* Mesnillo Ouri *habent nostra apographa, utique designantia vicum* Mesnil-Eury *oppido S. Laudi vicinum ; non vero* Mesnil-Oury *a SS. Trinitate cognominatum, tribus a Lexovio leucis, in diœcesi hodie Bajocensi.*

d Hertissere, *alias* herceare *vel* herciare, *gallice* herser, *est* occare terram, *ab* hertio, hercea, hercia, *quod* occam *denotabat ; sicut et* herpex, *unde* E herpicare.

e Bladum *frumentum est et quodvis aliud triticum, Gallis* bled *aut* blé, *Italis* biada.

f Moon *habet utrumque nostrum exemplar, qui est vicus haud procul a S. Laudi oppido in diœcesi Constantiensi. Quare, ut arbitror, non bene assignatur a P. Lemière* Moue-sur-Manche (Noue *scribitur a R. D. Colin*), *alias* Moult-sur-Manche *aut potius* sur Muancé, *vicus diœceseos Bajocensis, quatuor propemodum a Cadomo leucis. Haud scio an recentiores B.* Thomæ *biographi ex hoc facto deduxerint eum etiam in diœcesi Bajocensi prædicasse ; sed quum in nomine* Moue *vel* Moult *pro* Moon *erraverint, liquet nullum pro ea re argumentum hinc exurgere. Cfr annot.* k *ad Vitam B.* Thomæ.

g Follus, *gallice* fol *aut* fou, *idem est ac stultus, fatuus.*

h *Notat R. D. Colin* (2) *posteros veterum dominorum de Vauvilla jam ab aliquot sæculis habitare in diœcesi Bajocensi, et de castello Vauvillensi egisse D. de Gerville in suis Commentariis* (3). *Imaginem B.* Thomæ *initio sæculi superioris collocatam fuisse in loco cubiculi in quo obiit, in Commentario prævio retulimus* (*num.* 21). F

i Guideau *vel* guidelle *lingua gallica denotat retis genus quo piscatores utuntur ad ostia fluminum, quodque duobus palis hinc et inde in littore positis affigitur* (4).

k *Si tres annos et tres menses numeres a die* XIX *Octobris* 1257, *quo Beatus ex hac vita migravit, devenies ad* XIX *Januarii* 1261 : *unde conficitur examen de vita ac miraculis ejus circa id tempus jam fieri cœpisse.*

l Garba *est spicarum manipulus, gallice* gerbe.

m *De S. Honorina Virgine et Martyre, quæ colitur Confluentiæ* (*vulgo* Conflans-Ste-Honorine) *in diœcesi Versaliensi, actum est in nostro opere ad diem* XXVII *Februarii.*

n Sotulares, *proprie* subtalares, *quia sub talis sunt, unde gallice* souliers, *sunt calcei aut sandalia : sive quod Beatus iis ad Missam uteretur eo tempore quo incedere solebat nudipes, ut Clemens in Vita narrat* (*num.* 9) ; *sive etiam quod calcei essent a communibus calceis diversi nec nisi ad Sacrum faciendum adhibendi* (5).

(1) Cangius, Glossar. lat., voce *Hebdomada*. — (2) Op. cit., p. 100 et 168. — (3) Mém. sur les anc. châteaux du dépt de la Manche. — (4) Dictionn. de Trévoux, voce *Guideau*. — (5) Cfr Bona, Rer. liturgic., lib. 1, cap. XXIV, n. 9, p. 456, edit. Antuerp. 1677.

o Relicta

A o Relicta *sæpe pro* vidua *dicitur*.

p Quierquevilla *est in apographo P. Jacobi Dinet, quæ haud dubie eadem parochia est quæ vulgo* Querqueville *dicitur, prope Cæsarisburgum. Alterum apographum nostrum habet* Guiervilla, *quo nomine nullum diœceseos Constantiensis locum reperimus. Franciscus Lemière et R. D. Colin hic scribunt* Gréville, *vicum tribus leucis a Cæsarisburgo dissitum.*

q Isti sunt dies quos observare debetis temporibus suis *etc. est primum responsorium ad Matutinum Dominicæ Passionis, quod etiam sub processione illius diei cantari consueverat. Ergo designatur hic sabbatum hebdomadis quartæ Quadragesimæ, alias a prima voce Introitus* Sitientes *appellatum.*

r *In hoc et sequenti miraculo rursus* Quierquevillam *signat apographum Dinetianum, uti et Franciscus Lemière. Sed* Gruervilla *est in apographo P. Champion, et* Pierreville *apud R. D. Colin. Porro* Gruervillam *frustra quæsieris;* Pierreville *vero haud procul a mari jacet, quatuor a Bivilla leucis meridiem versus.*

s *Pro* Turquetevilla, *quod apud R. D. Colin est* Turqueville, *in apographo P. Dinet est* Tocquetevilla, *quod esset potius* Tocqueville. *Uterque locus*
B *in pago Constantiensi extat : incertum autem utra lectio melior sit.*

t *Gallico nomine* les Moitiers près le Pont-l'Abbé, *tribus a Carentonio oppido leucis, inter* Picauville *et* Etienville.

u *Gallice* la Haye-du-Puits, *olim marchionatus, paulo amplius quam sex leucis a Constantia, quinque a Carentonio.*

x *Quod Clemens hic* escrares, *Galli alias vocarunt* escrouelles, *nunc* écrouelles, *id est,* scrofulas.

y Boscus, boscum, buscum, *Gallis hodie* bois, *Itali* bosco, *Hispanis* bosque, *Belgis* bosch, *Germanis* Busch, *latine* silva *est. Ecclesia B. Michaëlis de Bosco, de qua mox, vulgari nomine* St Michel-du-Boscq *audit. Fuit ibi prioratus sanctimonialium Ordinis S. Benedicti, dependens ab abbatia S. Mariæ de Mostons in diœcesi olim Abrincensi sita* (1).

z Picquauvilla *nunc* Picauville *scribitur. Vide annot.* t.

aa Montisburgus *vulgari appellatione est* Montebourg *apud Oceanum, sesquileuca a Valloniis.*

C bb Fisturam *vocat Clemens quod* fistulam *medici appellant, ulceris cujusdam genus.*

cc Guirvilla *est in apographo P. Champion,* Guiouvilla *in illo P. Dinet. Neutro nomine parochia in diœcesi Constantiensi extat, sed plures nominibus sat prope ad duo illa accedentibus, ut* Gerville, Gréville, Gouville, Grouville, Genouville, *etc.; inter quæ quodnam eligendum sit, non facile dixeris : ut proin malimus rem cum R. D. Colin* (2) *in dubio relinquere.*

dd *Quod se scholasticum in ecclesia de Héauville fuisse asserit Clemens, indicare videtur eum scholis regendis ibi fuisse præpositum ; nisi tamen loquatur de beneficiis, se puero, in cives illius parochiæ a B.* Thoma *adhuc in vivis agente collatis. Nempe vox* scholasticus *utroque significatu usurpabatur, ut modo* magistrum, *modo* discipulum *designaret.*

ee *Prioratus Heauvillensis Ord. S. Benedicti pendebat ab abbatia Majoris Monasterii* (3) : *ipse autem prior habebat patronatum parochiæ cognominis* (4), *paulo superius a Clemente, qui ibi scholasticus fuit, memoratæ.* D

ff *Vide Commentarium prævium, num.* 14.

gg Oreillère *sive* perce-oreille *gallica lingua vocatur animal insectum quod latine dicunt* forficulam auricularium, *ac vulgi errore creditur aures perforare, atque ad cerebrum penetrare posse* (5).

hh *Parochia* de Alno *gallice* Laulne *vel* Laune *appellatur, præfixo scilicet articulo nomini* aulne *vel* aune, *quod alnum arborem significat.*

ii Hugo de Sancher *a Clemente nominatur, qui hodierno idiomate gallico scribitur* de Saint-Cher ; *unde et latine* de S. Charo *vel* Caro *sæpe audit : quamquam* de S. Theoderio *seu* Theuderio *rectius dicitur a loco natali Viennæ Allobrogum suburbio. Nimirum S. Theuderius abbas, quem Martyrologium Romanum ad diem* XXIX *Octobris vocat Theodorum, gallice* Chers, Cherf *aut* Cherfs *nuncupatus fuit per eamdem litterarum permutationem per quam nomen S. Theofredi abbatis, de quo hac ipsa die egimus, in* Chafre *abiit. Dato Ordini Prædicatorum nomine anno* 1225, *cœpit Hugo quinquennio post publicas habere de theologia prælectiones, ut in Commentario prævio jam diximus (num.* 9). *Multis dehinc in Ordine suo muneribus egregie functus,* E
quæ hic referre non attinet, anno 1244 *presbyter Cardinalis tituli S. Sabinæ creatus fuit ab Innocentio IV, et ab eodem ejusque successore Urbano IV ad gravissima negotia adhibitus. Vitæ finem accepit Urbe Veteri* XIX *Martii* 1263 (6). *Ex hac porro obitus ipsius epocha patet litteras quas ab eo ad Joannem episcopum Constantiensem datas fuisse Clemens memorat, referri oportere ad primam de vita et miraculis B.* Thomæ *inquisitionem, quæ anno* 1263 *nondum erat absoluta ; non autem ad alteram, quæ longe serius inchoata fuit. Apparet igitur Clementem hoc loco non satis accurate distinxisse tempora : quod de aliis quoque B. Thomæ biographis Clementem in hac re secutis dictum esto.*

kk *Odo de Castro Radulphi (vernacula lingua* Eudes de Châteauroux), *eo tempore quo Parisiis in studiis theologicis B.* Thomas *versabatur, erat quidem ecclesiæ Parisiensis canonicus, potuitque proinde Beatum cognovisse ; attamen cancellarii officio interea nondum fungebatur. Nam illud ab anno* 1223 *ad annum usque* 1237 *tenuit Philippus* (7), *cognomine de Grève* (8) ; *dein Guinardus Laudunensis :* F
huic autem ad episcopalem dignitatem promoto successit Odo de Castro Radulphi anno 1238, *quando B.* Thomas *certe jam ante tres vel quatuor annos in patriam suam redierat (Cfr Comment. præv., num.* 9). *Porro ferunt Odonem brevi post tempore, abdicato officio cancellarii, in monasterium Grandis Silvæ Ordinis Cisterciensis secessisse, cui etiam paulisper abbas præfuerit : usquedum anno* 1244 *Cardinalis episcopus Tusculanus creatus fuit ab Innocentio Papa IV. In cardinalatu præclarissimas legationes obiit : primum in Gallia apud S. Ludovicum regem, cui sacrum vexillum tradidit, ejusque rogatu sanctam capellam Parisiis solemnissime consecravit ; deinde in Oriente, quo eumdem Sanctum comitatus fuit, et eo anno* 1254 *in Galliam renavigante, illic apud exercitum cruce signatorum remansit incertum quanto tempore. Verumtamen constat in Europam reducem fuisse anno* 1261, *quo Viterbii interfuit electioni Urbani IV ; ac proin eo circiter tempore simul cum Hugone de*

(1) Gall. Christ. nov., t. XI, col. 534 et 883. — (2) Op. cit., p. 227. — (3) Pouillé général de l'archevêché de Rouen, etc. : bénéfices du diocèse de Coutances, p. 22. — (4) Ibid., p. 16. — (5) Dict. de Trévoux, voce *Perce-oreille*. — (6) Cfr Quétif et Echard, Script. Ord. Præd., t. I, p. 194 et seqq.; Ciacconi, Vit. Pont. Rom., t. II, col. 120 et seqq. edit. Rom. 1677 ; Hist. littér. de la France, t. XIX, p. 38 et seqq. — (7) Chronic. Alberici ad an. 1223 et 1237, apud Leibnitium, Access. hist., t. II, p. 511 et 561. — (8) Crévier, Hist. de l'Univ. de Paris, t. I, p. 287, 291, 292, 379 et 380.

A *S. Theudorio (Cfr annot.* ii) *scribere potuit ad Joannem episcopum Constantiensem pro causa canonizationis B.* Thomæ *maturanda. E vivis excessit vir in Annalibus illius ævi celeberrimus Urbe Veteri anno* 1273 (1).

ll *Parochia S. Nicolai de Barofluctu locus maritimus est, olim oppidum satis insigne, nunc vicus tantum, vulgari nomine* Barfleur, *in extrema parte orientali pagi Constantiensis (vulgo dicti* Cotentin), *septemtrionem versus* (2).

mm Creticare, in crisin, ut vocant medici, incidere, *inquit Cangius. Scribitur etiam* criticare; *et* cretici dies *vel potius* critici dies, *ut idem Cangius ait*, medicis dicuntur ii quibus et morbus magis patefit et ægri majori sunt in periculo moriendi, gallice jours critiques.

nn *Vocem* buhot *aliquando acceptam fuisse pro camini spiraculo et pro quovis tubo seu canali, docet Carpentier* (3). *Nunc ex Clemente nostro adde hac voce etiam denotari vas ligneum puteo circumpositum, significatione aliis illis satis propinqua.*

B

MIRACULA RECENTIORA,

ex variis collecta a J. L. A. Colin parocho Jaburgensi, et ex gallico in latinum versa.

Medetur Beati intercessio oculis male affectis, membris distortis ac contractis.

Anno 1624, mense Julio, Michaela Ludovici Lecordier civis Carentoniensis filia sexennis tam male affectos habebat oculos ut vix aut ne vix quidquam videret. Quam quum pater B. Thomæ devovisset sepulcrumque ejus se aditurum spopondisset, extemplo lucidi facti sunt oculi puellulæ et videndi facultas plane restituta est. Eodem anno, mense Septembri, Paschasia filia Jacobi Hamel defuncti ex vico Audouville, dum linteum neret, oculum suum incaute acu pupugit : unde visum amisit. Post aliquot dies ad B. Thomam recurrit, vovit se sepulcrum ipsius visitaturam; moxque visum recepit. Anno 1625, die x Septembris, Stephanus Duval et uxor ejus Ægidia Letiebot ex parochia S. Germani de Vallibus *a* cum aliis multis C testati sunt filiam suam Franciscam Duval per menses amplius septemdecim a nativitate habuisse genua pectori affixa, nec pedibus consistere potuisse : simul autem ac eam B. Thomæ devovissent, corpore bene composito, pedibus niti cœpisse ac recte valere. Eodem anno, mense Octobri, Simon filius sexennis Simonis Basire e vico S. Martini dicti le Hébert morbo ignoto correptus fuit. Desperatum a medicis mater ejus Joanna Lebourgeois devovit B. Thomæ, statimque valetudinem ei impetravit. Anno 1626 Maria filia Nicolai Beuselin ex Beuseville-sur-le-Vay, quatuor annos nata, postquam menses octodecim visu pene caruisset et caput fere ad genua usque inclinatum gestasset, derelicta a medicis, a matre sua Margarita et avia Guilielma Noel intercessioni B. Thomæ apud Deum commendata fuit; et sic brevi convaluit. Eodem anno Michaela filia Joannis Leneveu ex Vesly, nata annos viginti quatuor, per novem mensem affecta fuit malo insolito, ita ut manus haberet tamquam globulos contractas, crurumque quoque ac pedum usu careret, nec nisi jusculi modici sorbitione ægre victitaret : ad hæc mens eam destituerat. D Susanna la Merielle mater ejus opem B. Thomæ imploravit, et ægrotæ valetudo rediit.

doloribus ex toxico hausto, contusionibus gravissimis, cæcitati, calculis, epiphoræ oculorum.

2 Anno 1627, die xix Martii, Thomas Moulin et Coleta ejus conjux Bivillenses testati sunt filiam suam Catharinam, quum arsenicum domi in charta quadam inventum pro saccharo comedisset, subito viscerum doloribus tam vehementibus fuisse affectam ut jamjam moritura videretur; sed confestim convaluisse, ubi mater genibus flexis et animo sursum elevato auxilium B. Thomæ expetiit. Eodem anno, die iii Novembris, Simon Benard parochus in Bricqueboscq aliique spectabiles illius parochiæ incolæ testati sunt Christophorum Lamesle, undecim annos natum, die xxii Julii in fossa argillosa obrutum fuisse vehibus terræ facile viginti quinque; unde post semihoram extractum, corpore contuso et altero oculo attrito, pro mortuo habitum fuisse ab omnibus qui aderant : postero autem mane, ubi patrueles ejus Guilielmus et Michael Lamesle, qui voti causa sepulcrum B. Thomæ adierant et Missam ibi celebrari curarant, ex peregrinatione reversi essent, eumdem puerum plane ad vitam perfectamque sanitatem rediisse. Anno 1628, die ix Maji, parochus aliique incolæ vici E Bricquebec testati sunt Vincentium filium Nicolai Carrel et Catharinæ Lacotte cæcitate liberatum fuisse præcibus et intercessione B. Thomæ. Martinus Leguay Petri filius Gonnevillensis parvulus per tres jam annos calculosus fuerat, quando parentes ejus, facto voto, eum ad sepulcrum Beati detulerunt : ubi quum novem dies precando transegissent, sanatum puerum domum reduxerunt. Joanna Benoit vidua Petri Leprêtre ex Pretot, jam a biennio epiphora oculorum laborans adeo ut videre vix posset, sese B. Thomæ devovit, et mox malo liberata fuit anno 1628.

animi turbationi, ulceri, morbo caduco, membrorum inertiæ, vulneribus, linguæ mutæ, paralysi,

3 Eodem anno, kalendis Septembris, testatus est parochus Martinvastensis Nicolaam Léger parochianam suam ita perturbato animo per annos octo fuisse ut assidue de sese præcipitanda cogitaret, neque ulla quiete frueretur; sed a parentibus Bivillam ad sepulcrum Sancti deductam, post novemdiales preces ibi peractas sanitatem recuperasse. Eodem anno Jacobus Letourneur ex Prêtot ulcere maligno, quod Noli me tangere appellant, prodigiose liberatus fuit apud sepulcrum B. Thomæ. Ludovica Lemoutelier uxor Guilielmi Saint-Denis ex Tribehou, a duobus cum dimidio annis vexata F morbo comitiali, quo bis terve de die cadebat, die xxv Maii 1629 sese devovit B. Thomæ, et ultimo die Junii sepulcrum ipsius visitavit, nullum inde ab emisso voto suo malum passa, uti ipsa testata fuit. Anno 1630 Oliva Gemet ex Tourlaville, jam per triennium lecto detenta nec prorsus movere se valens, advecta fuit Bivillam, ac votis Deo et B. Thomæ solutis, duobus baculis innixa domum rediit. Dein, altero itinere illuc suscepto, novem dies precando transegit : quibus elapsis, absque baculis reversa domum est omnino curata. Eodem anno Nicolaus filius Juliani Lebreton civis Constantiensis, tres annos natus, in imam caveam lapsus est atque ita vulneratus ut medici de vita ejus desperarent. Devovit eum mater B. Thomæ, et convaluit. Anno 1631, die xix Julii, Maria Lecourtois uxor Francisci Groult ex parochia S. Albini de Podoue juramento coram testibus declaravit filium suum Franciscum, annos quatuor cum dimidio natum, loquela destitutum et ab omnibus vicinis pro muto habitum, loqui cœpisse simul ac mater

(1) Ciacconi, loc. cit., col. 117; Hist. littér. de la France, tom. cit., p. 228 et seqq — (2) Cfr d'Expilly, op. cit., et Dictionn. univers. de la France, voce *Barfleur*.—(3) Glossar. nov. seu Supplem. ad Glossar. Cang., voce *Buheterius*.

eum

A eum precibus et intercessioni B. Thomæ commendasset. Eodem anno Maria filia Philippi Lesaulnier ex Magneville, paralytica omnique manuum ac pedum motu carens, a parentibus suis delata fuit Bivillam : ubi quum Deum orasset ut sui misereretur per merita B. Thomæ, brevi post bene se habuit.

linguæ incisæ, animæ per aquas interclusioni, membris distortis.

4 Anno 1632, die XI Maji, Nicolaus filius Guilielmi Vast ex Picauville, habitans in Feugères, testatus est linguam suam pridie Pentecostes anni 1622 incisam fuisse prope guttur a Guilielmo de Bouloche ex Rhéville, seque ab eo tempore usque ad diem XV Decembris anno 1632 proximum ne unum quidem verbulum protulisse : solutis autem B. Thomæ votis Bivillæ, ubi corpus ejus quiescit, loquendi facultatem sibi fuisse redditam et se illa expedite usum. Eodem anno, die XXVII Junii, Joannes Bihel ejusque uxor Anna Leterrier testati sunt filium suum Jacobum triennem die X illius mensis decidisse in fossam grandem aquis plenam : ubi multo amplius quam horam integram jacuit. Quem quum quæsiisset pater, tandem in fossam despiciens, jacentem in fundo vidit, mortuumque extraxit. Tum B. Thomam cum adstantibus invo- B cavit, ac post tres horas puellus revixit. Ipse P. Franciscus Lemière conventus Bajocensis Fratrum Minorum Observantium doctor theologus, qui prodigium hoc vulgavit, Bivillæ præsens aderat, quando parentes filiolum illum suum in gratiarum actionem pro accepto divinitus beneficio ad sepulcrum B Thomæ attulerunt. Julianus filius Ægidii Desplanches ex Isigny vico diœceseos Bajocensis pedes et crura tam misere habebat distorta ut tali adhærere renibus viderentur : in gabatis sedens ægre se protrahebat, horrorem et commiserationem in animis videntium concitans; ad hæc loquelæ loco inconditas edebat voces, quas vix pauci intelligerent. Devotus B. Thomæ die X Junii 1632 sepulcrum ejus invisit : unde, cunctis vicinis admirantibus, integra valetudine domum rediit *b*.

b

morbo gravi ignoto, membris male affectis, tumentibus ac inertibus, doloribus acerrimis, paralysi,

5 Joanna Duval Nicolai Jullin civis Valloniensis uxor ab octo annis ignoto laborabat morbo : loqui nequibat, vix incedere valebat, modicissimo utebatur cibo, ac doloribus cruciabatur vehementissimis. Conjux ejus votum emisit se aditurum B. Thomæ sepulcrum, ibique curaturum ut Missa pro sanatione ejus obtinenda celebraretur; ac C reipsa sanata fuit. Francisca de la Londe uxor Joannis Austin ex Vély, male affectis pedibus et cruribus, jam anno toto incedere non potuerat. Ad Deum recurrit, mediatore accepto B. Thoma, et brevi incessit sicut prius et plane curata fuit. Margarita Lemière uxor Oliverii Corbet ex Loiret, inflatis a trimestri brachiis, cruribus et corpore toto, lecto affixa hærebat; et ipsorum filius Ægidius Corbet usum pedum amiserat ita ut incedere haud valeret. Voto spoponderunt mater et filius se visitaturos sepulcrum B. Thomæ, moxque levati fuere malis anno 1628. Jacoba vidua Guilielmi Lecœur ex S. Patritii de Claids, postquam fere per annum usu pedum destituta fuerat, seque genibus et manibus sustinuerat, facto voto Deo ac B. Thomæ, curata fuit, sepulcrumque Beati ad gratias agendas adivit die V Martii anni 1628. Nicolaus sexennis filius Petri Duboscq ex Bricquebec gravi morbo ita ad extrema redactus fuit ut per horam eoque amplius mortuum reputarent omnes qui aderant. Fecerunt parentes votum Deo, Beatissimæ Virgini et B. Thomæ, quem rogarunt ut intercessor apud Deum esse dignaretur, promittentes se curaturos Missam Bivillæ celebrandam. Reddita puero sanitate, votum expleverunt die XXVIII Junii 1628. Uxor Stephani de Hestingue armigeri, domini de Lille, ex Bolleville, duabus post puerperium horis vehementissimis doloribus ita fuit ad extrema redacta ut mortua crederetur. Quod videns maritus votum fecit Deo, Beatissimæ Virgini et B. Thomæ, hujus intercessionem flagitans, et spondens se sepulcrum ipsius aditurum Sacrumque ibi faciendum curaturum. Voto emisso, uxorem aqua benedicta aspersit, eam jam expirasse existimans : verum illa suspirare ac loqui cœpit, et illico plane convaluit : unde voto satisfactum fuit die XVI Junii 1629. Nicolaus Merlin ex Bricqueville-la-Blouette brachio sinistro, femore ac crure dextro paralyticus a sex hebdomadibus, facto voto visitandi sepulcrum B. Thomæ et ibi novem dies pie transigendi, sanatus fuit, et gratias acturus die XXIV Julii 1629 Bivillam venit.

EX VARIIS.

linguæ impeditæ, cruri ulcerato, corpori doloribus torto, partus difficultati.

6 Robertus Leflambe ex Octeville supra Cæsarisburgum, calcis ictu in aversa capitis parte recepto, loquelæ usum amiserat : nigrescebat lingua, duobus insuper magnis tumoribus impedita. Votum emisit se visitaturum sepulchrum B. Thomæ ; et quum parochiæ ipsius rector Andreas Robin, Missam mense Julio anni 1629 celebrans, ad consecrationem pretiosi Corporis Domini pervenisset, E ipse Robertus loqui incipiens alta voce dixit : « Ave salus mundi, Verbum » etc. Joannes Dupont Jacobi filius ex S. Salvatoris Lendelin, a septem fere annis crus dextrum habebat ulceratum. Interna cruris parte a medico curata, exterior ulcerari cœpta est, pejorique in statu quam antea fuit. Ipso medicamine effectum est ut ex crure ejus deciderit fragmentum ossis duos fere digitos latum et longum, sicque magis magisque crescens malum a poplite ad pedem usque se extenderit : unde relictus fuit æger a medicis. Qua in angustia Deo, Beatissimæ Virgini et B. Thomæ votum fecit, ac Michaëlem filium Bivillam misit qui procuraret Missam ibi celebrandam. Hac re executioni data, confestim bene se habuit, atque ipse in ecclesia Bivillensi Deo gratias egit die XXVI Julii 1629. Lia Delamare uxor Ludovici Martin ex Bohon, mensibus Majo et Junio anni 1629 tam violenti dolore per totum corpus agitata ut vix baculo suffulta incedere posset, simul ac votum fecit Deo et B. Thomæ, desiit male habere, eamdemque recepit agilitatem quam ante ægrotationem habueret. Maria Ferey uxor Joannis Le- F bœuf armigeri, domini de la Rivière, ex Cretteville-en-Bautois, a die Dominica usque ad feriam sextam e dolore partus laborabat. Quam una cum prole in discrimine vitæ positam videns maritus, vovit se iturum ad sepulcrum B. Thomæ et procuraturum ut Missa ibi celebraretur. Mox illa feliciter absque dolore enixa est : quare ad gratias agendas votumque exolvendum maritus ejus Bivillam se contulit die XI Junii 1630.

febri, vulneri, membris inertibus, paralysi, morbis

7 Charitina Lochet vidua Michaelis Écourlemet e S. Germani le Galbois febri a biennio extorrebatur ita ut nec quiescere nec cibum capere posset. Facultatibus suis frustra in medicamina expensis, ad divinam confugit opem, et voto emisso fore ut ecclesiam B. Thomæ adiret, Missam ibi offerendam curaret ac nomen suum daret confraternitati ejusdem Beati, illico valetudinem recuperavit die XII Junii 1633. Franciscus Lepelletier Lucæ filius ex Être, annos circiter quatuor cum dimidio natus, graviter vulneratus erat a nativitate ; volebantque parentes ejus vulnus ferro curari. Verum consilio amicorum devoverunt eum B. Thomæ, promittentes Missam pro eo celebrandam

EX VARIIS.

dam Bivillæ; statimque convaluit. Unde die XXIV Junii Nicolaus et Lucas Lepelletier pater et filius votum solverunt. Joannem Belial ex Portbail, decem annos cum dimidio natum, qui usum crurum et pedum ita amiserat ut se manibus ac genibus jam ab anno sustinere deberet, mater ex voto Bivillam attulit : ubi Sacro celebrato, curatus fuit. Franciscus filius Renati Dutourp et Joannæ Martin Breuvillensium, natus annos quinque et dimidium, exeunte mense Augusto anni 1631 toto corpore ægrotans, inter brachia patris sui omni sensu atque anhelitu destitutus, spumam in ore agens, detortisque retro cruribus, per semihoræ et amplius spatium mortuo similis visus fuit. Quare pater ejus parentumque ejus fratres et sorores humi prostrati fecerunt votum Deo, Sanctissimæ Virgini ac B. Thomæ, quem adhibuerunt intercessorem apud Deum, ut vitam puero reddere dignaretur, promiseruntque Missam in honorem B. Thomæ offerendam. Nec mora, puer sanitati restitutus loqui cœpit. Franciscus Lerouville ex Vretot, dextra corporis parte adeo paralyticus ut nonnisi baculo suffultus sese loco movere posset, postquam hoc malum tolerasset a die festo S. Joan-
B nis Baptistæ, tandem die XV Septembris anni 1631 in viam se dedit Bivillam ut sacellum et sepulcrum B. Thomæ inviseret : quo quum pervenisset, mox curatus fuit. Jacoba Lanière Breuvillensis vehementi torquebatur morbo, cui remedium nullum afferre sciebant medici. Quare mater ejus Floriana Dequilbec, invocato Deo ac Deipara, atque intercessore adhibito B. Thoma, promisit se hujusce sepulcrum quam primum posset adituram, curaturamque ut Missa ibi caneretur, et laudationis tributum quanto posset fervore soluturam, ut, si ita Domino placitum foret, sanitas filiæ suæ restitueretur; et hæc statim exinde melius se habere cœpit anno 1632.

variis cruribus pedibusque paralysi ac distortione vexatis,

8 Maria Troude Juliani filia ad extrema redacta vi morbi periculosi, quem cæteri tamquam pestem vitabant, jamque pro mortua derelicta, ad Deum et Sanctissimam Virginem recurrit; et facto voto fore ut sepulcrum B. Thomæ visitaret Missamque ibi celebrandam curaret, valetudinem recepit anno 1632. Guilbertus Tiphanne Jacobi defuncti et Guilielmæ Boisset filius Tamervillensis, annos natus circiter octodecim, usu femoris et cruris sinistri ab octodecim mensibus plane privatus erat, nec
C movere se poterat. Sanationem ejus mater magno cum affectu efflagitavit a B. Thoma, spondens se novem dies precando transacturam Bivillæ Missamque ibi celebrandam in honorem Servi Dei. Statim ac novemdiales preces mater inchoavit, melius valere cœpit filius; ac plane curatus, die XXV Octobris 1632 Bivillam cum matre accessit, ut Deo et B. Thomæ grates persolveret. Petronilla filia Ludovici Toulorge et Ægidiæ Lefèvre lenta febri a septem octove annis lecto affixa, invocato B. Thoma, sanata fuit ejus intercessione anno 1633. Petrus Herault ex S. Salvatoris le Vicomte, die XXV Novembris anni 1632 paralysi affectus et cruribus captus, diu noctuque vividissimis cruciabatur doloribus, quibus totum corpus ejus deformatum fuit, cruribus ita ad femora usque retortis ut nec consistere nec se erigere valeret. Eo in statu permansit ad festa usque Pentecostes anni 1633, quando votum fecit Deo ac Deiparæ, patrocinante B. Thoma, se ecclesiam Bivillensem visitaturum, ut sanitatem per Beati merita deprecaretur. Triduum apud sepulcrum Servi Dei transegerat, quum ecce ingentem in membris dolorem sensit per horam fere dimidiam, accedente sonitu ac si ossa ejus rumperentur. Deinde evanescente dolore, is D
qui antea vanno portabatur, incedere cœpit baculis rostratis. Tandem domum rediit, duos baculos parvos manibus tenens, recteque insistens pedibus; ac feria tertia Pentecostes anni 1633 perfecta usus est valetudine. Tussanus Noel Radulphi filius Canvillensis quum a nativitate crura ac pedes haberet extrorsum detorta, ita ut nonnisi ægerrime incessurus videretur, parentes ejus voto spoponderunt se eum Bivillam delaturos, et procuraturos ut Sacrum illic pro ipso fieret. Illico pedes pueri, qui tum erat triennis, in rectum revocati fuere, eumque bene valentem pater gratias acturus ad sacellum B. Thomæ attulit die XXV Julii 1633.

dolori oculorum, corporis cruciatibus vehementibus,

9 Guidona Lebourg Michaëlis civis Valloniensis filia a sesquianno male affectis oculis visuque fere sublato, post frustraneam medicorum opem, B. Thomam invocavit, et voto facto visitandi sepulcrum ejus curandique ut Missa ibi celebraretur, integram recuperavit valetudinem anno 1633. Radulphus Toulorge Siouvillensis annos vigenti natus, violenti malo per quatuor fere horas tortus ita ut mortuus esse putaretur, statim ubi parentes eum devoverunt B. Thomæ, promittentes, si vitam Deus illi redderet, se Bivillam ituros et Missam ibi cele- E
brandam curaturos, malo levatus fuit die V Januarii 1633. Martha filia Ursini de Lille armigeri, domini de la Montinière, et Guilielmæ de Surtainville, ultima die Junii 1632 prope parentum suorum domum decidit ex ponte dicto de la Commie, sub quo aqua ad quinque pedum altitudinem stabat : unde post tres fere horæ quadrantes exanimis extracta fuit. Quam ita mater cum cæteris videns, flexis genibus B. Thomæ supplicavit ut suis a Deo precibus vitam puellulæ reposceret, promisitque sua cura Missam Bivillæ celebrandam. Facto voto, revixit infans, duos annos et tres menses ætatis tunc habens. Juliana filia Petri Drouet ex S. Nicolai Constantiæ valde infirma, toto corpore afflicta, incurvata atque ad laborandum prorsus inepta, emisso voto visitandi B. Thomam in ecclesia Bivillensi, sanitatem quam petebat intercessione ejus consecuta fuit anno 1628. Carola filia Joannis Duclos et Franciscæ Hurel ex Videcóville post triduanam ægrotationem die XIX Januarii 1628 per horam integram morte jam occupabatur : emisso autem pro vitæ ipsius conservatione a pa- F
rentibus voto visitandi sacellum B. Thomæ et curandi ut Sacrum ibidem fieret, confestim bene se habere cœpit. Quare parentes ecclesiam Bivillensem adierunt, gratiasque ibi Deo egerunt et votum exolverunt die XX Junii proxime insequentis c.

c atræ bili, linguæ aliisque artubus impeditis.

10 Magister Nicolaus Grosin ex Danneville juxta mare, atra bile et tetris cogitationibus adeo perculsus ut se a dæmone possessum crederet, ubi se B. Thomæ devovit et novemdiales preces votaque exolvit, ope ejus curatus fuit, ut constat ex attestatione facta die VII Februarii 1628. Catharina Hologate ex Tourlaville, quum exiisset ad mulgendum vaccas, a fœmina quadam, quæ suffocare eam volebat, per guttur apprehensa fuit : unde, contracta intra os lingua, loquelam perdidit. Reversam domum sui devoverunt B. Thomæ, et novemdiales preces orsi sunt Tourlavillæ, sub quibus secunda die Bivillam iverunt, ubi pro ea Sacrificium Missæ oblatum fuit. Ita plane curata fuit et usum linguæ recepit; cujus rei attestatio data fuit die XII Augusti 1628. Puella item Tourlavillensis, incedere haud valens, se devovit B. Thomæ; et post novemdiales preces ita melius se habuit ut baculis in ecclesia Bivillensi acceptis jam se movere cœperit. Post alteros vero novem dies precando transactos

A actos, omnimodam nacta est curationem. Margarita Corbet ex Loret, brachiis cruribusque a trimestri tumescentibus lecto affixa, ejusque filius Ægidius usu crurum inde a genibus destitutus, facto voto B. Thomæ, omnino convaluerunt.

gressus defectui, tumori corporis, cæcitati,

11 Jacoba Lecœur ex S. Patritii de Claids gressum ab anno circiter amissum, facto voto B. Thomæ, recepit, et gratias Beato actum ivit die v Martii 1628. Petrus Frapier Joannis filius Bivillensis subito afflictus malo, corpore et præsertim capite tumescente, visu per quatriduum caruit. Vocatus a parentibus ejus Michael Frimot ad levamen aliquod ei afferendum, declaravit nullum suppetere remedium nisi ut infirmum Deo ac B. Thomæ commendarent. Quod ubi fecerunt, corona B. Virginis nondum integre recitata, vidit mater filium suum visu et omnimoda valetudine fruentem. Petrus Gamas filius Benedicti ex Hemevez, ab annis sex aut septem circiter paulatim deficiente visu, denique cæcus effectus est : quem pater, cognitis iis quæ indies Bivillæ contingebant, B. Thomæ commendavit, vovens se sepulcrum ejus cum filio aditurum. Suscepto itinere, comitantibus vicinis, Missam ibi celebrari petiit : sub
B qua quum elevaretur Corpus Domini, puer ait : « Vidi sacram Hostiam, vidi sanctum Sacramen» tum. » Ac reipsa eo temporis momento visum receperat, patre ac matre apud sepulcrum Beati prostratis cereosque manu tenentibus. Joanna Loir Varrevillensis habitans in Hemevez, nata annos circiter triginta, post conatus decennio eoque amplius adhibitos ad medendum oculis male affectis, amissa omni alia spe sanationis, recurrit ad B. Thomam, vovens se Bivillam ituram et curaturam ut Missa ibi celebraretur. Ubi precatura ad sepulcrum accessit, sanatam se sensit, et votum explevit anno
d 1623 *d*.

multifariis viri cujusdam malis

12 Circa annum 1687 Floridus Perrine Hellevillensis, vir simplex et bonis moribus, pauper et labore manuum victitans, torminibus gravissimis sæpius affectus fuit, variis febribus succedentibus. Biennio post acerrimos dolores in altero genu ac femore processit cum motibus spasticis adeo vehementibus ut nulla ratione sedari potuerint. Quo in statu quum sex fere menses versatus fuisset, femur paralyticum evasit, motu ac sensu carens. Ita triennium egit, corpus interim modico pane plebeio, quo solo uti poterat, vescens, animum
C vero piorum librorum lectione pascens, quibus se recreabat atque secundum Deum salabatur; donec primis doloribus accessere etiam humerorum dolores asperrimi, quibus successit linguæ afflictatio tanta ut ea velut ex ore ejus violenter erui videretur. Tandem mitigatis hisce doloribus, mutus et altero brachio ac femore paralyticus remansit, lingua livente, eaque et femore ita motu sensuque destitutis ut ne mordacissimis quidem calidissimisque remediis ad calorem naturalem revocari potuerint. Et quum diglutire nihil sive solidi sive liquidi posset, potum guttatim sorbebat cibumque velut infundibulo accipiebat, nec nisi ægerrime et cruciatu maximo. Ultimus hic casus ei obvenit exeunte Decembri anni 1692. Anno sequenti circa tempus paschale quidam domum ejus ingressus, ei dixit : « Ora Deum, amice, et sanaberis. » Ac revera ab illo tempore melius se habuit ex paralysi femoris et brachii, ita ut peregrinationem ad B. Thomæ sepulcrum, quæ ei die IX Julii suasa fuerat, suscipere potuerit. Advectus igitur illuc fuit postridie : quem ex caritate hospitio excepit parochus, et cibis providit ac solatio precibusque juvit Franciscus de
e la Luthumière presbyter *e*, qui tum ibi exercitiis spiritualibus vacabat. Celebravit hic Sacrum pro ægroto die sabbato, qui erat XI Julii. Postridie alterum pro eo Sacrum obtulit presbyter parochiæ Bivillensis : quo sub Sacro sanatio peregrini locum habuit. Eo scilicet inchoato, humeros pondere paulatim accrescente oppressos sensit : quod pondus sub elevatione sacræ Hostiæ in tantum auctum fuit ut sub calicis elevatione in terram rueril. Interim linguam sibi erui, seque sub pavimentum detrudi et sepulcrum Beati everti veluti somnians, magna voce exclamavit : « Morior : Deus, Deus, » misericordia. » Videruntque qui ad jacentem accurrerant, crus ipsius paralyticum violentis agitari motibus. Quibus sedatis, exurgens clamavit se sanatum esse; quamquam apparebat maxime debilitatus, ardentibus oculis et collo, totusque sudore oppletus. Quare se refrigerandi gratia ex ecclesia exiit : verum paulisper refectus, ad eam rediit ut Missæ parochiali interesset, et Deo de recepta valetudine gratias ageret. Ita rem totam enarravit doctor medicus Fortin de Quettreville, vir pius ac doctus, qui ægrotum ipse curaverat, et sanationis testis fuerat : cujus narrationis exemplar manu ipsius scriptum et signatum conservatur in ecclesia Bivillensi. Accessit testimonium Fran- E
cisci de la Luthumière jam memorati, qui suas item partes esse duxit notum facere quod suismet oculis Bivillæ fieri viderat. Antea enim responsa ab ægroto nonnisi signis ac gestibus acceperat; postea vero ad quæstiones quas ei fecit, lingua expedita respondentem audierat : omnia autem ægrotationis adjuncta didicerat ab ipso medico, quocum arctam amicitiam contraxerat.

EX VARIIS.

et fœminæ ad extrema redactæ ægrotationi.

13 Maria Langevin Nicolai Mauger civis Carentoniensis conjux membra per annum integrum et amplius ex abortu ita distorta atque luxata habuit ut velut iners quædam carnium et ossium massa esset, nec remediabile malum videretur. Neque jam opem ullam a medicis expectans, qui frustra ad eam sublevandam omnia artis suæ subsidia adhibuerant, B. Thomam sibi exorandum esse cogitavit; eique se devovit cum assensu mariti, qui etiam spopondit se eam ad sepulcrum ipsius advecturum. Fecit is quod promiserat, etsi res erat molesta satis; at quum vix speraret fore ut uxor vivens sive domum reverteretur, sive vel Bivillam usque perveniret, secum tulit omnia ad sepulturam necessaria, ut quo loco eam forte mors præriperet, in eo humandam curaret. Ergo magnæ F
equæ clitellas imposuit pulvinis instructas, quibus conjugem linteis alligavit; ipseque retro sedens una cum comite pedite ægrotam sustentavit. Secunda die Bivillam advenerunt : ubi, ducta equa usque ad prothyron ecclesiæ, mulierem exceperunt loci parochus nomine Coupey et presbyteri aliquot cum nonnullis laicis, qui eam ad sepulcrum usque portarunt. Tum duæ rogatu ipsius celebratæ fuere Missæ. Sub posterioris Missæ finem ita violenter agitata sensit omnia membra corporis ut sibi mori videretur; sed sedatis subito doloribus, dixit marito : « Preces meas a Deo exauditas » credo per merita B. Thomæ. » Tum surrexit, recte pedibus suis stetit, et sepulcrum, nemine juvante, circuivit. Res statim relata ad parochum et ad Bivillæ dominum : qui ut illam, quam ægerrimam non diu ante viderant, plane curatam conspexerunt, modulatos æris campani sonos in lætitiæ significationem edi et hymnum Ambrosianum ad gratias Deo agendas decantari voluere. Uxorem recte valentem et una secum equæ insidentem domum deduxit maritus, excitata toto itinere, ac speciatim Valloniis, ubi cives miserabilem ejus statum, dum illac

EX VARIIS. illac transierat, perspectum habuerant, ingenti omnium spectantium admiratione. Atque hinc jam intelligi potest quæ fuerit admiratio Carentoniensium, qui omnium optime ægritudinem ejus noverant et nuntios mortis ejus potius quam reditus præstolabantur. Miraculum toto oppido conclamatum est : undique ad mulierem illam tamquam ad prodigium quoddam concursus factus ; nec jam alius per oppidum et rura vicina nisi hac de re sermo spargebatur. Qua tantopere aucta est pietas erga B. Thomam ut omnes propemodum oppidani Carentonienses ad sepulcrum ipsius fuerint peregrinati. Conjuges autem illi per plures annos Bivillam venire consueverunt, ut gratiarum actiones continuarent. Hæc omnia excepit Carolus Trigan ex testimonio quod Petrus Dugardin armiger, Bivillæ dominus ac patronus, annum agens ætatis septuagesimum, sub jurisjurandi fide dixit Domino Leguédois promotori Constantiensi, ad id deputato ab Ill. D. de Loménie de Brienne, qui processus a suis decessoribus pro canonizatione B. Thomæ inchoatos renovare voluit *f*.

ANNOTATA.

B

a *Ita latine expressimus nomen gallicum* St-Germain-des-Vaux. *Cæterum vulgaria passim parochiarum nomina in nostra versione adhibuimus, prout ea scripta reperimus a R. D. Colin. Neque opus esse duximus singularum topographiam singulis annotationibus illustrare ; sed dicere sat fuerit plerasque ad diœcesim Constantiensem spectare, nisi alterius esse diœceseos scriptor monuerit : quemadmodum et in superioribus annotatis ea tantum locorum nomina attigimus de quibus aliquid specialiter observandum sese offerebat.*

b *Viginti et unum miracula hactenus enarrata desumpta sunt ex Francisco Lemière, qui illa ex scriniis ecclesiæ Bivillensis inter multa alia selegit. Sequuntur septem et viginti alia indidem accepta a Joanne Hélye, alio Vitæ B.* Thomæ *scriptore, de quo egimus num.* 7 *Commentarii prævii.*

c *Hucusque miracula habes a Joanne Hélye collecta. Subjicit R. D. Colin octo alia ex informatione juridica quam Valloniis anno* 1628 *factam fuisse in Commentario prævio (num.* 26) *docuimus.* D

d *Relatis octo hisce miraculis, annotat R. D. Colin :* Singulis hisce articulis subscriptiones aut signa ægrotorum sanatorum ac testium adjecta erant. Plura autem miracula in informationis instrumento referebantur ; sed hæc capite superiori jam enarrata sunt, *nempe ex Joanne Hélye. Denique duo facta illa quibus hæc recentiorum miraculorum series clauditur, descripsit idem R. D. Colin ex opere Caroli Trigan, de quo vide Commentarium prævium (num.* 8).

e *Franciscus filius unicus Francisci baronis de la Luthumière, Roma anno* 1646 *in Galliam navigans, inter itineris discrimina votum fecerat, si salvus in patriam appelleret, se peditem ex natali castello Bivillam ad B.* Thomæ *sepulcrum iturum ; atque exinde singulis fere annis eo se recipere religionis causa consueverat. Refert hoc R. D. Colin* (1) *ex Carolo Trigan et commentario D. de Gerville de castellis pagi Constantiensis ; eumdemque Franciscum de la Luthumière multum commendat, quum ab aliis piis operibus, tum singillatim a fundato Valloniis seminario clericorum, ubi nunc litterarum humaniorum scholæ sunt. Quamquam non tanta laude virum, credo, affecisset, si illa legisset quæ vir bonæ memoriæ Michaël Picot de eodem scripsit* (2) : E Francisco de la Luthumière non deerat zelus : instituere primum voluerat societatem missionariorum, deinde dirigendis clericis junioribus operam dare ; verum hæc cœpta non bene verterunt. Incidit enim in suspicionem studii novarum opinionum *(nimirum Jansenianarum)*, neque de ea a sese removenda videtur fuisse admodum sollicitus : quare seminarii sui alumnos dimittere jussus fuit, et communitas ab eo instituta omnino dissoluta est anno 1685. Moriens bonorum suorum hæredes instituit presbyteros Oratorii. *Incidit autem mors ejus in annum* 1699, *Constantiensi episcopo Carolo Francisco de Loménie de Brienne.*

f *Vide Commentarium prævium (num.* 26 *et* 27).

(1) Op. cit., p. 263 et 264. — (2) Essai sur l'influence de la Religion en France pendant le XVIIe siècle, t. II, liv. V, part. II, num. XXXII. not. (1), p. 289, edit. Lovan. 1824.

C

F

DE SANCTO PETRO DE ALCANTARA

CONFESSORE, ARENIS IN HISPANIA.

B. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Admiranda S. Petri de Alcantara virtus. Stupendum mortificationis et paupertatis studium ex Actis Canonizationis et S. Teresiæ testimonio assertum et vindicatum. Primus inter omnes B. Petrus sanctæ Matris comprobavit spiritum, ejusque in Carmelitarum reformatione inde essus adjutor sicut et præcipuus promotor fuit.

AN. MDLXII. *Præclara S. Petri de Alcantara virtus, et eximius paupertatis amor.*

Petrus Garavito, vix aliter notus quam nomine Petri de Alcantara *(quod patrio deposito nomine, in Religione, ab urbe in qua natus erat, appellatus fuerit) præclarissimis illis luminibus adnumeratur, quæ sæculo* XVI *Hispaniam, imo et universam ecclesiam catholicam virtutum splendore illustrarunt. Vir fuit omni sanctitatis genere mirabilis, ast præsertim incredibili pœnitentiæ et paupertatis flagrans amore et zelo. A pœnitentia commendatur hac die* XIX *Octobris in Martyrologio Romano, ubi dicitur* propter admirabilem pœnitentiam multaque miracula *a Clemente nono Sanctorum numero adscriptus. In Martyrologio Ordinis Seraphici in hunc modum annuntiatur :* Arenis in Hispania Sancti Petri de Alcantara, confessoris, Ordinis Minorum strictæ Observantiæ Discalceatorum, qui admirabili pœnitentia, ac summis virtutibus et dono prophetiæ exornatus, pridie hujus diei migravit in cœlum, quem multis miraculis gloriosum Clemens Nonus Pontifex Maximus Sanctorum numero adscripsit. *Vix alio spectat Reformatio, cujus auctor fuit, quam ut spiritus sancti Francisci Assisinatis inter filios resuscitaretur, strictissimam ejus sectando paupertatem summumque pœnitentiæ rigorem. Imo haud temere quis dixerit sanctum* Petrum *exemplar sibi propositum, utroque hoc in genere attigisse et forte superasse. Id certum, nullo in Ordine tam rigidæ paupertatis normam aut præscriptam aut servatam fuisse. Unde verissime a P. Joanne a Sancta Maria* Reformator Reformatorum *vocatur. Quamvis enim plures eodem tempore exstiterint, qui Ordinem Seraphicum ad primævum sancti Fundatoris spiritus rigorem revocare studuerunt; nullus tamen fuit, qui tanta cum perseverantia, tanto cum fructu huic adeo sancto simul et arduo operi incubuerit.*

Synoptica de S. Petro notitia ex Francisco Gonzaga.

2 *Juverit hic statim ab initio oculis subjicere perbrevem illam notitiam, quam de S. Petro, ab hujus obitu anno vigesimo quinto, typis mandavit Franciscus Gonzaga, Ordinis Minorum minister generalis et postea episcopus Mantuanus, in eximio suo Opere* de Religione Seraphica (1), *ubi de conventu S. Andreæ de Monte Arenis tractat.* Mortem, *inquit,* obiit hoc in monasterio summæ sanctitatis vir ac P. F. Petrus Alcantarensis, qui ex ingenuis parentibus Norbæ Cæsaræ, quæ Hispaniæ civitas atque sacræ Alcantarensis militiæ prima sedes est, ortus, XVI annum agens, Franciscanum institutum in S. Gabrielis provincia, cujus secundo *(perperam id quidem : semel tantum S. Petrus provinciam administravit)* ministrum provincialem maxima cum laude egit professus; inde apostolici cujusdam Brevis facultate fultus, ad intimiora cujusdam montis sub obedientia Franciscanorum patrum conventualium penetravit, ibidemque pauperrimum atque angustissimum conventum de Petroso (cujus superius mentio facta est) ædificavit, et ad præsentis provinciæ *(S. Josephi, de qua ibidem agit Gonzaga)* gubernationem *(non tamen qua Provincialis, ut infra videbitur, sed qua Commissarius apostolicus)* assumptus, eam sua sanctitate atque prudentia mirum in modum auxit illustravitque. Hujus Patris abstinentia incredibilis fuit, ita ut tertio quoque die paucula herbas semicoctas, cinere aut frigida aqua conspersas cum aliquantulo panis admiserit, et integras Quadragesimas in pane tantum et aqua transegerit. Somni præterea parcissimus extitit, adeo ut per quadraginta continuos annos singulis diebus naturalibus per horam tantum cum dimidia super nudam humum, aut impolitum rudemque asserem dormitioni indulserit. Nam quod reliquum sibi temporis erat, aut divinis laudibus persolvendis, aut orationi, aut cœlestium rerum meditationi, in qua sæpe sæpius rapiebatur, suavius intendebat. Qua etiam de causa plura beneficia a Deo opt. max. retulit, spirituque prophetico, quo multa certissime prædixit, cohonestatus extitit. Adjecit quoque tantus hic Vir præfatis virtutibus familiarem quamdam conversationem omnino comem, hilarem atque sale conditam, licet gravem et religiosam ; insuper et voluntariam paupertatem, qua mirabiliter emicuit, et profundissimam humilitatem atque summam patientiam. Quibus tandem ornatus, cum per quadraginta septem integros annos Altissimo in maxima cordis puritate spiritusque fervore, tum in provincia S. Gabrielis, tum quoque in hac præsente *(S. Josephi nempe)* famulatus esset, die mensis Octobris XVIII, anno vero a salutifera Christi nativitate 1562, ætatis vero suæ LXIII, postquam devotum illum Davidicum psalmum in ordine CXXII : Lætatus sum in his quæ dicta sunt

(1) De origine Seraphicæ religionis Franciscanæ, ejusque progressibus; de regularis Observantiæ institutione, forma administrationis ac legibus, admirabilique ejus propagatione. F. Francisci Gonzagæ, ejusdem Religionis Ministri Generalis. Romæ 1587.

B. P.

sunt mihi : devotissime recitasset, omnibus sacramentis munitus, animam cœlo reddidit. Idque sane sequentia miracula patentissime indicant. Cum enim puerulus Æthiops, inutilis penitus atque contractus ad illius sepulcrum ab ejus hera, uxore quondam Martini de Frias, ac præfati oppidi Arenarum accola, adductus esset, ejus meritis, Deo opt. max. id operante, integræ sospitati restituitur. Et Leonora Gonsalva, ejusdem oppidi Arenarum inquilina, a paralysi, qua gravissime laborabat, ad ejus quoque sepulcrum liberatur. Plura quoque miracula edidit hic B. Pater, quæ tamen prolixitatis vitandæ ergo reticemus. *Ita Gonzaga* (1), *qui omnium primus est, qui S.* Petri *notitiam hanc typis vulgavit, atque proinde, vel hoc solo titulo, a nobis minime prætermittendam. Præterea discimus ex illa, quæ statim post mortem S. Viri fama undequaque manaverit, cum hæc tam brevi ab ejus obitu tempore in Italia scriberentur ac in Urbe publicarentur. Cæterum de Gonzaga alibi redibit sermo.*

Stupenda ejus mortificatio et pœnitentia.

3 *Stupendas S.* Petri *mortificationem et pœnitentias his verbis complectitur Bulla Canonizationis, et uno veluti intuitu oculis subjicit. Scribit S.* Teresia,

B ne momento quidem diei ac noctis Petrum ab oratione cessasse, et ne somnus oranti obreperet, flexis genibus, cum quieti tandem indulgere cogebatur, ad ligni stipitem parieti infixum caput admovisse. Illius cella, eadem Teresia teste, pedum quatuor longitudinem cum dimidio non excedebat; adeoque depressa erat, ut flexis genibus, et curvis semper humeris in illa hærere cogeretur. Per quadraginta annorum decursum sesqui horam tantum somno concessit; jejunium amavit adeo, ut ad triduum ordinarie, et ad octo aliquando dies inediam protraxerit : asperrimo præterea cilicio armatus, bractea ferrea per viginti annos præfixis aculeis corpus dilanians, bis in die flagellis in se crudelissime animadvertens, itinera quamvis longissima atque asperrima, capite semper detecto nudisque pedibus, per æstus et frigora suscipiens, ita ut cum nudum caput imbribus et nivi exponeret, interdum capilli gelu concreti deciderent, et æstate præfervida, exurentibus solis radiis, capite vehentissime cruciaretur, respondere solitus interrogantibus, cur detecto capite semper incederet : nefas esse coram Deo tecto capite ambulare. Cum vetustum ac vilem saccum ablueret, madidum corpori aptabat;
C quinetiam in gelidam aquam rigente hyeme sese plerumque injiciebat. Præter hæc, familiare illi erat hyeme summa, urgente nivis frigore, deposito pallio, fenestram et januam cellæ reserare, ut frigidissimo excepto aere et gelu, acrius torqueretur caro, mox eximenda diris cruciatibus, cum fenestram et januam clausisset. Eo devenit hac sæva maceratione membrorum, ut, ex narratione S. Teresiæ, arido et exangui corpore radicum arboris speciem exhibuerit : oculis autem in cavum recedentibus, et sulcatis perpetuo lacrymarum imbre genis, mirabile pœnitentiæ simulacrum videretur. *Hactenus ex Bulla Canonizationis.*

In causis Beatif. et Canonizat. sedulo et particulariter animadvertitur mortificatio.

4 *Notum est in causis Beatificationis et Canonizationis* sedulo et particulariter *inquirendum esse* de mortificatione carnis et corporis (2). *Unde recte Scacchus* (3) : Gesta et acta Servorum Dei, non martyrum, quæ per ordinem ad canonizationem investigantur, posthabenda quidem erunt, in quibus nullum studium circa carnis corporisque mortificationem apparuerit. Quamobrem nec sanctitatis de his suspicionem habere convenit, nec de cultu aut veneratione eorum in ecclesia Dei, ut puto, agere licebit. *Et distinctius Benedictus XIV* (4) : D Licet enim ex supradictis mortificatio per longa et non præcepta jejunia, per extraordinarias vigilias, per chameunias *(humicubationes)* et verberationes sponte susceptas, absolute et simpliciter non requiratur, ut quis salvam facere possit animam suam; cum tamen requiratur, ut quis ad apicem christianæ perfectionis perveniat, et in ecclesia militante non omnes, qui pie in Domino moriuntur, sed illi soli, quos claris probationibus ostenditur ad apicem Christianæ perfectionis pervenisse, in album Sanctorum referantur, dubitari non poterit de veritate asserti a Scaccho, qui docuit, causæ Servi Dei confessoris silentium esse imponendum, si in ea desint probationes adhibitæ, dum viveret, debitæ et congruæ corporis mortificationis. *Paulo ante definierat mortificationem hanc carnis et corporis esse* curam et studium, adhibitis opportunis cautionibus, ne concupiscentia spiritui obsistat aut dominetur (5) ; *atque consistere in abstinentia, jejunio, cilicio, chameuniis, spontaneis verberationibus, et similibus, quibus caro affligitur* (6). *Et notat hac occasione* spontaneæ verberationis, *quæ vulgo* disciplinæ *vocantur,* nullum in antiquioribus ecclesiæ monumentis superesse vestigium (7); *addens tamen falso asseri,* Beatos Dominicum Loricatum et Petrum Damianum auctores E fuisse *disciplinarum* sponte seu propria manu inflictarum, et ante eos flagra quidem in usu fuisse, sed ita ut quis ab alio vapularet, non autem ut se propriis manibus verberaret. *Nam ut scribit Baronius ad annum* 1056 (8) : Eodem quoque tempore, esti non eodem auctore Petro (Damiano), tamen certo propagatore, atque adversus impugnantes propugnatore, introductus est in ecclesiam ille laudabilis usus, ut pœnitentiæ causa, fideles verberibus seipsos afficerent, flagellis ad hoc paratis idoneis, exemplo beati Dominici Loricati sibi subditi sanctissimi eremitæ. *Constat autem præterea* disciplinas *adhibitas fuisse a Guidone Pomposiano abbate et S. Poppone pariter abbate :* Neuter vero *(ut habet Mabillonius* (9)) id addiscere potuerat ab exemplo Dominici Loricati, utroque junioris, multo minus Petri Damiani, qui necdum ea de re scripserat. *Atque hæc per transsennam. Qui plura voluerit adeat Benedictum XIV* (10). F

Quis sit in carnis mortificatione adhibendus modus.

5 *Observat præterea eruditus Pontifex* (11), corporis afflictiones non esse virtutes, sed instrumenta virtutum, ideoque esse cum debita moderatione exercendas. *Unde S. Thomas* (12); *posita quæstione:* utrum homo possit peccare nimis jejunando vel vigilando? *Respondet :* Quod secundum philosophum *(Aristotelem)* in I Politic. aliter est judicandum de fine, aliter de his quæ sunt ad finem. Illud enim, quod quæritur tamquam finis, absque mensura quærendum est; in his autem, quæ sunt ad finem, est adhibenda mensura secundum proportionem ad finem : sicut medicus sanitatem, quæ est finis ejus, facit quantumcumque potest majorem; sed adhibet medicinam, secundum quod convenit ad sanitatem faciendam. Est ergo considerandum quod in spirituali vita dilectio Dei est sicut finis; jejunia autem et vigiliæ et alia exercitia corporalia non quæruntur tamquam finis... Sed adhibentur tamquam necessaria ad finem, id est,

(1) Pag. 1137 et 1138. — (2) Ben. XIV de Servorum. Dei Beatificatione, etc., lib. III, cap. XXVIII, n. 1. — (3) De not. et sign. sanctit., sæc. V, cap. II.—(4) Ubi supra, n. 18.—(5) Ibid., n. 5.— (6) Ibid., n. 6. — (7) Ibid., n. 7. — (8) Annales, t. XVII, p. 120, n. VII. Edit. Lucæ.— (9) Præfatio in prior. partem, sæc. VI. Ordin. S. Benedicti, n. 39, p. XXI. — (10) Ubi supra, n. 7, 8, 9, 10 et 11. — (11) Ibid., cap. XXIX, n. 1. — (12) Quolibet. V, art. XVIII.

ad

A ad domandas concupiscentias carnis... Et ideo hujusmodi sunt adhibenda cum quadam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia devitetur, et natura non extinguatur, secundum illud ad Romanos XII: *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*; et postea subdit: *rationabile obsequium vestrum*. Si quis vero in tantum virtutem naturæ debilitet per jejunia et vigilias et alia hujusmodi, quod non sufficiat debita opera exequi, puta, Doctor docere, Cantor cantare, et sic de aliis, absque dubio peccat.... Unde Hieronymus dicit: « de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel somni penuria immoderate corpus affligit. » *Et S. Bernardus, ut ibidem tradit S. Thomas, confitebatur*: Se peccasse de hoc, quod nimis corpus suum jejunando et vigilando debilitavit. *Merito proinde infert Benedictus XIV* (1): *Afflictiones corporis* non oportere omnes in omnibus esse æquales; locum nonnullis ex eis omnino non esse, cum ex usu proprii ministerii aliarum virtutum impedimentum derivari potest, aut singularitatis vitium ex aliquarum afflictionum exercitio oriri; laudandas demum eas esse, quæ prudenti magistri spiritualis consilio adhibentur. *Hinc etiam*

B prudenter *in Constitutionibus Societatis Jesu* ita sancitum *pronuntiat* (2): Corporis castigatio immoderata esse non debet nec indiscreta in vigiliis et abstinentiis et aliis pœnitentiis externis ac laboribus, quæ et nocumentum afferre et majora bona impedire solent. Ideo confessario detegi ab unoquoque convenit quidquid in hac parte faciat (3). *Dixerat paulo ante laudatus Pontifex* (4): Ecquis est qui asserere audeat, non esse canonizationis honore decorandos Dei Servos, qui sine cibo et potu jejunium ad quadraginta dies non protraxerint?... Qui toto vitæ tempore pedibus innixi in columna non permanserint? *Et ne quis hæc dicta in perversum trahat sensum, additur*: Fuerunt hæc quidem a nonnullis Sanctis feliciter patrata, verum a speciali Dei instinctu ea certe manarunt: scriptis quoque mandata sunt, non ut imitationi exponerentur, sed ut in iis prædicaremus infinitam Dei potestatem et sapientiam, qui in Sanctis suis mirabilis est, et qui aliquando nonnulla præcipit, quæ fieri quidem vult ab aliquibus, sed, quo consilio ea fieri velit, homines interim vult latere, donec intremus in sanctuarium ejus et intelligamus in novissimis illius. *Et vero, ut idem Pontifex*

C *observat* (5): Non unus afflictionis, sed varius est modus, ut variæ corporum humanorum constitutiones, varia valetudinis ratio, varia item ingenia; non eædem omnibus ad virtutes occasiones et incitamenta, cum plura aliquibus impedimenta opponantur, aliis pauciora.

Quid, si hujusmodi pœnitentiis vita abbrevietur?

6 *Sed quid, si extraordinariis pœnitentiis, quis corpus ita torqueat, ut ab exercitio bonorum operum, quæ ex instituto obeunda habet, non impediatur quidem, sed tamen mortem sibi acceleret, vitæ tempus brevius efficiat?* Tria, *inquit Benedictus XIV* (6), pro clara quæstionis resolutione perpendenda esse videntur. Primum, an quis licite immodicas abstinentias, jejunia, vigilias, labores, verberationes, atque similia exercere possit, ut moriatur, vel ut terminos vitæ naturalis breviores sibi constituat: et quoad hoc communis est sententia theologorum, id illicitum esse et fieri non posse sine gravi peccato. Secundum est, an ex supradictis jejuniis, vigiliis, non modicis verberationibus mors sequatur, aut abbreviatio terminorum naturalium nostræ vitæ; et quoad hoc responderi posse videtur, id esse probabile, sed non certum, vel quia juxta Hippocratem, *quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora fiant, assuetis minus molesta esse solent*, quod longa exemplorum serie confirmat Gaspar de Rejes in *suis Quæstionibus q.* 93; vel quia novum non est, speciali Dei providentia contingere, ut rigidissimi pœnitentes vitam ultra consuetos vitæ terminos produxerint, quemadmodum patet exemplo SS. Pauli, primi eremitæ, Antonii, Arsenii.... et aliorum, qui vitæ maximis incommodis attriti eam ultra centum annos produxerunt.... Tertium est, an, seclusa intentione sibi mortem inferendi aut vitam abbreviandi, possit quis licite asperum vitæ genus amplecti ob finem supernaturalem, ut Deo videlicet inserviat, ut concupiscentiam frænet, etsi prævideat illud sibi mortem acceleraturum (*rite tamen notetur, ex modo dictis certo id prævideri non posse*); et in hoc vera est theologorum sententia, ea licite et cum merito fieri posse. *Neque hic prætermittendum est, quod habet S. Liguorius* (7): Si licet fabris ferrariis (aiebat abbas Rancé fundator reformationis Trappensis) vitam sibi minuere, laborando quotidie pene in medio ignis, a quo nequit non notabiliter con- E summari humidum radicale, quo tam indiget vita humana; si licebit studiosis sanitatem labefactare ad scientias addiscendas; si licebit militibus exponere vitam tot ærumnis et periculis mortis; cur non licebit viro religioso austeritates corporales amplecti, ut rebellem carnem in servitutem redigat? *Nec ista solum obtinent in illis qui præfata vitæ genera sequuntur ex necessitate; sed etiam in iis, qui libere et propriæ voluntatis motu.*

Regulæ, quas in materia mortificationis, sequitur S. Rituum congregatio.

7 *Atque hæc sunt principia, quibus sacra Congregatio inhæret, ubi quæstio incidit de Mortificationis virtute in ordine ad Beatificationem seu Canonizationem Servorum Dei* (8). *Inquiritur de excessu sicut et de defectu. Monitos tamen vult sæpius laudatus Pontifex* (9), Sacrorum Rituum Congregationi adscriptos, cum agitur de carnis et corporis mortificatione Servorum Dei, regulis utique inhæreant supra indicatis, sed non ita faciles sint vel ad judicium ferendum de excessu et nimietate; vel quatenus aliquis excessus, aut aliqua nimietas ipsis appareat, non ita faciles sint, ut putent, virtutum fulgorem ab eo excessu penitus offuscari. *Atque ex his omnibus satis efficitur quæ sit* F *circa hanc materiam ecclesiæ mens; prudens sane, uti semper, atque sapientissima.*

S. Petri de Alcant. mortificatio vindicata.

8 *Non ergo, ut quibusdam (adversus quos paulo latius hæc disputavimus) in mentem venit*, S. Petrus de Alcantara *ultra legitimos in mortificanda carne sua limites progressus est, quamvis* mirabile pœnitentiæ simulacrum *jure merito sit vocatus, nec multos sibi hoc in genere pares habuerit. Enimvero cum ingentis atque excelsi vir esset spiritus, ac præterea, ut ex ejus vita patefiet* (10), *datus ei esset, sicut olim Apostolo*, stimulus carnis, angelus satanæ, qui eum colaphizaret; *cum eodem Apostolo* castigabat corpus suum et in servitutem redigebat. *Sublimi quoque donatus erat gratia orationis et contemplationis, quibus*, si desit carnis et corporis mortificatio, difficile admodum est, ut via aperiatur, *sicut recte notat Benedictus XIV ex Gersonio* (11). *Operarius insuper strenuus fuit S. Petrus in vinea Domini, disciplinæ regularis perpetuum exemplar, Observantiæ, promotor indefessus: unde inferre jure merito licet, carnis cruciatus, quantumvis asperi ac*

(1) Ubi supra. — (2) Ibid., n. 8. — (3) Summarium constitutionum n. 48. — (4) Ubi supra, n. 3. — (5) Ibid., n. 8. — (6) Ibid., n. 6. — (7) Theologia Moralis, lib. III, tract. IV, n. 371. Edit. Mechlinien. 1828, t. II, p. 257 et seq. — (8) Bened. XIV, ubi supra, n. 8 et 9. — (9) Ibid., n. 9. — (10) P. Laurentius in vita lib. IV, c. VIII. — (11) Ibid., c. XXVIII, n. 19.

 numerosi

B. B.

numerosi fuerent, impedimento illi non fuisse, quominus debita opera *ministerii sui exequi* sufficeret. *Denique ex hac vita migravit anno ætatis suæ sexagesimo tertio. Ecquis autem dixerit multiplicandos ejus hac in terra dies ex benigniori pœnitentiæ exercitio; ac sublatis, quæ ex carnis voluntaria oriebantur afflictione, incommodis, paria vel etiam majora illi adeunda haud fuisse valetudinis pericula? Demum coronidis loco sint verba nostri Jacobi Alvarez de Paz* (1), *a Benedicto XIV laudata* (2): Aliquos etiam inveniet ad extraordinarium vitæ modum, et ad magnas corporis afflictationes vocatos, qui per gratiam multum supra naturam et supra communes homines possunt, quos oportet suscipere et regulis communibus non alligare; sed potius ut Deum vocantem sequantur, illis habenas laxare et in sua vocatione relinquere. *Cætera jam prosequamur.*

Summis laudibus extollitur B. Petri virtus a S. Teresia,

9 *Modo dicta mirifice confirmantur verbis S. matris Teresiæ. Hæc scilicet cap.* XXVII *Vitæ suæ, narrat se festo quodam gloriosi apostoli S. Petri die, cum orationi vacaret, vidisse* (vel, *inquit*, ut melius dicam, sentiebam: oculis enim sive corporis sive mentis nihil videbam) *Dominum Jesum Chri-* [B] *stum sibi adstantem et colloquentem.* Videbatur, *ait*, Dominus continue ad latus meum incedere; sed quia non erat hæc visio imaginaria, non videbam, qua esset forma. Id tamen, et quidem valde perspicue, noveram, illum ad dextrum mihi latus perpetuo adstare, atque videre, quæ facerem. *Cumque penitus ignoraret hujusmodi visiones haberi posse, haud parum exinde turbata, protinus (quamvis id gravissimum sibi fuisse fateatur) adiit confessarium, cui, quo meliori posset modo, rem exposuit, alias post alias adhibens comparationes*; ast, *subdit*, nullam sane reperiri est, quæ satis apte tales visiones valeat declarare; *addit vero*, postea se didicisse *a viro quodam Sancto, Fr.* Petro de Alcantara *aliisque*, illas ex sublimioribus esse. *Atque hæc prima est, quæ apud sanctam Matrem de S.* Petro *occurrit mentio, et quidem obiter omnino, monendo tamen*, uberius *de eo* postea agendum, *quod jam ad finem ejusdem cap.* XXVII *præstatur.*

cujus verba recitantur

10 Quam præclarum, *exclamat*, Jesu Christi sectatorem Deus nobis eripuit, benedictum scilicet Fratrem Petrum de Alcantara! Tam excelsæ perfectionis mundus capax jam non creditur: obtendunt delicatioris esse homines complexionis, [C] tempora illa transiisse. Atqui tamen nostra sanctus ille Vir floruit ætate, mascula sua virtute haud impar præteritorum temporum viris; rerum periturarum contemptum habebat summum. Attamen licet quis ejus exemplo nudis haud incedat pedibus, nec tam asperæ pœnitentiæ se dedat, non deerunt ipsi modi, nec ii pauci, sicut jam pluries monui, sæculum calcandi, quosque Dominus ipse edocebit, ubi animum offenderit generosum. Et vero quam ingenti donatus a divina majestate fuit spiritu sanctus ille Frater, qui, ut omnes hodie norunt, per quadraginta septem annos tam arduam produxit pœnitentiam. Hic quædam subjiciam, quæ certissima scio; ab ipso enim illa didici, et mecum altera, cui ille fidebat. Et mihi quidem hæc aperuit, ex singulari illo affectu, quo me complectebatur, Domino id largiente, ut defensor mihi esset et animos adderet tantis in necessitatibus illis, quas jam retuli et deinceps referam. Dicebat itaque se per quadraginta, ni fallar, annos, non nisi unius horæ et dimidiæ spatio somnum cœpisse tam de noctu quam de die *(simul sumptis)*; hancque maximam in pœnitentiæ laboribus fuisse a princi- [D] pio sibi difficultatem, luctare scilicet cum somno; ac propterea perpetuo fere permansisse erectum aut genibus flexum; dumque dormiebat, capite sedebat innixus baculo, qui ex transverso in cella hærebat; etenim prostrare se, etiamsi voluisset, haud potuisset; cum cella ejus, ut notum est, ultra quatuor pedes non haberet in longitudine. Toto illo tempore, numquam sibi obduxit capucium, sive sol arderet, sive pluvia exundaret. Nudis incedebat pedibus, nec aliam adhibebat vestem præter togam ex vili panno contextam, quæ immediate carnem attingebat, superposito mantello ejusdem generis; quod mihi dixit se solitum deponere, dum urgeret frigus, apertis porta et parva cellæ suæ fenestra; ut nempe postea assumens mantellum et claudens tum portam tum fenestram solatium aliquod corpori procuraret. Consuetum valde ei erat tertio quoque tantum die cibum sumere. Quod cum ego mirarer, respondit, facillimum esse, hunc sibi facere morem. Imo quidam ex ejus sociis mihi asseruit, jejunium usque ad octavum ab eo aliquoties protractum diem. Crediderim hoc ei contigisse, dum in oratione perstabat, et inter raptus illos mirabiles, ortos ex [E] ardentis in Deum amoris impetu. Ipsa ego eum vidi die quadam extasim patientem. Paupertas ipsius fuit summa, atque in juventute mortificatio tanta, ut dixerit mihi per tres omnino annos in quodam sui ordinis conventu moratum, quin ullum ex fratribus agnosceret nisi ex auditu, quia numquam oculos sublevabat; quod si ex uno in alium locum esset eundum, ignorabat, quo tenderet, sed fratres sequebatur; idem obtinebat, cum in itinere versaretur. Per multos annos nullam aspexit umquam mulierem; mihique dixit, ætate quam tum adeptus erat, id nihil sibi referre, sive eas videret, sive non videret; ast, cum ego eum noverim, jam senex erat, corpusque ejus adeo extenuatum, ut compactus ex arborum radicibus videretur. Nihilominus valde erat affabilis; pauca tamen loquebatur, nisi quando ab aliquo interrogaretur. Sermo porro ejus gratissimus, quod ingenium ei esset limpidissimum. Plura adderem, ni ulterius progrediens, reprehensione dignam me fore censerem, quod et jam timui dum hæc scribebam. Id unum adjiciam, quod sicut per vitam ita et in morte non cessarit fratres suos et docere et exhortari. [F] Hanc cum sibi instare videret, exclamavit cum Psalmista: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: atque in genua provolutus emisit spiritum. Placuit benignissimo Domino, ut mortuus præsentiori mihi etiam esset præsidio, quam dum viveret. Pluribus in adjunctis ejus consilia mihi præsto fuerunt. Pluries eum vidi fulgenti circumdatum gloria. Prima qua mihi post mortem apparuit vice, dixit: quam felix pœnitentia quæ tale promeruit præmium; et alia addidit multa. Anno antequam moreretur, licet procul absens, mihi apparuit; sciebamque fore ut brevi nobis eriperetur, de quo et eum monui per litteras, eo missas quo tum degebat, in loco nempe aliquot leucis dissito. Eodem, quo expiravit momento, videndum se mihi præbuit, dicens se modo quieturum. Quamvis tali visioni non fiderem, eam tamen pluribus notam feci. Octo vero post dies venit nuntius de ejus obitu, seu potius de ejus in vitam æternam ingressu. Jam ergo finem habet hæc tanta vitæ asperitas, et ingenti quidem cum gloria. Ex quo in cœlis est, majori mihi videtur esse solatio, quam

(1) De perfecta contemplatione, t. III, fol. 1247. — (2) Ubi supra, cap. XXIX, n. 9.

dum

A dum his in terris degebat. Aliquando Dominus mihi significavit, nihil illius nomine postulandum, quod non impetraretur. Et requidem vera, multa ego obtinui, quæ ei commendaveram, ut peteret a Domino. Sit in æternum benedictus. Amen.

Notatio in præfatum S. Teresiæ testimonium.

11 *Verba S. Teresiæ latine hic reddita habes, qua potuimus fidelitate, juxta textum ipsius sanctæ Matris hispanicum. Quam in rem nobis ante omnia præsto fuit, recens illa Operum ejus nova versio, quæ nuperrime typis prodiit gallico idiomate, labore et studio P. Marcelli Bouix S. J.* (1); *tantoque tamque unanimi cum plausu excepta, ut, licet primum volumen, quo S. Matris Vita continetur, paucis tantum a mensibus apparuerit, jam serio agatur de nova, eaque numerosissima, adornanda editione. Supervacaneum proinde foret alia in scriptionis illius commendationem hic addere; id unum dixisse sufficiat summis nos expetere votis, ut opus adeo exoptandum et exoptatum quam promptissime fieri potuerit perficiatur. Cæterum quam mirifice S.* Petri *virtus ex tam præclaro sanctæ Matris testimonio effulgeat, nemo non videt, nemo non sentit.* Verba sunt hæc omnia, *inquit P. F. Joannes a Sancta Maria, qui omnium primus beati* Petri *vitam typis* B *vulgavit*, sanctæ illius Virginis, cujus vita mirabilis et mors gloriosa fidem dictis conciliant tantam, ut nullus dubitandi supersit locus. Quæ si attentius considerentur, liquebit sanctam Matrem proprias habuisse de beato Fratre revelationes, quas dicit se scribere nolle, tum ne tædium pariat, tum etiam quod aliud impræsens tractet argumentum. Ast in aliis libris et epistolis ejus, variis in locis de sancto Viro loquitur ea quibus satis superque apparet, quam magna in eum ferretur devotione et veneratione, *et addere liceat, gratitudine.*

S. Petrus in reformando Carmelo S. Teresiæ adjutor.

12 *Nec profecto ulli id videbitur mirum, qui perpenderit, quam strenuus atque indefessus susceptæ a S. Teresia Reformationis B.* Petrus *fuerit defensor et promotor. Ita quidem, ut, dum undequaque illa impeteretur, imo et ab ipsis suis confessariis aliisque viris doctrina et virtute spectatissimis non solum improbaretur, sed et diserte vituperaretur, solus ipse contra omnes susceptum opus tuitus sit, et quidem eo cum successu, ut cæteros vix non omnes in suam pertraxerit sententiam. Unde et ipsa haud obscure pronunciat suam Reformationem, fere totam quanta est, sancto* Petro *in acceptis referendam. Quare et in Bulla ejus canonizationis :* Sanctam C quoque Virginem Teresiam in stabilienda Carmelitarum Reformatione indefessus adjuvit, ita ut ipsamet testante, recentis illius propaginis sit præcipuus promotor existimandus. *Et re quidem vera, vix concipitur, quomodo hæc in suo ortu non periisset, si sanctus ille Vir (Domino ita disponente) beatam Matrem non sustentasset. Ex quo etiam elucet, quantum apud omnes sanctus* Petrus *valeret, cum auctoritate nominis sui et sanctitatis opinione tam validis contradictionibus potuerit imponere finem. Quæ quidem omnia luce clariora erunt ex subjicienda rerum a B.* Petro *cum S. Matre tractatarum serie, quam ex hujus verbis hoc loco exhibebimus, quæ rursus quam accuratissime potuerimus ex hispanico in latinum transferemus.*

Illi S. Mater animæ suæ statum explicat.

13 *Venerat S.* Petrus *anno* 1558, *et quidem mense Augusto, ut infra reddetur ad caput* X *(apud nos numerum* 109) *libri* II *Vitæ, auctore P. F. Laurentio a D. Paulo, Abulam, ubi tunc sancta Mater degebat. Quid autem gestum ibi sit, ipsa nos docebit.* Videbam, *inquit* (2), perspicue, a nemine me intelligi, nec ulli tamen id audebam indicare præterquam confessario meo. Placuit autem Domino magnam laborum meorum partem, ac tum quidem omnem penitus ad tempus mihi aufferre, benedictum virum Fr. Petrum de Alcantara hanc in urbem perducendo, cujus jam supra mentionem feci, et aliquid de ejus pœnitentia dixi, atque inter alia, quod certo didiceram eum per vigenti omnino annos continuos gestasse cilicium ex albi ferri lamellis contextum, quin illud umquam deponeret (3). Ipse quoque lingua patria conscripsit quosdam de Oratione libellos, qui jam omnium manibus teruntur. Cum enim eam rite exercuisset, de illa scripsit quam utilissime iis, qui ejusdem exercitio se dedunt. Primam S. Francisci regulam in omni suo rigore servavit, et reliqua, quæ alibi dicta fuere. Ut ergo vidua illa, de qua supra jam egi, præclara Dei famula, mihique amica *(hæc est Jumara de Ulloa, cui S.* Petrus *a confessionibus erat, et Teresia a spiritualibus consiliis, ut habet Fr. Josephus Maria de Ancona* (4)) intellexit tantum illum Virum huc advenisse.... quo facilius cum eo agere possem, me inscia, impetravit a Fr. Provinciali meo, ut ad octiduum apud illam diverterem. In hujus itaque domo, sicut et in quibusdam ecclesiis, tum E primum pluries eum conveni, quocum et postea diversis temporibus sæpius communicavi. Quanta potui claritate, totius vitæ meæ reddidi summatim rationem, nec non et modi, quem in oratione sequebar.... Atque vix non statim percepi me ab illo intelligi, quod propria sua doctus esset experientia; atque tunc temporis id mihi ante omnia necessarium erat, cum non ita ipsa meam perspicerem mentem, ut clare illam explicare valerem (postea vero placuit Domino ut et intelligerem et lucide exponerem gratias a divina Majestate acceptas); unde opus erat, ut quis mentem meam introspicere deque ejus statu prudenter judicare posset, ipse talia foret expertus. Multam itaque attulit ille mihi lucem, qua indigebam plurimum (5). Nam visiones, saltem quæ imaginariæ non erant, prorsus non capiebam quid sibi vellent; quin et aliæ, quas animæ oculis intuebar, haud magis videbar mihi intelligere quomodo se haberent; illas dumtaxat, quæ oculis corporeis exhibebantur, magni faciendas ducebam, atque has non habebam. Sanctus ille Vir multum mihi dabat luminis, singula declarans, monensque ne me affligerem nec timerem, benevero Deum laudarem, atque F adeo firmiter tenerem spiritum illius in me operari, ut, una fide excepta, nihil verius certiusque ducerem. Magnopere porro mecum oblectabatur, et omnem quem poterat exhibebat mihi favorem, atque exin peculiarem mei curam habuit, rerum quoque suarum et negotiorum participem reddidit. Et quia vehementi teneri me videbat desiderio eorum, quibus ipse jam gaudebat (desiderium hoc mihi Dominus firmum solidumque largiebatur) et simul volenti me ferri animo, hinc quam libentissime mecum agebat. Quippe ei, quem Dominus ad hunc statum evexit, nulla est major voluptas aut consolatio, quam dum incidit in alium, cui idem Dominus prima quædam talium gratiarum communicavit rudimenta. Tunc enim temporis, ut mihi quidem videtur, prima tantum illius status tenebam elementa, quæ utinam et adhuc tenerem.

quo et confirmatur magno cum solatio.

14 Ipse autem multopere mihi condolebat, dicebatque, contradictionem bonorum, quam passa eram, inter præcipuas hujus vitæ molestias et

(1) Œuvres de Sainte Térèse, traduites d'après les manuscrits originaux, t. I, p. 363 et sequ. Paris 1852. — (2) Vitæ, cap. XXX. — (3) Œuvres de S. Térèse, traduites par le P. Bouix, t. I, p. 404. —

(4) Annal. Minorum, t. XIX, p. 106. — (5) Œuvres de S. Térèse, ubi supra, p. 405.

afflictiones

B. B. afflictiones recenseri, addens multa mihi adhuc subeunda restare (semper enim indigebam quocum conferre possem, et hac in urbe nemo erat, qui me intelligeret) sed acturum se cum confessario meo et cum altero quodam eorum, qui maxime me affligebant, viro nempe illo nobili et conjugato cujus supra memini. *(Hunc,* inquit Josephus Maria de Ancona (1), *Franciscum de Salcedo, Teresiæ addictissimum, fuisse, licet conjicere.)* Hic, et quidem ideo quod singulariter me diligeret, nullum non mihi movebat bellum. Utpote sanctus sed meticulosus, cum non ita pridem adeo me improbam novisset, non poterat non mihi timere. Quod promiserat B. Petrus perfecit, ambos conveniens, validasque deducens rationes, quibus securi perstarent, nec deinceps molesti mihi forent. Non quidem hujusmodi monitione confessario admodum opus erat, benevero nobili illi viro, qui, licet haud plane persuasus discesserit, minus tamen posthac studuit timorem mihi incutere. Denique conventum inter nos est, ut ego ei (S. Petro) perorandum commendaremus : hæc scilicet ejus erat scriberem quidquid in posterum hoc in genere mihi eveniret, et insuper invicem nos Deo inter

B humilitas, ut mei miserrimæ orationes aliquo loco haberet ; quod sane mihi haud mediocri erat confusioni. Discedens magna me reliquit consolatione perfusam, monens ut multa cum securitate in consueto orationis modo perseverarem, nec dubitarem, quin spiritu Dei moverer. Si vero quod dubium superveniret, ad majorem securitatem, id confessario aperirem : quo facto, viverem quieta. Nihilominus, cum via timoris Dominus me duceret ; nec plena frui valebam securitate, cum ab aliis confirmarer ; nec omnino timere, cum deceptam me dicerent. Itaque sive dum securam, sive dum anxiam me volebant, nullus aliam apud me obtinebat fidem, præter eam, quam Dominus animæ immittebat meæ. Utique verba Viri Dei (S. Petri), lubens id repeto, me consolabantur animumque sedabant ; non tamen ita illis fidebam, ut plane sine metu forem, præcipue cum Dominus internis illis cruciatibus, de quibus mox dicam, exerceri me volebat (2). Non poteram proinde Domino et glorioso patri meo S. Josepho gratiis agendis satiari, qui, ut mihi quidem videtur, bonum hunc Fratrem ad me destinarat : erat enim hic Commissarius generalis Custodiæ S. Josephi, cui sicut et glorio-

C sissimæ matri Mariæ assidue ego me commendabam. *Atque hic primus S.* Petri *cum B. Teresia fuit congressus, habitus quadriennio fere ante illius mortem. Cætera quæ ibidem gesta sunt narrabuntur in vita S.* Petri, *auctore Laurentio a D. Paulo lib.* II *cap.* XI *et* XII *(apud nos num.* 110 *ad* 114).

Illi documenta quædam spiritualia scribit S. Petrus.

15 *Ast pax seu quies exinde B. Matri nata haud diuturna fuit. Brevi post (si fides F. Laurentio a D. Paulo sit* (3)) *recruduit tempestas.* Consulendum itaque ulterius statuit *(verba sunt laudati scriptoris)* scribendo litteras *(S.* Petro), quibus intima cordis, quo explicatiori modo posset, ei aperiret et censuram eliceret. *Atque hæc est illa epistola* quam *tradit F. Jos. Mar. de Ancona* (4) a se non absque singulari cura inventam, absque tamen præsignato anno. *In Actis nostris S. Teresiæ notatur* (5), *dubitatum fuisse, an illa S. Matris* Relatio *(sic enim ibidem appellatur præfata epistola) reapse* S. Petro, *an vero alteri cuidam missa fuisset ; statuiturque in favorem prioris; quod et nos ad Vitam S.* Petri, *auctore* D
Fr. Laurentio (6) *plene confirmabimus, licet de anno, quo hæc gesta sint non ita constet, utrum scilicet an.* 1558, *vel an potius anno* 1560, *vel etiam alio. Id certum, quo contradicentium molestiis obviam iret, B. Virum afflictæ Virgini submisisse documenta quædam spiritualia tribus et triginta comprehensa articulis,* quibus, *inquit Fr. Laurentius* (7), sancta Virgo mirabiliter confortata omnem cordis afflictionem mentisque perplexitatem securior exclusit. *Præclarum hoc S.* Petri *responsum in extenso reperietur in ejus Vitæ loc. cit. Mirum forte non nemini videbitur S. Matrem nihil de his in Vita sua scripsisse ; ex quo tamen perperam omnino quis concluderet duo præfata documenta sincera non esse : cum alia plurima sint, eaque non inferioris momenti, in eadem scriptione omissa*

Statim ab initio probatur a S. Petro cogitatio de Reformatione Carmeli,

16 *Pluries deinde S.* Petrus *illam convenit Abulæ, et semel Toleti, ut prolixe et juxta temporis seriem narrabitur a F. Laurentio libris* II *et* III. *Ast de his nihil attinet hoc loco dicere, quo id solum nobis propositum est, uno tenore et veluti intuitu exhibere illa, quæ testata S. Mater de B.* Petro *est in propria sua Vita ; atque ibidem tantum agat de fundatione S. Josephi Abulensis, quod monasterium* E
ordine primum est in Reformatione Carmeli. Fundationis illius compendiosam narrationem hic damus, in extenso recitantes S. Teresiæ verba (haud sane pauca nec parum magnifica) quoties de Sancto nostro occurrit sermo. Scribit itaque sancta Mater (8) *post narratam visionem, in qua locus, sibi, nisi vitam mutaret, apud inferos paratus, ostendebatur, tum primum in mentem venisse de severiori amplectenda disciplina regulari, præsertim quod in monasterio Incarnationis Abulensi, ubi vota nuncupaverat, sacris Virginibus, ac præcipue sibi, claustro exire atque apud sæculares divertere contingeret. Occurrit cogitatio de fundando Discalceatarum conventu. Re communicata cum Guiomara de Ulloa, continuo hæc de procurandis annuis reditibus cœpit circumspicere* (9). *Interea apparet S. Matri Christus Dominus, diserte ei mandans, ut strenue opus illud suscipiat, nec de bono anxia sit exitu : fore enim ut domus illa (sub S. Josephi nomine dedicanda) veluti lucida stella ingentem diffundat splendorem* (10). *Mandatum deinde illud sæpius atque pressius renovatur. Adit Teresia (prout jussum Christo erat) confessarium suum, P. Balthasarem* F
Alvarez S. J., et simul etiam F. Carmeli Provincialem. Probat uterque consilium (11). *Tum subjungit :* Sed ante hæc scripseramus B. P. Petro de Alcantara, ut eum edoceremus, quo loco res esset ; qui non solum auctor nobis fuit, ut rem promoverimus, sed insuper monuit quo procedendum esset modo (12). *Ast mox incredibilis irruit undequaque contradictio, quam late, atque more suo nitidissime S. Mater, tum reliquo hoc Capite, tum duobus sequentibus, describit* (13)

sicut et de fundando monasterio absque fixis reditibus.

17 *Hac, saltem aliquatenus, discussa seu sedata tempestate, alia exurgit haud minus atrox. Scilicet mens S. Teresiæ hucusque fuerat, fixis cum reditibus novum suum fundare monasterium. Ast cum Toleti ad tempus moraretur apud Ludovicam de la Cerda (soror hæc erat ducis Medinæ Cœli, atque ob immaturam mortem mariti sui marchionis de Malagon supra modum afflicta Teresiam de mandato provincialis arcesserat* (14)) *in mentem illi venit*

(1) Annal. Minorum, t. XIX, ubi supra. — (2) Œuvres de S. Térèse, nouv. traduction, p. 407 et 408. — (3) Vita S. Petri de Alcant., lib. II, cap. XVI, *apud nos*, n. 119 et 120. — (4) Annal. Min., t. XIX, p. 356. — (5) Acta SS., t. VII Octob., p. 184 et 710. — (6) Lib. II, cap. XVI, *apud nos*, n. 119 et 120. — (7) Ubi supra. — (8) Vitæ, cap. XXXII. Nouvelle traduction, p. 449. — (9) Ibid., p. 453. — (10) Ibid., p. 454. — (11) Ibid., p. 455 et 456 — (12) Ibid., p. 456. *Confer* F. Laurentium a D. Paulo, lib. II, cap. XX et XXIII (n. 130 et 133), item *Riberam*. Vitæ S. Teresiæ, lib. I, cap. VII : Acta SS., t. VII Oct., p. 165 et seqq. — (13) Nouvelle traduction, p. 457-506. Vide Riberam ubi supra. — (14) Vide Laurentium a D. Paulo, lib. III, cap. XIV, (n. 178 et seqq.)

longe

A longe perfectiusse acturam, si novam suam domum absque hujusmodi reditibus constitueret. *Confessarium pluresque consulit Theologos, qui omnes uno ore eam improbant, condemnant* (1). *Cum autem præfata matrona, apud quam degebat, optaret videre* S. Petrum, *quem hactenus ex fama sanctitatis tantum norat, hunc Teresia, datis litteris, haud difficulter Toletum perduxit. Atque hanc nacta opportunitatem, quid ipse de recenti suo proposito sentiret exquisivit.* Vir autem ille Dei, *inquit*, ingenti ferebatur paupertatis amore, quam tot per annos exercuerat, noveratque thesauros in illa reconditos; quare non solum consilium probabat, sed et volebat ut omni modo illud promoverem. Hoc itaque confirmata judicio et approbatione, datis a Viro, quem tam diuturna instruxerat experientia, statui progredi, nec alium quemquam deinceps interrogare (2). *Addit deinde sibi apparuisse Christum Dominum, atque dixisse* : Nullo modo desisteret a consilio fundandi monasterii absque reditibus; hanc enim esse voluntatem Patris ejus et suam; se ei adfuturum. *Quo quidem auxilio opus omnino fuit ad novas superandas difficultates, quæ acrius quam antea S. Matrem urgebant* (3).

Inchoatur fundatio monasterii S. Josephi Abulæ.

B 18 *Tandem qua die, Toleto discedens Abulam Teresia advenit, Roma item acceptum est Breve pontificium, quo debita ad inchoandum monasterium facultas continebatur; nec id sine numine ita contigisse, grata agnovit* (4). *Tum ita prosequitur* : Abulæ erat episcopus, sanctus Frater Petrus de Alcantara, et nobilis ille vir, præclarus Dei servus *(Franciscus de Salcedo)*, apud quem diverterat S. Petrus : servi enim Dei in hac domo nunquam non gratanter excipiebantur. Uterque cum episcopo egerunt, ut hic sua sub jurisdictione novum reciperet conventum. Haud exiguum erat quod petebatur, cum absque reditibus fundatio facienda esset. Ast præsul ille tantum addictus erat iis, quibus firmum videbat serviendi Deo propositum, ut postulatis annuerit, et nos exinde amore et devotione paterna tutatus sit. Ipse fuit sanctus senex, B. Petrus, qui totum hoc opus perfecit; probando nempe propositum nostrum, nobisque procurando aliorum plurium benevolentiam. Si enim, ut dixi his in adjunctis non advenissem, non capio quomodo res umquam conclusa fuisset. Exiguo namque tempore sanctus Vir (non putem per octo omnino dies et insuper adversa erat valetudine), hic permansit ac paulo post Dominus eum ad se vocavit; C ita ut eum divina majestas videatur servasse, donec fundatio perfecta esset : admodum male jam valebat et quidem a duobus et amplius, ni fallar, annis (5). *Die itaque S. Bartholomæi festo* (XXIV *Augusti) anno* 1562, *requisita cum approbatione. Teresia cum aliis quibusdam sacris Virginibus, monasterium a S. Josepho dictum ingressæ sunt* (6). *Duobus scilicet non omnino mensibus ante B.* Petri *morte(m), quæ contigit* XVIII *Octobris præfati anni.*

Medias inter contradictiones Teresiam S. Petrus vivens et mortuus sustentat.

19 *Ast nova nec parum diuturna S. Matrem manebat procella. Vix monasterium suum ingressa, revocatur in conventum Incarnationis, quo exierat. Tota turbatur urbe, fit tumultus; novam fundationem omnes improbant, exitiosam clamant, Teresiam condemnant. Res defertur ad regium consilium* (7). *Denique nulla jam superesse videtur servandi monasterii ratio, nisi admittantur annui reditus, in tantum ut B. Mater jamjam consensura esset. Ast pridie quam res concluderetur, apparuit illi Christus* : Cave tibi, *dicens*, filia, hujusmodi accipias conditiones : admissis enim semel reditibus, fas deinceps non erit iis umquam renuntiare. *Atque hæc illi mens fuerat, ut in reditus consentiret, fervente tempestate, qua sedata eis nuntium remitteret. Atque hic subjungit* : Eadem nocte S. Fr. Petrus de Alcantara, qui jam mortuus erat, mihi apparuit. Antequam moreretur, cognitis difficultatibus contradictionibusque quibus premebamur, scripserat se vehementer lætari, tanta poni nova fundationi obstacula : ex eo enim quod dæmon adeo tentaret illam impedire, signum haberi certissimum, fore ut Dominus magnopere laudaretur in domo illa; nec ullo modo consentirem in admittendis reditibus; illudque iterum atque tertio iisdem in litteris repetebat : quod si ita facerem, omnia prospere cessura. Ex quo obierat, jam binis aliis vicibus eum videram, ingentemque, qua fruebatur, gloriam. Nec eum videns timebam, imo maximo perfundebar gaudio : semper enim apparebat mihi, corpore glorificato, claritate cœlesti circumdatus, qua et ego percellebar. Memini ubi primum se mihi videndum exhibuit, cum loqueretur de multa gloria sua, dixisse inter alia : beatam esse pœnitentiam, quæ tale illi promeruerat præmium. Cum putem alibi me de his jam egisse, aliud hic non addam, nisi quod hac vice vultum præ se tulerit E austerum, atque disparuisse, cum hæc solum dixisset : nullo modo acceptarem reditus; et ut quid ejus non sequerer consilium? Quibus auditis haud parum territa eram, atque sequenti die narravi quid accidisset viro illi nobili *(Francisco de Salcedo)* his in adjunctis nobis ante alios longe addictissimo, addidique ut nullo modo reditus acceptaret, sed cœptam prosequeretur litem. *Finaliter omnia ex mente S. Matris conclusa fuere. Duravit tempestas hæc postrema per duos omnino annos. Hujus loci non est latius prosequi plurima illa et maxima obstacula, undequaque suscitata ab initio fundationis usque ad ejus consummationem. Videatur locc. supra citt.*

Epiphonema

20 *Atque hæc sunt quæ S. Teresia de B.* Petro *testata reliquit. Quæ cum singulari prorsus modo hujus sanctitatem declarant et commendant, propterea statim ab initio hujus commentarii in unum collegimus, quo uno etiam obtutu oculis lectorum subjecta forent, veluti magnificum aliquod monumentum ad perennem tantæ virtutis memoriam.*

§ II. De Reformationibus in ordine Seraphico. Regularis Observantiæ origo et progressus. Initia S. Petri de Alcantara. Novam suscipit perficitque Reformationem longe strictissimam. Fundatur Provincia S. Josephi sub obedientia Conventualium; ast paulo post, Summi Pontificis voluntate, subjicitur Observantiæ. F

De Seraphici Ordinis reformationibus.

Cum non solum S. Petrus Teresiam in stabilienda Carmelitarum reformatione indefessus adjuverit, ita

(1) Vita cap. XXXV. Nouvelle traduction, p. 510 et 511. — (2) Ibid. — (3) Ubi supra, p. 511-518. — (4) Vita, cap. XXXVI. Nouvelle traduction, p. 518 et 519. — (5) Ibid., p. 520 et 521. — (6) Ibid. — (7) Ibid., p. 529-536.

B. B.

ita ut, ipsamet testante, recentis illius propaginis sit præcipuus promotor existimandus (1); *sed et ipse præcipuam in ecclesia Dei laudem sibi meruerit ob novam in seraphico Ordine susceptam stabilitamque Reformationem, eique tum præparandæ tum promovendæ tota vita sua ardentissime allaboraverit, juvabit hic brevi compendio illius originem et progressus subjicere. Quæ tamen quo debite intelligantur, opus erit prælibare quædam de variis, in Franciscana familia diversis temporibus, exortis reformationibus.* Sanctus Franciscus, *inquit Holstenius* (2), gente Italus, Assisii in Umbria natus anno 1182, Petri Bernardoni et Picæ filius, plurimorum Religiosorum parens, et Ordinis Fratrum Minorum primus institutor. Primis juventutis annis mercaturæ quæstum exercuit, sed humilitatis et paupertatis Christianæ amore flagrans, mundanas divitias contempsit; atque in solitudinem secedens, circa annum MCCVII prima Ordinis jecit fundamenta, atque Romam accedens, Regulam pro fratribus conceptam summo Pontifici Innocentio III humiliter obtulit, a quo etiam anno MCCXV, et Ordinis et Regulæ approbationem accepit...... Primam *(Regulam)* XXIII capitulis comprehensam B correxisse dicitur S. Franciscus, ut alteram breviorem, XII capita continentem, ederet, quam Honorius III Papa confirmavit anno MCCXXIII, præcipiens, ut illa ubique ab omnibus Ordinis Fratribus strictissime observaretur, quæ proin est vera et sincera Franciscanorum regula.

a S. Francisco prævisis

22 *Refert autem Fr. Joannes a Sancta Maria* (3) *(cui et consonant Dominicus de Gubernatis* (4) *citans Waddingum* (5), *aliique) inter cætera beneficia, quibus seraphicus Pater cœlitus dignatus fuerat, non postremum obtinere locum, quod ex divina revelatione novisset, familiam suam per universum terrarum orbem longe lateque diffundendam; nec ignorasse sanctissimum illum Virum, ex numero et turba enasci solere regularis disciplinæ relaxationem et, ut loquitur F. P. Joannes a S. Maria*, quantitatem officere qualitati; *atque propterea Dominum consuluisse de remedio tantæ religionis pesti adhibendo. Tum promisit ei Dominus, nullo umquam tempore defuturos in Ordine suo viros, qui ejus vestigiis inhærerent, et eumdem profiterentur vitæ rigorem, quem ipse et primi ejus socii professi erant, regulari perfectioni fideliter incumbentes, paupertatem evangelicam ad amussim sectantes. Nec divina fefellit* C *promissio. Atque ab his originem habuere variæ illæ reformationes, quæ omnes eo collimabant, non tamen absque mult s, iisque gravibus, commotionibus et dissidiis, ut ad primævum ordo rediret Regulæ severitatem, in iis præsertim quæ ad paupertatis rigorem pertinent.*

Reformatio Cæsarenorum.

23 *Haud multo post mortem seraphici Patris, versus annum* 1244, *ab instituto ordine 35m, tempore Eliæ (viri versipellis et hypocritæ, qui cum Minister generalis fuisset, tandem apostata factus est) plurima regulari disciplinæ illata sunt vulnera: admissi fuerunt annui reditus, rerumque immobilium proprietas, primum in communi, deinde etiam privatim*, primæva illa paupertate (quæ totius Minoritici ædificii firmissimum fundamentum ac tutissima basis est) utcumque relegata, ex Pontificia dispensatione. Quamobrem aliquot patres, præfatæ paupertatis zelotes, qui et ab eorum patre Cæsario, *Cæsarini* dicti sunt, sylvas atque solitaria loca petentes, ibidem per sexaginta et tres continuos annos, juxta primævam Franciscani ordinis insti- D tutionem, perseveraverunt. Et ab his prima nostri Ordinis reformatio sumpsit exordium. *Ita Franciscus Gonzaga* de Origine seraphicæ Religionis (6).

Clarenorum

24 *Postea F. Angelus de Cingulo (quod Anconitanæ Marchiæ oppidum est) circa annum* 1294, *a Cœlestino V* diploma, quo sibi vitam eremiticam, qua ex ejusdem summi Pontificis auctoritate solus aliquamdiu gavisus fuerat, cum sibi adhærere volentibus ducere, fratres recipere atque aliqua loca in solitudinis erigere liceret, donec tandem negotiis pro voto succedentibus, tranquilliori vita frui posset (tenebatur siquidem, rebus Religionis in melius compositis, se illi denuo conjungere) impetravit, atque in Montem Clarum, a quo tum ipse tum ejus sequaces, *Clareni (vocem hanc, nescio quo argumento deducit Helyot* (7) *a* Clareno *fluvio)* sunt appellati, pedem ibi cum suis fixurus primo concessit. Quibus denique omnibus pro voto et facta sibi facultate constitutis, atque plurimis religiosis hinc inde collectis, nec non et aliquibus monasteriis sive potius eremitoriis (licet enim in hujusmodi separatione, Fratres Minores atque Franciscani status, reformatores haberi semper voluerint, in habitu tamen, qui eremiticus omnino E erat, unde et Eremitæ passim ab omnibus appellabantur, et in ædificiorum forma maxime a reliquis Minoribus differebant) desertis in locis pauperrime constructis; cum primum præfatus summus Pontifex Cœlestinus V pontificatui renuntiasset, sibi suoque gregi summopere ob hujusmodi separationem timens, communique paci et quieti consulere cupiens, in Græcorum partes simul cum eo secessit. Cumque a Reverendissimo Patre Fratre Joanne de Muro, qui Ananiæ, anno a Dominica Nativitate 1296 electus Minister generalis fuerat, sub omnimodæ tranquillitatis pollicitatione, tum ipse, tum quoque ejus asseclæ in Italiam revocati fuerint, numquam tamen se cæteris conjungere voluerunt, sed ad tempora usque Sixti IV Pont. Max., nempe usque ad annum Domini 1477, cœpto in vivendi modo, sub Ordinariorum ferula perseverarunt. *Ita rursus Gonzaga,* (8) *qui paulo inferius addit :* Ab his igitur Clarenis, secunda vel potius prima Franciscani Ordinis reformatio, post ejus institutionem, exordium sumpsit. Nam Cæsareni, de quibus superius, extincto eorum capite, venerabili scilicet Patre Fratre Cæsareo Spirensi, derelictos a se conventus repetere compulsi sunt. Et si F qui fuerint alii, qui, in perfectiorem vitam inhiantes, omnem rerum proprietatem a se eliminatam exoptarint, ne tamen rerum novatores haberentur, suis se pellibus continentes, meliori, quo poterant modo, non absque maximo animi dolore, cæteris convivebant.

Plures aliæ similes exinde natæ reformationes.

25 *Plures hujusmodi Reformationes aliæ post alias exortæ sunt, non absque continua fere totius ordinis commotione, aliis uti cupientibus a Pontifice concessis in paupertate relaxationibus, aliis fideliter primævæ a seraphico Patre stabilitæ Regulæ inhærentibus* (9). *Non vacat omnes illas Reformationes singillatim prosequi; sufficiat breviter quædam attigisse de Observantia, quæ, ineunte sæculo decimo sexto, reliquas omnes particulares Reformatorum familias absorpsit. Quo etiam tempore Ordo S. Francisci in duas quasi congregationes majores separatus est, Observantium nempe et Conventualium.*

(1) Bulla Canonizationis S. *Petri.* — (2) Codex Regularum monasticarum. t. III. *Addimentum* XXV. — (3) Chronica de la Provincia de San Joseph. part. I. lib. I. cap. IV *ab initio.* — (4) Orbis Seraphici historia. lib. V, cap. I. T. I, p. 589. Edit. Rom. 1682. — (5) Annales Minorum. t. I, ad an. 1220, n. 20; et t. II. ad an. 1226, n. 18. — (6) Part. I. p. 4 Edit. Romæ 1587. — (7) Histoire des Ordres religieux et militaires, t. VII, p. 61. Edit. Paris 1792. — (8) Ibid., p. 5. — (9) Vide Helyot, part. V, cap. IV IX, t. VII, p. 43 et seqq.

Regularis Observantiæ origo

26 *Fr. Paulus de Trincis a Fulgineo, laicus, Hugolini de Trincis, consanguinei sui, ac Fulginei toparchæ, usus favore, obtinuit a Ministro generali licentiam inhabitandi domos quasdam, olim a S. P. Francisco erectas, postea vero a patribus, quod angustæ nimis et pauperes essent, derelictas. His sese addiderunt alii viri insignes, inter quos Fr. Angelus de Monteleone et Fr. Joannes a Stronconio. Novæ familiæ favebat Gregorius Papa XI. Et Henricus Astensis, Minister generalis, anno* 1388, *a fundato Ordine* 180, eumdem fratrem Paulum de Trincis supra omnia fratrum reformatorum provinciarum tum sancti Francisci, tum Romanæ, tum quoque Marchiæ loca sive Eremitoria (sic enim hujusmodi domus appellabantur) suum instituit Commissarium, ac denique sequenti biennio, anno videlicet 1390, plenariam eidem suos quocumque vellet transmittendi fratres potestatem fecit (1). *Atque hæc initia fuerunt regularis Observantiæ in Italia ; unde brevi per alia regna et regiones longe lateque diffusa est.*

Ejus progressus, favente Martino V.

27 *Cum autem tempore Concilii Constantiensis, variis ex causis, felix Observantium progressus, retarderetur imo et impediretur,* ejus Zelatores a Martino V et a reliquo concilio supplices petiere, ut amotis hujusmodi impedimentis, Franciscanam regularem Observantiam, non ita dudum felicissime currrentem, paterno favore prosequi dignarentur ; quatenus tantis auspiciis ad præmeditatam metam aliquando pervenire posset. Excepti itaque humanissime a tanto cœtu, quidquid humiliter petierant, pro votis assequuti sunt.... Crevit itaque mirumque in modum aucta fuit regularis Observantia in Hispania, Gallia, præcipue vero in Italia, benevolentia et pietate præfati Summi Pontificis Martini V (2). *Hujus quoque successor, Eugenius IV, ordinavit in duo essent Observantium Vicarii generales : alter Cismontanæ eorum præsidens familiæ, alter Ultramontanæ.* Ne *tamen* omnimoda Ordinis separatio fieret, illud tantum reliquit *(Eugenius IV)* ut scilicet generalis Minister Vicarios generales noviter electos confirmaret ratosque haberet (3).

Convocat Leo X totius Ordinis capitulum generalissimum.

28 *Novæ tamen rursus exortæ sunt simultates, ita ut ad annum* 1517 *Leo Papa X indicendum judicaverit Capitulum totius Ordinis generalissimum (quod ejusdem generis septimum numeratur) quia scilicet, ut habetur in* Brevi citatorio (4) pro capitulo celebrando, *accepisset Summus Pontifex* cum magna cordis amaritudine, lites, jurgia et commotiones in Ordine, non sine gravi sanctæ Matris ecclesiæ incommodo, ac tam cleri, quam populi pernicioso scandalo ortas. *Itaque* Convenientibus omnibus patribus utriusque familiæ Observantibus, omnibusque Conventualibus, nec non Clarenis, Amadeis, Coletanis atque de sancto Evangelio, quibus ex officio incumbebat, die præfixa *(festo Pentecostes)* in conventu sanctæ Mariæ de Ara-Cœli, propositum fuit a Summo Pontifice : num omnes in unum vivendi modum, sub eodem habitu, eisdemque legibus, de cætero convenire vellent ? Quandoquidem ea de causa, et ut ex omnibus Franciscanis, licet diversis, unum ovile, sub unius tantum supremi pastoris cura degens, fieret. Cui cum Regularis Observantiæ sectatores respondissent, manibus (ut aiunt) pedibusque eam in unionem atque conventionem ituros, dummodo Regulæ observantia nihil detrimenti pateretur, et Patres Conventuales cuivis rerum proprietati, tam in particulari quam in communi, ac quibuscumque annuis redditibus, Pontificiisque privilegiis in manibus suæ sanctitatis revera et efficaciter renuntiarent, necnon et legibus a regulari Observantia præfixis parere vellent : atque Patres Conventuales, post maturam deliberationem, asseverassent, malle se in antiquiori modo vivendi perseverare, atque Apostolicis privilegiis frui, quam in Observantium vitam transire ; Pontificia voluntas optato fine caruit (5).

Reformati qualescumque ad Observantiam reducuntur, et a Conventualibus sejunguntur.

29 *Proinde, exauctoratis quibusvis Vicariis generalibus, atque suppressis omnibus et singulis Reformatorum Congregationibus, facta horum omnium unica familia est, et quasi generalis quædam Reformatio.* Volumus *(verba sunt Leonis X in Bulla, data quarto Kal. Junii anno* 1517, *quæ communiter* Unionis *appellatur et recitatur a Gonzaga* (6)) et declaramus, sub nomine Reformatorum, ac pure et simpliciter Regulam beati Francisci Observantium comprehendi omnes et singulos infrascriptos : videlicet Observantes, tam de familia, quam Reformatos sub Ministris, ac Fratris Amadei, de Coletanis, Clarenis, de sancto Evangelio seu de caputio, ac Discalciatos nuncupatos, aut alios similes, quocumque alio nomine nuncupentur et regulam ipsam Beati Francisci pure et simpliciter observent. Ex quibus omnibus supradictis unum corpus insimul facientes, eosdem ad invicem perpetuo unimus. Ita quod de cætero, omissa diversitate nominum prædictorum, fratres Minores sancti Francisci Regularis Observantiæ, vel simul vel discretive nuncupentur et nuncupari possint et debeant. Omnesque et singulos, ut præfertur, unitos generali Ministro prædicto *(ex Observantibus electo et deinceps eligendo)* ac Provincialibus Ministris et Custodibus, in quorum Provinciis et Custodiis respective morantur, in omnibus et per omnia secundum Regulam subjici debeant. Conventuales vero secundum privilegia viventes, quomodo eisdem Ministris Generali et Provincialibus subjici debeant, per alias nostras desuper edendas litteras declarabimus. *Tunc itaque generalis Ministratus et Ordinis sigilla a Conventualibus ad Observantes translata sunt ; atque exinde supremus Observantium moderator,* Minister *Generalis Ordinis dictus est, atque ut legitimus sancti Francisci successor habitus. Conventualium autem præses, nomine* Magistri *Generalis vocari cœpit.*

Novæ in ipsa Observantia reformationes.

30 *Versus annum* 1525 *rursus viri aliqui, primævæ regulæ zelatores, a reliqua familia sese sejunxerunt ; atque inde primum nati sunt PP. Capucini, quorum auctor fuit venerabilis P. F. Mathæus Bascius, in vita et post mortem (teste Gonzaga) miraculis clarus. Notum est Zachariam Boverium, PP. Capucinorum Annalistam, Mathæo Bascio illius instituti principium abjudicare, sed frustra ut nobis quidem videtur. Confer Helyot* (7).

S. Petri de Alcantara initia.

31 *Eodem fere tempore, cum multi adhuc superessent, qui præfato capitulo generalissimo interfuerant, quidam ex illis, viri eodem animati spiritu, vitæ perfectioris amantes, auctoritate Alexandri VI obtenta, in loca deserta se receperunt, atque eodem, quo prælerlapsis sæculis modo, disciplinæ remissiori restiterunt. Inter hos eminuerunt F. Petrus de Melgar, Fr. Joannes Paschalius, Fr. Angelus de Vallisoleto. Ab his, inter alias, exordium in Lusitania sumpsit Provincia maxime reformata, a* Pietate *dicta* (8). *Hic jam devolvimur ad ætatem beati* Petri de Alcantara, *cujus labores in eodem fine prosequendo hic*

(1) Gonzaga. De origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ ejusque progressibus, de Regularis Observantiæ institutione. *Ubi supra*, p. 6. — (2) Idem. Ibid., p. 7. — (3) Chronica de la Prov. de San Joseph de los Descalços compuesta por T. Juan de Santa Maria, p. 16. Edit. Madriti 1615. — (4) Gonzaga. Ibid., p. 28. — (5) Idem. Ibid., p. 29. — (6) Ibid., p. 30-35. — (7) Histoire des Ordres religieux, part. v, cap. xxiv. T. VII, p. 165 et seqq. — (8) Confer Gonzagam, p. 941.

B. B.

uno quasi conspectu exhibebimus, summatim com-
plectentes, quæ alibi (in utraque scilicet sancti Vita
inferius danda) fuse ac minus ordinate dicta recur-
runt. Si quæ ex al is scriptoribus sive addenda sive
elucidanda seu emendanda veniant, appositis Notis
indicabitur.

Ejus in Religionem ingressus

32 Anno ætatis suæ decimo sexto, sæculi decimo
quinto supra millesimum quingentesimum, admis-
sus sanctus Petrus fuit in conventu de Manxarretes,
custodiæ Discalceatorum, sub titulo Estremaduræ
(quæ versus annum 1519 in Provinciam erecta, a
sancto Gabriele dici cœpit, atque deinceps nomen
hoc sibi retinuit (cujus primus custos P. Franciscus
Frexenal, vir a religione et doctrina commendatus.
Aliquot mensibus (forte biennio) post professionem,
mittitur Petrus ad conventum Belvisi, ubi ejus amor
vitæ solitariæ et pœnitentis continuo omnium oculis
patuit. Anno 1519 præficitur conventui Pacis Juliæ
(vernacule Badajoz) cum viginti tantum annorum
esset. Exacto, summa cum laude, præfecturæ trien-
nio, jussu superiorum ad sacros Ordines se præpa-
rat, ac sacerdotio, quo vir humillimus indignum
prorsus se judicabat, initiatur anno 1524. Variis
exinde rursus præficitur domibus. Interea ingenti
B animarum cum lucro operibus zeli incumbit, atque
indies ardentioribus paupertatis et pœnitentiæ ac-
cenditur desideriis.

Præpositus Provinciæ S. Gabrielis severiorem introduci Observantiam.

33 Anno 1538, ætatis trigesimo nono, eligitur
Minister Provincialis sancti Gabrielis. Tum vero
serius cogitare cœpit de resuscitando inter suos pri-
mævo seraphici Patris sancti Francisci spiritu;
ast cum non paucos huic proposito adversarios offen-
deret, differendum duxit, donec anno 1540, convo-
cato Placentiæ capitulo, animum suum de strictiori
inducenda observantia fratribus congregatis ape-
ruit, prælegitque regulas, quas hunc in finem exara-
verat. Initio restiterunt nonnulli; ast brevi, audi-
tis rationum momentis, quibus immensum Petri
eximia virtus pondus addebat, manus victas dede-
runt, atque præfatæ regulæ unanimi omnium con-
sensu probatæ sunt. Hac tempestate duplex ei oblata
domus est; utramque juxta normam severissimæ,
in Regulis seu Constitutionibus stabilitam, pauper-
tatis ædificari curavit.

In Lusitaniam secedit, ubi cum socus Custodiam Arabidæ inchoat.

34 Anno 1541, officio cum defunctus esset, alius
electus est Provincialis; ipse vero in Lusitaniam
secessit cum P. Joanne de Aquila, ex eadem sancti
Gabrielis provincia; atque ambo se junxerunt
C P Martino a sancta Maria, qui Reformationem
valde austeram inchoaverat ibidem, in loco Arabida
dicto, haud procul ab ostio Tagi fluminis, ubi vitam
duxerunt unice orationi deditam, atque ad normam
regidissimæ paupertatis et pœnitentiæ exactam.
P. Joannes Calvo, pro tempore Minister Ordinis
generalis, cum in Lusitaniam venisset, audita S. Pe-
tri et sociorum præclarissima virtute et sanctimo-
nia, eos adire voluit; atque oculis usurpans quid
rei esset, facultatem dedit P. Martino alios admit-
tendi fratres; quorum primus fuit ipse ocius Patris
Ministri generalis. Mox alii plures supervenerunt;
additisque novis duobus conventibus, erecta Custodia
Arabidæ est.

In Hispaniam redux, brevi post Arabidam revertitur.

35 Postquam biennio moratus Arabidæ fuerat,
in Hispaniam revocatur Petrus, atque in comitiis
anno 1548 pari suffragio cum P. Joanne de Aquila
in Minisirum Provincialem eligitur. Ast, utroque
tale onus in tanter deprecante, alius nominatus tan-
dem est. Ipsi vero recesserunt in conventum sancti
Onuphrii; unde brevi rursus in Lusitaniam redie-
runt, custodiam Arabidæ periclitantem sustentaturi.

Mortuo P. Martino a sancta Maria, alia domus, D
prope Ulyssiponem, agente sancto Petro, admissa est
anno 1550. Cum dein Castellam hic repetere cogere-
tur, Custodia P. Joanni concredita remansit, ac
tandem anno 1560 in Provinciam est erecta.

Novo Reformationis zelo accenditur.

36 Sanctus Petrus in Hispaniam redux, anno
1551, Placentiam venit, dum ibidem congregati fra-
tres erant ad eligendum Ministrum provincialem,
quod quidem onus denuo non absque contradictione
declinavit (tradit Franciscus Gonzaga S. Petrum
secundo provinciæ S. Gabrielis clavum sub titulo
Ministri provincialis tenuisse (1); quod utique ex
errore ponitur, et pugnat cum omnibus qui de San-
cti nostri vita scripserunt), nec potuit impedire
quominus postea eligeretur Custos ad comitia gene-
ralia Salamanticæ celebranda. Quibus finitis, in
domum se recepit valde solitariam, quo ardentius
contemplationi et pœnitentiæ se daret. Ibi vehemen-
tioribus agi cœpit stimulis inchoandi Reformatio-
nem, magis etiam austeram, quam quæ jam intro-
ducta fuerat in provinciam S. Gabrielis et custodiam
Arabidæ. Exinde cœpit proprie fundamenta ponere
illius cœtus regularis, ad cujus institutionem divi-
nitus electus fuerat.

E

Cum uno soci in solitudinem secedit.

37 Nam brevi obtento a Julio Papa III, quo ei
facultas dabatur secedendi cum uno socio in locum
quemcumque eligere vellet, Cauriam petiit, juxta
quam urbem episcopus ei concessit ecclesiam valde
parvam et solitariam, prope sanctam Crucem de Ce-
volla; ubi duas Vir sanctus erexit cellulas pereri-
guas, quibus adjacebat hortus, non amplius quam
decem pedes capiens in longitudine et quinque in
latitudine. Cella vero ejus ipsa longa erat quatuor
pedibus, lata tribus, atque adeo demissa, ut erectus
in ea stare non valeret.

Accipit a Julio III facultatem inchoandi reformationem maxime austeram.

38 Post aliquod temporis spatium, Romam cum
socio profectus est, obtinuitque ab eodem Julio III
licentiam fundandi conventum, in quo disciplinam
adhiberet, quantum optaret, austeram, et quidem
sub obedientia Conventualium, eo nempe fine, ne im-
pediretur ab Observantibus, quibus hactenus sub-
jectus vixerat. Et reipsa Observantes ægerrime tu-
lerunt susceptam Reformationem, nec paucas nec
exiguas sancto Viro suscitarunt molestias.

Ædificat conventum in Pedroso.

39 In Hispaniam regressus, manum mox operi
admovit. Bona cum venia episcopi Placentini, con-
ventum ædificavit apud Pedrosum, qui deinceps
norma fuit cæterorum. Adeo angustus erat et pauper, F
ut nusquam tale aliquid fuisset visum. Potius dixis-
ses sepulcrum vel carcerem, quam domum incolis
paratam. Tota structura non amplius quam tri-
ginta duos habebat pedes in longitudine, et octo in
latitudine, murorum computata densitate. More suo
Petrus elegit sibi cellam vilissimam, in qua nec
stare licebat nec cubare, sed diu noctuque vel genu-
flexus vel inclinatus permanere cogebatur.

Præcedentia elucidantur ex Chronico provinciæ S. Josephi

40 Numeris proxime præcedentibus (31-38) red-
dita ita resumit primus B. Petri vitæ scriptor,
Fr. Joannes a S. Maria, ubi in chronico Provinciæ
S Josephi, tribus continue capitibus partes exponit,
quas sanctus Vir in illa præparanda et fundanda
habuit (1). Habitum assumpsit atque professionem
edidit F. Petrus in provincia S. Gabrielis Discalcea-
torum. De ejus institutione et studiis in Religione
postea fiet sermo. Cum advenisset tempus quo
hæc proficere ex illo posset, electus est minister
Provincialis ejusdem provinciæ, in capitulo apud
sanctam Mariam de Albuquerqua celebrato. Hoc
in munere vitæ rigidioris maxime studiosum se
exhibuit atque reformationis zelatorem. Quamvis

(1) De origine Seraphicæ Religionis, p. 1135. ubi de conventu in Pedroso, ab initio. Item, p. 1137 ultima linea. — (2) Chronica de la Provincia d e San Joseph, part. I, lib. I, cap. VIII, t. I, p. 45 et seqq. Edit. Madriti 1615.

illa

A illa in provincia pauca essent reformanda, ex sancto illo zelo quo agebatur, strictior fuit quibusdam in rebus, quam quidam voluissent : numquam enim deficiunt in quavis congregatione, quibus male sapit omne id quod eis non arridet. Hi itaque ejus administrationem ægre tulerunt. Cum tamen vitam agerct prorsus inculpabilem, vix aliquid efficere potuerunt, adeo ut brevi post, altero in capitulo, nominatus definitor sit; et secunda vice ad munus Provincialis æqualia tulerit suffragia cum altero religioso, præclaro Dei servo, F. Joanne de Aquila. Singuli electores ita quisque in sua firmi perstabant sententia, ut quoties irent in suffragium, idem haberetur exitus; donec tandem compromiserint in reverendissimum patrem Generalem, Fr. Andream de Insula, qui capitulo præsidebat, ut hic scilicet eligeret quem secundum Deum, digniorem judicaret; ambobus illis renuntiantibus juri, quod ex electione jam haberent et ulterius habere possent. Pater Minister generalis, nolens alterum alteri præferre, designavit Fr. Garciam de Castillo, ex recollectione del Abrojo. Neque id sine numine contigit : ita enim liberi et expediti remanebant duo illi religiosi, atque veri B Jesu Christi Domini nostri discipuli, Petrus et Joannes, quos divina majestas elegerat in lapides angulares et fundamentum ædificii, quod perfectum volebat ex duabus provinciis Discalceatorum : altera S. Josephi in Castella; Arabidæ altera in Lusitania, prout et revera factum est, et nos inferius reddemus. Ast F. Petrus alio in capitulo nominatur definitor et custos (virtus enim ubique innotescit et æstimatur apud plerosque, pauci illam refugiunt) atque ratione officii sui interfuit capitulo generali Salmanticæ celebrato anno 1553; ubi electus fuit in Ministrum generalem totius Observantiæ Pater Fr. Clemens Monelia ex provincia Bononiensi. Ad finem hujus capituli, vel non ita multo post, eadem ex causa eumdemque ob finem ac alii religiosi id jam fecerant, simili cum facultate Fr. Petrus provinciam sancti Gabrielis reliquit et subduxit se obedientiæ præfati Ministri generalis Observantiæ, Brevi speciali Julii Papæ III munitus ad fundandum oratorium seu conventum sub obedientia Patris Magistri Conventualium, in quo ipse cum aliquot sociis ejusdem spiritus vitam agere possent magis solitariam. Hac itaque instructus licentia et facultate, contu-C lit se in desertum asperum, inter montes vernacule Cañaveral dictos, haud ita procul a vico nomine Pedroso, Placentinæ Diœcesis, ibique fundavit conventum adeo angustum, ut, numerata etiam murorum densitate, viginti duos pedes in longitudine et viginti octo in latitudine non excederet. Atqui tamen in hoc tam contracto circuitu, habebatur ecclesia, utique perexigua, cum sanctuario seu sacello multo adhuc angustiore, quodque separatum erat a reliquo ædificio bacillorum repagulo; nec locus ibidem erat nisi sacerdoti et acolytho, sacro inservienti; quod si tertius supervenirct, jam omnes vix se movere poterant. Claustrum, in formam quadranguli, similis erat dimensionis : duo fratres, sibi ex adverso, qua longitudo erat, stantes, facile jungebant manus : cætera, cellæ, refectorium, culina, officinæ, et si qua alia in conventu reperiri solita, juxta eamdem confecta erant mensuram. Quod si sæcularis, qui antea illud non viderat, venisset, ipsique, quid singula sibi vellet pars, fuisset indicatum; ac dixissent : hæc est ecclesia; ibi chorus, illic sacristia, claustrum, refectorium, culina; non judicasset hæc tali usui esse posse, nisi oculis rem ipsam vidisset. Nihilominus sancto Fundatori omnia hæc nimis ampla videbantur : tantus scilicet in eo erat spiritus, zelus, et eximius sanctæ paupertatis amor. Hoc in secessu venerabilis Pater, cum aliis quibusdam eodem animatis fervore (juxta obtentam a summo Pontifice licentiam) cœpit resuscitare spiritum gloriosi patris nostri sancti Francisci, et renovare tempora illa felicissima primævæ Ordinis nostri fundationis. Scilicet quando dæmon illum perturbare quærebat relaxando disciplinam, tunc sanctus ille Vir in corde suo meditabatur, quomodo novam susciperet reformationem, quæ propius accederet ad vitam gloriosi Parentis nostri et sociorum ejus. Unde præparabat se armabatque ad pugnas et tentationes, ab hostibus visibilibus invisibilibusque procul dubio movendas. Instabat orationi, jejuniis, pœnitentiis, mortificationi; ut his quasi armis instructus, sustinere valeret impetus ab adversariis, obtentu novitatis (hac enim soliti sunt laxiores voce designare omnem reformationem) paratos.

E *Formatur custodia S. Josephi, cui Petrus qua Commissarius præficitur.*

41 *Dum ita absconditus vivebat cum aliquot sociis ejusdem spiritus, supervenit mors P. Joannis Paschalii (quem Helyot præpostere confundit cum Joanne de Aquila, utriusque cognomina simul jungens, hunc in modum scribens :* Joannes Paschasius cognomine de Aquila (1)). *Scilicet paucis ante annis egressi ex provincia S. Gabrielis fuerant viri duo pietate insignes, P. Joannes Paschalius et P. Alphonsus de Manzanete. Horum prior Galæciam pertransiens, tres, auctoritate Apostolica, fundarat conventus; alter parvum erexerat monasterium in silva Lorianæ, sub titulo sancti Isidori. Quatuor his conventibus, qua Commissarius, ex delegatione P. Magistri generalis Conventualium præsidebat P. Joannes Paschalius; qui, dum ex conventu Lorianæ in Galæciam revertitur, diem obiit supremum. Fratrum rogatu, in defuncti locum substituitur S.* Petrus de Alcantara, *annuente P. Antonio a S. Quirico, Conventualium pro tempore Commissario generali, atque postea confirmante Paulo Papa IV; qui præterea, Brevi dato ann.* 1559, *potestatem fecit erigendi custodiam S. Josephi (hoc enim nomine, dum adhuc viveret Paschalius, nova conventuum aggregatio insignita fuerat) in provinciam, simul atque domorum numerus debite excrevisset. Annus currebat sæculi* 1556, F *juxta alios* 1557, *cum Joanni Paschalio succederet beatus* Petrus. Dedit *illi, inquit P. Joannes a S. Maria* (2). Magister generalis facultates amplissimas, renovans quoque quidquid ejus prædecessori concessum fuerat, ad fundandos conventus et erigendam custodiam in provinciam, ubi conveniens domorum numerus haberetur, quem cæteroquin Commissarii judicio relinquebat determinandum. Quæ omnia Paulus IV, supremus ecclesiæ pastor, confirmavit, anno 1559, Pontificatus quarto; severas addens censuras in eos, qui contradicere præsumerent vel effectum impedire tentarent; conservatores judices designans episcopos Abulensem et Coriensem, Priorem Magazelæ, et Canonicum Doctoralem ecclesiæ Abulensis. Confirmabat etiam litteras suas, olim Fr. Joanni Pascual concessas, quas et novo Commissario Fr. Petro de Alcantara concedebat, adjungens alteram clausulam, qua inhibebatur tum Magistro generali, tum ejus Commissario dare licentiam, ut quis religiosus ex præfata custodia ad Observantes transiliret;

(1) Histoire des Ordres religieux et militaires, part. v, cap. XXI, t. VII, p. 150. — (2) Chonica de la provincia de San Joseph de los Discalços, t. 1, p. 48.

P. D.

transiliret; insuper addebat facultatem recipiendi conventus, non solum in Hispania, sed etiam in quavis orbis plaga. Atque hoc modo confirmata et stabilita, Sedis apostolicæ auctoritate, nova custodia erat. *Ita dein prosequitur ibidem præfatus scriptor.*

Qua Commissarius Præside S. Petrus capitulo.

42 Exeunte anno 1556, Dominica 21ª post Pentecostem, fratres custodiæ in unum congregati sunt in conventu de Loriana, ut novum reciperent Commissarium, et simul etiam ut prælegerentur Litteræ apostolicæ: quibus lectis, omnes magna cum voluptate gratulati sunt Prælato suo, qui vicissim, postquam petitam impertiisset benedictionem, eos amplexus est, et paterno recepit animo ad ingentem omnium consolationem. Deinde processerunt ad electionem definitorum et guardianorum; cæterosque posuerunt actus capitulares, præside S. Fratre Petro, qua Commissario apostolico; unanimi etiam cunctorum consensu fecerunt ordinationes suas, et plura statuerunt ad bonam custodiæ administrationem.

Acta in Capitulo.

43 Duos etiam susceperunt conventus, sitos in terris comitis de Oropesa, viri discalceatis et speciatim Fr. Petro de Alcantara commissario addictissimi, qui magnopere instabat, ut, quod offer- B ret, non recusarent; spondens quoque se nihil non facturum ad custodiæ conservationem et augmentum. Promissis suis fidelissime stetit: quoad enim vixit, perpetuo patronus, protector et defensor egregius permansit provinciæ nostræ, omnes inter tribulationes et difficultates, quæ ab initio nec paucæ nec exiguæ fuerunt. Filius ejus, comes Joannes, non solum dominiorum patris sui heres exstitit, sed et virtutum atque benevoli in discalceatos animi. Alter prædictorum conventuum fundatus fuit in loco solitario, una distante leuca ab oppido cui nomen Deleytosa; alter item in deserto, quatuor leucis ab Oropesa dissito, ad ripam fluminis Tietar, in eremo sub invocatione B. Virginis de Rosario, quod quidem cœnobium olim Servitarum fuisse dicebatur; cujusque remanebant vestigia quædam, nisi malueris dicere rudera: habebat scilicet quadrum in speciem claustri, cum ecclesia et sacrario. Quæ quidem postea comes (quem Deus servet multos in annos) reparavit, vel potius ex integro instauravit, siquidem prioris ædificii nihil remanserit præter formam claustri et ecclesiæ. Præterea constanter de necessariis large providet et providit, amplius facturus, ni fratres C obstitissent. Considerans namque loci solitudinem, et summum deserti illius silentium, tantopere ad animi quietem, orationem ac contemplationem conducens; et, cum esset tam eximie pius, et singulariter addictus genti orationis exercitiis deditæ, temporis existimans jacturam esse quoties ad eleemosynas quærendas exirent (quamvis aliter si agerent contra regulæ agerent præscriptum); ipse comes obtulit se ad sustentandam domum, omnesque ejus incolas, etiamsi plures, quam ordinarie solent, adessent, ita ut nulla umquam eis incumberet exeundi necessitas. Ast fratres nullo umquam tempore in hoc propositum consentire voluerunt. *Et recte quidem eos juxta regulæ præscriptum fecisse, fuse, usque ad finem hujus capitis, probat P. Joannes a S. Maria. Deinde capite* IX *dicere aggreditur qui custodia in provinciam erecta sit* (1).

Custodia in Provinciam erigitur.

44 Anno 1561 convocavit sanctus Commissarius capitulum in parvulo conventu suo de Pedroso; ubi novæ duæ domus receptæ; altera in Castella, in villa Palo dicta, diœcesis Zamorensis; altera in Arenas, pago ad Ducem ab Infantado spectante. D Atque ita conventuum numerus ad novem excrevit. Quapropter ex apostolica auctoritate et potestatis, quam a RR. Patre Magistro generali Conventualium tenebat, plenitudine, custodiam hactenus a S. Josepho dictam, titulo et nomine Provinciæ donavit, eodem jure quo cæteræ omnes ejusdem Ordinis existant, servato in Patronum, glorioso S. Josepho. Exinde plurimum crevit erga Sanctum illum devotio, qui, cum hac in terra præ cæteris electus a Deo fuerit, procul dubio non inferiore in cœlis sorte beatur. Hæc gesta sunt anno 1561, secundo Pontificatus Pii IV, secunda mensis februarii, in Dominica Septuagesimæ. Usque ad hoc capitulum custodia erat et a custodibus gubernata; postea provincia et a ministris provincialibus directa. Sigillum hujusmodi est: S. Josephus stans, sinistro brachio gestans infantem Jesum, dextra vero manu viatoris baculum, aut virgam floridam, cum columba desuper; atque in circuitu legitur: SIGILLUM PROVINCIÆ S. JOSEPHI: totum cingitur, hinc chorda Patris nostri S. Francisci, inde rosario minutorum globulorum. *Confer Gonzagam, cujus descriptio vix differt a præfata* (2). Primus provincialis electus est E Fr. Christophorus Bravo, concionator et eximius disciplinæ zelator, ac ingenti sanctæ paupertatis flagrans amore. Deinde elegerunt duos custodes: alterum conventuum in regno Galæciæ; alterum domorum in Extremadura; similiter et quatuor definitores, item novem Guardianos, suum nempe singulis conventibus, quibus de justo incolarum numero provisum fuit: divina enim favente misericordia, jam aderant qui formandis domibus illis sufficerent. Opus scilicet suum Deus ipse promovebat; veluti clanculo jungebat lapides cæteramque materiam: gentem prætcrea quam citissime adducens, quæ terram recens demonstratam incoleret.

Statuta capituli provincialis

45 *In primo hoc capitulo provinciali, sanctus Commissarius ejusque fratres, pro zelo, quo tenebantur sanctæ paupertatis, et excellentioris magisque perfectæ Regulæ observantiæ, volentes in omnibus et per omnia ei se conformare, constitutiones suas, auctoritate Commissarii apostolici, ediderunt. Harum hic quasdam propriis verbis adscribam sicut et formam, quam in fundatione conventuum statuerunt; tum quia ad primæva illa tempora pertinent, tum quia a viris vere apostolicis proveniunt. Statuta hæc reperientur quidem denuo in altera, quam edimus, S.* Petri *Vita, auctore P. Laurentio a Divo Paulo* (3); *hujus tamen textus haud parum differt* F *a textu, quem subjicit P. Joannes a S. Maria, quemque nos magis genuinum putamus imo et originarium esse, suadent idioma Hispanicum, quo utitur P. Joannes, et tempus, quo hic vixit et scripsit, sicut et ejus zelus ad primævum, a S.* Petro *introductum, paupertatis præcipue servandum spiritum. Denique profitetur P. Joannes se constitutiones, non quidem omnes (quod dolendum) sed* aliquas propriis adscribere verbis (pondre aqui algunas por sus mismas palabras). *P. Laurentius plura ex illis diversis in paragraphis prætermittit; continuator autem Waddingi, ad annum* 1461 (5) *P. Laurentii verba, ne uno quidem mutato apice, repetit. Horum proinde textus brevior est, imo nonnumquam sensu diversus a textu P. Joannis, ut ex interpositis annotatis clarum fiet. Cæterum neminem fore putem, qui documentum hoc inter præcipua non ponat monumenta ad vitam S.* Petri *spectantia; vel qui nos*

(1) Ubi supra, p. 50 et seqq.— (2) De Origine Seraphicæ religionis Franciscanæ, part. III, p. 1133.— (3) Lib. III, cap. 1. *Apud nos*, n. 151. — (4) Annales. Minor., t. 259.

reprehendat,

A *reprehendat, quod duplicem illius exhibuerimus lectionem.*

recitantur. 46 Primo ordinamus ut in omnibus conventibus nostræ provinciæ, recitetur officium divinum voce demissa *(non clamorosa)* æquali, rotunda, ut nec languida sit nec rupta, sed bene devota *(seu lenta)*, ubicumque quatuor inveniantur fratres, qui id rite explere possint. *(Quædam verba omissa sunt apud P. Laurentium et Waddingi continuatorem).* — Item, omni anni tempore, fiat oratio mentalis per tres horas in communi, et una hora labori impendatur. Per totum annum fiat disciplina in communi cum psalmis, versiculis et orationibus consuetis; excipiuntur dies dominici et festi de præcepto. *(Hic rursus nonnulla desiderantur apud P. Laurentium).* — Item, quia novimus quod nostræ Professionis præcipua observantia consistat in sanctæ paupertatis custodia; et quia vidimus, ubi nostra professio ab hac defecit, simul etiam defecisse ab observantia sanctæ regulæ nostræ; idcirco ordinamus ut fratres omnes nudis pedibus incedant et vestiti panno hirsuto *(grosso)*; nec vestis longitudo talum excedat, nec latitudo decem palmas, nec manicæ pertingant ultra primam manus junctu-

B ram. *(Hic a sensu aberrat P. Laurentius et plura omittit).* Earum apertura semipedem habeat tantum; ad humeros vero latæ sint sesqui palma. Fragmenta panni triangularia inferiori vesti insuta, non ascendant ultra extremas manicas; mantellum longitudinis sit, quæ, dimisso brachio, extremos digitos obtegat. *(Voce* i *hispanicam* Nesgas *reddimus* fragmenta panni triangularia. *Est autem generatim* Nesga *quidquid in formam trianguli dissectum est. Speciatim* Nesga *vocatur pars panni seu telæ triangularis indusiis cæteroque muliebri vestimento insuta, quo illa ampliora reddantur. Vera itaque vocis* Nesgas *hic videtur interpretatio :* Fragmenta panni triangularia, *quæ inferiori vestium talarium parti inseri solent, quo, utpote exinde latiores factæ, gressum non impediant).* — Item ordinamus ne petantur pro fratribus bonæ valetudinis, carnes, nec pisces, nec vinum, nec ova, præter quotidianas eleemosynas, quibus nihil petatur in specie designatum. (Señalada, *quæ vox præpostere redditur in P. Laurentio et Waddingi continuatione :* res delicatiores). Sed recipiantur quæ offeruntur, exceptis perdicibus, gallinis aliisque id genus lauditiis, sicut et piscibus exquisitis. Nec

C quidquam conquiratur, ut servetur, præter oleum et legumina in unum alterumve mensem, vel plures, si visum fuerit Fratri provinciali et guardiano domus cum duobus Fratribus antiquioribus : nec ullus Frater, dum sanus est (Frayle sano; *vox* sanus *omittitur a P. Laurentio, totusque textus contractior redditur)* cogatur invitus, quovis tempore, manducare carnes, adipem, ova aut lacticinia. — Item omnes Fratres dormiant in cortice, vel assere, sive storea aut pelle supra solum extensa; salvo in locis humidis, ubi, qui voluerint, poterunt stratum uno palmo a terra elevare, qui vero id noluerint, a superioribus non cogantur; et poterunt habere unum stragulum vile, quatuor anni mensibus : nempe Martio, Aprili, Septembri et Octobri : quatuor aliis, Novembri, Decembri, Januario et Februario, duo stragula habere poterunt; reliquis autem nullum, Majo, Junio, Julio et Augusto. *(Brevius hæc apud P. Laurentium).* — Ordinamus, ut Fratres ætate provecti valde bene tractentur, et infirmi valde bene curentur, quantum fieri poterit absque notabili distractione; atque eis inserviatur magna cum diligentia et charitate. *(Quæ sequuntur, obscure, imo nec satis accurate ad sensum reddit P. Laurentius, totusque paragraphus contrahitur).* Nec quisquam, qui vitam communem per medium annum non servaverit, habeat vocem passivam; si vero convalescens, ad eamdem vitam redierit, in eaque per medium annum perseveraverit, vocem recuperabit. Dicimus autem non servare vitam communem eum, qui qualicumque utitur calceamenti genere, culcitra, cervicali lineo, vel stragulo lecti; et qui vinum, carnem aut pisces quæsierit non ultro oblatos; vel qui plus quam duplex tulerit vestimentum, habitum scilicet et mantellum, aut ullo umquam tempore portarit mantellum, si tunicam *(seu vestem interiorem)* induerit. Quod si quis, ita impeditus, voce usus fuerit passiva, hac ad biennium privetur; et prælatus, qui in id consenserit, ad triennium, in capitulo nempe sequenti. — Ordinamus ne pro sacrario recipiantur vasa aurea aut argentea, præter unum vel duos calices, habentes cuppas et patenas ex argento interius deaurato, et unam custodiam pro sanctissimo Sacramento : nec accipiantur paramenta serica aut acu picta; nec in quavis domo habeantur plura quam unum vel duo altaria; nec plures quam quatuor casulæ et totidem albæ. Item esto quoad id genus

E cætera. Corporalia sint ex tela optima *(Batavica seu Flandrica :* de muy buen Olanda) atque hæc sicut et pallæ cæteraque altaris linteamina eo habeantur numero, qui ad recte ordinatum sufficiat sacrarium et simul tamen devotionem magis pradant quam divitias. Sit denique in nostris conventibus parva et pauper supellex, nec aliquid ultra id quod vere necessarium est. — Item ordinamus ne recipiantur Missæ, sed omnes dicantur pro benefactoribus, salvo quod guardianus unam aut duas applicare poterit pro persona particulari, cui provincia valde obstricta sit; nec pro ea recipiatur eleemosyna pecuniaria aut aliud quidvis petatur. — Item ordinamus, ut conventus, qui in posterum recipientur, sint parvi et humiles, juxta formam a capitulo præscriptam, nec ullus admittatur nisi habeat patronum; nec permittatur ut is Papæ jus suum resignet; sed, quandocumque voluerit, possit ejicere Fratres, vel alios advocare, et prout voluerit de conventu disponere. Atque singulis annis eat vel ipse guardianus vel duos mittat ad patronum Fratres cum clavibus, qui gratias agant, quod eos hucusque in domo sua morari permiserit et petant ex amore Dei Domini nostri, ut liceat eis deinceps

F ibidem morari quamdiu ipsi placuerit. Quocumque vero tempore eos patronus jusserit exire, exibunt, reliquentes id quod vel ipse vel ejus prædecessores dederint, modo non sit usu consumptum. Quapropter habeatur perpetuo duplex inventarium, in quo contineatur quid a patronis domus fuerit datum; atque alterum sit in manibus patroni, alterum in manibus guardiani, utrumque utriusque nomine subscriptum. *(Reliqua usque ad finem valde mutilata sunt apud P. Laurentium et Waddingi continuatorem, nec præterea eodem occurrunt omnino ordine).* — Item ordinamus ut serventur declarationes apostolicæ in sanctam Regulam nostram, et voluntas Patris nostri sancti Francisci, qui in testamento suo mandavit in virtute sanctæ obedientiæ, ut ecclesiæ et pauperculæ habitationes, quæ Fratribus suis ædificarentur, nullatenus recipiantur, nisi conformes sint sanctæ, quam promittimus, paupertati. Ac propterea volumus ut ecclesiæ parvæ sint, ita ut habeant tres pedes tantum in longitudine, in latitudine vero ad minus octo. (*P. Laurentius :* nec latitudine octo pedibus angustiores, nec 24 longitudinem excedant. *Supponere licet hanc mutationem paulo post in statutis introductam*

H. P. *introductam fuisse. Cæterum ex sequentibus elucet hic ecclesiam vocari, spatium a choro seu sanctuario separatum, atque populo destinatum).* Nec attendatur ad extraneos qui possent ordinarie illas frequentare, ut ideo majores ædificentur ecclesiæ; nisi forte illi domus suas possiderent in vicinio conventuum nostrorum, nec haberent aliam ecclesiam in circuitu quartæ partis unius leucæ, in qua diebus Dominicis et festis sacro interesse possent. In conventu vero, quem Fratres incolunt, resplendeat paupertas et humilitas *(vileza* vilitas); nec in eo reperiatur lignum levigatum, nisi in ecclesia, choro et sacrario : nec habeatur *De Profundis, (solet apud Patres illos immediate ante prandium recitari singulis diebus Psalmus* De Profundis *cum una Oratione pro defunctis benefactoribus, quem ad finem conveniunt plerumque in conclavi ubi congregatur capitulum Finita Oratione, ad Refectorium se conferunt. Didici in quibusdam conventibus fuisse locum specialim recitando Psalmo illi deputatum, quem exinde* De Profundis *vocitabat)* nec Synodium nec Bibliotheca ; sed libri per cellas fratrum, qui illis opus habent, distribuantur, quo mundi et integri conserventur. Refectorium et cætera in
B inferiori domus parte conclavia, sacristia nempe, cella janitoris et valetudinarium inferius, ad minus octo, ad summum novem pedes habeant in latitudine. *(Inferior itaque domus in quatuor partes distributa erat æquales, cum intermedio atrio).* Atria domus sive inferiora, sive superiora, quibus adjacent cellæ, lata sint tres pedes cum dimidio. Lavacra et latrinæ sint extra ædificii corpus et sub tecto nudo (a texa vana; *id est tectum tegulis obductum absque cæmento, nec ullo intermedio tabulato).* In superiori domus parte reperiantur cellæ omnes, septem ulnæ palmas capientes vel ad summum septem pedes; item et valetudinarium hibernum, quod ad minus tredecim in longitudine capiat pedes, et ad summum sexdecim. Area claustri in forma quadrata sex vel septem habeat pedes, circumcincta atrio, quod fulcris innititur. *(Hispanice;* lo claro de la claustra seran seys pies a los menos, y sieta a los mas en quadro, y lo de mas sera para los pilares y paños por donde se ha de andar, *quod ad verbum ita sonat :* area claustri, *seu quæ claustro ambitur,* erit *(capiet)* ad minus sex, ad summum septem pedes quadrati, et reliquum *(spatium)* erit *(inserviet ponendis)* fulcris et
C atriis *(claustri)* quibus inambuletur. *Locus obscurus, ut plures Hispani quos consului mihi testati sunt).* Hæc intelliguntur ubi conventus de novo ædificandus est, quin sit contiguus alteri ædificio aut ecclesiæ antiquæ; tunc enim, cum non possit servari prædicta forma, servetur tamen paupertas, imo et quantum licuerit præfati singularum partium limites. Quod si domus de novo ædificetur, quadrata sit oportet, habeatque ad minus quadraginta quinque pedes et ad summum quinquaginta in circuitu, computando latitudinem omnium parietum. Murorum exteriorum densitas duorum sit pedum cum dimidio, interioribus duo pedes sufficient. Cellæ ab invicem muro lateritio separentur. Scala qua in superiorem domus partem ascenditur, duobus vel etiam tribus sit pedibus lata. Singula conclavia abacos clausos contineant : cum enim domus parva sit, necesse est ut habeantur loca rebus seponendis apta, unde et fiet ut cellæ non sint nimis impeditæ. Nullus conventus ultra octo cellas numeret, quarum portæ habeant in latitudine pedem unum cum dimidio *(hispanice* media vara : *est autem* vara *mensura trium pedum)* ; in altitudine palmas septem ; aliæ vero portæ communes, D
duos habeant in latitudine pedes, in altitudine sex. *(hispanice :* Ninguna casa tenga mas de ocho celdas, y las puertas de claro media vara de ancho, y siete palmas de alto; y las otras puertas comunes tengan dos pies de hueco y seys de alto. *Recta nobis videtur interpretatio, ut hic* puertas de claro *cellularum portæ intelligantur ;* puertas comunes, *illas esse putamus, quibus ingressus patet in refectorium valetudinaria, aliaque conclavia Fratribus communia).* Ipsæ autem cellæ a solo usque ad tabulatum insumant sex pedes cum dimidio vel ad summum septem. Ecclesia ejusdem erit cum reliquo ædificio altitudinis, ut totus conventus quadrum efficiat undequaque æqualiter elevatum. *(Universim notamus, postremo in hoc paragrapho, non omnia liquida esse ; quod similiter in aliis nonnullis Statutorum paragraphis obtinet. Unde minus mirum videbitur illa vel mutila vel partim diversa apud varios occurrere).* — Provincialis, Commissarius, Custos aut Guardianus qui ab hac forma recedere permiserit, officio in sexennium privetur et simul subsit aliis pœnis, quas meruisse judicabitur.

47 *His ita expositis, subjungit P. Joannes a S. Maria* (1) : Atque hæc fuerunt felicissima principia hujus provinciæ ; hæ leges et ordinationes, quas sibi posuerunt primi fundatores, hæc forma ædificiorum, quæ paulo attentius considerata satis ostendit quanto zelo sanctæ paupertatis et perfectæ regularum observantiæ ferrentur. Atque in hæc omnes convenerunt tamquam in lapidem angularem, ut firmum et solidum ponerent reformationi, quæ quasi de novo inchoabatur, fundamentum : noverant enim quæ, super fundamenta caduca et vetusta ædificantur, nec durationem nec nitorem habere ; haud secus ac dum pannus novus assuitur alteri jam detrito ; parum scilicet durat et ingratus oculis apparet. Experientia prædecessorum docti erant : qui, recipiendo magnos conventus, a Conventualibus relictos, et ædificando super fundamenta vetusta et relaxata, ipsi facile defecerunt. Nostro in Ordine perpetuum relaxationis principium fuerunt domorum amplitudo et fratrum in his multitudo. Parum et valde male servari potest votum sanctissimum paupertatis evangelicæ, ubi multi sunt, et maxima pars, qui parvo contenti non vivunt ; et ubi præterea multo est opus ad eos sustentandos subsidio.

Cur hæc ita constituta fuerint. E

F *Novam provinciam sibi subjicere Observantes omni modo modo satagunt.*

48 *Primus designatus provincialis est P. F. Christophorus Bravo, qui paulo post,* partim, *ait P. Joannes a S. Maria,* proprio suo motu, partim ex sententia definitorum (2), *Romam, licet jam provectæ ætatis, nudis pedibus, profectus est, actorum in capitulo redditurus rationem.* Benevole valde exceptus a P. Generali Conventualium fuit, sed pessime a Patribus Observantiæ; quod scilicet hanc prius secutus, postea ab ejus obedientia recessisset : quocirca persequebantur eum, magnasque suscitabant molestias, plurimum apud Pontificem et cardinales laborantes, ut tum ipse tum cæteri omnes, qui defecerant, cum universis domibus suis ad Observantiam redire cogerentur. *Ita rursus P. Joannes a S. Maria* (3), *additque paulo inferius* (4) : Concessa fuerat sancto Commissario apostolico facultas admittendi fratres, qui, *petita licentia, licet non obtenta,* ex Observantia ad suam provinciam venirent. Religiosi itaque plures zelo sanctæ paupertatis et exactioris regularum observantiæ ducti, præfata utentes facultate et licentia ad illam accedebant. Hanc vero portam obserare tam volebant Patres Observantiæ atque hujusmodi

(1) Ubi supra, p. 56.—(2) Ibid.— (3) Ibid., p. 57.—(6) Ibid., cap. x, p. 57 et seq.

transitus

A transitus impedire, ægerrime ferentes tanti meriti religiosos a sua obedientia deficere; unde eos persequebantur et male tractabant tamquam filios degeneres, quamdiu in Observantiæ domibus versabantur. Accedit, quod et ipsos Conventuales sublatos prætendebat (quod reipsa postea in Hispania obtinuit) sibique addicere eorum conventus ac totum denique ordinem suæ subjicere obedientiæ. Nec parvum consiliis suis impedimentum fore videbant, quamdiu Patres conventuales sibi subditam suæque familiæ unitam haberent provinciam tot jam auctam conventibus Reformatorum, a quibus tam stricta servabatur paupertas, cum tanta vitæ asperitate, et eximia regulæ observantia, unde et Conventualibus non spernenda enascebatur gloria, quæ magni poterat esse ad conservationem momenti. Quærebant igitur Observantes tollere illud obstaculum, atque recens formatam dissolvere provinciam vel saltem suam redigere sub obedientiam. Dissolutio nimiam offerebat difficultatem, tum quod nova Reformatio præclare audiret; tum quod plures viros nobiles sibi addictos heberet. Ast hos sibi conciliare studebant Observantes, eis persuadere conantes, magni inte-B resse ab bonum illius provinciæ ipsius, si sub obedientia Observantiæ staret: facilius enim hac ratione futurum ut conservaretur, ac proinde convenire ut ejus patroni et amici hoc ipsum Discalceatis suaderent: addebant hanc esse Dei voluntatem; sibique persuasum esse a rege id vehementer optari. Eumdem in sensum litteras ad provinciam dedit ipse D. Cardinalis Pius Carpensis, qua Ordinis Protector, sicut et P. Franciscus de Zamora Procurator Romanus, impense rogantes ut subjiceret se obedientiæ Patrum Ministrorum generalium Observantiæ, plures promittentes favores multamque amicitiam, atque auxilium apud Pontificem et Cardinales in omnibus quæ peterent Discalceati, quos ut filios et fratres habituri erant Observantes, eorum rata habentes privilegia et ordinationes, nec ullum mutantes apicem in habitu et modo vivendi. Novus quoque Provincialis Roma rescribebat quantam ibidem pateretur contradictionem et pressuram, late describens omnia et singula quæ fiebant et a Patribus intendebantur.

Convocat S. Petrus de Alcantara omnes totius provinciæ Fratres.

49 Omnia hæc scripta in Hispaniam missa in manus pervenerunt sancti commissarii F. Petri de Alcantara, qui noluit in negotio tanti momenti stare suæ definitorumque sententiæ; ast rem com-C municandam cum cæteris Fratribus totius provinciæ duxit, quibus licitum utique erat propriam hac in quæstione manifestare voluntatem (1). Omnes itaque convocavit in villa quadam comitis de Oropesa, haud procul ab ecclesia, quæ a sancto Joanne de la Bobadilla dicebatur, atque in vicincio erat conventus de Rosario. Domus illa spatiosa erat valde atque universis, qui convocati erant, capiendis Fratribus apta, quibus Comes singulari cum benevolentia de necessariis ad vitam et hospitium providit. Cœpta congregatio est duodecima Aprilis, anno Domini 1562, Dominica tertia post Resurrectionem, atque anno tertio Pontificatus Pii Quarti. *(Lapsus hic notandus venit. Anno 1562 Pascha incidit in diem* XXIX *Martii, ac proinde Dominica* tertia *post Resurrectionem, in diem* XIX *Aprilis. Ut ergo Datæ sibi cohæreant, ponenda est Dominica* secunda, *quæ concurrit cum die præfati mensis duodecima* (2)). Omnibus itaque mature consideratis, et perpensis reque tota cum Domino communicata, unum ex tribus sequentibus eligendum statuerunt. Primum erat, quod, si vinci possent obstacula quominus sub obedientia Conventualium permanerent, satius esset perseverare in eodem quo erant statu, quin innovarent seu mutarent quidquam in modo administrationis: cum Patres conventuales perpetuo sibi benevolos habuissent et sub eorum obedientia nata esset provincia ac tam parvo tempore tam magnos fecisset progressus. Secundum erat, quod, si id obtineri non posset, expediret maxime ad conservationem et augmentum provinciæ, ut hæc immediate subjiceretur Sedi apostolicæ, absque ulla dependentia a quovis Generali; ita enim et securi et liberi forent ab omni controversia. Tertium denique erat, quod, si duo priora media adhiberi non possent, teneretur tertium, scilicet quod proponebant et exigebant Patres Observantiæ.

Romam mittunt Commissarium.

50 Ast non fidentes proprio judicio... omnia sua sicut et seipsos Sedi apostolicæ, cui tunc præerat Pius quartus, commiserunt, utpote ad quam pertinet hujusmodi difficultates solvere, atque determinare et definire quid factu optimum. Quare eligerunt P. Bartholomæum a sancta Anna, definitorem, qui tamquam Commissarius iret Romam ubi jam provincialis degebat. Et cum ignorarent E quid Domino magis placeret, P. Commissario plenam dederunt auctoritatem, non secus ac si provincialis esset, ad tractandas res novæ provinciæ, secundum ea quæ statuta fuerant in præfata Congregatione, et probandum et acceptandum quidquid Sanctitati suæ videretur. Cætera, quæ in prædicta Congregatione ordinata sunt postea reddemus cum absolverimus quæ ad Legationem spectant. Munus impositum accepit Commissarius, et brevi post Romam profectus est: ubi cum nonnullas offenderet difficultates quoad primum et secundum propositum, tertio standum esse satius duxit. (Erat enim ipse in Observantes propensus, ut qui ex eorum familia et provincia S. Gabrielis venerat). Venetias petiit, ubi morabatur Pater Frater Franciscus de Zamora, Minister generalis Ordinis; a quo valde benevole exceptus est: jam enim sciebat quid Romæ fuisset gestum. Rebus utrimque versatis, tandem conventum, ut alter promitteret, alter vero acceptaret obedientiam, certis sub conditionibus, quæ sanctæ Sedi et propositæ et probatæ fuerunt.

Nova provincia Observantiæ traditur.

51 Deinde ad instantiam utriusque, Ministri generalis scilicet et Commissarii, Pius quartus dedit Bullam, de *Unione et Concordia* inscriptam, F in qua multos favores, indulta et privilegia concedit novæ provinciæ ejusque Ministris, quam et de novo confirmat, approbat et instituit cum duabus suis custodiis; aliæque adduntur multæ clausulæ, eæque valde firmæ. Tandem confirmat Breve Pauli Tertii prædecessoris sui de Fratribus et Conventibus recipiendis: ratihabet omnes conventus in Hispania jam receptos, et admissos usque ad hanc horam, licet Romæ non sint cogniti, et in posterum admittendos. Concedit ut duæ custodiæ præfatæ, cum decem conventus habuerint, absque ulteriore licentia, declarentur Provinciæ, hisque prima vice Provinciales et definitores eligantur ex provincia S. Josephi, postea vero eosdem eligant ex suo sinu, prout et aliæ Ordinis provinciæ. Mandat Pius Pontifex Ministro generali Observantiæ ejusque successoribus, ut protegant et foveant dictam provinciam, efficiendo ut absque contradictione utantur suis immunitatibus, privilegiis, indultis, et concessionibus, quibus gaudent

(1) F. Joannes a S. Maria, loc cit., p. 58 et seq.—(2) L'Art de vérifier les dates, in *tabula Chonologica*, et in *Calendario*, p. 117.

omnes

B. B.

omnes reliquæ Ordinis provinciæ, sicut et aliis ipsi specialiter datis, et cætera hujusmodi quæ ibidem latius explicantur. Denique Pontifex adeo generosum se ostendit, ut absque ulla difficultate quibusvis eorum annueret postulatis : unde liquet eum jam benevole in illos affectos fuisse ex auditis a Cardinale Protectore et Procuratore Romano.

Quo anno data sit Bulla Pie IV.

52 *Bulla hæc incipiens his verbis :* In suprema militantis *data in* Bullario Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci (1) *legitur, in ipso suo textu ad finem :* Anno Incarnationis Dominicæ 1562, octavo Kalendas Februarii *(id est* XXV *Januarii),* Pontificatus nostri anno quarto. *Adscribiturque* : Sic refert *(Bullam)* noster Pat. Fr. Marcus Complutensis in Chronico Provinciæ sancti Josephi Fratrum Minorum Discalceatorum in regno Novæ Castellæ, tom. II lib. I cap. II fol. 7 num. 17 (2). *Quod quidem qui fieri potuerit, non video, cum Capitulum generale ad Bobadillam celebratum sit* XII *Aprilis* 1562 : *quo habito, Bartholomæus a S. Anna, qua Commissarius Romam profectus est. Si ergo Data Bullæ mox adscripta admitteretur, consectarium*
B *foret, Provinciam S. Josephi subjectam Observantibus fuisse ante præfati Capituli convocationem; quod utique repugnat. Atque hinc etiam in* Continuatione Annalium Minorum (3) *Bulla annum habet* 1563 : Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXIII, octavo Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno IV (4). *Et notat Waddingi Continuator Josephus Maria de Ancona, textum suum desumptum esse* ex Archivo secreto Vaticano, tomo LXXV divers. Secretor. fol. 273 (5). *Cæterum electus fuit Pius IV noctu inter dies* XXV *et* XXVI *Decembris anno* 1559; *coronatus* IV *Januarii* 1560 (6). *Ex quo jam apparet ejus Pontificatus annum quartum non concurrere cum anno Christi* 1562, *etiamsi hic obtineret quod notant scriptores proxime citati Operis :* Pium IV in majoribus suis Bullis solitum inchoare annum a XXV Martii (7). *Hoc enim posito, annus Pontificatus* secundus *cœpit* XXV *Martii* 1560, tertius *eodem die* 1561, Quartus *pariter* XXV *Martii* 1562 ; *cum itaque Bulla data sit* XXV *Januarii, ut habeatur* annus Pontificatus quartus, *Christi ponendus est* 1563us. *Consonat Gonzaga. Vide infra n.* 55.

C

P. Jos. Mar. de Ancona contendit Alcantarenses haud ægre defecisse a Conventualium obedientia.

53 *Translatio provinciæ S. Josephi ad obedientiam Observantium non eodem ab omnibus narratur modo. Satis concordat P. Laurentius, in Vita S.*Petri, *secundo loco a nobis danda, cum P. Joanne a sancta Maria. Imo illis consonat communis Historicorum sententia ; qui omnes tradunt Patres Alcantarenses, non tam prompto animo ad Observantium obedientiam fuisse perductos. Sunt tamen alii, qui, nixi præsertim Bulla Pie IV* In suprema militantis, *censent dictos Patres plena voluntate a Conventualium obedientia recessisse. Præcipuus est P. Josephus Maria de Ancona qui sibi suffragantem facit Franciscum Gonzagam in Opere suo* de Origine Seraphicæ religionis Franciscanæ, ejusque progressibus. *Ille in* continuatione *Waddingi, ad annum* 1563 *in hunc ratiocinatur modum.* Per Constitutionem... cui initium *in suprema militantis* datam VIII Kal. Januarii *(mendum est ; lege* Februarii) hoc anno (1563) tandem Pontifex Alcantarensium familiam regimini Ministri generalis totius Ordinis, Francisci Zamorensis, ejusque in munere succedentium *Obedientiæ atque tutelæ subjicit atque supponit ; votis annuens generalis Commissarii* (sancti Petri de Alcantara videlicet), *Magistri Provincialis, Custodum* ac *Definitorum Provinciæ sancti Josephi, qui* D
capitulariter congregati, apud Bobadillam videlicet, *considerantes, quod si dicta sua provincia tutelæ et obedientiæ Francisci præfati, et pro tempore existentis generalis Ministri Ordinis Fratrum Minorum regularis Observantiæ supponeretur et subjiceretur, ex hoc feliciter ejusdem suæ provinciæ, singulorumque illius conventuum, et personarum administrationi et incremento non mediocriter consuleretur, et ad meliorem vitæ frugem reduceretur, Bartholomæum de sancta Anna cum mandato et commissione ad hoc sufficienti ad almam Urbem, dictumque Franciscum destinaverunt;* sicque factum est, quod idem *Bartholomæus, ut eadem subjectio liberius, commodiusque, fieret, universis et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus et aliis gratiis, sibi, dictæque provinciæ ac ejus superioribus ac personis per quoscumque Romanos Pontifices quomodolibet ad illud usque tempus concessis, renuntiavit.* Eodem insuper Bartholomæo suorum nomine instante, Pontifex et provinciam Observantium obedientiæ submittit, et universa privilegia atque concordata confirmat. *Ex his omnibus concludit P. Josephus Mar. de Ancona* ipsa luce clarius *constare, Patres Alcantarenses non adeo ægre* E
a Conventualibus defecisse, quod fere omnes, *inquit,* iique præcipue, qui acta sancti Petri Alcantarensis, aut historiam provinciæ sancti Josephi narrant, unus ex altero pro more, non præmaturo consilio, sententias mutuantes, exscribunt (8).

Placita ejus non probantur.

54 *Sane verba laudatæ Bullæ, si stricte atque absolute sumantur, non obscure favent placitis P. Josephi; ast nonne dici potest, Bullæ textum satis verificari, etiamsi admittatur Patres Alcantarenses optasse quidem magis vel sub Conventualium remanere obedientia, vel immediate sanctæ subjici Sedi; attamen, si ita, omnibus perpensis, præplaceret, noluisse eos acrius instare, ne Observantiæ subderentur? Hoc autem posito, verum erit Pontificem* annuisse eorum votis, *eosque haud parvum sibi ex conjunctione cum Observantibus sperasse proventum. Id certum Bartholomæum de sancta Anna triplici, juxta Joannem a sancta Maria aliosque eum secutos, instructum fuisse petitione, quarum tertia rogabatur adjunctio cum Observantibus. Nec mirum eumdem Bartholomæum, cum videret priora duo, quæ in mandatis habebat, non succedere, institisse ut, quod tertio loco ipsi commissum fuerat, consequeretur. Cæterum et hic partes suas tribuere oportet* F
stylo curiæ. *Unde minime improbabilis nobis videtur narratio P. Joannis a sancta Maria, cujus, tum propter munera, quæ in sancti Josephi provincia gessit, tum propter ætatem, quæ non adeo a provinciæ initiis distabat, ita quidem ut plerisque ejusdem fundatoribus suppar esset; tum denique propter viri gravitatem, haud facile rejicienda auctoritas est, tanto magis, quod plerique scriptores ei hac in quæstione consentiant.*

Sententia Francisci Gonzagæ,

55 *Nec jure nobis videtur laudatus P. Josephus Maria de Ancona sibi suffragantem dicere P. Franciscum Gonzagam, cujus utique hic magni esset ponderis assertio, utpote qui adeo vicinus initiis provinciæ S Josephi scripsit, cum ejus historia in lucem prodierit anno* 1587; *cujus propterea textum hic in extenso recitasse juvabit Christophorus Bravo, primus provinciæ sancti Josephi minister* Romam, *inquit ille,* de negotiis provinciam ipsam concernentibus acturus, concessit. Cujus quidem itineris hæc potissimum causa fuit. Dabatur siquidem ejus fratribus et ipsi probro, quod, qui Regulæ zelotes

(1) Bullarium FF. Min. Tom. I, p. 184 et seqq. Edit. Matriti 1744.— (2) Ibid., p. 188. — (3) Tom. XIX *in Regesto Pontificio*, p. 574 et seqq. — (4) Ibid., p. 577. — (5) Ibid., p. .74. — (6) Art de vérifier les dates, p. 515.—(7) Ibid., p. 316.— (8) Annales Minorum, t. XIX, p. 436.

haberi

A haberi vellent, conventualibus Patribus subessent. Accedebat iis rumor de reformandis reducendisque iisdem Patribus conventualibus ad regularem Observantiam per universam Hispaniam ubique sparsis : quapropter id sibi itineris metiendum fore existimavit. Præfatus interim Pater Fr. Petrus Alcantarensis, qui adhuc commissariatus officio, ut præfati sumus, fungebatur, litteris sibi ac cæteris provinciæ patribus fratribusque ex urbe Roma ab illustrissimo Domino Pio Carpensi S. R. E. Cardinali, atque Minoritici Observantis Instituti eximio Protectore, et a Reverendo P. Francisco Gusmanio, tunc Romano ejusdem Ordinis procuratore, transmissis (suadebat omnino illis præfati Ordinis illustrissimus Protector ac Romanus Procurator, ut Patribus Romanis vale dicto, Franciscanis Observantibus nomen et obedientiam darent) annuendum censuit. Quamobrem peractis provincialibus comitiis, novoque ministro, concurrentibus Patrum suffragiis, electo, fratre scilicet Bartholomæo a sancta Anna, Patribus Observantibus se suosque fratres submisit. At provincialis Minister novissime electus, quatuor primum monasteriis præcedentibus locis superadditis, Romam se contulit. Cum-
B que Genuam appulsus intellexisset Franciscum Zamorensem, totius Ordinis Minorum tunc Generalem Venetiis agere, eo secum de actibus capitularibus collaturus, convolavit ; et ad locum perventus *(sic)* qui ab eorum utroque hujusmodi translationis causa observandum foret, unanimi consensu ambo simul statuere. Indeque postea solvens Urbem applicuit, factumque summo Pontifici Pio IV omnino aperuit, qui, edita sub titulo Unionis plumbea Bulla, VIII *(supple Kalendas)* Februarii, anno Domini MDLXIII, Pontificatus vero sui anno IV, præstitam hujusmodi Observantibus obedientiam et translationem atque acta inter præfatos generalem et provincialem Ministros stabilivit. Quæ vero inter utrosque Ministros acta fuerant, hujusmodi tenoris erant : Renuntiaverat enim præfatus Minister provinciæ sancti Josephi suo suorumque Fratrum, quorum partes agebat, nomine, omnibus privilegiis Regulari Observantiæ contradicentibus, seque atque illos generalis Fratrum Observantum Ministri obedientiæ submittebat, eum interim verum atque legitimum pastorem in omnibus agnoscens. Præcepit præterea idem summus Pontifex Pius IV præfato generali Ministro, ejusque com-
C missariis pro tempore existentibus, quatenus præfatæ sancti Josephi provinciæ ejusque alumnis pro virili adessent atque faverent. *Hactenus Gonzaga* (1).

explicatur et ponderatur.

56 *Ex hac narratione non sequitur suppositilia esse, quæ P. Joannes a sancta Maria aliique tradunt acta in capitulo ad Bobadillam. Hæc nempe a Gonzaga prætermittuntur, quin asserat an Patres Alcantarenses Observantium obedientiam amplexi sint prompto an repugnanti (quo diximus sensu) animo. Cæterum utut magna est Gonzagæ auctoritas, qui Opus suum triginta fere annis antequam Joannes a sancta Maria Chronica sua ederet, vulgavit; cum tamen laudatus Gonzaga in Italia degeret, nullam utique temeritatis notam incurret, qui dixerit P. Joanni a sancta Maria facilius certiusque ad manum fuisse documenta authentica, ex quibus genuinam actorum apud Bobadillam narrationem ordinaret.*

Illius aliquis lapsus notatur.

57 *Accedit Gonzagam, juxta Josephum Mariam de Ancona, labi, dum diserte edicit Bartholomæum a sancta Anna, dignitate Ministri provincialis insignitum, Romam ivisse, licet reapse hoc nomine veniat in Bulla Pie IV. Operæ proinde pretium est laudatum Waddingi continuatorem ratiocinantem audire :* Marcus, *inquit,* de Alcala sive Complutensis, Antonio Panes provinciæ sancti Joannis Baptistæ Chronologo, cujus verba refert, adhærens, atque vetusti cujusdam ab ipso asserti codicis testimonium producens, animose scribit, hoc eodem in concessu *(ad Bobadillam scilicet)* Christophorum Bravo, Ministrum Romæ degentem, a munere absolutum, ejusque loco suffectum Bartholomæum de sancta Anna, novosque etiam definitores electos, Isidorum videlicet de sancto Jacobo, Davidem de Monte, Antonium Olisyponensem et Franciscum de Gallisteo, *laicum*. Addit præterea ad hujusmodi suam sententiam confirmandam, cum eodem Antonio, Pontificiæ constitutionis auctoritatem, in qua semel iterumque Bartholomæus de sancta Anna Provincialis dicitur, deque Christophoro Bravo ne vel minima mentio fit. *(Liceat nobis hic addere, revera in Bulla rem, ut asserit Complutensis, reperiri).* Nos tamen Joannis de sancta Maria antiquioris ejusdem provinciæ egregiique Chronologi, cæterorumque illorum, qui acta sancti Petri scripsere, sententiam sequen- E tes, judicio nostro veriorem cum iisdem asserimus, Bartholomæum Definitorem Romam post Bravum missum, capitulari provinciæ atque sancti Petri auctoritate veluti commissarium missum, ut in negotio, de quo agebatur, provincialem Bravum, minus quam par esset sollicitum, superiorem minime agnosceret, quinimo ejus defectibus, si qui essent, in hac parte suppleret. Et en ratio, cur in laudata constitutione Pontifex illius dumtaxat meminerit, eumque Provincialem vocaverit. Cæterum quod Christophorus Roma Hispaniam reversus, suum ipsius officium ad annum usque MDLXIV sit prosequutus, etiamque Ministri generalis nomine sodales ad obedientiam receperit, laudatus Joannes de sancta Maria non obscure testatur. Quapropter dicendum, quod omnimodam improbabilitatem Marci opinio recensita præ se fert, quod nimirum capitulum superiori anno (1561) celebratum, iterum hoc anno convocatum sit; quod cum provinciali etiam fuerint definitores electi; quod inter eosdem definitores Franciscus de Gallisteo *laicus* (tanti muneris propterea exercendi minime idoneus) adnumeratus fuerit; et tandem quod vir innocuus, quinimo et verus Dei servus, Christo- F phorus nempe, ab integro capitulari consessu, cui ipsemet Petrus præerat, fuerit ignominiose et non absque injustitiæ nota ab officio depositus. *Hucusque Josephus Maria de Ancona in Annalibus Minorum ad annum* 1562 (2). *Quod quidem ratiocinium suo non caret pondere. Attamen fatendum longe majorem verbis Bullæ hic inferri vim, quam quæ a nobis in superiore interpretatione adhibenda fuit, si qua tamen vere dici possit adhibita. Ex quibus id saltem sequitur, non omnem ex hujusmodi pontificiis constitutionibus solvi posse quæstionem historicam. Præterea animadvertet eruditus lector, mirum sane esse tantum hic a Patre Josepho tribui Joanni a sancta Maria, cum alibi et quidem in quæstione principali, tam facile ab eo recesserit.*

Quo statu esset Provincia cum S. Fr. Petrus moreretur.

58 *Mortuus est S.* Petrus *de Alcantara* XVIII *Octobris* 1562. *Roma Profecti sunt provincialis et commissarius medio Februario anni sequentis, Arenasque pervenerunt ineunte Maio anni* 1563. Vidit S. Fundator ante mortem suam, *inquit P. Joannes a S. Maria,* augmentum provinciæ, quam tanto

(1) De origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ, part. III, *ubi de Provincia S. Josephi*, p. 1132 et 1133.— (2) T. XIX, p. 289 et 290.

cum

B. B cum labore fundaverat. Jam decem existebant domus, et aliæ duæ acceptatæ; præterea instituta erat custodia in regno Valentiæ, atque illuc missi fratres, prout posthæc dicetur. Inter eos florebant viri, insignes Dei servi, jamjam monstrantes quid in posterum futuri essent. Ubique crescebat devotio, ob præclara exempla a fratribus exhibita. Quæ sane omnia haud parvum sancto Fundatori afferrebant solatium, qui præ gaudio a lacrymis sibi temperare non valebat, cum hæc audiret, vel nuntius ei veniret de novo aliquo fundato conventu. In omnibus conventibus jam fundatis aderat justus fratrum numerus, qui juxta institutum vacabant variis officiis et ministeriis, et præsertim perfectæ studebant regularum observantiæ, sanctæ paupertati, concordiæ et religiosæ gravitati. Non voluit Deus, ut videret eos (liceat id dicere) spe sua dejectos, atque alteri subjectos obedientiæ, quam sub qua eos ipse fundaverat: id enim gravius ei accidisset quam mors; nec etiam filii sine dolore se subjecerunt, qui tantopere hoc timuerant, et multo libentius alterutrum duorum supra dictorum mediorum elegissent: ast necessitas ante rationem est. Sanctum Fr. Petrum Dominus ad se vocavit, B multis diebus antequam expediretur Breve et submissio perficeretur (1). *Hic perspicue omnino elucet quo animo et S.* Petrus *ejusque fratres Observantiæ se subjecerint, ex mente Fr. Joannis a S. Maria.*

Reformationis incrementa, mortuo S. Petro.

59 *Post mortem S.* Petri, *Reformatio celeres multiplicesque habuit progressus.* Exinde, *ait Capellus*, plurimas in provincias, non in Hispania solum, sed altero in orbe, in Philippinis Insulis et Moluchis, in Sinis atque Japonia, sanctissimum strictioris Ordinis institutum disseminatum est. Pervagata jam in terras omnes Petri sanctimonia, sementem ubique faciente uberem ac felicem; ita plane, ut in cœnobiis, quæ jam *(anno* 1669) supra trecenta numerantur, ea paupertatis ac perfectionis evangelicæ fruges existat, quæ utriusque ecclesiæ horrea, et militantis exemplo et triumphantis gaudio impleat sanctitatis. *Ita Alexander comes Capraria, advocatus Consistorialis, in Oratione habita ad consistorium publicum, die* 21 *Martii anno* 1669 (2). *Eadem paulo latius jam exposita fuerant in Congregatione Sacrorum Rituum, coram Summo Pontifice, Alexandro VII, die* 12 *Aprilis* 1660. *Scilicet in* Narratione *seu Relatione* de vita, rebus gestis et miraculis B. Petri, *quam Cardinalis* C *Sachettus ibidem ex scripto prosecutus est, hæc reperiuntur.* Fundavit subinde Petrus Provinciam S. Josephi, ex qua prodiere Custodia S. Simeonis in regno Galleciæ, ac Provinciæ S. Pauli in regno Castellæ, et S. Joannis Baptistæ in regno Valentiæ, a qua ortum habuit Provincia suo nomine nuncupata, nempe B. Petri de Alcantara. Peperit etiam dicta Provincia S. Josephi Provincias S. Didaci in regno Mexicano; S. Gregorii in Insulis Philippinis; Matris Dei in Insulis Orientalibus; nec non conventus plerosque in Insulis Moluchis, et in civitatibus Japone, Vomura et Meaco. Sic multiplicatis domibus, augebatur numerus fratrum, augebantur seraphici Gregis oves fœtosæ, abundantes in egressibus suis, omnes gemellis fœtibus, quasi sterilis non esset inter eas. Nullam provinciam Petrus condidit quæ nardo pietatis suæ non oluerit odorem suavitatis; totque religiosorum choros instituit, qui Deum diu noctuque laudarent, et perfecto corde diligerent, quot cœnobia fundavit: in illis enim prout Petrus jecit Evangelicæ paupertatis fundamenta, ita tanta adhuc viget regularis disciplinæ observantia, ut, quot illa sunt, tot miracula dici possint. D

De Discalceatis ante S. Petrum

60 *Notandum, id quod jam ex præcedentibus conjicere licet, ante S.* Petri de Alcantara *tempora exstitisse Discalceatos. Qua de re operæ pretium est audire B. Petrum Van den Haute in* Breviario historico Ordinis Minorum (3). Franciscani Discalceati, *inquit ille*, quales fuerunt in Hispania, sine ullo pedum operimento, ab anno 1487, sub illo titulo non leguntur ante tempus Papæ Urbani VIII, 1624 *(Superius tamen vidimus n.* 29 *in* Bulla Unionis *anni* 1517 *diserte agi de* Discalceatis; *an autem isti* sine ullo pedum operimento *incederent, non est hic inquirendi locus)* sed illorum Congregatio dicta fuit de *Evangelio*, quia illius consilia exacte observabant; de *Caputio*, quia portabant caputium longum pyramidale, tunicæ assutum; de *Guadalupe*, a suo promotore *(P. Joanne de Guadalupe).* Initium primum sumpserunt Discalceati a F. Joanne Solomajor de Popula, qui rigorose vixerat septennio Assisii... ac rigorem secum tulit 1486 in Hispaniam, ubi in Sierra Murena, ad S. Mariam de Angelis, inchoavit custodiam, postea provinciam Angelorum, et obiit sanctissime 1495. Cum valide contradicerent Conventuales E novæ congregationi, et validius se illi apponerent Observantes, surrexit prædicti socius F. Joannes de Guadelupe, qui cœpit stare pro muro ejus, ac varia indulta pontificia obtinere ab anno 1496. Ipse rigorem rigori sui pædagogi addidit, et novos reformatos regere cœpit ad illum annum 1496. Effecit, ut hi essent liberi a vicario provinciali Observantiæ, non tamen a Ministro generali Ordinis, nec a Vicario generali Observantiæ, saltem in principio. Tandem S. Petrus de Alcantara, ab anno 1560, majores adhuc rigores addidit.

Origo Provinciæ S. Josephi juxta S. Petrum Van den Haute;

61 *Hæc deinde quasi per partes laudatus scriptor resumit et latius evolvit. Atque agens de F. Paschalio ita scribit.* Anno 1540, certus F. Paschalius de Aquila Andalusiæ, provinciæ S. Jacobi, olim socius F. Joannis de Guadelupe, videns quod Discalceati uniti Observantibus, rigorem dimitterent, voluit sui magistri Reformationem novo zelo renovare. Vadens ideo Romam, impetravit a Paulo III varia indulta; redux vero ad suos, tot accepit nova loca, ut erexerit brevi Custodiam S. Simonis in Insula, apud Redundellam. Ut autem securior esset, adjunxit se Conventualibus, vi Brevis Pauli III, de F 10 Maji 1541, qui licentiam, ei datam, revocavit recipiendi quoslibet, etiam Observantes. Cum obiisset F. Paschalius, ejus partes egit F. Antonius a S. Quirico, qui secundam custodiam erexit, cum titulo S. Joseph, manens etiam annexus Conventualibus. Tunc S. Petrus de Alcantara, adscriptus nunc Sanctorum catalogo, provinciæ S. Gabrielis, licet suis, qua Minister, rigidas leges pacifice imposuisset, majori adhuc studens rigori, Discalceatorum coetum voluit promovere, juxta primævum spiritum. A Pio IV factus est apostolicus pro nova Reformatione Commissarius, recepit multas domos pauperrimas et erexit, ex illis et prædictis, novam provinciam S. Joseph, in summo rigore.

in cujus narratione nonnulla sunt castiganda

62 *Sunt hic nonnulla castiganda, utpote veritati minus consona. Imprimis confundi videtur Paschalius cum Joanne de Aquila, Arabidæ Provinciæ fundatore, quod jam supra, n.* 40 *notavimus etiam in Helyotto. Deinde custodia S. Simonis una eademque est cum custodia S. Josephi. Dicta sua hausit, Fr. Petrus Vendenhaute ex* Bullario Discalceatorum, *auctore P. Fr. Francisco Matritensi, qui ipse*

(1) Chronica de la Provincia de San Joseph, t. I, p 61. — (3) Vide Cappellum. Acta Canonizationis SS. Petri de Alcant. et Mar. Magdal. de Pazzis, p. 107. — (3) Tractatu II, cap. XXVIII.

secutus

A secutus est *Dominicum de Gubernatis* (1). *Scribit itaque præfatus P. Franciscus in Nota prævia ad Breve Pauli III ann.* 1548 (2). Joannes Paschalius nuncupatus, Joannis de Guadelupe discipulus et socius fidelissimus, in Bœthica natus, in S. Jacobi provincia professus, promovendæ Guadalupensi Reformationi constanti patientia adlaboravit. Magistro vita functo, opus non dimittens, invicta constantia Romam profectus varia a Pontifice diplomata impetravit, unde tandem sancti Simonis in Galletia custodiam fundavit, quam a sui fundatoris nomine, custodiam Paschalitarum fuisse nuncupatam comperimus. Jam conventum sancti Simonis in Insula in conspectu Redondellæ *(addit de Gubernatis* : ex quo datum custodiæ agnomen) in summo paupertatis rigore; secundum pariforme in oppido de Vigo, tertium Bajone in Galletia construxerat. A Paulo III per litteras in forma Brevis sub die 10 Martii, Pontificatus sui anno 7, impetraverat, ut ad novam suam custodiam (dederat enim nomen Conventualibus...) quoscumque de Observantia aut aliorum Ordinum accedere volentes, in sui consortium posset accipere... Ipsis autem Observantibus cæterisque de quovis instituto, etiam B indulsit, ut petita, licet non obtenta, suorum superiorum licentia (ad instar Obseruantium respectu Conventualium) possent ad suam custodiam convolare. *Ex his concludere licet custodiam finaliter a S. Josepho dictam, prius nomine Paschalitarum seu Paschasitarum vel etiam S.Simonis vulgo innotuisse. Ast perperam duplicis custodiæ et S. Simonis et S. Josephi fundator dicitur Paschalius cum revera una eademque sit. Nec etiam de Gubernatis duplicis custodiæ meminit, ast minus clare seu distincte loquitur. Quod ad licentiam recipiendi Observantes a summo Pontifice concessam Paschalio et deinde revocatam, pertinet; recitatur, tom I, pag.* 153 *Bullarii Discalceatorum, Breve Pauli III, datum die* 13 *Maii anno* 1541, *Pontificatus anno* 7, *qua conceditur Fr. Joanni Paschalio facultas admittendi fratres de familia Observantiæ aut cujuslibet alterius religionis, petita superiorum suorum, licet non obtenta licentia. Cum tamen ex hac concessione plura enascerentur incommoda et dissensiones, idem Pontifex Paulus III priores litteras suas cassavit et annullavit altero Brevi, dato* 9 *Maii anno* 1548, *pontificatus* 14. *Aliquæ deinde indultæ fuerunt facultates S.* Petro de Alcantara, *ac tandem* C *anno* 1563 *provincia S. Josephi ad Observantes rediit.*

Discalceati non differunt essentialiter a Recollectis, et Reformatis,

63 *Antequam finem huic paragrapho imponamus, quædam addidisse juvat ex superius laudato Breviario historico Ordinis Minorum, auctore P. J. Petro Van den Haute, Recollecto:* Notandum, *inquit* (3), quod Discalceati, Recollecti et Reformati, diversimode in diversis locis nuncupati, non sint nisi Observantes strictius viventes, et ab illis ac inter se non distinguantur, nisi penes accidentalia statuta et regimen subalternum. Hinc omnes illi vocantur in Instrumentis publicis Fratres Minores Strictioris Observantiæ vel Reformati, et additur distinctionis gratia aliquod agnomen subinde omnino accidentale.

prout diserte tradit Fr. Franciscus Matritensis, aliique.

64 *Et clarius P. F. Franciscus Matritensis in* Introductione prooemiali *ad Bullarium Minorum Discalceatorum :* Notandum est, *inquit* (4), quod Fratres Reformati in Italia, Recollecti in Gallia, et Discalceati in Hispania sunt idem inter se, et diversi a fratribus Regularis Observantiæ, in constitutionibus, in forma habitus, jubilationibus, conventibus, etc; non vero in Seraphica Regula; sed omnes sub uno capite, unicum corpus efficiunt, ut inconcusse sentiunt auctores. *Plures deinde citat; unum hic nos tantum exscribemus, ex quo, quidquid ad hanc rem pertinet facile erit colligere.* Hos omnes, videlicet Hispaniarum et Indiarum Discalceatos, Italiæ atque Germaniæ Reformatos, et Galliarum et Germano-Belgicos Recollectos, sub nomine Strictioris Observantiæ comprehendi, necnon cum Regulari Observantia, unum corpus, sub uno ministro generali totius Ordinis Minorum constituere, non est unde valeamus ambigere. Equidem his omnibus constat esse commune, quod ab Observantia Regulari, servata capitis unitate, sint separati, et sub arctioribus statutis, vitæque rigoribus in provinciis ab Observantiæ cœtu distinctis, per leges sibi proprias, ad rigorem Decretalium Nicolai III et Clementis V, nulla facta reservatione, vivere debeant; utque omnimodam cum Observantibus a generali totius Ordinis Ministro dependentiam non detrectent. Hinc forte permoti Carolus Rapineus, in sua de Recollectorum origine historia, et alii dixerunt: Discalceatos in Hispania, Reformatos in Italia et Recollec- E tos in Gallia, cum in præfatis omnino conveniant, solum nomine, terrarumque situ ab invicem distingui, unumque membrum in corpore Seraphico constituere; præfatos authores sua exinde in opinione confirmari non dubito, quod Italici nunc sub Reformatorum, nunc sub Strictioris Observantiæ vocabulo, nunc sub utroque conjunctim, in rescriptis Apostolicis nuncupentur; Gallicani etiam, nunc Recollecti, nunc Reformati, semper tamen de strictiori Observantia dicuntur : nec difformiter Hispaniarum Discalceati in Bullis Pontificiis, in Sacrarum Congregationum decretis, maxime ubi de speciali eorum vitæ methodo tractatur ex professo, nunc Reformati, nunc, et sæpius Discalceati, ac fere semper de Strictiori Observantia appellari consueverunt. *Hæc Dominicus de Gubernatis* (5); *similia habent P. Michael Angelus a Neapoli* (6), *Fr. Antonius a Venitia in suo* Horto Seraph., *italice conscripto; Fr. Didacus Lequile in* Hierarchia Franciscan *etc. Uno verbo in Franciscana familia Observantium, duo distinguuntur Ordines : Observantia et Reformatio. Minister generalis alternatim ex his et illis eligitur; hodie, quoniam per tempora Capitulum generale non cogitur, a summo* F *Pontifice Minister Ordinis generalis designatur Reformati, Recollecti, Discalceati, omnes simul veniunt, absque ullo discrimine, in rebus administrandis, sub nomine Strictioris Observantiæ. In specie Reformati Italiæ et Recollecti nostris in regionibus, sunt quid unum et idem : Recollecti sunt dicti, ne confunderentur nomine tenus cum Reformatis Lutheranis et hæreticis aliis, qui in Galliis et Germania invalescebant, cum PP. Reformati Italiæ per præfatas regiones cœperunt diffundi. Quæ tamen omnia non impediunt, quominus Reformati, Recollecti et Discalceati quædam habeant singulis propria; ita quidem ut in essentialibus confundantur, in accidentalibus ab invicem separentur præcipue Discalceati.*

Adduntur quædam de latoribus et progressu Discalceatorum.

65 Tales Discalceati *(verba sunt Breviarii historici loc. cit.)* admodum multiplicati et dispersi, conversioni infidelium multo studuerunt, ac ideo a Benedicto XIII per Breve *Nuper* de 3 Aprilis 1727, concessa fuit ipsis facultas erigendi in qualibet sua provincia seminarium missionariorum. Ad instar,

(1) Orbis Seraphicus, t. I, lib. v, cap. IX, § IX. — (2) Bullarium Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci, strictioris observantiæ Discalceatorum, t. I, p. 155. — (3) Tractatu II, cap. XXVIII, *quod de Discalceatis inscribitur*. — (4) T. I, p. 3. — (5) Orbis Seraphicus, t. II, lib. VII, cap. I. — (6) Cronologia Seraphica, part. I, fol. 319 et 320.

 etiam

B. P.

etiam cum aliquali arctatione jurisdictionis Superio- rnm generalium, Benedictus XIV per Breve *Lau- dabile* de 2 Augusti 1745, iterum declaravit, quod Discalceati et Recollecti deberent gaudere eisdem gratiis et prærogativis, quibus gaudent Observantes, utpote eisdem realiter uniti et identificati, præter specialia statuta, et possent ubique tertium Ordi- nem erigere. Habet insignis illa congregatio Dis- calceatorum Provinciam Pietatis in Lusitania, con- firmatam ab anno 1518; S. Gabrielis anno 1520; Arrabidorum ab anno 1561; S. Josephi in Cas- tella ab anno 1561; S. Antonii in Lusitania ab anno 1565; S. Joannis Baptistæ Valentiæ ab anno 1577; S. Gregorii Philippinarum ab anno 1586; S. Pauli in Hispania ab anno 1594; S. Didaci de Mexico ab anno 1606; S. Didaci in Bœtica ab anno 1620; Matris Dei in India Orientali ab anno 1622; S. Antonii in Brasilia ab anno 1657; S. Petri de Alcantara Granatæ ab anno 1659; Solitudinis in Lusitania ab anno 1670; S. Petri de Alcantara, Neapoli ab anno 1675; Immaculatæ Conceptionis in Brasilia ab anno 1675. Immaculatæ Conceptionis de la Beyra in Lusitania ab anno 1705; S. Paschalis Lyciensis ab anno 1742; Immaculatæ Conceptio-

B nis in Hispania ab anno 1744; Custodiam S. Pa- schalis Murciæ ab anno 1744: de qua in Capitulo Generali de 1756 Sess. 5. Habuerunt illi Discal- ceati primum ex suis Ministrum generalem totius Ordinis, egregium P. Petrum Joannetium de Mo- lina anno 1750, qui fuit, raro exemplo, iterum electus anno 1762. Habent etiam illi Discalceati aliquot Moniales sibi proprias *(ab initio tamen id non obtinuit, institutæ tantum fuerunt post medium sæculum decimum septimum. Vide Helyot* (1)) et Discalceatas nuncupatas et quidem pro illis de Foncentayna Hisp. jam inde existit decretum inter acta capituli gen. Romani de anno 1664; habent etiam alias sibi subjectas, inter quas sunt illæ regalis monasterii S. Claræ Neapoli... Quoad modum cantandi, Minister gen. anno 1727, de consilio Benedicti XIII, mandaverat cunctis, etiam Discalceatis, ut cantu Gregoriano uterentur, quod fuit a capitulo gen. Mediolani 4 Junii 1729 iterum et graviter statutum. Discalceati vero demonstra- runt Clementi XII *(qui Benedicto XIII successerat)* quod essent a sancto Petro de Alcantara finaliter instituti, et ille præscripsisset humilem Psalmo- diam, Reformationi convenientem *(Confer hujus*

C *commentarii num.* 46 *ab initio)*. Hinc idem Papa per Breve *Exponi* de 11 Julii *(juxta sæpius lauda- tum Bullarium Discalceat. lege* 12 Julii) anno 1731 revocavit decreta pro iis tantum provinciis in qui- bus totum Definitorium consentiret, ac sola Psal- modia simplex esset usualis. *Hucusque auctor* Bre- viarii historici, *in quo Datæ non semper accurate citantur, ut alicubi ipsi nos per transennam nota- vimus. Præterea opus illud, a plurimis laudatum, quodque merito suo utique non caret, stylo conscri- ptum est haud raro obscuro et plerumque barbaro atque abrupto.*

D

§ III. De quibusdam sancti Petri de Alcantara Scriptis. An Tractatus de Oratione et Meditatione depromptus sit ex V. Ludovico Granatensi; an vero hic potius Libellum S. Petri in Commentarium dilataverit.

Duo citantur S. Petri opuscula.

D*uorum meminit Butlerus, ad* XIX *Octobris, li- bellorum a sancto* Petro *conscriptorum : alter inscri- bitur* de Oratione et Meditatione; *alter tractat* de animi pace *seu tranquillitate. Prioris certo certius auctor est sanctus* Petrus; *an item et posterioris, sal- tem vehementer dubitare licet. Illius mentio occurrit apud omnes tum antiquiores tum recentiores, qui de Sancto nostro agunt; hujus vix est præter Butlerum qui meminerit. De utroque hic disseremus, lectoris* E *judicio subjicientes, quidquid apud varios et ex va- riis colligere potuerimus.*

Quid scribat P. Joannes a S. Maria de priori opusculo.

67 *P. Joannes a sancta Maria, qui omnium pri- mus vitam sancti* Petri de Alcantara *in lucem dedit, duobus in locis libelli de* Oratione et Meditatione *mentionem facit. Primum cap.* XV *n.* 142 *(juxta no- stram scilicet editionem), ubi agens de gratiis gratis datis, S.* Petrum *dono linguarum aliquousque præ- ditum fuisse concludit ex sapientia, efficacia et cla- ritate, qua propria sua utebatur lingua ad profectum illorum, quos instruendos suscipiebat, additque:* Quantum hoc in genere enituerit sanctus ille Vir, elucet tum ex modo, facilitate et perspicuitate, qua de oratione scripsit; tum ex iis, quæ tradide- runt ejus discipuli, quos tanto numero habuit, de methodo, qua verba faciebat de rebus ad spiritum et orationem pertinentibus. *Et rursus, sed multo explicatius, n.* 144 : Orabant *(Fratres et discipuli)* ut scripto quædam traderet, ex quibus perpetuo haurire possent monita pro sua directione. Quam- vis tam parvus et vilis sibi esset, manum operi admovit. Non quod multa conscripserit volumina, ut alii quidam Sancti; ast quæ nobis hoc in genere F reliquit, etsi pauca sint, ostendunt quam generoso duceretur spiritu, quam ardenti flagraret zelo. Scripsit nempe Tractatum, parvum quidem, sed simul tamen valde copiosum, tamquam regulam et compendium doctrinæ viris spiritualibus accom- modæ, in qua et modos indicat, quibus in hac via tendendum ad perfectionem est. Hoc libello conti- nentur quæcumque ad vitæ sanctitatem conferre possunt. Quem etiam ferunt docto, spirituali et sancto viro Ludovico de Granada in deliciis fuisse, atque principium tot egregiorum et salutarium li- brorum, quos hic tanto cum proventu et doctrina de Oratione et Meditatione composuit.

Ejusdem opusculi encomium ex P. Daurentio a D. Paulo.

68 *Exstat apud P. Laurentium a Divo Paulo Succum (in vita S.* Petri, *quam reperies apud nos secundo loco positam) epistola S. Petri ad Rodericum de Chaves, ex qua constat virum hunc, haud minus pietate quam genere insignem, plurimum institisse ut laudatum opusculum conscriberetur et publici juris fieret; ita quidem ut primarius videatur fuisse suscipiendi laboris auctor. Recitata epistola, sub- jungit P. Laurentius.* Cœpit hic Tractatus omnium piorum in Hispaniis percurrere manus, præcipue

(1) Histoire des Ordres religieux, part. V, cap. XXVIII.

Religiosorum,

A Religiosorum, qui perfectioni studebant, quo novitios instruerent; quod adeo nervose, perspicue ac egregie, regulis spiritus, æque mentem illuminet atque affectus cordis inflammet; unde in varias quoque linguas translatus, in Galliam, Germaniam, Poloniam aliasque regiones pertransivit. P. Ludovicus a Granata (tunc temporis vitæ spiritualis celebris magister) hujus tractatus æstimatione mire illectus, se unice sancti Viri orationibus commendandi causa, litteras eidem plenas obsequii perscripsit. De eodem sanctæ Theresiæ testimonium, cap. 30 ejus vitæ, hoc habetur. « Author est (S. Petrus) quorumdam tractatuum de Oratione, qui magno nunc loco habentur, quia a probe experto pleni fructus et perfectionis spiritualis compositi fuerunt. » Cujus Sanctæ attestationi aliæ quæcumque cedunt propter eminentem ejusdem in hoc studii genere doctrinam atque experientiam, ipsi B. Petro optime perspectam. Nec tamen superfluum videbitur sancti illius antistitis Francisci de Sales testimonium indicare, quo prima parte Epistolarum suarum spiritualium lib. 3, epist. 4 ad quamdam mulierem devotam ipse prædictos tractatus plurimum commendat, eamque ad eorum-
B dem lectionem serio cohortatur (1). *Hæc quidem omnia confidenter asserit P. Laurentius, infra tamen aliqua corrigenda videbimus.*

Quid de examine instituto a S. Rituum congregatione circa S. Petri opusculum.

69 *Similia habent cæteri (nec utique pauci sunt) qui de vita sancti* Petri *scripserunt, et nominatim P. Josephus Maria de Ancona, in Continuatione Annalium Minorum* (2), *ubi præterea addit :* Sub criterio item celebre opus exstitit Purpuratorum PP. Congregationis Sacrorum Rituum, fuitque post Urbani VIII decretum, omnium primum illorum, quæ deinceps ab apostolica sede in servorum Dei causis discutiendis, approbata sunt. *Quod tamen non ausim undequaque inconcussum asserere, cum S. Franciscus Salesius (ut hunc saltem nominemus) ante S.* Petrum *canonizatus fuerit anno scilicet* 1665; *ac proinde multiplicia ejus scripta examini præscripto subjecta fuerunt. Cum tamen ante Pontificatum Urbani VIII S.* Petrus *Beatorum numero adscriptus sit, atque causa canonizationis ageretur sive ante laudati Pontificis decreta, vel saltem penderet versus tempus quo hæc apparuerunt, non repugnat libellum* de Oratione et Meditatione *omnium primum judicio cardinalium fuisse subjectum, licet causa canonizationis absoluta tantum fuerit post*
C *causam aliorum Sanctorum, qui plura, dum viverent, typis mandarent opera. Notatu præterea dignum est, Bullam canonizationis nec directe nec indirecte libellum de Oratione, sive aliud quodvis opusculum a sancto* Petro *conscriptum attingere vel indicare. Indubium nihilominus est, tractatum de Oratione fuisse examinatum, cum certum sit hunc sancti* Petri *partum esse; aliunde vero, teste Benedicto XIV,* perspicua est quoad operum revisionem lex Decretorum Urbani VIII : « Præterea illud etiam diligentissime indagandum est, an ille vel illa, pro cujus canonizatione instatur, scripserit aliquos libros, tractatus, opuscula, meditationes, vel quid simile : nam si scripsisse constiterit, non prius est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quam tales libri in sacra Congregatione examinentur, utrum contineant errores contra fidem vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam vel peregrinam, atque a communi sensu ecclesiæ et consuetudine alienam. » *Hactenus Bened. XIV* (3), *qui licet, non pauca de S.* Petro *in citato opere memoret, nihil tamen de Libelli examine tradit. Examinatum vero fuisse satis superque efficitur ex modo dictis, et præterea Fr. Antonius Vincentius a Matrito, in* Monito, *cujus paulo inferius prolixa recurret mentio, asserit, se Roma accepisse a RR. Patre Commissario curiæ, epistolam* datam tertia Aprilis præsentis anni (1749) in qua mandat se reperisse in archivo Vaticani, librum seu exemplar qui oblatus fuerat S. Congregationi in executionem decretorum Urbani VIII; huncque librum ad litteram et apicem *prorsus concordare cum editione Abulensi an.* 1574 *et Matritensi an.* 1738, *cura Fr. Rochi de Montejon.*

B. B.

Tractatus de Oratione hodie parum notus.

70 *Quamvis tractatus de Oratione et Meditatione omnium olim in manibus merito versaretur, nostra ætate fere ignotus est saltem extra Hispaniam. Testaturque D.* Migne *in postrema editione Operum S. Teresiæ SS.* Petri de Alcantara, *Joannis a Cruce etc.* (*Parisiis* 1845) *se nonnisi difficulter exemplar, quod excuderet, invenisse.*

Recensio et laus illius ex Nicolao Antonio.

71 *Nicolaus Antonius in* Bibliotheca Hispana nova *hunc in modum commentatur.* Ejus (S. Petri) est aureus ille libellus, qui medullam asceticæ totius doctrinæ continet, cujusque S. virgo Teresia de Jesu, capite XX Vitæ suæ recordatur, carissimum sibi in Christo caput meritis laudibus, non hic tantum, sed et cap. XXVII et aliis suorum Ope- E
rum locis, commendans; scilicet : *De la Oracion y Meditacion.* In quo præcepta ad recte orandum et meditandum, brevitate magna, sed cum incredibili legentium fructu, Vir tradidit orando exercitatissimus. Hunc scripsit præfectus cum esset, sive Guardianus, S. Onuphrii de la Lapa nuncupati, prope Feria et Zafra, Extremaduræ oppida; qui prælo mandatus fuit sæpissime, nec in latinum dumtaxat sed in omnes fere Europæ linguas conversus. Hispanas editiones, Olisiponensem anni 1560, et forte 1562, Salmantinam 1578, Pincianam 1620, apud Hieronymum Murillo in 16, Cæsaraugustanam apud Petrum Gal 1623, notas habemus. Latina interpretatio Antonii Dulkenii, Carthusiani est, quam edidit Joannes Chrithius Coloniæ 1607. Gallica autem anni 1622 Alexandri Poequelii Bellovacensis, Ordinis Minorum Recollectorum, provinciæ sancti Dionysii præfecti, cujus viri meminit cum amplissimo elogio Placidus Gallemant in sua Historia ejusdem provinciæ pag. 49 et pag. 243. Qui Poequelius etiam S. Petri vitam gallice scripsit. Italicam quoque interpretationem dedit alius Florentiæ apud Georgium Marescotum 1583 in 12, quam deinde, quibusdam F
adjunctis, aut loco suo mutatis aliis, suo nomine edidit Angelus Minicuccus, Carmelita, Romæ apud Guilielmum Faciotum 1600 in 12. *Hactenus Nicolaus Antonius* (4). *Quod fecit Minicuccus, pariter factum reperio in interpretatione Flandrica Antverpiæ edita anno* 1709, *ubi pars posterior priori præponitur et alia quædam, turbato primigenio ordine, mutata sunt. Non tamen desunt aliæ eodem idiomate editiones, in quibus servato ordine, quo primum prodiit, libellus occurrit.*

Omnimoda præfati tractatus similitudo cum libro Ludovici Granatensis.

72 *Ast hic imprimis notanda est omnimoda similitudo, quæ intercedit libellum inter S.* Petri de Alcantara *et librum Fr. Ludovici Granatensis. Sufficit vel titulos utriusque percurrisse, ut manifestum cuique fiat alterum alterius esse compendium. Utrumque opus duabus constat partibus; prior agit de Oratione seu Meditatione; posterior de Devotione. Partis primæ caput primum inscribitur apud Granatensem :* Quam utilis et necessaria sit consideratio ; *S.* Petrus *habet :* de Fructibus orationis et meditationis. *Hic tamen differunt inter se ambo scriptores : prior*

(1) Vita S. Petri de Alcant., lib. I, cap. XIII. — (2) T. XIX, ad an. 1562, n. 325 et seqq. — (3) De Servorum Dei Beatif., lib II, cap. XXV, n. 2. — (4) Bibl. Hispana Nova, sive Hispanorum scriptorum, qui ab an. MD ad an. MDCLXXXIV floruere Notitia, t. II, p. 166. Edit. Matriti 1788.

D. B.

prior aliam probandi orationis emolumenta init viam, aliaque evolvit argumenta, quam posterior: ita ut dici possit utrumque hic sibi propria proferre: ille prolixe quidem; hic valde breviter. Ita quidem juxta gallicas versiones mox indicandas. Sequuntur in utroque quatuordecim meditationum argumenta; apud Granatensem multopere evoluta, apud Alcantarensem valde contracta; sed iisdem fere utuntur verbis: eodem ordine procedunt, hoc solo discrimine, quod prior duas singulis diebus intelligat faciendas Meditationes, alteram mane, vespere alteram; Petrus vero unicam tantum per diem supponat. In matutinum tempus proponit Granatensis 1 die Lunæ Eucharistiæ Institutionem; 2 die Martis Christi in Horto Orationem et Comprehensionem; 3 die Mercurii Christum coram Tribunalibus ejusque Flagellationem; 4 die Jovis Coronationem et Crucis Bajulationem; 5 die Veneris Christum in Crucem actum et septem ab eo prolata Verba; 6 Sabbato Cordis Perforationem, Descensum ad inferos, Sepulturam; 7 die Dominica, Resurrectionem. Alias dein septem meditationes habet in vespertinum cujusque diei tempus: 1 de Peccatis, 2 de Miseriis hujus vitæ, 3 de Morte, 4 de Judicio Ultimo, 5 de Inferno,
B 6 de Cœlo, 7 de Dei Beneficiis.

S. Petri libellus, compendium est Ludovici Grannatensis;

73 *Eadem argumenta, eodem ordine, eodem modo digesta, iisdem fere verbis, paucis omnino ex suo additis, habet sanctus* Petrus. *Ast, ut jam monuimus, quæ Granatensis explicata valde tradit, hic valde compendiose proponit. Imo ille meditationes septem de Peccatis etc. prius uno tenore breviter exhibet, atque dein ex professo latissime, quasi per partes amplificat. S.* Petrus *priorem textum, paucis prætermissis, habet. Præterea argumenta Granatensis vespertina, hic primis septem diebus assignat; argumenta vero matutina sequentibus septem diebus proponit. In reliquis eadem observatur similitudo. Atque hæc obiter tantum, ex qualicumque collatione utriusque tractatus juxta gallicas versiones; Opusculi quidem S.* Petri, *prout nuper editum inter Opera S. Teresiæ est typis Mignianis* (1); *Granatensis vero, prout reperitur inter hujus Opera spiritualia, duobus voluminibus in-fol. excussa Parisiis an.* 1667 (2).

Quod et clarius elucet ex textu Hispanico,

74 *Ast necesse est accuratius hæc expendisse ex collatione textus Hispanici. Scilicet præ manibus habemus hinc S. Petri libellum, editum Barcinone anno* 1761 (3), *cum prævio* Monito *(Advertencia) P. F. Antonii Vincentii a Matrito Lectoris Theo-*
C *logiæ et Definitoris provinciæ S. Josephi; inde Opera Ven. Ludovici Granatensis edita Matriti anno* 1800 (4). *Ex quorum collatione efficitur, non solum utrumque opus concordare quoad* Sententias, *verum etiam quoad* verba. *Exemplo sit sequens textus, qui in utroque identicus est, quem Hispanico idiomate (quia ad rem nostram facit) subjicimus:* Alli discurren los Angeles, ministran Archangeles, triunfan los Principados y alegranse las Potestades, enseñorean las Dominaciones, resplandecen las Virtudes, relampaguean los Tronos, lucen los Serafines, y todos cantan alabanzas a Dios *(ibi discurrunt Angeli, ministrant Archangeli, triumphant Principatus, lætantur Potestates, præsunt Dominationes, resplendescunt Virtutes, fulgurant Troni, lucent Seraphin, et omnes canticum Altissimo insonant); atque hæc in meditatione de Cœlo, in* Alcantarensi, *ad diem sabbati primæ septimanæ* (5), *in Granatensi in meditationibus nocturnis, seu in secunda serie, ad eumdem diem sabbati.* (6) *Et alibi:* Mira como todavia eres sobervio, ambicioso, ayrado, vanaglorioso, embidioso, malicioso, regalado, mudable, liviano, sensual, amigo de tus recreaciones, y conversaciones, y risas, y parlerias. *(Vide quomodo adhuc sic superbus, ambitiosus, iracundus, vanæ gloriæ deditus, invidiosus, maliciosus, delicatus, mutabilis, levis, sensualis, amicus oblectationum, colloquiorum, jocorum et loquacitatis* (7)). *Hos duos textus ideo citavimus, quia in hujusmodi enumerationibus facillimum fuisset, unum alterumve verbum mutare vel transponere. Alibi eadem prorsus recurrit identitas vocum et syllabarum. Nisi, ut jam monuimus, quod multa V. Ludovicus addat vel interserat, et hinc inde paulo diverso procedant ordine, atque præterea nonnulla, pauca tamen admodum, S.* Petrus *habeat, quæ in Granatensi non reperiuntur; ut est v. g. ab initio caput de* fructibus *et utilitate Orationis, quod in utroque diversum est.* D

juxta binam Operum V. Ludovici editionem Matritensem,

75 *Juverit præterea accuratius utrumque Tractatum, alterum cum altero per partes et capita conferre. Uterque dividitur in duas partes: in priori agitur de Oratione et Meditatione; in posteriori de Devotione. Prioris partis caput* I *in utroque convenit quoad argumentum* (utilitas et necessitas devotionis), *differt quoad tractandi modum. Caput* II, *de* E Materia *meditationis, desideratur in Granatensi; ast breve illud est. Capite* III *et* IV *proponit S.* Petrus *Meditationes quatuordecim, depromptas omnes vix non ad verbum ex Ven. Ludovico, sed valde abbreviatas. Capite* V *(in Granatensi IV) ubi* de Partibus orationis, *idem obtinet et rursus brevior est S.* Petrus. *Aliud est capite* VI (V) *de* Præparatione; *hic non solum brevior S.* Petrus *sed excepto titulo, capiti præfixo, et paucis aliquot ab initio lineis, vix aliquid habet quod in Granatensi reperiatur: sed rursus capite* VII (VI) de Lectione *conveniunt ambo scriptores; contrahit prior et paucula addit; sicut et capite* VIII (VII) *de* Meditatione; *item capite* IX (VIII) *e* gratiarum Actione; *hic tamen mediam fere partem de suo adjecit; capite vero* X *de* Oblatione *solus tractat S.* Petrus, *more suo breviter; et casus pite* XI (IX) *de* Petitione *quoad substantiam convenit cum Ven. Ludovico, ast, præter solitum, vix ejus inhæret verbis, et subjungit eximiam quamdam ad* petendum amorem divinum Orationem, *cujus in altero nullum inveni vestigium. Denique capite* XII (X) *veniunt* Monita ad bene meditandum. *Prologus et primum S.* Petri *Monitum, sicut et octavum, quod* F *præ cæteris prolixius est, non habentur in Granatensi; sex intermedia Monita, vix non ad verbum eadem in utroque; in altero quidem, ut assolet, brevia et contracta; in altero evoluta, et quadruplo ac amplius longiora. Atque hæc in priori Parte. Secundam Partem, quæ* de Devotione *inscribitur, uterque eodem dividit modo. Primum agitur de Natura devotionis; tum de Adjumentis; deinde de Impedimentis; postea de Tentationibus, quibus communiter objicimur in sectanda Devotione; denique traduntur Monita quædam sancto huic exercitio profutura seu necessaria. Hæc divisio ab utroque iisdem fere proponitur verbis. Ast in evolvendis singulis argumentis, ab invicem magis recedunt quam in priori Parte. Nihilominus, præsertim, non tamen exclusive, ubi de Adjumentis et Impedimentis, irrecusabilia, eaque multiplicia occurrunt tum in rebus tum in verbis signa, alterum scrip-* torem

(1) Œuvres très-complètes de S. Térèse. S. Pierre d'Alcantara, de S. Jean de la Croix et du B. Jean d'Avila. Paris 1845, in-4°, t. III, p. 303-363. — (2) Œuvres spirituelles de Louis de Grenade, traduites par Girard. Paris 1667. t. I, p. 214-436. — (3) Tratado de la Oration y Meditacion, que escrivio el mystico maestro y doctor illuminado San Pedro de Alcantara, y brevi instruction para las personas, que se quieren *(cupiunt)* dar a la oracion. — (4) Obras del V. P. M. Fr. Luis de Granada. Precede su Vida, escrita por el Licenciado Luis Meñoz. Madrid en la imprenta de la real compañia año MDCCC. t. II. — (5) Tratado de la Oracion y Meditacion, p. 69. *Barcinone an.* 1761. — (6) Obras del V. P. M. Fr. Luis de Granada, t. II, p. 127. — (7) Tratado, p. 22 et 23; Obras, t. II, p. 66.

B. B.

A *torem alteri præ manibus fuisse. Quod vero spectat ad* Brevem instructionem ad eos qui primum cœperunt Deo servire (1), *putem illam S.* Petro *propriam esse; saltem ego, satis diligenti adhibita investigatione, nihil tale reperi in venerabili Granatensi.*

et alteram tractatus de Oratione separatim editi Barcinone

77 *Atque hæc ex collatione Libelli S.* Petri *cum Tractatu Ven. Ludovici, juxta hujus operum binas editiones Matritenses; alteram anni* 1650 (2), *alteram anni* 1800 (3). *Ast et præsto mihi est liber Ven. Granatensis de Oratione et Meditatione, singillatim editus Hispanico item idiomate* (4), *ubi longe majorem videre est similitudinem seu identitatem cum Libello S.* Petri. *Consonant ad verbum in capite primo, quod prorsus identicum est in utroque scriptore, nihil addito, nihil dempto. In Capitibus ubi de* Partibus orationis, Præparatione, Lectione, Meditatione, gratiarum Actione, Oblatione, Petitione, Materia meditationis *(hæc enim in libro separatim edito non desideratur) ita concordant, ut prætermissis hinc inde quibusdam a S.* Petro, *aliisque, Orationc præsertim ad petendum divinum amorem, additis eædem iisdem verbis reddantur sententiæ, Ordine tamen paulisper immutato: Granatensis hæc omnia Meditationibus præmittit, S.* Petrus, *excepta* Materia, B *postponit. Quod vero ad ipsas Meditationes spectat, idem obtinet, quod in collatione numero præcedenti instituta. Denique in* Monitis ad bene meditandum, *quibus Pars prior clauditur, hic et Prologus et* septem *sequentia Monita ad syllabam consonant; pauca omnino prætermittit S.* Petrus *verba, superaddit vero vel interserit aliquot lineas in Monito primo, secundo et quinto: Octavum in Granatensi non reperitur, estque, ut supra jam dixi, cæteris prolixius. Quod vero ad posteriorem libelli S.* Petri *attinet partem, hæc quidem non separatim ponitur in libro Ven. Ludovici, quem hic examinamus; ast illius editor P. Fr. Dionysius Sanchez Moreno, ex Dominicana familia, in proloquio ad* Christianum et pium lectorem *hæc monet n.* 7: *se Tractatui de* Oratione *apposuisse nonnulla capita ad* Devotionem *spectantia, de Adjumentis scilicet, Impedimentis et Tentationibus, in exercitio Devotionis oriri solitis, harumque Remediis;* desumendo, *inquit, illa capita* ad litteram *(literalmente)* ex Compendio doctrinæ spiritualis, quod ex suis Operibus contraxit dictus venerabilis P. M.; quo argumentum hujus libri *(de Oratione)* omnibus suis numeris absolutum habeatur, nec tamen quidquam in illo reperiatur, quod C non sit a dicto Ven. P. M. Fr. Ludovico de Granada scriptum. *Ita ille ex Hispanico in latinum. Porro capita illa sunt quatuor numero. Primum (quod in Libro ordine* XXVIII *occurrit) describit quid sit Devotio, et ad litteram concordat cum capite primo Partis secundæ in libello S. Petri, hoc uno cum discrimine, quod hic ad finem addiderit aliquot (paucas tamen) lineas; Secundum agit de Adjumentis, atque hic ne vel una syllaba alter ab altero differunt; Tertium* novem *enumerat Impedimenta, S.* Petrus decem, *additis nempe* Scrupulis, *quos pauculis omnino lineis circumscribit, cætera, ut in precedenti capite, ad litteram eadem sunt; Quartum inscribitur de Tentationibus harumque Remediis: concordant uterque scriptor in prologo et quatuor prioribus paragraphis, ita tamen ut in primo quædam superaddantur seu interserantur a S.* Petro; *præterea hujus quintus et sextus paragraphus non habentur in Granatensi, cujus proin quintus concordat cum illius septimo: denique Octavus S.* Petro *proprius est; sed vicissim adduntur alia ad finem apud Ven. Ludovicum quæ in illo desiderantur; et rursus S.* Petrus *integrum subjicit caput quintum* Monita complectens ad sanctæ Devotionis exercitium facientia, *de quibus nihil prorsus in altero legitur. Atque hæc ita hic delibasse sufficiat, quin ulterius inquiramus unde ortum sit, ut liber Ven. Granatensis adeo a se diversus variis in editionibus excussus fuerit: id enim remote tantum rem nostram attingit. Siquidem, ex priori facta a nobis Operum inter se collatione, licet alicubi alter scriptor ab altero abludat sive in modo exponendi argumenti, sive in quibusdam additionibus, quæ apud S.* Petrum *habentur, atque inter alias* Petitio *illa* specialis amoris Divini (5), *quam in Granatensi nullibi reperi; ac demum diversa hinc inde capitum ordinatio, atque universim longe prolixior sit tractatus Ven. Ludovici; id tamen cuivis, ambas scriptiones vel obiter inspicienti, in oculos incurrit, eam esse utriusque convenientiam, ex verborum præsertim paritate, ut nullum sit dubium quin alterius opus alteri, cum scriberet, præ manibus omnino fuerit; alterum alterius sit compendium vel in commentarium evolutionem. Atque hinc oritur quæstio uter utri præluxerit; an S.* Petrus *Granatensi;* E *an potius hic illi?*

Uter duorum prior scripserit.

77 *Quod jam ab Echardo* (6) *notatum reperio: ait enim:* Hunc librum *(de Oratione)* omnium operum primum composuisse fertur *(Ludovicus Granatensis)* dum Prior ageret Cordubæ in eremo *Scala Cœli* dicta, ubi stetit ab anno MDXLIV ad MDLII, et iis annis in lucem edidisse. Quis vero duorum S. Petri de Alcantara aut Granatensis nostri prior de hoc argumento scripserit, an S. Petri libellum *de Oratione* in commentarium dilataverit Granatensis, an contra Granatensis opus fusius S. Petrus in compendium contraxerit? Digna est Hispanorum utriusque Ordinis inquisitione curiositas: ut ut sit, sua quique laus integra stat. Cæterum quod in Vita hujus sancti Petri gallicus interpres Marchesii lib. III c. XI refert, nempe Sanctum a Granatensi consultum, quo studio sibi esset incumbendum, respondisse a Deo sibi revelatum, illi deinceps a prædicatione cessandum, et libris scribendis omnino instandum; nescio an cui probabitur, cum a prædicatione numquam cessaverit Granatensis, imo nusquam eo ministerio magis claruerit, quam ex quo Lusitaniam circa MDLVI ingressus est, et annis plus quam XXV deinceps, F imo et ultimo vitæ, ætatis LXXXIV, etiam concionatus sit. *Hæc Echardus. Inter Manuscripta Bibliothecæ Burgund. Bruxellis, exstat sub n.* 15727 *volumen in-4° satis densum, in quo simul compacta servantur varia scripta P. Andreæ Marci Burriel, Societatis Jesu. Optabat scilicet vir ille eruditus typis mandare opera omnia Patrum aliorumque scriptorum Hispanorum; atque hunc in finem multa undequaque collegerat et colligebat, ut constat ex dicto volumine Ms. Inter scriptores, quorum opera edenda proponit, numeratur S.* Petrus de Alcantara, *hac cum notatione:* Si tamen ejus sint Meditationes, et non F. Ludovici Granatensis. *Obiit P. Burriel anno* 1762, *ætatis* 43, *cum præmature nimio studiorum labore vires fregisset suas. Quod ad motam hic ab Echardo, et jam supra a nobis, quæstionem attinet, licet non habeam unde omnino dirimam, breviter subjicio, quid mihi verosimilius appareat.*

(1) Breve introducion por los que comienzan a servir a nuestro Siñor. *Ad calcem Libelli de Oratione juxta edit. Barcinon.* 1761, p. 292-320. — (2) Dotrina Christiana, en la qual se enseña todo lo que el christiano deve hazer *(facere)*. Compuesta por el B. P. M. F. Luys de Granada. En Madrid año 1650. — (3) Ubi supra, t. II. — (4) Libro de la Oracion y Meditacion, en el qual se trata de la consideracion de los principales Misterios de nuestra fe, y de las partes y dotrina para la Oracion, por el venerable P. M. Fr. Luis de Granada, con la nueva concession di indulgentias. Barcelona 1705. — (5) P. 193-202. Edit. Barcinon. 1761. — (6) Scriptores Ordinis Prædicatorum recensiti, t. II, p. 287.

78 *Nonne*

H. S. Probabilius infertur Granatensem ante S. Petrum scripsisse.

78 *Nonne Granatensis, si S.* Petri *opusculum*
sibi usurpasset, id monuisset lectorem? Ast nec in
præfato de Oratione libro, nec in aliis tractatibus,
quos tanto edidit numero, vel minimam hac de re
reperire est mentionem. Dein sanctus Petrus, *quo*
tempore, juxta Echardum. Granatensis de Ora-
tione scripsit, per universam Hispaniam inclarue-
rat; unde pronum est judicare, scriptorem, qui
primas suas in lucem dabat elucubrationes, non
facile ausurum fuisse, tantum sibi a viro notissimo
mutuare, quin saltem indicaret se id fecisse et quam-
obrem fecisset. Nec idem dici potest de sancto Petro,
qui rogatu primarii cujusdam viri, concurrentibus
etiam aliorum votis, scriptionem suam suscepit, nec
ea omnino, saltem a principio, mente, ut publici
juris illam faceret; nec proinde opus habebat mo-
nere, quo præcipue ex fonte hausisset, satis sibi esse
ratus generatim indicasse, se ex pluribus collegisse
quæ proponeret, quod et diserte habet in epistola
sua ad D. Rodericum de Chaves : Et cum, *inquit,*
multos hac de materiam legisse libros; ex his de-
sumpsi breviter et in compendium redegi *(de ellos*
en breve he sacado y recopilado), quæ meliora mihi
sunt visa et magis utilia (1). *Nec etiam supervaca-*
B *neum fuerit notare opusculo S.* Petri *nullum præ-*
mitti monitum præliminare, in quo solent auctores
præfari de scopo sibi proposito, et adjumentis seu
fontibus, quibus sunt usi. Adde longe facilius fuisse
opus Ludovici Granatensis in compendium contra-
here, quam libellum sancti Petri *amplificare seu*
latius evolvere ; præsertim cum hujus a Ludovico
textus non uno tenore adscribatur (si tamen adscri-
batur), sed interrupte et per partes, haud raro satis
exiguas; quod utique convenit opus aliquod majus
in brevius contrahenti, qui seligit sententias, quo-
cumque loco illæ reperiantur, modo ad propositum
suum faciant. Ast non ita qui ex compendio pro-
lixiorem componere suscipit scriptionem, nisi forte
commentarium scribere intendat, textus diluci-
dandi gratia, quod utique Granatensis propositum
non fuit. Id denique certum, legenti separatim hu-
jus librum, ne in mentem quidem venire aliud opus-
culum ei præsto fuisse, cujus vestigiis sollicite
inhæreret. Verbo si argumentis intrinsecis res con-
ficienda esset, nullus dubitarem Granatensem S. Pe-
tro *præluxisse ; non vero hunc illi.*

Quid de scriptorum consensu in favorem S. Petri?

79 *Ast ex argumentis extrinsecis duplex exurgit*
difficultas. Prior petitur ex scriptorum consensu
passim asserentium, Granatensem inductum fuisse
C *lectione opusculi sancti* Petri *ad scribendum, seu ut*
habet Joannes a Sancta Mariæ, hanc ei principium
fuisse tot egregiorum et salutarium libellorum,
quos hic *(Granatensis nempe)* tanto cum proventu
et doctrina de Oratione et Meditatione composuit.
Verum probe notandum P. Joannem a S. Maria
dubitanter loqui, ut videre est hujus Commentarii
n. 67, ubi verba ejus in extenso adscripsimus :
adhibendo enim vocem ferunt, *satis ostendit rem non*
adeo sibi perspectam esse. Porro cum cæteri omnes,
ut vel ipsa quæ adhibent verba ostendunt, ex lau-
dati Patris hauserint fonte, evidens est eorum testi-
monium non gravioris esse ponderis, quam testimo-
nium illius quo nituntur. Insuper, quin ullam
suppressionis reddant rationem, omittunt vocem
ferunt, *atque simpliciter affirmant Granatensem a*
Sancto nostro ad scribendum fuisse inductum. Res
cæterum satis est usitata (nec ullum putem inveniri
eruditum qui propria id non didicerit experientia)
ut, quod ab antiquiore aliquo scriptore dubitanter
ponitur, apud posteriores tamquam certum assuma- D
tur, licet nullam adducant depositi dubii rationem.
Caute proinde hujusmodi assertis standum est, præ-
sertim si hæc ad laudem faciant Sancti, cujus viri
ejusdem Ordinis vitam exornant. Quæ cum in præ-
senti quæstione obtineant, fateor mihi præfatum
scriptorum consensum tanti non esse ut rationes
supra in contrarium allatas elidat. Cæterum dicta
hoc numero elucidabuntur ex sequentibus.

Ex editionum collatione S. Petri libellus prioritatem obtinet.

80 *Posterior difficultas oritur ex editionum colla-*
tione. Primam Libelli S. Petri *editionem refert*
Nicolaus Antonius (confer n. 72) ad annum 1560 ;
nec antiquior ab ullo uspiam recensetur. Scripsit,
inquit Waddingus (2), Hispanice (S. Petrus de Al-
cantara) egregium libellum de Oratione et Medita-
tione, ubique receptissimum, et in omnes ferme
linguas Europæas translatum. Illud ex Hispanico
in latinum transtulit Antonius Dulkenius, Carthu-
sianus. Prodiit Olyssipone anno 1560, Salmanticæ
1578, Burgis apud Juntas anno 1579, Cæsaraugu-
stæ apud Petrum Gal anno 1623 et alibi multoties.
Ex his satis aperte innuitur (nec enim omnino asse-
ritur) editionem Olyssiponensem omnium esse pri-
mam. Cum autem juxta laudatos auctores, Libellus
in præfata urbe editus sit et Hispanice et latine, E
infert exinde P. Fr. Antonius Vincentius in Monito,
de quo infra agemus, illum jam diu ante *(mucho*
antes) impressum fuisse : cum enim anno, *inquit,*
sexagesimo impressus fuerit et latine et lusita-
nice, id quidem supponit ante jam impressum, cum
versioni adornandæ latinæ tempus aliquale adhi-
bendum fuerit. Deductio hæc clara est, nec quid-
quam obstat, quominus illam admittamus; nam
cum libellus conscriptus sit anno 1533... non est
facile credendum per annos septemdecim perman-
sisse ineditum, *spectatis præsertim instantiis Ro-*
drici de Chaves aliorumque. Mera tamen hæc
hypothesis est, nec ita facile probanda, cum Tracta-
tus parum sit prolixus, nec proinde longo labore in
aliam linguam vertendus : nec denique aliquid ob-
stet, quominus Dulkenio (præfatæ versione auctori)
manuscriptus præsto fuerit. Id itaque inconcussum
manet primam, quæ noscitur, editionem libelli S. Pe-
tri *pertinere ad annum* 1560. *Apud Echardum* (3)
citatur liber venerabilis Ludovici Granatensis pri-
mum editus Salmanticæ anno 1567 ; *concordat Ni-*
colaus Antonius (4). *Laudatus autem P. Fr. Anto-*
nius Vincentius a Matrito in Monito opinatur non
existere præfati libri editionem, quæ facta sit ante F
annum 1574. *Addunt P. A. Touron* (5) *et Echar-*
dus (6) : Hunc librum omnium operum primum
composuisse fertur *(Ven. Ludovicus)* dum Prior
ageret Cordubæ in eremo Scala Cœli dicta, ubi
stetit ad anno MDXLIV ad MDLII, et iis annis in lucem
edidisse. *Cum tamen, quæ postremis his asseruntur*
verbis, nullo modo probantur, imo et dubitanter
tantum afferantur; id, si non asserendum, saltem est
assumendum, libellum S. Petri, *aliquot annis, puta*
septennio vel amplius, ante librum Ven. Ludovici
in lucem prodiisse; atque ex inde efficitur, causam
illius, facta editionum collatione, omnino vincere.
Non tamen ex his concludas velim rem nobis direm-
ptam undequaque esse. Nostra sententia, ut infra
declarabitur, S. Petro *præ manibus fuere codices*
manuscripti Ludovici Granatensis, ex quibus quæ
meliora et utiliora *videbantur excerpsit. Quare et*
examinandum, quo tempore, juxta communem opi-
nionem, uterque auctor suum scripserit tractatum.
Initium facimus a Granatensi, uno hic conspectu
subjicientes.

(1) Tratado de la Oracion y Meditacion. Edit. Barcinone 1761, p. 4. — (2) Scriptores Ordinis Minorum. Ubi de S. Petro de Alcantara. — (3) Scriptores Ordinis Prædicatorum, t. II, p. 287. Edit. Paris. 1720. — (4) Nova Bibliotheca Hispana. ad Verbum *Ludovicus Granat.* — (5) Histoire des hommes illustres de l'ordre de S. Dominique. t. IV, p. 564. — (6) Ubi supra.

A *subjicientes, quæ Ludovicus Muñoz in Vita ven. Ludovici, (edita primum, juxta Nicolaum Antonium* (1), *Matriti an.* 1639 *et, teste Echardo* (2), accurate juxta ac eleganter scripta) *Matritensi illius Operum editioni an.* 1800 *præmissa, variis in locis habet de libro de Oratione et Meditatione.*

Ubi et quando V. Ludovicus Granatensis suum de Oratione composuerit librum.

81 *Fundatus fuerat sæculo* XV *conventus Scalæ Cœli a Fr. Alvaro Cordubensi* (Alvaro de Cordova (3)) *præclaro Dei servo; sæculo sequenti ita derelictus erat, ut præter nomen et pristinæ sanctitatis famam, qua olim inclaruerat, vix jam aliquid superesset. Sanctam hanc solitudinem restituit Ludovicus Granatensis* (4), *ibique moratus est ab anno* 1544 *ad annum* 1552, *ut ex professo probat Ludovicus Muñoz, contra alios, qui perperam asserunt eo ven. Ludovicum venisse anno* 1534 (5). *Cum natus sit venerabilis vir an.* 1504, *sequitur eum quadragenarium fuisse, cum restaurandæ* Scalæ-cœli *manum admoturus venit. Inter alia notat laudatus Lud. Muñoz :* Ibi in tantum S. Fr. Ludovicus Granatensis Orationi se dedit, ut quo tamquam magister eamdem alios doceret, librum, sicut alter S. Bernardus, medias inter rupes illas et saxa, composuerit de Oratione et Meditatione, summo B cum animarum profectu. Ad fluvium ibat, qui viam stratam ad conventum prætercurrit, ibique sedens inter terræ anfractus, duobus dictabat fratribus scribentibus : unde et hucusque *Fluvius* vel *Rivus Fr. Ludovici Granatensis* audit. *Hactenus Lud. Muñoz, ex P. Fr. Ludovico Sotillo de Mesa, qui vitam scripsit benedicti Fr. Alvari Cordubensis* (6). *Rursus, ubi ex professo tractat de Operibus, a Ven. Ludovico lingua patria editis* (7) : secundum, *inquit*, volumen, (Ordine temporis primum : *inter opera primo loco venit* Dux *(Guia)* Peccatorum, *quamvis paulo tardius conscriptus, quem auctor omnibus suis elucubrationibus longe anteponebat)* inscribitur de Oratione et Meditatione, in quo agitur de consideratione præcipuorum mysteriorum, simul cum tribus aliis brevioribus tractatibus super primaria pœnitentiæ opera : Eleemosynam nempe, Jejunium et Orationem (8). *Et, data voluminis brevi per partes notitia, subjungit :* Vix opus in publicum prodierat, cum italice redditum sit a Camilo de Camilis, atque impressum Venetiis an. 1575; latine a Michaele Isselet, et impressum Coloniæ Agrippinæ an. 1586, et iterum 1591. Eodem favore donatus liber est apud cæteras na- C tiones (9). *Denique alio in loco hæc habet sæpe dictus Muñoz :* Non minoris ponderis est, nec minus ad encomium facit testimonium S. Petri de Alcantara, sicut et revelatio, quam habuit sanctus ille Vir. *Refert deinde* ad verbum (a la letra) *quod habetur in hortatoriis litteris D. Fr. Joannis del Molino, episcopi Placentini*, ex fœcundissimo et clarissimo Ordine S. Francisci. *Ille dies quadraginta indulgentiæ concedit cuivis suæ diæceseos fideli, qui vel ipse legerit vel ab alio prælegi audierit capitulum seu paragraphum ex Ven. Lud. Granatensi. (Quod idem etiam concesserunt plerarumque diæceseum episcopi et archiepiscopi per Hispaniam; imo Cardinalis Paschalis ab Aragonia, archiepiscopus Toletanus, centum dies indulsit cuivis legenti vel audienti* capitulum paragraphum vel periodum. *Vide Tractatum separatim editum, de quo supra* (10)). *Verba Placentini episcopi sunt hujusmodi :* Et quod majus est, opera et scripta V. P. M. Fr. Ludovici de Granada, dum in vivis adhuc erat, miraculoso oraculo et cœlesti revelatione commendari meruerunt, ut constat ex libro lingua italica composito Romæque impresso de vita miraculosa et revelationibus S. Petri de Alcantara, desumpta atque recollecta ex processibus canonizationis a celeberrimo hujus ætatis ac gravissimo scriptore, Francisco Marchese, congregationis Oratorii præsbytero; quem librum is dedicavit sanctissimo Domino nostro Clementi Papæ XI.... Libro itaque tertio, capite undecimo, numero secundo, hæc habetur clausula, quam fideliter in Hispanicum *(et nos ex hispanico in latinum)* reddimus : « Rogavit hoc tempore eum (S. Petrum de Alcantara) P. M. Fr. Ludovicus de Granada, ut dignaretur in oratione apud Dominum inquirere, quo potissimum ex ejus voluntate studia sua dirigere deberet : quod cum fecisset S. Petrus, ei Dominus revelavit, oportere ut dictus P. M. Fr. Ludovicus de Granada renuntiet ministerio prædicationis, seque impendat conscribendis operibus ad animarum profectum. *(Confer supra n.* 75). Continuo S. Vir rem Granatensi manifestavit, asseverans scripta ejus magno adjumento et solatio futura omnibus, qui in via Christianæ perfectionis progressus facere optabant. Hoc accepto monito securus, hic E componere cœpit tractatum de Oratione et Meditatione, in hoc omni studio collimans, ut imitaretur opera, quæ S. Pater (Petrus) de eadem materia conscripserat, evolvendo magis, quæ hic succincte tradiderat. Ac deinceps plures elucubravit tractatus cœlesti doctrina plenos; ex quibus perpetuo hauritur et colligitur fructus a devotis uberrimus, ut quotidiana demonstrat experientia (11). » *Hactenus Ludovicus Munoz, qui ne verbo quidem innuit dissentionem, de qua hoc paragrapho tractamus; textu tamen postremo loco descripto suum utrique scriptori tribuit librum. Cæterum ex citatis verbis efficitur tractatum de Oratione conscriptum seu absolutum in conventu Scalæ cœli, intra annum* 1544 *et* 1552. *Quod tamen non impedit, quominus ven. auctor antea jam plurima potuerit de hoc argumento colligere atque disponere.*

Ubi et quando S. Petrus de Oratione scripserit.

82 *Aliunde vero passim referunt Vitæ S.* Petri *scriptores, libellum ejus compositum fuisse tempore, quo Vir sanctus moraretur in conventu S. Onuphrii ad Lapam; id est, si dictis stemus P. Laurentii a Divo Paulo* (12), *versus annum* 1537 *seu* 1538. *Interfuit enim S.* Petrus *capitulo, in civitate Pacis Juliæ (vulgo Badajoz) celebrato an.* 1535. *Tum sex men-* F *sibus præfuit conventui præfatæ urbis. Post hæc per duos annos prædicando peragravit totum Pacis Juliæ episcopatum, uberes laborum suorum ubique colligens fructus. Quia vero ingenti quietis et solitudinis tenebatur desiderio, de superiorum consensu, secessit in conventum sancti Onuphrii ad Lapam, cui conventui addictus permansit fere usque ad annum* 1538, *quo in capitulo, unanimi suffragio, electus in provincialem est. Unde efficitur libellus conscriptus versus annum, ut diximus,* 1537 *vel* 1538; *hoc autem posito, decennio et amplius præcedit librum Granatensis. Concordant Baillet et Helyot (ille in Vita S. Petri ad* XIX *Octobris; hic in Historia Ordinum monasticorum* (13)). *Ast uterque tradunt vel saltem insinuant sanctum Virum jam ab anno* 1534 *conventum S. Onuphrii incoluisse. Imo P. Fr. Antonius Vincentius* certo certius esse *asserit libellum conscriptum anno* 1533.

(1) Bibliotheca Hispana nova, sive Hispanorum scriptorum, qui ab an. MD ad MDCLXXXIV floruere, notitia, t. II, p. 55. Edit. Matriti 1788. — (2) Scriptores Ordinis Prædicatorum, t. II, p. 286. Edit. Paris 1721. — (3) Vita del P. M. Fr. Luis de Granada, auctore Ludovico Muñoz, lib. I, cap. VI. Obras del V. P. M. Fr. Luis de Granada, t. I, p. 14. Edit. Matriti 1800. — (4) Ibid., p. 15 et seqq. — (5) Vida, lib. I, cap. VIII. Ibid., p. 21 et seqq. — (6) Muñoz. Ibid., cap. VI, p. 16. — (7) Idem. Ibid., lib. III, cap. III. — (8) Loc. cit., p. 175. — (9) Ibid., p. 176. — (10) Libro de la Oracion, etc. Barcinone 1705. *Ad initio sub titulo* : Concession de indulgencias. — (11) Nuñoz, Vida del P. M. Luis de Granada. *Inter hujus* Obras, t. I, p. 234. — (12) Lib I, cap. XIII ad cap. XVI; apud nos lib. I, n. 43-55. — (13) Part. V, cap. XX.

83 *Si*

B. B. incertum.

83 *Si undequaque constaret S.* Petrum, *reapse suum de Oratione tractatum scripsisse in conventu ad Lapam, et quidem dictis annis, vix non absoluta a nobis hic mota quæstio esset. Ast multum abest, ut, quæ de sancto* Petro *scribuntur, in quantum ordinem chronologicum spectant, accurata sint, præsertim ante initia provinciæ S. Josephi, ut jam ex ipsa mox laudatorum scriptorum discrepantia apparet, et multo etiam luculentius ex innumeris, et ad satietatem usque repetitis, querelis P. Joannis a Sancta Maria, qui, ut monuimus jam, omnium primus vitam Sancti nostri copiosius adornavit. Hic enim frequentissimus est in deploranda negligentia coævorum, qua factum est, ut paucissima ad nos de sancti Viri gestis pervenerint. Fateor equidem non tanti apud me esse ponderis scriptorum illorum auctoritatem quoad tempus et locum, quibus conscriptum velint præfatum libellum, ut ex illa dirempta possit censeri lis. Imo vix concipitur quod S.* Petro *potuerit esse componendo opusculo tempus, si, prout assumitur, anno tantum* 1537 *ad Lapam Vir sanctus pervenerit, ibidemque substiterit usque ad annum sequentem. Tam temporis illius spatio (ut ex duobus sequentibus Patris Laurentii capitibus colligitur) primum Placentiam petiit, causam reformatæ provinciæ S. Gabrielis coram episcopo dicturus; bis Alcantaram in patriam suam venit; bis Olyssiponem se recepit, ubi, secundo præcipue itinere, satis diu in aula moratus est. Unde haud parum nutat assertum eorum, qui libellum ad Lapam concinnatum volunt. Quid, quod et alias sanctus* Petrus *in eodem monasterio moratus sit, versus annum scilicet* 1548, *ut inferius narrat P. Laurentius lib.* I, *cap.* 21. *Ubi præterea refert sanctum Virum hinc fuisse vocatum in Lusitaniam, quo custodiæ Arabidæ, ex morte fundatoris sui Fr. Martini a sancta Maria vehementer concussæ, ferret auxilium. Deinde vero addit :* Aliquando singularibus Principum D. Mariæ ac Ludovici *(Infantis)* instantiis ad aulam transire coactus, ibidem multorum nobilium pietati oleum infundebat, suadendi lenitate. Interdum etiam magnum illum et doctrina et spiritu patrem Ludovicum a Granata (qui tunc forte Ulyssipone morabatur) de rebus cœlestibus, ac proprio animæ suæ statu consulens, ei quoque ad aliorum conversionem manus dabat. *Quidni igitur admittas libellum de* Oratione, *secunda hac ad Lapam commoratione conscriptum vel saltem absolutum, si tamen revera ibi conscriptus fuerit, de quo utique valde parum constat?*

Quid ex epistola S. Petri et verbis S. Teresiæ?

84 *Nec etiam certius aliquid deduxeris ex epistola S.* Petri *ad Rodericum de Chaves data. Cum hæc non prorsus eodem ab omnibus recitetur modo; sed præcipue cum nec diem nec annum notatum ferat, quo conscripta fuerit. Denique S. Teresiæ testimonium de B.* Petri *libello, ad rem nostram elucidandam parum aut nihil facit : cum sancta Mater vitam suam (quæ ordine temporis primum inter ejus opera obtinet locum) scribere non susceperit ante annum* 1561. *Id unum ex ejus verbis eruitur, opusculum sancti Viri post præfatum annum in omnium manibus fuisse. Confer num.* 68.

Monitum P. Fr. Antonii Vincentii, in quo ostendere intendit,

85 *Sola ergo hucusque in favorem S.* Petri *diserte militat editionum collatio. Ast jam nunc mentio facienda est eorum, quæ sæculo præterito inter PP. Dominicanæ familiæ et PP. Alcantarenses in Hispania disputata fuerunt. Prodiit scilicet anno* 1761 *novis typis Barcinone Libellus S.* Petri *hoc sub titulo (latine hic ad verbum reddito) :* Tractatus de Oratione et Meditatione, quem scripsit mysticus Magister et Doctor illuminatus S. Petrus de Alcantara, et brevis Instructio pro iis qui Orationi se dare exoptant. *Editioni huic præmittitur* Monitum *(Advertencia)* quod composuit R. P. F. Antonius Vincentius a Matrito, Lector Theologiæ, historiographus *(Chronista)* et Definitor sanctæ Provinciæ S. Josephi, pio et a partium studios alieno *(desapassionado)* lectori, nomine ejusdem provinciæ, et in obsequium admirabilis illius fundatoris, altissimæ contemplationis viri, S. Petri de Alcantara, divisum in tres partes seu puncta. *Primum ratio redditur cur nomine ipsius Provinciæ nova suscepta sit editio. Scilicet tum quia, utut sæpissime recussum, opusculum a multis desiderabatur; tum vero præcipue quia dubium a quibusdam injectum erat, an reapse S.* Petrus *illius author esset. Atque hoc posterius ex professo suscipit F. Antonius Vincentius elucidandum, tribus sui Moniti paragraphis seu punctis :* in primo, *inquit,* ad evidentiam usque ostendetur existentia libri S. Petri de Alcantara cui titulus; de Oratione et Meditatione; in secundo probat identitatem libelli in præsens editi, cum tractatu a S. Petro conscripto; in tertio denique operam dat dubia et objecta solvere. *Atque ita quidem ille, haud admodum clare propositum suum enuntians, quod aliud non habet, nisi ut libellum S.* Petro *vindicet, Granatensi abjudicet. Quo autem successu id præstiterit, ex dicendis efficietur.*

S. Petrum scripsisse libellum suum anno 1533;

86 *Et primo quidem ita statuit F. Antonius Vincentius :* Negari non potest, nisi quis velit omnem fidem humanam abjicere, S. Petrum de Alcantara, cum guardianus esset in conventu S. Onuphrii ad Lapam, scripsisse anno 1533 librum cui titulus : Liber de Oratione, Meditatione et Devotione; ad quem scribendum motus fuit continuis precibus et supplicationibus D. Roderici de Chaves, cui et librum dedicavit, ut constat ex epistola ab initio posita, quæ incipit, etc.; hancque veritatem testantur plures, iique doctissimi scriptores, tam domestici quam extranei. *Quosdam, inter plurimos, citat, S. Teresiam, Franciscum Salesium (vide ad finem hujus* §). *Palafoxium, Antonium Molinam Carthusianum, Nicolaum Antonium (quem doctissimum et accuratum vocat scriptorem) Tamayum Salazarium, Gregorium XV, Christinam Sueciæ reginam, testesque varios in processu canonizationis. Ast hi quidem omnes tradunt a S.* Petro *conscriptum libellum de Oratione et Meditatione; sed quo in loco, quove anno id factum sit, alte silent. Unus inter omnes occurrit Ferdinandus Cambero de Yegros, qui in libro suo :* Heros Seraphicus (El Heros Serafico) *Salamanticæ edito* 1723 *(prout citatur a F. Antonio Vincentio) cap. VII pag.* 52 *ita habet :* Frequens multorum concursus, et repetitæ instantiæ Roderici de Chaves animum divini Viri moverunt, ut scriberet tunc *(aqui)* Tractatum de Oratione et Meditatione. *Nec tamen ex his colligitur annus, quo conscriptus est, nec locus : vox enim* aqui, *reddi forte posset latine* ibi; *ast ex verbis a F. Antonio Vincentio allatis, nihil determinatur, ad quod vox* ibi *referri possit. Opus autem Camberosii mihi ad manus non est.*

ast quoad annum nihil probat P. F. Ant. Vincentius

87 *Ast dato etiam ibidem diserte reperiri (quod certo nullo modo obtinet) libellum conscriptum in conventu S. Onuphrii ad Lapam, mera hæc foret assertio scriptoris, recentioris ætatis : nec enim probatur. Cæterum et nobis indubitatum est, S.* Petrum *scripsisse hujusmodi libellum, et quidem rogatu præcipue Roderici de Chaves : id enim ex vita B.* Petri *luculenter omnino efficitur; et quod ad priorem partem mox dati asserti, ineluctabile est S. Teresiæ testimonium :* Ipse, *ait,* quorumdam libellorum de Oratione lingua patria conscriptorum auctor est, qui jam omnium manibus teruntur. *Quoad Epistolam Roderico de Chaves inscriptam; hæc, prout etiam*

A *etiam recitatur a F. Antonio Vincentio, nullam prorsus fert datam. Nec quoque videtur præfata epistola stat'm ab initio præfixa libello fuisse, imo nec toto sæculo* XVII, *ut saltem concludere licet ex editione quadam Antverpiensi, quæ flandrico idiomate, cum Approbatione F. Guilielmi Herincx, provinciæ Germaniæ inferioris Ordin. FF. Minorum vicarii provincialis, excussa an* 1669, *et nobis præ manibus est. Unde et quis forte suspicabitur, laudatam epistolam libello annexam communiter tantum fuisse versus medium sæculum* XVIII, *post vulgatum scilicet F. Antonii Vincentii* Monitum. *Est præterea qui dubitet de illius epistolæ sinceritate, ex eo quod quibusdam videatur abludere nonnihil a sancta illa simplicitate et humilitate, quibus B.* Petrus *adeo præfulsit. Quidquid tamen de his sit, etiamsi daretur illam omnino primæ additam fuisse editioni; cum hæc communiter ad an. referatur* 1560, *non efficeretur ex ea libellum scriptum fuisse anno* 1533; *cum, ut diximus, epistola nullam ferat Datam. Liquet itaque F. Antonium Vincentium multo latius concludere: vel, si mavis, testimonia ab eo allata non probare id, quod a principio ille posuit :* Certum nimirum esse, S. Petrum, cum guardianus
B esset in conventu S. Onuphrii ad Lapam, scripsisse, et quidem anno 1533, libellum de Oratione et Meditatione. *Id unum habetur, hunc scilicet ab eo scriptum.*

Quando et a quibus cœperit libellus S. Petro *adjudicari.*

88 *Progreditur exin F. Antonius Vincentius* ad probandum, dictum librum eumdem esse, qui nomine Ven. Patris et mystici viri Fr. Ludovici Granatensis, inter hujus opera reperitur. *Quam in rem notat prævie, inter innumeras laudes, quibus libellus de Oratione sæculo* XVII *Romæ cumulabatur, sparsum fuisse a non nemine, hunc opus esse non S.* Petri, *sed Ven. Ludovici, vulgato etiam scripto quodam anonymo in hunc sensum. Quare, suadente cardinali Crescentio, illud refellendum suscepit Ven. F. Didacus de Fuensalada, provinciæ S. Josephi alumnus, et definitor generalis totius Ordinis seraphici, quique Romæ, qua procurator, causam S.* Petri *promoverat. Ille itaque exhibendo editiones libelli antiquiores, vulgatasque diu antequam Ven. Ludovici scriptio ederetur, variasque deducendo rationes, os anonymo obturavit, nec quidquam de ea re deinceps est auditum, usque ad annum* 1738, *quo, cum historiographus (chronista) provinciæ S. Josephi, edidisset Prologum, quem legere est in po-*
C *strema (id est ante annum* 1761) *libelli editione; in lucem dedit D. Anselmus Negrete, capellanus Mozarabicus et Tertiarius S. Dominici, parvam aliquam scriptionem, in qua, contra auctorem Prologi, contendit libellum de Oratione et Meditatione excerptum fuisse ex Operibus V. Lud. Granatensis. Præter has binas (leves sane parumque diuturnas) contradictiones, per duo et amplius sæcula, libellus in pacifica S.* Petri *permansit possessione. Ast anno* 1757 *nova Ven. Ludovici apparuit editio, studio R. P. F. Josephi Alphonsi Pinedo, qui nulli pepercit labori ut illa omni ex parte foret accurata et sincera; nec quidquam, ne verbum quidem aut syllaba, in ea contineretur, quæ ad Venerabilem scriptorem non pertinerent. Inter hæc a viro quodam nobili affertur volumen, impressum Salamanticæ an* 1574; *quod Pinedo illico pervolvit quam avidissime, et comperiens tractatum de Oratione et Meditatione dicto volumine contentum, eumdem esse qui passim inter opera Ven. Ludovici reperitur, suspicioni, quam jam habuerat, firmius adhæsit, librum nempe illum non habere auctorem S.* Petrum de Alcantara. *Non quidem negabat Pinedo a B.* Petro *editum tractatum de eodem argumento : ast rebatur libellum, qui sub ejus nomine circumferebatur, non esse suum, cum in tam vetusta editione inter opera V. Granatensis reperiretur, et quidem adeo similis et fere identicus. (Num forte hic ille est liber, de quo egimus quasi ex professo n.* 76? *Vide dicta ibidem). Quare et tomo suo* XIV *præfixit* Monitum, *in quo sententiam suam exponit et variis firmat rationibus.* Nos, *subjungit F. Ant. Vincentius,* sequenti paragrapho *(tertio)* nostras dabimus, quo judicet lector, utra ex parte stet veritas.

Ponderantur rationes variæ P. Fr. Antonii Vincentii, quibus libellum S. Petro *vindicare studet.*

89 *Additque* :Præsenti vero paragrapho *(nempe secundo)* conabimur evincere librum de Oratione et Meditatione, quem scripsit S. Petrus, eumdem esse, qui habetur tom. XIV Operum V. Lud. Granatensis; et rursus eumdem, qui Salamanticæ excussus anno 1574 fuit typis Dominici de Portonariis. *Ex plurimis hanc in rem ibidem congestis testimoniis, unicum hic apponimus ex processibus canonizationis, quod sic habet :* Quem Tractatum doctissimus et spiritualis vir, Frater Ludovicus de Granata, magnum speculum Ordinis S. Dominici, suscepit ampliandum. *Quibus et nos libenter subscribimus, nempe tractatum sub S.* Petri *nomine* E
vulgatum, longe maximam partem contineri in libro Ven. Ludovici, ast hunc multo auctiorem esse. Confer dicta n. 72-77. *Imo ubi in præfatis testimoniis dicitur libellum S.* Petri fuisse textum, regulam, argumentum, quod extendit, exscripsit, ampliavit Ven. Granatensis, *et nos ita esse admittimus, hoc tamen sensu ut intacta relinquatur quæstio, a quo* textus *ille,* regula, argumentum, *conscripta primum fuerint, an scilicet a S.* Petro, *an a V. Ludovico. Quod autem addit F. Antonius Vincentius, libellum S.* Petri *et recognitum et examinatum et probatum fuisse in ordine ad ejus canonizationem; hoc enim vero ad rem nostram vel parum vel nihil refert. Posito enim libellum a S.* Petro *editum (quod quidem extra omnem jam est controversiam); ex statutis Urbani VIII examinandus ille erat, ubi causa canonizationis agebatur. Quocumque enim demum ex fonte B. Auctor hunc hausisset, eo ipso quod nomine suo illum vulgaverat, placita et sententias ejus fecerat sua, ac proinde despiciendum erat, utrum in hujusmodi scriptis nihil sive contra fidem sive contra mores reperiretur; unde et rursus intacta manet primaria nobis quæstio. Aliud utique foret, si hanc S. Congregatio ventilasset, statuissetque S.* Petrum F
textum (a Granatensi ampliatum) proprio marte scripsisse, nec hunc ex alio transumpsisse. Ast nihil tale S. Congregatio; cum non soleat examinare unde canonizandi sua deprompserint, bene vero quæ suo nomine vulgaverint.

Præcipuum P. Fr. Ant. Vincentii argumentum nutare ostenditur.

90 *Denique F. Ant. Vincentius præcipuum suum argumentum proponit in hunc modum : juxta Nicolaum Antonium* (1) *et Waddingum* (2) *in lucem primum prodiit Libellus S.* Petri, *anno* 1560, *quo item edita est a P. Dulkenio Carthusiano latina ejusdem versio. Imo nec repugnat libellum jam ante præfatum annum fuisse excussum (id tamen a nullo memoratum invenio). Cum scriptus fuerit in conventu ad Lapam anno* 1533 *ut* inconcussa veritas inter omnes auctores est, *inquit rursus F. Ant. Vincentius, non est ita facile credendum septendecim illis annis intermediis, ab an. nempe* 1533 *ad an.* 1560, *non fuisse typis mandatum, spectatis instantiis Roderici de Chaves.* Præ manibus ego habeo *(verba sunt F. Antonii Vincentii)* editionem Abulensem an. 1574, quæ ad alteram provocat an. 1565;

(1) Nova Bibliotheca Hispana, *verbo* Petrus de Alcantara. — (2) Scriptores Ordinis Minorum.

 atque

atque illa ad verbum concordat cum ultima editione facta anno proxime præterlapso (1750). Præfatus Dulkenius latinitate donavit anno 1572 opera Ven. Granatensis. Adeat lector utramque (*S. Petri nempe et Ludovici Gran.*) versionem, illico videbit quæ sit inter utriusque opusculi differentia, et quis sit auctor libelli de Oratione. Ex collationibus et notitiis, jam non videtur posse negari libellum S. Petri textui seu argumento fuisse venerabili Ludovico, prout tot auctores testantur. *Dein subjungit F. Ant. Vincentius*: Inter editiones quas habemus Ven. Ludovici, antiquissima nobis videtur illa, quæ probata fuit an. 1574 a P. F. Antonio Cordubensi. Attamen ipse Granatensis, in libro suo edito an. 1579 asserit se paucis ante diebus illum composuisse. *Jam vero venerabilis viri commoratio in conventu Cordubensi Scalæ-Cœli certo non præcessit annum 1544, ibique moratur permansisse usque ad annum* 1552. Ex quo computo chronologico (*ita subsumit laudatus F. Ant. Vincentius*) constat Ven. Ludovicum ante annum 1544 scribendis libris operam non dedisse; atque de hoc convenit inter omnes, qui diligenter argumentum illud tractarunt. *Denique his ita positis,*

B *sequens instituit ratiocinium, quod tanquam ineluctabile habet*: Certum est tractatum de Oratione, Meditatione et Devotione, qui dicitur a venerabili viro conscriptus ne vel minimum differre ab altero, nomine S. Petri edito; solum in hoc reperitur addita epistola ad Rodericum de Chaves, quæ in illo desideratur. (*Evidens est hic spectari librum Granatensis, de quo diximus n.* 76). Deinde cum hic scripserit anno 1533, undecim scilicet annis, antequam ille scribendo operam daret; et idem prorsus sit liber, qui utrique tribuitur; pronum sane est concludere, S. Petrum illius auctorem esse, cum inconcussum sit, nec negari id possit nisi ab illo qui omnem fidem recusat humanam, libellum a S. Petro conscriptum anno 1533. *Si revera postremum illud adeo inconcussum staret, et aliunde etiam ut certum admittatur Ven. Ludovicum ante annum 1544 nihil scripsisse, lis utique dirempta foret. Ast supra vidimus,* assumi *a F. Antonio Vincentio, minime vero* probari *libellum S. Petri conscriptum anno 1533; funditus proinde tota ejus ruit argumentatio.*

Statuitur probabilius in favorem Ven. Lud. Granatensis.

91 *Cum tanta in utriusque auctoris (S. Petri et Ven. Ludovici) tractatu non solum in rebus convenientia, sed et in ipsis sit verbis identitas; dubium nullum esse potest, alterum ab altero hausisse; alterum alteri*

C *præluxisse. Certum nobis quoque est opusculum S. Petri typis fuisse mandatum aliquot annis antequam publici juris fieret tractatus Ven. Ludovici. Cætera omnia, scilicet annus et locus, quibus conscriptus libellus S. Petri, obscura, parum vel nihil definita. Insuper scriptor uterque ejusdem sunt ætatis: natus est S. Petrus anno* 1499, *mortuus* 1562; *Ven. Ludovicus Granatensis editus in lucem est* 1504 (1) (*alii annum habent* 1505) *obiit* hora nona noctis, die ultima anni 1588 (2). *Testatur porro S. Petrus se tractatum suum ab aliis mutuasse seu desumpsisse* (he sacado y recopilado). *Quoniam vero longe maxima saltem pars ejus opusculi, conceptis omnino verbis, occurrit in V. Ludovico Granatensi, alterutrum erit admittendum, vel hausta illa esse ex hujus libro, tum quidem manuscripto, postea vero typis vulgato, vel ex alio quodam fonte, qui hucusque ignotus omnino permansit; quod utique facile supponendum non est. Adde Ludovicum Granatensem ob styli meritum et qualitates eximias, principem obtinere cum Magistro Joanne de Avila et*

D *S. matre Teresia locum inter scriptores Hispanos, qui de re ascetica tractarunt; nec plurima illa, quæ* S. Petrus *quoque habet, vel minimum abludere a stylo Granatensis consueto. Si ergo S.* Petrus *vel alius illa scripserint, sequitur duos eodem tempore identicæ dictionis genere et pari merito excelluisse; quod rursus non ita facile admittent viri litteraturæ periti. Denique Ven. Ludovicus nuspiam profitetur se tractatum suum de Oratione et Meditatione, magnam partem hausisse ab alio quovis. Confer dicta n. 76. Omnibus itaque sedulo perpensis, id nobis videtur verosimilius*: S. Petro *præ manibus fuisse Tractatum manuscriptum, aut si mavis, Notas a Granatensi paratas, ex quibus ille longe maximam partem libellum suum, Roderico de Chaves primum aliisque B. Viri devotis ejusque fratribus communicatum, ac deinde sub exitum ejus vitæ typis mandatum concinnavit. Atque hac in hypothesi (hypothesis enim est, cum certa et, ut aiunt, positiva desiderentur argumenta) utriusque silentium haud absurde interpretatur*: S. Petri *quidem, viri profundissimæ humilitatis ac proinde nihil de nominis aquirenda gloria solliciti; qui præterea, utpote jam ætate ac viribus fractus et aliunde negotiis distentus plurimis iisque gravissimis et difficillimis, exiguas probabilius imo*

E *et nullas in edendo typis Ulissiponensibus libello suo partes habuit; noverat denique Granatensem hactenus nihil publici de Oratione et Meditatione juris fuisse; nec in mentem ei verosimilius veniebat illum posthac forte typis mandaturum Notas seu librum, ex quibus sua decerpserat; denique universim monuerat se non sua, seu proprio marte composita, dare, sed quæ ex aliis excerpserat et in compendium redegerat*: he sacado y recopilado. *Quod autem ad Ven. Ludovicum spectat; hic videns quo plausu et fidelium emolumento, quæ olim de Oratione et Meditatione collegerat, sub alterius nomine exciperentur (nec enim id vitio ei vertendum) existimare potuit, se non prohiberi, quominus illa proprio nomine vulgaret; præsertim cum plurima adderet, a S. Petro vel non visa vel consulto prætermissa. Quod vero nihil ipse monuerit lectorem, id eximia fortassis quadam ex prudentia profectum; cum expectandum esset, tali ex monito, illa tempestate illisque dato in adjunctis, haud parvas tum sibi tum aliis excitandas molestias, imo et lites, nihil sane ædificationi futuras.*

Encomium libelli de Oratione et Meditatione ex P. Fr. Fremaut aliisque.

92 *Ut nihil omittamus eorum quæ ad commendationem libelli de Oratione et Meditatione faciunt, hic adscribemus verba P. Fr. Benigni Fremaut in*

F *Palmario Spirituali* (Geestelyken Palmboom): *complectuntur enim particularia nonnulla, de quibus apud alios sparsim tantum occurrit mentio, quæque ipse ex variis, præsertim ex Monito P. Fr. Antonii Vincentii, in unum collegit flandrice reddita, quæ nos hic latine vertimus.* Libellus iste, *ait*, mirabiles brevi protulit fructus. Per omnem Hispaniam sparsus atque adhibitus in universis fere cœnobiis est, præcipue ad tironum seu novitiorum informationem. Haud multo post versus fuit Germanice, Polonice, Italice, Gallice, Belgice: apud omnes magna in æstimatione, tum ob auctoris sanctitatem, tum ob sententiarum claritatem et perspicuitatem. Cum P. Ludovicus Granatensis ex Ordine Prædicatorum, vir in viis spiritualibus versatissimus, Olyssipone S. Petrum frequenter convenisset, eoque deinceps per litteras familiariter uteretur; quæsivit qua potissimum ratione, studiis utendo litterarum Deo placeret. Petrus, re Domino commendata, cœlitus edoctus est, Patrem Ludovicum rem Deo gratissimam facturum, si a docendi munere abstinens,

(1) Lud. Muñoz Vida, lib. I, cap. I. — (2) Idem. Ibid., lib. II, cap. XV, p. 148.

A nens, conscribendis libris se daret, quibus fideles in via perfectionis dirigeret. Quo accepto responso, cœpit Granatensis librum suum de Oratione exarare, adhibendo latiusque evolvendo, quæ ipse S. Petrus de eodem argumento conscripserat. Postea plures alios edidit tractatus, cœlesti doctrina insignes. Sancta Teresia agens de præfato S. Petri libello; *magni*, inquit, *æstimatur: cum enim ipse in oratione valde esset exercitatus, præclare de ea scripsit et magno animarum cum fructu.* Sanctus Franciscus Salesius, rescribens viro cui a confessionibus erat, hortatur eum ut frequenter legat libellum, quem S. Petrus de Oratione composuit. Pontifex Gregorius XV, qui Petrum in Beatorum numerum retulit, lecto ejus libello, lumen dicebat esse clarissimum, quo animæ versus cœlum diriguntur, quippe cujus doctrina cœlestis esset, atque ab ipso Spiritu sancto dictata. Hinc etiam sanctum Petrum vocabat doctorem et mysticæ Theologiæ magistrum eximium, jubens eum depingi a sancto Spiritu, sub columbæ specie, inspiratum. Cum Christina, Sueciæ regina, e tenebris hæreticæ pravitatis ad catholicæ fidei claritatem assurrexisset, atque, abdicato regno, sceptrum et coronam Beatæ Virgini B in domo Lauretana consecrasset, ac inde Romam venisset; cœpit mox plures evolvere libros, quorum lectione in suscepta nuper veritate firmaretur: erat enim valde erudita in omni scientiarum genere, et linguas callebat latinam, græcam, chaldaicam et hebraicam. Cum quadam die in bibliotheca sua lectioni vacaret libelli S. Petri, accidit ut intrarent plures Cardinales eam salutandi gratia; qui cum rogassent qua re distineretur, respondit regina: « Meditationes evolvo S. Petri de Alcantara. Libellus quidem minimus est omnium, quos mihi obtulerunt; sed hunc ego cæteris omnibus antepono. Alterum enim ego pervolvi nullum, qui æque salutares animæ meæ tulerit fructus, intellectum illustrarit, voluntatem moverit ad Dei amorem et timorem, ac tandem me confirmarit in catholicæ veritatis confessione. Mea sententia, libellus iste eximium est opus, nec quisquam negaverit, Spiritu sancto duce, conscriptum; quicumque attente illud legerit, mecum sentiet. Propterea libellus ille quovis pretio mihi major est: paucis enim verbis, sententias exhibet egregias, quas nemo alter tam alte menti impresserit, etiamsi densa composuerit volumina. » *Hæc P. Benignus* C *Ramaut* (1), *vir non ad verbum ex sæpius dicto P. Fr. Antonii Vincentii Monito.*

Quædam in præfatis castiganda.

93 *Passim hæc quidem a scriptoribus asseruntur; attamen licet diligenter percurrerimus epistolas, imo et Opera, S. Francisci Salesii hucusque excussas locupletissimis indicibus instructas*(2), *nulla prorsus nobis occurrit mentio de S.* Petri *libello; ac proinde labitur P. Laurentius a D. Paulo, et cum ipso Baillet, atque Joseph. Mar. de Ancona aliique* (3) *epistolam citantes quartam libri tertii. Non magis nobis constat de epistolis a Granatensi scriptis. Superius vidimus quid sentiat Echardus de prætensa S.* Petri *revelatione, qua cognita, idem Granatensis abstinuisse dicitur a docendi seu concionandi munere. Nec denique assertum, quasi Granatensis libellum S.* Petri *amplificasset (cum nulla adferatur probatio) dicta a nobis superius infirmat.*

Opusculum de animæ pace non videtur S. Petro adscribendum.

94 *Recenset Butler aliud S.* Petri *opusculum, cujus et synopticum exhibet conspectum. Argumentum habetur ex ipso titulo, qui sequens est:* de animæ pace. *Addit Butlerus, secundum hoc opusculum haud inferioris esse meriti quam primum. Eadem ad verbum repetit Rohrbacher* (4) *qui cæterum exscribit, vix uno mutato apice, Vitam S.* Petri, *ab initio ad calcem, prout in Butlero ad* XIX *Octobris legitur. Valde nobis suspectum venit præfatum opusculum, an scilicet reapse S* Petri *sit partus. Ratio est nullam prorsus illius haberi mentionem nec in Waddingo*(Scriptores Ordinis Minorum) *nec in hujus Annalium continuatoribus PP. Joanne de Luca, et Josepho Maria de Ancona; nec in Bibliotheca Hispanica Nicolai Antonii; nec Marchesius, nec Laurentius a divo Paulo, nec ullus Vitæ S.* Petri *scriptor, illud recenset, imo ne dubie quidem noverunt. Unde et in recenti operum S. Teresiæ editione, curante D. Migne, qui tamen, ut jam diximus, opera omnia S.* Petri de Alcantara *recudere suscepit, aliud nihil habetur præter opusculum* de Oratione et Meditatione. *Ut mihi indubium sit, alterum opusculum a Butlero laudatum, veteribus prorsus fuisse ignotum. Cum itaque Butlerus nullam asserti sui det rationem, nec unde illud deprompserit insinuet, rectius videtur nobis opusculum illud Sancto nostro abjudicare. Quod autem ipse Butlerus, et non aliquis ex ejus editoribus, qui, ut notum est, plura primævo illius textui addiderunt, auctor sit annotationis* E *in prætensum S.* Petri *opusculum, constat ex Vitarum Sanctorum editione anglica* (5).

Nihil in hanc rem ex S. Teresiæ verbis concludi potest.

95 *An forte primus asserti Butlereani fons latet in verbis S. Teresiæ, libellum S. Petri commendantis? Ipse, inquit illa,* quorumdam libellorum de Oratione in lingua patria conscriptorum, qui jam omnium manibus teruntur, auctor est: nam, quia eam bene exercuerat, et optime in ea versatus erat, hinc de illa scripsit quam utilissime iis qui eam exercent. *Ita scilicet S. Matris verba redduntur latine apud nos ad diem* XV *Octobris* (6). *Quidquid sit, nihil utique ex S. Teresiæ textu concludi potest in favorem opusculi a Butlero laudati. Licet enim plurali numero utatur, quasi plures S.* Petrus *scripsisset tractatus seu libellos; omnes tamen tamquam de* Oratione *directe agentes recenset. Nec etiam obstat, quominus dicantur* libelli, *licet simul in unum idemque coalescant opusculum, quod constat partibus haud parum diversis.*

§ IV. Ratio scribendi Acta S. Petri. Præcipui auctores, qui de ejus vita tractarunt. Reliquiæ. F

Ratio scribendi acta Sanctorum antiquiorum.

V*estigiis inhærentes prædecessorum nostrorum, nominatim Danielis Papebrochii in actis sancti Philippi Nerii, ad diem* XXVI *Maii, sicut et die præcedenti in actis sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis (quæ cum S.* Petro de Alcantara *canonizata fuit); duplicem Sancti nostri dabimus vitam; antiquiorem alteram, alteram recentiorem. Ex his duabus, quidquid ad acta sancti* Petri *illustranda confert, copiose facileque deducetur. Profecto alia est ratio describendæ vitæ Sanctorum, solemniter, ut nunc fit, ab ecclesia canonizatorum; alia commentandi acta antiquiora, densissimis plerumque involuta tenebris. In his enim omnia ut plurimum obscura sunt sive quoad res gestas, sive quoad chronologiam; deficiunt quoque documenta idonea et præsertim authentica. Atque hic est præcipuus Operis nostri scopus, ut, quantum fieri potest, et singulis*

(1) Palmarium (*Geestelyken Palmboom*), ad diem XIX Octobris, cap. X *ad finem*.—(2) Œuvres du B. François de Sales. Duobus tomis in-fol. Paris 1663. — (3) Annal. Minor, t. XIX. p. 372. — (4) Histoire de l'Église, t. XXIII, p. 116 et 117. Edit. Leodiens 1847. — (5) The lives of the fathers, Martyrs and other Principal Saints. London 1812.—(6) Acta SS., t. VII Octob., p. 171. Comm., Præv., n. 234.

Sanctorum

B. B.

Sanctorum vitis, certa distinguamus a dubiis, dubia secernamus a spuriis; singulorum documentorum investigantes originem, ætatem, fidem. Quod quanti non raro sit laboris et difficultatis nemo non videt. Ast ex hoc etiam operis Bollandiani exurgit meritum, ab eruditis generatim agnitum; siquidem ex tali monumentorum examine plurima rei historicæ affulsit lux, ut vel ex sola sufficienter probaretur Henschenii nostri Diatriba de tribus Dagobertis, quorum unus aliquot per sæcula prorsus ignotus latuerat, ut ipsa regum Francorum series trunca existeret.

Diversa a ratione scribendi acta recentiorum.

97 Aliud est in vitis Sanctorum recentiorum, quorum causa in ordine ad Beatificationem et Canonizationem diligentissime in curia Romana examinatur et excutitur; ex quo, quæcumque ad sanctitatis famam, ad miraculorum gloriam spectant, luculenter declarantur. Adde post inventionem artis typographicæ, insignium virorum facta longe facilius et abundantius posteritatis memoriæ commendari. Quod si præterea iis floruerint temporibus, quæ et nostræ ætati viciniora sunt et litterarum bonarumque artium laude celebrata, facile intelligitur plerasque difficultates, in antiquioribus vitis occurrere solitas, vix non omnes evanescere. B Nedum hic documentorum penuria laboremus, eorum potius obruimur mole, ut maxima laboris pars ponatur in seligendo et contrahendo materiam. Nec etiam in stabilienda chronologia multopere est hærendum, tum quod præcipua facta instrumentis soleant fulciri publicis, tum quod facile componantur cum reliqua coævæ ætatis historia. Id vero ante omnia sollicite curandum, ut, quod jam supra innuebamus, in actis nostris nihil prætermittatur eorum, quæ apud diversos scriptores de Sanctis, quorum vitam commentamus, tradita sunt, etiamsi hæc levioris tantum forent momenti. Nec tamen hæc ita intellecta velim, quasi nullus omnino in hujusmodi actis solvendus esset nodus, nulla extricanda difficultas. Contrarium satis superque efficitur ex ipsa S. Petri de Alcantara vita. Ast longe minor est discutiendi materia quam in antiquioribus actis, ut per se manifestum est. Nihilominus haud inficiamur reperiri inter recentiores ætatis Sanctos, nonnullos (pauci tamen admodum sunt) quorum fama, labores, scripta adeo per totum quasi orbem terrarum manarunt, ut plurima occurrant, quæ uberiori indigeant disputatione; quod contigit in vita C S. Teresiæ, a nobis tomo præcedenti ad diem decimam quintam Octobris illustrata.

Notitia Fr. Joannis a S. Maria, qui primus vitam edidit S. Petri.

98 Prima, quam damus, sancti Petri de Alcantara Vita, conscripta est a P. F. Joanne a sancta Maria, viro inter Discalceatos haud ignoto, tum ob eximiam sanctimoniam, tum ob præclaras ejus animi dotes et insignia quæ inter suos obiit munia. Cujus proinde vitam hic compendiose exhibitam haud ægre percurret eruditus lector: cognita enim auctoris indole, de ejus scriptis æquius et rectius fertur judicium.

Illius natales, ingressus in religionem; munia quæ gessit.

99 Pater Fr. Joannes a sancta Maria, natus Benaventi (quod oppidulum est Legionis, seu Castellæ veteris in Hispania), ex nobilissimis familiis a Portocarrero et Henriquez, Salamanticæ studiis incumbebat, dum ibidem Pater Alphonsus Lupus, eloquentia sua apostolica tunc temporis notus, concionaretur. Ejus monitis et verbis commotus religionem sancti Francisci cum aliis multis amplexus est, votaque nuncupavit in rigidissima sancti Josephi provincia, nuper a sancto Petro de Alcantara fundata. Emenso theologico stadio injunctum protinus verbi divini prædicandi munus magno animarum cum fructu per aliquod tempus exercuit. Vir erat magnæ mortificationis et humilitatis, nec minoris obedientiæ. D Aliis defunctus Officiis, eligitur Provincialis. Ast tam demisse de se sentiebat, ut nonnisi diu multumque reluctans, et solum ex timore aliis præbendi occasionem offensionis adduci posset ad munus hoc suscipiendum. Cum primum in triclinio Fratribus præsideret, amare apud eos questus est quod hominem tam ineptum et indignum præfecissent, et successorem esse voluissent beati Petri de Alcantara. Deinde prævidens secundo idem onus sibi imponendum, a capitulo abstinuit, donec obedientiæ præcepto cogeretur, atque rursus provinciæ præfectus est; quam vigilanti cum sollicitudine et matura cum prudentia administravit. Multas in priori administrationis curriculo condidit leges et statuta; secus autem in posteriori; experientia scilicet doctus, paucas easque selectas leges magis proficere quam numerosiores, quæ ipsa multitudine vel vilescunt vel negliguntur. Confessarios provinciæ suæ examinari volebat accurate a duobus viris doctis quorum onerabat conscientiam ut sibi referrent de doctrina. Non satis instructos a confessionum audiendarum munere amovebat. Eo etiam agente, Definitores legem tulerunt, vi cujus nullus alterius provinciæ professus in suam admitteretur vel adscri- E beretur; quod ut fieret graves suadebant rationes. Interritus tollebat abusus, ubicumque existerent, licet hanc ob causam plurium magnatorum incurreret odium. Cum vero accurate servaret ipse quæ aliis injungebat, non minus a subditis diligebatur quam timebatur.

Magni fiebat a Clemente Pap. VIII, et Hispaniæ regibus.

100 Cum Clemens Papa VIII omnes Minorum Discalceatorum provincias solvisset ab obligatione generalium statutorum, veniamque dedisset nova condendi, soli Patri Joanni, ob notam ejus prudentiam, munus hoc concreditum fuit. Regulis a sancto Petro de Alcantara propositis, alias quasdam addidit; quæ deinde omnibus superioribus congregatis exhibitæ in tantum approbationem tulerunt, ut, ne verbo quidem dempto vel addito, reciperentur. Perfecte servabat Salvatoris nostri mandatum de diligendis inimicis. Nedum in contradictores suos assurgeret, potius excusabat, causatus bonam, quam habere possent, intentionem. In duobus libris quos conscripsit de ortu et progressu Reformationis a B. Petro de Alcantara susceptæ, satis moderate, ut mox dicemus, tractat de persecutionibus adversus illam ab initio suscitatis diuque continuatis. F Magni fiebat a Regibus Hispaniæ. Philippus III, ubi graviora incidebant negotia, numquam non ejus expetebat consilium; et quadam die coram aulicis professus est, gaudere se, quod semper consiliis et sententiæ P. Joannis obsecutus fuisset. Qui licet tum familiariter uteretur cum regibus et magnatibus, quorum plerisque et consanguinitate conjunctus erat, nullum umquam ab iis deprecatus favorem est. Margareta a Cruce, filia Imperatoris Maximiliani II. et monialis a sancta Clara, instabat apud P. Joannem ut tum sibi tum regio suo conventui Matritensi a confessionibus esset; ipse vero continue recusavit. (Conf. infra vitam prolixiorem, lib. II, n. 123). Eadem humilitatis constantia declinavit officia commissarii generalis in curia Romana, et Indiarum in aula Hispanica, sicut et commissarii generalis universarum Fratrum Discalceatorum provinciarum. Oblatas sibi a Philippo III infulas Chylenses (Chyla in Indiis Occidentalibus) pariter abnuit; ac postea sedes quoque Legionensem et Zamoranensem, quas idem rex (veritus ne refugisset patria excedere ac propterea primam sedem recusasset) ei proposuerat.

Ejus obitus.

101 Lethali morbo decumbens, sacra peracta exomologesi, oleo infirmorum inunctus fuit; ast, ob continuos

A *tinuos vomitus, exeuntium Viatico coactus abstinere; licet pridie valde devote et ferventer sacris esset operatus. Medias inter ingruentis mortis angustias, præclara exhibuit invictæ patientiæ specimina: ast simul etiam servavit judiciorum Dei timorem illum, ex quo tantopere a digniore quovis per vitam munere abhorruerat. Sæpius multis cum suspiriis exclamabat:* o Prælaturæ! o Visitationes et Definitoria! quam fortunati sunt religiosi, qui nihil umquam tale noverunt! o Munera et electiones! ut quid mihi fas non fuit procul ab hujusmodi vitam agere! *Ita scilicet formidabat rationem reddendam de animabus subditorum, quibus tamen sancte adeo præfuerat. Denique, postquam propriis manibus oculos sibi clausisset, spiritum magna cum pace et quiete reddidit die* XVIII *Novembris anno* 1622, *feria sexta; quod haud sine numine factum opinari licet, cum Passionis Dominicæ devotissimus semper fuerit P. Joannes, solitus quotidie illius recitare officium. Ut populi undique concurrentis votis satisfieret, funus integro et amplius die exponendum fuit in ecclesia conventus sancti Bernardini in urbe Matritensi. Caro toto illo tempore flexilis remansit. Exequiæ multorum episcoporum, principum et aulicorum præsentia co-* B *honestatæ fuere. Celeber ordinis sancti Augustini concionator funebri oratione eximias defuncti commendavit virtutes.*

Scripta recensentur.

102 *In* Bibliotheca Hispana nova, *auctore Nicolao Antonio* (1) *reperio sequentia.* Joannes de sancta Maria, Franciscanus, ex reformata secta Excalceatorum provinciæ sancti Josephi, ejusque aliquando præfectus, Mariæ Austriacæ, Hispaniarum infantis, deindeque Imperatricis Augustæ, dum esset apud nos, pœnitentiæ sacramenti administer, pietate et gratia apud Philippum IV regem, Infantis parentem, spectatus, edidit:

Chronica de la provincia de S. Joseph de los Discalsoz de la Orden de los Menores de S. Francisco, y de las provincias y Custodias, que dellas han salido, duobus tomis: quorum prior editus est Matriti anno 1615 *(ex quo vitam sancti* Petri de Alcantara *latine reddimus)*; posterior vero 1618 in folio *(videtur potius in 4° majoris formæ)*.

Vida y excelentes virtudes y milagros de S. Fr. Pedro de Alcantara, Matriti apud viduam Alphonsi Martini 1629 in 8°.

Tratado de Republica y Policia Christiana para Reyes y Principes, y para los que en el gober- C nio tienen sus vices: ad Philippum III regem catholicum, Barcinone apud Sebastianum de Cormellas 1616 in 8°, et 1618. Et Ulisipone 1621 in 8°, post principem editionem Matritensem anni 1615. 4. *Italicum hoc opus fecit* Julius Cæsar Braccinus editum Venetiis 1619. 8. *De hoc opere legitur in* Palmario spirituali *seu menologio Ordinis Sancti Francisci Flandricæ conscripto a P. Benigno Fremaut* (2). Liber *(de Christiana Republica)* tanta apud omnes in æstimatione fuit, ut brevi omnium fere Europæ populorum lingua donatus vernacula fuerit. Paulus Papa V, se una atque altera vice opus magna cum voluptate percurrisse professus est, addens scriptorem bene de ecclesia meritum, dum efficit salutem regnorum dependere ab obedientia et reverentia sanctæ Sedi exhibitis. Dolebat etiam P. Joannem, ætate jam provectum sibi primum innotuisse, cum parum ei superesset temporis, quo ad ecclesiæ bonum promovendum operam posset præstare. *Hactenus laudatus P. F. Fremautius.*

Relacion del martyrio que seis Padres Descalzos Franciscanos, tres Hermanos de la Compañia y diez y siete Japones Christianos padecieron en Japon. Matriti 1601. 8, et 1628. 8. Quæ quidem, ut credimus, latine concepta, Romæ edita primum fuit cum *Additionibus* doctissimis Francisci Peña, Rotæ auditoris, 1599; cujus editionis Waddingus meminit.

Vida de S. Antonio en octava rima.

Atque hæc de vita et scriptis P. Joannis a sancta Maria. Jam vero propius ad rem nostram accedamus, explicando quam servarit auctor rationem seu methodum in sua de S. Petro *scriptione, quantoque hæc variis sub respectibus in pretio sit habenda.*

Quibus ex fontibus vitam S. Petri hauserit P. Fr. Joannes.

103 *Meminit ipse P. Joannes* brevis Notitiæ, *in qua gesta quædam sancti Fr.* Petri *scripta reperiebantur. Concinnata hæc fuerat a quodam sancti Viri socio et comite, ut constat ex verbis, quæ nominis loco apposuit:* Quod vidimus testamur. *Gratissimum nobis utique accidisset documentum adeo pretiosum Operi nostro inserere: at frustra illud undequaque conquæsivimus. Vix ullus dubitandi superest locus, laudatam notitiam, quæ typis numquam edita reperitur, penitus intercidisse. Postea R. P. Fr. Franciscus Gonzaga (ille ipse est qui Historiam Seraphicam edidit), Ordinis Minister* E *generalis, mandavit ut in singulis provinciis conscriberentur vitæ fratrum, quorum virtutes præcipue inclaruerant. Ast factum id fuisse videtur parum diligenter, et pauca tantum notata. Quapropter nova suscepta investigatio est anno* 1611. *Hæc omnia sub oculis habuit P. Joannes a sancta Maria, cum vitam sancti Fr.* Petri *conscriberet, quam in primo volumine* Chronicorum provinciæ sancti Josephi *legere est, quamque nos inferius publicamus ex hispanico in latinum versam, quod, in quantum nobis constat, hucusque factum non fuerat. Proprio itaque labore vitam hanc vertimus latine; ab initio ad finem. Ratio cur istam prætulerimus alteri, ab eadem Patre Joanne, separatim editæ, hæc est; quod illa tempore sit prior, cum in lucem prodierit anno* 1615; *altera typis mandata est anno* 1629, *ut habetur ex Bibliotheca Nicolai Antonii. Est enim regula jam inde ab exordio Operis nostri a Bollando statuta, atque deinceps omni tempore fideliter servata, ut in Actis nostris edantur Vitæ, quæ, quam fieri possit proxime, ad ætatem Sanctorum, de quibus scribimus, accedant.*

F *qui sancto Viro suppar exstitit*

104 *Cum diem obierit supremum Pater Joannes, ætate provectus, anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, die decima octava Novembris (Beatificatus paulo ante fuerat sanctus* Petrus de Alcantara, *die scilicet decima octava Aprilis ejusdem anni) liquet eum sancto Viro fere coævum fuisse. Ingressus ejus in religionem figendus est inter annum millesimum quingentesimum sexagesimum primum: quo fundata provincia sancti Josephi est, in qua et professionem edidit: et annum millesimum quingentesimum septuagesimum quintum, quo mortuus est P. Alphonsus Lupus, cujus concionibus Salamanticæ habitis, permotus, sicut et alii juvenes multi, fuit ut sæculo valediceret. Videtur autem tempus, quo præfatus P. Alphonsus ex cathedra Salamanticæ dixit, referri ad initia fundatæ provinciæ sancti Josephi: postea enim legitur diu in Italia commoratus, atque Hispaniam repetens, cum proposito redeundi ad suam provinciam, Barcinone apud Patres Capucinos obiisse versus annum millesimum quingentesimum septuagesimum quintum. Si itaque ejus mortem inter et laudatas conciones Salmanticensis statuatur intercapedo decem vel duodecim annorum,*

1 Ad verbum: *Joannes a S. Maria.* — (2) Ad diem XVIII Novemb., t. XI, p. 534. Edit. Fanpav. 1717.

B. B. dem splendorem retinere, quem, cum sepelirentur, habuerant. Præterea quod liquorem quemdam sacrum corpus stillaret, qui olei speciem referebat. Visum quoque fuit corpus a quodam hospite devoto (qui tunc in conventu pernoctabat) veste auro intexta obtectum, veluti pro fidei veritate deposuit publice.... Provincialis.... sacrum corpus.... aqua aspergi atque calce viva operiri jussit, quæ carnes consumeret, dein magnam terræ copiam imponi curavit. *Paulo infra additur.* Multos post annos sepultura denuo aperta fuit, dum interea eamdem Deus variis miraculis honorare non intermitteret. Ex quo moti religiosi, episcopo Avilæ D. Petro Fernando Ternino supplicarunt, ut sacras Reliquias in decentiori loco collocari permitteret.... Præparata igitur arca egregie ornata, plurimi ex religiosa familia cum provinciali ad exhumandum corpus sollicite confluxere. Tunc inventum fuit corpus ex parte integrum, ex parte a calce corrosum; ossa tamen liquorem quemdam stillabant, qui odorem suavissimum reddebat. Involutas itaque cum summa reverentia ac devotione venerandas Reliquias candidis velis, in arca deposuerunt prope altare
B majus muro inclusa, idque cum summo secreto, ne concursum aut tumultum populi excitarent. Provincialis vero antequam arcam occluderet, particellam abstulit reliquiæ, quam in conventu servari præcepit.

Altera, eaque solemnis translatio anno 1616.

113 *Crescente indies fidelium devotione et concursu, invalescente etiam miraculorum fama:* instantibus, *ait P. Laurentius* (1), pluribus Hispaniæ proceribus, persuasum fuit religiosis, ut capellam quamdam particularem ædificari permitterent, in quo decentius sacrum corpus deponi posset atque pro merito coli. *Reliqua ad hanc Translationem spectantia, ita breviter ex præfato P. Laurentio exponit P. F. Josephus Maria de Ancona* (2). Minister provincialis Didacus del Escurial opus *(Sacellum nempe)* perfecit, petiitque ab Abulensi antistite Francisco Gamarra, ut solemni Translationi diem indiceret; qui benigne annuens, sextam decimam diem Decembris illius anni MDCXVI designavit, hyemis eodem anno recrudescente rigore. Eodem die, quo episcopus, advenerant quoque Arenas Marchio de Xarandilla, et comites de Morata et de Orgaz; itemque populus ingens cum magistratu atque loci proceribus ad idem officium confluxerunt. Exposi-
C tisque sacris reliquiis fragrantissimum undique odorem redolentibus, piorum corda in Deum experiebantur excitari. Sequens autem dies, qui Dominicus extitit, omnium vicinorum locorum concursu celebris fuit. Episcopus enim pontificalia peragens ritu solemni capellam benedixit, atque laudibus Servi Dei enuntiandis delectus fuit Franciscus de Zuago, Augustiniani conventus Arenarum præfectus, qui quatuor ante diebus acutissima febri correptus apud nostros impositam sibi provinciam recusabat. At excusatione ab iisdem rejecta, Petri intercessione meritisque confisus, sanus continuo factus, proposito themate: Tu qui es? miro omnium applausu elegantem orationem habuit, cujus gratiæ publicam fidem fecit. Supplicatio etiam sive processio peracta est ab universo clero, ubi episcopus, Arca a Comitibus memoratis ac loci Præside gestata, sequebatur, quæ tandem in designato loco collocata, usque hodie miraculis ingentibus coruscat. *Hactenus Josephus Mar. de Ancona, qui tomum XIX Annalium Minorum publici juris fecit Romæ anno* 1745. *Supervacaneum foret eruditum* D *monuisse lectorem, præfatam solemnem Translationem contigisse ante novam ab Urbano VIII Beatificationibus et Canonizationibus constitutam formam: electus enim hic fuit* VI *Augusti, coronatus* XXIX *Septembris anno* 1623 (3).

Præsens status.

114 *Ad præsentem statum corporis et cultus S. Petri quod attinet, litteris nostris hac super re in Hispaniam datis, ita P. Dominicus Olascoaga S. J. die* XV *Julii currentis anni* 1852 *Matrito respondit. Quo satisfacerem accuratius quæstionibus tuis variis,* conveni R. P. Provincialem PP. Alcantarensium *(qui sicuti et cæteri per Hispaniam regulares nupero turbine dispersi fuerunt)*: munus istud ille exercet ab anno 1831, atque ab ingressu in religionem annos numerat omnino quinquaginta novem. Didici ab eo sequentia: Corpus S. Petri de Alcantara in eodem est hodie statu, quo ante supressionem (paucis abhinc annis factam) ordinum religiosorum. A sexaginta saltem annis non fuit aperta theca sacrum corpus continens; nec sciebat P. Provincialis quando id factum olim fuisset; hoc certum, nullum hac super re extare instrumentum authenticum. Festum sancti Petri per totam provinciam S. Josephi agitur ritu duplici 1æ Classis; Arenis vero celebratur cum pompa et ingenti peregrinorum confluxu. Nullum noscitur recens patratum miraculum. Conventus autem de Arenis servatus fuit ex speciali reginæ Christinæ mandato, quem et hodie incolunt duo Patres cum duobus Fratribus laicis, qui rem divinam in ecclesia peragunt. Distat conventus ille semileuca ab oppido Arenarum. Valetudinarium seu hospitium, in quo mortuus S. Petrus est, atque in ipsa urbe reperitur, divenditum fuit.

Arbor, quæ ex S. Petri baculo excrevit, hodie adhuc virescit.

115 *Reliquiis haud incongrue accensetur Arbor illa fici, quæ Pedrosi ex infixo terræ a Viro Dei baculo suo viruit. Factum late exsequitur P. Laurentius* (4) *et brevius P. Josephus Maria de Ancona* (5). *Undequaque concurrebatur* tam ad vivendum arborem, quam ad probandum fructus ejus virtutem. *(verba sunt P. Laurentii).* Hinc, consuetudine adhuc perseverante, reginis Hispaniarum quotannis canistrum hoc fructu plenum transmitti solitum, et devotioni aulicarum virginum et aliorum infirmitatibus antiqui successus fidem mirabiliter confirmat... Mirum quoque ejusdem arboris ramos in eodem horto aut alibi plantatos, fructus colore, sapore atque magnitudine dissimiles producere;
F quasi privilegium quoddam particulare arbori a sancto Viro plantato divina dispensatione largiente. *Post mortem S. Petri, F. Alphonsus a S. Martino, hortulanus ramum dissectum Arenas transtulit, qui terræ ibidem infixus in arborem excrevit, unde et postea dubium est ortum ultra S. Petri manu fuis. et primitus plantata: vincit tamen causa Pedrosi. Rescripsit nobis Præfatus P. Dominicus Olascoaga,* Ficum et Castaneam a S. Viro plantatas hodie adhuc virescere, seque vidisse cruces ex earum ligno a FF. Novitiis factas. *Non memini in Vita S. Petri agi de Castanea, ficus ni fallar, sola memoratur. Cæterum liquet hic agi de duabus arboribus, altera in Pedroso, altera in conventu Arenarum ad nostra usque tempora virescente.*

(1) Ubi supra. — (2) Annales Minorum, t. XIX, p. 309. — (3) Art de vérifier les dates, p. 320. — (4) Vita S. Petri de Alcantara, lib. II, cap. XIX. Edit. Romæ 1669. — (5) Annales Minorum, t. XIX, p. 169. n. CXXIV.

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

A

S. FR. PETRI DE ALCANTARA

FUNDATOR. PROVINCIÆ S. JOSEPHI DISCALCEATORUM

VITA PRIOR.

(Ex chronico illius provinciæ, auctore P. Fr. Joanne a S. Maria, part. I. lib. I, a cap. XII ad cap. XXXI; hic primum latinitate donata).

CAPUT I. *Principium ejus conversionis et ingressus in Religionem.*

B

S. Petrus de Alcantara præcipuus Reformationis auctor.

Non est cur aliis rebus enarrandis distineamur, antequam describamus vitam hujus magni Servi Dei et apostolici Viri. Quinimo forte quis jam nobis vitio vertet, quod non ab eo exordium hujus historiæ duxerimus *a*. Quamvis enim ipse non sit, qui primos Reformationis nostræ fundaverit conventus, atque sub nomine Custodiæ conjunxerit *b*; ipse tamen est, qui illas conservavit, et auxit; ipse est, qui fundavit et erexit Provinciam; quam et ordinavit, atque ad statum, quem nunc tenet, evexit. Ita quidem ut sine ipso Reformatio hæc non substitisset, vel saltem non crevisset, nec in tantum se dilatasset. Ejus prædecessor frater Joannes Pascual, effodit terras, tresque primos posuit lapides trium conventuum, quos fundavit in regno Galliciæ. Sanctus vero Fr. Petrus de Alcantara, fundamenta dilatavit, ædificiumque erexit multiplicando conventus magno numero. Imo dicere fas ipsum quasi delineasse opus Reformationis et solum ejus metam proprie attigisse *c*. Quamvis enim nostra ætate omnes, qui de reformatione tractarunt eamque promoverunt, viri fuerint magni spiritus et perfectionis: tamen Vir iste apostolicus ita opus Reformationis promovit, ut merito Reformator Reformationis dici queat. Nam inter omnes Reformationes quæ hoc sæculo in Ordine nostro susceptæ fuerunt, nulla eo pervenit, nulla tam diu perseveravit. Spiritus in illius fundatore vere magnus fuit. Utique fuere multi viri eximii qui de Reformatione egerunt; insignes effloruerunt conventus et provinciæ Discalceatorum; ipsi conventus reformati fuerunt per diversas orbis christiani partes: ast tantus fuit in Petro suscepti operis zelus, ut simul ac virtus ejus in domo Dei elucescere cœpit, eum undequaque diffuderit splendorem, qui cæterorum lucem offuscaret; non secus ac solis jubar stellarum lumen solet obscurare. Nec alius post ipsum in hoc opere virtute par surrexit, quamvis non decem, non viginti sed quinquaginta *d* jam effluxerint anni, et multi reformatores se ei adjunxerint, et huic se plerumque provinciæ addixerint.

C

Pauca de S. Petro scripserunt ejus socii.

2 Vitam et miracula hujus sancti Patris scribere potuisset aliquis ex ejus sociis, qui testes erant maxime idonei; quod quidem nos præsenti labore liberasset. Ast res est usitatissima, ut coævi non scribant, quæ suo tempore notissima sunt; quod scilicet ab omnibus videantur et quasi manu tangantur; ast quæ temporis decursu fiunt maxime obscura. Ita etiam sancti Petri sodales parvi faciebant ea quæ Ipsi quotidiana fere erant, quæque omnes et videre et audire poterant, licet ipsa essent memoriæ dignissima. Majores nostri omni tempore hac in re parum fuerunt diligentes; nec id quidem sine culpa; nisi eos excusatos velimus, sive ob puram rectamque quam habebant intentionem, sive quod ipsis videretur, Sanctos non optasse ut res eorum gestæ scriberentur in libris perituris, sed potius in libro vitæ, qui memoriam excedit et hominum et angelorum. Nihilominus memoria venerabilis illius Patris adeo remansit apud filios suos vivida, ut multorum annorum series non potuerit eam obliterare. Imo inter eos circumfertur brevis quædam notitia quorumdam ipsius gestorum; pauca tamen hæc sunt in comparatione illorum quæ dici potuissent. Cum autem quædam ex illis spectarent ad eum qui, ut testis ocularis, præfatam notitiam scripsit, nomen suum non apposuit, satis habens in confirmationem narrationis suæ adscripsisse hæc Joannis verba *e*: *Quod vidimus testamur.*

E

Fontes ex quibus narrationem hausit Joannes a S. Maria

3 Auspicatur notitiam suam a loco ubi S. Petrus in lucem est editus; et nos hinc quoque exordium deducemus in describenda ejus Vita; ad quam nobis præsto sunt fragmenta quædam laudatæ notitiæ, sicut et alia, quæ, quominus oblivioni darentur, vetuit vigilantia admodum R. P. F. Francisci Gonzagæ, Ministri generalis Ordinis, qui mandavit ut in singula provincia vitæ conscriberentur eorum qui magis erant noti. Cum vero id tardius et haud magna cum diligentia susceptum fuerit, pauca tunc prodierunt, plurima tenebris involuta manserunt, donec nova facta investigatio est anno 1611. Quæ omnia documenta, quo meliori potuero ordine digesta, oculis subjiciam, ut omnes illis fruantur et nos præcipue qui in hac provincia (*S. Josephi*) gloriamur esse ejus filii et Fratres, quo eum imitemur, atque gradum acceleremus ejus incitati exemplis *f*.

Sancti Petri natales. Parentes.

4 Oriundus erat ex urbe Alcantara, quæ caput est territorii, quo fruitur supremus magister Ordinis militaris, qui ab hac urbe nomen habet. Sita est in illa Hispaniæ parte, quæ Extremadura vocatur, ad limites regni Lusitanici. Parentes ejus erant valde pii et nobiles. Pater, jurisconsultus in utroque jure peritissimus, vocabatur Baccalaureus Garavito (*el Bachiller Garavito*): tunc enim temporis non tot erant Doctores. Nomen matris erat Maria Villela de Senabria, filia Joannis senioris de Senabria et Urracæ Gonzalez Maldonado. Uterque genere et nobilitate conspicui, et apprime noti ut tales in illo tractu. Unde nescio qua ratione in errorem induci illi potuerint, qui sanctum Petrum ex familia Barrantes progenitum dixerunt; nisi ex eo factum sit, quod non distinxerint tempora et personas, nec adverterint matrem sancti Petri secundas nuptias iniisse cum Alphonso Barrantes, ex quo filios suscepit, qui deinde et ipsi liberos procrearunt ex quibus Discalceatorum familiam nonnulli ingressi sunt, qui reliquentes nomen patris sui Barrantes, ab Alcantara dici voluerunt. Sed quia hæc ad hanc historiam non pertinent, nec mihi mens est multum immorari rebus quæ ad carnem et sanguinem spectant, quia nec Sanctus noster, nec viri, de quibus hic agendum suscipimus, aliud præ oculis habuerunt nihil nisi terrena quævis abdicare, ut hæredes fierent Christi; propterea non operæ prætium duco sancti Petri gentilitiam explicare excellentiam nec

F

alterius

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

alterius cujuslibet familiæ celebrare antiquitatem.

Nomen patrium deposuit.

5 Nomen suum proprium deposuit; quod quidem in hac provincia maxime usitatum; ut scilicet, relicto familiæ nomine, vocentur a gente vel loco unde ortum duxerunt, vel etiam a Sanctis quos singulari devotione prosequuntur. Atque ita sæcularis quoque vanitatis obliviscuntur; et ipsum nomen, quod multis fratribus est commune, eos magis facit germanos, et quidem sine ulla generis distinctione. Sic egit S. Petrus, nec alio exinde nomine dictus est quam Fr. Petrus de Alcantara.

Ejus prima studia litteraria.

6 Ab infantia educatus fuit in domo patris sui, et mature cœpit indicare quid aliquando futurus esset. Missus deinde ad ludum litterarium est, ac postea studiis majoribus addictus. Brevi tempore profecit in virtute et litteris: quæ vix recte discuntur nisi ab infantia, antequam pravæ consuetudines animam invaserint. Habebat ingenium perspicax et facile, sanum judicium, simul cum mirabili modestia et in bonum propensione, qua Deus eum donaverat. Unde quicumque eum noverant, magnam de eo concipiebant spem.

Statuit Deo se consecrare.

7 Annum adeptus decimum sextum, quando in aliis ejusdem ætatis juvenibus solet lumen rationis obscurari ex pravo ejus usu; solem justitiæ
B
ipse percepit in anima sua magis splendescere; atque ad ejus radios detegens sæculi vanitatem; pericula et deceptiones eorum, qui post falsas brevesque currunt delicias, statuit consecrare se Deo penitusque dedicare. In tam tenera ætate, quando omnes suos inter eminebat sodales, reliquit magistros, quorum scientia limitata modicos tantum fert fructus, ut eam prosequeretur in proprio suo fonte, qui est Deus. Quem cum invenisset, hausit ac abundanter bibit de fontibus Salvatoris aquam gratiæ et scientiam spiritus, quam deinde suo tempore in animos suorum præsertim fratrum atque fidelium omnium copiosissimo diffudit cum proventu.

Adit Discalceatorum conventum.

8 Hanc ergo habens ætatem (et erat annus Christi 1515) antequam mundus eum potuerat corrumpere et nexibus suis implicare, ut solet accidere iis, qui in illo manent; ipsi nuntium remisit sicut et omnibus ejus deliciis; pedibus cuncta calcando propter amorem Jesu Christi crucifixi; atque profectus est, ut habitum assumeret in Custodia Extremaduræ, quæ tunc a Capucio vel Ste Euangelio nuncupabatur, et ad fratres Discalceatos
C
spectabat; quod illa tunc maxime esset reformata, et major in ea servaretur rigor et asperitas. Postea custodia hæc separata fuit a provincia S. Jacobi, atque ipsa, in provinciam erecta, a sancto Gabriele dicta est.

Miraculum.

9 In hoc itinere, cum iret ut habitum indueret in conventu S. Francisci de Manxaretes præfatæ provinciæ, una distante leuca ab urbe cui nomen Valencia de Alcantara, accidit quid mirabile, quod ipse postea, jam senex, narravit ad gloriam Domini nostri, cuidam religioso sibi valde familiari. Pervenerat ad fluvium Tietar, ubi cymba trajicitur ad ripam Bazagonæ; ast cum non inveniret navicularium, nec videret quomodo transire posset, mirabiliter se in alteram ripam fluvii reperit translatum, quin caperet quomodo et quo mediante id factum esset, nisi divina virtute. Ita scilicet ostendit Dominus noster, quod ipse dux illi esset, et quantos ex hoc itinere ad ejus servitium stimulos capere ipsum vellet.

Habitum induit religiosum.

10 Conventus ille stabat tunc in loco valde devoto et solitario, haud procul a rupibus et anfractibus, quibus ex hac parte regnum Castiliæ a Lusitania dividitur, et vulgo *Manxaretes* vocatur. Ibi induit vestem sanctam. Simul ac pius ille juvenis
D
se conspiceret in hac paupere domo, remota ab omni hominum conversatione, atque disjuncta a quovis mundano turbine; confidit fore ut hic latens in angulo suæ cellæ suis se anxietatibus subducere valeret, atque intactum servare pretiosissimum thesaurum castitatis, et balsamum devotionis suavissimum, quæ adeo facile defluunt, quia scilicet illa, ut monet Apostolus, circumferimus in vasis fictilibus.

Quomodo se ipse ad virtutem exstimularet.

11 Cum itaque jam se circumdatum spectaret vili et hispido panno, veste scilicet mortificationis et pœnitentiæ, ita cœpit se ipse compellere et dicere: Eia, Petre, jam adest tempus adeo tibi exoptatum, et opportunitas, quam ambiebas, ut totum penitus te Deo tradere valeres. Jam es in domo illa, in qua magis elegisti vivere despectum, quam honoratum in palatiis regum. Jam versaris extra occasiones, quæ possent te avertere a sequela Jesu Christi crucifixi. Jam Deus te liberavit a laqueis dæmonis et periculis peccati, quæ quasi ad singulos gressus se offerebant. Jam egressus es ex captivitate Ægypti, et appulisti ad portum securum religionis. Jam substractus es vicissitudinibus et procellis infidæ sortis; et extra mare turbu-
E
lentum hujus sæculi, frueris malacia et pace pauperis istius cellulæ. Nunc jam tempus est implendi bona proposita. Jam tibi non existit mundus: vivere oportet in Christo, et vita tua debet esse abscondita cum ipso in gloria. Eia age, Frater Petre, ad quid venisti? quid expectas? ut quid tempus elabi permittis? cum vita sit brevis, mors certa, et valde incerta hora, quid moraris? cur non manum operi admoves? Novus hic status novam exigit vitam; vestis ista majorem mortificationem. Has et similes rationes secum ipse volvebat, novus Christi discipulus; et deinceps sæpius sibi per aliquot annos revocabat; continue se tamquam novitium habens, segnem pigrumque se exstimans, atque ita se impellens ad progrediendum in divino servitio.

Ejus mortificatio et spiritus recollectio

12 Et sicut legitur de Christo Domino nostro, quod cœperit prius facere ea quæ postea prædicaturus erat; ita etiam ipse, ex quo religionem suscepit, cœpit exercere id, quod postea alios erat docturus omnibus viis modisque mortificans desideria sua, pravasque carnis propensiones; male tractando corpus suum jejuniis, disciplinis, arduisque pœnitentiis usque dum spiritui plane
F
subjiceretur Nec his contentus, sed simul etiam sensus mortificabat suos. Cum enim jam inciperet interiori suavitate percipere bona cœlestia et degustare dulcedinem et delicias spirituales, timebat ne his sensus exteriores nocerent. Propterea tam arcte illos circumscribebat, ut vix iis permitteret suo fungi officio, sicut brevi videbitur in historia ejus vitæ, quæ tota fuit quasi speculum, in quo nos omnes frequenter considerare debemus, ut nostram perficiamus, ut emendemus defectus nostros, ut depressum erigamus animum, spiritum nutriamus ad exemplum sancti illius Viri. Quid ago? in quo hæreo? ad quid veni? præterit tempus; transeunt dies, menses, anni, quin non modo ullum faciam in virtute progressum, sed multum retro cedo. Status perfectissimus est; præstantissima sodalium, quos inter vivo, adsunt sanctitatis exempla et præstantiora adhuc cœlitus veniunt auxilia. Quænam ergo est causa cur tam parum proficiam? Non est alia nisi defectus spiritus et excessus quidam pusillanimitatis et teporis. Dignetur Deus Dominus noster nobis impertiri suam gratiam per Jesum Christum unigenitum filium suum, quæ sola,

A sola, inquit S. Paulus, potest hominem liberare a rebellione et concupiscentia carnis in malum inclinatæ, ut sanctus Apostolus ipse sentiebat, quando clamabat : quis me liberabit a corpore mortis hujus? Experientia enim noverat, Deum vires ministrare, quibus juvemur, ad portandum jugum ejus suave et leve, et larga manu remunerare eos, qui fideliter ipsi serviunt, et ex ejus amore labores et pœnitentias ardenter suscipiunt.

ANNOTATA.

a *Capitibus præcedentibus, undecim omnino numero, initia et constitutionem provinciæ S. Josephi descripsit auctor; hujusque fundatoris, Joannis Pascual vitam mortemque exhibuit.*

b *Vide Comm. præv.* § II, *num.* 31 *et seqq.*

c Y dio en el punto de la reformacion *id est, verba verbum reddendo* : et dedit in punctum (*metam*) reformationis.

d *Hinc liquet P. Joannem a S. Maria S.* Petro *supparem (ut diximus Comm. præv.* § IV, *n.* 101*) saltem fuisse; imo et coævus dici poterit, si, hoc loco, non respiciat extrema omnino S.* Petri *vitæ*

B *tempora.*

e *Joan. Epist.* I, *cap.* I, *v.* 1 *et* 2 : Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ; et vita manifestata est, et vidimus et testamur. *Confer. Comm. præv. n.* 101.

f *Sequuntur nonnulla in eumdem sensum, quæ brevitatis causa prætermittimus, cum nihil ad historiam sancti Viri faciant.*

CAP. II. *Quomodo se habuerit servus Dei Fr. Petrus de Alcantara, dum erat novitius et aliquot annis post suam professionem.*

Summa S. Petri in tyrocinio perfectio.

Quando jam sanctus ille juvenis aperiebat oculos et se ipse intuebatur in ista solitudine et silentii quiete constitutus, quamvis vita ejus anteacta fuisset adeo regularis, ut ejus egressus ex sæculo

C mutatio potius sit dicenda status, quam conversio : nihilominus tanta erat erga eum divina liberalitas, ut multum in virtute proficeret, et ex bono melior atque sibi ipsi fieret superior sicut et cæteris, qui eodem tempore virtute florebant; idque cum tanta animi generositate, ut perfecte adimpleret promissa, quæ in sua professione fecerat, mutandi scilicet suos mores et deponendi veterem Adam, in quo tamen non videbatur peccasse. Adeo ut facile non sit enarrare sive vitam angelicam et cœlestem, quam duxit a principio suæ in religione conversationis, sive fervorem, quem in tyrocinio exhibuit, in quo apparuit vir jam valde perfectus et in omni virtutum genere exercitatus potius quam novitius; sive opera mirabilia, quæ in ipso Deus operatus est, dando ei fortitudinem et spiritum ad obtinendas victorias, quales de dæmone retulit; sive conversationem, quæ rectius diceretur angeli quam hominis, spectata innocentia, in qua a pueritia vixerat. Quando enim aliquis in hac innocentia incipit amare Deum illique servire; tam altas in amore illo agit radices, ut non facile jam possint avelli; præsertim, si ea, qua S. Petrus, cura et diligentia noverit illas excolere, laborando et frangendo terram carnis suæ incredibiles per pœnitentias, vacando continue operibus spiritus in perpetua oratione et contemplatione, conversando cum Deo, oblivioni dans mundum, parentes, fratres, amicos et affines.

AUCTORE JOANNE A S. MARIA

quam multiplici ex capite, difficile admodum est describere.

14 Cœperat frui voluptatibus et deliciis spiritualibus, unde insignis oriebatur neglectus rerum, quas caro et sanguis extollunt; sed insignior erat adhuc contemptus bonorum omnium temporalium, et super omnia eminebant cura et diligentia quibus prosequebatur cœlestia. Elucebat in eo præter solitum spectanda simplicitas, animi puritas, prudentia, sapientia, eloquentia seu verborum efficacia : præ cæteris vero excellebat operum ejus sanctitas : non enim sufficiebat ipsi operari, sicut reliqui operantur; sed operibus quasi novam infundebat vitam, novam essentiam et peculiarem spiritum. His quidem potuissent lucem aliquam affundere viri illi sancti, primævi provinciæ sancti Gabrielis fundatores, qui ei convivebant et per plures annos ejus societate delectati sunt : nam quoad ea quæ post hujus provinciæ fundationem contigerunt, quod innotuit prorsus nihil reputandum est in comparatione eorum quæ E novisse oporteret. Unde et impar ego quoque sum, satisfacere expectationi illorum, qui sperant fore ut ex hac historia discant ejus vitam, miracula, et res memorabiles; ejus exercitia et opera, quorum summa tum ad hominis exterioris mortificationem, tum ad interioris pacem et recollectionem tendebat. Multi egregiam ejus in genere noverunt sanctitatem; ast in specie vix habent quod affirment aliud, nisi quod eximia effulserit virtute. Atque, ut mihi quidem videtur, hæc ipsa sanctitatis eximiæ opinio apud omnes recepta, in causa fuit, cur parum diligentes exstiterint in rebus ejus colligendis, et plurimæ interciderint memoria dignissimæ. Hinc etiam pauca illa, quæ tradita de ipso sunt, animum non complent, nec satisfaciunt desiderio eorum, qui ipsi sunt devoti; nec ego, qui illa descripsi, aliud me præstitisse puto, quam exhibere quædam lineamenta, quorum ope sapientiores poterunt aliquatenus conjicere, quam præclara, quam grandia essent ejus opera. Perfecte enim illa cognoscere, frustra quis tentaverit : nam tanta sunt, ut etiam si integre innotuissent, nullus tamen mortalium eorum assequi posset perfectam intelligentiam. Unde minus affligimur cum plurima eorum intercidisse comperiamus, quam si videremus illa cognita minoris, quam par est, æstimari. Denique, ut possem illa recte et integre reddere, oporteret ut vel ipse essem sanctus ille vir, vel eumdem cum ipso haberem spiritus saporem : nam ille ipse et Deus (e cujus manu cuncta Petrus receperat) possent perfecte tantorum operum dare notitiam. Præsertim cum sanctus ille Frater tanta cura allaboraverit virtutes suas mortalium oculis subducere, atque secretum suum sibi servare. Si ipse Dominus non quædam virtutum illius præmia in lucem protulisset, haud forent cognita, et pulchritudo interior animæ illius nos prorsus latuisset. Ast ille qui glorificat servos suos, eosque donat corona gloriæ, ab omnibus eos vult honorari. Ipso itaque favente, dicam aliquid de virtutibus illius; non quidem multas, quas exercuit proferam, sed paucas quarum assequi mihi licuit notitiam.

F

Sancti Petri modestia.

15 Prima ejus virtus et simul maximum, quod de eo refertur, miraculum, fuit admirabilis illa hominis exterioris compositio, quæ efficitur ex ordinatione omnium sensuum et cæterorum quæ foris

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

foris apparent. Tanta erat ejus modestia, tanta decentia, ita cum omnibus et omni in loco agebat, ut in toto ejus habitu, nihil perciperes, quod offendere vel minimum potuisset; contra omnia ad ædificationem faciebant. In ore serenitas, modestia in vestitu, decentia in oculis; compositum corpus, moderatus incessus, conversatio candida, simplex absque umbra fictionis aut dissimulationis, alacritas sancta; prudens in consiliis, discretus et circumspectus in verbis; denique in toto homine exteriori relucebat splendor et pulchritudo ejus animæ: quidquid in eo exterius cernebatur, argumentum præbebat copiosæ ejus virtutis et sanctitatis.

Sensuum, præcipue oculorum, custodia.

16 Jam inde a principio suæ conversionis summam ponebat diligentiam in sensibus mortificandis. Sciebat enim, utpote prudentia præditus, quanti momenti sit in bello spirituali, portas et aditus omnes hosti tenere clausos. Et super omnia noverat quam sit periculi plenum, oculis indiscrete laxare habenas: ipsæ enim fenestræ sunt, per quas, ut Jeremias loquitur, mors in animam ingreditur. Id certum, quod, utcumque hæc ingredi tentaret, posset ille valde securus vitam
B ducere, cujus oculi non furarentur animam. Quapropter fecit (sicut alter Job) pactum perpetuum cum illis, ut nihil aspiceret quod posset damnum inferre. Atque adeo sancte illud per totam vitam servavit, ut vere dici queat non antea eum aperuisse oculos, quam ubi certus erat, quod jam præ senectute et pœnitentiis nihil videre possent. Ex hac summa visus custodia, nata dicuntur quædam, quæ referam, licet timeam ne aliis videantur conficta, ab aliis vocentur in dubium. Illis, qui oculis tam libere vagantur, videbitur res impossibilis, vel una hora illos tam arcte cohibere; remque magnam præstitisse credent, si hanc sibi intulerint vim.

Jerem. 9.

Job. 31.

Quanti momenti sit visum custodire.

17 Ast servus Dei, qui cupiditatum suarum noverit esse dominus, et perpetuo incedit attentus ad ea quæ in corde suo tractat cum Deo et Deus cum illo, non arduas nimium judicat curam et diligentiam adhibitas eo fine ne quid admittat, quod suapte natura conversationem illam internam haud parum turbare est natum. Scit enim quam acriter feriant jacula, per oculos in animam immissa, quantumque eam distrahant a suavi illa quiete et silentio, (Somnus dulcissimus a Davide
C vocatur), quod cum Dominus dilectis suis servis concesserit, brevi illi consequuntur promissam hæreditatem et cumulum bonorum omnium. Et ideo nullo umquam tempore non vigilant, ut donum conservent tanti pretii, quanti est ipsa vita spiritualis, quam anhelant.

Præclara hac in re S. Petri exempla recensentur.

18 Oculorum custodiam habuit ita diligentem et perseverantem S. Petrus, ut habitus id genus mortificationis quasi in affectum ipsi naturalem transiisset. Ambulabat spiritu absorptus et abreptus; ejus cogitationes in Deo erant, quem diligebat ex tota anima, ex toto corde, ex omnibus viribus. Ejus intellectus occupabatur meditatione rerum cœlestium; memoria, consideratione divinorum mysteriorum; ejus anima tota Deo erat impleta et imbuta. Oculos habens quibus videret, nihil videbat; aures, ut audiret, nihil audiebat; et vix singulorum sensuum suorum ministerio amplius quidquam percipiebat, quam si homo non fuisset. Tanta erat continue ejus mentis a sensibus omnibus et præsertim a sensu oculorum abstractio! In quo et id factitatum videmus, quod narrat S. Joannes Climacus de monachis eremum incolentibus; quodque merito celebratur in S. Bernardo, qui multo jam tempore postquam habitum sumpsisset, ignorabat quot ecclesia numeraret fenestras. D

Per tres continuos annos vix umquam aperuit oculos.

19 Toto illo anno, quod egit Petrus in cella, in qua primum positus fuerat, numquam vidit num tabulatum haberet, an vero solo cooperta esset tecto; et quamvis multoties ecclesiam et Capellam majorem conventus ingressus esset, ignorabat utrum fornicem illa haberet. Accidit etiam cum junior adhuc esset et triclinio præfectus, ut, postquam jam per medium et amplius annum claves habuisset, corriperetur a guardiano, quod fratribus non obtulisset uvas et mala granata, quæ in penuario servabantur. Respondit cum humilitate se illa numquam vidisse; licet patenter nec nimis alte ex clavo penderent. Fuerat per quatuor annos in altero conventu, nec viderat arborem assurgentem in area domui contigua. Dum mensæ accumberet, manibus illam hac illac tentabat, cibos sibi appositos quærens. Nam nec hoc in loco aperiebat oculos, quos custodiebat non solum ubi lateret forte aliquid periculi, sed etiam ubi nullum esset. Atque id tantum cordi habebat, ut per tres integros annos non aperuerit oculos, nihil intuens sive quod in conventu, in quo morabatur, sive E
quod in illius horto reperiretur. Qui hac in re plurimum concedunt, tenent toto illo triennio nihil ab eo conspectum seu visum præter illud terræ spatium, quo inter gradiendum pedes figendi erant. Qui vero cominus eum observarunt et familiarius cum eo egerunt, affirmant ipsum numquam eorum aspexisse faciem, et raro tantum aperuisse oculos, nisi dum staret in choro: quamvis et hic parum visu indigeret, cum felicissima præditus esset memoria, ita ut quoties aliquid ex scriptura proferretur, statim indicaret et quo libro et quo capite verba haberentur. Alia hujusmodi prætermitto ne infirmis ansam præbeam obloquendi: sufficit mihi ostendisse officium recitari ab eo potuisse quin aperiret oculos.

Numquam mulieris faciem aspexit.

19 In custodiendo visu tam erat exaggeratus *a* (si tamen possit in hujusmodi esse exaggeratio) ut pro certo habeatur, ipsum, a die quo vestem induit religiosam, numquam per totam vitam spectasse faciem cujusvis mulieris. In hoc gloriosum patrem nostrum imitatus sanctum Franciscum, qui quamvis adeo edomitam et emortuam haberet carnem, ut merito dicere posset: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus:* nihilominus tam diligenter oculos ab aspectu mulierum cohibuit, ut (sicut scribit S. Bonaventura) non agnosceret facies quas olim viderat, nec omnino ullam feminam de visu novisset. Atque hoc sanctus historiographus adeo judicat necessarium, ut non vereatur dicere: quicumque vixerit absque sollicitudine et diligentia, quas hac ex parte gloriosus pater S. Franciscus exhibuit, ipsi tam difficile erit se illæsum servare, quam ut per ignes incedens, non comburatur. Eadem cum cautione ambulabat S. Thomas Aquinas, quamvis, ex peculiari Dei dono, carnem adversus spiritum non experiretur rebellantem. Erat Placentiæ matrona valde devota atque in fratres singulariter benefica, imo et familiariter utens cum sancto Petro. Hæc, mortuo viro, secundas iniit nuptias in urbe Abula, ubi ipse eam invisit. Cum jam aliquot effluxissent anni, ex quibus eam non viderat; cœpit conqueri illa quod debilis et infirma esset facta. Ipse vero dixit: recte quidem mihi valere videris. Cui illa: quomodo, pater mi, valetudo mea tibi eadem videri potest, quam dum paternitas vestra me vidit Placentiæ? Reposuit Sanctus: Enimvero asserere possum me numquam vidisse

a

Gal. c. II. v. 20. F

A vidisse te meliori utentem valetudine. Intellexit illa quid vellet, et facile credidit: numquam enim ipsum oculos aperientem viderat, quamvis sæpius faciem ejus scrutasset et quidem muliebri cum indagine.

sed nec earum quoque vestes. 20 Tanti momenti hoc Sancto nostro videbatur, scilicet non aspicere faciem mulieris, quantumvis piæ et honestæ, etiam ubi loquendum necessario cum illa esset; ut nec vestes nec quodvis aliud ad eam pertinens vidisse vellet. Sequebatur scilicet eximium illum eremi cultorem sanctum Paulum, de quo scribit Cassianus, quod adeo caute oculos custodiret, ut non solum aspectum declinaret cujusvis mulieris, sed nec vestes nec aliud quidvis illius intueretur. Numquam etiam subsistere eo loci voluit, unde ejus oculi ad evagandum allicerentur. Res enim emortuæ memoriam inducunt vivarum. Et non raro haud minus acriter nos oppugnat dæmon exhibendo nobis umbras vel simulacra, quam corpora et facies. Quapropter qui stimulum in se percipit carnis, non solum abhorret a causa lapsus, sed et ab eo quod vel a longe causam illam possit vel excitare vel inducere. Monitum est Spiritus sancti dicentis: *Omni homini noli* *Eccles. 42.*
B *intendere in specie, et in medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.* Quia si attentius eam spectemus, nihil est in muliere, quod non posset in laqueum cedere viro; ita ut quodcumque in muliere oculi aspexerint, hamum ibi invenient, morte capiantur: cito enim oculi currunt post id quod viderunt, et hinc valde difficile est, quacumque demum sit ex parte, illam contueri absque periculo.

Quid hac in re exigeret S. Petrus a fratribus suis. 21 Per istam cautionem tam recte secum agi comperecrat servus Dei, ut eamdem commendaret filiis et fratribus suis; nec ferre poterat, ut quis in publico oculos haberet apertos, eosque dirigeret eo, ubi esset occasio videndæ mulieris. Quod si fratrem seniorem vel præpositum ita facientem deprehenderet, eos corripiebat: si junior esset, statim accurrens digitos ejus oculis immittebat, atque hoc, etiamsi adstarent sæculares seu extranei: non enim volebat ex humano aliquo respectu privare remedio fratrem periclitantem. Probe norat, quod quisquis curiose considerat faciem mulieris, vix umquam absque damno id facere queat. Non sibi fidant, inquiebat, nec dicant sufficere si cor servetur securum et rite custodiatur. Nimis enim
C astuta est caro ad nos decipiendum. Et quamvis multum quis habeat virtutis, caro plures adhuc artes, quibus circumveniat eum, qui præsumit nimium de profectu suo spirituali, suaque prudentia, ut non incedat attente imprimis et caute *b*.
b

ANNOTATA.

a Extremado *extremus*.

b *Sequitur hic exhortatio, ad sensuum custodiam omnibus commendandam. Cum locus sit communis nec quidquam in eo reperiatur speciatim Sanctum nostrum respiciens, illam prætermittimus.*

CAP. III. *De pœnitentia et magno rigore quem exercuit S. Fr. Petrus de Alcantara, sive dum bona sive dum mala uteretur valetudine.*

Ita secreta tenuit servus ille Dei privata sua exercitia, ut exigua vel etiam nulla dici possit notio, quam habemus eorum, quæ fecit per tot annos, quibus in provincia S. Gabrielis, ab omni humano consortio remotus, vixit, variis in conventibus, ita solitariis et a mundano strepitu distractis, quasi in eremo fuissent ædificati. Quem ibi ordinem vitæ servarit, quas pugnas cum dæmone habuerit, quam exercuerit pœnitentiam, vix aliquid eorum scimus; nullum tamen dubium est, quin præclarissima hæc omnia fuerint: non enim poterat dæmon patienter spectare initia, tam excellentium prænuntia fructuum. In his ergo solitudinibus sepultæ remanserunt res memoria dignissimæ. Scilicet hæc Dei voluntas, ut abscondita maneat plurimorum servorum suorum sanctitas, tum ne ludibrio sit iis, qui eam vel despiciunt vel parvi pendunt; tum etiam, quia, sicut in judicio manifestabuntur plura crimina adhuc incognita, sic et plurimæ detegentur lucebuntque margaritæ; tot scilicet vitæ Sanctorum, tot rigores, pœnitentiæ, raptus admirabiles, quorum Deus solus fuit testis. Ast maneant hæc omnia (quoniam ita Domino placet) prorsus abscondita et sepulta, usque dum adveniat dies manifestationis, quem supremus judex habet designatum; nos vero, prout potuerimus, dicamus pauca illa, quæ scripta E supersunt, vel quæ didicimus ex memoria illorum, qui illa viderunt vel a testibus ocularibus audierunt: sola enim hæc aliqualem lucem affundere poterunt rebus gestis tam præclaris. Non deerunt tamen, quibus, quia modicum in virtute profecerunt, pauca illa, plurima esse videantur; ast illi, qui magis profecerunt, et aliqualem dicendorum habent experientiam, illa nihil esse ducent, in comparatione eorum quæ sperabant audire; et mihi profecto molestum est, non potuisse eorum expectationi respondere.

AUCTORE JOANNE A S. MARIA. Multum abest ut omnia, quæ ad S. Petri eximiam sanctitatem pertinent, ad nos pervenerint.

23 Posset forte pœnitentia sancti Petri nimia dici, si eum ut hominem tantum privatum spectaremus. Ast considerantes, quod simul etiam pater fuerit et auctor instauratæ et quasi de novo suscitatæ in sacra religione nostra pœnitentiæ, hanc potius mirabilem dicemus. Voluit scilicet æmulari fundatorem nostrum gloriosum patrem sanctum Franciscum atque ausus est ejusdem sancti Patris primævos suscitare rigores, asperitates et pœnitentias; quas et ipse in se per totam vitam suam exercuit. Insuper servabat ad amussim et ad litteram quidquid in sancta regula nostra præscribitur. Imo sunt qui ulterius eum F processisse dicunt, asserentes, nullum esse in Evangelio, sive præceptum sit sive consilium, quod non, quantum in se esset, et servaverit et impleverit. Non sufficit una virtus ut hominem ex omni parte faciat sanctum, quamvis quodcumque vitium eum reddat malum: bonum enim ex integra causa, malum ex quolibet defectu. Hinc etiam complexus virtutum, justitia vocatur: ut enim quis vere sit justus; id sit, non ex aliqua parte, sed ex toto oportet. Ita etiam multi sunt abstinentes, nec propterea recte dicerentur pœnitentes, quia dum abstinent a cibis, indulgent somno, lecto utentes molliori cæterisque hujusmodi *a*. a
Contra, qui quoad ista severi sunt, solent quoad alia esse remissiores. Sunt et alii qui sub habitu pœnitentiæ vel alterius virtutis innumeros tegunt defectus: pœnitentes nempe sine mortificatione, exterius compositi, in verbis blandi et melliti, bene manducantes et melius adhuc genio indulgentes, hypocritæ novi generis, quibus satis est mundo et ipsi Deo dare exteriora virtutis et jejunii atque pœnitentiæ. Non sunt isti pœnitentes, sed derisores, oculos Dei plurimum lædentes, cum

Vere Sanctus noster fuit Pœnitens.

cum oderit eos, apud quos exteriora interioribus non respondent. Non ita Sanctus noster; ast merito pœnitentis nomine donatur: omnes enim illius virtutis partes perfecte explevit. Veri pœnitentis vivens erat imago; animus respondebat corpori; in ejus fronte legebatur quod scriptum erat in corde; in uno cernebatur alterum, nec quidquam in toto ejus habitu discors erat reperiri. Quare cum considero ejus vivendi modum adeo excellentem, temperare mihi ab admiratione nequeo, videns quam perfectus fuerit in omni genere virtutum, ut suspensus hæream quam earum primam vel proponere vel celebrare deceat. Omnibus enim ipsum excelluisse comperio; paupertate, pœnitentia, patientia, humilitate, caritate, abstinentia.

Ejus abstinentia.

24 Ab hac ultima initium faciamus, utpote quæ fuit spectatissima. Et quamvis non pervenerit ad abstinentiam illam, qua Sancti plures priorum temporum illustrarunt ecclesiam Dei, nullus erit, qui nostra ætate, illam summam non dixerit. Tam exiguum erat, quod comedebat, ut prorsus impar videretur mortali sustentando corpori. Nec loquor solum de tempore quo junior et validarum
B esset virium; sed etiam cum jam ætate processisset, et senex vel infirma uteretur valetudine. Hac enim in parte perpetuo sibi constans fuit. Refectio ejus consueta magis ad exercitium pœnitentiæ quam ad sustentationem corporis adeo effracti et infirmi videbatur ordinari. Quæ enim refectio dicenda est frustum panis, non mollis et exquisiti sed duri, nigri et non raro mucidi? Quod si aliquoties pani aliquid superadderet, herbæ erant et legumina male cocta et præparata. Cibi, qui postquam decocti essent, poterant in aliquos dies asservari, nolebat ut singulis diebus coquerentur, sed in tanta quantitate, quæ in plures dies sufficeret. Nolebat ut servitium ventris tam bonam temporis partem absumeret; prout assolet apud eos, quorum deus venter est, et cujus altari omnes suas offerunt orationes et sacrificia, utpote qui nec alia loquuntur nec sapiunt nisi quæ ad cibum et convivia pertinent.

Quantum in cibo tum ipse tum fratres essent parci.

25 Quando præerat eumdem servabat cum fratribus suis modum, qui omnes ardebant eum imitari: nec enim dissipare ipsi etiam volebant tempus quod adeo est pretiosum. Jubebat concoqui ollam ciceribus vel fabris plenam, quæ integræ se-
C ptimanæ sufficiebant: et singulis diebus media hora ante meridiem coquus ex illis igni superponebat quantum satis erat futuræ refectioni; apponebat dein unicuique scutellam suam; atque his factum omnibus erat satis. Ast quasi hæc etiam sibi nimis exquisita fuissent, Petrus saporem temperabat infundendo in scutellam suam cineres, vel terram, aut aquam frigidam, ut non modum gratum, et quem haberent, amitterent saporem, sed et ingratum acciperent, atque ita refectio ansam præberet pœnitentiæ, nullatenus autem lapsui. Dicebat quoque nihil alimenti sumendum præter necessarium ad corporis sustentationem. Adeo perfectus erat S. Francisci imitator, ut etiam in hoc ejus sequeretur exemplum. Nam procul aberat ab opinione vulgi in iis quæ ad corporis nutrimenta pertinent. Verissimum enim ita nos constitutos esse, ut si limites naturæ non quæramus prætergredi, valde facile vitam ducere possimus, nulla adhibita lautitia. Monet Spiritus sanctus hominem ab initio non indiguisse nisi pane, aqua et vestimento quo tegeret carnem suam; nec enim Deus ipsum creavit in medio condimentorum; nec noverat Adam ciborum delicias, quas singulis diebus excogitat Nabuzardan, coquus inferni, quibus plures utuntur ad obsequium ventris, absque ulla prorsus necessitate. D

Quomodo se gereret cum extra conventum pranderet.

26 Quando aliqua sese offerebat occasio prandendi extra domum cum sæcularibus, et apponerent cibos lautiores et exquisitiores quibus eum reficerent, infundebat aquam frigidam, et prudenti cum simulatione dicebat: sunt mihi nimis calida, nimium condita, vel simile quid aliud *b*. b
Magis enim amabat temperantiam, quam vanitatem et insanam abundantiam, quibus mundus suos pascit. Ordinarie bibebat aquam, nec umquam ea satur erat. Ita ut nec in cibo nec in potu alium admitteret saporem, præter eum, quem dare poterant alimenta ordinaria, de quibus diximus, quin umquam adhiberet ullum condimenti genus, quo fierent sapidiora aut suaviora: non enim sanctus ille Vir saporem quærebat in cibis materialibus, sed in oratione et conversatione cum Deo.

Nullum ex cibis percipiebat saporem.

27 Ex insipidis hujusmodi alimentis ita pessumierat ejus gustatus, ut fratres hunc penitus extinctum crederent putarentque eum jam non amplius percipere quid manducaret. Quidquid enim ipsi apponerent, dicebat: Valde bonum est, et sapidum; etiamsi alii illud valde insipidum aut E
acerbum comperirent. Unde experimentum facientes dabant ei loco pulmenti, aquam calidam, mica salis et paucis olei guttis inspersam; atqui nihilominus asserebat: optimum esse et valde sapidum. Credibile est, ita ipsum egisse ex spiritu mortificationis, atque hæc sustulisse ex amore Domini sui. Vero tamen similius apparet, id ex eo ortum, quod tantum differret refectionem suam, ut quivis cibus ipsi videretur bonus et sapidus, propter summam, qua laborabat, illius sumendi necessitatem. Denique ipsa alimenta quæ diximus, tam parce adhibebat, ut non comederet, nisi tertio quoque die.

Ejus jejunia.

28 Atque ex his autumari licet quæ fuerint ejus jejunia. Parum dixerit, qui pronuntiaverit, jejunasse omnibus quadragesimis, a S. Patre nostro Francisco præscriptis; nec etiam si addatur jejunasse toto anno, imo tota vita. Qui enim dicit jejunium videtur saltem unam singulis diebus supponere refectionem. Verum qui ita, ut sanctus Petrus, prandet, et insuper numquam cœnat, dici potest semper jejunare vel numquam comedere: quod enim tam parum est, recte pro nihilo reputatur. F
Asserunt quidam ipsum per tres integros annos aliud manducasse nihil, nisi frustulum panis aqua intinctum frigida. Unde mirum non videbitur, aquam calidam, sale et oleo inspersam, ei lauti instar convivii fuisse. Imo aliquoties modicam hanc suam refectionem ad octavum usque diem distulit. Tantum scilicet valet spiritus vigor, ut cætera omnia post se trahat. Facile enim cernitur talem abstinentiam non potuisse servari nisi ex habitu, diuturna contracto temperantia *c*. c

Vigiliæ.

29 Æquo passo ordinarie incedit cum abstinentia somnus, qui est levamen laboris, reparatio sensuum, solatium et requies turbationum et molestiarum totius diei. Tam parum ei indulgebat, ut tota ejus vita dici possit perpetua vigilia; nec facile intelligitur quomodo tam brevi somno humanum corpus perdurare potuerit. Sunt qui dicunt, eum non ultra horam cum dimidia dormire solitum, alii duas dant horas inter noctem et diem. Ejus in cibo parcitas, seu potius omnimoda abstinentia magno erat ajumento ad pellendum somnum. Continue etiam memoria tenebat consilium Christi, datum discipulis suis et simul etiam omnibus qui ipsi adhærere voluerint: *Vigilate et orate*

Math. c. XXVI, v. XLI. Ibid. c. XXIV, v. XLII. Prov. c. VI, v. 11.

orate ut non intretis in tentationem : Vigilate, quia nescitis diem neque horam; sicut et hanc reprehensionem dormitatoribus factam : *Usque quo, piger, dormies?* Abhorrebat itaque ab isto vitio, quod morti est adeo simile; dicens hoc solo se removeri a Dei præsentia; quod nec ipsa mors efficit, quin potius nos magis ei conjungit.

Quomodo somnum caperet.

30 Per quadraginta annos et amplius non noscitur umquam cubasse in lecto; ast innixus baculo, qui ex transverso in ejus cella hærebat, aliquale corpori dabat solatium, quando jam genibus niti non valebat, et invincibilis naturæ necessitas ad somnum compellebat : nam cubare nec ipse volebat, etiamsi potuisset; nec poterat, etiamsi voluisset, quando scilicet erat in sua cella; quoniam cum ipse esset proceræ staturæ, cella ejus erat tam brevis et angusta ut caperet tantum quatuor pedes in longitudine, et tres in latitudine; ubi proinde membra sua extendere frustra tentasset · nec magis erectus stare licebat; erat enim valde demissa atque ædificata sub aliqua scala. Lectus, hujusque suppellex aliud non erant, quam pellicula in solo explicata, in qua genua demittebat, aut si jam præ nimia defatigatione ita se sustinere non valeret, sedebat super talos depressus.

B

Modus quo cum frigore et somno luctabatur.

31 Quando, furente hieme, frigore acerbe vexabatur, aperiebat portam et fenestram cellæ, ac deponebat mantellum. Ubi vero ventus et frigus acrius eum urgebant, claudebat portam, et lepide compellens corpus, aiebat : bene tibi habet, ne querare. Paulo post claudebat et fenestram, atque hoc etiam beneficium jocans extollebat; tandem mantellum resumebat, quod ultimum et maximum erat solatium, et secum ipse loquens, dicebat : nunc, frater corpus meum, recte vales, jamque potes in oratione perseverare. Sic jocando animum erigebat, et reipsa multum mitigabat frigoris dolorem. Atque ita, quamvis somnus soleat judicii auferre libertatem, ipse tamen videtur illam servasse, quia scilicet non ita tradebat se sopori, ut omnis cum Deo abrumperetur conversatio. Nam, cum ordinarie in somno redeant sermones et cogitationes per diem habitæ, et ipsæ etiam correspondeant occupationibus quæ præcesserunt; cumque sanctus Petrus totus in Deum et cum Deo absorptus esset, etiam dormiens cum ipso agebat et conversabatur. Imo quandoque, qui videbatur somnus, solvebatur in extatim seu contemplationem. Quod si etiam aliquoties somno obrueretur, tanta erat excitandi se sollicitudo, victus tam parcus, lectus, ut diximus, tam pauper, ut brevi ad se rediret, et resumeret solitum suum exercitium, se ipsum ignaviæ, et inertiæ accusans : judicabat enim totum illud tempus sibi perditum, quod dormiendo insumeret, quasi homo esse cessasset, qui per somnum valet nec usum habet expeditum rationis, nec suos dirigere sensus.

C

Quid ab aliis circa somnum exigeret.

32 Si quando audiret religiosum stertentem, vel videret eum cubantem minus composite, corripiebat, dicens, quod ita somnum capere, animum proderet ignavum, nec deceret nisi virum sæcularem. Qui tot habet hostes tamque potentes atque adeo vigiles, oportet sit continue attentus : salus enim tota pendet ex vigilantia *d*.

d

Summa ejus in vestitu paupertas.

33 Quavis in re et in tota vita sua eximium exstitit pœnitentiæ exemplar. Unicam, toto vitæ tempore, tantum habuit vestem, et hanc quidem ex viliori et rudiori panno. Quamvis hoc, utpote res ordinaria, nihil in aliis religiosis viris præ se ferat speciali dignum laude; aliud tamen est in sancto Petro, qui sive frigus, ventus, aut nix; sive debilitas, senectus vel fracta valetudo urgeret, ne filum quidem consueto indumento addidit; ast perpetuo utebatur veste simplice, paupere et detrita; nec aliam assumebat, nisi postquam alicui alteri jam inserviisset, ad exemplum sancti nostri patris Francisci, qui nusquam legitur novam induisse vestem; quinimo cum hæc aliqua ex parte deficeret, et reparata esset, novo assuto panno; abscindebat id quod novo illo panno tegeretur, ne scilicet saltem hoc modo duplicem posset dici habere vestem. Atque ita agebat, non quia putabat id ex regula non licere; noverat enim hanc permittere ut reparentur vestes, cum distinguat inter *ruptas* et *integras* : ut colligitur ex verbo *repeciare*, quod significat pannum panno superponere : remedium pauperibus utique conveniens, quibus non suppetit unde plura habeant vestimenta. Atque hac mente illud sanctus pater Franciscus fratribus suis concessit contra immoderatum quarumdam regionum frigus. Sed ne hac quidem sanctus Petrus uti erga corpus suum voluit indulgentia, qui ferebat vestem et mantellum adeo tenue et simplex, ut vere dici possit non vestitus nec defensus, sed tantum coopertus fuisse. Quid enim caloris, aut tutelæ contra aeris inclementiam afferre corpori adeo debili valeat simplex isque detritus pannus? E

Nudis perpetuo incedebat pedibus.

34 Ast forte pedes cooperti aliquale ferent corpori male tecto solatium? Sed sanctus noster tanta voluntate (ne dicam pertinacia) nudis pedibus incessit, ut nec cum sanus, nec cum infirmus esset, eos vel minimum cooperiri voluerit. Atque, hoc in proposito perseveravit usque ad extremum morbum *e* qui ipsi per duos omnino annos perduravit. Medicis miraculi instar erat quod vitam protraheret, non obstante mali intensitate, et hominis debilitate. Ast Dominus eum servabat filiis, qui tanti patris præsidio indigebant. Toto illo biennio, cum ita afflictæ et confractæ essent ejus vires, ut nec erigere se nec passum facere absque multo fratris subsidio valeret, numquam tamen adhibere qualecumque genus voluit calceamenti. Quando alterum habebat pedem morbidum vel vulneratum, haud sanandum nisi cooperiretur; isti vetus aliquod circumligabat sandalium, ast alterum nudum ferebat. Atque ab hoc rigore nulla abstinuit umquam tempestate, nec dum glacies, pluvia vel nix esset; nec domi nec extra domum; nec per vias, quantumvis in montibus asperas et longas; Christi scilicet vestigiis inhærens, qui nullibi legitur tulisse sandalia aut alio quovis modo texisse pedes. Hoc genere vestimenti et calceamenti ipse utebatur contra frigoris rigorem, et fratribus illud quoque commendabat, magni faciens eos, quos videbat huic mori perseveranter addictos, miseratus ex adverso eos, qui illum non valebant servare. F

e

Qua caritate juverit fratrem novitium in itinere.

35 Cum adhuc in prima esset juventute, accidit ut iter faceret cum quodam fratre novitio, qui in sæculo egerat vitam maxime mollem. Ut ergo hic erat valde delicatus, et recenter tantum discalceatus, non sine multo incedebat dolore et molestia. Hortabatur itaque eum Sanctus ad patienter hunc laborem ex amore Christi tolerandum. Cum autem ad loca deveniret ubi via esset difficilior, lapidibus et scrupulis obsita, humeris eum suis tollebat; donec paulatim ejus obdurarentur pedes. Ipse, licet jam senex et viribus fractus, pedes perpetuo ibat, donec annis et infirmitatibus adeo gravatus fuerit, ut jam per ipsam domum incedere non posset, nisi alteri (ut diximus) subnixus. Quapropter tunc, quando necessitas vel caritas urgebat, viæ se dabat vili insedens jumento.

36 Super

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

Cilicia et disciplinæ.

36 Super carnem gestabat cilicium, setis tortis et nodosis asperrimum. Per septem continuos annos habuit vestem aliquam ad modum mantelli, bracteis ferreis contextam, multipliciter perforatam, ita ut speciem præ se ferret radulæ : res profecto ardua : nec eam deponebat, nisi quando opus erat eam mundare. Denique numquam sine altero ex his duobus pœnitentiæ instrumentis incedebat. Sibi frequentes, asperasque infligebat disciplinas. atque adeo crudeliter sæviebat, ut non corpus suum, sed lignum percutere videretur. Et cum non haberet qui eum dirigeret, ultra ordinarias pœnitentias excogitabat novos et insuetos divexandæ carnis suæ modos.

Summa in omni vestimentorum genere paupertas. f

37 Femoralia seu vestes inferiores *f* (quas ex amore paupertatis unicas tantum habebat), cum eas lavasset, numquam integre exsiccandas relinquebat; ast postquam eas accurate contorsisset, licet adhuc madidas induebat, quantumvis urgente hiemis sævitia. Eodem modo agebat cum toga sua, quoties eam lavare opus haberet; appendebat eam, donec aqua decurreret, quo facto, humeris eam imponebat. Atque hic locus narrandi quod accidit in conventu Pedroso, cum ad eum venisset invisendum pater aliquis magister Ordinis gloriosi B sancti Dominici. Optabat nempe coram spectare virum cujus tantum celebrabatur sanctitas. Rogat janitorem ubi sit frater Petrus. Ille hunc vocaturus discedit; quem cum non invenisset in cella, monet patrem Prædicatorem, in hortum descendat, ibi illum esse. Atque reipsa reperit quemdam in aliquo latentem angulo, absque toga sua, sed mantelo coopertum, rogatque ubi sit pater Fr Petrus de Alcantara. Ubi vero eum sibi præsto esse intelligit, vehementer obstupescit, quod, quem Sanctum habebat, taliter compositum inveniret, atque exclamat : Qui fit, pater, ut vir tanti nominis, quanti est paternitas vestra, tam parum decenter agat vestitus? Qui respondit : Si quid in eo, pater, habeatur culpæ, Evangelio Christi imputetur, quod nos jubet unam tantum possidere tunicam. Modo lavi ego vestem meam, quam videre poterit vestra paternitas, explicatam in illo lapide; et cum non habeam alteram, expecto donec sit aliquantulum exsiccata, ut rursus eam induam. Quo audito, magis obstupuit Pater ille, veniam de illata petens injuria. Postea vero asseruit se uspiam alias nec vidisse nec legisse tam perfectam et adeo ad litteram evangelici consilii observantiam. C

Singulare quoddam S. Petri responsum.

Aquis se immergit.

38 Sed quod majus est, cum jam senex esset, visus est aliquoties, media hieme, cingulo tenus imo et usque ad humeros aquas immersus : nec tamen vir erat robustarum virium, sed languidæ, delicatæ atque infirmæ valetudinis; stomachi præsertim doloribus multum afflictus; quorum singula concurrebant imo et sufficiebant ad enecandum et consumendum ejus corpus. Nec enimvero, ni intus latuisset spiritus incensus et inflammatus amore Dei, ullo modo tot tantisque doloribus restitisset : ast nec frigore nec gelu extingui ardens ejus poterat caritas.

Nudo semper erat capite.

39 Semper cucullum gerebat depressum, nudo manens capite sive intra sive extra domum : ita quidem, ut nec die nec nocte, nec per solem vel pluvias, nec propter nives aut gelu, aliamve quamcumque aëris inclementiam caput umquam operiret. Accidit ut nebula capiti inhærens, cum capillis concreta congelaret, quos glaciei depellendæ causa abscindi necesse fuit. Habebat ordinarie caput contusum et vulneratum, eo quod frequenter in portas impingeret. Quæ cum essent humiles, ipse vero proceræ staturæ, modo hac offendebat capite, modo illac, dum spiritu suo impulsus properaret D aliquo, nec animadverteret quid faceret, nec etiam ad horam sentiret plagas. Solebat etiam dici caput et corpus ejus potius ad mortuum quam ad viventem spectare : vix enim ossibus hærebat, adeo ut macilentum atque aridum, radix arboris videretur exsiccata.

Quantum S. Petrus abesset a prudentibus hujus sæculi.

40 Non erat ille ex numero prudentum hujus sæculi, qui Deo taliter qualiter serviunt, metientes suas pœnitentias viribus suis, quas sibi persuadent esse perexiguas; quinimo, amore proprio illecti, solent multo pauciora præstare, quam vires illæ, quas sibi fingunt habere exiguas, permitterent. In hac humana prudentia deficiebat magnopere sanctus ille Vir, qui non considerabat debitum, nec vires suas consulebat in suscipiendo opere, quod longe eas superabat; sed, ut dicitur, firmitatem ex ipsa fragilitate desumens, sese immitebat quibusvis pœnitentiæ operibus, summo cum gustu et spirituali gaudio, lucrum sibi reputans quod liceret pati aliquid pro Christo, a quo et vicissim sublevabatur.

Nec ætas nec invaletudo eum a pœnitentia arcebant.

41 Numquam tædebat eum pœnitentiæ, nec uno quidem die ab ea quiescebat, etiam postremis viginti vitæ suæ annis, quando jam ætate et infirmitatibus (quas virtus numquam percipit) erat E gravatus; quas etiam quantum poterat occultabat. Et ipse spiritus fervor accendebat in ossibus illis quasi denudatis et fractis juvenilem ardorem, ad fideliter percurrendum stadium sibi præparatum. Imo, cum maxime annis esset gravis, et afflictus valetudine, acriores sentiebat ad pœnitentiæ opera stimulos, ita quidem ut per totam vitam ab illis numquam abstinuerit. Sanus vel infirmus, festis aut ferialibus diebus, domi vel foris, in itinere, quovis loco et tempore, spirabat sanctæ mortificationis ardorem. Atque hæc præclarum dant argumentum invictæ illius fortitudinis, qua spiritus ejus præditus erat, atque vix imitandæ ab iis, quibus adeo ac nobis infirma est fides; quamvis facilia sint illis in quibus eadem est ac in sancto Petro fidei alacritas, vel qui gustaverunt, quam suavis sit Dominus, quam incomprehensibilis merces quæ reddetur pro brevi et momentaneo labore Sancti, quidquid facerent, exiguum illud judicabant. Et cum tam ardentibus eorum animus flagraret desideriis atque ad sublimia anhelaret, ægre ferebant corporis tarditatem, ac propterea tam acriter veluti spiritus calcari urgebant, ut extra virium limites F illud projicerent. Unde tam paucos videre est, qui robusta usi sint valetudine. Hic nempe ut plurimum, latet infirmitatum eorum radix : ardebant currere post sponsum, quem sibi præeuntem videbant; timentes ne oculis elaberetur, angebantur, cursum accelerabant, donec viribus deficientes, clamabant cum sponsa : trahe me ad te, Domine, et simul curramus *g*.

Nec ullum umquam admittere voluit solamen. g

42 *Quamvis senex et continuis pressus infirmitatibus, nihilominus* numquam passus est ut fratres aliquod ipsi apponerent alimentum magis exquisitum. Dolebant vehementer videntes eum adeo jam languidum et fractum, rogabantque ut aliquid illius sibi adhiberet indulgentiæ, quam ipsis exhibebat; tantum mitigaret vitæ rigorem, respiceret ætatem jam provectam, multasque ægritudines, admitteret aliquid solatii, sineretque applicari remedia. Addebant vitam ejus maxime per annos aliquot adhuc necessariam isti provinciæ, quo cresceret et firmaretur, quæ tamquam planta novella indigeret ejus sustentari manu et coli exemplis. Subridebat ad hæc servus Dei, atque dicebat : sinerent terram exercere vires suas, remedia jam nimis

A nimis sero ventura; vel si quid etiam possent, aliud non effectura, quam suum protrahere exilium. Atque hanc arripiebat occasionem indicandi quid ipsi præstandum haberent; dicens quod, si ita male tractaret corpus suum, id se non facere animo illud opprimendi, sed tutandi se contra impetus recalcitrantis naturæ, quæ, quando videtur maxime subdita et edomita, rebellat pravisque suis propensionibus nos in periculum adducit offendendi Deum. Quod si Apostolus, jam in gratia confirmatus et tam parum carni et sanguini subjectus, tantum sibi timeret a mala illa bestia, quæ concupiscentia vocatur, ut clamaret: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*; quantum ipse et illi sibi timendum non habebant, quibus salus tam parum in tuto posita esset: proinde nec diu nec noctu corpori dandam requiem, sed exercendum illud jejuniis donec deficiat; laboribus, donec cadat; male tractando, castigando, flagellando usque ad sanguinem. Hæc dicebat, ut exstimularet eos ad mortificationem et pœnitentiam. Ipsi enim hæc non adeo necessaria erant, qui in tam severam corpus suum redegerat servitutem. Concludamus hoc caput in mentem revo- B cando religiosos, omni fide dignos, quique, cum eo familiariter agendo intime eum noverant, affirmasse, omnimodæ pœnitentiæ rigorem tantum in eo fuisse, ut de nullo alio Sancto Ordinis nostri scriptum invenerint, quod ipsi oculis suis viderant, idque per quadraginta septem omnino annos, quibus in religione vixit; quo toto tempore, æquali incessit passu, quin vel in minimo deficeret, donec vitam amiserit mortalem in prosequendo susceptæ pœnitentiæ labore, et invenerit æternam, quam unice spectaverat, mercedem.

Rom. c. VII. v. XXIII.

ANNOTATA.

a *Hic, si religiosos spectet suæ ætatis minus reformatos, indulgere dicendus erit P. Joannes a S. Maria, ingenio suo, nonnumquam, ut alibi notavimus, satis mordaci.*

b *Confer Annot. lit.* b *ad caput seq. n.* 53.

c *Digressio additur in commendationem stupendæ illius abstinentiæ, ad quam auctor fratres suos adhortatur, ut aliquid saltem ex ea sibi assumant.*

d *Subjungitur exhortatio ad moderate utendum somno.*

C e *Fluxum nempe ventris:* Corrimientio de cameras.

f *Textus habet* los paños menores *panni minores.*

g *Nova digressio. Sancti optassent corpus habere firmius, validius, laborum et dolorum magis patiens. Rationes ob quas Deus homini dedit corpus infirmum.*

Cap. iv. *De profunda sancti Fr. Petri de Alcantara humilitate.*

Virtutes omnes innituntur humilitate, patientia.

Virtutes omnes, sive de quibus diximus, sive de quibus dicemus, si non conjungantur cum humilitate, dubiæ erunt fidei; et quo majores et sublimiores, eo magis periculosæ: assurgunt enim absque solido fundamento. Nec minus necessaria patientia est: hæc enim si deficiat, ipsa humilitas non valebit cæteris virtutibus debitam stabilitatem vindicare. Ut igitur omnes perspectum habeant, Servum hunc Dei, in quo cæteræ virtutes tam præclare effulserunt, non defecisse in humilitate et patientia, nos, hic recolligentes quæ ad utramque pertinent, dicemus primum de humilitate, cui adipiscendæ ante omnia incumbunt quicumque rapere regnum cœlorum ex animo contendunt.

AUCTORE JOANNE A S. MARIA

S. Petrus eximie humilitatem exercuit, sive dum præesset, sive dum subesset.

44 Humilitas in omnibus sancti Petri operibus præcipue eminebat; hanc præ cæteris cordi habebat, tum quia hæc virtus columna et firmamentum est reliquarum, tum quia religiosorum maxime propria. Illam amplexus ita est, ut per totam vitam custodiverit animi submissionem quam in novitiatu suo conceperat. Et cum inter antiquiores et seniores Ordinis numeraretur, eadem simplicitate et demissione procedebat, qua novitius *a*. Amabat officia humilia communitatis cum cæteris obire; fratribus suis inservire, quos omnes tamquam sibi superiores habebat; se vero indignum æstimabat qui vel oscularetur pedes eorum; quod cum faceret, opus se perficere existimabat longe dignius quibusvis sæculi honoribus. Hinc omnes eum amabant et reverebantur; et quanto magis ipse se despiciebat et dimittebat, tanto amplius eum æstimabant et magni faciebant, atque, ut primum licuit, eum sibi præesse voluerunt. Pluries nempe præpositus fuit; sive Guardiani sive Definitioris, E sive etiam Provincialis munere fungens in provincia sancti Gabrielis. Nec silentio prætermittendum inter ipsum et alios, eodem spiritu animatos, conventum fuisse, ut qui eorum primus Provincialis eligeretur, totam reformaret provinciam atque ad primævum institutum revocaret. Sors super ipsum cecidit quod et in omnium maxime cessit emolumentum. Tam serio enim opus illud suscepit (utpote filius de bono matris suæ ardenter sollicitus) ut, ultra spem ei successerit reformare quidquid remissum esset, sive per præpositos qui aliunde venerant, sive etiam per aliquos qui ex ipsa provincia fuerant assumpti. Utique non defuerunt hoc in suscepto difficultates et contradictiones (hæc enim numquam desunt quoties agitur de reformando) sed humilitate et patientia sua omnes superavit.

Cum humilitate consueta obibat exercitia.

45 Cum, transacto triennio, defunctus officio esset, sibi redditus, solitis vacavit rursus exercitiis, totum se dans contemplationi et meditationi sacrorum mysteriorum. Primus cæteris anteibat in laboribus, pœnitentiis, jejuniis, vigiliis. Tanta cum reverentia divinum recitabat officium, ut videretur angelus de numero eorum qui semper adstant coram throno divinæ Majestatis. Et cum F hæc et cætera omnia regulæ præscripta, a qua ne latum quidem unguem discedebat umquam, præstasset, servum se dicebat inutilem, et nullius in domo Dei meriti. Ast dum sancto hoc frueretur otio, Dominus eum, ut diximus, elegit ad opus Reformationis.

Humilitas ejus proximo utilissima;

46 Ejus vita et conversatio in cœlis erat; cum hominibus autem ita agebat ut suum cuique tribueret; adeoque omnibus omnia factus omnes Deo lucrifaciebat. Affabilis, humilis, ab omnibus diligebatur, omnes eum et videre et audire percupiebant. Multi etiam, sive viri sive mulieres cujusvis conditionis, suavi virtutum ejus odore illecti, adibant eum, plurium leucarum iter suscipientes: quem cum invenissent, existimabant se vidisse Apostolum Jesu Christi, eumque ut talem auscultabantur: alii, ejus consilio, valedicebant sæculo; alii in eo remanentes, vitam ducebant solitariam et religioso dignam, juxta regulam ab ipso datam, atque singulorum statui accommodatam. Hæc enim erat ei indoles, ut omnibus omnia se faciens, nullius contrairet ingenio, omnes erudiens suis exemplis, operibus et verbis. Ita quondam comiti de

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

de Oropesa, verbis suis humilitate et prudentia plenis ostendit, quomodo quisque gerere se debeat. Erat scilicet nobilis ille vir gloriæ Dei quam maxime studiosus; nec sine intimo dolore considerans tot crimina quibus in omnium conspectu homines sese involvunt, sancto Petro dicebat: quid tibi, pater, videtur de mundo tam pravo et perdito? Qui fit ut Deus nos tot peccatis involutos sustineat? Respondit ille: De his tu sollicitus es? Non est malum hoc sine remedio. Quod ergo, ait, poterit tantis adhiberi, pater, malis remedium? Facile admodum, reponit Sanctus. Quomodo? Ita enimvero est. Simus ego et tu tales quales oportet, et tantum apud Deum poterimus, ut ipse malo remedium ferat: et fac non ferat ipse; jam quantum ad nos, remedium erit adhibitum, vel saltem minus erit id, cui medendum. Hoc enim extra dubium est, non dari remedium magis efficax, quam si unusquisque ita, ut deberet, agat. Mali fons in eo latet, quod, dum nemo se ipse studet emendare, unusquisque alios emendare suscipiat; atque hinc nihil umquam efficitur.

indignum se judicabat, qui ab aliis æstimaretur:

47 Erat Sanctus noster humillimus. Et quamvis sciret quam præclaras a Deo recepisset gratias, non tamen ideo pluris se, nec alios minoris faciebat: ast omnes existimabat bonos, seque habebat ipse
B maximum peccatorem, et indignum qui ab aliis vel minimum æstimaretur. Quando vero ipsi aliquis exhibebatur honor, non magis afficiebatur quam si ad ipsum non spectasset; ut videre erat pluribus in occasionibus, quæ se illi, quin adverteret ipse, offerebant, sed quas alii probe perspiciebant.

quamvis honores ei certatim et publice deferrent viri præclarissimi imo et ipsi cœlites.

48 D. Alvarez de Mendoza, tunc Abulæ, postea Palenciæ episcopus, Sancto nostro ejusque familiæ plurimum erat addictus. Quando eum (siquidem viros tantæ dignitatis decet honorem cunctis deferre et præsertim servis Dei) ad mensam suam invitabat, assignabat illi locum magis honorificum, atque sua manu ei ministrabat ferculum optimum: non contradicebat nec repugnabat Sanctus; ast quidquid
b ipsi offerretur, sive honor sive cibus, acceptabat *b*. Joannes Velasquez de Avila (de quo diximus supra, *scilicet in Chronico*) vir in regno primarius, atque omni dignus veneratione, sancto Petro imprimis erat devinctus. Quoties vero eum hospitio recipiebat, aquam ad lavandas manus ministrabat, discum seu pelvim suis ferens manibus, et humeris im-
C positum mantile; atque ita officio defraudabat puerum cubicularium. Nulli enim hanc merendi occasionem cedere voluisset, quoniam tanta ei serviebat devotione et reverentia, quasi ipsi Christo ministrasset. Nihil rursus servus Dei (quamvis adeo humilis) repugnabat. Quid autem mirum homines ita cum sancto egisse Viro, cum ipse Deus id faceret, ut quondam viderunt duæ Sanctæ (quoniam ab omnibus ita habentur) mulieres, ac proin fide dignæ. Cum enim quondam sacris operaretur sanctus Petrus, et sancta Teresia ei interesset ad communionem se præparans, vidit sanctum Patrem nostrum Franciscum diaconi, sanctum vero Antonium subdiaconi fungentem officio, ut illa ipsa postea narravit pluribus fide dignis. Et rursus eadem Sancta quadam die vidit, dum commederet sanctus Petrus, Christum dominum ei propinantem aquam, quam biberet, et mantile, quo manus abstergeret; ipsi etiam escas parabat, in mensa apponebat, imo et ori ingerebat.

Christus Dominus ei ad mensam inservit.

49 Erat Abulæ mulier, quæ vixit et mortua est magna cum sanctitatis fama, nomine Maria Diaz. Hæc audiens quadam die sanctum Fr. Petrum in urbe versari, adivit domum nobilis viri apud quem morabatur: invenit eum mensæ ac- D
cumbentem, simulque videt Christum ei ad latus stantem, atque cibos ori ejus imponentem. Ut autem aspexit sancta illa mulier suum dilectum Dominum et Salvatorem, anima et cor ejus cucurrerunt post eum, remansitque abrepta. Illius oblita quem quæsitum venerat: Quomodo, Domine mi, exclamat, tu hic es? Cui Dominus placidissime respondens, ait: Et ubi, filia, vis me potius esse, quam ubi reficio meos electos? Tantum verba hæc suavissima rapuerunt cor benedictæ illius feminæ, ut ibidem, pluribus inspicientibus, sensibus destituta atque extasim patiens manserit per longum temporis spatium. Non equidem jam ego miror, eum, cui ipse Christus ministrabat, nihili fecisse honores et alia quævis ab hominibus ipsi delata officia. Probe etiam intelligo eum, qui semper cum Deo ambulabat et in cœlo conversabatur parum curasse mundi lucra. Quando vero necesse erat aliquid in hujusmodi casibus respondere, id faciebat multa cum humilitate et gratiarum actione, paucis demissisque verbis.

Digressio in præcedentia, cur scilicet auctor illa retulerit.

50 Et quia nulla est res, ut præclara, quam perversa hominum voluntas non possit in pravum detorquere sensum, hic breviter respondebo quorumdam opinioni, qui forte dicent has similesque revelationes, utpote res saltem dubias, non esse E
conscribendas; præterea hujusmodi familiares cum Deo conversationes, interiores prorsus esse, ac paucis tantum concedi, ac proinde frustra illas omnium oculis exhiberi. Ast profecto falluntur. Et quidem quod ad revelationes attinet; sicut certum est diabolum aliquando se transformare in angelum lucis, quo vanis quibusdam speciebus incautos decipiat; ita etiam res est indubia imo et de fide, Spiritum sanctum cum dilectis suis colloqui, seque variis modis communicare, sive ad proprium illorum profectum, sive etiam ad aliorum: et quemadmodum priores revelationes illæ nec conscribendæ nec approbandæ sunt, quia fallaces: ita posteriores nosci dignæ ac proinde conscribendæ: *etenim*, ut angelus dicebat Tobiæ, *sacramentum regis abscondere bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est.* Prodigii instar haberetur Sanctus, qui nullas habuisset revelationes; nec uspiam reperire est Sanctorum conscriptam vitam, in qua nullæ revelationes memorentur. Diversorum Ordinum historiæ in omnium F
manibus versantur, et plenæ sunt revelationum, quas fundatores horumque discipuli habuerunt. Absque dubio, Dominus cum amicis suis colloquitur, nec profecto vult, ut nullus id sciat; imo ejus voluntas est, ut dona ejus in lucem prodeant: ut enim ipse lux est, amat eam in omnibus suis operibus. Anhelat salutem animarum, ac proinde gratias suas speciales, non in unius sed in multorum concedit utilitatem. Quamdiu Sancti in terris versantur, nec scitur quo tandem perventuri sint, recte illa silentur; imo et expedit, ut non in omnium versentur ore; ast postquam mortali corpore exuti sunt, quando mors eorum talis fuerit, quæ indicio sit vitæ sancte peractæ; quando illæ ipsæ revelationes, earumque fructus certos nos efficiunt de earum principio, abscondere dona eis per vitam impertita, nec manifestare vias quibus ad perfectionem et sanctitatem perducti fuerint; hæc omnia tenebris involvere, perinde esset ac injuriam sancto Spiritui inferre, ejus mirabilia deprimere, gloriamque obscurare. Quicumque recte judicare voluerit, haud ægre profecto feret hujusmodi revelationes et dona specialia deprædicari. Id unum timeri posset, scilicet non defuturos qui hæc scripta

12. 7.

A scripta improbent, non quod res referant deceptioni obnoxias, sed quod non valeant sibi persuadere, Deum tam intime cuiquam se communicare. Quod utique eis non accideret, si attenderent ad ea, quæ cæteroquin jam sibi persuasum habent. Si enim confiteantur Deum hominem factum, ut quid dubitent eum cum homine colloqui? Si credant crucifixum et passum pro homine, quid mirum si delectetur cum hominibus conversari? Eritne forte majus, se servo suo manifestare et cum eo sermonem habere, quam servum fieri et pati ex amore nostri? Omnes itaque, fratres mei, se animent ad quærendum Deum, illa incedentes via, quam ipse nos docuit, quæ alia non est quam fides et caritas, fidelis præceptorum et consiliorum evangelicorum custodia, sicut et regularum nostrarum perfecta observatio, quibus hujusmodi beneficia a Domino facile obtinebunt. Cæterum mihi ignoscite, quod paululum diverterim a narranda vita beati Fratris Petri de Alcantara.

Rogatus ut esset Carolo V a confessionibus, recusat S. Petrus.

51 Ad propositum itaque rediens, dico, quod, dum imperator Carolus quintus in monasterio sancti Justi degeret, ad aures ejus pervenit rumor virtutis et sanctitatis, quibus præcellebat sanctus B Petrus. Jussit itaque eum vocari, hac mente ut cum eo ageret de rebus ad animam et conscientiam suam pertinentibus. Advenit servus Dei; et cum aliquamdiu conversati una essent, imperator eum dilexit multum, et justo æstimans tantum thesaurum: Cupio, inquit, pater, et volo, ut curam habeas animæ meæ, et sis mihi confessarius. Respondit Sanctus demisse: Alium velit vestra majestas ad hoc opus accersire virum, majorisque meriti: mihi enim necessaria desunt ad satisfaciendum obligationibus tanti muneris. Reposuit imperator quamdam indignationem affectans: Fac tu quod ego mando: quid enim mihi conveniat, meum est judicare. Noluit vir Dei respondere, timens ne acrius commoveretur imperator; sed in genua provolutus amplexus ejus manum est, rogavitque tempus quo rem Domino commendaret, atque discedens dixit: Placeat majestati tuæ hoc in negotio facere quod voluerit Deus; velitque credere, quod, si non rediero, Dominum manifestasse non pertinere ad ejus gloriam, ut ego opus hoc suscipiam. Post hæc dimisit eum imperator. Per viam Domino Petrus rem commendabat, et redux in conventum suum, instantius oravit, rogans diviC nam majestatem, ut dignaretur hoc ab ejus humeris avertere tantum onus. Timebat etiam ne forte quid doli hic lateret diabolici quo turbaretur anima sua. Ego, inquiebat, non ingressus religionem sum, ut honores venarer, sed ut frater Minor, pauper et mendicus servis Dei ministrarem, deflerem peccata mea et pœnitentiam agerem. Non permittat Deus avelli me ab hoc angulo. Hunc ego elegi ut mihi sit portus salutis, in quo perseverem usque ad mortem. Prætericrunt dies aliquot, et cum nec ipse rediret, nec imperator eum vocaret, uterque intellexerunt quænam Dei esset voluntas. Nec tamen crediderim, mentem imperatoris fuisse umquam, alium eligere confessarium, aut eum, quem habebat, deserere. Erat enim tunc ei a confessionibus F. Joannes Regla ejusdem Ordinis S. Hieronymi *(ejus scilicet regula etiam obtinebat in monasterio S. Justi)*, vir magnæ doctrinæ et sanctitatis, ejusque agendi modus, dum pro sacro tribunali sederet, imperatori maxime probabatur. Forte aliud hic non intendit, nisi hoc sub titulo sibi præsentem habere virum tanti consilii, de cujus mirabili sanctitate, altissimaque contemplatione multa audierat *c*.

c

Idem recusat Joannæ Lusitaniæ.

52 Simile quid accidit Joannæ Lusitaniæ, sorori catholici regis Philippi secundi, quæ suspiciens quam necessarii sibi essent viri, qui tam doctrina et prudentia, quam sanctitate et oratione auxilio essent, quærebat sollicite ubi eos reperire posset. Plures jam noverat; ast plerique ei commendabant sanctum Fr. Petrum de Alcantara, asserentes fore ut in viro illo dotes illas omnes conjunctas videret, quæ non facile etiam in diversis separatim inveniuntur. Statuit ergo eum sibi a confessionibus eligere. Accersiri itaque jubet; quem quum vidisset et audisset, confirmatur in concepta de eo opinione, consiliumque suum aperit, addens se non expectare aliquam repulsam, cum aliud non spectet nisi Dei gloriam. Ast honorem humiliter deprecatus est sanctus Vir, tamque validas attulit rationes, ut religiosissima femina non perstiterit in suo proposito, et veniam dederit redeundi ad conventum, quo postea aliquoties eleemosynas misit, precibus ejus se commendans.

Pauci nostra ætate S. Petrum imitantur.

53 Nec sane dubitandum quin magni et christiani illi principes summopere tantam perfectionem tamque profundum mundi despectum probaverint. Paucos nostris diebus offendimus qui hujusmodi munera recusent, vel tales despiciant E honores. Sed et ego putem, paucos esse qui illos mereantur in castigationem peccatorum nostrorum. Hisce in rerum adjunctis, patefecit B. Servus Dei et humilitatem suam, cum non auderet tale onus subire; et simul etiam animi magnitudinem, cum ausus sit illud recusare... *d*.

d

Charitas S. Petri in pauperes.

54 Magna erat in eo animi generositas, donum Dei et fructus christianæ charitatis, quæ cor expandit atque in proximos dilatat: hæc, quia ex amore Dei proficiscitur, absque tædio alios suffert eorumque audit querelas et lamenta, nec remedii timet difficultates: caritas omnia suffert, inquit Apostolus, omnia sperat; numquam excidit, nec in minori nec in majori necessitudine; cum illa levia fiant et facilia, quæ sine illa difficilia et intolerabilia habentur. Nullum umquam expertus est Sanctus noster laborem, quoties agebatur de pauperibus juvandis: erat enim erga eos summe beneficus, misericors et condolens. Propriis manibus, etiam dum præesset, ipsis escas ministrabat, atque ad portam domus eleemosynas tribuebat, qui mos servatus fuit et adhuc a multis servatur in hac provincia. Instruebat, docebat eos; tenerrime eos alloquebatur; miserebatur afflictionum et dolorum, condolebat eorum adversitatibus, quasi ipse eas in se expertus fuisset. Sciebat enim non dari certius argumentum filios esse nos Dei et discipulos Christi, nec sublimiorem perfectionem, quam de aliis sentire juxta id quod in nobismet ipsi experimur, eorumque dolores et afflictiones tamquam nostras judicare... *e* Hinc etiam omnes ipsum amabant, et ipse omnes vicissim in suis visceribus gerebat; consolabatur; eis succurrebat opere, desiderio, et, ubi amplius facere non poterat, eos animabat verbis suis atque ut divinæ se subjicerent voluntati hortabatur.

1 Cor. 13. 7.

F

e

Humilitatis et patientiæ præclarum exemplum.

54 Non sustinebat aliorum videre afflictiones et dolores, cum suos tam ferret invicto animo. Nec profecto adversitates et ærumnæ ei umquam defuerunt, sive in fundandis conventibus, sive in longinquis iisque laboriosissimis itineribus, quæ suscipiebat tam exigua instructus supellectile. Quadam die valde infirmus Abulam petebat, asello insidens. Ubi ad diversorium quoddam *(del puerto del* Pico) venisset, descendit ut aliquantum requiesceret. Ast cum socium itineris asellum non alligasset, cœpit hic vagare atque ingressus est hospitis

hospitis septum non sine aliquo, leviori tamen, damno. Accurrit uxor, vidensque asellum, vehementer excandescit. Manus jumento injicit, illudque in pignus servat. Nec his contenta, asellum secum ducens venit ad fratres, eosque fures et latrones dicit, quod hortum ita everti permisissent; ac dein ipsum Sanctum agressa, qui in terra prostratus (non enim alio modo, ut erat ætate et viribus fractus, quiescere poterat) caput impositum tenebat mantello, supra petram extenso; quod tanta vi mulier subtrahit, ut caput ejus petram ex impetu percutiendo, vulneraretur. Multis præterea impetebatur injuriis; quibus nec ullum respondit verbum : imo humiliter veniam petens, orabat ut ab ira cessaret. Jure utique merito fas erat hic indignari : ast exemplar erat patientiæ et mansuetudinis, quas virtutes operibus
f suis et alios docere satagebat *f*. Verum mulieris ira nullo modo defervebat. Cum ecce ibi inter hæc supervenit eques, sancti Petri amicus et discipulus, qui Abula cum quæsiturus veniebat. Hic videns quid rei esset, tanto inflammatur furore, ut illico ignem domui injicere paret. Servus vero Christi, cum ea mansuetudine, quam ipse cœles-
B tis magister discipulos simili in casu, cum scilicet vellent ut ignis in Samariam descenderet, docuerat, deprecatus est virum ut mali nihil faceret, sed potius solveret, si quod damnum a jumento fuisset illatum; quod et fecit; admiratus humilitatem et patientiam sancti Senis, atque ab eo edoctus, quid in posterum, dum ira et furore abriperetur, faciendum haberet *g*.
g

Patientia in infirma valetudine.

55 Vita ejus adeo pœnitens valetudinem pessumdederat, multisque exinde subjacuit doloribus infirmitatibusque; quas omnes sustulit magna cum patientia; certus quod non derivarent ab ullis in cibo et potu excessibus, nec a quavis alia inordinata cupiditatum radice. Non raro enim in hominibus malorum, quæ patiuntur, causa sunt peccata; atque corporales morbi spirituales animæ plagas, ut S. Chrysostomus loquitur, patefaciunt. Ejus vero infirmitates oriebantur ex abstinentia et multis laboribus, quos ex Dei amore susceperat. Vires corporis cum annis et ætate deficiunt, teruntur labore et adversa valetudine : ast non ita spiritus vigor hujusmodi casibus subjacet; quin potius ex illis novas haurit vires. Atque dici potest cum sancto Paulo, quod quanto magis infir-
C matur corpus, tanto amplius vigeat spiritus. Ad demonstrandam sancti Petri patientiam sufficit in memoriam revocare, quod, licet communiter ubi deficit sanitas, non habeatur vera alacritas et jucunditas, ipse inter acutissimos dolores constanter alacrem se exhiberet atque omnibus amœnum; nec umquam vel unum ab eo audiebatur verbum seu querelæ seu impatientiæ. Ex his profecto elucet quanto animo et amore hæc omnia sufferret, et quam perfecta in eo esset virtus patientiæ, quatenus illa toleraret voluntarie ex Dei amore, quod et genus efficit martyrii confessoribus competens. Nam quemadmodum martyrem non facit supplicium, si non adsit justa causa illud volenter subeundi; ita confessorem non reddunt perfectum pœnitentiæ rigores, nisi volenter et ex justa suscipiantur causa.

Vere Martyr fuit.

56 Non fuit sanctus Petrus martyr, eo titulo quod hasta ejus capiti fuerit infixa aut sanguis effusus; ast passus est martyrium multo longius et prolixius, subeundo per totam vitam, idque summa sua voluntate atque ex amore Dei, rigorem jejuniorum, asperitatum et mortificationum, cum tanta animi fortitudine, et alacritate, ut non videretur ipse esse qui hæc patiebatur. Docet san- D
ctus Thomas coronam martyrii dari eis, qui gloriose vicerunt mundum et carnem, inimicos Dei et hominum : sed qui ita omnia hæc pedibus calcavit, non dubito quin capiti impositam gerat coronam martyrio longe splendidiorem.

Conclusio.

57 Prætereo multas alias occasiones in quibus suam exhibuit S. Petrus patientiam et mansuetudinem. Id unum addo : Deum ipsi, sicut quondam Ezechieli, dedisse cor forte, quo superaret iniquitates et injurias; quo patiens permaneret in doloribus, humilis inter honores et dominus omnium cupiditatum. Quid denique ei deesse poterat qui duo hæc pignora tenebat humilitatis et patientiæ, quibus placens ac dilectus erat Deo et hominibus.

ANNOTATA.

a *Parvula hic subnectitur adhortatio, quam prætermitto.*

b *Hinc apparet non omnino ad litteram sumenda, quæ retulit auctor cap. præced. n.* 28.

c *Digressio. Quot periculis objiciantur et calamitatibus, regum et principum confessarii. Hæc apprime intelligebat S.* Petrus. E

d *Parva sequitur digressio, cujus argumentum est : animi magnitudinem rectissime cum humilitate componi.*

e *Prætermittuntur aliquot lineæ, quibus mox dicta latius evolvuntur.*

f *More suo, hic non omittit P. Joannes a S. Maria locum communem de patientia tractare.*

g *Nova excursio moralis de* remediis iræ.

CAP. V. *De inflammata charitate seu amore Dei et proximi, quibus S. Fr. Petrus de Alcantara eluxit.*

Frequens S. Petri cum Deo conversatio:

Diximus de humilitate, quæ fundamentum charitatis : hæc vero regina omnium est virtutum; in qua et consistit omnis perfectio Christiana et sanctitas. Has heroicas charitatis et amoris Dei virtutes postulabat S. Petrus in omnibus suis orationibus; et Dominus ei illas concessit in gradu F
tam perfecto, ut seraphicos experiretur ardores. Virtutes illas non communicat Deus nisi animabus integris et puris, quæ merentur vocari sponsæ ejus; cum quibus familiariter agit, velut amicus cum amico, quarumque delectatur consortio, quibus et revelat mysteria sua cœlestia; atque ita perveniunt illæ ad amorem et caritatem perfectam, quæ foras mittit timorem, et solum in anima relinquit filialem illam observantiam et reverentiam, qua discit quomodo cum sponso sit agendum. Illæ denique sunt animæ, quæ sæpius raptæ in cœlum, jam nunc incipiunt percipere, quod postea sunt gustaturæ. Signum charitatis et amoris Dei evidens est, si quis delectetur frequenter de eo et cum eo sermonem miscere : omnes enim libenter loquimur de eo, quod amamus. Hinc etiam sanctus ille Vir totus erat in agendo et communicando cum Deo : plures horas diei et noctis transigebat in ecclesia et in cella sua, ubi suaviter et amanter cum Deo conversabatur; præsertim quando ab eo solo audiri se putabat. Verum ignis amoris illius qui intra pectus flagrabat, frequenter, ipso etiam invito, foras erumpebat; et cum

A cum maxime solitarium se crederet, aderant tamen qui eum viderent et audirent.

Item cum BB. Virgine.

59 Dum res animæ suæ commendabat Reginæ cœli, cui erat devotissimus, blandis eam alloquebatur verbis; ejus tutelæ committebat successum Reformationis, et provinciæ, quæ quasi e manibus illius egressa erat, et patronum et defensorem habebat illius sanctissimum Sponsum. Talibus his colloquiis multas dabat horas. Væ religiosis et ecclesiasticis, qui tam parum loquuntur et agunt cum Deo, et ad instar multorum sæcularium, rumusculis delectantur, et præterita sua respiciunt! Manifestum utique signum exigui amoris et minoris perrumpere novit obstacula adhuc caritatis. Probatio amoris sunt opera, et ille vere est magnus, qui magna operatur, et multa.

Alios Dei amore inflammabat.

60 Jam aliquid est dictum, et plura etiam dicentur de Sancti nostri laboribus et contradictionibus quas habuit in nutrienda et conservanda Reformatione. Quas et quanto cum zelo non vicit difficultates, non passus est persecutiones, pro gloria Dei et salute animarum, in ædificandis et gubernandis cœnobiis, prædicando, confessiones excipiendo, subveniendo spiritualibus suorum an-
B gustiis et proximorum, quos omnes sicut se ipse amabat? Quantum enim sibi severus, tantum erat aliis indulgens et benignus: erga omnes vere materna gerebat viscera. Deus ipsi contulerat gratiam consolandi verbis suis imo et solo aspectu eos, qui spiritu afflicti aut dejecti erant; intuentes faciem, audientes vocem ejus, reficiebantur, erigebantur, et novo ardore redibant ad susceptum exercitiorum suorum et pœnitentiarum cursum. Atque hic proprius est charitatis effectus, ut, in quorum animis, regnat, eluceat in eorum vultu, verbis, aspectu et toto denique corporis habitu. Charitas enim, cum sit igni similis, ubicumque consistit, frigus et glaciem spiritus dissolvit. Servus Dei ardenti et vere cœlesti suo spiritu incendebat hominum corda, eos movebat et rapiebat ut perfectionis curriculo insisterent. Vix unus est sive religiosus sive sæcularis cum quo familiariter egerit, qui fructum exinde non tulerit optatissimum.

Ejus in proximum caritas.

61 Par erat ejus amori in Deum caritas erga proximum et zelus animarum. Atque hic est qui, ut diximus, eum præcipue impulit ad opus Reformationis suscipiendum et fundandos conventus, in quibus Dominus perfectius laudaretur, eique
C ferventius serviretur, atque inde exirent viri qui verbo et exemplo animarum conversionem promoverent non solum in hoc regno, sed qua late patet orbis terrarum. Quod vero ad eum spectat, per totam vitam, atque omnibus, quibus poterat, adjumentis, procurabat proximi salutem; hoc solum laborum suorum quærens solatium et præmium. Omnes hortabatur ut legem et mandata Dei custodirent; docebat modum confitendi et pœnitendi de peccatis; si quos aptos inveniret, commendabat eis exercitium orationis et recollectionis. Angustiis spiritualibus, simul ac eas detegebat, remedium ferebat magna cum caritate; quin ab hoc opere umquam se permitteret averti vel retardari: unica enim ejus erat sive relaxatio sive oblectamentum, consolare animas easque eripere quovis ex periculo peccandi. Cumque Dominus magnopere tali zelo delectaretur, plurimas ei exercendi zeli obtulit occasiones, quarum omnino nullam neglexit. Sciebat opera nostra aliud non habere meritum, nisi quod mutuantur a caritate. Nullus esset scribendi finis, si vellemus dicere omnem fructum spiritualem, quem ex ejus conversatione hauriebant. Prædicare licet de ipso, quod olim Urbanus de sancta Cæcilia: Domine, servus tuus Petrus, sicut apis argumentosa et sollicita, tibi servit, ferendo in alveare ecclesiæ tuæ, flores et fructus horti sæcularis *a*. *a*

Inimicorum dilectio.

62 Finem imponemus huic argumento, magnam ejus commemorando caritatem erga illos qui eum persequebantur vel male tractabant; ubicumque et quacumque in re poterat, properabat bonum suum eis exhibere animum, et pro eis orare. Nec umquam omisit bene mereri de omnibus, quos in opere Reformationis adversarios offendit; qui si cum ipso agere et conversare potuissent, profecto addictos sibi et devotos habuisset. Numquam permittebat ut coram se aliquo modo contra eos murmurarent, nec de alio quovis male loquerentur, sive ex joco, sive per modum conversandi, sive sub prætextu zeli et virtutis, quod omnium est maxime damnosum. Inter flosculos et herbam virentem, venenum exerit anguis; ita et illi in sono sanctæ conversationis et sub specie zeli mordent vitam et famam proximi, quam cœno et fætore aspergunt; non secus ac rictus leonis, qui dum carni dentes infigit, eam conspurcat fœtidamque reddit, ut jam nullum sit animal quod eam attingere non horreat: sic oblocutor ore suo fœtido et lingua pestilenti conspurcat alterius famam atque E
pessumdat.

Præclara ejus hac de re monita.

63 Quare servus Dei suis cum sancto Paulo et pari cum zelo dicebat: Filii et fratres mei, vos dico, qui leges spiritus sequimini et spirituales esse cupitis, si videritis fratrem vestrum peccantem, nolite offendi nec turbari, sed potius in spiritu mansuetudinis loquimini ad cor illius, et cum amore eum culpæ commonefacite; memores ex eodem vos luto formatos, nec minus labiles *b*. Peccatores et viri carnales, quia caritatem non habent, *b* sæviunt in lapsos, impatienter ferunt alienas culpas, quas et in vulgus spargunt. Scilicet in suis cæcutientes, aliena lynceis oculis investigant errata. Ast vos, qui estis gens sancta, benigne aspicite infirmum et lapsum; porrigite manum ad sublevandum eum. Nemo putet vere religiosum se esse, nisi sciverit refrenare linguam suam in prodendis fratrum suorum culpis; errorem deponat; secus pœnas luet jam in hac vita, quia condemnando alios se ipse condemnat: qui judicat, judicabitur; qui condemnat, condemnabitur; et qui fama spoliaverit proximum, et ipse inhonoratus vivet. Videte quid acciderit Mariæ, sorori Moysis. Mulier erat sancta, quacum Deus conversabatur. F
Ast murmuravit contra fratrem, quod alienigenam duxisset; iratus Deus eam reprehendit et lepra percussit. Quid putatis vobis fiet? Dein causas enumerabat quæ solent ansam dare detractioni et murmurationi: nempe odium, impietas, otium, et defectus caritatis. Quam imprudentes et inconsiderati, addebat, illi sunt, qui adversus fratres susurrant, cum nec sciant nec noverint quo alii spectent, quid eos ad agendum inducat; futili proinde ex causa occasionem offensionis capiunt. Tum explicabat bona quæ lingua bene ordinata operatur, quam Deus homini dedit ad laudem et gloriam creatoris sui; qui vero ad hæc illa non utitur, etiamsi sit loquacissimus, mutus dicendus est. Ast væ illi! Benedicta autem lingua, quæ non noverit loqui nisi quæ Dei sunt! Concludebat hunc sermonem, hortando eos ad ita se gerendum ut ubicumque unus eorum esset, scirent alii sibi terga esse servata; hac ratione nempe futurum ut Deo placerent et hominibus. Tandem monebat ut bene de omnibus loquerentur et sentirent, nec umquam ad hoc deficit materia. Nam si rite, et præsertim in spiritu amoris et caritatis res proximi spectentur,

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

tur, vel in ipsis malis facile invenietur quod laudemus; non secus ac qui livido utuntur oculo, etiam in bonis habent quod vituperent. Qui enim malitiam et impietatem in corde gerit, lingua eas prodit; sicut et qui virtutem et sanctitatem; nec hic sibi persuadere potest, alios non æque magnam, ac ipse, adhibere diligentiam et sollicitudinem in servitio divino et fuga peccati. Hæc sint summatim dicta, ut videatur inflammata sancti hujus Viri in Deum caritas, zelus procurandæ gloriæ divinæ, et servandæ proximorum famæ. Quanta nobis ergo ejus filiis incumbit obligatio tam excellentis exercendæ virtutis c.

c

ANNOTATA.

a *In officio S. Cæciliæ, in Breviario Romano ad diem* XXII *Novembris, Responsorio ad Lectionem* III *secundi Nocturni legitur :* Cæcilia famula tua quasi apis tibi argumentosa deservit. *Et eadem verba repetuntur ad Laudes Antiphona tertia. Notat autem D. Guéranger* (1) *loco* Apis, *legendum* Ovis. *Hugo a S. Caro, commentans hæc Isaiæ verba :* Leo et ovis simul morabuntur, *ingeniose illa applicat* B *S Cæciliæ, quæ ut ovis pacifica, morata est cum Valeriano, qui* Leo *erat a propheta præfiguratus. Nec minus perspicue alludit Urbanus Papa ad eadem verba in* Actis *S. Cæciliæ :* Domine Jesu Christe, seminator casti consilii, suscipe seminum fructus quos in Cæcilia seminasti; Domine Jesu Christe, Pastor bone, Cæcilia famula tua, quasi ovis argumentosa (*i. e. eloquens, facunda*) tibi deservit : nam sponsum, quem quasi leonem ferocem accepit, ad te, Domine, quasi agnum mansuetissimum destinavit. *Ita scilicet Urbanus, cum Cæciliam et Valerianum sibi adstantes videret.* Unde, *inquit D. Guéranger,* explicari nequit mutatio jam a sæc. IX in quadam Antiphona Officii S. Cæciliæ occurrens, ubi loco *Ovis* legitur *Apis*. Evidens est, hac posita adulteratione, textum Urbani jam sibi non cohærere. Missale Ambrosianum, in quo ex laudatis Urbani verbis Offertorium Missæ S. Cæciliæ constat, servavit vocem *Ovis*, prout legitur in actis sanctæ illius Virginis; atque ita quoque legisse S. Bernardum elucet, ex vita S. Malachiæ, ubi valde perspicue alludit ad eadem verba.

b *Respicit hoc loco P. Fr. Joannes a S. Maria verba S. Pauli ad Galatas, cap.* VI ℣ 1. Fratres, et C si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris.

c *Concluditur caput commendatione de inimicorum dilectione.*

CAP. VI. *De strictissima paupertate quam servabat ipse sanctus Fr. Petrus de Alcantara, et aliis consulebat.*

a S. Petri circa paupertatem ordinationes; doctrina, et praxis.

a Quam sanctus Vir, tum circa se ipsum, tum circa victum et vestitum servarit paupertatem jam declaratum est; nunc dicamus quæ de ea ordinavit, docuit et consuluit. Et quod ad primum attinet, constat ex ordinationibus, quas statim a principio fecit pro administratione suæ custodiæ et fundatione conventuum; quæ omnia summo cum rigore servabantur aureis illis primorum fundatorum diebus et nunc etiam servantur, D ast haud tanta cum perfectione. (*Confer Commentarium præv*, § II, *n*. 45 *et seq.*) Utique in hoc genere paupertatis sunt quædam, quæ terrent, si oculis ignaviæ et carnis spectentur; non vero si quis ea servet spiritu et integra cum voluntate; ille potius experitur quantorum sit fons bonorum. Est enim prima inter beatitudines, fundamentum multarum virtutum, mors multorum vitiorum. Illa est quæ moderatur in homine appetitum divitiarum, quæ docet eum fugere vanos sæculi honores; beatum facit in cœlo, æstimatum in terris, ac tandem præparat ei coronam martyrii..... *b*. Hæc adeo probe didicerat beatus frater Petrus, ut præclarus in ea magister evaserit. Verbis utens sancti patris nostri Francisci, qui dicebat : *Deus meus et omnia mea*, amabat Deum propter Deum, et cæterorum omnium loco : in ipso enim inveniebat pacem, quam omnes mundi divitiæ ei dare non valebant. Et quia illarum sollicitudo eum avertebat ab actuali et continuo Dei amore, illas flocci habebat, nec quidquam præter Deum aut optabat aut quærebat. Vitam ducebat admodum asperam : cella in qua vivebat, pauper erat, et reliqua ejus omnia, ad illius normam vilia et nullius E pretii. Nihil cupiebat, nulla re utebatur, quæ non redoleret paupertatem et pœnitentiam. Curabat ut buccella quæ apponebatur, imprimis nigra esset et prædura. Breviarium ex quo recitabat officium, similiter erat pauperrimum; chartam papyraceam adhibebat vetustam et detritam; non enim vere pauperem se existimasset, si abundasset ipsis rebus necessariis.

b

Sanctæ paupertatis vera indoles.

65 Docet sanctus Thomas non vere pauperem spiritu esse, quæ hoc solum pauper est, quod careat rebus ad vitam necessariis; ad veram paupertatem requiritur animus et voluntas; adeo ut licet adhibendo aliquam diligentiam, possit paupertatis effugere incommoda, nolit tamen; sed volenter illa patiatur ex amore illius qui, cum dives esset, factus est pro nobis in hoc mundo egenus. Ad hanc voluntariæ paupertatis perfectionem fratres suos sanctus Petrus hortabatur. Hoc eis in omnibus suis monitis inculcabat, nihil in hoc mundo nec desiderare nec velle præter Deum : quod enim quis cupit et possidet, hoc et amat : porro frustraneus est omnis amor qui in Deum non tendit. Hic et omnem nostrum meretur amorem, totumque illi homines debent, et amplius si haberent. Qui parvo F contentus vivit, similior etiam Deo est, qui alterius non indiget, sed in se possidet omnia, infinitaque fruitur gloria.

Summam volebat S. Petrus in supellectile paupertatem.

66 Talem dicebat in fratre Minore requiri paupertatem, ut etiam bona parte eorum quæ ad vitam sunt necessaria careret. Quibus autem prorsus indigeret, talia volebat ut essent, quæ ipsa per se paupertatem et cordis docerent libertatem. Omnem ex cella sua inutilem rejiciebat supellectilem; nec ferre poterat ut fratres hujusmodi quid haberent, ne reliquias quidem aut imagines obtentu devotionis; quamvis non desint qui judicent concedendum esse, ut cellam habeant fratres debite ornatam et compositam, quia nisi choro intersint, in ea occupentur, nec sicut alii quidam discurrant per domum, vel extra domum per plateas vagentur aut amicos invisent. Profecto non ferendus sit ille, qui hujusmodi inordinationibus, vel aliis similibus animi relaxationibus, etiamsi intra septa domus adhibeantur, compensare studeret recollectionis rigorem, aut diligentiam in choro.

(1) Histoire de Sainte Cécile, p. 50 et 51. Edit. Paris 1849.

A choro. Sit cella debite instructa, et composita, posito quod sint, quæ componantur. Ast cum paupertas de essentia rit religionis, quo pauciora habuerit religiosus quæ disponat et componat, eo perfectior erit professionis suæ sectator. Cum enim quæ ad virtutem spectant, pendeant a fine ad quem ordinantur; quanto magis cellæ supellex ad divinum faciet servitium, tanto diligentius erit procuranda. Atqui quoniam immediate Deo se dare per orationem et contemplationem, absque ulla rerum temporalium sollicitudine, magis est meritorium gratumque Deo; propterea eo tendere debet religiosus, neglectis cæteris omnibus, quæ aliud non efficiunt, nisi oculorum acuere pruritum, et dissipare cordis recollectionem. Verum est picturas devotas movere affectum et juvare devotionem: ast superflua supellex multum aliena est a puritate nostræ regulæ, quæ tota fundatur in humilitate et paupertate; atque dolendum sane est, superflua illa a quibusdam adamari, et certa cum sollicitudine conquiri.

Paucos adhibebat libros. c

67 Viri, qui vere spirituales dicuntur et sunt, ab istiusmodi abhorrent; et si confessarii sint, non habent nisi aliquam Summam c; si concionatores, B unum alterumve librum ex bibliotheca, Bibliam, codices aliquot, crucem, ad exemplum seraphici doctoris sancti Bonaventuræ, qui, ut testatur sanctus Thomas, cum scilicet eum rogasset videre bibliothecam ex qua tam sublimem et stupendam hauriret doctrinam, ostendens crucifixum: Hic est, inquit, frater mi, liber quo ordinarie utor; ex eo haurio excelsas illas, quas dicis cogitationes. Hoc etiam libro præclare utebatur beatus frater Petrus; nec alium habebat aut cupiebat nisi Jesum crucifixum, pro cujus amore paupertatem elegerat, valedixerat studiis et scientiis humanis; et nihilominus, perpetuo orationis et meditationis usu, egregius evasit concionator, atque mysticæ theologiæ doctor eximius; attamen dicere poterat cum sancto Paulo: se aliud non scire nisi Jesum Christum et hunc crucifixum.

Nec in infirmitatibus modicum vini adhibere volebat.

68 Visitabat eum Dominus noster assiduis stomachi doloribus, nec tamen propterea umquam vel minimum remisit a consueto vitæ rigore. Sperabant medici magnum solatium, si modico uteretur vino. Quantumvis exiguum esset, quod petebatur, non tamen induci potuit, ut remedium hoc adhiberet. Dicebat, duo esse quæ strictæ paupertati et perfectæ abstinentiæ maxime adversentur: C carnes nempe et vinum: paupertati quidem, utpote quæ plures exigebant expensas, quamvis minus apparerent minusque proficerent: abstinentiæ, quod maxime officiant jejunio, præcipue vinum, a quo proin ante omnia sibi temperare debent sinceri virtutis illius cultores; tum quia vinum animam impedit, quominus per contemplationem ad cœlestia assurgat; tum quia rationem turbat. Quapropter sacerdotibus cum ad sanctuarium accedendum esset interdicebatur vinum; et Nazaræi, qui certa ratione religiosi erant, eo abstinebant. Generat præterea vinum stultam insanamque lætitiam, virtutis labefactat constantiam, atque auget in malum propensionem. His aliisque bene multis obviat damnis, qui vino non utitur. Plures quoque censent majoris meriti esse abstinere a vino quam a carnibus; quatenus vinum sit simul potus et esca. Constat præterea ex centum, nonaginta futuros, qui potius carnibus quam vino valedicant: illas enim plurima sunt quæ suppleant: hoc autem si deficiat, non remanet in terris nisi aqua, quæ si vini patronos audias, et stomachum debilitat et alia innumera ingerit incommoda. Tandem abstinentia hæc eo etiam copiosius habet meritum, quod difficilius servetur, et efficacius moderetur sensualitatem et carnis concupiscentias. Qui tamen eas æque domitas et emortuas habet ac sanctus ille Vir, nullum patietur damnum ex modico vino; quia tamen paupertati magis consonum est bibere aquam; etiam in hoc eam servare voluit aliisque suo exemplo præire. Nunc transeamus ad testimonia quæ de ejus paupertate reddiderunt sancta mater Teresia a Jesu aliique graves viri.

ANNOTATA.

a *Orditur auctor a generalibus quibusdam monitis de natura et beneficiis paupertatis; quæ hic prætermittenda censuimus.*

b *Hæc dein latius explicantur, et solvuntur objecta.*

c *Summam nempe theologicam et casuum conscientiæ.*

CAP. VII. *De quadam epistola quam in materia paupertatis scripsit S. Fr. Petrus sanctæ Matri Teresiæ a Jesu.* E

Anxia hærens S. Teresia circa fundationem monasterii Abulensis

Erat benedicta hæc mulier multum sollicita de fundando Abulæ conventu sui Ordinis magna in paupertate et nuditate, ad majorem Domini laudem et perfectius ejus servitium. Diu et noctu incessanter eum orabat cum lacrymis, ut daret opus hoc inchoare atque ad felicem perducere exitum. Ast cum sibi relicta esset, nec multum suis confideret viribus, haud parum affligebatur. Quiescere ab hac sollicitudine haud valens, et cæteroquin illam manifestare non audens, quod superiorum timeret contradictionem, ad Deum rediit. Quadam ergo die, ut ipsa testatur, post communionem ipsi apparuit Dominus noster, jussitque operi manum admovere, se ei præsto futurum promittens; certo certius monasterium ædificatum iri; nec omitteret illud in paupertate fundare, quoniam hæc erat et Patris et sua voluntas. Nullo quidem modo sancta Mater suspectum habebat cœlitus da- F tum monitum; non tamen prius agere juxta cœlestem hanc vocem voluit, quam probata esset ab ejus confessario, aliisque viris, doctrina et virtute conspicuis. Consilium itaque cum pluribus communicavit; qui omnes uno ore ad suscipiendum opus hortati sunt; ast simul annuos volebant fundationi assignari proventus; quod tempora aliud jam non ferrent, nec etiam deceret aliter puellarum constitui conventum. Multis hanc suam confirmabant rationibus opinionem, ut vix non persuasa discederet. Sed cum Jesum Christum pauperem et nudum intueretur, impatienter se divitem esse sustinebat. Redit ad orationem, in eaque aperit quæ sibi videantur obstare quominus conventus annuos habeat redditus; atque cœlitus illustrata agnoscit hujusmodi redditus pestem esse pœnitentiæ, adversari temperantiæ, fontem esse maximorum damnorum et distractionum. Sciebat etiam majora in monasteriis oriri mala ex abundantia et superfluitate, quam ex paupertate; denique non, ut volebant isti, paupertatem esse, quæ generaret dissipationem, sed potius ex defectu recollectionis progigni paupertatem, cui Deus recusaret opitulari.

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

opitulari. Denique dubium ei nullum erat, quin paupertas hæc majoris esset perfectionis; dum ex adverso redditus parerent confusionem et cætera mala quæ ex divino alloquio perceperat. Tandem Deo magis fidendum quam doctis et universæ eorum theologiæ judicabat.

consulit S. Petrum.

70 Inter hæc, Domino ita disponente, contigit ut frater Petrus de Alcantara, cujus sanctitas ubique percrebuerat, eo veniret ubi Teresia morabatur. Cum tanti Viri perspecta haberet merita, consilium suum ei aperuit, persuasa eum, qui tam familiariter cum Deo agebat, voluntatem ejus facile percepturum. Nonne præterea magnus ille zelator erat sanctæ paupertatis, qui tot per annos ejus experimentum fecerat? Noverat proinde salutares ejus effectus, ingentesque in ea reconditos thesauros, quos non percipit nec capit nisi qui opere eam exercet. Non mirum ergo quod responderit, videri sibi rem feliciter cessuram ad gloriam Domini Salvatoris nostri, proinde suscipiendam, domumque in paupertate fundandam : multa alia in confirmationem adducebat, quibus sancta Mater auditis statuit ejus sequi consilium, tum quod vir esset hac in materia indubiæ auctoritatis, ob longam suam experientiam et locupletem sanctitatem; tum etiam quod ejus dicta ad amussim consonarent divinæ voluntati, alias sibi manifestatæ.

B

Renascentibus anxietatibus, ei scribit S. Mater.

71 Non tamen diu perstitit animi tranquillitas. Nam post discessum sancti Petri redierunt denuo, qui suaserant annuos admittere redditus, eamque urgebant rationum et congruentiarum pondere. Ipsa itaque undequaque pressa, et plurimum afflicta sancto Viro scripsit, rationem reddens omnium quæ supervenerant, exponens dubia sua sicut et perplexitatem cui rursus innexa esset. Hic vicissim rescripsit epistolam, in qua mirabiliter elucet spiritus paupertatis, quo imbutus erat, quam tanti fecit pater Fr. Didacus de Yepes, episcopus Turriasonensis (*de Tarazona*), commentator vitæ S. Teresiæ, ut propter gravitatem et luciditatem sententiarum, veritates solidas clarasque quibus contexta est, eam commentario suo inseruerit. Ego eam hic quoque referam, tum quod verba sint Sancti nostri, tum quod ex ea appareat, qua luciditate, qua sinceritate Sancti inter se conversentur. (*Videsis hanc epistolam infra in posteriori Vita, auctore patre Laurentio, lib.* III.) Ex stylo hujus epistolæ, ex gravitate et pondere rationum, ex luciditate et claritate verborum, apparet auctoris sanctitas; videturque quid ipse de perfectione status sui, sicut et de paupertate evangelica ejusque sectatoribus sentiret, et quam securius ad perfectionem tendant ii, qui omnimode sunt pauperes, nec ullo modo adhærent rebus temporalibus, quæ possent eos a proposito suo avertere... *a*.

C

ANNOTATA.

a *Evolvuntur hic latius quæ jam dixerat auctor de natura et emolumentis strictissimæ paupertatis.*

Cap. VIII. *De sublimissima oratione et mirandis raptibus sancti Fr. Petri.*

Facilis erat ei oratio, ut qui concupiscentiis non turbabatur.

Sap. c. VIII. v. XIX

Dei beneficio, bono habitu multoque exercitio concordabant in sancto Petro gratia et natura, in tantum ut caro vix repugnaret spiritui, ac dicere posset cum sapiente : *puer eram et sortitus sum animam bonam et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Hæc rite applicantur D
Sancto nostro, utpote qui nec vestigia pravæ concupiscentiæ in carne perciperet, quæ jam non aggravabat animam, nec ascensum in Deum impediebat; sed quasi nihil terrenum amplius haberet, spiritu vivebat, ejusque delectationes omnes cœlestes erant et divinæ. (*Vide tamen Commentarium Prævium, n.* 8). Quare ut pauca illa ex pluribus, quæ sciri et dici possent, de spiritu orationis ejus et contemplationis, debito modo reddamus, non eum ut hominem considerare licet compactum ex carne et ossibus, circumdatum miseriis et cupiditatibus; sed ut hominem, qui licet in mundo esset, tamen extra mundum conversaretur; quippe qui hunc aspernabatur pedibusque conculcabat; et quamvis carnem haberet, hæc jam non concupiscebat adversus spiritum; denique motus omnes et appetitus naturales edomitos subjectosque ita tenebat ut quidquid ratio dictaret facile exequeretur. Uno verbo, quamvis inter homines moraretur in terra, ejus conversatio erat inter angelos in cœlo.

Ejus in oratione perseverantia.

73 Non minus perseverans in oratione fuit quam in cæteris virtutibus. Qui vellet horas enumerare, quas sancto huic impendebat exercitio, non suffi- E
ceret dixisse, quod tamen de aliis tamquam magnum quid deprædicari solet, eum quatuor vel sex singulis diebus per horas orationi vacasse; semper enim orabat; quavis hora, quovis momento, quovis loco. Noverat enim quacumque tempestate et loco quis ad orandum se receperit, a Deo exaudiri; in ecclesia, in choro, in cella, in claustro, in solitudine, in publico, ubique et semper præcipuum ejus exercitium erat oratio, quia, juxta Apostoli monitum, numquam ab ea cessabat. Quod utique non intelligitur, quasi ita uni illi exercitio addiceretur, ut negligeret reliqua ad vitæ necessitatem spectantia; sed, ut docent Sancti, duce Augustino, quod fons orationis, qui desiderium caritatis est, in homine debeat esse perennis, sive in actu sive in habitu; qualis erat in sancto Petro : nam nec gubernatio monasterii, nec cura rei domesticæ, nec labor manuum, nec otium, nec multitudo negotiorum, quantumvis forent momentosa et difficilia, eum ab oratione divertere, aut animi ejus valebant turbare pacem.

Raptus ejus describuntur.

74 Ubique et semper Deum sibi præsentem videbat, et quemadmodum caminus ardens ubi, licet F
fortuito, aliquid ei injicitur, in flammas erumpit; sic et cor ejus amore divino accensum. Quidquid videret vel audiret, modo ad dilectum Dominum suum spectaret, subito sui impotens reddebatur; cor ejus ita inflammabatur, ut videretur velle corpore exilire. Non raro edebat clamores adeo terribiles et terrificos, ut horrore percuterentur fratres, quoties eos perciperent; et quamvis frequenter id accidebat, singulis tamen vicibus terrebantur, quasi tum primum illos audiissent. Ipse autem impetu supervenientis spiritus violenter abreptus, currebat ad cellam suam, in qua longo temporis spatio clausus remanebat; quamvis infirmus et viribus destitutus, tanta se proripiebat celeritate, ut vento similem diceres. Alias, in modum crucis se componebat, et brachia tenens late extensa et oculos cœlo infixos, integra hora et amplius in oratione ita perseverabat; quando vir juventute et viribus pollens vix per quartam unius horæ partem sic compositus perstare potuisset. Sæpe etiam eodem modo officium recitabat, vel integrum in choro Matutinum, ubi quoque pluries visus est raptus extra se et in aera sublevatus, quamvis numquam magis sibi, quam tunc, præsens esset.

75 Sacrum

Quanta cum devotione diceret sacrum.

75 Sacrum dicebat tanta cum devotione ac tot inter lacrymas, ut plures viri gravissimi affirment, se nulla umquam concione tantum permotos fuisse, quantum ubi sancto Petro sacris operanti adstarent. Sæpius etiam tunc a terra sublevatus cernebatur longo temporis spatio; quod quoties accidebat, ad finem sacri, clamores edebat, quales diximus, atque continuo ad cellam se proripiebat. Tum fratres percipiebant eum luctantem cum dæmone, qui videns parum se proficere ex bello invisibili, corporaliter eum aggrediebatur, ita scilicet permittente Domino ad uberius servi sui meritum.

Audiens verba quædam ex Evangelio, extra se rapitur.

76 Ordinati recenter fuerant duo fratres, quorum alteri, sequenti die, solemne celebrandum erat sacrum. Hic itaque prævie se exercens, cantabat in horto ex evangelio sancti Joannis: *In principio erat verbum*; quod, ex propinquo stans sanctus Petrus, ut audiit, vehementi spiritu abreptus, illico se proripuit. Dicunt alii qui præsentes rem viderant, per aëra raptum, et ad instar pilæ contractum, tanto proruisse impetu, ut sclopeto emissus videretur. Atque ita, antequam altare majus attingeret, quatuor omnino portas valde demissas pertransiit, ulla prorsus absque læsione, ut appareat ab ipso Deo actus fuisse.
B Continuo prostravit se coram sanctissimo Sacramento. Adsunt mox fratres, qui eum qua poterant celeritate insecuti fuerant. Ast jam raptus spiritu erat: et quamvis haud parvam traherent moram, non eos tamen percipiebat; imo cum manibus eum attrectarent, nihilo amplius movebatur quam si mortuus fuisset. Videntes itaque se nihil proficere, aliquanto post recesserunt, solum cum Deo solo eum relinquentes. Atque hæc sunt quæ in hoc et similibus casibus exterius cernebantur et audiebantur. Quæ autem interius in anima agerentur, non hujus sunt historiæ: nec enim mortalibus talia eloqui est datum.

Loquens quadam die de Incarnationis mysterio similiter abripitur.

77 Dum loqui audiret de amore illo, quo hominem Deus dilexit, et speciatim de mysterio Incarnationis, et sanctissimæ Eucharistiæ, in qua fit cibus animæ nostræ, subito in extasim rapiebatur, atque diu absorptus permanebat. Quadam die fratribus dicebat: Videte, filii; quando legeritis Evangelium, manus jungite, et state magna cum reverentia: in illo enim libro agitur de altissimo illo mysterio, quo Deus carnem assumpsit, atque homo ex amore nostri factus est. Et repetebat magna cum emphasi: Deus carnem assumpsit! Deus
C incarnatus est! Deus carnem humanam assumpsit! Ad singula verba, vocem magis extollebat, donec solitum ederet clamorem, atque in cellam se proriperet, ubi per tres horas et amplius in extasi permansit, similes edens clamores, licet non cum tanta vocis contentione.

Item in extasim rapitur, fratrem auscultans narrantem de domo Lauretana.

78 Cum aliquando infirmus lecto decumberet, frater quidam hospes ei assidebat; qui ut sanctum Virum recrearet cœpit narrare se quondam domum Lauretanam visitasse: illam scilicet in qua degebat sanctissima Virgo, quando Deus pro infinita sua misericordia mysterium operatus est incarnationis. Ego, inquit, in illa fui, et quamvis omni marmore durior sim, cum intrarem exhorruerunt capilli; commotum est mihi cor et lacrymæ ex oculis abundanter fluxere. Et quis non commoveatur, videns se in domo illa, in qua tanto tempore morati sunt Christus redemptor noster, sanctissima ejus Mater, et sanctus Joseph, tres scilicet personæ, quas mundus umquam tulit dignissimas? Considerans focum, ad quem hiemis tempore sedebant, in quo beata Virgo coquebat escas filio et sponso suo? Armarium cum pessulo, benedictis illis manibus toties attrectato? Fortunatos parietes, quibus puer Jesus toties innixus est? Qui hodie adhuc tantam habent venerationem, ut ne pulvisculum ab iis auferre sit licitum, quod et ipsis comprobatur miraculis, quale nuperrime etiam acciderat. Scilicet vir quidam domo sancta egrediens, corruit in terram mortuus. Accurritur; et cum rem suspicarentur, investigantes reperiunt supra pectus ejus pulvisculos aliquos charta involutos; quos assumentes loco statim suo restituunt: dein oratione ad beatissimam Virginem fusa, vitam demortuo impetrant. Hæc cum diceret ille, edidit Sanctus clamorem adeo terribilem, ut frater, qui numquam talia audierat nec sciret quid sibi vellent, terrore perculsus cella subito exiliret. Ipse vero in extasi multo tempore permansit.

Alii raptus.

79 Alias cum in conventu Pedrosi esset, transiens juxta crucem, quæ in horto stabat, in genua coram ea provolvitur: et cum manus extensas haberet et oculos in crucifixum defixos, raptus diu fuit. Super caput vero ejus apparuit nubes splendida, quales solent esse, cum soli obversantur; ex oculis autem ejus lucidi procedebant crucem versus radii. Plurimos hujusmodi habuit raptus mirabiles: imo erat ipsi res ordinaria. Sæpius etiam e terra elevatus cernebatur, dum E
oraret; et longe frequentius id accidit, cum ab aliis non videretur. Ipse enim solus cum Deo delectabatur, qui servo suo se manifestabat, donaque ei excellentissima impertiebatur, ignota omnibus nisi Deo largienti, et Petro accipienti, qui parce admodum imo vix de iis loquebatur, unde tam parce quoque nobis innotuerunt. Altera vice, cum rursus ægrotaret, insuetis fruebatur deliciis, atque solitum illum clamorem frequentius edebat. Ast quadam nocte quum nec clamasset, nec infirmarium, ut consueverat, vocasset, mortuum hic suspicatus est. Quod cum ei mane innuisset, respondit sanctus Vir: Nequaquam, frater, sed vivo, et quidem maxime consolatus. Non ausus est ille plura interrogare; ast postea innotuit (fors per confessarium) plures eum nocte illa habuisse revelationes, et favores recepisse cœlestes. In hujuscemodi raptibus solet Deus animæ pandere ingentes suos thesauros; eamque in regionem adducit longe ab hac terra diversam; ubi cum reperiatur exemplar et fons omnis veritatis, brevi temporis spatio multa videt anima, quorum nec minimam partem cogitatione assequi valeret: ibi tam excellenti fruitur gaudio et voluptate, ut vi- F
deatur deficere et tantum non corpore exilire. Ast hæc explicanda iis relinquamus, qui illa ipsi etiam degustaverunt: tanto enim clarius de his aget, quo efficacius eadem expertus fuerit.

De sublimi quodam orationis genere.

80 Hoc tamen omnibus in comperto est, S. Petrum, ubi de Deo ageretur cum quodam fervoris et devotionis sensu, extasim frequenter passum; nec, quamtumvis resistere tentaret, potuisse illi se subtrahere. Alienus itaque a sensibus coram aliis apparebat, quo quidem ipsi spectaculo ad fervorem excitabantur. Alias tantos amoris jubilos experiebatur, tam extraordinario utebatur orationis genere, ut nec ipsa ejus anima operationum suarum sibi conscia foret. Juxta sententiam S. matris Teresiæ genus hoc orationis consistit in singulari quadam omnium potentiarum contentione, quibus Dominus omnimodam relinquit libertatem, ut gustet anima altissimas illas delicias, quin intelligat, nec id quod gustat, nec quomodo gustat *a*. Hæc videbuntur nonnullis forte parodoxa. Atqui tamen res ita se habet. Illæ præterea deliciæ tales sunt, ut nolit iis anima sibi soli uti, sed quærat universos illarum fieri participes, ut ita ab omnibus juvetur

 ad

ad laudandum Dominum nostrum. Hoc jubilationis et deliciarum genere frequenter perfundebatur anima sancti Fr. Petri, quæ procedebant ex ingenti amore et profundissima, quam habebat, Dei cognitione; optabat mundum universum, si possibile fuisset, testem suæ felicitatis habere. Per hortum et campos discurrebat in clamores erumpens, quorum solus Deus sensum perspiciebat; et voces, magna contentione prolatas, edebat, quibus universas creaturas compellabat, ut sibi in auxilium venirent ad laudandam et exaltandam summam illam bonitatem, qua fruebatur, et quam ipse percipiebat dignam adeo, quæ amaretur et laudaretur: nam aliud non spectabat hæc tanta commotio: fuisset difficile, vel potius impossibile hunc tam grandem gaudii et deliciarum, quo anima interius fruebatur, impetum abscondere et exterius non manifestare. Idipsum absque dubio experiebatur S. Pater noster Franciscus, ubi dum per campos discurreret clamans, medios ex improviso inter latrones stetit, quibus se summi regis præconem dicebat: ipsi autem eum tamquam virum emotæ mentis habebant. Similia leguntur de aliis Sanctis ejusdem ordinis. Novi ego, inquit
B S. mater Teresia, virum nomine Petrum de Alcantara, quem, spectata ejus vita, Sanctum existimo, cui id familiare erat, ac propterea aliquibus, cum audientibus, stultus videbatur: et re quidem vera stultus erat, sed stultitia cœlesti, qualem scilicet habebat propheta, cum, creaturas omnes ad laudandum Dominum compellans, mirabile illud cantabat canticum: Benedicite. Faxit Deus, fratres, ut et nos beata hac fruamur stultitia! Infelicia tempora, misera ætas nostra, qua tam raro vox illa, quæ mundo stultitia habetur, auribus insonat! Beati, quibus Deus hunc favorem concesserit! Beati qui vivunt inter eos, quibus talis sermo in usu est! Promoveamus omnes, fratres, hæc divinæ majestatis præconia in omnibus suis creaturis in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Hispanice:* Hablando della la santa madre Teresa de Jesus dize, que es a su parecer, una union grande de las potencias, dexandolas Nuestro Señor con libertad, para que gozen de esto altissimo gozo, sin entender lo que gozan, ni como lo
C gozan. *Quod ad verbum ita sonat latine:* Loquendo de illa (*oratione*) sancta mater Teresia a Jesu, esse dicit, sua opinione, magnam quamdam unionem (*seu conspirationem*) potentiarum (*animæ*), Domino nostro dante eis libertatem (*seu quas Dominus noster omni in agendo solvit vinculo*) ut gaudeant (*fruantur*) altissimo illo gaudio, quin sciant (*explicare sibi valeant*) quid sit illud quo gaudeant (*seu delectentur*) nec quomodo illo gaudeant.

Cap. IX. *De quibusdam casibus, in quibus apparuit quam efficax esset oratio S. Fr. Petri.*

S. Petri oratio maxime efficax.

Si, ut S. Jacobus dicit, multum valet justi oratio perseverans; facile cernitur quanti valeret oratio Sancti nostri, cum et justus esset, et ab oratione non cessaret. Oratio, ait S. Thomas, ex caritate mutuatur meritum, et ex fiducia efficaciam. Sancto Petro erat inflammata caritas, multum perseverantiæ, et magna fiducia, unde tanta D
nascebatur orationum ejus efficacia, ut vim Deo faceret. Quidquid petebat, obtinebat. Post mortem ejus, multi, ejus intercessione receperunt et adhuc recipiunt solatium. Atque hic testem habemus S. Matrem Teresiam a Jesu, cui Dominus noster revelavit immensam, qua fruitur Petrus, gloriam, simulque dixit: fore ut nihil peteretur in nomine ejus, quod non obtineretur. Et ipsa plura quæ beato Petro apud Deum commendaverat impetravit. Sed et alii multi noscuntur magnis cumulati beneficiis, ut videbitur inferius; imo ex iis, quæ hic de orationis ejus efficacia subjicimus, jam nunc planum fiet. Et primum quidem ipse sibi multa eaque peculiaria obtinuit dona et gratias; ardentem scilicet caritatem et amorem Dei, quibus inflammatus coram ipso ambulabat quasi seraphim; fidem vivam; spem fiduciamque maximas, profundam humilitatem, paupertatem summam, patientiam, fortitudinem et perseverantiam in omni virtutum genere; aliaque multa mirabilia, quæ in decursu hujus vitæ jam vidimus aut videbimus. Aliis quoque non raro ostendit Deus quantæ efficaciæ esset Servi sui oratio, E
quoniam et dum viveret multa operatus est mirabilia, et plurima post mortem patravit et quotidie patrat miracula; sanando infirmos, eruendo animas e peccati faucibus, easque dirigendo in via perfectionis. Pauca quædam seligamus, ex quibus colligere liceat quæ et quanta dici possent.

Insignis conversio nobilis cujusdam juvenis.

82 Erat Abulæ vir quidam nobilis, ætate florens, in urbe primarius; ast salutis valde incurius. Et quamvis beneficio uteretur ecclesiastico, profanis indulgebat moribus; nec ipsi, ut oportuisset, curæ erat recitare divinum officium; ast ludere, ambulare, mulieribus assentiri. Hinc et Cannarum ludos *a* cæteraque id genus adamare, prout assolet inter ephebos, mundi sequaces. Cum igitur hic quondam cuncta jam parata ad pompam ducendam haberet; ecce sibi adest beatus Fr. Petrus. Plures statim eum invisunt viri cordati, illecti ejus exemplis et sermonibus: inter eos aliquoties apparet præfatus juvenis; rarius tamen, quod aliud non permitterent nec amici, nec rerum inanium cura, in quas natura et habitu ferebatur in tantum, ut, qui penitius eum noverant, quasi de ejus salute desperarent: ast ipse, meliora ut videtur confidens, quotiescumque discederet, orationibus F
sancti Viri se commendabat, qui et vicissim, in singulis, quibus intererat, colloquiis cordi ejus infigere aliquod tentabat jaculum. Brevi in alium mutatus virum apparuit: nam cum audiisset S. Petrum Abula discedere ad conventum de Arenas, in quo degebat, obvius ei occurrit in via, longoque itineris tractu eum comitatur. Ast, sive humilitatis defectu, sive nimia confusione, veritus verbo inordinatam suam attingere vivendi rationem; scripto prolixe explicatam tradit servo Dei; atque discedens, genua flectit, osculaturque vestem ejus, dicens: Pater mi, hic habes vitam meam: oro, petas a Domino, ut misericordiam faciat animæ meæ. Tuis precibus me commendo, confidens earum me ope gratiam consecuturum. Scriptum manicæ implicat Petrus, juvenemque amplexatus, prosequitur iter, jubens bono animo esse. Vix ab eo discesserat juvenis, et antequam domum veniret, Domino cor ejus tangente, totus jam erat alius, ut illico apparuit sicut et ex tota subsecuta ejus vita. Domum ingressus est tantum commotus, ut ipse sibi extra se esse videretur. Valedixit ludo et torneamentis, quæ jam parata habebat;

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

A habebat; totumque se dedit lacrymis et dolori de peccatis, visitans pauperes, carceres et infirmos; splendidas vestes cum simplici et decenti indumento commutavit; famulos et domesticos dimisit, atque ipse factus pauperum servus est in nosocomiis. Tota civitas et vicina regio stabat attonita tantam videns in viro illo mutationem. Duram egit deinceps pœnitentiam, quo tempus præpostere adhibitum rasarciret. Confidere licet eum recuperasse quod amiserat, atque cœlestem gloriam adeptum, Dei misericordia et intercedente sancto Petro.

Novitium, jamjam retro respecturum, monitis et oratione confirmat.

83 Idem dici potest de novitio, qui vestem religiosam accepturus venerat ad conventum, ubi servus Dei morabatur. Solitis jam probatus fuerat experimentis. Fratres stabant in choro; et, ut moris est, vestis in modum crucis extensa videbatur: ipse vero novitius in genua prævolutus expectabat animo paratus, ut videbatur, Christi crucifixi deinceps gestare insignia. Ast videns vestem illam vetustam ac pluribus in locis resarcitam atque tam aspera exterritus paupertate, edixit tantum se non audere; excusatum eum habere vellent ac dimittere. Cœpit tunc sanctus Petrus B sermonem habere, dæmonisque fraudes aperire, satagentis vano illo timore eum a bona, qua cœperat, via avertere, ac denuo sæculi vanitatibus irretire. Hæc aliaque multa, prout erat in depellendis tentationibus admodum industrius, dixerat. Ast nihil proficiebat: perstabat ille in proposito suo firmius. Tum Sanctus cor suum ad Deum levans, oculosque in cœlum, cœpit preces fundere. Lacrymas novitius videns discurrentes per venerandam illam faciem, cœpit et ipse plorare: atque, potenti Dei manu et fusæ orationis efficacia confirmatus, in terram se projecit, veniam petens de ignavia sua, atque instanter orans, sanctum habitum, licet indignus esset, accipere. Hæc quamvis sincero corde, ut vox et lacrymæ testabantur, protulisset, nec locus esset dubitandi Deum hoc momento mutasse cor ejus; sanctus tamen Vir, quo magis securus certusque foret de ejus in bono constantia, differre eum in aliud tempus cupiebat: ast fratres, qui adstabant, videntes angustias et ejus in petendo constantiam, humiliter rogabant illum ut votis satisfaceret, cum tam manifeste proderetur mutatio dexteræ excelsi et virtus orationis. Obtemperavit Sanctus cum gaudio; nec facti pœ- C nituit, paucis enim post diebus, manifestum fuit de cœlo vocationem hanc fuisse.

Vis procellæ, sancto Petro celebrante, suspensa.

84 Cum sanctus Petrus in conventu suo de Pedroso versaretur, convenit eum parochus, ut occasione festi, quod illo in loco agebatur feria secunda Paschatis, celebraret sacrum. Annuit servus Dei. Quod cum innotuisset populo, accurrit solito major multitudo, ut medio in campo oportuerit erigere altare: non enim ecclesia tantæ capiendæ capax erat frequentiæ. Vestiit se cum ministris suis, sacrumque exorsus solemniter est, medios inter cantorum musicorumque concentus. Sed ecce, paulo ante consecrationem, cœlum, quod hucusque serenum tranquillumque perstiterat, illico (dæmonis forte opera) turbatur, tantaque exurgit tamque terribilis tempestas, ut parum abesset, quin omnia, et altare et populus et quidquid ibi esset susque deque verterentur. Populus tumultuari, parochus aliique ad altare properare; prospicere omni modo et industria ne quid mali accidat. Ast quid possit humana fragilitas contra subitam adeo violentamque procellam? Accedit parochus, Sanctum compellans, qui medios inter turbines orabat tranquillus et quietus. Jubet hic omnes securos perstare, nihil enim mali timendum. Incipit Memento, orat: et (res utique stupenda) dum ne vel minimum remitteret procellæ vis, per totum illud spatium quo altari circumstabat populi multitudo, tanta obtinuit aeris tranquillitas, ut ne palea quidem moveretur. Tum vero omnes in terram procumbunt, sanctissimam adoraturi Eucharistiam; levatur hostia, calix; sacrum absolvitur ea quiete et pace, veluti si in ecclesia vel oratorio celebratum fuisset. Parochus omnisque populus attoniti sibi temperare a jubilationis et laudum vocibus haud poterant, viso tam manifesto prodigio, nec dubitabant totum illud quantum esset, Servi Dei orationibus in acceptis referendum *b*.

b Plura prodigia ex S. Petri oratione.

85 Alias et quidem pluries ejusdem orationis vis, et efficacia apparuit, cum hac adjutus, sæpius securus et illæsus pertransierit per medias fluviorum aquas Tagi, Dueri et Guadianæ, quos nonnumquam trajecit, ubi et quando absque divino auxilio nemo transitum tentare fuisset ausus. Idem scilicet Dominus qui terminum posuit mari ne transiret fines suos; qui, orante Moyse, filios Israel duxit per Mare Rubrum, nunc etiam eadem operatur prodigia; unde et a Servo suo invocatus, E viam dedit planam in medio fluviorum quo ipse et socii transirent, ut videbimus ubi de ejus miraculis agemus. Nunc cætera prosequamur ad ejus pertinentia orationem, qua incendia, exundantes aquas, procellas sistebat; mirandos in hominum liberas voluntates producebat effectus: animos scilicet maxime obstinatos, corda rupibus duriora emolliens atque movens. Sæpius dum fames sæviret et deficeret annona, opem tulit, ubi jam omnis spes humana evanuerat. Omnibus sive animæ sive corporis necessitatibus aliud ipse præter orationem non noverat solatium: hanc enim aurifodinam dicebat vitæ æternæ; hac mediante coëmuntur omnia bona *c*.

c Recapitulatio præcedentium.

86 O quanta sanctus Petrus orationis ope obtinuit, ad quæ, per ingentes licet conatus et labores, multo adhibitos tempore, perveniri non potuerat! Quædam eorum reddemus sequentibus in capitibus. Cum enim jam egerimus de ejus vita, moribus, mortificationibus, pœnitentia, et nonnulla etiam delibaverimus de ejus oratione, humilitate et caritate, ac summatim retulerimus aliquot inter plurima miracula quæ Deus per ejus intercessionem operatus est; convenit ut agamus de gratiis do- F nisque specialibus et favoribus, quibus magnificentissimus Dominus eum prævenire et honorare est dignatus. Talibus enim hominibus, adeo a mundo remotis, et tam sincere Deo adhærentibus, promisit divina majestas fore ut in ejus nomine ejicerent dæmonia, serpentes calcarent, mortiferum biberent absque detrimento, mortuos suscitarent, sanarent ægros, et alia his majora patrarent. Quoniam vero frustra tentaremus hic referre omnia quæ Dominus per Servum suum præstat mirabilia, cum singulis diebus ipse novam subministrat scribendi materiam, nova per intercessionem Sancti sui impertiendo beneficia; illa tantum dicemus quæ omnium oculis patent: plurima prætermittentes, quæ ipse, pro illa qua præditus erat prudentia, tenuit abscondita; ne scilicet vento raperentur, sed potius firmæ insisterent petræ.

ANNOTATA.

a Juegos de Cañas. *Torneamenti genus, a Mauris in Hispania usitatum, nunc vero obsoletum. Latine vulgo*

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

vulgo dicitur : Cannarum seu Arundinum ludicrum certamen.

b *Additur locus communis de miraculis.*

c *Disserit hic auctor de valore pecuniæ collato cum orationis efficacia.*

Cap. x. *De donis et gratiis supernaturalibus quæ Deus S. Fr. Petro de Alcantara communicavit; sicut et de gratiis, quæ Gratis Datæ vocantur.*

Monitum.

P*ræsens caput auspicatur P. Fr. Joannes a S. Maria distinguendo gratiam, quæ* gratum faciens *dicitur, a gratia, quæ* gratis data *vocatur. Utramque clare describit, addens sanctum Paulum gratias gratis datas, omnino novem enumerare, cum dicit:* Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem ; alii quidem per spiritum datur sermo B sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, secundum eumdem Spiritum ; alteri fides in eodem Spiritu ; alii gratia sanitatum in uno spiritu ; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum ; alii genera linguarum ; alii interpretatio sermonum. 1 cor. 12. *Tum ita auctor noster prosequitur.*

Omnes gratias gratis datas S. Petrus accepit.

87 Ast non communicat ordinarie omnes illas gratias uni eidemque subjecto ; nec necessarium est ut qui unam ex iis receperit, habeat etiam et cæteras. Sed diversimode distribuuntur. Alii duas, alii quatuor, quidam omnes accipiunt, prout magis conducit ad ecclesiæ bonum, profectum animarum, conversionem infidelium et confusionem hæreticorum. Apostolis, quibus incumbebat convertere mundum universum adeo corruptum et obcæcatum in medio idolorum, prædicare omnibus gentibus illasque subjugare evangelio, necesse fuit omnia dona et gratias tam naturales quam supernaturales communicari. Idem fere dicere licet de sancto fratre Petro de Alcantara. Electus enim a Deo fuerat et prædestinatus ad fines tam sublimes, et speciales fructus faciendos ; ut foret et fundator et reformator, prædicator, dux et magister mulC torum, prælatus et exemplar istius familiæ Discalceatorum, quibus tot paratæ erant provinciæ, tot in regnis, totque inter gentes adeo diversas. Oportuit ergo ad omnium profectum, ut Deus eum varietate donorum et gratiarum exornaret. Unde ut certum habetur, non una tantum aut duabus, vel quatuor ex enumeratis gratiis instructum fuisse ; sed plurimas imo vix non omnes accepisse, prout singulas percurrendo planum fiet. Et quemadmodum olim Deus cœlitus instruxit Betseleel, quem ad faciendam arcam fœderis elegerat ; ita divina majestas, cum sanctum Petrum assumpsisset ad opus reformationis suscipiendum perficiendumque, eum cœlesti donavit sapientia et spiritu, zelo et prudentia, quibus promovere sciret profectum cujusvis generis hominum ; divitum et pauperum ; religiosorum et sæcularium ; nobilium et plebeiorum ; doctorum et rudium : omnium enim illorum ordinum ei se adjunxerunt viri, quos omnes labore et industria sua ad viam perfectionis perduxit.

In quo consistat sermo sapientiæ et sermo scientiæ S. Petro concessi.

88 *Explicat hoc loco auctor quid sint sermo sapientiæ et sermo scientiæ, atque ita concludit :* est itaque *sermo sapientiæ,* cognitio mirabilis (*milagrosa*) rerum cœlestium, altissimorum mysteriorum, de quibus loqui, scribere, tractare solent D illi, qui numquam ea in libris didicerunt, nec a magistris acceperunt, ut de Sanctis aliquibus legitur, quorum divinus spiritus dirigebat calamum et linguam, quo recte alios docerent. *Sermo scientiæ,* cognitio est rerum naturalium et virtutum, a Deo mirabiliter etiam infusa, atque necessaria ad alios veram virtutis viam edocendos, ut accidit sanctæ Catharinæ, quæ quingentos sub Maxentio convicit philosophos ; quod sane miraculis est annumerandum. Hæc etiam præstitit sancto Petro Dei benignitas, dando illi sapientiam et scientiam divinam, quam nec didicerat, nec edoctus fuerat in academiis, sed in schola contemplationis et in meditatione divinarum Scripturarum. Quinimo ita se Dominus erga eum exhibuit liberalem ac magnificum, ut non solum lumen dederit et intelligentiam rerum sublimissimarum, spiritualium et divinarum, sed verba et modum quibus easdem exponeret, atque ad captum audientium aptaret. Præditus ergo erat dono, quæ sapientia nuncupatur ; quæ aliud nihil est, quam cognitio rerum supernaturalium et divinarum, ad spiritualem animarum profectum ordinatarum (*atque hic proprie* E *sermo sapientiæ vocatur*). Habebat præterea cognitionem rerum naturalium et creatarum, qua adjutus, debita cum claritate et verborum proprietate in cognitionem creatoris audientes inducebat (*quod proprie sermo scientiæ est*).

Efficacia sermonum ejus apud omnes.

89 Sufficienter theologiam callebat, ad exponenda populo divina mysteria, eaque probanda et confirmanda ; ad casus solvendos conscientiæ et elucidanda dubia, quæ proponebantur. Sacerdotem indoctum, vocat sanctus Gregorius præconem mutum. Qui enim concionatorum et confessariorum munere funguntur, bene eruditos esse oportet in jure canonico et theologia : multa enim, eaque gravia peccata, multæ censuræ et pœnæ canonicæ eorum judicio subjiciuntur ; ac proinde debitam illorum notitiam sibi ex studio faciant necesse est : imo inter ducentos qui doctorum nomen merentur, non invenias quatuor qui ab his muneribus non refugiant, gravi eorum deterriti periculo. Ex hoc numero fuit sanctus ille Vir. Ast Dominus ei dedit sapientiam divinam et stupendam rerum cœlestium fideique mysteriorum scientiam, simul cum felici elocutionis facilitate ; abundantiam exemplorum, et similitudinum quas a rebus naturalibus F aptissime deducebat, quibus, quod intendebat, declararet. Magna docebat cum claritate, et persuasionis efficacia : omnes enim videbant scientiam ejus potius de cœlo datam quam labore et studio humano acquisitam. Pro concione dicebat (quamvis raro) magno cum spiritus fervore, atque tanto rationum pondere et efficacia docebat legem divinam, vituperabat vitia, laudabat virtutes, ut omnes starent confusi et contriti : alii de malo quod fecerant, alii de bono quod neglexerant : illi se emendabant, isti proficiebant.

Fructus quos faciebat in privatis colloquiis.

90 Ast præterea privatim sæpius de Deo agebat, conferentias habebat spirituales et christianas, quæ, ita facientibus peccatis nostris, hodiedum fere interciderunt, dum tantos ex iis hauriebant assistentes fructus. Accurrebant ad illas omnium statuum homines, qui quærebant et conveniebant sanctum Virum, ut eos instrueret et dirigeret in via salutis ; eum ducem et magistrum eligebant ; agnoscentes sapientiam humana majorem, atque adeo excellentem, ut non dubitarent quin S. Spiritus cordi ejus instillaret quæ ore pronuntiabat. Poterat, aliqua ratione, dicere cum propheta Isaia : *Dominus*

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

cap. L. v. IV. A *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est, verbo.* Hæc denique erat vita ejus, quæ omnium oculos in se converteret. Tales erant ejus instructiones spirituales et colloquia, ut cuncti eum audire et convenire arderent; alii quidem ut se emendarent; alii ut proficerent; alii forte etiam ducti quadam curiositate, ut viderent quid ibidem ageretur, vel hoc solum fine ut turbam sequerentur; forte etiam censebant minoris se æstimandos, si nihil commune haberent cum Viro tantæ apud omnes sanctitatis... *a.*

a Quid S. Petrus nobilioribus præcipue inculcaret.

91 Auditores sancti Petri magis ordinarii erant nobiles, docti et matronæ quædam devotæ et maxime spectabiles, in quarum animis tam ardentia salutis accendebat desideria ut non cessarent donec a sancto Viro privatas obtinuissent instructiones spirituales. In his utebatur imprimis sacra Scriptura, psalmis, epistolis sancti Pauli, et ante omnia, apud nobiles, libro Ecclesiastes. Nam istis, qui multum in sæculo et possident et valent, præcipue inculcandum est quam vilia sint omnia quæ mundus æstimat, quam parum juvent ad veram beatitudinem. Est scilicet hoc præcipuum illius B libri argumentum, nobilibus divitibusque valde accommodatum. Rationibus enim tanti regis, qui copiose deliciis utens, earum expertus erat vanitatem, convicti, errorem deponent, intelligentque quot et quanta ex sæculi conversatione ceperint damna, quibus vix aliud superest plerumque remedium, quam ex toto omnibus renuntiare. Exponebat etiam quantæ insaniæ sit fatigare mentem, affligere cor, consumere vitam in persequendis divitiis, deliciis et voluptatibus, quæ ad animæ bonum nihil prorsus conducunt: quid ex his omnibus homini inhæret? quid remanet? profecto nihil: nam cum mors advenerit, his omnibus spoliatus jacebit: imo hæc forte mortem celerius advocaverint. O vanitas vanitatum! Tantum expendere et vix aliquid obtinere! Tantis in periculis, tormentis et pœnis frustra versari! His et similibus Vir Dei satagebat quasvis vanitatis radices, cordi humano tam alte inhærentes, exstirpare; quod aliter impossibile sit vel minimum in vita spirituali facere progressum, etiamsi millenos annos in ea quis versaretur.

Sermonis efficacia ex operibus et oratione.

92 Magnam sancti Petri verba vim mutuabant ab ejus operibus: namque quod docebat, illud et C faciebat. Liber ejus ordinarius in quo studebat ac quid dicendum esset inveniebat, erant oratio et contemplatio, et lectio sacrarum Scripturarum. Atque hoc modo concionatoris munere fungebatur, magno cum suo et aliorum profectu. Quando aliquoties per pagos et vicos prædicabat vel doctrinam tradebat christianam, non tanta cura verba et voces castigabat. Simplici sermone docebat quid Deus nos jubeat credere et facere: memor verborum sancti Patris nostri Francisci, quibus suos admonet concionatores, ut discrete et caste loquantur ad profectum et ædificationem populi, breviter proponendo virtutes, vitia, pœnam et gloriam. Ubi notat S. Bonaventura voluisse gloriosum illum Sanctum, ut concionatores sui ordinis forent valde humiles, nec dedignarentur verba facere ad populum simplicem, rudem et pauperem, eumque docerent mandata Dei et catechismum, ac præcipua capita ad salutem necessaria. Ita egit sanctus Petrus, plebem ædificans suis exemplis, et docens suis verbis; corde et animo agebat, neglectis quibusvis verborum lenociniis. Prædicabat oculis, manibus, modestia et sensuum omnium compositione. Dabant ei boni illi homines eleemosynas suas; frustum nempe panis, aliquot ova, parum casei, prout quisque habebat, hilari vultu et bono corde; quæ ille vicissim accipiebat multa cum gratitudine, domumque portabat. Tanto omnibus erat in amore et veneratione, ut, quando obvii illi fiebant, genua flecterent, cupientes ejus osculari pedes; ipse vestem osculandam præbebat, omnesque consolatus ad conventum suum redibat multo cum gaudio spirituali. Duo ista dona et gratiæ, sapientia et scientia plurimum prælatis et pastoribus conveniunt: ast juncta sint oportet pari cum humilitate et caritate; his enim destituta inflant potius quam ædificant. Omnes istas virtutes et gratias, perfectas habebat sanctus ille Vir, ut jam vidimus, et amplius adhuc videbitur ubi dicemus quomodo se gesserit cum tot per annos munere prælati seu superioris functus sit.

ANNOTATA.

a *Plura subjiciuntur de animo, quo solent homines audire verbum Dei. Amplificatio est sententiarum, quas ultimo loco conscripserat auctor.*

E

CAP. XI. *De gratia fidei qua præditus fuit sanctus Fr. Petrus de Alcantara.*

De fide theologica qua eminuit S. Petrus.

Facultas docendi, convincendi atque ulterius confirmandi et evolvendi ea, quæ jam animis quadam cum firmitate inhærere cœperunt, ut in bonum animarum cedat, voluntatesque ad virtutis amorem, Dei servitium, resque cœlestes flectat; postulat ut is, qui munus docendi suscipit, rite calleat non solum principia, sed et horum principaliores sequelas, quibus constat doctrina catholica, quam aliis persuadere intendit; quæque continetur symbolo apostolorum et cæteris articulis ad fidem spectantibus. Ad hoc autem sanctus Paulus supponit ante omnia fidem hanc ipsam, quæ firma est persuasio rerum invisibilium et supranaturalium, et fundamentum omnium nostrorum bonorum: et hinc eam vocat *sperandarum substantiam rerum*, in quantum scilicet petra est in qua fundatur totum ædificium spirituale. Fides F ista sine qua impossibile est placere Deo virtutibus Theologicis annumeratur, eamque catholicis omnibus Deus infundit. In hac, tanquam in fundamento omnium virtutum et principio justificationis nostræ, adeo firmiter sanctus Fr. Petrus fundatus erat, ut, si ipsi pro fide vel quovis ejus articulo moriendum fuisset, mille mortis genera subiisset libenter. Summa enim erat ejus, ex Dei beneficio, in hac virtute soliditas. Nec aliud habebat, quantumvis certum, clarum et evidens, quod vel a longe accederet ad illam rerum fidei, in animo ejus, certitudinem. Non legitur vel minimam in tota vita contra hanc virtutem expertus tentationem. Tamquam certum habebat, nec per dæmonem fieri posse, nec Deum umquam permissurum, ut anima, sibi diffidens atque fortis in fide, in errorem induceretur. Revelationes omnes, quantumque vel imaginari vel excogitari possent, non valuissent in eo vel minimum labefactare quidquid ecclesia et sacra Scriptura docerent.

Hebr. XI, 1.

Definitur fides, in quantum est gratia gratis data.

94 Est et aliud fidei genus, quam idem S. Apostolus *gratiam gratis datam* nuncupat, quæ consistit in donis specialibus et muneribus, quibus Deus animam exornat, citra omne earum meritum;

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

tum; quam et concedit cui et quomodo ei placuerit. Est donum hoc eminentior quædam notitia et specialis rerum ad fidem spectantium, quam dat Spiritus sanctus doctoribus evangelicis, virisque apostolicis, ut convenienter possint alios docere; vel (ut quibusdam præplacet) est excellentia quædam sermonis doctrinæ, quem idem spiritus quibusdam impertitur, quo melius valeant aliis res fidei tradere adeo ut vel a rudioribus intelligantur; vel tandem (et hoc majorem habet certitudinem) est extraordinaria, eaque firmissima fiducia qua sancti in Deum præditi sunt, obtinendi quidquid petierint, unde et miracula patrant et multa
a mirabilia operantur. Atque hæc, juxta *a* S. Theodoretum fides est, de qua Christus prædixit fore ut illa montes transferrent atque alia, si opus esset, ederent haud minus stupenda, quæ solent videri in prædicatione Evangelii apud infideles. Cæterum quocumque modo fides hæc intelligatur, certum est hac, quatenus gratia est gratis data, præditum fuisse sanctum Petrum, ut ex tota ejus apparet vita: tantus enim est numerus eorum, quos legem Dei, vias æternas et mysteria fidei docuit, sive in privatis instructionibus sive in publi-
B cis concionibus, idque tanta cum perspicuitate, ut vel a tardissimis intelligeretur, etiam quando de altissimis tractabat mysteriis, vel de methodis sublimioris contemplationis: claritate sua tenebras ignorantiæ apud omnes dispellebat: quod profecto non obtinuisset sine hac fidei gratia. Quod si fides intelligatur esse magna et excellens illa fiducia, qua sancti aliqui donati fuerunt, cujusque ope quidquid peterent a Deo impetrabant, hæc et in toto ejus vitæ cursu elucet, utpote qui tam perfecte intelligebat quid sit discriminis inter eum qui Deo fidit, et alterum illum qui hominibus nititur: hujus spes omnes vento abripiuntur; illius, quoniam firma in petra fundantur, falli nequeunt, ut reipsa contigit Viro nostro sancto, quemadmodum testantur miracula, quorum quædam hic subjicimus.

Fluvium trajicit cum socio.

95 Quum quadam die iter faceret, venit cum socio suo ad locum *Alconete* dictum, ubi trajicere solent Tagum, in quem ibidem influit alter fluvius nomine *Almonte*. Aquæ tunc erant altæ et copiosæ: nequicquam vocabant navicularium, rogantes ut ad alteram ripam eos perduceret. Persuadere eum non poterant, ut cymbam solveret, tanto magis
C quod jam nox esset, et vehementius ventus spiraret: unde et transitus difficilior erat, et naviculario incussus timor. Humanis adjumentis destitutus, ad eum confugit, qui omnia potest; invocata itaque ejus ope, magna cum fide et fiducia; subito per divinam virtutem in altera fluminis ripa se conspexit ad portam diversorii, in quo jam considebat navicularius, narrabatque hospitibus, quid sibi duobus cum fratribus accidisset. Quos cum ex improviso intrantes viderent, manserunt attoniti, miraculum agnoscentes: nec enim dubitari fas erat quin Deus servis suis loco navicularii fuisset. Idem contigit ad Durium fluvium, in loco qui dicitur *Buycillo*. Intumuerant undæ, nec audebat navicularius tentare transitum. Ast servus Dei, divino numine trajecit aquas sicco pede, ut verus Israelita, in spiritu ad Dominum confugiens.

Aliud ejusdem generis manifestum miraculum.

96 Cum quadam die Placentia Alcantaram tenderet, socium habebat sacerdotem satis languidum. Pervenerant ante meridiem Portezuelum, vicum Alcantarensis magisterii; ubi, cum sacerdos male se haberet, dixit se hac die non audere ulterius progredi. Quod audiens servus Dei: tu quidem, inquit, hic remaneas, vires refecturus, ego autem Garrovillas usque procedam; me enim in illo con- D
ventu expectant. Remansit ille; ipse vero solus iter prosecutus est. Cum Tagum, qui media leuca a Garrovilla distat, attingeret, jam nox erat, et aquæ ex hieme et pluviis tumidæ: cæterum nullo anni tempore vado transitus patebat, præcipue illo in loco: trajiciebatur fluvius navicula, quæ ordinarie stabat ex parte vici, quod ibi esset domus seu diversorium navicularii, qui adveniente sancto Petro, cum jam nox esset, domum se receperat; nec vocantis verba audiebat, sive quod satis longe abesset, cum intermedius jaceret fluvius; sive etiam ob præterfluentium murmur aquarum, sive tandem ob strepitus qui numquam non eduntur in caupona. His itaque constitutus in angustiis, nec cymbam, nec navicularium, nec aliud quodvis trajiciendi fluminis paratum habens adjumentum, ad cœlum confugit omni sua in Deum collocata fiducia. Et ecce prodigium! illico, quin caperet ipse quomodo res gesta esset, videt se juxta aliquam domum, quam antea numquam viderat. Ad januam accedens, lumen percipit: vocat; accurrunt incolæ, quos rogat, pro Dei amore, ut, si fieri possit, velint eum ad alteram fluvii ripam perducere, quo ad Garrovillas pernoctare valeat. Cui navicularius: recte E
quidem, inquit, pater; tempus utique est jocandi. Nonne inde venis? Minime, frater; respondit Sanctus, ast venio ex Portezuelo. Qui fieri potest, ait navicularius, cum fluvius intermedius currat? nec enim inde huc attingere potuisti, quin aquas trajiceres. Siluit servus Dei, obstupueruntque omnes boni illi viri hæc audientes; intelligebant enim solius Dei opera eum transire potuisse. Tum rogaverunt, cum sero jam esset et nox ingrueret, et præterea mediæ leucæ per vias asperas hinc ad Garrovillas iter restaret, ut apud se pernoctaret, postera die summo mane se illi viam indicaturos. Annuit Petrus: et cum dies illuxisset, discessit, suisque conspexit oculis flumen illud, quod Domino mirabiliter operante, pertransierat. Ad vesperam adfuit sacerdos itineris socius, qui de sancto Viro navicularium interrogans, didicit ab eo quæ contigerant. Atque tum hic, tum illi de miraculo testimonium dixerunt.

alius transitus.

97 Altera vice cum ad Guadianam, Estramaduræ fluvium venisset, incassumque tentasset navicularium ut cymbam admoveret, quod violentæ ac tumidæ nimium essent aquæ; Domino se commendavit, atque cœlitus, ut creditur, insueta fide F
et fiducia donatus, crucis signo se signans, socium jussit vestes sublevare, et suis vestigiis insistere; atque ambo in conspectu navicularii et aliorum adstantium flumen trajecerunt, ita ut aqua vix ultra pedes ascenderet, omnibus stupentibus, quod scirent flumen hoc loco valde profundum, nec cymba sine periculo transeundum. Ast aquæ, quæ alio tempore submergendæ terræ ejusque suffocandis incolis adhibitæ fuerant, nunc Dei servis sustentandis serviebant. Hoc in miraculo sicut et in cæteris, quæ commemoravimus, obtinuit, id quod de sancto Petro legitur, qui super aquas ambulabat, quasi solida in terra processisset.

Hac fiducia suscepit perfecitque S. Petrus opus Reformationis.

98 Hac tanta animatus fide et fiducia res magnas mirabilesque suscepit, felicemque perduxit ad exitum, ut apparuit in principio Reformationis, ubi tantas superavit difficultates, tot fundavit, mediis in contradictionibus, conventus. Nec mirum, cum in hoc Reformationis opere suscipiendo, tam præclaris duceretur rationibus, tam sublimes spectaret fines: non enim solummodo proprium suum intendebat profectum; nec etiam solum religionis augmentum, perfectamque regularum nostrarum

A strarum observantiam, fratrumque suorum majorem perfectionem; sed et prætcrea altius adhuc mentem suam dirigebat, ad fidei scilicet exaltationem, et infidelium conversionem; volebat ut filii et fratres sui ardenti cum caritate, paupertate sua, pœnitentiis, oratione, exemplis et doctrina promoverent salutem animarum, non solum uno in regno, sed universo in mundo, atque adeo ad Deum omnem converterent infidelitatem. Hoc ex zelo, his ex cogitationibus exorta est nova in agro ecclesiæ hæc planta: hæc fuit scintilla quæ tantam in lucem excrevit; cujus mirabiles effectus et jam apparuerunt et in posterum magis adhuc apparebunt. Et quia fidei adeo vivæ sancti Viri, tribuitur zelus fervidus quem habuit ad opus reformationis inchoandum et fundandos conventus (quod etiam dictum sit de viris illis qui domos Recollectionis stabilierunt) prosequemur hic quæ dicere cœpimus, ubi agebamus de ejus adventu in hanc provinciam b sancti Josephi *b*.

ANNOTATA.

a *Perperam hic Theodoretus* Sanctus *dicitur*.

B b *Lib.* I *scilicet cap.* VIII *chronici. Dicto capite et duobus sequentibus, ex professo agit P. F. Joannes a S. Maria de initio et progressu Reformationis a* S. Petro de Alcantara *tandem stabilitæ. Vide commentarium præv.* § II.

Cap. XII. *De motivo quod habuit servus Dei et alii sancti viri ad fundandas Reformationes.*

Quid sint domus Recollectionis, et quas ob fines institutæ.

Finis quem sibi proposuerant antiqui patres nostri in fundandis quavis in provincia conventibus Recollectionis, hic erat, ut non solum in domibus illis stricta haberetur regulæ observantia; sed etiam ut adderetur aliquid paupertati, pœnitentiis et mortificationis operibus. Vita enim communis et conventualis, quæ in tota aliqua provincia obtinet, talis sit oportet quam omnes sequi valeant, etiam illi qui debiliores sunt viribus. Ast qui spiritus habent robustos et valentes, et animo sunt determi-C nato ad extraordinarias faciendum pœnitentias, coarctantur nimium, si æquo tantum cum aliis incedant passu. Hinc permittitur illis ad domos Recollectionis accedere, ubi cæteris omnibus subtracti officiis, queant indulgere fervori spiritus et devotionis, ac specialiter vacare mortificationi et pœnitentiæ. Itaque nomen Recollectionis, proprie loquendo, indicat conventum ubi vivitur majori cum recollectione, majori cum rigore, ubi perfectius regula servatur. Denique Recollectio aliud non est nisi domus præparata viris perfectis, qui ulterius progrediuntur quam cæteri religiosi ejusdem provinciæ: unde præpostere sentiunt illi, qui dicunt se domos illas adire quiescendi gratia: cum institutæ non fuerint, nisi tamquam refugia asperrimarum pœnitentiarum, ubi et tempus et facultas esset vacandi diu noctuque contemplationi. Sunt debentque esse hujusmodi domus quasi caminus incensus, in quo alii alios inflamment igne amoris divini et caritatis, quibus flagrant præcordia; atque ita fit ut omnes mutuo se exstimulent ad amandum sequendumque Dominum nostrum; et tepidi ferventes evadant, et ferventes ardeant magis. Beatus utique dicendus qui hujusmodi domum ingredi potuerit, in eaque dare se vitæ magis asperæ et perfectæ, cessans agere cum Martha, ut meliorem partem eligat cum Maria. Zelus hic ardebat in corde et pectore apostolici viri sancti Fr. Petri de Alcantara: cum vero ubicumque ille reperitur, animam non ferat esse otiosam, ast continue eam excitet, stimuletque; ita sanctus Petrus incessanter exquirebat adjumenta et modos, quibus exsequi et implere posset illud quod tam vehementer optabat; novum scilicet corporis sui immolare holocaustum, per inusitatos rigores et pœnitentias; novam stabilire Reformationem, quæ ad totum extenderetur Ordinem.

A nova hujusmodi domo initium Reformationi suæ fecit.

100 Ita his cogitationibus absorptus erat, ut alia de re nulla sollicitus foret. Videbatur necessarium ad initium hujus operis, de licentia patris Generalis conventualium, obtento præterea Brevi pontificio, sua exire provincia, et fundare conventum strictioris et observantiæ et paupertatis ad normam quam diximus, ubi ipse et socii aliquot ejusdem spiritus convenirent; regulam suam servarent majori cum perfectione, viverent in summo rigore et paupertate, in quantum per vires humanas liceret. Judicabat enim ante omnia convenire, priusquam in aciem procederet, ut omnimoda in- E structus foret secundum statum et vocationem suam perfectione, servando ad litteram omne id quod regula præscribit, sicut et consilia evangelica omnia. Ad quod nos omnes, qui in hoc Ordine vivimus, tenemur arctius quam alii religiosi et universim christiani; quia perfectior et sublimior est status noster; utpote qui profitemur regulam, juxta quam tam perfecta nobis incumbit Christi redemptoris nostri imitatio, atque adimpletio omnium illorum, quæ ipse verbo et opere docuit, et scripto mandata sunt in sancto Evangelio.

Qualis vita in illa domo agebatur;

101 Quamvis, ubicumque sanctus ille Vir esset, hæc omnia strictissime servarentur; tantus ejus erat fervor, ut parva hæc judicaret; imo ipsi videbatur jam aliquatenus intepuisse primævum, quo ab initio opus suum susceperat, ardorem. Ut cogitabat ita et agebat, Dominusque ei favebat, quasi proprium opus suum agenti. Brevi tempore petitam obtinuit licentiam, conventumque absolvit. Ut vero vidit ædificatam ecclesiam illam perexiguam, refectorium et dormitorium huic similia, plurimas Deo egit gratias et Virgini sanctissimæ, cui domum suam dedicaverat: sociisque dixit: Fratres, hæc satis sunt pauperibus: non amplius! non amplius! F Væ illis qui in posterum plus quærerent, aut aliquid his ædibus adjunctum vellent: minus enim multo esset id quod obtinerent, quam quod quæsitum venirent. Perstitit hic aliquo tempore sanctus Vir, continue orationi vacans, pœnitentiam agens valde rigorosam, singulis diebus novos eam augendi excogitans modos. Hæc nempe indoles eorum est qui vere amant Deum, ut, quantumvis magna sint, quæ faciunt, nihil tamen se præstitisse putent.

eorum paupertas et zelus.

102 Admodum stricta erat paupertas, qua utebantur, sicut et ingens fiducia quam habebant Deum non permissurum ut vitæ necessaria deficerent. Quod si quandoque id accideret (Deo scilicet ita ordinante quo melius fructus sanctæ paupertatis gustarent) majori exultabant alacritate et consolatione, penuriam tolerantes, ut decet viros orationi et pœnitentiæ deditos. Sic nimirum carnem spiritui et spiritum universamque suam voluntatem subjiciebat Deo. Hæc inter mortificationis et perfectionis opera, media in solitudine, perpetuo exstimulabatur generosis illis desideriis, quæ enascebantur ex zelo animarum et reformandi sui Ordinis; dies noctesque

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

tesque Dominum deprecabatur, ut ipse viam tanto operi sternere dignaretur. Crescente singulis diebus amore in Deum, crescebat etiam in anima ejus, amor proximi, et zelus Reformationis: hæc enim, ex ejus mente, non solum spectabat propriæ religionis suæ bonum, sed et salutem omnium animarum, et conversionem infidelium. Imo cœlitus edoctus videbatur, vel quasi præsentiebat quæ futura erant de tot religiosis familiæ hujus, qui transierunt et adhuc transeunt ad Indos, Sinas, Japonem, ubi innumeras operati sunt et quotidie operantur conversiones, ubi quidam usque ad sanguinis effusionem susceptum opus prosecuti sunt. Eo scilicet spectabant orationes, mortificationes, pœnitentiæ sancti Petri et sociorum ejus, quos omnes imbuerat Dominus eodem zelo salutis procurandæ animarum.

Obstacula futura prævidet sanctus suæ Reformationi.

103 Dum his distineretur curis et exercitationibus, quo magis appropinquaret tempus, eo ardentius fervebant ejus desideria. Scopum suum considerabat incessanter, Deoque commendabat; atque in dies in proposito confirmabatur. Secum ipse agebat de modis optatam attingendi metam. Ast quoties via aperiebatur, subito ex adverso assurgebant innumera obstacula. Ponebat sibi ante oculos negotii difficultates, rei novitatem, contradictiones prælatorum; multorum oblocutiones qui a reformatione abhorrentes absque dubio restituri erant; aliasque multas prævidebat molestias et persecutiones, quibus forte deterrendi erant, qui eum cæteroquin sequi et juvare voluissent. Hinc timebat quæ accidere et sibi et aliis in posterum possent. In mentem sibi revocabat molestias et persecutiones quas sustinuerant primi provinciæ S. Gabrielis fundatores et speciatim Fr. Angelus de Valladolid, qui præ cæteris augmento reformationis illius allaboraverat, contradicentibus tota Observantia, regibus Hispaniæ, horumque Romæ legatis, quo et ipse undevigesies iter fecerat. Obstabant præter hæc alia multa, de quibus in chronico illius provinciæ.

Mors Fr. Joannis Pascual.

104 Ast cum Deus consilii auctor esset, difficultates nedum retardarent, sanctum Virum potius urgebant: qui enim dabat desiderium, illud et adimpletum volebat; quapropter Servum suum movebat, ut non cessaret orationi et supplicationi insistere; quamvis tempore illo res videretur prorsus conclamata. Quando enim jam nulla prorsus suscipiendo operi via inveniri vel excogitari poterat, supervenit mors S. Fr. Joannis Pascual, atque exinde nova contra fratres et erectos conventus procella. Atqui tamen hoc erat, quod Deus decreverat fore initium suscepti consilii, et quo simul etiam prodenda erat lux, hactenus in angulo latens, angustas inter cellæ parietes contenta, ut parum hucusque hominibus lucere potuisset. Ille itaque ipse, qui absconditum voluerat, et quasi soli sibi servarat, in lucem eum produxit, ad exemplum et profectum multorum: non enim permittit Deus sanctitatem eximiam servorum suorum occultam manere. Cum lumina sint sole longe splendidiora, suo tempore ponuntur super candelabrum, ut mundum illuminent, et clarius innotescant eorum virtutes et nostra vitia. Hinc ex ordinatione divina factum est, ut P. Generalis conventualium, sub cujus erat obedientia, eum (ut jam diximus) suum nominaret commissarium. Atque hoc fuit medium, quo usus est Deus ad exequendum suum consilium et implenda servi sui desideria.

Cui S. Petrus in commissariimunere succedit.

105 Erat Generalis vir disciplinæ et virtutis in paucis amans, omniumque eorum appetens, quæ ad virtutem et regularem disciplinam promovendam, adeoque ad ipsam reformationem, spectarent. Considerans itaque opus inchoatum, multiplices, quæ suscitabantur, contradictiones; bonos aliunde successus sperandos, fructusque copiosos ex hac nova planta decerpendos: multopere consolabatur Custodem, qui nuntiaverat mortem S. Fr. Joannis Pascual, sui in hac custodia commissarii; promittens se quidquid posset, in ejus favorem facturum. Innotuerat ipsi præclara sancti Petri sanctitas, quem magni proinde faciebat; quare Deo ita disponente, suum eum nominavit Commissarium; deditque litteras patentes valde amplas, quibus plena daretur facultas accipiendi fratres et fundando conventus sub sua obedientia (ut diximus) a. Scripsit ei et litteras paternum spirantes amorem, quibus et rogabat et jubebat eum onus hoc suscipere, enixe ei conventuum et custodiæ procurationem commendans.

Exinde novo accenditur zelo et fiducia.

106 Ubi servus Dei munitum se his conspexit præsidiis, pulsus obedientia, quin vel minimum talia umquam ambiisset; vidit quasi cœlum apertum, et viam stratam ad finem adeo sibi exoptatum. Ad ecclesiam properat, Christo Domino offert universa, gratias agens, quod opera sua uti dignaretur ad tanti consilii executionem. Et quamvis ibi etiam ei in mentem venirent hinc difficultates, obstacula et contradictiones, quas procul dubio experturus erat; inde exigua præsidia quibus adversus illas luctare posset; magnos tamen sentiebat animos, summamque fiduciam et zelum tam ardentem gloriæ Dei et reformationis, ut nihil prorsus formidaret; firmiter sibi proponens quævis perrumpere obstacula ad obtinendum scopum, quem Deus ipse, duce obedientia, nunc tam clare indicabat.

Speciali modo ei Dominus favet.

107 Supra vidimus b quomodo in sua custodia receptus fuerit, quidque ibidem sit secutum. Nunc vero videmus quam alta sint Omnipotentis consilia, quam stupenda ejus opera: nam cum per se possit omnia ad finem perducere, dignatur nos in partem vocare, ut aliquid laboris subeuntes, totius operis fruamur merito et præmio. Suaviter enim Dominus operatur, movetque nostram voluntatem; quin lædat liberum arbitrium, ut apparet ex modo quo Sancti nostri desideria adimpleta sunt, in opere reformationis prosequendo vel potius de novo suscipiendo: nam, quamvis ejus prædecessor, Fr. Joannes Pascual, manum operi admovisset; stabat tamen valde informe et caducum atque quassatum ex nupera persecutione; deerat præterea caput illius sustinendi idoneum. Ipse itaque medius advenit Deum inter et homines: ipse erexit provinciam; ejus opera et intuitu plures viri iique sanctitate conspicui ad eam accesserunt: atque deinceps, ut bonus pater familias, præclaros operarios in vineam suam perduxit, qui plurimum in ea laborarunt, ad ejus exemplum multa cum alacritate amplectentes quidquid caro et sanguis reformidant. Ipse vexillum adversus dæmonem erexit, in aciem ducens populum qui eum sterneret, conculcaret, vinceret, omnes tanto gloriantes patre et fundatore: quid enim magis honori sit familiæ, quam parentum sanctitas et excellentia?

Custodiæ ordinat o.

108 Cum adveniret sanctus Petrus, quatuor tantum numerabantur conventus, procul ab invicem dissiti, et satis male instructi. Lorianensis nempe in Estremadura, et tres alii in regno Galliciæ, quibus adjunxit Pedrosum, quod ipse fundaverat. Eorum itaque suscepit administrationem multa cum prudentia, ordinans omnia ad perfectam

A ctam regularum observantiam, finesque ipsi a Deo præstitutos. Et primum quidem res ordinabat conventuum, in quibus vitam proposuit illam adeo asperam et pœnitentem, quam describemus ubi de communi per totam provinciam observantia agemus. Spiritum efformabat; agebat de oratione, pœnitentia, mortificatione, obedientia ac præsertim de paupertate, quæ totidem columnæ sunt, quibus totum innititur ædificium. Speciali cura satagebat ut officium divinum et cæteræ cæremoniæ devote et recollecte peragerentur. Sacrilegum erat loqui temporibus silentii. Omnes exercebantur in officiis humilibus, nemine prorsus excepto. Præ cæteris florebat caritas et amor fraternus, quo singuli in invicem ferebantur: quæ profecto perspicue demonstrant a Deo motum et electum Virum hunc apostolicum fuisse ad opus reformationis, quod cæteroquin copiose etiam elucet ex obtento fine tam sancto, ex ædificatis tot monasteriis in Hispania, in Indiis, in Japonia; ex conversione tot infidelium, ex sanguine tam abundanter effuso pro gloria Dei et fidei confessione. Hic scilicet zelus ejus fuit tam ardens pro salute animarum, quem et impressum videmus in cordibus filiorum ejus, qui B eodem spiritu animati, conversioni novi orbis se addixerunt c. Nunc cæteras ejus virtutes et dona expediamus.

c

ANNOTATA.

a *Ubi nempe agebatur de primordiis provinciæ S. Josephi, Chronici cap.* VIII. IX *et* X; *quæ nos in Comm. prævio* § II *reddidimus.*

b *Locis superiori* littera *indicatis.*

c *Vitæ S. S.* Petri, *a P. Laurentio conscriptæ, subjungitur Opusculum, in quo, quæ hic a P. Joanne a S. Maria indigitantur, evoluta latius reperiuntur. Præfatum opusculum prodiit Romæ an.* 1669 *sub hoc titulo:* S. Petrus de Alcantara post mortem redivivus; sive fructus posthumi, quos ecclesia catholica ex fundata ab ipso provincia S. Josephi Discalceatorum et ab aliis ex ista emanatis percepit, compendiose in unicum librum collecti per Fr. Tiburtium Navarrum, Minorem Recollectum.

C CAP. XIII. *De gratia sanitatum quam habuit S. Fr. Petrus, et infirmis quos per vitam sanavit.*

Gratia sanitatum et miraculorum plurimum valuit S. Petrus

Gal. III.

Quemadmodum ecclesiæ necessaria est gratia sapientiæ et scientiæ, ut alii aliis tradant notitiam, qua Deus eos prævenit, rerum supernaturalium: ita etiam necessariæ sunt gratia sanitatum et potestas patrandi miracula: his enim confirmantur veritates fidei (ut sanctus Paulus dixit): Illustrante interius Spiritu sancto, qui auctor est prodigiorum; utpote quibus non sufficiunt vires creatæ et humanæ. Simul etiam intendit Deus, dum hujusmodi operatur, nobilitare et commendare servos suos: non parum enim hæc faciunt ad confirmationem fidei quam profitentur, præsertim quando de viris agitur, quorum vita et doctrina prodesse omnibus possunt. Duabus illis virtutibus et gratiis, quæ ex fide dimanant, præditus sanctus Petrus fuit, ut ex sequentibus capitibus patebit. Clare et manifeste instructus apparet gratia, quam sanctus Paulus vocat, sanitatum, quamque promisit Christus discipulis suis apud S. Marcum dicens: *Super ægros manus imponent et bene habebunt.* Absque aphorismis et medicamentis Hippocratis et Galieni; absque remediis et moris humanis operantur sanitatem: eorum enim ars medendi, cum de cœlo sit, continuo et sine mora effectum producit: sanitatem in manibus suis portant. Hujusmodi manus habebat S. Petrus, et earum ope mirabiles operabatur sanationes, præcipue Abulæ in nosocomio, et in territorio conventus de Arenas, ubi ejus virtutes magis inclaruerant, magisque irradicata animis erat in eum fiducia. Hinc etiam populus, spectata vitæ ejus sanctitate, imploratum veniebant ejus opem, non solum ad obtinendas gratias spirituales animæ, sed et salutem corporis, ut ex sequentibus constabit casibus.

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

Marc. c. XVI. v. XVIII.

Mulier a cæcitate liberata.

110 Dum in conventu de Arenas Petrus esset, venit ad eum mulier adeo oculis infirma, ut vix lumen solis videret. Ad pedes ejus provoluta ardenter rogat eum per amorem Dei ut velit sibi impertiri benedictionem. Ut audit amorem Christi, exultat anima ejus, manusque ponens super caput bonæ mulieris, benedicit; illa vero subito sanatur usumque recuperat oculorum, ubique donum cœleste deprædicans et inclamans: quod in E sua cæcitate vidisset lumen divinæ Providentiæ; totumque tribuens meritis sancti Fratris.

Pueruli ab hernia sanatio.

111 In eodem pago de Arenas, Maria de la Torre filium habebat parvulum, quem cum aliquando solum reliquisset, in tantos erupit clamores et fletus, ut hernia cœperit laborare. Parentes filii videntes angustiam vehementer affligebantur, nec quo præterea uterentur remedio jam sciebant: medici nihil superesse dicebant, nisi ut secaretur malum; recusabat mater, quod videretur remedium nimis durum et periculi plenum. Nihilominus pater, de consilio medicorum, satuerat illud tentare. Ipsa vero, quæ plurimum fratribus et speciatim sancto Petro addicta erat, rem, prout erat, declarat; rogat ut afflictæ succurrere velit, dicendo sacrum pro filio suo. Annuit servus Dei. Postera die deferunt parentes parvulum ad conventum; ipse vero sacris operatur. Et ecce subito fit puerulus tam perfecte sanus, ut deinceps per totam vitam nullum amplius illa ex parte expertus dolorem sit, ut ipse postea grandior factus affirmavit; omnesque sanationem hanc mirabilem meritis Sancti nostri in acceptis referebant.

F *Alterius pueruli sanatio.*

112 Quum quadam die Placentiam iret, asello insidens, quod valde fractus et infirmus esset, pervenit ad locum, qui Grimaldo dicitur. Audiens matrona pagi illius, sanctum Virum pertransiturum, ipsi obviam occurrit, rogans ad domum suam diverteret, per unum diem ibidem vires refecturus. Abnuit ille, quod scilicet iter suum jam determinasset. Devota matrona hoc ipsi ratum fixumque esse intelligens, noluit urgere; rogavitque ut solummodo usque ad januam domus suæ accedere vellet, ad benedicendum filiolo suo, valde infirmo, diceretque super eum Evangelium *(initium Evangelii S. Joannis).* Jumento itaque descendere parat servus Dei, quo debita cum reverentia et pro more suo verba sacra recitaret; at non consensit matrona, judicans per urbanitatem non posse se permittere, ut hunc sibi Vir sanctus laborem imponeret. Qui cum nollet, jumento insidens, recitare Evangelium, ipsa sibi sola benedictione satisfactum iri edixit. Hanc itaque ille impertiit tanto cum pietatis sensu, et tanta cum efficacia, ut ipso momento puerulus sanus factus, hilaris et subridens appareret, quod ei jam a multis diebus non contigerat.

 113 In

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

Puerum, in aquas demersum, sanum educit.

113 In Herradon, pago territorii Abulensis, ludebant pueri juxta puteum, in quem eorum unus incidit. Clamant alii : accurrunt aliquot mulieres : ast nulla earum audet in puteum descendere ; tum simul omnes vociferantur ; circumstat brevi nova turba. Hæc inter transit illuc sanctus Petrus, et clamores audiens, accurrit et ipse Jam puer non parebat ; aquis immersus jacebat ; mortuum putabant omnes. Itaque cingulum suum, alterique junctum funiculo, quod altus esset puteus, dimittit, et puerum salvum beneque valentem educit. Quotquot adsunt, miraculum clamant ; spectata enim pueri ætate, et temporis spatio quo erat immersus, vivus superesse non poterat ; nec capiebant quomodo se funiculo innectere valuisset, nisi adjutus oratione et meritis sancti Viri, qui tam opportuno tempore advenerat.

Fratrem liberat a febri.

114 Frater quidam ardenti laborabat febri. Cum eum inviseret sanctus Petrus, videns quantum æstuaret, rogat, num aliquid forte desideret : sic est, inquit, pater ; oro per Dei amorem ut ipse in hortum descendas, et propriis manibus præpares acetarium, mihique feras : videor enim mihi melius valiturus, ex quo illud comedero. Bonus B Pater, audiens verba : *per amorem Dei*, et motus caritate sua, illico descendit, pulmentum colligit, lavat, et quo meliori potest modo præparatum fratri apponit : quo viso, exhilaratur ille, erigiturque : valde enim debilis erat, et febris æstuabat. Pater, inquit, oportet ut ex caritate simul mecum manduces. Libentissime, fili, respondit ille. Atque cœperunt comedere donec nihil amplius superesset ; et eo quidem eventu, ut quod aliis mortiferum fuisset, illi sanitatem et vitam contulerit : opera enim gratiæ non subduntur legibus naturæ nec præceptis medicorum. Antequam valetudinario exiret, jam febris infirmum reliquerat, qui brevi post integras recuperavit vires. Miraculum esse dicebant omnes, quod operatus Dominus esset, intuitu caritatis Servi sui.

Aliæ plures sanationes hujusmodi memoriâ exciderunt.

115 Asserunt viri sæculares coævi, plures hujusmodi Sanctum nostrum, dum viveret, obtinuisse sanationes, quarum nulla facta mentio est, quod fere quotidie tale quid contingeret Idem tradunt fratres, qui cum eo vixerunt ; unde et summa cum habebant in veneratione ; qui profecto amplius de nobis meriti fuissent, si, quæ videbant, chartæ commendassent. Ab initio enim mos C iste et opinio in hac prævaluit provincia, sancto utique ex zelo, laudabilesque ob fines. Nimium scilicet caute judicabant non esse bonum hujusmodi secreta revelare mundo, quo facilius vana ejus declinaretur gloria, et hominum maledicentia, quæ vel in sanctissimis reperit quod vituperet. Alii tamen, ex zelo haud minus recto, judicarunt singulares favores et dona cœlestia manifestanda, ut fideles ædificentur et Dominus in servis suis laudetur. Nec desunt qui posterius hoc ut magis pium habent ; imo necessarium ducunt hisce temporibus, ubi tam parum floret devotio et tantum deferbuit caritas. Atque hæc nostra quoque sententia est ; quare mundo revelamus, licet breviter tantum, quæ Deus in servis suis mirabiliter est operatus ; et hoc quidem loco, quantum satis est, ut omnes intelligant sanctum Petrum gratia sanitatum a Deo donatum ; hunc servantes ordinem (quod et de aliis gratiis gratis datis intelligi debet) ut hic referamus quæ per vitam præstitit ; alium in locum rejicientes plurima, quæ post mortem contigerunt.

Mirabiliter fratrum inediæ occurrit.

116 Operatione virtutum, quæ donum est miraculorum, ostenditur infinita Dei potentia, qui operatur in servis suis ad gloriam suam et mani- D festationem suæ majestatis. Dono hoc præditus fuit sanctus Petrus, ut pauca ex bene multis manifestum facient. Præerat Beatus Frater conventui S. Mariæ de Rosario, qui, ut diximus, in deserto, haud procul a flumine Tietar, stabat, duabus dissitus leucis a proximo vico. Sæviebat hyems, nec flumen, ob nimiam aquarum vim, trajici poterat. Copiosa insuper nix impediebat tum fratres tum extraneos ; illos, quominus domo exire ad petendas eleemosynas ; hos, quominus illas ipsi afferrent. Consumpserant minutos panes, quos verno tempore exsiccari curabant, ut subsidio essent hujusmodi necessitatibus, haud admodum raris. A duobus, imo tribus diebus nihil comederant, præter herbas, quas multo cum labore ex horto, nive et gelu concreto, extrahebant. Bonus pater, suorum cernens inopiam, cui nullum jam humanum supererat remedium, ad cœlum confugit. Omnes in ecclesiam convocat ; prostratusque cum eis coram sanctissimo Sacramento : fratres, inquit, fiduciam habete : procul dubio Dominus laborantibus præsto erit. Et ecce, dum in oratione omnes perseverarent, tanta vi ningere de novo cœpit, ut humano majus quid facile suspicarere : clarius nempe volebat E Deus manifestare auxilium quod servis suis parabat. Crescente itaque tempestate, in tantum ut alterius cujusvis fiduciam evertisset, et longo satis temporis spatio transacto, auditur ad portam tintinnabuli sonitus : accurrit janitor, miratus quemquam per talem aeris intemperiem ad conventum venire : prospicit per januæ cancellos, neminemque videns, dicit pro more : *Deo gratias*. Cum non daretur responsum et frigus esset ventusque sæviret, non aperit portam, suspicatus vento tintinnabulum fuisse motum, vel forte etiam se delusum : redit ad ecclesiam ; ast brevi rursus vocatur, ita quidem ut omnes sonitum audirent. Regreditur aperitque januam, atque reperit canistrum optimo candidoque pane plenum. Obstupescens et gaudens, accurrit ad sanctum Patrem suum, qui cum reliquis fratribus, per modum supplicationis incedentes, ad januam properant, ibique (canistrum enim janitor eodem loco reliquerat) testes divinæ misericordiæ, gratias agunt, undequaque circumspicientes quis tandem panes illos attulerit ; ast neminem videntes, omnes agnoscunt miraculum, virtute et meritis sancti Prælati impetratum.

Simile quid contingit in Pedroso :

F 117 Duos similes casus addam, qui contigerunt, dum servus Dei moraretur in Pedroso, ubi Dominus summæ rursus fratrum inopiæ præsto fuit. Tanta erat aeris intemperies, ut eleemosynas petituri domo exire non possent. Atque brevi, quæcumque asservarant, consumpta erant. Remanebat unicus adhuc panis, durus et exiguus ; quem sanctus Vir in undecim jubet dividi partes, qui numerus erat fratrum, ibi degentium. Hora prandii omnes conveniunt, mensæ benedicunt, accumbunt : incipit, pro more, lectio, ut saltem animæ non deficeret esca, quæ corpori deerat. Signo dato, omnes, tamquam boni pauperes, alacriter suum quisque frustulum arripiunt, osculantur : post alteram buccellam, jam nihil supererat : remanent tamen omnes auscultantes lectionem ; dum interea Dominus eorum curam gerit. Nam ex vico quodam, satis dissito et valde paupere, Serradilla, (quo nec fratres quidem eleemosynam petendi gratia ibant, nec incolæ habebant quod darent) adest ex improviso juvenis abundanti cum pane, piscibus, asparagis et oleo, et præcipitanter tintinnabulum pulsans, cuncta janitori tradit, nec aliud expectans discedit. Janitor hilaris ad refectorium properat. Quo viso, omnes

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

A omnes simul gratias agunt Domino, qui tam stupendum et tam selectum ministrabat prandium; haud dubitantes, quin totum hoc deberent meritis sui sancti Patris, qui subito pisces et asparagos filiis suis præparari jussit.

et rursus alia vice.

118 Altera vice, tantæ fuerant pluviæ, et in tantum torrentes per montes illos excreverant, ut non nisi admodum difficulter fratres domo exire, torrentes vero transire nullo modo possent. Tamdiu duraverat jam hæc pressura, ut nihil prorsus jam superesset, quod comederent. Deficientibus quibusvis humanis tantæ necessitati remediis, adfuit Deus, qui numquam servos suos, confidenter et humiliter orantes, derelinquit. Providit itaque, intercedente beato fratre Petro, præsenti necessitati hoc modo. Ex vico quodam, ex altera montium parte sito, advenit vir, valenti insidens equo, (alias torrentes pertransire non potuisset) secum habens bonam panis eleemosynam, quæ sufficit aliquot diebus, quibus perduravit procella. Hujusmodi eventus mirabiles, quia frequentes erant, haud magni fiebant illo tempore; et nunc etiam similia in quibusdam conventibus contingunt, ubi tamquam miracula habentur; quæ quidem ego B hic prætermitto, ne tædium pariam scientibus et expertis.

In itinere accipit panem, quo socium fatiscentem reficiat.

119 Quondam iter faciens socium habebat juvenem. Erat dies jejunii, et via valde deserta. Volebat hic aliquid cibi secum portare, quod prævideret tarde eo venturos, ubi comedere possent. Sanctus vero senex, magis Deo fidens, non consentit. Cum magnam diei partem in via transegissent, cœpit juvenis acri laborare fame; non tamen ausus est quidquam dicere, præsertim quod nullum videret malo remedium. Tantum denique premebatur, ut jam nec progredi valeret, nec suum dissimulare angorem; tandem exhaustus in terram cadit. Illius misertus servus Dei, confugit ad eum, qui omnia potest, dixitque: Ito, frater mi, retro hoc virgultum: ibi quod manduces invenies. Respiravit ille hæc audiens, et vim sibi faciens, virgultum, ut potuit, accessit. Cum appropinquaret vidit fontem et juxta hunc panem pulcherrimum. Lætus illico advocat sanctum Fr. Petrum. Ambo simul comedunt panem, et aquam ex fonte hauriunt, gratias agentes Deo, qui tam sollicite curam gerit eorum, qui ex ejus amore sui ipsorum obliviscuntur.

Similiter detegit fontem, quo siti medetur.

C 120 Simile quid accidit, dum alter ejus socius siti torqueretur. Quod videns servus Dei, miseratione motus: Videsne, inquit, frater, parvam illam rupem? Video, pater. Vade ergo, ait, et subleva lapidem, qui ibi jacet: invenies aquam ad bibendum. Fecit frater quod jubebatur, detexitque fontem limpidissimum, in quo sitim refocillavit, infinitas dans gratias Deo, qui in terris talem conservabat Servum, oratione sua, ut quondam Moyses, aquas ex petra educentem.

Ardenti laborantes siti, Sanctus cum socio mirabiliter in fontem incidunt.

121 Plurima hujusmodi contigerunt, et præcipue die quadam cum ipse et socius evidenti essent in periculo. Per montana Maurorum pergebant verno tempore, urentes inter calores; cumque venissent ad quoddam diversorium, multa cum caritate ipsis apponitur caro suilla, admodum salsa, quod, etiamsi tantus calor non fuisset, satis erat ad accendendam sitim. Brevi sanctus Senex tantam experiebatur defatigationem, ut socius, quamvis ipse præ siti deficeret, proprii fere oblivisceretur mali. Has adductus in angustias: Frater, inquit, non jam nobis restat salus nisi de cœlo: ad Dominum confugiamus. Dum orarent exiliens ex virgultis taurus utrumque in fugam vertit; atque ita procul a via, quam tenebant, rejecti, arrepta semita, in rupes ascendunt: insequitur taurus, donec ad fontem perveniunt, atque dein alio se vertit. Ipsi vero, adeo jam exhausti ut progredi nullo modo valerent, de fonte bibunt; refocillantur, sitimque plene explent; salutem suam in acceptis referentes Deo, qui talia reposita servis habet adjumenta: numquam enim in fontem hunc offendissent, nisi fera illa bestia irruisset.

Divinitus cognoscit angustias matronæ cujusdam, eamque consolatur.

*122 Apparuit sanctæ matri Teresiæ a Jesu, ut ipsa testatur in Vita sua, quod et inferius videbimus in ejus testimonio de virtutibus hujus sancti Viri. Sic etiam dum Matriti celebraretur magnum jubilæum, divinitus cognovit mæstitiam seu angorem nobilis matronæ, ipsi addictissimæ, quæ in Extremadura degebat. Scilicet in vico de Grimaldi morabatur Elvira de Carvajal; hæc solita erat sancto Petro confiteri, vel saltem si ipse abesset, alicui ex Patribus Discalceatis, quibus plurimum favebat ob devotionem qua utebatur erga seraphicum patrem nostrum sanctum Franciscum. Instabat finis Jubilæi. Nuntium mittit ad conventum Pedrosi, qui adducat confessarium; ast incassum. Tristatur supra modum matrona, diserteque pronuntiat se non alteri, nisi sancto Fr. Petro peccata declaraturam, etiamsi Jubilæo frustraretur, E etiamsi moreretur. Maritus muliebria hæc ratus deliramenta, haud dubitans quin confiteretur obvio cuique, Placentia accersit patrem Societatis Jesu, qui et suam et familiæ exciperet confessionem. Stabat illa afflicta, anxia, hæsitans quid faceret. Ægerrime ferebat maritus quod recusaret uxor confiteri sacerdoti, quem ipse accersiverat; nihil non tentabat ut a proposito eam averteret. Ast frustra. Reponebat illa sanctum Fr. Petrum nuptialem sibi dedisse benedictionem; se illum patris loco habere, nec alteri se animæ suæ latebras detecturam; quod summam perpetuo in ejus consiliis et monitis invenisset animi pacem et solatium. Denique declarabat se quasvis potius passuram molestias, quam hac in re votis mariti sui satisfacturam. Post hæc, afflicta, turbata, dejecta cubiculo suo se includit, neminem jam volens videre nec audire. Erat jam sero, et sequenti die ad sacram mensam accedendum: cum subito accurrit ancilla clamans: Bonum nuntium, domina, bonum nuntium! Adest pater Fr. Petrus de Alcantara, jam prope est. Credere illa recusat, suspicans F hac ratione illos velle dolorem suum fallere. Testem invocat ancilla Deum, rem ita se habere, et beatum Petrum jam domus januam subiisse. Surgit illa alacris, ut quæ ejus adventu liberata erat tot ac tantis, quas rebatur, molestiis. In ejus occursum properat; ast antequam vel unum potuisset proferre verbum: Filia, inquit sanctus Pater, nihil umquam tale deinceps tibi accidat; sed utere confessario, qui præsto fuerit: scias enim me Matrito venire, unice ad excipiendam confessionem tuam: tot leucas percurri ad solatium tuum. Ad hæc illa remanet turbata; sed simul agnoscit Deum ipsum mirabiliter revelasse suas angustias et mœrorem. Maritus pacatum se ostendit, et simul omnes, nihil jam de miraculo dubii hærentes, faustum sancti Fratris adventum magna cum lætitia celebrarunt.

Plures sanationes ope chordæ seu cinguli, quo usus fuerat S. Petrus.

123 Uxor Bernardini de Medrano, ex pago de Arenas, nota devotione sua erga sanctum Virum, per Dei amorem quondam petiit chordam qua cinctus erat. Satisfecit votis piæ mulieris, quæ sedulo eam servavit, tanti donum hoc faciens, ut nullo pretio privari illo voluisset. Sæpius tamen eam commodabat aliis, ex pietate petentibus, non sine magno

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

magno solatio, præsertim mulieribus, quæ partus habebant difficiles: ex solo tactu chordæ illius non raro vel pepererunt vel saltem melius valuerunt. Sic tanto in periculo erat quædam parturiens, ut paucas vix horas vitæ ei crederent medici superesse. Ast ipsa sciebat unum adhuc remanere remedium. Aderat altera mulier quæ noverat qualia Deus operatus esset, mediante benedicto illo cingulo, quod et celeriter afferri curavit. Vix illud parturiens sibi imposuerat, commendando se servo Dei, cum subito ediderit duos filios, ipsaque optime valuerit. Matrona autem Catharina *a* affirmavit plura ejusdem generis se vidisse mirabilia, quæ Dominus patravit per cingulum servi sui. Illa vero ipsa quondam gravi vexata dentium dolore, et simul aurem et oculum habens inflammata, plurima jam nequidquam adhibuerat remedia: quam videns maritus adeo laborantem, cinguli recordatus est, voluitque ut vultui ejus imponeretur. Ipsa mandat famulæ ut illud scrinio, in quo asservabatur, extrahat: dein magna cum fiducia applicat vultui, dentibus, auribus, oculis; ex quo omnis illico cessavit dolor, abscessit inflammatio, disparuit tumor; et perfecta rediit B sanitas.

Plura rursus edita prodigia, ope litterarum fraternitatis.

124 Litteris, quas fraternitatis vocant, manu sancti Fr. Petri subscriptis, plurima Deus operatus est miracula, alios sanando ab infirmitatibus corporis; liberando alios a periculis, tentationibus et spiritus afflictione, ut affirmat sancta quædam et spectata femina, quæ fratres hospitio excipere solebat et ipsa plures annos morata est in Sarradilla, vico Guardianiæ de Pedroso. Hic aliquo tempore mansit servus Dei, eique litteras fraternitatis, suo nomine signatas dederat. Quas illa reliquiarum instar servans, non sine magna umquam reverentia et devotionis lacrymis attrectabat; affirmabat quoque se in quavis necessitudine et quibuscumque in angustiis illarum ope et sancti Petri intercessione obtinuisse speciales a Deo gratias; aliosque plures, quibus præfatas litteras commodarat, a molestiis et tentationibus liberos fuisse, ex quo illas devote venerati erant. Rursus alii, intollerandis ex capite cruciati doloribus, eodem remedio sanati sunt. Alia multa traduntur miracula et prodigia quibus Deus Servum suum commendavit; ast scripto non sunt consignata, verentes ne tædio nos afficerent: tam scilicet perverse C de nostro judicabant sensu. Nunc agamus de dono prophetiæ, quæ proxime *operationem virtutum* subsequitur.

ANNOTATA.

a *Non dubitem, quin hoc nomine vocaretur præfata* uxor Bernardini de Medrano. *Ex contextu sequenti narrationis clare elucet, hanc esse Catharinam, quæ cingulum a sancto* Petro *acceperat.*

Cap. xiv. *De dono prophetiæ et discretionis spirituum, quo S. Fr. Petrus præditus fuit.*

Donum Prophetiæ et Discretionis in S. Petro.

Donum prophetiæ gratia est, qua homo certo cognoscit, quod soli Deo manifestum esse potest. Cum sit scientia rerum libere futurarum, involvit visiones et revelationes, quarum ope ventura prædicunt, vel præterita, humanis viribus prorsus impervia, nota faciunt, vel præsentia manifestant, D solius ope miraculi percipienda. Donum hoc Deus communicat quandoque delectis servis suis sive in signum benevolentiæ erga eos, sive in emolumentum aliorum; quo scilicet doctrinam faventius accipiant, cum videant adimpleri ad amussim prædictiones tanta factas cum fiducia et veritate, ut testes de visu crederes. Hinc etiam prophetæ olim Videntes dicebantur, quod res futuras quasi oculis spectarent... *a*. Juxta sanctum *a* Thomam, inter omnes gratias gratis datas, donum prophetiæ et discretionis spirituum maxime commendat Sanctos, eorumque doctrinæ conciliat auctoritatem, præcipue si accedat vitæ meritum, ut in sancto Fr. nostro Petro, cui Deus hanc concessisse gratiam videtur, ob continuam, quam cum eo habebat, conversationem; quia, ut ipse dicebat, non potest occultare cor suum amicis suis. Plura clarissime ante eventum prædixit; de aliis præmonuit, ut præcaveri potuerint. Quædam ex iis referemus, quæ sufficient ad demonstrandum Sanctum nostrum gratia illa præditum fuisse, ejusque effectus pervenisse ad cujusvis generis homines. Tanta erat Servo Dei solertia ad servanda secreta cœlestia, quæ ex Domini pectore hauriebat; fratribus (de coætaneis loquor) vero ejus tanta E fuit negligentia (nisi malimus dicere fuisse humilitatem, et sui ipsorum mundique despectum) ut scripto nobis reliquerint fere nihil de specialibus favoribus et gratiis quibus Deus sanctum Virum cumulabat. Nec hujusmodi negligentiam mirabitur, qui sibi in mentem revocaverit antiquam consuetudinem nostræ provinciæ. Hinc pauca erunt quæ dicenda habemus de tot ac tantis ejus revelationibus et prophetiis. Quæ hic apponam, partim reperi in memorialibus et foliis volantibus; partim traditione et revelationibus innotuerunt.

Insigne profertur exemplum spiritus prophetici.

126 Memoria hoc in genere maxime dignum est, quod accidit viro generis claritate toto hoc regno imprimis spectabili, quem ab infantia sanctus Petrus efformaverat, eique in spiritu dux fuerat et pater: cujus monitis et consilio confitebatur, ac sacræ mensæ accumbebat frequenter; certa habebat orationi destinata tempora sicut et aliis virtutum et pœnitentiæ exercitiis. Cum quadam die simul essent, advenit nuntius de morte magnatis, cujus juvenis ille insignem ditionem hæreditate consequebatur. Exultat gaudio, ut fieri solet illa ætate, F et continuo viæ dare se parat. Ast servus Dei, cœlitus edoctus, enixe eum rogat ut ab hoc itinere abstineat: verum nihil ille audiebat, causatus urgeri se a suis consanguineis, nec habere quid eis responderet, nisi statim proficisceretur. Tum seorsim eum ducens: Video, inquit sanctus Vir, te lætari hæreditate ista; ast si scires quanta te maneant posthac adversa, consilio aquiesceres meo. Recordare, fili, eorum quæ a me didicisti, sanctorum operum quibus vacasti, vitæ intemeratæ, quam hucusque duxisti. In memoriam revoca quoties, post accepta in oratione a Domino peculiaria dona et gratias, mihi occurreris inflammatus desiderio patiendi ex amore Dei sanguinemque effundendi. Pater mi, inquit ille, ita et nunc sentio; et quavis in occasione efficiam, ut me nec oblitum exhibeam beneficiorum cœlestium, nec monitorum tuorum. Ast, fili, si pauco post tempore spoliatum te videas hæreditate, quam nunc adibis, num ex amore Dei patienter illud ferres? Patienter ferrem, inquit; nam pro terrenis nollem amittere cœlestia. Et si præterea, inquit, honore et fama spoliareris, num patientiam haberes? Haberem, pater; siquidem ipse Deus se humiliavit et multo plura amore mei est

A est passus. Et rursus : si bonis et fama exutus, videres illos ipsos, qui natura duce juvare te et tueri deberent, in persecutorum numero ; adeo ut optarent non solum omnibus bonis te spoliari, sed et mortem tibi, si possent, inferrent ; num patienter id ex amore Dei ferres? Tum vero valde turbatus respondit juvenis : cum hæc, pater mi, animam non tangant, quidquid in bonis sive fortunæ sive corporis patiar, ob Christi amorem patienter tolerare conarer. Age, fili mi, inquit sanctus Senex graviter commotus, si præter omnia hæc mala insuper et anima tua per aliquot horas mortaliter læsa permaneret, quia scilicet obcæcatus contra Deum insurgeres, et propterea incarceratus, condemnatus, ultima notatus infamia esses ; num adhuc ex amore Dei patientiam servares? Hæc audiens quasi fulgure tactus adstitit juvenis, et sui vix compos : Deus, inquit, potenti manu sua me servet, ut numquam eum offendam! Dominus tibi præsto sit, fili ; animumque patientia firmet adversus omnia quæ tibi accidere et obvenire possent, ait sanctus Vir ingenti cum suspirio. Recessit pauper juvenis, mœrore et tristitia confectus, et sequenti die iter propositum suscepit : in quo in-
B cidit in virum nobilitate et doctrina florentem, ast hæresi infectum, a quo et ipse miserum seductus, hæreticus per viginti quatuor horas vixit. Unde paulo post omnia illa mala, quæ beatus Petrus prædixerat, supervenerunt. Fuit enim comprehensus, condemnatus, infamatus, ditione privatus : infensos habuit consanguineos, imo et ipsam matrem suam et fratres. Infelix ille juvenis, agnito spiritu prophetico servi Dei, sentiens quam præpostere fecisset non obsequendo consiliis illius, multis cum lacrymis totam rem narravit duobus religiosis, ipsi cognitis, eumque invisentibus in carcere, quo ex sententia Officii detinebatur. Ex magna vero ejus contritione et sinceritate qua errorem agnoscebat suum, videre erat quam puro lacte olim enutritus fuisset.

Cœlitus edoctus prænuntiat matronæ morienti fore ut in cœlum recta tendat.

127 Cum Valesoleti moraretur, invisit matronam graviter laborantem : lecto ejus adstans subito raptus in spiritu est, atque secum ipse, quin ad verba sua attenderet, ait : brevissimo tempore erit in purgatorio. Qui verba illa audierant, exclamant : Quid hoc sibi vult, pater? Dic nobis quid sit. Ast noluit respondere ; imo, quod importuni essent, surrexit, quasi discedere parans ; matro-
C namque benedicens ait : Dominus te comitetur, anima benedicta. Hæc cum proferret, expiravit infirma ; cupientibus omnibus ejus sortis participes fieri, quod audirent recta eam ad cœlum evolasse, idque a Domino fuisse revelatum Servo suo, qui licet abscondere tentaret donum cœleste, ad gloriam suam ipse Deus manifestum faciebat.

Fratrem quemdam prædicit febri corripiendum.

128 In via erat S. Petrus cum altero fratre, nomine Gasparis a sancto Josepho, qui præcurrens bibebat ex fonte, non petita prævie licentia : cui adveniens dixit : Ut quid bibisti absque licentia : pœnas dabis, febri correptus jacebis per aliquot dies, quibus decumbes in vico, ad quem tendimus. Tali die mittam qui te quærat, jam enim sanus eris. Recte valebat frater, cum hæc diceret servus Dei ; brevi post laborare cœpit ; et cum designatum vicum attingeret, acri correptus erat febri, qua per totidem, quos dixerat, dies decubuit ; quibus vero elapsis, cum discedendum esset, febris penitus evanuerat. Unde utrumque elucet et spiritus prophetiæ et virtus obedientiæ, quam tanti facit Deus, ut non permittat servos suos ab illa recedere ne in minimo quidem, quale est tantillum aquæ, medios inter calores, hausisse.

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

Cognoscit quid fratres duo absentes per viam experiantur.

129 Cum esset in conventu de Arenas, miserat inde ad conventum B. V. de Rosario, quinque leucis distantem, duos fratres, seniorem alterum, alterum juniorem. Cum discessissent, irruit tempestas cum grandine, fulgure et tonitru. Fratrum suorum miserti cæteri qui domi remanserant, sanctum Petrum compellantes : Quanto, exclamabant, in periculo, pater, versantur fratres nostri tam asperas per vias ; et præcipue frater Michael, (hoc nomen erat seniori). Ne solliciti sitis, respondit ille : nam hoc momento dicit frater iste Evangelium sancti Joannis : *In principio erat verbum.* Ubi vero tam sanctæ resonant voces, nihil latet periculi. Notarunt horam, qua hæc protulit ; cumque redux esset junior frater, retulit se nullo in periculo fuisse ; et fratrem Michaelem toto tempore quo duravit tempestas, repetiisse Evangelium S. Joannis sicut servus Dei prænuntiaverat.

Mulieri prædicit restituendos nummos.

130 In eodem vico de Arenas, fures abstulerant aliquot nummos a paupere muliere, quæ multum afflicta, consolationis ergo, adiit servum Dei : pauperes enim et afflicti apud eum solebant quærere solatium. Rogabat ut ex caritate Deum precaretur, qui ei daret vel patientiam vel nummorum procuraret restitutionem, quod misera valde et E
inops esset. Erigitur bona mulier verbis illius, disceditque fiducia plena. Nec spes illam fefellit : sequenti enim die recuperavit nummos ablatos ; quin scierit quomodo, nisi quod persuasum haberet id factum oratione et meritis sancti Fr. Petri.

Prænuntiat juveni fore ut religionem ingrediatur.

131 Transiens quadam die Oropesa, dum conventum Rosarii peteret, ingressus est collegium, quod hic loci habetur, in quo magno numero sodales grammaticæ student. Qui ut eum vident, accurrunt ; devoti reverentesque ejus vestes osculantur, petentes benedictionem : ipse vero cuidam ex illis manum capiti imponit dicens : Hic brevi nuntium mittet sæculo. Quod audiens obstupescit ille : nihil enim tale umquam cogitarat. Nec minor cæteros tenuit admiratio, cum paucos post dies adimpletam cernerent sancti Viri prædictionem : nam et juvenis ille habitum assumpsit et multa cum sanctitate in proposito fidelis permansit.

Angustiæ S. Teresiæ ei innotescunt.

132 Cum primum videret sanctam matrem Teresiam a Jesu, indicavit quidquid passa esset. Primum inter omnes illas molestias locum obtinere contradictionem, quam ex parte proborum sustinuerat ; nec tota vita sua hujusmodi patiendi ma- F
teriam defuturam asserebat. Quod et contigit : plures sustinuit a bonis molestias, maxime Abulæ, ubi tunc temporis degebat, vel ab ipsis confessariis suis, quibus non satis exploratus ejus spiritus esset.

Puerum quinquennem brevi moriturum prædicit.

133 Balthasar de Frias, vir Sancto nostro in vico de Arenas addictissimus, filium habebat, quinquennem fere, quatuor afflictum apostematibus tantæ infectionis et periculi, ut jam a medicis derelictus esset. Pater ejus, mœrore confectus, sanctum Virum convenire statuit, enixe ejus imploraturus preces ; ast ille tum forte aberat. Nocte autem illi apparuit dicens : Non est Dei voluntas ut fruaris filio isto. Quod et evenit : nam quamvis ad tempus convaluerit, sequenti tamen anno mortuus est.

Alia plurima ei manifesta fuerunt.

134 Alia multa, et majora referuntur quæ Dominus Servo suo manifestavit, quæ ad gloriam ejus et proximorum salutem facerent, quæque omnia suo tempore adimpleta fuerunt. Sed hactenus dicta sufficiant, juncta iis quæ de revelationibus supra narravimus : hæ enim species sunt prophetiæ ; quæ, ut Sancti loquuntur, proprie consistit in cognitione rerum, nobis citra divinam manifesta-

tionem

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

tionem imperviarum. Hujusmodi plurima Sancto nostro innotuisse extra dubium est. Præterea gratia discretionis spirituum, de qua mox agemus, altera, secundum sanctum Gregorium, species prophetiæ est.

De spirituum discretione.

135 Donum seu gratia, discretio spirituum dicta, intima quædam notitia et judicium est, quæ Deus in ecclesia sua singularibus hominibus communicat ad bonum animarum, præsertim prælatis et aliis, quibus earum cura incumbit, ut discernant quo spiritu et intentione, an recta vel prava, homines loquantur et agant, præsertim in rebus ad fidem spectantibus: solent enim plures esse falsi prophetæ, larvam veritatis assumentes, quos et vitare nos jubet sanctus Joannes et probare, despicientes an spiritu Dei agantur necne. Sic etiam non raro satanas sese transformat in angelum lucis, ut fideles hæreant suspensi circa casus dubios magnique momenti, nec sciant an ex Deo sint desideria sua, quæ haud infrequenter prudentia carent, aut certe talia non sunt qualia esse videntur. Est itaque discretio Spirituum scientia cœlitus data, et lumen a Spiritu sancto peculiariter immissum ad elucidanda, quæ cæteroquin nobis B vel aliis obscura et dubia sunt; ad cognoscendaque in cordibus latent, dijudicandosque motus supernaturales. Hac præditum fuisse sanctum Fr. Petrum apparet variis ex casibus, et speciatim ex iis quæ ipsi evenerunt cum sancta matre Teresia a Jesu hujusque confessariis, prout narrantur a Fr. Didaco de Yepes, in commentariis ad ejus vitam, ubi de revelationibus.

S. Teresiæ mediis in anxietatibus versanti

136 Quamvis enim omnia beneficia, quæ tam large Dominus beatæ illi Virgini præstabat, sigillo quodam cœlesti munita essent, ita ut dubiæ fidei esse non possent: cum tamen ipsa tam parum sibi fideret, et aliunde non ignoraret dæmonis astutiam; solebat omnium rationem reddere suo confessario, aliisque viris, quos maxime judicabat idoneos ad fraudes quasvis detegendas. Hoc enim ipsi solemne erat, nihil non facere ex quo aliquid sperare ad profectum suum liceret. Ast neminem, a quo intelligeretur, inveniebat; imo multas perferebat injurias, labores, molestias et persecutiones, ut ipsa in vita sua declarat; nec deerant quibus a dæmone acta videretur, adeoque adjuranda. C Attamen aliud sibi persuadere ipsa non poterat, nisi bono spiritu se duci. Hinc ad orationem confugiens, cum Domino de tantis molestiis conquerebatur; a qua quidem perpetuo consolata viribusque aucta surgebat. Aliis nihilominus contradicere non audebat, ne, quod magis timebat, superbiæ insimularetur. Tandem pronuntiabat ejus confessarius non esse dubium, quin a dæmone illuderetur; ac proinde jubebat, ut, quoties visionem haberet, se signaret, manumque in pugnum contractam protenderet; *b* hac ratione pellendum inimicum affirmans. Quæ omnia sanctam Matrem supra modum vexabant, cum certo crederet Deum se videre, quem multis cum lacrymis orabat, ut ab omni libera ambularet deceptione. In mediis his cruciatibus afflicta nimium, crucem manu continue tenebat, ne, quasi tota die se signans appareret. Scilicet hoc munimine utebatur adversus eum, qui signo isto nos defendit et redemit. Tandem clare perspiciebat a nemine se intelligi; nec tamen hoc dicere alteri audebat, nisi confessario, quem nihil celare volebat: hic autem omnia improbabat.

occurrit S. Petrus, eamque spiritu Dei agi pronunciat et probat.

137 Tandem placuit Domino nostro remedium tantis malis dare. Illo nempe tempore Abulam, ubi Teresia tunc morabatur, venit S. Petrus de Alcantara, cui sancta Virgo animum statim aperuit: quam optime poterat rationem reddens totius vitæ D suæ, et modi quem in oratione tenebat; quamvis, ut ipsa fatetur, non tam clare illa explicare sciret, quam postea didicit. Ast Sancti facile invicem se perspiciunt. Adde servum Dei speciali gratia donatum, longoque rerum spiritualium usu et experientia doctum, vias cœlestes calluisse. Agens itaque cum illa, facile agnovit quo spiritu duceretur, divino scilicet; monuit non esse cur angeretur; sed laudaret potius Deum; denique asserebat nihil, si res ad fidem spectantes excipias, certius ei esse debere, quam Spiritu sancto se duci. Dein dubia quædam solvit, vanosque ejus esse timores ostendit. Præterea cum confessario egit et alio quodam, totius procellæ primario motore: firmas plures afferens rationes quibus monstrabat rectam esse viam qua sancta Virgo incedebat; rogabatque ut certum id ducerent, nec deinceps eam inquietarent; sed spiritum Dei operari in ea permitterent; non fuisse rationem cur tanto tempore ei se opponerent. Et vero viginti erant anni ex quibus Teresia contradictiones illas patiebatur, quod nec confessarium, nec alium quemvis reperiret, qui eam intelligeret; donec tandem in sanctum Petrum incidit. Quam diversa idem spiritus mirabiliter operatur, ut nec E ab illis semper distinguantur satis, qui cæteroquin plurimum in spiritu profecerunt, licet et hoc ipsum miseris nostris temporibus rarum admodum sit! Plurimum hoc ex colloquio hausit sancta Mater solatii, ingentesque Servo Dei gratias retulit pro lumine accepto.

Eximius fuit S. Petrus vitæ spiritualis magister.

138 Eximium ejus erat donum discernendi spiritus, et elucidandi res spirituales, quo judicabat de vitiis et virtutibus, de oratione, de statu perfectionis animarum, de via quæ seligenda unicuique vel vitanda esset, quod postremum tanti est momenti, quando agitur de vitæ statu amplectendo, aut mutando. Hinc monet Apostolus non omni spiritui credendum. Et sanctus Pater noster Franciscus in regula sua præscribit, ut si quis habitum petat, ante omnia probetur an spiritus ex Deo sit. Donum hoc in sancto Petro tum per totam vitam eminuit, tum in peculiaribus casibus; præsertim vero postquam præesset, animarumque curam gerere cœpisset. Magna erat ejus prudentia et discretio in omnibus quæ tractabat: cujus sufficiens argumentum habetur ex hominum multitudine, qui consilii petendi gratia, ad eum tamquam ad oraculum confluebant. Dum accedebant F qui ingressum in religionem peterent, simul ac eos vidisset, secreta et abscondita cordis eorum percipiebat, quasi oculis quidquid intus lateret, usurpasset: alios dimittebat; alios, licet minus apti atque parati venissent, admisit, prædicens quid in posterum eis accideret, ut quidam ejus coævi tradunt. Quæ rursus ostendunt quam nobis sit dolendum, et quam parum venia digni, qui tam leviter res memoria adeo dignas prætermiserunt.

Sancti nonnunquam abscondita cordium noverunt:

139 Gratia discretionis nonnumquam conjuncta est cum intimarum cogitationum notitia (quod solius Dei privilegium est); hac etiam præditos videmus primos ecclesiæ fundatores, qui corda et animos eorum quibuscum agebant, habebant perspecta. Solet divina majestas, ast singularibus tantum in occasionibus, eamdem dare notitiam selectis suis servis, qua mediante cum plura sciant cæteris impervia, tantam videmus eos adhiberi circumspectionem et discretionem in dandis consiliis; nec umquam scientia illa utuntur nisi ad aliorum utilitatem, ut vitam vel emendent vel perficiant magis. Sic Christus egit cum Samaritana, peccata

A peccata ejus declarans ut converteretur. Nathanaeli vero dixit, quod vidisset eum stantem retro ficum, quo magis eum in amore suo et divino servitio proveheret.

quod et S. Petro contigisse singulari probatur exemplo.

140 Factum hic singulare memorabo, quod Sancto nostro contigit cum muliere, quæ multo jam tempore cum dæmone copulata conjugio erat. Hic quo arctius eam sibi devinciret, omni deliciarum genere illam saginabat, in tantum ut aliud non ambiret cœlum, præter voluptates animi et corporis quibus fruebatur. Quadam vero die, cum jam sero esset, stabat ad januam colloquens cum aliis quibusdam mulieribus, dum hac forte transit sanctus Petrus : quem ut vident, statim omnes accurrunt , ejusque vestem deosculantur; illa autem abstinet. Intuetur eam Sanctus fixis oculis, et postquam cæteras paucis allocutus erat, seorsim ducit, atque in aliarum conspectu, scamno insidet, ipsa stante erecta. Verba aliquot profert de salute animæ, eo fine ut et illa vicissim loqueretur; verum muta perstabat, ut solebat in sacro tribunali, dæmone scilicet suadente. Quidquid ipse diceret, vel interrogaret, illa vix respondebat; simulans nihil scire, ut solemne est nolentibus men- B tem suam manifestare. Voluisset Vir sanctus, ut ipsa aliquid saltem diceret, ne suspicaretur unde et quomodo secretum novisset. Ast cum deprehenderet nihil se proficere, tandem : Ausculta, inquit, filia. Nonne memoria tenes, tali die, tali loco et hora hoc et illud tibi evenisse? Tum singillatim explicavit quæcumque cum dæmone tractasset et fecisset. Stetit mulier attonita et confusa : videbat enim sanctum Virum non nisi divinitus hæc assequi potuisse. Confessa itaque veritatem est, erubescens coram illo, sed simul etiam sibi timens a nigro suo marito. Post hæc præscripsit beatus Petrus quæ ad remedium et consolationem animæ ejus facerent; mandavitque ut sequenti die ad conventum, peccata depositura, veniret; nec metum aut timorem ullum haberet a dæmone, qui, cum rubore, artes suas delusas cernens, jam nihil suscipere auderet. Præterea Dei nomine dæmoni mandavit, ut deinceps, ab hac femina recedens, in abyssum suam migraret. Quod et evenit, nec umquam postea ullam passa illa molestiam est; atque implevit quæcumque servus Dei mandaverat. Plura hic ejusdem generis hic addenda forent, si ipse non tam sedulo studuisset secretum suum C sibi servare, nec tanta laborassent filii ejus incuria in memorandis iis, quæ partim saltem cognoverant. Ipsi enim, quibuscum vixit, fatentur, et propria quidem docti experientia, quam præclare dono discernendi spiritus fuerit præditus, ut diceres in frontibus percipere, quæ in secreto cordium fierent.

ANNOTATA.

a *Congerit hic auctor alia de præstantia et utilitate prophetiarum.*

b *Hispanice:* diesse Higas. *Est autem* Higa *manus in pugnum contractio et quidem ita ut pollex ponatur inter digitum medium et indicem. Manus vero tali modo contracta exhibebatur in signum subsannationis. Simile quid hodiedum obtinet; ast manus jam non contrahitur, imo explicatur moveturque circa pollicem mento vel extremo naso appositum.*

CAP. XV. *De gratiis loquendi varia genera linguarum et interpretandi Scripturam.*

Donum linguarum proprie dictum non accepit S. Petrus

Gratiis gratis datis sanctus Paulus annumerat donum linguarum, quo præditi fuerunt apostoli : cum enim tanta esset gentium et nationum diversitas quibus prædicabant, necesse erat ut vel singularum proprias loquerentur linguas (quod verosimilius est), vel ut ab omnibus intelligerentur, licet sua tantum uterentur. Dono hoc gavisus non est S. Petrus de Alcantara, quippe qui ejus non indigeret; quoniam cum propria sua solum egerit natione, ac proinde cessaret ratio, ob quam concedi solet, profectus scilicet proximorum. Nec etiam illius doni defectus sanctitatis imminuit perfectionem. Quamvis enim hujusmodi gratiæ commendent plurimum et juvent eos qui illas receperunt, non tamen eas concedit Deus intuitu accipientium, sed ad profectum fidelium conversionemque infidelium. Cum igitur Apostolis annuntiandum incumberet Evangelium toti orbi, tot immerso E vitiis et peccatis, tantaque in medio idololatriæ laboranti cæcitate; necesse fuit, ut non minus hac gratia donarentur quam cæteris omnibus. Aliud erat de Sancto nostro, qui prædicationis munus extra Hispaniarum limites non obivit, nec proinde occasionem est nactus, qua dono linguarum ad aliorum salutem uteretur. Unde nullam hujus mentionem habent familiares ejus, quamvis passim asserant omni gratiarum genere præventum, et singularum saltem aliqua proferant argumenta.

efficacia tamen sermonis proxime ad hoc donum accessit.

142 Id tamen certum, cum a Domino selectus esset tamquam eximius quidam doctor ad instruendos regendosque multos in via Dei, simul etiam singulare accepisse donum, cujus ope tanta cum luciditate et claritate res ad spiritum aut orationem pertinentes explicabat, ut ab omnibus facillime intelligeretur : quod profecto gratiam jure merito vocaveris: nec enim consistit hæc in sola varietate linguarum; sed et in sapientia, efficacia et claritate, qua propria sua quis utitur lingua ad utilitatem omnium quos instruendos suscipit. Quantum hoc in genere enituerit sanctus ille Vir, elucet tum ex modo, facilitate et perspicuitate, qua de oratione scripsit; tum ex eis quæ tradunt F discipuli, quos tanto habuit numero, de methodo, qua verba faciebat de rebus spiritus et orationum modis (adeo plerumque profundis et sublimibus) ut nullus esset qui doctrinam ejus non facile caperet. Donum hoc proxime accedit ad gratiam linguarum, quæ in cœlesti quadam discuntur schola, in qua cathedram habet ille, qui est ipsa sapientia et excellentissimus linguarum magister, easque communicat illis quos elegit in doctores spiritus et orationis, qualis fuit S. Fr. Petrus, haud minus egregie in mystica versatus Theologia, quam soleant esse in alia quavis facultate aut scientia, qui eam plures per annos docuerunt.

Præclaro gaudebat dono animas dirigendi in via spirituali; verbis

143 Hac præditus scientia, quam non studio acquisitam sed cœlitus infusam habebat, accedente tam longo orationis et contemplationis exercitio, animas in via spiritus quam perfectissime et suavissime dirigebat, de gradu in gradum eas sublevans usque ad ipsum omnium bonorum centrum. Nec solum ipse plurimis in via Dei dux fuit, sed et multos efformavit discipulos, qui deinceps viri fuerunt orationis præclarissimi et magistri rerum spiritualium insignes. Rogabant quandoque fratres, ut

ut ad ædificationem et instructionem suam, quædam lumina explicaret, a Deo in oratione accepta. Respondebat humiliter et prudenter: Nolite, filii, revelationes, nec doctrinas mirabiles aut extraordinarias quærere, sed quæ Christus in Evangelio proposuit et sancta docet Romana ecclesia · nam frequenter in illis se transformat diabolus in angelum lucis. Diligite cellam et mentis recollectionem : ibi enim sermo Dei auditur : sistite illi corda vestra reverenter, ac omni alio affectu libera in ejus manus date. Multum orationi incumbite ac cœlesti conversationi, quoties nempe per obedientiam licuerit : nam quamdiu talibus exercitiis addicti fueritis, securi incedetis, Dominusque vobiscum ambulabit. Considerate, filii, orationem esse virtutem religiosorum maxime propriam ; atque exercitium tanti momenti in via spirituali, ut quæ mensura est orationis, eadem soleat esse et virtutis et sanctitatis ; et quo magis illi anima fuerit affecta, eo etiam longius ab omni Dei offensa aberit. Oratio enim munimentum est ejus mandatorum et sanctæ regulæ nostræ. Qui itaque liber esse cupit a peccato, orationis adhibeat remedium. Non quod oratio complectatur omnes simul virtutes, et per B se sola sufficiat ad justificationem ; sed, quemadmodum Sanctus aliquis dixit, quod sit causa efficiens omnis virtutis et justitiæ, et instrumentum, quo hæc a Deo impetrantur simul cum lumine et augmento gratiæ spiritualis; fovet enim omnes virtutes, animam nobilitat, mentem illuminat ; nec quidquam ad sanctitatem et profectum faciens, animæ inseritur nisi via orationis. Proinde ille magis sanctus et Deo amicus habendus est, qui amplius orationi deditus in eaque perseverans invenitur.

et scriptis.

144 Hujusmodi monita illis dabat, cum eum, quod frequenter locum habebat, interrogarent : plurimum namque consolabantur audientes, et quidem perpetuo magna cum humilitate et perfectionis desiderio ; instabant quoque ut scripto quædam traderet, ex quibus deinceps haurire possent monita pro sua directione. Quamvis tam parvus et vilis sibi esset, manum operi admovit ; non quod multa conscripserit volumina, ut alii quidam Sancti, ast quæ nobis in hoc genere reliquit, etsi pauca sint, ostendunt quam generoso duceretur spiritu, quam ardenti flagraret zelo. Scripsit nempe tractatum, parvum quidem sed simul valde C copiosum, tamquam regulam et compendium doctrinæ viris spiritualibus accommodæ, in qua et modos indicat quibus in hac via tendendum ad perfectionem est. Hoc libello continentur quæcumque ad vitæ sanctitatem conferre possunt. Quem ferunt docto, spirituali et sancto viro, Fr. de Ludovico de Granada, in deliciis fuisse, atque principium tot egregiorum et salutarium librorum, quos hic tanto cum proventu et doctrina de oratione et meditatione composuit *a*.

Dono sublimissimæ contemplationis excellebat.

145 Tandem uno ore asserunt omnes, sanctum Fr. Petrum mysteria orationis et contemplationis apprime perspecta habuisse. Nec mirum : decebat enim, imo et necessarium erat, ut cui incumbebat cæteros docere, præclare et ipse edoctus esset ; et qui alios in via tam perfecta, tam sublimi manuducere debebat, exemplar esset perfectionis, specimen pœnitentiæ, abyssus humilitatis et compendium omnium virtutum. Quare ei concessit Deus donum tam mirabile contemplationis, ut per omnes ejus gradus, de quibus Sancti loquuntur, ascenderit, donec assequeretur viros illos contemplativos, qui parvo numero præ cæteris eminuerunt. In medio negotiorum solitudinem eremi D nanciscebatur, tantaque animæ gaudebat libertate, quasi in deserto fuisset : quod vel ipsi illi viri contemplativi admodum difficile obtentu judicabant. Narrat Cassianus de abbate Joanne, eximio contemplationis sectatore, quod pauciores haberet raptus et exstases in conventu quam in deserto ; dicebat autem minorem hunc fervorem resarciri majoris obedientiæ merito. Utrumque cumulabat sanctus Fr. Petrus : nam sive fratribus inserviret, sive prædicaret, sive monitis suis dirigeret alios, magno numero ad eum accurrentes, sive conventus fundaret, provinciam totam administraret, vel aliis distineretur curis et negotiis ; non minore gaudebat animi recollectione, quam ubi solus esset et nulla de re sollicitus. Ita *bonam* partem cum *optima* conjungens duarum sororum, quibus Christum hospitio excipere contigit.

Aliis profuit S. Petrus quin sibi noceret.

146 Tales seligit Deus viros qui possint aliis prodesse quin sibi noceant, perfectos scilicet, humiles, sibi diffidentes, despicientes quidquid mundus amat, in solo Deo collocatam habentes fiduciam : qui vero fortes non sunt, nec in virtute firmiter radicati nec omnimode mortificati, proprio et aliorum periculo operibus zeli sese addicunt ; cum infirmis vires addere, et debiles sublevare E debeant, atque inter homines versari, cum mulieribus colloqui, uno verbo, rebus exterioribus occupari, quin Deo interius vacare cessent. Mihi credant nec sollicitos esse desinant ; magnum et difficile est, absque proprio suo damno, agere cum sæcularibus, vivere in mundo ; ejus negotia tractare, moribus se accommodare, et nihilominus hospitem et inimicum esse mundo, atque ita vitam agere, quasi in exilio forent : secus inceditur per medias abyssus : denique angeli sint in carne, non homines oportet. Quod si tales non fuerint, non eos permittit Deus cella egredi : plus enim damni proprii quam lucri alieni caperent. Non enim illis vivimus temporibus, nec illos versamur inter homines, qui sufferant defectus concionatorum, aliorumque res spiritus tractantium : quantumvis studuerint illos occultare, ocyus apparebunt, atque in faciem objicientur. Quos enim inter versantur, nisi inter sæculi sequaces, minima quæque scrutantes, paratos exagerare defectum, imminuere virtutem ? Cribro similes, quod pollinem transmittens, furfurem servat.

De dono interpretandi sacram Scripturam ;

F 147 Quam postremo loco ponit Apostolus gratiam, *interpretatio* vocatur *sermonum*, quæ singularis scientia est explicandi locos sacræ Scripturæ obscuros ; scientia vere divina, omnes creatæ intelligentiæ vires superans, nec humanis comparanda seu artibus seu studiis, sed divinitus data. Hanc a Deo, mediante oratione, obtinuit S. Petrus de Alcantara, cujus ope plura ex Scripturis valde obscura explicabat modo tam sublimi et sensu tam catholico, et sanctorum spiritui tam conformi, ut plures viri doctissimi confessi sint, se, conversando cum illo, non pauca intellexisse, quæ antea non capiebant, atque agnovisse aliam haberi theologiam longe sublimiorem, quæ non in scholis discitur, sed quæ ex alto est ; tantoque nobilior, quod mysticam et intimam generet Dei notitiam, qua simul experimur quam suavis sit Dominus : scientia denique arcana et abscondita sapientibus hujus sæculi, de sua nimium confidentibus perspicacitate et ingenio.

quo S. Petrus eximie præditus fuit.

148 Excellenti præterea gaubebat memoria, ut magnam Scripturæ partem teneret. Unde frequenter fratribus suis aliisque viris doctis, ad eum venientibus, declarabat mysteria altissima, textusque explanabat maxime obscuros ex Psalmis et Epistolis

A Epistolis sancti Pauli. Et quamvis in his juvaretur præclaro ingenio, quo naturaliter præditus erat, præcipuus tamen fons stupendæ illius scientiæ latebat in dono supernaturali, a Deo per orationem communicato: quod quidem clare satis constabat ex modo ejus pespicuo et simplici interpretandi sacras paginas, quarum intelligentia obtinetur non linguarum cognitione et ingenii acumine, sed potius profunda humilitate et sui ipsius despicientia, conjuncta cum ardenti desiderio obtinendi a Deo lumen cœleste, quod longe cæteris omnibus prævalet adjumentis. Hac luce divina instructus, pascebat gregem sibi concreditum, non exemplis solum et operibus, sed doctrinæ quoque et verbi pabulo; quod aliis plurimis, licet doctiores sint, non est datum: nam, ut habet sanctus Gregorius, scriptura sacra oceanus est, in quo cameli grandes et gibbosi submerguntur, dum agni candiduli suaviter tranatant.

Finis prædictorum donorum est gratia habitualis.

149 Finis omnium dictorum donorum gratia est habitualis, quæ animam condecorat, liberat a peccato, participem facit naturæ divinæ, ac tantum justos extollit et nobilitat, ut filii Dei nominentur et sint: nec solum gratia habitualis præstat gratiis B gratis datis, sed et ipsis virtutibus infusis *b*. Gratiæ gratis datæ, quibus præditus fuit S. Petrus; dona et miracula, tam in vita quam post mortem patrata, argumenta sunt infallibilia inhabitantis gratiæ habitualis et sanctitatis. Hæc porro omnia una cum virtutum exercitio satis ostendunt sancti illius Viri excellentiam.

ANNOTATA.

a *Confer Comm. præv.* § II, *ubi ex professo egimus de Opusculo S. Petri, et simul etiam examinavimus, uter alteri præluxerit; an S.* Petrus *Ludovico Granatensi, an potius hic illi? Quod posterius diximus nobis magis esse probabile; quamvis ex verbis mox recitatis appareat P. Fr. Joannem a S. Maria in contrariam sententiam magis inclinare.*

b *Excellentiam gratiæ habitualis pluribus hic demonstrat auctor: quæ cum ad historiam non faciant, prætermittimus.*

C Cap. XVI. *De gratiis naturalibus aliisque virtutibus quas habuit S. Fr. Petrus de Alcantara.*

Specie externa venerabilis erat S. Petrus,

Singulis hominibus distribuit Deus dona naturalia, quibus debitum exhibeant servitium; ast non æqualiter omnibus omnia largitur: felicius uni concedit ingenium, meliorem alteri voluntatem; illi animum propensiorem in hoc, isti in illud; alteri ampliores vires, alteri majorem dexteritatem, et ita porro. Nec in vanum hæc dantur, sed ut unusquisque Dominum laudet pro suo talento et facultate. Vere liberalis Deus fuit erga hunc Servum suum, copiose eum dotando gratiis naturalibus. Erat quippe statura decenti et venerabili (*Confer Comm. præv.* n. 2); optima structura, et apta membrorum inter se consensione habebat quidquid ad bonam habitudinem facit: non corpulentus, sed potius gracilis, macilentus et exuccus; manus et pedes velut ex radicibus compacti, atque coloris adusti, quod magnam partem ex vitæ asperitate proveniebat. Oris liberalis, barbam habebat recte dispositam; caput erat calvum; ex vultus gravitate et habitu tam venerabili elucebant animæ pretium et præstantia. Sola oculorum suorum modestia, mortificatione, et oris decentia adstantes movebat, ut confusi ad pœnitentiam converterentur. Ejus aspectus omnibus erat gratissimus, totoque habitu suo spirabat affabilitatem. Quis dubitet tali in corpore animam latuisse præclarissimam, dotibus tum naturalibus tum adventitiis copiosissime ornatam?

ingenio facili, prudenti et forti.

151 Ingenio præditus erat vasto, memoria facillima, judicio omnibus in rebus mirabili, sano et maturo; magna gaudebat prudentia, non illa quidem, quæ ex carne est, vel humana generatur ratione et ambitur a filiis hujus sæculi; sed cœlesti et a Spiritu sancto infusa: quæ virtus propria est illorum qui præsunt, ordinans omnia ad propositum finem. Hæc enim est, ut habet sanctus Ambrosius, quæ totum perficit, nec sine hac inveniri potest vir in religione perfectus. Hanc virtutem habuit Servus Dei, qua tot conventus tanto tempore rexit et summa quidem cum perfectione, ut mox videbimus. Nec minor fuit ejus fortitudo: mediis in molestiis et persecutionibus E constans erat, patientia armatus et fiducia in Deum, qui eum animo donaverat virili et invincibili. Nihil timebat; nulla re turbabatur: magna sustulit, passus est; sed et superavit et vicit: quia cor ei erat vastum et pectus generosum, ut æquali animo ferret prospera et adversa; his non turbari se sinens, illis extolli; perpetua fruens tranquillitate et pace. Fuit etiam vir magni consilii. Antequam loqueretur aut ageret, diu multumque meditabatur. Accedebat matura ætas, longa experientia, juncta vitæ sanctæ et exemplari, quæ omnia necessaria sunt, ut quis alios consilio juvare possit: unde magni ponderis ejus erat in rebus gerendis opinio, quod et ordinarie securior esset et planius ad scopum iret. Conscientiam servabat purissimam, singulari modo cum Christo Domino continue conversans, cui semper præsens erat, sui commoditatumque suarum oblitus: nihil in omnibus spectabat præter Dei gloriam et laudem, qui propterea, tamquam servo fideli, plurima ei credebat secreta cœlestia in revelationibus et visionibus, magnis eum cumulabat beneficiis.

Ejus humilitas, gratitudo, mansuetudo.

152 Præ cæteris tamen eminebat profunda humilitas, quæ animam vacuam omnibus terrenis relinquit, ut repleatur donis Spiritus sancti, nec F tamen propterea extollatur aut evanescat. Accedebat tam alta sui ipsius cognitio et despectus, ut omnium ad pedes se deprimens, postremum se judicaret, et indignum quem Deus hominesque intuerentur. Dum in communi viveret, ante omnes officia humilia et vilia suscipiebat, qualia sunt verrere et lavare; sportam avide arripiebat qua sordes colligeret, ægre ferens si quis alter eam eriperet: et, quamvis prælatus ac tantæ dignitatis vir, in refectorio culpam dicebat, quovis altero præsidente, cui reverentiam et obedientiam quasi novitius exhibebat. Comedebat prostratus; pedes osculabatur, et si quis id ipsi recusaret, non probabat, majoris humilitatis esse dicens illos exhibere quam osculari. Ex hac virtute enascebatur gratitudo erga Deum de beneficiis acceptis, unde et alia majora sibi parabat. Nec solum erga Deum gratus erat, sed et erga homines: quodcumque præstarent vel facerent, etiamsi perexiguum vel debitum illud esset, gratias agebat plurimas: judicabat enim nihil se mereri, ac proinde quidquid facerent beneficii loco habebat. Quid mirum ita sensisse

88 de

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

de iis qui benefacerent, cum gratus esset erga persequentes se, suisque in orationibus eos assidue Domino commendaret? Excellenti erat mansuetudine, cunctos cum amore suscipiens et caritate, honore præveniens, singulos patrocinio suo muniens. Quando visitabatur, vel ipse sæculares invisebat, amœna utebatur conversatione; comis et urbanus, licet verborum parcus; cumque præterea esset admodum discretus et perspicax, quæcumque dicebat, aliis proficiebant: facile enim uniuscujusque assequebatur conditionem, spiritum vel indolem, atque eo dirigebat monita sua, ubi magis expediret. Nobilibus virisque primariis libere et perspicue mentem suam aperiebat, nec a reprehensione, ubi necesse erat, abstinebat. Mira erat efficacia et vis verborum ejus ad movenda corda, flectendas voluntates, complanandas difficultates et contradictiones. Unde haud raro explicavit composuitque res, prius insolubiles, quasque nemo unus sciret quomodo aggrederetur; ipse vero mediæ se immittebat procellæ, brevique pax redibat et tranquillitas; ut videre præsertim fuit quibusdam in negotiis adeo arduis et intricatis, ut manum illis admovere nullus auderet alius; ipse vero pruden- B tia, utique divina magis quam humana, felicem ad exitum, utraque parte plaudente, perduxit.

Ab omnibus magni fiebat ob eximias virtutes.

153 Magnam de eo habebant omnes opinionem, atque undequaque accurrebant sive nobiles sive plebeii; cœlestia illis dabat consilia, sermones miscebat spirituales, suapte natura jam adeo efficaces, sed longe efficaciores dum ex ore prodeunt Sanctorum; tum enimvero, velut ignis, incendunt et consumunt corda. Alii recedebant consolati, alii cum proposito emendandi vitam; alii dulcedine illecti ejus sermonum, sæculo mittentes nuntium, religionem ingrediebantur. Inimicus erat affectationis, et simulationis; non ferebat quodvis in loquendo vel agendo artificium; super omnia veritatis sinceræ et simplicitatis religiosæ amans. Detestabatur mendacium, quamvis leve, aut laudabiles ad fines commissum; eodem loco habebat verba ambigua, vocesque, plures ferentes interpretationes; quod enim aliquomodo veritatis sinceritati contrarium erat, ejus spiritui repugnabat; solebatque dicere talibus defectibus obnoxios, haud aptos esse perfectioni attingendæ. Denique vir fuit in omni virtutum genere perfectus, et inter clarissimos et maxime eximios gentis nostræ nume- C randus, nec inferior iis, qui in cæteris provinciis et regnis excelluerunt. Atque hic facile abriperer amore primi illius parentis nostri, nisi mihi proposuissem aliquid etiam dicere de ejus filiis. Dicam itaque nunc quomodo se erga eos gesserit, dum prælatus erat.

CAP. XVII. *Quomodo se gesserit S. Fr. Petrus de Alcantara dum aliis præesset.*

Subditis præibat exemplo.

Quo tempore superioris munere functus est S. Fr. Petrus, se omnibus illis ornatum exhibuit gratiis, de quibus supra; sapientia scilicet et multa scientia, donis prælatorum et superiorum maxime propriis. Sapientia, ut perfecta sit, plura complectatur necesse est; atque imprimis notitiam sanctæ illius legis, quæ sacris continetur scripturis; ut, qui præest, non ignoret, quid dicendum, quid sit faciendum: parum enim vel nihil prosunt D verba et sermones, sicut et quævis scientia speculativa, nisi ad praxim deducatur, et manum operi admovere doceat. Munus prælati est cæteris vita et exemplo præire; nec sufficit verbis sapientiæ præcepta tradidisse, sed et exempla virtutum accedant oportet, ut quod scitur et docetur; vivificetur, foras prodeat, et quasi inscriptum manibus operibusque legatur. Necesse est itaque et docere et facere. Utrumque sanctus noster Prælatus præstitit filiis suis; quamvis raro duo hæc alios apud rectores conjuncta reperias, licet adeo sint necessaria, atque alterutrius defectus in damnum cedat haud vulgare. Deficiente exemplo, parum confert præceptum, imo plerumque nocet et vitio vertitur. Cæterum jam plurima de utroque, in supradictis, enucleavimus. Ast quoniam doctrina cum sanctitate vitæ conjuncta non careat periculo vanitatis et superbiæ, dum qui aliis ita præest, facile sese extollit, et gregem Christi, quasi proprium sibi considerat; oportet ut prælatus humilitate quoque et sui cognitione excellat: tanta enim nostra est fragilitas, ut verendum sit, ne tam eminenti ex loco, vertigine turbentur oculi, nostrique ipsorum penitus obliviscamur. Non ita sanctus Pe- E trus; at continue propriæ suæ abjectionis memor, si quid boni faceret, illico referebat ad bonorum omnium fontem, sibi ingeminans: Quid habes quod non accepisti? vel: Servus inutilis sum. Sollicite ob oculos sibi ponebat principia vocationis suæ, sciens se illam hoc accepisse fine, ut revera id esset, quod nomine dicebatur; despiciens mundum ejusque honores et dona, de vera unice sollicitus gloria, quæ nec ab annorum numero pendet, nec fama aut hominum æstimatione innititur. Hinc omnium in se fratrum vertebat oculos: mirabantur virtutum exempla, morum gravitatem, zelum, mortificationem, humilitatem, obedientiam, silentium, orationem, recollectionem, cæteramque veluti supellectilem, qua ditatur anima, Christi paupertatem voluntarie amplexata.

Sæpe numero electus superior fuit.

155 Quoties licuit, cum sibi superiorem eligerunt; pluries fuit guardianus, definitor, et postea provincialis S. Gabrielis, quo munere ipse primus ex omnibus hujusce provinciæ filiis functus est, licet inter præmævos fundatores multi numerarentur viri sanctitate insignes: scribitque historiographus S. Gabrielis præclarissima eum virtutum exhibuisse exempla, reformasse multa, quæ jam deficere cœ- F perant, primævumque renovasse perfectionis spiritum. Cum altera vice provincialis ibidem eligendus esset, præter solitum accidit ut æqualiter suffragia dividerentur inter sanctum Fr. Petrum de Alcantara, cujus zelus in perficienda reformatione et recta administratio non secus ac copiosa experientia omnibus nota erant; et beatum præclarumque Dei servum Fr. Joannem de Aquila, ex spectatissimis ejusdem provinciæ viris. Hunc Lusitaniæ reges D. Sebastianus et Henricus (illius avunculus, postea rex) magni æstimabant, et venerabantur ut Sanctum. Nec immerito: erat enim vir orationis et contemplationis altissimæ, ut extases et raptus frequenter haberet, visusque sit in aere sublevatus, rutilanti circumdatus splendore; pœnitentiæ, paupertatis, recollectionis amantissimus, multo tempore vixit in solitaria cella eaque perexigua, ex bacillis contexta atque ad horti parietem acclinata; ubi, quamvis nec admitteret nec alloqueretur quemvis extraneum, tamen eum convenit præfatus atque deinceps infelix rex Sebastianus, ante suam in Africa expeditionem, cujus infaustum exitum, imo et totius exinde regni seculuram jacturam

A ram servus Dei divinitus cognovisse existimatur. Rogatus enim a rege quid sentiret de hujusmodi bello contra infideles, respondit obtestando ab hac susceptione inpræsens abstineret; fieri enim non posse ut feliciter succederet, postquam hanc in rem bonis ecclesias spoliasset. Aliisque præterea rationibus plurimis regem a proposito absterrere studuit. Hic vero, cum magni eum faceret et ut Sanctum veneraretur, mœstus discessit, ut ex vultu apparebat. Hæc autem non dicta sint, quasi vitam illius texere intenderimus (hæc enim ab alio scribetur melius); sed ut intelligatur unde nasceretur hujus electionis difficultas: cum enim uterque viri essent sancti præcellentisque meriti, sæpius itum in suffragia est, nec tamen res perficiebatur, electoribus singulis sibi persuasum habentibus suffragium suum digno dari: quod si quis ex una parte illud mutaret (intuitu, ut credere licet, Generalis, qui præsidebat, ne tædio afficeretur vel obstinationem suspicaretur), simul etiam, Deo permittente, aliud ex altera parte deficiebat, ut æqualia permanerent inter viros paris non solum virtutis, sed et æqualiter aptos ad finem a divina majestate intentum, ut eventu deinde comprobatum est.
B Post tot suffragiorum revolutiones continue eodem numero in utramque partem redeuntium, absque ulla rixæ aut perturbationis specie, statuerunt omnes in Ministrum generalem compromittere, qui pro sua prudentia nominaret digniorem, cui se omnes obedientiam exhibituros spondebant. Facto et accepto compromisso, rem Generalis coram Deo sollicite et mature cœpit considerare. Utrimque æquale videns meritum, æqualem sanctitatem et zelum; perplexus hærebat, ne dum in unam partem, conscientia duce, pronuntiaret, alteri crearet molestiam. Quare diversum ab utroque nominare placuit, præsertim quod ambo magna cum humilitate suffragiis renuntiarent, imo instanter peterent a tanto onere liberari. Atque ita tandem perfecta electio est, sed simul etiam initium operi datum, ad quod a Domino assumpti fuerant, erectionem nempe et fundationem duarum provinciarum Arrabidæ et S. Josephi Ad illam transiit sanctus Fr. Joannes de Aquila; ad hanc venit S. Fr. Petrus de Alcantara, cujus, quoad vixit, prælatus major et commissarius apostolicus fuit.

Aliis præesse opus est valde difficile.

156 Mirabitur forte quis virum tantæ virtutis et tantæ præsertim humilitatis tot per annos continuos
C prælati munus gessisse; atque id recte quidem, si spectemus modum quo hujusmodi munera hodiedum in ecclesia Dei et in religiosis familiis suscipiantur et conserventur: ast aliud erat in Sancto prælato nostro, et aliis ejusdem aut similis meriti viris. Utique arduum est, animos dirigere tanto tempore atque inter eos ita versari ut nec lædantur nec in minimo deficiat sollicitudo; illos veluti de novo creare in religione adeo stricta ac tanti vel ab initio rigoris et paupertatis, ubi singulis propositum erat saltem inhærere vestigiis gloriosi patris nostri sancti Francisci et sociorum ejus. Magna ad hæc non solum opus est virtute et sanctitate, sed et insuper multa sapientia et prudentia, qua quidem Sancti sibi ipsis numquam destituuntur. Ast aliud est sibi prospicere, aliud cæteris ducem se præbere. Multi certe reperiuntur privatim boni, nec tamen vitæ communi et publicæ non satis idonei.

Præfuit S. Petrus in humilitate.

157 Dono particulari gubernandi sanctum Fr. Petrum cœlitus præditum fuisse plerique censuerunt. Tam enim fideliter Christi consilium sequebatur, ut, qui eum videbant munere fungentem prælati, perpetuo recordarentur verborum: non veni ministrari, sed ministrare. Quidquid ipse ferre poterat, aliis non imponebat; supplicare potius quam jubere videbatur. Nec enim repugnat prælatum humilem esse, si recte spectentur regulæ ab ipso omnium prælatorum et præsulum principe traditæ. Inter alias hanc frequenter S. Petrus in ore habebat: qui major est inter vos, sit omnium servus: quam in proprio verborum sensu intelligebat, et prout Christus exemplo docuit; non autem ut nunc illam, vana utentes argutia, interpretari quidam volunt, quasi prælati et superiores, non tantum se humiliare deberent, ne minoris fiant a subditis, vel auctoritas vilipendatur. Ego autem existimo multo magis hanc fulciri humilitate, quam quavis alia ratione; nec esse quidquam, quo facilius flectatur subditus, quam ubi comperit prælatum demisse de se sentientem. Qui profecto ita melius suadebit obedientiam quam superbe agendo et imperando, non more patris, sed domini, unde despectui erit, nedum reverentiam sibi conciliet. Qui humilitate præditus fuerit, sicut Sanctus noster, quid non obtineat a subditis? Quid non impetret a Deo? Quodve excellens est donum, ex illa non fluens virtute?

Disciplinæ zelator, unumquemque, pro sua indole, ad eam stimulabat.

158 Admirabili ferebatur in filios suos teneritudine, orta ex ardenti Dei amore. Nulla umquam mater tenerius dilexit infantem, quam ipse suos. E
Quando domum ex itinere redibant, in amplexum ruebat, quasi ab annis eos non vidisset; qui vicissim incredibili eum prosequebantur amore. Hic enim, si usquam, obtinebat Evangelicum illud: qualis pater, tales filii, subditi et familiares. Cum maternis præcordiis conjunxerat Dominus naturalem prudentiam, qua suo tempore noverat severitatem temperare clementia. Nam quamvis excelleret mansuetudine et benignitate, quibus nusquam humiles destituuntur; non tamen ferebat quemquam vel minimum a rigore et observantiæ perfectione recedere: zelo enim ardebat regularis disciplinæ, nec hac in parte ulli parcebat. Maxima sollicitudine invigilabat omnium suorum perpetuo profectui. Ante omnia uniuscujusque indolem, conditionem, fervorem aut spiritus considerabat remissionem, ut bonus pastor singulos per propria duceret pascua; quos promptos in obedientia videbat, res illis magis arduas imponebat nec tamen ultra virium mensuram; id solum spectans ut majoris meriti offerret occasionem, et tamquam validiores graviora subirent onera: tepidos et remissiores F
benignius tractabat, leviori eos exercens obedientia et mortificatione, ne arundo quassata tandem frangeretur, aut nascens ignis extingueretur, maternum illis exhibens pectus, et magis cum Chrysostomo amans rationem Deo reddere nimiæ misericordiæ quam immoderatæ severitatis. Quantumvis sibi per totam vitam, ut vidimus, fuerit asper, erga subditos prudenti utebatur moderamine; disciplinæ urgebat rigorem, mortificationem, paupertatem; ast suavi cum discretione, quo scilicet medius semper incederet misericordiam inter et justitiam.

Venerabatur antiquiores fratres.

159 Cordi impressam gerebat formam regiminis ab Apostolo discipulis suis Timotheo et Tito datam: multum venerabatur seniores et antiquiores fratres, modo tamen virtus et regularis observantia annis consonarent: nam nullum tolerabat defectum, reprehensioni haud parcens, licet potius supplicare videretur; obtestans eos ut emendationem procurarent, quia tamquam patres junioribus tenebantur exemplo esse; quod omnes in eos, velut in speculum, oculos intentos haberent, ac facerent, quod ab ipsis fieri viderent; denique meminisse volebat eos fulcrum religionis esse, quo

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

quo deficiente, hæc necessario corrueret. Juniores ut filios intuebatur, atque hoc nomine vocabat. Si in aliquo peccarent, modeste et paterne corripiebat. Nec tamen propterea verebatur tam in hos quam in illos severe animadvertere, ubi disciplinæ limites excederent, nec emendarentur suavi, quam diximus, reprehensione. Qui enim canitie tantum senes sunt, non secus ac juniores castigari merentur, quod scilicet animus juveniliter insolescens privilegio eos exuat senectutis. Cæterum tanta et hic utebatur verborum moderatione, ut nullus ei posset succensere vel exinde contristari. Quod si etiam asperius egisset, hoc ei, tamquam patri licuisset; et ipsi, utpote filii bene morati, cum grato auscultassent animo, ob summam, qua eum prosequebantur, venerationem, non solum quatenus prælatus, sed et quatenus sanctus esset.

Intuitu meritorum ejus, Dominus benedicebat Reformationi.

160 Ne vel uno temporis momento otiose degebat sanctus Commissarius, die noctuque intentus procurando hujus provinciæ et reformationis augmento. Et intuitu meritorum servi sui, Dominus benedicebat operi et mirabiliter novis favebat fundationibus: conventus, in quibus Sanctus noster degebat, famam ejus spargebant non solum per vicinam regionem, sed brevi etiam in magis B dissitas provincias; unde et mox misit qui duo in regno Valentiæ fundaret monasteria; alia accepit in Castella. Adeo vulgata erat ejus sanctitatis opinio, tanta apud omnes virtutum existimatio, ut undequaque expeterentur monasteria, et beatos se putarent illi qui voti compotes discederent. Videbatur enim tota ejus vita, compositio, conversatio angeli non hominis esse.

Modus regiminis.

161 Omnes ipse regebat conventus, licet suos haberent guardianos et provincialem. Ubi enim graviora occurrebant negotia, ad eum deferebantur, nec sine ejus consilio et directione gerebantur umquam, cum omnibus haberetur Pater, superior et fundator. Domos, quoties opus erat, visitabat, firmiterque se opponebat contradictionibus et difficultatibus, ab extraneis suscitatis; nec magis tolerabat abusus, disciplinæ remissionem, aut minus laudandas consuetudines, inter fratres irrepentes. His ante omnia invigilabat; nec volebat quemquam eligi prælatum, qui vel remissus esset vel regendi dono careret; quod si forte talis aliquando electus fuisset, brevi moveri eum loco mandabat, etiamsi in primo principio administrationis C id fieret. Tales enim unius anni spatio magna solent religioni inferre damna; quod si tribus continuis perdurent annis, procul dubio spiritus omnimoda sequetur ruina. Nullum hac in parte locum misericordiæ, aliudve excusationis genus admittebat. Quidquid enim indulgetur, damnosum est. Hac sollicitudine et multo magis exemplo suo firmabatur reformatio, crescebat, dilatabatur. Utique, qui nostro tempore tam diu, quamdiu ipse, præesset, miraculi instar habendum foret. Paucos nunc hujusmodi, sane ob peccata nostra, reperimus; multos vero sui quam subditorum amantes magis, aliorumque humeris imponentes onera, quæ ipsi vix digito attingere satagunt.

Recusabant fratres, quoties ab officio domitti satagebat.

162 Jam viribus fractus, cupiebat venerabilis Senex omni ab officio remotam ducere vitam, ast renuebant filii et fratres, lacrymis et precibus eum obtestantes. Vel sola cogitatio fore ut aliquando ab hac terra migraret, mœrore summo eos afficiebat. Ejus aspectu et præsentia delectabantur, etiamsi ad vitam necessaria deessent, propria discentes experientia quam vere Christus promiserit centuplum iis, qui ex ejus amore relinquerent omnia. Spirituales enim animæ consolationes incomparabiliter excedunt quasvis tempo- D raneas voluptates; atque adeo illis abundabant, ut corporis dolores non sentirent. Ipse vero sanctus Pater tenerrime filios quos in Christo genuerat, amabat; nec ferebat eos nimium affligi; quapropter votis eorum satisfaciens, onus gubernandi non deposuit quamvis id ipsi grave admodum esset. Nam ubi sincerus dominatur amor, nihil recusatur quod ex amore dilecti petitur. Numquam tamen cessabat S. Petrus instare apud Deum, ut ipse fratribus suis manu sua succurreret.

Hucusque dicta compendiose recapitulantur.

163 In his, quæ initio hujus historiæ scripsimus, vitam sancti nostri Commissarii et Fundatoris exhibitam habemus. Nec præter hæc superest quod dicamus; quamvis pauca sint, spectatis iis, quæ dici potuissent, si viri hujus Provinciæ in scribendo diligentiores fuissent, magisque solliciti de servanda memoria rerum a servo Dei gestarum. Ast quasi male nos ad credendum paratos ominassent, quidquid ad Reformationis historiam spectat, tempori commiserunt, quod multa supressit, pauca servavit. Oblivioni tamen, generatim saltem loquendo, dari non potuit quomodo ad religionem fuerit vocatus, quantum res terrenas de- E spexerit, quæ virtutum exempla dederit sive dum tiro, sive dum junior in religione esset; id quoque novimus in genere nihil ab eo prætermissum, quod ad perfectionem consequendam faceret; in vigiliis, in oratione, in choro omnibus exemplo præivisse; in jejuniis et abstinentiis non solum assiduum sed mirabilem; cibo utentem spirituali multo magis quam corporali. In mortificationum et pœnitentiarum cunctos superabat rigore, sicut et obedientiæ promptitudine, in ferendis injuriis patientia, cellæ custodia, vitæ recollectione, conscientiæ puritate, sensuum abnegatione. Inconcussus stabat inter difficultates; firmus in propositis; verbo excellebat humilitate, charitate, omni denique virtutum exercitio. Quibus omnibus brevi tempore tanti inter fratres meriti apparuit, ut, simul ac per ætatem licuit, in prælatum eligeretur; quo in munere alterum se Moysen exhibuit prudentia, mansuetudine, zelo gloriæ Dei, salutis animarum et amplificandæ religionis. In perficienda vero reformatione, quam primi illi patres in Hispania susceperant, magnus ejus præcipue eminuit animus, dum tot tantisque restitit contra- F dictionibus; quas inter prætcrea innotuit copiosa ejus sanctitas, sicut et ingentia merita, virtutumque thesaurus, unde veluti ex fonte quodam illa ad nos usque promanarunt: ita scilicet divina ordinante providentia, ut perfectionis semina primitus immissa deinceps in posteris dilatentur et multiplicentur. His donis instructus per quadraginta septem omnino annos vixit Sanctus ille Vir, Deo electus, non ut, sicut quondam patriarchæ, naturales filios veram fidei et beatitudinis semitam doceret; sed filios spirituales suos informaret ad regularis vitæ perfectionem, ad pœnitentiæ et orationis exercitium. Exposui ejus vitam, variosque narravi eventus, non servato ordine temporis, sed promiscue, prout scribenti se mihi obtulerunt, ne narrationis series frequentius turbaretur. Jam quædam de ejus morte dicamus.

A

Cap. XVIII. *De morte S. Fr. Petri de Alcantara, felicique ejus ad cœlum absque purgatorio transitu.*

Quo statu esset Reformatio sub finem vitæ S. Petri.

Antequam moreretur vidit sanctus Petrus suæ Reformationis incrementa, erectam provinciam, firmatumque institutum. Hoc tempore ultra duodecim numerabantur conventus fundati, pluresque alii inchoati diversis in regionibus; duæ erant custodiæ in Gallæcia et in regno Valentiæ. Quemadmodum planta generosa, palmites suos extendebat usque ad mare, umbra sua contegens Dei servos; quorum alii spem faciebant futuræ sanctitatis, alii jam perfectionem attingebant, viri orationis, mortificationis, zelo ardentes atque in via spirituali præclare exercitati. Horum exemplo illecti plures rursus sæculo valedicentes, in novum hunc salutis portum se receperunt. Crevit fidelium devotio; movebat ipse Deus principum et populorum B corda, qui sancto Viro undequaque in conventuum fundatione succurrebant.

Cupit dissolvi et esse cum Christo.

165 Hæc sane omnia magno ei erant solatio, dum videret vanam non fuisse spem suam, optatamque se pervenisse ad metam. Jam triginta effluxerant anni, ex quo præesse cœperat ea cum ædificatione, qua diximus; multosque interea sociorum suis veluti ex manibus in cœlum præmiserat, non tamen, quin sorti eorum invideret. Quare instanter Dominum deprecabatur sanctus Senex (annos habebat sexaginta tres) revocari ab hoc exilio, Beatorumque frui consortio. Quamvis enim ex sancta Teresia, cœlitus edocta, didicerat, annum mortis suæ, ut ipsa declaravit; diem tamen tunc ignorabat, qui postea tantum revelatus ei fuit. Unde et perpetuo desiderio tenebatur moriendi: summum enim illud bonum, quod justi vita mortificata et laboriosa obtinere satagunt, in morte absconditum latet; cum hæc sit, quæ introitum præbet in regnum æternæ beatitudinis et quietis: nihil proinde mirum, illis horam supremam in votis adeo esse. Noverat singulis diebus tempus migrationis propius instare; hinc magis magisque orationi et contemplationi vacabat, ut vel ullo C momento Deum præsentem sibi non haberet, cujus fruiturum se gloria proxime sperabat; nisi dicamus Sanctos jam in hac terra et medias inter molestias illa jam partim gaudere.

Morti proximum se sentit.

166 Præclara multas inter, easque graves infirmitates et dolores, quibus continue fere afflictus vixit, specimina dederat patientiæ; hæc tamen præcipue in extremo morbo eminuit. Sentiebat vitæ instare terminum. Consuetis malis, quæ sufficientia fuissent consumendo corpori robustissimo, accessit aliud natura sua satis leve, speciem præ se ferens febris, ac paulatim vires exhauriens; nec vero graviori opus erat ad extinguendum quod vitæ reliquum ex pœnitentiis remanserat *a*. A Deo se exauditum intelligebat, crediturque tunc illi mortis horam revelatam, ut ipse cum jam proxime immineret, nec jam timenda vana gloria aut superbia esset, haud obscure declaravit.

Transfertur ex conventu in valetudinarium.

167 Medici et fratres, malum videntes ingravescere, anxii valde detulerunt eum in valetudinarium, in oppido de Arenas, semi leuca a conventu, situm; quod ibi et commodius curari et a medicis facilius visitari posset. Eo pervenit multum defatigatus et fractus, statimque lecto impositus est. Fratribus signum id fuit exhaustarum penitus virium: alias enim numquam adduci potuerat ut lectum teneret. Eodem in statu mansit aliquot dies, quin tamen omitteret recitare magna cum devotione sanctum officium, quo videbatur se sustentare, novasque animi et corporis sumere vires: nam ad sacram mensam accedere aut audire sacrum non poterat, quod necessaria ad celebrandum ibi deessent.

Auctore Joanne a S. Maria.

Fratres suos consolatur.

168 Accedentibus angoribus, doloribusque crescentibus, viribus penitus destitutus, decumbere cœpit, jam nullus dubitans supremam instare sibi horam. Anxii certatim accurrebant fratres sive ut eum visitarent, sive ut ei inservirent. Lacrymis suffusi, frustra eas dissimulare tentabant. Ipse vero eorum animadvertens mœrorem: Nolite, inquit, filii, flere; tempus est ut Dominus mei misereatur. Vestri non obliviscetur: jam ego non sum necessarius. Adhibebant remedia, nec raro ingrata valde; quorum licet notam haberet vanitatem, singula nihilominus lubens acceptabat: erant enim seges meritorum, quibus nec suprema hora frustrari volebat. Ad vesperam cum peteret viaticum, rogaverunt ut in crastinum differret. Totam itaque hanc noctem sicut et partem diei sequentis in oratione peregit, cum lacrymis et corde contrito veniam petens peccatorum totius vitæ; non secus ac si delicta gravia eaque multiplicia commisisset, cum annos sexdecim natus religionem ingressus, modo, quo diximus, sanctissimo, alios quadraginta septem in ea vixisset. Frequenter cum Psalmista ingeminabat: Amplius lava me ab iniquitate mea, ut mundus coram te compaream, qui neminem nisi mundum amanter recipis. Tanta hæc postulabat spiritus contentione tantisque suspiriis, ut audientibus devotionem moveret et confusionem. Castiga me, Domine, exclamabat; sed exhibe misericordiam; spero per merita passionis tuæ salvum fieri. Spectaculum profecto quod terrorem incutiat in deliciis et voluptatibus vitam agentibus; videre scilicet virum, qui perpetuo tantæ, tam asperæ, tam rigorosæ pœnitentiæ deditus, ut pellis vix ossa contegeret, tantopere sibi timentem, gementem et peccata sua deflentem; quid ergo tot tantorumque conscius faciat? Accedebat frater, qui eum cooperiret diligentius quod frigore constrictum videret: Per amorem Dei, pater, inquit, cooperire te sinas; jam enim mortuus potius quam vivus es. At ille: Sine me, respondit, fili; adhuc enim periclitor: si cedri Libani contremiscant, quid faciet minuta arundo? Rursus si is, qui vix noverat quid esset peccatum, et præterea tantam pœnitentiam egerat, adeo sibi timeret, dum appropinquaret tempus reddendæ rationis; quid expectandum habet ille, non solum qui nullam exercuit mortificationem sed et multa commisit peccata?

E

Psal. 50.

F

Suscipit Viaticum.

169 Jam dies elucescebat, et simul cum eo tempus destinatum præmio tot meritorum et pœnitentiarum. Præparant fratres cubiculum, adornantque, quam optime fieri poterat, altare; monent oppidi parochum, qui stipatus magna et devota multitudine, sanctissimam detulit Eucharistiam. Lugebant omnes se patre suo (ita enim et vocabant et qua talem venerabantur) quam primum orbandos. Ipse autem (quamvis ita exhaustus viribus esset, ut nec in lecto movere absque alterius auxilio se valeret) ut tamen divinum suum advenientem conspexit Servatorem, nullo juvante, nisi ipso Domino, in genua se projecit, manusque tanto cum ardore junxit, ut cubili exilire obvius velle videretur; totus scilicet inflammatus ejusdem Domini sui amore. Intimo cum devotionis sensu, multisque

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

multisque cum lacrymis eum adorans, Panem vitæ æternæ recepit. Facies ejus tantam spirabat venerationem tantumque devotionis ardorem, ut exinde adstantes omnes incredibiliter commoverentur. Accepto sacro Viatico, in animæ suæ, vias æternitatis ingredientis, sustentaculum, sacerdotem parochum rogavit, ut suo tempore extremam administraret Unctionem, quo valentior puriorque coram judice suo appareret. Diu oculos defixos tenuit in crucifixum; ardebat amore vultus ejus; anima gaudebat beata quietudine et tranquillitate; totus in Deo manebat absorptus, nec id exiguo per intervalla tempore; jam frui incipiebat summo bono, quod tam ardenter anhelabat. Advenit medicus, qui ejus curam gerebat, multumque cum eo versari solitus erat. Postquam venæ pulsum explorasset: Quando, ait illi Vir sanctus, via ineunda erit? Valde cito, pater, respondit: sciebat enim quanta ei accederet lætitia ex instantis mortis nuntio. Vix illud audierat, cum gaudio et jubilo abreptus exclamaret: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Beati qui habitant in domo Domini; in sæcula sæculorum laudabunt te. Verbis ex medico auditis delectabatur, non quod ignoraret horam, sed quod singulari gaudio afficeretur, quoties de ea sermo incidebat; ex quo quidem animæ se prodit securitas, et signum habetur certissimum fiduciæ qua patriam versus tendebat.

Ps. CXXI. v. 1. Ps. LXXXIII. v. 5.

B

Oleo infirmorum inungitur.

170 Ad vesperam ejusdem diei rediit parochus invisendi eum causa; atque discedens, anxium valde se ostendit de ejus valetudine, atque mox se rediturum promisit, ut simul cum ipso cæterisque fratribus in valetudinario noctem transigeret. Valeas, respondit Sanctus; cœna et quiesce absque sollicitudine; hora quarta matutina expectabo te, ut extremam mihi administres Unctionem. Erat tunc hora quinta vespertina. Abiit bonus ille parochus; somno tamen præ anxietate vix uti potuit. Primo mane surrexit, et hora quarta redux erat, ut petierat infirmus, addens se ante sextam non moriturum. Adeo perspecta habebat tempora et momenta! Dum adveniret parochus, omnia parata jam erant; ipse aliquantulum se recollegit, recepitque ultimum hoc sacramentum ea cum devotione et reverentia, et simul ea mentis præsentia et integritate quasi sanus fuisset, ut adstantes omnes in admirationem raperentur. Dixisses non eum esse qui morti proximus foret, sed potius, qui sacramentum exeuntium ministraret. Recitabat psalmos et preces; orationibus respondebat, et si quid non recte fieret, emendabat, non secus ac antea cum fratribus agere solitus erat. Deinde spiritum paupertatis, quo semper imbutus vixerat, præclare manifestavit, volens ita omnibus destitutus mori, ut nihil prorsus reliqui faceret, et corpus non aliter vita excederet quam maternis ex visceribus in eam intraverat. Itaque in manus guardiani remisit quidquid haberet, quod profecto exiguum erat; imo vero aliud nihil, nisi vestitus omnibus communis: toga nempe, chorda et femoralia. Rogavit nihilominus et quidem per Jesu Christi amorem, ut veste, qua fieri posset, involutus vilissima, terræ mandaretur; ast, quamvis diu quæsiverint Fratres, non aliam magis invenerunt pauperem ac detritam.

C

Ultimum suis valedicit.

171 Mortem ei famulari dixisses, quam, ut ex verbis apparebat, tanta cum animi pace et æqualitate præstolabatur, ut, qui eum videbant, vix crederent illam ita ex propinquo imminere; talem spirabat facies serenitatem. Nec solum de morte loquebatur, sed et indiscriminatim de aliis negotiis, de quibus rogabatur. Non absque intima præcordiorum commotione circumstantes intuebantur sanctum illum Senem, jamjam in procinctu ad æternitatis ineundam viam, ea securitate donatum; nec vel levissime dubitabant, quin recta ad cœlum tenderet. Omnes filios suos vocabat et fratres; valedicens amplexus omnes est eisque benedixit. Tum vero lacrymæ ex oculis uberrimæ fluebant; nec immerito; amittebant namque patrem, pastorem, magistrum et fundatorem, qualem se non jam usquam inventuros sperabant. Ipse interea gaudio replebatur, quia hora discessus et resolutionis appropinquabat. Utique dilacerabantur corda, cum pater et prælatus tantum dilectus eripiebatur talibus filiis et subditis, quorum tam perfecta fuerat obedientia, tam tenera erat charitas: ast firmam nutriebant spem fore ut rursus se viderent in regno illo, ubi nulla amplius futura est separatio, nullus timendus discessus. Totus intra se recollectus, longo temporis spatio in hac beata quiete permansit, quin manum pedemve moveret. Optassem ego novisse quid tum in ejus anima fieret, quo posteris illud traderem. Ast abscondita remanserunt.

D

E

Apparent ei beata Virgo et S. Joannes Evangelista. Moritur.

172 Per totam vitam suam beatus Fr. Petrus devotissimus fuerat sanctæ Mariæ Virginis et sancti Joannis Evangelistæ. In supremo morbo, vicissim auditus est loqui modo cum isto, modo cum illa; visumque cubiculum lucidum, ita ut non auderent intrare. Nec mirum: si in vita cum eo tam familiariter agerent, quis dubitet hora mortis illos ei assistere voluisse? Quod cæteroquin ipse satis circumstantibus declaravit, cum, ex præfata quiete sibi redditus, dixerit: Non videtis, filii, adstantem hic sanctissimam Trinitatem, cum sancta Virgine et glorioso Evangelista? Brevi post medius in tam beata societate, repetens verba psalmorum, inter brachia filiorum, quibus tamquam pater et magister moriendi normam exhibebat, animo perfecte pacato, veluti qui placidissime obdormit, benedictam animam creatori suo reddidit.

Pretiosa mors Sanctorum.

173 Et recte quidem dixerunt qui ita nobis ejus transitum reddiderunt. Sancti enim non moriuntur: finis eorum somnus est in Domino quiescentis. Oculis nostris moriuntur; ast vitam adeunt semper duraturam, morte carentem; quæ et possessio est secura, permutatio miseriarum cum summo bono, ingressus in gaudium Domini sui. Ingrediuntur autem ut Domini et principes sint, qui laborarunt tamquam boni mercenarii et fructum quæsierunt ex talentis sibi concreditis. Dicit sacra Scriptura sanctos mori plenos dierum et in senectute bona, significans nihil in illis vacuum fuisse, nec quidquam in senectute languidum nec in morte fœdum aut ignominiosum; sed, cuncta cum terminum vitæ attingunt, plena et perfecta. Vox *pleni*, integritatem magnam indicat in hora mortis, juxta illud Davidicum: *Et dies pleni invenientur in eis*: non quod diuturniore donentur vita (cum improbos plures videamus ad provectiorem pervenire ætatem); sed quod videant adimpleta proposita sua, fructus laborum, et molestias versas in gloriam. De reprobis vero scriptum est: *Quia non dimidiabunt dies suos*. Quamvis enim cornicum superarent vitam, aut Nestoris excederent annos, dimidiatos habebunt dies; quod numquam perveniant ad terminum inordinatarum cupiditatum, nec finem videant desideriorum suorum.

F

Ps. LXXII. v. 10.

Petrus vivit in filiis suis.

174 Noster vero sanctus Prælatus ad optatam eluctavit metam, supervivens in filiis suis; cum fundatores Religionis aut Reformationis quasi caput sint familiæ, et ædificatores domus seu origo principatus,

A principatus, quæ perdurant in posteris et successoribus. Aliud nihil est frater sancti Francisci, nisi Franciscus vivens et dispersus. Somnolentus, piger, negligens in regularum observantia, et qui velut mortuus in Religione versatur, injuriam facit sancto fundatori. Ast hæc missa faciamus, et redeamus ad corpus in manibus filiorum relictum, sicut quondam Eliseus in cœlum sublatus, discipulis suis reliquit pallium suum. Anima ejus tam decora exiliens e cœno corporis, veluti candida columba evolavit recta ad cœleste habitaculum, quin purgatorium pertransiret, ut affirmavit sancta mater Teresia, cui post mortem pluries apparuit, ejusque animam vidit in comitatu aliorum Sanctorum, splendore circumdatam, donec rursus conjungatur corpori in æterna beatitudine, ut quod laborum particeps fuit, etiam sit meritorum et gloriæ consors.

Specie ejus post obitum externa circumstantes incredibiliter delectantur.

175 Hora illa suprema apparuit cubiculum undequaque singulari claritate resplendens, atque cœlesti suavitate perfusum. Facies ejus visa est decora magis et lucens, quam dum viveret, imo nemo mortuum eum judicasset. Nec mirum; cum oculi, quos per totam vitam closos tenuerat, B hic aperirentur et fulgerent quasi stellæ lucidissimæ. Reliquum præterea corpus, manus, pedes, qui antea asperi et sicci tamquam radices erant, vividi coloris et valde flexibiles facti sunt; totus denique venerabilior et speciosior apparuit, quam dum vita frueretur. Omnes accesserunt tangentes eum, osculantes pedes et manus, venerationem corpori et reliquiis quasi Sancto exhibentes. Nec parva opus fuit custodia, quo tutaretur a turba irruente, ejus videndi cupida. Singuli quærebant aliquid secum ab eo asportare. Ægre se amoveri patiebantur loco, quo stabant, ob ingentem, quam ex ejus visu et contrectatione hauriebant, consolationem. Non terrent corpora sanctorum aspicientes, imo eos confirmant: quos enim cœlestis sponsus vigilantes invenit, non moriuntur, sed obdormiscunt, eorumque aspectus delectat; quod utique indicium illius est benevolentiæ, qua ab excelso solio suo nos intuentur. Lamentis hoc momento miscebantur lætitiæ et jubilationis voces: alii quippe exultabant tam sancti spectaculi testes; alii suam deflebant orbitatem.

Dies et annus mortis S. Petri.

176 Nullum condiderat servus Dei testamentum, nullam relinquebat hæreditatem: nam, ut C diximus, erat pauperrimus, nec quidquam omnino possidebat. Beatus ejus transitus contigit die Dominica mane, festo sancti Lucæ, anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, ætatis sexagesimo tertio. Sane miraculi instar est quod tamdiu vitam protraxerit, tam aspera, tam continua utens pœnitentia: quo quidem egregie refelluntur, qui timent ne pœnitentiarum usu mortem accelerent. Toto illo die fratribus cibi et potus loco lacrymæ fuerunt; nec apud plerosque illæ cessassent, nisi firmam habuissent fidem sanctum Fratrem suum in cœlis regnare, et pro se apud Dominum intercedere.

Claret miraculis.

177 Statim cœpit divina majestas ostendere quam grata sibi defuncti virtus esset, operando ejus intercessione varia miracula, ut indicio hæc forent, qua fidelitate divinam sanctus Prælatus adimplesset voluntatem, et simul etiam declararent, quod, qui ita ministerio suo in ecclesia funguntur, quamvis, ut quondam SS. Petrus et Paulus, aurum et argentum aut alias divitias non habeant, virtute divina prædita maneant eorum corpora defuncta ad sanandos ægros, et erigendos afflictos. Una omnium vox est, sive in morte sive post eam plurima ejus invocatione contigisse miracula et prodigia, quæ utique novisse singillatim vehementer optaremus, nec proinde absque ratione coævos negligentiæ rursus insimulamus, quod tantarum rerum tam exiguam nobis reliquerint memoriam. Brevi adfuit omnis totius oppidi populus, nihil retardantibus nec viarum asperitate, nec aeris inclementia, nec ipsis continuis pluviis. Quibus datum erat, intrabant, corpus contemplabantur, nec discedere volebant, nisi postquam illud osculati, aliquid reliquiarum tenerent. Coronas seu rosaria admovebant speciali cum devotione.

Defertur funus ex valetudinario in ecclesiam non absque prodigiis.

178 Depositus in feretro erat servus Dei ad valetudinarii introitum donec alio deferri per tempus liceret. Jam advesperascebat, populusque diffl uere incipiebat; faces et lumina accendebantur; et miraculi instar fuit, quod, dum sanctum corpus deduceretur, cessaverit pluvia, nec per totam viam vel unica ceciderit aquæ gutta, (licet alibi ne momento quidem desineret) donec ad ecclesiam conventus perveniretur, quam cum intrassent, continuo rursus cecidit pluvia. Cæterum nullus in toto oppido fuit, qui, modo incedere posset, non comitari funus voluerit. Illud quoque viri graves maxime singulare habuerunt quod, quamvis aeris E tanta esset commotio, nulla fax, nullus cereus aut candela extincta sit; imo, quod utique magis adhuc mirandum, affirmant iidem ceram intactam permansisse tota via, scilicet per semi horæ et amplius spatium, eo quod ob circumfluentem turbam gressum accelerare non liceret. Post ingressum in ecclesiam, renovatus dolor est omnium et luctus. Primus cantus lacrymæ fuerunt et gemitus: fratres, deflentes patris sui et magistri jacturam, cantare non valebant; sæculares respondebant clamoribus et lacrymis, similiter et pauperes atque afflicti; nec immerito; siquidem omnes irreparabile patiebantur damnum: alii orbati patre, alii benefactore, omnes perpetuo et efficaci in miseriis et doloribus remedio. Atque ita sancti Viri funus circumstabant in hac terra tristes, dum beata ejus anima in cœlum inter lætitiæ et jubilationis cantica reciperetur.

Deponitur corpus juxta altare.

179 Aperto sepulturæ ad altaris suppedaneum loco, paulisper ab aliis separato, corpus eadem qua vivus utebatur, veste contectum deposuerunt, consuetum cœremoniarum servantes ordinem, vel, ut verius dicam, quin ullus servari posset ob infinitam multitudinem, quæ undequaque in corpus F irruebant, beatos se existimantes, quibuscumque accedere aut illud tangere contingebat. Dein magna cum reverentia terræ mandatum est. Ast, licet de ejus non dubitarent sanctitate, sepulcrum, non secus ac aliorum, cooperuerunt diligenterque clauserunt; ita scilicet fratres sibi prospectum volebant, timentes ne hinc sacrum depositum levaretur. Nec id sine numine factum apparuit, cum quarto post anno corpus integrum repertum sit, Domino ita servum suum coram hominibus glorificante, ut infra reddemus proprio suo loco. Hic referemus res quasdam memorabiles, quæ post felicem ejus transitum contigerunt, nec obliteratæ fuere oblivione.

ANNOTATA.

a *Quod hic dubia voce redditur*, P. F. *Laurentius diserte* acutam febrim *dicit. Notandum hoc etiam loco est haud pauca prætermitti a* P. Fr. Joanne *a* S. Maria. *Decumbere cœpit B.* Petrus *in conventu Viciocæ; inde delatus est in domum comitis de Oropesa, ubi ab hujus famulis multa sustulit opprobria. Tandem*

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

Tandem Arenas defertur, ubi, brevi tempore ad extrema redactus, pretiosa coram Domino morte sanctissimam coronavit vitam. Confer posteriorem vitam a nobis editam lib. v ab initio.

Cap. xix. *De miraculis, a Deo post mortem patratis, per merita servi sui fratris Petri de Alcantara.*

Claret ejus sepulcrum miraculis.

Ut constet pœnitentias et mortificationes sancti hujus Viri, nec temerarias, nec ex præsumptione aut præpostera inter fratres suos eminendi cupiditate ortas, sed potius ex Spiritus sancti inspiratione, nobisque exemplo futuras; referam quædam miracula, quæ post mortem contigerunt, ex quibus appareat ejus vitam Deo acceptam fuisse. Hæc enim obtenta per merita Servi sui, reconditi in conventu sancti Andreæ de Monte in Arenas, tam celebre ejus reddiderunt nomen, ut B longe lateque fama per vicinas regiones diffunderetur. Undequaque ad sepulcrum accurrebant, atque ibidem in genua provoluti, Sancto se commendantes, sanitatem obtinebant a variis languoribus. Alii pedibus incedere non valentes, magna cum fiducia mittebant, qui de terra sepulcri aliquid secum asportarent, quo dein ægris imposito, morbi evanescebant; ut constat ex testimonio et relatione fide dignorum, sicut et ex informatione juridica, post plures a morte ejus annos habita auctoritate DD. Laurentii Otaduy *a*, episcopi Abulensis, in cujus diœcesi reperitur conventus, in quo asservatur sancti Viri corpus *b*.

a *b*

Sanatio ab hernia.

181 Thomas Rodriguez, ex vicinio Arenæ, duplici hernia utrimque disruptus erat, ut intestina foras prodirent. Perpetuo ejus audiebantur præ dolore clamores et gemitus. In mentem matri venit, quippe quæ fratribus valde devota, filium, quoquo modo liceret, deferre ad sepulcrum sancti Petri, a cujus meritis sperabat remedium tam atroci martyrio. Rem cum ægro communicat, qui jumento impositus, non sine gravi dolore, viæ se dedit. Vix ad locum pervenerat, cum subito viscera introrsum redierunt, atque tam perfecte sanatus est, C ut absque ullo labore pedes domum redierit.

Item alia.

182 Puerum, simili morbo affectum, voto se obligavit mater per novem dies ad tumulum portare. Sepulchro impositum multo cum fervore cœpit sancto Petro eum commendare. Quadam die cum ex devotione ecclesiam verrit, videt filiolum assurgentem, atque discurrere incipientem. Lætitia exultans, subito projicit scopam, apprehensumque parvulum undequaque valentem reperit.

Tibia diffracta restituitur.

183 Alphonsus Sanchez, habitans haud procul a loco dicto Cuevas, crus fractum habebat per mediam tibiam; tantosque patiebatur dolores, ut nec movere illud posset, nec ullo modo attingi permitteret. Jam multo tempore magnas solverat expensas medicis et chirurgis. Remedia nedum minuerent, potius dolores augebant. Quinimo chirurgus male dexter altero loco tibiam fregerat. Verbo insanabilis habebatur, nec ullo momento quietis gaudebat. Derelictus ab omnibus, ad cœlum confugit. Audierat multa operari miracula per merita sancti Fr. Petri; unde et fiducia exorta obtinendæ salutis, si ejus sepulcrum adiret. Voto itaque se obstrinxit, atque ad conventum deferri voluit. Adfuit die festo, quo magnus erat hominum concursus. Confessus et Eucharistia refectus, D auditoque multa cum fide sacro, visitavit sepulcrum, fulcris ligneis innixus, atque adjutus a circumstantibus. Quo cum pervenisset, fassus est talem se in anima expertum consolationis abundantiam, qualem nusquam antea aut post hæc, ut nec præ devotionis affectu loqui valeret. Omnium in conspectu pedem solo imposuit, atque ope fulcrorum assurrexit; moxque comperiens illis non amplius se indigere, cœpit incedere, ac tandem ecclesia egressus est sanus et valens, omni liberatus dolore et angore, relictis ibidem fulcris quibus sustentare se solitus erat. Tam notorium hoc miraculum fuit, ut et qui cum illo venerant et alii multi ex circumstantibus præ gaudio flerent, gratias Domino nostro agentes, quod talia operaretur per merita S. Fr. Petri.

Brachium paralysi solutum.

184 In ipso oppido de Arenas, a pluribus annis Eleonora Gonzalez paralysi constrictum gerebat brachium et humerum dextrum, nec manum movere poterat. Audiens quæ Dominus operaretur per intercessionem Sancti sui, quantaque fiducia omnes ad eum recurrerent, magno animo et ipsa statuit per novem continuos dies ejus adire tumulum. Cœpit et perseveravit multa cum devotione. E Ultimo die, dum oraret, extendit se super sepulcrum ex qua parte afflicta erat; et ecce subito surrexit perfecte sana, brachio morbido utens non secus ac altero.

Matrona similiter liberatur a paralysi.

185 Simile quid contigit D. Ludovicæ de Villagra, in loco Higuera nuncupato, in diœcesi Abulensi. Toto corpore constricta et quasi stupore quodam affecta jacebat. Frustra quævis tentata remedia. Magna tum fiducia ad sanctum Petrum confugit; sepulcrum ejus adiit, in eoque supina procubuit; atque illico sanitati restituta, deinceps nullum sentiit dolorem.

Item altera mulier.

186 Alia item mulier ex Ornillo, in vicinio Arenæ, eodem morbo laborabat ex brachio et crure, nec incedere aut comedere poterat nisi alienis adjuta manibus. Illam ad sancti Petri reliquias perduxerunt, ut novemdialem inchoaret devotionem. Qua ne peracta quidem, evanuit malum, ut deinceps et incederet, et propriis manibus cibum quantum vellet, caperet.

Puer variis morbis constrictus sanatur.

187 Uxor Martini de Frias, in vicinio item Arenæ, filium habebat paralyticum, qui nec via ordinaria alvum dimittere poterat, acutissimos exinde F sufferens dolores. Obtulit eum mater sancto Petro, hujusque ad tumulum cum filio accessit Quo facto radicitus sanatus domum pedes remeavit.

Infans, jam non vix mortuus, sanitati restituitur.

188 Franciscus Hernandez de Paredes, fratribus imprimis addictus, filium habebat valde infirmum, cui propter infantilem ætatem ordinaria remedia incassum cedebant, ingenti parentum cum luctu. Tandem quicumque eos invisebant, jam aliud non agebant quam ut hortarentur ad parvuli mortem patienter ferendam. Adfuit guardianus conventus, socium habens secum fratrem Franciscum a sancto Antonio, sacerdotem parentibus notissimum. Quos cum intrare viderent, judicabant omnes puerulum decessisse, eosque venisse ut consolarentur afflictos. Aliquandiu cum patre et filiolo manserunt, illius quantum poterant lenientes dolorem. Itaque Fr. Franciscus tum filii, tum patris, sibi carissimi, misertus, guardiano dixit, se, cum bona ejus venia, crastina die summo mane dicturum sacrum, invocaturumque sanctum F. Petrum, et sperare fore ut hujus meritis a Domino impetret sanitatem. Parentes, licet parum confiderent parvulum tamdiu superstitem futurum, gratias maximas agunt. Non animo cadit sacerdos; mature

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

A mature surgit; sacris operatur, sancto Petro puerulum enixe commendans. Tota nocte parentes juxta filium vigiles permanserant. Redit, illucescente die, guardianus, videtque puerulum oculos, quos jam ut mortuo clauserant, aperientem; mox recludit etiam os, incipitque movere corpusculum, tandem oblatas sugit mamillas; atque ex hoc momento recte habet, ab omni febri liberatus; quod et ipse agnovit medicus, stupentibus circumstantibus qui jam mortuum judicarant puerum; nec dubitabant tam insperatam sanitatem meritis et intercessioni Servi Dei tribuendam.

Mulier, ex crure valde laborans, convalescit.

189 Catharina Vasquez, ex oppido Mombeltran vocato, tantos patiebatur ex crure dolores, ut movere illud non valeret. Diu hoc malo jam laborabat, adhibitis nequicquam quibuscumque remediis. Tandem servo Dei se commendat, utque potest, deferri se curat ad ejus sepulcrum, atque ibidem multa cum fiducia et devotione prostrata aliquantisper manet preces fundens. Denique exsurgit ita sanitati restituta ut deinceps nullum similem experta dolorem sit.

Puella, pluribus vexata morbis, recuperat sanitatem.

190 In ipso oppido de Arenas, Balthasar de Frias filiam habebat acerrima correptam febri, aliisque vexatam malis, quæ, quotiescumque B recrudescebant imminenti eam objiciebant vitæ discrimini; adde obstructiones et virium defectum, ut commovere se haud posset, nec halitum ducere, et jamjam suffocanda videretur. Ita per plures dies afflicta jacuit, mœrore confectis parentibus. Tum pater medico: Fierine potest, inquit, non dari remedium isti puellæ, quæ singula hora quasi moritur? Cui ille respondit: Hujusmodi malis, tamque ardenti febri, quæ ipsa pervadit ossa, non est remedium nisi de cœlo: quidquid ars medendi possit, jam tentavimus. Deo sit gloria, exclamat pater; confugiamus ad auxilium Sanctorum. Protinus vocat parochum, aliosque sibi notos enixe obtestans ut filiam ad conventum deferrent, cum ipse præ doloris acerbitate eo ire non valeret, dicerentque sacrum, sanctum Petrum invocantes: magnam enim se habere fiduciam filiam ejus intercessione sanandam. Defertur itaque puella, quæ dum sacrum celebraretur, melius habere cœpit, ac tandem, licet morituriens advenisset, recessit sana, bene valens et alacris; viribus tamen adhuc debilitata. Magna fuit medicorum admiratio, ingens patris et circumstantium gaudium, quum viderent eam, C quam modo mortuam habebant, vivere omnique febri prorsus liberatam. Brevi post, integre convaluit, factaque est valida deinceps et robusta.

Joannes Fernandez ex mortis faucibus eripitur.

191 Joannes Fernandez, ex vicinio de Arroyo Castagno, febribus, diarrhæa aliisque laborans morbis, morti erat proximus. Desperabat medicus, cum sanguinis pulsum non amplius perciperet, jamque agebatur de paranda depositione. Tum vero, sive sponte, sive alio monente, morienti in mentem venit ad sanctum Fr. Petrum confugere, ejus intercessione a Deo levamen et sanationem deprecare; quod cum fecisset et videret prospere rem succedere, voto se obstringit, si sanitati restituatur, visitandi sepulcrum, ibidem ad sacrum tribunal sanctamque communionem accedendi. Statim melius habuit, febris recessit, et ubi paulo convaluisset amplius, votum solvit, et rediit perfecta gaudens sanitate.

Plura alia patrata miracula.

192 Solent etiam sancto Fr. Petro se commendare pro recuperandis rebus amissis; et constat plures, cum fiducia ad eum recurrentes, invenisse quæ perdita dolebant. Multa alia miracula vel similia vel diversa Deus operatus intuitu meritorum et intercessione Servi sui est; quibus utique declaratur quam grata fuerit ejus vita, quanta in cœlis ejus anima gaudeat gloria. Pauca hic referemus, aliis prætermissis, de quibus ob documentorum penuriam non satis constat.

Aperitur sepulcrum.

193 Quarto anno post mortem ejus, pater provincialis Bartholomæus a sancta Anna cum aliis quibusdam religiosis ejusdem conventus, clam aperuerunt sepulcrum, corpusque fere integrum invenerunt, suavem spirans odorem, et liquore, olei speciem referente, perfusum. Provincialis minuta quædam ossa simul cum carnis particulis et vestium fragmentis abstulit, mandans, nescio qua mente, sepulchro calcem et aquam infunderent atque deinde rursus cooperirent. Aliud ex his ossibus conventui reliquit, cætera distribuit incolis illius regionis, quorum nota religio erat. Magno in pretio illis hæc fuerunt, atque ut reliquiæ habita. Præfatum os solent Fratres aquæ immergere, hanc deinde ægris ad conventum venientibus et devote petentibus exhibent potandam, non sine multorum solatio. Pauca seligam a viris fide dignis relata, ex quibus cætera, quæ longius esset hic recensere, facile colligentur.

Petrus Velasquez ope reliquiarum S. Petri a gravissimo morbo liberatur.

194 In oppido de Arenas, Petrus Velasquez de Cepeda tam extraordinario laborabat ventris fluxu, ut una die unaque nocte centies et amplius secedere cogeretur. Jam nec comedere, nec dormire, nec requiescere ullo modo valebat. Quidquid dimittebat, simile erat sanguini ex venis fluenti, vel, E rarius tamen, jam aliquantum coagulato. Exhauserant quotquot potuissent excogitare remedia, secando venam, purgando, adhibendo potiones pharmacis densatas, et alia similia; ast sine ullo prorsus effectu. Hoc in statu octo omnino dies permansit, acutissimos inter dolores. Quoties secedendum esset, moriturus videbatur; viribus exhaustus, vix manducabat; quod nihil nisi liquidum sufferret stomachus, ex quo malum etiam augebatur. A medicis desperato, quo se verteret nescio, occurrunt mirabilia, quæ Deus operabatur per merita sancti Fr. Petri. Mittit itaque qui per Dei amorem roget conventus guardianum aquam, cui immersæ reliquiæ fuerant. Quam ubi nactus erat, spondet primum magna cum fiducia et devotionis sensu se formam quondam ex cera tumulo appensurum; deinde haustum ducit, et ecce subito humoris malignitas cessavit, pacatus est dolor, in tantum ut assurgere posset. Viribus tamen destitutus adhuc remanebat; nihilominus sepulcrum licuit F adire; obtulit ceram, aliamque promisit, si plene convalesceret, addens singulis octiduis sicut et die, qui anniversarius est migrationis Liberatoris sui, cibaturum unum aliquem pauperem. Antequam domum rediret, petiit denuo aquam, qua saturatus, integre restitutus sanitati est; cujus testes habeo non solum ipsum et medicum, sed insuper quotquot ejus malum noverant, qui omnes uno ore mirabilem dixerunt hanc sanationem, atque potenti Dei manu operatum, intercedente Servo suo.

Eodem modo convalescit mulier ex jecore laborans.

195 Apolonia de Duegnas, uxor pharmacopolæ ejusdem oppidi de Arenas, horribiles patiebatur jecoris cruciatus; præterea febri continua vexabatur, idque a pluribus jam diebus; nec maritus in officina, nec medicus omni arte sua opportunum reperiebat remedium; exhausta erant quæcumque excogitari licuerat; malum invalescebat nec minimum remittebat febris. Tunc temporis percrebuerat maxime fama miraculorum ope præfatæ aquæ patratorum. Sibi aliquid ex ea asportari curat; bibit cum fiducia, et illico cessat dolor, evanescit febris, atque integram recuperat valetudinem.

 196 Alter

Item alterius sanatio a ventris fluxu.

196 Alter infirmus, ex Arroyo Castagno, morti proximus jacebat ex febri et ventris fluxu. Immobilis et vultu frigidus, a medico desperatus, quod toto corpore sanguinis pulsum non perciperet, extrema donatur Unctione. Nihil jam ab hominibus expectans, in Deum spem omnem figit, fidens intercessioni sancti servi ejus Fr. Petri; haud dubitans, quin, si ejus auxilium obtineat, sanus fiat. Subito redit sanguinis pulsus; melius valet; medicus cæterique adstantes miraculum inclamant. Sequenti die uxor conventum petit gratias Sancto redditura pro impetrato beneficio, et simul rogat vasculum aqua illa salutifera plenum; quam maritus cum potasset, brevi integras recuperavit vires, paucisque post diebus robusta usus sanitate est. Protinus miraculosa hæc curatio tota manavit regione; crevit in Sanctum fiducia, atque undequaque accesserunt aquam medicinalem petentes. Illo tempore eodem in pago mulier partus habebat difficiles; audiens de præfato miraculo, ex eadem aqua sibi afferri curavit: qua magna cum fiducia epota, abscessit febris, omnique liberata est periculo.

Alter ex apostemate in discrimen adductus, sanitati redditur.

197 Alphonsus de Arias, in oppido de Arenas, extremum in vitæ discrimen adductus erat ex apostemate in interiori gutture, quo fauces adurebantur ingenti cum dolore; præterea acri ardebat
B febri. Forte adveniunt duo fratres eleemosynam petituri. Ad ægrum accedentes uxorem summo in mœrore vident ob mariti periculum. Consolantur utrumque, seque missuros aquam reliquiarum promittunt, commendantes ut fiduciam haberent; sperare se fore ut sanitati æger reddatur. Abscedunt, aquam expediunt, quam cum ille hausisset, somni expertus desiderium est, et quiescens mox obdormivit aliquanto temporis spatio. Experrectus, apostemate dissipato, jam nec dolorem nec febrim habebat, atque brevi perfecte convaluit.

Mulier, jecoris morbo afflicta, Reliquiarum tactu liberatur.

198 Haud minus stupendum operatus Dominus miraculum est in gratiam alterius in eodem oppido mulieris graviter ex jecore laborantis ut præ doloris impetu ejularet. Nec pacari poterat, nec sine commiserationis sensu audiri. Forte in oppido versabantur tunc duo religiosi, qui cognitis cruciatu et afflictione præfatæ mulieris, accesserunt sublevandi eam causa. Alter secum habebat particulam ex carne sancti Fr. Petri, quam inconcussa cum fiducia, et multa cum devotione servabat, exper-
C tus quanta Deus operaretur prodigia intercessione sancti Servi sui. Cum tamen per decorum non liceret, ut ipse eas parti afflictæ admoveret, reliquias marito tradidit. Vix applicatæ fuerant, cum protinus dolores sedarentur; et brevi post comedit mulier et somnum cepit. Nemine non fatente subitam hanc morbi remissionem miraculi instar habendam

Frater quidam ardenti febri expeditur.

199 Frater Joannes de Leganes, in prædicto conventu degens, ardenti decumbebat ex febri; motus in sanctum Petrum devotione petiit per Dei amorem haustum sæpius dictæ aquæ, quam tanta bibit cum fiducia, ut omni liberatus brevi fuerit malo, nullo alio cæteroquin adhibito.

Petrus Sanchez morti proximus reviviscit.

200 Petrus Sanchez Userus, jam extremo inunctus Oleo, versus mediam noctem sui aliquanto magis compos factus, vocavit filium, indicans gratissimum sibi fore, si conventum peteret, aquam reliquiarum rogaturus. Hic amore motus erga patrem, quem cum morte luctantem videbat, protinus proficiscitur, pulsat tintinnabulum, janitorem excitaturus. Opportune quidem advenit, cum fratres jam in choro starent. Adest janitor, auditaque petitione, aquam dat. Summa erat morientis expectatio; quoties ad se redibat, num redux filius esset rogitabat. Denique adfertur aqua, D
bibit ex illa; et primum levatur, mox melius habet, denique, et quidem brevi post, qui jam prope extinctus erat, omnimoda gaudet sanitate.

Parvulus a lienis dolore liberatus.

201 Parvulus quidam morbo lienis graviter affectus jacebat; quamobrem ducitur a matre ad sepulcrum, eique imponitur. Jubet dein puerulum recitare salutationem angelicam ab initio ad finem; quam licet festinanter omnino pronuntiaret, vix ad finem pervenerat, cum jam malum recessisset, et ipse recte haberet.

Plures sanationes.

202 Doloribus dentium plures liberati fuere, visitando ejus sepulcrum et offerendo maxillam ex cera; alii levamen acceperunt, potando aquam reliquiarum; uno verbo tot sunt qui divinam virtutem per Sancti nostri intercessionem experti sunt, ut longius esset singula referre. Sunt et miracula innumera, mediante sacra illa aqua, a Domino patrata, nec solum in gratiam creaturarum ratione præditarum, sed et ea destitutarum.

Pecorum sanatio.

203 Alphonsus Sanchez de Jara, fraternitatis vinculo cum religiosis sancti Petri sociatus, gregem habebat caprarum, lue infectum, qua brevi, nullo juvante medicamine, occidebantur, non sine E
ingenti illius viri dolore, utpote qui alia non possideret unde viveret. Forte ejus domum ingrediuntur duo fratres; videntes eum adeo dejectum, erigere verbis suis tentant, suadentes præterea ut aquam ex conventu sibi comparet; qua si aspergat animal morbidum, fore ut videat mirabilia. Fecit quod jusserant, atque ex illo tempore, multos per annos grex intactus permansit. Postea ipse affirmavit, quoties aliquod morbi indicium perciperet, eodem se usum remedio simili cum effectu, aliisque consuluisse aquam illam adhibere, nec frustra eos consilio obtemperasse. Illa tempestate filia præfati Alphonsi nomine Maria, gravi febri oppressa jacebat, a qua, ope ejusdem aquæ, illico sanata est. Cæterum singulis quasi diebus similia contingebant morbidis pecoribus.

Aliud ejusdem generis.

204 D. Raphaëla de Jubera, haud procul ab Arenas habitans, manipulum habebat pullorum oculis captorum. Malum quidem haud insuetum, ex quo plerumque intereunt, vel saltem ita extenuantur, ut, judicio hac in materia expertorum, nullius sint proventus. Jam cogitabat matrona totam catervam extirpare; at recordatur vasculi aquæ cui sacræ reliquiæ immersæ fuerant, jam ab anno et F
amplius in arca quadam reconditi. Non parum crevit exin fiducia, quum dictam aquam nec corruptam nec turbidam videret. Cœpit itaque lavare pullorum capita, qui mox valentes apparuerunt, atque oculis sani, quasi nullo malo laborassent; nec dubitabat bona illa femina id contigisse per intercessionem sancti Petri, cui pullos suos commendaverat.

In duo prædicta miracula auctoris annotatio haud spernenda.

205 Forte erunt viri parum devoti, parumque res cœlestes capientes, atque ignari providentiæ, qua Deus regit omnia, et singulis se accommodat, qui cum supercilio hæc et similia audiant miracula. Ast considerent illi quod tam sapienter docet sanctus Gregorius in Dialogis, ubi respondet cuidam Petro, ejus interlocutori, occasione miraculi a sancto Bonifacio, dum adhuc puer erat, patrati; qui videns vulpeculam rapientem gallinam in prædio matris suæ, Deum precatus est ne talia permitteret; atque subito fauci erepta liberataque gallina est. Ad hæc vero Petrus mirari se dicit Deum exaudire orationes, quibus istiusmodi petuntur. Imo vero, reponit Gregorius, provide ita Dominus agit, quo spem concipiamus obtinendi majora,

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

A majora, dum adeo se liberalem exhibet in concedendis minoribus vel etiam vilibus. Ideo enim puerulo isti petita concessit, ut sciret qua cum fiducia liceret sublimiores sperare gratias.

Miraculorum adversus Anglicanos defensio.

206 Hæretici hujus ætatis, in Anglia præcipue, pro sua pervicacia, in Deum irreverentia atque erga homines insolentia, fidem adhibere renuunt testimonio virorum quantumvis gravium, quos ut miseros deceptores seductoresque traducunt. Ipsi utique commiseratione potius digni! Ut quid enim vos miseri obcæcatis? Ut quid nunc non creditis quod auditis et oculis vestris videtis? Quum olim in ipsa vestra patria, per intercessionem servorum suorum Deus tot ac tanta operatus sit miracula, ab omnibus credita et tanto in pretio habita? Hæc si considerarent, facile intelligerent quam præpostere, quam insensate rejiciant et exsibilent prodigia inpræsentiarum patrata. Legant (obtestor enim) venerabilem Bedam, virum quo insigniorem alterum terra illa non tulit, quique suo tempore apud omnes indubitatam obtinuit fidem. Hic vero libro tertio, capite quarto suæ Historiæ Anglorum *c*, plurima refert miracula; atque inter alia, regem Osubaldum (Oswaldum) tantæ fuisse B scribit sanctitatis, ut cœlum terræ eum invideret; Dominumque voluisse monstrare, quam grata ejus sibi fuisset vita, operando ad ejus gloriam plurima post mortem signa et prodigia. Dein addit speciatim, terram, ubi in pugna occubuit, singulari viriditate et auræ lenitate donatam, atque thesauri instar haberi solum illud, sicut et aliud, quo effusa aqua, sacris lavandis ossibus adhibita, est; ex omnibus Angliæ partibus accurri ut aliquid ex terra illa desumant, quæ in aqua soluta, potionem medicinalem præbet variis infirmitatibus sanandis idoneam. Nec profecto abbreviata hodie manus Domini est, nec imminuta potentia, quam in Servos suos expendat.

Translatio et elevatio sacri corporis.

207 Per multos annos corpus sancti Fr. Petri vulgari in sepulchro, in quo primitus depositum, remansit summa ab omnibus in veneratione habitum. Decursu temporis regionis circumjectæ incolæ sicut et fratres ejus religiosi, sibi revocantes in mentem miracula sive per vitam sive post mortem, ejus intercessione, patrata, cernentes etiam fiduciam populorum undequaque ad visitandas ejus exuvias accurrentium, visum est in locum decentiorem illas transferre, quod quidem C suadebat et vitæ sanctitas, et fratrum desiderium et fidelium devotio. Statuerunt ergo instare apud D. Petrum Theminum, episcopum Abulensem *d*, quo ejus auctoritate liceret transferre et elevare corpus sancti Viri. Benigne annuit præsul, utpote servo Dei valde devotus, nec ignarus ejus virtutum et miraculorum. Convenere itaque fratres simul cum patre provinciali et guardiano conventus: non enim volebant nimia cum pompa procedere, quod solcat in hujusmodi vitari ostentatio. Aperuerunt sepulcrum, et repererunt carnes partim corruptas, partim sanas et integras. Nam corpora Sanctorum, olim resurrectura in gloriam, generatim corruptioni obnoxia sunt, nisi speciali miraculo conservata illa Dominus voluerit. Ossa integra apparuerunt, blando perfusa liquore, suave olentia. Multa cum devotione et reverentia linteis candidis involuta, deponuntur in theca hunc in finem parata tanto, quanto per paupertatem nostram licebat, cum ornatu. Nemini prorsus rem patefecerant, veriti ne ab accurrentium turba sacras reliquias satis tutas tenerent. Erat in pariete juxta altare collaterale camera seu parva fornix. Huic imposita theca fuit sacras complectens exuvias. Omnium statim apparuit reverentia et devotio, nec pauci malis suis invenerunt, sancti Viri intercessione, remedium.

Quid, nostris temporibus, efficiat elevatio corporis.

208 Hæc elevatio non habenda est instar canonizationis. Quamvis enim sæculis elapsis, dum episcopi in sua quisque diœcesi levabant corpora eorum, quorum vita et mors sanctitatis opinionem præ se ferebant, canonizatio quædam putaretur, et sufficeret ad publicam venerationem præsertim martyrum; nostris tamen temporibus summus pontifex qui, quatenus caput est ecclesiæ a Spiritu sancto dicitur in negotiis ad universale bonum spectantibus, sibi reservavit tum beatificationem tum canonizationem servorum Dei *e*. Præfata tamen translatio et elevatio, utpote dudum optata, omnibus gratissima contigit. Nec enim decebat tanti pretii pignus sub terra latere; ast omnium exponi oculis, ut videntes lætarentur, quoniam ejus gloria in omnium cedit honorem, et præcipue hujus provinciæ quam et rexit et fundavit; imo vero et omnes regni nostri incolæ habent unde glorientur, siquidem aliquousque ad eos pertinet vir tam insignis: unde et omnes cum E singulari devotione et æstimatione prosequantur oportet, simulque sibi persuadeant, Deum ejus meritis et intercessione longe plures largiri gratias quam nos novimus. Sancti namque non solum publice, sed privatim quoque, patriæ suæ prospiciunt, suisque devotis ultra id quod cogitari vel suspicari potest, favent.

Scopus auctoris in scribenda S. Petri vita.

209 Ego vero metuens ne lapsu temporis penitus oblivioni darentur tanta prodigia, quæ Dominus in Servo suo et per eum operatus est (accedente præcipue obedientiæ mandato), calamum stringere ausus sum et pauca colligere ex iis, quæ passim nota erant. Quæ tamen retuli, vix aliquid sunt in comparatione plurimorum quæ dicenda fuissent, ut aliquatenus constabit ex testimoniis hominum summæ auctoritatis nec minoris sanctitatis et virtutis hic subjungendis *f*.

ANNOTATA.

a *Sedem hic Abulensem conscendit die* III *Julii* 1599; *obiit* IV *Decemb.* 1611. *Sepultus est in sacello Majori ecclesiæ cathedralis, sequenti cum Epitaphio :* F

DD. Laurentius Otadui et Avendaño, episcopus Abulensis, quondam Lucensis, regius consiliarius frequentissimus, vere pientissimus, pater pauperum et patriæ. Obiit 4 Decembris anno 1611 (1).

b *Miracula quæ hic sequuntur latius descripta, rursus quidem occurrent, saltem pleraque, in vita S.* Petri, *auctore P. Laurentio, libro sexto; sed, ut ipse ait*, strictiori stylo breviter ex canonizationis processu annotata. *Nihilominus P. F. Joannis a S. Maria narrationem adscribendam hic duximus; tum quod hæc ad remotiora a nobis, S.* Petro *viciniora referatur tempora; tum quod plura contineat ad S. Viri illustrandam vitam et gloriam facientia. Ipse præterea scribendi modus sua non caret commendatione. Adde, illis suppressis, truncam mutilamque futuram præfati auctoris, a nobis exhibitam scriptionem. Denique parum exinde voluminis hujus augebitur moles.*

c *Juxta editionem Gilesianam, quæ hic a P. Joanne a S. Maria indigitantur, videre est apud Bedam Hist. ecclesiast. Lib.* III, *cap.* IX-XIII.

(1) Teatro ecclesiastico de las Iglesias de los Reynos de las dos Castilas. Auctore Magistro Gil Gonçalez Davila, t. II, p. 308 et 309. Edit. Matriti 1647.

Et

AUCTORE JOANNE A S. MARIA.

Et quidem capitis IX *hæc est inscriptio :* Ut in loco, in quo occisus est rex Oswaldus, crebra sanitatum miracula facta ; utque ibi primo jumentum cujusdam viantis, ac deinde puella paralytica sit curata. *Atque rursus, versus initium ejusdem capitis :* Cujus *(Oswaldi)* quanta fides in Deum, quæ devotio mentis fuerit, etiam post mortem virtutum miraculis claruit. Namque in loco, ubi pro patria dimicans a paganis interfectus est, usque hodie sanitates infirmorum et hominum et pecorum celebrari non desinunt. Unde contigit, ut pulverem ipsum, ubi corpus ejus in terram corruit, multi auferentes et in aquam mittentes suis per hoc infirmis multum commodi afferrent ; qui videlicet adeo increbuit, ut paulatim, ablata exinde terra, fossam ad mensuram staturæ virilis reddiderit. Nec mirandum in loco mortis illius infirmos sanari, qui semper, dum viveret, infirmis et pauperibus consulere, eleemosynas dare, opem ferre non cessabat. Et multa quidem in loco illo, vel de pulvere loci illius, facta virtutum miracula narrantur, etc. (1). *Sequitur sanatio jumenti seu equi. Ex his elucet quam apposite P. Joannes a S. Maria provocet ad miracula S. Oswaldi, quæ cum prodi-* B *giis, intercessione S.* Petri de Alcantara *patratis, non uno sub respectu conveniunt.*

d *Petrus Fernandez Temiño consecratus episcopus Abulensis est die* XI *Novembris* 1581, *obiit* 1590, *sepultusque est in conventu, ab ipso Salmanticæ fundato, S. Josephi Franciscanorum Discalceatorum. Ejus tumulo inscriptum legitur epitaphium :*

Petrus Fernandez Temiño, Episcopus Abulensis, hoc clauditur lapide. Obiit anno 1590, 23 mensis Augusti. Anima ejus requiescat in pace (2).

e *Hæc scripta esse meminerimus ante decreta Urbani VIII, qui Pontifex fuit ab anno* 1623 *ad annum* 1644. *Attamen jam antea summo Pontifici reservata erat beatificatio et canonizatio proprie dicta. Confer. Bened.* XIV (3).

f *Sequitur caput* XX *hoc titulo inscriptum :* De testimoniis virtuti et sanctitati S. Petri redditis a S. Teresia aliisque viris virtute conspicuis. *Quod ad S. Teresiam spectat, vide Comm. præv.* § I, *ubi ex professo hac de re disputavimus. Aliorum testimonia, quæ majoris sunt momenti, reperientur partim saltem, in prolixiori vita mox subjungenda. Satius ergo duximus postremum hoc caput totum, quod satis prolixum est, prætermittere.*

C

VITA ALTERA PROLIXIOR

SANCTI PETRI DE ALCANTARA

Auctore P. Fr. Laurentio a D. Paulo.

LIBER PRIMUS.

A nativitate S. Petri, et usquedum vixit in provincia S. Gabrielis.

Scriptoris intentum.

Vitam Viri sancti enarrare suscipio, quem ob carnis macerationem, pœnitentiæ portentum ; ob contemplationis sublimitatem, spiritualis vitæ magistrum non immerito appellaveris. D

S. Petri ortus.

2 Natus est S. Petrus anno humanæ salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo nono : Ecclesiam Catholicam regente Alexandro Sexto pontifice maximo : et in Hispania regnantibus Ferdinando, et Isabella Catholicis. Natale solum sortitur Alcantaram, olim Norba Cæsarea, inter clariora provinciæ Estremaduræ oppida, Ordinis quoque militaris ejusdem cognominis titulo, caput perillustre. Patri nomen Petro Garavito, juris professione famoso, ex familia satis conspicua, atque antiqua, quam non dedecebat, ut talis civis patriæ suæ a rege catholico gubernator præficeretur : dum tali officio, nisi viros autoritate conspicuos destinare, adhuc moris non esset. Mater D. Maria Villela de Sanabria viro nobilitate par ; quam uterque propriis virtutibus, et filii educatione plurimum illustrarunt. *(Nullibi reperi quo die et mense S.* Petrus *natus sit. Quod ad parentes spectat, hispani scriptores paulo latius familiam describunt : Patrem ejus dicunt* Petrum Garavito, *seu* Garabito ; *matrem,* Mariam Villela di Sinabria, *filiam* Joannis di Sinabria *et* Urracæ Gonzalez Maldonado. *Certum est nullum ex S.* Petri *parentibus* E *ab* Alcantara *vocatum. Nomen hoc sibi Sanctus assumpsit, cum religionem ingressus est, ut supra monuimus. Nec etiam apparet* Petri *matrem ex Garavito alios suscepisse liberos. Nullibi saltem eorum fit mentio, cum ex altero suo marito Alphonso Barrantes duos peperisse filios narretur.— Confidentius hic asserit P. Laurentius, quem et alii non pauci sequuntur,* Alcantaram *antiquis* Norbam Cæsaream *fuisse. Juverit quædam ex Cellario adscribere.* Adverso flumine si proficisceris, opus admirandum, Trajano principi dedicatum, occurrit, *Pons* lapideus in Tago flumine, qui solusne sine urbe fuerit, militari viæ adstructus ; an urbem, Norbensem coloniam, quam Plinius laudat, conjunctam habuerit, dissentiunt peritissimi etiam auctores. Ptolomæus *Norbam Cæsaream,* quæ ipsa Plinii *colonia Norbensis* est, a fluvio in Austrum reduxit. Ipsi Hispani, qui negant pontem urbis fuisse, novitatem Alcantaræ, quæ in loco illo est, urbis a Saracenis conditæ, objiciunt, necnon neglectum in inscriptione nomen *Norbæ,* quod Ponti cum aliis multis nominibus civitatum non adscriptum visitur, quum primo loco fuisset adscribendum. Contra sunt æque docti homines, itidemque Hispani F genere nec patriæ antiquitatum imperiti, qui in dubium vocant, sitne Alcantara plane novum opus, an ex eversæ urbis ruderibus instauratum ; quibus Norbanum nomen in ponte non omissum, sed, quæ temporum injuria est, deperditum videtur (4). *Et inferius :* Tagum inter et Anam ab ortu solis sunt pauca hujus provinciæ *(Lusitaniæ)* memorabilia usque ad Pontem Trajani, ubi clariora incipiunt, *Norba cæsarea,* seu *Norbensis colonia,* sive Alcantara est, sive, ut Ptolomæus statuit, remotior ab amne, de qua supra in Ponte diximus *Hactenus Cellarius* (5).

Pueritia.

3 Jam S. Petrus a sexto ætatis anno primis labiis delibare incipiens orationis dulcedinem (quam reliquo vitæ cursu singulariter excolendo celebrem reddidit) quotidie matutinis vespertinisque horis, flexis genibus attentionem orationi etiam longa temporum intervalla impendere numquam intermittebat. Idque secreto in paternæ domus oratorio, cujus ipse custodiam exquisito ac devoto cultu

(1) The Miscellaneous Works of Venerable Bede. Operum tom. II. p. 292. Edit. Londin. 1843. — (2) Teatro ecclesiastico. *Ubi supra.* p. 301 et 302. — (3) De Servorum Dei Beatificatione, lib. I, cap. VII et seqq. — (4) Geographia Antiqua, lib. II, p. 58. Edit. Lipsiæ 1773. — (5) Ibid., p. 60.

agebat

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

A agebat. Ex institutione insuper matris pias aliquas edoctus preces, summam erga beatissimam Dei Genitricem pietatem concepit; cujus imposterum incremento tantum profecit, ut religiosus jam effectus, dum in conventu S. Joannis Baptistæ Vitiosæ moraretur, eamdem gloriosissimam Virginem præsentem videre, atque Angelos sibi officium divinum recitanti lumen ministrantes habere dignus fuerit. Rudimentis litterarum sufficienter instructus sacrorum piorumque librorum lectioni incubuit; qua notabile aliquid excerpens, postea magna animi consolatione secum solitarius ruminabat; atque jam tunc in tenella ætate, contra profanos libros odio irreconciliabili concepto, semper nutriendo servavit. Numquam visus est, quacumque occasione provocatus, animo turbari aut de ullo conqueri: semper vultum servans serenum ac gravitate devota modestum, qui ludicra sodalium puerorum oblectamenta sperneret ac fastidiret. Resplendebant quoque naturales gratiæ cum decora corporis specie adeo contemperatæ, ut communi omnium benevolentia atque existimatione futuræ fœlicitatis omini præludendo, Sancti pueri appellationem ipsi conciliaret. A pa-
B rentibus grammaticæ atque philosophiæ studiis admotus, utrumque ingenii acumine ac memoriæ fœcunditate absolvit, non sine præceptorum stupore plurimos condiscipulorum post se relinquens. Summa ei erga parentes reverentia, nec cum ullo familiaritas, nisi qui virtute emineret: præcipue vero cum religiosis viris in spiritualibus colloquiis frequens. Ecclesias orandi causa summa devotione sæpissime adibat; maxime cum a schola reverteretur, ut ibi aliquamdiu Deo vacaret. Hinc contigit quadam die, quod parentes, hora prandii elapsa, puerum non reversum admirati; pro eo inquirendo ad ecclesiam, qua divertisse suspicabantur, famulum mitterent. Is omnia templi adita diligenter perscrutatus, tandem in choro post organum, puerum divina contemplatione adeo absorptum invenit, ut nec voce nec signis revocare ad sensus posset. Quod confestim patri renuntians, tanta eumdem lætitiæ ac spei certitudine affecit ut provectum ætate virtutibus præclarum, paterno animo præsagiret; juberetque imposterum, ne ullus contemplationi intentum ultra turbaret.

Studia et pietas.

4 Posthæc pater Garavito exivit e vita; et mater ex consilio propinquorum transiit ad secundas
C nuptias nobilis viri Don Alphonsi Barrantes, ex quo duos filios peperit. Huic vitrico singularis ex paterno affectu cura de S. Petro erat: quare quartumdecimum annum ætatis agentem, et in philosophia instructum, altioribus quoque scientiis idoneum, ad Salamanticensem academiam inter Hispaniæ lycea celeberrimam destinavit. Illic juvenis non aliorum more extra paternam domum peregrinantium amicitias quærere; sed habitationem prope ecclesiam et familiaritatem virorum spiritu ac moribus præstantiorum eligere, quorum uno pro patre ac directore spirituali uteretur, curarum primas habuit. Mox juri canonico studium addicens, ingenii atque profectus tale specimen edidit, ut magistris approbationem, condiscipulis admirationis simulque æmulationis clavam extorqueret. Temporis rationem tam exactam habebat, quo devotionis exercitia studiorum horis non subtraherent, ut ante lucem ad orationem evigilans, paulo post ad ecclesiam, ubi scholæ tempus opportunum expectaret, properare quasi pro lege sibi indixerit. Sæpe etiam ad eamdem pro percipienda sacra synaxi reversus, quandoque ejus fervido affectu in extasim raptus videbatur. Circa meridiem ad hospitium rediens reficiendi corporis tam parcus fuit, ut admirabilis abstinentiæ, qua tota vita inclaruit, tunc velut prima tirocinia deponeret. Priusquam ad scholam regrederetur, dictata revolvens, dubia annotabat, quæ solvenda cum aliis conferret. Peractis studiis, hospitalia accedebat, ut ubi ægrotos verbis ac ope solaretur: inde ecclesiam ac domum repetens, post aliquod studii tempus, conscientiæ examine suscepto levissimos ejusdem diei defectus asperrimis in seipsum flagellis vindicabat. Tandem cubile adeundi proximus, prius *De profundis* pro se tamquam mortuo recitans, Deo animam commendabat. Diebus festis, tempus antemeridianum in ecclesiis orationi ac Missis inserviendis dicabat; maxime vero ad præparationem suscipiendi sacrosancti mysterii atque ad gratiarum actionem sollicitus. Post meridiem visitandis carceribus atque religiosorum conventibus tempus absumens, perfectionis semitas apud pios viros inquirebat. Nec etiam elargiendæ eleemosynæ pro facultatibus deerat; cum neminem se rogantem sine aliquo subsidio vacuum dimiserit. Huic insuper tam exactæ vitæ tenori, par in conversatione publica modestia respondebat; quæ nec quempiam verborum nec actionum importunitate offenderet. Sed præ- E
sertim in coercenda linguæ oculorumque libertate admirabilis disciplina tantam ipsi existimationem apud universos conciliavit, ut magistri deprædicando, plurimi imitando illum tamquam unicum disciplinati juvenis exemplar in principali illa academia celebrarent.

In domum paternam redux.

5 Jam studiorum vacatio, fervescente æstate Salamanticæ, pro consuetudine academiæ indicebatur; cum S. Petrus hac occasione a parentibus ad patriam revocaretur: propter anni absentiam ardentius desideratus, ideoque iteratis instantiis sollicitatus. Cui tandem vocationi, tamquam altiorem animo revolvens, post spretam de studiorum ac honorum præmiis persuasionem, libentius acquievit; eo videlicet proposito, ut cœptam in academia vivendi seriem secum in patriam transferret. Unde postea Alcantaræ, ardentiori perfectionis desiderio accensus atque orationibus instans, adversarii quoque tentamenta non evasit. Conabatur hic ingenii capacitatem, scientiarum ac præmiorum decora juveni exaggerando ad academiæ studia revocare. Ille autem inanem gloriam flocci facere animi humilitate ac fortitudine, orationis quoque assiduitate obsistere pergebat, contra ille- F
cebras quascumque divina virtute mirabiliter invalescens. Ita ut de perfectiori vitæ statu serio deliberans, divina gratia ad religiosum suscipiendum evidentius se impelli agnosceret.

recens natam Estremaduræ custodiam

6 Non pridem Deus venerabilem P. Joannem a Guadalupe cum quibusdam sociis evocarat ad fundanda quædam Oratoria pro strictiori observantia religiosi Instituti sancti P. Francisci; pro quibus, obtento ab Alexandro Sexto apostolico Brevi, custodiam quamdam titulo sancti Evangelii prædictus pater erexerat: quod tamen breve paulo post, instante catholico rege Ferdinando, ad truncanda dissidia revocatum fuit. At vero eodem anno, quo S. Petrus noster vitæ exordium habuit, zelatores iidem constantissimi oratorii alterius fundandi prope civitatem Truxillo in provincia Estremaduræ iterum facultatem a præfato pontifice impetrarunt. Propter quam multas contradictiones, atque vexationes passi, denuo tam propter recollectionis dispersionem, quam ex morte magnæ sanctimoniæ P. Guadalupe, jacturam gravissimam senserunt. Aliquot tandem religiosi, eamdem reformationem prosequentes Leonis X. P. M. indulto aliam custodiam

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

maduræ *(Labitur Helyot dum tradit custodiam S. Josephi hoc anno in provinciam erectam; multo tardius de provincia hoc sub titulo cogitatum fuit* (1), in provinciam erecta fuit *(sub titulo sancti Gabrielis)*, creato primo Provinciali patre Angelo de Valladolid, viro vere apostolico. Huic, provinciæ res disponenti, occasio data fuit, ad civitatis Pacis Juliæ instantias, fundandi ibidem novum conventum. Cujus principiis, religione probatos viros, atque inter ipsos, primarium S. Petrum de Alcantara destinavit: ipsique religiosi, locum monasterio designantes in quodam Oratorio vulgo Martyrum dicto, ecclesiæ ac conventus fabricam inceperunt. Elucebat autem præcipue S. Petri indefessa assiduitas, qua majori diei parte in providendo atque adjuvando operarios desudabat; tanto magis admiratione dignus, quanto pœnitentiæ rigore confectus, noctes etiam insomnes in oratione continuabat. Unde ecclesiæ et aliquot cellarum constructione promota, religiosi munia sua obire atque stationes facere permissi sunt sub cura sancti Petri; cui illam, quamvis nondum sacerdoti, sed virtute in illa familia præeminenti provincialis imposuerat.

Quomodo præesset.

B 17 Initia officii sui tanta virtute ac prudentia enituerunt, ut manifesta indicia forent singularis divini muneris sibi ad regendas animas concessi: nihil enim subditis præcipere solebat, quod prius ipse non faceret, quasi obedientiæ jugum suave probando. Officia humilitatis abjectiora exercens, aliorum fervorem tam sedulitate, quam vigilantia præveniebat: in præcipiendo autem affabilitate ipsam supplicandi lenitatem æmulabatur, eamdemque in defectibus quorumdam corrigendis jugiter observans. Fratribus a quæstuatione redeuntibus blande occurrendo, gratias agendo, pedes lavando, cæteraque religiosæ charitatis officia exhibendo, adeo sollicite inservire satagebat, ut ipsa teneritudine affectus plures ad fletum provocaret. Providebat omnium necessitatibus sufficienter, confinia paupertatis religiosæ non transgrediens; ita ut paupertatis zelator fudatoris illustris D. Gomez Fernandes de Solis, ejusque conjugis D. Catharinæ de Silva largitionibus fræna aliquando injiceret; sæpe supplicando ne sancti P. Francisci paupertatem, eleemosynarum copia, lædere vellent; neque dedignarentur se tantum recipere, quantum præsenti necessitati sufficere judicaret, de crastino minime

C sollicitus.

Ejus pietas, humilitas, zelus.

18 Construxit sibi S. Petrus, in semoto hujus conventus loco altissimis pinis obsito, exiguum quoddam oratorium sub invocatione devotissimi sui sancti Joannis Evangelistæ; quo sæpe ab aliorum conspectibus secederet ad contemplationi vacandum. Ibique gemituum atque cordis intentione cœlum petens, Deo appropinquans, interdum in aere elevatus, arborum summitates transcendisse visus fuit. Sævitiæ quoque vestigia (qua corpus suum castigabat) solo parietibusque asperso sanguine apparebant; quando celestes favores, qui hujusmodi exercitiis respondebant, humilitas S. Petri studiosissime celabat. Frequenter spiritualia colloquia cum fratribus miscens, se tamquam inferiorem rudioremque cæteris gerebat; nec alia sermonum materia, quam fidei, paupertatis, regularisque disciplinæ zelus; ut si occasio ferret, martyrii quoque pro Evangelii prædicatione optaretur. Omnium fervorem S. Petrus inflammabat; ad subeunda itinera longinqua, carceres, cruces, aliaque tormenta, dummodo omnia in Dei gloriam, proximi salutem suique ipsius contemptum redundassent. Nec in solo hæc proposito D hæserunt; quia a quibusdam executioni mandata, in varias partes pro conversione infidelium missis martyrii palmam contulerunt. Ex quorum numero servus Dei Fr. Joannes ab Aquila, ob singularem perfectionem S. Petro de Alcantara percarus, in Indiam; alii alio perrexerunt, ipsomet B. Petro in Hispaniis remanente; ut eamdem Dei gloriam ibidem aliter promoveret, quemadmodum Spiritus sanctus suggerebat illi.

Sacros suscipit ordines.

19 Jam a tribus annis in conventu Pacis Juliæ S. Petrus de Alcantara innocenter vixerat, ejusque cura quam integre gesta, satis provinciali nuper electo P. Frexenal perspecta erat; ideoque, ut se ad sacros ordines suscipiendos accingeret per litteras significavit: quo imposterum majoribus officiis destinatus, et religionis et populorum utilitatibus prodesse fructuosius posset. Excusare quidem imprimis S. Petrus indignitatem suam provinciali, et timorem quo ex reverentia sacri ordinis tenebatur, explicare; humiliter tamen cedere divinæ vocationi consultius duxit, ut promptiorem mortificandi seipsum occasionem amplecteretur. Nam ad singulos ordines iterato præcepto compulsus, E adeo rigorosis se pœnitentiis prius disponebat, ut tam publice, quam privatim cæterorum fratrum commiserationem simul ac pietatem commoveret; quorum etiam orationes ferventi animo deposcere non cessabat. Anno tandem 1524 ætatis 25 ad sacerdotii gradum reluctans maxime, eo quod in diaconatu manere optasset, ex mandato superioris promovetur; atque in eo vitæ austeritatem orationisque frequentiam augens, sacrificium proprii sanguinis pro redemptoris sanguine offerre Deo videbatur. Quanta vero devotione ac divinæ gratiæ affluentia primam Missam celebravit, verbis explicare non licet; quamvis vultus immutatio, lacrymarumque profluvium animi sensus transformatos, adstantium oculis pietatisque affectus cordibus instillarent.

Concionatur magno cum fructu.

20 Non defuit confestim provincialis novo munere S. Petrum augere, cum animarum lucrum ex ejusdem prædicatione prævidens, hoc illi officium committere deliberaret: sed an scientia litterarum sacrarum sufficiens esset, aliquantum addubitans, mirabili successu, omnium animos de doctrinæ ejus profunditate firmatos intellexit. Contigerat quippe die quadam in religiosa conferentia de ora- F tione præcipue, ut superior, post aliorum effata, S. Petrum urgeret etiam verba facere; a quo se humiliter excusans, coactus tandem præcepto, oculosque in cœlum attollens, ita propositam materiam retractavit, ut omnibus stuporem incuteret tam dicendi facundia, quam terminorum, Mysticæ, Scholasticæ, cæterarumque scientiarum explanatione, qua cunctis etiam virtutis amor inflammabatur. Unde insigni hoc testimonio approbatus, provincialis atque definitorum declaratione ad prædicandi munus admissus, solius sacri Codicis familiari usu, magis quam multorum librorum studio, verum evangelizandi modum cum plurimarum animarum conversione comprobavit.

Fit guardianus in S. Mariæ Angelorum.

21 Elapso anno, ex quo sacerdos factus, electoque secunda vice in provincialem P. Angelo a Valladolid, guardianus ab eodem destinatur conventus sanctæ Mariæ Angelorum prope Robredillo. Hujus electionis displicentiam temperabat obedientiæ submissione, atque solitudinis (ad quam properabat) repræsentatione: erat enim locus, in

(1) Histoire des Ordres Religieux, part. V, c. XX. *Confer. Comm. prævium*, § II.

profunda

A profunda valle altis et præruptis montibus obsessus. Ad quem cum jam accessisset, novis motivis in Creatoris laudem, atque amorem, divinamque contemplationem efferebatur. Excitabant enim devotam mentem vallis amœnitas herbarum odore fragrans, animalium etiam quorumdam familiarium sua violentia, aquarum ex vicinis montibus decurrentium copia et fœcunditas, piscium abundantiam vicinis pagis deferens; quercuum denique fagorumque conventui imminentium gratissima umbra simul (tamquam igni) pabulum devotionis S. Petro ministrabant. Delectabatur insuper valde paupertate conventus sine claustro, cum dormitorio ac cellulis angustis, et ecclesia cum duobus dumtaxat altaribus constructi. Quæ tamen omnia devotione sacratissimæ Virginis superabantur; cujus imago in supremo altari populorum exposita venerationi, memoriam revocabat illius, quæ olim a S. Patriarcha Francisco, et adhuc jugiter in Portiuncula adeo mirifice excolitur, tamquam prima pietatis religionisque suæ sors felicissima. Sed augebat etiam pietatem loci, quod ab eodem S. Patriarcha designatus, aliquando illustrem sanctitatis facem illic accendendam fore prædictum erat; B et non immerito de S. Petro interpretari licebat, cujus perpetua ibi memoria adhuc celebratur.

Ejus orationis et mortificationis spiritus.

30 At quia loci angustia spiritus fervores coarctabat, interdiu S. Petrus ad vicinam in valle speluncam se subducens suspiriorum disciplinarumque libertati in abscondito fræna laxabat. Interdum hyeme rigidissima propinquum amnem nudus ingrediebatur, sæpe aeri expositus cadentium nivium copiam diutius sustinebat. In conventu cellam angustissimam incolebat, quæ campis opposita, eum cœli aspectu libero recreabat, dum post horæ unius quietem, foribus, fenetrisque apertis, noctu ad contemplandum consurgeret. Hinc genibus flexis longas orandi moras nectere, usqueque earum fastidio ipsi irritati maligni spiritus, cum objectu horribilium apparitionum deterrere, post saxis impetere aliquando tentarent; idque tanto strepitu ut religiosi a somno excitati, conventus ruinam instare pertimescerent; donec illucescente iterum die, lapides et saxa in dormitorio ac cella B. Patris conjecta causam manifestarent.

Cœlitus missa annona.

31 Hujusmodi licet absorptus contemplatione S. Petrus, officii tamen curam non negligebat, tam necessitatibus subditorum sollicite providendo, C quam ad perfectionis studium verbis etiam efficacibus exhortando. Exemplo autem omnium religiosarum actionum omnes ipse præibat; ita ut hac innocentissima vivendi ratione, qua conventum ejus religiosi habitatores excolebant, recte duplici titulo Reginæ Angelorum consecratum judicasses. Contigit aliquando Decembri mense, prope Natalitia Salvatoris, omnes conventus aditus tanta nivium copia præcludi, ut ad quæstuandum pro solito victu exitus negaretur. Unde transacta festi vigilia sine alia refectione quam spirituali, qua Christi nascentis exemplo ad fiduciam divinæ Providentiæ S. Petrus de Alcantara omnes animabat; cum ad noctis celebrationem et divinas laudes omnes in ecclesia convenissent, priusquam ad celebrandum solemne sacrum S. Petrus procederet, auditum fuit ad portam signum dari; ad quod accurrens pro more janitor ratus aliquos casu aut ad noctis devotionem ex propinquis montibus illuc se recepisse; apertis foribus invenit duas sportas pane obsonioque exquisitissimo plenas. Quod statim guardiano nuntians, omnique diligentia frustra adhibita, ut vestigium alicujus, qui hæc attulisset, inveniretur; compertum satis omnibus evasit divino hæc munere provisa, quæ in spiritu jam S. Petro innotuerant. Unde summo animi jubilo Natalitia Salvatoris peragentes devoti religiosi, gratiisque summis divinæ Providentiæ redditis, eamdem postea, ex ipsius cibi sapore, cœlestem vere fuisse comprobarunt. S. Petrus itaque devoto sermone confortatos ad fiduciam in Deum collocandam tam insigni beneficio confirmavit. Perplurima alia miranda Deus Servi sui devotis hic contulit beneficia; quæ dum Virginis pietati ipsius humilitas tribueret, suis intercessionibus impetrata, integram in variis necessitatibus concessam gratiam reportabat. Ex quo populorum ad eum frequenti concursu Matris Dei cultus, et sanctitatis ejus odor in remotiora loca mirifice diffundebatur.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Per urbes et oppida verbum Dei annuntiat.

32 Absoluto tandem in conventu sanctæ Mariæ Angelorum guardianatus officio, præceptum sibi a provinciali fuit, ut pro animarum salute ad prædicandum per Estremaduræ provinciam discurreret, in qua nomen ejus magna veneratione colebatur. Nec segnis ipse in obediendo, sacrum dumtaxat codicem secum deferens, multis urbibus ac oppidis istius provinciæ verbum Dei multiplici cum fructu annuntiavit, eo etiam uberiori, E quod raro pœnitentiæ exemplo obstinata magis corda opere et sermone simul potens converteret. Materiam sibi communiter ex ecclesiastico et prophetis seligere; ut omnium conditionum homines de peccatis liberius increparet, et motiva aptiora maxime ad commovendum de judicio, inferno ac morte frequentius usurpare, totius fere prædicationis ejus series fuit. Et quamvis vehementia dicendi ejus oratio intumesceret, verborum tamen suavitate culparum gravitas simul ac pœna ita temperabantur, ut potius ad detestationem flecteret, quam animos terrore nimio exasperaret ad pertinaciam. Ad omnium vero compunctionem eliciendam præcipue conferebat prædicantis aspectus, qui vultus et corporis macie, austeritatis ac pœnitentiæ lineamenta clariora expresserat.

Viri nobilis præclara conversio.

33 Transiit postea Plasentiam, ubi singularis gratia divina, quæ in eo operabatur, plurimorum conversione eluxit, præsertim nobilis cujusdam viri D. Francisci Floriani, qui illuc ad habitandum secesserat postquam Caroli V aulam et exercitum, ipso imperatore se abdicante imperio, reliquisset. Hic utique juvenis spiritu et opibus elatus, vanitatibus sæculi adeo diffluebat, ut contra F alios quoque, qui ex S. Petri de Alcantara sermonibus ad meliorem frugem redierant, insolesceret. Unde quadam die persuasionibus quorumdam amicorum inductus, vim dicendi Viri adhuc ignorans aut parvipendens, ad eum audiendum facilius cum aliis accessit. Sed ad ipsius S. Petri quasi spirantis et ex suggestu intonantis conspectum prius animo turbari, mox verborum efficacia, qua amatorum sæculi cætitatem ac supplicia exaggerabat, vehementius commoveri, sudorem quasi foris erumpentem ac cordis compunctionem intus persentiens, nulla præsentium verecundia prohibitus, in lacrymarum ac singultuum torrentes totus resolvitur. Atque hoc modo locum divinæ gratiæ ac persuasioni prædicatoris cedens, cum e templo usque ad conventum suis quasi vestigiis insecutus, ad pedes tandem provolvitur, et supplex peccatorum medicinam flagrantius deposcit. Quem S. Petrus mira quoque lenitate suscipiens, et hujus compunctionis perseverantiam commendans, constituta die, qua ad confitendum sibi peccata rediret, cum necessariis documentis pro eadem confessione bene dispositum dimisit. Franciscus vero domum

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

suam repetens, mutata adeo facie, occurrentem uxorem suspicione quadam sinistri alicujus casus primum perculsit; mox causam explicans, eamdem quoque ad doloris et pœnitentiæ consortium, licet innocentem, commovit. Postea præscripta die ad devotum Patrem reversus peccatorum integram confessionem peragit summo doloris indicio, variisque monitis salutaribus pro novæ vitæ ordine susceptis, sæculi pompis integre renuntiat. Itaque imposterum simplici ac vili habitu, et humili vulgarique vita contentus; quia fervore devotionis virtus crescebat, tali pœnitentiæ genere invaluit, ut uxori tandem occasionem daret S. Petrum accedendi, rogandique ut mariti excessus temperare conaretur. At vero ubi ipsa ad S. Petri exhortationes conceptus sui errorem, vanitatumque illecebras quasi illuminata agnovisset, illico omni vano ornatu deposito, mariti fervorem æmulata, ac cum ipso magna bonorum parte pauperibus erogata, religiosum Patrem pro suscipiendo tertii Ordinis habitu uterque conveniunt. Hic utrumque blande consolari, regulisque perfectionis imbutos tertii Ordinis societati adscripsit; quam postmodum ipsi, magnis pietatis operibus addicti, summa
B cum admiratione et ædificatione universæ civitatis religiose profitebantur.

Illius frater quoque meliora sapit.

34 Reversus erat hoc tempore Plasentiam frater quidam D. Francisci ex Flandria, cui nauseam movebat videre, quod ædes fratris omni supellectili spoliatæ, vitæ quoque ratio tam Domini quam familiæ moderatior, religiosi potius claustri quam palatii speciem præ se ferrent. Quamobrem animo turbatus fremebat sæpius, quasi hoc institutum maculam aliquam nobilitati suæ aspergeret. Et licet fratris persuasionibus reduci non posset ad saniorem opinionem; tamen ejus industria, Deo animum tangente, resipuit. Prævenerat videlicet S. Petrum Franciscus, et de fratris errore instructum rogaverat, ut devotis supplicationibus a Deo conversionem ejus obtineret. Hinc die quadam secum in ecclesiam, ad audiendum sermonem, fratrem conducit: qui, cum ex suggestu S. Petrum conspiceret, toto corpore contremiscens, quasi judicem sententiam sibi dicentem extimuit. Mox dicendi vi ac verbi divini efficacia convictus, firmum emendationis propositum concludit; adeo ut descendentem de suggestu S. Petrum præveniens, cum de novæ vitæ instituto con-
C suleret supplexque præteritorum errorum veniam cum lacrymis deprecaretur. Dein purgata per generalem confessionem conscientia, totum se exercitiis spiritualibus, vivendique domesticæ regulæ fratris conjunxit; ita ut tota hæc tam conspicua domus, tam illustribus virtutum exemplis imposterum velut schola pietatis luceret.

Mulier vanitatibus nuntium mittit:

35 Mulier quædam nobilis, quæ magnam redituum suorum partem comœdiis, aliisque vanis oblectamentis impendebat, cum aliquando in aliarum fœminarum commercio, de supradictis conversionibus judicium faciens, eas levitati mentis adscribere audiretur; adeo contrariis rationibus prædictarum convicta fuit, ut tribueret easdem prædicationi ac sanctimoniæ Petri de Alcantara, et eodem simul tempore maximo eum videndi audiendique desiderio accenderetur. Itaque ecclesiam quadam die supra modum compta accedens, quamprimum S. Petrum ad prædicandum procedentem in oculis habuit, statim velut secreto quodam rubore confusa peplum faciei obduxit, tamquam si viri Dei extenuata figura suo luxui convitium fecisset. Dein summa attentione sermoni ejusdem adsistens, talem ex eo conversionis spiritum concepit, ut vita moribusque mutata, sub D
tertii Ordinis habitu, singularem laudabilemque vitam usque ad mortem egisse observata fuerit.

item aliæ tres puellæ.

36 In eadem civitate tres filiæ cujusdam nobilis de Chiaves, corporis forma animique dotibus ornatissimæ, vanitate tantum muliebri fœdari quodammodo videbantur. At, postquam semel B. Patris concionem audierunt, tam efficaci vocatione omnem ornatus fastum in cinericium pœnitentiæ habitum atque religiosam vivendi regulam commutarunt; ut, nisi eodem duce ac patre spirituali, in paterna domo remanere pro aliorum exemplo persuasæ fuissent, simul monasterium ingredi omnes deliberassent: nec ideo minus in perfectioris vitæ cultu sub tanto magistro profecerunt; quin admirabili omnium ædificatione, vitam quoque sanctitatis fama clausisse constanter ferantur.

S. Petrus guardianus Plasentiæ.

37 Erat hoc tempore provincialis servus Dei Fr. Michaël Roco, qui S. Petro in conventu Manxarretes habitum primus dederat, atque ex illo principio ejusdem virtutem probe perspectam habebat. Destinavit Guardianum conventus Plasentiæ, nulla ipsius licet validissima excusatione admissa; ipse vero tanta prudentia, zelo atque vitæ exemplo exercuit, ut neque spem cujuspiam fefellerit, nec E
prius à se gestorum existimationem minuerit. Sæpius illum religiosi aliique fide digni, ut devotus comes Torresani, vel in horto vel prope quoddam eremitorium orantem conspexerunt, cui pro more brachiis expansis elevato in aere aviculæ insidebant; hæ suavissimam melodiam concinendo, cum ad sensus revertebatur, avolare cernebantur; sicut et aliis in locis pluries contigisse perhibetur. Non tamen prædicandi exercitium interim intermittebat, ut populo adeo sibi affecto prodesset. Inde in campos egressus orabat, etiam sub dio nivium aerisque rigoribus expositus. Visitabat quoque multorum ædes, ut spirituali consolatione animarum saluti succurreret: et in hoc officio charitatis plebeos pauperesque nobilioribus divitibusque præferebat.

Futuram puellulæ prædicit sanctitatem.

38 Quidam devotus civis summe gaudebat in transitu B. Patris domum suam ab ipso benedici, et in hac, inter cæteros filios, puellam habebat decem annorum, quæ genuflexa benedictionem suscipere solebat devotius, atque etiam pedes osculari. Inde in spiritu B. P. agnoscens magnam hujus puellæ pietatem olim futuram, serio ejus curam patri commendans, sibi instruendi spiritualibus F
documentis magisterium servavit. Successit autem jam adultæ, ut ægritudine decumbens morti propinqua haberetur; quod cum absenti Petro in spiritu innotuisset, ad domum ejus pergens agentem animam invenit. Sed ipse elevatis in cœlum oculis, ac ægrotæ manu imposita, parentibus adstantibus dixit: Nolite mortem filiæ lugere, quam Deus in vita servabit, ut sibi majori fervore famuletur. Mox ægrota in eum respiciens, recepta sanitate devotissimas liberatori gratias egit; atque dein suscepto tertii Ordinis instituto ob perfectionem vitæ, narrationi huic argumentum subinde scribendi ministrabit.

Viro, optime valenti, proximam prænuntiat mortem.

39 Alius devotus nomine Franciscus à Corduba, negotiis plurimis addictus occurrens per civitatem Petro de Alcantara, juxta morem habitum ejus deosculaturus accessit. Huic severiori vultu sanctus Petrus dixit: Francisce, conscientiam tuam expurga, et sacramentis ecclesiæ susceptis te præpara; quia postridie morieris: quo dicto prætereiens promisit se pro eo ad Deum preces oblaturum. Ille vero quamquam integer viribus, dicto tamen servi Dei fidem præstans, quasi hoc a Deo ipsi revelatum

A revelatum fuisset; statim socios, qui ex tali casu stupore perculsi hæserunt, reliquit. Inde rebus suis temporalibus dispositis, sanctisque sacramentis cum magna compunctionis expressione receptis, mortem indies opperiebatur. Et quamvis die sequenti sanus adhuc esse videretur, tamen circa vespertinam horam, nullo præcedente infirmitatis indicio, mortuus in terram cecidit. Ad quod spectaculum tota civitas commota, S. Petri virtutem comprobare, diligere plenisque vocibus Sanctum acclamare incœpit. Hinc inferioris gradus homines eum ad ædes suas invitare, ut gratiam aliquam à Deo obtinerent; nobiliores operam dare, ut aliquando palatiis suis benedictionem allaturus accederet: ideoque officiis certabant inter se, quis epulis illum lautioribus exciperet; a quibus tamen ille fugiebat, nisi manifesta aliqua spes lucrandi animas adesset.

Vir nobilis a sæculi vanitatibus aversus.

40 Inter has illustres familias eminebat Marchio de Mirabel, qui familiaritate S. Petri tantum profecit, ut ex homine vanitatibus sæculi maxime addicto, in virum modestum ac vitæ exemplaris mutatus fuerit; adeo ut non solum hanc vivendi formam consorti suæ illustri dominæ persuaserit; B sed et in totam suam familiam induxerit, quasi conventus alicujus religiosi disciplinam intra magnifici palatii parietes æmulari prætenderet.

Mensæ accumbens in extasim rapitur S. Petrus.

41 Crebro S. Petrus a comite Torresonii ad epulas invitatus, aliquando supplici ab eodem gestu et propter amorem Dei coactus, mensæ cum cæteris adsidebat. Sed (ut erat abstinentia admirabili) lautissimos cibos ne gustare quidem vario prætextu videbatur, usque dum importunis præcibus cedens, jusculumque deposcens, idem caliditatis obtentu, frigida infusa, insipidum prorsus reddidisset; et sic pane intincto cum cæteris convivium protrahebat. Alia vice ab eodem comite tractus ad mensam, cum pro eadem benedicenda oculos (quos semper clausos habebat) aperuisset; ex tot lautitiarum fructuumque præcipue aspectu in Creatoris admirationem raptus, ultra unam horam in devoto compositoque corporis habitu, sine sensuum motu hæsit: ad cujus conspectum convivæ, aliique plurimi stupefacti genibus flexis, lacrymisque profluentibus culparum suarum veniam a Deo deprecari didicerunt. Ipse vero in se reversus mensæ benedixit, quantoque ocius ex omnium manibus ad conventum suum evasit.

Conventui Pacis Juliæ præficitur.

C 42 Agebatur celebrandi capituli tempus anni 1535, in civitate Pacis Juliæ, quo electus fuit Provincialis V. P. Didacus de Chiaves, qui ad communes populi supplicationes S. Petrum tunc capituli celebrationi præsentem, quo animarum saluti operam daret, in loco manere per obedientiam valide coegit. At quia adhuc sex menses in guardianatu Plasentiæ explendi eidem supererant, eos in hujus conventus curam rationabilius commutavit. Hinc instante quadragesima cœpit S. Petrus de Alcantara tanto animarum zelo ac spiritus fervore, prædicationis efficacia illarum gentium animos commovere, ut plurimi tam viri quam fœminæ, relicto sæculo, ad religiosa instituta convolarent; alii in sæculo mores emendarent, suscepto tertii Ordinis habitu, aut societati Cordigerorum adscripti, quo operibus piis juxta consilium præfati S. Petri utilius vacarent. Erat inter alios viros nobilitate clariores D. Joannes de Albarado, qui prius graviori quodam supercilio vitam sororis, quam religiosiorem sub magisterio S. Petri agebat, despiciens, postea eamdem imitando, ac totum se eidem magistro addicendo, adeo insignis evasit, ut merito inter præcipuos Patris ejusdem discipulos scribendum esse, ea quæ alibi narranda occurrent, monstrabunt.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

In altissimi montis jugo crucem collocat.

43 Expleto igitur guardianatus officio, ac deposita commissa sibi de fratribus cura, in procuranda animarum salute vehementiori zelo exarsit; ideoque per totum Pacis Juliæ episcopatum discurrens, apostoli zelum prædicando sine intermissione æmulabatur. Addebat quoque sacræ pœnitentiæ administrationem, et huic (cum tempus supererat) docendi doctrinæ Christianæ charitatem. His vero exercitiis expleto die, in locum aliquem solitarium secedere; non quiete corpus, sed animum contemplationis dulcedine explere. Dein post mediam noctem semel atque iterum in aurora severioribus flagellis, quasi veternum excutere. Quo autem pœnitentiæ studium magis in populorum animis excitaretur, atque redemptionis nostræ memoria fixius hæreret, sollicite curabat in locis publicis ac eminentioribus majores cruces erigi, omnemque in eo difficultatem superabat, ut vel unico exemplo magnæ crucis, quam in vertice prærupti altissimique montis de la Gatta nuncupati collocavit, probare libet. Exurgit altissimus hic mons inter præacuta saxa anfractusque ancipites, qui præcipitia minantur his, qui vel ascendere etiam raptando moliuntur. E Quod tamen fervori S. Petri factu non impossibile visum. His, qui dissuadere intentum conabantur, responsum ab ipso fuit: Deo curæ fore viam aperire atque auxilium præstare. Hinc cruce majoris molis composita, quo facilius ex diversis partibus prospiceretur, prædicto die ad collocandam eam in montis summitate cum ingenti multitudine convenit. Ex qua multi, sibi hunc laborem deposcentes, S. Petrum dimovere non poterant, quin ipse proprios humeros gravissimo huic oneri supponeret, omnibus admirantibus animi devotam cupiditatem corporis extenuatas vires superantem; ita ut non obstantibus aut crucis gravissimo pondere aut asperrimi montis offendiculis, quæ sæpissime etiam reptantem fatigabant, ac sudorem et sanguinem succumbenti eliciebant, hoc quasi maximum tormentorum (quibus se umquam obtulerat) superare cum stupore visus fuerit. Nam B. Pater fixa mentis acie in redemptoris nostri ad Calvarium crucem bajulantis imaginem, adeo viribus invaluit, ut cui vix tres etiam robustiores suffecissent, hoc ipse tamquam angelica ope suffultus solus præstaret: F collaudantibus desuper universis divam virtutem ac peccatorum suorum veniam deprecantibus. Pervenit tamdem cum omnium stupore ac commiseratione ad montis cacumen; ubi nullo adjuvante solus crucem illam, velut arundinem erigendo, atque in terra figendo statim genuflexus adoravit. Hinc Deo singulares gratias agens, qui vires sibi miro modo auxisset, mox comitantibus iisdem ad ima montis iterum descendit, ut inde omnes crucem denuo submisse venerari doceret. Mos autem illi in hac actione talis erat, ut, post locum designatum aptum cruci collocandæ, eam die aliquo festo vel Dominico in ecclesia produceret, habita quoque ante meridiem devota prædicatione, ad excitandam passionis memoriam; vespertinis tandem horis cum clero, et populo hymnos psalmosque canente, crucem ipse bajulando ad destinatum locum procederet. Ibi exhortatione brevi redemptionis pretium extollens, offensarum detestationem præsentibus eliciebat, cunctosque ad salutaris ligni venerationem, hymnum *Vexilla regis prodeunt* præcinendo, devote invitabat. Cujus quidem devotionis tantus ubique fructus excrevit, ut eo tempore multorum conversiones,

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

siones, atque imposterum imitationis exempla, in memoria omnium etiam exterorum jugiter perennaverint.

Ejus vita solitaria.

43 Jam secundo anno totum episcopatum Pacis Juliæ prædicando percursabat partemque Castellæ, multas Deo animas lucrifaciendo; cum ingenti quietis desiderio occupatus, eam a superiore in aliquo conventu remoto expeteret; assensit ille, et ad sanctum Onofrium de Lapa ea conditione destinavit, ut ejusdem conventus curam susciperet. Adiacet autem conventus ille lateri montis cujusdam, prope eremitorium sancto Onofrio dicatum, in cujus rupe hiante spelunca undique aquas distillans (Lapa dicta) conventui communicavit nomen. Adhærebant duo eremitoria, sancto Onofrio ac sancto Joanni Evangelistæ sacra; ad quæ S. Petrus, expletis officii curis, sæpe pro mentis recollectione, atque altissima aliquot horarum contemplatione solitarius secederet. Sæpius illic in aera sublevari a fratribus visus, asperrime flagris se cedere non negligebat; idque pro peccatorum conversione ac aliorum perseverantia Deo offerre, qui suo magisterio salutis studia multis persuaserat.

B

Scribit libellum de Oratione,

44 Sed sensere brevi civitates ac oppida (ubi prædicationis magnam messem fecerat) S. Patris absentiam, atque privatos se suavi ejus conversatione vehementer dolebant; ideoque proprias domos plurimi relinquere, atque ad eum pro variis tam animæ, quam corporis consolationibus requirendis accedere. Multi præsertim nobiles, qui ejus doctrina, in spirituali via profecerant, pro elucidandis dubiis ac stabiliendis virtutum profectibus diligentius eum frequentabant. Sic dum aliorum saluti consulit, a propria quiete ae solitudine avelli cogebatur. Inter hos S. Petro de Alcantara singulari devotione addictos, D. Rodericus a Chaves in visendo ipsum frequentior erat; atque orandi regulas, quas alias ab ipso dictatas audierat, in scriptis deposcebat; ut pro multorum profectu publici juris facere, impensis propriis, licentiam haberet. Idem quoque ab aliis devotis et religiosis familiaribus petitum diu, sicut erat humillimus sui ipsius æstimator, S. Petrus prius excusatum, dein post longas in oratione cum Deo consultationes ingenti omnium bono egregie concessit; nam compositum a se tractatum præfato D. Roderico, cum humili excusatione transmittens,

C

ipsi plenam benevolentiæ epistolam scripsit; quam (quia auctoris sui sanctitatem redolet) hic integram apponere duximus non futurum ingratum. *(Confer. Comm. præv. § III).*

ejus hanc in rem epistola,

45 « Numquam ad scribendum istum brevem » tractatum me induxissem, nec illum prælo dari » consensissem; nisi tu me multoties orasses, ut ali» quid breviter, compendiose et dilucide, et ad » omnium utilitatem de oratione scriberem. Çum » enim parvo volumine contineatur, maximum pau» peribus commodum afferet; quibus non fuerit » satis ampla facultas libros magno pretio emendi. » Cumque videatur mihi non minoris futuram me» riti in hoc, tam piam et sanctam rem postulanti, » exhibitam obedientiam, quam fructus ipsos (qui » ex ea colligi possunt) Deo; cogitationem tam san» ctam executioni mandare volui: pro certo habens » quantum ad me attinet, fieri non posse, quin te» nuis iste labor utilis evadat, nisi forte benevolen» tia mea in te, et in Dominam Franciscam conjugem » tuam (non minori tibi vinculo charitatis, et Jesu » Christi boni nostri amore, quam matrimonii nexu » conjunctam) aliquid mihi de merito isto subtraxe» rit. Revera enim si de omnibus bonis a fratribus

D

» nostris perpetratis, nos Christiani congaudemus, » et eorum invicem participes simus, quanquam in » meritum particulare facientis præcipue cedant: » dicere sane potero, me vestrarum orationum et » bonorum operum velut cum bonis filiis par» tem habere: sic enim vos appellare juvat, » quoniam a vobis Pater existimor. Nec umquam » defui meæ doctrinæ inopia et industria qualicum» que, sanctarum vestrarum intentionum et subli» mium cogitationum divitias adjuvare. Faxit Deus, » ut pro cujusque voto quærentibus prosit, ad quod » tantum effectum optarem; ut et vobis ex ipso » fructus spiritualis vestri boni desiderii, mihi au» tem meæ benevolentiæ in vos redundet. Totum au» tem in honorem et gloriam unici boni nostri, a » quo omne bonum nostrum emanat originaliter.

Fr. Petrus de Alcantara.

cujus accuratior hic subjicitur versio.

(Atque ita quidem hæc epistola latine reddita est a P. Fr. Laurentio. Ast multum abest, ut rite consonet textui Hispanico, prout is occurrit in Libello S. Petri, Barcinone an. 1761 *excusso, cum prævio Fr. Antonii Vincentii a Matrito Monito, cujus frequentissima a nobis facta mentio est in commentario prævio* § III. *Unde et necesse nobis videtur alteram versionem magis accuratam hic subjicere:*

E

Nunquam inductus ego fuissem ad colligendum *(recopilar)* brevem hunc tractatum, nec consensissem ut typis mandaretur, nisi tu multoties me orasses ut scriberem aliquid breviter, compendiose et delucide de oratione, quod ad communem omnium utilitatem faceret: exiguum enim volumen, cum parvi constet, convenit etiam pauperibus, quibus opera majoris molis et pretii sibi comparare non est datum. Claritas vero facit ut simplicioribus quoque, quibus tantum non est intellectus, prodesse queat. Cum itaque visum mihi sit, obsequi tam piæ sanctæque postulationi haud minoris esse meriti quam ipsum fructum, qui ex opere colligi posset; ad scribendum me accinxi; persuasum habens fieri non posse ut tenuis iste labor mihi non proficiat; nisi tamen mea in te benevolentia sicut et in conjugem tuam Franciscam (quæ tibi non minus vinculo caritatis et amoris in Christo Jesu, summo bono nostro, quam matrimonii nexu conjuncta est) aliquam meriti partem subtraxerit. Quamquam si verum sit (atque ita est) bona omnia, quæ a fratribus

F

fiunt et de quibus nos christiani gaudemus, cedere in particulare meritum ejus, qui de illis gaudet; licebit mihi dicere: *quod particeps sum devotionis vestræ* et omnium operum vestrorum. Cæterum vobiscum egi tamquam cum filiis in Domino carissimis (ita enim vos volo appellare, quoniam vos me Patris loco habetis); nec umquam defui doctrinæ inopia atque industria mea sanctorum vestrorum consiliorum sublimiumque cogitationum divitias adjuvare. *Cum multos legerim de hac materia libros, ex his desumpsi breviter et in compendium redegi, quæ meliora mihi sunt visa et magis utilia.* Faxit Deus proficiat id *(tractatus)* omnibus quærentibus eum: alios enim non specto: vobis autem in spiritualem cedat fructum boni vestri desiderii; mihi autem in meritum bonæ voluntatis. Omnia ad honorem et gloriam Jesu Christi, summi boni nostri, cujus totum est, quod bonum est. *Hic ante omnia notandum venit omissa esse a P. Laurentio verba, diverso caractere excussa:* cum multos legerim, *etc.*; *quæ itidem non reperiuntur in continuatione Waddingi* (1), *cum ibidem textus P. Laurentii, ne uno quidem mutato*

(1) T. XIX, p. 373.

A *tato apice recitetur. Verba tamen illa haud parvi sunt momenti in ordine ad quæstionem, a nobis Comm. præv.* § III, *tractatam : uter scilicet prior de oratione scripserit; an S.* Petrus, *an V. Ludovicus Granatensis. Cæterum, ut diximus loco citato (nn.* 84, 87) *epistola nullam fert datam ; quod vero addidimus non eodem prorsus modo illam abomnibus recitari, id ex mox dictis satis clare efficitur. (Jam ad P. Laurentii textum redeamus.)*

Præfati libelli laus.

46 Cœpit hic tractatus omnium piorum in Hispaniis percurrere manus, præcipue religiosorum, qui perfectioni studebant, quo novitios instruerent; quod adeo nervose, perspicue ac egregie, regulis spiritus æque mentem illuminet atque affectus cordis inflammet; unde in varias quoque linguas translatus, in Galliam, Germaniam, Poloniam, aliasque regiones pertransivit. P. Ludovicus a Granata (tunc temporis vitæ spiritualis celebris magister) hujus tractatus æstimatione mire illectus, se unice sancti Viri orationibus commendandi causa, litteras eidem plenas obsequii perscripsit. De eodem sanctæ Teresiæ testimonium cap. XXX. ejus vitæ hoc habetur : *Auctor est* (S. Petrus) *quorumdam tractatuum de oratione* B *qui magno nunc loco habentur ; quia a probe experto pleni fructus et perfectionis spiritualis compositi fuerunt.* Cujus sanctæ attestationi quæcumque aliæ cedunt propter eminentem ejusdem in hoc studii genere doctrinam atque experientiam, ipsi B. Petro optime perspectam. Nec tamen superfluum etiam videbitur sancti illius antistitis Francisci de Sales testimonium indicare quo prima parte epistolarum suarum spiritualium libro III, epist. 4, ad quamdam mulierem devotam ipse prædictos tractatus plurimum commendat, eamque ad eorumdem lectionem serio cohortatur. (*Vide comm. præv.*, § III, *n.* 93).

Defendit S. Petrus causam provinciæ S. Gabrielis.

47 Resurgebat iterum contra aliquot reformatiores conventus provinciæ sancti Gabrielis antiqua æmulatio, qua Fratres provinciæ sancti Jacobi eosdem supprimere moliebantur. Itaque destinatur a provinciali in causæ defensionem coram episcopo Plasentino tractandam S. Petrus, qui instructus Brevi Clementis VII, anno 1626, concesso, atque sigillo episcopi Cauriensis munito, se judici Plasentiæ sistit, negotii expeditionem humiliter deprecaturus: episcopus itaque publico edicto suo Pontificis Breve includens, Fratribus C provinciæ sancti Jacobi ad comparendum pro causa triduum indicit. Ipsi vero perspecta singulari S. Petri de Alcantara prudentia, ac celebri sanctitatis fama, impares se futuros suspicati, causam velut conclamatam deseruerunt.

Alcantaræ degens, plures ad sanctiora allicit consilia.

48 Aliquamdiu post expetitus a parentibus aliisque devotis præsentiæ prœdicationisque suæ cupidis, in patriam Alcantaram a superioribus mittitur. Quo licet ægre, nisi ex obedientiæ imperio pergens, fratrisque domum declinans ad conventum Fratrum de Observantia se recepit; ibique totus assuetis exercitiis intentus, publica tantum prædicatione aut spiritualibus conferentiis distrahebatur. Erat D. Petro Barrantes Maldonato Patrueli suo filius nomine Antonius annorum quindecim, qui mire Viri Dei fervore accensus imitandi ipsum desiderio concepto, ocyus ad suscipiendum religionis habitum in provinciam sancti Gabrielis perrexit. Hic temporis progressu virtute proficiens, consanguinei vestigiis prope insistens tam humilitatis, quam rigidioris vitæ documentis (quæ nomine Antonii Peccatoris tegere volebat) tandem magna etiam sanctitatis opinione e vita decessit atque ejus corpus post sex annos integrum suavissimumque odorem spirans inventum fuit. Alii quoque ejusdem consanguinei vel religionem ingressi, vel in sæculo vivendi regulas immutarunt; adeo ut prædicationis suæ efficacia totam illam patriam ad pietatis frugem perduceret ; eo tamen magis quod omnibus æqualem, nec amplius parentibus familiarem se præberet. Excipiendis confessionibus aliorumque consultationibus applicatum, sæpius sine aliqua refectione nox deprehendit. Aliquando dum publice ac privatim juvenum mores corriperet, duo nobiliores se sacræ militiæ adscribere velle relicto sæculo affirmabant; quibus ille Deo in matrimonii statu servire debere prædixit: et licet ipsi tunc temporis religiosam vitam maxime ut securiorem præoptassent, postea tamen juxta viri Dei effatum aliud fuisse divinæ voluntatis beneplacitum eventu probarunt.

Puer mirabiliter sanatus.

49 Confirmavit quoque Deus servi sui doctrinam nonnullis miraculis; inter quæ D. Ferdinandus a Ponte adhuc infans, filius D. Mariæ Ponze de Leon, laborabat pustulis puerilibus eo anno periculosis, ita quod ipsum etiam ad vitæ extrema perduxerant. Accidit tunc S. Petrum cum socio illuc transire, ubi infirmus habitabat ; unde devota mater ad aliorum strepitum, qui pro more ad E videndum Dei servum vel in plateas vel ad fenestras accurrebant; ipsa quoque excitata præ foribus eum ad benedicendum morienti filio flagranter invitabat. Ipse vero dolori materno compatiens cubiculum ægroti ingressus, elevatisque oculis ac manibus in cœlum, ei benedictionem impertiit. Mirum factum, quod illico pustulæ minui ac siccari, febris deficere cœpit; non deficientibus plurimis, qui virtutem Dei ac sanctitatem Servi ejus summis præconiis publicam statim facerent.

Alia quædam stupenda.

50 Habitabat Alcantaræ pia mulier nomine Agnetis Vaez, cui similis spiritu ancilla serviebat. Hæ sæpius invicem spiritus sui fructus conferebant, timidæ ne ab animarum hoste illuderentur, dum singularibus a Deo favoribus se visitari indignas agnoscerent. Sed colloquiis ac doctrina S. Petri confirmatæ, quod virtutem utriusque perspiceret atque magni faceret, in eadem ipsis maximum incrementum addidit. Quadam die, egrediente domo sua S. Petro, devotæ mulieres descendentem e cœlo candidissimam columbam cernebant caput ejus circumvolitare, atque deinceps humero insidere, rostrum auri immittere quasi secretum aliquod dictaturam, ac tandem ipso viam mutante F oculos intuentium fugere. Quod etiam, cum ab aliis maximo cum stupore videri contigisset, Deum S. Petri concivibus virtutem ejus manifestare, ac devotis mulieribus doctrinæ illis dictatæ cœleste testimonium subscribere voluisse, attentius observatum merito fuit. Tandem quampluris pietatis suæ editis prodigiis, prædicationisque ac conversationis sanctæ collectis fructibus, ac consolatis suæ præsentiæ dulcedine parentibus, S. Petrus omnium cum dolore et lacrymis patriam relinquit. Conducebat socium (juvenem quemdam religiosum) Fratrem Joannem a Neyra, qui multorum mirabilium servi Dei conscius erat, atque postea in provincia sancti Gabrielis insigni virtute inclaruit. Utrique contigit iter Zarzam versus ingressis aerem obscurari, atque tempestatem terribilem minari; ita ut socio timore præoccupato consilium fuerit S. Petro reditum Alcantaram suadendi, eo quod non longe distarent, nec locus aliquis receptui occurreret. Quibus vix prolatis, densa nubes validum imbrem effudit ; et S. Petrus ad socium conversus : Transeamus (inquit) fili ; quia Deus nobis providebit. Sicque hoc longissimo

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

longissimo itinere eos persequente tempestate, ne aquæ quidem gutta attigit; sed Zarzam, universo populo admirante, siccis vestibus ingrediuntur.

A rege Lusitaniæ perhonorifice excipitur S. Petrus;

51 Pervolarat oras omnes S. Petri fama, tam virtutibus quam miris operationibus adcrescens; adeo ut Portugalliæ regem impelleret eidem epistolam mittendi (mittere), qua ejus præsentiam postularet de quarumdam rerum piarum dubiis consulendi obtentu. Nuncius qui S. Petrum adiit, nullo ab eo alio responso accepto, ad provincialem mittitur; a quo illud accepit, ut secum S. Petrum de Alcantara conduceret. At vero ab ipso obtinere non potuit, ut pro tam longo itinere, commoditate aliqua uti vellet; sed nudis pedibus in Portugalliam pergens, Ulyssiponæ prius conventum S. Francisci ac præsentiam superiorum adiret (adivit). Non facile est dictu quantum ejus mora religiosis hujus loci consolationis incrementique spiritualis addiderit; dum exemplo rigidioris observantiæ omnium animis perfectionis imitationem instillaret. Hinc se ad aulam regiam transferre, atque a rege ejusque familia perbenigne habitus, variis quæstionum difficultatibus solvendis, eidem illuminati sui intellectus perfectæque pietatis argumenta relin-
B quere; publicante postmodum rege majora se in servo Dei virtutis experimenta fecisse, quam fama vulgaverat. Unde (quoties regem vocatus accederet) proceres aliique aulici genibus flexis benedictionem ab eo petere, summisque eum honoribus afficere; ipse vero propter humilitatem animi cuncta moleste magis habere. Infans D. Maria sæpius ejus colloquiis in via spiritus erudita, tam ejus confessionibus, quam libri diligenti lectione, tanto pietatis desiderio aucta fuit; ut omni vanitate conculcata orationis ac meditationis studia unice amplecteretur; quibus omnibus peractis S. Petrus ad propria redit.

in aula moratur aliquamdiu magno cum fructu.

52 Vixdum in conventu suæ provinciæ ex itineris molestiis vires refecerat, cum iterum ad instantiam præfatæ infantis, procurante rege, a provinciali in Portugalliam remittitur. Ulyssiponæ in palatio regio aliquot cubicula in modum oratorii ipsi præparata erant; unde devotioni et regis, et sororis commodius e propinquo adesset, et ne recusari possent, a provinciali ipsius jam ante licentia impetrata. Itaque acquiescente S. Petro his, quæ a superioribus in hunc modum disposita invenit; ipse vivendi in monasterio formam numquam
C dimisit, in omnibus divinæ se voluntati committens. Celebrabat quotidie in præfato oratorio magno cum accedentium fructu; dum multi etiam procerum tum devotionis, tum melioris vitæ lucrum inde colligerent. Diei majorem partem altissimæ contemplationi impendit, noctis conticinium secretis disciplinis reservans. Visitabatur interea sæpius a præfata Infante, quæ animæ suæ secreta ei aperiebat; tantumque in divino amore profecit, ut, nisi S. Petro validis argumentis dissuadente, ipsa tunc cunctis sæculi pompis prorsus valedixisset, quo Deo in aliquo monasterio expeditior inserviret. Sed assecurante Eodem, magis Deo placituram, si clariori exemplo toti regno prodesset, in aula remansit; votumque virginitatis servandæ, ac obedientiæ S. Petro de Alcantara, aut proprio confessario præstandæ promptissima emisit. Pro paupertate servanda, quamvis possessis non renuntiaret, iisdem tamen adeo parce utebatur, ut in regali pompa atque affluentia religiosæ modestiæ ac parsimoniæ admirandum exemplar exprimeret. Ad S. Petri quoque monita monasterium Discalceatarum, seu parthenonem illustrium virginum Ulyssiponæ dedicavit; cujus principia strictioris regulæ S. Claræ professione a multis illustribus D
fœminis exornata, postea ad nostra usque tempora virtutis sanctimoniæque celebri fama inter præcipua Franciscanæ familiæ decora perseverant. Nosocomium quoque insigne, titulo misericordiæ, prope imaginem B. V. de Luce una leuca Ulyssipona distantem construxit. Unde his aliisque plurimi piis operibus munificentissima, natalium splendorem regium pietatis christianæ gloria longe superabat. Non dispar S. Petro cum aliis regni magnatibus tam viris quam fœminis negotium fuit; inter quos eminebant præcipue Brigantinus et Averensis duces Virum summa reverentia ac obsequio prosequentes, cum cæteri prædicationis ejus efficacia convicti, aut religionis ingressu aut morum correctione, vivendi instituta immutarent.

Alcantaram reddit civium discordias pacaturus.

53 Exortæ interim erant Alcantaræ irreconciliabiles civium discordiæ, quibus præcipuæ familiæ in partes tractæ, in ruinam atque excidium ruebant; frustra illarum reconciliationem intentantibus tam loci gubernatore quam aliis auctoritate præstantibus Id vero S. Petro ut primum renunciatum, eum ex Portugallia quamcitius revocavit; ubi dum omni industria ac pietate adhibita partium efferatos animos emolliens, atque earumdem E
consensu arbiter causæ constitutus, mirabili felicitate, cunctis congratulantibus, pacem patriæ, concordiam civibus restituit; hisque feliciter compositis, ad suum conventum redire festinavit.

Prodigium.

54 Declinarat jam dies, cum transeunti Zarzam vasta planities conficienda restabat; cujus solitudinem pertimescens socius, imminentis noctis horrore atque cibi hospitiique defectu angebatur. Quos animi motus cognoscens S. Petrus, in aperto campo subsistere, socium blandioribus verbis confortare, et ut jactaret in Deum curam exhortari; denique flexis poplitibus humilem ac brevem orationem in cœlum mittere. Ex quo evenit, ut anxius socius prope locum a S. Petro indicatum, aquæ dulcissimæ fontem, panemque candidissimum cum pisce elixo divinitus provisum invenerit. Cujus miraculi nuntium festino cursu ad S. Petrum statim referens, uterque ad fontem accedens, refecto corpore, ille somni quiete, hic divina contemplatione noctem faustitissimam transegerunt.

Eligitur provincialis.

55 Instante jam capitulo anni 1538 convenere Fratres in conventu Matris Dei Albuquerquii, ubi S. Petrum de Alcantara unitis votis in provincialem elegerunt. Ille diu supplex precibus strenue F
obnitens, cessit tandem omnium acclamationi, quæ eum tamquam novum Alcidem religionis fulcimento deposcebat. Mox pastorali vigilantiæ addictus, visitandæ provinciæ eum vivendi rigorem adjunxit, quem hactenus aut privatus aut superior strictissime observaverat. Oppida aut loca habitata accedens, prius ecclesiam visitabat; mox receptaculum aut tugurium aliquod petebat ignotum, quo hominum frequentiam et applausum effugeret. In propriis conventibus solita abstinentia contentus, officii tantum munia, quæ pacem ac disciplinam subditorum promoverent, curabat, cætera pietatis solitæ studiis impendens. Sicque bis eadem provincia visitata, postea se in opportunum quemdam conventum abdidit; unde omninm necessitatibus promptius provideret, atque exemplo et exhortationibus sanctiorem servandæ regulæ formam et reduceret, et stabiliret.

Ejus charitas in suos

56 Charitatis viscera erga omnes subditos aperiebat, succurrendo modo religiosis fraternitatis officiis, modo verborum suavitate tristitias multorum sublevando. Infirmis præcipue totum se dabat; dum dolorum quasi partem sibi sumens, fovendo,

A fovendo, adjuvando, blandimentis atque exhortationibus consolando, omnibus se medicum præbere videbatur et medicinam. Quadam die ægroto cuidam religioso ciborum nausea febrisque ardore vires diuturnitate minuerat: cum ejus sorti commiserans B. Pater propter amorem Dei petenti acetarium, propriis manibus ex horto herbas collectas atque conditas citius apponeret; has velut noxias improbantibus aliis, ipse in ejus nomine (quo petitas attulerat) minime nocituras certo affirmavit. Itaque quo animum comedenti adderet, ipse quoque degustabat; donec consumpto ferculo, stupentibus omnibus sociis, febrem reliquisse ægrotum, eumque sanum e lecto surgere vidissent. Unde ipse Deo gratias summas reddere, quod charitatis suæ studium tam insigni eventu comprobasset; quem tamen ille (humilitatis amans) apud alios patientiæ ægroti adscribere satagebat.

Placentiæ pacem inter cives restituit.

57 Inter civitates præsentia atque operationibus servi Dei pluries illustratas, una Plasentia erat. Hæc tunc temporis dissentionibus quibusdam agitata multum de adventu ejus sibi congratulabatur, futurum remedium præsentis mali ex præteritis B. Patris apud se gestis præaugurando; eo B maxime quod quorumcumque aliorum hactenus incassum diligentia abierat. Hinc accingens se ad partium animos deliniendos, tantum lenitate atque auctoritate obtinuit, ut unusquisque rationum suarum arbitrium S. Petro de Alcantara committeret facilius. Erat in eadem urbe religiosus prudentia atque doctrina percelebris, cujus componendi hujus dissidii hactenus omnis labor in vanum cesserat. Unde non facile sibi persuadens S. Petri de Alcantara autoritatem idem (ut narrabatur) obtenturam, quadam die in ecclesia cum nobili cive desuper sermones miscens eum advenientem conspexit, commotusque maximo desiderio virtutis ejus experiendæ opportunò accessit. Cumque vix colloquium cœpisset, sensit sibi tremulo frigidum quemdam sudorem erumpere atque membra obrigescere; adeo ut tamquam alicujus noxæ conscius se ad genua ejus inflecteret deprecaturus, quod non pro merito virtutis eumdem debita existimatione fuisset prosecutus: at humilis Dei servus eidem prostrato occurrit, opinionis vanitatem excusando, se ejus orationibus commendabat. Conductoque in remotum cubiculum plurima spiritualis vitæ documenta utiliter persuasit tanta efficacia, C ut dictus religiosus habita superiorum licentia secum generalem peccatorum expiationem fecerit, atque imposterum perfectionis religiosæ studio insignis evaserit.

Prima de reformanda provincia decreta.

58 Æstuabat S. Petrus a multis annis desiderio corrigendi aliquos defectus, qui in provinciam hanc sancti Gabrielis, aliàs religiosam, contra perfectionis integritatem irrepserant; idque jam prælati auctoritate, qua vigebat, facilius se consecuturum judicabat, ni aliqua impedimenta, quæ tempori concedenda videbantur, consilium distulissent. Interea tamen optimas quasdam regulas, quas communi omnium consensu approbandas aliquando moverat, prudenti cautela componit; quas tandem opportuna occasione congregationis cujusdam capitularis, celebratæ in conventu sancti Michaelis civitatis Plasentiæ (Dominica scilicet tertia post Pascha anno Domini 1540) patrum congressui ac deliberationi explicavit. Hi vero vix perlectis auditisque constitutionum articulis, omnium nomine obstare vehementius, impossibilitatis atque inconvenientiæ arguendo, quo a proposito dimovere aut fervori zelantis Patris frigidam affundere possent. At postquam ille devoto gravique orationis pondere omnium animos fortius pressisset, inductis ex sacris litteris votique obligatione argumentis gravissimis; conticuere omnes atque in constitutionum approbationem manibus pedibusque promptiores ivere, qui prius animi obstinatioris videbantur. Unde magnum tunc S. Petro gaudium accessit, statimque per omnes conventus cum paternali exhortatione decreta publicari jubet, ut usu invalescerent.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Plures fundantur conventus.

59 Habitabat Plasentiæ nobilis canonicus D. Andreas de Catena singulariter S. Petro devotus, cujus consanguineum quemdam exemplum B. Patris a mundi illecebris ad religionis asperitates summo cum fervore pertraxerat; ita ut ipse canonicus quoque, Deo servire connitens, bona sua pro conventu extruendo eroganda S. Petro exhiberet. Hac autem oblatione a Patribus congregatis accepta, locus in valle quadam solitaria juxta strictioris paupertatis formam construendus destinatur. Cujus fabricæ S. Petrus de Alcantara ipse adsistere, atqui pietati benefactoris paria reddere adlaborans, ecclesiæ conventuique titulum sanctæ Crucis inscripsit; ut gratitudinis etiam vice memoriam tituli Cardinalis Caravajal Romæ degentis reveearet, quem canonicus ille consanguinitate E attingebat. Paulo post alterius ædificationi accingitur in oppido Villæ Viridis diœcesis Pacis Juliæ, a quorum locorum civibus (dum olim apud ipsos prædicaret) ad hoc opus invitatus singulariter fuerat. Juvit illud inter alios strenue insignis episcopus Ceptensis D. Franciscus Henriquez, tum eleemosynarum largitione, tum miraculosæ cujusdam imaginis B. Virginis (quæ in civitate Oliventiæ veneratione singulari colebatur) donatione. Admisit quoque tertii fundationem in Villa Nova del Fresno, præter alios conventus, quibus brevi suam provinciam notabiliter auxit.

Febri impeditur quominus intersit capitulo generali.

60 Hinc appropinquante capitulo generali anni 1541 Mantuæ indicto, B. Pater ordinata provincia, cum custode Didaco a Chaves iter Barchinonem nudis pedibus inter hybernos rigores suscipit; ibique aliquandiu transeundi in Italiam opportunitatem opperitur. Placuit divinæ providentiæ ne tunc in Italiam transiret, eum correptum febri remorari; quæ ex itineris incommodis ac pœnitentiæ rigore continuo causam sumpsisse censebatur. Unde oblata trajiciendi occasione, neque remittente febri, ipse voluntati Dei cedere atque per substitutum sibi religiosum P. Alvarum a Tavira, futuro Generali pro (obtinendo) commissario, F visitandæ provinciæ necessario, provide supplicare. Dein reliquis abeuntibus, ille adhuc aliquo tempore decumbere, miraque patientia ægritudinis molestias perferre; quousque aliqua convalescentiæ spe recepta, non integris satis viribus viam eamdem, qua venerat, eodemque modo in provinciam repeteret; ita quod quisquam alius mortis pericula adiisset, ni Deus singulari auxilio Servo suo opem tulisse nosceretur.

In itinere ipse et socii mirabiliter refocillantur.

61 Contigit in eodem itinere eum cum socio Joanne de Neira ad locum quemdam desertum noctu divertere, in quo quicquam habere non poterant ad restaurandas vires præter orationis solatium, cui majorem noctis partem insumpserunt; sequenti die viam iterum ingressi, S. Petrus (quamvis convalescens) animo alacer incedebat; socius inedia deficere, atque aliquantulum tardior et mœstus subsequi. Hinc confecta quasi majori diei parte, nec aliquo loco obvio in aperto, B. Pater socii misertus ad orationis remedium confugit, Deum deprecans, ut egentibus sibi gratiose subveniret. Vix finierat, cum repente pulcherrimi pastoris specie

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

cie angelum se alloquentem conspexit, qui (ne animum demitteret) hortabatur, porrigendo etiam panem et vinum, quantum utrisque sufficeret. Ille vero sui ipsius oblitus, hæc ipsa socio tradens, in partem cum nuncio ad familiare colloquium secessit; inde accedente socio, atque recedente angelo, divinæ providentiæ miraculum hymno cœlesti (*scilicet*: Te Deum laudamus) a progredientibus celebratum fuit. Simile quid alia vice B. Patri evenit, cum novitios quosdam ad conventum Montis Cœli per arduam viam itinere unius diei sine ulla refectione conduceret. Hi, quia delicate in paternis laribus educati, penuriæ religiosæ insueti male famem pati didicerant; animo et viribus afflicti B. Patrem anxium reddiderunt, quomodo præsenti necessitati subveniri posset, cuncta undique humana ope deficiente. Ille itaque brevi quidem, sed ferventi oratione ad Patrem pauperum conversus, mox ut, post vepreta quædam, loco proxima, divinam liberalitatem requirerent indicavit. Accurrebant citius juvenes ad designatum locum, atque juxta dictum S. Patris paratam suæ necessitati invenere mensam. Quamobrem stupore suspensi divinam providentiam, ac Servi sui virtutem collaudantes, in vocationis suæ proposito B et paupertatis altissimæ amore perfectius fuerunt confirmati.

Munere provincialis defunctus.

62 Ingruente jam fine sui provincialatus cum majori sollicitudine S. Petrus de Alcantara incœpto Reformationis studio instabat, constituendo guardianos, magistros novitiorum, aliosque ministros in conventibus, qui zelo paupertatis altissimæ atque disciplinæ rigidiori observantia invigilarent. Interea redeuntes a capitulo generali Patres jussa novi generalis P. Joannis Calvi attulerunt pro P. Ludovico Caravajal, ut provinciam sancti Gabrielis visitaret. Quo nuntio propter insignem viri virtutem S. Petrus exultans, eidem litteras Generalis transmittere festinavit, et ut citius ad injunctum munus accederet, invitavit. Ipse vero ad conventum S. Mariæ in Villa Nova del Fresno secedens, expensas capituli exhibente loci marchione, ibidem omnibus præparatis opportuno tempore, religiosum P. Bernardum a sancto Joanne in provincialem elegi curavit, eique adjuncto P. Joanne a Tappia, zelantis spiritus religioso, observantiæ augmentum ardentissime commendavit. C

Plasentiæ aliisque in locis salutem animarum promovet.

63 His integerrime absolutis iterum Vir sanctus, tanquam tyrocinia religionis repetiturus, cunctis se humilitatis officiis dedicare, maxime vero omnem conversationem cautius fugere operam dabat. Unde prædictus marchio, qui ejus familiaritati hactenus assueverat, tunc parcius uti posse dolens, partem sibi consolationis quamdam sumpsit ex eo quod frequentius interesset cum cæteris religiosis quotidianis communitatis actibus, quibus S. Petri de Alcantara quoque præsentia fruebatur. Neque diu hanc solitudinis quietem Deus servo suo Petro permisit: dum plurimorum frequentatione avocatus, superiorum judicio ad conventum Plasentiæ mitteretur, ubi saluti multorum consulere liberius posset. Ibi postmodum aliquot annis commoratus, multos ad religionis professionem, plures ad melioris vitæ frugem convertit. Idem in civitate Cauriæ præstitit, ad quam a provinciali missus, episcopo viro illustri ac devoto D. Didaco Enriquez de Almansa, singularem et animæ consolationem et pietatis incrementum attulit ejusmodi, quale ex infra dicendis distinctius patebit.

Lusitaniam petit

64 Excolebat hoc tempore desertum montis Arabidæ in Portugallia vir devotus Fr. Martinus D a sancta Maria, tam natalium quam virtutum splendore conspicuus; qui ex licentia superiorum deserta petens, locum præfatum a D. Joanne de Alincastro, duce Averiensi, nepote Portugalliæ regis, sanguine sibi conjuncto obtinuit; ejusdemque favore a Generali ordinis licentiam impetravit, ut cum socio suæ religionis ibi vitam eremiticam vivere posset. Huic deinceps socio alii succedentes, tandem præfatum ducem induxerunt, ut scribendo Provinciali S. Gabrielis, S. Petrum de Alcantara, sibi alias insigniter notum, ad hanc societatem instanter sollicitaret. Cui quamprimum ducis desiderium innotuit, (cum facultate Provincialis sibi negotii arbitrium remittentis) ipse consilium statim cum Deo inire cœpit; dein cum viro pietatis eximiæ utique ac prudentiæ, P. Joanne ab Aquila ex Indiarum missione nuper reduce, uterque occasionem istam promovendæ disciplinæ regularis approbantes, anno 1542 iter in Portugalliam conjunctis animis libentius susceperunt.

Arabidæ moratur. Loci illius descriptio.

65 Pervenere ad horridam speluncam, ubi Martinus degebat, atque ab eo humanissime excepti, paulo post a Ducis quoque præsentia gratulationis officia receperunt. S. Petrus itaque solitudinis E istius captus amœnitate, quæ asperitate montis, atque libertate prospectus in propinquum mare, contemplandi studium mire exstimulabat, dies ac noctes in meditandi ac orandi exercitiis traducere, et si umquam antea, tunc maxime in pœnitentiæ fervore exardescere. Ex quo Fr. Martinus sæpius Viri austeritatem admiratus, ipsi Duci gratias referre non negligebat, quod fovendo vitæ perfectioris desiderio tale sibi exemplar simul et magistrum procurasset. Unum tamen adhuc solitudini huic infestum videbatur, quod ducis familiares subveniendis necessitatibus religiosorum assidui et frequenti accessu illos turbare videbantur. Unde illi quoque impedimento a Deo provisum fuit; cum pius quidam juvenis, nomine Petrus Lagarto, locum accedens visitandæ imaginis beatissimæ Virginis (quæ ibi colitur) causa, B. Petri colloquiis persuasus, sæculo se abdicans ac saccum asperrimum induens, totum se servitio religiosorum offerret. Qua occasione ipse ad Ducis palatium pro petenda atque asportanda eleemosyna necessaria commeando, Fratres frequenti incursu, familiares Ducis itineris molestia facilius liberavit. Tantæ insuper humilitatis atque aliarum virtutum disci- F plina juvenis ille imposterum profecit, ut post aliquod tempus religiosorum societati adscriptus, inter celebres istius custodiæ viros non postremus haberi mereretur. (*Juverit quædam hic addere ex P. F. Joanne de Luca, primo continuatore Waddingi*): Oceano Lusitanico imminet promontorium, quod indigenæ *Arabidam* nominant, latini veteres *Barbarum Montem* appellavere. Locus ille cœlestibus prodigiis nobilitatus, Excalceatorum provinciæ, tota Lusitania celeberrimæ, initium dedit. Pervetus fama est, jam inde usque a primis ecclesiæ ducta temporibus, ipsa nocte, qua Dei filius pro mortalium salute natus est homo, eum montem splendore subito confulsisse, mirantibusque, quid ejusmodi ostentum foret, hominibus, veluti in meridiano sole, corrusco lumine radiasse. Ferunt etiam, multis post annis hominem Anglum, qui Lusitaniam petebat, periculosa navigatione jactatum, Mariæ virginis implorata tutela, eo cursum tenuisse. Cumque illius effigiem, quam habebat in oneraria, nequidquam orandi causa quæritasset, diuque incerta spe fluctuantem ipse metus periculi exanimasset, in

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

A in summa eum desperatione lux repente coorta prorsus erexit, quippe stationem per noctis tenebras indicavit, in qua ipse trepidique vectores aliquantisper a jactatione conquiescerent. Ubi diluxit, exscensione facta, in ea montis parte, unde lumen effulserat, simulacrum divinæ Matris, quod amissum existimarant, ex insperato comperiunt. Ejus rei admiratione commoti, lacrymantesque præ gaudio, servatrici Mariæ gratias agunt immortales, cujus in eam sedem commigrarat effigies. Ut beneficium testatius esset, et ad omnem posteritatis memoriam propagaretur, Anglus ibi consistere, atque in horrida solitudine, quantulumcumque supererat sibi vitæ, in Dei cultu et famulatu consumere fixum habuit. Ergo sub tecto paupere, quod divenditis mercibus excitarat, inter quotidianas asperitates et perpetuam orandi consuetudinem, egregia pietatis laude celebratus, vitam exegit. Anno MDXL Joannes Alencastrius, dux Averanus et promontorii dominus, Martinum a Sancta Maria, provinciæ Carthaginensis Observantium præsbyterum, in ea loca deduxit; qui clarissima ortus familia e comitibus D. Stephani a Portu, eidem sanguinis cognatione erat conjunctus. Is, B impetrata a ministro provinciæ diversandi potestate, cum Joanne Conimbricensi ejusdem instituti alumno, ab hominum consuetudine convictuque semotus, in Arabida consedit. Mox Alencastrius frequentari locum percupiens, D. Petrum Alcantarensem, quicum sibi necessitudo vetus intercedebat, magnopere hortatus est, ut cum Martino conjunctis dexteris ibidem sedes ac domicilium collocaret; suoque arbitratu, qui sibi maxime probarentur, ejusdem socios disciplinæ fratres adsisceret. Haud multum sane Averano laborandum fuit, quo paratum ad genus omne asperitatis hominem in sententiam pertraheret (1). *Quidquid sit de præfata traditione pervetusta, non ingrata fuerit lectori narratio, stylo exarata haud ineleganti).*

Novæ Congregationis incrementa.

66 Jam fama adeo rigorosæ vitæ multos ad eumdem locum, etiam ex provincia S. Gabrielis exciverat; inter quos pater Michael a Catena et Petrus de Alconcher austeritatem ac pœnitentiam S. Petri mire æmulabantur. Pluresque illuc ex hac provincia confluxissent, ni prudentia provincialis cautius obstitisset. Interea Ducis pietas de religiosorum commodis anxia, cellas quasdam angustas C inter saxa et rupes ex præscripto S. Petri construi curaverat; quarum omnium, ut situs aliquot passuum inter se distantiam habebat, ita materia rudibus saxis ac duobus asseribus pro tecto constabat; illa vero, quam S. Petrus incolebat, cæteris angustior, ut vix extensum caperet, adhuc a devotis magna veneratione observatur.

Vivendi ratio.

67 Forma vivendi hujus congregationis admiranda, dum pro lecto sarmenta aut nudæ tabulæ essent: nudis pedibus incedere, neque carne, neque vino uti; sed nec pisces etiam (nisi festivis diebus) quos devotus dux submittebat, attingere; colloquiis spiritualibus animas contra tentationes instruere assuescerent. Dein ad mediam noctem prior S. Petrus socium excitabat, cæterisque ad divinas laudes congregatis, omnes simul divinum Officium persolvebant; atque post in oratione usque ad horam Primæ perseverabant. Tunc aliquis eorum, cæteris assistentibus, sacrum faciebat; quo perfecto ad suas cellas redibant, ubi variis exercitiis intenti Tertiam expectabant. Hac hora iterum S. Petrus cunctos convocare, ut Officio et sacro solemni interessent, eoque peracto vel meditationi, vel honesto laboritio id temporis spatium impenderent, quod inter Vesperas et Completorium vacuum relinquebatur. Sicque nullum diei momentum totius anni decursu inter æstus vel frigoris rigores, his pietatis studiis excolere prætermittebant.

Advenit Minister generalis.

68 Venit circa hoc tempus in Portugalliam ordinis generalis P. Joannes Caluo, qui notitia, qua S. Petri virtutem perceperat, et precibus quoque ducis Averiensis sollicitatus, locum Arabidæ (quem sancti illi religiosi excolebant) præsens invisere voluit. Ubi cum cuncta diligenter perlustrando singulari admiratione approbasset, S. Petri humilitatem profundam commendans, Fr. Martino auctoritatem admittendi alios ad hanc societatem indulsit. Primus autem (qui reciperetur) socius ipsius Generalis fuit, *Italus quidam,* ait Joannes de Luca, *nomine Archangelus, quem itineris comitem Calvus habebat* (2) qui mire hujus vitæ desiderio, atque verborum S. Petri suavitate illectus, permittente Generali, in eadem solitudine cæterorum institutum suscepit. At quia plurimi indies ad hunc locum confluebant, prudentiæ P. Martini providendum erat, ne multitudine suscipientium E habitum eremi solitudo ac quies solveretur. Itaque a Marchione Nisensi sponte offerente eremitorium B. V. de Consolatione prope locum Paliaens, obtinuit, ut ibi constructo parvo conventu, novitiorum educatio fundaretur, et ut ejusdem initiis S. Petrus et guardianus et magister præficeretur.

Novo conventui præficitur S. Petrus.

69 Accessit igitur vir humilis ac obediens S. Petrus ad locum, quem Marchio sumptibus magnificis extruere (cœpit). Ille paupertatis strictissimæ formam excedere non volebat, continuo fabricæ summa sollicitudine assistens. Sibi itaque cellulam choro vicinam parare curavit, in qua horulæ illud spatium solitæ quietis noctu transigeret. Hic varios inimici insultus strenue repellere, sæpius etiam (ut vinceret) pericula mortis adire; dum se frigidissimis aquis immergebat, aliasque crudeles carnis afflictiones suscipiebat, quo carnis petulantiæ subigerentur et vires spiritus resurgerent.

In aulam regiam sæpius evocatur.

70 Hinc quia sæpius a duce Bragantino sollicitatus, Ulyssiponam transcurrere cogebatur, procerum ipsius aulæ delatos sibi honores vitare diligenter studebat; singularem tamen præ omnibus principum dominæ Mariæ infantis ac fratris F ejus Ludovici, summam cum pietate venerationem declinare non potuit; eo videlicet fructu, ut utrisque pietatis studia augendo, plurimis aliis illustria eosdem imitandi exempla formaret. Publicos vulgi applausus ea ratione eludere satagebat, ut in publica interdum via subsistens, serio inter projectas sordes aut in luto, tamquam margaritas deperditas quæritando, centunculos colligeret; quos postea super habitum assutos, ut sui contemptum commoveret, talibus vecordiæ signis apparere *(etiam in ipso palatio)* non verecundabatur. Neque ideo, quibus Viri sanctitas perspecta erat, fatuitatis opinio persuadebatur; sed crescebat magis tum pietatis affectus, tum concepta de ipso tamquam novo quodam apostolo existimatio.

Redit ad provinciam S. Gabrielis.

71 Jam a duobus annis a provincia sancti Gabrielis abfuerat S. Petrus de Alcantara, cum plurimorum quærimoniis compulsus Provincialis eum revocare cogebatur; ratus quoque tunc satis fundationi provinciæ Arabidorum provisum, atque suæ conservandæ magis necessarium esse. Qua quidem obedientia accepta, ipse promptissime

(1) Annalium Minorum, t. XVIII, p. 41. Ad an. 1542, n. IV. — (2) Ibid., n. XVII.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

cuncta relinquens, condolentibus summis et infimis, cum P. Joanne ab Aquila iterum ad propriam provinciam quantocius remeavit. Ibi summa omnium congratulatione exceptus, repente Belvisum ire ad componendas quasdam discordias urgebatur. Voluit hac occasione Deus Comiti cuidam suo devoto, affectus sui aliquam vicem reddere, dum laboranti in extremis S. Petrum adesse constituit; mortui vero virtutum merita, quibus sub tali magistro profecerat, fama vulgabat; imprimis humilitatem, qua se præceperat vir illustris ad portam Fratrum Discalceatorum sepeliri; quamvis S. Petro funus curante, ad ingressum capellæ majoris, decentius humaretur.

Apud comitem Oropesæ moratur.

72 Inde consolata defuncti vidua, totaque ejus familia ad Oropesam transiit; ubi cogente ejusdem loci Domino in palatio, ex superioris licentia, aliquamdiu remansit; nec tamen ideo otiosus hospitii quiete fruebatur, eo quod (præter multarum animarum lucrum) ipsius comitis ac familiæ mores, quasi ad religiosæ vitæ disciplinam componeret. Præ magna devotione, qua omnes Virum sanctum observabant, aliqui curiosiores experiri nitebantur, quibus præcipue exercitiis noctis quie-
B tem transigeret, dum ultra sesqui horam non dormire intellexerant. Attentius itaque per ostii rimulas orantem observantibus, interdum pronus in terra, aliquando a terra sublevatus in aera per aliquot horas sustineri; mox a raptu reversus, tamquam statua in oratione immobilis tota nocte perseverare, nisi dum se vel noctis principio, vel ante diluculum flagris diu sævissime cederet, cum stupore visus fuit. Post missam e palatio ad eremitorium quoddam egressus, ibi interdiu contemplatione divina absorptus, prandii tempus transigebat, nemine eum audente ab extasi revocare. Quod quidem eo gratius ipsi eveniebat, quo speciosas mensæ lautitias evitans, victu suo quotidiano, pane nimirum in aquam calidam intincto, liberius famem arcere magis quam extinguere præoptabat. Cum denique hinc abiret, omnes quasi incolæ eum prosecuti summis honoribus benedictionem excipiebant. Inter hos, collegii studentes (pro more) habitum osculaturi accesserant, ex quibus unum S. Petrus severiori vultu intuens: Brevi, ait, religiosus fies. Quod ad omnibus oraculi instar acceptum, licet juveni nihil tunc minus in mentem veniret, dum diversum valde vitæ genus
C amplectendum sibi proposuisset: attamen (Deo sic disponente) idem non multo post tempore, cunctis admirantibus, religionem ingressus beati Viri dictum adimplevit.

Electio, provincialis per compromissum.

73 Anno 1548 Dominica Albis, præsente generali Ordinis, novus provinciæ minister eligendus occurrebat; ideoque electores in duas partes divisi, una S. Petrum, altera P. Joannem ab Aquila, utique probatæ virtutis ministrum acclamabant. Quorum votis utrinque iteratis, imo quarta vice persistentibus, et ambobus candidatis humiliter invicem sibi cedentibus; consultum magis Generali visum fuit, tunc extraneum, videlicet virum integerrimum ex provincia recollecta conceptionis, P. Garciam del Castillo provincialem eligere. Quam electionem, quamvis peregrinam, omnium tamen vocalium assensus approbavit, eo quod arbitrio generalis eam detulissent: sic ordinante convenientius Deo, quo uterque aliarum provinciarum reformationi ac fundationi liberius intenderent; Arabidæ nimirum in Portugallia, sancti Josephi in Castella, sancti Simonis in Galitia, et sancti Joannis Baptistæ in Valentia, ut alibi narrabimus.

Jussu præpositorum redit Arabidam S. Petrus.

74 Post supradictum capitulum, Beatus noster cum amicissimo suo Joanne ab Aquila, ad conventum sancti Onofrii a Lapa alias a se habitatum secessit. Ibi uterque spiritu ferventes ac pœnitentiæ studiosissimi, conferebant invicem reformationis cœptæ propagationem atque incrementum. Erat autem hoc tempore in solitudine Arabidæ defunctus, magna sanctitatis opinione, pater Martinus, qui Custodiæ suæ curam singulariter commendarat P. cuidam Andreæ Barellæ ex Algarbiorum provincia. At quia hic zelus multorum oppositionibus elanguerat, consilio quorumdam religiosorum cum Averiensi duce ac principe Ludovico collato, in sententiam S. Petrum ex sua provincia revocandi, melioribus votis a cunctis itum est; quo conservationis instrumentum fieret, qui jam et fuerat instaurationis. Itaque efficacissimæ ab his principibus litteræ ad S. Petri de Alcantara provincialem scriptæ fuere, quibus variis congestis rationibus eumdem pro publico beneficio pertraxerunt, ut veniendi in Portugalliam licentiam concederet. Qua licet ægre a provinciali S. Petro impertita, mox cum P. Joanne ab Aquila ad suscipiendum iter, commissæque provinciæ onus fœliciter utrumque compulit, dum propriæ E
subtracti, alienæ ædificationi utilius destinarentur.

Firmatam Reformationem

75 Ambo hi servi Dei omnibus gratissimi, in Portugalliam accesserunt; et S. Petrus de Alcantara prius in Arabida, post in conventu Paliaens rigidiorem vivendi formam summa prudentia ac invicto animo, tam suis restituit, quam contra æmulos ac turbatores perfectionis defendit. Aliquando singularibus principium D. Mariæ ac Ludovici instantiis ad aulam transire coactus, ibidem multorum nobilium pietati oleum infundebat suadendi lenitate. Interdum etiam magnum illum et doctrina et spiritu patrem Ludovicum a Granata (qui tunc forte Ulyssiponæ morabatur) de rebus cœlestibus ac proprio animæ suæ statu consulens, ei quoque ad aliorum conversionem manus dabat.

tradit Joanni ab Aquila.

76 Inter alios nobiles S. Petro familiares unus erat D. Ludovicus de Sosa, qui miranda Viri conversatione illectus, ædificando conventum in loco Caparica animum applicuit, quo propinquius eo frueretur. Ideoque celerrimo opere, juxta paupertatis formam perfecto ædificio, ipse S. Petrus de Alcantara cum paucioribus incolere cœpit; confluentibusque illuc, propter propinquitatem Ulys- F
siponæ, plurimis ex nobilitate juvenibus; quorum quidam aut ordinis instituto suscepto hanc custodiam illustrarunt, aut integrioris vitæ documentis imbuti, aliis exemplo ac instructione in sæculo notabiliter profuerunt. Ubi vero nimia se frequentia in hoc loco turbari agnoscebat S. Petrus, in Arabidæ solitudine abdere se convenientius duxit. Ibi secum volvebat animo qua meliori ratione augendæ huic custodiæ providere posset; eo quod brevi eam a se relinquendam prævidebat. Itaque prius P. Joannis ab Aquila eminentes virtutes proceribus regni aliisque devotis commendare; mox cum ipso orationis assiduitate conjuncta, divinam voluntatem explorare; usque dum mutuo consensu, hic in Portugallia ad operis promotionem remanere; ille in Castellam ad majora reverti convenissent. Ingratum quidem omnibus hoc consilium videbatur, propter desideratissimam S. Petri præsentiam, quam subtractum ibat; sed perspecta socii virtute suæ parum dissimili, major doloris pars hoc solatio levabatur, tanto magis quod prædictus P. Joannes custodiæ regimini affectu religiosorum impositus, et his paternæ charitatis indicia,

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

A indicia, et sæcularibus sancti ac prudentis viri existimationem altissime imprimeret. Postquam enim triginta annis summo zelo religionis integritatem promovisset, in eadem custodia magna cum opinione virtutis cœlestis decessit circa annum 1580, ut in chronica provinciæ sancti Gabrielis notatum legitur; hujusque beneficii auctorem B. Petrum de Alcantara omnes concelebrant.

Properans ad conventum S. Margaritæ, Guadianam mirabiliter transit.

77 Rediit tandem in provinciam S. Petrus anno 1551, eo forte tempore, quo Plasentiæ celebrandum capitulum erat; in quo (ne iterum provincialis eligeretur) validis rationibus ac precibus obtinuit. Alteri tamen religioso virtutibus conspicuo, P. Francisco de Martiago ex illius consilio hoc munus delatum, ut et ipsum S. Petro primi diffinitoris officium datum. Properandum erat S. Petro ad conventum sanctæ Margaritæ de Gerez de los Cavalleros, ut cum cæteris patribus celebrationi festi sancti P. Francisci adsisteret. Et cum in via circa meridiem accessisset ad ripam fluminis Guadianæ, tunc maxime rapidissimi ob pluviarum incrementa, diu cum vectore de trajiciendi celeritate contestabatur: illo periculum objiciente; S. Petro de Alcantara fiduciam in Deum persua-B dente. Ubi vero nihil nec precibus nec ratione profici videret, animo ac oculis in cœlum erectis, compellatoque ad sequelam socio, fluvium fidentius ingreditur. Stupendum profecto visu, quod pedes tantum amborum unda tegente (spectantibus omnibus, qui ripæ adstabant) in oppositam partem salvi transierunt. Unde tam insigni miraculo, et fides in Deum iisdem aucta et sanctitas Viri apud omnes clarior evasit.

Eligitur in Custodem.

78 Ad conventum igitur perventum, ubi interesse S. Petro necessarium fuit electioni custodis mittendi ad proximum capitulum generale anno 1553 Salmanticæ celebrandum. Unde quia vir magnæ virtutis ac prudentiæ ad hoc quærebatur, qui turbatis rebus mederi, ac opponere se æmulis novæ custodiæ valeret; nemo non S. Petro pro hoc, tam fama quam zelo primas concedebat, eoque libentius suum calculum conferre studebat. Reluctanti itaque hæc provincia commissa, quam a zelo prædicationis auspicatus, quamplurimos, dum in Xerez moraretur, ad proniorem vitam perduxit: inter cæteros vero nobiles tres viros, qui virtutum exemplo conspicui, discipuli B. Petri de Alcantara vulgo vocabantur.

Mulieris, a dæmone illusæ, conversio.

C 79 Occurrebat illi, dum viciniora huic civitati loca prædicando percurreret, mulier quædam a dæmonio illusa aut potius possessa; quæ dum integra fama turpissima vitia obtegeret, aliquando diaboli amore (juvenis speciosi forma eam fallentis) misere deperibat, adeo ut fidei pignus etiam animam ei adscripserit, et quasi maritali secreto obstricta, libidines mutuas neque confessario umquam revelandas spoponderit. Indulserat aliquandiu sacrilegis his amplexibus misera, et diligenti obsequio infernalis pronubi custodita, ecclesiam tamen et sacra frequentando famam cohonestabat. Placuit divinæ providentiæ per illum locum transire sanctum Petrum de Alcantara, ad cujus sermones accedere mulierem stricte prohibuit malignus; casu vero quodam vespere eidem cum aliis fœminis extra muros deambulanti S. Petrus obvius, ab illis reverentiæ signum, ab hac formidinis cujusdam recepit; unde eamdem compellans singulari quodam impulsu accedere propius, atque ad familiarius quoque colloquium subsidere aliquantum persuasit. Hinc conscientiam ejus cautius explorare, licet pro more nihil responderet, indurata tunc magis aspectu falsi sui sponsi, qui retro portam propinqui eremitorii signis miseræ silentium præcipiebat. Tunc ferventius inardescere ac divino lumine accendi S. Petrus videbatur; ut fœminæ (quicquid hactenus perpetrarat) objiceret, omnemque adversarii fraudem distinctius explicaret. Unde ipsa tam divina admonitione obstupescens, quasi proprii criminis confusione obruta, ad pedes Viri sancti procidens in profusum planctum tota resolvitur. At B. Pater consolare eam magis, atque ad scelerum detestationem et pœnitentiæ remedium cohortari, detegendo ficti illius juvenis diabolicam illusionem, certumque divinæ misericordiæ refugium. Quibus omnibus confortata mulier redeundi in crastinum conditionem, ut animæ culpas elueret, promptissima suscepit; atque quo securior imminentia pericula ab offenso sponso evaderet, sancti Viri preces fidejussores expetiit, ipsumque adversarium ejusdem imperio ad ima detrudi coram conspexit. Hac itaque ratione libera noctem quietam in conscientiæ discussione transigens, sequenti luce ad S. Petri de Alcantara pedes accessit; unde a maculis prioribus purgata, imposterum integerrimæ vitæ speculum insigne, cœlestisque virtutis Viri præco fidissima recederet.

Adest S. Petrus generali Capitulo.

E 80 Propinquo jam capitulo generali S. Petrus de Alcantara suæ provinciæ custos cum ejusdem provinciali Salamanticam adit, ubi mox omnium illustrium præcipuorumque humanitate exceptus, etiam theologorum insignium æstimatione colebatur. Quorum omnium singularis de sancto Viro admiratio circa summum sui ipsius contemptum versabatur; dum in verbis factisque ejus nihil, præterquam profundissima humilitas inter tot præstantes religiosos eluceret. Nec minori veneratione apud cæteros prælatos erat, ita ut novo generali electo P. Clementi de Monelia percarus, ab ipso magno favore P. Joannem Alfarum commissarium obtineret; qui alias custodiæ eidem in conservanda regulari observantia plurimum profuit. Concluso capitulo, ubi corporis sui figura omnium vocalium animis vivam sancti P. Francisci imaginem impresserat; se ad reditum parans, per litteras comitis Oropesæ ad ejusdem uxoris subsidium venire quam citissime evocatur.

Duplex vaticinatio.

81 Pervenit piissimus Pater ad locum, ubi devota Domina in variis animi ambiguitatibus circa filii secundo geniti D. Joannis statum fluctuabat; eo quod ipse electionis vitæ incertus, paternæ hæreditatis successionem incertam relinquebat. Quod F ubi S. Petrus de Alcantara intellexit, quasi de futuro factus divini consilii particeps, filium non imparem fratri primogenito, sed et majorem futurum aliquando libere prænuntiavit; ita ut mater, auctoritati magis viri Dei quam rationi apparenti acquiescens, omnem de hac re sollicitudinem protinus deponeret. Urgente insuper eodem, ut uterque conjux quamcumque divinæ voluntatis declarationem constanti semper animo susciperent, consolatos reliquit. Paulo post D. Franciscum, comitis primogenitum ætate florentem, vita exire contigit; cui succedens D. Joannes prædictus ejus germanus, ominis a B. Petro prolati veritatem cum omnium stupore stabilivit.

Mag. Joan. de Avila convenit.

82 Erat hoc tempore prædicationis, mysticæque scientiæ doctrina percelebris magister Joannes ab Avila sacerdos sæcularis, qui in Betica provincia ob singulares has dotes tamquam apostolus ejusdem habebatur. Is perspecta S. Petri de Alcantara virtute, etiam miraculis comprobata, eumdem, ne ad illam provinciam transeundi (pro magno Dei servitio) molestias recuset, litteris perhumanis instantissime compellit. Cui non invitus morem gerens

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

rens S. Petrus, eamdem provinciam ingressus tam negotio principali ad quod venerat, quam multarum animarum lucro, quas ulteriori curæ magistri Avilæ commendarat, præclarum studium fructuose impendit.

Vaticinatio et prodigium.

83 Hinc ad propria reversurus in civitate Baza nobilis cujusdam filium undecim circiter annorum parentibus diligenter commendans, insignem aliquando Dei servum futurum prævidit. Quod quidem puer crescentibus annis, atque per manus S. Petri Ordinis habitum suscipiens, sufficienter comprobavit; dum postea inter præcipuos B. Patris discipulos virtutis laude inclaruerit. Inde iter prosecutus magna tum radiorum solis æstuantis, tum viæ fragrosæ asperæque molestia vexatus; vicem (*de sorte*) magis socii anxius, eumdem tum siti tum lassitudine confectum, atque opem invocantem ad pedes suos concidere conspexit. Qua spectaculi commiseratione confixus S. Petri animus, nullo tunc humano auxilio propinquo, hærebat; quando repente erumpentem inter condensas arbores indomitum taurum uterque animadverteret, qui mugiendo atque cornua vibrando ferociæ impetum in hos Dei servos intendere timebatur. At fortius percul-B sus socius metu mortis exurgens, S. Petrum in sylvæ latebras abdere sese compulit, ibique præfati tauri tamquam mansueti agniculi passus subsequentes, ambo ad limpidissimæ aquæ fontem mira Dei liberalitate perducuntur. Hoc præmium fiduciæ S. Petri de Alcantara in Deum singulare, hoc gloriæ ejus maximum præconium, hoc socii mirabilius auxilium (omni humano deficiente) esse oportuit, ut ferocissimum etiam animal ostenderet divinam providentiam orationibus S. Petri promptissime atque opportune adesse.

LIBER SECUNDUS.

Ab ejus egressu ex provincia S. Gabrielis usque ad fundationem provinciæ S. Josephi.

Perfectiorem reformationem meditatur S. Petrus.

C Ingressus jam provinciam suam S. Petrus de Alcantara ad finem Augusti mensis, meditabatur animo solitudinem ac quietem, hactenus tot excursionibus ac negotiis urgentissimis impeditam repetere: cui jam immersus sensit se ad majora Deo obsequia præstanda ejusdem afflatu impelli. Et dum rigidiori disciplina pœnitentiæ austeritatem augens, atque orationibus ferventioribus divina consilia exquireret, agnovit clarius sibi propagandum regularis observantiæ nitorem proponi. Quam provinciam divinis monitis excitatus, aggredi tamen sine debita auctoritate non præsumebat. Itaque rem cum D. Roderico a Chaves amico ac discipulo percaro conferens, ejus auxilio pro Brevi Romæ obtinendo, quo facultas necessaria concederetur, opportune satis utebatur.

Interest capitulo Provinciæ.

85 Dum hæc aguntur, celebratum fuit capitulum provinciæ in conventu Manxarretes anno 1554 die 4 Octobris; præsidente tunc temporis commissario generali per Hispaniam P. Andrea ab Insula. Hic perfecte virtutem ac zelum S. Petri introspiciens, satagebat eum pro conservatione rigidioris observantiæ, iterum suæ provinciæ gubernio admovere. Sed Deo aliis eum occupationibus destinante, inventa fuere plurium vota in eligendo provincialem dignissimum P. Joannem a Spinosa iterato concurrere; ita ut quamcumque industriam adhibuisset commissarius absque vocalibus; certo tamen constaret omnibus S. Petri electionem tunc voluntati divinæ non placuisse. D

Obtinet Breve Pontificium.

86 Non longo post tempore allatum S. Petro de Alcantara fuit Roma Breve summi pontificis Julii III, quo munitus provincialem Plasentiæ degentem accessit, eumque propositi sui et Apostolicæ auctoritatis participem facit. Qui rei novitate turbatus, præsensit per absentiam S. Petri magnum regularis disciplinæ detrimentum imminere; dum eidem in hac provincia et exempli et doctrinæ suæ auctoritatem subtraheret. Suasit itaque interea prudens provincialis, ut pii desiderii executionem in aliud tempus differret, quo commodius tunc publico aliorum fructui, et nunc privato propriæ provinciæ stabilimento intenderet. Cui quidem suasioni acquiescens S. Petrus, eremitorii cujusdam solitudinem cum socio petendi licentiam interea a provinciali impetravit; ubi ulterius operis magnitudinem meditando, Reformationis suaviora media exactius disponebat. E

Ab episcopo Cauriensi peramanter excipitur.

87 Non exiguo totius provinciæ mœrore S. Petrus de Alcantara provinciam relinquens, vadit cum socio P. Michaële a Catena, fido suo Achate, ad Civitatem Cauriæ (*episcopalem urbem Castellæ Veteris in Extremadura*): in qua a loci episcopo D. Didaco Henriquez, alibi nominato ejusque germano, comite a Nieba singulari affectus demonstratione recipitur. (*Hæc ad annum* 1555 *refert continuator Waddingi* (1).) Cœpit mox propositi sui arcana devoto Prælato aperire, qui cupidum se ac faventem ostendens, promptissime ecclesiam solitariam prope sanctam Crucem de Cevola faustis initiis obtulit; placuit ulterius locus, in quo tantum cellulas angustas cum horto construeret, quibus maximæ strictissimæque paupertatis forma, quam restaurandam in observantia regulæ proponebat, exprimeretur. Eadem quoque in victûs acquisitione parsimonia erat; dum oblatas etiam a devotis eleemosinas recusaret, contentus abstinentiæ suæ rigore atque orationis divinæ consolatione nutriri. Ita ut sæpius superne consolatus, cum cellæ angustia eum capere non posset, in apertos campos excurrens amoris divini raptibus veheretur in altum; et aliquamdiu in colloquiis divinis a terra suspensus hæreret. Omnis ejus supplicatio eo tendebat, ut divinæ providentiæ subsidium pro Reformationis augmento promptius imploraret. F

In eremitorio degens

88 Sed non diu sibi soli relinquebatur B. Pater solitudinis quiete frui, quin sæpe a comite de Nieba, ejusque tota familia devotionis officiis interpellaretur. Idem ab episcopo quoque fiebat, qui curæ pastoralis intermissiones aliquando cum Viro Dei in angusta illa cella orationis ac meditationis exercitiis commutabat, quibus se multum in pietatis affectu erga Deum et spiritus fervore excitari ac proficere agnoscebat. Aliquando uterque in campum egressi, devoto colloquio ac meditatione sine alia refectione aut somno magnam noctis partem protrahebant. Interdum prope fontem loco propinquum, mirabilia Dei opera discutientes exardescebant mutuo zelo in proximi charitate procuranda. Hinc, ut S. Petri de Alcantara singularem gratiam testimonio aliquo firmaret Deus, placuit bonitate sua fontis illius aquis curationum virtutem indulgere; ita quod ad multas infirmitates, plurimorum devotione,

(1) Annal. Minorum, t. XIX, p. 27.

A devotione, e longinquo conquisitus proficeret, et adhuc adstructa eidem capella sub nomine B. Petri de Alcantara, quamplurimos morbos mirabiliter expellat.

inflammatur zelo gloriæ Dei.

89 His pietatis studiis intento major animi stimulus suggerebat, crucis vexillum nascentis Lutheri hæresi omni studio opponere, atque suæ religionis pietate novæ sectæ impietatem conculcare; ita ut dum fidei præconia illustria defectione hæreticorum maculabantur, ipse alienis terris ac gentibus instituti sui candore, atque evangelica prædicatione eadem restituere summopere adlaboraret. Instare itaque ferventius orationibus atque corporis sævissimis macerationibus, quibus flectere Deum conabatur sanctis favere desideriis, atque iter (quod ad pedes Christi Vicarii Romam meditabatur) felici successu prosperare; quemadmodum cordis quædam lætitia præsagiebat.

Romæ ad Sum. Pontificem accedit;

90 Collata proinde interna mentis illustratione cum socio Michaele atque devotissimo episcopo, de itinere Romam suscipiendo ab utroque approbationem meruit; qua vehementer impulsus cum prædicto socio quantocius pedes discalceatus, pro consuetudine, viam ingredi non dubitavit. Post B longas itineris molestias, quæ numquam vitæ ejus rigorem temperabant, Romam ingressus, visitavit sacra limina Apostolorum, cæteraque religionis nostræ veneranda monumenta. Mox negotio se accingens, validissimas superiorum Ordinis contradictiones offendit; quibus frustra tam virtutis quam famæ favore patrocinante, unicum divinæ voluntatis præsidium opponendum relinquebatur. Itaque cum variis difficultatibus colluctatus, expeditissimum sibi remedium accedendi ad pedes summi Pontificis amplectitur. Huic supplex Reformationis propositum proponens, magis sanctimoniæ suæ ac pii zeli specimen, quam negotii argumentum ex difficultatum objectu suspensum, tunc temporis impressit.

obtinet facultatem inchoandæ Reformationis sub Conventualium obedientia.

91 At non ideo intermittebat S. Petrus de Alcantara operam omnem supplicationibus ad Deum ferventissimis promovere, donec iterum ad osculum pedum admissus, singulari Pontificis benevolentia consolatus, Breve quoddam obtinuit, quo fundandi conventum, juxta rigidiorem instituti formam, atque a propria provincia separatum quem cum aliis vitæ ejusdem cupidis incolere atque propagare posset, facultas concedebatur, ea licet C conditione, ut magistro generali Patrum conventualium subjaceret. His ex desiderio succedentibus, divinæ clementiæ gratias debitas rependit; atque sine mora magistrum Conventualium accedens ab ipso perhumaniter atque officiose juxta Apostolicum diploma suscipitur: cujus etiam curæ fuit S. Petrum litteris commendatitiis ad suos, aliisque amplissimis facultatibus necessariis communire. Quibus omnibus operis initia, ac prudentiæ existimationem corrobans Dei servus, rite pietatis christianæ officiis persolutis, reditum in Hispaniam summa animi alacritate ex more suscepit. (*Juvat hæc paulo enucleatius ex Fr. Josepho Maria de Ancona* (1) *reddere.* Ordinis autem præfecti, ad quorum aures itineris hujusmodi (S. Petri) causa pervenit, quamvis etiam ejus virtutum et sanctimoniæ rumor pervenisset, scientes, quod vivendi genus diversitas animorum sæpissime secum fert divisionem, ut unionem in Ordine tuerentur et pacem, nec eo hilari vultu virum Dei sunt amplexi, quo decebat. Ille tamen magis magisque altissima virtute proficiens, hos ipsos duros præsidum mores et objecta libenter pertulit, Deoque obtulit. Inde ad Pontificis pedes provolutus, ut exoptatam gratiam imploraret, supplicem libellum exposuit. Semel atque iterum supplicanti Julius annuit, indulsitque, ut posset et eos recipere, qui ad hujusmodi vitæ genus fuissent vocati, simulque cœnobium, quod opportunum sibi videretur, sub obedientia magistri generalis Patrum conventualium exstruere. Julius Magnanus, qui sapientissime res illius familiæ tunc temporis moderabatur, hunc novum sibi subditum humanissime amplexatus, tum suis patentibus litteris pontificio conjunctis diplomate, eum in Hispaniam mox redeuntem munivit. Diploma ab illo diversum, quod ad annum MDLIX erimus producturi (concessiones enim longe ampliores posterius hoc diploma continet) sic incipit: « In Christo sibi carissimo fratri Petro de Alcantara, reformatæ vitæ Ordinis minorum conventualium: frater Julius Magnanus Placentinus, » doctor theologus, ac totius Ordinis conventualium generalis magister, salutem et pacem a » Domino æternum, etc.) »

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Ingens contradictio,

92 (*Quæ sequuntur ad annum pertinent* 1556, *juxta Waddingi continuationem* (2).) Jam S. Petrus de Alcantara vix eremitorio suo pristino redditus, E episcopo Cauriensi obtenta Romæ diplomata communicabat; cum insurgens in ipsum plurimorum maledicentia, constantiam ejus ac divinam virtutem tot signis hactenus comprobatam, novitatis, ambitionis, fallaciæque calumniis lacerare non dubitaret; ita ut non solum apud religiosos, sed etiam seculares (quibus carus habebatur), malam quamdam de ipso opinionem latius seminaret; unde instigante maligno spiritu, qui novæ militiæ progressus pertimescebat, ideoque impedimenta machinabatur, quidam perversæ mentis homines sanctum Virum aggressi, variis questionibus exagitarunt; et quamvis suaviter et benigne responderet, injuriis tamen atque verberibus inhumaniter eum onerarunt. Quibus omnibus ipse summa tolerantia cedere, nec quærimoniæ alicujus vel signum edere auditus umquam fuit. Commissarius insuper generalis, qui in provinciam ejus pervenerat, severa correctione in ejusdem provincialem animadvertit, quod ei exeundi e provincia facultatem concessisset, adeo ut voto etiam in proximo capitulo privaret. Neque hoc solum contentus S. Petrum quoque, quamvis suæ auctoritati exemptum, ad se vocavit; qui (ut quælibet pro amore Dei F pati mereretur) rationem sui indebitam reddituras accedere non recusabat.

cui et ipse commissarius generalis manus dat.

93 Cum igitur ad conventum pervenisset Vir præclarus totique Hispaniæ venerabilis, non solum commissarii asperas frequentesque reprehensiones summa modestia perferre; sed et tyronis instar omnium dicteria atque insultus profundissima humilitate ac alto silentio premere; ita quod confusos, magis quam exasperatos, omnes relinqueret. Sed quia non par omnibus de hoc silentio judicium erat, quidam superiorem instigabant, ut obedientiæ imperio responsionem aliquam ei extorqueret, quam aliis innocentiæ fiducia continere videbatur. Unde tantum hæc obedientia effecit; ut semel iterumque illa saltem verba submissa voce ac gestu proferre auditus sit · Patres, optime novi, hoc opus mihi servo inutili Domini mei minime convenire; vos autem, si intelligitis non e re communi esse, satagite quantum potestis impedire. Hæc nimirum fundamenta ponebat S. Petrus ædificii spiritualis, quibus Reformationis ædificationem superstruere optabat;

(1) Annal. Min. Ubi supra. — (2) T. XIX, p. 58.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

optabat: humilitatis videlicet internæ, propriique contemptus invictam constantiam; quo Ordinis sui institutoris Seraphici principia jacientis aut æmularetur exemplum, aut revocaret ad imitationem Patris filiorum remissos animos.

Cœptum opus fortiter prosequitur S. Petrus

94 Quamquam vero variis his modis sancti Petri propositum satanas turbare invigilaret, potior tamen Deo cura erat, ejus apud pios homines devotionem propagando servare; ita quod præfatus episcopus Cauriensis primus diligenter sollicitaret novi conventus fabricam incipere. Quam, licet in loco eremitorii sanctæ Crucis propriis sumptibus offerret; tamen propter alterius conventus sancti Marci de Altamira propinquitatem S. Petrus de Alcantara excusandum prætulit. Erat autem amplior locus omnino quærendus; quia prædictus novos collegas non capiebat, ex quorum numero P. Leo Ulyssiponensis, Franciscus a Galisteo (*hunc laicum fuisse Marcus Complutensis scribit* (1); *cæteri erant præsbyteri*), Franciscus de Melo, Petrus de Alconcher, Bartholomæus a sancta Anna, et alius quidam Hispanus, qui Mediolanum transeunti Petro cognitus, inde ut familiæ adscriberetur, B accesserat; præter canonicum quemdam Zamorensem (*hic est Christophorus Bravo, cujus redibit mentio*) eruditione ac opibus pollentem; omnes strictioris vitæ normam amplectendo, S. Petrum ducem atque magistrum sequebantur. Migraverat tunc temporis e civitate Plasentiæ Don Rodericus a Chaves alias nominatus, qui propter humilem vitam (quam ducebat) cognatis exosus, cum tota familia in possessione quadam prope oppidum Pedroso habitare elegit. Hic B. Patrem invisens, fundando novo conventui præfatam possessionem liberaliter obtulit; quam ille opportunam satis existimans, episcopo Cauriensi ejus donationem sibi concessam annuntiavit.

Apparitio.

95 Contigit aliquando S. Petrum Cauria ad Pedrosum eundo, in itinere apud quasdam filias spirituales divertere et quia hybernæ nives totum obtexerant, una virginum caput ejus discopertum admirata, atque quærula objurgabat pie, quod sibi in hac re iniquus videretur: sed Vir Dei. Ne mireris (inquit) filia, si ego in præsentia Dei mei capite discoperto incedo, cum terreni principes ac domini, rege suo præsente, caput tegere detrectant. Quibus dictis aperti fuere puellæ mentis oculi, ut C conspicere quoque exterius valeret, de qua præsentia loquebatur Pater; dum stare (eum) medium inter Christum Dominum ac sanctum Patrem Franciscum animadverteret, licet tunc quidem secretum hoc apud se contineret. At postquam observasset per fenestram abeuntem iisdem comitibus viam prosequi, illico participem quoque sororem tam admirabilis visionis facere non tardavit; quo ambæ deinceps rei testes forent, et clarius magis intelligerent, cujus præsentiam reveritus, S. Petrus de Alcantara caput se tegere non debuisse affirmarat.

extasis inter epulas nuptiales.

96 Vix redierat ad eremitorium, cum sollicite Avilam evocatus dominæ Ciomaræ de Ulloa benefactricis suæ precibus libentius cederet; in hac proinde civitate, observantibus eum ubique æmulis, singulari eventu meritum ejus apud omnes inclaruit. Coactus enim a quodam illustri viro nuptiarum ejus solemniis adesse, quibus parem sibi uxorem ducens, magno devotionis affectu ex S. Petri præsentia conjugii felicitatem ominabatur; ideoque, ut renitentem pertraheret, Christi exemplo compellans obtinuit, ut indictæ nuptiæ populi frequentia solemniores celebrarentur, D et sancti Viri existimatio cœlesti favore defensa contra plurimos ejus obtrectatores illustrior redderetur. Peracta etenim in ecclesia conjugum benedictione, ad domum sponsi S. Petrus cum ingenti multitudine pergens, duos sui Ordinis fratres obvios habuit. Hi suggillandi occasionem aucupantes, guardianum conventus ejus loci contra S. Petrum de Alcantara extimularunt, ut tamquam scandalosum et convivandi licentia dissolutum corripiendo diffamaret. Erat interea S. Petrus in loco convivii cubiculo cuidam (adjacenti) inclusus, ut orationi ac contemplationi vacaret; cum repente duo religiosi, obtentu alloquendi eum pro re gravi, facultatem accedendi postulabant. Deducti itaque ad cubiculum, et aperto ostio parum abfuit, quin radio quodam splendidissimo perculsi progredi desisterent; ni, curiositate calcar addente, ingressi deprehendissent Virum sanctum altissima contemplatione absorptum, in alto sublatum hærere. Qua visione confusi, nihil amplius præter virtutem S. Petri de Alcantara ubique prædicare, ejusque actiones omnes tamquam divino judicio comprobatas, tam in via quam in conventu summis præconiis celebrare sunt ausi; ita ut guardia- E num ipsum in meliorem quoque de eo opinionem pertraherent. At serpente in palatio extasis hujus susurro, plurimi ad cubiculum videndi cupiditate concurrebant. Et quia toto convivii spatio perdurabat, gratior ea tunc S. Petro de Alcantara obtigerat, dum epulas (quas aversabatur) evitaret, et existimationi suæ aptius consuleret; sicque æmulis calumniandi causam ademit, devotis vero actionum integritatem collaudandi evidens argumentum ministravit.

Pedrosi initia.

97 (*Sequentia juxta Waddingi continuatorem, in annum incidunt* 1557 (2)). Postquam Vir Dei Avilæ intentum suum domino Joanni Velasquez, apud imperatorem Carolum Quintum gratioso, suoque filio spirituali communicasset; ipsius liberalitate pro fabricæ materia necessaria impetravit, ceterisque expeditis Pedrosum revertitur. Ibi episcopi sollicitudine omnia provisa, comitis quoque Torresonii pietatem (qui ad invisendum B. Patrem illuc transierat) promptissimam invenit, artifices operariosque sua sponte offerentis; adeo ut tot divinæ providentiæ subsidiis ad fundationis initia invitatus, fabricam conventus aggredi non dubitarit, quam proprio labore, cæterorum- F que religiosorum diligenti auxilio, brevissimo temporis spatio ad formam strictissimæ paupertatis expeditius absolvit. Diebus vero festivis spirituali fabricæ intentus, in propinquum oppidum ad prædicationis officium excurrens, tanta charitate abundabat, ut magnis parvulisque doctrinæ Christianæ rudimenta, imo et legendi scribendique elementa edoceret. Nec cessabat interea malignus spiritus operi huic insidias struere, cum commotis aliquot religiosis cujusdam propinqui monasterii, eis apud Plasentiæ episcopum varias causas confingere persuasit, quibus fabricæ progressus turbarent. Inter has rigorem disciplinæ, quem in novo illo conventu servandum allegarunt, non diu duraturum insipienter prædicebant. Unde vocatus ad dicendam causam S. Petrus non solum adversariis ora obturavit, sed et episcopo facti rationem probando, juvandi quoque promptitudinem elicuit. (*Cœnobium* Pedrosi *anno ædificatum* 1557, *nemo est qui dubitare possit; id enim diserte constet ex sequenti instrumento* (3). In loco Pedrosi termini et

(1) Chronicon provinciæ S. Josephi, lib. I, cap. III, n. 1024. — (2) Ubi supra, p. 77. — (3) Ibid., p. 77 et 78, t. XIX.

jurisdictionis

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

A jurisdictionis nobilis civitatis Cauriæ, in solo excellentissimi domini ducis de Abula et ejusdem civitatis Marchionis domini mei, die XXII Maji anni Domini MDLVII comparet præsens admodum magnificus dominus Rodericus de Chaves, nomine suo atque dominæ Franciscæ de Chaves ejus legitimæ uxoris, qui sunt ejusdem loci Pedrosi patroni; præsente venerando domino Joanne Martino Conde, alcade ordinario, qui nunc est ejusdem loci; et demum etiam me scriba præsente, qui eorum jussu scribo, et testibus infrascriptis; qui dixit, se cum domina Francisca uxore domum ædificasse, cui quædam terræ portio pro hortalitiis contigua est, quam communitas hujus loci ad hunc effectum dederat in loco, qui dicitur *de Berrteal ad Fontem de Palancar* pro admodum R. P. F. Petro de Alcantara, religioso professo Ordinis sancti Francisci regularis, Observantiæ provinciæ sancti Gabrielis, qui excalceati nuncupantur. Cum consilio et facultate sui ministri provincialis, qui tunc erat et ad præsens est ejusdem provinciæ, frater Joannes de Espinosa, Breve apostolicum obtinuit, ut majori quiete et commodo orationi atque contemplationi operam daret, vi-
B tam ducendo eremiticam cum socio ab eo, aut ex suo Ordine aut ex altero, sibi beneviso. Et cum iidem Domini Rodericus de Chaves ac Domina Francisca de Chaves sua uxor summopere venerentur et diligant prædictum R. P. Petrum, dixere propterea, quod eidem enunciatam domum et hortum, tum etiam aliam terram, quam communitas eidem (*nempe Roderico*) fuerat elargita, ut suus socius, aut socii, vel alii, quos eidem secum habere convivas placuerit, omnibus suæ vitæ diebus in eadem domo manere possint, et horti atque terræ prædictæ usum faciant; ita ut idem F. Petrus cum socio aut sociis qui secum erant in domo hujusmodi commorantes dumtaxat simplicem usum habeant tam domus, quam horti atque terræ recensitæ. Concedunt insuper facultatem, ut in aliqua ejusdem domus parte Capellam sive Oratorium possint extruere ad sacrosanctum Missæ sacrificium celebrandum, usque dum ibidem ipse F. Petrus Alcantarensis permanserit. *Ita scilicet recitatur a Waddingi continuatore, loc. cit. Instrumentum ex hispanico latine redditum*).

S. Petri pœnitentiæ.

98 Dum pro hoc negotio Plasentiæ in domo nobilis viri D. Didaci a Loaisa moraretur, pro
C more noctu se flagris castigans, devotum hospitem e somno excitatum tanta admiratione affecit, ut persuadere sibi ægre posset corpus adeo extenuatum sine superna virtute tali tormento sufficere. Duæ quoque sorores ejus virgines servum Dei per ostii rimulas observantes, viderunt post orandi longissimum spatium noctis reliquum in altissima extasi consumpsisse. In hac quoque domo morbo correptus, pietatem hospitis excusans, nullum etiam levissimum fomentum admittere volebat; nisi urgente socii obedientia modicum vini, propter debilitatem stomachi, aliudque pharmacum ad arcendum mortis periculum degustasset; ex quo etiam sensim convaluit.

Flumen pertransit sicco pede.

99 Redeundo itaque Pedrosum per Alcantaram transiit, ut artificem quemdam fabrum, operi destinatum, secum conduceret. Quo cum socio in via relicto, ipse meditatione profundissima collectus intra se, præcedebat usque ad flumen quoddam ex duobus, Alagone et Marete, propter illuviem commixtum atque rapidum. Hic dum alii transfretandi opportunitatem expectant, ipse sui oblitus tamquam solidam terram calcaret procedens, in alteram ripam salvus evasit. Sed spectatores tam stupendi miraculi, cum ne quidem clamoribus transeuntem revocare valerent, ad Deum conversi miram ejus in Servo suo virtutem votis ac condignis gratiis altissime celebrarunt. Alii qui in opposita ripa, quo pervenerat, hærebant, omnes ad pedes ejus procumbere, manus et habitum deosculari, atque velut Sanctum aliquem e cœlo delapsum adorare non cessabant: at ille aliquamdiu post in se reversus, obstupescere magis se in hoc loco tot hominibus circumdari, jam a tergo flumen, atque socios in altera parte reliquisse; ideoque supplici gestu coram omnibus divinæ potentiæ gratias referre, et ad eam laudandam devotissime provocare: expectatisque itineris sociis, cunctis rei gestæ silentium humiliter commendavit; Deo tamen illam in confusionem inimicorum ejus latius spargi atque celebrari altius complacuit.

Conventus in Pedroso descriptio.

100 Cum igitur rediisset Pedrosum, invenit confectam conventus fabricam, tam angusta nimirum forma, ut cæteras a se in alia provincia constructas superaret. Unde spirantium potius carceres, aut mortuorum, quam vivorum hominum habitacula a cunctis habebantur. Altare majus crate quadam rudi ab ecclesiæ navi divisum, vix E tantum spatii continebat, ut præter ministrantem sacerdoti alterum caperet transeuntem. Interius claustrum figuræ quadræ, latera longiora non habebat, quam ut duobus religiosis expansis brachiis utraque manu contingi possent: cellæ supra vix hominis staturam portas habebant angustiores; quarum rationem quibusdam reddens S. Petrus de Alcantara: Fratres, inquit, incolæ earum mundo defuncti sunt: et ut discant, quam angustus sit ad cœlum aditus, per has portas intrandum sibi recordentur. At beati Viri cella paupertate atque capacitate cæteris inferior, repositorio similior videbatur; cum sub scala quadam posita, non nisi incurvo corpore integrum admitteret. Reliquæ quotquot erant officinæ, eadem angustia contrahebantur; sic quod totius conventus ambitus cum ecclesia, quæ majorem partem occupabat, pedes 32 in longitudine, 28 in latitudine non excederet.

Templi dedicatio.

101 Absoluto itaque opere templum Immaculatæ Conceptioni beatissimæ Virginis dedicare intendens, D. Rodericum a Chaves consuluit; ut reposito in altari majori sanctissimo Sacramento, imago Virginis indicto die venerationi publicæ exponeretur. Concurrunt itaque undique ex vicinis F oppidis populi ad solemnem processionem, necessaria ministrantibus D. Roderico et comite Osornii; sed quia loci angustia intra ecclesiam paucos admittebat, cæteri præ foribus divinam providentiam deprædicabant, quod Apostolici instituti virum pro omnium ædificatione ad se misisset. Ipse Dei servus S. Petrus de Alcantara Deiparæ tutelæ familiam suam, ac instituti augmentum commendans, cunctos divinis mysteriis reficiebat. Hic postea cum sociis virtutis probatæ vitam arctissimam ducens, victu tenuissimo panis et leguminum, orationum officiorumque assiduitate continua, disciplinæ rigore intentissimo, paupertatis moderamen vivendi austeritate superabat; ut servus Dei Joannes de Alburquerque non dubitaret asserere conventus hujus normam vivendi, ne puncto quidem cessisse austeritati, quam S. P. Franciscus hujus Ordinis institutor, olim cum sociis servasse memorabatur.

Plures viros nobiles ad pietatem informat.

102 Fruebatur interea B. Pater spiritualibus illis deliciis, quibus desideria sua exaudita Christo Domino accepta ferebat, cujus amore quotidie inflammatus magis, affectus ardorem etiam in mediis aquis hyberno tempore se immergendo per aliquod

aliquod temporis spatium temperare, sæpius conabatur; et si quod tormentum sentiret, id memoriæ illius spatii (quo in cruce Redemptor culpas nostras solvit) patienter offerebat. Ex multis nobilibus, qui S. Petrum de Alcantara ex aula Madritensi invisere solebant in hoc loco, præcipui erant D. Ferdinandus Henriquez patruus Admirantis Castellæ, cum alio illustri viro D. Didaco Suarez; uterque conventus atque vitæ consideratione compuncti, colloquiis etiam Viri Dei ad meliorem frugem conversi, prope ipsum habitationem eligere proposuerunt, quo frequentius ejus conversatione fruerentur. Idem aliis multis contigit, qui pompas seculi in hac commentatione mortis aspernari discebant.

Augetur Reformatio; et defuncto Paschasio

103 Biennium jam effluxerat, a quo S. Petrus de Alcantara vi Brevis Julii III, a provincia S. Gabrielis separatus, reformationi curas suas impendebat; quam intra annum in duodecim præcipue religiosis,qui secum Pedrosi cohabitabant, firmasse se summopere gaudebat. Angebatur tamen majoribus desideriis eamdem perfectionis normam ad alios proferendi, ut cum ejusdem disciplina, zelus quoque animarum apud sæculares promove-
B retur; quod utrumque, dum divinæ providentiæ instantius commendabat, complacuit eidem Beati votis, viam quamdam aperiendo, respondere. Fuerant ante paucos annos egressi ex provincia sancti Gabrielis duo pietate insignes religiosi, P. Joannes Paschalius, et P. Alphonsus de Manzanete; horum prior regnum Galitiæ pertransiens tres conventus auctoritate apostolica fundavit; alter eremitorium quoddam prope eremum Lorianæ, sub titulo sancti Isidori, liberalitate D. Joannis Velasquez de Avila, qui (ut dictum alibi) B. Petro maxima devotione adhærebat. His vero quatuor conventibus superintendebat, ex commissione P. Magistri generalis conventualium, P. Joannes Paschalius, qui dum ex visitatione conventus Lorianæ in Galitiam revertitur, supremum diem clausit in itinere.

cui Commissarius succedit S. Petrus.

104 Illo itaque defuncto, ne prædicti conventus detrimentum aliquod caperent, instantibus quibusdam religiosis zelantibus apud Commissarium generalem conventualium P. Antonium a sancto, Quirico, consulente quoque D. Joanne Valasquez, ad S. Petrum de Alcantara relatum fuit, ut suo conventui cæteros in Galitia conjungeret. Cui ille propositioni post longas ad Deum supplicationes
C et cum Fratribus suis maturas deliberationes, ea conditione assensum præbuit, ut ex omnibus custodia quædam titulo sancti Josephi erigi deberet, et quod P. Antonius a Conceptione Lusitanus custos, eidem præfectus Romam adiret, ad referendam P. Generali conventualium rerum gestarum seriem, qua perspecta superiorem destinaret, cui loco defuncti P. Joannis, reformatorum conventuum supremum regimen committeretur. Itaque cum jam prædictus P. Antonius Romam perveniens Generalem non invenisset, illico Paviam secutus negotii sibi commissi partes egregie explevit. Ille vero provida cura cunctis respondens, S. Petrum de Alcantara suo loco commissarium in Hispaniis nominavit; cui prædictis conventibus reformatis præesse, atque alios ædificandi, ubi occasio ferret; regulæ insuper observantiam promovendi amplam facultatem concessit. Quod quidem contigit anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto. (*Continuator Waddingi* (1) *hanc electionem refert ad annum* 1557. *Quod tamen non concordat cum alteris litteris P. Magistri Julii Magnani, inferius citandis; quæ, datæ* D
XVIII *Aprilis* 1559, *supponunt sanctum* Petrum *officio commissarii, ei ab Antonio de S. Quirico ad triennium concesso, jam defunctum; quod non obtinet nisi initia dicti officii ad annum* 1556 *referantur. Ast de his postea redibit sermo. Cæterum in plerisquè factis particularibus, ad hos annos spectantibus, non existit omnimoda concordantia inter P. Laurentium a Divo Paulo et Waddingi continuatorem. Nec putem ita ordinari narrationem posse, ut singula facta suis quæque annis certo assignentur; deficiunt quippe ad hoc idonea documenta et autoritates. Præterea differentia plerumque tanta non est, ut operæ sit pretium sollicite in exacta omnino chronologia stabilienda hærere; dato eam operosa disquisitione ordinari posse, quod nostra, ut jam diximus, sententia, ob monumentorum defectum non facile quis susceperit.*)

Conventus visitat.

105 His tandem facultatibus ad S. Petrum Pedrosi commorantem perlatis, prius illas Deo super altare cum gratiarum actione obtulit; mox cæteris Fratribus communicando cœpti operis successum, divinæ largitati commendandum ferventer inculcavit; eo validius quod sibi licet impari, nec tale quicquam præsumenti, Generalis sponte id mune- E
ris imposuisset. Mox ad conventum Lorianæ transiens, ad reliquos in Galitia litteras paternales transmisit, in quibus suæ visitationis spe omnes illos religiosos consolabatur. Lorianæ a P. Alphonso charitatis visceribus exceptus, epistolam quamdam querulam a comite de Oropesa recepit, accusantem eum derelictæ commoditatis, qua ubique in suo Dominio fundandi novos conventus jam pridem potestatem obtulerat; et quod plurimorum devotorum utilitati spirituali subductus, externorum magis culturæ, quam familiarium sese addixisse videbatur. His aliisque intimi affectus expressionibus prudens commissarius occurrens, litteris non dissimilibus pietati comitis gratias reddere, negotii gravitatem exponere, seque quantocius omnium desideriis satisfacturum promittere (Deo favente) non neglexit. Postea in Galitiam progrediens, trium illorum conventuum religiosos quosdam animo languentes erexit, alios præteritis post obitum superioris tribulationibus dispersos collegit, alios in rigoris observantia titubantes confirmavit; denique omnes et paternali providentia et fraterna consolatione suaviter sub suum patro- F
cinium recepit. Addidit quoque normam quamdam vivendi illi, quæ Pedrosi vigebat, persimilem; cui etiam servandæ magistros accivit tres illius conventus religiosos provectiores, quos in singulis conventibus superiores constitueret; inter quos Patrem Michaëlem a Catena socium suum antiquiorem, primario loco Guardianum destinavit. Neque interea super his tam prospere S. Petro succedentibus, æmuli intra se fremere desistebant, atque frustra se opponere existimabant Viro famoso; cui principaliores Hispaniæ devotione, Generalis aliique superiores Ordinis cum ipso ecclesiæ capite summo Pontifice singulari favore adhærere visi fuerunt. Cujus ipsa divina voluntas optimam intentionem animarumque zelum prodigiis, atque signis manifestis mirabiliter sæpius declarare et velut confirmare agnoscebatur; adeo ut adversariis spes omnis impediendi operis præclusa, hanc tantum vanam præsumptionem suggesserit, asperitati instituti, virium voluntatumque imbecillitatem succumbere, atque societatis constantiam a temporis vicissitudine dissolvi posse.

(1) Annal. Minorum., t. XIX, p. 79.

Quod

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

A Quod an aliquando pro voto malignantium successerit (Deo aliter rem suam moderante) ex his, quæ serie hac nostra narrabimus, evidentius perlegentibus constabit.

Initia conventus de Rosario.

106 Reverso tandem ex visitatione Pedrosum, supervenit confestim comes Oropesæ, ut priorem querimoniam repeteret, instando vehementius pro fundatione alicujus conventus in dominii sui districtu. Unde B. Pater (quo pietati comitis obsecundaret) Oropesam secum transcurrens, nec ibi situm commodum inveniens, quem segregatum atque solitarium quærebat, ad propinquum oppidum perrexit duodecim milliaribus inde distans. Hic antiquum quoddam eremitorium ædificandæ domui suis religiosis conveniens designavit. Dein non longe illinc parvam ecclesiam dicatam sanctissimæ Virgini a Rosario, vicinorumque devotionibus frequentatam, ejusque adjacentia rudera antiqui cujusdam monasterii a Templariis relicti observans, velut commodissimum locum, a frequentia remotum, struendo conventui destinavit promptius : cujus ædificationem devotissimi benefactoris commendans munificentiæ, ne formam strictæ paupertatis excederet, unice instantissime-
B que supplicavit. *(Hæc paulo distinctius redduntur in continuatione Waddingi :* Vix Pedrosum Petrus reversus, ab Oropesæ comite invisitur, utque in sua ditione cœnobium extruat rogatus, simul Oropesam pergunt, ubi ei valde arridens montis cujusdam duodecimo milliario ab oppido distantis asperitas ; in quo dirutum erat quoddam Templariorum cœnobium, prope ædiculam Virginis de Rosario; inibi conventum extruere, comite annuente, decrevit : hac tamen præscripta lege, ne formam in Pedroso adhibitam vel minimum excederet. *Ita, uno alterove mutato verbo, Josephus Maria de Ancona* (1)).

Mortuum puerum ad vitam revocat.

107 Dum his negotiis S. Petrus de Alcantara occupatur, accidit magni ejus devoti comitis Osornii filium ægritudinis vi ad extrema redactum a medicis derelinqui : in quo doloris sensu nil magis pium patrem afficiebat, quam S. Petri absentia, ad quem pro tribulationum suarum levamine sæpius recurrere pro summo solatio habebat. Itaque quamprimum Pedrosum rediisse suspicabatur ; per nuntium, ut ad morientis filii transitum accelerare dignetur, ardentissime efflagitat. Nec tardius obsequio S. Petrus iter arripit ; quamvis ob loci
C distantiam, ubi habitabat comes *(Gallistei nempe, tertio a Pedroso lapide* (2)), illuc venire nisi defuncto filio præpediretur. Ad ejus adventum renovatus dolor patrem cum conjuge ad pedes provolvi obstrinxit, vitamque filio expostulare ; quam servi Dei meritis a Deo impetrari posse non diffidebant. Ad hæc tunc S. Petrus divina inspiratione commoveri, locum (ubi adolescens jacebat) ingredi, pronusque in terram ad orationem prosterni. Hærebant cuncti ad tam celebris Viri ingressum, et quod fama conceperant de virtutis ejus efficacia, aliqua nunc experientia comprobatum iri existimabant. Tunc ille exurgens super cadaver se extendere, atque os ori, pedes pedibus, pectus pectori applicare ; ut sic factum antiqui illius prophetæ (Elisei) revocaret ad memoriam. *IV Reg. c. IV v. 34.* Et postquam aliquantulum immobilis in hunc modum mente in Deo suspensus hæsisset, stupentibus cunctis, surgente ipso atque recedente, visus est adolescentulus sensim pedes, manus, oculosque movere, donec spiritu omnes partes permeante, vivus e feretro exurgens ad benefactoris præsentiam gratulabundus primus accurreret ; mox adstantes cuncti cum genitoribus divinam misericordiam ad genua S. Petri collaudare tam vocibus quam lacrymis non cessabant ; quam ille fidei ipsorum atque parentum devotioni adscribere diligentius studebat, atque ut redditam a Deo vitam ejusdem servitio impenderet fideliter hortabatur. Hac ratione, cum omnibus satisfecisset, seipsum quamcitius per mediam confluentium undique turbam fugiendo ad conventum subtraxit. Miraculi fama, Deo operante, in remotissimas etiam partes perlata livorem inimicorum sanctitatis ejus merito manifestius retundebat.

Capitulum in Loriana.

108 Vulgata jam per universam Hispaniam fama authoritatis S. Petri de Alcantara, qua admittere ad suum institutum religiosos ipsi concessum erat ; plurimi tam ad ipsum quam ad alios ejus conventus religionis causa convolare visi sunt, ut relictis mundi illecebris, contemptus sui ac paupertatis studium serio amplecterentur. Itaque ille, ut suo regimini cautius provideretur, convocandum capitulum necesse judicavit ad conventum Lorianæ ; quo se transferre parabat, cum evocatus ab episcopo Pacis Juliæ, illac prius divertere ad magni inter cives dissidii compositionem compel- E litur. Hac autem fœliciter absoluta iter prosequitur alacrius tota in Deum contemplationis acie erecta ; ita quod nec excessivis caloribus, nec viæ lassitudine fatigatus deficeret, multis passibus socium suum præcedens. Occurrerat ei, non longe a Pace Julia, dux Lermæ cum aliis quibusdam proceribus, qui nec curruum strepitu, quibus vehebantur, nec salutationum compellatione ad se vocare poterant transeuntem. Itaque subsequentem socium de causa interrogando, intellexere solito mentis excessu, non inurbanitatis vitio id evenisse. Unde Viri sancti nomen magis venerari, atque altius virtutis existimationem animis suis imprimere didicerunt. Pervenit tandem ad conventum Lorianæ, ubi opportuno tempore celebrandæ congregationis, Fratribus normam quamdam vivendi satis rigorosam præscribens (quam omnes probarunt) super omnia paupertatis observantiam strictissimis præceptis inculcavit.

Abulam tendit

109 Sic ordinato gubernio rediit ad solitudinem Pedrosi, ubi quietem animi orationis solatio aliisque exercitiis distinguens, in spiritu cognovit, quæ sanctæ Teresiæ in civitate Avilæ accidebant ; nullo enim vocante, aut Deo singulariter F impellente illuc transire visus fuit, ubi Sancta illa tunc temporis maximis animæ turbationibus angebatur ; quemadmodum singulariter in Teresiæ Vita observavit illustrissimus episcopus Turiasonensis D. Didacus a Yepes. Erat tunc S. mater Teresia in monasterio Incarnationis Carmelitarum calceatarum variis spiritus angustiis agitata ; ita ut quo majoribus e cœlo favoribus visitaretur, tanto intricatioribus doctorum patrum spiritualium dubiis atque judiciis involveretur, judicantibus nimirum famulam Dei non a bono genio agitari sed potius falli. Ipsa vero præ sua humilitate ac modestia verebatur mentis illustrationes divinas contra aliorum objectiones et dubia velut certas defendere ; ideo eligebat magis (permittente Deo) eventum fœliciorem tolerantia anxietatum animi expectare. Id quod vere cum adventu S. Petri de Alcantara, de quo scribimus, quam prospere successisse, sequentia gesta demonstrabunt. Vix portas civitatis ingressus erat B. Pater, cum in medio die cometa insolitus visus est omnium oculis

(1) Ubi supra, p. 80. — (2) Ibid.

 solis

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

solis splendorem æmulari; ita ut rei novitate stupidi cives causas inquirere aut significationes divinare curiosius studerent. Ac cum S. Petrum de Alcantara advenisse intellexissent, omnes ad eum concurrere, atque novi astri apparitionem ejus adventus prænuntiam esse, ingeniosius interpretari. Nec forte falli videbantur; eo quod dum ipse Avilæ manebat octo dierum spatio numquam cometes defecit, nec nisi ipso abeunte ille recessit; tam insigni videlicet prodigio Servi sui meritum Deo velut illustrante.

De cometa anni 1558.

110 (*Iter hoc Abulense in continuatione Waddingi, sicut et alia quæ hic subsequuntur, refertur ad annum* 1558 (1). *Porro J. B. Ricciolus noster in* Chronico *ad hunc ipsum annum notat:* Augusto mense, viso cometa, Carolus V: « His, » ait, « indiciis me mea fata vocant » ... Ipse vero, jussis celebrari sibi vivo ac præsenti in ecclesia funeribus, die 21 Septembris morte piissima obiit (2). *Et iterum in Almagesto, lib.* VIII, *sect.* I, *capite* III, *cujus hæc est inscriptio:* Historia cometarum 154 chronologica et astronomica, cum eventibus, qui cometis tamquam causis aut signis attribui consuevere ab aliis potius quam a nobis. *Ait ergo ibidem Ricciolus:* Anno
B 1558 cometam, veru imaginem habentem, conspectum Augusto per multas hebdomadas in Scorpio, cauda in Romam versa, narrat J. Prætorius et Fiornovellus. Hunc autem Fromondus lib III Meteorum, cap. III, putat prænuntiasse Caroli V obitum, qui fuit hoc anno die 21 Septembris. Alii dicunt caudam habuisse in Hispaniam conversam, et fuisse sub coma Berenices; itaque hic potius est ille, a quo sibi timuit Carolus V: unde de illo manavit illud pentametrum ab ipso factum:

His ergo indiciis me mea fata vocant.

Mortua quoque est Maria Angliæ regina Novembris 17; eodemque die Reginaldus Polus; mortuæ item reginæ Poloniæ et Hungariæ (3). *Terror, qui olim ex cometarum apparitione oriri solebat, nostris diebus vix jam non intercidit; quod utique magnam partem tribuendum est astronomorum recentiorum laboribus et scientiarum physicarum progressibus. Animadvertit generatim Benedictus XIV:* Nonnulli cometæ apparuerunt mole minima et vix sensibiles; alii diametro, qui apparebat major diametro planetarum et ipsius lunæ; nonnulli apparuerunt colore pallido; alii colore sanguineo et igneo; nonnulli nudi; nonnulli cum coma, cauda
C aut barba. Motus nonnullorum aliquando fuit rectus, at aliorum retrogradus: velocitas non semper eadem. Inclinatio ad eclipticam modo prava fuit, modo vicina angulo recto. Duratio aliquando fuit plurium mensium, aliquando nonnullorum dierum. Porro nihil in his supra naturam excogitari potest, cum exempla passim occurrant cometarum hujusmodi qualitatibus præditorum in observationibus collectis ab Evelio, Ricciolio, Leibnitz et aliis (4). *Et paulo inferius hæc concludit:* Quid ergo dicendum erit? Statuendumne, quoties aliquid hujusmodi accidat sive in cœlo sive in terra (*egerat de meteoris, pluviis, eclipsibus, etc.*) semper habendum esse pro effectu naturali, semperque judicium ferendum adversus miraculum? Absit. Huc non spectant, quæ hactenus attulimus. Admonemur memoratos effectus esse naturales; sed hinc non infertur, eos esse non posse ratione circumstantiarum supra naturam, et rationem miraculi induere, vel alicujus rei miraculo æqualis uti
D diximus, dum agebatur de miraculis tertii generis: res etenim, quæ in eis accidunt, in se spectatæ, sunt naturales, sed ratione modi naturam excedere possunt (5). *Quæ sane et sapienter et prudenter dicta, quivis rerum æstimator æquus et sincerus pronuntiabit. Cæterum in causa S.* Petri de Alcantara *nulla quod sciam de præfato cometa occurrit mentio*).

111 Morabatur in civitate Avilæ devota quædam mulier D. Guiomar de Ulloa filia spiritualis S. Petri, cui sæpius S. Teresia animi sui afflictiones communicaverat. Hæc audito S. Petri de Alcantara adventu, Teresiæ ejus colloquium efficaciter suadet, id approbante quoque ejusdem confessario; eo facilius quod jam dudum Viri sanctitas omnium vocibus celebrabatur. Ex licentia itaque provincialis Teresia ad templum quoddam deducitur, ubi S. Petrus clam operiebatur. Hic D. Guiomar, quæ Sanctam sequebatur, non obscure ex utriusque mutua familiaritate judicare potuit, spiritus Teresiæ bonitatem S. Petro de Alcantara probatam fuisse; quemadmodum ex rei gestæ narratione per ipsam Sanctam facta clarius constabit. (*P. Fr. Laurentius subjungit hoc loco ipsa S. Matris verba, sed mutila et oscitanter reddita. Cum* E
nos illa alibi (*Commentario prævio n.* 13) *integra, et qua potuimus fidelitate ex Hispanico in latinum translata, adscripsimus, supervacaneum foret hic repetere quæ superius jam dicta fuerunt*).

S. Teresiam convenit.

cum ejus confessariis agit

112 Non contentus S. Petrus de Alcantara Teresiam consolatam reliquisse, expediens existimavit ulterius Patres ejus spirituales, aliosque devotos de spiritus ejus sublimitate, atque divinæ gratiæ donis securiores reddere; quo inposterum infructuosis scrupulis metum ei incutere desisterent. Itaque confessarium ejus P. Balthasarem Alvarez Societatis Jesu fortioribus rationibus eo perduxit, ut imposterum Sanctæ consolationes cœlestes suis quoque exhortationibus animaret ad sublimia. Idem quoque cum D. Francisco Salzedo efficaciter præstitit, ne amplius Teresiæ spiritum illusionibus tentatum pertinacius defenderet; sed magis cœlestibus favoribus elevatum, rectius in tuto versari sibi persuaderet. (*Hæc ita reddit Ribera noster in Vita S. Teresiæ lib.* I, *cap.* VI (6): Ad hæc P. Balthasarem Alvarez convenit (S. Petrus), ut quam ille de spiritu Dei hic operante opinionem conceperat, nova sua ipse opinione et testimonio confirmaret; simul et Franciscum Salcedium, qui F
eam præ aliis quidem maxime diligebat, attamen gravissime infestabat, dum in ea is semper opinione versaretur diabolicis ipsam præstigiis fascinari. Et adeo quidem alte hæc illi opinio insederat, ut, tametsi luculentam sanctissimi viri Petri super ea re testificationem audiret, numquam a se impetrare potuerit, ut quam conceperat mentem pœnitus exueret, licet alioquin in ea exagitanda paulo se gereret mitius. *Hactenus Ribera. Cæterum ex Commentario prævio in Vitam S. Teresiæ* (7) *efficitur P. Balthasarem tunc temporis* subausterum *fuisse; S. Matrem satis severe a confessario habitam; mirum in modum aliquando cruciatam; ad dies multos (viginti habet P. de Ponte) non admissam ad sacram synaxim etc.*)

et episcopo Abulensi.

113 Episcopus D. Alvarus a Mendoza auditis aliquot doctorum judiciis, sibi quoque persuasum habebat Sanctam illusionibus tentari; donec argumentis B. Patris in meliorem opinionem pertra-

(1) Annales Minorum, t. XIX, p. 106. — (2) Chronologia reformata, t. II, p. 201. Edit. Bononiæ 1669. *In Chronico magno et selecto* ad an. 1558. — (3) Almagestum novum astronomiam veterem novamque complectens, t. II, p. 10. Edit. Bononiæ 1551. — (4) De servorum Dei Beatificatione, lib. IV, part. I, cap. XXV, n. 13. — (5) Ibid., n. 23. — (6) Acta S. Teresiæ, p. 464, n. 95. — (7) Confer § XI, n. 185. Ibid., p. 49-51.

ctus,

ctus, sanctitatem Teresiæ clarius agnosceret, atque Deo acceptam religiosius coleret. Idem cum aliis S. Petrus effecit, qui Sanctam variis molestiis et calumniis vexatam imposterum authoritate ejusdem in summo honore ac veneratione habere, virtutesque ejus ac gratias divinas debitis præconiis celebrare cœperunt. Hinc quantum tam famæ atque existimationis, quam quietis animæ S. matris Teresiæ ex S. Petri de Alcantara testimonio accesserit, ipsius Turiasonensis episcopi narratione melius declarari videtur; cum ita scribit: « S. Fr. Petrus de Alcantara, vir sublimis spiritu » et oratione, qui sua industria et labore reformavit, et ad perfectiorem statum revocavit Discalceatos S. Francisci, unus fuit ex his, qui familiarius sanctam Matrem tractarunt, et qui clarius » introspexit spiritus ejusdem excellentiam et vitæ » innocentiam. Ipse fuit, qui sua authoritate et » ratione episcopum convicit, atque in Sanctæ favorem convertit. Tantam namque opinionem » S. Fr. Petrus de Teresia conceperat, ut asseveranter prædicaret, animam ipsius unam esse ex » maxime acceptis Deo, et infra fidem nihil certius » habere, quam spiritus ejusdem bonitatem. Unde » quoque diligentissime eidem in omnibus tribulationibus atque fundationibus suis auxiliares manus porrigebat. » Hactenus episcopus. Neque dissimile testimonium edidit P. M. Fr. Didacus y Bañez religiosus Ord. prædicatorum percelebris, et cui per sex annos sancta Teresia confessa sæpius serenitatem animæ suæ, post colloquium cum S. Petro de Alcantara habitum, liberius manifestarat.

Vocatur ad aulam Vallisoleti. Quæ ibidem gesta.

114 Reversus jam Pedrosum S. Petrus de Alcantara ad inspiciendos novos conventus, (*puta duo cœnobiola*) quos construebat comes Oropesæ, perrexit, timens ne fabricando magnificentius modum justæ paupertatis excessisset. Inde Lorianam excurrens, Fratres ibi degentes in professionis fervore animabat, atque ad cæteros conventus in Galitia Custodem visitationis causa destinavit. Vocatus inter hæc a serenissima infante D. Joanna de Austria imperatoris Caroli Quinti filia, ac regis Philippi Secundi sorore, ob sanctitatis famam summa cum veneratione ab eadem excipitur; quamvis non diu in eadem Vallisoletana aula trahere operam daret. Visitavit tamen quasdam religiosas Franciscani instituti (*scilicet octo Clarissas moniales, ut habent Annal. Min.*) illuc ex Gandia translatas, quas paulo post eadem Infans in quoddam monasterium sanctitate perillustre Madriti inclusit, ubi florent adhuc titulo *Discalceatarum regiarum*. His magnam paupertatis, propriique contemptus æstimationem præter alia spiritualis scientiæ documenta impressit, suæque virtutis memoriam præclaram reliquit. Invitatus a quibusdam civibus, fœminæ cujusdam ægrotantis domum accessit, ut pro vicina morte solatium aliquod adferret. Cumque ferventius eamdem verbis ac sermone spirituali alloqueretur, in extasim raptus omnes adstantes in sui pariter admirationem rapiebat, dum observando eum labia movere, curiosius audire cupiebant, quæ tunc verba proferret. Videbatur autem dicere: Parum in purgatorio manebit. Quod ad se reversus nequaquam interrogantibus repetere voluit; sed exeundo e medio eorum, qui ipsum honoribus prosequebantur, ad mulierem animam efflantem dixit: Deus te perducat, anima benedicta. Ex quo omnes fœlicem morientis statum augurando, sancti Viri pietatem summis laudibus extollebant, ejusque affectione magis capiebantur.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Pedrosum revertitur. Insigne miraculum sub missæ sacrificio.

115 Pedroso jam redditus aliquot juvenes invenit, quos instituti suscipiendi cupidos (explorata prius vocationis efficacia) suorum numero adscripsit; Deo gratias referens, qui exiguam suam familiam crescere quotidie faciebat. In ejusdem oppido ultimum (*id est tertium diem*) Paschatis festum solemnius celebrari jam dudum usu inoleverat; unde oppidani singulari erga S. Petrum de Alcantara affectu, ad decantandum sacrum instantius invitarunt, ipseque acceptavit. At cum hæc fama ingentem vicinorum multitudinem undique excivisset, inventa est loci ecclesia neque tertiam partem capere, ita ut expeditius visum fuerit altare quoddam in aperto campo erigi, ubi universus populus sacro adesse commodius posset atque aspectu servi Dei amplius consolari. Quod sane tunc maxime fieri omnes sentiebant, cum præsentia devoti celebrantis non lacrymas modo elici sibi; sed et intimas cordis in Deum affectiones suscitari efficacius agnoscebant. Sed inimicus homo, qui devotionis fructum impedire machinabatur, brevi effecit, ut post decantatum symbolum aer, tunc maxime serenus, turbari visus sit, et commotus validissimus ventus imbrem densissimum, fulgura, turbinesque ac tonitrua undique excuteret; adeo ut turba commoveri inciperet et aliqui in tutum se recipere deliberarent. At vero immobilis S. Petrus de Alcantara ferventius in divini ministerii officio perseverans, hortatur populum, ne ullatenus dubitet, nec in pietate deficiat; sed ut parochus exorcismis Ecclesiæ tam furenti tempestati occurrat. Quando (mirabile visu) obstupescentibus omnibus circumvicina loca fulgure corruscare, atque cadente de cœlo pluvia inundari campus cernebatur; solum illud loci spatium, ubi turba ad Missæ sacrum perseverabat, ne aquæ quidem gutta nec venti minima vis attingebat; ita quod nec cerei in altari extinguerentur, nec ultimi adstantium in aliqua vestium parte se madefactos sentirent. Tam insigni miraculo perculsi omnes, finito sacrificio, ad S. Petri amplexus certatim ruere; ut vel habitum vel pedes vel manus attingerent, quibus ille humili oratione occurrebat, monendo divinam miserationem tunc maxime se piorum supplicationibus ac devotioni promptam exhibere voluisse; cum omnes constanti fiducia in ejus religioso cultu perseverantes respexisset: sicque ulterius ad Dei servitium suaviter cohortando, se ipsum acclamationibus perstrepentibus atque venerationi irruenti paulatim subtraxit; omnesque divinis laudibus intentos, magis quam commessationibus aut aliis festorum corruptelis addictos reliquit.

Moratur in conventu Viciosæ, ubi noviciatum collocat.

116 Cum jam comes Oropesæ conventum Viciosæ integre absolvisset, eo se transferre S. Petro gratum fuit ad introducenda exercitia spiritualia, quæ a constitutionibus præcepta loco valde correspondebant. Erat namque situs in ima vallis inter duos altos montes transeuntium oculis absconditus, ideoque beato Patri magis amœnus; ita ut intra claustra horti angustum sibi eremitorium construi curaret sub invocatione B. V. M. Betlehemiticæ, ubi rudi, sed devota arte exprimebatur mysterium Nativitatis Domini, quod singulari devotione recolebat. Hic novis e cœlo favoribus ac revelationibus illustratus, utrorumque notitiam nobis sua humilitate subtraxit; ita ut Fratribus (qui ex vultus splendore tale quid suspicabantur) interrogantibus respondere soleret: « Non vobis curæ sint revelationes, neque de occultis inquirere; procurate vero Deo in spiritu et veritate servire; scrutamini scripturas et mandata ejus observate. »

Hic

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Hic eremus propter sancti Patris habitationem adhuc in singulari populorum veneratione perseverat; dum in eo signa appareant sanguinis ab eodem sparsi ex quotidianis flagellationibus, quibus corpus suum castigabat. Ornat quoque locum procera pinus, quæ ex baculo, quem terræ infixit B. Pater, radices egit, et in eam (quæ nunc cernitur) magnitudinem excrevit (*Pinum memorant Annales Minor., de sanguine silent*). Unde cum S. Petro de Alcantara valde placuisset, ibi instituere voluit novitiorum educationem, eisque jam numero auctis conspicuum virtute Patrem Fr. Alphonsum a Lerena (*Marchesius, utpote Italus, scribit de Gleriena*) magistrum, et guardianum præficere, qui postea provinciam sancti Joannis Baptistæ fundavit. Locus vero de præsenti religiose a Patribus Augustinianis discalceatis incolitur.

Rapidum fluvium transit;

117 Dum hic moraretur religiosus commissarius, obtigit ei ad civitatem Truxillo prædicationis causa excurrendi occasio, qua populorum ardentissimis eum audiendi desideriis satisfaceret. Postquam vero per aliquot dierum moram multas ad Deum animas convertisset, præmisit ad conventum socium, quem panis eleemosynam ab utroque B conquisitam asportare atque sequenti die reverti jubebat. Abiit ille, nec propter continuas pluvias stato die adesse potuit, nec S. Petro de Alcantara a nobilibus loci per quinque continuos dies (quibus duravit pluvia) permissum fuit eum sequi, ut cupiebat. Illa autem aliquantulum cessante viam ingressus, tam luto quam torrentibus satis molestam; pervenit tandem ad fluvium Almonte, quem aquis tunc ultra solitum exundantem circumire ultra sex milliaria, quo pontem peteret, necessum habebat. At cum recta adiisset, non minori facilitate, quam olim alios duos, tunc eumdem transiens fatigatus nimis ad conventum sero accessit. Hinc obstupefacti omnes B. Patrem tam insperatum advenisse, viæ atque trajiciendi fluminis modum minutius exquirebant. Quibus cum se satis prospera cuncta invenisse, flumen vix genua attingentem recta transiisse narrasset; hæsere magis attoniti atque sequenti die ad locum curiosius scrutandum abire meditabantur. Invenerunt autem flumen aquarum torrente rapidum ultra sex cubitorum altitudinem tanta vi fluere, ut etiam altiores arbores secum evulsis radicibus abriperet. Unde rei difficultate probe ponderata manifestius C miraculi fidem ad servi Dei gloriam evicerunt.

et rursus alium.

118 Aliud non minus quam hoc ei stupendum successit, cum aliquando Alcantaram iret negotium quoddam pro Dei gloria procuraturus. In difficili longoque itinere socius ejus P. Michaël a Catena offendens ad saxa crus vulneraverat; ita quod in domum quorumdam benefactorum loci de Porticello delatus, ibi ad illud curandum remanere cogeretur; at S. Petrus de Alcantara die sequenti ultra progrediens subsequi eum commodius jussit usque ad Algarrobillas sex inde milliaria distantem, quo negotii causa præcedere necessum habebat. Tardius autem hanc viam ingressum (quæ ob aquarum inundationem difficilior evaserat), nox quasi obscura prope Tagum deprehendit. Creverat hic adeo imbrium copia, ut trajici nequaquam posset sine navigio, quod tunc ex altera parte hærebat ad littus. Placuit tunc omnipotenti Deo, ut ex illa parte lucidissimus radius effulgeret, quem secutus S. Petrus de Alcantara velut præsentium oblitus, recta in adversam ripam super undas quasi solidam humum sicco pede transivit; mox propinquum tugurium vectoris accedens precabatur, ut suo navigio per flumen transmitteret, quo ad Algarrobillas ducitur. Hic D vero suspicatus B. Patrem forte ex inedia delirantem talia postulare (quæ stulta erant) obtulit liberalius pro illa nocte hospitium, ut illucescente die agnosceret se jam flumen trajecisse, nec locum (quo tendebat) longe abesse: nocte igitur transacta cuncta S. Petro clarius patebant, quando mirabili se Dei auxilio aquas transgressum summa cum humilitate cordis gratis oculis respiciebat. Eodem die jam quasi declinante subsecutus socius de B. Patre vectorem interrogabat, qua hora præcedentis diei eum transvexisset. Ille vero pernegante se religiosum ullum conduxisse, sed quemdam apud se illa nocte hospitio quidem receptum, qui Algarrobillas petebat; Fr. Michaël rei successum suspicatus, miraculi excellentiam cum vectore illo collaudavit; tantæque B. Petri sanctitatis reverentiam menti ipsius impressit, ut idem omnibus enarrando, quibusdam sæpius dicere soleret: Quare vos non transitis aquam sine navigio, ut fecit sanctus Fr. Petrus de Alcantara?

Acceptis a S. Teresia litteris,

119 Postquam B. Petrus cunctis Avilæ civibus eminentiam spiritus ac virtutis Teresiæ manifestasset, non solum ab iisdem coli; verum etiam apud remotiores Hispaniæ populos in summa ve- E neratione atque sanctitatis opinione haberi incœpit. Eodem quoque tempore Sancta frequentius a Deo visitata divinis favoribus atque visionibus varias animæ delicias sentiebat; quæ ideo etiam eam magis anxiam tenebant, quod populari existimatione divinisque gratiæ donis abundans dubitaret, ne timoris frœna remisisset incauta, aut nimis tumida inde videri posset. Augebant anxietatem amici spirituales, qui licet securam interno lumine de cœlestium gratiarum veritate, tamen suspensam tenebant tot suspicionibus, quas objiciebant ne illusio aliqua subrepsisset. Premebatur ulterius majori dubio, si forte B. Petro distinctius animæ suæ statum aliquando explicasset, atque visionum circumstantias satis dilucide aperuisset; unde judicii ejus perspicacitatem falli potuisse nimis anxie metuebat. Consulendum itaque ulterius statuit scribendo litteras, quibus intima cordis (quo explicatiori modo posset) ei aperiret atque censuram eliceret. Hac epistola ad S. Petrum de Alcantara perlata, apertius cognovit nihil ultra sanctæ Matri difficultatis obvenire præter illud, quod ipsi in colloquio (cum Avilæ fuerat) declaraverat. Ideoque ut facilius contradicentium molestiis obviam F iret, suique spiritus quieti securior studeret; documenta quædam spiritualia triginta duobus (*imo tribus*) capitibus præcipue collectis scripto transmisit. Quibus sancta Virgo mirabiliter confortata omnem cordis afflictionem, mentisque perplexitatem securior exclusit.

ei Documenta seu Articulos de vita spirituali submittit.

120 Et quia hæc ipsa cœlestem quemdam thesaurum continere videntur, non ex re modo publica sed et gratissimum plurimis futurum existimo, si hic distincte approbationem sancti Viri, qua spiritum Teresiæ a Deo fuisse solide asseveravit, subnectamus juxta authographum, qui in monasterio Incarnationis Avilæ servatur.

1 « Finis Dei est animam ad se conducere, sa- » tanæ vero eam a Deo abstrahere; Deus num- » quam timores incutit, qui aliquem a se repellunt, » nec satanas eos, qui ad Deum compellunt: om- » nes visiones aliæque res, quæ animæ contingunt, » magis eam ad Deum conducunt cum efficiant » magis humilem, obedientem etc.

2 » Doctrina est D. Thomæ aliorumque sancto- » rum, angelum lucis agnosci ex pace et quiete, » quam in anima relinquit. Unde neque ipsa (S. Te- » resia)

A » resia) sentiebat tales favores, nisi in summa » pace atque lætitia, quæ omnes simul terrenas, » vel in puncto superat atque excedit.

3 » Nullum defectum aut imperfectionem com- » mittebat, de quibus non repræhenderetur ab » illo, qui interius ei loquebatur.

4 » Numquam petiit aut desideravit tales res; » sed tantum operam dabat voluntati Dei in omni- » bus placere

5 » Quidquid ipsi Dominus dicebat, conforme » erat sacris Scripturis et doctrinæ Ecclesiæ; nec » ulli rigori etiam scholastico contrarium.

6 » Habet maximam animæ puritatem, sinceri- » tatem et ferventissima desideria placendi Deo; » nec propterea quidquam terreni curat aut in » pretio habet.

7 » Dictum ipsi erat, concedendum fore quid- » quid a Deo peteret, dummodo justum esset. » Quorum autem effectum et experientiam obti- » nuit, nimis longum foret hic catalogum inserere » aut describere.

8 » Quando similes res a Deo sunt ordinatæ, » sunt et in utilitatem vel propriam vel aliorum. » Et sic de suo profectu habebat experientiam; B » nec minus etiam de aliorum.

9 » Cum nemine communicabat, quem res ejus » non commoverent, licet de iis non loqueretur.

10 » Quotidie crescebat in profectu virtutis, » instructa semper de majori perfectione; et hac » ratione secundum modum a D. Thoma observa- » tum, toto tempore suarum visionum augebatur » ei earumdem rerum claritas.

11 » Numquam ad ipsam facetiæ aut res frivolæ » referebantur; sed quæ ad ædificationem tantum » pertinebant.

12 » De quibusdam dictum ei erat, quod a malis » spiritibus obsidebantur; ipsa tamen cognosce- » bat, quomodo se haberet anima, quæ Deum le- » thali peccato offendit.

13 » Mos est diaboli decipientis monere, ut ta- » ceatur quidquid ille suggesserit; sed ipsa sem- » per sua cum viris doctis ac timoratis omnia con- » ferebat, et alias decipi se posse a maligno valde » timebat.

14 » Adeo anima sua in omnibus his proficie- » bat, ut ædificatione quoque alias ad imitationem » compelleret; dum in monasterio (ubi degebat) » ultra quadraginta monachæ ejus recollectionem C » imitarentur.

15 » Res vero istæ insolitæ contingebant ei » post diuturnam orationem et mentis in Deum » elevationem; qua ejus amore accensa sanctissi- » mam communionem suscipiebat.

16 » Accendebant quoque desiderium perfectio- » nis; et ne a satana decipi possit, impediunt.

17 » Efficiebant in ipsa profundissimam humi- » litatem, et cognitionem sui ipsius; qua nihil se » posse intelligebat, nec nisi a divina largitate » omnia provenire.

18 » Quando his rebus carebat, omnia alia (quæ » offerebantur) ei molesta erant; quando vero illas » habebat, nulla ei aliarum rerum memoria occur- » rebat, præter summum desiderium patiendi; » quo adeo delectabatur, ut explicare non valeret.

19 » Solebat quoque lætari de suis tribulatio- » nibus atque murmurationibus, et in his seipsam » consolari. Infirmitates patiebatur gravissimas; » ut cordis, vomitus, dolorumque variorum, qui- » bus (cum visiones habebat) liberari se sentiebat.

20 » Studebat nihilominus pœnitentiæ exerci- » tiis, jejuniis, disciplinæ, atque mortificationi.

21 » Res tam prosperas quam adversas æquo » semper animo, ac pacifica mente sine interiori » turbatione ulla ferebat.

22 » Propositum adeo firmum habebat non offen- » dendi Deum, ut verbo se obstrinxerit non negli- » gendi aut omittendi quamcumque rem, quam sci- » verit aut audierit esse de majori perfectione: ita » ut mihi dixerit, licet pro perfectis haberet Patres » Societatis, quorum doctrina in via hac spirituali » profecisse se fatebatur, atque ad illum gradum » gratiarum pervenisse; tamen si certius cognos- » ceret, majorem perfectionem fore cum illis non » communicare, id promptissime se facturam, » nec amplius eos visuram, quibus mentis quietem » debebat.

23 » Gustus atque affectiones ejus de Deo ex- » plicari non possunt; adeo ut in ejus amore quasi » liquefacta, integros dies immobilis permaneret.

24 » Cum de Deo cum pietate ac efficacia loqui » intelligebat, sæpius in extasim rapiebatur; nec » id impedire poterat, excitando hac ratione plu- » rimos ad devotionem.

25 » Ægre fert quoscumque sibi familiares, qui » sibi defectus suos non manifestant aut non re- » præhendunt. Correctiones vero summa cum hu- E » militate amplectitur.

26 » Valde quoque ei displicet, quod unusquis- » que secundum gradum sui instituti non studeat » summopere ejusdem perfectioni.

27 » Supra modum affinium aliorumve sæcula- » rium consuetudinem fugit, amica solitudinis. » Magnam erga sanctos venerationem habet, eo- » rumque festa, et cætera mysteria (quæ Ecclesia » representat) devotissime celebrat; præter altis- » simos de Deo conceptus, quibus illustratur.

28 » Quando aut Patres Societatis, aut alii qui- » cumque servi Dei dicebant ipsi ante visiones, » quod a dæmonio illusa esset, tota contremisce- » bat atque timebat. At postquam in oratione et » mentis quiete Deo fruitur, alium quam eum » loqui, persuadere sibi non potest, etiamsi in » frusta ipsam discerpant.

29 » Concessit ei Deus animi constantiam, atque » fortitudinem indicibilem: unde prius timida, » nunc dæmoniis terrori est. Longe abest a quis- » quiliis muliebribus; nec scrupulosa nimis, sed » rectissima.

30 » Ad hæc dedit ei Deus suavissimum lacry- » marum donum, summam proximi compassio- F » nem, cognitionem integram suorum defectuum, » magnam existimationem bonorum et sui ipsius » contemptum. Et dico pro veritate multos ipsam » juvisse, inter quos et ego sum.

31 » Semper in memoria Deum habebat et ejus » præsentiæ cognitionem: neque umquam ipsa » dicere quicquam audita fuit, quod effectu com- » probatum non exstiterit; id quod pro magno » argumento habendum videtur.

32 » Omnia ista efficiebant in ipsa magnam intel- » lectus claritatem, et in rebus divinis lucem ad- » mirabilem.

33 » Dictum ei fuit, ut moneret contradicentes » sibi, scrutentur scripturas; in quibus non inve- » nient aliquam animam Deo consecratam, atque » servitutis ejus avidam, quæ umquam tam longo » temporis spatio fuerit decepta.

Disquisitio critica de præfatis articulis.

(*De articulis istis aliquid delibavimus Comm. præv. n.* 15, *atque actum quoque est in Vita S. Teresiæ* (1) *et quidem duobus locis diversis. Primum scilicet Comment. præv. paragrapho* XV (2), *ad finem, ubi notatur controverti an præfati articuli S. Petro* de

(1) Acta SS., t. VII Octobris. — (2) Ibid., p. 184.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

de Alcantara, *an potius Petro Ibañezio, ex Dominicana familia, vel alteri cuipiam sint adscribendi; statuiturque in favorem S.* Petri de Alcantara, *ex testimonio præsertim P. Joannis a S. Ludovico, qui in nota ad S. Teresiæ Vitam* (1) *diserte id affirmat.* Duo hæc, *inquit,* scripta, nempe Relationem Sanctæ (*qua scilicet hæc animæ suæ statum late describit*) et Approbationem S. Petri de Alcantara, genuina esse, constat ex antiquis Ordinis nostri documentis et e processibus Beatificationis utriusque Sancti; prout se vidisse testatur R. P. Fr. Joannes a S. Bernardo, Ordinis sui in curia romana procurator, et postulator causæ illius illustris Patris sui Petri de Alcantara, cujus ipse Vitam ex Actis beatificationis extractam anno 1667 edidit, hortante D. Francisco Fabes, sacræ Rituum Congregationis et Francisci cardinalis Barberini secretario. *Et rursus* Annotatis *ad lib.* IV *Riberæ de Vita S. Teresiæ, ubi litt.* a *in cap.* XIII *hæc leguntur* (2): Ribera, Yepes et auctor Chronici nescierunt ad quem scripta esset prior hæc Relatio; et Yepes suspicatur destinatam fuisse ad Patrem quemdam e societate Jesu. Ast, invento postea ipso S. Petri de Alcantara autographo, quod continet triginta tres articulos, qui B responsorii sunt ad hanc Relationem, evidens est ad S. Petrum missam hanc Relationem.... Porro asserit P. Antonius a S. Josepho (tom. II, epist. II, not. 3) idipsum originale exemplum e quo binas has Relationes (*non reperio apud Riberam nisi S. Teresiæ Relationem*) non ita pridem fuisse repertas penes D. Josephum Tapia Osorio. Ait id codicem esse qui duodecim constat foliis, forma, ut dicitur, in octavo, quorum priora sex, cum dimidia septimi folii pagina, occupat Relatio altera, altera vero quod reliquum est codicis; estque illa scripta manu aliena, hæc manu Teresiæ, sicut apud Riberam notatur. Neque abs re est meminisse has Relationes, quas Ribera primum vulgavit (*rursus hic monendum videtur S. Petri responsum apud Riberam non inveniri*) dein in antuerpiensi operum Teresianorum editione anno 1630 additas fuisse ad Sanctæ Vitam, nunc vero locari solere inter Epistolas (tom. II, epist. XI et XII). Tandem advertit P. Antonius (loco quo supra) secundum Chronici auctorem scriptam fuisse priorem hanc Relationem anno 1560, tunc nimirum quando Teresia consuluit S. Petrum de Alcantara, ut ab ipsa narratum habes in Comment. prævio numero 234 et seqq. *Itaque* C *Commentator noster jam hic non hæret dubius; ast diserte affirmat articulos a S.* Petro de Alcantara *fuisse conscriptos. Nec nobis quoque ullus superesse posse videtur dubitandi locus, tum ob enumeratas jam rationes, tum præcipue ob disertum P. Josephi Mariæ de Ancona testimonium.* Inter cætera, *inquit ille* (3), quæ in medium possunt adduci, ut nobis cœlestis hujusmodi Petri sapientia sese prodat, ea est nimirum exploratio, itemque approbatio spiritus Teresiæ de Jesu, cujus internæ a Deo receptæ gratiæ adeo ingentes erant, adeoque humano intellectui percipiendæ difficiles, ut nedum viri pietate atque doctrina præditi, verum et ipsa de earumdem veritate nonnihil dubitarint. Visum est propterea sanctæ Virgini a Petro magistro tantis in angustiis auxilium afflagitare per epistolam a nobis non absque singulari cura inventum, absque tamen præsignato anno, unde necessum duximus huc (*ubi agitur de virtutibus et in specie de dono sapientiæ quo S.* Petrus *erat præditus*) tamquam in proprium locum, ex hispanico in latinum translatam ab egregio viro Emmanuele Ignatio de la Reguera, Hispano Societatis Jesu, sacrorum Rituum Congregationis consultore, et apprime in D rebus asceticis versato, de quo plures hac super re ejusdem doctissimi tractatus, publici juris facti, testantur; favente etiam et procurante R^mo Patre Nicolao Ridolfi, sacri Palatii apostolici magistro pro sua erga nos benignitate et clementia exscribere. *Sequitur textus hispanicus et latinus duabus columnis sibi regione exaratus. Dein subdit* (4). Usque huc Teresia ad Petrum, qui continuo et prompte sequens dedit responsum, non quidem uni Teresiæ, sed omnibus, qui de veritate ejusdem spiritus erant ancipites, directum, ut ita Virginis sanctitas magis magisque ab illis comprobaretur. *Subnectuntur dein articuli. Quo autem anno conscripti articuli fuerint, non satis liquet. Sunt, ut supra vidimus, qui haud improbabiliter eos referunt ad annum* 1560. *Juxta F. Laurentium nostrum ad annum potius spectare videntur* 1558. *P. Jos. Mar. de Ancona rem in medio relinquit, cum Relatio præsignatum non habeat annum*).

Ignem extinguit in conventu Rosarii.

121 (*Sequentia ad annum spectant* 1559, *ex continuatione Waddingi*). Absoluta jam fabrica novi conventus a Rosario dicti, S. Petrus de Alcantara eo se transtulit, ut collocando ibidem sanctissimo Sacramento altaris adesset; ad cujus etiam E processionem atque Missam a beato Patre celebratam, comes de Oropesa aliique plurimi convenerant. Cœperat etiam conventus sub cura P. Francisci a Galisteo guardiani omni pietatis atque virtutis studio florere; adeo ut (quod omnibus, ipsique beato Patri gratum valde habebatur) id dæmoniis causam præberet, operam dandi ejusdem conventus initia una si potuissent vice vel excitato igne destruere. Itaque quodam die flamma vorax forte accensa appropinquabat ecclesiæ; ita quod religiosi B. Patrem ibidem orantem accedentes, sacra Mysteria transferre instigarent; cum ipse, ne dubitarent, respondens cito affuturum auxilium ejus, cui se servire profitebantur, promisit. Mox egressus ad propinquum eremitorium, ubi incendium grassabatur, velut majori incendio intus ardens (Deo sic movente) flammam tunc recta ingreditur, atque inde tabulas aliquas correptas projicit in medium. Mirum visu, quod statim quasi ipso imperante flamma decresceret, nec ipsi, nec cuiquam alteri rei ultra noceret, donec brevi extingueretur.

Matritum evocatur a Joanna austriaca.

122 Inde reverso Pedrosum litteræ a principissa D. Joanna de Austria traduntur, quibus Matritum vocatus abivit quam promptissime. Atta- F men non eadem facilitate acquiescere potuit illi (qua urgebatur) instantiæ, curam suscipere monacharum, quas supra narravimus a præfata principissa in regali Parthenone fuisse collectas. Cupiebat namque devota principissa, ut primæ tam nobilis monasterii plantæ, sanctitate atque prudentia S. Petri de Alcantara irrigatæ, formæ existerent aliarum, quæ successu temporis locum illum adeo illustrem pietate exornare debebant perfectionis professione. Excusabat se igitur S. Petrus ex nova Reformationis occupatione, cui tunc maxime invigilare necessum habebat; licet negare non posset aliquem ex suis iisdem directorem concedere; prout paulo post misit P. Bartholomæum a S. Anna magnæ virtutis et scientiæ religiosum. Visitabat interea sæpius easdem virgines, atque documentis spiritualibus tum ipsas, tum earumdem Patrem spiritualem sufficienter instruxit; quæ ipsis tamquam a cœlesti magistro dictata imposterum firmiter hæserunt atque in prætio habita. Gratum hoc adeo præfatæ principissæ officium extitit, ut

(1) Lib. II. cap. XI. — (2) Acta SS., t. III Octob., p. 710. — (3) Annales Minorum, t. XIX, p. 365 et seqq. Edit. Romæ 1745. — (4) Ibid., p. 366.

et

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

A et in fundatione auxilium, et in protectione conventuum suum favorem impensius exhibuerit; nec promissum sine effectu fuit, cum prope diem iidem conventus reformati ex decreto consilii regii antiquis suis provinciis conjungendi, intercessione tamen atque authoritate prædictæ principissæ in suo separato gubernio ac instituto perseverare permissi fuere.

Non videtur Bartholomæus de S. Anna in confessarium Monialium designari potuisse.

(*Latius quædam hoc loco evolvenda veniunt de gestis S.* Petri *cum Joanna Austriaca. Non enim omnes consentiunt cum P. Laurentio hujusque antesignato Pétro Marchesio, ut ex subjiciendis manifestum fiet. Præcipua ad hanc quæstionem pertinentia, satis diligenter collegit sæpius laudatus P. Jos. Mar. de Ancona* (1); *quare ejus narrationem partim adscribimus.* Hoc etiam, *inquit*, anno (1559)... Joanna Austriaca Petrum Matritum vocat et obsecrat, ut ibidem illarum virginum, quas anno elapso Vallisoleti inviserat, aliquantisper magister permaneat. Ita Vir Dei æquas excusationes obtendens, continuo discessit. Quod autem, Joannæ etiam judicio, huic muneri idoneum probumque virum Bartholomæum de sancta Anna designaverit, quidam minus vere scribunt, qui B Petri acta recensent. Ipse etenim Bartholomæus, quem *(qui)* in hujusmodi munere obeundo omnium primum hoc anno usque ad MDC perdurasse dicitur, in definitorem anno MDLXI apud Pedrosum electus, Romamque anno MDLXII missus est ad provinciæ negotia, ut suo loco dicemus. *(Ex quo illud saltem efficitur toto illo tempore præfatum Patrem monialibus constanter a confessionibus esse haud potuisse).* His accedit illorum catalogus qui primis suæ fundationis temporibus regali monasterio a sacris consiliis et confessionibus exstitere, quem exhibet Joannes Carillo, et in quo Bartholomæi de sancta Anna nomen, ut videre est, desideratur; estque ex Hispanico sequens : P. F. Michael de Villa Franca, *Italus* nuncupatus; P. F. Melchior de Hiebra; P. F. servus Dei Nicolaus Factor; P. F. Joseph Angelus episcopus, qui fuit Bosæ in Sardinia; P. F. Hieronymus Olyssiponensis, episcopus Ceutæ et Tanger; P. F. Joannes de Angelis, provincialis provinciæ sancti Joseph; P. F. Franciscus, Texera, definitor et exinde minister provinciæ Castellæ. Hujusmodi autem catalogus quum Marco complutensi sive de Alcala minime arrideat, eas ob rationes, quas in medium non tenuis roboris affert, C hunc alterum propterea ipse idem exhibet, quem ex priscis authenticisque codicibus extractum magis veritati consonum asserit : Primus sanctus Petrus Alcantarensis; cujus jussu et consilio fuit Secundus venerabilis servus Dei Nicolaus Factor usque ad annum MDLXV; Tertius servus Dei Bartholomæus de sancta Anna usque ad annum MDC; Quartus admodum R. P. F. Joannes de Angelis usque ad annum MDCIX; Quintus admodum R. P. F. Joannes de sancta Maria usque ad annum MDCXXII; Sextus admodum R. P. F. Balthassar de Angelis usque ad annum MDCXXV.

Non habebat S. Petrus de Alc. jurisdictionem in P. Fr. Nicolaum Factorem.

Verum tamen quod hac secunda Tabula præcitatus Marcus menda mendis velaverit, nemo est qui perspicue non possit intelligere. Dicitur vel imprimis Petrum Nicolaum Factorem sancti Petri *jussu* et consilio omnium primum, certe hoc anno, quo monasterium fundatum est, in confessarium usque ad annum MDLXV fuisse destinatum; et tamen sanctus Petrus Alcantarensis neque in monasterium Discalceatarum Matritensium a Joanna Austriaca fundatum, neque in beatum Petrum Nicolaum Factorem, provinciæ Valenciæ Observantium alumnum jus vel minimum agere poterat : quidquid ipse Chronologus *(Marcus Complutensis)* initio capitis IX, lib. V in contrarium affirmet, sanctum Petrum Alcantarensem nimirum præclaro monasterio initia dedisse. Omnes etenim, qui Petri acta referunt, in hoc convenire comperimus, quod sanctus Vir primo Vallisoletum anno MDLVIII vocatus est ab Joanna, eumdem videre suique spiritualem directorem eligere summopere exoptante, ubi jam octo fundatrices Gandia pervenerant, paratæ, omnimode Petro inconsulto, ut cito Matritum ad rem suam accederent. (Non inficiamur tamen, sanctum Petrum per unum aut alterum dumtaxat diem sacrorum consiliorum et forte etiam sacramentalium confessionum pabulo ipsarum animas refecisse, quemadmodum inficiari nos pudet, sacras virgines vel a Petro vel a suis enixe desiderasse spiritualiter gubernari, quod tamen, omni sedulitate etiam pientissimæ principis adhibita precibusque apud Petrum obtineri non potuit). Hoc autem anno, quemadmodum dicebamus, Matritum vir Dei iterum a Joanna vocatus, sacras virgines jam monasterium ingressas, etiam ad breve tempus, renuit instruere; tantum a vero abest, quod regalis monasterii ipse E radices fixerit. Non eget profecto sancti Petri Alcantarensis historia hisce quisquiliis, ut omni ex parte se prodat admirabilis, etc.

Nec prædictus F. Pet. Nicolaus datis a Complutensi epochis monialium confessiones excepit.

A veritate item idem catalogus deviat in eo, quod refert de Nicolao Factore *(quem Beatorum numero adscripsit Pius VI, 27 Augusti an. 1786)*, statim post sanctum Petrum Alcantarensem, hoc anno videlicet, usque ad MDLXV in obsequium monialium earumdem confessarium destinatum fuisse. Nos autem ex Actis pro *(Nicolai)* beatificatione rite examinatis colligimus non obscure, quod circa hæc tempora beatus Pater Petrus Nicolaus, cœnobii Chelvensis absoluto præfecturæ munere, a nobis ad mox elapsum annum (1558) memorato, ad alia similia obeunda a provinciæ suæ superioribus destinatus sit, etiamque ad sanctimonialium monasterii sanctissimæ Trinitatis Valentini sacras excipiendas confessiones, et exinde, diversis a catalogi auctore præsignatis temporibus, Matritensibus Discalceatis *(monialibus)* a sacris consiliis et confessionibus fuit. Hanc veritatem perquam clare ostendunt duæ beati Viri epistolæ, una Jacobo Ferrerio suo spirituali amico ex laudato monasterio sanctissimæ Trinitatis V Novembris anni MDLXXII; altera ex monasterio Matritensi ab- F batissæ monasterii sanctissimæ Trinitatis missa, sub die XI Januarii anni MDLXXIV, quarum authentica exemplaria ad suos annos, favente Deo producenda ex libro Positionis super dubio an constet de virtutibus, etc., ejusdem beati viri Petri Nicolai poterit amicus lector consulere. *(Utraque laudata epistola reperitur tomo* XX *Annalium Minorum : altera ad annum* 1572, *altera ad annum* 1574. *Nominatim ex hac posteriori efficitur Pet. Nic. Factorem anno* 1574 *regio monasterio Matritensi a confessionibus fuisse. Ac proinde non stat catalogi assertum eum hoc munere tantum usque ad annum* 1565 *functum).* Neque ergo Bartholomæo de sancta Anna, neque Petro Nicolao Factori potuit in suo exordio monasterii cura demandari.

Perstringitur Marcus Complutensis.

Quo autem nunc fundamento nixus religiosus chronologus *(Marcus Complut.)* possit asserere, « Petrum Nicolaum primum omnium ad confessio» nalem Matritensem sedem, sancto Petro Alcanta» rensi jubente, vocatum fuisse, inibique usque ad » annum MDLXV dumtaxat permansisse : quod Bar-

tholomæus

(1) Annales Minorum, t. XIX, p. 169 et seqq.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

» tholomæus de sancta Anna, et Joannes de Angelis » ejusdem sancti Josephi provinciæ clarissimi viri » annos quatuor supra quadraginta in monialium, » de quibus sermo, obsequium consumpserint; » quinimo, quod præclaræ virgines per sexaginta » sex annorum spatium, ab an. nempe MDLIX usque » ad MDCXXV a sancto Petro Alcantarensi suisque filiis » erratorum absolutionem, animarumque suarum » directionem acceperint; » quod demum cætera hujusce generis acciderint, quæ a cæteris historicis nondum somniata, ad sui dumtaxat desiderium conducunt, nimirum Observantibus inclyti monasterii fundationis spiritualisque curæ gloriam adimere: quo, inquam, valido fundamento nixus absque nota erroris religiosus chronologus hæc aliaque his similia possit asserere, sane non video; etsi pro sua sententia quasdam exigui momenti rationes atque testimonia conetur in medium afferre. Hæc perpauca apologetice scribere placuit, ut lector caute a moderno historico notitias conquirat, qui et Vitæ Petri et provinciæ sancti Josephi novum intendens systema pro sua ratione extruere, illud a suis doctissimis decessoribus nobis verum exhibitum immerito parvi pendens; merito propterea
B a nobis solum veritatem inquirere cupientibus, etiam alibi, christiane tamen et religiose monendus. *Hucusque P. Josephus Maria de Ancona, qui forte paulo ardentius causam Observantium hic tuetur. Ex ipsa ejus narratione sat liquido efficitur* S. Petrum Alcantarensem *haud exiguas habuisse partes in fundatione monasterii monialium Matritensium, licet utique illius fundator dici nequeat. Quod ad confessarios pertinet, cum hæc quæstio ad rem nostram remote tantum spectet, operæ pretium non judicamus de illa latius tractare. Sufficiat notasse sententiam P. Josephi Mar. de Ancona verisimiliorem nobis videri).*

Mirabilis translatio vel bilocatio.

123 Dum itaque S. Petrus ob varias devotorum distractiones Madriti diutius detineretur, allata fuit Bulla summi pontificis pro publicando jubilæo. Hujus assequendi desiderio fœmina quædam nobilis, ac domina loci de Grimaldo, nomine D. Elvira Caravajal, filia spiritualis S. Petri de Alcantara valde de ejus præsentia sollicita, quod nulli alii quam ipsi conscientiæ suæ latebras aperire solita, tunc maxime id recusabat; at quia distantia locorum impossibile ac vanum ejus votum reddere videbatur, mariti suasionibus atque exemplo nequic-
C quam moveri poterat, ut alteri Patri tunc ad se vocato confiteri vellet; licet sequenti die præscriptum tempus expiraret. Unde dum his perturbationibus tota familia mœsta hærebat, ecce quod præter spem adveniens S. Petrus de Alcantara omnes et lætitia et stupore replevit, ipsamque Dominam præ gaudio quasi exanimem ad pedes suos provolutam sic ille severius alloquitur: « Filia, ne vobis imposterum aliud simile huic contingat, sed cuicumque confessori ne recusetis conscientiam vestram aperire; quia manifesto vobis quod me huc venire Madrito fecistis itinere nimis longo atque laborioso, solum ut solatium vobis afferrem et participem fieri curarem magni hujus thesauri, qui per indulgentiam sanctam aperitur. » Ad hæc humillimis gratiis respondens devota fœmina, magna animi consolatione et confessionis et jubilæi officium explevit; magisque cognovit singulari Dei virtute S. Petrum tunc Madriti existentem vel ad se miraculose translatum, vel in duobus locis eodem tempore corpore præsentem extitisse. Cujus etiam successus ratio omnibus devotis, tunc sancti Patris meritum notabilius commendavit, ejusque venerationem plurimum auxit. D *(Idem factum narratur latiusque describitur a P. Joanne a S. Maria (vide supra in priori Vita n. 122), qui id unum concludit angustias matronæ* B. Petro *divinitus innotuisse: nec proinde locum esse bilocationi seu cuivis alterius generis prodigio. Concordat Josephus Maria de Ancona.* Antequam Petrus, *inquit,* Matrito *discederet, contigit,* Paulum IV pontificem, plenariam indulgentiam indixisse, quam Jubilæum vocamus. Ad hanc obtinendam Helvira Caravajal, Grimaldi oppidi domina, instigante dæmone, nonnisi Petro directori suo, aut saltem alteri ex Pedrosi Fratribus, suarum culparum confessionem aperire, animo constanti decrevit. Vocatis ergo a sollicito pioque marito Fratribus, non procul commorantibus, ut Grimaldum accederent, iisdem a populis ad ecclesiam confluentibus præpeditis, Petrus repente omnibus mirantibus adest, a divino Spiritu procul dubio monitus. Domus exultat, magisque exultat mulier, cui sanctus Vir omnium primus loquens, ait: Filia, deinceps age, ne tibi similia accidant, et confessario utere, quem habere continget; quia tui ergo sum coactus Matrito, huc per tam longum iter accedere, ut indulgentiæ hujus esse possis in par- E tem. Non uno tantum hoc superno signo in eo opere Servum suum Deus illustrare dignatus est (1). *Forte alicui in mentem venerit* S. Petrum *de mulieris angustiis moneri potuisse sive a Fratribus in Pedroso, sive nuntiis Matritum directis.)*

Confirmatur S. Petrus quà commissarius generalis.

124 Absolverat jam S. Petrus tres annos sui commissariatus, quo durante varias litteras ad Generalem conventualium scripserat de statu atque progressu novæ custodiæ a se frequenter visitatæ. Tandem novissimis litteris negligentias suas deprecatus anno 1559, Generali officii sui terminum denuncians, supplicabat ut alteri religioso zelanti custodiam istam committeret, qui defectibus suis supplendis sufficeret. His obtestationibus Generalis occurrens, S. Petrum de Alcantara novo diplomate ad subsequens triennium confirmat, et singulari epistola ad cœptæ vigilantiæ studium indulgentius extimulat. Quod consilium tantum effecit, ut omnium de hac confirmatione applausus, experientia quoque fœlicis successus simul comprobarent idipsum a Deo fuisse provido Generali opportune immissum. Vix enim vulgata illius confirmationis fama et insurgentibus contra Dei F servum ejusque familiam novis persecutionibus iisdem opponi, atque sufficere potuisse solam B. Petri sanctitatem atque prudentiam, rerum eventus fœliciter comprobavit.

Alterum ejus iter Romanum.

125 Hinc quia undique prædictæ oppositiones invalescebant, post longam orationem atque deliberationem, substituto sibi viro gravi atque regimini idoneo, Romam contendit, vicarii Christi in terris oraculum consulturus; ut voluntatem Dei explorando eamdem magis compertam sibi haberet, ut dicebat. Accessit itaque Urbem circa finem Martii ejusdem anni, et a Generali conventualium perbenigne exceptus, eidem negotii gravitatem exponendo subsidii atque favoris liberalitatem elicuit. Visitatis interea sæpissime sanctis locis, stata die ad præsentiam pontificis tunc Pauli Quarti admissus fuit. Pontifex hilari vultu eum suscipiens, virtutis ac famæ persuasione, omnia se concessurum promisit; eo magis quod modeste de injuriis suæ familiæ illatis illum conqueri audiret. Dein fortius in divini cultus atque regulæ zelo animatum, paternaque benignitate consolatum dimisit; commendans ut gravissimas suas pro republica

Christiana

(1) Annales Minorum, t. XIX, p. 172. Ad an. 1559.

...eræ Julii ...gnani in ...tiam Refor-...tionis.

A Christiana curas, ferventioribus precibus apud Deum sublevaret.

126 *(Hoc numero memorat P. Laurentius expeditum fuisse super his negotiis a Paulo IV Breve, cujus vix aliqualem dat notitiam. Operæ pretium itaque duximus triplex hic adscribere documentum, ex quibus et jam narrata et posthac narranda de S.* Petri *Reformatione, nonmodo confirmantur, sed plurimum etiam elucidantur. Primo loco veniunt litteræ Julii Magnani, sequentis tenoris :* In Christo sibi charissimo Fratri Petro de Alcantara, Reformatæ vitæ ordinis minorum Conventualium, Frater Julius Magnanus generalis Magister, salutem et pacem in Domino. Cum superioribus diebus Frater Joannes Pasqual, Dei voluntate diem suum clauserit extremum, qui Fratrum Reformatæ vitæ ordinis minorum Conventualium nobis subjectorum in Hispaniarum partibus caput et officii nostri commissarius extitit; ne oves hujus gregis, quem summopere diligimus, palantes absque pastore vagentur, vir aliquis vita religioneque clarus, in demortui locum sufficiendus erat. Tenore igitur præsentium te, cujus probitas, animi candor et religionis zelus, quemadmodum accepimus, singu-B laris est, quique sacrum concionatorem egregie agis; prædictorum Fratrum Reformatorum, in triennium duraturum, et approbamus, etiam denuo, quatenus opus est, instituimus, creamus et facimus; eademque autoritate præditum te esse volumus, qua prædecessor tuus Frater Joannes Pasqual præditus erat, quamque sibi Joannes Vigerius, Jacobus de Ancona et Laurentius de Spatha, nostri prædecessores, concesserant; conventus scilicet et loca recipiendi, construendi, ubi fuerit opus; fratres ad ordinem ac reformatam vitam recipiendi, ad professionis votum admittendi, capitulo præsidendi; omnia denique et singula concernentia facere, quomodolibet poterunt pariformiter fieri, et absque ulla penitus differentia, tu facere et exequi libere ac licite possis. Quæ quidem omnia cum F. J. Pasqual a prædecessoribus nostris concessa, et a nobis confirmata, ut litteris patentibus videre est, eadem tibi concedimus. Præterquam quod volumus commissariatus officium in triennium tantum prorogari, nisi fueris rursus, absoluto triennio, a toto capitulo electus et designatus. Confirmamus insuper nonnulla ex his, quæ in nostris patentibus litteris continentur, C datis Patavii, sub die tertia februarii MDLVII. Confirmamus etiam et nostra autoritate fulcimus quædam ex his, quæ tibi et Fratribus tuis concessa fuerunt superioribus diebus a R. P. magistro Antonio de S. Quirico, vicario et commissario nostro generali in partibus Ultramontanis, qui, cum fuerit præsens, facile dijudicari potuit, quæ recte au non recte concedi possent. Primum igitur omnium, non solum in Hispaniarum partibus, super hujusmodi locis et fratribus Reformatæ vitæ, sed etiam aliis, quando contigerit hujusmodi loca et conventus recipere, te commissarium instituimus. Deinde ut, peracto trennio præsentis commissionis, indices capitulum in quindena Paschalis Resurrectionis et congregato capitulo præsideas similiter ad aliam novi commissarii electionem tenendam et habendam, qui ubi fuerit electus, ab officio tantum nostro, et non a provinciali S. Jacobi, ut antea fieri solebat, nec ab aliis provincialibus confirmetur, et de novo, prout opus instituatur, quem in posterum immediate nobis aut officio nostro subjectum esse (volumus); decernentes, magistrum provincialem pro tempore existentem provinciæ illius, in qua loca conventusque hujusmodi fuerint, in hujusmodi loca, conventus, fratres aut personam commissarii se intromittere non posse, sed nos ipsos tantum aut officium nostrum. Quod si aliquando contigerit, commissarium pro tempore existentem in sua administratione non recte se habere, volumus ut fratres possint conqueri de administratione mala ad provincialem, ubi fuerint conventus sive loca quærelantium, qui in hoc casu, et non in alio, possit et debeat id agere quod jus et justitia expostulabunt. Et cum prædictus commissarius, et vicarius noster ultramontanus, ex infrascriptis locis : sancti Francisci scilicet de Bayona, sancti Isidori de Loriana, sancti Simonis a Rodendella, conceptionis virginis Mariæ oppidi Pedrosi ac sancti Antonii de Vigo, unam sub titulo sancti Josephi (sic enim ob devotionem appellare voluit) constituerit et fecerit Custodiam, mandaveritque sic appellari nuncuparique debere : nos prædicta omnia recte facta esse existimantes, autoritate quoque generalis nostræ præfecturæ confirmare volumus, quemadmodum litteris nostris confirmamus etiam id quod ab eo fuit institutum; ut ne, scilicet, licentiare possis fratres tuos E reformatæ vitæ ad fratres Observantinos nuncupatos transeundi. Item tibi concedimus, ut custodes, qui a capitulo fuerint electi, a te confirmari seu a successoribus tuis possint et debeant, qui, quemadmodum commissarius, in triennium durabunt. Postremo omnium decernimus et declaramus, cum loca et conventus vestri ad idoneum et sufficientem numerum pervenerint, provinciam et institui et fieri posse; sic autem concessum esse tibi cum velimus, cætera alias tibi concessa his, quæ per litteras nostras tibi concedimus, et a vicario nostro Ultramontano concessa et instituta sunt, confirmamus; adversantia abrogamus et annullamus. Universis vero et singulis nobis subjectis, cum vi obedientiæ, sub anathematis pœna, aliisque pœnis arbitrio nostro reservatis, mandamus, ne in sensum harum litterarum quidquam moliri audeant, quod eis refragetur. In quorum fidem etc. Datis Romæ XVIII Aprilis anni MDLIX. Frater Julius Magnanus Placentinus generalis confirmat, approbat, concedit et mandat manu propria. Frater Maximus Bencanus Ordinis scriba (1).

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Has litteras sequenti die VIII *Maii confirmavit Paulus IV in hunc modum* (2) : Paulus episcopus, F servus servorum Dei, dilecto filio Petro de Alcantara, Reformatæ vitæ Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum professori, Salutem et Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitionis series continebat, quod cum dilectus filius Julius Magnanus Placentinus, doctor theologiæ ac totius Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum generalis magister, sufficienti ad infrascripta facultate suffultus, accepisset, ut asserebat, ut « superioribus diebus, quondam frater Joannes Pasqual : » *(Hic recitantur litteræ Julii Magnani, quibus subjicit pontifex) :* Quæ omnia per ejus patentes litteras confirmavit, approbavit, concessit, declaravit, et mandavit, prout in eisdem litteris ejus manu subscriptis, ac sigillo sui generalatus officii munitis, dicitur plenius contineri. Quæ omnia et singula pro illorum subsistentia fir-

confirmantur a Paulo IV.

(1) Bullarium fratrum Minorum, t. I, p. 169 et seqq. Edit. Matriti 1744. — (2) Ibid., p. 171 et seqq.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

miori a nobis apostolico petisti munimine roborari. Nos igitur tuis justis postulationibus grato concur- rentes assensu, præmissa omnia et singula per præ- fatum generalem magistrum, circa præmissa omnia et singula gesta, sicut rite et provide facta sunt, rata et grata habentes, illa apostolica autoritate confir- mamus et approbamus, ac præsentis scripti patro- cinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat etc. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1559, octavo idus Maji, pon- tificatus nostri anno quarto. *Hactenus ex Bullario fratrum Minorum.*

Prædictarum litterarum executores designati.

127 Tot favoribus pontificiis confusus S. Petrus de Alcantara certo sibi de divina voluntate per- suasum ibat, eidem Reformationis opus placere. Quamobrem ut futuris difficultatibus amplius pro- videretur, ultra pro judicibus earumdem in Hispa- nia nominandis, ultimo apud pontificem accessu humiliter supplicavit. *Præfatus itaque pontifex, die* 25 *Maii ejusdem anni* 1559 *S.* Petro de Alcantara *protectores ac litterarum prædictarum executores assignavit altero Brevi, cujus initium tantum recitat P. Fr. Laurentius ; quod vero nos integrum hic subjicimus, quatenus complementum est duarum*
B *præcedentium apostolicarum litterarum.* Paulus epi- scopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis priori de Magazela, nullius diœcesis et archidiacono de Valde- minor locorum seu terrarum Tudensis diœcesis, re- spective, ac Alphonso de Avila, canonico doctorali nuncupato majoris Aviliensis ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilecti filii Pe- tri de Alcantara, Reformatæ Vitæ Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum professo- ris, Nobis nuper oblata petitio continebat quod cum dilectus filius Julius Magnanus *(et cætera ut in præce- denti instrumento usque ad verba* prout in eisdem lit- teris plenius continetur. *Dein addit Pontifex) :* cum autem, sicut eadem Nobis pro parte ejusdem Petri oblata petitio continebat, nulli Judices, qui litteris prædictis assistant, ac contenta in eis observari faciant, illasque et in eis contenta tueantur, depu- tati fuerint... pro ejus parte Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus aliquos judicos, qui litteras prædictas et in eis contenta observare faciant de- putare, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandata, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum præmis-
C sis efficacis defensionis præsidio assistentes, facia- tis litteras prædictas et in eis contenta debite observari, non permittentes ipsum vel alios in dictis litteris nominatos, contra illarum et in eis expressorum tenorem quomodolibet molestari. Molestatores ac contradictores et rebelles per cen- suras ecclesiasticas et pæcuniarias pœnas ac alia juris remedia, appellatione remota, compescendo, non obstantibus indultis, etiam prædicti et cujus- vis alterius Ordinis personis regularibus, ac pri- vilegiis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, etiam quod ad judicium, nisi coram certis judicibus trahi, aut ipsi, et prædictorum ac aliorum ordinum loca ac personæ excommunicari et suspendi ac interdici non possent per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi men- tionem.. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1559, octavo Kalen- das Junii, pontificatus nostri anno quarto (1). *Tri- bus porro laudatis instrumentis, datis dum altera vice P.* Petrus *in Urbe moraretur, illam tandem consecutus authoritatem est qua, et susceptum Re- formationis suæ opus valide posset promovere, et de* D *futura ejus stabilitate longe securior viveret. Cæterum ex his omnibus clare cernitur, quod jam alibi mo- nuimus et per se satis liquet, hujusmodi suscepta non nisi per multas turbas ad exitum deduci potuisse. Subjungit P. Laurentius) :* quibus expeditis non ob- stante æstivo calore ad confirmandos fratrum suo- rum animos atque Reformationis opus prosequen- dum, quam citissime redire in patriam properavit.

Aliæ litteræ in eamdem rem.

(Juverit denique hoc loco alias recensuisse litteras a S. Petro *in gratiam Reformationis suæ jam antea obtentas. Initio hujus libri* II *n.* 82 *et seqq. vidimus, versus finem anni* 1554 *Roma ei allatum fuisse Breve Julii Papæ III. Attamen P. Joannes a S. Maria Breve illud (nisi forte de altero loquatur) refert ad annum* 1553. *Ejusdem meminerunt Annales Mino- rum ad annum* 1554. *Anno deinde* 1555 *Romam pro- fectus S.* Petrus *est, ubi Ordinis sui præpositos sibi advèrsos offendit. Nihilominus obtinuit a Julio Papa facultatem recipiendi eos, qui ad idem vitæ genus vocarentur, et fundandi cœnobium, quod op- portunum sibi videretur, sub obedientia magistri ge- neralis Patrum Conventualium, et Julius Magnanus, qui sapientissime res illius familiæ tunc temporis moderabatur, novum sibi subditum humanissime* E *amplexatus, patentibus litteris munitum in Hispa- niam remisit. Litterarum idem ac in supra laudatis est initium :* In Christo sibi carissimo Fratri Petro de Alcantara, Reformatæ Vitæ Ordinis Conventua- lium frater Julius Magnanus etc. *Atque procul dubio diversæ sunt litteræ istæ ab aliis datis Patavii ab eodem Julio Magnano die* III *Februarii* 1557, *qua- rum ipse meminit in litteris superius a nobis in ex- tenso recitatis. Unde liquet tria hujusmodi scripta* Petrum *ab eodem magistro Generali oblinuisse ; qui- bus addendæ rursus aliæ, item Patavii datæ a com- missario generali ejusdem Magnani in partibus Ul- tramontanis, R. P. Antonio de S. Quirico, quas pro- babilius cum P. Laurentio ad annum referimus* 1556. *Marcus Complutensis provinciæ S. Josephi chronologus asserit se præ manibus habuisse litteras* III. *Februarii anni* 1557, oblitus tamen, *inquit Jos. Mar. de Ancona,* exemplaria producere, quo fit, ut quibuscumque diligentiis ab archivii secretioris Tabularii præfecto adhibitis neque nos potuerimus hoc monumento opus nostrum ditare (2). *(Jam ad textum P. Laurentii redeamus.)* F

Pedrosi baculus ejus terræ infixus in ficum convertitur.

128 Placuit Deo singulari atque miro successu Servi sui sudores velut prœmio quodam particu- lari abstergere, dum post fœlicem reditum ejus Pedrosum, omniumque suorum summas congra- tulationes, constantem Servi sui virtutem hoc modo illustrare dignatus fuit. Perambulabat S. Pe- trus de Alcantara quadam die arboretum quoddam a se olim in hoc loco plantatum, jam vero adul- tum, innixus baculo (quem secundo Romam repor- tarat) ; tunc ad illum guardianus : Pater, inquit, non inutile videbitur nec frustra erit inter has arbores ficulneam aliquam plantare, cujus fructu aliquando religiosi hujus conventus pro collatio- nibus hybernis uti expeditius possint. Ad quæ S. Pe- trus quasi præcepto guardiani obstrictus, oculos in cœlum attollens atque aliquamdiu suspensus, quasi inde consilium petens, baculum (quem tunc manu tenebat) devote terre infigit. Sed infudit illo in- stanti Deus virtutem, ut etiam sine cortice radices agens, ramusculos ac frondes emitteret, ex quibus opportuno tempore fructus colligi possent. Tam in- signi miraculo obstupescentem guardianum S. Pe- trus de Alcantara ad collaudandum Deum revocat, et obedientiæ meritum evidenti prœmio compen- sare

(1) Bullarium fratrum Minorum, t. I. p. 173-176. Edit. Matriti 1744. — (2) Annal. Min., t. XIX, p. 169.

A sare eumdem voluisse humiliter excepit, quo operis gloriam a se maxime averteret. Sed non potuit intra septa conventus claudi, quod multorum devotionem e longinquo accerseret, tam ad videndum arborem, quam ad probandum fructus ejus virtutem, quam Deus pro multorum morborum medela simul infuderat. Hinc, consuetudine adhuc perseverante, reginis Hispaniarum quotannis canistrum hoc fructu plenum transmitti solitum, et devotioni aulicarum virginum, et aliorum infirmitatibus, antiqui successus fidem mirabiliter confirmat.

...ujus deinde ...uctus mira...li virtute do...atur.

129 Inter plurima vero, quæ annotari possent, id notabile cuidam nobili fœminæ ex civitate Cauriæ contigit, ut continua febri, ac deinceps phtisi laboranti amica quædam ejus tres ex illa arbore ficus afferret atque ex devotione sancti Viri manducandos porrigeret. Infirma autem prius quidem paululum addubitans, mox integra fiducia prædictos ficus degustans, sensim et consolari et viribus augeri, tandem brevi tota convalescere non sine plurimorum admiratione visa fuit. Mirum quoque ejusdem arboris ramos in eodem horto, aut alibi plantatos, fructus colore, sapore atque B magnitudine dissimiles producere, quasi privilegium quoddam particulare arbori a sancto Viro plantatæ divina dispensatione largiente. Alterum quoque non inferius; quod excisis tot ramis ad conficiendas cruces aliaque vasa, quæ pro devotione extra Hispaniam etiam deferuntur, ipsa arbor nequaquam minui aut deficere cernitur, succrescentibus quotidie aliis atque aliis. Aliquot annis post gloriosum transitum B. Petri de Alcantara, hortulanus quidam conventus de Arenas frater Alphonsus de sancto Martino, pœnitentiæ exemplar insigne, cum exhumando corpori beati Viri operam suam impendisset, ut in decentiori loco reponeretur; non frustra observabat gratias atque miranda, quæ per terræ hujus sepulcri virtutem devotis conferebantur. Unde obtenta a provinciali licentia Pedrosum petiit, ut ramum arboris a beato Petro plantatæ in hortum suum transferret, eumque inter duo saxa, tribus tantum terræ ejusdem cophinis contexit, reliquam curam sancto commendans. Non defuit pietati præmium, cum visa est arbor indies crescere, *(et, ut dicitur, ad hanc diem in conventu Arenarum virescit, inquit Joseph Mar. de Ancona)* atque in ramos, et fructus C dilatari; quorum virtus pro infirmitatibus sanandis, radicem suam æmulata, nescientibus originem dubium aliquod injecit, an hæc vel illa arbor baculus ille fuisset, quem manu Beati olim plantatum supra ennarravimus. Paucis insuper ab hinc annis contigit in conventu Pedrosi ex ficu prædicta ramum quemdam præscindi pro cruce conficienda, in cujus rami medulla cuspis inventa fuit, quam extremitati baculi affixam crescente arbore in ligni secretiora transiisse, tam mirum, quam notabile multorum observatione haud indignum fuit. *(Vide Comm. præv., n. 112).*

Invitatus a S. Teresia Abulam venit.

130 *(Juxta Waddingi contin. sequentia spectant ad an. 1560).* Immiserat jam dudum Deus in cor sanctæ Teresiæ, ut Ordinis Carmelitarum institutum (sub quo vivebat) ad rigidiorem observantiam revocare intenderet. Ideo quia arduum satis negotium fore prævidebat, B. Petrum de Alcantara tunc Roma reversum diligentius per litteras consulit, ut quem spiritualis suæ vitæ aliquando agnoverat divinum magistrum, eum etiam nunc in majoris operis aggressione haberet tamquam cœleste oraculum. Cognovit vero B. Pater divinam inspirationem, postquam supremam ejus majestatem per assiduas orationes de hoc negotio secretius consultasset, ideoque rescribens sanctæ Virgini animum addidit, ne quibuscumque contradictionibus cederet, et urgere propositum (quod pro Dei gloria incœptum) instantius suasit; commendare insuper patrocinio sancti Josephi, cui etiam suæ qualiscumque reformationis augmentum inter tot adversa debere se fusius enarrabat. Inde confirmata Virgo efficacissimis ejusdem rationibus omnes se difficultates superasse existimabat; eo magis quod ulterius (favente divino numine) S. Petrum de Alcantara Brevis sui causa Avilam venire, etiam hujus negotii coadjutorem habere fœlicius promeruit. S. Petrus itaque Avilæ summis omnium applausibus exceptus, hospitium sibi in domo D. Francisci de Saizedo singulariter elegit: mox exhibito pontificio Brevi canonico, cui dirigebatur, ejus acceptationem atque favorem singulari benevolentia elicuit. Inde sanctam Teresiam invisens, consilio atque opere eidem se promptum exhibuit; ad quod etiam D^na Guiomar instigabat, suadendo ut Breve aliquod a pontifice procuraretur, cujus authoritate occasioni (quam Deus illico providisset ad opus promovendum) manus et vim admovere securius possent.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

E

Isabellæ de Ortega futurum suum prædicit statum.

131 Erat tunc Avilæ Isabella de Ortega virgo genere et forma nobilis, a pluribus in matrimonium concupita; licet a teneris annis pietati addicta cœlestis tantum sponsi connubium anhelaret. Hanc fama Parthenonis Discalceatarum Madritensium (quæ tunc totam Hispaniam impleverat) adeo ejus status eligendi cupidam tenebat, ut perfectionis acquirendæ spiritualis vitæ persuasa, nullum sibi commodius monasterium ingrediendum proponeret. Sollicita tamen prius divinam voluntatem piorum hominum consiliis explorare, B. Petrum de Alcantara, cujus sanctitatem communi veneratione colebat, ad familiare colloquium invitare curavit, ut animæ statum et cordis occulta eidem secretius aperiret. Condicta die in quadam ecclesiæ capella S. Petrus animum Isabellæ exploratus, cognovit divinam animæ illustrationem; ideoque probando orationis methodum, hortabatur ad perseverantiæ atque perfectionis apicem properare. Tunc puella intentionem accedendi ad Discalceatas Madritenses manifestans, responsum habuit: se quidem Deo consecrare sancte elegisse, sed in alio monasterio id fieri eumdem decrevisse. Ad quod turbata Virgo urgebat scire locum, in F quo sacro habitu induenda foret. Ad hæc S. Petrus de Alcantara: eam ex primo instituto sacri Ordinis Carmelitarum futuram, quod propediem fundandum erat, indicavit; multa quoque in laudem sanctæ matris Teresiæ, tunc puellæ huic quasi, ignotæ subjungens. Denique variis instantiis de harum rerum eventu virgini occurrens, atque declarans eam quoque precibus Deo commendandam promittens; aliquantum suspensam, atque in monasterii Discalceatarum electione magis propensam dimisit. Recurrere itaque interim ipsa instantius ad divinum consilium atque precibus cœlum fatigare; donec quodam die mentis velut excessu, intus sibi loquentem vocem intelligeret: Filia ego te volo in domo sancti Josephi. Ex qua, animo firmiter inhærente, censuit sibi Carmelitarum virginum cœnobium ingrediendum, velut a beato Petro prædictum audierat, moxque ejus præsentiam iterum petens de omnibus certiorem fecit; et ut sanctæ Teresiæ communicationem sibi præpararet, obnixius supplicavit. Omnia in se recepit S. Commissarius suo opportuno tempore perficienda, eique regulas virtutum optimas præscribens,

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

præscribens, strictissimum de nova fundatione silentium imposuit. *(Notandum obiter est, huc referri a P. Josepho Maria de Ancona* (1), *quæ P. Laurentius, infra num.* 137 *et seq. contigisse scribit, dum S.* Petrus *tertia vice S. Teresiam convenit Abulæ. Cum tamen in Annalibus Minorum, loc. cit. nulla reddatur ratio, ob quam hic recedant ab antesignato suo, nempe P. Laurentio; rectius putamus hujus inhærere vestigiis. Confer Notationem ad num.* 139.) Tandem discessurus Avila prius S. Teresiam totius successus participem fecit, atque in fundationis proposito animatam, illius primæ plantæ diligentiorem cultum sedulo commendavit; seipsum vero quamprimum Breve Roma pro fundatione advenisset, præsto affuturum liberalius spopondit.

Fratrum inopiæ cælitus succurritur.

132 Reversus itaque Pedrosum solitis orationis atque pœnitentiæ exercitiis intentus, custodiæ suæ curas attentius exsolvebat. Contigit interea fratribus ejusdem conventus ob nivium copiam, quæ per aliquot dies exitus omnes viarum præcluserat, propter eleemosynæ penuriam, fame quoque obsideri; cum quadam die refectionis hora imminente B. Pater frusta aliquot panis biscocti

B tunc undique conquisita apponi atque inter duodecim discumbentes dividi præciperet. Dein magis attentis omnibus ad spiritualem refectionem, quæ sacra lectione atque S. Petri de Alcantara sermone proponebatur; ille mentem in Deum erigens, non desinebat divinam providentiam secretius interpellare. Vix quisque buccellam mandendo sensim consumpserat, cum signo ad portam audito janitor pro officio accurrens, juvenem quemdam invenit ex oppido Serradilla, duodecim illinc milliaribus distante. Hic per algorem et nives ad conventum perrumpens, sarcinam panis, herbarum oleique pro necessitate fratrum opportunius attulerat. Quibus mox ad præsentiam fratrum in refectorium delatis, omnibus divinæ providentiæ opportunitatem collaudandi, atque orationis virtutumque sanctarum perseverantiam excolendi cum præclara S. Petri exhortatione incitamenta, majora fuere.

Hac occasione de litteris filiationis.

133 Nec sine pretio hoc charitatis officium juveni illi stetit; cum brevi B. Pater ad oppidum illud accedens, domum juvenis pro hospitio fratrum eligere, atque insuper ejus matrem Societati spirituali suæ religionis (litteris filiationis, ut vo-

C cari solent) adscribere voluerit. Quantum autem hæ litteræ, etiam ultra animæ bona, domui huic prodesse potuerunt, hac maxime experientia comprobatum; quod non solum domesticis, sed et plurimis loci prædicti incolis applicatæ, in variis infirmitatibus salutem integram attulerint. Ut vel hinc recte dicere soleret devota illa mulier, se in istis litteris omnium remediorum habere promptuarium.

Litterarum S. Petri exemplar.

(Litterarum de quibus hic sermo, exemplar reperitur in Annalibus Minorum (2), *quod quidem hic prætermittere nefas. Est autem ex hispanico in latinum sequentis tenoris :* Dilectissimis fratribus in Domino Nostro Jesu Christo Gabrieli Sanchezio suæque Uxori de Turre Junxillo : ego frater Petrus de Alcantara, commissarius supra omnes fratres Minores Conventuales Hispaniarum, authoritate apostolica confirmatus, salutem et pacem æternam in Domino, qui est vera salus atque spes firma eorum omnium, qui eum diligunt, eique servire cupiunt. Eam devotionem considerantes, quam vos supradicti habetis erga seraphicum patrem nostrum sanctum Franciscum, D suosque fratres, qui sunt obedientiæ nostræ subjecti, quemadmodum iidem fratres testificantur, propter ingentem eleemosynam atque cætera pietatis opera, quæ a vobis recipiunt atque recepere, cupientes quod ob temporalia beneficia compensationem spiritualem recipiatis : quapropter in divina misericordia confidentes, atque meritis B. P. N. Francisci, ob cujus reverentiam vos supradicti tam devotum atque beneficum animum sacræ suæ religioni ostenditis : ego, præsentium litterarum vigore, vos inter fratres nostros recipio, ut sitis participes omnium bonorum, id est, sacrificiorum, jejuniorum, disciplinarum, orationum, prædicationum, confessionum, Missarum et cæterorum beneficiorum, tam generalium quam particularium, quæ Domino Deo nostro acceptare pro sua misericordia placuerit, ab omnibus et quibuscumque Fratribus et religiosis obedientiæ meæ subjectis : ita ut sitis nostri Fratres, prædictorum bonorum in vita et post mortem participantes, omnium videlicet sacrificiorum et officiorum divinorum, quæ facere solemus pro iis, qui eorum domibus nos recipiunt et faciunt caritatem. In quorum fidem jubeo dari præsen- E tem paginam Fraternitatis, nomine meo firmatam, atque sigillo majori officii mei munitam. Datum ex nostro conventu Dominæ nostræ conceptionis Pedrosi, die XXV Maii MDLX. Frater Petrus, qui supra, manu propria.

Perstringuntur P. Laurentius et Waddingi continuator præpostere præfatas litteras interpretantes.

Qua ratione præfatæ litteræ ad juvenem, qui cibaria attulerat, ejusque matrem spectare possint, ut vult P. Laurentius, non video; quinimo evidens est illas ad alios omnino referri. Ast cum P. Laurentius nullas exhibet litteras, admitti potest eum alias præ manibus habuisse vel res exisse. Aliud est de P. Josepho Maria de Ancona, qui litterarum apographo sequentia præmittit verba : Petrus vero juvenem suis litteris pro beneficio munit, quibus in benefactorum Ordinis album adscriptus agnosceretur, quas in spiritualibus infirmitatibus corporumque morbis medendis efficacissimas loci incolæ experti sunt quam sæpissime. *Profecto ne vel unus apex est, qui juvenem in his litteris respiciat, ut vix continuator Waddingi levitatis notam hic effugiat. Cæterum ejus narratio longe diversa est a narratione P. Laurentii, qui S.* Petrum *tradit domum juvenis adiisse in eaque hospitasse. Quod* F *animadvertisse sufficiat, cum non suppetat unde rem plane elucidem.*

quarum authentia nutare videtur.

Præterea ipsa præfatarum litterarum authentia suspecta mihi est ex inscriptione. Nullibi enim reperio S. Petrum *fuisse constitutum* apostolica auctoritate commissarium Generalem supra omnes fratres Minores Conventuales Hispaniarum. *Ex diplomate Pauli IV, superius recitato* confirmatur commissarius Fratrum Reformatæ Vitæ Ordinis Minorum Conventualium in Hispaniarum partibus, *quod utique minus late patet, quam præfata inscriptio. Nec facile quisquam sibi persuadeat ex sanctum* Petrum *plus sibi arrogasse quam ex apostolica concessione teneret. Confer infra num.* 146, *ubi alteras S.* Petri *reperies litteras quarum hæc est inscriptio :* Ego Fr. Petrus de Alcantara commissarius generalis fratrum Minorum Conventualium Reformatorum per Hispaniam, authoritate Apostolica. *Cæterum id saltem commodi præfatarum litterarum recitatio habebit, ut oculis subjiciatur formula qua filiatio seu potius Fraternitas soleret benefactoribus concedi).*

(1) Annal. Min., t. XIX, p. 204. — (2) T. XIX, p. 205.

134 Non

...rg. divinæ ...itatis in S. ...rum testimo- ...

134 Non cessabant interea S. Petri de Alcantara æmuli amplissimæ ejus authoritati in ordinanda sua Reformatione novas difficultates opponere, quibus removendis Plasentiam ire coactus, episcopo pontificii diplomatis vigorem intimavit; indeque proficiscens continuo colligendo rosas e spinis contravenientium, et ubique premens Christi vestigia bene merendo de omnibus, ad conventum Viciosæ transivit. In hoc itinere modo quasi superius relato, meruit Beatus a providentia subveniri; dum quodam die via atque solis æstu confectus, socii vicem concidentis fame, ac siti (ut dicebat) magis anxius, oratione obtinuit ut inter quædam saxa scaturientem aquam limpidissimam, ac duos panes pro reficiendis viribus deficientis præstantissimos eidem demonstraret. Post ad cauponam quamdam dictam della Vadera noctu perveniens, et ob strepitum hospitum vix loco quietis invento, in propinquum dumetum pernoctandi causa secessit; ut vero aliqui recessisse S. Petrum de Alcantara adverterunt, diligenter eum inquirendo tandem auribus ducti invenere, ubi flagellis se fortiter disciplinabat. Hic eum invitare perhumaniter ad hospicium regredi; et quia recusare
B instabat, ex eadem caupona obsonii quidquam afferre pro summa pietate habuerunt. Hæc occasio fuit, ut S. Petri de Alcantara sanctitas cunctis illis viatoribus ejusdem devotionem altius imprimeret, et licentiose vivendi dissolutionem modestiæ exemplo efficacius temperaret. Ipse vero primo diliculo viam, quæ ad Carceres ducebat, aggressus, inde ad conventum Viciosæ cito perrexit. *(Hæc paulo distinctius continuator Waddingi* (1): Eodem tempore, renascentibus æmulorum in reformationem tumultibus, opus fuit viro Dei Placentiam accedere, ibique cum antistite tempestate sedata, ad oppidum de *Carceres* proficisci. Postea oppidum de *Zaraicego* petit, ubique populis divina virtute cum spiritualia, tum etiam temporalia beneficia elargiens, inter quæ illud memoria dignissimum, quod religioso socio præ fame et siti in itinere animam agenti, ad Petri preces omnipotens miraculose succurrit, dum repente fons perennis ex arida exsurgit humo, binique panes candidissimi apparent. Ad conventum inde Villæ Viciosæ accedit, ubi reliquum hujus anni 1560 transegisse validissimis conjecturis docemur. *Hinc etiam miraculum de panibus divinitus in conventu Rosarii*
C *submissis, de quo apud P. Laurentium numeris sequentibus, in Waddingi continuatione mox citata verba præcedit.)*

Simile contingit in conventu Rosarii prodigium.

135 Circa hoc tempus, quo redux S. Petrus de Alcantara tertia vice a civitate Avilæ, vivebat in conventu Rosarii, mirabiliter juxta consuetam providentiam Deus ei hoc modo subvenit. Circa natalitia Domini furente tempestate nivibus atque pluviis continua, quæstuandi facultas fratribus adimebatur, ut jam nihil ad victum illius diei, nisi paucissimæ buccellæ superessent. Tunc guardianus beatum Virum monere de præsenti necessitate attentans, ad orationis remedium coram sanctissimo Sacramento implorandum ab eodem instantius urgebatur. Convenere igitur omnes, et ad S. Petri exhortationem in divino auxilio atque sanctissimæ Virginis patrocinio confidentes, contra invalescentem tempestatem ferventius in oratione perseverabant; donec nuntio cœlesti allatam fuisse provisionem signum ad portam factum promptius indicaret. Accurrente namque ostiario, nemine viso, sportam optimo pane plenam supra nivem depositam citius renunciavit, ad quam recipiendam omnes cum accensis luminaribus ordine processere. Tunc B. Pater singularem Dei opem orationis efficaciæ adscribens, hymnum *Te Deum* intonans ad ecclesiam reverti, indeque brevi ac devoto sermone omnium affectus in divinas laudes atque servitium excitare ardentissime curavit.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Residui panes missi regibus Hispaniæ etc.

136 Sed miraculum ex eo magis inclaruit, quod panes illi toto tempore, quo inclusi fratres mansere, perdurarunt; usque dum comes Oropesæ, de eorum necessitate sollicitus, provisionem opportunam submisisset. Hic cum a religioso quodam rei notitiam habuisset; statim conventum accedere, atque ex panibus illis cœlestibus partem aut reliquiam aliquam expostulare. S. Petrus de Alcantara, cui propter solitam aliquot dierum inediam tres panes remanserant, eosdem importunis comitis precibus concedere reverentia tanti viri coactus fuit. Qui tam insigni thesauro locupletatus consultius judicavit, pro Dei ac Servi sui gloria, eodem se privare, mittendo unum ad majestatem catholicam regis Philippi II, alterum ad Portugalliæ regem, et tertium ad Hispaniæ legatum, qui in Romana Curia eumdem summo Pontifici exhiberet. Sic nimirum superne dispositum fuit, ut miracu- E
lum adeo insignis providentiæ, et merita servi Dei Petri de Alcantara longius spargeret, et inimicorum ejusdem contumeliam notabilius confunderet.

Tertia vice S. Teresiam convenit Abulæ.

137 Dum S. Petrus in conventu Rosarii religiosorum consolationi attendebat, redditæ ei fuerunt litteræ a sancta Teresia, quibus significabat difficultates de obtinendo Brevi pro nova fundatione, eoque magis stimulabant S. Commissarium, ut multarum rerum occupationibus, quibus ad officii partes explendas tenebatur, præferret transire Avilam consolandi juvandique animo Teresiam. Illuc itaque sine mora properans, Sanctam convenit; atque de variis difficultatibus, quæ pro expeditione Brevis offerebantur, cum ipsa deliberat. Quibus mature expensis, suadet tandem Breve a summo Pontifice petendum nomine D. Guiomaræ de Ulloa, ejusque matris, quæ suis impensis conventum fundare cupiebant sub instituto primæ Observantiæ Montis Carmeli. Dein utriusque dominæ quæsito, habitoque consensu atque favore; Sanctam iterum sollicitat Romam mittere, atque cætera providere, quæ sibi in operis promotione adversa imminere prædicebat. Adeo ut ipsa sancta propriis scriptis hanc diligentiam, atque indu- F
striam B. Petri de Alcantara commendans; omnia pene ipsi deberi, nec sine ejus auxilio se terminare potuisse, ingenue testatum reliquerit.

Sacras virgines ad pietatem stimulat. Inter celebrandum sublevatur.

138 *(Quæ sequuntur hoc capite, in Waddingi continuatione referuntur ad alteram S. Petri Abulensem commorationem de qua superius nn.* 109 *et* 110). His curis Avilæ addicto S. Petro de Alcantara obtigerat sæpius varia religiosarum Virginum monasteria adire, quibus inter virtutum monita, præcipuum orationis studium sedulo commendabat. Hinc multis libellos suos, quos de hac re conscriptos tradidimus, illis distribuendo, sermone quoque ferventi pietatem accendebat. Inter prima hæc, monasterium Incarnationis (quo sancta mater Teresia includebatur) sæpe ad instantiam Sanctæ atque ægrotantium ingressus, præsentia doctrinaque mirabili instruendo perfecit. Alterum sanctæ Annæ, Ordinis S. Bernardi religiosas magnæ perfectionis continebat. Illuc semel ab Abbatissa invitatus, ut ægrotantem quamdam virginem inviseret, redeundo a plurimis eum undique stipanti-

bus,

(1) T. XIX, p. 206.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

bus, ad celebrandum Sacrum in oratorio synodii seu capituli trahebatur; quo devotionis fervorem, quem omnes in Beato venerabantur, in suæ pietatis affectum converterent utilius. Nec fefellit opinionem promptum sincerumque Viri obsequium, dum sensim interna spiritus flamma in mysterii meditatione exardescens, antequam ad sanctissimi corporis communionem pervenisset; vehementi raptus per tres horas ultra cubitum a terra sublevatus omnes stupore atque devotionis compunctione percelleret. Hinc ad se reversus, sacrificioque absoluto, gratiam (quam ipse in divina clementia altius prædicabat) devotis virginibus in pietatis stimulum validius convertit; ut quod sibi indignissimo Dei famulo concessum immerito mirabantur, id amantibus ferventius atque sectantibus diligentius divinam bonitatem incitamenti magis, quam præmii loco habendum efficacius persuaderet: unde cum ei aliquoties in eodem loco, occasione illius infirmæ vitandæ, idem contigisset; altissimos eisdem virginibus conceptus de familiaritatis divinæ atque spiritualium deliciarum precio facilius impressit.

S. Teresiæ sociam unam

139 Eadem insuper occasione, qua Avilæ moram trahebat B. Pater, non defuit conquirendo B sanctæ Teresiæ virgines aliquas socias, quæ novo ejus instituto nomina darent, operam impendere. Unde cuidam devotæ suæ pœnitenti religiosam vitam meditanti, atque jam soluta dote cuidam monasterio addictæ, validius persuasit ut propositi effectum differendo usque ad opportunum magis tempus, quod se indicaturum promisit, pietatis studiis intensissima novam illam fundationem expectaret. *(Ex mente P. Laurentii, evidens est virginem hanc diversam esse ab Isabella de Ortega, de qua supra n.* 131. *P. Josephus Mar. de Ancona posterioris meminit, ubi altera vice S.* Petrum *scribit Abulæ convenisse S. Teresiam :* Accidit, *inquit,* quod nobilis quædam atque speciosa puella, cui nomen Isabella de Ortega, internos experiretur impulsus, ut Minoritis Discalceatis Matritensis monasterii nuperrime fundati nomen daret; quo a Petro ejusdem confessiones sacras excipiente audito, prædicit, nequaquam eamdem Clarissarum Matriti, sed Carmelitanorum Abulæ primum institutum professuram; quod re ipsa contigit, dum eamdem Petrus Teresiæ præsignavit in sociam (1). *Hæc legenti in mentem venit P. Josephum de Ancona* C *confudisse Isabellam cum altera illa virgine, de qua hoc num. sermo est, atque ex duabus unam fecisse. Non videtur S.* Petrus *Isabellæ a confessionibus fuisse; id saltem ex verbis P. Laurentii num.* 131 *non liquide deducitur; imo contrarium satis clare insinuatur. Adde juxta P. Josephum, Mariam de Paz eadem occasione adhæsisse S. Teresiæ. Denique hic universim commorationis (quæ P. Laurentio tertia est)* S. Petri *in urbe Abulensi haud meminit, unde simul conjungit, quæ ille partim secundæ, partim tertiæ commorationi adscribit. Vide dicta n.* 131.)

alteramque adducit.

140 Alia virgo nomine Maria de Pace (de Paz) domestica D. Guiomaræ de Ulloa, cujus virtutes imitabatur, eodem religionis desiderio accensa, turbabatur valde a dotis necessariæ ad ingrediendum monasterium defectu. Quod cum B. Petro de Alcantara sincerius aliquando communicasset, ejus monitis atque consiliis plurimum consolata, remedium suæ impatientiæ imposterum ex sancti Viri promissione securior expectabat. Harum itaque virginum acquisitione sanctæ Theresiæ renunciata, obfirmabatur spe fundationis suæ successum (tam D fœlici principio, tamque sollicito promotore obstetricantibus) propediem optatum sui desiderii fructum pariturum; eoque alacrius atque diligentius B. Patri gratias agere, et ad operis perfectionem sollicitare instabat.

Novus conventus in diœcesi Zamorensi.

141 Variis interea populorum sollicitationibus invitabatur S. Petrus de Alcantara ad fundandos conventus sui instituti in eorum locis, quos excusabat ipse rejiciendo in opportuniora tempora, ne obtrectatoribus invidiæ materiam magis augeret. Instabant ardentius incolæ loci Aldeæ del Palo, quinque milliaribus Zamora distantis; ideoque quo facilius obtinerent, D. Guiomaram de Ulloa (quam adeo sancto Viro addictam noverant) litteris compellant, ut eum ad sua desideria pertrahat. Hæc cum S. Commissario variis persuasionibus consensum extorsisset, litteras quoque, quibus idem explicaretur, atque ad fabricæ promptitudinem cives invitarentur, elicuit. Servantur adhuc apud Zamorenses cives prædictæ litteræ in deaurata tabula sub cristallo inclusæ, quarum tenorem hic adscribere non ingratum forte existimo iis, qui (ut dicitur) leonem ex unguibus cognoscere cupiunt; sic E ergo habent :

S. Petri hac de plausa littera.

« Ego Fr. Petrus de Alcantara commissarius generalis Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum per Hispaniam autoritate apostolica etc. » Quia illustris domina Guiomara de Ulloa, modo » habitans in civitate Avilæ, mihi dixit; quod in » Aldea del Palo oppido, propinquo Zamoræ, rectores et aliæ personæ principales ejus loci offerunt quoddam oratorium a sancta Magdalena » vocatum, ut sub nostra obedientia ibi conventus » ædificetur; et sic aliqui devoti construere volunt » ecclesiam, domum atque hortum juxta formam » nostri instituti : itaque dum ita fuerit, ut prædicta Domina fide dignissima retulit, et prædicti » sollicitantes in proposito eidem declarato perseveraverint; ego exnunc recipio atque admitto prædictam domum pro monasterio; et illud incorporo cum cæteris conventibus nostræ custodiæ, et exhibeo me missurum fratres, qui opus » incipiant : et quando Deo favente, domus perfecta fuerit, promitto me destinaturum alios, qui » eam incolant; hac tamen conditione, quod non » excedat formam nostris ædificiis præscriptam, » et quod magistratus, vel hi qui majorem partem F » monasterii ædificaverint, semper maneant Domini ejusdem; ita ut ibi habitantes fratres inde » ejicere possint, quandocumque intellexerint, » quod ex ipsorum vita non resultet gloria Dei » atque proximi ædificatio, sive quavis alia ex » causa; quia illud nostrum non existimamus, nisi » tantum ut in eo domino Deo nostro serviamus, » tamquam peregrini et mendici in hoc mundo. » Et sic promittimus restituere illis quolibet anno » claves ejusdem conventus, ut de illis faciant » quicquid ipsis placuerit; aut propter amorem » quo præsentes litteræ majus robur habeant, subscribuntur mea propria manu, et obsignantur » sigillo majori mei officii. In Villa Oropesæ die » IX Januarii 1561. »

Fr. Petrus qui supra manu propria. »

(1) Annales Minorum, t. XIX, p. 204

LIBER

A

LIBER TERTIUS.

De erectione provinciæ S. Josephi usque ad ultimum annum finis vitæ S. Petri de Alcantara.

Capitulum generale in Pedroso.

Statuerat secum S. Petrus de Alcantara in virtute potestatis sibi a Christi vicario concessæ custodiam suam in provinciam erigere. Itaque dum undique ad novum institutum candidati concurrebant, atque varia loca conventuum fundationes expetebant, patres ad capitulum convocat, cum quibus de his aliisque regulis constituendis deliberando, maturius omnibus provideret. Hinc principio anni 1561 congregatis Pedrosi prædictis patribus, placuit divinæ benignitati Servi sui consilia sequenti miraculo illustrare. *(Capitulum hoc celebratum est Dominica Septuagesimæ, id est* II *Februarii, cum Pascha incidat in diem* VI *Aprilis; et quidem* B *Pedrosi,* non in Villæ Viciosæ cœnobio, ut Marchesius, auctor Viridarii, cæterique opinantur; sed apud Pedrosum, quemadmodum Laurentius a sancto Paulo, Joannes de sancto Antonio et alii ejusdem ætatis, publicis monumentis et libris Mss authenticis illius provinciæ adhærentes, affirmant (1). *Id etiam diserte tradit P. Joannes a S. Maria. Confer commentarium prævium n.* 44.)

Vir Fratribus addictus Tagum transit inoffenso pede.

143 Habitabat in propinquo pago Inoxal vir satis devotus religiosorum, cui filius eadem pietate non inferior, fratres apud se transeuntes omni charitatis officio prosequebatur. Inter alia sæpe conquisitas a fratribus eleemosynas suo jumento ad conventum perferens, ibi a sancto viro Petro de Alcantara humaniter exceptus, in morum innocentia efficacius confirmabatur. Quadam die occurrebat eidem juveni, huic officio explendo, tardius domo sua proficisci, indeque jam tenebricosa nocte Tagi ripam accedere: cum jam jumentum aquas fluminis (quod ob profunditatem quietum fluit) attigisset; nullo verbere vel alio incitamento progredi voluit, compellente illud magis juvene, qui se ad torrentem quemdam, qui in eadem via occurrit, pervenisse existimabat. His C itaque curis anxius, ne in deserto loco noctis inclementiam experiri cogeretur, ad Deum mentem elevans summa fiducia S. Petri de Alcantara favorem invocat, atque jumentum acrius extimulat. Mirum dictu, quod jumentum quasi præcepto obediens, moras rumpit, timorem excutit, undas fluminis ingreditur, atque cum suo ductore sine ulla aquæ offensa in objectam ripam siccis pedibus pertransit; at vero juvenis, cui nondum in mentem Tagus venerat, cum se eum jam trajecisse animadverterat ex his, qui sibi obvii demonstrarunt, perculsus stupore vix non exanimatus corruit. Unde devotius in gratias ac lacrymas coram Deo effusus, meritum S. Petri de Alcantara, atque virtutem etiam super animantia et elementa altissime intonando accelerabat passus, ut quamcitius ad liberatoris sui pedes in conventu procumberet. Pervenit tandem, licet tardius, ad conventum: atque coram omnibus, maxime vero ad pedes S. Patris, liberationis beneficium, et miraculi excellentiam exultabundus recenset, cujus causam S. Petrus de Alcantara charitatis præstantiæ adscribens, gratiarum actionem omnem in divinam omnipotentiam refudit. Viatores autem, qui ad flumen trajiciendum pervenerant, a naviculario certiores facti neminem illum ea nocte trajecisse, eo magis successus magnitudinem, quacumque transirent, evulgabant.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

144 Interea dum præparant se omnes congregati devotis orationibus atque exercitiis, ut rebus agendis cœlestis spiritus præsidium implorent; adveniunt duo nuntii ab oppido de Arenas, instantes ut conventum Fratrum apud se ædificare permitteret S. Petrus de Alcantara, idemque suis sumptibus cives perfecturos. Quibus tunc humaniter dimissis, postea Deo sic inspirante, plenius satisfecit. Eamdem instantiam sæpius fecerat excellentissima D. Joanna de Portugal marchionissa de Elche, quando audivit eum creatum esse commissarium generalem, et concessam illi fuisse facultatem recipiendi alios conventus; cujus precibus concesserat S. Petrus anno 1560 ut ad illum locum explorandum P. Antonius a Conceptione, et Fr. Bartholomæus a S. Anna transirent. Hi postquam ubique opportunitatem situs condendi conventus designassent, tam in loco de Elche a prædicta marchionissa oblato, quam in oppido de E Monforte, quo illos transeuntes devotio incolarum vocarat, rediere ad capitulum Pedrosi; ut missionem fratrum ad novam fundationem sollicitarent, velut in capitulo Lorianæ congregato statuerat S. Commissarius.

Conventus Solanæ de Pietate;

(Hic supplenda quædam ex authographis monumentis provinciæ S. Joannis Baptistæ, ad quam præfata monasteria pertinent. Proceribus *(Pedrosi nempe in capitulum congregatis)* igitur annuentibus, et plurima ad hujusmodi opus conferentibus, adfuit beneficentia ac largitate pari ipsa heroina *(D. Joanna marchionissa de Elche),* fuitque in causa, ut cœnobium sancti Josephi titulo insignitum, non longe a memorati oppidi Vallo *(dicti),* omnibus suis numeris absolutum discalceatis daretur. His tamen cupientibus in hac regione secundam domum erigere, cryptam quamdam insalubrem, omnino ab hominum frequentia remotam, ad nonum lapidem a Valentia urbe, quum aliquandiu, non absque propriæ salutis jactura inhabitassent, pientissimus heros Fridericus de Portugallia eorum incommodis ex caritate compatiens, illis ecclesiam sanctæ Mariæ de Pietate et contiguum monasterium, distans tamen ab ipsa crypta in, ejus F oppidi, quod Solana vulgo nuncupatur sibique parebat, territorio, ex domesticis facultatibus exstruendum curavit (2). *De conventu Solanæ inferius recurret aliquid apud P. Laurentium, hoc ipso lib.* III. *Quod ad Montisfortis monasterium spectat, hæc loc. cit. narrantur :* Assueverant oppidi Montisfortis, in Valentino regno Hispaniarum, incolæ singulis annis ad fonticulum quemdam, cruce erecta, ritu religiosæ supplicationis accedere, eamdemque crucem tertio aquis immergere, Deum deprecantes, ut aridæ a natura regioni copiam aquarum largiretur. Sæpe autem divina bonitate annuente, grati animi ergo, ædiculam ibidem exstruxere. Cum autem loqueretur, cujus titulo locus deberet insigniri, in eam sententiam ab omnibus itum est, ut ei dicaretur, cujus nomen in litaniis, dum sacerdos ad fontem perveniret, casu enunciari contingeret. Itaque parocho versiculum *Sancta Maria* intonnante, eo momento, quo ipse pede fontis marginem tetigit, decretum est, ut locum *Virginis Nativitatis* audiret. Vocata est tamen passim titulo

Dominæ

(1) Annales Minorum, t. XIX. p. 258. — (2) Ibid., p. 273.

AUCTORE P. FR LAURENTIO.

Dominæ Nostræ de Laureto. Ut igitur primum ædi-
cula ex contiguo tuguriolo fuit exstructa, quidam
Pater Mercenarius adfuit, qui ejus obsequio inten-
deret. Is cum quodam mane sacra facturus lintea
corporalia pararet, exiguam beatæ Virginis ima-
ginem illis involutam ex insperato invenit; idque
miraculo tribuens, eamdem in sacrario honorifice
condidit, atque totius rei eventum oppidanis ape-
ruit. Applicuerunt forte illis diebus Montefortio ali-
quot provinciæ sancti Joseph (postea S. Joannis
Baptistæ) sodales, quorum consuetudine populus
delectatus, eamdem ædiculam in conventum hoc
anno (1561) evexere, quo tempore etiam eadem
sacra imago miraculis corruscare cœpit. Non pro-
cul ab hoc cœnobio antrum quoddam visitur, ad
quod pergens per singulas hebdomadas ex fratri-
bus incolis unus, contemplationi solitarius vacare
consueverat, secum ferens panem dumtaxat et
aquam; ad cœnobium inde rediens hebdomadis
ultima die (1). *Gonzaga labitur dum fundationem
conventuum Elchensis et Montisfortis ad annum
refert* MCLVIII (2)).

Custodia in provinciam erigitur.

145 Quibus sic dispositis principium capituli
Dominica Septuagesimæ a S. Petro de Alcantara
B factum, in quo auctoritate apostolica sibi tamquam
commissario generali concessa, patrum quoque
votis accedentibus erexit custodiam, jam novem
(*aliis* XVI, *in Bulla autem Pontificia XIV, ac forsan
pluribus* (3). *P. Joannes a S. Maria tantum* IX *habet.
Vide commentarium prævium n.* 44) conventibus
auctam, in provinciam titulo sancti Josephi, cujus
imaginem pro sigillo assumere placuit. Ei pari-
bus suffragiis primus Provincialis præfectus fuit
P. Christophorus Bravo, vir singularis virtutis atque
disciplinæ religiosæ, cui sola obedientiæ vis mune-
ris acceptationem extorquere poterat, urgente eum-
dem sancto commissario Petro de Alcantara. (*Joannes
de sancto Bernardo in vita S.* Petri *minus vere scri-
bit, Christophorum per sexennium, nondum tamen
expletum, dum ad nascentis provinciæ regimen pro-
moveretur, cum sodalibus conversatum esse; quum
vero sanctus* Petrus *omnium primum Christophorum
ad suæ vitæ rationem ineundam admiserit, labente
anno* MDLVII, *quemadmodum et ipse Joannes fatetur,
fueritque idem Christophorus hoc anno, mensis Fe-
bruarii, minister provincialis electus, satis superque
constat, eumdem per tres dumtaxat annos totidemque
circiter menses, nostræ fuisse adscriptum sodalitati,
C dum provinciæ S. Josephi minister hoc anno electus
est* (4)). Idem mox cæteris creatis superioribus,
provinciæ leges proposuit; quibus præ his, quæ
a fundatione custodiæ introductæ vigebant, se-
quentis Reformationis norma atque exemplar inni-
teretur. Ideoque unanimi consensu approbatas,
quia pietatem ac zelum paupertatis redolent, pro
multorum consolatione adscribere non recusabo.

Statuta provinciæ.

146 « Primo ordinamus, ut in omnibus conventi-
» bus nostræ provinciæ recitetur Officium divinum
» voce submissa, æquali atque devota, ubicumque
» quatuor fratres convenerint, qui id rite explere
» possint.

» Item in omni tempore fiat oratio mentalis per
» tres horas in communi, et una hora labore cor-
» porali fratres exerceantur. Per totum annum
» faciant disciplinam in communi more solito,
» exceptis dominis ac festis de præcepto.

» Item quia scimus, quod nostræ professionis
» principalis observantia consistit in sanctæ pau-
» pertatis praxi, qua derelicta, observantia quoque
» regulæ nostræ sanctæ deperiit: ea propter ordi-
» namus, ut omnes fratres nudis pedibus incedant, D
» vestiti panno grosso; ex quo habitus longitudo
» non excedat pedis superficiem, nec latitudo
» decem palmos; manicæ pertingant ad primam
» manus juncturam, et latitudo inter utrumque
» humerum palmi et medii cum unica apertura:
» mantellum longitudinis tantæ sit, ut extrema
» digitorum obtegat demisso brachio.

» Item ordinamus, ne petantur pro sanis carnes,
» pisces, vinum, ova, exceptis eleemosynis quoti-
» dianis; quibus non petantur res delicatiores, sed
» illæ recipiantur, quæ sponte offerentur, exceptis
» pernicibus, gallinis et aliis hujus generis cupe-
» diarum: nec conquirantur res quæcumque ut
» serventur, præter legumina pro uno aut altero
» mense cum consensu provincialis, guardiani et
» seniorum conventus; nec cogatur aliquis carnes
» vel lacticinia manducare, quocumque tempore,
» si noluerit.

» Item omnes fratres super humum dormiant,
» in aliqua tabula, storea vel pelle; saluo in locis
» humidis, ubi stratum erigere possunt altitudinis
» unius palmi a terra, neque ad hoc faciendum a
» superioribus cogantur: et possunt habere stra-
» gulum vile quatuor mensibus anni, et aliis duo; E
» quatuor vero æstivis nullum.

» Item ordinamus, ut fratres ætate provecti bene
» habeantur, et infirmi optime curentur secundum
» possibilitatem sine magna aliqua distractione cum
» charitate: nec quisquam, qui vitam communem
» non servaverit, ad minus per medium annum,
» habeat vocem passivam; si vero convalescens,
» ad eamdem vitam per medium annum redierit,
» eamdem vocem recuperabit. Pro vita autem
» communi intelligimus non portare quodcumque
» genus calceamenti, non uti culcitra, lino, aut
» aliis hujusmodi, quæ ubique sanis prohibentur:
» et si quis hac voce passiva utitur (pro ut dictum
» est) impeditus, privetur eadem per duos annos;
» et prælatus (qui id permiserit) privetur ad trien-
» nium in capitulo sequenti.

» Item ordinamus, ne pro sacrario recipiantur
» vasa aurea vel argentea; præter duos calices, et
» unam custodiam pro sanctissimo Eucharistiæ
» sacramento: nec recipiantur paramentà serica
» aut acu picta; sed simplices quatuor tantum
» casulæ cum cæteris ornamentis ad sacrificium
» necessariis; neque sint in qualibet ecclesia plura
» quam duo altaria, quorum ornatus pauper sit et F
» nitidus, ut devotionem excitet. Cætera conven-
» tuum suppellex humilis sit atque exigua, ita ut
» sufficiat.

» Item non recipiantur pecuniæ pro Missis, sed
» omnes applicentur pro benefactoribus; salvo
» quod guardianus unam aut duas applicare poterit
» pro aliqua persona particulari, cui provincia sin-
» gulariter obstricta fuerit; nec pro eadem quic-
» quam recipiatur.

» Item ordinamus, ut conventus (qui impos-
» terum recipientur) sint parvi et humiles juxta
» formam a capitulo præscriptam: nec aliquis re-
» cipiatur, qui non habeat patronum, cui non per-
» mittatur, ut eum Papæ renunciet; sed tamquam
» Dominus quandocumque voluerit, possit ejicere
» fratres, et facere de eo quicquid ei placuerit.
» Ideo quoque quolibet anno accedant eum fratres
» cum clavibus, ut ei restituant; aut si propter
» amorem Dei voluerit eos ulterius in eodem habi-
» tare, ad iterum concedat. Tenenda quoque sunt
» duo inventaria suppellectilis conventus; ut exeun-

(1) Ubi supra.—(2) De Origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ p. 1163 et 1164. — (3) Annal. Min. Ubi supra, p. 259. — (4) Ibid.

libus

A » tibus fratribus relinquant illam, quam a Domino » acceperunt, aliam vero secum auferre possint.

» Item ordinamus, ut juxta Regulæ præceptum » de conventuum nostri instituti humilitate eccle» siæ parvæ sint nec latitudine octo pedibus angu» stiores, nec 24 longitudinem excedant : nec ex » quacumque occasione amplientur, nisi propter » aliquorum habitatorum commoditatem qui nul» lam aliam in propinquo Ecclesiam habuerint. Et » in conventu, ubi habitaverint fratres, resplen» deat paupertas et vilitas; nullo ligno elaborato » construantur, nisi ecclesia, chorus et sacrarium : » nullum ibi sit synodium aut bibliotheca; sed » libri inter fratres distribuantur, ut melius con» serventur. Totius conventus de novo extruendi » circuitus quinquaginta ad summum pedes conti» neat. Octo pedum vel novem latitudinem sacra» rium, portaria atque valetudinarium inferius in» cludat. Cellæ septem pedes ad summum, valedi» narium hybernum tredecim aut sexdecim non » excedat : claustri area in forma quadrata septem » pedes habeat. Divisio cellarum sit ex lateribus; » et scala trium pedum latitudinis : ad quam for» mam omnes conventus quantum possibile fuerit B » redigendi, aut præcipue ædificandi.

» Nullus conventus ultra octo cellas habeat; por» tam claustri quatuor palmis latam, septem vero » altam; reliquas portas 2 pedibus latas et sex altas. » Ecclesia ejusdem sit altitudinis cum conventu, ut » quadratura justa servetur.

» Tandem ordinamus, ut provincialis, commis» sarius, custos aut guardianus, qui has regulas » non servaverit, privetur per sex annos, aliis» que pœnis subjaceat, juxta sententiam omnium » patrum. » *(Confer Commentarium prævium n. 45 et seqq).*

Viros sanctitate insignes conventibus præficit.

147 Postquam a Patribus congregatis præscriptæ constitutiones fuissent approbatæ, conventuum guardianis provisum fuit; variique religiosi, qui novi instituti desiderio ad capitulum ex variis provinciis concurrerant, per familias commode distributi fuere. S. Petrus de Alcantara novum quoque provincialem Romam destinavit, ut magistro generali Conventualium, rerum gestarum rationem reddendo, omnium confirmationem tam ab ipso, quam a summo pontifice procuraret. Eodem tempore octo fratres moribus ac experientia probatissimos, nempe fratrem Gasparum de Tordesillas, Fr. Hiero- C nymum de Ciudad Rodrigo, Fr. Antonium de Valentia, Fr. Antonium Bravo, Hieronymum de Torrejonzillo, Fr. Gasparum de Salmeron novitium, eorumque commissarium Fr. Alphonsum de Lerena et guardianum conventus S. Josephi de Elche, et Fr. Isidorum a sancto Jacobo guardianum de Lorito, misit ad fundandos eosdem conventus, de quibus *(paulo superius)* mentionem fecimus. Horum virtute ac sanctitatis exemplo fundamenta jacta fuere reformatæ provinciæ sancti Joannis Baptistæ in regno Valentiæ : cui S. Petrus de Alcantara tamquam primogenitæ et affectum et spiritum suæ pietatis impensius communicavit, fovendo quoque semper quantum vixit, ut merito S. Petrum suum fundatorem præ cæteris agnoscat ac veneretur.

Ipse Aldeam proficiscitur.

148 Scripsit quoque S. Petrus de Alcantara epistolam ad sanctam Teresiam de rebus a se gestis, quarum consolationem omnes exantlatos labores abstersisse affirmabat; eoque Sanctam ad sui conventus fundationem incitabat, nec impatienter contradictiones aut obstacula perferenda, ac superanda admonuit, ubi tam insignis fructus colligendus sperabatur. Scripsit quoque ad D. Guiomaram de Ulloa, significando se iturum quamprimum Aldeam del Palo, ut fundationis promissæ debitum exsolveret : cui occurrendo devota domina se quoque itinere commisit, ut possessionem quamdam suam in illo loco fabricæ conventus offerret. Hinc S. Commissarius tenerrimo affectu atque amplexu omnes suos religiosos dimittens, ipse Aldeam del Palo abiit *(hoc anno 1561, non autem, ut apud Gonzagam legitur, anno 1562)*, ibique summis honoribus omnium exceptus, partem prædictæ possessionis eremitorio sanctæ Mariæ Magdalenæ propinquam, ubi conventus extruendus erat, a D. Guiomara recepit; et interea cum sociis in ædiculam quamdam molendini olei ad habitandum secessit.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Apparet Petrus duobus viris piis.

149 Dum in hoc loco, rebus disponendis fabricæ incumberet, atque prædicationis efficacia præclaros fructus colligeret; occurrebat interea duobus S. Petri devotis Alcantaræ in Estremadura (de quibus alias retulimus fuisse persuasos in sæculo remanere) ut domesticis externisque curis conturbati, sortis suæ molestias invicem conferrent, considerando se a B. Patre alias exclusos a religionis ingressu, nunc majoribus adversitatibus tam animi quam corporis versari. Unde consultum sibi Patris spiritualis præsentiam adire, ut E solatium aliquod referrent, quod sola spe ejusdem reditus avidius prælibabant. Quadam itaque die, qua his collocutionibus animi mœstitiam sublevabant, placuit divinæ omnipotentiæ S. Petro de Alcantara (licet longe distanti) omnia in spiritu patefacere, et ut illis ex improviso apparens, sic amice salutaret. « Dominus det vobis suam pacem. » Ipsis vero præ gaudii magnitudine (quasi exanimes) ad Sancti pedes corruentibus atque lacrymis irrigantibus instabat iterum ille : « Quid vobis est, filii? Quid occurrit? Quæ cogitationes, quæ dubia vos conturbant? » Unde a terra surgentes atque seorsim Virum Dei consultando animi latebras aperire, omnes anxietates deponere, tantoque majori stupore percelli, quo repente ex oculis suis evanescere, et certa indagine miraculose sibi adfuisse compertum habuere. Hinc summas divinæ bonitati gratias reddere, qui suæ afflictioni auxilium, Petri sanctitatem suæ devotioni magis confirmare miro modo dignatus fuisset : ita quod imposterum sæpius consolati ejusdem præsentia, eamdem aliis ejus devotis divinitus concessam tam beneficii accepti gratitudine, quam altissimis amici Dei præconiis publice declamarent (declararent). F

Arenas tendit.

150 Perducta tandem conventus fabrica ad eam perfectionem, qua præsentia sua non indigebat; S. Petrus de Alcantara ulterius ad fundandum in loco Arenas alium longius progreditus. Et quamvis hyberna intemperies illo anno magis nives accreverat, sanctum tamen Virum in sui rigoris observantia non relaxabat; dum nudis plantis gelu calcans, caput omni nivium imbriumque inclementiæ nudum exponeret. Animabat quoque magis Fratrum in Aldea del Palo relictorum commiseratio, quorum a cœlo benigniori Estremaduræ ad illud rigidius translatio majorem alienum, quam proprium ipsi doloris sensum causabat. Exaudivit tamen Deus servi sui preces, quibus succurrere filiis suis absens negligere non potuit; dum quadam die in præfato conventu, fratres sine provisione ulla afflicti, sequenti tandem luce Angelico ministerio mirabiliter sibi subventum, ut securius intellexerunt, ita divinæ providentiæ sanctique sui Commissarii meritis acceptum ferre non destiterunt.

Fluvium mirabiliter transit.

151 In via autem B. Petrus de Alcantara progrediens pervenerat ad Durium fluvium aquis exundantem,

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

exundantem, quem sine periculo tunc transfretare non poterat, nisi renovando priora miracula Deus servo suo opportunam, mirandamque opem attulisset. Nam frustra implorato transitu, quem navicularius ob aquarum rapidum cursum pertinacius denegabat, sanctus Vir crucis signo se aquasque muniens, intrepide super undas (obstupescentibus his, qui in adversa ripa ratem expectabant) in alteram partem siccis pedibus transgreditur. Quo cum pervenisset, inter medias turbas, quæ ad ejus venerationem pronæ conglobatæque concurrebant, quam citius potuit (laudando Deum in mirabilibus suis) perrumpendo transivit. Spargebatur tamen ubique rei successus, et ad conventum Aldeæ del Palo perveniens, religiosos illos Fratres de singulari cura, qua servum suum Deus ubique mirificabat, certiores alacrioresque reddebat.

Molestiæ in fundando Arenarum conventu, Abulam petit.

152 Pervenit tandem emenso laboriosissimo itinere ad locum de Arenas, ubi omnium applausu (velut apostolus exceptus) eremitorium quoddam Media leuca distans nomine sancti Andreæ de monte, juxta divinam revelationem recepit Erat locus situ amœno inter colles quosdam castaneis B aliisque arboribus opacus, quem a quadam confraternitate petitum, mox fundatione atque Fratrum habitatione excolendum suscepit. At invidente dæmonio huic pio operi quosdam clericos suscitavit, qui opponendo se fundationi ad episcopum Avilæ appellarunt; unde nequicquam B. Petrus turbari se permittens, meliora concepit de conventus ejusdem progressu auguria, scribensque ad D. Joannem Velasquez de Avila, ut suaderet contrariis opus illud majorem Dei gloriam incolarumque utilitatem allaturum; sed responsum tulit necessarium esse, ut ipse Avilam veniat, coram difficultatis controversæ solutionem a favente sibi episcopo auditurus. Sine mora itaque S. Commissarius Avilam pergens, tanta humilitate atque dicendi vi rationes fundationis suæ episcopo explicavit; ut ipsos adversarios non convictos modo, sed et faventes operi suo redderet, et episcopum quoque adeo propitium faceret, ut insuper alium situm ædificando valetudinario commodum assignaret. Hinc remisso ad fabricæ continuationem socio, ipse ad alia negotia pertractanda Avilæ remansit.

S. Teresiam convenit.

C 153 Vix S. Petrus de Alcantara Avilam advenerat, cum a sancta Teresia ad colloquium invitatur (quo gratius sibi contingere nihil omnino poterat); mox confecta lite ad eamdem se confert, et post pœnitentiæ sacramentum, de suorum negociorum statu penitius interrogat. Illa Roma se Breve expectare quamprimum indicat pro Reformationis approbatione; deinde consulit an monasterium suum cum modica dote fundare conveniens foret. Quod zelator paupertatis non quidem admisit, des adducto sanctæ Claræ exemplo et tunc vigentium regiarum Discalceatarum nobili pauperie, sanctam Matrem adeo in hoc sensu obfirmavit, ut omnino nullos redditus monasterio adscribi velle firmiter proponeret. His uterque adjungebant de variis vitæ asceticæ regulis tam in pœnitentiis quam aliis exercitationibus; inter quas, cum mirabilem S. Commissarii abstinentiam Teresia admiraretur, eo quod se confidenter declarasset post tres tantum dies refici, et interdum etiam integram hebdomadam inedia transigere; tunc ille : Ne mireris filia hoc, quod consuetudine fit possibile. Deinde Sancta urgere amplius, ut ad Dei gloriam manifestaret sibi, quid ipsi in vita spirituali maxime omnium difficile occurrisset? Cui S. Petrus de Alcantara somni torpedinem accusans, se D jam ab ingressu religionis ejus tormentum graviter sensisse dolebat : Ideoque scias, inquit, ut illud vincam, me semper aut erectum, aut genuflexum, aut sedentem capite ligno cuidam acclinato, jam per quadraginta annos, ultra sesquihoram somnum non capere. Mox de oculorum mortificatione disserens : sibi (quia illi assueverat) indifferens esse aut videre, aut non videre, asseruit ; addens quoque alia multa de vitæ suæ norma, quam nemini umquam declarare voluit ; sed ad instructionem modo Sanctæ ejusque vitæ confirmationem, cum rigoroso silentii præcepto tunc familiarius explicare ab ipsa auditus fuit, et scriptis suis postea publicavit (*Confer comm. præv., n.* 10).

Inter prandendum in extasim rapitur.

154 Hac occasione Sancta B. Patrem, ut apud se pranderet maximis instantiis, amoris vero Dei (quo semper commovebatur) argumento ad consensum fortius pertraxit. Et quia S. Petrum inedia adeo confectum dolebat, dum videret pellem ossibus inhærentem vix cruribus insistere, sed pedes et manus radices potius arboris exprimere : parari jubet modicam refectionem, ad quam filiam quamdam spiritualem S. Petri de Alcantara devotissimam quoque virginem Mariam Diaz vocare placuit. E Sequenti igitur die utraque ad monasterium veniunt, ubi post mutuas congratulationes religiosarum, sermo de amore Dei ferventior injectus fuit a sancta Teresia ; quo dum explicando inardesceret S. Commissarius totus extra se raptus, in altissima extasi longo temporis spatio elevatus permansit ; ita ut Sancta tunc prima vice hunc cœlestem favorem in S. Petro conspiciens, eumdem tenerrima lachrimarum devotione prosecuta, atque cum sociabus Deo gratias agendo finem attentior expectaret.

Angelus ei ministrare cernitur.

155 In se igitur reversus B. Pater mensæ adsidens, atque solito cibo jusculi aquæ delibuti usus, alia degustare recusabat ; cum repente, juvenis quidam divina specie ferculum quoddam dividere visus, S. Petro de Alcantara offerre, atque sui oblito potum propinare, atque os abstergere familiarius tractando stuporem aspicientibus incussit. Unde divinam præsentiam agnoscentes virgines, indignas se tanto favore confiteri, divinam bonitatem deprædicare, Sanctum quoque tam admirabili dulcedine repletum profundius venerari, hujus diei memoriam inter illustriora scribere, pro maximo consolationis fructu, attentius F collegerunt. Et licet successus silentium utrisque districte imperasset ; tamen jubente Deo a sancta Teresia factum aliquo post tempore vulgatum fuit, et ab altera Maria Diaz confirmatum ; ut sic ad posteritatis notitiam facilius transierit. Eadem Sancta alios plurimos favores B. Patri factos propriis oculis conspexit, quos reticuisse se tum ejusdem mandati reverentia, tum confessarii (quo tunc utebatur) cum vitam suam scriberet, timore explicatis verbis sic confitetur de S. Petro loquens : « Multa » alia dicere vellem, nisi timerem ea tibi dicere ; » ideoque relinquo, contenta his quæ hactenus dixi. »

Clerici cujusdam Abulensis

156 Nuper Avilam clericus quidam nobilis advenerat, qui juventa atque opibus insolescens, dissolute satis vivendo alios quoque exemplo offendebat : nam redditus ecclesiasticos copiosos inter luxum et ganeam, ludos et vitia licentiose profundens, officii divini gradusque ecclesiastici, imo decoris natalium vix ullam rationem habere videbatur. Accedebat ille interdum cum aliis nobilibus ad S. Petrum de Alcantara tunc Avilæ degentem, cujus colloquia et doctrinam, sodalium magis affectu, quam virtutis amore aut studio auscultabat

A auscultabat atque mirabatur. Dum enim primo Viri sancti conspectu tanquam defuncti cujusdam tunc e sepulcro egressi specie percelleretur, mox verbis ejusdem altius animum penetrantibus, cœpit vitæ pudore frequentiores viri Dei accessus paulatim declinare. At B. Pater, qui interno lumine juvenis secretiora scrutabatur, subinde cum recedebat monita salutaria suggerendo; quodam die, ab ipso rogatus, ut pro se Deum deprecaretur, libenter se hoc præstiturum spopondit. Secutus est hanc sponsionem mirabilis effectus, cum eadem nocte S. Commissario ferventius pro juvene Deum exorante, ille tam vehementi scelerum suorum contritione compunctus est, ut nec requiem conscientiæ nec levamen dolori, nisi in lacrymarum profusione inveniret. Dubius tamen tam repentinæ mutationis causam recogitans diu, nesciebat cui aut illam adscriberet, aut quomodo errorum turpitudines prius licentia peccandi evulgatas, tunc secretius per sacramenti virtutem deleret; accuratius tandem refricanti memoriam occurrit S. Petri recens promissio, cujus effectum certius se illa nocte expertum concludens, summo animi dolore conscientiæ examen scripto interea com-
B mendat, et stilo acutissimæ compunctionis caracteres formans, lacrymarum ingenti copia irrigabat; dum culparum fœditates exhorrescens illas lingua exprimere verecundabatur magis aut differebat. His itaque curis noctis quietem repellens, summo mane ad B. Petrum celeri gressu ire properat, eumque post celebratam missam Arenas euntem, maximaque salutantium corona stipatum invenit. Hinc iterum (invidente sibi sathana) ne meditatam conversionem faceret, mundano quodam respectu fortiter se retrahi sensit; ut nec in facie tantæ multitudinis B. Patri appropinquare suumque negotium aperire auderet. At fortius stimulante divina gratia (quæ vocaverat) ducitur tunc suaviter inter alios, qui S. Petrum de Alcantara sequebantur extra civitatem; ita ut semper e propinquo eum conspiciens; omnibus recedentibus, ille tandem ultimus accederet. Mox doloris sui pondere pressus ad pedes S. Petri inclinatus, ac scriptum suum porrigens: In hac, inquit, pagina, Pater mi, vitæ meæ obscuras vitiisque conspurcatas lineas agnosces; humiliter supplicans ut orationibus tuis, a Deo mihi omnium veniam deprecari non dedigneris. Ad quæ S. Commissarius ma-
C num et sinum extendens, benigne eum colligit, verbisque velut aculeis cor ejusdem configens, oleum consolationis vulneribus conscientiæ infundit; denique perseverautiæ donum a Deo ei postulaturum se promittens, cum benedictione lætum ad propria dimittit.

insignis conversio.

157 Postea adjunctis sibi sociis itineris magistro Daza, et nobili quodam D. Francisco de Guzman, Arenas progrediens, hunc licet prægravem incessu, suavitate tamen suæ conversationis illectum, obtentu cujusdam negocii Arenis expediendi nequaquam a se potuit separare. Nec obliviscebatur interea secreta mentis elevatione divinam misericordiam compellare, ut juveni illi pœnitenti dignam delictis suis compunctionem cordis concederet. Unde illi per totam viam (qua domum redibat) sentiens se vehementiori dolore peccatorum conteri, in alium hominem mutatus, depositisque prioribus vanitatibus cœpit varia luxus instrumenta in pauperum eleemosinas convertere, atque vitam moderatius instituere. Paulo post Arenas petens S. Petro de Alcantara peccata, quæ jam scripto prodiderat, confessione salutari facilius diluens, ab eodem novæ quoque vitæ documenta reportavit; quibus anteactæ ruinam tam sibi quam aliis illatam, insigni emendationis exemplo reparavit. Hinc quamprimum Avilam reversus modico contentus famulatu vestituque vulgari, sericis dimissis, nobilium juvenum conversationes fugiens, religiosis frequentius jungebatur. Visitationes non nisi ad Xenodochia, et carceres dirigere, in ecclesiis quotidie frequens et in privato oratorio meditationibus atque corporis macerationibus pervigil; insuper pauperum necessitatibus subveniendis plurimum intentus videbatur. Hujusmodi nimirum vitæ ratione omnibus admirandus, atque beati Patris continuo magisterio proficiens tam suæ virtutis exemplum illustre, quam efficaciæ orationum doctrinæque viri Dei singulare testimonium ad finem usque reddidisse perhibetur.

Quanta S. Petrum populus prosequeretur reverentia et amore.

158 Dum autem B. Petrus viam Arenas prosequitur, magistro Dazæ propositum sanctæ Teresiæ de fundando novo monasterio primi instituti Carmelitarum enarrat, ejusque favorem eidem præstandum efficacius implorat. Quibus colloquiis tum magister hic, tum D. Franciscus Guzmanus adeo consolatos se fuisse postmodum affirmarunt, ut singulari viri Dei merito adscribere non dubitarint, se viæ molestiam pedestres nequaquam sen- E
sisse. Transeundo per locum del Barracco, incolæ cum quibusdam sacerdotibus ordine, viro Dei usque ad certum oratorium a loco per milliare distans, obvii processere; inde summa cum reverentia exceptum usque ad locum suum conducunt. Multi ejus aspectu compuncti, detractis calceamentis, nudis etiam pedibus sequi non recusarunt. Ad hunc venerationis excessum suffundi rubore S. Petrus de Alcantara; et ut erat humilis magis divinum consilium reverebatur, qui tali medio multorum saluti consulere voluisset, ideo ad ecclesiam recta processionem dirigit hymnos psalmosque in Dei gloriam devote intonando. Inter eundum tamen per plateas, et vicos conglobari magis populi et coram servo Dei humiliter prostrari; quidam illi contranitenti vestem et pedes osculari: alii sola spirantis velut cadaveris ejus objecta specie vix non terreri, aut ad cordis dolorem excitari; ita quod plerique commotis animis, nulla ejus prædicatione audita ad pœnitentiam conversi, ab ecclesia (ubi coram venerabili Sacramento ejus benedictionem receperant) ad domos suas reverterentur probiores. F

159 Erat in loco sacerdos nomine Andreas vel Prado, cui S. Petrus de Alcantara indulgendo voluit per aliquot horas in ejus domo quiescere; magis nobilium sociorum, quam sui ipsius causa, qui fatigatione incaluerant. Cum itaque ad mensam varii cibi hospitibus convenientes afferrentur, ipse jusculo quodam contentus, frigidam infundebat. Quare ab aliis repræhensus, quod stomacho noceret; excusabat se, nec alios cibos concoquere posse, nec res nimis calidas pati. Hinc Arenas progrediens varios pagos, quos transire occurrebat, tanta sui admiratione replevit, ut incolæ sequendo eum e longinquo venerabundi, ac proni in terram benedictionem ejus suscipere pro summa fœlicitate haberent. Eodem honore Arenis affectus, illos quoque sibi faventes experiebatur, quos alias maxime adversos in conventus fundatione prius invenerat. Unde cum suis religiosis in loco, qui infirmis destinatus erat, aliquamdiu vitam religiosissimam ducens; conventus fabricam suo admirabili vivendi exemplo non minus quam doctrinæ efficacia, brevi ad necessariam habitandi commoditatem promovit.

(Non

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

De fundatione conventus Arenarum.

(Non omnino liquida sunt, quæ ad fundationem Arenarum spectant. Juxta P. Laurentium (quem sequitur Waddingi continuator) quo tempore congregabatur capitulum generale in Pedroso, advenerunt duo nuntii ab oppido de Arenas, instantes ut conventum fratrum apud se ædificare permitteret S. Petrus de Alcantara, idemque suis sumptibus cives perfecturos. Quibus tunc humaniter dimissis, postea Deo sic inspirante, plenius satisfecit. *Vide supra n.* 139. *Post celebratum capitulum, provectamque Aldeæ del Palo fabricam S.* Petrus *Arenas venisse dicitur quo novo operi manum admoveret; cum autem molestiæ suscitarentur, Abulam profectus, ab episcopo obtinuit quidquid peteret, ipse tamen in præfata urbe aliquamdiu permansit,* remisso ad fabricæ continuationem socio *nn.* 145, 146 *et* 147. *Atque hæc referuntur ad annum* 1561. *Unde recte continuator Waddingi* : ex his satis superque, *inquit* (1), liquet mendum typographi sive amanuensis Gonzagæ in numeralibus notis, *ubi pro* 1561 *scribitur* 1571. *Præterea non eodem modo Gonzaga ibidem initia Arenarum reddit* (2). Inter asperrimos montes, sesquimilliari tantum ab oppido Arenarum, quod imperio inclyti ducis de Infantado paret, anno 1571 *(imo* 1561) conventus hic, S. Andreæ apostolo de Monte dicatus, et a 14 Fratribus incultus, expensis præfati ducis erectus fuit. A quo etiam quidquid pro infirmis curandis, cum per mendicationem occurri minime potest, requiritur, liberalissime recepit. Nam ea est hujus loci penuria, eaque asperitas, ut nullo pacto absque hujusmodi adminiculo fratres ibidem perseverare valeant. Hoc igitur in conventu cum quodam die panis, immiuente jam prandii hora, penitus deficeret, nec ejus habendi spes aliqua affulgeret, adfuit præ foribus rusticus quidam, qui depromptos ex sitarchiis magnos quinque panes portario sibi custodiendos tradidit, statimque disparuit : pater vero guardianus eos sibi divina providentia missos intelligens (ut rei eventus facillime comprobavit, nam præfatus rusticus amplius non comparuit) fratres discumbere, sibique missos a Deo opt. max. panes apponere jussit. *Hæc Gonzaga, subdens ibidem obiisse,* XVIII *Octob.* 1562, *S.* Petrum de Alcantara. *Juxta P. Laurentium, cives conventum erexerunt, non autem dux de Infantado : loci descriptio paulo etiam diversa est. Cæterum videbimus infra, ubi de morte S.* Petri, *Arenis in ipso oppido fratres habuisse valetudinarium, quod forte a præfato duce conditum fuit. (Conf. comm. præv. n.* 108).

B

C

Pluviam impetrat.

160 Dum Arenis moratur S. Petrus de Alcantara longa duritics cœlum occluserat, et præ siccitate arescentibus herbis et seminibus, terra ipsa crebris hiatibus velut oribus pluviam exposcebat. Pro his omnium supplicationes atque vota irrita videbantur ; ita quod dolore oppressi incolæ nihil præter scelerum suorum supplicia agnoscerent. Incidit tamen quibusdam in mentem B. Virum adire, ejusque intercessionem instantius exposcere. Qua quidem instantia atque miseria ille commotus, promittit, se non defuturum cum religiosis suis orationibus instare, modo solemni processione omnes ad condictum diem ac locum pro placando numine devotius accessissent. Itaque ex vicinis locis ad ecclesiam principalem ingens multitudo convenerat, cum S. Petrus de Alcantara rogatus, sermone ad populum habito, omnium affectus et lacrymas ad Deum convertit. Illi offensarum dolorem magis exprimere visi, spem certiorem dabant divinæ exauditionis. Unde S. Petrus fiducia divinæ misericordiæ aliquantulum coram altari in oratione procumbens, Deum invocat, et statim exurgens : Procedamus, inquit, fratres contrito corde ad placandum Deum ; ego etenim annuntio vobis, quod priusquam ad hanc ecclesiam redeamus, exauditos nos a Domino manifeste cognoscetis. Inde procedunt cuncti ordinati cantando hymnos ac psalmos devote, ut divinum auxilium implorent. Erat tunc serenum cœlum, adeo ut solis radii omnes vehementer adurerent : cum quasi ex improviso aer turbari, nubes cœlo obduci videbantur ; ita ut populus futurum imbrem suspicando, passus acceleraret. Deus igitur publicæ necessitatis misertus, et servi sui Petri devotis supplicationibus inclinatus, quas defixis in terram oculis et corde in cœlum elevato, efficacius semper porrigebat, densissimam pluviam immittendo, populum exultantem madefecit, et Servi sui fidem in ecclesia datam promptius exsolvit. Postquam ecclesiam omnes intrassent, B. Pater ad gratiarum actionem fideliter exhortatur, atque in conscientiæ puritate Deum sibi propitium conservarent, diligentius persuadet. Mox inter congratulantium atque adorantium globos ad conventum suum evasurus perrumpit, acclamantibus cunctis divinæ gratiæ singularem largitatem, quæ non solum aliquot dierum pluvia exsiccatos fructus revirescere, sed etiam ubertate messis multorum annorum præcedentium abundantiam oblivisci fecisset.

D

E

Mulieri visum restituit.

161 Superiori miraculo evulgato, undique ad S. Commissarium concurrunt populi, qui se suaque orationibus ejus confidentius commendarent; alii ad institutum ejus admitti postulabant, ut in proximo capitulo narrabimus. Erat Arenis mulier quædam oculorum ægritudine ad cæcitatem quasi redacta, quæ auditis S. Petri de Alcantara stupendis factis illum promptius adire decernit, quo ejus benedictione accepta visum ad lucrandum victum recipiat. S. Petrus mulieris audita fide atque amoris Dei mentione, qua viscera sibi commoveri sentiebat ; statim manus capiti ejus imponit, et elevatis in cœlum oculis : Deus te sanet, respondit ; dataque ei benedictione recessit. Mirum profecto factum, quod statim mulier oculos aperiens, libere se videre atque omni dolore carere agnosceret ac profiteretur.

Puerum ab hernia sanat.

162 Alius nobilis filium parvulum habebat, quem hernia immensis doloribus ad desperationem affligebat ; nec medicorum consilio, nisi per sectionem curari poterat. Mater attamen D. Maria de las Torres, vicem filii anxia S. Petrum convenit, atque ut orationibus et sacrificiis suis miserum pueri statum Deo commendet, obtestatur ardentius. Cujus S. Petrus vehementem anxietatem sublevans, bono animo esse jubet, nec ulterius quicquam circa puerum agat ; sed quamprimum ad se conducat. Mulier itaque domum regressa invenit omnia parata ad incisionem, sed explicato servi Dei præcepto scissuram suspendit, et puerum ad fratrum habitaculum perducit. Tali spectaculo magis compatiens S. Petrus de Alcantara prius Sacrum facere aggreditur, eoque absoluto, Evangelium super puerum recitat eique benedicit. Interea vero dum iterum in sacrarium ad deponendas sacras vestes recedit, puer melius se habere, nullaque se parte offensum sentire; et mater præ gaudii excesso, *miraculum, miraculum!* exclamat. Mox profundissimis gratiis benefactori suo (qui effectum in sacrificii virtutem rejiciebat) peractis, ipsa cum filio sano læta domum regreditur ; qui

(1) Tom. XIX, p. 266.—(2) De Origine Seraph. Relig. Franciscanæ, p. 1137.

etiam

A etiam ætate provectior, successus hujus fidem publico testimonio deposuit.

lie sanationes ...lures.

163 Sic itaque inclarescente fama virtutis S. Petri, undique variis tribulationibus aut infirmitatibus vexati ad eum confidentius convolare; et sicut amoris Dei incitamento omnibus expeditius compati solebat, ita orationibus suis salutem ac remedium plurimis impetrabat. Inter illos singulare fuit, quod nobili fœminæ D. Catharinæ, uxori Bernardini de Medrano, accidit; quæ addictissima B. Patri, fratribus ac conventui ejusdem eleemosynas abundanter largiebatur. Adierat quadam die S. Petrus de Alcantara domum hujus nobilis, ut pro beneficio cuidam misero opportune concesso, gratias eidem ageret; cum uxor a B. Patre confidentius cordam (qua cingebatur) propter amorem Dei dari sibi expostulat et obtinuit. Non multo ab hoc tempore mulier fluxione gravi in facie correpta ultra deformitatem, gravissimis quoque doloribus cruciabatur. Unde frustra medicorum consiliis atque industria pertentata; a marito admonetur devotionis in sanctum Petrum de Alcantara et reliquiæ, quam apud se retinebat, a quibus remedium quæreret. Confisa igitur mulier Beati meritis, B sumit cordam eamque offensis partibus imponit, Deum affectuosius deprecans, ut intercessionibus Amici sui sanitatem concedat. Nec defuit Deus, qui ut cordam mulier aliquibus partibus sensim admovet, easdem illico tumore recedente curari concessit; ita quod omni ex parte sanata, postea maxima in veneratione hanc cordam habens, plurimis aliis beneficium sanitatis impertita fuerit. Contigit hoc præ aliis multis fœminæ cuidam in partu laboranti, cui cum ad extremum perductæ corda B. Petri applicaretur, imminenti periculo subtracta, duos masculos sanos in lucem feliciter edidit. Sicque viri Dei merita longe lateque apud omnes coruscantia, venerationem atque pietatem publicam accendebant.

Viri duo conspicui, alter Gaspar a S. Josepho.

164 Quod non minus virtutibus S. Petri de Alcantara debebatur, ut propitio numine multi corporum salutem illo intercessore adipiscerentur; sed ut plurimi quoque animæ consulerent, sub ipsiusque magisterio æternitati studerent, sequentes conversiones singulariter edocebunt. Alias retulimus S. Commissarium in Andalusiam euntem per Baezam transiisse, ibique a cive quodam devoto ac opulento perhumaniter tractatum. Huic C filius præclara indole a S. Petro ad perfectiorem statum præsignatus, Patri valde commendatus fuerat; donec studiorum profectu Sanctorum scientiam edoctus, religiosæ vitæ perfectionem amplecti præ cæteris elegisset. Hinc post divina oracula per frequentem orationem consulta, quadam die inscio Patre domum egreditur, Arenis S. Petrum de Alcantara aditurus. Hic adolescentem quindecim annorum delicata complexione in deliciis paternis enutritum, eo blandius collegit, quo spiritu certius prævidens virtutis ejusdem futurum magnum incrementum; ideo nunc austeritati instituti primis initiis contemperandum esse indicavit, ne statim opprimeretur. Suscepit itaque ad Religionis habitum, non adversante patre, qui recordatione prædictionis S. Petri de Alcantara, ut filium servituti Dei manciparet, eo libentius a se avelli permittebat Nec fefellit utrumque opinio, cum crescente ætate singularibus a Deo donis juvenis illustrari mereretur. Nam orationis contemplationisque frequentia, crebros raptus, corporis maceratione illustres victorias contra offensissimum sibi sathanam mire obtinuit. Inde ob vitæ innocentiam, atque humilitatem a S. Commissario sui agniculi nomine descriptus stupenda plurima operatus fuisse perhibetur. Toto quasi vitæ tempore educationi Novitiorum præfectus, tam insigni fructu exercuit magisterium, ut multi ex ejus discipulis virtutibus clari, etiam martyrio in Jappone celebriores evaserint. Post mortem B. Petri de Alcantara sancta Theresia sæpius de animæ suæ statu eumdem consulens, intellexit in illo tamquam altero Elisæo, sancti Magistri spiritum perennare. Nomen ipsi P. Gasparo a Sancto Josepho, de quo alias mentio recurret.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Didacus Manchado alter, religionem ingrediuntur.

165 Alter qui Arenis S. Petro associari voluit, P. Didacus Manchado *(in continuatione Waddingi scribitur Monchado)* jam in religioni professus tali visione incitatus fuit. Quadam nocte orationi invigilanti per speciem offerebatur spaciosum mare, in cujus medio navis instructa variis insigniis velut firma stabat; ad quam multi religiosi, per viam saxosam, quæ inter aquas eminebat, pergere contendebant. Notabat autem ex his aliquos sarcinis prægraves non adeo expeditos, titubando inter saxa undis submergi; alios vero levioribus vestibus, ac corpore, vultu, et membris macilentos, expeditius ad eamdem navem pervolare: alii videbantur in littore suspensi hærere, desiderio E tantum transeundi; dum aliorum, qui se præcesserunt, periculum pertimescerent. Unde turbari ipse quoque non parum, donec excussa mora adeundum sibi S. Petrum de Alcantara proponeret, cujus fama universam Hispaniam implendo, Instituti quoque Observantiam religiosæ salutis viam securiorem stravisse divulgabat. Hinc difficulter a ministro generali impetrata licentia transeundi ad reformatiorem aliquam Ordinis provinciam, Arenas contendit, ibique duos ejusdem instituti Patres obvios habet, quos ex vultu atque habitu indicabat ex illis esse, quos sibi visio velociores incessu ad navem pervenisse ostenderat. His itaque comitantibus ad S. Petrum adducitur, cujus affabilitate exceptus, ejusdem societati nomen dedit; fœlici adeo successu, ut inter ferventiores religiosos provinciæ sancti Josephi resplendens tam in vita, quam post mortem miraculis a Deo condecorari meruerit. S. Commissarius vero ad conventum Rosarii excurrens, ut fratres ibi suos solaretur; mox Brenas rediit, quo fabricæ novi conventus, diligentius incumberet. Accidit in via socium ejus Franciscum a Melo, inedia atque lassitudine fatiscere; ita ut commiseratione ad Deum conversus F S. Petrus de Alcantara opem ei afferre, oratione accensa satageret. Inde ad socium: *Frater*, inquit, *inspice sacculum istum, in quo libros geris; ut necessitati tuæ securras.* Religiosus, cui sacculi contenta nota erant, vane sibi id dictum fuisse existimans, obedientiæ tamen promptitudine sacculum aperit, indeque panem calidum optimumque extrahit, quo uterque obmutescentes mox in terram provoluti, singulare miraculum divinis laudibus personabant.

Litteras accepit a Joanna Austriaca et Ludovico Granatensi.

166 Recepit circa hoc tempus S. Petrus epistolas officiosissimas, tum a principissa D. Joanna de Austria, tum a D. Maria infante Portugalliæ; in quibus utraque animæ suæ dubia exponebant atque orationum ejus subsidium postulabant. Conquerebantur insuper, quod nihil a se officii postulaverit, cum paratissimæ forent, quidlibet etiam ejus religiosæ familiæ favoris præstandi. Unde respondendo principissæ D. Joannæ pro vestiendis fratribus pannum vile, et ab infante simplicia quædam corporalia pro ecclesiis suis humiliter supplicavit. Habuit quoque alias litteras a P. Ludovico a Granata, quibus ei explorandum oratione commendabat,

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

commendabat, cui se studio dicandum divinæ voluntati potissime placeret. Ideo post aliquod dierum intervallum responsum dedit; ut relicta prædicatione, scribendis libris spiritualibus se applicaret, quo plurimis in hac via laborantibus prodesset. Nam longa experientia satis probavit hujus magistri tractatus, contemplativæ studiosis optimam manuductionem præstitisse; atque adhuc fructum facere illis videlicet libris, quos de oratione, et meditatione conscripsit; in quibus eumdem S. Petrum de Alcantara vel imitari studuit, vel augendo declaravit. (*Atque ex his magis suspecta fit assertio de qua comm. præv. n. 77 et 81*).

Cum S. Teresia absens colloquitur.

167 Præ omnibus autem sanctus Vir litteras a sancta Teresia exoptabat, quibus statum suæ fundationis (quam vehementer perfici cupiebat) intelligeret. Ut igitur alliceret, ipse mense Septembri anni 1561, (teste P. Francisco Ribera) brevem ad eamdem epistolam scribit, qua etiam serio se orationibus ejus commendabat, eo quod plus solita valetudine laboraret. Pervenit autem hæc epistola ad sanctam Avilæ eodem tempore, quo ipsa propter defectum cujusdam clausulæ Brevis pontificii Romæ obtenti valde cruciabatur. Non enim exprimebat facultatem monasterii sui subjiciendi Ordinario, si forte provincialis Carmelitarum reformationem acceptare noluisset, unde valde incœptum turbaretur. De his itaque certiorem facit S. Petrum de Alcantara, et de quibusdam agendis liberius consulit, simul gratias agendo, quod sollicitudinis partem sibi tam affectuose assumpsisset. Placuit Deo omnia hæc, quæ mente Sancta conceperat atque epistola inscripserat, S. Petro absenti aperire; atque ut ille Arenis existens, Avilæ in monasterio Incarnationis cum Teresia colloqueretur difficultates omnes explicando, atque pro futuris successibus familiariter omnia disponendo. Unde modum præsentiæ ipsa admirans, summa animi consolatione verba amici Dei suscipiebat; quibus auditis, atque in oratione perseverans, superne meritorum S. Petri de Alcantara excellentiam penetravit, ad quam tot heroicis virtutibus ipse ascenderat. Prædicationibus quippe suis universæ Hispaniæ multiplices fructus attulisse, sicut vitæ exemplo comprobaverat, ita divina revelatione, maxime sibi gratum existere, Teresia ex hoc insigni memorabilique testimonio cognovit: « Hujusmodi sunt merita Fr. Petri de Alcantara, et tanti » apud me æstimatur; ut quodcumque a me ejus nomine petieris, numquam tibi negaturum me scias.» Quibus adjungens Dominus se infra annum eumdem Servum suum ad cœlestia præmia vocaturum, spirituale colloquium conclusit. Sancta vero mox ad S. Petrum divinæ revelationis nuntium perscribit, ei de summi boni promissione congratulatur; tantoque magis eum accendebat, ut summa animi suavitate imminentem vitæ finem expectaret, atque ad eumdem agonem suscipiendum exercitiis ferventioribus sese diligentius præpararet, augendo macerationes, jejunia multiplicando, orationes protrahendo.

Abulæ, prandenti Petro et in extasim rapto ministrat ipse Christus.

168 Nec diu distulit S. Commissarius Avilam ire, ut fundationis sanctæ matris Teresiæ initia promoveret; cujus effectum ante suum diem extremum videndi ardentissimo desiderio flagrabat. Vivebat sub habitu tertii Ordinis sancti Francisci Avilæ pia quædam ac nobilis fœmina, nomine Maria Diaz; quæ spirituali vitæ addicta, oratione, jejunio, ac corporis maceratione assidua, nullius familiaritate præter sanctæ Teresiæ utebatur. Hæc S. Petri de Alcantara quoque doctrina proficiens, virtutis ac sanctimoniæ fama, ac propter contemplationis studium inter præcipuas Hispaniæ tunc habebatur; ideo cum advenisse Avilam intellexisset, confestim, ducente spiritu, ad ipsum convolavit, ut divina manifestatione sancti Directoris ac magistri sui merita notabilius agnosceret sequenti modo. Remanserat hac die S. Petrus de Alcantara in palatio domini de Loriana, D. Joannis Velasquez filii sui spiritualis, ut apud ipsum coactus prandere; eo tamen modo, quo sibi strictam semper abstinentiæ legem indixerat. Vix mensæ accubuit, cum ciborum diversitatem oculis despiciens, eosdem in cœlum attollens, cœlestium sapore atque dulcedine abstractus extra se rapi visus, nullius sensus usum indicabat, sicque diu perseverans, tali spectaculo etiam adsistentes, stupore magis quam nutrimento aliquo satiabat. Hujus autem inediæ quasi compatiens Christus dominus, stupendo favore servum suum B. Patrem tunc temporis prosequi dignatus fuit; dum ipse cum multis angelis cœnaculum ingressus, adstare S. Petro de Alcantara, eique ex quodam ferculo ministrare, etiam suaviter ori immittere, et, ut cibum assumeret, adhortari voluit. Nec ideo S. Petrus sensibus redditus naturæ officio fungi poterat, sed virtute superiori adjutus, facultatem attractivam cibi exercendo, ab interioribus animæ deliciis, quibus absorptus erat, non vacabat. Dum hæc fiebant, accessit prædicta Maria Diaz, et quod cæteris celabatur, ipsa admirans, summo animi jubilo ad pedes Christi procumbens, cum intimo cordis suspirio hanc vocem edidit: Ah Domine mi, hic ne tu stas? Cui ille: Ubi vis filia, ut sim? Hic sto, ut electos meos reficiam. Tanta vero hæc verba suavitate atque efficacia a Christo proferebantur, ut cor virginis, superna dulcedine raptum, tunc omnes corporis sensus destitueret; eamque in quietissima extasi immobilem figeret. In qua dum illa persistebat, ad se reversus S. Commissarius, et admirabilem divinæ benignitatis profusionem submissa humilitate recognoscens, eidem Mariæ (post extasim) divinorum secretorum beneficia commendans, breve colloquium celeri fuga dissolvit. Mox sanctæ Teresiæ atque suis devotis valedicens, ad conventum suum Arenis redire properabat.

Ingenti miraculo nix S. Petrum a nive liberat.

169 Propositum erat S. Petro de Alcantara illa nocte locum de la Cuevas (dictum) attingere, ut sequenti die Arenas perveniret. Sed præpeditus viribus, senio atque pœnitentia confectis, non minus quam viæ difficultatibus, eamdem non ultra radices montis Puerte del Pico, jam declinante die, perduxerat. Hujus itaque montis ardua conscendens, nocte obscura pervenit ad tabernæ cujusdam desertæ ruinas; quæ tunc (nullo alio loco receptaculum præbente et tenebrarum horrore crescente) hospiti desolato gratissimæ obvenerunt. Sed turbavit quietem tempestuosus imber, qui nivem et aquas effundens sub aprico cœlo diluvium minabatur; ita quod S. Petrus, socii magis quam sui memor, Deum precaretur, ut eum salvum præstaret, atque ut sibi meliori modo provideret eumdem hortatur. At socius vicissim beato Patri commiserans, et nudo ejus capiti nives excutiens, tot ejus incommodis, ad patientiæ imitationem, animum firmabat constantius. Dum igitur his officiis charitatis utrimque certabatur, obtinuit S. Petrus obedientiæ authoritate, ut socius (qui sibi tanquam meritis inferiori, atque viribus robustiori majora incommoda deberi indicabat) tandem cederet, et in specum quandam se reciperet; foris manente S. Petro, ubi omnem aeris inclementiam solus sustineret. Sed tantus fuit orationis et accensi ejus

A ejus spiritus fervor, ut decidentes in eum nives ab interno quodam calore liquescerent, et socio intempestæ noctis frigus nihil quicquam incommodi (ipso confitente) afferret. Itaque dum inter angustæ hujus maceriæ spatium orando obambulat, experiebatur nives illic liquefactas solum sub pedibus suis non attigisse; sed mirabilius in aere suspensas, in modum testudinis tectum sibi quoddam efformasse, sub quo noctis, tempestatisque incommoda securior evaderet.

cunctis stupentibus.

170 Hac ratione totam illam noctem intempestam in oratione transigendo, diluculo sequenti clarius animadvertit divinæ providentiæ admirandam structuram, qua se ab ipso gelu, nivium tegumento, defensum fuisse agnovit. Dein cum gratiarum actione viam prosequi aggressus, conglobatas nives (quæ eamdem occluserant) extenta manu in tantum removit, quantum transeundi sibi locum sufficientem aperirent. Eadem quoque res socio stuporem maximum injecit, cum S. Petrum de Alcantara existimans nivibus obrutum, prodire ex fornice illa mirabili attentius observasset. Ex quo ambo ad divinas laudes excitati, singularis beneficii prodigium per totam viam altius celeB brarunt; eo maxime quod non cessaret beneficium, donec ipsi singulis velut passibus altissimas nives perrumpendo, et latentes fossas atque præcipitia transeundo, post molestias et pericula ad locum de las Cuevas salvi et incolumes perventi (perducti), recto tramite pro gratiis persolvendis templum adiissent. Inde ad domum D. Francisci de Andrada pergens, S. Petrus de Alcantara summa cum admiratione excipitur; eo quod devotus hospes cum aliis suis amicis satis capere non posset, quomodo ipse iter tam impervium, tempore adeo inclementi, illæsus perfecisset. Inter alios, qui B. Dei servo congratulabantur, erat religiosus quidam sacerdos Hieronymus Moreno, qui omnem itineris successum perscrutatus, miraculi beneficium, quo sibi S. Petrus nivium receptaculum paratum confidentius narraverat, ipse licet prohibitus, ad Dei gloriam divulgare non continuit. Unde amicorum applausus, magis quam præterita tormenta frigoris effugiens B. Pater, post brevem quietem atque socii refectionem, eamdem repente viam iterum prosequitur.

Angelus S. Viro et sociis panes affert Arenis.

171 Ex superioris itineris molestiis S. Commissarium ad conventum reversum vehemens stomaC chi dolor occupat, ita quod consueta animi serenitate tormentum ferens patienter, inde occasionem caperet sese disponendi ad finem vitæ, quam appropinquare prænoverat. Contigit interea religiosis conventum novum incolentibus, propter victus penuriam, fame obsideri, quam quotidiano quæstu sublevare cœli intemperies prohibebat. Itaque exitu omni præcluso, quocumque etiam cibi genere consumpto, sola S. Petri constantia cæterorum animos ad provisionis cœlestis spem alacrius erigebat. Nec fefellit in oratione perseverantes eventus; cum quodam die, refectionis hora instante, ad portam conventus quidam gratioso aspectu juvenis quinque panes ostiario attulisse visus, statim disparuit. Illos ut de cœlo venisse, hoc argumento cognovit S. Petrus, confestim religiosos omnes ad gratias Deo agendas, hymno usque ad altare deducit. Auxit magis hanc fidem, quod prædictos panes, dum continuarent pluviæ, et Fratribus exitus e conventu impediretur, iisdem per aliquot dies suffecisse conpertum publice fuit.

Abscondita prænuntiat S. Petrus.

172 Post aliquod tempus necessum fuit B. Patri pro urgente negotio, duos religiosos ad conventum Rosarii mittere, P. Michaelem videlicet a Catena cum socio, quibus plurimum confiderat. His dum in via oborta tempestas tam aquæ quam grandinis periculum evidens minabatur; religiosi Arenis vices ipsorum anxii, S. Petrum de Alcantara periculi admonent, et quid de illis foret, exquirunt. Quibus ille: Ne solliciti sitis, inquit, quia Fr. Michael Evangelium sancti Joannis nunc recitat, atque eo se a tempestate defendit. Quod tunc verum fuisse a Fratribus notabatur; quando socius Fr. Michaelis ad conventum reversus, ita evenisse certius affirmavit.

AUCTORE F. FR. LAURENTIO.

Christophorus Bravo res provinciæ promovet Romæ.

173 Non defuit interea Romæ provincialis Christophorus Bravo negotia provinciæ apud Generalem conventualium urgere; ut constitutionibus aliisque regulis ad novi instituti confirmationem approbatis, majori quiete religiosæ vitæ disciplina promoveretur, atque in primum suum splendorem, quo sub sancto Francisco inclaruerat, restitueretur. At variæ difficultates atque oppositiones, quæ ipsi a potenti manu longiorem moram nectebant, non permisere, ut tam cito atque optato omnia succederent. Tandem variis congressibus cum Ordinis protectore Rodulpho Pio cardinali Carpense super hac re habitis, authoritate etiam regis catholici atque summi Pontificis adE ducta, coactus fuit provinciæ subjectionem a conventualibus ad observantes transferre; data ab eodem protectore fide, nihil inde detrimenti aut periculi strictiori disciplinæ timendum fore: permanentibus in suo robore apostolicis indultis atque confirmationibus. Hac itaque potentia pressus provincialis referendi cuncta ad suum commissarium Petrum de Alcantara, qui reformationis author extiterat, dilationem recepit; additis etiam litteris eminentissimi domini protectoris, ac R. P. F. Francisci Guzmani procuratoris curiæ. Unde videbatur divina providentia servo suo Petro novam merendi materiam circa finem vitæ præparasse; quo repetitis prioribus doloribus, quibus a principio reformationis cruciatus fuerat, iisdem superatis postremo gloriosus coronaretur. *(Vide Comm. præv., n.* 50 *et seqq.)*

Toleti convenit B. Petrus S. Teresiam.

174 Erat his diebus Toleti D. Ludovica de la Cerda, soror ducis Medinæ Cœli, quæ ob immaturam mortem marchionis de Malagon sui mariti, nullam omnino consolationem admittere volebat. Hæc a quibusdam amicis piis persuasa, devotam virginem Teresiam (quæ Avilæ sanctitatis fama innotuerat) ad se evocare, et ab ipsa efficaciora F humanitatis officia expectare inducitur. Scripsit itaque ad provincialem, ut veniendi licentiam concederet, dum hoc, ad quædam charitatis officia præstanda, huic instituto tunc temporis permittebatur. Nec mora quin provincialis illustri dominæ obsecundare cupiens, Teresiam virtute sanctæ obedientiæ Toletum ire circa festum Natalis Domini anni 1561 præciperet. Quo cum pervenisset summa omnium lætitia excepta, D. Ludovicæ adeo grata accessit, ut eidem sua conversatione tum mœroris vim levare, tum spiritualis vitæ desideria accendere vehementius, totamque insuper ejus familiam ad optimæ frugis vitam revocare, efficacissima fuerit. In hac occupatione Teresia sex menses insumpsit; scribendo interea de sua fundatione ad S. Petrum de Alcantara de quibusdam difficultatibus, quæ ei a personis doctis ac piis circa paupertatis modum continuo objiciebantur. Accendebatur quoque devotus animus prædictæ marchionis sanctum Virum videndi cupiditate, eoque Teresiam urgebat, ut veuire Toletum S. Petrum invitaret. Quod illa quidem in summa consolatione habens, verebatur tamen ægram atque deficientem

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

deficientem Viri valetudinem itineris molesta opprimere. Unde desiderii affectu timorem superans, litteris scripsit officii plenas, quibus S. Petrum tam charitatis quam pietatis argumentis exstimulans, ad iter Toletum suscipiendum adduxit. Cum itaque Toletum advenisset, mox in domo marchionissæ prædictæ Teresiam visitavit. Illa vero præsentia viri Dei, tamquam pœnitentiæ effigie, attonita, atque in lacrymas devotionis resoluta, instar alterius Magdalenæ pedibus ejus adhærens, doctrinam atque colloquia cum sancta Teresia attentius auscultabat.

quam confirmat in sententia fundandi monasteria absque censu.

175 Ex iis, quæ sanctæ Teresiæ difficiliora occurrebant in sui monasterii fundatione, rerum omnium integra abdicatio gravior videbatur; ex qua multas inquietudines atque incommoda, propter quotidianam mendicationem, superioribus præcipue imminere, prudentiorum quoque judicia prævidebant. At S. Petrus de Alcantara, cui per revelationem declaratus fuerat modus novæ istius Reformationis, respondit absolute nullos omnino redditus admitti debere; ne potius ex his animi religiosarum sollicitudine ac cura rei familiaris distraherentur. Unde efficacibus ejus rationibus persuasa, B sententiam aliorum aut opinionem sancti Patris *(opinioni)* longe posthabuit, secum statuens nullas prorsus facultates in fundationis principio stabiles acceptare. Alia difficultas superanda restabat cum D. Alvaro de Mendoza, episcopo Avilæ, cui si expropriationis forma declarata tunc foret, metuebat Teresia, quod monasterium non permitteret, ut sibi imposterum præcaveret a sustentationis necessitate. Illam etiam difficultatem S. Commissarius in se recepit; ita ut merito dixisse Sancta videatur, « sine auxilio sancti hujus Viri, nequaquam » opus tam arduum suæ Reformationis promovere » se potuisse. » Itaque infinitas gratias tum S. Petro, tum divinæ benignitati reddebat, quod suis piis desideriis tam opportune in omnibus favissent.

Novos suscipit duos conventus.

176 At marchionissa, quæ his negotiis intererat, non minus lætabatur, tam Sanctorum hospitum familiaritate, quam quod remisso nimio animi dolore ex mariti funere, se ad majora desideria Deo inserviendi, ardentius accendi cognosceret. Unde in devotionem S. Petri de Alcantara magnopere excitata, antequam Toleto abiret duas ei possessiones in suo dominio, pro fabricandis conventibus, offerre non neglexit; unam prope Paraquellos, alteram in oppido de Malagon. Nec oblatione C contenta, fabricæ conventus illius prioris ipsa adesse, operam manibus præstare, aliaque tandem adeo studiose agere volebat, ut non minus veram in Deum pietatem, quam singularem in servum ejus Petrum affectum factis exprimeret.

Tres S. Petri super his epistolæ.

(Marcus Complutensis tres S. Petri habet epistolas ad marchionissam de Malagon, quæ ad has fundationes spectant, et recitantur a P. Josepho Maria de Ancona, ex hispanico latine redditæ (1); *sed adeo negligenter, ut quibusdam in locis verba vix, et ne vix quidem, aptum faciant sensum. Illas hic non adscribimus integras, cum textum emendare non liceat, tanto magis quod opus Complutensis ad manum non sit. In prima mandat Vir sanctus, se non potuisse mittere, juxta vota piissimæ matronæ, fratrem provincialem, cum hic iter Romam versus ingressus sit; ejus loco mittit guardianum conventus de Laureto, cum tribus sociis, qui Malagonem petentes, situm eligant idoneum, atque cœnobii inchoent ædificationem, quam absolvendam sperat mense Octobri. Addit deinde :* Domos alias extruendas habeo a die, qua Toleto discessit; sed ego cupio prius dominationi D vestræ, quam cæteris satisfacere, quia sane eamdem in Domino nostro summopere diligo, multumque mereri agnosco. Non minus juxta suum gradum et qualitates valde diligo dominum Joannem, quem puto singularem futurum suæ domus atque provinciæ nostræ patronum. Ita mihi prorsus videtur de domicellis filiabus dominationis vestræ, cujus personam illustrem Dominus noster pientissimus conservare in sua sancta dilectione dignetur. Ex Arenis die XII Junii MDLXII. Servus et capellanus dominationis vestræ indignus Fr. Petrus de Alcantara. *Ita scilicet ex versione (utique valde parum tersa) P. Josephi Mar de Ancona, qui tum ita prosequitur :* Alteram sanctum Virum iisdem dominis marchionibus scripsisse epistolam, cujus authographum in archivo cœnobii sancti Didaci Complutensis servatur, chronologus provinciæ sancti Josephi refert. Tenor est sequens : « Spiritus » Christi animam dominationis vestræ impleat, suus » amor accendat et urat, suum gaudium lætificet. » Amen. Ego nunc non venio ad dominationem » vestram visitandam ob causas, quas ipsi mei » Fratres narrabunt; cogito tamen hoc facturum » paschalibus solemnitatibus celebratis, si Domino E » nostro placuerit, quia hoc sane cupio summo» pere. Interim meum erit commendare Deo do» minationem vestram; suaque negotia, cum fra» tribus provinciæ nostræ; et si dominatio vestra » nobis ædificaverit domum, ego statuam in eadem » vivere et mori. Majestas divina dominationem » vestram in sua sancta dilectione conservet. Ex » Oropesa die x Martii MDLXII. Servus addictissimus » dominationis vestræ indignus Fr. Petrus de Alcan» tara. » *Ex Data apparet hanc epistolam aliquot mensibus ante præcedentem fuisse scriptam. Cæterum nihil continet ex quo constet, utrum ad conventum de Malagon an ad alterum prope Paraquellos referatur.* Sed non adhuc *(ita pergunt post mox citatam epistolam Annales Minorum)* optatam domum die XII Augusti hujus anni fuisse fundatam, quum sanctus Petrus ibidem fratres nondum mittere potuerit, testis est ad eamdem marchionissam missum iterato chirographum : « Spiritus Christi animam » dominationis vestræ impleat. Ego meam hanc » neutiquam scriberem epistolam, neque per ma» nun alterius ob ægritudinem, qua teneor. Sed » amor, quo in Christo erga dominationem vestram F » suamque domum feror, me cogit ipsam eamdem » superare ægritudinem. Ego valde gratulor do» minationi vestræ ob D. Mariæ conjugium, quum » sciam dominationem vestram de re hujusmodi » gratulari. Dominus noster huic matrimonio be» nedicat pro suo sancto servitio. » *Et reliqua in eumdem sensum. Addit deinde :* « Non nisi adhuc » Fratres et rationem Fr. Alphonsus narrabit, » *Cætera in rem nostram nihil faciunt. Suscriptio est.* « Ex Abula XII Augusti MDLXII. Servus humil» limus dominationis vestræ, indignus F. Petrus de » Alcantara). »

Scribit S. Petrus episcopo Abulensis

175 Prænoscente S. Petro vitæ suæ diem extremum non longe abesse, ideo cupidus fundationem monasterii sanctæ Teresiæ prius promovere, festinabat adire Avilæ episcopum, ut apud eum paupertatis impedimentum removeret. Erant autem corporis ejus vires tam maceratione quam labore adeo consumptæ, ut infirmitatibus variis obnoxiæ, cum Avilæ in lecto decumbere tunc maxime cogerent. Unde affligebatur magis impedimenti dolore, quam ægritudinis sensu; dum absente episcopo, neque

(1.) Annal. Minor., t. XIX, p. 286 et 287.

per

A per amicos etiam negotium, ad quod venerat, tractare opportune valeret. Dum igitur spe erigitur videndi episcopum, febri aggravatus scribere tandem non distulit, quidquid mente conceperat: idemque ut distincte magis explicent amici sui, D. Franciscus Salzedo, Gonzalus de Aranda, magister Daza sollicite commendat. Forma epistolæ hæc erat:

De fundandis monasteriis absque censu.

176 « Spiritus Christi impleat animam Dominationis vestræ, a qua benedictionem peto. Infirmitas (qua aggravor) hactenus me detinuit, quin negotium valde conveniens divino servitio cum Dominatione vestra pertractare possim: itaque ne ejus effectui promovendo ex parte mea deesse videar, præsenti epistola Dominationi vestræ ejus argumentum interea explicare consultum duxi. Est quædam persona spiritualis, quæ constituit monasterium religiosissimum monacharum in hoc loco ædificare juxta perfectionem primi instituti ac Regulæ Ordinis B. Virginis de Monte Carmelo; ideo pro eadem observantia conservanda, conveniens ac necessarium judicavit, Ordinario hujus loci obedientiam atque subjectionem vovere; imprimis confisa bonitati Dominationis vestræ, cujus virtutem atque sancti- B tatem in diœcesis suæ gubernio, una cum aliis omnibus veneratur. Perduxit autem negotium cum impensa quinque millium regalium ad illud punctum, ut Romæ diploma pontificium obtinuerit. Et quia mihi visum est bonum, propter amorem Dei supplico Dominationi vestræ, ut ejus defensionem suscipiat; quia scio esse argumentum divini cultus et utilitatem hujus civitatis. Et si dominationi vestræ visum fuerit, eo quod præsens benedictionem suam accipere et negotium oretenus pertractare prohibeor; hanc mihi præstet charitatem, ut ad me mittat magistrum Dazam, cum quo id conferre possim, vel aliquem alium sicut magis Dominationi vestræ placuerit; adeo ut hoc maximæ mihi consolationi futurum sit. Ulterius dico, quod potest Dominatio vestra idem conferre cum magistro Daza et Gonzalo de Aranda, quos optime novit; et ipsi me quoque intime cognoscunt. Et licet multa mihi promittam de his, quæ institutum hoc suscipere cupiunt, cum provectæ sint atque expertæ virtutis; tamen de principaliori mihi persuasum habeo, in illa Spiritum sanctum habitare, C cujus gratiam Dominationi vestræ diu servet divina majestas ad majorem gloriam suam, et universæ Ecclesiæ bonum. Amen. Amen Capell. Dominationis vestræ indignus Fr. Petrus de Alcantara. »

Perstat in sua sententia præsul;

177 Hanc epistolam cum accepisset episcopus, neque autoritate S. Petri de Alcantara, cui multum deferebat, neque præfatorum virorum persuasionibus (qui singularibus rationibus contendebant, opus de cœlo provenire) adhuc persuaderi poterat, monasterium sine certis redditibus admittere: sed data eis repulsa, atque ultima responsione, se Avilæ viro Dei Petro de Alcantara plenius persuasurum, non deveniendum ullo modo fore ad fundationem sine aliquo stabilimento proventuum temporalium, mœstos valde dimisit. Hi cum B. Petrum adiissent, non exigua rei admiratione percellebant; licet ille perspecta sibi episcopi pietate, simul persuaderet talem repulsam divina providentia ad majorem operis promotionem dirigi, ut inter ardua consurgens, se nobilius extolleret.

cedit tandem rationibus a S. Petro coram expositis.

178 Recuperata itaque aliquantum salute, viribus tamen exhaustis, episcopum convenire necessarium existimans, jumento quodam vehi tunc primum non recusat, quo et negotio consuleret et sanitati; cum hactenus pedester iter agere semper consuevisset. Hinc ad locum Tiemblo (ubi tunc episcopus degebat) perveniens, eumdem supplex variis motivis et argumentis ita urget, ut licet suæ opinionis tenacem, nonnisi manifestæ Dei voluntati sibi declaratæ cedere cogeret: nam audita Teresiæ sanctitate, atque servi Dei accenso fervore perspecto, adversarium se ulterius efficacioribus indiciis præstare non audebat, sed magis divini consilii promotorem. Eadem efficacia S. Petrus de Alcantara paupertatis difficultatem explanans, haud dissimilibus rationibus episcopum convicit, quibus alias pontifici Innocentio III seraphicus Pater Franciscus sui Ordinis super nihilum sanctæ paupertatis fundati initia humiliter persuaserat. Et sic ultra integrum episcopi consensum favoris ejus auxilium reportans, Pedrosum versus iter lætus intendit; postquam eumdem spiritualibus colloquiis, universum quoque populum præsentiæ suæ devotione consolatos satis reliquisset. Dum autem fundationis prædictæ principia a S. matre Teresia disponerentur; sanctus Petrus in conventum Pedrosi reversus, Sanctæ, ea quæ cum præfato episcopo fœliciter conclusa fuere, distincte E perscribere non prætermisit.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Contradictiones prævidet, iisque fortiter resistit.

179 Quamquam plurimo B. Petrus pro sanctæ Teresiæ Reformatione zelo distraheretur, non tamen eumdem in officii sui sollicitudine ad minimum remittebat, ut perfectam instituti observantiam confirmare atque promovere posset, non modo in provincia sancti Josephi, verum etiam in cæteris, quas post mortem suam relinquebat perficiendas. Itaque cum invidiam sathanæ intelligeret rigori disciplinæ suorum fratrum insidias struere, tentationes suggerendo, ex quibus a proposito facilius removerentur: ideo omnes divinis monitis exstimulans, plurimosque sanctis consiliis confirmans, sæpius magni illius abbatis Antonii verbis sic cohortabatur: Credite mihi, Fratres; timet valde sathanas vigilias, jejunia, orationes, voluntariam paupertatem, humilitatem: et super omnia, maxime illum torquet amor intensus erga Deum. Quibus animati Fratres exercitia duplicando, insidias inimici eludebant; quamvis ipse apparitionibus atque insultibus etiam violentis eosdem terrere ac male tractare non desisteret. Sæviebat autem maxime contra omnium ducem S. Petrum, quem cum virtute superiorem agnosceret, eo validius prosternere nitebatur, eo quod vinci etiam se ejus ferventi F oratione pertimescebat. Addebat insuper et alias fraudes, concitando persecutores, qui temeritatis ac simulatæ pietatis arguendo vivendi rigorem, Fratribus molestias varias creabant; quibus illi patienter obviam eundo, sancti sui Commissarii doctrinis atque exemplo magis in christiana tolerantia, atque instituti perfecta observantia confirmabantur ac proficiebant. Præterea modeste devotis aliisque arguentibus respondendo, confundebant multos exemplo primi institutoris seraphici Patris S. Francisci; cujus vestigia dum sequi velle profitebantur, non temere se (ut aiebant æmuli) sed ut legitimos filios Patris mores exprimere velle evidenter demonstrabant. Ex quo tum S. Petri sermonibus confortati religiosi, tum horum humili ac devota conversatione compuncti sæculares, non amplius despicere exiguum hunc gregem, sed summis præconiis atque affectu complecti imposterum visi fuere. Adeo autem hæc devotio crevit, ut S. Petrus de Alcantara a plurimis Hispaniæ provinciis instanter sollicitatus ad fundandos conventus suæ Reformationis, magis differret eorum preces

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

preces quam excluderet. Præsertim Avilæ magistratus importunius instabat, ut prope civitatem conventum exstruere posset, cujus desiderii executionem ad tempus divini beneplaciti constantius remisit.

Novi duo conventus.

180 At vero id negare nequibat illustrissimis dominis, D. Frederico de Portugal, et D. Margaritæ de Borgia; quorum pietas locum solitarium Alcaicia prope Sollanam suæ ditionis, et distantem tribus leucis Valentia, ad exstruendum conventum offerebat. Unde custos Fr. Alphonsus de Lerena non distulit prædicti loci possessionem adire; in quodam eremitorio sub invocatione B. Virginis a Pietate sedem figere, atque in propinqua specu cellas quasdam tamquam nidos excavare; ubi devoti habitatores, rigidioris vitæ exemplo, populorum corda, atque affectus tamquam cœlestes aviculæ in sui admirationem raptos dementare videbantur. *(Vide supra n.* 139.) Idem statim concessum marchioni de Villena, duci Scalonæ in quodam oppido suo Cadahalso, cujus causa hæc erat. Tristabatur valde prædictus dux ob sterilitatis suæ sensum, quem sancto Viro dolens aliquando communicabat. Cui ille, ut cum uxore divini
B sponsi Josephi patrocinium implorarent, persuadens; se Deum quoque exoraturum spopondit, eodem Sancto favente, a quo hactenus multa beneficia obtinuerat. Tam fixum hoc consilium menti D. Joannæ de Toledo, filiæ comitis de Oropesa, et ducis conjugi inhærebat; ut quadam die marito aperiens, velle se glorioso patriarchæ Josepho conventum dicare, si ejus intercessione prolem a Deo impetrasset, idem ambo B. Petro de Alcantara significarent. Nec diu in vanum votum ivisse videbatur; cum præfata domina primo masculum, postea quoque alios tres successive peperisset. Ex quo obstricta ardentius Dei servum urgebat, ut suæ religionis conventum in Scalona ædificari permitteret: sed excusando S. Dei servus locum propter Patres Observantes, qui jam ibi habitabant, elegit oppidum Cadahalso duabus inde leucis distans, ubi nullis aliis religiosis impediebatur. Hic itaque conventus post mortem gloriosi Patris Petri perfectus, hac ulterius memoria insignis reddebatur. Nam præfati Domini filiorum imagines cum toto rei successu, ecclesiæ frontispicio insculpi voluerunt; quo sancti Josephi beneficium orationibus B. Petri de Alcantara impetratum,
C memoriæ posteritatis atque devotioni filiorum perpetuo commendaretur. *(Construitur item hoc anno* (1562) *cœnobium de Cannete in regno Andalusiæ, quod Marcus Complutensis inter cætera minoris momenti solummodo indicat. Postea cœnobium hoc pertinuit ad provinciam S. Didaci Discalceatorum.)*

Congregatio ad Bobadillam, in qua deliberatur de transitu ad Observantes.

181 Pervenerunt hoc tempore Roma litteræ eminentissimi domini protectoris Cardinalis Carpensis, et P. Francisci Guzmani (*loco Guzmani, erronee ponit Zamorensem P. Joannes a S. Maria*), Ordinis procuratoris *(et Christophori Bravi)* super negotio, de quo superius tractavimus, cujus rationem reddere suis religiosis, sicut cæterorum numquam omittebat. Ideoque ad diem duodecimum Aprilis, congregationem indicit in conventu Rosarii, dum ipse assiduis orationibus negotium Deo commendat. Sed quia angustia conventus capere tot religiosos non poterat, non recusavit S. Petrus de Alcantara designare congregationi certum eremitorium comitis Oropesæ, a sancto Joanne Baptista dictum de Bobadilla; huc se prior transtulit, ut advenientes Fratres omni charitate atque humilitate præveniret, accedentium quoque pedes lavando. Mox congregationem D
die XII Aprilis anno 1562 devoto sermone aperiens præsentem religionis statum, et quæ Roma scriberentur enarrat. Omnium vero animos ad novæ mutationis insperata attentius præparare studens; promissa prædicti Cardinalis protectoris, atque favores summi pontificis, ipsorum denique Observantum benignos affectus paratos sibi egregie demonstrat. Quibus omnibus a Patribus congregatis rite intellectis, ipsius S. Commissarii arbitrio prius omnia committere; mox illo recusante decreverunt unanimiter scribendum Romam; ut in antiquo statu permanere liceat, aut immediate sub protectione sanctæ Sedis, vel si aliter fieri non posset, sub Observantibus in suorum privilegiorum intemerata conservatione permaneant. Juxta hunc tenorem cum P. Bartholomæo a sancta Anna diffinitore tunc illuc destinato scripsit S. Petrus Romam protectori, atque procuratori Ordinis utrique justæ petitionis suæ argumenta latius deducendo; quamvis ultima tantum conditio obtineri potuit, Cardinale Observantum partes acerrime defendente. Cessit itaque humiliter provincialis procurator, atque generalem Observantum P. Franciscum a Zamora Venetiis adiens; cum eodem E
Romam reversus a pontifice diploma, concordiæ vocatum, impetrat, in quo singularia privilegia provinciæ sancti Josephi, cæterisque custodiis Discalceatorum in Hispania ad nutum provincialis benigne concedebat. (*Conf. Comm. præv.*, *n.* 48-58.)

Duas erigit Custodias.

182 In prædicta congregatione proposuit S. Petrus acceptandum conventum de Parcuellos tres leucas prope Matritum, oblatum (ut diximus) a D. marchionissa Ludovica de la Certa, dum Toleti moraretur. At de duobus conventibus Elche et Lorito, quia in regno Valenciæ longius a cæteris distabant, custodiam erexit sub invocatione sancti Joannis Baptistæ, quibus postea conventus Sollanæ adjunctus fuit. Præfecit his custodem Fr. Alphonsum de Lerena, virum moribus et prudentia religiosum; quem post alios gradus ad illam partem commissarium prius miserat, ut diximus: ei adjunxit Fr. Joannem de Cordovilla, ut Guardianus Loriti foret; Fr. Melchiorem de Villanova, et Fr. Alphonsum de Manzanete socios cum aliis religiosis, qui loca ista pietatis excolerent. Alteram quoque custodiam declaravit in regno Galiciæ ex illis conventibus, quos ibi fundaverat; et ex primi nomine sancti Simonis titulum universæ F
custodiæ imposuit. Ad eamdem itaque destinavit superiores, religiososque instituit zelantissimos, quorum exemplis et doctrina studia virtutum augerentur quotidie.

Cœtus dimittitur.

183 His autem peractis congressus prædictus dissolutus fuit, summa cum S. Petri de Alcantara lætitia; eo quod præcipue filios suos spiritu conformes orationis, paupertatis, atque pœnitentiæ zelo inflammatos, odorem pietatis reddere animadvertisset. Unde in eodem zelo eosdem confirmando sic exhortabatur sæpius: Filii et dilecti Fratres, attendite huic doctrinæ necessariæ. Multi inimici sunt, contra quos necessum est arma pœnitentiæ parata habere. Et si quis persuadere vobis præsumpserit carnem vestram non macerare, talem omnino fugite et ab eo vos separate, tamquam a sathana atque maligno. Sicque verbis atque exemplo totius vitæ suæ studia discipulis commendans; velut instantis mortis præsagus, mutuo illorum amore, et lacrymas doloris elicuit, et affectus paterni teneritudine, veluti deficientis sui spiritus imaginem impressit, cunctisque valedicendo benedixit.

184 Dum

...ula scribit Teresiæ valde ...xiæ

184 Dum adhuc sancta Teresia Toleti in domo dominæ marchionissæ de Melagon commorabatur; variis doctorum hominum sententiis, pro paupertatis observantia in sua fundatione agitatam se vidit. Non enim ex una parte Christi sui indigentiam imitari posse existimabat, si redditus aut bona monasterio ac instituto suo addicere permisisset : ex altera vero prævidebat idem imitationis studium non in omnibus permansurum, ex quo ad rerum temporalium sollicitudinem dilapsæ, spiritum devotionis opprimerent aut dissiparent. Unde in utramque partem anceps, nullam sine S. Petri consilio eligere firmiter proposuit; cum hactenus eodem se plurimum perfecisse aperte agnosceret. Scripsit itaque epistolam variis argumentis refertam, quam D. Gonzalo de Aranda perferendam citius commisit. Attulit hic vir devotus epistolam S. Petro de Alcantara jam a præfata congregatione expedito, attestans viros plurimos Avilæ degentes, ea, quæ Teresia narrabat confirmare, summæque illi paupertati adversos omnino esse. Unde zelo accensus Dei servus sine mora Avilam proficisci, et quamvis deficientibus viribus, valido tamen spiritu iter nudis pedibus perficere non dubitavit.
B Hinc quia vera omnia ab amico perlata intellexit, confestim responsum plenum apostolico spiritu ac Spiritus sancti dictamine ad Teresiam hoc tenore direxit.

de modo suæ fundandæ Reformationis.

185 « Spiritus sanctus animam vestram impleat. » Vidi illam (epistolam) quam mihi D. Gonzalus de » Aranda tradidit; ex qua non exigua admiratione » affectus sum, Dominationem vestram tale nego» tium litteratis commisisse, ad quos non pertinet : » nam ubi de litibus aut conscientiæ casibus agi» tur; laudabile quidem erit a jurisperitis et theo» logis consilium capere, eorumque sententiam » sequi; at de vitæ perfectione non nisi illos consu» lendos esse, qui eamdem profitentur, ratio po» tissima suadet : quod aut melius dictamen, aut » opinionem de hac habere non posse alios, ipso» rum operum studium et exhibitio apertius de» monstrant. Nec in Evangelicis consiliis aliena » consultatione opus est, nisi an amplectenda sint; » aut an servari possint deliberare; quod posterius » speciem infidelitatis certissimam præfert. Consi» lium enim Dei nullum nisi bonum esse potest, nec » observatu difficile, nisi incredulis, aut parum Deo » fidentibus, dum secundum humanæ tantum pru-
C » dentiæ regulas ducuntur. Quippe author consilii, » remedii etiam largitor erit, tamquam potens in » omnibus; cum homo nullius boni consilii author » esse ex se queat, quin cupiat bonum videri, licet » ipse natura propria malus sit. Quanto magis is, » qui ipsa bonitas est, velit poteritque consilia sua, » sequacibus in bonum (ut proficiant) efficere; si » vult sequi consilium Christi, quod est de majori » perfectione, sequatur; quia non magis viris da» tum fuit quam mulieribus, et ipse faciet, ut » fœliciter succedat, quemadmodum aliis pluri» mis, qui ipsum secuti fuerunt. Si autem adhæ» rere vult consilio litteratorum sine spiritu, quæ» rat potius habere bonos proventus; ut experiri » possit, si hi utrinque plus valeant, quam omnium » rerum carentia, suadente Domino. Ubi vero » videmus aliquos defectus in monasteriis mulie» rum, id magis evenire consideremus ex eo, » quod hanc paupertatem invitæ patiantur, non » ex consilio divino. Nec ego simpliciter pauper» tatem laudo nisi eam, quam patienter propter » amorem Crucifixi Redemptoris nostri toleramus; » et multo magis desideratam illam, quam propter » amorem ejusdem sponte suscipimus. Nam si ali» ter sentirem aut certa determinatione crede» rem; non mihi in fide securus viderer. At in » omnibus his Christo confido, atque credo firmi» ter consilia ejus optima esse, quia divina; et licet » sub peccato non obligent, attamen obligari ali» quem magis perfectum esse in ipsius imitatione, » quam ut ea relinquat sine culpa. Dico, quod » obligent in eo, quo perfectionem suadent; et in » hoc reddunt sanctiorem, atque Deo magis gra» tum. Existimo proinde beatos (ut ipse Dominus » dicit) pauperes spiritu, id est spontaneos, ut ipse» met expertus sum; licet Deo magis quam propriæ » experientiæ credam. Dominus concedat Domina» tioni vestræ tantum luminis, ut intelligere valeat » hanc veritatem eamque perficere; nec credat illis, » qui contrarium asserunt ex luminis defectu, aut » ex incredulitate; aut quia numquam gustarunt, » quam suavis est Deus his, qui ei serviunt, eum » amant, et propter ejus amorem renunciant rebus » omnibus seculi non necessariis. Nam hujusmodi » inimici sunt crucis Christi, nec credunt gloriæ, » quæ postmodum eamdem consequetur. Addat » quoque adhuc lumen Dominationi vestræ ne in » manifesta adeo veritate vacillet; nec consilium » capiat nisi ab his, qui consilia evangelica serio E
» amplexi sunt. Nam licet alii, qui præcepta (ad » quæ tenentur) servant, salvi fiant; communiter » tamen lumen majus non habent, quam de iis, » quæ operantur : et quantumvis bonum sit con» silium ipsorum, melius tamen Christi Domini » nostri consilium erit, qui eidem dono perficiendi » auxilium tribuit : et tandem præmia reddit his, » qui plenam in eo fiduciam figunt, et non in rebus » terrenis. Avilæ 14 aprilis, anno 1562.

» Fr. Petrus de Alcantara. »

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

S. Petri illa adhæret sententiæ.

186 Hac accepta perlectaque epistola, S Teresia animi sui dubia velut dissolvi sentiebat; firmiter sibi proponens, contradicentium objectionibus servi Dei consilium, tamquam scutum opponere; atque sic paupertatis regulam in monasterii fundatione integram observare. Eadem inter scripta Sanctæ inventa epistola in primo conventu ab eadem Avilæ fundato, tamquam pretiosa reliquia reverenter custoditur : cujus insuper apostolicum spiritum numquam celebrare satis sibi videntur scriptores vitæ ejusdem Sanctæ; inter eos affirmat præsertim episcopus D. Didacus a Yepes, hujus motivis singulariter inductam Sanctam, Reformationis suæ integram perfectionem in rerum omnium F
abdicatione stabilire. Et denique Discalceatarum Carmelitarum novissimus chronista Fr. Franciscus a S. Maria occasione hujus epistolæ ita prope scribit in tom. I, lib. I, cap. XLI, n. 11. « Hæc talis est, » ut in omni clausula, plurima consideranda sugge» rat in favorem sanctæ paupertatis; et qui vel ver» bum adjungere vellet, non minorem, quam aufe» rendo injuriam faceret. Veneror eamdem, non » velut atramento exaratam, sed sanguine Christi » aspersam; non tamquam dictatam ab homine, sed » ab ipso Spiritu sancto; non velut Evangelii expli» cationem, sed ejusdem simplicem versionem etc. » Et ideo eam descripsi hoc loco, sperans magnum » religioni meæ fructum allaturam, et futuram velut » turrim David contra eos, qui infestare velint san» ctam paupertatem, quam nunc profitetur. » Hactenus author prædictus.

Abulæ moratus opus a S. Matre susceptum commendat et promovet.

187 Postquam supradictam epistolam ad Teresiam transmisisset, remansit ulterius Avilæ S. Petrus de Alcantara, ut quædam negotia fundationi convenientia disponeret; quasi timens opus illud post se imperfectum relinquere. Imprimis multorum animos paupertatis aversione præoccupatos, ad

Auctore P. Fr. Laurentio.

ad apostolicam regulam atque sensum perduxit. Inter quos præcipuus erat D. Franciscus de Salzedo, qui opinionis contrariæ contagio infectus nimium videbatur. Monebat Joannem de Oballe cognatum S. Teresiæ, ut caute omnia in domus emptione, atque præparatione pro fundando monasterio perageret. Et dominam Guiomaram de Ulloa in fabricæ, quæ in eadem domo alio titulo fiebat, accelerationem animabat. Ultra hanc temporalis fabricæ sollicitudinem, non negligebat quoque S. Petrus de Alcantara spiritualem promovere; dum virginem illam (de qua alias mentionem fecimus) D. Isabellam de Ortega, de propinqua occasione perficiendi propositum admoneret, ut prompta sanctæ Teresiæ adesset. Idem quoque de altera virgine, licet paupere nomine Maria de Avila; et duabus aliis, quæ numero quatuor, spiritus et devotionis exemplaria merito dici poterant, ut S. Teresiæ associarentur. Ideoque non sine ratione S. Petrus de Alcantara a præfata Sancta, tamquam pater et principalis promotor istius suæ Reformationis, sæpius nuncupari atque coli promeruit.

Socium corripit et sanat.

188 His fœliciter dispositis, commendataque B operis cura magistro Dazæ atque Gonzalo de Aranda, ipse ad conventum de Arenas proficiscitur. Et sicut erat exhaustus viribus et corpore infirmus, pedibus iter per æstus et frigora perficere, magis mirandum videbatur, quam quod mortis vicinia excluderet. Erat tunc æstas ferventior, cum Dei servus (pro more) capite radiis solis exposito incederet; nec tamen propter mentis in Deum elevationem, molestias ullas sentire cernebatur. Socius autem Fr. Gasparus siti potissimum confectus ferre ulterius eamdem nequibat, ob quam paulatim S. Commissarium præcedens, ad rivum quemdam hausta ex eodem aqua, advenientem expectabat. Quem ille, quod sine licentia sitim levasset, increpans; pro pœnitentia febri correptum iri, atque in tali domo cujusdam devoti remansurum, usquequo ipse eum inde sanum reduxisset, exacte atque sine hæsitatione prædixit. Dignum sane admiratione fuit, religiosum ætate robustum vix prolata Sancti prædictione, male se habere cœpisse, febricitare atque ita valetudine affici, ut progredi ultra vicinum oppidum non valeret. Unde ibidem apud amicum quemdam spiritualem relictus, tamdiu ægrotus permansit, usque C dum religiosus quidam a S. Petro missus, ad reducendum eum ad conventum advenisset. Tunc velut renovari miraculum, cum accedente prædicto religioso statim Fr. Gasparus recte valere, atque cessante febri, integris viribus sequi eumdem versus conventum, cunctis admirantibus, visus fuit : ibi rem gestam cæteris Fratribus narrare, ut discriminis sui exemplo, obedientiæ perfectionem ac studium fidelius inculcaret.

Mulieri baculum suum dat, quo plures sanitatem recuperant.

189 Interea S. Petrus de Alcantara extrema quoque vitæ Deo sacrificans, ne torpere otio in ejus servitio videretur; licet debilis, ad vicina loca transibat, ubi plurimos prædicatione atque pœnitentiæ administratione ad viam virtutis convertit; usquequo morbo ingravescente, ad conventum reverti cogeretur. Transeundo autem per quemdam pagum Monbeltran dictum, divertit ad domum cujusdam devotæ mulieris, quæ plurimum religiosis suis favebat. Hic dum tantisper quieti datum; de præsentis vitæ brevitate, atque futuræ æternitate altissimum sermonem instituens, tandem conclusit dicendo mulieri : Soror Joanna, Deus tibi abundanter reddat, quæ pro amore ejus facis : nos quidem ulterius invicem non videbimus; ideo quia aliud non habeo, quod tibi relinquam, accipe hunc D baculum. Quo tradito recessit, mœstam valde relinquens, ob imminentis suæ mortis prænuncium. At doloris hujus solatium ex reliquiæ munere sumens, devota mulier sæpissime experiebatur, baculi hujus virtute, plurimorum morbos aut expelli plane, aut ex parte levari, devotis præsertim quibus tradebatur, quemadmodum adhuc fieri narratur.

S. Petrus licet infirma valetudine, Abulam venit.

190 Circa hoc tempus a provinciali S. Teresiæ injunctum erat, ut ad monasterium suum Avilam reverteretur, ubi eam monachæ sibi præficiendi animo avidissime expectabant; ipsa vero electionis terminum declinare satagens caloris obtentu (qui tunc Julio mense fervebat), divina tamen inspiratione, Toleto abire persuadetur; ut, eadem gratia favente, Avilæ majoribus rebus intenderet. Itaque S. Petrus de Alcantara, qui in conventu Arenis novis morbi accessibus gravabatur, stomachi vero solito dolore vix non ad extrema redactus, moveri se superne sensit vehementer Avilam eundi (ire) ubi præsentia ejus tunc maxime necessaria erat. Et quia præ debilitate, manibus aliorum sustinebatur, omnium religiosorum voto ab hoc itinere dissuadebatur instantius, ne mortis se periculo exponere tentaret. E At ipse interno charitatis stimulo magis urgente, videbatur animum viresque assumere; sic tamen ut a medico jumentum quoddam peteret, quo Avilam vehi posset, quo eum Reformationis introducendæ zelus cum S. Teresia vocabat.

quo nova Teresianæ Reformationi obstacula removeat.

191 Illuc cum pervenisset, commorando in ædibus D. Francisci de Salzedo, ab eodem magno cum dolore intellexit fundationis negotium multo in deterius mutatum ab eo, quo ipse proxime illud reliquerat. Nam divulgato per civitatem S. Teresiæ proposito, plurimi ipsum S. Petrum de Alcantara arguebant, quod ei adhæreret, atque nimis facile spiritui ejus hactenus credidisset, præsertim vero in negotio cui nullam humana prudentia rationem præbebat : itaque potius repræhensione dignam judicabant, atque in proprio monasterio perfectionis studio occupandam, quam nova fundatione Carmelitarum Discalceatarum, velut divinam providentiam pertentare, nullo proventuum admisso subsidio. Turbaverant iidem episcopi mentem, quam prius rationibus S. Petri ad consensum fundationis pertractam, hi seculi prudentes variis argumentis pervertere adlaborabant. F Nec minus contra D. Guiomaram de Ulloa importunos se gerebant; ex eo quod suo nomine obtentum fuisse Romæ pontificium Breve dicebatur. Unde totius novitatis causam in ipsam refundentes, maximopere affligere non cessabant.

192 Quibus omnibus perspectis S. Petrus diabolicas astutias agnoscens, Deum ardenter exorabat, ut sibi spiritum augeret easdem superandi, atque divinæ gloriæ opus fœliciter promovendi. Cui sane desiderio divinam benignitatem annuere, id imprimis monstrabat; quod contra omnium opinionem e lecto ægrotus surgere atque negotium magno fervore pertractare brevi visus fuerit. Itaque prima capita contradictionum frequenter adire, rationibus premere, evangelicam nimirum paupertatem religionum præcipuam basim esse; nec contrarios sane de divinis consiliis opinari : adeoque non levitate muliebri, sed constantia divinæ inspirationis immo ex obedientiæ virtute, S. Teresiam novæ fundationis propositum animo fovere. Cujus etiam virtutes, atque instituti excellentiam debitis præconiis subinde commendabat. Inter alias rationes, quas adducebat ad convincendos

A convincendos adversarios paupertatis ac novi monasterii, has ut notabiles expressit chronista : Quod videlicet detrimentum redundare in rempublicam potest, si apud se foveat Parthenonem quoddam Virginum reclusarum, quæ spretis mundi facultatibus, manuum labore necessaria suæ vitæ ac sustentationi procuraverint ; die noctuque orationibus pro populo, pro totius mundi salute apud Deum institerint ? Quod damnum sequetur, si ipsarum exemplo aliæ animæ a Deo excitatæ, in flore juventutis seculo renunciando, ejusdem famulatui se integras dicare, atque hostias perfectas in ara crucis per pœnitentiæ sacrificia mactare elegerint ? Quid utilitatis, aut commodi sententiis civium decedet, si prædictæ virgines nullius bona aut possessiones concupiscentes, voluntariæ paupertati seipsas submiserint ? His aliisque rationibus fervore S. Petri de Alcantara productis, omnes prope superati, in sententiam ejus facilius transire non sine magna admiratione plurium videbantur. Deinde apud episcopum pari humilitate ac apostolici spiritus zelo, eamdem paupertatis ac fundationis novæ causam egit. Adeo ut cultus divini, publicæque utilitatis efficacissimis B motivis pio prælato persuasis, facile ad priorem sententiam (in qua vacillare videbatur) efficacius reduceret ; facta desuper promissione, opportuno tempore operi se omni conatu affuturum. Hinc ad D. Guiomaram transferri, eamque inquietam consolari, atque in cœpto operis favore confirmare ; suadere tamen ut pro majori animi sui quiete (dum diploma pontificium Roma non venisset) extra civitatem secederet, ab ipsa sancta Teresia suo tempore revocanda. Cui illa promptissime obsecuta, Avila egreditur, curam domus (quæ pro novo monasterio parabatur) relinquens Mariæ a Pace, quam S. Petrus de Alcantara inter fundamentales novæ Reformationis petras, primam destinaverat, ut alibi retulimus. Sic itaque insigni ardore Reformationem S. Matris Teresiæ promovens, admirationi erat omnibus ; quod in vitæ extremo constitutus, ægreque pedibus insistens, tam incessanter nunc ad prælatos accederet, nunc cum viris religiosis ac doctis congrederetur ; interdum devotas personas ad favorem sollicitaret, denique cuncta majori quasi zelo, quam in propria causa agere videretur. Unde negotium istud tamquam cœleste Viro sancto, singulari divino C præcepto commissum fuisse, omnia fundationis hujus initia fœliciora ejusdem meritis adscribebant atque interprætabantur.

Ipsa Teresia Abulam advenit.

193 Dum Avilæ expectabantur litteræ apostolicæ pro nova Reformatione S. Teresiæ stabilienda, placuit Deo, ut D. Joannes de Oballe affinis S. Matris, qui parabat ex eadem civitate egressum, morbo quodam correptus remanere cogeretur in eadem domo, quæ pro novo monasterio destinata fuerat. Unde sæpius hic a S. Petro de Alcantara visitatus pro absentia uxoris atque sororis tristior, ex ejusdem Sancti consuetudine et promissis, majus levamen et doloris et ægritudinis libenter capiebat. Nec vana quadam spe elusum se agnovit, cum eodem tempore et diploma pontificium Roma, et sanctam Teresiam Toleto Avilam pervenisse intellexit, ita disponente atque favente Deo ; ut omnia opportune ad negotii promotionem concurrerent, tam adventus sanctæ Matris, quam Breve fundationis, atque ipsius S. Petri præsentia, quam nec ipsa S. Teresia opportuniorem optare poterat, præter ipsam affinis infirmitatem, cujus obtentu extra monasterium Incarnationis in nova illa domo habitare ei licebat. His accedebant episcopi in civitatem reditus, et D. Francisci de Salzedo commoratio ; quæ præter consuetudinem eum tunc Avilæ detinebat. Quæ omnia facile cunctis persuadebant, divinæ providentiæ ordinem cuncta ad intenti operis perfectionem colligere.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Novo zelo S. Petrus ejus opus promovet,

194 Hinc intellecto Teresiæ adventu, S. Petrus confestim illam in monasterio Incarnationis adire, ibique suadere, ut superiorum licentiam impetret, manendi apud affinem ægrotum, dum proximorum solatio destituebatur. Sic enim turbationem aliquam imminentem ex publicatione diplomatis pontificii, melius declinaturam, cæterisque rebus commodius agendis provisuram prudenter asserebat. Præterea licentiam novæ fundationis a proprio prælato prius petendam, ut paci atque urbanitati satisfaceret, licet episcopo commissa foret. His rite a S. Teresia observatis, nequaquam a provinciali obtinere potuit, ut monasterium novum sine redditibus certis fundare permitteret. Ideo collata cum S. Petro difficultate diplomatis clausulam divina dispositione insertam de monasterio episcopo subjiciendo, mire extollebant atque eidem sine mora insinuare non negligebant. Ipse vero benigne annuere, et licentiam certo cum sua protectione promittere ; cum S. Petrus de Alcantara E fundationis fructus copiosos, atque ipsi episcopo gratos certioresque prænuntiaret. Unde audito episcopi consensu, aliqui obstinatiores impedire ulterius studebant S. Petri ad eumdem regressum, et ne cæteros ex Magistratu rationum suarum efficacia ad operis executionem prorsus adduceret. At Deo favente, ita in contrarium versa sunt omnia ut paucorum vota, quæ adversa operi reddere quorumdam sugillationes procuraverant, eidem favendo majorem ardorem ostenderent etiam post obitum servi Dei Petri, cum novæ persecutiones contra sanctam Matrem insurgebant.

ut Pater illius Reformationis dici queat.

195 Igitur tam indefesso studio huic negotio Vir sanctus tunc maxime incubuit, ut sine speciali Dei auxilio vix eidem præ ægritudine atque debilitate sufficere existimaretur ; dum monendo, consulendo, atque omnium retorsiones in suam ipsius conscientiam suscipiendo, cuncta impedimenta amoveret, quo fundationis initia promoverentur. Unde satis ingenue P. Ribera, cæterique vitæ sanctæ Matris Teresiæ scriptores, B. Patrem tamquam promotorem et coadjutorem suæ Reformationis celebrando, aliis non improprie persuadere possunt eumdem S. Petrum de Alcantara aliqua ra- F tione Patrem ejusdem, sicut S. Teresiam Matrem appellari debere.

S. Teresiæ commendat, ne unquam paupertatis formam mutare sinat.

196 Reddebat quotidie immensas gratias Deo S. Teresia quod operis sui progressus, procurante S. Petro de Alcantara, tam fœliciter succederent, exorabatque instantius divinam largitatem pro ejusdem salute, quo infirma valetudine atque deficiente vita reliquis perficiendis sufficeret. Ille vero diligentius domum illam, ubi monasterium designabatur, occasione D. Joannis de Oballe infirmi invisere, Sanctam in omnibus (quæ peragenda occurrebant) adjuvare, disponendo distribuendoque loca officinis cæterisque mansionibus pro monasterio necessariis ; quæ quo angustiora erant, eo sanctum Virum majori consolatione afficiebant, sibi repræsentantem intus tugurium Bethleemiticum aliquo modo imitatione exprimi. Unde quodam die Spiritu plenus, ad S. Teresiam magno fervore conversus admonuit, ne umquam strictæ paupertatis modum ac formam mutaret aut dimitteret ; quam suo instituto propriam atque pretiosam esse debere divina voluntas expresse decreverat. Interdum S. Teresia B. Patrem in ecclesia

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

clesia majori adibat, ubi ab eodem confessionis atque Eucharistiæ sacramentis reficiebatur. Accedebant quoque quatuor illæ virgines electæ, quas sanctæ Matri B. Petrus tamquam dilectissimas filias, Reformationis primitias offerebat; singulariter autem virtutem D. Isabellæ de Ortega commendabat, quam instituto suo magnum emolumentum allaturam prædicens, voluit in dicta die ad familiarius colloquium in prædicta ecclesia revocare. Paruit devota virgo, atque in eadem ecclesia sancto Viro confessa, supplicavit se sacrificii præcibus participem facere; ut quod animo de vitæ ratione incunda diu fuerat meditata, id nunc inspirante Domino exactius perficeret.

Ipsa intuetur SS. Franciscum et Antonium B. Petro in sacrificio assistentes.

197 Deinde ad sacrum celebrandum accessit S. Petrus de Alcantara, et dum (pro more) mentis quodam excessu sursum raperetur; meruit agnoscere sibi sanctos assistentes, patriarcham Franciscum diaconi, atque Antonium subdiaconi ministeria exhibere. Nec ideo in faciendo turbari, sed ad participationem sanctissimæ hostiæ properare; ut interno animi jubilo, quo diffluebat in lacrymas, citius expediretur atque assistentes communicaret. Nec dum visio illa tam insolitæ B gratiæ virginibus, nisi per indicia aliqua innotuerat; usque dum servus Dei sanctæ Teresiæ sacra mysteria porrigendo, ab eadem observatus fuit, medius inter duos illos sanctos approximare sibi. Erat autem uterque vestibus sacris fulgentibus indutus, qui dum S. Petrus Sacramentum tradebat, reverenter genua flectendo, cum ipso celebrante statim ministrantes ad altare revertebantur. Quam quidem summam gratiam, licet præ timore confessarii, in scriptis suis referre omiserit, ut de aliis confessa fuit, aut ne exinde majorem existimationem quæreret: tamen disponente Deo, post aliquot annos in quodam colloquio cum viris doctis atque cordatis eamdem visionem S. Teresia, inter cætera S. Petri de Alcantara merita atque mirabilia, distinctius enarravit. Ex quo ad posteritatis memoriam tam insigne miraculum pervenisse intelligimus.

Primum Teresianæ Reformationis monasterium.

198 Persolutis Deo gratiis, Petrus ad devotas illas virgines, in quodam sacello orantes accessit; ubi ad spirituale colloquium invitatas, mentes sincerius aperire invicem, nihil inter se celatum habere admonebat. Hinc S. Teresia instituti sui rationes Isabellæ explicare; hæc Teresiæ consortii C sui desiderium ac fidem promittere, eamque rogare, saltem ut conjunctis orationibus a Deo impetrare studerent unicum impedimentum, quod sibi a patruo obstabat, quamcitius removeri. Cognovit tunc S. Teresia altissimum Isabellæ spiritum, quem S. Petro de Alcantara commendans, ei quamplurimum obstrictam se fatebatur; quod tam insignem virtutem indagasset, cujus societas quamcumque etiam expectationem compensaret. Post colloquium unusquisque ad sua revertitur, licet S. Petrus de Alcantara moræ impatiens, paucis diebus interjectis S. Teresiam conveniret, exhortando ut fundationis initium faceret; inducendo quatuor illas virgines, quas ille conquisierat, et adeundo possessionem novi illius Monasterii, in quo jam tamquam privata domo commorabatur; cui etiam facto dies sancti Bartholomæi decretus fuit. Convenit quoque diligenter episcopum, atque pro obtinenda ultima licentia tanta de S. Teresiæ virtute eidem narravit, ut alloquendi eam occasionem præbuerit. Exin vero devotus prælatus tam serio prudentiam, atque sanctitatem S. Teresiæ mente et affectu concepit, ut non modo valde rationabilem S. Petri zelum in promovendo hoc negotio reformationis judicaret; sed etiam quo D magis ejusdem favori se obstringeret, capellam majorem primi monasterii hujus Sanctæ, sibi jure patronatus in sepulturam elegerit.

Quam præclarum in S. Petro adjutorem habuerit, ipsa S. Mater testatur.

199 His omnibus rite dispositis S. Petrus de Alcantara vitæ sibi finem instare præsentiens, ad religiosorum suorum contubernium redire prius constituit atque Avila discedere. Quare ne quidquam in Reformationis S. Matris Teresiæ negotio infectum relinqueret; postremo episcopum in favoris constantia confirmare, devotis virginibus perseverantiam cum institutrice commendare, magistro Dazæ spiritualem curam novi monasterii ex episcopi approbatione sedulo injungere, D. Gonzalo de Aranda, ut in omnibus S. Teresiæ adesset, confidentius committere; denique omnibus ultimum vale dicere, novissima laborum ejus Avilæ fuere. Quæ porro cum sancta Teresia privato atque postremo illo congressu tractata fuere, considerationi potius quam notitiæ explicanda relinquo; quamvis S. Petrus de Alcantara se ultra fautorem sanctæ istius Reformationis semper futurum reciperet, et ipsa obligationis suæ onus ex tam ferventi charitate (qua negotium totum hactenus promoveret) non parum aggravari in futurum, E etiam doloris incremento ostenderet. Testimonia hujus veritatis ipsa Sanctæ verba ex scriptis ejus producenda sic habent in cap. XXXVI ejus Vitæ in principio: « Ille fuit, qui omnia operatus est; et » nisi in tali occasione advenisset, non possem intel- » ligere, quomodo fieri hæc potuissent; quia parum » temporis hic mansit Vir sanctus, nec existimo » quod ultra octo dies, quamvis infirmus; et paulo » post, eum ad se Dominus vocavit. Et videtur ad » hoc tantum a divina benignitate fuisse servatus, » ut negotio finem imponeret; quia a longo tempore, » id est ut existimo, a duobus annis male habebat.» Sic illa. (*Conf. Comm. præf., n.* 18.)

Forma vivendi suis a S. Petro data.

200 Redeundum jam erat S. Petro ad Fratrum suorum consortium, quod Reformationis a S. Teresia intentæ zelus interruperat. Inde cruribus vacillans, jumento impositus Avila exire, atque principales sui instituti conventus circumire curarum primas sumpsit. Itaque primum Pedrosum, dein ad cæteros ordine conventus iter dirigere; ut approbata religiosorum disciplina, tamquam filiis obedientibus ultimam paterni affectus benedictionem impertiret. Unde dum hoc loco instituti ejus observantia describenda commodius oc- F currat, vitæ formam (quam tunc vigentem) apud suos B. Pater invenit, brevibus præstare lineis non pigebit. Omnibus spiritus unus corpora, animam trahentibus similia, sustentabat; dum mens cœlo affixa vix ea curabat, quæ mortis necessitatem excluderent. Hinc lectus durior, quædam tabulæ vili stragulo coopertæ, aut sarmenta, aut nuda humus. Alii, quos orationis fervor in Odeo detinebat, cum somnus opprimeret, ibidem vigilum instar excubias agere, nec cellam petere. Ipsas vigilias asperrimis disciplinis intexebant; dum somnum excutiendo, carnes flagellis dilaniare non perhorrescerent. His continuum cilicii tormentum addebatur, quod aut catenis, aut laminis ferreis, aut hirsutis pilis compactum, indicabat cœlestes milites severius contra seipsos, quam contra inimicos armari. Erat nimirum adeo infractus hic rigor, ut cum corpus diutius resistere nequiret, occultis ulceribus aperire eadem necessum erat chirurgis, qui novis incisionibus exactius jam marcida curarent. Displicebat quidem veris Dei servis secreta, quæ ei soli patebant, hominibus pandere; sed humanitatis ratio suadebat

A suadebat castigatione rationabili corpus in servitutem redigere, non animam iniqua carnificina propriis manibus expellere. Hinc cum vitæ hujusmodi austeritas plurimos religiosos morbis gravioribus affligeret, procurandum fuit, ut in commodis locis valetudinaria instituerentur, ubi pro paupertatis ac necessitatis modo, ægrotantibus remedia exhibebantur. Ubi vero quorumdam tenerior complexio austeritatum laxamentum suggerebat, tunc maxime incomparabilis Magistri ac Patris Petri de Alcantara adhuc in extremo vitæ colluctantis exemplum, velut aculeus ad perseverantiam exstimulabat, ne remitterent. Idem rigor foris observabatur, cum quæstuandi gratia ad oppida et loca missi exibant; ubi paucioribus, quæ apponebantur contenti, noctis majorem partem in oratione aut disciplina transigebant. Interdiu colloquiis ac sermonibus sacris devotos hospites, aliosque benefactores animando ad cœlestia, humanæ vitæ ac caducarum rerum contemptum, ipsa etiam vultus habitusque effigie, efficacius persuadebant. Nec illa sine admiratione omnium conscientias, non minus quam oculos feriebat; eo quod homines quasi semimortuos aspicientes, B observabant accuratius vix laciniis se tegere, pedes inter spinas atque tribulos laniare, totos denique vix pelle et ossibus cohærere; aut abstinentiæ frigorisque algore interdum totos obrigescere. Penetrabant hæc altius in multorum animos, simulque cum compassionis teneritudine propriarum culparum conscientiam, atque rigidius examen revocabant: nam si viri innoxii, et mortis studio plane addicti, adeo severe seipsos castigare videbantur; quid sibi timendum foret, qui criminibus graves occasionibus vitiorum inhærebant, unusquisque maturius deliberabat.

Salutaria ejusdem monita.

201 Hic igitur fructus notabilis erat religiosæ S. Petri familiæ, ex qua sicut singulos ad vitæ sanctioris disciplinam privatim instruxerat; ita omnes ad sæcularium mores corrigendos, tum salutaribus præceptis, tum rariori extra claustra commercio admirandos effecerat. Nemini enim nisi pro spirituali aliquo proximi beneficio, aut Fratrum necessitate subvenienda, sæcularium domos adire permittebat. Et cum hoc per obedientiam præcipiebatur, admonebat cautius, ne religiosam conversationem corrumperent; nam sæculares illi (ut aiebat Sanctus) non vident austeritates aut devota exercitia, C quibus religiosi intra claustra exercentur; itaque verbis et operibus instruendi sunt, ut odore bonæ conversationis in vita et moribus corrigantur atque proficiant. Addebat insuper tamquam optimum remedium Dei præsentiam, quam in omni loco servandam apta similitudine declarabat: Filii, estote imitatores piscium in mari, qui inter tempestates et commotiones undarum non extra aquam fugere intentant; sed potius ad profundiora se recipiunt. Sic vos inter rumores et strepitus hominum immergite vos divinæ contemplationi. Et si diabolica forte suggestione interdum extra vos metipsos rapi sentiatis; recurrite ad sanctissima Salvatoris nostri vulnera, tamquam salutares quosdam porticus nobis patentia, ubi securi a quacumque tempestate, quam per sæcularium conversationem concitare contra vos sathanas poterit, tranquilli animi vestri quiete expeditius fruemini. Quibus omnibus B. Viri discipuli quotidie eruditi, brevi ad eum perfectionis gradum pervenerunt, ut sanctitatis opinionem plurimis ubique instillarent, quemadmodum alio loco annotabimus.

Alimenta servis suis sæpenumero Dominus ministrat.

202 Nec deerat interea domi famulis suis providere divina liberalitas; dum sponte ac studiose sibi servientibus, sæpius mirabili modo vitæ alimenta subministravit. Nam sicut quotidianus victus tenuis herbas et legumina insipida ministrabat; sic parcitas non raro penuriam generabat earum præcipue rerum, quæ ad famem arcendam maxime necessariæ videbantur. Hinc interdum temporis inclementia inclusis, ut quæstuare non possent; foris devotorum pietas præter humanam spem, victum asportabat. Interdum panes (qui paucis vix sufficerent) miraculoso modo per aliquot dies pro necessitate augebantur. Interim infirmis mitiori alimento indigentibus, cœlestis apotheca et nutrimentum ac medicinam deprompsit. Contigisse id aliquando traditur in conventu Rosarii, ubi tribus ægrotis Fratribus panis cœlestis, quem æditus in altari invenerat, et famem expulit et ægritudinem. Non minus memoria digna res in regali conventu Guadalupo evenit; quo cum duo religiosi ex conventu S. Joannis Baptistæ Viciosæ, ad quærendum pro medicina parum mellis accessissent, cælerarius fæces tantum superesse eisdem excusando, ad Priorem remisit. Hic ne plane vacuos dimitteret, qualecumque fuerit, dari eis jubet; sicque cum rediisset cælerarius vas (in quo fæces servabantur) plenum melle optimo inventum, E ex quo ipse miraculum proclamare, et religiosis proferre liberalius posset. Quod cum religiosæ paupertatis merito omnes adscriberent, constituunt imposterum quæcumque Franciscani Fratres petiissent, prompte in illo cœnobio concedendum, atque adhuc vas ipsum, in miraculi memoriam servari refertur. Non displiceat hic magnæ authoritatis testimonium, pro paupertatis strictiori observantia, provinciæ sancti Josephi expressius adscribere, quod celebris ille Franciscus Gonzaga, Franciscani Ordinis et generalis, et scriptor, et Mantuæ episcopus in chronicis suis part. 3, conv. 6 ubi de fundatione conventus de Arenis pag. 1137, sic ait: « Quisquis ille fuerit, qui apertis oculis hujus provinciæ paupertatem vivendique modum contemplatus fuerit, nullo pacto existimabit nos apologi fabulas ad horum conventuum descriptiones attexere, dum hujusmodi eventus in medium adducimus. »

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

De primis S. Petri sociis. Michael a Catena.

203 Quemadmodum in prima religionis fundatione patriarchæ illius Francisco Deus duodecim socios adjunxit, qui spiritui ejusdem conformes, Evangelicam doctrinam apostolicæ vitæ exemplo per universum orbem disseminarent; haud secus F in antiquæ disciplinæ restauratione, idem Dominus B. Petro de Alcantara alios duodecim viros spiritu et virtute ferventes providit; qui ex diversis regionibus evocati, Societati ejusdem adscripti Discalceatorum, doctrina et exemplo pietatem dilatarent; vineam hanc plantante atque rigante eodem Viro apostolico, cui postea haud dispares vitæ filii succederent. Primus eum secutus fuit exeuntem ex provincia sancti Gabrielis, Frater Michael a Catena, qui a prima habitus susceptione Magistrum suum pœnitus imitari sibi proposuit. Tamtamque huic fervori Deus virtutem tribuit, ut brevi temporis progressu singulare pœnitentiæ exemplar evaserit, omnesque Magistri virtutes, quas ex familiari ejusdem consuetudine collegerat, ad vivum exprimeret. Quod nimirum præcipue ex eo enituit, cum illum B. Pater ad jacienda fundamenta provinciæ sancti Josephi comitem adsciv isset.

Leo Lusitanus.

204 Secundus socius fuit venerabilis Fr. Leo Lusitanus, qui odore fragrantissimæ sanctitatis S. Petri de Alcantara illectus, et sæculo et patriæ renuntians, eidem magno religionis ac pietatis spiritu adhærere elegit. Amabat singulariter in illo S. Pater

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

S. Pater ardentem pro animarum salute zelum, quem tam prospera, quam adversa valetudine in conversione peccatorum studiose intendebat; ita ut aliis quibuscumque occupationibus præferens, diceret se libenter qualibet hora mille vitas exponere velle, ut aliquem peccatorem ad Deum converteret. Erat vir purissimus anima et corpore, atque insigni prudentia; quibus columbina innocentia pretium augebat. Sæpe eum aviculæ sylvestres familiariter circumvolitabant atque comitabantur. Cum aliquando iter faciendo cum socio, fame confectus sub arbore discubuisset, ad Deum in oratione recurrens, meruit sibi (velut alteri Antonio) a corvo panem rostro afferri, cujus sapor et albedo cœlestis promptuarii portionem arguebat. In extremo vitæ gravissimis doloribus ac infirmitatibus vexatus, coronam insignis patientiæ contexuit, quam die ultimo claudens in conventu S. Joannis Baptistæ Viciosæ sepultus fuit an. 1563.

Alphonsus de Lerena.

205 Tertio loco ponendus est venerab. Fr. Alphonsus de Lerena, de quo aliquoties mentionem fecimus, quomodo ex Italia in Hispaniam proficiscens, ac S. Petro de Alcantara se conjungens, ejus vestigia premere omni virtutis studio, ac B favente gratia elaboravit. In abstinentia fuit admirabilis, in vitæ asperitate terribilis, in orationis studio vigilantissimus. Cum dæmoniis sæpe luctabatur visibiliter, dum eum persequebantur vexabantque corporaliter, de quibus tam certam habebat victoriam, quam illi insultandi jactabant licentiam; adeo ut incusso eisdem timore, toties fugerent, quoties ei se offerre præsumerent. Animo erat intrepido et invictæ prudentiæ. Hinc B. Petrus guardianum elegit et novitiorum magistrum, inde denitorem, et tandem custodem, atque fundatorem provinciæ sancti Joannis Baptistæ in regno Valentiæ. In ea virorum insignium hortum plantavit, qui virtutum fructus etiam ad posteros transmisit, et adhuc florescunt. Ante mortem in Castellam ad conventum Viciosæ reversus, et vitam super hominem agens, jam Angelicis ac cœlestibus donis plenus, inter superos agere videbatur. Postea de mortis hora cœlitus admonitus, ad instar patriarchæ sui Francisci, in terra nudus animam suam in sinum Abrahæ fœliciter deposuit anno 1566.

Joannes de Cordovilla.

206 Non indignus quarto loco inter discipulos C S. Petri de Alcantara, venerabilis Fr. Joannes de Cordovilla, qui in sæculo ex uxore filium habuit; quem defuncta matre, statim secum ad conventum Lorianæ conduxit. Ibi pater religionis institutum suscipiens, filium habitu indui curavit, ut Missis inserviret et virtutes disceret, donec ætate maturior ipse quoque in religione, pietate ac sanctimonia patrem æmularetur, ut ex chronicis prov. S. Josephi apparet. Initia hujus fervoris religiosi dæmones infringere tentabant, ubique eum horrendis ululatibus atque clamoribus insectando, edita voce : Egredere cito a societate istorum cucullatorum (Discalceatos sic cognominans). Quam etiam vocem ictibus percutiendo, proculcando, atque feriendo, die noctuque contra servum Dei repetebant, ut inquietum redderent. Quibus tamen omnibus intrepide resistens, etiam legionem integram constantia animi, atque orationis telo in fugam sæpius vertebat. Pœnitentiæ deditus imitari sanctum Patrem studebat in eo, quod tertio vix die comederet, jejunaret rigorose septem S. P. Francisci quadragesimas, diebus festis herbas tantum cinere conspersas manducaret. Extasi præclarus, raptus mirabiles, revelationes et divinos favores singulares experiebatur. Unde contemplationi se immergens, videbatur Fr. Ægidium S. P. Francisci D socium describere, zelo animarum æstuans, in lacrymarum torrentes prorumpebat frequentius. Hinc obtenta in Africam transfretandi licentia, ut captivum sua commutatione redimeret; in itinere Hispalim versus opprobria multa ubique sustulit a Fratribus, qui captum mente existimabant. At nocte quadam cœlestis splendor cellam ejus adeo illuminare visus fuit, ut flamma corruscans dormitorium totum corripuisse Fratribus videretur, dum cor viri intus amore divino ardebat. Inde transiens in Africam, in conspectu Algeri audivit vocem : Fr. Joannes, redi Calpen; quod enim Deus vult, est hoc, ut ibi consoleris. Et statim vento in favorem verso, brevi ad prædictum portum remeans, ibi fœlici ex hac vita transitu divinæ promissionis fidem exolvit anno 1566. Ejus singularem mentionem sancta Mater Teresia faciens in libro, cui titulus est, *Conceptos de amor de Dios sobre los Cantares* (*Conceptus amoris divini super Canticum canticorum*), in cap. III sic ait : « Hisce » temporibus cognovi quemdam (quem optime no» stis) tantæ charitatis zelo a Deo motum, ut cum » multis lacrymis facultatem impetrare non dubi» taverit, qua sibi liceret pro liberandis a servitute E » aliis, seipsum in servum commutare. Ille mecum » conversatus est; erat enim ex sancti F. Petri de » Alcantara Fratribus Discalceatis. Igitur post im» portunas instantias a suo generali licentiam obti» nuit; cumque quatuor leucis Algerio vicinus » esset, quo pro sui boni desiderii executione per» gebat, Dominus illum ad se revocavit et æterno » præmio condecoravit eum. Plures sæculi pru» dentes intentum tale vanum existimabant et ine» ptum; nos vero sic opinamur : siquidem non ita » Dominum nostrum diligimus, in hoc etiam vitæ » somnio idipsum efficacia tali nequimus assequi; » faxit Deus, ut aliquando cœlum ingredi merea» mur, cupientes maxime in amore divino pro» ficere. »

Franciscus a Galisteo.

207 Nec inferior sociis æstimandus Ven. Fr. Franciscus a Galisteo, vir solidæ virtutis, elevati spiritus, fidei, charitatisque vere Apostolicæ. Tam singularibus dotibus a cœlo præditus erat, ut a S. Petro de Alcantara cordialiter amari mereretur; et quia angelicam prudentiam in ipso cognovit, in primum guardianum elegit conventus Matris Dei de Rosario. Paupertatem strictissimam servabat, et humilitati tam profunde studebat, ut mi- F randa de illo in hoc virtutis genere plurimi annotarint. Inflammabant virum ardores seraphici, extenuabant macerationes admirabiles, nutriebant orationis deliciæ continuæ; quibus Deo appropinquans, singularibus ejus favoribus ditabatur, dum ad ejus intercessionem miracula multa operaretur. Tenerrimo, devoto atque fideli cultu Reginam angelorum prosecutus, ejus quoque continuos favores usque ad vitæ extremum servare promeruit. Diem mortis sibi Deus revelavit, quem assecutus est in infirmaria Oropesæ anno 1567, ubi animam cœlo reddidit. Sepultus fuit in ecclesia Matris Dei Patrum Observantum supradicti loci, et post mortem gloriosus apparuit.

Alphonsus a Manzanete.

208 Adhæsit insuper sancto Petro de Alcantara vir profundissimæ charitatis Frater Alphonsus a Manzanete. Iste in provincia S. Gabrielis professus, altissimæ perfectionis zelo in sylvestria loca Lorianæ rigidiorem acturus pœnitentiam secessit; et conventum sub titulo S. Isidori in prædio nobilis viri Joannis Velasco ab Avila construxit. Mox obedientiæ Fratris Joannis Paschasii se submisit. Cum autem sanctus Petrus initium novæ fundationi

AUCTORE F. FR. LAURENTIO.

A tioni daret, commissarius totius Reformationis institutus est : Alphonsus igitur a Manzanete, qui nuper Virum sanctum in provincia S. Gabrielis provincialem habuerat, gavisus est eumdem denuo agnoscere superiorem. Itaque ejus verbis et exemplis animatus, ad fastigium perfectionis brevi pervenit, et sancto Commissario dignus habitus est, qui inter alios ad fundandam sancti Joannis Baptistæ custodiam mitteretur, et in qua postea secundus custos eligeretur. Elucebant in eo omnes virtutes in schola sancti Petri vel acquisitæ vel roboratæ; sed præcipue inter alias enitebat regina, mensura, et mater cæterarum charitas, cujus illud amoris in proximos signum notissimum fuit; quod aliquando in Italiam proficiscens, cum vidisset hominem miserum sibi notum ad triremes damnatum, misericordiam B. Paulini Nolani episcopi imitatus, dolens quod ille uxorem cum liberis reliquisset, in ejus locum substitui et pœnam alteri debitam sibi postularet infligi. Quo charitatis prodigio motus præfectus remigem misericorditer dimisit rogavitque Patrem, ut sacellani officio functurus in triremi tanto tempore remaneret, quanto reus manere debebat remigaturus. Vidit aliquando B in Hispania dominum gravibus flagellis vehementius in servum sævientem; unde miseratione commotus petiit, ut in humeros suos flagellorum cruciatus commutaret. Tandem orta post mortem sancti Petri gravissima in præfatæ custodiæ Fratres persecutione, iterum in provinciam S. Gabrielis rediit et in conventu Alconcherii dives meritis et plenus dierum in charitate consummata, anno Christi 1569 obdormivit in Domino.

Antonius a Conceptione.

209 Silentio prætereundus non est alius sancti Patris socius, Pater Frater Antonius a Conceptione, quem illustrissimus Gonzaga religiosissimum et humillimum, origine Lusitanum, et provinciæ pietatis alumnum nominat. Re enim vera illud summæ humilitatis ejus indicium fuit, quod pro Reformationis dilatatione Romam accedens, se (licet novæ custodiæ præfectus esset) cum aliis Fratribus sancti Petri de Alcantara directioni lubenter submisit, et eumdem Commissarium institui sollicite curavit. Adeo autem beatus Pater Fr. Antonii pietatem et religionem perfectam habebat, ut cum sibi loca pro extruendis conventibus, et fundanda custodia S. Joannis Baptistæ offerrentur in regno Valentiæ, mitteret tunc præfatum Antonium cum C Fr. Bartholomæo a sancta Anna (tamquam alteros Josue et Caleb) ad explorandas terras istas, et primos vitæ exemplaris odores in illis defundendos, latiusque semina religionis dispergenda. Tandem sicut zelo animatus vixerat, ita eodem fervore plenus in senectute bona appositus est ad Patres suos.

[Ba]rtholomæus a sancta Anna.

210 Fuit et sancti Patris socius fidelissimus Frater Bartholomæus a sancta Anna, qui suscepto habitu in sancti Gabrielis provincia, omnes boni laici partes explevit; donec divino instinctu a superioribus suis ad sacerdotii ordinem reluctans ascendere jussus fuisset. Emittebat tunc temporis maximos sanctitatis radios tenella et nascens sub sancto Patre Petro de Alcantara custodia sancti Josephi, ad quam eo lubentius Frater Bartholomæus se recepit, quo in ministeriatus officio, sanctum seraphicæ paupertatis zelatorem vigere agnoverat. Ab illo itaque in nova custodia receptus, ut verum tanti Patris socium in omnibus se exhibuit; præcipue tamen in profundissimæ humilitatis, altissimæ contemplationis et rigidissimæ mortificationis imitatione. Cibus ei adeo exiguus erat, ut mirarentur Fratres corpus humanum tam tenui alimento potuisse sustentari; numquam vinum admisit, nisi gravissimi morbi remedio adstrictus, illudque ab aceto, non semel sibi ejus vice per negligentiam porrecto, aut non distinguebat, aut saltem se distinguere non manifestabat. Paupertatis amantissimus erat, in adversis patientissimus, et in magnis provinciæ suæ calamitatibus semper serenus, semper hilaris et semper quietissimus. Conversatio ejus sanctitatem in schola Beati Petri de Alcantara acquisitam ita redolebat, ut cum loqueretur quadam die Toleti cum sancta Teresia de rebus meliorem provinciæ suæ statum concernentibus, ipsa devotum et simplex ejus colloquium ex Beati Petri consortio haustum suspicata sciscitaretur : An sancto Patri aliquando familiaris fuisset? Cui ille : Non solum ut subditus eidem diu obedivi; sed etiam lateri ejus socius per multos annos adhæsi. Quo audito sancta Reformatrix, sciens non nisi castissimos oculos vultusque modestissimos umquam amico Dei Petro placuisse, sublato ab oculis (quos texerat) velo dixit: Quare non me prius de hac re monuisti, quo te facie detecta alloqui potuissem? Multis igitur virtutibus decoratus, bis provincialatus munere dignissime perfunctus est; bis Romam ex sancti Patris obedientia pro Reformationis incre- E mento se contulit. Denique in ultimum morbum incidens, serena et tranquilla facie, manibus ex more Fratrum Minorum intra habitum compositis, dormienti similis ad vigilias cœli æternas transivit anno Domini 1600.

Item Franciscus de Melo.

211 Venerabilis P. et servus Dei Fr. Franciscus de Melo Lusitanus inter primos Reformationis authores, socius beati Petri de Alcantara fuit; ob admirabilem virtutem vulgo S. Fr. Franciscus nuncupatus : pœnitentiæ ac sanctitatis ejus perseverantia, cum ad vitæ finem usque perfectionis imaginem declaravit. De hora transitus a Deo certior factus, amoribus seraphicis intentus extremum punctum expectabat; sæpe a sancto Antonio de Padua visitatus cum eo familiariter colloqui videbatur; velut ipse retulit infirmario, cui prædixit etiam horam, qua e vivis discedere debebat; qui monenti medico de exiguo vitæ spatio (quod restabat) respondit : Parum scit Dominatio vestra de hac hora, quæ Deo soli nota est, cum vitæ Dominus sit; et non vult, ut moriar neque hodie, neque cras; sed post triduum hora duodecima. Et in hoc puncto animam Deo reddidisse perhibetur, relictis signis beatitudinis animæ, quam gloria susceperat. Cor- F pus in ecclesia Zaraizexo, ubi habetur infirmaria Fratrum conventus S. Joannis Baptistæ Viciosæ, et sacello Spiritus sancti sepultum, post decem annos incorruptum inventum; et iterum post quindecim alios in eodem statu repertum fuit. Pulvis ex eadem sepultura varia mirabilia operatur.

Joannes de Albuquerque.

212 Venerabilis Fr. Joannes de Albuquerque cæteris sociis non inferior sanctitate fuit, ideoque S. Petro de Alcantara carus maxime ob spiritus candorem et pœnitentiæ continua exercitia, quæ eum testem fecerunt multorum ex his, quæ Deus in S. Petro operabatur. Unde post mortem ejusdem cum varia de ejus pœnitentia miranda narrari audisset, solebat dicere : Audeo dicere de his, quæ oculis meis vidi, de ejus pœnitentia et oratione, quod nihil differunt ab illis, quæ de sancto Patre Francisco scribuntur, licet in aliquibus rigoribus illum superarint. Fuit Joannes etiam in vita sanctitatis fama præclarus, quam post mortem incorruptionis aliorumque donorum indiciis apud suos devotos insigniter auxit. (*An forte hic ille anonymus est, qui omnium primus libellum, cujus meminit*

nit P. Joannes a S. Maria, cap. 1, *conscripserit de Vita S.* Petri de Alcantara ?)

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Christophorus Bravo.

213 Servus Dei Fr. Christophorus Bravo, cujus sæpe facta est mentio, magister capellæ et rationarius fuit ecclesiæ Zamorensis. Habitum Reformationis ab ipso B. Patre suscepit, a quo propter insignes virtutes et prudentiam brevi guardianus, et inde provincialis creatus fuit. Ejus in regendo sufficientiam, varia tum Romæ, tum in provincia tolerata, atque superata adversa pro Reformationis defensione in chronicis scripta loquuntur; quibus quidem maximam fidem addet, quod videbatur a Deo singulariter electus, qui post S. Petri mortem totius Reformationis oneri atque tutelæ præficeretur. Zelantissimus salutis animarum, Reginæ quoque angelorum gratiis fruebatur; qui dum invigilabat fundationi cujusdam conventus, mortis hora præcognita, vultu mire resplendente animam ad superos transmisit anno 1573, relicto corpore in oppido Navaelsaz in Puerto del Pico. (*Ex quo rursus valde improbabilis redditur illorum opinio, qui volunt eum in capitulo ad Bodadillam, provincialis officio privatum, non sine dedecore. Vide supra.*)

B

Gaspar a sancto Josepho.

214 Postremum hic locum dabimus venerando Fratri Gasparo a sancto Josepho, qui oriundus ex civitate Baecæ, ibique S. Petri mirabilia narrari audiens, juvenis vix quindecim annos natus, ad eumdem Patrem ex domo noctu properavit. Quo in conventu oppidi de Arenis invento ab eodem sine mora habitum religionis suscepit; quia cognoverat S. Petrus vocatum a Deo, et Reformationis suæ magnum decus aliquando futurum. Propter candorem et virginalem pudorem intime a B. Patre dilectus, virtutum heroicarum et magistrum habuit et quotidianum instigatorem. Oviculæ nomine ab eodem nuncupatus, in omnibus tanta puritatis innocentia respondebat, ut in ipso non peccasse dixisses primum naturæ protoplasten. Sæpius coram sanctissimæ Virginis imagine orans, visus fuit facie splendescere angelica; divini amoris intentio tanta in eo reperiebatur, ut corde inflammatus sæpe a medicis febri ardere acuta judicaretur. Extasi et raptu mirabilis exstitit; consuetudini sanctæ Teresiæ gratissimus. Magister novitiorum toto quasi vitæ tempore, homines virtute insignes educavit, qui Reformationis bases fuerunt, eorumque alii in terris infidelium pro fidei veritate sanguinem fuderunt; alii hæredes
C exstitere ferventis ejus spiritus, quem ipse velut alter Elisæus a Patre suo relictum acceperat; et etiam a Deo miraculis illustratus est. Devotioni sanctissimæ Eucharistiæ singulariter addictus, die ejusdem solemnitatis in morbum incidit, cum a processione publica rediisset. Dein prædicta mortis hora, S. Patrem Franciscum imitando, nudus in terra una manu crucifixi effigiem, altera candelam tenens, inter hymnos et laudes divinas sine aliquo boloris indicio animam Salvatori tradidit anno salutis 1575, in conventu Villæ Novæ de la Serena, in quo erat guardianus.

Reformationis a S. Petro institutæ incrementa et fructus qua late patet orbis.

215 His tam præclaris viris paupercula Discalceatorum familia (authore S. Petro de Alcantara) profundiores in Franciscana vinea radices agens, indies novas propagines ubique terrarum produxit; dum in variis regnis novæ Reformationis studia, et provinciarum fundationes, et religiosæ vitæ exempla tam in pœnitentibus, quam martyribus mirandum seraphico Ordini decorem adauxerunt. Distinctam autem omnium narrationem in variis historiis egregie descriptam iis relinquimus ac suademus, qui pro virtutis affectu renovatum apostolicæ vitæ splendorem, anachoretarum veterum mirandam austeritatem, primitivæ Ecclesiæ D
in fidei professione constantiam, renovatis velut characteribus expressam delectantur contemplari atque agnoscere. Hoc tantum loco quosdam conspicuos viros adjungere licebit, qui ex schola S Petri prodeuntes, uberrimum plurimis authoribus elogiorum argumentum ministrarunt. Inter primos itaque Sancti hujus discipulos non immerito connumerandum existimo venerabilem P. Petrum de Alfaro, virum doctrinæ ac disciplinæ religiosæ exquisitissimum. Hic quibusdam aliis religiosis suæ Societatis præpositus, instante catholico rege Philippo II, in Indiam transmissus, provinciam sancti Gregorii Papæ in insulis Philippinis fundavit: hinc evangelicum semen in Chinam seu Sinense regnum transvehens, multa ibidem perpessus, tandem conventus in Machao et Malacha, aliisque locis stabilivit; qui postea in provinciam Matris Dei coaluerunt, sub qua aehuc cum Indorum salutari fructu perseverant. Huic subjungendus occurrit tamquam socius venerabilis P. Joannes Baptista a Pesaro, qui natione Italus ex conventualibus ad Discalceatorum institutum transiens, cum prædicto Patre Petro de Alfaro in Indiam pro animarum conversione transfretavit. Eidem pro religionis E
zelo defuncto in regimine succedens, cunctis sanctitatis suæ opinionem, atque christianæ charitatis præclarissimas notas ubique instillavit, dum prædicationis ac pietatis indefessis exercitiis plurimos infideles ad Ecclesiæ gremium conduceret. Nec adeo tamen ei omnia prospere successere, quin opponente se dæmonio varia tribulationum genera, tunc maxime ei etiam a domesticis fidei concitaret; quæ per invictam constantiam orationis ac patientiæ scuto superando, compositis pro occasione rebus, iterum in Hispaniam redire, ac inde ad pontificem maximum Sixtum V pergere constituit. Et quia huic olim in conventuali sodalitio studiorum contubernio pergratus, nunc ob præclare gesta acceptior erat, in Italia remanere persuasus fuit; ubi ejusdem pontificis singulari indulto aliquorum conventuum reformationem suscepit, ex quibus ad Indiarum messem ministri atque operarii instructi religiosi utilius prodirent. Tandem ubique admirandæ suæ vitæ ac religiosi zeli vestigiis relictis, in conventu sanctæ Luciæ Neapoli cursum sui laboriosi itineris sancte terminavit. Ei post tot annorum intervalla hoc nuper memoria F
dignum accessit, quod benignitate sanctissimi pontificis Clementis IX, nuper corporis ejus depositum cum prædicto conventu S. Luciæ ad Discalceatos provinciæ S. Petri de Alcantara translatum fuerit, quasi rivulus ad Reformationis suæ fontem, discipulus ad magistrum rediturum se prævidisset. In provincia S. Joannis Baptistæ, quæ sub S. Petro de Alcantara in conventibus de Elche ac Lorito initium sumpsit, plurimi magnæ virtutis religiosi vitæ perfectione inclaruerunt. Notabili vero præ cæteris miraculorum frequentia illustratur B. Paschalis Baylon, cujus vitæ meritum sicut Ecclesia beatificationis privilegio decoravit, ita solemnis canonizationis ritu glorificari universæ Hispaniæ devotio instantissime sollicitat. (*Quod et factum ab Alexandro VIII.*) Ex superiori Philippinarum provincia S. Gregorii variis in Japponem missionibus, S. Petri progenies copiosos in eodem regno fructus animarum retulit; usque quo contra evangelicum hunc prædicationis fervorem concitati bonzii idololatriæ ministri, B. Petrum Baptistam cum quinque sociis ac septemdecim familiaribus Japponensibus pro Christi confessione in crucem egissent atque glorioso martyrio coronassent. Quorum martyrium

adjunctis

A adjunctis tribus ex Societate Jesu, Urbanus VIII, pont. opt. max. anno 1627, solemni judicio approbatum, universalis Ecclesiæ venerationi proposuit. Præfatos imposterum copiosius martyrum agmen consequutum fuisse, relationes variæ publica fide confirmarunt, quarum etiam aliquot Romæ, Ecclesiæ authoritatem expostulant. Interea non sine magno Ecclesiæ incremento ac religionis Franciscanæ gloria, ex omnibus colligere fas est id, quod ex ista sancti Gregorii provincia aliquando ad piæ memoriæ Philippum IV, regem catholicum, perscriptum fuit verum esse : videlicet in Japponem ac Chinam ex illa provincia religiosos fidei zelantissimos transiisse, quorum plurimi Laurentii ac Vincentii martyria æmulantes, tamquam pyropi ac carbunculi in hac orientali Ecclesia fulgere agnoscuntur. Eorum autem numerum usque ad annum 1667, quadraginta quatuor, sæcularium vero trecentos nimirum tertiæ regulæ sodalitio adscriptos; alios diversi sexus ac ætatis supra quadringentos certiori calculo collectos intelligimus. Ex quibus facile licebit judicium sincerum de re perspecta ferre, quantum utilitatis atque decoris seraphico Ordini, ipsique catholicæ Eccle-
B siæ ex hac sancti Petri de Alcantara Reformatione accesserit. Nam et martyrum splendidissima corona fidei soliditatem exornat atque illustrat apud infideles ; et vitæ apostolicæ renovatione et provinciarum augmento ejusdem religionis commendat sanctitatem inter catholicos. Ita quod non frustra advertisse videatur insignis religione ac doctrina P. Martinus a sancto Josepho (ut videre licet in expositione Regulæ Fratrum Minorum pag. 793); omnes quasi Reformationes nostri sæculi dici posse filias sancti Petri de Alcantara ; cujus in habitus ac vitæ asperitate, ac paupertate instituta describendo, tamquam principale exemplar imitari adnituntur ac student.

LIBER QUARTUS.

De virtutibus Theologalibus et donis gratuitis S. Petro de Alcantara concessis.

Fides.

C Hactenus vitæ S. Petri de Alcantara illustria multa perspeximus; nunc fundamenta (quibus hæc innixa fuere) penitius introspicere, virtutum Christianarum perfectio suadet, quæ supra petram Dominum Christum posita, fide, spe atque charitate mirabilius compaginaretur. Et quemadmodum in prodigioso Viro multa naturæ vires excedere, ipsa gestarum rerum veritas ostendit; ita divinam consideranti gratiam facilius patebit, connexionem virtutum, qua velut per gradus ad apicem illum ascenditur divinæ contemplationis, nihil in eo vacuum reliquisse. Hinc fides illa, sine qua placere Deo nemo potest, adeo firmiter in corde S. Petri fixa erat, ut ejus veritates cunctis rebus, quæ oculis cernuntur, certiores haberet. Quascumque extases aut revelationes a divina benignitate habebat, numquam ab illis sibi persuaderi quicquam permittebat, quod prius ad ejusdem catholicæ veritatis trutinam non appendisset; ideoque ab his tentationem nullam passus fuit. Solebat dicere tunc fidei mysteria certiora haberi, cum eis minora intellectus humanus præstaret experimenta : solius enim Dei sapientia nostræ confundit capacitatis angustias, et sublevat obsequii humilitatem; cum ignorantiæ tenebras illuminat his, quæ præter ipsum nemo, aut capere aut explicare potest. Profunde de fidei nostræ mysteriis ad populum prædicabat, exhortando ut frequenter illorum recordationem repeterent. In campestribus pastores quærebat, in villis et pagis pauperes, et parvulos hominesque quos doctrinæ christianæ articulos edoceret. His ne victus quærendi tempus subtraheret dum ad portam eleemosynæ causa confluebant, prius spiritualem sustentationem summa patientia ac charitate pro capacitatis modulo ministrabat, sæpe eadem iisdem inculcando. Ardentissimo propagationis fidei zelo, quod ipsi non permittebatur, in aliis procurabat ; ut nimirum ejus instituti religiosi ad infidelium terras evangelizandi causa transirent. Hac eadem ex causa magno dolore angebatur ob gravissimum damnum, quod suo sæculo Ecclesia passa fuit a Lutheranæ hæresis pestifera disseminatione. Ideo super omnia obedientiam necessariam capiti Ecclesiæ pontifici Romano debitam, diligentius cunctis imprimebat; præcipue vero Fratribus suis, ut in his (quæ ad Reformationis negotium pertinebant) ad nutum vicarii Christi cuncta intenderent, solli- E cite persuadebat.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

S. scripturam vix non semper præ manibus habebat.

217 Sacras litteras quasi semper manibus tractabat; ita ut ejus familiari usu majorem partem memoria teneret. Ad quodcumque verbum (quod proferri ex sancto Evangelio audiebat) assurgere atque profunde se inclinare solitus, indicabat intimam ejusdem in corde reverentiam. Cum fidei mysteria explicabat ordinarie extra sensus rapi, et lumine superno a Domino illustrari videbatur. Quadam die monendo religiosos de veneratione, quæ fidei dogmatibus debetur, aiebat: Cum Evangelium legitis, attendite, ut junctis manibus, et modesta compositione atque attentione percipiatis ea, quæ continet, nimirum quomodo Deus incarnatus est. Hicque vehementia spiritus raptus altiori subinde voce eadem verba repetebat; donec altissima contemplatione evectus, ad illa verba : *Deus assumpsit carnem humanam*, tonitrus instar vocem edens, ad cellam magno impetu currebat; illic anima ejus cœlesti ardore repleta cum in suavissima extasi ultra tres horas continuas detinebat. Aliquando religiosus sui Ordinis ex Italia redux B. Patrem in cella decumbentem inviserat. Hic inter alia enarrans sensibilem devotionem, F quam in sacra Lauretana æde expertus fuerat, dum sacra Incarnationis pignora (quæ ibi asservantur) adorasset; tam alte cor S. Petri de Alcantara hujus mysterii memoria penetravit, ut ei acutissimum clamorem exprimeret. Religiosus vero consueti affectus hujus ignarus e cella aufugiens, Dei servum in altissima mysterii contemplatione raptum reliquit; usque quo cæteri ex conventu opportunius accurrentes in eadem depræhendissent.

In extasim rapitur audiens In principio erat Verbum.

218 Quadam die duo religiosi sacris Ordinibus initiati, a sancto Viro præceptum acceperant sese præparandi, ut Missam decantarent. Unus illorum, ut cantus experimentum faceret, in hortum secesserat, ubi forte tunc S. Petrus contemplationi insistebat. Itaque cum a prædicto religioso Evangelii verba : *In principio erat Verbum* etc intonari audisset, accensus spiritu genua et caput inflectens, implexusque tamquam rota volatu celerrimo ad portam conventus, indeque per alias portas sine ulla læsione ferebatur ultra cubitum a terra elevatus; usquedum coram sanctissimo Sacramento in ecclesia in altissima extasi raptus substitisset. Alii qui religiosi, qui Sanctum assequi non poterant, cum

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

cum ante aram majorem in illo statu deprædhendissent, aliquamdiu prius expectare, ut ad se rediret; mox omni industria experiri, an sensus retineret. Tandem certo invenere columnæ instar immobilem hæsisse; quia firmiter corpus fixerat, qui animam rapuerat, et qui fidem accendit, mysterii quoque lumine integrum absorpsit. Fuit insuper a Deo dotatus speciali illa fide, quam gratis datam apostolus nuncupavit, et priori superadditur. Hæc nimirum magna fiducia est de divina bonitate, a qua consequi se posse credunt sancti, quæcumque recte a Deo petierint; promittente Christo etiam montes transferre posse, aliaque stupenda operari, cum necessum fuerit. Hujus fidei testimonia fuere tot in vita S. Petri de Alcantara prodigiosi successus, quibus sæpius siccis pedibus rapidissimos transivit fluvios; divinæ confisus omnipotentiæ crebro in maximis necessitatibus, præsentem habuit divinam opem, tam sibi quam suis religiosis miraculose faventem. Hinc quoque toties devotis exhortationibus religiosos suos ad hanc virtutem, divinæ providentiæ immensa benignitate exstimulabat; ut quos fides docuerat, nullo humano subsidio inniti, eosdem fiducia certiores B redderet, confidentes in Deo cuncta obtinere.

Spes.

219 Non dissimilem fiduciæ sociam S. Petrus de Alcantara in pectore alebat spem, quæ inter tempestates hujus vitæ anchora animæ non immerito dici solet; sicut est medicina contra humanam inconstantiam, vinculum divinæ gratiæ et pignus inæstimabile gloriæ. Hæc virtus illum a teneris annis cœlesti lumine induit, in toto vitæ decursu instar solidæ columnæ sustinuit : hac magistra, adhuc obsessus humanis illecebris, earumdem laqueos evadere, pompas cum sæculō contemnere, solam spem ad superna bona dirigere, cætera pro nihilo habere constantissime didicit; immo cum jam maturus annis corpus maximis pœnitentiis subegisset, suadentibus ut eidem, aut quietem aliquam, aut refrigerium indulgeret, respondere solebat : Non hic locus solatii est; omnem enim quietem in superna patria expecto, quo iturum me spero. Pro omnium rerum successu, maxime futurarum (quæ tempore maturescunt) oculos attollebat in cœlum, quo cordis affectum transmiserat; dicens devote cum regio propheta : In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. Adeo vero longe aberat a spe in principibus, aut quocumque homine C collocanda, ut magnatibus pluribus Hispaniæ favorem sibi pro negotiis offerentibus, aut rarissime uti vellet, aut si aliquando uteretur, eosdem tantum tamquam instrumenta divinæ Providentiæ attentius respiceret. Eamdem virtutem omnibus suis devotis in quacumque tribulatione, aut prætensione inculcabat, dicendo : Sperate in Deo, qui omnibus mederi potens est; figite in eo spem vestram; ipse omnia ad desideratum finem perducet per media opportuna. Cujus quidem virtutis in ipso Sancto fidem faciunt tot superatæ contradictiones, tot evictæ difficultates; cum quibus omnibus colluctatus, primarium majoris Dei gloriæ intentum gloriose assecutus fuit.

Hac spe nixus humanis viribus majora suscipit.

220 Aliud spei genus divina liberalitas concesserat, dum gratiæ gradus augendo, humanis viribus easdem mirabiliter corroboraret : nam corpore atque complexione debilis, variis etiam accidentibus infirmabatur, ita ut licite ac necessario eisdem indulgere aliquando teneretur. Nec tamen ideo ille receptas humanæ prudentiæ regulas admittere; nec mysticorum etiam consilia sequi, qui proprias vires metiri non inutiliter suadent. Sic enim ipse Sanctus in tractatu de Oratione part. II, cap. II, notabili V. « Inveniuntur aliqui, qui nec tempus D
» nec discretionem servant in suis exercitiis, cum
» a Deo favores recipiunt; et his ipsam prosperitatem interdum periculi causam esse existimo :
» multi enim sunt, quibus videtur gratia sibi pleno
» sinu effundi, ideoque propter tam suavem Dei
» conversationem, toti in ea occupantur, frequentando studia orationis, vigiliarum et macerationum corporis; ita quod natura impar tantis oneribus, tandem succumbere cogatur. Unde fit,
» ut multi stomachum debilitent et caput; sic quod
» non solum inutiles reddantur pro laboribus, sed
» etiam pro his iisdem exercitiis orationis. Itaque
» in his rebus magna discretione utendum est in
» principiis maxime, quando fervores consolationesque majores sunt, et experientia et discretio
» minores; ut sic passus in hac via contemperemus, ne in media deficiant. » Sed his neglectis non naturam sua virtute, sed ea, quam a Deo accipere poterat, fœlicius metiebatur. Unde cum de aliis sanctis, Spiritu sancto intus eos movente, mirabilia multa narrantur, quæ temeritatis speciem habere videntur tam in martyriis subeundis, quam in divina Providentia experienda; de Sancto nostro adeo stupenda scribi possunt, ut maximam etiam E fatigare ponderationem valeant; dum omnia, quæ sperabat, consecutum fuisse animadvertitur. Fixa namque in corde suo seraphici Spiritus verba habebat, cum ex sancto Bonaventura ediceret : « O spes
» cœlestis, quæ quantum speras, tantum impetras. »
Hinc multa quoque contra proprium corpus tormentorum genera intentare, quorum quodlibet illud ipsum sua natura destruere potuisset; ni spes secum divini auxilii præsidia appræhendens, animum et vigorem addidisset. Hinc inter alia in quodam difficili itinere a devoto invitatus, ut aliquid secum viatici deferret, plane recusavit, dicens : Nihil refert; Deus nobis providebit; idemque ne reciperet, socio injunxit. Hic ne devoti affectus pignora recusasse videretur, frusta panis paucosque fructus petere non neglexit; quod cognoscens S. Petrus de Alcantara nequaquam admisit, sed eum sic mansuete corripuit : « Nonne semper tibi dixi, ut in Deo speres, et in misericordiis ejus? Confide firmiter in ipso; quia solus in majoribus necessitatibus opportuna auxilia præstat. » Ea namque sæpius tam in itineribus, quam in suis conventibus mirabiliter expertum, in historiæ ejus F contextu varia exempla probant. Nec frustra propheticum illud in Psal. 45 : « Jacta curam tuam in Dominum, et ipse te enutriet; » magistri sui Christi Domini monito attemperasse creditur, Lucæ 12 et Matth. 6 : « Ideo dico vobis ; nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori quid induamini. Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis. » Idem in aliis successibus eluxit, quibus humani ingenii industriam applicando, difficilia omnia atque impossibilia multa eventum prosperum negare existimabantur; nisi spes, quæ fiduciam animabat, cuncta sibi a propitio Numine alacrius promisisset, et promptior divina benignitas rite ræstitisset.

Charitas erga Deum.

221 Regina virtutum christianarum charitas adeo sublimem in corde S. Petri de Alcantara omthronum erexisse videbatur, ut ad eumdem omnes suos affectus, desideria atque cogitationes revocaret : Nam « hæc corrumpi nescia (ut scri-
» psit S. Prosper de vita contemplat. cap. II.) nulli
» vitio mutabilitatis obnoxia, finis cœlestium præ-
» ceptorum, mors criminum, vita virtutum, palma
» victorum, quam fides concipit, ad quam spes
» currit,

A » currit, et cui profectus omnis servit, ex qua » quicquid est boni operis, vivit. » Hinc quocumque motivo, sibi de summo bono occurrenti, tam vehementer accendebatur; ut intra se contineri nequiret, quin ignitis suspiriis acutissimisque clamoribus ex cordis intimo foris prorumpentibus, aut audientes quoscumque perterreret aut devotos compungeret. Hujus namque affectus praxim etiam sanctus Petrus noster in suis exercitiis part. I, cap. XII, monito VIII, sic apposite descripsit: « Sunt aliqui adeo amore Dei inflammati, ut » vix memoriæ occurrat quæcumque ejus imago, » quin amore ipsius viscera eorum colliquescant. » Et hi discursu aut considerationibus his non » indigent magis ad excitandum hunc amorem, » quam aut mater aut sponsa, ut gaudeant, cum » de filio aut sponso sermo inciderit. Alii quoque » qui non solum in orationis exercitio, sed etiam » extra illud ita in Deo absorpti sunt, ut propter » eum omnium rerum, immo sui ipsius oblivisci » videantur. Nam si hoc quandoque fieri posse in » amore sensuali experimur; quanto magis id » amorem infinitæ atque increatæ illius pulchri» tudinis efficere posse credendum est, dum longe
B » potentior gratia sit, quam natura, vel culpa. » Quadam vice S. Petrus de Alcantara infirmitate decumbens, sensit adeo vehementer cor suum divini hujus amoris jaculo transfigi ut in vocem tonitrus instar prorumpens, infirmarium excitaret. Hic infirmo aliquem novum casum supervenisse suspicatus, accurrens eum mortuo persimilem invenit; cujus causam non morbi, sed affectus violentiæ adscribendam ipse postea S. Petrus confessario aperuit. Sola divini amoris mentio ita eum commovebat, ut quodcumque etiam difficile, ejus respectu libenter cuicumque petenti concederet. Unde sæpius pœnitentes ejus, aliique devoti multa (quibus quam maxime adversabatur) petendo propter amorem Dei promptius extorquebant. Interdum hoc suavi incendio exardescens, nec cellæ angustiis retineri, nec cordis anxietates pati sufficiens, in campos evolabat, ut vel sic eam partem incendii, qua corpus æstuabat, aeris refrigerio contemperaret. Quod mirum nequaquam videri potest, cum ipsas etiam nives interdum super eum cadentes fuisse liquefactas, jam alibi annotavimus, et ex sequenti successu confirmabitur. Quadam die hujus incendii divini flamma
C etiam corpus sibi correptum sentiens, procurrebat in hortum, ibique se totum usque ad collum congelato stagno promptius immersit; tanto vero temporis spatio in eodem permansit, quanto cuicumque alteri ad extinguendum omnem calorem naturalem, ipsamque etiam vitam certo suffecisset: miro tamen divinæ charitatis prodigio visum est gelu resolvi, stagnumque instar ferventis ollæ ebullire; eo quod cor S. Petri de Alcantara intus accensum, corporis ardore aquam ferventem effecerat. Neque ille hoc facto tribus pueris Babylonicis inferior æstimandus, dum illi fornacem ingressi, cœlesti rore ignem extinguente, servantur; hic gelidas aquas suo corpore velut fornacem accendens, nec gelu perimitur, nec aquæ fervore amburitur.

De Deo agens, frequenter sensibus abripitur.

222 Verba insuper et colloquia, quæ de hoc divino amore faciebat, quam ignita atque favillantia forent, varii eventus in ejus gestis indicati probabant, quorum, licet unicum, hoc loco addere specimen, ingratum non videbitur. Accesserat quadam die S. Petrus domum illustris cujusdam fœminæ suæ pœnitentis, in pago Belvis. Hic cœpit coram ipsa ejusque filia satis devotum de rebus spiritualibus sermonem texere, capto motivo ex occurrenti festivitate duorum apostolorum Philippi et Jacobi; quorum in Christum fidem et amorem præclare exaggerans, dum omnia adiisse difficilia demonstraret, ex libro mox spirituali ferventi affectu hæc verba prælegit: « Deus meus, fac me » carbonibus, flammis atque igne tui amoris to» tum accendi atque involvi, ita ut convertar in » te, et tu in me. » Idque tam penetranti voce, atque modo pietatem spirante proferebat, ut ex hinc prædicta domina toto animo ad devotionem accenderetur. Maxime vero filia, omnium terrenarum cura penitus deposita, sic orationis studio incumbebat, ut in ea notabiles progressus faciens, favoribus cœlestibus superabundaret. Fuit hæc Maldonata genere, cujus alibi memoria recurret. Tam diffusus erat hic sancti Viri amor, ut libenter seipsum in tot corda divisisset, quot mundus homines continebat; ut sic divinis laudibus abundaret magis. Hinc sæpius ad divinas laudes omnes creaturas provocando, sic exclamare audiebatur: Venite, et juvate me, o vos cœli, et terra, et angeli sancti ad collaudandum Dominum, et ad vices reddendas tot favoribus, quibus nos immensa ejus benignitas cumulavit. Nimiam excedunt mensuram obligationes meæ; ideoque melius vos defe- E
ctibus meis succurrite. Vos seraphim inflammati, qui optime amoris naturam ac vim cognoscitis, opem mihi ferte; dum amoris telo vulneratum me sentio, et redamandi debitum agnosco; tormenti tamen remedium ac levamen non invenio. Tu qui labia Isaiæ ignito forcipe mundasti, hanc animam meam ardentissimo amore tuo accende; ut nihil præter Dominum meum diligam, in ipso solo requiescam, et vivam in sæculorum sæcula. His et similibus aliis indiciis divini amoris cor S. Petri de Alcantara æstuans, continuo latentis ardoris flammas conglobatim eructabat; ut quanto majoribus corpusculum cruciatibus ac pœnitentiis subigeret, tanto in corde latens ignis magis cresceret, atque foris quoque erumperet. Eumdem fervorem in aliis, quos de divino amore alloquebatur, adeo mirabiliter accendebat, ut ab his etiam, quibus mirabile hoc amoris genus ignotum erat, ipse Vir sanctus amens existimaretur, dum verba affectuose proferendo, corporis gestibus decorem perdere arguissent. Inde quoque de ipso sancta Teresia hæc in mansione VI, cap. VI, annotavit. « Ego cognovi quemdam Fr. Petrum de Alcantara, » quem sanctum existimo secundum ea, quæ in F
» vita demonstrabat, interdum ab his, qui eum » audiebant, habitum fuisse pro mente capto. Et » vere talis erat, si sanctam illam amentiam re» spiciamus atque ebrietatem, qua sanctus ille » propheta redundans, omnes creaturas cœlestes » ac terrestres, in Psalmo illo *Benedicite*, ad col» laudandum Deum ferventer provocabat. O fœlix » amentia, fratres, si eam nobis Dominus conce» deret! O infœlicia tempora, o vita miserabilis, » in qua adeo obscura et ignota est talis stultitia! » Fœlices hi, quibus talem gratiam Deus conces» serit; ut participes reddantur hujusmodi stulti» tiæ, et seipsos juvent aliorum exemplo! Excite» mus ergo nos ipsos ad divinas laudes; et » adjuvent nos omnes creaturæ per secula seculo» rum. Amen. » Prædicabat quadam die S. Petrus in civitate Plasentiæ coram numeroso populo super immenso Dei amore, quo Incarnationis mysterium perfecit. Dum itaque rationum pondere mutuæ obligationis causas concioni efficacius persuadebat, visus fuit tam vehementer ejusdem desiderio accendi, ut sensibus destitutus per longissimum tempus, in altissima extasi suspenderetur. Cujus

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Cujus admiratione, quamplurimi maxime compungi, atque ad divini amoris desideria excitari; ipsum denique servum Dei in se reversum, atque post gratiarum actionem evadentem, summa veneratione velut angelum incarnatum devote ubique prosequi. Ille vero tam verbis, quam affectibus ac operatione dies noctibus, actiones meditationibus hoc exercitii vinculo conjungens, semper Deo fruebatur; nec umquam minimum vel punctum prætermittebat, quod divinæ voluntatis promptissimum obsequium importaret. Unde plurimi religiosi, qui ejus consuetudine familiarius utebantur, juramento firmasse scribuntur, nullum reperiri in Evangelio præceptum aut consilium, quod a suo prædicto Magistro ad litteram non fuerit integerrime observatum.

Charitas erga proximum.

223 Superioris virtutis filiam aut sororem recte vocaveris charitatem erga proximum; quæ sicut legem perficit, ita Deum lætificat, in quem refunditur. Hinc S. Petrus aliorum infortuniis tamquam propriis compatiens, omni studio ac diligentia satagebat, ut quampromptissime iisdem succurreret. Pro hac causa, difficillima interdum itinera suscipiebat; nimirum ut civium, aliarumque personarum familiarumque animos invicem reconciliaret; B immo pœnitentes aliosque devotos in gravi aliqua tribulatione consolaretur. Omnes ad solam ejus præsentiam serenati, animi tristitiam deponebant; et sicut sole glaciem liquefieri cognoscimus, ita quascumque frigiditates ad charitatis S. Petri calorem fuisse resolutas accepimus. Ob hanc causam sæpius solitudinem intermittebat ac conversationem, qua Deo in oratione fruebatur; dum eum aut conventu egredi, aut ad se accedentes, patienter auscultare necessitas cogebat. Nec verborum tantum suavitate hæc charitatis officia præstare; sed et omnem operam impendere, orationibus quoque et pœnitentiis divinum auxilium compellere, donec petentium necessitati subventum cognovisset. Id vero maxime pro peccatorum conversione, atque conversorum perseverantia attentius præstare. Hinc etiam de alienis factis numquam sinistre judicare aut censorem agere; ibemque diversis documentis suis Fratribus ita inculcare: Filii, evidens signum est, quod Deus alicui animæ assistit, quando hæc in malo bonum invenit; quemadmodum alii præsumunt in bono malum quærere: nam unusquisque ore profert ea, quibus cor ejus redundat. C Sic enim anima invidiæ plena aut malitiæ, eamdem lingua enuntiare non desinit; sed quæ charitatem possidet, cogitat et loquitur de omnibus bene, judicans omnes Deo perfectius servire quam se. Mirum in modum hanc virtutem S. Petrus de Alcantara manifestabat, ferendo mansuete illatas injurias. Nam sicut cujuscumque beneficii tenax, vices rependere vel orationis præmio numquam negligebat; ita offensarum immemor, potius casdém beneficii loco habere, quam vel minimum indignari: cum sibi contradici aut calumniari se magis gauderet. Idem quoque religiosis suis commendabat, ut quæ secreto aliquo Dei judicio contingere potuissent, ea in humanis contradictionibus charitatis officio libentius excusarent. Eamdem virtutem quantum religiosa paupertas permitteret, etiam externo opere proximo præstabat; ita quod omnium pauperrimus, alienam tamen necessitatem divitum eleemosynis subveniret. Hinc etiam in propriis conventibus mendicis ad portam primus ministrare; caput et membra sordida abluere, indumenta resarcire ac lavare, omniaque illis pietatis officia exhibere, quæ misericordiæ viscera concipere abundantius poterant. Alios, quibus nuditas verecundiam facere videbatur, ad amicos D spirituales induendos remittebat; sicque omnes quos inopia aut necessitas filios offerebat, S. Petri charitas paterno affectu amplectebatur et fovebat. Pro ægrotis singularem sollicitudinem etiam assiduis humilitatis officiis exercebat; ita quod ab aliis Fratribus huic curæ destinatis, sæpe admonitus parceret suæ debilitati, et ipsis pensum solvendum relinqueret, respondebat: Filii, meum imprimis hoc est officium; in quo si defectus aut negligentia aliqua occurrerit, magis a me, quam a vobis rationem ejus exquisiturum Deum sciatis. Extra conventum, nosocomia frequentabat atque privatorum domos, quibus, præcipue in necessitate publica privatim laborantibus, ea industria atque diligentia succurrebat, qua et egestate liberari, et divinæ offensæ periculo eripi convenientius poterant.

Facta quædam particularia.

224 Quadam die æstu fervente iter faciebat versus oppidum Torregonzillo, quando solis ardor viæque asperitas cum et viribus et siti languentem cogebant remedium petere a duabus mulieribus, quas sors obtulerat: illæ vero propriæ necessitatis obtestatione, sanctum Virum ad sui commiserationem converterunt; ita ut opem, quam a se peteret, ipse tam siti quam fame laborantibus opportunius exhiberet. E Mira sane pietatis commutatio, dum S. Petrus sui oblitus ad cœlum oculos attollens, inde pro eis auxilium obtinuit, unde sibi vix petere præsumebat, et ad mulieres conversus: Recedite, inquit, sub umbra illius genistæ, et ibi necessitatis vestræ remedium invenietis. Obedientes illæ in loco, quem indicarat, medium panem inveniunt, cujus sapor et albedo cœlesti manu compactus, et sitim extinguere valuit et famem. At ipsa huic miraculo charitas S. Petri pretium abstulit; dum hæc ordinis negligens, alienam necessitatem proprio periculo postponere notata fuit, nec sibi vel in minimo subvenire. Aliquando S. Petrus de Alcantara iter faciebat cum quodam religioso genere nobili, qui nuper ex sæculo ad religionem transiens, nondum domesticas delicias aut naturæ mollitiem deponere, et asperitati religionis satis assuescere didicerat; licet fervore spiritus, multa etiam difficilia superasset. Hic pro usu religionis, nudis pedibus longa via, inter prærupta saxa incedens; tam sanguine cruentatus, quam lassitudine deficiens, nitebatur vestigia præcedentis Patris pro viribus assequi; F sed eidem adeo commiserationem eliciebat, ut sæpe invitatus, tandem suavi verborum violentia cogeretur tergo Patris se imponere, et sic longo spatio portari, idque etiam diversis locis, ubi difficilior transitus occurrebat, repetere. Miro sane pietatis spectaculo visus fuit S. Petrus, compassiva affectus teneritudine, incurvatum ætate atque continuis macerationibus dorsum juniori se submittere, atque duplicato onere ipsa saxa, quæ pedibus cruentabat, velut emollire quodam modo; et nisi superne vires hausisset, oneri impar succumbere. Nec præsens tantum quæcumque charitatis officia præstare S. Petrus de Alcantara promptissime solebat, sed cum longe etiam abesset, divinæ virtutis impulsu eadem deferre. Erat votis egentibus remedia mirabiliter afferre. Erat in oppido Arenas vir honestus Balthazar de Frias, de S. Petro ejusque religiosis optime meritus; cujus filio sexenni, patrique percaro violentia morbi per quatuor ingentes suppurationes atque acutam inflammationem mortem minabatur. Qua medicorum judicio certius intellecta, pater ut cordis amaritudinem lacrymarum resolutione temperaret, a filii conspectu secessit. Augebat dolorem de

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

A de S. Petri absentia cogitatio, cujus præsentiæ merito non dubitabat se a Deo filii salutem impetrare posse. At non ideo spem deposuit devotus vir, cum vel sic absentis S. Petri opem magna fiducia imploraret; nec vanam ei fuisse disposuit divina benignitas, quæ S. Petro de Alcantara devoti necessitatem manifestans, voluit, ut licet longissime distans præfato viro de filii salute lætum nuntium oretenus proferret, totumque consolaretur. Nam ille ad præsentis dictum obstupescens, mox evanescente, ad ægroti filii cubiculum advolare; et licet adhuc periculo teneri cernebat, nequaquam tamen dubitare quin salvus evaderet. Hinc rei successum adstantibus enarrare, et cum ipsis Dei mirabilia Servi sui charitate extollere; donec stupentibus etiam medicis, infirmum brevi integre convaluisse, omnes ejusdem S. Petri meritis certius adscripsissent.

Patientia et in adversis constantia.

225 Ex præcedenti charitatis radice mira in adversis constantia atque contra calumnias patientia pullulabat. Nam qui nihil nisi a Deo moveri sibi firmiter persuadebat, ejusdem amori, licet adversa atque opprobria, omnia libenter condonabat. Dierum vitæ S. Petri catalogum texere oporteret, B si virtutum harum exempla colligere vellemus; quæ in illo adeo miranda solo proverbii usu confirmata, nobis facilius persuaderi possunt: nam cum aliquis, justa se indignatione commoveri sentiret, patientia Fr. Petri de Alcantara opus esse, pro responsionis dicto tunc temporis invaluit. In Reformationis negotio multas variasque difficultates invicta constantia superavit; gravissimas calumnias, repræhensiones atque acerbas mortificationes humili patientia toleravit, ut nec ægri animi signum aliquod proderet. Sæpe non verbis tantum, sed et verberibus impetitus, aliam defensionem opponere nesciebat, quam quod oculos in cœlum attollens, pro persecutoribus exoraret. Sic cum virtute diplomatis pontificii quemcumque ad suum institutum recipere facultatem obtinuisset, tunc insignem quemdam canonicum Christophorum Bravo, prius ut sua pauperibus distribueret, induxerat. Hic consilio obsequens, charitative omnia sua largiendo, Viri Dei æmulis authoritatem ejusdem invisam reddidit, validasque contra eum persecutiones innocenter concitavit. Quibus tam atrocia atque indigna sanctus Vir perpessus fuit, ut jurati testes in canonizationis processu, ea vix describi C posse deposuerint; illum vero innata frontis serenitate, et animi imperturbabili tranquillitate cunctos insultus cujuslibet sustinuisse, ipsos etiam religiosos suarum injuriarum impatientes, pro impatientia interdum coarguisse, atque ad Deum conversum, sæpe ita invocasse: « Gloria tibi sit, Deus meus. Nunc vere cognitum me lætor, pro eo qualis vere sum, et sic recte me tractant, prout mereor. »

Præclarissimum harum virtutum exemplum.

226 In quodam itinere conventum religiosorum hospitii causa ingressus, inhumaniter exceptus fuit, eo quod diplomatis pontificii requisitus, novitatis accusaretur. Hinc injuriis atque conviciis lacessitus, habitu spoliari atque pro more religionis tamquam apostata flagris cædi jubetur. Quæ ille humiliter perferre paratus, cum corpus cinctum ciliciis, inedia extenuatum, atque disciplinis sulcatum ostendisset; tantum suis adversariis pudorem incussit, ut spectaculo confusi omnes recedere potius, quam intueri ipsum aut attingere eligerent. Itaque ipse ab accusatoribus relicus in medio, veste sua indutus humiles Deo pro hoc pane tribulationis gratias egit. Mox e conventu exire, et pro subveniendo socii refectione, eleemosynam per domos petere, et sic iter alacrius prosequi non dubitavit. Sic quoque cum alios sui instituti religiosos iter agentes, in quibusdam locis male habitos fuisse intelligebat; inde gaudendi occasionem sumere, atque adversarios excusare, monereque suos, ne conqueri præsumerent; sed apud alios, etiam sæculares pietatis affectu obtegerent. (*Idipsum paulo latius explicatur in narratione de sancto* Petro de Alcantara, *habita ab eminentissimo D. Cardinali Sacchetto, relatore causæ canonizationis. Scilicet die* XII *Aprilis anno* MDCLX *in congregatione sacrorum Rituum, habita coram summo pontifice Alexandro VII, eminentissimus Sacchettus narrationem de vita, rebus gestis, et miraculis beati* Petri *ex scripto prosecutus est, quam D. Franciscus Maria Phœbeus, archiepiscopus Tarsensis, tunc sacrorum Rituum congregationi a secretis, pro suo munere redegerat. In hac itaque narratione leguntur sequentia.* Petrus in Hispanias regreditur, ægre ferentibus Fratribus de Observantia, quod sub Conventualium obedientia, strictioris Regulæ provincias fundandi munus suscepisset. Et ecce extraneus factus est fratribus suis, E et peregrinus filiis matris suæ. Semel enim ex itinere fatigatus, cum conventum Fratrum de Observantia adiisset, ostiarius, eo cognito, et in conventus claustra perducto, clausit ostium, eumque velut apostatam innumeris contumeliis affecit. At quasi parum esset, suis tantum conviciis eum impetere, socios multos ad probra in Dei famulum congerenda convocavit. Fratres neque id satis esse pro demeritis arbitrantes, in quem jus contumeliæ obtinuerant, jus flagellationis exigunt, eumque flagellis de more religionis cædere constituunt. Quare Petro imperant, ut nudo tergo, genibus flexis, omnium verberibus se exponat. Ille vero jussis obtemperans, Christi vestigia sequutus, « qui » peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore » ejus, tamen cum malediceretur, non maledicebat, » cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injuste », non solum assentitus est, sed flagellis cædi enixe rogavit; sibique denudavit humeros, dorsum tradidit in flagella et maxillas ad palmas. Fecit autem Dominus judicium injuriam patientibus, qui et in flagella paratus erat. Petrum siquidem denudatis humeris Fratres intuentes, ferreis catenis, horrido cilicio, foraminibus aspera F bractea sanguine conspersa præcinctum, eo moti spectaculo averterunt se retrorsum, et non ceciderunt, quia Dominus supposuit manum suam: nec enim difficile fuit religiosis viris declinare a malo et facere bonum. Convicia igitur in convivia versa sunt, in laudes contumeliæ, probra in admirationem, et Petrum hospitem et fratrem charitatis brachiis vix illum dimittere a se volebant. Ille tamen, Fratribus exemplo patientiæ jam ad meliorem frugem conversis, ocyus a refectione declinans, et a conventu discedens, quo eum trahebat Spiritus, pervenire festinavit (1). *Ex præcedenti narratione, apparet quis sit stylus, quis modus illarum relationum. Rationem præ se ferunt encomii. Cæterum quanti sint momenti hujusmodi documenta facile quivis concludet ex sequentibus verbis.* Statim igitur D. Phœbeus ad clariorem vitæ sanctissimæ, virtutum et miraculorum B. Petri evidentiam, omnium, quæ in eadem ipsa causa peracta erant, compendium collegit, et ad DD. sacræ congregationis cardinales ac consultores transmisit, quod hic,

(1) Acta Canonizationis S. Petri de Alcanatra et S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, a Dominico Capello collecta, p. 21 et seqq. Edit. Romæ 1669.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

hic, ne prolixiores simus, ideo omittimus, quia convenit cum Relatione inferius describenda (1).)

Item alterum.

227 Decumbebat graviter S. Petrus de Alcantara in conventu Arenis, cum divina inspiratione Avilam eumdem sibi religiosis significaret, ut sanctæ Teresiæ in diplomatis pontificii executione auxilium præstaret. Nec quibuscumque precibus a proposito moveri, quin aggravatus morbo e lecto surgere, et jumento quodam vectus, iter suscipere visus fuerit. Pervenerat ad tabernam de Puerto del Pico, ubi quiescendi necessitate in terram projectus, caput super petram, cui socius mantellum superposuit, inclinarat. Interea jumentum hortum forte propinquum ingressum, olera quædam, et herbas corroserat; quod a cauponis uxore observatum, iracundia accensa jumentum pro damno includit, et in rabiem versa, contra S. Petrum et socium convicia et probra effundit. At cum mansuetiores ad omnia animadvertit; insolentior facta, duplicat injurias, et pro pignore pallium capiti recumbentis violenter subripit. Qua vi infirmus Senex colliso ad lapidem capite, sanguinem fundere, atque vix genibus sustineri validus, mulierem pro culpa humiliter deprecatur; ut iracundiam deponat, obtestatur. Pergebat insolenter B debacchari insana fœmina quasi infernalibus agitata furiis, quæ S. Petri de Alcantara constantiam prosternerent; dum mœstus socius, secum cogitabat, quo sibi pro afflicto Patre reficiendo, atque curando eundum esset; tunc servo suo Deus opportuni remedii, atque egregiæ sapientiæ publicandæ occasionem optimam præstitit. Nam transibat illac versus Arenas D. Franciscus de Guzman eques illustris ac S. Petri filius spiritualis, ut eum in conventu inviseret. Hic cum sanctum Virum ita in terra prostratum animadvertisset sanguine conspersum, stupore primo perculsus, casum aliquem ex via interpretabatur; mox cum ex mulieris clamoribus successum indagasset, in furorem mutatus aggreditur tabernam igne succendere, atque mulierem occidere. Sed S. Petrus, quem præ nimia debilitate sola charitas erigere poterat, furentem insequutus a facinore revocat; ac miræ pietatis et mansuetudinis excessu ruinam avertit. Nam ejus voce tamquam angelica suspensus iratus vindex, manus continuit, districtum ferrum cohibuit; atque cui mortem intentabat, ad preces S. Petri de Alcantara pecuniam pro pretio dati damni C liberaliter exsolvit. Sic itaque effrenis mulier lenitate correcta, ad Petri pedes culpam et injuriam dolens deprecabatur; cum ipse suavibus monitis eamdem corripiens, et meliorem reddidit, et singulare patientiæ exemplum omnibus simul præstitit. Ejus constantiæ in tolerandis infirmitatibus fidem maximam faciet, quod iisdem quasi continuo vexatus, majores dolores pati optaret; nec remedia (quæ afferri possent) nisi coactus admitteret. Sic in itineribus, aliave occasione accepta vulnera negligebat; sic toto quasi vitæ tempore nullo se dolore vacuum in corpore, aut in animo afflictione aliqua liberum sensit. Et cum a Fratribus, ut a Deo levamen in oratione peteret, peramanter monebatur, responsum dabat: Filii, pro Christo, summo nostro bono, dolores, afflictiones et adversa pati, via est brevissima, æque ac certa et secura ad perfectionem; quæ licet angusta sit et difficilis, sine dubio tamen recta ad portas cœli perducit.

Humilitas.

228 Jam obdurata patientia, cujus in superiori capitulo exempla indicavimus, S. Petrus profundæ humilitatis animi fundamentum effoderat; ita quod tam in prosperis, quam in adversis eumdem sensum gerens, sæpe dicere soleret: Servus inutilis sum, et sine fructu in domo Dei. Quid habes, quod a Deo non accepisti? Quid reddam ego Deo, pro omnibus gratiis, quas mihi tribuit? Offero tibi, Deus meus, exigua illa, quæ habeo et valeo offerre. Ita quoque sanctitatis suæ fama summe cum affligebat, eamque vel vulgari ignorantiæ vel magnatum adulationi adscribere studebat. Interdum ut applausus populares declinaret, noctu villas, aut civitates ingredi, aut in aliquo palcario, vel tugurio obvio hospitari solebat; sed quia hoc quoque sæpe fieri non poterat, dum aut charitatis aut negotii occasio ad hominum frequentiam eum constringerent; paulatim profusis illis obsequiis, tamquam martyriis assuescere didicit, cum ex singulis reverentiæ demonstrationibus plura in corde jacula excipere sibi videretur. Quod evenire vel tunc plerumque ei solebat, cum ab episcopis aut principibus hospitio exceptus, summo amoris ac existimationis affectu benedictionis gratiam impartiri eis rogabatur. Unde humilitatis hujus fovendæ causa, ita se commonebat: Nonne tu mundo defunctus es? Permitte itaque te tamquam mortuum tractari, qui nullo aut laudum aut incensationis E sensu stimulatus, ullam internam aut externam patitur immutationem.

Contemptum quærebat.

229 Alias cum ad ejus ingressum in aliquam civitatem commoveri omnes solerent, ut illi obviam irent, ipse (ut contemptum potius provocaret) relictis nobilioribus, pueris se miscebat, atque ad ludicra conversus, oblatos honores declinabat. Interdum in viis publicis studiose ea peragebat, quæ nauseam magis ac risum, quam admirationem aut reverentiam ei generare possent. Interea versicolores panniculos hinc inde in sportam collectos, tunicæ assuebat, ut pro insensato haberetur. Interdum inter opifices bajulum agens, vilibus ministeriis occupabatur, ut despectui omnibus esset. Idem in nosocomiis publicis circa infirmos diligenter præstabat; cum contemptibilioribus exercitiis addictus, ingeniosa humilitate fastum et applausum publicum eludebat. In palatiis atque curiis magnatum, ubi maximi honores illi deferebantur, sæpe ita se gerebat, ut seria etiam in risum converteret, quo vilipendi mereretur. Vocatus urgentissimis litteris D. Joannæ Austriacæ filiæ imperatoris Caroli V et sororis regis catholici Philippi II, aulam adiit: ubi ab eadem principissa F pro suis confessionibus electus, constanti humilitate atque insufficientiæ suæ obtentu, solitudinem repetere difficulter obtinuit. Idem cum ipsomet augustissimo imperatore evenit, a quo licentiam discedendi, hac conditione obtinuit: Placeat majestati vestræ, ut in hoc negotio voluntas Dei fiat. Et ideo si ego non revertor, certo sibi persuadeat, voluntatem Dei esse, ut in hoc majestati vestræ non assentiar. Itaque cum Pedrosi super eodem negotio in oratione Deum consuleret, interius illuminante eodem intellexit, se non ad quærendos, sed fugiendos honores ad religionem vocatum, et ut pœnitentiæ rigores in solitudine amplecteretur. Unde ad imperatorem amplius non reversum, altiori id consilio adscriptum fuit; et postea ad majorem Dei gloriam servatum clarius eluxit.

Sibi vilissimus.

230 Iter faciebat quadam hyeme S. Petrus de Alcantara versus locum Verraco, cum nive coopertus cum sociis, in quodam diversorio noctem transigere cogeretur. At inhumana hospes nullum ex pauperibus lucrum expectans, excusabat se, quod

(1) Acta Canonizationis S. Petri de Alcantara et S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, a Dominico Capello collecta, p. 3.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

A quod lectos non haberet. Qua repulsa lætus Vir Dei, quod se indignum judicasset; sociorum tamen necessitati compatiens, mulierem alloquitur. Soror mea, audi; nos pauperculi sumus, quibus nec lecti conveniunt, nec iis indigemus; si propter amorem Dei ita tibi placuerit, hic prope ignem in terra decumbentes habitus nostros desiccabimus; aut si hoc displicet, conducas nos saltem ad stabulum, et nobis sufficiet. Quod cum blandienti similis, et voce et habitu submisso protulisset; confusa pudore mulier, perhumaniter eum cum sociis excepit; et proximo mane erroris culpam deprecata, illorum se orationibus devote commendavit. Postea vero ipsamet aliis humilem hanc S. Petri de Alcantara responsionem recensens, tantam omnibus virtutibus ejus existimationem impressit, ut quoties illac imposterum transiisset, conglobatim omnes ei occurrere, atque eum aut religiosos sui instituti hospitio recipere, studiose certarent. Nec minori studio apud Fratres suos vilis haberi S. Petrus satagebat, dum abjectioribus ministeriis applicatus, proprium arbitrium alieno sæpe submitteret, etiam in rebus gravioribus, quæ Reformationis regimen tangebant. In quocumque opere, instru-
B menta ineptiora, et difficiliorem partem sibi eligere; adire sylvam lignaque cædere, et propriis humeris ad conventum portare, pro confusionis exercitio sæpius amplectebatur. Hinc major illi a populis veneratio haberi, ut sequenti exemplo indicabitur. Nobilis quidam D. Didacus de Louisa ex comitibus del Arco, fama S. Petri de Alcantara excitus, ad conventum Pedrosi accedens, invenit illum effodiendæ atque transportandæ terræ pro conventus fabrica anxie occupatum. Ad cujus aspectum, quod Virum Hispaniæ percelebrem et toti imperatoris aulæ venerabilem, ad servilia demissum videret, confusus ac præ devotione in lacrymas diffluens, ad ejus se pedes elinguis prostravit. At S. Petrus virum insigni pietatis affectu suscipiens, primum spirituali colloquio, mox confessionis remedio ita consolatum remisit, ut sæpe postea confiteretur, se ex humilitatis S. Patris recordatione maximum culpas suas deflendi stimulum habuisse. Dum provincialis aut commissarii munere eminebat, viliora conventus officia tractare non dedignabatur; sed reliquos in omnibus præveniens, ad se tamquam omnium ministrum ea pertinere asserebat. Honoribus sibi a Fratribus
C delatis profundiori humilitate occurrere solitus, persuadebat singulis majoris meriti esse, cum indignum se quis honore cognosceret, eumdem confusionis loco admittere. Aliquando infirmitate gravissima laborans, jumento vehebatur cum socio pedestri, qui post longam laboriosamque viam ad ascensum cujusdam montis acclivi de sua lassitudine ac Patris commoditate tacite murmurabat. At S. Petrus secreta socii divina revelatione cognoscens, jumento statim se demittit, eique dulcissimis verbis ad conscendendum vim facit. Ad quam erubescens religiosus culpam susurri sui deprecatus, post longum humilitatis certamen, amoris Dei obtestatione equitare constringitur; sequente non sine gravissimo labore S. Petro, cui licet morbus et ætas corporis pondus gravarent, humilitatis tamen spiritus vires animi augere videbatur.

Paupertas.

231 Institutum præcipuum, quod sibi rigidius renovandum S. Petrus mente præfixerat, sanctæ paupertatis observantia erat; quam primus ejus fundator Franciscus in Ordinem suum strictissimam introduxerat. Unde sæpe Fratribus suis dicere consuevit, paupertatem Fratris Minoris ita egentem esse debere, ut etiam aliquid relinquat ex necessario. Eamdem non suis modo religiosis pro hæreditate sacratius commendavit, cum fabricas conventuum ad strictiorem formam ædificari, eorumque claves patronis quotannis resignari præcepit; verum etiam sanctæ illi fundatrici Teresiæ in suo Carmelitano instituto adeo fideliter persuasit, ut etiam post mortem eidem apparens, priora monita de Providentiæ divinæ fiducia repetendo tamquam negligenti exprobraret. Cella quam incolebat (prædicta Sancta describente) atque adhuc Pedrosi existens, longitudinem pedum habet quatuor et medii, latitudinem trium; altitudinem, quæ erectum non admitteret, et extensum non caperet. Huic supellectile petra, sedile aut stratum præstabat; crucis imago ornamentum; lignum parieti immissum cervical; breviarium antiquum bibliothecam. Religiosis suis nulla prorsus curiosa, nec sacra quidem permisit, præter crucem ligneam et librum spiritualem; quibus pro confessoribus Summam, pro prædicatoribus Bibliam adjungebat. Et ut huic nuditatis exercitio perfectus assuesceret, repetebat sæpius evangelicam sententiam: « Ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum erit. » Addendo interdum, ut sibi non solum a cujuscumque rei terrenæ possessione, E
sed et desiderio diligenter custodirent, eo quod eadem plane infectus, facile etiam alios inficere posset. Tunica (qua induebatur) omnium vilissima erat; ita quod morti proximus, deteriorem (quam petebat) inveniri non posset. Novam numquam gestavit, sed laceram aut repetiatam, quæ nuditati obtegendæ sufficeret; cum corda grossa, mantello brevi, ac femoralibus; calceamenta nec infirmus etiam portabat, nisi dum aliquo casu offensum pedem curaret, dicendo tale ei solatium, dum male haberet, convenire; cætera paupertati adversari, quando necessitati non serviunt. Ex his, quæ vitæ sustentandæ necessaria erant, sibi deteriora semper capiebat tam quantitate, quam qualitate parcissima; et pro his tamquam mendicus ad portam, Fratribus gratias humillimas reddens Egere se interdum necessariis quoque summe lætabatur, cum dicere soleret, minime pauperem dici posse, cui etiam necessaria quandoque non desunt.

Exemplum singulare.

232 Dum officio commissarii generalis fungebatur, accidit semel eum a quodam Patre conspicuo Dominicani Ordinis, in conventu Pedrosi visitari. Erat autem illo accedente in remotiori F
horti parte occupatus S. Petrus de Alcantara, ut tunicam, quam solam gestare consuevit, ablueret; ideoque etiam (dum siccaretur) nudus expectabat, petræ insidens. Hoc modo eum repertum Dominicanus ignotum sibi percontatur: Pater, quomodo sic nudus hic stas? Cui ille: Et Christus quomodo stat in cruce? nec ulterius nisi ubi esset Pater Petrus de Alcantara inquisitus, seipsum esse demonstravit. Ad hæc obstupescere hospes, et velut tanti viri vilipendium indigne ferens, replicat: Pater, quomodo possibile est, quod vir tantæ authoritatis ita spoliatus habitu appareas? Ad quod S. Petrus manu tunicam ex arbore pendentem indicans, respondit: Pater, si quicquam in hoc culpæ est, eam potius Evangelio adscribe, quod nos unica tantum tunica contentos esse debere præscripsit. Quibus verbis compunctus religiosus majori cum admiratione, etiam lacrymas continere nequibat, cum tunicam adhuc madidam induere vidisset. Unde negotio (ad quod venerat) pertractato, tale semper judicium de S. Petro de Alcantara proferebat, se neminem umquam invenisse, qui Evangelium ad litteram melius quam ipse observaret. Eamdem paupertatem

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

pertatem in cæterarum rerum usu strictissimam observabat, ita ut in minimis etiam admirationi esset. Ad hujus sanctæ paupertatis studium frequentibus exhortationibus ultra exemplum, documenta salutaria Fratribus dabat: Filii, cavete vobis a quacumque re possidenda, immo desideranda; quia amorem destruit, qui soli Deo debetur, eique soli convenit, et integer redditur. Qui minus cupit, minimisque contentus est, Deo se similem facit, qui nullius eget, et omnia in seipso continet. Solliciti estote, sociam vestram habere necessitatem; quia paupertatem simplicem declarat, quæ necessariis etiam sponte renuntiat.

Virginalis puritas inter tentationes.

233 Vix usum rationis attigerat S. Petrus, cum puritatis affectione captus, pro ejusdem custodia divinum auxilium implorare, reginæ Virginum atque dilecti Discipuli intercessiones sollicitare, omnium studiorum intensissimum haberet. His statim alia adjungere: vini abstinentiam, jejunia, corporisque macerationes, quæ carnis stimulum comprimerent, præter mulierum fugam, oculorumque admirandam mortificationem. Eadem postea in religione constitutus, majori diligentia repetebat; ita quod fœdissimis suggestionibus a B dæmonio sæpe tentatus (Deo permittente virtutem ejus probari) post longum certamen carnis et spiritus, tandem victor gloriosus evaserit. Hinc quadam die, qua acrius se carnis stimulis fœdisque cogitationibus vexari sentiebat; coram crucifixi imagine prostratus, earum sibi tentationem auferri lacrymando precabatur. Inter orandum vero hæc etiam dicere audiebatur: Quomodo Deus meus, corpus tuum virginale tot cruciatuum doloribus angitur, et ego in meo voluptates et oblectamenta permittam? Quomodo fieri potest, ut eum offendam, qui suum mihi amorem dedit, et suæ puritatis reddidit participem? O dæmon, nequaquam hoc erit; nimis me video a Deo meo amatum, qui pluris mihi erit, quam omnia solatia aut delectabilia mundi. Ad quæ verba, ex cordis intimo singulari pietatis affectu prolata, evanescere cogitationes obscœnas, animam suam serenitate gaudere, et inimicum recedere, ut insolentior rediret, eodem momento observatum fuit. Alia quoque vice cellæ inclusus, vehementi carnis tentatione, cogitationum impuritate cor animumque sibi accendi advertit. Cui licet animose prius orando restitisset; tamen perseveranti majus injiC cere frænum generose concludit. Itaque tunica spoliatus, flagris sævissimis corpus castigat, et cum sanguinem copiose elicuisset, orabat Redemptorem, ut sui memor phantasmata importuna deleret. Sed qui Servo suo triumphos præparabat, permisit vehementius libidinis incendium membra ejus pervagare; usque dum pro eo extinguendo S. Petrus de Alcantara rigidissimæ hyemis frigori se exponere, mox stagno propinquo totum se immergere, tamquam expeditius remedium excogitasset. Tali sæpe modo, aliisque ab antiquioribus sanctis usitatis petulantiam carnis sollicite refrænabat; licet ex quorumdam violentia vehementes illos stomachi dolores, quos senectute provectior patiebatur, contraxisse judicetur. (*Vide Comm. præv., n.* 8.)

Stupenda sensuum custodia.

234 His velut spinis cum rosam puritatis suæ armasset, oculorum quoque auriumque custodia eamdem obserabat: nam sicut quascumque utriusque sensus offensiones diligentissime fugiebat, ita oculorum usum, non modo a mulierum aspectu, verum etiam a quocumque etiam delectabili avertendi consuetudine, vix non amiserat. Firmiter memoriæ suæ Spiritus sancti monitum illud impresserat ex Ecclesiast. cap. XLII: « Omni homini D » noli intendere in specie, et in medio mulierum » noli commorari. De vestimentis enim procedit » tinea, et a muliere iniquitas viri. » Ideoque numquam aut charitatis aut necessitatis quacumque occasione mulieres alloquens, in alicujus faciem oculos figebat; ita quod Avilæ illustri cuidam mulieri sibi de infirmitate conquerenti, sincere sic responderit: O Domina, numquam vos in meliori sanitatis statu vidi, quam nunc. Ex quo ipsa intelligere facile potuit, numquam illum se aspexisse, quamvis sæpissime fuisset alloquutus. Eamdem cautelam in Fratribus suis attente zelabat, dum juniores licentius oculos attollentes, etiam in publico libere corriperet; seniores seria admonitione modeste argueret, omnes fideliter tali doctrina instrueret: Non confidat quisquam sibimetipsi, dicendo sufficere cor bene custoditum habere; quia tam ingeniosa est carnis petulantia ad nos decipiendum, ut contra quamcumque virtutem, qua quis polleat, ipsa audentior insurgat ad fallendum eum, qui magis se prudentem ac spiritualem esse præsumit, nisi intus vigilet, et foris se custodiat. Hac nimirum doctrina pretiosum animæ nostræ thesaurum, in vasis fictilibus por- E tandum omni præsidio munitum voluit; ita quod toto vitæ decursu semper ipsi vigiles posuerit, maximeque diffideret ne carnis insidiis impetitus facile succumberet. Hinc jam morti proximus, cum habitu spoliari et ultimum agonem inire nudus voluisset; quidam ex religiosis circumstantibus applicato habitu, ut se operiri permitteret, admonuit. Ad quem S. Petrus de Alcantara: Recede fili, ne me operias; adhuc enim in periculo versor. Prudenti monito indicans, etiam ultimo vitæ certamini a carnis illecebris timendum esse; quanto magis dum illa adhuc vegetior, integras contra nos vires explicare intentat.

Pœnitentia admirabilis.

235 Corporis castigatio, quæ S. Petro familiaris, veterum anachoretarum exempla non renovavit solum, sed et auxit; vere titulum Portenti Pœnitentiæ illi acquisivit. Cui ut magna laus a pœnarum varietate, quam excogitabat; ita non minor commendatio a secreti humilitate, qua eamdem occultare laborabat. Nam si ex his (quæ oculis hominum subtrahi non poterant) cætera, quæ in abscondito peragebat, æstimare contingat; non immerito dubitari posset, an spiritus naturam F immutarit, ut insensibilis esset; aut natura exuerit humanitatem, cum crudelitatem in religionem vertit. Prioris testimonium sanctæ virginis Teresiæ fides confirmat; cui soli, ut in devotionis incœpto animaret, pœnitentiæ suæ rigores facilitate excusabat. Alterius fidem ea, quæ hic strictim annotantur, ex toto ejus vitæ discursu notiora sincerius præstabunt; dum cætera, quæ intimorum notitiæ subtraxit, in Beatorum conspectu pretiosa æstimaverimus. Imprimis abstinentiæ rigorem non certis temporibus, ut in multis sanctis, distinctum; sed multorum annorum continuatione strictissimum servavit. Pane solum vulgari et duro contentus, lautitiarum loco diebus festis herbas et legumina sine condimento addebat, dicens: Superfluum id esse et vanum, quod gulæ magis quam naturæ serviret: etiam tormenti causa cineres aut aquam frigidam aspergens. Interdum absynthii aliarumque herbarum amaritudine saporem distemperabat, ut gustus varietate pœnarum tortus, etiam non uni soli assuesceret: idque tam exacte observare visus, ut huic sensui quotidie nova stratagemata opponeret, qui omnibus potentiis irreconciliabile bellum jam dudum indixerat. Tribus annis continuis panem

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

A nem tantum durissimum et aquam non ad satietatem capiebat; nec a Fratribus etiam rogatus, propter dolorem stomachi umquam admittens. De levissimo illo sustentamento, corpus suum ad rationes sæpe revocabat, ne in Dei servitio torpesceret : dicebat enim panem illum non hæreditate paterna, sed pietate fidelium comparatum, oratione ac operibus bonis exsolvendum esse. Sæpe tertium vel etiam octavum diem jejunus transigebat; ut merito a sancta Teresia observatum fuerit, id tunc contigisse præcipue, cum in contemplatione cœlestis Spiritus (superno cibo plenus) infirmitatis corporis oblivisceretur. Somni quietem ac refrigerium tamquam dimidium naturæ alimentum, non minus quam cibi, adeo mirabiliter a se S. Petrus arcebat, ut si in uno variis ingenii modis palato illuserit, in altero tortoris instar, singula membra æquuleo addixisse videatur. Unde cum perpetuis vigiliis noctes insomnes peragens, sociorum querelas eliciebat, quod naturam destrueret, prompte iis respondere non dubitabat : se ideo somnum excutere, quod illum magis quam mortem ipsam abhorreret. Nec sine causa : dum ille sufficiens esset animam a divina præsentia B separare, quam hæc cum Deo felicius conjungit. Itaque per quadraginta annos tot laboribus, itineribus atque curis defatigatus, numquam toto hoc tempore ultra horam et dimidiam somno indulsisse deprænhensus fuit. Ex quo sicut hoc pœnitentiæ genus difficillimum, ita a principio assuescere, omnium studiorum laboriosissimum habuisse; ipsius confessione sanctæ virgini Teresiæ facta manifestius constitit. Itaque numquam misi erectus, aut genuflexus consistere, et si somnus obreperet, pondus capitis ligno parieti infixo furtim acclinabat, dum inimicum fugaret. Numquam membra extensa quieti dabat ; quia nec cellæ angustia virum statura procerum integrum caperet, nec strati commoditas, nisi corticem infirmo ac sedenti ministraret. Eumdem rigorem extra proprios conventus apud sæculares transeundo præcise servabat; dum vel orare genuflexus, vel eodem habitu dormitare, semper vigil inventus, omnibus admirationi esset. (*Ante cubitum solitus etiam erat sibi ipse velut mortuo Psalmum* De Profundis *recitare*).

Cruciatus, quos sibi infligebat.

236 Cæteros cruciatus, quos martyribus tyrannorum manus inferre solent, eos S. Petri de Alcantara solertia suo corpori, non sine aliqua marC tyrii comparatione adhibuit. Ita quod non solum martyrii prompta voluntas, sed et quadraginta septem annorum incredibilis maceratio suadere facile posset, cum in perpetua pœnarum tolerantia longiori martyrio vitam consumpsisse. Hinc disciplinæ seu flagellationes quotidianæ, quas bis noctu usque ad sanguinis effusionem protrahebat; in ipso crudelitatem in religionem vertisse, in aliis carnificinam non pietatis exercitium existimari potuisse, judicare licebit. Hæ quoque asperiores fiebant flagrorum varietate, quæ aut nodosis funibus compacta, aut urticarum manipulis urentia, aut aculeatis catenis pungentia integram ejus carnem tam dolore macerabant, quam vulneribus misere dilaniabant (*ita ut ad eorum strepitum cæteri expergefacti horrescerent*). Caput numquam ob divinæ præsentiæ reverentiam tegere solitus, aut solis æstu adustum, aut vulneribus afflictum vix non semper sauciatum habebat : spiritus namque impetus, qui in extasi sensus suspendebat, sæpius eum ad superius portarum limen impingere, raro plagas vel ulcera curare compellebat. Ipsæ nives, quæ capiti quandoque incidebant, liquefactæ per interiora caputii ad cætera membra diffluebant; interdum crines ac supercilia frigore congelabant, ut evellere necessum esset. Neque his cruciatibus corpus suum affligere remisit, aut aliquando foveri sodalium etiam precibus concessit, quibus subinde respondebat : Fratres, jam cum corpore meo conveni, quod dum in hoc mundo vixero, pati non cessabit : at cum in cœlum pervenero, æternam ei requiem permittam. Pedum operimentum simile capitis erat, ideoque nudis plantis incedens, aut spinarum aut tribulorum offendiculis quotidie sauciabatur ; quibus terram applicans, hanc sufficere dicebat, ne unguenta admitteret. Cilicium (quod cingebat, tam horridum aspectu, quam tactu asperum) continuam plagarum Christi memoriam renovabat; dum S. Petri de Alcantara mens ejusdem imagine occupata, corpori toti compuncto aculeis, dilacerato flagellis, nihil integri aut sani relinqueret. Nec minus habitus pilis hirsutus, aliud tormentum addebat; cum nuditati tegendæ tantum, non frigori arcendo sufficeret, etiam pellem et ulcera refricabat. (*Bractea illa ferrea, quam sibi nudo corpori apposuit et annos viginti gestavit, cum carne ita compacta exstitit, ut ab ea evelli post obitum neque potuerit* (1)). E

Alia pœnitentiæ opera.

237 Præfatos rigores amplectebatur S. Petrus de Alcantara Spiritus sancti documentis persuasus, qui in sacro eloquio asperum Eliæ habitum, in Evangelio a Redemptore Christo Baptistæ rigores encomiis celebratos optime noverat. Hinc non minori ingenio quam assiduitate corpori suo novos cruciatus meditari, non tam ut deliciis non insolesceret, aut animæ amore divino præoccupatæ obediret; quam ut ejusdem amoris exercitio corporis passiones conformaret. In hoc enim se vocatum indicabat, ex apostolico illo documento, « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens » exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » Ideo quoque ut internum ignem securius foveret, externos pœnitentiæ cineres diligentius apponebat; majoribus, quos narravimus, alios quoque addendo. Sicut nudus semper Christum sequebatur, habitum et femoralia (quæ lacera, et aspera gestabat) lavare solitus, ea vixdum desiccata ad aerem, statim membris imponebat, quamvis media hyeme frigore obriguissent. Interdum cellam ingressus, ut requiem caperet, corpus suum de F nimio commodo increpabat. Ideoque mantellum deponens, medius inter portam et fenestram, aeris inclementiam ingeniculatus suscipiebat, usque dum totus quasi obduruisset; dein utramque claudens eidem corpori illudebat, dicens : Valde tibi nunc indulgeo; quare conquereris ? Et post modicum, mantellum assumens : Bene tibi nunc est, inquit; satis commode in oratione perseverare potes. Et sic in exercitio persistens, non quieti sed tormento potius corpus addixisse etiam per jocum videbatur. Interdum flamma interiori ardens, in hortum egrediens habitum deponebat, ut frigori se exponeret ; aut piscinæ congelatæ se immergebat, unde sine interni incendii virtute, illæsus exire impossibile videbatur. Nonnumquam in cella per fenestram cœlum aspiciens, in contemplatione cœlestium deliciarum frigoris, nivium imbriumque injurias longo temporis spatio aspernabatur; ita quod ex tot passionum rigoribus, etiam stomachi acutissimi dolores, usque ad vitæ extremum servum Dei continuo afflixerint. Admi-

rabantur

(1) Annal. Minorum, t. XIX. p. 352.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

rabantur autem maxime omnes, illum tam rigidas pœnas cæterarum virtutum praxi adjungere potuisse, dum patientiam, mansuetudinem, humilitatem, paupertatem, castitatem, integramque sensuum omnium mortificationem tam perfecte observasset. Quapropter ne tot tormenta temeritatis aut imprudentiæ humanæ argui possent, voluit Deus ea divino instinctu assumpta fuisse declarare. Et ut cognosceret mundus divinæ quantum gratiæ virtus valeat in his, qui S. Petri exemplum sequendo eamdem adipisci conantur, mire Servo suo vitam per annos quadraginta septem conservavit, in qua cæteris ejus heroicis virtutibus hanc rigidissimæ pœnitentiæ gloriam superadditam miramur; ideoque felicem ipse vocabat, quia Spiritus sancti suggestione susceptam, altissimum præmium adeptam fuisse observamus. Audire licet ex integro fidelem S. Petri de Alcantara testem sanctam Teresiam, cujus in capitulo 27 ejus Vitæ hæc sunt verba; postquam temporum calamitates, imitatorumque Christi paucitatem deploravit. (*Cum verba illa alibi, Commentario nempe præv. § 1 retulerimus, opus non est hic repetere*).

Donum orationis.

238 Cum ex diversis, contrariisque partibus hominis natura consistat, quarum una concupiscit adversus aliam; viri sapientis officium est, intestinum corporis et animæ bellum sedare, suosque cuilibet motus divinæ voluntati conformes accommodare. Unde non mirum si sanctus Petrus de Alcantara exemplar rarissimæ pœnitentiæ factus, simul altissimæ contemplationis exercitio claruerit; ut quantum deprimebat corpus jejuniis, tantum erigeret spiritum orationibus; utque non minus elevationem Christi imitaretur in anima, quam mortificationem circumferebat in membris. Unde et quando B. Patris oratio incœperit, non facile dixerim. Paternæ domus oratorium, locus tirocinii ejus et magisterii fuit. Cum adhuc in puerilibus sexennii temporibus, non nisi exercitatis orationis sanctæ militibus concedi solitos, raptus experiretur. At vero post religionis ingressum sancto seraphici Patris indutus habitu, cum eo duplicem ejus pœnitentiæ et contemplationis spiritum hæreditavit; non gradatim, non successive, sed unica et abundanti infusione communicatum. Quamobrem summa istius elevatio ex fructibus ejus cognoscetur. Anima sanctæ unionis orationem attingens, et omnino a sensibilibus rebus avulsa, quæ clauso cordis sui ostio intus cum Deo conversatur, et totaliter quietata Deum sibi loquentem audit, vacua esse non potest; sed donis cœlestibus sapientiæ et intellectus decorata, nitidiori quam fidei ordinariæ oculo veritates altissimas Trinitatis, Incarnationis, aliorumque mysteriorum percipere debet. Unde extaticus sancti Patris Francisci socius Ægidius, supernæ contemplationis luce perfusus, tanta se evidentia christianæ doctrinæ arcana cognoscere dictitabat, ut sibi a Deo fidem certo modo ereptam, eique claritatem fuisse substitutam affirmaret. Hæc est illa scientia sanctorum, quam Deus amicis suis communicat: « Ego sum, inquit ipse, qui doceo hominem scientiam, et clariorem intelligentiam parvulis tribuo, quam ab homine possit doceri; cui ego loquor, cito sapiens erit. » Quare cum divina veritas S. Petrum de Alcantara tam crebro in solitudinem duxerit, ut loqueretur ad cor ejus, ipsum sane cœlesti intelligentia replevit. Hæc est illa claritudo, quæ tam suaviter intellectum ejus in fide mysteriorum firmaverat ac stabilierat, ut se millies vita privari potius elegisset, quam si parumper in rerum cœlestium fide titubasset. Inde convicta divinæ præsentiæ mens, tantam ipsius reverentiam imbuerat, ut numquam caput operuerit coram Domino, quem sibi semper præsentem appræhendebat. Peculiari in mysterium Incarnationis affectu ferebatur, quippe qui noverat, quantæ dignitatis opus existeret; nec poterat suavem illum ac mellifluum Evangelii textum (*Verbum caro factum est*) aut lingua exprimere, vel aure percipere, sive mente revolvere, quin statim a terra elevatus in profundas extases raperetur. Invitabat persæpe omnes creaturas ad laudem Creatoris; et dum in pulpitis versaretur, magno mentis affectu Incarnationis Dominicæ mysterium usque ad sui extasim commendabat. Erant illi sanctæ orationis fructus, ex qua effluebat amor seraphicus, quo velut igne succensus, aliorum quoque mentes accendebat; ex illo etiam sacro fonte hauserat sacræ Scripturæ et theologicarum quæstionum miram intelligentiam, casuum conscientiæ difficillimorum enodationem; vitæ ac viæ spiritualis notitiam, quam cum non librorum studio comparasset, fallebat non raro superbos hominum doctores, qui nihil in Viro Dei præter humilitatem et sanctam simplicitatem præsumentes, scientiam mirabilem non sine stupore deprehendebant. Denique ut quantum sanctissimæ Trinitatis mysterii excellentiam cognoverit, quantumque dilexerit, notefieret, impletum est, quod Christus diligentibus se promisit: « Si quis diligit me, Pater meus diliget eum et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Morienti quippe adstitit Pater cum Filio et Spiritu sancto, et mansionem apud eum facturus in cœlestem patriam secum perduxit.

Raptus alii externe manifestati;

239 Cum autem S. Petrus de Alcantara, vir omnium virtutum extiterit, fuit et omnium orationum. Accessit ad illam summam unionem mira ejusdem corporis elevatio. Nec mirum: quippe cum anima dono liberalissimi Dei velut cœlestibus pluviis irrigata, in passiva cœlestium motionum receptione consistit; succedunt raptus et extases, succedit illa mirabilis per aera transportatio, qua corpus (grave licet) animæ ferventis motibus rapitur. Operarius tanti effectus est misericors Dominus, qui hujusmodi gratiam non solet, nisi viris summe contemplativis concedere. Dedit eam sanctæ Teresiæ, et largitus est sancto Petro de Alcantara; ita ut orans in choro et in Dei contemplatione absorptus, usque ad laquearia spiritus ardore ferretur. Sæpe ad radices arborum genuflexus, supremos ramos velut avis volando attingere videbatur; aliquando ab horto ad ecclesiam subito impetu per aera ducebatur. Si quis de Deo sermonem coram ipso agebat, dabat novis excessibus mentis occasionem; sæpe coram cruce lignea orans, brachiis in modum crucis extensis, multum supra terram evectus, omnium transeuntium et pastorum admirationem movebat. Super omnes autem raptus is singulari prærogativa notandus, quo obstupescentibus quibusdam religiosis Pedrosi existens, dum crucem in horto a se erectam devotis oculis respiceret, divini amoris fervore accensus sursum ferri, in aere coram ipsa cruce suspendi, lucidissimos ex oculis radios emittere et in crucem vibratos, ab ipsa miraculi reflexione in Sanctum redire, candidissima nube radios solis imitante caput ipsius circumdari, totamque splendore viciniam illustrari, resoluta tandem nubicula Vir Dei ad se reversus, modesta et hilari compositione in cellam suam se recipere visus est. Ne autem exteriori apparentia in periculum superbiæ veniret, rogabat enixe Dominum, ut sibi externos illos favores subtraheret, nec nisi cum

magna

A magna confusione præsentiam hominum in tam insignibus donis patiebatur. Sunt equidem juxta sanctorum doctrinam periculosi ejusmodi raptus animæ in perfecta humilitate non solidatæ, et solet aliquando hac fraude suos decipere pater mendacii; sed si raptus a Deo est, generat in mente humilitatem et supremæ potentiæ reverentiam, parit filialem timorem et ex illo amorem producit. Præterea animam a rebus terrestribus separat; videt in illis excessibus humana mens quam parum, immo quam nihilum sit terrena substantia; totam se Dei voluntati assimilat, nihil præter Dominum optat. Ecce purissimi raptus vestigia, quæ quia in sancto Petro de Alcantara ex totius vitæ decursu claruisse patet; non est dubium, quin ab unione maxima processerint.

alii mere interni.

240 Sunt alia raptus et extasis genera, quæ tanto meliora sunt, quanto tutiora. Postquam enim anima orationis lumine illustrata, omnia mundi bona esse dolorem et afflictionem spiritus novit; ad perfectam sponsi sui fruitionem summo ardore mentis anhelat. Unde ut illud sacrum sponsalitium ac mysticum fœdus concludatur in terra, sequuntur extases et quasi animæ liquefactiones; B quia tantæ majestati vicina, vitam sensualem vivere respuit, ex quo in summi boni contemplatione omnes potentiæ suspenduntur; et impletur, quod de se sponsa narrat in Canticis: « Amore langueo; » vel quod Apostolus gentium doctor dicit: « Cupio » dissolvi, et esse cum Christo. » Hinc oriuntur extases illæ, quas magistra mysticorum Teresia volatum spiritus vocat, in quo tam velociter, tamque fortiter motus repentinus sentitur, ut raptus extra carnem appareat spiritus, et timorem mortis incutiat; illi autem resisti non potest, et anima quasi palea a succino attrahitur, quæ cum ad sponsi sui amplexus pervenisse confidit, videtque se corpori alligatam, concipit vitæ præsentis fastidium, et ab illo carnis exilio liberari quamcitius optat. Illud summæ unionis genus S. Petro de Alcantara fuisse concessum non dubitabit, qui vitæ illius historiam revolvet; ex qua vel unicum efficax argumentum decerpsisse sufficiat. Cum aliquando graviter infirmaretur, auditus est in extraordinarium strepitum prorumpere, et inventus est in violentam non corporis, sed animæ dulcem extasim raptus, in qua mortuo similis, tota nocte remansit; qui ad se reversus, respondit infirmario de morte ipsius C prius suspicanti: Non ita est, vivus sum per gratiam Dei, et multa consolatione repletus. In aulis principum existens, non minus quam in eremitoriis intima Dei communicatione fruebatur. Testis est sancta Teresia, quæ de Viro Dei sibi optime noto hæc dicit in cap. 27 ejus Vitæ: « Raptus amoris » divini frequentes et validos experiebatur, quo» rum ego unum semel vidi; mihique a socio ejus » narratum est, per octo dies cibis abstinere solitum » esse; per quos sine dubio continuæ contempla» tioni vacabat. » Cum per hortos, per sylvas, in ipsisque conviviis aliquid humanis oculis gratum aspiceret, erigebat ad Deum oculos mentis et in ejus amorem (cum quo est pulchritudo agri, et sincera voluptas) accendebatur. Cum apertum cœlum nocte respiceret stellis lucentibus plenum, aut die solis splendore fulgens; dies ei eructabat verbum laudis divinæ, et nox ori ejus indicabat benedictionem. Quas extases motusque viri et mulieres fide dignissimi, et præcipue episcopus Cauriensis frequenter notavit. Egressis enim simul in sylvam præsule et sancto Patre, tactus ex objectu speluncæ arboribus consitæ S. Petrus, illuc se orando recepit, nec usque ad sequentem diem recedere ab episcopo visus est. Cum aliquando de omnipotentiæ divinæ dispositione mirabili in plantis herbisque manifestata discurrerent, captus extasi Sanctus, humanam conversationem interrupit, ut totus se daret divinæ. Uno verbo in quocumque loco existeret, semper abstractus, semper Deo unitus, et in contemplatione absorptus videbatur. Sæpe auditus est post redditam sibi linguæ facultatem, finita extasi, divinam bonitatem sollicitare, ut corporis sibi vincula disrumperet et eum de carnis ergastulo liberaret. Sed quia ad illam perfectissimam Dei unionem (quam sancta Teresia septimam, supremam mansionem vocat), pervenerat, in qua anima proprii commodi oblita, ita esse vult cum Christo, ut vitam ulterius sibi prorogari, et exilium sibi longius extendi patiatur pro ejusdem Christi honore; ideo Vir sanctus, velut alter Martinus, cum anima ad centrum pergeret, novis se laboribus pro dilecti sui gloria et gregis utilitate offerebat.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Sine intermissione orabat.

241 Si quis autem a me peteret, quibus horis, locisque sanctæ orationi intendebat? dicerem, quod quasi ad litteram Evangelii consilium secutus, semper orabat, et numquam deficiebat. Non enim illud exercitium destinatis temporibus distinguere E noverat, sed omnem horam et locum aptum elevationi mentis in Deum inveniebat; tamen cum paululum animam a curis exterioribus suspenderat, quærebat loca remota et in solitariis conventibus habitabat, et in abdito sylvarum, aut rupium secessu divinæ potestatis opera contemplabatur. Sæpe observatus est incœptam sero orationem non interrumpere, donec oculos ejus radii solis surgentis (velut Antonii Magni) percuterent; quibus non raro a tam sancto colloquio non impediebatur. Solebat post Matutinum in choro ad Primam usque perseverare; uno verbo quidquid hominum conversationibus, quidquid cibo comedendo subtrahebat, totum orando consumebat; unde exiens aliam præsentiæ divinæ et cœlestium aspirationum viam incipiebat. Nec silentio prætereundum est, per quadraginta annorum spatium unam et semihoram noctis somno, reliquum tempus indulsisse contemplationi. Ex quo sanctæ orationis amore factum est, ut unam ex præcipuis novæ Reformationis legem imposuerit, quod scilicet quotidie tres horæ sacro illi exercitio a Fratribus suis impenderentur.

De stupendo quodam orationis genere.

F 242 Enituit insuper in amico Dei alius sanctæ contemplationis effectus, quem abscondit Deus sapientibus et revelavit parvulis; ideoque ab hominibus humana sapientia plenis plerumque stultitia vocatur. Unde quanto sæcularibus ingeniis minus est cognitum, tanto a sanctis creditur excellentius Dei donum. Hæc est illa stultitia, quam S. Teresia Sororibus suis dari cupiebat; hæ sunt illæ puræ mentis jubilationes, quas Deus animabus sibi fidelibus elargitur. Cum enim sponsus earum Dominus, pœnis interioribus oppressas videt, eis arrhas futuri gaudii mittit, mira dispositione dulcia et amara contemperans. Fit autem hujusmodi jubilationis, et clamoris excessus; cum non obstante intima potentiarum unione a Deo satis liberæ relinquuntur, ut hanc interiorem lætitiam pandant; immo et ipsi sensus gaudent, et tamen quodam modo, et de quo lætentur, ignorant. Et hæc est ita excessiva mentis jubilatio, ut anima nolit gaudere sola, sed omnibus sui gaudii excessum profert; ut ab omnibus adjuvetur in laudem sponsi sui promendam, ad quem totus ejus affectus tenditur. Sic autem agitata mens nullo modo dubitat motionem sibi esse divinitus impressam. Talis

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Talis erat spiritualis sancti Petri lætitia de quo ait S. Teresia : « Cognosco nominatum Petrum de » Alcantara, quem existimo sanctum esse propter » modum vitæ ejus, quod idem agebat; et qui ali- » quando eum audierunt, stultum reputabant. » O sorores, quam bona stultitia ! Utinam Deus eam » omnibus nobis concederet ! » Enimvero sæpe notatum est, quod cum in conventibus remotis exstaret, in eremum solum exibat, ut ignem divini amoris eventilaret. Audiebatur in magnos clamores prorumpere, mox creaturas omnes ad laudem Creatoris invitare.

Visiones et revelationes.

243 Veniam autem ad visiones et revelationes Viri sancti. Exercebatur frequenter ariditatibus cordis et magnis animæ mœroribus; carebat aliquando gustu et suavitate; subtrahebat ei Deus dulcedines, et felle passionis suæ potabat eum. Sed qui consolatur humiles, ipsum consolabatur crebris sanctissimæ Christi humanitatis et Sanctorum apparitionibus, eorum, quibus a Deo monstratæ sunt, relatione confirmatis; distincta enim tot gratiarum notitia in summa ipsius humilitate absorpta esset, nisi Deus aliorum linguis eas manifestasset. Utebatur ille suo et divi Bernardi con-
B silio, quod viri spiritualis est in cella sua scribere: « Secretum meum mihi, secretum meum mihi. » Linguam autem et oculos sanctæ Teresiæ substituit, quæ dum cordis sui mœrores et siccitates immensa cœlestium apparitionum profusione sanatas, Viro Dei narraret : « Dum ego, » inquit illa, « de » mea vita, deque meo orationis modo cum quanta » potui claritate discurrerem; ab initio cognovi, » quod ille mea verba per experientiam conci- » piebat. » Cumque aliquos insignes favores, et Christi Domini, sanctissimæ Matris et Sanctorum visiones exponeret, subjungit : « Opus erat eadem » via exercitatum fuisse, ut me intelligeret, et quid » de præfatis visionibus deberem credere, declara- » ret. » Conjectura equidem vera, sed visu deinde firmata; cum eadem Sancta non semel Dei servum cœlestibus apparitionibus et ministeriis honoratum perspexerit. Ex quibus sanctæ Teresiæ verbis aliud colligitur, quod non parum Sancti nostri excellentem sapientiam commendat; directio scilicet animarum spiritualis vitæ sequacium. Felices fuere illæ animæ, quibus contigit tanti Viri directioni subesse. Felix ipsamet sancta Teresia, quæ cum variis opinionum fluctibus agitaretur, a sancto
C Patre directa, et de suæ viæ securitate monita est. Cum enim frequentes Christi Salvatoris et Sanctorum apparitiones ipsi non parvum gignerent illusionis et deceptionis metum : cum ex una parte ab intimo conscientiæ suæ directore Christo, de veritate cœlestis visionis certa redderetur; tamen suæ tenuitatis conscia et confessorum suorum, piorum Virorum, dictis perterrita, angustias maximas patiebatur. Consulebat frequenter doctissimos viros; sed eorum scientia ad spiritus discretionem, quæ donum Dei est, pervenire non poterat. Quid faciet sponsa Christi ? « Placuit » (inquit ipsa cap. xxx ejus Vitæ) « Domino ex majori parte et modo toti » sollicitudini meæ subvenire, mittendo in terram » istam, benedictum Fratrem Petrum de Alcantara; » iste Vir sanctus circa ista omnia mihi claritatem » dedit et singula declaravit; dixitque ne sollicita » essem, sed laudarem Deum, et certissima rema- » nerem illum esse Spiritum Dei, et excepta fide » nihil eo verius esse, nec me aliud certius credere » debere. Reliquit me in multa consolatione et » satisfactione; et effecit, ut secure orationi vaca- » rem, nec dubitarem omnia a Spiritu Dei proce- » dere. » Pater Ludovicus Granatensis Ordinis Prædicatorum, pietate et doctrina notissimus, D
hærebat dubius ad quid divina electione vocaretur; consuluit epistola sanctum Petrum de Alcantara, qui respondens asseruit eum Deo placiturum, si scribendis piis operibus se daret; cui consilio adhærens Ludovicus, scriptorum suorum fructu Ecclesiam mire decoravit. (*Vide Commentarii prævii, numm.* 77 *et* 81, *ubi de hoc S.* Petri *consilio diximus*).

Hinc animas præclare dirigebat.

244 Famosissima est directio multarum animarum, a Viro prudenti ad apicem perfectionis ductarum. Sed est imprimis celebre ejus, quo illustrissimum episcopum Cauriensem S. Francisci Discalceatorum habitum induere volentem admonuit, ut in pastorali sollicitudine suas oves pasceret exemplis et verbis; cui acquiescens episcopus pie vitam duxit et feliciter terminavit. Omitto Maldonatam nobilis matronæ filiam, quæ persuasibilibus divinæ sapientiæ verbis ab ore Sancti manantibus, sub ipsius magisterio usque ad divinas illustrationes et visiones in oratione profecit. Fallaciam sathanæ viri secundum carnem prudentes existimabant, et in ipsum S. Petrum deceptionis culpam refundebant. Timebat juvenis et simplex virgo; solus S. Petrus (quem usus capacem, quem E
Spiritus sancti unctio doctum effecerat) quidquid in ea agebatur, Deo tribui debere affirmavit; et veritas miraculosa vita et morte Maldonatæ comprobata est.

Divini favores pariunt humilitatem et sui abnegationem.

245 Solent etiam divini favores, animæ contemplativæ collati, humilitatem parere; scientia secularis inflat, scientia sanctorum humiliat, ex quo in suo Orationis libro docet idem Sanctus, quod « qui » scire volet, quantum in oratione profecerit, vi- » deat quot gradus internæ et externæ humilitatis » singulis diebus acquirat. » Quo consilio optime usus omnem orationis suæ fructum sæpe in humilitate collocabat. Sic a Carolo V, enixe ad confessiones ipsius audiendas rogatus, sanctæ orationis auxilio (qua se ad solitudinem, pœnitentiam et mundi despectionem vocatum agnovit) tanti officii dignitatem et factum recusavit. Est aliud signum elevatæ orationis evidentissimum; ut qui spiritu vivunt, spiritu ambulent et carnis desideria non perficiant. Ita docuit S. Petrus de Alcantara verbo, et monstravit exemplo : « Si quis » (inquit in mirabili suo Orationis tractatu Part. II, cap. V) « scire » desiderat, quos fructus ex oratione perceperit, » attendat quantum interius et exterius in humi- F
» litate quotidie proficiat; quemadmodum injurias » toleret, necessitati proximi succurrat, ejusque » defectibus compatiatur; quantum tribulatus spe- » ret in Deo, linguam refrænet, cor custodiat, car- » nem cum sensuum appetitibus domet, qualem se » in adversis et in prosperis exhibeat; provideat » rebus omnibus cum gravitate, et discretione, et » super omnia perspiciat, an in se mortuus fuerit » amor honoris, deliciarum et mundi, et juxta » factum in istis progressum, non secundum gu- » stus, quos sensit, se judicet; ideoque supra se » intentum semper oculum gerat, et principalem » mortificationi applicet, alterum orationi; mor- » tificatio namque sine illius adjutorio, perfecte » acquiri non potest. » Hæc autem documenta quid sunt, nisi ipsius Viri sancti vita ? Numquam magis hilaris erat, quam derisionibus illusus, aut injuriis affectus, aut malis oppressus; numquam magis afflictus, quam cum honorabatur. In malis suis patientissimus, in alienis curandis diligentissimus, in tolerandis humillimus. Offendebat sæpe lapidibus et spinis, quas propter altissimam contemplationem advertere non poterat; cumque ex effusione sanguinis

A sanguinis vehementia vulneris appareret, dicere solitus erat sibi compatientibus : Istud nihil est, nullum mihi dolorem parit; spinæ istæ sensus meos quasi veræ rosæ delectant.

sicut et ardorem imitandi Christum.

246 Tandem perfectissimæ orationis scopus est imitatio Christi; conformes namque servos Deus vult esse imagini Filii sui; ex quo Apostolus ei perfecte assimilatus dicebat : « Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto : vivo enim jam non ego, vivit vero in me Christus. » Ad hanc similitudinem divinæ orationis ministerio S. Petrus de Alcantara pervenerat ; ita ut sincera meriti ipsius appretiatrix Teresia scripserit cap. XXVII ejus Vitæ : « Quod optimum et necessarium erat, nos aliquam passionum Christi, et Apostolorum imaginem habere : O quam bonam suppeditavit nobis nunc Deus in benedicto Fratre Petro de Alcantara ! » Re enim vera cum initio conversationis suæ mortificandis sensibus per pœnitentiam attenderet ; deinde altioris perfectionis motivo, mortificationem Jesu in corpore suo circumferebat ; ex quo præcipue Passionis ejus mysteria contemplabatur, et suavissimis verbis Dominum alloquens, seipsum ei in omnimodæ similitudinis B effigiem offerebat. His et similibus orationum exercitiis donum lacrymarum Deus infuderat, quo memoriam Dominicæ Passionis recolens, totus in gemitus diffluebat. Præterea continuis abstractionibus sensuum non impediebatur, quin officiis exterioribus attente vacaret, cum id aut charitas sive necessitas vel obedientia postulabant. Uno verbo mirabilis fuit pœnitentia S. Petri de Alcantara, sed mirabilior contemplatio, ad quam continuo suos exhortabatur; ut velut pisces in mari, in secretum plagarum Christi habitaculum inter mundi procellas et tempestates, sanctæ orationis adjutorio, secederent. Denique quicumque Sancti istius vitam et acta pervolvet, cum sapientissimo imperatore Carolo V oculari ipsius teste concludet : Quod vere iste religiosus, non est homo istius mundi : est enim semper absorptus in Deo et conversatur cum beatis spiritibus cœli.

De fructu et efficacia orationis S. Petri in proximi emolumentum.

247 Quemadmodum in superioribus capitulis forma et modus contemplationis ac orationis S. Petri distinctius explicata manet, ut inde etiam lectori devoto imitationis exemplar succinctius proponi queat ; ita nunc in præsenti non sine aliqua ejusdem voluptate, quibusdam exemplis comproC bandum occurrit, quantum, quo ad effectum impetrationis, eadem oratio apud Deum efficax extiterit. Si enim testante Ecclesiaste, ad multum valet oratio justi assidua, dubitari nequaquam potest B. Patrem non solis internis animæ donis privilegia divinæ conversationis sibi obtinuisse ; verum etiam exteriores amicitiæ ejusdem favores in proximorum beneficiis promeruisse, dum hæc præter scientiæ et raptuum frequentiam in variis petitionum suarum effectibus et multiplici exauditionis gratia, ac plurimorum experientia comprobata fuerint. Nec equidem occurrit hoc loco diversas quam plurimorum tam spirituales, quam temporales necessitates iterum repetere, quas S. Petri de Alcantara orationibus commendatas, felici exitu sublatas totius historiæ hujus contextus ubique declarat. Quarumdam tantum exempla, extra narrationis seriem relictas, hic præstabimus, quibus et orationis ejus integritas, et exauditionis divinæ favor, utraque in conspectu Domini grata fuisse ulterius confirmari potest. Dum enim oratio, seu mentis ascensio S. Petri in Deum integre eum a terrenis desideriis separaverat, non mirum videbitur, si decentes ejus petitiones (quæ pro altera parte orationis assignari solent) non nisi ex charitatis officio susceptæ, ac juxta requisitas conditiones directæ, largitiones propitias divinæ benignitati impetrare meruerunt, ut in Psalm. 33. « Aures quippe Domini in preces justorum ; et deprecationes timentium se exaudiet Dominus. »

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Oratione S. Petrus pestem fugat;

248 Itaque cum aliquando S. Petrus de Alcantara in oppido Albuquerque commoraretur, sæva illic pestilentia ingentem oppidanorum stragem faciebat Unde nobilis quidam loci Castellanus ad conventum Fratrum Discalceatorum confugiens, ibi præsidium sanctissimæ Virginis Deiparæ, cultu Fratrum percelebris, devotissime implorabat. Perdurante autem contagio Guardianum precabatur, ut duos religiosos pro consolatione miserorum superstitum ad oppidum mitteret. Paruit Guardianus, et S. Petrum de Alcantara cum alio quodam Didaco de Almonte quamprimum destinavit. Hi cum oppidi solitudinem ac miseriam advertissent, ambo altiorem turrim ascendentes, in eadem totam noctem in oratione exegerunt, divinam misericordiam exorantes, ut tam crudele flagellum suspenderet. Videbant autem angelos jacula quædam ignita vibrantes, quæ cadendo deorsum, strepitum edebant horrendum. Ad quæ B. Pater orationem E intendere, seque ipsum affectu ictibus offerre, modo oppido parceretur. Tantoque fervore divinam pietatem lacessens obtinuit, ut unus ex angelis (quos viderat) ipsum accedens nuntiaret, suæ hoc supplicationi concessum esse, ut amplius oppidum pestis non affligeret, ideoque ad conventum suum regredi posset. Hoc, cum iidem ad conventum rediissent, Fr. Didacus guardiano narravit, eo quod ejusdem visionis particeps fuerat; compertumque omnes habuerunt ex illo instanti pestilentiam cessasse, Petrique fervorem divinum furorem placasse.

juvenem religiosum confirmat;

249 Nobilis quidam adolescens assiduis instantiis a S. Petro de Alcantara obtinuerat, ut ad religionis habitum admitteretur. At cum ingeniculatus in plurimorum præsentia eumdem induere debebat ; asperitate ac tentatione vehementi exterritus, recedere moliebatur, licet tam anxie prius expetiisset. Hinc omnes urgere adolescentem variis exhortationibus, ipseque præcipue S. Petrus diabolicam astutiam ferventi spiritu increpare ; quamvis obdurato animo, auribusque obturatis frustra suasisse tunc viderentur. At mentem in Deum Sanctus erigens, brevi sed efficaci oratione F tantum effecit, ut interna quadam vi compulsus adolescens, statim propositum mutando, ad suscipiendum habitum constantior humiliorque rediret. Quod quidem merito B. Patris adscribendum etiam successus confirmavit, quo juvenis perseverantia singularis vitæ, insignique virtutum exemplo in Ordine clarus evasit.

amissam pecuniam recuperat:

250 In oppido Arenis fœmina quædam inops, pecunias quasdam pro solvendis debitis studiose collegerat. Has furtim sibi sublatas, misera beato Petro dolentissime conquesta, orationibus ac consiliis ejus se instantius commendabat, quia extrema necessitate premebatur. At casum mulieris commiserans S. Petrus de Alcantara, sublatis in cœlum oculis : Vade, inquit, filia, et dolorem depone ; pecuniæ enim tuæ ad te redibunt. Sicque eam verbis suis fidentem, lætam remisit. Mox orationi insistens a Deo impetravit, ut sequenti die pecuniæ ad mulierem deferrentur ; quæ nesciens unde venissent, ad B. Patrem reversa, pro insigni beneficio debitas gratias referebat.

puerum puteo immersum eripit.

251 In pago Errадon dicto diœcesis Avilæ, aliquot pueri ludicra tractabant prope puteum ; in quem

AUCTORE F. FR. LAURENTIO.

quem unus eorum casu incidens, extrahi non poterat. Remansit itaque aliquamdiu aquis immersus, atque tamquam mortuus derelictus; usque dum (Deo sic ordinante) illuc S. Commissarius transiret, ut universo populo, qui ad casum concurrerat, efficacia orationis ejus manifestior redderetur. Nam puteo appropinquans, genua flectere, inque cœlum fervidam orationem sed brevem dirigere; mox tamquam exauditus fuisset, consurgere atque cordam suam cum illa socii conjunctam puteo immittere, imperando puero, ut liber exiret. Mirum visu, quod vix cordæ aquam attingebant, nec satis fortes, summa tamen facilitate puerum, post longum satis intervallum immissum sanum extraxerunt. Ideoque virtuti orationis S. Petri de Alcantara, omnium suffragiis hoc factum adscribebatur.

Præclarum S. Teresiæ testimonium.

252 Non exigua præterea argumenti ejusdem testimonia esse debent tot, tamque varii divinæ Providentiæ effectus, quibus sæpius Fratrum necessitatibus mirabiliter subventum; ultra publicam plurimorum attestationem, qua se quam plurima beneficia per orationes S. Petri de Alcantara obtinuisse, sincere confessi fuerunt. At omnium instar B sancta Teresia nobis certam fidem facere potest, cum sibi attestatur a Christo Domino revelatum fuisse, S. Petrum immensa gloria coronatum, hoc etiam privilegio gaudere, ut suis intercessionibus, nihil a Domino gratiæ denegetur : ideoque etiam ipsam se ad eum recurrere; quia, « dixit mihi Domi- » nus » (verba sunt sanctæ Teresiæ in fine c. XXXVII ejus Vitæ) « quod nihil in nomine suo quisquam » peteret, quod divina misericordia non exaudi- » ret. Quemadmodum ego propria experientia at- » testari possum. »

De diversis exercitiis devotionis S. Petri :

253 Quamquam orationis nutrimentum devotionum exercitia esse solent, illum ab his ignem concepisse, in S. Petro facile persuadere potest; quod a tenella ætate iisdem devotionibus velut allactatum novimus. Imprimis erga supremum in terris divini amoris pignus, quod in sacratissima Eucharistia venerantur fideles, tanto devotionis affectu etiam dum puer exardescebat, ut hebdomadam integram vel pro eadem reverenter suscipienda, vel pro gratiis agendis sanctis meditationibus percurreret, omnia pietatis opera ad illius venerationem dirigendo Interdum inventus fuit coram altari (ubi servatur Sacramentum) illa attentione C ac reverentia immobilis perseverare, tamquam Salvatoris Christi humanitatem defixis oculis præsentem intueretur.

erga SS. Eucharistiam,

254 Postquam sacerdotio initiatus Missam celebrabat, tanta devotione hoc sacrum peregisse asseritur a personis præcipua fide dignis, ut se magis ad pietatem ejus celebratione, quam aliorum sermonibus commotos profiterentur. Unde sæpe quamplurimi ad ejus Missam concurrere, atque solo ejus aspectu ad altare compungi; mox finito sacro ad ejus pedes procumbere, et per pœnitentiæ sacramentum se Deo reconciliare festinabant. Dum se sacris vestibus induebat, adeo fervido affectu sacra Passionis mysteria ruminabat, ut singulis actibus unumquodque illorum exprimeret, quæ Christo contigerunt; sicque velut totius mundi hostia ad altare sacrificaturus devote procedebat. Sæpius ad illa Evangelii verba : Dixit Jesus; tanta teneritudine afficiebatur; ut lacrymas continere non posset, quin copiose erumperent, vocemque in suspiria mutaret. Ad Canonem autem accendebantur adeo cordis intima, ut in facie quoque ejus quædam velut flamma corruscaret, usquequo ad Consecrationem devenisset. Ibi tota ejus mens in mysterio absorpta vix reliquas Missæ cæremonias D perficere valebat. Attamen consecratione peracta, interdum extra se raptus aliquamdiu etiam in aere suspensus videbatur ; unde ad se reversus, cætera prosequi, et post communionem eamdem extasim iterum patiebatur. Quæ quidem omnia secundum loca et tempora varia eidem contingebant ; quamvis in locis remotis frequentius atque diutius, quam in publicis, ubi celebrando singularibus favoribus decoratus, omnium affectus ad devotionem provocabat. Peracto sacro tamquam celeri volatu ad cellam properabat, ut conceptum fervorem secreto tegeret, et divinis amplexibus liberius inhæreret, quorum effectus humilitate S. Petri celati, signis tamen suspiriorum ac vocis subinde religiosos latere non poterant. Audiebantur etiam strepitus, qui malignorum spirituum colluctationes indicabant, a quibus graviter verberatus, tamen immobilis in oratione persistebat; aut ut animosius resisteret, cito cursu ad sanctissimam Eucharistiam in ecclesiam confugiebat, ibidem illis insultans atque velut victor gloriosus imbelles conculcando. Idem sibi præsidium erat, quoties negotium aliquod magni ponderis tractandum ; ideoque in conventu Pedrosi angustum quemdam locum sibi E elegit, ex quo vicinior ecclesiæ, in conspectu hujus vitalis hostiæ jugiter assisteret. Cum apud principes et magnates diversabatur, statim post Missæ celebrationem in secretiora ac remota loca secedere ; atque interdum aliquot dies solitarius cum Deo conversari moris habebat; sicque in omni loco Deo fruens, ejus præsentiæ (quam in altissimo mysterio Eucharistico fideles agnoscunt) humillimo affectu ac singulari reverentia inserviebat.

Dominicam Passionem,

255 Hanc devotionem summe fovebat meditatione Dominicæ Passionis; cujus affectu variis corporis sui cruciatibus, Salvatorem suum imitari satagebat. Ad hoc ubique locorum, in eminentioribus præcipue, cruces erigi curabat, quarum aspectu piorum memoria ad mysterii contemplationem revocaretur. Unde quoque in conventu Pedrosi Calvarii quamdam figuram congesserat, ad quem gressus dirigens, distinctis passibus patientis Christi passiones exprimebat ; usque dum ad locum accedens, ibi coram cruce animæ affectus inflammabat, ut se totum vivum Redemptori sacrificium offerret. Sicque brachiis expansis orans, totus in eum transformabatur, cui concru- F cifigi ardentissime cupiebat. Inde sæpe a transeuntibus observatus in aere suspendi, omnibus stuporem incutiebat; interdum vero cum ab extasi rediret, quasi volando ad conventum sese recipiebat, ut hominum existimationem effugeret. Frequentius in horto, Passionis meditatione exardescens, solvebatur in lacrymarum torrentes ac devota suspiria, quibus aliquando tormenti quamdam imitationem adjungebat, ut videlicet stagno frigido se nudum immergens, inde per multum temporis crucis passionem in corpore suo velut describeret. Nil enim ipsi toto vitæ tempore hujus comparatione molestum amarumve videbatur ; quin magis omnis cruciatus amaritudo dulcesceret. Hinc etiam per longa spatia orandi in cruce (*i. e. brachiis expansis*) consuetudo, quam sine singulari aliqua divina ope servare extenuati corporis debilitas non permittebat. Denique prædicationis zelus eamdem recordationem omnibus inculcabat tam verbis quam factis, quibus mirabiliter persuadebat, se voluntarie pro Christo mala pati paratum.

B. Virginem aliosque Sanctos.

256 Superioribus sanctissimæ Virginis devotionem sedulo adjungebat, cujus venerationem summa

A summa pietate, et precibus variis excolens, suæ insuper puritatis custodem elegit, ut holocaustum integrum consecraret. In conventu sanctæ Mariæ Angelorum, ubi guardianus morabatur, coram ipsius imagine in orationis fervore sæpe visus fuit facie splendescere; aliquando largiori spatio extra seipsum rapi, ejusque gratiosa præsentia frui. Quemadmodum in conventu sancti Joannis Baptistæ Viciosæ etiam in vitæ exitu præcipue contigisse, ut ab eadem beatissima Virgine cum Angelorum cœtu visitaretur, alibi latius retulimus. In eodem loco Incarnationis contemplationi ac matris Dei privilegiis intentus, in quosdam affectus ferventiores erumpere auditus fuit : « O Maria, o Maria, Virgo Sanctissima, Mater Dei, Regina Cœli, Domina Mundi, Sacrarium Spiritus sancti, Lilium puritatis, Rosa patientiæ, Paradisus deliciarum, Speculum castitatis, perspicuum Exemplum innocentiæ, ora pro me paupere, misero, ac peregrino; et ipsi largire abundantiam charitatis vestræ. » Festa ejusdem Deiparæ severissimis mortificationibus præter solitas celebrabat; ita ut aliorum quoque tum Fratrum, tum secularium pietatem mire accenderet. Cum semel ex Portugallia B rediens, apud episcopum Oliventiæ divertisset, devotam quamdam imaginem Virginis, quam ab eodem dono acceperat, ad conventum de Valverde transtulit. Hanc solemni processione ac concursu populi in ecclesia collocando, atque conventum honori ejus dedicando, animi sui affectum erga eamdem Patronam singulariter expressit; eo constantius, quo semper satagebat ejusdem patrocinio Reformationis suæ initia præmunire, sicut etiam in conventibus eidem dicatis libentius habitare. Post hanc devotionem, aliorum quoque sanctorum excolebat; singulariter vero apostoli sancti Joannis, sancti Josephi, sancti Francisci, ac sancti Antonii de Padua, quorum se intercessionibus magna pietate commendabat, et ad eorum festa variis macerationibus præparabat.

Scientiæ donum.

257 Præ cæteris ornamentis, quæ animam S. Petri condecorabant, scientiæ donum singulare eluxit in sacrarum litterarum profunda intelligentia, quam magis in orationis schola, quam alibi didicerat. Ex hac illi summa facilitas et perspicuitas in explicandis difficillimis Scripturarum atque theologiæ difficultatibus; quas non sensibus modo sanctorum Patrum, sed et proprio Spiritus C sancti dictamini conformes, etiam intelligentiores in hac materia agnoscebant. Quidam vir doctrina celebris in civitate Plasentiæ, hanc scientiæ S. Petri famam parvipendens, amicorum instanti suasione ejusdem experimentum facere adductus fuit. Arrepta itaque propitia occasione, in quadam ecclesia Petrum pro Confessionis sacramento confidenter accedens, in hoc non culpas suas pro more accusare, sed subtilium quarumdam difficultatum solutionem petere præsumpsit. Quibus cum expedite riteque S. Petrus de Alcantara satisfecisset, non solum animum viri scientiæ suæ certitudine confirmavit; sed etiam pietatis affectum verborum suorum vi ita commovit, ut dubitationis culpam prius accusans, cæterorum peccatorum integram confessionem Viro sancto magna cum compunctione perfecerit, ac tandem melioris vitæ perfectam rationem inierit. Hujus instinctu cum se amicorum frequentiæ subtraxisse videbatur, iisdem sinistri alicujus casus suspicionem faciebat; pro qua tollenda ipse facti sui ac congressus cum B. Patre seriem enarrans, satis evidenter omnibus persuasit, se ad meliorem frugem ejusdem efficacibus monitis rediisse.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Præclarum hac de re profertur testimonium.

258 Haud dissimile aliquid in eadem civitate S. Petro de Alcantara evenit, cum insigni quodam Ordinis sancti Dominici prædicatore, P. Didaco y Bañez in Theologia magistro. Hic difficulter sibi S. Commissarii scientiam persuaderi passus, eam popularibus potius acclamationibus, quam probatorum testimoniis pertinacius adscribebat. At quadam die, dum in cœtu religiosorum prope chorum sermones misceret, ingredientem in ecclesiam S. Petrum de Alcantara attentius conspexit; ideoque non ulterius Fratrum confabulationi aures præbere, sed ad Virum Dei in ecclesia accedere, atque pro secreto colloquio importune ad claustrum pertrahere. Inde ambo in remotum cubiculum secedentes, prior P. Didacus ad pedes S. Petri procidens, cordis compunctionem profusis lacrymis ac singultibus propalabat; quam etiam post longam conversationem ejus religiosi attentius observarunt. Itaque soluto congressu instabant iidem, ut sibi gestorum cum S. Commissario ordinem enarraret, quo improvisæ mutationis causam agnoscerent. Quibus ille facile morem gerens, convocatis prius ad concionem omnibus, tale sanctitatis ac scientiæ S. Petri de Alcantara testimonium concepto sermone edidit : « Patres E » charissimi, notam vobis fuisse non ignoro incredulitatem meam, qua variis testimoniis vestris » de servo Dei Petro de Alcantara fidem dare » obstinatius recusavi. Hanc vero solum ad ejus » aspectum in ecclesia ita in me mutatam sensi, » ut constrictus fuerim ad ejus pedes secreta » animæ meæ liberius pandere. Sciatis itaque, » quod Deus mihi oculos aperire dignatus fuit, » dum P. Petrus in ecclesia ambulabat; ut mirabilia intueri mererer, quibus Servum suum Dominus tunc condecorabat. Conspiciebam nimirum plurimos angelos eum circumdantes, atque » in manibus quasi gestantes, singulari quodam » modo ei blandiri. Unde reverentia perculsus ad » pedes ejus advolavi, ut culparum mearum confessione citius edita, divinæ misericordiæ veniam impetrarem, quam tunc concepto dolore » ardentius exposcebam. Videbatur enim mihi neminem inveniri posse, qui cœli viam indicare » rectius posset, quam eum, cui ipsi cœli cives » angeli socii destinati fuerant. Conveni itaque » cum festinatione, et post confessionem varia » dubia super difficillimas materias eidem proposui; et vere vobis in fide sacerdotis indigni F » (ut sum) profiteor, me a nullo Viro docto talia » umquam intellexisse, qualia Vir ille sanctus brevi » illo temporis intervallo mihi exacte declaravit. » Est enim ille præditus superno lumine interiora » cognoscendi, suavitate mirabili, et efficacia in » persuadendo, sicut et obscura dubiorum elucidandi scientia divina; quæ omnia sibi ab eodem » Spiritu infusa dignoscuntur. O scientia humana, » quantis ignorantiæ tenebris offunderis, nisi divini luminis radiis illustreris! » Sicque sermonem claudens, apud omnes B. Patris sanctitate atque scientia firmissimo argumento comprobata, imposterum famæ ejus ac virtutis præco effectus est singularis. Alii quoque plurimi, qui pro Scripturarum difficultatibus S. Petrum de Alcantara crebro accesserant, magnæ ejus facilitatis in earumdem explicatione admirationem non vulgarem concipiebant.

Ex hac scientiæ dono manabat sermonum efficacia.

259 Ex hac insuper admirabilem prædicationis ejus efficaciam provenisse haud difficile concluditur; cum ferventissimo ejus zelo conjunctæ tot peccatorum conversiones, animarumque lucra omnibus fuerint in confesso. His etiam accedebat exterior

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

rior corporis habitus, qui macie ac vitæ austeritate deformatus, interiorisque luminis in vultum redundantia terrorem potius incutiebat atque reverentiam, quam ut verborum lenociniis auribus oculisque peccatorum blandiretur. Propterea quoque ille solitus erat eligere motiva sermonum aspera, atque in viciis repræhendendis vehementiora, quibus ex redemptionis nostræ memoria lenimenta suaviora obduceret. Hinc frequenter etiam in exclamationes quasdam prorumpere. « Deum incarnari ? Deum pati ? Deum mihi vitam concedere, et hoc me non agnoscere ? » Ita ut aliquando super hæc fixus in extasi remaneret. Mirum hoc erat, quod dum viris doctis varias Scripturarum obscuritates explanabat, aut alia ad nobiliores documenta dirigebat, eodem tempore etiam a rudioribus perceptus, illis compunctionis atque conversionis affectum eliceret. Ita ut linguarum donum seu intelligentiæ, apostolis concessæ, S. Petro elargitum ex tali argumento facile judicassent, qui ejus doctrinam ab omnibus capi atque distinctius intelligi notabiliter mirabantur. Erant itaque audiendi eum cupidi adeo homines, ut cum templa populi multitudinem non admitte-
B rent, in aperto campo munere suo fungi quam sæpius contingeret. Ipse autem tanto fervore eidem incumbebat, ut terras locaque distantia percurrens, occasionem devotis dederit eum suæ sanitatis propriæ admonendi, quam ipse se libentissime saluti animarum sacrificare retorquebat ; nec quicquam gratius habere, quam regnum Christi peccatorum pœnitentiis augere. Varia hujusmodi conversionum exempla in hac narratione adduximus ; quorum illustre non minus additamentum erit D. Roderici a Chaves, viri inter Plasentinos nobilissimi mutatio notabilis : hic enim ætate ac opibus florens, luxu ac vanitate absorbebatur ; usquequo secreta quadam curiositate ad prædicationem S. Petri de Alcantara accedens, adeo ejus dicendi vi se compunctum agnovit, ut nulla præsentis multitudinis habita ratione, ad S. Petrum perrumpere, ejusque se consiliis pro novæ vitæ via ineunda committere nequaquam erubesceret. Eum S. Petrus de Alcantara amplectens, salutaribus monitis instructum, atque in conventum ad se reversurum pro disponenda generali peccatorum expiatione, domum remisit. At uxor tam repentina mariti mutatione perculsa, S. Petrum adiit causam explora-
C tura ; a quo cum variis spiritualibus documentis erudita, spiritum christianæ pietatis concepisset, adeo in ejusdem affectum exarsit, ut mariti viam probare, ejusque etiam consortium relinquere ac monasterium ingredi designaret. Sed B. Pater utriusque devotionem temperando, eos ad Tertii Ordinis institutum admisit ; in quo egregiis virtutum exercitiis se invicem æmulantes, parentum et amicorum contradictiones et probra constanti sui ipsius despectu ac perfecta humilitatis professione superarunt. Hic fuit, cui S. Petrus Tractatum de Oratione inscripsit ; qui etiam locum Palancar pro fundando conventu Pedrosi, liberaliter ac devote Petro obtulerat. Tam continuo conversionis animarum zelo, non domos modo privatas et publicas, sed oratoria ac societates etiam quamplurimas replebat. In quibus congregatis nobilium præcipuis, viam virtutis ac pietatis christianæ apostolico spiritu ac mirabili effectu edocebat ; ita ut quidam ad amplexum pœnitentiæ, alii ad virtutum studium, alii ad devotionis fervorem, alii ad mundi contemptum, universi ad compositæ vitæ desideria accenderentur.

260 Inter insignia divinæ gratiæ munera, qua animam S. Petri Deus illustravit, prophetiæ donum in futurorum cognitione eluxit ; cujus effectus ex plurimis singulari memoria dignos aliquos hoc loco recensebimus. Plasentiæ nobilis quædam fœmina de mariti sui salute anxia, quod in Indiarum partibus in bello periclitaretur, B. Patrem adiit deprecando, ut orationum subsidio eidem studiose succurreret. Cui respondens S. Petrus de Alcantara ne amplius turbaretur, monuit ; ut pro prælii jam transacti victoria Deo gratias redderet, ex qua maritum suum incolumem brevi reducem habitura esset. Hanc veritatem post aliquot menses nuntius confirmavit ; qui de rei successu litteras attulit, omnibusque persuasit, id sine divina revelatione prius sciri non potuisse.

Prophetiæ donum.

261 Alius quidam nobilis in devotione erga S. Petrum de Alcantara ab infantia educatus, in ejusdem conversatione semel, litteras quasdam ex aula recepit, quibus significabatur hæreditatem quamdam notabilem ex morte sui propinqui obtigisse. De qua forte exultans nobilis, sine mora per dispositos equites iter facere velle ad capiendam possessionem indicabat. Cui S. Petrus de Alcantara a Deo illuminatus id tunc dissuasit, et variis instantiis urgenti atque persistenti in sua E opinione, tandem secreto in quodam cubiculo hæc verba intimavit : Valde vos (te) exultantem video super hac hæreditate, cum potius futura prævidere deberetis ; quæ præter id, quod nunc vobis in mentem venit, aliter succedet. Recordare igitur (fili) eorum, quæ tanto studio a me didicisti et haud minori fervore amplexus es ; ita ut te etiam paratum obtuleris, quemcumque cruciatum, etiam usque ad sanguinem pro Christo pati velle. Ad quæ nobilis : Eamdem (Pater) adhuc voluntatem servo, atque in omni occasione servabo ; nec umquam obliviscar eorum, quæ Deo meo debere me agnosco. S. Petrus, qui divina revelatione futurorum conscius erat, intentis in eum oculis, hæc vehementi spiritu subjunxit : At fili, si hæreditatem (quam anhelas) ab alio præoccupatam intellexeris, patienterne propter Deum id feres ? Cui ille : Certe quod sic ; cum omnes res terrenas, pro cœlo perdere paratus sim. Sed si præter bona, instituit S. Petrus, etiam honoris jacturam feceris, idne propter eumdem amorem pari patientia sustineres ? Quidni (inquit juvenis) pro eo, qui pro me passus est, libenter tales injurias tolerarem ? Et si F ulterius omnes amici tui (respondit S. Petrus) in te insurrexerint, ita ut etiam vitæ insidientur, si permissum fuerit ? Ad hæc turbatus aliquantulum nobilis : Pater mi, dummodo animam non tetigerint, cætera quæcumque externa lubens tolerabo. Tunc B. Pater edito profundo suspirio, ac lacrymantibus oculis ita prædixit : Eheu, fili, si super prædicta omnia, Deo inimica facta fuerit ac infidelis anima tua, ita ut propterea etiam carcerem merearis et publicæ infamiæ sententiam ? Ad quæ velut semimortuus nobilis, animose tamen respondit : Deus mihi propitius sit, ut numquam eum offendam. Et concludens S. Petrus : Eia ergo, vade in pace ; et ad omnia, quæ tibi evenire possunt, patientiam tuam præpara. Sic recedens juvenis animo conturbato, se orationibus S. Petri de Alcantara instanter commendavit. Sequenti die iter (quo destinarat) ingressus, in socium incidit virum famosum ac doctum, secreta tamen hæresi infectum. Hujus argumentis sensim illaqueatus, ejusdem hæresin facilius imbibit, immemor salutarium admonitionum, quas a Viro Dei prius hauserat. Ex quo omnia illi prædicta successere, usque dum in quemdam locum secedens, ut pœnitentiam ageret,

Nobili cuidam adolescenti lapsum in hæresim prænuntiat.

A ret, ibi errores suos amare deflevit. Nec majus interea ibi solatium habere contigit, quam quod a Patribus Discalceatis crebro visitaretur; quibus prædictiones S. Petri de Alcantara enarrare, ejusque propheticum spiritum altissimo præconio celebrare numquam intermittebat. Præ cæteris autem dictus eques totum istud cum multis lacrymis narravit Fr. Joanni Baptistæ Moles et Fr. Michaeli de Laque, gravibus provinciæ S. Gabrielis religiosis, cum ipsum die Visitationis B. Mariæ Virginis, 2 Julii anni 1569, in loco Madrito propinquo, ad quem a sancto Inquisitionis officio relegatus fuerat, invisissent.

Aliæ prædictiones, ad matrimonium

262 Aliquando S. Petrus confabulando cum comitissa de Torrejon D. Catherina Manriquez, audivit ipsam proposuisse sibi, filiam D. Mariam Caravajal illustri juveni D. Joanni de Vargas sponsam dare. Cui proposito dissentiens S. Petrus, iterato affirmabat illam sponsam futuram non istius, sed D. Gundisalvi de Caravajal. Erat autem hic affinitate attingens comitem de Torrejon jam defunctum, et tunc nuptus D. Agneti de Vargas et Camargo. Unde comitissæ dictum S. Petri de Alcantara tanto difficilius videbatur, quia uxorem B illam adhuc superstitem et ætate viridem videret. At ille : Potest ipsa mori et sic matrimonium contrahi ; quod ego sic affirmo, et quidem certum erit. Ad quod responsum suspensa comitissa, ulterius de filiæ nuptiis non tractare curabat, oraculo Viri Dei cuncta cedens ; licet prius matrimonium, tum nubilis virginis ætati, tum cæteris conditionibus convenire magis judicasset; at mortua eodem anno uxore prædicta, brevi post tempore prædictio B. Patris, matrimonio D. Gundisalvi atque filiæ comitissæ comprobata fuit; quemadmodum ipsa mater pro majori servi Dei gloria publica fide attestari voluit.

et religionem spectantes.

263 Tres virgines honestæ ex civitate Plasentiæ S. Petri de Alcantara discipulæ, eidem ingrediendi monasterium desideria sua communicarant ; at beatus Pater reprobando hoc intentum sic illis respondit : Modo non convenit, ut in aliquo conventu religionem ingredi tentetis. Contra quod replicando natu major argumenta varia, quæ propositum suum urgere possent ; hac ratione institit S. Petrus : « Vitam sancte instituite, ut Dei præsentiam jugiter servetis; et confido in Domino, quod gratia sua vobis propitius erit. Ideoque non tur-C bemini, quod modo desideriis vestris non assentior; quia certas vos facio, quod omnes tres religiosæ eritis, quamvis id post mortem meam contingat. Interea Tertii Ordinis habitum vobis concedam ; quo secundum Dei voluntatem, nunc ei hac ratione liberius serviatis. » Suffecit hæc oratio ad animos virginum componendos, licet futuri cupiditate monasterium sibi indicari instarent, ubi aliquando religionem suscepturæ forent. At S. Petrus de Alcantara importunitati, atque consolationi condescendens : « Post mortem (inquit) meam in hac civitate, monasterium fundabitur Discalceatarum primæ regulæ sanctæ Claræ, in quod vos ingrediemini, atque usque ad mortem perseverabitis. » Atque ita eis silentium imposuit. Toto autem tempore, quo vixit S. Petrus, nulla umquam de tali monasterio fundando memoria fuit. Sed aliquantum post ejus fatum eodem constructo, D. Anna Maria cum cæteris duabus illud ingressæ, vaticinium S. Petri de Alcantara etiam sanctitatis vitæ fama laudabiliter confirmarunt ac publicarunt. In oppido Alcantaræ sua patria, S. Petrus cum quibusdam nobilibus de quarumdam virginum votis conferens, quæ se perfectionis studio religioni dicare optarant, si monasterii commoditas adfuisset. Quibus ille futuram aliquando talem occasionem prædicens, in monasterio Discalceatarum sui instituti ; eo, qui post mortem suam successit, eventu rei veritatem stabilivit.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Conscientiæ latebras perspicit, et varios spiritus dignoscit.

264 Illustris quædam Plasentiæ fœmina non virtutibus minus quam sanguine, post integerrimam multorum annorum conscientiam, scrupulis vexari cœperat, quibus tollendis nulla variorum doctorum consilia aut remedia proficiebant. Scripsit itaque ad S. Petrum de Alcantara, ut quantotius ad se transiret, quo animæ suæ opportunius succurreret. Sed ille aliquamdiu moram trahens, post aliquot dies inquietam valde ac afflictam accessit. Vix ad ingressum ejus mulier subsistere ; sed statim ad pedes provoluta, animi anxietates explicare incipiebat. At ipse præveniens : Filia inquit, sufficit ; jam mihi integer conscientiæ tuæ status notus est. Et quia satis infirma est causa trepidationis tuæ, ideo pro auxilio venire hactenus distuli. Nunc vero tibi dico, quod imposterum nihil amplius tibi continget, nec amplius his molestiis turbaberis. Ad quæ devota mulier non magis attonita, quod interna animi nemini manifestata cognovisset ; quam quod apud seipsam altissimam E tranquillitatem ac serenitatem mentis sentiebat, cui temporis tractus firmitatem afferret. Nec minor S. Petri cum pluribus aliis, quæ ipsum consulebant fiducia atque certitudo. Ita ut sanctæ Teresiæ ad primum congressum animæ suæ molestias ex eo indicarit, quod virorum doctorum contradictiones passa, neque a proprio suo confessore spiritum ejus capi posse declararet; aliis insuper virginibus, quæ institutum ejus amplexuræ erant, confidenter id prædiceret. Eodem lumine intima conscientiarum scrutari, et quæ aliis abscondita erant, integre perspiciebat. Habitabat Plasentiæ mulier, quæ apparenti virtute magnam sanctitatis famam acquisierat; de qua commonendo S. Petrus quasdam filias suas spirituales, ut ab ejus familiaritate abstinerent ; ipsæ valde admiratæ, causam a B. Viro diligentius inquisiere, dum se proficere magis tali conversatione prætendebant. Ad quod S. Petrus tandem : Spiritus istius mulieris ex Deo non est, quemadmodum exitus monstrabit. Sic non multo post, illa in gravissimos errores lapsa et fictæ virtutis fallaciam et sancti Viri veritatem manifestam reddidit. Certius hoc donum sanctæ Teresiæ constabat ; quæ ultra proprium F experimentum sæpius S. Petrum de Alcantara ad aliorum spiritus examinandos invitabat. Ex quo tantum profecisse, ut multorum spiritus sibi aliquantum suspectos, majori claritate distingueret, ipsa in Fundationum suarum libro diffuse scriptum reliquit.

Sibi asper, cæteris benignus erat S. Petrus et indulgens.

265 Quamvis Vir sanctus aspere nimis seipsum tractaret, aliis tamen comem facilemque se præstabat ; attestante sancta Teresia eum cum magna sanctitate mirabilem affabilitatem conjunxisse, nec verba nisi pressum multiplicasse, eaque grata et magno judicio plena. Erant quippe sine ambiguitate cujusque consulentis necessitati convenientia, non superflua aut vana. Numquam sinistre de quoquam judicare, licet actiones integræ non forent ; pro quibus excusandi causas conquirebat. Affirmarunt socii toto vitæ decursu eum de aliquo numquam convicium dixisse ; sed potius mali quidquam suspicari ignorasse. De religionibus omnibus cum magna reverentia loquebatur, tamquam de cœlestibus hierarchiis. Et de his, a quibus in sua Reformatione plurima passus fuerat, numquam queruli quidquam protulisse auditus fuit, judicans

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

cans singulis bonum finem propositum esse; ideoque dicere consueverat: Patres ignoscite zelo meo et si Deus sic permiserit, impedite illum. Hinc nemo eo præsente, de quoquam perperam loqui ausus aut præsumens, ejus repræhensionibus obmutescebat. Talibus enim verbis obtrectationum, cor suum velut acutis telis transfigi sentiebat. Quadam vice comes Oropesæ sermones miscebat cum beato Petro, exaggerando graviter publicorum scelerum multitudinem, quibus divina provocabatur vindicta; et S. Petrus de Alcantara de recmedio instanti cordatius respondit; « Facile ego remedium invenio, modo Dominatio vestra et ego tales simus, quales esse debemus; et tunc tantum apud Deum valebimus, ut remedium tantorum malorum ab ipso impetremus. Et quando hoc fuerit, ex parte nostra mundo provisum erit, aut minus emendandum restabit. » Et certissimum est, quod si unicuique hoc cordi foret, nullum efficacius remedium dari posse, ideoque malum omne ex eo provenit, quod nemo seipsum, alios unusquisque emendare studet; sicque totus mundus sine remedio remanet. Quando admonere aliquem volebat, tempus opportunum captabat, cum mentis turbatione transacta, locum lenioribus verbis B serenitas dedisset. Quoties pro consilio rerum temporalium plurimi nobiles ad illum confluebant, ipse ita colloquia dirigere, ut semper exinde fructum aliquem spiritualem colligeret, in suis devotis æternarum rerum desideria excitando. Sinceritatem adeo diligebat, ut quamcumque duplicitatem angue pejus fugeret, affirmando neminem ad perfectionem perventurum, qui illa uteretur. Sic quoque vana aut ridicula velut religiosis indecentia detestabatur.

Angelus pacis.

266 Adeo pacis ac concordiæ amicus erat, ut inde sibi Angeli pacis nomen acquisierit; dum non familias modo integras, sed et loca ac oppida suavitate sua atque prudentia sæpius componeret. Eamdem in subditorum correctione observare, severitatem sic mansuetudine contemperans, ut nullum corrigendo exasperaret. A licitis recreationibus sic abstinebat, ut vultu hilari non aliis convitium facere; sed ad aliam conversationem avocari videretur, ubi eo frui posset, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum. Conversando autem cum aliis ea verborum suavitate utebatur, ut attestante viro gravi D. Hieronymo Loaisa, multi se C adeo ligari affirmarent ne quicquam, licet suæ voluntati repugnans aut arduum, ejus persuasionibus negare potuerint. Qui vero ejus præsentia frui impediebantur, per litteras ad eum recurrere; et cum occasio ferebat, summa cum reverentia eum convenire operam dabant.

Cunctis venerationi erat: plebeis

267 Ad hos tam multiplicium virtutum splendores, omnium in eum veneratio convertebatur; ita ut quamvis in locis solitariis atque remotis habitaret, tamen e longinquo populi ad eum catervatim confluerent. Ex quibus alii ab ipso benedictionem petere, alii orationum suffragia, alii consilia in negotiis difficillimis exquirere, alii gratias mirandas obtinere; omnes ut conscientiis expurgatis melioris vitæ rationes discerent. Sæpius autem, etiam priusquam ejus præsentiæ sisterentur, ipsos parietes (ubi habitabat) prosternati venerabantur; tantam enim sanctitatis ejus opinionem conceperant. Unde etiam cum urbes aut oppida transiret, concurrebant undique cives ad ejus aspectum, ut infirmos quoque ei benedicendos offerrent. Et cum aliter eo frui non liceret, ad ejus Missam frequentior ac devotior concursus fiebat; qui postea eo recedente auctus, sæpius loca ipsa sine habitatoribus relinquebat, dum servum Dei longo spatio D sequi non fastidirent. Nec id tantum a vulgo S. Petro de Alcantara, sed a nobilioribus quoque; qui animarum suarum curam ei committentes, ideo frequentius eum in conventibus interpellabant; aut cum aliquando apud ipsos transiret, de recipiendo ipso die contendebant, quo colloquiis ejus ac conversatione instructi, beneficia quoque gratiora reciperent. Plurimi comites ac marchiones hospitio eum excipere æmulantes invicem, propriis illi manibus inservire in pretio habebant. Alii conventus pro ipso e fundamentis construere, aut prope eos palatia conducere, ut commodius ejus familiaritate uti, et consiliis ac doctrina in spiritus ac morum via dirigi possent.

æque ac nobilibus.

268 Inter eos, qui diligentius S. Petrum de Alcantara conveniebant, comes de Oropesa, de Nieba, et Torrejon interdum integras septimanas apud ipsum commorabantur. Et cum aliter frui ejus præsentia non poterant, audiendo ejus Missam, cumque in choro aliisque communitatis actibus publicis conspicere, pro magna consolatione ducebant. Commoti sanctitatis ejus fama D. Ferdinandus Henriquez, patruus architalassi Castellæ, et alter illustris vir D. Didacus Suarez, Madrito Pedrosum vene- E runt, ut Viri Dei monitis cœlestibus erudirentur, et si permissum foret, cum ipso cohabitarent. Cum id fieri S. Petrus de Alcantara non permisisset, prope locum habitationem conducere, quotidie ad conventum accedere, ac B. Patris oracula tamquam angelica excipere, summa diligentia operam dederunt. Ipse comes de Oropesa eodem tempore, quo conventus Rosarii construebatur, palatium vicinum in quadam possessione ædificari curavit; ubi aliqua anni parte commorando, per plures dies in conventu vitam vivebat cum S. Petro de Alcantara religiosam, omnibus communitatis exercitiis assistens. Horum exemplo illustres quoque dominæ aut S. Petri præsentiam adibant, aut per litteras de rebus gravioribus consultabant; aut secundum earumdem necessitates precibus importunis ad se vocabant. Ex quo ipse hos tantum fructus trahebat, ut multis spiritualis vitæ amplexum, plurimis ornatus vani contemptum persuaderet. Nullum pœne negotium occurrebat, aut pro litibus inter civitates ac familias componendis susceptum, cui S. Commissarius authoritatem suam interponere rogatus non esset. Idque tam felici successu ab ipso perfici consuevit, ut partes F rationibus ac reverentia ejus persuasi, cedere sæpissime illi quod magnæ præstantiæ viris negare non sine magna admiratione visi fuerint. Hinc a multis civitatibus etiam remotioribus vocatus, Plasentia, Toleto, Civitate Roderici, aliisque omnibus tamquam Apostolus e cœlo missus, gratus habebatur ac desideratus.

Reges et principes ad eum consilii petendi gratia recurrebant.

269 Apud reges vero in magna præcipue existimatione habebatur S. Petrus de Alcantara, ita quod ab ipso imperatore Carolo V sæpius evocaretur. Cum quo postquam varia negotia contulisset, talem sui opinionem impressit, ut aliquando ad suos imperator diceret: Certe hic religiosus non est homo ex hoc mundo; semper enim absorptus spiritu cum Deo, ac spiritibus beatis in cœlo conversatur. Sæpe a rege Portugalliæ Ulyssiponam invitatus, in palatio habitare cogebatur; unde principes D. Maria, et D. Ludovicus tanto doctrinæ ejus amore capiebantur, ut nisi ipso B. Viro impediente, tunc vitam humilem ejus instituti sponte amplexati fuissent. Nec minori veneratione servum Dei D. Isabella infans Portugalliæ prosequebatur, cum frequenter eum ad se vocare solebat; ut tam animæ

A animæ suæ, quam status rationem redderet. Maxime vero post obitum mariti D. Eduardi filii regis Emanuelis, quem mors in flore ætatis annorum 25 importune oppresserat. Tunc præcipue opem ejus implorare, multa ei donaria pro ecclesiæ cultu, ac pro fratrum vestitu pannum transmittere. Sic quod ejus beneficiis obstrictus S. Petrus de Alcantara, magna fiducia de provinciarum suarum statu subinde scribere ad eamdem non dubitaret. Exemplum cujusdam epistolæ hoc est. « Jesus. Pax » Christi habitet in anima Celsitudinis vestræ. » Quamvis absens sum ex illo regno, quia talem » voluntatem Dei existimo, propter optimum rerum » successum istius sanctæ custodiæ, ad quam cum » Fratre Joanne ab Aquila fœlicius accesseram ; » nunc vero intelligo sic ab eodem res prospere » dirigi, ut mihi videatur perfectionis apicem attigisse, et Deum specialissimam hujus custodiæ » curam gerere, tamquam de particulari quadam » sua hæreditate ; dum vivendi hujus ratio tam sit » pacifica, atque in tam exiguo numero tot habeat » suos servos. At meum reditum ad has partes » spero eidem Domino nostro acceptum fore ; eo » ab ipso cuncta dirigantur, et tam clare hæc de-

B » monstret, ut ultra dicere quicquam nequeam. » Nostra provincia in multis melior facta est, quam » umquam fuit, unde Deum glorificare possum. » Idque Celsitudini vestræ dico, eo quod norim » ejus zelum pro Dei gloria maxime optare, ut in » his suis provinciis Pietatis ac sancti Gabrielis, » et custodia Arabida summopere augeatur. Et ad » hanc ego singulari affectu trahor ; quia scio quid » in illa boni sit, et propter magnam pietatem » principum istius regni Portugalliæ, quam inter » illos in Celsitudine vestra Deus singulariter eminere facit, et quam a suis progenitoribus traxit. » Ita ut optima indole dotata eam juvet bonis suis » operationibus ac animi quietate, qua se regnorum » temporalium curis subtraxit. Hoc sentio semper et dico ubicumque ; quemadmodum et omnes, qui Celsitudinem vestram aut viderunt aut » audierunt. Et propterea spero, quod unica illa » cura filiorum, quæ Celsitudini vestræ remanet, a » Deo sublevanda erit ; quemadmodum ego divinam ejus benignitatem incessanter precor ; et ut » principale remedium D. Mariæ videat Celsitudo » vestra priusquam eam Dominus ad cœlestia » regna evocet. Amen. Harum lator fidelis est per-

C » sona, si placuerit Celsitudini vestræ rescribere.

» Celsitudinis vestræ

» Capellanus et orator indignus

» Fr. Petrus de Alcantara. »

Item viri sanctitate et doctrina conspicui.

270 Ad Aulam quoque Madritensem sancto Viro pertransire necessum fuit, dum a principissa Joanna sorore magni imperatoris Caroli V vocatus, singulari reverentiæ obsequio ab eadem habitus fuit. Eodem quoque a variis religiosis diversorum Ordinum, qui in gravissimis consultationibus ejus sententiæ summo cum respectu acquiescebant. Quod in propria ejus religione non adeo mirum videbatur, cum quotidie Reformationis ejus difficultates cœlesti favore ac singulari constantia superatas, incrementa majora capere experiebantur. Apud prælatos insigniores totius Hispaniæ adeo gratus habebatur, ut sæpius ab eis invitatus tam animarum conversiones, quam multorum abusuum emendationes lubens pro Dei gloria susciperet. Maxime autem illum affligebant honores atque obsequia, quæ prædicti prælati ei deferebant, præsertim episcopi Avilæ, Plasentiæ, Pacis Juliæ ; quos tamen omnes superabat affectu ac veneratione Cauriensis D. Didacus Henriquez, de quo infra latius memoriam faciemus. Tandem omnes, qui illo tempore aliqua sanctitatis fama clari habebantur, pro ut majori lumine cœlesti pollebant, tanto diligentius se sancti Viri orationibus commendabant, virtutesque ejus singulares in pretio habebant. Inter hos P. Ludovicus a Granata, tunc pietatis ac litterarum scientia percelebris, varias ad Dei servum epistolas scripsit, magnæ suæ existimationis testes singulares, præter frequentia commercia, quibus utriusque animos coaluisse judicari rectius posset. Idem magister Joannes de Avila, vir non vulgaris sanctitatis, nihil magis cordi habebat, quam S. Petrum de Alcantara honorare atque ejus familiaritate uti. Ex cujus doctrinæ quoque admiratione captus non laudes modo ejus divulgare, sed et opera ejus in notabilioribus quibusdam negotiis uti studebat, sicut alibi dictum fuit.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Singulari affectu colebat S. Petrus PP. Soc. Jesu.

271 Singulari affectu S. Petrus de Alcantara Patres Societatis colebat ob communem animarum zelum, quo fidei propagationi indefessam operam impendunt. Præ cæteris vero hujus religionis conspicuis viris (quibus familiariter utebatur, ut P. Ludovico de Ponte, P. Christophoro Cobos, P. Joanne à Monte Majore viris illuminatis, qui servo Dei per

E multos annos singulari familiaritate coutebantur, ejusque et postea defuncti raram pœnitentiam et contemplationem ubique laudarunt) arctissima illi cum B. Francisco Borgia necessitudo intercedebat. Hanc ne longiori narratione exprimere molestum sit, ex cujusdam epistolæ contextu colligere expeditius videbitur. Destinatus fuerat hic Beatus anno 1557, ob eminentem sanctitatis ac prudentiæ laudem, a magno imperatore Carolo V ad sororem Portugalliæ reginam Catharinam, ut negotia magni ponderis pertractaret. Hinc quo amoris ac existimationis erga S. Petrum de Alcantara pignus relinqueret, talem ei epistolam ex itinere scripsisse invenimus. « Admodum Reverende Pater in Christo. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit nobiscum semper. » Amen. Novit Deus quantam consolationem ex litteris aliisque rebus Reverentiæ vestræ anima mea » capiat ; libenter ad parvum illum conventum vestrum accederem, et pro paradiso haberem in » terra, nisi quia audivi Deum ad se vocasse optimum episcopum Pacis Juliæ ; ideoque illac iter » dirigendum non erit, sed recta Eboram ; atque in » Lusitania existens, curam (quam oportet) de rebus » Reverentiæ vestræ habebo ; sicut et in Deo con-

F fido nos invicem in reditu meo visuros, atque » confidenter de omnibus collaturos. Audivi quoque quod P. magister Zapata valde ab eodem » bonæ memoriæ episcopo amatus fuerit. Ora pro » me, Pater mi, ut communicet Dominus mihi Spiritum sanctum. Ex Xaradilla vigesima secunda » Augusti, millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo. Quocumque modo aliter scripserim, curabo tamen de via instrui ; ut (si possim) » illac transeam, quamvis aliquantulum declinem. » Dominus cuncta dirigat. Et si extra viam fuerit, » erit quod superius dixi ; atque iterum peto, ut » Reverentia vestra oret pro me

» Suus servus in Domino

» Franciscus Borgia. »

S. Franciscus Borgia S. Petrum convenit Pedrosi.

272 Hujus promissi fidem B. Franciscus exolvit ; quamprimum ex Portugallia reversus, Pedrosum accessit. Hic aliquot dies cum S. Petro de Alcantara in devotis conferentiis, cum religiosis cæteris in communitatis frequentatione, cum Deo in variis spiritualibus consolationibus transigere, quo usque muneris obligatio B. Patrem a tam cœlesti habitatione ac societate plenum stuporis, atque ad propria avocaret. De hujus quoque Patre spirituali, nempe venerabili

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

venerabili servo Dei Joanne de Texeda Ord. sancti Francisci, narratur, quod cum ardenti flagraret desiderio conferendi cum S. Petro de Alcantara, quem locorum distantia absentem longe faciebat; aliquando a Deo id concessum fuit, ut uterque se in spiritu videret, ex quo insignis ille Pater summam animæ suæ consolationem caperet. At super omnia testimonia, unum nobis præclaræ venerationis ejus indicium sufficiat ex sancta Teresia in mansione IV cap. III, quæ sic alicubi inter cætera a nobis notata de S. Petro loquitur: « Quidam mihi citavit librum » sancti Fr. Petri de Alcantara, quem pro sancto » habeo, cujus me judicio reddidissem, quia sciebam illum hoc scire. Sed postquam legissem, » inveni quod idem quod ego, diceret; licet aliis » verbis. » Et alibi: « Multas alias res dicerem, ni » timerem a Dominatione vestra corripi, quare hoc » facio etc. In principio videbam, quod me intelli» geret per experientiam, quod mihi tunc maxime » necessarium erat etc. » Sic itaque quoties de S. Petro de Alcantara in scriptis suis mentionem facit; semper titulo Sancti ipsum honorat, et summis encomiis virtutem ejus celebrat.

B

Insigniores quidam S. Petri discipuli. Episcopus Cauriensis.

273 Nec virtutis hujus S. Petri existimatio solum in ea reverentia consistebat, quam mundani etiam quique servis Dei ut plurimum deferre non recusant; sed magis in altissimo quodam illorum conceptu, qui ejus vitam penitius introspicere, atque cœlesti doctrina in via salutis proficere assueverant. Quorum hic nobis aliqua memoria facienda occurrit. Primum inter omnes locum meretur episcopus Cauriensis D. Didacus Henriquez de Almansa. Qui quamprimum de virtutibus S. Petri de Alcantara notitiam habuit, ejus affectu captus, instanter persuadebat, ut in sua civitate ejus instituti conventum fundari permitteret. Quod cum negatum sibi fuisset, omni alio modo ejus præsentiam procuravit; ut cum ipso animæ suæ statum ac pietatis consilia conferre frequentius posset. Itaque cum aliquando S. Petrus Cauriam venisset, ex occasione fabricæ conventus Altamiræ; prædictus episcopus, relictis pro tempore secularibus curis, conventum Fratrum accedebat, ut ibidem omni religioso convictu infimos etiam, immo et ipsum S. Petrum de Alcantara æmularetur. Sicque magna abstinentia atque cæterorum exercitiorum rigore semetipsum affligens, S. Petrum provocabat, ut suo fervori propter complexionis

C

teneritudinem fræna injiceret. Spiritualibus tamen conferentiis tantum proficiebat, ut ab iisdem vix etiam propter urgentissima negotia, avelli posset; quin ad eadem excurrens brevi ad conventum revertebatur, ut animum suavi conversatione sui admirandi Magistri expleret, devotorumque religiosorum imitatione perficeret. Crevit in hoc perfectionis studio tantum devotus, ut relicta pastorali dignitate libenter ad religiosam solitudinem et humilem vivendi vitam transiisset; nisi efficacibus S. Petri de Alcantara persuasionibus pro majori Dei gloria, et animarum lucro in suo munere vitam virtutibus insignem religiosa pietate continuare inductus fuisset. Postea tamen frequenter ad se S. Petrum advocabat, omnisque generis officia, tamquam angelico Viro devote præstando, summa diligentia operam navabat; ut tum orationis ejus assiduitatem, tum abstinentiæ rigorem (quam exacte posset) imitando exprimeret. Hinc quoque majorem redditauum partem in eleemosynas pauperum erogando, suo decori atque sustentationi moderatas impensas præscripsit. Gregi suo, visitando atque consolando, indefessam sollicitudinem adhibuit; suo proprio exemplo, totiusque familiæ modestia quamplurimos ad melioris vitæ amplexum devotionisque exercitia adduxit, in ecclesiastica disciplina conservanda vigilantissimus. Tandem ad concilium provinciale Salmanticæ celebratum anno 1565 invitatus, omnibus illis episcopis cum summo honore gratus, zeli ac virtutis suæ fidem fecit præclaram; ibique morte præventus, venerationis suæ laudabilem memoriam reliquit. D

Comes de Nieba et D. Joannes de Albarado.

274 Hujus episcopi exemplo ejus frater comes de Nieba, summa veneratione S. Petrum de Alcantara prosecutus; prope ejus conventum habitare, sæpiusque servum Dei invisere, atque ejus spirituali directione pro animæ suæ salute ad pietatis opera excitari non desistebat. Unde cum religionis ingrediendi propositum B. Petrus divertisset, comes in familiæ suæ compositione omnem attentionem convertit, ita ut religiosæ vitæ normam extra claustra observaret. Eamdem ad propinquiores suos fœlicius traduxit, cum filium quotidiana sancti Viri instructione educaret; et alium consanguineum suum D. Ludovicum Henriquez annis opibusque florentem, ad devotæ et solitariæ vitæ culturam promptius invitaret. Hic S. Petro de Alcantara diligentius adhærere, neque cum Cauriam venisset, etiam pedester deserere, E ut sanctis ejus colloquiis liberius frueretur. Hinc dignus quoque fuit, qui multorum mirabilium, quæ S. Commissario superne contigerant, spectator atque testis haberetur; tum in raptibus, tum in vaticiniis, quorum omnium post ejus mortem fidelem narrationem fecit. In hac spiritualis vitæ tranquillitate, devotus dominus in quadam sua villa vivendi cursum magna cum virtutis opinione terminavit. Non inferior pietate fuit D. Joannes de Albarado, qui prius sorori suæ D. Isabellæ, filiæ spirituali S. Petri, contrarius, postea virtutis ejusdem æmulator strenuissimus factus fuit hoc modo. Quadam die accedens ad audiendum servum Dei prædicantem, talem sui ipsius cognitionem accepit, ut vanitatibus sæculi renunciare, atque (ni obstitisset S. Petrus) religionem ingredi paratus fuisset. Sed postquam confessionibus ejusdem ac consiliis assuetus, cuncta pretiosiora vendidisset, ut in pauperes erogaret; sacerdos factus vitam adeo religiosam suscepit, ut vestitu vili, jejuniis frequentioribus, cubili durissimo contentus, præclarum suæ virtutis odorem omnibus præberet. In visitando nosocomia infirmorumque cura assiduus, aliquam diei partem in texendis sportis F vimineis (quas pauperibus distribueret) exercitiis impendebat. Ita ut adeo laudabiliter annos triginta octo vitam transigens, miraculis etiam quibusdam condecorari meruerit. Ejus corpus post aliquot annos incorruptum una cum illo sororis inventum fuit, quæ pietatis studio pariter enituit. Hæc enim tunica rudi induta, linum non admittebat, domo numquam (nisi ad sacrum aut confessiones) egrediebatur; carnes numquam gustabat, orationibus semper intenta, diversos a Deo favores experiri meruit.

Ludovicus regis Emmanuelis filius.

275 Ejusdem sancti Viri consiliis magnos in pietate progressus fecit Portugalliæ serenissimus infans D. Ludovicus, regis Emanuelis filius. Qui ex spiritualibus colloquiis S. Petri de Alcantara, cum sorore sua habitis, tantum vitæ perfectioris desiderium concepit, ut cum sibi conscientiæ ducem ac morum magistrum eligens, imitari quoque vivendi austeritate satageret. Cum vero id in statu religioso exequi validissime impeditus fuisset, quo in sæculo magis subditorum saluti exemplo prodesset; Salvaterram secessit, permittente rege, ut liberius spiritualibus exercitiis fervorem

A vorem spiritus accenderet. Hic illustris princeps conventum fabricari curavit duodecim Fratrum capacem, in quorum societate, ac si votum emisisset, in oratione, jejuniis cæteraque religiosa disciplina omnes exemplo præivit, plurimos ad æmulationem provocavit. Accessit aliquando ad hunc conventum S. Petrus de Alcantara, ut ex parte principis rigores moderaretur; hujus consiliis tamquam oraculis in proposito confirmatus, extra religiosum statum eum vivendi tenorem prosequebatur, quem Magistri imitatio atque doctrina, obedientia insuper superioris localis conventus rigorosius suggerebat. In paupertate religiosa imitanda, superflua corporis aut pomposam supellectilem et his similia recusabat. Puritatem vero mentis strictiori custodia sensuum præmuniebat, et ejusdem affectione, nullum aliquo contrario vitio maculatum ad suum servitium admittebat; sicque innocenter vivens, sancto fine in Domino quievit.

Item fœminæ; matrona ex Belvis: 276 (Fœminæ) aliquot sanctitate illustriores, singularem sibi hoc loco memoriam vendicant. In civitate Belvis quædam nobilis fœmina luxui maxime intra honestatis limites addicta, ad S. Pe- B tri de Alcantara famam commota, eum adire in conventu cum alia sua consanguinea proposuit, ut servum Dei super negotio quodam nuptiarum sibi tunc oblatarum consuleret. Ubi vero servum Dei adeo macie extenuatum conspexit, pudore quodam suffusa, et peplum faciei obducens, ad privatum colloquium (pro quo accesserat) reverentius invitavit. S. Petrus Deo negotium precibus commendandum in se suscipit; quo ab eo illuminari mereretur, quid pro Dei gloria animæque suæ salute magis expediret. Hinc sermonem ad puritatis pretia convertens, quibus a Christo animæ desponsantur; utrique virgini, ut monasterium ingrederentur, aptissime suasit. Sensit se nobilis fœmina talibus rationibus ita compungi, ut (postquam se in confessione de secretis conscientiæ maculis apud Deum purgarat) consiliis S. Petri ad novæ vitæ studium (cunctis admirantibus stupendam mutationem) summis animæ viribus privatim aliquandiu, mox etiam ingressa monasterium sancti Joannis de Pœnitentia integre applicarit. Ejus exemplum ac fervorem æmulata consobrina, beato Patre instigante, quamvis annis tenella, eodem se monasterio inclusit, quo maturior reli- C gionem aliquando profiteretur. Sic itaque ambæ Viri Dei monitis ad perfectionis cursum animatæ, prior singulari virtutis exemplo enituit; dum continuis ejusdem doctrinis fovebatur. Fuit hæc serva Dei Maria a Jesu, quæ propter insignem pietatis famam discipula S. Fr. Petri de Alcantara nuncupata, multa ejus mirabilia post mortem publicavit; prædicendo eum aliquando publicæ venerationi, Sancti titulo proponendum fore. Perseveravit ipsa quamplurimis annis in prædicto monasterio singulari pœnitentiæ atque devotionis tenore; usque quo naturæ debito soluto, quibusdam miraculis corruscaret, ita ut campanæ quoque proprio motu pulsatæ, totam civitatem ad ejus exequias convocarent.

Maldonada, 277 Inter cæteras etiam nobiles fœminas, quæ in conventu de Belvis S. Petrum de Alcantara frequentabant, singularis quædam religiosorum benefatrix filiam habebat nomine Maldonatam, in pietatis exercitiis optime instructam. Hæc sæpe de rebus spiritus servum Dei consulendo, quadam vice de amore Dei talia disserentem audivit, ut quasi telo quodam transfixa eidem acquirendo totam mentis aciem applicaret. Unde continua oratione exardescens, plurimis cœlestibus favoribus illustrata, Magistri disciplinam in humilitatis schola numquam refugiebat; sed divinæ voluntati totam se permittens, tales extases habere visa fuit ut multis illusionis suspicionem injiceret, et suggillandi S. Petrum occasionem daret, quasi adolescentulam in paterna domo tenere educatam talibus diabolicis fallaciis decipi permitteret. Quibus opinionibus detegendis atque optimæ famæ ejusdem adolescentulæ, quam sparserat S. Petrus de Alcantara, confirmandæ, placuit Deo eam sequenti successu illustrare. Assistebat illa devotissime sacro cuidam, quod ad altare crucifixi in ecclesia parochiali celebrabatur, ubi contemplationi Dominicæ Passionis immersa, affectus teneritudine in diffusum planctum prorupit, mox quasdam voces sibi interius resonantes audivit, quibus in altissimam extasin rapta, omnibus singularem admirationem cum reverentia ingessit; his præcipue quibus voces illas audire a crucifixo concessum fuit. Hæc ad B. Patrem perlata induxerunt, ut famulam Christi multas contradictiones passuram admoneret atque ad eas patienter tolerandas animaret sanctorum exemplis, quorum in adversis constantia maxime probari solet. Animo itaque in Dei E servitio, ac spiritus devotione firmata, quamvis ex primis civitatis esset, cum vilioribus tamen conversari non abnuebat, quo alios eleemosynis sublevaret, alios doctrina instrueret, alios infirmitate oppressos curaret; omnes denique monitis ac exemplis ad pietatis cultum efficacius alliceret. Tandem magna sanctitatis fama inclarescens, post varias prædictiones a Deo sibi revelatas, sancte obdormivit in Domino.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Ven. soror Anna Maria. 278 Venerabilis soror Anna Maria Plasentiæ oriunda, a primis annis discipula fieri meruit S. Petri de Alcantara; ea occasione, qua ipse in domo Patris sui hospitio aliquoties receptus, aliquando ejusdem precibus sanitatem recuperavit. Quæsierat ipsa quadam vice quare oculis semper clausis incederet Sanctus, quasi cæcus esset. Ad quod ille: Filia, qui Deum intus in anima sua gerit, oculos habere non debet, ut terrena alia respiciat. Quo responso adeo virgo in Dei amorem accensa fuit, ut imposterum Deo soli cor suum offerre, mundana quæque despicere, ac tandem ad cari Magistri nutum religionem ingredi proponeret. Distulit tamen effectum, dum juxta Divi nostri monitum, monasterium primi instituti sanctæ Claræ F in eadem civitate extructum fuit. Ibi postea tanta pietatis ac pœnitentiæ asperitate emicuit, ut exquirentibus aliis Sororibus tam mirandæ austeritatis motiva, ipsa respondere soleret se Magistri sui vestigia sequentem, ad tormentorum ejus rigorem nec a longe quidem accedere posse. In orationis exercitio plurimis a Deo visitationibus illustrata fuit; octuagesimum annum attingens, ac morti propinqua, meruit a Domino circumdato splendidissima luce visitari, qui ei quoque promisit brevi se in cœlo visuram; et quod S. Petrus, morti ejus assistens animam in cœlum comitari permitteretur. Exultabunda super his devota religiosa, alteri suæ Sorori intimæ lætum monitum communicavit; expectandoque adventum S Petri de Alcantara, chorum Virginum ad se venientem conspexit, quarum conversatione paradisi delicias prægustare videbatur, priusquam exiret e vita. Quærebat interim amica illa, an inter istas S. Fr. Petrus advenisset; cui nondum tempus esse respondens, aliquantum post (cum agoni propinquior fieret) servum Dei mirabiliter resplendentem adesse agnovit. In hujus societate cum cæteris animabus beatis,

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

beatis, amoris potius resolutione, quam animæ dolore ad superna feliciter evolare visa fuit. Corpus a religiosis ejus monasterii honorifice custoditum, singulari veneratione memoriam ejus commendat. Ex his itaque paucis cæterarum, quas S. Petrus de Alcantara erudiit, animarum integritas ac perfectio judicari potest; quamvis in privatis domibus activæ vitæ attenderent. Ita ut non minus, quam gloriosus ejus Pater Franciscus, qui Pœnitentum Ordinem sæcularibus instituit; S. Petrus eodem zelo plurimos diversæ conditionis ad vitæ spiritualis studium adduxerit, qui suo exemplo, totius Hispaniæ civitates virtutum exercitiis implerent. Sicque S. Petrus de Alcantara omnium ora ac animos devota veneratione percurrens, celebrari etiam a plurimis scriptoribus obtinuit.

LIBER QUINTUS.

B

De extrema S. Petri de Alcantara infirmitate usque ad corporis ejus translationem.

Pedrosum venit. Salutaria ejus monita.

Antequam vita egredi S. Petrum contigisset, conventus, ac Fratres suos paterna sollicitudine invisere destinavit, ut observantiæ rigorem ac charitatis fervorem confirmando accenderet. Discedens itaque Avila (ut in fine tertii libri narravimus) et novis accessibus dolorum gravatus, post difficilem viam accessit Pedrosum, primam suæ reformatæ familiæ plantam. Hic indicibili consolatione propter anteactæ vitæ memoriam, atque cœlestium favorum largitionem repletus, quadam die coram devota imagine (quæ hic servatur) gratias eidem Deiparæ referendo in stupendam extasim rapiebatur. Ita quod defixis in eamdem imaginem oculis, corpus in aere, anima in superis detineri omnes judicare possent. Nec per paucos illos dies, quibus hic morabatur, anteactorum temporum favores a Deo concessorum, sine lacrymis copiosissimis, recogitare poterat, ut omnibus apparebat; ultra quas profunda suspiria continuo C edens, cordis affectus externis indiciis prodebat. Memoria digna videntur aliquot documenta, quæ in hac occasione religiosis suis diligentius relinquebat, sic dicere solitus: « Quamdiu vos debito » verorum filiorum respondebitis, vivendo in san» ctitate morum, Dominus benignissimus vobis, » tamquam verus pater, propitius erit. Causa » vero, quare in monasterio necessitates corpora» les deficiunt, ex eo provenit, quia in illis negli» genter Deo servitur. Quas misericordias experti » non estis vos in extremis vestris necessitatibus? » Hic idem conventus fidem hanc vobis faciet, per » tot mirabiles subventiones, quas in extremis de » cœlo expertus fuit: quemadmodum et cæteri » conventus novæ hujus provinciæ, ubi Dominus » sæpius religiosos nostros Fratres cœlesti pane » pascere dignatus fuit. Ponite itaque, filii, in Deum » omnem fiduciam vestram; ab ipso etenim erit » omne vestrum remedium curæ habere. Usque » enim hodiernum diem numquam derelictus fuit » quisquam, qui in eo, spem suam firmiter colloca» vit. » His tam affectuosis monitis amorem Patris concipientes filii, extremam hanc ejus visitationem esse suspicabantur. Indeque lacrymis eum ad portam usque prosequuti, ne a cæterorum conven- D tuum spirituali consolatione diutius detinerent, accepta benedictione recesserunt.

Conventus Rosarii et Viciosæ ultimum visitat.

280 Hinc B. Pater ad conventum Rosarii, jumento quodam vectus pergebat. At ubi eum adeo extenuatum conspexere religiosi, extremum vitæ imminere judicarunt. Ideoque lautius solito curare solliciti, nequaquam obtinere poterant, ut a solito suo rigore vivendi remitteret. Exemplo enim hujusmodi insinuabat, qua ratione usque ad mortem, corpus suum tractare Fratres sui deberent. Sicque paucis ibidem diebus in Fratrum visitatione consumptis, ille horum vivendi austeritate consolatus; hi orationum ejus suffragio confisi, ab invicem separari ægre potuerunt. Perrexit tandem Viciosam, ubi plusculos dies commorari contigit, dum illuc varii juvenes ad famam sanctitatis loci convenissent, ut admitti ad habitus susceptionem impetrarent. Horum itaque spiritu probato, ad institutum (eos) admisit et cum quibusdam provectioribus virtute atque ætate, ad excolendos alios conventus distribuit; ut ubique et pietatis magistri et laborum socii in promptu haberentur. Recreabatur valde Vir sanctus studiis orationis et interioris mortificationis, quibus attentos conventus hujus E incolas serio videbat, eosque suo exemplo ad majora animabat: sæpe enim videbatur in eremitorio (quod a Betlehem nuncupabant) solitarius, multas horas in contemplatione Dei, etiam in aere sublevatus perseverare; aut lacrymis et suspiriis divinam majestatem, sanctissimamque ejus Matrem exorare. Interdum montem propinquum ascendebat, amoris fervore magis quam virium vigore suffultus; ibique longiori oratione ac contemplatione cum Deo communicans, omnes creaturas alias ad laudem Conditoris ardenter invitabat, talesque voces subinde edebat, quæ audientium corda in divinos affectus mirifice attraherent.

Lætos accipit nuntios.

281 Inter alias consolationes, quas in superiori loco recepit S. Petrus de Alcantara, non inferior erat, quam per litteras custodis Galitiæ P. Michaelis a Catena et custodis Valentiæ P. Alphonsi de Lerena sensit; dum istorum conventuum religiosum statum cum his (quos ipse visitarat) perfectione certare intellexit. Nam de novorum conventuum fundatione, pietatis quoque ac sanctæ paupertatis augmento instructus; videbatur Vir F Dei dolorum (quos patiebatur) vim, hujus novitatis consolatione sublevare. Lacrymæ enim cæteraque indicia, quæ a religiosis observabantur; internam mentis lætitiam indicabant, quam subinde externa etiam ad Fratres exhortatio, ut Deo gratias referrent et pro futuro Reformationis progressu spem haberent, omnium animos ad devoti Patris solatium erigebat. Hinc ad superiorum litteras tanto affectu respondit, ut omnes ad perfectionis studium, novo quasi spiritu inflammaret. Ultra quod filios suos jam morti propinquus, cum præsens non posset, litteris tamen visitare atque amplecti non negligeret. Augebat hæc omnia nuncius sanctæ Teresiæ, de possessione suæ fundationis adita die sancti Bartholomæi, ut cum S. Petro de Alcantara conventum fuit. Et quod quatuor illæ virgines ab ipso eruditæ, habitum religionis, ac novi instituti suscepissent, summa jucunditate B. Patris animum afficiebant tam fœlici rerum successu.

Infirmatur.

282 Cum itaque animo cuncta præsentis vitæ revolveret, nec sibi superesse quicquam desiderandum, nisi dissolvi et esse cum Christo, serio pensaret; sæpe a religiosis suspirando in has voces erumpere auditus fuit: Principium amabile et omnis

A omnis sufficientia mea, quando me accipies; ut totum in te immergas et transferas, ut numquam amplius pereum? Quando submotis omnibus impedimentis, me facies tuo spiritui conjunctum, ut a te numquam possim divelli? Et quia sciebat brevi se a Domino exauditum iri, procurabat paucis illis diebus vitæ (quæ supererant) novos rigores solitis pœnitentiis adjungere. Sed impeditus a charitate religiosorum, qui deficientem viribus prohibebant; in lacrymas distemperans mentis fervorem, videbatur amarius deflere vitæ transactæ negligentias, dum instantius repeteret: « Væ mihi servo inutili » et nullius fructus. » Quibus verbis atque affectibus omnium Fratrum corda in se converti, et pœnitentiæ ac paupertatis studia incredibili aviditate amplecti efficacius persuadebat. Paucis abhinc diebus S. Petrum de Alcantara acuta febris in lectum prostravit, cui subvenire opportunis remediis loci solitudo prohibebat, eoque magis afflictos religiosos omnes tenebat. Hinc quam citius comitem Oroposæ de sancti Viri statu certiorem faciunt, ut pro affectus pietate carissimo suo Patri spirituali promptius adesset. Nec fefellit opinio, cum mox advolans comes ad pedes B. Patris prostratus rogabat, B ut se permitteret ad palatium suum deferri. Quod licet ipse negaret prius; divina tamen cognita voluntate ut Arenas appropinquaret, ubi sepeliendus erat, preces admisit. Vix tamen alio quam jumento vehi voluit, ut molestias pateretur, associantibus sibi prædicto comite et duobus Fratribus, dum reliqui in conventu relicti sancti Patris vices et lacrymis et precibus prosequebantur.

Decumbit in domo comitis Oropesæ.

282 Pervenit itaque S. Petrus de Alcantara ad comitis domum lassus adeo, ut vix non animam trahere videretur. Ibique ad cubiculum ornatu præclaro instructum perductus, nequaquam in lecto pretioso decumbere, sed in angulo quodam ac strato humili quiescere elegit, ubi altare quoddam præparari supplicavit. Omnibus quidem sancti Viri debilitas mœrorem augebat, sed ejus præsentia, tamquam de thesauro quodam acquisito, amplius lætabantur. Hinc advocare medicos, qui morbi vim declarando, remedia opportuna obedientiæ præcepto injungebant. Ministrare cibos, qui contrarii solitæ Viri abstinentiæ, magis cruciare quam reficere videbantur. Augeri tamen paulisper morbus, ita ut febris ossa etiam penetrans, doloribus totum excruciaret. Inde crus in- C tumescens et in ulcus erumpens, in lecto immobilem detinebat. Accedebat consuetus stomachi dolor, qui nimium auctus interdum loquelam impediebat; ita ut nulla pars corporis suo singulari tormento careret. At spiritu gaudens S. Petrus de Alcantara nullum externum doloris aut querimoniæ dabat signum. Sed ex ipsis medicamentis, quæ torquebant, motiva solatii capere videbatur. Maxime autem affligebat S. Petrum de Alcantara, quod sibi serviri a comitissa permittere cogeretur; dum ipsa omnia propriis manibus ministrare, atque infimis etiam officiis adsistere lætabatur. Permisit insuper Deus, quo meritum Servi sui augeret, eum (quia impatientia morbi vinci non poterat) interea dæmonum suggestione ad iram provocari, ita quod cæteris omnibus tentationibus superior, aliquo suspirio animum alleviaret dicendo: Sit nomen Domini benedictum; fiat voluntas tua. In hac vero quasi imparem diabolus eum succumbere posse putabat, cum ministerio quorumdam ex comitis famulatu hoc modo aggrederetur.

Male habetur a famulis.

283 Obtinuit B. Petrus pro sua humilitate ab insigni comitum charitate, ut hora refectionis sibi a quibusdam eorum domesticis vice dominorum, qui hoc præstare consueverant, liberius servire- tur. Unde cum quidam ad hoc servitium ephebi comitis destinati fuissent, qui cibos ad eum deferrent atque porrigerent; suggestione quadam diabolica officium quotidianum in irrisionem ejus convertere incœperunt; ita quod aut actiones ejus irridentes, aut doctrinas (quas dictabat) salutares subsannantes, contemptum potius ac convicia, quam refectionem aut solatium eidem præstarent. Quæ omnia diu magno ac patienti animo sufferendo S. Petrus, numquam de his injuriis apud aliquem conqueri, nec serenitatem vultus aut animi tranquillitatem mutare ullo modo visus fuit; ita ut præ cæterorum dolorum ac ægritudinis, tolerantia singularis hæc (quam a dæmone sibi intentari cognoverat) magnam virtuti suæ coronam addidisse, post mortem ejus vel ipsi juvenes confessi fuerint; dum rem rite enarrando admirari se dicebant, quomodo ipsi talia tunc ausi in domo Domini sui, singularem Viri reverentiam in tot opprobria tam inconsiderate convertere præsumpsissent. Quod nisi ab aliqua vehementi dæmonis suggestione fieri potuisse, communi omnium opinione ad probandam S. Petri de Alcantara con- E stantiam, conclusum fuit. Mansit in hoc statu B. Pater per aliquot dies in præfata domo comitis de Oropesa, assidua utriusque conjugis assistentia honoratus. Quibus ille varia spiritualia documenta suggerendo et affectum rapiebat ad cœlestia, et alios quoque provocabat ad pietatem; dum pro animæ suæ salute consilia exquirerent, et benedictionem frequenter ac devote peterent. Admirabantur quidem omnes, quod tali rerum statu B. Petrus singulis satisfacere tum in consulendo, tum in erudiendo rite posset; sed multo magis ad patientiam ejus stupefacti, ad morum correctionem et mundanorum casuum patientiam tam mirabili exemplo animari videbantur, dum compuncti recederent.

Defertur Arenas.

284 Quamvis omnia humana remedia devoti comes ac conjux ejus S. Petro studiose adhibere curarent, videbatur tamen interea febris serpendo secretius vitam minuere. Unde cognoscens paucos sibi dies superesse, instabat ad conventum de Arenas transferri, ut inter manus suorum Fratrum humili ac devoto loco moreretur. Cui licet obstarent comites, metu alicujus sinistri successus in itinere; tamen, cum ei id futurum neganti credi- F dissent, ægre ac cum summo dolore a se dimittere voluerunt. Advocatis itaque a conventu Rosarii duobus sociis, et comitissa discessum Viri sancti deplorante, S. Petrum de Alcantara jumento impositum, ipse comes cum medico deducere ad conventum summa pietate suscepit. Hinc data benedictione devotæ benefactrici ac numeroso populo, qui ad videndum S. Petrum confluxerat, Oropesa discedens sustentantibus se duobus religiosis, ac comite cum medico associantibus, ad conventum Arenarum sine ullo novo morbi accidente pervenit. Hic religiosorum mixto cum dolore gaudio exceptus, petiit trium vel quatuor dierum requiem, ut se solus recolligeret, nullum aliud præter orationis solatium admittens. Ubi insolitis a Deo favoribus visitatum, non inepte religiosi judicarunt. Postea guardiani præcepto, ut medicorum consilio obsequeretur, ad locum conventui propinquum (ubi infirmi curabantur) delatus, humili strato impetu quodam injectus, quietem appetere indicabat; sicque omnibus vitæ longioris spem præscindens, reliquum medicorum curæ permisit. Et licet ipse nihil sibi profuturum ad sanitatem intellige- ret;

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

ret; obedientiæ tamen ac naturalis debiti persuasione, etiam cum cruciatu curationis asperitatem tolerabat, quo extremum etiam vitæ inter tormenta claudere posset. Nec omisit propterea divini officii pensum exolvere, cum singulis diebus maxima cum devotione horas recitare conabatur, animi interiorem affectum lacrymis ostendens; et interdum flammam divini amoris, magis quam febris, quæ vitam consumabat, eructans, provocabat cœlestes spiritus hujusmodi vocibus: Vos Seraphim, qui cœlos accenditis sicut et terram vestro amore, ne deseratis humile et miserabile cor meum.

S. Teresiæ litteras mittit.

285 Quatuor circiter ante obitum diebus, magister Daza de infirmitate ejus sollicitus, litteras quasdam D. Francisci de Salzedo citus attulit, ut oretenus etiam quædam alia conferret. Relatum itaque S. Commissario fuit quomodo sanctæ Teresiæ novæ difficultates objiciebantur, pro sanctæ paupertatis negotio, quod sustinebat, et S. Petrum valde affligebant. Unde cum morbi vi præpeditus, pro remedio (cui hactenus quamplurima præstiterat) Avilam ire non posset, epistolam (quo meliori modo potuit) ad Teresiam scribit, in qua ad propositi perseverantiam in paupertatis defensione,
B mirabiliter eam exstimulat; addendo insuper asseveranter post breve tempus omnes illas oppositiones fœliciter terminandas, ac omnino irritas fore. Ad hæc instruxit quoque Dazam, qua ratione quorumdam animos sanctæ paupertati maxime adversos demulceret, spondens se quoque eamdem rem in memoria habiturum; quemadmodum etiam post mortem experientia comprobavit. (*Et reapse haud ita diu post S. Petri mortem, prodiit a Sede apostolica diploma, quo omnes adversariorum conatus tandem elisi sunt.*) Sic igitur toto vitæ tempore S. Petrus de Alcantara se zelantissimum instituti sanctæ Teresiæ promotorem demonstravit, dum sanctæ paupertatis defensionem suscipiens, atque ultima manu protegendo, cuncta propria alienæ sollicitudini postponeret, nec ideo a Dei continua conversatione vacaret.

Fratres suos consolatur.

286 Postquam fama mortalem B. Patris infirmitatem Arenis et in vicinis terris divulgasset; confluxere undique populi ad videndum ac audiendum eum, cujus venerationem affectu tenebant. Itaque ille omnes quantum morbus permisit, (admittebat); aliis sæculi contemptum persuadendo, aliis adversorum tolerantiam spe æternorum præmiorum com-
C mendando; sic ut omnes ad amorem pœnitentiæ accensi, ac in devotione erga Dei servum confirmati, præclaros ex ejus monitis virtutum fructus colligerent; et ipse admirandi sui zeli pro animarum conversione fidem certissimam usque ad ultimum spiritum manifeste redderet. Idem præstitit absentibus suis devotis ac suis Fratribus, quorum litteras aliàs monitis spiritualibus plenas rescripsit, aliorum ædificationem propriæ quieti postponens, licet quotidie eamdem Deo approximaret arctius. His omnibus propinquiores fuerant ejus religiosi, qui pietatis affectu eum ad medicinæ usus animabant, quo multorum utilitati spirituali diutius prodesset; sic vero eum monentem audiebant: « Sinite » filii et fratres, ut terra suo officio fungatur; » media tarda sunt nimis, et si quædam recipio, » ad nihilum ultra valent, quam ut tormenta mea » producant. Non prætendo in his doloribus vires » corporis absumere, sed gratiam Dei acquirere. » Interdum sic disserebat: « Natura ea, quæ gratiæ » contraria sunt, appetit; ideo dum vivitur, periculum imminet, et sic usque ad mortem semper » vigilandum erit. Videte, filii, quantam nobis sollicitudinem Sancti commendent, et quam parum
» de nobis confidendum sit. Respicite magnum D
» illum sanctitate Paulum, in gratia confirmatum; » quomodo a sensualitatis bestia sibi timebat, cum » corpus affligeret, dicens: Sentio aliam legem in » membris meis repugnantem legi mentis meæ. » Cui si hoc contigit, quid mihi non timendum erit, » qui tanta securitate plane careo? Non licet in hac » vita corpori indulgere propter periculum, quod » affert secum; nec remedia necessaria videntur, » cum amplius juvare non possunt. » Ad hæc verba religiosos in planctum diffusos sic solabatur: « Quæ » hæc vestra angustia est, filii? Quis dolor vos » tenet? Nolite obitum meum plangere; tempus » enim adest, quo divina misericordia immensa » mei miserebitur, et spero quod vestri non obli» viscetur. Ego hic ultra necessarius non sum. » Ipsi vero teneriori affectu commoti instare ulterius, ut a Deo longiorem vitam precibus obtineret; quo melius conventus suos contra tot oppositores firmaret, atque in perfectione observantiæ instrueret. At S. Petrus interno affectu, voce submissa, sic in cœlum orationem vertere auditus fuit: « Do» mine et Deus meus, si amplius pro hac hæredi» tate tua necessarius sum, et tibi placitum fuerit,
» ut pro novis laboribus vivam, fiat in me sancta E
» voluntas tua. Pati enim non recuso, modo ita » tibi placeam. »

Insignis patientia.

287 Non omittebant interea medici diligentem ejus curam agere, applicando remedia præsertim auri, quod (hæc) majori eum dolore excruciabat. Nec ipse etiam pro febris ardore aquam admittere visus fuit, quo in omnibus torqueri se sentiret, prout toto vitæ tempore assueverat. Hinc quodam die persona quædam hujus loci devota cubiculum ingressa, benedictionem ejus postulabat; cui ille monitis salutaribus respondens cum singulari adstantium consolatione, videbatur pro sitis ariditate verba proferre non posse. Itaque egrediens persona illa et aquam frigidam apportans, rogabat, ut tam ingenti necessitati succurreret; S. Petrus de Alcantara vero vase de manu amici accepto, ut affectum compensaret, dum ulterius ori admovendo oculos in crucifixi imaginem intendit; sitis (quam Salvator passus fuit) memor, illud eidem in holocaustum obtulit, nec guttam quidem degustans amico reddendo, subdit: Sit propter amorem Dei, ipse hanc vobis charitatem reddere di-
gnetur. Sicque fixis in lateris vulnus oculis diu F
persistens, omnium in se admirationem atque devotionem convertit.

Visitatur a Christo, B. Virgine aliisque Sanctis.

288 Inter hos corporis cruciatus singulares favores Deus animæ B. Patris communicabat, dum longo interdum mentis excessu noctes transigens, in altissima contemplatione colloquia cum Deo et Sanctis suis misceret; quæ a religiosis ex splendore cujusdam lucis insuetæ dignosci poterant. Interdum etiam ex verbis, quæ hinc inde miscebantur, sanctorum cum ipso commercia audire quibusdam concessum fuit; singulariter vero quadam vice, cum a Christo ac Matre ejus sanctissima, et sancto Joanne Evangelista (*erronee ponitur Joannes Baptista in Annalibus Minorum*), (cum) visitari, ex insolito apparitionis splendore atque interrogationum vicissitudine illorum præsentiam distinctius concluderent. Cujus equidem tam sanctæ conversationis delicias exprimere nobis negatum est; sicut religiosis præsentibus id tantum constare potuit magnas fuisse, ex eo quod Petrus de Alcantara sæpe privatim conquereretur, se adhuc per aliquot dies in hoc mundano carcere detinendum esse.

289 Nec interea charitatis Fratrum immemor, absentes

Senioribus, ad se vocatis Fratribus, commendat paupertatis et orationis studium.

absentes aliquot senes ad se venire mandavit, ut cum his ultimos sermones haberet, qui in futurum novo instituto conservando prodessent. Confluxere itaque ex propinquis conventibus, tam vocati quam alii, quos videndi postremo Patris ac benedictionis ejus accipiendæ cupiditas allexit. Quibus quidem sic adunatis cœpit Vir sanctus priora Dei beneficia commemorare tam in vocatione, quam sustentatione mirabili, addendo obligationem strictam, qua Deo tenebantur tum in observatione regulæ, tum in orationis ac mortificationis exercitiis, quibus ad imitationem sui institutoris ac Patris S. Francisci maximopere incumbendum esset. Super omnia vero paupertatem eis iterato commendabat, dicens : « Filii, paupertatem vobis injungo ; filii, paupertas nobis a Christo relicta fuit pro hæreditate, quia natus in præsepio, mortuus est in cruce. Hanc etiam P. Franciscus commendavit : Vivite ut pauperes et peregrini in hoc mundo. Ah quod illi, qui plura desideraverint, multo pauciora invenient, quam quæ invenire desiderant ! » Exhortabatur quoque ad orationis exercitium dicens : « Oratio, filii, vestrum quotidianum sit exercitium, hoc vobis injungo tamquam cæte-
B rarum virtutum fundamentum, ad quarum exercitia tenemini. In Deo omnem curam vestram ponite, et cum omni fidelitate servite ei, ipse vos enutriet. Loquor vobis per experientiam, dum numquam in vanum spes meæ cesserunt, quas in Domino posui. Non vos deterreat vitæ asperitas, quam elegistis ; nec videatur difficilis via crucis, quam tenetis. Animemini pro Deo ardua aggredi ; ipse enim vos juvabit. Assuescite pœnitentiæ ; et Regula Seraphica vestrarum sit actionum speculum, et consolentur vos in omni tribulatione verba S. P. N. Francisci, quibus filios suos hortabatur : Magna promisimus, sed majora promissa sunt nobis. « Hæc et similia tanto spiritus fervore filiis suis S. Petrus de Alcantara dictabat, ut firmiter mentibus eorum impressa, ad perfectionis studium mirabiliter accenderent. Alia insuper senioribus pro conservatione atque augmento disciplinæ suggessit, ac tandem omnibus benedicendo a se dimisit.

Ad viaticum se præparat:

290 Die Veneris subsequenti circa horam Completorii, crescentibus notabiliter doloribus, sanctissimum Viaticum expetiit. Medicus vero (qui aderat) differri illud usque in crastinum diem posse
C monuit ; cui ipse respondit : Fiat in Dei nomine, cujus in omnibus voluntas sit benedicta ; sinite me solum. Erant in eodem angusto cubiculo multi sæculares, quibus catervatim accedentibus benedictionem dabat, ut sic consolati recederent. Tandemque omnibus exclusis, integram quasi noctem in oratione transegit ; dum interim suspiria edens, audiebatur se ipsum accusare tamquam ingratum et peccatorem, præteritorum defectuum veniam cum lacrymis petens. Quæ sane Viri innocentis accusatio et dolor, cæterorum Fratrum compunctionem et humilitatis confusionem elicuit. Circa mediam noctem socius cubiculum ingressus, ut pro more secum officium persolveret ; quo recitato iterum in contemplatione perseverans, audiebatur ad sacram communionem (se) præparare. Sæpius : Miserere mei Deus : repetens ; verba : Amplius lava me ab iniquitate mea : voce vehementiori intonabat, magnaque compunctione dicebat : Munda me Domine magis, magisque, ut mundus coram altissima præsentia vestra appaream, a qua nulla res nisi pura recipitur. Mox paulisper subticendo, repetebat fortius : Deus meus, et Dominus meus, castiga me si vis, sed cum misericordia ; quia per merita sanctissimæ passionis tuæ salvari confido.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

quod accipit,

291 Die Sabbathi valde mane accessit parochus loci cum aliis sacerdotibus, ut inviserent ac quærerent, an Viaticum afferri vellet. Cui S. Petrus de Alcantara impatiens moræ : Ita domine ; divinam majestatem expecto, respondit. Interea altare quoddam decenter præparatur prope ejus stratum ; ipseque solitis suspiriis et affectibus, varios ex Davidicis Psalmis versiculos repetere intelligebatur, quibus animam accendens, in suavissimam extasim rapitur. Divulgata hac fama confluit ingens incolarum numerus, ut B. Patri in hoc ultimo vitæ officio obsequeretur. Dein parochus, ut primus cubiculum ingreditur, vidit S. Petrum jam ab extasi ad se reversum, impetu quodam spiritus, licet viribus impotentem, sursum ferri, et genibus flexis sanctissimam Eucharistiam apertis oculis ac lacrymantibus adorare. Sicque pectus fortiter tundens, devoto affectu iterabat : Domine non sum dignus : quasi aperire pectus optaret, ut intra cor suum Dominum reciperet. Quo recepto impetum spiritus refrænans iterum recubuit, et facie serena admirationem omnibus provocabat ac devotionem. Interrogatus proinde a parocho, an extremæ Unctionis sacramentum afferri optaret pro F
anima magis roboranda ? Cui ipse : Ita domine ; dominatio vestra afferat suo tempore ; quia ut christianus hoc sacramentum peto. Sicque cuncti recedentes, unionem servi Dei (quam tunc cum Deo habebat) ultra turbare non sunt ausi. Itaque ipse Deum ardenter invocando, ac pietatis affectibus amplexando, per jucundam extasim primitias futuræ gloriæ degustare cœpit, atque exiguum quod restabat vitæ tempus per revelationem cognoscere. His tam fœlicibus nuntiis post aliquod spatium ad se reversus, a medico quærebat, quantum adhuc sibi vitæ superesse crederet. Et accepto responso parum id esse, vultu hilari verba hæc Psalmistæ proferre visus fuit : Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi ; in domum Domini ibimus. Interea tamen solitis doloribus cruciatus, numquam aut animum aut vultum mutare visus est ; sed propter internam spiritus consolationem, instantis gloriæ externa quædam velut indicia prodere.

sicut et extremam Unctionem.

292 Circa vesperam reversus parochus, aliquamdiu cum eo conversatus obtulit se, necessitate urgente, sacramentum extremæ Unctionis ministraturum : cui S. Petrus animadvertens ejus suspicionem, F
ne intentionem mors præveniret, respondit : « Eat dominatio vestra, cænet et quiescat sine metu ; expecto ipsam crastino die hora quarta » (quæ more Italico icitur decima) « cum extrema Unctione, quia usque ad sextam » (quæ secundum Italicum horologium est duodecima) « adhuc vitam habebo. » Majorem hujus noctis partem in contemplatione transegit, quando circa Matutini horam vocavit religiosos, ut ipsi assisterent. Nec dici potest, quanta devotione cum ipsis officium persolvit ; tum quia ultimum, tum quia festum imminebat evangelistæ S. Lucæ. Dein dimissis Fratribus, quibus semper aliqua documenta salutaria suggerebat, ad contemplationem se recollegit per duas integras horas ; ubi varios ex Davidicis Psalmis versiculos proferens, animam suam devote recreabat, et inter alios : « auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum » et terram. Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus ; Deus meus, » adjutor meus, et sperabo in eum. » His alias quasdam aspirationes adjungens dicebat : « In te » Deus meus omnem fiduciam meam toto vitæ » tempore posui, et spero in hac hora thesauro meo » frui,

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

» frui, ad quem semper cor meum direxi. » Sicque animam recreans, corporis cruciatus quasi vincebat; ita ut assistentibus Fratribus tenerum pietatis sensum suaviter extorqueret. Hora autem quarta, et more Romano decima, appropinquante, accessit parochus cum extrema Unctione, ab aliis sacerdotibus ac devotis secularibus comitatus. Jamque orationem solitam cum cæremoniis incipiens, audivit S. Petrum tamquam sanum valde attente ad singula sibi respondentem. Dein cum gratiis parocho expedito, ad Fratres suos conversus et crucifixum intuens, videbatur ejus similitudinem exoptare, quem nudum in cruce mori aspiciebat. Hinc spiritus quodam impetu, habitu se spolians, consignavit guardiano, humiliter supplicando, ut sibi viliorem concederet, in quo sepeliri posset, simulque deprecando molestias, quas omnibus creaverat, aut offensas, quas imprudenter commisisset.

Virginalis castimonia.

293 Stupebant ad hoc spectaculum Fratres conspicientes virum tantæ virtutis et pœnitentiæ signis opertum, culparum veniam postulantem tamquam criminis reum, quod nullum commiserat; indeque in seipsos converti, et vitæ suæ rationes exquirere, atque ad pœnitentiæ imitationem exstimulare. Et B quia alius habitus inveniri non poterat deterior, a guardiano pro eleemosyna suus illi redditus fuit; quem ipse cum gratiarum actione recipiens, paupertatis singularem observantiam Fratribus insinuavit. Interim autem dum nudus ac in terra genibus flexis coram Fratribus adsistebat, Fr. Gasparus a sancto Josepho charitate motus, corpus ejus jam quasi emortuum tangens, monuit, ut super stratum decumbens calefieri procuraret. Ad quem S. Commissarius: « Sine me, fili, nec corpori meo molestus sis; quia adhuc periculum timeo. » Indicans quanta semper custodia puritatem corporis sui sepiisset, dum nec etiam morti proximus illud vel leviter tangi permitteret a carissimo suo discipulo pietatisque alumno strenuissimo.

Fratribus supremum valedicit.

294 Supremæ jam horæ proximus S. Petrus rogavit guardianum, ut cum cæteris religiosis orationes sibi recitaret, quas pro animæ commendatione Ecclesia destinavit. Quibus ipse devote respondens, hoc officium devote explevit, licet voce deficiens. At mirabili quadam virtute roboratus, mirabiles de vitæ hujus fallaciis sententias eructans; ac tandem voce magis sonora, quasi sui oblitus, ad suos Fratres sic loqui auditus fuit: « Filii C mei, in hac ultima hora repeto vobis ea, quæ sæpius inculcavi de sancta paupertate, quam vobis injungo quantum possum; quia pauperum spiritu regnum est cælorum. Solliciti estote in observatione illius, quod edocti estis a me; nec gravia vobis videantur regulæ institutique præcepta. Levis enim labor est, et præmium infinitum ac æternum. Si perseveraveritis usque in finem, Pater vester cœlestis regnum vobis promittit cœlorum. Vitam vestram ad Christi exemplar instituite; omnis vestra sollicitudo pro animarum salute intendatur, ut doctrina vestra eas Deo lucremini, et exemplo viam ad cœlum monstretis. Sit conversatio vestra inter angelorum choros, cum his in oratione servite Domino; hæc enim omnium virtutum aurifodina erit. Felices vos dicam, si hanc doctrinam meam servaveritis, aliosque Fratres vestros observare feceritis; vivatque in vobis semper amor Christi Domini nostri, sic enim in vobis vivet ipse. »

Moritur.

295 Post hos sermones omnes devoto affectu amplexatus, et levatis in cœlum oculis, in nomine sanctissimæ Trinitatis ex parte P. Francisci benedicens, orationibus eorum se diligenter commendavit. At filii Patris transitum profusis lacrymis prævenientes, ita ab eo consolati fuere: « Ne ploretis, filii, D decessum meum, nam adest hora, qua mei miserebitur Deus nec vestri obliviscetur. » Dum igitur vitæ terminum intrepidus expectabat, et vultus serenitas tranquillitatem animi indicabat; ad Psalmum Miserere rite respondens, sæpius tamquam peccator maximus verba illa: Amplius lava me Domine: intenso affectu iterabat. Quo finito aliquantisper in contemplatione suspensus, meruit a sanctissima Virgine, sancto Joanne evangelista, multisque angelis visitari, qui innocentem illius animam in cœlum deferrent. Quos ipse oculis animæ conspiciens, nec ulterius intra se continere valens spiritus fervorem, in illa verba prorupit: Fratres mei, non videtis hic adesse sanctissimam Trinitatem, gloriosissimam virginem Mariam dominam meam, et sanctum Joannem evangelistam? Itaque spiritus impetu in altissima contemplatione immersus, inde viribus ulterius auctus velut Christi verus assecla (pro ut potuit) se in genua erexit, crucifixi Salvatoris effigiem sibimet ob oculos posuit, affectus cordis orationibus jaculatoriis protulit, atque Psalmum: Voce mea ad Dominum clamavi: attentius recitavit; unde omnes hic assistentes stupor incessit, E videntes Virum cum morte colluctantem, extrema sine dolore pati, et potius delicias paradisi supremis velut labiis prægustare. Tandem sic in genua provolutus in medio Fratrum suorum illi tunc adstantium, cum ad verba illa pervenisset: « Me expectant justi, donec retribuas mihi; » videbatur quasi vocationi Dei et Sanctorum morem gerens, suavi et angelica voce sic respondere: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus. Nec multum interfuit, quod ipse sic humi genuflexus respiranti similis, Deo animam exhalaret hora diei sexta, nimirum Italiæ duodecima, velut alias prædixerat; die Dominica, festo sancti Lucæ solemni, decimo octavo mensis Octobris, anno Salvationis 1562, ætatis 63.

S. Teresiæ apparet.

296 Superius a nobis dictum remanet, sanctæ Teresiæ revelatum fuisse illum postremum vitæ S. Petri de Alcantara annum futurum, licet dies præfixus non constaret. Itaque post acceptam ejus epistolam, in qua præsentis morbi discrimen nuntiabat, anxia virgo expectabat rerum exitum intelligere; quamvis optasset magis ei vitam prolongari, ut novis difficultatibus (quæ operi suo obstabant) adhuc occurreret. F Dum igitur prædicta dominica, oratione absorpta in cella recludebatur, vidit sanctum Virum ad se ingredientem solis instar radiantem; ita ut formæ majestatem se explicare non posse, ipsa Sancta fateatur. Stupore igitur perculsa sic ipsum alloquuta fuit: Quod hoc est, Pater mi? responsum accepit: Vado ad requiem meam. Unde maximo perfusa gaudio intellexit beatam illam animam paradisi delicias petere; et dein de quibusdam aliis ad institutum suum pertinentibus interrogans, omnium resolutionem integram accepit, atque ad perseverantiam ab eodem fuit animata. Subjunxit quoque S. Petrus, quomodo potentiæ animæ suæ participes factæ fuerant in illo instanti supremæ illius gloriæ. Explicavit insuper gloriæ ejusdem sublimitatem, quam ob virtutem pœnitentiæ adeptus erat, cujus præmia miris encomiis celebrabat; ita ut in hæc verba prorumperet: O fortunata pœnitentia, cui tantum concessum est præmium! sicque postquam Sanctam confortasset in Dei servitio, ab eadem visus fuit cœlos penetrare mirabili splendore circumdatus, nec purgatorium aliquo modo tetigisse. Post hanc visionem ipsa sibi diffidens, et præ nimia humilitate talibus

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

A talibus indignam se judicans, confessori suo atque D. Francisco de Salzedo eamdem citius aperuit; quibus etiam rei veritas tunc maxime persuasa fuit, cum post octiduum mortis S. Petri hora nuntiatæ fuit, quæ cum apparitionis puncto a Teresia relatæ, mire convenisse noscebatur.

Corpus defuncti.

297 At cum felicem illam animam Creatori suo tradidit S. Petrus de Alcantara, corpus ejus inter brachia discipulorum genibus inflexum, oculisque in cœlum defixis, sustineri visum fuit. In cubiculo fragrans odor omnes recreabat, et splendor lucidissimus illustrabat habitaculum. Præterea suavis quidam sonus, quem cœlitus angelorum chori formasse credebantur, omnes in stuporem rapiebat, magnumque ex Viri obitu omnium mœrorem aliqua ratione temperabat. Crevit vero magis omnium admiratio, cum corpus solis ardore adustum, atque macerationum tormentis lividum, ita ut truncum arboris exprimeret; visum fuit velut revirescere, colore rubescens atque candescens, ita quod aspectu gratiosum, tractari instar infantis corpusculum posset. Maxime tamen in facie splendor, qui cœleste quid referebat, et in oculis apertis duabus stellis similibus, singulariter rutilabat; B quasi in præmium admirandæ in vita custodiæ visus S. Petrus hoc sibi mortuo a Deo concedi meruisset.

Populi concursus.

298 Percrebuerat hic mortis rumor per vicina loca, et omnes sine discrimine ad locum (ubi jacebat corpus) cito convocavit; nec detineri poterant, quin ad venerationem sacri corporis devotius procumberent. Ex quo necessum fuit loci gubernatori (ne quid sinistri succederet) excubias ad portam domus destinare; compositoque cadavere in omnium conspectu, extra portam loco eminentiori exponere. Exin omnis populus vocibus ac suspiriis Deum laudando, Sancti merita celebrabat altissime, dum quidam miracula, alii multas singularesque Viri virtutes enarrabant; omnes tamen prostrati, auxilium ejus, tamquam amici Dei in cœlis regnantis, instantissime implorabant. Nobiliores a Fratribus reliquias postulabant, quibus cum nihil esset (quod daretur) necessum fuit ex habitu particulas præscindere, quas per manus custodum, ad insigniores transmittebant, quo ex parte devotioni satisfacerent.

Defertur funus ex Valetudinario ad Conventum de Arenis.

299 Interea placuit Deo virtutem Servi sui variis miraculis illustrare, dum multi infirmi ad contactum sacri pignoris, alii invocando Sancti C patrocinium in grabatis, confestim sanarentur. Post hæc processio ordinata, quæ funus ad ecclesiam patrum Discalceatorum, distantem ab oppido per duo milliaria, efferret; nec quisquam ab hoc officio abesse voluit. Itaque confratres ecclesiæ parochialis cum facibus accensis, capitulum et reliquus clerus cum candelis, gubernator cum nobilioribus, cæteroque populo; cuncti cum luminibus ad locum valetudinarii concurrebant. Erat tunc tempus adeo pluviis importunum, ut quanto diutius expectaretur, quod cessassent, tanto magis imber ventusque invalescerent. Itaque quoniam dies declinabat et religiosi suspicabantur corpus a piorum manibus illa nocte servari non posse; ideo consultum judicabant, quocumque modo, ad conventum transferre. Dum igitur hæc meditantur, devotus quidam ad portandum cadaver sponte oblatus, quia oculos defuncti adeo lucidos conspexerat, monuit Fratres; ut vultum saltem velarent, quia nullo studio oculi claudi poterant. Nec tamen auditus fuit, quo locus daretur omnium devotioni cum liberius intuendi. Sicque ordine omnes procedendo, neque vento neque imbre furente ab officio deterrebantur; donec elato in publicum cadavere, visa fuit confestim cessare pluvia, ventus minui, nec quisquam aliquo modo offendi; licet in circuitu undique cuncta perstreperent. Hoc itaque perculsi stupore, se non malefieri nec luminaria extingui, pro majori Sancti gloria omnes interprætabantur.

Sepelitur.

300 Perventum tandem ad conventum, ex quo aliquot religiosi cum cruce et luminariis obviam venientes, cadaver in ecclesia super nudam humum deponunt, psalmos decantant, cæteraque peragunt, quæ Ecclesiæ ritus pietati suggerit fidelium, licet strepitu ac devotione incursantium turbarentur. Mox aperta prope altare majus sepultura, eidemque corpore immisso, terram more suo ingerunt; quamvis multorum precibus monerentur, corpus in loco honoratiori condere. Interea dum quisque terram ac sepulcrum contingere, et se Sancto commendare contendunt, nox ingruebat et pluviæ (quæ prius cessarant) iterum copiosiores cadebant, usque dum multitudo (quæ cum funere accesserat) domum regrediens, videret renovari prius miraculum, et cessare imbrem, ne quemquam illorum attingeret, quamvis in circuitu cun- E cta maderent. Sicque glorificans Deum in Servo suo mirabilem prædicabat, quod ejus merita his signis illustrare cœpisset. Quibus etiam præ cæteris mirandis, illud quoque accessisse notabatur; quod cera (quæ tota illa die in funere arserat) in pondere nihil defecisse inveniretur, licet et tempore et vento consumi contigisset. Paulo post vulgata mortis hujus fama ab illustribus Hispaniarum, mirabilia S. Petri de Alcantara ab omnibus publicari cœperunt, referente quolibet quid sibi contigisset. Mox quam plurimi ad sepulcrum ejus concurrere, plerique instantissime protectioni ejus se devovere, quem jam in cœlis regnare certissime sibi persuadebant. *(Si fides est Marco Complutensi, sepulcro sancti* Petri *appositum a quodam religioso viro sequens pro epitaphio epigramma est, haud valde elegans et concinnum :*

Epitaphium.

Conditur hoc tumulo Petrus de Alcantara, cujus
Sanguinis illustris indicat orbe decus,
Nobile principium : cujus virtutis origo
Dum vixit, terras astraque celsa replet.
Hic patriam deserens, Francisci limina quærit,
Queis humilis Christum corde sequatur amans.
Ad tantum demum virtutis cacumen adire F
Est visus, cunctos quod superaret adhuc.
Nam vixit virgo prius et sine crimine rectus;
Singulis omnis erat, omnibus unus idem.
Ingenio pollens, doctrina oppletus, et ingens
Tullius in verbis, firmat ut ejus opus.
Semina tum verbis spargens et dogmata Christi
Diffundens, multos ad pia sacra trahit.
Alligero cursu Petrum super astra volantem
Conspicit exorans sancta Teresa Deum.
Excelsus meritis scandit per climata cœli,
Prodigiisque orbem clarus amore replet
Texuit hic vitam veluti moriturus, et ipse
Composuit mortem, viveret usque diu (1)).

S. Teresæ valde anxiæ apparet.

301 Vexabatur adhuc quotidie sancta Teresia a contradictoribus sanctæ paupertatis, quam in suo instituto profiteri intendebat. Ideo pro ejus solatio placuit Deo, ut inter has angustias ei spectanda sese offerret gloria, qua in cœlo Magistrum suum divina benignitas coronaverat. Hinc quadam die in oratione suspensa, apparuit ei inter cœlos apertos S. Petrus de Alcantara circumdatus splendore,

qui

(1) Annales Minorum, t. XIX. p. 307.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

qui solem vincebat; indutus veste pretiosissima et pallio plurimis lectissimisque margaritis intexto. Sedebat quoque in throno christallino miro artificio elaborato, cui adsistebant quamplurimi spiritus angelici. Ex qua apparitione et S. Petri documentis supra modum confortatam se sensit Teresia. Eamdem post anni spatium retulit devotæ cuidam religiosæ, cum summa B. Patris merita recenseret; et quomodo nunciatum sibi fuit, quod patrocinio ejus se commendans in quacumque necessitate opem promptiorem experiretur. Narravit et suo confessario, cum præ timore manifestandi favores (quos sibi Deus faciebat) his tantum verbis expressit: « Manifestavit eum mihi Deus cum gloria quasi immensa. » Apparuit quoque S. Petrus de Alcantara Teresiæ alia quadam occasione hoc modo. Commota erat quasi tota civitas et concilium celebrabant principaliores litterati atque prælati religionum, statuendo non convenire duodecim mulieres in monasterio sine aliquibus certis redditibus includi. Unde necessarium magistro Dazæ (cui curam ac defensionem Sanctæ Petrus demandarat) ad consilium regium appellare, nomine monacharum Discalceatarum, quo sic sententiæ rigorem
B declinaret. Pergebat itaque confestim Madritum D. Gundisalvus de Aranda, ut regium decretum eisdem propitium obtineret. Sancta vero tempori cedere convenientius rata, obstinationique tam insignium virorum non obsistens; animo firmiter servabat (cessantibus turbulentiis) omnibus redditibus renunciare. Et interea monens D. Franciscum de Salzedo et magistrum Dazam ut cuncta pro libitu disponerent, quia sequenti die negotium terminare proponebat. At eadem nocte apparens ei gloriosus Pater, objurgabat humanam hanc prudentiam ac pusillanimitatem, quæ ei tale consilium suggesserat; dum aliquoties ipse declarasset, aliam voluntatem Dei esse, contra quam illa opiniones hominum præferre videbatur. *(Subjicit hic auctor verba S. Teresiæ, quibus præfata narratio confirmatur. Vide illa Comm. præv.* § 1, *n.* 19.*)*

Aliis item apparet S. Petrus et rursus S. Teresiæ.

302 Inter alios insuper, quos S. Petri mors mœrore ingenti affecerat duo nobiles erant civitatis Alcantaræ, spiritus ac doctrinæ ejus discipuli. Quibus etiam vivus ac longe absens in magna quadam afflictione (ut supra narratum est) mire præsens adfuit. Itaque cognita ejusdem morte, lacrymis et supplicationibus ejus continuam tute-
C lam implorabant. Unde quadam die dum mœsti variis scrupulis exagitarentur, apparuit eis S. Petrus de Alcantara, pacem annuntians, et cætera (quæ proponebant dubia) clarissime elucidans; hortando ut præsentis ac futuræ vitæ comparatione conscientias serenarent; ac monitis salutaribus insistendo, timorem Dei sollicite usque in finem conservarent. Sicque maxime consolatos reliquit. Idem aliis diversis in locis præstitisse perhibetur: præcipue vero his, quibus orationis exercitium magis familiare erat, efficacius (quam cum viveret) ejusdem perseverantiam ac virtutem imprimebat. Dum Avilæ murus horti monasterii sancti Josephi construeretur, sancta mater Teresia mandavit opificibus, ut solidum (quantum possent) elaborarent, paupertati sic maxime consulens. Cui obedientes, se calce firmaturos receperunt muratores, postquam totum erexissent. At non diu post Sanctæ apparuit S. Petrus graviter interdicens, ne tale admitteret, quod paupertati toties a se præscriptæ repugnaret; addendo quod fabricæ cæteraque opera pauperum, ex Evangelio plurimum differre deberent ab his, quæ divites seculi moliuntur. Et quia motivum, quo inducta fuit, justum Teresia prætendebat; responsum habuit: « Si ceciderint, non deerunt, qui reficiant; » D
talique dicto disparuit. Ab hinc quoties in fundatione alicujus monasterii Discalceatarum, adversarius impedimentum aliquod objiceret; toties B. Pater sanctæ Teresiæ apparens, animabat consilio, difficultatesque et obstacula removebat. Unde ipsa sæpius confessa est, Sancti sollicitudinem atque favorem crebriorem se post mortem (quam in vita) multoties expertam fuisse. Adeoque ob hanc causam singulari affectu atque reverentia Franciscanos Discalceatos, tamquam Patris sui sobolem prosequi studebat; præcipue illos, qui socii B. Patris ac familiares fuerant. Hinc quadam vice cum P. Bartholomæo de sancta Anna (dum Toleti pro conventu fundando moraretur) colloquia miscens, vultu (ut solebat) obtecto, eum postea cum socium fuisse cognovisset, sic admonuit: Quidni, Pater, mihi hoc prius significastis, ut facie ad faciem vos alloqui potuissem? Indicans hac ratione quanto animi affectu atque pietatis veneratione S. Petri de Alcantara socios ac filios a cæteris quibuscumque merito discerneret. Nec ex parte Discalceatorum huic religioso affectui paria reddere neglectum fuit, dum eamdem Sanctam loco E
matris in pluribus necessitatibus habere et ad eam recurrere pro consilio assuescerent. Ita ut sancta illa familiaritas (quæ inter S. Teresiam et D. Petrum viventes contracta fuerat) inviolata semper in utriusque discipulis laudabiliter perseverare adhuc videatur.

Post quadriennium aperto sepulcro: incorruptum cernitur corpus.

303 Quamvis Deus servum suum Petrum stupendis miraculis quotidie illustraret, numquam tamen religiosi ejus quibuscumque instantiis induci potuerunt, ut corpus ex communi sepultura in decentiorem locum transferrent, quo omnium venerationi exponeretur, nisi prius sanctæ Sedis apostolicæ authoritas intervenisset. Unde quatuor effluxere anni, quod populus ad sepulcrum sancti Viri concurrens, alii e longinquo patrocinium ejus implorando, beneficia insignia receperunt; plurimique terram, qua tegebatur, aquæ commixtam bibendo miros effectus sentiebant. Tandem provincialis Fr. Bartholomæus de sancta Anna, B. Patris socius statuit sepulturam pro sua cæterorumque Fratrum consolatione effodere, tum etiam ut ex corporis reliquiis plurimorum pietati satisfaceret, qui instantius eum urgebant. Nocte igitur F
quadam secrete valde effodiendo terram, corpus integrum, summamque fragrantiam spirans invenerunt; quod vero stuporem magis auxit, erat quod videbantur crines ætate cani conversi in colorem aureum et oculi aperti eumdem splendorem retinere, quem (cum sepelirentur) habuerunt. Præterea quod liquorem quemdam sacrum corpus stillaret, qui olei speciem referebat; visum quoque fuit corpus a quodam hospite devoto (qui tunc in conventu pernoctabat) veste auro intexta obtectum, veluti pro fidei veritate deposuit publice. Quanta itaque lætitia ac consolatione hæc omnia a religiosis accepta visaque fuerint, dici non possunt; dum his argumentis ingentem Patris sui in cœlis gloriam certius sibi persuaderent. Provincialis igitur postquam sacrum corpus cum cæteris Fratribus reverenter deosculatus fuisset, secreta quadam inspiratione idem aqua aspergi atque calce viva operiri jussit, quæ carnes consumeret; dein magnam terræ copiam imponi curavit, ut ex ea piorum infirmorumque necessitatibus succurreretur, in quibus mire juvari se profitebantur. Sed non diu factum latuit, quin frequentiori numero multitudo ad sepulcrum concurreret, atque injectam

A injectam terram abundantius auferret, quasi corpus effodere tentaret.

Secunda vice aperitur sepulcrum, et corpus decentiori loco ponitur.

304 Multos itaque post annos sepultura denuo aperta fuit, dum interea eamdem Deus variis miraculis honorare non intermitteret. Ex quo moti religiosi episcopo Avilæ D. Petro Ferdinando Ternino supplicarunt, ut sacras reliquias in decentiori loco collocari permitteret. Quemadmodum ipse de mirabilibus servi Dei, tam in vita, quam in morte optime instructus, benigne concessit. Præparata igitur arca egregie ornata, plurimi ex religiosa familia cum provinciali ad exhumandum corpus sollicite confluxere. Tunc inventum fuit corpus ex parte integrum, ex parte a calce corrosum ; ossa tamen liquorem quemdam stillabant, qui odorem suavissimum reddebat. Involutas itaque cum summa reverentia ac devotione venerandas reliquias candidis velis, in arca deposuerunt prope altare majus muro inclusa ; idque cum summo secreto, ne concursum aut tumultum populi excitarent. Provincialis vero antequam arcam occluderet, particellam abstulit reliquiæ, quam infirmorum remedio et pro aliorum devotorum solatio (qui servo Dei se commendabant) in con-

B ventu servari præcepit. Nec sine singulari divina dispositione id fuit, cum aqua, cui hæc reliquia intingebatur, quamplurimis perfectam sanitatem afferret ; immo simpliciter aspersa animalibus mirabiles effectus produxerit, sicut in sequenti libro narrabitur.

Ingens populi concursus.

305 Proinde concurrebant undique imposterum, majori frequentia populi ex tota Hispania ad prædictum sarcophagum, vel pro gratiis referendis, vel pro beneficiis impetrandis. Ita ut ex remotis Indiæ partibus alieni etiam, qui auxilium S. Petri de Alcantara senserant, pro gratiarum actione Arenas venisse ad Sancti reliquias invenirentur. Admirabantur tamen omnes, quod tam obscuro loco, corpus sine aliquo cultu, muro inclusum jaceret ; adeo ut urserit Patres plurimorum zelus, post aliquod tempus consilium ineundi, quomodo tot miraculorum fides publica ad summum pontificem transmitteretur, ut ejus decreto approbari posset ; quod quidem non longe post diligenter factum obtinuit. Dein ulterius instantibus plurimis Hispaniæ proceribus persuasum fuit iisdem religiosis, ut capellam quamdam particularem ædificari permitterent, in qua decentius sacrum corpus

C deponi posset atque pro merito coli. Post varias igitur deliberationes mature placuit provinciali cuidam Patri Didaco del Escurial, opus hoc perfici curare, atque supplicando episcopo Avilæ (in cujus diœcesi locus situs est) tunc D. Francisco Gamarræ, ut solemni corporis translationi diem indicere dignaretur. Cui devotus prælatus promptum se ostendens, destinavit diem sextum decimum Decembris anni tunc currentis 1616.

Solemnis translatio.

306 At non defuere plurimi ex familia ejus tali se deliberationi opponere, eo quod timerent tempus rigidum debilem prælati complexionem offendere posse ; quod ille fiducia et pietate in sancti Patris merita despiciens, se mutare decretum nolle constantius affirmabat. Cum ergo prædicti familiares pertinacius insisterent, devotus prælatus iter pedes arripiens, solus versus Arenas pergebat, ut solemnitati assisteret. Quod animadvertentes statim illi properabant cum curru assequi et admirati stationis rigorem nivibus ac frigore intensum prælato non officere ; Sancto acceptum ferre cogebantur, quod iter tam fœliciter atque jucunde ad destinatum locum perduxissent. Eodem die (quo episcopus) advenerant quoque Arenas marchio de Xarandilla, nomine avi sui comitis de Oropesa Sancto familiarissimi, et cum ipso comites de Morata et de Orgaz. Præter hos numerosus populus cum magistratu atque principalioribus loci ad idem officium confluxerat. Noctu igitur circa decimam horam episcopus arcam muro inclusam excavari jubet, eamque in alto prope altare omnium devotioni exponi. Mox exurgens sublato velo, cui sacræ reliquiæ involutæ fuerant, ossa devote omnibus ostendit ; ex quibus odor fragrantissimus ab omnibus perceptus, non sensus modo recreabat, sed et corda cumpungebat, ita quod lacrymas ex oculis exprimeret. Dein easdem reliquias velo pretiosiori involvens et ornatiori arcæ includens, super altare majus cum plurimis facibus accensis deposuit, excubias interea circa conventum agente præsidio militari oppidanorum de Arenas. Sequens dies, qui Dominicus erat, omnium vicinorum locorum concursu celebris fuit ; cum episcopus pontificalia peragens, solemniter cum musica ac Missa novam capellam benediceret. At in eadem celebritate laudibus servi Dei prædicandis destinatus fuerat P. Franciscus de Zuazo, prior Augustiniani conventus Arenis, qui quatuor ante diebus acutissima febri præventus, officium apud Patres Discalceatos E excusabat. Sed respondens præfatus provincialis instabat, ne recusaret, quod intercessioni S. Petri de Alcantara confideret eum integra salute egregie suo tempore præstiturum. Nec votum eventus fefellit, cum Sabbatho antecedente Prior convalescens solemni die præconia S. Petri ex motivo thematis : « Tu quis es » miro omnium applausu, eleganti ac devota oratione proponens, specialis quoque hujus gratiæ publicam fidem fecisset. Missa autem finita, processio ordinata fuit ; ita quod præcedentibus religiosis Discalceatis cum luminibus accensis, cæteroque clero (qui undique concurrerat) arca a comitibus prædictis ac gubernatore loci gestata sequeretur. Post hæc episcopus cum suis assistentibus, numerosoque populo portam ecclesiæ egressi, magnum vicini campi ambitum circumeundo, ad ecclesiam revertuntur. Hic depositam super altare arcam, postea eidem includi episcopus jussit. Jam ultra meridiem erat, et post refectionem Vesperæ solemniter decantatæ, ut quibusdam populi tripudiis locus daretur. Nec in vanum multis persuasum fuit, diem illum ut tantæ solemnitati sufficeret, aliquot horis fuisse prolongatum ; eo quod aliter tam multa fieri potuisse F hyberno die impossibile cunctis videbatur. In eodem adhuc loco summa frequentia populorum undequaque accurrentium corpus invisitur, summis gratiis a Deo honoratur, quarum distinctum aliquem catalogum in sequenti libro texere, non injucundum nobis pro Dei sui gloria videbitur. (*De præsenti reliquiarum statu vide Comm. præv. ad finem.*)

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

LIBER SEXTUS.

De miraculis, quæ post mortem S. Petri de Alcantara contigerunt.

Prologus in miracula S. Petri.

Superest hoc ultimo libro tot præclara insignis Athletæ merita, divinæ approbationis præmio coronata, ostendere ; dum S. Petrum de Alcantara, in campo certaminis hujus vitæ strenuissimum, videre jam licebit prodigiorum operatione de cœlo triumphare gloriosiorem. Non enim Christus dux noster

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

noster milites suos inglorios aut sine honore relinquit; quin hos, quos mundum, carnem atque dæmonia subjugasse constantius respexit benigne, non modo immensæ gloriæ aureola, sed et amicitiæ suæ privilegio, in signis et mirabilibus condecoret notabilius. Unde quo admirandam divinæ retributionis abundantiam in solo servo suo fideli Petro de Alcantara condignius observemus; ex canonizationis processu insigniora quædam miracula strictiori stilo breviter annotabimus, privata et quotidiana beneficia devotorum studio commendando. Imprimis autem eorum nobis memoria facienda videtur, qui sancti Patris invocatione e mortis faucibus eripi meruerunt; ita ut humano judicio vita privati, ad ejusdem usum intercessione S. Petri de Alcantara fuerint singulari privilegio revocati sequentibus modis.

1. *A mortis faucibus erepti.*

308 Lucas filius Sebastiani Gonzalez Galan et Mariæ Rodriguez, incolarum oppidi de Arenas, annorum ætatis duorum et medii circiter, forte in vini dolium incidit, ita ut crura tantum eminerent. Post aliquod intervallum accurrens mater, puerum inde extraxit, quem circumstantes omnes, etiam medicorum experientia, mortuum judicarunt. B Afflicta mater de omni humano remedio desperans, divinum implorat, invocataque intercessione S. Petri de Alcantara, ad ejus capellam novenam vovit cum imagine cerea et eleemosyna frumenti Fratribus elargiendi, quantum puer ponderis habebat. Hinc commota B. P. pietas, tam precibus devotæ matris, quam lacrymis cujusdam filiæ ejus innocentis sex annorum, vitam filii a Domino impetrat, ut statim vultu rubescens, et ad se reversus has primas voces ederet: O sancte Petre de Alcantara! O Mater, Mater! Atque ex hac hora integra salute, in parentum domo diu supervixit.

309 Angela de sancto Gabriële, filia Melchioris de Cañizares, et Marcellinæ de Trinitate, infans duorum annorum, ex fenestra quadam conventus sancti Josephi (qui tunc Toleti construebatur) decidit in terram, altitudine duodecim cubitorum. Ex quo casu in saxa impingens, caput confregit, ita ut cerebrum efflueret. Ad cujus remedium vocatus chirurgus, negabat se vitam mortuæ reddere posse. Erat forte præsens religiosus quidam conventus ejusdem, qui commiseratione afflictæ matris et extinctæ filiæ, reliquiam quamdam C eidem applicans, devote Sancto precibus commendabat. Mox stupentibus cunctis, puella illacrymari visa fuit, et post horas quatuor cibum petere eumque sumere ea aviditate, quasi malum nullum perpessa fuisset.

310 Joannes Hernandez, incola oppidi de Arenas, anno ætatis vigesimo secundo repente cadens in terram, loquelam perdidit; ad quem vocati medici, jam vita functum judicantes dereliquerunt. Pater cum cæteris amicis mœrore confecti, sanctum Petrum de Alcantara confidentius invocant, promittentes se gratiam beneficiis in conventum, et visitando ejus sepulcrum compensaturos. Nec incassum preces juverunt, dum post viginti quatuor horarum spatium (quo vitæ signum nullum juvenis edidit) visus fuit erectus stare, et brevi totus bene se habere, ut Liberatori suo perpetuas gratias agere non omitteret.

311 Domina Agnes Martinez, uxor Joannis a Vega Madritensis, dolore partus oppressa, reliquia quadam sancti Petri de Alcantara adhibita, filiam edidit, quæ ab omnibus extincta credebatur; ideoque ab obstetrice linteo involuta sepulturæ destinabatur. Omnes interim intenti liberandæ parturienti, pietatem B. Patris implorabant. Cum et D illa periculo erepta, et quod omnes perculsit, infans ad sepulturam delata, in via audita fuit vagire, sensimque vitæ signa reddere. Ideoque domum relata, parentibus gaudii devotionisque in Sanctum maximum incrementum attulit, cui se tam serio commendarant.

312 Didacus Martinez de Mombeltrano filium habebat Joannem nomine, annorum quatuor, qui febri acuta correptus, tamquam morti addictus relinquebatur a medicis. In tali statu accepit eum in ulnas soror ejus Maria, et jam novo accessu animam spirantem, reposuit in lectum, ut quæ pro sepeliendo necessaria erant, studiose præpararet. Pater vero affectu paterno compatiens, coram lecto in genua se provolvit, Deum instanter supplicans, ut si filii vita ei grata futura esset, eam tunc ob merita servi sui Petri de Alcantara benigne concederet. Vix orationem finierat, cum vivum se puer ostenderet, oculos et os aperiens; et mox cum spectantium admiratione sanitati pristinæ restituitur.

313 Anno 1580 in pago Ornillo infirmabatur graviter Maria Sanchez, uxor Ferdinandi Sanchez, mulier valde pia ac religiosis Discalceatis devota, E ideoque societati Ordinis per litteras filiationis adscripta. Post aliquot autem infirmitatis dies, ad extremum redacta, inter alia testamento disposuit, ut sequenti die vel viva vel mortua ad ecclesiam S. Andreæ Patrum Discalceatorum deportata, supra sepulcrum S. Petri de Alcantara collocaretur, sacrumque fieri curaretur. Nocte itaque proxima ex morbi vehementia, eam omnes extinctam judicarunt; hæredes aperto testamento, ad dictam ecclesiam leuca distantem eam deportari jubent, atque sicut legaverat, omnia rite exequuntur. Dum autem Missa celebratur, et sacerdos *Dominus vobiscum* pronunciat; mirabile visu, mulierem moveri aliquantulum; dein ad Epistolam residere in feretro; post ad Evangelium erectam ac devotam Missæ adsistere, sicque adstantium in se admirationem notabiliter convertit. Peracto sacro, et gratiis Deo ac Servo suo humiliter redditis, sana ac expedita ad domum propriam revertitur; ubi quindecim adhuc annis vitam devotam ducens, multos ad intercessionem beati Patris confugere pro variis gratiis impetrandis edocuit.

314 In oppido Arevalo licentiatus Bargas cum F uxore sua D. Barbara, ambo devotissimi S. Petri de Alcantara, filium habebant parvulum nomine Joachimum. Hic forte transiens per locum quemdam domus, in cacabum aqua plenum forte inciderat; absente vero matre et famula, quæ pro rebus domesticis exierant domo, post aliquod intervallum reversæ puerum usque ad medium aquæ immersum extrahendo, facta experientia sine spiritu, ut vitæ indicio, extinctum invenerunt. Quamobrem omnia vocibus ac ejulatu replent, ipsaque matre S. Petrum de Alcantara altius invocante; quia se valde illi devotam sciret. Circumstantes commiseratione movebantur, et pater (ne spectaculum videret) domo exibat. Illa vero velut altera Cananæa clamore ac fiducia precibus instando, ita tandem exaudiri meruit, ut post horam circiter videret filium reviviscentem, ac infra breve spatium sibi patrique alacriter adblandientem. Quibus postea Sancti beneficium perpetuam grati animi memoriam firmius expressisse, vitæ et pietatis exercitia facile demonstrarunt.

315 Joannes Barrozo ex oppido Sanctæ Crucis, per sex integros menses febri in lecto detentus, tandem

A tandem omnibus sacramentis Ecclesiæ receptis animam agere visus fuit; dum circa noctis medium vitalis calor ac spiritus eum destituisset. Mœsta uxor cum fratre suo sanctum Petrum de Alcantara compellat ardentius; et sequenti mane ecclesiam Fratrum Discalceatorum adeundo, sacrum fieri curant pro defuncti (ut credebatur) salute. Hinc ad domum reversi, Joannem inveniunt non sine miraculo respirantem ac loquentem; ita ut abhinc triduo sanum cum amicis congratularentur, quem prius pro mortuo defleverant.

326 Melchior Hernandez ex oppido Mombeltran dicto, filium unicum undecim habebat annorum, quem morbus (quo multi illo anno perierunt) invaserat; atque post varia remedia per viginti quinque dies adhibita, ad extremum perduxerat. Postulaverat ille sæpius ad sepulcrum S. Petri de Alcantara in conventu Sancti Andreæ in Monte conduci, pro salute obtinenda; licet timore parentum, ne tali motu mortem accelerarent, hactenus prohiberetur. Desperatum itaque vitæ ad conventum deportari atque super sepulchrum B. Viri extendi properant. Nec diu sic inanimis jacuit, quin paulatim oculis apertis, apprehensaque ma-B tris manu seipsum sanum in pedes erigeret, Deum altissime collaudans, qui se tam gloriosum in Sancto suo ostendere dignatus fuerat.

327 In eodem oppido Mombeltran filius Catharinæ Velasquez annorum quinque, post gravissimi morbi varia medicamenta infructuosa, mortis confinia ingressus, inter patris amplexus omni quasi respiratione destituitur. Unde mater vocem ad cœlos extollens S. Petri de Alcantara auxilium invocando, tot se rosaria recitaturam devote promittit, si filium salvum præstitisset. Finita supplicatione puer ridere, aperire oculos, loqui atque cætera viventis signa præstare, tertioque die cum cæteris coætaneis in platea colludere, non sine stupore visus fuit.

328 Magdalena Gomez uxor Pascalis Sanchez mensæ adsidens in terram decidit, loquela ac sensibus repente privata. Itaque omni remedio frustra adhibito, mater ad patrocinium B. Petri de Alcantara confugit, vovendo se filiam ad Sancti sepulcrum tribus sextis feriis conducturam, si spiritum recuperabat. Vix emisso voto color naturalis filiæ rediit, et sensus restitutus omnium admirationem provocavit, qui defunctam C existimabant.

329 Michael infans trium mensium, filius Michaelis Serrano et Mariæ Lopez; cum a matre in vicinæ cujusdam lecto repositus (panno quodam laneo forte vultum obtegente) inter dormiendum suffocatus crederetur, ex eo quod eadem vicina eum sine respiratione et cum oculis retortis invenisset. Itaque accepto inter brachia puero, ad matrem cucurrit; cui tali spectaculo et pallorem mortis impressit et voces ac gemitus in cœlum tendentes fortius expressit. Invocando autem S. Petrum de Alcantara, cum voto conducendi filium cum imagine cerea ad Sancti sepulcrum; vidit confestim illum colorem recuperare, oculos aperire et mamillas sugere, cum magno omnium præsentium stupore.

330 Petrus de Olives filius Petri Velasquez de Mombeltrano, mensium decem et octo a matre sanus lecto proprio impositus, mane sequenti tumidus ac clausis oculis sine motu inventus fuit. Quo dolore confusi genitores S. Petro de Alcantara filium offerunt, ad capellam ejus cum missæ celebratione deferendum. Mirum dictu, quod statim infans ridendo mamillas apprehendit et omni tumore tum capitis tum colli penitus evanescente, integre convaluit. AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

331 Alphonsus de Frias Cepeda sacerdos de Arenas puellam sex annorum Ludovicam nomine, domi alebat. Huic febris maligna loquelam, pulsum ac calorem abstulerat, ut mortua videretur. Sed applicante sacerdote reliquiam quamdam S. Petri de Alcantara super caput et cor ejusdem puellæ cum devota supplicatione, visa fuit confestim in se reverti, verbaque proferre: *Deus me adjuvet*: donec integra convalesceret.

332 Anna Gonzalez, uxor Gabrielis Lopez incolæ Arenis, aliquot dierum febri vexata, medicorum consultationibus morti adjudicata fuit. Unde munita SS. Ecclesiæ Sacramentis, agonizans per quinque dies, nova accedente crisi, extincta videbatur. Hinc filia ejus Isabella matris salutem a S. Petro expostulans copiosissimis lacrymis ac suspiriis, vidit eidem spiritum rediisse, atque hæc verba proferre: O sancte Petre de Alcantara, quot favores mihi a Deo impetrasti et nunc mihi vitam restituis; ne hæc filia orphana remaneat et ut ego quoque vitam meam emendem. Paulo post cibari expetiit et cum cæteris insignia S. Petri merita devoto præconio collaudabat. E

333 Filius cujusdam Francisci Hernandez de Paredes, post aliquot febris accessiones, vehementia morbi ad extrema redactus videbatur. Qua fama per oppidum sparsa, omnes amici ad consolandum patrem diligentius accesserant. Inter hos guardianus conventus Discalceatorum, qui eidem patri singulari devotione gratus erat; cum ejusdem afflictioni condoluisset, ad conventum redire se promisit, ut missam pro agonizante celebrando, S. Petro de Alcantara commendaret. Sacro itaque peracto, regressus ad devotum, invenit infantem oculis apertis, signa respirantis ac moventis se peragere, qui postea paulatim recedente febri sanus evasit.

334 Joannes de Aguero incola Arenis, filium viginti dierum morbo vehementi oppressum deflebat; eo quod calore vitali ac sensibus destitutum conspiceret. Unde quia aliud remedium pro unigenito desperabat, imaginem ceream secum ad ecclesiam Fratrum deportans, eam in capella servi Dei, tamquam pro gratia obtenta appendit. Post peractam supplicationem domum reversus, invenit parvulum in sinu matris perfecte convalescentem; quemadmodum prius fiducia in S. Petrum de F Alcantara firmiter sibi persuaserat.

335 Joannes Fernandez de Arroyo Castaño, paroxismo vehementi vitæ extremum attigisse a medicis censebatur. Parentes communionem ac confessionem ad capellam S. Petri vovendo, paulo post eum saluti restitutum, secum ad solvendum votum alacrius conduxerunt.

336 Alphonsi Sanchez, habitantis in oppido de las Cuevas, tibia infracta chirurgorum scientiam omnem fatigaverat, ita ut vice curationis, a quodam inexperto in alio loco eamdem imprudentius conquassari contingeret. Jacebat itaque miser summis doloribus prostratus, omniumque manus expavescens, ne tormenta majora adjungerent. Quo quidem rerum statu, dum sibi miranda S. Petri de Alcantara narrari audiret a suis devotis, maximam concepit fiduciam se desperatam salutem hujus Sancti intercessione a Deo recepturum; ideoque quodam die festo, associantibus multis, ad sepulcrum servi Dei se conduci curavit. Cum autem ad ecclesiam pervenisset, audito prius sacro et sacramentis perceptis, amicis innixus, sepulcro S. Petri de Alcantara appropinquat. Quod quamprimum

II. *Claudi et manci. S. Petri sepulcrum visitantes, sanantur.*

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

primum attigisset, interius consolationem magnam animi sentiens quasi proximi favoris quoddam pignus; mox spectante populo pede terram calcans, et jam erectus sine adminiculis stans, tandem cum omnium stupore liber incedere sine dolore visus fuit. Redditisque Deo ac Sancto suo humillimis gratiis, cunctis devotionem in Sanctum auxit; ipseque sanus ac lætus ad domum suam confestim regreditur.

337 Francisca Martinez de Mombeltran doloribus intensis cruciabatur ob pedem adductum, quem nec terræ imponere, nec fulcris sustinere poterat. Itaque post triennium frustra chirurgorum diligentiæ impensum, ad S. Petri de Alcantara opem pro ultimo remedio, cum voto visitandi ejus sepulcrum, confugit confidentius. Die sequenti deferri se festinans, post conscientiam expiatam, sensit ita sibi dolores augeri, ut ad communionem accedere non posset. Unde mœrore quasi oppressa, adhuc constanter liberatoris sui auxilium implorat. Ecce igitur quod redeunt in instanti ad locum suum ossa, cessant cruciatus; ac ipsa deposito in terram pede libere ambulans, domum suam sanata revertitur.

B 338 In oppido Arenarum Franciscus Ramirez Alphonsi filius annorum novem, ex longa quadam infirmitate crura ita infecta retinebat, ut insistendi usum negarent. Post aliquot menses cum parentes ex voto ad conventum Sancti Andreæ, ac sepulcrum S. Petri de Alcantara transtulerunt; ubi ungendo offensas partes oleo lampadis servi Dei, confestim consolidatas viderunt, et puerum sine ullo impedimento usui pedum restitutum.

339 Andreas Velez faber ex pago de Lanzaita distante tribus leucis Arenis, crurium ægritudinem tantam contraxerat, ut fulcris uti cogeretur per septem menses continuos, dein etiam in lecto decumbere. Quod cum uxor adverteret, nec humana prodesse remedia, ad cœlestia convertitur, suggerens marito, ut S. Petro de Alcantara se devoveret, de quo miranda multa audierat. Huic obediens prompte Andreas equo impositus, ac amicis hinc inde stipatus, ad ecclesiam, moxque ad sepulcrum defertur; ubi post auditum sacrum, et sumptam communionem ferventer se Sancti intercessioni commendat. Postquam aliquamdiu sic perstitisset, sensit sibi vigorem in cruribus redire, ita ut ex se erectus paulatim incedere posset. Tandem C integre per ecclesiam obambulans, fulcra gratulabundus sepulcro appendit; et cum amicis pedester revertens, incessanter singulare Sancti beneficium summis præconiis apud cunctos extollit.

340 Madriti puer quidam nomine Balthazar, filius Ludovici Mendieta, a nativitate adeo debilia crura habebat, ut per septem annos eis insistere non posset, sed terra tantum reptans, a cunctis Serpentis cognomine signaretur. Mater ex hoc graviter afflicta, at vero summe S. Petro de Alcantara addicta, ei filii miseriam instanter commendabat. Quadam die intra octavam festi hujus Sancti, quod in aula summo principum ac populi concursu magnifice celebrabatur, curat puerum ad capellam Sancti in brachiis deferri, et ex cordis intimo supplicationes iterari. Biduo post infirmus cruribus insistens, et paulo post perfecte viam capiens (qua domum reverteretur) omnium elicuit admirationem, et Sancti gloriam apud plurimos divulgavit.

341 Leonora Gonzalez de Arenas per aliquot annos brachio et humero dextro ita contracta fuit, ut neque manum quidem attollere posset. Cum igitur miranda, quæ ad S. Petri sepulcrum quotidie perpetrabantur, intellexisset; ex voto se per novenam illuc transtulit. Ultima tandem die, dum tota D orationi intenta in terram se prostrasset, brevi iterum resurgens, manu et brachio integre restitutis, domum exultans revertitur.

342 D. Ludovica de Villagra ex oppido Mombeltrani, e gravi morbo adeo membris capta remansit, ut ultra annum movere se non valeret. Unde quadam die inspiratione divina, ad S. Petri de Alcantara sepulcrum delata, totam se insuper extendit cum magna fiducia ac devotione. In eodem instanti membra revigescere, totamque se convaluisse, altissime Sancto acceptum imposterum ferebat.

343 Alia mulier ex pago de Ornillo prope Arenas, brachiis ac cruribus manca, ex aliorum manibus moveri ac cibum capere cogebatur. Hæc ad sepulcrum Sancti delata, antequam novenam absolvisset, sana pristinæ integritati restituta fuit.

344 Catharina Blasquez de Arenas, manibus ac pedibus adducta, per triennium detinebatur in lecto. Hinc cum gratias a S. Petro de Alcantara obtentas a pluribus narrari audisset, ad ejus capellam ac sepulcrum deportari quamcitius procuravit. Ibi ferventi oratione, valetudinem suam, Deo per Servi sui merita commendans, domum refertur; E nec diu quin liberam se ac omni impedimento membrorum solutam, intra breve tempus agnosceret.

345 Catharina Velasquez de Mombeltrano cruciabatur vehementi dolore cruris, quod spatio trium annorum movere nequiverat. At vero ad sepulcrum S. Petri de Alcantara delata, atque intercessioni ejus se devote commendans, dum se insuper extendit, confestim sine dolore resurgit, et gaudens ad propria regreditur.

346 Adolescens quidam sexdecim annorum, ex eodem oppido Mombeltrani, adductus cruribus, fulcris sustinebatur. Huic cum mirabilium S. Petri de Alcantara memoria obversaretur, ad ejusdem sepulcrum pergere non tardavit. Hic dum humili supplicatione favorem implorasset, statim sanus evadere ac sine dolore recedere meruit.

347 Alphonsus Muñoz nativus ex oppido Sanctæ Crucis, viribus robustus, dum pondus centum octuaginta librarum brachiis gestabat, crus sibi sinistrum offendi sentiebat, ita quod dolore crescente, in lecto decumbens, ultra viginti dies maximos dolores pateretur. His adactus, votum S. Petro de Alcantara fecit sepulcrum ejus se aditurum, F atque crus cereum appensurum; quo emisso, pars offensa obtorpuit, donec equo conscenso, ut ecclesiam adiret, in via omnem dolorem sopitum sentiens, pedibus reliquum confecit et Sancto gratias obtulit cum voto.

348 In villa Parræ, uxor Simonis Gomez, nomine Maria Martinez, dolore conficiebatur propter incurabilia ac fœtentia ulcera, quæ crus ejus per decem annos infecerant. Itaque fama sepulcri S. Petri inducta, inde se sanari sperabat, unde tot convalescentes rediisse audierat. Meliori ergo modo (quo poterat) illuc translata, post devotam orationem ac mentis in Deum elevationem, firmare pedem cœpit, et mox obductis plagis fulcra appendit, et pedes ad sua revertitur.

349 In eodem loco Petrus Sanchez manibus et pedibus impeditus, in lecto plurimis mensibus decumbebat. At quadam die memor miraculorum S. Petri de Alcantara, ad ejus sepulcrum peregrinationem vovit. Nec fefellit effectus, dum statim expeditum se sentiens; lecto exurgere, et post biduum ad explendum votum pedester ire cum summo stupore ac Liberatoris gloria visus fuit.

350 Joannes Martinez Cavezudo decumbens superiori

A periori corporis parte obtorpuerat, qua uti non posset. Hinc per integrum annum medicis in vanum curantibus, recurrere ad S. Petri favorem concludit, promittendo se ejus sepulcrum visitaturum. Nec abnuit Sanctus, cum mox offensam partem restituens, ægro votum exsolvere, ac omnes suos devotos ex tam mirabili successu Deum glorificare, sua intercessione obtinuit.

351 Maria Ximenez, uxor Ferdinandi Blasquez, casu quodam adeo graviter offensa fuit, ut mortis quasi periculum adiret. Dum clamorem forte præ cruciatu attolleret, audita fuit a quodam religioso Discalceato, qui pro eleemosyna ad ejus ostium accesserat; ad quam ipse dixit, ut se S. Petro de Alcantara offerret, et cum voto sepulcrum ejus inviseret. Itaque morem gerens devota mulier, conduci se fecit et gratiam integræ valetudinis confestim obtinuit.

352 Antonius Martin, filius Dominici, brachium ex quodam casu fractum chirurgorum negligentia mancum retinebat. Itaque sepulcrum servi Dei accedere statuit; post devotam orationem, ex oleo lampadis brachium inunxit, moxque cum omnium stupore movere expedite visus fuit.

B 353 Josepha de Salamanca, ancilla D. Alphonsi de Montalvo, ex Arevalo diœcesis Avilæ, in manu incurabile vulnus cum dolore patiebatur. Ejus dominus pro devotione erga S. Petrum de Alcantara, eam suis intercessionibus commendabat. Unde non multo post perfectam ancillæ salutem suis precibus obtinuit.

354 Catharina de Saravia, quæ habitabat Arenis, coxendi (seu sciatica) laborabat, quam nullis medicamentis curare poterat. Conducta igitur ad sepulcrum S. Petri, confestim ab omni dolore convaluit.

III. *Cæci, surdi etc., per invocationem S. Petri visum, auditum recipiunt.*

355 Cæcilia Velasquez ex oppido Mombeltrani, per octo menses continuos oculorum ægritudine adeo graviter afficiebatur, ut nec videret ubi pedem poneret. Quæ cum audisset sepulcrum S. Petri de Alcantara apertum fuisse, jumento se ad ecclesiam vehi fecit, quamvis tempus rigidum et nivibus impervium iter esset. Ibi vero postquam oculos aqua (quam reliquia Beati attigerat) lavisset, et sepulcro adhuc aperto caput immisisset, illico visum recepit, et laudans Deum in Sancto suo domum oculis integerrimis rediit.

356 Isabella Gonzalez de Arenas, vidua Sebastiani Moreno, gravi quoque infirmitate oculorum C usum amiserat, licet tres menses medicorum scientiam frustra exhausisset. Itaque voto ad sepulcrum S. Petri emisso, et illuc a quadam vicina conducta, lavit ex ejusdem aqua oculos, et orationis suæ fervore visum a Beato confestim impetravit, nec imposterum quicquam in illis mali amplius passa est.

357 Joannes Velasquez, filius Thomæ incolæ oppidi Sanctæ Crucis, a quinque mensibus propter panniculum oculo obductum, cæcitatem ex eo patiebatur, nec aliquo remedio curari poterat. Quadam vero die, oculum prædictum baculo S. Petri de Alcantara contingens, visum recepit et perspicacem postea habuit.

358 Domna Eleonora de Arias, uxor Joannis de Frias Matritensis, dolore oculorum capta, post octo menses unius lumen omnino amisit. Quadam die a D. Isabella de Fonseca visitata, admonebatur, ut se S. Petro de Alcantara commendaret, et aquam quoque adhiberet, quam Sancti reliquia attigerat. Hac itaque accepta, oculum lavit offensum et confestim lumen recepit.

359 Franciscus Nietus incola Guisandi, extremum quasi vitæ adierat, ex carbunculo oculo obducto. Ejus mater ac soror, ambæ, accensa fide ac devotione, ad S. Petri de Alcantara intercessionem recurrunt vovendo se cum infirmo ad ejus sacellum accessuras. Vix voverant, cum evanescens tumor, febrique cessante, infirmo sanitas rediit, et votum integre solvit stupentibus pluri- mis *(qui factum probe noverant)*. AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

360 Bartholomæus Garcia, incola pagi Sanctæ Crucis, a longo tempore surditatem patiebatur, quam nullo humano remedio recuperare posset. Ad cœlestia tandem conversus, sepulcrum S. Petri de Alcantara adiit, ut devotam ibi orationem faceret Post aquæ guttas ex reliquia ejusdem auribus instillans, incontinenti auditum mirabiliter recepit et gratias reddidit *(Deo ejusque famulo B.* Petro).

361 Domna Maria Alvarez de Medrano, uxor Joannis de Frias Caravaxal incolæ Arenis, spatio novem mensium auditum amiserat ex quodam capitis dolore intenso. Quadam nocte ingravescente dolore, cor ad suum patronum S. Petrum de Alcantara ferventer elevat, vovetque se sanam per integrum diem in ejus sacello gratias reddituram. Expleta oratione, suaviter somnum cepit; ex quo evigilans, et dolore et surditate ita se liberam sensit, quasi numquam grave aliquid passa fuisset. E

362 Laurentius Segovia medicinæ doctor juvenis, civis Toletanus, angina graviter laborans, diuque frustra medicamentis usus, mortem expectabat; dum ergo animam ageret, recordatus S. Petri de Alcantara, salutem eidem affectu cordis intimo devovit. Inde aquam ex reliquia Sancti bibens, statim sanus evasit.

363 Maria Velasquez ex oppido de las Cuevas, quadam nocte faucium dolore ita cum febri præoccupata fuit, ut vix verbum proferre posset. Unde interno affectu ad S. Petrum de Alcantara cor attollens, promisit sacellum ejus adire ac eleemosynam largiri. Mox febris recessit, et loquela restituta faucibus eam gratam Sancto præstitit.

364 Dominicus Gonzalez, patris ejusdem nominis filius, ex oppido de las Cuevas, idem gutturis malum passus, a genitoribus S. Petro offertur. Peracta oratione, mox sanum factum cum amicis devotius congratulabantur.

365 D. Anna, filia Joannis de Medrano et Antoniæ de Herrus habitantium Arenis, in extremis agebat propter anginam, quæ tunc multos extinguebat. Mater, quæ ex filiæ vice valde cruciabatur, F S. Petro de Alcantara illam commendat. Et quia illo die transferri ad novum depositum corpus ejus intellexerat, voluit contradicentibus medicis eam ad ecclesiam deferri. Quo cum accessisset atque infirmam super sepulcrum extendi curasset, vidit illico sanam salvamque surgere.

366 Franciscus Lopez del Picon habitans Arenis, anginæ doloribus suffocabatur, ut nec cibum caperet nec verbum proferret. Hinc uxor Anna de Vargas pro salute mariti, ad sepulcrum S. Petri votum fecit, simulque ejus corda collum mariti cinxit. Qui postquam obdormiisset, paulo post, obstupente muliere, salvus evigilavit ac gratias reddidit.

367 D. Isabella de la Cruce nobilis Toletana, gravem anginam patiens cum ardente febri a matre S. Petro de Alcantara commendabatur tenerius. Dein parte reliquiæ servi Dei faucibus ejus applicata, omni dolore liberam Sanctique merita collaudantem vidit quam citissime.

368 Elisabeth de Fonseca Matritensis, a duobus annis assiduam cordis palpitationem sentiebat; ita quod septies vel amplius quotidie vexata, mortis periculum

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

periculum adiret. Unde ab aliis persuasa, S. Petri de Alcantara intercessionibus cum voto sese commendabat. Quod ei tam fœliciter quoque successit, ut statim notabilem mutationem agnoscens, brevi integram valetudinem recuperare mereretur.

369 Maria Gonzalez nata Arenis, per duodecim annos quotidie ter aut quater palpitationem cordis patiebatur, quæ illam sensibus privabat cum vehementi cruciatu. Una vice spiritu ac devotione ferventi S. Petrum de Alcantara invocat, et se cum voto sacellum ejus invisuram promittit. Ab illo puncto omni passione libera imposterum sana perseveravit.

370 D. Isabella de Caravaxal de Arenas morbo quodam affecta, qui cum febri deliquia et cordis passiones causabat, ita quod extremo Unctionis sacramento recepto, mortem operiebatur. Accessit interea filius ejus Joannes, et matri se S. Petro de Alcantara vovere suadet, sicut ille fecerat pro sua salute. Quo facto obdormivit ægrota, et post pusillum evigilans, a cunctis cum summa admiratione ab omni pœna et malo libera inventa est.

371 D. Catharina Pacheca nata Oropesæ, tertianam duplicem patiebatur, quæ alias passiones B vehementiores inducebat cum vitæ periculo. Itaque offerendo se S. Petro de Alcantara, cui semper addicta fuerat, aquam miraculosam servi Dei hauriens, sopore capiebatur. Post hunc evigilans, sine febri sanam se factam admirata, Sancto gratias reddidit. Idem quoque in alia infirmitate gravissima experta fuit.

372 Maria, filia Christophori Martin et Mariæ Sanchez del Arenal, infirmitate quadam singulari ultra annum torquebatur, dum passiones melancholicæ eam a spiritibus vexari indicabant. Quod animadvertentes genitores, postquam variis piorum hominum consiliis ac experientiis obtulissent, tandem ad sacellum S. Petri de Alcantara conducunt, et facta oratione integre ab omni accidente liberam ad sua reducunt.

IV. *Hernia aliisque similibus liberati malis.*

373 Balthazar Rodriguez filius Thomæ habitantis Arenis, laborabat hernia, brevi a chirurgis incidendus. Ejus mater Francisca Muñoz voverat se per novem dies filium ad S. Petri de Alcantara sepulcrum conducturam. Ideoque dum quadam die devotioni suæ intenta, ecclesiam (ubi corpus Sancti requiescit) verreret; respexit ad se filium venientem, quem prope sepulcrum antea depo- C suerat. Et quia integre sanatum, expediteque currentem agnovit, præ gaudio: *Miraculum! miraculum!* exclamans, humillimas benefactori gratias reddidit, nec beneficium deprædicare cessavit.

374 Thomas Rodriguez ejusdem loci incola, tam molesta hernia cruciabatur, ut quotidie gemitus et clamores plurimos ederet. Mater quæ Discalceatis erat valde affecta, meliori, quo potuit, modo secum ad sepulcrum S. Petri filium portavit. Quo cum pervenisset, confestim omni defectu ac dolore liberatum domum reduxit.

375 Maria Nuñez, uxor Joannis Sanchez Serrano, ex pago Parra, filium habebat, cui intestinum diffluebat sine aliquo remedio. Fide igitur accensa, ad sacellum S. Petri de Alcantara cum puero recurrit, et cereum magnitudine eumdem æquans secum attulit; post devotam orationem puer integre convaluit

376 Filius cujusdam Thomæ Velasquez et Mariæ Gomez, per annos quatuor herniam ex utraque parte misere patiebatur. Unde parentes, voto visitandi sepulcrum S. Petri de Alcantara pro gratiarum actione emisso, statim perfectam ejus sanationem mirabiliter impetrarunt.

377 Petrus Hernandez de Herrera, ex pago D Candelera, cum pro lucrando jubileo, quadam vice ad ecclesiam Rosarii Patrum Discalceatorum ivisset; intestina in scrotum defluxere, ita ut in terram prosternerent. Ipse vero affectum cordis ad Sancti auxilium attollens, oratione facta, a S. Petro obtinuit sine dolore sanus liberque resurgere.

378 Domna Catharina de Balde Nebro, ex oppido Arenarum, filiam habebat hernia incurabili laborantem, quæ nocte quadam illam ad extrema conduxit. Tunc mater coram Deo genuflexa, S. Petri de Alcantara favorem, tamquam advocati particularis, confidenter invocat. Mox ægra somnum cepit, et brevi expergiscens sine aliquo infirmitatis signo matri se obtulit.

379 Filia quædam Balthazaris de Frias ex oppido Arenarum, adeo acuta febri opprimebatur, ut medicorum judicio nulla spes ad vitam patri relinqueretur. Quibus ille: Benedictus sit Deus, ergo a sanctis ejus remedium quæramus. Et statim ad ecclesiam S. Petri de Alcantara deportata filia, sacrum fieri curavit cum spe certa filiæ salutem se impetraturum. Quod equidem evenit, cum finita missa, puellam pristinæ saluti integre restitutam medici aliique noti summe admirarentur. E

380 Maria Lopez ex pago Sancti Stephani aliquamdiu magnis febribus tenebatur, quæ oppilationes quoque eidem creabant, sic ut vicinam morti constituerent. Ex quo matrem suam rogat, ut se portari faceret ad sacellum S. Petri de Alcantara, pro salute recuperanda. Nec spes fefellit, dum eadem imposita sepulcro, confestim sana resurrexit, collaudans Deum in Sancto suo gloriosum et admirabilem.

381 Joannes Blasquez de Arenas, quadam die castaneam ascenderat, ex qua sub ejus pede infractus ramus (eum) in terra prostravit, ubi inter saxa quædam prærupta totum corpus contudit. Accurrentes socii (quem mortuum credebant) erectum viderunt et narrantem quomodo invocatione S. Petri evidens mortis periculum evaserat. Unde eos rogabat secum ad ecclesiam ejusdem venire, ut pro liberatione gratias debitas redderent.

382 Sebastianum Garzia ex pago de la Parra febris vehemens invasit, cui medicamenta levamen nullum afferebant. Ideo ad favorem S. Petri de Alcantara cœlestem recurrens, ejus patrocinio confisus ad ecclesiam Discalceatorum deferri se jubet; ubi ferventi oratione aliquantulum perse- F verans, brevi sanus liberque a febri domum suam reversus est.

383 Joannes Garzia Ramos de Arenas ligna securi scindendo, pedem ægre vulneravit, ut præ dolore contabesceret. Invocato favore S. Petri de Alcantara cum voto mittendi ad ejus sepulcrum pedem cereum; statim tumor decrevit et vulnus obductum fuit, stupente chirurgo, qui lethale judicaverat.

384 Infans quidam duorum annorum Mariæ de Flores febri ardentissima laborabat ab octo mensibus, nec medicorum magna sollicitudine liberari poterat. Hinc quadam die matri pie in mentem venit se cum filio S. Petro offerendi (offerre), quod pro gratiarum actione sacellum ejus inviseret. Moxque hac promissione facta, infantem omnino febris reliquit et sanus evasit.

385 Didacus Sanchez Arenis incola per viginti quinque dies febri continua vexatus, tandem, accedente quartana, viribus destituebatur. Itaque omni ope desperata, ad S. Petrum de Alcantara cum voto visitandi ejus sepulcrum quatuor diebus Veneris recurrit. Vix voverat, cum se sanitati, ac viribus

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

A viribus integre restitutum Sancto acceptum merito tulit.

386 Catharina de Atienza de Arenas lecto tenebatur a febri continua, quæ etiam delirium superadduxit. Eam quadam die accedens frater ejus hortabatur S. Petro se commendare, quemadmodum ipse cum alio fratre sæpe cum fructu expertos se fuisse affirmabat. Exaudiat nos Deus, respondit infirma; et invocata Sancti intercessione cum voto visitandi ejus sepulcrum et jejunandi per tres sextas ferias, sequenti mane cum omnium stupore liberam sanamque se ostendit.

387 Filius quidam Petri Ximenez ætatis anno decimo octavo, vehementi capitis dolore vexabatur, adeo ut requiem impediret; quare mater S. Petri de Alcantara devotissima, filium ei serio commendabat, promittendo eum discalceatum per tres sextas ferias sepulcrum ejus invisurum. Qua facta promissione, adolescens e lecto consurgit et matris votum rectissime adimplevit.

388 Bartholomæus filius Francisci Martinez et Mariæ Sanchez incolæ del Arenal, tam molesta hernia laborabat, ut ex ea mori crederetur. Igitur parentes ejus vovendo se S. Petri sepulcrum cum B infirmo invisuros, confestim convaluisse cognoverunt et ad præstandum promissa, ad conventum Sancti Andreæ Discalceatorum conduxerunt. Hoc sibi contigisse anno ætatis tertio decimo jam annum trigesimum agens infirmus deposuit neque ultra quid se passum asseruit in illa parte. Ita quod ex hinc semper S. Petro de Alcantara addictissimus, ulterius in quodam naufragio (ubi septem naves perierunt) ipse cum sua salvum evasisse, ejusdem favori confidentius adscriberet.

389 Christophorus Lopez Arenis incola per annum et medium intestinum rectum adeo extra suum locum prominens gerebat, ut etiam matri suæ cruciatus ex suis doloribus adderet. Hæc ergo omni remedio humano desperato, ex consilio cujusdam religiosi Discalceati filium ad sepulcrum S. Petri de Alcantara conducit. Ubi cum ferventi oratione eumdem subsidere fecisset, divina virtute statim intestinum ad interiora rediit, et æger tam mirabiliter sanatus, divinam beneficentiam et Servi sui gloriam altius ubique deprædicavit.

390 Puerulus Æthiops inutilis penitus atque contractus, ad S. Petri sepulcrum ab ejus hera, C uxore quondam Martini de Frias, oppidi Arenarum accolæ, adductus; meritis ejusdem servi Dei integræ sospitati restituitur.

391 Leonora Gonzalva ejusdem oppidi Arenarum inquilina, a paralysi, qua gravissime laborabat, ad ejus quoque sepulcrum integre liberata fuit.

V. *Sanati solo Reliquiarum contactu.*

392 Isabellæ Gonzalez uxoris Francisci Godinez de Arenas, faciem erysipola inflammatio sic occupaverat, ut intra octo dies quasi cæcam redderet. Huic allata corda S. Petri de Alcantara ac faciei applicata, statim tumorem suppressit ac sanam præstitit.

393 Joannes Lopez filius Ægidii de Mombeltran, annorum duorum ac medii, magnam suppurationem in crure habebat cum dolore intenso, ac nulla sanandi spe. At parentes ad cœlestia remedia confugiendo, fascias quasdam, intinctas aquæ ex reliquia S. Petri de Alcantara, cruri obvolvunt, cum somnum petebat. Sequenti mane puer omni infirmitate liber parentibus offertur.

394 Maria Alvarez de Soto, uxor Simonis Guttierrez de Mombeltran, cruciabatur valde in una manu ex quodam vulnere, quo intumuerat. Sed postquam baculum S. Petri reverenter ac cum devotione contrectavit; non dolore modo, sed et vulneris signo omnino liberata fuit.

395 Illustris quidam vir in Castellæ regno uxorem habebat in magno periculo versantem, ex faucium inflammatione irremediabili. Hinc ambo auxilium S. Petri de Alcantara implorando, quadam ejusdem reliquia offensam partem contingunt; ex qua paulatim meliorata, intra sex horas integram sanitatem recepit.

396 Joanni Baptistæ Muñoz Arenis habitanti, cum inflammatione quadam secreta, febris ingens per octo dies continuos requiem turbabat. Ideo ex auditu miraculorum S. Petri de Alcantara, ad ejus sacellum deportari festinans, ibidem post devotam orationem, perfectam salutem a Deo obtinuit.

397 Joanni de Soto, architriclino Octavii centurionis, Marchionis de Monasterio, ex inflammatione quadam cum ardente febri maxilla intumescebat. Unde ejus filia D. Clara eamdem oleo lampadis S. Petri inungens, statim aperiri vidit et saniem effluere, ita ut post tres dies pater sanus extiterit.

398 Joannes Martinez Spinosa de Arenas habebat guttur inflammatum cum interiori suppuratione, quæ cum febri continua ingens ei tormentum E afferebat. Itaque a medicis derelictus perceptisque sacramentis cum morte luctari videbatur. At recordatus beneficiorum S. Petri de Alcantara, ei se affectuosius commendabat. Mox guttur aqua ex Sancti reliquia aspergens, sensit suppurationem rumpi, marcorem diffluere, febrim cessare seque pristinæ sanitati jam optime restitutum esse.

399 Alphonsus de Arias ex oppido de Arenas, ex apostemate gutturi inhærente cum ardente febre, periclitabatur de vita; cum duo Fratres Discalceati ædes ejus accederent eleemosynæ causa. Ili promittunt se ad conventum reversos eum Deo precibus oblaturos; simulque missuros aquam ex S. Petri reliquia, qua uti posset. Vix bibit infirmus, cum obdormisset, et aliquantulum post evigilans, sensit ruptum apostema ac febrim cessasse.

400 Andreas Ximenez, incola pagi de las Cuevas, propter suppurationem in crure moveri e lecto non poterat. Itaque auditis mirabilibus S. Petri de Alcantara ei se diligentius commendans, aqua ex reliquia ejusdem ulcus lavit et brevi convaluit.

401 Doctor Laurentius Pinel de Sosa, medicus F Arenis, propter apostema in gutture a medicis relictus, sacramenta Ecclesiæ acceperat, ut mortem expectaret. Huic applicata corda S. Petri de Alcantara apostema dirupit et ad salutem profuit, sic ut ex miraculo omnium devotio in Sanctum mirum in modum exinde creverit.

402 D. Rodericus de Mendoza et Sandoval, dux del Infantado, apostema in aure ovi magnitudine habebat, quo vehementer torquebatur, nec requiem capiebat. Accepta igitur reliquia quadam S. Petri de Alcantara, cujus singularis devotus erat, eam auri applicuit et cessante dolore somnum cepit. De hinc resurgens a somno, tumorem recessisse et se sanum agnovit; quod medicis ac chirurgis pro miraculo habitum fuit.

403 D. Thomas Lopez præfectus Arenis, hydropisi laborans in parte sinistra ventriculi, magnum tumorem sentiebat, qui dolores et inquietudines causabat vehementes, ita quod de remedio desperans, uxori diceret omnino sibi mortem instare. Cui nobilis mulier confidendum sibi meritis S. Petri de Alcantara, eique serio se commendandum restare, si salutem cuperet. Hinc cum magno pietatis affectu Sancti cordam parti offensæ applicando,

AUCTORE F. FR. LAURENTIO.

cando, illico experiebatur dolores minui, appetitum cibi redire, quem hactenus nauseaverat. Tandemque intra paucos dies, totum se convaluisse cum omnium admiratione et Sancti gloria.

404 Catharinæ Rodriguez, viduæ Joannis Rodriguez, habitanti in oppido Guisando, pectus occupaverat suppuratio maligna, quæ sub brachio ad sinistrum latus protendebatur, ut necessario a chirurgis incidenda judicaretur. Hinc cum misera mulier instrumenta expavesceret, e lecto exiliens in terram se prostravit, exclamando : O sancte Petre de Alcantara ; tibi dico, Sancte benedicte, ut mihi faveas in hac angustia, nec permittas me ab istis instrumentis attingi. Mox reliquiam Sancti cum devotione applicans, ulcus aperiri vidit et frustula carnis marcidæ exire, atque brevi integre agnovit se sanam evasisse.

405 D. Catharina de Medrano incola Arenis per tres menses continuos dentium dolore cruciabatur atrociter, cum totius vultus inflammatione. Accepit itaque cordam S. Petri Alcantaræ et cum ea faciem in crucis modum signavit. Statim dolor cessavit et intra quadrantem horæ omnis tumor evanuit, quasi nihil passa fuisset.

B 406 Aloysa Centeno civis Toletana, fauces tumore quodam inflammatas habebat tali modo, quod acutissimos cruciatus afferret, et tandem caput in sinistrum humerum cum deformitate detorqueret. Unde memor ipsa alterius beneficii a S. Petro de Alcantara accepti, misit ad conventum pro ejusdem reliquia. Cum ea accedens guardianus et tumorem signans, obstupescentibus cunctis, visum fuit guttur detumescere incontinenti, et caput ad locum suum redire sine nullo infirmitatis vestigio.

407 Filius quidam Ludovici Gomez et Mariæ Lopez de Arenas, cruciabatur valde a vulnere in crure accepto, cui a chirurgis ferrum applicandum parabatur. Tunc mater ad S. Petrum lacrymando confugiens, promisit se crus cereum ad sepulcrum ejus allaturam et tribus sextis feriis visitaturam. Postea ad filium accedens, invenit rupto apostemate, bene valere, ut simul cum ipsa statim votum Sancto persolvere posset.

408 Doctori Zavallos prætori Toletano, ex quadam contusione crura adeo intumuerunt, ut lecto inhærere cogeretur, et post varia tentata remedia, ferro tumorem aperire. Dum ergo quadam nocte
C recogitando imminens periculum, cui se exponebat, ad S. Petrum de Alcantara singulari affectu devotionis conversus, supplicabat sibi opem ferre, ne incisionem probaret, certisque exercitiis pietatis se ei pro gratiarum actione obstrinxit. Sequenti mane inventus fuit mirabiliter, sine omni inflammatione aut signo, lecto egressus ut incedere posset.

. 409 Simon Gomez dum in sylva quadam ligna secabat, ex arbore in terram cadens duo ossa in dorso confregit, quæ maximos ei dolores et tristitias afferebant. Tandem summa fiducia ad auxilium sui singularis advocati S. Petri de Alcantara confugit, promittendo se ceræ quantitatem ad ejus altare delaturum. Quo facto statim dolores evanescere, ipse quietem capere atque die sequenti e lecto surgere, ad prius exercitium in sylvam revertit.

VI. *Gratiæ operatæ ex Cordæ contactu et terra ab ejus sepulcro desumpta.*

410 Habitabat in oppido de Arenas Rodericus Arias Godinez, vir satis conspicuus, qui febri continua periculum adierat. Hinc se commendans quadam vice S. Petro de Alcantara, cui singulariter devotus erat, cordam ejusdem sibi adferri instanter petiit. Cum ergo illa collum cinxisset atque aquæ haustum bibisset ; compellando Sancti intercessionem obdormire visus est, cum a multis diebus id non fecisset. Ex quo somno evigilans, omni febri liber gratiam a Sancto juxta desiderium impetravit. D

411 Antonio Gonzalez de Arenas filia erat, cui gravis morbus loquelam abstulerat, et cum accidentibus mortalibus tremores mirandos in omnibus membris efficiebat. Statim ac illam corda S. Petri attigisset, sine mora loquelam recepit et in toto corpore convaluit, ac Sancto perpetuas gratias reddidit.

412 D. Joanna de Avila habitans Arenis, per tringinta dies a continua febri vexata, proxima morti constituebatur. At recordata mirabilium S. Petri de Alcantara, ad ejus favorem confugit, cingendo se ejus corda, et vovendo se ejus sepulcrum pro gratiarum actione adituram ; confestim febris recessit et sana votum adimplevit.

413 Filia quædam Bartholomæi Sanchez et Annæ Gonzalez, sine ullo remedio febri continua laborabat. Unde pater ad conventum Fratrum Discalceatorum accedens, reliquiam quamdam S. Petri asportavit, et pectori filiæ imposuit cum fiducia reddendæ eidem salutis. Nec fefellit spes, cum E
statim omni morbo liberam, non sine omnium stupore, ipse quoque mirabundus conspexit.

414 Petrus Velez incola pagi de las Cuevas, tertiana duplici usque delirium tenebatur. Itaque consilio amicorum, S. Petro de Alcantara se commendans, quamdam ejus reliquiam applicari sibi cum devotione procuravit. Ex qua, mox omni infirmitate liberatus, pro accepto beneficio humillimas gratias egit.

415 Ignis vehemens in quadam sylva D. Antoniæ de Herruz forte accensus, venti incremento contiguas sylvas depopulabatur. Unde vicinæ mulieres clamores in cœlum extollentes, auxilium S. Petri de Alcantara invocabant. Venit tunc in mentem prædictæ D. Antoniæ, se aliquid de terra sepulcri ejusdem Sancti habere, quam cito prolatam flammis injecit. At mirum dictu, quod statim extingui visæ, majores in omnium cordibus devotionis ardores relinquerent, ut Deum in Sancto suo magnificarent.

416 D. Agnes de Cepeda nobilis Toletana filiam habebat, propter gravem morbum a medicis derelictam, ita ut animam ageret. Dum igitur spiranti ministrantur spiritualia subsidia ; eidem parum F
aquæ cum terra ex sepulcro S. Petri missa fuit a D. Maria de Paramo. Hanc cum devote hausisset, illico febrem cessasse, atque in se reversam ægrotam omnibus summæ admirationis causa fuit, ac Deum laudarunt.

417 D. Joanna Valeriano Arenis nata, febri pestifera post aliquot dies ad extremum redacta erat. Animo tamen erecta ex consideratione miraculorum S. Petri, ejus favorem cum fiducia implorat. Mox aliquantulum terræ ex sepulcro ejusdem aquæ commixtum bibendo, liberam se et recte valentem mirabiliter agnovit.

418 Franciscus Fernandez de Fonte Toletanus, morti proximus a matre S. Petri de Alcantara intercessionibus offerebatur. Et cum tangi eum a reliquia ejusdem procurasset, confestim incolumem recepit.

419 Franciscus Godinez de Arenas duo olei dolia habebat, ita colore, odore ac sapore corrupta, ut prorsus inutilia æstimarentur nulliusque pretii. Quod animadvertens ejusdem uxor, aliquantum terræ ex sepulcro S. Petri oleo immiscuit, et statim extrahens parvam quantitatem, adeo purgatum

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

A gatum totum invenit, ut admiratione confusa, miraculum ubique deprædicaret.

420 Isabella Gomez uxor Petri Ximenez, ex pago Arenal per duos menses lecto detinebatur a febri continua, quam arte expellere in vanum tentarat. Ergo ad S. Petrum de Alcantara toto corde conversa, quamdam reliquiam ex conventu Discalceatorum obtentam collo imposuit; et illico surrexit incolumis.

421 Fr. Joannes de Leganez Religiosus conventus Sancti Andreæ, cum vehementer se a febri molestari sentiret, cum magna fiducia se reliquia B. Patris sui tangi expetiit, et statim bene habuit.

422 Marchionissa de Malpica ex ulcere faucibus inhærente, de vita periclitabatur. Inde intercessionem S. Petri de Alcantara compellando, ejus reliquiam collo appendit. Ex quo, cum brevem somnum cepisset, expergescens sana absque ullo offensionis signo Sanctum glorificavit.

423 D. Catharina Mexia uxor Didaci Ximenez ex civitate Toleti, febri pestilentiali mortis periculum medicorum judicio timebat. Sed applicando reliquiam S. Petri de Alcantara, post modicum somnum libera evasit.

B 424 Franciscus Martinez Arenis incola, digitum in manu sinistra adeo ægrum habebat, ut abscindendum chirurgi judicarent. Infirmus itaque seipsum cum certa eleemosyna S. Petro devovens, reverenter quamdam ejus reliquiam deosculabatur. Tota sequenti nocte sopore refectus, quem per triginta dies ob doloris vehementiam amiserat, proximo mane, obstupentibus chirurgis, sine ulla læsione inventus est sanus.

425 Sebastianus de Medina, ephœbus comitissæ de Garzias, navigando in Flandriam ingenti maris procella jactabatur in mari, sic ut omnes præsens naufragium pertimescerent. Ipse vero socios ad invocandum patrocinium S. Petri de Alcantara provocans, summa in Sanctum suum fiducia reliquiam quamdam ex ejus vestimentis in mare projecit. Vix undas tetigerat, cum detumescere videbantur, et tempestas cessare, ut ad agendas gratias omnes incitarentur.

426 In civitate Toletana D. Hieronyma de Rios, cruciata per duos annos a febri ethica, vitæ spem amiserat. Cum soror ejus parum aquæ (cui reliquia S. Petri intincta fuerat) propinasset, eamque cum magna fide hausisset, defecit febris accessio, post C etiam paucas horas optima valetudine se omnibus exhibuit cum Sancti glorificatione.

427 Dominus Franciscus Gratianus Berrugere, secretarius linguarum apud regem catholicum, ab improviso accidente omnibus sensibus privatus fuit. Ille vero interna cordis elevatione, coram quadam S. Petri de Alcantara imagine, se eidem serio commendat. Statimque in se reversus, intra brevissimum tempus integre convaluit.

428 Licentiatus Vargas ex oppido Arevalo, bis febri syncopali præoccupatus, cordam S. Petri ex ejusdem loci conventu postulavit. Insuper voto novenam offerens, brevi post salutem recepit; et pro gratia nihil se possibile negaturum, quod nomine S. Petri de Alcantara a se peteretur, libere spopondit.

VII. *Sanati ex Oleo lampadis et Aqua S. Petri.*

429 Alphonsus de Frias inflammatione quadam gutturis per octo dies nimium oppressus, quæ jam in faciem protendebatur cum imminenti vitæ periculo. Animatus autem fiducia patrocinii singularis sui advocati S. Petri de Alcantara, ad ejus sacellum adiit, et oleo lampadis guttur inungi fecit. Ex quo statim omnis tumor evanuit et ipse melius habuit.

430 Maria Lopez uxor Blasii de Ponte, habitantis Arenis, filiam habebat annorum duorum, nomine Catharinam. Hæc infracta cervice ex gravi quodam casu, caput semper in sinistram partem pendens gestabat. Et quia curari arte humana non poterat, mater eam ad sacellum S. Petri per tres sextas ferias conduxit; ibique ungendo oleo lampadis obtortum filiæ collum, mox in pristinum locum caput restitui atque erectum stare vidit.

431 Catharina Lopez, uxor Alphonsi Palomeri habitantis Arenis, cruciabatur continue in genu a quodam carbunculo, qui acutos dolores causabat. Commendabat itaque se ardenter S. Petro de Alcantara et oleo lampadis inunxit, sic ut illico sana evaderet.

432 Maria de Antienza, uxor Petri Stevano Arenis incolæ, filium habebat Nicolaum, cui post diuturnam infirmitatem inflammatio gutturis accesserat cum febri ardente. Hic quadam die lecto consurgens, decidit in terram; et mater accurrens, oleo (quod servabat ex lampade S. Petri) filium inunxit et Sancto precibus commendavit; statim, inflammatione ac febri remittente, adolescens convaluit.

433 Anna de Arenas, uxor Didaci Gomez Bezino, genu inflammato ab omni opere impediebatur. E Itaque die quadam auxilium S. Petri invocans, oleo ejus lampadis partem inunxit et liberata fuit.

434 Joannes Garzia, filius Dominici Garziæ Palomero et Stephaniæ Gomez, ætate quinquennis catharro ita contractus remansit in nervis, ut nec pedes nec manus movere, aut stare aut sedere valeret. Mater consiliis amicorum persuasa filium ad sacellum S. Petri de Alcantara conduxit, super sepulcrum collocavit et oleo lampadis inunxit, dum sacrum fieri curaret; quo rite expleto, puer sponte surrexit, nec imposterum tale quid amplius passus est.

435 Puella octo mensium, filia Mariæ Muñoz de Mombeltran, a medio corpore sursum lepra operiebatur, præter alia quædam ulcera fœtentia et horrida, quæ curationem respuebant. Post sexdecim dierum medicamina infructuosa, parentes ad divina remedia recurrendum statuerunt. Ideoque ex vera pietate S. Petri patrocinium implorando, aqua (quam reliquia ejus attigerat) puellam lavant. Unde mox crustæ ulcerum deciderunt, lepra exsiccata nullum ultra sui vestigium in cute puellæ reliquit.

436 Isabellæ Lopez habitanti Arenis, oleum F (quod conservabat in propria domo) ita corruptum erat, ut nulla industria purgari posset. Ad cœleste igitur remedium confugiens S. Petri miraculis stimulata, ex aqua ejus reliquiæ oleo superfudit, cujus partem pro lampade ejusdem largiendam vovit. Et ecce quod eodem puncto oleum ad pristinam puritatem reversum mulieri devotionis præmium rependit.

437 Petrus Sanchez Usero post gravem morbum ad ultimum vitæ terminum perveneral, ipsis medicis de salute desperantibus. Circa mediam vero noctem, quasi a lethargo quodam excitatus, filio præcepit, ut ex conventu Fratrum Discalceatorum parum aquæ miraculosæ protinus afferret. Quod cum filius cum omni diligentia præstitisset, bibendamque patri anhelanti propinasset, vidit eidem febrim declinare, et intra paucos dies integre sanum e lecto resurgere.

438 Petrus Rama habitans in Arenal, uxorem habebat infirmitate incurabili oppressam. Cui post varia remedia frustra adhibita, aquam S. Petri potandam exhibuit. Ex qua post modicum somnum, infirma integre sanata evigilavit.

439 Joanna

AUCTORE F. FR. LAURENTIO.

439 Joanna de Medina Arenis nata, prostrata jacebat a febri continua; cui per triginta dies medicinæ exhibitæ prodesse non valebant. Igitur S. Petrum de Alcantara invocando, ejus aquam hausit et brevi convaluit.

440 Dominicus Ximenez incola pagi de Mombeltran, variis accessionibus febris continuæ ad extrema redactus, quadam die lecto exurgens, sepulcrum S. Petri adiit, orationem fudit atque ex aqua reliquiæ bibit, totusque incolumis ad sua rediit, ut gloriam Dei ac merita Servi sui altius deprædicaret.

441 Beatrix filia Andreæ Manso supradicti loci, febris continuæ agitationibus perducta erat ad mortis confinia. Quamobrem pater S. Petro de Alcantara devotus, ex ejus aqua febricitanti propinavit; qua hausta, statim eam febris deseruit et bene habuit.

442 Joannes de Fonte civis Toletanus, pessime habebat a tertiana duplici, qua misere torquebatur. Hinc quadam die ad conventum Patrum Discalceatorum misit, pro aqua ex reliquia S. Petri de Alcantara, quam afferens guardianus et ægrotum reliquia signans, febri totaliter liberavit.

B 443 Joannes Ximenez Nieto habitans in pago Hornillo, habebat uxorem et filium sexennem ambos graviter laborantes tertiana. Adiit conventum S. Andreæ del Monte; et allata infirmis aqua S. Petri de Alcantara, quam potando sanati fuere.

444 Christophorus Martinez Salzedo incola Mombeltrani, gravia tormenta passus erat per multos dies a tertiana duplici. Unde secum deliberat, priusquam ultimam medicinam caperet a medico præscriptam, de accipienda aqua ex reliquia S. Petri de Alcantara, licet ab eodem medico valde contradiceretur. At instante constantius ægroto, vas allatum in principio paroxismi manibus tenens, dicebat: Sancte mi advocate Petre de Alcantara, tibi me commendo, et aquam hanc in tuo nomine haurio, ut me tam longa infirmitate promptius liberes. Vix dum aquam hauserat, cum tota febris cessavit, et medico præsenti summum stuporem incussit.

445 Petrus Velasquez de Arenas fluxum sanguinis per aliquot dies passus, aliis periculosis accessionibus vitæ periculum adierat. Hinc memor beneficiorum S. Petri de Alcantara, ad guar-
C dianum conventus pro aqua ex S. Petri reliquia misit, qua hausta, dolor omnis et fluxus recessit, ut lecto statim exsurgere potuisset, ni debilitas prohiberet. Qua non obstante, sacellum servi Dei invisere voluit, et votum fecit, se quotannis die ejusdem transitus mendicum aliquem cibaturum; moxque iterum de præfata aqua bibens, perfecte convaluit.

446 Joannes Sanchez de Mombeltran vulnus in manum recepit, a quo nervi incisi periculosum vitæ ejus statum ex inflammatione fecerunt. Uxor itaque Francisca Gomez, de casu mariti afflicta, pro ejus salute S. Petro de Alcantara se vovit velle cum marito sepulcrum Sancti adire. Insuper cum aqua ex ejus reliquia manum lavit, et statim eamdem movere vidit nec cicatricem aliquam vulneris remanere. Quo insigni successu valde in illo loco devotio servi Dei promulgata fuit.

447 Alphonsus Sanchez de Xara, qui morabatur in pago Guisando, gregem ingentem caprarum alebat, quarum occulta infectione plurimæ peribant cum magno domini detrimento ac dolore. Die quadam occurrerunt ei duo Fratres Discalceati, qui authores fuerunt, ut ad conventum mitteret pro aqua illa miraculosa reliquiæ S. Petri de Alcantara, qua aspergeret infectas. Promptissime obediit Alphonsus, et cum fiducia in Sanctum aspersit sic, ut cessante morbo, imposterum gregem amplius non infestaret. D

448 D. Augustinus Navarrus Burena, eques Ordinis militiæ sancti Jacobi, ex civitate Calatayud, gravi morbo in Germania affectus valde periclitabatur. Hinc quadam nocte S. Petrum de Alcantara suum singularem advocatum devote invocans, ab ipso sibi apparente certior factus fuit, se ex hac infirmitate nequaquam moriturum. Quod quidem sic evenit, cum contra omnium expectationem, ipse intra brevissimum tempus integerrime convaluit. Non longo post tempore, idem a rege catholico Philippo IV piæ memoriæ Mediolanum missus, inde secretarius status et belli apud serenissimum archiducem Austriæ Leopoldum destinatur. Dum autem in quadam navigatione versus Hispaniam, ipse ex navi horribili tempestate concussa, in mare ejicitur, intima cordis devotione se S. Petro commendabat. Qui visibiliter apparens illi, per brachia ex undis in salvum extrahit, ulteriusque securum reddit neminem ex suis periturum; sed conditionem addidit, ut pro accepta gratia, solemne festum in perpetuum dedicaret celebrandum in aliquo conventu sui instituti. Monuit insuper, ipsum moriturum quadam die intra sui festi octavam, quemadmodum successit anno 1656 Madriti, ubi diem extremum clausit. Hoc miraculo inductus, capellam Sancto dicavit in Calatayud, et dotavit tantis sumptibus, quot sufficerent celebrando festo ejusdem cum magnificentissima pompa. E

VIII. Miracula ex apparitionibus, ex sola intercessione et ex ficu Petrosi plantata.

449 In vita venerabilis servi Dei Patris Didaci de Vera provinciæ S. Pauli Discalceatorum olim ministri, et totius Ordinis Minorum difinitoris generalis, refertur, quod cum Romam aliquando pergeret timens, ne addita pedum nuditati et infirmæ suæ valetudini gravissima (qua laborabat) febris ipsum a tanta peregrinatione retardaret; a sanctis Petro de Alcantara, et Teresia de Jesu (quibus devotissimus erat) humiliter petiit, ut ipsi a Deo sufficientes tam longo itineri vires impetrarent. Exauditus pro sua devotione Didacus, eos sibi visibili specie apparentes inspexit, sibique benigne dicentes audivit: Nihil timendum esse; non defuturum ipsi Dei auxilium, fœlicem itineris sui finem consecuturum, licet non penitus restituta ejus corpori sanitate. Divinæ namque voluntatis esse ut impositam obedientiæ legem in doloribus et infirmitatibus adimpleret. Quæ omnia ita acciderunt. F

450 Maria Velasquez febri pestilentiali ad agoniam redacta, a medicis derelicta et sacramentis Ecclesiæ receptis, mortem operiebatur. Cum repente lecto exiliens, stupentibus omnibus adstantibus, dixit; ut recederent ad quietem, quia per Dei gratiam et intercessionem S. Petri de Alcantara bene habebat. Sed ulterius de modo interrogata respondit: Dum animam ageret, ex corde servo Dei se commendasse, qui apparens sibi os aridum quadam aqua miraculosa replevisse, qua non sitim modo, sed et febris ardorem extinxisset. Vocati igitur medici miraculi experientiam comprobando, late famam rei ac Sancti gloriam sparserunt.

451 Catharina Rodriguez de Arenas, inflammatione faucium angustiata, nec cibum capere poterat nec quietem. Unde quadam nocte vehementius oppressa, domesticorum auxilio frustra adhibito, sola S. Petro de Alcantara instantius se commendat, ut succurreret. In oratione igitur obdormiens, per visum sibi apparuit S. Petrus cum S. Francisco,

A cisco, ingenti splendore cubiculum illustrantes. Illi vero quærentes quid a se peteret, respondit : Salutem. At ipse : A Patre sancto Francisco petas, ut certo tibi a Domino impetret. Nec mora quin in eodem puncto mulier perfecte sanata, omnibus notis suis admirationem maximam afferret.

452 Joannes Rodriguez Montesinos de Arenas, iter faciens per quasdam angustias, quas de Arenas nuncupant ; ubi nebula, vento ac nivibus infestatus, ægre ad culmen montis penetrabat. Hic iterum utrimque nivibus obsessus, pro auxilio sanctum suum advocatum S. Petrum de Alcantara ardentius compellat. Et ecce quod vidit eumdem præcedentem sibi per medium nivium, semita quadam nuper aperta, dum per tres menses, nullus illac hactenus transiisset. Ipse vero nullo aut ventus aut nebulæ incommodo viam perficiens, beneficii magnitudinem gratiis humillimis semper recoluit.

453 Bernavela de Figeroa, uxor Joannis Rodriguez civis Toletani, ex febri maligna vitam desperabat. Unde sacramentis perceptis, duos religiosos ex conventu Discalceatorum advocari fecit, qui animam Deo commendarent. Hi itaque cum advenissent, monuerunt ægrotam, ut S. Petro se in B corde commendaret ; et aquam ex ejus reliquia bibendam propinarunt. Hac autem accepta obdormiens mulier ; post horæ quadrantem evigilans, vocavit matrem ac materteram voce sonora dicens : D. Mater sanctus Religiosus (cujus hæc est reliquia) mihi adstitit prope hunc lectum eo splendore ac pulchritudine, quam optassem, quod vidisses. Inde accurrentes cæteri, omnes clamare cœperunt : Miraculum, miraculum ! ægramque sudore aspersam ac a febri liberam invenerunt.

454 Francisca Ponze, uxor Joannis Ximenez oppidi Algarobillas anno 1628 febrem malignam patiebatur cum accessionibus mortalibus. Servabat autem frustulum ligni ex ficu, quam S. Petrus de Alcantara plantaverat in conventu Pedrosi, quod aquæ ciatho intingere jubens, statim magna cum fiducia ac devotione ebibit. Quo facto mulier incolumis evasit, et, quod admirandum videbatur, aridum illud lignum revirescens globulum, fici instar, produxit, plurimique ex ejus aqua salutem hauserunt.

455 Maria a Sancto Josepho tertii Ordinis sancti Francisci, apud se servabat partem ficus S. Petri, C longitudinis unius palmi, sed subtilem. Hanc rogavit ipsa, ut villicus quidam in area domus suæ plantare vellet, quia confidebat in ficum evasuram. At villicus ligni conditionem ac hyberni temporis importunitatem adducens, impossibilem et ineptam plantationem arguebat ; mulier vero spei suæ ac desiderii causas replicans, tantum effecit, ut particula illa defoderetur ; quam sequenti Martio mense radices egisse, folia emittere atque ut cæteras ficus crescere non immerito obstupuit. Hæc postea in conventum Discalceatorum transplantata (fuit) ejusque fructus, multorum infirmitatibus salubres, adhuc continua experientia celebres omnium devotioni exhibentur. *(Conf. Comm. præv. ad finem).*

456 Religiosus quidam prædicator in conventu Discalceatorum B. Virginis de Cardillexo, febribus magnis ultra duos menses tenebatur, ex quibus inter alias accessiones hoc patiebatur, quod post multas horas cibum indigestum regurgitaret, et quod medicus perperam curando, malum cum periculo vitæ augeret. Hinc convenientius sibi ducens, pulveres quosdam ex ficu S. Petri sumere ; eosdem a guardiano petiit, ac Sancto se devote commendavit, vovens se ejusdem imaginem semper habiturum prope lectum et aliquot preces quotidie recitaturum, si salutem sibi redderet, aut bonam mortem, prout expediret magis, concederet. Inde sumpta aqua cum immixto pulvere, cœpit intra se hæcce ruminari : Utinam Deus vellet me pro suo servitio iterum sanitate donare. Utinam talem evacuationem habere possem, ut nihil humoris maligni, ex quo patior, remaneat. Alia insuper multa mente revolvebat, quæ intra breves horas omnia sibi prospere evenisse, postea religiosis narravit cum summa Sancti veneratione, cui id acceptum ferre se ingenue fatebatur.

457 In civitate Legionis devotissima S. Petri de Alcantara infirmabatur benefactrix quædam Fratrum, cognomine Bayarda, cui mors finem accelerabat. Quod cum a duobus Fratribus guardiano nuntiatum fuisset, remisit eidem ex pulvere fici ; quibus illa acceptis integre convaluit.

458 Benedictus Ximenez Ponze ex oppido Carovillas, digitum habebat ulcere pessimo infectum, ut chirurgi incidendum judicarent. Sed infirmus incisionem expavescens, faciliorem a S. Petro de Alcantara curationem expectabat. Itaque conventum Pedrosi accedens, super altare, quod in cella E (quam habitarat Sanctus) erectum erat, digitum posuit orando devote, ut se a chirurgorum manibus liberaret. Postea domum reversus, medico et chirurgo digitum fasciis obligatum præbens curandum, ab iisdem sine ulla cicatrice inventus est sanus, ex solo illo contactu altaris, quem fecerat.

459 Licentiatus Michael Hernandez de Valverde ex quadam infirmitate extrema patiebatur ; cum ei clericus quidam amicus medium ficum, ex arbore S. Petri de Alcantara comedendum offerret. Quo accepto melius se habere sentiens, pro gratiis festum in conventu Manxarretes celebrandum magnifice paravit. Illuc itaque patrem ac propinquos conducens, tantos ultro convenisse invenit, ut vix tertiæ parti sufficere cibaria præparata viderentur, prout juramento firmavit. At ne cœlestia prius quærentibus temporalia deessent, providit Sanctus, ut multiplicando præparata, multæ reliquiæ superessent, quæ omnium devotionem et admirationem elicerent.

460 Martinus Carrero ex pago de la Dehesa, benefactor Fratrum S. P. Francisci, decumbebat febri et gutturis inflammatione, propter quam duobus diebus vix sputum emittere poterat aut F aquam bibere, ideoque summo ardore consumebatur. Accessit interea religiosus quidam ex conventu de Arevalo, qui infirmum percontatus, an devotionem aliquam ad S. Petrum de Alcantara haberet ? Cui ille numquam tali Sancto se commendasse respondens ; admonitus fuit, ut se eidem serio nunc commendaret et novenam cum fiducia salutis voveret, quo citius intercessionis beneficium obtineret. Inde vas aquæ expostulans religiosus, crucem quamdam ex ficu S. Petri de Alcantara immittens, bibendam ægroto exhibuit. Qua hausta, sine difficultate ovum etiam sorbuit et cætera omnia (quæ gustanda dabantur) facile inglutiebat ; ita quod ex illa hora tam gutturis inflammatio, quam febris ardor infirmum penitus deserendo, ad reddendas liberatori suo gratias liberum sanumque relinquerent.

461 Incolæ oppidi de Arenas afflicti, valde mœrebant de pluvia continua quinquaginta dierum, quæ a camporum cultura cæterarumque suarum rerum cura eos domi inutiles detinebat. Super quo convocato consilio, decretum fuit, ut processio fieret gestando corpus S. Petri de Alcantara, quo

 Deum

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

Deum placarent. Vix in publico comparuit sacrum pignus, quod visæ sunt nubes aquis gravidæ dissipari, et sol serenus universi populi mentes serenare, quo confidentius laudes servi Dei, ejusque favores sonoris vocibus decantarent; cui miraculo subsequentis disparitas decorem augebit.

462 Anno 1664 idem oppidum Arenarum ejusque vicinos campos diuturna siccitas affligebat, ita ut arvis pascuisque sterilitatem induxisse videretur. Unde cives nativa patriaque devotione ac fiducia S. Petrum acclamando, ejus auxilium tam ingenti necessitati opportunum existimantes implorandum deliberant, statuuntque die Dominica infra Ascensionem Domini sacra ossa (quæ apud se servari magna veneratione gaudebant) in publicum deferre, quo ejus patrocinio divina clementia solemnius exorari valeret. Itaque destinata die mirandum contigit, cum sacrum pignus reverenter super primorum humeros in publicum delatum, obscurari cuncta nubibus videbantur; quæ priusquam processio destinata loca circumiisset, ingentem imbrem emisisse, atque ultra octingentos homines (qui illuc convenerant) tam singularis beneficii participes ac testes fuisse publico instru-
B mento innotuit. Exaudiente Domino preces servorum suorum, quibus potestatem etiam dedit cœlos clausos aperire et terram fructibus suis fœcundare.

463 Fr. Didacus de Arenas, adhuc puer undecim annorum, de nuce in terram cadens ægre corpus contudit, et femur ligno quodam præacuto transfixit. Timens itaque de morte, ex corde auxilium S. Petri invocavit, et per tres horas, sine alicujus ope, in terra remansit. Post has a quibusdam advenientibus domum reductus, a chirurgo sine læsione inventus fuit, nec ipse dolorem aliquem exinde sensit.

464 Idem quasi evenit Joanni Ximenez, qui ex arbore (quam ascenderat pro ramis quibusdam secandis) non pronus in subjecta saxa, sed rectus in terram sine offensa decidit, idque invocando auxilium S. Petri de Alcantara, cui beneficium acceptum tulit, gratias reddendo.

465 D. Aloysa de Villagra, quæ habitabat in pago Mombeltran febribus agitata, nullo remedio curari poterat. Memor itaque alterius gratiæ a S. Petro de Alcantara receptæ, eidem se vovit; ac visitando ejus sepulcrum, ibi confestim sanitati
C restituitur.

466 Maria Gonzalez de Arenas ultra annum quartanam duplicem patiebatur, sine aliquo levamine; unde quadam die fiducia erga S. Petrum excitata, nudis pedibus ad ecclesiam Sancti Andreæ Discalceatorum viam ingreditur. Erat tunc frigus intensius, et eunti dolores cum difficultatibus augebat, ita ut media quasi via subsisteret. At spe animata prosequebatur quodcumque incommodum patientia superare, usque dum ad sacellum Sancti post brevem orationem, sanam se ac vegetam mirabiliter invenisset.

467 In conventu Patrum Discalceatorum civitatis Legionensis, laborabat per aliquot dies quidam murator ex montibus. Hic a febribus impeditus, operis sui lucrum familiæ suæ sustentationi afferre ulterius propter debilitatem nequibat. Itaque rediens ad Fr. Martinum a S. Josepho tunc guardianum illius conventus, missam in sacello S. Petri de Alcantara celebrari expetiit, cui ipse interesset, commendans se ejusdem solitis favoribus, quos a plurimis audierat. Post auditum sacrum accessit ipse ad guardianum, quem cum nobili quodam in claustro invenit, et præ gaudio exultans dixit: Pater, scias me, dum in sacello Sancti ora- D
rem, acutum quemdam dolorem in uno humero sensisse; mox in me reversum, nunc sanum, optimeque habentem, gratias tibi maximas pro charitate reddere.

IX. *Laborantes dolore laterum, canceris etc., sanitati restituuntur.*

468 Joannes Martinez Spina captus fuit adeo vehementi lateris dolore, ut deliquium pateretur. Quod advertens ejus frater, reliquiam quamdam S. Petri (quam penes se habebat) apposuit patienti, ex quo obdormiit, indeque evigilans sanatum se agnovit.

469 D. Menzia Daza eodem morbo fortiter vexabatur; unde dum maritus ejus quadam die S. Petri de Alcantara miranda legeret, spem concipiens aliquam etiam sibi gratiam largiturum, genua flectit, et viva fide Sancti intercessionem apud Deum pro uxoris salute exposcit. Statim observavit eam suaviter obdormiisse, et paulo post expergefactam, nullum ultra dolorem aut incommodum pati.

470 Gabriel Lopez Arenis incola, quadam nocte acutis doloribus lateris percussus fuit, quibus inguinarum inflammatio accessit, quæ requiem auferebant. Postquam vero, variis medicinis frustra adhibitis, S. Petro de Alcantara se cum voto visitandi ejus sepulcrum obtulisset, statim dolores E
evanuerunt cum inflammatione, et ipse libere officio suo perfunctus est.

471 Joannes Sanchez Vaquero habitans in pago Guisando, dum quadam hyberna nocte inter suos prope ignem se calefaceret, doloribus intensis in terram vix non inanimis concidit. Quamobrem uxor cujuscumque remedii nescia, magna fiducia intercessionem S. Petri de Alcantara compellat; factaque brevi, sed intensa oratione, vidit maritum se erigere, et sine ullo doloris sensu summas sancto suo Patrono gratias agere, quem uxor invocaverat.

472 Joannes de Olmedo iisdem doloribus per aliquot dies fortiter vexabatur, nec levamen aliquod ex remediis sentiebat. Hinc applicans lateri quamdam reliquiam S. Petri de Alcantara, quam uxor servabat, sanus confestim evasit.

473 Maria Ximenez præ gravi morbo ac doloribus oppressa, per tres menses sui movendi etiam in lecto impotens facta erat. Unde emisso voto adeundi sepulcrum S. Petri de Alcantara, statim melius habere cœpit; et post quatuor dies baculo ac filia innixa, ad conventum se transtulit. Ubi in sacello servi Dei orans, integre liberata, vegetior F
nullo juvante domum reversa est.

474 Christophorus Martinez Salzedo incola Mombeltrani, variis corporis doloribus agitabatur, quibus per octo dies frustra remedia quærebat, usque quo secum statueret, quo posset meliori modo, ad conventum Discalceatorum se transferendi. Illuc cum ægre pervenisset, orationem aliquamdiu in capella S. Petri fecit, et tangi se reliquia ejusdem devote expetiit. Quibus rite expletis, in eodem puncto sine dolore aut alio impedimento, sanus domum regressus est, et omnibus notis admirationem attulit.

475 Elisabetha Morena uxor Juliani Garzia, ex oppido Alcolea, diœcesis Toletanæ, per sex annos sine remedio urinæ difficultates patiebatur. Quadam die ab amica sua persuasa, ut S. Petro de Alcantara se commendaret, et oleo lampadis ejus se inungeret; itaque ter symbolum recitans, promisit se pedibus nudis sacellum Sancti visitaturam et Missam celebrari curaturam sequenti mane; dolores ultra non sensit, sed inter magnam sanguinis copiam calculum magnitudinis ovi anserini emisit; quem mediæ libræ pondere in manu gestans, excurrit

A currit ad vicinos, et miraculum servi Dei cunctis devote publicavit. Quod quidem id magis confirmari fecit, quod chirurgi hanc petram naturæ viribus egeri non potuisse constanter asseverarent; sicque infirma simul cum marito, voti debitum magna cum lætitia Sancto persolvere non distulerunt.

476 Maria Blasquez filium habebat undecim annorum, calculis laborantem, cui per sex annos medicamina studiose adhibuit. Ipse tamen moræ ac infirmitatis pertæsus, cum magna fiducia ad S. Petri de Alcantara auxilium confugit, offerendo Missam et peregrinationem ad ejus sepulcrum. Mirum remedium, statim ac se cum reliquia quadam ejusdem contigisset, sanus evadens ad solvendum votum viæ se commisit.

477 Franciscus Gomez, qui habitabat in oppido Sanctæ Crucis, diœcesis Avilæ, per quatuor annos urinæ molestiis torquebatur. Unde amita ejus Isabella Lopez, commiserando eidem, salutem ejus S. Petro de Alcantara anxie commendabat, vovendo se ejusdem sacellum cum munere visitaturam. Domum ergo rediens, invenit nepotem doloribus liberatum, nec amplius iisdem afflictum

B umquam vidit.

478 Hieronyma Garzia, filia Joannis Sanchez Garziæ et Catharinæ Blasquez, cancrum in ore alebat, qui maxillam quasi corroserat et ideo a chirurgis incurabilis habebatur. Quare parentes eam intercessioni S. Petri de Alcantara commendabant, cum voto visitandi ejus sepulcrum. Mox cancer desiccatus, intra breves dies ex toto juvenem liberam reliquit.

479 D. Franciscus filius D. Joannis Benegasi de Arenas quatuor annorum, eodem morbo laborans desperabat de remedio. Quamobrem D. Maria de Mescua ejus amita, pro salute nepotis S. Petro de Alcantara votum fecit de portanda ad ejus sepulcrum imagine cerea, et exaudita fuit.

480 Maria Sanchez, uxor Christophori Martin Salfero ex pago Mombeltrani, continuo dolore mamillæ sinistræ torquebatur, ita quod chirurgi timerent, ne serpendo ad pectus, cancrum generaret. Unde periculo exterrita, S. Petro de Alcantara anxie se commendabat cum voto. Quo quidem emisso, confestim liberam se ac sanam invenit.

481 Joannes de Cepeda et D. Catharina de Baldenebro inconsolabiliter deflebant proximam mor-

C tem filiæ Mariæ duorum annorum. Itaque dum hæc in agone erat, mater S. Petro de Alcantara votum faciebat de offerendo ejus conventui tantum gravi, quantum filia ponderis habebat, si salutem recuperasset. Ex quo agonizans oculos aperire et cibum gustare cœpit, brevique perfectæ sanitati restituta fuit.

482 Franciscus Montero et Catharina Pezel filiam Mariam annorum quatuor a longo tempore ægrotam habebant, cui medicus vix dimidiæ horæ terminum vivendi prædixit. Unde in planctum diffusi parentes, altioribus vocibus patrocinium S. Petri de Alcantara confidentius invocant et peregrinationem ad ejus sepulcrum vovent; statim puella melius habere et brevi integre convalescere visa, liberatori pro gratiis oblata parentum mœrorem in gaudia convertit.

483 D. Maria de Frias ex oppido Arenarum, annorum quatuordecim, per sex annos febri ethica consummata mori credebatur. At voto a parentibus S. Petro de Alcantara oblato, tum a febri libera in instanti, tum ab omni morbi affectione post breve tempus immunis remansit.

484 Franciscus Gomez Guadalupe ex Mombeltrano, dentium cruciatu ecclesiam Matris Dei accedere coactus fuit. Hic per integrum diem sine levamine perseverans, S. Petri de Alcantara memor, oculos ac voces in cœlum extollens : O sancte Fr. Petre de Alcantara, ora pro me Deum : exclamavit. Quo dicto, statim dolor cessavit; paulo post sanus domum revertitur.

485 Catharina Saravia de Arenas, coxendi in latere sinistro ægrotabat nec curari poterat. Quapropter remedium a S. Petro requirens, voto se visitandi ejus sepulcrum obstrinxit ac confestim convaluit.

486 D. Anna de Salazar habitans in Mombeltrano, gravi morbo ad mortem properabat; dum omnia funeri ducendo præparabantur, ejus famula, dominæ sortem commiserans, ad conventum Fratrum Discalceatorum misit, ut in sacello S. Petri Missam pro infirma celebrarent. Itaque redeunte domum nuntio, cum summa lætitia et admiratione agnovit ægrotam juxta durationem Missæ, salutis etiam gradus recuperasse et tandem optime valere.

487 In oppido de Arevalo D. Barbara uxor licentiati Vargas, a medicis deserebatur ob febrem malignam, quæ ipsam opprimebat. Accesserat forte guardianus Discalceatorum visitandi urbanitate, et E ut S. Petro de Alcantara se commendaret suadebat. Ipsa autem de aliqua Sancti reliquia exquirente, protulit particulam baculi, et aquæ immisit ut ipsa biberet. Tam fausto hoc omine successit, ut infirma, obstupescentibus medicis, hausta aqua statim omni febri ac periculo liberata consurgeret, et maritum pro reddendis Sancto gratiis ad conventum comitaretur.

X. *Proles obtinent conjugati, et mulieres a partus periculo liberantur.*

488 D. Clara Centuriona, filia Marchionis de Monasterio, per sex annos prolem non habuit, propter quamdam infirmitatem judicatam incurabilem. Quadam vice accessit sepulcrum S. Petri de Alcantara et novenam absolvit. Ab hinc paucis diebus gravida facta, suo tempore feliciter filiam peperit, quæ postea Marchionissa Monasterii fuit et propter gratiæ memoriam, filia S. Petri de Alcantara nuncupabatur.

489 Comes Pignorandæ, quia prolem non habebat, cum conjuge per viam longam nudis pedibus adiit sepulcrum S. Petri Arenis existens, supplicando, ut filios sibi apud Deum impetraret. Nec diu, quod uxor concipiens, masculum feliciter in lucem edidit; cujus effigiem pro gratia ad conventum ambo detulerunt. F

490 D. Petrus de Vega et Loaysa et D. Maria Tuñiño conjuges habitantes in Mombeltran, a sexdecim annis sine prole vivebant in magna mœstitia. Ideo quadem vice sepulcrum S. Petri de Alcantara cum magna devotione visitarunt, et post novem menses filium masculum obtinuerunt; cui pro beneficio Petri nomen impositum fuit.

491 Joannes a Ponte et Angela a Palatiis conjuges nobilitate et opibus conspicui in oppido Coral de Almaguer, cum per duodecim annos nullam prolem habuissent, S. Petro de Alcantara se voverunt altare erecturos, si liberos impetrassent. Itaque expleto voto, prædicta Angela concipiens, debito tempore masculum peperit; cui ob beneficium Petri nomen inditum fuit.

492 In oppido Empudia morabatur D. Alphonsus Gonzalez, nepos archiepiscopi sancti Jacobi et de Burgos; quem accedens religiosus quidam Discalceatus prædicator, ob viri amicitiam de rebus familiaribus confidentius sciscitabatur. Ille omnium felicem statum enarrans, de prolis carentia, post octennii conjugium, vehementius conquerebatur. Ad quæ promptius respondendo idem religiosus, tamquam

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

tamquam facile remedium suggerens, voto utrumque conjugem S. Petro de Alcantara obstrinxit; videlicet ut qualibet die decima nona mensis Missam eidem offerrent, et in ejus festo confitendo ac communicando aliquibus egenis cibum et eleemosynam largirentur. Quod quidem cum prædicti sponte præstitissent, primum devotionis suæ fructum D. Alphonsus percepit, cum in ejusdem Sancti festo a quodam catharro gravissimo liberaretur, a quo per aliquot menses vehementes dolores passus erat. Dein cum uxor ejusdem post novem menses filiam pareret, quam sæpe tamquam suam S. Petro offerre solebat; et ipsa licet adhuc tenella, singulari devotione Sanctum colebat. Unde aliquando quartana laborans in die festo ejusdem Sancti rite a parentibus celebrato, sanitatem recuperavit et imposterum Sanctum domus suæ tutelam singularem gerere agnovit. Nam ultra prætelita beneficia, alio anno ejusdem parentibus filium masculum Sanctus concessit, ut voti liberalitati præmii munificentia responderet.

493 In oppido Arevalo licentiatus Vargas cum uxore D. Barbara, summo studio S. Petrum de Alcantara colebant, et ideo varios ab eo favores impetrarunt. Inter alios autem afflicti de importuno decessu filiorum, qui quasi omnes in fasciis moriebantur, voverunt se velle eos ex devotione religionis habitu induere, quamprimum annos pueritiæ attigissent. Quod postquam rite præstitissent, imposterum nullus filiorum immaturæ sortis præda exstitit. B

494 D. Anna de Bazan comitissa de Garzias quatuor filios mortuos pepererat, ideoque de altero (quem gerebat in utero) valde eamdem sortem prætimescebat. Quadam die visitando comitissam de Oropesa, ab eadem persuasa fuit, ut confidendo meritis S. Petri de Alcantara, ejusdem patrocinio se devoveret integrius; unde devota domina consilio rite obediens, opportuno tempore filium masculum in lucem edidit. Hic post biennium infirmitate quadam ad extrema redactus, parentibus novæ devotionis occasionem, et Sancto novi beneficii materiam obtulit. Mater enim ad consuetum patrocinium sui Advocati serio confugiens, dum in ecclesia Missam celebrari faciebat, nuntium accepit puerum contra omnium spem somnum cepisse; et postquam domum rediisset, vidit integre ab omni morbo sanatum. Unde adeo devota semper S. Petro de Alcantara permansit, ut devotionis ejus propagatrix studiosissima fuerit; et post mortem corpus suum ab aula Matritensi ad conventum Arenarum deferri, atque in sacello Sancti sepeliri ex testamento jussit. C

495 Gratia de Villalobos, uxor Petri Gomez Macotela, habitans Arenis, in quodam partu difficili de vita periclitabatur. Quare ad S. Petrum de Alcantara affectum elevans, ejus cordam expetiit, ut periculo succurreret. Hac itaque præcincta, facile filium masculum enixa est, qui ab omnibus pro mortuo habebatur. At ubi eum quoque eadem reliquia attigisset, in se reversus, matri duplicis gaudii et gratiæ motivum attulit.

496 Idem contigit Petronillæ del Valle ejusdem loci, quæ per quindecim dies doloribus partus angustiata, a vicino mortis periculo per contactum cordæ S. Petri de Alcantara liberata fuit.

497 Maria Blasquez, uxor Joannis Gonzalez, ex consilio cujusdam amici corda S. Petri præcincta, fœliciter peperit, cum periculosa judicaretur, et a chirurgis aperienda. Unde alia vice hujus beneficii memor, S. Petrum de Alcantara invocando, difficilem partum expeditius exoneravit.

498 D. Beatrici de Olmedo, uxori Joannis de Xubera, et Petronillæ del Valle, conjugi Joannis Martinez de Olmedo, sicut et Mariæ Flores uxor Francisci Gomez, omnibus in partu periclitantibus, S. Petri corda ac devota invocatio, et vitam et prolem miraculose donavit. D

499 Maria Lopez, uxor Didaci Gomez, et Catharina Ramos diu cum morte pariendo luctabantur; cum allata illis corda S. Petri, et parturientes fiducia intercessionis ejusdem animavit, et adhibita fœtu facilius expedivit.

500 Filia quædam Franciscæ Blasquez de las Cuevas, incipiendo fœtum eniti, vix (non) animam exhalabat, cum in tanta angustia, varios sanctos invocasset, et ejus mater nudis pedibus varias ecclesias visitasset, tandem filiæ suasit, ut se S. Petro de Alcantara ex corde commendaret, eo quod hoc tempore varia suis devotis beneficia præstaret. Itaque dum parturiens affectu, mater opere Sanctum invocant, statim ambæ exaudiri visæ, desiderii sui effectum impetrarunt.

501 Mulier quædam Arenis, dum partui vicina febris accessione aggravaretur, audito quodam beneficio per aquam ex reliquia S. Petri de Alcantara cuidam moribundo ex Arroio Castaño concesso, pro ea ad conventum citius misit. Hac itaque sumpta, mulieri, Sanctum cum magna fiducia invocanti, febris extincta est et præsens periculum evasit. E

XI. *A febribus sanati.*

502 D. Anna de Bustos et Zepeda in oppido Tordesillas Castellæ Veteris degens, anno 1631 maritum amiserat, et paucis ab hinc diebus partus doloribus premebatur. Propter quos ex invocatione cujusdam imaginis beatissimæ Virginis de la Peña nuncupatæ, ab imminenti periculo liberata, fœtum edidit sanum et integrum, sed cum tanta sanguinis effusione et totius corporis commotione, ut quasi viribus destituta periret ex medicorum judicio. Accesserat ad eam forte consolandam guardianus sancti Francisci Discalceatorum ejusdem oppidi, qui sortis ejus misertus varia pietatis consilia suggerebat. Inter cætera vero suasit, ut quolibet die decimo nono mensis, in honorem S. Petri de Alcantara sacrum fieri curaret, et in ejus festo sacramentis Pœnitentiæ et Eucharistiæ se muniret; insuper ut pauperes aliquos cibaret, et tandem aquam biberet, cui ipse reliquiam Sancti intinxisset. Quibus cunctis summo affectu a devota muliere approbatis, et aquam bibens, materiam quamdam albam evomuit, quæ medico præsenti optimum indicium salutis ministravit. Nec fefellit eventus, cum ab illo puncto cessarent vomitus cæteraque incommoda, usque dum ægrota intra paucos dies integre convaluisset. Quadam igitur die, cum pro eadem visitanda forte medicus una cum guardiano convenisset, a priori dictum fuit illam salutem suam merito B. Virgini de Peña adscribere debere; ab altero autem Dei Matri omnium Sanctorum intercessiones adscribi, sed in illa occasione videri eam voluisse servo suo S. Petro de Alcantara restaurandæ sanitatis istius infirmæ gloriam relinquere, cum a puncto acceptæ aquæ et facti voti, illa morbi sui integram mutationem experta fuerit. Ad quæ ipsa domina plurimum se B. Virgini debere confessa, nullam de S. Petro mentionem faciebat, et sic aliquantulum guardiano prædicto ingratitudinis suspicionem concitavit. Unde ipse tunc ad conventum suum recedens, vix a se obtinere poterat, ut culpæ hujus memoriam abstergeret. Sequenti mane, cum forte ad prædicandum properaret, accedens quidam nuntius prædictæ dominæ instabat, ut F

A ut sine mora ad eamdem veniret, eo quod priores vomitus et sanguinis profluvium ægrotanti rediissent. Ad quæ hæsitans aliquantisper guardianus, quid factu opus; nuntium tamen celeri passu comitari elegit. Cum ergo infirmam valde afflictam invenisset, admiratus nimis, causam exquæsivit tam repentinæ mutationis; illa vero, ingratitudinis suæ erga S. Petrum de Alcantara culpam libere assignans, novoque voto visitandi ejus sepulcri sponte se obstringens, aquam (qua prius salutem impetrarat) iterum dari sibi obnixe supplicavit. Quibus auditis guardianus infirmæ aquam ex reliquia exhibuit, et devotionis fervorem rationum igniculis aptius accendit. Hinc ægrota mox ad meliorem statum reverti; brevi post exolvendo voto, debilem se adhuc ad conventum deferri curavit. At vero ubi expleta novena, perfectam sanitatem recuperavit, ex tunc maxime servi Dei præco ferventissima, et aliis salutis occasio fuit promptissima, cum multis ægrotis sui remedii experimentum suggessisset efficacissimum.

503 D. Mariæ de Paramo habitanti Toleti, post febrem septem mensium cum intensis doloribus, pustulæ quædam eruperunt, ex quibus medici B ægrotæ mortem præsagiebant. Eapropter de remediis humanis desperans, magnaque fiducia S. Petri auxilium implorans, aquam cum terra ex ejus sepulcro commixtam ebibit et sanitatem recuperavit.

504 Catharina de Strada Arenis habitans, febri maligna per viginti dies consumpta, ex indiciis pustularum mortem timebat, eo magis quod medicis deserentibus, sacramentis se munierat. Ideo affectuosius se S. Petro de Alcantara devovens de visitando ejus sepulcro cum Missa, mox febri minutam, et post paucas horas perfecte sanam se invenit.

505 Ludovicus de Frias Arenis incola, post aliquot dies febri maligna aggravatus, pustulas emisit, quæ periculosum indicarunt. Ejus matertera D. Catharina de Frias, cum devotione corda S. Petri de Alcantara cinxit eum; ex quo statim pustulæ evanuerunt et febris eum totaliter reliquit.

506 Didaco Calvo annorum quindecim, habitanti Toleti, lethargo et febri oppresso, aqua ex reliquia S. Petri ad bibendum oblata fuit; quæ eum febri liberatum post tres dies perfectæ saluti C restituit.

507 Ferdinandus Ochoa ex Mombeltrano, filium habebat ejusdem nominis, quem post quintum diem febris maligna ex vomitu et pustulis mortalem declarabat. Ideo parentes ardentius S Petri de Alcantara intercessionem sollicitando obtinuerunt, ut die sequenti infirmus sine febri et integre sanus illis redderetur evidenti miraculo.

508 Catharina Gomez de Mombeltrano, maritum Joannem Fernandez Montero, febri maligna ad extrema redactum habebat propter plurimos vomitus, deliria ac cordis palpitationes. Quamobrem medicorum consiliis destituta, intercessioni B. Patris se commisit, et ex aqua ejusdem marito propinavit, cui idem votum de visitando ejus sepulcro emisit. Confestim igitur febris eum dimisit et brevi reddendo voto exurrexit. Simile beneficium S. Petrus filio eorumdem Joanni præstitit, cui post septem mensium ardentissimam febrem salutem contulit salutaris aqua.

509 Filius D. Marianæ de Fonte ex febri maligna mori videbatur, cum mater omni humana ope neglecta, ad S. Petri patrocinium confugit. Nam quadam ejus reliquia aquam benedicens, filio cum fiducia bibendam exhibuit. Qua in multorum præsentia hausta, infirmus iisdem obstupescentibus sanus surrexit.

510 Quædam filia Mariæ Romanæ et Alphonsi Gomez de pago Sancti Stephani, annorum duodecim febri acutissima graviter affligebatur. Unde post aliquot dies præ dolore lacrymas fundens, matrem ad has voces provocavit: Filia, quid a me vis? Unicum tibi remedium sperandum restat a glorioso Patre Petro de Alcantara, cui ex intimo cordis te commenda. Mox aquam ex Sancti reliquia porrigens, reliquit puellam suavi somno sopitam, ut ad duos alios plangentes parvulos accurreret. Evigilans vero infirma, cognovit se sine febri melius habere, et medici judicio gratia S. Petri mire sanatam.

511 Doctor Andreas Herrera Toletanus diu febri continua vexatus, tandem a medicis judicatus fuit a maligna liberari non posse. Tunc D. Ludovica ejus soror pro reliquia S. Petri de Alcantara ad conventum Patrum Discalceatorum misit; et cum ea fratrem et aquam signans agonizantem quoque aspersit. Mirum dictu, quod statim oculos aperuit, loqui cœpit; et sensim, quasi numquam ægrotasset, inventus est sanus. E

512 Maria de la Xara ardenti febri laborans, aquam ex reliquia S. Petri de Alcantara avide ac devote hauriens, incontinenti libera incolumisque surrexit.

513 Filia quædam Isabellæ Gonzalez de Arenas, annos tres nata, ex ardentissima febri, etiam nauseam omnis nutrimenti contraxerat sic, ut parentes de salute filiæ desperantes, ad præsidium S. Petri de Alcantara confugerent, promittendo illam ad ejus sepulcrum conducere. Oratione peracta, viderunt moribundam ad se reverti et paucis post diebus cum matre, voti solvendi causa, exurgere.

514 Franciscus et Ludovica Zenteno, habitantes Toleti, ambo febri pestilentiali ad vitæ ultimum redacti fuerunt. Accesserat tunc forte guardianus Patrum Discalceatorum, qui partem baculi S. Petri de Alcantara secum afferebat, qua utrumque tangendo, suasit, ut se B. Patris intercessionibus commendarent et ulterius aquam (quam eadem reliquia signaverat) confidentius biberent. Admirabile omnibus visu, post aquam haustam febris defecit, et virtutis Sancti gloria quam maxime aucta fuit. F

515 Maria Rodriguez de Mombeltrano, filium septennem habebat, quem febris pestilentialis in extremis constituerat. Et mater fide ac animo constantior, voto ad S. Petrum de Alcantara omisso, obtinuit illum a præsenti periculo expeditius cum omnium admiratione liberari.

516 Didacus Calvo in civitate Toleti, in extremis propter febrem pestilentialem laborabat, ita quod dum illi animæ officia præstarentur, guardianus Discalceatorum cubiculum ingrederetur et reliquiam S. Petri afferret. Hanc agonizans manibus premens, se devoto animo eidem offerebat et aquam ejus contactu benedictam avidius bibit. Ex tunc visus est per totum corpus sudor copiosus erumpere per duas horas continuas, ex quo valde declinans morbus, brevi integre cum omnium congratulatione recessit, qui mortuum jam deflebant.

517 In oppido Sanctæ Crucis Thomas Velasquez, post quindecim dierum febrem gravissimam, quadam die præsente medico, accessione quadam mortali expirare judicabatur. Quapropter ægrotus apud se votum faciens S. Petro, spiritum recepit, et

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

et non longe post, sanus ad sepulcrum ejus gratias exsolvit.

518 Didacus Lopez barbitonsor, habitans in pago Arenal, cum febri acuta delirium patiebatur. Unde ejus parentes aquam ex reliquia S. Petri de Alcantara offerendo, et a delirio statim et a febri post paucas horas integre liberarunt.

Faber lignarius Romæ ex mortis faucibus ereptus.

519 Joannes Baptista Pagnoncellus, faber lignarius Romæ, febri maligna correptus, septima die morbi erat morti proximus, etiam ad obitum irrevocabili constantia currebat; ideoque post tres dies mansit cadaveri similis sine ullo pabulo, sic ab omnibus deploratus. Deinde sine ulla sensibili evacuatione præmissa a natura in tali statu, ex invocatione S. Petri de Alcantara petiit alimentum et inventus est sine febre ac alio syntomate, frui meliori valetudine quam antea. Attestante hoc ipsum hujus patientis medico ordinario, Joanne Antonio Anconello anno 1668.

Alia sanatio item Romæ.

520 P. Didacus romanus religiosus sancti Francisci, diffinitor et commissarius provincialis romanæ provinciæ in conventu Ara-Cœlitano, ætatis annorum 45 adeo se viscerum palpitatione torqueri sentiebat, ut nec cibum nec somnum, nec B in lecto quietem capere valeret. Unde videns se in vigilia S. Petri die 18 Octobris ultra solitum his cruciatibus gravari, quos infirmarii judicio ægrotum ad mortem cogere posse, si sequenti nocte continuarent, omnes pertimescebant. Vocatis itaque quibusdam religiosis amicis, rogabat eos instantissime, ut ipsum S. Petro de Alcantara commendarent. Dum autem illi in sacello servi Dei orationi instant, ægrotus super lectum muro acclinatus et sensim obdormiens, tota nocte suaviter requievit. Mane vero proximo totum extensum se videns, mirabatur omni dolore liberatum fuisse; ita ut consurgens, ad sacellum Sancti pro sacro faciendo, gratulabundus accedere posset. (*Hucusque, ad verbum fere, ex processibus.*)

Beatificationis

521 Item ex processu facto pro beatificatione et canonizatione S. Petri de Alcantara plurimæ gratiæ constant, quæ factæ fuisse leguntur plurimis, qui patrocinium ejus pro diversis beneficiis impetrandis exquæsierunt, et in signum gratitudinis vota ad ejus sacellum appenderunt, quarum hic mentionem omisimus. Unde ex iisdem aliisque multis miraculis a servo Dei patratis, Gregorius XV anno salutis 1622, ad instantiam regum C catholicorum Philippi III et IV, rite peracto solito examine, Beatorum numero S. Petrum de Alcantara adscripsit et tamquam de confessore non pontifice, Missam quotannis celebrari pro die ejusdem obitus, benigne indulsit sequenti Brevi :

Breve Gregorii XV.

« Gregorius Papa XV, ad perpetuam rei memoriam. In sede principis Apostolorum nullis » licet nostris suffragantibus meritis a Domino » constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum » Dominus in servis suis honorificatur, libenter » annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Cum itaque instantibus non solum claræ » memoriæ Philippo III et carissimo in Christo » filio nostro Philippo IV Hispaniarum regibus » catholicis, sed etiam fere omnibus Hispaniæ » regnis; venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales sacris Ritibus præpositi de mandato » nostro causam servi Dei Petri de Alcantara, Ordinis Minorum strictioris Observantiæ Discalceatorum nuncupatorum, ac provinciæ Sancti » Josephi ejusdem Ordinis fundatoris, juxta seriem » relationis trium causarum palatii apostolici auditorum ad effectum canonizationis pluries examinaverint, ac multis desuper habitis sessionibus, » referente dilecto filio nostro Marco Antonio tituli D » Sancti Eusebii, presbytero Cardinale Gozzadino » nuncupato, plenissime constare de validitate » processuum, fama sanctitatis, fidei puritate, cæterisque virtutibus non in genere solum, sed » etiam in specie; reliquiarum ac sepulcri veneratione, plurimisque tandem miraculis pronuntiaverint, censuerintque posse Nos quandocumque » voluerimus, eumdem Dei servum juxta catholicæ » Ecclesiæ ritum, Sanctum atque in cœlis regnantem declarare, omnibusque fidelibus solemni » canonizatione proponere venerandum. Prædictus vero Philippus IV rex, et dilecti filii minister » generalis, et Fratres Ordinis prædicti nobis humiliter supplicari fecerint; ut donec ad canonizationem dicti Petri deveniatur, idem Petrus » Beatus nuncupari, ac de eo tamquam de confessore non pontifice, Missam ac Officium (ut infra) » celebrari, et recitari respective possit, indulgere » de benignitate apostolica dignaremur. Nos supplicationibus hujusmodi inclinati, de eorumdem » Cardinalium consilio, ut idem Dei servus Petrus » de Alcantara imposterum Beatus nuncupari, atque de eo tamquam de confessore non pontifice » die XIX Octobris, qua ipsius obitus memoria cele- E brabitur, ubique terrarum ab universa religione » Minorum Observantum utriusque sexus respective Missa celebrari, atque Officium recitari » possit. In oppido vero de Alcantara illius diœcesis, ubi natus; atque in altero de Arenas Abulensis diœcesis, ubi corpus ejusdem requiescere » accepimus, omnibus tam regularibus quam secularibus clericis, sub ritu tamen semiduplici, » idem omnino liceat; ac demum in provincia » prædicti S. Josephi, cujus auctor exstitit, ab » ipsis dicti Ordinis Discalceatorum Fratribus etiam » cum octava (veluti de Patrono) Officium pariter, » ac Missa juxta Breviarii ac Missalis Romani rubricas celebrari possint apostolica autoritate » tenore præsentium perpetuo concedimus, et indulgemus; non obstantibus constitutionibus et » ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis » quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium » transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ » in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, » eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. F » Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo » Piscatoris die XVIII Aprilis 1622, pontificatus nostri anno secundo.

» S. CARD. S. SUSANNÆ. »

Miracula post Beatificationem.

522 Panormi in Sicilia anno 1633, festum sancti Petri de Alcantara cum summa pompa per octo dies a prorege et illustribus regni celebrabatur. In quo ultra apparatuum et eleemosynarum magnificentiam ac largitionem, quam singuli procerum magnis sumptibus exhibebant, Sancti quoque virtus (divina operante gratia) illuxit in eo, quod aliquot beneficia tunc præstitisse observatum fuerit. Imprimis quidam ecclesiam adornans, scalæ gradu sub pondere infracto, ab alto in terram præcipitabatur; ni miraculose tali alteri gradui adhærens, usque dum succurri posset, in aere remansisset. Dein intra octavam cæcus quidam miserabilis diligenter sacra frequentans ac Sancto se commendans, cum omnium stupore agnitus fuit visum recepisse. Puerulus quidam forte sub curru conculcatus, mirabiliter ab omni periculo præsenti evasit. Filius secretarii Antonii de Herrera omni humano remedio destitutus, a matre devotissime S. Petro de Alcantara commendabatur. Inde quadam

A dam ejus reliquia puerum tangens et aquam (illa) intinctam propinans, brevi ad optimam valetudinem ex imminenti morte revocatus videbatur, ut Sanctum glorificaret notabilius.

Festum Beati in variis locis solemniori ritu celebratum.

523 In aula Matritensi quotannis dies S. Petri de Alcantara solemni pompa per octiduum celebrari solitus, totius nobilitatis concursu, ipsarumque regiarum majestatum præsentia, augustior redditur. Ibi enim in conventu regali S. Ægidii Discalceatorum sanctissimo Sacramento patente, musica ac panegyricis oratorum insignium S. Petri laudibus magnifice lætatur; Deo interdum etiam propter Servi sui merita, beneficia singularia devotis largiente. Eumdem quoque solemnem cultum prædicto Sancto in suo die quotannis exhibere consuevit præclara civitas Calatayud; ubi clerus, ac populus cum regiis ministris publica processione ad conventum Fratrum Observantum sancti Francisci ejusdem civitatis numerosior convenire solet. Tunc in capella S. Petri de Alcantara a doctore Augustino Navarro Burena equite Sancti Jacobi ad hunc effectum dotata, ejusdem Sancti festivitas sumptuose peragitur in memoriam perpetuam cujusdam beneficii, eidem fundatori præ-
B stiti, cujus mentionem fecimus copiosam hoc libro num. 448.

De aliis quæ Beatificationem consecuta sunt. Canonizatio.

524 Postquam S. Petri merita non humano tantum judicio, sed et divino Sedis apostolicæ oraculo Beatitudinis laureola condecorari meruissent; crevit adeo continua populorum devotio non solum in celebranda festivitatum ejusdem solemnitate cum magnificentia; sed et propter percepta a Beato quotidiana non minus quam notabiliora beneficia, fervore singulari accendebatur ad promovendam ejusdem solemnem canonizationem. Hinc imprimis episcoporum, principum civitatumque totius Hispaniæ iteratæ supplicationes ab apostolica Sede processus formationem elicuerunt super his, quæ post Sancti beatificationem publico testimonio contigisse vulgabantur; ita quod super processu quodam Matriti ac Arenis compilato anno 1647 Romæ a sacra Rituum congregatione prævio solito examine ad sanctissimum tunc Dominum Papam Innocentium X relatum fuerit, constare de quibusdam miraculis, quorum fides a decreto etiam coram Sanctissimo die VIII Martii 1650 stabilita fuit. Interea corruscantibus in dies Sancti meritis novo prodigiorum successu, instantius apud Inno-
C centii successorem Alexandrum VII piæ memoriæ de totius causæ determinatione repetitæ supplicationes perseverarunt. Propter quas reassumptis iterum omnibus ac mature expensis, pro gravitate negotii ac fidelium pietate; atque deliberando perventum fuit, ut annuente præfato summo pontifice Alexandro, ab eadem sacra Rituum congregatione aliud decretum emanarit die XII Aprilis an. 1660. In hoc videlicet declaratum unanimi plurimorum theologorum et jurisperitorum ejusdem sacræ congregationis Consultorum, subinde vero (etiam) eminentissimorum et reverendissimorum DD. Cardinalium suffragio: Quod nedum inoffenso pede procedi posset ad solemnem B. Petri canonizationem; imo in Domino plurimum expedire, ut diuturnæ mortificationis assiduus labor plane ad prodigii genus accedens, argumentum insigne perfectissimæ charitatis in Deum cum salubri animarum profectu sane admirabili, Christi fidelibus colendus et imitandus omnino proponatur. At intercedente insperato præfati pontificis Alexandri VII fel. rec. ex hac vita transitu, suspensoque hujus Beati solemnis canonizationis actu, fœlicius ad SS. D. N. Clementem IX sancti Petri gloria celebranda transivit. Igitur repetitis prioribus diligentiis, et accedentibus novis principum catholicorum instantiis, maxime regis catholici Caroli II, præfatus pontifex in consistorio secreto, habito die XVIII Martii 1669, referente Em. Cardinali Ginetto statum causæ B. Petri, omnium eminentissimorum Cardinalium vota pro canonizationis effectu experiri voluit. Quibus sub verbo Placet sufficienter declaratis die XXI Martii in consistorio publico ab eodem Sanctissimo sancitum fuit, quod orationibus ac jejuniis publice indictis divinæ voluntatis beneplacitum, ac inspiratio devote sollicitari deberet; veluti statim concessam pro hoc fidelibus indulgentiam edicto publicari jussit. Inde die octava Aprilis habito consistorio semipublico cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum scripta suffragia, canonizationis solemnitati, approbante summo pontifice, diem Dominicum in Albis unanimiter indixerunt; quo omnia rite pro festivitatis decore disponi possent ac deberent. Tandem indicta die, nec non instructa magnifico ac pretioso cultu basilica principis Apostolorum supremus Ecclesiæ rector et D. N. Clemens Nonus eminentissimorum cardinalium ac prælatorum, totiusque cleri corona stipatus, cum E ingenti tum principum, tum nobilium, ac universi populi applausu, inter Missarum solemnia B. Petrum de Alcantara virtutibus heroicis, ac miraculis quamplurimis illustrem Sanctorum albo inscribens, Hispaniæ totiusque orbis fidelibus venerandum imitandumque proposuit; quo illustrius christianam pietatem ad gloriosæ pœnitentiæ imitationem excitando, glorificetur amplius in Sanctis suis Deus, in sæcula benedictus.

AUCTORE P. FR. LAURENTIO.

APPENDIX.

Cum pauca admodum P. Laurentius tradat de B. Petri canonizatione, hic per modum Appendicis adscribimus tum Bullam Clementis X, tum præcipuas in Basilica Vaticana habitas cæremonias.

§ I. Bulla Canonizationis.

Procemium.

Clemens episcopus, servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Romanorum gesta pon-
F tificum (præsertim majorem Dei gloriam, ac Sanctorum ejus laudes et honorem concernentia) super quibus illorum superveniente obitu, litteræ apostolicæ confectæ non fuerunt, recenseri justum reputamus, et rationi consonum, ut illa universis Christi fidelibus innotescant. Dudum siquidem fel. rec. Clemens papa IX, prædecessor noster, devotæ considerationis indagine perscrutans, quod inter cœlestes heroes, quorum eximia vitæ sanctitas rite comprobata promeretur singularem Christianæ reipublicæ cultum, illis præcipue Sancti nominis immortalitatem apostolica Sedes decernere consuevit, quorum honor cum eximia sit populorum utilitate conjunctus. Hinc illi, qui peculiari alicui vitæ instituto ideam sanctitatis exhibuerunt, et sacrorum præsertim Ordinum fundatores insigni virtute ac prodigiis illustres, libentissime ad aras accipiuntur, quibus junguntur ii, qui religiosas familias jam virtute florentes ad severiorem disciplinam revocarunt, et ad sanctioris instituti studium ab excelsa virtute commendati invitarunt; quorum merita exigunt, ut Sanctorum albo adscribantur. Magna siquidem haud dubium est, in sacram eorum militiam, atque in universam Ecclesiam

A siam commoda profectura, quam egregio exemplo ad sanctitatem ardentius provocabunt.

S. Petrus de Alcantara de christiana rep. optime meritus.

2 Quamobrem cum sanctissimus Deoque gratissimus vir Petrus de Alcantara optime meritus sit de Christiana republica, eo quod inculpatam religione et doctrina sancti Francisci familiam fœtu novæ prolis adauxerit, eamque jam per Hispaniæ et Indiarum regna dilatatam, per semitas strictissimæ paupertatis ambulare docuerit, et omnibus Christi fidelibus præbuerit exemplar incredibilis pœnitentiæ cum summa innocentia conjunctæ, deesse illi non debeat Sancti nominis gloria, et populo Christiano insigne ab hoc novo Petri cultu ad virtutem incitamentum. Gratias igitur agebat omnipotenti Deo idem Clemens prædecessor, qui sibi hanc mentem inspirasset decernendi supremos honores huic Viro admirabili, quem præcipuo cultu venerabatur, et a quo salutarem opem in maximis hisce infelicium temporum discriminibus, præsertim contra superbiam et ferociam Turcarum, implorabat. Ut autem celeberrima Petri sanctitas testimonio etiam suo comprobaretur, et ejus eximias virtutes universis Christi fidelibus imitandas exhiberet, ac illius in terris admi- B ratione dignam et laudabiliter transactam vitam explicaret, sic proponere decreverat.

Illius natales, pueritia, adolescentia.

3 Exortus in lucem erat sanctissimus hic Vir Norbæ Cæsareæ, vulgo Alcantaræ in Bæturia Hispaniarum regione, anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, ex parentibus genere ac pietate nobilibus, Petro Garabito et Maria Villella, idemque Petri nomen, quod in sacra Familia perpetuum illi fuit, sacro e fonte susceperat. Ab ineunte ætate ambulans in innocentia, vitans lubrica et voluptatibus obnoxia, et hominum commercium fugiens, contemplandis rebus divinis ita vacabat, ut amore cœlestium incensus aliquando extra se raperetur; ideoque sapientia crescens et gratia, mensuram ætatis moribus senilibus excedebat. Studium litterarum ingressus, acri ingenio ingentem spem suis parentibus et magistro indidit. Quia vero noverat sapientem futurum, qui cum sapientibus graditur, religiosorum virorum consortio delectabatur, ac divinæ præsertim inhians sapientiæ, sacros avidissime quærebat libros, a prophanis abhorrens. Et quoniam ab infantia secum creverat misericordia, omnibus se caritatis operibus assidue dabat. Infir- C mos proinde, in carcere positos, et egenos quantum poterat, sublevabat. Cum autem in alios pius esset et misericors, sibi tamen ex tunc incipiebat esse austerus. Nam non solum singulari abstinentia sensuales appetitus frænare, sed et levissimos quoscumque defectus flagellis asperis consueverat expiare.

FF. Min. habitum suscipit. Virtutes ejus in tyrocinio.

4 Licet autem etiam dum in sæculo versaretur, animo cœlum recoleret, magis tamen ac magis abundans in scientia et in omni sensu, probavit potiora, et annum ætatis sextum decimum ingressus, in custodia S. Evangelii seu Extremaduræ (quæ nunc S. Gabrielis provincia dicitur) Fratrum Minorum Discalceatorum habitum et Evangelicam vivendi formam suscepit. Quod consilium insigni prodigio approbavit Deus. Cum enim festinanti ad religiosi Ordinis portum moram objiceret fluvius Tietar, qui tum forte imbribus intumuerat, neque ulla navigii facultas esset, effusus in preces, in altera se ripa divinitus constitutum extemplo reperit Petrus. In cœnobio tam magnos in virtute statim progressus fecit, ut initio tirocinii emeritis Christi militibus emineret, ad omnium tamen pedes mirabili demissione prosternens se. Præcinxit illum Deus virtute, et posuit immaculatam D viam ejus; paupertate, religiosæ disciplinæ rigore, rara oculorum modestia, incredibili siti cruciatus magnam in omnibus excitavit admirationem sui.

Professio: anno ætatis suæ vigesimo renuntiatur superior.

5 Solemnem professionem, expleto tirocinii anno, emisit, et sese elevans supra se, humana omnia transcendens, et anhelans ad cœlestia, oculis tamen in terram semper dejectis, ignorabat, an chorus ecclesiæ (quem perpetuo adibat) fornice obductus esset an laqueari, an cellula sua ex lapidibus an ex lignis constaret; et exactis in quodam sui Ordinis cœnobio tribus annis, Fratres non ex vultu, sed ex solo vocis cognoscebat auditu. Silentii quoque rigore linguam reprimere studens, per triennium quosdam in ore lapillos detulit, ut vel sic loquendi pruritum coerceret. Senili prudentia juventutem supergressus, vigesimo ætatis anno præter sacri Ordinis morem, custos *(imo guardianus)* cœnobii S. Mariæ Angelorum renunciatus est, ubi tot charismatum dona cœlitus illi collata sunt, ut ex eo jam tempore prodigiis coruscaret. Cum enim annona omnis defecisset, ac Fratres egredi ad petendam eleemosynam prohiberentur (altissima nive conventum obsidente) conqueri de Petro cœperunt, qui etiam vigente hyeme E ipsos cogitare de crastino vetuisset, quicquid mensæ superérat, quotidie in pauperes distribuere consuetus. At ille certo sciens enutriendos esse, qui jactant cogitatum suum in Domino, jussit ad ostium puerulos pergere, ubi super acervum nivis postibus hærentem, prægrande canistrum refertum panibus invenerunt, tam importuno tempore, et itinere alta nive obsito, non nisi ab angelis eo delatum; quam divinæ providentiæ curam aliis quoque vicibus est expertus.

Oratio assidua: Mirabile pœnitentiæ simulacrum.

6 Sed mirabilior erat Petri vita, quæ ut viva lex perfectionis alumnos provocabat ad sanctitatem. Pro quovis præconio sufficeret referre illa, quæ de hoc Viro sanctissimo dixit sanctissima pariter virgo Teresia Carmelitarum Reformatarum parens, videlicet ne momento quidem diei ac noctis Petrum ab oratione cessasse: et ne somnus oranti obreperet, flexis genibus, cum quieti tandem indulgere cogebatur, ad ligni stipitem parieti infixum caput admoveret. Illius cella, eadem Teresia teste, pedum quatuor longitudinem cum dimidio non excedebat; adeoque depressa erat, ut flexis genibus et curvis semper humeris in illa hærere cogeretur. Per quadraginta annorum decursum sesquihoram tantum F somno concessit; jejunium amavit adeo, ut ad triduum ordinarie, et ad octo aliquando dies inediam protraxerit: asperrimo præterea cilicio armatus, bractea ferrea per viginti annos præfixis aculeis corpus dilanians, bis in die flagellis in se crudelissime animadvertens, itinera quamvis longissima atque asperrima capite semper detecto, nudisque pedibus per æstus et frigora suscipiens, ita ut cum nudum caput imbribus et nivi exponeret, interdum capilli gelu concreti deciderent, et æstate præfervida, exurentibus solis radiis, capite vehementissime cruciaretur, respondere solitus interrogantibus, cur detecto capite semper incederet: Nefas esse coram Deo tecto capite ambulare. Cum vetustum ac vilem saccum abluebat, madidum corpori aptabat; quin etiam in gelidam aquam rigente hyeme sese plerumque injiciebat. Præter hæc, familiare illi erat hyeme summa, urgente nivis frigore, deposito pallio fenestram et januam cellæ reserare, ut frigidissimo excepto aere et gelu acrius torqueretur caro, mox eximenda diris cruciatibus, cum fenestram et januam clausisset; eo devenit hac sæva maceratione membrorum,

A brorum, ut ex narratione sanctæ Teresiæ, arido et exangui corpore radicum arboris speciem exhibuerit : oculis autem in caveam recedentibus, et sulcatis perpetuo lacrymarum imbre genis, Mirabile Pœnitentiæ Simulacrum videretur.

Sacerdos uberes in vinea Domini facit fructus.

7 Ex hac eximia vitæ sanctitate vires hausit ad egregia quævis præstanda in honorem divinitatis, eaque prodigioso morum suorum exemplo assequi potuit. Latere ille quidem præoptasset, et paternam sancti Francisci humilitatem secutus, regale sacerdotium formidasset accipere, nisi ad illud suscipiendum superiorum imperio coactus fuisset. Itaque non sumens sibi honorem, sed vocatus a Deo tamquam Aaron, sacrum quotidie peragebat, tam uberes in fletus effusus, ut exitus aquarum deducentes oculi ejus, viderentur fons hortorum et puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Jussus etiam est suggestum ascendere, ac verbi divini panem ex tempore populis esurientibus frangere : cumque de ore ejus erumperent quasi sagittæ potentis acutæ, innumeros felicissime sauciatos eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Dei. Præterea confluebant ad illum privatim erudiendi non modo B infimi et populares, sed etiam nobiles ac principes viri, quos mira suavitate et efficacia verborum ad salutarem pœnitentiam invitabat. Confessarii tamen munus apud Carolum V cæsarem declinavit, captus amore solitudinis et demissionis, ac metu discriminum aulæ regalis.

Zelus S. Petri in promovenda Reformatione,

8 Plura cœnobia sui Ordinis sanctissime temperavit, videlicet illud sancti Honuphrii in provincia sancti Gabrielis, sancti Michaelis Placentiæ aliaque. Subinde provinciæ definitor et custos, ac deinde omnium suffragiis in provincialem electus est provinciæ sancti Gabrielis, cujus regimini sedulo incumbens, exemplis et verbis quasdam edidit constitutiones, quibus strictioris Observantiæ nitor in ea refloreret. In Lusitaniam quoque perrexit, ut nascentem Arabidorum provinciam juvaret et promoveret. Cum autem arctiorem sui Ordinis disciplinam vigere desideraret et longius extendi, superatis gravissimis difficultatibus, divino munitus præsidio, et apostolica fretus auctoritate, primum novæ Reformationis cœnobium angustissimum et pauperrimum, sub Immaculatæ Conceptionis titulo, prope Pedrosum, Cauriensis diœcesis in Bæturia vulgo Extremadura, oppidum C construxit; ubi cum paucis sociis apostolicam sui Patris Francisci vitam renovavit. Hinc a Paulo IV summo Pontifice, ejusdem Clementis ac nostro prædecessore, commissarius generalis novæ Reformationis institutus, alios ædificavit conventus ; ex quibus et quibusdam aliis ejus se regimini ultro subdentibus, provinciam Sancti Josephi fundavit. Mox destinatis ad regnum Valentiæ sociis, provinciæ Sancti Joannis Baptistæ fundamenta jecit. Ac tandem illud strictissimum vitæ genus in varias Hispaniæ provincias ad Indias et Japponiam usque feliciter dilatatum est, ubi ex ipsa Reformatione multi martyrio coronati sunt. Sanctam quoque virginem Teresiam in stabilienda Carmelitarum Reformatione indefessus adjuvit, ita ut, ipsamet testante, recentis illius propaginis sit præcipuus promotor existimandus. Et revera multas pro re tanta peregrinationes suscepit et labores tulit; imo et absenti opem et consilium laturus aliquando miraculose apparuit.

quam gratus Domino fuerit, miraculis comprobatur.

9 Quam gratum acciderit Deo studium hoc observantiæ strictioris, et quanto haberi vellet in pretio seraphicum zelum hujus Viri, Deus ipse prodigiis ingentibus comprobavit, cum non solum rapidissimas Tagi et alterius fluminis aquas siccis D ipse pedibus aliquando transivit, sed et puer, qui asello insidens, canistrum panibus refertum ad illum et Fratres deferebat, Petri de Alcantara nomine invocato, jumentum impulit in flumen, quod solidum ac tutum supra suas aquas ingressum eidem præbuit. Cum Joannes de Neira, Petri in itinere socius, inedia et siti confectus pene decideret, in loco, ubi ad orandum sanctus hic Vir se composuerat, fons illico erupit, et panis cum pisce ad esum paratus apparuit. Infixus ab eo terræ aridus baculus in viridem ficulneam excrevit, cujus fructus etiam nunc ægris salutem redonant. Atrocem pertinacis mulieris injuriam non modo patientissime toleravit, verum etiam flexis coram ea genibus pro culpa, quam non patrarat, humillime deprecatus est. Semel crucem in horto Pedrosi devotis oculis contemplans, sursum ferri et in aere coram ipsa suspendi, et lucidissimos quoque ex oculis radios in eamdem crucem emittere visus est, candidaque nube caput ejus circumdari. Quemdam adolescentem benedictionem suam enixe efflagitantem, cum ab urbe quam primum recedere decrevisset, de gravi discrimine, quod illi imminebat in hæreticam quamdam opinionem E incidendi, præmonuit. Scholarem alium respiciens, mundo quam primum renunciaturum sacrumque religionis habitum suscepturum, divinitus agnovit. In magna siccitate precibus suis copiosum a Deo imbrem obtinuit. Accensum ignem in quodam conventu per flammas ipsas innoxius incedens, sine mora extinxit. Demersum in puteo infantem corda, qua cingebatur, in eum locum demissa, mirabiliter extraxit. Mulieris oculos luce orbatos leviter tangens, data ei benedictione, protinus illuminavit. Fœminam quamdam a dæmone per multum temporis deceptam de prava illa consuetudine, quam cum maligno tentatore habuerat, commonefecit et liberavit. In reditu ad conventum de Arena a civitate Abulæ obrutus fuisset nivibus, quarum vis ingens e cœlo devolvebatur ; nisi ejus precibus coercitæ in aere pendulæ constitissent, et prodigiosum tabernaculi genus artificioso fornice composuissent, quo inclusus Petrus ab aliarum læsione nivium prohibebatur. Imbres quoque copiosissimi eum madefacere non sunt ausi, quod etiam, dum augustum Missæ sacrificium offerret, ipsi et circumstantibus semel evenit. Prophetico lumine remotissima locorum et temporum spatio F prædixit. Demum usque adeo fuit in deliciis Divinitati, ut omnium vota, quando Petrus intercessorem exhiberet se, implenda esse professus fuerit sanctæ virgini Teresiæ, ut ipsamet sibi semper accidisse fatetur. Et illius quidem preces adeo incensæ erant igne divino, ut inter orandum, brachiis in modum crucis expansis, in altum sæpissime ferretur; ac dum sacrum faceret, elevari in sublime coram populo aliquoties conspectus fuerit. Imo tanta ejus erat assiduitas orationis, ut numquam ab ea cessaret, et intuentibus ipsum, homo alterius sæculi videretur.

Mors et prima sepultura.

10 Edoctus ergo etiam, dum in terris agebat, ad cœlum evolare, tandem meritis plenus, ætatis anno sexagesimo tertio in febrim ac dolores molestissimos incidit. Augebatur simul cum ægritudine hilaritas Petri, prohibentis religiosam suam familiam a lacrymis, in quas ob amittendum amantissimum parentem agebatur. Ecclesiæ sacramentis rite susceptis, ac prædicta mortis hora, non jacens, sed humi erectus in genua, in altissimam extasim raptus, ac deinde sensibus restitutus : Lætatus sum, inquit, in his, quæ dicta sunt mihi :

A in domum Domini ibimus. Et manu Fratribus benedicens, ita illos est alloquutus : Non intuemini, Fratres mei, sanctissimam Trinitatem, et Dominam meam gloriosissimam virginem Mariam et sanctum Joannem Evangelistam? Quibus dictis, adhuc excepto genibus corpore migravit animo in cœlum; et sancta Teresia procul distans ab oppido de Arenas, in quo Petrus decesserat, illum vidit recto et lucido tramite delatum ad gloriam, et purissimæ lucis radiis circumfusum. Corpus vero pulcherrimum, cœlesti quodam colore perfusum, oculis apertis et miro splendore radiantibus, suavissimo de membris odore manante, intuentes replebat admiratione, utque fidelium adventantium devotioni satisfieret, in eminentiori extra portam loco expositum fuit, ad cujus conspectum populus suspiriis ac vocibus Sanctum intus clamabat, auxilium ab eo petebat, et vel minimam habitus particulam pro summo quilibet bono reputabat. Inde processum est ad funus, numeroso populo, cum facibus ac candelis accensis, sacrum depositum comitante. Contigit autem inter cætera notabilia, quod cœlum imbre ac vento furens, delato in medium corpore, subito placaretur, dum B in circuitu omnia streperent et inundarent, ita ut a valetudinario, in quo decesserat, usque ad conventum, duobus milliaribus distantem, quieto cœlo omnes immadefacti processerint, et ceram pro funere honorando accensam in tanto spatio nihil imminutam repererint. Ejus corpus in ecclesia Fratrum Minorum Discalceatorum depositum, singulari populorum veneratione invisitur. Excessit anno salutis millesimo quingentesimo sexagesimo secundo decima octava die Octobris.

Miracula mortem subsecuta.

11 Plurimis etiam post mortem miraculis coruscavit. Alphonsus Sanchez faber lignarius fracti cruris integrandi mortalem omnem spem projecerat, sed ad sepulcrum Petri momento temporis convaluit. Laborantem exitiali morbo Mariam de Paramo et a medicis desperatam, haustus aquæ, reliquiarum Petri contactu sacræ, dicto citius integræ sanitati restituit. Sacramento extremæ Unctionis munita jam erat Maria Velasquez, quæ Petri opem exposcens, illico surrexit incolumis. Franciscus Ramirez sexennis puer cruribus contractis, oleo lampadis lucentis inunctus repente sanatur. Balthassari Rodriguez sexenni puero, fracto utroque latere ac defluentibus intestinis C pene confecto, effusæ ante Petri sepulcrum preces saluti fuerunt. Francisca Martinez triennio claudicans, quæ desperata fracti pedis salute, quibus et manibus reptaverat ad Petri sepulcrum, incolumis, et solido pede innixa, regressa est domum. Utraque aure surdus Bartholomæus Garzia, contactu aquæ, cui fuerant admotæ Petri reliquiæ, recuperavit auditum; et eodem contactu visum momento recepit Isabella Gonzalez a tribus mensibus cæca; et fœdo apostemate laborans in dextero genu Joannes puer bimus repente convaluit.

Crebrescente fama sanctitatis, eduntur processus auctoritate apostolica.

12 Jacuit autem Petri corpus per multos annos in humili loco, in quo primo reconditum fuerat; sed cum undique ad illud ex tota conflueretur Hispania, episcopi Abulensis auctoritate in locum decentiorem a religiosis conventus de Arenas translatum est, et oleo similem liquorem distillans repertum, candidis velis fuit involutum, retenta quadam reliquiæ particula, et in arca prope altare majus iterum muro inclusum. Gratias igitur immortales agebat omnipotenti Deo idem Clemens prædecessor, et in illo cor suum exultabat, quod nullis ejus suffragantibus meritis, sed altitudine divitiarum sapientiæ et scientiæ suæ, hanc servi sui Petri de Alcantara canonizationis solemnitatem, per ejus humilitatis ministerium ad sui nominis gloriam et catholicæ fidei exemplum voluerit celebrari. D Cum enim præter eximia prodigia, quibus Petri vita effulsit, post mortem etiam quam plurimis aliis miraculis ejus sanctitatem testaretur Deus, aditus aperiebatur ad sacros honores Petro deferendos. Propterea crebrescente fama ejus sanctitatis, venerationis et miraculorum, editi super his fuere processus auctoritate apostolica et ordinaria. Et accedentibus precibus claræ memoriæ Philippi III et IV catholicorum Hispaniarum regum, necnon fere omnium Hispaniæ regnorum, cæterisque de more peractis, sacrorum Rituum congregatio, cui supradictorum processuum revisionem injunxerat Gregorius Papa XV, etiam prædecessor noster, tunc suus, respondit, referente bon. mem. Marco Antonio tituli Sancti Eusebii presbytero cardinali Gozadino, juxta seriem relationis trium causarum palatii apostolici auditorum, pluries examinatam fuisse causam servi Dei Petri de Alcantara, ac plenissime constare de validitate processuum, fama sanctitatis, fidei puritate, cæterarum virtutum excellentia, reliquiarum ac sepulcri veneratione, et plurimis tandem miraculis; E ac propterea posse, si summo Pontifici placuisset, eumdem Petrum sanctum, ac in cœlis regnantem, omnibus fidelibus solemni canonizatione proponere venerandum; dum interim episcopus Abulensis in capellam quamdam novam a se dedicatam, sacrum ejus corpus, odorem suavissimum spirans solemniter transtulisset, præsentibus nonnullis Hispaniæ magnatibus, qui ferendis reliquiis nobiles humeros submiserunt.

Beatificatio.

13 Quapropter idem Gregorius XV, fel. record. prædecessor noster, tunc suus, annuit precibus ejusdem Philippi IV Regis, et ministri generalis, et Fratrum Ordinis Minorum; itaque Petrum Beati titulo insignivit die decima octava Aprilis anno salutis millesimo sexcentesimo vigesimo secundo; ac de eo tamquam de confessore non pontifice die decima nona Octobris, qua ipsius memoriam celebrandam esse statuit ubique terrarum ab universo Ordine Minorum Observantium utriusque sexus; in oppido vero de Alcantara, ubi natus est, atque in altero de Arenas, ubi corpus ejus requiescere acceperat, ab omnibus tam regularibus, quam sæcularibus clericis recitari Officium posse; et Missam celebrari, datis desuper litteris in forma Brevis, concessit. F In provincia vero Sancti Josephi, cujus auctor extitit Petrus, a Fratribus Discalceatis de illo, veluti de patrono, etiam cum octava Officium ac Missam celebrari posse.

Processus in ordine ad canonizationem.

14 Deinde vero novus processus conditus est ob nova decreta, ab Urbano VIII edita; et fama sanctitatis perseverans, et crescens fidelium veneratio reperta est. Alia deinde miracula a fel. rec. Innocentio X, prædecessore nostro, tunc suo, comprobata sunt die octava Martii millesimi sexcentesimi quinquagesimi, cum processus novi super his, quæ post Petri Beatificationem acciderant, formati fuissent, instantibus imprimis iteratis supplicationibus episcoporum, principum ac civitatum totius Hispaniæ. Repetito voto sacrorum Rituum Congregatio, die XII Aprilis anno millesimo sexcentesimo sexagesimo censuit, posse tuto deveniri ad solemnem Petri canonizationem; ac in Domino plurimum expedire, ut diuturnæ mortificationis assiduus labor, plane ad prodigii genus accedens, argumentum insigne perfectissimæ caritatis in Deum, cum salubri animarum profectu sane admirabili Christi fidelibus colendus, et imitandus omnino

A nino proponeretur. Sed interim succedente interitu fel. rec. Alexandri VII prædecessoris nostri, tunc sui, quo annuente decretum supradictum emanaverat, ab eadem sacrorum Rituum congregatione, et eodem Clemente ad sancti Petri cathedram evecto, priores diligentiæ fuerunt instauratæ, et accedentibus novis principum catholicorum instantiis, præsertim vero regis catholici Caroli II, secretum consistorium fuit habitum die decima octava Martii anno millesimo sexcentesimo sexagesimo nono, in quo per venerabilem fratrem nostrum, tunc suum, Martium episcopum Portuensem S. R. E. cardinalem Ginettum, status causæ beati Petri relatus fuit; et omnium cardinalium, qui adfuerunt, suffragia dixerunt, placere eis, ut idem Clemens ad solemnem canonizationem deveniret. Quapropter sequente publico consistorio, in quo de canonizatione dicti beati Petri verba fecit dilectus etiam filius Alexander Caprara, nostræ, tunc suæ consistorialis aulæ advocatus, et nomine præfati Caroli regis, necnon regnorum prædictorum, ac ministri generalis et Fratrum Ordinis Minorum, eidem Clementi prædecessori fuit humiliter supplicatum. Idem Clemens prædecessor noster, in tam gravi causa, orationibus et jejuniis publice indictis et concessa pro hoc fidelibus indulgentia, divinæ voluntatis beneplacitum explorare sategit. In semipleno postmodum consistorio cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum (de quorum numero tunc eramus) scripta suffragia, canonizationis solemnitatem approbantium, eidem Clementi prædecessori diem Dominicam in Albis unanimiter innuerunt.

quæ celebrata est die XXVIII Aprilis 1669.

15 Tandem cum nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, S. R. E. antiqua consuetudine, ac novorum decretorum præscripto agenda et observanda erant, dicta die Dominica in Albis, quæ erat quarto Kalendas Maii anno millesimo sexcentesimo sexagesimo nono, pontificatus sui anno secundo, in sacrosancta beati Petri apostolorum principis basilica, in qua solemni ritu cum ejusdem S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et dilectis filiis romanæ curiæ prælatis officialibus et familiaribus suis, clero sæculari et regulari, ac maxima populi frequentia mane convenimus, post repetitas pro canonizationis decreto petitiones, nomine ejusdem Caroli regis a dilecto etiam filio nostro, tunc suo, Jacobo, tituli sancti Xisti presbytero cardinali, Rospiglioso nuncupato, post sacros hymnos, litanias aliasque preces, post Spiritus sancti gratiam rite imploratam; ad honorem sanctissimæ et individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ et christianæ religionis augmentum, authoritate D. N. Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac de venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum in urbe existentium consilio, beatum Petrum de Alcantara Sanctum esse decrevit et definivit, ac Sanctorum catalogo adscripsit, statuens ab universali Ecclesia quolibet anno, die decima octava Octobris, illius obitus die, memoriam ejus inter Sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Festum et indulgentia.

16 Postea idem Clemens prædecessor noster ejusdem Sancti festum die decima nona Octobris celebrari quotannis decrevit, in qua die omnibus Christi fidelibus, qui aliquam ex ecclesiis universi Ordinis Sancti Francisci tam fratrum, quam monialium, tam hactenus erectis, quam imposterum erigendis et ubicumque locorum existentibus, visitaverint, indulgentiam plenariam perpetuam concessit. Deo igitur optimo maximo, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, gratias agere eumdem Clementem prædecessorem decebat: qui benedixit hunc Servum suum in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, et curreret in via mandatorum divinorum dilatato corde ab eximia caritate; cumque illum divina pietas huic nostro sæculo indulserit, qui antiquæ prodigia sanctitatis instauraret, eumdem singulari cultu prosequeretur, ejusque auxilium in hisce christianæ reipublicæ necessitatibus enixius imploraret.

Interveniente Clementis obitu, bulla canonizationis data est a Clemente X.

17 Ne autem de decreto, definitione, statuto, concessione aliisque præmissis, pro eo quod ipsius Clementis prædecessoris litteræ, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari; volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, statutum, concessio aliaque præmissa, a dicta die quarto Kalendas Maii suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis prædecessoris litteræ sub data ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur; quodque præsentes litteræ ad probandum plene decretum, definitionem, statutum, concessionem aliaque præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. *(Sequuntur clausulæ ordinariæ et subscriptiones, quas opus non est hic adscribere* (1).

(1) Vide Bullarium, t. VI, p. 288-292. Edit. Luxemb. 1727. —

§ II. Solemnitas, cæremoniæ et expensæ Canonizationis S. Petri de Alcantara.

Monitum.

Quæ ad hanc materiam spectant, prolixe traduntur a Dominico Capello, qui, ut jam alibi monuimus, Acta canonizationis S. Petri de Alcantara et S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *in unum collecta edidit ipso anno, quo illa perfecta fuit. Ejus verba, utpote ad gloriam beati Viri præcipue facientia, operæ pretium ducimus partim hic coronidis instar recitare. Sunt autem hujusmodi.*

Solemnitas canonizationis.

19 Igitur cum omnia jam expedita essent et præparata (2), felix tandem, faustaque orbi christiano illuxit dies, omnium votis expetita, Dominica in Albis XXVIII Aprilis (*anno* 1669) tantæ celebritati destinata. Hora diei duodecima (Italico more numerando) in capellam Sixtinam convenerunt DD. Cardinales, Episcopi, Pœnitentiarii Basilicæ Vaticanæ et cæteri, quibus competit canonizationis solemniis interesse; hac tamen vestium sacrarium distinctione: cardinales episcopi cum pluvialibus: cardinales presbyteri cum planetis: cardinales diaconi cum dalmaticis; patriarchæ, archiepiscopi et episcopi cum pluvialibus et mitris; pœnitentiarii planetis albis: reliqui prælati rochettis et superpelliceis erant induti, exceptis gubernatore Urbis, oratore Lucensi ecclesiastico, (quem Sanctissimus protonotarii honorarii dignitate, durante legatione, honestavit), thesaurario Cameræ, protonotariis et officialibus iis adjunctis, qui cappis ornati erant. Duo seculares oratores Lucenses contextis ex holoserico villoso violaceo togis: conservatores Urbis aureis amicti consistebant. Officiales capellæ pontificiæ, et Papæ familiares rubeas habebant vestes: advocati consistoriales violaceas: capellani Papæ, et honorarii intimique

(2) Acta Canonizationis, etc., p. 282 et seqq.

AUCTORE DOMINICO CAPELLO.

intimique pontificiæ aulæ cubicularii rubeas, caputiis de more inversis.

Adventus Pontificis in capellam Sixtin.

20 Præstituto tempore summus Pontifex ad sacrarium capellæ Sixti IV descendit : quo DD. cardinalis Ursinus, prior presbyterorum, cardinalis Hassiæ et cardinalis Carolus Barberinus diaconi, tres auditores Rotæ, nempe decanus ad mitram, et duo juniores ad vestis pontificiæ fimbrias, ne terram contingerent, sustinendas paulo ante convenerant. Ibi Sanctissimus sacras et novas induit vestes, multo distinctas auro, et ad hanc celebritatem de industria comparatas : nempe faldam, amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale magnum, seu, ut vocant, mantum pontificium : et thiara redimitus, thus immisit in thuribulum, ministrante naviculam cardinale Ursino; mox anteriores vestis fimbrias duobus auditoribus Rotæ, posteriores vero tum vestis tum pluvialis, oratore Venetorum sustinentibus, pedes ad capellam Sixti processit inter prædictos cardinales diaconos : præferente crucem D. Emerix Rotæ auditore, subdiacono apostolico, post votantes (sic appellant) signaturæ justitiæ acolythos; videlicet post acolythum thuriferarium et septem alios cum candelabris.

B

Cerei distribuuntur in capella.

21 Dum Pontifex (1) in sacrario moraretur paratas sibi induendo vestes, magistri cæremoniarum singulis cardinalibus, episcopis et cæteris, qui in prædicta Sixti capella Sanctissimum præstolabantur, candidos cereos distribuerunt : ita ut, cum Sanctissimus in capellam ingressus esset, omnes cerei essent accensi. Ubi Sanctitas sua, flexis ante aram genibus sine tiara, paululum oravit, surrexit et allatis ab assistentibus patriarchis, nempe Constantinopolitano et Antiocheno, libro et candela, assistente pariter cardinale Barberino decano, stans cecinit versiculum hymni « Ave maris stella : » quem cantores capellæ pontificiæ prosecuti sunt. Dumque tres sequentes hymni versiculos canerent, Pontifex in genua provolutus orabat : illis vero absolutis, surgens mitram resumpsit, et sellam gestatoriam conscendit. Mox recto ordine, summo silentio et pietate pari, solemnis supplicatio ad Basilicam Vaticanam institui cœpit, in qua bini ac bini, cereos præ manibus tenentes accensos, incedebant.

Cardinalis Rospigliosius procurator canonizationis offert cereos.

22 Sanctissimo interim in sede existenti eminentissimus D. cardinalis Rospigliosius a majestate cæsarea et catholica, ad instandum pro canonizatione Beatorum, ut supra diximus, designatus,

C

tres cereos variis ex auro flosculis ramisque turgentibus ornatos, supplex obtulit et ad singulorum oblationem manum Pontificis genuque osculatus est. Illorum alter effigie B. Petri, ac insignibus summi Pontificis et catholicæ majestatis ; alter effigie B. Mariæ Magdalenæ, necnon stemmate pontificio et cæsareo decoratus erat. Quos Sanctitas sua tradi jussit oratoribus Venetorum et Lucensium in publica supplicatione portandos. Minorem sibi retinuit, ac sinistra manu in eadem supplicatione detulit, dexteram ad populo benedicendum liberam et expeditam reliquit. His peractis, Sanctissimus sella eminens gestatoria, sub pretiosa umbella, quam signaturæ referendarii, rochettis et superpelliceis induti, oblongis contis sustinebant sibi invicem succedentes, ab aula regia exivit, et ad dextram flectens, per scalam proximam, cæruleo et vitreo tecto stellulis interlito conspicuam, ad majorem palatii portam contendit, quæ in forum maximum ducit, Basilicæ Vaticanæ obversum.

Supplicatio cleri. Ordo processionis ad Basilicam Vaticanam.

23 Hic universus Urbis clerus superpelliceis induti, omnesque religiosorum hominum familiæ, accensos cereos præ manibus tenentes, Pontificem operiebantur. Hæc autem species et ordo solemnis erat processionis. Primum supplicantes bini ac bini accensis cereis procedebant, ac prout exibant a palatii porta, ab eadem incipiendo, et longam hinc inde seriem texendo, et alii aliis, servato antiquitatis ordine et dignitatis jure, succedendo, ad atrium usque Basilicæ, duas ab utroque latere efformando alas, protendebantur, et subsistebant suis distincti crucibus et insignibus collegiatarum ; ita ut juniores cleri et inferiores palatii portæ viciniores manerent, a Basilicæ vero atrio remotiores ; antiquiores e contra et digniores, Basilicæ magis vicini, a palatio magis distantes essent. Pedestris militum acies, elegantibus instructa armis, circumfusa viam, qua solemnis supplicatio incessura erat, ad Basilicam usque Vaticanam muniebat. In porticu, ejusdem Basilicæ capitulum : intra Basilicam insigniorum Urbis ecclesiarum collegiatarum, nempe S. Mariæ trans Tiberim, et Sancti Laurentii in Damaso; deinde patriarcharum Basilicarum, id est S. Joannis in Laterano, et Sanctæ Mariæ Majoris, canonici aderant. Igitur inter stantem in foro clerum, religiosa hujusmodi pompa quasi sacrum triumphum repræsentante, graviter ac lente procedebant, et obeliscum versus eundo, inde ad dexteram flectendo, recta ad Basilicam pergebant officiales capellæ pontificiæ et familiares Papæ, advocati consistoriales, capellani Pontificis, honorarii intimique cubicularii. Duo postea vexilla quadra, auro multo, argentoque distincta, sequebantur, hastis prælongis erecta expansaque, in quibus a magni nominis pictoribus ad vivum expressæ beatorum Petri et Mariæ Magdalenæ imagines spectabantur, quæ omnium ad se oculos animosque trahebant. Primum, B. Mariæ Magdalenæ effigie insigne, portabat P. Andreas Lao procurator et vicarius generalis Carmelitarum, cum aliis quinque primariis ejusdem Ordinis sacerdotibus ; secundum vero B. Petri, P. Evangelista Pazzago Franciscanæ familiæ commissarius generalis, cum aliis similiter quinque dignioribus Fratribus Franciscanis. Capellæ pontificiæ musici ante ipsa ibant vexilla, supra memoratum hymnum « Ave maris stella » modulatis vocibus concinentes. Justo postea intervallo succedebant utriusque signaturæ referendarii ; subdiaconus, diaconus et presbyter assistens capellæ pontificiæ, abbreviatores, votantes signaturæ justitiæ acolythi, clerici Cameræ et auditores Rotæ, subdiaconi apostolici. Eminebat inter septem postremos acolythos, cereos accensos in argenteis candelabris ferentes, crux pontificia. Mox patres Pœnitentiarii Basilicæ S. Petri ; abbates deinde insignibus pontificalibus utentes ; episcopi, archiepiscopi et præsules omnes, Papæ assistentes ; tum cardinales diaconi ; presbyteri cardinales et cardinales episcopi, sed pulchro et majestatis pleno, ordine sequebantur. Veniebant postea orator Bononiæ, almæ Urbis conservatores, principes solii et gubernator Urbis ; prope Pontificem prædicti cardinales diaconi assistentes, duo auditores Rotæ et duo oratores, prægrandes cereos gestantes. Sacram claudebat et coronabat pompam Sanctissimus ipse, sede (uti diximus) sublimi conspicuus et umbella tectus ; post Pontificem inter duos illius cubicularios assistentes, Romæ decanus incedebat, mitram Papæ suscepturus. Extremam supplicationis partem cogebant terminabantque orator Lucensis, protonotarius, ut supra retulimus, honorarius, thesaurarius Cameræ apostolicæ, protonotarii et generales ac procuratores generales

Ordinum

(1) Acta Canonizationis, etc., p. 293 et seqq.

A Ordinum Regularium. Cum Pontifex in Basilicam pervenisset, ad aram sanctissimi Sacramenti in genua provolutus oravit, factoque orandi fine, ad aram templi principem eminenti sede delatus fuit.

Regina Succiæ supplicationem spectat.

24 Advenerat jam serenissima Christina Alexandra Suecorum regina, quæ e fenestra superioris porticus (benedictionis vulgo appellant) majori Basilicæ portæ imminentis, incedentium supplicationem, non sine pietatis sensu, spectaverat. Ubi summum Pontificem vidit sublimi in sede ferri et ad medium jam forum pervenire, in sanctissimæ Trinitatis sacellum, quod alio nomine Sacramenti dicitur, descendit, illam comitante cum excellentissimo D. Thoma Rospigliosio sanctissimi Domini nostri nepote, reverendissimo D. Roccio Damasci archiepiscopo, pontificii palatii præfecto; indeque duodecim Helvetiis pontificiæ custodiæ militibus et duobus ejusdem officialibus, quatuor item mazzeriis cum argenteis clavis, in signum honoris super brachia rejectis, stipata, intra septa theatri se recepit ac eminenti super congesta tabulata thalamo sibi parato, pretiosis, ut diximus, operto stromatis consedit. Cardinales in ipso theatri aditu reginam salutabant; illa innata majestate et comi-B tate, e sella assurgens, salutantes officiose resalutabat; cum autem Sanctissimus eo pervenisset, relicta protinus sella, ad imum et subjectum thalami gradibus pavimentum, non sine magna religionis significatione et adstantium exemplo, descendit; ibique complicatis ante pectus brachiis, oculisque ad modestiam compositis, prætereuntem Pontificem, seu Christi in terris vicarium suppliciter venerata est; illiusque benedictione percepta, ad suum se locum sellamque recepit. Pontifex vero ad aram maximam processit, ubi genuflexus super faldistorium paulisper oravit; deinde iterum reginæ et cardinalibus benedixit, ac paratum sibi in medio et eminentiori theatri loco solium conscendit.

Ordo sedendi in capella.

25 Verum quia lectoribus piis et curiosis non erit ingratum, omnem sessionis ordinem ac distinctionem in capella rescire, illum propterea hic apponere ac describere officii mei esse duxi. Cardinales episcopi, pœnitentiarii et protonotarii suis quique sedilibus, ut supra retulimus. Cardinales vero diaconi assistentes, ad dextrum et sinistrum latus Pontificis consederunt. D. Pompeio Varesio Urbis gubernatori et vicecamerario, D. Fabio C Guinisio priori S. Joannis et Lucensis reipublicæ oratori, ac Bonaccursio de Bonaccursiis Cameræ apostolicæ thesaurario generali, supra protonotarios locus est assignatus. In area solii, prope cardinales diaconos, stabant novem supra decem antistites Sanctissimo assistentes; in gradibus, juxta thronum hinc inde dispositi, principes solii: nempe orator Venetus Antonius Grimanus, Bartholomæus Franciottus et Raphael Mansius, oratores Lucensium; Camillus Rospigliosius sanctissimi Domini nostri germanus frater; Fr. Vincentius, Thomas et Joannis Baptista, Sanctitatis suæ ex prædicto Camillo germano fratre nepotes; necnon comestabilis Laurentius Columna, dux Paliani. Per gradus a fronte solii, hinc auditores Rotæ, cum P. Magistro sacri palatii Hyacintho Libello: inde clerici Cameræ apostolicæ. A dextera parte in imis gradibus stabant conservatores Urbis, scilicet Aurelius Ciognius, Mutius Marcrius, Eq. Silvius Allius et Tranquillus Columna prior. Idoneus quoque datus est locus oratori Bononiæ Josepho Paleotto, infra sedilia episcopis et pœnitentiariis assignata. Super gradus, quibus, ut diximus, ad theatri arcam dabatur ascensus, varii Romanæ aulæ prælati, servato inter se antiquitatis et dignitatis jure, sedebant, nempe votantes signaturæ justitiæ, abbreviatores, referendarii, cubicularii secreti et honorarii, sacri consistorii advocati et capellæ pontificiæ officiales.....

AUCTORE DOMINICO CAPELLO.

Numerus cardinalium et episcoporum in canonizatione.

26 Itaque summus Pontifex, (1) hac magnificentissima sacræ pompæ specie et dignitate, ab ipso statim Basilicæ ingressu, intuentium et admirantium oculis objecta, editiori eminens loco, triginta septem cardinalium, sexaginta et amplius antistitum ac innumerorum fere ex Romana curia præsulum frequentissima et amplissima corona cinctus, delatum sibi consueto ritu excepit obedientiæ obsequium, a cardinalibus osculo manus, ab episcopis osculo genu, à pœnitentiariis osculo pedis. Postquam cardinalium antiquior. Barberinus sacri collegii decanus, obedientiam præstitit; a D. Casalio, diacono Basilicæ Principis apostolorum, D. Muti subdiacono Basilicæ Liberianæ, presbyteri munus obeunte D. Antaldo, Basilicæ Constantinianæ, canonicis, dalmatica, tunicella et pluviali respective indutis, ab infimo solii gradu ad faldistorium in cornu epistolæ positum deductus est; ibique manus primum lavit; deinde sacras, pretiosas et ad hunc E solemnem diem paratas, induit vestes.

Prima Instantia

27 Absoluta obedientiæ functione, D. Fulvius Servantius (cæremoniarum magister, sacrorum rituum peritissimus) sedente jam a dextro solii latere cardinale Ginetto, antiquiore post cardinalem Barberinum episcopo cardinale, ad ejusdem solii gradus deduxit cardinalem Rospigliosium, delegatum, ut supra diximus, ad postulandam canonizationem BB. Petri et Mariæ Magdalenæ. Hic ubi ad solium pervenit, facta prius summo Pontifici profunda capitis inclinatione, stetit medius, habens hinc inde genuflexos à latere sinistro cæremoniarum magistrum, a dextro comitem Alexandrum Caprariam, sacri consistorii advocatum, consueta veste cum caputio indutum; qui uti erat genuflexus, cardinalis nomine, a sua Sanctitate, ut eamdem canonizationem peragere dignaretur, instanter sic postulavit: « Beatissime Pater, reverendissimus » D. Cardinalis Rospigliosius hic præsens, nomine » sacræ cæsareæ majestatis Leopoldi electi impera- » toris et majestatis catholicæ Caroli Secundi regis » Hispaniarum, instanter petit per Sanctitatem » vestram catalogo Sanctorum Domini nostri Jesu » Christi adscribi et tamquam Sanctos ab omnibus F » Christi fidelibus pronunciari venerandos, B. Pe- » trum de Alcantara Ordinis Minorum et B. Ma- » riam Magdalenam de Pazzis Ordinis Carmelita- » rum. » His autem reverendissimus D. Franciscus Nerlius, archiepiscopus Florentinus, sanctissimi Domini nostri secretarius ab epistolis ad principes, stans in sinistro solii latere, his conceptis verbis ita respondit: « Edocta Redemptoris admonitioni- » bus ac exemplis Ecclesia, nihil arduis præser- » tim in rebus inchoat, prosequitur, perficit, abs- » que multa et jugi piarum orationum instantia. » Quapropter, etiam post tot alias, qua juris » humani diligentias exquisitissimas, qua divinæ » voluntati cum agnoscendæ tum propitiandæ ra- » tiones complures adhibitas, in ipso rei transi- » gendæ limine, sanctissimus Dominus noster adhuc » nova instaurat orationum subsidia. Etenim jubet » venerabiles fratres suos S. R. E. cardinales, et » universos huic celebritati præsentes Christi fide- » les, humiliter supplices ac prostratos ante Prin- » cipis apostolorum confessionem, phialas aureas, » odoramentorum plenas, effundere in conspectu

Domini;

(1) Acta Canonizationis, etc., p 301 et seqq.

AUCTORE DOMINICO CAPELLO.

» Domini ; quo beneplacitum in tam gravi negotio » suum ex inaccessibili luce proferre benigne » velit. » Quibus auditis, cardinalis Rospigliosius, facta Pontifici reverentia, medius inter advocatum et cæremoniarum magistrum, ad suum locum reversus est. Mox Sanctissimus, mitra ornatus, supra suppositum a capellæ clericis faldistorium in ipsa solii area genuflexus ; regina vero super binis pulvinaribus e serico aureo, a marchione de Monte, regiæ ipsius aulico, sibi subjectis, innixa ; omnesque alii quique, prout aderant, dispositi locis, in genua provoluti, ad orandum se compararunt. Tum duo cantores flexis ante scabellum genibus, in quo litaniarum librum collocaverant, et post cardinalem Decanum ea die celebrantem suo item faldistorio in genua procumbentem, verso in theatri aream fronte, dextra autem contra altare ad cornu epistolæ, sinistra vero Pontificem versus, Litanias sanctorum plano cantu dicere cœperunt, quas usque ad « Agnus Dei » continuarunt.

Secunda Instantia.

28 Mox Pontifex ad suum thronum se recepit, et D. cardinale Rospigliosio iterum ad infimum solii gradum, modo jam superius relato, deducto ; comes Capraria advocatus eisdem prorsus, quibus
B antea diximus, cæremoniis, secundo institit pro obtinenda apud Sanctissimum BB. Petri et Mariæ Magdalenæ canonizatione, hoc modo : « Beatissime Pater, reverendissimus D. Cardinalis Rospigliosius.... instanter et instantius petit per » Sanctitatem vestram *etc., ut supra.* » Ad hæc reverendissimus D. Nerlius secretarius, ita respondit : « Stat angelus ante altare habens thuribulum « aureum. Repetitis igitur jussu sanctissimi Do» mini nostri denuo comprecationibus, danda sunt » illi incensa multa, ut det de orationibus sancto» rum super altare aureum, quod est ante thro» num Dei. » Quibus peractis, cardinalis Rospigliosius, cum advocato et cæremoniarum magistro, eo, unde venerat, revertit. Pontifex vero mitratus e throno descendens, ad faldistorium, super area iterum positum, oraturus processit. Cumque cardinalis Hassiæ diaconus, qui stabat a dextro Pontificis latere, ad populum conversus, alta voce dixisset : « Orate, » cardinalis Carolus Barberinus diaconus, qui stabat a sinistris, Pontifici mitram detraxit ; et postquam Sanctitas sua et cæteri, qui aderant, positis humi genibus, preces ad Deum fuderunt, alta pariter voce pronuntiavit : « Levate. »
C Tunc Pontifex aliique omnes surrexerunt ; allatoque a patriarchis assistentibus libro cum candela, adstante etiam cardinale Ginetto, utpote antiquiore post decanum cardinale episcopo, Sanctitas sua, ante faldistorium, cum cantu inchoavit hymnum : « Veni Creator Spiritus ; » in genua cum cæteris procumbens ad tres sequentes versus. Quibus cantatis, cum reliquis sese elevans, imposita sibi mitra, ad solium rediit : ac ibi deposita rursus mitra, stetit usque ad finem hymni ; eoque absoluto, nonnulli e cantoribus prosecuti sunt ℣ : « Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, Alleluia. » Aliisque respondentibus ℟ : « Et renovabis faciem terræ, Alleluia. » Sanctitas sua, stantibus ante solii gradus duobus votantibus signaturæ justitiæ acolythis cum candelabris et cereis accensis, recitavit orationem : « Deus, qui corda fidelium, *etc.*, » redimitus postea mitra, paulisper sedit.

Tertia Instantia.

29 Illico advocatus Capraria ante solii gradus, genuflectens a dextris stantis cardinalis Rospigliosii, tertio et instantissime a Sanctissimo postulavit, ut canonizationem tandem peragere et perficere dignaretur, in hunc modum : « Beatissime Pater, » reverendissimus D. Cardinalis Rospigliosius..... » instanter, instantius et instantissime petit per D
» Sanctitatem vestram *etc., ut supra.* » Et reverendissimus Nerlius pariter tertia vice paucis hisce verbis respondit : « Ascendit fumus incensorum de ora» tionibus sanctorum, de manu angeli coram Deo, » cujus voluntate sanctissimus Dominus noster jam » intellecta, modo referet B. Petrum de Alcantara » in sanctorum confessorum numerum, et B. Mariam » Magdalenam de Pazzis in albo sanctarum virginum » adscribet. »

Sententia canonizationis profertur.

30 Itaque summus Pontifex, assistentibus patriarchis librum et candelam sustinentibus, adstante quoque prædicto antiquiore cardinale episcopo, cum mitra sedens et majorem quodammodo humana præferens majestatem, divino Spiritu afflatus, ex cathedra BB. Petrum et Mariam Magdalenam Sanctos esse declaravit, eosque universæ Ecclesiæ colendos et adorandos proposuit, his verbis : « Ad honorem sanctæ et individuæ Trinitatis, » ad exaltationem fidei catholicæ et christianæ » religionis augmentum, authoritate Domini no» stri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri et » Pauli, ac nostra matura deliberatione præhabita » et divina ope sæpius implorata, ac de venerabi» lium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, E
» patriarcharum, archiepiscoporum et episcopo» rum in Urbe existentium consilio, B. Petrum » confessorem et B. Mariam Magdalenam virgi» nem, Sanctum et Sanctam esse decernimus et » definimus et Sanctorum catalogo adscribimus : » statuentes ab Ecclesia universali, quolibet anno, » memoriam beati Petri inter sanctos confessores » non pontifices, die decimaoctava Octobris (*paulo post sequens assignatus dies fuit. Vide supra n.* 16) » et beatæ Mariæ Magdalenæ inter sanctas virgines » non martyres, die vigesimaquinta Maii, pia de» votione recoli debere. In nomine Patris, et Filii, » et Spiritus sancti. Amen. » Stante interim cardinale Rospigliosio ante solii pontificii gradus, comes Capraria in genua provolutus, ipsius cardinalis nomine, sententiam canonizationis rite prolatam acceptavit, gratias Pontifici retulit, et apostolicas super ea re litteras expediri suppliciter ita postulavit : « Beatissime Pater, idem reverendissimus » D. Cardinalis Rospigliosius nomine sacræ cæsa» reæ majestatis Leopoldi electi imperatoris et » catholicæ majestatis Caroli Secundi Hispaniarum » regis acceptat pronunciationem a Sanctitate ve» stra factam, eidemque gratias immortales agit » et enixe supplicat, ut Sanctitas vestra super cano» nizatione eadem litteras apostolicas dignetur » decernere. » Sanctissimus vero, facto manu crucis signo, de more benedicendo dixit : « Decernimus. » Confestim D. cardinalis Rospigliosius solium conscendit et manum ac genu Sanctissimi osculatus, Sanctitati suæ, nomine cæsareæ et catholicæ majestatis, grates egit ; et advocatus Capraria ad protonotarios circumstantes versus, eos rogavit, ut super solemni hujusmodi canonizatione publicam ac solemnem fidem facere vellent, hoc modo : « Rogantur omnes protonotarii et notarii hic » præsentes, ut super hujusmodi solemnis canoni» zationis actu unum vel plura, publicum seu pu» blica, instrumentum vel instrumenta conficiant. » ad perpetuam rei memoriam. » Tunc prior protonotariorum eos, qui in area solii stabant, hujusmodi rei testes adhibuit, dicens : « Vobis testibus. »

Hymnus Te Deum cantatur pro canonizatione. Signa lætitiæ.

31 His peractis, D. cardinalis Rospigliosius et advocatus ad sua se recepere loca, Sanctissimus vero deposita mitra, surrexit ac ex aperto sibi ab assistentibus patriarchis libro, accedente etiam prædicto episcopo cardinale, cecinit hymnum : « Te

A « Te Deum laudamus: » quem musici usque ad finem proseculi sunt. Facto repente per cæremoniarum magistrum signo; tubæ canere cœperunt, inflari litui, pulsari tympana, et militum acies, per totum S. Petri forum bellico more dispositæ, semel, ac iterum tertiumque displosere sclopos, excepere ac reddidere totidem vicibus sonum alæ equitum, servato militari ordine, ad Circi angulos præstolantes, armis egregie munitæ, dejectis ab humero per transversum pectus fasciis elegantes, et apertis ad liberum prospectum galeis spectabiles; omnis item generis tormenta ænea, tum in ipso Vaticano foro, tum in sancti Angeli castro, cum innumeris mortariis pulvere incendiario fartis, horribili simul strepitu plausuque spectantium, tonitruum more boatuque displosa, lætitiam geminarunt. Secutus mox auditusque majoris Capitolii campanæ sonus ad hilaritatem publicam universam civitatem provocavit; omnium ecclesiarum campanæ per integram horam festive sonuerunt, tubæ in variis Urbis regionibus cecinerunt, alia e diverso musica instrumenta responsarunt; ubique plausus et lætitia cum religione conjuncta: lætari omnes, gratulari, ob solemnem B Divorum canonizationem Deo gratias agere; sanctorum Petri et Mariæ Magdalenæ nomina crebro repetere: auxilium ab illis implorare; eosque potentes in cœlo patronos et in terris mortalibus propitios tutelares, sibi deligere et miro quodam religionis sensu illorum memorias venerari.

Absolvitur canonizationis solemnitas.

32 Absoluto per capellæ musicos hymno, diaconus cardinalis a dextris cantavit ℣: « Orate pro nobis » beati Petre et Maria Magdalena, Alleluia. » Choro contra respondente ℟: « Ut digni efficiamur pro» missionibus Christi, Alleluia. » Ferentibus deinde candelabra cum cereis accensis duobus acolythis et ad infimum solii gradum consistentibus, necnon allatis per assistentes patriarchas libro et candela, summus Pontifex eorum opem imploraturus, quos cum Deo regnare jam declaraverat, elata voce cecinit sequentem orationem: « Oremus. Omni» potens sempiterne Deus, mirabilis in sanctis tuis, » qui beatos Petrum et Mariam Magdalenam san» ctorum tuorum gloria sublimasti, concede pro» pitius, ut eos imitari non pigeat, quorum sole» mnia celebrare delectat. Per Dominum nostrum, » etc. » Post orationem D. cardinalis Azzolinus solium conscendit, stansque a sinistro Pontificis C latere, stantis adhuc sine mitra, consuetam dixit confessionem, additis tamen Sanctorum recens canonizatorum nominibus, hoc modo: « Confiteor » Deo omnipotenti, beatæ Mariæ... sanctis apo» stolis Petro et Paulo, beatis Petro et Mariæ Ma» gdalenæ, omnibus sanctis.... sanctos apostolos » Petrum et Paulum, beatos Petrum et Mariam » Magdalenam, omnes sanctos. » Qua finita, a D. Emerix auditore Rotæ, ut dictum est, subdiacono apostolico, elata ante solii gradus cruce, Sanctissimus solito more absolutionem et benedictionem cum cantu impertiit....

Missa inchoatur de Dominica in Albis, celebrante cardinali Barberino.

33 Itaque perfecta canonizationis solemnitate (1) omnes cerei extincti fuerunt. Brevi interjecta temporis morula, ad imos altaris gradus Papa descendit, ibique stans, deposita mitra et profunda capitis inclinatione versus aram maximam facta, cum cardinale Barberino simul inchoavit confessionem ad Missæ introitum dici solitam; eaque finita et resumpta mitra, ad pontificalem sedem rediit. Hic thus injecit in thuribulum, quo paulo post a cardinale Ginetto episcopo assistente thurificatus fuit; mox dempta mitra et stans, dixit introitum Missæ de currenti Dominica in Albis, et cum sibi assistentibus cardinalibus « Kyrie eleison » : (cardinales enim sacris vestibus induti ad circulum non fuerunt vocati.) Stans etiam alteram orationem de Dominica cantantem cardinalem audivit, et de Sanctis recens canonizatis alteram, quam cum sequentibus secreta et postcommunione D. Archiepiscopus Tarsensis composuerat: Oratio. « Omnipotens sempiterne Deus mirabilis in sanctis » tuis, *etc., ut supra.* » Secreta. « Acceptæ sint tibi » Domine laudis hostiæ, quas suppliciter immo» lamus; et concede propitius, ut eorum imitemur » exempla, quorum memoriæ cultus primitias ex» hibemus. Per Dominum nostrum, etc. » Postcommunio. « Ecclesiam tuam, quæsumus Domine, » geminata sanctorum Petri et Mariæ Magdalenæ » intercessione placatus, ab hostium insidiis cle» menter eripias et nulla sinas adversitate turbari. » Per Dominum etc. »

AUCTORE DOMINICO CAPELLO.

Ritus oblationum.

34 Sub finem symboli, ex cardinalibus congregationis sacrorum Rituum duo in suo quique ordine antiquiores, nempe duo episcopi, duo presbyteri, et duo diaconi, nec non cardinalis Rospigliosius ad postulandam Sanctorum canonizationem, ut sæpe diximus, delegatus, de suis subselliis surgentes, facta prius cruci et summo Pontifici reverentia, præcedentibus duobus cæremoniarum magistris, ad abacos, sive, ut vulgo appellant, credentias, ubi res offerendæ idoneo ordine erant dispositæ, se contulerunt; scilicet cardinalis Ginettus episcopus Portuensis et congregationis sacrorum Rituum præfectus, qui licet assistentis Pontifici eo die munere fungeretur, illud tamen modo dimisit. Cardinalis Rospigliosius canonizationis procurator deputatus; Fachenettus cardinalis presbyter et Azzolinus cardinalis diaconus ad abacum in dextro cornu theatri positam, in qua oblationes pro S. Petro de Alcantara paratæ erant, iverunt. Similiter ad abacum, in sinistro theatri latere erectam, in qua res offerendæ pro S. Maria Magdalena de Pazzis collocatæ fuerant, cardinales Brancatius, Sfortia et Celsus perrexerunt. Ibi cum eorum primarii familiares aulici, ac digniores Franciscanæ et Carmelitanæ familiæ Patres, quod quisque deferret, accepissent, ad pontificium solium contenderunt.

Oblationes pro S. Petro.

35 Præibat magister cæremoniarum, cum duobus mazzeriis, argenteas clavas præferentibus. Prope veniebant aulici duo cardinalis Ginetti, prægrandes cereos portantes, quorum singuli effigie sancti Petri, ac insignibus summi Pontificis et catholici regis, variisque flosculis, minio et auro permixto, circumquaque depicti erant (sexaginta libras quilibet ponderabat); deinde cardinalis Ginettus a dextris cardinalis Rospigliosii. Hos sequebantur D. Didacus Colmenares Hurtado de Mendoza, ad negotia Hispanici cleri in romana curia pertractanda deputatus, qui minorem cereum, sed pari fere modo inauratum, deferebat, et P. Evangelista Pazzago Franciscanæ familiæ commissarius generalis, canistellum præ manibus habens mira arte elaboratum et auro illitum, in quo duæ turtures erant inclusæ. Justo postea intervallo progrediebantur duo familiares cardinalis Fachenetti, totidem prægrandes panes gestantes, unum auro et pontificiis insignibus, alterum argento et catholicæ majestatis stemmate distinctum; tum ipse cardinalis Fachenettus; subsequebantur D. Franciscus de Villegas archidiaconus et canonicus metropolitanæ Burgensis et P. Antonius Vellasco Ordinis Minorum procurator generalis. Hic cistulam

(1) Acta Canonizationis, etc., p. 312 et seqq.

similiter

AUCTORE DOMINICO CAPELLO.

similiter deargentatam, par columbarum continentem; ille cereum parvum, eodem, quem supra descripsimus, modo ornatum, ferentes. Demum cardinalis Azzolinus incedebat post binos ex suæ aulæ familiaribus gestantes duo doliola, stemmate Pontificis et regis catholici insignita; alterum auro, alterum argento obductum. Cardinalem sequebantur advocatus Michael Angelus Lapius, causæ canonizationis S. Petri patronus, qui exactissimis sane rationibus, sedulaque et accurata sollicitudine ac fide, omnia, quæ ad celebritatem hanc peragendam requirebantur, præparari curaverat; et F. Gregorius a S. Bonaventura, de quo supra mentionem fecimus; alter cereum, alter canistellum auro argentoque distinctum, in quo variæ diversarum specierum latebant aviculæ, deferebat.

Oblationes referuntur ad abacum.

36 Eumdem prorsus ordinem cum cæremoniarum magistro, mazzeriis, suisque familiaribus tenuerunt cardinales episcopus Brancatius, Sfortia cardinalis presbyter et diaconus cardinalis Celsus. Dona vero pari prorsus cum supramemoratis ornatu, sed effigie S. Mariæ Magdalenæ et stemmate pontificio ac cæsareo decorata gestabant P. Andreas Lao, qui, ut supra meminimus, vicarii generalis nomine ac officio, universo Carmelitarum
B
Ordini modo præest... Sex cardinales congregationis sacrorum Rituum de manibus suorum familiarium accepta dona prius reverenter osculata Pontifici præsentarunt; cardinalis Rospigliosius ea, quæ reliqui deferebant, pariter osculatus, suæ Sanctitati obtulit. Singuli vero cardinales, facta oblatione, Sanctissimi manu ac genu, cæteri autem pede osculato, illum venerati fuerunt: eoque defuncti religionis obsequio, ad sua quique loca redierunt; remanentibus tantum cardinale Ginetto apud suum faldistorium, ut assistentiæ munus resumeret et expleret, ac cardinale Rospigliosio, qui plus cæteris oblaturus erat. Cum hæc oblata essent summo Pontifici, votantes signaturæ justitiæ et abbreviatores ea statim e solio accepta manibus una cum tenuissimis velis, quibus, munditiæ gratia, erant superimposita, ad abacum retulerunt.....

Missa absoluta: publicantur Indulgentiæ.

37 Peracto Missæ sacrificio (1) dataque populo per Pontificem solemni benedictione; cardinalis Decanus celebrans, stans in cornu epistolæ, consuetas indulgentias publicavit; præsentibus scilicet plenariam; et visitantibus quotannis die XVIII Octobris sepulcrum S. Petri et XXV Maii sepulcrum
C
S. Mariæ Magdalenæ septem annorum totidemque quadragenarum. Quibus rite confectis, Papa prope statuam sanctæ Helenæ, extra theatrum tamen, in loco de industria ad id parato, holosericis aulæis obducto, sacras vestes deposuit; sellula deinde gestatoria exceptus in palatium reversus est.

Ornamenta et expensæ describuntur.

38 Superest ut singula ornamenta, quæ hac occasione canonizationis pro summo Pontifice aliisque ei assistentibus ministris confecta fuerunt, quin ne unum quidem prætereamus, singillatim enumeremus: omnesque expensas in sacris vestibus, in basilicæ paratu et in cæteris rebus ad eamdem celebritatem spectantibus factas, majori, qua poterimus, distinctione et claritate, brevi computemus; easque, veluti in tabella quadam minutissime descriptas, lectorum oculis palam exponamus, ut eorum curiositati faciamus satis. Incipiendo igitur ab ara maxima, in medio basilicæ erecta et apostolorum memoriæ imposita:

Pro altari.

39 Duplicem aræ frontem bina pallia auro phrygio opere, ac summo artificio circumtexta vestiebant. Alterum effigie S. Petri, atque insignibus Pontificis et catholici regis; alterum S. Mariæ Magdalenæ imagine et stemmate Pontificis ac D
Cæsaris, pari prorsus opere et ornatu conspicuum apparebat. Fascia majoris pretii atque elegantiæ superius et ab utroque latere eminebat, ac radiabat, intextis eorum principum, de quibus non semel meminimus, armis et religionum emblematibus insignis. Æqualis fere pretii amiculum sanctissimi Sacramenti altare adornabat.

Pro summo Pontifice.

40 Omnes sacræ vestes, ac si re ipsa summus Pontifex Missam celebraturus esset, e serico albo, lustrinum vulgo appellant, ad tantam celebritatem comparatæ, visebantur multo rigentes auro, phrygio opere circumtextæ; nempe pluviale pontificium (mantum vocant) cujus oras, limbo aureo undequaque circumducto, latior fascia, auro itidem intexta, anterius ambiebat; quas variæ cælitum effigies, auro turgentes, recto ordine collocatæ decorabant. Summum tenebat Spiritus sancti symbolum, columba; et hinc inde Sanctissimi et B. Mariæ Virginis imagines; proximum iis locum beatorum apostolorum Petri et Pauli, inferiorem vero icones SS. Petri de Alcantara et Mariæ Magdalenæ de Pazzis occupabant. Eisdem prorsus imaginibus acu pictis planeta seu casula fulgebat; unam si excipias Spiritus sancti columbam; cujus E
loco pelicani species cernebatur. Non absimili ornatu stola et bini erant manipuli, quorum alterum subcinctorium vocant. Gremiale etiam aureis laciniis et flocculis conspicuum, cum duobus magnis pulvinaribus, Pontifici genua flectenti et oranti supponendis. Sandalia præterea et calcei ad osculum crucibus insigniti. Duæ dalmaticæ e tela aurea, levi quidem materia, sed pretiosa, aureis virgulis discreta. Mitra papalis e tela item aurea, ducentis septuaginta circiter topaziis ornata, in varias ac venustas rerum species distinctis, quæ lapidum et auri fulgore oculorum aciem perstringebat.

Pro ministris.

41 Pluviale pro cardinale episcopo assistente; dalmatica et tunicella, quas diaconus et subdiaconus evangelium et epistolam lecturi, induere debebant, paris cum supra memoratis rebus operis erant et artificii. Dalmatica altera cum tunicella, minori tamen impendio contexta, pro subdiacono et diacono, qui capellæ pontificiæ more, epistolam et evangelium græce cantaturi erant. Stolæ itidem tres; manipuli quatuor. Amplum calicis velum, laciniis aureis adornatum. Bursa corporalium. Sex sacrorum librorum holoserica tegumenta, scilicet missalis, evangeliorum, epistolarum, precum, seu cæremoniarum. Quatuor quoque F
pulvinaria iis libris supponenda. Operimentum faldistorii tum summi Pontificis, tum episcopi assistentis et legilis pro diacono latino et græco ad decantandum evangelium. Quæ quidem ornamenta supra memoratis vestibus, materia et ornatu, apte respondebant. Pro conficienda sacra supellectili hactenus recensita, expensa fuerunt scuta monetæ romanæ 5026-98. Nempe pro mitra scut. 255-05; pro tela ex serico albo aureo subtilioris texturæ, pro dalmaticis summi Pontificis, velo calicis et candelæ ab eodem in supplicatione ferendæ, ponderis librorum 3 d. 18 scut. 90-17; pro cannis 20 palm. 2 holoserici albi, vulgo lustrino, scut. 70-87; pro cannis 20 palm. 6 $\frac{1}{3}$ holoserici albi, vulgo ormesino, scut. 83-17; pro cannis 19 palm. 3 $\frac{1}{3}$ holoserici simplicis albi, scut. 66-10; phrygionibus pro manufactura rerum hactenus descriptarum soluta scut. 3985; pro fimbriis, laciniis et virgulis, e serico et auro, ad eamdem supellectilem ornandam, scut. 143-92; pro funiculis et floccis serico aureis et in his omnibus suendis apto-

que

(1) Acta Canonizationis, etc., p. 319 et seqq.

A que ordine componendis, scut. 332-70. (*Quæ omnia simul addita summam, ut dictum, efficiunt* 5026-98.)

Linea.

42 Alba aureis intercurrentibus lineis distincta, fimbriisque venuste circumdata, cum ejusdem ornatus amictu et lemniscato cingulo aureo serico, vestiendo Pontifici præparata. Alba etiam virgulis ac fimbriis, uti vocant Flandricis, et cingulo serico, auro argentoque intexto, pro diacono evangelium cantaturo. Alia itidem virgata fimbriataque, paulo inferioris materiæ et ornatus pro subdiacono latino. Pro diacono autem et subdiacono græcis aliæ duæ albæ, inferioris pretii, ut justa et, qua par est, distinctione, altaris ministri ornati comparerent. Corporale, Palla, octo purificatoria totidemque sudariola ac manutergia. Cuncta staminis tenuissimi, et Flandricis fimbriis ac lemniscis adornata. Octo manutergia, paulo inferioris notæ, pro diacono et subdiacono latinis; totidemque pro diacono pariter et subdiacono evangelium ac epistolam græce dicturis. Pectorale aureis decurrentibus venis, fimbriis, lemniscis cordulisque pendentibus similiter aureis decoratum, pro subdiacono latino. Mappa superior altaris, tribus aliis B mappis damasceni operis superposita, subtilissimi fili, ac aureis distincta virgulis, fimbriisque decenter ornata (singulæ triginta palmos longitudinis habebant). Mantilia item oblonga operis pariter damasceni pro obducendis abacis offertorii et pro aliis abacis contegendis. Alia itidem ejusdem materiæ, multo breviora, singulis muneribus, cum Pontifici offerrentur, supponenda. Demum longum admodum linteamen tenuissimi staminis, ad pontificiarum vestium mensam cooperiendam. Steterunt omnia supra recensita linea, scut. 557-94.

Lignea.

43 Theatrum magnum, suis undique repagulis firmatum et cancellis clausum, cum eleganti statuarum aliarumque rerum ornatu superius descripto. Tabulata itidem hinc inde erecta et ligneis craticulis auro fulgentibus permunita, scut. 1674-14. Tabulæ cum insignibus gentilitiis summi Pontificis, ac cæsareæ et catholicæ majestatis, necnon Carmelitanæ ac Franciscanæ familiæ. Quadraginta candelabra, auro inter obscuros colores micante illustrata, singula quinis discreta virgulis, per loculamenta pilarum distributa, milleque et amplius super coronide basilicæ circumquaque disposita; necnon lignea fulcra ad eadem candelabra C sustinenda, scut. 938. Sex canistella et quatuor doliola, auro argentoque illusa, scut. 240. (*Lignea proinde simul sumpta efficiunt summam* 2852-14).

Picturæ.

44 Pro quatuor magnis vexillis, imaginibus S. Petri de Alcantara, totidemque S. Mariæ Magdalenæ insignitis, scut. 1418. Pro cannis 46 palm. $4\frac{2}{3}$ substrati serici, scut. 186-35. Pro fimbriatis auro laciniis, funiculis, lemniscis, et labore artificis in illis conficiendis, scut. 568-05. Quæ summa efficit scut. 2171-40. Duæ majores octangulares tabulæ; tres ovatâ figurâ minores, viginti aliæ quadratâ, illustriora eorumdem Sanctorum miracula continentes; aliæ item majoribus litteris eadem miracula declarantes, totidem demum minores tabellæ, pontificium stemma et sacra Carmelitanæ et Franciscanæ familiæ emblemata exhibentes, interfuso auro, nigroque colore depictæ, æstimatæ fuerunt scut. 1017-60. Picturæ eorumdem Sanctorum oblatæ Pontifici, aliæ distributæ cardinalibus ac nonnullis principibus, romanæ curiæ prælatis et consultoribus congregationis sacrorum Rituum; omnes eleganti circum et deaurata coronide ornatæ, scut. 3663-81. (*Hinc universim in picturas expensa* 6853-89).

AUCTORE DOMINICO CAPELLO.

Cerea.

45 Innumericerei candidissimi (quatuor decim millium septingentarum triginta sex librarum pondus æquabant) partim clero distributi; partim super candelabra dispositi (horum singuli octo ponderabant libras) et in basilica ardentes. Cerei oblati Pontifici in supplicatione, alii in offertorio, necnon duodecim prægrandes pro elevatione hostiæ ad Missam, cum cæteris accensis ante altare majus et sacram apostolorum Memoriam, minio et permixto auro lucentes, insignibusque principum supradictis conspicui, steterunt scut. 4438-56.

Ornatus ecclesiæ.

46 Pro aulæis rubri coloris e serico damasceno, vulgo *in teli* 202, ponderantibus libras 2303, unc. $9\frac{1}{4}$, (impensis scutis septem pro qualibet libra) scut. 16126-56. Pro lineis seu fasciis aureis intersecantibus pondere librarum 902 unc. 2 d. 12, in quibus consumptæ sunt auri libræ 435 unc. 7 d. 19, scut. 7749-27. Pro tela, ad ejusdem serici damasceni et linearum munimen et in his suendis, apteque componendis, scut. 1050-35. Pro mercede ornantium ac parantium basilicam, in universum expensa fuerunt scut. 454-86. (*Ornatus itaque ecclesiæ universim constitit* 25381-04).

47 Pro amanuensium labore in scribendo, tum latine tum græce evangelium et epistolam alias- E que preces in canonizatione, necnon plures relationes in sacris consistoriis habitas, et pro illarum impressione, ac una cum libris vitam eorumdem Sanctorum continentibus, idonea ligatura, ut cardinalibus, consultoribus congregationis sacrorum Rituum, cæterisque Romanæ curiæ prælatis distribuerentur, scut. 289-03. Pro iis vero quæ sequuntur, non una simplex pecuniarum solutio, sicut hactenus diximus, facta est, sed duplex; ac si quilibet horum Beatorum seorsim ab alio in cœlitum numerum relatus esset. Itaque duplices fuerunt: Sportulæ, aliæ ratione canonizationis S. Petri, aliæ ratione canonizationis S. Mariæ Magdalenæ, effecerunt summam scut. 6597-50. Strenæ item duplices, scut. 6519. Indumenta, distribui solita officialibus capellæ pontificiæ, constiterunt scut. 3384. Pro tapetibus purpurei et viridis coloris, quibus solium pontificium, reginæ thalamus et theatrum cooperta erant; necnon pro holosericis auro intextis, thronum sedesque vestientibus, ac pro umbellis prædictum thronum et summum Pontificem in supplicatione tegentibus, in universum expensa fuerunt scut 2100. (*Simul proinde sumpta efficiunt* 18889-33). F

Summa totalis.

48 Expensæ factæ in canonizatione sancti Petri, scut. 32000. Et in canonizatione S. Mariæ Magdalenæ, totidem similiter scut. 32000. Summa itaque omnium prorsus expensarum est, scut. 64000.

Conclusio.

49 Porro pro his omnibus, quæ ad hanc celebritatem requirebantur, comparandis, eadem pecuniæ summa deposita fuit in banco S. Spiritus de Urbe a supra memoratis P. Andrea Lao, et Michaele Angelo Lapio, ut diximus, canonizationis eorumdem Sanctorum procuratoribus; qui eximia integritate, artificibus cæterisque omnibus creditoribus chirographa tradiderunt, ut pecunias sibi debitas in eodem banco exigerent. Itaque adhibita accuratissima diligentia, atque inita per peritissimos computistas, (quorum etiam opera usi fuimus) expensarum ratione, ut addendo, deducendoque distincte ad loca quæque sua perfectissimo calculo reducerentur; eas prorsus esse, quas summa fide, et sinceritate enumeravimus, certo comperimus. (*Cum autem Scutum Romanum valorem habeat circiter* 5 *fr. et* 40 *centesim. monetæ gallicæ, patet expensas pro canonizatione S.* Petri *hic recensitas adscendere præter propter ad* 172000 *francorum).*

A D

DIES VIGESIMUS.

SANCTI, QUI XIII KAL. NOVEMBRIS COLUNTUR.

SS. Caprasius, Primus et Felicianus, martyres Agenni in Gallia.

S. Datius,
S. Zosimus,
B S. Januarius,
S. Dorothea,
S. Zosimus,
S. Januaria,
martyres Puteolis in Campania.

S. Eutychius,
S. Promachus,
S. Lucius,
S. Marcellinus,
S. Bermiacus, et forte SS. Zosimus et Januarius,
martyres Nicomediæ.

SS. Joannes et Marcianus, martyres in Civitate Castellana in Italia.

C SS. Barsabias et socii decem, martyres in Perside.

S. Artemius, martyr Antiochiæ.

S. Agricola, presb. et conf. Suessione in Gallia.

SS. Bradanus et Orora, in insula Mannia.

S. Sindulphus, presb. et conf. in pago Remensi.

S. Fintanus Corach et S. Fintanus Moeldubh, conff. in Hibernia.

B. Sonnatius, episc. et conf. Remis in Gallia. E

S. Joannes III, episc. et conf. Comi in Italia.

S. Irene, virgo et martyr in Lusitania.

S. Vitalis, episc. et conf. Salisburgi in Germania.

S. Acca, episc. et conf. Augulstadiæ in Anglia.

S. Aderaldus, archidiac. et conf. Trecis in Gallia.

B. Humbaldus, episc. et conf. Autissiodori in Gallia.

B. Gaufridus, abbas, F
B. Serlo, abbas,
B. Guilielmus, novitius,
S. Adelina, abbatissa,
Saviniaci in Normannia.

S. Joannes Cantius, presb. et conf. Cracoviæ.

PRÆTERMISSI, ET IN ALIOS DIES RELATI.

S. Severinus, Noricorum apostolus, colitur Neapoli et in tota diœcesi officio duplici hoc die, quo ejus reliquiæ, anno 910, e Lucullano Castello translatæ sunt. *Ita Bollandus in adversariis. De hac translatione dictum est in Actis ad* VIII Januarii.

Apud Mindam natalis S. Feliciani episcopi et Martyris *memoriam facit Martyrologium Romanum ex Auctario Molani ad Usuardum. Plura alia Usuardina Auctaria, hac die S.* Feliciani *nomen exhibentia, videre licet apud Sollerium. Jam conjectarat Baronius in Annotatis ad Martyrologium*

A *gium Romanum hunc S.* Felicianum *Fulginatem esse. Et quidem, licet Hispani nonnulli, somniis fabulosi Flavii Lucii Dextri* (1) *decepti, crediderint esse episcopum Malacitanum, Baronii tamen conjecturam cum veritate omnino esse consonam liquet ex his quæ decessores nostri exhibent ad diem* XXIV *Januarii; quod vero præsenti die colatur Mindæ in Westphalia causa est translatio reliquiarum, quas anno* 965 *in has partes ex Italia asportavit Otho Magnus imp.: quæ omnia enucleatius explicita vide ad diem* (2), *qua hic Sanctus Fulginii colitur,* XXIV Januarii.

S. Valerii translationem *signat ad hanc diem Marietta propter translationem ossis brachii hujus Cæsaraugustani episcopi, anno* 1121 *factam, ut docent decessores nostri in ejus Actis ad* XXVIII Januarii.

S. Cornelii Centurionis, episcopi Scamandri *elogium ad hanc diem texitur in Menologio Basilii; de cultu, gestis et episcopatu hujus viri, in Actis Apost. celeberrimi, in opere nostro jam disputavit Bollandus ad diem* II Februarii.

S. Austrebertæ V. translationem *refert Usuardi Altempsianum Auctarium et Bruxellense S. Gu-*
B *dulæ, utrumque apud Sollerium, ad hanc diem; atque eam tempore suo in Ecclesia Audomarensi festo duplici hac die celebratam fuisse ab Henschenio annotatum reperio. Hanc translationem signavit jam Bollandus* (3) *in Commentario de S.* Austreberta, *abbatissa Pauliacensi, ad diem, qua colitur,* X Februarii.

S. Marciani episcopi et Martyris Dertonensis inventionem *celebrat hodie, et quidem recte, Ferrarius; eam illustratam vide in opere nostro ad diem* VI Martii.

S. Pancratii translationem *signat hodie Florarium Ms. decessorum nostrorum. Æstimavit Bollandus agi de S. Pancratio, Martyre Romano, de quo in opere nostro dictum est ad* XII Martii.

S. Quirini presbyteri et Martyris *meminit hodie editio Lubeco-Coloniensis Usuardi; quem* Quirinum *sibi ignotum subjicit Sollerius. Sed* presbyteri *titulus tenebras creavit hagiographo; nam dubium esse non potest quin hic agatur de S.* Quirino *Martyre Romano. Scilicet in Missalibus et Breviariis Trajectensibus ad Mosam ineuntis sæculi* XVI, *quæ plura numero habemus, S.* Quirinus *ad hanc etiam signatur diem. Hunc*
C *autem* Quirinum *reapse Martyrem et Tribunum Romanum esse manifestum facit vel ipse hujus S.* Quirini *cultus in his partibus, ex quo tempore ejus reliquiæ Roma Novesium ad Rhenum delatæ fuerunt anno* 1050, *atque hinc in varia Belgii loca dispersæ. Vide itaque ejus Acta in opere nostro ad* XXX Martii.

S. Dionysii *memoria ad præsentem diem recolitur in duobus Kalendariis arabicis coptitarum, quorum editionem Em. Card. Maio debemus. In altero* (4) *vocatur* Astronomus, *in altero recentiori* (5) episcopus Corinthi, Martyr sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus; *in Kalendario vero Æthiopico, quod edidit Ludolfus* (6), *nude* episcopus *dicitur. Nullus venit ad Diocletiani tempora Dionysius in ordine Corinthiorum præsulum* (7); *agitur forte de S. Dionysio, ex Historia ecclesiastica Eusebii celeberrimo, qui M. Aurelio Antonino et L. Ælio Vero floruit, et in Martyrologio Romano celebratur die, ad quam* D *de eo dixerunt decessores nostri,* VIII Aprilis.

Gnesnæ in Polonia, translatio S. Adalberti episcopi et Martyris ex cœnobio Tremesnensi ad eam civitatem *annuntiatur hodie a Menardo et Ferrario. Hanc translationem illustravit Henschenius in opere nostro ad diem natalem S.* Adalberti XXIII Aprilis.

S. Zenobii episcopi Florentini *Vitam dedit ad hanc diem hagiographus Butler, monens tamen ejus festum agi Florentiæ, ad diem, ad quam fuse in opere nostro de eo dictum est,* XXV Maii.

S. Joelem *prophetam reperio ad hanc diem in aliquot Kalendariis Coptitarum* (8); *de eo in opere nostro actum fuit ad diem* XIII Julii.

SS. Avelsi et Valeriani discipulorum Christi *memoriam facit ad hanc diem Grevenus et Florarium Ms., quod penes decessores erat. Verum flocci esse omnino facienda hæc Christi discipulorum nomina ostenderunt jam decessores* (9). *Si quis Commentarium velit, multa cura elaboratum, de Christi et Apostolorum discipulis, adeat opusculum Ludewigii de Christi Apostolis* (10); *si vero de eorum cultu, legat Cuperi nostri scriptionem ad diem, quo eorum memoria vulgo fastis sacris inscribitur,* E XV Julii.

Memoria SS. Apostolorum Tertii seu Terentii episcopi Iconii, Marci episcopi Apolloriadis seu inculpati Barnabæ, et Jesu dicti Justi episcopi Eleutheropolis, et Artemii episcopi Lystrensis *celebratur hodie in Menologio (ut id vocabant decessores nostri) Sirmundiano et in Synaxario Ruthenorum Ms. Recensentur hi autem a Græcis inter septuaginta duos Jesu Christi discipulos, de quibus, ut modo dicebamus, in opere nostro tractatum est ad* XV Julii.

Natale Simplicii, cujus castitas et vita miraculis probata multorum salutis causa fuit, ita ut trium millium hominum multitudo gremio genitricis Ecclesiæ exciperentur ac vitalis lavacri fonte diluerentur. *Ita Rhabanus in Martyrologio* (11). *Similiter Notkerus:* Item Simplicii, cujus vita probabilis fuit multis causa salutis, ita ut tria millia hominum baptizatorum gremio matris Ecclesiæ susciperentur (12). *Placuit hæc recitare imprimis ut appareat Notkeri dicta desumpta fuisse ex Rhabano et proin huic soli hanc commemorationem deberi. Porroquam turbatum* F *sit Rhabani Martyrologium satis in præsenti volumine ostensum fuit in Commentario de S. Florentio Trevirensi* (13). *Ex solius itaque Rhabani auctoritate nequaquam impedimur quin hunc S.* Simplicium *eumdem habeamus ac Augustodunensem, licet ipse Rhabanus de eo mentionem fecerit ad diem* XXIV *Junii* (14). *Quod autem idem sit confici posse videtur his argumentis: primo omisit Notkerus ad diem* XXIV *Junii depositionem S.* Simplicii *Augustodunensis, licet eam legeret apud Rhabanum; quæ omissio alii sane causæ tribuenda non videtur, quam quod geminare nollet S.* Simplicii *in suo Martyrologio nomen; secundo videntur Rhabano præluxisse gesta quædam S.* Simplicii, *adeoque hic ævo suo illuster fuisse; quid ergo (si diversus sit) latuit alios subsequentes Martyrologos? Tertio quæ in hoc Rhabani encomio de S.* Simplicio *traduntur satis facile aptantur S.* Simplicio *Augustodunensi. Asseritur enim ca-*

(1) Flavii Lucii Dextri Chronic. ad an. 308, p. 365. edit. Bivarii 1627. —(2) Act. SS., t. II Januar., p. 581.—(3) Ibid., t. II Februar., p. 418.— (4) Scriptt. vett. nov. Collectio, t. IV, part. II, p. 18.—(5) Ibid., p. 98. — (6) Hist. Æthiopica, p. 395. — (7) Cfr Lequien, Oriens Christ., t. II, col. 158.— (8) Cfr Mai, Scriptt. vett. nov. Collect., t. IV, part. II, p. 18 et 98.—(9) Act. SS., t. IV Jul., p. 17. —(10) Die Apostel Jesu Christi, p. 90 et seqq. Quedlinburg, 1841.—(11) Ap. Canisium, vet. Lect., t. II, p. 344. — (12) Ibid., p. 182. — (13) Vide supra, p. 30. — (14) Ap. Canisium, p. 332.

stitatem

A stitatem et vitam ejus miraculis probatam *fuisse. Porro in Vita ejus, quam ex Gloria confessorum S. Gregorii Turonensis edidit Henschenius* (1) *reperimus omnino hanc potissimam S.* Simplicii *Augustodunensis esse laudem ; in castitatis enim suæ testimonium ipsecum conjuge sua prunas ardentes veste intacta susceperunt.* Hoc miraculo populus, *sic pergit S. Gregorius,* qui erat tunc incredulus, credidit Deo ; et inter septem dies amplius quam mille homines sacri innovatione lavacri sunt renati. Quos suscipiens Ecclesia gaudens cœlesti regno per hos milites copulavit. Tria millia *habent Rhabanus et Notkerus : verum numerorum facilior est immutatio, quam ut hinc solida exsurgat difficultas. Vide ergo hujus* S. Simplicii *Acta ad* xxiv Junii.

SS. MM. Mauri pontificis, Pantaleonis et Sergii secundam inventionem celebrari die xx Octobris *Vigiliis in Apulia testantur officia hujus Ecclesiæ. De qua re vide Commentarium de his SS. MM. ad diem, quo Martyrologio Romano inscribuntur,* xvii Julii.

Exceptionis SS. Georgii diaconi et Aurelii Martyrum *commemorationem faciunt ad hanc diem* B *Usuardus, Martyrologium Romanum, Galesinius, Saussayus aliique. Nitidius loquitur Menardus in Martyrologio Benedictino ad hanc diem, male tamen* Parisiis in monasterio S. Germani *hanc exceptionem collocans :* Parisiis, *inquit,* in monasterio S. Germani, translatio reliquiarum S. Georgii monachi, S. Aurelii et capitis S. Nataliæ, *alias Sabigothonis, uxoris S.* Aurelii. *Sunt scilicet hi Martyres Cordubenses, anno* 852 *a Sarracenis occisi ; quorum partim reliquias anno* 858 *in villam Acmantam detulit Usuardus : de qua re dictum fuit in Commentariis de S. Vincentio, præsenti insertis tomo* (2). *Cæterum vide historiam eorum passionis et translationis in opere nostro, ad diem* (3) *quo eorum natalis agitur* xxvii Julii.

S. Neoti presbyteri et confessoris *meminit hodie Altempsianus Usuardi codex, quem in Anglia auctum sese adeoque ad usum fuisse Ecclesiæ Wintoniensis ostendit Sollerius* (4). *Unde colligere est Sanctum hunc* Neotum *esse Anglum ; et quum unum tantum hujus nominis Sanctum Angli celebrent, esse* Neotum, *monachum prius et presbyterum Glastoniensem, dein eremitam, post vero* C *fundatorem monasterii, suo insigniti nomine. Præterea Adelwoldum Wintoniensem partem aliquam habuisse videri in transferendis S.* Neoti *reliquiis ex Cornubia in Huntingdoniam perhibuit jam Mabillonius et post eum Cuperus* (5). *Dubium itaque nullum superesse potest, quin hic agatur de S. Neoto, cujus Vitam nuperius ediderunt quidam Anglicani* (6), *decessores vero nostri ad diem* xxxi Julii.

B. Leo Bembus, episcopus Methonensis, et Venetiis maxime cultus, *prodit hodie propter translationem, anno* 1643 *factam, in Hagiologio Italico; de eo dictum fuit in opere nostro ad* ix Augusti.

Coloniæ Agrippinæ, in ecclesia sanctarum undecim millium Virginum commemoratio S. Hippolyti Martyris et sociorum ejus, cujus Hippolyti corpus ibidem per translationem requiescit. *Martyrium et translationem hanc illustravit Pinius noster, ad diem, qua celeberrimi hi Romani Martyres Martyrologio Romano inscripti sunt,* xiii Augusti.

Commemoratio Sanctorum patrum et confessorum D Hypatii episcopi et Andreæ presbyteri *habetur hac die in Menologio Græco, quod ex interpretatione cardinalis Sirleti edidit Henricus Canisius. Egimus de illis cum Martyrologio Romano ad diem* xxiv Augusti.

S. Fidis translationem *annuntiat hodie Florarium Ms. quod penes decessores erat. De hac translatione vide in præsenti tomo Acta S. Caprasii et ipsius S. Fidei Acta ad* vi Octobris.

Vide ad finem hujus tomi, pag. 1107.

S. Demetrii M. Sirmii in Pannonia *commemorationem ad hanc diem habet Ferrarius. Verum* Demetrium *Sirmiensem ad hanc diem ignorat Farlatus in Martyrologio Illyrico et in Historia Ecclesiæ Sirmiensis* (7). *Dubium itaque nullum est quin hic agatur de S.* Demetrio *Thessalonicensi, quum Farlatus, de Sirmii nominibus scribens, hæc habeat* (8) : Commune vocabulum, quo ab historicis nonnullis sequiori ævo et ab incolis ad usque hanc ætatem solet hæc urbis vocari nativa eorum lingua *Mitrovitrium est ; urbis scilicet vel oppidum Demetrii,* ab celeberrimo templo, quod Leontius Illyrici præfectus exstruxerat sæc. vi S. Demetrio Martyri Thessalonicensi. *Hæc fusius exposita vide in opere nostro ad diem,* E *qua Sanctus hic Martyrologio Romano inscriptus est,* viii Octobris.

S. Andronici *M. festum indicatur ad hanc diem in Menologio Ms. Mazariniano; videtur socius SS. Probi et Tharachi, de quibus egerunt decessores nostri ad* xi Octobris.

S. Andreæ in Crisi *commemorationem ad hanc diem fieri in antiquioribus fastis sacris, notatum fuit in ejus Actis ad* xvii Octobris.

SS. Feliciæ Martyris et Justi pueri *meminit hodie Grevenus. Hæc* Felicia *mater est hujus S.* Justi *pueri ; de utroque dictum fuit ad diem, quo S.* Justus *colitur,* xviii Octobris.

SS. Felix et Augebertus MM. *coluntur hac die aliquot in locis ; de iis actum in præsenti volumine ad* xviii Octobris.

Antiochiæ Bororæ Pelagiæ et aliorum quadraginta novem *mentio hodie fit in Divionensi Auctario Bedæ* (9). *Est mera transpositio ex die præcedenti, ad quam de iis dictum est,* xix Octobris.

S. Cleopatræ sanctimonialis in Moscovia *memoria prodit hodie apud Castellanum ex Ephemeridibus Ruthenicis editis a Papebrochio ; apparet item inter Sanctos Ruthenos apud Culcinium. Laborarunt Papebrochius, Culcinius et Assemanus* (10) F *ut quæ esset indagarent. Solutam hanc quæstionem reperiet lector in Commentario de S. Varo ad* xix Octobris.

SS. Sadoth et sociorum cxx MM. in Perside *meminit hodie Ferrarius ; vide ad* xix Octobris.

De S. Verano *dictum ad* xix Octobris.

Romæ Natale Asterii Presbyteri *exhibet ad hanc diem Auctarium Barberinianum Bedæ* (11). *Est transpositio ex die præcedenti* xix Octobris.

Apud Alexandriam S. Pelagiæ, quæ peccatrix appellatur, *longum texitur ad hanc diem in Hagenoyensi Usuardi Auctario encomium ; est confusio cum S. Pelagia Antiochena, de qua dictum fuit ad diem præcedentem* xix Octobris.

In diœcesi Autissiodorensi Dedicatio basilicæ Pontigniacensis ; eodem die consecrata est ecclesia Caroli loci Sylvanectensis ; de Misericordia Pictaviensis; Porigniaci in Aquitania ; et de Valloliis apud Morinenses. *Ex Kalendario Cisterciensi.*

(1) Act. SS., t. IV Junii, p. 813. — (2) Vide supra, p. 85. — (3) T. VI Julii, p. 450 et seqq. — (4) Præf. ad Usuardum, p. LXIII, n. 253. — (5) Act. SS., t. VII Jul., p. 318, n. 27. — (6) Lives of the English Saints, Hermit Saints, p. 73 et seqq. London, 1844. — (7) Cfr Illyricum Sacrum, t. VII, p. 449 et seqq.; t. VIII, p. 291 et seqq. — (8) Ibid., t. VII, p. 449. — (9) Act. SS., t. II Martii, p. xxxv. — (10) Cfr ejus Kalend. Eccl. univ., t. V, p. 310. — (11) Act. SS., t. II Martii., p. xxxv.

Mediolanensis

A Mediolanensis metropolitanæ ecclesiæ consecrationem, *a S. Carolo Borromæo peractam, celebrat hodie Martyrologium Mediolanense.*

S. Ammonius Victor M., *anno* 1642 *ex Catacumbis Lucam in S. Joannis illatus, hac die defunctus in tumulo passim obvio legitur.*

Ambiani S. Maximi diaconi et martyris *memoriam consignant ad hanc diem Saussayus et alii. Verum in Kalendario præfixo Breviario Ambianensi anni* 1554 *et similiter in libris liturgicis recentioribus S.* Maximi *nomen omnino non apparet. Omisit eum itaque Castellanus, satis intelligens esse merum Saussayi errorem. Procudit scilicet hic martyrologus S. Maximum Ambianensem ex S. Maximo diacono et martyre Aviensi, qui hoc tempore die* XIX *Octobris maxime colitur (ad quam diem ejus Acta dedimus), olim vero ut et nunc in Martyrologio Romano die* XX *Octobris; plura de hoc sphalmate omittimus.*

S. Neonis M. *nomen legitur ad hanc diem in codicibus Hieronymianis Gellonensi, Augustano, Labbeano et Laureshamensi; in Auctariis Usuardinis Cluniacensi, Altempsiano, Belini et Molani; in Martyrologio quem dicunt Canisii et in Catalogo* B *Ferrarii. Scripsit de hoc Sancto Sollerius in suo Usuardo:* Novi septem Neones, quis hic signetur nescio. *In collectaneis Mss., conjecit Henschenius eumdem esse ac S.* Neonem, *qui ad* XVII *Januarii in Usuardo genuino laudatur. Nil habemus unde eum discriminemus ab aliis ejusve palæstram indicemus. Sæculo* X *colebatur in abbatia S. Maximini Trevirensi, ut constat ex Kalendario hujus ævi, edito ab Hontheimio* (1), *et apud nos Ms. conservato; verum licet abundemus scriptis de rebus et de Sanctis Trevirensibus et maxime S. Maximini, nulla hinc nobis lux affulget.*

Walaferum archiepiscopum Duffelensem, alias Dunelmensem, vel Dumblanensem in Scotia, seu etiam Dublinensem in Hibernia, qui Rumoldum instruxit in scientiis, *sæpius jam inter prætermissos ablegarunt decessores nostri, eumque demum examini subjiciendum signarunt ad præsentem diem, qua laudatur a Camerario. Verum ego imprimis animadvertam Duffelenses numquam fuisse archiepiscopos; Dunelmensem episcopalem sedem creatam tantum anno* 995 *post derelictam Lindisfarnensem*(2)*; Dublinensem tenebris involutam jacere nemo non novit. Licet enim d'Alton* (3) C *seriem aliquam episcoporum seu archiepiscoporum proponat, quæ a S. Livino initium ducat; Lanigan* (4) *tamen, acutissimus rerum Hibernicarum indagator, non dubitat ita scribere:* S. Sedulius, *inquit,* abbas et secundum quosdam episcopus in Ath-Cliath, nunc Dublino dicto, mortuus traditur anno 786. Si reapse episcopus fuit, solus erit de quo sibi adscribendo contendere possit Dublinum ante sæculum XI. *Unde omnino ignorat* Walaferum *seu* Gualaferum, *quem ipse d'Alton* (5) *sibi ex solo Molani Auctario cognitum fatetur. Sedes autem Dumblanensis seu Dunblanensis fundata tantum fuit a rege Davide II circa annum* 1152, *ut tradit Carlisle* (6)*; neque inter antiquiores Scotiæ sedes eam numerat Pinkerton* (7). *Sublata ita* Gualaferi *sede, quæstio superest quid valeat ipsum id nomen, quod demum medio sæculo* XVI *in Domynsii S. Rumoldi Vita in lucem venisse videtur; quam alii solvant. Mihi vero satis sit ea hic annotasse, quibus* Walaferus D *ex opere nostro excludendus videatur.*

S. Colmani *memoria celebratur hac die in Martyrologio Hibernico Tamlactensi, et dein quasi de alio* Colmano, *videlicet Drom-grenensi, mentio injicitur. Martyrologia Dungallense et Mariani Gormani unum hac die* Colmanum Tuam-grenensem *recensent: quocirca arbitramur duplicem Martyrologii Tamlactensis* Colmanum *mendum esse. Cæterum in eodem Martyrologio ad hanc eamdem diem in duos finditur S. Fintanus Moeldubh et similiter S. Ædanus Ingeldi de Mag-eo.* Drom-greine *seu potius* Tuam-greine *monasterium erat in Tuamonia, anno* 1084 *combustum* (8), *cui olim præfuerat S. Manchinus anno* 735 *defunctus* (9). *Plura de hoc S.* Colmano *nos latent.*

S. Ædanus seu Aidanus Ingeldi de Mag-eo, anno Domini 650 *vita functus, prodit hac die in Martyrologio Dungallensi, et (ut in præcedenti memoria dictum est, in duos fissus) in Martyrologio Tamlactensi. Colganus bis ejus meminit, prius ubi ex Martyrologiis viginti duos Aidos seu Aidanos memorat* (10), *dein ubi texit Mageonensis Ecclesiæ, in Occidentali Connacia sitæ, historiam* (11)*;* E *sed et ipse merum hujus sancti abbatis nomen novisse videtur.*

S. Moeleonius episcopus et anachoreta *laudatur ad hanc diem in Martyrologiis Dungallensi et Mariani Gormani: plura de eo non reperio.*

Jusab, seu Jucab, alias Joseph, *patriarchæ Alexandrini, festum signatur in Martyrologio Coptico Ms., in duobus aliis Mss. ejus obitus, in quarto Ms. et in Kalendario Æthiopico, edito Ludolfi* (12) *curis, nudum ejus nomen; verum quum Jacobita hæreticus fuerit, die* XVII *Novembris anni* 831 *ordinatus, et die* XX *Octobris anni* 859 *vita functus* (13), *eum plane prætermittimus.*

Scieb Tho. *nomen occurrit mihi hodie in versione Ms. Kalendarii Chaldaici seu Syriaci, anno* 1624 *Romæ impressi: plura de eo non reperio.*

Theodardum abbatem S. Heliæ *consignatur ad hanc diem in Kalendario Ms. domus S. Salvatoris Antuerpiensis. Monasterium S. Eliæ Basilianum exstare in Sicilia videre est in Actis S. Eliæ ad* XX *Julii* (14)*; verum inter SS. Basilianos, qui post Martyrologium Romanum veniunt, nullus est* Theodardus. *Annotatum reperio eum esse Benedictinum et Cisterciensem; verum inter SS. Be-* F *nedictinos aut Cistercienses nullus etiam locus* Theodardo abbati.

Caprasium priorem Carmeli *ad hanc diem memorat antiquum Mechliniense Carmelitarum Kalendarium; verum adi prætermissos nostros ad diem* XV *Octobris, ubi cernes eum Sanctis non accensendum videri annalistæ Carmelitano Lezanæ.*

Anonymum Martyrem *Beati titulo ad hanc diem exornat Arturus in Menologio Franciscano, ejusque palæstram Anconæ collocat. Scripsere ad Bollandum Minoritæ Anconitani hunc sibi plane incognitum.*

Prisci Confessoris *memoriam hodie facit Grevenus. Verum quum ipse solus sit, nec ulla alia reperiamus vel Martyrologiorum Auctaria vel Kalendaria, in quibus hodie S.* Priscus *prodeat, et aliunde Grevenus toties Sanctos in alios transferat dies, habendus videtur ille* Priscus Confessor *ex nu-*

(1) Prodromus Hist. Trev., t. I, p. 378. — (2) Monast. Anglic. nov., t. I, p. 221. — (3) The memoirs of the archbishops of Dublin, p. 16 et seqq. — (4) Eccles. Hist. of Ireland. cap. XX, § V, t. III, p. 228. — (5) The memoirs, etc., p. 21. — (6) Topographical Diction. of Scotland, v° *Dunblane.* — (7) An inquiry into the History of Scotland, t. II, p. 259 et seqq. — (8) Colganus, Trias Thaumaturga, p. 634, col. 2. — (9) Idem, Act. SS. Hiberniæ, p. 322, n 2. — (10) Acta SS. Hiberniæ, p. 221, col. 1. — (11) Ibid., p. 605, col. 2. — (12) Hist. Æthiopiæ, p. 395. — (13) Lequien, Oriens Christ., t. II, col. 166 et seq. — (14) T. IV Julii, pag. 8.

mero

A *mero eorum, quorum Vita ad varios illustrata fuit dies et qui numero plures sunt quam ut dic indicentur.*

B. Catharinam Columbinam, *consobrinam S. Joannis Columbini, et Jesuatissarum fundatricem, anno* 1307 *die* XX *Octobris mortuam, Fasti Senenses et bene multi alii scriptores titulo* Beatæ *compellant*; sed, *inquit Cuperus* (1), Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ aliique martyrologi de illa non meminerunt. Unde suspicor publicam venerationem huic Catharinæ non exhiberi, eamque die XX Octobris inter prætermissos more nostro collocandam esse. Idcirco hac occasione *(scilicet S. Joannis Columbini institutoris Jesuatarum)* volui præcipua ipsius gesta hic transcribere, cum forte numquam alias in opere nostro de illis mentio sit facienda. *Hæc ille. Neque feliciores fuimus in reperiendis cultus signis, licet plura jam sæcula vix ejus efferatur nomen absque* Beatæ *titulo. Videat itaque lector Commentarium de S. Joanne Columbino, numm.* 142 *et seqq. et Helyot in Historia Ordinum Religiosorum.*

Jacobus, archiepiscopus Leopolitanus,
B Alexander Alensis, doctor Parisinus,
Franciscus a Codonia, apud S. Severini,
Melchior a Benevento, Angelopoli,
Seraphina, Virgo Romæ,
} *titulo* Beati

ornantur ad hanc diem ab Arturo in Martyrologio Franciscano ; verum hæc appellatio non plus valet quam bonæ memoriæ.

Marchio Garzias, Hispanus de Zamora,
Franciscus de Joiosa, in terra Civitatensi,
Agnes et Isabella, filiæ Henrici II, reg. Cast.,
Joanna Merzenichia, Aquisgrani,
} *memorantur*

hodie cum laude ab Hubero in Menologio Franciscano, ubi et plerosque ab Arturo recensitos habes.

Irmendardis, Ludovici regis filiæ, in monasterio insulæ Chiemensis, *iterum memoria prodit apud Bucelinum. Vide quæ de ea dicta sunt inter prætermissos ad diem* XVI Julii.

Diorchildis, V. Benedictina, in agro Meldensi, Seraphina, V. Abbatissa Clarissa, Romæ, et Elisabeth a Deo, V. Cist. in Arouca Portugalliæ *titulo* Beatarum *donantur ad hanc diem in Gynecæo Arturi.*

B. Gasparis Arnoldi, Dinslacensis Menapii, passi
C ab hæreticis anno 1572, *memoriam hodie recolit Gelenius lib.* 4 *de Coloniæ Agrippinensis Magnitudine.*

Ven. Ursulam Benincasa, *Teatinarum monialium fundatricem, in odore sanctitatis anno* 1618 *Neapoli mortuam, jubet Castellanus in Supplemento* (2) *adscribi ad hanc diem in suo Martyrologio ; verumtamen nos eam præterire cogimur, quod nulla cultus ecclesiastici signa deprehendimus : cæterum plures circumferuntur Vitæ et fuse de ea agitur in Teatinorum Historia.*

S. Malchi *festum annuntiatur hodie in Kalendario Ms. Coptico ; verum in universo Synaxario seu Martyrologio Ecclesiæ Alexandrinæ Coptitarum, quod circa annum* 1425 *Michael episcopus Atribæ et Meligæ edidit* (3), *nomen cujusvis* S. Malchi *non occurrit. Unde non videtur Sanctus natione Coptus esse. Vix itaque dubito quin idem sit ac S. Malchus, monachus Maroniæ propre Antiochiam in Syria, de quo cum Martyrologio Romano dicemus ad* XXI Octobris.

Coloniæ passio Sanctarum Virginum Marthæ et Saulæ cum aliis pluribus : *verba sunt Martyrologii Romani ad hanc diem, subjiciente in Annotatis Baronio* de his Usuardum hac die adstipularique vetera Mss. *Quod omnino verum esse deprehendet lector ex Usuardi editione Solleriana. Præsenti etiam die eas celebrant Galesinius, Arturus in Gynecæo et Ferrarius in Nova Topographia ad Martyrologium Romanum* v° Coloniæ. *Verumtamen observandum est hæc nomina venire ad diem sequentem in Kalendario Ecclesiæ Germanicæ Coloniensis sæculi noni, editum ab erudito viro Antonio Josepho Binterim, in quo ad* XXI *Octobris legimus :* S. Hilarionis et scarum XI virg. Ursule Sencie Gregorie Pinose Marthe Saule Britule Satnine Rabacie Saturie Palladie ; *unde patere SS.* Martham *et* Saulam *de Ursulano manipulo esse ; de quo Usuardus non meminit die, ad quam de eo agemus cum ipso etiam Romano Martyrologio,* XXI Octobris. D

In monasterio Toleiensi depositio S. Vandelini *seu Wendelini* abbatis, quondam regis Scotorum filii : *ita Menardus ad hanc diem, comites habens Wionem in Ligno vitæ, Molanum in Auctario ad Usuardum, Ferrarium, Saussayum, Kalendaria Hibernicum et Farfense, quæ penes decessores erant. Dicemus de eo ad diem, quo illustrior ejus cultus est,* XXI Octobris. E

B. Bertholdum, Livonum episcopum, *signat ad hanc diem Gelenius in sacris et piis fastis Coloniæ* (4). *Licet ego vix dubitem quin olim hic secundus Livonum episcopus initia quædam cultus ecclesiastici habuerit, quum vetus chronicum agens de martyribus Ykeskolensibus, hæc quæ singularem in martyres et episcopos observantiam ostendunt tradat* (5) *:* Horum corpora in Ykeskolensi quiescunt ecclesia, atque apposita sunt tumbæ episcoporum Meinhardi et Bertholdi ; quorum primus confessor ; secundus martyr, ut supra dictum est, ab eisdem Livonibus occisus occubuit ; *licet, inquam, valde probabile videatur aliqua cultus initia exstitisse, ut imagines et statuas cum titulo* Sancti, *reliquiarum elevationem supra terram, anathemata et alia similia, quum tamen de his nobis non constet, nondum licet nobis de B.* Bertholdo *agere ; sed siquis nos hæc doceat, libenter et de B.* Bertholdo *et B. Meinhardo et de Livoniensibus martyribus, adeoque de Ecclesiæ hujus originibus dicemus ad diem, quo Bucelinus B.* Bertholdi *nomen profert,* XXI Octobris. F

S. Hilarion,
S. Asterius et
S. Viator
} *veniunt hodie apud Notkerum errore unius diei ; de eis dicemus* XXI Octobris.

SS. MM. Stephani, Pauli, Petri et Andreæ, episcopi, *qui pro defensione SS. Imaginum sub Constantino Copronymo passi sunt, memoriam hodie recolunt Menæa Mss. Bibliothecæ Ambrosianæ, siglis* F. N. 178 *notatæ ; de iisdem agemus ad diem, qua alii Fasti sacri græci et latini eorum laudes celebrant,* XXVIII Novembris.

Romæ martyrium S. Eusebii presbyteri et S. Marcelli diaconi, sub imperatore Valeriano et præfecto Nummio Albino decollatorum, *celebrat in Supplemento suo Castellanus. Nos de iis et eorum sociis dicemus cum Martyrologio Romano ad* II Decembris.

Augustoduni Æduorum relevatio corporis S. Lazari Christo dilecti episcopi et martyris, facta temporibus Ludovici VII, *annuntiatur hodie a Saussayo ; monumenta ad hanc rem pertinentia con-*

(1) Act. SS., t. VII Julii, p. 353. — (2) Pag. 717. — (3) Mai, Scriptt. vett. nov. collect., t. IV, part. II, p. 93. — (4) De Coloniæ Agripp. Magnit., lib. IV, p. 733. — (5) Gruber, Origines Livoniæ, p. 37.

gessit

A *gessit R. D. Faillon* (1) : *quæ vide, donec in opere nostro dicatur de S. Lazaro secundum Mrlgm Romanum ad* XVII Decembris.

S. Walfredi seu Wilfredi, primi abbatis Duellii *(Hohen-Dwiel)* in Germania, *memoriam ad hanc* D *diem consignatam reperimus in adversariis decessorum nostrorum; de eo cum Bucelino dicemus ad* XX Decembris.

(1) Monuments sur l'apostolat de Sainte Marie-Madeleine, etc., t. I, col. 721 et seqq.

DE S. CAPRASIO

EJUSQUE PROBABILITER SOCIIS SS. PRIMO ET FELICIANO MARTYRIBUS AGENNIS, IN AQUITANIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. Sanctorum memoria in fastis, Actorum variorum fides, et passionis synopsis.

B E

ANNO VERISIMILITER 303.

S. Caprasii memoria in omnibus Martyrologiis.

S. Caprasii *passionem et gloriam sub hac die* XX *Octobris omnia Martyrologia classica enuntiant. Usuardus imprimis hæc habet* : In Galliis civitate Agenno, S. Caprasii Martyris, qui, quum rabiem persecutionis declinans lateret in spelunca, tandem animatus ad tolerantiam passionis, ad aream certaminis properavit, et palmam martyrii fortiter dimicando promeruit. *Præiverat Usuardo, elogium amplius texens, Ado :* In Galliis, civitate Agenno, S. Caprasii Martyris. Qui quum rabiem persecutionis declinans, lateret in spelunca, audiens B. Fidem Virginem pro Christo fortiter agonizare, animatus ad tolerantiam passionum, oravit ad Dominum, ut si pro certo eum dignum gloria martyrii judicaret, ex lapide speluncæ illius aqua limpidissima emanaret. Quod quum Dominus continuo præstitisset, ille securus ad aream certaminis properavit, et palmam martyrii fortiter dimicando promeruit. *Eadem fere habet Martyrologium Romanum hodiernum, omissis tamen vocibus* pro certo, *additis autem aliis*, sub Maximiano. *At vero ex Hieronymianis* C *eliminatum vult Florentinius S.* Caprasii *nomen, quocirca illud italicis, ut vulgo dicitur, formis exprimit : sed* Caprasium, *inquit Sollerius in suo Usuardo ad hunc diem, (quocum conferendus est etiam Ado, a Dominico Georgio editus)* certo memorant Hieronymiana, nec est cur adjectitium reputet Florentinius, nisi quod forte in codice Lucensi abfuerit.

vario tamen habetur die.

2 *Licet vero pro sanctitate et cultu S.* Caprasii *unanime habeamus Martyrologiorum testimonium, dissentiunt tamen aliqua in assignanda die, qua ejus celebranda est memoria. Sic Kalendarium Vaticanum, initio sæculi undecimi exaratum* (1), *S.* Caprasium *cum S. Fide conjungit sub die* XI *Octobris his verbis :* Prid. non. Oct. SS. Caprasi et Fidei mar. *Idem habent aliqua Usuardi Auctaria quæ videre licet apud Sollerium sub ista die. Verum longe majores et numero et auctoritate sunt sacri fasti, qui utriusque Sancti martyrium quindecim dierum spatio separant. Conjunctionem autem manasse crediderim ex eo, quod, ut in Usuardo et Adone legi potest, in elogio S. Fidis Agennensis dicatur S.* Caprasius *Virginis* exemplo ad agonem animatus ; *quam quidem annuntiationem aliqui imprudentius contrahentes, utrique Martyri communem passionis diem fecerunt. Et vero Josephus Ghesquiere in Commentario prævio Actis S. Fidis ad diem* VI *Octobris* (2) *recte animadvertit :* Si, ut Actis Surianis insistamus, sub ejusdem diei VI articulo, id est, ut ego exponendum arbitror, si *sub vesperam* S. Caprasius e sua rupe, ubi latitabat, eminus vidit generosum Virginis nostræ pro Christo certamen, eoque ad agonem animatus fuerit, haud facile tantum temporis eo die reperies, ut is iteratas preces fundens cœlestibus visis recreari, fontem e rupe elicere, in urbem se conferre, judici se sistere, ab eo rite interrogari, blanditiis ab eo ad idololatriam allici, minis terreri, a tortoribus laniari, Christi nomen populis prædicare, ex sententia judicis ad delubrum adduci, ad sacrificandum rursus impelli, et litare renuens capiti truncari potuerit. *Hæc videlicet nimium multiplicata sunt, ut una diei particula superstes omnia complectatur. Sed si quindecim dierum intervallum inter utrumque martyrium ponamus, omnia commode et ex ordine fieri possunt.* F *Quocirca natalis S.* Caprasii *die* XX *Octobris reponenda est, cui opinioni favet martyrologorum numerus et auctoritas. Wandelbertus quidem, quum sub sexta die seu pridie nonas Octobris cecinisset de S. Fide* (3) :

Virgo Fides pridie *(nonas Octobris)* hinc felici morte triumphat,

sub die XX *Oct. S.* Caprasium *memorat hoc versiculo :*

Ternum cum deno *(Kalendas Novembris)*, Caprasi martyr, honoras.

Acta præsidialia

3 *Duo porro sunt Actorum genera, quæ S.* Caprasii *gesta referunt; nempe ea, quæ de solo Sancto Martyre, nulla de S. Fide mentione facta, agunt, qualia Ghesquierus de S. Fide exhibuit, in quibus S.* Caprasii *nomen nuspiam occurrit. Horum autem tria exemplaria habemus, nempe unum typis excusum in Appendice ad Novam Bibliothecam Mss. Philippi Labbe, et duo alia manu exarata apographa ex codicibus S. Laurentii Scurialensi et Ecclesiæ Toletanæ, et hæc quidem Labbeano exemplari uberiora. Prima statim fronte sincera videntur, imo*

(1) Martyrol. Adonis, editum a Dom. Georgio, p. 701.—(2) Act. SS., t. III Octobris, p. 269, n. 21. — (3) D'Achery Spicil., t. II, p. 53, edit. Paris 1723.

Actis

J. V. B.

Actis præsidialibus, adeoque fide dignissimis, accensenda apparent: verum accurate inspicienti spuria omnino sunt, quoniam, mutato Martyris nomine et loco, S. Symphoriani Augustodunensis Acta, non solum in omnibus passionis adjunctis, sed et in verbis ad litteram referunt. Cæterum hæc eadem S. Symphoriani Acta jam circumstantiis historiæ et martyrii S. Silvani substrata fuisse olim demonstratum ad diem XVI *Octobris fuit* (1).

perperam a S. Symphoriano derivata sunt;

4 *Nunc autem quod sint una eademque Acta S. Symphoriani et* Caprasii *paucis verbis est ostendendum. Imprimis utriusque martyrium sub Aureliano ponitur in codicibus Scurialensi et Toletano; Labbeanum tamen exemplar S.* Caprasium *passum refert sub Maximiano, et hoc quidem, ut infra videbimus, recte. Dein initio sunt prorsus eadem, nempe:* Sub Aureliano principe, quum adversus Christianum nomen persecutionis diræ procella detonaret et ad delendam religionem catholicæ legis imperii sui decreta converteret, erat tum in Augustodunensi urbe (in urbe Agennensi) Fausti nobilis viri (nobilissimi) filius, nomine Symphorianus (Caprasius) christianæ familiæ, litteris bene instructus et nomine (2). *Quæ uncis inclusimus ex Actis S.* Caprasii *deprompta sunt. Jam mirabile est Symphorianum et* Caprasium *habuisse patres homonymos, sed mirabilius homonymum fuisse tyrannum, Heraclium; tandem portentosum est in utriusque martyrio intervenisse matrem, iisdemplane verbis filium ad mortem fortiter subeundam animantem, ut cæterum nihil dicamus de responsionibus utriusque athletæ pariter iisdem. Quod porro a S.* Caprasio *ad S. Symphorianum traducta non sint hæc Acta, sed e contrario, facile intelligitur; quoniam a S. Gregorio Turonensi Acta S. Symphoriano tribuuntur lib.* I *de Glor. Mart. cap.* LII (3) *et longe celebrior est Sancti Augustodunensis quam Agennensis fama et cultus.* B

alia S. Fidis passioni immixta.

5 *Abjudicanda idcirco sunt Acta Sancto nostro Agennensi perperam attributa; et investigandum nobis est in alterum Actorum genus, quæ frequenter sub die* VI *Octobris, quo S. Fides colitur, apud hagiologos reperiuntur; quamvis autem in Passionis historia referenda hi scriptores de rebus gestis accurâte satis concordent, stylo tamen et additamentis quibusdam quam plurimum discrepant. Nam istius generis Acta octona (de metrica Vita latius postea disseremus) coram habemus: quod si Acta e Grimbergensi codice deprompta et a nobis cum opportunis additionibus edenda, tamquam normam reliquorum adhibeamus, septena, quæ penes nos sunt, huc fere rediguntur. Est enim nobis præter Surium, imprimis Legendarium manu exaratum in pergameno, olim Grimbergensis abbatiæ in Brabantia, quod nullum Sanctum B. Lamberto, an.* 708 *defuncto, juniorem complectitur, ex quo quidem conjectari licet, præluxisse librario exemplar longe antiquissimum. Istud itaque Legendarium simillimum est, quoad Sanctum nostrum spectat, Suriano; ita tamen, ut habeat Prologum, qui deest in Surio, qui vicissim refert historiam translationis, in Grimbergensi codice omissam. Codices Ultrajectinus S. Salvatoris, Rubeæ Vallis, qui citatum prologum et translationem recitat, Trevirensis S. Maximini et Conchensis, pariter translationem exhibent, a Grimbergensi codice distant styli varietate; est tamen facile videre ex locutionum contextu, qui frequenter in unum concurrit, unam communemque omnibus historiam facem prætulisse.* C

quorum varia exemplaria habemus, et ex Mombritio

6 *Sextum, quod coram habemus, Actorum exemplar reperitur in Legendario, typis Coloniensibus anno* 1483 *excuso, majoribus nostris incognito, quamvis biennio post Lovaniensibus formis recuso, de cujus prætio annotata ad diem* XVI *in Commentario prævio S. Eliphii num.* 4 *videre est* (4). *Porro et istud Legendarium eadem facta, mutata phrasi, refert, simulque locutionibus quibusdam suam cum reliquis affinitatem, ut diximus, demonstrat. Septimum ex Bonini Mombritii Sanctuario desumimus: est autem hæc passio reliquis contractior, quin tamen omittat aliqua quibus res gestæ Sanctorum illustrantur. Quapropter, ut lector quampiam sibi martyrii formet historiam, hic subjicimus* (5). Passio sanctorum Fidis virginis et Caprasii Martyris. Passa est etiam sub Daciano sancta Fidis virgo, genere moribusque nobilis in urbe Agenno, ætate adhuc tenera passionis tempore: senex tamen sensu et opere. Nam ab ipsis cunabulis Dominum Jesum dilexit: et a Daciano requisita, se esse Christianam constanter ostendit. Cumque Deos gentium dæmonia esse asserens, nec blandimentis nec minis induci posset, ut eis immolaret, jussu præsidis super cratem æneam divaricatis membris extensa et substratis carbonibus adipeque flammis injecto, dum sic coqueretur, multos ad Christum exemplo suo convertit. D E

synopsin damus.

7 Tunc quoque S. Caprasius, qui præ timore præsidis juxta urbem sub rupis cujusdam foramine jacebat, et cuncta quæ intra murorum ambitus gerebantur, aperte videbat; dum virginem sic torqueri cerneret, oravit Deum, ut eam victricem in certamine faceret. Et rursus prostratus a Domino petiit, ut ei præmium martyrii illius demonstraret. Et vidit protinus, quod columba nivea de cœlo descendit, quæ coronam, auro gemmisque lucentem, super caput Virginis, ornatæ splendidis vestibus, collocavit, et ut circa Virginem Dei virtus clarior appareret, ipsa columba volitatu alarum et rore cœlesti sic ignem extinxit, ut nihil de incendio remaneret. Hoc ergo spiritualibus oculis cernens Caprasius, jam de victoria præsumens, rupem, sub qua manserat, dextera percussit et fons protinus erumpens, meritis sancti Caprasii omnibus infirmis usque nunc remedium salutis impendit. Exsiliens igitur Caprasius ad locum certaminis properavit, et Daciano Christianum se offerens, dum nec blanditiis nec minis flecteretur, tanta jubentis crudelitate laniatus est, ut inter alios circumflentes Primus et Felicianus fratres propter ejus patientiam conversi, cum ipso Caprasio et Fide Virgine plecterentur. Horum passio celebratur pridie nonas Octobres. *Hactenus Sanctuarium Mombritii.* F

Eadem Acta metrice dedit Hildebertus:

8 *Actis adhuc citatis affine est carmen de SS. Fide et* Caprasio, *in schedis Bollandianis Bibliothecæ regiæ sub num.* 8915 *asservatum, et ex codice quodam Bremensi transsumptum. Rosweydi nostri manu adjiciuntur hæc verba:* Videntur esse carmina Hildeberti Cenomanensis episcopi. Vide similia IX (imo II) Aprilis de Maria Ægyptiaca. *Neque ullum aliud mihi occurrit testimonium, quo carmen istud Hildebertianum fætum pronuntiem. Si auctores Historiæ litterariæ Franciæ* (6) *sectemur, poëma Hildeberto abjudicabimus, quoniam versibus, ut vulgo dicitur, leoninis constat, quod genus carminum Cenomanensem non probari ipsi dicunt. Verum esto non probaverit Hildebertus, (neque enim id indagare cogor) certe carminis genere frequentissime ipse usus est, ut liquet ex Vita S. Mariæ Ægyptiacæ, quam primus ex manuscripto codice Anglicano edidit Papebrochius ad diem* II *Aprilis* (7), *et ex Histo-*

(1) Act. SS., t. VII Octob., p. 823 et seq. — (2) Ruinart. Act. sinc. Mart., p. 79. — (3) Cfr Act. SS., t. VII Octob., p. 824, n. 7. — (4) Act. SS., t. VII Octob., p. 800. — (5) Sanctuarium, t. I, fol. 291. — (6) Hist. litt. de la Fr., t. XI, p. 403. — (7) Act. SS., t. I April., p. 83.

ria

A *ria Inventionis S. Crucis, quæ simul cum aliis operibus Hildelberti edidit Antonius Beaugendre, Benedictinus monachus, anno* 1708 (1). *Utrumque poëma versibus fere quadringentis constat : ex hoc igitur capite opinioni Rosweydi præjudicium creari non potest. Quod autem inter opera Hildeberti, cura Ant. Beaugendre edita, non reperiatur, non debet nos magnopere torquere : in confesso enim est, non omnia Hildeberti opera hactenus lucem publicam aspexisse ; sic Casimirus Oudin in opere de Scriptoribus Ecclesiasticis* (2) *varias indicat in Anglia bibliothecas, in quibus frequens Hildebertinorum scriptorum mentio occurrit, quasque ad hunc usque diem inexploratas crediderim* (3). *Gratam igitur curioso lectori futuram spero poëmatis editionem.*

quorum omnium.

9 *Hisce expositis, liberanda venit fides decessoris nostri Josephi Ghesquiere, qui in Commentario suo de S. Fide ad diem* VI *Octobris num.* 7 (4), *promisit hujusmodi Acta severius trutinatum iri ad hanc diem, ubi de S.* Caprasio *agendum occurrit. Animadvertendum imprimis est, scriptorem niti magis traditione orali majorum, quam scriptis monumentis ; etenim in Prologo, quem ex codice Trevirensi, excerpo, hæc leguntur :* Unde ergo pro honore gesto- B rum, ut copia permiserit, pauca de plurimis verba carpam, illa utique fide et devotione, qua ad nos martyrii ordo devenit. Nam per succedentium relationem rei gestæ memoriam nondum intercepit oblivio. *Quibus verbis manifestum meo judicio fit, digerendam historiam non tam scriptis coævisque monumentis, quam hominum sibi succedentium testimonio, fultum iri : ex quo et illud consequitur, passionis quasi particulæ seu singularia facta, ut sunt visiones, portenta et his similia, non tanta niti auctoritate, quanta fruerentur, si ab auctore oculato litteris consignata fuissent : consuevit enim non raro historia, per os vulgi traducta et conservata, factis quibusdam prodigiosis ditescere et illustrari. Et certe in eo errabat Agennensis traditio, quod uno eodemque die SS. Fidem et* Caprasium *martyrii palmam consecutos affirmaret ; nam Martyrologia num.* 1 *et* 2 *citata intervallum inter utriusque passionem ponunt, et ipsa narrationis series id omnino exigere videtur.*

sinceritas ostenditur;

10 *Quæ hactenus dixi, nolim tamen ut quis sic interpretetur, quasi rejiciendas censerem omnes has martyriorum narrationes, quoties in iisdem visiones et portenta referuntur; ex hac quidem ratione Acta* C *nostra suspecta habent scriptores Historiæ litterariæ Franciæ* (5). *Sed ut Ghesquierus recte animadvertit in Actis Martyrum, omnium judicio sinceris* (6), *istiusmodi prodigia frequenter occurrunt, ut liquet ex Actis SS. Ignatii, Polycarpi, Perpetuæ, Felicitati et Cypriani, apud Ruinartium* (7) *quæ nemo propter istiusmodi facta prodigiosa sibi rejicienda esse censuit* (8). *Et quidem merito : aut enim deneganda est Deo omnipotenti potestas faciendi miracula, aut si eadem occurrant, pensanda est testium auctoritas et sinceritas, quin propter miraculi narrationem, scriptum sine ulteriori investigatione rejiciatur. Non est porro quod longius excurram in discutiendis difficultatibus, quas scriptores Historiæ litterariæ Franciæ accumularunt, eadem enim absolute et solide Ghesquierus l. c. resolvit. Ita ut, si certior nobis constaret traditio, non dubitaremus similia portenta admittere.*

simulque in tempus passionis,

11 *Quoad tempus martyrii S.* Caprasii *spectat, jam diximus num.* 2 *non videri eumdem una cum S. Fide eodem die passum fuisse : quoniam tamen juxta certissima classicorum Martyrologorum testimonia Sancti nostri Acta rebus gestis Beatæ Virginis Agennensis implicata sunt, id omnino tenendum est utrumque Sanctum subiisse eodem anno martyrium. S. Fidis porro passionem signat Ghesquierus in ejusdem Virginis Commentario circa annum Christi* 287 (9). *Ast Baronius in suis Annalibus ecclesiasticis sub annum* 303, § CXXIV *certamen S. Virginis et S.* Caprasii *reposuit, et quidem insinuat illos id subiisse præside Rictio Varo. Verum in omnibus ex iis pluribus, quæ supra enumeravimus et coram habemus, Rictii Vari nomen nuspiam apparet ; sed, si rejecta a nobis supra num.* 3 *Acta, in quibus Heraclius aut Eraclius occurrit, excipias, constanter Dacianus aut Datianus (varie enim scribitur) tamquam præses et incentor tormentorum et mortis signatur. Crediderim facile, quoniam de Martyribus Gallis agebatur, e sua penu Baronium, virum cætera eruditissimum et accuratissimum, deprompsisse Rictium Varum, nisi quis dicere malit Daciani nomen imprudenter excidisse.*

quod ad annum Christi 303

12 *Est autem altera opinio multo magis recepta, qua S. Fides, adeoque S.* Caprasius *passi dicuntur potius in finem vergente tertio, quam ineunte quarto* E *sæculo. Ad hanc enim firmandam sententiam invocatur auctoritas Lactantii coævi dicentis lib. de Mortibus persecutorum cap.* XX (10). Constantius (Chlorus), ne dissentire a majorum præceptis videretur, conventicula, id est parietes, qui restitui poterant, dirui passus est ; verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit. *Et paulo infra cap.* XVI : Vastabatur, *inquit*, universa terra, et præter Gallias, ab oriente usque ad occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant. *Non itaque probanda videtur martyrii epocha, initio sæculi quarti illigata ; quoniam Constantius anno Christi* 292 *cæsar factus, Galliarum provincias sortitus est, adeoque, nisi adsint rationes historiæ innixæ, ante istum annum* 292 *passio SS. Fidis et* Caprasii *ponenda est. Et sane stringeret argumentum validissime, si, Constantio Chloro sive cæsare sive augusto, nulla fuissent in Galliis martyria. Verum nemo constanter id asseruerit : nam Eusebius, longius progressus quam Lactantius supra citatus, quum dixisset* (11). *Constantium* nec ecclesiarum ædes subvertisse, nec quidquam adversus christianos esse molitum, *fatetur tamen duobus prioribus persecutionis annis aliquid funesti christianis accidisse.* F

potest.

13 *En Eusebii verba ex Actis Martyrum Palæstinæ deprompta* (12) : Nam quæ ulterius sitæ sunt regiones, Italia videlicet tota et Sicilia, Gallia quoque et quæcumque ad occasum solis porriguntur, Hispania, Mauritania et Africa, quum vix duobus primis persecutionis annis integris furorem belli *(adversus christianos)* expertæ essent, divini numinis præsentissimum auxilium et pacem brevi sunt consecutæ ; Dei scilicet providentia simplicitati illorum hominum et fidei prospiciente. *Incepit autem ista annorum series ab anno decimo nono imperii Diocletiani, cujus edictum mense Xanthico seu Aprili,* quum salutariis passionis dies, *cum* XVI *Aprilis hoc anno concurrens,* immineret *in Palæstina promulgatum fuit : eodem circiter mense et in Gallias imperatorum decretum pervenire debuit, adeoque reliquo anno* 303 *et* 304 *fere integro perduravit persecutio. Quocirca omnino probandum censeo Baronium ad*

(1) Hildeb. Oper., col 1253. — (2) Oudin. D. Script. Eccl., t. II, p. 995. — (3) Cfr Biogr. univ. t. XX, p. 279. — (4) Act. SS., t. III Oct., p. 265. — (5) Hist. litt. de la Fr., t. III, p. 273. — (6) Act. SS., t. III Oct., p. 265, n. 7. — (7) Act. sinc. Mart., p. 22, 40, 94, 211. — (8) Cfr Honoré de Sainte Marie. De l'Usage de la Crit., t. II, p. 24. — (9) Act. SS., t. III Oct., p. 270, n. 24. — (10) Lactant Oper., t. II, p. 202. Edit. Paris 1748. — (11) Lib. VIII, cap. XIII. Edit. Cantabr., p. 396. — (12) Ibid., p. 437.

J. V. H. *an.* 304 § XXIII *dicentem :* Constantio occidentale imperium moderante, haud statim nec penitus persecutio indicta cessavit, sed paulo remissior fuit : non enim ipse videri voluit edictis imperatorum adhuc viventium adversari. At licet pro christianis a Constantio nullum datum rescriptum esset (si quid enim ab eo in gratiam ipsorum statutum fuisset, Eusebius minime tacuisset) cœpta tamen semel persecutio paulatim penitus conquievit. *Limitanda igitur sunt Eusebii, Lactantii, aliorumque dicta, neque absolute sunt accipienda : nam plusculum etiam laudis et adulationis miscebatur, cum de satore imperatoriæ familiæ sermo incideret.*

imo si S. Adoni standum est

14 *Hactenus monstravimus S.* Caprasii *passionem sine læsione historicæ veritatis prorogari posse in annum Christi* 303 *: sed reipsa an proroganda sit, definiendo non sumus. Attamen prætereundum non est S. Adonis in suo Breviario Chronicorum testimonium* (1) : Decimo octavo, *inquit*, anno Diocletiani, ipse in Oriente, Maximinianus Herculis in Occidente vastari ecclesias, affligi interficique christianos præcipiunt, adustis divinis libris. Hac tempestate martyrium sanctorum Thebæorum, Mauritii sociorumque ejus sexies mille sexcentorum sexaginta sex impletur. Passio quoque Victoris et Ursi apud Castrum Solodorum, passio quoque beatæ Fidis et sociorum ejus apud urbem Agennum, quæ postea Conchis translata est : Martyrum etiam Gereonis sociorumque ejus trecentorum viginti octo apud Agrippinam Coloniam ; hæc persecutio ita crudelis et crebra flagrabat, ut intra unum mensem decies et octies millia Martyrum pro Christo passi inveniantur. Nam et Oceani limbum transgressa, Albanum, Aaron et Julium Britanniæ cum aliis pluribus viris ac fœminis felici cruore damnavit. Tunc temporis passus est et Pamphilus presbyter, cujus vitam Eusebius, Cæsariensis episcopus, tribus libris comprehendit. Secundo autem persecutionis anno, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Herculius Mediolani purpuram deposuerunt. Attamen cœpta semel persecutio usque ad septimum Constantini * imperatoris annum fervere non cessavit. Constantinus decimo sexto imperii anno, vir summæ mansuetudinis et civilitatis, Eboraci in Britannia diem obiit. Tertio anno persecutionis, quo et Constantius obiit, Maximinus et Severus a Valerio Maximiano cæsares facti sunt. E quibus Maximianus maleficia et stupra sua christianorum persecutionibus accumulat. Passus est ea tempestate Petrus Alexandriæ episcopus, a quo Arius presbyter primo damnatus est : passi sunt cum eo plures Ægypti episcopi.

B

* id est: Constantii

C

debet revocari,

15 *Totam narrationis Adonianæ seriem exponere oportuit, ut rite constet Adonem voluisse rerum gestarum chronotaxin adornare. Quin autem operose indagemus in diversitate epochæ, quam Eusebius, ut supra num.* 13 *vidimus, cum anno* XIX, *Ado cum* XVIII *Diocletiani conjungit, id certum monstrat Pagius Crit. in Baronium ad an.* 302 § V *persecutionem incepisse* VII *Kal. Martii* (XXIII *Februarii) anni* 303, *quo Diocletianus octavum, Maximianus septimum consulatum gessere, ut diserte scribit Lactantius cap.* XII *et* XIII *de Mortibus persecutorum* (2). *Habemus itaque in Adone testem, qui sine ambagibus reponit martyrium S. Fidis Agenni, adeoque S.* Caprasii *in annum primum persecutionis, proindeque in annum Christi* 303. *Fateor equidem Adonem esse sæculi noni scriptorem, nec ejus auctoritatem esse in factis adeo remotis omni exceptione majorem; sed verisimiliter habuerit coram Ado documenta, quæ nos latent, et certiorem epocham variis Martyribus assignant. Quapropter probabilis mihi est sententia Baronii, passionem Sanctorum nostrorum anno* 303 *illigantis : quia tamen non undequæque certa est, idcirco in capite hujus Commentarii scripsi verisimiliter anno* 303 *passos esse Sanctos Martyres.* D

inquiritur

16 *Nam extra omnem errorem non sunt Adonis verba. Monstrat imprimis Pagius ex Lactantio ad an.* 304 § VI *Kalendis Maii* 305 *Diocletianum et Maximianum purpuram deposuisse; sed veniale est erratum, quum Ado Eusebium sectatus fuerit dicentem* (3) : Secundo anno persecutionis Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt : *ita ut Ado Eusebium hic pure exscripserit. Sed alterum est sphalma minus sanabile. Etenim videtur ad annum persecutionis primum, Christi* 303 *referre martyrium S. Pamphili presbyteri, quod Eusebius lib. de Martyribus Palæstinæ cap.* VII *et seqq.* (4) *anno persecutionis septimo, Christi* 309 *adscribit. Similiter passio S. Petri, Alexandrini episcopi ex Eusebii Chronico* (5) *ad annum* 311 *pertinet, quoniam* nono, *ait*, persecutionis anno gloriose martyrium perpetravit : *ast Ado certamen S. Petri sub anno tertio persecutionis ordinat. Hæc quidem aliquatenus infringunt Adonianam martyriorum chronotaxin; proindeque ejus auctoritatem aliquousque concutiunt; sed est, quod respondeatur, scilicet tum Pamphili tum Petri martyria, in remotioribus orbis partibus consummata, potuisse (quantum ad tempus attinet) ignorari, non vero passiones Sanctorum indigetum, quorum notitiam et ampliorem et accurationem habere coram Ado potuit. Hæc faciunt, ut donec meliora edocti fuerimus, S.* Caprasii *passionis tempus ad annum Christi* 303 *verisimiliter reponamus.* E

§ II. De sociis S. Caprasii Primo et Feliciano, de ejus episcopatu et monumentis variis in ejus honorem.

S. Caprasii socii fuisse videntur

P*romiserant nostri decessores ad diem* VI *Octobris in Commentario prævio Actorum S. Fidis num.* 23 (6), *ad diem hodiernum* rursus discutiendam esse *quæstionem, utrum SS.* Primus *et* Felicianus, *qui socii passionis SS. Fidis et* Caprasii *feruntur, iidem non sint, quos die* IX *Junii colit Romana Ecclesia tamquam Martyres sibi proprios. Verumtamen unam legem promissioni apposuit Ghesquierus, nempe ut* ante hunc diem (XX *Octobris)* suppeditarentur documenta, quibus et de natali die S. Caprasii, deque Primo et Feliciano Aginnensibus, ut quidam volunt, Martyribus, undequaque tandem se veritas manifestet. *Verum documentum nullum nacti sumus, quo rem magis dilucidemus. Jam porro supra egimus de natali die S.* Caprasii, *ut id hic repetere non debeamus. Quod vero attinet Aginnensem palæstram SS.* Primi *et* Feliciani, *primus hanc quæstionem movisse videtur Papebrochius noster, agens de homonymis Romanis ad diem* IX *Junii num.* 6 (7). *Suam autem conjecturam fundat in eo, quod id etiam in aliis Martyribus acciderit; sed nemo non videt quam labile sit istiusmodi argumentum, quod aliud adminiculum non habet, quam meram possibilitatem. Fortius stringit silentium Martyrologorum classicorum, quibus Ado sat prolixe martyrium* Caprasii *nostri describit, quin ullum verbum* F

de

(1) Biblioth. Max. Patt., t. XVI, p. 792. — (2) Oper., t. II, p. 198 et seq. — (3) Mai. Scripit. Vet. Nov. Collect., t. VIII, p. 397. — (4) P. 419 et seqq. Edit. Valesii Cantabrig 1720. — (5) Mai. Nov., Coll. 398. — (6) Act. SS., t. III Octob., p. 270. — (7) Ibid., t. II Junii, p. 150.

A *de sociis ejus proferat. Sed fatentibus omnibus, Acta edenda antiquiora sunt Martyrologiis prolixis, adeoque horum silentium abunde elogio, Actis inserto, compensatur.*

SS. Primus et Felicianus.

18 *Distinctionem inter Martyres homonymos apertiorem faciunt, quæ adfert Ghesquierus loco jam citato: nempe sub annum* 648 *primum revelata fuere corpora Sanctorum Martyrum Romanorum, ut Anastasius bibliothecarius in Vita Theodori Papæ manifeste innuit* (1) : *atque ex adverso in Actis a nobis edendis, judicio scriptorum Franciæ litterariæ post medium sæcul.* VI *conscriptis* (2), *de* Primo et Feliciano, *ut Agenni aliquando passis sepultisque, expressa mentio fit, unde satis probabile est Aginnenses Martyres diversos esse a Romanis homonymis. Huic diversitati etiam favet, quod Martyrum Romanorum corpora anno* 846 *adhuc Romæ exsisterent* (3) *quando certo certius jam conscripta erat Aginnensium passio, cujus exemplar vidisse se* 900 *annis antiquius testatur Ruinartius* (4). *Hæc omnia faciunt tum ut SS.* Primum *et* Felicianum *palæstræ Aginnensi adscribam, tum ut eosdem S.* Caprasio *socios adjungam magis quam S. Fidi, quia exemplo nostri athletæ animati leguntur ad cer-*B *tamen subeundum, quod cum S.* Caprasio *consummarunt. Quam in rem etiam facit lectio ex Ms. Rubeæ Vallis deprompta, in qua omisso S Fidis nomine, Primus et Felicianus exemplo unius* Caprasii *animati et cum eo martyrii coronam adepti dicuntur. Sic enim habet codex Rubeæ Vallis :* Cujus constantiam nulla injuria vituperandam nulloque excogitatorum argumento cruciatuum reprimendam duo fratres nomine et merito Primus et Felicianus admirantes tam fide quam et opere continuo se huic operi associavere et agonis mortisque periculo se alacriter injecerunt, quos omnes ad jugulum mortis una conspiratione consertos..... quum nulla vi possent compelli ad sacrificandum una cum S. Caprasio cæsi ferro unius diei hora cum triumpho martyrii ad coronam gloriæ simul feliciter pervenire meruerunt. *Animadvertendum quoque est diem proprium martyrii S. Fidis nempe* II *Nonas Octobris, omnino eliminatum esse.*

Negarunt neocritici episcopatum S. Caprasii

19 *Nunc autem attingenda nobis est quæstio momentosior, non sine acrimonia olim ventilata, utrum nempe S.* Caprasius *Aginnensis fuerit episcopus. Benedictini auctores Galliæ Christianæ* (5) *dum* C S. Caprasium *primum Aginnensem episcopum recensent, profitentur* se morem gerere traditioni hodiernæ, quam *(Aginnenses)* contendunt esse perpetuam inter populares. *Principium impugnandæ traditionis, certe antiquissimæ, dedit controversia exorta inter episcopum capitulumque cathedrale et collegiatæ ecclesiæ S.* Caprasii *canonicos circa initium sæculi* XVII : *istis enim sæculis, propter inferiorum ecclesiarum jurisdictionem, exemptionem et privilegia crebræ erant lites, quæ magnis animorum motibus quandoque agitabantur: quod et Agenni accidit. Nam canonicus theologalis scriptum in lucem dedit, quo episcopalem dignitatem S.* Caprasii *denegabat. Istiusmodi opinio, subito confutata, collegiales canonicos pupugit et scandalum in populo generavit; nihilominus Aginnensis episcopus Claudius de Gelas (qui sedem tenuit ab an.* 1609 *ad* 1630) (6) *expuncto episcopi titulo jusserat ut, deinceps S.* Caprasius *simpliciter ut Martyr coleretur. Sed antiquæ traditionis propugnatores per viam appellationis mandatum episcopale ad archiepiscopum Burdegalensem detulerunt. Erat is Franciscus d'Escoubleau, cardinalis de Sourdis, vir pius et animi imperterriti. Consules quoque Aginnensis civitatis quæstioni intercesserunt, quoniam, aiebant, nisi mandatum episcopale reformaretur, rem ad seditionem spectare.* I. V. H.

ex argumentis mere negativis.

20 *Igitur Cardinalis de Sourdis die* XXXI *Julii* 1623 *mandavit S.* Caprasii *festum more antiquo tamquam de Martyre Pontifice esse celebrandum, quod deinceps sancte custoditum fuit usque in hodiernam diem. Quamquam autem liturgica, si ita loqui fas est, tali rationi composita fuerit controversia : sententiæ latæ non acquievere eruditi, apud quos ventilatur anceps quæstio. Enimvero Tillemontius* (7), *scriptores Historiæ Litterariæ Franciæ* (8) *eamdem denuo moverunt, quam tamen Adrian. Baillet ad* VI *Octobris dedignari se professus est : imo circa finem sæc.* XVIII *canonicus ipsius collegiatæ ecclesiæ S.* Caprasii *novis curis repetiit argumenta jam ab aliis prolata : quorum hæc est summa ex manuscripto adhucdum Agenni conservato, a R. D. A. David canonico ejusdem ecclesiæ fideliter deprompta. Imprimis Acta S. Fidis, quibus martyrium S.* Caprasii *intextum est, dignitatis episcopalis nullam faciunt mentionem, quinimo aperte enunciant illum juve-* E *nem fuisse,* video, *ait Dacianus,* te decorum juvenem, *quæ verba neutiquam quadrant cum ætate ad episcopatum requisita. Dein S. Gregorius agens de basilica Agenni ædificata, Sanctum, omisso episcopi titulo, simpliciter Martyrem appellat. Tandem antiquum Breviarium Ms. ecclesiæ cathedralis et Martyrologium ipsius collegiatæ Sancto nostro solum Martyris titulum adscribunt et episcopi nomen sæculo* XIV *primum obtinuit.*

nempe silentio Actorum,

21 *Hæc quidem argumenta, si verba Daciani excipias, plane negativa sunt : quanti autem valeat negativum argumentum, quo frequentissime usi et abusi sunt neocritici, monstrat Honoratus a S. Maria in suo libro de regulis et usu critices Dissert.* III *art.* II (9) : *nempe istiusmodi argumentum plerumque esse labile, præsertim quando traditioni perpetuæ contradicit. Enimvero unum ex auctorum silentio elicere est, videlicet factum historicum non esse tam certum, quasi directis coævisque monumentis niteretur, adeoque aliqua obscuritate obnubilari : ast constantem ecclesiæ aut gentis alicujus traditionem argumento negativo convelli posse plane negamus. Nihilominus nativum allegatarum rationum pretium accuratius trutinemur. In Actis scilicet* F *S. Fidis altum est silentium de episcopatu S.* Caprasii. *Equidem censerem aliquid ponderis habere istam rationem, si distincta nobis essent Acta Sancti nostri, qualia feruntur illa, quæ in Appendice ad tomum* II *Bibliothecæ Philippi Labbe leguntur ; in iis enim pronum est indicare qualitatem et conditionem ejus, de quo narratio texenda est, quamquam et id suas patiatur exceptiones, ut infra monstrabimus. Verum neque ista defensione in præsenti causa indigemus, quoniam supra num.* 3 *monstravimus ista Acta S.* Caprasio *tributa derivata esse ex Actis S. Symphoriani.*

quod refutatur;

22 *Et vero Actorum silentium non nocere opinioni de episcopatu S.* Caprasii, *manifeste liquet ex similibus omissionibus in Actis Martyrum, omnium confessione sinceris. Exempla sunto ex libro Theodorici Ruinart deprompta. Primus nobis occurrit S. Achatius Martyr, in cujus Actis* (10) *nulla episcopalis dignitatis aut cujusvis ecclesiastici Ordinis ab*

(1) Anastas. Bibl. Vitæ Pont., t. IV, p. 43. Edit. Blanchin. — (2) Hist. de la Fr. lit., t. III, p. 293. — (3) Act. SS., t. II Jun., p. 150, n. 4. — (4) Acta Sinc. Mart. Præf., p. LXVII. — (5) Gall. Christ., t. II, col. 892 et seq. — (6) Ibid., col. 932. — (7) Mém. pour servir à l'hist. eccl., t. IV, p. 753. — (8) Hist. de la litt. Fr., t. III, p. 293. — (9) Réflex. sur les règles et l'usage de la crit., t. I, p. 255. — (10) Act. Sinc. Mart., p. 152.

eo

J. V. H.

eo suscepti mentio fit. Attamen Bollandus ad diem XXXI *Martii eum vocat* episcopum Mitylenum in Armenia (1); *episcopi titulum, licet diversi aut incerti loci pariter tribuunt Tillemont De Persecut. Decii art.* XXIV (2), *Fleury Historiæ eccles. lib.* VI (3), *Ceillier cap.* XXXV (4), *sic et in passione S. Eupli* (5) *in tota questione neque judex aliquid interrogat de ejus in Ecclesia conditione, aut Martyr quidpiam de suo diaconatu insinuat, contentus se repetitis vicibus Christianum profiteri. Verum quidem est in præfatione Actorum scribi diaconum S. Euplum, propterea que dixi num. præc. silentium in Actis distinctis aliquantulum ponderis habiturum, quamquam et id martyrio S. Achatii elidatur; sed in passione S.* Caprasii, *agebatur primario de S. Fide neque dignitas socii erat exprimenda. Tertium tandem exemplum pono S. Patricium, quem Mazochius Prusæ in Bithynia episcopum et anno Christi* 101 *passum ponit. Nullum omnino in ejus Actis de episcopatu verbum fit, propterea tamen nec ipse Ruinart* (6) *S. Patricio episcopi titulum denegavit. Cæterum S. Patricii Prusensis Acta sat præpropere ad diem* XXVII *Aprilis exhibita* (7), *accuratissime et eruditissime illustravit laudatus Mazo-* B *chius in Kalendario veteri Neapolitano* (8) *ad diem* XIX *maii. Quæ adhuc diximus, sufficere videntur ad ostendendum nihil detrimenti accipere episcopatum S.* Caprasii *ex silentio Actorum.*

allatis variis exemplis

23 *Objicitur præterea episcopatui S.* Caprasii *silentium Martyrologium, quæ eumdem simpliciter Martyrem dicunt. Et id quidem argumentum est negativum, quod nihil, ut habet adagium, probat, quia nimis probat. Etenim vetus Martyrologium Romanum, quod passim parvum audit, in S. Hilario Pictaviensi Idibus Januarii episcopi titulum omittit: numquid ex istiusmodi omissione arguere licet, ignoratam per aliquot sæcula mansisse S. Hilarii qualitatem? aut Adonem, qui sua plerumque ex Romano Parvo mutuatus est, suo marte cathedram S. Hilario construxisse? Nemo certe tam absurdus fuerit: ast simul fateatur necesse est, silentium ex sese nihil præjudicare. Alterum exemplum nobis suppeditat S. Lucianus, Bellovacensis Martyr, sexto Idus Januarii, cujus elogium paucis complectitur Ado his verbis:* Belvaci, SS. Luciani et Messiani. *Ast Usuardus et alterum socium addit Julianum, et Lucianum presbyterum vocat, qua in re Usuardum presse sequitur Martyrologium Romanum hodier-* C *num. Licet porro S. Lucianus et hinc martyr et inde presbyter appellatur, nihilominus ecclesia Bellovacensis Lucianum suum colit, ut primum suæ sedis episcopum, quam opinionem, donec certiora ex monumentis doceatur, amplectitur Gallia Christiana* (9). *Addit Alb. Butler in synopsi historica de S. Martyre, pleraque Kalendaria, sæculo* XVI *antiquiora, sola Martyris appellatione eumdem signare, unde, ait, verisimile est fuisse presbyterum, non vero episcopum. Non vacat nobis prolixius hanc consecutionem impugnare; sed certe mirum videbitur istis sæculis presbyterum ad fundandam ecclesiam deputari.*

aliorum Sanctorum;

24 *Neque magis morari nos debet allegatum a quibusdam Gregorii Turonensis testimonium, qui lib.* VI *Hist. cap.* XII (10) *dicit Regnovaldi ducis uxorem* basilicam sancti Martyris Caprasii expetiisse. *Nam paulo infra legitur eadem* in basilica sancti Saturnini *Tholosæ* ingressa resedisse, *quin propterea ex Gregorii auctoritate S. Antistiti Tholosano et Martyris et episcopi dignitas denegandasit.* D *Consuevimus autem ecclesias uno nudoque Sancti, cujus titulum gerit, nomine designare. Sed, aiunt, ipsi Agennenses olim sanctum suum* Caprasium *simpliciter* pretiosum martyrem *vocant in antiquo Breviario. Id fatemur; sed dum hoc encomio ornant Aginnenses patronum suum, simul eumdem exhibent diaconatus ordinem S. Vincentio conferentem. Non est hujus loci curiosius inquirere, utrum vere S. Vincentius a S.* Caprasio *ordinatus fuerit; sufficit enim factum ordinationis, ut loculi nem* pretiosus martyr *quam commodissime explicemus* (11). *Canonicus Sancaprasianus Lebenazie, dum patroni sui episcopatum vindicat, aliam removet difficultatem, nempe* Caprasium *episcopum non fuisse, quia persecutionem fugit. Sed hæc copiose et rationum pondere et suo exemplo ante nos refutarunt S. Cyprianus epist.* II, LVI *et libro de Lapsis* (12) *ac Athanasius Magnus in Apologia pro fuga sua* (13): *habemus quoque, ut videre est in Breviario Romano ad* III *Februarii, S. Blasium, Sebastenum episcopum, qui fugiens a satellitibus deprehenditur et mortem fortiter subit; S. Maximum, Nolanum episcopum, qui in solitudine erravit fame pene consumptus, pluresque alios. Itaque neque ex hoc capite fides aliqua adver-* E *sariis conciliari potest.*

et ex juvenili ætate.

25 *Quæ porro circa ætatem movetur difficultas, quasi S.* Caprasii *juventus impedierit, quominus episcopatum adipisci potuerit, commode tollitur. Nam primis ecclesiæ sæculis, furente persecutione, valere debebat regula a S. Gelasio episcopis Lucaniæ posita* (14): *Rigorem canonum in ordinationibus clericorum temperari necessitate. Igitur etiamsi monstrari posset sanctum Martyrem fuisse admodum juvenem, nihil contra ejus episcopatum concludi posset. Constitutiones quidem Apostolorum quinquagenariam ætatem in episcopis ordinandis requirunt, sed patiuntur etiam secundum necessitatem temporum et locorum exceptiones* (15). *Nostra autem non refert operosius inquirere ad quem usque annorum numerum juventus prorogari possit, quam Aulus Gellius lib.* X *cap.* XXVIII (16) *usque ad annum ætatis quadragesimum extendit: adversariis sententiæ nostræ satis esto ostendisse, similes locutiones obvias esse in iis Martyrum Actis, quæ omnium judicio sincera sunt. Exstat apud Ruinartium passio S. Irenæi, Sirmiensis episcopi* (17) *quam Bollandus juxta Romanum Martyrologium ad diem* XXV *Martii* F *refert* (18); *hic Probo, præsidi Pannoniæ oblatus,* constanter *respondit se* sacrificaturum per bonam confessionem Deo suo, cui semper sacrificaverat. *Cum vero torqueretur,* parentum omnium luctus erat super eum, domesticorum gemitus, vicinorum ululatus et lamentatio amicorum, qui omnes clamantes ad eum dicebant: Teneræ adolescentiæ tuæ miserere. *Quas familiarium obtestationes et Probus præses inculcabat,* quid dicis? *inquiens,* flectere horum lacrymis ab insania tua, et consulens adolescentiæ tuæ, sacrifica: *quapropter S. Irenæum iterum paulo infra compellat dicens:* Consule tibi, juvenis. *Itaque verba Daciani blanda, quibus S.* Caprasium *ad idolorum cultum allicere satagit, nihil habent, quo opinio de ejus episcopatu infringatur; et episcopo dicere poterat:* Video te decorum juvenem: *numquid et uxor Irenæi episcopi* vultum et ætatem ejus precabatur?

Traditionem Agennensem

26 *Videmus hactenus ex accumulato documento-*

(1) Act. SS., t. III Mart., p. 903. — Mém. pour servir à l'hist. ecclés., t. III, p. 357 et seq.— (3) Hist. Eccles., t. II, p. 181. — (4) Aut. eccles., t. II, p. 560.—(5) Act. Sinc., p. 406.—(6) Ibid., p. 551.—(7) Act. SS., t. III Apr., p. 576. — (8) Comment. in Vet. marmor. Neap. eccl. Kalend., t. II, p. 354 et seq. — (9) Gall. Christ., t. IX, col. 694, — (10) D. Bouquet. Rec., t. II, p. 294.—(11) Cfr quæ habet Henschen. ad diem IX Junii. Act. SS., t. II Jun., p. 164. — (12) Cypr. Oper., p. 26, 195 et 375. Edit Steph. Baluz. Venet., 1728.— (13) Athan. Oper., t. I, p. 320. Edit. Paris 1698. — (14) Labbe, t. IV Conc., col. 1188. — (15) Ibid., t. I, col. 223. — (17) Cfr Forcellini Lexic. vº *Ætas.* — (18) Act. Sinc., p. 402. — (19) Act. SS., t. III Martii, p. 556.

rum

J. V. H.

A *rum silentio nihil certi ad tollendam S.* Caprasio *episcopalem in Aginnensi civitate dignitatem definire posse. Restat, ut Aginnensium traditionem utcumque firmemus: nemo sane a nobis exiget, ut continuata per remotiora sæcula testimonia in medium afferamus: tunc enim non solum elumbe, sed etiam ridiculum esset quorumdam scriptorum aut documentorum silentium opponere directis coævorum assertionibus. Habemus imprimis perpetuam et constantem ipsius Ecclesiæ Aginnensis traditionem, quam nemo ante sæculum, ut vidimus num.* 19, *decimum septimum in dubium revocaverat. Valet in similibus quæstionibus regula, a Mabillonio posita dissertat. de Azymo et Ferment. c.* VIII (1): sufficit, *ait*, ad probandam usitatæ rei antiquitatem refutare argumenta, quæ proponuntur in contrarium. *Et S. Augustinus epist.* LV *(al.* CXIX) *ad Januarium cap.* XVIII (2) *agens de traditionibus ecclesiasticis dicit:* Saluberrima regula retinenda est, ut quæ non sunt contra fidem neque contra bonos mores et habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque institui videmus vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando et imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, B ut amplius detrimentum sit. *Quocirca in epistola quoque præcedenti ad eumdem Januarium scripserat* (3) *cap.* II: Sensi sæpe dolens et gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorumdam fratrum contentiosam obstinationem vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ Sanctæ auctoritate, neque universalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate, ad certum possunt terminum pervenire (tantum quia subest qualiscumque ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem suam, quo remotiorem a suis, eo doctiorem factam, putat) tam litigiosas excitant quæstiones, ut nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment. *Hactenus S. Augustinus, qui quamvis ibidem agat potius de consuetudinibus, per traditionem peculiarium Ecclesiarum receptis, quam de factis historicis, tamen accurate ad rem nostram facere videtur.*

probant, tum Sancaprasianæ basilicæ privilegium,

27 *Quamquam igitur Aginnensibus sufficere possit constans traditio, cujus initium recentius assignare non est; sunt nihilominus vestigia varia, quæ eamdem adminiculant. Imprimis apud Aginnenses a tempore immemoriali, quod ad sæculum usque* XIII C *ascendit, in more positum fuit, ut episcopus sedem suam adiens, prius in collegiata ecclesia S.* Caprasii, *ab ejusdem priore aliove canonico ornamenta pontificalia accipiat.* Id constat, *inquit canonicus Sancaprasianus Labenazie* (4), antiquo titulo illius ecclesiæ scripto ab anno 1246 in quadam membrana, quæ sic incipit: ab antiquis temporibus ita fuit observatum, quod cum reverendus Pater dominus episcopus ingreditur civitatem Aginni in novitate sua debet apud ecclesiam S. Caprasii primo declinare et insignia debet recipere de manu prioris vel alicujus canonici *etc. Annotat porro laudatus canonicus Labenazie, fideles consuevisse primis episcopis cujusque civitatis episcopalis, ecclesias collegiatas Deo sub titulo primi episcopi illarum sedium dedicare. In exemplum autem adducit Narbonam, ubi S. Paulus primus fuit episcopus, Lemovicas, ubi S. Martialis; Tolosam, ubi S. Saturninus. Quibus adjici possunt variæ ecclesiæ in Galliis: sic Ambianensis in memoriam primi sui episcopi habebat collegiatam S. Firmini; Bellovacensis, insigne monasterium S. Luciani, cujus abbas secundus ab episcopo est in omnibus consessibus, imo, ait Gallia Christiana* (5), episcopatum adire nusquam præsumebant electi Bellovacensium antistites, ni prius noctem ante S. Luciani tumbam in excubiis egissent. Inde rapti a clericis cathedræ pontificali imponebantur, ad sacri Martyris pedes sepulturam acceptari. *Bituricis est basilica S. Symphoriani, quæ illatis a S. Germano Parisiensi S. Ursini Reliquiis, primi hujus Biturigum episcopi nomen assumpsit et retinuit* (6). *Eadem ratione Petrocorienses* (7) *et Pictavienses* (8) *suis collegiatis ecclesiis hinc S. Hilarii, inde S. Frontonis gloriantur, quemadmodum, ne longior sermo excurrat, et Santonenses Eutropio, Apostolo suo* (9), *et Metenses suo Clementi* (10), *et Tullenses S. Mansueto primo episcopo* (11) *ecclesias ædificarunt. Quæ quum ita sint, nemo facile negabit et collegiatam ecclesiam et ritus recipiendi pontificalia de manu prioris capituli, aliquod pondus addere receptæ Aginnensium traditioni de episcopatu S.* Caprasii.

tum imagines Agenni.

28 *Aliud ad eamdem opinionem firmandam monumentum profert laudatus canonicus Labenazie. Erat nempe in Alvernia monasterium Ordinis* E *S. Benedicti, Mauzacum seu Mauziacum sub invocatione SS. Petri et* Caprasii *ædificatum. Caprasium hunc Lirinensem martyrem, non vero Agennensem suspicantur Mabillonius in suis Annalibus lib.* XVII *§* XVIII (12) *et Gallia Christiana* (13). *Sed perperam; nam laudatus canonicus, profert legendam Mauzacensem* (14) *in qua habetur, accersitum Caprasium a Daciano et de nomine, genere et patria requisitum;* et ille se religione christianum, ordine sacerdotem, nomine Caprasium respondet. *Quin prolixius in legendam, qua cæterum caremus, inquiramus, satis ex citatis verbis liquet, Mauzacenses existimasse se habere patronum Aginnensem Martyrem, non vero Lerinensem abbatem, qui sæculo tardius vixit et in pace Confessor diem suum obiit. Opinionem autem suam de episcopatu S.* Caprasii *ab Aginnensi traditione mutuatos fuisse Mauzacenses, nemo non videt. Huc etiam tabulæ pictæ et statuæ, quæ Sanctum vestibus pontificalibus indutum exhibent, præsertim si vera narret Labenazie de tribus capitellis ecclesiæ S.* Caprasii, *in quibus historia ministerii et passionis ejusdem exsculpitur* (15). *Etenim in una columna sculptus videtur sermonem habens ad populum, quapropter et in antiquis Breviariis dicitur S.* Caprasius *antiqui dogmatis præco; in altera ordinationem faciens depingitur; in tertia ipsum martyrium exhibetur, ubi conspicitur S.* Caprasius, *indutus linea* F *talari, capite minutus, cujus corpus sustinetur a ministro, pariter induto linea fimbriata ex auro ad brachia, carpum, inferiusque ante et pone. Eodem fere modo capitis abscissionem passus refertur S. Cyprianus in Actis proconsularibus ad diem* XIV *Septembris* (16).

et aliis in locis positæ,

29 *Porro can. Labenazie antiquitatem basilicæ Sancaprasianæ usque ad tempora S. Dulcidii, Aginnensis episcopi, seu saltem usque ad sæculum* VI *retroducit* (17). *Quæ si vera essent, cessaret omnis controversia, quoniam haberemus coram monumentum episcopatus S.* Caprasii, *quod sine ambagibus traditionem ab antiquo confirmaret. Verum ex nuperis ad me datis litteris cononici Aginnensis R. D. David intelligo dictæ basilicæ ultimam manum impositam fuisse anno* 1508 *et in ejusdem tholi*

(1) Ouv. posthumes de Mabill., t. I, p. 154.—(2) Oper., t. II, col. 141. Edit. Paris. 1679. — (3) Ibid., col. 124. — (4) Episcopatus S. Caprisii Vindiciæ, p. 6. — (5) T. IX, col. 779. — (6) Ibid., col. 5. — (7) Ibid., col. 1488. — (8) Ibid., col. 1141. — (9) Gall. Christ., t. II, col. 1093. — (10) Ibid., t. XIII, col. 866. — (11) Ibid., col. 1085.— (12) Ann. Bened., t. I, p. 518. — (13) Gall. Christ., t. II, col. 352. — (14) Vindic., p. 10.— (15) Ibid., p. 3. — (16) Act. SS., t. IV Septemb., p. 333, n. 7. — (17) Vindic), p. 4.

fibula

J. V. H.

fibula insculptam esse imaginem Sancti nostri, ritu pontificali induti. Quamvis autem hodiernus canonicus nullam columnarum faciat mentionem, relata tamen a canonico Labenazie nullo modo in dubium revocari possunt; erant enim notoria et omnium aspectibus objecta, quæ si non exstitissent, fervente præsertim lite, optimam etiam causam pessum dedissent. Quoad vero ætatem basilicæ attinet, id definitu mihi difficile est: occurrit autem mihi imago quædam, frontem ædificii Sancaprasiani exhibens (1): *cujus architectura ad sæculum* XII *aut* XIII *pertinere videtur: hæc quasi divinans dixero, quoniam nihil mihi prælucet, quam imago, forsan minus accurata. Quidquid sit, habendæ tamen sunt hæ sculptæ columnæ tamquam monumenta traditionis antiquæ, quemadmodum et reliquæ imagines sive sculptæ sive pictæ, quæ frequenter reperiuntur in ecclesiis Sancti titulo insignitæ; multa enim sunt templa in diœcesibus Aginnensi et Burdegalensi, ubi* S. Caprasius *est patronus et indutus vestibus pontificalibus repræsentatur* (2). *Similiter in monasterio Longa Villa* (Longueville-la-Gillant) *diœcesis Rotomagensis, congregationis Cluniacensis, cujus ecclesia S. Fidem Agennensem habebat patronam* (3): B *istic videbatur lapis quinque pedum longitudinis et duorum altitudinis; in quo visitur passio S. Fidis in crate ardenti extensæ, pone tortores cernuntur in ore cavernæ tres viri, spectaculum demirantes, quorum medius mitram episcopalem gerit capiti impositam; atqui tres illos viros SS.* Caprasium, Primum et Felicianum *interpretor, unde Aginnensis traditio confirmatur* (4).

ac tandem, præcipuus ejus cultus;

30 *Tandem Aginnensium traditionem confirmare mihi videtur ipsa constructio basilicæ S.* Caprasii *Agennis, non solum propter analogiam cum reliquis Galliarum Ecclesiis num. 27 citatis, sed etiam quia, licet latius diffusus esset S. Fidis cultus, tamen Aginnenses basilicam suam sub titulo S.* Caprasii *dedicatam voluerunt. Verumquidem est varios codices referre, S. Dulcidium basilicam consecrasse sub nomine* Sanctæ Virginis, *quam Surius S. Mariam interpretatur, ut constat ex Nota marginali, Passioni S. Fidis apposita. Crediderim certo hic ipsam S. Fidem designari, quæ frequenter in narrationis serie tali aut simili appellatione designatur. Verum non omnes codices S. Fidem designant: etenim Ultrajectinus S. Salvatoris dicit, S. Dulcidium, episcopatum Aginnensium vix adeptum, se* C *dedisse* ut basilicam pulchram ad recondendum sanctorum Martyrum corpora fabricaret, *nullius specialis Martyris nomine adjecto. Quidquid autem sit, si aliquando S. Fides nomen suum dedit basilicæ, a S. Dulcidio dedicatæ, istum titulum brevi elapso tempore delevit communis Aginnensis populi opinio, quoniam ut supra diximus num. 24 jam anno* 581 *sub solius* Caprasii *nomine nota erat basilica* (5). *Quæ quum ita sint, qui fit, ut Aginnenses, omissa S. Fide, ejusque cultu longe celebriori et latiori, qui et in hodierno pseudo-ecclesiæ Anglicanæ Kalendario notatur* (6), S. Caprasium *prætulerint? nisi quia jam ab antiquissimis temporibus persuasum habebant, hunc Sanctum civitatem suam non solum martyrio sed et pontificatu illustrasse. Quam cultus ac venerationis præeminentiam ostendit etiam usus Aginnensis, in codice Ultrajectino indicatus, ut, licet* passio S. Caprasii annotetur cum passione S. Fidis pridie non. Octobris, quando solius S. Fides celebritas agitur, in translatione tamen utriusque, unius tantum, id est, S. Caprasii memoria festum præstat omnibus fidelibus diem. D *Atque hæc sunt, quæ nobis Aginnensis ecclesiæ traditionem probabilem et venerabilem faciunt, a qua nobis recedendum non censemus, donec monumenta certiora contrarium nos doceant.*

31 *Hæc porro S.* Caprasii *ecclesia, titulo S. Stephani Protomartyris insignita, episcopali gaudet cathedra, antiqua matrice probabiliter circa finem sæculi præterlapsi destructa. Istic asservatur adhuc caput S. Martyris, olim capsæ argenteæ inclusum, quam suam fecere libertatis et fraternitatis, ut sese jactabant, fautores. Ante tamen quam ecclesia sua spoliaretur pretiosa supellectili, parochus, uti vocabatur, constitutionalis, seu schismati Gallicano adhærens (habebat enim ejusdem furfuris episcopum Aginnum, expulso legitimo pastore, Joanne Ludovico de Bonnac, Andream Constant nomine* (7)) *extraxerat sacras Reliquias e suis thecis, easdemque interposito juramento et cum testimonio aurifabri et duorum civium, anno* 1804 *restituit episcopo Aginnensi, Joanni Jacoupy: sinceritatem istarum Reliquiarum suo quoque calculo et authentico instrumento probarunt tum qui fuerat olim collegiatæ ecclesiæ parochus, tum duo canonici Sancaprasiani: antiquiora istis desunt tamen documenta: quamvis,* E *Calvinistis Gallias sæculo* XVI *agitantibus, S.* Caprasii *Reliquias impietati rebellium subtraxerit canonicus aliquis, quæ occupata a Blasio de Montluc Agenni civitate* (8), *pristinæ venerationi magna cum celebritate restitutæ fuerunt.*

qui etiam hodie in ejus basilica, facta cathedrali,

32 *Prope dictam ecclesiam, olim S.* Caprasii, *hodie S. Stephani, est in fundo Xenodochii S. Jacobi sacellum, neque antiquitate sua neque artificio notabile, sed vulgari traditione venerandum, siquidem superpositum est cryptæ, ubi puteus olim erat, cujus orificii vestigia adhuc visuntur: eo loco jacuerunt olim Martyrum corpora, quopropter in antiquis instrumentis* Martyrium, *vulgari lingua* le Martrou *appellatur. Quia tamen quibusdam superstitiosis usibus ansam præbebat apud populares iste puteus, Claudius Joly, Aginnensis episcopus ab an.* 1664 *ad* 1678, *eumdem compleri jussit. Imminet insuper Agenno septemtrionem versus collis, continuata rupe superne coronata, in quo est monasterium, vulgo eremitorium S. Vincentii dictum. Istic olim, ut habent Acta, delituit et palæstram S. Fidis spectavit* S. Caprasius: *spelunca, ubi sancti Martyris latibulum fuit, nunc est ecclesia S. Vincentii, qui fertur* F *S.* Caprasii *fuisse diaconus et postmodum ejus in episcopatu successor. Quoniam vero, ut habet traditio, in memoriam sui antecessoris eamdem rupem incoluit S. Vincentius, nomen suum rupi, in formam oratorii excavatæ, reliquit.*

et in fonte, quem elicuit,

33 *Juxta præfatum sacellum est fons, quem* S. Caprasius *suis precibus elicuit, ut habent Acta edenda num.* 7, *et qui* indeficienter currens salutis remedium virtute Dei cunctis advenientibus præstare non desinit. *Permanet adhuc salutaris aquæ usus, et febricitantibus præsertim medelam præbere dicitur. Asceterium illud ab eremitis quibusdam sæculo præterlapso incolebatur: post cessit, fortunis ecclesiasticis universis fisco addictis, privatis quibusdam: donec obvenit minori seminario Aginnensi, et mansio quorumdam operariorum evangelicorum aliquamdiu facta est. Hodie vero domum et ecclesiam occupant Carmelitæ excalceati, ex Hispania profugi, qui istic studium theologicum pro alumnis Ordinis instituerunt. Colitur etiam hac die S.* Caprasius *in hodierna ecclesia cathedrali Leodiensi S. Pauli,*

perseverat.

(1) Mosaïque du Midi. Quatr. Année, p. 136. — (2) Vindic., p. 5. — (3) Cfr Descript. Géogr. de la Normandie, t. I, p. 560, et Labbe. Bibl. nov., t. 1, p. 326. — (4) Labenazie Vindic. ad calcem. — (5) Bouquet, t. II, p. 274. — (6) Book of Common prayer. — (7) Richard. Biblioth. sacré, t. XXIX, p. 347. — (8) Cfr Comment. de Blaise de Montluc. Mém. pour servir à l'hist. de Fr. Prem. Série, t. VII, p. 239.

A *S. Pauli, ritu, ut vulgo dicitur, duplicis majoris. Cultus vero istiusmodi rationem nobis exhibet hodiernum Proprium Sanctorum Leodiense hisce verbis :* Hujus præclarissimi Martyris veneratio Caprimontanis *(Chèvremont)* apud Eburones olim celeberrima fuit, fano in illius honorem ibidem dedicato : verum arce solotenus per Notgerum antistitem eradicata, is cultum, tanto martyri debitum, ad basilicam sancti Pauli Leodii tum recens erectam, religiose transferendum curavit : cujus rei gestæ memoriam, majorum traditione acceptam, solemni officio et posteri servare nituntur. *Utrum loci nomen,* Caprimons, Caprasio *nostro debeatur, archeologis disquirendum relinquimus. Nihil præter hactenus dicta, de S.* Caprasio *tractandum occurrit : subnectimus S. Martyris Acta duplicia, nempe prosaica, quæ in variis Legendis reperiuntur, quæque cum exemplaribus Labbeano, Ultrajectensi, Trevirensi, Rubeæ Vallis et Coloniensi typis excuso contulimus; et metrica, Hildeberto Cenomanensi, ut num.* 8 *hujus Commentarii diximus, tributa.*

B

PASSIO
SS. FIDIS, CAPRASII, PRIMI ET FELICIANI

Ex codice Ms. Grimbergensi collato cum exemplaribus Labbeano, Trevirensi, Ultrajectino et Rubeæ-Vallis a.

a

Prologus

Magnorum atque inclytorum martyrum Caprasii et Fidis Virginis, dum insignia passionum merita conamur evolvere, inclinat potius sermo, quam ut dignis possit laudibus expediri. De quorum itaque gestis atque virtutibus æmula scilicet christianis cultibus antiqua gentilitas * magis scelerum otiis, quam ullis titulorum monumentis volet ad notitiam hominum aliqua exinde memoria commendari. Ego autem pauca de pluribus, quæ relatione gestorum inveni, stylo titubante, perstrinxi. Nam unde primitus ejus assumam dictionis exordium, quum tantæ beatissimorum Martyrum dignæ memoriæ laudes exsistant? Ut non solum mihi, sed etsi doctorum suppeditaret auctoritas aut prima poetarum pompa succederet, tantæ laudis tramitem nec explere quivissem, imo nec conari *. Nam merita Beati Martyris Caprasii et Sanctæ Virginis Fidei Martyris facilius possunt virtutibus agnosci, quam sagaciter laudibus elici. Sed quia aridioris * ingenii minime facundia præcellimus, excussæ * nos mentis devotio saltem cordis intima animet ad imitationis sacræ incitamentum, exemplique ostensionem, hoc enim si a laudibus Sanctorum, linguæ officio minime famulante, cessamus, voluntate tamen fidei devotionem servemus *. Hanc igitur beatæ passionis causam aggressi, pro onere gestorum, ut copia muneris deitatis permisit, pauca de pluribus quæ carptim in paginis calamo insignita tenentur, ponere curabimus, illa utique fide et devotione, qua ad nos usque martyrii series pervenit. Nam per succedentium relationem rei gestæ memoriam nondum intercepit oblivio *b*. Propterea pro martyribus singulis loca singula, quæ possident, vel singulæ civitates insignes habentur; nec immerito, quia pro domino Jesu Christo animas suas tradiderunt *c*.

C

* T. antiquitas
* T. rimari
* T. ardentioris ingenii infæcunditate procellimur,
* T. devotioni servimus

b

c

2 Sancta igitur Fides *d* Aginnensium civitate orunda fuit et ex parentibus clarissimis splendidissima proles procreata, alumna loci illius in ortu, facta est patrona in passionis obitu *. Nobilis * veterum et generosa stirpe parentum, * facta est Christi munere nobilior, quia stola virginitatis candida induta, fulgens fide * in Domino Jesu Christo odorem bonæ suavitatis protulit. Hæc namque prima in civitate Agennio * *e* decus et exemplum * martyrii cunctis Christi fidelibus fuit * ; vitam namque temporalem perdere non timuit, ut possideret æternam, quia ab ipsis infantiæ cunabulis Dominum Jesum Christum dilexit et suum dixit esse auctorem *. Juvenis quidem tempore passionis erat ætate * sed sensu et opere senex * manebat *. Pulchra erat facie *, sed pulchrior fide, virginitatis quoque candore formosissima, vultusque hilaritate serena. Igitur quum eodem tempore præses sceleratissimus *, nomine Dacianus *f* a profanis Diocletiano seu Maximiano imperatoribus *, qui tunc Romanæ arcis primatum regere videbantur, Agennum * urbem ingrederetur, dolo instigatus diaboli, quatenus sacrilegos * remuneraret, atque Christianus metu ipsius latentibus atrocissimas pœnas inferret, continuo beatissimam Virginem Fidem accersiri jussit et suis aspectibus adduci præcepit.

Auctore anonymo.

S. Fides, nobilis Virgo Aginnensis,

d

* *U.* alumna loci jure moriendi *T.* jure oriendi
* *R addit* deniquo *C. T.* quoque
* *R addit* sed
* *L.* fidei
* *R.* Agenno

e

* *R. add.* magni
* *U* magnum
* *Deest tota phrasis in L.*
* *R. omittit ultimum membrum.*
* *T.* fuisse dicitur
* *R.* matura
* *T.* senilis apparuit
* *L. R.* mente

f

* *Deest in L.* sceleratissimus
* *L. add* directus
* *R.* beneficiis dotaret

3 At illa se sponte ministris offerens, corpusque suum undique * signo sanctæ Crucis muniens, ad Dominum * orabat dicens : Domine Jesu Christe qui tuos in omnibus tueris * et adjuvas, adesto mihi famulæ tuæ, et præbe ori meo sermonem acceptabilem, quem * in conspectu tyranni hujus respondeam *. Et armata sanctæ Crucis vexillo *, fronte, ore, pectoreque Sancto roborata Spiritu, hilari animo perrexit. Quum autem adstaret coram præside, blando sermone ait ad eam : Quod est vocabulum nominis tuæ ? Cui consequenter S. Fides, nullo metu perterrita, respondit : Fides nomine et opere vocor *. Præses dixit : Quis cultus inquit, religionis ac fidei tuæ? Ad hæc Virgo sancta respondit : Ab exordio juventutis christiana sum, Domino Jesu Christo tota mentis devotione * deservio, illiusque nomen confiteor et illi me tota intentione * committo. Præses vero, callidissima simulata tranquillitate, paulo indulgentius respondit : Accipe, inquit, o juvenis puella *, consilium, pulchritudini et juventuti tuæ necessarium, et cessa ab hac confessione, et sacratissimæ Dianæ sacrifica, quia ipsa est sexui vestro * *g* consimilis, et te muneribus multis faciam ditiorem *. Quam promissionem Christi Virgo quasi nihilum deputans, ita respondit : A patrum traditionibus cognovi, quia omnes dii gentium dæmonia sunt *h* * et tu mihi blanditiis persuadere vis, ut ego eis sacrificare debeam ?

ad tribunal Daciani sistitur.

* *Deest in R.* undique
* *add. R.* Deum
* *Deest in L. R. T.* tueris
* *T* quo
* *R.* proferam
* *T.* secuto inexpugnabili
* *T.* Fides vocor. præses
* *L.* intentione
* *L.* devotione
* *L.* juvencula

F

* *R.* tuo

g

* *L.* et multis se ditabo muneribus

h

* *Deest in L.* sunt

4 Præses vero ira commotus, ait ad eam : Ut quid deos nostros dæmonia esse dicere præsumpsisti ! Aut prostrato, inquit *, corpore, sacrifica ; aut diversis te faciam interire tormentis. Tunc sancta Fides secura de præmio *, exemplis magnorum Martyrum roborata, has audiens minas, desideransque a terrena vita ad supremam migrare gloriam, in hac vociferatione prorupit dicens : Ego enim pro nomine Dei * mei Jesu Christi non solum pati diversa sum parata tormenta, sed et mortem in ejus confessione subire desidero. Tunc præses magis furore succensus, jussit satellitibus suis, ut sanctam Virginem inferrent in lectum æreum, et superpositam per quatuor partes extendi, ignemque supponi præcepit, ut ejus tam * tenera membra tam crudeli disrumperentur supplicio.

a quo crudeliter torquetur ;

* *Deest in L. S.* inquit
* *R.* de Deo et
* *R. L.* Domini
* *Deest in L. R.* tam

5 Itaque

AUCTORE ANONYMO.
posita in craticula ignita :
· L. R divaricatis
· R. pervolvitur
· R. hastilibus
· In T. V. deest periope. i

5 Itaque candentem craticulam sanctissima Virgo ultro conscendens, arctatis * membris, per quatuor partes extenditur, lorisque ferreis coarctata per flammeam cratem provolvitur *. Cui impii ministri ferreis batillis * ardentes prunas subjiciunt, adipeque flammis injecto, ad latera usque torrida incendia subvolare cogunt. Quod videntes qui aderant, una voce clamaverunt dicentes : O impietas et injusta judicia ! Innocens et veri Dei cultrix et primæ dignitatis honore præfulgens, cur absque ullo facinore gravissimis suppliciis mancipatur ? Multi etiam sunt, quorum ignoramus nomina, qui ea die videntes Sanctæ Fidis constantiam, a sacrilego dæmoniorum jugo pia solventes colla *, crediderunt in Dominum Jesum Christum et gloriosam sunt coronam martyrii consecuti *i*.

S. Caprasius, ejus exemplo
· L. namque
· T. omittit Martyrque futurus
· R. partem k
· L. T. precibus
· R. T. in cœlum
· L. R. assecutam
et prodigiis roboratus.

6 Eo itaque * tempore, dum hæc agerentur, a Deo electus Martyrque futurus *, Sanctus videlicet Caprasius cum cæteris Christicolis persecutionem sacrilegi præsidis declinans, ad septemtrionalem urbis plagam * sub foramine cujusdam rupis positus latebat *k*, et cuncta, quæ intra murorum ambitum gerebantur, clara oculorum acie prospiciebat. Sub ejusdem quippe diei articulo ab ipso speluncæ
B foramine ad urbis propugnacula aspectu dirigens, vidit sanctam Martyrem super carbonum incendia impiorum immanitate torreri. Elevatis igitur oculis intuens in cœlum, orationem Domino profusis lacrymis * effundebat, ut famulam suam in præsenti certamine faceret esse victricem. Rursumque athleta Christi elevatis oculis cœlum * tota mentis aviditate perspexit, et iterum humo prostratus petebat Dominum, ut ei cœlestem ostenderet virtutem. Sicque petitionis suæ desideratus assecutus affectum, vidit de nubibus columbam, ut nivem candidam descendere, et coronam interlucentibus gemmis, supra solis splendorem rutilantem, cœlestibusque margaritis refulgentem, super caput Virginis ponere, denique ipsam Dei famulam, niveo splendidoque habita indutam prospiciens, agnovit ipsam Dei Martyrem perpetuæ salutis bravium esse asseculuram *, quam tanto munere cœlitus videbat esse ditatam.

· L. R. pyramque
· R. nec tormentorum
· Deest in L. redimitam
· Deest in R. spiritualibus oculis
l
· Add R. et ipse
· Deest in L. R. haustum
· L. R. recipiet
m
sistit se tyranno
· R. pabula

7 Columba igitur e cœlo veniens, ut divina potentia in reliquum tempus circa Martyrem sacram mirabilior fuisse prædicaretur, blanda alarum volitatu, dulcique alarum applausu, cum imbrifero
C rore totam vim flammarum exstinxit, fervoremque * torridi incendii, quasi irriguis fontibus tali volatu omnino repressit. Vidit etiam vir sanctus beatissimam Fidem veluti non * ictibus læsam, non igne exustam, neque sauciatam corpore; sed cœlestibus ornamentis stare redimitam *. Quam virtutem tam præclaram, tam mirabilem, mox ut Dei famulus, prædictus Caprasius, spiritualibus oculis * conspexit, supernis gaudiis dignam eam futuram intellexit *l*. Tunc securus *, nec imparibus meritis eamdem gloriam subiturus, rupem, sub qua habitabat, dextera sua percussit, et continuo inde fons jugis aquæ emanavit, quæ usque in hodiernum diem indeficienter currens, salutis remedium virtutem Dei cunctis advenientibus præstare non desinit. Quocumque enim tædio languoris quilibet detentus fuerit, mox ut de ipsius rupis fluento gustavit haustum *, optatam salutem recipit * meritis sancti Martyris *m*.

· R. infit
· L. R. T. præclarum
· R. generationis
n
o
· R. præmia
· L. attonitus
· L. R. sanctæque.
· R. ambitu
· R add. servis T. ad socios
· Deest in L. sermonibus
· Add. L. R. eo
p

8 Hoc miraculo vir sanctus de gratia Dei se martyrio dignum sperans, vultu hilaris, spiritu alacer, corde intrepidus, cæteris ignorantibus, ad locum ubi gloriosissima Virgo et Martyr Fidis flammarum patibula * sustinebat, improvisus advenit, Christum publica voce prædicans. Quem statim audiendum impius tyrannus suis aspectibus statui jussit. D
Ille vero intrepidus coram eo stetit : et præses ejus nomen, patriam, genusque requirit. Ad quem sanctus Caprasius * : Imprimis quod prælatum * est christianum me confiteor, in cujus regenerationis * lavacro a sacerdote nuncupor Caprasius *n*. Hoc audito, præses blandis eum cœpit lenire sermonibus. Video, inquit, te decorum juvenem *o*, qui si forte sermonibus meis acquieveris, poteris in palatio summorum principum amicitia prefrui et multa prædia * consequi. Tunc Sanctus Caprasius cœlestibus virtutibus admonitus * Sanctæ * Martyris Fidis exemplo, ad supernam coronam spem totam configens, ita respondit : In illius desidero habitare palatio, quem a baptismo dilexi, et redemptorem omnium in se credentium semper agnovi. Præses dixit : Vellem te, o juvenis, ab hac male sana pertinacia revocare et prædiorum amplis possessionibus * ditescere. Sanctus Caprasius respondit : Ab illo credo consequi indeficientia prædia, qui est fidelis in verbis suis et sanctus in omnibus operibus suis. Præses autem ut vidit immutabilem mentem ejus et ineluctabilem sermonem, ait suis * . Vereor cum homine E
isto diutius, sermonibus * certari, ne ab * jurgiis fatigatus vincar. Tunc jubet ministris eum assumere et sine ulla pietate *p* carnes ejus laniare : quumque hoc factum fuisset, fortiter pœnas toleravit, atque alacri vultu constanter Christi nomen populis præsentibus prædicare non destitit.

cujus minas blanditiasque contemnit
· R. nulla injuria vituperandam
· L. add. agoni R operi
· R. et agonis
q
· L. confertos
· L. foret

9 Qui pietatis affectu super eum lacrymantes et magno ejulatu frementes, una voce clamabant dicentes : O impietas et inaudita judicia ! Cur sanctum Dei, omni bonitate ornatum, tanta crudelitate itis perditum ? Erat enim beatus Martyr amabilis omnibus et inter tormentorum examinationem speciali decore vir angelicus. Cujus constantiam nulla injuriarum vi superandam, nulloque excogitatorum argumento cruciatum reprimendam, duo fratres nomine et meritis Primus et Felicianus admirantes, tam fide quam opere continuo huic se * sociarunt *, mortisque periculis se alacriter injecerunt *q*. Quos omnes ad jugulum mortis, una conspiratione consertos *, mox ut vidit ferus ille carnifex, blandimentis demulcere, minisque terrere eos cœpit. Sed nec sic eos ullomodo flectere potuit. Sicque in ira gravi motus, ut se adversus eos nullatenus prævalere sensit, ad ultimum data F
sententia, omnes simul cum beata Virgine et gloriosa Christi Martyre Fide duci ad delubra præcepit ; ubi aut diis immolare, aut capitibus plexis omnibus certum stat * vitam finire.

et capite plectitur cum SS. Primo et Feliciano.
· L. add. Christi
· Deest in L. tota phrasis
· L. R. add. veneratione
· Deest in L. periodus integra
· R. potiuntur.

10 Ducti sunt ergo * milites una cum Beata Fide ad prædictum locum, ubi nulla vi compelli potuerunt ad sacrificandum. Qui capitibus cæsis unius diei hora cum triumpho martyrii ad coronam gloriæ feliciter simul pervenire meruerunt ; ut quibus pulchra et venerabilis exstitit in fidei constantia societas, esset pulchrior atque excellentior in martyrii societate felicitas. Dignum namque atque felicem Agennensis urbis deputamus locum, qui origine martyrum floruit, atque per eorum gloriosa certamina fidem Christi promeruit et post agones tumulanda corpora eorum recepit *. Quos Christus cum summa * cœlestium virtutum intra beatorum spirituum consortia ovantes ascivit, cum quibus stola immortalitatis decorati et corona gloriæ immarcescibilis laureati, inenarrabili præmio perfruuntur ; atque cum Deo et Agno sine fine regnaturi, divinæ visionis jucunditate perfruuntur *. De quorum passione pridie nonas Octobris nos gaudere et illustrare voluit, qui gloriatur in Sanctis, Dominus

A Dominus noster Jesus Christus, cui est cum * Patre et Spiritu Sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

11 Horum ergo corpora, tormentis miserabilibus laniata, cæsisque capitibus obtruncata, infidelis gentilitas in plateas, tamquam neglecta * reliquit, quæ devota Christi plebecula latenter cum summa veneratione colligens et sacri effusionem cruoris mundissimis pannis extergens, indigno * tantæ sanctitatis in loco *r* sepulturæ commendarunt, ubi non tam sepelisse, quam recondidisse viderentur *s*. Gravi enim percussa pavore verebatur, ne Sanctorum corpora malignorum invidia alias transferrentur, aut, quod nefarium est, tetris vicini gurgitis fluminibus mergerentur, et sic sanctæ Christianitati malitiose abnegarentur *. Sed Dei providentia a fidelibus * actum est, ut urbs, quæ eos habuit inquilinos, tripartito, ortus videlicet, passionis et sepulturæ honore ditata, eosdem ad promerendam omnipotentis Dei gratiam habere mereretur et patronos. Quo in loco multis annorum recursibus sancta jacuerunt corpora, donec, ablata omnis gentilitatis profanitate, S. Dulcidius * B episcopatum susciperet et pastoralem curam gerens pro omnium salute vigilaret *. Cui præsuli ante omnia placuit, ut Sanctorum Reliquias ab indecenti elevans loco, in eorum veneratione nova constructa basilica, in lucem efferret, ecclesia ipsa sanctæ Virginis titulo dedicata. Qui, quum tantum thesaurum aperiret, non tamen incredulus, sed metu et reverentia territus diutius dubitaret, ad ultimum per noctis quietem admonitus, ne negligenter dimitteret, quod fideliter cœperat, convocatis monachorum turbis ac cæteri ordinis prælatis *, secretum suum omnibus detegit. Quorum consilio adjutus ad effectum usque perduxit. Eorum autem votis cætera plebs concordans Sanctorum Reliquias de loco ignobili honorifice erigunt et in locum sacrum statuunt. Quorum meritis ad salutem omnium innumera cælitus patrantur miracula, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

* *L.* addit *Deo*
r ta Ecclesiæ pace, a S. Dulcidio honorifice tumulantur.
* *R.* omittit *tamquam neglecta*
* *R. in digno*
s
* *R. derogaretur*
* *R.* omittit *a fidelibus*
* *U Dulcitius*
* *R.* omittit postremam pericopen
* R. *prælatis et monachis*

ANNOTATA.

a *Habemus, ut præfati sumus Commentarii præ-* C *vii num.* 5, *varia hujus passionis exemplaria, e quibus solum eas lectiones variantes excerpsimus, quæ sensum primariæ passionis aut declarabant aut immutabant. Ut autem suum cuique staret, variantes lectiones depromptas ex Philippi Labbe Biblioth. Nov. Mss. signavimus littera* L, *e Trevirensi lit.* T, *ex Ultrajectino S. Salvatoris lit.* U *et ex Rubeæ vallis codicibus lit.* R.

b *Quæ hic habentur phrases satis intricatæ sunt, et vix sensum aliquem præbent: ne itaque rem magis implicarem ex variis exemplaribus ea selegi, quæ sensum qualemcumque complerent. Fateor tamen difficile conciliari hæc duo nempe aliqua* calamo insignita teneri, *et tamen* per succedentium relationem rei gestæ memoriam non intercepisse oblivionem. *Etenim si narratio scriptis documentis nitatur, ut quid* succedentium relatio? *Quod si hæc materiem historiæ præbuit, non clare percipitur, quid scripta monumenta sibi velint. Nisi tamen hæc ita interpretetur quis, quasi pauca scripto consignata fuerint, plurima vero e traditione manaverint. Verum istiusmodi interpretationem non facile quis ex textu nostro eliciet.*

c *Codex Ultrajectinus S. Salvatoris, cujus apo-* D *graphum in collectione hagiographica bibliothecæ regiæ asservatur, alio prorsus modo prologum texit his verbis :* Passio Sanctorum magnorum atque inclytorum Martyrum Caprasii et Fidei magnam nobis hodie celebritatem præstat; dum enim passionem eorum recolimus, inclinatur potius sermo, quam dignis laudibus possit expediri, de quorum gestis atque virtutibus æmula scilicet christianis cultibus antiquitas voluit ipsa silere potius, quam ullis titulorum monumentis notitiæ hominum aliqua exinde memoriæ mandare. Ergo pauca quæ relatione gestorum invenimus, dicere non tardemus, styloque titubante perstringamus. Nam unde primitus assumam dictionis exordium, quum tanta mihi in Beatorum Martyrum memoria laus existat, et non mea solum, sed etiam doctorum suppeditaret auctoritas. Nam in illa antiqua poetarum pompa succederet tantum laudis tramitem, nec explere poteram nec rimari. *(Luxatus est omnimode sensus, qui ex aliis lectionibus redintegrandus est).* Nam merita sancti Caprasii et Fidei facilius possunt virtutibus cognosci, quam sermonibus expediri. Sed quia in ardentioris ingenii infœcunditate percellimur, excessit nos mentis devotio, et si a E laudibus Sanctorum, linguæ officio minime famulante, cessamus, voluntate tamen fidei devotioni servimus. Unde pro honore gestorum, ut copia permiserit, pauca de plurimis carptim in paginis calamo insignita tenentur, ea utique fide et devotione, qua ad nos martyrii ordo pervenit *(ponere curabimus).* Nam per succedentium relationem rei gestæ nondum intercepit oblivio; nam pro Martyribus singulis loca singula vel singulæ urbes, quæ eos possident, insignes habentur; nec immerito, *etc.*

d *De sancta Fide, Virgine et Martyre Aginnensi, late egit Josephus Ghesquière ad diem, quo colitur,* VI *Octobris* (1).

e *Aginnum Nitiobrigum erat olim in provincia Aquitaniæ* (la Guyenne), *hodie est caput præfecturæ Olti et Garumnæ* (Département de Lot-et-Garonne). *Sedes episcopalis, vi Concordati anni* 1801, *sub metropoli Tolosana recensebatur; ast postmodum restituta fuit Burdegalensi metropoli, cui antiquitus subjiciebatur.*

f *Explicat Jos. Ghesquière in suo Commentario prævio Actis S. Fidis ad* VI *Octobris num.* 11 (2), F *quo pacto Dacianus, licet Hispaniæ præses, tamen jus dicere potuerit in Aquitania; erat enim tunc ordinaria administratio provinciarum inversa, ut facile provinciarum præfecti in alias provincias suam sibi jurisdictionem prorogarent. Quod quidem tanto probabilius est, quod Constantino, anno adhuc* 303 *Cæsaris titulo Gallias gubernante et christianis favente, Galerius, cui Hispania, Aquitaniæ contermina, obtigisse videtur* (3), *jusserit Dacianum, notorium christiani nominis hostem, ad Aquitaniam persecutionem extendere.*

g *Ut ex variantibus lectionibus videre est, aliqua exemplaria pro* vestro *scribunt* tuo. *Verum tamen quum hæc Acta ex* succedentium relatione *compilarentur, jam in usu erat pluralis numerus pro singulari, maxime erga personas, quas quis eximia reverentia tractare volebat* (4). *Hic autem Dacianus* indulgenter *cum S. Fide ad eam alliciendam agebat.*

h *Ps.* XCV. 5.

i *Ex hac nominum ignorantia Jos. Ghesquière in suo Commentario S. Fidis num.* 21 (5) *deducendum dicit SS.* Caprasium, Primum *et* Felicianum

(1) Act. SS., t. III Octobr., p. 263 et seqq.—(2) Ibid., p. 266.—(3) Cfr Walch. Christ. in Hisp. persecutio, p. 153.—(4) Nouv. tr. de Diplom., t. V, p. 374. — (5) Act. SS., t. III Octob., p. 269.

A *una die cum S. Fidi passos non fuisse, quia, inquit,* eorum, qui cum S. Fide martyrium consecuti sunt, ignorari nomina eadem Acta *(nempe quæ hic edimus)* tradunt. *Verum hæc consequentia minime valet : nam in textu agitur de idololatris, quoniam propter S.* Fidis constantiam crediderunt in Dominum Jesum Christum ; *codices Ultrajectinus et Trevirensis omittunt, ut annotavimus, verba :* a sacrilego dæmoniorum jugo colla solventes, *quæ rem evolvunt, sed necessaria non sunt, quoniam locutio credere in Christum apud scriptores ecclesiasticos idem sonat ac transire ab idololatria ad Christianismum. Porro Caprasius jam christianus erat, siquidem latebras sectabatur ;* Primus *autem et* Felicianus *nullo verbo indicantur adhuc idololatræ fuisse in hoc textu ; quod vero in poemate edendo id insinuetur, non est tanti momenti, quum scriptor, probabiliter sæc.* XI, *id e sua penu deprompserit.*

k *Hunc locum alio modo profert codex Trevirensis :* Eo tempore cum hæc agerentur, a Domino electus S. Caprasius, persecutionis atrocitate sæviente, cuncta per loca profugus oberrabat, quæ universa egregius Dei cultor sublata investigatione perquirens, sub rupe quadam non longe a civitate
B septemtrionis posita festinus advenit, ibique dum stupefactus cuncta atque universa secreta cogitatione diligenter rimatur, vidit S. Fidem impiorum pœnarum immensitate torqueri *etc.*

l *Et hic differt Trevirensis codex a textu nostro, habet enim :* Ubi de oratione surrexit, vidit super S. Fidem coronam universis lucentibus et coruscantibus gemmis, atque cœlestibus et inenarrabilibus margaritis ornatam, et columbam de nubibus descendentem super caput S. Fidei se intulisse atque ipsam beatam Martyrem niveo et splendidissimo habitu decoratam, immenso luminis splendore fulgentem, jam securam palmæ, triumphum et bravium salutis fuisse cum victoria consecutam. At ubi jam mirabilem Dei virtutem suis aspectibus manifestam vidisset, gaudiis æternitatis exultans, tunc S. Caprasius securus non imparis meriti gloriam subiturus, rupem *etc.*

m *Egimus de isto fonte Commentarii prævii num.* 33, *et diximus eumdem adhuc a fideli populo frequentari.*

n *Etiam hoc loco aliis utitur verbis Trevirensis codex :* Beatus, *inquit,* Caprasius respondit dicens : Imprimis enim, quod præclarum est, christianus
C sum et regeneratus in baptismo a sacerdote, confirmato nomine Caprasius nuncupor. *Ex hoc loco contendit Tillemontius in suis Commentariis de historia ecclesiastica* (1) *elicere recentioris manus esse Acta, quoniam tunc moris non erat baptizando nomen imponere, sed jam impositum sacerdoti baptizaturo exhibere. Ast unicum proferam exemplum coævum, quo monstretur nominis impositio saltem aliquatenus ad baptismi ritum pertinuisse, nempe in S. Petro Balsamo seu Abselamo, anno* 311 *in Palæstina passo* (2) : *quum enim* oblatus *fuisset* Severo præsidi, *Severus dixit ad eum :* Quis diceris ? *Petrus respondit :* Nomine paterno Balsamus dicor ; spirituali vero nomine, quod in baptismo accepi, Petrus dicor (3).

o *Monstravimus num.* 25 *Commentarii prævii ex juvenili sancti Martyris ætate nullum adversus opinionem de episcopatu S.* Caprasii *præjudicium creari.*

p Pietas *apud scriptores aureæ ætatis amorem erga parentes et patriam passim significat : quandoque tamen, saltem paulo serius, pro misericordia, sicut et in textu nostro, sumitur, ut patet ex Suetonio in Domitiano cap.* XI. D

q *Vide circa SS.* Primum *et* Felicianum, *socios S.* Caprasii, *Commentarii prævii num.* 17 et 18.

r *Nostra lectio habet SS. Martyres sepultos fuisse in loco* indigno, *dum quædam exemplaria habent, eosdem* digno *loco conditos : nostram præferendam censeo, maxime quia infra dicitur S. Dulcidius corpora Sanctorum ab* indecenti levasse loco, *et Passio metrica, infra edenda, eumdem sensum refert canendo :*

Dum.... ipse videret,
Æde minus culta sacra membra jacere sepulta.

s *Multis exemplis monstrari potest, ethnicos sæpissime conatos esse Reliquias Martyrum dispergere, ne scilicet debitam Sanctis venerationem obtinerent : sic Eusebius lib.* VIII *cap* VI *dicit :* Imperatores, *jam terræ mandatos Martyres,* rursum de integro effodiendos, in mareque præcipitandos sententiis decreverunt, ne, ut ipsi quidem opinabantur, quidam eos in sepulcris et monumentis conditos, deos reputantes, divina veneratione prosequerentur. *Ex dictis liquet, cur christiani Aginnenses timerent, ne suorum Martyrum corpora in proximam Garumnam projicerentur.* E

t *De S. Dulcidio, Aginnensi episcopo, actum jam est in Commentario S. Fidis ad diem* VI *Octobris num.* 26 *et seqq.* (4) *et latius præsenti tomo ad diem* XVII.

PASSIO METRICA

SS. FIDIS ET CAPRASII,

Auctore, ut videtur, Hildeberto Cenomanensi *a*,

Ex codice Bremensi.

a

Cap. I. S. Fides virgo nobilis Aginnensis,

Cum rex insanus regnaret Maximianus,
Non minus insano comitante Diocletiano,
Per varias mortes sacras damnare cohortes
Semper tractabant, sathanæ qui sacrificabant :
Nam dicti reges Christi subvertere leges F
Non desistebant, dum passim præcipiebant
Plecti credentes, sua numina despicientes.
Virgo placens Christo sub tempore floruit isto,
Fides ei nomen, cui verum contulit omen ;
Quæ facie pollens, quasi stella crepuscula tollens
Inter Agennenses fuit orta, nec horruit enses
Tortoris sævi, quoniam spe perpetis aevi
Sustinuit pœnas, flegra, flammas atque catenas,
Ut lucis veræ sic præmia posset habere.
Hæc excellentes habuit generosa parentes,
Sed res mundanas ducens ut stercora vanas,
Christum quæsivit, quem tota mente cupivit.
Dux igitur vanus, ratione carens Dacianus
Venit in has partes, exercens dæmonis artes,
Missus ab Augustis, inferret ut aspera justis ;
Qui satanæ præco sæviebat pectore cæco,
Huc illuc vadens, et morti plurima tradens
Corpora Sanctorum, studiis cruciata malorum ;
Asper et exosus, mendax, homicida, dolosus,
Pravis dona dabat, sed Christicolas lacerabat :
Hos demulcebat, illos torquendo premebat
Ergo sibi Fidem (fama quam noverat) idem

Cap. II. ducitur ad Dacianum præsidem,

(1) Mém. pour servir à l'hist. ecclés., t. IV, p. 752. — (2) Ruinart. Act. Sinc. Mart., p. 502. Act. SS., t. I Januar., p. 129. — (3) Binterim Denkwürd, t. I, part. I, p. 39. Augusti. Handb. der Christ. Archäol., t. II, p. 467. — (4) Act. SS., t. III Oct., p. 270.

Præcipit

A Præcipit assisti: sed felix hostia Christi
Continuo servis se tradens sponte protervis [mat:
Quem veneratur, amat, sic sponsum sponsa recla-
Qui cœlo vernas (bone rex) et cuncta gubernas,
b Rex bone, qui dicis, *b* præstans solamen amicis,
* præsto? Dum coram statis ducibus, minime timeatis,
Spiritus ipse sacer vobis dabit, hostis ut acer
Per vos vincatur, qui vincere vos meditatur,
Auxilium dona mihi, meque probando corona,
Da pugnaturæ galeam, mentemque perure
Igne salutari, cum judice debeo fari
Duræ cervicis, tormenta minante pudicis.
At nunc aspires mihi rector ad aspera vires
Meque fide muni contra tormenta tribuni.
Cap. III. Huc * prece completa, stat coram judice læta [rens,
* Hac? cui intrepide respondet Christi signa ferens. Quam dux sibi jungere quæ-
* refert? Voce refit * blanda: Virgo mihi dic veneranda,
Nomen cum cultu, dic protinus absque tumultu.
Fides dicta quidem, virgo respondit eidem,
Quem devota colo, Christum postponere nolo,
Cui soli vere cupio studeoque placere.
Mentem tranquillam simulans, dux inquit ad illam:
Virgo vel ætati vel consule nobilitati,
Quæso mihi credas, et ab ista lege recedas,
B Legem tam vanam contemne colendo Dianam;
Et tibi præbebo (si te mactare videbo)
Servos, ancillas, thesauros, prædia, villas
Virgo res istas conculcans sicut aristas,
Christus, respondit, longe meliora spopondit,
Illi si credam, si non tibi, perfide, cedam;
Tu mihi insanis, præbens libamina vanis,
Insanis plane, qui das incensa Dianæ,
Nam sic testatur, sic vates vociferatur:
Dii paganorum sunt pleni dæmoniorum,
Ipsa deos tales dedignor habere sodales;
Et quas tu curas, non curo res perituras.
Ad quam præfectus, condens damnabile pectus,
Cur, ait, absentes blasphemas omnipotentes?
Multum deliras; incurres cæsaris iras.
Porro manu fausta vel porrige diis holocausta,
Vel mox lege data morieris dedecorata.
Martyr confidens, et verba superflua ridens;
Has, ait, ipsa minas contemno gravesque ruinas,
Quas mihi proponis pro cultu religionis:
Cur agis ergo moras? In vanum, stulte, laboras;
Vel flammis vasta vel me cruciato catasta:
Dum plus torquebor, plus et plus vera fatebor;
Restat enim munus mihi grande per hoc breve funus.
C Tunc sensum mutans, et cæco pectore nutans,
Palluit insanus dixitque suis Dacianus:
Ecce, ministrorum collegia fida meorum,
Cratem ferratam mox huc deferte paratam,
Subter quam lignis ac sulphure ferveat ignis;
Moxque super cratem stultam deponite vatem,
Desuper ut pellis jaceat distenta rebellis;
Et sic uratur, multumque diuque prematur
Fustibus et loris, ut vi cogente doloris,
Æternum vivos cesset contemnere divos,
Nec laudet regem, cujus tenet inscia legem.
Cap. IV. et a quo dire torquetur: Protinus implentur, fieri quæcumque jubentur:
Jam succendentes prunas, furcasque tenentes,
Adstant indigni: crates apponitur igni.
Postquam tormentum videt hoc adeo violentum,
Ultro conscendit cratem, gratesque rependit
Virgo creatori, minime parcendo cruori
* senella? Cui vim tormenti devota mente ferenti
Diri tortores nimios augendo dolores,
Pectus cum mammis, accensis undique flammis,
Torquentes torrent, nec prœnas criminis horrent,
Visceribus tostis, ut jusserat impius hostis,
Girantes assam, salis intra vulnera massam
Projiciunt servi crudeles atque protervi.

Hoc scelus astantes tortoribus improperantes, AUCTORE VERISIM. HILDEBERTO.
Iras inflammant et flentes talia clamant:
Cur, miseri, gratis sic membra puella crematis?
Hæc quæ peccavit? Nil dignum morte patravit
Virgo regalis, pia, prudens ac specialis,
Causa non justa flammis cruciatur adusta,
Quæ dum torquetur, gaudet, Christumque fatetur:
Ergo, captivi, cœli jam parcite civi,
Atque relinquatis scelus istud, ne pereatis.
De reliquo tuti sic plures plura locuti,
Idola abjiciunt et palmam promeruerunt,
Nam pariter tenti, pariter sunt ense perempti.
Credentes turbæ dum compaterentur in urbe, Cap. V.
Aras vitabat Caprasius et latitabat S. Caprasius
Montis rupe cava: quem regis jussio prava ejus exemplo
Non deterrebat: sed tentis subveniebat. animatus
Ignibus assatam qui forte videndo beatam
De rupis cavea, nudamque jacere platea,
Terræ prostratus flevit, supplexque precatus,
Ut rex altitonans, pœnas vel præmia donans,
Hanc confortaret, palmaque sacra decoraret.
Exorat rursum, directo lumine sursum,
Ut sibi pandatur, qua Virgo luce fruatur.
Vix ita completis precibus, de sede quietis
Ecce columba venit, quæ Fidis vulnera lenit, E
Vires flammarum complectens appositarum
Plausibus alarum circumvolitando suarum,
Sicque caput Sanctæ serto decorat rutilante;
Hoc admirando Caprasius ac venerando
Est contemplatus, multoque magis hilaratus
Fidem sanatam cognovit, non laceratam,
Vestem vestitam gemmis auroque politam,
Victricem factam, cœlique palatia nactam.
His ergo signis animatus Virgine dignis,
Fortior est factus mortisque cupidine tactus,
Prorumpens extra sociis quia nemine dextra *c* c
Rupem percussit, quam fontem fundere jussit:
Qui fons mox uber, fit, dulcis, fitque saluber,
Quo qui potatur, mox convalet et recreatur
Martyris adjutus meritis et fomite tutus.
Tradens ergo lupis sese de vertice rupis
Illico descendit, ad certamenque tetendit,
Christum clamando, quo Martyr erat *d* superando. d
Quem sic testantem simulacraque vituperantem Cap. VI. Christum coram præside confitetur.
Servi vesano præsentant mox Daciano.
Quo præsentato, judex ait ista beato:
Forma splendescens nomen dic, o adolescens:
Et de cultura verum mihi dicere cura. F
Dixit securus Martyr mox ille futurus *e*: e
Dicor ergo sane Caprasius, o Daciane,
Divos ignoro, solum devotus adoro
Cœlos implentem mare, terras, omnipotentem.
Post hæc tranquille sic infert impius ille:
Erras in cultu, juvenis pulcherrime vultu,
Qui credens Christo, frustra confidis in isto,
Quem pro peccato captum Judæa Pilato
Obtulit, afflixit pœnis, demum crucifixit:
Hunc ideo spernas leges mutando paternas,
Atque deos noscas et eorum numina poscas,
Qui vivunt vere, nec mortem sustinuere.
Si mihi consentis, non spernas verba monentis;
Inter concives poteris procedere dives,
Et congaudebis, dum mœnia lata videbis
Gratus Romanis: igitur lex cessat *f* inanis. f
Martyr devotus nequaquam munere motus,
Exemplo Sanctæ monitus, quam viderat ante
Vivos carbones superasse, volasse ad agones.
Sic ait: O prætor, spernens tua convivia lætor.
Regnat in arce poli Christus, cui servio soli,
Qui nos plasmavit, lapsosque etiam reparavit,
In cruce dignatus nostros delere reatus,
Hæc tu vana putas, his credere, stulte, refutas,
Spe

AUCTORE VERISIM. HILDEBERTO.

Spe captus vana, falsa fallente Diana,
Quam ceu viventem vita colis, ecce carentem.
Sed non sensuris cur, insensate, figuris
Porrigis incensum ? Miser erras, corrige sensum.
Mente vigens sana, cole Christum, despice fana :
Sis Christo credens et ab hoc errore recedens ;
Præcaveas pœnam, sedemque lucreris amœnam.
Ille refert : Juvenis, vellem tibi parcere lenis :
Ecce tibi vellem dare multa, sed ecce rebellem
Te video multum : jam nunc tandem ejice cultum,
Quem temere jactas, per quem te vincere speras.
Et mea majestas (si diis libamina præstas,
Et mutas mores) magnos præbebit honores :
At venerandorum, si sacra quod absit, eorum
Spernis et infamas et adhuc quæ nescio, clamas,
Pro re tam stulta, tibi restant aspera multa.
Pœnas nonne vides, patitur quas improba Fides
Fastu pro simili, pro lege per omnia vili ?
Sic tu plecteris, pœnamque gravem patieris,
Cede tremens tanta, mei places numina sancta.
Martyr dixit ei : Felicis spe requiei
Malo cruentatus perferre tuos cruciatus,
Quam pro factura vel qualicumque figura
Christum despiciam : cujus si victima fiam,
g B Sic *(securus)* ero, si utar lumine vero, *g*
Quare tantarum non terreor igne minarum,
Nec promissorum foveor candore tuorum.
Quod volo, quod spero, quod toto pectore quæro,
Et manet et mansit : sed mundi gloria transit :
Si modo torquetur Fides, mercede fruetur
Justis jure data : tu pravis morte parata
Semper flens flebis, grandique dolore dolebis.
Hujus ad exemplum, Christi me dedico templum,
Tendens quo tendit, reprehendens quod reprehen-
Ergo me macta servans mihi munera pacta [dit,
h Me citius puni, quia Christo (servio) *h* uni.
Hoc ubi dux novit, dolor ejus viscera movit ;
Unde suspirans et verba fidelia mirans,
Luget decretum regale per omnia spretum.
Nequiter ergo furit, sanctumque flagellat et urit,
Torquet, dilaniat, sed frustra vincere sperat.
Quippe fide fretus, fert ille tot aspera lætus ;
Tortus agit grates et ei placet ærea crates.
Tunc assistebant multi graviterque ferebant
Talia cernentes et sancto compatientes,
Jussaque prætoris damnantes plena furoris.
Inter quos flentes et sanctum ferre dolentes,

Cap. VII. et una cum fratribus Primo et Feliciano

C Accensa cratis tormenta ferocia gratis,
i Vanus adhuc vano Primus cum Feliciano *i*
Hæc mirans cernit compunctus, delubraque spernit,
Mox ambo sanctis se conjunxere, Tonantis
Legem complexi, divino fœdere nexi.
Ergo Deo grati jam quatuor hi sociati
Vicerunt fortes Dacianum, sive cohortes
Vere vicerunt, qui pœnas sustinuerunt,
Terrea calcantes et regna superna lucrantes.
Quos exhortando multum, multumque minando,
Quum dux vidisset, quod flectere non potuisset,
Hos, ait, insanos, lictor, vereque profanos
Hostes nostrorum produc ad templa deorum.
D(uc illos) chare, (et) si nolunt sacrificare
Illos exemplo gladio punire memento.
Athletæ Christi præfati quatuor isti
Christi psallentes jamjamque mori cupientes,
Ducti falsorum veniunt ad templa deorum,
Ut diis libarent, aut colla secanda pararent.
Tunc congaudentes, nec diis libare volentes,
Mox prosternuntur, gladioque simul feriuntur :
Sicque coronati cum sancta Fide beati
Cœlo suscepti vitæ sunt limina adepti.
Denique pagani crudeles atque profani
Factam Sanctorum post mortem quatuor horum

Cap. VIII. capite plectitur :

Inde recesserunt et corpora deseruerunt. D
Noctu credentes nonnulli tunc venientes
Hæc collegerunt, venerantes, ut potuerunt ;
Queis impendissent decus ingens, si valuissent ;
Sed pravam gentem timuerunt fana colentem :
Hujus enim gentis rabies infesta furentis
Cædens cædebat passim, quoscumque videbat
Christo credentes aut illis compatientes.
Quippe venenosi gentiles ac furiosi
In mare jactabant lacerata vel igne cremabant
Corpora Sanctorum, ne laus caneretur eorum.
Hoc quum novissent credentes ac timuissent
Noctu venerunt, ut diximus, et rapuerunt,
Æde parum grata tumulantes membra beata
Sic tumulaverunt (isticque) *k* diu jacuerunt, k
Donec iniquorum cultu cessante Deorum
Jus fidei crevit (populo) *k* delubraque sprevit k
Tunc sublimavit plebs pontificemque creavit
Dulcidium, donis ornatum religionis,
Vere devoto qui præsul pectore toto
Christum dilexit, sibi commissos bene rexit.
Qui dum se gereret (solerter), *k* et ipse videret, k
Æde minus culta sacra membra jacere sepulta
Indignum duxit, templum venerabile struxit,
Illud præfatæ sacrans in honore beatæ, E
Atque beatorum sanctissima corpora quorum
Vir sapiens idem locitare pararat ibidem.
Sed *l* ne sacros tangeret artus l
Abstinuit reverens veniamque sibi ipsi quærens ;
Mox castigatus, cœlesti voce vocatus
Et monitus somnis pater almus ubi ipse vel omnis
Plebs sublimaret sacra corpora nec dubitaret.
Sic confortatus pandit, nil vota moratus,
Cleri clamato cœtu, populoque vocato.
Tunc omnis clerus, monachilis et ordo severus,
Virgineis turbis junctis, cum civibus urbis,
Christum laudantes et Reliquias venerantes,
Has erexerunt et in æde sacra posuerunt,
Quam prius ornavit præsul, pariterque sacravit.
Multæ virtutes his fiunt atque salutes
Cunctis præstantur, sacra corpora qui venerantur,
Palmam præbentis ad laudem omnipotentis,
Cujus majestas, cujus miranda potestas
Vivit ab æterno, regit omnia jure superno.

Cap. XI. quorum corpora S. Dulcidius honorifice componit.

ANNOTATA.

a *Diximus num.* 8 *Commentarii quæ faciunt, ut Hildeberto Cenomanensi, post archiepiscopo Turonensi, hoc carmen tribui possit. Cæterum nihil hic nobis annotandum fere occurret, nisi quod stylum attinet, quoniam notas historicas præcedenti Passioni subjunximus.* F

b *Prout jacet versus, scribendum fuisset* diceris, *sed impediebat maxime consonantia : legendum puto* præsto *pro* præstans, *nempe Christi verba in directo recitantur, quod consequens est cum versibus, in quibus dicitur* statis, vobis *etc.*

c *Hunc versum plane non intelligo, et qui ex Ms. Bremensi carmen excepit, apposito signo, suam ignorantiam fatetur.*

d *Textus habere videtur* orat, *nempe prosodia accuratius servatur : quamvis sensus non valde limpidus sit, quem sic interpretor* quo *(per quem)* Martyr erat *(fit)* superando *(tormenta). Utinam varia alia tam commode interpretari liceret !*

e *Textus repetit vocem* securis, *in qua jam cespitat prosodia et consonantia deficit : si autem legamus* futurus *utrumque retinemus et in Passione prosaice conscripto,* Martyr futurus *num.* 6 *legitur.*

f *Malim* cesset, *quasi vox esset hortantis et imperantis.*

g *Tex*

A g *Textus habet?* sic... ero, sic urar lumine vero, *censeo igitur commode potuisse et compleri et mutari.*

h *In complementum versus supplevi vocem* servio.

i *Jam indicavimus annotato* i *ad antiquiorem Passionem, scriptorem. traducentem SS.* Primum et Felicianum, *tamquam vanos, id est, idololatras, id e sua deprompsisse penu; nimis enim presse sequitur vestigia antiquioris textus, quam ut suspicari liceat, eumdem alia habuisse documenta.* D

k *Quæ uncinis inclusa sunt, complent utcumque versum.*

l *Non video, qua ratione et versus et consonantia compleri possint.*

DE SS. DASIO SEU DATIO, ZOSIMO, JANUARIO, DOROTHEA SEU DOROTHEO, ZOSIMO SEU SUSIMO, JANUARIA SEU JANUARIANA,

MARTYRIBUS PUTEOLIS IN CAMPANIA;

DE SS. EUTYCHIO, PROMACHO, LUCIO, MARCELLINO ET BERMIACO, ET FORTE SS. ZOSIMO SEU SUSIMO ET JA- E
B NUARIO SEU JANUARIA,

MARTYRIBUS NICOMEDIÆ.

SYLLOGE EX MARTYROLOGIIS.

V. D. B.

INEUNTE FORTE SÆCULO IV. *Unius turmæ Puteolanæ et duarum Nicomediensium memoria hodie fit in Hieronymianis laterculis;*

Codices *Hieronymiani tam diversum hodie servant ordinem, ut ad investigandos SS. Martyres, ad hanc diem spectantes, non alia videatur posse iniri via, quam integra eorumdem recensio. Codex Florentinii ita sonat* (1) : In Ponteolis civitate Dasi, Zosimi, Januarii, Dorothei, Sussimi, Januarianæ. In Nicomedia Euticis (2), Promaci, Luci, Marcellini, Bermiaci. Item Sussimi, Januarii; *Antverpiensis* (3) : Eutici, Promaci, Luci, Marcellini. Puteolis Zosimi, Dorotheæ, Januariæ, Bermiaci, Sisinni. Item Januariæ; *Corbejensis* (4) : In Puteolis civitate Dasii, Anosinimi, Januarii, Dorothei, Susimi, Januariæ. In Nicomedia Eusticii, Promachi, Lucii, Marcellini, Berniaci. Item Susimi, Januarii, Julii; *Marty-* C *rologium Richenoviense* (5) : In Nicomedia Euticii, Promaci, Lucii, Marcellini. Puteolis, Zosimi, Dorotheæ, Januarii, Zosimi; *Augustanum* (6) : Clasi, Zosimi, Promasi, Januarii, Euticis, Marcellinæ; *Labbeanum* (7) : Dasi, Zosimi, Primaci, Januarii, Eutycis, Luci, Marcellinæ; *Ottobonianum* (8) : Puteolis civitate, natale sancti Zosimi episcopi. In Nicomedia, Primacii, Susimi; *codex Usuardinus Bruxellensis* (9) : In Puteolis civitate, natale sanctorum Martyrum Zosimi, Januarii et Dorotheæ; *auctarium Greveni ad Usuardum* (10) : Nichomediæ, Sanctorum Eutici, Promasii, Luci et Marcellini; civitate Puteolis, sanctorum Zosimi, Januarii, Dorochæ; *et demum codex Hieronymianus canonicorum Lucensium* (11) : Dasii, Zosimi, Luci. *Omisi SS. Caprasii et Neonis nomina, quæ in multis fastis illa subsequuntur. Atque illa omnia jam discriminanda sunt.*

nomina Martyrum

2 Dasus *seu* Dasius, *quin imo corrupte* Clasus, *seu, ut Galesinius scribit,* Datius *omittitur in codicibus pluribus, maxime in Antverpiensi et Richenoviensi, forte quod idem nomen in capite sequentis diei recurreret; verum in his nulla expungendi ratio. Venit diem S.* Zosimus, *quem codex Corbejensis* Anosinimum *vocat et de quo in vetusto Martyrologio Ms. Bibliothecæ SS. Apostolorum legit Caracciolus* (12) : XII Kal. Novembris Puteolis civitate natalis Zosimi episcopi, qui translatus est in monasterio de Monte Petroso, *et de quo, ut scribunt Ughellus* (13) *et ex eo Franciscus Orlendius* (14), *mentio fit in vetusto Martyrologio Monialium S. Joannis de Capua. Et quidem Michaël Monachus reperit in hoc asceterio duo Kalendaria antiquissima in quorum altero ad* XIX *(lege* XX *Octobris* (15) *legitur :* Depositio erit S. Zosimi episcopi, *in altero ad diem* XX (16) : S. Zosimi episcopi. *Edidit Michaël Monachus tertium antiquum Kalendarium, in thesauro Capuano repertum, cui secunda manus plura apposuerat nomina, quæ inter ad* XX *Octobris* (17) : S. Sosimi confessoris episcopi; *et quartum juxta consuetudinem majoris ecclesiæ Capuanæ, in quo item ad* XX *Octobris secunda manus adscripsit* (18) : Zosimi episcopi confessoris; *et demum quintum ex breviario impresso, in quo item ad* XX *Octobris habes* (19) : Maximi levitæ et Martyris. Zosimi episcopi et confessoris; *ad quæ Monachus de* Zosimo *notat :* De Zosimo episcopo Puteolano Martyrologium nostrum... In officio nihil. *Contra codex Usuardinus Vaticanus, num.* 5949 *signatus* (20), *non Puteolis, sed Benevento S. Zosimum attribuit his verbis :* Beneventi S. Zosimi episcopi. *Et quidem die* XVII *Octobris, ad quam de eo diximus, colitur Beneventi S.* Zosimus, *alias S. Zenon. Verum quum hic confessor habeatur non Martyr et proin Martyrologio Hieronymiano non* F

(1) Martyr. Hier. Florentinii, ad XX Oct. — (2) Ibid., cfr corrigenda. — (3) Ap. Florentinium, ad XX Oct. — (4) Ibid., l. c. — (5) Edit. Sollerii ante part. II Martyr. Usuardi. p. 13. — (6) Ibid., p. 22. — (7) Ibid., p. 29. — (8) Ap. Georgium, Martyrol. Adon., p. 686. — (9) Ap. Sollerium, Mart., Usuardi, p. 614. — (10) Ibid., 615. — (11) Ap. Florentinium, ad XX Oct. — (12) Ap. Florentinium, p. 928. — (13) Ital. Sac., t. VI, col 275. — (14) Orbis Sacer et Profan., t. IV, p. 1657. — (15) Sanctuarium Capuanum, p. 401. — (16) Ibid., p. 410. — (17) Ibid., p. 420. — (18) Ibid., p. 433. — (19) Ibid., p. 547. — (20) Ap. Sollerium, p. 614.

inscribendus

V. D. B.

inscribendus fuisse videatur (qua de causa quoque arbitramur abundare in Kalendariis Capuanis Confessoris nomen datum Zosimo *nostro), quumque insuper S.* Zosimi *Beneventani reliquiæ in templo S. Sophiæ Beneventano requiescant, diversus a nostro habendus est, et Puteolis suus S.* Zosimus *servandus. Verum an episcopus dicendus sit propter auctoritatem Martyrologii Ottoboniani, secundi laudati abs Caracciolo et Calendariorum Capuanorum aliis monumentis silentibus, malo dubitare quam definire; certe non ausim cum Ughello S.* Zosimum *episcopum Puteolanum, cujus nomen Hieronymianis laterculis inscriptus sit, ad sæculum* VI *referre: ibi enim vix aliis quam Martyribus locus est.* Dorotheus, *qui in codicibus Florentinii et Corbejensi prodit,* Dorothea *dicitur in Antverpiensi, in Richenoviensi et in Usuardino Bruxellensi,* Dorocha *autem a Greveno:* Dorothea *præplacere videtur Florentinio.*

Puteolis passorum :

3 *Ille idem, animadvertens S.* Januarium *sui codicis in codice Antverpiensi* Januariam *dici, testatur hoc sibi magis arridere, quoniam inferius venit :* Item Januaria. *Verum hæc ratio minus firma est; non tantum quia reliqui codices omnes* Januarium *habent; sed quia in codice Antverpiensi potius* B *omissio deprehenditur, quam diversa lectio. Alii enim habent* Januarium *et* Januariam *seu* Januarianam *et infra* item Januariam; *dum Antverpiensis duas solum habet* Januarias, *omisso* Januario. Sussimus *codicis Florentinii, seu, ut alii habent,* Susimus, *in Antverpiensi dicitur* Sisinnus, *in Richenoviensi* Zosimus; *unde, quum jam unus* Zosimus *adesset, omissus fuit in pluribus aliis. Crederem verum nomen fuisse* Zosimum, *tum quod in codice Richenoviensi ita scriptum sit, licet jam semel in eadem annuntiatione adesset, tum quod* Susimus *nomen alias inauditum sit.* Lucus *seu* Lucius, *qui in codice Lucensi obvius est, ex agmine Nicomediensi in Puteolanum prolapsus est. Galesinius, usus libris, ubi Sanctorum palæstra non adscribebatur, hos pro more Romæ adscripsit. Error in propatulo est. Arbitratus est Stillingus noster* (1) *aliquot ex his Martyribus pertinere ad turmam S. Januarii, celeberrimi patroni Neapolitani, et errore amanuensium ex præcedentibus diebus huc irrepsisse. Verum unum S. Januarii nomen homonymum occurrit, reliqua omnia alia sunt, nempe Sosius, Festus, Proculus, Desiderius, Eutyches et Acutius; deinde* C *ubi tanta inter diversissimos codices concordia est, quis amanuensibus incusandis locus? Porro quod ad martyrii tempus attinet, sacram Puteolanam turmam eo fere tempore, quo celeberrimi SS.* Januarius *et Socii, passos esse, nempe circa annum* 305, *probabile dicerem, si ulla de eis in Actis illorum fieret mentio; verum prætereuntur ibidem omnino; neque solent eos Puteolani cum thaumaturgo Neapolitano sociare; quin immo eos ignoravit Ferrarius, ut* *Florentinius animadvertit; nec ulla de eis, si S.* Zosimum *excipias, mentio apud Ughellum et Orlendium.* D *Præcedunt præterea in fastis Nicomedienses martyres, verisimilius ad annum* 303 *referendi, non secus ac alii martyres Nicomedienses, de quibus ad diem* XVII *hujus mensis* (2). *Cæterum præter nomina et palæstram, et propter Christi promissiones certam in cœlo gloriam, reliqua incerta omnia.*

duplex turma Martyrum Nicomediensium distinguenda videtur;

4 *In martyres Nicomedienses ita commentatur Florentinius :* Non nisi quatuor martyres Nicomedienses, suppresso venerationis sive agonis loco profert Ms. Antverpiense: septem codices nostri; octo Ms. Corbejense, in quo postremus secundi ordinis Julius additur non sine suspicione, ut candide fatear, vanæ additionis. Julius enim pariter Axiopolitanis martyribus additur die præcedenti, et de aliis alias monuimus. *Plane consentiendum est Julium intrusum esse, reliquis martyrologis ad hanc diem ignotum. Pergit vero Florentinius :* In duos ordines dividuntur sacri Nicomedienses athletæ; quatuor in primo choro sub Euticio duce, sive Eusticio, ut legit Ms. Corbejense, recensentur, Promachius nempe, Lucius, Berniacus sive Bermiacus. In secundo ordine Sussimus et Januarius sunt alii a Sussimo et Januario Campaniæ, nisi hic E mendose illi repetantur, ut suspicionem injicit Martyrologii Antverpiensis silentium. *Facilius id darem, si minus luxatus esset ad hanc diem Antverpiensis codex, et si non adderetur in codicibus Florentinii et Corbejensi particula* item; *quæ non oscitantis, sed attenti animi indicium est : nil tamen definire ausim.*

dubium est an aliqui ex eis Tolosæ culti fuerint;

5 *Saussayus ad hanc diem in supplemento ad Martyrologium Gallicanum* (3) *meminit trium ex his Sanctis :* Ipso die natalis sanctorum Eutici, Lucii et Marcelliani, in antiquis Tolosanæ ecclesiæ diptychis conscriptorum. *Sed jam pridem periisse videtur apud Tolosates horum Sanctorum cultus, si tamen umquam vere exstiterit atque hic non potius obvium habeamus aliquem codicem Hieronymianum, quales jam plures citavimus.*

eorum nomina.

6 *Nomina ubique eodem conscribi modo in omnium incurrit oculos : qui* Euticius, Eusticius, Euticis *dicitur, videtur nomen habuisse* Eutychium, *ad quam formam magis accedit Martyrologium Labbeanum; secundus, dictus* Promacus, Promasus, Promasius, Primasius, *melius in codice Corbejensi scriptus videtur* Promachus; *de* Lucio *nulla fieri* F *potest controversia, cum in gignendi casu* Luci *pro* Lucl *seu* Lucii *scribi in confesso sit.* Marcellinus *in codicibus Augustano et Labbeano* Marcellina *dicitur; verum cum potiori standum parte.* Bermiacus, *omissus a pluribus, in Corbejensi codice* Berniacus *appellatur, in Epternacensi (ut ex nota Ms. Henschenii intelligo)* Vermacus; Bermiacum *retinuimus. De secunda turma Nicomediensi nil est quod ultra addamus.*

(1) Act. SS., t. VI Sept., p. 764, cd. — Vide supra, p. 37. —

(2) [sic: not printed]

(3) Pag. 1183.

DE SS. MARCIANO ET JOANNE MM.

IN STATIBUS PONTIFICIIS.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

V. D. B.

§ unica. Triplex Sanctorum Martyrum translatio; auctoritas et utilitas historiæ tertiæ tranrlationis.

SS. Marcianus et Joannes, qui die 16 Septembris coluntur,

Ad diem XVI *Septembris scripsit decessor noster Urbanus Stickerus de SS. Abundio presbytero, Abundantio diacono,* Marciano et Joanne, *martyribus Romæ sub Diocletiano passis. Ex his* Marcianus *et* Joannes *iidem sunt, quos hic iterum producimus quoniam ad præsentem diem refertur secunda seu tertia eorum
B *translatio seu potius inventio, de qua illic nullum verbum dictum est; sive quod hagiographus, morte præpeditus, ultimam manum suo Commentario apponere non potuit; sive quod historia hujus translationis eum prætererit, utpote inter collectanea Mss. ad diem 20 Octobris reposita. Quacumque demum id factum sit de causa, nullus dubito quin omissionem hanc supplessent hic loci decessores, quum sane nullus aptior occurrere queat quam anniversaria hujus translationis dies.*

primo Roma translati sunt Arinianum, dein in Civitatem Castellanam.

2 *Ut habet Passio eorum, bona satis, licet non coæva, SS. Martyres quaterni Romæ* decollati sunt quinta Calendarium Septembris (1), *seu ut alia habet Passio* (2), decima sexta Kalendas Octobris. Eadem vero nocte venit Theodora matrona cum pueris suis, et posuit eos in cubiculo (*imo* vehiculo) suo et asportavit eos in prædiolum suum milliario ab urbe Romæ vigesimo octavo (3), *scilicet via Flaminia juxta montem Soractem eo potissimum loco, ubi nunc Regnani seu Arinianum oppidum est, et ubi tempore S. Gregorii M. ecclesia jam erecta erat* (4). *Quum autem imperator Otto III basilicam sub patrocinio S. Adalberti, Pragensis episcopi, in insula Tiberina erexisset* (5) *ibique hujus*
C *Sancti recondidisset reliquias* (6), *cœpit inquirere corpora sanctorum Martyrum, et præcepit ut, ubicumque inventa fuissent, ad ecclesiam B. Adalberti deportarentur* (7). *Tunc inventa sunt in uno tumulo corpora SS. Abundii et Abundantii, et in alio S. Theodoræ* (8); *et pro imperatoris jussu fuere Romam delata anno* 1000 (9). *His auditis Crescentianus, Civitatis Castellanæ episcopus, jussit iterum fodi et reperta fuere SS.* Marciani *ejusque filii* Joannis *corpora; quæ in ecclesia S. Mariæ virginis Civitatis Castellanæ pius præsul multa solemnitate recondidit Idibus seu* XIII *Januarii anni* 1001, *quæ simul octava erat Epiphaniæ Domini et dies Dominica* (10).

ubi conduntur sub altari anno 1001, et anno 1230 iterum inveniuntur et transferuntur;

3 *Ut autem nonnulla facilius intelligantur quæ in Historia secundæ inventionis seu tertiæ translationis occurrunt, juverit et hæc pauca ex Narratione secundæ translationis annotasse* (11) : Inventæ fuerant in tumulis sanctorum Martyrum marmoreæ tabulæ, niveo candore decoratæ, tanti ponderis et magnitudinis, ut nec a quatuor paribus boum trahi potuissent.... Crescentianus episcopus, collecto clero, altare B. Genitricis a novo *ex his tabulis marmoreis* construi fecit : et illam, quam super corpus beati Abundii et Abundantii invenit, in superiori parte altaris posuit; et aliam, quam supra corpus beatæ Theodoræ adinvenit, ex ea parte, qua consistit presbyter celebrans, constituit. Alias etiam aliis partibus ipsius altaris E
annexuit : et ita per quatuor angulos altare a fundamento ædificavit. Inventæ fuerunt etiam in tumulis eorum structuræ ferri, quæ continebant eorum sepulcra; ex quarum ferro idem D. episcopus quamdam capsulam ligneam noviter fabricatam circumdari et adstringi fecit : et ibidem sanctas reliquias condidit, ipsamque in idem altare intromisit. *Abierunt autem paulatim apud Castellanenses in oblivionem hæc tanta cura marmori inclusa sacra pignora; donec anno* 1230 *inventa fuere. Atque hæc est inventio, et dein secuta translatio, cujus modo exhibemus historiam.*

cujus translationis historia, a teste oculato conscripta,

4 *Hanc Romæ, dum ibidem versaretur, describendam curavit Papebrochius ex Ms. codice, quem reperit in collectione Cardinalis (Lucii, ni fallor) San-Severini; ipseque exemplar cum codice Ms. contulit, ut ex adjectis ejus manu correctionibus videre est. Auctor hujus historiæ se ipsum prodit num. 5 scribens :* Me quoque, qui hæc scripsi. Indie Placentino *præsente. Verum nomen istud* Indie *seu* Indies *tam inusitatum videtur, ut sphalma hic cubare videatur. Patria, ut liquet, Placentinus erat; quumquam nulla de eo mentio mihi occurrit in Historia ecclesiastica Placentina Petri Mariæ* F
Campi (12). *Civis tamen Castellanus factus erat, quum ubique* nostram *civitatem*, nostrum *oppidum vocet. Juris consultum fuisse ex prooemio satis evidens est, et forte vox corrupta* Indies *loco vocabuli* Judex *significatione* Advocati *seu* Juris periti *aut etiam* Notarii (13) *scripta fuit. Porro de translationis solemnitate condidit et alteram scriptionem seu se*cundum diadema *metrice conscriptum; quod sæpius hic appellat et quod proin, licet secundum ei sit, tempore debet esse anterius. Verum id nobis deest, forsan quod Papebrochius operæ pretium non esse duxerit hæc carmina describi. Post diadema primum venit appendicula aliqua, ex aliquot constans miraculis et ab ipso auctore post absolutum opusculum adjecta. Sed quum trunca omnino sit, operæ pretium non est eam excudere.*

hic in plurium utilitatem primo editur.

5 *Prolixum sane est diadema istud et panegyricam potius quam historicam rationem habet. Ast quamcumque demum formam habeat, non spernendi tamen momenti est. Habent enim hinc Castellanenses*

(1) Act. SS., t. V Sept., p. 301. — (2) Ibid., p. 302. — (3) Ibid., p. 301. — (4) Ibid., p. 298. — (5) Ibid., p. 303. — (6) Ibid., p. 306. — (7) Ibid., p. 305. — (8) Ibid., loc. cit. — (9) Ibid., p. 303 et seqq. — (10) Ibid., p. 305 et seq. — (11) Ibid., p. 306. — (12) Histoire Eccles. di Piacenza. — (13) Cfr Glossarium Cangii, v° *Judex*.

unde

V. D. B. *unde episcoporum suorum catalogum novo nomine augeant; habent et Sutrini unde et suum exornent; decus etiam hinc aliquod accedet FF. Minoribus, et plures hauriri poterunt notitiæ ad historiam Civitatis Castellanæ et rem antiquaria et ecclesiasticam pertinentes. Quum autem tituli præmissi essent capitibus hujus historiæ et decessores nostri in more posuerint hos in antecessum edere, id et hic factum est; cæterum in apponendis inferius numeris eamdem divisionem secuti sumus, quod nil magnopere suaderet ab ea recedere.*

I Incipit primum diadema in festo eductionis sive revelationis reliquiarum sanctorum Joannis et Marciani.

II Quod fuit inquisitum pro reliquiis mandato episcopi et inventæ sunt.

III Inventis reliquiis, ecclesia repleta est ex odore ipsarum.

IV Quando reliquiæ Sanctorum Joannis et Marciani inventæ sunt.

V Quando et coram quibus fuerunt extractæ reliquiæ prædictæ.

VI Dum foderetur pro reliquiis sub palmento, inventa sunt genera omnia nata hordei et frumenti.

B VII Inventis reliquiis, episcopus inclinans se cum astantibus reverenter suscepit cassulam.

VIII Quod in operculo cassulæ comparuere quasi gemmæ.

IX Quod cassula tradita fuit ad custodiendum et quot et quibus.

X Quod cassula collocata est ante altare quasi in faldistoriis.

XI Exhortatio ad populum ut veniant videre et honorare reliquias.

XII Quod audita fama reliquiarum quidam infirmus convaluit.

XIII Quod quidam medicus habens manum fractam et quasi aridam liberatus est.

XIV Nunciatur publice quod omnes conveniant ad festum vigesima die Octobris.

XV Quod Fratres celebravere officia.

XVI Ornatur ecclesia palliis et aliis rebus.

XVII Quod post occasum solis clerici convenere ad vigilias.

XVIII Quod quidam sacerdos liberatus est a febre quartana.

XIX Quod in die festi dedit Dominus serenitatem super faciem terræ.

C XX De fertilitate anni quando reliquiæ sunt inventæ.

XXI Quod Dominus ad festum omnia contulit opportuna et fecit adesse Fratres Minores.

XXII Quod in die festivitatis monstratæ sunt reliquiæ populo.

XXIII Quod in die festi Petrus Sutrinus episcopus celebravit.

XXIV Quod in die festo interfuere Missæ bene ducenti Fratres Minores.

XXV Quod in Missa quodammodo Martyres allocuti sunt populum.

XXVI Quod, finitis officiis et indulgentia concessa, populi sunt reversi.

XXVII Quod divisæ sunt reliquiæ et quibus locis reconditæ.

XXVIII Quod cereus pluribus diebus ardens ante fenestram modico se consumpsit.

XXIX Quod idem cereus extinctus fuit accensus lumine cœlitus misso.

XXX De sphera extincta et post mirabiliter accensa.

XXXI De Juvene cadente de arbore et sanato.

XXXII *Epilogus.*

D

INVENTIO CORPORUM
SS. JOANNIS ET MARCIANI MARTYRUM

SEU DIADEMA IN FESTO EDUCTIONIS SIVE REVELATIONIS RELIQUIARUM SANCTORUM JOANNIS ET MARCIANI.

Auctore Indie Placentino: ex collectione Cardinalis S. Severinæ.

Omnipotens Dominus, de cujus pectore sanctorum vultus minime dilabuntur, utpote quum sint ipsius manibus Domini Jesu Christi coram suis oculis in æterna memoria jam conscripti, nam et sicut mater pia filiorum, sic sanctorum Dominus recordatur: quos enim in aula cœlesti suis fecit aspectibus gloriosos, in terris interdum non patitur ingloriosos permanere; ipse ergo non sinit devotione hominum defraudari, ut exinde E tribuatur honor debitus ipsis regnantibus in ecclesia triumphanti et ipsorum precibus in ecclesia militanti fidelibus misericorditer crimina relaxentur; incitate quoque deducantur de virtutibus ad virtutes, donec perveniatur ad consortia Beatorum. Itaque cum sanctorum Joannis et Martiani requiescant in Civitate Castellana *a* corpora gloriosa et apud urbis ejusdem cives universos esset ipsorum memoria quasi jam sepulta, tantæ oblivionis dispendium noluit Dominus ulterius sustinere. In mentibus tamen dictæ urbis nitescebant scintillulæ veritatis. Etiam apud eos certo certius habebatur quod in ecclesia cathedrali sub altari majori requiescebant reliquiæ memoratæ; quia testabantur se a prædecessoribus audivisse quod reconditæ ibidem, se videntibus, extiterunt. Libellus *b* etiam in eadem ecclesia penitus indicabat, quod tempore Crescentiani *c* episcopi delata fuerunt in civitatem præfatam dictorum Martyrum corpora veneranda, et quod in sui delatione miraculis plurimis effulserunt. Sed licet per hæc esset satis rei veritas manifesta, ipsa tamen populi universitas ignorabat, sicque per ignorantiam patronis suis obsequium debitum subtrahebat. Propter F hoc populus non modico tempore peccaverunt, nec potuerunt ignorantia excusari, quin pœna deberent affici competenti. Nam si patronis carnalibus est a libertis obsequium debitum impendendum secundum instituta juris civilis *d*, quod in hac parte a naturali non discrepat ratione, ipsos a pœnis nulla hactenus ignorantia subtrahente, cum in ea re rusticitati venia non donetur, cum naturali satione honor personis hujusmodi debeatur; multo fortius patroni spirituales, qui jam cœlestibus in sedibus honorantur, sunt in terris a suis libertis totis juribus honorandi; et sic multo minus libertis ignorantia patrocinium largietur, si patronos tales debitis obsequiis non honorent. Error enim et ignorantia, circa quæ tenetur scientia naturaliter, non excusat; nam juxta verbum Apostoli, recte ignorabitur qui ignorat; debent namque homines circa sui salutem, circa sanctorum obsequium et suorum præcipue patronorum desides non esse aliquatenus negligenter; sed eos esse admodum convenit curiosos; recogitare debent sæpius et in mente revolvere diligenter, si suæ patriæ locus alicujus sit sanctorum patrocinio deputatus: Dominus enim orbem

Quum in oblivione jacerent S. Marciani et Joannis corpora, et ex multis tamen indiciis de loco constaret,

A orbem terrarum Sanctis distribuit universum et Sanctorum singulis in præclaris funiculis ceciderunt : sicut namque Apostolorum principi Roma caput obvenit in partem, sic Sanctorum plurimi orbis in orbe vecti sunt portionem, sic oportet ut paucis agamus quod Castellanam numerati Martyres nacti sunt Civitatem. Ne igitur sicut prædiximus ulterius obligatio (oblivio?) Sanctorum damnorum dispendia parturiret, videlicet quod honorem Sanctis subtraheret et occasione peccandi præbita dictis civibus pœnam criminis irrogaret, et ne latitaret ultra thesaurus admodum pretiosus, in mente
e Petri *e*, Castellanæ tunc ecclesiæ præsidentis, in corde quoque canonicorum et aliorum quam plurimorum fidelium Dominus inspiravit tam clericorum quam et laïcorum ut pro inveniendis eorumdem Martyrum corporibus inquisitio diligenter haberetur. Hoc idem et prædecessores et plures patres in eadem civitate facere diutius optavere, sed nullus ad effectum ducere ausus fuit; videbatur namque cunctis prudentibus circa istud negotium labor nimius imminere, et non posse aliquatenus
f effectui mancipari sine altaris pretiosi et sui ciborii *f* læsione, nisi forte cum difficultate maxima et maxi-
B ma tarditate; unde propter hoc ab hoc opere se plurimi retraxerunt.

jussit Petrus, Civitatis Castellanæ episcopus, fodi; post hebdomadam reperiuntur,

2 Mandavit itaque memoratus præsul fodi et inquiri pro inveniendis reliquiis memoratis; unde tamen fossura competentius fieret, etiam docti fabri cœmentarii dubitabant. Verum quod est auditu mirabile, is, cui hoc opus est injunctum, licet etiam per totam hebdomadem laborando nulla spes inveniendi eos in cordibus resideret, post altare majus fodiens, brevi horula, faciente Domino, adinvenit. Itaque merito potest dici, voluntas Dei fuit ut tam cito sibi occurreret quod volebat; propter hoc etiam nos in secundo diade-
g mate *g* mente piguimus referendo :

Hos procul esse diu sperastis, sed cito vobis
Tamquam præsentes fecit adesse Deus.

Inquirentibus sua corpora quasi se Martyres obtulerunt, ne diffidentiam labor pareret inquirendi.

gratissimum spirantia odorem,

3 Invento reliquiarum scriniolo et quasi per rimulam inspecto, et inquisitore in fodiendo interim subsistente, quousque postea in multorum præsentia solemniter et humiliter est educta, ecclesia tota statim ex odore sanctorum corporum
h mirabili mirabiliter est repleta *h*. Cui compararetur
C tam pretiosus odor ignorabatur; nam muscum vincebat, nardum et aromata pretiosissima superabat. Narro quod audivi, recito quod persensi, nam plus odoris sentiebant in ecclesia dicta procul ab aromatibus commorantes, quam qui propius assistebant. Clausa est rimula studio diligenti, fossuraque repleta est cœmentis et ad revelationis vel abductionis sanctarum reliquiarum festum celebre celebrandum dies quæsitus est opportunus. Quod autem Sanctorum reliquiis odor tam suavissimus emanaret, clausura rimulæ indicavit; nam post ipsam odor evanuit gratiosus.

anno 1230, die 18 Septembris;

4 Anno vero nativitatis Domini Jesu Christi millesimi ducentesimi tricesimi, mensisque Septembris dies octavus decimus tunc currebat, quando facta est inventio supradicta, pontificatu Domini Gregorii papæ noni, regnante Federico
i Romanorum imperatore indictione quarta *i*.

extrahuntur die 18 Octobris; præsentibus Joanne Parente O FF. MM. Generali, Potestate civitatis, auctore, multisque aliis:

5 Post hæc autem anno eodem mensis Octobris die octava decima episcopus Petrus, natione quidem Tudertinus, qui dudum fuerat abbas Faleritanus *k*, una cum suis canonicis convocatus ad hoc, et astante fratre Joanne parente *l* Ordinis Minorum fratrum ecclesiæ generali ministro et alio suo fratre monachisque duobus, et Joanne Sfortia archipresbytero sanctæ Mariæ de Arcu *m* et civitatis pluribus capellanis, necnon Matthæo vicecomite civitatis per dominum Matthæum Rubeum potestatem *n*, consiliariisque pluribus hujus urbis, me quoque qui hæc scripsi Iudie Placentino *o*, in præsentia quoque aliorum multorum Christi fidelium, tam clericorum quam etiam laïcorum, jejuna saliva, ex illa parte altaris, qua pridem extiterat inquisitum, latius fodi fecit, sicut ad extractionem cassulæ necessarium videbatur. m n o

apparent in sepulcro germinantia grana;

6 Cum sic foderetur, dum hæc cum celebratione divini officii, cum crucibus et incensariis devote et humiliter agerentur, divinum quod miraculum, prout opinati sunt plurimi, comparuit in oculis singulorum : sub structura enim palmenti prope cassulam *p* sæpe dictam intra cœmenta siccissima frumenti et hordei grana visa sunt pullulasse, sicut consueverunt in agris pinguibus et cultis studiosius pullulare Ob hoc tunc præsul memor alterius miraculi, quod Dominus fecerat, cum in nostram civitatem dictorum martyrum corpora sunt translata, propter similitudinem miraculi retuli[t] sapientius : Ecce jam florent, quæ diu dudum in Sanctorum adventu lilia floruerunt *q*. E q

episcopus in omnium conspectum profert capsulam.

7 Quid plura? quid ulterius cupientes animos in suspendio detinemus? Jam visi sunt reges, jam visa corpora pretiosa, inclinat se præsul, et omnis astans turba humiliter se prosternit. *Te Deum* dicitur alta voce et *Kyrie eleison* *r* resonat in gutture clericorum. Accesserunt tunc populi, nostris proceribus occurrentibus desub altari, nostris regibus et patronis suam plebem visitare volentibus obviantes : occurrerunt devotissime parentibus nostris venientibus cum virtute, cum miraculis, cum triumpho. Vident eos vestibus roseis circumcinctos, cernunt eos velut florem roseum rubicundos; suscipit præsul cassulam reverentur, et de altaris camerula producens in templi aulam, deducit omnibus intuendam. Hæc quidem vetustatis nullum senserat detrimentum, nisi quod ferrei vectes, quibus sic operculum jungebatur, fuerunt fere rubigine jam coasumpti *s*.

in cujus operculo apparent gemmæ,

8 In operculo cassulæ prælibato impressæ quædam gemmulæ videbantur, quæ miro modo suo decore, suæ spissitudinis adornatu operculum decorabant. Has cum virorum plurimi conspexissent, et cujusmodi forent gemmæ discernere niterentur, nullus agnoscere potuit hujusmodi mirabiles margaritas; sed cum postmodum digitis palparentur et ad tactus evanescerent, sine mora fuit omnibus manifestum pariter quod in honorem Sanctorum tales ampullulas ut gemmulas miraculose fecit Dominus comparere. F

et quæ, a sex custodita viris,

9 In palam fit Sanctorum reliquiarum cassula; jam deducta, custodienda sex custodibus est commissa, quorum tres canonici, reliqui vero laici vitæ commendabilis extiterunt Ii juramento astricti fuere Sanctorum corpora et reliquias diligentius custodire et quod ex eis nihil minuerent nihilque diminui paterentur.

in throno exponitur.

10 Ecce jam throni positi sunt, jam faldistoria collocata, quibus reges martyres sedeant; per ostensiones reliquiarum suarum cunctis sui copiam præbuere.

Invitatio ad populum.

11 Igitur egredimini, filiæ civitatis, et occurrite festinanter videre patronos vestros, patres cernere piissimos et reges sublimes, advertite coronatos diademate lapidis pretiosi, quo eos die sui martyrii Deus coronavit; tantis Dominis agite diem festum, et quod per ignorantiam seu negligentiam diutius peccavistis, ipsis jam solemnia celebrantes emendare

AUCTORE INDIE PLACENTINO.

emendare totis viribus laboretis, pro tantorum memoria et honore diem solemnem nobis anniversarium statuatis, et omnibus venturis generationibus filiorum : nam quodammodo facie ad faciem, sicut nobis, sic generationi omni quæ ventura est præfati comparebunt. Ecce ad invicem viri conferant et matronæ colloquantur, quod reges martyres in aulam Summæ Virginis *l* advenerunt, id est quod reliquiarum cassula jam sit omnibus manifesta.

Infirmus convalescit;

12 Interea dum talia referuntur ad infirmum quemdam, qui renes modo angustiis torquebatur, fama reliquiarum nostrorum martyrum convaluit ; qui protinus mente tota inter angustiarum pressuras eorumdem martyrum patrocinio se subjecit devote postulans ipsorum meritis adjuvari. Post hæc dum phantastici soporis requie modicum uteretur, astitit sibi vultu placido, reverenter dicens : Surge, quia sospitatis munera recepisti. Unde protenus evigilans et astantibus referens, se jam sanitatis dona gratissima recepisse, quia bonum sibi bonus nuntius nuntiavit, cuncta quæ sic viderat per ordinem patefecit. sicque post verba tam salutifera viri venerabilis infirmum in somnio alloquentis, rei secutus B est pariter effectus.

medici manus et oculi cujusdam feminæ curantur.

13 Fuit et tunc vir quidam medicæ artis, cui dici pôtuit : Medice, cura teipsum, qui ob casum fractam manum tempore non modico brachio pondus inutile deferebat, utpote manu quasi arida, vel officio potius, deputato manibus, penitus destituta. Hic ut devote ad sanctorum reliquias festinavit, non præsumptionis audacia, sed devotione cordis intima suggerente, brachium cum manu inutili sub altare unde reliquiæ fuerant eductæ immisit, quemdam calorem cœpit protinus præsentire velut aquæ calidæ brachio superfusæ, quem usque ad manum sibi visum est descendisse, sicque cœpit manus articulos commovere, vires manus calore hujuscemodi ministrante ; ex hujusmodi calore per brachium manumque sudoris guttulæ manaverunt, sicque viri dicti manus sanitati pristinæ restituta. Unde factum est ut seipsum medicus non curaret, sed Sanctorum meritis curaretur cum misericordia redemptoris. Anus quædam, quæ non erat lumine penitus viduata, sed a carentibus lumine modicum differebat, nam et sicut ipsius relatu didicimus, astra quæcumque nitentia cernere non valebat, et sine prævduce incedere non poterat, sole maxime C occubante ; et ad plura vitæ suæ necessaria conspicienda vires sibi caligantes oculi denegabant ; moxque coram Sanctorum reliquiis humiliter se prostravit, moxque cassulam reliquiarum oculis attigit, factoque venerabili signo crucis, recepit luminis claritatem, ita ut cuncta cerneret opportuna et ut umbra sua (referamus) etiam videndo filium in acum mittere potens esset ; et cuncta, quæ prius videre non poterat, jam videt.

Festum translationis indicitur in 20 Octobris ;

14 His ita gestis, inculcatur in auribus singulorum et præco in capite viarum clamitat quod ad obsequium patrum nostrorum præparentur omnes ad ipsorum sacra solemnia celebranda Octobris mense die vigesima ; in cytharis et organis, in tympanis et choris, in canticis et hymnis populus conveniat universus. Petrus Sutrinus episcopus *u* huc compellatus occurrit et Fratrum Minorum bene ducentorum *x* numero venerabilis et beata caterva, cui frater Joannes Parens præfuit, huc reverenter accessit, et innumerabilis populus confluxit undique catervatim.

cui pridie initium datur

15 Anticipatur dies solemnis et lucescente sabbato vespertinis horis ab ecclesia sanctæ Mariæ de Communi Fratres Minores, quos prædiximus, ad templum Summæ Virginis Sanctorum reliquias, D olivarum ramos manibus deferentes venerunt, ordine litterato. Ii astante populi multitudine juxta pulpita, vespertina officia coram Sanctorum reliquiis celebrarunt, tribus cereis (inter quos unus eminentior extitit, quos idem frater Joannes confici fecerat) in honorem martyrum gratiose splendentibus. Finitis officiis vespertinis, relinquuntur cerei memorati coram nostris martyribus et patronis, et fratres dicti ad ecclesiam unde processerunt sunt reversi.

in templo quam maxime ornato;

16 Cathedralis templi dotes, satis suo speculo renitentis, adaugentur palliis late splendentibus, et purpura et non paucis crucibus argenteis deauratis, pluribusque argenteis thuribulis circumpositis ad ornatum, serpillum cum lauro spargitur, et ornatus templi quæritur studiose : præclara domus est, qua meruerunt dictorum martyrum corpora collocari, de cujus specie, quia versifice dicimus, prosaice in præsentiarum dicere conticemus.

post solis occasum celebrantur vigiliæ.

17 Occumbente sole, devotus totius civitatis clerus convenit in ecclesia sæpe dicta aliorumque clericorum advena multitudo, et in vigiliarum celebrandis officiis vigilaverunt gutture mellifluo melos dulcisonum resonando. E

intra quas sacerdos quartana liberatur ;

18 Intererat tunc quidam sacerdos, quem quartana febris diutius fatigarat, et ad quartanam deduxerat seu quartanam texerat quasi falcidiam desulcando. Hic quia in accessionis febrilis hora tamquam advenientis hostis satellites sua spiracula (spicula ?) jacientes secum pugnaturos, sicut diu persenseral, sentiebat, proponebat infirmitatis lectum repetere, officiis derelictis; et qui paulo ante sonoros modos in honorem martyrum resonarat, ipsos modos flebiles convertere cogebatur, planctumque procantu ducere jam peracto et miserabiles elegos miserabiliter resonare. Sed exhortatus a quodam ut ad officia celebranda in honorem Sanctorum remaneret, dicente sibi quia Dominus pro sanctis suis sibi sospitatis munera largiretur, devote remansit, et divina cum clericis aliis officia celebravit. Mira refero, quia mira Dominus est pro sanctis suis operatus et consolationem tribuit post mœrorem : præfatus presbyter in honorem Sanctorum de manu Domini recepit continuo sospitatem, hostilis febris satellitibus procul pulsis; et, sic Sanctorum meritis Domino faciente, quartana febris ulterius discrasiam non persensit. F

per noctem vigilatur in templo ; tempus fit serenum;

19 Totius noctis tempore tam clerus quam populi multitudo expendit in Sanctorum obsequiis vigilando; nocteque fugata, mensis Octobris vigesimum diem sol reduxit, diem nobis desideratum, diem jucundum, diem splendidum et festivum ; illum diem fecit Dominus ; illum diem Sanctorum suorum festivitatibus deputavit obtentu Martyrum beatorum ; tunc dies, ceu si currerent veris jucundi tempore, subriserunt ; tunc hyems transiit, imber abiit et recessit, elementa ipsa tunc Sanctis obsequiorum debita persolverunt, pluviosis imbribus propulsis; fuerat enim diebus præcedentibus tanta inundantia pluviarum, quod tantum festum videbatur sapientibus in posterum differendum, quia humano sensu non poterat cogitari, ut (sicut decebat) dies agi posset solemniter tam festivus. Sed omnipotens Dominus, qui noctis tenebras convertere potest in diei lucidæ claritatem, quique potest pruinæ tempora in æstivos calores commutare, ne sibi tantum, ne secundum sapientes ex hoc pigritarentur, seu ex hoc sumerent occasionem diem festum in posterum protrahendi, et ut omnes cognoscerent manifeste quia pro sanctis suis Dominus curam habet et quod apud mortales non vult

A vult illos inglorios permanere, induxit serenitatem super faciem orbis terræ, solem suum faciens floride innitere, sicut parte anni floridi consuevit.

annus hujus solemnitatis fuit uberrimus;

20 Annus ille, qui diem peperit memoratum, cunctisque in futurum temporibus memorandum, sic fertilis exstitit in omnibus et fœcundus quod parem non habuit in temporibus tunc inventum. Fuit enim abundantia panis, vino torcularia redundarunt, superabundavit oleum non deficiens in
y lechyto *y*, virgulta etiam sterilia et arbusculæ quælibet fructus gratissimos produxerunt. Unde potuit recte dici quod retulit eximius poeta.

Nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbor.
Nunc frondent silvæ, nunc formosissimus annus.
Molli paulatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

ingens multitudo celebritati interest,

21 Ad diem tantæ festivitatis dives Dominus effudit copiam pleno cornu, et omnia contulit opportuna, largitus est divitias, et benigna tempora condonavit; Fratres Minores non paucos fecit in terra nostra comparere flosculos; sic igitur omnibus concurrentibus opportune, ut populus non modicus concurreret in honorem Sanctorum vota solemnia
B deferentes.

cui ostenduntur Martyrum reliquiæ;

22 Tunc Sanctorum reliquiæ, in cassula collocatæ, venerabiliter demonstratæ sunt populo circumstanti; tunc propter hoc nostri principes et patroni, quasi suis soliis seu faldistoriis consistentes, hanc plebem jucunda facie reviderunt; tunc etiam devote, ut decuit, suus eos populus inenarrabili desiderio adiverunt poplitibus flexis et capitibus inclinatis; quale fessis in gramine sopor, quale sitim restinguere sitibundis in æstivo calore dulcis aquæ rivo saliente, qualesque sunt boni nuntii venientes de longinquo, tales nostri martyres suis civibus exstiterunt; juvenes et virgines, senes cum junioribus plaudentes manibus in honorem martyrum, Dominum laudaverunt frontes frondibus coronati; jubilum Sanctis resonavit organum clericorum, et ex infantium et ex ore lactentium laudem Sanctorum suorum Dominus tunc perfecit.

Petrus, episcopus Sutrinus, celebrat Missam;

23 In tam solemni cura, in tam conventu populi glorioso, in tam festivo cœtu, pro quasi concionatores esse nostros martyres condecebat, missarum (ut decuit) fuere solemnia, per Petrum Sutrinum præsu-
C lem celebrata.

*ducenti adsunt FF. Minores cum cereis; * pro dum an ad laudem?*

24 Licet autem in tam celebri festo cuncta concurrerent exquisite, tamen Minorum Fratrum ducentorum chorus venerabilis, quem prædiximus, dum * Sanctorum præcipue festinavit; quorum singuli, quousque missarum officia sunt finita, candelas tenuerunt lumine renitentes. Ii convenerunt in unum, et locum qui est ad altaris majoris dexteram in ingressu templi ante altare sancti Andreæ soli, viris aliis exclusis, impleruut. Quam vero mirabiliter quamque gloriosus ipsorum chorus omnibus compareret, magis sensu potest percipi quam locutionibus exprimi vel relatu. Videbatur namque tamquam chorus candidus Angelorum et sicut Sanctorum exercitus candidatus, velutque viri inhabitantes Domini paradisum.

Sutrinus episcopus concionem habet, et duo anni indulgentiæ conceduntur;

z

25 Inter sacra missarum solemnia cœtum per ostensionem suorum corporum quasi quodam locutionis genere sunt martyres allocuti, et vice ipsorum tamquam proprius logotheta vel etiam drugumanus *z*, Sutrinus episcopus sæpe dictus prædicans convocando populum est affatus. In eloquii sui fine jactavit spiritualia missilia, sicut jactare in vulgus reges et principes consuerunt. Largitus est munera populis, qui ad natalem Sanctorum convenerant reverenter, et dona largiflua condonavit. Ex Dei enim omnipotentis parte et beatæ Mariæ semper Virginis, sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli honorem Martyrum prædictorum tam ipse quam præfatus præsul civitatis nostræ omnibus qui venerant et ad octo dies venturis duos annos *aa* aa
de injucta eis pœnitentia relaxarunt, et exinde semper in anniversario venturis duplicatorum quadraginta dierum remissionis peccatorum munera sunt largiti.

AUCTORE INDIE PLACENTINO.

per octavam accurrere pergit populus pro indulgentia;

26 Finitis officiis et tam solemnitatis insignis obsequiis devotione debita celebratis, donati non modico munere, recepto a martyribus commeatu, populi cum gaudio ad propria sunt reversi, actiones gratiarum referentes. Post hæc etiam quousque dies octavus laberetur ad remissionis munera obtinenda concurrit hominum non modica multitudo, et ipse dies octavus Sanctis celebris et festivus extitit.

pars reliquiarum iterum conditur sub altari, alia pars reservatur pro annua ostensione;

27 Omnibus rite peractis, sicut devotionis honor debitus exigebat, major pars reliquiarum sub altari (unde prius eductæ fuerant) fuit in scriniolo venerabiliter collocata, omnibus tabulis primæ cassulæ reliquiarum pariter intromissis, et in
E fissura, quæ facta fuerat gratia educendarum reliquiarum, structura priori firmior est inducta, injectis molario lapide saxisque vivis ab his quæ sunt silicibus duriora. Quædam vero particula in scriniolo fuit ad manus clausa fideliter reservata; capitis autem ossa et alia quædam de majoribus, ut per annuam ostentionem ipsorum foret semper Sanctorum memoria rediviva, fideli clausa scriniolo, in fenestra de novo facta inter duas tribunas fuerunt humiliter et devotissime collocata.

cereus ardet et parum consumitur,

28 Tunc autem ante ipsam fenestram, sera firmatam, cereus eminentior, quem prædiximus, est delatus; ibique ardens pariter est derelictus; comburens ibi continue diebus pluribus, quod mirum est, modice se consumpsit; sed quod est mirabilius jam describam.

et extinctus cœlitus accenditur

29 Dum post multos dies ventus validus flaret valide super terram, et suis flatibus, quos ore rubeo fundebat, nedum arborum cacumina, sed ipsas arbores reverberans commoveret, licet hora non parva se tuentem, licet etiam satis contra ipsius spiramina reluctantem, demum tamen extinxit cereum memoratum. Sic mœrens et dolens obscura fronte coram Sanctorum reliquiis existebat; continuo autem de
F cœlo miraculum est exortum: nam manus mirabilis, manus admodum speciosa, manus cœlesti prodigio decorata, clausa prodiit de fenestra, et accensam candelam producens accendensque cereum memoratum, cœlesti lumine illustravit et reddidit Sanctorum obsequio renitentem.

lampas extincta mire item accenditur.

30 Sed quid moror referre miraculum, quod plurimi conspexere, quod manifestum fuit in oculis plurimorum? Dominico quodam die, cum missarum celebrarentur divina mysteria, æditiius spheram *bb*, quæ in honorem martyrum coram bb
dicta fenestra consuevit assidue relucere, fune laxato, quo pendens nunc in altam trahitur, nunc (ut condecet) in infima relaxatur, accendit; et dum pluribus intentus ad alia festinaret, funem traxit superius impetu violento, sicque quasimedia parte recursus spheræ superius faciendi extinxit jam renitens luminare; et tamen inscius hujus rei, non destitit spheram licet extinctam ad altiora trahere ad locum, quo sibi meta erat more solito dependenti; et ligato fune properans alio, spheram dimiserat sic extinctam. Quod factum cum tam canonicorum quam laicorum plurimi conspexissent, sed eidem non modicum objurgati post ipsum unanimiter

AUCTORE INDIE PLACENTINO.

unanimiter conclamarent ut ad lampadem accendendam rediret, aliis prætermissis; sed cum hoc ille negligeret, parum clamantium vocibus exauditis, ad hoc agendum bis alius præcucurrit; quo ad inferiora spheram deducere perutudente, loco quasi eodem, quo extincta fuerat, a cunctis visa est cœlesti miraculo igne misso cœlitus renitere.

juvenis lapsus ex arbore sanatur

31 Ante hoc autem extitit quidam juvenis, qui cum sociis et comparibus juveniliter evagatur, non ascendit in palmam ut colligeret fructus ejus, sed ascendit in arborem ruiturus. Hic dum ad poma noxia manus extenderet, ascendendo quanto plus in altum, extrema quæque poma capere visus fuit, tanto ad infima dilabendo ruinæ majoris sustinuit detrimentum: istum, dum rueret, arboris sudes et stipites graviter vulnerarunt, sic tam vulneribus quam casu gravissimo semivivus humotenus jacuit consternatus et mente penitus alienus. Post hæc autem dum modicum palpitaret et in ipso mentis scintillula modicissime reniteret, cœpit aliquantulum nostrorum martyrum recordari, quos totis se cordis nisibus recommendans devotissime flagitabat ut sibi succurrere dignarentur. Hoc intra mentis arcana precibus postulato, in verba prorumpere non vale-
B bat, vires ad redeundum sibi sunt protinus restitutæ sicque qui plurimorum manibus vix poterat bajulari, suis innitens pedibus, Sanctorum meritis ad propria repedavit, et post hæc recepit mentis et corporis sospitatem.

Epilogus.

32 Hæc quæ fideli stylo conscripsimus et alia plurima miracula, quæ scimus et nescimus, in loco, quem Deus eis tradidit ut in eo mirabilia faciant, nostri sunt martyres operati et in honore ipsorum Deus quotidie operatur: sed hæc paucissima scripsimus ut credatis, et nostrorum martyrum patrocinia opportuno tempore piis mentibus postuletis. Verum quid mirum, si pro talibus talia Dominus operetur, cum in ipsius oculis gratiam et benevolentiam invenerunt singularem? Quis unquam Sanctorum talia obtinuit in oculis Creatoris, ut potitus vita corporis ipsam resumeret requiescens, et resumptam momentaneam et caducam temporis in momento ad æternam pro fide Christi moriens commutaret? Quis unquam exstinctum filium vivere peroptavit, ut eumdem continuoque pro Christi nomine traderet moriturum? Hæc duo specularia in nostris floribus legimus et in ictu oculi eos in suum cubiculum Dominus introduxit et ipsos
C in cœlestem regiam deportavit, æternaliter secum in gloria regnaturos. Gaudeamus igitur, in Domino gaudeamus quod procerum nostrorum gloriæ detulerimus et honori. Vos quoque, sancte pater et præsul reverende, una cum canonicorum cœtu venerabili gaudeatis, digni tanto honore tantaque reperti felicitate ut sanctorum Martyrum corpora tractaretis utque vestris temporibus festa vetera et quasi consumpta tempore novarentur et nobis agentibus indeficienti memoria fiant cunctis venturis generationibus rediviva. Nec minus et tu, Civitatis Castellanæ popule, collæteris, quoniam parentes gloriosi, qui quodammodo usque nunc tibi mortui fuerant, revixere, perierant et nunc sunt gloriosius adinventi; jam fortes, jam gloriosos, jam revidisti patronos, potentia sublimatos, quorum devotioni et obsequiis lapsu temporis introducta damnosa oblivio te subtraxit. His itaque redimentes transacti temporis negligentiam, impendamus grata obsequia vigilanter; hic cum floribus et palmis occurramus coronis tempora redimiti, hos in choreis festivis, hos semper in canticis et D
hymnis, hos in tympano et choro laudibus prosequamur, istorum semper flagitemus patrociniis adjuvari, istorum semper sub præsidium concurramus, ad eos confugiamus opportunis temporibus confidenter velut ad viros nostræ navis gubernacula possidentes; de ipsorum tutela præ cunctis transitoriis confidamus et ipsa respectu muniminis ipsorum et virium quasi stercora reputemus. Nam licet urbs nostra suo satis munimine sit famosa, licet riparum munimine fere quaslibet antecellat, et sua sede satis sedeat speciosa *cc*, licet quoque multarum commoditatum dotibus edotetur; istorum tamen martyrum potentia plenius munitur; istorum splendoribus illustrata, nitida plus refulget, et ipsorum copia commoditatum quarumlibet dotibus plus abundat. His ego viris occurrens, humiliter hæc quæ potui duo diademata velut duo minitta *dd* offero prosaicis metricisque floribus internexa et miraculorum gemmata pretiosissimis margaritis. Hæc, pater sancte et venerabilis, Petre præsul, in honorem Sanctorum et gloriam sunt connexa; de manu servuli Sanctorum vestraeque pietatis benigne suscipite, repræsentate martyribus, eaque diebus festis ipsorum in eorum decorem et glo- E
riam perenniter conservate; me quoque insuper cum tota plebe, vobis commissa, vestris meritis et precibus sub eorumdem beatorum martyrum præsidio collocetis; ut ipsorum patrociniis adjuti, liberemur ab instantibus periculis in præsenti, et in futuro ad æternam vitam pariter perducamur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat benedictus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Civitas Castellana *probe distinguenda est a Tiferno, quæ vulgo* Città di Castello *dicitur et cujus historiam ecclesiasticam et civilem* (1) *Muzi anno* 1842 *edidit. Porro* Civitas Castellana, *vulgo* Cività Castellana, urbs est Tusciæ supino in colle posita, quem rursus circumadjectæ rupes exasperant, nec accedere hostes permittunt. Parum a via Flaminia distat, quin et collis, ubi illa sedet, ipsi imminet (2). *De ejus origine, fatis et unitione cum sedibus episcopalibus Polymartiana, Faleritana, Gallesiana et Hortana disputent alii. Tifernum vero seu* Città di F
Castello *jacet in finibus occidentalibus provinciæ Umbriæ ad plagas septentrionales Apennini, ejusque territorium nascentis Tiberis undis secatur* (3). *Utraque vero ad status pontificios pertinet, illa in delegatione Viterbiensi, hæc in Perusina.*

b *Hunc libellum editum habes in Actis SS. ad diem* 16 *Septembris* (4).

c *Hic Crescentianus ex libello de Translatione SS. Martyrum tantum innotescere videtur, et nullus ante eum Castellanensis episcopus in historia apparere dicitur* (5). *Hunc expungere voluit Coletus* (6) *et inter Faleritanos referre; sed minus feliciter, quum historia tum secundæ tum tertiæ translationis eum aperte Castellanensem episcopum faciat. Translatio autem de qua hic sermo, celebrata fuit die* XII *Januarii anni* 1001. *Vide supra Commentarium prævium, num.* 2.

d *Hinc liquet scriptorem juris peritum fuisse. De ingratis libertis multæ gravesque leges latæ fuerunt; quos operæ pretium non est hic recensere.*

(1) Memorie ecclesiastiche e civile di Città di Castello.—(2) Franc. Orlendius, Orbis et sacer et profanus, part. II, vol. I, p. 628. — (3) Muzi, Memorie, t. I, p. 1. — (4) T. V Sept., p. 305. — (5) Ughelli, Ital. sacr., t. I, col. 596, edit. Colei. — (6) Episcop. antiquati, in Ughellii append., t. X, col. 91.

Adeat

A *Adeat lector, si lubet Petiscum* (1), *Gothofredum* (2) *aliosve.*

e *Ughellius ad annum* 1015 *refert Petrum primum Castellanæ Civitatis episcopum, ad annum* 1059 *alium Petrum, ad annum* 1126 *tertium et ad annum* 1179 *quartum. Quum vero ad tempora translationi nostræ proxima devenit, hæc habet* (3) : N. civitatis Castellanæ episcopus consecratus ab Honorio III, an. 1217, Pontificatus IV; ex Reg. Vatic. *Et dein :* Nicolaus ille est, qui a Gregorio IX ad Viterbiensem ecclesiam translatus est an. 1233 ex bulla ejusdem pontificis, ut in ejusdem regesto cernere est. Huic idem pontifex scribit... anno V sui pontificatus, *qui a die* 21 *Martii anni* 1227 *initia ducebat* (4); *adeoque anno* 1232 *seu principio sequentis Nicolaus Civitate Castellana sedebat. Manifestum est itaque inter N. et Nicolaum inserendum esse Petrum V, eumque non diu post translatas SS. Martyrum reliquias vita functum.*

f *Altaris constructio ex tabulis sepulcrorum SS. Martyrum intelligi potest ex num.* 3 *Commentarii prævii. Ciborium vero est umbraculum altaris, quatuor columnis sustentatum* (5); *iisdem verisimiliter, quæ in ecclesia Arinianensi repertæ fuerant* (6).

B g *Cfr Comment. præv. num.* 4.

h *Negare nolim miraculum id fuisse ; verumtamen quum olim aromatibus sæpius condirentur sacræ reliquiæ, uti et nunc in dedicatione ecclesiarum eis thus apponitur, quumque clausa omnino mansisset capsula, fieri posset ut hæc fragrantia naturali causæ adscribenda foret.*

i *Intelligit indictionem Constantinopolitanam, quæ exordium habebat a die* 1 *Septembris, et proin quatuor mensibus ante communem.*

k *Erat olim episcopatus; cujus historiam exhibet Coletus* (7). *Ab anno saltem* 1033 *unitus fuit cum episcopatu Civitatis Castellanæ* (8). *Post hanc unitionem pristinum capitulum procul dubio remansit; cui Petrus præesse potuit cum titulo abbatis : quem titulum æque ad canonicos ac ad monachos pertinuisse ex Cangio certum, et ex professo demonstratur a Le Large* (9) *aliisque. Verumtamen erat etiam tunc temporis Faleræ in diœcesi Castellanensi seu Faleriæ monasterium Cisterciense, de quo sat pauca habet Manrique in tribus primis Annalium Cisterciensium tomis et post eum Lubinus in brevi Notitia abbatiarum Italiæ.*

l *Joannes Parens, antea Minister Hispaniæ, na-*
C *tione Florentinus, vir sanctus et justus, paulo ante et quidem æstate anni* 1230 *substitutus fuerat celeberrimo F. Eliæ exauctorato* (10).

m *In Italia et Sicilia plures reperio ecclesias, quibus S. Mariæ de Arcu nomen erat, quod prope arcus triumphales aliosve constructæ essent ; sed quum ille Joannes Sfortia alibi mihi non occurrat, nescio de quo loco hic sit sermo.*

n *Habes hic regimen civile civitatis.* Potestas *vox antiqua est pro magistratu civili ; sed sæculo maxime* XII *et deinceps invaluit ut hoc vocabulo nova magistratus forma designaretur. Ut enim vitarentur jurgia ex electione civium in consules oriri solita, boni consultum est, ut viro probo et prudenti, adeoque extero ne ullo studio partium moveretur, magistratus partes in annum concrederentur, atque hic dictus est* potestas. *De ea re multa disseruit Muratorius* (11).

o *Cfr Comment. præv. num.* 4. D

p Cassula *et* palmentum *sæpius in hoc scripto occurrunt.* Cassula *idem est ac* capsula, *ut ex opere nostro notatum est in supplemento Cangii. Sed quid* palmentum? *Apud Cangium et in ejus supplemento venit, pro* torculari, *ab italico* palmento. *Verum torcular hic ad rem non facit. Ast Grævius plures* (12) *collegit inscriptiones veteres, in quibus* palmentum *pro* pavimento *venit ; adeo ut grana frumenti et hordei jacuerint oportet infra pavimentum altaris, et germinaverint per rimas ita ut culmi circum cassulam apparerent. Cfr Commentarius prævius, num.* 3.

q *Prodigium, ad quod hic alluditur, refertur in historia prioris translationis* (13). *Quum scilicet in ecclesia S. Hippolyti reliquiæ quiescerent, lilia arida, quæ ibidem servabantur, hiemali tempore refloruisse traduntur.*

r *Similis ritus observatur in Dedicatione ecclesiarum ; in qua solemnitate* Kyrie eleison *a clero et populo clamatur, quamdiu reliquiæ sanctorum circum ecclesiam deferuntur. Cæterum pleraque alia ex ritu, in deferendis ad consecrandum templum reliquiis observato, desumpta fuerunt.*

s *Cfr Comment. præv., num.* 3.

t *Ecclesia cathedralis Castellana dicata erat* E *B. M. V. ; dicebatur* Summa Virgo, *quia altera ecclesia vocabatur* S. Maria de Communi ; *Cfr num.* 15.

u *Sutrini poterunt et hoc testimonio episcoporum suorum ornare catalogum, ad hæc tempora incertum satis. En quæ pauca noscuntur : imprimis res indubitata est anno* 1200 *aut sequenti depositum fuisse Sutrinum præsulem, quod legationem in Germania male obivisset* (14). *In corpore Juris Canonici* (15) *refertur Innocentii III, ad Sutrinos epistola de controversia super electione episcopi, recenter electi ; cui epistolæ quum annus* 1206 *inscribatur, oportet dilatam fui se electionem usque ad mortem depositi antistitis. Unde ego non intelligo quomodo Ughellus* (16) *ad annum* 1202 *referre potuerit initia episcopatus Petri Hismael, Innocentii III familiaris. Jam vero an hic Petrus adhuc viveret anno* 1230, *quum translatio SS. Martyrum peracta est, dicendo non sum. Nam nil aliud de ejus gestis tradit Ughellus quam quod altare in ecclesia S. Cæsarii prope Hortam consecravit ; cui rei nullam addit notam chronicam, sive hic, sive inter episcopos Hortanos* (17) ; *et Fontanini* (18) *quidem, plures alias consecrationes memorans, hanc omnino ignoravit.* F *Post Petrum nemo alius apud Ughellum aut Coletum prodit ante annum* 1253, *quo sedebat Mencus de Hispello, ex Vita B. Andreæ II spellatis* (19) *notus.*

x *Assisium non ita longe distat a Civitate Castellana ; adeo ut ducenti hi Fratres, qui eodem anno corpus beatissimi sui Patris Francisci transtulerant et capitulum celebrarant generale, hunc forsan advenerint. Apud Waddingum notas chronicas de initio et fine hujus capituli non reperio ; verum sat diu durasse videtur ex tractatis negotiis, ut medio mense Octobri capitulares adhuc in his partibus versari potuerint.*

y Lechytus, *seu potius* Lecythus *occurrit* III *Reg.* 17, 12, *pro* vasculo olei. *Vide commentatores sacros in hunc locum.*

z Logotheta, drugumanus, dragumanus, *pro* interprete.

(1) Lexic. Antiq. Rom., t. II, p. 80, vº *Libertus.* — (2) Codex Theodosianus, ad n. 22, l. t. I, p. 216, Lipsiæ, 1736. — (3) Ital. sac., t. I, col. 598. — (4) Cfr Papebrochius Conat. Chron. ad Catalog. Pontificum, p. 36*. — (5) Cfr Cangius, vº *Ciborium.* — (6) Cfr Comm. præv., n. 3, et Acta SS. Abundii, etc., t. V Sept., p. 306, n. 19. — (7) App. ad Ughellium, t. X, col. 90. — (8) Ibid., loc. cit., et Act. SS., t. I Junii, p. 98. — (9) De canonic. Ordine disquisit., p. 158 et seqq. — (10) Cfr Waddingus, Annal. Minor. ad an. 1230, n. 1, 3, 11, 13. — (11) Sopra le antichità Italiane dissert. 46, t. III, p. 55 et seqq. Monoeci, 1766. — (12) Antiquit. Rom., t. XI, præf., p. IV et seqq. — (13) Act. SS., t. V Sept., p. 306. — (14) Cfr Ughelli, Ital. Sacra, t. I, col. 1275. Raynaldus Annal. eccles. ad an. 1198, n. 63 et seqq.; Hurter, Hist. d'Innocent III, liv. II, t. I, p. 162 et seqq. Bruxellis, 1839. — (15) Lib. II, tit. XII, cap. III de Causa poss. — (16) Ital. Sacra, t. I, col. 1275. — (17) Ibid., col. 735. — (18) Cfr lib. II, cap. VII. Antiquit. Hortæ, t. VIII, part. III Thesauri Antiq. Italiæ Burmanni, col. 108 et seq. — (19) Act. SS., t. I Junii, t. 765.

interprete. *Vide de hac voce græcanica Cangium* V° Dragumanus.

aa *Indulgentia valde magna pro illo ævo : de qua re vide Papebrochium* (1) ; *et quidem canone* LVII *Concilii Lateranensis IV* (2) *licebat tantum* 40 *dies in similibus adjunctis concedere.*

bb Sphera *seu* spera *pro lampade pendula, ita a rotunda forma appellata.*

cc *Cfr annotatum* a.

dd *Ex contextu apparet* minittum *hic loci significare* sertum floridum. *Illa vox abest a Cangio ejusque supplemento.*

(1) Propbl. Maii, p. 49 *et *173. — (2) Labbe, Conc., t. XI, part. I, col. 115.

DE S. BARSABIA

CŒNOBIARCHA ET SOCIIS MARTYRIBUS IN PERSIDE,

J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Silentium fastorum ecclesiasticorum; Acta martyrii, a S. Marutha conscripta ; annus et dies passionis.

Anno 342. S. Barsabias, hactenus

Acta S. Barsabiæ *et Sociorum, a Stephano Assemano e chaldaico in latinum versa* (1), *dicunt eorum passionem* incidisse in diem decimum lunæ mensis Junii, qui anno 342 in solarem ejusdem mensis diem III competit. *Ad istum itaque diem ponenda fuissent Acta SS. Martyrum nostrorum. Sed anno* 1695, *quando editus fuit tomus primus Junii Bollandiani, omnes latebat non solum eorum passio, sed etiam vel levissima memoria, quæ demum emerserunt, quando an.* 1748 *publici juris fecit Acta Martyrum Orientalium et Occidentalium Stephanus Evodius Assemanus, archiepiscopus Apamensis. Ast Albanus Butler in suo Hagiologio universali, licet probabilius, quando opus suum auspicabatur, Assemaniana Acta excussisset, Sanctorum tamen nostrorum martyrium enarrat sub hac die* XX *Octobris; quin aliquam hujus suæ ordinationis rationem alleget. Ex Butlero porro defluxit elogium S.* Barsabiæ *in Martyrologium universale, quod eques de St Allais secundis curis ex Castellano gallice edidit anno* 1823. *Certe si res nobis esset integra, non dubitaremus Sanctorum nostrorum Acta in diem* III *Junii pro more nostro consignare. Verum eo jam provecti sumus in anni cursu, ut aut omittenda S.* Barsabiæ *memoria, aut in supplementum, numquam forsan edendum, sit referenda. Malumus igitur hic explere lacunam, quam seræ incertæque posteritati opus fors numquam perficiendum legare. Quapropter ad Acta SS.* Barsabiæ *et Sociorum commententandum accedimus.*

omnibus martyrologiis incognitus.

2 *Nullum autem, quod sciam, Martyrologium Ecclesiæ seu latinæ seu græcæ est, quod S.* Barsabiæ *ejusque Sociorum memoriam recenseat. Albanus quidem Butler dicit in suo Hagiologio, anglice conscripto, Martyrum nostrorum memoriam celebrari die* XI *Decembris tum in Martyrologio Romano tum in Græcorum Menologiis : nempe* Barsabiam *nostrum cum Martyre Barsaba, qui reipsa ad diem* XI *Decembris tamquam Martyr in Perside exhibetur, unum eumdemque censebat. Verum, inquit, Assemanus* (2), *ex quo pleraque nostra in hoc Commentario deprompsimus,* Sancti Barsabiæ et Sociorum Acta martyrii irrito quis conatu tum in latinis, tum in græcis scriptoribus perscrutaretur, a nostris enim chaldaicis codicibus primævam hic hauriunt lucem. Equidem in Martyrologio Romano « sancti Barsabæ in Perside Martyris » ad diem XI Decembris occurrit commemoratio : at hunc a cœnobiarcha nostro alium omnino esse, ex ipsis notis, eidem Martyrologio affixis, plane dignoscitur. Monet enim ibidem Baronius, Barsabæ Martyris eodem die a græcis memoriam recoli. Verum is, cujus martyrium eo die Menologium Basilianum et Menæa concelebrant, Apsæus nomine, diaconus dicitur, numquam vero cœnobiarcha ; nec ei socii adjunguntur. Adeoque non cum nostro Barsabia, sed potius cum Barhadbeschiada diacono martyre, cujus Acta infra dabimus, aliquam connexionem habere videtur. *Hæc Assemanus, in cujus textu aliqua observanda veniunt.*

a Butlero cum S. Barsaba perperam confusus fuit :

3 *Imprimis quum laudatus scriptor inclinasset, ut Barsabam cum Barhadbeschiada in unam conflaret personam, hanc postmodum opinationem in Admonitione prævia ad martyrium S. Barhadbeschiadæ* (1) *retractavit, pronuntiavitque duos diversos esse Martyres Persicos. Dein quæ ab Assemano exprimitur sententia, quod Barsabas martyr idem sit ac Apsæus seu Acepsimas (varie enim scribitur), hujus loci non est curiosius investigare, quum hæc quæstio sponte sua ad diem* XI *Decembris, quo celebratur in Martyrologiis, occurret. Id tamen animadvertamus, in Menæis græcis distinctam recoli memoriam et Apsæi cum Aithala et Barsaba* (2), *atque hunc Apsæum seu Acepsimam confundendum non esse cum ejus homonymo pariter Martyre in Perside, sed episcopo, de quo nostri egerunt sub die* XXII *Aprilis* (3) *et Assemanus in Actis Martyrum* (4). *Demum in elogio S. Barsabæ nihil indicatur, ex quo conjicere licet, eumdem unum pluresve socios habuisse, ita ut magis passus solus videatur. Sic Martyrologium Romanum, quando dicit :* In Perside sancti Barsabæ martyris, *martyrium solitarium enuntiat. Sic quoque Menæa, quibus Menologium Basilianum consonat, unius athletæ meminit hisce verbis* (5)

Θυσας, Βαρσαβᾶ, ζῆθι, λυτρωθεὶς ξίφους ;
Ἄνω ποθῶ ζῆν, θᾶττον ἡκέτω ξίφος.

Sacrificans, Barsaba, vive, liberatus gladio :
In cœlis vivere cupio, potius veniat gladius.

(1) Acta SS. Mart. Orient. et Occident., t. I, p. 96. — (2) Ibid., p. 92. — (3) Ibid., p. 128. — (4) Menæa. Mens. Decemb., t. XI, p. 97. Edit. Venet. 1843. — (5) Act. SS., t. III Apr., p. 19. — (6) T. I, p. 168. — (7) Dec., t. XI, p. 97.

Menologium

A *Menologium quoque Sirleti sub eodem die habet* (1): Certamen S. Martyris Barsabæ, qui quum libere Christum verum Deum confiteretur, a præside Persiæ obtruncatus est. *Eadem ad verbum referunt Menæa l. c. Ex his omnibus liquet, hunc Martyrem nemini associatum fuisse, adeoque omnino distinguendum esse a nostro S.* Barsabia *cœnobiarcha, qui certamen iniit et consummavit cum undecim commilitonibus.*

ejus Acta e syriaco latina fecit Assemanus. 4 *Quoad Acta attinet, quæ infra edemus, ejus sunt antiquitatis, auctoritatis et sinceritatis, ut omnem sibi fidem merito vindicent. Cujus rei luculentissimum nobis testimonium præbet ipsa Actorum martyrum Orientalium series, ita ordinata, ut singulorum fere initia ad præcedentes passiones referantur. Etenim variorum martyrum Acta frequenter ordiuntur ab istiusmodi locutionibus:* Hoc eodem die (2); eodem ferme tempore (3); exacto post B. Milis martyrium biennio (4); accidit importune, ut per idem tempus (5); Simeoni interea in episcopatu Seleuciæ et Ctesiphontis sufficitur Sciahdustes (6). *Quæ igitur hic citamus Actorum initia clare ostendunt, et ab uno auctore et tenore uno compositam fuisse continuatam narrationem, quando-*

B *quidem inter multiplices passiones connexio perpetua exsistat, adeoque varia Acta in unum opus coalescant. Porro istius operis scriptor in Actis S. Acepsimæ anno Christi* 376 *pass., quibus narrationem suam de Martyribus Persicis absolvit, demonstrat fontes, unde sua hauserit, ætatemque suam indicat hisce verbis* (7): At forte dices, vix credibile esse, quod in prioribus orationibus *(nempe Actis Martyrum, de quibus supra egerat)* a nobis proditum est de immani crudelitate, qua in Dei Martyres usos fuisse tyrannos memoravimus, nec fieri potuisse, ut in eos atrocissima illa decernerent, iisque mortis generibus eosdem necarent.

auctoremque habent 5 Verumtamen, *respondet auctor,* quicumque hæc nobis opponit, penitus persuasum sibi habeat, nos de multis pauca quædam promere potuisse. Cæterum omnes Martyres, qui in palatio regis causam dicebant, gladio feriebantur; qui vero a præfectis interficiebantur, illorum nec nomina, nec numerus, nec martyrii locus hactenus innotuere: divexati autem ac discruciati fuerunt sicut a nobis proditum est. Quas porro exscripsimus quæstiones, sicut certis documentis nobis compertum est, per quæ etiam tyrannorum notitia ad nos pervenit,

C adversus Dei servos exercuere crudelissimi locorum præsides, illæque in Persidis plerumque urbibus habitæ fuerunt. Quod ad istos postremos Martyres attinet, quorum martyrium et acta judicialia copiose retulimus, quidam nobis coætanei fuerunt, nostrisque temporibus martyrium subierunt, nobisque illos videre licuit. Qui vero antiquiores fuerunt, eorum nos gesta diligenter conscripsimus, secundum notitiam, nobis traditam a senioribus episcopis ac presbyteris, testibus fide dignissimis, qui res, suam sub ætatem atque oculos suos gestas, narrabant. *Hæc Actorum scriptor, qui totius narrationis suæ seriem inter martyrium S. Simeonis Bar-Saboë episcopi, anno* XXXI *regni Saporis consummatum* (8) *et necem S. Acepsimæ annis post* XXXIX *perpetratam* (9) *conclusit. Proinde quoniam ex supradictis testem se posteriorum certaminum scriptor profiteatur, priorum vero notitiam ex* testibus fide dignissimis *hauserit, non est, quod ejus auctoritatem labefactare possit.*

6 *Quæ hactenus diximus extra omnem controversiam posita sunt: sed est alia quæstio paulo intricatior, quis nempe horum Actorum scriptor habendus sit. Joseph et Stephanus Assemani, ille in sua Bibliotheca Orientali, hic in Actis SS. Martyrum censent S. Marutham, cujus res gestæ* IV *Decembris elucidabuntur, esse Actorum auctorem. In confirmationem assertisui afferunt imprimis testimonium Hebedjesu, auctoris sæculi* XIII *scribentis* (10) Marutham episcopum Maipherca*t (Martyropolis)* et medicum peritissimum, composuisse librum martyriorum et hymnos et odas in Martyres. *Hæc quidem præberent validum argumentum in favorem S. Maruthæ, si solus cognosceretur hagiographus Persicorum martyriorum: sed, fatente Stephano Assemano* (11), *præter Marutham, fuerunt alii, inter quos Achæus Seleuciæ et Ctesiphontis episcopus et alius pariter episcopus Adanensis, qui eodem tempore Martyrum Persicorum historiam adornarunt. Sozomenus quoque lib.* II, *cap.* XIV (12) *dicit,* Persas, Syros atque Edessenos in hac re *(id est in numero et nominibus martyriorum recensendis)* plurimum studii atque operæ posuisse. *Ex hoc igitur capite incertum fit, utrum S. Maruthas, licet tamquam indubitatum admittatur hagiologium Martyrum* E *Persicorum scripsisse, tamen auctor sit eorum Actorum, quæ Steph. Assemanus e chaldaico latina facta edidit.*

I V. H S. Marutham

7 *Dubium istud solvit laudatus Assemanus sequenti ratiocinatione* (13): Quod evidentissimæ plane demonstrationis nostræ negotium conficit, illud hic succurrit argumentum, quod et robustissimum apud criticos omnes existimatur et certe nobis suppetit luculentissimum. Ea enim criticorum lex est, communi firmata consensu, ut, si anonymum scriptum temporis, loci atque orationis nota cum auctoris cujusdam instituto, ætate, loco, elocutione consentire deprehendatur, ipsi potissimum scriptum illud adjudicandum sit. Nos autem præter ea, quæ hactenus recensuimus et temporum et locorum indicia, quæque omnia Marutham significare ac plane indigitare jam vidimus, quid tandem habemus desiderandum, si quidem et hoc ipsum accedat quam simillimæ hujus orientalium Martyrum Historiæ cum aliis Maruthæ scriptis, quæ supersunt, orationis argumentum? Adsint profecto nobiscum quotquot hominum sunt, qui chaldaicum seu syriacum penitius calleant, rem mecum visuri adsint ac plane intuituri; videant ut F Hæc Historia, aliaque, quæ certissima sunt, Maruthæ scripta eadem scateant eloquentia, eodem consonent vocum atque verborum circuitu, eadem polleant dictionum castitate, iisdem elegantiis, iisdem phrasibus, iisdem sensuum intervallis luculentissime internitescant. *Admitto equidem libenter totam hanc argumentandi rationem, quoniam ad diem* IV *Decembris, ubi dedita opera in Commentario retractari poterit et debebit. Nihilominus, quantum ad* locum et tempus *attinet, id commune habet cum aliis coævis supra citatis, adeoque distinctionem aliquam producere non potest. Quoad vero spectat stylum, id vero, quatenus ignarus linguæ syriacæ dijudicare non valeo: unum tamen animadvertam, labilem non raro esse istiusmodi probationem, quando agitatur quæstio, cui potissimum inter varios ejusdem regionis, ætatis ac conditionis homines liber aliquis adscribendus est.*

ut pluribus ostenditur:

8 *Egimus hactenus de Actorum edendorum au-* *tempus martyrii*

(1) Canis. Thes. Monum., t. III, part. I, p. 495. Edit. Basnag. — (2) Assem. Act. Mart., t. I, p. 45. — (3) Ibid., p. 93, 118, 123, 165. — (4) Ibid., p. 103. —(5) Ibid., p. 51. —(6) Ibid., p. 88. —(7) Ibid., p. 208. — (8) Ibid., p. 10. — (9) Ibid., p. 181 et 190. — (10) Biblioth. Orient., t. I, p. 181. Act. SS. Mart. Orient., t. I, præf., p. XLVII. — (11) Act. Mart., t. I, præf., p. LXIV. —(12) P. 63. Edit. Cantabr., 1720. — (13) Act. Mart., t. I, præf., p. LXV.

ctoritate

J. V. H.

ctoritate et scriptore, jam gradum facimus ad inquirendum quo anno S. Barsabias *et socii martyrium suum consummarunt. Passio S.* Barsabiæ *hisce verbis orditur* : Eodem ferme tempore, quo B. Miles martyrii laurea redimitus est. .., accusatus est sanctissimus Barsabias : *unde datur intelligere e tempore passionis S. Milis pendere annum martyrii Sanctorum nostrorum. Verum in Actis S. Milis nulla præter diem martyrii occurrit temporis nota : quapropter annus passionis S. Milis, adeoque et S.* Barsabiæ *aliis subsidiis inveniendus est. Porro, ut supra num. 4 animadvertimus, omnia Acta ita inter se connexa sunt, ut unum opus efficiant, ordine chronologico procedens : ex hoc id habemus consequentiæ, ut tempus martyrii S.* Barsabiæ, *qui sexto loco venit, pendeat ex passione præcedenti, nempe S. Sciahdusti seu Sadoth, Seleuciæ et Ctesiphontis episcopi, qui quinto loco occurrit. Sadoth autem martyrium obiit uno anno post antecessorem suum, S. Simeonem Bar-Saboë, Persicorum sub Sapore Martyrum antesignanum. Ipse enim Sadoth narrat se in somno vidisse S. Simeonem sibi dicentem* (1) : Macte Siahdustes.... heri ego, tu hodie hunc in locum es subiturus.... Quod autem, *ait*

B *S. Sadoth*, mihi subdidit, heri ego, tu hodie, significat, illum quidem anno præterito, me autem præsenti interfectum iri. *Porro S. Simeon passus est* anno centesimo decimo septimo regni Persarum qui fuit trigesimus primus Saporis (2) : *quapropter annus martyrii S. Sadoth constituendus erit trigesimus secundus Saporis.*

cum an. XXXII Saporis,

9 *Quæ autem adhuc diximus de tempore martyrii S. Sadoth, apprime conveniunt ad definiendum annum passionis S. Milis. Nam quando S. Miles certamen consummabat suum, accidit S. Sadoth episcopo somnium, de quo supra locuti sumus : id scilicet indicant verba, quibus historiam S. Sadoth auspicatur* (3) : Simeoni interea *(nempe S. Mile certante et agonem obeunte)* in episcopatu Seleuciæ et Ctesiphontis sufficitur Sciahdustes. *Medius itaque inter SS. Simeonem et Sadoth habemus S, Milem : Simeon autem Martyr occubuit in Parasceve anni trigesimi primi Saporis* (4); *Miles luna tertia decima Novembris, id est die quinta ejusdem mensis* (5) ; *Sadoth denique luna vigesima Februarii anni sequenti* (6) : *unde tandem consequitur S.* Barsabiæ *ejusque sociorum passionem, consummatam fuisse die decima septima lunæ Junii, seu ejusdem*

C *mensis die solari tertia* (7) *et ad annum trigesimum secundum Saporis regis pertinere : etenim hanc consecutionem clare demonstrat initium Actorum S.* Barsabiæ (8) : Eodem ferme tempore, quo S. Miles martyrii laurea redimitus est.... ab hominibus nefariis et scelestis accusatus est sanctissimus Barsabias *et post accusationem brevi intervallo capitali sententia una cum sociis damnatus est. Quocirca tempus martyrii ab anno Saporis trigesimo secundo dimoveri non potest.*

qui, nonobstante Sozomeni.

10 *Consulto hactenus abstinuimus ab indicanda alia epocha, quam Saporis regis, quia in hac omnes conveniunt. Superest vero ut annos Saporis ad æram vulgarem nostram redigamus. Joseph Assemanus in sua Bibliotheca Orientali* (9) *censet trigesimum primum annum Saporis concurrere cum anno Christi* 330, *adeoque* Barsabiam *anno ejusdem regis* XXXII *functum martyrio fuisse, id est anno vulgari* 331. *Præter recentiorum opinationes Baronii et Pagii, de quibus infra agemus, duo sunt, quæ*

D *præcipue virum doctum moverunt ad istiusmodi amplectendam sententiam ; nempe auctoritas Sozomeni lib.* II, *cap.* XV (10) *et Theodoreti lib.* I, *Hist. Eccl. cap.* XXIX (11) *dicentium Constantinum Magnum ad Saporem scripsisse, ut ab effundendo christianorum sanguine abstineret. Quum autem Constantinus anno vulgari* 337 *obierit, quærendus est annus, in quo Parasceve diei* XVII *Aprilis illigetur, cum et Syriaca Acta S. Simeonem in Parasceve et græca Menologia die* XVII *Aprilis passum referant : talis autem annus ante Constantini mortem alius non invenitur quam sæculi quarti trigesimus.*

11 *Imprimis defendimus indubitatam esse sinceritatem epistolæ Constantini Magni ad Saporem Persarum regem, utpote quam referat Eusebius Cæsariensis, auctor coævus in Vita Constantini imperatoris lib.* IV, *cap.* IX (12). *In ea autem imperator hortatur Saporem, ut propagandæ religioni Christianæ faveat, quam sibi populoque suo maxime salutarem expertus est. Quoad vero spectat persecutionem in Christianos jamjam grassantem, nihil est in epistola, quod in eo sensu interpretari debeamus. Verum quidem est, Sozomenum aperte dixisse, quod occasio scribendæ epistolæ fuerit persecutio in Christianos jam inchoata ; quod quidem ex verbis impe-* E *ratoris necessario non consequitur, ut jam censuerunt majores nostri ad diem* IV *Augusti in sylloge de S. Ia et sociis martyribus in Perside* (13). *Quantum porro ad ipsam sententiam Sozomeni spectat, ea, obstantibus argumentis infra evolvendis, prævalere non debet, quia circumstantias Persicæ vexationis valde confuse, nullo servato ordine, enarrat : unde facile accidere potuit, ut Constantinianæ epistolæ occasionem perperam interpretatus fuerit. Sic postquam retulisset lib.* II, *cap.* X (14) *martyrium S. Simeonis, quem supra num. 9 anno primo persecutionis obiisse diximus, subjungit cap.* XIII (15) sub idem tempus ὑπὸ δὲ τοῦτον τὸν χρόνον, *Acepsimam martyrium capessivisse : dein Milem pariter Martyrem introducit cap.* XIV (16) *quamvis et hic anno primo persecutionis passus fuerit, ut supra num. 9 monstravimus. Atqui hæc omnia confusa sunt : quum SS. Simeonis Milisque et Acepsimæ martyria intervallum annorum quadraginta disjungat, ut Acta Chaldaica testantur* (17). *Verum quidem est, verba Sozomeni sub idem tempus interpretari nos posse quasi diceret* in eadem persecutione : *perstat tamen confusio, quia scriptori defuit accurata chronotaxis rerum Persicarum ; adeoque incerta evadit* F *sententia, quatenus occasione persecutionis Persicæ jam motæ suam ad Saporem epistolam dedisset Constantius imperator.*

quæ refutatur, sententia,

12 *Qui deinde objicitur Theodoretus, nobis non solum minorem facessit difficultatem, sed eamdem potius solvit. Etenim ejus verba non tam apertam persecutionem, quam machinationes occultas indicant.* Cum enim, *ait Theodoretus lib.* I, *cap.* XXIII (18), certior factus esset illos *(Christianos)* ab impiis divexari, regemque errori deditum occultis eos insidiis circumvenire, παντοδαπὰς αὐτοῖς καττύειν ἐπιβολάς, litteras ad eum scripsit, quibus et ad pietatem amplectendam hortabatur et ut ejus cultoribus honorem haberet, postulabat. *Prævidebat nempe Constantinus ex occultis machinamentis, adversus Christianos structis, erupturam aliquando apertam persecutionem, quam sua epistola prævertere satagebat. Id clare indicant verba, Saporem voluisse Christianos* occultis insidiis circumvenire,

et Theodoreti auctoritate,

(1) Act. Mart., t. I, p. 88. — (2) Ibid., p. 15. — (3) Ibid., p. 88. — (4) Ibid., p. 31. — (5) Ibid., p. 79 et 83. — (6) Ibid., p. 91 et 92. — (7) Ibid., p. 95 et seq. — (8) Ibid., p. 93. — (9) Ibid., p. 5 et seq. — (10) P. 63. Edit. Cantabr., 1720. — (11) T. III. part. II, p. 808. Edit. Helens., 1771. — (12) Euseb., p. 631. Edit. Cantabr., 1720. — (13) Act. SS., t. I Aug., p. 329, n. 4. — (14) P. 58. — (15) P. 61. — (16) P. 62. — (17) Asseman. Act. SS. Mart. Orient., t. I, p. 206. — (18) T. III. part. II, p. 808.

αὐτοῖς

A *αὐτοῖς καττύειν ἐπιβολάς : id est fraude et dolo aliquid obtinere, quin in manifestam violentiam regia mandata prorumperent. Theodoretus autem, hoc sensu intellectus, quam optime quadrat cum iis, quæ in Actis Chaldaicis leguntur, ubi S. Simeon, episcopus et Martyrum antesignanus, Sapori exprobrat, quod jugum imponere meditetur intolerabile, quod aurum insuper petat, quibus nec aurum nec opes suppetunt* (1). *Ista epistola indignatus rex,* edixit, ut in sacerdotes et levitas sine cunctatione animadverteretur, ædes sacræ funditus exscinderentur, sanctissima religionis monimenta conspurcarentur, direptaque sacri ministerii instrumenta in profanos usus abjicerentur (2). *En edictum, quo rex jam non* occultis insidiis *Christianos* circumvenit, *sed manifestum et internecinum indicit bellum : proinde epistola Constantini edictum præcessit. Et quidem præferenda est hæc Theodoreti interpretatio sententiæ Sozomeni, quia episcopus Cyrensis, Syris finitimus, accuratiorem rerum Persicarum notitiam haurire potuit. Quod si labefactata est hac in parte auctoritas Sozomeni et explicatus sensus Theodoreti, ruit illatio Josephi Assemani, quasi S. Simeon passus fuisset anno Christi* 330 (3), *quoniam et isto anno*
B *feria* VI *Parasceves cum die* XVII *Aprilis concurrit* (4).

ad annum Persarum CXVII

13 *Restat nunc monstrandum edictum Saporis, mox allatum, promulgatum fuisse anno Christi* 340, *adeoque quando Constantius, Constantini filius, romani imperii gubernacula tenebat. Jam vero Acta S. Simeonis initium persecutionis Saporis conjiciunt in* annum centesimum decimum septimum regni Persarum, qui fuit trigesimus primus Saporis regis (5). *Si itaque ab anno vulgari* 340 *subtrahamus* 117, *devenimus ad annum* 223, *qui facile eum anno tertio Alexandri Severi componi potest ; prout eum composuit Abulpharagius, aliis Gregorius Bar-Hebræus dictus. Hæc enim habet in suo Chronico Tripartito, quod ex Stephano Assemano exscribo* (6) : Anno hujus Alexandri Cæsaris tertio, qui annus fuit Alexandri Græcorum 542, incœpit dynastia Persarum ultima, quæ Saxanitarum audit, duravitque quadringentos et octodecim annos, nimirum usque ad ortum et regnum Moslemanorum. *Atque hæc chronologica momenta satis conveniunt, ut initium persecutionis Saporianæ cum anno vulgari* 340 *conjungamus. Etenim si æræ vulgari* 340 *demamus annos* 117, *devenimus ad annum* 223, *qui tertius*
C *Alexandri Severi computari potest, quoniam anno* 221 *Cæsar creatus, anno sequenti, Heliogabalo occiso, imperium Romanum obtinuit* (7). *Minus tamen feliciter expressisse Abulpharagius videtur annum Græcorum* 542 ; *quandoquidem juxta æram vulgatiorem Græcorum seu Seleucidarum, annus* 535 *concurrit cum anno Christi* 223 : *unde habemus differentiam septem annorum.*

et vulgarem Christi 342 *pertinet :*

14 *Id tamen animadvertendum est, duplicem esse æram Græcorum, quarum una vulgatior, æram nostram vulgarem trecentis undecim annis præcedit et proprie Seleucidarum seu Syro-Macedonica appellatur, quatenus Seleucus Nicator incœpit sibi Syriam acquirere* (8). *Altera vero æra orditur a morte Alexandri Magni Macedonis, atque annis trecentis viginti quatuor æra nostra vulgari anterior est* (9). *Quod si anno vulgari* 223 *addamus aut* 324 *aut* 311, *habemus æræ Græcorum annum* 547 *aut* 534 ; *uterlibet igitur si accipiatur, semper erit aliquod sphalma in chronotaxi Abulfaragii. Cæterum, ut recte notat Stephanus Assemanus* (10), *omnes, si patruum ejus Josephum excipias, statuunt Saporem anno Christi* 380 *obiisse diem suum : quum autem tot annis, quot vixit, regnavit, nempe* 70 (11) *(nam qui ei* 72 *tribuunt, annos lunares pro solaribus usurparunt* (12) ; *consequitur Saporem anno vulgari* 310 *natum et coronatum, anno dein* 340 *trigesimum primum annum regni sui attigisse. Hanc chronotaxim confirmat etiam alia notitia, ab Abulpharagio exhibita ; nempe dynastiam Saxanitarum durasse annis quadringentis octodecim, qui si addantur initio dynastiæ, scilicet anno Christi* 223, *incidimus in annum vulgarem* 641, XXI *Hegiræ, quo, juxta Historiam Saracenicam, quam ex arabico latinam fecit Thomas Erpenius* (13), *ad Nahawendum civitatem decretorio prælio potestate Persarum fracta et eorum rege Isdegerde III e regno exturbato* (14), *Persia deinceps Mahumedanis seu Moslemanis subjecta fuit : quapropter Abulpharagius dynastiam Saxanitarum seu Sassanidum* Persarum ultimam *vocat. Pagius quidem Sassanidum finem cum morte Isdegerdis conjungit, ac proin utrumque anno nostro vulgari* 651, ☧ X *illigat. Et Isdegerdem anno isto vitam amisisse facile concedemus, sed* E
post Nahawendensem cladem, præcipuis provinciis spoliatum, et frustra dein molitum paternam recuperare hereditatem. Ex hactenus dictis consequitur persecutionem Saporis anno Christi 340 *incœpisse, et quoniam S. Simeon Protomartyr anno sequenti passus est, martyrium S.* Barsabiæ *ad annum vulgarem* 342 *constituendum est, uti ex dictis, num.* 8 *et seqq. deducere licet.*

15 *Quoad porro diem spectat, quo una cum sociis suis passus est S.* Barsabias, *jam supra diximus id die* III *Junii accidisse. Etenim hæc referunt Acta nostra, num.* 3 : Istorum Sanctorum Martyrium incidit in diem decimum septimum lunæ mensis Junii. *Hunc diem lunarem breviter traducit Steph. Assemani* (15) *ad solarem diem* III *ejusdem mensis. Jam actum fuit de lunarium ad solares dies redactione ad diem* XIX *hujus mensis, occasione S. Sciahdustis seu Sadoth inter Prætermissos* (16). *Nempe ex Tabulis chronologicis ordinariis sumitur epacta anni sequentis, quæ litteram Martyrologii per singulos annos indicat ex qua deinceps lunæ pro singulis diebus totius anni habentur. Quoniam vero, ut supra diximus, S.* Barsabias *martyrium subiit anno* F
Christi 342, *epacta anni sequentis seu* 343 *est* XI, *cui convenit littera Martyrologii* l : *sub qua ad diem* III *Junii habemus lunam* XVII. *Etenim in veteri Kalendario epacta uno anno præcedit epactam Kalendarii, a Gregorio* XIII *an.* 1582 *reformati* (17). *Quoad vero spectat mensem, is desumendus est a Numero Aureo, qui hoc anno* 342 *erat* I ; *adeoque* Luna *Januarii a Nonis* (V) *Decembris incipiebat* (18). *Unde mirandum non est majorem partem lunationis Junii mense Maio occupari. Ut autem clare constet, non temere hæc a nobis prolata fuisse, subjicimus hic tabellam eorum Martyrum Persicorum, quorum dies passionis in Actis indicatur, simulque elucescet, quod supra num.* 5 *diximus, scriptorem continuata serie martyria Sanctorum exhibuisse.*

J. V. H.

dies quoque solaris variorum martyriorum

(1) Assem. Act. SS. Mart., t. I, p. 17 et seq. — (2) Ibid., p. 20. — (3) Biblioth. Orient., t. I, p. 6. — (4) Cfr Assem. Act. SS. Mart., t. I, præf., p. LXXXI et seq. — (5) Ibid., p. 15. — (6) Act. Mart., t. I, præf., p. LXXXVI. Cfr Biblioth. Orient., t. II, p. 118. — (7) Tillemont. Hist. des Emp., t. III, p. 72 et 254. Edit. Brux., 1732. — (8) L'Art de vérif. les dates, t. I, p. XVII. — (9) Ibid. — (10) Act. Mart., t. I, præf., p. LXVIV. — (11) Biograph. univ. v° *Chapour* II. — (12) Notices des mss. de la Biblioth. roy., t. II, p. 333. Paris 1789. — (13) P. 25. Edit. Lugd. Batav., 1625. — (14) Cfr l'Art de vérif. les dates, t. I, p. 410. — (15) Act. Mart., t. I, p. 96. — (16) Supra, p. 380 a. — (17) Cfr Petav. Doctr. temp., lib. VI, cap. XXI, t. I, p. 339. Edit. Venet., 1757 et Harris Nicolas. The Chronology of History, p. 55. — (18) Petav. Doctr. Ibid., cap. XXII, pag. 337.

A ORDO ET TEMPUS MARTYRIORUM IN PERSIDE SUB SAPORE REGE.

NOMINA SS. MARTYRUM.	ANNUS.	Dies lunaris.	Dies solaris juxta Asseman. et Tabulas chronolog.	Epacta et Littera Martyrologii anni sequentis.	Terminus paschalis.
Simeon-Barsaboe	341	14 apr.	17 apr	29 N.	17 apr.
Miles	341	13 nov.	5 nov.	»	»
Sadoth	342	20 febr.	8 febr.	11 l	5 apr.
Barsabias	342	17 jun.	3 jun.	»	»
Narses	343	10 nov.	9 nov.	22 C	25 mart.
Daniel	344	25 febr.	21 febr.	3 c	13 apr.
Barbasceminus	345	9 jan.	25 jan.	14 p	2 apr.
Jacobus	346	17 mart.	22 mart.	25 F	22 mart.
Thecla	346	6 jun.	5 jun.	»	»
Barhadsciabas	354	20 jul.	23 jul.	23 D	24 mart.
Abdas	375	15 mai.	28 mai.	15 q	1 apr.
Bademus	376	10 apr.	13 apr.	26 G	21 mart.

per epactas anni sequentis

16 *In tabella supra posita omnes dies solares apte quadrant tum in Assemaniano computu, tum in* B *Tabulis chronologicis* (1), *uno excepto die, nempe in Barbascemino; Assemanus diem solarem ponit decimam quartam Januarii, quando Tabulæ diem ejusdem mensis vigesimam quintam referunt. Sed id vitio typothetæ accidisse crediderim, qui numeris ro*[illegible]*anis utens,* XIV *pro* XXV, *mutato* X *in* I, *posuerit. Diximus supra ad componendum diem lunarem cu*[illegible] *solari assumendam est Epactam anni sequentis. Eadem ratione invenitur Terminus paschalis seu dies* XIV *lunæ paschalis seu Martii, post quem, Dominica immediate occurrente, solemnitas paschalis celebratur. Id tamen animadvertendum est, si epactæ anni sequentis ope, terminum paschalem indagemus, in Martyrologiis hodiernis, post reformatum Kalendarium ann*[illegible] 1582, *constanter nos re*[illegible]*erturos diem lunæ* XVII, *quando luna* XIV *occurrere deberet. Quod ex eo profluere arbitror, quia, ut dicit Petavius* (2), *paschales termini paulatim a tempore Nicænæ synodi processerant, quam anticipationem seu* προήγησιν *lunarem, detractis tribus diebus Gregoriana correctio emendaverat : adeoque luna* XVII *in hodiernis Martyrologiis notata, detractis tribus diebus, vere erat luna* XIV, *proindeque terminus paschalis.*

eruitur.

C 17 *Confirmari mihi videtur hæc epactarum explicatio per exemplum nobis traditum a Papebrochio nostro in Paralipomenis ad Conatum in Catalogos Romanorum Pontificum* (3), *in quo leguntur hæ notæ chronologicæ :* A Nativitate Domini usque ad præsentem annum, in quo Theudericus, rex Francorum, defunctus est, DCCXXXVII. In quo anno indictione quinta, epacta XV, concurrente I, lunæ circulum XIII, XIV; XII Kal. Aprilis luna XVII, XXIV de annorum DXXXII secundum Græcos cyclo. *Suspicatur porro Godefridus Wandelinus, a Papebrochio citatus, errorem in epacta subesse, et* denarii unius notam per incuriam scribentis excidisse vel vetustate extritam fuisse, *adeoque legendam esse epactam* XXV *pro* XV. *Hujuscemodi emendationis causam dat, quia novilunium paschale in* VI *Martii incidebat, ac proin ea epacta cum novilunio isto componi non potest. Sed cespitat Wendelinus ; nam novilunio in* VI *Martii incidente, plenilunium* XIX *Martii occurrisset, quod contrarium est decreto Nicæno, vetanti ne plenilunium paschale ante diem* XXI *Martii æquinoctialem censeatur. Si autem nostra methodus adhibeatur, nempe epacta sequentis anni assumatur, epactæ legitimæ anni* 737, XV *substituemus sequentem* D XXVI, *quæ nobis dabit litteram Martyrologii* G, *adeoque propter* προήγησιν *lunam* XVII, *quæ erat olim* XIV *luna, in diem* XXI *Martii seu in terminum paschalem. Cæterum epactæ currentis anni, prout hic, adhibebantur quandoque cum aliis notis chronologicis, ut variis exemplis monstrat Joannes Mabillon in suo opere de Re Diplomatica lib.* II, *cap.* XXIV. *Animadvertunt tamen Benedictini auctores operis chronologici, epactam sequentis anni tunc exprimi non raro in chartis et diplomatibus, quando data erant post finem Augusti, quia juxta aliquos veteres epacta quatuor mensibus seu a Septembri annum civilem antecedebat* (4).

§ II. De initiis monastici instituti in Syria et Perside.

Censet Assemanus, recentiorum opinionem secutus,

In *hisce tricis chronologicis utcumque expediendis, finem commentandi facere possemus, nisi alia nos sollicitaret quæstio, a S.* Barsabia *non aliena, quam Assemanus per transennam quidem, iteratis* E *tamen vicibus, perstringit, quæque illustratione aliqua digna nobis videtur. In Præmonitione ad Passionem Sanctorum nostrorum hæc scribit Steph. Assemanus* (5) : Monasticum institutum temporibus Saporis II, Persarum regis, per Mesopotamiam, Assyriam et Persidem late jam fuisse propagatum, luculentissime ostendunt Acta S. Barsabiæ cœnobiarchæ, aliorumque monachorum Martyrum, quæ in hoc opere exhibentur. Id vitæ genus a S. Antonio Magno, circa annum Christi 305 in Ægypto institutum, mox in Palæstina ab Hilarione disseminatum, eodem ferme tempore in Mesopotamiam et Assyriam, inde et in Persidem invexerat Aones sive Eugenius, ejusdem Antonii discipulus, qui, teste Sozomeno Hist. Eccles. lib. VI, cap. XXXIII (9), in Phadana domicilium habuit, primusque apud Syros, perinde ac Antonius apud Ægyptios, auctor fuit solitariæ et arctioris philosophiæ. Hunc vero, quem Syri per excellentiam « Abun » sive « Avun, » unde Sozomeno « Aones, » hoc est « Patrem nostrum » appellant, primum in monte Izlensi apud Nisibim, Mesopotamiæ urbem, monasterium condidisse, et septuaginta monachis F præfuisse, a quibus cætera, quæ a Marde ad inferiorem Persidem sæculo Christi quarto exstitere, cœnobia exstructa fuisse ex Bar-Ebræo aliisque rerum orientalium scriptoribus tradit Assemanus Bibl. Orient. t. III, part. II (7), ubi de monachorum apud Chaldæos et Persas origine, progressu, monasteriis scholis et regulis eruditissime agit. *Hactenus Steph. Assemanus.*

a S. Antonio monachorum institutum accepisse;

19 *Hujus opinionis, quam præcipue fovit et promovit Thomassinus, part.* III *de Discipl. Eccles., lib.* III, *cap.* XII, *confirmarunt Jul. Selvaggi antiq. Eccles., lib.* I, *part.* II, *cap.* XIII (8). *Alexius Pelliccia Christ. Eccl. Politia, lib.* I, *sect.* III, *cap.* I (9) *aliique recentiores, fundamentum nullum reperio. Quæstionem jam attigit* [illegible]*eus collega supra in commentario prævio S. Vari Martyris ad diem* XIX *Octobris* (10). *Totius opinationis fundamentum aliud non videtur, quam textus S. Hieronymi, perperam intellectus. Hic enim Vitam S. Pauli Eremitæ sequentibus verbis orditur* (11) : Inter multos sæpe

(1) L'Art de vérif. les dates. — (2) Doct. temp., t. I, p. 230. Edit. Antverp. 1703. —(3) P. 60. —(4) L'Art de vérif. les dates, t. I, p. XXXV. — (5) Act. Mart., t. I, p. 92. —(6) P. 267. Edit. Cantabr. 1720. —(7) P. DCCCLX. —(8) T. II. p. 244. Edit. Magunt. 1787. —(9) T. I, p. 119. Edit. Bassan. 1782. —(10) P. 426, n. 8. — (11) Hieron. Opera, t. IV, part. II, col. 68. Edit. Paris 1706.

dubitatum

A dubitatum est, a quo potissimum monachorum eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altius repetentes, a beato Elia et Joanne sumpsere principium. Quorum et Elias plus nobis videtur fuisse quam monachus, et Joannes ante prophetare cœpisse, quam natus sit. Alii autem, in quam opinionem vulgus omne consentit, asserunt Antonium hujus propositi caput, quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quam ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas vero et Macarius discipuli Antonii, e quibus superior magistri corpus sepelivit, etiam nunc affirmant Paulum quemdam Thebæum principem istius rei fuisse, non nominis, quam opinionem nos quoque probamus. *Huic textui præmiserat Thomassinus hanc animadversionem, nempe ante pacem Ecclesiæ sub Constantino, non potuisse coalescere monasteria, sæpius a persecutoribus evertenda. Quasi idem argumentum non valeret ad demonstrandum nulla fuisse ante Constantinum christianorum templa, quia et ista, grassante persecutione, destructioni frequenti erant obnoxia. Ostendemus autem ante S. Antonium fuisse monachos, quo facto istiusmodi* B *ratiocinationes eliduntur.*

ad perperam; nam S. Athanasius,

20 *S. Athanasius imprimis luculenter monstrat et ante et præter S. Antonium fuisse monachos. Nam in S. Antonii Vita agens de ejus initiis dicit* (1) : Nondum enim tam frequentia erant in Ægypto monasteria, neque ullus norat monachus vastam eremum ; sed quisquis sibi ipsi vacare cuperet, is haud procul suo pago sese exercebat solus. *Quo demum cumque modo intelligatur vox « monasterium » sive pro unius sive pro plurium monachorum domicilio, manifestum tamen est, fuisse ante S. Antonium monasteria, licet rara, adeoque et monachos. Quid quod paulo ante aperte monasterium puellare,* παρθενῶνα, *designet biographus, dum dicit :* Sorore virginibus notis sibi atque fidelibus commendata atque ad Parthenonem tradita, ipse ante domum suam asceticæ vitæ, τῇ ἀσκήσει, operam dedit : *dein vitæ suæ asceticæ seu monasticæ (quod unum idemque Athanasio sonat) initiator fuit* senex homo, qui a juventute monasticam egerat vitam (2), ἐκ νεότητος τὸν μονήρη βίον ἀσκήσας; *et* si quem audiret alicubi degere ad virtutem strenuum, tunc prudentis apis more perquirebat, neque ante ad sedes suas remigrabat, quam hominem vidisset atque hinc, accepto ceu viatico ad virtutis iter C instituendum, revertebatur (3). *Ex quibus clarum fit ante Antonii tempora monasticæ vitæ professores exstitisse, acceptamque a majoribus vivendi normam fideliter posteris transmisisse.*

in ipsa S. Antonii Vita

21 *Enimvero præter S. Antonium monachos exstitisse testis est S. Athanasius, qui Antonianam Vitam inscribit* fratribus peregrinis *seu* in peregrina regione versantibus (4), πρὸς τοὺς ἐν τῇ ξένῃ μοναχούς, *hi autem* de vitæ instituto S. Antonii *Athanasium* rogaverant, cupientes ediscere quanam ratione hoc exercitationis genus aggressus ille sit, quis antea exstiterit, quis fuerit vitæ exitus, verane sint, quæ de illo dicuntur, ut ad eum imitandum vos conferatis. *Ex hisce verbis clarissime nostra sententia evincitur, alios fuisse monachos præter Antonianos seu qui ab Antonio non traxerint originem. In præsenti quæstione nostra non interest scire, an peregrini monachi intra Ægyptum, an in aliena regione vixerint* (5) : *id certum est, eosdem Antonium ex sola fama novisse, et cæterum ignorasse non solum quomodo inceperit ac finiverit, sed etiam* quanam ratione hoc exercitationis genus aggressus ille fuerit. *Quod si fuissent Antoniani instituti sectatores, plane, in iis quæ ad* exercitationis genus *pertinent, instruendi non fuissent ejus discipuli, dein non adderet biographus* (6) : Ut postquam, his auditis, hominem admirati fueritis, ejus propositum imitari peroptetis : apta quippe forma ad exercitationem, ἄσκησιν, monachis est Antonii vita. J. V. H.

Eusebius in Historia ecclesiastica,

22 *Quæ sententia potentissime confirmatur ex iis, quæ Eusebius refert de Therapeutis lib.* III *Hist. Eccles. cap.* XVII (7). *Eorum institutum, ex personis utriusque sexus coagmentatum, accuratam exhibet vitæ monasticæ imaginem : etenim Philo dicit,* simulatque ad hoc philosophandi genus se contulerint, omnibus eos bonis, ad proquinquos suos transmissis, ultro cedere, dein abjecta omni rerum humanarum cura, extra urbem progressos, in hortis agellisque deviis degere, quippe qui intelligant, dissimilis propositi hominum contubernia et commercia plurimum obesse philosophiæ. Postquam temperantiam, ἐγκράτειαν, tamquam fundamentum aliquod in animis suis jecerunt, reliquas deinceps virtutes superstruunt. Cibum enim potumque nemo illorum ante solis occasum umquam sumpserit. *Addit quoque,* cum his viris versari etiam fœminas E quasdam, quarum plurimæ ad extremam usque senectutem virgines manent; quæ quidem non coactæ, ut pleræque apud gentiles sacerdotes, sed sua sponte castitatem corporis custodierunt. *Porro* in singulis domiciliis est quoddam sacellum, quod semneum et monasterium appellatur, in quo soli, remotis arbitris, sanctioris vitæ mysteria peragunt. *Tandem* id genus hominum in variis orbis regionibus sparsum reperitur : græcos enim et barbaros tanti boni participes fieri decebat. Floret tamen præcipue in Ægypto per singulas ejus præfecturas diffusum, maxime vero circa Alexandriam.

etiamsi male, disciplinam therapeutarum

23 *Summa hæc vitæ therapeuticæ lineamenta ex Eusebio excerpsimus, ut lectori constet, quod sit instituti genus, a Philone, sæculi primi scriptore, adumbratum.* Cæterum, *inquit Eusebius*, quin, dum ista scriberet Philo, primos illos euangelicæ doctrinæ prædicatores et ab Apostolis primum traditam disciplinam in mente habuerit, nemini dubium arbitror. *Quam sententiam apertissime sequuntur SS. Hieronymus de Script. Eccl. cap.* VIII *et* XI (8), *et Epiphanius hæresi* XXIX (9). *Quapropter Cassianus de cœnobior. Institutis lib.* II *cap.* V (10) F *dicit :* Quum in primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi, monachorum nomine censerentur, qui sicut a beatæ memoriæ Euangelista Marco, qui primus Alexandrinæ urbi pontifex præfuit, normam suscepere vivendi, non solum illa magnifica retinebant, quæ primitus ecclesiam vel credentium turbas in Actibus Apostolorum legimus celebrasse : *(et recitatis verbis Act.* IV, 32-35) verum etiam his multo sublimiora cumulaverant. *Equidem non ignoro quosdam etiam inter catholicos fuisse eruditos, qui negarunt Therapeutas fuisse christianos, sed magis judæos, nomina pro utraque sententia pugilum reperire est in libro collegarum meorum, Examine historico et canonico de regularium et sæcularium clericorum juribus et officiis* (11). *Non est hujus loci intricatam controversiam componere : unum sufficit ad præsentem nostram quæstionem, nempe secundum Eusebium, Hieronymum, Epiphanium et Cassianum supra citatos statum monasticum coævum ipsis christianismi cunabulis fuisse.*

(1) Athan. Oper., t. I, part. II, p. 796. Edit. Paris 1698. — (2) Ibid., p. 797. — (3) Ibid., l. c. — (4) Ibid., p. 793. — (5) Cfr Carattini. Vita Claustralis, p. 28 et seq. — (6) S. Athan. Oper. Ibid., p. 793 et seq. — (7) P. 66 et seqq. Edit. Cantabr. 1720. — (8) Oper., t. IV, part. II, col. 105 et 106. Edit. Paris 1706. — (9) Oper., t. I, p. 120. Edit. Colon. 1682. — (10) Oper., p. 22. Edit. Atrebat. 1628. — (11) P. 42.

J. V. E. a judæis, ad christianos traduxisset,

24 *Ast occurrit Pagius cum aliis quibusdam dicens in sua critica ad an.* 62 *(Baronio* 64) ꝥ IV : Noque is *(Eusebius)* monachos a Marco institutos esse dicit Alexandriæ, sed ascetas. Ili autem multum distant a monachis, ut genus distat a specie. *Atque exinde adolevit opinio, quasi aliud hominum genus ascetarum quam monachorum esset. Hanc opinionem erudite et subtiliter evolvit Nicolaus Antonellus in sua dissertatione de Ascetis, quam in editione Operum S. Jacobi Nisibeni inseruit. Verum monstrarunt nostri in supra laudato Examine canonico et historico* (1) *plus subtilitatis quam veritatis exsistere in distinctione ascetas inter et monachos. Nam in ipsa, quam de ascetico instituto adumbrat, Antonellus, imagine, omnia elementia vitæ monasticæ reperire est, videlicet vestis peculiaris, locus in ecclesia separatus, domicilium segrex, multiplices preces, victus austerior, voluntaria paupertas, castitas perpetua : quod si hisce omnibus obedientiam adjungamus, nemo diffitebitur in ascesi adesse omnia elementa vitæ monasticæ. In antiquis autem monumentis invenimus plurima, quæ obedientiam designant. Sic Socrates lib.* I *Hist. cap.* II (2) *commemorat S. Paphnutium episcopum, qui Concilio*
B *Nicæno grandævus interfuit, a pueritia, adeoque tertio ecclesiæ sæculo* in asceterio educatum ; *item Auxanonem, presbyterum Novatianum, quondam ab Eutychiano* eruditum in disciplina ascetica. *S. Basilius in sermone ascetico* II *(uno enim censu, quemadmodum et S. Athanasius, ascetam et monachum habet) clare ostendit præsidem ascetarum seu monachorum fuisse.* Is, *inquit* (3), qui ex publico testimonio cunctis prudentia, constantia ac vitæ integritate præstiterit, aliis regendis præficiendus est...... Itaque uno aliquo jam delecto et prælato, cessabunt omnes privatæ voluntates, seque ad id quod præstantius est, conformabunt omnes. *Neque elidere potest S. Basilii auctoritatem objectio, quod S. Doctor agat de monachis; nam ipse eosdem monachos dicit, quos ascetas; dein ubi erant publica professio, habitus pecialis, domicilium separatum, subsellia in ecclesiis distincta, non videtur, qua ratione hæc absque aliqua regiminis forma, adeoque absque præside constitui poterant et constituta conservari.*

testes sunt, ante S. Antonium monachos exstitisse,

25 *Quæ hactenus diximus, abunde ostendunt, a S. Antonio perperam derivari monastici instituti originem. Enimvero si accurate perpendimus S. Hieronymi verba, supra num.* 18 *allata, clare elucescit,*
C *S. Doctorem non agere de primis professoribus vitæ monasticæ, sed de primis incolis eremi monachorum, quatenus olim monachi suburbia aut pagos frequentarent. Atque in hunc sensum conspirat quoque S. Athanasius in Vita S. Antonii num.* 14 (4) ; *nam derelicto castello, quod* viginti prope annis *inhabitaverat,* multis persuasit, monasticam ut eligerent vitam ; atque ita demum in montibus quoque excitata sunt monasteria eremusque a monachis habitata est. *Hæc postrema verba Evagrius ita vertit :* et habitandæ eremi istud exordium fuit : *nam sic habetur :* Καὶ οὕτω λοίπον γέγονε καὶ ἐν τοῖς ὄρεσι μοναστήρια, καὶ ἡ ἔρημος ἐπολίσθη. *Cæterum ut quæ sentio, proferam, vehementer dubito, utrum ille primatus, Sancto cuidam attributus, semper in sensu stricto assumendus sit, an potius eumdem ita interpretari non oporteat, quatenus fundator post se reliquerit instituti sui heredes et propagatores. Qui vero professionis suæ successores non habuerunt, eorum oblitterata est apud plerosque memoria.*

26 *Rem exemplo illustremus. Auctor Vitæ S. Pachomii ad diem* XIV *Maii editæ, refert num.* 77 (5) D
quod etiam monstratur

verba S. Antonii dicentis : Quo ego primum tempore monachum cœpi agere, nullum uspiam extabat cœnobium, in quo de aliorum salute cura aut metus cuiquam erat : sed quisque antiquorum monachorum, persecutione jam finita, privatim in vita sese monastica exercebat. Postea vero pater vester *(monachos Pachomianos alloquitur Antonius)* tantum bonum, Deo adjuvante, effecit. *Quis ex hisce verbis non deducat, S. Pachomium autorem fuisse instituti cœnobitici, adeoque ante illum contubernia monastica non exstitisse? Attamen in eadem Vita num.* 35 (6) *hæc leguntur :* Senex quidam asceta, qui et ipse monasterio antiquiorum monachorum cum potestate præerat, et Eponymus vocabatur, ad Pachomium venit, utque monasterii ad id usque tempus a se administrati curam suscipere vellet, plurimum rogabat : nomen autem monasterii erat Chenobosciorum. Hujus itaque administratione susceptа, alios etiam fratres eo deduxit, iisque, ipso in loco bene precatus, divinæ eos providentiæ commisit : statuens ut cum fratribus, qui jam ante istic fuerant commorati, ipsi quoque habitarent, eademque uterentur vitæ regula. Ibidem similiter E
œconomum et qui secundum abeo locum teneret, necnon contuberniorum præfectos et subordinatos designavit. *Alterum quoque monasterium, Monchosin nomine, accepit S. Pachomius,* rogatus, *inquit biographus,* a præcipuis asceterii illius moderatoribus..... inter quos erat etiam senex quidam, Joannes nomine, in vita spirituali admodum exercitatus.

ex Vita S. Pachomii ;

27 *Tillemontius, nota* VII *in Vitam S. Pachomii* (7), *ut primatum vitæ cœnobiticæ huic Sancto vindicet, eludere nititur argumentum, de umptum Chenoboscio et Monchosi, dicendo (verba ejus latine reddo) :* Erant hæc duo monasteria procul dubio habitacula octo vel decem monachorum, non tam cœnobitarum, quam eremitarum. *Sed id quidem commodius quam verius dicitur. Notum est adagium,* plus vel minus non diversificat speciem. *Esto numerus monachorum octo vel decem : habemus tamen justi cœnobii formam, nempe monachos aliquot, quibus unus* cum potestate præest : *decupletur, aut, si lubet, centuplicetur iste numerus, non facile videtur, quid intersit; in utroque enim casu cœtus monachorum sub obedientia prælati sui viventium exsistit. Cæterum pro lubitu suo fingit sibi Chenobosciensem vel Monchosiensem cœtum fuisse octonarium aut denarium : quandoquidem si adeo exiguus erat fratrum numerus, cur S. Pachomius* œconomum et qui secundum ab eo loco teneret, *necnon* contuberniorum præfectos et subordinatos *designavit? Quis putet opus fuisse tot monachos a Tabenna mittere pro regendo tam pusillo grege? Facile igitur nobis persuademus, utrumque cœtum numerosum satis fuisse, utpote qui plures haberet moderatores. Quod si res ita se habet, jam videmus utrumque monasterium ante et præter Pachomianos exstitisse, adeoque ante S. Pachomium fuisse cœnobia* antiquiorum monachorum, *neque magnopere interest, utrum eremitæ an cœnobitæ dicendi sint: Camaldulenses, et Carthusiani qui distinctas domunculas aut casas incolunt, sunt tamen veri nominis monachi, et quæ est inter hos et alios regulares diversitas, adscititia est, quæ ipsam substantiam relinquit immutatam. Quia igitur hæc duo monasteria cum Pachomianis coaluere, primariæ institutionis* F

(1) Exam. Hist. et Can., p. 54. — (2) P. 39. Edit. Cantabr. 1720. — (3) Oper., t. II, p. 324. Edit. Paris 1722. — (4) Oper., t. I, part. II, p. 807. Edit. Paris 1698. — (5) Act. SS., t. III Maii, p. 326. — (6) Ibid., p. 310. — (7) Mémoires pour serv. à l'hist. ecclés., t. VII, p. 679.

paulatim

A *paulatim oblitterari potuit memoria, quod et de aliis monachorum cœtibus suspicari licet, ut tunc incœpisse censeantur, quando cum majori congregatione coagmentata sunt. Sic ut exemplum recentius afferamus, Saviniacum, anno* 1112 *a B. Vitali fundatum, postquam cum Ordine Cisterciensi coaluisset, initium suum censuit annum* 1118, *ut habet Index Chronologicus Jungelini, et tamquam tum natum obtinet suæ dignitatis gradum. Quæ omnia late accurateque explicabit collega meus in Commentario historico BB. Gaufridi et Serlonis hac ipsa die dando. Ex quibus omnibus consequitur, necessarium non esse, ut, qui primus quandoque dicitur, etiam vere antiquissimus habendus sit.*

in specie idem monstratur pro Syria

28 *Et vero, ut unde digressi sumus, revertamur, status monasticus in Perside diu ante S. Antonii tempora incepisse videtur. Etenim Sozomenus lib.* VI *Historiæ ecclesiasticæ capite* XXVIII *ad* XXXIV *præcipuos variarum provinciarum monachos laudat et extollit : de Aone seu Eugenio, patre, ut vult Assemanus et initiatore monachatus in Syria et id solum dicit cap.* XXXIII (1) : Hunc porro Aonem primum apud Syros, perinde ac Antonium apud Ægyptios, auctorem fuisse ferunt solitariæ ac B arctioris philosophiæ. *Eadem igitur ratione primus in Syria fuit Aon, qua S. Antonius in Ægypto, adeoque quemadmodum ante Antonium fuisse in Ægypto monachos monstravimus, sic et suos Syriam monachos habuisse conjicere licet. Certe Sozomenus l. c. antequam ad Aonem deveniat, alios enumerat undecim, qui* eo tempore præcipue claruerunt. *Quin etiam idem Sozomenus lib.* I, *cap.* XII (2) *principium vitæ monasticæ ad therapeutas refert, dum dicit :* Et Philo quidem quum ista ad hunc modum narrat, indicare videtur Christianos sui temporis, qui ex judæis conversi, adhuc judaico more vivebant, eorumque ritus custodiebant. Apud alios enim hoc vitæ genus reperire non est. Unde conjicio hanc philosophiam apud Ægyptios ex eo tempore floruisse. *Dein capite sequenti addit,* Antonium monachum moribus atque exercitationibus utilissimis hoc vitæ genus ad summam diligentiam et perfectionem perduxisse. *Sed hæc ipsa verba clare demonstrant, S Antonium, judice Sozomeno, addidisse perfectionis incrementum rei, jam ante ejus tempora existenti, adeoque primum non fuisse. Eodem igitur modo interpretari nobis licet, quæ de* C *Aone Syro refert laudatus scriptor.*

ex Actis S. Febroniæ

29 *Verum antiquitatem monastici instituti directius demonstrant Acta S. Febroniæ, quæ Sibapoli seu Nisibi passa est sub Diocletiano circa annum Christi* 304. *Educabatur autem hæc puella in* monasterio fœminarum, habens quinquaginta ascetrias (3) ; his præerat quædam nomine Bryene, discipula olim Platonidis, ante eam diaconatu functæ, cujus traditionem et canonem ad finem usque præclare servavit. Talis porro erat regula Platonidis. Feria sexta nulli sororum erat laborandum, sed in oratorio congregabantur ; ac postquam psalmodiæ canonem absolverant, Platonis accipiens librum sororibus legebat divinitus inspiratas Scripturas ad horam usque tertiam : post tertiam vero horam tradebat librum in manus Bryenæ, jubens eam legere sororibus usque ad vesperam. Similiter igitur Bryene faciebat, suscepto diaconatu. *En profecto certissima elementa monasterii, quibus addi debent, teste Thomaide, S. Febroniæ educatrice, ut monstrant nostri ad diem* XXV *Junii num.* I (4), *præter vitæ communionem, quod a Bryenes, quæ Magna Domina appellabatur, voluntate penderent* I. V. M *reliquæ, ita quidem ut sine ejus assensu e cœnobio, ubi arctissimam clausuram servabant, etiam urgente gravissimo periculo, pedem efferre non præsumerent. Porro in fine eorumdem Actorum referuntur præsentes sepulturæ S. Febroniæ monachi et clerici et paulo infra citatur Marcellus* archimandrita (5).

quorum auctoritas vindicatur

30 *Papebrochius noster S. Febroniæ Acta habet tamquam omnium sincerissima* (6) : Cujus, *inquit,* gloriosa pro Christo certamina, tanto ubique per orientales Ecclesias celebratiora fuerunt, quanto luculentiori testimonio scripta ea habebantur, fide scilicet oculata Thomaidis sanctimonialis, locum secundum tenentis in eo monasterio, ubi Febronia ab infantia fuerat educata sub disciplina amitæ suæ Bryenes. *Verum Josephus Assemanus, sententiam Tillemontii secutus* (7), *Acta S. Febroniæ velut fabulosa rejicit* (8) *: præcipuam vero rationem adducit, quia nempe ante pacem Ecclesiæ a Constantino redditam nulli fuerunt monachi, nullæ moniales. Jam ostendimus, quam labile sit id argumenti genus, quum monastici ordinis initiator non fuerit S. Antonius, adeoque ante Constantini tempora monachi et moniales exstiterint. Imo ex Actis S. Febroniæ legitimum putamus nos deducere posse argumentum* E *antiquitatis monastici instituti. Sed ea est opinionis, temere præconceptæ, vis, ut facta historica, cæterum sincera, aut ad assumptam sententiam quocumque modo detorqueantur, aut si ineluctabilia sint, rejiciantur intrepide. Hoc est demum historiam scribere velle non, ut decet, ex factis, sed ex opinionibus undecumque susceptis; quod quam alienum sit ab officio et candore historici nemo non videt.*

adversus Tillemontium.

31 *Verum quidem est, Tillemontium sphalmata quædam indicare, quæ spurium fœtum proderent : nempe quod Diocletianus velit Lysimachum præfectum constituere, quum non haberet legitimam ætatem, utpote vicenarius; dein quod confundat Palmyrenam regionem cum Mesopotamia ; ac tandem quod S. Febroniæ palæstram Acta ponant Sebapoli civitate episcopali, geographis plane ignota* (9). *Singula discutiamus : quoad ætatem Lysimachi pertinet, fateor equidem ætatem legitimam ad magistratus capessendos esse annum vigesimum quintum aut etiam septimum ut habet Petiscus* (10), *sed simul admittendum est, hanc legem multiplices passam esse exceptiones, ut ab eodem Petisco monstratur. Quoniam igitur Diocletianus ob memoriam Anthimi patris filio Lysimacho, aiunt Acta* (11), *favere voluerit, facile* F *dispensatio in ætate intervenire potuit, si tamen necessaria fuerit ; nam verba Actorum interpretari nobis licet, quasi iste numerus viginti annorum satis late pateret, ut ad trigesimum pertingeret : etenim textus latinus a Papebrochio exhibitus minus accurate reddit græcum, qui habet* (12), ἦν γὰρ νέος τῇ ἡλικίᾳ, ὡς ἐτῶν εἴκοσι, erat juvenis ætate, QUASI annorum viginti, *dum Papebrochius habet :* erat juvenis admodum, atque annorum DUMTAXAT viginti : *cæterum prior nostra interpretatio magis convenit Thomaidi, virgini in solitudine austera viventi, quæ probabaliter non inquisivit curiosius in ætatem juvenis Lysimachi, sed ex specie externa eamdem conjectando divinavit. Tandem Joseph Simonius Assemani in suis Kalendariis Ecclesiæ universæ* (13) *dicit, ex Actis græcis et syriacis pro* Lysimacho legendum Selenum, *patruum videlicet Lysimachi, quasi ipse magistratum gessisset. Ex quibus omnibus liquet istiusmodi errorem, si quis est, nihil detrimenti inferre sinceritati Actorum S. Febroniæ.*

(1) P. 268. Edit. Cantabr. 1720. — (2) P. 25. — (3) Act. SS., t. V Junii, p. 18 et 19. — (4) Ibid., p. 14. — (5) Ibid., p. 21, 22 et 32. — (6) Ibid., p. 14. — (7) Mém. pour serv. à l'hist. eccl., t. V, p. 654. — (8) Biblioth. Orient., t. III, part. II, p. 884. — (9) Tillemont. Mem., t. V, p. 654. — (10) Lexic. antiq. Romanar. v° Ætas. — (11) Acta SS., t. V Junii, p. 17, num. 1. — (12) Ibid., p. 18, num. 2. — (13) T. V, p. 444.

Veniunt

J. V. H. *Veniunt secundo loco quæstiones topographicæ : confusio provinciarum Palmyrenæ et Mesopotamiæ, et incognita geographis civitas episcopalis Sebapolis. Posterius levi manu removet Assemanus citatus ex græco et syriaco legendam esse Nisibim pro Sebapoli, quam in rem vide Commentarium prævium Papebrochii nostri ad Acta S. Febroniæ* (1). *Quam porro odoratur Tillemontius confusionem provinciarum, equidem non perspicio : etenim si textum græcum consulamus, videntur Acta ordinatim procedere, hæc habent* (2) : Παραγενόμενοι τοίνυν ἐν τῇ ἀνατολῇ καὶ ἐπιβάντες τῇ χώρᾳ τῆς Παλμύρης, καὶ ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, τοὺς δὲ ξίφει ἀπέτεμνον κ. τ. λ. *Quæ ad verbum latine reddita, fere ita sonant :* Venientes in Oriente et ingressi in regionem Palmyræ et in Mesopotamia hos *(christianos)* gladio necarunt *etc. Habemus locum parallelum Act.* XXV, 1 Ἐπιβὰς οὖν Φῆστος τῇ ἐπαρχίᾳ, Festus ergo cum venisset in provinciam : *ex textu igitur græco habemus distincte nominari et Palmyrenem et Mesopotamiam. Cæterum quamvis Tillemontii opera decem saltem annis præcesserint editionem Actorum nostrorum, istiusmodi tamen rationes nullatenus Papebrochium impedierunt, quominus Acta S. Febroniæ tamquam sincerissima* B *et haberet et palam diceret. Hæc dicta sunto, ut initia monastici instituti coæva primis christianismi sæculis vindicemus. Subjungimus Acta S.* Barsabiæ *ex syriaco latina reddita, interprete Stephano Evodio Assemano.*

MARTYRIUM

SS. Barsabiæ cœnobiarchæ et decem ejus, sociorum nec non cujusdam Magi. *Ex Actis SS. Martyrum Orientalium et Occidentalium, auctore Steph. Evodio Assemano, part.* I.

C *S. Barsabiæ et sociis coronandis* Eodem ferme tempore, quo B. Miles martyrii laurea redimitus est *a*, apud Astaharæ urbis *b* prætorem ab hominibus nefariis et scelestis accusatus est sanctissimus Barsabias, qui cuidam in Perside cœnobio præerat, decemque disciplinæ suæ alumnos obtinebat. « Plurimorum, oblatrabant delatores, hic hominum mores corrupit ; veneficam » præterea artem docet, atque instituta mago- » rum *c*, sua paulatim inducturus, convellere » studet. » Quamobrem prætor, missis satellitibus, Barsabiam et ejus alumnos comprehendi, vinculisque constrictos ad prætorium perduci jubet. Hic vero omnes suppliciorum acerbitates experti sunt. Comminuta imprimis clavarum ictibus genua, fustibus contrita crura, brachia et costæ, nares insuper, aures dilaceratæ, et contusi oculi. Quum autem immanis judex Martyres in ea membrorum laniena sævissimos inter cruciatos non modo non succubuisse, ut Deum suum ejurarent, aut a vera religione desciscerent, sed nec vultum nec oris habitum mutasse, cerneret, edixit, ut confestim extra urbem deducti necarentur. Martyres vero ad supplicii locum rapti, inter circumfusam populi multitudinem, inter lictorum manus hymnis et psalmis Deum jugiter collaudabant. D

2 Accidit interea, ut inchoata jam Sanctorum cæde, magus quidem *d* et ejus uxor, jumento insidens, cum duobus filiis aliisque familiaribus per id temporis ab urbe profecti, propter eum locum transirent. *associatur magus, d* Magus confertam illuc hominum turbam conspicatus, ut tantisper procederent sociis edixit, donec ipse, quidnam sibi vellet ille populi concursus, exploraret. Quum itaque equo vectus, servo præeunte, per frequentem multitudinem eo irrupisset, proprior Martyribus factus, constitit. Interim præclarus ille cœnobiarcha suavi et jucundo concentu psalmos modulabatur, suosque alumnos non modo ad necem accendebat ; sed ut quisque ad supplicium destinabatur, ipsum manu apprehensum, carnificibus jugulandum tradebat. Hoc spectanti stupentique mago objecta insuper, Deo oculos ejus aperiente, admirabilis visio : cernere namque sibi videbatur ignem quemdam in crucis figuram conformatum, mira luce micantem, cæsorum Martyrum corporibus insidere. Ea specie vehementer perculsus atque conterritus, ex equo protinus desiliit, mutatisque cum servo vestibus, in medium progressus, visum a se portentum monachorum præfecto in aurem exponit, mox subdit : « Alia hæc atque plane diversa ab his, » quæ fiunt, species mihi videbatur, per quam ar- » bitror, me a Deo vestro delectum fuisse, ut ejus- » dem fidei testis vobiscum occumbam ; quoniam » unum jam Deum hunc vestrum ego prædico *e*, » et intimis quidem animi mei sensibus profiteor. » Quandoquidem autem nemo scit, me vestrum » non esse sodalem tuique instituti alumnum, age- » dum, severum ac immitem in me animum indue, » meque sicut cæteros, apprehensa manu, lictori- » bus necandum dedito, utpote qui voluntariam » vobiscum mortem subire etiam atque etiam per- » cupiam, vobiscum, inquam, qui estis populus » sanctus, verus et fidelis. » E e

3 Dicenti annuit Barsabias, admirabili relatæ visionis specie maxime permotus, magumque, uti cæteros, apprehensa manu, post monachorum suorum nonum carnificinum, rem plane ignorantibus jujulandum porrexit. *omnesque simul martyrium consummant.* Huic ad necem successit undecimus. Postremus demum, reliquis peremptis, et ipse cœnobiarcha carnifici cervicem præbuit. Sic duodenario Martyrum numero cumulum finemque imposuit magus. Cæsorum capita, in urbem delata, in delubro Nahitidis deæ Persarum *f* ad populi terrorem pependerunt : cadavera vero feris alitibusque relicta sunt. F Non multo post præclarum magi facinus resciri cœpit, quod mox per universam provinciam quam citissime pervagatum, summa cum omnium admiratione exceptum est, plurimosque ut Christo nomen darent et veram religionem susciperent, permovit ; in quibus ipsius magi uxor, filii atque familiares, qui Christianis se ritibus imbuendos tradiderunt, tum sacris aquis expiati, per totam late vitam summo Dei timore religionem constantissime coluerunt. Istorum porro Sanctorum martyrium incidit in diem decimum septimum lunæ mensis Junii *g*.

ANNOTATA.

a Monstravimus in Commentario prævio num. 8 *et seqq. martyrium S. Milis, cujus nostri ad diem* XXII *Aprilis meminere* (3), *accidisse die* V *Novembris anni*

(1) Act. SS., t. V Junii, p. 15, n. 5. — (2) Ibid., p. 18, n. 3. — (3) Ibid., t. III April., p. 19.

A *anni* 341; *adeoque sanctum* Barsabian *anno sequenti, die* III *Junii passum fuisse.*

b Pro Astahara, *inquit Steph. Assemani* (1), puto legendum Astachara, *quæ est* urbs Persiæ alias maxima juxta fluvium Bendemir, prope ruinas antiquæ Persepolis, de qua hæc Abulfeda tab. geogr. num. 323 : « Astachara est urbium Persiæ » antiquissima. Ibi olim sedes regis fuit : ibidem» que hodie cernuntur magnifica ædificiorum ve» stigia : distat a Sirapha duodecim parasangis. »

c *Magi, de quibus hic mentio fit, utrolibet sensu intelligi possunt; sive ii, qui magismum aut Zoroastris religionem sectantur, sive soli sacerdotes, cultui divino præpositi* (1). *Cæterum quæ hic prætenduntur causæ persecutionis, vulgares sunt et objici solitæ. Sic Arnobius lib.* I *advers. Gentes* (2) : Quin imo, *ait*, ut verius proloquar haruspices has fabulas, conjectores, arioli, vates et numquam non vani concinnavere fanatici, qui ne suæ artes intereant, ac ne stipes exiguas consultoribus jam raris si quando vos velle rem venire in invidiam compererunt, negliguntur dii, clamitant, atque in templis jam raritas summa est : jacent antiquæ derisui cæremoniæ, et sacrorum quondam veterrimi ritus B religionum novarum superstitionibus occiderunt; et merito humanum genus tot miseriarum angustiis premitur, tot laborum excruciatur ærumnis. *Sed in Persica vexatione suo non defuerunt odio judæi (quod pro aliis regionibus annotavimus supra* (3)); *nam quum regina morbo correpta fuisset,* homines, *aiunt Acta S. Tharbæ, sororis S. Simeonis* (4), nefarii et crucis hostes, ex insita sibi nequitia, ipsi *(reginæ)* a B. Simeonis sororibus *(Tharba et Germana)* acceptam, nempe ob fratris necem, injuriam persequentibus morbum veneficio immissum fuisse, facile persuaserunt *reginæ; quapropter capitali sententia damnatæ fuerunt. Similiter Simeon Ctesiphontis et Seleuciæ episcopus, Saporicæ persecutionis Protomartyr, de quo nostri ad diem* XXI *Aprilis*(6), *opera præsertim judæorum odium regis incurrit.* Isthæc, *habent Acta apud Assemanum* (7), temere effutiebant : Si tu, o rex, litteras Cæsari dederis et sapienter et magnifice scriptas, vel munera eximia, et perhonorifica miseris, ea minimi fient, ac nullo fere in pretio habebuntur; at si contra Cæsari obtingat, a Simeone minutam epistolam, atque adeo fortasse et levissi- D mum epistolæ frustulum accipere, protinus adsurgit, viles schedas adorat, et dextra lævaque complexus, negotia in iis exposita strenue expediri mandat. *Ad querelas gentilium et judæorum fraudes accesserunt probabilius rationes politicæ, nempe timores, ne Romani eorumque Cæsares, Christiani facti, ad suum imperium allicerent Persas ejusdem religionis, et ex frequenti episcoporum cum reliquo orbe christiano commercio, populi a suis regibus paulatim deficerent.*

d *Ex famulitio illum circumdante conjicere licet magum aut sacerdotem aut optimatem fuisse. Quoniam autem* mutatis cum servo vestibus *quasi monachus aliquis et judici oblatus a S.* Barsabia *et interemptus fuerit, concludere nobis licet horum monachorum indumenta magnopere diversa non fuisse a vestibus servilibus sive plebeiis.*

e *Notum est magorum capitale dogma in eo esse; ut admittant duplex rerum omnium principium, bonum scilicet et malum* (8) : *adeoque quum* unum Deum prædicare *se dicit, abjurat errores sectæ suæ, et christianum sese profitetur.*

f *De hac dea refert sequentia Assemanus* (9) : Nahitidis id est Veneris. Quamquam enim Diana E Nahitis sive Anahitis Lydis, teste Plinio lib. XXXIII cap. IV dicta fuerit, attamen Persis nonnisi Venerem eo nomine cultam fuisse, tradit Agathias Scholasticus lib. II, ex Beroso Babylonio et Athenocle et Symmacho, qui antiquissimas Assyriorum, Medorumque res adcurate conscripserunt. *Obscenissima erant festa, quæ in hujus deæ honorem peragebantur. Neque id mirandum; Persarum enim idololatria id cum reliquis populorum superstitionibus habebat commune, ut triplici nota distingueretur, nempe fraude, luxuria et crudelitate, uti docte monstravit comes Fridericus de Stolberg in sua Historia Religionis Christi* (3).

g In codice, *ait Assemanus* (10), Nitriensi II coronati dicuntur « Luna septima mensis Junii. » *Suam lectionem prætulit Assemanus, melioris notæ codice nixus : res facilius componi posset, si aliqua apud Martyrologos S.* Barsabiæ *memoria occurrisset, hac enim ratione diem haberemus, qui diversitatem dirimeret. Luna septima mensis Junii cum die* XXIV *Maii, luna vero decima septima cum* III *Junii concurrit.*

C (1) Act. Mart., t. I, p. 95. — (2) Cfr d'Herbelot. Biblioth. Orient. v° *Mages*.—(3) Biblioth. Max. Patt., t. III, p. 433. — (4) Act. SS., t. VIII, p. 23, n. 31. — (5) Asseman. Act. Martt., t. I. p. 51. — (6) Act. SS., t. II April., p. 815. — (6) Act. Martt., t. I, p. 20. — (7) D'Herbelot. Biblioth. Orient. v° *Mages*.—(8) Act. Martt., t. I, p. 95.—(9) Geschicht der Relig. Jesu, t. II, p. 402. Edit. Hamburg. 1811. — (10) Act. Martt., t. I, p. 96. F

DE S. ARTEMIO, MARTYRE,

ANTIOCHIÆ, IN SYRIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. Adversus argumenta Tillemontii vindicatur sanctitas S. Artemii ex Martyrologiis et variis scriptoribus.

ANNO 363. Tillemontius propter arianismi accusationem,

In ipso hujus Commentarii limine obicem nobis injicit Tillemontius, qui in suis Monumentis Historiæ ecclesiasticæ dubia exponit circa sanctitatem B. Artemii, *utpote qui non solum Ariana lue infectus fuerit, sed etiam S. Athanasium præfectus Ægypti fuerit persecutus. Verba ejus a Gallico in latinum idioma transferimus, ut lector facilius capiat universam controversiam.* Non leve, *inquit,*

J. V. B.

inquit, (1), negotium facessit historia persecutionis Julianææ, dum judicandas proponit varias personas, quæ et aliquem pro Christo zelum monstrarunt et mortem passæ sunt. Etenim est humana quædam fortitudo animi, quæ flammas non metuit, et tamen coram Deo inanis est, quatenus in charitate, quæ sine vera fide et extra catholicam Ecclesiam non invenitur, fundata non est. Tunc vero temporis adeo diffusus undique erat Arianismus, ut difficile valde sit discernere orthodoxos ab iis, qui istiusmodi hæresi inquinati erant, adeoque, negata Christi divinitate, ipsum fidei fundamentum convellebant. Qua in quæstione pietas omni suspicione liberare suadet illos, qui, in Ecclesia culti, nullam sui iniquiorem opinionem reliquerunt. Verum quoad illos attinet, qui certo hæresi adhæserunt, principia catholica prohibent, ne eos tamquam Martyres habeamus : quocirca Maris Chalcedonensis, Arianorum antesignani, virtus gratiæ divinæ adscribi non potest, meritoque Baronius, Marco Arethusano, licet ab S. Gregorio Nazianzeno et Theodoreto laudato et ab Ecclesia græca culto, locum in suo Martyrologio dare noluit.

B

S. Artemium, adductis exemplis.

2 Forsan eodem egisset modo cum Artemio, Ægypti duce, si præluxissent illi, quæ modo cognoscimus. Exhibebimus itaque opinionem nostram, quam judicio lectorum, seu magis Ecclesiæ subjicimus, quin velimus quidpiam propterea definire in tam gravi quæstione. Præcipua damnati a Juliano Artemii culpa fuit, quod in idola sæviisset, ut exprobrat Juliano Theodoretus : de eodem honorifice tractat Chronicum Alexandrinum, eumdem, tamquam Martyrem, imo Magnum Martyrem, Μεγαλομάρτυρα, colit Ecclesia græca, sub die xx Octobris, habetque ejus Officium, in quo leguntur plura miracula, ejus debita intercessioni, corpus ejus dicitur in templo cognomini quiescere. Ad hæc ejus Acta scripta referuntur a Metaphraste. Cultus tandem ad ecclesiam latinam propagatus fuit, et Baronius, Græcorum auctoritate nixus, eum in Sanctorum Catalogum intulit. Ast alia ex parte videmus eum adhæsisse Georgio, sedis Alexandrinæ adversus S. Athanasium usurpatori, adeoque cum Arianis habuisse communionem. Nam quadam die quum Tabennam advenisset, rogati monachi ut cum illo orarent, recusarunt id officii præstare, cum Arianis ; Arianum enim, speciem episcopi exhibentem, in suo comitatu habebat.

C

e Catalogo Sanctorum

3 Huc accedit gravius, quod Ammon, episcopus Ægyptius, qui tempore Theophili floruit et coram res, in Ægypto sub Constantio gestas, vidit, aperte testatur Sebastiano in persecutione episcoporum, monachorum, virginum et aliorum catholicorum successisse Artemium : eadem de utroque refert, scitur porro quis fuerit Sebastianus. Ex Vita S. Pachomii habemus, Artemium ducem omnia scrutatum, ut Athanasium inveniret : quapropter in Tabennicam solitudinem cum militibus processit, et istic non tantum damnum attulit, quantum timebatur. Quum vero, quia monachi cum illo orare nolebant, solus in ecclesia constitisset e somno obrepente excitatus, stupefactus et sanguinem e naribus emittens apparuit, dixitque se ægre vitam salvam ex visione habuisse. Nescio qua ratione Benedictini in hac narratione fundare valeant ejus sanctitatem : nihil enim afferunt, quo ostendant illum pœnituisse malorum, catholicis illatorum, et segregasse se ab Arianis. Nam hæretici isti non tantum orationem cum catholicis, quantum catholici cum eis refugiebant : D
et qui in hoc mundo puniuntur, non continuo in misericordia puniuntur. Bollandus quidem Artemium aperte Arianum pronuntiat. Ejus Vita, præsertim ex Philostorgio, Ariano historico, excerpta est a Joanne monacho, ex qua dein prodiit quam habemus hodie Vitam, in qua multa sunt consona cum fragmentis Philostorgii, quæ supersunt.

eliminandum edicit:

4 Animadvertendum quoque Theodoretum, forsan ad ostendendum non tantam fuisse Juliano mansuetudinem, quanta deprædicabatur, de Artemio locutum fuisse sine ullo elogio; dum alio omnino modo sermocinatur de Marco Arethusano, quem S. Gregorius Nazianzenus etiam laudat, et tamen illum præteriit Baronius. Neque major est chronici Alexandrini auctoritas, utpote quod fragmentis Arianis infertum fuerit. Ignoratur quoque quanti valeant a Græcis relata miracula, quorum materia et circumstantiæ sunt minus decora. Quis porro nobis spondebit Græcos C. P. non habuisse Artemium quemdam, ex quo sibi ducem Ægypti confinxere? Neque valide urget Ecclesiæ latinæ cultus, quatenus ad Baronium et pauculos recentiores, græcorum imitatores, coarctatur ; quibus E
quidem nihil contrarium, epistola Ammonis adhuc incognita, innotuerat. Omnis itaque difficultas in græcæ Ecclesiæ cultu consistit, cujus principium et antiquitas ignoratur. Forsan ab antiquo assuetis cultum exhibere cuidam Artemio, Joannes monachus, reperiens Sanctum hujus nominis decollatum, historiam quamdam ex Philostorgio et vulgari fama conflaverit, uti habet Allatius, unde et prodierunt quæ hodie in officio Ecclesiæ græcæ leguntur. Fieri quoque potest, traditionem quamdam in Oriente viguisse de duce Artemio, sed ab Arianis paulatim ad catholicos derivatam ; quemadmodum diu in Martyrologiis latinis perstitit nomen Priscilliani et adhucdum Dictinii Asturicensis elogium, a Priscillianistis profectum, perseverat. Juxta Ammonem et Vitam S. Pachomii habebatur in Ægypto tamquam orthodoxorum hostis ; quocirca difficile persuademus nobis, Artemium tamquam Martyrem in Syria et C. P. cultum fuisse. Aliis relinquimus definitionem istiusmodi difficultatis ; venia tamen nobis dabitur, si impetrare a nobis non possumus, ut tamquam Sanctum et Martyrem honoremus illum, qui secundum authentica documenta fuit orthodoxorum et divinitatis Christi F
hostis infensissimus : ut talem, habuit illum Ecclesia catholica Ægypti, illo quidem sæculo, quo mortuus est. *Hactenus Tillemontius.*

refutatur ejus opinio ex Martyrologiis.

5 *Quamvis hæc rationum momenta suo non careant pondere, quoniam tamen ineluctabilia non sunt, non credimus recedendum esse a præconio Martyrologii Romani, cui concinunt græcorum Menologia et Liturgia. Imprimis certum est S.* Artemium, *Ægypti ducem, passum esse pro Christi nomine sub Juliano imperatore : etenim hoc testantur monumenta et multiplicia et antiqua; adeoque non est, ut cum Tillemontio fingamus alium quemdam* Artemium *a duce Ægypti diversum, quocum iste confusus fuerit et quasi in unum coaluerit corpus. Certe Theodoretus, circa annum* 466 *vita functus, adeoque ævo Julianæo æqualis, dicit, lib.* III, *cap.* XVIII (2) : Artemium quoque, qui dux militum fuerat per Ægyptum, eo quod temporibus Constantii, quum magistratum illum gereret, plurima deorum simulacra confregerat, non solum bonis exuit, verum etiam et capite truncavit. Hæc et hujusmodi alia commissa

(1) Tillemont. Mém. pour serv. à l'hist. ecclés., t. VII, p. 731. Edit. 1706. — (2) Hist. Ecclés., p. 137. Edit. Cantabr. 1720.

sunt

A sunt ab illo, quem gentiles mansuetissimum et ab iracundia alienissimum prædicant. *Animadvertit quidem Tillemontius* Artemii *martyrium non probari, tum quia solum accusatus fuit confractorum simulacrorum, tum quia ideo solum spoliationem et interfectionem ejus attulit, ut famam mansuetudinis, Juliano a Gentilibus tributam, eliminaret Theodoretus. Verum neutra ratio consistit : non prior; nam hoc loco agit scriptor de Martyribus, propter pietatem passis, ut liquet ex præcedentibus et consequentibus, quocirca non otiose apponitur particula* quoque, καί, *indicans se* Artemium *quoque nostrum in Martyrum catalogum inferre. Altera porro ratio validior non videtur : nam Gentiles mansuetudinem, non qualemcumque, sed erga christianos exercitam, magnificabant : si igitur Theodoretus exemplo* Artemii *hanc laudem retundebat, profecto id innuit,* Artemium, *tamquam christianum, bonorum spoliationem et capitalem sententiam subiisse.*

ex Ammiano Marcellino, 6 *S.* Artemii *interfectionem, capitali tamen crimine velatam, refert Juliani historicus, Ammianus Marcellinus : qui libro* XXII, *cap.* XI (1) : Tunc, *inquit,* et Artemius ex duce Ægypti, Alexandrinis urgentibus atrocium criminum mole, supplicio B capitali mulctatus est. *Exstat et ipsius Juliani epistola ad Alexandrinos, ordine* X (2), *a Socrate etiam Hist. lib.* III, *cap.* III (3), *relata, in qua illis exprobrat cædem Georgii, psudoepiscopi Alexandrini : in eadem autem epistola agit imperator de duce exercitus, qui rex Ægypti,* βασιλεὺς τῆς Αἰγύπτου *dicitur, et plerisque* Artemium *nostrum significat. Ast suspicionem mihi movet aliquam, quod Julianus, dum tumultuariam Georgii cædem, adeoque, ut ipse dixit,* judicum sententiis non subjectam, *Alexandrinis objicit, non opposuerit, siquidem Sanctum nostrum indigitaret,* Artemii *pœnam capitalem, quam ipse, ut Acta habent, pro tribunali sedens, pronuntiavit. Etenim claris verbis affirmat Ammianus* l. c. Alexandrinos Artemii comperto interitu, quem verebantur ne cum potestate reversus (id enim minatus est) multos læderet ut offensus, iram in Georgium vertisse episcopum. *Fateor esse argumentum negativum, sed istiusmodi, ut, siquidem de* Artemio *in epistola egerit, sponte quasi sua mentio aliqua istius pœnæ injicienda videretur. Ast pergamus in testimoniis colligendis de* S. Artemii C *passione.*

et scriptoribus Christianis : 7 *Chronicum Paschale, quod etiam Alexandrinum et Siculum vocatur, tempore Heraclii imperatoris, an. 610-641, completum, de Sancto nostro habet* (4) : Artemius vero quum esset dux provinciæ Ægypti, quod beatæ memoriæ Constantii *(alii legunt Constantini)* Augusti temporibus, dum ea dignitate fungeretur, in ecclesias studium singulare professus esset, bonis in fiscum relatis, Alexandriæ capite plexus est, immenso Juliani in illum odio. *Tillemontius dicit in Chronico Paschali fragmenta Ariana interpolata fuisse, cui opinioni non repugnabo, si de Constantii, non vero Constantini temporibus intelligendum sit* singulare in ecclesias studium, *nam sub Constantio certum est* Artemium *Arianis favisse et persecutorem S. Athanasii fuisse : ast simul verum est, quod unice hic contendo,* Artemium, *Ægypti ducem, ex odio christianæ religionis passum fuisse. Cum Chronico Pascha conveniunt Theophanes, sæculi* IX (5) *et Cedrenus* XII (6) *scriptores, qui necem* Artemii *referentes, dicunt illum supplicium capitale subiisse propter adversum in idola animum. Pluribus testibus adducendis supersedemus, quoniam allata sufficiunt ad monstrandum S.* Artemium, *ducem Ægypti, pro religione christiana sub Juliano Apostata capitalem sententiam accepisse.* J. V. B.

8 *Nullatenus tamen, ut jam præfati sumus, negamus S.* Artemium *partibus Arianis adhæsisse, aut saltem Constantio imperatori ministrum fuisse in persequendo catholicos. Instar omnium est nobis Ammonius testis et coævus et conterraneus, qui in Ægypto monachus tempore S. Athanasii, historiam coram inspexit* (7). *Hic vero in Vita S. Pachomii ad diem* XIV *Maii hæc refert* (8) : Cum beatus pontifex Athanasius id temporis sub Constantio ab Arianis investigaretur, sanctique per Ægyptum et in urbe Alexandrina monachi ac virgines et laici religiosiores multa sustinerent incommoda, et verberibus vulneribusque conficerentur, universa quoque Ægypto abire juberentur episcopi, ducis titulo tunc gaudente Sebastiano, successore Syriani, cujus jussu complures Deo per castitatem devotæ virgines in ipsa S. Theonæ episcopi ecclesia telis sceleratorum fuerant interemptæ : cumque sancti episcopi sub Artemio, quem Sebastianus deinde habuit successorem, multi inter tormenta exspirassent, sanctique occidentales episcopi acti essent in exsilium E et mala inenarrabilia, Arianis duce crudelissimo Georgio prævalentibus, omnia pervaderent, *etc. Alter autem S. Pachomii biographus coævus, utpote qui iis convixerit, qui sanctum cognorant* (9), *narrat* (10), *quomodo dux* Artemius *apud Tabennesiotas omnia perscrutatus, ut S. Athanasium reperiret, solus, monachis recusantibus, oraverit :* quumque, *pergit biographus,* ad plures dies eodem loco *(monasterio Pabau)* esset moratus (Artemius), e somno aliquando exsurgens, repertus est sanguinem e naribus mittere et conturbatus. Quid homini acciderit certo haud sciebamus, sed magno apparuit terrore perculsus. Auditus quoque est, quum diceret : Ea sane mihi oblata est visio, in qua mortem divina miseratione vix effugi.

concedimus quidem S. Artemium Arianis favisse,

sed simul aliqua signa 9 *Ad hunc locum observat commentator noster* (11) : Artemium, quamvis communicantem cum Arianis, et Georgii crudelitates non impedientem, haud tamen omnino impium fuisse apparet ex religioso illo modo, quo monachos tractavit, orari pro se petiit, solus oravit, fortassis et in visu præsagium accepit sanguinis pro christiana religione fundendi. *Imo ex modo, quo hæc visio narratur et ex verbis ab* F *ipso* Artemio *prolatis, omnino mihi videtur agi de Arianis eorumque persecutionibus, adeoque aut tunc hæresi renuntiasse, aut saltem initium aliquod factum fuisse conversionis. Quocirca apparet ratio, cur Benedictini in Vita S. Athanasii in hac visione conversionem S.* Artemii *augurati sint* (12). *Et reipsa in Actis, infra edendis, dicit Martyr num.* 65 : Ecce altaria tua diruta, sanctuarium tuum igne consumptum, decor domus tuæ evanuit et sanguis testamenti pro nihilo est habitus, propter peccata nostra et blasphemias, ab Ario effusas adversum te, unigenitum et Spiritum sanctum, quando te expertem fecit consubstantialitatis (ὁμοουσιότητος) Patris tui, ejusque naturæ (φύσεως) extraneum te, creatorem omnium creaturam appellans, et in tempore factum, qui creavit sæcula. Dicebat enim : Erat tempus, quando non erat filius, et scelestus ille te vocabat filium consilii et voluntatis. Sed impius subiit pœnas sui oris et linguæ sceleratæ ; et quando quidem ejus blasphemiæ perseverant, subit sup-

(1) Amm. p. 251 Edit. Lugd. Batav. 1693. — (2) Oper., t. II, p. 123. Edit. Petav. Paris 1630. — (3) P. 174. Edit. Cantabr. 1720. — (4) Hist. Byzant. Chron. Pasch., t. I, p. 519. Edit. Bonn. 1832. — (5) Ibid. Theophan., t. I, p. 79. — (6) Ibid. Cedren., t. I, p. 537. — (7) Act. SS., t. III Maii, p. 298, n. 2. — (8) Ibid., p. 356, n. 21. — (9) Ibid., p. 320, n. 62. — (10) Ibid., p. 330, n. 88. — (11) Ibid., p. 331, not. *e*. — (13) Oper., t. I, part. I, p. LXXIV. Edit. Paris 1698.

J. V. II.

plicium æternum, numquam finiturum. *Hæc si cognovisset Tillemontius, mitigasset probabilius sententiam suam: unde et de illo, quæ ille de aliis, dicere licet: Forsan S.* Artemium, *tamquam vere Martyrem habuisset, si* præluxissent illi, quæ cognoscimus: *nam supra citata verba absunt a textu, quo Surius usus est.*

resipiscentiæ dedisse asserimus:

10 *Inconcusse igitur adhæremus canoni* III *de Hæret.* (v. 7) *dicenti:* Omni homini, qui ecclesiæ catholicæ non tenet unitatem, neque baptismus, neque eleemosyna quantum libet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta, potest ad salutem: attamen nisi ante finem vitæ catholicæ fuerit incorporatus et redintegratus ecclesiæ (1). *Sed* Artemii *nostri redintegrationem testantur antiquorum patrum dicta, quibus illum martyribus accensent, universæ ecclesiæ Græcæ ab antiquo liturgia, quam Latina Ecclesia recipiendo approbavit et aperta Actorum verba, mox allata, quæ candidissimam Nicenæ fidei professionem testantur. Quæ vero affert Tillemontius exempla, quibus Martyrologorum errores ostenduntur, solum monstrant, non undecumque ab errore immunem esse istiusmodi annuntiationem, præsertim quando privata ex auctoritate prodit.*
B *Verum ex tali possibilitate non recte ad factum concluditur. Imprimis probare non possum exemplum Priscilliani hæresiarchæ, cujus nomen, secundum Tillemontium,* diu in Martyrologiis perstitit. *Equidem nullum mihi Martyrologium occurrit, in quo Priscilliani nomen reperiatur, nullum auctarium sive Hieronymianum, sive Adonianum aut Usuardinum. Sed illud verum est,* a suis, *ut ait Sulpitius Severus lib.* II *Hist.* (2), ut martyrem cultum *fuisse, quem* prius ut Sanctum honoraverant, *unde et explicatur, qua ratione Priscilliani nomen in quædam Martyrologia, ab ejus asseclis corrupta, irrepserit, ut ex Vasæo asserit Sigonius in suis ad Sulpitium Severum Notis* (3).

Tillemontii opinioni minime favent exempla Priscilliani

11 *Sed ex dictis unusquisque facile perspicit, quanta intercedat differentia inter clandestinam quamdam sectariorum interpolationem et elogium publica authoritate libris liturgicis insertum, qualis est annuntiatio S.* Artemii, *Martyris in fastos utriusque Ecclesiæ illata. Nihilominus fatendum est aliquos catholicos Priscilliani nomen in veneratione habuisse: sic Petrus de Natalibus, allegans S. Hieronymum, in suo Sanctorum Catalogo nomen Priscilliani reposuit* (4). *Sed larvatus aut interpolatus*
C *quispiam Hieronymus Petro præluxerit, oportet, quoniam in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in dubio hæret Hieronymus, utrum Priscillianus catholicus esset, quum scribit cap.* CXXI (5): Priscillianus, Abilæ episcopus, qui factione Hydatii et Ithacii, Treviris a Maximo tyranno cæsus est, edidit multa opuscula, de quibus ad nos aliqua pervenerunt. Hic usque hodie a nonnullis Gnosticæ, id est, Basilidis et Marcionis, de quibus Irenæus scripsit, hæreseos accusatur, defendentibus aliis, non ita eum scripsisse. *Sed quod Hieronymus, anno* 392 *dubius scribebat, quodammodo recantavit anno circiter* 415, *probabiliter* omnia *Priscilliani et Conciliorum decreta scrutatus, in epistola ad Ctesiphontem adversus Pelagianos, ord.* XLIII (6), *quando Priscillianum* partem Manichæi *vocat, utpote qui* partem haberet gnosticæ hæreseos, de Basilidis impietate venientem; *unde* et sæculi gladio et totius orbis auctoritate damnatus *fuit. Quocirca manifeste apparet, Petrum de Natalibus turpiter quidem hallucininatum fuisse, sed errorem suum, ecclesiæ judicio obnitente, minime fuisse propagatum.* D

12 *Dilabimur nunc ad alia duo exempla, a Tillemontio allata: nempe Marci Arethusani et Dictinii Asturicensis. Et quoad quidem Marcum attinet, ejus fidem et sanctitatem vindicant nostri ad diem* XXIX *Martii* (7), *Baroniumque suam sub eadem die duriorem prolatam sententiam in Annotatis ad Martyrologium Romanum, emollisse censent, quando in suis annalibus sub anno* 362 § CLIII: Cæterum, *ait,* quod omnes historici, cum ejus egregiam in patiendo constantiam narrant, hominum pietate insignem prædicant; sed et (quod pluris æstimari debet) ipse Gregorius Nazianzenus eum appellet virum eximium ac sacro sanctum senem; par est credere, illum post tantam dogmatum conflictationem sese ad castra fidelium orthodoxorum, ab hæreticis deficientem transtulisse. *Neque id prætereundum est S. Marcum Arethusanum duobus diebus in Menologio Basilii imperatoris celebrari; nempe die* XXVIII *Martii his verbis:* Καὶ Μαρτίνου ἐπισκόπου Ἀρεθουσίων καὶ Κυρίλλου διακόνου, Et memoria Martini (Marci) episcopi Arethusiorum et Cyrilli diaconi. *Ubi evidenter vel ex socio diacono, pro Martino Marcus legi debet. Idem dein Menologium sub die* XXX *Martii luculentius utriusque Martyris texit elogium.* E

aut Marc Arethusani;

13 *De S. Dictinio Asturicensi amplior sermo occurrit, quem § sequenti exponemus. Quoad vero miracula, S. Artemio tributa, attinet, illa Tillemontio, sive materia sive circumstantiæ spectentur, minus videntur decora, ut supra num. 4 exposuimus. Et re quidem vera mirabiles sanationes, a Sancto Martyre patratæ, ad unum morbi genus, nempe testiculorum infirmitatem, referuntur, passimque fit miraculum in visione, nudataque et attacta pars convalescit. Quoniam vero in istiusmodi membris; quemadmodum et in aliis, gravis infirmitas exsistere potest, equidem plane non video, cur ab ope Sanctorum excludi debeat. Neque minus decoræ ejusmodi sanationes, quam herniarum et fluxus sanguinei in mulieribus apparent. Quod vero Sanctus partis infirmæ denudationem et tactum in visione perfecerit, non major est indecentia, quam si medicus quispiam recognitione et palpatione eadem membra curet* (8). *Præterea si quid indecori, si quid ficti habent miracula relata, non officit* Artemii *nostri sanctitati et cultui, quum in Kalendario Ms. bibliothecæ regiæ Parisiensis, sæculo decimo* F *jam celebretur ejus memoria sub hac die istis verbis:* Τοῦ ἁγίου μεγάλου μάρτυρος Ἀρτεμίου: Sancti et magni martyris Artemii (9).

aut miraculorum genus insolens.

§ III. Acta S. Dictinii, præcipue ejus sinceritas in redeundo ad unitatem Ecclesiæ et cultus ecclesiasticus elucidantur.

Causa latius scribendi de S. Dictino,

Quoniam *sub die* XXVI *Julii* (10) *jejune admodum a majoribus nostris de S. Dictino seu Dictinio, Asturicensi episcopo, actum fuit, occasionem ejus sanctitatis vindicandæ nacti, paulo latius res ejus gestas exponendas censemus; ac tali ratione desideratis sub*

(1) Cfr Hermant. Vie de S. Athan., t. II, p. 363. — (2) Cfr Bened. XIV. De serv. Dei beatif. et can., lib. III, cap. XX. — (3) Sculp. sev. Oper., t. II, p. 268. Edit. Veron. 1754. — (4) Sigon. Oper., t. IV, p. 184. — (5) Cat. SS., lib. XI, cap. LXXXIX et CXXV. — (6) Oper., t. IV, part. II, p. 127. edit. Paris 1706. — (7) Ibid., p. 487. — (8) Act. SS., t. III Mart., p. 777, p. 18. — (9) Cfr Muzzarelli. Nombre et qualité des Miracles. Opera, t. V, p. 1. Edit. Avenion 1826. — (10) Scholz. De Menol. Græc., p. 8. Bonnæ 1823. — (11) Acta SS., t. V Jul., p. 569.

die

die XXIV *Julii supplebimus. S. Dictinii nomen et sanctitatem nescus, icabantur quidem nostri, quando ejus cultum in directorio Asturicensi,* casu, *aiunt,* ad illos transmisso, *celebratum reperere. Sancti elogium texit etiam Tamayus sub die* XXIV *Julii : sed illud secundis curis ex auctore, quem* fallacem *appellant, reddere neglexerunt. Nobis autem, quibus certiora documenta prælucent, maxima ex parte sincera videntur Acta, a Tamayo edita, quapropter illa subnectimus, et allegatis etiam antiquorum et eruditorum testimoniis confirmabimus S. Dictinii* Acta, *ait Tamayus,* confusa et diminuta habentur in Breviario et Legendario antiquis Asturicensibus, illa dabimus ampliora ex nostrorum Chronicis et Conciliis.

cujus Vitæ synopsis ex Tamayo

15 Dictinus, origine Græcus, natalibus simul et eruditione famosus, Priscilliani hæresim ebibens, Symposii magistri perspicacitate deceptus, aliquot volumina errorum aspersione referta, publicæ luci legenda conscripsit. Dubium, an tunc presbyter, sed quod certius agnoscitur, eum a Symposio fuisse episcopalibus infulis insignitum ; quo munere majora et impia aggressus dogmata, unam Dei et hominis esse naturam publicis scriptis affirmare et popularibus sermonibus prædicare non erubuit. Hujus, magistri, et aliorum errores quum passim catholica Hispaniæ experiretur Ecclesia, et de opportunis meditaretur remediis, ut pestilentem hanc epidemiam aut confunderet, aut sanaret, ad Romanam, omnium Matrem et Magistram, confugere decrevit, ut illi regulam pro medicandis hæreticorum ulceribus consuetæ pietatis soliditate præfigeret. Hinc indici concilia cœptum, quibus Priscillianistarum hæresis damnata, et ejus sectatores anathematis mucrone feriti, subterfugia in montibus et speluncis, odiosa, licet justa, animadversione lacessiti quærebant.

et perfecta ad unitatem

16 Hinc aliqui Priscillianistici erroris antesignani et magistri, perspectis catholicorum rationibus, et ruminatis SS. Patrum assertionibus, præcognitisque D. Ambrosii, Mediolanensis Ecclesiæ episcopi, virtutibus et doctrina, Italiam pergere destinarunt, et cum eo de eorum dogmatibus disputare, sic, ut si veritatis confunderentur acumine, protinus ad Ecclesiam confugientes, suorum errorum veniam publica confessione perciperent. Horum præcipuus ad Ambrosium Dictinus accessit, qui a sancto Doctore veridica cognoscens eloquia, veritatis fulmine transfixus, lacrymarum imbre perfusus, extemplo impii Priscilliani abjuravit errores. Tum beatissimus Ambrosius Dictini et aliorum sodalium resipiscentiæ voluntate pensata, illos ad futuram synodum, cum litteris commendatitiis ad præsules Hispaniæ, quibus formas et conditiones adimplendas, ut Ecclesiæ restituerentur gremio, præscripserat, felicibus dimisit auspiciis. Qui Hispanias repedantes et ad urbem Toletum, qua synodum congregatam agnoverant, accedentes, datis Ambrosii epistolis, eorum conversionem indicantibus, locum in concilii angulo humili submissione petiere.

catholicam conversio

17 Igitur per concilii Toletani patres, lectitatis epistolis et Dictini sociorumque intellecta emendatione, et restitutionis instantia, intra Synodi cœtum protractus, et coram patribus positus, habita dicendi licentia, in hæc verba viscerum contritione prorupit : « Audite me, optimi sacerdotes, corrigite omnia, quia vobis correctio est. Scriptum est enim : Vobis datæ sunt claves regni cœlorum. Sed peto a vobis, ut claves nobis regni, non portæ aperiantur inferni. Hæc si dignamini, omnia ante oculos pono : hoc enim in me reprehendo, quod dixerim unam Dei et hominis esse naturam. Ego non solum correctionem vestram rogo, sed omnem præsumptionem meam de scriptis meis arguo atque condemno. Sic sensi, testis est Deus, si erravi, corrigite. Et paulo ante dixi et nunc iterum repeto, in priori comprehensione mea et in principiis conversionis meæ, quæcumque scripsi, omnia me toto corde respuere : excepto nomine Domini, omnia anathematizo : omnia, quæ inveniuntur contra fidem, cum ipso auctore condemno. » Post hæc Symposius suam confessionem emisit, qua peracta, prosequitur Dictinus : « Sequor sententiam domini mei et patris mei et genitoris et doctoris mei, Symposii : quæcumque locutus est, loquor ; nam scriptum legimus : Si quis aliter euangelizavit, præterquam euangelisatum est vobis anathema sit. Et idcirco omnia quæ Priscillianus aut male docuit, aut male scripsit, cum ipso auctore, condemno.

exhibetur :

18 His coram concilio Dictinus peractis et hæresibus toto corde damnatis, per patres ad pœnitentiam admissus, Ecclesiæ gremio restitutus, certis conditionibus præmissis et audita sententia, a concilio benignitatis apicibus fulminata, eaque suscepta, e synodi cœtu humilis et emendatus discessit. Hinc fidelis veritatis per Hispanias prædicator exsistens, catholicis maculam et religiosis operibus antiquam abstergere conabatur labem erroris. Hinc suorum operum, quæ ante conversionem scripserat, dogmaticus strenuus erat, et veridicus propugnator *(impugnator ?)* et hostis. Cujus exinde reductionis status ita populis, erroribus lapsis, utilis exstitit et suavis, sacerdotibus et clero delectabilis et decorus, pontificibus admirabilis et honestus, quod procul dubio toti Ecclesiæ dies ille alacritatis fuerit et solemnitatis exemplar. Quid ergo ? Virum eruditissimum, inter Hispaniæ præsules omnibus clausulis absolutum, a fide devium, fidei restitutum, qui divinæ gratiæ nutu illustratus, velut alter Augustinus, si ante conversionem primus et efficacior adversus Ecclesiam impugnator exstiterat, post conversionem specialis et unicus Hispaniæ doctor apparuit, Priscillianum et sectarios verbis et scriptis, fidem catholicam affirmantibus, mucrone veritatis confundens, agnovit.

19 Tantis siquidem virtutum cumulis postmodum decoratus effulsit, et tantis bonorum operum sarcinis exornatus effloruit, ut pontificalibus, quibus erat suspensus, functionibus restitutis, Asturicensis sedis regimine fungeretur. In hujus ergo muneris administratione, sic vitam texuit, quod totius Ordinis pontificalis splendor in uno Dictinio inveniretur compactus. Nam in eo tanta perfectionis gratia cœpit conversari, ut jam tunc in ipsis initiis perfectorum posset numero deputari. Inerat denique ei tanta abstinentia in cibis, vigilantia in orationibus, strenuitas in jejuniis, assiduitas in sermonibus, ut infirmato corpore vix consistere posset. Inter hæc demum activæ vitæ pœnalia, ut B. Vir aliquid recreatus remitteret, manus ad constructionem templi proprias apposuit, quod feliciter consummavit, et B. V. Mariæ, Dei Genitricis nomini venerando, dicavit. Denique instante vitæ termino, sacramentis vallatus, et fidei professione peracta, omnibus valedicens, et super cilicium positus beatum spiritum obtulit redemptori, nono Kalend. Augusti, anno 420. Cujus corpus in eadem ecclesia B. Mariæ, quam ipse propriis manibus exstruxerat, sepultum, innumeris coruscavit miraculis, præstante D. N. Jesu Christo, qui de peccatoribus fideles sibi servos constituit. *Hactenus Tamayus.*

20 *Licet*

J. V. H.

Certa est S. Dictinii conversio ex S. Leone,

20 *Licet quæ varia affert Tamayus de S. Dictinii virtutibus et die obitus, antiquitatis monumentis certa non sint, tamen duo usquequaque indubitata nobis esse debent, videlicet sincera Dictinii a Priscilliani secta ad catholicam fidem conversio et cultus ejusdem in Ecclesia Asturicensi antiquitas. Quoad porro conversionem attinet, testem habemus, omni exceptione majorem, S. Leonem Magnum in epistola ord.* XV, *ad S. Turribium, Asturicensem episcopum, Dictinii successorem, licet forsan non immediatum* (1) ; *etenim Pontifex cap.* XVI (2) *dicit :* Postremo autem capitulo hoc prodidit justa querimonia, quod Dictinii tractatus, quos secundum Priscilliani dogma conscripsit, a multis cum veneratione legerentur : cum, si aliquid memoriæ Dictinii tribuendum putant, reparationem ejus magis debeant amare quam lapsum. Non ergo Dictinium, sed Priscillianum legunt, et illud probant, quod errans docuit, non quod correctus elegit. *Et vero suæ conversionis testimonium luculentissimum dedit S. Dictinius in Concilio Toletano anni* 400, *quando Patribus dixit* (3) : Audite me, optimi sacerdotes, corrigite omnia, quia vobis correctio data est. Scriptum est enim : « Vobis datæ sunt B claves regni cœlorum. » Sed peto a vobis, ut claves nobis regni, non portæ aperiantur inferni. Hæc si dignamini omnia ante oculos pono. Hoc enim in me reprehendo, quod dixerim. unam Dei et hominis esse naturam. Item dixit : Sic sensi testis est Deus : si erravi, corrigite. Item dixit Et paulo ante dixi et nunc iterum repeto : in priori comprehensione mea et in principiis conversionis meæ, quæcumque conscripsi, omnia me toto corde respuere. Item dixit : Excepto nomine Dei, omnia anathematizo. Item dixit : Omnia, quæ inveniuntur contra fidem, cum ipso auctore condemno.

et ex Concilio Toletano,

21 *Tum, interjectis Symphosii episcopi et Comasii presbyteri professionibus, prosequitur S. Dictinius :* Sequor sententiam domini mei et patris mei et genitoris et doctoris Symphosii. Quæcumque locutus est, loquor. Nam scriptum legimus : « Si quis vobis aliter euangelizaverit, præter quam quod euangelizatum est vobis, anathema sit. » Et idcirco omnia, quæ Priscillianus aut male docuit, aut male scripsit cum ipso auctore condemno. *Quesnellus quidem in suis ad supracitatam epistolam S. Leonis Notis, tamquam confictas traducit has fidei professiones* (4), *sed earumdem authentiam vin-* C *dicant tum fratres Ballerinii* (5), *tum Henricus Florez in Hispania sacra* (6) *et Ambrosius Moralez in Chronico generali Hispaniæ lib.* XI, *cap.* IV (7). *Objicit tamen Quesnellus locum Idatii, quem ipse dein perperam citatum fatetur, nempe.* Dictinius, Asturicensis episcopus, cui ob Priscilliani hæresim, quam profitebatur, ejecto, cum aliis ejusdem sectæ episcopis, successit Turribius. *Cæterum sancet asseverat Quesnellus sibi istiusmodi textum occurrisse, speratque aliquando detectum iri* (8) *: ast spes usque hodie eum fefellit, et nemo, quem sciam, simile quid invenit : quamvis Maurini, S. Augustini editores, eumdem textum, nullo fonte proprius assignato, referant in S. Augustini libro contra Mendacium cap.* III (9). *Cæterum si obscuri cujusdam scriptoris fragmentum quoddam reperiretur, ejus dicta nullatenus prævalere deberent auctoritati Idatii, scriptoris subæqualis et rerum Hispanicarum scientissimi, qui retractationem Dictinii Concilio* D *Toletano anni* 400 *illigat hisce verbis* (10) : In provincia Carthaginensi, in civitate Toleto, synodus episcoporum contrahitur, in quo, quod gestis continetur, Symposius et Dictinius et alii Gallæciæ provinciæ episcopi, Priscilliani sectatores, hæresim ejus blasphemissimam cum adsertore eodem professionis suæ subscriptione condemnant.

quod confirmatur ex Chronico Idatii :

22 *Ex citatis Idatii verbis liquet, professiones episcoporum, qui Priscilliani erroribus adhæserant, quamvis desint in plerisque exemplaribus Concilii Toletani, et ad calcem Actorum rejiciantur, tamen ad hoc Concilium pertinere ; adeoque neque cum Quesnello ab hac synodo abjudicandas esse, aut cum Nic. Antonio in Bibliotheca Hispana veteri lib.* II *cap.* V, *num.* 132, *ut cinnum esse traducendas* (11), *quasi ex variis canonibus et sententiis id Concilium consarcinatum hodie haberemus. Nam laudatus Idatius post supra citata verba addit :* Statuuntur quædam etiam observanda de Ecclesiæ disciplina. *Unde datur intelligere canone quosdam disciplinares conditos fuisse, nempe, ut arguit Joannes Garzonius, Idatii commentator, hos ipsos canones* XX *vulgatos, quorum authenticitatem adversus Quesnellum vindicare promiserat Garzonius in peculiari dissertatione de Priscillianistis, quæ tamen, quia in codice Bru-* E *xellensi non reperiebatur, deest in laudata editione Chronici Idatiani. Ex hactenus dictis manifestum fit, et sinceram fuisse S. Dictinii conversionem et eamdem Concilio Toletano anni* 400 *illigandam esse ; adeoque cultum Sancto exhibitum et usque in hodiernum perseverantem nulla ratione potuisse manare a Priscillianistis, utpote qui Dictinium, tamquam transfugam, exosum, ut semper fit, habere debuerunt.*

Certus quoque Sancti cultus

23 *Devolvimur igitur ad alteram, quam examinandam suscepimus, quæstionem, nempe de cultu, sancto episcopo ab antiquitate impenso. Cujus rei testimonium habemus jam sæculo decimo, quando Fortis, Asturicensis episcopus ab anno* 920 *ad* 929 *varia obtulit S. Dictinio ejusque ecclesiæ his verbis* (12), *quæ cultum omnino demonstrant :* Sanctissimo, gloriosissimo et post Deum mihi fortissimo patrono meo, domino Dictinio, episcopo et confessori sacro, cujus ecclesia vetusto fundamine sita est juxta Asturicensem mœnium, ego pusillus famulus tuus Fortis, nutu divino pontificali gratia comitatus, qui hanc tuam ecclesiam studui restaurare, inhabitare et ditare in tui amore ac tua perpetuali gloriæ dignitate. *Varia igitur donat episcopus Fortis abbati venerabili Vimara...* pro stipendio Vir- F ginum ac continentium vel confessorum ibidem deservientium : *ex quibus verbis elicere est, duplex ibidem constitutum fuisse monasterium, alterum nempe Virginum ; virorum, qui sub abbate Vimara res spirituales et temporales procurabant, alterum. Demum post consuetas iræ divinæ in violatores donationis interminationes, concludit :* Factum textum dotis vel donationis XVIII Kalendas madii era 963, *id est die* XIV *Aprilis anni vulgaris* 925, *et sequuntur multorum presbyterorum, diaconorum, aliorumque subscriptiones. Simili diplomate Ximenus II, Asturicensis episcopus* 1003 — 1025, *duas hereditates* in honorem S. Dictini episcopi *eidem monasterio donat* (13).

probatur ex inscriptione ;

24 *Constat porro hanc eamdem ecclesiam ædificatam fuisse a S. Dictinio, ut docet nos antiquum monumentum, videlicet grandis tabula marmorea, parieti affixa cum hac inscriptione* (14) :

(1) Florez Epan. Sagr., t. XVI, p. 89 et seq.—(2) Opera, t. I, p. 707. Edit. Ballerin. Venet. 1753. — (3) Aguirre. Conc. Hisp., t. III, p. 26. Edit. Rom. 1753.—(4) S. Leonis Opera, t. II, p. 1382.—(5) Ibid., p. 1376. — (6) Espan., Sagr., t. VI, p. 96. — (7) Coron. Gener. de Espan., t. V, p. 322. Edit. Matrit. 1791. Cfr D'Aguirre. Conc. Hisp., t. III, p. 26. — (8) Leon. Oper., t. II, p. 1381.—(9) August. Oper., t. VI, col. 451 in nota. — (10) Idatii Chron., p. 57. Edit. Bruxell. 1845. — (11) Biblioth. Hisp. Vet., t. I, p. 171.—(12) Espan. Sagr., t. XV, p. 430.—(13) Ibid., p. 447. — (14) Ibid., p. 83. Moralez Chron. gen. de Espan., l. XI, c. V, t. V, p. 331.

In

A IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI INTRO HOC TUMULUM REQUIESCIT FAMULUS DEI NONNUS EPISCOPUS. REQUIEVIT IN PACE SUB DIE

Si quis episcopus r(ex) præcessor vel
actor cujusque vasum istum in quo
jacemus aut corpusculum nostrum
ab hinc tollere aut commovere vo
luerit anathema sit et ante tribunal
Christi sancto dictinio episcopo et
confessore suo cujus nos parietibus
manu sua factis vel umbraculis tegi
mur juditio contendat et datan et
abiron quos terra vivos absorbuit
partem recipiat et cum juda tradi
tore sortiatur et tendat * ac tre
mendo juditii die non evadat et stri
dore dentium.

* teneat?

Luculentum istud de sanctitate Dictinii testimonium id habet incommodi, quod nulla nota chronologica despici possit, qua ætate positum fuerit.

in cujus ætatem inquiritur

25 *Nam ubi notari debuisset dies et annus emortuali Nonni episcopi, spatium non deletum, sed numquam impletum, in sua levitate perstat; quo-* B *circa conjicere licet, lapidem, vivente adhuc antistite, erectum fuisse. Jam vero in Catalogo episcoporum Asturicensium nullus quidem occurrit Nonnus, sed duo sunt, qui Nunnius seu Nunno appellati, sæculo* XIII *et* XIV *cathedram Asturicensem occuparunt* (1). *Quapropter Ambrosius Moralez in suo Chronico generali Hispaniæ lib.* XI *cap.* V (2) *tabulam adscribit Nunnio I, qui obiit anno* 1241. *Verum Henricus Florez* (3) *inter Nonni et Nunnii nomen magnam invenit diversitatem, quam tamen laudatus Moralez suspicatus non est. Licet passim, non magnopere curanda sit, litteris consonantibus perstantibus, vocalium discrepantia, ut in præsenti quæstione occurrit, tamen quoniam hæc controversia penitiorem, quæ mihi deest, linguæ Hispanicæ cognitionem requirit, eamdem intactam relinquo. Ast nihilominus mihi Florezii sententia præplacet, statuentis hunc episcopum Nonnum ad illos pertinere, quorum nomina desiderantur initio sæculi noni. Id mihi suadent præsertim locutiones vitiosæ, quæ in tabula occurrunt, quatenus sæculo* XIII *minime reperiuntur; legantur enim chartæ Asturicenses, a Floresio exhibitæ, inter alias instrumenta annorum* 1195 (4), 1228 (5), *et* 1246 (6), *atque istic textus, non quidem elegans, sed tamen correctus depre-* C *hendetur.*

ratione styli tunc vigentis,

26 *Et contrario sæculo nono latinitas inscriptionum et chartarum nequaquam correcta erat. Sic in Ovetensi templo, cujus diœcesis Asturicensibus contermina erat, legitur inscriptio sub Alphonso III seu Magno, qui anno* 866 *regnavit, in hæc verba desinit* (7) : HOC OPUS *(munimentum ecclesiæ)* A NOBIS OFFERTUM EIDEM ECCLESIÆ PERENNE SIT JURE CONCESSUM. *Deterioris etiam phraseos erant scripturæ chartarum ejusdem ætatis : nam instrumentum, anno Christi* 878 *exaratum, inter alia hæc habet* (8) : Post hæc ordinaverit supradicti judices per Sajonum Datuum, filium Arboni, placitum conscribere, roborare et firmare Matlini et Argimirum, de quo supra scriptum est, de quod asseruerit dum domnus noster in Legione venisset, ex utrasque partes testimonia præsentarent, ut petitio et responsio firmata fuisse *etc. similes phrases ejusmodi sunt, ut facile persuadeant stylum inscriptionis Asturicensis et inscriptionis Ovetensis et chartæ mox citatæ, eamdem sapere ætatem; dum hæc a modo loquendi sæculi* XIII, *quando litteræ humaniores reflorescere cœperunt, omnino aliena videatur. Quæ loquendi discrepantia me in sententiam Florezii facile inclinat.*

J. V. H.

et interminationum, quibus clauditur,

27 *Animadvertendum quoque est, inscriptionem Asturicensem minis divinæ vindictæ terminari; quod quidem alterum videri posset argumentum, ut Nonnum episcopum ad sæculum* IX *ablegemus, nisi quædam chartæ sæculi* XIII *similibus interminationibus clauderentur. Nam in historia critica Hispaniæ Joannes Franciscus Masdeu* (9) *multas variorum sæculorum inscriptiones lapidarias collegit : ex quibus, quæ sunt sæculi* XIII, *nullas omnino minas continent, sed magis precationes, ut bene sit aut defuncto aut fautori operis, quod ædificatum est. Contra vero anterioribus sæculis istiusmodi interminationes non raro occurrunt. Sic sæculum octavum finiens nobis sequentem inscriptionem legavit* (10) : Quisquis hic positus degis jure sacerdos, per Christum te obtestor, ut sis mei Adefonsi memor, quatenus sepe aut saltem una die per singulas hebdomadas semper Christo pro me offeras sacrificium, ut ipse tibi sit perenne auxilium. E Quod si forte neglexeris ista vivens sacerdotium amittas. *In eadem civitate Ovetensi, ubi prior inscriptio reperiebatur, habebatur et altera, cruci aureæ insculpta* (11) : Susceptum placide maneat hoc in honore Dei : offert Adefonsus, humilis servus Christi. Hoc signo tuetur pius, hoc signo vincitur inimicus. Quisquis auferre presumpserit mihi, nisi libens ubi voluntas dederit mea, fulmine divina intereat ipse. Hoc opus perfectum est era DCCCXXVI.

probatur quoque sanctitas

28 *Verumtamen, ut supra notavimus, chartæ sæculi* XIII *similes interminationes continent* (12) : *adeoque, quoniam ex chartis ad inscriptiones traduci potuerint, argumentum peremptorium proferre non possumus. Sic in charta Alphonsi IX anni* 1195, *qua variæ gratiæ conceduntur hospitali, in honorem S. Thomæ Cantuariensis erecto juxta civitatem Asturicensem, leguntur interminationes* (13) : Si quis igitur istud factum meum spontaneum infringere temptaverit, sit maledictus et excommunicatus, et cum Juda proditore Domini, Satan et Abiron, quos vivos terra obsorbuit, pœnas sustineat perpetuas et regiæ parti et hospitali duo millia aureorum persolvat. F *In aliis chartis ejusdem regis pro eadem ecclesia annorum* 1205 (14) 1206 (15), *et* 1209 (16) *eædem interminationis formulæ recurrunt. Neque dissimulandum est, easdem interminationes, similique forma prolatas e tabula Asturicensi occurrere : quocirca satis anceps esset est quæstio, nisi vitiosa latinitas, nobis suaderet inscriptionem sæculum* IX *magis, quam* XIII *spirare. Quidquid sit, est tamen monumentum antiquum, cujus ope antiquitatem et perseverantiam cultus, S. Dictinii comprobatur. Ambrosius Moralez in suo Chronico generali Hispaniæ refert vulgus ex dicta tabula opinionem collegisse sanctitatis ipsius Nonni episcopi, ejusque patrocinium implorare in dolore dentium; quocirca sepulchro imponunt anathemata cerea et terram tumuli colligunt, remedium mali. Utinam, ait Moralez, superstitioni medeatur.*

ex festo annuo.

29 *Festum S. Dictinii celebratur hodie* 11 *Junii sub ritu duplicis majoris : lectiones tamen secundi nocturni, quæ historiam Sancti referre consueverunt,*

(1) Espan. Sagr., t. XVI, p. 231 et 259. — (2) Coron. gen. de Espan., t. V, p. 332. — (3) Espan. Sagr., t. XVI, p. 81. — (4) Ibid., p. 495. — (5) Ibid., p. 503. — (6) Ibid., p. 505. — (7) Masdeu. Hist. crit. de Esp., t. IX, p. 60. — (8) Espan. Sagr., t. XVI, p. 425. — (9) Masdeu. Hist. crit., t. IX. — (10) Ibid., p. 47. — (11) Ibid., p. 49. — (12) Nouv. Tr. diplom., t. V, p. 576. — (13) Espan. Sagr., t. XVI, p. 496. — (14) Ibid., p. 497. — (15) Ibid., p. 498. — (16) Ibid., p. 500. — (17) Coron. de Esp., t. V, p. 332.

runt,

J. V. H. *runt, sunt de communi Confessorum pontificum, uti notatur in antiquo Breviario Ms. Asturicensi: habet tamen specialem orationem :* Omnipotens et misericors Deus, qui hodiernam festivitatem in honore beati Dictini, Confessoris tui atque pontificis nobis celebrare concedis, præsta quæsumus, ut ejus gloriosis meritis, assiduisque intercessionibus ad æternæ vitæ gaudia, te ducente, pervenire mereamur. Per Dominum *etc. Hactenus dicta sufficiunt, tum ut hiatum quemdam, a majoribus relictum, suppleamus, tum ut manifestum fiat, minus feliciter Tillemontium usum fuisse exemplo S. Dictinii, ut Martyris* Artemii *legitimum cultum impugnaret. Esto, Artemius dux Ægypti decep tus fuerit tum favore imperatoris tum subtilitate dogmatizantium, qui militarem simplicitatem captivaverant, id tamen negari non potest, illum in confessione Christi, veri Dei, mortem oppetiisse, adeoque in candidato martyrum exercitu esse recensendum.*

§ IV. Acta S. Artemii edenda videntur esse S. Joannis Damasceni cujus auctoritas et sinceritas adversus Casaubonum vindicantur.

B

Acta S. Artemii edenda

Acta S. Artemii *e græco fonte latine ediderunt Aloysius Lippomanus, Veronensis episcopus et Laurentius Surius Carthusianus, eademque in compendium redegit Agapius monachus in suo libro Venetiis anno* 1683 *excuso, cui titulus* Paradisus. *Acta autem, prout a Lippomano et Surio nobis tradita sunt, non undecumque inter se conveniunt ; nam Lippomaniana, si paucula excipias ampliora, plerumque rejiciunt prolixiores Sancti sermones, et ea, quæ ad generalem imperii Romani historiam pertinent, quæ quidem omnia a Surio exhibentur. Ast id certum est græcum textum, plus minus amplificatum, utriusque Actis latinis, substractum fuisse. Uterque porro sine ulla dubitatione græcum textum Simeoni Metaphrasti adscribit ; dum, noster textus edendus in fronte nomen Joannis monachi præfert, qui narrationem suam* collegit ex ecclesiastica historia Philostorgii et nonnullorum aliorum : *quapropter* C *fidem suæ narrationi conciliat, quum palam hisce verbis profiteatur se, non e penu propria, sed ex antiquorum relatione deprompsisse, quæ profert. Non tamen repugno si quis censeat sermones longiores, sive dialogos sive monologos, quibus Acta frequentissime insperguntur, rhetorum more adornatos fuisse. Quoniam vero Acta græca, alibi typis jam excusa, secundis curis edere non consuevimus, hæsimus aliquamdiu utrum recudenda forent ; sed quoniam Spicilegium Romanum, ab Emin. Cardinali Angelo Maiio in lucem prolatum, paucis in hisce partibus hactenus innotuit, Acta græca damus, lectori, uti confidimus jucunda et grata.*

S. Joanni Damasceno

31 *Sed occurrit quæstio investiganda, quisnempe ille sit Joannes monachus cujus nomen in fronte Vitæ edendæ inscribitur. Tam enim nomen quam professio communia sunt, ut parum ab anonymo auctore quodam differre videantur. Eminentissimus Cardinales Angelus Mai, cui multa jam debet, et, ut sperare licet, plura etiam debebit sacra profanaque eruditio, in suo Spicilegio Romano* (1) *censet Sancti nostri Vitam esse genuinum fœtum S. Joannis Damasceni, tum quia Joannis monachi nomine in codi-* D *cibus Damascenus appellari solet, tum quia ejus esse hoc opusculum Allatius putavit,* idque, *ait laudatus cardinalis,* cum aliis sancti Patris scriptis editurus aliquando erat ; id quod ego ex Vallicellanis ipsius Allatii Schedis cognovi. S. Artemii passionem æque attribuunt S. Joanni Damasceno auctori Labbæus in Prospectu Operum Damasceni, et rursus idem Allatius in Symmictis, ubi tradit notitiam eorumdem operum p. 452 n. XLVII. Sed nemo tamen eximium hoc et curiosissimum scriptum typis græcis ante me vulgaverat. *Curiosissimum scriptum appellat Eminent. Cardinalis, non solum quia Vitam exhibebat hactenus ineditam, sed quia Joannes narrationem suam ex Philostorgio sumens, fragmentum hujus historici, non spernendum conservavit. Certe, ait* (2) in hac Artemii passione elucent historiæ Romanæ veritas, elocutionis gravitas, copia rerum et instar libri prolixitas. Jam ad hujus fontem Philostorgium quod attinet, nemo est qui nesciat, ex duodecim ejus operis libris nonnisi illa excerpta manere, quæ Photius olim confecit, in quibus Artemii, nulla neque passionis ejus mentio, fit, quia partem hanc cum innumeris aliis Photius omisit. Eorum tamen, quæ Philostorgius in E Artemii Actis dixerat, plura nunc et evidentia vestigia visuntur in nostro libro cum Philostorgii excerptis collato. *Et indicatis variis exemplis, quæ in Vita edenda adnotabimus, pergit :* Sic ergo nobilis historiæ ecclesiasticæ auctor partem sui recuperat, quod magis interest græci fasti non pœnitendum ab hoc invento incrementum accipiunt. Postremo inclytus Christi Martyr Artemius, dum p. 392 *(nobis num.* 65) Arii hæresi nominatim maledicit, seque apprime catholicum profitetur, injustam illam Arianismi suspicionem depellit, quam de eo Tillemontius sine idoneis indiciis contraxerat, sibique et aliis fortasse persuaserat.

33 *Pondus aliquod huic opinioni addit mea sententia convenientia styli, quæ intercedit inter Vitam S. Artemii edendam et laudationem S. Barbaræ, Martyris, quæ publici juris græce et latine fecit Michael Le Quien, Ordinis S. Dominici* (3). *In utroque enim tractatu eadem occurrit verborum copia, vocabulorum synonimorum frequens usus, epithetorum accumulatio, totiusque sermonis æquabilis decursus. In eo tamen uterque panegyricus distat, quod laudatio S. Barbaræ passionem Sanctæ unice complectatur, nec ad historiam illorum temporum excurrat ; dum e contrario S.* Artemii *Vita Constantinianæ familiæ fata late describat, referatque plurima ex imperii Romani annalibus detorta. Cujus diversitatis idonea ratio esse potest, quod S. Barbaræ Vita et Passio intra domesticos parietes, adeoque extra omnem cum rebus publicis connexionem, absoluta fuerit : ast in S.* Artemio *aliter se res habet ; hic enim plerisque negotiis imperatoriæ domus implicitus erat, adeoque ejus historia frequentiores latioresque excursus in res gestas Cæsarum exigebat aut saltem patiebatur.* *adscribenda videntur,* F

33 *Nihilominus opinioni, qua S. Joanni Damasceno Vita edenda adscribitur, præjudicium creari putare quis posset ex eo, quod S.* Artemii *Vitam nullo verbo attigerit citatus supra Operum Damasceni editor, Michael Le Quien. Verum id nimium probaret : probaret enim vel inter dubia et supposititia esse annumerandam Vitam nostram, quod certe nemo, qui allatos supra auctoritates consideraverit, facile admittit. Restat itaque, ut dicamus, Michaelem Le Quien hunc fœtum Damasceni titulo-* *quamvis editores Operum hactenus siluerint.*

(1) Mai. Spicil. rom., t. V, præf., p. XIV et 340.— (2) Præf., p. XIV.— (3) Johan. Damascen. Oper., t. II, p. 895. Edit. Venet. 1848.

tenus

A *tenus solum cognovisse, neque ullum ex istiusmodi omissione detrimentum exsurgere potuisse. Ipse quidem in sua Præfatione* (1) *dicit,* numerum librorum aut opusculorum omnis generis, quæ Joannes noster reliquit, ex nullo certo ejus æquali aut suppari auctore accipi posse : *quapropter subnectit :* quum multa genuina ac sincera collegerim, multa tamen interiisse aut in bibliothecis orbis latere pro certo habeo.

et reddita silentii ratione,

34 *Et in specie quidem, quoad Vitam nostram attinet in Schedis Allatianis* (2), *testit Leo Allatius catalogum in duas partes dispertitum, quarum prior continebat Damasceni opera Joanni Auberto Lutetiam missa, altera vero, in qua* Διήγησις περὶ τοῦ μεγάλου Ἀρτεμίου ἐκ τοῦ Φιλοστοργίου, *adhuc* mittenda *exstabat. Utrum vero posterior pars aliquando missa fuerit, ad Aubertum, qui relicto edendi Damasceni consilio, Ephrem Syrum publicare proposuerat, ignoratur. Ast quidquid sit, Michael Le Quien testatur* (3) *Labbæum nostrum, qui* Conspectum novæ editionis omnium Operum S. Joannis Damasceni monachi et presbyteri *publici juris fecerat,* sperasse fore ut ea opuscula, quæ Leo Allatius Auberto miserat, aliquando nancisceretur, sed spe B sua cecidisse; frustraque ac perperam, *ait Le-Quien*, Goarius noster suspicatus est omnia ad ejus manus devenisse; Auberto siquidem vita functo omnes ejus chartæ in totum interiere. *Tali igitur ratione explicatur, cur Michael editor, quamvis Vitam nostram titulotenus cognoverit, quoniam exemplar aliquod nancisci non potuit, tractatum de S.* Artemio *tacens omiserit.*

vindicatur adversus Casaubonum

35 *Sed porro adjudicata S. Damasceno B.* Artemii *Vita, altera occurrit quæstio, de fide scilicet ejus dictis adhibenda. Certe Casaubonus in sua Exercitatione* XIII *ad Annales Baronii num.* 38 (4) *magnam conditori Annalium impendit laudem, quia pronuntiavit* in multis ejus *(Damasceni)* scriptis fidem vacillare et compluribus ipsum scatere mendaciis. *Casauboni sententiam amplexi sunt Joan. Ger. Vossius et Gulielm. Cave protestantes et quidam levioris armaturæ catholici. Verum quam sublestum sit istiusmodi judicium ex eo liquet, quod Baronius hasce notas vacillantis fidei et mendacii non in Damascenum sed in Joannem Malalam impingit. En rei totius series. Postquam retulisset ad annum Christi* 31 § LXXV *Baronius ex Eusebio historiam statuæ, ab hæmorhoissa Paneade erectæ,* C *subdit :* Hactenus de his Eusebius. Porro recenset Joannes Damascenus (5) ex chronico Joannis, Antiochiæ episcopi cognomento Malalæ, supplicem libellum, oblatum, Philippo, tetrarchæ Trachonitidis regionis, ut de beneficio, quod acceperat, liceret in perpetuum ejus monumentum erigere statuas. Sed quum in multis ejus scriptis fides vacillet et compluribus scatere mendaciis cognoscatur, indignum putavimus his nostris chartis intexere.

J. v. n. S. Dam. sinceritas.

36 Verum utri horum vacillantis fidei et mendaciorum *accusationem impingit Baronius? Joannine Damasceno an Malalæ? Certe dum alio loco nempe ad annum Christi* 604 § XXXIX, *auctoritatem Damasceni, asserentis animam Trajani ab inferno precibus S. Gregorii Magni liberatam fuisse, declinat; non recurrit ad vacillantem ejus fidem aut mendacia quibus verbis difficultatem commode solvere poterat: ast alio prorsus modo rem pertractat; nam* primum ab omni imposturæ suspicione virum sanctissimum immunem reddit, nihilque ab ipso commentitium esse factum vel excogitatum, constanter asserit : sed quod ipse *(Damascenus* vere factum accepit ac credidit, hoc ipsum quomodo audivit, scriptis suis bona fide mandavit. At in his, quæ ad rerum gestarum veritatem spectant, quam frequenter accidat falli etiam prudentissimos, non in antiquis tantummodo; sed et in his, quæ facta dicuntur in eodem loco, quo ipsi sunt et quo vivunt tempore, quum usus doceat, pluribus demonstrare supervacaneum putamus. *Et quibusdam interjectis, in exemplum adducit Baronius S. Gregorium Nazianzenum, qui in oratione de S. Cypriano, duos homonymos Nicomediensem magum et* E *Carthaginensem episcopum in unum confudit* (6). *Hæc sufficiunt ad monstrandum, quam longe a Baronii mente abfuerit in Damascenum tantam intorquere calumniam. Cæterum Allatius, Combefisius et Le Quien, hanc orationem, in qua de Trajano agitur, Damasceno adjudicant et inter libros suppositios reponunt* (7).

et arguitur Malalæ nugacitas.

37 *Quod si Baronii verba sæpius citata Joanni Malalæ applicemus, eadem omni ex parte conformia reperiemus cum iis quæ saniores critici de eodem Joanne pronuntiant. Sic Fabricius in Bibliotheca græca* (8) Joannes, *inquit*, Antiochenus, cognomento Malalas, diversus ab altero Joanne monacho Antiocheno, itidem chronographo atque similia passim tradente et similibus delectato fabulis. *Gulielmus Cave, licet Malalam excusare nitatur, dum antiquiorem illum facit, quam alii, fatetur tamen* (9) *eum* fabulosum *esse* et nugarum plenum. *Pagius in Critica Baronii ad annum* 107, § III *habet Joannem Fellum, episcopum Oxoniensem, consilium suscepisse Malalæ chronici edendi*, sed, *inquit,* posteaquam comperit, auctorem fuisse nullius judicii et librum fabulis scatere, noluit eum edendo, tum prælo tum opera sua abuti. *Ex hactenus* F *dictis manifestum fit, non Joanni Damasceno, sed Joanni Malalæ impactam a Baronio notam vacillantis fidei et mendaciorum, imo Damascenum sincera fide semper retulisse, quæ ab aliis didicerat; ita ut nihil occurrat, quod ejus auctoritatem labefactare possit* (10) : *quin eumdem propterea a nota nimiæ quandoque credulitatis vindicare velimus.*

(1) Joan Damasc. Oper., t. I, præf., p. v, n. 15.—(2) Allat. Symmict. t. II, p. 448. — (3) Damasc. Oper., præf, p. III. — (4) De reb. sacris et eccles. exercit., p. 270. Edit. Genev. 1655. — (5) Joan. Damasc. Oper., t. I, p. 368.—(6) Greg. Naz. Op, t. I, p. 437. Edit. Paris 1778.—(7) Joan. Damasc. Oper., t. I, p. 583. — (8) T. VII, p. 446. Edit. Hamburg 1801. — (9) Cave. Hist. lit., p. 372. Edit. Genev. 1720. — (10) Cfr Prolegom. in Joan. Malalam, p. XLV. Edit. Bonn. 1831.

ΥΠΟΜΝΗΜΑ

AUCTORE JOANNE MONACHO.

ΥΠΟΜΝΗΜΑ ΗΓΟΥΝ ΕΞΗΓΗΣΙΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΚΑΙ ΕΝΔΟΞΟΥ ΜΕΓΑΛΟΜΑΡΤΥΡΟΣ ΚΑΙ ΘΑΥΜΑΤΟΥΡΓΟΥ ΑΡΤΕΜΙΟΥ, ΣΥΛΛΕΓΕΝ ΑΠΟ ΤΗΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣΤΙΚΗΣ ΙΣΤΟΡΙΑΣ ΦΙΛΟΣΤΟΥΡΓΙΟΥ ΚΑΙ ΑΛΛΩΝ ΤΙΝΩΝ, ΠΑΡΑ ΙΩΑΝΝΟΥ ΜΟΝΑΧΟΥ.

MEMORIA SEU HISTORIA magni et prodigiosi Martyris Artemii, collecta ex ecclesiastica Historia Philostorgii et nonnullorum aliorum a Johanne monacho. *Ex tom. VI Spicilegii Romani Card. Angeli Maii.* D

Caput I. Fontes historiæ S. Artemii, status imperii sub Constantino Magno.

Τὰ τοῦ μεγάλου καὶ ἐνδόξου μάρτυρος Ἀρτεμίου διηγεῖσθαι μέλλων ἀνδραγαθήματα, καὶ τὴν ἄθλησιν, τήν τε ἄνωθεν αὐτοῦ καὶ ἐκ προγόνων οὖσαν εὐγένειαν, ὦ ἱερᾶ πανήγυρις καὶ θεοσύλλεκτον σύστημα, αὐτὸν ἐκεῖνον ἐπικαλοῦμαι τὸν μάρτυρα, καὶ τὴν ἐπισκιάζουσαν αὐτῷ χάριν τοῦ πνεύματος, συλλήπτορα μοι γενέσθαι τοῦ λόγου καὶ συνεπίκουρον· καὶ αὐτοὺς ὑμᾶς ἐν παρακλήσει ποιοῦμαι τῶν ὑμετέρων εὐχῶν προσδεόμενος, ἵν' εὔοδόν μοι καὶ ἀπρόσκοπον γένηται τουτὶ τὸ ἐγχείρημα, καὶ κατευθύνον πρὸς ἥν περ' ἐξώρμησα τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ καὶ τῆς ὁμολογίας διήγησιν καὶ μήτις μοι ταῦτα
B ἐγχειροῦντι ἐπιμεμφέσθω, ἀφορῶν εἰς τὸ πρῶτον καὶ ἀρχαῖον τοῦ θαυμασίου τούτου καὶ ἀοιδίμου ἀνδρὸς ὑπόμνημα· ὁ γὰρ ἐκεῖνο συντάξας, ὡς ὁ τοτε καιρὸς ἀπήτει, καὶ ὡς εἶχε δυναμεως ἔγραψε, πολλῷ θορύβῳ καὶ ταραχῇ τῶν τοτε πραγμάτων συνεχομένων : οὐ μὲν οὖν οὐδὲ αὐτὸς τὶς ἦν τῶν περιεσκεμμένων τε καὶ περὶ λόγους ἐσπουδακότων, ἀλλ' ἁπλοῦς τὶς καὶ ἀπέριττος μόνης τῆς ἀληθείας πεφροντικὼς, καὶ τὸ λέγειν ὅπως οὖν στοχαζόμενος· καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν ἄκρῳ δακτύλῳ, τῆς ἱερᾶς τῶν λόγων παιδείας ἀψάμενος.

Egregia facinora et certamina haustamque a majoribus generositatem magni et gloriosi Martyris Artemii enarraturus, invoco, sacra et a Deo collecta congregatio, hunc ipsum Martyrem, cumque obumbrantem spiritus gratiam, mei sermonis fieri adjutorem ac conciliatorem. Vos etiam appello vestrarum precum indigens, ut facile et sine offendiculo sit hoc meum consilium, strataque via, quam inivi, confessionis et martyrii historiam decurram, tum etiam nequis ista tentantem reprehendat, dum respicit prima et antiqua documenta viri admirandi et celebrandi *a*. Qui enim hæc E *a* composuit, pro exigentia istius temporis, rebus tunc terrore et trepidatione confusis, id conscripsit. Neque vero iste versutus aut verborum captator erat, sed rectus et simplex, solius veritatis curiosus, contentus dicere candide, et juxta proverbium summo digito sacram eruditionem attingere.

Proœmium

2 Ὥσπερ οὖν οὐδὲ αὐτὸς ἐγὼ ἀκρούντως ἔχω καὶ ἱκανῶς πρὸς τὴν τοῦ λόγου διήγησιν, κἂν ὁ πόθος τοῦ μάρτυρος καθέλκῃ καὶ τυραννεῖ μοῦ τὸν λογισμὸν καὶ πρὸς τὸ λέγειν βιάζεται, ἐπαινετὸς μέντοι τῆς προθυμίας καὶ τῆς περὶ τὸν μάρτυρα πίστεως, ὅτι κἂν ὁποσοῦν ἐτόλμησεν ἅψασθαι τῆς περὶ τὸ μαρτύριον αὐτοῦ διηγήσεως, μάλιστα τοῦ ἀποστάτου καὶ ἀσεβοῦς Ἰουλιανοῦ παραγγείλαντος τοῖς ἁλισκομένοις ἐπὶ τὸ τοῦ Χριςοῦ μαρτύριον μήτε ὑπόμνημα, μήτε ἄλλην τὴν οἱανοῦν ποιεῖσθαι ἀναγραφὴν, καθὼς οἱ πρότερον βασιλεῖς ἐνομοθέτησαν, ἀλλὰ τοὺς πλείονας αὐτῶν ἀναπολογήτους ἀπόλλυσθαι· τούτου τοῦ παραγγέλματος πανταχόσε καταφοιτήσαντος, ἐκολαζόντο μὲν οἱ τὸν Χριςὸν ὁμολογοῦντες κατὰ δὲ τὸ κρατοῦν ἔθος, οὐδεὶς τῶν ἐκ τοῦ δήμου
C κομενταρισίων, ἢ τῶν λεγομένων ταχυγράφων, προνοιαν ἐποιεῖτο τοῦδε τοῦ παραγγέλματος· ἐσπούδαζε γὰρ ὁ παράνομος, καὶ αὐτὴν τῶν μαρτύρων ἐξαφανίσαι τὴν εὔκλειαν· μόλις οὖν τινὲς ἐν ζοφεροῖς τισὶ καὶ ἀλαμπέσι τοποις κατακρυπτόμενοι, τοιούτων ἐφάπτεσθαι ἐτόλμων ὑπομνημάτων, τὴν τοῦ κρατοῦντος δεδιττόμενοι ἀγριότητα· πολλαὶ μὲν οὖν μυριάδες ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τῶν χριςιανῶν κατεφθείροντο, μηδὲ μιᾶς τινὸς κατὰ τὸ κρατοῦν ἔθος ἀξιούμενοι ἐρωτήσεως· ἀλλὰ τοῦτο μὲν οὐδὲν παρέβλαψε τοὺς ἀθλητὰς τοῦ Χριςοῦ, τοῦ μὴ τυχεῖν ὑπομνήματος· ὧν γὰρ τὰ ὀνόματα ἐν οὐρανοῖς Θεὸς ἀπεγράφετο, οὐδεμία τὶς ἦν χρεία τῶν παρ' ἀνθρώποις ὑπομνημάτων· ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἅλις.

2 Quemadmodum igitur neque ego sufficiens sum ad historiam digne texendam, licet me meus in Martyrem amor alliciat et trahat atque ad dicendum cogat. Laudandus tamen est propter ejus dilectionem et fidem, qui ausus fuerit aliquid de martyrii historia attingere, præsertim quia apostata et impius Julianus sanciverat secundum legem priorum imperatorum, ne conscriberetur historia aut qualiscumque memoria eorum, qui martyrium fecerant, sed voluerat plerosque inglorios perire : qua quidem lege puniebantur Christi confessores. Unde effectum est, ut nullus publicus commentariensis aut exceptor horum historiæ curam habuerit. Studebat enim vir rebellis Martyrum gloriam eliminare. Ægre itaque aliqui in F obscuris locis delitescentes, talia argumenta attingere ausi sunt, reliquis ferocitatem principis timentibus. Multa igitur Christianorum millia per universum orbem perire, nulla propter vigentem legem memoria dignati *b*. Sed istiusmodi gloriæ *b* obliteratio nullatenus nocuit Christi athletis; quorum enim nomina scripta erant in cœlis, ii non indigebant ullius memoria apud homines. Sed de his jam satis.

Acta Martyrum, sub Juliano suppressa.

3 Ἐγὼ δὲ, ὦ ἱερὰ πανήγυρις, καὶ Χριςοῦ λαὸς θεοσύλλεκτα, ἔθνος ἅγιον καὶ βασίλειον ἱεράτευμα, πολλοῖς ἐντυχὼν συγγραάμμασι, καὶ μάλιστα τῶν τὰς ἱστορίας καὶ πράξεις τῶν βασιλέων συνταξαμένων, ἔπειτα δὲ καὶ τῶν περὶ τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἱστορίαν σπουδασάντων, καὶ τὸ τοῦ μάρτυρος εὑρὼν ὄνομα ὧδε κἀκεῖσε διαθαρυλλούμενον τε καὶ περιφερόμενον, καὶ ἄνδρα περιφανῆ τε καὶ διαβόητον πάντων αὐτὸν ὁμολογούντων, οὐκ ᾠήθην ταῦτα τῆς λήθης ἐνθάψαι βυθοῖς, ἀλλ' εἰς τὸ φανερὸν ἀγαγεῖν, καὶ ὑμῶν προυθῆναι ταῖς ἀκοαῖς, ὡς φιλοχρίστοις τε οὖσι καὶ φιλομάρτυσι· ἵνα μὴ ἐν ὀλίγαις τισὶ συλλα-

3 Equidem, sacra congregatio, popule Dei electe, gens sancta et regale sacerdotium, multa nactus documenta, maxime eorum qui tum historias et gesta imperatorum, tum ecclesiasticam historiam ordinarunt et digesserunt, et nomen Martyris istic celebratum inveniens, atque eumdem illustrem, cunctisque acclamantibus clarissimum, judicavi hæc oblivionis tenebris non esse sepelienda, sed in apertam lucem producenda, vobisque Christi martyrisque amantibus proponenda, tum ne in brevibus litteris tanta divini Martyris

eruenda ex historiis.

A Martyris gloriæ delitescat, tum ut studiose vestras aures exhilarem per narrationem historiæ et fortia gesta Martyris, integre revelata.

quæ hic citantur.

4 Multi igitur historici clarissimum virum memorant, Eusebius, Pamphili cognominatus *c*, Socrates ex Novati *d* et Philostorgius ex Eunomii hæresi *e*, Theodoretus *f*, et alii plures. E quibus Eusebius, temporibus Constantini Magni clarus et omnium tunc episcoporum doctissimus, dicit, Martyrem unum e senatoribus et in domo imperatoria clarum fuisse et studiose coluisse non solum amicitiam sed et familiaritatem Constantii ejus filii : numquam enim a familiaritate Constantii avulsus fuit, indicia præbens nobilis et magnanimis indolis. Philostorgium quod attinet, licet ardens Eunomii propugnator, Martyrem tamen super omnes extollit, et cum magna arte atque accuratione res gesta ejus enarrat, et ab antiquis temporibus nobilitatem Martyris repetit, priusquam certamina martyris describere incipiat. Incipiam itaque sequens ejus historiam, secundum ea, quæ tradunt libri antiqui.

B

Ecclesia, a Constantino exaltata,

5 Jamjam declinabat idolatria et dæmonum fraudes extinguebantur per misericordiam, quam magnus Deus et salvator noster Jesus Christus impendit beato et venerabili Constantino, illustri et pio imperatori, filio Constantis et beatæ Helenæ, quatenus eum ab inani idolorum errore revocavit, et per vivificæ crucis cœlestem apparitionem, ejusque opem et virtutem reges inimicos et scelestos superavit, ac cornu christianorum exaltavit, quod ejus ope et fide ita confortatum et auctum fuit, ut Christi prædicatione totus impleretur orbis, idolorum altaria, simulacra et templa ubicumque terrarum destruerentur, et instaurarentur Dei ecclesiæ, quas impii et Christum exosi imperatores everterant.

ab Ario impetitur.

6 Dum hæc fierent, tamtam rerum vicissitudinem non ferens dæmon, bonis invidens, suorum fautorum ope procellam et turbinem excitavit. Etenim Arius, Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, a quo error nomen mutuavit, horrendam tempestatem commovit, falsam et blasphemiis plenam do-C ctrinam emittens : dicebat enim unigenitum Dei Filium, ante sæcula natum, creaturam esse et alienum a substantia Dei et Patris. Quapropter convenere Nicæam trecenti et octodecim patres, qui Arium damnarunt et declaraverunt filium Dei Jesum Christum Dominum Patri esse consubstantialem. Verum hæc aliæ historiæ commemorant, et non pauci e nostris accuratius tradiderunt et descripserunt : mihi autem de his, quæ accuratioris et otii et studii indigent, in præsens disserere non vacat : quoad nunc attinet passionem Martyris narrare festino.

Constantinus Magnus inter filios

7 Igitur Constantinus, piissimus imperator annum regni trigesimum primum prætergressus, et incipiente secundo, audivit Persas adversus illum moliri bellum. Profectus ex propria urbe, usque Nicomediam Bithyniæ venit, et istic ex conjuratione fratrum suorum, illi venenum propinantium, cometa quoque ejus mortem præsagiente, obiit *g*. Habebat autem ex patre fratres, Dalmatium, Anabalianum et Constantium. Ipse enim unicus filius erat Helenæ ex patre adhuc privato. Ex Theodora vero, Maximiani Herculii filia, reliqui liberi prodierant, nempe Dalmatius, Anabalianus et Constantius.

βαῖς τὰ τηλικαῦτα ἐπηλυγάζωνται τοῦ θείου μάρτυρος πλεονεκτήματα· ἅμα τὲ καὶ ὑμῶν κατευφράναι σπεύδων τὰς ἀκοὰς, ἐκ τὲ τῶν τῆς ἱστορίας διηγημάτων, καὶ τῶν ἀρτίως ἀναφανέντων τοῦ μάρτυρος ἀνδραγαθημάτων.

AUCTORE JOANNE MONACHO.

4 Πολλοὶ μὲν οὖν τῶν τὰς ἱστορίας γραψάντων τοῦ ἀοιδίμου τούτου ἀνδρὸς ἐμνημόνευσαν, Εὐσέβιος τε ὁ Παμφίλου ὀνομαζόμενος, καὶ Σωκράτης ὁ τῆς Ναυάτου αἱρέσεως, καὶ Φιλοστόργιος ὁ τῆς Εὐνομίου καὶ αὐτὸς ὑπάρχων αἱρέσεως, Θεοδώρητος τε καὶ ἄλλοι πλείονες· ὧν ὁ μὲν Εὐσέβιος ἐν τοῖς χρόνοις τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου ὤν τε καὶ γνωριζόμενος, καὶ τότε ἐπισκόπων ὑπάρχων ὁ λογιώτατος, παρεισάγει τὸν μάρτυρα τῆς συγκλήτου βουλῆς ἕνα τυγχάνοντα καὶ γνώριμον εἰς τὰ βασιλέως ὑπαρχόντα, καὶ τῆς περὶ τὸν Κωνστάντιον τὸν αὐτοῦ υἱὸν ἑταιρίας, εἴτ' οὖν φιλίας, σπουδαστὴν ἀκριβέστατον· φαίνεται γὰρ ὁ μακάριος μηδὲ πώποτε τῆς πρὸς τὸν Κωνστάντιον φιλίας ἀποσπασάμενος, τὸ ἔνδοξον αὐτοῦ καὶ μεγαλουργὸν ὑποφαίνων τῆς φύσεως. Ὁ δὲ γε Φιλοστόργιος, εἰ καὶ διάπυρος ἐραστὴς τῆς Εὐνομίου ὑπάρχει αἱρέσεως, ἀλλ' ὅμως ὑπὲρ πάντας ἐκθειάζει τὸν μάρτυρα, πολλήν τινα τὴν ἔνστασιν καὶ ἀκρίβειαν τῶν αὐτοῦ πράξεων ποιησάμενος, ἐκ τῶν ἄνωθεν χρόνων τὴν τῷ μάρτυρι προσοῦσαν εὐγένειαν ὑποσημηνάμενος, καὶ πρὶν ἢ τῶν τοῦ μαρτυρίου ἀγώνων ἐφάψασθαι. Ἄρξομαι τοίνυν κἀγὼ τῆς κατ' αὐτοῦ ἱστορίας, ὡς αἵ τῶν παλαιῶν διαγορεύουσιν δέλτοι. E

5 Τῆς εἰδωλολατρείας ἄρτι καταπαυθείσης, καὶ τῆς τῶν δαιμόνων ἀπάτης κατασβεσθείσης, ἐκ τῆς γενομένης φιλανθρωπίας παρὰ τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ περὶ τὸν μακαρίον καὶ ἀοίδιμον Κωνσταντῖνον, τὸν ὑπέρλαμπρον καὶ εὐσεβῆ βασιλέα, τὸν τοῦ Κώνσταντος υἱὸν καὶ τῆς μακαρίας Ἑλένης, ὅπως τὲ αὐτὸν ἐκ τῆς ματαίας τῶν εἰδώλων πλάνης ἀπεκαλέσατο, καὶ τῆς τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ ἐν οὐρανῷ ἐπιδείξεως, πῶς τὲ τῶν ἐχθρῶν καὶ παρανόμων βασιλέων περιεγένετο διὰ τῆς τοῦ τιμίου σταυροῦ ἐνεργείας τὲ καὶ δυνάμεως, καὶ πῶς τὸ χριστιανῶν θεοφιλὲς ὑψώθη κέρας, ὑπὸ τῆς αὐτοῦ προθυμίας καὶ πίστεως, συγκρούτομενον τὲ καὶ συναυξανόμενον, ὥστε τὸ τοῦ Χριστοῦ κήρυγμα πᾶσαν πληρῶσαι τὴν οἰκουμένην, καθαιρεθῆναι δὲ πάντας τοὺς βωμοὺς τῶν εἰδώλων καὶ ξόανα καὶ ναοὺς ἅπαντας ὅποι ποτὲ γῆς ἐτύγχανον, ἀνοικοδομεῖσθαι δὲ τὰς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, ἃς οἱ μισόχριστοι καὶ δυσσεβεῖς βασιλεῖς κατηνάλωσαν.

6 Τούτων οὖν γινομένων, οὐκ ἤνεγκεν τὴν τοσαύτην μεταβολὴν ὁ τοῖς καλοῖς βασκαίνων διάβολος, ἀλλ' ἤγειρε ζάλην καὶ τάραχον διὰ τῶν αὐτοῦ οἰκείων ὑπασπιστῶν. Ἄρειος γὰρ ὁ τῆς μανίας ἐπώνυμος, τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐκκλησίας ὑπάρχων πρεσβύτερος, δεινῶς τε ταύτην ἐτάραξε· δόγμα κινήσας παράνομον καὶ πάσης βλασφημίας ἀνάμεστον· ἔφασκε γὰρ τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν προαιωνίον, κτίσμα εἶναι, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς οὐσίας ἀλλότριον· διὰ τοι ταῦτα ἡ ἐν Νικαίᾳ τῶν ἁγίων τριακοσίων δεκαοκτὼ πατέρων ἀθροίζεται σύνοδος, καὶ τὸν Ἄρειον καθελοῦσα, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν κηρύττει τοῦ πατρὸς ὁμοούσιον· F ἀλλὰ ταῦτα μὲν, αἵ τε των ἔξωθεν ἱστορίαι διαγορεύουσιν, οὐκ ὀλίγοι δὲ τῶν ἡμετέρων διηκρίβωσαν τὲ καὶ κατετράνωσαν· ἐμοὶ δὲ περὶ ταῦτα διατρίβειν ὁ νῦν οὐχ ἁρμόσει καιρὸς, ἄλλης περὶ τούτων δεομένης ἀκριβεστέρας σχολῆς τὲ καὶ διασκέψεως· τὰ δὲ νῦν, τὸ φθάσαν αὐτὸν τοῦ βίου τέλος διηγήσομαι.

7 Ὁ γοῦν φιλόχριστος βασιλεὺς Κωνσταντῖνος εἰς τὸ πρῶτον καὶ τριακοστὸν ἔτος προελθὼν τῆς αὐτοῦ βασιλείας, καὶ τοῦ δευτέρου ἐπιβᾶς, ἐπειδὴ ἐπύθετο τοὺς Πέρσας εἰς πόλεμον ἐπ' αὐτὸν παρασκευαζομένους, ἄρας ἐκ τῆς ἑαυτοῦ πόλεως, ἄχρι Νικομηδείας ὤφθη τῶν Βιθυνῶν· ἔνθα καὶ τελευτᾷ τὸν βίον ἐξ ἐπιβουλῆς τῶν ἑαυτοῦ ἀδελφῶν, φάρμακον αὐτῷ δηλητόριον ἐγχεαμένων, ἀστέρος ὡς φασὶ κομήτου τὸν θάνατον αὐτοῦ προμηνύσαντος· ἦσαν δὲ τῷ Κωνσταντίνῳ ἀδελφοὶ πρὸς πατρὸς, οἵδε Δαλμάτιος, Ἀναβαλλιανὸς καὶ Κωνστάντιος· αὐτὸς γὰρ ἐξ Ἑλένης μόνος ἦν τῷ πατρὶ Κώνσταντι ἔτι ἰδιοτεύοντι· ἐκ δὲ τῆς θυγατρὸς Μαξιμιανοῦ, τοῦ Ἑρκυλλίου ἐπονομαζομένου

AUCTORE JOANNE MONACHO.

ζομένου Θεοδώρας ἕτεροι γεγόνασιν αὐτῷ παῖδες· ὅ τε προῤῥηθεὶς Δαλμάτιος καὶ Ἀνναβαλλιανὸς καὶ Κωνστάντιος· οὓς καὶ καίσαρας ὁ Κωνσταντῖνος καὶ νοβελλησίμους ἐτίμησε. Τούτων ὁ Κωνστάντιος ἐκ τῆς συναφθείσης αὐτῷ γαμετῆς, γεννᾷ Γάλλον τε καὶ Ἰουλιανόν, τὸν παραβάτην ἐπικληθέντα, διὰ τὸ τὸν Χριστὸν ἐξομόσασθαι, καὶ πρὸς τὴν ἑλληνικὴν ἀποκλῖναι θρησκείαν· ὃς καὶ τὸν μέγαν τοῦ Χριστοῦ μάρτυρα καὶ πολύαθλον Ἀρτέμιον ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτὸν ἐκόλασε, διὰ τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν καὶ τὸν ζῆλον τὸν ἔνθεον· ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὕστερον καὶ μετὰ χρόνου γενόνασιν.

Illos vero Constantinus cæsares et nobilissimos *h* fecerat; Constantius autem ex legitima conjuge procreavit Gallum et Julianum, Apostatam cognominatum, quia renuntiavit Christo et ad cultum gentilium declinavit. Hic imperium adeptus insignem et multorum certaminum pugilem Artemium, supplicio affecit propter fidem in Christum et cœlestem ejus ardorem. Sed hæc infra et secundum ordinem temporum. D *h*

8 Ἐγὼ δὲ τὰ πεπραγμένα τοῖς ἄνω χρόνοις διηγησάμενος, ἐπὶ τὰ συμβάντα τῷ μάρτυρι πάλιν τρέψω τὸν λόγον· πῶς τε ὁ παράνομος καὶ παραβάτης Ἰουλιανὸς καὶ τινι τρόπῳ ἐπὶ τὸ τῆς βασιλείας ἦλθεν ἀξίωμα· καὶ πῶς ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς Ἀρτέμιος εἰς τὸ τῆς Χριστοῦ ὁμολογίας πανίερον ἔδραμε στάδιον. Ἄρτι τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου τελευτήσαντος, ἡ τῶν Ῥωμαίων ἀρχὴ εἰς τρεῖς διηρέθη ἀρχὰς, τῶν υἱῶν αὐτοῦ, Κωνσταντίνου, Κωνσταντίου τε, καὶ Κώνσταντος, ταύτας μερισαμένων· καὶ τῷ μὲν πρώτῳ Κωνσταντίνῳ αἱ ἄνω Γαλλίαι καὶ τὰ ἐπέκεινα Ἄλπεων, αἵ τε Βρεταννικαὶ νῆσοι, καὶ ἕως τοῦ ἑσπερίου ὠκεανοῦ κλῆρος ἐδόθησαν· τῷ δέ γε Κώνσταντι, ὡς ὑστάτῳ, αἱ κάτω Γαλλίαι, ἤγουν ἡ Ἰταλία καὶ αὐτὴ
B Ῥώμη· ὁ δὲ Κωνστάντιος, ὁ δεύτερος τῶν Κωνσταντίνου υἱῶν, ἦν ἐπὶ τῶν τῆς ἑῴας τότε πραγμάτων πρὸς τοὺς Πέρσας ἀγωνιζόμενος, τὸ τῆς ἑῴας ἀσπάζεται μέρος· καὶ τότε Βυζάντιον μετονομασθὲν εἰς Κωνσταντινούπολιν καὶ νέαν Ῥώμην, ποιεῖται βασίλειον, καὶ ἀπὸ τοῦ Ἰλλυρικοῦ μέχρι τῆς Προποντίδος, ὁπόσα ὑπήκοα Ῥωμαίοις, τήν τε Συρίαν καὶ Παλαιστίνην καὶ Μεσοποταμίαν καὶ Αἴγυπτον, καὶ τὰς νήσους ἁπάσας, τῇ αὐτοῦ βασιλείᾳ καὶ πολιτείᾳ ὑποτελῆ καθίστησιν.

8 Posteaquam vero superioribus temporibus acta attigero, ad ea, quæ Martyri contigere, sermonem convertam: exponam igitur, quomodo impius et apostata Julianus ad imperatoriam pervenerit dignitatem, et Christi Martyr Artemius beatum cursum compleverit. Defuncto magno Constantino, Romanum imperium in tres divisum est parte inter tres ejus filios, Constantinum, Constantium et Constantem. Primogenito Constantino Galliæ Transalpinæ, insulæ Britannicæ et regiones usque ad Oceanum Occidentalem hereditate obtigere. Constanti vero, tamquam natu minimo Galliæ Cisalpinæ, Italia et ipsa Roma. Constantius demum, secundo genitus filius Constantini, tunc Orienti et bello Persico præpositus, Orientem accepit, qui Byzantii nomine in Constantinopolim et Novam Romam commutato, eam principem regni fecit urbem, et ab Illyrico usque ad Propontidem, ubicumque Romanum imperium extendebatur, Syriam quoque et Palæstinam, Mesopotamiam et Ægyptum sub suo imperio et potestate constituit. *Partitur imperium* E

ANNOTATA.

a *Ex his verbis liquido deducitur, scriptori nostro, præter Philostorgium, documenta, fide digna, imo et coæva præluxisse, quoniam tunc scribebantur, quando tempora erant adhuc* terrore et trepidatione confusa.

b *Scriptor noster dicit, quod in persecutione Juliani* πολλαι μυριάδες, *quod verti in* multa millia, *occubuerint : est nempe numerus certus pro incerto, ita ut his verbis indicentur* plurimi *christiani martyrium passi. Non itaque audiendus est Dodwellus, qui in Dissert. Cyprianica* XI § XCI *de Paucitate Martyrum dicit,* Julianum Christianis martyria invidisse et sævitiæ notam fugisse, quam viderat incurrisse persecutores. Si quos Martyres fecit, eos tamen alio quovis, præsertim majestatis, quem captabat avidissime, prætextu, interfecit. *Et certe apertam persecutionem vitandam variisque artibus, specietenus innocuis, ad abolitionem christiani nominis viam sibi sternendam existimavit Cæsar. Quapropter ad hunc persecutionis modum, longe periculosissimum, referenda sunt verba Prosperi Aquitani in suo Chronico* (1) : Juliano ad idolorum cultum converso, blanda persecutio fuit, illiciens magis, quam impellens ad sacrificandum, in qua multi ex nostris voluntate propria corruerunt. *Sed vehementer a vero*
C *aberraret ille, qui ex istiusmodi locutionibus, apud scriptores hujus ætatis frequentibus, sibi nullos aut paucissimos fuisse sub Juliano Martyres fingeret. Martyrologium Romanum triginta quinque martyria distinctis diebus recenset : et S. Gregorius Nazianzenus nos edocet, qua industria et sitim christiani sanguinis restinxerit et effugerit imperator violentiæ crudelitatisque notam ; sic enim loquitur Oratione* IV *in Julianum, num.* 61 (2) : Quum potentia in persuasionem et coactionem divisa sit, ita se comparavit, ut quod inhumanius erat, hoc est, vim et tyranidem populari turbæ civitatibusque permitteret, utpote quarum vesana audacia propter temerarios animorum motus, præcipitesque ad omnia impetus effrenatior esse videretur : idque haud publico edicto, verum ex eo quod impetum audaciamque minime reprimebat, velut proposita quadam lege non scripta, id se velle promulgans. Quod autem lenius atque humanius erat, magisque imperatorem decebat, id sibi videlicet assumit, nempe suadendi atque illiciendi partes. Nec tamen id quidem usquequaque retinuit. *Atque hac ratione conciliari possunt quæ habent scriptores antiqui et de artibus Juliani, adversus christianos citra sanguinis effusionem instructis et de multiplici martyrio occisorum in commotionibus popularibus.* F

c *Eusebius Pamphili seu Cæsareensis, anno* 339 *defunctus, non potuit agere de martyrio S.* Artemii, *sub Juliano anno* 363 *passi : proindeque ex hoc scriptore haurire solum possumus, quæ refert auctor noster, nempe fuisse senatorem et Constantio imperatori familiarem. Atque hæc ipsa inter Eusebii opera, quæ exstant, non reperiuntur : scimus multa ejus scripta interiisse* (3).

d *Socrates historicus nullo verbo* Artemium *nostrum ejusve passionem attingit : ideo forsan hic citatur, quatenus facta quædam, a scriptore nostro relata, auctoritate Socratis confirmentur.*

e *Philostorgii historia non superest ; ejus vero compendium a Photio concinnatum, nullam S.* Artemii *facit mentionem.*

f *Theodoretus, lib.* III, *cap.* XVIII, *dicit :* Artemium quoque, qui dux militum fuerat per Ægyptum,

(1) Canis. Monum., t. I, p. 292. Edit. Amsteld. 1725. — (2) Greg. Naz. Oper., t. I, p, 105. Edit. Paris 1778. — (3) Ceillier. Auteurs ecclesiast., t. IV, p. 213.

eo

A eo quod temporibus Constantii, quum magistratum illum gereret, plurima deorum simulacra confregerat, non solum bonis exuit, verum etiam capite truncavit. Hæc et hujusmodi alia commissa sunt ab illo, quem gentiles mansuetissimum et ab iracundia alienissimum prædicant. *Martyris nostri mortem commemorat Ammianus Marcellinus, gentilis, his verbis, lib.* XXII, *c.* II : Tunc et Artemius ex duce Ægypti, Alexandrinis urgentibus atrocium criminum mole, supplicio capitali mulctatus est.

AUCTORE JOANNE MONACHO.

g *Inter omnes auctores coævos aut subæquales solus Philostorgius memorat venenum propinatum, causam mortis Constantini Magni ; quum dicit, lib* II, *cap.* XVI : Constantinum, cum tricesimum ac secundum annum imperii sui ingressus esset, veneno a fratribus suis necatum esse Nicomediæ. Cumque exitus vitæ jam instaret, compertis insidiis, testamentum scripsisse, quo mandabat, ut in auctores cædis animadverteretur ; jussisseque, ut ex liberis suis is qui primus advenisset, pœnas de illis sumeret, ne forte ipsi quoque simili fraude ab illis exstinguerentur. Porro testamenti tabulas a Constantino traditas esse Eusebio, Nicomediensi episcopo. Hunc vero metuentem ne imperatoris fratres eas requirerent, et quid in illis scriptum esset, cognoscere cuperent, tabulas in mortui manu reposuisse, et in vestibus ejus occultasse. Cum itaque illi, sicut suspicatus fuerat Eusebius, testamenti tabulas requisiissent, Eusebium respondisse : se quidem eas accepisse, sed statim eas in manus Constantini ipsius reddidisse. Postea vero eumdem Eusebium, cum testamenti tabulas rursus abstulisset, eas tradidisse Constantio, Constantini filio, qui fratrum suorum adventum præverterat. Hunc vero non multo post, ea quæ pater testamento mandaverat, exsecutum esse. *Ast venenum et hujusmodi testamentum tamquam fabulas habet Tillemontius in Historia imperatorum, nota* 76, *in Constantinum.*

h Nobilissimus, *ait Du Cange hoc verbo,* erat epitheton honorarium, tributum imperatorum filiis ; *derivatum quandoque ad collaterales imperatoriæ familiæ. Cfr Zozimus Hist. lib.* II, *cap.* XXXIX, *Cod. Theodos, l. un. de Privil. dom. Augustæ* (X, 25), *l.* XXI *de Lustrali conlat.* (XIII, 1).

B CAP. II. Constantius, vita functis fratribus, solus imperator, consortem imperii post Gallum assumit Julianum. E

Constante

Magnus Artemius, Augusti amicus charissimus, virtute et doctrina clarus, fideique christianæ ferventer deditus, Constantio in omni tempore et negotio familiaris erat. De patria et genere ejus nihil scriptum quispiam tradidit, nisi quod beatus ex nobili ac illustri familia ortus fuerit. Id vero scripto traditum habemus, illum jussum fuisse a Constantio procurare translationem Reliquiarum Andreæ, Christi Apostoli, Lucæ et Timothei, uti infra exponemus. Ast ex ordine hæc omnia narrabo, per seriem temporis transcurrens et secundum rerum exigentiam exponens. Ex tribus, ut dictum est, imperatoribus, singulisque suam imperii partem administrantibus, primogenitus Constantinus, proprium relinquens, hereditatem fratris sui natu minimi, tunc Romam profecti, adiit, et injustitiam adversus fratrem molitus est. Volebat nempe absentem e solio deturbare sub prætextu quod iniqua imperii facta fuisset partitio, usurpataque maxima pars hereditatis ad illum pertineret. C Sed duces et custodes regionis, a Constante instituti, responderunt præter ejus sententiam et consensum nihil, sive magnum sive parvum posse mutari, quoniam id nefarium fuisset. Constantinus autem bellum aggressus est, armaque movit adversus fratrem innocentem. Cecidit igitur prælio victus Constantinus, et aliorum hereditatem invadens, eam ipsam, quam securus obtinebat, amisit.

et Constantino defunctis, totum imperium

10 Universus igitur populus ad Constantem declinat, et nihil tale cogitanti imperium totius Occidentis obvenit ; Deo scilicet denuntiante non movendos terminos patrum et sulcum proximi non esse attingendum. Qui enim erga proximum improbus est, perditionem in se trahit. Obtinet ergo Constans imperium universi Occidentis, duas hereditates in unum conjungens et ex ambabus unum constituens imperium. Brevi post tempore et Constans ad commessationes et ebrietates declinans et in alienis amoribus oberrans, segniter et temere rem publicam administrabat majestatem imperii dedignatus. Ei itaque parantur insidiæ a quodam duce exercitus, Magnentio nomine, et cum imperio vitam quoque amittit. Quum hic cecidis-

Ὁ δὲ μέγας Ἀρτέμιος συνῆν τῷ Κωνσταντίῳ ἐν παντὶ καιρῷ τε καὶ πράγματι, ὡς ἅ τε φίλος ἄριστος, καὶ τῶν ἐπ' ἀρετῇ καὶ παιδείᾳ λαμπρυνομένων, καὶ τῆς χριστιανῶν πίστεως διάπυρος ἐραστής· πατρίδος καὶ γένους αὐτοῦ ἀνάγραπτον μνήμην οὐδεὶς ἡμῖν παραδέδωκεν, πλὴν ὅτι τῶν εὐπατριδῶν καὶ μεγάλων ὑπῆρχεν ὁ τρισμακάριστος· ἐξ ὧν καὶ ταδὲ τὰ περὶ αὐτοῦ ἀναγέγραπται, ὅτι τὰ πανάγια λείψανα τῶν τοῦ Χριστοῦ ἀποστόλου Ἀνδρέου καὶ Λουκᾶ καὶ Τιμοθέου, αὐτός ἐστιν ὁ τὴν ἀνακομιδὴν αὐτῶν ὑπὸ Κωνσταντίου ποιήσασθαι κελευσθεὶς, ὡς προϊὼν ὁ λόγος διδάξει· ἐγὼ δὲ ἅπαντα ταυτὰ καθεξῆς διηγήσομαι ἐπὶ τοὺς χρόνους διαβαίνων καὶ ἐκτιθέμενος κατὰ τὴν δέουσαν τῶν πραγμάτων ἀκρίβειαν· ὡς οὖν εἴρηται, τῶν βασιλέων τριῶν τυγχανόντων, καὶ τῆς αὐτοῦ μοίρας ἑκάστου οὕτων βασιλεύοντος, ὁ πρῶτος αὐτῶν Κωνσταντῖνος τῆς οἰκείας μερίδος ἀπαναστὰς, καὶ πρὸς τὴν τοῦ ἐσχάτου ἀδελφοῦ κληροδοσίαν ἐπανελθὼν, ἐκείνου πρὸς τὴν Ῥώμην ἀποδημήσαντος, ἐπεχείρει τὶ τῶν ἀδίκων κατὰ τοῦ ἀδελφοῦ διαπράξασθαι· καὶ αὐτὸν μὴ πάροντα διέβαλλεν, ὡς οὐ καλῶς τῶν πραγμάτων διανεμηθέντων, F καὶ ὅτι πλεῖστον μέρος τῆς αὐτῷ προσηκούσης ἀρχῆς ἐσφετερίσατο· οἱ δὲ τῆς χώρας στρατηγοί τε καὶ φύλακες, οὓς ὁ Κώνστας ἐχειροτόνησεν, οὐκ ἔφασαν χωρὶς τῆς ἐκείνου γνώμης τε καὶ βουλῆς δύνασθαι τι μικρὸν ἢ μέγα μετακινεῖν· ἀνόσιον γάρ· ὁ δὲ πρὸς πόλεμον ἀποδύεται, καὶ ὅπλα κινεῖ κατὰ τοῦ μηδὲν ἀδικήσαντος· πίπτει τοίνυν ὁ Κωνσταντῖνος ἐν τῷ πολέμῳ μαχόμενος· καὶ τῆς μερίδος τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμῶν, καὶ ἅπερ ἐδόκει βεβαίως κρατεῖν προσαπώλεσεν.

10 Ὁ τοίνυν τούτου λαὸς ἀποκλίνει πρὸς Κώνσταντα, καὶ γίνεται πᾶσα ἡ τῆς ἑσπέρας ἀρχὴ ὑπ' ἐκείνῳ μηδὲν περὶ ταύτης σπουδάσαντι· τοῦ Θεοῦ ταῦτα δικάσαντος, μὴ κίνει ὅρια πατέρων σου, μὴ δὲ τοῦ πλησίον καθάπτου τῆς αὔλακος· ὁ γὰρ κατὰ τοῦ πλησίον πονηρευόμενος, αὐτὸς ἑαυτῷ συνάγει τὸν ὄλεθρον, τὴν τοῦ Θεοῦ δίκην ἐφ' ἑαυτὸν ἐπισπώμενος. Βασιλεύει τοίνυν ὁ Κώνστας ἐφ' ὅλης τῆς ἑσπερίου ἀρχῆς, τὰς δύο κληροδοσίας εἰς ἓν συναψὰς, καὶ μίαν ἀρχὴν ἀμφότερα τὰ μέρη στησάμενος· οὐ πολὺς ἐν μέσῳ καιρὸς, καὶ ὁ Κώνστας εἰς κώμους καὶ μέθας ἐναποκλίνας, καὶ ἀλλόκοτους ἐρώτων διαγωγὰς, ῥαθύμως τὴν ὅλην ἀρχὴν διεπέττευε, τὸ τῆς βασιλείας μεγέθος ἐξεργούμενος· ἐπιβουλεύεται τοιγαροῦν καὶ αὐτὸς παρά τινος τῶν στρατηγῶν Μαγνεντίου, καὶ μετὰ τῆς

βασιλείας

AUCTORE JOANNE MONACHO

βασιλείας προσαπόλλυσι καὶ τὸ ζῆν· τούτου πεσόντος, κρατεῖ τῆς αρχῆς ὁ Μαγνέντιος, μεθ' οὗ τῆς τυραννίδος συναπελαβοντο Νεποτιανὸς καὶ Βρεττανίων.

11 Ταῦτα μαθὼν ὁ Κωνστάντιος ἐκ τῶν τῆς ἀδελφῆς γραμμάτων, ἀπάρας ἐκ τῆς ἀνατολῆς, καὶ πρὸς τὴν ἑσπέραν γενόμενος, συνάπτει πρὸς ἀμφοτέρους πόλεμον, καὶ κατὰ κράτος νικᾷ, τοῦ Βρεττανίωνος πρὸς αὐτὸν ἀποκλίναντος· ὅτε καὶ τὸ τοῦ σταυροῦ σημεῖον μεγίστον τε καὶ δεινῶς ἐκφανὲν ἅπαν, ὡς ὑπεραστράπτειν τῷ πληκτικῷ τῆς αἴγλης τῆς ἡμέρας τὸ φῶς, ἐπὶ τῶν Ἱεροσολύμων ὤφθη περὶ τρίτην ὥραν μάλιστα τῆς ἡμέρας, τῆς ἑορτῆς τῆς λεγομένης πενπεκοστῆς ἐνεστηκυίας, διῆκον ἀπὸ τοῦ κρανίου λεγομένου τόπου, ἄχρι τοῦ ἐλεῶνος ὄρους, ὅθεν ὑπῆρχεν ὁ σωτὴρ τὴν ἀνάλεψιν ποιησάμενος· κρατεῖ τοίνυν τῆς βασιλειας ἁπάσης Κωνστάντιος τῶν τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου υἱῶν μόνος ὑπολειφθείς.

12 Ἀτενίσας οὖν πρὸς τὸ τῆς αρχῆς μέγεθος, καὶ εἰλιγγιάσας, ὡς ἅτε δὴ ἄνθρωπος ὤν, και μὴ ἔχων τὸν ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ συνασπίζοντα, οὔτε γὰρ αὐτῷ παῖς ἐγεγόνει, οὔτε τίς τῶν ἀδελφῶν κατελέλειπτο, καὶ δείσας μὴ τὶς αὐτῷ πάλιν ἐπανασταίη τύραννος κατὰ τῆς αὐτοῦ βασιλείας ἐξανιστάμενος, σκέπτεται τῶν συγγενῶν τινὰ λαβεῖν σύγκληρον, καὶ τῆς βασιλείας ὑπασπιστήν. Ὁ δὴ καὶ πεποίηκε, Γάλλον τὸν Ἰουλιανοῦ ἀδελφὸν καίσαρα
B προστησάμενος. ἀνεψιὸς δὲ πρὸς πατρὸς ὁ Γάλλος ἦν αὐτῷ· Κωνσταντῖνος γὰρ ὁ Γάλλου καὶ Ἰουλιανοῦ πατὴρ, ἀδελφὸς ἦν Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου. Τοῦτον οὖν ἐν τῷ Σιρμίῳ προχειρισάμενος, γυναῖκα τε αὐτῷ ζεύγνυσι τὴν ἑαυτοῦ ἀδελφὴν Κωνστάντιος, πίστεως καὶ βεβαιότητος χάριν· καὶ ἄρχοντας αὐτῷ δίδωσιν αὐτὸς καταστήσας· οὐ γὰρ ἐκείνῳ γὲ ἐφεῖτο καισαρί γὲ ὄντι. Θαλάσσιον μὲν ἀποστείλας ἔπαρχον πραιτωρίων· Μόντιον δὲ, ἐπὶ τῶν βασιλικῶν πραγμάτων, ὅυς κοιαίστωρας αὐτοῖς ὀνομάζειν φίλον, ἅμα καὶ πατρίκιον αὐτὸν ποιησάμενος. Ὁ δὲ Γάλλος ὡς τότε παρὰ τοῦ Κωνσταντίου πεμφθεὶς ἐπὶ τῆς ἑώας, εἴχετο τῶν πραγμάτων· ὃν αὐτίκα μαθόντες οἱ Πέρσαι κατωῤῥώδησαν, νέον τὲ αὐτὸν καὶ θερμουργὸν εἰς τὰ εργα πυθομενοι, οὐκέτι ἐποιήσαντο τὴν ἐπὶ τοὺς Ρωμαίους ἐξέλασιν· καὶ ὁ μὲν ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας ἦν· Κωνστάντιος δὲ ἐν τῇ ἑσπέρᾳ καθίστη τὰ πράγματα· καὶ τότε δὴ μάλιστα καθαρως ἡσύχασεν ἡ Ρωμαίων ἀρχὴ, πρὸς αμφότερων φυλαττομένη· και ταῦτα μὲν τοῦτον ἔσχε τον τροπον.

13 Ὁ δὲ Γάλλος τοῦ καίσαρος ἀμφιασάμενος ἁλουργίδα, καὶ ἤδη τῶν πρώτων τῆς βασιλείας ἀρξάμενος ἐπιβαίνειν ἀναβαθμῶν, οὐκ ἔμενεν ἐπὶ τῆς αὐτῆς γνώμης καὶ πίστεως, ἧς πρὸς τὸν Κωνστάντιον ἐποιήσατο, ἀλλὰ βαρὺς τὶς ἦν καὶ ἀκάθεκτος καὶ τὴν ὀργὴν ἀπαραίτητος· φρονήματος γὰρ ἀκαίρου καὶ βουλῆς ἀνωμάλου δραξάμενος, ὑπερέβη τοὺς ὅρους καὶ τὰς συνθήκας ἐφαύλισεν ἃς πρὸς τὸν Κωνστάντιον ἐποιήσατο, βασιλικότερον τῶν πραγμάτων ἁπτόμενος, καὶ μετὰ πολλοῦ τοῦ θράσους καὶ τῆς ἀλαζονείας διατα ττόμενος· τοὺς γὰρ ἄρχοντας οὓς σὺν αὐτῷ ἐπεπόμφει Κώνστάντιος, τῶν βασιλικῶν τε καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ὄντας διαιτητὰς, τῶν τε πραιτωρίων ἔπαρχον Δομετιανὸν, ὁ γὰρ Θαλάσσιος ἐτεθνήκει, καὶ τὸν ἐπὶ τοῦ κοιαίστωρος Μόντιον, διὰ τὸ μὴ πειθαρχεῖν αὐτοὺς καὶ ὑπουργεῖν ταῖς παραλόγοις αὐτοῦ καὶ ἀκαθέκτοις ὁρμαῖς, σχοίνους τοῖς στρατιώταις τῶν ποδῶν αὐτῶν ἐξάψασθαι παρακελευσάμενος, ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς συρῆναι προσέταξεν, καὶ ἀμφοτέρους ἀπέκτεινεν, ἄνδρας ἐν ἀξιώμασι διαπρέψαντας, καὶ παντὸς κέρδους καὶ λήμματος εὑρεθέντας ὑψηλοτέρους· οὓς ὁ τῆς πόλεως περιστείλας ἐπίσκοπος ἔθαψεν, αἰδεσθεὶς τὸ τῆς ἀρετῆς αὐτῶν ἀνυπέρβλητον.

14 Ὁ δὲ Κωνστάντιος ἐπειδὴ τάχιστα ἐπύθετο τὸ συμβὰν, μεταπεμπτον ὡς ἑαυτὸν ἐποιεῖτο Γάλλον· ὁ δὲ εἰδὼς μὲν ὡς οὐκ ἐπ' ἀγαθῷ τυγχάνει καλούμενος, ἐννοῶν δὲ πάλιν ὡς εἰ μὴ βούλοιτο ὑπακούειν, πόλεμον ἀνάγκη ποιεῖν, ὅπλα πρὸς Κωνστάντιον ἐκ τοῦ εὐθεώς ἀράμενος, αἱρεῖται μᾶλλον τὰ τῆς εἰρήνης, καὶ τὴν γυναῖκα

set, imperium occupat Magnentius, cum quo D simul invaserunt tyrannidem Nepotianus et Brittanion *a*.

11 Hæc quum accepisset Constantius ex litteris *ad Constantium obvenit:* sororis et ex Oriente et Occidentem venisset, illos armis adoritur, et, ad ejus partes deficiente Brittanione, devicit. Quo tempore signum crucis ingens, mirifice emicans, adeo ut admirabili splendore superaret lucem diei, visum est Hierosolymis, circa tertiam horam diei, quum esset dies festus, qui dicitur Pentecoste, pertingens a loco, qui dicitur Calvariæ usque ad montem Oliveti, unde ascensionem suam fecit Salvator *b*. Imperium ergo tenet Constantius, solus e Magni Constantini filiis superstes.

12 Considerans igitur magnitudinem imperii et *qui cognatum suum, Gallum, cæsarem fal,* incertus pro imbecillitate humani ingenii quid ageret, nullumque habens ex suo genere, qui illum defenderet (nec enim ipse filium, nec quisquam ex fratribus habebat) timuit ne rursus insurgeret tyrannus, qui ruinam imperii moliretur. Attente igitur inquisivit quem ex cognatis acciperet coheredem et imperii defensorem; quod fecit constituendo Gallum, Juliani fratrem, cæsarem. Erat E porro Gallus ei patruelis, quum Constantinus, Galli et Juliani pater esset frater Constantini Magni. Gallo igitur Sirmii cæsari creato uxorem dedit sororem suam Constantius, ut res securior et firmior esset. Adjunxit quoque eidem magistratus, quos ipse constituerat (non enim Gallo licebat id sibi assumere, quum esset cæsar) Thalassium nempe præfectum prætorii, Montium rationibus imperatoriis præpositum, quem etiam quæstorem appellare solemus, quem et patricium fecit. Gallus, in Orientem a Constantio missus, rebus ordinandis intentus erat. Persæ autem, quum accepissent illum juvenem et ad res gerendas acrem, timuerunt, neque amplius incursionem in Romanos fecerunt. Gallus itaque Antiochiæ Syriæ residebat, Constantius autem in Occidente rem publicam administrabat: et tunc erat maxime quietum Romanorum imperium, utpote quod ab ambobus custodiretur. Et hæc quidem hoc modo se habebant.

13 Gallus autem quum purpuram cæsaream *brevi rebellem,* induisset, supremum imperii gradum conscendere parans, non permansit in sententia et fide, quam Constantio dederat. Ferox erat, sui impotens et F iræ implacabilis: mente enim ineptus et voluntate inconstans, terminos præteribat positos, conditionesque, a Constantio factas, contemnebat, et nimiam circa negotia potentiam affectabat, cum magna audacia et arrogantia omnia disponens. Quos enim cum ipso magistratus miserat Constantius, quique imperialium ac civilium rerum arbitri erant, prætorii præfectum, Domitianum, nam Thalassius obierat, et quæstorem Montium, quia non parebant neque inserviebant insensatis et effrenibus ejus appetitionibus, alligatis per milites pedibus, jussit per forum trahi et ambos occidi, viros in gerendis magistratibus egregios et quovis lucro et emolumento superiores. Quos quum composuisset civitatis episcopus, sepeliit, insignem eorum virtutem reveritus.

14 Constantius autem quum audiisset id, quod *et ad dicendam causam evocatum,* acciderant, Gallum ad se accersit. Ille vero, quum sciret quidem se non vocari ad bonum aliquod, rursus autem recogitans, quod si nollet parere, oporteret bellum facere, redditis protinus armis, elegit potius pacem; et præmissa conjuge ad mitigandum

A tigandum Constantium, ipse quoque sponte sua
adibat periculum. Igitur Constantina statim profe-
cta est, ut fratrem conveniret, studeretque propter
reverentiam sanguinis prævenire, ne quid funesti
in maritum statueret. Quum vero prompto et alacri
animo inter iniisset, in morbum incidit, et in
Bithynia perveniens in statione quadam, Gallicana
c dicta *c*, obiit. Gallus autem, licet eventum hunc
improvisum magnam sibi calamitatem reputaret,
perseveravit in iis, quæ antea statuerat: et quum
d in Noricorum civitatem, Pytabionem *d* vocatam,
pervenisset, huc Mediolano, ubi tunc Constantius
agebat, mittitur Barbation, dux exercitus, qui Gal-
lum purpura spoliat, et ad conditionem privatam
redactum in insulam quamdam Dalmatiæ rele-
e gat *e*.

morte afficit, eique Julianus subrogatur

f 15 Gallo in insulam abacto, illi qui omne cri-
men in eum congerebant, maxime Eusebius eunu-
chus, præpositi dignitatem nactus *f*, ejusque asse-
clæ, persuadent Constantio, ut Gallum de medio
quamprimum tolleret. Persuasus ille mittit, qui
eum interficerent: sed illis jam profectis, Constan-
tius rursus in misericordiam inclinatus, mittit
ocyssime alteras litteras, quibus Gallus supplicio
B liberetur. Sed Eusebius, ejusque asseclæ persua-
dent Magistriano, qui mittebatur, ne prius adven-
taret cum litteris, quam Gallum fuisse interfectum
audiret. Atque ita factum est, ut Gallus interime-
retur. Constantius de rebus publicis sollicitus,
quod non posset solus totum imperium regere,
g præsertim quum Galatæ *g*, quando vellent, promp-
tissime incitarentur ad seditionem, tum propter
corporis vires, tum propter animi levitatem, jam
ducebatur pœnitentia, quod Gallum interfecisset.
Et quum reputasset, sanguine conjunctos esse ex-
ternis et alienis longe securiores ad imperii socie-
tatem, Julianum, Galli fratrem ex Ionia accersitum
h Mediolanum, creat cæsarem *h*; dataque conjuge,
sorore sua Helena, fidem ejus accepit, et in Gallias
misit, futurum illic custodem imperii. Ipse autem
in Illyricum veniens, degebat Sirmii.

S. Artemius jussu Constantii

16 Quum autem intellexisset, barbaros, ultra
Istrum accolas, ducturos esse exercitum adversus
Romanum imperium, Sirmio profectus, transiit
Istrum, atque ad fluminis ripam diutius commora-
tus, barbaris nihil tunc moventibus, in Thraciam
properavit. Postquam ad Odrusos, ubi Adrianus
i e suo nomine civitatem ædificavit *i*, didicit ex
aliquo episcopo corpora Sanctorum Christi Apo-
stolorum Andreæ et Lucæ in Achaja sepulta jacere,
k Andreæ quidem Patris, Lucæ vero Thebis Bœotiæ *k*.
Quæ ut audivit imperator Constantius lætatus est
nuntio, et magna voce exclamavit et adstantibus
dixit: Vocate Artemium. Cui, statim præsenti,
gratulor, inquit, tibi, vir omnium piissime. Cui
reposuit: Utinam, imperator, semper læteris, ne-
que tibi umquam aliquid molesti accidat. At impe-
rator, noscisne aliquid, amicorum optime, gratius
inventione corporum Christi Apostolorum? Magnus
Artemius quæsivit: Quis et unde istum hodie the-
saurum revelavit? Constantius respondit: Achajæ
l episcopus, qui nunc Patris præsidet *l*. Sed abi, viro-
rum optime, et ea corpora quamprimum exporta
Constantinopolim.

Reliquias SS. Andreæ et Lucæ C. Polim transfert.

17 Quum hæc ex imperatore audiisset magnus
Artemius, ivit ad Apostolos, eorum Reliquias sa-
cratissimas Constantinopolim allaturus. Hæc autem
tradit historia de Constantio et Martyre: licet ab
Eusebio, impio Nicomediæ episcopo, impulsus, ad
arianismum declinasset, erat Constantius non solum
divini cultus studiosus et amans, sed etiam mode-

AUCTORE JOANNE MONACHO.

προσαποστείλας ὡς τὸν Κωνστάντιον ἐκμελίξασθαι, καὶ αὐτὸς ἀπῄει αὐτόμολος ἐπὶ τὸν κίνδυνον· ἡ μὲν οὖν Κωνσταντίνα προτέρα ἐξώρμησε προεντυχεῖν τῷ ἀδελφῷ, καὶ αἰδέσασθαι αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ ἀνδρὸς προθυμουμένη, τοῦ μὴ τὶ εἰς αὐτὸν βουλεύσασθαι ἀνήκεστον· πολλῇ δὲ προθυμίᾳ περὶ τὴν ὁδοιπορίαν χρωμένη εἰς νοσόν τε ἔπεσε μεταξὺ πορευομένη· καὶ Βιθυνίας ἐπιβᾶσα ἐν σταθμῷ τινὶ ταύτης Γαλλικάνῳ λεγομένῳ ἀπέθανεν. Ὁ δὲ Γάλλος καὶ τοῦτο παράδοξον αὐτῷ συμβᾶν μεγάλην συμφορὰν ποιησάμενος, ὅμως τοῖς πρόσω τῶν δεδογμένων οὐκ ἐξιστάμενος. ἐπει δὲ εἰς Νωρίκους ἀφίκετο πόλιν αὐτῶν Πυταβιῶνα καλουμένην, ἐνταῦθα δὴ ἀπὸ Μεδιολάνου καταπέμπεται στρατηγὸς Βαρβατίων, ἐκεῖ τοῦ Κωνσταντίου τὸ τηνικαῦτα τυγχάνοντος· ὃς τὸν Γάλλον ἀφαρεῖται τῆς ἁλουργίδος, καὶ εἰς ἰδιώτην μετασκευάσας, ἐξόριστον αὐτὸν εἰς τινα νῆσον τῆς Δαλματίας κατέστησε.

15 Τοῦ δὲ Γάλλου εἰς τὴν νῆσον ἀπηγμένου, οἱ τὸ πὰν ἐπ᾽ αὐτῷ συστήσαντες, Εὐσεβίος δὲ μάλιστα ἦν ὁ εὐνοῦχος ὁ τὴν τοῦ πραιποσίτου τιμὴν ἔχων, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, πείθουσι Κωνστάντιον ὡς τάχιστα τὸν Γάλλον ποιήσασθαι ἐκ ποδῶν· καὶ ἤδη τούτων ἀφικουμένων, πάλιν ὁ Κωνστάντιος εἰς ἔλεον μεθεκλίθη, καὶ πέμπει διὰ ταχέων ἑτέρων γραμμάτων τὸν Γάλλον τοῦ πάθους ἀνακαλούμενος. Ὁ δὲ Εὐσεβίος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πείθουσι τὸν πεμφθέντα Μαγιστριανὸν μὴ πρότερον ἐπιστῆναι E δεικνύντα τὸ γράμμα, πρὶν ἂν πύθοιτο τὸν Γάλλον ἀνῃρημένον· ἐγένετο ταῦτα, καὶ ὁ Γάλλος ἐτεθνήκει· ὁ δὲ Κωνστάντιος περὶ τοῖς πράγμασι δείσας, μὴ οὐχ᾽ οἷος τε ἡ μόνος ἁπάσης εἶναι τῆς ἀρχῆς ἐγκρατὴς, ἄλλως τὲ καὶ τῶν Γαλατῶν ὀξύτατα δὴ καὶ ὁπότε προθυμηθείεν εἰς τὰς τυραννίδας ἐγειρομένων, διά τε σώματος ἰσχὺν καὶ κουφότητα φρονημάτων, μετέμελε τότε τὸν Γάλλον ὑπεξελών· καὶ λογισάμενος ὡς τὸ συγγενὲς τοῦ ὀθνείου καὶ ἀλλογενοῦς ασφαλέστερον εἶναι μακρῷ πρὸς κοινωνίαν τῆς βασιλείας, Ἰουλιανὸν, τὸν ἀδελφὸν τοῦ Γάλλου ἐκ τῆς Ἰωνίας μεταπεμψάμενος ἐν τῇ Μεδιολάνῳ, καίσαρα ἀνέδειξεν, καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτῷ τὴν ἑαυτοῦ Ἑλένην εἰς γάμον ἐκδοὺς, καὶ τὰ πίστα πρὸς αὐτὸν ποιησάμενος, τοῦτον μὲν ἐξέπεμψεν εἰς τὰς Γαλλίας φύλακα τῆς ἐκεῖσε βασιλείας ἐσομενον· αὐτὸς δὲ εἰς Ἰλλυριοὺς ἀφικόμενος, ἐν τῷ Σιρμίῳ διῆγεν.

16 Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὅτι οἱ πέραντοι Ἴστρου βάρβαροι μέλλουσιν ἐπιστρατεύειν τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ, ἀπάρας ἀπὸ τοῦ Σιρμίου πρὸς τὸν Ἴστρον διέβη, καὶ πρὸς αὐτῇ τῇ ὄχθῃ χρόνον οὐκ ὀλίγον ποιήσας, ἐπεὶ τὰ τῶν βαρβάρων ἠρέμει συστήματα, πάλιν ἐπὶ τὴν Θράκην ἤλαυνεν· ἐπεὶ δὲ ἐν Ὀδρυσσοῖς ἐτύγχανε γεγονὼς, ἔνθα πόλιν κτίσας Ἀδριανὸς ὁ βασιλεὺς τὴν ἑαυτοῦ κατελέλοιπε τῷ τόπῳ προσηγορίαν, ἐπύθετο πρὸς τινος τῶν ἐπι- F σκόπων, ὡς τὰ σώματα τῶν τοῦ Χριςοῦ ἀποστόλων Ἀνδρέου καὶ Λουκᾶ ἐν Ἀχαΐα τεθάμμενα τυγχάνουσιν, Ἀνδρέου μὲν ἐν Πάτραις, Λουκᾶ δὲ ἐν Θήβαις τῆς Βοιωτίας· ὡς οὖν ἤκουσεν ὁ βασιλεὺς ταῦτα Κωνστάντιος. ἥσθη τὰ τῷ λόγῳ καὶ ἐπὶ μέγα ἐβόησε, καὶ πρὸς τοὺς παρόντας φησὶ· καλέσατέ μοι Ἀρτέμιον· τοῦ δὲ τάχος παραγενομένου, συγχαίρω σοὶ ἀνδρῶν ἁπάντων θεοφιλέστατε· ὁ δὲ πρὸς αὐτὸν, καὶ εἴης μοὶ κεχάρμενος, ὦ βασιλεῦ, δια παντὸς, μήποτὲ σε τῶν ὀχληρῶν τὶ καταλήψεται· καὶ ὁ βασιλεὺς· ζητεῖς δὲ τι χαριωδέστερον, ὦ φιλων αριστε, τῆς τῶν τοῦ Χριςοῦ ἀποστόλων εὑρέσεως; Καὶ ὁ μέγας Ἀρτέμιος· τὶς καὶ πόθεν, ὦ δεσποτα, ὁ τοῦτον ἡμιν τὸν θεσαυρὸν φανερώσας τὸ τήμερον; Καὶ ὁ Κωνστάντιος, ὁ τῆς Ἀχαΐας ἐπίσκοπος, ὁ νῦν ἐφορεύων ἐν Πάτραις· ἀλλ᾽ ἄπιθι, ἀνδρῶν ἄριστε, καὶ τὸ τάχος ἐν Κωνσταντινούπολει τὴν τούτων ἄνοδον ποίησον.

17 Ταῦτα παρὰ τοῦ βασιλέως ἀκούσας ὁ μέγας Ἀρτέμιος, ἐπορεύετο τὴν ἐπὶ τοὺς ἀποστόλους ὁδὸν, ἀνακομίσων τὰ τούτων πανάγια λείψανα ἐπὶ τὴν Κωνσταντινούπολιν· ὁ δὲ τὴν ἱστορίαν γράφων, τοιαῦτα περὶ Κωνσταντίου καὶ τοῦ μάρτυρος φάσκει· λέγεται δὴ περ Κωνσταντίου ὅτι οὐ μόνον τὰ πρὸς Θεὸν σπουδαῖος τε καὶ ἐράσμιος ὑπῆρχεν, εἰ καὶ πρὸς τὴν ἀρειανικὴν ἀπέκλινεν

αἵρεσιν

AUCTORE JOANNE MONACHO

αἵρεσιν ὑπὸ τοῦ δυσσεβοῦς τε καὶ ἀθεωτάτου Εὐσεβίου, τοῦ τῆς Νικομηδείας ἐπισκόπου συνελασθείς, ἐπεὶ τά γε ἀλλὰ μέτριος, καὶ εὐσχημοσύνης ἐς τὰ μάλιστα ἐπιμελούμενος, καὶ σωφροσύνης ἄκρος ἐπειλημμένος, περί τε τὴν δίαιταν καὶ τὸν ἄλλον τρόπον· καὶ πλείστην γε τὴν εἰς τὰς ἐκκλησίας ἐποιεῖτο σπουδὴν, μακρῷ τὸν ἑαυτοῦ πατέρα ταῖς περὶ ταῦτα προθυμίαις ὑπερβαλέσθαι φιλοτιμούμενος· καὶ τὴν τὲ ἐκκλησίαν ἐδείματο τὴν μεγίστην ἐν τῇ πόλει τοῦ πατρὸς, πλησίον τῆς γερουσίας, κάτωθεν τοῦ ἔργου καὶ ἐκ κρεπίδιον ἀρξάμενος· καὶ τὸν τοῦ πατρὸς τάφον τιμῶν, νεὼν ἐξῳκοδομήσατο μέγιστον ἐκεῖ θρησκευτήριον· καὶ Ἀνδρέαν τὸν ἀπόστολον ἐκ τῆς Ἀχαΐας μετενεγκὼν, ὡς προέφην, ἐκεῖ μετέθηκεν· καὶ μὴν καὶ Λουκᾶν τὸν εὐαγγελιστὴν ἐκ τῆς αὐτῆς μετέθηκεν Ἀχαΐας, καὶ Τιμόθεον ἐξ Ἐφέσου τῆς Ἰωνίας.

18 Ὁ δὲ ἦν τῶν γε δὴ βελτίστων ἀνθρώπων ὁ τὴν διακομιδὴν τούτων ποιήσασθαι προσταχθείς· καὶ γέρας γε αὐτῷ τῆς λειτουργίας ὁ βασιλεὺς, δεηθέντων τῶν ἐπισκόπων, τὴν τῆς Αἰγύπτου παρέσχεν ἀρχήν· Καὶ ταῦτα μὲν ὁ τὴν ἱστορίαν συνάγων περι τοῦ μάρτυρος, συμμαρτυρῶν αὐτῷ, ὅτι καὶ πρὸ τῶν τῆς μαρτυρίας ἀγώνων, πᾶσιν ὑπῆρχεν αἰδέσιμος διὰ τὴν ἀπαστράπτουσαν τοῦ βίου αὐτοῦ ἀρετήν· περὶ δὲ τοῦ Λουκᾶ, καὶ τοιόνδε τι διηγήσατο Ἀνατόλιος εὐνοῦχος τῶν ἐκ τοῦ βασιλικοῦ B κοιτῶνος, αὐτὸς ἐφ' ἑαυτοῦ τὴν τῆς ἁγιστείας πεῖραν δεξάμενος· ἔφασκεν οὖν οὗτος ὁ Ἀνατόλιος φαύλως διακεῖσθαι, καὶ μεῖζον ἤδη τὸ πάθος, ἢ κατὰ τὴν τῶν ἰατρῶν εἶναι τέχνην· τῆς οὖν λάρνακος ἐν ᾗ κατακείμενος ἦν ὁ Λουκᾶς ἐπειδὴ προσεπεπλεύκεσαν οἱ ἄγοντες αὐτὴν, ἀρτὶ ἐκ τῆς θαλάσσης ἐπὶ τὸ νεὼν κομιζομένης, αὐτὸς ὑπὸ προθυμίας ὑπελθεῖν καὶ συνδιαβαστάσαι τοῖς φέρουσιν αὐτὴν ἐφ' ὅσον αὐτῷ τὰ τῆς δυνάμεως εἶχε, καὶ τότε παραυτίκα ἀπαλλαγῆναι τῆς νόσου, καὶ εἰς τὸν ἔπειτα τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνον παρελκυσθέντα ἐπ' οὐκ ὀλίγων ἐτῶν ἀριθμὸν. Τὸν γοῦν τῶν ἀποστόλων νεὼν Κωνστάντιος ᾠκοδόμησε πρότερον, κἂν ὕστερον Ἰουστινιανὸς ἐπὶ τό μεγαλειότερον κατεσκεύασε, καὶ κρείττοσιν ὕλαις ἐπὶ τὸ κοσμιώτερον κατεφαίδρυνε· καὶ ἔστιν νῦν ὁ νεὼς ἔνθα κεῖται τῶν ἀποστόλων τὰ σώματα, κοινῷ ὀνόματι τῶν ἀποστόλων ἐπικαλούμενος.

stus, decentiæ retinens et magnæ sobrietatis in D victu et reliquo vivendi modo. Maximam certe curam impendebat ecclesiis, quoniam patris circa ista studium longe superare ambiebat, ecclesiam quidem maximam in urbe paterna ædificavit, et licet jam in senectutem inclinatus a fundamentis ad fastigium perduxit : utque patris sepulturam honoraret, templum erexit, maximum sanctuarium, ubi, ut dictum est, reposuit Andream Apostolum et Evangelistam Lucam ex Achaja, Timotheum autem ex Epheso Ioniæ translatos.

18 Atque hic inter viros optimos electus fuit ad horum Sanctorum translationem curandam. In præmium vero suæ pietatis, petentibus episcopis, præfecturam Ægypti accepit. Hæc quidem habet historia de Martyre, testificans illum ante martyrium omnibus propter eminentem virtutem fuisse venerandum. Circa Lucam id narravit Anatolius eunuchus, unus ex cubiculariis, qui ipse in se pietatis effectum sensit. Refert igitur Anatolius ipse, se tam graviter ægrotum decubuisse, ut mor- E bus omnem medicorum artem superaret. Loculum in quo tempore navigationis S. Lucas jacuerat, a mari ad templum ferendum, ipse subire et, quantum vires permittebant, cum bajulis portare concupivit, et subito, repulso morbo, vita ejus prorogata fuit ad non parvum numerum annorum. Primus itaque Apostolorum ecclesiam ædificavit Constantius, licet eamdem postmodum Justinianus in ampliorem formam et materia pretiosori ornatam restituerit. Est nunc templum, in quo requiescunt Apostolorum corpora, et communi nomine Apostolorum ecclesia appellatur *m*.

et dein Ægypto præficitur.

ANNOTATA.

a *Magnentius collegam imperii assumpserat Decentium consanguineum suum cæsareosque honores tribuerat fratri suo Desiderio. Nepotianus vero, ex sorore Constantini Magni, Eutropia, imperium adversus Magnentium affectans, purpuram cum vita post dies* XXVIII *deposuit. Bretannio autem seu Veteranio, in Pannonia præfectus, Sirmii imperator salutatus fuit artibus Constantinæ, sororis Constantii secundum Philostorgium, lib.* III, *cap.* XXII. Constantina, *inquit,* quæ vidua erat Hannibaliani, timens ne Magnen- F C tius tyrannus universum imperium sub potestatem suam redigeret, Veteranionem, unum ex magistris militiæ, cæsarem renuntiavit. Videbatur autem illa suo jure facere, propterea quod communis eorum pater, dum viveret, diademate eam coronaverat et Augustam nuncupaverat. Constantius vero, his cognitis, statim diadema misit ad Veteranionem, imperatoriam ei dignitatem suffragio suo confirmans : postea vero adversus Magnentium in Occidentis partes cum exercitu profectus, sub obtentu colloquii, quod cum Veteranione amice inire volebat, eo quid is defectionis suspicionem præbuisset, eum comprehendit et imperatoria veste exuit. Nullo tamen alio affectum incommodo, immo vero mensæ adhibitum, Prusam Bithyniæ amandavit, amplos ac magnificos sumptus ei constituens, providensque ne quidquam eorum, quibus privatorum hominum vita beate transigitur, ei deesset. *Hactenus Philostorgius, qui aut secretiora aulæ prodit, aut fabulis libenter indulget.*

b *Eamdem apparitionem crucis refert Philostorgius, lib.* III, *cap.* XXVI, *his verbis :* Sigum visum est, ad longissimum spatium protensum, et diurnam lucem splendidissimis ad stuporem usque radiis longe superans. Apparuit autem Hierosolymis, circa horam tertiam ejus diei, quæ vulgo dicitur Pentecoste. Porro hoc signum, divinitus pictum, a Calvariæ monte usque ad montem Olivarum pertingere videbatur, magna iride, instar coronæ, illud undique ambiente. Et iris quidem Christi crucifixi et in cœlum assumpti clementiam designabat ; corona vero imperatoris victoriam. Porro splendidum istud ac venerandum signum, ne militum quidem oculos effugit. Sed ab utroque exercitu clare conspectum, Magnentium quidem et eos, qui a partibus illius stabant, utpote dæmonum cultui addictos, supra modum terruit : Constantio vero et iis, qui cum illo erant, invictam quamdam fiduciam addidit. *Magnentius Constantio occurrit in Pannonia, Italia et Gallia, sed nequaquam in Palæstina ; quocirca fabulam sapit, quod* signum ab utroque exercitu clare conspectum *fuerit. Nam Socrates, lib.* II, *cap.* XXVIII *et Sozomenus, lib.* IV, *cap.* V, *eamdem apparitionem celebrantes, nihil dicunt de exercitibus Constantii et Magnentii.*

c *Ammianus Marcellinus, lib.* XIV, *cap.* II, *dicit Constantinam, Galli conjugem et Constantii sororem,* quod

AUCTORE JOANNE MONACHO.

A quod eum lenire poterat ut germanum, profectam, cum Bithyniam introisset, in statione, quæ Cænos Gallicanos appellatur, absumptam esse vi febrium repentina. *Quibus verbis habemus eamdem stationem et Cænos Gallicanos et simpliciter Gallicanam a biographo nostro appellari. Eumdem locum, juxta Cellarium Geogr. Ant. lib.* III, *cap.* VIII, *sect.* I, *num.* 41 (1), *Ptolomæus vocat* Gallicam Καλλίκαν, *mediam inter Dablim et Dadastanam, Bithyniæ stationes.*

d *Quam civitatem Noricorum biographus noster Pytabionem* Πυταβιῶνα *vocat, hæc eadem est Ammiano l. c. Petobio ad Dravum, hodie* Pettau *in Styria. Cellarius, lib.* II, *cap.* VII, *num.* 55 (2) *eam civitatem Pannoniæ magis quam Noricis accenset, ductus nempe auctoritate Ptolomæi.*

e *Ammianus l. c. habet : Gallum, ablatis regiis indumentis, paludamento communi indutum,* inopinum carpento privato impositum ad Istriam duxit *(Barbatio)* prope oppidum Polam, ubi quondam peremptum Constantini filium accepimus Crispum. *Est vero Pola in peninsula ad mare Adriaticum sita.*

f *Eusebium dicit Ammianus, l. c.* cubiculi imperatoris tunc præpositum *fuisse, et post sub Juliano, lib.* XXII, *cap.* III, pœnæ lethali addictum.

g *Galatarum nomine hic Galli transalpini veniunt, quod satis frequenter apud antiquos occurrere, jam observavimus in Commentario S. Florentii ad diem* XXII *Octobris. num.* 51 *et seqq.*

h *Julianus creatus fuit Cæsar a Constantio Augusto die* VIII *Iduum* (VI) *Novembris, Arbetione seu Arcetione et Lolliano consulibus seu anno vulgari* 355; *paucisque post diebus uxorem accepit Helenam, Constantii sororem. Cfr Ammianum, lib.* XV, *cap.* VIII *et Philostorgium, lib.* IV, *cap.* II.

i *Adrianopolis, Thraciæ urbs etiamnum principalis, olim, teste Ammiano Marcellino, lib.* XXVII, *cap.* IV, *Uscudama vocata. Europæis vulgo* Andrinopolis *dicitur, Turcis vero* Edreneh. *Capta ab Amurate I, Turcarum imperatore, anno* 1361, *sedes imperii Turcici fuit, donec anno* 1453 *capta a Mahomete II Constantinopolis caput Mahumeticæ potestatis effecta est.*

k *De S. Lucæ translatione actum fuit ad diem* XVIII *Octobris in Commentario prævio, num.* 80 *et seqq. Actorum; de S. Andrea tractabitur die, quo ejus festum recurrit,* XXX *Novembris.*

B l *Catalogum episcoporum Patrensium valde mutilum texit Michael Le Quien* (3); *si quidem usque ad* E *sæculum* IX *jam inclinatum seu ad Photiana tempora tres tantum recenseat episcopos, quorum primus, Stratocles, a S. Andrea Apostolo constitutus fuerit, alter Plutarchus synodo Sardicensi anno* 347 *interfuerit, tertius Alexander sub Leone I imperatore circa annum* 450 *floruerit. Quoniam vero corpora Sanctorum, secundum Idatii Fastos consulares* (4) *et Chronicum Paschale* (5), *anno* 357 *C. P. invecta fuere, fieri potuit, ut Plutarchus, seu, ut alibi dicitur, Prostarcius* (6), *adhucdum sedem Patrensem occuparit.*

m *Quæ de ecclesia Apostolorum, cujus descriptionem vide apud Cangium* (7), *refert biographus noster, excerpta sunt ex Philostorgio, lib.* III, *num.* 2 (8). *De S. Timothei translatione, quæ secundum Idatii Fastos Kal. Junii* 356 *facta est, late agunt nostri ad diem, quo colitur,* XXIV *Januarii, num.* 13. (9)

CAP. III. Julianus, adeptus imperium, Christianos variis artibus aggreditur, et pro tribunali cum Eusebio et Macario, presbyteris Antiochenis, disputat.

Constantius, audita Juliani a

Profectus est igitur magnus Artemius in Ægyptum, dignitate ducis investitus *a*. Constantius autem Constantinopoli iter in Syriam instituit, et quum ad magnam civitatem Antiochiam pervenisset, ibidem commoratus est, bellum paraturus C adversus Persas. Quum autem ibidem resideret et exercitum instrueret, advenere litteræ, quæ Julianum rebellem docebant. Julianus enim, ut jam antea a me declaratum est, quando de eo sermonem institui, ad custodiam Occidentis in Galliis a Constantio cæsar declaratus, non ferens diutius in gradu cæsaris perseverare, diadema sibi imposuit b et summum imperii fastigium capessivit *b*: Ut vero imperium usurpavit, nihil jam parvum cogitabat, neque cunctandum sibi existimabat : sed in suam volens redigere postestatem totam, quæ Romanis obedit, Europam, instructo exercitu, per Germanos ad Istrum perrexit, et quum ulteriorem ripam attigisset, per loca illa ducebat exercitum. Clam vero præfectis, Italiæ quidem Tauro et Illyrici c Florentinos ad Pæonas venit *c*, trajectoque flumine, statim universam Illyriam et Italiam atque omnes gentes, que erant imperii Romani, usque ad Oceanum sub sua accepit potestate.

rebellione, C. Polim revertens obit;

20 Constantius, quum hæc per litteras didicis-

Ὁ μὲν οὖν μέγας Ἀρτέμιος ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον ἐπορεύετο, τὴν του δουκὸς ἀξίαν ἀμφιασάμενος· ὁ δὲ Κωνστάντιος ἄρας ἀπὸ τῆς Κωνσταντινουπόλεως, τὴν ἐπὶ τῆς Συρίας ἐποιεῖτο ὁδὸν καὶ φθασας τὴν μεγαλόπολιν Ἀντιόχειαν, αὐτοῦ κατασκηνοῖ, τὸν πρὸς τοὺς Πέρσας ἑτοιμαζόμενος πόλεμον· αὐτοῦ δὲ χρονοτριβήσαντος ἐν τῇ πόλει καὶ τὸν F στρατὸν ἐξαρτύοντος, ἀφίκετο γράμματα πρὸς αὐτὸν δηλοῦντα τὴν τοῦ Ἰουλιανοῦ ἐπανάστασιν· ὁ γὰρ Ἰουλιανὸς, ὡς δεδήλωταί μοι καὶ πρόσθεν, ἡνίκα τῶν περὶ τούτων ἐποιούμεν λόγον, ἐπὶ φυλακῇ τῶν ἑσπερίων εἰς τὰς Γαλλίας ὑπὸ τοῦ Κωνσταντίου καῖσαρ ἀποδειχθεὶς, αὐτὸς ἐπὶ πλεῖον ἐν τῷ τοῦ καίσαρος σχήματι εἶναι μὴ ἀνασχόμενος, τὸ τε διάδημα περιτίθεται, καὶ τῆς μείζονος ἅπτεται βασιλείας· ἐπεὶ δὲ ἀντελάβετο τῶν πραγμάτων, οὐκέτι μικρὸν οὐδὲν ἐνενόει, οὐδὲ διαμέλλειν ἐγίγνωσκε δεῖν· ἀλλὰ τὴν Εὐρώπην τέως ὑφ' ἑαυτῷ ποιήσασθαι πᾶσαν ἐθέλων ὁπόση Ῥωμαίοις ὑπακούει, τῷ στρατῷ συνταξάμενος διὰ Γερμανῶν ἐπὶ τὸν Ἴστρον ἐχώρει, καὶ τῆς πέραν ὄχθης λαβόμενος, διὰ τῶν ἐκείνης χωρίων ἤλαυνεν· ἀμφοτέρους τοὺς ὑπάρχους διαλαθὼν, τόν τε τῶν Ἰταλιῶν Ταῦρον οὕτω καλούμενον καὶ τῶν Ἰλλυριῶν Φλορέντιον· ἐπεὶ δὲ κατὰ Παίονας ἐγένετο, διαβὰς ἐπὶ θάτερα τὸν ποταμὸν, αὐτίκα τήν τε Ἰλλυρίδα πᾶσαν ὑφ' ἑαυτῷ γὴν εἶχε, καὶ τὰς Ἰταλίας, καὶ τὰ μέχρι τοῦ ἑσπερίου ὠκεανοῦ σύμπαντα ἔθνη ὁπόσα τῆς Ῥωμαίων ἐπικρατήσεως ἦν.

20 Ὁ δὲ Κωνστάντιος ταῦτα διὰ τῶν γραμμάτων

(1) Cellar. Geogr. Ant., t. II, p. 260. Edit. Lips. 1773. — (2) Ibid., t. I, p. 436. — (3) Orient. Christ., t. II, p. 159. — (4) D'Aquirre Conc. Hisp., t. III, p. 70. Edit. Rom. 1753. — (5) Hist. Byz., t. I, p. 542. Edit. Bonn. 1832. — (6) Labbe t. II, Conc., p. 650 et 665. — (7) C. P. Christ., part. II, p. 106. — (8) Edit. Valesii. Cantab. p. 486. — (9) Act. SS., t. II Januar., p. 564.

μαθὼν,

AUCTORE JOANNI MONACHO

μαθὼν, ἐταράχθη τε ὥσπερ καὶ εἰκὸς ἦν, καὶ περὶ τῆς Κωνσταντινουπόλεως μάλιστα δείσας μὴ ὅπερ κἀκεῖνος διενοεῖτο φθάσειεν αὐτὴν ὑφ' ἑαυτὸν ποιησάμενος, ἠπείγετο οὖν κατὰ τὸ δυνατὸν προκαταλαβεῖν· ἐν ὅσῳ δὲ ὁ στρατὸς αὐτῷ συνελέγετο κατὰ τὰς πόλεις τῆς ἑώας ἐσκεδασμένος, καὶ ἔμελλεν ἐξαρτύεσθαι ὡς πρὸς τοσαύτην ὁδὸν, σημαίνει τοῖς ἐπισκόποις εἰς τὴν Νίκαιαν αὐτὸν ὡς ὅτι τάχιστα φθῆναι προαφικομένους· ἐμελέτα γὰρ δευτέραν ἐν αὐτῇ συγκροτῆσαι σύνοδον, παρὰ τῶν δυσσεβῶν ἀρειανῶν κατὰ τοῦ ὁμοουσίου παρατρυνόμενος· ἐπεὶ δὲ τὴν Κιλικίαν διεξελθὼν εἰς τὰς Μόψου καλουμένας κρήνας ἀφίκετο, ἀσθένειά τις αὐτῷ ἐξαπιναίως προσέπεσε, καὶ οὐχ οἷός τε ἦν ἔτι τὸ πρόσω χωρεῖν. Ὡς δὲ ᾔσθετο φαύλως ἔχων ἤδη καὶ οὐκ ἂν βιωσόμενος, τὴν ταχίστην τὸν Ἀντιοχείας ἐπίσκοπον μεταπέμπεται Εὐζώϊον καὶ αὐτῷ βαπτίσαι αὐτὸν ἐπιτρέπει· βαπτισάμενος δὲ καὶ μικρὸν ἐπιβιοὺς, αὐτόθι προλείπει τὸ ζῆν, βασιλεύσας τὰ σύμπαντα ἔτη τεσσαράκοντα, τὰ μὲν ἡμίσεα μετὰ τοῦ πατρὸς, καὶ τὰ ἐπίλοιπα μόνος. Αὐτὸν δὲ ἡ στρατεία ὀλοφυραμένη, καὶ τὰ νομιζόμενα ἐπ' αὐτῷ τελέσασα, λάρνακι τοῦτον ἐνέθεσαν, τοῖς εἰωθόσιν εἰς τὸ διαρκέσαι σκευάσαντες τὸν νεκρὸν, καὶ εἰς ἁρμαμάξαν ἐνθέμενοι, ἐκόμιζον ἐπὶ τὴν Κωνσταντινούπολιν, σὺν τοῖς οἰκείοις ἕκαστοι ὅπλοις αὐτῷ ἐφεπομένοι, καὶ κατὰ τὸν αὐτὸν κόσμον ὅν περ καὶ
B ζῶντος ὑπὸ τοῖς ἡγεμόσι τετάγμενοι ἐτύγχανον.

21 Οὗτοι μὲν διὰ Κωνσταντινούπολιν εἶχον, ἄγοντες τὸν νεκρὸν, καὶ Ἰουλιανὸς συνομάρτησεν ἐκ τῶν Ἰλλυριῶν ἀφικόμενος, καὶ ἤδη βεβαίως ἔχων τὴν πᾶσαν βασιλείαν, οὐδενός αὐτὸν μετὰ τὸν Κωνσταντίου θάνατον ἐναντιωθῆναι τολμήσαντος· κομιζομένου δὲ τοῦ νεκροῦ ἐπὶ τῷ νεῷ τῶν ἀποστόλων ἵνα πάρ' αὐτὸν καταθήσειν πλησίον τοῦ πατρὸς ἔμελλον, αὐτὸς ἡγεῖτο τῆς κλίνης τὸ διάδημα τῆς κεφαλῆς περιελών· ἐπεὶ δὲ ἔθαψαν αὐτὸν, ἐπὶ τὰ βασίλεια ἤδη ἀπαλλαττόμενος, τὸ δὲ διάδημα ἐπέθετο αὖθις, καὶ τῶν πραγμάτων ἐγκρατὴς ἦν, μόνος ἤδη τὴν ὅλην τῶν Ρωμαίων βασιλείαν ὑποζωσάμενος. Ἐπεὶ οὖν ὁ Κωνστάντιος ἐκ ποδῶν ἦν, εἰς τοὺς ὑπολειπομένους καὶ μάλιστα τῷ φθόνῳ τὴν αἰτίαν παρασχομένους τῆς ἀναιρέσεως Γάλλου, ἀνέψυγε τὸ ζέον τῆς ὀργῆς· καὶ Εὐσέβιον μὲν τὸν πραιπόσιτον, τῆς κεφαλῆς ἀφαιρεῖται· διό τι τὴν ἀρχὴν τε ἐφαίνετο ἐκ τῶν ἑαυτοῦ διαβολῶν τὸν ἅπαντα τῷ Γάλλῳ φόνον συγκερασάμενος. Παῦλον δὲ τὸν Σπανὸν, εἰς τοὺς ὑπογραφέας τοῦ βασιλέως τελοῦντα, πυρὶ παραδίδωσιν, ὡς πολλὰ δὲ μάλα τῷ Γάλλῳ ἐπικραναμένον· τούτους μὲν ἀμφοτέρους εἰς τὴν Χαλκηδόνα διαπέμψας, ἐκεῖ τῇ οἰκείᾳ δίκῃ ὑπάγει ἑκάτερον· ἀνεῖλεν δὲ καὶ Γαυδέντιον στρατηγὸν τῆς Ἀφρικῆς, καὶ ἄλλους τινὰς ὁπόσοι τὶ εἰς αὐτὸν πεπαρῳνήκεσαν.

C 22 Ἀλλὰ τούτους μὲν διὰ γραμμάτων ἐκόλασεν· τὸν δὲ τοῦ Χριστοῦ μάρτυρα καὶ γενναῖον ἀθλητὴν Ἀρτέμιον αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ ἐν Ἀντιοχείᾳ παρὼν καὶ παρόντα, διὰ τὴν εἰς Χριστὸν ὁμολογίαν ἀπανθρώπως ἐκόλασεν, καὶ τῆς παρούσης αὐτὸν ἀπεγύμνωσεν ἐξουσίας, μὴ φέρων τὴν αὐτοῦ παῤῥησίαν καὶ ἔνστασιν. Ὁ γὰρ Ἰουλιανὸς, ὡς δεδήλωται τὴν τῶν Ρωμαίων βασιλείαν ὑποζωσάμενος, ἐσπούδαζε μάλιστα τὸν ἑλληνισμὸν ἐπανορθοῦν· πανταχοῦ τοίνυν γράμματα διαπεμπόμενος, ἐκέλευε τὰ τούτων τεμένη καὶ τοὺς βωμοὺς ἐνιστᾷν μετὰ πολλῆς σπουδῆς τε καὶ προθυμίας καὶ ὅσας ὁ μέγας Κωνσταντῖνος ταῖς ἐκκλησίαις προσόδους ἀπένειμε καὶ ὁ τούτου υἱὸς Κωνστάντιος, ταύτας ἀφελὼν, τοῖς τῶν δαιμόνων ναοῖς ἀφιέρωσεν· ἀντ' ἐπισκόπων καὶ πρεσβυτέρων καὶ διακόνων, καταστήσας τζακόρους, καὶ νεωκόρους, καὶ ῥάντας, καὶ θύτας, καὶ κανηφόρους, καὶ ὅσας ὁ ἑλληνικὸς ὕθλος ἐπιφημίζει προσωνυμίας· ταῦτα μὲν οὖν καὶ ἕτερα διεπράττετο κατὰ τὴν Κωνσταντινούπολιν.

23 Μετὰ δὲ ταῦτα, μητρὸς αὐτοῦ ἀδελφὸν ἔχων Ἰουλιανὸν τοὔνομα, τὴν τοῦ χριστιανισμοῦ θρησκείαν ἀπαρνησάμενον διὰ τὴν ἐκείνου χάριν, καὶ πολλὴν ὑπὲρ τοῦ ἑλληνισμοῦ προθυμίαν ἐπιδεικνύμενον, ἄρχοντα τῆς ἑώας ὃν καλοῦσι κόμητα ἐξεπέμψεν, ἐντειλάμενος τὰ μὲν τῶν ἐκκλησιῶν πράγματα κακοῦν τε καὶ διαφθείρειν, παντα-

set, ut par erat, conturbatus est, et de Constanti- D
nopoli sollicitus, ne, quod ille animo cogitabat, eam prior in suam redigeret potestatem, eam totis viribus festinabat præoccupare. Interea dum colligitur exercitus, per civitates Orientis dispersus, et ipse se ad tantam viam parat, significat episcopis, uti Nicæam quam citissime eum præveniant : intendebat enim, ab Arianis excitatus, istic secundam celebrare adversus Consubstantialitatem synodum. Quumque, transmissa Cilicia, ad Mopsi, ut vocantur, fontes venisset, subita illum infirmitas invasit, nec poterat ulterius progredi. Ut autem se sensit male habere et forsan moriturum, Antiochiæ episcopo Euzoio quam citissime advocato, petiit, ut baptizaretur. Suscepto baptismo parum supervixit, illic defunctus, postquam regnasset annis omnino quadraginta, viginti nempe cum patre, reliquis solus *d*. Postquam eum deflevisset et justa ei persolvisset exercitus, loculo incluserunt mortui cadaver, consuetis aromatibus conditum, imponentesque currui secuti sunt Constantinopolim, unoquoque militum propria arma, ornatumque qualem ipso vivente sub ductoribus habebant, ferente. E

21 Atque ii quidem Constantinopolim venerunt, *Julianus animadvertit in occisores Galli.*
ferentes corpus. Venit et Julianus ex Illyria, jam firmiter tenens imperium universum, nemine post mortem Constantii auso ei repugnare. Quum ferretur defuncti corpus ad ecclesiam Apostolorum, ut juxta patrem tumularetur, Julianus, deposito diademate, lectum præcedebat. Postquam sepelierunt eum, Julianus, in palatium redux, diadema rursus sibi imposuit, et rerum potitus, universum Romanum imperium gubernavit. Mortuo igitur Constantio, in superstites, qui causam præbuerant Galli occidendi, iræ suæ furorem ostendit. Eusebium quidem præpositum capite plectit, quia suis calumniis videbatur præcipue immixtus Galli occisioni : Paulum vero Hispanum, unum ex scribis imperatoris, igni tradidit, utpote qui multa acerba in Gallum protulisset : ambos Chalcedonem misit, suo quemque supplicio afficiendum. Sustulit et Gaudentium, ducem exercitus Africæ, et alios quosdam, qui ipsi insultaverant *e*.

F
22 Et illos quidem per litteras absens puniri *i occasi... arreptæ, in Christianos*
jussit : Martyrem vero Christi et generosum athletam, Artemium, ipse per se, præsens præsentem, Antiochiæ pro christiana confessione inhumane puniit. Ac primo, non ferens ejus dicendi libertatem et constantiam, ipsum, qua indutus erat potestate, spoliavit. Julianus enim, ut jam dictum est, manum clavo imperii admovens, restituere gentilismum maxime studebat. Missis igitur ubique litteris, jubebat templa et altaria deorum prompto et alacri animi studio redintegrari, tollens, quos Constantinus Magnus ejusque filius ecclesiis redditus attribuerat, templis idolorum donavit ; et episcopis, presbyteris ac diaconis substituit æditui, custodes, aspersores, sacrificos, canephoros, et id genus nomina quæ nugacitas gentilis excogitat. Hæc et alia fiebant Constantinopoli.

23 Post hæc quum matris suæ fratrem haberet, *sævit;*
Julianum nomine, qui, ut imperatori gratificaretur, christianum cultum abjuraverat, et magnam pro gentilismo monstrabat alacritatem, illum præfectum Orientis, sub comitis nomine constituit : jussitque, ut res ecclesiasticas vexaret et disperderet;

AUCTORE JOANNE MONACHO.

A disperderet; ubique autem et omni ratione gentilismum augeret et extolleret. Ille profectus, conabatur Antiochiæ plura exsequi, quam quæ fuerant imperata: ecclesiis quidem cunctis abstulit omnia pretiosa in argento, auro et sericis vestimentis, clausit quoque ipsas ecclesias, ne quis orationis causa intraret, claustris et vectibus impositis. Atque hæc faciebat Antiochiæ Orientis præfectus.

in Syria

24 Interea Julianus imperator Constantinopol˙ morabatur, in ea corroborans, quæ videbantur maxime conferre ad bonum imperii, et studiose omnia disponens, ut gentilismus magnifice extolleretur. Dein cum exercitu profectus Constantinopoli, in Syriam iter instituit: et per Phrygiam transiens, quum attigisset extremam ejus civitatem Iconium, omissa Isauria, Taurum montem superavit, et accessit ad civitates Ciliciæ ac ad stationem ad Issum, ubi castrametatus est, exemplum Alexandri Macedonis sequi affectans. Nam iste cum Dario, Persarum rege illic prælium commisit, et, parta victoria, locum celebrem reddidit. Istinc Issicum sinum trajiciens, Tarsum civitatem venit, hinc Antiochiam, plenus irarum in Christianos eorumque B nomen se deleturum minans.

Eusebius et Macarius,

25 Quum ergo Antiochiæ venisset tyrannus et in palatium divertisset, ne una quidem die quiescere potuit. Adducti igitur sunt, quasi ex condicto accusati, Eusebius et Macarius, presbyteri Antiochenæ Ecclesiæ. Hos impius, pro tribunali sedens, jussit adduci, et dixit: Quinam estis vos? Quæ vestra conditio et sors, ut ad nostrum tribunal adducamini? Eugenius respondit: Christiani sumus et Christi gregis ductores: hæc est conditio et sors nostra. Imperator, ubi, inquit, est Christi grex, cujus estis ductores? Eugenius: universus orbis terræ, quem sol aspicit, et qui in eo sunt omnes homines. Julianus: Quibusnam igitur præsumus et in quos hodie obtinemus imperium, infelix et miser homuncio, si Christi grex possidet omnem terram, quam sol aspicit. Martyr: Eidem gregi, imperator, præes, cujus nos ductores sumus; per Christum enim reges regnant, et potentes in terra dominantur, ipse dedit tibi hodie imperium, si autem ingratus benefactori fueris, cras rursus im- C perium alteri dabit: es enim unius diei homo, et imperas iis, qui sunt unius diei; ipsius autem regnum est sempiternum, neque umquam finem accipiet.

presbyteri, confutatis

26 Apostata: Impie, inquit, et deorum benevolentiæ exsors, hesternus et unius diei homo est Christus, natus tempore Cæsaris Augusti, numquid hodie a te rex æternus creatus est! Martyr: Secundum ejus humanitatem et ineffabilis inenarrabilisque dispensationis ejus mysterium, id est incarnationem, ita se habet: quoad autem divinam et æternam generationem attinet, nullum invenietur tempus, cui ipse anterior non sit. Apostata, ratus Martyrem agrestem quempiam esse et græcanicæ eruditionis expertem, irridens dixit: Ergo Christus tuus, infelix, bis generatus fuit? Et in hoc inaniter gloriaris; sunt et apud Græcos viri sapientissimi non solum bis, sed etiam ter geniti. Etenim Mercurius, cognomine Trismegistus, tertio venit in mundum, seipse producens, ut referunt sacri et mirabiles ejus libri, propereaque Trismegistus (ter maximus) appellatus fuit: similiter et

χοῦ δὲ καὶ διὰ πάσης ἰδέας τὸν ἑλληνισμὸν αὔξειν τε καὶ ἐπαίρειν· ὁ δὲ ἀφικόμενος ἐν Ἀντιοχείᾳ, ἐπειρᾶτο μείζω τῶν ἐντεταλμένων τοῖς ἔργοις φαίνεσθαι, καὶ δὴ προσαφαιρεῖται μὲν πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν ἅπαντα τὰ κειμήλια ὅσα ἐν ἀργύρῳ τε καὶ χρυσῷ καὶ σηρικοῖς ὑφάσμασι διετέλει, ἀποκλείει δὲ καὶ τὰς ἐκκλησίας τοῦ μὴ τινὰ εἰσφοιτᾷν ἐν αὐταῖς εὐχῆς ἕνεκα, κλεῖθρα καὶ μοχλοὺς τοῖς πυλῶσιν ἐπιβαλών· καὶ ταῦτα μὲν κατὰ τὴν Ἀντιόχου πόλιν ὁ τῆς ἀνατολῆς ἄρχων εἰργάζετο.

24 Ὁ δὲ βασιλεὺς Ἰουλιανὸς ἔτι κατὰ τὴν Κωνσταντινούπολιν διεῖλκε τινὰ χρόνον, τὰ ἐν ταύτῃ κρατύνας εἰς ὅπερ ἐνομίζετο μάλιστα τῇ βασιλείᾳ συμφέρειν, καὶ ὅπως ὁ ἑλληνισμὸς αὐτῷ πρὸς τὸ μεγαλειότερον ἐξαρθῇ σκοπῶν τε καὶ πραγματευόμενος· ἄρας οὖν ἐκ τῆς Κωνσταντινουπόλεως συν παντὶ τῷ στρατῷ, τὴν ἐπὶ τῆς Συρίας ἐποιεῖτο ὁδόν· διελθὼν τοινύν ἅπασαν τὴν Φρυγίαν, καὶ πρὸς τὴν ἐσχάτην αὐτῆς πόλιν τὸ καλούμενον Ἰκόνιον καταντήσας, ἐξέκλινει τὴν Ἰσαυρίαν καταλιπὼν, καὶ τὸν γενόμενον Ταῦρον ὑπερκναβὰς, ἦλθεν ἐπὶ τὰς πόλεις τῆς Κιλικίας, καὶ τῷ σταθμῷ προσκελάσας τῷ ἐν Ἰσσῷ, αὐτοῦ κατασκηνοῖ, τὸν ἐκ Μακεδονίας Ἀλέξανδρον μιμησάμενος· αὐτόθι γὰρ κἀκεῖνος ἐν Ἰσσῷ τὸν πρὸς Δαρεῖον τῶν Περσῶν βασιλέα συνεκρότησε πολεμον, καὶ τοῦτον νικήσας, ἐπίσημον τὸν τόπον εἰργάσατο· ἐκεῖθεν τὸν Ἰσσικὸν κόλπον διαπεράσας, ἦλθεν ἐν Ταρσοῖ τῇ πόλει· E κακεῖθεν εἰς Ἀντιοχείαν, θυμομαχῶν κατὰ τῶν χριστιανῶν καὶ επαπειλούμενος τὸ τούτων εἰς ἅπαν ἐξαλείφειν ὄνομα.

25 Ελθόντι τοιγαροῦν τῷ τυράννῳ ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ πόλει καὶ πρὸς τοῖς βασιλείοις οἴκοις κατασκηνώσαντι, καὶ οὐδὲ πρὸς ἡμέραν μίαν ἡσυχάσαντι, προσήχθησαν αὐτῷ ὥσπερ ἀπὸ τινος παραγγέλματος διαβληθέντες, Εὐγένιος καὶ Μακάριος πρεσβύτεροι τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκκλησίας ὑπάρχοντες· οὓς προκαθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος, ἐκέλευσε παραστῆναι ὁ ἀλιτήριος, καὶ φησὶ πρὸς αὐτούς· τίνες ἐστὲ ἄνθρωποι, καὶ ποίου βίου καὶ τύχης τυγχάνοντες, ἐπὶ τοῦ ἡμετέρου προσήχθητε βήματος; Εὐγένιος ἔφη· χριστιανοί ἐσμὲν, καὶ τῆς Χριστοῦ ποίμνης ἀγελάρχαι τυγχάνομεν· τοῦτο βίος ἡμῖν καὶ τύχη καὶ ἐπιτήδευμα· καὶ ὁ βασιλεύς· οὗ τοίνυν ἐστὶν ἡ τοῦ Χριστοῦ ποίμνη ἧς ὑμεῖς ἀγελάρχαι τυγχάνετε; Καὶ ὁ Εὐγένιος· πᾶσα ἡ οἰκουμένη ὅσην ὁ ἥλιος ἐφορᾷ, καὶ ὅσοι ἐπὶ ταύτης εἰσὶν ἄνθρωποι. Καὶ ὁ Ἰουλιανός· ἡμεῖς δὲ τίνων ἄρχομεν καὶ τίνων σήμερον βασιλεύομεν, ὦ ταλαιπώρον καὶ δυστυχέστατον ἀνθρωπάριον, εἰ ὅσην ὁ ἥλιος ἐφορᾷ γῆν ὁ Χριστὸς ποίμνην κέκτηται; Καὶ ὁ μάρτυς· τῆς αὐτῆς, ὦ βασιλεῦ, καὶ ποίμνης καὶ ἀγέλης ἐπιστατεῖς, ἧς πὲρ καὶ ἡμεῖς ἀγελάρχαι τυγχάνομεν· δι' αὐτοῦ γὰρ βασιλεῖς βασιλεύουσιν, καὶ τύραννοι κρατοῦσι γῆς, καὶ αὐτὸς σοι τὸ βασίλειον σήμερον δέδωκε· κἂν αὐτὸς ἀχάριστος περὶ τὸν εὐεργέτην ἐφάνης, αὔριον δὲ πάλιν ἄλλῳ τινὶ δώσει· ἐφήμερος γὰρ εἶ, καὶ ἐφημέρων νῦν βασιλεύεις· αὐτὸς δὲ τὴν βασιλείαν αἰώνιον κέκτηται, καὶ περὰς οὐδέπω λαμβάνουσα. F

26 Καὶ ὁ παραβάτης· ἀνόσιε καὶ τῆς τῶν θεῶν εὐμενείας ἀλλότριε, χθιζὸς ὢν ὁ Χριστὸς καὶ ἐφήμερος, κἀκ τῶν τοῦ καίσαρος Αὐγούστου χρόνων ἀρξάμενος, αἰώνιος βασιλεὺς ὑπὸ σοῦ κεχειροτόνηται σήμερον; Καὶ ὁ μάρτυς· ναὶ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον καὶ τὸ τῆς ἀφράστου καὶ ἀῤῥήτου οἰκονομίας αὐτοῦ μυστήριον, εἴτ' οὖν σαρκώσεως, οὕτως ἔχει, βασιλεῦ, ἐπεὶ κατὰ τὴν θείαν αὐτοῦ καὶ προαιώνιον γέννησιν οὐδεὶς εὑρεθήσεται χρόνος ὁ ταύτης ὑπέρτερος· καὶ ὁ παραβάτης νομίζας ἀπαίδευτον εἶναι τινὰ τὸν τοῦ Χριστοῦ μάρτυρα, καὶ τῆς ἑλληνικῆς σοφίας ἀμέτοχον, διαχλευάζων ἔφη πρὸς αὐτόν· οὐκοῦν, ὦ ταλαίπωρε, ὁ Χριστὸς σου δὶς ἄρα γεγέννηται; καὶ εἰ ἐπὶ τούτῳ κομπάζεις, εἰσὶ καὶ παρ' Ἕλλησι ἄνδρες σοφώτατοι οὐ μόνον δὶς γεννηθέντες, ἀλλὰ καὶ τρίς· ὁ γὰρ Ἑρμῆς, ὁ τρισμέγιστος ἐπικαλούμενος, τρίτον ἦλθεν ἐν κόσμῳ, ἑαυτὸν ἐπιγνοὺς, καθὼς αἱ ἱεραὶ αὐτοῦ καὶ θαυμάσιοι βίβλοι διαγορεύουσι, καὶ τοῦτο τρισμέγιστος ὀνομάζεται· ὁμοίως δὲ καὶ Πυθαγόρας ὁ τούτου μεταγενέστερος, καὶ αὐτὸς τρίτον ἦλθεν ἐν βίῳ·

AUCTORE JOANNE MONACHO.

πρότερον μὲν Αἰγύπτιος γεγονὼς ναύκληρος, ἔπειτα δ' Εὔφορβος ὁ ὑφ' Ὁμήρου μνημονευόμενος, ἔσχατον δὲ Πυθαγόρας, Μνησάρχου υἱὸς Σάμιος.

27 Καὶ ὁ μάρτυς καταγέλασας τῶν ληρημάτων, μᾶλλον δὲ κομψευμάτων τοῦ σοφοῦ βασιλέως, καὶ τῆς τῶν ἀσεβῶν ἑλλήνων μωρολογίας, ὑπονοήσας δὲ τὸν τύραννον τὴν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν διὰ τουτωνὶ τῶν ῥημάτων χλευάζειν πειρώμενον, ἔφη πρὸς αὐτὸν μετὰ πολλῆς αὐστηρίας καὶ γενναιότητος· ἔδει τὴν ἀρχὴν μὴ δὲ ἀποκρίνασθαί σοι, παρανομώτατε· μὴ δὲ τῆς οἰασοῦν ἀπολογίας καταξιῶσαι σε· ἀλλὰ διὰ τὸν παρεστῶτα ὄχλον, ὅτι τῆς τοῦ Χριστοῦ ποίμνης οἱ πλείονες αὐτῶν τυγχάνουσι, εἶπον ὅσα πέρ εἶπον, καὶ νῦν ἐπ' ὀλίγον ἐρῶ τῆς αὐτῶν κηδόμενος σωτηρίας· ὅτι ὁ Χριστὸς ἄνωθεν καὶ πρὸ πολλῶν γενεῶν οἱ προφῆται προκατήγγειλαν. καὶ πολλὰ τῆς παρουσίας αὐτοῦ τὰ μαρτύρια κἀκ τῶν παρ' ὑμῖν χρησμῶν καὶ σιβυλλείων γραμμάτων· καὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως αὐτοῦ ἡ αἰτία ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ ἀνακλήσει τῆς τῶν ἀνθρώπων ἐκπτώσεως γέγονεν· ἐλθὼν γὰρ ἐπὶ τῆς γῆς, πᾶσαν νόσον ἀπήλασε καὶ τὸ παραδοξότερον καὶ ῥήματι νεκροὺς ἤγειρεν ὀδωδότας, καὶ τὸ δὲ πάντων θαυμασιώτερον, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου σωτηρίας παθὼν τὸ διὰ σταυροῦ πάθος, ἀνέστη τριήμερος ἐκ τῶν νεκρῶν ὑπὸ μάρτυσι πεντακοσίοις, καὶ στρατιωτῶν φρουρούντων αὐτοῦ τὸν τάφον, ἵνα μὴ σχῇ χώραν ὁ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῦ συκοφαντῆσαι βουλόμενος· καὶ ἀναστὰς ἐκ τῶν νεκρῶν, ὤφθη τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐφ' ὅλαις τεσσαράκοντα ἡμέραις, μετ' αὐτῶν συναναστρεφόμενος, καὶ ὁρώντων αὐτὸν καὶ βλεπόντων ἀνελήφθη εἰς τοὺς οὐρανούς, ἐξαποστείλας αὐτοῖς τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος δωρεάν τε καὶ δύναμιν· ὥστε καὶ γλώσσαις ἀλλογενῶν ἀποφθέγγεσθαι, καὶ μὴ ἔχειν χρείαν τοῦ ἑρμηνεύοντος, ἐλάλει γὰρ ἐν αὐτοῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὥστε καὶ τὰ πόρρω προβλέπειν καὶ προφητεύειν τὰ μέλλοντα· οἵ τινες ἐξελθόντες, ἐκήρυξαν αὐτὸν πανταχοῦ, μηδὲν ἐπιφερόμενοι ἢ μόνην τὴν αὐτοῦ ἀόρατον δύναμιν, οὐκ ἀσπίδα καὶ δόρυ καὶ ξίφος κατέχοντες, ἀλλὰ γυμνοὶ καὶ ἄοπλοι καὶ πένητες, πάντα τὸ κόσμον ἐζώγρησαν, νεκροὺς ἐγείροντες, λέπρους καθαρίζοντες, δαιμόνια ἐκβάλλοντες· καὶ ταῦτα τίνες; Ἁλιεῖς καὶ ἀγράμματοι καὶ τῆς τοῦ κόσμου σοφίας ἀμέτοχοι.

28 Οὓς δὲ αὐτὸς παρεισήγαγες ἐπικερτομῶν τὴν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν ἄνδρας σοφούς τε καὶ θεολόγους, ὡς νῦν εἴρηκας. εἰ καὶ δοίημεν ἀληθὲς γενέσθαι τοῦτο τὸ παράληρημα. τί γεννηθέντες δίς τε καὶ τρὶς καὶ τετράκις τὸν κόσμον ὠφέλησαν, ἢ μέρος τὶ τῶν τοῦ κόσμου μικρὸν ἢ ἐλάχιστον; τίς ἐκ τῶν βίβλων Ἑρμοῦ τε καὶ Πυθαγόρου, νεκροὺς ἐξανέστησεν, ἢ λεπροὺς ἐκαθαρίσεν, ἢ δαίμονας ἀπήλασεν, οὓς ὑμεῖς θεραπεύετε; ἀλλ' Ἑρμῆς μὲν ὁ τρισμέγιστος ὑφ' ὑμῶν προσαγορευόμενος, Αἰγύπτιος γέγονεν ἄνθρωπος, καὶ τοῖς Αἰγυπτίων νόμοις τραφεὶς γυναῖκα τε γήμας, παῖδας ἐτέκνωσεν, ὧν τὸν πρεσβύτερον Τὰτ ὀνομάζουσι. πρὸς ὃν αὐτὸς διαλέγεται καὶ τοὺς ἑαυτοῦ λόγους ἀφοσιοῖ, πρός τε τὸν ἐξ Ἐπιδαύρου Ἀσκλήπιον προκατάρξαντα καθ' ὑμᾶς τῆς ἰατρικῆς ἐπιστήμης, ὃς καὶ τὴν ἑαυτοῦ θεολογίαν διασαφεῖ ἔχουσαν οὕτως· Θεὸν νοῆσαι μὲν χαλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδύνατον· ἔστι γὰρ τρισυπόστατος, ἀνερμήνευτος οὐσία καὶ φύσις, οὐκ ἔχουσα παρὰ βροτοῖς ἐξομοίωσιν· οὓς δὲ θεοὺς ὀνομάζουσιν ἄνθρωποι, πολὺ τὸ μυθῶδες καὶ σφαλερὸν ἐφ' ἑαυτοὺς ἐπεσπάσαντο· καὶ περὶ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐλεύσεως, καὶ αὐτὸς ἀμυδρὰν τινὰ προφητείαν διαγορεύει, οὐκ ἐξ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἐκ τῆς Ἑβραίων θεολογίας ταύτην ἀπαῤῥυσάμενος· ἀλλὰ τί μοι τῶν σαπρῶν τε καὶ ὀδωδότων Ἑρμοῦ ῥημάτων τῶν παρ' ὑμῖν τιμωμένων, ἤδη πρὸ πολλοῦ σεσηπότων καὶ ἀπεξυνηκότων; οὐδὲ γὰρ ὅσιον περὶ τῶν ζώντων ἐρωτᾶν τοὺς νεκρούς, ἔχων ἐκ τῶν θεοσόφων λογίων τοὺς ἀληθεῖς μάρτυρας, οἵ τὴν Χριστοῦ παρουσίαν τὲ καὶ θεότητα προκατήγγειλαν.

29 Πυθαγόρας δὲ ὁ τῆς ἰταλικῆς κατάρξας αἱρέσεως, τὶ μέγα καὶ θαυμαστὸν ἐν τῷ βίῳ τρὶς παραχθεὶς ἀπειρ-

Pythagoras, ætate posterior, tertio venit ad vitam, D primo nauclerus in Ægypto, secundo Euphorbus, cujus meminit Homerus, et tertio tandem Pythagoras, Mnesarchi filius, Samius.

27 Martyr irridens nugas seu magis facetias *multiplicibus* eruditi imperatoris et impiorum gentilium deliria, suspicatus est tyrannum hisce sermonibus Christ generationem ludificare voluisse, et severe fortiterque respondit : Non oportuisset, scelestissime, vel ab initio quidpiam respondere, aut qualicumque defensione te dignari, sed propter circumstantem turbam, quia plerique ad Christi gregem pertinent, dixi quæcumque dixi ; paucula igitur adhuc proferam de illorum salute sollicitus. Christum ab alto repetentes multis ante sæculis prophetæ prænuntiarunt, multaque sunt de ejus adventu oracula apud vos et in libris Sibyllinis *f*. Incarnationis autem ejus causa fuit salus et reparatio lapsi humani generis : in terram enim delapsus, omnem morbum expulit, et, quod mirabilius, uno verbo mortuos jam fœtentes ad vitam revocavit : quod vero omnia prodigia superat, passus propter mundi salutem in cruce mortem, resurrexit tertia die a mortuis secundum testimonium quingentorum hominum et eorum militum, qui ejus sepulcrum custodiebant, ut nullum relinqueretur effugium illi, E qui vellet ejus resurrectionem calumniari. Et post resurrectionem ex mortuis, visus est a discipulis suis per dies quadraginta, cum illis conversatus et videntibus atque aspicientibus elevatus est in cœlos, mittens in eos Spiritus Sancti donum et potentiam. Ita ut alienigenarum linguis loquerentur, neque interprete indigerent, loquebatur nempe in eis Spiritus Sanctus, ita ut futura præviderent et prædicerent. Egressi prædicaverunt eum ubique gentium, nihilque secum ferentes, præter invisibilem ejus potentiam, non clypeum, non lanceam, non gladium, sed nudi, inermes, pauperes mundum cœperunt universum, mortuos resuscitantes, leprosos mundantes, dæmones ejicientes. Quinam autem tanta fecerunt ? Piscatores, illiterati, a mundi sapientia alieni.

28 Quos vero Christi generationem deridens, *Julian ophismatis,* inducis viros, quos sapientes et divinos appellas, etiamsi has nugas, ut veras haberemus, quid profuit orbi aut parti ejus vel minimæ, bis, ter aut quater illos fuisse generatos ? Quis in Mercurii et Pythagoræ libris, illos mortuos suscitasse, leprosos mundasse, dæmones, a vobis cultos, ejecisse legerit? Mercurius quidem, Trismegistus F cognomine, a vobis in medium prolatum, vir erat Ægyptius, et Ægyptiorum legibus institutus ; ex duxta uxore liberos suscepit, quorum primogenitus Tat vocatur : ad hunc loquitur, sermonesque suos dirigit, simulque ad Esculapium ex Epidauro, quem patrem artis medicæ vos dicitis, cui et theologiam suam explicat, cujus hæc est summa : Deum mente concipere difficile, eloqui impossibile. Est enim in trina hypostasi consistens, ineffabilis in sua substantia et natura, nullam habens cum mortalibus similitudinem. Quos autem deos nominant homines, hos multis fabulis erroribusque infarserunt. Insuper de adventu Christi obscuram quamdam prophetiam refert, non ex se ipso, sed ex Hebræorum theologia depromptam. Sed quid mihi cum istis corruptis et putridis Mercurii verbis, jam diu vitiatis et antiquatis ? Fas enim non est mortuos interrogare circa vivos, quoniam habemus veridicos testes divinorum eloquiorum, qui Christi præsentiam et divinitatem prænuntiarunt.

29 Quoad Pythagoram attinet, sectæ Italicæ *et irrisa gentium superstitione,* auctorem, quid grande et mirabile, ter in vitam prodiens,

AUCTORE JOANNE MONACHO.

A prodiens, operatus est? Num quia Olympiæ in ludis femur, ut dicitis, suum aureum ostendit? Vel de bove jamjam immolando, quum mugiret, dixit: animam habet viri mihi charissimi, qui mugitu me salutat infelix? Vel quum aquilam, æthera petentem, jactu cineris in terram dejecit? Hæc quidem Olympiæ miracula fecit ter genitus, gloriosus et mentis ludibriis agitatus: ille qui quaternionis jurandi formulam constituit, dicens illam esse inexhaustæ naturæ fontem *g*, qui fabas colebat, propterea que a Tarentinis simul cum amicis in exsilium actus fuit, et periit; nam nolens pedibus terere campum, in quo fabæ sparsæ erant, cum amicis et discipulis suis occisus, præda fuit inimicorum suorum. Theano autem, ejus conjux et discipula, quum nollet causam proferre cur fabis non vescerentur, ipsa quoque, lingua prius præcisa, periit *h*.

g *h*

30 Hæ sunt tuorum, qui bis terve, ut ipse oratorie exposuisti, geniti fuerunt, philosophorum prærogativæ: illa autem sunt Christi mei miracula pro salute et reparatione generis humani. Pythagoras et Mercurius hominum animas in inferni abyssum ducunt per transmigrationes quasdam B et transfusiones: nunc animas istas in bruta et feras transmittentes, nunc in pisces, plantas et alia id genus easdem quasi quibusdam circulis et periodis trahentes et includentes. Ast Christus, secundum Deum verus et æternus, quando creavit ab initio primum hominum, indidit animam illi immortalem et senii expertem, spiritu divino et insufflatione vivificatam, ut divinæ et intemeratæ tradunt scripturæ Mosaicæ: postmodum autem lapsa cum corpore anima per inobedientiam et deceptionem mortiferi draconis, venit in terram, et in ea conversatus, monstravit viam salutis per baptismum et resurrectionem suam ex mortuis, et sic ex inferni abyssis in cœlos animam reduxit. Iterum venturus judicare vivos et mortuos, resuscitabit carnem illique animas conjunget, et retribuet unicuique secundum opera sua.

fidem Christianam

31 Quum hæc philosophatus fuisset Martyr, iniquus et apostata Julianus dixit: Videte, viri Romani et Græci, quantus scelestus iste et exsecrandus in nostram religionem effutiit nugas. Sed per charissimum mihi solem hunc splendidissimum omniaque ornantem, non patiar deinceps, ut impiissimum christianorum genus græcorum do- C ctrina erudiatur. Ecce enim canis hic sacræ eruditionis particeps effectus, licet non recte et plane, multas tamen ineptias effutiit circa historiam istorum sacrorum et sapientium virorum. His dictis, jubet Martyrem lictoribus tradi plagis quingentis flagellandum; qui crudeliter illum flagris dilacerunt. Præco autem clamabat: Fac, quod vult imperator, dimitte ineptias, et liberaberis a persecutoribus tuis. Martyr autem fortiter tolerabat flagella, tacens et nullum edens verbum.

ponunt:

32 Post oculos in Christi Martyrem, Macarium, intendens, quid, ait, de te ipse dicis, miser homuncio? Respondet Macarius: Tu ipse miser es et omnium hominum infelicissimus, canis squalide et immunde, ego vero reipsa beatus *(macarius)* sum, imo ter beatissimus secundum nomen meum, quia Christum confitens, adoro Dei Filium viventem et sempiternum: tu vero ipsum abjurasti, diabolum et angelos ejus, spiritus homicidas et impuros sectatus, qui te, etiam invitum, mittent in ignem æternum. Cui apostata: Scio te mortem tuam cupere et movere me velle ad iram, ut cito te destruam: sed non erit tibi, impiissime, ut spera-

memoriamque Constantini

γάσατο; ἢ ὅτι ἐν Ὀλυμπίᾳ γενόμενος, ὡς ὑμεῖς φασκετε, χρυσοῦν τὸν ἑαυτοῦ μηρὸν ἑλλανοδίκαις ὑπέδειξε· καὶ βοῦν θύεσθαι μέλλοντα μυκησάμενον, ἀνδρὸς ἔφη ψυχὴν ἐμοὶ φιλτάτου κέκτηται, καὶ διὰ τοῦ μυκήματος προσαγορεύει μὲ ὁ ταλαίπωρος· καὶ ἀετὸν ἐν ὕψει πετόμενον, δι' σποδῆς καταπεσεῖν ἐπὶ γῆς πεποίηκε· ταῦτα ὁ τρὶς γεννηθεὶς ἐθαυματούργει ἐν Ὀλυμπίᾳ γενόμενος, δοξαμανῶν καὶ φαντασιούμενος ὁ τρισάθλιος· ὁ τὴν τετρακτὺν ὅρκον τιθέμενος, καὶ ταύτην φάσκων πηγὴν ἀεννάου φύσεως· ὁ τοὺς κυάμους σεβόμενος, δι' οὓς καὶ ἀπώλετο μετὰ τῶν αὐτοῦ ἑταίρων ὑπὸ τῶν Ταραντίνων συνελαυνόμενος· μὴ βουλόμενος γὰρ τὸν τόπον πατῆσαι ἐν ᾧ οἱ κύαμοι ἐσπαρμένοι ἐτύγχανον, αὐτὸς μετὰ τῶν ἑταίρων καὶ μαθητῶν κατασφάττεται, καὶ τῶν ἐχθρῶν γίνεται παρανάλωμα· Θεανὼ δὲ ἡ τούτου γαμετὴ καὶ μαθήτρια μὴ θέλουσα τὴν αἰτίαν κατειπεῖν, δι' ἣν τὸν κύαμον οὐκ ἐσθίουσι, τὴν γλῶσσαν ἐκτμηθεῖσα πρότερον, καὶ αὐτὴ προσαπόλλυται.

30 Ταῦτα τῶν σῶν φιλοσόφων τὰ προτερήματα τῶν δὶς καὶ τρὶς γεννηθέντων, ὡς αὐτὸς ἐρητόρευσας· κᾀκεῖνα τοῦ ἐμοῦ Χριςοῦ ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ ἀνακλήσει τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους τὰ τερατουργήματα· καὶ Πυθαγόρας μὲν καὶ Ἑρμῆς τὰς τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς εἰς τὸν ᾅδου πυθμένα κατάγουσι, μετεμψυχώσεις τινὰς καὶ μεταγγισμοὺς παρεισάγοντες· ποτὲ μὲν εἰς ἄλογα ζῶα καὶ E θηρία, ταύτας μὲν μετεμβιβάζοντες, ποτὲ δὲ εἰς ἰχθύας καὶ φυτὰ καὶ ἄλλας τινὰς ἐπανακυκλήσεις καὶ περιόδους κατασπῶντες αὐτὰς καὶ ἀποῤῥαπίζοντες· ὁ δὲ Χριςὸς καθὸ Θεοῦ ὑπάρχων ἀληθὴς καὶ αἰώνιος, ἀθάνατον ψυχὴν καὶ ἀγήρω κατασκευάσας τῷ ἀπ' ἀρχῆς πνεύματι θείῳ καὶ ἐμφυσήματι, ὅτε τὸν πρῶτον ἐδημιούργησεν ἄνθρωπον, ὡς αἱ θεαὶ καὶ ἀδιάβλητοι τοῦ Μωϋσέως διαγορεύουσι βίβλοι· καὶ πεσοῦσαν μετὰ τοῦ σώματος διὰ τῆς παρακοῆς καὶ τῆς ἀπάτης τοῦ ψυχοφθόρου δράκοντος, ἐλθὼν ἐπὶ γῆς καὶ πολιτευσάμενος, καὶ ὑποδείξας ἡμῖν ὁδὸν σωτηρίας διὰ τοῦ βαπτίσματος καὶ τῆς ἐκ νεκρῶν αὐτοῦ ἀναστάσεως, ἐκ τῶν τοῦ ᾅδου πυθμένων εἰς οὐρανοὺς ταύτην ἐπανήγαγεν· καὶ πάλιν ἐρχόμενος κρίναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, ἐξαναστήσει τὰ σώματα, καὶ συνάψει ταῖς ἑαυτῶν ψυχαῖς, καὶ ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ.

31 Ταῦτα τοῦ μάρτυρος φιλοσοφήσαντος, ὁ παράνομος καὶ ἀπόστατης ἔφη Ἰουλιανὸς· ὁρᾶτε, ἄνδρες Ῥωμαῖοι καὶ Ἕλληνες, τουτονὶ τὸν παλαμναῖον καὶ ἀλιτήριον, πόσον ἐκ τῶν ἑλληνικῶν μαθημάτων κατὰ τῆς ἡμετέρας ἐσχεδίασεν ὕθλον; μὰ τὸν ἐμοὶ προσφιλέστατον ἥλιον τὸν χρυσαυγῆ καὶ παγκόσμιον, οὐκέτι ἀνέξομαι τοῖς ἑλλήνων μαθήμασι τὸν χριςιανῶν ἀθεώτατον ἐκπαιδευέσθαι γένος· ἰδοὺ γὰρ τῆς ἱερᾶς τῶν λόγων παιδείας καὶ F οὗτος ὁ κύων μεταλαβὼν, κᾂν οὐκ ἐπ' εὐθείας καὶ ὁμαλοῦ, ἀλλ' ὅμως πολλήν τινὰ καὶ ἀτερπῆ περὶ τὴν ἱστορίαν μωρολογίαν κατέχεεν τῶν ἱερῶν ἐκείνων καὶ φιλοσόφων ἀνδρῶν. Ταῦτα εἰπὼν κελεύει τὸν μάρτυρα τοῖς δημίοις παραδοθῆναι, καὶ μαστιγοῦν ἄχρι πεντακοσίων πληγῶν· οἱ δὲ λαβόντες ᾔκιζον ἀπανθρώπως ταῖς μάστιξι· καὶ ὁ κήρυξ ἐβόα, ποίησον τὸ τοῦ βασιλέως θέλημα, παῦσαι τῶν μωρολογιῶν, καὶ ἀπαλλαγήσῃ τῶν κολαζόντων σε· ὁ δέ μάρτυς ἐκαρτέρει τυπτόμενος, σιωπῶν καὶ μηδὲν ὅλως φθεγγόμενος.

32 Ἀτενίσας δὲ πρὸς τὸν τοῦ Χριςοῦ μάρτυρα Μακάριον, ἔφη πρὸς αὐτὸν· σὺ τί λέγεις περὶ σεαυτοῦ ταλαίπωρον ἀνθρωπάριον; Μακάριος ἔφη· σὺ εἶ ταλαίπωρος καὶ παντῶν ἀνθρώπων ἀθλιώτερος, κύων ῥυπαρὲ καὶ ἀκάθαρτε, ἐγὼ δὲ τῷ ὄντι μακάριος εἰμι καὶ τρισμακάριστος, κατὰ τὴν προσωνυμίαν μοῦ, ὅτι τὸν Χριςὸν ὁμολογῶν προσκυνῶ τὸν Θεοῦ υἱὸν τὸν ζῶντα καὶ προαιώνιον· αὐτὸς δὲ τοῦτον ἀπηρνήσω προσκολληθεὶς τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ τοῖς ὀλεθρίοις καὶ ἀκαθάρτοις δαίμοσιν, οἵ σε καὶ οὐκ ἐθέλοντα τῷ αἰωνίῳ πυρὶ παραπέμψουσιν. Καὶ ὁ παραβάτης· οἶδα ὅτι θανατᾷς, καὶ πρὸς ὀργὴν κινῆσαι με σπεύδεις, ἵνα τάχειον ἐξαναλώσω σε· ἀλλ' οὐχ ὡς αὐτὸς ἤλπισας, οὕτως ἔσται σοὶ ἀσεβέστατε· τοῦτο δέ

πρῶτον

AUCTORE JOANNE MONACHO

πρῶτον ἀποκρίνου καὶ δίδασκε, τί τὸ δόξαν ὑμῖν, ὦ παμμίαροι, ὅτι μὴ δὲ μιᾶς τινὸς ἐξουσίας ἢ παρὰ βασιλέως ἢ παρὰ τινὸς τῶν ἀρχόντων μετειληφότες, παντί τε καὶ πανταχοῦ διατρέχοντες, τὰς τῶν μεγάλων θεῶν σπονδὰς τὲ καὶ θύσιας ἀνατρέπειν σπουδάζετε; διδάσκοντες ἂν τοὺς ἀνθρώπους, τούτους μὴ εἶναι θεοὺς, μὴ δὲ σωτῆρας τῆς οἰκουμένης, καὶ τοῦ ἀνθρωπείου γένους προνοητάς τε καὶ κηδεμόνας τυγχάνοντας, οὓς ἡ ἀπ᾽ αἰῶνος καὶ ἄνωθεν πατροπαράδοτος τῶν ἀνθρώπων συνήθεια, σέβειν τὲ καὶ προσκυνεῖν παραδέδωκεν; τὸν δὲ Χριςὸν χθὲς τὸ εἶναι ἀρξάμενον, καὶ οὐ πρὸ πολλοῦ τῆς ἡμετέρας, γενεᾶς, Θεὸν προαιώνιον καὶ βασιλέα τῶν ὅλων ἀνακηρύττετε.

33 Καὶ ὁ Μακάριος· οὐκ ἠρκέσθης ταῖς Εὐγενίου σοφαῖς ἀποδείξεσιν, ὦ παρανομώτατε, ὅτι τὰ αὐτὰ καὶ περὶ τῶν αὐτῶν ἀεὶ ἐρωτᾷς; πλὴν ἐγὼ σοὶ τὰ αὐτὰ καὶ περὶ τῶν αὐτῶν ὁμοτρόπως ἀποκριθήσομαι, ὅτι Χριςὸς ὃν σὺ χλυάζεις καὶ διασύρεις ἐπιγελῶν, οὕτως παρακελεύεται· εἶπεν γὰρ πρὸς τοὺς ἱεροὺς αὐτοῦ μαθητὰς, πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν, φεύγειν δὲ ἀπὸ τῶν ματαίων εἰδώλων, καὶ ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν ζῶντα, ὃς ἔκτισε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν· οἱ γὰρ θεοί σου οὓς αὐτὸς προ-
B σκυνεῖς, δαιμόνων εἰσὶ πλάσματα, καὶ μύθων εὑρέματα, καὶ διαβολικῆς ἐνεργείας κυοφορήματα· λέγει γὰρ περὶ αὐτῶν ἡ ἡμετέρα γραφή· θεοὶ οἳ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν οὐκ ἐποίησαν, ἀπωλέσθωσαν· ἀλλὰ καὶ νόμος αὐτοὺς ἕτερος βασιλικὸς ὁ παρὰ Κωνσταντίνου τοῦ σοῦ συγγενοῦς ἐκτεθεὶς, ἐκβάλλει τῆς προσκυνήσεως, καὶ καταλύει αὐτῶν τὰ σεβάσματα· ὃς εἰς Χριςὸν πιστεύσας, τὰ τῶν εἰδώλων τεμένη κατέστρεψε, καὶ τὰς προσαγομένας αὐτοῖς θυσίας διαῤῥήδην ἀπέπαυσε· τί τοίνυν ἀδικοῦμεν, ὦ βασιλεῦ, ἃ Θεὸς προσέταξε, καὶ βασιλεὺς μέγας νενομοθέτηκε, κρατύνοντες καὶ διαυθεντίζοντες; ἃ δὲ ἡ τῶν παλαιῶν, ὡς ἔφης, ἀνδρῶν ἄνοια ἐκ τῆς τῶν δαιμόνων ἐφεῦρε μηχανουργίας, ἐξαφανίζοντες καὶ διακωλύοντες.

34 Καὶ ὁ παραβάτης· ἀλλὰ Κωνσταντῖνος, οἰκτρότατοι, νεωτερίσας διὰ τὰς προσπεσούσας αὐτῷ ἀνοσιουργίας, ἀπέστη τῶν θεῶν, ὑφ᾽ ὑμῶν τῶν γαλιλαίων ἐξαπαθεὶς, ἅτε δὴ παιδείας ἀμέτοχος, καὶ μήτε τοῖς Ῥωμαϊκοῖς νόμοις, μήτε τοῖς Ἑλληνικοῖς ἔθεσιν ἐμπεδωθεὶς· ἐγὼ δὲ, ὦ ἀνόσιε, τῆς Ἑλληνικῆς τε καὶ Ῥωμαικῆς παιδείας ἄκρον ἐπειλημμένος, καὶ ταῖς τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν θεολογίαις Ἑρμοῦ τε φημὶ καὶ Ὀρφέως καὶ Πλάτωνος ἐξησκημένος, οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ ταῖς Ἰουδαϊκαῖς γραφαῖς ἐξωμιληκὼς, καὶ τὴν τούτων τερθρείαν πεπατηκὼς, πάλιν ἐπὶ τὸ πατροπαράδοτον καὶ ἀρχαιότατον καὶ θεοφιλὲς
C τοὺς ἀνθρώπους ἔθος τε καὶ σέβας μένειν διακελεύομαι, ἢ ταῖς τῶν ἀπαιδεύτων καὶ νεωτεριζόντων ἀνοίαις ἀκολουθεῖν. Ἀλλὰ ἀπογυμνούσθω καὶ οὗτος τῆς ἀμπεχόνης, καὶ τῆς τῶν μαστίγων πείρας ἐν μεθέξει γενέσθω· ὡς ἂν ἐκ τούτου σωφρονέστερος γεγονὼς, τοῖς ἡμετέροις νόμοις, καὶ μὴ βουλόμενος ὑποκύψειεν.

sti : sed hoc mihi responde et monstra, qua præ- D
sumptione, maledicti, nulla muniti licentia sive imperatoris sive magistratuum, ubique discurritis, ut magnorum deorum ritus et sacrificia destruatis? docentes homines hos non esse deos neque servatores orbis aut humani generis providentiam et curam gerere ; quos tamen ab ævo paterna traditio et consuetudo honorare et colere instituit? Christum autem, qui heri et non multo ante nostram ætatem esse cœpit, prædicatis, quasi esset Deus ante sæcula et universi orbis.

33 Macarius, non suffecerunt, inquit, tibi, vir nequissime, Eugenii sapientes demonstrationes, quoniam semper eadem de iisdem rebus interrogas? Equidem tibi eadem iisdemque de rebus respondebo, quia Christus, quem contumeliis et irrision bus laceras, sic mandavit. Nam sanctis discipulis suis dixit : Euntes in mundum universum, docete omnes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis : fugere vana simulacra et converti ad Deum vivum, qui cœlum et terram creavit. Quod autem deos colis, figmenta sunt dæmonum, fabularum fictiones, et diabolicæ operationis fœtus : dicit enim scriptura nostra : Dii, qui cœ- E
lum et terram non fecere, pereant. Sed et lex imperialis, a Constantino consanguineo tuo lata, eorum cultum supprimit, eorumque destruit ritus. In Christum enim credendo, idolorum templa subvertit et oblata illis sacrificia aperte cessare fecit. Quid igitur, imperator, mali agimus, quando quæ Deus mandavit et magnus imperator lege sancivit confirmamus et certa monstramus? Eliminamus autem et prohibemus, quæ veterum, ut dixisti, virorum insipientia dæmonum machinamentis excogitavit?

primi imperatoris Christiani,

34 Apostata : Sed Constantinus, inquit, miserrimi, novitates sectari cœpit, impietate aliorum irretitus, et deceptus a vobis Galilæis, cultum deseruit deorum, nulla doctrina præditus neque Romanorum et Græcorum legibus informatus. Ego autem, impie, qui ad summum fastigium Græcæ et Romanæ eruditionis perveni et in antiquorum, Mercurii nempe, Orphei et Platonis doctrinis exercitatus, non parum quoque in judaicis scripturis versatus sum, horum nugas conculcavi, et jubeo magis homines ad morem et cultum, a patribus traditum, antiquissimum et diis gratissimum redire, quam F
sequi inanes indoctorum novatorum opiniones. Sed et ipse veste exuatur sua, experimentoque flagrorum participet, ut vel sic modestior factus, etiam invitus se legibus nostris submittat.

vindicant

ANNOTATA.

a *Ex documentis historicis, num.* 8 *Comment. prævii allatis, monstravimus S.* Artemium, *dum Ægypto præesset, a partibus Constantii Cæsaris contra S. Athanasium stetisse.*

b *Assumpti Augusti tituli impositique diadematis causam Ammianus Marcellinus, lib.* XX, *cap.* IV, *non tam Juliano, quam militibus, ad Persicum bellum evocatis et jamjam in extremum Orientem traducendis, adscribit. Etenim quum seditionem militarem sedaturus Julianus promisisset se apud Constantium acturum, ut quos* dulcedo patriæ retinebat, quique peregrina metuebant loca, *ii ad transalpinum iter non cogerentur, acquiescere sermonibus et promissis noluerunt milites.* Conclamabatur post hæc ex omni parte nihilominus, uno parique ardore nitentibus universis : maximoque contentionis fragore, probro et convitiis mixto, cæsar assentire coactus est. Impositusque scuto pedestri et sublatius eminens, nullo silente, Augustus renuntiatus, jubebatur diadema proferre, *etc. Deinceps vero Julianus aperte a Constantio descivit, et arma in patruelem paravit. Hæc Ammianus, ex cujus narratione mihi elucescere videtur, Julianum non tam rebellionis suæ scelus, quam periculum reformidasse, quocirca si incertus initio et timidus agebat, talique ratione, si ambitiosa frangerentur consilia, salva sibi fore sperabat vitam et dignitatem*

c *Situm Pæonum seu Pæoniæ incertum dicit Cluverius, Geogr. antiq., lib.* II, *cap.* XIII, *sect.* II, *num.*

AUCTORE JOANNE MONACHO.

A *num.* 26 (1). *Baudrandus vero Pæonas dicit populos Macedoniæ in Mysiæ superioris confinio ad Strymonem fluvium, seu ad Rhodopen montem, seu ad ortum Haliacmonis fluvii, ut varii varia scribunt. Est hodie Pæonia pars provinciæ Scutarensis, olim Chrysopolitanæ seu Chalcedonensis dictæ, et ad mare Adriaticum adjacentis.*

d *Quæ de morte Constantii referuntur, eadem habes apud Philostorgium, lib.* VI, *num.* 5 (2). *Mopsi fontes, locus Constantii emortualis, etiam Mopsucrenæ vocati, viculus est, quem alii Ciliciæ, alii Cappadociæ adscribunt, quam litem implicat S. Hieronymus, in continuato Eusebii Chronico* (3) *dicens*, Constantius Mopsocrenis inter Ciliciam Cappadociamque moritur. *Hodie ad provinciam Caramaniæ in Asia Minori pertinere videtur.*

e *Ammianus, lib.* XXII, *cap.* III *et* XI *eosdem viros, hic nominatos, pluresque alios occisos refert, sed causam necis ad Gallum cæsarem spectasse non dicit : de Gaudentio autem narrat, lib.* XVII, *c.* IX *illum* ad explorandos *Juliani* actus diu moratum per Gallias *jussu Constantii Augusti.*

f *Antiquissima est argumentandi ratio ex gentilium oraculis et Libris Sibyllinis, utpote quam adhibitam videmus a S. Justino Martyre in cohortatione seu Admonitione ad Græcos* (4). *Carmina tamen Sibyllina post Christum natum conficta fuisse censent plerique eruditi. Consule, si lubet, Remigium, Ceillier, Script. Eccles., lib.* III, *cap.* III. (5), *Honoratum a S. Maria Dissert., lib.* II, *dissert.* II (6), *Zaccaria, Dissert. in Hist. Eccles. sæc.* X, *dissert.* (7), *Cave, in Hist. Litteraria, sæculum Gnosticum* (8).

g *Varii varia scripserunt de quaternione Pythagorico. Huetius in demonstratione evangelica prop.* IV, *cap.* II, § VIII (9), *secutus, quos citat, Seldenum et Wendelinum, dicit* mirificam illam τετραχτὺν *(quaternionem)* ipsum esse Dei nomen tetragrammaton, atque ejus notitiam a Daniele jam sene Pythagoram, quum in Babylonia degeret, accepisse. *Verum aliam sententiam amplectuntur Acta eruditorum Lipsiensia* (10), *quia nempe* quaternarium numerum, quo tamen tetractyros vox maxime collimet, a judæis nuspiam pro sacro aut mystico reputatum deprehenderunt sed potius septenarium, respectu nempe habito ad eum, qui sex diebus mundum condidit et septimo quievit. Aliam proinde viam demonstrat
B auctor *(Joannes Turner Anglus)* tetractyn istam explicandi, desumptam puta a methodo Pythagoreo- E
rum mystica, qua dogmata sua fere per numeros certos indicare et explanare fuerint soliti. *Et certe, si fides habenda sit Plutarcho de Iside, num.* 75, *tetractys non simplicem quaternionem, sed compositionem seu harmoniam numerorum exprimit, quæ a tetragrammato nomine Dei longissime deviat. En ejus verba :* Quæ vocatur tetractys constat triginta sex unitatibus, eratque loco jurisjurandi maximi et mundus κόσμος appellabatur : conficitur autem primis quatuor paribus et primis quatuor imparibus, in unam summam collectis : *id est*, $2+4+6+8+1+3+5+7=36$. *Eadem fere habet in Placitis Philosophorum, lib.* I, § II, *adjungitque animam humanam quaternione constare, mente, scientia, opinione, sensu ;* unde, *ait*, omnes artes et scientiæ profectæ sunt, ipsique ratione præditi propterea sumus. *Cfr Jamblichi Vita Pythagore, n.* 150 (11), *Prophyrii eadem Vita n.* 20 (12), *Marsham canon chronicus sæc.* XI (13).

h *Quod hic de Theano refertur, ab aliis tribuitur alteri pythagoreæ, Timichæ, conjugi Milliæ Crotoniatis, Cfr Bayle, Dict. crit. art.* Pythagoras, *not. I.*

Cap. IV. S. Artemius Juliano crudelitatem exprobrat, vanitatem idolorum demonstrat, et torqueri jubetur.

Quæstioni Martyrum intervenit S. Artemius *a*

Quum hi tam ferociter cruciarentur et torquerentur verberibus gravissimis, beatus et pius Artemius, dux, ut supra ostensum est, et augustalis universi Ægypti *a* a Constantio constitutus,
C propter rectam et integram agendi rationem procurationem Syriæ et rerum illic gerendarum administrationem acceperat. Quum imperatoriæ Romanorum familiæ esset devotissimus, audita Juliani, assumptione, ejusque ad bellum Persicum profectione, litteras accepit, quibus jubebatur, ut cum toto exercitu Antiochiam properaret. Antiochiæ, ut jussus erat, præsens cum eo, quo par erat, honore et satellitio adstitit imperatori, pro tribunali sedenti, quando de Martyribus impius habebat quæstionem. Dixit autem Artemius : Cur, imperator, viros sanctos et Deo sacros tam inhumane torques et cogis fidem abnegare suam ? Scias igitur et te hominem esse, iisdem doloribus obnoxium et natura participem esse earumdum affectionum ; etiamsi te Deus imperatorem constituit : si tamen ex Deo tua potestas, et non potius ex malo et mali principe dæmone, qui sicut olim Job tentandum acceperat, ita et nos tentandos accepit sceleratus, ut cribret sicut triticum et superseminet zizania. Sed vana est istiusmodi molitio ; non enim eadem, quæ olim, est potentia. Nam ex quo

Τούτων τοίνυν ἀπανθρώπως τιμωρουμένων, αἰκισμοῖς δὲ βαρυτάτοις ἀλγυνομένων, ὁ μακάριος καὶ εὐσεβὴς Ἀρτέμιος, ὡς προδεδήλωται, δοὺξ καὶ αὐγουστάλιος ὑπὸ Κωνσταντίου τῆς Αἰγύπτου πάσης κατασταθεὶς, καὶ διὰ τὴν ὀρθὴν αὐτοῦ καὶ ἀμίμητον πρᾶξιν ἐπιτροπὴν ἔσχε καὶ F
τῶν τῆς Συρίας ἐπιμελεῖσθαι πραγμάτων· ὡς ὑπάρχων οὖν καθοσιωμένος τῇ τῶν Ῥωμαίων βασιλείᾳ, καὶ ἀκούσας ὅτι Ἰουλιανὸς βεβασίλευκε, καὶ πρὸς τὸν Περσικὸν κατεπείγεται πόλεμον, γράμματά τε δεξάμενος τὰ παρακελευόμενα μετὰ παντὸς τοῦ στρατεύματος εἰς Ἀντιόχειαν ἥκειν, κατὰ τὸ κελευσθὲν αὐτῷ παραγένετο Ἀντιοχείᾳ, καὶ μετὰ τῆς προσηκούσης αὐτῷ τιμῆς τε καὶ δορυφορίας παρειστήκει τῷ βασιλεῖ ἐπὶ τοῦ βήματος, ὅτε τὴν τῶν ἁγίων μαρτύρων ὁ παράνομος ἐποιεῖτο ἐξέτασιν· καὶ φησὶν πρὸς αὐτόν· ὦ βασιλεῦ, διὰ τί οὕτως ἀπανθρώπως ἄνδρας ἁγίους καὶ τῷ Θεῷ ἀφιερωμένους αἰκίζῃ, καὶ ἀναγκάζεις ἐξάρνους γινέσθαι τῆς ἑαυτῶν πίστεως; γίνωσκε τοίνυν ὅτι καὶ αὐτὸς ἀνθρώπος εἶ ὡμοιοπαθὴς, καὶ τῆς αὐτῆς φύσεως τῶν παθημάτων μετεσχηκώς· καὶ εἰ Θεός σε βασιλέα κατέστησεν, εἰ ἄρα γε ἐκ Θεοῦ τὸ βασίλειον ἔχεις, καὶ μὴ ὁ ἀρχέκακος καὶ πονηρὸς διάβολος, ὥσπερ τὸν Ἰὼβ ἐξῃτήσατο καὶ ἔλαβεν, οὕτως καὶ σὲ καθ' ἡμῶν ἐξαιτησάμενος εἴληφεν ὁ παμπόνηρος, ἵνα σινιάσῃ τὸν τοῦ Χριστοῦ σῖτον, καὶ ἐπισπείρῃ ζιζάνια· ἀλλ' εἰς μάτην αὐτοῦ τὸ ἐγχείρημα· οὐκέτι γὰρ αὐτῷ ἰσχὺς ὡς καὶ πρότερον· ἀφ' οὗ γὰρ ἦλθε Χριστὸς καὶ τατεπάγη σταυρὸς καὶ ὑψώθη

(1) Cluver. Geogr., t. I. p. 830. Edit. Lips. 1773. — (2) Edit. Valesii Catabrig., p. 512. — (3) Ang. Mai Script. vot. Collect. t. VIII, p. 403. —(4) Just. oper p. 12. Edit. Sylbargii 1593.—(5) Ceillier. Aut. ecclés. t. I, p. 528. — (6) De l'usage de la crit. t. II, p. 181. — (7) Raccolta di dissert., di Stor. eccles., t. II, p. 186. — (8) P. 35. Edit. Genev. 1720. — (9) Huet. Dem. Euang., p. 51. Edit. Paris 1690. — (10) Act. erud. Lips. an. 1685, p. 204.— (11) P. 126. Edit. Amstelod. 1707. — (10) P. 28. Ibid.— (13) P. 277. Edit. Franeq. 1696.

AUCTORE JOANNE MONACHO

Χριςὸς ἐν αὐτῷ, πέπτωκεν ἡ τῶν δαιμόνων ὀφρὺς, καὶ καταπεπάτηται ἡ τούτων ἰσχὺς, καὶ καταπεφρόνηται τὰ τούτων τεχνάσματα· μὴ οὖν ἀπατῶ, βασιλεῦ, μὴ δὲ τοῖς δαίμοσι χαριζόμενος, τὸ τῶν χριςιανῶν θεοφρούρητον δίωκε γένος· γίνωσκε τοίνυν, ὡς ἡ τοῦ Χριςοῦ ἀνίκητος καὶ ἀήττητος ὑπάρχει ἰσχὺς τε καὶ δύναμις· πάντως δὲ καὶ αὐτὸς τοῦτο πεπληροφόρησαι, ἐξ ὧν σοι χρησμῶν Ὀριβάσιος ὁ ἰατρὸς καὶ κοιαίστωρ παρὰ τοῦ ἐν Δελφοῖς Ἀπόλλωνος κεκόμικεν· ἐγὼ δὲ σοι καὶ τὸν χρησμὸν, κἂν μὴ βούλῃ, ἐπαναγνώσομαι· ἔχει γὰρ οὕτως·

εἴπατε τῷ βασιλεῖ, χαμαὶ πέσε δαίδαλος αὐλά·
οὐκέτι φοῖβος ἔχει καλύβαν, οὐ μάντιδα δάφνην,
οὐ παγὰν λαλεοῦσαν, ἀπέσβετο καὶ λάλον ὕδωρ.

36 Ταῦτα ἀκούσας ὁ Ἰουλιανὸς παρὰ τοῦ μαρτύρος, ἔκθαμβος ὅλως ἐγένετο, καὶ τὸν θυμὸν μᾶλλον ἐγείρας ὡσεῖ φλόγα πυρὸς ἀναρριπιζομένης καὶ κάτωθεν ὕλης τινὸς ὑποστρεφούσης αὐτὴν, μέγα τε καὶ διαπρύσιον ἀνεβόησεν· τίς πόθεν οὗτος ὁ ἀλιτήριος, ὁ τοσαύτην ἡμῖν ἐπὶ τοῦ βήματος καταβομβήσας δημηγορίαν; ἡ τάξις ἔφη· ὁ δοὺξ ἐστὶν Ἀλεξανδρείας, ὦ δέσποτα· καὶ ὁ βασιλεύς· Ἀρτέμιος, εἶπεν, ὁ ἀλιτήριος ὁ τῷ ἐμῷ ἀδελφῷ θάνατον πικρὸν κερασάμενος; ναί φησὶ, κράτιστε βασιλέων, αὐτός ἐστι· καὶ Ἰουλιανός· χάριν ἐποφείλω τοῖς B ἀθανάτοις θεοῖς καὶ τῷ δαφναίῳ Ἀπόλλωνι, ὅτι μοι τὸν ἀλάστορα αὐτόμολον καὶ αὐτεπάγγελτον ἐφανέρωσαν· καὶ φησίν· ἀποζωσθήτω τοῦ ἀξιώματος ὁ παμμίαρος, καὶ τὴν ζώνην ἀφαιρεθήτω, δίκην τῶν ἀρτίως αὐτῷ τολμηθέντων· ὑπὲρ δὲ τῆς σφαγῆς τοῦ ἐμοῦ ἀδελφοῦ καὶ τοῦ αἵματος, αὔριον αὐτῷ θεῶν βουλομένων προσοίσω τὴν δίκην· οὐ γὰρ ἑνὶ γε αὐτὸν ἐξαναλώσω θανάτῳ, ἀλλὰ μυρίοις καὶ ὅσοις οἱ ἀνδροφόνοι ὑπόχρεοι καθεστήκασιν· οὐ γὰρ κοινοῦ γε ἀνδρὸς, ἀλλὰ βασιλέως αἷμα ἐξέχεεν, καὶ ταῦτα μηδὲν πρὸς αὐτὸν πεπονθὼς ἄδικον.

37 Ταῦτα δὲ τοῦ βασιλέως Ἰουλιανοῦ δημηγορήσαντος, ἀνάρπαστος ὑπὸ τῶν δορυφόρων ὁ ἅγιος γίνεται, καὶ τῆς ζώνης μετὰ ἀξιώματος ἀφαιρεθεὶς, γυμνὸς ἐπὶ τοῦ βήματος ἵστατο καὶ των δημίων ταῖς χερσὶ παρεδίδοτο· οἱ δὲ σχοίνους τῶν χειρῶν αὐτοῦ καὶ ποδῶν ἐξαψάμενοι, διατείνουσιν ἐκ τεσσάρων, καὶ τήν τε γαστέρα καὶ τὸν νῶτον τοῦ μάρτυρος τοῖς βουνεύροις ἔτυπτον ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε ἀλλάξαι αὐτὸν ζυγὰς τέσσαρας· καὶ ἦν ἰδεῖν ξένην τινὰ καὶ οὐκ ἀνθρωπίνην ὑπομονὴν· οὐ γὰρ στεναγμὸς, οὐ φωνὴ, οὐ σκυλμὸς, οὐκ ἄλλο τί τῶν ὅσα πάσχουσι ἄνθρωποι βασάνοις ἐξεταζόμενοι, παρ' αὐτοῦ ἀνεπέμπετο· ἀλλ' ἄτρεπτός τις καὶ ἀναλλοίωτος τῷ προσώπῳ κατεφαίνετο· ἡ γὴ δὲ τοῦ αἵματος πεπλήρωτο, καὶ ὁ μάρτυς C ὡς ἄλλου πάσχοντος ἐγνωρίζετο· ὥστε θαυμάσαι πάντας τοὺς παρεστῶτας· καὶ αὐτὸν τὸν ἀλάστορα Ἰουλιανὸν ἐκπλαγῆναι ἐπὶ τῷ ξένῳ θεάματι· καὶ κελεύει αὐτὸν ἀνεθέντα ἐπὶ τὴν φυλακὴν ἀπαχθῆναι μετὰ τῶν λοιπῶν ἅγιων, σκεψόμενος πῶς καὶ τίνι τρόπῳ καὶ ποίῳ θανάτῳ τῆς παρούσης ζωῆς ἐξαφανίσει τοὺς μάρτυρας.

38 Οἱ μὲν οὖν τοῦ Χριςοῦ μάρτυρες ἐπὶ τὴν φυλακὴν ἀπαγόμενοι ἔψαλλον· ἐδοκίμασας ὁ Θεὸς, ἐπύρωσας ἡμᾶς, ὡς πυροῦται τὸ ἀργύριον· εἰσήγαγες ἡμας εἰς τὴν παγίδα, ἔθου θλίψεις ἐπὶ τὸν νῶτον ἡμῶν, ἐπεβίβασας ἀνθρώπους ἐπὶ κεφαλὰς ἡμῶν· λείπει οὖν τὸ διελθεῖν ἡμᾶς διά πυρὸς τε καὶ ὕδατος, ὅμως εἰς ἀναψυχὴν ἀγάγῃς ἡμᾶς· καὶ τῆς εὐχῆς πληρωθείσης, ἔλεγε πρὸς ἑαυτὸν ὁ μέγας Ἀρτέμιος· ἰδοὺ γὰρ τὰ στίγματα τοῦ Χριςοῦ ἐν τῷ σώματι σου κεχάρακται· λείπει οὖν ἵνα καὶ αὐτὴν τὴν ψυχὴν προσαποδῷς μετὰ τοῦ ἐπιλοίπου σου αἵματος· καὶ τὸ προφητικὸν ἐκεῖνο λόγιον ἐνθυμούμενος ἔλεγεν· ἰδοὺ δέδωκα τὸν νῶτον μου εἰς μάστιγας καὶ τὰς σιαγόνας μου εἰς ῥαπίσματα· ἀλλὰ τι περισσότερον τοῦ ἐμοῦ δεσπότου ὑπήνεγκας ὁ ἀνάξιος; κἀκεῖνος κατεξάνθη ταῖς μάστιξι· κἀκείνου τὸ πρόσωπον ῥαπίσματα κατεδέξατο καὶ κολαφίσματα, καὶ πυγμὰς ὑπέστη δι' ὅλου τοῦ σώματος, ἀκάνθινον ἐφόρεσε στέφανον, καὶ τὰς χεῖρας ὀπίσω δεθεὶς,

venit Christus et in cruce erecta Christus exaltatus B est, depressum est dæmonum supercilium, conculcata eorum potentia, spreta machinamenta. Ne igitur fallaris, imperator, et dæmonibus gratificans ne persequaris christianum populum, quem Deus custodit : disce itaque Christi virtutem et potentiam esse invictam atque insuperabilem : quam cæterum omni ex parte perspectam habuisti, vel ex oraculis, quæ ab Appoline Delphico a te attulit Oribasius, medicus et quæstor *b*. Ego vero ea, te etiam invito, recitabo, quæ sic habent : b

Dicite vos regi : pulcherrima corruit aula;
Non domus est Phœbo, non laurus vatibus apta,
Fatidicusve latex, aut præscia fluminis unda.

36 Hæc audiens Julianus stupore correptus est *quapropter ab imperatore* et ira, sicut flammam ignis, quando nova materia subjicitur, excitat, erumpente, magna et horribili voce exclamavit : Quis et unde est scelestus ille, qui nobis, pro tribunali sedentibus, tam temerariam denuntiationem alta et sonora voce protulit Milites responderunt : Dux est Alexandriæ, imperator. Imperator, Artemius, inquit, scelestus ille, injustæ neci fratris mei implicatus? Ille est, responderunt milites, imperator optime. Gratias debeo diis immortalibus et præsertim Apollini E Delphico, quod sceleratum istum, sponte sua et confessione se manifestantem mihi ostenderint : spolietur execrabilis dignitate sua, exuaturque cingulo et det pœnas omnium, quæ hactenus ausus est committere. Pro cæde et sanguine fratris mei cras, si dii voluerint, sententiam proferam : non una enim morte, sed millibus, quotquot homicidis infligi possunt, consumam. Etenim non vulgaris cujusdam hominis, sed sanguinem fudit principis, a quo nihil iniqui passus fuerat.

37 Quum hæc imperator Julianus pronuntiasset, *in carcerem* in sanctum manus injiciunt satellites, cingulum *c* *conjicitur.* c et ornementa dignitatis detrahunt, et spoliatum pro tribunali statuunt tradendum lictoribus. Post funibus manus pedesque constringunt et a quatuor partibus distrahunt, ventrem quoque et tergum tam crudeliter dilaniant boum nervis, ut carnifices *d* quater *e* alternare debuerint. Tunc videre d e erat miram quamdam et humana patientia superiorem constantiam : non enim gemitus, non vox, singultus, aut aliud quid audiebatur, ut solent audiri ab hominibus, qui crudelia patiuntur; sed vultu immoto et constanti cernebatur. Terra interim sanguine opplebatur et quasi alius quispiam F pateretur, serenus apparebat Martyr, ita ut mirarentur circumstantes et ipse scelestus Julianus prodigio consternaretur. Jubet igitur relaxari Sanctum et duci in custodiam cum reliquis Martyribus, consideraturus quomodo et quo mortis genere illos interficeret.

38 Dum autem Christi Martyres in carcerem *sociosque ad martyrium hortatur;* deducebantur, psallebant : Probasti nos, Deus, et igne examinasti, sicut examinatur argentum : induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra : restat igitur ut, postquam transiverimus per ignem et aquam, educas nos in refrigerium *. * Ps. LXV. 10. Completa oratione, dicebat sibi magnus Artemius : Ecce stigmata Christi impressa sunt in corpore tuo; restat igitur, ut animam quoque cum reliquo sanguine tuo profundas. Et plenus spiritu dicebat propheticum illud verbum *f* : Ecce dedi dorsum f meum in flagella, et genas meas ad alapas. Sed quid amplius pateris, homuncio, quam quæ Dominus meus? Ipse enim contritus fuit verberibus, ipsius facies alapis et colaphis fœdata fuit, et in toto corpore ictus sustinuit, spineam portavit coronam,

A ronam, manusque a tergo revinctus, nudus in crucem actus fuit propter peccatum et prævaricationem meam ille, qui peccatum non cognovit et in cujus ore dolus inventus non fuit. Magnæ igitur sunt Domini mei passiones, et miser multum disto a tanta longanimitate et patientia. Gratias igitur ago et exsulto, confortatus Domini mei passionibus: demulcet enim dolorem imitatio patientis: cruciatus allevatur, quando eumdem cum optimatibus participamus, jam filius Dei per Christum, in baptismate et donatione Spiritus sancti factus, adhuc magis fiam in resurrectione mortuorum. Gratias tibi ago, Domine, quod passionibus tuis me coronasti; sed, benigne et misericors Domine, servorum tuorum providus gubernator, perfice cursum meum in tui nominis confessione et hujus gloriæ ne me propter peccata, in vita mea commissa, indignum judices, ego enim, Domine, me totum projicio in manus misericordiæ tuæ.

hi in Arabiam releguntur: 39 Postquam hæc secreto precatus fuisset, properavit ad carcerem cum sanctis Martyribus, Eugenio et Macario, et traditus est custodi carceris. Christi autem Martyr cum Sanctis suis commilitonibus Eugenio et Macario glorificabat et lauda- B bat Deum. Mane facto, jubet impius Martyres reduci ad tribunal, nullaque interrogatione illos dignatus, jubet magnum Artemium separari a sociis, in quos pœnam exsilii pronuntiat, mittendos in Oasim Arabiæ. Hujus vero nominis bina sunt loca; scilicet Oasis Parva et Magna: ambo pestifera et ventis pestiferis pervia, quoniam nullus illuc adveniens vix uno anno perstare potest, quin, gravibus morbis correptus, moriatur. Istuc itaque relegatos Eugenium et Macarium, jussit decollari. Obierunt quadraginta post dies, vigesima Decembris *h*. In loco porro illorum passionis magnum prodigium accidit: etenim loco aquam nullam habente, fons scaturiit, omnem languorem tollens, qui nomen a Sanctis sortitus est.

h

Artemius vero ... Geat. 40 Imperator autem sancto Artemio accersito dixit: Procacitate tua me coegisti probro afficere familiam tuam, dignitati tuæ ignominiam inurere, pœnisque corporalibus in te sævire. Mihi igitur crede, Artemi, et veni diisque sacrifica, præsertim Apollini Delphico, deo meo amantissimo et C sanctissimo, et ecce condonabo tibi causam in sanguine fratris mei, restituamque majorem et gloriosiorem dignitatem, præfectum enim prætorii et pontificem deorum te constituam, patremque te meum appellabo, erisque secundus in imperio, mecum futurus omnibus diebus vitæ nostræ. Novisti enim, Artemi, quia frater meus injuste a Constantio occisus fuit, nempe invidia circumventus, et machinamentis nequissimi eunuchi Eusebii, perperam præpositi dignitatem adepti, qui tamen vir facinorosissimus non sat pœnarum luit.

cæsaris accusatus, 41 Ad genus autem nostrum magis pertinebat imperium: nam pater meus Constantius natus est Constanti, avo meo, ex Theodora, Maximiani filia, Constantinus vero ex Helena, infimæ notæ muliere et vix non scorto, et tunc quidem quando nondum cæsar factus, privatus agebat. Constantinus itaque consiliorum suorum audacia imperium usurpavit, atque patrem meum ejusque duos fratres injustæ neci tradidit. Nunc vero Constantini filius, Constantius, patrem imitatus, fratrem meum interfecit, licet sanctissimis juramentis vitam ei promisisset: in nos quoque idem meditabatur, nisi dii

γυμνὸς ἐπὶ τὸν σταυρὸν προσεπάγη διὰ τὴν ἐμὴν ἁμαρτίαν τε καὶ παράβασιν, ὁ μὴ γνοὺς ἁμαρτίαν μηδὲ δόλον ἐν στόματι ἐργασάμενος· πολλὰ τοιγαροῦν τὰ τοῦ ἐμοῦ δεσπότου παθήματα, μακρὰν εἰμὶ τῆς ἐκείνου μακροθυμίας καὶ ἀνοχῆς ὁ ταλαίπωρος· χαίρω τοίνυν καὶ ἀγαλλιῶ τοῖς τοῦ δεσπότου μου παθήμασι λαμπρυνόμενος· κουφίζει μου τὸν πόνον ἡ μίμησις τοῦ πάθους, ἐλαφρύνει μου τὴν ἀλγηδόνα ἡ ὁμοτιμία τῶν κρειττόνων· κἀγὼ γὰρ δι' αὐτὸν υἱὸς Θεοῦ ἐγενόμην διὰ τοῦ βαπτίσματος καὶ τῆς δωρεᾶς τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ ἔτι μᾶλλον γενήσομαι διὰ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως· εὐχαριστῶ σοι, δέσποτα, ὅτι τοῖς σοῖς με πάθεσιν ἐστεφάνωσας· ἀλλὰ φιλάνθρωπε καὶ φιλοικτίρμων καὶ τῶν σῶν δούλων προνοητὰ, τελείωσον μου τὸν δρόμον ἐν τῇ ὁμολογίᾳ σου, καὶ μὴ με ἀνάξιον κρίνῃς τοῦδε τοῦ ἐγχειρήματος, διὰ τὰς ἐν τῷδε τῷ βίῳ προσγενομένας μοι ἁμαρτίας· ἐγὼ γὰρ, δέσποτα, εἰς τοὺς σοὺς ἐμαυτὸν ἀπέρριψα οἰκτιρμούς.

39 Καὶ ταῦτα πρὸς ἑαυτὸν εὐξάμενος, ἔφθασεν ἐν τῇ φυλακῇ μετὰ τῶν ἁγίων μαρτύρων Εὐγενίου καὶ Μακαρίου, καὶ παρεδόθησαν τῷ δεσμοφύλακι· καὶ ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς μετὰ τῶν ἁγίων ἀθλοφόρων Εὐγενίου καὶ Μακαρίου, δοξολογῶν καὶ εὐχαριστῶν τῷ Θεῷ. Πρωΐας δὲ γενομένης, κελεύει πάλιν ὁ παραβάτης τοὺς μάρτυρας E στῆναι ἐπὶ τὸ δικαστήριον, καὶ μηδὲ μιᾶς καταξιώσας αὐτοὺς ἐρωτήσεως, ἢ μόνον τὸν μέγαν Ἀρτέμιον διαχωρισθῆναι τῆς αὐτῶν συζυγίας παρακελευσάμενος, ἐξορίαν κατ' αὐτῶν ψηφίζεται, καὶ πέμπει αὐτοὺς ἐν Ὀάσει τῆς Ἀραβίας· δύο δὲ εἰσὶ χωρία οὕτω καλούμενα, Ὄασις μικρὰ καὶ μεγάλη· φθοροποιὰ δὲ τὰ χωρία, καὶ ὑπὸ φθοροποιῶν ἀέρων καταπνεόμενα, καὶ οὐδεὶς τῶν ἐκεῖσε ἀπερχομένων, ἐνιαυτὸν ἕνα καὶ μόνον διήρκησεν, ἀλλ' αὐτόθι ὑπὸ χαλεπῶν ἁλισκόμενοι νοσημάτων ἐναποθνήσκουσιν· ἐκεῖ τοίνυν τοὺς ἁγίους περιορίσας Εὐγένιον καὶ Μακάριον, ἐν αὐτῇ τὰς κεφαλὰς τῶν ἁγίων ἀποτμηθῆναι ἐκέλευσεν· οἳ καὶ ἐτελειώθησαν μετὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας, τῇ εἰκάδι τοῦ δεκεμβρίου μηνός. Ἐν δὲ τῷ τόπῳ τῆς αὐτῶν τελειώσεως, θαῦμα γέγονε μέγα· μὴ ἔχοντος γὰρ τοῦ τόπου ὕδωρ τὸ σύνολον, πηγὴ ἀνέβλυσεν ὕδατος, πᾶσαν ἀποδιώκουσα νόσον, ἣ καὶ μέχρι τῆς σήμερον μένει, τῶν ἁγίων σώζουσα τὴν ἐπωνυμίαν.

40 Τὸν δὲ ἅγιον Ἀρτέμιον προσκαλεσάμενος ἔφη πρὸς αὐτόν· διὰ τὴν προπέτειαν σου κατηνάγκασας με ἀτιμάσαι τὸ γένος σου, καὶ τὴν προσοῦσαν σοι περιφάνειαν ἐνυβρίσαι, καὶ αὐτῶν ἐράψασθαι τῶν σαρκῶν σου· πείσθητι οὖν μοι, Ἀρτέμιε, καὶ προσελθὼν θῦσον τοῖς θεοῖς, μάλιστα τῷ δαφναίῳ Ἀπόλλωνι τῷ ἐμοὶ τριποθήτῳ καὶ παναγάστῳ Θεῷ, καὶ τῆς αἰτίας τοῦ αἵματος τοῦ ἐμοῦ ἀδελφοῦ ἀπολύω σε, τήν τε ἀξίαν μείζονα καὶ ἐνδοξοτέραν F ἐπαναθήσω σοι· ἔπαρχον γὰρ πραιτωρίων σε καταστήσας καὶ ἀρχιερέα τῶν μεγάλων θεῶν, πατέρα ἐμὸν ονομάσω, καὶ τῆς ἐμῆς βασιλείας τὰ δεύτερα φέροντα, καὶ ἔσῃ μεθ' ἡμῶν πάντα τὸν χρόνον τῆς ἡμετέρας ζωῆς τε καὶ διαγωγῆς· οἶδας γὰρ καὶ αὐτὸς, ὦ Ἀρτέμιε, ὡς ὁ ἐμὸς ἀδελφὸς μάτην παρὰ Κωνσταντίου πεφόνευται, καὶ ὡς φθόνος αὐτὸν κατειργάσατο, καὶ ὁ πάντων ἀνθρώπων ἀνοσιώτατος ὁ εὐνοῦχος Εὐσέβιος, ὁ τὴν τοῦ πραιποσίτου ἀξίαν κακῶς ἐνδυσάμενος, κἂν οὐκ ἀρκοῦσαν δέδωκε τὴν δίκην τοῦ ἀνοσιουργήματος ὁ παμπόνηρος.

41 Καὶ ὅτι τῆς ἡμετέρας γενεᾶς ἐστὶ μᾶλλον ἡ βασιλεία ἁρμόδιος· ὁ γὰρ ἐμὸς πατὴρ Κωνστάντιος ἐκ τῆς Μαξιμιανοῦ θυγατρὸς Θεοδώρας γεγένηται τῷ ἐμῷ πάππῳ Κώνσταντι· ὁ δὲ Κωνσταντῖνος ἐξ Ἑλένης αὐτῷ γέγονε φαύλης τινὸς γυναικὸς καὶ τῶν χαμαιτύπων οὐδὲν διαφερούσης· καὶ ταῦτα μήπω γεγονότι καίσαρι, ἀλλ' ἐν ἰδιώτου τυγχάνοντι σχήματι· ὁ τοίνυν Κωνσταντῖνος θρασύτητι γνώμης τὴν βασιλείαν ἀφήρπασε, καὶ τὸν ἐμὸν πατέρα καὶ τοὺς τούτου ἀδελφοὺς ἀμφοτέρους ἀδίκως ἀπέκτεινε· καὶ ὁ τούτου υἱὸς Κωνστάντιος τὸν αὐτοῦ πατέρα μιμησάμενος τὸν ἐμὸν ἀδελφὸν πεφόνευκε, καὶ ταῦτα ὅρκοις πρὸς αὐτὸν φρικωδεστάτοις χρησάμενον· ἡμᾶς τε

αὐτοὺς

[AUCTORE JOANNE MONACHO.]

αὐτοὺς, εἰ μὴ θεῶν προνοίᾳ περιεσώθημεν, τὸ αὐτὸ ἠβούλετο δρᾶσαι· ἀλλ' οἱ θεοὶ διεκώλυσαν. αὐτοφυεὶ μοι τὴν σωτηρίαν μηνυσαντες, εἰς οὓς ἐγὼ τεθαῤῥηκὼς τὸν χριστιανισμὸν ἐξωμοσάμην, καὶ πρὸς τὸν ἕλληνα βίον ἀπέκλινα· εὖ εἰδὼς, ὡς ὁ τῶν ἑλλήνων καὶ ῥωμαίων ἀρχαιότατος βίος καλοῖς ἔθεσι καὶ νόμοις χρησάμενος, θεοὺς προσαγορεύει τοὺς τὸ πιστὸν ἐκ τῶν πραγμάτων ἔχοντας.

42 Τίς γὰρ τὴν γνώμην ἀμφίβολος, ἥλιον βλέπων ἐν οὐρανῷ διϊππεύοντα καὶ σελήνην ἐφ' ἅρματος χρυσαντύγου ταυροπολοῦσαν; ὁ μὲν γὰρ τὴν ἡμέραν φαεινὴν ἀπεργάζεται, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἐπ' ἔργον ἐγείρει· ἡ δὲ τὴν νύκτα λαμπαδουχεῖ, καὶ τοὺς ἀστέρας καταφαιδρύνει, καὶ ταῖς ἀγρύπνοις φωτοβολίαις ὕπνουν τοὺς ἀνθρώπους παρακελεύεται· ταῦτα θεολογοῦσιν ἕλληνες καὶ ῥωμαῖοι, Ἀρτέμιε, καὶ οὐκ ἀδίκως ἀλλὰ πρεπόντως καὶ μετὰ δικαίου τοῦ κρίματος· τί γὰρ ἡλίου τηλαυγέστερον; ἢ τί σελήνης αὐγοειδέστερον; ἢ τί τοῦ χοροῦ τῶν ἀστέρων ἡδύτερον τε καὶ εὐπρεπέστερον; ταῦτα τοίνυν ἕλληνες καὶ ῥωμαῖοι θειάζουσιν τε καὶ σέβουσιν, καὶ πρὸς αὐτὰ τὰς ἑαυτῶν ἐλπίδας ἐναπεκρέμασαν· καὶ τὸν μὲν ἥλιον Ἀπόλλωνα προσαγορεύουσιν, τὴν δὲ σελήνην Ἄρτεμιν, καὶ τοὺς μεγίστους τῶν ἀστέρων οὓς προσαγορεύουσιν πλανήτας τοὺς τὰ ἑπτὰ ζώνας τὰς οὐρανίους ἐπέχοντας, ὃν μὲν Κρόνον, ὃν δὲ Δία, ὃν δὲ Ἑρμῆν, ὃν δὲ Ἄρεα, B ὃν δὲ Ἀφροδίτην κατονομάζουσιν· οὗτοι γὰρ τὸν τε κόσμον ἅπαντα διοικοῦσι, καὶ ταῖς αὐτῶν δυνάμεσι πᾶσα ἡ ὑπ' οὐρανὸν διεξάγεται· τούτων τοίνυν εἰκόνας στήσαντες, σέβουσιν ἄνθρωποι καὶ τιμῶσιν· ἅμα δὲ καὶ μύθους τινὰς πρὸς ἡδονὴν ἀναπλάσαντες, οὐχ ὡς θεοὺς δὲ τιμῶσι τὰς εἰκόνας αὐτῶν, ἄπαγε· τοῦτο γὰρ τὸ ἁπλούστερον καὶ ἀγροικικὸν τῶν ἀνθρώπων διαλαμβάνεται γένος· ἐπεὶ οἱ τὴν φιλοσοφίαν ἀσπαζόμενοι, καὶ τὰ τῶν θεῶν ἀκριβῶς ἐξετάζοντες, οἴδασι τίνι τὴν τιμὴν ἀπονέμουσι, καὶ πρός τινα διαβαίνει ἡ τῶν θείων ἀγαλμάτων προσκύνησις.

43 Παραινῶ τοίνυν τὴν σὴν γενναιοτήτα μεθ' ἡμῶν τε εἶναι καὶ τὰ ἡμῖν ἀρέσκοντα διαπράττεσθαι, τήν τε θρησκείαν ἑλληνίζειν ὀρθῶς, καὶ τῶν ἀρχαίων ἐθῶν τε καὶ πραγμάτων ἀντέχεσθαι· ὁ γὰρ Κωνσταντῖνος, ὡς καὶ αὐτὸς ἐπίστασαι, εὐεξαπάτητος ἀνδρῶν ἀμαθής τε καὶ ἀνόητος εὑρεθεὶς, περὶ τὴν θρησκείαν ἐνεωτέρισεν, καὶ τοὺς ῥωμαίων νόμους ἐξαθετήσας, ἐπὶ τὸν χριστιανισμὸν ἐξέκλινε, τὰς ἀνοσίους αὐτοῦ πράξεις δεδιττόμενος, καὶ ὅτι οἱ θεοὶ αὐτὸν ἀπεβουκόλησαν ὡς ἐξαγίστον, καὶ τῆς αὐτῶν θρησκείας ἀνάξιον, αἵματος ὁμογνίου γενόμενον ἔμπλεον· τούς τε γὰρ ἀδελφοὺς ἀπέκτεινε μηδὲν πράξαντας ἄτοπον, καὶ τὴν γυναῖκα Φαῦσταν, καὶ τὸν αὐτοῦ υἱὸν Πρίσκον τὸν χρηστόν τε καὶ ἀγαθὸν ἄνδρα τυγχάνοντα· ταῦτα τοίνυν ἀνοσιουργήματα μυσαχθέντες οἱ C θεοὶ, τοῦτον ἀπεβουκόλησαν, καὶ τῆς ἱερᾶς αὐτῶν καὶ παναγεστάτης θρησκείας πόῤῥω που καὶ μακρὰν ἀπεπλάνησαν, καὶ σπέρμα τὸ ἐναγὲς αὐτοῦ καὶ παμμίαρον καὶ γένος ὅλον ἐξ ἀνθρώπων ἠφάνισαν· διὰ τοῦτο, θαυμάσιε, ὁρῶν σου τὸ κατὰ πάντα εὐσταθές τε καὶ βέβαιον, βούλομαι σε τῆς ἡμετέρας μερίδος καὶ ἑταιρίας γενέσθαι φίλον καὶ σύγκληρον, καὶ κοινωνὸν κατὰ πάντα τῶν τῆς βασιλείας πραγμάτων· δεῦρο τοίνυν, Ἀρτέμιε, στῆθι μεθ' ἡμῶν τῶν ἀνθρώπων, καὶ τοῦ Χριστοῦ ἔξαρνος γενόμενος, ἐπὶ τὴν πάτριον καὶ ἀρχαιοτάτην καὶ πολυχρόνιον ῥωμαίων τε καὶ ἑλλήνων θρησκείαν μετάβηθι, καὶ τῶν παρὰ θεῶν δεδωρημένων ἡμῖν ἀγαθῶν συναπόλαυε, τιμῶν μεγίστων τε καὶ ἀξιωμάτων ἐν μετοχῇ γεγονώς.

44 Πρὸς ταῦτα ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς μικρὸν ἐπισχὼν καὶ ἐπιλογισάμενος, καὶ ὅλον ἐπισυνάξας τὸν ἑαυτοῦ νοῦν τε καὶ λογισμὸν, ἀπεκρίνατο· ἐγὼ μὲν, ὦ βασιλεῦ, περὶ τῆς ἡμῆς θρησκείας καὶ πίστεως οὐδεμίαν τινὰ σοι ἀπολογίαν ποιήσομαι τὸ παρὸν, ἔχων ἐν ἑτοίμῳ (*Cod.* τιμῇ) τὰς ὑπὲρ αὐτῆς ἀποδείξεις· πρὸς δὲ τὸν τοῦ σοῦ ἀδελφοῦ θάνατον, ἐκεῖνο σοι ἀπολογήσομαι, ὡς οὐ μὴ φανήσομαι τὴν ἐκείνου ψυχὴν ἠδικηκὼς πώποτε, οὐκ ἔργῳ, οὐ λόγῳ, οὔτε τινὶ διανοίας ἐπινοήματι· οὐδ' εἰ μυρία κάμοις περὶ τούτου ἀνερευνῶν· ἡ ἀλήθεια γὰρ ἀμετάβλητος· ἠπιστάμην γὰρ αὐτὸν χριστιανόν τε ὄντα, θεοφιλῆ τε καὶ δίκαιον,

vitam protegissent. Sed dii prohibuerunt scelus, D manifesto signo meam mihi servantes vitam: quapropter iis fretus, Christianismum abjurari et moribus gentilium inhæsi, intime persuasus, quod Græcorum et Romanorum antiquissimi ritus, bonis moribus et legibus fundati, deos appellant illos, qui ex veritate fidem sibi faciunt.

42 Quis enim dubius hærere potest, quando videt solem in cœlo equitantem et lunam taurorum jugo in curru aureo vectam? Ille splendorem dat diei, hominesque ad laborem excitat, hæc lucem nocti aspergit, astra splendore superat, et æquabili lumine somnum hominibus conciliat. Hæc, Artemi, Græci et Romani commentantur, non stupide, sed convenienter et recto judicio. Quid enim sole splendidius aut jucundius luna? Quid amœnius et pulchrius astrorum choro? Hæc igitur Græci et Romani inter deos referunt et colunt, et in eos spes suas reponunt. Solem Apollinem, Dianam lunam appellant, et majora astra, planetæ dicta, septem * zonas cœlestes continentia, vocant Saturnum, Jovem, Mercurium, Martem, Venerem. Hæc astra orbem universum administrant, eorumque potentia regitur quidquid sub cœlo est. Statuas igitur istis diis ponunt homines, easque colunt et venerantur, E et simul ad voluptatem fabulas de iis fingunt. Non tamen ut Deos colunt statuas, absit; is error est hominum simpliciorum et agrestium: qui autem philosophiam sectati sunt et res divinas accurate scrutati, cognoscunt, cui cultum deferunt, et ad quem dirigitur divinarum imaginum adoratio.

[a Juliano ad defectionem]

[* quinque Surius.]

43 Tuam ergo exhortor nobilitatem nobiscum sentire, quæ nobis placent, perficere, rectam gentilismi religionem colere et penitus inhærere antiquorum moribus et ritibus. Constantinus enim, ut ipse scis, hominum decepto facillimus et insanissimus, primus novitatibus favit, et, antiquis legibus abrogatis, ad Christianismum declinavit, quippe quem puderet impietatis suæ, quemque dii repulerant, ut desertorem sui cultus indignum et cognatorum sanguine inquinatum. Etenim fratres suos, nihil inique operatos, occidit, quemadmodum et Faustam uxorem et filium Priscum *i*, virum frugi et bonum. Tanta scelera dii exsecrati, reprobarunt illum, et a sacratissimo suo cultu quam longissime aberrare fecerunt, insuper F et semen ejus exsecrabile omnemque posteritatem eliminarunt. Quocirca, vir admirande, quoniam tibi per omnia rectum firmumque judicium video, volo te nostræ dignitatis et amicitiæ participem fieri ac consortem et intimum esse in omnibus imperii rebus gerendis. Veni itaque, Artemi, conjungere nobis, viris sapientibus, et Christum abjurans, transi ad avitam, antiquissimam et numquam interituram Romanorum et Græcorum religionem, et fruere bonis, a diis collatis, auctus honoribus atque dignitatum nostrarum particeps.

[sollicitatur:]

44 Postquam totam hanc orationem paul.um recogitasset et considerasset Christi Martyr, et totam mentem et rationem suam recollegisset, respondit: Equidem, imperator, meæ religionis et fidei nullam hic reddam rationem, licet in promptu habeam ejus demonstrationem. Sed de fratris tui cæde respondebo, ne videar, ejus vitæ aut opere, aut verbo, immo aut cogitatione, insidiatus fuisse. Licet autem millenis artibus quæstionem hanc scruteris, immutabilis est veritas. Novi illum christianum fuisse, pium, justum, Christi leges studiose

[sed Martyr]

AUCTORE JOANNE MONACHO.

A studiose sectantem. Sciat ergo cœlum et terra, universus Angelorum sanctorum chorus et Christus, filius Dei, quam adoro in spiritu, quod mundus sum ab ejus nece et morte, nec me quidquam viris impiis, qui illam commiserunt, contulisse auxilii. Sed et tunc Constantio non aderam, præfectus administrationi Ægypti usque ad præsentem annum. Atque hæc est circa fratrem tuum mea defensio.

se ab omni crimine liberat,

45 Quoad vero attinet, ut Christum abnegem et gentilismum amplectar, respondebo tibi, verbis trium puerorum ad Nabuchodonosor utens : Notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colo, neque imaginem auream dilecti tui Apollinis adoro. Quod porro Constantinum, omnium imperatorum maximum ejusque familiam despectui habes, illum tamquam deorum inimicum, insensatum, crudelissimum et cognatorum cæde inquinatum traducens, hoc tibi respondebo, patrem tuum Constantium ejusque fratres inquitatis auctores fuisse, quum venenum mortiferum miscentes ei necem propinaverunt tunc, quando nulla injuria provocati fuerant. Uxorem suam Faustam jure occidit, utpote B quæ Phædram imitata, calumniata est filium Priscum, quasi amore ejus captum, conatumque vim ei inferre, sicut illa quondam Hippolytum, Thesei filium. Constantinus quidem juxta naturæ leges, ut pater, in filium sævit : postmodum veritatem edoctus, Faustam interfecit sententia justissima. Ad Christum autem transiit, cœlesti signo vocatus, quando difficillimum et gravissimum commisit prælium adversus Maxentium, crucis signo, media die apparente cum splendore, qui lucem solis superabat, verbisque latinis, siderea nota conscriptis, quæ victoriam in prælio præsignarent. Nos ipsi, prælio præsentes, signum vidimus, verbaque legimus, imo totus exercitus idem vidit, et multi adhuc supersunt in exercitu testes, si vis illos interrogare.

Christi fidem a ludibriis

46 Ad quid autem hæc dico ? A sæculis enim, ut optime nosti, prophetæ adventum Christi prænuntiarunt : ac multa sunt testimonia a diis vestris profecta, et oraculorum effata de Christo : adsunt libri sibyllini *k* et Virgilii carmina, quæ bucolica appellatis, quin et admirandus ille vobis C Apollo, vates divinus, qui talem de Christo protulit sermonem ; interrogatus enim a ministris suis sic respondit :

Extremum cur me vanis, miserande, lacessis
Quæsitis, quinam ille Deus, quis spiritus ille,
Instar qui botri complectitur omnia circum,
Lucem, astra et fluvios et tartara et aëra et ignem,
Invitum qui me propellit ab ædibus istis,
Sola mihi tripodum fabulæ mansere seniles :
Hec hei me, tripodes, deflete; exstinctus Apollo est.
Exstinctus : Vir me cœlestis lumine perdit.
Et passus Deus est; deitas non passa, sed ipse est.

Juliani vindicat :

47 Respondens autem Apostata : Videris, inquit, mihi, Arthemi, in Ægypto non dux fuisse, sed vates quidam, vel magis scurra et circulator circumforaneus, aniles ineptias et antiquatas fabulas divenditans. Cui Martyr : Non recte, imperator, neque ut tuam decet sapientiam ac virtutem, existimasti : ex diis enim tuis et venerandis tibi documentis profero testimonia, quatenus ex doctrinis notis assurgas ad veritatis mysterium, neque enim putes me demulceri gentilium verborum blanditiis, quoniam oleum peccatorum non impinguet caput meum, sed de tua salute spirituali

καὶ περὶ τοὺς τοῦ Χριστοῦ νόμους πρόθυμον τε καὶ σπουδαῖον ὑπάρχοντα· ἴστω τοίνυν οὐρανός τε γῆ καὶ πᾶς ὁ τῶν ἁγίων ἀγγέλων χορὸς, καὶ Χριστὸς ὁ τοῦ Θεοῦ υἱὸς, ᾧ ἐγὼ λατρεύω ἐν τῷ ἐμῷ πνεύματι, ὡς καθαρὸς ἐγὼ τῆς ἐκείνου σφαγῆς τε καὶ τελευτῆς, καὶ μηδὲν συνεισενεγκὼν εἰς τὸν ἐκείνου φόνον τὸν ἄδικον τοῖς τοῦτον κατεργασαμένοις ἀνοσίοις ἀνδράσιν· οὐδὲ γὰρ παρὼν ἤμην τότε σὺν Κωνσταντίῳ, ἀλλὰ τὴν Αἴγυπτον εἶχον οἴκησιν τε καὶ δίαιταν μέχρι τοῦ παρόντος ἐνιαυτοῦ· καὶ ταύτην μὲν ἀπολογίαν ποιοῦμαι περὶ τοῦ σοῦ ἀδελφοῦ.

45 Περὶ δὲ τοῦ τὸν Χριστὸν ἐξομώσασθαι καὶ τὸν ἑλληνικὸν ἀσπάσασθαι βίον, τοῦτο σοι ἀποκριθήσομαι, τῶν τριῶν παίδων τῶν ἐπὶ Ναβουχοδονόσορ τὴν φωνὴν δανεισάμενος, ὡς γνωστὸν ἔστω σοι, βασιλεῦ, ὅτι τοῖς θεοῖς σου οὐ λατρεύω, καὶ τῇ εἰκόνι τῇ χρυσῇ τοῦ σοῦ φιλτάτου Ἀπόλλωνος οὐ πότε προσκυνήσω. Ὅτι δὲ τὸν μακάριον Κωνσταντῖνον τὸν πάντων βασιλέων ὑπέρτερον, καὶ τὸ γένος ἐξεμυκτήρισας, ἐχθρὸν τοῖς σοῖς ἀποκαλέσας θεοῖς, καὶ μανιώδη, καὶ φόνου μεστὸν, τοῦ τε ὁμογνίου ἀνάπλεων αἵματος, ταῦτα σοι ὑπὲρ ἐκείνου ἀπολογήσομαι· ὅτι μᾶλλον ὁ σὸς πατὴρ Κωνστάντιος καὶ οἱ τούτου ἀδελφοὶ προκατῆρξαν τοῦ ἀδικήματος, φάρμακον αὐτῷ δηλητήριον κερασάμενοι, καὶ θάνατον ὀλέθριον προξενήσαντες, μηδὲν πρὸς αὐτοῦ πεπονθότες ἄδικον· ἐκεῖνος δὲ τὴν γυναῖκα Φαύσταν, καὶ πάνυ δικαίως ἀπέκτεινεν ὡς E μιμησαμένην τὴν πάλαι Φαιδρὰν, καὶ διαβαλοῦσαν τὸν τούτου υἱὸν Πρίσκον ὡς ἐρωτικῶς αὐτῇ διακείμενον καί τι πρὸς βίαν ἐπιχειροῦντα, καθάπερ κἀκείνη τὸν τοῦ Θησέως Ἱππόλυτον· καὶ δὴ κατὰ τοὺς τῆς φύσεως νόμους ὡς πατὴρ τὸν υἱὸν ἠμύνατο· ὕστερον μέν τοι μαθὼν τὴν ἀλήθειαν, καὶ αὐτὴν προσαπέκτεινε, δίκην ἐπ' αὐτῇ δικάσας πασῶν δικαιοτάτην. Ἀπέκλινε δὲ πρὸς τὸν Χριστὸν, οὐρανόθεν ἐκείνου καλέσαντος, ὅτε τὴν πρὸς Μαξέντιον δριμεῖαν τε καὶ βαρυτάτην διηγωνίσατο μάχην, δείξας αὐτῷ τὸ τοῦ σταυροῦ σημεῖον μεσούσης ἡμέρας, ὑπὲρ τὸν ἥλιον ταῖς αὐγαῖς ἐξαστράπτον, καὶ γράμμασιν ἀστροτύπως ῥωμαϊκοῖς διασημήνας αὐτοῦ τὴν τοῦ πολέμου νίκην· ἡμεῖς τε γὰρ αὐτοὶ τὸ σημεῖον ἐθεασάμεθα τῷ πολέμῳ παρόντες, καὶ τὰ γράμματα ὑπανέγνωμεν· ἀλλὰ καὶ τὸ στρατόπεδον ἅπαν τεθέατο, καὶ πολλοὶ τούτου μάρτυρες ἐν τῷ σῷ στρατοπέδῳ τυγχάνουσιν, εἴ γε ἄρα ἐρωτῆσαι θελήσειας.

46 Καὶ τι δὴ ταῦτα λέγω; τὸ Χριστὸν ἄνωθεν οἱ προφῆται προκατήγγειλαν, ὡς καὶ αὐτὸς κρεῖττον ἐπίστασαι· καὶ πολλαὶ τῆς αὐτοῦ παρουσίας αἱ μαρτυρίαι κἀκ τῶν παρ' ὑμῖν σεβομένων θεῶν, καὶ τῶν χρησμῶν αἱ προαγορεύσεις· τὰ δὲ σιβύλλεια γράμματα, καὶ ἡ τοῦ Βιργιλίου τοῦ ῥωμαίου ποίησιν, ἣν ὑμεῖς βουκολικὴν ὀνομάζετε, καὶ αὐτὸς παρ' ὑμῖν θαυμαζόμενος Ἀπόλλων ὁ F μαντικὸς τοιόνδε τινὰ περὶ Χριστοῦ ἐξεφώνησε λόγον· ἐρωτηθεὶς γὰρ παρὰ τῶν ἑαυτοῦ προπόλων ἀποκρίνεται ὧδε·

μή, ὄφελες πυματόν με καὶ ὕστατον ἐξερέεσθαι,
δύσμορ' ἐμῶν προπόλων, περὶ θεσπεσίοιο θεοῖο,
καὶ πνοιῆς τῆς πάντα πέριξ βοτρυδὸν ἐχούσης,
τείρεα, φῶς, ποταμοὺς καὶ τάρταρον ἠέρα καὶ πῦρ,
ἥ με καὶ οὐκ ἐθέλοντα δόμον ἀπὸ τῶνδε διώκει·
ἡ δὲ ἐμοὶ τριπόδων ἔτι λείπετο ἠριγένεια,
αἲ αἲ με τρίποδες στοναχήσατε. οἴχετ' Ἀπόλλων,
οἴχετ', ἐπεὶ βροτός με βιάζεται οὐράνιος φῶς·
καὶ ὁ παθὼν Θεός ἐστι, καὶ οὐ θεότης πάθεν αὐτή.

47 Ὑπολαβὼν δὲ ὁ παραβάτης ἔφη· δοκῶ σε, Ἀρτέμιε, οὐ στρατηγὸν ἐν Αἰγύπτῳ παραγένεσθαι, ἀλλὰ χρησμολόγον τινὰ, μᾶλλον δὲ βωμολόχον ἢ μὴν ἀγύρτην, καὶ γραῶν κωθωνιζομένων λογύδρια καὶ μύθους παλαιοὺς καὶ γεγηρακότας ἐπισυνάγοντα. Καὶ ὁ μάρτυς· οὐ καλῶς ὑπείληφας, ὦ βασιλεῦ, οὐδὲ τῆς σῆς σοφίας καὶ ἀρέτης ἰσοστάσια· ἐκ τῶν σῶν δὲ θεῶν καὶ τῶν σοὶ προσφιλῶν μαθημάτων ποιοῦμαι ἀποδείξεις, ἵν' ἐκ τῶν σοὶ γνωρίμων τὸ τῆς ἀληθείας μέθοις μυστήριον, καὶ μὴ με δόξῃς τοῖς τῶν ἑλλήνων ἐγκαλλωπίζεσθαι ῥήμασι· μὴ δὲ γὰρ ἔλαιον ἁμαρτολοῦ τὴν ἐμὴν λιπανάτω κεφαλὴν, ἀλλὰ τῆς σῆς κηδόμενος ψυχικῆς σωτηρίας, κινῶ πάντα λίθον, ὥστε

AUCTORE JOANNE MONACHO

πεισθῆναι σε· ὑπολαμβάνω δὲ ὅτι ὥσπερ ὁ σατανᾶς τὸν παλαιὸν Ἀδὰμ καὶ πρωτόπλαστον ἀπετύφλωσε διὰ τῆς τοῦ φυτοῦ βρώσεως, οὕτω καὶ σε, βασιλεῦ, φθονῶν τῆς σῆς σωτηρίας, τῆς τοῦ Χριςοῦ ἀπεγύμνωσε πίστεως· ὅτι δὲ τὸν ἥλιον καὶ σελήνην καὶ τοὺς ἀρτέρας θεοὺς ἀποκαλεῖς, αἰσχύνομαι τὸ τῆς ἀμαθίας, μᾶλλον δὲ κακουβουλίας ἐπάγγελμα· οὐχὶ Ἀναξαγόρας ὁ Κλαζομένιος ὁ σὸς δηλαδὴ διδάσκαλος, μύδρον ἔφη τὸν ἥλιον, καὶ τοὺς ἀστέρας κισσηροειδῆ σώματα, καὶ παντελῶς ἄψυχα καὶ ἀναίσθητα; πῶς οὖν αὐτός, βασιλέων ἄριστε καὶ φιλοσοφώτατε, τὰ ὑπὸ τῶν σῶν διδασκάλων ἀθετούμενα καὶ διαβαλλόμενα, θεοὺς προσαγορεύεις; οἶδα γὰρ ὅτι τῆς πλατωνικῆς ὑπάρχεις αἱρέσεως, καὶ Πλάτων μὲν Σωκράτους διήκουσε, Σωκράτης δὲ Ἀρχέλαου, Ἀρχέλαος δὲ καὶ Περικλῆς Ἀναξαγόρου διήκουσαν· πῶς οὖν, ὦ θαυμάσιε, ταῦτα προσαγορεύεις θεούς, ὑπὲρ δὲ πάντας ἀσπάζεις τὸ ἥλιον, καὶ ὅρκον αὐτὸν βασίλειον τίθεσαι; ἄνω τὲ καὶ κάτω κἂν ταῖς ἐπιστολαῖς, κἂν τοῖς λόγοις, κἂν ταῖς προσαγορεύσεσι πολὺ τὸ μὰ τὸν ἥλιον; ἀλλὰ τί δεῖ ταῦτα μακρηγορεῖν; οὐκ ἐξαρνοῦμαι τὸν Χριςόν μου, μὴ γένοιτο, οὐκ ἀσπάζομαι τὴν μυσαρὰν ἑλλήνων ἀσέβειαν· ἀλλὰ μενῶ ἐν οἷς ἐδιδάχθην, καὶ καρτερῶ ἐπὶ ταῖς πατρικαῖς παραδόσεσιν, ἃς οὐδεὶς καταβαλεῖ χρόνος, κἂν εἰ δι' ἄκρων τὸ σοφὸν ἐφεύρηται φρενῶν, ἵν' εἴπω τι κατ' Εὐριπίδην τὸν ὑμέτερον ποιητήν.

48 Πρὸς ταῦτα ὁ Ἰουλιανὸς εἰλιγγιάσας καὶ ἐξαπορηθείς, οὐκ εἶχεν ὅτι καὶ γένηται, τοῦ μάρτυρος θαυμάσας τὸ πολυμαθές τε καὶ εὔστομον καὶ πρὸς πᾶν οὖν ἕτοιμον καὶ εὐαπολόγητον· καὶ πρὸς αὐτὸν ὁ τοῦ Χριςοῦ μάρτυς· ἄφες, ὦ βασιλεῦ, τὴν νεκρὰν καὶ ἐξωδηκυῖαν τῶν ἑλλήνων θρησκείαν· ἤδη γὰρ καὶ πρὸς πολλοῦ σέσηπεν· καὶ πρόσελθε τῷ Χριςῷ· μακρόθυμος γὰρ ἐστὶν καὶ φιλάνθρωπος καὶ δέχεται σοῦ τὸ μεταμελές (*Cod.* πλημμελές). Ἀλλ' οὐκ ἦν ἄρα γνώμης ἐθελοκακούσης ἀντισχεῖν ὁρμαῖς, οὐδὲ ἀνακαλέσασθαι ψυχὴν αὐτομόλῳ διανοίᾳ πρὸς ἀπώλειαν ἐρχομένην καὶ ἐπισπεύδουσαν· ὁ γὰρ Ἰουλιανὸς πάλαι τὸν ἑλληνισμὸν κάτὰ ψυχὴν ὠδίνων, ἐκ τῶν ἐν Ἰωνίᾳ γενομένων αὐτῷ τὸν ἀμφὶ τὸν Μάξιμον φιλοσόφον συνουσιῶν, ἐφ' ὅσον μὲν ὁ τε ἀδελφὸς αὐτῷ περιῆν, καὶ μετ' αὐτὸν Κωνστάντιος, ὁ δὲ οὐδὲν παραγυμνοῦν ἐθάρρει, διὰ τὸ ἐξ ἐκείνων δέος· ἐπεὶ δὲ οὗτοι ἐξ ἀνθρώπων ἦσαν, αὐτὸς δὲ τῶν πραγμάτων κύριος ἦν, τότε δὲ εἰς τὸ φανερὸν ἀπαμφιασάμενος, πάσαις ἀθρόου εἰς τὸν ἑλληνισμὸν ἐξερράγη προθυμίαις.

49 Ἀπεκρίνατο τοιγαροῦν πρὸς τὸν μάρτυρα· ἐπεὶ τοὺς ἐμοὺς ἐξεφαύλισας λόγους, ὦ κακὴ κεφαλή, ἐτόλμησας δὲ καὶ πρὸς τὴν τῶν χριςιανῶν με πίστιν μεταγαγεῖν, ταῦτα σοι αντὶ τῶν δωρεῶν ὧν ὑπεσχόμην χαρίζομαι. Κελεύει οὖν ἀπογυμνοῦσθαι τὸν μάρτυρα, καὶ σούβλαις σιδηραῖς πεπυρακτωμέναις τὰς πλευρὰς αὐτοῦ διαπερονᾶσθαι, καὶ τὸν νῶτον αὐτοῦ τριβόλοις ὀξέσι κατακεντᾶσθαι καὶ διαῤῥήγνυσθαι συρόμενον ὕπτιον· τούτων δὲ μετὰ πολλοῦ τοῦ τάχους προσενεχθέντων τῷ μάρτυρι, ἡ αὐτὴ καρτερία ἦν αὐτῷ καθὼς πὲρ καὶ πρότερον, καὶ ὥσπερ ἀλλοτρίου πασχόντος σώματος αὐτὸς θεατής, ἀλλ' οὐ πάσχειν τι τῶν δεινῶν κατεφαίνετο· καὶ ἐπὶ πολλαῖς ταῖς ὥραις τοῦ ἁγίου βασανιζομένου, καὶ μὴ δὲ μίαν φωνὴν ἢ στεναγμὸν ἀφιέντος, αὐτὸς τῷ χεῖρε κροτήσας ὥσπερ ἡττήμενος ἀνέστη τοῦ βήματος, καὶ κελεύει τὸν μάρτυρα πάλιν ἐπὶ τὴν εἱρκτὴν ἀπαχθῆναι, καὶ μήτε ἄρτον μήτε ὕδωρ αὐτῷ παρασχεθῆναι, μὴ δ' ὅσα πρὸς τὸ ζῆν μεταλαμβάνουσιν ἀνθρώποι· αὐτὸς δὲ ἐπὶ τὴν Δάφνην ὥρμησε, τὸ τῆς Ἀντιοχείας κάλλιστον ἐνδίατημα.

sollicitus, omnem moveo lapidem, ut persuadearis. D
Quemadmodum autem Satan veterem Adam, primum parentem, inobedientia et comestione fructus prohibiti obcæcavit, sic credo eumdem, tuæ salutis invidum, Christi te fide spoliasse. Quod porro solem, lunam, astra deos appellas, pudet me tuæ ignorantiæ, seu magis perversitatis. Numquid Anaxagoras, Clazomenius, tuus videlicet magister, solem massam quamdam igneam, astra vero corpora pumicosa, et omnimode vita et sensibus destituta docuit? Quomodo igitur, regum optime et sapientissime, deos dicis, quæ a magistris tuis contumeliose et contemptim tractantur? Scio te Platonicæ philosophiæ sectatorem: et Plato quidem Socratis discipulus fuit, Socrates Archelai, Archelaus et Pericles Anaxagoræ. Quomodo igitur, imperator, ista deos proclamas, et præsertim solem veneraris, perque illum jusjurandum imperatorium concipis? Et quidem omni occasione, sive in epistolis, sive in colloquiis et orationibus formulam per solem repetis? Sed quid plura? Christum non renegabo, absit, neque detestabilem gentilium impietatem amplectar. Maneo in iis, quæ doctus sum et persevero in paternis traditionibus meis, quas nulla dejiciet ætas, etiamsi sublime quid E
summa detegerint ingenia, ut aliquid ex vestro poeta Euripide proferam.

48 Ad hæc verba Julianus stupefactus et incertus, quid diceret, admirabatur Martyris eruditionem et eloquentiam, atque in respondendo et defendendo facilitatem. Christi igitur Martyr: dimitte, ait imperator, emortuum et jam fœtidum gentilium cultum (jam enim diu putruit) et accede ad Christum, longanimis est enim et misericors, ac pœnitentiam tuam suscipiet. Sed nihil erat, quod retardare poterat ruentem, malo deditam, aut revocare hominem, sua sponte in perditionem currentem et ruentem. Nam Julianus, quum dudum gentilismum mente fovisset, conceptum ex suis in Ionia cum Maximo philosopho colloquiis, dissimulavit quidem ex timore quamdiu frater et post hunc Constantius superfuere: ast post illorum mortem, rerum potitus, sua consilia manifestans toto animi studio in universam gentilium religionem abreptus est.

sed imperator iratus

49 Respondit itaque Martyri: Quoniam quidem, sceleratum caput verba mea contemnis, imo me ad Christianam fidem traducere satagis, ego F
pro donis, quæ promiseram, hæc tibi gratifico. Igitur jubet Martyrem vestibus spoliari, ejus latera subulis ferreis ignitis transfigi, ejus dorsum verubus acutis perforari, et disrumpi supinum jacentem. Hisce suppliciis celeriter illatis eadem erat Martyri constantia, quæ prius, spectatorque alieni doloris magis, quam patiens aliquid grave videbatur. Multis autem horis Sancto tormenta sustinente, neque ullam vocem aut gemitum edente, signum finiendi manibus dedit, et quasi victus a tribunali surrexit, jubens Martyrem ad carcerem reduci, ubi nec panis nec aqua aut quidquam quo hominum vita sustinetur, illi propinaretur. Ipse vero in Daphnem perrexit, Antiochiæ locum jucundissimum.

Martyrem torqueri jubet.

ANNOTATA.

a *Titulum* ducis angustalis *tribuit S.* Artemio *etiam Martyrologium Romanum hodiernum. Erat porro hæc dignitas a Cæsare Augusto instituta, qui, ait Tacitus Annal., lib.* II, 59, inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus aut equitibus Romanis illustribus, seposuit Ægyptum, *quasi proprium imperatorum patrimonium : videlicet* ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam

A provinciam claustraque terræ ac maris, quamvis levi præsidio adversum ingentes exercitus, insedisset. *Quapropter Augustus* apud equestres, *inquit idem Tacitus ibid., lib.* XII, 60, qui Ægypto præsiderent, legi agi, decretaque eorum perinde haberi jusserat, ac si magistratus Romani constituissent. *Merito itaque Tacitus Hist., lib.* I, II *dicit* Ægyptum copiasque, quibus coerceretur, jam inde a D. Augusto, equites romanos obtinuisse loco regum. *Antiquam vero esse hanc Augustalis nuncupationem facit Digestum, quod eo nomine jam indicat Ægypti præfectum (ff.* I, 17). *De Augustali Ægypti præfecto agit etiam Dio, lib.* LI.

AUCTORE JOANNE MONACHO.

b *Erat Oribasius Pergamenus Juliano Cæsari imprimis charus, non solum propter eminentem, quam profitebatur, medicinæ artem, sed etiam quia, inquit Eunapius in Vitis Philosoph. a Baronio citatus ad an.* 361, ₰ XV, tantum in cæteris quoque excelluit virtutibus, ut ad imperium Julianum evexerit. *Sub Valente proscriptus atque ad barbaros relegatus, quum medicæ artis studio summam sibi conciliasset gratiam, ab imperatore postliminio restitutus fuit, ita Baronius, ad an.* 364, § XVIII. *Cfr Biographie Univ.* v° Oribase.

c *Signum exauctorati militis erat, depositio cinguli, quod insigne erat militiæ et quandoque pro ipsa militia usurpabatur. Hinc Marcianus imperator in eos, qui sacra catholicæ fidei dogmata impugnabant varias pœnas sancit, l.* IV, *C. de summ. Trinit.* (I, 1). si, *ait,* militia præditus sit, cingulo *spoliabitur. Quod igitur Julianus detrahi jussit cingulum, tantum est, quantum S.* Artemium *omni honore ac dignitate spoliasse.*

d *Graphice describitur hic flagellationis modus aliquis : divaricabantur scilicet rei brachia et crura, funibus extenta, ac boum nervis antrorsum et retrorsum delaniabantur.*

e *Latinus textus Surii ter alternasse satellites, græcus vero textus noster id* quater *contigisse refert, dum dicit quatuor paria* ζυγὰς τέσσαρας *adhibita fuisse.*

f *Hisce et sequentibus verbis alludit S. Martyr ad textum Isaiæ* L, 6 : Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.

B g *Duplex Oasis, quæ etiam Oasis et Avasis a quibusdam scribitur, major et minor, nomen duplicis* E *oppidi clare designat : cujus situs difficile hodie definitur. La Martinière, Dict. Géogr.* v° Oasis, *dicit hodiedum nomen perseverare, parce detorum* El-Ouah : *quod etiam probat Geographus Adrianus Balbi* (1). *In Atlante Antiquo Danvillano notatur Oasis Magna, sita lat.* 27° 35', *long.* 47° 5', *Parva autem lat.* 29°, *long.* 47° 50. *In Oasin superiorem relegatos dicit S. Athanasius, in Apolog. ad Constantium* (2) *ab Arianis varios episcopos catholicos. Penes præsidum provinciæ erat, ut habet t.* VII. *D. de interdictis, et relegatis et deportatis* (XLVIII, 22), *relegare in insulam, quæ provinciæ subesset : additur vero ibidem* ₰ 5 : Est quoddam genus quasi in insulam relegationis in provinciam Ægypto, in Ovasim relegare. *Oasis porro* quasi insula *vocatur, quia licet ipse locus fertilis esset, ad eum tamen perveniri non poterat nisi per vastam et siticulosam eremum, Ægyptii, ait Strabo, lib.* XVII, *Oases vocant illas regiones excultas, quæ magnis solitudinibus circumdantur, sicut insulæ mari. Atque hac ratione commode inter sese auctores varii conciliantur, alii fertilitatem laudantes, alii horrorem vituperantes.*

h *Ad hanc* XX *diem Decembris agit de SS. Martyribus Romanum Martyrologium.*

i *Vitio librarii Priscus pro Crispo ponitur. Hic Constantini Augusti ex priore conjuge filius natu maximus, calumniis Faustæ novercæ oppressus, jussu patris necatus fuit. Ast brevi tantum scelus indignatus Constantinus, uxorem suam Faustam pœna talionis sustulit.*

k *De libris Sybillinis, eorum antiquitate et valore v. d. Remig. Ceillier in Historia scriptorum ecclesiasticorum* (3) *et B. J. Schmitt in Demonstratione Evangelica per traditiones populorum* (4).

Cap. V. Julianus tacentibus propter præsens Martyris Babylæ corpus oraculis, magis irascitur in Christianos.

C

Martyr a Deo sanatur

Circa mediam noctem Martyri oranti in custodia Christus apparuit, et dixit : Artemi, viriliter age, confortare et noli timere, neque tyrannum reformida : ego enim tecum sum, ut te ex omni tentatione omnique cruciatuum dolore eruam : in cœlesti autem regno te coronabo, et sicut me confessus es coram hominibus super terram, et ego confitebor te coram patre meo, qui est in
x. 32. cœlis * : confide et exsulta, quia mecum eris in paradiso. Quum hæc a Domino audiisset Martyr, fiducia repletus est, et totam noctem in laudibus et gratiarum actionibus impendit. Convaluit porro ex plagis et vulneribus, ita ut neque cicatrix in sacro corpore maneret : et diebus quindecim nihil gustans permansit, nutritus scilicet Spiritus sancti gratia.

Julianus in Daphne.

51 Julianus, ut diximus, ad suburbium, Daphnem venerat, ut sacrificia Apollini pararet, a quo oracula edenda sperabat. Est autem Daphne, Antiochiæ suburbium, in edito loco situm omnique plantarum varietate ornatum, frondosum, fructife-

Περὶ δὲ τὸ μεσονύκτιον εὐχομένῳ τῷ μάρτυρι ἐπὶ τῆς φυλακῆς, φαίνεται αὐτῷ ὁ Χριστὸς, καὶ φησι πρὸς αὐτόν· Ἀρτέμιε, ἀνδρίζου καὶ ἴσχυε καὶ μὴ φοβοῦ, μὴ δὲ δειλία τὸν τύραννον· ἐγὼ γὰρ εἰμὶ μετὰ σοῦ, ἐξαιρούμενος σε ἀπὸ παντὸς πειρασμοῦ καὶ πάσης τῶν κολαστηρίων ὀδύνης, καὶ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν στεφανώσω σε, καὶ ὥσπερ αὐτὸς ὡμολογήσας με ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων ἐπὶ τῆς γῆς, ὁμολογήσω κἀγὼ σε ἐνώπιον τοῦ πατρὸς μου τοῦ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· θάρσει οὖν καὶ ἀγαλλία· μετ' ἐμοῦ γὰρ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ· Ταῦτα ὁ μάρτυς ἀκούσας παρὰ τοῦ κυρίου, εὐθαρσὴς ἐγένετο, καὶ δι' ὅλης τῆς νυκτὸς ἦν δοξολογῶν καὶ εὐχαριστῶν τῷ Θεῷ· ἀνέθη γὰρ ἐκ τῶν πληγῶν καὶ τῶν τραυμάτων αὐτοῦ, ὥστε μήτε μώλωπα φαίνεσθαι ἐν τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ σώματι· ἐποίησε δὲ πέντε καὶ δέκα ἡμέρας, μηδενὸς τὸ σύνολον γευσάμενος· ἐτρέφετο γὰρ τῇ τοῦ ἁγίου πνεύματος χάριτι.

51 Ὁ δὲ Ἰουλιανὸς ἐπὶ τὴν Δάφνην ὥρμησε τὸ προάστειον, ὡς προέρημεν, θυσίας ἑτοιμαζόμενος τῷ Ἀπόλλωνι, καὶ χρησμοὺς παρ' αὐτοῦ δέξασθαι προσδοκῶν· ἡ δὲ Δάφνη προάστειον ἐστι τῆς Ἀντιοχείας, ἐπὶ τῶν ὑψηλοτέρων αὐτῆς χωρίων κείμενον, ἄλσεσι παντοίοις συ-

(1) Abrégé de Géog., t. II, p. 53. Edit. Brux. 1840. — (2) Oper. — (3) Ceillier Aut. Ecclés., t. I, p. 528. — (4) Rédemption annoncée par les traditions. Démonst. Evangéliques, t. XIII, p. 1143. Edit. Minge 1843.

νηρεφὲς·

AUCTORE JOANNE MONACHO.

νηρεφές· πολυπρεμνότατον γὰρ καὶ πολυκαρπότατον ἔστι τὸ χωρίον, ἔνθα τῶν τε ἄλλων παντοίων δένδρων καὶ δὴ καὶ κυπαρίττων ἐξαίσιον πεφύτευται χρῆμα, πρός τε κάλλος καὶ ὕψωμα καὶ μεγέθος οὐ συμβλητόν· νάματα τε πανταχῆ διαθέει ποτίμων ὑδάτων, μεγίστων αὐτόθι πηγῶν ἀναδιδομένων, ἀφ' ὧν καὶ ἡ πόλις ἐν ὀλίγαις δὲ πόλεων ἐνυδροτάτη τυγχάνειν δοκεῖ, καὶ μὴν καὶ οἰκοδομαῖς λαμπραῖς καταλύσεων καὶ λουτρῶν καὶ τῶν ἄλλων κατασκευῶν, εἴς τε χρείαν καὶ κόσμον εὖ μάλα πολυτελῶς ἐξήσκηται τὸ χωρίον· ἐνταῦθα καὶ ἄλλων μὲν δαιμόνων ναοί τε καὶ ἀγάλματα ἦν, διαφερόντως γε μὴν τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ἐξ ἀρχαίων τῶν χρόνων ἐνυπῆρχε θεραπευόμενον· αὐτόθι γὰρ τὸ περὶ τὴν Δάφνην τὴν παρθένον συνβῆναι πάθος ὁ ἑλληνικὸς ἔπλασε μῦθος· ἧς δὴ μάλιστα φέρειν ἔτι δοκεῖ τὴν ἐπωνυμίαν ὁ τόπος.

52 Τὸ δὲ ἄγαλμα τοῦ Ἀπόλλωνος, τοιόνδε τὴν κατασκευὴν ἦν· ἐξ ἀμπέλου μὲν αὐτῷ συνεπεπήγει τὸ σῶμα· πανθαυμάστη δὴ τέχνῃ πρὸς μιᾶς συμφυίας ἰδέαν συναρμοσθὲν, χρυσῷ δὲ πᾶς ὁ περικείμενος πέπλος ἀμφιεννύμενος, τοῖς παραγεγυμνωμένοις καὶ ἀχρύσοις τοῦ σώματος, εἰς ἄφραστόν τι συνεφθέγγετο κάλλος· ἑστῶτι τε μετὰ χεῖρας ἦν ἡ κιθάρα, μουσηγετοῦντα τινὰ ἐκμιμουμένῳ· αἵ τε κόμαι καὶ τῆς δάφνης ὁ στέφανος τὸν χρυσὸν ἀναμὶξ ἐπήνθουν· ὡς ἤμελλε χάρις ἐξαστράψειν πολλὴ
B τοῖς θεασαμένοις· ὑάκινθοι τε αὐτῷ δύο λίθοι μέγαλοι, τὸν τῶν ὀφθαλμῶν ἐξεπλήρουν τύπον, κατὰ μνήμην τοῦ Ἀμυκλαίου παιδὸς Ὑακίνθου, καὶ ἀεὶ τὸ τῶν λίθων κάλλος καὶ μεγέθος τὸν μέγιστον προσετέλει τῷ ἀγάλματι κόσμον, ἐνταθέντων περιττῶς πρὸς ἀξιοπρέπειαν αὐτοῦ τῶν ἐργασαμένων· ἵνα πλείστους ἀπατᾶσθαι περὶ αὐτοῦ συμβαίνῃ, τῷ περικαλλεῖ τῆς προφαινομένης μορφῆς εἰς τὸ προσκυνεῖν αὐτοῖς δελεαζομένους· ὅπερ οὖν καὶ αὐτὸς Ἰουλιανὸς πεπονθὼς ἦν· πλείονα γ' οὖν ἢ σύμπασι τοῖς ἀγάλμασι προσῆγε τὴν θεραπείαν, χιλιόμβας ὅλας ἐξ ἑκάστου γένους αὐτῷ θυόμενος.

53 Ἐπεὶ δὲ αὐτῷ πάντα ποιοῦντι καὶ πραγματευομένῳ ὅπως χρώῃ τὸ ἄγαλμα, πλέον ἦν οὐδὲν, ἀλλὰ τοῦτο τε καὶ τὰ λοιπὰ αὐτόθι σύμπαντα ἀγάλματα βαθεῖα σιωπὴ κατεῖχεν, ἐνταῦθα νομίσας τὰ ἀπὸ τῆς γοητείας ἐνδεῖν, ἣν ἱερουργίαν καλοῦσιν ἕλληνες, Εὐσέβιον τινὰ μέγιστον ἐπὶ τὸ ταῦτα δύνασθαι κεκτημένον ἐν ἕλλησι κλέος, μεταπεμψάμενος, τούτῳ προσέταττεν ἐπίπνουν ὅτι μάλιστα καὶ ἐνεργὸν ἀποφαίνειν, μηδενὸς ὧν εἰς τοῦτο προσδεῖν αὐτῷ νομίζοι φεισάμενον· τῷ δ' ἐπειδὴ πάσας ἑαυτοῦ κεκινηκότι τὰς μηχανὰς, καὶ μηδὲν ὅ τι πλέον ἂν ἐπινοήσειεν ὑπολειπομένῳ, τὸν ὅμοιον ἐσεσιωπήκει καὶ κατὰ φύσιν τρόπον, οὐδέν τι μᾶλλον ἢ καὶ πρόσθε φθεγγόμενον, ἐνταῦθα ἤδη πρὸς τοῦ Ἰουλιανοῦ ἐρωτώμενος καὶ καθ' ὅτι
C μάλιστα σιωπῴη, καὶ ταῦτα πάντων τελεσθέντων ἐπ' αὐτῷ τῶν νομιζομένων παρ' αὐτοῖς, Βαβύλαν ἔφη τῆς σιωπῆς τούτου τε καὶ τῶν λοιπῶν ἀγαλμάτων αἰτιώτατον εἶναι, αὐτοῦ ἐν τῇ Δάφνῃ κειμένου, ὡς τῶν θεῶν τὸν νεκρὸν αὐτοῦ βδελλυττομένων, καὶ διὰ τοῦτο τοῖς ἕδεσι σφῶν ἐπιφοιτᾷν οὐκ ἀνεχομένων· οὐ γὰρ ἠβούλετο τὴν ἀληθεστάτην αἰτίαν εἰπεῖν, οὐ παντάπασι γε αὐτῆς ἀναπαίσθητος γεγονὼς, ὅτι δὴ κρείττων δύναμις ἦν, ἡ τὰς τῶν δαιμόνων ἐνεργείας πεδησαμένη· ἄλλως τε καὶ τοῦ δαίμονος αὐτοῦ τοῦ τὸν Ἀπόλλωνα ὑποκριμένου σαφῶς καὶ διαῤῥήδεν ὡς λέγεται εἰρηκότος, μὴ δύνασθαι ἀποκρίνασθαι διὰ Βαβύλαν.

54 Ὁ γὰρ ὁ Βαβύλας οὗτος λέγεται ἐπίσκοπος μὲν γενέσθαι τῆς Ἀντιοχείας, Νουμεριανῷ δὲ τῷ βασιλεῖ εἰσελθεῖν βουλομένῳ ἐν τῇ τῶν χριστιανῶν ἐκκλησίᾳ κατὰ δὴ τινὰ ἑορτὴν, στὰς πρὸ τῶν θυρῶν διεκώλυσεν εἰσελθεῖν, φάσκων εἰς δύναμιν μὴ περιόψεσθαι λύκον τῷ ποιμνίῳ ἐπεισερχόμενον· τὸν δὲ παραυτίκα μὲν ἀποκρουσθῆναι τῆς εἰσόδου, εἴτε δὴ στάσιν τινὰ πρὸς τοῦ ὄχλου ἔσεσθαι ὑπειδόμενον, εἴτε καὶ ἄλλως αὐτῶν μεταβουλευθὲν· ἐν χαλεπῷ μέν τοι τὴν ἀντίστασιν τοῦ ἐπισκόπου ποιησάμενου, ἐπειδὴ ὡς ἑαυτὸν ἐπὶ τὰ βασίλεια ἀπηλλάγη, παραστήσασθαι τε αὐτὸν ἐπὶ τοῦ βήματος ἀπολογησόμενον ἐκέλευσε· καὶ δὴ παραστάντος αὐτοῦ, πρῶτα μὲν τὴν τόλ-

rum, ubi arborum, præsertim vero cypressorum, D est maxima multitudo, pulchritudine, altitudine et magnitudine incomparabilis; fluenta quoque aquarum poculentarum, scaturientibus inde maximis fontibus, reperiuntur, unde omnium civitatum maxime aquis Antiochia abundat: et locus ipse constructionibus habitaculorum et lavacrorum atque id genus commoditatum ad usum et splendorem mirifice exornatus est. Istic plurimorum deorum templa et imagines, sed præ cæteris colebatur ab antiquo Apollinis delubrum; quoniam istic accidisse fertur, quod gentilium fabulæ narrant de virgine Daphne, cujus maxime nomen locus ferre videtur *a*. *a*

celeberrimo fano,

52 Apollinis autem statua istiusmodi erat. Totum corpus ex vitis ligno efformatum erat, arte tam mirabili, ut materia perpetua effictum videretur: auro illitus erat totus, quo induebatur, amictus, nudatæ vero et non auratæ corporis partes inenarrabilem ostendebant pulchritudinem: stanti erat præ manibus cithara, quam pulsare videbatur, cæsariesque ac corona laurea auro permixto efflorescebant, ita ut spectatores in magnam admirationem raperentur; duo magni hyacinthi vicem oculorum E explebant in memoriam Hyacinthi, pueri Amyclæi: gemmarum quoque pulchritudo et magnitudo maximum addebant imagini ornatum, opifices omnia cum decore maximo ita disposuerant, ut plurimos decipi contingeret, formæ pulchritudine ad adorationem inclinante. Quod ipsi quoque Juliano evenerat; majorem enim quam cæteris imaginibus impendebat venerationem, millia ex singulis generibus ei sacrificans animalia.

Apollinem consulit frustra

53 Quum omnia faceret et moliretur, ut oraculum ederet imago, nihil proficiebat, sed hæc et reliquæ statuæ altum tenebant silentium: existimavit itaque ad magicas artes, quas hierurgiam appellant, recurrendum esse. Eusebium quemdam, qui istiusmodi artis peritissimus inter gentiles celebrabatur, accersiri jubet; cui mandat ut omnem industriam et efficaciam suam recolligat, neque ulli rei opportune adhibendæ parcat. Quum autem nihil non machinatus fuisset, industriæque suæ nihil reliquum fecisset, statua tamen nihilo minus quam antea tacebat; interrogatus itaque a Juliano causam istiusmodi silentii, postquam omnia completa sunt, quæ regulæ artis requirunt, respondit, Baby- F lam *b*, in Daphne tumulatum, præcipuam esse causam silentii tum hujus tum reliquarum imaginum, diis nempe hunc mortuum exsecrantibus, ac propterea statuis suis vim divinam infundere renuentibus. Nolebat enim veram silentii causam, ipsi tamen non omnino incognitam, proferre, scilicet Sancti majorem esse potentiam, quæ dæmonum efficaciam alligabat, maxime quum ipse dæmon ex persona Apollinis clare et aperte dixisset, se non posse respondere propter Babylam. *b*

tacente idolo, propter S. Babylam,

54 Dicitur porro Babylas fuisse Antiochenus episcopus, et Numeriano imperatori *c* die quadam festiva ecclesiam christianorum ingredi volente, *c* stetisse præ foribus, eidemque prohibuisse, dicens, se pro viribus impediturum ne videret lupum oves invadentem. Hisce verbis ab ingressu statim repulsus fuit, sive quia seditionem turbæ extimesceret sive aliud quidquam mente revolveret. Ægre autem tulit prohibitionem episcopi, quocirca ad regiam reversus, episcopum, causam suam defensurum, ad tribunal venire jussit. Quum autem in judicium productus esset, primo quidem audaciam

A ciam prohibitionis accusavit, et dein, si vim accusationis effugere vellet, jussit illum dæmonibus sacrificare. Episcopus ad criminationem respondit; sed exhortationem rejecit, quum diceret et pastorem se velle omnia pro grege suo impendere, et nolle se, Deum verum abnegantem, diis falsis et perniciosis sacrificare. Videns porro illum non obedire, jussit illum, catenis et compedibus ligatum, capitis amputatione interfici; Martyr autem, ad

Ps. cxix, 7. supplicium ductus, canebat hæc psalmi verba * : Convertere anima in requiem tuam, quoniam Dominus benefecit tibi.

Antiochenum episcopum et Martyrem:

55 Referuntur quoque tres fratres germani, admodum juvenes, a S. Babyla nutriti, capti fuisse ab imperatore; et quoniam et ipsi sacrificare recusabant, licet ad id undecumque cogerentur, eos decollari jussit imperator. Qui quum ad locum propositum venissent, Babylas eosdem ante se statuens, priores gladio exhibuit, ne videlicet quis

d eorum ex timore supplicium fugeret *d*. Illis decol-

* Is. viii, 18. latis, recitatisque verbis * : ecce ego et pueri, quos dedit mihi Deus, et ipse collum pretendit gladio. Jusserat autem eos, qui corpus ejus erant curaturi, sepelire illum cum catenis et compedibus, B ut, inquiebat, hæc sint mihi ad ornatum, ferturque, cum his adhuc sepultus jacere. Julianus igitur, audito per Eusebium hoc corpus impedimento esse, ne statuæ oracula ederent, mandavit capsam istam, ex lapide magno excavatam, Daphne amoveri, et

e transferri aliorsum procul, ubicumque voluissent *e*. Statim autem populi turba effusa, quasi de re magna ageretur, trahebant capsam : quæ non tam ab hominibus trahi, quam potentiore quadam, vi, illam movente, progredi videbatur, utpote quæ alacritatem trahentium præoccuparet : nam una

f die quinquaginta stadiis *f* processit ad locum, qui cœmeterium appellatur. Est nempe in civitate locus, ubi multa antiquorum virorum, inter quos sunt aliqui propter religionem passi, corpora

g jacent : istuc igitur capsam intulerunt *g*.

Apollinis fano igne consumpto,

56 Julianus interim parabat multitudinem victimarum et donariorum, ut qui esset postera die in Daphnen ascensurus, sperans nempe, si non omnium, at certe Apollinis, oracula excepturum. Nam in hoc intendebat spes omnes ardentis ingenii, quia locus ei magis quam alius aptus divinationi videbatur, Daphne nempe ei consecrata, ubi major, tamquam in propria sede, ei quam aliis dæ- C monibus erat potentia. Eusebius porro cum sacerdotibus et æditujs, qui imperatorem præstolabantur, valde solliciti erant et vigilias intendebant circa imaginem, omnia machinantes, ut, quando venisset Julianus, responsa dare contingeret : etenim nullus deinceps dilationi relinquebatur prætextus. Quum vero nox multum processisset, ignis vehemens, cœlitus missus, in ædem decidit, eamque omni ex parte implevit, atque imaginem et donaria incendit. Quum omnia simul conflagrarent, flammæque in altum erumperent, clamor ingens circa templum innotuit et tumultus maximus omnia turbavit : multi autem in auxilium concurrebant, sed nemo impedire poterat. Et dum alii præfecto Orientis, Juliano, rem indicaturi currerent, stabat reliqua turba stupens et spectans prodigiosam calamitatem. Nam ignis nihil aliud attingebat, licet illic plurima esset materia combustionis, nisi quæ solum inerant templo, nempe imaginem et donaria, quæ omnino deleta fuerunt. Remanserunt pauca templi vestigia, indicia calamitatis, quæ adhuc ostenduntur, tamquam

h monumentum ignis, divinitus immissi *h*.

μαν τῆς κωλύσεως ἐνεκάλει, ἔπειτα μέν τοι κελεύει αὐτὸν τοῖς δαίμοσι θύειν, εἰ βούλοιτο γε τὴν ἐπὶ τῷ ἐγκλήματι δίκην διαφυγεῖν· τὸν δὲ πρὸς τὴν ἔγκλησιν ἀπολογήσασθαι καὶ τὴν πρόκλησιν διακρούσασθαι, τὴν μὲν φήσαντα ποιμένι ἑαυτῷ πάντα προσήκειν ὑπὲρ τοῦ ποιμνίου προθυμεῖσθαι, τὴν δὲ μὴ ἀνελέσθαι τοῦ ὄντως ὄντος ἀποστάντα Θεοῦ, ψευδωνύμοις ὀλεστῆρσι δαίμοσι θύειν· εἶθ' ὁ μὲν ὡς ἑώρα μὴ πειθόμενον, προσέταξεν αὐτὸν ἁλύσεσι καὶ πέδαις ἐνδησαμένους, τὴν ἐπὶ θανάτῳ ἄγειν τῆς κεφαλῆς ἀφαιρήσοντας· ὁ δὲ ἐπειδὴ ἤγετο τεθνηξόμενος, ταύτας ἀναλαβὼν ἦδε τοῦ ψαλμοῦ τὰς ῥήσεις, ἐπίστρεψον ψυχή μου εἰς τὴν ἀνάπαυσιν σου, ὅτι ὁ Κύριος εὐηργέτησέ σε.

AUCTORE JOANNE MONACHO.

55 Φασὶ δὲ καὶ τρεῖς παῖδας ἀδελφοὺς τὸ γένος κομιδῇ νέους ὑπ' αὐτῷ ἀνατρεφουμένους, ἁρπαγῆναι τε καὶ αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ βασιλέως· καὶ ὡς οὐδ' αὐτοὶ θύειν ἤθελον, καὶ τοι παντοίας ἀνάγκης αὐτοῖς προσαγομένης, καὶ αὐτοὺς κελεῦσαι τὸν βασίλεα τῶν κεφαλῶν ἀφαιρεῖν· οὓς ἐπειδὴ ἧκον εἰς τὸ προκείμενον χωρίον, ὁ Βαβύλας ἑαυτῷ προστησάμενος, προτέρους προσῆγε τῷ ξίφει· τοῦ μὴ τινὰ τερέσαντα αὐτὸν ἀναδῦναι τὸν θάνατον, καὶ ἀποτεμνομένων ταύτην ἂν εἰπὼν τὴν φωνὴν, ἰδοὺ ἐγὼ καὶ τὰ παιδία ἅ μοι ἔδωκεν ὁ Θεός· ἔπειτα καὶ αὐτὸς προύτεινε τὸν οἰκεῖον αὐτοῦ αὐχένα τῷ ξίφει· ἐντειλάμενος τοῖς τὸ σῶμα αὐτοῦ ἀναλεξαμένοις, τὰς ἁλύσεις καὶ τὰς πέδας αὐτῷ συνθάψαι, ἵν' ᾖ μοι ταῦτα, φησὶ, κειμένῳ κόσμος· καὶ οὖν E καὶ μετ' αὐτῶν ἔτι τυγχάνει κείμενος, ὡς φασί. Τοῦτον τὸν Βαβύλαν ὁ Ἰουλιανὸς, ἐπειδὴ πρὸς τοῦ Εὐσεβίου ἤκουσε κώλυμα τοῖς ἀγάλμασιν εἶναι τοῦ μὴ χρᾷν, αὐτίκα προσέταξεν αὐτῇ θήκῃ, λίθου δ' ἐστὶ μεγάλου πεποιημένη, μετάγειν ἐκ τῆς Δάφνης, οἷς τι τοῦτο διαφέρει πόρρω ποῦ αὐτὸν ἀλλαχόσε, ἵνα ᾗ καὶ βούλωνται μεταστησαμένους. Εὐθὺς οὖν ὁ τῆς πόλεως ὄχλος προχυθέντες ὡς ἐπὶ μεγάλῃ αὐτίᾳ, καὶ περιβαλλόμενοι εἷλκον τὴν θήκην· ἡ δὲ ὡς οὐχ' ὑπ' ἀνθρώπων ἑλκομένη μᾶλλον ἢ κρείττονος αὐτὴν κινούσης δυνάμεως, ἔφθανε προθυμίαν ἐφεπομένη· αὐθήμερον γε τοὶ αὐτὴν σταδίους πλέον ἢ πεντήκοντα κομισάμενοι, ἐν τῷ καλουμένῳ κοιμητηρίῳ κατέθεσαν. Ἔστι δὲ ἐν τῇ πόλει οἶκος σωμάτων παλαιῶν ἀνδρῶν καὶ ἐνίων γε ἐπ' εὐσεβείᾳ μαρτυρουμένων, πολλὰ δεδεγμένος· τότε μὲν οὖν τὴν θήκην ἐνταῦθα εἰσεκόμισαν.

56 Ὁ δὲ Ἰουλιανὸς παρασκευάζετο πλῆθος ἱερείων τε καὶ ἀναθημάτων, ὡς τῇ ὑστεραίᾳ σὺν αὐτοῖς εἰς τὴν Δάφνην ἀναβησόμενος, νῦν γε δὴ πάντως ἐλπίζων εἰ μὴ τῶν ἄλλων, ἀλλὰ τοῦ γε Ἀπόλλωνος τεύξεσθαι ἀποκριθησομένου· ἐπὶ τοῦτον γὰρ αὐτῷ πᾶσα τῆς προθυμίας ἡ ἐλπὶς ἦν, καὶ ὁ τόνος, ὡς αὐτῷ μᾶλλον ἢ ἑτέρῳ τὸ τοιοῦτον διαφέρον κατά τε τὴν μαντικὴν τέχνην, καὶ αὐτῷ τὸ χωρίον ἀνεῖτο ἡ Δάφνη, νομίζοντι αὐτῷ ἔν τε τῷ οἰκείῳ τόπῳ εἰκότως, ἢ τῶν ἄλλων δαιμόνων ἐσχύειν. Ὁ δὲ F Εὐσέβιος καὶ οἱ λεγόμενοι ἱερεῖς καὶ τῶν νεοκόρων τὸ πλῆθος προσδεχόμενοι τὸν βασιλέα, ἀγῶνι μεγάλῳ ἔστασαν, καὶ διηγρύπνουν περὶ τὸ ἄγαλμα, πάντα πραγματευόμενοι, ὅπως ἐπειδ' ἂν ἀφίκηται, τύχοι αὐτοῦ φθεγξαμένου· ὡς ἄλλης γε αὐτῷ ἔτι προφάσεως εἰς ἀναβολὴν μὴ ὑπολειπομένης· ἐπειδὴ δε πόρρω τῶν νυκτῶν ἦν, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πῦρ ἀθρόως κατενεχθὲν, ἐνέσκηψε τῷ νεῷ καὶ ἅμα πανταχόθεν αὐτὸν δραξάμενον, ἐμπιπρᾷ αὐτῷ ἀγάλματι καὶ αὐτοῖς ἀναθήμασιν· πάντων δὲ ὁμοῦ καταφλεγομένων, καὶ τοῦ πυρὸς ἐπὶ μέγα ἐξαιρουμένου, βοὴ μὲν αὐτίκα μεγάλη περὶ τὸν νεὼν ἦν, καὶ θόρυβος οὐδενὶ ἐοικὼς, καὶ δὴ πολλῶν ἐπαμύναι προθυμουμένων, οὐδεὶς ἦν ὁ πρὸς τὸ πῦρ ἀντισχεῖν δυνησόμενος· ἀλλ' οἱ μὲν ἔθεον τῷ ἄρχοντι τῆς ἑώας Ἰουλιανῷ μηνύσοντες, ὁ δὲ λοιπὸς ὄχλος ἔστασαν ὑπ' ἐκπλήξεως θεαταὶ τοῦ παραδόξου τῆς καταλαβούσης αὐτοὺς συμφορᾶς γενόμενοι· τὸ δὲ πῦρ οὐδενὸς ἦν τῶν ἄλλων ἁπτόμενον, τοσαύτης γε καὶ οὕτος ἀμφιλαφοῦς ὕλης ἐκεῖ πεφυκυίας, ὅτι μὴ μονώτατον ἐμπεσὸν κατέφλεγε σὺν τοῖς ἐνοῦσι τῷ νεῷ, ὡς τὸ μὲν ἄγαλμα καὶ πᾶν ὅ τι ἐν ἀναθήμασιν ἦν, καθάπαξ ἀφανισθῆναι· βραχέα δὲ λειφθῆναι τῶν οἰκοδομημάτων ἐδάφη, μνημεῖα τοῦ πάθους, ἃ καὶ νῦν ἔτι δείκνυται, σαφέστερον τὸ δεῖγμα τοῦ θεηλάτου πυρός.

AUCTORE JOANNE MONACHO.

57 Ὁ δὲ Ἰουλιανὸς τὰ συμβάντα ἀκούσας ὀργῆς τε πιμπλᾶται, καὶ δεινὸν ποιησάμενος εἰ χριστιανοὶ τοῖς συμβεβηκόσιν ἐπιτωθάσειν μέλλοιεν, αὐτίκα προστάττει τῆς μεγάλης αὐτοὺς ἐξωθεῖν ἐκκλησίας, καὶ ταύτην μὲν ἄβατον αὐτοῖς παντελῶς ἀποφαίνειν, ὡς ὅτι ἀσφαλέστατα αὐτὴν ἀποκλεισαμένους, καὶ τὰ κειμήλια πάντα δημοσιοῦν· δέδωκε δὲ τοῖς ἕλλησιν ἄδειαν, ὥστε εἰσέρχεσθαι αὐτοὺς εἰς τὰς τῶν χριστιανῶν ἐκκλησίας, καὶ ποιεῖν ὅσα βούλονται. Τούτων οὖν παρὰ τοῦ τυράννου καὶ ἀσεβοῦς Ἰουλιανοῦ κελευσθέντων, τί τῶν μεγίστων κακῶν οὐκ ἐτελέσθη; τί δὲ ἀπηχεστάτων οὐκ ἐλέχθη, τῶν ἀφέτῳ γλώσσῃ λαλούντων τὰ ἄρρητα κατὰ τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως, καὶ βλασφημούντων εἰς τὸν Κύριον καὶ Θεὸν ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν πάσαις ταῖς πόλεσιν; ἐν μὲν γὰρ Σεβαστῇ, τῇ πάλαι μὲν Σαμαρείᾳ, νῦν δὲ παρὰ Ἡρώδου κτισθείσῃ καὶ Σεβαστῇ ἐπικληθείσῃ, τὰ ὀστᾶ τοῦ προφήτου Ἐλισσαίου καὶ τοῦ Βαπτιστοῦ Ἰωάννου ἐκ τῶν θηκῶν ἐξαγοντες, καὶ ἀλόγων ἀκαθάρτων ὀστέοις προμίξαντες κατέκαυσαν, καὶ κόνιν εἰς τὸν ἀέρα ἐλίκμησαν. Τὸν δὲ τοῦ σωτῆρος ἀνδριάντα ἐν Πανεάδι τῇ πόλει πρὸς τῆς αἱμοῤῥοησάσης γυναικὸς κατασκευασθέντα μεγαλοπρεπῶς, ἣν ὁ Χριστὸς ἰάσατο, καὶ ἱδρυνθέντα ἐν ἐπισήμῳ τῆς πόλεως τόπῳ, ὃν μετὰ χρόνον γνωσθέντα, ἐκ τῆς αὐτόθι φυομένης βοτάνης τοῦ θαύματος, οἱ χριστιανοὶ ἀράμενοι, ἐν τῷ τῆς
B ἐκκλησίας διακονικῷ ἔστησαν, τοῦτον οἱ ἕλληνες κατασπάσαντες, κἀκ τῶν ποδῶν σχοίνους ἐξάψαντες, ἔσυραν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς· ἕως οὗ κατὰ μικρὸν ἀποθραυόμενος ἠφανίσθη, μόνης τῆς κεφαλῆς καταλειφθείσης καὶ ἁρπαγείσης ὑπό τινος ἐν τῷ θορυβεῖσθαι τοὺς ἕλληνας, λαλούντων αὐτῶν βλάσφημα καὶ ἀπηχέστατα ῥήματα εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, ἃ μή τις ἀνθρώπων ἤκουσε πώποτε.

58 Αὐτὸς δὲ ἀσεβέστατος καὶ πάντων παρανομώτατος Ἰουλιανὸς ἠγάλλιᾶτο καὶ ἔχαιρεν, καὶ γαυριῶν ἐπὶ τούτοις, ἐκέλευσε καὶ ἐν Ἱεροσολύμοις ναὸν τῶν Ἰουδαίων ἀνιστᾶν· καὶ τοὺς χριστιανοὺς τῆς πόλεως ἐκβαλών, τοῖς Ἰουδαίοις ἔδωκε κατοικεῖν, ἀποστείλας Ἀλύπιόν τινα τοῦ μετὰ σπουδῆς τὸν ναὸν ἀνοικοδομήσασθαι. Αὐτὸς δὲ προκαθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος ἐν τῇ καλουμένῃ βασιλικῇ, ἐκέλευσε προσαχθῆναι τὸν μάρτυρα· προσαχθέντος δὲ τοῦ ἁγίου, ἔφη πρὸς αὐτόν· πάντως ἤκουσας καὶ αὐτός, ἀσεβέστατε Ἀρτέμιε, τὸ τόλμημα τῶν ἀσεβῶν κατὰ σὲ χριστιανῶν, ὅπερ ἐποίησαν ἐν Δάφνῃ ἐν τῷ ναῷ τοῦ σωτῆρος Ἀπόλλωνος, καὶ ὡς ἐνέπρησαν αὐτοῦ τὸν ναὸν σὺν τοῖς ἀναθήμασιν, καὶ τὸ πάντιμον καὶ θαυμαστὸν ἄγαλμα ἐξηφάνισαν· ἀλλ' οὐ χαιρήσονται ἐπιτωθάζοντες καὶ χλευάζοντες τὰ ἡμέτερα, ἐγὼ γὰρ ἀποτίσω τὴν ὑπὲρ τούτου ποινὴν ἑβδομηκοντάκις ἑπτά, καθὼς φασὶ τὰ ὑμέτερα λόγια.

59 Καὶ ὁ μάρτυς· ἤκουσα ὡς θεήλατος ὀργὴ καὶ πῦρ
C οὐρανόθεν κατελθὸν κατέφαγε τὸν θεόν σου, καὶ αὐτοῦ τὸν ναὸν ἐνέπρησεν πάντα καὶ κατηδάφισεν, εἰ οὖν θεὸς ἦν, τί μὴ ἑαυτὸν ἐκ τοῦ πυρὸς ἐρρύσατο; Καὶ ὁ παραβάτης· τάχα καὶ αὐτὸς ἔοικας μοι, ἀνοσιώτατε, κερτομεῖν ἐπὶ τοῖσδε καὶ καταχαχάζειν, ὡς ἅτε παρὰ τοῦ Θεοῦ σου ἐκδίκησιν τινὰ προσδεξάμενος. Καὶ ὁ μάρτυς· ἐγὼ πάντοτε, δυσσεβέστατε, ἐπὶ τῇ τῶν δαιμόνων πτώσει τῶν παρὰ σοῦ τιμωμένων κομπάζω καὶ χαίρω καὶ ἀγγαλλιῶ, καὶ ἐπὶ πᾶσιν οἷς ὁ Χριστός μου τερατουργεῖ, τερπόμενος γέγηθα· ἐκδίκησιν δὲ τῶν εἰς ἐμὲ πραττομένων παρὰ σοῦ, ἐκεῖ δέξομαι, ὁπότ' ἂν τὸ πῦρ ἐκεῖνο τὸ ἀκοίμητον σε καταλήψεται καὶ ἡ διαιωνίζουσα κόλασις· κἀνταῦθα δὲ οὐ πολὺς παρελεύσεται χρόνος, καὶ τὸ μνημόσυνον σοῦ μετ' ἤχου ἀφανισθήσεται. Καὶ ὁ παραβάτης· εἰ οὖν ἀγαλλιᾷς ἐπὶ τούτοις καὶ ἐπευφραίνεις, ἀνοσιώτατε, προσθήκην ἐγώ σοι ποιήσομαι τοῦ ποθουμένου ἀγαλλιάματος· ἀλλά, δυσμενέστατε, φείδομαι σοῦ δι' οἰκείαν χρηστότητα, καὶ βούλομαι σε τῆς ἀνοίας παυσάμενον, σώφρονι λογισμῷ χρήσασθαι, καὶ, προσελθεῖν θύσοντα τοῖς ἀθανάτοις θεοῖς· καὶ ἀξιώματι γάρ μεγίστῳ κεκόσμησαι, καὶ πλοῦτος ἱκανὸς ἄνωθέν σοι καὶ ἐκ προγόνων σεσώρευται, καὶ πολλά σοι τὰ τῆς ἀρετῆς πλεονεκτήματα οἱ θεοὶ παρασκεύασαν, κἂν αὐτὸς ἀχάριστος ὤφθης περὶ αὐτούς.

60 Καὶ ὁ μάρτυς· τί μαίνῃ, παρανομώτατε, καὶ α-

plectuntur Christiani quasi auctores incendii.

57 Julianus, audiens, quæ acciderant, ira repletus est, timensque ne christiani ex hoc casu illum irriderent, jubet eos expelli e majori ecclesia, omni aditu, foribus strictissime clausis, prohiberi, et omnem supellectilem divendi : liberum quoque fecit gentilibus ingressum christianarum ecclesiarum, in quibus pro libitu agebant. His ita ab impio tyranno, Juliano, constitutis, quid malorum ausi non sunt? Quid horrendarum absurditatum lingua acerba non effuderunt, loquentes nefanda per omnes civitates in dominum Deum nostrum Jesum Christum? Nam Sebaste, olim Samariæ, ab Herode ædificatæ, et Sebaste *i* appellatæ, ossa Elisæi et *i*
Joannis Baptista *k*, suis e loculis rapta, et immundis brutorum ossibus permixta, igni tradidere, et *k*
cineres in aerem projecerunt. Erat Paneade Salvatoris statua a muliere sanguinis fluxum passa et a Christo sanata magnifice erecta, et in celebri civitatis loco posita; quæ, postquam ex herba prodigiosa inclaruisset, a christianis in diaconicum translata fuit *l*. Hanc igitur imaginem gentiles deje- *l*
cerunt, et funibus ad pedes alligatis, traxerunt per forum; ex quo contrita paulatim interiit, solo capite illæso, quod a quodam, gentilibus tumul- E
tuantibus, secreto sublatum fuit : interim gentiles multa blasphemia et abominanda adversus Dominum nostrum Jesum Christum dicteria effuderunt, qualia nemo umquam homo audivit.

Instaurationem templi Hierosolymitani decernit Julianus,

58 Impiissimus et sceleratissimus Julianus, hæc audiens, exultavit vehementer, et arrogantior factus imperavit, templum Judæorum Jerosolymis reædificari, ejectisque ex civitate christianis, eamdem Judæis incolendam dedit : simulque misit Alypium quemdam ad urgendam templi ædificatio-
nem *m*. Ipse vero, pro tribunali sedens in basilica, *m*
jussit Martyrem coram adduci. Cui adducto dixit : Certe audivisti, Artemi impiissime, audax facinus tui similium, impiorum christianorum, quod patrarunt in templo Apollinis servatoris, in Daphne, incendentes templum cum donariis, et sic destruentes venerandum et mirabile simulacrum. Sed istiusmodi vituperiis et irrisionibus non gaudebunt : ego enim pœnam septuagies septies, ut vestri libri loquuntur, majorem rependam. F

et controversiam cum Martyre repetit;

59 Audivi, inquit Martyr, divinam iram et ignem cœlestem destruxisse deum tuum, ac ejus templum incendisse et reduxisse in cineres : si porro deus est, quomodo se ipse igne non liberavit? Cui transgressor : Videris et tu mihi, sceleratissime, insultare calamitati isti et risum movere, quasi a deo tuo vindictam consecutus fuisses? Martyr : Equidem, impiissime, de dæmonum ruina, quos colis, glorior, gaudeo et exsulto : et solatium est mihi in omnibus, quæ Christus meus prodigia operatur. Vindicabor autem de malis in me patratis, quando et tu experieris ignem inextinguibilem et supplicia sempiterna; atque hic brevi peribit memoria tua cum sonitu. Transgressor : Quoniam igitur gaudes et exsultas de iis, quæ tibi accidunt, accessionem gaudii tibi procurabo; verum, infelicissime, tibi parco ex benignitate et volo te ponere errorem, sobria mente uti et procedere diis immortalibus sacrificaturum; nam summa dignitate ornatus es, tibi multæ divitiæ a majoribus accumulatæ, et dii, licet erga illos ingratus exstiteris, plurimis virtutum dotibus honestarunt.

60 Martyr : Quid insanis, scelestissime, et vanis sermonibus

inter duas petras S. Artemius conteritur,

sermonibus moraris? Parvi facis barbaricas rebelliones et Persicum bellum, quo orbem universum agitas, negligis, ut tempus mihi, Dei servo impendas? Dic in me, qualem vis sententiam: etenim deos tuos non adoro, neque decretis tuis obedio, sed Deo meo omni die profero sacrificium laudis et confessionis; fac igitur, sceleratissime, quod vis. Audiens hæc transgressor et ira incensus, muratores et lapicidas ingredi jussit, quibus dixit: Cognoscitisne petram excisam, e regione theatri, quæ civitate imminet ruinosa? Hanc igitur secate, et altera ejus parte in altum elevata, scelestum hunc medium statuite, ruptisque vinculis, quæ petram retinent, celeriter omnique vi dejicite illam in partem ex qua secta est: sic medius constitutus in minutissimas partes conteretur et viscera ejus omnia disrumpentur, ut sciatur, quis contradicat aut eum protegat, et quid auxilii ei Deus ejus afferat, ut de manibus meis eum eripiat. Mandatum lapicidæ dicto citius exsecuti, petram, ut tyrannus jusserat, demiserunt; quæ cum multo pondere in præceps ruens corpus Martyris totum cooperuit, et quidem tam gravi lapsu, ut confracta ossa sonitum quemdam ederent tremendum, horribilem et B humanis auribus insuetum.

mirabiliter sanatur,

61 Quum Sanctus in media petra premeretur et contereretur, invocabat Christum dicens: In petra exaltasti me, deduxisti me et factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici: Statuisti supra petram pedes meos et direxisti gressus meos *: accipe igitur, unigenite, spiritum meum, videns oppressionem meam et ne concludas me in manibus inimicorum. Erant porro omnia ejus viscera disrupta, ossium compago labefactata, et pupillæ oculorum ex orbitis pendebant: sic autem erat confortatus athleta Christi, quasi incus infracta, lapis durissimus et omni adamante fortior. Postquam vero integra die et nocte Sanctus in petra perseverasset, jussit impius Julianus petras disjungi: exspectabat autem eum videre totum contritum et diffractum et mortuum; sed, petris apertis, processit Sanctus ambulans, oculis quidem ex orbita pendentibus, spectaculum triste, et horrendum compendium naturæ humanæ: homo nudus, ossibus contritis et convulsis ex juncturis, cujus corpus exhibebat speciem quamdam humanæ imagini imparem: attamen incedebat, loquebatur et C ipsum tyrannum suis sermonibus aggrediebatur.

* Ps. lx. 3 et Ps. xxxix. 3.

quod miraculum magiæ adscribit imperator,

62 Quem videns nefandissimus Julianus, stupore correptus fuit, et adstantibus dixit: Videtisne triste spectaculum, horrendum compendium, quod ad humanam naturam pertinere non videtur? Nonne magus et incantator quidam est? aut spectrum et fallacium dæmonum indicium? Nunc video Euripidem, sapientem et multarum rerum scientissimum fuisse, quando in Oreste hæc philosophatur *n*:

Non est ulla adeo terribilis dictu res,
Neque afflictio, neque divinitus missa calamitas,
Cujus pondus hominis natura non sustineat.

Etenim, per deos immortales et invictos, non prævidebam scelestum illum et undique sauciatum supervicturum: nunc vero visceribus effusis et ossium compage disrupta, incedit et loquitur: sed dii id permiserunt ad multorum hominum correctionem, ut esset terriculamentum iis, qui supereminentem illorum potentiam non adorant. Martyri autem dixit: En, miser, et oculos amisisti et omnibus membris privatus es; quæ itaque spes tibi

AUCTORE JOANNE MONACHO.

σχολῇ ἐπὶ τοῖς ὀλεθρίοις ῥήμασιν; ἐάσας τὰς βαρβαρικὰς ἐπανάστησεις καὶ τὸν Περσικὸν ἀνεβάλου πόλεμον, δι' ὃν τὴν οἰκουμένην πᾶσαν ἐσάλευσας, καὶ εἰς ἐμὲ τὸν τοῦ Θεοῦ δοῦλον ἀσχολῇ; δίδου ἀπόφασιν κατ' ἐμοῦ οἵαν ἐθέλεις· ἐγὼ γὰρ τοῖς θεοῖς σοῦ οὐ λατρεύω, οὔτε τοῖς σοῖς προστάγμασιν ὑποκύπτω, ἀλλὰ τῷ Θεῷ μου καθ' ἑκάστην προσφέρω θυσίαν αἰνέσεως καὶ ἐξομολογήσεως· ποίει οὖν ὃ θέλεις, παρανομώτατε. Ταῦτα ὁ παραβάτης ἀκούσας καὶ πλήρης θυμοῦ γενόμενος, λατόμους καὶ λιθοξόους ἐκέλευσεν εἰσελθεῖν, καὶ φησὶ πρὸς αὐτούς· ὁρᾶτε τὴν ἀπότομον πέτραν τὴν ἀπέναντι τοῦ θεάτρου πρὸς τοὺς κάταντες τῆς πόλεως ῥέπουσαν; ταύτην οὖν διχάσαντες, καὶ τὸ ἕτερον μέρος αὐτῆς ἀνωφερέστερον στήσαντες, τουτονὶ τὸν ἀλιτήριον ἐμβιβάσατε μέσον· καὶ τοὺς δεσμοὺς τῆς πέτρας εὐαποῤῥήξαντες ἄφετε μετὰ ῥύμης καὶ βάρους ἐναπελθεῖν πρὸς τὸ μέρος ὅθεν διδίχασται· καὶ τούτου μέσον ἐρισκομένου ἅπας κατὰ μικρὸν συνθλασθήσεται, καὶ τὰ ἐντὸς αὐτοῦ πάντα διαῤῥαγήσονται· ἵν' εἴδῃ τίνι ἀνθίσταται, καὶ τίνι πρὸς μάχην ἐξώπλισται, καὶ τί παρὰ τοῦ Θεοῦ αὐτοῦ ὠφεληθήσεται, εἰ ἄρα δυνήσεται αὐτὸν ἐξελέσθαι ἐκ τῶν χειρῶν μου· τοῦ ἔργου δὲ θᾶττον λόγου περαιωθέντος, ἀφῆκαν οἱ λαξευταὶ τὴν πέτραν, ὡς ὁ τύραννος ἔφησεν· ἡ δὲ σὺν βάρει πολλῷ ἐπὶ τοῦ πρανοῦς ἑλεχθεῖσα, ὅλον ἐκάλυψε τὸ σῶμα τοῦ μάρτυρος, καὶ τοσοῦτον αὐτὸν ἐξεπίεσεν, ὥστε τῶν ὀστέων αὐτῶν κατα- E θραυσμένων ἦχον τινὰ κροτηθῆναι φοβερόν τε καὶ βίαιον καὶ ξένον ἀνθρώπινῃ ἀκοῇ.

61 Καὶ ἦν ὁ ἅγιος μέσον τῶν πετρῶν στενοχωρούμενος καὶ ἐκπιεζόμενος, ἐπικαλούμενος τὸν Χριστὸν καὶ λέγων· ἐν πέτρᾳ ὕψωσάς με, ὡδήγησάς με, ὅτι ἐγενήθης ἐλπίς μου· πύργος ἰσχύος ἀπὸ προσώπου ἐχθροῦ· ἔστησας ἐπὶ πέτραν τοὺς πόδας μου, καὶ κατεύθυνας τὰ διαβήματα μου· δέξαι τοίνυν, μονογενὲς, τὸ πνεῦμα μου, ὁ εἰδὼς τὴν στενοχωρίαν μου, καὶ μὴ συγκλείσῃς με εἰς χεῖρας ἐχθρῶν. Ἦσαν γὰρ πάντα τὰ ἐντὸς αὐτοῦ διεῤῥωγότα, καὶ τῶν ὀστῶν ἡ ἁρμονία πᾶσα συντεθλασμένη, καὶ οἱ βολβοὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἐκπεπηδηκότες ἐκ τῶν θυρίδων αὐτῶν· ἀλλὰ καὶ οὕτως ἦν ἐγκαρτερῶν ὁ τοῦ Χριστοῦ γενναῖος ἀθλητὴς, ὥσπερ ἄκμων ἀνήλατος, ἢ λίθος ατέραμνος καὶ παντὸς ἀδάμαντος ἰσχυρότερος. Ποιήσαντος οὖν τοῦ ἁγίου ἐν μέσῳ τῶν πετρῶν ἡμερονύχθιον, ἐκέλευσεν ὁ παράνομος Ἰουλιανὸς διαζευχθῆναι τὰς πέτρας, προσδοκῶν αὐτὸν διεῤῥωγότα καὶ συντεθραυσμένον καὶ νεκρὸν εὑρεθήσεσθαι· ἀνεῳχθεισῶν δὲ τῶν πετρῶν, ἐξῆλθεν ὁ ἅγιος περιπατῶν, τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχων ἐκπεπηδηκότας, καὶ ἰδίας ἕδρας καταλιπόντας, θέαμα φρικτὸν καὶ διήγημα ξένον τῆς ἀνθρωπίνης ὑπάρχων φύσεως, ἄνθρωπος γυμνὸς κατεθλασμένων αὐτοῦ τῶν ὀστῶν καὶ τῶν ἁρμονιῶν συντεθραυσμένων, τὴν οἰκονομίαν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐκ τοῦ F περιέχοντος σώματος ἐξελθοῦσαν παραδεικνὺς, περιεπάτει καὶ διελέγετο καὶ πρὸς τύραννον ἀντεφθέγγετο.

62 Ὃν ἰδὼν ὁ παμμίαρος Ἰουλιανὸς, ἔκθαμβος ὅλος ἐγένετο, καὶ πρὸς παροντας ἐφθέγξατο· ὁρᾶτε, ἔφη, θέαμα ξενὸν καὶ διήγημα τῆς ἀνθρωπίνης ἀλλότριον φύσεως; ἆρ' οὐκ ἐπῳδὸς καὶ γόης πέφυκ' ὅδε; ἆρα μή τι φάντασμα καὶ δαιμόνων ἀπατηλῶν τοῦτο τεκμήριον; νῦν πείθομαι τὸν Εὐριπίδην σοφὸν εἶναι καὶ πολλῶν πραγμάτων ἐν ἐπιστήμῃ τυχάνοντα, ἐν Ὀρέστῃ τάδε φιλοσοφήσαντα·

Οὐκ ἔστι οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος,
Οὐδὲ πάθος οὐδὲ ξυμφορὰν θεήλατον,
Ἧς οὐκ ἂν ἄρετ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Μὰ τοὺς ἀθανάτους καὶ ἀηττήτους θεοὺς, οὐκ ἤλπιζον, ἄνδρες, ἔτι τοῦτον τὸν παλαμναῖον καὶ ἀλετήριον ἐν τοῖς ζῶσι τετάχθαι· νῦν δὲ καὶ ἐνδοσθίων αὐτοῦ ἐκραγέντων, καὶ τῆς ἁρμονίας ἁπάσης διαλυθείσης, κινεῖται καὶ φθέγγεται· ἀλλ' οἱ θεοὶ τοῦτον ἐταμιεύσαντο εἰς πολλῶν ἀνθρώπων σωφρονισμὸν, ἵν' ᾖ μορμολύκιον τοῖς τὸ κράτος αὐτῶν μὴ προσκυνοῦσι τὸ ὑπερκόσμιον· καὶ φησὶ πρὸς τὸν μάρτυρα· ἰδοὺ, ταλαίπωρε, καὶ ὀφθαλμῶν ἐστερήθης, καὶ τῶν μελῶν ἁπάντων ἠχρείωσαι· ποία οὖν ἔτι λείπεται σοὶ ἐλπὶς

AUCTORE JOANNE MONACHO.

ἐλπὶς πρὸς ὃν μάτην ἤλπισας; ἀλλὰ τὴν εὐμένειαν τῶν θεῶν ἐπικάλεσαι· ἴσως ἵλεοι σοι γενήσονται καὶ μὴ σε ταῖς ἐν ᾅδου κολάσεσι παραδώσουσιν.

63 Ὁ δὲ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς κόλασιν ἀκούσας, ἐμειδίασε, καὶ φησὶ πρὸς τὸν ἀσυμπαθῆ καὶ ἀμείλικτον τύραννον· οἱ σοὶ θεοὶ με ταῖς κολάσεσιν παραδώσουσιν; καὶ πῶς ἐκεῖνοι, παμμίαρε, τὴν ἰδίαν κόλασιν μὴ ἐκφυγόντες, ἄλλοις βοηθῆσαι δυνήσονται; ἐκείνοις ἡτοίμασται τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, ἐκείνοις ὁ τάρταρος καὶ οἱ σκώληκες, καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων ὁ μηδέπω παυόμενος· μεθ' ὧν καὶ αὐτὸς παραδοθήσῃ τῷ αἰωνίῳ καὶ ἀτελευτήτῳ πυρὶ, εἰς αἰῶνα κολασθησόμενος· ὅτι τὸν σταυρὸν τοῦ Θεοῦ κατεπάτησας, καὶ τὸ αἷμα τὸ τίμιον ὃ ὑπερ ἡμῶν ἐξέχεεν κοινὸν ἡγήσω, ἐνυβρίσας τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος ἐν ᾧ ἡγιάσθης, δαίμοσιν ὀλεθρίοις πειθόμενος· ἐμοὶ δὲ ὑπὲρ τούτου τοῦ μικροῦ καμάτου καὶ τῆς εὐτελοῦς τιμωρίας ἧς μοι προσήνεγκας, πολλὰ ἀνταποδοθήσεται ἔπαθλα καὶ στέφανοι νικητήριοι, οὓς ἀναδήσομαι εἰς τὸν ἀκήρατον νυμφῶνα μετὰ Χριστοῦ ἀνακλιθησόμενος, καὶ ταινιώσει μου τὴν κεφαλὴν ὁ δεσπότης Χριστὸς ὑπὲρ τὸ ἐφήμερον στέφος, ὅπερ συ περιδέδεσαι· ἀλλὰ τί μοι ταῦτα πρός σε τὸν ἀσεβῆ καὶ ἀλάστορα τύραννον; ἀπόστηθι ἀπ' ἐμοῦ, παρανομώτατε καὶ πάντων ἀνθρώπων ἀνοσιώτατε· δίδου ἀπόφασιν κατ' ἐμοῦ ὁποίαν ἐθέλεις, καὶ οἵαν ὁ σατανᾶς
B ὁ κατοικῶν ἐν τῇ ψυχῇ σου ἐμβάλῃ σοι· ἐγὼ γὰρ τῷ σῷ θελήματι ἀντιτάσσομαι, καὶ προστάγμασι σου οὐχ' ὑποκύπτω· ποίει οὖν ὃ θέλεις, παρανομώτατε.

superest, in qua frustra confidebas? Verum deorum D
benignitatem invoca, fient forsan tibi propitii et non tradent te suppliciis inferni.

63 Christi Martyr, audiens tyrannum immitem et implacabilem supplicia loquentem, subrisit et dixit: Diine tui suppliciis me tradent? Quomodo igitur, maledicte, illi qui proprium supplicium effugere non possunt, aliis auxilio esse poterunt? Illis paratus est ignis æternus, illis tartarum et vermes et stridor dentium numquam interiturus. Et tu cum illis traderis igni æterno et inextinguibili, in æternum pœnas daturus; quia crucem Dei conculcasti, commune duxisti pretiosum sanguinem, pro nobis effusum, et contumelia affecisti spiritum, in quo sanctificatus es, ut malos dæmones sectareris. Mihi vero pro levi hoc labore et brevi cruciatu, quem intulisti, reposita sunt præmia et corona victoriæ, qua cingar, quando intemeratis nuptiis cum Christo accumbam; atque hæc, qua me cinget Christus corona, excellentior erit infulis, quibus ad diem nites. Sed quid hæc ad te, impie et scelerate tyranne? Apage, perverse et omnium nefandissime, profer contra me, quam volueris, quamque habitans in te satan suggesserit, sententiam: ego enim voluntati tuæ contradico, B
neque cedo jussionibus tuis: fac ergo, nefandissime, quod vis.

Martyr vero Christi virtus.

ANNOTATA.

a *Eamdem fere Daphnes descriptionem exhibet Sozomenus, lib.* v, *Hist. Eccl. c.* XIX (1).

b *De S. Babyla ac de sacri corporis translatione actum est a majoribus ad diem* XXIV *Januarii* (2).

c *Cespitare videtur biographus noster, Numeriano adscribens, quod proprium et Philippi imperatoris Certe de Philippo hæc refert Eusebius, lib.* VI, *c.* XXXIV: Interea quum Gordianus sex totis annis Romanum imperium administrasset, Philippus una cum Philippo filio in ejus locum successit. Hunc, utpote christianum, fama est in postrema paschæ vigilia precationum in ecclesiæ participem simul cum reliquo populo fieri voluisse: sed episcopum, qui tunc ecclesiæ præerat, non prius illi aditum permisisse, quam confessionem scelerum fecisset, iisque, qui humanitus lapsi fuerant et in pœnitentium ordine stabant, sese adjunxisset. Quippe ob multa, quæ commiserat crimina, numquam ab episcopo fuisset admissus, nisi prius id fecisset. Et imperator quidem libenter obtemperasse dicitur, sincerumque ac religiosum affectum timoris Dei, operibus ipsis declarasse. *Unde biographus noster errasse dicendus est non solum in nomine, sed in modo, quo is pœnitentiam, ab episcopo impositam, excepit. Verum Pagius in Crit. Baronii ad an.* 244, § V. *Eusebio contradicit, negatque Philippum christiana sacra accepisse. Cfr Tillemont, Hist. imperat. nota* I *in Philippum* (3). *Quidquid sit, certe error est in Numeriano, qui anno Christi* 286 *regnavit, martyrium jam passo S. Babyla anno* 254. *Confer Stiltingum nostrum in Commentario historico de S. Joanne Chrysostomo,* § XI, *ad diem* XIV *Septembris* (4), *qui censet imperatorem, quem S. Babylas ab ingressu ecclesiæ prohibuit, fuisse Decium.*

d *Tres illi Germani fratres in Actis S. Babylæ, ad diem* XXIV *Januarii editis* (5), *vocantur Urbanus, Prilidianus et Epolonius.*

C e *S. Babylæ exhumationem insinuat etiam Ammianus Marcellinus, lib.* XXII, *cap.* 12, *dum dicit Julianum, volentem recludere fontes Castalios, in Daphne constitutos,* circumhumata corpora statuisse exinde transferri eo ritu, quo Athenienses insulam purgaverant Delon. *Verum S. Babylam apertius indigitat ipse Julianus in Misopogo; nam postquam dixisset* (6) sepulchra atheorum *(Christianos intelligit)* omnia, signo a se dato eversa *fuisse, addit tamen mortuum Daphne amotum fuisse,* ἀπεπεμψάμεθα τὸν νεκρὸν τῆς Δάφνης, *atque hunc porro mortuum non alium crediderim, quam S. Babylam.* F

f *Spatium quinquaginta studiorum æquivalet in mensura hodierna decem chilometris: Sozomenus tamen solum quadraginta stadia indicat.*

g *Translationem S. Babylæ late descripsit Sozomenus. lib.* V, *c.* XIX *et Bollandus edidit ad diem* XXIV *Januarii post S. Martyris Acta.*

h *Quod prodigio cœlesti adscribit biographus, id odio et sceleri christianorum tribuit Julianus Cæsar: mediam vero viam init Ammianus, lib.* XXII, § XIII *et imprudentiam Asclepiadis philosophi incusat.* Quo, *inquit*, tam atroci casu consumpto, ad id usque imperatorem ira provexit, ut quæstiones agitari juberet solito acriores, et majorem ecclesiam Antiochiæ claudi. Suspicabatur enim, id christianos egisse, stimulatos invidia, quod idem templum inviti videbant ambitioso circumdari peristylio. Ferebatur autem, licet rumore levissimo, hac ex causa conflagrasse delubrum: quod Asclepiades philosophus, cujus in actibus Magentii meminimus, quum visendi gratia Juliani peregre ad id suburbanum venisset, Deæ cœlestis argenteum breve figmentum, quocumque ibat, secum solitus effert, ante pedes statuit simulacri sublimes, accensisque cereis ex usu cessit: unde medietate noctis emensa, quum nec adesse quisquam potuit nec juvare, volitantes scintillæ adhæsere materiis vetustissimis, ignesque aridis nutrimentis erecti, omne quidquid contigi potuit, licet ardua discretum celsitudine concremarunt, *Ex quibus verbis videmus, Ammianum, quum nec cœleste christianorum prodigium admittere*

(1) P. 208. Edit. Cantabr.—(2) Act. SS., t. II Januar., p. 569.—(3) Hist. des Emp., t. III, p. 267. Edit. Brux. 1732.—(4) Act. SS., t. IV Septemp., p. 328. — (5) Act. SS., t. II Januar., p. 509. — (6) Julian. imp. Opera, t. II, p. 95. Edit. Petav. 1630.

vellet,

…CTORE JOANNE MONACHO.

A *vellet, neque injustæ Cæsaris calumniæ favere posset, conjecturæ indulsisse, sparsæ quidem* rumore, *ut ipse inquit,* levissimo, *cui nullum adminiculum præbet testis qualiscumque.*

i *De Samaria, postmodum ab Herode, Antipatri filio instaurata, ideoque in honorem Cæsaris Augusti Sebaste (Augusta) appellata vide Le Quien* (1). *Urbs erat episcopalis sub metropoli Cæsarea.*

k *Confer de hac dispersione ossium S. Joannis Baptistæ Danielem Papebrochium in Commentario historico S. Præcursoris, cap.* V, § 1, *ad diem* XXIV *Junii* (2) : *simulque Rufinum consule, lib.* XI, *cap.* XXVIII, *explicantem, qua ratione plurimæ Sancti Reliquiæ in hunc usque diem servari potuerint.*

l *De statua, Paneade seu Cæsareæ Philippi ab hæmorhoissa erecta agit Eusebius, lib.* VII, *Hist. eccles., cap.* XVIII, *eamque se vidisse testatur. Diaconicum, in quo reposita erat hæc Christi Salvatoris imago, idem est ac quod nos hodie sacristiam vocamus, variisque nominibus apud veteres veniebat, Vestiarium, Metatorium, Mutatorium Secretarium, Decanicum* (3). *Concilium Agathense anni* 506 *sancit can.* LXVI (4) : Non oportet insacratos ministros licentiam habere in secretarium, quod Græci diaconicon appellant, ingredi et contingere vasa dominica.

m *Calamitatem Hierosolymitanam, quæ spes omnes Juliani elusit, describit etiam Ammianus, lib.* XXIII, § I, *hisce verbis :* Diligentiam ubique dividens *(Julianus),* imperiique sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Hierosolymam templum, quod post multa et inte… e…iva certamina, obsidente Vespasiano posteaque Tito, ægre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis ; negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Quum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciæ rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum : hocque modo elemento destinatius repellente, cessavit inceptum. *Rem narrat accurate satis Ammianus, homo idololatra, sed quod tribuit consilio exornandi imperii, Sanctis Patribus coævis aliud nihil est, quam studium impugnandi Evangelii, in quo destructio templi Hierosolymitani prædicta erat. Cfr textus Patrum apud Baronium ad ann.* 363, § X, *seqq. Cæterum Hierosolymitanam calamitatem exponit biogra-* B *phus noster infra num.* 68. E

n *Hi versiculi desumpti sunt ex initio fabulæ Euripidis, Orestes, proferunturque ab Electra*

Cap. VI. S. Artemius a Juliano damnatus, capite plectitur, ejusque corpus C. P. transfertur : vanus Juliani conatus ad Hierosolymitanum templum instaurandum, ejusque cædes a Persis.

S. Artemius capitis damnatus,

Auditis his Martyris verbis, rebellis et a Deo alienus Julianus talem protulit sententiam : Quoniam Artemius, in deos contumeliosus, Romanas et nostras leges contempserit, se ipse christianum pro Romano et Græco professus fuerit, nomen Galilæi titulo ducis et augustalis prætulerit, suprema sententia eum ad mortem damnamus, exsecrandumque ejus caput gladio amputandum jubemus. Accepta hujusmodi sententia, Martyr Christi cum militibus, illum abducentibus, ex tribunali egressus est, lætabundus quidem et exultans, C laudans et glorificans Christum regem. Postquam pervenit ad locum, ubi Christi miles et Martyr consummationem accepturus erat, dixit militibus, qui eum ducebant : Fratres, obsecro vos, sinite me paululum orare ; qui responderunt : Fac, quod tibi placet. Et conversus Sanctus ad Orientem, manibusque in cœlum levatis, sic oravit.

gratias Deo agit.

65 Gratias tibi ago, Domine Salvator eorum, qui in veritate invocant nomen tuum, qua confirmasti me ad conculcandum stimulos diaboli, ad conterendum ejus laqueos, paratos pedibus meis et ad confundendum apostatam Julianum, majestatem tuam abjurantem, et diabolo tuisque inimicis adhærentem et profanantem leges tuas sanctas. Gratias tibi ago, benignissime, quia humilitatem meam respexisti, neque conclusisti me in manibus inimicorum, sed posuisti in latitudine pedes meos et rectos fecisti gressus meos. Gratias tibi ago, unigenitum Verbum Patris, quia me dignatum es bravio supernæ vocationis et societate Sanctorum tuorum, et quia consummasti me in confessione no-

Ταῦτα ὁ παραβάτης καὶ τοῦ Θεοῦ ἀλλότριος Ἰουλιανὸς ἀκούσας παρὰ τοῦ μάρτυρος, ἀπεφήνατο κατ' αὐτοῦ ταυτηνὶ τὴν ἀπόφασιν· Ἀρτέμιον τὸν τοὺς θεοὺς ἐνυβρίσαντα, καὶ τοὺς ῥωμαϊκοὺς καὶ ἡμετέρους καταπατήσαντα νόμους, χριστιανὸν δὲ αὐτὸν ἀντὶ ῥωμαίου καὶ ἕλληνος καθομολογήσαντα, καὶ ἀντὶ δουκὸς καὶ αὐγουσταλίου γαλιλαῖον ἑαυτὸν ὀνομάσαντα, τῇ τελευταίᾳ τοῦ θανάτου παραδεδώκαμεν ψήφῳ, τὴν μιαρὰν αὐτοῦ κεφαλὴν ξίφει ἐκκοπῆναι κελεύσαντες. ταύτην οὖν τὴν ἀπόφασιν ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς δεξάμενος, ἐξελήλυθε τοῦ βήματος μετὰ τῶν ἀπαγόντων αὐτὸν στρατιωτῶν, χαίρων καὶ ἀγαλλιώμενος, ὑμνολογῶν καὶ δοξάζων τὸν F βασιλέα Χριστόν· φθασάντες δὲ τὸν τόπον εἰς ὃν ἔμελλεν ὁ τοῦ Χριστοῦ στρατιώτης καὶ μάρτυς τὴν τελείωσιν δέξασθαι, ἔφη πρὸς τοὺς ἀπαγόντας αὐτὸν στρατιώτας· ἀδελφοί, παρακαλῶ ὑμᾶς, ἐνδοτέ μοι μικρὸν τοῦ προσεύξασθαι· οἱ δὲ πρὸς αὐτὸν εἶπον· ὡς ἐστί σοι καταθύμιον, ποίησον· καὶ στραφεὶς ὁ ἅγιος κατὰ ἀνατολάς, καὶ τὰς χεῖρας εἰς οὐρανοὺς ἐφαπλώσας, ηὔξατο οὕτως.

65 Εὐχαριστῶ σοι, δέσποτα σῶτερ τῶν ἐν ἀληθείᾳ ἐπικαλουμένων τὸ ὄνομά σου, ὅτι ἐνίσχυσας με τὸν ἀνάξιον δοῦλον σου καταπατῆσαι τὰ κέντρα τοῦ διαβόλου, καὶ συντρῖψαι τὰς αὐτοῦ παγίδας ἃς ἔθετο ὑποκάτωθεν τῶν ποδῶν μου, καὶ καταισχῦναι τὸν ἀποστάτην Ἰουλιανὸν τὸν ἀποσκιρτήσαντα τῆς σῆς δεσποτείας, καὶ προσκολληθέντα τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς μισοῦσί σε· τὸν καταπατήσαντα τοὺς νόμους τοὺς ἁγίους σου, καὶ βεβηλώσαντα τὰ ἔνθεά σου προστάγματα· εὐχαριστῶ σοι, φιλάνθρωπε, ὅτι ἐπεῖδες ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν μου, καὶ οὐ συνέκλεισας με εἰς χεῖρας ἐχθρῶν, ἀλλ' ἔστησας ἐν εὐρυχώρῳ τοὺς πόδας μου, καὶ κατεύθυνας τὰ διαβήματα μου· εὐχαριστῶ σοι, μονογενὲς λόγε τοῦ πατρός, ὅτι ἠξίωσας με τοῦ βραβείου τῆς ἄνω κλήσεως, καὶ τοῦ χοροῦ τῶν ἁγίων σου, καὶ ἐτε-

(1) Oriens. Christian., t. III, col. 649 et 1289. — (2) Act. SS., t. IV Junii, p. 767. — (3) Binterim. Denkwürdigk, t. IV, part. I, p. 143. Augusti Handbuch der Christ. Archäol., t. I, p. 389. — (4) Labbe, t. V, Conc. col. 1394.

AUCTORE JOANNE MONACHO.

λείωσας με ἐν τῇ ὁμολογίᾳ σου, καὶ κατήσχυνας τοὺς ἐπανισταμένους ἐπ' ἐμέ· καὶ νῦν ἐπικαλοῦμαί σε, δέσποτα, ἔπιδε ἐπ' ἐμὲ καὶ ἐπὶ τοῖς ῥήμασί μου τοῖς ταπεινοῖς, καὶ δὸς ἀναψυχὴν τῇ κληρονομίᾳ σου, ὅτι ἠσθένησεν καὶ οὐ κατηρτήσω αὐτήν· ἰδοὺ γὰρ οἱ ἐχθροί σου ἤχησαν, καὶ οἱ μισοῦντές σε ἦραν κεφαλήν· ἐπὶ τὸν λαόν σου κατεπανουργήσαντο γνώμην, καὶ ἐβουλεύσαντο κατὰ τῶν ἁγίων σου· εἶπον γάρ· δεῦτε καὶ ἐξολοθρεύσωμεν αὐτούς, καὶ οὐ μὴ μνησθῇ τὸ ὄνομα τοῦ Χριςοῦ ἔτι· ταῦτα κομπάζει Ἰουλιανός, ταῦτα θρασύνεται, ταῦτα ἀπειλᾷ τοῦ λαοῦ σου καὶ τῇ κληρονομίᾳ σου ὑπὲρ ἧς τὸ σὸν αἷμα ἐξέχεας· ἰδοὺ γὰρ τὰ θυσιαστήρια σου κατεσκάφησαν καὶ τὸ ἁγίασμα σου ἐμπέπρησται, καὶ ἡ εὐπρέπεια τοῦ οἴκου σου ἐξηφάνισται, καὶ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης σου ἐξουδένωται, διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν καὶ τὰς βλασφημίας ἃς ἐξέχεεν Ἄρειος κατὰ σοῦ τοῦ μονογενοῦς καὶ τοῦ ἁγίου σοῦ πνεύματος, ἀλλοτριῶν σε τῆς τοῦ πατρὸς ὁμοουσιότητος καὶ ἀποξενῶν σε τῆς αὐτοῦ φύσεως, κτίσμα σε ἀποκαλῶν τὸν δημιουργὸν πάσης τῆς κτίσεως, καὶ ὑπὸ χρόνον τιθεὶς τὸν τοὺς αἰῶνας δημιουργήσαντα· φάσκων οὑτωσί· ἦν ποτὲ ὅτε οὐκ ἦν ὁ υἱός· βουλήσεως καὶ θελήσεως υἱόν σε ἀποκαλῶν ὁ παρανομώτατος· ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν ὁ δυσσεβὴς εὗρεν τοῦ ἰδίου στόματος καὶ ἀδίκου γλώττης τὰς ἀμοιβάς, εἰ καὶ αἱ βλασφημίαι αὐτοῦ μένουσι, καρποφοροῦσαι αὐτῷ τὴν αἰώνιον καὶ ἀτελεύτητον
B κόλασιν· σὺ δέ, μακρόθυμε, στῆσον τὴν καθ' ἡμῶν τυραννίδα, καὶ σβέσον τὸν θυμόν σου τὸν δίκαιον καὶ τὴν ὀργὴν ἣν ἡμεῖς ἐξεκαύσαμεν, ἐν τῷ παραοργίζειν σε κύριε· θραῦσον τῆς εἰδωλολατρείας τὰ ὀχυρώματα, σβέσον τοὺς βωμοὺς τῶν εἰδώλων καὶ τὴν κνίσσαν τῶν ἀκαθάρτων αἱμάτων κατάπαυσον· ἵνα σοι θυσία καθαρὰ καὶ ἀναίμακτος προςάγηται ἐν παντὶ τόπῳ τῆς δεσποτείας σου· ἵνα σου δοξάζηται τὸ πανάγιον ὄνομα, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν τε καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς ἅπαντας αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν.

66 Καὶ κλίνας τὰ γόνατα τρίτον, καὶ προσκυνήσας κατὰ ἀνατολάς, προσηύξατο πάλιν λέγων· Θεὲ ἐν Θεοῦ, μόνε ἐκ μόνου, βασιλεῦ ἐκ βασιλέως, ὁ ἐν οὐρανοῖς ὢν καὶ καθεζόμενος ἐκ δεξιῶν τοῦ σε γεννήσαντος Θεοῦ καὶ πατρός, ὁ ἐπὶ γῆς πολιτευσάμενος διὰ τὴν πάντων ἡμῶν σωτηρίαν, ὁ στέφανος τῶν ὑπὲρ σου εὐσεβῶς ἀθλούντων, ἐπακούσον μου τοῦ ταπεινοῦ καὶ ἀναξίου δούλου σου· καὶ μετ' εἰρήνης δέξαι μου τὴν ψυχήν· καὶ ἀνάπαυσον αὐτὴν μετὰ τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνος σοι εὐαρεστησάντων καὶ δοξασάντων τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν δὲ καὶ εἰς τοὺς ἅπαντας αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν· Καὶ ἐγένετο αὐτῷ ἐξ οὐρανοῦ φωνὴ λέγουσα· Ἀρτέμιε, εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου, καὶ ἡ
C χάρις τῶν ἰαμάτων σοι δεδώρηται· σπεῦδε τοίνυν τὸν δρόμον σου, καὶ τὸν ἀγῶνα τελείωσον· εἴσελθε μετὰ τῶν ἁγίων, καὶ ἀπολάμβανε τὸ βραβεῖον τὸ ἡτοιμάσμενον τοῖς ἁγίοις, καὶ πᾶσι τοῖς ἠγαπηκόσι τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ Χριςοῦ. Ὁ δὲ παράνομος βασιλεὺς πεσεῖται ἐν Περσίδε, σφάγιον γενησόμενον τοῖς ἀκαθάρτοις δαίμοσιν, οὓς ἐθεράπευεν καὶ οὓς ἐτίμα, τοιαύτην ἀντιμισθίαν παρ' αὐτῶν κομισάμενος, καὶ βασιλεύσει ἕτερος ἀντ' αὐτοῦ χριστιανικώτατος καὶ θεοφιλέστατος, καταθραύων καὶ κατασπῶν πάντα τὰ τῶν εἰδώλων σεβάσματα. ὁ δε λάος τοῦ Θεοῦ εὐφρανθήσεται, καὶ πᾶσαι ἐκκλησίαι ἐλευθερωθήσονται τῆς εἰδωλομανίας, καὶ βαθεῖα εἰρήνη τὴν οἰκουμένην ἅπασαν καταλήψεται, καὶ τὸ ὄνομα τοῦ Χριςοῦ ὑψωθήσεται καὶ μεγαλυνθήσεταί ἀπὸ περάτων ἕως περάτων τῆς οἰκουμένης. Οὐ γὰρ ἔτι ἀρεῖ κεφαλὴν ἡ εἰδωλολατρεία, οὐδ' οὐ μὴ σχῇ χώραν ὁ σατανᾶς, τοῦ τὸν θεμέλιον τῆς ἐκκλησίας ἀναμοχλεῦσαι· πύλαι γὰρ ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.

67 Ταῦτα παρὰ τῆς θείας φωνῆς ἐνωτισθεὶς ὁ μακάριος, καὶ πληροφορίαν λαβὼν τῶν μελλόντων πραγμάτων γενήσεσθαι, εὐχαρίστησέ τε τῷ Θεῷ, καὶ χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης γενόμενος ἔμπλεως, ἔκλινε τὸν αὐχένα· καὶ προσελθὼν εἷς τῶν στρατιωτῶν, ἀπέτεμεν τὴν ἁγίαν αὐτοῦ κεφαλήν, εἰκάδα ἐπεχόντος τοῦ οκτοβρίου μηνός, ἐν ἡμέρᾳ

minis tui et adversarios confudisti; nunc invoco te D
Domine, respice in me et ad verba humilitatis meæ, da quietem hereditati tuæ, quæ afflicta est et quam non firmasti. Ecce enim inimici vociferantur et odientes te attollunt caput suum, dolos instruunt in populum tuum et consilium contra sanctos tuos ineunt; nam dicunt: Venite, disperdamus illos et nomen Christi non memoretur amplius: hæc jactat Julianus, hæc fidenter exspectat, hæc minatur populo tuo et hæreditati tuæ, pro qua sanguinem tuum effudisti: ecce altaria tua diruta, sanctuarium tuum igne consumptum, decor domus tuæ evanuit, et sanguis testamenti pro nihilo est habitus, propter peccata nostra et blasphemias, ab Ario effusas, adversum te unigenitum, et Spiritum sanctum, quando te expertem fecit consubstantialitatis Patris tui, ejusque naturæ extraneum, te, creatorem omnium, creaturam appellans, et in tempore factum, qui creavit sæcula. Dicebat enim: Erat tempus, quando non erat filius, et scelestus ille te vocabat filium consilii et voluntatis *a*. Sed impius iste subiit pœnas a
sui oris et linguæ sceleratæ *b*, et siquidem ejus b
blasphemiæ perseverant, patitur ipse supplicium æternum, numquam finiturum. Tu vero, Deus E
longanimis, reprime tyrannidem, adversum nos excitatam, exstingue iram tuam justam et indignationem, quam ipsi incendimus, irritando te, Domine: perfringe idolatriæ munimenta, exscinde idolorum altaria, et cohibe fumum immundi sanguinis ut offeratur tibi hostia pura et incruenta in omni loco dominationis tuæ, ut glorificetur sanctissimum nomen tuum, Patris et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

66 Et tertio flectens genua ac ad Orientem conversus, oravit iterum dicens: Deus de Deo, unus de uno, rex de rege, qui es in cœlis et sedes ad dexteram generantis te Dei et Patris, et in terra conversatus propter omnium nostrum salutem, corona eorum, qui pie pro te pugnant, exaudi me inutilem et indignum servum tuum, recipe in pace animam meam, colloca illam cum Sanctis, qui tibi a sæculo placuerunt et glorificaverunt nomen tuum sanctum Patris et Filii et Spiritus Sancti, nunc et semper et per omnia sæcula sæculorum. Amen. Et facta est de cœlo vox dicens: Artemi, exaudita est oratio tua et data est tibi gratia curationum: festina igitur consummare cursum tuum, et certamen F
perficere. Intra cum Sanctis et accipe bravium, præparatum Sanctis omnibusque amantibus manifestationem Christi. Impius autem imperator cadet in Perside, victima immundorum dæmonum, quos coluit et veneratus est; talem enim mercedem reddent illi. Regnabit vero alius pro eo christianissimus et piissimus *c*, qui confringet et convellet c
idolorum cultum, populum vero Dei exaltabit et cunctæ ecclesiæ liberabuntur ab insania idolorum, paxque secura orbem universum complectetur et sic nomen Christi exaltabitur a finibus ad fines terræ. Deinceps enim idololatria non attollet caput suum neque satanæ dabitur labefactare fundamentum ecclesiæ, nam portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

Cædem Julian prædicit,

67 Postquam divinam vocem auribus suis excepisset beatus et jamjam recepturus plenitudinem futurorum bonorum, Deo gratias egit et plenus gaudio et lætitia collum præbuit, accedensque unus militum sanctum ejus caput amputavit, vigesima die mensis Octobris, feria sexta, quæ parasceve

collumque lictori præbet.

AUCTORE JOANNE MONACHO.

d sceve vocatur *d*. Corpus beatum et sanctum ab imperatore Juliano petiit mulier fidelis, Ariste nomine, diaconissa Antiochenæ ecclesiæ, cui illud dari concessit. Quæ in loculo, a se parato, corpus beatum et sanctum, pretiosis aromatibus et unguentis conditum, composuit, et transmisit in felicissimam urbem Constantinopolim, in illustri statione collocans, eo consilio, ut aliquando templum, magno Martyre, Artemio, dignum ædificaret, ut istic cœtus fidelium ageretur in memoriam insignis
e ejus martyrii *e*. Acta autem sunt hæc, in urbe principe Syriæ, Antiochia, sub Juliano Cæsare, apostata cognominato. Dulcitio proconsule et Sa-
f lustio præfecto prætorii *f*, in loco Daphne, regnante super nos Domino Deo salvatore nostro Jesu Christo.

ἕκτη τῇ καλουμένῃ παρασκευῇ. Οὗ τὸ μακάριον καὶ ἅγιον σῶμα ἐξῃτήσατο παρὰ τοῦ βασιλέως Ἰουλιανοῦ γυνή τις πιστὴ ὀνόματι Ἀρίστη, διάκονος ὑπάρχουσα τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκκλησίας· καὶ ἐπέτρεψε δοθῆναι αὐτῇ· ἣ καὶ ποιήσασα γλωσσόκομον καὶ σμυρνίσασα τὸ ἅγιον αὐτοῦ καὶ μακάριον σῶμα, καὶ πολυτίμοις ἀρώμασι καὶ μύροις εὐωδιάσασα, κατέθετο ἐν τῷ γλωσσοκόμῳ, καὶ ἀνέπεμψεν ἐν τῇ πανευδαίμῳ Κωνσταντίνου πόλει, ἐν τόπῳ ἐπισήμῳ καταθεμένη, ὡς βουλομένη οἶκον ἄξιον τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Ἀρτεμίου πρὸς τὸ σύναξιν ἐπιτελεῖσθαι εἰς μνημόσυνον τῆς ἀοιδίμου μαρτυρίας αὐτοῦ. Ταῦτα ἐπράχθη ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγίστῃ πόλει Συριας, ἐπὶ Ἰουλιανοῦ καίσαρος, τοῦ ἐπικληθέντος παραβάτου, ἀνθυπατεύοντος Δουλικιτίου, καὶ τὴν ὕπαρχον διεπόντος ἀρχὴν Σαλουστίου· ἐν τόπῳ καλουμένῳ Δάφνῃ, βασιλεύοντος ἐφ' ἡμᾶς τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςοῦ.

Exposita Hierosolymitana calamitate, g

66 Diximus supra *g* apostatam Julianum misisse Jerosolymas ad reædificandum Judæorum templum : id nempe dextruxerat et incenderat simul cum urbe Vespasianus ejusque filius, Titus, quemadmodum Christus Dominus prædixerat sanctis suis discipulis, quod scilicet non maneret lapis super lapidem, qui non submoveretur. Quoniam
B igitur impius verba Christi mendacia volebat ostendere, studiose festinabat templum ædificare, jubens ex publico ærario impensas constructionis totius fieri : concurrebant autem Judæi et cum magno gaudio opus aggrediebantur, palis et lingonibus argenteis antiqua fundamenta egerentes, ut nova jacere possent, quum vehemens exorta tempestas fossata obruit, et fulgure ac tronitru tota ista nocte continuo debacchante, circa auroram terræ motus factus est, ita ut multi, etiam in domibus manentes, morerentur, quin et ignis, ex apertis fundamentis erumpens, omnes, istic laborantes, consumpsit. Ceciderunt eodem tempore aliæ civitates, Nicopolis, Neapolis, Eleutheropolis et Gazam, aliæque plurimæ. Porticus Ælia, Jerosolymis in ruinam lapsa, multos Judæos circa synagogam sustulit, et ignis subito erumpens alios combussit : factæ quoque sunt tenebræ in locis istis, et continui terræ motus multiplicem calamitatem in variis civitatibus injecerunt.

68 Ἐπεὶ δὲ ἀνωτέρω εἰρήκαμεν ὡς ὁ παραβάτης Ἰουλιανὸς ἀπέστειλεν εἰς Ἱεροσόλυμα τοῦ τὸν ναὸν τῶν ἰουδαίων ἀνοικοδομήσασθαι, ὃν Οὐεσπασιανὸς καὶ Τίτος ὁ τούτου υἱὸς μετὰ τῆς πόλεως καὶ τοῦτον κατεῖλον καὶ ἐνεπύρισαν, καθὼς προείρηκεν ὁ δεσπότης Χριςὸς περὶ αὐτοῦ πρὸς τοὺς θεηγόρους αὐτοῦ μαθητὰς, ὅτι οὐ μὴ μείνῃ λίθος ἐπάνω λίθου ὃς οὐ μὴ καταλυθῇ. Θέλων οὖν ὁ παράνομος τὰς τοῦ Χριςοῦ φωνὰς ψευδεῖς ἀποδεῖξαι, E
ἐσπούδαζε μάλιστα τὸν ναὸν οἰκοδομεῖν, προστάξας ἐκ τῶν δημοσίων πραγμάτων τε καὶ χρημάτων ποιεῖσθαι πᾶσαν τὴν τῆς οἰκοδομῆς ἔξοδον. Συνδραμόντων οὖν τῶν ἰουδαίων καὶ μετὰ πολλῆς τῆς χαρᾶς τοῦ ἔργου ἐναρξαμένων, καὶ τὴν τῶν θεμελίων τάφρον ἐξορυττόντων ἀργυραῖς ἅμμαις καὶ σκάφαις, καὶ τοὺς θεμελίους μέλλον καταβάλλεσθαι, σφοδροτάτη καταιγὶς ἐπελθοῦσα, τὸ κενωθὲν ἀντεχώνυυ· ἀστραπῶν δὲ καὶ βροντῶν καθ' ὅλην ἐκείνην τὴν νύκτα συνεχῶς καταπεμπομένων, σεισμὸς ἐγγιζούσης λοιπὸν τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε πολλοὺς καὶ ὑπαίθρους μενόντας ἐναποψύξαι· καὶ πῦρ ἐκ τῶν ὀρυσσομένων θεμελίων ἐξενεχθὲν. πάντας τοὺς εὑρεθέντας ἐκεῖσε κατέφλεξεν· καταπεσεῖν δὲ καὶ πόλεις συνέβη τὰς περὶ Νικόπολιν καὶ Νεάπολιν, Ἐλευθερόπολιν τε καὶ Γάζαν, καὶ ἑτέρας πλείους· στοά τε τῆς Αἰλίας ἤγουν Ἱερουσαλὴμ, ἡ παρὰ τὴν συναγωγὴν τῶν ἰουδαίων πολλοὺς τῶν εἰρημένων κατενεχθεῖσα ἀνεῖλεν· πῦρ τε ἐκραγὲν ἀδήλως, πλείστους ἰουδαίων κατέκαυσεν· ἐγένετο δὲ καὶ σκότος κατὰ τοὺς τόπους ἐκείνους καὶ σεισμοὶ συνεχεῖς, πολλὰς φθορὰς ἐν πολλαῖς ἐργασάμενοι πόλεσιν.

Refertur pugna cum Persis

69 Julianus, cum universo exercitu Antiochia profectus, in terram Persicam venit ; et, capta Ctesiphonte urbe, videbatur sibi aliquid egregii
C fecisse, et ad majora adhuc transire. Etenim deceptus infelix ignorabat impendentia, et vota sua diabolica impiæ insaniæ impleri precatus, sperabat opera falsorum deorum suorum longævum sibi fore imperium, novumque Alexandrum futurum, devictis Persis et christianorum genere et nomine stirpitus deleto ; eatenus mentem superbam amisit. Factus enim obviam seni cuidam Persæ, ab illo deceptus fuit : nam sub prætextu tradendi illi sine labore regalia Persarum ornamenta omnesque divitias, deduxit illum cum universo exercitu, in Carmaniticam solitudinem, in loca invia, horrenda et inaquosa : istic milites fame et siti consumpti sunt et equitatus periit : tunc Persa fassus est, se voluntarie illos decepisse, ut perirent et ne videret patriam suam ab hostibus vastatam. Virum itaque, membratim discerptum, statim occiderunt. Post tantam calamitatem, ex improviso in exercitum Persarum inviti occurrunt, et pugna inita, Julianus, quocumque discurrens et omnia disponens, cecidit vulneratus, ut aliqui dicunt, jaculo militis sui, aut Persarum missili secundum alios, sed. ut habet vera christianorum sententia, a Christo Domino, adversario suo. Nam telum,

69 Ὁ δὲ Ἰουλιανὸς ἀπάρας ἀπὸ τῆς Ἀντιοχείας σὺν παντὶ τῷ στρατεύματι, ἐπὶ τὴν Περσίδα γῆν ἐπορεύετο· καὶ τὴν Κτησιφῶντα πόλιν καταλαβὼν, ἐδόκει τι μέγα F
διαπραξάμενος ἔργον, ἐφ' ἕτερα μεταβαίνειν κρείττονα· ἔλαθεν δὲ αὐτὸν ἐξαπατηθεὶς ὁ παμμίαρος· ἔρωτα γὰρ διαβολικὸν τῆς εἰδωλομανίας ἐνκτησάμενος, καὶ ἐλπίσας διὰ μὲν τῶν ἀθέων θεῶν αὐτοῦ πολυχρόνιον βασιλείαν ἕξειν, καὶ νέον γενέσθαι Ἀλέξανδρον, περιγινέσθαι δὲ καὶ τῶν Περσῶν, καὶ τὸ τῶν χριςιανῶν ἐξαλείφειν εἰς ἅπαν γένος καὶ ὄνομα, ἐξέπεσε τῆς ὑπερηφάνου διάνοιας. Γέροντι γὰρ ἐντυχὼν Πέρσῃ καὶ παρ' αὐτοῦ ἀπατηθεὶς, ὥστε τὰ βασίλεια τῶν Περσῶν καὶ πάντα τὸν πλοῦτον ἀμογητὶ παραλήψεσθαι, ἐνέβαλεν αὐτὸν ἐπὶ τὴν Καρμανίτην ἔρημον εἰς ἀνοδίας καὶ βάραθρα καὶ εἰς ἐρήμους καὶ ἀνύδρους τόπους μετὰ παντὸς τοῦ στρατεύματος, καὶ δίψῃ καὶ λιμῷ πιέσας αὐτοὺς, καὶ πᾶσαν τὴν ἵππον ἐναποκτείνας, ὡμολόγησεν ὁ Πέρσης ἑκουσίως αὐτοὺς πεπλανηκέναι, ὡς ἂν διαφθαρεῖεν ὑπ' αὐτοῦ, καὶ μὴ τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα πορθουμένην ὑπὸ τῶν ἐχθίστων θεάσοιτο· τοῦτον μὲν οὖν παραυτίκα μεληδὸν κατακόψαντες, τῷ θανάτῳ παρέπεμψαν· εὐθέως δὲ καὶ μετὰ τῆς τηλικαύτης ταλαιπωρίας, πίπτοντες ἄκοντες τῷ τῶν Περσῶν στρατεύματι, καὶ συμβολῆς γεναμένης, αὐτὸς Ἰουλιανὸς τῇδε κἀκεῖ διατρέχων καὶ διατασσόμενος, περιπίπτει δόρατι, ὡς μὲν τινὲς φάσκουσι, στρατιώτου· ὡς δὲ ἄλλοι, σαρακηνοῦ τῶν Περσῶν· ὡς δ' ὁ χριςιανῶν ὁ ἀληθὴς καὶ ἡμέτερος (λόγος), τοῦ δεσπότου Χριςοῦ ἀντιταξαμένου αὐτῷ· τόξον γὰρ

ἀθρόως

AUCTORE JOANNE MONACHO

ἀθρόως ἀπὸ τοῦ ἀέρος ἐνταθὲν καὶ βέλος ἐπ' αὐτὸν, ὡς ἐπὶ σκοπὸν ἀφιὲν, καὶ διὰ τῶν λαγόνων ὁρμήσαν, διαμπερὲς ἔτρωσεν αὐτὸν εἰς τὰ ὑποχόνδρια· καὶ ἀνοιμώξας βαρύ τε καὶ δυσηχὲς, ἔδοξε τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριςὸν ἐνώπιον αὐτοῦ ἑστᾶναι καὶ ἐπεγγελᾷν αὐτῷ· ὁ δε σκότους καὶ μανίας πλησθεὶς, δεξάμενος τῇ χειρὶ τὸ ἴδιον αἷμα καὶ εἰς τὸν ἀέρα ῥάνας, πρὸς τῇ ἐκπνοῇ γενόμενος, ἀνέκραξε λέγων· νενίκηκας Χριςὲ, χορτάσθητι Γαλιλαῖε· καὶ οὕτως τὸν ἔχθιστον θάνατον καταλαβὼν, κατέστρεψε τὸν βίον, τοὺς αὐτοῦ θεοὺς πολλὰ λοιδορησάμενος.

70 Τοῦ δε παραβάτου πεσόντος ἐν τῷ μεταιχμίῳ τοῦ σρτατοπέδου, Ἰοβιανὸς ἀναγορεύεται βασιλεὺς ὑπὸ τοῦ στρατοπέδου· καὶ σπονδὰς πρὸς τὸν Πέρσην εἰρηνικὰς ποιησάμενος, τὴν Νίσιβιν παραδοὺς τοῖς Πέρσαις ἄνευ τῶν οἰκητόρων, ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν ὁ γὰρ στρατὸς λιμῷ καὶ λοιμῷ διεφθείρετο· ἐλθὼν δε αὐτὸς ἐπὶ τῆς τῶν ῥωμαίων γῆς, τῇ τῶν ἀνομοιητῶν αἱρέσει προσετέθη, ἤγουν Εὐνομιανῶν· Φθάσαντος δὲ αὐτοῦ τὴν Γαλατικὴν ἐπαρχίαν, αὐτόθι ἐν Δαδαστάνοις ἐν τινὶ χωρίῳ οὕτω καλουμένῳ, ἄφνω καταστρέφει τὸν βίον· καὶ μένει ὁ λαὸς ἀβασίλευτος ἡμέρας τεσσαράκοντα, ἄχρις οὗ ἐλθόντες ἐν Νικαίᾳ, Οὐαλεντινιανὸν ἀνηγόρευσαν. Ὁ δὲ Οὐαλεντινιανὸς τὸν ἴδιον ἀδελφὸν ἀναγορεύει βασιλέα τῇ πρὸ πέντε καλανδῶν
B μαρτίων, μετὰ τριάκοντα καὶ δύο ἡμέρας τῆς αὐτοῦ βασιλείας Οὐαλεντινιανῷ τοίνυν ἐντυχόντες οἱ ἐπίσκοποι τῆς καθαρᾶς καὶ ὀρθῆς πίστεως, ἠτήσαντο γένεσθαι σύνοδον· καὶ ἀπεκρίθη αὐτοῖς· ὅτι ἐμοὶ μὲν ὁ Θεὸς ἔδωκεν ἄρχειν τῶν τοῦ κόσμου πραγμάτων, ὑμῖν δὲ τῶν ἐκκλησιῶν· ἐγὼ τοίνυν εἰς τοῦτο τὸ πρᾶγμα οὐδὲν ἔχω· ὅπου οὖν δοκεῖ ὑμῖν συνελθόντες, τὴν σύνοδον ποιήσατε· ταῦτα οὖν ἔτι ὀρθὸν ἔχων τὸ φρόνημα καὶ μήπω διαφθαρὲν ἔφη. Συναχθέντες οὖν οἱ ἐπίσκοποι ἐν Λαμψάκῳ, πόλις δὲ ἔτι τοῦ Ἑλλησπόντου, ἀνακεφαλαιοῦνται τὰ τῆς πίστεως ὀρθὰ δόγματα· καὶ παραθέντες τὴν πίστιν Λουκιανοῦ τοῦ μάρτυρος, αναθεμάτισαν μὲν τὸ ἀνόμοιον, ὑπογράψαντες τῇ πίστει τῇ προεκτεθείσῃ ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ, καὶ εἰς πάσας τὰς ἐκκλησίας διεπέμψαντο· ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα.

repentine ex aere projectum, et sagitta, quasi in D scopum immissa, latera penetrans, illa prorsus perfodit. Flenti autem amarissime, videbatur Dominus noster Jesus Christus stare adversus eum eidemque irridere : et insanus ac furiosus manu sua proprium colligens sanguinem, eumdemque in altum projiciens, jam morti proximus, exclamavit : Vicisti, Christe, satiare, Galilæe : sic pessimam mortem obiit, deos suos vehementer vituperans.

70 Impio sic inter medios exercitus mortuo, *et Juliani interitus.* Jovianus imperator ab exercitu salutatus est. Qui conditiones pacis Persæ proponens, Nisibim sine incolis Persis tradidit, et sic salvus exivit, exercitus enim peste et fame peribat. Postquam autem in terram Romanam advenit, Anomœorum seu Eunomianorum hæresi adhæsit : et provinciam Galatiæ peragrans, in vico quodam, dicto Dadastanis, repente mortuus est. Remansit porro populus sine imperatore diebus quadraginta, donec Nicææ constituti, Valentinianum salutassent. Valentinianus autem fratrem suum imperatorem proclamavit die quinta Kalendas Martii, post dies triginta duos imperii sui. Valentinianum convenerunt episcopi E puræ et rectæ fidei et petierunt fieri synodum, quibus respondit : Mihi dedit Deus dominari rebus sæculi, vobis vero ecclesiis; ad me igitur res non spectat ; ubi itaque conveneritis, synodum celebrate. Hæc autem recte sentiens, et mente adhuc incorrupta locutus est. Convenientes igitur episcopi Lampsacum, Hellesponti civitatem, fidei rectæ doctrinam recolligerunt *h*, et Martyris Luciani fidem *i* exponentes, damnarunt contrariam et subscriptione sua firmarunt fidem sanctorum Patrum Nicænorum, eamdemque ad omnes ecclesias miserunt. In Christo Jesu, Domino nostro, cui gloria.

ANNOTATA

a *Si vere ea verba protulit S.* Artemius, *nullum dubium superest, eum ante mortem Arianam impietatem abjurasse et catholicæ fidei inhæsisse. Quamvis autem in Comment. prævio, n.* 20, *dixerim, sermones Martyrum et Cæsaris Juliani more rhetorum forsan adornatos fuisse, tamen fieri potuit, ut hanc fidei professionem apertissimam vere protulerit Martyr noster, ejusque memoria ad posteros conservata fuerit.*

b *De Arii, nefariæ hæresis auctoris, funesta morte satis late agit anno, quo accidit,* 336, § LIV, *Baronius in suis Annalibus : in latrinam publicam ingressus, effudit viscera sua unde S. Ambrosius, lib.* I, *de Fide* C *ad Gratianum, cap.* XIX, *al.* IX (1) *dicit* : Non est fortuita mors, ubi in sacrilegio pari *(nempe Judæ et Arii)* F pœnæ parilis processit exemplum : ut idem subirent supplicium, qui eumdem Dominum negaverunt et qui eumdem Dominum prodiderunt.

c *Alludit biographus noster ad Jovianum, qui, cæso Juliano, imperator salutatus fuit. Refert Theodoretus, lib.* IV, *Hist. Eccles., cap.* I (2), *Jovianum, priusquam diadema acciperet, dixisse :* Non possum ego, qui christianus sum, talibus præesse, nec Juliani copias regere, pravis imbutas institutis. Nam qui istiusmodi sunt, divinæ providentiæ expertes, facile capi et ludibrio esse hostibus solent. Quibus auditis, milites una voce responderunt. Ne dubita, imperator, nec imperium nostrum velut improbum declina : Christianis namque imperabis et in pietatis doctrina educatis : quippe qui ætate inter nos provectiores sunt, Constantini ipsius doctrinam hauserunt, minores a Constantio instructi sunt : hujus vero vita functi breve imperii tempus fuit, nec ad labem deceptis infigendam satis idoneum. *Julianus vix viginti mensibus a morte Constantii regnaverat. Dr Rohrbacher in sua Historia Ecclesiæ catholicæ, lib.* XXXV (3), *in dubium revocat hanc Joviani professionem, quia,* inquit, *Ammianus, testis oculatus et fide dignus, lib.* XXV, *c.* VI, *nos docet* hostiis pro Joviano extisque inspectis, pronuntiatum fuisse, eum omnia perditurum, si intra vallum remansisset, ut cogitabat; superiorem vero fore, profectum. *Certe si constaret Jovianum superstitionis participem fuisse aut ex auguriis consilium cepisse, omnino neganda esset ejus aperta fidei christianæ professio. Ast nemo, qui novit quanta constantia, plerisque deficientibus, Juliano Cæsari, jubenti christianismi renuntiationem, restiterit* (4), *talé scelus in Joviano admittet. Quoad vero milites attinet, qui eamdem se cum imperatore suo fidem tenere professi sunt, animadvertendum est, alios potuisse esse milites exta consulentes, alios christianos sese profitentes,* acies, *enim, teste Ammiano, c.* V, a dusque lapidem quartum porrigebatur, *imo jam* indumentis circumdatus principalibus *erat, adeoque jam militum christianorum fidem acceperat, quando pars exercitus remotior ignorabat, quæ acta fuerant.* Antesignani, *ait idem auctor,* quosdam clamore Jovianum audientes Augustum,

(1) Ambros. Opera. t. V, p. 377. Edit. Venet. 1781. — (2) Theodoreti Oper., t. III, part. II, p. 946. — (3) Hist. de l'Égl. Cath., t. VII, p. 2. Edit. Bruxel. 1844. — (4) Cfr Theodoret. cit. Socr., lib. III. Hist., cap. XXII, etc.

eadem

A eadem multo magis sonabant; gentilitate enim prope perciti nominis, quod una littera discernebat. D Julianum recreatum arbitrati sunt deduci magnis favoribus, ut solebat. *Hac ratione nihil decrescit auctoritati scriptorum ecclesiasticorum, et sua stat Ammiano sinceritas, quæ tamen, utpote hominis gentilis et Juliano faventis, non omni ex parte vindicanda videtur.*

d *Hic cespitat biographus noster: nam annus* 363, *quo certe passus est S.* Artemius, *signatur littera dominicali E, adeoque dies* XX *Octobris concurrebat cum feria* II : *ut autem is dies* XX *incideret in fer* VI *debuisset notari annus littera dominicali A, qualis nullus occurrit sub imperio Juliani; quandoquidem anni viciniores sunt* 360 *et* 366 *Prudenter igitur diem septimanæ omisit Surius, qui cæterum alio codice usus videtur.*

c *Arista, diaconissa Antiochena, non videtur executioni mandasse consilium ædificandi templi in honorem S.* Artemii, *morte aliave causa præoccupata. Etenim Codinus in suo libro de Ædificiis C. P. hæc de S.* Artemii *templo refert* (1) : Templum S. Artemii Anastasius Dicorus titulo S. Joannis Præcursoris primum erexerat, ubi ipse, quum primus a secretis *(alibi appellatur silentiarius)* adhuc esset, habitavit: postquam vero Reliquiæ S. Artemii eo translatæ fuerunt, nomen ejus Sancti templo impositum fuit. *Anastasius Dicorus anno* 491 *imperator salutatus fuit, adeoque ædificatio templi S. Præcursoris annum istum præcessit, et quoniam ignoratur tempus, quo dictæ Reliquiæ in ædem S. Joannis illatæ fuere, quemadmodum et locus, unde extractæ, nihil affirmari potest de conditionibus primæ translationis, passionem immediate subsecutæ.*

f *Sallustium interpretatus sum* præfectum prætorii, *tum quia hanc dignitatem sub Juliano Cæsare obtinebat, ut habemus ex Ammiani, lib.* XXVI, § V, Orientem, *inquit,* regebat potestate præfecti Sallustius: *tum quia eumdem sensum ingerunt verba græca,* τὴν ὕπαρχον διεπόντος ἀρχὴν Σαλουστίου, vicarium obeunte principatum Sallustio. *Vicariam hanc potestatem, ut habet Pancirolus* (2) *creavit Commodus imperator; ut nempe ipse deliciis vacaret, Perennio præfecto omnes curas commisit. Quocirca recte dicit Casalius*(3) *præfectos prætorii secundas apud Cæsarem partes tenuisse, ac præfuisse disciplinæ* B *publicæ emendandæ. Hisce de causis Constantinus ad præcavenda mala ex nimia potestate, præfecturam in quatuor viros distribuit, singulis varias provincias adscribens.* E

g *Quæ ad finem usque sequuntur, desunt apud Surium; neque immerito, quia ad Vitam S.* Artemii *nullatenus pertinent. Quoad calamitatem Hierosolymitanam spectat, adeat lector librum Gulielmi Warburton, pseudoepiscopi Glocestriensis, qui docte monstrat prodigiosum fuisse istum terræ motum* (4) *contra Jacobum Basnage secus opinantem in sua Historia populi judaici a Christo nato ad præsens tempus* (5).

h *Conventus Lampsacenus conciliabulum fuit Semiarianorum, neutiquam vero catholicorum synodus, quamvis id asserat Sozomenus, l.* V, *cap.* VII (6). *Atque hinc credo, si quidem et S. Joannis Damasceni fœtus fuerit præsens S.* Artemii *Vita et apertissimam habeamus supra num.* 65 *Nicænæ fidei confessionem, pannum esse biographiæ nostræ inconsiderate assutum, maxime quum hæc omnia extra propositam lucubrationem exorbitent, et num.* 67 *consueta clausula finalis apponatur.*

i *S. Luciani, Antiocheni presbyteri et Martyris, Acta exhibuit Bollandus ad diem* VII *Januarii* (7). *Occasione encæniorum Antiochenæ ecclesiæ coacta fuit synodus, in qua prolata fuit quædam fidei professio, vocem Consubstantialis omittens.* Ajebant autem, *inquit, Sozomenus, lib.* III, *cap.* V, reperisse se hanc fidem scriptam manu ipsius Luciani, ejus qui Nicomediæ martyrium perpessus est, viri tum in aliis rebus prestantissimi, tum in sacris litteris exercitati. Utrum vero istud vere dixerint *(episcopi Athanasio contrarii)*, an conscriptionem suam auctoritate Martyris commendare voluerint, equidem nequeo dicere. *Hanc fidei professionem exhibet S. Hilarius, lib. de Synodis seu de fide Orient. num.* XXIX (8), *eamque num.* XXXI, minus expressam *dicit; inter opera vero S. Athanasio olim tributa, Dialog.* III, *de S. Trinitate, num.* I (9), *Arianæ interpolationis accusatur S. Luciani professio. Cfr Alb. Butler, Vita S. Luciani Martyris,* VII *Januarii* (10) *et Baronii Annales ad an.* 218, § LXXVI.

(1) P. 90. Edit. Bonn. 1843. Cfr Du Cange C. P. Christian., p. 119. — (2) Notit. dignit. utr. imp., p. 18. — (3) De Urb. et imp. Rom., p. 396. — (4) G. Warburton. Discours sur le tremblement de terre qui fit échouer le projet de Julien. — (5) Histoire des Juifs, depuis J. C. jusqu'à présent. — (6) Cfr Labbe, t. II, Conc., col. 829 et Baron. cum Critic. Pagi sub anno 364, § XII et sub an. 365, § I. Pagi § II. — (7) Act. SS., t. I C Januar. p. 357. Cfr Alb. Butler. Vies des Pères, VII Janvier, t. I. — (8) S. Hilar. Oper., p. 1167. Edit. Paris. 1693. — (9) S. Athanas. Oper., t. II, F p. 507. Edit. Paris, 1798. — (10) Butler. Vies des Pères, t. I, p. 151. Edit. Lovan. 1826.

DE S. AGRICOLA, PRESBY. ET CONF.

SUESSIONE IN GALLIA.

SYLLOGE HISTORICA.

V. D. B.

TEMPORE INCERTO.
S. Agricola, *presbyter, non vero episcopus, Suessionensis.*

In *auctario Molani ad Usuardi Martyrologium legitur ad diem* I *Junii:* Suessionis, elevatio Sanctorum episcoporum Principii et Lupi confessorum, Gaudini Martyris et Agricolæ presbyteri. *D. S. Gaudino dictum est in opere nostro ad diem* XI *Februarii* (1) ; *de S. Principio, fratre S. Remigii ad* XXV *Septembris* (2) ; *de S. Lupo in præsenti volumine ad diem* XIX *Octobris* (3). *Superest ut hic loci ab oblivione vindicemus S.* Agricolam; *ab oblivione, inquam, quoniam præter ejus nomen nil fere de eo innotescit. Saussayus ad hanc diem scribit de eo:* Suessione S. Agricolæ episcopi et confessoris, meritorum gratia magis quam gestorum claritate gloriosi; *similia habet Giry* (4).

(1) T. II Febr., p. 553 et seq. — (2) T. VII Sept., p. 60 et seqq. — (3) Vide supra, p. 448. (4) Vies des Saints. t. II, col. 1478.

Episcopi

V. D. B.

Episcopi titulum mendosum esse jam animadvertit Henschenius (1), *et presbyterum fuisse S.* Agricolam *statuit ; et certe ita habet Molani Auctarium et præterea nullus venit* Agricola *inter episcopos Suessionenses* (2).

idem forte est ac Agricola, quem S. Remigius educavit

2 *Quæri potest magis quam definiri utrum S.* Agricola, *presbyter Suessionensis, ille idem sit qui cum S. Lupo episcopo Suessionis a S. Remigio heres institutus fuit. Ut diversus habeatur suadet ejus apud Rhemos educatio ejusque (si Flodoardo fides sit) clero Rhemensi adscriptio : ut autem idem habeatur, argumentum est ejus cum S. Lupo consanguineitas ; cujus ratione fieri potuisset ut S. Lupum secutus fuerit, quum ad Suessionenses infulas promotus fuit, vel ut se postea ad eum contulerit : quæ res quidem pugnaret cum disciplina hujus ævi ; verum, licet olim multo minus quam nunc, dispensabatur tamen aliquando ab ecclesiasticis legibus ; deinde in testamentis S. Remigii, ex quibus tamen solis dicta sua deprompsit Flodoardus, nil occurrit unde certo statuatur* Agricolam *Rhemensem fuisse presbyterum. Permitto hæc itaque lectoris judicio non secus ac ea quæ huic nituntur conjecturæ. Porro si admittatur S.* Agricolam *consanguineum fuisse S. Lupi,* B *hæc de eo nobis edisceret Flodoardus :* Fuerunt, *inquit* (3), hujus denique beatissimi Patris nostri *(Remigii)* temporibus, in hac urbe viri clarissimi, Deoque virtutibus accepti, tam ex clero, quam ex ordine laicali, utpote qui tali, tam venerando, tamque sanctissimo famulabantur patri. Quorum videtur eximius Agricola, nepos ipsius, presbyter venerandus, et eidem obsequiis, ut ipse testatur, a pueritia placitus, quam domesticos ejus exegit intra parietes : quem etiam cum ecclesia Remensi beatoque Lupo episcopo fratris sui filio in omni substantia sua, præter id quod specialiter unicuique donaverat darive jusserat, hæredem constituit. Ei quoque mancipia nonnulla cum vineis peculiariter deputans tradidit, hoc illi fidenter injungens, ut diebus festis et omnibus dominicis sacris altaribus ejus offerretur oblatio, annuaque convivia Remensibus presbyteris et diaconibus præberentur.

et heredem suum instituit,

3 *Desumpsit hæc Flodoardus ex testamento sive breviori, sive fusiori S. Remigii* (4) ; *cui posteriori hæc Agricolæ subscriptio additur :* † Agricola presbyter : cui pater meus Remigius maledixit, maledixi ; et cui benedixit, benedixi ; interfui quoque C atque subscripsi ; *quæ in testamento breviori, cujus decessores nostri sinceritatem tuiti sunt* (5), *et de quo iterum carptim dictum fuit superius* (6), *non inveniuntur, sed reliqua quidem quæ ad laudem* Agricolæ *et legata pertinent. Pauca hinc decerpimus* (7) ; Quandocumque ego Remigius episcopus de hac luce transiero, tu mihi hæres esto, sancta et venerabilis ecclesia catholica urbis Remorum ; et tu, fili patris mei, Lupe episcope, quem præcipuo semper amore dilexi, et tu, nepos meus, Agricola presbyter, qui mihi obsequio tuo a pueritia placuisti, in omni substantia mea, quæ mea sorte obvenit, antequam moriar ; præter id, quod unicuique donavero *etc.; et inferius :* Tibi autem nepos meus Agricola presbyter, qui intra domesticos meos parietes exegisti pueritiam tuam, trado atque transcribo Merumvastem servum *etc. Hæc ex testamento breviori.*

et qui hujus videtur fuisse ex sorore nepos.

4 *Hinc miror a Suyskeno nostro* (8) *scripta fuisse sequentia :* Denique Flodoardus lib. I, cap. XXIII D tres alios S. Remigii NEPOTES memorat, nimirum Agricolaum presbyterum, Aetium et Agathimerum ; verum hi forsitan illi innotuere ex solo ejusdem Sancti testamento prolixiori, ab eruditis jam passim meritoque rejecto ; *nam et ipse alibi* (9) *ostendit Flodoardo etiam brevius testamentum præluxisse, in quo non tantum (ut ex recitato fragmento manifestum est)* Agricolæ nepotis *S. Remigii mentio fit, sed et* nepotis Prætextati (10), nepotis Aetii (11), *necnon* nepotis Agathimeri (12). *Nullus itaque dubitandi locus est quin S. Remigio nepos fuerit* Agricola. *Verum qaid sibi vult istud vocabulum* nepos, *cujus significatio alia hic videtur quam* filius fratris, *quæ uni S. Lupo servari videtur? Imprimis* nepos *hic indicare nequit filium filii seu filiæ, quum S. Remigius, numquam matrimonio junctus, in juvenili ætate episcopalem sedem conscenderit* (13) ; *neque patruelem seu consobrinum, quum S. Remigius diu post fratres natus sit* (14), *et proin curare non potuisset consobrini pueritiam ; quocirca crederem hos quatuor nepotes ex sorore S. Remigii nobis incognita prognatos, eosque* nepotes *vocari,* sicut sororis filium, *ut Joannis Sarisberiensis* (15) *phrasi utar,* vulgus nepotem dicere consuevit. *Cæterum* E *de cognatis S. Remigii et proin* Agricolæ *vide plura apud Suyskenum* (16).

5 *De ætate S.* Agricolæ *aliquid certi definire non minus difficile. Si secundum præmissa teneas eum S. Remigii ex sorore nepotem et S. Lupi consobrinum fuisse, eum circa annum* 532 *floruisse statuas oportet* (17). *Sin autem cum ab S. Remigii nepote distinguas ex sepulturæ sociis et loco aliquid conjicere potius quam certo colligere licebit. Primitus sepultus fuit S.* Agricola *cum SS. Principio, Lupo et Gaudino in ædicula cœmeteriali S. Theclæ* (18) ; *ex his S. Principius pertinet ad exiens sæculum* V, *S. Lupus ad iniens* VI, *S. Gaudinus demum ad exiens* VII (19) ; *hinc pronum est credere S.* Agricolam *saltem ad hæc tempora referendum esse. Ex Le Moine* (20) *nonne mo fors conabitur magis constringere nodum. Animadvertit hic scilicet S. Theclæ cœmeterium extra urbis mœnia situm fuisse, et quidem ad latus meridionale Axonæ fluvii, inter vicum S. Germani et Milem, art; quemadmodum sibi reperisse visus est Claudius Domay, postquam multam in investigandis antiquis Suessionensibus cœmeteriis operam posuisset. Statuit deinde cœmeteriis intra civitatum mœnia initium datum exeunte sæculo* VI F *sub pontificatu S. Gregorii Magni.*

Sepultus fuit cum aliis Sanctis extra urbem,

2 *Verum quæ hoc forte ævo occurrunt exempla rara sint omnino. De hac re aliquid in commentario de S. Mummoleno ad diem* XVI *Octobris* (21) *conatus sum, et quum in Vita illius Sancti, (quam idcirco ad sæculum* VIII *referendam æstimavi), legeretur cum* extra muros in ecclesia SS. Apostolorum sepultum fuisse, quia civitas vivorum dicitur, non mortuorum, *visum mihi fuit ante seculum* IX *usum sepeliendi intra mœnia parum invaluisse ; et certe non omnino assentiendum esse Suessionensi antiquario constat vel ex ipsius S. Gaudini sepultura, et multo magis ex his Gervasii Dorobernensis seu Cantuariensis de Cuthberto Cantuariensi archiepiscopo, qui medio sæculo* VIII *floruit, verbis* (22) : Cuthbertus Herefordensis episcopus, qui Romam profectus suscepit pallium et plenitudinem potestatis a papa Gregorio (II), optinuit etiam ut archi-

prout moris fuit usque ad sæculum VIII *seu* IX.

(1) Act. SS., t. I Jun., p. 7. — (2) Cfr Gall. Christ., t. IX, col. 334 et seqq. — (3) Hist. Rem. eccles., l. I, c. XXIII, Biblioth. Max. Pat., t. XVII, p. 526. — (4) Ibid., lib., I, cap. XVIII, p. 518 et seq. — (5) Act. SS., t. I, Oct., p. 106 et seqq. — (6) Cfr supra, p. 450. — (7) Act. SS., t. I, Oct., p. 167. — (8) Ibid., p. 66. — (9) Ibid., p. 106. — (10) Ibid., p. 168, c. — (11) Ibid., l. c. — (12) Ibid., p. 168, d. — (13) Ibid., p. 69. — (14) Ibid., p. 66. — (15) Epist. 89, Bibl. Max. Patr., t. XXIII, p. 437. — (16) Act. SS., t. I Oct. p. 66. — (17) Vide supra, p. 450. — (18) Cfr Act. SS., t. VII Sept., p. 62, d. — (19) Cfr Gallia Christ., t. IX, col. 334 et seqq. — (20) Antiq. de la ville de Soissons, t. I, p. 181. — (21) T. VII Oct., p. 955, d e. — (22) Act. Pontif. Cantuar. ap. Twysden, Hist. Aug. Scriptt. x, col. 1641.

episcopi

A episcopi omnes de cætero sepulturæ traderentur in ecclesia Cantuariæ, et ut cimiterium faceret intra civitatem Cantuariæ. Solebant enim a primis temporibus usque ad istius obitum reges Canciæ, archiepiscopi quoque at monachi ecclesiæ Christi, sed et populus civitatis in atrio ecclesiæ apostolorum Petri et Pauli sepeliri. Dicebant enim Romani primi in Angliam missi, civitatem non esse mortuorum sed vivorum; sed Deo volente et beato Cuthberto procurante, auctoritate Gregorii papæ et assensum regis Eadbrithi statutum est, ut omnes archiepiscopi Cantuarienses in sua Cantuariæ sepelirentur ecclesia, videlicet ut illam haberent in requie quam in vita rexerant cum honore. *Quocirca ex sepulturæ loco deducere quidem ausim S.* Agricolam *sæculo* IX *antiquiorem esse, nil vero ultra.*

deinde translatus fuit in templum cathedrale Suessionense, ubi ejus reliquiæ combustæ fuere anno 1568.

7 *Quamdiu vero jacuerit S* Agricola *in ædicula cœmeteriali S. Theclæ, seu quandonam elevatum aut potius cum aliis Sanctis in templum cathedrale Suessionense translatum fuerit, res admodum incerta est. Quoniam S. Principii brachium asservabatur in ecclesia S. Amati Duacena, æstimavit Cleus noster* (1), *id illuc delatum post persecutionem Normannicam; et quidem anno* 901 *ipsos Suessionenses præ Normannorum metu cum sacris pignoribus aliorsum fugisse adeoque nonnulla Sanctorum corpora detulisse Duacum alibi docuimus* (2). *Quocirca probabile habeo jam ante hæc tempora ex suburbana S. Theclæ capellula ut S. Principii, sic et S.* Agricolæ *aliorumque exuvias, intra mœnia in ecclesiam cathedralem deportatas fuisse, ut ingruentium Normannorum furori subducerentur; anno vero* 901 *Divionum* (3), *Duacum* (4) *et in alia firmiora castra deducta. Recepere postea Suessionenses sua pignora; sed, ut in commentario de S. Lupo* (5) *fuit dictum et sæpius alibi in nostro opere, combusta fuerunt ab hæreticis anno* 1568.

(1) Act. SS., t. VII Sept., p. 62. — (2) Ibid., t. VII Oct., p. 1105. — (3) Chron. Besuense, ap. D. Bouquet, t. IX, p. 20. — (4) Act. SS., t. VII Oct., p. 1105. — (5) Vide supra, p. 451.

B E

DE S. BRADANO ET ORORA,

DEQUE ALIIS SANCTIS, QUI OLIM COLEBANTUR IN INSULA MANNIA IN MARI HIBERNICO.

SYLLOGE.

V. D. B.

§ unica. Varia fata episcopatus Manniæ seu Sodoriensis; ad quas provincias ecclesiasticas pertinuerit; Sancti in insula Manniæ olim culti; superstes eorum memoria in ædibus sacris.

ANTE SÆCULUM FORTE VII. *Status ecclesiasticus insulæ Manniæ a tempore S. Patricii usque ad adventum piratarum Norvegorum;*

O*ccasione SS.* Bradani *et* Ororæ *quorum hodie memoria agitur, placet recensere omnes Sanctos, qui olim in insula Mannia colebantur, et ante omnia fata episcopatus hujus insulæ exponere. Insula Mannia olim appellata fuit* Monoeda, Monabia, Menavia, Mevania, Eubonia, Menaw, *ab incolis* Maning, *ab Anglis aliisque* Man (1), *et probe distinguenda est ab insula* Mona, *nunc* Insula Anglorum *seu* Anglesey *dicta; cæterum Mannia et Mona aliquando uno verbo insulæ* Menaviæ *seu* Mevaniæ *nuncupatæ sunt* (2). *Initio occupata fuit a Scotis; quibus primus episcopus (agmen fabulosorum omitto* (3)) *sæculo* V *datus legitur S. Germanus, de quo nonnulla dixit Sollerius noster ad diem* III *Julii* (4); *et cujus operam pro fide Christi inserenda Mannensium animis continuarunt eodem sæculo duo alii sancti episcopi, Conindrus seu Conderius et Romulus seu Romailus, et dein S. Maccaldus seu Magaile et S. Conannus seu Mochonna* (5). *Circa annum* 620, *quo Mannia trecentas fere capiebat familias, Edwinus, rex Northumbriæ, teste Beda, Mevanias insulas sibi subjecit* (5); *verumtamen non expulit pristinos incolas, quum plerique etiam nunc antiqua Scotorum seu Hibernorum lingua, admixtis aliquot Norwegicis et Anglicis verbis, utantur* (7), *et quum plures ecclesiarum patroni (ut inferius videbitur) ad Hibernicam seu Scoticam gentem pertineant, non vero ad Anglicanam.* F *Neque tunc temporis in administrandis rebus ecclesiasticis aliquid immutatum videtur, quum certo certius clerus Scoticus seu Hibernicus esset; et proin censendum est abbatem insulæ Hionæ, penes quem metropolitana in Scoticas ecclesias potestas erat, Manniæ quoque ecclesiasticum rectorem fuisse. Episcopos tamen stabiles ibidem tunc sedisse credibile non est, quum nulla supersint vestigia et quum per vagos episcopos Scotos, quibus nil in ecclesiastica historia notius, episcopalia munia sufficienter ministrari potuerint.*

post Manniæ desolationem instituitur sæculo XII *sub archiepiscopo Eboracensi diœcesis Sodorensis, capiens fere Æbudas;*

2 *Verum postquam anno* 801 *Hyense S. Columbæ monasterium a piratis Normannis destructum fuit, ita ut abbas usque ad annum* 1080 *in Hibernia plerumque versatus sit* (8), *et postquam medio sæculo* IX *piratæ item Norwegi Manniam devastarunt eamque pro libidine exhauserunt, donec Haroldus Harfagre, rex Norwegiæ, circa annum* 910 *eam occuparit et comitibus secundum certas leges administrandam tradiderit* (9), *nemo non intelligit quam tristis*

(1) Cfr Camdenus, ap. Langebek, Scriptt. rer. Danicarum, t. III, p. 239. — (2) Cfr Pinkerton, Enquiry into the history of Scotland, t. II, p. 304. Edit. 1814. — (3) Cfr Usserius, Antiq. eccles. Brit., p. 339. Edit. 1687. — (4) Act. SS., t. I, Julii, p. 667. — (5) Lanigan, Eccles. Hist. of Ireland, t. I, p. 301 et seqq. Colganus, Acta SS. Hiberniæ, t. I, p. 59 et seq. Usserius, Antiq. eccles. Brit., p. 336. — (6) Cfr Pinkerton, t. II, p. 301. — (7) Cfr Camdenus ap. Langebek, t. III, p. 240, et Carlisle, Topogr. Dict. of Scotland, v° *Man*. — (8) Pinkerton, t. II, p. 268. — (9) Ibid., t. II, p. 294 et seqq.

fuerit

V. D. B.

fuerit hoc ævo in Mannia rerum sacrarum conditio. Potuit quidem deinceps aliquantisper restaurari (1) ; *verumtamen cessavit Mannensis episcopatus usque ad sæculum* XII; *quo inter annum* 1130 *et* 1139 *Wimundus, Saviniacensis monachus, primus episcopus ab archiepiscopo Eboracensi consecratus fuit. Capiebat hic novus episcopatus non tantum Manniam et Monam, sed et Æbudas seu Hebridas fere omnes (cfr V. Spruner Atlas. n.* 30), *quod tunc unum regnum censerentur ; qui autem regimine ecclesiasti co potiebatur, dicebatur interdum episcopus* Manniæ, *aliquando* de Schid *seu* de Skye *(quæ una ex præcipuis Hebridis est), sæpius* Insularum, *vulgo autem* Sodorensis. *Cujus ultimæ appellationis hæc est ratio : quum Norwegi ex patria sua ad latus occidentale Scotiæ et Angliæ vela facerent, obvias habebant ad septentrionem Angliæ Orcadas insulas, inferius Hebridas, quas ratione Orcadarum seu (ut alii volunt) Æbudarum septentrionalium appellarunt* Insulas Meridionales, *seu* Sudreyia *lingua Islandica* (2), *et* Sodereyer *Norwegica* (3).

Anno 1152 Sodorensis diœcesis transit sub metropolitam Nidrosiensem, a quo episcopi consecrantur usque ad sæculum XIV;

3 *Dum hæc agerentur, fervebant jam pridem controversiæ inter archiepiscopum Eboracensem et Scotos, illius metropolitanæ jurisdictioni colla submittere detrectantes ; quæ et in causa fuerunt cur Sodorensis episcopatus a provincia Eboracensi ad Nidrosiensem (Drontheim) in Norwegia transierit. Quum enim reges Norwegiæ supremum Hebridarum et Manniæ imperium haberent, neque ipsis magis placeret quam regibus Scotiæ Eboracensis archiepiscopi auctoritatem agnoscere, adeoque admittere noluissent Radulphum episcopum Orcadensem, ab Thurstino Eboracensi consecratum* (4), *aliumque postea intrudissent* (5), *verisimiliter in Norwegia inauguratum ; quumque insuper conatus multi fierent ut archiepiscopatus in Norwegia constitueretur* (6), *missus est in Norwegiam legatus Nicolaus Breakspear, episcopus Albanensis, post Hadrianus Papa IV, qui ex demandato sibi munere Nidrosiensem archiepiscopatum constituit cum novem suffraganeis ; quos inter Sodorensis* (7). *Atque hæc res anno* 1152 *peracta* (8) *et ab Anastasio IV confirmata fuit, et dein sæpius rata habita, nempe ab Alexandro III, Clemente III et Innocentio III* (9), *qui decessorum suorum bullas commemorat. Perseveravit hic rerum status usque ad medium sæculum* XIV, *licet Reginaldus, rex Manniæ, anno* 1205 *et sequentibus regi Angliæ hominium prestiterit* (10)

C *et anno* 1219 *Honorio Papæ III se suasque terras in feudum et protectionem obtulerit* (11), *et licet anno* 1266 *Magnus, Norwegiæ rex, easdem insulas Alexandro III regi Scotiæ cesserit* (12). *Verumtamen operæ pretium est animadvertere nuspiam Sodorensis episcopi nomen venire in decretis disciplinaribus aliisque id genus documentis, ad provinciam Nidrosiensem pertinentibus et quæ plura numero in Historia ecclesiastica Islandiæ Finni Johannæi exstant ; sed contra in Constitutionibus, quas Marcus Sodorensis præsul anno* 1291 *promulgavit, invocari* consuetudinem ecclesiæ Anglicanæ et nostræ (13). *Nihilominus usque ad sæculum* XIV *a Nidrosiensi archiepiscopo consecrati fuere episcopi Sodorenses omnes ; adeo ut Guilielmus Russell primus ab hoc ordine desciverit, Avenione a Clemente Papa VI anno* 1348 *consecratus* (14). D

ad quam deinde provinciam pertinuerit illa diœcesis dubium est; sed anno 1471 adscribitur novæ provinciæ Andreopolitanæ

4 *Atque hoc tempore novæ factæ sunt mutationes. Intra sæculi* XII *priorem partem eligebatur videlicet Sodorensis præsul decreto regis Insularum et consultu populi* (15); *deinde vero ex concessione Olavi et Godredi regum Manniæ per abbatiam Furnesiensem* (16), *post per clerum insulæ Manniæ, ut de Guilielmo Russell diserte legitur* (17); *postea vero episcopi a Romano pontifice designati fuere et interdum ab ipsomet consecrati* (18). *Qui utrum Nidrosiensem archiepiscopum, an vero Eboracensem archiepiscopum tamquam metropolitanum agnoverint, seu an immediate subjecti fuerint S. Sedi, seu potius an incerta fuerit et varia subjectionis ratio, dubitandi est locus* (19). *Ast hujus rei examinatione longius a tramite abduceremur. Superest itaque ut paucis declaremus quo pacto Insulæ sub auctoritatem metropolitarum Scotiæ transierint. Controversias, inter episcopos Scotos et Eboracensem archiepiscopum sæculo* XII *ferventes et quas num.* 3 *tetigimus, ita diremerat anno* 1188 *Clemens Papa III, ut novem diœceses Scoticas immediate S. Sedi subjecerit* (20). E *Perseveravit hic rerum status usque ad medium sæculum* XV, *ubi inter bellorum tumultus Eboracensis antistes post multa cassa conamina auctoritatem tandem suam in Scotos extendit* (21), *et (ni fallor) in Sodorensem etiam. Obstitit tamen Romæ Patricius Grahamus, electus S. Andreæ episcopus, qui annis* 1471 (22) *et sequenti* (23) *duas bullas impetravit, quibus S. Andreæ cathedra metropolitana esse et duodecim reliqui Scotiæ episcopi suffraganei esse jubebantur* (24); *quos inter Sodorensis* (25). *Mense Septembri anni* 1474 *publice hoc pontificium decretum promulgatum est* (26) *cum reliquorum episcoporum invidia ; qui gravi in Grahamum odio flagrantes ejus auctoritatem repudiarunt* (27) ; *et quidem Husmannus, anno* 1477 *legatione pontificia in Scotia fungens, eum multorum scelerum accusatum deposuit. Anno itaque sequenti Grahami loco suffectus et Guilielmus Scheves* (28); *qui quum anno* 1487 *ad Sedem apostolicam venisset, ut Jacobi III Scotorum proregis nomine obsequia Innocentio VIII non ita pridem præmoto præstaret, novo honore a pontifice auctus est, quippe qui creatus est primas Scotiæ ac legatus natus* (29). F

et anno 1487 novæ Glascuensi.

5 *Hac occasione institutam quoque arbitror provinciam ecclesiasticam Glascuensem, a Santandreana avulsam. Re quidem vera in his dissentio ab omnibus reliquis, quos novi, scriptoribus : sed certa ratio urget. Etenim litteræ dimissoriales, quas anno* 1487, IV *Nonas Junii, pontificatus sui anno* III *dedit Innocentius VIII pro informationibus de Margarita regina Scotiæ inter Sanctos referenda, inscribuntur* venerabilibus fratribus ARCHIEPISCOPO S. ANDREÆ et EPISCOPO GLASCUENSI *etc.* (30); *quibus ruunt asserta Miræi* (31) *Glasguensis archiepiscopatus initia ad tempora Sixti IV referentis, anonymi*

(1) Cfr Münter, Kirchengeschichte von Dänemark und Norwegen, tom. I, p. 554. — (2) Cfr Annal. Island. regii, ap. Langebek, tom. III, pag. 77 et passim. — (3) Münter, tom. I, pag. 553. — (4) Cfr litt. Calixti II, in Monast. Angl., tom. VIII, pag. 1186, n. XLV. — (5) Cfr litt. Honorii II, ibid., n. XLIV — (6) Münter, tom. II, part. I, p. 92 et seqq. — (7) Cfr Bulla Anatasii IV, ap. Thorkelin, Diplomatarium Arna-Magnæanum, t. II, p. 3 et seqq. — (8) Finnus Johannæus, Hist. eccles. Islandiæ, t. I, p. 287, not. *b*. — (9) Ap. Bréquigny, lib. VIII, ep. CCXIV. — (10) Cfr Langebek, t. III, p. 225, not. *g*, p. 226, nott. *l* et *o*. — (11) Cfr Reginaldi R. litt. ap. Raynaldum, Annal. eccles. ad an. 1219, n. 44. — (12) Langebek, t. III, p. 236 et seq., not *f*. — (13) Ap. Monast. Anglic., t. V, p. 254, cap *de excomm. quater per annum*. — (14) Cfr Chronicum Manniæ ap. Usserium, Antiq., p. 339. — (15) Cfr epist. Olavi, in Monast. Anglic., t. VIII, p. 1186, n. XLVII. — (16) Cfr Bulla Cælestini papæ, ap. Gough, Britannia Camdeni, t. III, p. 704. — (17) Chron. Manniæ ap. Usserium, Antiq., p. 339. — (18) Münter, t. II, part. I, p. 99, ex Johnstone, Antiq., p. 47. — (19) Cfr Waddingus, Ann. Min. ad an. 1425, n. 8, t. X, p. 89. Edit. 1734; ibid., ad an. 1455, n. 89, t. XII, p. 300. — (20) Cfr litt. Clementis III ap. Baronium ad 1188, n. 21 et Critice Pagii ad 1192, n. 2. — (21) Spondanus, Annal. eccl. ad an. 1466, n. 7. — (22) Miræus, Notit. Episc., p. 239; Polydorus Virgilius, Hist. Angl., lib. XXIV, p. 663 Edit. 1661. — (23) Raynaldus, Contin. Annal. Baronii, ad an. 1472, n. 17. — (24) Spondanus, ad 1472, nn. 16 et 18. — (25) Polydorus Virgilius, lib. XXIV, p. 663. — (26) Jo. Leslæus, de Origine, moribus et rebus gestis Scotorum, lib. VIII, p. 305. — (27) Ibid., l. c. — (28) Ibid., p. 306. — (29) Cfr Raynaldus, ad an. 1487, n. 32. — (30) Ibid., ad an. 1487, n. 26. — (31) Notit. episc., p. 334.

Scoti

A *Scoti* (1) *annum* 1471 *signantis et Carlisle* (2) *ponentis annum* 1484. *Quod vero cum Gough* (3) *non eumdem est in Keithii sententiam annum* 1500 *scribentis non minus manifestum est, quum anno* 1491 *certo Glascuensis præsul archiepiscopi juribus potiretur, ut ex controversiis, quas hoc anno cum Andreopolitano antistite de utriusque auctoritate habuit, satis superque constat* (4). *Quum itaque inter annum* 1478 *et* 1491 *constringamur, quid satius quam ut Glascuensis sedis metropolitana jura ad tempus, quo primatus Scotiæ institutus est, referamus? Porro provincia Glascuensis, ex Andreopolitana dissecta, tres capiebat diœceses suffraganeas, inter quas veniebat Sodorensis, ut Miræus* (5), *Carolus a S. Paulo* (6), *Spelmannus* (7) *et Von Spruner* (8) *recte habent.*

Circa annum 1540 per schisma Anglicanum scinditur diœcesis Sodorensis duas in partes: ita ut ex sola Mannia diœcesis constituatur sub Eboraco, et Æbudæ Scotos sequantur.

6 *Atque hinc devenimus ad ultima ante schisma diœcesis Sodorensis fata, seu ad divisionem diœcesis Sodorensis duas in partes. Carlisle* (9) *reponit hanc divisionem ad annum* 1333, *quo penes Anglos insula Manniæ facta est. Verum id admitti non potest, quum ex Chronico Manniæ* (10) *certum sit Guilielmum Russel, quem anno* 1348 *consecratum diximus,* in ecclesia cathedrali S. Germani in Man in Halmo episcopum Sodorensem *seu* Insularum *electum fuisse; atque eodem modo successores episcopi Sodorenses dicti fuerunt, quod omnes Æbudæ*
B *eis subessent; deinde post annum* 1333 *æque ac ante* (11) *promiscue nuncupati sunt jam episcopi Sodorenses* (12) *jam Manniæ seu etiam de Man in Scotia* (13); *tertio in provinciali Romano, anno* 1504 *Romæ impresso, sed aliquandiu ante collecto* (14) *et sæpe dein typis dato* (15), *una Sodorensis diœcesis, nequaquam Manniæ, prodit. Nullus itaque dubito quin divisio ista referenda sit ad reformationis tempora. Joannem Howden, Ordinis Prædicatorum theologiæ professorem, die* XIX *Junii anni* 1523 *Hugoni succedere jussit Adrianus Papa VI, ut ex bulla institutionis habemus* (16); *quem ultimum episcopum catholicum fuisse arbitror. Hinc quum Æbudæ Scotiæ fata, Mannia vero Angliæ sequeretur, factum est ut Æbudæ magna ex parte catholicam fidem servarint* (17), *Mannia vero schismatis venenum hauserit* (18). *Intra hanc rerum conversionem voluit Henricus VIII anno sui regni* XXXIII *ut insula Mannia, ex qua una constat diœcesis dicta* Man and Sodor, *ad provinciam Eboracensem pertineret* (19), *dum ex jure communi insulæ, quæ*
C *ecclesiæ fidem illibatam tenuerant, sub curam metropolitani Glascuensis transirent. Quam ob causam in Concilio nationali Edimburgensi anni* 1549 *cernere est actum jurisdictionis ecclesiasticæ in monasterium insulæ S. Columbæ* (20) *quæ ad Sodorensem diœcesim spectabat, licet episcopi Manniæ, utpote schismaticus, abesset. Continuæ deinceps mutationes in regimine ecclesiastico schismaticorum Scotiæ passim innotescunt. Quod ad catholicos attinet, Innocentius XII anno* 1695 *Scotiam et adjacentes insulas supposuit uni vicario apostolico; anno* 1732 *erecti fuere duo vicariatus et anno demum* 1827 *tres; quorum Occidentalis insulas Æbudas capit* (21). *In Brevi, quo Pius Papa IX die* XXIX *Septembris anni* 1850 *novas episcopales sedes erexit, venit insula Mona intra terminos diœcesis Liverpolitanæ et Angleseia intra Salopiensis* (22); *quum insula Mona et Angleseia una sit atque eadem* (23), *suadet tum distinguendi necessitas, tum locorum ratio ut per Monam Manniam intelligamus. Cæterum ipse Carlisle* (24) *aliique solent latine Manniam nomine Monæ designare.* V. D. B.

SS. Germanus, Leoc, Melius seu Lupus, Corebric,

7 *Sed jam ad Sanctos insulæ Manniæ stylum convertamus. Monet Gough* (25) *et secundum eum Carlisle* (26) *singulis septemdecim parœciis, ex quibus insula constat, suos esse sanctos patronos. Ecclesia cathedralis sub patrocinio erat S. Germani, de quo dictum est num.* 1. *Sita erat* in Holme Sodor vel Pele (27); *quæ regio ad occidentem versus mediam insulam erat. Sat fuse describitur a Gough, Camdeni continuatore* (28), *hæc ecclesia ante medium sæculum* XIII *a Simone episcopo Sodorensi, ædificata. Ex bulla Eugenii III* (29), *data ad Joannem de Cawenefield Furnesiensem abbatem* (30) *circa medium sæculum* XII, *cognoscitur antiquum* monasterium Sancti Leoc, *quod in mediis terris in parte meridionale insulæ exstitisse videtur. En verba:* In Mannia ex dono nobilis viri Olavi regis Insularum E
terras de Carnecset usque ad monasterium S. Leoc cum appenditiis.... villam S. Melii.... terram S. Corebric. *Monasterii S. Leoc alia non reperio vestigia;* Villa S. Melii *videtur repræsentari* ecclesia S. Malewi *seu* Kirkmalew, *de qua in Computo ministrorum Henrici VIII* (31) *et in Dictionario topographico Carlisle* (32) *mentio fit, et quæ in mappis Topographicis Gough* (33) *et Bleau* (34), S. Mali *appellatur; ex Gough* (35) *S. Malewus idem sit oportet ac S. Lupus socius S. Germani Autissiodorensis.* Terra S. Corebric *indubie locum occupabat præsentis* Kirkkerbrey *seu* Kirkarbory, *quæ in citatis mappis cernitur. Plura de his Sanctis ignoramus. De abbatia Russinensi seu Bala-Salla et cella Mirescog, utraque ordinis Cisterciensis, inferius ad Acta BB. Gaufridi et Serlonis nonnulla declarabimus. In mappis Gough et Bleau infra Douglas-Town ad orientem insulæ cernitur ecclesia, cui adscribitur* The Nunry, *et in mediis terris ad meridiem* Friry Bewmakan; *de parthenone nil ultra innotescit. Bewmakan vocatur a Tannero* Becmachen, *anno* 1373 *pro Fratribus Minoribus fundatum* (36).

F *Andreas Michaël, Lomanus Maccaldus, Catharina, Joannes, Patricius, Brigitta, Columba, Anna, Orona et forte Marona et Jarnam.*

8 *Ad ecclesias et capellas redeamus. Ad septentrionem et ad meridiem ecclesias Christi habes, alteram* Kirk Christ Lezayre; *alteram* Kirk Christ Rushen; *hanc olim penes abbatiam Russinensem* (37), *illam penes episcopum* (38). *Ecclesia S. Andreæ,* Kirk Andreas, *ad septentrionem, dicitur antiquissimum totius insulæ templum* (39). *S. Michaëlis patrocinio dicata erat insula minima ad latus orientale; ad latus vero occidentale, septentrionem versus, erat* villa Thokel, quæ alio nomine vocatur Kyrkemychel (40). *Ejus ecclesia honestata fuit an.* 1350 *synodo, quam in eadem Guilielmus Russell episcopus celebravit* (41). *S. Lomanus nomen suum dedit* Kirklonan, *seu nude* Lonan (42), *olim dicto* Kirkelewnam (43), *ad orientem*

(1) Ap. Wilkins, Conc. Spelmanni, t. III. p. 607 et ap. Labbe Conc., t. XIII, col. 1445. — (2) Topogr. Dict. of Scotland. v° *Glasgow*. —
(3) Camdeni Britannia, t. III. p. 334. — (4) Leslæus, lib. VIII, p. 319.
— (5) Notit., p. 218 et seq. — (6) Geogr. sacra cum notis Holstenii,
p. 166. — (7) Concil. Britanniæ, t. III, p. 607. Edit. Wilkins. —
(8) Atlas, n. 33. — (9) Topog. Dict. of Scotland, v° *Man*. — (10) Ap.
Usserium, Antiq., p. 339. — (11) Cfr Litt. Communitatis Scotiæ an. 1290.
ad Eduardum R. Angl. ap. Rymer, t. I, part. III, p. 66, cum Constit.
Marci Sodor. ap. Monast. Angl., t. V. p. 253. — (12) Monast. Angl.,
t. V. p. 256. — (13) Cfr Rymer, t. II, part. IV, p. 86 et 87. — (14) Ap.
Miræum. Notit. episc., p. 64. — (15) Cfr fol. v° 21. Edit. Paris 1545, et
p. 33. Edit. Paris 1625. — (16) Bremond, Bullar. Ord. Præd., t. IV,
p. 416. — (17) Busching. Erdbeschreibung, t. II, part. III, p. 2254. —
(18) Carlisle. Dict. of Scotland, v° *Man*. — (19) Cfr Litt. Henrici III de
ordinando episc. Manniæ, ap. Rymer, t. VI, part. III, p. 133, et Gough
Brit. Camd., t. III. p. 701. — (20) Wilkins. Conc. Brit., t. IV, p. 56,
Mansi, suppl. ad Conc. Labbe, t. V, col. 614. — (21) Gerarchia della
Santa Chiesa al 1 Gennaio. 1851, p. 221. — (22) Ami de la Religion,
10 Oct. 1850, t. CL. p. 165 et seq. — (23) Cfr Gough. Brit. Camd., t. III,
p. 697. — (24) Dict. of Scotl., v° *Man*. — (25) Brit. Camd., t. III. p. 700.
— (26) Dict. op. Scotl. v° *Man*. — (27) Charta Th. Derbei. ap. Monast.
Angl., t. V, p. 256. — (28) T. III. p. 701 et seqq. — (29) Monast. Angl.,
t. V. p. 250. — (30) Ibid., p. 246. — (31) Ibid., p. 256. — (32) V° S. *Malew*.
— (33) T. III, p. 701. — (34) Camdeni Anglia, p. 380. — (35) T. III. p. 700.
— (36) Carlisle v° *Kirk-Arbory*. — (37) Computus Minist. ap. Mon.
Angl., t. V, p. 256. — (38) Charta Th. Derbei, ibid., l. c. — (39) Ibid.,
v° *Kirk-Andreas*. — (40) Limites terrarum, etc., ap. Mon. Angl., t. V,
p. 256. — (41) Mon. Angl., t. V, p. 255. — (42) Carlisle, v° *Lonan*. —
(43) Comput. Min. Mon. Angl., t. V, p. 256.

V. D B. *mediæ insulæ. S. Trinitas titulus erat ecclesiæ in Leayre* (1), *quæ forte eadem est ac* S. Trinion's Church *in meditullio insulæ* (2). *S. Maccaldus, de quo num.* 1 *dictum, nomen suum dabat ecclesiæ S. Maccaldi* (3), *vulgo appellatæ* Kirk Maughold (4), *ad latus orientale septentrionem versus. Ex opposito latere versus meridiem cernitur in mappis topographicis S. Catharinæ capella et paulo superius capella S. Johannis. Kirk Balalough, ad littus occidentale septentrionem versus, patrona erat B. Maria* (5). *S. Patricius, Hiberniæ Apostolus, præter alios venerationis modos* (6), *duas ad latus occidentale ibidem habebat ecclesias ; et S. Brigitta, inter Hibernos non parum item celebris, templum sui nominis habebat ad septentrionem, nunc* Kirk Bride *dictum* (7). Terra sancti Columbæ, quæ vocatur Here, *legitur in charta Thomæ Derbei, et in computo ministrorum regis Henrici VIII* (8) Kirkeharbert, alias sancti Columbæ firma rectoria ; *hanc ad septentrionem olim sitam arbitror.* Kirke Saynton (9) *seu nude* Santon (10), *ad latus orientale versus meridiem, dicata dicitur S. Annæ* (11), *regi Anglorum Orientalium, cujus laudes celebrantur a Ven. Beda et memoria fit die* IX *Decembris* (12). Kirk Marown, B *quæ in quibusdam mappis scribitur* Kirk Mortown *et in media insula sita est, vocatur in charta Derbei* Kirk Marona ; *in veteribus mappis cernitur item* Kirk Jarnam *versus mediam insulam ad occidentem ;* Marona *et* Jarnam *a Sanctorum nominibus derivata esse nonnemo fors suspicabitur.* Kirk Oncan, Kirk Conchan *seu nude* Oncan *nomen suum sumpserat a S. Onca, matre S. Patritii* (13), *et jacet ad orientem supra Douglas. Huic agmini Sanctorum, quos olim Mannia coluit, addit Martyrologium Britannicum* (14) *ad diem* III *Julii SS. Contentum, Bladum et Malchum, quondam in hac insula episcopos.* D

necnon SS. Bradanus et Orora olim et insula Mannia colebantur.

9 *Superest tandem ut dicamus de SS.* Bradano *et* Orora, *quorum occasione hæc omnia contulimus. Auctor Martyrologii Anglicani* (15) *celebrat utriusque memoriam ad hanc diem :* In insula Mannia, *inquit,* commemoratio SS. Bradani et Droræ, olim cultorum in duabus ecclesiis, quæ etiamnum eorum nomen retinent. *Certe exstat etiamnum* (16) S. Bradani *ecclesia,* Kirk Brodon *seu* Kirk Braddan *dicta, ad orientem prope Douglas ; atque in ea Marcus Sodorensis episcopus anno* 1291 *synodum celebravit* (17) ; *et Thomas Derbeus in sæpe citata sua charta anni* 1505 *bis meminit* ecclesiæ S. Bradani *et semel* terræ S. Bradani, *quas episcopo Sodorensi Huano confirmat* (18). *In nullis mappis seu descriptionibus topographicis memoratam reperi ecclesiam S.* Ororæ ; *exstabat tamen ineunte sæculo* XVI, *ad septentrionem (ni fallor) quum in charta Thomæ Derbei legamus :* Ecclesias S. Patricii de Jourby *(ad septentrionem)* cum ecclesia S. Croræ ; *quo S.* Crora *repræsentari S.* Ororam *res indubitata est. Sed, ut monui, nullum amplius de hoc templo vestigium aut memoria superesse videtur. Plura nec de S.* Bradano E *nec de S.* Orora *reperio. Ast stylum ponere nolo quin lectorem moneam passim insulas Scotiæ, partem ipsius Scotiæ, et totum latus occidentale Angliæ Sanctis abundare, quorum hucusque sola plerumque nomina innotuere. Videntur tamen latere prisci de eis Commentarii. Prodeant hi tandem aliquando, ut quot gratias Deus bonus olim in insulam Sanctorum effuderit omnibus pateat.*

(1) Charta Th. Derbei, ibid., l. c. — (2) Gough. t. III, p. 703. — (3) Charta cit. Th. Derbei. — (4) Carlisle v° *Kirk-Maughold.* — (5) Charta cit. Th. Derbei. — (6) Cfr eadem charta. — (7) Carlisle v° *Kirk-Bride.* — (8) Monast. Angl., t. V, p. 256. — (9) Ibid., l. c.— (10) Carlisle, v° *Santon.* — (11) Ibid., l. c.— (12) Memorial of British piety, p. 169.—(13) Carlisle. v° *Oncan.*—(14) Memor. of British piety, p. 99.— (15) Ibid., p. 147.—(16) Monast. Ang., t. V, p. 253.— (17) Ibid., p. 256. — (18) Carlisle, v° *Kirk-Braddan.*

DE S. SINDULPHO, EREM. ET CONF.

ALSONTIÆ IN AGRO RHEMENSI,

J. V. H. C

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

ΟΓ

§ unica. Memoria S. Sindulphi in fastis sacris; Vitæ synopsis; Acta et tempus translationis in Altumvillare.

CIRCA INITIUM SÆC. VII.

Sancti memoria in Martyrologiis :

Martyrologium Romanum sub hac die celebrat memoriam S.* Sindulphi *sequentibus verbis :* In pago Rhemensi sancti Sindulphi confessoris. *Cui annuntiationi consentiunt quædam Usuardi Auctaria, ut videre licet in Usuardi editione Sollerii nostri ad hanc diem, quo etiam Molanus hoc de Sancto nostro texuit elogium :* Depositio Sindulphi confessoris ; cujus vita, quam fuerit Deo accepta, testantur ipsius miracula. *Celebrabatur Sancti festivitas ritu simplici in diœcesi Rhemensi ; ejus enim Breviarium, anno* 1779, *jussu Armandi de Rohan, archiepiscopi editum, hæc habet sub die* XX *Octobris :* Commemoratio S. Sindulphi presbyteri, *cum sequenti Lectione :* Sindulphus, in Aquitania natus, studio perfectionis Evangelicæ accensus, relictis patria, parentibus, facultatibus et amicis, Remos venit, et in pago, qui Alsontia dicitur, fixit pedem. Ibi, constructa sibi cellula hominibus ignotus, soli Deo notus, orationi, jejuniis, continuisque virtutum et pœnitentiæ exercitiis totum se dedit, modico pane et aqua tantum ad vesperam vesci solitus, austeram anachoretarum vitam ducens. Varie a dæmone tentatus, divino suffultus auxilio, quod humiliter, implorabat, humani generis et boni cujuslibet hostis calcavit insidias.

Vitæ compendium ex Breviario Rhemensi :

2 Virtutum omne genus adeo excoluit æquabili diligentia, ut in qua potissimum excelleret, non ita facile fuerit judicare. Quum novos in singulis de die in diem faceret progressus, latere diu non potuit tanta viri sanctitas. Ad eum fluxit vicinorum multitudo, quibus dabat monita salutis, plus eos ad pietatem

I. V. H.

A pietatem accendens exemplo quam verbo. In intelligendis scripturis dono singulari præditus, eas tum ad suarum actionum normam, tum ad aliorum instructionem mirifice coaptabat. Sacerdotii honore insignitus, ita apud Alsontiæ incolas se gessit, fovendo inopes, consolando miseros, ægrotos sublevando, ut illius loci pastorem fuisse traditum sit a pluribus, quod si non titulo, opere saltem ac merito. Tandem post innumeros labores, crescente semper pietatis ardore, nec ætatis detrimenta sentiente, toleratos, migravit ad Dominum, et in ecclesia Alsontiæ tumulatus est. Quum miraculis inclaresceret ejus sanctitas, tunc e tumulo post duo sæcula extraxit Hincmarus et sacris ejus pignoribus Altivillarense dotavit monasterium, cujus loci parochialis ecclesia, Deo sub sancti Sindulphi invocatione consecrata est.

Acta ab Almanno,

3 *Quæ hactenus ex Breviario Rhemensi citavimus, desumpta sunt pleraque ex Actis S.* Sindulphi, *quæ infra dabimus. Joannes Mabillon, ex quo illa edemus, cum codice S. Nicasii Rhemensi, ex quo ex Historiam translationis damus, collata, eorum auctorem dicit Almannum, Altivillarensem monachum, qui sæculo nono floruit. Vitamque edidit occasione* B *translationis S.* Sindulphi *in suum monasterium. Adrianus Baillet in Tabula critica auctorum et Actorum, mensi Octobri præmissa, hæc habet circa S.* Sindulphi *biographum:* Ejus vita scripta a monacho Altivillarensi, quem aliqui fuisse existimant Almannum, de quo Sigebertus agit capite XCIX virorum illustrium. *Et vero recte illos existimasse constat ex ejusdem Sigeberti testimonio, qui libro de scriptoribus ecclesiasticis cap.* XCVIII *ita loquitur* (1): Almannus, monachus Altivillarensis, scripsit Vitam S. Nivardi, archiepiscopi Remensis, Vitam Sindulphi, Vitam Helenæ reginæ, et translationem ejusdem a Roma ad cœnobium Altivillarense, et quia suo tempore Francia a Normannis vastabatur, exemplo Hieremiæ Prophetæ, desolationem Franciæ et sui cœnobii quadruplici planxit Alphabeto. *Si quis autem, fontem Sigebertianum non sectatus, Bailleti rivum libaverit solum, is facile sibi persuadebit, sententiam opinantium Almannum S.* Sindulphi *esse biographum, labili omnino nisi fundamento: tamen Sigebertus, omni dubitatione submota; aperte profitetur Almannum Vitæ S.* Sindulphi *fuisse scriptorem. Quod ideo hic observandum censeo, quia Bailletus passim inter eos numeratur, qui severioris et accura-* C *tioris critices gloriam aucupati fuerint.*

monacho Altivillariensi conscripta:

4 *Trithemius in Chronico Hirsaugiensi* (2) *dicit Almannum claruisse circa annum Christi* 883, *eumque, sicut Sigebertus, scriptorem facit Vitæ S.* Sindulphi. *Ast quoniam saltem annis* 150 *a Sancto, cujus vitam exarabat, distabat, parce omnino et absque aliqua nota Chronologica bene definita, res gestas narrat. Hanc conjecturam afferunt Historiæ litterariæ Franciæ scriptores* (2), *eamque probamus, quamvis et id nobis adjiciendum videatur, anachoreticam vivendi rationem S.* Sindulphi *non parum quoque contulisse, ut ejus historia ignoraretur, cui demum accedit, Sancti corpus diuturno tempore Alsontiæ, in ignobili villa pagi Rhemensis delituisse, ubi Sancti memoria traditione magis, quæ chronotaxin plerumque negligit, quam scriptis documentis perseveravit. Hinc etiam factum est, ut Almannus scriptor, quod recte animadvertunt scriptores Historiæ litterariæ* (4), *multis ambagibus narrationem suam exornare quæat: nam cæterum inscribendam historiam illum sedulo investigasse, testatur epitaphium, quod satis barbarum et jejunum, in suos commentarios transtulit. Quod vero, contra morem illorum temporum vitam non finierit consueta doxologia, id tribuunt laudati scriptores translationi Reliquiarum, cujus narratio, ut videtur, Vitæ subjuncta fuit, idque confirmatur ex eo, quod Almannus translationis historiam ordiatur a verbis:* Præterea, qui scire voluerit *etc.* : *ast id etiam omittendum non est, et in fine hujus narrationis in nostro manuscripto deesse doxologiam, sive quia numquam apposita fuerit, sive librarii oscitantia oblitterata.*

in Aquitania sæc. VI natus, Rhemos venit,

5 *S.* Sindulphi *patriam fuisse Aquitaniam et Vita et Epitaphium testantur, quin tamen propius designent eam Aquitaniæ, regionis amplis imæ, partem, ex qua Sanctus prodierit. Nulla quoque allegatur ratio, cur, relicto patrio solo, Rhemensem agrum pro palæstra suæ asceseos elegerit. Ast hujus prædilectionis rationem qualemcumque nobis forsan haurire licet ex Flodoardo, qui Hist. Rem. Eccl. lib.* II, *cap.* III (5) *agens de S. Basolo,* Sindulphi *nostri conterraneo et æquali, dicit illum* a partibus Aquitaniæ, patrocinia S. Remigii desiderabiliter appetentem, Remensem devenisse ad urbem. *Parem rationem movisse Sanctum nostrum suspicari licet, maxime quum ex Chronico Sigeberti Gemblacensis ha-* E *beamus utrumque Sanctum eodem tempore claruisse, ut recte animadvertit Guilielm. Marlot in sua Historia Rhemensi lib.* II, *cap.* XXVIII (6). *Sigebertus enim sub anno Christi* 567 *dicit* (7): S. Basolus abbas et Syndulphus, presbyter et reclusus in Francia clarent. *Ac istis quidem verbis initia utriusque indicari existimo, ex eo quod passim S. Basolus mortuus referatur circa annum Christi* 620 (8). *Conjecturam nostram firmat etiam, quod habent Acta edenda, nempe S.* Sindulfum *floruisse tempore Brunehildis, quæ ab anno* 566 *ad* 613 *in Galliis vario titulo variaque fortuna regnavit. Quoniam porro ex laudatis Actis scimus, senem obiisse Sanctum, cum biographis, qui de Sancto scripsere, ejus obitum sub initio sæculi septimi ponimus. Quæ si ita sint, consequitur, S.* Sindulfum *in Rhemensi pago vixisse sub Ægidio archiepiscopo, qui Cathedram ab anno* 565 *ad* 590 *occupavit; cujus quidem in excipiendis peregrinis benignitas laudatur a Fortunato poeta apud Flodoardum lib.* II, *cap.* II (9) *his verbis :*

Qui venit huc exsul, tristis, defessus, egenus,
Hic recipit patriam, te refovente, suam;
Quæ doluit tollis, gemitus in gaudia vertens,
Exsilium removens, reddis amore lares. F

ubi solitariam magis quam actuosam vitam agit

6 *Legenda Breviarii, citata n.* 2, *insinuare videtur Sanctum presbyteratus honore ornatum fuisse, postquam Rhemensem agrum incolere jam cœpisset; hæc enim dignitas tum ei primum tribuitur, postquam relatum fuerit* ad eum fluxisse vicinorum multitudinem, quibus dabat monita salutis, in intelligendis scripturis dono singulari præditum, eas *tum suæ tum aliorum* instructioni coaptavisse. *Quod si tali modo citatam Legendam interpretemur, videmur discedere ab Actis Almannianis, quæ presbyteratus adeptionem referunt, antequam de Rhemensi peregrinatione agere incipiunt.* Crevit, *inquiunt num.* 2, in ecclesiasticis gradibus, quousque fieret æterno Deo sacerdos.... Quumque quotidie studeret vir fieri perfectus, exemplum sequens beati Abrahæ patriarchæ, relicto genitali solo,...... ex Aquitaniæ partibus.... se in hujus Remensis civitatis contulit regionem. *Quibus verbis Almannus clare indicat, prius presbyterum, post peregrinum factum fuisse S.* Sindulfum. *Quoad vero attinet,*

(1) Miræus. Biblioth. eccles., p. 145. — (2) Trithem Chron. Hirs., p. 35. Edit. San-Gall. 1690. — (3) Hist. lit. de la Fr., t. V. p. 620. — (4) Ibid. — (5) Biblioth. Max. Patt., t. XVII, p. 552. — (6) Marlot. Metrop. Rhem., t. I, p. 236. — (7) Pistor. Rer. Germ. Scriptt., t. I, p. 739. — (8) Butler. Vies des Saints, XXVI Novemb. — (9) Biblioth. Patt., t. XVII, p. 531.

Sanctum

J. V. H.

Sanctum parochi seu pastoris vices in vico Alsontiæ sustinuisse, ut habet laudata Legenda (1), *nihil quidem in eo est, quod a norma illius temporis abludat, quoniam in Concilio Aurelianensi* IV, *anno* 541, *can.* XXXIII (2) *jam indicantur cautiones, sub quibus diœcesim seu parochiam in agro suo habere quis possit, nempe* ut terras ei deputet sufficientes et clericos, qui ibidem sua officia impleant. *Quoniam tamen propter solitudinis amorem in longinquas terras profectus fuerat S.* Sindulphus, *neque quidpiam ejus Acta indicant, de vivendi genere magnopere mutato, crederem magis temporariam, si quæ fuerit præter monita salutaria concurrentibus data, fuisse hanc curam parochialem. Præterea in eremo perseverasse testatur secundus versus Epitaphii num.* 10: Hic cella clausus velut in eremo bene vixit.

eius corpus probabiliter an. 866 in Altumvillare transfertur.

7 *Sancti corpus in Altumvillare monasterium translatum fuisse, testatur Almannus, S.* Sindulphi *biographus, peculiari narratione, quam edemus post Sancti Vitam: ex qua præcipua desumpsit Flodoardus lib.* II, *cap.* IX (3). *Verum neuter aliquatenus definit tempus, quo id acciderit. Gulielm. Marlot*(4) *dicit id contigisse, postquam ad Altumvillare* nuper

B Roma fuerant advectæ Helenæ imperatricis Reliquiæ. *Joannes vero Mabillon, qui S. Helenæ translationem in suis Annalibus lib.* XXXIII, § LXXXVII (5) *anno Christi* 849 *illigat, habet,* post aliquot annos *ad Altivillariense cœnobium* translatas fuisse Beati nostri Reliquias. *Atque hanc posteriorem opinionem veriorem judicamus. Almannus enim suam translationis historiam scripsit, postquam* nuper *accidisset; siquidem n.* 11 *refert* miracula, quæ post multa tempora depositionis ejus, NUPER in translatione illius ad hoc SUUM Altivillarense cœnobium patrata sunt. *Ast, ut censent Auctores Historiæ litterariæ Franciæ* (6), *non diu ante annum* 868 *se accinxit Almannus ad Vitas Sanctorum conscribendas. Etenim quum illo anno Theudoinus, præpositus Catalaunensis, invitaret Almannum, ut Vitam S. Memmii, primi Catalaunensis episcopi, litteris consignaret suis, dicit quidem illum* ab ineunte ætate in loco religioso nutritum, in hoc maxime operam dedisse, ut in nullo expers grammatos, etiam vel hoc proficeret, ut nullatenus esset imperitus graphidos (7). *Quod si jam diu scriptionem hagiographicam excoluisset Almannus; adeoque ejus lucubrationes latius innotuissent, videtur satis probabile, et hoc allegaturum*

C *fuisse Theudoinum, ut illum ad scriptionem alliceret. Ex hactenus dictis consequitur, quod si, ut probant nostri in Commentario prævio Actorum S. Helenæ ad diem* XVI *Augusti* (8), *hujus translatio anno* 640 *aut sequenti celebrata fuerit, S.* Sindulphi *translatio ab Heleniana toto vicennio distet; ita ut satis consentiam Mabillonio* (9) *et auctoribus Historiæ litterariæ Franciæ* (10), *qui Sancti nostri adventum in Altumvillare sub anno* 866 *consignant; adeo ut Gul. Marlot, utramque translationem fere conjungens, non sat accurate locutus videatur.*

D

VITA

S. SINDULFI CONFESS.

Auctore Almanno, monacho Altivillarensi, qui IX sæculo floruit.

Ex Mabillonii Actis Ord. S. Bened. sæc. I, *p.* 368 *collata cum apographo monast. S. Nicasii Rhemensis, e quo historia translationis deprompta est.*

E

Prologus.

Postquam Dei vivi Filius, pro salute nostra humanatus, terram corporea præsentia illustrare est dignatus, et homo, qui mortis erat stipendiarius, sua passione est redemptus, et resurrectione solidatus; tantus Sanctorum surrexit chorus, ut sicut cœlum ornatur sideribus, ita Sanctis decoraretur hic mundus, et ubique Domini declararetur virtus. Quum ergo religio christiana per mundi floreret climata, et multi honestam ducerent vitam, Dei favente gratia, fuit tunc inclytus vir, in vita sua valde venerabilis, justus, bonus, placens Deo, parentibus christianis progenitus, nomine Sindulfus. Quem bonorum omnium dator, qui sponte justos diligit, omnique bonæ animæ virtutem tribuit benignitate sua, sic in bonum provexit, ut orthodoxæ fidei auctorem in sacro pectore gerens et vitam cœlibem ducens, tantam mente gestaret religionem, tantam * moribus prætenderet sanctitatem, ut viris religiosissimis, de quibus magnæ referuntur virtutes, per omnia putaretur æqualis. Nam sicut pulchra rosa vel speciosissimum lilium aut stella clarissima, lucisve columna, sic iste meritis inter virtutum viros suo tempore reluxit.

* tam

F

Virtutibus ornatus Rhemos venit,

2 Fuit enim beatissimus Dei sacerdos Sindulfus hilaris mente, vultu clarus, moribus mansuetus, dives bonorum opibus *. Quæ prima erat virtutum hunc accinxit charitas *, proxima * luce vernans in gloriam exaltavit humilitas, ac vinculum totius perfectionis, modestissima exornavit castitas * *a*. Studebat omne opus laude dignum implere, justitiam colere, Deum * super omnia amare, mente sancta cœlestia cogitare. Erat miserorum consolator, pauperum recreator, pietatis conservator. Crevit in ecclesiasticis gradibus, quousque fieret æterno Deo sacerdos dilectissimus *b*. Qui ob amorem cœlestis regni cervicibus suis leve jugum imposuit Christi. Quumque quotidie studeret vir fieri perfectus, exemplum sequens beati Abrahæ patriarchæ, relicto genitali solo, cunctisque, quibus delectantur sæculi amatores, paupertatem Christi super divitias ambiens et pro amore ipsius peregrinationem expetens, Angeli * referens instar, tempore Brunehildis, reginæ Francorum, ex Aquitaniæ partibus, unde erat oriundus, Dei, ut patet, dispositione placidis se passibus in hujus

* operibus
* castitas
* *add.* que
* charitas
a
* Dominum
b
l * Angelo reserante iter

(1) Marlot., t. I, p. 236. — (2) Labbe, t. V. Conc., col. 387. — (3) Bib. Patt., t. XVII, p. 537. — (4) Rhem. Metrop., t. I, p. 237. — (5) Mabillon. Annal., t. II, p. 643. — (6) Hist. lit. de la Fr., t. V, p. 619, (7) Mabillon. Vet. Analect., p. 424. — (8) Act. SS. t. III Aug., p. 600. n. 6. — (9) Act. SS. Ord. S. B., sæc. IV, part. II, p. 353. — (10) Hist. lit. de la Fr., t. V, p. 620.

Remensis

A Remensis civitatis contulit regionem. Quem Christus tanta gratia prosecutus est, et sic venit spiritualibus delibutus unguentis, et redolenti virtutum fragrantia inspirans, ut posset dicere cum Apostolo : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco*. Et quia ex totis præcordiis suis summopere Christum dilexit, nomen ejus sanctum invocavit, et ipse in misericordia sua omnes vias ejus ad justitiam dirigebat, sanctique Angeli ejus almum sacerdotem suum ubique custodiebant.

hinc Alsontiam concedit, c

3 Hic ergo cellam constituens in vico, qui vocatur Alsonsia *c*, accinctus robore virtutis, athleta Dei anachoreticam vitam executus est. Nam in ea clausus et Deo magis quam hominibus cupiens esse notus, macerabat jejuniis corpus, et tanta inedia castigabat, ut parco cibo vix ossa * refoveret. Esca erat ei interdum, etiam post solis occasum, panis siccus et potus aqua, et sic per plurimum tempus hoc arido carnem domans instituto, velut quamdam pœnitentiam Deo devotus exhibebat. In orationibus vero *, psalmis, hymnis et canticis spiritualibus omne illi tempus expendebatur. In talibus actibus et in Deo suo, qui fons bonorum est, gaudebat; et ita vixit sobrie, ut imitatoria conversa-B tionis Christi exempla niteretur exprimere. Quem inimicus humani generis callide astuteque dæmoniacis phantasiis, dolisque et multis argumentis appetiit : sed Christi virtus divino intuitu Sanctum suum respiciens, cujus censura semper prava coercet, vires adversariæ potestatis insurgentis allisit, ejusque tyrannicam insaniam contrivit. Nam quoties diabolicus spiritus sacerdotem Dei tentare nitebatur, toties ars ejus maligna et dolositas versuta a sancto viro contemnebatur. Christi enim victoria fretus, cernebat diabolum pavidum, nec culicis vel formicæ virtutem habentem, sed sicut invalidum vermiculum vix repentem. Terebat quoque caput impii vermis, vel siquando fortior fiebat, cervicem pessimi premebat serpentis, nec suggestionibus illius assensum præbebat, sed erigentem se sive comprimentem æqua lance pensabat. Tandem agonithetæ sui Dominus misertus, qui pedes Sancti sui servavit et in gloriæ magnitudinem illum exaltavit, in spiritu furoris sui inimicum abstulit, ac tela ejus, in quibus confidebat, confregit. Consolatus est quoque Dominus servum suum et dedit ei gaudium et lætitiam et pacem cunctis C diebus suis.

* add. arida
* enim

ubi populum accurrentem

4 Et quoniam licet quis velit bona sua abscondi, a lumine, in quo fiunt, manifestantur; sic isdem vir Dei * Sindulfus, quamvis se tali clausuræ mancipasit et Deo servire in * secrete in abdito cellulæ delegerit; tamen ab eo, qui opera ejus vidit, in exemplum sanctæ conversationis multis manifestatus est *d*. Placuit enim Deo vita ejus ; memoriam ejus inter homines constituit. Cognoscentes namque populi Dei sacerdotis sanctitatem et magnam gratiam, diligebant servum Dei *, et jucundam gloriosamque faciem ejus ardenter videre festinabant, Deum magnificantes et ipsi gratias agentes. Ita enim pacificum vultum habuit et magnæ cujusdam gloriæ faciem, tantæque os lætitiæ, ut quisquis sanctum virum videre mereretur, exsors mœstitiæ omnis redderetur. Lucebat enim in eo justitia, sanctimonia, benignitas, virtutum cumulus omnisque bonitatis speculum erat. Cernebant in terreno vasculo thesaurum Dei, et hominem Angelum factum videbant. Tantus autem odor sanctitatis ejus ad omnes pervenit, et sic de sanctissimis factis opinio crevit, ut fama bonæ actionis procul motus cunctos * desiderio sui plurimum accenderet; veniebantque ad eum et honorem ei deferentes, exosculabantur manus ejus et genua ejus et deicolam amantissimumque patrem vocabant.

* add. Beatus
* deest in
d
* Christi
* existentes

salutaribus monitis pascit;

5 Erat autem sermo sancti viri ad omnes de Prophetis et Apostolis et Evangelio Christi. Nam datum ei erat donum intelligentiæ ab Altissimo, et ita cum scientiarum Dominus instruxit, ut eum in edito * sapientiæ solio collocaret, et divina illuminatione illustratus, quæ erant utilia et quæ cunctis proficua prædicaret, multosque admonitione sancta ad Dei gratiam perduceret. Sic * est virtus tua, Domine, hoc opus tuum, quod operaris in Sanctis tuis. Hæc omnia efficacissima pietas tua facit, qui solus mirabilia magna facis. Per te bene operantur servi tui, per te hic pater noster * Sindulfus cœlestem in terris conversationem agebat, et spirituali agone diabolum vincebat; per te etiam divini verbi semine multos ad æternam salutem dirigebat *.

* medio
* hæc.
* add. Beatus
* erudiebat

virtutum exemplis ædificat,

6 Quod vero memorabile * in sancto viro, silentio supersedendum minime censeo. Plurimi Sanctorum * diversam Dei gratiam in vita sua assecuti leguntur, et sicut * hic fide emineret, spe alter præpolleret, alius charitate præcelleret, iste quoque humilitatem maxime * coleret, ille pietatem nutriret, quidam continentia vel castitate fulgeret, cæterisque virtutibus diversi tamquam felici dote bonorum in * magna venustate nitescerent. Ex quibus quasi quibusdam multi generis lapidibus muri cœlestis Jerusalem construuntur, aut velut ex variis * pulcherrimæ supernæ coronæ texuntur. Hic autem prænobilis Dei signifer et inclytus princeps, beatissimus Sindulfus, ita in qualibet virtute perfectus erat, ut multam * bonarum rerum possessionem sibi vindicaret, et * quid in eo magis laudari posset perpensus censor vix nesciret *; ut creatoris sui oculis complaceret, hoc erat ejus labor, hic cardo totius desiderii, ut dum volubili sole frueretur et reciprocum flatum traheret, spiritu et mente in servitio Dei solide persisteret. Instanter itaque gemma Dei et margarita pretiosissima, Sanctus Sindulfus, multis annis cum devotione omnipotenti Deo famulatum impendens, magnum quoddam cœlestis sideris exemplar erat, et meritorum multiplicitate lucens, divina promissa et æternitatis bravium a perenni rege exspectabat. Concupiscebat eum, qui formosissimus est, ut norunt beati oculi Sanctorum, sed Deus ad * hoc desiderium ejus differebat, ut dilatione auctum, dignum præmii reciperet fructum.

* add. erat
* ut plurimi eorum
* ut hic
E
* deest maxime
* deest in
* add. floribus
* mille
* ut
* noscere
F
* deest ad

orationi continue insistens,

7 Sciens vero quia qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit, Dei cultus conservator idoneus exstitit, et thronum pietatis ejus, humili contritoque corde, pro se et pro cunctis assidue adiit. Orabat enim sanctus vir non solum pro se, sed pro omnium salute fidelium; obsecrantique ei crebro patuit janua largissimæ miserationis * Dei. Numquam dignissima mens ejus cœlo aberat, sed jugiter patulo hiatu mentis * Deum sitiebat : quem in corde hauriens, et plenum pectus sanctitate gerens, totis visceribus spirituali lætitia refluebat. Et quia beatus et sanctus sacerdos animæ meritum clarum valde sciebat apud Deum, hanc probitatis lumine et cunctis virtutum monilibus exornare contenderat *. Quod ut posset, et ipsi collatum est munere divino, scilicet ut mereretur effici civis cœli et adscribi castris regis æterni.

* pietatis
* deest mentis
* contendebat

in virtutibus quotidie proficiebat :

8 Quum vero * beatissimus Christi sacerdos Sindulfus ævo esset maturus et plenis annis præditus *e*, tantus illi inerat fervor, ut quando se remissius agunt, hic beatus vir amplius pro cœlestibus laboraret. Ergo omni studio et festinantia ad montem

* add. jam
e

AUCTORE ALMANNO MONACHO.

montem supernæ hereditatis recto calle properabat, et licet ætate defectus esset, amor vires reddebat. Certabat etiam in Christi militia tyrones superare, nec onus Christi * sibi suave volebat aliquando deponere. Dum laboribus darent tempus dies, optabat in lacrymis seminare, ut post semper in gaudio meteret. Hunc pulchrum vitæ statum charo sibi devinxit amore et semper hic concupivit tenere, et Deus, cordis ejus inspector, voluntatem illius dignatus est adjuvare, apud quem numquam ingrata est servitus : atque ita miris modis ejus gratia dives, ut quod simpliciter recipiat, centuplicato fœnore rependat, a quo tanta gloria mentis * acquiritur, quanta nullo modo concipitur. Quam videre tanti est honoris instar, ut eum beatus vir mutuare non speret cum rebus, quas totus mundus possidet, et ita feliciter exaltatur, ut vertice sideribus inferatur. Ubi in amicitia Dei decoratus, non fidei suæ pignore fraudabitur, sed etiam plusquam spe præsumeret, accipere merebitur. Hic illa sublimia munera inveniet, quibus gaudent omnes, qui ea adepti fuerint; ubi fas est parvis magna sperare, et vilibus pretiosissima commutare ; ubi tanto, qui meritus fuerit, ditabitur
B honore, ut auctor illius non alius quam Deus possit æstimari : ubi qui hic pro eo cum vili veste processerit, auratis illam vestibus mutabit. O beatissime pater Sindulfe, talia membra tua decent gestamina, quæ hic pro Deo non recusabant esse vilibus induta : o felix, quæ hic te dignus ingessisti, o miles beate, qui te talibus contulisti

* deest Christi

* multis

9 Beatus igitur * Sindulfus post diuturnam terreni incolatus peregrinationem, in qua Christum elegit, rebus omnibus proposuit *, et illi indefesse servire studuit, tandem quod optavit, invenit, ut hinc sancta illius anima ab Angelis in sinum Abrahæ portaretur, et Deo arctius jungeretur. Reliquit terrestrem tunicam, et indutus est stola gloriæ : reliquit parietes luctos et æthercam domum et communem Sanctorum promeruit patriam, perpetuo semper sole fulgentem, ubi sincerum semper diem videt, ubi inæstimabilis lux auratum jubar jacit, ubi cœlesti ornatu mentem juvat, delectatque videre senatores cœli, coronis redimitos aureis, et palatia, extructa gemmis, lacteisque basibus et niveis subnixa columnis. Prospicit nunc omne candidum, omne conspicuum, sub pedibusque videt sidera et cum grege candido sequitur
C agnum, quocumque ierit. O Beate pater Sindulfe, etsi in terris quondam natus fueras, cœlo genitus exstitisti. O Beata anima, cujus gloria Dei est, magna tibi data * præmia confido et dari meruisse approbo * ; quæ fixa tibi manent in æternum, et prius gloria natis hominum auferetur, quam tua præmia minuantur. Quid abest tuæ animæ, quæ tantum habet bonum in regione justorum? Primum locus amœnissimus placet, et cum perpetuitate crescit amor illius. Obtinuisti, ut vere fateor, honores quibus divitiæ nullæ præferuntur, immo nec aliquatenus eis coæquantur. Deinde regem tuum, quem semper desiderasti, Angelosque et Sanctos ejus felicibus oculis cernis, de quibus dicere omne ingenium deficit, et lætitiæ cantica audis, et * perennibus gaudiis sine fine perfrueris. Quapropter multarum * miseriarum memor, ora pro nobis, sacerdos beatissime, quatenus piis precibus tuis fideliter vivere, et cum Christo * esse mereamur.

plenus meritorum et dierum

* add. vir

* præposuit

* deest data

* deest et dari meruisse approbo

* deest et

* nostrarum

* add. semper

10 Beatissimus denique sacerdos Dei, Sindulfus, post * transitum ejus sepultus est honorifice in ecclesia prædicti vici, ubi cellam sibi fundaverat, Angelis et Sanctis gaudentibus * et Deo laudes canentibus, hominibus quoque piis de obitu ejus D flentibus et de meritis exsultantibus. Scriptumque est epitaphium hujuscemodi super tumbam ejus :

sancta fine quiescit.

* add. sanctum

* cantantibus

Sindulfi merito recubant hic membra sereni,
Hic cella clausus velut in eremo bene vixit.
Adgaudens huc progenies Aquitannica vertit;
Tunc regionis erat regina hujus Brunehildis,
Sublimisque chorus refuga labente relucet.
Tripudiant testes, seu missi, pontificesque,
Carmen virgineus * cœtus canet * omnipotenti ;
Interea gaudet chorus, emicat et polus omnis *f*.

* virgineum

* canit

Transiit autem Beatus confessor Christi et sacerdos, Sindulfus, ad Dominum et ad felicitatem perpetuam tertiodecimo Kalendas Novembris. Qui in gymnasio contemptus mundi spiritualiter agonizans, volubilem solem vertit in usum, ac perfecte præsens ævum despiciens, ex toto corde secutus est Christum. Cujus conversatio virtutibus et miraculis corruscans, cœlibem * declarat eum vitam duxisse, quique duplicem terram efficaciter fugiens atque ab ea exiens cum Patriarchis in lacrymis seminans, fructumque sanctæ conversationis relinquens, cum Apostolis seipsum pro Christo mactans, cum Martyribus utrasque manus de solo hujus peregrinationis protendens ad littus, cum E Confessoribus digitos suos implens myrrha probatissima, cum Virginibus animæ suæ sponso respondit cantico novo, quousque illi occurreret super montes aromatum simili capreæ hinnuloque cervorum.

* cœlestem ?

11 Præterea qui plenius scire desiderat, quam promerite beatus vir vixerit, legat miracula, quæ post multa tempora sacræ depositionis ejus nuper in translatione illius ad hoc nostrum Altivillarense cœnobium *g* in itinere militis ejus patrata sunt, et videbit eum apud Christum vivere, qui tantus post mortem salutis medicinam potuit obtinere, qui hic subter annotata legere voluerit duobus modis invenire ; scilicet soluta oratione et prolixiori opere cum quodam rythmo polite descripto *h*. Ex loco igitur ubi beatissimi fuit conditum corpus Sindulfi, dum nobiliter nostrum veheretur ad cœnobium medio itinere Spies super flumine *i* cunctis illic adstantibus insigne claruit miraculum : nam prætereuntium ut audivit strepitum mulier quædam, capta oculis multis jam temporibus, sciscitabatur, quid hoc esset a secum conversantibus : mox ut rei veritatem aure percepit, huc illucque nutando ostium cellulæ pertransiit, feretroque F Beatissimi obviam venit Sindulfi. Statimque ut se in orationem dedit, munera lucis recepit. Quum autem portæ civitatis appropinquaret Remensis, advenit obviam ei multa caterva populi, cum quibus una simul perrexerat muta ac debilis una puella ; illico ut se in terram prostravit, ex utroque membro sanari promeruit. Quum omnes, qui noverant hoc factum, mirarentur, allata ex vicino illuc muliercula loco, cui manuum erat et genuum contractio : eam aliquando suus propter hanc infirmitatem reliquerat maritus : continuo autem ut ibi ad terram demissa est, solidato gressu, sanitati reddita est; sanaque facta dicere quibusdam secum conversantibus cœpit, quod vellet nollet suus eam reciperet maritus ; ut hæc locuta est, ad miseriam pristinam reversa est : hoc visu attoniti stupefacti sunt tunc quoque cuncti ; ambæ autem erant notæ a multis, quum in suburbanis conversabantur locis.

corpus sancti Alsontia

g

h

i

12 Itaque ut ventum est ad basilicam sanctissimæ genitricis Dei Mariæ *k*, dum laudum perstreperet chorus, advenit quædam puella pectore reptando, genibusque totum corpus per humum volvendo

Rhemos solemni pompa. k

A volvendo, quæ miro modo annis curvata fuerat tribus : continuo ut feretrum ante altare conspexit, subito sub oculis omnium sanari promeruit, erectaque cœlum didicit feliciter suspicere, quæ catenus curva solam terram noverat infeliciter despicere. Adducta est et cæca, dum celebraretur Missa, fuerat autem septem annis ipsa in infirmitate sua detenta ; sed mox ut valvas templi adiit, lucem videre meruit. Hæc vero ab infantia habitaverat in civitate ipsa, ac propterea pene omnibus erat notissima. Officio autem peracto, egressum est Beatæ ex aula Mariæ Sancti corpus Sindulfi, cum laudibus et hymnis : translatumque est almigeri præclaras ad ædes Remigii *l*. Et altero sole illuscescente, magna cum reverentia sublatum est inde. Quumque transiret per quoddam puellarum monasterium, cui est Avennacum *m* proprie vocabulum, sanctimoniales occurrerunt fœminæ, atque ad præfatum deduxerunt monasterium. Ibi quidam obvius venit hominiculus, ibidem nutritus atque cunctis notus, cujus planta pedis per duorum curricula annorum, nullatenus poterat figere gressum. Dum autem hoc qui cernebant, Deo laudes referebant, additur huic mirum ac ve-B nerabile signum : ferebatur namque ibi muliercula, sub annis decem ex omni parte contracta, quæ, cunctis intuentibus, rectis est restituta gressibus : hoc cernentes Deo sacratæ, quæ semper eam cognoverant, sese præ gaudio in lamentum dedere, atque Dominum laudantes, qui dignatus est talia retribuere.

atque hinc in Altumvillare transfertur.

13 Inde transvectus est sanctus vir Sindulfus ad locum, sibi a Deo paratum, ubi tunc plurima ostensa sunt prodigia. Nam præmodica quoque puella, a primo anno suæ nativitatis cæca, ipso itinere toto patris vecta recubans ulnis, ut ad januam nostri monasterii venit, exemplo lucem claram aspexit. Duo provectæ ætatis fratres illuc venerunt germani, oculorum luce in uno anno privati : oratorium ingressi, statim ut in orationem se dederunt, oculi eorum pro lacrymis cruorem fluxerunt, atque sanctissimi Sindulfi sepulchrum nova luce viderunt. Quæ pertulit quædam Deo sacrata verbis aggredior referre paucis. Hæc nostrum ut deduceret sancti Sindulfi corpus ad monasterium suis votum fecit cum sociis. Medio itaque peracto itinere, dixit ut reverterent ad propria, quia minime patefieret monasterii janua : reliquæ C tetenderunt infatigabiliter iter, quod cœperant, ipsa vero reversa est ad locum proprium. Illico ut pervenit ad cellulæ statum *, contractis genibus ac plantis, poplites cœpit habere pro pedibus, atque ipsius brachia obriguerunt tam acerrime, ut vix buccellam panis afferrent. Igitur plaustro subvecta invecta infeliciter * ad præfatum adducta est cœnobium, ibique diu in hac ægritudine morata, tamquam * pristinæ est sanitati meritis beati Sindulphi restituta *n*.

*stratum ? *feliciter? *tandem ?

ANNOTATA.

a *Quamvis passim in hac Vita lectio Mabilloniana Nicasiano codici præferenda mihi videatur, hic tamen magis Nicasianam probo, tum quia accuratior est virtutum gradatio ; tum non de castitate sed de charitate dicitur esse* vinculum perfectionis, *Coloss* III, 14.

b *In Commentario prævio, num.* 6, *jam indicavimus, probabilius S.* Sindulphum *sacerdotio initiatum fuisse, antequam terram patriam relinqueret, quamvis contrarium innuere videatur Rhemense* D *Breviarium.*

c *Alsontia* (hodie Aussonce, dépt. Ardennes Arrond. de Rhétel) *vicus est, qui S.* Sindulphum *patronum habet, quemadmodum duo alii vici, nempe Altumvillare* (Hautvilliers) *et Villare Turnosum* (Villers-le-Tourneur, dépt Ardennes, arrond. de Rhétel).

d *Hic textus satis aperte insinuat Sanctum nostrum in proposito solitudinis colendæ perseverasse usque ad mortem; licet semel accolis Alsontiæ manifestatus, magnam sanctitatis opinionem excitarit, atque adeo spiritualis illis adjutor fuerit, imo temporariam operam impenderit, non facile tamen crediderim S.* Sindulphum *parochi officium ordinarium implevisse. Cfr Comm. præv. num.* 6.

e *Hæc verba et quæ sequuntur, unicam nobis notitiam præbent ad definiendum utcumque tempus obitus S.* Sindulphi : *etenim ejus adventum in pagum Rhemensem circa annum Christi* 567 *contigisse affirmat Sigebertus Gemblacensis ; ex diuturna porro mora in eremo Alsontina, mortem Sancti usque ad initium sæculi* VII *procrastinandam diximus, Commentarii prævii, num.* 5.

f *Tam implexus est horum versuum sensus, ut illum explicari non aggredior : quid enim sibi vo-* E *lunt illi* testes seu missi pontificesque ? *quid* sublimis chorus refuga labente relucet ? *Num forsan epitaphium tritum, scribentium imperitia adulteratum ad nos pervenit? Nihil equidem habeo, quod respondeam : certe manuscriptum monasterii S. Huberti totum illud omittit, nulloque verbo interposito, phrasim* de meritis exsultantibus *connectit cum sequentibus :* Transiit autem Beatus confessor Christi *etc.*

g *Jam sæpius sermo fuit de monasterio Altivillarensi ejusque fundatione, confer quæ diximus in Vita S. Bercharii abbatis ad diem* XVI *Octobris* (1).

h *Joannes Mabillon, acturus de translatione S.* Sindulphi (2), *dicit Almannum eamdem litteris mandasse,* sed modo adeo exili atque jejuno, ut ejus libellum integrum exhibere non videatur operæ pretium : *quapropter opportunius judicat rei gestæ narrationem ex Frodoardi Hist. Rhemensi, lib.* II, *cap.* IX (3), *mutuari : nobis tamen, qui antiquiores scriptores recentioribus præferendos professi sumus, Almanni lucubratio minime omittenda videtur : maxime quia ex hac suam scriptionem hausit Frodoardus; et cæterum Altivillariensis mo-* F *nachi opusculum, licet librariorum oscitantia luxatum, suis est numeris absolutum, apteque cohæret. Quoad vero attinet* prolixius opus cum quodam rythmo polite descriptum, *id quidem nuspiam mihi occurrit.*

i *Hanc villam* Spidam *appellat Flodoardus in Historia Rhemensi, lib.* I, *cap.* IX (4), *qui cæterum aliud non facit, quam Almannum presse sequi. Est Spida (hodie* Epoye dépt Marne, arrond. de Rheims, cant. de Bourgogne) *villa, sita ad rivulum cognominem, qui in Sapiam* (la Suippe) *influit.*

k *Scilicet ad ecclesiam cathedralem Rhemensem, sub patrocinio Beatæ Dei Genitricis hodiedum etiam dedicatam.*

l *Celebre olim Rhemense archimonasterium Ordinis S. Benedicti, cujus templum hodie facta est una ex tribus primariis parochialibus ecclesiis civitatis* (5).

m *Avennacum, quod ab* Avenis Avenacum *scribendum dicit Gallia Christiana* (6), *hodie* Avenay, *est parochia ruralis diœcesis Rhemensis* (arrond. de Rheims, cant. d'Ay). *Erat istic celebre monaste-*

(1) Act. SS. t. VII Oct., p. 993, n. 34 et p. 1015, not. *d*.—(2) Act. SS. O. S. Ben. sæc. IV, part. II, p. 153.— (3) Biblioth. Max. Patt., t. XVII, p. 537. — (4) Ibidem, l. c. — (5) Cfr Gall. Christ., t. IX, col. 219. — (6) Ibid., col. 277.

rium

A *rium puellare, cui præerant abbatissæ ex nobilissimis Galliæ familiis oriundæ, quodque vicissitudine sæculi elapsi interiit.*

n *Totus hic locus, qui de sanctimoniali tractat, omnino luxatus est; quocirca in margine apposuimus aliquas correctiones, quæ sensum sanant. Flodoardus autem rem ita narrat* (1) : Quædam Deo sacrata votum habuit cum sociis, ut iret ad locum pignoris *(seu Sepulchri S.* Sindulphi) : quæ de itinere medio, cæteris iter peragentibus cœptum, reversa, ut ad suæ locum cellulæ pervenit, poplitibus brachiisque contracta, diriguit. Postea plaustro ad præfatum devecta cœnobium, postquam aliquamdiu ibidem in hac est ægritudim remorata, exsultat tandem pristina sibi sospitate redhibita. D

(1) Bibliot., t. XVII, p. 537.

DE S. FINTANO CORACH,

EPISCOPO CLONFERTENSI,

ET DE S. FINTANO MOELDUBH,

B

ABBATE IN CLONEDAGH, IN HIBERNIA.

E

SYLLOGE HISTORICA.

V. D. B.

Utriusque S. Fintani ætas, munia et loca, quæ incoluisse traduntur.

AD FINEM SÆCULI VI ET ANNO 625. *Quare de utroque S. Fintano hac die agatur.*

S. Fintani *Corach memoria celebratur in omnibus antiquis Festilogiis ad diem* XXI *Februarii; ad quam Colganus* (1) *Syllogen de eo dedit. Quum autem ibidem dixisset fieri posse ut S.* Fintanus *Corach unus idemque esset ac S.* Fintanus *Moeldubh, qui die* XX *Octobris colitur; decessores no tri omiserunt de S.* Fintano *Corach ad diem* XXI *Februarii agere, et quæ de utroque* Fintano *reperirentur ad præsentem diem differenda judicarunt* (2) : *quocirca hæc jam nos manet sparta; quam ita adornare conabimur, ut prius referamus quæ alterutri tribuuntur gesta, et deinde dispiciamus an in unum virum sint confundendi.*

C

S Fintanus Moeldubh succedit S. Fintano Gabhreni

2 *Initium ducamus a S.* Fintano *Moeldubh, quod certiora de eo narrantur. Colganus* (3), *texens catalogum abbatum monasterii de Cluain-edhnech, hæc exhibet :* S. Columba, Crimthanni filius, primus abbas de Cluain-edhnech et postea primus abbas de Tyrrdaglas, obiit anno 548. — S. Fintanus filius Gabhreni, abbas de Cluain-edhnech, floruit anno 560, et decessit XVII Februarii. — S. Fintanus, cognomento Moeldubius, abbas de Cluain-eidhnech, obiit anno 625. — S. Fintanus, cognomento Corach, episcopus Cluain-fertensis et abbas de Cluain-eidnech, XXI Februarii. — S. Munna, filius Tulchani, qui et Fintanus dicitur, episcopus et abbas de Cluain-edhnech, obiit anno 634, XXI Octobris. *Secundum hanc itaque chronotaxin S.* Fintanus *Moeldubh successit S. Fintano Gabhreni filio : et quidem recte, quum in hujus Vita* (4) *ad calcem legatur :* Cum ergo exitus ejus advenisset, vocavit ad se populum suum, sciens diem obitus sui; et cum licentia et benedictione fratrum et sanctorum, qui convenerant ad ipsum sanctum patrem visitandum, constituit ipse in loco et in sede sua post se virum, genere nobilem et moribus, Fintanum Mældubhium eodem nomine nominatum.

in administrando monasterio de Clonenagh et moritur anno 625.

3 *Priusquam autem procedamus longius, vestigia aliquantisper relegenda videntur. Monasterium de* Cluain-edhnech *dicitur etiam* Cluain-ednach, Cluainenagh *et vulgo* Clonenagh. *Situm erat in baronatu Maryborough, in agro Reginæ, in Lagenia, anno* 938 *vastatum fuit a Danis, et dein sæpius restitutum multasque iterum injurias passum; atque etiam nunc parœcia catholica titulum abbatiæ retinet* (5). *Quandonam autem S.* Fintanus *Moeldubh ibidem abbas factus fuerit erui potest ex tempore obitus decessoris sui S. Fintani Gabhreni, qui ante S. Columbam abbatem Hiensem* (6), *id est ante* 597 (7), *vita functus videtur. Mortem S.* Fintani *Moeldubh consignat Colganus, Chronicum Cluanense secutus, ad annum* 625. *Archdallium, plurimum in his a vero aberrantem multaque inter se confundentem, castigat Lanigan* (8); *sed satis nobis fuerit monuisse lectorem cavendum sibi esse ab illo scriptore, ubi de monasterio Cluain-edhnech disserit.* F

Videtur magister fuisse S. Fechini

4 *Reliqua, quæ de S.* Fintano *Moeldubh innotescunt, ex Martyrologiis Hibernicis hauriuntur. Apograghum Martyrologii Dumgalensis, quod in bibliotheca regia Bruxellensi seu Burgundica asservatur, filium eum facit Amalgadii. Marianus et Ængussius auctus* (9) *scribunt eum natum in provincia Momoniæ (Munster); Martyrologium Casselense* (10) *locum magis determinat, tradens eum*

(1) Vit. SS. Hiberniæ, t. I, p. 385. — (2) Cfr Act. SS., t. III Febr., p. 235. — (3) Ad XVII Febr., t. I, p. 356. — (4) Act. SS., t. III Febr., p. 20, n. 26; Act. SS. Hibern., t. I, p. 353, n. 24. — (5) Cfr. Lanigan, eccl. Hist. of Ireland, t. II, p. 62 et 64, t. III, p. 374 et seq.; Lewis, Topogr dict. of Ireland, v° *Clonenagh*; Carlisle, Topogr. dict. of Ireland, v° *Clonenagh*. — (6) Cfr Colganus, t. I, p. 355, n. 26; Act. SS., t. III Febr., p. 16, n. 5; Lanigan, t. II, p. 245 et 247. — (7) T. I, p. 355, n. 27. — (8) T. II, p. 231 et seq. — (9) Ap. Colganum, t. I, p. 355, n. 27. — (10) Ibid., l. c.

fuisse

V. D. B.

fuisse de regione Eoghanacht Cassil; *quem locum in vicinia civitatis archiepiscopalis Casseliæ ad septentrionem collocat Lanigan* (1). *Idem Casselense Martyrologium testatur eum* institutorem *fuisse* S. Fechini, *abbatis scilicet Fovarensis; quod satis convenit cum priori S. Fechini Vita, in qua hic Sanctus legitur prius erudiendus datus S. Nathineo, et inferius* (2): Post hæc bonæ indolis puer ad sanctum alium virum discendi desiderio inspiratus pervenit. Cumque idem vir Dei de adventu tanti discipuli exultasset, atque eum in obsequio humilitatis comprobare vellet, cujusdam agri herbosi curam ei commisit, ut illibate ab animalibus custodiret. *Quoniam S. Ængussius auctus et Martyrologium Casselense S. Fechinum discipulum faciunt S. Kyerani Cluanensis, æstimat Colganus* (3) *in recitato Vitæ loco de S. Kyerano agi, licet hinc sequatur S. Fechinum ad annum ætatis* 130 *pervenisse. Sed explodit jure merito hanc fabulam Lanigan* (4); *cui multo verisimilius videtur S.* Fintanus *Moeldubh secundus S. Fechini magister fuisse. Plura de ejus gestis non reperio.*

colitur die xx Octobris in Dermach, in regione Yduach, cujus situs investigatur.

5 Ejus natalis, *inquit Colganus* (5), celebratur in ecclesia de Dermagh in regine Yduach, xx Octobris juxta S. Ængussium, Marianum, Martyrologium Tamlactense et Calendarium Casselense. *Alibi* (6) *distinguit idem Colganus tres Dermacenses ecclesias: unam in Arteach, regione Connaciæ, sitam, et dictam* Dermaigia de Cuil-chaouna, *de qua mentio fit in Actis S. Cormaci, episcopi Athtrumensis et dein Armachani* (7); *secundam in Lagenia, in regione de Fera-keall, seu in finibus Mediæ australis et comitatus Regis et baronatuum Moycashel et Ballincown, olim dictam* Dermagh, Dairmagh, *Anglis* Durogh (8), Durrow *seu* Dervagh (9), *et abbatia a S. Columba fundata* (10) *celeberrimam; tertiam in regione* de Yduach, *in qua S.* Fintanus *Moeldubh cultus fuisse legitur.* Yduach *autem, quæ et* Hiduach *a Colgano scribitur, videtur esse* Idogh; *quam regionem notatam reperio in antiquis Mappis geographicis, quas typographus Amstelodamensis Bleau inseruit descriptioni Hiberniæ Camdeni* (11); *respondet vero ei parti comitatus* Carlow, *quam nunc* Idrone West *appellamus. Quæ conveniunt cum his quæ habent apographum Dungallense et Colganus* (12), *statuentes Hiduach, in Ostrigia (id est Ossoria* (13)) *septentrionali. Verumtamen fatendum est locum* Dermagh *mihi in hac parte non obviare in Mappis Lewisii, Gough, Blaeu et cl. v. Vander Maelen, quoniam forte* Dermagh *nunc minimus quidam vicus sit. Quocirca S.* Fintani *Moeldubh popularibus situm Dermaciæ accuratius determinandum relinquo.*

Ex Festilogiis parum recte deduxisse videtur Colganus S. Fintanum Corach præfuisse Leamchuill, incerto loco,

6 *Quæ vero de S.* Fintano *Corach traduntur, repetuntur fere omnia ex his, quæ habent Festilogia Hibernica ad diem* XXI *Februarii; quæ idcirco præmisisse juvabit, S. Ængusius itaque ad hanc diem:* Solemnitas Fintani, post contemptum mundum; *Martyrologium Tamlactense:* Fintani Corach in Lemchuill vel Cluaineidhnech; *Calendarium Casselense:* Fintanus Corach quiescit in Leamchuill inter Hyduach et Laigis, vel in Cluainaitchin, vel in Cluainferta Brendani. Dicitur autem Corach, quia peregrinaturus sponsores dedit se aut vivum aut mortuum reversurum; *Marianus Gormannus:* Fintanus Corach, episcopus de Cluanferta Brendani; est etiam in Cluaineidhnech; *Martyrologium Dungalense iisdem utitur verbis: quæ omnia collegit Colganus* (14), *hinc deducens S. Fintanum Corach omnes rexisse ecclesias, in quibus eum* quiescere *vel* esse *hæ memoriæ Martyrologicæ perhibent. Ecce ut exorditur:* S. Fintani, cognomento Corach, meminerunt domestici passim hagiographi: et licet nullus, quæ licuit videre, produxerit Acta; ea tamen multi paucis tradunt de ipso, quæ eum virum gravibus functionibus et eximia vitæ sanctitate celebrem satis indicant: non solum enim in abbatis officio, sed et in pontificali dignitate annis multis curam gessisse animarum, pluresque successive legitur rexisse ecclesias. *Verum hæc secundum dicenda accipiat lector.* Prima fuit, *sic pergit Colganus,* ecclesia de Leamchuill in Lagenia in confinibus regionum Laigisiæ et Hui-duach sita; *quod assertum repetitur ex Kalendariis Casselensi et Tamlactensi, tradentibus eum vel in Leamchuill vel alibi* quiescere: *quam conclusionem ab erudito Lanigan* (15) *admissam fuisse jure merito mirandum est, dum certe Cathaldus Maguirius, tribus sæculis anterior* (16), *vocabulum* quiescere *aut* esse *de reliquiis intellexerit* (17). *Miror insuper ad diem* XVI *Novembris prodire apud Colganum* (18) *S.* Fintanum *de Leamchuill, qui tamquam alius exhibetur: adeo ut, quum video Martyrologos jam uni jam alteri loco assignare S.* Fintani *Corach corpus, subeat mihi in mentem, plura de hoc prædicari quæ ad alios Fintanos pertineant. Utut est* Leamchuill *fuit olim episcopalis sedes, quandoquidem olim die* XIII *Januarii colebatur S. Conannus seu Mochonna* episcopus Lemchallensis (19); *ast de ejus situ variæ circumferuntur sententiæ. Archdall id reponit in ea comitatus Reginæ meridionali parte, quæ finitima est baronatui* de Fassaghdining *in comitatu* Kilkenny (20); *unde proxima foret pristino Dermacensi S. Columbæ monasterio, nunc* Durrow *dicto; de quo verbum fecimus num.* 5. *Contra Carlisle* (21) *situm ejus assignat in parte septentrionali comitatus Reginæ, videlicet in baronatu* Portnehinch; *Lewisio placuit locum hunc intactum relinquere. Neque nos pares sumus definiendo accurate ejus situi. Ex Kalendario Casselensi Leamchuill jacuisse inter* Hyduach *et* Laighis *tenendum est.* Hyduach *seu* Idog *cum præsente* Idrone West *convenire diximus,* Laighis *vero, seu* Hy-laoighis *aut* Hy-leagh (22) *complectebatur comitatum Regis,* Leix *seu partem meridionalem comitatus Reginæ et nonnullos alios agros, huc non facientes: adeo ut Leamchuill jacuerit oporteat in* Slieumargue, *nunc ad comitatum Reginæ spectante, inter rivos* Douglas *et* Barrow *et montes* Comer; *quæ sententia proxime Archdallii asserto accedit; quum* Fassaghdining *adjaceat* Slieumargue.

et monasterio de Clonenagh; fuit hic Sanctus episcopus Clonfertensis;

7 Secunda *ecclesia, quam secundum Colganum* (23) *rexerit S. Fintanus Corach,* nobile *est* monasterium de Cluain-ednech in prædictæ Lagisiæ regione jacens: in quo vel id vita egisse vel post mortem jacuisse constat; licet et plures alii ejusdem nominis et non disparis sanctitatis prælati ibidem floruisse constet. *Atque hæc iterum erui a se posse arbitratur Colganus ex Mariano Gormano et ex Martyrologiis Dungallensi et Tamlactensi, num.* 7 *adductis: an vero hæc inde sequantur, ex ipsis documentis dispiciat lector. De monasterio*

(1) T. II, p. 231. — (2) Ap. Colganum ad 20 Januar., t. I, p. 130. — (3) Ibid., t. I, p. 140, n. 8. — (4) T. III, p. 46. — (5) T. I, p. 335, n. 27. — (6) T. I, p. 359, n. 14. — (7) Ibid., loc. cit. — (8) Ibid., t. II, p. 506. — (9) Lewis et Carlisle, v° *Durrow*. — (10) Cfr Cologanus, t. II, p. 506 et seq. at Act. SS., t. II Junii, p. 183, 201 et seq. — (11) Cfr p. 15 et seqq. Mappæ Lageniæ et Baronatus Idroniæ. — (12) T. I, p. 355. — (13) Beaufort, Ancient topog. of Ireland, ap. Vallancey, Collectanea de rebus Hibern., t. III, p. 403; Thomas de Burgo, Hibernia Domin., p. 297, n. f. — (14) T. I, p. 385, n. 14. — (15) T. II, p. 303. — (16) W. Nicolson, Irish Histor. Library, p. 37 et seq. — (17) Cfr Cologanus, t. I, p. 385, n. 14. — (18) T. I, p. 355, cap. I. — (19) Ibid., p. 60, n. 2. — (20) Cfr Lanigan, t. II, p. 305. — (21) Top. Dict. of Ireland, v° *Leamchuill*. — (22) W. Beaufort, op. cit., p. 365. — (23) T. I, p. 285.

V. D. B.

Cluain-ednech, nunc vulgo Clonenagh, *dictum est num.* 3. Tertia *ecclesia, quam a S.* Fintano *Corach administratam tradit Colganus* (1), *fuit* ecclesia de Cluainferta in Connacia ; in qua duo erant a prima fundatione munia, abbatis nempe et episcopi : quæ ambo ipse legitur obiisse. *Quæ colliguntur ex antiquis ad S. Aengussii Festilogium Scholiis, in quibus ad diem* XXI *Februarii legitur* (2) : Fintanus Corach, Senachus Garbh et Colmannus amicabilis filius Congelli erant tres Nigri Domini, successive unus post alterum in eadem abbatia succedentes. *Nigros Dominos Benedictinos fuisse (prout suggerit Colganus) jure merito explodit Lanigan* (3), *quum nil certius sit quam multo tardius Benedictinos in Hiberniam introductos fuisse. Abbatiam vero, quæ hic memoratur, esse* Cluainfertam *seu* Clonfert, *liquet primo ex Quatuor Magistrorum Annalibus* (4) : Anno 620 Senachus, cognomento Garbh, abbas de Cluanferta Brenaind, obiit; *deinde ex Mariano Gormano, qui S.* Fintanum *Corach* episcopum de Cluanferta Brendani *appellat* (5) ; *atque hæc unica forte probanda notitia est, quam de S.* Fintano *Corach habeamus. Porro* Clonfert, *in Connacia, etiamnum est sedes episcopalis.* B

dubium est utrum habitavit in Cluainaitchin, incerto loco ;

8 Quartam etiam ecclesiam, *ait Colganus* (6), nempe de Cluainaitchin in Lagisia ab eo fundatam vel administratam alii indicant : *in quæ verba animadvertit Lanigan* (7) *se vehementer suspicari* Cluainaitchin *et* Cluainedhnech *(Clonenagh) inter se confundi ; Kalendarium enim Casselense, quod illud obtrudit, mansionem in* Cluainedhnech *omittit : et vicissim pleraque, quæ hanc enuntiant,* Cluainaitchin *non novere : et quidem si admittas a S.* Fintano *Corach ecclesiam de Cluainaitchin rectam fuisse, non vero ecclesiam de Cluainedhnech, facilius curret chronotaxis ; secus enim quomodo hæc inter se conciliari poterunt : S.* Fintanum *Moeldubh, anno* 626 *mortuum, præcessisse in administrando Cluainedhnech S.* Fintano *Corach : et eumdem S.* Fintanum *Corach in sede Clonfertensi præcessisse S. Senacho Garbh, anno* 620 *vita functo? Secundum hanc animadversionem expungendus est S.* Fintanus *Corach ex catalogo abbatum de Cluainednech, num.* 2 *recitato, et parum probabilis fit conjectura Colgani* (8), *credentis S.* Fintanum *Corach, vel, abdicata cura de* Cluainaitchin, *ad monasterium de* Cluainedhnech *juxta sua promissa (ut suggerit Kalendarium Casselense) reversum esse, vel saltem ibi sepultum. Porro* C

Cluainaitchin *in Lagesia situm fuisse docet Cathaldus Maguirius* (9) ; *ubi vero locorum frustra quæres. Cæterum videat iterum lector an ex eo quod S.* Fintanus *in Cluainaitchin* quiescere *dicatur, ut in aliis multis locis, colligi queat ab eo hanc administratam fuisse ecclesiam.* D

traduntur de eo plura alia incerta.

9 Annis centum triginta quinque vixisse Fintanum Corach psalmos continuo cantando juxta fontis marginem *ex S. Aengussio tradit Colganus* (10). *Verum an hi centum et triginta anni, S.* Fintano *Corach adscripti, magis probandi sint quam eadem ætas, tributa S. Fechino, vehementer dubito. Quum vero, ut num.* 7 *vidimus, S. Senacho Garbh, anno* 620 *ad superos transgresso, præcessisse tradatur, hinc collegit Colganus* (11) *eum sub finem sæculi* VI *floruisse ; neque est cur dissentiamus. De cognomento* Corach *monet et hæc Colganus :* Vox Corach, *inquit,* in patrio idiomate sub diversa ratione plura denotat, nunc volubilem, nunc sponsorem, nunc melodem seu modulatorem significans. Unde quia vel locum mansionis et regiminis sæpius mutavit, vel quia dicto jam modo spopondit se ad pristinum locum reversurum ; vel quia modum psallendi seu laudes divinas persolvendi priscis monachis consuetum mutavit novumque canendi modum introduxit, *ut dubitanter indicat Maguirius ad diem* XXI *Februarii* (12), vel insuper quia scrinia, in quibus ejus jacent reliquiæ, visa sunt miraculose se movere, *ut idem Maguirius suggerit* (13). *Atque hæc a me potius recitari, ut norit lector quæ de S.* Fintano *Corach scripta fuerint, quam ut hæc inter res historicas recenseat, vix operæ pretium est monere.* E

S. Fintanus Corach et S. Fintanus Moeldubh sunt diversi.

10 *Porro quod initio quærebamus sitne unus idemque Sanctus S.* Fintanus *Corach et S.* Fintanus *Moeldubh, dispiciendum superest. Eruditissimus Lanigan* (14) *aperte negat, quoniam alter die* XXI *Februarii colitur, alter die* XX *Octobris ; quod argumentum maximi sane ponderis est. Adde cognomina* Moeldubh *et* Corach *diversissima esse. Quod autem ait Colganus* (15), *eodem loco, eodem nomine, et eodem tempore eumdem Sanctum satis indicari, meminit sane lector valde dubium esse utrum S.* Fintanus *Corach in Cluainedhnech versatus fuerit ; dein alterum anno* 625 *obiisse, alterum vero diu ante ; et demum Fintani nomen apud Hibernos valde vulgare fuisse, ita ut Colganus* (16) *ipse catalogum texuerit vigintiquatuor Sanctorum, quibus Fintani esset nomen.* F

(1) Ibid., loc. cit. — (2) Cfr Colganus, t. I, p. 385, n. 7. — (3) T. II, p. 306, n. 22. — (4) Cfr Colganus, t. I, p. 385, n. 6. — (5) Cfr supra, n. 7. — (6) T. I, p. 385. — (7) T. II, p. 306, n. 18. — (8) T. I, p. 385. — (9) Cfr Colganus, t. I, p. 385, n. 14. — (10) Ibid., n. 12. — (11) Ibid., p. 385. — (12) Ibid., n. 11. — (13) Ibid., n. 14. — (14) T. II, p. 305, n. 17. — (15) T. I, p. 385, n. 3. — (16) T. I, p. 355.

A

DE B. SONNATIO,

ARCHIEPISCOPI REMENSI IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

V. D. B.

B. Sonnatii cultus periit; ejus corpus transfertur; Concilium celebrat; fines regni Dagoberti, Austrasiæ regis; statuta B. Sonnatio tributa.

ANTE AN. 633.

B. Sonnatius, cujus corpus anno 1204 translatum fuit,

Saussayus *in supplemento ad Martyrologium suum Gallicanum celebrat præsenti die memoriam B.* Sonnatii *Remensis metropolitæ; sed aliis minoris formæ typis usus, neque* B *addito Sancti aut Beati titulo, indicare videtur sibi de cultui non constare; verumtamen initium aliquod ejus cultui datum fuisse eumque inter Beatos relatum, non est quod ambigamus. Quocirca, licet numquam plurimum ejus cultus floruisse videatur adeoque cum sacris ejus ossibus interierit jam pridem, non minor de eo dicendi est ratio, quam de tot Martyribus, quorum sola ex Hieronymianis fastis nomina innotescunt. Ante omnia itaque dicendum est de ecclesiasticis eidem tributis honoribus. De his autem non alium testem habemus præter Democharem, (cujus Gallicum nomen Antonius de Mouchy), virum gravem, doctorem et professorem Sorbonensem, et in Concilio Tridentino laudatum theologum. Tradit autem ipse, et secundum eum Marlotus* (1) *et Gallia Christiana* (2) elapso plurium annorum curriculo, Deum, miraculis in tumulo coruscantibus, sanctitatem ipsius mundo revelasse, temporibus præsertim Raynaldi *(II, qui sedit ab anno* 1124 *ad* 1138), Samsonis, *(qui successit usque ad annum* 1161) et Henrici, *(qui diem obiit anno* 1175), archiepiscoporum, sacraque ejusdem ossa ab ecclesia S. Remigii ad cathedralem fuisse translata IV Novembris anni 1204, elevationis, pompam C Widone Cardinale Prævestino *(et simul electo Remensi archiepiscopo* (3)) celebrante, ast hæc paulo post fortuito incendio, quo deformata ecclesia, cum ingenti supellectile periisse. *Sæculo itaque* XII *et* XIII *floruit B.* Sonnacii *cultus; unde nil mirum si nulla hujus venerationis vestigia apud Flodoardum appareant.*

episcopus factus ante annum 613, et verisimiliter multis annis ante.

2 *Omnia fere, quæ de B.* Sonnatio *innotescunt, tradita fuere posteris a Flodoardo, ecclesiæ Remensis historico; neque hæc multa sunt numero, aut gravibus disquisitionibus sunt obnoxia. Quæritur tamen primo quo anno Remensem sedem conscenderit B.* Sonnatius, *secundo quo eam, ad superos transiens, vacuam reliquerit, et tertio demum quo anno frequentissimam celebrarit synodum. De ejus episcopatus initiis variæ circumferuntur opiniones. Cointius* (4) *hanc texit chronologiam: Romulfus, B.* Sonnatii *decessor, ex S. Gregorio Turonensi* (5) *sedem Remensem conscendit anno Childeberti regis decimoquinto, Guntchramni undetricesimo, id est Christi quingentesimo nonagesimo: neque de his ulla est disputatio propter certam S. Gregorii auctoritatem.* VII *Kal. Junias, indictione undecima, seu* E *anno* 593, *ob pseudoprivilegium Medardense, datum hoc tempore, superstitem volunt. Ast hæc nullius frugis, quum omnes conveniant, etiam ii quibus probatur hoc privilegium, subscriptiones, quas inter Romulfi nomen venit, esse commentitias* (6). *Neque majoris pretii est Chenutii assertum Romulfum tres annos Remis sedisse, quum nullo antiquo testimonio id nitatur. Marlotus* (7) *Romulfo tribuit sex aut septem annos regiminis; verum ex mera conjectura, quum ipse continuo post fateatur ignorari ejus depositionis annum. Albericus Trium Fontium* (8) *ad annum* 626 *scribit:* Remis episcopo Romulfo successit Sonacius: *verum ad hunc annum videtur retulisse istam successionem, non quod tunc facta esset, sed quod dicendum ei esset de Concilio Remensi circa hoc tempus habito: cæterum certum est B.* Sonnatium *sat diu ante cathedra Remensi potitum esse. Autumat Marlotus* (9) *aliique Romulfum obiisse ante finem anni* 596 *seu tempore Childeberti regis Austrasiorum, quod hic, teste Flodoardo*(10), *sua auctoritate ejus testamentum probavit. Argumentum non omnino inane est, licet fieri potuerit, (ut recte animadvertit Gallia Christiana* (11)), *ut Childeberto post concessum privilegium Romulfus* F *superfuerit. Nullus itaque certus limes suscepti a B.* Sonnatio *episcopatus figi potest, præterquam quod, episcopus jam creatus,* res quasdam cum Brunechilde commutavit, *ut testem habemus Flodoardum* (12): *quod factum sit oportet ante messem anni* 613; *quo tempore Brunechildis obiit* (13).

obiit ante annum 633;

3 *De anno obitus B.* Sonnatii *non minor inter scriptores pugna. Cointius* (14) *statuit annum* 631; *rem non definit Gallia Marlotus* (15) *annum* 633; *rem non definit Gallia Christiana* (16). *Verum ex gestis Leudegisili, B.* Sonnatii *successoris, limitem licet stabilire ultra quem hujus episcopatus extendi nequit. Leudegisilus nempe ordinavit S. Autbertum episcopum Cameracensem* (17), *et quidem certo ante diem* XV *Januarii anni* 638, *quo Dagobertus, crebro ad sanctum Cameracensem præsulem venire solitus* (18), *diem obiit* (19). *Sed et ipso die* XXI *Martii anni* 633 *hanc*

(1) Metropolis Remensis Hist., lib. II, cap. XXXI, t. I, p. 247. —
(2) T. IX, col. 19 —(3) Leonardus Cecconi, Storia di Palestrina, lib. IV,
cap. II, p. 257. — (4) Annal. eccl. Franc. ad an. 593, n. 13 et 14, t. II,
p. 306.—(5) Hist. eccl. Franc., lib. X, cap. X et XIX, ap. D. Bouquet, t. I,
p. 368 et 376 —(6) Cfr Bréquigny et du Theil, diplom, t. I, p. 88 et seqq.
— (7) Metrop. Rem. Hist., lib. II, cap. XXVI, t. I, p. 233 — (8) Ap. Leibnitzium, Access. hist., t. II, p. 49 — (9) T. I, p. 233.—(10) Hist. Rem.
eccles., lib. II, cap. XIV. Bibl. PP. Max., t. XVII, p. 533. — (11) T. IX,
col. 18.—(12) Lib. II, cap. V, p. 535. — (13) Cfr Gebhardus, Reg. Franc.
Merov., p. 72. — (14) Ad an. 631, n. 14, t. II, p. 841. — (15) Lib. II,
c. XXXI, t. I, p. 247.—(16) T. IX, col. 20.— (17) Cfr Cointius ad an. 632,
n. 9, t. III, p. 8. Gallia Christ., t. III, col. 6 et Act. SS. Belgii, t. III,
p. 536. — (18) Cfr Vit. S. Autberti, Act. SS. Belgii, t. III, p. 541. —
(19) Cfr Gebhardus, Reg. Fr. Merov., p. 116.

ordinationem

V. D. B.

ordinationem factam fuisse deduxit Cointius (1) *ex eo quod ordinatio illa in Martyrologiis notatur ad* XII *Kal. Aprilis, quæ circa id tempus anno tantum* 633 *cum die Dominica, qua ordinationes celebrandæ erant, concurrit. Riveio* (2) *tamen B.* Sonnatii *mors ante annum* 628 *consignanda videtur, quoniam ejus successor* tempore Dagoberti episcopium rexisse *a Flodoardo* (3) *traditur. Verum hinc non elicitur eum Remensi cathedra potitum ante Dagoberti regnum, quod ab anno* 628 *ad diem* XIX *Januarii anni* 638 *duravit; sed tantum quod per aliquod tempus intra hoc decennium episcopali munere functus est. Satis itaque nobis fuerit ante mensem Martium anni* 633 *B.* Sonnatii *mortem statuere. De die conveniunt omnes : Robertus* (4), *fratres Sammarthani* (5), *Marlotus* (6), *Cointius* (7) *et Gallia Christiana* (8) *unanimes tradunt eum præsenti die obiisse; neque abludit Saussayus* (9), *quem Marlotus falso accusat de relata B.* Sonnatii *morte ad diem* XXV *Octobris. Potuit eis facile ex obituario seu Kalendario hæc innotescere dies.*

circa annum 625 celebravit. Concilium,

4 *De tempore celebrati a B.* Sonnatio *Concilii dictum fuit sæpius in opere nostro, maxime ad diem* XVI *Octobris in Commentario de S. Magnobodo* (10). B *Sirmundus* (11) *id celebratum dixerat anno* 630; *quod non placuit Labbeo* (12), *Cointio* (13), *Mabillonio* (14), *Tusanno Du Plessis* (15) *et plerisque aliis, annum* 625 *assignantibus. Argumenta, quibus nituntur, repetunt ex subscriptis nominibus S. Sulpicii Bituricensis, Senoci Elosani et S. Arnulfi Metensis. S. Sulpicius enim, ut ostendit Henschenius tum in Commentario de S. Amando* (16), *tum in alio de S. Austregisilo* (17), *non potuit Bituricensis creari episcopus ante diem* XX *Maii anni* 624, *quo S. Austregisilus vita functus est : unde consequitur Remensem synodum post medium annum* 624 *coactam fuisse. Ex altera vero parte propter Senoci seu Sidoci Elosani episcopi præsentiam colligitur id factum ante hujus exilium; quod Fredegarius* (18) *anno* XLIII *regni Chlotarii seu* 626 *illigat. Simile repetitur argumentum ex præsentia S. Arnulfi, qui episcopatum Metensem verisimilius mense Septembri anni* 625 *abdicasse videtur Boschio nostro* (19), *licet aliis id ab eo factum anno* 626 *non displiceat. Certe itaque habitum est id Concilium inter annum* 624 *et* 626; *et propter Boschii calculum valde probabile est id anno* 626 *non esse factum; manet itaque ut vel exeunte anno* 624 *vel ante mensem* C *Septembrem anni* 625 *locum habuerit.*

quo convenerunt e ditione Chlotarii II plures quam quadraginta episcopi,

5 *Ut testis est Flodoardus, qui Acta habebat præ oculis, huic Concilio interfuere quadraginta vel eo amplius Galliarum episcopi; quorum ipse, præter* Sonnatium, *quadraginta nomina recenset. Sex metropolitanos adfuisse statuit D. Ceillier* (20) : Sonnatium *Remensem Concilii præsidem, Theodericum Lugdunensem, Sindulfum Viennensem, Sulpitium Bituricensem, Medegiselum Turonensem et Senocum Elosanensem. Ast complures alii interfuere, quorum sedes metropolitanæ aliquando fuere; verum disputatur utrum sæculo* VII *hoc fruerentur jure. Quocirca, ne longius excurrendum sit, malumus intactum relinquere quot huc convenerint archiepiscopi. Vult præterea Ceillier hanc synodum coactam fuisse ex episcopis, qui Chlotharium II regem habebant; etenim a Kalendis Martii anni* 622 (21) *Chlotharius* Dagobertum filium suum consortem regni fecerat D eumque super Austrasios regem constituerat, retinens sibi quod Ardenna et Vosagus versus Neuster et Burgundiam excludebant. *Ad quæ observavit sequentia Pagius* (22) : Itaque Austrasiæ regnum, Neustriam versus Ardenna silva, et Burgundiam versus Vosago monte sic circumscriptum multo minus quam antea patebat : Clotharius enim diœceses Remensem, Catalaunensem, Meldensem, Laudunensem et Cameracensem sibi retinuit cis Ligerim, cum multis aliis trans eum fluvium ac Rhodanum in Aquitania et in Provincia, quæ prioribus Austrasiæ regibus quondam paruerant. *Similia jam antea scripserat Henschenius* (23), *notans insuper Ardennam hic eodem intelligi sensu, quo apud Cæsarem de B. G. lib.* VI, *cap.* XXVI, *scilicet ad Nervios usque extensam.*

dum ditio Dagoberti diœcesi ferme Tullensi capiebatur.

6 *Ego vero arbitrarer Dagoberti regnum vix ultra priscam diœcesim Tullensem (antequam scilicet diœcesis Nancejensis ex ea dissecta fuit) extensum fuisse; si enim probe considerentur Fredegarii verba, hos videntur indicare terminos; deinde interfuere Remensi Concilio vicini omnes episcopi, Metensis, Trevirensis, Coloniensis, Laudunensis, Vidunensis, Cameracensis, Moguntinensis et Catalaunensis. Aberat autem Tullensis; et re quidem vera Tullum* E *sub Dagoberti potestate fuisse testis est Fredegarius* (24), *narrans Godinum, Warnacharii majorisdomus filium, sibi male a Chlothario timentem,* tergis versis ad Dagobertum regem perrexisse in Auster, et in ecclesia S. Apri, *in Tullensi suburbio,* regio timore perterritum, fecisse confugium. *Prout ostendit Henschenius* (25) *ingens pars pristinæ provinciæ Bituricensis aliquando Austrasiæ adscripta fuit; aderant tamen Remensi synodo omnes hujus partis episcopi; unde satis liquet eos Dagoberto non fuisse obnoxios : neque magis Dagoberti regno adscripserim episcopos Provinciæ seu regionis Massiliensis, licet ex ea unus tantum episcopus Regiensis interfuerit synodo : nullus enim liber aditus fuisset Dagoberto a Tullo sua sede ad hunc Galliæ angulum; dein Vosagus constituitur a Fredegario tamquam limes meridionalis et orientalis regni Dagoberti; et præterea ex aliis Chlotharii regni partibus abfuere complures quoque episcopi : unde ex illorum absentia nullum certum argumentum. Atque ut hæc concludamus, ex dictis manifestum est nationale id fuisse Concilium : eoque majoris ponderis, quod plures, qui ecclesiastico nunc fruuntur cultu, ei præsentes fuerint, et de maximi momenti rebus in* F *eo sit actum. Quum autem decreta passim in collectiones Conciliorum translata fuerint, prout ea posteris servavit Flodoardi cura, ea inferius omittemus.*

B. Sonnatio tribuuntur etiam alia statuta,

7 *Invenit Colvenerius in archivo Majoris Monasterii et appendicis loco ad Historiam Flodoardi edidit* statuta synodalia ecclesiæ Remensis per Dominum Sonnatium; *quæ hinc transierunt in Historiam Marloti et in Conciliorum collectiones. In hæc notavit Colvenerius sequentia* (26) : Etsi enim sint in his quædam, quæ non videntur recolere antiquitatem : ut quod titulus PASTORIS tribuat parochis, qui ætate Sonnatii et multo post PRESBYTERI tantum aut SACERDOTES solent appellari : quod item festum Nativitatis B. Mariæ inter festa celebranda *absque omni opere forensi* reponat, quod in his partibus non videtur tam antiquum fuisse, quandoquidem Fulbertus Carnotensis, qui vixit anno

(1) Loc. sup. cit. — (2) Hist. litt. de France, t. III, p. 539. — (3) Lib. II, cap. VI. Bibl. M. PP., t. XVII, p. 535. — (4) Gall. Christ., p. 118. — (5) Gall. Christ., t. I, p. 479. — (6) Lib. II, cap. XXXI, t. I, p. 247. — (7) Ad an. 631, n. 14, t. II, p. 811. — (8) T. IX, col. 19. — (9) Mart. Gall. suppl. ad 20 Oct. — (10) T. VII Oct., p. 738. — (11) Concil. Gall., t. I, p. 479. — (12) Conc., t. V, col. 1688 et 1693. — (13) Ad an. 625, n. 14, t. II, p. 751. — (14) Annal. Bened., t. I, p. 331 et seq.; Opp. posth., t. I, p. 110. — (15) Hist. de l'Egl. de Meaux, t. I, p. 623. — (16) T. I Februarii, p. 830. — (17) T. V Maii, p. 228. — (18) Chronic., n. 54, ap. D. Bouquet, t. II, p. 434. — (19) T. IV Julii, p. 429 et seq. — (20) Aut. eccles., t. XVIII, p. 789. — (21) Cfr Gebhardus, p. 114. — (22) Fredegarius, Chron., c. XLVII, ap. D. Bouquet, t. II, p. 432. — (23) Crit. ad an. 622, n. 11. — (24) De tribus Dagobertis, p. 24. — (25) Chron., cap. LIV, ap. Bouquet, t. II, p. 334. — (26) Act. SS., t. I Febr., p. 210 et seq. an. 22 ad 26. — (27) Bibl. M. Pat., t. XVII, p. 649.

A 1017, id primum in Gallia celebrasse dicatur, si Demochari credimus. Verum facile potuit fieri, ut loco presbyteri a recentiori aliquo positum sit nomen pastoris, et festum illud ab aliquo forte adjectum. Scribit tamen S. Hildephonsus (qui eadem ætate vixit cum Sonnatio) in libro de virginitate et parturitione B. Mariæ Nativitatem ejus ex auctoritate totius ecclesiæ celebrari et venerari. Sunt his statutis similia quæ scribit Jesse, Ambianensis episcopus in epistola ad sacerdotes suæ diœcesis et constitutio Riculfi episcopi, quæ cum Hincmari opusculis edidit Joannes Cordesius.

in quibus difficultatem facessunt nomen pastoris, datum parochis, festum Nativitatis B. M. V.

8 *Calculo suo hæc probant Marlotus* (1) *et Rivetus* (2), *addentes* pastoris *titulum in altero Concilio Remensi, de quo modo diximus, can.* IV *pro parochis æque ac pro episcopis venire : sed falso, ut ex verbis patet :* Si qui hæretici adhuc esse suspicantur in Galliis, A PASTORIBUS ECCLESIÆ perquirantur; pastores ecclesiæ *aperte sunt episcopi. Riveto tamen non placet argumentum ex libro de S. Ildephonsi, quoniam hæc scriptio potius anonymo sæculi* IX *tribuenda est ; quocirca conatur difficultatem elidere, dicendo ex singulari forte pietate festum Nativitatis B. M. V. a B.* Sonnacio *celebrandum inductum* B *fuisse. Pro more suo nonnulla docte collegit de hac festivitate R. D. Binterim* (3), *ex quibus sequitur hoc festum signari in antiquissimis sacramentariis SS. Gelasii et Gregorii; processionem hac die indictam fuisse a Sergio papa; librum seu sermonem de Virginitate B. M. V. erudita dissertatione Ludovici Andruzzi vindicatum fuisse S. Ildephonso ; id tamen festum non venire inter festa, quæ cum operum servilium omissione celebrari jussit Consilium Moguntinense anni* 813, *Ahyto Basileensis et S. Adelardus Corbejensis; sed inter festa in foro, quæ peragi præcepit Herardus Turonensis anno* 858 *et Rodulphus Bituricensis anno* 847; *sæculo autem* X *in Anglia quoque jam celebratum fuisse id festum videri. Hæc tamen non sufficere arbitramur ut difficultas sublata dicatur.*

et fundationes Missarum pro mortuis :

9 *Consurgit et alia difficultas ex canone* 18, *qui ita sonat :* Suffragia defunctorum omnino servari præcipimus, et ne missarum solemnia præter fundatorum mentem alio modo convertantur : *quæ quum sæculum* VII *non sapere aliqui dicerent, animadvertit Rivetus* (4) *hoc sæculo fundationes multas fuisse factas, et proin fieri potuisse ut earum auctores certam prescripserint (quam vocant) intentionem.* C *Quod Rivetus hanc dubitandi formam hic adhibeat in causa est Mabillonius, qui missarum stipendiis initium assignat sæculum* VIII. *Sed errasse in his doctissimum hunc virum jam in confesso est ; adeoque stipendia hæc, intentiones privatas pro vivis et defunctis, et ipsas in hanc rem fundationes antiquissimas esse manifestissimum est ex his quæ eruditissime de his rebus disseruit laudatus R. D. Binterim* (5). *Concedendum itaque difficultatem ex canone* XVIII *esse vanam. Vana est item alia difficultas, scilicet nullam mentionem fieri a Flodoardo de his statutis ; nam, ut recte observat Rivetus* (6), *multa alia fugerunt Flodoardi diligentiam. Quod autem a Colvenerio et secundum eum a Marloto et Riveto asseritur similia esse hæc statuta epistolæ Jesse Ambianensis et Constitutioni Riculfi, id ego non reperio ; forma enim alia omnino est et multa in his omittuntur, quæ in statutis B.* Sonnacio *adscriptis attinguntur.*

v.rum propte▮▮ non ei videntur abjudicanda.

10 *Quid ergo de his judicandum? Imprimis hæc statuta sunt certo antiquiora Concilio Lateranensi sub Alexandro III habito, in quo præter titulum* beneficii *admissus fuit titulus* patrimonii, *dum in his statutis, num.* 12 *præscribitur :* Qui ad ordines promoveri volunt, habeant beneficium ad alimoniam sufficiens, idque ad examinationem virorum proborum et juratorum ; *ubi excluditur titulus patrimonii. Quin imo sæculo* IX *antiquiora habenda sunt, quum hoc ævo passim in Gallia in foro et in choro celebraretur festum Omnium Sanctorum; quod tamen in his statutis deest. Quod vero ad superstites difficultates attinet,* nomen pastoris *datum, ut volunt (nam id negari fors posset),* parochis, *æque pugnat cum usu sæculi* IX *et sequentium ac cum consuetudine sæculi* VII ; *de qua re videri potest Nardi* (7) ; *unde id argumentum nimium probare videtur. Superest difficultas ex festo Nativitatis B. Mariæ repetita ; sed quum hoc festum sæculo* VII *certo ageretur in choro, quid ita mirum si aliquis archiepiscopus id in foro quoque observandum indixisset ? Conveniunt quoque hæc statuta B.* Sonnatio, *in quantum ab archiepiscopo sunt condita : num. enim* 19 *legitur monitum ad episcopos suffraganeos :* Sint episcopi fideles etc. *Quod demum ultimum animadverti velim, quum ea legis, crederes (si verba et modum attendas) decreta sæculi* XIV *aut* XV *tibi obvia esse ; et tamen certo, ut vidimus, multo* E *antiquiora sunt ; et quidem non arbitror ullum repertum in his iri verbum, quod exemplis sæculi* VII *aut* VI *non excusabis. Subibit et cogitatio hæc statuta alius forte esse* Sonnatii ; *verum in indice Conciliorum Labbe et in supplemento Mansi nullus hoc onymus occurrit. Quocirca non ausim ea adjudicare B.* Sonnatio ; *quod nec ausi sunt Colvenerius, Marlotus, Rivetus et ipse Binterim, passim ea sub B.* Sonnatii *Remensis laudans.*

V. D. B.

Non transtulit S. Remigii corpus : ante episcopatum erat archidiaconus.

11 *Contra inter B.* Sonnatii *gesta nequaquam referam translationem S. Remigii, quam anno* 600 *a B.* Sonnacio *fieri potuisse adstruit Gallia Christiana* (8). *Ostenderunt quippe decessores nostri* (9) *hanc factam ante annum* 585, *et proin a Mapinio vel Ægidio Remensibus archiepiscopis. Reliquum sub Romulfo suo decessore archidiaconi munere fungebatur B.* Sonnacius, *ut testis est Flodoardus* (10) ; *qui de Romulfi testamento loquens scribit :* Cujus adhuc testamenti pagina in archiva Remensis ecclesiæ reservatur cum auctoritate Childeberti regis : qua petitus idem rex a præfato præsule per Sonnatium diaconum, virum venerabilem, hoc testamentum confirmare decrevit. *Subdit et hæc alia æque ad B.* Sonnacium *ac ad Romulfum pertinentia* (11) : Quasdam quoque res, a quibusdam pervasas, *(Romulfus)* apud regiam majestatem, agente F præfato Sonnatio archidiacono, evindicasse reperitur, regiæ auctoritatis super his evindicationibus adhuc manentibus instrumentis. *Superest ut reliqua B.* Sonnatii *gesta seorsim recitemus ; prout hæc apud Flodoardum* (12) *leguntur.*

VITA B. SONNATII,

REMENSIS ARCHIEPISCOPI,

Ex historia Remensis ecclesiæ Flodoardi.

B. Sonnatius celebrat Concilium,

Romulfum sequitur in episcopatu Sonnatius *a*, qui synodum celebrasse reperitur cum aliis quadraginta

a

(1) Metrop. Rem., lib. II, cap. XXIX. — (2) Hist. litt. de France, t. III, p. 540. — (3) Denkwürdigk., t. V, part. I, p. 350 et seq. — (4) Hist. litt., t. III, p. 540. — (5) Denkw., t. IV, part. III, p. 376 et seqq. — (6) Tom. cit., p. 540. — (7) Dei Parrochi, t. I, p. 1 et seqq. — (8) T. IX, col. 18. — (9) T. I Oct., p. 113. — (10) Lib. II, cap. IV, Bib. M. PP., t. XVII, p. 533. — (11) Ibid., loc. cit. — (12) Ibid., cap. V, p. 533 et seqq.

draginta

AUCTORE FLODOARDO.

draginta vel eo amplius Galliarum episcopis. Ubi etiam Sanctus Arnulfus, Metensium præsul, invenitur interfuisse, cum Theoderico Lugdunensi, Sindulfo Viennensi, Sulpitio Bituricensi, Medegiselo Turonensi, Senoco Elosanensi *b*, Leontio Xantonensi, Modoaldo Treverensi, Chuneberto Coloniensi, Richerio Senonensi, Donato Vesontionensi, Auspicio Augustidunensi; item Modoaldo Lingonensi, Ragneberto Bajocensi, Childoaldo Abrincatensi, Bertegiselo Carnotensi, Palladio Autissiodorensi, Gondoaldo Meldensi, Leudeberto Parisiacensi, Chainoalgo Lauduni Clavati, Godone Virdunensi, Ansarico Suessionensi, Claudio Rejensi *c*, Berthoaldo Cameracensi, Agomaro Silvanectensi, Cæsario Arvernensi, Vero Rutenensi, Agricola Gabalensi *d*, Lupoaldo Magontiacensi, Willegiselo Tholosano, Constantio Albiensi, Nammatio Egolemensi, Rustico Caturcensi, Auderico Auscensi, Emmone Aresetensi *e*, Felice Cathalaunensi, Hadoindo Cenomannensi, Magnebodo Andegavensi, Joanne Pictavensi, Leobardo Namnetico. In qua synodo multa leguntur utilia constituta *f*....

curat res temporales ecclesiæ suæ:

2 Præterea res ecclesiæ præfatus præsul domnus Sonnatius probabiliter ordinasse legitur, augens etiam episcopium, terris ac mancipiis dato pretio coemptis, quarum adhuc emptionum nonnulla reperiuntur monimenta. Quasdam quoque res, quas pravi quidam pervaserant, apud regiam majestatem, tam per seipsum, quam etiam per suos actores, Marco presbytero quoque legato suo causas agente, repetitas et obtentas ecclesiæ rite restituit. Colonias etiam villarum quarumdam episcopii dispositis ordinavit servitiis. Præcepta necnon regalia super ecclesiasticarum immunitate rerum, sed et traditionum quarumdam obtinuit firmitate. Sed et res invenitur quasdam cum regina Brunechilde commutasse pro utriusque partis opportunitate.

et testamentum condit, et multa legata pia facit.

3 Testamentum quoque rerum suarum condidit, in quo plura diversis donaria contulit ecclesiis. Basilicam tamen Beati Remisii *g* præcipue sibi hæredem instituit, ubi et sepulturam se habiturum delegit: ibique missorium *h* argentum deauratum deputavit. Cochlearia quoque duodecim, et salareum, argenteum ac portionem suam de villari quodam cum mancipiis, vineis, pratis cæterisque adjacentibus, et alia nonnulla, quæ se dato pretio meminit comparasse. Ad basilicam *i* Sanctorum Timothei et Apollinaris delegavit casas quasdam tam juxta ipsam ecclesiam quam infra civitatem. Ad basilicam Sancti Martini *k*, quem peculiarem patronum suum dicit, villam Mutationis, quam comparavit, ad integrum sicut a se possessa est tradidit. Insuper et aurum dedit, unde calix inibi fieret. Ad basilicam Sancti Juliani *l* recuperandum auri solidos v. Ad basilicam Sancti Nicasii *m* similiter solidos quinque. Ad basilicam Sancti Joannis *n* solidos v. Ad basilicam Sancti Sixti *o*, similiter in auro solidos tres. Ad basilicam Sancti Mauritii solidos III. Ad basilicam Sancti Medardi *p* solidos III. Ad monasterium puellarum *q* vineam in Germaniaco *r* sitam, cum quibusdam vasis ipsi basilicæ profuturis. Ad basilicam, quæ dicitur ad Apostolos *s*, auri solidos III, cum aliis munusculis unde calix fieret. Ad basilicam Sancti Petri *t* in civitate auri solidos III. Ad basilicam Sancti Theoderici *u* portionem suam de villa Germaniaco, cum mancipiis, vineis et cæteris ad ipsam pertinentibus: argentum quoque ad sepulcrum domni Theodulphi *x* fabricandum vel exornandum. Ad basilicam Sancti Viti *y* vas quoddam argenteum ad calicem faciendum et in auro solidos xv. Ad basilicam Sanctorum Martyrum Rufini et Valerii *z* in auro solidos xv. Ad basilicam Sanctorum Martyrum Crispini et Crispiniani *aa* auri solidos xv. Ad *bb* matriculam præterea sanctæ Remensis ecclesiæ nonnulla contulit donaria. Cæteris quoque matriculis vel congregationibus *cc* diversa delegavit munera. Quibusdam hæredum quoque suorum personis prædia quædam eo tenore dereliquit, ut ad loca Sanctorum a se destinata post eorum reverterentur decessum. Mancipia nonnulla libertate donavit, additisque ditavit peculiis. Quod viri Dei testamentum regalis præcepti reperitur pagina roboratum.

ANNOTATA.

a *De B.* Sonnatii *nomine annotat Colvenerius, id in Ms. suo littera* m *signato fere scribi* Sompnacius *et interdum* Sompniacius; *in altero vero* c *indicato* Sonnacius; *in reliquis vero* Sonnatius: *quod retinuimus, quum communius sit, licet sincerum nomen videatur* Somnatius.

b *Sedes* Elosanensis *seu* Elusana *olim metropolitana erat; destructa civitate, diœcesis ipsa conjuncta fuit cum Ausciensi, ad quam transierunt quoque metropolcos jura* (1).

c *Claudium Rejensem assignat Colvenerius diœcesi Rivensi* (Rieux) *in provincia Tolosana potius quam Regiensi* (Riez) *in provincia Aquensi; sed male: quum* Rejus, Alebecum Rejorum Apollinarium, Colonia Rejorum *antiquum sit nomen civitatis quæ postea Regium dicta est* (2).

d Gabalensis *sedes translata fuit postmodum Mimatum* (Mende), *primum in provincia Bituricensi, dein in Albiensi.*

e Aresetensis, *Arisidensis, Arisitiensis diœcesis ex quindecim constabat parœciis, et provincia Bituricensi ca piebatur; prius adjecta fuit diœcesi Ruthenensi; a qua postea cum reliqua diœcesi Vabrensi desecta fuit et provinciæ ecclesiasticæ Albiensi adjuncta. Arisitum vero, pristina sedes episcopalis, præter vicum* Arsat *nulla alia sui reliquit vestigia* (3).

f *Sequuntur hic loci ipsa synodi statuta; de quibus pauca dicta fuere in Commentario prævio n.* 6.

g *Basilica S. Remigii est celeberrimum Remense monasterium S. Remigii; et quum vox* basilica *sæpius hic recurrat, meminerit lector hanc vulgo isto ævo apud Gallos* monasterium *indicare; de qua re a pluribus et sæpius disceptatum fuit. S. Remigii monasterium primitus fuit ædicula cœmeterialis, B. Christophoro sacra; quæ, per S. Remigii sepulturam illustrata, postea factum est amplissimum asceterium. Quum olim extra civitatis mœnia esset non secus ac reliqua cœmeteria, postea, quum civitatis ambitus ad meridiem accrevit, intra pomœrium jacuit* (4).

h Missorium, Vaissiaux à mettre viande pour table; *ita Glossarium latino-gallicum Sangermanense. Plura alia refert Cangius, quæ eodem fere recidunt. Missorium videtur etiam aliquando rebus liquidis capiendis adhibitum fuisse; sed rarius.*

i *Basilica seu monasterium SS. Timothei et Apollinaris seu nude Timothei facta est postea ecclesia collegiata* (5).

k *Flodoardus* (6) *de cultu S. Martini in diœcesi*

(1) Cfr Gallia Christ., t. I. col. 965 et seqq. — (2) Ibid., col 388. — (3) Cfr Cointius. ad an. 569. n 26. t. II. p. 118; Expilly, Dict. Géogr. de France, v° *Arsat.* — (4) Cfr Gall. Christ., t. IX, col. 219 et seqq. — (5) Ibid., col. 117. — (7) Lib. IV, cap. XLIX et L, Bibl. Max. PP., t. XVII. pac. 617.

Remonis

A *Remensi hæc habet :* In honore quoque B. Martini multæ circumquaque per totum circiter episcopium habentur ecclesiæ, divinis miraculis illustratæ, ad quæ neminem credimus enarranda sufficere. *Et quidem ante ipsum S. Remigii episcopatum duæ Remis exstiterunt* (1). In vico (2) denique sancti Remigii, *sic pergit Flodoardus,* constat ecclesia hujus Beati Confessoris, quæ Clericorum olim fertur habuisse congregationem. *In testamento B.* Sonnatii *verisimiliter de hoc loco mentio fit* (3); *quod initio fors fuerit monasterium, deinde in congregationem Clericorum seu Canonicorum abierit ; nisi tamen Flodoardus per* clericos *intelligat* monachos.

l *Basilica S. Juliani repræsentatur verisimillime parœcia Remensi S. Juliani.*

m *Basilica seu monasterium S. Nicasii prius titulum habuit S. Agricolæ, et complurimum Remensium cineres accepit. Fuse illustratur in Gallia Christiana* (4).

n *Marlotus et Gallia Christiana omittunt hanc S. Joannis basilicam seu monasterium. Crederem ejus locum fuisse ad dexteram abbatiæ S. Nicasii, ubi scilicet ecclesia S. Joannis cernitur in Mappula viæ Cæsareæ, quam habes apud Marlotum* (5).

B o *Basilica S. Sixti nomen suum debet sepulturæ S. Sixti, qui ibidem non secus ac S. Sinicius, tumulatus fuit. Sæculo* IX *ineunte certe erat abbatia* (6). *Plura de hoc loco Flodoardus* (7) *tradens præter alia tempore B.* Sonnatii *decem aut duodecim Clericorum congregationem ibidem exstitisse ; sed medio sæculo* X *unum tantum presbyterum.*

p *Omittit has SS. Mauritii et Medardi basilicas Gallia Christiana. Cernitur tamen S. Mauritii ædes parœcialis extra portam Basilicarem in præcitata Mappula. Eam memorant Expilly* (8) *et Marlotus* (8).

q *Quod sit hoc monasterium puellarum determinari non posse videtur.*

r *Ad marginem annotat Colvenerius* Germaniacum *vulgo jam dici* Germigny; *qui vicus tribus fere leucis a Remis distat secundum dictionaria geographica Galliæ.*

s *Vel periit jam pridem hæc Apostolorum basilica, vel eadem est ac ecclesia S. Symphoriani* (10), *quæ initio templum cathedrale fuit Remense, titulum habens SS. Apostolorum; postea vero diaconia facta est cum nomine S. Symphoriani.* D

t *Erant olim intra mœnia, seu, ut loquitur Flodoardus, infra civitatem duo S. Petri monasteria : alterum inferius, alterum superius. In Commentario de S. Balderico ad diem* XVI *Octobris* (11) *ostendimus hic agi de monasterio S. Petri superiori. Marlotus insinuare videtur potius hic donum fieri ecclesiæ S. Petri veteris, quæ curtis dominica in testamento S. Remigii appellatur, et præcipua Remensis parœcia fuit.*

u *Monasterium S. Theodorici in monte Or, tribus a Remis milliaribus, illustra tum habes in Gallia Christiana* (12).

x *Domnus Theodulfus, vulgo S.* Thiou, *tertius S. Theodorici abbas, colitur die* I *Maii ; ad quam in opere nostro ejus Acta illustrata fuere.*

y *Basilicæ S. Viti nulla monumenta superesse videntur.*

z *De SS. Rufino et Valerio, qui inter Galliarum apostolos habentur, dicemus ad diem, quo coluntur,* XVI *Novembris.* E

aa *De basilica SS. Crispini et Crispiniani hæc habet Marlotus* (13) : Ecclesia SS. Crispini et Crispiniani ad portam Trevericam crucis erectione tantum cognoscitur. *Olim ad eam fiebat statio.*

bb *Ante hanc ultimam donationem adjiciunt duo codices :* Ad basilicam S. Medardi solidos quindecim : *quæ omisimus, inquit Colvenerius, alia exemplaria secuti, quia supra de ecclesia S. Medardi dictum fuit.*

cc *Omittit fors Flodoardus harum basilicarum et monasteriorum nomina, quod in ea caderent quæ alibi disserit* (14) : Plures denique apud nos quondam Sanctorum fuere basilicæ, sed et monasteria quæ modo non haberi probatur.

(1) Marlotus, Metr. Rem. Hist., lib. I, cap. XXXII, t. I, p. 109. — (2) Cfr de hoc vico Flodoardus, lib. IV, cap. XLVI, Bibl. M. PP., t. XVII, p. 616. — (3) Cfr Marlotus, lib. I, cap XL. Vet. eccl. Nomenclatura, t. I, p. 131, n. 14. — (4) T. IX, col. 203 et seqq. — (5) Metr. Rem. Hist., lib. I, cap. XXI, t. I, p. 75; cfr t. I, p. 131, n. 12. — (6) Gall. Christ., t. IX, col. 175. — (7) Lib. I, cap. III, Bibl. M. Patr., t. XVII, p. 507. — (8) Dict. Géogr. de France, vº *Rheims.* — (9) T. I, p. 131, n. 9. — (10) Marlotus, t. I, p. 130, n. 8. — (11) T. VII Octob., p. 912. — (12) T. I, p. 130, n. 5. — (13) T. IX, col. 180. — (14) T. I, p. 130, n. 4.

C F

DE S. JOANNE III EPISC. CONF.

COMI IN ITALIA.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

V. D. B.

S. Joannis genus et ætas. Schismati Aquilejensi implicatur Comensis ecclesia.

POST AN. 650. S. Joannes III, die XX Octobris a medio sæculo XVII Comi cultus,

Comum, civitas episcopalis regni Longobardici Veneti, viginti duos primos suos episcopos inter Sanctos recenset, licet ex eis olim duodecim ecclesiasticos officio non honoraret; de qua re nonnulla quæsivit Limpenus noster in Sylloge de S. Victorino ad diem V *Septembris* (1). *Verum circa medium sæculum* XVII, *Lazaro Caraffino episcopo, etiam de his duodecim* (2) *officia ecclesiastica celebrari cœperunt. In hac posteriori classe, quorum festa recentiora sunt, venit S. Joan*nes III (3). *In Martyrologio Comensi Ludovici Tatti, in Hagiologio Italico Ferrarii et in Martyrologio Mediolanensi Petri Pauli Bosca ad præsentem diem, qua eum obiisse volunt, memoria recolitur. En ut*

(1) T. II Sept., p. 541. — (2) Ibid., l. c. cfr Tatti, Annali sacri della città di Como, t. I, p. 571, not. *f.* — (3) Tatti, t. I, p. 701.

ejus

V. D. B.

ejus laudes celebrat Bosca : Novocomi Sancti Joannis, civis Mediolanensis, qui Novocomensem ecclesiam magna cum sanctitatis laude gubernavit. *Juverit et his attexere encomium, quod apud Ughellum* (1) *obvium est, ut unico conspectu lector capiat quid de eo disputetur :* S. Joannes III Joanni subrogatur : hic e nobilissima Castillionea familia Comensis fuit, tametsi Antonius Beffa Negrinus illum Mediolanensem efficiat in libro elogiorum Castillionensis prosapiæ ; qui cum pie sancteque Comensem ecclesiam administrasset usque ad annum 668, die XX mensis Octobris requievit in Domino, tumulatusque est in cathedrali. *Hæc ille.*

traditur de Castillionensi genere fuisse:

2 *Disputant scilicet inter se Comenses et Mediolanenses de patria* S. Joannis, *quem utrique suum popularem fuisse contendunt. Utrique statuunt S.* Joannem *s gente Castillionensi ortum esse* (2) ; *unde concludunt Mediolanenses eum suum esse civem, cum familia Castillionensis Mediolani habitaret ; sed intercedunt Comenses, ostenduntque Castillionensem domum medio ævo per totam Insubriam, adeoque per Italiam et Galliam fuisse sparsam, quin imo viros e nobilissimo hoc genere, ad sæculum* XIII *pertinentes et Comi versatos, nomine designant* (3).

B *Verum hæc disceptatio plane caduca est quum ante omnia stabiliendum fuisset* S. Joannem *e domo Castillionensi ortum esse ; sed nulla omnino afferuntur in hanc rem vetera testimonia. Re quidem vera credidit hæc Franciscus Abundius Castellionensis, ab anno* 1562 *Bobiensis episcopus et dein cardinalis* (4), *scripsitque in Catalogo virorum illustrium domus suæ* (5) : Joannes de Castiliono, Novocomensis episcopus, anno DCXXXV. *Verum hæc obtrusa fuerunt nobilissimæ genti a nescio quibus viris, quibus olim solemne fuit multa comminisci ut illustriores facerent familias, dum potius hac via eas sæpe ridiculo exponerent. Quod autem S.* Joanni III *Castillionense genus pro libitu affictum fuit, testem habemus sapientissimum Ludovicum Tatti* (6), *qui et recte animadvertit illo ævo gentilitia nomina in usu non fuisse. Quocirca vix capio quomodo eruditus vir Cæsar Cantù* (7) *S.* Joanni III *Castilionense cognomen dederit.*

ejus episcopatus, de quo alii alia scripsere,

3 *In determinando S.* Joannis *episcopatus tempore varii in varias abivere sententias. Ut paulo supra vidimus cardinalis Castillionensis retulit ejus episcopatum seu potius mortem ad annum* 635 ; *quem narratum complures receperunt. Ughellus* (8)
C *ejus episcopatum extendit ab anno* 644 *ad* 668 ; *Tatti* (9) *pro initio assignat annum* 660 ; *de fine dubius hæret. Joannes Rusca* (10) *illigat decessoris, S. Joannis II, mortem et proin S.* Joannis III *episcopatus exordium anno* 714, *medio sæculo alios pone sequens ; demum laudatus historicus Comensis Cæsar Cantù* (11), *dubius tamen plurimum* (12), *claudit S.* Joannis III *episcopatum inter annum* 660 *et* 663 *seu* 668. *Sed quod ex his assertis ad veritatem magis accedit ? Equidem ut Jacobus Bueus* (13) *S. Joannem II ad sæculum* VII *retulit, sic et ipse non curabo certos assignare annos, sed potius extremos constituere temporis limites conabor. Ut autem id fiat, præ oculis habenda est series episcoporum Comensium a S. Agrippino usque ad Deodatum, prout ea nobis subministratur a Benedicto Jovio* (14), *Ughello* (15), *Ludovico Tatti* (16) *et Cæsare Cantù* (17). *Ordine itaque veniunt S. Agrippinus, S. Rubianus,* D *S. Adalbertus, S. Martinianus, S. Victorinus, S. Joannes II, S.* Joannes III, *S. Octavianus, S. Benedictus, S. Flavianus, Deusdedit seu Deodatus. Porro S. Agrippini ordinationem factam esse post annum* 606 *seu* 607, *quo Aquilejensem sedem conscendit seu potius usurpavit Joannes, antea abbas* (18), *vel ex eo liquet quod ab hoc Joanne, Concilii generalis V seu Constantinopolitani II hoste acerrimo, ordinatus est. Cujus rei testem habemus lapidem sepulcralem ipsius Agrippini, de quo multa commentatus est Balthasar Oltrocchi* (19), *Cæsar Cantù* (20) *aliique.*

propter ordinationem S. Agrippini inter 607 et 613 factam et ætatem Deodati anno 721 florentis referendus est post 650;

4 *In hoc monumento post multas S. Agrippini laudes, sequentia leguntur* (21) :

Hunc etenim quem tanta virum documenta decorant,
Ornat et priscæ nobilitatis honor.
His Aquileja ducem illum destinavit in oris
Ut gerat invictus prælia magna Dei.
His caput est factus summus patriarcha Joannes,
Qui prædicta tenet primus in urbe sedem,
Quis laudare valet clerum populumque Comensem,
Rectorem tantum qui petiere sibi.
Hi sinodos cuncti venerantur quatuor almas,
Concilium quintum postposuere malum
Hi bellum ob ipsas multos gessere per annos, E
Sed semper mansit insuperata fides.

Etiam paulo accuratius constituere licet S. Agrippini ordinationem. S. Columbanus quippe in celeberrima sua ad Bonifacium papam IV epistola (22) *meminit se ad scribendum in defensionem Italorum, Trium Capitulorum condemnationem impugnantium, motum fuisse ab* Agripp.... *Quibus litteris manifeste indicatur S. Agrippinus Comensis* (23), *qui in præmissa inscriptione quam maxime de suis contra Concilium V gestis laudatur. Atqui quum hæc epistola verisimilius ad annum* 613 *referatur* (24), *hinc exordia S. Agrippini episcopatus inter annum* 607 *et* 613 *concludenda sunt. Similiter Deodati ævum investigare licet. Anno enim* 721 *donationem accepit a Luitprando et die* II *Aprilis anni* 724 *SS. Proti et Hyacinthi reliquias transtulit* (25). *Quocirca inter undecim episcopos distribuendum est paulo plurium quam centum annorum spatium ; quod ab anno circiter* 607 *usque ad* 724 *cucurrit ; et quum S.* Joannes III *inter hos ordine septimus veniat, episcopatus ejus post medium sæculum* VII *constituendus videtur.* F

Ecclesia Comensis certissime involuta fuit schismati Aquilejensi.

5 *Verum inquirendo S. Joannis ætatem ad alium offendimus scopulum, multo periculosiorem : hunc scilicet Comensem episcopum, non secus ac decem saltem alios ex ejus decessoribus et successoribus, ab ecclesia Comensi ut Sanctos cultos, in suspicionem duximus participati schismatis Aquilejensis. Rem paulo altius repetamus, sed brevibus. Post Concilium Constantinopolitanum II, ubi Tria damnata fuerant Capitula, passim episcopos Occidentis adversus Orientales commotos fuisse, quod Concilio Chalcedonensi injuriam illatam crederent, satis innotescit. In Italia episcopi Aquilejæ, Ravennæ et Mediolani cum reliquis Liguribus, Veneticis et Istris non dubitaverunt sanctam ecclesiam lacerare : dum, alii quibus etiam minus probabatur Constantinopolitana sententia, eo usque non procederent ; adeoque consummatum est schisma in synodo Aquilejensi circa annum* 557 (26). *Interea Pelagii I opera in caritatis viam reducti sunt metropolitæ Ravennas et Mediolanensis ;*

(1) Ital. sacr., t. V, col. 262. — (2) Tatti, t. I, p. 697. — (3) Ibid., p. 698. — (4) Ciacconius et Oldoinus, Vit. RR. Pontif. et Card., t. III, col. 1560. — (5) Tatti, t. I, p. 698. — (6) Ibid., loc. cit. — (7) Storia della città e diocesi di Como, t. I, p. 144. — (8) Italia sacra, t. V, col. 262. — (9) T. I, p. 699. — (10) Act. SS., t. I Oct., p. 355. — (11) Op. sup. cit., t. I, p. 144. — (12) Ibid. p. 157. — (13) T. I Oct., p. 353. — (14) Hist. Novocomensis, lib. II, in Burmanni Thesauro Ant. et Hist. Ital., t. IV, part. II, col. 102 et seq. — (15) Italia sac., t. V, col. 251 et seqq. — (16) T. I, p. 571 et seq. — (17) Storia di Como, t. I, p. 142 et seqq. — (18) Cfr De Rubeis, Monum. Eccles. Aquilejensis, col. 289 et seq. — (19) Eccl. Mediol. Hist. Ligust. Langob., lib. III, cap. IV, p. 482 et seqq. — (20) Storia di Como, t. I, p. 145 et seqq. — (21) Ibid., p. 484. — (22) Bibliot. PP. Max., t. XII, p. 28 et seqq. — (23) Cfr C. Cantù, t. I, p. 151. — (24) Cfr Oltrocchi, p. 463, nota (*), p. 481 et alibi. — (25) Tatti, t. I, p. 736 et 741 ; Coleti ap. Ughellum, t. V, col. 263, not. 1. — (26) De Rubeis, col. 219.

V. D. B.

A *lanensis; quos tunc temporis secutam esse Comensem ecclesiam probabile esset: Comensis quippe episcopi nomen nec synodo schismaticæ, tunc temporis habitæ* (1), *neque synodo in causa Severi Aquilejensis circa annum* 587 *celebratæ* (2), *nec libello schismaticorum anno* 591 *imperatori Mauritio oblato* (3) *subscriptum est. Verumtamen non multo post schismati implicita reperitur Comensis ecclesia, ut satis constat ex epistola S. Gregorii M. ad Constantium Mediolanensem episcopum, in qua legitur* (4): Cognovimus clericos ecclesiæ Comensis, quos sacerdotali studio reverti ad unitatem ecclesiæ monuistis, respondisse non sibi talem a nobis affectum impendi, ut ad hoc redire, caritate suadente, prævaleant; *et quum conquererentur de retenta quadam sua villa ab ecclesia Romana, eo usque humanitatis dein procedit sanctissimus pontifex, ut se paratum dicat eam illis (si ad unitatem revertantur) concedere, etiamsi eis nil juris in ea competeret. Ita S. Gregorius indictione II seu anno* 599. *Quid ad hæc olim Comenses historici? Falso accusatam fuisse ecclesiam Comensem apud S. Gregorium; aut si quid peccatum fuisset, per epistolam S. Gregorii correctum* (5); *seu hanc labem clericis*
B *inustam, non episcopo, quod tunc temporis sedes forte vacaret* (6). *Verum hæc omnia responsa, quæ olim in excusationem afferri poterant, vana esse et ecclesiam Comensem in schismate aliquandiu perseverasse per S. Agrippini monumentum manifestum factum est. Unde ut S.* Joanni III *sanctitatis gloria servetur, ostendendum est vel id schisma ante ejus cessasse tempus, vel saltem innocuum esse potuisse.*

quum antea non esset sub metropoli Aquilejensi,

6 *Ut de tempore, quo Comenses Aquilejensi schismati nuntium remisere, aliquid investigare liceat, ante omnia quærendum est ad quam metropolim pertinerent. Censet Ughellus* (7) *eos ab initio sub episcopo Aquilejensi fuisse, primo quoniam credibile est S. Hermagoram, S. Marci discipulum et episcopum Aquilejensem, apud Comenses fidem prædicasse; verum hæc mera est opinatio, nullis nitens antiquis documentis; secundo, quoniam traditio quædam exstat jam inde episcopum Comensem Aquilejensi suffraganeum fuisse in ejusque electionem antiquitus tulisse suffragium, Conciliisque provincialibus illius patriarchatus interfuisse; verum quam minimæ fidei esse id genus traditionum, quum ex recentiorum dictis originem ducant, nulloque antiquitatis testimonio fulciantur, neminem præterit;*
B *tertio quod in Concilio Lateranensi sub Alexandro III, anno* 1179, *Anselmus Comensis inter Aquilejenses suffraganeos subscribat; verum hinc non sequitur etiam sæculis præcedentibus Comenses intra terminos fuisse patriarchatus Aquilejensis; quarto quod olim in diœcesi Comensi appellaretur ad patriarcham Aquilejensem: res certa est id factum fuisse, neque ullus negat jampridem Comenses subjacuisse Aquilejensi antistiti, sed antiquæ desiderantur appellationes, quum de antiquo rerum statu agatur; quinto demum quod usque ad annum* 1598 *canendi ritus patriarchicus apud Comenses in usu esset; verum quidni statuant quam antiquus esset hic cantus et quo ævo apud Comenses inductus sit?*

ed sub Mediolanensi,

7 *Porro vera sententia videtur esse Comum primitus de Mediolanensi provincia fuisse; tempore schismatis descivisse ad metropolitam Aquilejensem, eique exinde subjacuisse, donec Benedictus XIV annis* 1751 *et* 1752 *sedem Aquilejensem abolevit eique substituit Goritiensem, et Josephus II, nominans Josephum Bertieri Comensem episcopum, petiit anno* 1789 *a Pio VI ut archiepiscopo Mediolanensi subesset* (8). *Quod enim initio Mediolanensis juris esset, deducit id de Rubeis* (9) *et epistola* IV *S. Ambrosii, anno* 380 *ad S. Felicem Comensem data, in qua num.* 6 *legitur*: Ordinatio non reprehendetur, quam accepisti per impositionem manuum mearum. *Timebat enim S. Felix synodo Laudensi interesse, quod ab uno S. Ambrosio (non vero a tribus episcopis, propter operariorum paucitatem, grassante Arianismo), ordinatus fuerat. Qui Felix ille idem videtur qui subscripsit epistolæ synodali Concilii Mediolanensi de Joviniani hæresi* (10). *Similiter synodo Mediolanensi, quam anno* 452 *Eusebius celebravit pro recipienda epistola dogmatica S. Leonis M. ad Flavianum, Abundantius Comensis pro se et Asinione Curiensi subscripsit* (11). *Præterea, ut num.* 5 *vidimus, Constantius Mediolanensis antistes auctoritatem suam anno* 599 *exserebat ut ad pacem ecclesiam Comensem reduceret. Quibus accedit Comum Mediolano ferme adjacere et ab Aquileja mirum in modum distare; et quarto sæculo, quum provinciarum ecclesiasticarum divisio nonnullis videtur esse facta, Comum æque ac Mediolanum Liguria contenta fuisse. Re quidem vera adversus hæc omnia* E
exceptiones seu potius divinationes propositæ (12) *sunt; sed licet fors concedi posset singula hæc argumenta satis non valere, nemo tamen non videt maximum eorum esse pondus, si simul expendantur: adeoque actum erit de investigandis metropoleon antiquis terminis, si per tot signa in unum concurrentia rem non confici arbitremur.*

occasione schismatis transiit sub Aquilejam; cui deinceps subjecta remansit,

8 *Diximus deinde Comenses præsules Aquilejensis patriarchæ suffraganeos factos et deinceps remansisse, ex quo tempore schismati se involverunt et S. Agrippinum a patriarcha Aquilejensi accepere. Imprimis nemini mira videri debet hæc per schisma inducta terminorum provinciarum mutatio. Acre enim erat bellum schismaticos inter et catholicos; atque ut hi tres diœceses abstulerant Aquilejensi metropolitæ* (13), *ita nec illi credendi sunt manus abstinuisse ab alienis, si qua partium suarum augendarum adesset occasio. Cæterum Arianismi tempore eadem agendi ratio utrinque observata fuerat. Quod vero post consummatum a Comensibus per S. Agrippini ordinationem schisma, sub Aquilejensi metropolita remanserint, vel ex eo constare videtur quod nulla amplius jurisdictionis Mediolanensis vestigia appareant. Et quidem ex parte* V, *capite* VIII F
Decreti Ivonis recitat de Rubeis (14) *epistolam Stephani V, aliquamdiu post annum* 885 *scriptam* (15), *qua iterum monetur Walbertus patriarcha Aquilejensis ut ne diutius pro privilegio seu jure metropolitico suæ sedis negligat Liutwardum* Cumensi *ecclesiæ consecrare; qua epistola nil luculentius inveniri potest ad adstruendam jurisdictionem patriarchæ Aquilejensis. Supersedeo longius dicere de numerato Alberico* Cumano *inter episcopos provinciæ Venetæ, Aquilejensi metropoli subjectos, in synodo Romana anni* 1027 (16), *deque Liutero* Cumano *inter eosdem subscribenti synodo Ticinensi anni* 1064 (17).

licet aliter visum sit Saxio:

9 *Verumtamen non hæc omnino placent Josepho Antonio Saxio, contendenti post schisma Aquilejense rediisse Comenses sub jurisdictionem metropolitæ Mediolanensis, cui adhuc subnoxii fuerint anno* 874, *quum scilicet Helibertus, Liutwardi proximus decessor, sedem Comensem teneret. Quod ut demonstret, allegat Judicatum Ansperti Mediolanensis*

(1) De Rubeis, col. 253. — (2) Ibid., col. 258. — (3) Ibid., col. 273. — (4) Lib. IX. epist. LIII. ind. II.—(5) Tatti, t. I, p. 614 et seqq.— (6) Oltrocchi, p. 446 et seq.—(7) Ital. sac., t. V, col. 256.—(8) C. Cantù, t. II, p. 368.—(9) Col. 179.—(10) Ibid., col. 181.—(11) Ibid., col. 186.—(12) Cfr Cantù, t. I, p. 152 et seq.—(13) Cfr Libellus ad Mauritium imp. ap. de Rubeis, col. 276, 189 et seqq.—(14) Ibid., col. 450.—(15) Cfr C. Cantù, t. I p. 218 et seq.—(16) De Rubeis, col. 513. — (17) Ibid., col. 452.

V. D. B. *antistitis in causa Heliberti et monachorum S. Ambrosii Mediolanensis ; asserens* jure proprio metropolitico litem hanc prolata sententia diremptam fuisse ab Ansperto (1). *Verum, ut omittam Saxii conclusionem apertissime ignarecum prælaudata Stephani papæ epistola ad Walbertum Aquilejensem, toto cælo aberrat a rei veritate Saxius, quum Anspertum* jure proprio metropolitico *processisse statuat. Judicatum enim istud, editum a Muratorio* (2), *hoc habet initium :* Dum in Dei nomine, civitate Mediolani, in episcopio sancte Mediolanensis ecclesie, in judicium residentes venerabilis domnus Anspertus ejusdem sancte Mediolanensis ecclesie archiepiscopus et Boso comes, MISSI DOMNI IMPERATORIS, una simul cum Albericus comes ipsius *Sedebat itaque in hoc judicio Ansper-* civitatis *etc.* *tus, non qua archiepiscopus, sed qua* Missus dominicus ; *unde nil concludere sit de terminis provinciæ ecclesiasticæ Mediolanensis. Neque negotium facessit* Heliberti Comensis *subscriptio quæ inter episcopos provinciæ Mediolanensis occurrit in synodo Ticinensi, anno* 876 *celebrata, in qua Caroli Calvi imperatoris electio confirmata est ; fuit namque synodus ex* optimatibus Italici regni *coacta, ac etiam*
B *subscriptus legitur* Adelardus Veronensis (3) ; *cujus sedes, licet olim Mediolanensi præsuli obnoxia esset* (4), *a tempore tamen schismatis, quin imo forte ab ævo S. Leonis M.* (5) *de jure Aquilejensis metropolitæ erat. Joannes Villa in eruditissimo opusculo de metropoli et metropolita Mediolanensi* (6), *quod anno* 1830 *edidit, aliud systema proponit, nempe post Aquilejense schisma Comenses episcopos jam Aquilejæ, jam Mediolani suffraganeos fuisse, adeo ut incertum esset jus variaque ditio pro temporum varietate. Quæ ut stabiliat, refert ex una parte quæ et nos de auctoritate Aquilejensis patriarchæ in Comenses retulimus ; et ex altera parte judicatum Ansperti (quod ad rem minus facere ostendimus) et demum Frederici I Constitutionem anni* 1159 *de pactis conventionis et conditionibus pacis cum Mediolanensibus factæ. Articulus* I *hujus conventionis habet* (7) : Cumas et Laudam civitates ad honorem imperii relevari non prohibebunt *(Mediolanenses)*... et ultra se non intromittent ut sint liberæ illæ civitates, sicut Mediolanenses ab ipsis sunt liberi : excepto respectu juris ecclesiastici quod habent ad archiepiscopum et ecclesiam Mediolanensem. *Dari potest Mediolanenses sæculo* XII *ut auctoritatem civi-*
C *lem sic et ecclesiasticam in Comenses extendisse ; sed quum in breve tempus durarit, in tanta annorum serie vix id computandum videtur.*

hinc et ex aliis argumentis sequitur Comenses schismati addictos fuisse.

10 *Quidquid id est, consequitur ex hactenus dictis Comenses ad finem usque partes Aquilejensis antistitis amplexos esse ; si enim ante finitum schisma ad ecclesiæ pacem redivissent, subjecissent se denuo auctoritati pristini sui Mediolanensis metropolitæ ; verum quum id factum non sit, argumentum hinc exsurgit eos Aquilejensem patriarcham ad finem schismatis usque secutos ; cui dein (multa nempe toleranda pro pace) remanserint obnoxii* (8). *Sedato enim schismate, termini provinciarum moti non sunt ; et quidem ecclesia et provincia Gradensis, quæ ex nonnullis Aquilejensis diœcesis et provinciæ partibus, unitatem catholicam amplexis, exorta erat, integra servata fuit* (9). Ceterum, *ut Oltrocchii* (10) *verbis utar,* post patriarcham Joannem *(Aquilejensem)* et Agrippinum *(Comensem)* usque ad finem sæculi VII nullibi legitur Comensis antistes ulli catholicæ synodo subscripsisse. Nam si Roma- D nam synodum Agathonis consulamus, sub Constantino Pogonate celebratam anno DCLXXX in causa Monothelitarum, nec inter XXV episcopos in provincia Mediolanensi, neque in provincia Aquilejæ novæ seu Gradensi, neque alibi legitur Comensis episcopus. Altum item de eo silentium in synodica S. Mansueti epistola ad Constantinum Pogonatem Or. Aug. Mediolani anno eodem dictata sub Bertharido et Cuniberto Longobardorum regibus, ut Labbæus observavit. *Hæc Oltrocchius.*

donec id cessarit non sub Honorio I.

11 *Verum quo demum tempore schisma Aquilejense cessarit determinandum jam est. Arbitrantur plures ei finem factum tempore Honorii I, anno videlicet* 627, *septuaginta annis post celebratam anno* 557 *pseudosynodum Aquilejensem* (11). *Et re quidem vera habes apud Gruterum* (12) *sequens in laudem Honorii epigramma :*

Histria testatur possessa hostilibus armis
Septies et decies scismate pestifero.
Esset ut impletum Hieremiæ voce canentis
Ultio captivis tam numerosa fuit.
Sed bonus antistes, dux plebis, Honorius armis
Reddidit ecclesiis membra revulsa piis.

Septies et decies *pro* septies decies *seu* septuaginta E annis *scribi patet ex allusione ad captivitatem babylonicam. Non absimile habes apud Aringhum* (13) :

Utque sagax animo divino in carmine pollens
Ad vitam pastor ducere novit oves :
Histria nam dudum sævo sub schismate fessa
Ad statuta patrum, teque monente, redit.

cujus tempore aliquot episcopi conciliati sunt,

12 *Verum qui arbitrati fuere tunc temporis universam Istriam, quæ cum Venetiis pro una provincia habebatur* (14), *ad pacem catholicam rediisse, ii non advertere horum carminum scriptores synecdoche uti, seu totum pro parte scribere. En quid rei fuit. Schismatici invaserant sedem Gradensem, quam ex parte catholica diœcesis Aquilejensis enatam superius innuimus. Dedit itaque Honorius epistolam ad episcopos per Venetiam et Istriam constitutis, et pro sua auctoritate episcopum Gradensem constituit palliique donavit subdiaconum suum Primogenium, jubens ut omnes eum metropolitam suum agnoscerent* (15). *Paruere non catholici tantum, sed nonnulli etiam ex schismaticis, non tamen omnes. Quam in rem, ut iterum Oltrocchii* (16) *verbis utar,* placet hic observare nomina eorum antistitum, quos ex Aquilejensi patriarchatu video Roma- F næ Agathonis synodo subscripsisse. Ea scilicet sunt Gradensis episcopi Agathonis cum Romana ecclesia sentientis ; Cyriaci Polensis ecclesiæ ; Aureliani Parentinæ ; Ursini Cenetensis ; Andreæ Vejentanæ ; Gaudentii Tergestinæ ; Benenati Opitergiensis ; Ursiniani Paduanæ *(seu* Pucinanæ) ; Pauli demum Patavinæ *(græce* Altinensis). At ubinam, *pergit Oltrocchius,* veteris Aquilejæ patriarcha, ubi Veronensis, ubi Mantuanus, ubi Comensis, episcopi ? Quorsum latent nomina Concordiensis, Caprulensis, Bellunensis, Æmoniensis, Vicentini, Feltrensis, Justinopolitani ? nisi quod adhuc sordentes in schismate eorum ecclesiæ nondum Romanæ sedi atque unitati adhærescebant.

sed tempore S. Sergii, testibus Beda.

13 *Tantum itaque abest ut omnes Istriæ episcopi per Honorii operam ad ecclesiasticam unitatem redierint ! Abolitum itaque schisma in acceptis referendum est S. Sergii Papæ studiis. Beda quippe, auctor synchronus, scribit* (17) : Synodus, Aquilejæ facta *(anno* 557), ob imperitiam fidei quintum univer-

(1) Mediol. Antist. hist., p. 306.—(2) Antiquit. Italiæ, t. V, col. 987.—(3) De Rubeis, col. 452.—(4) Maffeo. Verona illust., t. I, p. 511 et seqq.—(5) Ibid., p. 543.—(6) Fasti della Metropoli di Milano, p. 31.—(7) Goldasti, Constit. imper., t. I, p. 269.—(8) Cfr Oltrocchius, p. 486 et seqq.—(9) De Rubeis col. 313 et seqq.—(10) P. 487.—(11) De Rubeis, col. 299 et seq.—(12) Inscript., t. II, p. 1183.—(13) Roma subterranea, lib. II, cap. VIII, t. I, p. 164, edit. Paris 1659.—(14) Paulus Diac. de gestis Langob., lib. II, cap. XIV, ap. Muratori Scriptt. rer. Italic., t. I, col. 431.—(15) Cfr de Rubeis, col. 297.—(16) P. 512 et seq.—(17) De Temporum ratione, et de sex mundi ætatibus, Opp. Edit. Giles, t. VI, p. 329.

sale

A sale concilium suscipere difidit, donec, salutaribus beati Papæ Sergii monitis instructa, et ipsa huic cum cæteris Christi ecclesiis adnuere consentit : *quæ ad verbum fere descripserunt Anastasius Bibliothecarius* (1) *et Paulus Diaconus* (2). *Nonnulli præstantissimi scriptores hæc mirum in modum vexarunt. Abnegarunt alii fidem Bedæ, alii Aquilejenses olim omnes e schismate emersisse, partem dein relapsam et tempore S. Sergii iterum eo liberatam, alii* Sergium *loco* Pelagii *ab Amanuensibus scriptum dixere ; alii Sergii tempore Aquilejæ synodum habitam, alii anno tantum* 557, *quum primum consummatum est schisma ; alii demum alia in hunc locum commentati fuerunt. Verum hæc omnia jam ruunt et integra hujus initæ pacis historia innotescit, ex quo detectus est ab Oltrocchio in duobus codicibus Rythmus synchronus in laudem Cuniberti regis Langobardorum* (3) *et per eum intellectum fuit epitaphium Thomæ, ministri ecclesiæ Ticinensis, jam pridem a Grutero* (4) *editum.*

et rythmo quodam deteguntur conventus episcoporum Aquilejensis,

14 *Quæ ad rem nostram pertinent ex utroque monumento decerpemus et cum Bedæ componemus dictis.* Exorta scisma jam prisco de tempore,... Aquiligenses dissidentes,. . fides ut esset in tota B Hesperia coadunata, advocari præcipit rex Cuninepertus. *Hæc ex Rythmo ; verum excitatum Cunibertum jure merito arbitratur Oltrocchius* (5) *a Sergio Papa, quem verisimiliter ad id moverat Benedictus Mediolanensi archiepiscopus. Porro, hoc consilio inito, Thomas Ticinensis Aquilejam missus videtur, qui schismaticos episcopos nomine Cuniberti Ticinum advocaret. Ad quod iter non secus ac ad iter Romanum Paulo post susceptum pertinent hæc ultima Thomæ epitaphii carmina :*

Errore veteri diu Aquilegia cæca
Diffusam cœlitus rectam dum renueret fidem,
Aspera viarum ninguidosque montium calles
Calcans indefessus, glutinasti prudens scissos.

Convocavit tunc Petrus, Aquilejensis patriarcha suorum assectarum Concilium, prout testatur vetus chronicum Aquilejense his verbis (6) : Hujus tempore universalis synodus apud Aquilegiam celebratur. *Multa ibidem capta fuere consilia ; Aquilejenses itaque venerunt ad Ticinense Concilium, in quo quid actum fuerit, ita Rythmus exprimit :* Urbi, ubi resedet *rex*, Ticino dicta ab amne qui confluet, proprium gerens Papia vocabolum, aulam *regiam* ingressi orthodoxi pariter adversus pravos cepe- C runt contendere, libros legentes sancitos a Patribus, *et salutaria monita Sergii, de quibus Beda,* Pauli et Pyrri detegentes heresem, Theodori, Ibæ simulque Theodoriti. *Unde manifestum est non tantum de Tribus Capitulis, quæ Aquilejensis schismatis origo erat, verum etiam de Monothelismo in hac Ticinensi synodo actum fuisse.*

necnon synodi Ticinensis et Romana, in quibus ad pacem ecclesiæ rediere schismatici :

15 Ast *schismatici, pergit Rythmi auctor, per illam lectionem* se jam victos cognoscentes, ilico petunt a rege ut jurent catholici melius quintam recepere sinodum ; et se promittunt consensuros postea ac juraturos credendos recepere. Namque obantes *(ovantes)* ingressi ecclesiam, jurejurandum adfirmant concordiam ; adque uniti caritatis vinculum, eucharistiam concordes participant. Nullus de tanto gaudio potuerat catholicique sive de scismaticis se temperare a fleto et lacrimis : omnibus tanta supplevit compunctio ; cernerent Christum ibi ac si patule. Utreque parti rex pius elegere Cunincpert juvit *(jubet)* legatos diregere sedem ad sanctam, ubi Christo presole data potestas nectere et solvere Petro piscanti cœli arceclavio ; ubi resedet Papa pius Sergius, suos qui jussit adesse episcopos, *(en Concilium Romanum, de quo alia non exstat memoria)*, gaudens recepit Thomam Christi ministrum, Theodaldo simul, legum peritissimum ; *(erant hi Ticinensis Concilii legati ;)* aderant quoque Aquilienses pariter. Sedenti Pape ante ora omnium scedula, *seu epistola synodalis,* datur, continens præterita, *seu acta Ticini ;* quam vir excellens Damianus, pontifex *Ticinensis*, pio direxit dictata effamine. Sergius Papa regi est pollicitus sua a Deo adempta facinora ; illud prophetæ, ubi inquit, recolit : Qui peccatore ab errore convertit, sua a morte liberavit anima. Merito juste pastor apostolicus, digni quod erant, secte prave codices, quos antefati conscripserunt auctores, jussit conburi, ultra ne potuerint pravorum mentes qui erant de scismate. v. p. n

hæc acta anno forte 698.

16 *Quo vero hæc facta sint anno difficile definire est. Beda hæc illigat temporibus Tiberii Absimari, qui ab anno* 698 *ad* 705 *regnavit* (7). *Ex Rythmo novimus ea pertinere ad Cuniberti tempora, qui anno* 700 *Ticini obiit* (8), *et simul ad S. Sergii Papæ ævum, qui secundum Bianchinium, scriptores de stabilienda chronologia* (9) *et plerosque recentiores die* VIII *Septembri anni* 701 *obiit, Papebrochio* (10) *tamen ad annum sequentem ejus funus differente. Placuit de Rubeis* (11), *Muratorio* (12) *et Oltrocchio* (13) *Sigeberti Gemblacensis* (14) *calculus, ad annum* 698 *Aquilejensium reconciliationem signantis. Nil est quod repugnet. Ex his, quæ hactenus disseruimus, satis manifestum est Aquilejense schisma usque ad finem sæculi* VII *perseverasse, et proin verisimile esse ea labe ad hoc usque tempus infectos fuisse Comenses præsules : quæ cæterum sententia est Oltrocchii* (15), *neque ipse recentior historicus Comensis Cæsar Cantù* (16) *ab ea abludere videtur, errans tamen quum Deodatum jam Concilio Mediolanensi catholico anni* 680 *interfuisse scribit.* E

ex dictis verisimiliter in schismate vixit S. Joannes III :

17 *Quæ si ita sint, quæret jam lector utrum inter Sanctos retinendus sit necne S.* Joannes III *episcopus. Verum nostrum non esse pronuntiare de delendis aut retinendis Sanctorum nominibus in fastis sacris nemo non intelligit. Quum itaque Comenses eum huc usque colant ; quumque sedes apostolica non impediverit cultum ipsius S. Agrippini, licet ex ejus sepulcrali lapide certissime constet eum in shismate obiisse : absit ut e diptychis sacris expungamus S.* F Joannis III *memoriam ; de quo forte non æque manifestum est eum in schismate obiisse. Præterea aliud est schisma formale, aliud materiale tantum ; quod posterius saluti et sanctitati non obesse testes sunt Sancti, qui in schismate Occidentali seu Avenionensi defuncti sunt. Jam vero si quis considerate expendat schismatis Aquilejensis originem et causas, non ait difficile intelligitur sanctissimos viros zelo suo potuisse ita abripi ut bona mente crederent sibi hanc ineundam esse viam.*

quem tamen multa a formali schismate excusare queunt.

18 *Etenim primo certum est damnationem Trium Capitulorum suggestam fuisse imperatori Justiniano ab Theodoro, Cæsareæ Cappadociæ episcopo, Origenis defensore et acephalo, ut* tamquam retractata synodus Chalcedonensis, atque purgata, suscipiretur ab acephalis per omnia et in omnibus ; *secundo, post editum Justiniani librum et edictum triumphasse acephalos seu monophysitas ; tertio, Vigilium Papam aliquandiu huic damnationi ipsique*

(1) Edit. Bianchini, t. IV, p. 183.—(2) Lib. VI, cap. XIV, ap. Muratori Scriptt. rer. Ital., t. I, p. 404.—(3) Ap. Oltrocchium, p. 536, 579, 612 et seqq.—(4) Inscript., t. II, app., p. 1189.—(5) P. 648.—(6) De Rubeis, app., p. 9.—(7) Art de vérifier les dates, t. I, p. 419.—(8) Cfr Muratori in Pauli Diac., lib. VI, cap. XVII, annot. 73, Scriptt., t. I, p. 496.—(9) Art de vérifier les dates, t. I, p. 255.—(10) Propylæum Maii, p. *111 et seq.—(11) Col. 312.—(12) Annali d'Italia, t. IV, p. 191.—(13) Pag. 659.—(14) Ap. Pertz, Monum. Germ., t. VI, p. 328.—(15) P. 486 et 613.—(16) T. I, p. 151.

concilio

V. D. P.

Concilio Constantinopolitano obluctatum esse, nec assensisse nisi salva synodi Chalcedonensis reverentia, *qua exceptione acephalorum delusit fraudes ; quarto, initio totum fere Occidentem abhorruisse abs Constantinopolitana synodo et trium capitulorum damnatione, non quod hæc probarent, sed quod damnatio eis hæreticus videretur laqueus ; et quidem quum Pelagius I Vigilio successit, tertius in Italia repertus non fuit episcopus a quo consecraretur ; quinto, inter eos, qui hanc damnationem non reciperent, duas postea factas esse partes : quorum alii arbitrabantur fidem quidem in synodo quinta non fuisse proditam, sed imprudenter ibi res gestas, neque proin justam esse causam vitandæ communionis defensorum hujus Concilii : atque hos a summis pontificibus inter schismaticos minime relatos fuisse, licet quintam synodum aversarentur, jam in confesso est: alii autem* non *quidem, ut Facundus Hermianensis de se testatur,* pro Theodori damnatione se a contradicentium *seu Capitula damnantium* communione subtraxerunt, nec tantam esse causam judicarunt : sed quia ex persona Theodori epistolam Ibæ Nestorianam probare conati erant et ex epistola synodum Chalcedonensem improbare. *Non enim advertebant Ibam et Theodoretum nonnisi post depositos* B *errores in Chalcedonensi synodo admissos fuisse ; et præterea acephalorum post quintam synodum triumphus (vanus sane, sed perquam strepitosus) alte eorum menti ingesserat vulnus Chalcedonensi Concilio et proin sinceræ fidei per trium Capitulorum reprobationem inflictum fuisse, adque idcirco abstinendum a communione eorum, qui hæc rata habuerant.*

maxime quum tunc vigerent, ut ex S. Columbani epistola patet,

19 *Atque ita factum est, ut fere per sesqui sæculum habuerint Pelagium ejusque successores intrusos in sedem Romanam, quemadmodum totus fere Occidens initio Pelagium habuerat. Cavendum præterea est ne eos dijudicemus secundum principia quædam, quæ nobis clara omnino sunt et manifesta, sed quæ non ita fulgebant hoc ævo. In quam rem juverit præ oculis habuisse S. Columbani de his rebus sententiam. Adhortans enin Bonifacium IV Papam ut congregaret synodum qua* caligo suspicionis tolleretur de cathedra S. Petri, *sic scribit* (1) : Inde conventum coge, ut ea quæ vobis objiciuntur purgetis : non enim lusus currus vobis objicitur. Hæreticorum enim receptio, ut audio, vobis reputatur, quod absit credi verum fuisse, esse vel fore. Dicunt enim Eutychen, Nestorium, Dioscorum, C antiquos, ut scimus, hæreticos, a Vigilio in synodo, nescio quam, in quinta receptos fuisse. Ecce causam totius, ut ajunt, scandali. Si et vos sic recipitis, ut dicitur, aut si et ipsum Vigilium sic infectum defunctum fuisse, quare illum contra conscientiam recitatis? Omne enim, quod non ex fide, peccatum est. Jam vestra culpa est, si vos deviastis de vera fiducia et primam fidem irritam fecistis : merito vestri juniores vobis resistunt, et merito vobiscum non communicant, donec perditorum memoria deleatur et oblivioni tradatur. Si enim hæc certa magis quam fabulosa sunt, versa vice filii vestri in caput conversi sunt, vos vero in caudam : quod etiam dici dolor est ; ideo et vestri erunt judices, qui semper orthodoxam fidem servaverunt, quicumque illi fuerint, etiamsi juniores vestri videantur. Ipsi autem orthodoxi et veri catholici, qui neque hæreticos, neque suspectos aliquos aliquando receperunt, neque defenderunt, sed in zelo veræ fidei permanserunt. Si igitur et isti non tales sint ut seniores ordine, culpa tamen majores, juste judicent, certatim invicem veniam pro tam longa discordia D postulantes et utrique nullum contra rationem defendentes, nec vos hæreticos, nec illi suspectos, quo utrique culpabile celerius concordate.

principia quædam minus probanda.

20 *Et inferius :* Vos prope cœlestes estis, et Roma orbis terrarum caput est ecclesiarum, salva loci Dominicæ resurrectionis singulari prærogativa. Et ideo sicut magnus honor vester est pro dignitate cathedræ, ita magna cura vobis necessaria est, ut non perdatis vestram dignitatem propter aliquam perversitatem. Tamdiu enim apud vos erit, quamdiu recta ratio permanserit. Ille enim certus regni cœlorum clavicularius est, qui dignis per veram scientiam aperit, et indignis claudit. Alioquin si contraria fecerit, nec aperire nec claudere poterit. Cum hæc igitur vera sint et sine ulla contradictione ab omnibus vera sapientibus recepta sint, (licet omnibus notum est et nemo qui nesciat qualiter salvator noster S. Petro regni cœlorum contulit claves) et vos per hoc forte superciliosum nescio quid præ cæteris vobis majoris authoritatis ac in divinis rebus potestatis vindicatis, noveritis minorem fore potestatem vestram apud Dominum, si vel cogitatis hoc in cordibus vestris : quia unitas fidei in toto orbe E unitatem fecit potestatis et prærogativæ, ita ut libertas veritati ubique ab omnibus detur et aditus errori ab omnibus similiter abnegatur. *Jam vero secundum hæc principia, quæ tum temporis per ipsa forte dissidia invaluerant, nemo non videt oportuisse ut Aquilejenses se in tuto esse crederent, quandoquidem sibi persuasum habebant Vigilium Papam reapse cum acephalis sensisse aut saltem communicasse.*

Præcipui aliquot de hoc schismate auctores.

21 *Porro non magis mirabile videri debet aliquot ecclesias in hac sententia per sesqui sæculum bona fide perseverasse, quam integrum fere Occidentem per breve tempus idem æstimasse ; adde schismaticorum inflammatos fuisse animos, eoque magis quod Romani pontifices ab imperatoribus Græcis, quintæ synodi promotoribus, imploraverant adversus eos auxilium brachii sæcularis : unde omnia magis magisque suspecta fiebant Aquilejensibus, minus proinde pronis ad dociles præbendas aures monitis et explicationibus catholicorum. Qui plura velit de Aquilejensi schismate adeat non tantum Baronii Annales, Dissertationemque Norisii de synodo quinta, sed et monumenta ecclesiæ Aquilejensis De Rubeis, Annales ecclesiæ Sabionensis seu Brivinensis Josephi Reschii, ecclesiæ Mediolanensis Historiam Li-* F *gusticam Oltrocchii, Disquisitionem Roschmanni de episcopatu Sabionensi S. Cassiani Martyris deque S. Ingenuini ejusdem urbis episcopi Actis, atque huic oppositas Vindicias Romani Martyrologii* XIII *Augusti S. Cassiani Foro-Corneliensis Martyris, et* V *Februarii SS. Brixinonensium episcoporum Ingenuini et Albuini memoriam recolentis, in opere vero nostro ad diem* V *Februarii Commentarium de S. Ingenuino, et id genus alia.*

Monita de quibusdam viris inter Sanctos relatis.

22 *Quibus tandem finem imponimus, tria lectorem monentes : primum jam olim a nonnullis optatum fuisse ut Comensium fasti sacri castigarentur ; verum hæc vota, ut plerumque fit, inania fuisse, quum alii temerarium haberent id consilium ; licet iidem, ut scite animadvertit Comensis historicus* (2), *facili animo pro jussis cæsareis expunxissent e libris liturgicis S. Gregorii VII festivitatem. Secundum, si ii omnes, qui schismati Aquilejensi impliciti fuere, forent expungendi, rem latius patere quam quis prima specie sibi forte in animum inducat. Tertium demum, etiamsi hi viri, qui ecclesiasticis fruuntur*

(1) Biblioth. PP. Max. Lugd., t. III, p. 30. — (2) C. Cantù, t. I, p. 151.

honoribus

A *honoribus, non materiales tantum sed formales fuissent schismatici, id nil officere ecclesiæ catholicæ sanctitati, quum res peculiarium ecclesiarum hic agatur. Sed de his satis.* D

DE S. IRENE, VIRGINE

SANCTIMONIALI ET MARTYRE,

SCALABI, IN LUSITANIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ unicus. Scalabis nomen propter Sanctam mutatum; Sanctæ memoriæ in fastis sacris, ejus professio monastica.

B

ANNO DCLIII. Scalabis, hodie Sanctarem.

Est Scalabis, *ait Lud. Nonius in sua Hispaniæ descriptione* (1), urbs priscis temporibus non ingloria, siquidem, teste Plinio, inter tres Lusitaniæ conventus annumerata. Mutationis nominis causam refert Vasæus in Chronico suo : nam cum anno Domini 653 D. Irene in oppido Tomar, procorum libidini pudicitiam, Deo votam, prostituere nollet, ab iisdem interfecta, et in Nabanis fluenta corpus projectum a sicariis, per Tagum Scalabim secundo flumine delatum fuit, ibique magno cum honore sepultum : urbs relicto prisco nomine, cœpta dici S. Irenes, et labente ævo in Santaren corruptum fuit. *Hac igitur die Romanum Martyrologiu ,cum Usuardo et Adone eorumque Auctariis, Sanctam nostram annuntiat hisce verbis :* In Lusitania Sancta Irenes Virginis et Martyris. *Paulo plura, sed non satis accurata, habet Martyrologium Hispanicum Joannis Tamayi ad hanc diem :* Apud Navantium, oppidum Lusitaniæ, S. Irenes Virginis et Martyris, quæ cum pro castitatis honore, cœlesti sponso debito, a quodam sacrilego comite cæderetur, palmam martyrii celebris agonista promeruit. Ejus sacrum corpus, in Tagi fluminis alveo demersum, ad Scalabim usque C civitatem delabitur, ubi Angelorum manibus extractum et in tumulo, ab ipsis elaborato, reconditum, ibidem accolarum veneratione percolitur.

S. Irenes laus in fastis sacris

2 *Auctarium Martyrologii Romani, Lusitanice editum medio fere sæculo proxime elapso, plura habet, quæ hic omittenda non sunt :* In oppido Santarem S. Irenes, Virginis et Martyris, quæ quum esset ex nobilissimo genere Lusitano, et educata a tenera ætate in omni virtute, multos labores majoresque ignominias pro defensione virginitatis passa est : sed hæc omnia offerebat Christo sponso suo, quem, licet aliud false opinarentur homines, unice amabat. Stans demum in oratione, jubente filio cujusdam viri primarii, cui Sancta prodigiose vitam servaverat, in ore gladii occisa fuit. Ejus corpus in flumen Nabantiam præcipitatum fuit : sed Deo, totam rei seriem ejus avunculo, Silio abbati, revelante, et locum, ubi Angeli gloriosam corpori sepulturam dederant, indicente, Silius abbas cum clero sæculari et regulari et magna populi multitudine processit, et sequendo marginem fluvii usque ad Tagum in finibus oppidi Scalabitani, viderunt E istic tumulum ex pretiosissimo marmore in quo corpus Sanctæ reconditum erat Volentes autem illud tollere, non potuerunt loco dimovere : unde Reliquiarum vice crines et partem vestimenti secum abstulere. Brevi post Tagus sepulchrum aperuit, concurrentibus utrinque aquis, quæ ante se ad hunc thesaurum revelandum, prodigiose diviserant. Sæpius dein extra aquas apparuit sepulchrum, illudque vidit sancta Elisabeth regina. Juxta eumdem locum visitur rupes, aut naturaliter excreta, aut ab auctore Deo illic posita in signum tanti miraculi. Oppidum vero, hactenus Scalabis appellatum, a S. Irene nomen suum derivavit, et hodie Sanctarem vocatur. *Hispanis Lusitanisque S.* Irene, Iria *vel* Eyria *appellatur, et hinc inde apud Martyrologos quosdam* Irenæa *dicitur.*

ejusdem Acta

3 *Quoad Acta S.* Irenes *attinet, non alia habemus, quam quæ ex veteri Breviario Eborensi excerpsit Henricus Florez in Hispania sacra* (2) *: sed in eorum sinceritatem conspirant quotquot de rebus Hispanicis aut Lusitanicis scripserunt. Joannes Mariana* (3), *Jacobus Saavedra* (4), *Antonius de Heredia* (5), *Alphonsus de Villegas* (6), *Petrus Ribadineyra* (7), *Franciscus Giry* (8), *Gabriel Bucelinus, Hugo Menardus* (9), *Aloysius Torelli* (10) *aliique plurimi. Hi omnes quoad circumstantias vitæ et martyrii attinet, satis conveniunt. Sed Franciscus Mendoza, sub hac die a Tamayo citatus, plurimum ab aliorum narratione abludit : nullo enim verbo attingit sanationem Britinaldi proci, nihil profert de promissione facta non nubendi alteri, de indigno modo, quo fama pudicitiæ virginalis labefactata est : ast omnia ita exhibentur, quasi procus, cæco furore actus, obsistentem sibi Virginem ipse obtruncasset, quum ex Actis habeamus id Britinaldum per sicarium quemdam effecisse, non quidem quia libidinem satiare non potuerat, sed quia fidem olim datam fregisse S.* Irenen *suspicabatur. Ex istiusmodi exemplo liquet, non continuo simpliciora Acta etiam veriora et antiquiora esse, quum Mendoza laudatus anno* 1626 *vitam clauserit, quando jam multi sinceriorem S.* Irenes *Vitam scripserant : id solum excusare scriptorem utcumque potest, nempe Viri-* F

(1) Hispan. illustr., t. IV, p. 415.— (2) Florez Españ. Sagr., t. XIV, p. 389.—(3) Hist. de Españ., t. II, p. 315. Edit. Valent. 1785.— (4) Coron. Gothica, t. I, p. 365.—(5) Vidas de Sant. de la Relig. de S. Benito III. Oct , p. 119. —(6) Flor. SS., fol. 407 v°. Edit. Cæsaraug 1583.—(7) Flor. SS. sub xx Oct. — (8) Vies des SS. xx Oct. — (9) Martyrol. Bened xx Oct. — (19) Secoli Agostin., t. II, p. 660.

darium

§ v. II *darium sacræ et profanæ eruditionis ligato stylo elucubratam fuisse, adeoque plus poësi, quam veritati adhæsisse* (1).

a Fr. Mendoza alterata.

4 *Ne verius quidem laudatus Mendoza exponit genus vitæ, a S. Virgine assumptum, cum canit nullis blanditiis parentum, eam in sæculo retinere nitentium, cor ejus emollitum :*

Hos Irena dolos, patrio sub amore jacentes
Cauta fugit : secreta petit non serius antra,
Legibus addicit puerilia membra severis.

Quasi nempe S. Irene *anachoreticam vitam sectata fuisse : quum ex Vita infra danda num.* 2 *constet*, infra oppidum supra Nabanem Sanctam deguisse Irenam cum castissimis virginibus, quarum duæ sorores patris ejus erant : *referturque deinceps Sancta* ex eo claustro semel in anno, in festo Beati Petri, cum cæteris Virginibus, orationis causa exire consuevisse ad ipsius Apostoli ecclesiam. *Quæ quidem verba satis indicant, S.* Irenen *non eremum, sed cœnobium quoddam Virginum incoluisse, qual a plurima jam illa tempestate exsistebant in Hispania et Lusitania, ut id luculenter monstrant Concilia Hispana longe antiquiora. Etenim de monachis Hispanis agunt Siricius Papa ad*
B *Himerium Tarraconensem anno* 385 *cap.* VI *et* XIII (2) *et Concilium Cæsaraugustanum anni* 540 *can.* VIII (3) : *cæterum nimis arcta erat inter Africæ et Hispaniarum Ecclesias necessitudo, quam ut institutum monasticum, a S. Augustino adeo propagatum, ad Hispanias non extenderetur.*

Antiquitas status monastici

5 *Ast hic occurrit nobis Antonius de Siles, socius academiæ historiæ Matritensis, qui in sua dissertatione de Monachatu Hispanico ante tempora Saracenica, dicit* (4), *nullum in Hispania usque ad initium sæculi* VI *cœnobium proprie dictum exstitisse, sed vitam anachoreticam seu solitariam monachos fuisse sectatos. Suam porro opinionem duobus fulcit argumentis, quæ rem meo judicio minime evincunt. Nulla nempe in canonibus Conciliorum sæc.* IV *et* V *mentio fit abbatum aut præpositorum, adeoque nuspiam nobis veri cœnobii forma præsentatur : dein ea ipsa, quæ monachis sæculi* IV *exprobrat Siricius in epistola ad Himerium Tarraconensem cap.* VI (5), *talia sunt, ut cum vita cœnobitica nullatenus consistere possint. Et quoad prius argumentum, seu silentium de abbatibus præpositisve attinet, mere negativum est, proindeque non magni faciendum, nisi aliunde adminiculetur. Et certe*
C *ipse laudatus Anton. de Siles lubenter fatetur in gloriam gentis suæ, monasticum institutum summa promptitudine in Hispaniam traductum fuisse* (6) : *ex Italia igitur, ubi sæc.* IV *jam florebant cœnobia stricti nominis* (7), *facile potuere, imo et debuere in Hispanias transmigrare asceteria monachorum utriusque sexus; nisi tamen quis malit Hispanos cœnobitas ex Africa derivare. Ruit itaque argumentum negativum, quum contraria ratione infirmatur. Quod et ideo quoque ruit, quod de monachis utriusque sexus, in lascivia demersis Siricius l. c. mandat* has impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu ecclesiarumque conventibus eliminandas esse. *Ergo jam tum erant in Hispaniis* monasteriorum cœtus, *erant ergo et præpositi, qui istiusmodi communitates dirigerent.*

contra recentiores quosdam.

6 *Talem conclusionem avertere satagit laudatus Antonius, dicendo cum Joanne Franc. Masdeu* (8) *ignorasse Siricium statum rei monasticæ in Hispania, quemadmodum constitutionem sedium metropoliticarum ignoravit, sed id gratis asseritur : nam,* D
licet juxta disciplinam vigentem, quod hic non inquirimus, primatum obtineret antiquior episcopus, non inde consequitur nullam fuisse divisionem metropoliticam episcopatuum inter varias Hispaniarum provincias; sic enim Africa primatus dignitas non ex sedis cujusdam, si Carthaginensem excipias, præeminentia, sed ex antiquori ordinatione episcoporum desumebatur, sed erat nihilominus in varias provincias divisa, quibus singulis præponebatur antiquior episcopus, cui forsan competebat in Hispanus dispensare in irregularitatibus gravioribus, qualis erat bigamia : ac tali ratione omnino recte mentionem faciebat Siricius c. VIII (9) de metropolitanis episcopis, *quin ignorantiæ argui debeat. Neque hic sistit Antonius, quia recte intelligebat ignorantiam unius rei non inducere ignorantiam alterius : opinatur itaque in* monasteriorum cœtu *nihil aliud quærendum esse, quam simplicem cellarum tuguriorumque agglomerationem, quin aliquo communitatis, adeoque subordinationis vinculo inter se varii monachi connecterentur* (10) : *ast similis interpretatio communi verborum tenori contraria est, neque admittenda, nisi certissima historiæ monumenta istiusmodi interpretationem omnino exigant;* E
alioquin non tam historiam genuinis monumentis accommodare, quam hæc ad præconceptam opinionem contorquere videremur.

solis argumentis negativis nitentes defenditur ;

7 *Sed hisce argumentis, utpote negativis, non contentus Antonius de Siles, positivum etiam affert : videlicet vitam luxuriosam monachorum, qualis a Siricio exhibetur, consistere non posse cum disciplina claustrali et superiorum vigilantia. Fatemur libenter posterioribus sæculis multa fuisse decreta ad disciplinam monasticam sartamtectam servandam, ast propter istiusmodi canones nôn credimus tunc primum cœpisse cœnobia, quando leges istæ condebantur, sed, potius tunc primum latas leges, quando abusus graviores in cœnobiis jam inoleverant : adeoque monasteria jam a tempore longiori exsistebant. Cæterum hujuscemodi flagitia enasci, etiam quando monachorum cœtui præsunt abbates, quod multis collatis monumentis declarari posset, monstrat Concilium Toletanum* IV, *anno Christi* 633 *præside S. Isidoro celebratum ; siquidem canone* LI (11) *agitur de institutione* abbatum et aliorum officiorum, *et tamen canon sequens, nempe* LII *decernit contra* monachos egredientes, a monasterio, *qui* non solum ad sæculum revertuntur, sed etiam uxores acci- F
piunt, *ut* hi in eodem monasterio, a quo exierunt, pœnitentiæ deputentur, ibique defleant crimina sua, unde decesserunt. *Similia statuuntur canone* LV *de pœnitentibus viris et fœminis (id est veri nominis monachis, quum agatur de tonsura, de assumptione habitus sanctimonialis, de iis qui se devoverunt Religioni) : si enim* laici effecti *sunt, nisi* admoniti revertuntur, vere ut apostatæ coram Ecclesia anathematis sententia condemnentur ; *si vero fuerint* a sacerdote comprehensi, ad cultum Religionis, acta prius pœnitentia, revocentur. *Hæc sufficiunt ad monstrandum, constituto etiam legitimo monasterio seu cœnobio, posse istiusmodi flagitia accidere, adeoque ex hisce nihil argumenti valere contra institutionem cœnobiorum. De reliquo quoniam S.* Irene *sæculo* VII *jam medio, quando, omnibus consentientibus, cœnobia exsistebant, vixerit, nullum dubium esse potest de ejus professione monastica.*

quin certo definiri possit :

8 *Sed ex hac quæstione enascitur alia implica-*

(1) Anton. Bibl. Hisp. nov., t. I, p. 446.—(2) Daguirre. Conc. Hisp., t. III, p. 15 et 16. Edit. Rom. 1753. — (3) Ibid., p. 166. — (4) Daguirre. Conc. Hisp., t. III, p. 375.—(5) Memor. de la Reaacadem. de la Histor., t. VII, p. 487. — (6) Labbe, t. II Conc., col. 1019. — (7) Mem., t. VII, p. 481. — (8) S. Ambros de Virginib., lib. I, cap. XI. Oper., t. V, p. 23 et epist. LXIII n. 82. Oper., t. VI, p. 216. Edit. Venet. 1781. — (9) Hist. Crit de Esp., t. VIII, p. 253. — (10) Labb., t. II, col. 1030. — (11) Daguirre Conc. Hisp., t. III, p. 375.

tior,

A *tior, cui nempe Ordini monastico adscribenda est Sancta nostra? Multis quidem id evolvit Aloysius Torelli in Annalibus Ordinis S. Augustini* (1), *quum et Sanctam nec ad Cistercienses, Fratres Prædicatores Minoresve, utpote recentiores, nec ad Basilianos, quatenus numquam in Lusitania exstiterint, spectare potuisse demonstret. Reliquum est, ut S.* Irenem *Ordini alterutri S. Benedicti aut S. Augustini accenseamus. Pro suo quidem pugnat laudatus Torellius Augustinianus; at sunt vel inter ejus consodales, qui hanc opinionem probare minime videntur. Etenim in Breviariis, pro Ordine universo compilatis, nulla Sanctæ nostræ occurrit memoria* (2), *et quod majus est, Thomæ de Herrera, in suo Alphabeto Augustiniano, de Sancta nostra, quam* Hirenam *vocat, hæc scribit :* S. Hirena Virgo et Martyr (quæ choro III Theatri triumphalis, nescio quo jure, nostris Beatis adscribitur) anno circiter 650 die XX Octobris, quo ejus festum in tota Lusitania recolitur, migravit ad sponsum. *Videtur igitur satis dubia professio Augustiniana S.* Irenes, *præsertim quum nullum, quod sciamus, exstet vestigium monasterii puellaris, a Sancta olim inhabitati, ex cujus notitia forsan deveniri posset ad qualemcumque co-*B *gnitionem Ordinis, ibidem olim vigentis.*

ad quem Ordinem Sancta

9 *Eadem fere ratione opinari licet de professione Benedictina S.* Irenes : *suam certe proclamant Hugo Menardus in suo Martyrologio Ordinis S. Benedicti et Antonius de Heredia in Vitis Sanctorum ejusdem Ordinis, Hispanice conscriptis* (3) ; *sed et apud Benedictinos in Breviariis Ordinis nulla occurrit ejus mentio, ac Joannes Mabillon in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti eamdem inter Prætermissos, omisso asteriso, quo genuinos sui instituti alumnos insignit, collocat*(4). *Neque id prætereundum est, quod animadvertit Joan. Mabillon in suis Annalibus lib.* I, *n.* 13 (5), *nempe* ut in Oriente, *ait*, sic in Occidente, « tot propemodum typi ac regulæ erant, quot cellæ ac monasteria » inquit Cassianus. Aliis pro regula erat abbatis voluntas, aliis modus vivendi, majorum usu ac traditione confirmatus, plerisque leges scriptæ impositæ. *Et quod propius ad præsentem quæstionem accedit, fatetur sibi Mabillon incompertum esse*, qualem Regulam observaverint ante Isidorum et Fructuosum, Hispanici monachi (6). *S. Isidorus anno Christi* 636, *S. Fructuosus* 665 *obierunt, ita ut dubium sit, quoniam istiusmodi Regulæ satis lente propagantur, an vel* C *ulterutra in cœnobium, quod S.* Irene *incolebat, tunc jam introducta fuerit. Ex quibus omnibus manifestum fit, omnino incertum esse institutum, quod Sancta nostra sectata fuerit : id unum tamquam certum assumimus eamdem Sanctimonialem sub Selio avunculo suo et abbate fuisse : nam moniales sub cura et tuitione monachorum constitutæ erant, ut patet ex can.* XI *Concilii Hispalensis anni* 619 (7).

spectarit.

10 *Vitam S.* Irenes *ex Veteri Breviario Eborensi, ut jam diximus, edemus : recentiores quidam singularia scripta elucubrarunt circa Sanctam nostram, scilicet Eduardus de Arauto, Canonicus regularis militiæ Christi et domus regiæ de Tomar præfectus* (8), *Isidorus Barreira, ejusdem militiæ presbyter* (9) *et Paschalis Ribeiro Coutinho* (10), *qui omnes Lusitanico idiomate scripserunt. Utilissimum nobis esset, unum alterumve ex auctoribus istis coram habere, maxime ut ampliorem notitiam circa Sanctæ cultum haurire possemus : sed quando hæc scribebamus ea erat temporum conditio, ut, rebus ubique gentium perturbatis, e longinquioribus regionibus vix quidpiam acciri potuisset. Quocirca ea tantummodo dedimus, quæ ex antiquioribus monumentis colligere potuimus.*

J. V. H.

PASSIO S. IRENES

VIRGINIS ET MARTYRIS,

Ex veteri Breviario Eborensi et Florezio España Sagrada, tom. XIV.

B. Irene sanctimonialis,

Tempore, quo in Lusitania dynasta inclytus atque christianissimus, Castinaldus, vir nobilis Cassiæ *a* dominabatur apud Nabantiam *b*, insigne Scalabitani conventus *c* oppidum, Irena, virgo sanctimonialis, genere nobilissima, forma pulcherrima, mortem pertulit corporalem pro castitatis integritate, super ripam Nabanis *d* fluminis anno sexcentesimo quinquagesimo tertio ab incar- E natione Domini nostri Jesu Christi *e*, cujus fides, jam sparsa longe lateque, firmiter tenebatur. Hæc virgo erat pudica, pia, simplex, humilis, jejunatrix, oratrix assidua et in omni Dei obsequio devotissima. Remigius namque, doctissimus et religiosissimus monachus, eam tam litteras quam mores docuerat, sub gratia nobilium parentum ejus Hermigii et Eugeniæ, et abbatis Selii, qui frater Eugeniæ matris ipsius Virginis exstitit, et in cœnobio magno Beatæ Virginis Mariæ degebat, cum quinquaginta circiter monachis, in cœnobio juxta torrentem, qui dicitur Effon, quia sine fonte et sinuose labens in Nabanem descendit. Supra quod cœnobium versus Aquilonem, in loco plano et eminenti erant prædicti Castinaldi palatia, cum oppido pulcherrimo, dicto Nabantia, distante a fluvio jactu lapidis uno vel minus.

curato prius Britaldi principis

2 Infra id oppidum, super Nabanem, Sancta degebat Irena cum castissimis Virginibus, quarum duæ sorores patris ejus erant, videlicet Casta et Justa, quæ ibi postea fuerunt sepultæ in singulis lapideis monumentis *f*. Sancta vero Irena ex eo claustro semel in anno, in festo S. Petri, cum cæteris virginibus, orationis causa, exire consueverat F ad ipsius Apostoli ecclesiam, quæ juxta Castinaldi palatia opere laudabili erat ædificata et Sanctorum plena Reliquiis : ad quam nobilissimus Castinaldus, cum proceribus suis et familia et loci incolis veniens, divina officia pene quotidie audiebat. Hic autem princeps habebat filium unicum, optimæ indolis adolescentem, Britaldum nomine, qui, audita prius Sanctæ Irenæ pulchritudine, quum semel eam in ecclesia vidisset, misere ex amore ejus angustiari cœpit : ob divinum tamen timorem et parentum Virginis et abbatis Selii reverentiam, non est ausus vim amoris sui detegere, sed tacendo more amantium ægrotavit. De cujus ægritudine parentes ejus supra modum anxii, diversorum undique medicorum apem quærebant. Qui diversas morbi causas proferentes, sed verum morbum minime perpendentes, nullum ægritudini ejus adferebant remedium.

insano amore,

3 Hujus ægritudinis causam quum divina reve-

(1) Mem., t. VII, p. 490. — (2) Torelli. Secoli Agostinian., t. II, p. 664. — (3) Brev. Ord. Erem. S. Augustini. Venet. 1751. Propr. Windesheim, etc. — (4) Vidas de Sant. de la Relig. de S. Benito. t. IV, p. 119. — (5) Act. SS. Ord. Bened., sæc. II. Index, p. LX. Annal. Ord. S. Ben., t. I, p. 6. edit. Lucens. 1749. — (6) Cfr Breganza. Antiguedad. de Españ., t. I, p. 17. — (7) De Aguirre. Conc. Hist., t. III, p. 349. — (8) Antonio. Biblioth. Hispan. nov., t. I, p. 336. — (9) Ibid., p. 828. — (10) Machado. Bibl. Lusit., t. IV, p. 562.

latione

EX BREVIARIO EBORENSI.

latione Sancta Virgo Irena cognovisset, causa pietatis et humanitatis ad eum perrexit, et sola solum sic affatur : « Frater mi, hæc infirmitas non est tibi ad mortem, sed ut Dei misericordia salutem consequaris, si ea, quæ oculi tui male concupierunt, nequaquam ultra concupiscas. » Ad hæc ille : « Scio, inquit, quod noris, qua detinear ægritudine. Sic etiam noscas, quod si ex ea moriar, vel, me spreto, alium præposueris, ego ipse vel alius pro me gladio percutiet, ut ultra non vivas. » Ad quæ illa : « Absit, ait, a me, frater, ut tuam vel alterius nefandam numquam compleam voluntatem. » His dictis, eoque consolato, impositisque ei manibus cum oratione, reversa est ad claustrum suum. Ille vero statim restitutus est sanitati Sanctæ Virginis Irenæ precibus. Quare parentes ejus in Irenæ Virginis gratiam, collegium illud virginum in majori honore habuerunt, illud muneribus et privilegiis amplius honestantes.

quum in suspicionem criminis venisset,

4 Post rem hujuscemodi, transacto biennio, intravit satanas in Remigium monachum, Sanctæ Irenæ magistrum, et in amorem Sanctæ Virginis tam acriter ejus viscera extorruit, ut, deposito pudore, eam impudice compellaret. A qua quum
B graviter esset increpitus, diabolico repletus furore perversoque ingenio, maleficæ herbæ succum illi clam in potum dedit. Qua potione virgo incorrupta paulatim, prægnanti similis, intumuit, et infamiæ nota non caruit. Illa mirabatur, nesciens quod sibi accidisset, pudorem tamen suum et famam Domino commendabat. Hæc quum Castinaldi filius audisset, motus zelotypia, rogavit quemdam de amicis militem, ut eam interficeret, et in flumen projiceret. Qui miles, protinus illi insidiatus, quum forte post matutinas laudes, sub diei crepusculum ad ripam fluminis orantem, suamque innocentiam Deo commendantem adspexisset, irruens obturavit pannis os ejus, et, exutis vestibus præter melotam *g*, gladio confodit guttur ejus, necatamque projecit in fluvium *h*. Protinus tamen pœnitentia ductus, una cum Remigio monacho, Romam adiit et ambo sub pœnitentia *i* obierunt. Sanctum vero Virginis corpus per Nabanem in Ozecharum fluvium, et ex eo in Tagum prolapsum est, donec pervenit ad montem, qui Scalabis castrum *k* nuncupatur.

occiditur.

5 Mane autem facto, quum non fuisset inventa, universi existimabant illam præ facti verecundia
C cum aliquo fugisse homine, quem sibi stupro conciliasset. Deus vero, nolens eos in tam sinistra suspicione permanere, abbati Selio, quæ contigerant, revelavit. Quibus cognitis, ille gavisus valde, mixta tristitia cum lætitia, rem divulgavit, et statim cum monachis et proceribus et plebe numerosa, venit ad locum prædictum. Tum Tago ab immensa illa voragine, Dei virtute ad sese collecto, ibi ex una parte apparuit solum quasi arida terra, ubi inventum est Virginis corpus, divinitus in aptissimo locatum sepulcro. Cumque de illo loco moveri non posset, intellexerunt Deo placuisse, eam ibidem sepeliri. D Honorifice igitur et cum magnis laudibus sanctissimum corpus ibi sepelierunt, tollentes capillorum et melotæ Reliquias. Illis autem alveum egressis, Tagus, expansis desuper aquis, magna cunctorum admiratione ad limitem suum rediit. At vero abbas cum Reliquiis sanctissimi corporis ad cœnobium reversus est, ubi multi cæci, claudi, leprosi, et diversis affecti morbis, ex Sanctarum Reliquiarum tactu curati sunt, ad laudem Christi, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Quid sibi velit hic vox Cassia, non facile dixerim : nullum enim locum hujus nominis in Lusitania invenio ; quid vero cæterum significare valeat, nemo est, qui mihi indicare potuit.*

b *Nabantia est oppidum Lusitaniæ, quod a flumine cognomine appellationem suam mutuatur, hodie ab Arabibus* Thomar, *ad Nabanem fluvium nuncupatur* (1).

c *Sub Romanis provincia Lusitaniæ distincta* E *erat in tres conventus juridicos, constitutos in tribus urbibus, ubi jus populis dicebatur : erantque conventus Eremitensis, Pacensis et Scalabitanus* (2).

d *Nabanis fluvius, hodie* Nabao, *per Ozecarum,* Zezere, *in Tagum influit juxta locum dictum* Pugnam Pagi, Punhete.

e *In hunc annum martyrii consentiunt quotquot de S.* Irene *scripsere, quorumque nonnullos citavimus supra in Commentario prævio num.* 3.

f *In Gynecæo Arturi a Monasterio ad hanc diem binæ hæ sorores annuntiantur quasi neptem suam,* Irenem, secutæ ad regnum, *diciturque* earum ossibus Tomariense D. Claræ partheneum commendari.

g *Quamvis secundum Cangium* Melote *vestem quamdam superiorem ex ovina aut caprina pelle plerumque significet ; hoc tamen loco malim hanc vocem interpretari de veste interiori, forsan lanea seu subucula, siquidem Sancta omnibus vestimentis exuta fuit* præter melotam : *laneis autem vestibus utebantur monachi.*

h *Scilicet Nabanem, ad quem usque pomœrium monasterii extendebatur.*

i *Sacris canonibus cautum erat, ut,* si quis voluntarie homicidium fecisset, ad januam ecclesiæ catholicæ semper subjaceret, et communionem in exitu vitæ suæ reciperet. *Hæc habent capitula* F *Martini, Braccarensis metropolitæ, qui post medium sæculum* VI *floruit* (3) : *atque secundum hæc verba, interpretari nos oportet, quæ habet Legenda, nempe homicidas S.* Irenes sub pœnitentia obiisse.

h *Explicuimus in Commentario prævio num.* 1 *quomodo, antiquato Scalabis nomine, hodie ista civitas Irenopolis seu Sanctarem appellatur.*

(1) De Costa. Corograph. Portug., t. III, p. 148, 158. — (2) Florez. Españ. Sagr., t. XIII, p. 68. — (3) Labbe, t. V Conc., col. 913.

DE

DE S. VITALE EPISC. ET CONFESS.

SALISBURGI IN GERMANIA.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

A. T.

§ I. Quo sæculo, septimone an octavo, S. Rupertus ecclesiam Salisburgensem fundaverit.

CIRCA ANNUM DCCXXX. S. Rupertum sæculo VIII

Quod ad diem XXIV *Septembris, circa finem Sylloges historicæ de SS. Chunialdo et Gisilario, Suyskenus monuit* (1), *ea quæ de S. Ruperti Bajoariorum apostoli ætate in nostro opere ad diem* XXVII *Martii asserta fuere* (2), *ad limam revocanda esse in Supplemento ad eumdem diem, id nunc potius a nobis præstandum videtur, quum agere nos oporteat de* S. Vitali, *proximo illius in episcopatu apud Juvavium seu Salisburgum successore, qui hodie cultum ecclesiasticum ibidem obtinet. Censuit Papebrochius acta S. Ruperti illustrans hujus obitum incidisse in annum* 623 *vel* 628, *idque ex communi sui temporis persuasione, secundum quam sub Childeberto II Francorum Austrasiorum rege hic Sanctus apostolatui suo initium dedisse credebatur, vitamque finiisse ipso festo Paschatis in diem* VI *Kalendas Aprilis incidente, quod quidem toto sæculo septimo non contigit nisi duobus annis jam dictis. Huic opinioni, etiam postquam refutari jam cœperat, adhuc patrocinati fuere Joseph Mezgerus in Historia Salisburgensi* (3), *Bernardus Pez in Epistola ad Hansizium de Actis S. Trutperti Martyris* (4), *Joannes Henricus von Falckenstein in Historia Bojorum pragmatica* (5) *et Antiquitatibus Nordgaviæ* (6), *Benedictini Salisburgenses in Novissimo Chronico sui ad S. Petrum monasterii anno* 1772 *edito* (7), *aliique scriptores, quos recensere prætermitto, præcipuos nominasse contentus. Horum vero adversarii præcipui fuere Mabillonius* (8), *Pagius* (9), *Eckhartus* (10), *Meichelbeckius* (11), *Hansizius* (12), *qui solidis rationibus demonstrarunt S. Rupertum non Childeberto II, sed Childeberto III, qui exeunte sæculo* VII *regnare cœpit, fuisse coævum, adeoque sæculo* VIII *obiisse: quamquam iis non assentior circa annum obitus, quem fuisse asserunt annum* 718, *si unum inter eos Hansizium excipias, qui licet prius et ipse hunc annum S. Ruperto emortualem statuisset, postea tamen inter retractandam disputationem suam* (13) *ab ea sententia merito recessit.*

in Bajoarium venisse

2 *S. Ruperti epocham haud posse regno Childeberti II illigari, inde primum deducitur quod regis hujus tempore nullus extiterit seu dux seu rex Bajoariorum Theodo sive Dioto; quo tamen nomine vocatum fuisse eum ducem qui S. Rupertum in suas terras accersivit, extra omnem prorsus controversiam est. Imo circa id tempus Garibaldus dux Bajoariis præerat, cui Clotarius I Waldetradam Theodobaldi viduam, teste S. Gregorio Turonensi* (14), *uxorem dederat, et cujus filiam Erin dux Tridentinorum conjugem accepit ea ipsa tempestate qua regnum Francorum Austrasiorum Childebertus II, occiso patre Sigeberto*, adhuc puerulus cum Brunechilde matre regendum suscepit, *uti narrat Paulus diaconus* (15), *a quo etiam discimus Garibaldum eumdem, desponsata anno* 589 *filia sua Theodolinda Flavio Authari Longobardorum regi, anno insequenti* 590 *aut certe non multo post Bajoariis imperare desiisse* (16). *Dehinc, eodem Paulo teste* (17), *cui consonat Aimoinus* (18). Tassilo a Childeberto rege Francorum apud Bajoariam rex ordinatus est; *mortuo vero Tassiloni circa annum* 609 *successit filius Garibaldus* (19), *regnante jam ab anno* 596 *in Austrasia Theodeberto II Childeberti filio. Post Garibaldum II, qui quamdiu in vivis fuerit, definiri accurate nequit* (20), *illo tempore quo S. Emmerammus Ratisbonam accessit* (21), *ac proin satis diu post Childeberti II epocham et ante illam Childeberti III,* erat dux gentis Bajuvariorum vir alacer Theoto, *ut in Vita S. Emmerammi ait Aribo episcopus Frisingensis* (22), *cui consentiens Meginfredus:* Hujus, *inquit* (23), monarchiam Theodo dux provinciæ qui tunc possedit, *etc. Ei autem filios in regnum non successisse scribit Arnolfus Vochburgensis* (24), *qui ipse neptem habuit nuptam Adalrammo ex ejusdem Theodonis hujusque filii Lantberti, qui necis S. Emmerammi auctor fuit, posteris genito* (25): *unde conficitur, quamvis Arnolfus sæculo tantum* XI *suos libros ediderit* (26), *eum tamen in hac parte esse fide dignum; idque eo magis quod ipsius dicta cum aliis documentis plane authenticis in eamdem rem conspirant, ut in sequentibus patebit.*

probatur ex ea quam Arnolfus Vochburgensis

3 *Hic igitur scriptor, postquam laudavit Theodonem* cui filii in regnum non successerant, *ita pergit* (27): Item alius Theodo vir strenuus et alacer, sub quo clarissimus Christi confessor Ruopertus cum aliis Dei servitoribus Juvaviam devenit, ibique cursum præsentis vitæ consummavit. Sub quo Sanctus Corbinianus Frisingam accessit. Is ergo dux filios habuit successores in regno, Diotpertum vi-

(1) T. VI Septembris, p. 712 et 713. — (2) T. III Martii, p. 700. — (3) Dissert. prælim., p. 1 et seqq., item lib. I passim, p. 69 et seqq. — (4) P. 23 et seqq. — (5) Part. II, period. II, cap. I, II et III, p. 23 et seqq. — (6) Part. I, cap. VII, p. 207 et seqq.; part. II, cap. II, p. 97 et seqq. — (7) Introduct. et Disquis. prælim., item sæc. I ac II passim, p. 1 et seqq. — (8) Act. SS. Bened., sæc. III, part. I, p. 339 et seqq.; Annal. Bened., t. I, lib. XVIII, n. 50, p. 564. Edit. Luc. — (9) Critic. Baron., ad an. 696, n. 6 et seqq.; ad an. 718, n. 7 et 8, t. XII, p. 155 et seqq., 282 et 283. Edit. Luc. — (10) Comment. de reb. Franc. Orient., lib. XVIII, n. 4, p. 306, 307 et 308. — (11) Hist. Frising., t. I, dissert. proleg. II, p. XI et XII; t. II, dissert. proleg. I, p. II et seqq.; Chron. Benedicto-Bur., dissert. proleg. I, p. LXXV, LXXVI et LXXVII. — (12) Germ. Sacr., t. II, p. 33 et seqq. — (13) Ibid., p. 919 et seqq. — (14) Hist. Francor., lib. IV, p. IX, apud Bouquet, Rer. Gallic. Script., t. II, p. 207. — (15) De Gest. Longob., lib. II, cap. X, apud Muratori, Rer. Ital. Script., t. I, p. 439. — (16) Ibid., cap. XXIX, p. 449 et 450. — (17) Ibid., lib. IV, cap. XVII, p. 455. — (18) De Gestis Franc., lib. III, cap. LXXVI, apud Bouquet, loc. cit., p. 105. — (19) Paul. Diac., lib. IV, cap. XLI, p. 468. — (20) Cfr Pagius ad an. 637, n. 8, t. IX, p. 521; Hansizius, tom. cit., p. 52. — (21) Cfr t. VI Septemb., p. 462 et 463. — (22) T. VI Septemb., p. 274. — (23) Ibid., p. 495. — (24) Ibid., p. 495. — (25) Ibid., p. 540. — (26) Ibid., p. 456 et 457. Cfr Waitz apud Pertz, Monum. Germ. hist., t. IV Script., p. 543 et seqq. — (27) T. VI Septemb., p. 495 et 496.

A. T. delicet atque Grimaldum : post quos ducatum genti huic præbuit Hucbertus, qui Beato Georgio et Sancto Emmerammo sub quodam Rathario adventitio episcopo donaverat curtem, quæ in pitaciis e quibus hæc excerpsimus *(id quod rursus fidem Arnolfo conciliat)*, Pirchinuvach nuncupatur. Hujus atque ducis temporibus beatissimus præsul Bonifacius..... ingressus Bajoariam..... Quo Franciam reverso, et præfato duce defuncto, sub principe Pipino, gentis hujus ducatum adeptus est Udilo. *Postea memorat* (1) ducem Tassilonem, *quem Carolus Magnus* regno privans, cum filio Diotone monachum esse compulit; *seque successionem ducum non ex ingenio confinxisse, sed ex bonis hausisse fontibus, per illa verba indigitat :* Duces vero qui ante hunc principem sub regibus Francorum Bajoariæ regebant ducatum, quæ bona Beato Emmerammo contulerint, pitacia eorum et testamenta penes nos satis indicant inventa ; *quam ob rem merito Arnolfus ab Hansizio pronuntiatur* (2) omnino exceptione major omni.

et genuina monumenta Salisburgensia exhibent

4 *Confirmat autem seriem ducum ab eo descriptam Annotatio Arnonis episcopi Salisburgensis de traditionibus suæ ecclesiæ factis* (3), *ubi hæc leguntur :* Primum quidem tradidit Theodo dux prædi- B rectum oppidum simulque et castrum superiorem domno Hhrodberto..... Succedecte vero filio ejus Theodberto duce, qui tradidit villulam nuncupante Ultzhilinga..... Successor namque filius ejus Hucbertus dux tradidit in pago Rotagoe villa nuncupante Savarstedi.,. Post hunc extitit Otilo dux... Post hunc vero successit filius ejus Tassilo dux. *Subjicitur vero hæc Arnonis attestatio :* Notitiam vero istam ego Arn una cum consensu Caroli piissimi regis, eodem anno quo ipse Bajoariam regionem ad opus suum recepit, a viris valde senibus et veracibus diligentissime exquisivi, a monachis et laicis, et conscribere ad memoriam feci. *Porro apposita temporis nota in annum 788 cadit, quo Carolus Magnus, exauctorato Tassilone, Bajoariam per comites et præfectos suos administrandam suscepit* (4). *Ab* auctore pariter vetusto, certe non valde ab Arnonis ætate remoto, qui id quod refert, potissimum ex chartis originariis hausit, *judice Hansizio* (5), *confectæ sunt Breves Notitiæ donationum eidem Salisburgensi ecclesiæ factarum* (6), *ex quibus sequentia in rem nostram decerpimus :* Primo igitur Theodo dux Bajoariorum, Dei omnipotentis C gratia instigante et Beato Rudberto episcopo prædicante, de paganitate ad christianitatem conversus et ab eodem episcopo baptizatus est cum proceribus suis Bajoariæ... Interea vero dux Theodo infirmabatur, commendavitque filio suo Theodoberto ducatum Bavariæ et domini Rudberti episcopi causam fideliter tuendam et juniorum ejus, eique ad christianitatem suam libenter obedire, et omne opus Dei diligenter ei auxiliari... Cœpit autem Beatus Pontifex una cum consilio et voluntate domini Theodoberti ducis in superiori castro sæpe dicti Juvavensis oppidi construere ecclesiam ac monasterium sacris virginibus .... Hucbertus dux filius et successor Theodoberti ducis tradidit in Rotagou villam nuncupatam Sauersteti.... *Post quæ de duce quoque Otilone filioque ejus Tassilone fit sermo.*

ducum successione;

5 *Ex hactenus allegatis perspicuum fit Theodonem illum qui priori Theodoni successit circa annum* 680, *ut autumatus est Pagius* (7), *aut anno* 696, D *ad quem in Chronico Cremifanensi, seu potius Cremifanensi ad Annales Mellicenses Auctario* (8), *scribitur* (9) : Theodo dux Wawariæ per reges Francorum efficitur ; *hunc, inquam, Theodonem, cujus ducatus cum regno Childeberti III, quod intra annos* 695 *et* 711 *continetur* (10), *omnino incidit, ipsum esse quem S. Rupertus per evangelium Christo Ecclesiæque genuit. Proin satisfit Vitæ primigeniæ S. Ruperti, quam cæteræ ejusdem Vitæ in hac re sequuntur, et quæ omnino exigit ut ducatum Theodonis a Childeberti regno non divellamus. Ait enim* (11) : Tempore Hildiberti regis Francorum, anno scilicet regni illius secundo *(vel quinto, ut habent alia apographa)*, honorabilis confessor Christi Ruodbertus in Wormacia civitate episcopus habebatur... Cumque fama sanctæ conversationis illius longe lateque crebresceret, pervenit ad notitiam cujusdam ducis Bawariæ regionis, nomine Theoto, qui supra dictum virum Dei subnixis precibus, prout potuit, lubentissime studuit rogare per missos nuntios suos, ut hanc provinciam visitando sacra illuminaret doctrina.

confirmaturque ex narratis in Vita S. Corbiniani

6 *Magis hæc illustrantur atque etiam Arnolfi Vochburgensis auctoritas roboratur ex Vita S. Corbiniani ecclesiæ Frisingensis fundatoris, composita ab Aribone Frisingensi episcopo, qui ecclesiam hanc* E *ab anno* 764 *ad annum* 782 *aut* 784 *rexit* (12), *ita ut temporis de quo agimus, suppar fuerit. Loquens nimirum Aribo de iis quæ per secundum iter suum Romanum S. Corbinianus in Bajoaria egit, ita narrat* (13) : Noricam veniens, ibi quamdiu demoratus, verbi divini seminavit doctrinam, ibique nonnullorum sacra verba penetrabant gratia Dei corda in augmentum fidei Christi. Quæ gens quoque adhuc rudis erat et nuper ad christianitatem conversa. *Postrema hæc phrasis aptissime sane ad recentem S. Ruperti prædicationem refertur ; sed sequentia audiamus, quæ adhuc luculentius rem declarant :* Eo namque tempore erat ibi devotissimus Theodo dux, insignis potentia et virilis virtute, cum filiis decorus et nobilium virorum alacritate præcipuus : cujus longe lateque fama succreverat. Provinciam ipsam sibi et suboli illius in quatuor partes divisit, earique ibi habebantur sacerdotes, sicut novitiorum mos esse compellit. *Hinc præterea videre est tetrarchiam a Theodone institutam, hoc est, eum divisum imperium cum filiis tribus habuisse, Theodoberto scilicet, quem Arnolfus supra citatus Diot-* F *pertum nuncupat, Grimoaldo ac Theodoaldo. Ac de Theodoberto quidem Aribo non loquitur, quia, ut scite observat Pagius* (14), *S. Corbinianus ad eam cui ille præerat Bajoariæ partem non venit, sed in parte quæ suberat Grimoaldo, apostolicum laborem potissimum exercuit. Ad Theodoaldum autem quod attinet, ex eodem Aribone colligitur* (15) *hunc præmatura morte, ante obitum patris Theodonis, ut videtur, fuisse extinctum : unde bene explicatur quare ab Arnolfo duo tantum Theodonis filii, Diotpertus atque Grimaldus, dicantur parenti suo successisse. Narrat demum Aribo* (16) *infelicem Grimoaldi incestuosæque conjugis Pilitrudis seu Bilitrudis, quæ vidua Theodoaldi erat, liberorumque ex iis natorum interitum ; quo effectum fuit ut solus postmodum gentis suæ ducatum obtinuerit pius princeps Hucbertus Theodoberti filius, ab Aribone item laudatus* (17).

(1) P. 498. – (2) Op. cit., p. 54. – (3) Apud Hansizium, tom. cit., p. 13 et seqq. – (4) Cfr Hansizius, tom. cit., p. 54. – (5) Ibid., p. 12. – (6) Ibid., p. 19 et seqq. – (7) Ad an. 680, n. 27, item ad an. 696, n. 6 et seqq., t. XII, p. 22, 155 et seqq. – (8) Cfr Wattenbach apud Pertz, Monum. Germ. hist., t. IX Script., p. 480, 481, 544 et 550. – (9) Ibid., p. 550. – (10) Art. de vérifier les dates, t. I, p. 548. Edit. Paris. 1783. – (11) Apud Hansizium, tom. cit., p. 35 et 37. – (12) Cfr Meichelbeck, Hist. Frising. t. I, lib. I, cap. III, § II, p. 61, et cap. IV, § XI, p. 82 ; Suyskenus, t. III Septemb., p. 261 et 262, et t. VI Septemb., p. 454. – (13) T. III Septemb., p. 285. – (14) Ad an. 702, n. 8, t. XII, p. 189. – (15) T. III Sept., p. 290. – (16) Ibid., p. 291. – (17) Ibid., p. 293.

Ad

de Theodone duce ejusque filiis.

7 *Ad jam dictam Bajoaricæ ditionis inter plures principes distributionem respexit haud dubie S. Gregorius II summus Pontifex, quando anno* 716 *Martiniano episcopo, Gregorio presbytero et Dorotheo subdiacono sanctæ Sedis Apostolicæ, euntibus in Bajoariam, illa inter cætera in mandatis dedit* (1) : Ut, consideratis locorum spatiis, juxta gubernationem uniuscujusque ducis episcopia disponatis et diœcesane subjacentia singulis sedibus terminetis. Et si tres aut quatuor vel majoris numeri visæ fuerint constitui sedes, reservato præcipuæ sedis loco pro archiepiscopo resedendo, adhibito trium episcoporum conventu, probabiles fide ac boni testimonii et eruditos sana doctrina viros ordinetis antistites, ex auctoritate Beati Petri apostoli et nostra subsequentis vigoris dispensatione locis eos traditis collocantes. *Tetrarchia hac admissa, obvium quoque evadit quod ad annum* 702 *de Ansprando Liutberti Longobardorum regis tunc tutore annotavit Hermannus Contractus* (2) *:* Ille viribus impar primo Clavennam, inde ad Theodebertum Bajoariæ ducem confugit, ibique novem annis mansit. *Quod ipsum apud Paulum diaconum legere est in hæc verba* (3) : Ansprandus fugit Cla- B vennam; deinde per Curiam Rhætorum civitatem venit ad Theudebertum Bajoariorum ducem, et fuit cum eo per novem annos. *Et interjectis aliquot capitibus, idem Paulus ait* (4) : Igitur postquam Ansprandus apud Bajoariam jam novem expletis annis exulasset, promoto tandem Theudeberto decimo anno Bajoariorum ductor exercitu venit Italiam, pugnavit cum Ariperto, et facta est ex utraque parte multa strages populorum. *Est hic nempe Theodobertus filius Theodonis ac pater Hucberti, jam anno 702 partem Bajoariæ regendam a parente adeptus. Errantque proinde Velserus* (5) *aliique scriptores* (6), *qui ex Pauli diaconi verbis colligunt Theodonem illo anno mortuum esse et Theodobertum filium ei successisse; dein ei Theodoberto successisse asserunt alium Theodonem, quem Velserus quintum et aliqui sextum vel septimum hujus nominis male numerant, prout varii varias sibi quisque fictitiorum ducum series efformarunt* (7).

item ex superstitibus sub S. Virgilio

8 *Aliud argumentum pro nostra de tempore adventus S. Ruperti ad Bajoarios sententia eruitur ex narratione quæ in Brevibus Notitiis jam supra* (*num.* 4) *citatis extat* (8) *de lite S. Virgilii Salis-* C *burgensis episcopi cum Urso presbytero circa bona ecclesiæ S. Maximiliani in Pongau, quam olim S. Rupertus ædificarat et consecrarat,* concedentibus ducibus Theodone et Theodoberto filio ejus : *quæ bona Otilo dux, nesciens* quod Theodobertus dux ipsos homines ibidem tradidit et ipsam cellam cum omni traditione sua confirmavit Sancto Ruperto episcopo ad sedem Juvavensem episcopatus sui, *dederat Urso presbytero capellano suo, nec deinde S. Virgilio ea pro jure sedis suæ repetenti reddere voluerat. Narratis autem quæ ab utraque parte in hac conversia in medium allata fuere, subdit Notitiarum auctor :* Hæc omnia Virgilius episcopus a viris valde senibus atque veracibus diligenter perquirere studuit, posterisque ad memoriam scripta dimisit. Quidam vero ex eis qui ista illi dixerunt, discipuli S. Rudberti fuerunt et juniorum ejus, quidam filioli : ex quibus erat Isinhardus vir nobilis et filiolus beati senis Chunialdi presbyteri, et Maternus; Dignolus quoque discipulus S. Rudberti, atque Joannes; alii quoque qui hæc a senioribus audierunt, hæc ita omnia narrantes. Ex quibus Dulcissimus presbyter, Othmarus frater ejus presbyter, Madelhoch presbyter, filius Madelgori cancellarii Theodonis ducis, Ruffolus presbyter, Amandus presbyter, Latinus frater ejus, Ebo presbyter, Paldo presbyter, Reynbertus presbyter, Heimo presbyter. Item Vitalis presbyter, Salemon presbyter, Benedictus diaconus, Syndonius diaconus, Joannes subdiaconus, Wolfhardus subdiaconus, Arnhalmus monachus, Germanus monachus, Tazzo monachus, Emicho monachus. Et isti laici Ugo comes, Immin comes, Heimo comes, Gerhardus judex, Sigibaldus judex, Anno, Eber, Rudloch, Salaho, Joannes, Egilolf : omnes isti nobiles et veraces viri fuerunt.

A. T.

S. Ruperti discipulis.

9 *Habemus hic* discipulos *et* filiolos *(quæ vox baptismum vel christianam puerorum eruditionem respicere videtur) tum ipsius S. Ruperti tum juniorum ejus, hosque propriis nominibus appellatos. Inter eos unus saltem Dignolus, cui fors Joannem adjungere licuerit,* discipulus S. Rudberti *expressis verbis dicitur : citatur Isinhardus* filiolus beati senis Chunialdi, *quem S. Chunialdum esse, S. Ruperti socium, de quo et S. Gisilario Suyskenus noster egit* E *ad diem* XXIV *Septembris, nemini potest esse dubium; et Isinhardo apponitur Maternus, ejus verisimiliter æqualis : præter quos Dulcissimum quoque, Othmarum ac Madelhoch cum S. Ruperto adhuc superstite per aliquot annos vixisse suspicatur Hansizius* (9). *Jam vero secundum hæc recte Pagius ita ratiocinatur* (10) *:* Virgilium autem post annum DCCXLII episcopum Salisburgensem renunciatum fuisse nullus negaverit. Quare cum Sancti Rudberti discipulos viderit et allocutus fuerit, is initio sæculi VIII, non vero initio sæculi VII Salisburgensem episcopatum fundavit, et animam Deo reddidit. *Insuper animadverti potest plerosque eorum qui S. Virgilio testes fuerunt de iis quæ ipsi a senioribus S. Ruperto coævis audierant, adhuc in vivis fuisse anno* 788, *quando Arno episcopus, ut supra* (*num.* 4) *retulimus, inquisitionem instituit circa bona ecclesiæ Salisburgensis. Sic enim ad calcem Annotationis cura Arnonis confectæ scribitur :* Ista sunt nomina monachorum : Vitalis, Amandinus presbyter, Latinus presbyter, Cuffulus (*an qui supra* Ruffolus?), Zissimo (*an pro* Dulcissimo?), Dignolus, Benedictus diaconus, Sindo diaconus, Eno (*an* Ebo?) presbyter, Baldo (*seu* Paldo), presbyter, Letzho, Kaverberi, Reginprehet (*seu* Reinbertus) F presbyter, Materninus, Arnhelm, Tazho, Emico, Germanus. Laicorum nomina ista sunt, qui per sacramentum factum ab antecessoribus suis ita se audisse testificaverunt, ut supra scriptum est : Immino comis, Cimo (*an* Eimo *sive* Heimo?) comis, Kerrad (*seu* Gerhardus) judex, Sigibald judex, Iparo, Jubianus, Eiglolf (*seu* Eber, Joannes, Egilolf), Helmuin, Ambrao, Amalger, Luiphram, Juvinam, Atto, Kislolf. *Equidem in his mihi videor nomina pene viginti deprehendere illorum virorum quos S. Virgilius in lite cum Urso presbytero interrogavit. Quid vero si Dignolus, quod nomen utrobique annotatur, unus idemque fuerit sub Arnone ac sub S. Virgilio, nempe* discipulus S. Ruperti ? *Quæ quidem res pro ea quam tuemur sententia non fuerit prorsus improbabilis; quamvis eam ut certam asseverare non ausim.*

necnon ex poeta anonymo sæculi IX.

10 *Allatis hactenus a nobis argumentis suffragantur incerti poetæ versus de Ordine comprovincia-*

lium

(1) Apud Hansizium, t. I, p. 111. — (2) Apud Pertz, op. cit., t. V. Script., p. 97. — (3) Op. cit., lib. VI, cap. XXI, p. 498. — (4) Ibid., cap. XXXV, p. 501. — (5) Rer. Boic., lib. IV, p. 131, edit. Norimb. 1682, et p. 275, edit. August. 1777. — (6) Brunner, Annal. Boic., part. I, lib. V, n. 8, col. 159, 160 et 161; et alii, de quibus vide Hansizium, p. 53, ac Falckensteinium, Hist. Bojorum, part. II, period. II, cap. I, sect. 2, p. 28 et seqq. — (7) Cfr Pagius ad an. 702, n. 9. — (8) Apud Hansizium, t. II, p. 23 et 24. — (9) Ibid., p. 55. — (10) Ad an. 696, n. 12.

A. *lium episcoporum, quos ex codice monasterii S. Emmerammi Ratisbonensis inter vetera Monumenta Mabillonius edidit* (1). *Poëtam hunc sæculo* IX *scripsisse, et quidem inter annos* 855 *et* 875, *quo temporis spatio Anno episcopus Frisingensem cathedram occupasse fertur* (2), *demonstrat ille de eodem antistite versus :*

Ecce pius sedem præsens nunc Anno gubernat.

Quemadmodum et ultimos nominat inter episcopos Salisburgenses Liuphrammum atque inter Ratisbonenses Erchanfredum, quorum hic sedit ab anno 847 *ad* 864 (3), *ille ab* 836 *ad* 859 (4). *Quinam vero intra id ipsum temporis spatium pastores ecclesiarum Pataviensis ac Sabionensis essent, videtur hic auctor non satis habuisse compertum ; quandoquidem pro eorum nominibus formulam* ill. *adhibet, prouti nos hodierno more ignota nomina per litteram* N *designamus. Quin etiam lacuna quædam in eo notatur tam circa Patavienses episcopos post Waldricum quam circa Sabionenses post Alimum ; de qua consuli possunt Hansizius* (5) *et Reschius* (6). *Canentem modo eum audiamus de episcopis Salisburgensibus :*

Dicta Juvavo fuit quondam metropolis ista,
Quam primo fundans Hrodberto rexerat almus.
B Post hunc Vitalis antistes rexit eamdem.
Ipsius inde Flobargisus qui est fultus honoris
Quartus Johannes fuerat, sedemque regendo.
Advena Virgilius statuens quam plurima quintus.
Multo plura gerens Arno super omnia sextus.
Septimus hinc successit Adalram pastor opimus,
Tempore namque suo statuens quam plurima [pulchre.
Octavus veniens Liuphrammus præsul ovilis,
Officium Domini renovans formosius æque.

Atqui certum est Joannem, qui hic quartus Salisburgensium episcopus numeratur, anno 739 *ad hanc dignitatem evectum fuisse a S. Bonifacio* (7). *Unde pronum est concludere SS. Rupertum et* Vitalem *non esse sæculo integro ab hac epocha removendos.*

cujus auctoritati neque catalogi

11 Verum quidem est, *inquit Pagius* (8), Vitæ S. Ruperti a prædicto anonymo scriptæ subjici brevem episcoporum et archiepiscoporum Salisburgensium a S. Rudberto episcopo usque ad Rudolphum archiepiscopum *(qui sedit ab anno* 1284*)* Indicem (9), cujus initium est : « Sanctus Rudbertus episcopus, Sanctus Vitalis episcopus, Ansolo- C gus abbas, Savolus abbas, Ezzius abbas, Sanctus Flobargisus episcopus, Joannes episcopus, Bertricus abbas, Sanctus Virgilius episcopus, Arno archiepiscopus, Ammilon abbas » ; et in fine hujus Catalogi hæc haberi : « In Catalogo istorum episcoporum quinque abbates continentur, qui absque pontificali ordine et dignitate regebant episcopatum Juvavensem. Hi vero sunt Ansologus, Savolus, Ezzius, Bertricus, Ammilon. » Sed auctor anonymus hujus Catalogi, qui pluribus sæculis post Rudberti ætatem vixit, vera falsis miscuit, et cum catalogos antiquiores invenisset, in quibus episcopi Salisburgenses et abbates monasterii S. Petri, ubi erat sedes episcopalis, et archiepiscopalis a tempore Arnonis primi archiepiscopi Salisburgensis, descriptos reperisset, inde perperam deduxit abbates illos mortuis episcopis ac sede vacante ecclesiam Salisburgensem rexisse : quod D falsum esse ex dicendis patebit, et poëta noster evincit, qui in re tam recenti vix errare potuit. Opusculum enim suum Ludovico Bajoariæ regi circa annum DCCCL dicavit, ut ex ejus versibus deducitur ; cui ideo fides habenda in eo quod prodit de ordine quo sederint singuli episcopi Salzburgenses, et Ratisponenses, Frisingenses, Patavienses et Sabionenses. Sed cum auctor illius Catalogi magno errore autumaret Rudbertum initio sæculi septimi in Bajoaria fuisse, videretque Vitalem et Flobargisum ab eo tempore usque ad Joannis episcopatum, cujus initium certum est, sedem Salisburgensem administrare non potuisse, vacationem illam sed is finxit, et per illam abbates ecclesiæ Salisburgensi præfuisse credidit. Quare Hundius, Cointius aliique passim qui illum Catalogum secuti sunt, magnam confusionem in nobilissimæ ecclesiæ historiam induxere, et hoc ac sequenti sæculo *(id est, sæculis* VII *et* VIII*)* omnia turbarunt.

episcopos abbatesque Salisburgenses mixtim exhibentes

12 *Nimirum scriptores Salisburgenses et alii jam ab aliquot sæculis chronotaxim suam ita constituerunt ut abbates vetustis Catalogis insertos, etiamsi in episcopos numquam fuerint consecrati, tamen episcopatum Salisburgensem rexisse perinde ac episco-* E *pos asserant, idque non brevi illo intervallo quod inter mortem unius episcopi et electionem alterius intercesserit necesse est, sed per plures etiam annos. Quum enim ipsi episcopi simul abbates fuisse dicantur, negant illi scriptores alios abbates, episcopis viventibus, monasterio S. Petri præfuisse ; sed mortuis episcopis eos successisse adstruunt non tantum in munere abbatiali, sed etiam in episcopali regimine* (10) : *quod anonymus a Pagio citatus illis verbis declarat :* Absque pontificali ordine et dignitate regebant episcopatum Juvavensem. *Alter vero anonymus, qui seriem episcoporum produxit ad Gebehardum usque, hoc est, ad annum circiter* 1074, *idem exponit his versibus* (11) *:*

Hæc loca Rudbertus sibi delegit pater almus,
Simul et hic sedem construxit pontificalem ;
Ac sedis primæ regimen susceperat ipse,
Conducens late populos ad pascua vitæ.
Qui successorem sibi fecerat esse Vitalem,
Pastorem verum cœlesti nectare plenum.
Hinc tres abbates adeunt hoc ordine sedes,
Anzologus, Savolus, post hos Ezius venerandus.
Inde Flobargisus, pastoris nomen adeptus,
Doctrinis vitæ sanctum pascebat ovile. F
Joannes post quem sedem possedit eamdem.
Virgilius exul post hunc meruit fore præsul.
Abbas Bertricus post quem stat in ordine scri-
Arn cui successit, qui fortiter omnia gessit, [ptus.
Archipotestatem qui primus habebat eamdem.
Abbas Ammilon successit episcopus illi, *etc.*

neque Historia conversionis Bajoariorum et Carantanorum

13 *Si vero altius ascendamus, occurrit auctor opusculi* Quomodo Bajoarii et Carantani facti sunt Christiani, *cujus ætas, judice Hansizio* (12), *eruitur ex ipsius verbis* (13) *:* Tempore igitur quo dato et præcepto Domini Karuli imperatoris Orientalis Pannoniæ populus a Juvavensibus cœpit regi præsulibus, usque in præsens tempus, sunt anni LXXV, *vel, ut alii codices manuscripti habent,* LXXXV (14). *Quum enim Carolus Magnus anno* 798 *curam erudiendorum Hunnorum Arnoni archiepiscopo Roma*

(1) T. IV, p. 525 vet. edit., et p. 346 nov. edit. — (2) Cfr Meichelbeck, tom. cit., lib. II, cap. III, p. 129 et seqq. — (3) Cfr Ried, Codex chronol. diplom. episc. Ratisbon., t. I, p. XIV. — (4) Cfr Hansizius, tom. cit., p. 127 et seqq. — (5) Op. cit., t. I, p. 146 et seqq. — (6) Annal. Eccl. Sabion., t. III, sæc. IX, præsertim. n. 4, 26 et 38, p. 14, 95 et 115. — (7) Cfr Baronius et Pagius ad an. 739, t. XII, p. 439, 440 et 441 ; Hansizius, op. cit., t. I, p. 122 et 123, t. II, p. 75. — (8) Ad an. 696, n. 14, tom. cit., p. 158. — (9) Apud Canisium, Antiq. Lect. edit. Basnagii, t. III, part. II, p. 430. — (10) Cfr Hundius, Metrop. Salisburg., t. I, p. 2, edit. Gewoldi; Mezger, Hist. Salisburg., lib. II, cap. VI, p. 180 et seqq.; Noviss. Chronic., p. 12, 13, 81 et seqq.; Chronic. Salisburg. apud Canisium, tom. cit., p. 478 ; item interpolationes ad Chronic. Salisburg. alterum apud Hier. Pez, Script. rer. Austriac., t. I, p. 332. — (11) Apud Hansizium, t. I, p. 66 et 67, et in Novis. Chronic., p. 167. — (12) Tom. cit., p. 34. — (13) Apud Hansizium, l. c. et p. 135; apud Kopitar, Glagol. Cloz., proleg. XXXVII, p. LXXV. — (14) Cfr Kopitar, loc. cit., not. 10.

reverlenti

A *revertenti per nuntium obviam missum demandarit* (1), *consequens est opusculum hoc vel anno* 873 *vel decennio post fuisse exaratum, ejusque proinde ætatem haud multum distare ab illa poëtæ anonymi a Mabillonio vulgati. Porro inibi illa leguntur* (2) : Igitur post excessum beatissimi Rudberti pontificis vir charus omni populo egregiusque doctor et seminator verbi Dei Vitalis episcopus sedem Juvavensem regendam suscepit. Post cujus transitum Anzologus extitit abbas. Post cujus depositionem prædictæ sedi adhæsit Savolus abbas. Cujus vitæ finito cursu, Ezius abbas successit. Quo migrante de sæculo, iterato illa sedes honorata refulsit episcopo Flobargiso. Post quem Joannes pastoralem gessit in sede præfata curam. *Verum a Joanne transitus fit ad Virgilium, dehinc ad Arnonem, tum ad Adalramum, omissis abbatibus Bertrico et Ammilone, quorum ille secundum alios scriptores jam allegatos inter Joannem et Virgilium aut inter Virgilium et Arnonem, Ammilon vero inter Arnonem et Adalramum collocandi forent. Laudato igitur opusculo labefactatur quidem Salisburgensis traditio circa Bertricum et Ammilonem; at quantum ad tres priores abbates Anzologum, Savolum et Ezium attinet*, B *habent ibi traditionis hujus patroni quo causam suam adversus poëtæ anonymi non multo antiquioris auctoritatem tueri posse videantur. Quamobrem jam antea cavi ne istius poëtæ versibus tamquam argumento peremptorio uterer, satisque habui affirmare cæteris a me adductis testimoniis; quibus rem satis jam confectam arbitror, ex iis versibus fulcimen aliquod accedere.*

quidquam detrahunt.

14 *Atque id quidem hactenus. Re vero penitius inspecta, patebit rationem non deesse asseverantius pronuntiandi eam quam impugno opinionem Historia illa conversionis Bajoariorum ac Carantanorum parum aut nihil juvari. Ut enim auctor illius Historiæ ea quæ a S. Virgilio et quatuor subsecutis episcopis Salisburgensibus, præsertim pro convertendis Carantanis aliisque populis, gesta fuere, optime noverat, ita e contrario vix quidquam satis compertum videtur habuisse de iis quæ in ecclesia Salisburgensi contigerant ab obitu S. Ruperti ad episcopatum usque S. Virgilii, sed tantummodo præ oculis habuisse Catalogum aliquem episcoporum et abbatum, ex quo ea quæ supra jam descripsi, adornarit, ratus singulos singulis a morte successisse eo ordine quo nomina eorum se mutuo excipiebant. Ejusmodi Catalogum jam supra a Pagio indicatum habemus*, C *quem Novissimi Chronici scriptores* (3) *arbitrantur primitus absolutum fuisse anno* 1186 *sub S. Eberhardo archiepiscopo, deinde circa annum* 1288 *verbotenus transcriptum, ita tamen ut nomina antistitum suppleta fuerint usque ad Rudolphum, qui anno* 1288 *sedebat. Alium Catalogum iidem scriptores suppeditant* (4), *deductum a S. Ruperto usque ad Hartwicum, cui et temporis nota adscripta est hisce versibus :*

Quarto et milleno scriptus manet hic liber anno :
Hartwic præsul erat, Tito tunc temporis abbas.

Titulus est : Ordo episcoporum abbatumque Juvavensis ecclesiæ ; *initium vero :* Ruodpertus eps. et abbas, Vitalis eps. et abbas, Anzologus abb., Savolus abb., Izzio abbas, Flobrigis eps. et abb., Joannes eps. et abb., Virgilius eps. et abb., Beretricus abb., Arn archieps. et abb., Ammiloni abb., Adalrami archieps., *et ita porro cæteris archiepiscopis titulus* abbatis *non adscribitur, quamvis omnes, præter ultimum Hartwicum, vere abbates fuerint : quippe id munus a se abdicavit anno* 987 *atque abbatem Titonem instituit undecimus archiepiscopus Fredericus* (5) ; *prout circa idem tempus S. Wolfgangus episcopus Ratisbonensis, ab eodem Frederico consecratus, nomen et jus abbatis S. Emmerammi transtulerat in Ramuoldum patruelem suum* (6). *Est igitur inter hunc Catalogum et illum de quo loquitur Pagius, hoc imprimis discrimen, quod hic episcopi usque ad Adalramum simul vocantur abbates, illic contra nullus episcopus vocatur abbas præter unum Adalramum, cujus nomini adscribitur* Abbas archieps., *ut in Novissimo Chronico jam citato videri potest, ubi Catalogus cujus initium Pagius retulit, extat ad Fredericum usque deductus* (7). *Alterum discrimen est quod in antiquiori Catalogo Bertricus Virgilio postponitur, cui contra præit in recentiori. Verum de iis Catalogis, qui post Historiam conversionis Bajoariorum et Carantanorum exarati fuere, hæc dicta satis sunto.*

A. T.

Imo vetustissimus catalogus.

15 *Agendum restat de alio id genus documento, quod propter suam antiquitatem Meichelbeckius auro ac topazio pretiosius esse semel iterumque nec immerito pronuntiavit* (8). *Scribi nimirum cœpit sæculo adhuc labente octavo, archiepiscopo Arnone, qui* E *primus ei ut in vivis agens inscriptus fuit. Aliqua ex eo publici juris fecit Bernardus Pezius in Dissertatione isagogica in primum tomum Thesauri Anecdotorum, ubi Necrologium illud vocat* (9) ; *alia inde ediderunt in suo Novissimo Chronico Benedictini Salisburgenses, qui codicem quo id continetur, appellare solent codicem* M. *aut* Ms. M. (10). *Quod autem in designandis paginis hi cum Pezio non conveniant, id unice pendet a diversa utrinque ratione paginas computandi, satisque aliunde patet ab utrisque de uno eodemque codice sermonem institui. Itaque cujusmodi sit vetustior adeoque potior hujus codicis pars, paucis modo describam.*

quem sæculo VIII excunte

16 *Principio ibi comparet* Ordo patriarcharum seu prophetarum Testamenti veteris. *Dein* Ordo apostolorum, martyrum et confessorum. *Tum sequitur* Ordo episcoporum vel abbatum vivorum, *in quo notantur* Arn archiepiscopus, Rachto vocatus episcopus, Hildibertus diaconus, Bertricus abbas, Ammiloni abbas...., Adalhram archiepiscopus, *etc. Subjicitur* Ordo monachorum vivorum, *ubi plures inveniuntur ex iis qui S. Virgilio testes fuerant in lite cum Urso presbytero, ac postmodum Arnoni Annotationem suam conscribenti, ut supra* F *(n. 8 et 9) retuli : nimirum* Heimo presbyter monachus, Arnhelm m., Paldo pr. m., Joannes subd. m., Cuffulus pr. m., Sindo diac. m., Lezzio m., Ævo pr. m. *(dictus alibi* Ebo), Latinus pr. m., Salomon pr. m.; *tum etiam* Augustinus pr. m., Qatto pr. m. *(sive* Wato), Erchanprecht pr. m., Majoranus pr. m., Caozhari pr. m., *quos omnes a S. Virgilio ad Carantanos variis temporibus missos fuisse in Historia conversionis jam sæpius laudata legitur* (11). *Atque hæc quidem nomina ex plurimis illi Ordini monachorum vivorum inscriptis ideo potissimum selegi, quia, quum aliunde nota sint, ætatem hujus codicis egregie contestantur. Post hæc ibi collocatur* Congregatio S. Amandi : Arnus episcopus, Sicchariuз episcopus, Willihari episcopus *etc. Videtur deinde sequi* Ordo regum vivorum cum conjugibus et liberis, *ubi primi ponuntur* Charlus rex, Pipinus, Engilulphus, Charlus *etc., fœminæque* Fastraat, Hrodrud, Judith *etc., nec non* Ordo ducum vivorum

(1) Apud Hansizium, p. 108.—(2) Ibid., p. 66.—(3) Introduct., n. 7, p. 6. — (4) Pag 167. — (5) Cfr Hansizius, tom. cit., p. 162. — (6) Cfr Mausol. S. Emmerami, cap. XIII, p. 43 et 44, edit. 1672; Mabillon. Annal. Bened., t. III, lib. XLVIII, n. 8, p. 585.—(7) Pag. 168.—(8) Hist. Frising, t. I, dissert. proleg. II. p. XI, et Epistola ad Placidum abb. Salisburg., citata in Noviss. Chron., p. 177.—(9) Part. 1, n. 11, p. V et VI. —(10) Pag. 173 et seqq. — (11) Apud Hansizium, p. 89 et 92 ; apud Kopitar, p. LXXII et LXXIII.

cum

A. T. cum conjugibus et liberis, *cui primi inscripti sunt* Thassilo *et* Deoto, *pater nempe ac filius, quos Carolus Magnus cucullum induere compulit* (1). *Missis cæteris vivorum catalogis, puta episcoporum, abbatu..., clericorum, sanctimonialium, etc., devenimus ad Necrologium proprie dictum, quod pariter in plures partes dividitur. Harum prima est* Ordo episcoporum vel abbatum defunctorum, *sequenti serie scriptus, quam hic accurate repræsentare juverit sicuti a Pezio exhibetur :*

Hrodperhtus episcopus et abbas.
Anzologus abbas.
Vitalis episcopus et abbas.
Savolus abbas.
Izzio abbas.
Cundperht episcopus. Flobrigis episcopus et abbas.
Jahannis episcopus et abbas.
Virgilius episcopus.
Albinus abbas.
Hrgbaldus episcopus.
Arn archiepiscopus.
Hahfrid episcopus, *etc.*

Circa quæ nomina Pezius observat, id quod forsitan sequenti parti Necrologii etiam applicari queat, B *ea* non unorum ecclesiæ Salzburgensis episcoporum vel abbatum *esse*, sed aliorum etiam, qui pio fœdere prioribus conjuncti fuerant : *prouti, exempli causa, de celeberrimo Flacco Alcuino obtinet, qui hic nominatur* Albinus abbas, *cui arctissima fuit cum Arnone Salisburgensi præsule amicitia, ita ut hunc* fratrem *sæpius, nonnumquam et* germanum *suum appellaret, unde a nonnullis scriptoribus existimatum fuit ambos sanguine germanos fratres fuisse ; atque id Alcuini studium erga Arnonem seu Aquilam suum (sic enim teutonicum nomen latine vertebat) etiam in monachos Salisburgenses redundabat, uti liquet ex datis ad eos litteris* (2).

scribi cœptum fuisse

17 *Secunda Necrologii pars est* Ordo monachorum defunctorum. *In hoc Ordine primi sunt* Kislarius pr. et m. *ac* Kunialdus pr. et m., *quorum monachatus, de quo Suyskenus noster dubitabat* (3), *hinc certus evadit. Proximi subnotantur* Gawinus pr. et m. *ac* Iduinus pr. et m., *circa quos in Annalibus Salisburgensibus* (4) *hæc ad annum* 784 *habentur :* Elevati sunt Gavinius et Idwinus, *quæ videntur cultum aliquem sacrum innuere. Ex cæterorum longa serie nonnullos tantummodo deligam, ex Annotatione Arnonis, ex Brevibus Notitiis* C *donationum atque ex Historia conversionis Bajoariorum et Carantanorum notos : quales sunt* Ursus pr. m., Benedictus diac. m., Sindo diac. m., Vitalis pr. m., Warman pr. m., Akihart diac. m., Hemo pr., Madalhoh pr. m., Amicho m., Germanus m., Leczio m., Cuffulo pr. m., Arnhelm m., Latinus pr. m , Tazzo m., Kerhari m *etc. Postmodum occurrit* Ordo regum defunctorum cum conjugibus et liberis, *in quo recensentur* Charlus, Crifo, Pipinus, Charlmanus *etc. inter viros, et inter fœminas* Suanhilt, Perthrocda, Hiltegard, Hrodrud *etc. Tum* Ordo ducum defunctorum cum conjugibus et liberis, *a quo prorsus absunt ii quos merito Pagius fictitios duces vocat, sed primi memorantur* Theoto, Theoperht, Crimolt *ac* Theotolt, *tetrarchæ illi de quibus antea disseruimus (num.* 6 *et* 7) ; *iisque subduntur* Thassilo, Crimolt, Huiperht, Otilo : *muliebrem vero seriem inchoant* Folchaid *et* Elinhast, *nescio an uxores Theotonis ac Theodoberti, nec non* Pilitruth, *quam Theodoaldi conjugem prius fuisse, deinde incestas nuptias cum Grimoaldo iniisse, ex Vita* D *S. Corbiniani discimus. Ordinem defunctorum ducum sequitur promiscuus* Ordo episcoporum et abbatum defunctorum, *extraneorum videlicet, cujusmodi sunt* Heimeramus eps., *Ratisbonensium apostolus,* Gurbinianus eps., *apostolus Frisingensium*, Agnellus eps. *Sabionensis*, Vivolus eps. *Pataviensis,* Ermperhtus eps. *Frisingensis, S. Corbiniani frater,* Beatus eps. *Pataviensis,* Gawipaldus eps. *Ratisbonensis,* Wilipald eps. *Eichstetensis, ut mittam reliquos.* Hos catalogos sequitur, *aiunt Benedictini Salisburgenses* (5), quasi sine numero longissimus ordo sacerdotum et diaconorum, pulsantium, sanctimonialium, virorum laicorum atque mulierum, et in fine denique additur collecta pro defunctis, *quam iidem auctores integram exscripsere.*

18 *Hisce consideratis, nemo, credo, erit qui Hansizio non assentiatur hæc circa antiquum illud opus animadvertenti* (6) : Recensio vivorum non est accipienda sic ut qui sunt ibi conscripti, vixisse putentur omnes eodem tempore ; sic enim haud dubie Adalrammus archiepiscopus cum Arnone conjungi non posset : sed ita potius ut in vivis fuerint singuli tunc dum inscribebantur. Verbo, E inscripti sunt vivi, non uno tempore, sed succedaneo : sicut Ordo defunctorum non probat eos qui sunt inscripti, simul eodemque fuisse tempore mortuos, sed hoc solum, fuisse, dum inscribebantur, in mortuis. Solebant enim id genus catalogi non eodem tempore, nec una manu, sed adjectis per vices aliis ad alia nominibus, prout quæque se offerebant, conscribi. *Quæ quum ita sint, atque adeo de tempore ac ratione qua catalogi illi confici cœperunt, apprime constet ; quumque de rebus quæ in ecclesia Salisburgensi a decessu S. Ruperti usque ad S. Virgilii episcopatum contigerunt, nihil fere memoriæ posteritatis traditum reperiatur præter mera episcoporum atque abbatum nomina, ita ut recentior aliquis chronographus Salisburgensis queribundus fateri cogatur* (7) : De successoribus Beati Vitalis usque ad tempora Beati Virgilii propter simplicitatem vel incuriam scriptorum tempora non sunt distincta : *hisce igitur de causis equidem sic existimo, uti jam antea dixi, auctori opusculi de conversione Bajoariorum et Carantanorum nullum probabile monumentum suppetivisse unde certior factus fuerit a S. Ruperto ad Joannem episcopos et abbates promiscue sibi mutuo a morte successisse in* F *regenda Salisburgensi ecclesia ; verum hoc ab eo perperam fuisse deductum ex Necrologio, in quod nomina eorum ex ordine relata esse conspexerit. Quod si quis mihi objiciat S.* Vitalem *ab auctore hoc præmitti Anzologo abbati, secus ac fit in Necrologio; fateor equidem verum id esse, sed simul causam inversi ab eo ordinis assignare posse mihi videor : quia nimirum apprime ei constaret, quam rem omnes S. Ruperti Vitæ perhibent nec quispiam in dubium umquam vocavit, S.* Vitalem *ab ipso S. Ruperto successorem designatum fuisse.*

ipse contextus manifesto prodit,

19 *Nunc ut ex ipso in quo versamur adjuncto ulterius progrediar, quæro ecquis, dum Anzologum ante S.* Vitalem *Necrologio insertum cernit, non statim in animum inducat, aut saltem vehementer suspicetur, illum fuisse huic præmortuum, ac per consequens non potuisse succedere. Contra hanc consequentiam video opponi posse ac revera opponi* (8) *vitio amanuensis ordinem esse perturbatum,*

arguit abbates non episcopatui Salisburgensi, deficientibus episcopis,

(1) Cfr Bouquet, oper. cit., t. V, ind. chronol., p. LXI. — (2) Cfr Hansizius, p. 100, 102 et 103. — (3) T. VI Septemb., p. 712. — (4) Apud Hier Pez, Script. rerum Austriac., t. I, p. 333 ; apud Pertz, Monum. Germ. hist., t. IX Script., p. 769.—(5) Noviss. Chron., p. 177. — (6) In Reflexionibus ad calcem tom. II German. Sacr., n. 182, p. 1005. — (7) Apud Canisium, tom. cit., 478. — (8) Apud Hansizium, Observat. cœnobitæ Petrensis in tom. II Germ. Sacr., § III, n. 150, p. 989.

quemadmodum

A *quemadmodum simili sphalmate, ultro concedente Hansizio* (1), *in Necrologio ducum Tassilo dux præpositus fuerit Odiloni patri. At certumne et exploratum omnino est Tassilone n qui proxime post tetrarchas Necrologio inscriptus conspicitur, esse Odilonis filium? Quum enim una cum ducibus conjuges et filii eorum inibi commemorentur, et post Tassilonem ponatur Crimolt seu Grimoaldus, a Grimoaldo tetrarcha haud dubie diversus; num adeo absurdum fuerit conjicere nos ambos fuisse unius aut duorum tetrarcharum filios, ante Hucbertum, qui solus demum Bajoarios rexit, extinctos? Verum esto lapsus sit amanuensis circa ducum successionem, tamen haud ignorasse credendus est S.* Vitalem *absque medio successisse S. Ruperto in episcopatu. Quare non possum quin in illam sententiam valde propendeam qua statuatur Anzologum jam fuisse abbatem sub S. Ruperto, atque ita porro Savolum et Ezium munere abbatiali fuisse functos sub S.* Vitali *et fortasse etiam sub Flobargiso episcopis: quod quidem cum nostra chronotaxi multis antea argumentis stabilita optime convenit, qua inter obitum S. Ruperti et initium episcopatus Joannis per S. Bonifacium anno* 739 *ordinati vix ac ne vix* B *quidem viginti annorum reliquitur intervallum, cui explendo duo aut stites S.* Vitalis *et Flobargisus abunde sufficere poterant* (2).

sed monasterio sub episcopis præfuisse:

20 *Ne autem hæc res temere videatur asserta, facit exemplum Bertrici abbatis, qui in* Ordine episcoporum vel abbatum vivorum *(de quo supra, num.* 16) *quartum ab Arnone archiepiscopo locum obtinet; unde concludit Hansizius* (3): Post inscriptum Arnonem archiepiscopum in illo vivorum Ordine, fuit in vivis Bertricus abbas, ut et ipse potuerit inscribi; *imo vero* (4) manifestum fit anno 798, quo Arno dignitate archiepiscopali ornatus est, in vivis etiam Bertricum fuisse, atque adeo numquam occupasse locum episcopi, nisi velis eum dignitate, quod in mentem nemini venit, excidisse. Quo et facit, *inquit idem* (5), alter catalogus, nempe Ordo defunctorum, in quo cum omnes cæteri decessores Arnonis adscripti sint, nullus tamen nominatur *(nempe ante Arnonem)* Bertricus, qui tamen prætenditur esse præcessor Arnonis proximus: quem quis credat per incuriam omissum? Quid verisimilius quam ante Arnonem non esse defunctum? Dato igitur fuisse Bertricum abbatem jam sub Virgilio *(nempe sex* C *ultimis S. Virgilii annis, ut quidam asserunt)*, tamen ea quæ diximus, probant continuasse nomen et officium abbatis etiam deinde sub Arnone jam archiepiscopo. Ubi jam non superest locus effugii, quin saltem Bertricus abbas admittatur fuisse, quod ante disputatum est, abbas secundarius sub Arnone primario, vel saltem suffectus: ac ratio conformitatis suadebit id ipsum quoque credi de Amilonio; ac sane probabilius etiam de tribus illis prioribus, *Anzologo, Savolo et Ezio. Verumtamen concedi forsitan queat, quod Hansizius quoque innuit* (6), *mortuo episcopo, curam sedis vicariam aliquantisper penes abbatem fuisse, quoad scilicet alius eligeretur episcopus; prouti circa sedem Lugdunensem vacantem olim abbatibus Insulæ Barbaræ concessum fuisse apud Mabillonium videre est* (7).

21 *Neque enimvero insolens existimetur, quod cum Hansizio adstruxi, sub episcopis abbatibus præsedisse monasterio S. Petri Salisburgensi abbates alios, quos secundos sive secundarios non male dixeris. Nam quum in aliis monasteriis, ut Mabillonius pluries in Annalibus* (8) *et Hansizius in Reflexionibus* (9) *demonstrant, nonnumquam contingebat ut abbati adesset alter abbas conjunctus aut subordinatus, tum idem quandoque fiebat in monasteriis cathedralibus quibus ipsi episcopi ut abbates præerant, idque eo potiori de causa quod episcopi regendis populis aut etiam convertendis satis essent distenti. Certe pro Anglia, ubi plures ecclesiæ cathedrales a monachis possidebantur* (10), *habemus luculenta Venerabilis Bedæ testimonia. Sic in Vita S. Cuthberti, postquam alicubi episcopi Lindisfarnensis, ac deinde monasterii et abbatis Lindisfarnensis mentionem fecerat, lectorem his verbis admonet* (11): Neque aliquis miretur quod in eadem insula Lindisfarnea, cum permodica sit, et supra episcopi, et nunc abbatis et monachorum locum esse dixerimus: revera enim ita est. Namque una eamdemque servorum Dei habitatio utrosque simul tenet, imo omnes monachos tenet. Aidanus quippe, qui primus ejusdem loci episcopus fuit, monachus erat et monachicam cum suis omnibus vitam E semper agere solebat: unde ab illo omnes loci ipsius antistites usque hodie sic episcopale exercent officium, ut, regente monasterium abbate, quem ipsi cum consilio fratrum elegerint, omnes presbyteri, diaconi, cantores, lectores cæterique gradus ecclesiastici monachicam per omnia cum ipso episcopo regulam servent. *Idem brevius in Historia sua ecclesiastica sic exprimit* (12): A temporibus antiquis ibidem et episcopus cum clero et abbas solebat manere cum monachis; qui tamen et ipsi ad curam episcopi familiariter pertinerent: quia nimirum Aidanus, qui primus ejus loci episcopus fuit, cum monachis illuc et ipse monachus adveniens, monachicam in eo conversationem instituit: quomodo et prius Beatus Pater Augustinus in Cantia fecisse noscitur. *Præterea hujusmodi abbates episcopis Lindisfarnensibus adjuncti nominibus etiam suis designantur: sicut inter alios apud laudatum Sanctum Bedam* (13) Herefridus presbyter et abbas quondam monasterii Lindisfarnensis, *necnon* (14) Guthfridus venerabilis Christi famulus et presbyter, qui etiam postea fratribus ejusdem ecclesiæ Lindisfarnensis, in qua educatus est, abbatis jure præfuit; *et apud posteriores historiographos is qui sæculo* IX *media sui parte elapso monachis Lindisfarnensibus* sub episcopo præerat F Eadredus abbas, miræ apud Deum sanctitatis nec exiguæ nobilitatis apud homines, *ut Mabillonius loquitur* (15), *qui et mox subjicit:* Hinc confirmatur id quod alias diximus, in cathedralibus monachorum apud Anglos ecclesiis præter episcopum exstitisse quandoque abbatem, qui monachis sub episcopo præesset (16). *Quo pariter pertinet quod Venerabilis Beda de ratione multiplicandorum apte episcopatuum, quorum numerum augeri necesse judicabat, S. Egberto Eboracensi antistiti consulit* (17): Prospiciatur locus aliquis monasteriorum, ubi sedes episcopalis fiat. Et ne forte abbas vel monachi huic decreto contraire ac resistere tentaverint, detur illis licentia ut de suis ipsi eligant eum qui episcopus ordinetur, et adjacentium loco-

A. T. prout alibi quoque, nominatim in Angli

(1) Tom cit., p. 70.— (2) Cfr Hansizius, p. 1004 et 1005.— (3) P. 1005. — (4) P. 100 — (5) P. 1005 et 1006. — (6) P. 1006. — (7) Annal. Bened., t. II, lib xxvi, n. 74, p. 312 et 313. — (8) T. II, lib. xxxii, n. 73, p. 601; t. III, lib. xxxix, n. 63, p. 261; lib. xlii, n. 85, p. 358; lib. xlvii, n. 12, p. 641.—(9) P. 1003 et 1004. — (10) Cfr Reyneri Apostolatus Benedict. in Anglia, tract. i, sect. i, § xvii, p. 77 et seqq. Mabillon Annal. Bened. t. II, lib. xxi, n. 5, p. 81. — (11) T. III Martii, p. 105; et Oper. Ven. Bedæ, t. IV, p. 256 et 258, edit. Giles. — (12) Lib. iv, cap. xxvii, Oper. t. III, p. 136. — (13) T. III Martii, p. 101; et Oper. t. IV, p. 232. — (14) Hist. eccles., lib. v, cap. 1. Oper., t. III, p. 158.—(15) Annal. Bened., t. III, lib. xxxiv, n. 84, p. 37. — (16) Cfr t. I, lib. x, n. 11 et seqq., t. II, lib. xx, n. 22, p. 47; lib. xxi, n. 27, p. 90; l. xxxiii, p. 246 et seqq.; n. 76, p. 638 et 639. — (17) Oper., t. I, p. 122 et 124.

rum

A. T.

rum, quotquot ad eamdem diœcesim pertineant, una cum ipso monasterio curam gerat episcopalem.

ac Ratisbonæ, aliquando obtinuit.

22 *Quin imo ex ipsa Bajoaria atque adeo ecclesiæ Salisburgensis vicinia exemplum petit Hansizius* : Quæ res ut indubitalissima sit, *inquiens* (1), en exemplum in promptu ex ecclesia Ratisbonensi et monasterio S. Emmeramni, quod unum erat e monasteriis cathedralibus a tempore Gaubaldi episcopi, per S. Bonifacium instituti. Illic erat CONSUETUDO PRISCA, teste Arnolfo ejusdem loci præposito (2), UT QUI ANTISTITES, IIDEM ESSENT ET ABBATES, idque non tantum eatenus quoad sedes episcopalis apud S. Emmeramnum manebat (quod fuit usque ad Carolum Magnum), sed etiam deinceps ad usque S. Wolfgangum, qui abbatis officium et nomen abdicavit. Hoc ita cum esset, tamen præter abbates episcopos erant alii qui vulgo PRÆPOSITI nuncupati, CUM DECANIS MONASTERIUM REGEBANT POST EPISCOPUM, ut itidem scribit Arnolfus, et iidem abbates appellabantur. Consulatur abbatum Santabbates appellabantur. Consulatur abbatum Sant-Emmerammensium catalogus, qui ad ipsum illud sæculum octavum, quo Gaubaldus et ejus successores episcopi simul et abbates erant, tamen sub abbatum et ipsi nominibus recensentur (3) : Sandradus, Alaboldus, Babo, Richobaldus, qui erat B abbas sub Adalwino episcopo, abbatemque se vocat in traditione quam fecit anno DCCCXIV, quæ in codice legitur Anamoti sub num. LXVII et LXX (4). Sub Adalwini successore Baturico, qui itidem episcopus simul et abbas erat, attamen erat alter abbas Sigefredus, cujus ampla donatio visitur in Cod. Traditionum Ratisbon., ubi Sigefredus ipse sic loquitur (5) : « Ego indignus servus servorum Dei » abbas Sigefredus trado ad S. Emmerammum, » ubi venerabilis vir Baturicus abbas et episcopus » præsens rector esse videtur » etc. ; et infra : « Placuit etiam mihi una cum venerabili viro » episcopo et abbate loci ejusdem... » Legitur item in eodem Codice commutatio facta inter Baturicum et Sigismundum abbatem anno DCCCXXVIII (6), item alia inter Apollonium abbatem et Erchenfridum diaconum anno DCCCLXVI (7). Ex quibus omnibus sane manifestum est in monasterio cathedrali S. Emmeramni fuisse præter abbatem episcopum alium abbatem domesticum, monasterii curatorem : illum quidem habitum abbatem primarium, hunc vero illius vicarium, ut loquitur Mabillonius (8). *Assignat idem Hansizius aliam quoque* C *hac ipsa in re analogiam inter Salisburgensem ecclesiam et Ratisbonensem, dum quæstionem sibi proponit et solvit hunc in modum* (9) : Quid primo dumtaxat ecclesiæ Salisbrgensis sæculo et quod excurrit, inveniantur abbates quidam ab episcopis distincti, non item sæculo sequenti et deinceps usque ad Titonem, in quem Fredericus I archiepiscopus monasterii curam plene transtulit? Perfacilis est responsio : nam idem ipsum usuvenit in ecclesia Ratisbonensi, in qua post Apollonium abbatem, qui nominatur in charta quadam ad annum 866, per sæculum et amplius ad Ramvoldum usque nulli nominantur abbates ab episcopis distincti, vel quod episcopi nomen abbatis cum vicariis partiri nollent, vel quod annotati non sint. *Imo abbates hosce, si extitissent, annotatos non fuisse, haud facile crediderim ; sed putem ab illis temporibus eos qui dictis monasteriis sub episcopis præerant, tantum* præpositos *aut* priores, *non autem* abbates, *audivisse ; quod etiam circa cathedralia apud Anglos monasteria observari potest.* D

Frustra objiciuntur Acta S. Trutperti.

22 *Itaque, ut satis longam disputationem tandem claudamus, omnino stare arbitror illam conclusionem, Salisburgensis ecclesiæ initia a S. Ruperto posita fuisse ineunte sæculo octavo. Nec jam opus mihi erit discutere argumentum quo ex Actis S. Trutperti Martyris, a se in codice Zwifaltensi repertis, Hansizianam sententiam, quæ nostra est, impetere conatus fuit Bernardus Pezius* (10). *Pauca de eo dixisse suffecerit. Ac primum quidem verba illa quæ in codice Zwifaltensi leguntur :* Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo septimo, sub Beato Bonifacio tertio, regnante Foca imperatore, *nil aliud esse quam interpolationem, eaque adeo prorsus abesse a codicibus San-Gallensi, Basileensi atque Argentoratensi ; ut proinde ad tempus martyrii S. Trutperti determinandum nihil conferant. Deinde credi non posse, quod Actis illis asseritur, SS. Rupertum ac Trutpertum ex Hibernia fuisse insula ortos ; quum nomine eorum plane sint teutonica, quantumvis nitatur Pezius ea hibernicæ linguæ asserere* (11), *a qua aliena esse pronuntiat recens scriptor Hibernus Joannes Lanigan, qui tum hac tum aliis* E *de causis hos Sanctos patriæ suæ abjudicat* (12). *Accedit doctos viros in varias abire sententias, utrum S. Rupertus ac S. Trutpertus reapse fratres fuerint necne, etsi dissertissime id affirmat illorum Actorum scriptor. Quod si certissima etiam foret hæc fraternitas, ne tum quidem nostra demonstratio de S. Ruperti ætate nutaret, imo vero ex ipsa lumen petendum foret ad ætatem S. Trutperti atque Otperti viri nobilis, qui eum in Brisgoviam venientem recepit, tandem aliquando agnoscendam : quoniam adhuc sub judice lis est utrum Rampertus, qui basilicam S. Trutperti instauravit ibique corpus ejus honorificentius extollendum curavit, sive anno 815 aut 816, sive anno 835 (nam dubium adhuc est tempus), prædicti Otperti nepos an vero abnepos vel pronepos fuerit ; quippe quum varia sit hac in parte variorum codicum lectio. Atque hæc ego breviter : de quibus si quis ampliora videre desideret, ea suppeditabunt præter Henschenium nostrum* (13) *Bernardus Pezius jam citatus, Joannes Michael Lorenzius Actorum S. Trutperti ex Codice Argentinensi editor, Marquardus Herrgott* (14), *Martinus Gerbertus* (15), *Trutpertus Neugart* (16). F

§ Quo circiter anno S. Vitalis S. Ruperto in episcopatu Salisburgensi successerit.

Ex die obitus S. Ruperti,

P*roxime investigandum venit, quod cum superiori disputatione connexum esse patet, quo anno aut saltem circa quem annum S.* Vitalis *noster ecclesiam Salisburgensem ut præcipuus in ea sacrorum antistes regendam susceperit, seu quandonam S. Rupertus, cui illum proxime successisse constat, ad superos abierit. Atque hoc loco possem equidem ea quæ a patronis sententiæ quam hactenus refelli, circa annum emortualem S. Ruperti in medium allata* fuere,

(1) P. 1004. — (2) Lib. II de Mirac. S. Emmeramni, apud Canisium, t. III, part. II, p. 123, edit. Basnag. — (3) Cfr Holmanni Hist. Episc. Ratisb. apud Œfelium, Rer. Boic. Script. t. I, p. 547, 548 et 549 ; Hundius Metrop. Salisb., t. II, p. 256 ; Mausol. S. Emmerammi, c. XXVI et seqq., p. 69 et seqq., edit. 1672. — (4) Apud Bern. Pez. Thes. Anecdot., t. I, part. III, col. 240 et seqq. — (5) Ibid., col. 8 et seqq. — (6) Ibid., col. 209 et 210. — (7) Ibid. 249 et 250. — (8) Annal. Bened., t. II, l. XXIX, n. 4, p. 428. — (9) P. 1007. — (10) Epist. ad Hansizium, edit. Viennæ 1731. — (11) P. 5 et seqq. — (12) Ecclesiastical history of Ireland, t. III, cap. XIX, § VI, not. 65, p. 162, 163 et 164. — (13) Act. SS. Aprilis, t. III, p. 424 et seqq. — (14) Geneal. diplom. Habsburg., t. I, proleg. II, p. XV et seqq. ; lib. II, cap. XII et XIII, p. 170 et seqq., et Act. S. Trutperti, p. 282 et seqq. — (15) Hist. Nigr. Silv., t. I, lib. III, n. 10 et seqq., p. 47 et seqq. — (16) Episcopat. Constant., sæc. VII, n. 20 et seqq., p. 42 et seqq.

A *fuere, prorsus omittere, utpote jam omnino pro refutatis habenda. Quia tamen eorum expositio ac discussio aliquid affert ad nostram sententiam firmius stabiliendam, præterquam quod ita totius controversiæ antea institutæ et deinceps quoque instituendæ status conspectui lectorum nostrorum clarius subjicietur, ideo haud abs re fore duxi si ea etiam huc adducerem. Hoc vero postquam præstitero, narrantis potius more quam disputandis, exinde confligendum erit cum iis scriptoribus quorum chronotaxim hucusque secutus fui, uno excepto Hansizio, cui a cæteris de anno obitus S. Ruperti tandem dissentienti, prout jam dudum monui (num. 1), omnino adhærendum mihi esse arbitror.*

xxvii Martii, quem diem Paschalis fuisse autumabant.

25 *Ut dies quo ex hoc mundo S. Rupertus discessit, nulla umquam fuit oblivione deletus, sed omni tempore fixum ratumque apud omnes fuit hunc esse diem* vi *Kalendas Aprilis, qui et dies Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi audit; ita anni quo obitus ejusdem Sancti contigit, memoria paulatim fuit temporis decursu, quoc eum annotare coævi neglexissent, apud Salisburgenses oblitterata : ut adeo sæculo* xii, *quum notitia ejusdem anni desideraretur, ad eam conjectura quadam eniti necesse fuerit. Testem hujus rei habemus scriptorem, cujus lucubrationem Hansizius se in codice Ms. Bibliothecæ Cæsareæ reperisse ait* (1), *et cujus hæc sunt verba, ab eodem Hansizio* (2) *allegata :* Numerum annorum a transitu S. Rudberti, pro quo interrogastis, diffinite scriptum non reperimus. Conjectura tamen potest fieri ex consideratione temporum in quibus fuisse legitur. De temporibus ejus legitur sic : » Temporibus igitur Hildiberti regis Francorum, » anno scilicet regni ejus secundo, venerabilis » confessor Christi Rudbertus in Wormacia epi- » scopus habebatur. » De die obitus ejus, qui in vi Kal. Aprilis celebratur, sic legitur : » Die orto » Resurrectionis Christi Missarum solemnia lætus » persolvit, et munitus Dominici Corporis Sacra- » mento inter verba fratres confirmantia exuit » hominem. » Et alibi : « Sic suum contigit Phase » sacro Paschæ tempore. » Inventa autem tempora regis invenire docent tempora episcopi. Temporibus igitur Justini junioris et Tiberii Constantini et Mauritii imperatorum Romanorum Hildebertus rex Francorum filius Sigiberti et Brunhildis extitisse legitur... Circa hæc tempora Sanctum Rudbertum vixisse patet. *Quæ postremam hanc phrasim* C *præcedunt, desiderarem Hut ansizius etiam descripsisset ; quamquam suppleri utcumque possunt ex altero scriptore quem mox citabimus. Cæterum audi quid porro Hansizius referat :* Reliquum corruptum est scioli forte cujuspiam immutatione : nam confundit Childebertum II Sigiberti filium cum Childeberto I filio Clodovei ; et statuit Rupertum obiisse anno dxliv, quo Dies Paschæ in vi Kal. Aprilis evenerat ; et subdit : « Sunt autem a trans- » itu ejus in præsentem annum, qui est Dominicæ » Incarnationis millesimus centesimus l » (omittitur trigesimus, *inquit Hensizius*), « quingenti octo- » ginta octo anni : ipse est annus vii Lotharii » regis » *(qui regnare cœpit anno* 1125). Deinde novo errore subjicitur : « Evangelicum pastorem » Rudbertum ab anno adventus ejus de Wormacia » in Bawariam usque in diem vocationis suæ Ju- » vavensem sedem rexisse an. Nat. Domini dcxciii» ; ubi celsissimus Gentilotus existimat voluisse constituere novam epocham Ruperti, quum sit merum sphalma librarii. Mens enim auctoris patet ex præcedentibus. *Scilicet, quantum ego quidem intelligo, discerni debet auctor primarius ab uno vel forsitan duobus qui verba ejus temeraverint ; et genuina mens illius fuisse videtur S. Rupertum obiisse anno* 623 : *ita ut librarii vitio alterum* C *pro* X *positum fuisse existimem.*

A. T.

quidem scriptores sæculo xii

26 *Ejus quem primarium vocavi auctoris conjecturam atque adeo ipsa fere verba adoptavit scriptor alius aliquanto recentior, quem discipulum S. Eberhardi appellare Canisio placuit, et ex quo, ut paulo ante monui, suppleri possunt quæ ex anteriori auctore Hansizius transcribere prætermisit. Disquisitio hæc discipuli Eberhardini ter omnino, non sine aliqua vocum varietate, occurrit apud Canisium* (3) : *eamdem ex codice suo* II *denuo edidere Benedictini Salisburgenses in Novissimo Chronico* (4). *Juxta quatuor igitur hæc exemplaria eam modo repræsentabo. Initium est :* Numerum annorum a transitu S. Rudberti diffinite scriptum non reperimus. *Quæ deinde sequuntur, cum iis quæ ex antiquiori auctore Hansizius desumpsit, dempto tantum* Justini junioris *nomine, conveniunt usque ad voces* extitisse legitur. *Post has voces ita scriptor pergit :* Anno Dominicæ Incarnationis dlxxv Tiberius Constantinus regnavit. Anno Incarnationis Dominicæ dlxxxii Mauritius regnavit *(sic* E *namque corrigendam puto Canisianam lectionem* dlxxxviii Hildibertus xxii Mauritius regnavit, *quam ortam puto ex perperam his insertis* xxviii Hildibertus, *quæ pertinent ad mox sequentia).* Item anno Incarnationis Dominicæ dlxxxviii Hildibertus filius Sigiberti super Francos regnavit. Anno Incarnationis Dominicæ dciii *(sic unum exemplar Canisianum, cætera* dxxxiii, *quod manifesto erroneum est)* Focas regnavit, qui post Mauritium factus est imperator. Circa hæc tempora Sanctum Rupertum vixisse patet. *Hactenus ille. Prius autem quam reliquam ejus ratiocinationem audiamus, notari velim falsam quidem esse chronologiam qua exordium regni Childeberti II anno* 588 *affigitur, at eam tamen non esse discipulo Eberhardino imputandam. Nimirum anachronismi hujus auctor est monachus San-Gallensis, qui Herimanni Contracti Chronicon in epitomen quamdam redegit, turbato nonnusquam ordine temporis, ac speciatim quidem in historia Clodovei et successorum ejus, ut animadvertit cl. Pertz in Præfatione ad Herimannum* (5), *ubi et illud addit :* Liber loco Herimanni exeunte sæculo xi et sæculo xii ab Ekkehardo Uraugiensi excerptus, et F in Austriam translatus, Chronicis Mellicensi, Claustroneoburgensi et inde derivatis Cremifanensi, Garstensi, Salisburgensi, Austriæ, Leobiensi pro fundamento fuit. *Hinc igitur in hisce Chronicis* (6) *anni emortuales regum Merovingiorum perperam designantur : puta Clodovei* 522 *pro* 511, *Theodorici* 544 *pro* 534, *Theodoberti* 558 *pro* 547, *Childeberti I* 561 *pro* 558, *Clotarii* 573 *pro* 561, *Sigiberti* 588 *pro* 575, *Chilperici* 596 *pro* 584, *Guntrammi* 607 *pro* 593, *Childeberti II* 610 *pro* 596, *et ita porro de aliis.*

annum 623 *vel* 628 *ei emortualem statuerunt.*

27 *Unde annus secundus Childeberti II nostro auctori fuit* 589. *Quo anno S. Rupertum, utpote jam episcopum, sane tricenarium aut tricenario aliquanto majorem fuisse supposuerit. Tum annum* 624 *quo secundum hanc hypothesim Sanctus fuisset circiter septuagenarius, quasi metam aliquam videtur statuisse, a qua mors ipsius, sive citra sive ultra eam incidisset, certe non longe potuisset distare. Ac demum annos quærit anno* 624 *proximos, quibus solemnitas Paschalis in diem* xxvii *Martii incidit : qui quidem sunt anni* 623 *et* 628. *His præmonitis, sequentia ejus verba exhibeo ea formula quæ mihi ex collatione*

(1) Germ. Sacr., t. II, p. 35. — (2) Ibid., p. 50. — (3) T. III part. ii, p. 284, 431 et 475 ed. Basn. — (4) P. 25 et 26. — (5) Monum. Germ. hist., t. V Script., p. 73. — (6) Cfr ibid., t. IX Script., p. 479 et seqq.

A. T. *collatione variarum lectionum (quas hic notare operæ pretium non duco) magis genuina videtur :* Requirat autem nunc qui vult, ubi ante annum DCXXIV Dominicæ Incarnationis aut post eumdem annum dies Dominicus Paschæ in VI Kalendas Aprilis evenerit, ut hoc nec ante nec post illum terminum longius quam humanæ vitæ mensura id sit. Si qui hoc ante invenerit, invenire poterit quot anni sint a transitu S. Rudberti. Si autem alieno invento credulus esse maluerit, qui semet hujusce indaginis labores desperet attingere, sciat quod DCXXIII anno Incarnationis Dominicæ ante supra notatum annum, et post eumdem DCXXVIII dies Paschæ VI Kalend. Aprilis. In quo e duobus anno ipse de quo sermo est Sanctus obierit, non legi : considerata tamen superiori temporum conscriptione, dubium non est eum in uno eorum obiisse ; et quamvis certum non sit si supervixerit DCXXIII, quo dies Dominicus Paschæ in VI Kal. Aprilis venit, certum tamen est eum non supervixisse DCXXVIII annum Dominicæ Incarnationis, in quo similiter Dominicus dies Paschæ in VI Kal. Aprilis evenit. Si altius repetere voluerimus, ut videlicet sub primo Hildiberto Francorum rege, Clodovei seu Ludovici filio, qui
B temporibus Justiniani magni et primi regnabat, S. Rudbertum floruisse contendamus, tunc in altero subscriptorum anno obiisse constat, sive DXXXIII anno Dominicæ Incarnationis, sive DXLIV anno, in quibus ambobus dies Dominicus Paschæ VI Kal. Aprilis evenit. Ideo quod inter duo dubia certius est, eligamus, et computemus annos de transitu S. Rudberti ab anno DCXXIII Dominicæ Incarnationis. Sunt autem a transitu ejus usque ad præsentem annum, qui est Dominicæ Incarnationis millesimus centesimus octogesimus sextus, anni quingenti LXIII : ipse est annus XXXVI regni Friderici imperatoris.

Recentiores adoptarunt annum 623,

28 *Itaque ex hujusmodi computatione, quam quis primus excogitaverit, mihi non constat, profectæ fuere chronographorum a sæculo* XII *et deinceps annotationes : quorum alii ad annum* 623, *ut Garstensis* (1) *et Admuntensis* (2) *nec non Salisburgensis Canisii* (3), *alii ad annum* 628, *ut Salisburgenses Pezii* (4) *et Pertzii* (5), *S. Rupertum obiisse scribunt. Et in Salisburgensi Chronico apud Pezium videre est hanc additionem ad annum* 623 *manu recentiori factam :* Hoc anno obiit S. Rudbertus episcopus et abbas I ad S. Petrum Salisburgi, in festo Paschatis,
C quod eo anno Martii 27 fuit. *Quum autem in ipso Chronico antea scriptum extaret ad annum* 628 : Transitus S. Ruberti sub Honorio Papa, Heraclio imperatore, Francorum rege Lothario patre Dagoberti : succedit Vitalis Sancto Ruberto; *his verbis corrector nescio quis illa apposuit :* Hoc verum. Verius supra anno 623. Ita lapis sepulchralis diu absconditus, apertus sub Paride archiepiscopo (*anno scilicet* 1627). *Hinc consequenter obitum S.* Vitalis, *qui prius ibi notatus erat ad annum* 649, *corrector ad annum* 646 *retraxit :* Hoc anno, *aiens,* vere S. Vitalis obiit clarus miraculis; *qua in re convenit cum Chronico Salisburgensi Canisii, ubi hæc de Sancto nostro asseruntur :* Beatus Vitalis successor S. Rudberti, primus abbas S. Petri, quod S. Rudbertus fundavit, ordinatus est in episcopum Juvavensem, cujus cathedralis sedes multis annis apud S. Petrum habebatur : hic sedit annis viginti duobus : obiit DCXLVI in profesto Ursulæ *(id est,* XX *Octobris). Atque ita demum Salisburgenses, quum* D *antea fluctuantibus fuissent sententiis uter potius annus* 623 *an* 628 *esset adoptandus, reperto tandem anno* 1627 *lapide sepulcrali S. Ruperti, omnino sibi persuaserunt hunc Sanctum non alio anno quam* 623 *ex hac vita migrasse ; sicut et lapis sepulcralis S.* Vitalis *eodem fere tempore detectus certissimum indicium iis videri cœpit hunc obiisse anno* 646.

lapidi sepulcrali S. Ruperti inscriptum :

29 *Priori lapidi hæc verba inscribuntur* (6) *characteribus semigothicis, ut apud Meichelbeckium, qui partem hujus inscriptionis typis ipsam litterarum formam imitantibus repræsentavit* (7), *videri potest:* Anno ab Incarnatione Domini DCXXIII in die Resurrectionis ejusdem obiit S. Rupertus hujus monasterii fundator et primus Salisburgensis hic episcopus sepultus. *Alter vero lapis hanc fert epigraphen* (8) : Præsul Vitalis cubat hic, ægrisque medetur. Ao 646, XIII Kalend. Novembris. *Utrumque en quam confidenter Mabillonio opponat Mezgerus* (9) : Obstat autem primo immobile testimonium lapidis marmorei sepulchralis (gravis utique testis), sub quo post D. Virgilium hactenus reconditum jacebat in ecclesia S. Petri S. Ruperti corpus. Is Divum nostrum 27 Martii anno 623 decessisse diserte loquitur : ergo non primum venit in Boiariam anno 696, annis post mortem 73. Obstat E secundo etiam lapis noster sepulchralis S. Vitalis secundi præsulis et abbatis nostri, qui illum anno 646 XIII Cal. Novembris obiisse dicit. *Verum enimvero tantum abest ut hi duo lapides quidquam roboris addiderint conjecturæ olim institutæ, de qua supra diximus, ut potius ex hac ipsa conjectura derivatæ ambæ inscriptiones fuerint : quamquam Salisburgensibus monachis, secundum Chronicon ab abbate Martino Hättinger, qui eis ab anno* 1584 *ad* 1615 *præfuit* (10), *ex aliquanto vetustioribus concinnatum* (11), *aliquamdiu insedit opinio auctorem harum inscriptionum esse Ansologum abbatem, quem proximum a S.* Vitali *monasterii et ecclesiæ Salisburgensis rectorem extitisse statuunt.*

is autem lapis antiquior haud est

30 *At audiatur in contrarium Meichelbeckius ita disserens* (12) : Ea doctissimorum virorum dissensio movit nonneminem, ut in præcipuum P. Josephi Mezgeri fundamentum, nempe in antiquitatem inscriptionis lapidis marmorei sepulchralis S. Ruperti inquirendum censeret... Neque sane deerat ratio dubitandi num hæc inscriptio redoleret stylum et manum septimi sæculi; quippe quo tempore, in his saltem partibus, plane insolitum F erat annos ab Incarnatione Christi ponere, ut eruditis constat et e Frisingensibus instrumentis per decursum ad oculum patebit : ubi tacemus cætera quæ antiquitati inscriptionis illius opponi possent. Itaque data fuit opera ut oculis conspiceretur forma litterarum lapidis illius sepulchralis : hac feliciter detecta, judicabant viri antiquorum characterum discernendorum minime imperiti inscriptionem illam lapidis sepulchralis S. Ruperti neutiquam sæculo Christi XV aut XIV esse antiquiorem ; atque eo ipso fundamentum illud R. P. Mezgeri tantum pondus non habere quantum is illi tribuendum censuerat. Ea observatione adhibita, Mabillonii sententiæ non potuit non majus pondus accedere ejusque opinionem firmare. *Quibus Meichelbeckii dictis calculum suum adjiciens Hansizius* (13) : Hæc, *ait,* vir modestissimus : qui quam recte disserat, patet ex relatione abbatis Amandi in Disquis. Vit. et Miracul. S. Vitalis (14) pag. 80. « Lego, inquit, in Ms. R. sub Petro abbate » (qui

(1) Apud Pertz, op. cit., t. IX Script., p. 563. — (2) Apud Pez, Script. rer. Austriac., t. II, col. 167; apud Pertz, tom. cit., p. 571. — (3) T. III, ed. Basn., part. II, p. 478. — (4) Op. cit., t. I, col. 331. — (5) Tom. cit., p. 767; et t. I, p. 89. — (6) Apud Hansizium, p. 46; in Noviss. Chron., p. 14 et 54. — (7) Hist. Frising., t. II, in tabula paginæ 124 apposita. — (8) Apud Hansizium, p. 68; in Noviss. Chron., p. 68. — (9) Hist. Salisburg. Dissert. prælim. § II, p. 7. — (10) Noviss. Chron., p. 490 et seqq. — (11) Ibid., p. 87 et 88. — (12) Op. cit., t. I, Dissert. proleg. II, p. XI. — (13) P. 60. — (14) Disq. IV, cap. II.

anno

A anno 1436 auspicatus est), « fol. 475, col. 2, lapi- » dem illum sepulchri constitutum esse a Dom. » Petro abbate, et constitisse duodecim et mediam » libras argenti, quem hactenus putavimus ab An- » sologo fuisse constitutum ». *Et idem Hansizius paulo ante observarat ipsum nomen* Rupertus *esse indicium ætatis nuperioris, quia antiquitus scilicet* Hrodbertus, Rodbertus, Rudbertus, Ruodpertus *scribebatur; sicut et vox* Salzburgensis *vetus est, nova* Salisburgensis.

sæculo xv,

31 *Quid multis? Ipsi Novissimi Chronici scriptores hæc in Mezgeri assertionem animadvertunt* (1) : Pio certe desiderio hoc scriptum esse credimus, quod et nos exoptaremus; qua autem confidentia et authoritate munitus hæc scribat, penitus ignoramus : forte ad hoc scribendum inductus fuit Mezgerus noster relatione cujusdam manuscripti recentioris, quod est Chronicon ad finem sæculi xvi scriptum, quod fol. 32 de Ansologo abbate et successore S. Vitalis sequentia refert : « Hic, nimirum Ansologus, sepulchra San- » ctorum Rudberti et Vitalis marmore contexit, » titulis et candelabris exornavit » etc. Ast si tam antiquus esset lapis sepulchralis, foret testis utique B gravissimus et ferme synchronus; quo loquente, plena et consummata penes nos staret victoria, et jam dudum omnes historici tacuissent : unde majorem antiquitatem sæculo xv circa medium huic lapidi (idem plane censemus de lapide sepulchrali S. Vitalis) attribuere non possumus; præsertim quia characteres et notæ lapidi incisæ illius sæculi characteribus, ut lexica diplomatica examinanti patebit, velut ovum ovo correspondent. Hinc nobis quasi certum est quod hunc lapidem excidi et sepulchro imponi curaverit abbas noster Petrus in ordine 57, qui abbatiam rexit ab anno 1436 usque ad annum 1466, et, ut ex ejus actis habemus, devotissimus cultor fuit S. Ruperti et S. Vitalis, sub quo abbate etiam sepulchrum S. Ruperti fuit apertum. Colligitur id clarius ex eodem supra citato manuscripto sub litt. R, pag. 157, quod hic abbas, nimirum Petrus, hunc lapidem supra sepulchrum fieri curaverit, et constiterit 12 et mediam libras argenti. Idem testatur noster Amandus abbas in Vita S. Vitalis, disquis. 4, c. 2, pag. 80, qui idem citat manuscripta R, quamvis quoad paginam nobiscum non conveniat, *etc. Amandi Pachler abbatis testimonium jam supra ex Hansizio excepimus.* C *Atque huic domestico Salisburgensium documento, quo lapidis ætas certis indicatur notis, potius standum puto quam suspicioni Meichelbeckii* (2), *secundum quam foret is lapis ad tempus Wichardi archiepiscopi, nempe ad annum* 1315, *referendus : quin imo constat longe diversum alia cum epigraphe, quæ ad rem nostram nihil confert, tunc erectum fuisse lapidem, quem Hansizius* (3) *et Novissimum Chronicon* (4) *describunt. Bernardum Pezium non moror, qui Ansologi inscriptionem Petro abbati, ut novo eam stylo exprimeret, præluxisse comminiscitur* (5).

sicut nec ille S. Vitalis.

32 *Nec magis juvatur Mezgerus, imo minus etiam, lapide sepulcrali S.* Vitalis. *Hujus enim* inscriptio, *ut Hansizius ait* (6), ejus generis est cujus inscriptio sepulchri S. Ruperti; apparetque vel ex numeris arabicis, quibus exarata est, recentiorem esse.... Advertit autem Amandus abbas in opusculo de S. Vitali pag. 80 « lapidem sepulchri S. Vitalis longe » artificiosius esse excisum, ac referre personam » S. Vitalis in habitu pontificio affabre et pulchre » effigiatam; cum vix ætas illa vetus his in terris » artem sculptoriam novisset, præcipue cum lapis » sepulchri S. Ruperti longe minori et imperiori » arte sit factus. » Ita ille. Ac satis constat lapidem illum marmoreum, in cujus margine illud epigramma incisum est, anno 1462, quando de Vitale in Sanctos referendo agebatur, nondum extitisse : nam species tumuli, quæ tunc fuerit, describitur particulatim in tractatu canonizationis *(de qua nobis postea agendum erit)*... Post aliquod deinde tempus, incertum quo anno, facies hæc sepulchri immutata.... impositum illud saxum incisam Vitalis personam referens cum capite radiato, et epigraphe ad limbum exarata illa quæ annum et diem obitus designat. Unde clarum est ejus ætatis non esse quæ apud antiquarios pretium ferat. *Hæc Hansizius, Novissimi Chronici scriptoribus conclusionem hanc ultro concedentibus, at simul tamen aientibus* (7) *sibi indubitatum esse* quod saltem medium sæculi decimi quinti iste lapis sepulchralis S. Vitalis non excedat, uti *(inquiunt illi)* litteras inspicienti et ad leges antiquorum characterum examinanti patebit, et eumdem fieri curaverit Petrus abbas forte uno alterove anno serius ac lapidem sepulchralem S. Ruperti : *quasi vero intra* E *biennii aut certe paucorum annorum spatium tantos ars sculptoria ibi fecisset progressus.*

Alii, ex Paschatis item die ratiocinati.

33 *Sed stylum modo converto in Mabillonium aliosque qui veram quidem SS. Ruperti ac* Vitalis *ætatem certis argumentis asseruerunt, at minus feliciter in determinando anno versati fuere, quo S.* Vitalis, *abeunte S. Ruperto ad cœlos, ecclesiam Juvavensem regendam suscepit. Placuit eis ille quem diximus veterum Salisburgensium sæculi* xii *ratiocinandi modus; eoque in rem suam usurpato, annum quem quærebant, sibi visi sunt haud dubie invenisse. Ita cæterorum dux Mabillonius scribit* (8) : Rudbertus, designato successore, « inter verba ora- » tionis reddidit spiritum die Resurrectionis Do- » mini nostri Jesu Christi. » Scriptores antiqui diem Dominicam non raro diem Resurrectionis Domini appellant; at diem Paschæ hoc loco interpretantur auctores alii qui de S. Rudberto scripsere. Cum ergo Rudberti in Bajoariam accessus anno Domini dcxcvi constitutus a nobis sit, constetque ex tabulis Saltzburgensibus eumdem obiisse vi Kalendas Apriles, ejus obitus illigandus est anno Christi dccxviii, quo Pascha in eum diem incidebat. *Nec minus asseveranter Pagius ad eumdem annum* F 718 (9) : Hoc anno Sanctus Rudbertus episcopus Saltzburgensis in Bajoaria « inter verba orationis » reddidit spiritum in pace, die videlicet Resur- » rectionis Domini nostri Jesu Christi », inquit anonymus in Vita ejus... Hoc enim sæculo, quo S. Bonifacius Joannem episcopum Salisburgensem constituit anno dccxxxix, Pascha non incidit in diem xxvii Martii, quo Rudbertus creditur mortuus, nisi anni dccvii et dccxviii. *Nempe annum* 791, *quo idem occursus locum habuit, Pagius jure seposuit ut nimis remotum.*

mortem S. Ruperti anno 718 affixere

34 *Neuter autem duorum horum insignium scriptorum pervidit quam esset hic, ut Hansizii locutione utar,* movendum saxum arduum : *nam eorum thesi, ut idem observat* (10), objicitur difficultas ex ætate ducum quibuscum Rupertum convixisse proditur; *eamque difficultatem sensit quoque Suyskenus noster, dum chronotaxi S. Corbiniani ordinandæ allaborabat, ubi eam pronuntiat* non facile enodandam (11), *et iterum dum disserebat de SS. Chunialdo*

(1) Pag. 15. — (2) Op. cit., t. II. p. 124. — (3) P. 445. — (4) P. 53 et 321. — (5) Epist. ad Hansizium. p. 11 et 12. — (6) P. 71 et 72. — (7) Pag. 66. — (8) Act. SS. Bened. sæc. iii, part. i, p. 345. Cfr Annal. Bened., t. II, lib. xx, n. 23, p. 47. — (9) N. 7, t. XII, p. 282. — (10) P. 56. — (11) T. III Septemb., p. 268.

lario,

et Gisilario, ubi apertius etiam innuit (1) *sibi non satisfacere rationes quibus Hansizius evincere conatus fuerat mortem S. Ruperti in annum* 718 *incidisse. Nempe haud diligenter satis volumen Hansizianum de archiepiscopatu Salisburgensi versavit Suyskenus. Ea tantum legit quæ Hansizius operose magis quam feliciter disputaverat pro tuenda thesi Mabillonii ac Pagii* (2) ; *sed non legit Corollaria ad calcem voluminis exstantia* (3), *in quibus is scriptor hanc thesim deseruit, et ad quæ ipse nos remittit, dum in Præfatione ad lectorem ita fatur :* Tam est in lumine collocata res, tam in oculis posita, ut prope manibus teneatur, videaturque indubitabilis ; hoc magis quod etiam difficultates quarum Haræus nihil attigit, Mabillonius insolutas reliquit, Pagius novis difficultatibus implicuit, pro modulo meo non incommode, quantum assequor, dissolvi : ubi mature te velim admonitum ut postquam ea legeris quæ sunt in Actis Ruperti de ejus ætate et anno mortis, continuo consulas etiam illa quæ sunt in Corollariis ad Rupertum annotata. Ibi dirupi necessitatem qua et ego me primum et ante me Mabillonius Pagiusque constrictos putarant, annum mortis Ruperti ad septingentesimum octavum decimum defigendi. *Hæc ille : quæ si Suyskenus attendisset,* B *facili negotio, ut equidem arbitror, solvisset eos quos offendit nodos.*

verum quæ post annum 716

35 *Porro quod obstat quominus S. Rupertus anno* 718 *obiisse credatur, illud est, scilicet cum Theodoni duci superstitem fuisse, Theodonem autem adhuc fuisse in vivis anno* 716, *ac post hujus mortem, etiamsi ea supponatur intra eumdem illum annum accidisse, plura esse a S. Ruperto peracta quam ut comprehendi potuerint brevi illo temporis spatio quod inde ad* XXVII *Martii* 718 *intercessit. Ut ab eo ordiamur quod secundo loco dixi, anno* 716 *adhuc vixisse Theodonem, testem habemus Anastasium Bibliothecarium in Vita S. Gregorii II, ubi postquam dixerat* (4): Hujus temporibus signum in luna factum est indictione XIV, et visa est cruentata usque ad mediam noctem, *in quibus habetur evidens anni* 716 *nota* (5), *mox adjecit :* Eo itaque tempore Teudo dux Bajoariorum ad Apostoli Beati Petri limina primus de gente eadem occurrit, orationis voto. *Hoc ipsum iisdem pene verbis apud Paulum Diaconum legitur* (6) : His diebus Theudo Bajoariorum gentis dux orationis gratia Romam ad Beatorum Apostolorum vestigia venit ; *ubi* C *quamvis exacta anni designatio desit, atque ordo rerum chronologicus in Pauli narratis sæpe desideretur, ea tamen quæ præcedunt, nos ad annum* 716 *deducunt : nempe Pipino Heristallio defuncto, Carolum Martellum ejus filium principatu potiri cœpisse* (7), *ac Liutprandum Longobardorum regem donationem patrimonii Alpium Cottiarum Romanæ ecclesiæ confirmasse* (8), *quæ duo facta ad annum* 714 *pertinent ; ut cætera mittam ad idem fere tempus revocanda* (9). *Interim monitum lectorem velim comma illud de Theodonis peregrinatione Romana, una cum commate sequenti de Callisto post Serenum ad patriarchatum Aquilejensem promoto, abesse a codice Bambergensi sæculi* X, *quem cl. Sprunerus nuper adhibuit ad Pauli Diaconi Historiam Longobardicam germanice vertendam* (10); *quin ideo putem horum commatum authentiam labefactari : nam utrumque in suis codicibus constanter reperisse videntur Pauli editores, a quibus circa comma de* D *Theudone nil notatur nisi varia lectio* vestibula *pro* vestigia ; *cum illo vero de Sereni successore Callisto, quod incipit a vocibus* Apud Forum Julii, *aptissime cohæret id quo proxime sequitur :* Quo, ut diximus, in tempore Pemmo Forojulianis præerat Longobardis, *quemadmodum etiam duas hasce res simul conjungit Andreas Dandulus dux in suo Chronico Veneto* (11), *Paulum Diaconum absque dubio præ oculis habens.*

sub duce Theodoberto

36 *Deinde alterum quod ostendendum habemus, S. Rupertum supervixisse Theodoni, Hansizius ex libello Donationum seu Brevibus Notitiis jam supra (num.* 4 *et* 8) *a me allegatis eruit. Narratur ibi* (12) *ecclesiam S. Maximiliani in Pongeu a Sancto cum venia Theodonis ducis ædificari cœptam esse, ac mox subditur :* Interea vero dux Theodo infirmabatur, commendavitque filio suo Theodoberto ducatum Bavariæ et domini Rudberti episcopi causam fideliter tuendam,..: et ut ad ipsum locum, in suam elevando mercedem, fideliter per omnia adjuvaret. Facta autem ibi ecclesia, S. Rudbertus convocavit ibi Theodobertum ducem, et nuntiavit ei ipsam causam per ordinem ; et ita ab eo accepta potestate, consecravit ipsam in honore S. Maximiliani, E et ipsum locum nominavit Pongeu. Tunc quoque dux Theodobertus dedit ibidem de Forste suo tria milliaria in omnem quamcumque partem. *Equidem non reticebo hæc eadem de ipso Theodone narrari in Annotatione Arnonis, quæ ita habet* (13) : Perrexit dominus Hrodbertus ad Theodonem ducem, et dixit ipsa miracula, rogansque eum licentiam sibi dare ut cellam ibi construeret, et ita ei Theodo dux licentiam dedit. Veniensque domnus Hrodbertus iterum ibidem cum hominibus suis et cum suprascriptis fratribus, et cœpit ibi stirpare et locum mundare et oratorium facere. Facto autem oratorio, venit iterum ad Theodonem ducem, et rogavit eum secum ibidem venire. Venientes autem ibidem domnus Hrodbertus consecravit ipsum oratorium, et Theodo dux tradidit ipsum locum ad S. Petrum ad Salzburch monasterium, et ex omni parte milliarios III. *Discrepantiam hanc præteriit Hansizius ; neque eam Anselmus Berthodus, in opere nostro ad diem* XII *Octobris de cultu S. Maximiliani episcopi et martyris agens* (14), *videtur attendisse. Libello Donationum in hac parte consonat Vita S. Ruperti satis bonæ notæ, quæ anno* 1462 *pro canonizatione S. Vitalis ex libro authen-* F *tico, ut asserebatur, et vetusto producta fuit, et cujus alterum exemplar Papebrochius quoque invenit in insigni Ms. conventus FF. Prædicatorum Florentiæ* (15), *ex quo Ms. collato cum editione Canisii eamdem nostro operi ut sinceram inseruit* (16). *Vitæ illius auctor, posteaquam narravit S. Rupertum, communicato consilio cum Theodone, ecclesiam S. Maximiliani cum habitaculis servorum Dei ædificare cœpisse, mox ad ultimum Theodonis morbum extremaque mandata filio Theodoberto data transit, ac dein subjungit :* Cumque hujusmodi mandatis et omnibus quibus volueral filium instruxisset, ultimum diem clausit migrans ad Dominum. Post hæc vero Theopertus dux cum optimatibus suis ad S. Rudbertum visendi gratia ire perrexit ; et veniens ad illum in supradicta eremo locum pio venerabatur affectu, dans ad ecclesiam quam

(1) T. VI Septemb., p. 712.—(2) P. 56 et seqq.— (3) P. 919 et seqq.— (4) T. I. p. 165. edit. Blanchini, et apud Muratori, op. cit., t. III, p. 154. —(5) Cfr Muratori, op. cit., t. I, p. 505. not. 180.—(6) De Gest. Longob., lib. VI, cap. XLIV, apud Muratori, t. I, p. 505. — (7) Ibid., cap. XLII, p. 504.—(8) Ibid., cap. XLIII, p. 504.—(9) Cfr Muratorius ibid. in notis; Zanetti, del regno de Longobardi, lib. V, n. 31, p. 502 et 503; de Rubeis, Monum. eccl. Aquilej., cap XXXVI, n. 5, col. 316 et 317 ; Delle antichita Longobardico-Milanesi, vol. I, Dissert. I, n. 35, p. 58. — (10) K. von Spruner, Paul Warnefried's Geschichte der Langobarden Hamburg 1838, p. 165, not. 30. Cfr ejusd. Introd., p. XIII. — (11) Lib. VII, cap. III, part. I, apud Muratori, op. cit., t. XII, col. 134. —(12) Cap II. apud Hansizium, p. 20 et 56.—(13) Apud eumd. p. 18.— (14) T. VI Octob., p. 38. — (15) Cfr t. III Mart., p. 700.—(16) Ibid., p. 702 et seqq.

S. Rudbertus

A. T.

A S. Rudbertus ibi construxit ac ipso duce præsente in honorem S. Maximiliani dedicavit, tria milliaria undique de eadem silva, *etc. Quamobrem suspicio mihi est mendum irrepsisse in Notitiam Arnonis, in eaque Theodonem bis scriptum esse ubi Theodobertus scribendus fuerat.*

a Sancto gesta fuerant,

37 *Cæterum si ex illo qualicumque dissensu minus firma evadat hæc prior Hansizii probatio, stat certe altera petita ex tempore quo contigere ea quæ in Vita breviori S. Ruperti, quam Hansizius primigeniam nuncupare amat, in hunc modum declarantur* (1) : Tunc prædictus doctor Rodbertus, cupiens aliquos adipisci socios ad doctrinam evangelicæ veritatis, propriam repetivit patriam; iterumque cum duodecim revertens discipulis, secumque virginem Christi nomine Erendrudam adducens, quam in superiori castro Juvavensium statuens, ibidem colligens congregationem rationabiliter, sicut canonicus deposcit ordo, per omnia disposuit. *De monasterio hocce Nunburgensi vel Nonnenbergensi (id est, castri vel montis sanctimonialium) agens Arno in Annotatione* (2) : Item, *inquit*, de monasterio puellarum, quod constructum est in honore Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, juxta B ipsum episcopium in castro superiore, quem dominus Hrodbertus episcopus ac confessor primum ædificavit, quem et Salzburg appellavit : in quo et neptiam suam Christi famulam Erndrudam constituit cum aliis puellis, in quo loco honorifice requiescit; et quod inibi traditum est a Theodoberto duce subter annectimus. *Tumque singillatim enumerat fundos ac villas cœnobio a Theodoberto donatas, quin ullam de Theodone injiciat mentionem; et vero, ut scite observat Hansizius* (3), *quum data cœnobio loca sita essent* in pago Salzburgoe, *nihil in ea juris erat Theodoberto, nisi vita functus esset pater ejus Theodo : quandoquidem ex donationibus Theodonis liquet penes ipsum in divisione tetrarchica de qua jam supra (num. 6 et 7) sermo fuit, permansisse illam Norici partem in qua erat pagus Salisburgensis.*

omnino exigunt

38 *Id autem quod ex Annotatione Arnonis ratiocinando deduxi, aperte produnt tum Notitiæ Breves* (4), *tum præsertim Vita apud Papebrochium* (5). *Illæ enim diserte docent ædificationem ac consecrationem ecclesiæ B. Mariæ a S. Ruperto factam fuisse* cum consilio et voluntate domini Theodoberti ducis, *nec non* per licentiam et voluntatem *ejusdem inibi positam fuisse S. Erendrudem cum aliis sanctimonialibus, et ipsum ducem plurimas largitiones* C *fecisse* in alimoniam ancillis Dei et in mercedem genitoris sui et sui ipsius. *In Vita vero, post narratam Theodonis mortem et consecrationem ecclesiæ S. Maximiliani, sequentia legere est* : His ita gestis, videns vir Dei Bavaricæ dignitatis culmen jugo Christi sese subdidisse, sed gentilitatis errore plures involutos superesse, ad patriam suam repedavit, et inde cum duodecim ad prædicandum sibi sociis electis (inter quos erant eximii Beatus Kunialdus et S. Gisilarius, ambo presbyteri, ambo viri sancti), et secum virginem Christi S. Erndrudam neptem suam adducens, quasi cum tot luminaribus ad urbem Juvaviensem regreditur. Tunc in superiori castro ejusdem civitatis construxit in honorem D. N. Jesu Christi Salvatoris et suæ S. Genitricis perpetuæ Virginis Mariæ monasterium, et ibidem cum congregatione sanctimonialium posuit S. Erndrudam ad servitium cœlestis Regis; atque cum Theodoberti ducis adstipulatione, qui possessiones ad illud cœnobium tradidit infinitas, earum conversationem per omnia rationabiliter disposuit. His itaque ita expletis, vir iste beatus inceptum magnæ prædicationis opus cum summi Pontificis adjutorio studens ad perfectum perducere, Norica regna, discipulorum suorum comitante caterva, circuire destinavit, et ab urbe Juvaviensi egrediens, et gentes quibus nondum lumen fidei resplenduerat visitans, eis triticum credulitatis, lolio pereunte, seminavit.... Cumque sic Bavarorum terminos circuiret, ac omnes ad Christi fidem convertisset, eos ut in fide stabiles permanerent admonuit; et dimissis ibi presbyteris et viris Deo plenis, qui populum ad divina mysteria consuescerent, ipse ad urbem Juvaviensem studuit remeare, quia spiritu prophetico repletus, diem vocationis suæ instare præscivit.

ut anno 718 supervixisse statuatur;

39 *Atque ex his tam multis tamque magnis laboribus post Theodonis mortem susceptis ad oculum patet, si Theodo ad annum* 716 *Romam peregrinatus fuit, nullo modo fieri potuisse ut S. Rupertus anno* 718, *idque tertio hujus anni mense nondum plene evoluto, obierit. Differendus ergo est beatissimi viri transitus ad annum aliquem posteriorem, qui sufficiens intervallum a morte Theodonis ei superstiti relinquat. Theodonis autem annum emortualem* E *chronographi aliquot sæculis ab ejus ætate remoti statuunt vel* 717 *vel* 718 (6), *qua fide, nescio; sed video ab eis successores illi assignari Theodoaldum et Grimoaldum filios, prætermisso Theodoberto : quod indicio est eis præsto fuisse Vitam S. Corbiniani ab Aribone scriptam; unde etiam ad annum* 712, 716 *vel* 719 *de S. Corbiniano mentionem faciunt. Neque tamen est quod putemus Theodobertum eis fuisse ignotum : norant eum utique ex Salisburgensibus monumentis, sed sæculo integro antiquiorem credebant ex præjudicata de ætate S. Ruperti opinione. Pagius, sicuti alterum S. Corbiniani iter Romanum ad annum usque* 722 *vel* 723 *distulit* (7), *ita per necessariam consequentiam eousque vitam quoque Theodonis protendit; verum huic chronotaxi præferenda est illa Mabillonii* (8) *et Suyskeni* (9), *censentium Romam iterum ivisse S. Corbinianum circiter annum* 717 *aut certe non multo post, ita ut de tempore obitus Theodonis cum chronographis jam allegatis fere conveniant. Et sane eo tempore sat provecta ætate fuerit Theodo : quippe qui sub initium sæculi* VIII *filios tres adultos habebat, quibuscum principatum suum partiretur; et horum natu maximi Theodoberti filius Hugbertus jam anno* 725 *Bajoariis imperare cœpit* (10), *quando* F *et soror ejusdem Hugberti Guntruda jam nupserat Liutprando regi Longobardorum* (11) : *quamvis eam pro nepte filiam Theodonis faciat Baronius* (12), *in errorem inductus exemplari quo utebatur Pauli Diaconi, a quo nomen Theodoberti patris Guntrudæ abest, quod tamen exprimunt codices Lindenbrogianus, Ambrosianus, Modoetiensis* (13) *et Bambergensis* (14). *Est adeo in lapsus facile summo Baronio condonandus; sed illud miror qui Pagius vir solers scribere potuerit* (15) *Theodobertum fortasse ante patrem Theodonem e vivis excessisse, quum præ manibus habuerit ac sæpius allegaverit Breves Notitias, in quibus haud obscure contrarium adstruitur.*

et sane, quum dies XXVII Martii,

40 *Utut sit de Theodone, sane S. Rupertum vitam ultra annum* 720 *protraxisse nemo, reor, erit qui non facile admiserit; præsertim si obicem illum quo præoccupati Mabillonius aliique post eum fuere quominus annum* 718 *prætergrederentur, cum Hansizio, qui eodem aliquamdiu retentus fuit, demum*

(1) Apud Hansizium, p. 45 et 46. — (2) Ibid., p. 17. — (3) Pag. 58. — (4) Cap. III, apud Hansizium, p. 21. — (5) Loc. cit., p. 703 et 704. — (6) Hansizius, p. 59, 923 et 924; Hier. Pez, Script. rer. Austriac., t. I, col. 333; t. II, col. 66; Pertz, Monum. Germ. hist., t. IX Script., p. 551, 563 et 768. — (7) Ad an. 716, n. 7, ad an. 723, n. 9, et ad an. 724, n. 6, t. XII, p. 265, 309, 318 et 319. — (8) Act. SS. Bened., sæc. III, part. I, p. 504 et 508. — (9) T. III Septemb., p. 269. — (10) Ibid., p. 275. — (11) Paul. Diac., op. cit., lib. VI, cap. XLIII, p. 504. — (12) Ad an. 726, n. 43, p. 364. — (13) Cfr Muratori, loc. cit., not. 175. — (14) K. von Spruner, op. cit., p. 165. — (15) Ad an. 723, n. 9, p. 309.

sustulero.

A. T.

sustulero. Itaque is in hanc rem ait (1) : Vetus ecclesiæ traditio fert Dominum die xxv Martii passum et affixum cruci, die xxvii Martii surrexisse de tumulo. Quamobrem in vetustissimis ecclesiæ fastis et Martyrologiis ad diem quidem xxv Martii legitur adscripta Passio et Crucifixio Christi, ad diem vero xxvii Martii Resurrectio Christi. Hieronymi verba sunt in Martyrologio : « Octavo Kalen» das Aprilis Hierosolyma Dominus crucifixus est; » sexto Kalendas Aprilis Hierosolyma Resurrectio » Domini nostri Jesu Christi celebrata est. » Quæ ipsa leguntur in Martyrologio Adonis, Rabani et aliis fere omnibus quæ consuli possunt apud Hagiographos Belgas tom. VII Junii. Sic ibi Martyrologium Richenoviense : « vi Kal. Aprilis. Hierosolyma » Resurrectio Domini nostri Jesu Christi » : iisdem verbis Augustanum, Labbeanum, Corbejense et omnia fere cætera. Sic Rosweydianum, Centulense, Bruxellense, Greveni, Molani. Sic et Wandelbertus in Martyrologio metrico ad diem viii Kal. » Aprilis seu xxv Martii. « Angelus octava ventu» rum nuntiat Agnum : Agnus et ipse cruci mundi » pro morte levatur. » Ad diem sextam ante Kal. Aprilis, id est, xxvii Martii : « Agni surgentis re-
B » splendet sexta triumpho. » Kalendarium antiquum Polemei Silvii anno ccccxlii conscriptum : « viii Kal. Apr. Æquinoctium : principium veris. » Christus passus hoc die, vi Kal. Apr. Resurre» ctio. » Eamdem ecclesiæ traditionem affirmant Augustinus, Beda, Usuardus, aliique passim, quos vide citatos tom. III Martii, p. 540 item pag. 687.

uti ex antiquissimis monumentis ecclesiasticis.

41 *Ita hactenus Hansizius : cui interloquor, ut præter duplicem Majorum nostrorum tractatum ad* xxv *Martii de Sacra Memoria Jesu Christi crucifixi et ad* xxvii *Martii de Sacra Memoria Jesu Christi resurgentis, cui brevi post accessit nova Henschenii Exercitatio* (2), *lectoribus insuper indigitem ea quæ de Passionis Dominicæ solemni die* viii *Kal. Aprilis deque Resurrectionis gaudio consequenter in* vi *Kal. Aprilis reponendo ex Patribus aliisque scriptoribus ecclesiasticis congessit Florentinius, Martyrologium Hieronymianum illustrans*(3); *et potiori etiam jure pro eodem argumento dilaudem præclarissimam de anno Dominicæ Passionis Exercitationem chronologicam Henrici Sanclementii* (4), *ubi nota de die* viii *Kal. Aprilis, tamquam insigne de ipso anno quo Christus passus est argumentum, egregie illustratur non solum ex disertis Tertulliani, S. Sulpicii Severi,*
C *S. Augustini, Hilarii Diaconi, S. Bedæ aliorumque Latinorum scriptorum testimoniis, quibus et ex Oriente aliquod a Theodoreto et S. Cyrillo accedit suffragium, atque ex Catalogo Liberiano Kalendariisque ac Martyrologiis in nostro opere (ut supra dictum est) vel ad triginta et amplius allatis, sed speciatim ex duobus monumentis summopere venerandis, quibus in hanc rem nemo ante Sanclementium usus fuerat.* Sunt autem, *inquit ipse* (5), Cyclus Hippolyti Martyris et Paschalis Periodus annorum lxxxiv, quæ Supputationis Romanæ nomine antiquitus circumferebatur. In Cyclo Hippolyti postrema sede secundæ Hendecaeteridos notatur Pascha Domini die vi Kal. April. Ex quo sequitur feriam sextam præcedentem incidisse in diem xxv mensis Martii. Atqui in eadem sede inscriptæ leguntur notæ ΠΑΘΟΣ ΧΣ, quæ, ut alibi probatum est, certo indicant consummatam Christi Passionem in cruce jun-
D gendam esse ex Hippolyti mente et ratiociniis cum anno v. c. Varr. dccxxxii, cui nomen dedere Gemini consules. Habes igitur in tam brevibus notis certam notitiam de tempore Passionis Christi Domini et de die viii Kal. April., cui ea ex computo ecclesiastico Divi Hippolyti illiganda sit. In Supputatione pariter Romana ad annum 68, qui 32 Hippolytei Cycli respondet, Pascha indictum reperies die vi Kal. April Ex quo patet utramque Periodum in omnibus convenire quoad annum diemque Passionis Christi... Quod si in Supputatione Romana nulla adjicitur nota aut indicium quod cum anno 68 ejus Periodi Passio Christi jungenda sit, camdem tamen subintelligendam esse fidem faciunt quotquot ex Latinis Patribus diem viii Kal. April. cum Geminorum consulatu conjungunt. Utriusque enim characteris chronologici conjunctio certum exhibet argumentum eos Patres vel Cyclum Hippolyti vel Supputationem Romanam vel certe aliam quamlibet ab utriusque minime discordem adhibuisse. *Sed hæc selegisse sit satis : cætera videantur apud ipsum Sanclementium, qui opinionem qua Christi Mors diei* xxv *ac Resurrectio diei* xxvii *Martii affiguntur, non dubitat hisce verbis commendare :* Hæc
E propria extitit universæ ecclesiæ Latinæ ; hæc originem suam ducit ab ipsis fidei christianæ incunabulis, hæc constans atque incorrupta servata est usque ad Leonis M. ætatem ; hæc denique posterioribus etiam sæculis post Leonem M. nec numero plures nec fide magis dignos quam habeat testes desiderare potest. *Cujusmodi testes sunt utique Kalendaria ac Martyrologia, quæ etiam postquam per Periodum Victorii primum, deinde magis per Dionysii Exigui Cyclum, introducta Alexandrina methodo, antiqua illa occidentalis Ecclesiæ traditio, ut loquitur Sanclementius* (6), de sua sede et gradu dejecta fuit, *nihilominus perrexerunt ad sæpe dictos dies Passionem et Resurrectionem Salvatoris passim inter sacras memorias consignare; atque adeo quædam addunt die* v *Maii Ascensionem Domini et* xv *Maii Adventum S. Spiritus.*

fastis sacris plurimis

42 *Etsi autem sat magnus est numerus fastorum hujusmodi ecclesiasticorum tomo* iii *Martii in opere nostro allegatorum, quibus, ut jam monuit Hansizius, accedunt illi quos Sollerius ad calcem Junii nostri edidit, qui fere omnes eamdem traditionem de diebus Mortis et Resurrectionis Christi conservarunt; juverit tamen nonnulla a sæculo* ix *et deinceps de-*
F *scripta et in idem conspirantia Martyrologia et Kalendaria indicare, quæ post editum Martium nostrum in lucem protracta a viris eruditis et typis mandata fuere. Itaque huc faciunt vulgata a Dacherio Hieronymianum ex codice Corbeiensi, Gellonense et additamenta soluta oratione ad Wandelbertinum* (7); *a Martenio et Durando Autissiodorense, Morbacense, Corbeiensia tria, Lyrense* (8), *item Bedanum Trevirense, Floriacense, Anglicanum, Gallicanum, Stabulense, Verdinense, Autissiodorense* (9); *ab Eckharto Frisingense* (10); *a Beckio Germanicum* (11); *a Schiltero Alemannicum* (12); *ab Hontheimio Trevirensia unum S. Maximini unumque et alterum S. Simeonis* (13); *ab Œfelio Diessense* (14); *a Gerberto Rhenaugiense, Sangallense, Petershusanum, Augiense, Murense* (15); *a Binterim Coloniense* (16) *et Xantense* (17); *a Lelong Ultrajectinum lingua vernacula* (18); *a Michaele Monacho Capuanum* (19);

(1) Pag. 921. — (2) T. I April. Diatr. prælim., Exerc. i, p. v et vi. — (3) Vet. Occid. Eccl. Martyrol., p. 396, 397, 399 et seqq., item 406. — (4) De emend. vulgaris æræ, p. 495 et seqq. — (5) P. 506 et 507 — (6) P. 508. — (7) Spicileg., t. II, p. 1 et seqq. nov. edit. — (8) Thes. nov. Anecd., t. III, col. 1543 et seqq. — (9) Ampliss. Collect., t. VI, col. 633 et seqq. — (10) Comment. de reb. Franc. Orient., t. I, p. 835. — (11) Martyr. Eccl. Germ., Aug. Vind. 1687. — (12) Thes. Antiq. Teuton., t. I, part. ii, monum. vii, p. 70. — (13) Prodom. Hist. Trevir., part. i, p. 373 et seqq. — (14) Rer. Boic. Script., t. II, p. 654 et seqq. — (15) Monum. vet. Liturg. Alem., part. i, p. 455 et seqq. — (16) Kalend. Eccl. Germ. Colon. sæc. ix. Colon 1824. — (17) Die Erzdiocese Koln, t. I, p. 373 et seqq. — (18) Beschryving van de Reformatie der stadt Amsterdam, p. 262 et seqq. — (19) Sanctuar. Capuan., p. 391 et seqq.

A.T.

a Florentinio Lucense (1); *a Georgio Fuldense, Ottobonianum, Laureshamense, Vaticanum, Palatino-Vaticanum* (2); *a Muratorio Ambrosianum et Sitonianum* (3); *a Zaccaria Florentina duo* (4) *et Brixianum* (5); *a Tartarotti Tridentino-Veronense* (6), *ab Althano Gertrudianum ac Mosacense unum alterumque* (7); *a Lamio Tuscanicum seu Florentinum* (8); *a Bandinio item Florentina quinque* (9) : *quibus accedit Kalendarium Neapolitanum a Mazochio citatum, qui præterea asserit sibi præsto fuisse Sicula aliaque Kalendaria eam traditionem de qua agimus attestantia* (10). *His quoque de eadem re consentire Martyrologium Hibernicum Tamlacten e, ex schedis a Bollando relictis intelligo; nec dubito quin de pluribus aliis quæ mihi videre non contigit, id ipsum dici queat : nam intra illos solum libros quæ in bibliotheca nostra extant, me continui. Inter hos habemus et tres codices Usuardinos ejusdem rei testes, videlicet duos membranaceos, quorum alter Belisiensis, alter Tusschenbecani parthenonis olim fuit, ac chartaceum abbatiæ olim Villariensis; necnon Breviarium ac Missale manuscripta atque Horarium picturatum, quorum tria Kalendaria, illa latino, hoc gallico idiomate, veterem de diebus Possionis ac Resurrectionis Christi traditionem exhibent. Quin imo hæc post inventam artem typographicam adhuc conservata fuit in Kalendariis satis multis Breviariorum et Missalium; ut me docent Breviaria Leodiense anni* 1488, *S. Servatii Mosæ-Trajectense* 1503, *Moguntinum* 1507, *Ultrajectensia* 1508 *et* 1512, *S. Pauli Leonense* 1516, *Dolense* 1519, *S. Albini Andegavense* 1531, *Leodiense* 1535, *ac Missalia Leodiensia* 1486, 1502, 1515 *et* 1552, *Ultrajectense* 1511, *Strigoniense* 1512, *Parisiense* 1516, *denique insignis ecclesiæ Sarum in Anglia tam Missale* 1527 *quam Horarium* 1556 (11), *quibus adjunge Kalendarium ex Missalibus potissimum Sarisburgensi, Eboracensi ac Dunelmensi, ex Martyrologio Anglicano et Legenda Capgravii ab erudito viro (nempe, ut fama fert, a Joanne Lingard presbytero catholico et insigni Angliæ historiographo) multa cura excerptum, quod cl. Harris Nicolas operi suo de Chronologia Historiæ inseruit* (12). *Hactenus citatis addendi sunt martyrologi Canisius sæculo* XVI *et Saussayus sæculo* XVII, *qui ambo ad* XXV *Martii Passionis Jesu Christi et ad* XXVII *Martii Resurrectionis ejusdem meminerunt, morem veterum secuti.*

nonnullis medii ævi

43 *Sunt et alii testes antiquam illam traditionem, de qua Ven. Beda, licet ipse Victorianam amplexus Periodum, ita dicit* (13) : Quod autem VIII Calendarium Aprilium crucifixus, VI Calendarum earumdem die resurrexit, multorum late doctorum ecclesiasticorum constat sententia vulgatum, *etiam dudum post Bedæ ejusdem tempora vulgo perseverasse. Unum adducit Hansizius, qui sic loqui pergit* (14) : Fuitque vulgaris aliquando persuasio sæculo XI de tempore supremi judicii, quod existimabant anno venturum illo quo dies VI Kal. Aprilis, cui adscribitur Resurrectio Christi, cum Dominica Paschæ concurreret. Qua de re biographus Divi Altmanni *(Passaviensis episcopi)* sæculi XII scriptor sic refert : « Eo tempore (nempe anno 1065) multi » nobiles ibant Jerosolymam invisere sepulchrum » Domini, quadam vulgari opinione decepti, quasi » instaret dies judicii, eo quod Pascha illo anno » evenisset VI Kal. Aprilis, quo scribitur Resur» rectio Domini : quo terrore permoti non solum » vulgares, sed et populorum primores, genere et » dignitate insignes, et ipsi diversarum civitatum » episcopi, magna gloria et summo honore fulti, » patriam, cognatos et divitias reliquerunt, et per » arctam viam crucem bajulantes Christum secuti » sunt. » Hæc ille (15). *Cui consentit alter S. Altmanni biographus Resurrectionem Domini* VI *Kal. Aprilis inscriptam fuisse* (16); *quamvis neget Sigifredum Moguntinum, Guntherum Bambergensem, Ottonem Ratisponensem ac Guilielmum Trajectensem episcopos pro vulgari illa opinione peregrinationem Jerosolymitanam tunc suscepisse.* Et sane, *observat Boschius noster* (17), apud chronographos istius ætatis qui de hac peregrinatione meminerunt, nemo, quod sciam, hanc affert suscepti itineris causam.

chronographis,

44 *Utut sit, eorumdem tamen chronographorum præcipui illam de qua loquimur traditionem comprobant. Sic Bernoldus Constantiensis* (18) : Eodem anno ab Incarnatione Domini MLXV, quando et Pascha celebratum est VI Kalendas Aprilis, in qua die et Christus resurrexit, *etc.; ubi, ut recte annotavit Ussermannus* (19), non id intendit Bernoldus Christum in Paschate resurrexisse, quæ docto scriptore indigna animadversio foret, sed Pascha hoc anno die XXVII Martii evenisse, quo die Dominicam Resurrectionem factam esse credebant veteres : unde et eodem die in antiquis Calendariis passim notatur Resurrectio Domini, uti et die XXV Martii Incarnatio et Passio Domini. Distinguebant ergo scriptores medii ævi diem Paschæ quolibet anno variantis a die Resurrectionis in Calendariis ad XXVII Martii fixo. Id quum haud satis adverterent posteriores, in varios subinde anachronismos sunt prolapsi. *Qui vero Bernoldo synchroni fuere Marianus Scotus et Sigebertus Gemblacensis hoc ipso ex capite magnum Cyclum annorum* DXXXII *erroris contra evangelicam veritatem arguunt quod secundum eum Cyclum nec Passio Christi in* VIII *Kal. Aprilis nec Resurrectio in* VI *Kal. Aprilis incidisset : prouti apud Marianum videri potest toto libri ejus tertii decursu, ubi hac ipsa de causa inter suam et aliorum chronologiam differentiam viginti duorum annorum constanter statuit, ita ut annus duodecimus æræ vulgaris, quo Dominica Paschatis fuisset dies* XXVII *Martii, ei sit annus trigesimus quartus, et ita porro* (20); *Sigeberti vero animadversiones legere est ad annos* 532 *et* 1063 (21).

abisque scriptoribus colligitur,

45 *Post hos citandus est Guilielmus Durandus Mimatensis episcopus, qui pariter de Christo Domino nostro asserit* (22) : Crucifixus est eadem die qua conceptus est de Virgine, scilicet in sexta feria, quæ fuit XIII Calend. Aprilis; *item* (23) : Vere surrexit in die VI Calend. Aprilis; *describitque et versus nescio cujus poetæ de die* XXV *Martii* (24), *quorum duo primi ita sonant :*

Salve festa dies, quæ vulnera nostra coerces.
Angelus est missus : est passus et in cruce Christus.

Et sæculo XV *quam alte ea persuasio adhuc animis insideret, inde patet quod, ut Petavius notat* (25), Alphonsus Tostatus, cum Senis in Etruria inter

(1) Vet. Occid. Eccl. Martyrol., p. 1049 et seqq. — (2) Martyrol. Adon., p. 656 et seq. — (3) Rer. Ital. Script., t. II, part II, p. 1027 et seqq. — (4) Excurs. litt. per Ital., cap. XV, p. 290 et seqq. — (5) Ibid., cap. XVI, p. 353 et seqq. — (6) Apologia delle Memorie antiche di Rovereto, p. 329 et seqq. — (7) De Calendariis, p. 105 et seqq. — (8) Eccl. Florent. Monum., t. IV, p. 62 et seqq. — (9) Catal. cod. Latin. Biblioth. Medic. Laurent. t. I, col. 172 et seqq.; Biblioth. Leopold., t. I, col. 133 et seqq., 205 et seqq., 215 et seqq.; t. III, col. 147 et seqq. — (10) In vet. marm. S. Neapol. Eccl. Kalend. Comment. ad XXV Mart., t. I, p. 113. — (11) This prymer of Salisbury. Rouen 1556. — (12) The chronology of History, p. 95 et seqq., edit. Lond. 1838. — (13) De temp. ratione, cap. XLV, t. II Op., p. 89, edit. Colon. 1612, aut. cap. XLVII, t. VI Op., p. 242, edit. Lond. 1843. — (14) Loc. cit. — (15) Cfr t. II Augusti, p. 366 et 367. — (16) Ibid., p. 379. — (17) Ibid., p. 368, not. *i*. — (18) Ad an. 1065, apud Ussermann. Germ. Sacr. Prodrom., t. II, p. 8; item apud Pertz. Monum. Germ. hist., t. V Script., p. 428. — (19) Ibid., not. 4. — (20) Apud Pertz, op. cit., t. V, p. 481 et seqq. — (21) Ibid., t. VI, p. 316 et 361. — (22) Ration. div. Offic., lib. VI, c. LXXVII, n. 28, fol. 213, edit. Lugd. 1551. — (23) Ibid., cap. LXXXVI, n. 11, fol. 227. — (24) Lib. VII, c. IX, n. 3, fol. 267. — (25) De Doctr. temp., t. II, lib. XII, cap. IX, p. 232, 233, edit. Venet.

capita

A. T. capita XXI quæ disputanda proposuerat, hoc ipsum edidisset, Christum die XXV Martii non esse mortuum, sed die tertia Aprilis, anno XXXIII ætatis suæ ineunte, instante Joanne Turrecremata Cardinali postulatus judicio atque damnatus est, uti Mariana noster meminit libro de anno et die mortis Christi cap. X ; qua de re longissimam Apologiam scripsit Tostatus, Defensorii nomine. *Petavii autem verba dum refero, animus mihi non est illa discutere quæ is antiquæ illi traditioni opposuit. Discussit illa sapienter Sanclementius : mihi vero satis est, quod abunde demonstratum esse reor, traditionem illam per multa sæcula vix non communem in Ecclesia occidentali fuisse.*

pro fixo habetur Resurrectionis Christi anniversario.

46 *Concludit proin merito Hansizius* (1) : Res igitur est explorata diem Resurrectionis Domini vetusto scriptorum et tabularum ecclesiasticarum sensu diem esse fixum ad VI Kalendas Aprilis seu XXVII Martii ; proinde longe diversum a Dominico Paschatis, utpote festi, ut vocamus, mobilis, et pro eventu lunæ XIV jam in Martium, jam in Aprilem incidentis. Quibus hunc modum statutis, perspicuum est ea verba Rupertinæ Vitæ quæ notant reddidisse spiritum die Resurrectionis Domini, B haud imponere necessitatem nobis ut die Dominico Paschatis mortem oppetivisse credamus, sed hoc tantum et non amplius quam esse mortuum die XXVII Martii, quam ipsam ad diem Martyrologi decessum sancti viri constituunt. Sic Rosweydianus post factam commemorationem Resurrectionis Domini ad eamdem diem VI Kal. Aprilis apponit : « Ruotberti episcopi et confessoris. » Coloniensis sic : « Eodem die Sancti Ruperti episcopi in Wor- » macia et confessoris. » Grevenus : « Resurrectio » Domini » ; deinde : « Ruperti episcopi civitatis » Vangionum, quæ nunc Wormacia dicitur, et » confessoris. » Melanus : « Hierosolymæ Resur- » rectio Domini nostri Jesu Christi » ; et postea : « Wormaciæ S. Ruperti episcopi et confessoris, » qui temporibus Childeberti in Bavaria, Austria, » Styria et toto Norico doctrinam Christi propaga- » vit. » *Similiter Kalendaria Frisingense apud Eckhartum, Mosacense 1 apud Althanum ac Diessense apud OEfelium utramque memoriam Resurrectionis et S. Ruperti conjungunt.* Peropportunum ad rem nostram, *prosequitur idem,* exemplum visere licet apud Ughellum in episcopis Tridentinis (2) de Altemanno fundatore collegii Subonensis in Bavaria, C de quo sic : « Jam factus senex excessit e vivis die » Dominicæ Resurrectionis VI Kal. Aprilis, anno » 1130. » Ubi itidem manifestum est diem Resurrectionis Dominicæ non capi pro Dominico Paschatis : nam anno memorato 1130 Dominicus Paschæ non incidit in diem IV Kal. Aprilis, sed in diem III Kal. Aprilis, id est, XXX Martii ; dies autem Resurrectionis VI Kal. Aprilis ceciderat in feriam V sacratioris hebdomadæ. Quamquam autem hic annus obitus Altmanni non recte sit ab Ughello consignatus, cum certum sit non annum modo tricesimum ejus sæculi, sed etiam quadragesimum annis aliquot superasse (3) ; tamen ad annum 1155, quo primum dies XXVII Martii Paschalis fuit, haud pertigisse, satis compertum est. Denique consulenti tum chronicos tum biographos, ubi referunt rem die Paschatis factam, semper edisserere diserte factum aut IN SOLEMNITATE PASCHALI aut DOMINICO PASCHÆ aut IN PASCHA simpliciter ; vix umquam autem dicere IN DIE RESURRECTIONIS : quod sexcentis D locis demonstrari posset ; ac si quando vocem RESURRECTIONIS usurpent, eam signant apposito SOLEMNIS aut FESTI, sic : DIE FESTO RESURRECTIONIS, DIE SOLEMNI RESURRECTIONIS.

porsus distinguendo

47 *Quæ hactenus attulimus Hansizii ratiocinia, ea repetit fere Martinus Gerbertus, dum agit de epocha S. Ruperti (quam tamen incertam relinquit) occasione narrandæ a se originis monasterii S. Trutperti* (4). *Eadem probabilia etiam visa fuere Reschio* (5), *scribenti de anno ac die obitus S. Ruperti. Et jam antea calculum suum iis adjecerat Tartarottus in annotationibus suis ad Catalogum episcoporum Tridentinorum* (6) *et ad Kalendarium Tridentino-Veronense*(7); *ubi addidit non satis se intelligere quomodo ab Althano* (8) *laudari potuerit Laurentius a Turre quod existimasset Kalendarium Gertrudianum, cui ad* XXVII *Martii Resurrectio Domini inscribitur, exaratum fuisse anno* 981, *quia tunc Paschatis celebritas in illum diem incidit : id quod sane vel eo magis mirandum est quod Althanus ipsemet observavit in veterrimis Martyrologiis Resurrectionis Dominicæ diem veluti proprio loco* VI *Kal. Aprilis memorari* (9), *et biduo ante Annuntiationi* E *Dominicæ Crucifixionem adjungi* (10) ; *ut adeo conjectura illa Laurentii Turrii potius inter anachronismos, de quibus supra (num. 44) Ussermannum loquentem audivimus, deputanda esse videatur, non secus ac illud Lamii ratiocinium de Kalendario Florentino a se edito* (11) : In Calendario Pascha *(imo* Resurrectio Domini) diei VI Kal. Aprilis adsignatur ; eo autem sæculo illa die Pascha non contigit nisi annis MXVI, MXXXV, MLIV, MLXIII, MXCII ; Sanctus autem Bononius abbas *(Kalendario inscriptus)* obiit anno MXXVI : quare oportet ut hic codex scriptus fuerit vel anno MXXXV vel MLIV. *Denique merito Helwigius in opere chronologico pro dignoscendo tempore datorum diplomatum* (12) *indicat apud medii ævi homines dies* XXV *et* XXVII *Martii reputatos fuisse uti fixos* Passionis *seu* Crucifixionis *et* Resurrectionis Domini *anniversarios, sicut et* V *et* XV *Maii* Ascensionis Domini *et* Descensus Spiritus Sancti ; *hosque proinde bene distinguendos esse a solemnitatibus mobilibus quibus ecclesia quotannis illa sanctissima mysteria recolit.*

a mobili solemnitat Paschatis,

48 *Putem autem documentum sacræ antiquitatis nullum extare ex quo ea inter fixum Resurrectionis diem ac mobilem Paschatis solemnitatem distinctio* F *manifestius eluceat quam ex ordine vigiliarum quem S. Perpetuus sextus Turonensium episcopus in sua ecclesia instituit sæculo* V, *et quem S. Gregorius Turonensis suæ Historiæ insertum nobis conservavit* (13). *In eo ordine inter cæteras majorum festivitatum vigilias illæ duæ indicuntur* (14) : Sexto Calendas Aprilis, Resurrectione Domini nostri Jesu Christi, ad basilicam domini Martini. Pascha, in ecclesia, *nempe cathedralis, quæ alia erat a S. Martini basilica. Unde colligendum videtur Turonensem et fortasse alias quasdam Gallicanas ecclesias tunc temporis, præter solemnissimam Paschatis Dominicam a varietate lunæ pendentem, diem quoque* XXVII *Martii festum egisse in memoriam Christi resurgentis* (16). *Huc respicere videtur quod S. Martinus Dumiensis sæculo* VI *testatum reliquit* (16) : A plerisque Gallicanis episcopis usque ante non multum

(1) Loc. cit. — (2) Ital. Sacr., tom V, col. 596, edit. Coleti. — (3) Cfr. Gentilotti apud Ughellum, ibid., not. 1 et 2 ; Tartarotti, Apologia delle Memorie antiche di Rovereto, p. 297 et seqq. — (4) Hist. Silv. Nigr., tom. I, lib. III, n. 14, p. 53.— (5) Annal. eccl. Sabion., tom. II, sæc. VII, not. 155, p. 548. — (6) Op. cit., p. 268. — (7) Ibid., p. 344.— (8) De Calendaris, cap. X, p. 87 et 88. — (9) Ibid., cap. VI, p. 55. — (10) Ibid., p. 58.— (11) Eccl. Florent. Monum., t. IV, p. 61. — (12) Zeitrechnung zu Erörterung der Daten in Urkunden, p. 7, 10, 13, 14, 44, 49, vocibus *Ascensa, Commemoratio Passionis, Crucifixio, Passio, Resurrectio.* — (13) Hist. Francorum, lib. X, cap. XXXI, apud Bouquet, Rer. Gall. Script., t. II, p. 386. — (14) Cfr Ruinart, ibid. in not.; Carpentier, Supplem. ad Cangii Glossar., voce *Resurrectio*, t. III, col. 399. — (15) Mabillon, de Liturg. Gallic., p. 105 ; Ducange, Glossar. med. et inf. Latin. voce *Resurrectio*, t. V, col. 1587, edit. 1734 ; Florentinius, Vet. Occ. Eccl. Martyrol., p. 406 ; Tartarotti, op. cit., p. 344.—(16) De Pascha, apud Flores España sagrada, t. XV, append. III, p. 414.

tempus

A tempus custoditum est ut semper VIII Kal. Aprilis diem Paschæ celebrarent, in quo facta Christi Resurrectio traditur. *Equidem video tractatum S. Martini Dumiensis de Paschate vix esse aliud quam repetitionem eorum quæ in Synodo Cæsariensi, præside S. Theophilo, circa annum* 198 *pro Paschatis die recte statuendo disputata fuere, et in veteri de his narratione sub ipso exordio legi* (1) : Nam omnes Galli unum diem anniversarium VIII Kal. April. Pascha celebrabant, dicentes : Quid nobis est ad lunæ computum cum Judæis facere Pascha ? Sed sicut Domini Natalem, quocumque die venerit, VIII Kal. Januarii, ita et VIII Kal. Aprilis, quando Resurrectio traditur Christi, debemus Pascha tenere ; *unde et S. Beda* (2) *atque ex eo B. Rhabanus* (3) *ita habent :* Nam Galli quacumque die VIII Calendas Aprilis fuisset, quando Christi Resurrectio fuisse tradebatur, Pascha semper celebrabant *Verumtamen conjicio laudatum S. Martinum, quandoquidem id a Gallis* usque ante non multum tempus custoditum *ait, non ex solis actis Synodi quadringentis fere annis antea habitæ, sed ex accepta recentius notitia, neque hac satis accurata, ita locutum fuisse. Non satis accuratam dico notitiam, quia* B *supponit diem fixum Resurrectionis pro ipsa Paschali solemnitate a Gallis adhuc fuisse celebratum ; perinde ac si nondum sese subjecissent universalibus Ecclesiæ decretis de Dominica Paschatis : quod quum ex aliis documentis historicis, tum vero ex ipso ordine vigiliarum Turonensi satis refellitur. Quare sic equidem existimo fuisse in Gallia ecclesias quæ primitus non nisi fixo die, prout narratio jam citata perhibet, annuam Resurrectionis Domini memoriam egerint ; postmodum vero, decisa controversia de Paschate, easdem ecclesias sese cæteris omnibus catholicis in die Paschatis observando conformasse quidem, sed simul pristinam illam Resurrectionis fixo die recolendæ consuetudinem aliquamdiu retinuisse. Quod autem scriptores modo allegati dicunt fixum hunc diem apud Gallos fuisse* VIII *Kal. Aprilis, haud scio an dictum sit potius secundum Orientalium persuasionem, quam etiamnum Menæa Græcorum exprimunt, Christum scilicet* VIII *Kalendas Aprilis surrexisse* (4), *quam secundam veram Gallicanarum illarum ecclesiarum praxim. Utcumque hoc se habeat, certe ordinatio S. Perpetui, sicut plerique fasti latini de quibus antea egimus, Resurrectionem non* VIII, *sed* VI *Kalendas Aprilis affigit.*

C *necesse non est S. Rupertum ipso Paschalis die mortuum dicere.*

49 *Quod si quis velit ex vetusta illa Gallorum consuetudine interpretari quod in Vitis S. Ruperti narratur, die orto Resurrectionis Christi eum Missarum solemnia lætum persolvisse, haud multum repugnabo : quamquam potius reor locutioni ejusmodi non eam significandi vim inesse ut tali interpretatione opus sit ; siquidem satis constat dictionem* Missarum solemnia *usurpari haud raro de Sacris sine ullo speciali apparatu factis. Si vero illa phrasis :* Sic suum contigit Phase sacro Paschæ tempore *stricto verborum sensu accipienda esset (quod tamen mihi dubium est), quum sacrum Paschæ tempus non sola Paschalis Dominica sit, sed multo latius pateat, obitus S. Ruperti innectendus foret anno quo dies* XXVII *Martii intra tempus Paschale incidit : qualis fuit annus* 726, *sed non item* 723, *ut erronee signat Hansizius* (5), *nisi Sabbato Sancto, quod anno* 723 *die* XXVII *Martii occurrit, et a cujus Missa tempus Paschale ex Ecclesiæ usu incipit, Sanctus ex hac vita migrasse dicatur. Ad extremum attendi velim scriptorem annotationis de translatione S. Ruperti annuaque ejus memoria, annexæ Brevibus Notitiis sæpe a me allegatis* (6), *satis innuere Resurrectionis diem a se quoque ut fixum atque adeo a mobili Paschatis festo diversum haberi. Etenim hunc in modum is loquitur :* Et dies transitus ejus, VI Calend. Aprilis die Resurrectionis Dominicæ, propter Officia Quadragesimæ vel ipsius Paschæ raro sicut dignum est, contingit celebrari ; *quæ verba satis clare indicant diem Resurrectionis Dominicæ intra Quadragesimam cadere potuisse, id quod de Paschatis festo absurdissimum dictu foret.* A. T.

§ III. De S. Vitalis vita, episcopatu, morte ac sepultura.

De S. Vitalis

E*x præmissis hæc fere chronotaxis rerum a S. Ruperto gestarum videtur statui posse. Anno secundo vel quinto Childeberti III, id est, anno Christi* 696 *aut* 699, *S. Rupertus erat in Wormatia civitate episcopus. Non diu post, invitatu Theodonis ducis, primum aliquot sacerdotes in Bajoariam destinavit ; deinde ipse illuc accessit, et Ratisbonæ Theodonem cum optimatibus et multo populo ad fidem Christi conversum baptizavit. Circa id tempus Theodo ditionem Bajoariæ cum tribus filiis divisam habebat ; quæ divisio non serius quam anno* 702 *facta fuit. Ratisbona digressus, Sanctus expeditionem suscepit apostolicam per alveum Danubii usque ad fines Pannoniæ inferioris ; tum inde revertens, Laureacum pervenit, ibique aliquamdiu substitit ; postea iter denuo arripuit, evangelium multis locis cum fructu prædicans : quæ quidem omnia itinera ac labores annorum certe aliquot spatium exegerint necesse est ; ita ut Salisburgensis ecclesiæ primordia non ante annum* 710 *collocari possе, imo potius aliquanto post hunc annum collocanda esse videantur. Eo igitur tempore, magna Norici parte peragrata, Sancto ad locum Walarium,* Wallersee *populari nomine dictum, locus erigendæ cathedræ episcopali sese obtulit, ubi templum in honorem S. Petri dedicavit. Sed inventis postea haud procul inde splendidæ quondam urbis Juvaviæ ruderibus, eo demum transtulit fixitque episcopii sedem, molitus novam sub S. Petri item nomine basilicam. Interim anno* 716 *locum habuit ducis Theodonis peregrinatio Romana : ex qua is redux, consensum præstitit ædificationi ecclesiæ S. Maximiliani in Pongau ; nec diu post vita functus est, prius scilicet quam hæc ædes Deo consecraretur. Quo opere absoluto, sub Theodoberto patris in ea principatus parte successore, Sanctus præsul patriam suam repetiit ; ex ea reversus cum duodecim viris apostolicis atque Erendrude nepte, cœnobium virginum condidit et recto ordine disposuit : dehinc regionem circuivit verbum Dei undequaque spargens, templa erigens, ministros sacrorum constituens ; donec tandem instantis mortis præscius Salisburgum remeavit, ibique in Domino obdormivit post annum, ni fallor,* 720, *delecto sibi in successorem S. Vitale, de quo nunc nobis specialius agendum.* E F

vita et actis

51 *Ut copiosa satis sunt scripta miracula S. Vitalis gloriamque ejus posthumam illustrantia, de quibus inferius recurret sermo ; ita e contrario in magna documentorum penuria versamur quod ad vitam ejus et actiones attinet : quoniam nullus noscitur ætati ejus æqualis aut propinquus qui eas*

(1) Baluzzi Nov. Collect. Concil., col. 13 et 14.—(2) De temp. ratione, loc. cit., item de æquinoct. vern., t. II Op., p. 232, edit. Colon. 1642.—(3) De Computo, cap. LXIV, apud Baluzium. lib. I Miscell. seu t. II, p. 76, edit. Mansi.—(4) Cfr t. III Mart., p. 541 et 543, item Petavius, op. cit., lib. XII, cap. XI et XII, p. 235 et 236.—(5) P. 922.—(6) Apud Hansizium, p. 33 ; apud Canisium, tom. cit., p. 284 et 475, t. III Mart., p. 702.

 posterorum

A. T.

posterorum memoriæ commendare curaverit. Quare pro hac parte paucis ita disserit *Hansizius* (1) : De S. Vitale hoc unum peculiare memoriæ proditur quod Pinzgavienses ad fidem converterit. Populus est inter Alpes diœceseos Salisburgensis, qui S. Vitalem hodieque ut suum venerantur Apostolum. Ab auctore opusculi de Conversione Bajoariorum et Carantanorum laudatur hoc elogio : « Vir carus omni populo, egregiusque doctor et » seminator verbi Dei Vitalis episcopus. » A poeta anonymo prædicatur « Pastor verus, cœlesti ne- » ctare plenus. » Sane compendium laudum argumentumque præsentissimum sanctimoniæ et spiritus ejus apostolici est testimonium S. Ruperti, qui eum e cœtu discipulorum suorum, quos operæ apostolicæ consortes habuerat, præ omnibus delegit qui in opus ab se cœptum succederet; haud dubie non facturus nisi dignissimum omnium censuisset. Quo etiam manifestum fit laborum S. Ruperti fuisse in omnibus participem, sociumque eorum itinerum quibus « totum spa- » tium istius circumivit patriæ evangelii prædicandi gratia. De genere ac patria nihil compertum. Vitalis nomen latinum est, cujusmodi plures oc-
B currunt in tabulis Sanctorum. Monachum S. Petri fuisse colligit Yepesius ex Bulla Pii secundi Papæ super Relatione de miraculis S. Vitalis, ubi ait « testari libros antiquos et veteres scriptores, » esseque de hoc vocem et famam quod sanctis- » simus pater Rupertus inter plures suæ congre- » gationis perfectos singulariter S. Vitalem statuit » successorem. » De anno emortuali documentum item legitimum non extat.

pauca admodum certo noscuntur.

52 *Enimvero quæ præter hæc ab Hansizio indicata menologi aliique scriptores novissimorum sæculorum de vita virtutibusque S.* Vitalis *affirmant, non multum certitudinis habent; sed intra fines probabilis conjecturæ aliqua (nam de omnibus ne id quidem dixerim) continentur. Nullum, quantum equidem scio, documentum de S.* Vitali *a nostra ætate remotius adducere quis unquam potuit quam* librum notabilem et pretiosum de veteri scriptura minime suspecta, sed omni prorsus vitio et suspicione carente, *ex quo antiquissima quæ noscuntur S.* Vitalis *miracula ad canonizationem ejus obtinendam prolata fuere* (2). *In eo autem libro, nescio quando, sed certe post annum* 1181 *exarato, Sancti nostri laus brevissime ita texitur* : Sanctus Rudbertus primus Juvavensis doctor venerabilem Christi confessorem Vitalem, ob eximiam castæ conversationis gratiam, migraturus ad Christum successorem sibi designavit. Qui susceptum regimen, ut in Vita prænominati Patris Sancti Rudberti legitur, et prudenter administravit et feliciter complens requievit in Christo XIII Cal. Novembris. Cujus merita Deus revelare dignatus est ad sepulchrum ipsius, quod in Salzburgensi monasterio S. Petri habetur, ad honorem nominis ejus multa miseris mortalibus ad ipsum clamantibus beneficia præstat. *Neque ulla præterea S.* Vitalis *biographia in causa canonizationis memoratur; sed testes in ea interrogati super articulis de sanctitate notitiam suam passim repetierunt ex legendis quas vocant authenticis SS. Ruperti et Virgilii atque ex seniorum traditione. Unde sponte patet non magni faciendum esse, quod Canisius seu Vitam quamdam S.* Vitalis *edidit* (3), *oratorium potius quam historicum encomium, a Martino Hättinger abbate Salisburgensi sub initium sæculi* XVII *concinnatum* (4), D
in quo præter operam conversioni Pinzgaviensium aliorumque populorum impensam prædicantur virtutes omnes optimo pontifice dignæ, præ cæteris vero mansuetudo plane insignis, misericordia erga pauperes et afflictos ac singularis dissidia componendi ferocissimosque animos ad humanitatem flectendi gratia; tum de natalibus Sancti et de miraculis ab eo vivente patratis ita scribit idem auctor : Quis, inquam, ambigere poterit quin illustri prosapia aut regum aut principum beatissimus Vitalis progenitus sit, cum a S. Rudberto tantopere excultus, veneratus, dilectus, prælatus, et in secundum episcopum Salisburgi electus fuerit? Quantis certe miraculis in vita floruerit, ex hoc quilibet animadvertere potest quod provolutis in terram cæcis visum solo cæli intuitu, claudis gressum uno solo suspirio, paralyticis membrorum sanitatem unica familiari salutatione reddidit.. *Verum hæc equidem miracula ex iis fuisse arbitror quæ ad tumbam S.* Vitalis *a sæculo præsertim duodecimo contigerunt : quæ quum in tabulis tumbæ contiguis, de quibus in Actis canonizationis fit sermo* (5), *sic a pictore repræsentata essent ac si Sanctus ea præsens operaretur, hinc panegyrista conjecerit rem ita vere* E
se habuisse (6); *neque aliter dixerim de Dominico Hessio Ord. S. Francisci, qui in Catalogo metrico præsulum Salisburgensium* (7) *illa de miraculis S.* Vitalis *carmina pepigit* (8) *:*

Quid loquar exiguo miracula plurima versu?
Quod panacea nequit (cunctos sanare dolores
Quamvis dicatur), nequeunt quod Pæonis herbæ,
Hoc sanctæ signo ille crucis validaque precum vi
Præstitit, invisos morbos lethique ministros
Pellendo, atque aliis decus immortale parando
Miraclis : pietas animi valet integra tantum.

Insulse Basnagius de miraculis

53 *Quamquam explodendus Basnagius, qui hisce piorum virorum cogitatis, quæ et Bucelinus* (9), *Mezgerus* (10), *Bertholdus Rizelius* (11) *aliique adoptarunt, non veretur impietatis notam inurere :* Quis vero ferat *inquiens* (12), Vitalem iisdem lineamentis, eadem illa miraculorum potestate, si non majori, ac olim Messiam Johannis Baptistæ discipulis (13) armatum repræsentari? Sufficiebat ipsi ictus oculi, imo salutatio. *Nec ferme magis pensi habet miracula quæ S.* Vitalis *jam in cælo regnantis intercessione constat fuisse patrata.* Sed est, *ait jure Hansizius* (14), hominis istius institutum, ex sua videlicet F
disciplina, sugillare passim miracula, tanta libertate ut hoc unum prope sufficiat ad illudendum quod præter ordinem naturæ sit. Quo persecutores isti miraculorum omnia propemodum extraordinaria Dei beneficia convellunt, et præterquam illa quæ sunt in sacris litteris, cætera ludibrio habent omnia, scriptorum quamtumvis veterum ac testium etiam oculatorum fide contempta et irrisa : quo magnam historiæ sacræ et ecclesiasticæ partem una plaga succidunt; scriptores etiam gravissimos malæ fidei aut anilis credulitatis arguunt, ipsi videlicet soli sapientes et arguti, Deo assidentes a consiliis legemque dictantes · NON PLUS ULTRA, quam scilicet quantum ipsi capiunt; fidem quoque derogantes pollicitis Christi (15) : MAJORA HORUM FACIENT.

aliisque rebus ipsius

54 *Ad hæc indoctum quoque Basnagius idem se prodidit de rebus historicis censorem, quando hæc in chartam conjecit quæ subdo* (16) : Si quid sentiam aperire licet, credam multo potius *(contra decem*

(1) P. 71 — (2) Apud Canisium, tom. cit., p. 358.— (3) Ibid., p. 348 et 349. — (4) Cfr Noviss. Chron., p. 64, 501 et 502. — (5) Apud Canisium, loc. cit., p. 363. — (6) Cfr Noviss. Chron., p. 74. — (7) Cfr id., p. 59.— (8) Ibid., p. 72.—(9) Menolog. Bened. ad XX Oct.—(10) Hist. Salisburg., lib. II, cap. II, p. 168. — (11) Sanct. et Beat. Austr., p. 171. — (12) Observat. de Monum. Salisburg. in nov edit. Canisii, tom. cit. p. 272 et 273.— (13) Matth. XI, 5; Luc. VII, 21, 22. — (14) P. 980 et 981.— (15) Joan. XIV, 12. — (16) Loc. cit.

scilicet

A *scilicet sæculorum fidem)* Vitalem eum esse qui cum Emerammo venit e Gallia, teutonicam callens linguam, cujus ope Pannonios ad Christum adducere tentabat (1). Vixit Emerammus an. 697. *Et paulo post de S.* Vitali *rursus ait :* Vix episcopum aut hominem fuisse confitetur Mabillonius : « Ipse » facile Vitalem Rudberto successisse credide» rim, *inquit* (2); si tamen alius fuit a Vitali » qui Arnonis indiculo subscripsisse invenitur. » *At hominis inscitiam cum mala fide conjunctam audi quibus verbis castiget sæpe laudatus Hansizius* (3) : Illud autem prius punctum de Vitale, quem potius credit e Gallia cum Emmerammo venisse, linguæ Teutonum interpretem, quam e Wormatia cum Ruperto, sic habe, lector : conjecturam esse minus libratam. Emmerammum ait vixisse an. 697, nullo teste laudato ; fortassis quod legerit hoc anno monasterium Ratisbonæ conditum, a S. Emmerammo dictum. Poterat Basnagius levi opera, si tantilla fuisset cura, legere apud Hundium et Velserum epitaphium Emmerammi, quod notat eum esse passum anno DCLII. Triennio fuerat in Bajoaria versatus, ut liquet ex ejus Vita per Cyrinum *(is est Aribo Frisingensis episcopus)*
B scripta. Igitur anno 649 cum Vitale presbytero appulit ad Bojos. Jam vero si Vitalem hunc dixeris dein successisse Ruperto anno circiter 720 *(et sane anno* 718 *obiisse S. Rupertum censet Basnagius)*, quot annos tandem natus erat id temporis Vitalis? Minimum aliquot supra nonaginta. Nam anno 649, cum fuerit jam presbyter, annos aliquot et viginti habuerit necesse est ; quibus adde annos 70, qui ab anno 649 ad annum 720 lapsi sunt. Colliges annos ætatis universim 95 minimum : quo jam adeo decrepitum ægre persuadeas ad episcopalem curam, quæ navum hominem illo præcipue rudi Salisburgensis ecclesiæ principio requirebat, esse vocatum.

disseruit. 55 Quid multis? Poterat in Vita S. Emmerammi, ut et apud Meginfredum, quem inter opera Canisii eodem tomo quarto *(imo tomi tertii parte priore)* vulgavit, legere quid illo presbytero Vitale factum sit ab Emmerammi morte. Adstiterat is Martyri moribundo : ab ipso Martyr in suo sanguine jacens pro refrigerio petierat aquam ; iste cunctatus : « Quid, inquit, refocillari vis, cum sis mem» bris corporis destitutus, cui expediat mori quam» primum, quam in tantis cruciatibus vivere ? »
C Mox pœnam accepit, ut quoties potum admoveret ori, mentis fieret inops. Id ita factum : Vitalis enim diu post obitum magistri Ratisbonæ vixit, homo cætera multarum conspicuus exemplo virtutum, id unum perpessus ut potione quavis alienaretur a mente, huc illucque discurrens per voragines et abrupta, per turres et culmina, nulla tamen sui nec aliorum noxa. Hæc Cyrinus octavi sæculi scriptor, fide sane dignus, utpote cum ipse Basnagius non aliunde quam ex ipso Vitalem illum didicerit. Nullum ibi somnium de episcopatu Salisburgensi, quem quis credat aut ignorari potuisse ab Cyrino aut dissimulari? præclarum certe locum Emmerammi laudandi non prætermissuro, si inter ejus discipulos episcopum licuisset Juvavensem memorare. Ratisbonæ ait ipsum ab obitu Sancti Martyris vixisse, non Salisburgi. Sed res teneri, ni fallor, manibus potest. Facessat igitur conjectura Basnagii. Vitalis fuit Ruperti successor, credibile sociorum unus ex illis quos Rupertus adduxerat e Wormatia. Quæ Mabillonius ambigue primum de Vitale scripserat, paulo post perduxit ad liquidum invento catalogo metrico vetusto illo, quo sumus et nos usi. Sed idipsum disci poterat ex Historia conversionis aliisque monumentis, quorum meliora produximus in Actis. *Et qui Mabillonium dubium tenuerat Vitalis Annotationi Arnonis subscriptus, hunc ne quis jam cum S.* Vitale *episcopo confundere ulla probabili ratione queat, facit Ordo monachorum defunctorum antea memoratus (num.* 17), *cui inter centum primos non minus quam sex inscribuntur eodem Vitalis nomine appellati, et tribus horum attribuitur titulus presbyteri* (4). A. T.

56 *Rejectis igitur quæ Basnagius aut effinxit aut ex Mabillonio, quando hic se ipse jam correxerat, recoxit, curandum nobis restat ut defectum genuinæ Vitæ S.* Vitalis, *qualem desiderari jam dixi, quoad ejus fieri poterit, notitiis vel certis vel saltem satis probabilibus aliunde haustis, suppleamus. Qua in re diligentissimam navavit operam Amandus Pachler Salisburgensis monasterii ad S. Petrum abbas, edito ad annum* 1663 *volumine cui titulum fecit :* Disquisitiones in vitam et miracula Sanctissimi Vitalis Confessoris et Pontificis,.... collectæ ex antiquis monimentis : *quo ex libro pleraque sua acceperunt qui deinde S.* Vitalis *acta commentati sunt,* E *Mezgerus, Rizelius, Novissimi Chronici scriptores aliique. Sunt autem disquisitiones Amandi septem : prima de patria, parentibus et discipulatu S.* Vitalis ; *secunda de successione ejus in episcopatum ; tertia de gestis in episcopali regimine ; quarta de felici transitu, sepulcro, imaginibus, reliquiis ; quinta de sanctitate, canonizatione, inventione et translatione ; sexta de miraculis ; septima demum de cultu S.* Vitali *tam olim quam hodie præstito. Ac nomine quidem Disquisitionum consulto ille ac sapienter usus est,* quum, *ut bene advertit ipsemet* (5), omnes fere partes dubiis suis et quæstionibus non careant, ut adeo oporteat disquirere quæ vera quæque dubia in his omnibus contineantur. *Cæterum quod abbas Amandus prolixa indagine, nos breviter transigere satis habemus.* Inquiritur

57 *Patriam habuisse S.* Vitalem *cum S. Ruperto communem sententia plerorumque omnium est qui de utroque scripserunt. Itaque horum longe maxima pars Francigenam fuisse S.* Vitalem *statuunt : quia persuasum habent S. Rupertum in Francia natum fuisse, et quidem* ex regali prosapia Francorum, *ut sinceræ Vitæ ipsius adstruunt : Franciam autem intelligunt regionem illam omnem quæ Francorum* F *regibus tunc parebat, neque adeo Galliæ hodiernæ finibus continebatur, sed late per Germaniam quoque hodiernam suos protendebat fines. Quare, quod S. Rupertus primitus* in civitate Wormatia habebatur episcopus, *non defuere qui locum ejus natalem apud Vangiones statuendum esse determinarint: quam tamen conclusionem latius patere quam præmissas (quod vetant dialectici) nemo non perspicit. Alii, præeunte Vita spuria, originem S. Ruperti ex regibus Francorum simul ducibusque Scotorum repetentes, cunas ejus in Hibernia collocant : quam male, videsis jam dudum a Papebrochio* (6), *deinde a Mezgero, qui tamen rem minus dirimit* (7), *tum ab Hansizio* (8) *aliisque* (9) *demonstratum ; quamvis pro Hibernia adhuc pugnaverit Bernardus Pezius, sed imbellibus telis, ut jam dictum est (num.* 23), *ac Pezii Mellicensis monachi auctoritate ductus Mellicensis Bertholdus Rizelius item scripserit* (10) : E patria Vitalem adduxit sua Rupertus : hic gente Hibernus erat : quid superest nisi ut Vitalem gentis de natalibus S. Vitalis,

(1) Vit. S. Emmerammi, cap. v et xii, apud Basnagium, t. III, part. I, p. 95 et 99; t. VI Sept., p. 474, 478, 490 et 493. — (2) Act. SS. Bened. sæc. III, part. I, p. 316.—(3) P. 981 et 982.—(4) Noviss Chron., p. 174.—(5) Pag. 5.—(6) T. III Mart., p. 700.—(7) Op. cit., lib. I, cap. II, p. 76 et seqq.—(8) Pag. 36.—(9) Noviss. Chron., p. 33 et 58.—(10) Op. cit., pag. 166.

fuisse

A. T. fuisse ejusdem concedamus? *Sapientius est quod idem Rizelius ad quæstionem quinam qualesque parentes S.* Vitalis *fuerint, respondet :* Incerta, dicam potius omnino incognita, pro certis venditare mihi non est animus.... Regia eum forte, aut ex illustri certe stirpe oriundum, recentiorum divinant aliqui *(duce abbate Martino, num.* 52 *citato),* quin et cognatum ejusdem S. Ruperti fuisse arbitrantur; sed res testimonio caret omni (1). *Nec mihi proin hic ultra sistendum, qui ne illam quidem Rizelii additionem satis probo :* Id saltem augurari licet, tam præclaram indolem haud ignobile stemma aluisse.

de tempore quo se socium

58 *Proxime sese offert quæstio quam agitat abbas Amandus* (2), *quo tempore S.* Vitalis *Ruperto magistro uti seque ei socium adjungere cœperit : num Wormatiæ adhucdum consistenti, unde vel ante ipsum legatus cum aliis ad Theodonem ducem vel saltem cum ipso in Bajoariam fuerit profectus, eumque exhinc ad fines Pannoniæ et sic tandem ad Juvaviam usque, quæ nunc Salisburgum est, comitatus; an vero serius, prædicante jam Bajoariis Ruperto, primum discipulis ejus aggregatus fuerit, sive ut minister verbi Dei, sive in puerili schola Salisburgensis monasterii, ad quam, ut habent Breves*
B *Notitiæ* (3), Ledi quoque et Urso frater ejus commendaverunt domino Rudberto episcopo nepotes suos, nomine Wernharium et Dulcissimum, ad discendas litteras et officium Dei ad Juvavensem sedem suam, *additque Arno* (4) et ad tondendum ad Salzburch monasterium; *denique an ex duodenario illo virorum apostolicorum numero fueritquos S. Rupertus postremis vitæ suæ annis in patriam suam adlectum ivit. Ultimum hoc Aventino ratum fuit in tantum ut non dubitaverit S.* Vitalem *cum decem aliis designare nomine quemque suo,* oblitus duodecimum nominare, *inquit Papebrochius* (5); *et Aventini assertio, quantum saltem ad S.* Vitalem; *spectat, longe quam cæteræ probabilior habetur a Novissimi Chronici auctoribus* (6) *pro vitiosa scilicet quam tenent chronotaxi, secundum quam iter illud S. Ruperti in patriam præcessisset ædificationem ecclesiæ S. Maximiliani in Pongau mortemque Theodonis* (7). *Longe aliud est judicium Amandi abbatis* (8), *cui probabilius videtur, iisdem auctoribus referentibus* (9), S. Vitalem puerum adhuc innocentem, forsan duodecim et amplius annorum, S. Ruperto in episcopatu Wormatiæ veluti discipulum et alumnum adhæsisse, ac postea clericum et
C nondum sacerdotem cum S. Ruperto circa annum 580 *(imo haud citius utique anno* 696 *id fieri potuerit)* venisse ad Theodonem, indeque cum S. Ruperto Danubio devectum in reditu consedisse tandem Salisburgi, atque ibi plantato monasterio, induisse sacræ professionis habitum... Cui demum jam quinquagenario aut sexagenario moriturus veluti digno successori utrumque regimen et episcopatus et abbatiæ commisit.

S. Ruperto adjunxit,

59 *Quod Amando Pachlero verisimile, idem certum Mezgero* (10) *ac Rizelio* (11), *a teneris pueritiæ annis Ruperto* Vitalem *adhæsisse ; quod et Martinus abbas pridem conjectando edixerat* (12) : A pueritiæ prætexta sanctissimi pontificis Rudberti non tantum itineris socius fuit, sed alumnus et laborum atque vigiliarum æmulus, quin imo primarius ex discipulis et Jesu Christi dignissimis præconibus. *Sane si credere omnino oporteret S.* Vitalem *a pueritia sua cum S. Ruperto consuesse, non foret ambigendum quin factum id fuisset antequam monasterium Salisburgense, nedum puerilis in eo schola, extaret:* D *quandoquidem brevius spatium inter primordia Salisburgensis ecclesiæ et S. Ruperti obitum intercessit, quam est ab annis puerilibus ad ætatem episcopatui idoneam distantia. Verum nulla ratio nos cogit relatæ Pachleri sententiæ, quanta est, subscribere : ut adeo puer ne an vir* Vitalis *sese disciplinæ S. Ruperti subdiderit, in medio relinquere malim. Illud tamen, uti Pachlero, sic et mihi credibile apparet, Sanctum nostrum prius discipulum atque adjutorem S. Ruperti fuisse quam is extremum in patriam iter susciperet. Quam in opinionem ut magis propendeam, facit prior apud Papebrochium Rupertinus biographus. Namque hic Sancti reditum ex patria* eum duodecim ad prædicandum sibi sociis electis *describens* (13) : Inter quos, *ait,* erant eximii B. Kunialdus et S. Gisilarius, ambo presbyteri, ambo viri sancti, *taceique de* Vitali, *quem tamen, si inter eos duodecim viros fuisset, nominatim æque ac SS. Chunialdum et Gisilarium videtur fuisse designaturus ; quippe quum paulo post* Vitalem *deprædicet* virum sanctum et omni populi acceptum, *atque hanc ob causam a S. Ruperto successorem designatum ; quemadmodum et a scriptore Historiæ conversionis Bajoariorum et Carantanorum* Vitalis E *vocatur* (14) vir carus omni populo egregiusque doctor et seminator verbi Dei. *Accedit quod nec bene concipitur qui tanta apud populum Salisburgensem gratia fuisset* Vitalis, *si fuisset tantum recenter eo advectus et ne tum quidem ibi commoratus : nam redux e patria Rupertus cœpit mox* Norica regna, discipulorum suorum comitante caterva, circuire. *Unde nec mihi admodum displicet id quod Pachlerus suspicatur* (15), quando S. Rupertus Salisburgo in patriam abiit, S. Vitalem propter insignem suam pietatem et prudentiam domi fuisse relictum, et eidem interim vicarium regimen episcopatus et abbatiæ commissum.

60 *Porro ex modo dictis consectarium est ut mihi non tam firmiter persuadeam quam plerique ante me sibi persuaserunt, S. Vitalem fuisse S. Ruperti popularem. Quum enim incertum sit utrum S. Ruperto Bajoariam primum intranti socius necne jam fuerit, minusque etiam probetur unus ex duodecim fuisse quos postmodum Sanctus ille ex patria sua illuc accivit : consequitur posse etiam aliunde advenlasse* Vitalem *ut novellæ christianitati apud Bajoarios suppetias ferret : siquidem, ut ex Aribone S. Corbiniani biographo ante didicimus (num.* 6), F cari ibi habebantur sacerdotes, sicut novitiorum mos esse compellit. *Atque ex* Vitalis *quidem nomine, quod pure latinum est, nihil ad hanc rem elucidandam potest derivari ; siquidem rarum non erat homines in Francia, Anglia aliave barbara (ut Romani vocabant) terra genitos aut nomina latina ab infantia gestasse aut patria nomina cum latinis commutasse, maxime eos qui de clero erant, et per clericatum sub legem Romanam transibant. Sic jam supra vidimus* Vitalem *appellatum fuisse presbyterum S. Emmerammi interpretem teutonice scientem. Sic* Aribo *Frisingensis episcopus teutonicum nomen suum (quod hodie* Erb *Germanis est, Belgis* erf) *latine vertit* Hæredem, *sicut et* Cyrinum *se per hebraismum dici interdum voluit* (16). Arnonem *antistitem Salisburgensem* Aquilam *sæpius ab Alcuino vocari, supra item notavi (num.* 16) ; *prout alibi me dixisse memini bohemice* Kadim *appellatum fuisse qui latino nomine audiit* Gaudentius, *primus ar-*

et num fuerit ejus popularis.

(1) Cfr Noviss. Chron., p. 58.—(2) Disquis. I, cap. III, p. 11 et seqq. —(3) Apud Hansizium, p. 20 et 21. — (4) Ibid., p. 15.—(5) T. III Mart., p. 704.— (6) P. 59.—(7) P. 43 et seqq.— (8) Disquis. I, c. III, p. 20 et 21. — (9) P. 58 et 59.— (10) Op. cit., lib. II, cap. II, p. 166. — (11) Op. cit., p. 166. — (12) Apud Canisium, loc. cit., p. 348. — (13) T. III Mart., p. 704. — (14) Apud Hansizium, p. 66. — (15) Noviss. Chron., p. 59.— (16) Cfr t. III Septemb., p. 261.

chiepiscopus

A *chiepiscopus Gnesnensis* (1). *Et nomen S.* Virgilii, *qui ante Arnonem Salisburgensi ecclesiæ præsedit, ex hibernico* Feargil *aut* Feargal, *judice Lanigan* (2), *parce detortum est, ut ex* Sedna Sidonius (3); *cujusmodi mutationum exempla permulta apud eumdem Lanigan occurrunt. Sanctissimos vero gentium apostolos Winfridum ac Willibrordum una cum unctione episcopali hunc* Clementem, *illum* Bonifacium *Romana nomina accepisse quis ignorat? Quare, uti jam indicavi, patriam S.* Vitalis *dubiam relinquamus necesse est. Monachatum autem ejus nullo satis probabili argumento negari posse arbitror, eumque prodi voce illa ac fama ex antiquitate repetita,* quod sanctissimus pater Rupertus inter plures SUÆ CONGREGATIONIS PERFECTOS singulariter S. Vitalem statuit successorem, *ut habent Acta canonizationis: quin disceptare modo velim num* congregatio *illa jam tunc stricto vocabuli sensu Benedictina fuerit* (4), *qualis certe postmodum extitit atque etiamnum existere perseverat.*

Ab eodem morituro

61 *Ab ipso S. Ruperto* Vitalem *electum successorem, et summa quidem populi cum adamantis gratulatione, testantur Vitæ Rupertinæ omnes, excepta nec tamen quidquam in contrarium asserente illa*
B *quam Papebrochius ex Ms. Rubeæ Vallis publici juris fecit, cujus posterior pars circa laudem S. Erendrudis potissimum versatur. Vitis adstipulantur versus poetæ anonymi alias memorati (num. 12), de S. Ruperto canentis:*

Qui successorem sibi fecerat esse Vitalem,
Pastorem verum cœlesti nectare plenum.

Adstipulantur item liber vetus (de quo num. 52) antiquæque tabulæ (5), *consonis vocibus attestantes* venerabilem Christi confessorem Vitalem ob eximiam castitatis et sanctæ conversationis gratiam *fuisse ab Ruperto migraturo ad Christum successorem designatum. Imo et ab ipso* ordinatum *fert Vita primigenia; ubi credo verbum* ordinare *de vera sacri Ordinis episcopalis collatione accipiendum esse: ita ut de* Vitali *post Rupertum in thronum ecclesiæ Salisburgensis ascendente, haud immerito usurpari queant, mutatis nominibus, quæ de S. Laurentio Cantuariensi scripsit Beda Venerabilis* (6): Successit Augustino in episcopatum Laurentius; quem ipse idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne, se defuncto, status ecclesiæ tam rudis, vel ad horam pastore destitutus, vacillare inciperet. *Vacillavitque enimvero aliquanto post tempore status*
C *ecclesiæ Bajoaricæ, dum, illuc adveniente S. Bonifacio legato apostolicæ Sedis, Christiani* episcopos non habebant in provincia nisi unum, nomine Vivilum, *Pataviæ scilicet* (7), *et grassabantur in ea regione* destructores ecclesiarum populique perversores, *teste Willibaldo S. Bonifacii biographo* (8); quorum alii pridem falso se episcopatus gradu prætulerunt, alii etiam presbyteratus se officio deputabant, alii hæc atque alia innumerabilia fingentes, magna ex parte populum seduxerunt.

electus et consecratus.

62 *Quo magis lucescit prudens hoc fuisse S. Ruperti consilium ut gregi suo, antequam in cœlos abiret, de bono pastore provideret: quod ipsum sæculis anterioribus multoties a sanctis episcopis factum fuerat, clero populoque consentiente, ut late ostendunt Natalis Alexander* (9) *et Thomassinus* (10); *neque canones quibus vetabatur ne, episcopo vivente,* alter constitueretur episcopus, *neu episcopus sibi ipse eligeret successorem, videntur ita stricte fuisse intellecti ut numquam liceret episcopo, sive propter bonum evidenter secuturum sive ad mala præcavenda, sin minus spe longioris vitæ adhuc affulgente, saltem* ea hora qua se de præsenti sæculo migraturum cognosset, *quæ sunt S. Zachariæ ad S. Bonifacium scribentis verba* (11), *sibi successorem designare; præsertim quando id fieret grege non invito, adeoque abesset pessimus ille abusus quem hisce verbis proscripsit Romana Synodus anno* 465 *sub Hilaro Papa* (12): Nonnulli episcopatum, qui non nisi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, sed hæreditarium putant esse compendium; et credunt, sicut res caducas atque mortales, ita sacerdotium velut legatorio aut testamentario jure posse dimitti. Nam plerique *(id est,* multi) sacerdotes in mortis confinio constituti in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare: ut scilicet non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu. Quod quam grave sit, æstimate. *Atqui id vitii genus omne ab electione S.* Vitalis *procul exulavit.*

E

successit ei in episcopatu.

63 *Quæ quidem electio et consecratio peracta fuisse videtur aliquot ante obitum S. Ruperti hebdomadibus, quando is de propinqua morte divinitus præmonitus se in urbem receperat: quod quo anno contigerit, dudum docuimus accurate definiri non posse. Rem ita narrat biographus S. Ruperti* (13): Ipse ad urbem Juvaviensem studuit remeare; quia spiritu prophetico repletus diem vocationis suæ instare præscivit, quem discipulis suis prænuntiavit: qui tali et tam tristi indicio consternati, cur eos et tam novellam christianitatis plebem magnam desereret, mœrore ingenti affecti, lacrymati sunt. Ille autem, spe erecta ad Christum, Juvaviensem urbem et populum Noricorum et omnes ad fidem Christi conversos omnipotenti Deo altissimo commendavit, et Vitalem virum sanctum et omni populo acceptum sibi fieri successorem elegit. Cum vero dies quadragesimalis observantiæ agerentur, febrium ardore vir Dei Rudbertus episcopus fatigari cœpit. *Ubi ad oculum cernis extremam sancti præsulis ægrotationem promotioni S.* Vitalis *in episcopum postponi.*

quem non diu tenuit.

64 Tempore Vitalis, *inquit Hansizius* (14), mortuo Theodeberto duce, ac deinde Grimoaldo *(fratre Theodeberti)* anno 725 interfecto *(uti Vita*
F *S. Corbiniani docet),* successit in monarchia Bajoariæ Hugbertus Theodeberti filius, cujus beneficia in ecclesiam Salzburgensem referuntur in libello Arnonis... Plura recenset libellus Donationum. *Sub hoc principe, exacto per sat breve tempus episcopatu, S.* Vitalis *vivere desiit. Eum excessisse circa annum* 730, *a quo item anno mors S. Corbiniani non longe destitit* (15), *conjectura est laudati Hansizii, ita de Flobargiso S.* Vitalis *successore scribentis* (16): Quis autem de annis divinet? Si verum sit, quod in Chronico quodam legi, annis VII sedisse, colligi præterpropter potest eum anno DCCXXX ad sacros fasces admotum. Nam anno DCCXXXIX, S. Bonifacio tertium in Bajoariam ingresso, quando provinciam in quatuor parochias seu episcopatus divisit, nullum in Bajoaria episcopum invenerat præter unum Vivilonem Pata-

(1) Auctar. ad Acta SS., t. V Oct., p. 39. — (2) Eccl. hist. of Ireland, t. III, cap. XIX, § X, not. 127, p. 180. — (3) Ibid., not 132, p. 182. — (4) Cfr Observat. cœnabitæ Petreus, § IV, apud Hansizium, p. 992 et seqq., et Reflex. Hansizii, p. 1000 et seqq. — (5) Noviss. Chron., p. 61. — (6) Hist. eccles., lib. II, cap. IV. — (7) Gregorii III Epist. ad Bonif., quæ est XLV inter Bonifacianas, apud Wurdtwein, p. 99, apud Giles, p. 97. — (8) T. I Junii, p. 468. Cfr Seiters, Bonifacius, der Apostel der Deutschen, cap. VI et VII, p. 265, 266, 277 et seqq. — (9) Hist. eccles., sæc. V, cap. VI, art III, et sæc. VI, cap. VI, art. II, t. V, p. 150 et 396, edit. Venet. — (10) Discipl. de l'Eglise, part. II, lib. II, cap. LV, LVI et LVII, col. 1070 et seqq. — (11) Epist. LII apud Würdtwein, p. 113, seu L apud Giles, p. 109. — (12) Labbe, Concil., t. IV, col. 1061 et 1062. — (13) T. III Mart., p. 704. — (14) P. 74. — (15) Cfr t. III Sept., p. 276. — (16) P. 675.

viensem :

A. T.

viensem : quo manifestum fit sedem Salzburgensem tunc vacasse. Neque Flobargisus legitur in numero episcoporum illorum Alemanniæ et Bajoariæ quibus Gregorius III Papa S. Bonifacium in Germaniam reducem commendaverat anno DCCXXXVIII (1). *Utcumque vero de tempore Flobargisi statuendum sit, certum saltem ex his evadit S.* Vitalem *non valde diu cathedram occupasse.*

Fertur Pinzgavienses

65 *Neque interim exiguam laudem sibi promeritus est conversione Pinzgaviensium, qui eum perpetua inde traditione apostolum suum dicunt ac venerantur. Ut hanc conversionem non nisi post mortem S. Ruperti procuratam opiner, me movet quum hæc ipsa fama, eam singulariter S.* Vitali *adscribens, tum series itinerum quibus Juvaviam usque S. Rupertus pervenit. Eo enim accessit ex partibus septemtrionalibus et orientalibus, ubi Danubius juxta Ratisbonam, Pataviam, Lincium, Vindobonam versus Pannoniam fluit ; sed Pinzgavia longius ad meridiem ditionis Salisburgensis sita, in occiduam plagam protenditur Tirolim versus.* Jacet Pinzgavia, *ait Benedictus Pillwein* (2), in boreali parte seriei montium Tauriscorum inter medias Alpes diœceseos Salisburgensis ; estque vallis perlonga ac parB tim etiam satis lata, cui plures valles laterales connectuntur. Regionem feracem et lætam gens robore ac forma corporis animique industria spectabilis incolit.... Præcipua inibi loca sunt Lofer, Saalfelden, Taxenbach, Zell ad lacum et Mittersill. *Ex hisce* Saalfelden *inscribitur Annotationi Arnonis, ubi refertur* (3) : Boso liber, qui et presbyter, et Joannes frater ejus tradiderunt per licentiam Tassilonis in pago Pinushgaoe loca, nuncupantes Bisonshio et Salafelda. *Quod item Breves Notitiæ sic indicant* (4) : Buso presbyter et Joannes frater ejus tradiderunt Deo et S. Petro atque S. Rudberto ad Juvavensem sedem pro animabus suis omne quod proprietatis habuerunt in villa quæ vulgo dicitur Walchwisz, et in Bisoncio, quod nunc Pinzcou dicitur, atque ad Salvelt super Sala fluvium. *Locus autem* Bisonshio, *de quo porro ait Arno* : In supermemorato loco Bisonshio ædificata est cella, in qua monachi labore manuum suarum vivunt. *idem, ni fallor, est ac vicus hodie* Piesendorf *dictus, ubi cœnobium Benedictinum extitisse asserit auctor Lexici topographici Bavariæ* (5).

ad fidem Christi convertisse.

66 *De fide Christi per S. Vitalem in Pinzgaviam illata scriptores Novissimi Chronici in hunc modum*
C *loquuntur* (6) : Minime autem dubitandum quod Pinzgovienses, inter quos non pauci monasterio nostro sunt subditi, et non minima pars diœcesis Salisburgensis inter Alpes versus Tyrolim sitas, lacum Cellensem cohabitantes, sint filii spirituales in Christo per evangelium geniti a Sancto Vitale : cujus conversionis indicium non penitus spernendum est quod prædicti subditi Pinzgovienses ad fustum S. Vitalis singulis annis certos caseos servire debeant monasterio nostro, qui postea cum certo pane benedicto in ipso festo S. Vitalis inter pauperes dividuntur, et a Beato Vitale nomen sortiuntur PANIS S VITALIS et CASEI S. VITALIS ; quibus etiam rusticis annuum convivium exhiberi solet usque in hodierna tempora. De quibus omnibus saltem prudens dubium oriri solet an non tam sanctæ antiquitatis sint indicia. Secus enim, unde hæc ortum trahant, nihil reperitur, nisi quod aliquis Purgravius Salisburgensis Conradus fundaverit 150 caseos, quos ordinavit in pauperes erogandos anno 1218 sub Simone abbate ; uti legitur in D
manuscripto R fol. 404. Movent tamen hæc quæ diximus, animum ut fere credamus hoc signum esse peculiaris in S. Vitalem obligationis ex prima eorum subditorum conversione. Idem etiam sentiunt de conversione Pinzgoviensium authores non pauci, et ex recentioribus P. Hansizius, cæteroquin primis nostris initiis quoad historiam et chronologiam summe adversus. *Hactenus illi.*

Obiisse videtur circa annum 730, die xx Octobris.

67 *Jam si quis Indicem rerum secundi voluminis Bavariæ Sanctæ a Matthæo Radero nostro concinnatæ ad nomen S.* Vitalis *consuluerit, notatum ibi reperiet eum multos scripsisse libros. Verum nihil aliud esse quam sphalma, statim deprehendet quisquis ipsam Vitam S.* Vitalis *a Radero textam leget* (7). *Errandi occasionem præbuere verba illa :* Loquuntur integra volumina viri sanctissimi vivi mortuique immortalia opera, benignitatem in egentes, clementiam in afflictos, *etc. Quibus verbis postmodum oscitanter perlectis, Raderus vel aliquis fortasse Raderi amanuensis de S.* Vitale *in Indicem retulit :* Multa volumina scripsit, *ubi dicendum potius fuerat :* Multa volumina de eo scripta. *Sed in hunc errorem digitum intendisse, ne quis per inadvertentiam hac in re fallatur, satis erit.* E
Nec plura habeo quæ de rebus a S. Vitale *in vita sua gestis disseram : consulto enim prætermitto quæ de beata ipsius morte Martinus abbas rhetorice, poetice Dominicus Hessus, uterque vero ex genio suo, litteris mandarunt, utpote ad historiam non attinentia. Obiisse videri S.* Vitalem *circa annum* 730, *paulo ante (num.* 64) *jam diximus : diem vero obitus seu depositionis monumenta omnia unum eumdemque designant* XIII *Kalendas Novembris, quem* profestum Ursulæ *vocant Chronica Salisburgensia apud Canisium ; isque etiamnum memoriæ Sancti antistitis sacer est. Locus sepulturæ, qui semper idem permansit, est ad angulum australem templi S. Petri, juxta murum qui ab hoc templo ædem S. Catharinæ ei a latere adhærentem dividit ; ubi erat ara olim honori S. Andreæ apostoli dicata* (8). *Quod autem Martinus Hattinger de Ansologo abbate, quem proximum a S.* Vitali *gubernatorem episcopatus Salisburgensis fuisse credidit, enarrat* (9) Hic sepulchra S. Ruperti et Vitalis marmore contexit, titulis et candelabris aliisque ornamentis et insigniis exornavit; *hujus equidem asserti fidem, nullo idoneo vade suffultam, penes suum auctorem relinquo. Cæterum de tumulo S.* Vitalis *plura dicendi locus* F
erit in sequentibus.

§ IV. De miraculis S. Vitalis et processu canonizationis.

S. Vitalis

A*b obitu S.* Vitalis *spatium quatuor sæculorum ac dimidii emetiendum est, quin ulla interim de ipso mentio in annalibus sese offerat ; donec perveniatur ad annum* 1181, *ultimum pontificatus Alexandri Papæ III, regni vero Frederici I imperatoris vigesimum octavum : quo anno Conradus Salisburgensis archiepiscopus et S. R. E. Cardinalis legatusque apostolicæ Sedis metropolitanam S. Ruperti basilicam, ante aliquot annos incendio dirutam, a fundamentis instauravit ; atque interim Deus ecclesiæ Salisburgensi, quæ propter suam erga Petri cathedram fidelitatem graviter a schismaticis afflictata*

(1) Epist. XLV apud Würdtwein, p. 97 ; apud Giles, p. 96. Cfr Seiters, op. cit., cap. VII, p. 268 et seqq. — (2) Legenden Heiliger Gottes, etc., p. 241 in not. — (3) Apud Hansizium, p. 15. — (4) Ibid., p. 26.—(5) Geograph. Statist. Topograph. Lexikon von Baiern, Ulm, 1796, voce *Piesendorf*, t. II, col. 651.—(6) P. 65.—(7) P. 36.—(8) Mezgerus, op. cit., lib. II, cap. III, p. 170, et lib. VI, class. III, p. 1113 ; Hansizius, op. cit., p. 74 ; Noviss. Chron. p. 67 ; Geograph. Leik. von Baiern, t. III, col. 194 et 195. — (9) Noviss. Chron., p. 87.

fuerat,

A *fuerat, insigne decus contulit glorificatione corporum sanctorum antistitum Virgilii, Hartwici et Eberhardi in templo S. Ruperti conditorum, et S.* Vitalis *nostri in monastico S. Petri templo.* Ex quibus quatuor, *inquit ovans Baronius* (1), mox uberrima miraculorum erupere flumina, de quibus singulis illud Davidicum merito dici potuerit (2) : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. » Quibus et universa Germania irrigata est exuberante gratiarum profluvio omnium corda incolarum exhilarante. *Tum, recitato exordio Historiæ miraculorum S. Virgilii a Canisio in lucem erutæ, sic rursum loqui piissimus auctor pergit* (3) : Adeo ut de Germania ob schismata in squalentem conversa desertum illud Isaiæ dici potuerit (4) : « Quæ erat arida, erit in stagna, et sitiens in fontes aquarum. » Ut plane apparuerit nobilissimæ ecclesiæ, quæ sola inter Germanos fœderi schismate non consensit, ea divinitus fuisse concessa in fine vitæ cursus sanctissimi Romani Pontificis *(Alexandri)*; quo significaretur cœlites ipsos piis fidelibus communione conjungi et catholicis esse præsidio militantibus, qui cum Deo regnant in Ecclesia B triumphante.

cum aliis Sanctis Salisburgensibus

69 At non e S. Virgilii tantum venerandis reliquiis ejusmodi quæ sunt dicta miraculorum fluenta manarunt; sed paradisus velut (5) Saltzburgensis ecclesia tunc quatuor est irrigata fluminibus virtutum cœlestium in ostensione signorum, nempe a S. Virgilii corpore imprimis, de quo diximus, nec non a tribus aliis ejusdem ecclesiæ pontificibus, e quorum hoc eodem anno itidem adinventis sacris corporibus totidem scaturigines miraculorum e cœlo potius quam e terra divinitus erupere. Consignata sunt ista quadruplicibus Chronicis, in quibus hæc summatim : « Anno Domini millesimo centesimo octogesimo primo Alexander Papa obiit, Lucius successit : Vitalis, Virgilius, Hartwicus, Eberardus episcopi Saltzburgenses signis claruerunt. » Porro, sicut Virgilii, ita et Vitalis in codice Antiquæ Lectionis singula eademque multiplicia miracula ex antiquioribus ejusdem ecclesiæ monimentis jam edita habentur ejusdem Canisii Noviomagensis industria : reliquorum vero desiderantur. *Hucusque Baronius, quem nescio an prætererierint miracula SS Eberhardi et Hartwici, quæ apud Canisium post eorum Vitas extant* (6), *licet minori copia quam illa SS.* Vitalis C *ac Virgilii; possuntque etiam in opere nostro legi, ubi S. Eberhardi Acta Henschenius* (7) *et S. Hartwici Janningus* (8) *illustrarunt. Nec omittendum est ecclesiam quoque Pataviensem, cujus antistes Dietpoldus seu Theobaldus, schismate abjurato, amice Conrado metropolita suo tunc utebatur* (9), *in participationem gloriæ ejusdem venisse. Nam chronographus Reicherspergensis, ubi ad annum* 1181 *narravit* (10) : Eodem anno revelatum Dei nutu sepulcrum B. Virgilii III Kal. Martii, et cœperunt coruscare miracula ad sepulcrum ejus et ad sepulcra aliorum beatorum pontificum in civitate Saltzburgensi, *mox subdit :* Non multo post locus Pataviensis combustus est... Statim vero et ibi cœperunt divinitus ostendi præclara miracula ad sepulcrum B. Pilgrimi episcopi et ad sepulcra aliorum pontificum ipsius loci.

miracula inclaruit

70 *Quadruplicia quæ laudat Baronius Chronica illa ipsa sunt quæ in causa canonizationis S.* Vitalis *adduxit procurator, uti postea referam. Consentiunt hisce alii Annales libri. Mellicensis ait* (11) : Juvavensis ecclesia per sanctorum episcoporum revelationem Virgilii, Vitalis, Eberhardi, Hertwici mirifice a Christo glorificatur, et ex omnium terrarum populis votis et muneribus laudabiliter sublimatur, regnante Papa Alexandro et imperatore Frederico. *Cremifanensis* (12) : Ad laudem nominis Dei hoc anno in metropolitana ecclesia Salzpurge signis et prodigiis diversis claruerunt Virgilius, Eberhardus, Haertwicus archiepiscopi, et apud Sanctum Petrum Sanctus Vitalis. *Admuntensis* (13) *idem breviter declarat; Garstensis autem sic* (14) : Apud Juvavum, id est Salzburch, Sanctus Virgilius episcopus, octavus *(imo quintus)* a Beato Ruperto, Domino revelante reperitur. Cum quo et alii sancti pontifices Vitalis, Hertwicus, Eberhardus, et ipse primus et præcipuus eorum Sanctus Rupertus, multis miraculis declarati, a cunctis fere non solum vicinarum, sed et longe positarum regionum populis frequentantur. *Et in margine codicis Garstensis annotatum est :* Hoc anno hæc cronica scripta est Garsten.

A. T.

sæculo XII,

71 *Ait porro Hansizius, de S.* Vitali *agens* (15) : Qua occasione sepulchrum beati viri miraculis inclaruerit, nemo prodit; nec in antiquioribus monumentis monasterii Petrensis ante sæculum duodecimum titulus ei Beati aut Sancti tribuitur. Ab E anno igitur dicto 1181, quo corpus ejus inventum atque revelatum est, miraculorum ac venerationis ejus epocha merito ducitur : quamquam certum videatur famam sanctimoniæ ejus ex antiquo apud Juvavenses viguisse. Inde enim concepta fidelium ad eum invocandum pietas ac fiducia, quæ beneficiorum cœlestium principium esse consuevit. *Atque ad hanc pietatem excitandam vivificandamque prædicto anno multum contulisse equidem arbitror detectionem tumuli S. Virgilii : quo plurimis miraculis clarescente, fidelibus fiducia accesseritac studium cæteros quoque sanctos antistites Salisburgenses, et inter hos* Vitalem, *ardentius invocandi.*

incertum vero an etiam antea,

72 *De reliquo satis cum Hansizio convenit Amandus abbas, nisi quod annum* 1171 *etiam signat, dum proposita sibi quæstione num S.* Vitalis *statim a morte miraculis fuerit clarus, ita loquitur* (16) : Non est supervacanea hæc disquisitio, etsi ex subjectis miraculis per se clare pateat quæstionis veritas. Certum enim est ab anno 1171 claruisse multis miraculis; non est autem adeo clarum ante F illum annum ab eo patrata fuisse aliqua miracula. In tabula antiquissima, quæ anno 1462 suspensa cernebatur publice ad tumbam S. Vitalis, quæ adhuc quidem adest, sed confracta, quam describi curavi in Ms. A tabula 1, nulla fit mentio ullius miraculi ante annum 1171 editi, sed hæc formalia habet...: « Anno igitur Incarnationis Domini MCLXXI subscripta signa tale habuerunt exordium. » Prosequitur postea miracula... Unde arbitror... B. Vitalem quidem statim post mortem, imo et in vita in opinione sanctitatis fuisse, miracula tamen ejus clarius illuxisse circa annum Domini 1171 aut 1181. Unde et nullum miraculum in specie, nisi forsan de lilio, notatum reperitur ante hos annos. *Sic ille. Quod autem testatur tabulæ isti antiquæ inscriptum esse annum* MCLXXI, *suspicor provenire ex omissione unius notæ* X : *namque apud Canisium eidem miraculorum seriei ex libro notabili a procuratore canonizationis prolatæ hæc verba præeunt* (17) : Anno igitur Incarnationis Do-

(1) Ad an. 1181, n. 16, t. XIX, p. 527. — (2) Psalm. XLV, 5. — (3) Loc. cit., n. 17 et 18. — (4) Is. XXXV, 7. — (5) Genes. II, 10. — (6) Tom. cit., p. 305, 306, 307, 310, 311, 414, 415, 416, 417, et 420, edit. Basn. — (7) T. IV Junii, p. 260 et seqq. — (8) T. VI seu Append. Junii, p. 127 et seqq. — (9) Hansizius German. Sacr., t. I, p. 330 et 331. — (10) Ludewig. Script. rer. Germ., t. II, col. 319. — (11) Apud Hier. Pez. Script. rer. Austriac., t. I, col. 234; apud Pertz. Monum. Germ. hist., t. IX Script., p. 505. — (12) Apud Pertz, ibid., 546. — (13) Apud Pertz, t. II, col 190; apud Pertz, tom. cit., p. 585. — (14) Apud Pertz, ibid., p. 585 et 586. — (15) P. 72. — (16) Disquis. VI, cap. I, p. 113 et seqq. — (17) Loc. cit., p. 358.

mini

A. T.

mini MCLXXXI suscripta signa tale habuerunt exordium et principium ; *et omnia Chronica quæ paulo ante laudavi, annum eumdem* 1181 *perhibent, uno discrepante illo quod Canisius vulgavit, ubi anno* 1171 (1) *miracula non S.* Vitalis *tantum, verum etiam SS. Virgilii, Hartwici et Pilgrimi (omisso Eberhardo) affiguntur : ex qua ipsa Sanctorum illorum conjunctione error scriptionis aut transcriptionis patet ; siquidem restauratio ædis Salisburgensis a Conrado archiepiscopo eique connexa inventio corporis S. Virgilii, a qua miraculorum illorum initium repetendum est, iis a narratore miraculorum S. Virgilii afficiuntur indiciis chronologicis quæ anno* 1181, *non autem* 1171 *congruant Notantur nempe ibi indictio* XIV, *Apostolatus Alexandri Papæ III annus* XXI *et ultimus, regni Frederici imperatoris annus* XXVIII : *neque enim, dum ita hæc indicia rite inter se componuntur, morari nos debent evidentia sive librarii sive typothetæ sphalmata, quæ Canisio itemque Basnagio excidisse quisque lector facile deprehendet* (2).

Lilium quod ex pectore ejus

73 *Sed ultima quæ modo recitabam Amandi abbatis verba admonent nos ut loquamur de lilio S.* Vitalis, *circa quod in processu canonizationis legitur* (3) : Quod cum quidam post ejusdem Patris

B

obitum de miraculis suis diffisus, atque dixisset se hæc non crediturum nisi lilium ex tumba ejusdem crescere conspiceret ; quadam vice, dum proximus tumbæ accederet, oculis suis lilium unum album de corde sancti viri ascendere respexit et credidit. Item quod in hujus spectaculi memoriam a vetustissimis temporibus usque modo Sanctus Vitalis cum diademate ad instar aliorum Sanctorum et cum lilio albo ex corde suo crescenti depictus reperitur, et hodie depingitur forma sub eadem. *Et Martinus Hattinger in S.* Vitalis *encomio ita fatur* (4) : Lilium sanctissimi ex confessoris corde per marmoris summam duritiem tanta fertilitate in altum excrevit ut nec æstatis nec hiemis nec æstus nec frigiditatis vi a viriditatis flore dejici potuerit ; *quod* in testimonium suæ puritatis, castitatis et innocentiæ *contigisse adstruit liber manuscriptus paulo antiquior* (5). *In hanc rem sic commentatur Hansizius* (6) : Symbolum lilii de ejus corde existentis eidem vulgo appingitur. Attamen Simplicius monachus S. Petri in punctis et indiciis sanctitatis B. Vitalis anno 1462 conscriptis ait « in » scripturis hac de re nihil reperiri certi. » Item

C

refert in Passionali magno, ubi miracula ejus conscripta sunt, ita haberi : « Sanctus igitur Rudber- » tus primus Juvavensium doctor venerabilem » Christi confessorem Vitalem ob eximiam castita- » tis et sanctæ conversationis gratiam migraturus » ad Christum successorem sibi designavit. » Unde suspicio subiit nonneminem an non ob hanc ipsam castimoniæ prærogativam veteres ei adpinxerint lilium e corde excrescens, ex quo deinde apud imperitos extiterit fama miraculi ita decantati, qua existimatum sit lilium aliquando revera de corde mortui succrevisse.

sepulcro supercrevisse tradunt,

74 *Verum Hansizio reposuit cœnobita Patrensis* (7) : Traditio de lilio virginei et thaumaturgi nostri tutelaris S. Vitalis... vetustissima audit ; siquidem jam ante annum 1459, ubi ipsius processus canonizationis inceptus fuit, frater Simplicius noster talia de hoc lilio scripsit : « Facit pro ejus » commendatione quod, postquam sepultus esset, » excrevisse album lilium de ejus castissimo pe- » ctore senes a senioribus et senissimi posterorum » memoriæ reliquerunt : unde et in antiquissimis »

D

(ita has imagines eruditus hic censor jam pro suo tempore antiquissimas fuisse indicat) « picturis » ita cernitur depictus... » Isthoc insuper schemate depictus cernitur in illa nostræ ecclesiæ tabula quam processus canonizationis anno 1462 in vim instrumenti redactus antiquissimam nominat. Et quomodo tantum miraculum pro significanda B. Vitalis sanctitate sapientissimi viri quibus negotium inquisitionis in sanctitatem ejusdem B. Vitalis a summa Sede concessum fuit, adferre ausi fuissent, nisi maximis veritatis argumentis suffultum judicassent? *Ad quæ Hansizius breviter* (8) : De lilio S. Vitalis, de quo traditio est a senioribus et senissimis, ut ille loquitur, accepta, certe tamen haud vetustior quam sint illæ priores *de ætate S. Ruperti, de corpore S. Martini Salisburgensi reposito) :* cui cerulam ego quidem in Actis apposui ; sed hæc non ultra quam suspicio est, quam piæ credulitati nolim officere. Stet igitur et hæc de lilio... traditio suo loco : nihil attinet a me quidquam decerni.

75 *Abbas vero Amandus Pachler multa more suo in utramque partem disputans* (9) : Si lilium, *inquit*, ex corde ejus excrevit, ubi illud est hodie, præcipue si nec æstu nec frigore potuit dejici... ? Cur non in antiquo sepulchro indicium quoddam visum aut annotatum fuit, ubi penetravit lilium ? Denique, si illud exaruit, numquid in sacrario potuisset conservari saltem ad tempus ? Præterea vel istud lilium statim post mortem excrevit aut primum post annum 1181, ubi ipsius miracula incepere inclarescere : post obitum autem statim contigisse hoc unicum miraculum, non est credibile ; nam videtur non statim post mortem claruisse miraculis, cum miracula ejus primum inceperint anno 1181... At vero hoc miraculum de lilio ideo contigit quia aliquis de miraculis S. Vitalis dubitaverat : ergo, quando contigit hoc, jam miracula ejus fuere divulgata. Si vero hoc contigit circa annum 1181, ubi incepere divulgari miracula, mirandum sane est quod hoc unicum et solum, cum inter cætera fere sit præstantissimum, non fuerit annotatum in illa antiquissima tabula, in qua annotata legebantur alia miracula quæ ab anno 1181 contigerunt. Quid ad hæc dubia dicendum, dubius hæreo. Dico tamen, ubi soli traditioni fides adhibenda, non valere similes rationes nisi expresse convincant contrarium. Potuit enim illud lilium primis annis conservari aut in sepulchro aut in sacrario : potuit et tanto tempore prorsus corruptum fuisse. Id certe convenit, lapidem marmoreum a S. Ansologo factum fuisse supra sepulchrum S. Vitalis, per quem forte excrevit hoc lilium. Quis scire poterit a mille et amplius annis quid in hac re actum fuerit ? An etiam hoc solum miraculum aut alia post mortem statim contigerint, nullis scriptis memoriæ fuit traditum ; etsi putemus multa ab eo fuisse patrata, quæ tamen primum ab anno 1181 fuere annotata. Certe monasterium nostrum aliquot incendia passum est, quibus plurimæ antiquitates periere : paucissima fragmenta tantum et Mss. vix ultra sexcentos annos adsunt, quæ tamen de his rebus non tractant : fuere forsan alii codices, in quibus antiqui monachi etiam hæc annotavere, qui cum aliis incendio perierunt.

dubitatur merito

E

F

verumne fuerit

76 Neque refert antiquam illam tabulam nil meminisse hujus miraculi, sed solum illa enumerare quæ ab anno 1181 contigere. Ex hoc enim ipso videtur confirmari illud de lilio antiquius esse, et sola traditione ad posteros derivatum fuisse : si enim circa annum 1181 contigisset, non utique

(1) Loc. cit., p. 480. — (2) Cfr ibid., p. 289 et 399. — (3) Ibid., p. 354. — (4) Ibid., p. 349. — (5) Noviss. Chron., n. 73. — (6) P. 72. — (7) Observat., § I. apud Hansizium, p. 986. — (8) Reflex., n. 188, p. 1009. — (9) Disquis. VI, cap. II, p. 117 et seqq.

scriptor

A scriptor illorum miraculorum hujus unius fuisset oblitus. Certe antiquissimæ imagines, quæ ante ducentos annos *(scribebat Pachlerus anno* 1663) fuere productæ ad sanctitatem B. Vitalis demonstrandam, cum omnes lilio illo ornatæ fuerint, indicant non esse eam traditionem novam neque vanam aut excogitatam, sed ob venerandam antiquitatem multa fide et credulitate dignissimam. *Hisce Amandi abbatis dictis adstipulatur Mezgerus, e quo illa tantum describam* (1) : At si omnino naturale, ut vocant *(non mere symbolicum)*, etsi gratiæ cœlestis artificium, illud lilium extitit, ubi nunc est? ubi in thesauris servatur? cur non ostenditur? In antiquorum silentio, quod respondeam non habeo. Forsan, ita operante Numine, ut intactæ mentis et virtutis symbolum esset, tangi se non passum, aut humano violatum contactu emarcuit. Forsan extractum, repositum, servatum, postea aut annosa ætate consumptum, aut alio casu, forte ignis incendio, uti nonnullæ aliæ ex nostris rebus, destructum interiit. Utut perierit, fuisse visum tam constans antiquitatis traditio est ut dubitare sit nefas. Loquuntur omnes picturæ, imagines, statuæ, lapides Sancti effigie insigniti, ipse modernus B plusquam sæcularis lapis marmoreus *(imo satis recens, ut num.* 32 *ostensum fuit)* insigni opera sculptam magni pontificis formam exprimens, Vitalem in cœlo existentem terrestri lilio honoratum : hoc illi a Deo dicatum symbolum, ut numquam sine suo flore, sine lilio visatur Vitalis.

an potius symbolicum.

77 *Sane ad incredulos aut dubios de sanctitate vel miraculis servorum Dei convincendos mira sæpe prodigia per divinam virtutem fuisse effecta, veridicis proditur historiis ; atque insigne rei hujuscemodi exemplum refertur in narratione miraculorum S. Virgilii* (2), *de quibus antea sermo fuit. Sed illud utique admirationem movere natum est, si reapse lilium candidum ex pectore S.* Vitalis *excreverit, et ita quidem ut per marmor eruperit foras, totam facti adeo naturæ vires superantis fidem traditioni orali tam diu fuisse concreditam, ut nulla prorsus scriptura anno* 1459 *vetustior habeatur quæ facti illius meminerit ; sed picturæ tantum S.* Vitalem *cum lilio ex corde ipsius prodeunte repræsentantes existerent : quæ utrum miraculi reapse olim ostensi tesseræ sint, an potius ad castimoniam S.* Vitalis *per lilii symbolum oculis fidelium subjiciendam ordinatæ primitus fuerint, ambigere sine* C *piaculo licet. Interim illud secundum hactenus dicta stare debet, nulla esse certa Sancti nostri miracula anno* 1181 *anteriora.*

Anno 1459 Pius Papa II

78 Sed ab anno quo dixi, *ait Hansizius* (3), quum gratiæ ad ejus tumulum impetratæ claruissent, exindeque frequentissimi fierent multitudinis ad eum devenerandum concursus; Officia quoque et Missæ in ejus honorem a devotis peregrinis curarentur ; anathemata, tabulæ, ceræ fictiles membrorumque humanorum diversæ imagines, recuperatarum sanitatum testes, aliaque beneficiorum acceptorum signa quotidie aggererentur ; lampas etiam accensa jugiter penderet, cereique supra cratem ferream quæ monumentum operiebat, identidem collucerent ; effigies beati viri passim cum diademate depictæ viserentur ; orationes conceptis verbis descriptæ ad ejus opem implorandam recitarentur ; aliaque perpetim fierent, quæ non nisi cœlitibus publice venerationi expositis adhiberi solent : demum anno 1459 Burchardus de Weispriach ecclesiæ Saltzburgensis præpositus, per occasionem legationis quam nomine Friderici Cæsaris obibat (4), supplicavit pontifici Pio secundo uti Vitalem rite Sanctis adscriberet. *His per synopsin delineata habes incrementa quæ fidelium erga S.* Vitalem *veneratio atque devotio lapsu trium fere sæculorum accepit : eadem magis singillatim explicabuntur processu ipso canonizationis, de quo nunc dicendum est.*

A. T.

examen institui jussit

79 *Burchardus igitur, in Italiam ab imperatore Frederico III missus qui Pio II acceptam summi pontificatus dignitatem gratularetur, pietati suæ erga S.* Vitalem *satisfaciendi ergo, cum licentia Sigismundi de Volkensdorf antistitis Salisburgensis, eidem Pio per supplicem libellum exposuit insignia miracula quæ Deus per merita S.* Vitalis *operatus jam dudum fuerat, honoresque quos is Sanctus consequenter a populo fuerat consecutus : quibus supremam adhiberi summæ Sedis approbationem postulavit. Annuit votis Romanus Pontifex, moxque binas litteras apostolicas ad Joannem Tulbeck Frisingensem, Ulricum Plankenfelser Chiemensem et Georgium Uberacker Seccoviensem episcopos direxit ; quarum priores ita sonant* (5) : Pius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus Frisingensi et Seccoviensi et Chiemensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem. Ut corda E fidelium in sui amorem Rex cœlestis accendat, et incredulos convertat ad fidem, Sanctos suos miraculis magnificat gloriosis. Devotiores enim fideles ipsi redduntur Altissimo, dum vident electos ipsius post exitum hujus vitæ felicem virtutibus coruscare ; ac reliqui eum sequi desiderant, cum se sequentibus æterna præmia largiatur. Sane de meritorum excellentia quibus Sanctus Rupertus quondam Saltzeburgensis antistes et confessor Domini gloriosus sub nostræ mortalitatis habitu vitam duxit sanctissimam, processit quod ipsum post obitum suum crebris coruscantem miraculis apostolica Sedes catalogo adscripsit Beatorum ; et sicut dilectus filius Burchardus præpositus et archidiaconus Salzburgensis nobis exposuit, felicis memoriæ Vitalis, quem Deus, qui ecclesiam suam semper nova prole fœcundat, in ecclesia Salzburgensi prædicta fecit immediate succedere, cum pie vixisset in hoc sæculo, viam salutis docendo verbis pariter et exemplo, tandem præsentis vitæ cursu feliciter consummato, multis ab eo tempore miraculis Deus decoravit, ac in præmium sanctitatis ejus episcopi fidelibus usque in præsentem diem monstrare dignatus est : ita quod, remanentibus F tam scriptis suis quam operum vestigiis, Christi fideles ipsi reliquias suas devota et assidua visitatione frequentant, ac si catalogo prædicto jam haberetur adscriptus. Cum itaque non deceat eum apud homines sine veneratione relinqui, quem merita Sanctum ostendunt et miracula ; nos, quos providentia docet festinos in certis et lentos in dubiis inveniri, dicti Burchardi devotis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ, de qua gerimus in Domino fiduciam pleniorem, præsentium auctoritate committimus, quatenus, si adeo super hæc publica fama in partibus illis invaluit, quod de ipsius Vitalis, cujus corpus in ecclesia monasterii Sancti Petri Salisburgi requiescit, vita et miraculis inquirendum videatur, de virtute morum et veritate signorum, operibus scilicet et miraculis, secundum interrogatoria quæ vobis sub bulla nostra inclusa mittimus, diligenter inquirentes, quod super præmissis invenietis, conscriptis fideliter, sub vestris sigillis et cum vestrarum litterarum serie testimonio remittatis.

(1) Op. cit., lib. II, cap. III, p. 172. — (2) Apud Canisium, loc. cit., p. 290, 291, 400 et 401. — (3) Pag. 72 et 73. — (4) Cfr Hansizius, p. 510 et seqq. — (5) Apud Canisium, tom. cit., p. 351 et 352; apud Hansizium, p. 511 et 512 ; in Noviss. Chron., p. 74 et 75.

Datum

A. T.

Datum Senis anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, duodecimo Calendas Maii, pontificatus nostri anno primo.

de virtutibus ac miraculis S. Vitalis :

80 *Litterarum vero quibus norma interrogandi testes præscribebatur, hæc sunt verba :* Pius episcopus *etc.* Hodie per nos accepto quod felicis recordationis Vitalis quondam Salzburgensis antistes, cujus corpus in ecclesia monasterii Sancti Petri Salisburgæ requiescit, tot et tanta miracula jugiter operaretur quod episcopi fideles illarum partium ejusdem Vitalis invocarent suffragia ac devota veneratione ipsius visitarent reliquias, ac si de catalogo Sanctorum haberetur adscriptus : nos tunc volentes super hoc ad plenum certiorari, vobis per alias nostras litteras commisimus et dedimus in mandatis, quatenus de vita et meritis Vitalis ac miraculis hujusmodi et cæteris circumstantiis juxta interrogatoria vobis sub bulla nostra transmittenda, veritate per vos diligentius inquisita, nobis, quæ inveneritis, per litteras vestras fideliter intimare studeretis. Testes igitur legitimos, quos super præmissis debetis recipere, prius ab eis præstito juramento, diligenter examinare pro-
B curetis; et de omnibus quæ dixerint, interrogetis eos quomodo sciunt, quo die, quibus præsentibus, quo loco, ad cujus invocationem et quibus verbis interpositis, et de nominibus illorum circa quos miracula facta dicuntur, et si eos antea cognoscebant, et quot diebus ante viderunt eos infirmos, et quot diebus fuerint infirmi et quanto tempore visi sunt sani, et de quo loco sunt oriundi; et interrogentur de omnibus circumstantiis diligenter, et circa singula capita fiant, ut expedit, præmissæ quæstiones, et series testimonii et verba testium fideliter redigantur in scriptis. Datum Senis *etc. ut supra.*

cui jussioni trienni post

81 *Nihilominus triennium fere pependit negotium; usquedum, mortuo Sigismundo de Volkensdorf, ipse Burchardus de Weispriach, unanimi capituli suffragio die* XVI *Novembris* 1464 *electus, possessionem archiepiscopatus Salisburgensis* XXVIII *Februarii* 1462 *adiit, dehinc die* IX *Maii episcopus consecratus, et ultima mensis ejusdem die publicatus (nam a biennio eum Pius II in pectore reservarat) S. R. E. presbyter Cardinalis* (1). *Is ergo, statim ac regendæ Salisburgensi ecclesiæ fuit designatus, procuratorem ad processus instructionem promovendam constituit magistrum Gasparem Westendorffer; qui litteras*
C *apostolicas tribus episcopis jam nominatis rite tradidit. Ac Chiemensis quidem et Seccoviensis datam sibi a Summo Pontifice commissionem pro se quisque acceptarunt; Frisingensis vero, legitimis causis impeditus, partes suas Petro Klueghamer abbati Salisburgensis cœnobii ad S. Petrum, Georgio abbati Michaeliburano ac Benedicto Trauner præposito Hegelwertensi Ordinis canonicorum regularium legitime concredidit per sequentes litteras* (2) : Jaannes Dei gratia episcopus Frisingensis, judex et commissarius causæ infrascriptæ, a Sede apostolica una cum collegis nostris specialiter delegatus, venerabilibus et religiosis N. Sancti Petri Salisburgonsis et N. in Peurn Ordinis S. Benedicti abbatibus, uecnon in Hegelwert Ordinis S. Augustini præposito, Salzburgensis diœcesis, salutem et sinceram in Domino charitatem. Litteras Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Pii divina providentia Papæ secundi, ejus vero bulla plumbea in cordula canapi more Romanæ curiæ impendens, bullatas, sanas et integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, nobis præsentatas, nos cum ea qua decuit reverentia D
noveritis recepisse, hujusmodi sub tenore : « Pius » episcopus » etc. Sed quia nos tam nostris quam ecclesiæ nostræ negotiis causisque variis legitime impediti, cognitioni hujusmodi causæ et negotii in præsens vacare et utiliter intendere commode non valemus : idcirco de omnium vestrum legalitate ac religiositate plene confisi, vobis in hac parte plenarie committimus vices nostras; volentes nihilominus ut in negotio hujusmodi secundum traditam a Sede apostolica formam, ac alias ut de jure fuerit procedendum, procedatis. In cujus rei testimonium præsentes litteras nostri sigilli jussimus et fecimus a tergo impressione communiri. Datum in castro nostro Frisingensi die octava mensis Martii anno Domini MCCCCLXII.

multo studio

82 *Accepta hac subdelegatione, Petrus abbas Salisburgensis jussit Simplicium cœnobii sui monachum, virum doctum et in sacris canonibus versatum, colligere puncta quædam atque indicia sanctitatis* S. Vitalis : *quam jussionem is executus, commentariolum abbati tradidit, in quo argumenta sanctitatis desumit primum ex laudibus quibus biographi S. Ruperti* Vitalem *ornant ; deinde ex miraculis ipsius,* E
speciatimque ex prodigioso lilio ; tum ex eo quod semper et ubique reperitur cum diademate, et præsertim, *ait,* in circumferentia majoris altaris ecclesiæ nostræ inter alios sex Sanctos episcopos ipse septimus et primus erga S. Rudberti imaginem ponitur ; in qua circumferentia infra scripta metra nigro colore sunt depicta :

« Hi Patres grati, dulci de germine nati.

« Quando vivebant, hic jus cathedrale regebant.»

Sunt autem isti Rudbertus in medio, collaterales Vitalis, Ansologus, Savolus, Ezzius, Flobargisus et Joannes. *Hæc illius verba adduxi, quia hanc picturam in specie haud video memoratam in processu canonizationis. Addit denique argumentum ex accensa diu noctuque lampade apud Sancti tumulum, fideliumque eo confugientium frequentia. Hæc autem puncta, quæ in extensum in Novissimo Chronico legere est* (3), *communicavit posthæc laudatus abbas Gaspari Westendorffer, qui ex iis probationem sanctimoniæ* Vitalis *confecit, ut mox videbimus.*

obtemperatum fuit.

83 *Nimirum, procurante eodem Gaspare, processus ritu modoque legitimo tandem institutus fuit* F
octiduo integro, a die XVI *ad diem* XXIII *mensis Martii anni* 1462. *Cujus totum decursum operæ pretium fuerit ex ipsa authentica relatione Romam destinata accipere, transmissis tamen (ut suo loco monebo) nonnullis partim jam datis, partim commodius ad calcem hujus Commentarii collocandis. Ea igitur ita se habet* (4) : Sanctissimo in Christo Patri et Domino nostro Domino Pio divina providentia Sacrosanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino nostro clementissimo. Ulricus Chiemensis et Georgius Seccoviensis ecclesiarum episcopi, ejusdem vestræ Sanctitatis humiles creaturæ, executores ad infrascripta a vestra Sanctitate delegati; Petrus permissione divina S. Petri Salisburgi, Georgius S. Michaelis in Peurn, monasteriorum Ordinis S. Benedicti Salzburgensis diœcesis abbates, et Benedictus præpositus in Heglwert Ordinis S. Augustini canonicorum regularium ejusdem diœcesis, per Reverendum in Christo Patrem et Dominum D. Joannem episcopum Frisingensem, una cum dictis Dominis episcopis per Beatitudinem vestram ad subscripta delegatum, subdelegati, ejusdem

(1) Cfr Hausizius, p. 514.— (2) Apud Canisium, p. 252.— (3) P. 76.— (4) Apud Canisium, p. 351 et seqq.

vestræ

A vestræ Sanctitatis oratores humiles et devoti : obedientiam et devotissima pedum oscula beatorum.

Causæ procurator

84 Beatissime Pater, nos Ulricus et Georgius episcopi delegati prædicti binas vestræ Sanctitatis litteras, nos vero abbates et præpositus subdelegati litteras subdelegationis præfati Domini episcopi Frisingensis una cum litteris apostolicis prædictis, nobis pro parte Reverendissimi in Christo Patris et Domini D. Burchardi sanctæ Salzburgensis ecclesiæ electi et confirmati, apostolicæ Sedis legati, per providum virum magistrum Caspar Westndorffer ejusdem Domini electi et confirmati procuratorem legitimum, prout de hujusmodi suæ procurationis mandato nobis facta est plena fides, coram notariis publicis et testibus infrascriptis præsentatas, nos cum ea qua decuit reverentia recepimus, hujusmodi sub tenore. *Sequuntur ipsæ litteræ, quales eas num.* 79, 80 *et* 81 *dedimus. Post quas continuatur relatio in hæc verba :* Post quarum quidem litterarum præsentationem et receptionem fuimus per supradictum magistrum Caspar procuratorem nomine quo supra procuratorio debita cum instantia requisiti, quatenus ad executionem earumdem litterarum procedere dignaremur. Nos itaque Ul-
B ricus et Georgius episcopi delegati, Petrus et Georgius abbates et Benedictus præpositus subdelegati supradicti, adjunctis nobis viris doctis et juris peritis, super prædictis nature deliberavimus ; et quia requisitionem antedicti procuratoris justam et rationi consonam cognovimus, idcirco ad procedendum ad executionem prædictam, quantum in sufficientia nostra pro tam grandi et sancto opere suppeteret, nos obtulimus gratis animis paratos.

designatis judicibus

85 Quo facto, magister Caspar procurator supradictus quosdam articulos et petitiones negotium inquisitionis præscriptum tangentes coram nobis exhibuit atque produxit ; quorum articulorum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis : « Coram vobis Reverendis ac Venerabilibus in Christo Patribus et Dominis D. Ulrico Chiemensi et D. Georgio Seccoviensi ecclesiarum episcopis per SS. D. N. D. Pium divina providentia Papam secundum, una cum Rev. in Christo Patre et Domino D. Joanne episcopo ecclesiæ Frinsingensis delegato, necnon D. Petro S. Petri Salzeburgæ, D. Georgio in Peurn Ord. S. Benedicti abbatibus, et Benedicto in Hegelwert canonicorum regularium Ord. S. Augustini civitatis in diœcesis Salzburgensis
C præposito, per præfatum D. Joannem episcopum Frisingensem subdelegatis et deputatis, procurator et procuratorio nomine Reverendissimi in Christo Patris et Domini D. Burchardi Dei et apostolicæ Sedis gratia electi et confirmati sanctæ ecclesiæ Salzeburgensis, pro inquisitione famæ et veritatis, sanctitatis et miraculorum Beati Confessoris Vitalis olim ejusdem Salzburgensis ecclesiæ antistitis, dat, exhibet et in medium proponit capitula et articulos infrascriptos ; ad quorum probationem necessariam, non superfluam, se offert et admitti petit. Et priusquam submittantur articuli famæ sanctitatis et miraculorum hujusmodi, protestatur procurator nomine procuratorio quo supra, quod præfatus Reverendissimus Dominus electus et confirmatus in ea re canonizationis dicti quondam Salzburgensis ecclesiæ præsulis B. Vitalis, quam sua Reverendissima Paternitas admodum cordi habet atque prosequitur, nulla umquam avaritiæ atque temporalis commodi sive ambitionis, honoris aut quavis alia fuerit vel sit motus sinistra intentione : quin imo quod etiam, si opus foret, jurejurando confirmare posset hæc omnia dumtaxat pro Dei Sanctorumque ejus laude, gloria et honore, populorum devotione, animarum salute, meritorum quoque cumulatione, atque instantium adversitatum et ineffabilium undique persecutionum, ejusdem B. Vitalis meritis, diminutione et propulsione, et non aliter quam ut præmissum est, fieri, facere ac prosequi vult atque cupit. A. T.

86 » Hac igitur protestatione præmissa, ponit primo et probare ut supra intendit dictus procurator, quod ecclesia Salzburgensis a sui primordio et fundatione multos et diversos pro tempore antistites sanctosque patres habuit et pastores : quorum aliqui jam dudum, utpote Rudbertus primus et Virgilius octavus, catalogo Sanctorum adscripti habentur et canonizati, quorum etiam præcellentia sanctitatum floruit atque floret hodie ; atque etiam Salzburgensis ecclesia præ aliis ecclesiis dicta est et hodie acclamatur sancta. Item quod hi sanctissimi duo patres Rudbertus et Virgilius inter alia sua magnalia etiam Bavariam et Carinthiam prædicatione sua et doctrina ad fidem reduxerunt, gentes primum baptizarunt, primas earumdem partium ecclesias fundarunt ac clericos instituerunt : unde etiam a cunctis apostoli earumdem partium nominantur et existunt. Item quod de præmissis fuit et est tanta fama quod nec E
puer nec alterius ætatis homo ratione utens hæc ignoret. Primum igitur sanctitas B. Vitalis constat et sumitur ex præficientis sanctitate. Secundo ex vitæ et morum puritate. Tertio ex proximorum fructu et ædificatione. Quarto ex divina tam in vita quam post mortem per multorum operationem miraculorum approbatione. Quinto ex continua sine intermissione populi adoratione ipsiusque tumuli visitatione, necnon cereorum aliarumque rerum ac munerum insigniorumque oblatione, imo et certissima fide nullis umquam temporibus a fidelium cordibus evellenda.

articulos

87 » Dicitur primo quod ex præficientis sanctitate. Testantur namque libri antiqui et veteres scripturæ, estque de hoc vox et fama, quod imminente Sanctissimi Patris Rudberti de hoc sæculo emigratione, in die videlicet sancto Paschæ *(imo Resurrectionis Domini anniversario)*, divinis prius ab ipso peractis, dum spiritus ejus felicissimus jam cœlos penetrare deberet, inter plures suæ congregationis perfectos singulariter B. Vitalem sibi statuit successorem, juxta continentiam Vitæ ejus sic dicentis : « Urbem Juvavensem et popu-
» lum Noricorum omnipotenti Deo commendavit, F
» et Vitalem virum sanctum et omni populi ac-
» ceptum sibi fieri successorem elegit. » Secundo et tertio sanctitas B. Vitalis dicitur constare ex meritorum et vitæ puritate, nec non proximorum fructu et ædificatione. Certum namque habetur B. Vitalem coætaneum atque discipulum sanctissimi Rudberti extitisse. Et quid inde certius concludi valet nisi quod Patris inclyta merita præclaraque vita ac salutaris doctrina redundaverit atque effulserit in tam capaci discipulo ? Tanta enim magistri sanctitas stare sine redundantia nullis modis credi debet : dum enim fidem Christi usque ad metas Ungariæ discurrendo sanctissimus vir Rudbertus disseminaret, nulla admittit verisimilitudo quod hunc suum dilectum discipulum reliquerit absentem, sed magis sodalem et fidelem creditur inter cæteros habuisse coadjutorem. Quarto sanctitas B. Vitalis reluxit et relucet divina approbatione, ex miraculorum scilicet tam in vita quam post mortem ostensione. Tradit enim antiquitas, et idem veteribus libris, codicibus, multis etiam variis registris, tabulis, figuris et picturis descriptum habetur, quod post transitum Beati pontificis

de S. Vitalis sanctitate

A. T. tificis Vitalis multi et varii arrepticii, cæci, claudi, contracti, variis etiam aliis languoribus dentium et aliorum membrorum depressi, etiam de longe advenientes, per invocationem ejusdem et apud tumbam suam provoluti, subito sunt et ad integrum atque perfectum restituti. Ed quod hæc in specie per singula describere nimis protelosum foret et extensum, idcirco ad libros veteresque et approbatas scripturas producens ipse se remisit, unicum tamen præsentibus designans MIRACULUM DE LILIO ALBO : Quod cum quidam *etc. ut supra num.* 73.

ac sanctitatis fama

88 » Quod autem S. Vitalis ex continua adoratione et populorum confluxu atque indubitata fide eorumdem, quinto modo præscripto, Sanctus habeatur, nemo civitatis Salzburgensis et omnium vicinarum civitatum et partium ratione utens ignorat, atque conspicientium oculis subjicitur. Sine intermissione provolvuntur passim ibidem coram et super tumba ejus viri et mulieres, juvenes et senes, omnisque ætatis et conditionis homines ; imo procumbentes deosculantur tumbam. Nunc cereos offerunt et accendunt : jam imagines ferreas, jam cereas, jam ligneas, pedes, manus seu aliorum membrorum figuras ibi offerunt et relinquunt. Trunco B quoque suæ tumbæ contiguo pecunias imponunt ; atque ipsius nomine humiliter invocato, consolati discedunt : prout hæc et alia magis conspicientium testimonio quam quovis scripto apparent. Ad idem quod exteri pro certis anni temporibus ibi pro veneratione S. Vitalis accedunt, processiones faciunt, Missas et Officia in ipsius honorem atque suffragii impetrationem legi et cantari disponunt : atque votis suis persolutis et finitis, ad propria sua redeunt consolati. Item quod a vetustissimis temporibus omnium hominum memoriam longe excedentibus, atque a sæculo in sæculum, necnon a generatione in generationem, de B. Vitale a clero et populo civitatis Salzburgensis, imo et circumjacentium partium plebibus, hoc semper dictum, creditum, relatum, habitum, prædicatum et recognitum fuit, erat et est, dictum B. Vitalem fore Sanctum atque canonizandum et catalogo Sanctorum adscribendum ; fuitque de ipsius sanctitate publica vox et fama. Item ad tumbam B. Vitalis passim ab hominibus utriusque sexus fiunt adorationes, candelarumque et luminum aliarumque rerum oblationes. Proponitur præterea coram C paternitatibus vestris, quod, quia prælibati Vitalis veneratio sine intermissione usque ad præsentia tempora duravit et hodie non cessat, quod etiam non solum vetera et dudum descripta miracula effecerit, quin imo sine intermissione hodie pro meritis et dispositione petentium operetur : licet ex negligentia modernorum non advertantur, neque de his inquisitio fiat, neque scripto memoriæ commendetur. Nisi enim Sancti hujusmodi suffragia et succursus a diversis sentiretur, nulla verisimilitudo aut causa subesset venerationis et adorationis ejusdem. Pro quorum etiam veritate producens testes petit examinari juratos. Item quod de omnibus et singulis præscriptum est, et est hodie commune et vulgare verbum veraque reputatio ac credulitas firma, etiam fides atque ubilibet publica vox et fama.

proposuit :

89 » Petit igitur producens præscriptus, vice et nomine Reverendissimi in Christo Patris et Domini D. Burchardi electi et confirmati Salzburgensis etc. memorati, per vos Reverendos ac Venerabiles in Christo Patres et Dominos a Sede apostolica delegatos et subdelegatos seu commissarios, de omnibus et singulis præscriptis eorumque connexis emergendis, incidendis et dependendis fieri D diligentem et exactam inquisitionem, necnon libros et codices veteres atque quascumque desuper confectas scripturas, registra et tabulas, picturas veteres universaque ad hæc deservientia diligenter conspici et lustrari ; testes quoque nominandos citari, examinari, et ad exhibendum libros ac quævis monumenta deservientia personas similiter nominandas compelli ; omnia quoque alia fieri, in bullis et litteris apostolicis transmissis contenta ; atque post plenam omnium cognitionem inquisita et debita in forma authentica clausa, sub vestris litteris et sigillis, memorato D. N. Pio divina providentia Papæ secundo deleganti transmitti : ut sanctissimum opus salubriter inchoatum pro gloria et laude Dei ac Sanctorum saluteque populorum felicissime terminetur. De et super quibus omnibus et singulis præmissis dictus producens vos et quemlibet vestrum requirit, cum protestatione de addendo, supplendo et extendendo, si necesse fuerit, præmissa, necnon corrigendo, immutando seu minuendo, prout fuit et est moris atque styli et observantiæ communis. »

eosque comprobavit

90 Quibus articulis ad supra memorati procuratoris instantiam per nos receptis, idem procu- E rator coram nobis proposuit quomodo in potestate venerabilium in Christo Patrum et Dominorum decani et capituli ecclesiæ metropoliticæ necnon prioris et conventus monasterii S. Petri Salzburgi et D. Bernhardi de Krayburg decretorum doctoris, curiæ Salzburgensis cancellarii, nonnulli libri seu codices et scripturæ authenticæ pro verificatione et probatione articulorum præinsertorum facientes et deservientes consisterent : petens debita cum instantia, quatenus eosdem capitulum et conventum ac cancellarium ad exhibendum et tradendum libros ac scripturas hujusmodi, quoad effectum præmissum, auctoritate apostolica nobis in hac parte concessa, per censuram ecclesiasticam compellere dignaremur. Nos igitur hujusmodi petitioni tamquam justæ et rationi consonæ annuentes, prænominatos DD. capitulum et conventum ac cancellarium, per certum nostrum cursorem in forma juris ad hoc deputatum, super exhibitione librorum et scripturarum prædictarum in certo termino eis per nos assignato requiri fecimus et moneri. Qui sic moniti et requisiti, statim quosdam libros et scripturas inferius specificandos coram nobis exhiberi fecerunt : quos F prælibatus procurator in vim probationis et verificationis articulorum præscriptorum produxit.

quum ex veteribus Legendis

91 Primo siquidem super articulis de sanctitate B. Vitalis memoratus procurator produxit certos libros notabiles et pretiosos, et, uti asserebat, authenticos, de antiquis et optimis litteris, prout nostris apparebat oculis, conscriptos, in quibus multorum continentur legendæ Vitæ Sanctorum ; inter quas S. Rudberti patroni et primi episcopi ecclesiæ Salzburgensis concorditer habetur hujusmodi tenoris : *cujusmodi scilicet eam Papebrochius ad diem* XXVII *Martii nostro operi inseruit ex Ms. Florentino cum Canisiana editione collato.* Item super veritate articulorum miracula B. Vitalis episcopi commemorantium dictus procurator produxit quemdam librum notabilem et pretiosum de veteri scriptura minime suspecta, sed omni prorsus vitio et suspicione carente ; in cujus principio subscripta per ordinem continentur miracula sic incipientia : « Sanctus Rudbertus » *etc. Quem prologum miraculorum num.* 52 *jam præbui legendum : ipsam vero miraculorum seriem Commentario huic subjiciam.*

92 Post

ac Chronicis.

92 Post hæc ad effectum præexpressum procurator supra memoratus produxit quatuor Chronicas de litteris antiquis etiam minime suspectis, sed elegantibus et pretiosis; quarum una inter cætera sic canit : « Anno Domini MCLXXXI Alexander Papa » obiit; Lucius succedit : Vitalis, Virgilius, Hart- » wicus, Eberhardus episcopi signis claruerunt. » Alia vero Chronica inter cætera hæc continet verba : « Anno Domini MCLXXXI Alexander Papa » obiit, pro quo Lucius constituitur : Manuel im- » perator Græcorum obiit : Hermannus dux Ka- » rinthiae obiit, cui filius Ludovicus successit : » Ludovicus rex Franciæ obiit : Heinricus dux » Bavariæ de summis honoribus, agente Friderico » imperatore, non immerito corruit; cui Otto de » Witelinespach palatinus comes successit : Salz- » burck crebris miraculorum virtutibus Sanctorum » ejusdem urbis pontificum corpora revelata sunt, » videlicet Virgilii, Vitalis, Eberhardi, Cunradi : » in Patavia sepulchrum B. Pilgrini miraculis cla- » rescere cœpit. » Tertia vero Chronica sic canit : « Anno Domini MCLXXXI Alexander Papa obiit; Lu- » cius successit : Vitalis, Virgilius, Hartwicus, » Eberhardus episcopi signis claruerunt. » Quarta
B Chronica sic dicit : « Vitalis, Virgilius, Hartwicus » Salzburgenses et Pilgrinus Patavienis episcopi » claruerunt miraculis. »

tum ex appositis Sancti sepulcro

93 Post hæc magister Caspar procurator sæpe nominatus se in vim et effectum probationis articulorum præscriptorum ad tumbam seu sepulturam B. Vitalis, quam esse dicebat in monasterio S. Petri Salzburgæ in dextra parte chori versus plagam meridionalem, necnon ad tabulas, et ad scripturas beati Vitalis miracula continentes, effigies quoque, picturas et imagines, diversorum quoque membrorum figuras ex cera, ferro et ligno ac aliis materiis confectas, ibidem oblatas, et quæcumque alia tumbam eamdem concernentia et eidem imposita, appensa, annexa seu quovis modo applicata, referebat; ac ea omnia et singula in finem et effectum præscriptum produxit : quæ ut nobis clarius et evidentius constarent, dictus procurator nobis debita cum instantia supplicavit, quatenus tumbam prædictam accedere, ac situm ejusdem cum omnibus et singulis ad eam, ut præfertur, requisitis conspicere et perlustrare dignaremur. Nos itaque delegati et subdelegati supradicti, ad memorati procuratoris instantiam, dictam
C S. Petri ecclesiam cum notariis publicis et testibus infrascriptis intrantes, locum tumbæ prædictæ accessimus, ac ipsam una cum picturis, figuris atque tabulis, suffragiis quoque et orationibus S. Vitalis inibi descriptis, ac aliis præmissis ipsam tumbam respicientibus ac B. Vitalis miracula demonstrantibus, una cum cereis ibi oblatis et accensis, ad oculum vidimus, lustravimus, legimus atque conspeximus : quæ talia habentur.

luminaribus,

94 In ecclesia S. Petri monasterii Salzburgensis Ord. S. Benedicti, quam vetustissimam et a S. Rudberto primo Salzeburgensi episcopo erectam fore constat, extra chorum ejusdem in parte dextra, versus plagam meridianalem, sepultura B. Vitalis habetur sic formata : In angulo quidem dictæ partis chori, juxta altare S. Andreæ orientem respiciens, in modum lapidis monumentalis est murus in superficie planus, ex minutis lapidibus more veterum constructus, ad altitudinem medii cubiti a terra erectus, duabus partibus murum ecclesiæ prædictæ contingens. Munit autem eumdem monumentalem murum seu sepulchrum illud quædam cancellatura ferrea altitudinis cubitorum trium semi quadrata, duabus etiam partibus muro ecclesiæ infixa; per quam quidem cancellaturam ostiolum pro ingressu et egressu habetur. Inter eamdem cancellaturam dependet lampas una jugiter ardens, et super tumbam posita sunt candelabra, in quibus cerei et candelæ per Christi fideles oblatæ ponuntur et accenduntur. Apparent etiam ibi cineres in multa quantitate, qui ex candelis combustis superremanserunt. Cancellaturæ vero per ordinem infixi sunt clavuli acuti, in quibus cerei figuntur et accenduntur. A. T.

donariis votivis,

95 Item in muro ecclesiæ intra tumbam est quædam pictura vetustissima, pulchra tamen et artificialis, qua ostenditur quod funus B. Vitalis ibi deponitur coram circumstantibus sacerdotibus, quorum aliqui funus deponunt, aliqui thurificant, aliqui aquam benedictam aspergunt, cæteri vero orationi insistunt. Item intra cancellaturam prædictam positus est acervus baculorum et lorarum, in quibus claudi et infirmi ad tumbam venerunt, et sanitate accepta, illas ibi reliquerunt. Sunt et illic in magno numero circuli ferrei et equorum ferramenta et compedes ferrei, quibus captivi vincti fuisse dicuntur. Item intra cancellaturam ac supra et extra eamdem circumquaque in magna copia imagines hominum de cera et ferro confectæ, E quarum aliquæ in infulis et pontificalibus, aliquæ vero in armis, cæteræ in utriusque sexus hominum vestitu apparent. Adsunt etiam diversorum, puta capitum, oculorum, dentium, mandibularum, brachiorum, manuum, crurium, pedum et aliorum membrorum figuræ quasi innumerabiles, de cera, ferro et ligno confectæ, per Christi fideles, quibus Dominus per meritum B. Vitalis languentium membrorum sanitatem restituit, oblatæ et ibidem relictæ.

pictis tabulis.

96 Item supra tumbam in muro plagæ meridionalis est una tabula bipartita, lata et pretiosa opereque artificiali confecta; in cujus parte superiori pictum cernitur quomodo S. Rudbertus primus sanctæ ecclesiæ Salzeburgensis episcopus B. Vitalem sibi successorem elegit et constituit, et quomodo ecclesia Salzeburgensis coram clero et populo volente atque petente B. Vitali committitur. Inferius autem miracula B. Vitalis videntur depicta, inter quæ illa sunt præcipua : primo claudos et aridos reformat; secundo dæmoniacos et arrepticios liberat; tertio cæcis lumen et surdis auditum restituit; quarto naufragantem in mari salvat. Et pro qualibet vice imago B. Vitalis ad instar F Sancti sub infula et diademate cernitur depicta. Simili modo eadem imago picta videtur in quadam antiquissima tabula, altari B. Andreæ, prædictæ tumbæ contiguo, apposita; ubi sub pedibus imaginis de antiqua littera scriptum est : SANCTUS VITALIS. In vitro vero circa tumbam eamdem versus orientem imago B. Vitalis sub infula et diademate et cum lilio albo de corde ejus crescente picta videtur.

precationibus

97 Item extra cancellaturam tumbæ memoratæ est truncus magnus, in quo Christi fideles in venerationem ejusdem B. Vitalis pecunias offerre solent. Similiter extra tumbam prædictam sub vitro præmemorato dependet una tabula certam de B. Vitale orationem continens hujusmodi tenoris : « Læ- » tare civitas Juravensis, quæ tali patrono muniris » corporaliter tuis retento laboribus. O felix viri » sancti anima, plena deliciis per omnia, cujus in » terris claritas floris refulget gloria. O corpus mi- » rificum, cujus antiqua miracula Dei renovantur » gratia. Auster Sancti Spiritus tuum perflat hor- » tum, ut fluant aromata, quæ valentibus sufficiant » et debiles reficiant. VERS. Justus germinabit sicut » lilium :

A. T. » lilium : Et florebit in æternum ante Dominum. » Collecta. Deus, qui Ecclesiam tuam B. Vitalis » gloriosi Pontificis floridis lætificas miraculis : da, » quæsumus, ejus suffragiis, ut per vitam placi» dam flori Christo Jesu immarcessibili perenniter » valeamus inhærere. Qui tecum vivit » etc.

aliisque scri ptuxis

98 Item in muro ecclesiæ juxta tumbam B. Vitalis versus meridiem est quædam tabula magna, quæ in modum valvarum aperitur et clauditur ; in qua de S. Rudberto et exordio ecclesiæ Salzburgensis multa continentur : quibus subjunguntur illa triginta novem B. Vitalis miracula, in præsenti processu superius de verbo ad verbum inserta. Post vero miracula hujusmodi in eadem tabula orationes seu suffragia atque epitaphium de B. Vitale continentur in hunc modum : « Sancte Vitalis, » confessor Dei electe, qui Spiritu Sancto plenus, » vita temporali vitam et misericordiam æternam » promeruisti, qui sanctitate et virtute castitatis » Deo placuisti, qui doctrina et exemplo vitæ po» pulo digne præfuisti : da nobis, quæsumus, ita » sanctitatis tuæ merita venerari ut per gratiam » S. Spiritus et tuis precibus ab ardentis libidinis » æstu liberati, ad amorem continentiæ, obedien-
B » tiæ aliarumque virtutum tuo exemplo possimus » informari. Amen. Tu præsul insignis et dispen» sator prudens, qui doctrina et miraculis viam » veritatis demonstrasti, et multos ab errore viæ » suæ revocasti : fac nos peccatores mala nostra » derelinquere, et viam mandatorum Dei læto » corde currentes, divino timori et amori semper » adhærere. Amen. Tu, o dilecte Dei, qui cæcos » illuminasti, debiles et claudos curasti, dæmoni» bus imperasti, et alias virtutes præclaras perpe» trasti : illumina, quæsumus, oculos cordis no» stri, ne umquam per impotentiam, ignorantiam » vel malitiam obdormiamus in morte : gressus » nostros dirige in viam justitiæ dæmonum allide » consilia, et nos in omni bono ac sancta voluntate » confirma.

miracula ejus attestantibus :

99 » Sancte Vitalis, serve Dei bone et fidelis, » auge nobis fidem, spem et charitatem cum per» severantia bonorum operum, et præsta nobis » feliciter præsentium necessaria cum religionis » augmento, beatoque fine fac nos transire de hoc » sæculo ad cœlestem patriam, ubi videamus et » glorificemus regnantem in sæcula sæculorum. » Amen. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie
C » eleison. Vers. Amavit eum Dominus, et ornavit » eum : Stola gloriæ induit eum. Vers. Domine » exaudi orationem meam : Et clamor meus ad te » veniat. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, » qui in meritis S. Vitalis confessoris tui atque » pontificis semper et ubique es mirabilis : quæ» sumus clementiam tuam, ut sicut ei eminentem » gratiam contulisti, ita ad promerendam miseri» cordiam tuam ejus nos tribuas precibus adju» vari. Per Dominum nostrum Jesum Christum » etc.

Epitaphium Sancti vitalis.

« Nunc non est talis qualis fuit ille Vitalis
» In toto mundo, qui vixit corpore mundo.
» Hic Pater insignis meritis fulget quoque signis.
» Ægrotos sanat : virtus de marmore manat
» Quo tegitur tumba : vir simplicitate columba,
» Et serpens astu. Tibi consulo quod venias tu
» Huc, si sanari cupis et membris solidari.
» Surdus hic auditum recipit, mutus quoque ritum
» Ut lingua fetur, cæcus petit ut sibi detur
» Lumen : quod restat, præsul populo quoque præ- [stat
» Urbe salis clarus, Christo super omnia charus :
» Quamvis translatus non sit Pater iste beatus. »

100 Consequenter vero magister Caspar procurator, nomine quo supra procuratorio, coram nobis delegatis et subdelegatis comparens proposuit quomodo ipse ad præinsertorum articulorum probationem legitimam, ultra prius producta, nonnullos testes idoneos producere intenderet. *Qui quidem testes fuere universim octoginta novem, quorum plerorumque jurejurando firmatas declarationes de miraculis sibi aliisque factis postmodum ex epitome a Pachlero confecta afferemus. Hisce autem processui insertis, ita clauditur commissariorum relatio :* Notandum etiam quod nos Ulricus et Georgius episcopi delegati, Petrus et Georgius abbates ac Benedictus præpositus subdelegati, executores præscripti, omnes et singulos testes prænominatos, quos summarie brevitatis causa, ut præmittitur, examinavimus, de fama sanctitatis B. Vitalis ac sepultura ejusdem, de picturis, provolutionibus et orationibus, cereorum accensionibus, imaginum et figurarum oblationibus, venerationibus et adorationibus, prout superius in articulis deducitur, diligenter interrogaverimus. Super quibus testium præscriptorum quilibet singillatim dicit hæc omnia, prout in articulis continentur, esse vera ; quodque per civitatem Salzeburgensem ac oppida Hellel, Hall et Lauffen ac totam patriam vicinam sit vulgare dictum, firma credulitas, communis reputatio et assertio, publicaque vox et fama, quod B. Vitalis sit Sanctus, qui priscis et modernis temporibus claruerit et quotidie clareat miraculis plurimis, et quod ad eumdem tamquam miraculorum effectorem Christi fidelium habitus sit et hodie habeatur recursus, venereturque ut Sanctus, et propterea canonizandus atque catalogo Sanctorum veniat adscribendus.

quibus accessit testium auditio

E

101 In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium præmissorum, nos delegati et subdelegati præscripti, ad sæpe memorati magistri Caspar Westendorffer procuratoris instantiam atque petitionem, præsentes nostras litteras sive hoc præsens publicum instrumentum, hujusmodi nostrum processum in se continentes sive continens, exinde fieri, et per notarios publicos subscriptos, a nobis ad hoc receptos et deputatos, subscribi et publicari necnon claudi, ac sigillorum nostrorum jussimus et fecimus appensione communiri. Acta sunt hæc partim in curia præposituræ metropoliticæ, partim vero in monasterio S. Petri Salisburgæ, et partim in curia mei Georgii episcopi Seccoviensis in civitate Salzeburgensi situata : sub anno a Nativitate Domini mcccclxii, indictione decima, die vero Martis, sedecima mensis Martii et diebus sequentibus usque ad diem vicesimam tertiam ejusdem mensis inclusive, Pontificatus Sanctitatis vestræ anno quarto : præsentibus ibidem venerabilibus et circumspectis viris DD. Paulo Meck in decretis licentiato, canonico Ratisponensi, vicario in spiritualibus generali ecclesiæ et officiali curiæ Salzburgensis, Heinrico de Pegnitz decretorum licentiato, protonotario cancellariæ, Joanne Stubmer magistro curiæ jam dictæ, et Joanne Paumgartner in decretis baculario, rectore parochialis ecclesiæ ad S. Crucem prope Landstrost Salzburgensis et Aquilegiensis diœcesis, et aliis quampluribus fide dignis testibus, ad præmissa vocatis et specialiter requisitis. *Ad extremum Ulricus Prossinger et Joannes Berner de Rosenhaym clerici, ille Salisburgensis, hic Frisingensis diœceseos, ambo publici auctoritate imperiali notarii, instrumentum totius processus, triginta tribus foliis pergameni manu Joannis Berner inscriptum, a se in publicam formam redactum riteque consignatum attestantur :* quorum

rite legitimeque peracta.

A *quorum verba, quum formulis magis constent quam rebus, operæ pretium haud fuerit adducere.*

§ V. De S. Vitalis cultu ecclesiastico, corporis detectione atque elevatione, imaginibus et reliquiis.

Decretum canonizationis S. Vitalis

Inquisitione de sanctitate ac miraculis S. Vitalis *legitime ad exitum deducta statim Burchardus de Weispriach archiepiscopus Salisburgensis cogitare cœpit de authenticis rei actis Romam pro obtinenda canonizatione mittendis. Horum latorem causæque apud Summum Pontificem procuratorem ab archiepiscopo designatum fuisse Petrum Klueghamer abbatem S. Petri, eumdem qui processui instituendo subdelegatus vice episcopi Frisingensis interfuerat, refertur in Ms. R. a Martino Hattinger abbate* (1); *sed utut verum id esse potuerit, nusquam tamen legitur illud iter fuisse reapse a Petro abbate institutum: quem id munus detrectasse facile crediderim,* B *sive ob grave senium infirmitatesque quibus laborabat* (2), *sive etiam quod archipræsul non solum canonizationem S.* Vitalis, *sed translationem quoque ejusdem ad templum metropolitanum cum assensu Pie II faciendam animo destinasset; quæ res non poterat cœnobitis San-Petrensibus non minus grata accidere. Imo ne intra ipsam quidem S. Petri ecclesiam translatum umquam fuisse* Vitalem *canebat ipsius Epitaphium; etsi alias, ut notat Hansizius* (3), hæc olim solemnitas adhibebatur illis quorum cultus in populo gliscebat. *Atque adeo traditio a majoribus accepta inibi vigebat, referente Amando Pachler* (4), *sæpius quidem antea fuisse tentatam translationem corporis S.* Vitalis, *numquam tamen potuisse deduci in effectum, eo quod quicumque id facere allaborassent, aut statim aut brevi fuissent ab exequendo proposito morte impediti.*

a Pio II expeditur quidem,

103 *Instrumentum igitur inquisitionis missu archiepiscopi Romam detulit magister Ernestus de Nataga*; qui, *ut narrat Pachlerus, cujus verbis utar* (5), Romæ ita omnia feliciter egit, ut, viso processu inquisitionis, Summus Pontifex consenserit in canonizationem et translationem S. Vitalis de loco ad locum. Interea cum bulla pontificia C fuisset Romæ expedita, cum eadem Ernestus de Nataga reversus est Salisburgum. Attamen ob certas causas nullus consiliariorum Burchardo archiepiscopo consulere voluit ut in causa procederet : imo vero dehortabantur archiepiscopum ne amplius procederet in hoc negotio; quorum unus magister Stephanus Schröttl in faciem dixit archiepiscopo : « Reverendissime Pater, quid vultis » facere? Nolite mittere manum in S. Vitalem : » vere dico vobis, ipse se defendet, et de domo » sua non se patietur transferri. » Quæ verba acriter permoverunt Burchardum ut a toto negotio desisteret. Paulo post, elapso vix medio anno, magister Ernestus de Natagа mortuus est. Ipse etiam Burchardus archiepiscopus paulo post Ernestum emoritur anno 1466 decima sexta Februarii ; cum etiam ante biennium ipse Summus Pontifex anno 1464 mense Augusto e vivis excessisset. Atque ita totum hoc negotium et canonizationis et translationis fuit sopitum et intermissum, et « B. Vitalis in hodiernum diem cum suis Patribus » (ait Ms. R.) dormit, et in ecclesia S. Petri novissimam expectat tubam. » A. T.

at non omnino executioni datur.

104 In hoc negotio nostri religiosi, quorum non pauci erant, videlicet viginti sex numero, uti lego in sæpe dicto Ms. R., partim gaudio, partim et magis dolore afficiebantur. Congratulabantur quidem B. Vitali de tali honore et glorificatione ; sed quod e monasterio nostro esset transferendus, inconsolabiliter lamentabantur, utpote quem unum e potentissimis patronis et tutelaribus venerabantur. Ex quo forsan factum ut S. Vitalis noluerit a suis transferri filiis, qui tenerrimo affectu ipsum prosequebantur. Itaque contigit ut duplici de causa gauderent nostri religiosi, et quod B. Vitalis dignus fuerit habitus a Sede apostolica qui canonizaretur, et quod, translatione impedita, adhuc imposterum frui beatissimi patroni præsentia potuerint. Porro cum bulla et signatura per Ernestum de Nataga fuisset allata Roma, sine alia licentia ulteriori Burchardus per suos capellanos fecit in altari S. Vitalis, quod S. Andreæ alias dicebatur, decantari solemnem Missam de S. Vitale Statuit ei Dominus ; quamvis a consiliariis suis propterea reprehenderetur, quod nondum Roma licentia id faciendi fuisset obtenta : ita lego in E Ms. R.

Benedictini Salisburgenses

105 *Aliquanto post tempore, circa annum videlicet* 1495, *quo anno Ruperto Keutzel abbati mortuo successit abbas Virgilius Pichler, instabant monachi S. Petri Salisburgenses ut sibi a Romano Pontifice, qui tum erat Alexander VI, facultas fieret diem S.* Vitalis *festum agendi Officii Missæque de eo recitatione; et ad id operam suam promiserat P. Henricus Institor Ordinis Prædicatorum, hæreticæ pravitatis inquisitor,* qui Salisburgensis ecclesiæ lectoris officium, *testibus Quétif et Echard* (6), annis obivit pluribus : quo dum fungeretur, vocatus est a magistro Ordinis F. Jacobo Turriano Venetias ad annum MCCCCXCV, qui publicas haberet de sacro cultu et adoratione Eucharistiæ concertationes *occasione contentionis cujusdam illic ortæ, de qua hic dicendi non est locus. Extant de hoc cultus S.* Vitalis *negotio litteræ Institoris die* XXI *Martii* 1496 *Roma datæ ad abbatem Salisburgensem* (7) *: ex quibus conficitur licentiam publice colendi S.* Vitalem *Officio canonico eatenus nondum fuisse concessam. Quare, ut docet Annotatio a cœnobita San-Petrensi nescio quo ad Hansizium transmissa* (8), *licet Kalendarium Breviarii anno* 1495 *scriptum festo S.* Vitalis *apponat notam* duplex majus, *qua tunc temporis summæ insigniebantur festivitates, quarum ritus nunc* duplex primæ *vel* secundæ classis *audit, tamen in ipso Breviarii ejusdem corpore nulla prorsus Sancti hujus memoria ad diem* XX *Octobris extat.* Iterum, *addit cœnobita citatus,* in Breviario sub Leonardo archiepiscopo *(qui sedit ab anno* 1495 *ad* 1519 typis impresso in Calendario posita sunt hæc formalia : Vitalis Confessoris ; et rursus in ipso Breviario altum desuper silentium, ex ratione nimirum statim allegata. F

a Leone X

106 *Ita res stetit ad annum usque* 1519, *quando repetitis precibus Benedictinorum Salisburgensium, quibus tunc Simon Garchanez abbas præerat, concessit Leo Papa X, dato brevi apostolico die* IV *Novembris; in quo, post summariam allegationem eorum quæ in causa S.* Vitalis *antea acta fuerant, postque laudatas dictorum monachorum pias petitiones, hanc facit Pontifex concessionem* (9) : Nos igitur...

(1) Noviss. Chron., p. 77. — (2) Ibid., p. 396. — (3) P. 72. — (4) Disq. V, cap. III, p. 106. — (5) Ibid., cap. II, p. 104 et 105. — (6) Script. Ord. Præd., t. I, col. 896. — (7) Pachler, disq. VII, cap. I, p. 180 et 181. — (8) Apud Hansizium, p. 1022 et 1023. — (9) Apud Canisium, tom. cit., p. 383 et 384 ; Noviss. Chron., pag. 78 et 79.

A. T. igitur... hujusmodi supplicationibus inclinati, intellectaque relatione nobis per dilectos filios nostros Achillem S. Mariæ trans Tiberim et Dominicum S. Clementis titulorum S. R. E. presbyteros et cardinales super examinatione vitæ, miraculorum et operum ejusdem Vitalis olim per certos subdelegatos a dictis episcopis vigore litterarum Pii prædecessoris hujuscemodi facta, vobis et pro tempore existentibus dicti monasterii religiosis, quod pro vestra et populi spirituali consolatione et devotione in ecclesia dicti vestri monasterii Missas de uno Confessore et Pontifice ad honorem dicti Vitalis, quoties vos aut vestrum aliquem ad id devotio moverit, atque in die dictæ depositionis ad honorem ejus horas canonicas in ecclesia vestri monasterii similiter de uno Confessore et Pontifice, non tamen omissis horis per eumdem diem occurrentibus, cum orationibus, responsoriis et antiphonis ad id congruentibus decantare, donec dictus Vitalis per nos aut successores nostros Romanos Pontifices aliorum Sanctorum Catalogo adscriptus fuerit, libere et licite possitis et valeatis, auctoritate apostolica tenore præsentium ex nostra certa scientia perpetuo concedi-
B mus.

facultatem obtinent

107. *Quod vero vel non provide satis vel ex abundanti erga cultum S.* Vitalis *studio monachi illi petiverant atque adeo obtinuerant ut horas de Sancto hoc publice decantare sibi liceret una cum Officio diei currentis, id inde a primo experimento nimis molestum esse ac vix fieri bene posse senserunt; præsertim quum illo tempore omnes Officii ecclesiastici horas de die et nocte cantu persolvere moris adhuc ibi esset. Quocirca supplici libello Romam misso efflagitarunt, quandoquidem die* XX *Octobris nullum festum occurreret ac proin de feria tunc recitari Officium secundum rubricas soleret, facultatem sibi fieri Officium hoc feriale recurrente eadem die* XX *Octobris deinceps omittendi, ita ut sola horarum solemnium de S.* Vitali *recitatione pensum illius diei ecclesiasticum persolvisse haberent satis. Facile id obtentum a Summo Pontifice, qui vivæ vocis oraculo votis monachorum annuit; uti Laurentius Puccius tituli SS. Quatuor Coronatorum presbyter cardinalis ac major pœnitentiarius ad eos rescripsit die* V *Martii* 1521 (1).

recitandi Officium et Missam

108 *Exinde, ut retulit Hansizio cœnobita jam memoratus* (2), semper occurrente festo S. Vitalis
C die XX Octobris quam devotissime a Sant-Petrensi conventu recitatæ sunt publice in choro horæ canonicæ de S. Vitale, et primis quidem temporibus modulatis vocibus, cantu tamen chorali,... horæ omnes etiam nocturnæ sunt persolutæ, cum collecta propria, quæ est : « Omnipotens sempiterne » Deus, qui in meritis S. Vitalis » *etc., eadem videlicet quam tabulæ magnæ prope tumulum Sancti inscriptam fuisse supra demonstratum est (num.*99). Hæc ipsa collecta Breviario monastico pro diœcesi Salisburgensi anno 1610 impressa fuit, ubi pro lectionibus 1 et 2 Noct. assignabatur Sermo S. Augustini : « In hac vita positi, fratres Christi, ita » agite, ut cum hinc migraveritis » etc.; Evangelium « Sint lumbi » cum Homilia S. Leonis : « Pater familias est unusquisque. » *Sic quidem Officium se habebat ante Breviarii monastici reformationem, litteris apostolicis Pauli V anno* 1612 *approbatam : ut proin mirandum non sit primo Nocturno lectiones non de Scriptura, sed de Sermone S. Augustini fuisse ibi assignatas; cujusmodi res in veteribus Breviariis sæpe obvia est.* Hodierna vero

D ætate, *pergit idem cœnobita, scribens anno* 1729, festum S. Vitalis XX Octobris ceu duplex 2 classis celebratur : Lectiones 1 et 2 Noct. de communi Confess. Pontif. ex 1 loco; Evang. « Homo qui» dam » : *quod puto esse* Homo quidam peregre proficiscens, *ut in multis Missalibus tam scriptis quam excusis legitur, dum hodie a Romano aliisque abest vox* quidam ; *siquidem hoc potissimum Evangelium, non vero alterum illud* Homo quidam nobilis abiit, *competit Missæ* Statuit, *de qua statim. Circa Missam nempe apud suos dici solitam annotat idem :* Missæ quas in honorem S. Vitalis ejusdem canonizationis processus anno 1462 solemniter institutus testatur maximo in numero oblatas fuisse, potius ordinariæ quam peculiares de ipso S. Vitale erant. Neque enim in ullo antiquiori Missali aliqua Missa specialis de S. Vitale legitur usque ad annum 1519, quo a Leone X Summo Pontifice monasterio nostro data est specialis licentia legendi de S. Vitale Missam publicam ; quæ adhuc hodie in nostra congregatione dicitur Missa STATUIT. Collecta : « Omnipotens sempiterne Deus, qui in » meritis. » Secreta : « Deprecationem nostram, » quæsumus, Domine, benignus exaudi ; ac per hanc » hostiam immaculatam, intercedente B. Vitale E
» Confessore tuo atque Pontifice, inter innumera » vitæ præsentis pericula peccatorum nostro» rum nexibus liberemur. Per Dominum. » Post» communio : « Deus qui Ecclesiam tuam », *etc. ut supra in processu canonizationis (num.* 97*).* Olim etiam dicebatur Sequentia de S. Vitale.

in honorem S Vitalis.

109 *Hæc Sequentia sive Prosa, quæ S.* Vitali *cum SS. Ruperto, Virgilio et Amando communis erat, ita ut nomina tantum essent varianda, sic sonabat* (3) ; Gloriosa fulget dies : exultet Ecclesia. Angelis, hominibus pax et lætitia. Immortali emicat memoria Vitalis Pontifex, spes nostra, salus et gloria. Gaudet cœlum inclyta præsulis ex anima : terra meritis corpore triumphat felix Juvavia. Sanctitatis odor, fons vivus cœlestis gratiæ. Mox profluit ægris virtus, mœstis consolatio, lapsis venia. Sanctitatis, vitæ, doctrinæ, signorum trophæa, quibus claruit pastorali sede, canit Noricorum provincia. O Vitalis, præclara pietatis oliva. Hoc palmite plurimum afferenti fructum floruit apostolica latius vinea. O sacra, innocens, viva summi Patris hostia, quæ spiritus gladio immolata Deo meruit triumphalia Martyrum præmia. Ad Angelorum consortia vita profectus angelica, cum Sanctis pascitur intima lucis æternæ theorica. Inde nunc, Pater optime, nos respice : vasa gratiæ ex vasis nequitiæ transfer et emunda. Peccantes reconcilia, salvifica, vota suscipe et nostra patrocinia Deo fac jucunda : ut nos tuæ depositionis (*vel* festivitatis) munere de sinistris erepti gregibus, ad dexteram collocati transferamur ad pascua superna, ubi stola jucunditatis aurea infulatus, cum tuis paribus quam celebrem audis vocem : Euge intra in gaudia æterna. O Vitalis, Christi sacerdotum gloria.

Claret hic novis miraculis,

110 *Interea dum hoc pacto splendidior evadebat S.* Vitalis *cultus, non cessabat ille plurima se invocantibus indies præstare beneficia ; de quibus anno* 1602 *Joannes Stainhauser secretarius Salisburgensis in Vita S.* Vitalis *a se exarata in hunc modum loquitur* (4) : Non tantum ante multos centenos annos effulsere miracula S. Vitalis ; verum etiam eadem in hodiernum diem usque inclarescunt aperte : quamvis his ferreis temporibus nostris corda multorum fidelium ita sint frigida ut debi-

(1) Noviss. Chron., p. 79 et 80. — (2) Apud Hansizium, p. 1023 — (3) Ibid., p. 1022. — (4) Cap. V, ut ex Ms. refert Noviss. Chron. p. 74.

tam

A tam devotionem et cultum non exhibeant; unde fit ut etiam voti compotes quandoque non fiant. Neque hisce temporibus ea diligentia adhibetur ut miracula et manifestarentur et annotarentur; prout tamen nostri majores id diligenter observavere: quos non puduit se tanta in infirmitatibus suis beneficia curationum accepisse, sed publice suos morbos et sanationes profitebantur ultro. Quod si adhuc hodie fieret, tanta miraculorum B. Vitalis copia congregaretur ut facile codicem implerent. *Ac postquam hæc a Stainhausero scripta fuere, alia continuo miracula miraculis accessisse, speciatim circa parturientes fœminas, testis est qui anno* 1651 *inter responsiones ad Bollandi nostri quæsita rescripsit monachus S. Petri Salisburgensis* (1): Fiunt autem singulis annis ad intercessionem hujus S. Vitalis nonnulla miracula cum prægnantibus mulieribus, quæ a nobis petunt cingulum S. Vitalis, eoque in difficultate partus se cingunt, et illico sentiunt alleviationem felicemque habent partum: nos autem deinde exigimus schedam ab eis et attestationem accepti beneficii, et tales schedas non paucas habemus et asservamus. *Testis item Amandus Pachler, qui in suis Disquisitionibus*
B *non antiqua solum miracula S.* Vitalis, *sed et multa ab anno* 1462 *ad annum* 1663, *quo opusculum suum edidit, patrata descripsit* (2). *Testis Mezgerus, cujus Historia Salisburgensis anno* 1692 *lucem vidit: qui fere quotidianum esse ait* (3) *postulari ex sacristia S. Petri cingulum S.* Vitalis, *deferri ad partu laborantes, et cum gratiarum actione referri:* quod, *inquit*, etsi non super inter prodigia referamus, inter beneficia tamen et gratias cœlestes B. Vitalis numerari decet. *Testes denique ad annum* 1772 *Novissimi Chronici auctores, qui, recitatis Mezgeri verbis:* Quod ille, *inquiunt* (4), suo tempore scripsit veraciter, nos pariter eamdem beneficentiam S. Vitalis post octoginta et amplius annos confirmamus.

et sepulcro ejus additur ornatus.

111 *Beneficum in se S.* Vitalem *anno* 1601 *expertus fuerat ipse quem supra laudavi Joannes Stainhauser, nempe intercessione illius a gravi morbo liberatus. Hinc in amorem Sancti sospitatoris vir pius singulariter exarsit. Neque solum librum de S.* Vitale *scripsit: verum etiam, teste Mezgero* (5), erexit propriis sumptibus altare antiquum S. Andreæ prope sepulchrum Divi; sedilibus novis capellam, uti tunc erat, exornavit: ita suo exemplo
C multorum pietati et quæ dein secuta beneficiis cœlestibus facem prætulit. *Nescio an per eam occasionem, vel certe non multo inde tempore, contigerit illa immutatio faciei sepulcri S.* Vitalis *de qua supra loquentem Hansizium audivimus (num* 32). *Nempe anno* 1462, *ut docet processus canonizationis (num.* 94), *super sarcophagum humo demersum extabat opus cœmentitium quadratum ex minutis lapidibus ad altitudinem dimidii cubiti a terra erectum, plana superficie, ferreis septum cratibus: similemque in modum illud Joannes Stainhauser anno* 1602 *describebat* (6). *Credibile autem non est tam in Actis canonizationis quam a Stainhausero cætera ad formam monumenti pertinentia, siquidem jam tunc extitissent, fuisse omissa, ut auctores Novissimi Chronici contendunt. Itaque mutatio illa intra spatium quod ab anno* 1602 *ad annum usque* 1627 *effluxit, locum habuerit necesse est. Nempe submoto quadrato illo latericio, vel certe partibus ex eo ablatis, supra tumbam positus fuit ad altitudinem trium circiter pedum lapis marmoreus S.* Vitalis *effigiem incisam referens (de quo vide num.* 32), *isque innixus sex columellis pariter marmoreis, sub quibus vacuo relicto spatio homines devotionis causa poterant irrepere, et pavimentum sepulcri pie deosculari.*

Anno 1627

112 *Dehinc, ubi piis studiis Paridis de Lodron archiepiscopi atque Alberti Keislin abbatis die* XXII *Junii* 1627 *detectæ fuerunt partes corporis S. Ruperti, quas S. Virgilius olim, quando potiora ejusdem ossa in ædem cathedralem a se extructam transtulit, in monastica S. Petri ecclesia reliquerat* (7); *desiderium eumdem abbatem incessit investigandi quoque lipsana S.* Vitalis, *quæ primævo adhuc tumulo recondita nec a quoquam eousque visa fuisse sciebantur: quo opportune accedebat quod sub idem tempus novum altare veteri S. Andreæ substituendum parabatur; quod ut debitum situm teneret, sepulchrale saxum effigie S.* Vitalis *ornatum ad duos pedes retrorsum removeri oportuit. Haud difficile voti compos Keislinus est factus a Paride archipræsule, cui et ipsi eximia erat in S.* Vitalis *honorem cultumque propensio ac studium antiquitatum in lucem eruendarum. Deputatus igitur ab antiste fuit ad hanc rem commissarius idem qui nuper detectioni tumuli S. Ruperti eodem nomine* E *interfuerat, Christophorus Schrefius: quo præsente, aliisque viris spectabilibus in testes adhibitis, quid circa tumulum ac reliquias S.* Vitalis *actum fuerit, sequens docet instrumentum a notario publico confectum* (8).

um consensu archiepiscopi

113 In Nomine Christi. Amen. Universis et singulis hoc publicum instrumentum visuris, lecturis aut legi audituris notum sit et pateat evidenter, quod, cum anno a Nativitate Christi millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, indictione decima, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini D. Urbani divina providentia Papæ VIII anno quarto, die nono mensis Julii, admodum Reverendus Dominus Albertus abbas ad S. Petrum Salisburgi versus plagam templi sui australem Deo vero in memoriam S. Andreæ apostoli renovatam aram statuere decrevisset, inopina loci angustia, ut judicarunt opifices, impeditus fuerit; eo quod in angulo ad cornu Epistolæ lapis monumenti obstiterit e rubro marmore, sex columnis æque marmoreis et per intervalla dissitis innixus, quarto latere parietem attingens, novem pedes longus, quinque latus, profunditate pedis unius, cui opere anaglyphico insculpta videtur imago S. Vitalis, tempo- F rum tenus irradiata, cujusque margini secundum latus quod populum respicit, hæc incisa legitur epigraphe: « Præsul Vitalis cubat hic, ægrisque « medetur. Ao 646. XIII Kalend. Novemb. » Ut igitur altare decentius constitui posset, retro ad duos fere pedes amotum est marmor, et hoc ne circa servitium altaris noviter erecti impedirentur ministri. Post hæc apud animum suum reputans R. D. Albertus abbas quantum devotioni plebis accresceret, si B. Vitalis reliquiæ piorum venerationi exponerentur, supplicandum censuit Illustrissimo Principi ut monumentum bona ipsius venia resignaretur, et ossa sacra, si quæ superessent, susciperentur. Impetrato a proclivi Principe consensu, et adhibito admodum Reverendo, nobili et clarissimo viro D. Christophoro Schrefio Illustrissimi Principis consiliario et commissario ad id deputato, lapidem illum marmoreum gravissimum artifices et murarii labore magno revolverunt, una cum sex columnis quibus sustentabatur. Amo-

(1) Inter Mss. Biblioth. Burgund. Bruxell., n. 8915. — (2) Disquis. VI, cap. V et VI. — (3) Lib. II, cap. IV, pag. 176. — (4) P. 74. — (5) Loc. cit. — (6) Cfr Mezger, Op. cit., lib. II, cap. III, p. 170: Noviss. Chron., p. 67. — (7) Mezgerus. Op. cit., lib. V, cap. XXV, p. 730 et 731; Hansizius, p. 770 et 771; Noviss. Chron., p. 515. — (8) Mezgerus, lib. VI, p. 1068 et seqq: Hansizius, p. 774 et seqq.: Noviss. Chron., p. 68 et 69.

liti sunt etiam pavimenti lapidem qui prætactas sex columnas fulciebat.

corpus Sancti detegitur

114 Deinde cum omnia impedimenta de medio sublata essent, sudari cœptum est in legenda scriptura antiquissima : notarunt enim artifices litterarum aliquid e cœmentitio sepulcri plano emicare, ut sane erant gypsei characteres per lateritiam incrustationem depicti. Ad hanc famam accurrere prudentes doctique viri complures, multumque operæ in eruendo sensu scripturæ posuere, oleo pavimentum leniter macerantes ; quoad hæc inscriptio luculenterexsculpta fuit : Ssc. VITALIS EPISCOPUS ET ALII TRES. Fodere dehinc pergentibus duo saxa, sed rudia et impolita occurrebant : submotis illis, optatæ reliquiæ sese ostenderunt, corpus quidem unum (haud dubie S. Vitalis) honestiore et separato loco versus altare duobus lapidibus a cæteris corporibus divisum ; trium vero anonymorum corpora simul ac velut ad pedes S. Vitalis decumbebant. Ea cum reliquis S. Vitalis in aram D. Andreæ sublevata sunt, rursumque puræ sindoni involuta : ipsas sindones ego doctor notarius meo sigillo obsignavi. Corpora demum præfata priori sepulchro, distincte tamen, ut ante jacuerunt, re-
B mandata fuerunt. Interea dum hoc inæstimabili thesauro publice gauderetur, dubitare subiit num prædicta corpora secundum omnes partes constarent. Proinde ex Illustrissimi et Reverendissimi Principis Salisburgensis mandato admodum Reverendus D. Albertus abbas et D. Commissarius supra allegatus nobilem et clarissimum virum D. Antonium a Colle medicum aulicum ad VIII Idus Augusti anni ejusdem advocarunt, ut singula ossa partesque suis locis componeret, serioque num quid requisitorum ossium desideraretur, ediceret : id quod etiam fideliter præstitit, attestans de corpore quidem S. Vitalis, præter radios brachiorum, partem maxillæ inferioris mediam, os jugale, aurium, temporum et capitis interiora, dextræ spatulæ particulam et ambas claviculas, nil deesse ; nec etiam dubitandum quin omnes prædictæ partes et membra totius corporis simul fuerint recondita, nec umquam imminuta ; nunc vero per diuturnitatem temporis attrita esse quæ ad supplementum desiderantur . ut e pluribus fragmentis constitit, judicio medici ad æquandos defectus sufficientibus. Ad hæc ab eodem medico tria reliqua corpora, quæ ut et reliquiæ S. Vitalis, donec solennius exalten-
C tur, in sarcophagum stanneum ex ordine ut prius jacuerant, reposita et mei doctoris notarii sigillo aliquot locis denuo obsignata fuere.

et recognoscitur.

115 Super his omnibus antedictus Dominus commissarius a me doctore notario publicum fieri instrumentum petiit : cui æquissimæ petitioni cum e commisso mihi officio libens annuerim, præsens hoc publicum instrumentum super susceptione, exaltatione et recognitione præinserta merito confeci et expedivi. Acta sunt hæc in sæpe dicto monasterio ad S. Petrum Salisburgi , anno , indictione, mense, die, pontificatu et tempore quibus supra : præsentibus ibidem multum Reverendis et nobilibus, doctissimis viris D. Jacobo Kneissl SS. Theologiæ licentiato capellano Salisburg., D. Augustino Fabro parocho in Kestendorff, et D. M. Melchiore Scheid capellano civico, testibus fide dignis et ad præmissa singulariter accersitis et vocatis. Et quia ego Georgius Reitter J. U. D. causarum forensium Salisburgi advocatus necnon utraque authoritate notarius publicus præinsertæ sepulchri resignationi, S. Reliquiarum susceptioni, exaltationi ac recognitioni omnibusque aliis et sin- D
gulis, dum sic ut præmittitur fierent, una cùm prætactis Dominis testibus semper interfui : depictam figuram ad vivum quasi ab ipsa incrustatione lateritia ipsemet adumbravi ; situm locumque sepulchri accurate deprehendi, ac demum sacras Reliquias in stanneum sarcophagum ex ordine repositas proprio sigillo aliquoties obsignavi : ideo præsens hoc publicum instrumentum, manu quidem alterius fideliter ingrossatum, exinde confeci, publicavi et manu hac mea propria subscripsi ; necnon etiam solito notariatus mei signo et sigillo communivi in fidem et testimonium præmissorum, specialiter vocatus, rogatus et requisitus, tempore et loco supra notatis. Georgius Reitter J. U. D. notarius publicus. *Ecgraphen delineatæ a Reittero inscriptionis videre est apud Hansizium* (1), *alteramque magis (ni fallor) ad exemplar exactam in Disquisitionibus Pachleri* (2).

Dehinc cultus ejus ad totam archidiœcesim extenditur.

116 *Neque hic constitit Alberti abbatis erga* S. Vitalem *pietas ; sed is brevi post permovit Paridem archipræsulem ut cultum publicum ejusdem Sancti, qui eatenus intra solum S. Petri cœnobium obtinuerat, extendi curaret ad totam diœcesim ; id quod anno* 1628 *concessum fuit sequenti decreto* E
S. R. C. (3) : Archiepiscopus Salisburgensis supplicavit privilegium concessum monachis Benedictinis S. Petri Salisburgensis diœcesis recitandi Officium et Missas celebrandi in honorem B. Vitalis quondam archiepiscopi *(imo episcopi)* Salisburgensis et abbatis prædicti monasterii, extendi ad omnes sacerdotes suæ diœcesis ; et Sacra Congregatio censuit concedendum, si Sanctissimo placuerit : die 13 Junii 1628. Et Sanctissimus annuit. Joannes Baptista Cardinalis episcopus Portuensis. *Exinde S.* Vitalis *colitur ab universo clero diœceseos Salisburgensis Officio de communi Confessoris Pontificis sine lectionibus propriis ; idemque cultus deinde etiam obtinuit in episcopatibus suffraganeis ab Eberhardo II archiepiscopo sæculo* XIII *fundatis, scilicet Seccoviensi, Lavantino ac Chiemensi, qui postremus, mutato regimine territorii, hoc sæculo extinctus fuit.*

honoresque majores a Salisburgensibus

117 *Jam dicto anno* 1628 *die* XXIV *Septembris solemnissima pompa, quam ex Dukero descripsere Mezgerus* (4) *et Hansizius* (5), *nec a me hic describi attinet, ad ædem cathedralem novo opere a fundamentis erectam ac postridie sacro ritu a Pa-* F
ride Lodronio archiepiscopo dedicandam delatæ fuere SS. Ruperti ac Virgilii reliquiæ. In hac celebritate suus S. Vitali *locus non defuit. Nam inter quinque arcus triumphales quos magnifice appararant princeps archiepiscopus, capitulum metropolitanum, cœnobium S. Petri, juventus academica et civicus magistratus, quatuor omnino erant quæ S.* Vitalis *referebant effigiem. In arcu aulico, cujus ima pars tribus portis aperiebatur, mediam simulacra SS. Ruperti et Virgilii occupabant, superius eminebant gradatim septem columnæ, quarum altissimæ S.* Vitalis *insistebat, a dextra lævaque habens SS. Amandum, Augustinum, Thiemonem, Martinum, Wolfgangum et Eberhardum. Inter decoramenta portæ triumphalis a monachis erectæ conspiciebantur SS. Ruperti et* Vitalis *imagines virentibus coronatæ frondibus. Collegium universitatis suo item arcui inseruerat S.* Vitalem *lilio ex corde prorumpente conspicuum, adscripto lemmate* Planta; *sicut et S. Virgilio adscriptum erat* Serva, *S. Eberhardo* Fove, *S. Thiemoni* Rege. *Denique in arcu magistratus S.* Vitalis *pariter liliato corde resplendebat,*

(1) Pag. 74.— (2) Pag. 110. — (3) Apud Hansizium, p. 770 ; in Noviss. Chron., p. 80.—(4) Lib. v, cap. XXVI, p. 733 et seqq.—(5) P. 277 et seqq.

ita

A *ita cives alloquens :* Non unus flos e meo crevit pectore : quotquot pii cives estis, mei flores estis. *Præterea laudatus Paris archiepiscopus suam erga S.* Vitalem *pietatem significavit, quando inter opera quibus urbem Salisburgensem et castra communivit, sub Sancti hujus nomine tutelaque constituit portam civitatis juxta Juvavum seu Salzam fluvium, unde alio quoque nomine porta aquaria (vulgo* Wasserthor*) audit, turre propugnaculoque instructam; ubi et statua S.* Vitalis *marmorea intra ædiculam sive loculamentum posita fuit* (1). *Idem præsul, quando germano fratri Christophoro de Lodron nata erat proles mascula, nummos mille imperiales (thaleros vulgo vocant) ad Sancti tumulum aræ adornandæ obtulit* (2).

ei tribuuntur.

118 *Ab eo etiam tempore, ut scriptores Novissimi Chronici testantur* (3), *festus S.* Vitalis *dies in San-Petrensi abbatia splendidius agi quotannis cœpit, ipso abbate sacris Officiis præsidente (id quod potioribus solemnitatibus peculiare est) et concionatore aliquo panegyricam de Sancto orationem pronuntiante ; præter quæ anno* 1727 *pomeridianæ per integrum octiduum Litaniæ fuere introductæ. Accessere, ut Bollando anno* 1651 *a monacho San-*
B *Petrensi scriptum fuit, indulgentiæ plenariæ anno* 1647 *ab Innocentio X ad septennium concessæ omnibus confessis et sacra communione refectis qui ecclesiam S. Petri die festo S.* Vitalis *a primis Vesperis inchoando devote visitarent ibique ad solitas Romani Pontificis intentiones pias ad Deum preces effunderent. Altare autem cui collocando jam anno* 1627 *locus parabatur, quodque a Wolfgango Flekhamer positum fuisse Mezgerus ait* (4), *anno* 1642, *eodem scriptore teste, Joannes Christophorus de Liechtenstein episcopus Chiemensis in honorem S.* Vitalis *consecravit; indeque nomen ab hoc Sancto ei indi cœptum est, ut fit a Pachlero* (5), *Mezgero* (6) *et Hansizio* (7) *: quamquam eum quem antea gerebat S. Andreæ titulum anno* 1762 *nondum desiisse ostendent instrumenta mox adducenda. Atque ad eum quidem annum usque monumentum sepulcrale S.* Vitalis *tale permansit quale id antea descriptum vidimus ; nisi quod post detectionem reliquiarum anno* 1627 *factam intra spatium aliquanto angustius, ne novo altari impedimento esset, contractum fuit : nimirum lapsis Sancti effigiem insculptam ferens, dum antea horizonti plane parallelus jacuerat, tunc eo fuit positus situ ut poste-*
C *riori sui parte versus murum templi esset elevatior, anteriori vero versus populum declivis. Ardebat jugiter juxta sepulchrum lampas, quæ aliquo tempore intermissa, restituta fuit anno* 1662 *; visebatur ibidem vetus tabula bipartita, imagines votivæ et omnis generis anathemata ; cujusmodi plurima recensita supra habemus in Actis canonizationis.*

Anno demum 1762

119 *Quod unum fere supererat ad complendum apud Salisburgenses cultum S.* Vitalis, *ut scilicet sacra illius ossa, quæ infra pavimentum tam diu quieverant, supra terram aliquando exaltarentur, id demum effectum fuit anno* 1762 *exeunte, ut oculati testes Novissimi Chronici auctores referunt* (8). Dum ergo, *inquiunt,* post tot annos antiqua ecclesia nostra renovatione in- et externa erat indiga, atque eapropter aliam faciem regularem magis induit, hujus monasterii abbas Beda *(cognomine Seeauer)* supplicem libellum obtulit Celsissimo principi et archiepiscopo Sigismundo ex comitibus de Schrattenbach, ut non tantum liceret in præsentia Reverendissimi commissarii et notarii publici, remoto grandi marmoreo lapide, reliquias S. Vitalis elevare et ad tempus transferre, verum etiam in eodem loco pro majori decore in perpetuam memoriam sepulchri tot beneficiis clari novum ex marmore altare extruere : ita ut sub marmorea eaque ornatiori tumba sarcophagus ille stanneus continens ossa S. Vitalis et aliorum trium recondi, et simul in hoc novo altari ubi est sepulchrum S. Vitalis, sacrificia Missæ celebrari valeant. Annuit humillimis precibus clementissime Celsissimus Ordinarius; atque pro prima elevatione et respective translatione designata fuit ejusdem anni dies tertia Novembris : pro secunda autem translatione, usquedum gravis ille lapis remotus et nova tumba altaris marmorea præparata fuit, dies Decembris decima tertia. Quæ autem in hac bina elevatione et respective translatione acta fuerunt, docebunt duo instrumenta fide notarii publici erecta.

A. T.

corpus ejus e terra levatum

120 *Horum instrumentorum prius ita se habet :* In nomine Christi. Amen. Universis et singulis præsens hoc publicum instrumentum visuris, lecturis aut legi audituris notum sit et pateat evidenter : quod anno a Nativitate Christi millesimo septingentesimo sexagesimo secundo, indictione Romana x, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris E
ac Domini nostri Clementis divina providentia Papæ XIII anno v, regnante vero Serenissimo Principe Francisco I Romanorum Imperatore semper augusto, regiminis ejus anno xviii, die tertia mensis Novembris, ad preces Celsissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo et S. R. I. Principi Salisburgensi etc. a Reverendissimo et Amplissimo Domino Beda abbate ad S. Petrum oblatas, Reverendissimus, illustris ac clarissimus D. Josephus Christophorus Mayr J. U. D., alte fatæ Celsitudinis suæ Reverendissimæ consiliarius intimus, director consistorialis ac collegii B. V. Mariæ ad Nives canonicus qua clementissime deputatus commissarius, in abbatia monasterii a Reverendissimo Domino abbate ac toto venerabili capitulo in floccis congregato exceptus ac per sacristiam usque ad sepulchrum S. Vitalis in ecclesia ejusdem monasterii situm deductus fuerit : ubi ab hora circiter media secunda pomeridiana usque ad mediam tertiam, ruptis ex utraque parte muri parietibus, tumba stannea sex pedes longa, duos lata ac unum et dimidium profunda, ante centum triginta quinque annos ibidem reposita, apparuit ; quæ uno F
adhuc antiquo sigillo munita, ac a Reverendissimo Domino commissario recognita, per me notarium novis sigillis obsignata, et a sex Patribus ejusdem conventus, incensatis prius in pontificalibus a supradicto Domino abbate sacris reliquiis, in aram Divi Andreæ interim translata, ac novo muro ex parte anteriore altaris, inspiciente conferta utriusque sexus et omnis status hominum turba, obducta fuit. Acta sunt hæc in sæpe nominato monasterio et ecclesia ad S. Petrum Salisburgi, anno, indictione, mense, die, pontificatu, regimine et tempore quibus supra : præsentibus ibidem admodum Reverendis Dominis Benedicto Schmuzer et Antonio Schipfl metropolitici chori vicariis, testibus fide dignis et ad præmissa singulariter vocatis et rogatis. Et ego Franciscus Leopoldus Stegmayr SS. Theologiæ doctor, collegii B. V. Mariæ ad Nives canonicus, consiliarius et secretarius consistorialis ac notarius publicus in archivio Romanæ curiæ immatriculatus, quia omnibus et singulis, dum sic ut præmittitur fierent, una cum præfatis Dominis testibus interfui, ideo publicum instru-

(1) Hansizius, p. 1061; Geogr. Lexik. von Baiern. t. III, voce *Salzburg*, col. 162. — (2) Pachler, Disquis. IV, cap. II, p. 81 ; Hezgerus, lib. V, cap. XXV, p. 732 et 733. — (3) Pag. 80. — (4) Lib. VI, p. 1114. — (5) Loc. cit. — (6) Loc. cit. — (7) P. 1065. — (8) P. 69 et seqq.

mentum

mentum desuper confeci, manu propria subscripsi, ac solitum notariatus signetum una cum sigillo apposui in fidem præmissorum, specialiter vocatus et requisitus. Franciscus Leopoldus Stegmayr notarius, qui supra.

marmoreæ tumbæ novi altaris

121 *Alterius instrumenti verba, omissis iis quæ ex superiori satis colligi possunt, sunt sequentia :* In Christi nomine. Amen. Universis... notum sit... quod... die decima tertia Decembris... D. Josephus Christophorus Mayr.... qua clementissime deputatus commissarius, in abbatia monasterii ad S. Petrum a Reverendissimo et Amplissimo Domino Beda abbate ac a toto venerabili capitulo in floccis congregato circa horam secundam pomeridianam humanissime exceptus, ac per sacristiam usque ad altare S. Andreæ, sub quo in tumba stannea ad tempus reconditæ erant reliquiæ S. Vitalis, deductus fuerit : ubi, muro qui hactenus tumbam cum reliquiis custodiebat, destructo, prædicta tumba, comparente in pontificalibus Reverendissimo Domino abbate cum solitis ministris, a sex Reverendis Patribus stola indutis ex suo loco ad pedem altaris in medio constituta, recognitis prius sigillis, remoto operculo aperta ; B ac in eadem, coram inspiciente Reverendissimo Domino commissario, me notario et testibus, S. Vitalis honestiore ac separato loco a cæteris divisæ, trium vero anonymorum simul et velut ad pedes S. Vitalis inventæ, sacræ reliquiæ omnium oculis in innumerabili hominum concursu expositæ ; tumba autem posthac a me notario novis sigillis de novo obsignata, ac sub intonata antiphona « Sacerdos et Pontifex » etc. et a musicis figuraliter intonato hymno « Iste Confessor Domini » etc., per sex sacerdotes ejusdem conventus elevata et cum debita reverentia ad tumbam marmoream cum sacris reliquiis rursus incensatis reposita ; ac lapis sepulchralis seu mensa altaris, per quam ipsa tumba in qua sunt reliquiæ, custoditur, superimpositus ; tandem pro Reverendissimo Domino commissario in medio ante summum altare præparato condecenti strato cum scabello et cussino, per Reverendissimum Dominum abbatem hymnus Ambrosianus « Te Deum laudamus » etc. intonatus ac per musicos solenniter decantatus, et sic huic solennitati finis impositus fuit. Acta sunt hæc *etc. ut in altero instrumento.*

sub nomine ejus erecti includitur.

122 Paulo post, *subdunt modo dicti historiographi,* dum hæc stannea tumba, continens ossa S. Vitalis et aliorum trium, marmoreæ tumbæ fuit inclusa, C integrum altare novum in honorem S. Vitalis ad conservandam perpetuam sepulchri memoriam ex novo marmore surrexit ; in quo S. Vitalis statua in justa figura collocata videtur, superius autem picta imago referens tres viros beatos, quicumque demum illi fuerint, cum inscriptione : Sanctus Vitalis episcopus, et alii tres ; inferius autem hæc verba leguntur : Sepulchrum Sancti Vitalis episcopi Salisburgensis. Ut autem memoria sepulchri eo firmius in mentibus permaneat, in medio tumbæ marmoreæ locus apertus remansit deauratis cratibus obductus, per quem omni tempore aspectus patet ad ipsum sarcophagum stanneum, cui imago S. Vitalis in tumulo quiescentis est affixa, et in quo sarcophago ossa S. Vitalis et aliorum trium, ut sæpe diximus, continentur. Grandis autem ille lapis ex rubro marmore retro fuit positus, ut et hujus memoria non penitus eboleatur. *Nimirum retro altare, non intra ipsam S. Petri ecclesiam, sed in capella S. Catharinæ, quam meridionali ecclesiæ lateri contiguam esse supra diximus (num. 67),* D *lapis ille superiori sui parte infixus est parieti, inferiori parte declivis, ita ut conspectui populi pateat illa epigraphe imo margini incisa :* Præsul Vitalis cubat hic ægrisque medetur *etc.* (1). *Præsenti autem tempore, ut R. P. Michael Filz prior Michaeliburanus Ord. S. Benedicti nuper ad nos rescripsit, adhuc perstat sepulcrum S.* Vitalis *eodem loco visendum eademque conditione ac anno* 1762.

Variæ effigies S. Vitalis tam pictæ

123 *Superest ut ex libello Amandi Pachler aliqua addamus circa imagines S.* Vitalis *ejusque (ut quidam volunt) sacras vestes ac reliquias. Undecim enumerat Pachlerus imagines (2), quarum quatuor in processu canonizationis memorantur. Prima est quæ ordinationem Sancti et aliquot ejus miracula repræsentat (vide supra, num.* 96); *de qua ait laudatus scriptor :* Circa hanc imaginem notes velim quod in superiori parte tabulæ duo videantur episcopi tenentes ecclesiam in manibus coram altari et in ecclesia, assistentibus duobus in pluvialibus, et præsentibus pluribus monachis nostri Ordinis in habitu monachali, a longe stante quadam principe persona in nigro habitu et oblongo talari et pallio, assistentibus eidem aulicis et pluribus sæcularibus personis : quibus proinde intelligitur a E S. Ruperto traditam fuisse S. Vitali ecclesiam in præsentia cleri et populi, et teste Ms. G fol. 75, § 14, ille princeps videtur repræsentare Theodebertum ducem Bavariæ cum suis aulicis ; quod est credibile, quia S. Rupertus sub Theodeberto fuit mortuus, et successit B. Vitalis. *Secunda est imago funeris S.* Vitalis *(num.* 95), *quæ, ut ait Pachlerus,* an fuerit picta in aliqua tabula mobili, an in ipso muri fundo cæmentitio, ignoratur ; et probabilius est fuisse ipsi muro pictorium opus illitum, atque adeo, mutato sepulcro et renovato muro, picturam fuisse elisam et dealbatam : nullibi enim hodie vel vestigia apparent hujus picturæ. *Tertia est imago altari S. Andreæ olim appensa (num.* 96) ; neque hujus imaginis vel altaris S. Andreæ quidquam amplius extat vestigii, erecto anno 1627 novo altari S. Andreæ, et S. Vitalis nomine intitulato. *Quarta illa est quæ cernebatur in vitro circa tumbam (num. cit.) ; scribitque de ea Pachlerus :* De hac vitrea imagine ait Joannes Stainhauser cap. II Vitæ ejus, fol. 9 et 10, eam fenestram seu vitream imaginem a Martino abbate sublatam esse et honorifice asservatam, ne periret, quum propter F antiquitatem vix posset amplius consistere. Verum, etsi diligentissime in toto nostro monasterio eamdem quæsierimus, invenire tamen eamdem amplius non potuimus. *Quintam vocat idem auctor illam quæ in antiquo templo S. Petri, antequam fuit renovatam, circa altare majus conspiciebatur cum imaginibus S. Ruperti et quinque aliorum, prout jam supra (num.* 82) *indicavimus.*

quam sculptæ.

124 *Tum pergit :* VI. Imago, quamvis parva et exigua, vetusta tamen, affixa est tabulæ cuidam ligneæ cum lilio et pedo pastorali, in qua Ode inscripta est in honorem S. Vitalis composita per Joannem Panetianum (3)... Tabula adest adhuc, et vix legibili charactere scripta, olimque ad tumbam S. Vitalis videtur fuisse suspensa. VII. Adest etiam recentior S. Vitalis imago pectoralis argentea deaurata in sacristia cum lilio argenteo circa pectus. VIII. Adest picta imago ante cubiculum domini abbatis inter alios abbates, quæ tamen non videtur esse admodum antiqua, referens S. Vitalem in pontificali habitu cum corde liliato, cum hac subscriptione : « S. Vitalis abbas S. Petri et in

(1) Pillwein, Legenden Heiliger Gottes, p. 243 ; Geograph. Lexik. von Baiern, t. II, voce *Salzburg*, col. 194 et 195. — (2) Disq. IV, cap. III, p. 82 et seqq. — (3) Cfr Disq. VII, cap. IV, p. 203 et seqq.

» episcopatu

A. T

A » episcopatu Divi Ruperti successor, sanctitate et » miraculis clarus, e vivis excessit anno DCXLVI. » Nona imago est ipse lapis sepulcri, qui refert figuram S. Vitalis in habitu pontificali circa tempora irradiati, apposito ad pectus lilio. Denique hodie in ecclesia nostra effigies S. Vitalis ex ligno affabre sculpta tam in summo altari ex cornu Epistolæ quam in ipso altari S. Vitalis cernitur ; in quo altari B. Vitali in nubibus sedenti offeruntur omnis generis miseri, ægroti, aridi, claudi, etc. : adsunt etiam plurimæ imagines votivæ circa tumbam et altare ipsius appensæ, quæ a fidelibus S. Vitali oblatæ fuere, quæque prostant oculis omnium, in quibus fere omnibus S. Vitalis depingitur cum lilio aut corde liliato. *Hactenus ille. Nunc etiam in novo altari marmoreo anno* 1762 *erecto statuam Sancti extare, paulo ante dictum fuit (num.* 122) ; *et pridem memoravimus marmoream statuam a Paride de Lodron archiepiscopo Salisburgensi apud portam civitatis aquariam seu S.* Vitalis *erectam (num.* 117).

vestes sacræ.

125 *De vestibus, quarum originem aliqui a SS. Ruperto atque* Vitale *repetierunt, sequentia Pachlerus scribit* (1) : Sunt in sacristia nostra in B primis duo antiqua pluvialia seu casulæ antiquo modo factæ, instar campanæ undique clausæ, circa collum solummodo apertæ, ut caput solum eminere possit : una hujuscemodi casula est nigri coloris, et admodum lacera ac debilis ; altera est viridi coloris, et ex materia constante et forti, quam hodie nemo mercatorum vocare aut nominare potest. Nigræ casulæ secundum fimbrias litteræ phrygiato opere insertæ leguntur :

« Hanc vestem claram Petri patravit ad aram
» Hainrich peccator, ejus sit ut auxiliator. »

Adsunt et tres antiquissimæ infulæ, antiqua forma humiles, ex materia bombycina interdistincta filis aureis, atque ornamentis argenteis utcumque ornatæ, quarum uni parvulæ litteræ aureis filis intextæ legi vix possunt, hæc tamen carmina adhuc legibilia apparent :

« Prævia stella maris, lapsis via jure vocaris,
» Da cordi lumen verum cognoscere Numen,
» Infer et ardorem superum qui nutrit amorem.
» Ave, tuum nomen mihi da solamen et omen.
» A me, Virgo pia, triplices expelle, Maria,
» Hostes, atque veni, me sacro flamine leni.
» Divinas laudes superans super æthera plaudes. »

C Adest insuper pedum pastorale, dependente vexillo, antiquissimo opere gypseo simili, baculo ligneo superinducto : adest et minor baculus cum manubrio eburneo ; item et argenteus calix cum patena antiquissimæ formæ ; insuper et cingulum coreaceum, argenteis laminis et fibulis ornatum, reticulato opere involutum, ne frangatur.

quas quidam ab eo repetunt.

126 Hæc, inquam, monimenta nostra ætate singulis annis in festo obitus S. Vitalis XX Octobris ad altare ejus publice visenda exponuntur et suspenduntur, tamquam sanctæ antiquitatis devotissima monimenta : unde factum est ut hæc omnia existimentur hodie a S. Vitale relicta, tamquam reliquiæ ipsius. Verum reperio in Ms. R. fol. 497, sub Petro abbate hæc quidem omnia, excepto solo cingulo, circa annum 1462 fuisse conservata in sacristia nostra, non tamen omnia tum temporis fuisse habita pro reliquiis S. Vitalis.... Eamdem descriptionem sacrarum rerum sub Petro abbate et Fr. Stephano vicecustode factam anno 1462 reperi in scheda separata,... ubi eadem verba D. Abbatis Petri de his sanctis vestibus habentur, et nulla fit mentio cinguli S. Vitalis ; quod forte est indicium hoc cingulum olim non fuisse asservatum in sacristia, sed forte in archivio monasterii. Quod enim tempore D. Petri abbatis illud cingulum jam in magno honore fuerit habitum, clare patet ex duabus litteris ad abbatem Petrum datis a sereniss. ducissa Bavariæ Anna ducis Alberti Pii uxore, quæ anno 1448 partui proxima per litteras a D. Petro abbate petiit hoc cingulum, et remisit ; rursus petiit sequenti anno partui vicina. Utrasque litteras in originali habemus. *Et eas integras germanico, quo exaratæ erant, idiomate describit Pachlerus ; nos vero, quum nihil notatu dignum contineant, eas prætermittimus.* Ex his, *prosequitur ille*, litteris colligitur cingulum hoc in summo honore jam eo tempore fuisse habitum, atque parturientibus sæpe sæpius fuisse adhibitum ; quod et in hodiernum diem multæ partui vicinæ mulieres petunt, devote se eodem circumcingunt, ac plerumque feliciter enituntur, uti plurima testimonia afferemus infra.... Insuper illud advertendum, cingulum istud ea ætate non fuisse habitum pro cingulo S. Vitalis, sed S. Ruperti, ut aperte loquuntur istæ litteræ *(ubi dicitur* S. Ruprechts Gürtl) ; quamvis hoc tempore communiter E vocetur cingulum S. Vitalis. Verum potuit esse utriusque : nam relictum utique a S. Ruperto S. Vitalis quoque in summo honore habuit, ac posteris reliquit.

et ossium ejus particulæ.

127 *Porro de cimeliis jam enumeratis ita die* XXVII *Junii* 1852 *e Burano suo ad S. Michaelem cœnobio ad nos rescripsit R. P. Michael Filz :* Adhuc supersunt in gazophylacio monasterii S. Petri duo pluvialia antiqua seu caculæ et mitræ cum baculis pastoralibus, calice argenteo et cingulo coriaceo. An autem S. Ruperto aut S. Vitali adscribantur, jam veteres in dubio hæsitarunt. Mihi nec una nec altera opinio placet. Pluviale ab Henrico I abbate *(qui monasterio ab anno* 1147 *ad* 1167, *dein episcopatui Gurcensi ad annum usque* 1174 *præfuit)* im memoriam sui relictum esse, satis indicant versus secundum fimbrias opere phrygiato inserti.... Eidem Henrico una quoque mitra adscribenda videtur ob versus ejusdem metri. Lipsana talia usque ad ætatem S. Ruperti aut S. Vitalis referre non audeo, ob nimiam sane vetustatem, quæ nobis tam sero venientibus nihil nisi ossa reliquit. *De ossibus vero ipsis S.* Vitalis *hæc a Pachlero annotantur* (2) : Reperio in Ms. T. antiquo codice anti- F quissimas consecrationes altarium et capellarum ac ecclesiarum nostrarum, in quibus tamen usque ad annum 1629 nullibi reperi reliquias de S. Vitale fuisse altari alicui inclusas ; quum tamen de cæteris Patronis nostris, ut SS. Martino, Ruperto, Amando, Virgilio, Chunialdo, Gislario, Chrysantho, Daria, Hermete, etc. quorum reliquias conservat Salisburgum, aliquoties reperiam particulas sacris altaribus fuisse inclusas : quod sine dubio inde provenit quod nullæ reliquiæ de sancto corpore ipsius extra sepulcrum fuerint ante annum 1627. Quum enim anno 1627 fuisset corpus inventum, aliquas particulas D. Albertus abbas, minutas tamen, servavit extra tumbam, de quibus aliquas anno de 1629 altari in capella in Peterslind ab eodem erecta consecrato includi fecit, item et anno 1642 altari S. Vitalis noviter consecrato, et eodem anno altari SS. Wolfgangi et Benedicti in capella prope introitum ecclesiæ nostræ ; ut colligitur ex tabulis consecrationum in eodem Ms. T.

(1) Disq. IV, cap. IV, p. 86 et seqq. — (2) Loc. cit., p. 90 et 91.

A

MIRACULA ANTIQUA S. VITALIS

in processu canonizationis producta (1).

Ab anno 1181 Anno igitur Incarnationis Domini MCLXXXI subscripta signa tale habuerunt exordium et principium *a*. Quædam mulier uxor cujusdam civis Salzburgensis tumida nimis erat, et habebat ventrem ita inflatum, tamquam, ut ipsa fatebatur, imprægnata esset geminis. Dolore ita se mordente mortemque instanter minitante, venit ad sepulchrum B. Vitalis, et cum magna fide pro salute sua postulans, totum corpus stravit super sepulchrum Sancti, plenamque per orationes recepit sanitatem. Adolescens quidam non longe manens a civitate arreptitius a parentibus illuc adductus est, positusque super sepulchrum præfati Confessoris, per multas circumstantium orationes et lachrymas a dæmone cum ejectione sanguinis liberatus est. Item cujusdam pistoris uxor de civitate in tantam B ægritudinem inciderat ut a sacerdote viaticum peteret et acciperet. Quo accepto, manibus et pedibus contrahi et obmutescere cœpit, vovensque animo candelam ad sepulchrum B. Vitalis, eadem hora tam vocem quam vires recepit. Quidam de familia ecclesiæ S. Petri, mente captus, cum post crebram Sanctorum visitationem minime sanatus esset, tandem a patre ductus est ad tumbam ejusdem Confessoris, pristinamque ipsius intervenientibus meritis recepit sanitatem. Quidam puer oriundus de loco qui dicitur Putlingen *b*, sinistro pede ac dextera manu curvus illuc pervenit, fusisque ibi paulisper orationibus, in utroque perfecte curatus est. Item puer de Krayndorff *c*, cum ab immundo spiritu vexaretur, ad sepulchrum B. Virgilii adductus, curatus est : dehinc ad domum reversus, ea qua et prius infestatione spiritus maligni agitabatur; dum demum ad B. Vitalis tumbam a matre delatus est, perfectam omnino recepit sanitatem. Non longo post tempore puella quædam energumena de S. Floriano *d* illuc adducta fuit, quæ, multis tam religiosis quam laicalibus personis coram positis, miseratione Dei curata est.

S. Vitalis patrocinium *e* 2 Quædam vidua honesta de foro Creynburck *e* C infantem fere quinquennem habebat, qui a nativitate omni gressu caruerat; et super sepulchrum prænominati Confessoris positus, matrem, quæ orationis causa parum secesserat, gressu per merita B. Vitalis accepto subsecutus adivit. Idem vir quidam cæcus de Eringen *f* ex episcopatu Patavensi, cum devote illic pro sui illuminatione orasset, lumen accepit. Alius item puer de Taghartingen *g* graviter a dæmone vexatus, ad B. Vitalem cum adductus fuisset, meritis ipsius intervenientibus plene liberatus est. Quædam etiam puella, filia cujusdam mulieris de Eckstatt *h*, muta et debilis pedibus facta fuerat; et dum mater pro ea imploraret gratiam Dei et orationes B. Vitalis, domi adhuc manens loqui cœpit, adductaque ad sepulchrum ejus etiam gressum recepit. Quædam fœmina de Ulspruch *i*, pede debilis curvamque habens manum, orationes illuc effudit; dehinc cum paululum secessisset, non longe a sepulchro curata est. Alia quædam mulier paupercula de Nendilszkirchen, orationis gratia cum venisset illuc, tantum unum habens nummum, dubitabat utrum illum B. Vitali offerret an pro sua indigentia expenderet : sic vero in dubio posita, tandem deliberavit Sancto Dei illum offerre; quo facto, rursus oram pepli sui, unde illum resolverat, attingens, alium, quod est mirabile dictu, ibidem nummum invenit. D

ægri 3 Item mulier de civitate Salzburgensi tanta ægritudine laborabat, ut cruribus contracta, omnino esset desperata : quæ cum ad sepulchrum B. Vitalis prostrata, candelam juxta mensuram corporis sui factam obtulisset, domum inter manus reducta, paulisper in lecto quievit; et a labore dimissa, recurrens ad ecclesiam cum magna fidelium turba, Deo et B. Vitali pro recepta sanitate gratias egit. Item alio tempore puella quæ muta fuerat a nativitate, adducta ad sepulchrum viri sancti, post obsecrationem parentum et oblationem, dum recederet a sepulchro, loqui cœpit in ecclesiæ vestibulo. Præterea puer quidam cæcus de Osterhoffen *k*, allatus illuc a parentibus, visum recepit; cui miraculo plebani venerabiles intererant. Mulier quædam de Leibnitz *l*, quæ, plebano ipsius aliisque vicinis testantibus, triennio cæca fuerat, veniens ad sepulchrum B. Vitalis, post orationes illic fusas exaudiri et illuminari meruit. Item mulier quædam de Pruckkirchen *m* cæca domi ma- E *m* nens in somnis admonita est ut sepulchrum B. Vitalis inviseret, et orationes illic ad Dominum pro salute sui funderet : dehinc candelam ad mensuram capitis sui faciens, priusquam illuc pervenisset, visum recepit. Alia itidem fœmina de Erdendorff *n* arrepta a dæmone fuit : crebrescentibus *n* autem signis Salzeburgæ ad sepulchra Sanctorum, amici ejus illuc eam adduxerunt; cumque gratia obtinendæ sanitatis tumbam B. Vitalis frequentaret, et ejus auxilium continuis orationibus imploraret, meritis ipsius orationum suarum effectum consecuta est. Vir quidam de Purckhausen *o* para- *o* lysi toto corpore adeo dissolutus fuit ut inter manus amicorum ad limina Sanctorum deferretur : ad ultimum vero, cum ad Beatum delatus fuisset, Deo ac præfato Confessori intimis se commendavit precibus; domumque reversus, optatæ sanitati restitutus est.

4 Erant quidam tres viri, qui communi voto *malisque* Sanctos Salzeburgæ visitare statuerant : cum vero in ipso itinere Danubium necesse habuerant transire, in medio fluminis navi cum rebus omnibus eorum et negotiatorum mercibus, quas vehebant, F submersis, periclitati sunt; nutu autem Dei, cum in ipso mortis discrimine unus B. Rudberti, secundus B. Vitalis ac tertius B. Virgilii auxilium implorasset, quilibet ipsorum Sanctorum se inclamanti subvenit, sicque naufragium evaserunt, ut nihil eorum quæ portabant, præter negotiatorum merces, amiserint *p*. Plebanus quidam de Marchia, de *p* loco qui dicitur Stubenberg *q*, plebanis suis comi- *q* tatus, ad B. Vitalem venerat; ubi cum inter reliquorum oblationes quidam denarium obtulisset, de vase quo illum posuerat, sacerdote aliisque videntibus atque stupentibus, exilivit : mulier autem quædam, quæ proxima illi in oratione accumbebat, manu extenta oblationem ipsam apprehendit, fusisque ad Dominum precibus ut a se illam dignaretur recipere, in locum suum eam reposuit. Alius quidam de parochia Stulfelden *r* oblaturus illuc *r* dextra manu candelam, sinistra autem myrrham gestabat; inter oblationem autem candelæ subito myrrham labiis ac dentibus adhærentem invenit: quo facto fidelis ille in admirationem versus, de

(1) Cfr Comment. præv., n. 73 et 91.

ore

A ore illam tulit, suppliciterque super tumulum B. Vitalis locavit. Quidam de Wolckenmarckt *s* filiam cæcam ad B. Vitalem adduxit : per triduum pro illa cum in orationibus perseverasset, domum redire statuit, sperans a Deo se pro illuminatione filiæ per merita B. Vitalis exaudiri ; nec spe frustratus, in ipso reditu, domi suæ appropinquans, quod pro filia petierat assecutus est *t*.

variis

5 Carantanus etiam quidam brachium omnino ariditate invalidum habebat : is, comperta virtute signorum B. Vitalis, memoriam illius pro sui sanitate precibus et oblationibus invisere statuit, meritisque præfati Confessoris, domi adhuc manens optatam consecutus est sanitatem. Mendicus quibus de Helingesperge *u* ad memorati Confessoris sepulchrum venit, qui aliquanto jam tempore oculorum officio caruerat : is cum illic triduum in orationibus continuasset, visum quem fideliter petiit, efficaciter est consecutus. Mulier quædam de civibus Salzburgensium diutino affecta languore, lecto tandem decubuit, omnique membrorum campage contrahi cœpit : invocato igitur B. Vitalis auxilio, subitam curationem, meritis ejusdem intervenientibus, adepta est. Item fœmina quædam infirma B de villa Hallensi *x* sanitatis obtinendæ gratia S. Vitalem visitaverat ; sed post orationes domum reversa, nihilominus ea qua prius tenebatur infirmitate : pridie vero quam esset anniversarius ejusdem memorabilis Patris, divinitus in somnis admonita fuit eumdem anniversarii diem debere cum devoto venerari jejunio ; quod dum evigilans pro sui debilitate adimplere se posse diffidebat, Dei vero adjutorio matrisque suæ, cui visum somnium retulit, exhortationibus roborata, indictum in pane et aqua exolvit jejunium, ac dehinc nocte subsequenti perfectæ sanitati Patroni sui meritis est reddita.

affecti

7 Abbas venerabilis monasterii cujusdam, quod dicitur Mosnize *y*, adversam inciderat valetudinem, multamque in medicos cum erogasset expensam, tandem ab eis desperatus est, qui solum illi superesse dicebant sepulchrum. Suggerentibus autem ei quibusdam de fratribus ut Sanctorum quorum memoriæ Salzburgæ habentur, opem imploraret, causatus est ille quod prius adhuc sano corpore nihil venerationis eis impenderit. Fratres contra hortati sunt eum non ideo illi fore desperandum, sed Dei adjutorium per merita eorumdem Sanctorum C in tanto discrimine implorandum. Acquievit ergo fraterne consulentibus, et nutu Dei præ aliis Sanctum eligens Vitalem, ipsius se patrocinio commendavit sanandum ; quem Deus mira celeritate interventu sui Confessoris optatæ restituit sospitati. Matrona quædam de Salzburgensi civitate infantulum habebat gravi ægritudine laborantem ; quem cum ad B. Vitalis memoriam fidelibus votis in anniversaria ejus die attulisset, Domino illic pro eo preces et oblationes exolvit : deinde domo se cum ipso infante recepit, consignansque illum sub tuitione præfati Confessoris, se in lecto puerumque in cunis cubitum locavit. Omnibus igitur sopore depressis, candela accensa, quæ incautius juxta relicta fuerat, pannos infantis corripuit, flammisque tam eum quam vestes involvit : mater vero crepitante incendio evigilans, jam circumquaque vestibus exutis, infantem, quem mira Dei potentia sicut tres pueros in camino ignis servavit, meritis B. Vitalis nihil læsum eripuit. Item de ipsa civitate mulier quædam cruribus paralysi contracta lecto decubuerat ; quæ diutino dolore affecta, candelam ad mensuram sui corporis B. Vitali deferendam pro sanitate consequenda fieri fecit, et ea consummata, optatæ sanitati est restituta. EX ACTIS CANONIZATIONIS.

7 Conjux cujusdam civis Salzeburgensis, quæ cæca fuerat, B. Vitalem pro sui illuminatione assidue implorabat : nocte igitur quadam idem Dei Confessor per visum ei apparuit, ferens in manu pulverem medicinalem ; quem et oculis ejus aspergens, omnem visus est abegisse cæcitatem. Somno itaque excitata, ita plenarie oculorum se invenit officio restitutam ac si numquam aliquid sinistri in his pertulisset. Alia autem probabilis vitæ fœmina dolore quem physico nomine vocant phthisin, gravissime tenebatur, in tantum ut sæpe quasi suffocata expiratura crederetur : cujus animo cum occurrisset ut opem B. Vitalis pro ipsa debilitate imploraret, venit ad sepulchrum ejus, oransque ad Dominum ibidem, ab ipso incommodo omnino erepta est. Mulier quædam de Austria civis Viennensis miserabiliter dæmone arrepta vexabatur : quæ cum ad memoriam præfati Confessoris adducta fuisset, meritis ejus et precibus liberata est. Infantulus cujusdam pauperis fœminæ, jam fere quinquennis, ab utero matris et claudus et mutus fuerat : qui dum ad tumbam Beati viri a matre crebris orationum votis delatus fuisset, divina clementia ab utriusque debilitatis modestia salvatus est. Simili etiam modo, cum alia quædam mulier filiam cæcam haberet, sepulchrum illius S. Confessoris cum ipsa visitavit ; ubi cum preces et oblationes Domino obtulisset, domum rediit, et optatæ illuminationis gratiam in filia consecuta est. Item fœmina quædam de Flossingen *z*, habens filium genuum contractione claudum, pia animi devotione disposuit ut ad velum quod Beato conficiendum audierat, ipsa etiam aliquantam filiorum particulam de labore manuum suarum pro filii sanitate transmitteret. Eisdem igitur filis spe meritorum S. Vitalis puerum involvit, moxque interventione B. Confessoris et fide Martyris puer salvatus gressum accepit. Cujus nimirum fama miraculi ad aures matronæ cujusdam pervenit, quæ dolore capitis, quo nimium vexabatur, oculi unius visu privata fuerat. Similem igitur et ipsa filorum portionem, quam devote B. Vitali offerendam voverat, ad tumbam ejus transmittere disponebat, et eadem fila similiter capiti suo circumvolvens, sanitatis remedium adepta est. Item puer quidam Fredericus nomine de familia S. Petri contractus et mutus ad sepulchrum S. Vitalis a parentibus delatus est ; ubi cum a fidelibus oraretur, ipsius Sancti meritis intervenientibus, ab utriusque languoris molestia liberatus est *aa*.

experiuntur.

ANNOTATA.

a *Miracula hæc ex veteri libro producta fuere in processu canonizationis, ut in Commentario nostro (num. 91) dictum fuit. Eadem, ut ibidem fuit relatum (num. 98), inscripta erant tabulæ antiquæ, olim ad sepulcrum S.* Vitalis *suspensæ, quæ in modum valvarum claudi et aperiri poterat, teste P. Amando Pachler* (1). Adhuc est, *inquit hic scriptor*, sed ad tumulum non est amplius suspensa, sed conservatur in archivio, quamvis valvæ ab invicem sunt separatæ. *Testatur autem se verba tabulæ incorrupta afferre : nos textum Canisianum ex processu canonizationis assumptum descripsimus.*

b *Videtur hic indicari vicus* Pietling *seu* Biedling,

(1) Disq. vi, cap. iii, p. 122.

A ling, *ripæ sinistræ fluvii Salzæ vicinus, haud procul a Tittmoninga Bavariæ oppido.*

c *Vicus quidam diœceseos Ratisbonensis* Kraindorf *appellatur. Pachlerus vero ex veteri tabula edidit* Chaydorf, *quo nomine nullus mihi occurrit locus; sed in Bavaria reperio* Kayvicum *a ud Tittmoningam, in Styria vero duplex* Kaindorf, *alterum prope Leibnitz, prope Hartberg alterum.*

d *Plura sunt loca quæ S.* Floriani *nomen gerunt: nescio an hic de eo agatur qui jacet prope amnem Prien ex parte occidentali lacus Chiemensis, vulgo* Chiemsee *dicti.*

e *Pro* Kreynburck *apud Pachlerum est* Chraiburg, *quod hodie* Kraiburg *scribitur, nomen loci ad Œnum fluvium siti, non procul ab Œttinga.*

f *Jacet* Ering *ex parte sinistra Œni, haud magno ab oppido Braunavia intervallo, adeoque in confiniis Bavaricæ ditionis.*

g *Locus hic hodie vocatur* T cherting, *ad sinistram amnis Alzæ, in via quæ a Trostburgo ad Veterem Œttingam ducit.*

h *Incertum est sitne hic sermo de civitate episcopali Eichstettensi, an de vico* Eichstätt *diœceseos Ratisbonensis.*

B i *Nulla equidem comperta habeo loca, quibus nomina* Ulspruch *et, quod mox sequitur,* Nendilszkirchen, *quæ Pachlero sonant* Ulspurch *et* Neudiskürchen, *hodie conveniant; nisi forte priori nomine designetur castrum* Ursprung *haud procul Salisburgo.*

k Osterhofen *diœceseos Passaviensis oppidum est, antiquo cœnobio insigne, quod primitus Benedictini, postmodum Præmonstratenses incoluerunt, quibus deinde successit nobilium feminarum collegium.*

l *Olim oppidum, hodie vicus est* Leibnitz, *Pachlero* Libniz, *juxta flumen Sulm in Styria, medio fere itinere Græcium inter et Marburgum. Sedes erat vicedominorum qui pro archiepiscopo Salisburgensi jus in Styria dicebant, ut ex Stainhausero notat Hansizius* (1).

m *Qui hic a Canisio* Pruckkirchen *et a Pachlero* Burchürchen *scribitur, est haud dubie vicus* Burgkirchen, *seu* Purkirchen, *non longe a fluvio Mattig et oppido Braunavia dissitus.*

n *Pro* Erdendorff *Pachlerus habet* Frundorf; *neutro autem nomine locus mihi occurrit.*

o *Est* Burghausen *sive* Burkhausen *Bavariæ oppidum ad ripam sinistram Salzæ fluminis, quod* C *duobus circiter inde leucis in Œnum influit.*

p *Liberatio viri hujus naufragi verisimiliter illa est quæ apud sepulcrum B.* Vitalis *depicta cernebatur, uti num.* 95 *Commentarii prævii vidimus.*

q *Per* Marchiam *hic Styriam intellige, vulgo* Steyermark, *in qua jacet castrum* Stubenberg, *non procul ab oppido* Hartberg, *Hungariæ vicino.*

r *Parochia* Stuhlfelden *propinqua est vico* Mittersill *in Pinzgavia, de qua vide num.* 65 *Commentarii prævii.*

s *Ambigere licet utrum hic agatur de vico* Vocklamarkt, *qui ab amne* Vockla *nomen habet, ac Salisburgo Lincium euntibus occurrit, an vero de oppidulo* Volkermarkt *ad Dravum fluvium in Carinthia.*

t *Miraculo huic vigesimo quarto subjicit Pachlerus* (2): Hæc legebantur in prima ala seu valva illius tabulæ. In altera vero sequentia.

u *Nomini* Helingersperge, *quod frustra equidem quæsivi, sat propinquum videtur* Hilgartsberg *sive* Hilkersperg *in diœcesi Passaviensi.*

x *Villa* Hallensis *est oppidum* Reichenhall *tribus a Salisburgo leucis ad Salam flumen. Salinis copiosissimis celeberrimum est.* D

y *Doceri velim quodnam sit aut fuerit monasterium illud* Mosnize *nuncupatum, quod mihi quidem investiganti nusquam obvium fuit. Notatur nomen* Muschnitz *in Mappa quæ Zeilleri Topographiam Styriæ comitatur in editione Matthæi Merian Francofurtensi, videturque vicus illius nominis jacere in confinis Styriæ et Carinthiæ ad amnem qui non longe inde Lavanto fluvio conjungitur, inter* Obdach *et* Reichenfels.

z *Situs est vicus* Flossing *prope ripam dexteram Œni e regione oppidi* Mühldorf *in Bavaria.*

aa *Ultimum hoc miraculum, quod trigesimum nonum est, abest ab editione Canisii Basnagiana; sed ab Amando Pachler ex veteri tabula affertur: reipsa autem fuisse miracula numero triginta novem, ex processu canonizationis constat. Cfr Comment. præv., num.* 98.

MIRACULA SÆCULI XV

E

ex processu canonizationis in compendium redacta a P. Amando Pachler (3).

Cum anno 1462 octoginta novem testes sub juramento fuissent requisiti, ut testimonium ferrent circa famam miraculorum ac sanctitatis B. Vitalis, ii non parvo numero sponte aliqua deposuere curationum beneficia, quæ ipsimet aut in seipsis aut in aliis veluti vivi et oculati testes viderunt et experti sunt; quæ quidem apud Canisium tom. VI in ipso processu longius describuntur: ea non piget in hanc disquisitionem breviter inserere, ut elucescat quanta tum temporis fuerit de sanctitate B. Vitalis publica opinio et fama *a*. Et in primis ab ipso D. Petro abbate incepere testimonia miraculorum conquirere Domini delegati; qui quidem non testis, sed ut subdelegatus interfuit inquisitioni miraculorum: arbitrabantur autem RR. DD. delegati optimam notitiam se accepturos a Domino abbate loci in quo B. Vitalis corpore requiescit. Unde et ipse Dominus Petrus juramentum præstitit, et veluti primus testis specialis deposuit se ante 45 annos fuisse novitium in dicto monasterio S. Petri; ubi dum gravi dolore dentium afflictus fuerat, ut facies intumuerit ut nemo eum agnosceret, eaque infirmitate fere per mensem detentus; denique consilio alterius connovitii accepit cereos qui pro more monasterii dabantur novitiis pro nocte, et ad tumbam S. Vitalis obtulit et accendit, ipseque se prostravit ad tumbam, et B. Vitalis patrocinium devote invocavit: unde mox dolore mitigato, paucis post diebus plene restitutus est. Ita examinatus Dominus abbas Petrus, et rursus pro subdelegato inquisitore assumptus, cum cæteris RR. DD. delegatis et subdelegatis aliorum testium juramenta et testimonia miraculorum excepit.

Miracula in processu canonizationis referunt testes primus.

a

F

9 Secundus testis requisitus fuerit R. D. Hadmarus Ord. Can. Regul. decanus ecclesiæ cathedralis Salisburgensis: qui fatebatur se a gravissimo capitis dolore, invocato patrocinio B. Vitalis, liberatum fuisse, ac propterea eum se colere uti specialem Patronum *b*. Nobilis D. Ulricus Panichner, testis 12mus requisitus et examinatus, fassus est se 2, 12, 16, 17.

b

(1) German. sacr., t. II, p. 1077.— (2) Loc. cit., p. 127.—(3) Disquis. de S. Vitale, disq. VI, cap. IV, p. 130 et seqq.

in

AUCTORE A. PACHLER.

A in foro vidisse casu rusticum, qui duos pedes, unum ligneum, ferreum alterum portabat. Interrogatus rusticus quo hisce cum pedibus iret, respondit ad S. Vitalis tumbam se diu utroque pede claudum, et modo B. Vitalis meritis sine medicina alia curatum, deportare voti causa. R. D. Joannes Saller, testis 16us, decanus vicariorum ecclesiæ cathedralis, cum anno 1457 dolore non modico in dextro crure et nervis afficeretur, vovit se decem cereos B. Vitali oblaturum. Vix voto completo diminuitur dolor, et paucis diebus postea integræ sanitati restituitur Joannes. R. D. Joannes Impach sacerdos diœcesis Salisburgensis, testis 17us, fatebatur se jam sacerdotio initiatum annis fere septem ita oculorum officio et luce diei destitutum ut neque videre litteram posset, nedum legere; adhibitis etiam variis medicinis nihil profecisse: concepto vero voto ad tumbam B. Vitalis, et devotione maxima persolutis precibus, ut saltem tantillum luminis acquireret ut legere Missam et Horas canonicas posset, mox aliquid luminis accepit, et paucis post diebus tam perfecto visu donatus est ut Horas canonicas et Missas pro animi voto legere posset; atque ideo B. Vitalem inter suos pe-
B culiares accensuit Patronos.

18, 19, 20. 10 Wilhelmus Pirger civis Salisburgensis, testis 18us, archiepiscopo Burchardo familiaris et gratus, prudens et nominatus vir, sub juramento testatur se plures habere pueros, quos diversis infirmitatibus detentos cum mater ad B. Vitalis tumbam devovisset, semper sanitati fuisse restitutos; insuper seipsum quondam gravi dolore oculorum occupatum ad B. Vitalis sepulchrum preces devote exolvisse, ac sanitati paucis post diebus restitutum fuisse. R. D. Henricus Plaichueber clericus Salisburgensis diœcesis, ætatis suæ 60 anno testis 19us sub juramento testabatur se ante 40 annos tantis oculorum doloribus affectum fuisse ut judicio medicorum naturalia remedia non superessent amplius, quibus a triennali cæcitate, in quam propterea inciderat, sublevari et liberari posset. Spe vero in B. Vitalem concepta, cujus tunc miraculorum fama in vicinia percrebuit, accessit ad tumbam illius; ubi peractis precibus et oblatis pupillis ligneis, confestim dolore deterso, paululum luminis accepit, et pluribus deinde diebus continuatis precibus, plene sanitati fuit restitutus. Nobilis vir Sigismundus Keuzel, testis 20us ætatis 58 annorum,
C deponit sub juramento se in juventute ante 46 annos servisse D. Ottoni abbati S. Petri: quo tempore plurimi dæmoniaci et arreptitii afferebantur ad Ottonem abbatem; quos cum abbas ad S. Vitalis tumbam deduxisset et pro illis preces devote fudisset, omnes fuerunt a dæmonibus liberati. Insuper fatebatur se honestam personam habuisse in sua domo, quæ habebat filiam longa infirmitate depressam; quare matrona nomine Margarita Karterin consilio aliarum amicarum puellam ad S. Vitalis tumbam devovit, et precibus peractis, filiæ sanitatem integram obtinuit.

21, 22, 23. 11 Georgius Clauser mercator et civis Salisburgensis testabatur 21mo loco se habuisse uxorem, de qua aliquot liberos tulisset, quos tamen crudelis mors sustulisset omnes; demum filiolam ante quinquennium acquisiisse, quæ infans materna ubera per quatuordecim dies ita abhorrebat ut præ debilitate morti vicina esset. Noctu vero in somnis uxor moneri videbatur ut aliquid de terra sepulchri B. Vitalis acciperet, et mamillam liniret. Expergefacta mulier matri suæ somnium retulit: quæ mox accurrens ad sepulchrum terram sustulit, et mamillam filiæ linivit; quo factum ut infans imposterum sugeret, et ad firmam valetudinem convalesceret. Burchardus Nestler astronomus Salisburgensis et civis, testis 22us, fatebatur se multos vidisse pueros, qui a diversis languoribus fuerant liberati per merita S. Vitalis. Insuper dicebat se interfuisse, quando Ulricus Panichner (ut in tertio miraculo dictum) rusticum interrogavit, atque a rustico se audivisse illud miraculum quod ambobus pedibus claudus per merita B. Vitalis fuisset restitutus sanitati. R. D. Conradus Fischer sacerdos Salisburgensis diœcesis, testis 23us 60 annorum, profitebatur sub juramento se ante 30 annos, dum scholam regeret in monasterio S. Zenonis prope Halam oppidum (hodie Reichenhall), audivisse a Joanne Kessner laico honesto et opulento, quod per annum integrum infirmitate gravi lecto decubuisset, multisque adhibitis medicinis, imo et Sanctorum invocationibus, nullum morbi relevamen sensisset: donec tandem in somnis admonitus ut sese ad B. Vitalis tumbam devoveret, lectum e cera, imposita ægrotantis figura, fieri fecit; qua cerea specie perfecta, ita convaluit ut pedes Salisburgum sese ad tumbam B. Vitalis votum oblaturus contulerit, ubi tandem oratione completa, sanitatem perfectam obtinuit, ac lætus ad propria E
rediit, Beatumque Vitalem imposterum singulis diebus uti potentem Patronum coluit. Insuper attestabatur se plures puerulos vidisse variis infirmitatibus detentos, et adductos ad sepulchrum B. Vitalis convaluisse: se quoque audivisse ab Henrico Balckner cive Salisburgensi, quod in gravi inflammatione genitalium per invocationem B. Vitalis subito fuerit sanatus.

12 Albanus Haug æditaus ecclesiæ cathedralis 24, 25, 26.
Salisburgensis, testis 24us, fatebatur multos sæpe peregrinos ad se venisse, interrogasse ubi tumba S. Vitalis esset; quam cum eis ostendisset, interrogassetque qua de causa ad tumbam ejus properarent, responderunt sese variis languoribus detentos eo devovisse, sperareque liberationem, imo nonnullos, obtenta sanitate, exolvere votum B. Vitali conceptum. Martinus Abmesser laicus civis Salisburgensis, testis 25us sub juramento requisitus, testabatur se ante octo annos gravi dolore in altero crure affectum fuisse, ut denique etiam putrescente carne stillaret saniem: quare per annum lecto affixus, cum chirurgi manus juvare non posset, aliorum amicorum consilio ad B. Vitalis tumbam loris seu sustentaculis quæ e sepulchro ipso F
acceperat, claudicavit. Fusis precibus et repetita aliquoties hac visitatione sepulchri, tandem perfectam sanitatem consecutus loras restituit, et Deum in meritis B. Vitalis glorificavit. Mirabile dictu est quod deposuit testis 26^{a} Catharina uxor Joannis aurifabri Salisburgensis. Genuerat hæc filiolum altera manu ita male curvum ut penes juncturam manus videretur esse cartilago loco ossiculorum quæ manum firmant: unde, licet per vim manus elevaretur, videbat tamen intro ob cartilaginis et juncturæ debilitatem. Mater ob puerulі formosissimi infortunium male affecta, cum per sex septimanas manum pueri bacillis et involucris veluti sustentaculo quodam illigasset, advertit tamen se aquam frustra ferire. Quodam vesperi cum casu incideret in memoriam B. Vitalis in miseros pietas, concepit votum se parvulum cum cerea manu ad tumbam oblaturam: mox mater cum parvulo obdormiscit; mane vero ita pueri manus perfecte sana reperta fuit ut mater præ gaudio fuerit oblita quænam manus parvuli fuerit curva, neque potuerit ut testis requisita edicere quæ manus fuerit sanata. Mater proinde parvulum cum cerea manu

 portavit

AUCTORE A. PACHLER.

portavit ad tumbam, ac Deo et B. Vitali immensas retulit gratias.

27, 13 Mirabilius est quod deposuit Elisabetha uxor Joannis Weildorfer civis Salisburgensis, testis 27ª, quæ fatebatur se ante 30 annos ex suo marito accepisse filiolum; qui dum anniculus esset, annulum argenteum, quem ancilla joci causa puerulo in digitum apposuerat, absente in ecclesia matre, deglutivit : at hærente in faucibus annulo, puerulus suffocatus est et mortuus. Mater in ecclesia constituta interno motu monebatur domum iret, rem circa parvulum non recte agi. Abivit mater, cumque in foro esset, rursus interno et occulto instinctu commovebatur ut properaret : cucurrit igitur, et insolito cursu per medias turbas honesta matrona domum ferebatur; ubi, aufugiente interea ancilla, reperit humi jacentem puerulum extinctum et mortali frigore jam rigidum. Exhorruit misera, et inter domesticos et vicinos ad spectaculum hoc concurrentes lamentis omnia complet, discitque ex iis causam tam subitæ mortis. Tandem vero memoriæ incidit se habuisse avunculam Gertrudem, quæ multa veneratione B. Vitalem prosecuta fuerat; cujus proinde patro-
B cinio etiam ipsa confisa, parvulum certo modo ad tumbam B. Vitalis devovit. Vix votum animo conceperat, et en ecce annulus occulta vi violentiaque de gutture resilit, puerulus respirat et reviviscit, et omnes qui aderant, Deum in suo Sancto glorificant. Mater confusione et gaudio plena non poterat ut testis requisita dicere quinam adfuissent huic spectaculo.

28, 29, 14 Rupertus Tixel civis et opificio pellifex Salisburgi, testis 28ᵘˢ sub juramento requisitus, narrabat se puerum adhuc quinque annorum ita pedibus contractum fuisse ut ire neutiquam posset amplius. Attractis tandem ad posteriora usque pedibus, ac suris cruribusque putrescentibus, ulceribusque fœtentibus misere per 24 annos afflictus, malo omnem medicorum et chirurgorum operam et remedia respuente, medicis etiam de recuperanda sanitate ejus desperantibus, B. Vitalem in subsidium vocat, de cujus miraculorum fama multa audierat. Se igitur cum imagine sui ipsius cerea et denario quem in singulos annos veluti censum esset soluturus, ad B. Vitalis tumbam devovet, et mox paululum melius se habet; verum ut integre sanaretur, duobus sustentaculis
C ad tumbam claudicat, non sine magno dolore, pedemque putridum tumbæ acclinat, et B. Vitalem tamquam potentem medicum devote implorat. Vix absolverat preces, et evanescente omni penitus dolore ac fœtore, dimissis ad sepulchrum loris, domum incolumis rediit, solis foraminibus in pede residuis; quæ tamen pauco tempore postea, viva carne succrescente, consanata, et pedes consolidati fuere, sine ullo adhibito alieno remedio. Huic etiam miraculo fidem adjuravit et testimonium tulit Margarita uxor Conradi macellarii, testis 29ª sub juramento requisita.

30, 31, 15 Ursula uxor Martini Abmesser (de quo superius in miraculo 13 mentio facta) testis 30ª deposuit se ante annos 26 gravissimum dolorem sensisse in nervis dextri cruris, ut per sex septimanas lecto decumberet; cum vero dolor intensior fieret, devovisse se ad tumbam B. Vitalis, seque accessisse et pedem male affectum tumbæ acclinasse : ubi fusis precibus, mox omnis dolor evanuit, et intra paucos dies integre sanata fuit. Insuper illud miraculum suo viro de quo n. 13 mentio facta est, contigisse testabatur, seque vidisse et interfuisse. Henricus falconista, testis 31ᵘˢ laicus et incola Salisburgi, sub juramento D
deposuit se ante 12 annos gravem in oculis infirmitatem sensisse, ut cæcitatis periculum jamjam timeret; inter has autem anxietates sese B. Vitali devovisse, oblatis ligneis pupillis : vix votum exolverat, et sanus a sepulchro digressus cum magna consolatione domum rediit. Insuper idem testis fatebatur se ante annos quatuor tumorem durissimum in altero testiculo acquisisse, ut inde se moriturum timeret; sed pristini beneficii a B. Vitale accepti memor, cum cera in certa quantitate sese ad tumbam B. Vitalis contulit, et oblata cera, ac fusis ad Deum precibus, tumor evanuit. Insuper fatebatur et hic testis ante annos 20 fuisse Salisburgi Georgium tubicinem in sua domo, qui utroque pede claudus longo tempore lecto decubuerat : qui tandem de tumba B. Vitalis duas loras sustulit, quibus subnixus tumbam accessit; solutisque votivis precibus, perfecte sanatus, relictis sustentaculis, domum reversus est, Deumque in B. Vitale ex animi gaudio glorificavit.

16 Margarita vidua relicta Stephani Kartner, 32, 33,
testis 32ª, habebat puellam octo annorum ante quatuor annos, quæ ita manibus pedibusque contracta erat ut per duos menses præ doloris vehe- E
mentia de uno latere in aliud se movere non posset. Vidua spem suam in B. Vitalem posuerat, cujus tumbam sæpius accesserat, et assem unum, cum ob pauperiem plus non posset, singulis vicibus gazophylacio penes tumbam imposuit; tandem etiam ceræ partem aliquot denariis comparavit et B. Vitali obtulit ea die qua puella gravius solito doloribus afficiebatur. Vix oblatione peracta, interno motu domum properavit, ne in sua absentia emoreretur puella : cum vero domum rediisset, puellam deprehendit deambulantem juxta scamnum in pavimento domus, satis bene habentem; quæ paucis post diebus integre restituta fuit sanitati. Elisabetha uxor Georgii Seznagl, testis 33ª, fatebatur se habere puellam Magdalenam nomine 12 annorum, cujus oculum quidam juvenis casu improviso lapide ita læserat ut pupilla oculi emarcesceret et difflueret. Desperatum tandem fuit a medicis et chirurgis, qui fatali judicio prædicebant cæcitatem. Miserta vero Elisabetha puellam cum duabus pupillis e cera fictis devovit ad tumbam B. Vitalis : vix voto et oblatione peracta, ac fusis ad tumbam precibus, oculus puellæ ita restitutus F
fuit eadem hora ut sine omni defectu oculo posset uti.

17 Elisabetha uxor Henrici opificio cerdonis sub 34, 35, 36,
juramento examinata, testis 34ª, deposuit se ante octo annos filiolum habuisse 16 hebdomadarum, continuis infirmitatibus ita debilem ut in festo S. Margaritæ dubitaret an infans esset mortuus aut vivus; putabatque verius demortuum esse. Spe vero in B. Vitalem concepta, in pulvinari infantulum deportavit ad tumbam B. Vitalis tumbæque per horam imposuit, multis præsentibus, inter quos sacerdos quidam accessit, mulieremque interrogavit quid infanti accidisset; cui cum omnia ex ordine narrasset, sacerdos mulieri ignotus infantis frontem et labia terra de sepulchro sumpta delinivit : quo facto, puerulus oculos confestim aperuit et revixit, et per octo annos incolumis vixit. Mater vero præ gaudio non potuit advertere aut dicere quinam interfuerint huic spectaculo. Nobilis Laurentius Seereuter, testis 35ᵘˢ, sub juramento fassus est se ante annos duos gravissimum dolorem sensisse in sinistro crure, quo adeo pes contrahebatur ut duobus digitis altero esset brevior. Medici judicabant dolorem quidem curari posse,

A posse, non vero contractionem. Verum Laurentius spe fretus B. Vitalis patrocinium, oblato cereo ad tumbam, invocavit : vix voto soluto, dolor evanuit, et sanus cum gaudio domum recessit. Testabatur hujus miraculi certam scientiam habere magistrum venatorum Salisburgi et quamdam fœminam cognomine Oekerlin. Margarita famula Elisabethæ Seznaglin civis Salisburgensis, testis 36ª, fassa est se ante tres annos gravem in dentibus sensisse dolorem, quem tumor ingens subsecutus est : quare sese ad tumbam B. Vitalis devovit, et e cera gingivam obtulit; moxque omnis dolor et tumor evanuit.

37, 38, 39, 40, 18 Elisabetha vetula ex hospitali civium Salisburgensi, testis 37ª, requisita deposuit se ante annos 16 epilepsia gravi quarta jam vice laborasse; at vero cum familiares quædam matronæ misererentur Elisabethæ, pro ea B. Vitali ceram unius libræ obtulerunt. Completo voto, et ab infirmitate caduca et a furia in quam propterea inciderat, ex integro liberata, hactenus nil sensit amplius; Beatum quoque Vitalem peculiaribus precibus in singulos dies non destitit venerari. Elisabetha uxor Christiani Pechlinger incolæ Salisburgensis, testis B 38ª, fatetur se tredecim annorum in castro Radeck *c* famulatam, surdam evasisse in utraque aure, ut parum amplius audiret : crescente vero surditate, vovit velle se in singulos dies B. Vitali unum Pater et Ave recitare; quo voto emisso, statim melius habuit, et parvo tempore integre restituta fuit. Margarita uxor Conradi lanionis Salisburgensis civis, testis 39ª, fatebatur se habere filiolum sex annorum, cui ante duos annos pectus contrahebatur, ut ob angustias graves dolores sentiret : mater vero filiolo compassa, deportati ad tumbam B. Vitalis pueruli pectus oleo de lampade S. Vitalis illinivit; et mox omni dolore liber puerulus paucis etiam diebus postea tota molestia liberatus est. Barbara uxor Friderici Stadlmayr de familia Ill. archiepiscopi Burchardi, testis 40ª, edixit suum maritum ante tres annos in itinere in Gastein *d* (quam Castunam vocat Productio miraculorum) cecidisse sub currum onustum, qui pectus et brachia ita læserat ut cum periculo vitæ Salisburgum fuerit deportatus. Uxor vero mariti infortunio contristata, devovit cereum ad tumbam B. Vitalis; quo oblato et accenso, mox Fridericus melius habuit, et intra octiduum sanus et incolumis C fuit.

41, 42, 43, 44. 19 Erentrudis vidua Jacobi Schaurer, testis 41ª, fassa est se ante decem annos habuisse biennem parvulum Joannem nomine, quem epilepsia aliquando corripuerat, ut prostratus amens decumberet cum periculo mortis. Eadem hora ex consilio cujusdam matronæ mater pro filio cereum in pueri longitudine B. Vitali obtulit; et facto nondumque expleto voto, puer ita convaluit ut misero morbo numquam fuerit afflictus amplius. Margarita filia quondam N. Weinzörl de castro Halbenbang ditionis Salisburgensis, testis 42ª, fatetur se a juventute passam defluxionem ex aure dextra, quæ anno 1460 continuo duraverat a festo Nativitatis Domini ad festum Purificationis Beatissimæ Virginis usque, cum alias paucis diebus per annum pateretur. Quocirca se B. Vitali devovit cum cereo se singulis annis visitaturam tumbam B. Vitalis, quamdiu viveret; cum vero prima vice votum exolveret, defluxio cessavit penitus. Fridericus de Weining agricola de Kestendorf *e* diœcesis Salisburgensis, testis 43us, sub juramento dicebat se ante 30 annos in adolescentia in femore dextro supra genu gravi impetigine et scabie affectum, gravemque inde dolorem perpessum, devovisse cum cereo certæ quantitatis ad tumbam B. Vitalis; quo oblato et accenso penes sepulchrum, a dolore, paulo post etiam a scabioso affectu liberatum esse. Erentrudis uxor Joannis tinctoris, testis 44ª, fassa est ante aliquot annos suum parvulum biennem altero pede contractum non potuisse ullo medicorum remedio juvari : cum vero puerulum detulisset ad tumbam B. Vitalis et Missam in honorem ejusdem celebrari fecisset, ipsa orante ante tumulum, finita Missa, ita pedem parvuli restituit divina virtus ut alteri pedi per omnia videretur esse similis.

AUCTORE A. PACHLER.

20 Barbara uxor Ægidii lebetarii seu figuli 45, 46, 47, civis Salisburgensis, testis 45ª, fatebatur se habere filium octo annorum, cui trienni caducus obvenerat morbus, qui miserum sæpius deturbaverat in terram : mater vero compassa filio, cum aliud non suppeteret remedium, puerum cum cereo certæ quantitatis obtulit et devovit B. Vitali, seque obligavit quotannis cereum oblaturam ad tumbam : accenso proinde cereo et peracta oratione, convaluit puer, qui hactenus numquam id mali genus passus est. Barbara conjunx Martini Staynmüller civis Salisburgensis, testis 46ª, edicit E se ante triennium gravissimo capitis dolore affectam devovisse se cum certo circulo ferreo ad capitis sui magnitudinem, ea etiam obligatione quod vellet singulis annis suæ vitæ una die in honorem S. Vitalis jejunare : oblato proinde circulo, ac Missa perlecta et precibus ab ea fusis, evanuit omnis dolor, ut eadem die integre sanaretur. Hæc etiam testis aliud enarrabat miraculum : cum enim ante duos annos partui vicina in platea obvium habuisset furiosum hominem cultrum manu gestantem, territa aufugit; quo terrore et concitatione fœtus loco suo dimotus tempus prævenire et egredi tentabat : quare misera per octiduum doloribus excruciata, memor alterius beneficii a B. Vitale accepti, spem in eumdem conjicit, cereamque infantuli imaginem promittit B. Patrono se oblaturam : nondum votivam obtulerat imaginem, et elegantem pepererat infantem, qui medio anno supervixerat, cum jam de matris simul et infantis vita conclamatum fuisset. Diemudis vidua Martini sartoris, testis 47ª, per viginti annos patiebatur tinnitum aurium graviter : cum vero proximo octiduo audisset B. Vitalem inter Sanctos referendum, cum cereo venit ad sepul- F chrum B. Vitalis; quo succenso et solutis precibus sonitus ille instar campanæ aures molestans prorsus desiit, non alio adhibito remedio.

21 Margarita carpentarii monialium Nunber- 48, 49, 50, 51. gensium *f* Joannis relicta vidua, testis 48ª, deposuit suum maritum ante 15 annos gravi infirmitate diu detentum denique ad extrema devenisse. Uxor misera mariti B. Vitalem accessit, ac magna devotione auxilium in extrema necessitate imploravit : mox vero domum repetiit; et en ecce virum extra lectum orantem sat bene habentem reperit, qui paucis post diebus integram sanitatem est consecutus : quare obstupuit mulier, et Deum in B. Vitale ex corde glorificavit. Christina vidua Christiani Schon, testis 49ª, fassa est maritum in pede dextro ante 40 annos gravem passum dolorem per 18 dies : cum vero ambo conjuges B. Vitali pedem ligneum pro voto obtulissent, persoluta ad tumbam oratione devota, Christianus prope tumbam subito ita convaluit ut baculum quo claudus adierat sepulchrum, in tumulo relinquens, sanus rediret domum. Agnes relicta vidua Andreæ Schaurer, testis 50ª, fatebatur se ante

AUCTORE A. PACHLER.

ante octo annos gravem in oculis sensisse dolorem ex fervida defluxione, quæ glaucomate et pustulis ac pelliculis obumbrabat ita oculos ut videre amplius non posset. Devovit se itaque ad tumbam B. Vitalis, oblatis pupillis cereis; ac fusis devotis precibus, dolor sublatus, pauco post tempore etiam cæcitas abstersa fuit. Christina vidua Joannis Schmalzl de Teusendorff *g* prope Salisburgum, testis 51ª, testabatur sibi ante octo annos ita contabuisse fœdis ulceribus sinistrum brachium ut medicorum ingenia defatigarentur, ac tandem incurabile malum censeretur. Quare altiore medico usa, B. Vitali supplex brachium imposuit tumbæ per horæ spatium : ubi brachium saniem stillare desiit, et paucis diebus postea, relictis solis cicatricibus, perfecte sanatum est. Item eadem Christina fassa est se a juventa contraxisse dolorem in articulo genu dextri; quo afflicta se B. Vitali certis precibus in singulos dies vitæ suæ persolvendis devovit : unde qua die illam orationem persolvebat, a dolore liberam se esse ; qua vero negligebat, eadem dolore se affici dicebat. Et hoc pro maximo miraculo tenebat Christina.

g

52, 53, 22 Mirabile plane est quod contigit Dorotheæ
h B uxori Andreæ Erman in Müln *h* extra civitatem Salisburgum habitantis. Hæc in testem 52ᵃᵐ vocata et interrogata de miraculis B. Vitalis, sub juramento deposuit quod proxime elapso autumno gravi ægritudine depressa, circa præcordia tantum dolorem fuerit experta ut loqui non posset, et jam moritura ab adstantibus crederetur. Inter dolores vero ita sibi constitutæ apparuisse dicebat virum quemdam, cujus quidem speciem præ dolore videre et advertere non poterat, qui tamen se Vitalem nominabat, et monebat ut sese ad tumbam suam devoveret. Quare, cum ipsa ore exprimere nihil posset, corde et animo concepit votum accedendi ad sepulchrum : quo facto, mox oculos aperire et maritum inclamare cœpit, rogareque ut ipse interea ad tumulum properaret, et B. Vitalem pro sanitate recuperanda invocaret. Vix maritus preces suas ad tumulum complevit, cum rediret domum, uxorem extra lectum satis bene habentem reperit; quæ intra octiduum pristinam sanitatem adepta ipsamet tumbam adiit, et Deo ac B. Vitali summas devotissime egit gratias. Pari modo B. Vitalis Annæ uxori Jacobi Schaller incolæ Salisburgensis, testi 53ᵃᵉ, apparuit in somnis,
C cum ante tres annos graves pateretur dolores capitis ; monebatque ut ad tumbam suam cum cereo certæ quantitatis accederet, sananda certo certius. Illa expergefacta a familiaribus matronis sciscitabatur ubinam tumba B. Vitalis esset : cum vero, ostensa tumba, cereum illuc tulisset, maximo dolore adhuc vigente, et preces fudisset ad tumbam, accenso cereo, ita omnis dolor capitis evanuit ut hactenus similem dolorem non senserit amplius.

54, 55. 23 Catharina uxor Henrici Todt civis Salisburgensis, testis 54ª, stupendum sane miraculum sub juramento attestata, dicebat se ante 18 annos parvulum habuisse tanta hernia de matris utero affectum ut alterius testiculi scrotum usque ad genua inflatum protenderetur : accessit postmodum et calculi dolor et urinæ retentio acerrima, qua ventriculus inflabatur supra modum cum gravi periculo pueruli. Miserta mater chirurgo bene perito commendat puerulum, ut per incisionem vel alio meliori modo sanaretur ; verum chirurgus se non nisi cum periculo mortis incidere puerum posse asseverabat. Cum porro puerulus una præcipue nocte graves sensisset dolores, mater de humanis remediis desperans ex animi affectu B. Vitalis patrocinium implorat, et vovet sese in crastinum D
parvulum sive vivum sive mortuum cum cereo oblaturam ad tumbam ejus. Interea obdormivit mater; sed mane expergefacta vultu hilari puerum ridentem reperit, et herniam ita depressam et sublatam ut nihil de tumore aut inflatione adverteretur. Exclamavit igitur stupens mulier, et miraculum agnovit, et Dei ineffabilem pietatem in meritis B. Vitalis dilaudavit, puerumque cum cereo B. Vitali pro suo voto pia devotione obtulit. Catharina vidua Erhardi Denck, testis 55ª, edicit ante annos viginti filium suum quinquennem capite ita infirmatum fuisse ut medio anno lecto decumberet : instructa vero mater ab aliis fœminis, cum cereo detulit puerum in lectulo ad tumbam B. Vitalis, ubi tumbæ puerulum in lectulo imposuit; et accenso cereo ac persolutis votivis precibus, puerulus de lectulo surrexit, et pedes domum cum matre incolumis rediit.

24 Nobilis D. Martinus Reuter præfectus in Radek prope Salisburgum, testis 56ᵘˢ, deposuit sub 56, 57, 58,
juramento suam uxorem Claram ante aliquot annos dolorem gravem et veluti cancrum passam in altero ubere, ut etiam ulcera et foramina quinque sanie diffluerent ; neque remedia adhibita quicquam E
juvabant : quare aliorum consilio mamillam ceream Martinus pro sua uxore B. Vitali ad tumbam obtulit ; et Clara paucis post diebus integre restituta fuit. Margarita uxor Stephani pileatoris ex Lauffen *i*, testis 57ª, deposuit se ante annos 30 i
fluxum menstruum passam sine intermissione per integrum annum cum magno periculo vitæ : adhibitis vero frustra humanis remediis, consilio cujusdam devotæ matronæ devovit se B. Vitali cum sex dierum jejunio ; cum vero semel jejunasset, ad tumbam se contulit, sed nondum sanata, peracto plene jejunio, perfectam sanitatem adepta est. Barbara uxor Philippi de Trübnbach *k* prope Lauf- k
fen, testis 58ª, fatebatur se ante unum annum dolore capitis fuisse afflictam, qui sensim per artus usque ad crura se extendebat, quæ adeo demum intumuere ut vix se movere, nedum ire posset. Multorum Sanctorum patrocinia invocabat ; quibus tamen nihil adjuta, tandem in somnis videre sibi visa est peregrinum, qui dicebat : « Ego sum » B. Vitalis : devoveas te ad sepulchrum meum » cum cereo, et bene habebis. » Excitata mulier de somno, cum nesciret sepulchrum B. Vitalis, a contubernalibus didicit ubi esset : quare, concepto solum voto offerendi cereum, dolore de cru- F
ribus sublato, ambulare cœpit : paulo post Salisburgum cum cereo ad tumbam venit ; quo oblato, perfectæ sanitati restituta rediit ad propria.

25 Magdalena uxor Friderici Tunkl civis Salis- 59, 60, 61, 62, 63, 64,
burgensis, testis 59ª, referebat ante tres annos se puellæ filiæ suæ unius anni infanti inconsolabiliter flenti porrexisse annulum aureum compescendi gratia a fletu puellam : quem puella ori impositum diglutivit; sed hærente in gutture annulo, matri ac cæteris qui aderant, videbatur puella jamjam suffocari, nigrescente jam facie. Territi spectaculo omnes in genua provoluti opem subito a B. Vitali inclamant ; et en ecce annulus ultro de gutture resilit, et puella reviviscit, stupentibus omnibus et Dei misericordiam in meritis B. Vitalis glorificantibus. Hujus miraculi testimonium tulit etiam filia dictæ Magdalenæ, quæ in testem 60ᵃᵐ assumpta, quamvis quatuordecim tantum annorum puella ; quæ dicit se interfuisse cum illud miraculum fieret. Agnes relicta vidua Jacobi gladiatoris civis Salisburgensis, testis 61ª, retulit dictum Jacobum herniam tam gravem passum esse ut anno 50° suæ ætatis

A ætatis ire amplius præ dolore non posset; deerant autem necessaria vivendi remedia, quæ pro herniosis doloribus jam sibi amplius comparare non poterat : quare afflictus Jacobus, humanis destitutus subsidiis, ad B. Vitalis opem confugit, seque ad tumbam devovit; et mox, nullo alio adhibito remedio, perfecte hernia disparuit, ipseque sanus pluribus annis supervixit. Huic miraculo fidem adstruit alter gladiator Andreas, qui de ruptura Jacobi notitiam habebat, sed qua ratione subito sanatus fuerit, nesciebat; insuper Joannes Kleindienst asserebat se scire Jacobum ruptum subito fuisse sanatum, sed rationem et modum se nescire : qui proinde pro testibus 62° et 63° requisiti fuere. Petrus Emersdorfer civis Salisburgensis, testis 64us, sub juramento adstruxit se ante sexennium habuisse filiolum biennem nomine Erasmum, qui ita calculo laborabat ut lapillus in orificio vesicæ hærens impediret urinam; mater vero cum e puericuli virgula ore attrahere lapidem conaretur, auxit graviter dolorem, ut puellus in mortis periculum incideret. Destituti ergo humano jam auxilio, ad B. Vitalem parentes confugiunt, et votivam ceram certæ quantitatis ad tumbam ejusdem de-
B vovent : vix autem votum animo conceperant, et lapillus instar fabæ mediocris multa vi cum urina prosilivit. Unde et testis lapillum ostendit inquisitoribus.

65, 66, 67, 26 Joannes Pfandler incola oppidi Lauffensis, testis 65us, sub juramento retulit quod ante 20 annos e fenestra domus in eodem oppido gravem casum fecerit, ut quatuor mensibus lecto decumbere coactus fuerit; cum vero adhibita medicamenta nihil proficerent, consilio aliorum promisit B. Vitali quod unam Missam vellet curare legi in ejus honorem ad tumulum ejus : in quem finem navi Salisburgum avectus, duobus fulcris innixus tumbam cum dolore accessit; et lecta Missa fusisque devotis precibus, ita sanus et incolumis evasit ut sustentaculis non egeret amplius, sed ea in tumbam veluti anathema offerret, et gaudens rediret domum. Stephanus sutor oppidanus in Lauffen, testis 66us, fatebatur se habere puerum annos quinque habentem, qui dum octo dierum esset, acquisivit herniam ita gravem ut omnium judicio moriturus crederetur. Fugit ergo ad subsidium spirituale, cum humana consilia deficerent, et parvulum suum B. Vitali devovit, oblato vivo animali : proinde
C concepto tantum voto, et nondum expleto, herniosa apertura consolidata, puer penitus sanatus est; et in hodiernum diem, dicebat testis, validus et sanus est. Cæcilia conjux Simonis Penninger oppidani Lauffensis, testis 67a, deposuit ante plures annos gravi se dolore capitis laborasse per integrum annum sine interruptione, ut subinde vesana et furiosa fieret; cum vero plures Sanctos Patronos invocasset, nihil obtinere potuit. Tandem in somnis audire visa est sibi dicentem : « Devoveas te ad tumulum S. Vitalis. » Expergefacta igitur vovit B. Vitali singulis annis se certum censum soluturam, quamdiu viveret. Emisso voto, melius quidem habuit, sed perfecte non est sanata, donec sese ad tumbam contulit; ubi fusis ad Deum precibus, omnis dolor evanuit ita ut hactenus nihil senserit amplius.

68, 69, 70, 27 Christina uxor Laurentii Stadler oppidani Lauffensis, testis 68a, referebat suum maritum ante octo annos gravi infirmitate oppressum, manibus pedibusque contractum, novem mensibus lecto affixum fuisse; cum vero ambo pauperes simul essent, pusillanimes et desperabundi fiebant ob hoc infortunium : verum consilio alterius fœminæ Christina pro marito B. Vitali manum de cera factam pro incolumitate obtulit; cum vero ex itinere domum rediisset, reperit virum ita restitutum ut saltem utramque manum levare posset, qui paucis deinde diebus plenæ sanitati restitutus fuit. Agnes vidua Simonis æditui cathedralis ecclesiæ Salisburgensis, testis 69a, profitebatur se ante 20 annos a verno tempore per integram fere æstatem passam fuisse dysenteriam, quam nullo remedio restinguere poterat : quare ceram certæ quantitatis obtulit B. Vitali; et illa nocte quidem parum adhuc sensit, altera vero die sanitatem adepta est integram. Brigida vidua Joannis Astgern, testis 70a, fassa est se tribus ante annis commoratam in villa Veklacstorff diœcesis Pataviensis; ubi nocte quadam sibi nescio quo casu labia ita intorta et dissoluta et curvata fuerunt ut de consolidatione spem non haberet : devovit autem sese cum cereo ad tumbam B. Vitalis; quo succenso et persoluta votiva prece, integre os restitutum fuit, antequam de tumba discederet.

28 Christina vidua Joannis Hinderlechner, testis 71a, de villa Halbenbang Salisburgensis diœcesis, sub juramento fassa est quod ante 14 annos trimestrem habuerit puellum, cui umbilici nervus 71, 72, 73,
solutus ad unius digiti mensuram e ventre propendebat; adhibitis vero frustra remediis, B. Vitali puerum obtulit, et incolumem recepit. Elisabetha vidua Bernhardi telonarii Salisburgensis, testis 72a, jurabat se a 25 annis continue dolores capitis passam fuisse : cum vero ante octiduum primum de inquisitione miraculorum S. Vitalis audisset, animo concepto ad B. Vitalis tumbam accessit, caput dolore plenum tumbæ acclinavit, et quamprimum cum sonitu quodam et strepitu notabili e capite dolor omnis sublatus est, neque hactenus quicquam amplius sensit. Mirandum plane est quod sub juramento examinata referebat coram inquisitoribus Barbara uxor Leonardi sartoris civis Salisburgensis, testis 73a. Fatebatur enim se ante 12 annos tanta infirmitate totius corporis afflictam ut omnes de vita dubitarent et pene desperarent : quadam vero die, cum tantum valeret, baculo subnixa tumbam B. Vitalis accessit, veluti Patrono suo, quem multo tempore coluerat, morti vicina valedictura. Non defuit grato animo magnus Patronus : cum enim ad tumbam preces funderet, corruit veluti amens et moribunda, sibi tamen
ita præsens interius ut in animo diceret : « O F
» B. Vitalis, intercede pro me coram Deo Creatore » meo. » Et en eodem momento tanta violentia ab intrinseco dolor per exteriora membra extrahi cœpit ut putaret sibi violenter extrahi omnia vestimenta. Ita tandem sibi restituta surrexit; et dimisso apud tumbam baculo miraculi teste, sana et sine fulcro domum recessit, ac viro suo omnia retulit, qui una cum uxore Deum in B. Vitale glorificavit ex animo.

29 Erentrudis vidua Danielis coqui, testis 74a, 74, 75, 76,
referebat se ante 13 annos in autumno incidisse hydropisin incurabilem, qua tumida et misera medio anno lecto decumbebat; cum vero noctu quondam vigilaret, in animo veluti instrui sibi visa est ut adiret sepulchrum B. Vitalis certo recepturа sanitatem : quare paucis diebus postea, resumptis viribus, accessit tumbam, et fusis ad Deum precibus, meritis B. Vitalis ab hydropico fluxu penitus curata fuit. Barbara Conradi cerdonis civis Salisburgensis uxor, testis 75a, deposuit se habuisse sororem nomine Catharinam, quæ annum agens 18 inciderat surditatem, adeo ut leniorem sonum audire non posset : instructa vero

AUCTORE A. PACHLER. Barbara de miraculis frequentibus S. Vitalis, votum emisit pro sorore sua, quod singulis annis semel imposterum vellet visitare tumbam B. Vitalis, si sorori auditus restitueretur ; eaque intentione ambæ sese ad sepulchrum contulerunt, ubi Catharina jussa est caput supra tumbam reclinare : quo factum ut intra octiduum integer sensus restitutus fuerit sorori. Elisabetha uxor Joannis Kochermacher, testis 76ª, fatebatur quod ante annos septem tantam corporis senserit ægritudinem ut manibus ac pedibus arefacta quasi fuerit ; cum vero multa de miraculis B. Vitalis audisset, vovit, si sanitatem reciperet, se velle primam pecuniam quam nendo posset acquirere, cum aliud ob paupertatem non posset, offerre B. Vitali : vix voto edito, eadem die adhuc integre sanata, paulo post 60 denarios nendo acquisitos attulit et ad tumbam obtulit, ac custodi monasterii S. Petri tradidit B. Vitali applicandos.

77, 78, 79. 30 Ursula vidua, quondam uxor Christophori Hopfer civis Salisburgensis, testis 77ª, fatetur se habuisse filium quatuor annorum, qui adeo calculo laborabat, ut, urina impedita, intumesceret puelli venter ; quare cum in periculo vitæ constitutus puerulus ad tumbam B. Vitalis fuisset deportatus et tumbæ impositus, accenso votivo cereo et peractis devote precibus, parvulus de tumba levari petiit ; quem cum mater reciperet de tumba, copiose urinam dimisit, et sanus domum a matre reductus est. Anna uxor Udalrici Grabner civis Salisburgensis, testis 78ª, jurata edixit se filiam habere nomine Annam nunc maritatam, quæ ex utero materno rubicundam maculam sub scapulis sinistris acquisierat, quæ tandem in fœdam pustulam et ulcus purulentum degeneravit. Judicio medicorum Persicus ignis et incurabilis morbus censebatur. Cum ergo videret mater filiam humano destitutam auxilio, devovit eam cum ceris cereis ad tumbam B. Vitalis accendendis. Vix emiserat votum, jam sanies defluere desiit : ad tumbam vero deducta, et accensis cereis, melius habuit, et ulcus illud intra paucos dies sine alio remedio perfecte sanatum fuit, sola cicatrice remanente. Huic miraculo fidem sub juramento adstruebat Margarita vidua Georgii sutoris civis Salisburgensis, quæ tum temporis erat ancilla Annæ et præsens, quando illud fiebat miraculum circa Annæ filiam : unde et pro teste 79ª examinata et requisita fuit.

B

C

80, 81, 82, 83. 31 Nobilis domina Barbara uxor Jacobi Pfeffinger, testis 80ª, fatebatur se puellam adhuc tredecim annorum tanto dolore capitis et phrenesi correptam fuisse ut medici arbitrarentur cerebrum fuisse consumptum, ac propterea incurabile malum esse ; parens vero misertus filiæ fiduciam in B. Vitali locabat, eamque devovit ut singulis annis denarium offerret imposterum B. Patrono : vix votum emiserat, et Barbara integerrimæ sanitati restituta statim est. Erat in aula Ill. Burchardi archiepiscopi tubicen, cui dentes adeo dolebant ut unum post alterum sibi curaret extrahi ; cum vero, evulso uno, inciperet alius dolere, timebat ne, si omnes erueret, edentulus prorsus fieret : quare votum fecit B. Vitali se ceream gingivam cum cereis dentibus ad tumbam oblaturum ; unde dum iret ad sepulchrum, in itinere omnino dentium dolor evanuit. Idque ante duos annos sibi contigisse sub juramento attestatus, pro eo miraculo testis 81ᵘˢ constitutus et requisitus fuit. Udalricus opificio cerdo de villa Gaylnbach prope Salisburgum, testis 82ᵘˢ, fassus est se a cholicis doloribus et torminibus, quæ per annum fere passus est, paucis intervallis cessante dolore, humano destitutum auxilio, oblato certo munusculo ad tumbam B. Vitalis, penitus liberatum fuisse. Ursula uxor Joannis Fabri civis Salisburgensis, testis 83ª, edixit se ante annum tanto dolore capitis correptam ut in amentiam et furiam ferme incidisset ; neque ullum adhibitum remedium levare dolorem poterat : unde a B. Vitale opem devote petiit, et oblato accensoque cereo ad tumbam ejus, eadem hora sublato dolore, salva et sana facta est.

D

32 Admiratione dignum est profecto quod deposuit Margarita uxor Wolfgangi lanionis Salisburgensis, testis 84ª, quæ sub juramento attestabatur eadem die qua in testem assumpta fuerat, secum contigisse sequens grande miraculum. Dicebat autem se ante tres menses tam gravi infirmitate afflictam fuisse, quam medici hepaticam ægritudinem ex urinæ indicio dicebant, ut tandem viribus destituta, inter gravissimos dolores et corrosiones consumpta et pene moribunda æstimaretur a domesticis, qui jam pluribus noctibus cum fatali cereo et lumine mulieri assistebant, et in omnia momenta morituram expectabant. Interea audierat aliquid de inquisitione miraculorum B. Vitalis ; unde animo concepit desiderium invisendi tumbam B. Vitalis, si modo id vires admitterent : prohibebat id confessarius, veluti impossibile quod hisce viribus posset accedere tumbam. Hodie vero (dicit Productio miraculorum), postquam a medio noctis diris tormentis divexata, circa meridiem sensisset dolorem mitigatum, statuit, omni dissuasione postposita, tumbam accedere, et B. Vitalem Patronum pro sanitate recuperanda implorare ; cumque hæc secum mente revolveret, sensit vires occulta virtute sibi restitutas fuisse : unde confestim de lecto surrexit, et nudis pedibus non ivit, sed cucurrit ad sepulchrum S. Vitalis, stupentibus et admirantibus omnibus qui aderant. Pervenit ergo ad tumbam, et seipsam supra tumbam inclinavit et prostravit : unde, fusis paulisper precibus, surrexit sana et incolumis, atque eadem die in testem coram inquisitoribus vocata, grande miraculum cum gaudio recensuit ; unde et inquisitores in hoc testimonio addunt sequentia verba : « Nos quoque » delegati et subdelegati prædicti præfatam mulie- » rem sanam conspeximus, præmissa omnia cum » lætitia narrantem. » Huic miraculo sub juramento etiam fidem adstruit ipse maritus ejus Wolfgangus ; qui propterea in testem 87ᵘᵐ vocatus sub juramento affirmabat quæ circa Margaritam facta sunt subito, esse vera, et se interfuisse et vidisse quod per triduum morti fuerit vicina omnium opinione, et subito surrexerit ex lectulo : qua virtute autem id factum sit, se dicebat ignorare. Similiter et Catharina uxor Henrici Krappenmacher referebat quod fuerit secuta Margaritam currentem ad sepulchrum S. Vitalis, videritque in tumba jacentem, et facta oratione, surgentem sanam et incolumem ; item et Veronica filia Margaritæ confirmat sub juramento omnia circa matrem suam ita contigisse, et se interfuisse et vidisse morti vicinam, et ad tumbam B. Vitalis ab omni ægritudine liberatam fuisse : unde et hæ duæ personæ in testes vocatæ et numero 85º et 86º inter testes relatæ fuere. 84, 85, 86, 87.

E

F

33 Joannes Schumel ex oppido Hall, testis 88ᵘˢ, sub juramento deposuit se ante aliquot annos fortuito casu brachium ita confregisse ut de restitutione vix amplius spem haberet ; fiduciam autem suam posuit in B. Vitale, cujus tumbam accessit, et brachium de cera devote obtulit, et fusis precibus, eadem hora apud tumbam perfectam brachii sanitatem 88 et 89.

A sanitatem recepit. Denique ultima testis 89ª Margarita uxor Leonardi Stoffer de oppido Hall diœcesis Salisburgensis sub juramento deposuit se trium aut quatuor annorum puellam laborasse in uno brachio gravi defluxione, ut brachium fieret claudum et inutile; cum vero a parentibus devota fuisset B. Vitali, expleto ad tumbam voto, se perfecte in brachio fuisse sanatam. Atque hæc sunt miracula anno 1462 in publica inquisitione manifestata.

ANNOTATA.

a *Visum fuit hæc S.* Vitalis *miracula ex compendio ab Amando Pachler concinnato potius quam ex ipso processu canonizationis describere; præsertim quod hoc pacto, dum ex miraculis nihil detrahitur, commode omittuntur longiores sibique passim similes responsiones, quibus primi viginti quinque testes articulos de sanctitate ac sanctitatis fama S.* Vitalis, *a Gaspare Westendorfer causæ procuratore propositos, ut in Commentario prævio legere est (num.* 86 *et seqq.), confirmarunt.*

b *Inter secundum testem et duodecimum interro-*
B *gati fuere Petrus prior monasterii S. Petri Salisburgensis, Stephanus Pretschleipfer custos ejusdem monasterii, Henricus Hefelder ejusdem librarius, Fredericus Prancker canonicus et plebanus ecclesiæ Salisburgensis, Bernardus de Rohr canonicus et hospitalarius ibidem, Meinhardus Glimpff primissarius et pœnitentiarius officii, vicarius ecclesiæ Salisburgensis, Thomas Matseer ejusdem ecclesiæ vicecustos, Wolfhardus Uberacker et Wilhelmus Turner de Neupeurn laici ejusdem ecclesiæ ministeriales; sed hi omnes nulla miracula in specie retulerunt, sicut nec Joannes Strasser et Georgius Haunsperger item ministeriales ejusdem ecclesiæ, neque Bernardus de Krayburg ecclesiæ S. Bartholomæi in Frisaco præpositus, qui in testes* 13ᵘᵐ, 14ᵘᵐ *et* 15ᵘᵐ *fuerant vocati.*

c *Castrum* Radeck *pervetustum prope Salisburgum adjacet colli Plainensi, cui inædificatum est sacrarium B. Mariæ Virginis thaumaturgæ, quam* Consolatricem *appellant: unde loci nomen vulgare* Maria Plain. *De hujus sacrarii origine et progressibus late agit Mezgerus* (1).

d *Vicus* Gastein *appositus est amni cognomini in Salzam influenti in Pongavia Salisburgensis archi-*
C *episcopatus pago. Fuit olim titulus comitatus jure fiduciario ab ecclesia Salisburgensi dependentis, scilicet ad annum usque* 1323, *quo anno ad eam ecclesiam rediit, transigente de hac re cum familia Godecensium Frederico Leibnitzio archiepiscopo, ut apud Hansizium videre est* (2).

e *In mappa topographica Hansizii notatur* Kestendorf *juxta* Neumarkt *non longe a lacu* Wallersee; *verum in mappa a Fr. Orlitsek delineata et anno* 1836 *Salisburgi edita eo loco scribitur* Keelendorf.

f *De Nunbergensi monasterio dictum fuit num.* 37 *et* 38 *Commentarii prævii.*

g *Nunc scribitur* Teisendorf *vel* Deisendorf, *estque vicus Bavariæ, Salisburgo Traunsteinium euntibus medio fere in itinere occurrens.*

h *Nomine germanico* Müln *utitur Pachlerus pro* molendinis extra murum Salzburgæ, *quæ in processu canonizationis hoc loco designantur.*

i *Oppidum* Laufen *adjacet Salzæ fluvio quatuor circiter a Salisburgo leucis septemtrionem versus.*

k *Castrum* Trübenbach *sive* Triebenbach *item prope Salzam situm est ad meridiem oppidi* Laufen *modo memorati.*

AUCTORE A. PACHLER.

MIRACULA SÆCULI XVI

ex Joanne Stainhauser relata a Pachlero (3).

Infinitus est thesaurus divinæ Bonitatis, de quo veluti per rivulos quosdam per manus et patrocinia SS. Cœlitum emanant e cœlo fluenta gratiarum in miseros mortales, cum suas fiducias non vanis affigunt et caducis hujus mundi rebus, sed veluti anchoram veræ fidei jactant cor suum in Dominum, qui potens est eripere nos de omni infirmitate et miseria. Hoc sole clarius perspeximus in miraculis et stupendis prodigiis per S. Vitalis merita ad tumbam ejus a Deo ostensis; sed nondum finis est mirabilium operum ejus, quæ in hodiernum diem usque demonstrare non desinit: lego enim in Vita B. Vitalis auctore Joanne Stainhauser edita, cap. V, aliam quamdam tabellam sua ætate E pependisse apud tumbam, in qua sequentia miracula fuere descripta, quæ contigerunt post inquisitionem publicam miraculorum. Quæ quidem tabula non amplius extat: forsan in mutatione sepulchri amota fuit, uti et aliæ tabulæ ad majus ornamentum novi altaris in honorem S. Vitalis erecti e parietibus hinc inde sublatæ fuere. Eam oculatus testis clarissimus vir Joannes Stainhauser, sedulus antiquitatum Salisburgensium scriptor, descripsit germanice in libello citato de Vita S. Vitalis, cap. V, et in Ms. L, fol. 669. Tabula vero ita incipiebat: « Laudate Dominum in Sanctis ejus: hæc verba loquitur regius Propheta » David in libro Psalmorum; et ideo ad Dei omnipotentis laudem hic breviter enarrantur aliquot » miracula, quæ ipse patravit et quotidie patrat » per S. Vitalem, qui fuit hic Salisburgi abbas » etc.

Sanantur ope S. Vitalis

35 Walpurga Osannerin igne S. Antonii, quem ignem sacrum nominant, aliquot diebus afflicta fuit, quo dextræ manus digitus minor et proximus infecti pustulis instar nucis scatebant usque ad cubitum. Cum vero medicorum opera deficeret, honestæ personæ suaserunt Walpurgæ ut ceream F manum devoveret S. Vitali, quod et fecit; et cum primum obtulisset manum ceream, eadem hora manus perfecte sanata fuit. Post duos vero annos rursus ægritudine tam gravi occupata fuit ut per septem hebdomades lecto decumberet, mentisque vix compos, insuper cæca et muta et manibus pedibusque arida ac immobilis fieret: paululum vero melius habens, ex consilio devotæ personæ rursus sese ad tumbam B. Vitalis devovit, tumbam accessit, vix sibi conscia quid ageret, et confestim prope tumbam dextro latere videre et audire cœpit. Deinde et sinistrum latus acclinavit tumbæ, moxque et in hoc latere sensus deperditos recuperavit, et paulatim de die in diem melius habere cœpit, donec perfecte fuerit sanata et curata.

mulier quædam

36 Virgo quædam decem annorum malas pustulas patiebatur et ariditatem nervorum, adeo ut per duos annos ire non posset. Interea B. Vitali devote sese commendavit, vovitque se oblaturam pedem cereum. Vix votum emiserat, nondum expleto voto, movere pedes et ire potuit: quare ipsa pedem

aliique morbis

(1) Hist. Salisburg., lib. V, cap. XXXVII, p. 815 et seqq., cap. XLVIII, p. 913 et seqq. — (2) Germ. sacr., t. II, p. 451. — (3) Disq. VI, cap. V.

AUCTORE A. PACHLER.

pedem cereum ad tumbam deportavit et cum magna humilitate et gratiarum actione obtulit, feria tertia post festum S. Catharinæ anno Christi Domini 1494. Alia persona manibus pedibusque contracta devovit se S. Vitali et obtulit duo genua, quæ mox et ex illa hora melius habuit. Item parvulus quidam vario languore detentus, a propinquis B. Vitali devotus, confestim, diminutis diversis ægritudinibus, convaluit. Alia quædam mulier devota de Werfen *a* quatuor annis jacuit malis pustulis et sanie scatens, quibus adeo infirmabatur ut nihil sese movere posset, nisi quo portaretur ab aliis. Huic aliquando in somnis apparuit B. Vitalis dicens : « Veni ad sepulchrum meum, et sanitatem consequeris. » Confestim mulier surrexit e lecto sana et incolumis, et B. Vitali ad tumbam aliquid obtulit, ac divinæ bonitati in meritis B. Vitalis de obtenta sanitate gratias egit. Testis hujus miraculi est æditurus monasterii S. Petri, in festo S. Joannis Baptistæ anno 1502.

doloribusque variis

37 Margarita Wagingerin de Straswalchen *b* inciderat in periculosum morbum, quo etiam mentis inops et ita furiosa effecta est ut vix eam quatuor viri tenere possent. Dum vero furiæ suæ intervallum et lenimentum sensisset, vovit B. Vitali unam Missam et septem dierum jejunium ac quod vellet imposterum eleemosyna vivere : quo facto voto, immediate sanitati est restituta ; atque hoc miraculum ex cathedra fecit promulgari, parata coram omnibus id contestari sub juramento, si id a quoquam peteretur, anno 1503. Jacobus Schott civis Hallensis gravi ægritudine oppressus jacebat, adeo ut officio pedum penitus fuerit destitutus ; neque spem convalescendi habebat amplius. Quare, desperatis rebus, fiduciam suam in B. Vitalem posuit, vovitque ad tumbam ejusdem unam Missam cum duobus pedibus cereis. Paulo post, omni languore deterso, sanus et incolumis evasit, eodem anno 1503. Petrus Wagner civis Salisburgensis gravi morbo contractionis nervorum afflictus per quatuor septimanas, zonam ceream vovit et obtulit B. Vitali ad tumbam, ac mox ab omni ægritudine liberatus fuit. Georgius Brungürtler in Staindorff *c* habebat parvulum, qui phrenesi ita correptus jacebat ut per integram horam nullum in eo signum vitæ amplius adverteretur ; devovit vero parvulum ad tumbam B. Vitalis cum aliqua oblatione, ac mox parvulus vivere et sanus esse cœpit.

afflicti.

38 Atque hæc legebantur in illa antiqua tabula. Quibus ipse Joannes Stainhauser aliqua superaddit, quæ sua ætate et memoria contigerunt *d* .... Anno 1593 faber lignarius brachium fregerat Salisburgi : quare se voto adstrinxit, oblaturum se B. Vitali donativum quoddam, si recuperaret pristinam sanitatem ad laborem suum necessariam. Vix votum compleverat mente solum, et jam ægritudinis sensit diminutionem, ideoque ipse e ligno brachium excidit et obtulit B. Vitali, anno 1594, II Aprilis. Vir quidam gravissimo dolore capitis ita affligebatur ut putaret se furiosum et mentis impotem futurum ; deficiente autem humano consilio et auxilio, B. Vitali vovit se aliquid oblaturum : paulo post, sublato omni dolore, votum ad tumbam personaliter persolvit. Item vir quidam multis tentationibus ad pusillanimitatem usque redactus, cum divinam gratiam et misericordiam ac patrocinium B. V. Mariæ et SS. Cœlitum, præcipue B. Vitalis invocasset, multum pauco tempore interna afflictio mitigata fuit : quare B. Vitali summas egit gratias, et votum devotissime ad tumbam ejus exolvit. « Hæc et similia alia signa » (subjungit Stainhauser) in hodiernum diem ad » tumbam B. Vitalis fiunt, licet debita diligentia » non annotentur ; et ex his sole clarius apparet in » quanta gloria apud Deum sit B. Vitalis, cujus » meritis tot et tanta miracula operatur misericors » Deus. Beatus enim Vitalis numquam deest suo » potenti patrocinio iis qui ipsum veluti venerandum Patronum sibi eligunt, et uti Sanctum Confessorem et amicum Christi Domini laudant, » honorant et amant. » Hæc Joannes Stainhauser in suo libello Vitæ S. Vitalis anno 1602 Salisburgi edito.

quos inter Joannes Stainhauser senator.

39 Unum adhuc hic addere placuit, quod de ipso isto Joanne Stainhauser annotavit D. Martinus abbas noster in separata quadam schedula, quæ ipsius manu propria conscripta est, et conservatur in archivio cum cæteris miraculorum attestationibus. Ejus verba describo. « Anno Domini 1601 » erat in hac civitate quidam civis et senator nomine Joannes Stainhauser, vir litteratus, pius » et devotus, qui postquam infirmitate quadam » gravaretur, precibus et votis S. Vitali quondam » episcopo Salisburgensi, apud S. Petrum condito, » commendando se pro reparatione sanitatis consequenda votum nuncupavit. Cujus desiderium » Deus respiciens, intercessione S. Vitalis a morbo » haud longe post liberatus, integræ valetudini » est restitutus. Exhinc dictus Stainhauser singulari quodam amore erga memoratum S. Vitalem » accensus, altare S. Andreæ (quod hodie S. Vitalis dicitur) prope S. Vitalis sepulchrum, crucifixi » Salvatoris cum aliis imaginibus exsculptis et coloribus egregie exornatum, propriis sumptibus » erexit, novisque sedilibus capellam exornavit *e*. » Ejus devotione perplurimi commoti sepulchrum » et capellam ejusdem S. Vitalis frequentare cœperunt ; ejusdemque intercessionis ibidem ope » implorata, multi infirmi curationum beneficia » sunt consecuti, quemadmodum donaria ex cera » et alia materia oblata honoraria testatum faciunt. » Truncus etiam ab eo tempore in capellam positus bis apertus satis largam eleemosynam a fidelibus injectam exhibuit : primo namque die Junii » quarto 1602 inde levati sunt 40 floreni, quæ » summa postea pro renovatione et depictione totius capellæ ab abbate est impensa ; deinde » anno 1606 in Octobri secundario reseratus 112 florenos, 5 asses, 10 nummos nobis » elargitus est, de quibus novi cancelli facti ; » anno 1607 XXI Augusti 90 florenos, 18 crucigeros, unum nummum ; anno 1610 die XI Augusti 156 florenos, 7 asses, 2 nummos » etc. Hæc legebantur in schedula.

ANNOTATA.

a *Vicus* Werfen, *latino nomine* Pervia, *ad Salzam fluvium jacet in valle perangusta intra ditionem Salisburgensem, adjectumque habet castrum prærupto colli inædificatum.*

b *Distat* Straswalchen *sex fere leucis a civitate Salisburgo in septemtrionem.*

c *Nomen* Steindorf *pluribus in Bavaria locis commune est, neque adeo discernere queo de quonam hic agatur.*

d *Prætermisi, quas hic Pachlerus affert, querelas Joannis Stainhauser de frigescente fidelium pietate et miraculorum annotandorum incuria. Vide Commentarium prævium num.* 110.

e *Paucis hæc attigimus in Commentario prævio, num.* 111.

MIRACULA

A

MIRACULA SÆCULI XVII

ex scriptis testimoniis collecta a Pachlero [1].

Miracula facta annis 1623. Miracula quæ a sexaginta et uno proximis annis contigerunt, sunt in duplici differentia : quædam enim solummodo colliguntur ex votivis tabulis ad tumbam a fidelibus oblatis et suspensis; quædam vero insuper per attestationes et chirographa a fidelibus quibus contigerunt, confirmata et publicata fuere. Unde, ne confundamus, hoc capite ponemus attestationes diversorum fidelium, quibus varia beneficia curationum per B. Vitalis patrocinium evenere. Et in primis anno 1623 monasterii S. Georgii ad Lengsee in Carinthia diœcesis Salisburgensis Ordinis S. Benedicti abbatissa erat dignissima D. Cordula N., quæ ad diem xxx Septembris litteras misit D. Mariæ Magdalenæ Schneweissin abbatissæ in Nunberg Salisburgi, in quibus fatetur se per octodecim menses in altera B auricula globulum vitreum habuisse instar ciceris magnum, qui nescio quo infortunio aut casu in auriculæ concavitatem adeo inciderat ut nulla humana arte potuerit extrahi. Chirurgus ter instrumentis suis extrahere tentaverat : sed adeo auriculæ interiora læsit ut emanaret sanguis non sine gravi dolore. Res plane videbatur desperata. Quare R. D. Cordula spem suam in B. Vitalem posuerat, quem proinde devote invocavit ut in hac tribulatione dignaretur suo patrocinio succurrere, quem sciebat multis infirmis subito mirandam opem tulisse. Vix votum animo conceperat, et post mediam horam sponte sua, nihil advertente ipsa, globulus ex aure prosiliit. Quapropter ipsa pro rei novitate obstupefacta agnovit et dilaudavit Dei benignitatem in meritis B. Vitalis ; et pro gratiarum actione misit B. Vitali togulam ex serico cum corporali, et simul pecuniam pro una Missa in honorem S. Vitalis legenda. Litteræ in originali adsunt num. 1 signatæ, datæ 1623, xxx Septembris.

1624. 41 Anno 1624, xvi Augusti, Elisabetha Lospichlerin matrona honesta Salisburgensis testatur per schedulam se cingulo B. Vitalis *a* in periculoso partus dolore liberatam, feliciter enixam esse. C Eodem anno 1624 Jacobus Praschler civis et panni tonsor in Müldorf *b* per speciale testimonium fatetur se adeo ex sacro igne perdidisse pedum usum ut præ dolore nec ire nec stare posset : inter graves ergo dolores constitutus devovit sese B. Vitali duos ardentes cereos cum libra ceræ ad tumbam oblaturum. Voto emisso, evanuit dolor, et sacer ignis disparuit e pedibus. Anno 1625 obtulit testimonium Martinus Selner nuntius cameralis Salisburgi, qui fatetur sese circa festum Purificationis dicti anni missum fuisse Viennam, ubi tanta membrorum omnium contractione afflictus fuit ut per medium annum officio pedum penitus destitutus, nullam etiam adhibitis diversis medicamentis opem senserit : quare, desperatis velut rebus, ad B. Vitalis patrocinium confugit, et vovit se aliquid ad tumbam ejus oblaturum ac cum una Missa certas preces se persoluturum, si pristinam acquireret sanitatem. Unde in dies mox cœpit habere melius, et parvo tempore plene restitutus votum devote peregit. Hujus rei testes adduxit honestos viros Joannem Kimpfler culinæ aulicæ procuratorem et Matthæum Kumpfmülner nuntium cameræ aulicæ.

Auctore A. Pachler. 1625. 42 Anno 1625 Veronica Koppin Samuelis Koppen civis Salisburgensis legitima et honesta conjux per chirographum speciale attestatur se hoc anno xvi Martii, adhibito cingulo S. Vitalis et persolutis ad S. Vitalem certis precibus votivis, feliciter enixam fuisse, postquam jam tertio die inter partus dolores et labore constituta, humanisque consiliis et auxiliis destituta, in præsenti jam vitæ periculo versata fuisset. Eodem anno ad xiv Julii M. Wolfgangus Strobelius notarius publicus J. U. candidatus Salisburgi testatus est suam uxorem Magdalenam, adhibito devote cingulo S. Vitalis a periculoso partu feliciter liberatam fuisse; ac propterea Deo et Sanctis ejus ob tantum beneficium collatum summas sese egisse gratias, filiumque inde natum Bonaventuram appellatum fuisse. Eodem anno schedula ex pergameno adest, quæ refert honestum virum quemdam diu gravi febre detentum, ejusque filiolum labiorum pustulis laborasse : cum vero multa remedia in vacuum adhibita fuissent, consanguineorum consilio ambo tumbam S. Vitalis adiere, duas de cera imagines deferendo ac unam Missam offerendo. Ab illo die febris desiit, et pueri quoque ægritudo, quamvis puer etiam chirurgi opera usus fuerit, mitigata est. In E cujus rei gratiarum actionem et memoriam ea schedula ad tumbam fuit affixa.

43 Anno 1626 honestus vir Jacobus Scheibl sartor Salisburgensis attestationem attulit xii Martii, 1626. qua fatetur uxorem suam in periculoso partu, cum primum cingulo S. Vitalis sese circumcinxisset, subito a partus doloribus liberatam feliciterque enixam fuisse. Eodem anno xv Septembris simile beneficium contigisse Elisabethæ uxori Christophori Graser, adhibitoque cingulo, partu solutam fuisse, ipsius maritus schedula contestatus est. Anno 1628 in parochia nostra Gredich *c* habitabat parochianus quidam nomine Marcus Weiszflekhner, cujus uxor jam integro triduo inter partus dolores luctabatur; cum vero infans jam emortuus esse adverteretur in utero, de matris etiam vita jam desperabant omnes, neque humana auxilia quicquam promovere partum poterant amplius, matre jam totaliter defatigata et debilitata. Quare cum vicarius loci R. D. Petrus Sartorius advertisset matris periculum, misit maritum ad R. D. Albertum abbatem, rogavitque per litteras ut cingulum S. Vitalis in tanto periculo concederetur. Interea dum abiit Marcus pro cingulo, infantis emortui altera F manus e matris utero prominere et mater melius habere cœpit; et tamdiu infans hæsit, donec Marcus cum cingulo advenit : qui cum primum hypocaustum ingrederetur, et periclitanti vixque semivivæ uxori cingulum adhibere vellet, subito infans emortuus prosiliit; mater vero partu soluta incolumis evasit. Hujus rei testimonium tulit ipse dictus D. vicarius Petrus Sartorius, cujus chirographum adest num. 10.

1628. 44 Eodem anno 1628 Joannes Freyhamer Salisburgensis fatebatur speciali syngrapha se a septem annis misera phrenesi correptum, voto ad B. Vitalis tumbam facto, lecta Missa et tribus albis oblatis cereis, penitus a dicto morbo liberatum fuisse. Ob quod beneficium Deo et B. Vitali summas egit gratias. Eodem anno rursus testimonium attulit alterum D. M. Wolfgangus Strobelius, de quo supra mentionem fecimus; cujus testimonium latinum de verbo ad verbum huc inserere placuit. Sic sonat : « Paulus Tarsensis orbis ecclesiastes » recte nos docuit ut nimirum contra languores » animi morbosque corporis nostros præcingamus » lumbos;

(1) Disq. vi. cap. vi.

AUCTORE A. PACHLER. » lumbos; quod etiam consilium amore flagranti » secuta est Maria Magdalena Lindmaierin, quæ » ex singulari devotione erga cingulum S Vitalis » per indubitatam ejus intercessionem in suo difficillimo partu puellam est enixa, et incolumis » mater servata fuit. Hoc igitur magnum beneficium prædicto S. Vitali ab utroque conjuge adscribitur : qua de causa sit optima (ut docet » S. Chrysostomus) beneficiorum custos ipsa memoria beneficiorum et perpetua gratiarum confessio. Ita attestor prænominatæ prægnantis Mariæ » Magdalenæ maritus ego M. Wolffgangus Strobelius J. U. candidatus, authoritate cæsarea publicus et juratus notarius, sigillo meo consueto. » Actum XIII Calend, Octob. anno MDCXXVIII. (L. S.) » Idem qui supra. »

1629. 45 Eodem anno 1628 pulcherrimum miraculum attestati sunt ambo conjuges nobilis D. Joannes Christophorus de Freising et uxor illius nobilis D. Maria Anna de Neuching : qui Joannes Christophorus, dum esset sub Ill. Principe Paride archiepiscopo Salisburgensi præfectus in Trasmaurn *d* et Arnstorff in inferiori Austria, habuit filiam, quæ anno 1626 gravem scabiem (argema Græci vocant B vel ophthalmiam) in oculis passa, fluentibus semper oculis et sanie periculosa scatentibus, jam tres septimanas nil videre poterat amplius; cum vero dictam puellam parentes consilio amicorum B. Vitali episcopo ad S. Petrum Salisburgi quiescenti cum duobus argenteis et una Missa devovissent, paucis post diebus scabies exsiccata ex oculis veluti squama decidit, et præter omnium spem et expectationem puella integre consanata fuit, idque contigisse per indubitatum patrocinium S. Vitalis speciali chirographo attestati sunt ambo conjuges. Adest testimonium num. 13, utriusque DD. conjugis sigillo munitum, datum anno 1628, XXX decembris. Anno 1629 mulier quædam honesta, quæ diu in aliqua occulta tribulatione constituta fuerat, sese in festo S. Vitalis XX Octobris devotissime ipsi S. Vitali, peracta Confessione et sacra Communione, commendaverat; eademque die ab occulto gravamine liberata testimonium attulit, non expresso nomine neque infirmitate. Schedulam vide num. 14.

1630, 1633, 46 Anno 1630, XXIX Junii, D. Margarita Pallingerin D. Wilhelmi Prandauer comitum de Lamberg præfecti Salisburgi uxor in periculoso partu, C in quo jam per 24 horas strenue laboraverat, destituta tandem ab omni humano auxilio et consilio, B. Vitalis cingulo accincta, et promissa aliqua oblatione ad S. Vitalem, intra medium quadrantem, restitutis occulta et divina virtute viribus, enixa est. In cujus rei testimonium dictus Wilhelmus chirographum sua et duorum testium manu subscriptum, appresso etiam sigillo firmatum, monasterio consignavit anno et die ut supra. Testes fuere Christophorus Reutter consilii aulici cancellista et Georgius Vogl cantor ad S. Petrum Salisburgi. Adest scheda num. 15. Eodem anno, XXIII Julii, Susanna Krebsin D. Joannis Urschnis civis Salisburgensis uxor inter gravissimos partus dolores constituta per biduum, cum mater cum infante in periculo mortis jam versaretur, succincta cingulo S. Vitalis feliciter et confestim partu soluta fuit. In cujus miraculi testimonium schedulam attulit anno et die ut supra, num. 16. Anno 1633 vir quidam gravi infirmitate detinebatur, ut omnes de vita ejus jam desperarent : cum vero B. Vitali vovisset se imaginem ceream oblaturum et vitam suam serio emendaturum, stupentibus omnibus, intra paucas horas perfecte convaluit; et pro testimonio hujus miraculi schedam attulit D dicto anno, XXIII Augusti, num. 17.

47 Anno 1636, XXIII Junii, testatur honesta matrona Margarita Wimbergerin se inter dolores partus gravissimos cingulo S. Vitalis succinctam intra sesquihoram feliciter peperisse. Anno 1647 Catharina Feuchtnerin, in gravi periculo partus dolorosi cingulo S. Vitalis usa, breviter feliciterque enixam se fatetur, ad diem XVIII Aprilis. Eodem anno in festo Pentecostes Anna Scherpin Joannis Scherpen militis in arce Salisburgensi uxor, succincta cingulo S. Vitalis, voto facto offerendi pueruli cerei et audiendi Missam in honorem S. Vitalis persolvendique certas preces ad tumbam ejus, intra quinque horas a doloribus partus periculosi liberata feliciter parturiit. Ita maritus testatus est per schedulam oblatam, num. 20. Anno 1649, ad diem XXII Junii, Erentrudis uxor Joannis Wolspergers civis Salisburgensis fatetur se, adhibito cingulo S. Vitalis, geminorum partu feliciter solutam fuisse; quod quidem Deo, B. Virgini et S. Vitali beneficium acceptum multa gratiarum actione refert. Eodem anno, die XXVI Novembris, D. Christophori Katzenberger uxor Anna Ursula gravibus partus detenta doloribus non poterat eniti, donec E cingulo S. Vitalis accincta confestim partu soluta fuit. Id attestatur dictus maritus ipsius et Franciscus Ring civis et pistor, per attestationem utriusque sigillo et manu firmatam, num. 22. 1636, 1647, 1649,

48 Anno 1650, ad diem XIV Januarii, testabatur per chirographum nobilis D. Clara Reutterin nata Feyrtagin se in periculoso partu cingulo S. Vitalis usam, ac propterea feliciter enixam fuisse : ob quam gratiam B. Vitali gratias egit per schedam subscriptam, num. 23. Anno 1650, IX Februarii, testatur Anno Siglin uxor æditui monasterii S. Petri se per duos dies non potuisse a partu infantis Scholasticæ postea vocatæ liberari : donec tandem ex singulari devotione erga B. Vitalem cingulo fuerit præcincta, ubi et feliciter a partu liberata fuit. Eodem anno, XIV Aprilis, sacrum cingulum Christinæ Wedlingerin Jacobi Ferschl coqui uxori applicatum fuit, quæ inter angustias partus constituta eadem hora feliciter peperit. Eodem anno, XXIX Junii, idem sacrum cingulum adhibuit in periculoso partu Maria Müllerin Matthæi Müller pictoris Salisburgensis uxor: quæ quidem felici partu potita fuit, in periculo tamen vitæ, dum F schedam obtulerat maritus, adhuc versabatur. Ita ambo subscripti attestantur schedula, num. 26. Eodem anno, IV Julii, testatur Sabina Putschgerin tinctoris Salisburgensis uxor se ex peculiari fiducia et devotione erga S. Vitalem, cum per diem ac noctem inter angustias partus constituta infantem eniti non posset, sacrum cingulum ejus adhibuisse, et brevi post infantem cum gaudio peperisse. 1650,

49 Anno 1656 D. Sidonia uxor D. Matthæi Prandauer adeo periculoso partu laborabat ut judicio præsentium matronarum nisi supernaturali auxilio vix evasura crederetur. Quare Sidonia ex singulari fiducia et devotione sese B. Vitali cum Sacrificio Missæ devovit, et sacro cingulo se accinxit; ubi tandem paucis post horis partu soluta incolumis evasit. In cujus rei memoriam maritus ejus D. Prandauer attestationem sua manu et sigillo firmatam nobis attulit, dicto anno, XXIII Februarii, num. 28. Eodem anno, XXIV Julii, testabatur Georgius Hauser calculator cameræ archiepiscopalis Salisburgensis numquam in repetitis jam sæpius partubus suam uxorem Annam Mariam tam facile fuisse enixam quam hac una vice, cum ex devotione 1656,

A tione S. Vitalis cingulo induta fuisset. Quare hoc beneficium B. Vitali adscribit et gratias agit per attestationem, num. 29. Eodem anno, XI Augusti, Rosina Wimberin per specialem attestationem fatetur se tribus diebus in partu periclitatam esse, ut omnium judicio moritura jam judicaretur: cum vero quarta die cingulo S. Vitalis esset induta, circa duodecimam effuso partu, melius habere cœpit. Unde per chirographum, num. 30, Deo et B. Vitali summas gratias egit.

1662. 50 Anno 1662 honestissimus vir Virgilius Kendlinger civis et caupo Salisburgensis duas attestationes nobis attulit: quarum una contestatur se B. Vitali, cum filius ejus periculose ægrotaret, anno 1649 obtulisse ex devotione tabellam cum uno Sacrificio Missæ pro pueri incolumitate; unde parvulus brevi melius habere et convalescere cœpit. In altera vero attestatione profitetur omnes quatuor liberos suos una vice infirmatos decubuisse; quare antiqui beneficii memor B. Vitali se aliquid oblaturum promisit, si liberi sanitati restituerentur; qui proinde paulo post incolumitati pristinæ restituti omnes fuere. In cujus rei memoriam duo chirographo anno 1662, XX Novembris, attulit, B num. 31 et 32 signata. Eodem anno, I Octobris, ejusdem Virgilii Kendlinger honestissima uxor Maria attestabatur se in periculoso partu per triduum inter graves dolores colluctatam, postquam humana media in cassum adhibita fuissent, cingulum S. Vitalis induisse, ac paulo post puerulum incolumem peperisse: quam proinde gratiam Deo ac B. Vitali acceptam fert, atque sua propria manu et chirographo, num. 33, confirmat eodem anno et die secum ita contigisse.

1663. 51 Anno demum currente 1663, quo hæc ipsa miracula conscripsimus et typis mandamus, attulit testimonium nobilis D. Andreas Miller perillustrium et RR. DD. Baronum de Muggenthal præfectus, quo testatur Christinam uxorem suam X Januarii dicti anni in periculosissimo partu aliorum adhortatione curasse Missam legi ad S. Petrum, et cingulo B. Vitalis præcinctam post horam feliciter enixam fuisse: quod beneficium Deo, B. Virgini et S. Vitali acceptum retulit, et summas egit gratias. Chirographum datum anno 1663, XI Januarii. Eodem anno 1663, X Martii, attulit aliud testimonium sæpe nominatus D. Virgilius Kendlinger, quo testatur filiolum suum Remigium C Josephum viginti unius hebdomadorum infantem XXIII Februarii gravi morbo correptum fuisse, ut etiam materna abhorreret ubera. Postquam autem parens puerulum S. Vitali devovit atque Missam in ejus honorem legi curavit, infans ex illa hora paulatim convaluit. Eapropter parens Deo et B. Vitali, cujus meritis jam sæpius sese in tribulationibus variis sensisse levamen profitetur, summas egit gratias.

aliisque incertis. 52 Præter hæc curationum beneficia per attestationes additis certis annis, diebus et personis firmata, adsunt adhuc schedulæ similium beneficiorum testes et indices, sed non additis annis, diebus, personis et circumstantiis; quas etiam hic inserere placuit. Schedula refert per intercessionem B. Vitalis matronam in periculosissimo partu adjutam fuisse; ac proinde per schedulam gratias persona illa agit. Matrona quædam graves passa dolores dentium, capitis et matricis vovit B. Vitali se aliquid oblaturam; unde brevi incolumis effecta Deo et B. Vitali gratias agit. Obstetrix quædam Susanna Voglin testatur se cingulum S. Vitalis tribus parturientibus adhibuisse, semperque felicem partum subsecutum fuisse. Matrona quædam honesta viscerum dolores graves sentiebat: unde vovit B. Vitali unum Sacrificium Missæ et ventris figuram ceream, ac brevi post optatam incolumitatem obtinuit. Matrona quædam Susanna nomine devoverat sese B. Vitali in gravi ægritudine constituta, et voti compos facta, sed postea mortua, voluit pro se ad B. Vitalem legi unam Missam Defunctorum. Hæc itaque curationum beneficia sunt quæ per attestationes fidelium probari poterunt, quorum adhuc hodie multi superstites sunt; neque dubitandum est multos alios fideles, si ad inquisitionem publicam aliquando deveniretur, uti ante ducentos annos factum, confessuros et edicturos fore multa alia miracula, quæ aut ex incuria aut ex verecundia multi non manifestant, quod quidem magnopere dolendum est.

AUCTORE A. PACHLER.

ANNOTATA.

a *De cingulo quem aiunt S.* Vitalis *confer dicta in Commentario prævio (num.* 110, 125 *et* 126).

b *Est* Mülldorf *seu* Mühldorf *oppidum Bavariæ ad ripam sinistram Œni.* E

c *Parochia* Gredig *sive* Gradig *propinqua est Salisburgo ad meridionalem partem.*

d *A fluvio Drasa, vulgo* Traisen, *nomen habet* Traismauer, *qui vicus prope abest a loco ubi fluvius jam dictus in Danubium aquas suas infert. Erat ibi castrum ad archiepiscopatum Salisburgensem pertinens, et qui illi præerat præfectus, ut apud Hansizium videre est* (1), *simul in attinentem districtum jus pro archiepiscopo dicebat.*

ALIA MIRACULA SÆCULI XVII

ex voticis tabellis collecta a Pachlero (2).

Illustrissimus princeps et archiepiscopus Salisburgensis Paris Lodronius S. Vitalem in summo honore habuit semper; cujus jussu sepulchrum ejus apertum et reliquiæ conscriptæ sunt; cujus etiam interventu et interpositione cultus B. Vitalis in totam diœcesim introductus fuit, obtenta licentia ab Urbano VIII anno 1628, cum prius tantum in nostro monasterio Officium canonicum de eo ex indulto Leonis X... celebraretur. Singulis fere annis in ejus festo aut ipse celebravit in altari S. Vitalis aut saltem cum tota sua aula devote tumbam visitavit; utque ostenderet etiam ipsa sua munificentia devotum affectum erga B. Vitalem, anno 1630 obtulit ad altare ipsius mille taleros, quos jussit in honorem et cultum S. Vitalis impendi: cujus proinde anima in pace requiescat *a*. Nobilis D. Elisabetha Menzlin clarissimi viri Christophori Mezger quondam cancellarii Salisburgensis uxor B. Vitali anno 1658 obtulit catenam argenteam deauratam, pro qua urceoli argentei coempti pro altari S. Vitalis. Donaria et anathemata minuta de cera indies offeruntur, ut videre licet ad tumbam ejus; ubi etiam fulcra, baculi et sustentacula claudorum, item et brachia ac pedes e ligno efformati conspici poterunt in satis magna quantitate. Gazophylacium quod anno 1601 a Martino abbate apud S. Vitalis tumbam positum

Miracula facta F a

fuit

(1) Germ. sacr., t. II, p. 1078. — (2) Disq. VI, cap. VII.

AUCTORE A. PACHLER

fuit *b*,... etiam adhuc in hodiernum diem singulis annis 30, 40, 50 florenos plus minus exhibet; ex quibus proinde fidelium devotio erga S. Vitalem luculenter intelligi potest. Lego tamen in Productione miraculorum ejus apud Canisium... jam ante 200 annos tale gazophylacium fuisse ad tumbam S. Vitalis *c*.

annis 1630, 1632, 1633, 1634,

54 Porro tabulæ votivæ prope tumbam et altare S. Vitalis multæ suspensæ videntur, quarum quædam neque nomen neque infirmitatem neque votum ipsum cum circumstantiis exacte referunt; in plerisque tamen beneficium curationis cum ipsa voventis persona exprimitur: quæ proinde et huc opportune inseruntur et referuntur. Prima tabella anno 1630 oblata refert perillustrem D. Jacobeam de et in Weichs, baronissam de Closen in Haidenpurg, ob restauratam sanitatem obtulisse ad B. Vitalis tumbam. Anno 1632 honesti viri N. Kholperger infans phrenesi correptus, B. Vitali devotus, sanitati restitutus est: ob gratiarum actionem tabellam parens obtulit. Tertia tabula refert anno 1633 puerulum quemdam ab hernia per intercessionem S. Vitalis liberatum. Eodem anno Regina Hoferin gravi infirmitate oppressa Missam curavit lege in honorem S. Vitalis, et tabellam obtulit, ac paulo post sanitati restituta est. Anno 1634 persona aliqua tabellam attulit B. Vitali, quod in ægritudine aliqua lenimentum senserit. Anno 1636 D. Juditha Mayrin D. Michaelis Mayr uxor maritum suum calidissima febri laborantem, oblata tabella, B. Vitali devovit, ac mox excellens ille calor desiit, et maritus convaluit.

1636, 1638, 1640, 1642, 1644, 1647,

55 Anno 1636 Anna Mogelin peste correpta devovit se B. Vitali cum una tabella, unde et liberata fuit. Anno 1638 ægrota quædam persona tabellam vovit ad tumbam S. Vitalis, et brevi consanata fuit. Anno 1639 honestus quidam vir pro sua uxore, quæ dolore unius pedis ita affligebatur ut diu noctuque quietem habere non posset, tabellam cum aliquo donario B. Vitali obtulit, et uxor paulo post melius habere cœpit. Eodem anno matrona quædam vovit et obtulit B. Vitali tabellam ob diversas ægritudines, in quibus fatebatur se manifestum ejusdem Sancti Patroni auxilium persensisse. Anno 1640 duæ matronæ in gravibus mortis periculis constitutæ tabellam obtulere B. Vitali ex voto, et sensere potens suffragium et lenimentum. Anno 1642 ab aliqua ignota persona tabula oblata ob aliquam periculosam ægritudinem. Anno 1644 David Kropfl nauta Lauffensis ob tumorem alterius pedis votivam B. Vitali imaginem obtulit, et brevi tumor dolorque evanuit. Anno 1647 Mathias Lowcind et uxor ejus Magdalena suum infantulum in periculosa ægritudine B. Vitali devoverunt, ac paulo post infans sanitati restitutus est; in cujus signum tabellam obtulere. Anno eodem uxor honesti viri Georgii Prietl coriarii in Straswalchen gravibus pedum doloribus afflicta tabulam obtulit ad tumbam S. Vitalis, quo factum ut intra paucos dies sanitati restituta fuerit.

1649, 1651, 1654, 1656, 1657, 1660. *d*

56 Anno 1649 Virgilius Kendlinger, cujus capite priori inter testimonia num. 31 memini *d*, pro suo filio tabellam obtulit. Anno 1650 honesta matrona Cordula Standlin ex Lauffensi oppido fortuito casu crus fregit; et licet a chirurgo restituta fuerit, attamen paulo post tumorem in illo pede passa est, quem nulla remedia humana curare poterant: unde B. Vitalis tumbam a votiva imagine decoravit, et paulo post, tumore sublato, convaluit. Anno 1651 David Edlman nauclerus ex Lauffen cum sua uxore ex voto visitarunt tumbam S. Vitalis, et obtulerunt tabulam, eo quod eorumdem filius Christophorus gravem in oculis infirmitatem contraxisset, cui nulla humana remedia mederi poterant, et voto persoluto, brevi filius pristinam oculorum claritatem recepit. Anno 1654 Susanna Kramingerin de villa Morzg *e* prope Salisburgum in aliqua infirmitate constituta tabellam vovit B. Vitali offerendam; unde et brevi sanitati restituta fuit. Anno 1656 duo conjuges filium suum jam clericum gravi morbo detentum devoverunt B. Vitali, imagine votiva ad tumbam ejus oblata; qui paulo post restitutus fuit. Anno 1657 honesta matrona in gravi ægritudine vovit B. Vitali tabellam, et obtulit; unde confestim convaluit. Anno 1660 honestus vir Paulus Lechner civis et cerevisiarius in oppido Reichenhall, cum in periculo phthisis et hydropisis versaretur, B. Vitali sese devovit, et imagine oblata tumbam decoravit.

1661, 1662 *et aliis incertis.*

57 Anno 1661 honestus vir Virgilius Kendlinger civis et caupo Salisburgensis, uno et liberis suis ægrotante, B. Vitali tabellam vovit et obtulit, ac paulo post infirmitas evanuit. Anno eodem matrona honesta Maria Haigerin suum infantem ægrotantem B. Vitali commendavit, tabellam vovit et obtulit, ac paulo post infans sanitati restitutus est. Eodem anno alia quædam persona, quæ nomen suum non exprimit, tabulam obtulit, eo quod persoluto ad B. Vitalem voto a gravi infirmitate fuerit liberata. Anno 1662 honesta vidua Magdalena Strichoferin filium suum devovit B. Vitali, gravi hernia ab utero matris contracta laborantem; a qua cum per B. Vitalis merita curatus et plene sanatus esset, in grati animi testimonium votiva tabella exornavit sepulchrum ejusdem S. Patroni. Eodem anno 1662 honesta matrona Christina Hoferin infantem suum gravi et periculoso ulcere in capite laborantem B. Vitali commendavit, in quo curando omnis humana medicina deficiebat; unde sine ulteriori medicina per merita S. Vitalis ulcus fœtidum paulatim seipso convaluit et disparuit: in cujus miraculi testimonium votivam tabellam detulit ad tumbam S. Vitalis. Adsunt adhuc aliæ duæ tabulæ sine addito anno: in una dicitur a matrona honesta infantem morbillis laborantem devotum B. Vitali curatum fuisse; in altera matronam quamdam honestam de Villach *f* ex Carinthia B. Vitali in gravi ægritudine vovisse unam Missam et tabulam ad tumbam se oblaturam, unde et voti compotem sanitati fuisse restitutam. Adsunt et aliæ tabellæ perplures sine nomine, sine omni inscriptione, aut solis hisce litteris adscriptis E. V., id est, Ex voto, aut solis primis litteris nominum et cognominum: quorum vota et curationum beneficia prorsus ignorantur.

ANNOTATA.

a *Cfr Comment. præv. num.* 112 *et seqq.*

b *De hoc gazophylacio mentio facta est supra ad finem miraculorum ab anno* 1462 *ad* 1601 *patratorum, ubi de sanatione Joannis Stainhauser.*

c *Vide num.* 97 *Commentarii prævii.*

d *Videantur miracula proxime superiora, num.* 50 *et* 51.

e *Villa* Morzg *seu* Morzig, *semileuca Salisburgo in meridiem distans, ea ipsa est quæ in Brevibus Notitiis donationum Salisburgensium vocatur* Marciago, id est Morck (1), *atque a duce Theodoberto donata*

(1) Apud Hansizium, p. 20.

A *donata fuit cœnobio monialium Nunbergensi sive S. Erentrudis.*

f *Est* Villacum, *vulgo* Villach, *non ignobile Carinthiæ oppidum Dravo fluvio appositum) nec confundendum cum* Villaco *in Pannonia, vulgo* Illok D *in hodierno comitatu Sirmiensi, ubi S. Joannes Capistranus obiit et sacrum ejus corpus etiamnum quiescit.*

DE S. ACCA EPISCOPO ET CONFESS.

HAGUSTALDIÆ, IN NORTHUMBRIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. V. H.

§ I. De origine et fatis Ecclesiæ Hagustaldensis in Northumbria.

ANNO DCCXL.

Ecclesia Hagustaldensis

B Est in Northamhymbrorum provincia, *inquit Monasticum Anglicanum ex Historia manuscripta Richardi Hagustaldensis sæc.* XII *scriptoris, de statu Hagustaldensis Ecclesiæ* (1), haud procul a Tina flumine, ad austrum sita villa quædam, nunc quidem modico et raro cultore habitata; sed, ut antiquitatis vestigia testantur, quondam ampla et magnifica. Hæc autem a rivulo ibi decurrente et quandoque ad modum torrentis exuberante. Hestild nomine, Hestoldesham, quasi prædium Hestild, vocatur. Beata vero regina Etheldreda, Annæ, regis orientalium Anglorum filia, primo australium, Girvisorum principi, nomine Tunberto, sed, illo post modicum defuncto, deinde Ecfrido, Northamhymbrorum regi, desponsata fuit. Quæ tamen integritatis virginalis gloriam semper intactam, Deo protegente, servavit. Hæc igitur S. Wilfrido, quem plurimum dilexit, illi, inquam, jam exsistenti Eboracensi episcopo, prædictam villam cum circumjaciente regione, circa annum Dominicæ Incarnationis DCLXXIIII in perpetuam eleemosynam dedit, ut eam episcopali cathedra sublimaret, quam ipse primus et post eum alii jure ecclesiastico sederint.

anno Christi 674

2 *Fata Hagustaldensis Ecclesiæ, quæ hodie* Hexham *appellatur, explicat Robertus, monachus* C *Dunelmensis, hisce verbis* (2): Ut in Chronica Haugustaldensi (quæ vulgariter Hexham, sive ut antiquitus Hextildesham, a quodam flumine Hextild, ibi decurrente vocatur) scriptum est: Anno Incarnationis Dominicæ DCLXXIV et a fundatione Ecclesiæ Lindisfarnensis quadraginta annorum curriculo decurso, Beatus Wilfridus fundavit in honore S. Andreæ Apostoli dictam Ecclesiam Haugustaldensem, cum sede episcopali, in qua plures floruerunt episcopi, viri sanctissimæ vitæ: quorum ordo est, primus Wilfridus, XLV annis; secundus Eata, VII annis; tertius Tunbertus, III annis; quartus Joannes, VII annis; quintus Sanctus Acca, XXIV annis; sextus Fredbertus, XXXIV annis; septimus Sanctus Alcmundus, XIII annis; octavus Tilbertus, VIII annis; nonus Ethelbertus, VII annis; decimus Eadfredus, III; undecimus Eanbertus vel Osbertus, XIII annis; duodecimus Tydfredus, sed tempus episcopatus hujus ignoratur. Itaque episcopatus Haugustaldensis Ecclesiæ, incipiens circa DCLXXIV Dominicæ Incarnationis annum, duravit CXLIV annis (excepto ultimo episcopo, cujus tempu ignoratur) scilicet usque ad DCCCIV annum Dominicæ Incarnationis, et ex tunc (deficientibus episcopis) cessavit dicta sedes, ante devastationem provinciæ E Northanaimabrorum, quæ DCCCLXXXV anno Domini Incarnationis, ab Haldano Dano facta est, et ex fundatione Lindisfarnensis Ecclesiæ CCXLI, ab obitu S. Cuthberti CLXXXIX; ex quo Haugustaldensis Ecclesiæ episcopi defecerunt LIV. Et tunc Eardulfus episcopus Lindisfarnensis, et abbas ejusdem * Eadredus, de insula Lindisfarnensi incorruptum corpus S. Cuthberti cum maxima parte thesauri illius Ecclesiæ exportaverunt, et ante faciem barbarorum, per septem annos, de loco ad locum cum illo discurrerunt. Tandem vero redeuntes ad villam, olim Kunchacestram vocatam, devenerunt; ibique cum Reliquiis requieverunt; et multo tempore, deficientibus episcopis Haugustaldensis Ecclesiæ, dictus Eardulfus episcopalia officia ibidem exercere cœpit et successores ejus apud Koncestre; post apud Dunelm usque ad tempus Henrici regis primi... circiter annos episcopalia officia agebant. Sed orta dissensione inter Henricum, regem Angliæ primum, et Ranulphum, Dunelmensem episcopum, dictus rex dictum episcopum Ecclesia Haugustaldensi cum regione pertinenti privavit, et contulit archiepiscopatui Eboracensi; licet virtute devotionis factæ per reges Guthredum et Alu- F redum Deo et S. Cuthberto et sibi ministrantibus, de tota terra, inter Tesam et Tynam, ecclesiam de Hexham cum regione adjacente, ex parte australi Tynam, sita inter metas S. Cuthberti protinus fuerit comprehensa.

* Ecclesiæ?

multiplicato populo Christiano fundato.

3 *Quæ hactenus ex antiquioribus documentis retulimus, explicatione quadam indigent. Anno* 673 *in Concilio Herefordiensi, cui, præside S. Theodoro, Cantuariensi archiepiscopo, adfuerat quoque S. Wilfridus, Eboracensis seu Nordambrorum episcopus, statutum fuerat can.* IX (3), ut plures episcopi, crescente numero fidelium, augerentur. *Ut vero Theodorus hoc, quod* in commune tractatum *fuerat, exsecutioni mandaret, Eboracensem diœcesim in tres episcopatus Eboracensem, Lindisfarnensem ac Hagustaldensem divisit, ut legere est in Vita S. Wilfridi ad* XXIV *Aprilis* (4), *imo exauctorato Wilfrido, proabbiliter renitenti, Bosam sedi Eboracensi imposuit. Et quidem hanc agendi rationem ægre tulisse non sine causa S. Wilfridum, patet ex eo, quod sede sua pulsus fuerit, intigante Ermemburge regina, quæ*

(1) Monast. Anglic., t. VI, p. 180. Edit. Londin. 1830. Cfr Twysden. Rer. Angl. Scriptt. decem., t. I, p. 289. — (2) Monast. l. c.—(3) Beda Eccl., Hist. lib. IV, cap. V. Wilkins Conc. Magn. Brit., t. I, p. 43. Labbe, t. VI Conc., col. 538.—(4) Act. SS., t. III April., p. 301, n. 32.

sancto

J. V. H. *sancto episcopo infensissima, oggerebat Egfrido marito, Northumbriæ regi,* muliebri, *ait Vita citata* (1), facundia; totum regnum tuum episcopatus ipsius est, quin et si tua potestas ejus potestati comparetur, minor est. *Talibus sermonibus fraudulentis circumventus rex petiit a Theodoro, ut partiretur episcopatus Northumbriæ. Et tunc unus episcopatus adjectus est, Hagustaldensis; nam Lindisfarnensis quadraginta ante annis institutus erat* (2); *sedes autem Casæ Candidæ (hodie* Whithern) *primum anno* 723 *instituta fuit et magis ad Scotos, quam ad Anglos pertinebat* (3).

frustra obnitente S. Wilfrido Eboracensi. 4 *Utcumque ea sint, certe mirari nos non oportet, S. Wilfridum, qui totam illam divisionis machinam ex impotentis mulieris iracundia prodiisse, inscio probabiliter S. Theodoro, pernoverat, mandatis archiepiscopi reluctatum fuisse, ne sede sua privaretur; in exsilium abire coactus, Romam adiit et causam suam detulit Agathoni Papæ, qui, anno* 679, *collecta* quinquaginta tam episcoporum quam abbatum *synodo* (4), *conquerentem Wilfridum audivit* (5), quod quidam, *inquit,* mei episcopatus invasores, nulla in me convicta culpa, contra sanctorum scita canonum in conventu sanctissimi B Theodori, Cantuariorum archiepiscopi, et aliorum convenientium antistitum, sedem meam, quam per decem et eo amplius annos tenueram, usurpare moliti sunt; et in meo episcopatu tres episcopi promoti sunt; licet canonica non sit eorum promotio. Quid autem acciderit, ut Theodorus, sanctissimus archiepiscopus, me superstite, in sedem, quam licet indignus dispensabam, absque consensu cujuslibet episcopi, tres sua auctoritate mea humilitate non acquiescente, ordinaret episcopos, omittere magis, quam flagitare pro ejusdem viri reverentia condecet: quem quidem, eo quod ab hac apostolicæ summitatis sede directus est, accusare non audeo. *Paratum dein S. Wilfridus se profitetur ad exsequendum apostolicam qualemcumque sententiam, sive ut pristinum episcopatum suscipiat, sive ut in diœcesi, cui præfuit, plures præsules adhibeantur, qui tamen tales sint, cum quibus pacifica et tranquilla possit concordia unanimiter deservire.*

et appellationem Romanam 5 *Hisce expositis,* universa synodus definiens ait: statuimus atque decrevimus, ut Deo amabilis Wilfridus episcopus episcopatum, quem nuper habuerat, suscipiat, et quos cum consensu concilii, ibidem congregandi, elegerit sibi adjutores, a C sanctissimo archiepiscopo ordinati promoveantur episcopi, expulsis procul eis, qui in ejus absentia in episcopatum enormiter missi sunt. *Sed S. Wilfridus, scriptis apostolicæ Sedis munitus, vixdum pedem in Northumbriam intulerat, quum rex Egfridus de consilio episcoporum eum carceri mancipavit ac dein in exsilium ejecit. Quam occasionem nactus vir Dei, Evangelium prædicavit Saxonibus meridionalibus* (Sussex) *et accolis insulæ Vectæ* (Wight), *ut late refertur in ejus Vita ad* XXIV *Aprilis* (6), *et sic usque ad obitum Egfridi regis, anno Christi* 685, *in exsilio fructuose laborans permansit. Ast tunc S. Theodorus cum S. Wilfrido reconciliatus, de quorum dissidiis late agunt nostri in Commentario S. Theodori Vitæ ad diem* XIX *Septembris* § II (7), *eumdem ope Alfredi, Northymbrorum regis, in sedem suam reposuit,* primum, *inquit Eddius, S. Wilfridi biographus coævus* (8), cœnobium cum possessionibus adhærentibus in Hagustaldesa indulgens, et post intervallum temporis, secundum beatissimi D Agathonis, apostolicæ sedis præsulis et sanctæ synodi judicium propriam sedem episcopalem in Eborica civitate et monasterium in Hrypis cum redditibus suis reddidit, expulsis de eo alienis episcopis.

6 *Ex hisce quidem verbis manifestum est, initio regni Alfridi seu anno Christi* 685, *nondum firmatam fuisse, quatenus episcopalem, Ecclesiam Hagustaldensem, seu potius quod a Theodoro constitutum fuerat, ratum fixumque non permansisse. Stetit autem annis vix quinque pax et concordia inter S. Wilfridum episcopum et regem Alfridum* (9): *qui et Ecclesias propriis spoliabat bonis et Eboracensem diœcesim erectione cathedræ episcopalis in Ripensi monasterio dispertitam volebat. Quibus consiliis omnimode repugnabat Wilfridus, quocirca, rege instigante et Brithwaldo, Cantuariensi archiepiscopo cooperante, iteratum sancto viro indicitur exsilium, in quo ipse secundam profectionem ad Sedem apostolicam adornavit; et Romæ Joanni Papæ VI spopondit anno* 701 (10), *se, si ita Sedes apostolica judicaverit, demissurum Eboracensem cathedram, dummodo* monasteria duo, in ea provincia posita, Ripis et Hagustaldeia, quæ fundaverat, non amitteret. *Et tali ratione in Concilio Niddensi anno* 705 (11) *dicuntur* reddita *S. Wilfrido* duo optima cœnobia, qui in Rypis et in Hagustaldese cum omnibus redditibus. *Atque ita vita functis Alfrido, Northumbrorum rege et Bosa, Eboracensi episcopo, Joannes Beverlacensis, qui jam ab anno Christi* 686 *Hagustaldensem Ecclesiam regere inter multiplices vicissitudines cœperat, ista nunc relicta S. Wilfrido, Eboracensem cathedram conscendit. Atque ex eo tempore episcoporum Hagustaldensium series decurrere cœpit. Notatu dignum est omnes illos episcopos, qui tam acriter dissensere inter se, et sanctitate insignes et cultum ecclesiasticum consecutos fuisse. S. Wilfridus colitur* XXIV *Aprilis aut* XII *Octobris; S. Theodorus Cantuariensis,* XIX *Septembris; S. Bosa, qui vivente S. Wilfrido, sedem Eboracensem occupaverat,* IX *Martii; S. Eata, Hagustaldensis, invito Wilfrido, episcopus,* XXVI *Octobris; S. Britwaldus, Cantuariensis archiepiscopus,* IX *Januarii; S. Joannis Beverlacensis,* VII *Maii vel* XXV *Octobris. Omnes enim in ancipiti quæstione optima procedebant fide: hi quidem, multiplicatis episcopis, efficacius fidem propagare volebant: illi autem, pari zelo animati, volebant præcipue disciplinam ecclesiasticam, firmissimum religionis propugnaculum, sartam tectam conservare: ac tali ratione explicamus, quomodo frequentes istiusmodi dissensiones non magnum detrimentum litigantium sanctitati attulerint.*

inter ponente.

7 *Ultimus Ecclesiæ Hagustaldensis episcopus fuit Tiffridus, qui, mortuo Eanberto, anno* 810 *sedem occupare cœpit, incertum quamdiu continuaverit. Id autem habemus ex Gulielmo Malmesburiensi de Gestis Pontificum Anglorum lib.* III (12), *interiisse sedem Hagustaldensem irruptione Danorum.* Exercitus enim Danorum, qui jam tempore Alcuini (13) metuebatur, veniens, habitatoribus exstinctis, habitaculorum tecta succendit et secreta cœlo exposuit. Nunc est Hagustaldium villa archiepiscopi Eboracensis. *Danorum autem irruptio prima fuit anno* XXXIII *Egberti, regis Saxonum Occidentalium, seu anno Christi* 832: *videtur igitur prorogranda Hagustaldensis diœceseos exsistentia usque ad hunc aut potius sequentem proxime unum alte-* *desiit circa an.* 833

(1) Act. SS., t. III April., p. 301, n 31. — (2) Alford. Annal. Eccl. Anglosax. An. 635, § XV et seqq. — (3) Ibid. An. 723, § XIX. — (4) Wilkins. Conc., t. I, p. 44. — (5) Ibid., p. 47. — (6) Act. SS., t. III Apr., p. 305. Cfr Mabillon. Act. SS. Ord. S. Bened., t. IV, part. I, p. 699. — (7) Act. SS., t. VI Septembr., p. 60. — (8) Mabillon. Act. SS., sæc. IV, part I, p. 703. Cfr Wilkins. Concil., t. I, p. 55. — (9) Wilkins. Conc., t. I, p. 65. — (10) Ibid. — (11) Ibid., p. 68. — (12) Rer. Anglic. Scriptt. Salvilii, fol. 155. Edit. Lond. 1596. — (13) Alford. Annal. Eccl. Angl., an. 832, num. 11.

rumve

J. V. H.

A *rumve annum. Id quidem verum est, de Tiffrido nihil habere antiqua documenta præter ejus electionem ; sed si ante Danorum invasionem defunctus fuisset, nulla adesse videtur ratio, cur successorem nactus non fuisset. Ricardus lib.* I *de statu et episcopis Ecclesiæ Hagustaldensis cap.* XIX (1), *dicit quidem cessasse episcopatum annis* LIV *ante devastationem Northumbriæ, factam anno Christi* 875, *sed hoc ita intelligendum est, ut annorum series a morte Eanberti, penultimi episcopi Hagustaldensis decurrat, quoniam, ut ibidem dicit,* ultimi episcopi tempus ignoratur. *Ast ne anno quidem* 875 *primum Dani in Northumbriam irruperunt ; legitur enim apud Simeonem Dunelmensem, lib.* II *Historiæ Ecclesiæ Dunelmensis cap.* V (2), *jam anno* 793 Paganos, ab aquilonali climate, navali exercitu, Britanniam venientes, *Lindisfarnensem Ecclesiam vastasse ; anno autem* 867 *Eboracum ejusque ecclesias et monasteria igne delevisse* (3). *Quæ sufficiunt ad monstrandum ante annum Christi* 875 *Danos Northumbriæ vastationem jam intulisse.*

in varias diœceses dispertita.

8 *Videtur deinceps Hagustaldensis Ecclesia in finibus Lindisfarnensis inclusa fuisse, ut diximus supra num.* 214 ; *quæ Lindisfarnensis sedes, translato* B *corpore S. Cuthberti, Cestriam migravit an.* 882 (5) : *ast anno* 995, *quum sacrum Cuthberti corpus denuo Dunelmum transvectum fuisset, hujus ecclesiæ et urbi nobilissimæ exordia dedit* (6), *quæ hereditatem Cestriensis Ecclesiæ ex asse recepit, retinuitque usque ad episcopatam Ranulphi Flambardi, qui ab anno* 1099 *ad* 1128 *sedem occupavit varia fortuna. Nam summo usus favore Guilielmi Rufi, Angliæ regis, odium Henrici I, ejus successoris ob gravissimas populi et magnatum querelas incurrit : pulsus igitur sede sua, eamdem postmodum mutilatam recepit. Etenim* Hagustaldia cum regione pertinenti *cessit archiepiscopo Eboracensi* (7), *Vallis Tefi* (Teviotdale) *Glasguensi Ecclesiæ accrevit, et regio Carletana* (Carlisle) *novum episcopatum constituit* (8). *Hæc de antiquo statu Ecclesiæ Hagustaldensis præfati sumus, quia propter temporariam intricatamque ejus constitutionem paucis innotuit. Nunc propius ad S.* Accam *accedimus.*

C

§ II. S. Accæ cultus, discipulatus apud SS. Bosa et Wilfridum, Eboracenses archiepiscopos.

S. Accæ cultus

S. Accæ, *qui et* Accas *et* Accus, *et* Hacca *et* Atta *quandoque legitur, nomen abest a plerisque Martyrologiis, quin ullum ex istiusmodi silentio adversus ejus sanctitatis famam et cultum præjudicium creetur. Et quidem ad hanc diem Sancti nostri memoriam recolunt Claudius Chastelain in suo Martyrologio universali et Richardus Whitford in Martyrologio anglice conscripto juxta usum Ecclesiæ Sarisburiensis, quod in Musæo nostro manu exaratum asservatur : ad diem vero* XXX *Novembris S.* Accam *celebrant Saussayus, Menardus ; Bucelinus tandem ad diem* XXVIII *Aprilis reponit Sanctum, quem nostri sub* XIX *Februarii ex Joanne Wilsono citatum, ad hunc diem* XX *Octobris remittunt. Ast licet recentiora ista testimonia cultum Sancti nostri obnubilare aliquatenus videantur, non est tamen ratio, cur eumdem in dubium vocemus. Nam, uti diximus, Richardus Whitford Martyrologium suum non ex corrasis undique Sanctorum et piorum nominibus pro arbitrio composuit, sed juxta usum Ecclesiæ Sarisburiensis et ut in prioratu Sion Canonicorum regularium* (Elsingspittle) *inter horas canonicas recitaretur* (9), *quæ abunde cultum indicant. Aliud argumentum cultus nobis exhibet Simeon Dunelmensis in Historia de Gestis regum Anglorum* (10), *referens S.* Accæ vestimenta fratres Hagustaldensis Ecclesiæ aliquotiens populo monstrare solitos fuisse, a quo cum omni devotione deosculabantur. *Demum varii scriptores agunt de honore exhibito ejus Reliquiis, de earumdem translatione, ita ut, passim dissipatis antiquæ liturgiæ testimoniis, sufficientia habeamus monumenta ad Sancti nostri cultum adeoque ejus sanctitatem demonstranda.*

et Acta expenduntur :

10 *Quoad Acta S.* Accæ *pertinet, non alia habemus, quam quæ in* Libro de Sanctis Ecclesiæ Hagustaldensis et eorum miraculis *edidit Joannes Mabillon in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sæculo* III *parte* I. *Auctorem habet hæc scriptura anonymum quemdam, canonicum regularem sæculi* XII. *Refert enim ipse cap.* VIII (11), *Ædricum primum* E *fuisse, qui canonicorum regularium formam in Hagustaldensi Ecclesia instituit. Ætatem autem suam prodit Anonymus, quando cap.* XIV *dicit* (12), *se tempore translationis, anno* 1154 *factæ,* multis *ante* annis puerulum *fuisse : ex quo intelligimus illum sæc.* XIII *non attigisse. Cæterum quæ narrat de rebus gestis S.* Accæ, *accurate conveniunt cum antiquioribus monumentis, quæ in Vita edenda annotabimus. Hic autem subjicimus breve Sancti elogium, quod ex laudato Whitfordi Martyrologio Anglico latine reddimus :* In Anglia festum Sancti Accæ episcopi, qui fuit discipulus et successor Sancti Wilfridi : erat vir sanctus, multis revelationibus illustratus et spiritu prophetiæ præditus : fecit multa in vita et plura post mortem miracula. *Prolixius encomium texuit Bucelinus sub die* XXVIII *Aprilis, sed multis erroribus historicis infectum, quocirca illud prætermittimus, et res gestas Sancti nostri enucleatius explicare aggredimur.*

patria probabiliter Northumber.

11 *Simeon Dunelmensis, in Historia de Gestis regum Angliæ, sub anno* 740 *tradit* (13) *S.* Accam a pueritia in clero Sanctissimi ac Deo dilecti Bosa, Eboracensis episcopi, nutritum atque eruditum fuisse. *Ex hisce verbis habemus Sanctum nostrum* F *verosimiliter gente Northumbrum fuisse ; nulla enim probabilis occurrit ratio, ut adhuc puer de gente ad gentem traductus fuerit, præsertim quum non ex meridionali Angliæ regione in septemtrionalem, recentius conversam, sed magis ex hac in illam, institutionis causa migrare eum oportuisset. Quoniam porro* Acca *adhuc puer, Bosæ, jam Eboracensi episcopo, instituendus traditur, concludere licet, eum vix ante annum Christi* 668 *nasci potuisse ; neque ejus ortum multum retardare licet, quin in alterum scopulum impingamus, tempus scilicet accepti episcopatus, seu annum Christi* 709. *Ut autem annum S.* Accæ *natalem circa* 668 *statuamus, facit quod S. Bosa Eboracensem cathedram anno* 678 *conscendit, ut aperte refert Beda Lib,* IV. *Hist. cap.* XII ; *decennis igitur aut duodennis S.* Acca *sub disciplina antistitis Eboracensis traditus fuit. Verum Bucelinus in Menologio Benedictino sub die* XXVIII *Aprilis refert :* Acca Streneshalcensis monasterii celebris

(1) Twysden Scriptt., t. I, p. 300.— (2) Ibid., p. 12.—(3) Ibid., p 14.— (4) Camden Britann., t. III, p 248. Edit. Lond. 1789. — (5) Alford Annal. an. 875, num. 4 et an. 882, num. 3. — (6) Alford. Annal. an. 995, n. 1 et seqq. — (7) Monast. Anglic., t. VI, p. 181.— (8) Sim. Dunelm. Continuat. ap. Twysden, t. I, p. 61. Cfr Monast. Ang., t. I, p. 225.—(9) Rob. Watt. Bibl. Britan. v° *Whitford*.—(10) Twysden, t. I, p. 101. — (11) Mabillon. Act. SS., sæc. III, part. I, p. 2133. — (12) Ibid., p. 220*. — (13) Twysden, t. I, p. 101.

in

J. V. H.

in Anglia monachus, egregium, virtutum et disciplinæ regularis magistrum, Bosam nostram meruit, cui et in episcopatu successit. *Sed, omisso errore gravissimo, nempe Bosæ* Accam *successisse, ex ipso Bedæ textu satis liquet Sanctum nostrum Streneshalæ (hodie* Whitby, *ad Oceanum Germanicum) monachum non fuisse : nam agens de isto cœnobio, dicit ex illo prodiisse quinque episcopos, nempe Bosam, Edam, Oftfor, Joannem et Wilfridum,* omnes, *ait,* singularis meriti ac sanctitatis viros, *quod si* Acca *quoque noster Streneshalensis fuisset monachus, procul dubio eumdem reliquis episcopis, alumnis hujus cœnobii, accensuisset. Manet igitur verum, ita esse intelligenda Dunelmensis verba supra allata, ut S.* Acca *non prius puer Bosam adierit, quam is adeptus fuerit Eboracensem sedem, adeoque Sancti nostri annum natalem circa* 668 *statuendum esse.*

Primum Streneshalæ

12 *Quoniam vero S. Bosa in cœnobio Streneshalensi ad monasticam disciplinam informatus fuit, ibique Regulam S. Columbæ fuit sectatus, eamdem inter discipulos suos Eboracenses retinendam præscripsit, ut opinantur nostri in Commentario ejus historico ad diem* IX *Martii* (1) : *quocirca Scoticam prius, quam Benedictinam* ἄσκησιν *secutum fuisse*

B *Sanctum nostrum omnino censemus : quando autem postmodum se sub magisterium S. Wilfridi contulit, S. Benedicti Regulam professum fuisse nullatenus dubitamus. Etenim S. Wilfridus propagatorem se Benedictini instituti per Northumbriam fuisse, aperte gloriabatur, quum iterum apud Brithwaldum, Cantuariensem archiepiscopum, inobedientiæ accusaretur : siquidem suadentibus, ut sponte sua et scripto episcopatu cederet suo, respondit* (2), se primum fuisse, qui verum pascha in Northumbria, Scotis ejectis, docuerit, qui cantus ecclesiasticos antiphonatim instituerit, qui sanctissimi Benedicti Regulam a monachis observari jusserit, pro quibus omnibus nunc senem et septuaginta fere annorum pontificem, hoc in munere recipere, ut cogatur seipsum scripto damnare. *Exordium Benedictini instituti, S. Wilfrido tributum, de sola Northumbria intelligendum est, quod clare ejus biographus coævus, Eddius, indicat* (3) : *nam idem jam in aliis Angliæ partibus propagatum fuisse, vel eo liquet, quod primi ejus Apostoli, a S. Gregorio missi, hanc vivendi normam Romæ hauserint, haustamque monasteriis a se institutis communicaverint. Quam sententiam,* maxima verosimilitudine et propemo-

C dum evidentia *niti Papebrochius noster asserit* (4). *Northumbria porro, serius ad fidem conversa et Scotis contermina, quemadmodum postrema institutiones catholicas recepit, ita etiam tardius fæces quasdam Scoticas deposuit.*

inter Scotos educatus,

13 *Ex hactenus dictis videmus perperam Bucelinum Bosam* suum, *quasi Benedictinus fuisset, vocare ; quum potius Scoticam monasticen professus fuerit, quam etiam* Acca *probabiliter secutus est. Proinde cum Alano Le Large Sangenovefano, qui Sanctum nostrum, quia in clero Eboracensi eruditum, canonicis regularibus accenset* (5), *eatenus consentimus, quatenus tamen non abjudicetur monachis Scotis, qui, ut dictum fuit in Commentario Vitæ S. Galli ad diem* XVI *Octobris* (6), *actionem clericalem cum monastica contemplatione conjungebant. Id autem monachorum genus Ecclesiæ Eboracensi deserviisse facile nobis persuademus, quoniam eodem tempore eamdem formam habebat Ecclesia Lindisfarnensis sub S. Cuthberto, Eboracensi finitima, ut testatur Ven. Beda in Vita S. Cuthberti cap.* XVI. D
Imo quum S. Wilfridus institutum Benedictinum in Northumbriam introduxisset, id quoque gliscentis discordiæ seminarium fuisse, conjicere licet. Postquam autem S. Acca, *relicto ob causam nobis incognitam Bosa, aut etiam eodem mortuo, S. Wilfridi discipulus factus est, Benedictinam Regulam sectari cœpit. Quo autem tempore id acciderit, conjectura aliqua probabili assequi possumus. Beda enim factum aliquod refert, quo aliquousque tempus discipulatus determinare valemus : tradit enim Lib.* III *Hist. cap.* XIII Reverendissimum antistitem Accam solitum fuisse referre, quia cum Romam vadens, apud sanctissimum Fresonum gentis archiepiscopum cum suo antistite Wilfrido moraretur, crebro eum audierit de mirandis, quæ ad Reliquias ejusdem reverendissimi regis *(Oswaldi,)* in illa provincia gestas fuerint, narrare. *Jam vero bina novimus itinera Romana, quæ S. Wilfridus, jam episcopus, peregit, nempe annis* 679 *et* 704.

14 *Ex Vita S. Wilfridi habemus, eum in priori suo itinere, ut persecutionem Egfridi regis eluderet, in Frisia appulisse et verbum Dei prædicasse : sed illa tempestate S.* Acca, *undennis puer, Sancto episcopo associatus non fuit, imo S. Willibrordus utpote junior in Anglia vel Hibernia adhuc latebat* (7). E *Fallitur itaque Remigius Ceillier, dum huic anno iter Frisiacum illigat* (8). *Ast anno* 704, *quando S. Wilfridus secundo Romam abiit, et S. Willibrordus Frisiam archiepiscopus regebat, et S.* Acca *annos plus minus triginta sex natus erat. Verum quidem est, binos biographos Wilfridianos, Eddium ac Eadmerum, nullam Frisiæ mentionem in isto itinere facere. Sed imprimis nihil quoque habent, quod contrarium sit, et dein coævum gravissimumque Bedæ habemus testimonium, quod soli secundæ peregrinationi convenire potest. Non est igitur dubium, quin Ultrajectina S.* Accæ *commoratio ad annum* 704 *pertineat, et satis pronum est judicare S. Wilfridum, occasionem nactum, non prætermisisse visitationem Frisiæ, ut sementis evangelici, a se jactæ, amplissimam messem coram inspiceret. Quamvis autem ex hisce habeamus S.* Accam *socium S. Wilfridi anno* 704 *fuisse, nihil tamen confecimus circa primordia istius societatis : nam tunc jam magistro intimus et familiaris, utpote cui tali Wilfridus concredere voluit revelationem cœlestem, ut narrant biographi* (9), *quod longioris cujusdam consuetudinis indicium est. Credimus itaque Sanctum nostrum* F
S. Wilfrido adhærere cœpisse, quando, Bosa defuncto et pace cum Theodoro Cantuariensi composita, Wilfridus, secundo cathedram Eboracensem conscendit, nempe anno Christi 687 *seu, ut ait Beda Lib.* V *Hist. cap.* XIX, secundo anno Alfridi, qui post Egfridum regnavit, sedem suam *(Eboracensem)* et episcopatum, ipso rege invitante, recepit. *Tunc igitur S.* Acca *viginti et unum annos fere factus,* ad Wilfridum episcopum, *ait Beda ibid. cap* XX, spe melioris propositi adveniens, omnem in ejus obsequio usque ad obitum illius explevit ætatem.

sub disciplinam S. Wilfridi

15 *Secundum hæc vita S.* Accæ *implicata fuit rebus gestis variisque vicissitudinibus S. Wilfridi, usque ad hujus obitum. Quantum autem agendi rationem suam magistro suo probaverit Sanctus noster, liquet ex eo, quod refertur in S. Wilfridi Vita, ab Eddio conscripta* (10) ; *nam quum S. Wilfridus, Meldis in Gallia consistens, jam animam agere vide-*

se contulit, et deinceps

(1) Act. SS., t. II Mart., p. 11, n. 1. — (2) Savilius. Rer. Anglic Scriptt., fol. 151 v°. — (3) Mabillon. Act. SS. Ben., sæc. IV, part. I, p. 705. — (4) Act. SS. Maii. t. VI, p. 374, n. 2. Cfr Reyner. Apostolat. Bened. in Angl., p. 2 et seqq. — (5) Le Large. De Canonic. Ordine, p. 84. — (6) Act. SS., t. VII Octob., p. 864, n. 36. — (7) Butler. Vies des SS., VII Nov. — (8) Ceillier. Aut. Eccles., t. XVIII, p. 36. Cfr Butler, XXX Novemb. Edit. Lovan. — (9) Mabillon. Act. SS., sæc. III, part. I, p. 223 et sæc. IV, part. I, p. 713. — (10) Ibid.

retur,

A *retur, apparuit ei Michael Archangelus, vitam illi ad annos quatuo , per intercessionem S. Mariæ Virginis, prorogatam nuntians, qui et addit :* « memento, quod in honore S. Petri et Andreæ Apostolorum domos ædificasti : Sanctæ vero Mariæ semper Virgini, intercedenti pro te, nullam fecisti : habes hoc emendare, et in honorem ejus domum dedicare. » Et post hæc verba Angelus Dei, assumptus ab oculis ejus, decessit. Sanctus itaque pontifex noster, quasi de somno excitatus, surgens, inter choros canentium et flentium resedit, dicens : « ubi est Acca presbyter? » Qui statim cum gaudio advenit, gratias agens Domino cum omnibus, quod eum sedentem et loquentem vidissent. Deinde ergo, remotis fratribus de domo, soli fidelissimo presbytero suo Accæ, qui nunc est beatæ memoriæ gratia Dei episcopus, per ordinem (sicut supra diximus) visionem omnem revelavit : et statim sanctus presbyter præfatus acuti ingenii, intellexit, gratias agens Domino, eo modo pontifici nostro pro intercessione Sanctæ Mariæ Virginis, Matris Domini, et pro subditorum suorum precibus annos vitæ additos, sicut Ezechiæ, regi Judæ, quindecim annos adjectos. *Animadvertit* B *Joannes Mabillon in hunc textum, nullam posthac ecclesiam construxisse S. Wilfridum, facere tamen alicujus ecclesiæ, in honorem S. Mariæ dedicatæ, mentionem : et quidem sub isto titulo templum exstitisse Hagustaldiæ, habemus ex Richardo Hagustaldensi, ut pluribus infra monstrabimus. Ideo autem hæc manifestata* Accæ *voluit Wilfridus, quia forsan sciebat futurum successorem et operis promissi exsecutorem, aut certe ipsi* Accæ *jam dederat Hagustaldense cœnobium, ut refert Eddius* (1).

omnium gestorum consors fuit.

16 *Nam* suscepit, *inquit Beda lib.* V *Hist. cap.* XX, pro Wilfrido (IV *Idus Octobris defuncto)*, episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ Acca presbyter ejus, vir et ipse strenuissimus, et coram Deo et hominibus magnificus. *Nempe S. Wilfridus, anno* 687 *in sede Eboracensi, adeoque in episcopatu totius Northumbriæ restitutus, hanc stationem non diu retinuit, et apud Mercios exulavit, donec appellatione ad Sedem apostolicam interposita, restitutus iterum fuit anno* 705. *Tunc autem, ut habet Gulielmus Malmesburiensis lib.* III *de Gestis Pont. Anglorum* (2), Wilfridus, in concordiam receptus, sedem suam apud Haugustaldum habuit, Johanne in Eboracum migrante, quia jam Bosa defunctus C erat. *Ex hisce Malmesburiensis dictis facile conciliari possunt verba Bedæ supra citata cum iis quæ num.* 2 *hujus Commentarii dedimus. Nam Beda agit de postremo episcopatu S. Wilfridi, cui sine ullo intermedio episcopo successit S.* Acca ; *Robertus autem Dunelmensis, quando dicit Sanctum nostrum quintum Hagustaldensem episcopum, numerat etiam illos, qui pendentibus binis appellationibus ad Sedem apostolicam, videlicet ab anno* 678 *ad* 705 *episcopi sederunt : qua ratione explicatur, quomodo S.* Acca *secundus et quintus dicitur Hagustaldensis episcopus. Sanctum autem nostrum ab ipso Wilfrido Hagustaldensem consecratum fuisse episcopum in reditu suo e Frisia, quo cum S. Willibrordo missus fuerat, tradit Pseudo-Marcellinus in Vita S. Suiberti : sed nullius prorsus momenti hanc scripturam innumeris erroribus fartam, demonstrarunt nostri, ad diem* 1 *Martii commentantes de S. Suiberto* (3). *Imo utramque assertionem clare Beda refutat, quum et pro Wilfrido defuncto* Accam presbyterum *episcopatum suscepisse, et, ut supra num.* 14 *diximus,* omnem in *Wilfridi* obsequio usque ad obitum illius explevisse ætatem *referat, quocirca nullum reperitur tempus aptum, quo Sanctus Frisiis prædicare potuerit.*

(1) Mabillon. Act. SS. O. S. B. sæc. IV, part. I, p. 719. — (2) Salvil. Rer. Anglic. Scriptt., fol. 153. — (3) Act. SS., t. I Mart., p. 71. —

V. M.

§ III. Sancti Accæ episcopatus; templa ab eo perfecta; ejus cum Ven. Beda amicitia et epistolare commercium; exsilium et obitus.

S. Acca, episcopus, perficit

S. Acca, *episcopus factus, inter postremas curas minime reposuit perfectionem earum ecclesiarum, quas S. Wilfridus incœptas reliquerat ; habet enim Richardus Hagustaldensis in libro de Statu Hagustaldensis Ecclesiæ* (4) : Tres ecclesias S. Wilfridus incepisse creditur, sed beatæ memoriæ Acca pontifex, successor ejus, illas consummavit. *Igitur quod tamquam obscuriori traditione nixum asserit Richardus de S. Wilfrido, id omnino certus attribuit S.* Accæ. *Erat certe quod gloriaretur Hagustaldia ; quum nulla talis ecclesia, qualis S. Andreæ* E *Apostolo dedicata erat, sæculo octavo citra Alpes reperiri poterat. Quocirca operæ pretium duxi ejusdem descriptionem, ex laudato Richardo haustam, hic transcribere* (5) : Igitur profunditatem ipsius ecclesiæ criptis et oratoriis subterraneis et viarum anfractibus, inferius cum magna industria fundavit. Parietes autem, quadratis et variis et bene politis columnis suffultos et tribus tabulatis *(ambulacra, galeries interpretor)* distinctos, immensæ longitudinis et altitudinis erexit. Ipsos etiam et capitella columnarum, quibus sustentantur, et arcum sanctuarii historiis et imaginibus et variis cœlaturarum figuris, ex lapide prominentibus, et picturarum et colorum grata varietate mirabilique decore decoravit. Ipsum quoque corpus ecclesiæ appendiciis et porticibus undique circumcinxit, quæ miræ et inexplicabili artificio per parietes et cochleas inferius et superius distinxit. In ipsis vero cochleis et super ipsa ascensoria ex lapide et deambulatoria et varios viarum anfractus modo sursum modo deorsum artificiosissime ita machinari fecit, ut innumera hominum multitudo ibi exsistere, et ipsum corpus ecclesiæ circumdare possit, cum a nemine tamen infra in ea exsistentium videri possit. F

templa a S. Wilfrido inchoata,

18 Oratoria quoque quamplurima superius et inferius secretissima et pulcherrima in ipsis porticibus cum maxima diligentia et cautela constituit, in quibus altaria in honore Beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ et sancti Michaelis Archangeli, sanctique Joannis Baptistæ et Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum atque Virginum, cum eorum apparatibus honestissime præparari fecit : unde etiam usque hodie quædam illorum, ut turres et propugnacula, supereminent. Quos autem et quorum Sanctorum Reliquias, et quas et quam religiosas personas, et quantam ministrorum copiam, Deo devote servientium, ibi congregaverit, et quam magnifice et religiose pretiosis thesauris librorum, vestimentorum et quorumcumque utensilium et cæterorum ornamentorum, usui sanctæ ecclesiæ congruentium, ipsam basilicam interius ornaverit, nostræ exiguitatis sermociunculus explicare non sufficit. Atrium quoque templi magnæ spissitudinis et fortitudinis muro circumvallavit. Præterquam in alveo lapideo

(5) Twysden. Script., t. I. p. 292. — (5) Ibid., p. 290.

J. V. H.

aquæductus ad usus officinarum per mediam villam decurrebat. Multiplicem autem et copiosissimam ædificiorum structuram, quæ vastatio et vastitas delevit, supersedemus, quum tamen fundamenta plurima adhuc ibi passim reperiantur. Sicut enim antiquæ Historiæ et Chronica testantur, inter novem monasteria, quibus prædictus pater, præsul et patronus præerat, et inter omnia alia totius Angliæ, artificiosa compositione et eximia pulchritudine, hoc eminebat : denique citra Alpes nullum tale tunc temporis reperiri poterat.

quæ describuntur.

19 *Hæc prolixius citavimus, tum quia saltem ex parte pertinent ad S.* Accam, *qui opera, a prædecessore incœpta, consummavit, tum quia satis nitide explicant architecturam ecclesiasticam sæculi* VII. *Atque imprimis recedebat istiusmodi architectura a Scotica, tum magnitudine ædis, tum ejus forma. Pleraque enim templa, imo, Armachano excepto, omnia vix longitudinem sexaginta pedum Anglicorum (circiter 21 metra) excedebant* (1); *Santandreana vero ædes longe capacior erat, quum istic* innumera hominum multitudo *in ambulacris* existere potuerit, *quin* a nemine infra exsistentium videri posset, *quod inusitatæ amplitudinis indicium* B *est. Differebat etiam et forma, nam templa Scotica erant simpliciter quadrangularia* (2); *ast Santandreanum absidem habebat, id enim designat* arcum sanctuarii, *Cfr Du Cange Glossarium v°* Arcus I. *Id scilicet summa industria moliebatur S. Wilfridus, ejusque discipulus, S.* Acca, *ut, abolitis ritibus Scoticis, non solum in fide, sed etiam in disciplina, quam accuratissime conveniret Ecclesia Anglicana cum sua matre Romana ; ad quod fortius urgendum, plurimum certe conferebat introductio monachorum Ordinis S. Benedicti in Northumbriam. Etenim quum monasteria illa tempestate et præsertim in illa regione essent præcipua scientiarum receptacula et seminaria, maximi momenti erat docendi munus concredere iis, qui non solum scientias sed et ritus ac disciplinam omnem a Romana Ecclesia mutuabantur, quales procul dubio erant alumni instituti Benedictini. Similem industriam adhibebat S. Benedictus Biscopus, et ipse Benedictinus coævus et conterraneus ; nam in ejus Vita, Beda ejus discipulo auctore conscripta, legimus* (3), *illum* cæmentarios, qui lapideam ecclesiam juxta Romanorum, quem semper amabat, morem facerent, *e Galliis* postulavisse et accepisse.

C

ad normam Romanam

20 *Ex textu Richarchi habemus quoque duplicem ædificatam fuisse ecclesiam, inferiorem et superiorem ; inferior plerumque conservandis Sanctorum Reliquiis destinabatur, proptereaque Latinis* Confessionarium, *Græcis* Martyrium *appellabatur. Istiusmodi autem cryptæ, ut expresse habet Gervasius in lib. de Combustione Ecclesiæ Dorobernensis* (4), ad instar Confessionis S. Petri fabricatæ erant. *Utramque vero ecclesiam S. Wilfridus seu S.* Acca *uno eodemque tempore ædificavere, neque facile admittendum est* inferiorem ædem priorem esse *tempore, nisi id monumentis demonstrari possit ; habebat enim specialem destinationem, reconditorum sacrorum corporum. Videtur cæterum Hagustaldense templum simplicem, non vero triplicem navem habuisse, quum fiat solum mentio columnarum, quatenus* parietes suffulciebant tribus tabulatis distinctos : *unde datur intelligere partes templi laterales occupatas fuisse tabulatis seu porticibus, in quibus erant cochleæ et ascensoria,* innumeraque hominum multitudo *quæ in solo ecclesiæ exsistentibus invisibilis erat. Altaria vero, istic constructa, ecclesiæ corpori solummodo per* anfractus viarum *pervia probabiliter erant, cum eorum fornices in* turres et propugnacula *excrescerent. Quam altarium formam complet Beda lib.* V *Hist. cap.* XX, *dum dicit S.* Accam posuisse altaria Sanctorum distinctis porticibus intra muros ecclesiæ. *Tandem ipsum atrium ecclesiæ, seu ejus frons muros* magnæ spisistudinis et fortitudinis *circumvallabatur,* non ut silentium, adeoque et veneratio loco sacro *conciliaretur, sed ut objecto repagulo adversus gentes adhuc barbaras, nec omnimode ad christianitatem conversas, ecclesia defensaretur ; neque enim video, cur alioquin murus magnæ spissitudinis construeretur. Tandem neque id sine animadversione prætereundum est, quod parietes,* capitella columnarum *et absis* historiis *et imaginibus et variis* cælaturarum figuris, ex lapidibus prominentibus et picturarum et colorum grata varietate mirabilique decore decorata *fuerint : quæ ideo certe oculis fidelium exhibebantur, ut ex istis salutarem doctrinam haurirent, quod eodem tempore eademque in regione hunc in finem præstitit, teste Beda, Benedictus Biscopus, abbas Wiremuthensis et Girwiensis* (5). *Quocirca antiquas cælaturas suam habuisse significationem non admodum mirum nobis* E *videtur, quamvis hodie difficilis sit fortassis divinatus.*

ædificata :

21 *Præter Santandreanum templum, Hagustaldiæ ædificatæ erant binæ aliæ ecclesiæ nempe S. Petri et S. Mariæ ; et hæc quidem mirandi operis, ait laudatus Richardus* (6), in modum turris erecta et fere rotunda, a quatuor partibus totidem porticus habens, haud procul a muro matris ecclesiæ. *Quo quidem testimonio monstrantur templa rotundæ formæ sæculo etiam* VII *ædificata fuisse* (7). *Hoc templum si ipse S. Wilfridus non incepit, ut animadvertit Mabillonius supra num.* 15, *certe pecunia multum ejus ædificationem promovit : nam in suo testamento, quo nobis Eddius servavit, dicit* (8) *se* unam optimam ex quatuor partibus *gazophilacii sui* ad munera offerenda per ecclesias Sanctorum secum deducere, donaque portare ad ecclesiam Sanctæ Mariæ, Matris Domini dedicatam. *Ex his vero probabile fit, S. Wilfridum B. Mariæ templum saltem inchoasse, tum quia dicit ecclesiam* dedicatam, *quod pluscułum saltem ultra nudum consilium indicat, tum quia voti religione obligatus, toto quadriennio vir sanctus promissi sui incuriosus non manserit ; nam dictam ecclesiam et ædiculam S. Michaëlis construxit,* quia, *inquit Richardus* (9), F ejusdem Dominæ intercessione et ipsius Archangeli visitatione, de quadam sua maxima infirmitate, quam in Gallia apud Meldun passus est, convaluit. Tertium vero *templum* ad sancti Petri Apostoli honorem, quia toties ad ejusdem Sedem pro necessitatibus suis remeans, per ipsum ab ipsius successoribus honorifice susceptus, de omnibus injuste sibi adversantium calumniis cum magno honore est liberatus.

ipse curiosus sacræ historiæ.

22 *Præter materialem templorum constructionem et splendorem, non minus sedule procurabat S.* Acca *ea omnia, quæ ad doctrinam et scientiam propagandam faciebant. Nam, ut habet Beda lib.* V *Hist. cap.* XX, Historias passionum Sanctorum, una cum cæteris ecclesiasticis voluminibus, summa industria congregans, amplissimam ac nobilissimam bibliothecam fecit : *conjunctum videlicet erat principali ecclesiæ S. Andreæ monasterium ad institutionem cleri. Sed ipse Sanctus noster variis lucubrationibus instructissimam bibliothecam adornasse* *narratur,*

(1) Petree. Ecclesiast. Archit. of Ireland., p. 161. Cfr. Caumont. Hist. de l'architect. relig., p. 99. — (2) Petree, p. 162. — (3) Mabillon. Act SS. Ord. S. Bened., sæc. II, p. 1004, n. 5. — (4) Twysden. Script., t. II, p. 1291. — (5) Cfr Mabillon. Act. SS., sæc. II. p. 1006. n. 9. — (6) Twysden, t. I. p. 291. — (7) Caumont. Hist. de l'architect. relig., p. 111. — (8) Mabillon. Act. SS., sæc. IV, part. I, p. 717. — (9) Twysden, t. I, p. 292.

A *narratur, scripsit enim teste Pitseo,* 1° Res gestas Sanctorum, quorum Reliquias in sua ecclesia reconditas habebat : 2° De ecclesiasticis sui chori officiis : 3° Epistolarum ad diversos librum : 4° Varia carmina, præsertim ecclesiastica (1). *Quæ omnia, si unam epistolam excipias, perierunt nam,* Daci, *inquit Thomas Tanner* (2), *cognatis ursis truculentiores, destructo funditus Hagustaldunο, ne* pagellam, quod ego sciam, salvam reliquerunt. *Verum si omnia monumenta diligentiæ Sancti nostri perierint, merito inquiri potest, quo indicio Pitseus et Tannerus ad notitiam scriptorum S.* Accæ *devenerint? Certe venerabilis Beda amici sui* Accæ *elogium texens, lib.* v *Hist. cap.* xx, *nullo verbo insinuat eumdem aliquid præter epistolas scripsisse, quamvis illum* in litteris sanctis doctissimum, in catholicæ fidei confessione castissimum, in ecclesiasticæ quoque institutionis regulis solertissimum *deprædicet. Quæ vero ejus referuntur scripta, utcumque explicantur, quia ut ibidem Beda testatur,* historias passionum Sanctorum una cum cæteris ecclesiasticis voluminibus summa industria congregavit, *ast libros colligere, non est eosdem conscribere. Quoad cantum et carmina pertinet, non*
B *dicit Beda de iis scripsisse* Accam, *sed* cantatorem peritissimum *fuisse, et apud se retinuisse* cantorem egregium nomine Maban,.... ut ea quæ quondam cognita longo usu vel negligentia inveterare cœperant, hujus doctrina in priscum renovarentur statu. *Facile crediderim ex istiusmodi Bedæ verbis conficta fuisse opera, quæ Sancto nostro sine testimonio cuduntur. Nihilominus Carolus Du Cange meminit, se quædam scripta S.* Accæ *legisse in codice S. Germani de Pratis, signato num.* 141, *qui forsan hodie exstat in Bibliotheca principali Parisiensi* (3); *sed hactenus delitescunt. Quapropter unicam sancti epistolam hic exhibemus, ad Ven. Bedam directam, ut specimen aliquod ingenii Sancti nostri lectoribus innotescat : reperitur passim in capite Commentarii S. Lucæ, quoniam et* Acca *ad postulaverat, et est sequentis tenoris.*

Bedam amicum hortatur,

23 Reverendissimo in Christo fratri et consacerdoti Bedæ presbytero, Acca, perpetuam in Domino salutem. Sæpe quidem tuæ sanctæ fraternitati et absens scribendo, et colloquendo præsens suggessi, ut post expositionem Actuum Apostolorum, in Euangelium quoque Lucæ scribere digneris. Quod ipse hactenus verecunda excusatione
C differre, quam facere maluisti, attestando te duas maxime ob causas a tentando hoc opere deterritum. Quia videlicet et ipsum opus arduum, et a sanctissimo ac doctissimo antistite, Ambrosio, sit præoccupatum. Nec te negotium, vires tuas excedens, suscipere ausum, imo nec opus fore ab ullo repeti, quod a summo ingenio constaret optime completum, et esse laboris superflui post fortissima tanti viri dicta, vel eadem aliter, quasi compilatorem, dicere, vel quasi minus doctum infirmiora velle subjicere. Teque multum timere, ne in reprehensionem studii veterum nova condere puteris, dicaturque tibi illud antiqui proverbii,

In mare quid pisces, quid aquas in flumina mittas?
Larga sed indignis munera funde locis.

Sed huic objectioni tuæ breviter respondeo, quia juxta Comicum, Nihil sit dictum, quod non sit dictum prius : et quod charitas omnia sustinet, nec Sanctis umquam moris fuerit invicem invidere, invicem provocare, sed unumquemque in ornanda domo Domini pro viribus suis obtulisse, quod potuerit. Neque enim vel Beatus Papa Gregorius timuit, ne offenderet Patres, a quibus tot expositas Euangelii lectiones in suis ipse retractavit homiliis; vel Augustinus, aut quilibet alius, Patrum antecedentium tractatorum intuitu, ne aut Psalmos, aut alia quæ rogabatur, exponeret, aut quæcumque sibi videbantur, scriberet, manum metuendo retraxit. Quin etiam, ut idem Augustinus ait, ideo necesse est, plures a pluribus fieri libros diverso stylo, sed non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. *J. V. II.*

ut Euangelium Lucæ

24 Sunt autem quædam in expositione Beati Ambrosii in Lucam tam diserta simul et excelsa (quod tuam quoque sanctitatem vidisse non ambigo) ut a doctoribus solum intelligi queant, a rudibus vero fastidiosisve lectoribus (quales in præsenti ævo plures invenias) præ difficultate vel assequendi quæ diserta sunt, vel capiendi quæ alta, ne quærenda quidem quasi se celsiora, nec quasi se fortiora putentur esse scrutanda. Nec parum dedit judicii doctissimus Pater Augustinus, qui ad Paulinam, Dei famulam, de videndo Deo scribens, non aliis magis quam ex hoc opusculo sumptis Beati Ambrosii testimoniis utendum putavit, et ea pariter non solum ponenda simpliciter, E
sed etiam exponenda judicavit; adeo ut ex paucissimis memorati tractatoris sententiolis non parvum volumen retractando confecerit. Quod ideo commemorandum putavi, ut et tua sancta fraternitas et legentes simul agnoscerent. Volo enim, completo a te per Dei auxilium opere, quod postulo, hanc simul epistolam in capite præponi, te non aliam quam condescensionis fraternæ gratiam in Lucam scribere rogatum, ut qui ob teneritudinem ingenii sublimia vel difficilia intellectu capere nequeant, hæc, simpliciori stylo exposita, facilius apprehendant.

Matthæi, Marci, aliosque libros exponeret.

25 Ergo age, dilectissime, memorato operi sedulus insiste, Beatum Lucam luculento sermone expone. Et quia Sanctus Ambrosius quædam indiscussa præteriit, quæ illi, quasi summæ eruditionis viro, plana nec quæsitu digna videbantur, hæc quoque, perspectis aliorum Patrum opusculis, diligentius vel tuis vel eorum dictis explanare curato. Credo etíam tuo vigilantissimo studio, qui in lege Dei meditanda dies noctesque ducis pervigiles, nonnullis in locis, quæ ab eis intermissa sunt, quid sentiri debeat, auctor lucis aperiet. Justum namque satis est, et supernæ pietatis atque æqui- F
tatis moderamini conveniens, ut qui, neglectis ad integrum mundi negotiis, æternum verumque sapientiæ lumen indefessa mente persequeris, et hic fructum intelligentiæ purioris assequaris; et in futuro ipsum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ abscondit, Regem in decore suo, mundo corde, contempleris. Intimandum sane tuæ sanctitati credidi, quod movet quosdam, quare in expositione Apocalypsis, ubi ad quatuor animalia ventum est, nova interpretatione Matthæum in leone, Marcum in homine designatum dixeris. Cum nonnulli contra, Matthæum homini, quia quasi de homine scribere incipiat, Marcum leoni, in quo vox in deserto rugientis audiatur, assignent. Rogoque ut in hoc opere plenius, quid tibi de his verius videatur, insinues. Memorem nostri tuam sanctam fraternitatem Deus dilectionis et pacis conservare et ad consideranda suæ legis mirabilia semper illustrare dignetur.

cui lepide respondit Beda.

26 *Lepidum valde responsum* domino beatissimo et nimium desideratissimo Accæ episcopo *reddit*

(1) Pitseus. De Script. Angl. p. 141. — (2) Biblioth. Britann., p. 2. — Fabric. Biblioth. med. ætatis v° *Acca*.

J. V. H.

reddit Beda : Mira, *inquit*, vere est et vera mire doctoris egregii sententia; quia charitas omnia credit, omnia sperat. Datis namque ad me epistolis, ut aliqua tibi scribam, rogare te dicis, et inter rogandum, necdumque meæ consensionis accepto responso, quæsitis adhuc opusculis, quasi jam acquisitis ac perfecte consummatis, præfationis signaculum condis etc. *Jam supra in Annotatis ad Vitam S. Lucæ lit.* m *egimus de opinationibus variis circa quatuor animalia, singulis Evangelistis tributa, ut opus non sit hic eadem repetere. Ast, quod principale hic est, monstrat hæc missa utrinque epistola, maximam inter S.* Accam *et Venerabilem Bedam intercessisse familiaritatem. Alia quoque monumenta intimæ consuetudinis exstant in Operibus Bedæ : nam Commentarium in Genesim scripsit, quia, inquit in epistola dedicatoria,* placuit vestræ sanctitati *id est* Accæ *tunc abbati, ut fert inscriptio, quamvis alio loco eamdem epistolam edens doctor J.A. Giles,* antistitem *appellet* (1), id nobis officii injungere, ut de omnibus his *(nempe SS Patrum voluminibus)* velut de amœnissimis late florentis paradisi campis, quæ infirmorum viderentur necessitati sufficere decerperemus. *Sancto nostro hortatore, composuit quoque Beda* Expositionem allegoricam in Samuelem prophetam, *seu in primum librum Regum, quoniam in præfatione sua dicit :* Unde tuo crebro, dilectissime ac desiderantissime omnium, qui in terris morantur, antistitum, Acca, provocatus hortatu tuis fretus orationibus, memorati prophetæ, qui tunc vocabatur Videns, scripta perlustrans, si quid, donante illo, qui ei multa spiritualia dedit videre, spirituale ac mysticum potuero contueri, litteris mandare curabo. Accæ *nostro inscripsit quoque Beda Libros de Templo Salomonis, De Mansionibus filiorum Israel et in Isaiam* XXIV. 22 *quæ lucubrationes primo in lucem prodiere cura doctoris Giles* (2), *et tandem Commentarios in Evangelium Marci et Acta Apostolorum. Summa etiam solertia egit S.* Acca, *ut Eddius, S. Wilfridi præcentor et discipulus, magistri sui Vitam litteris traderet, ut docet nos Vitæ prologus* (3).

magnam curam quoque adhibet in cantu Gregoriano :

27 *Præter sollicitam Sancti nostri in sacris litteris excolendis industriam, magna ei quoque cura erat cantus ecclesiastici : nam, teste Ven. Beda Hist. eccles. Lib.* V, *cap.* XX, cantatorem egregium, vocabulo Maban, qui a successoribus discipulorum Beati Papæ Gregorii in Cantia fuerat cantandi sonos edoctus, ad se suosque instituendos accersiit ac per annos duodecim tenuit; quatenus et ea, quæ illi non noverant, carmina ecclesiastica doceret, et ea, quæ quondam cognita longo usu vel negligentia inveterare cœperant, hujus doctrina priscum renovarentur in statum. Nam et ipse episcopus Acca cantator erat peritissimus. *Quo sane in studio S.* Acca *episcopus vestigia premebat magistri sui Wilfridi, utpote quem legimus, ex Cantia* cum cantatoribus Aedde et Aeona et cœmentariis, omnisque pene artis ministerio in regionem suam *(Northumbriam) reversum* (4). *Atque cantus Romani non solum perstudiosum, sed propagatorem etiam fuisse Theodorum, Cantuariensem archiepiscopum, refert Beda lib.* IV *Hist. eccles. cap.* II, *siquidem* sonos cantandi in ecclesia, quos eatenus in Cantia tantum noverant, ab hoc tempore per omnes Anglorum ecclesias discere cœperunt. *Illo igitur tempore inter Sanctos Angliæ antistites, quibus et S. Benedictum Biscopum, Wiremuthensem abbatem accensemus* (5), *summum fervebat studium, ut, abolitis Scotorum ritibus, (Cfr supra num.* 19) *Ecclesia Anglicana quam proxime ad liturgicas præscriptiones et consuetudines Romanæ Ecclesiæ accederet. Propterea tanta erat in accurando cantu ecclesiastico solertia, qui, necdum inventa Guidonis Aretini methodo, paulatim sinceritatem suam amisisse videtur ; sic S.* Acca *repererat in sua Ecclesia* longo usu vel negligentia *cantum jam ante cognitum* inveterare cœpisse, *utpote qui magna ex parte traditione nitebatur. Veterem cantus notationem ad certas regulas hodie redigunt viri artis musicæ periti : sperandum igitur est cantum Gregorianum, circa quem non faciles moventur quæstiones, ex antiquis codicibus emendationem aliquam accepturum.*

tandem e sede sua

28 *Neque exterioris solum disciplinæ contentus S.* Acca, *sedulam quoque navavit operam in fide Christiana propaganda inter Northumbros. Nam, teste Beda lib.* V *Hist. Eccl. cap.* XX in litteris Sanctis doctissimus et in catholicæ fidei confessione castissimus, in ecclesiasticæ quoque institutionis regulis solertissimus exstitit, et usque dum præmia piæ devotionis acciperet, exsistere non destitit. *Quibus verbis Ven. Beda (cui toto quinquennio superstes vixit Sanctus noster) manifestum est S.* Accam *vitam impendisse suam, ut populo sibi commisso veram Ecclesiæ doctrinam rectamque agendorum regulam omni solertia atque industria traderet. Non tamen ad finem usque vitæ perseveravit in cathedra Hagustaldensi Sanctus : post annos enim regiminis episcopalis* XXIV *sede sua pulsum dicit Richardus, Hagustaldensis prior, De Statu et episcopis Ecclesiæ Haugustaldensis* (6) : Qua autem, *ait*, urgente necessitate pulsus sit, vel quo diverterit, scriptum non reperi. Sunt tamen qui dicunt, quod eo tempore episcopalem sedem in Candida inceperit et præparaverit. *Intricatiori aliquantulum modo loquitur Wilhelmus Malmesburiensis lib.* III *de Gestis Pontt. Anglorum* (7) : Non prosperiori fortuna usum (Accam) quam magistrum ex Chronicis accepi : pulsumque post obitum Bedæ triennio a Sede sua, incertum an regressum. *Ambiguum enim esse videtur, utrum triennium ad mortem Bedæ, an ad tempus exsilii referendum sit. Non tamen mihi probatur, triennium computari ab obitu Bedæ, anno Christi* 735 *defuncti ; nam ista interpretatione S.* Acca *usque ad annum Christi* 738, *adeoque annis omnino* XXIX *sedisset, quod a reliquorum narratione constanti abludit. Sanior mihi itaque videtur interpretatio, qua triennium ad durationem exsilii referatur : post quod pœna liberatus, pristinam tamen sedem forsan non recuperavit, licet Hagustaldiam redux ; istic enim verisimiliter vita functus est. Quod vero spectat ad postremam Richardi conjecturam, quam et ipse dubie affert, hæc nulla probabilitate nititur. Certum namque est Candidam Casam (hodie* Withern), *S.* Acca *etiamnum Hagustaldiæ sedente, constitutam ac occupatam fuisse a Plechtelmo, quem quidam perperam confundunt cum eo, qui circa annum* 735 *suppetias tulit S. Bonifacio Moguntino, uti monstrant nostri in Commentario hujus Vitæ ad diem* XV *Julii num* 15 *seqq.* (8) : *qui igitur Casæ Candidæ præfuit Plechtelmus, teste Beda lib.* V *Hist. eccles. cap.* XXIII, *anno etiam* 731 *sedebat : imo si Florentio Wigorniensi, quo antiquiorem hujus rei scriptorem non habemus, credimus, in sede sua obiit anno* 735, *successorem nactus Frithwaldum, ut tradit laudatus auctor sub isto anno* (9).

(1) Giles. Oper. Bedæ, t. VII, p. 1 — (2) Ibid., t. I, p. 198 et 203. — (3) Mabillon. Act. SS. O. S. B. sæc. IV, part. I, p. 676. — (4) Ibid., p. 685.— (5) Ibid., sæc. II, p. 1004, n. 6. — (6) Twysden. Script., t. I, p. 280.—(7) Savile. Rer. Anglic. Scriptt., fol. 155. Edit. Londin. 1596. — (8) Act. SS., t. IV Julii, p. 53. — (9) P. 271 Edit. Gul. Howard. Lond. 1592.

29 *Certum*

exilio pulsus

29 *Certum igitur est S.* Accam, *senio jam fatiscentem post quam annis* XXIV *suam rexisset Ecclesiam, a sede sua ejectum fuisse. Antiquiores autem scriptores causam istiusmodi persecutionis ignorare se profitentur. Non improbabilis tamen mihi est conjectura Alfordi, sub anno* 733 *num.* 2 *opinantis* (1) a malo genio factionem excitatam fuisse, *quia eodem tempore et Northumbriæ rex Ceolulphus captus et attonsus, atque Sanctus noster sede sua motus fuit. Detumuit quidem tempestas in Ceolulfum, anno sequenti regno restitutum; ast diuturnior fuit in S.* Accam; *siquidem Malmesburiensis triennium, de quo num. præcedenti, recte interpretamur, tribus annis duravit exsilium, quo liberatus, sedem pristinam, prout magistro suo, S. Wilfrido, accidit, non recedit. Habemus porro ex frequentibus exemplis historiæ Anglicanæ istorum temporum, reges pro lubitu quodam suo tentasse episcoporum translationes et exauctorationes, diœcesium divisiones et id genus alia. Luculentissime id demonstrat Vita S. Wilfridi, e qua sufficientia delibavimus supra* § I *et latius videri potest in ejus Vita coæva, a discipulo ejus Eddio conscripta* (2). *Similia refert Ven. Beda lib.* III *Hist. cap.* VII, *in regno Gewissa-*
B *rum seu Occidentalium Saxonum* (Wessex) *accidisse. Nam Coinwalchus petierat Agilbertum, gente Gallum,* accepta ibi sede episcopali, suæ gentis manere pontificem : *postmodum vero pertæsus episcopi, qui nativam gentis linguam ignorabat, diœcesim propria auctoritate dispertiit, alteramque ejus partem episcopo gentili suo, nomine Wini, regendam tradidit.* Unde, *pergit Beda,* offensus graviter Agilbertus, quod hæc, ipso inconsulto, ageret rex, rediit in Galliam, et accepto episcopatu Parisiacæ civitatis, ibidem senex et plenus dierum obiit. Non multis autem annis post abscessum ejus a Britannia transactis, pulsus est Wini ab eodem rege de episcopatu, *qui iterum, sed frustra, Agilberto oblatus fuit. Paulatim tamen, adnitentibus viris Sanctissimis Wilfrido, Theodoro, aliisque, decreta Conciliorum ordinem hierarchicum, regum molitionibus quandoque perturbatum, inconcussum stabilierunt.*

sancte obiit.

30 *Quod vero attinet ad annum S.* Accæ *emortualem, non videtur ille quidem dubius, quum omnes ferme in annum Christi* 740 *conspirent ; ita ut Sanctus noster ad annum ætatis* 72 *circiter pervenisse dicendus sit. (Cfr supra num.* 11). *Florentius quidem Wigorniensis* (3) *annum* 739 *assignat, sed*
C *in hisce similibus malumus domesticos auctores sequi, qualis est Simeon Dunelmensis in Historia de Gestis regum Anglorum* (4), *et Richardus Hagustaldensis de Statu et episcopis Ecclesiæ Hagustaldensis* (5), *qui dicunt et sedisse annis* XXIV *et anno Christi* 740 *diem supremum obiisse. Et Richardus quidem tam particulatim sua profert, ut diligenter omnia expendisse videatur, quum nullum temporis momentum prætereat.* Anno, *inquit,* dominicæ Incarnationis DCCCXXXII et regni Ceolulfi IV et episcopatus sui XXIV de sede sua fugatus, et, ut quibusdam videtur, postea VIII annis vixit : nam anno DCCXL, et regni Eadberti IV, sicut Historiæ testantur, XIII Kal. Novembris de præsenti sæculo sublatus est. *Jam supra diximus, probabilius Hagustaldiæ diem supremum obiisse S.* Accam, *quum ibidem, quin ullum translationis vestigium appareat, sepultus legatur. Certe Rogerus de Hoveden hæc tradit* (6) : Eodem anno (740) reverendæ memoriæ Acca episcopus sublatus est in regionem viventium, peractis in episcopatu Haugastaldensis Ecclesiæ annis viginti quatuor, ad cujus ecclesiæ partem orientalem corpus ejus honorifice conditum est ; ac deinde peractis a depositione sua plus quam trecentis annis *(adeoque circa medium sæculum undecimum)* a quodam presbytero divina revelatione translatus est in ecclesia intra feretrum, condigno honore positum, ubi usque hodie in magna veneratione habetur. Ob cujus sanctitatis meritum omnibus demonstrandum, casula et tunica et sudarium, quæ cum sanctissimo corpore in terra posita erant, non solum speciem, sed etiam fortitudinem pristinam usque in hodiernum diem servant. *Hæc sunt præcipua, quæ nobis in Actis S. Accæ illustranda occurrerunt, reliqua ad textum Vitæ adnotabimus.* J. V. H.

(1) Alford. Annal. Eccles. Britan., t. II, p. 535. — (2) Mabillon. Act. SS. O. S. B., sæc. IV, part. I, p. 671. — (3) P. 271. Edit. Howard. — (3) Twysden. Scriptt., t. I, p. 101. — (5) Ibid., p. 298.— (6) Savile. Scriptt., col. 230 v°.

VITA ET MIRACULA

S. ACCÆ, HAGUSTALD. EP.,

Excerpta ex Libro de Sanctis Ecclesiæ Hagustaldensis et eorum miraculis, *auctore anonymo canonico reg. apud Mabillon Acta SS. Ordin. S. Benedicti sæc.* III *part.* I. E

Brevis Vitæ S. Accæ synopsis.

Miracula Sanctorum, qui in sancta Hagustaldensi Ecclesia requiescunt, ea, quæ singillatim ab eis gesta cognovimus, litteris tradituri *a*, a sanctissimo pontifice Acca sumamus exordium, qui in regimine sanctæ Haugustaldensis Ecclesiæ Beato successit Wilfrido *b*, comes peregrinationis, tribulationum particeps, exsilii socius, conscius secretorum. Primo enim in clero sanctissimi Bosani, Eboracensis episcopi *c*, religiosissime institutus, tandem sub doctrina Sancti Wilfridi omnem usque ad ipsius patris obitum explevit ætatem. Cum quo Romam profectus, ecclesiastica instituta et Patrum canones plenius didicit, atque in sacro pectoris sui armariolo devote recondens, loco congruo et tempore opportuno sibi subditis servanda contradidit. In quo etiam itinere præfatus vir Domini F Wilfridus magnæ illius revelationis, quæ ei citum reditum, iter prosperum, vitæ tranquillitatem, honoris et possessionis restitutionem, certum sui exitus diem, per Sanctum Archangelum Michaelem gratia divina promisit, præ cæteris mortalibus Beato Accæ reseravit arcanum. Inthronizatus vero *d*, quantæ fuerit devotionis in Deum, quantæ in proximos benevolentiæ, cujus circa subditos disciplinæ, quantum circa officia divina sollicitus, in sacris Scripturis quam studiosus, Venerabilis Bedæ presbyteri testimonio didicistis *e*. Testes sunt etiam libri, quos idem Doctor, tanti pontificis desideriis favens, præmissis ad eum Præfationibus, scripsit, in quibus devotionem ejus et in divinis eloquiis solertiam satis gratanter expressit *f*.

vestes ejus diu post mortem incorruptæ.

2 Sed ut quid sanctitatis ejus testes alios quærimus ? cujus præ manibus habemus (ut ita dicam) signa loquentia, quæ et manibus tangere et oculis cernere perfacile est, in quibus divina radiare miracula et immaculatæ vitæ illius certa manere vestigia, ne infidelis quidem negavit. Quis, rogo, sanctissimas ejus vestes, quibus sacræ ejus Reli-

quiæ

AUCTORE ANONYMO CANONICO REGULARI.

quiæ in terra trecentis annis fuerunt obvolutæ, ab omni corruptione servavit illæsas, nisi mirabilis Dominus in Sanctis suis, qui ad commendandam vitæ illius incorruptionem, gratiam integritatis, quam caro meruerat viventis, ad indumenta transtulit in sepulchro jacentis? Habetis certe casulam ejus sericam, similiter et dalmaticam, sudarium quoque lineum *g*, in quibus venustas antiqua servatur, pristina fortitudo perdurat: quibus natura cessit, terra non nocuit, vetustas non obfuit. Sed cur, ait aliquis, ob carnis meritum vestibus asseris præstitum, quod ipsi carni novimus esse negatum? Non enim caro, sed in pulvere ossa in ipsis indumentis sub terra inventa sunt involuta. Sed absit, ut hoc carni dicamus esse negatum. Non est certe negatum, sed dilatum. Carnis enim incorruptio non est hujus mortalitatis, sed futuræ æternitatis. Glorificatus proinde est sanctus Domini: in temporalibus suis temporaliter glorificabitur, in æternis suis æternaliter, quando mortale ejus induet immortalitatem, et corruptibile ejus induet incorruptelam. Habemus interim in vestimentis ejus indicium sanctitatis illius, signum incorruptionis, pudicitiæ innocentiam. Quis enim non animetur ad B carnis munditiam obtinendam, quam gratam Domino, amicam Angelis, hominibus reverendam intelligit? Quam cunctarum virtutum communem quamdam pulchritudinem, omnium vitiorum potentem quamdam debellatricem agnoscit? Cui natura cedit, quam obstupescit ætas, quæ imitatur æternitatem, resurrectionis insignia præfert?

Cæcos ad sepulchrum

3 Nec defuit tamen circa sacratissimas Reliquias ejus gratia sanitatum, ubi et cæcos illuminatos, præsumptores territos, claudos novimus esse curatos. Fuit in regione vicina huic vir quidam, Raven nomine, qui mediocrem sub nobili quodam ac prædivite agebat vitam; homo pro modulo capacitatis suæ simplex et rectus, et præ cæteris Sanctis beatissimo Accæ multum devotus. Hujus oculos subito caligo cæcitatis oppressit, totumque adimens officium intuendi, triennio ei diem vertit in noctem. Frustra remedium sperabatur a medicis, cui medicina servabatur cœlestis. Reversus tandem in semetipsum æger, et fidei ac devotionis in semet revocans gratiam, Quid, inquit, facio? quo aufugit animus meus? quamdiu dormiet fides mea? quamdiu tepescet devotio mea? quid trepido? quid dissimulo? Surgam, surgam, ibo ad Accam C meum, si forte audiat et misereatur servuli sui, noctemque vertat in diem, et post diuturnas has tenebras, desideratæ lucis gaudia repræsentet. Et jam instabat beatissimi Accæ natalitius dies, quo ab his corporeis tenebris ad veri lumidis splendorem lætabundus evasit, qui a regionis hujus incolis singulis annis cum magno celebratur honore. Tunc opportunum ratus, quo suffragium peteret, quod sperabat, duci se jubet ad ecclesiam. Instat precibus homo, sacrum crebro deosculatur altare, rigat lacrymis pavimentum, et sic maximam noctis partem ducit insomnem.

vigilantes

4 Tandem fatigato sopor irruit, videtque per visum assistentem sibi Sanctum Domini, facie splendida, veste decora, pontificalia præferentem insignia, vultu hilari blandientem atque dicentem: Magnam, o homo, in sanctis hujus ecclesiæ habes fiduciam? Et ille: Vere, Domine, nam unicum et speciale refugium meum Sanctus Acca episcopus est. Cui Sanctus: Non frustra, inquit, neque ad insipientiam tibi. Ego enim sum Acca episcopus, cujus precibus noveris esse sanatum. Surgit homo jam videns, et stupefactus respicit intuentes. Æstimabat enim se visum videre. Denique alloquens illum, qui propius assidebat. Tune es? inquit. Et D ille: Ego utique: vidésne me? Plane, inquit, video, si tamen non somnio. Exsiliit ille, miraculumque effert in publicum. Sonat in ore omnium: Raven, Raven videt: surgunt omnes, immolant in tabernaculo Domini hostiam vociferationis, cantant et hymnum dicunt. Perfertur ad Dominum vici fama miraculi, qui volens se gratum Sancto præbere virum ipsum emancipatum cum omni pecunia sua Sancto tradidit, ipsiusque ecclesiæ obsequiis, quoad viveret, deputavit *h*. Utinam, fratres charissimi, eadem fide, pari devotione, nec impari spe, in animæ periculis ejus imploremus auxilium, considerantes in quibus lacrymis, qua precum instantia homo carnalis carnalem obtinuit sospitatem. Vos qui spirituales estis, contra spirituales animæ infirmitates, lacrymarum tanto patri offeratis libamina, orationum sacrificia immoletis, vigiliarum et psalmorum holocaustomata charitatis igne in aram cordis succendatis.

illuminat.

5 Sed silentio non arbitror prætereundum quemadmodum cæca mulier Reliquiarum sanctissimarum ejus sanata sit virtute *i*. Nostis, fratres, quemadmodum a venerabili viro Ædrico, qui primus Canonicorum Regularium in hac Ecclesia secun- E dum apostolicæ traditionis formam vitam suam moresque instituit *k*, sub sancto altari duæ thecæ referentur inventæ, quarum altera Sancti Accæ, altera Beati Alchmundi *l*. Reliquiarum ossa quædam, mixta pulveri, secundum fidem inscripti tituli continebat *m*. Verum ne pretium thesauri, quem pius explorator invenerat, inventorem lateret, virtus miraculis comprobatur. Mulier quædam *n*, capta oculis, sed mente devota, ecclesiæ limina diebus noctibusque terebat. Sed quia paupercula ductoris quandoque frustrabatur solatio, frater prædictus, compatiens miseræ, sæpe gressus ejus, data manu, regebat. Quadam vero die dum solitum pietatis beneficium præstaret egenti, subiit animo Sanctarum Reliquiarum, quas invenerat, explorare virtutem. Igitur sacrum ingressus repositorium, facta oratione, unum producit ex ossibus, aquaque perfudit. Accedens deinde ad cæcam, jubet, ut sanctissimi præsulis Accæ meritis ac virtute confideret. Annuit illa, ac sacri peculii *o* bajulum, genu flexo ac demissa cervice, adorat. Tunc ille lavacro salutari linit oculos, ac signo Crucis impresso, rogat beatissimi patris adesse potentiam. Mira est! ad tactum undæ cœlestis consertas F mox palpebras vis quædam divina disjunxit, sensimque, cedente caligine, lux diu desiderata successit. Exsultat uterque: illa quia commodi corporalis, ille quia fructus spiritalis experiebatur effectum.

offertum guttur sanat:

6 Itaque frater ille venerabilis, ipsa experientia factus audacior, et quasi de fide in fidem proficiens, de sanctissimi præsulis virtute securior, quoties offerebatur occasio, toties cœlestis potentiæ gratiam *. Accidit namque, ut faber, qui solus civitatis hujus incolis eo tempore artis suæ beneficio serviebat, circa guttur, morbo intercutaneo laboraret, adeo ut et loquendi officium vis tumoris adimeret, et meatus, per quos cibus ad interiora descendit, obcluderet. Periclitabatur civitas, dum ille salutis, isti artis necessariæ dispendium formidarent *p*. Sed cæteris desperantibus, sæpe prædictus frater de cœlestis gratiæ remedio præsumebat. Numquid non, inquiens, vis illa, quæ tenebras vertit in lucem, hunc perfacile non deponet tumorem? Allatam igitur aquam, qua Reliquias sacras perfuderat, in os patientis effudit. Mira res! invasit morbum unda cœlestis, et mox quasi aquam non excepisset,

* *supple requirebat*

A cepisset sed ferrum, ab inferiori parte tumoris cutis rumpitur, sanies perniciosa expellitur, paulatimque, detumescente gutture, via voci, cibo semita aperitur. Sicque factum est, ut eodem miraculo sanitas homini, ars necessaria restitueretur civitati.

clericus in Sanctum

7 Nostris etiam temporibus viri duo, qui in Fratrum obsequiis a puero vixerant, debitis donati stipendiis, quum jam domo, familia, pecunia haberentur clariores, fide et bonis moribus facti sunt suis civibus chariores. Convenit utrisque sanctæ Resurrectionis et dominicæ Passionis invisere loca, ut ibi peccatorum veniam mererentur, ubi sanguine Christi totius mundi sunt peccata deleta. Accendunt se mutuo, propositoque crebra confabulatione tempore congruo, signo Crucis muniti, patrocinioque Sanctorum et Fratrum orationibus se commendantes, desideratum iter arripiunt. Qui quum corpore transfretassent, ex aliis partibus adventantes perigrini in unam cum eis societatis gratiam coaluerunt. Quumque suæ civitatis patronum diebus singulis (ut fieri solet) familiarius invocarent, prædicti viri Sanctum Accam quotidianis precibus frequentabant, et inter amica colloquia, cujus esset meriti sociis insinuabant. Clericus qui-
B dam, quem cum sorore sua eorum comitatui casus adjunxerat, et quisnam esset ille Acca nec scire se dicens, simplicitatis et rusticitatis juvenes arguebat, quod eum Sanctum dicerent, cujus ipse nec virtutes audierat, nec in catalogo Patrum *q* nomen invenerat. Infelicissimus, qui secundum suam socordiam de Sancti meritis disputabat, putans scriptum non esse, quod ipse non legerat, nec virtutibus floruisse Beatum, quem ipse non audierat. Ridebat et illorum inscientiam, qui simplicibus eorum simpliciter fidem verbis adhibentes, cum eis beatissimum Accam sibi adesse precabantur.

q

blasphemus punitur :

8 Blasphemiis ergo blasphemias addens, in Sanctum Domini ridens invehitur. Illi ulterius maledici * non ferentes, indignationem suam justis imprecationibus prodiderunt. Detestatur tota illa multitudo blasphemum, et sua cum * societate judicantes indignum, ab illis divertere compulerunt. Illis procedentibus, maledictus substitit et statim pessima passione percussus, cadens in terram volutabatur spumans. Misera facies hominis sororem solvit in lacrymas. Sed quid faceret? timebat socios, quos exacerbaverat frater : subsistens nullum ei solatium afferebat. Dolor exigit ab illis flagitare remedium, quibus se præbuerat nimia perversitate infestum. Currens consequitur præcedentes, lacrymis et gemitu infortunium protestatur : rogat eos aliquid periclitanti præstare consilium. Negant omnes, et blasphemum juste percussum gratulantur. Unus tamen juvenum, misericordia motus : Adhuc credis Sanctum Accam in hoc posse tibi periculo subvenire? Ad nomen Sancti aperit oculos, visoque juvene, voce, qua potuit, credo, ait, credo, et vere et ex corde credo, et te illi fidei meæ obsidem trado : tantum ora pro me. Oravit juvenis, et eadem fere hora iste ab oratione, ille de terra surrexit. Postremo impositus jumento, venit ad socios, non jam blasphemus, sed ex parte sanctitatis devotus assertor. Nullus deinceps in Beati Accæ laude ferventior, nullus in fide virtutis ejus certior, nullus in periculis fluminum, in periculis latronum, in periculis montium de ejus auxilio vel consolatione securior. Experti vero in itinere plurima Beati Confessoris beneficia, visitatis locis sanctissimis, juvenes prospere remearunt ad propria, munera satis honesta Sancto, populo miraculum reportantes.

* supple verba

* eum?

9 Post desolationem Northanbrorum, quam irruentibus in Angliam Dacis *r*, miserabiliter incurrit, sicut cæteræ hujus Ecclesiæ, hæc Hagustaldensis, ut verbis propheticis utar, multo tempore sine sacerdote, sine ephod, sine theraphim gemebunda residit : tunc plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus. Quidquid de lignis fuerat, ignis absumpsit : bibliotheca illa nobilissima, quam præsul sanctus condiderat, tota deperiit. In qua denique devastatione monumenta, quæ de Vita et miraculis Sanctorum sancti Patres ad posteritatis notitiam stylo transmiserant, constat esse consummata. Deinde cum, defervente rabie persecutionis, pacis serenitas arrideret, floruit in Ecclesia Dunelmense presbyter quidam, multis adornatus virtutibus, qui ab omnibus aquilonalibus Anglis Patris loco colebatur, qui ita sermonibus ejus inhiabant, ut quidquid audirent ab eo, quasi divinum oraculum suscepissent. Vocabatur autem Aluredus, filius Weston *s*, quem etiam ob doctrinæ et sapientiæ gratiam Alured Larwa *t*, id est, Doctorem nominabant. Hic divina revelatione commonitus, per sacra loca, quæ sævitia barbarorum vastaverat, discurrens multorum Sanctorum Reliquias de tumulis eruens, ad Dunelmensem transtulit ecclesiam. Veniens vero ad sanctam Haugustaldensem E
ecclesiam, quum sanctissimi Accæ Reliquias sustulisset, prævidens forte in spiritu (nam et spiritum prophetiæ dicitur habuisse) quid religionis, quid honoris ea ipsa ecclesia erat habitura, sacras illas Reliquias absportare noluit vel non potuit, sed eas intra ecclesiam honeste recondens *v*, venerationi locorum, devotioni præsentium, profectui futurorum, divina gratia disponente, consulit.

AUCTORE ANONYMO CANONICO REGULARI.

destructam a Danis Hagustaldensem ecclesiam r

s

t

v

instaurat clericus Dunelmensis.

10 Porro quum sub rege Edwardo Nordhambria paulatim respirasset, et reliquiæ dispersionis, in suis receptæ sedibus, ad ruinas ædificandas sese accinxissent, iterum, regnante Willielmo *w*, quum Walcherus episcopus *x* interfectus esset ab Anglis, calamitatis fuga, desolatio subsecuta est. Successit Walchero Gulielmus *y*, habitu monachus, qui clericos ab Ecclesia Dunelmensi eliminans, monachos subrogavit, et aliis quidem possessiones extra Ecclesiam ordinavit, alios, id suscipere contemnentes, expellere non cunctavit *z*. Inter quos prædicti Aluredi filius, qui cæteris præerat, quum nihil ab episcopo suscipere dignaretur, adiit venerabilem archiepiscopum Thomam, qui primus Nortmannorum Eboracensem rexit Ecclesiam *aa*, rogans, ut ei Haugustaldensem ecclesiam concederet reædificandam. Annuit votis ejus pontifex F
venerabilis, et ei ecclesiam prædictam regendam commisit. Veniens ad locum homo invenit omnia desolata, muros ecclesiæ sine tegmine, sordere fœno, silvis supercrescentibus horrere, litura, imbribus et tempestate dejecta, nihil pristini retinuisse decoris. Erat autem talis terræ illius desolatio, ut fere biennio ex solo venatu et aucupio se suamque familiam sustineret. Intendit itaque animo ecclesiam renovare, et primum a parte orientali incipiens, erexit altare, et cœlestibus sacrificiis convenienter aptavit. Sed, ipso post modicum, infecto negotio, vita excedens, fructum laboris sui filio dereliquit. Qui, licet peccator secus quam oportuit vixerit, circa ecclesias tamen Christi renovandas, ornandas, serviendas devotum se et sollicitum exhibebat.

w

x

y

z

aa

eamque tradit

11 Hic itaque ecclesiæ Haugustaldensi renovandæ totum animum curamque impendens, succisa, quæ supercreverat, silva, purgatis ab omni sorde parietibus, totam ecclesiam tegulis texit, et litis intus et extra parietibus, antiqua eam pictura et venustate decoravit. Strato autem in parte orientali

AUCTORE ANONYMO CANONICO REGULARI.

tali ex quadris lapidibus pavimento, altare subnixum columnis, loco congruo collocavit. Indigne autem ferens sacras Reliquias loco inferiori obrutas, placuit ei eas, evulsas tumulo, digno honore retro altare majus in theca, operta pallio, honestius reponere *bb*. Extracta igitur e tumulo ossa, donec circa locum, in quo reponenda erant, necessaria pararentur, in porticu australi super altari Sancti Michaelis, linteaminibus substratis, composuit, et ad eorum custodiam fratrem suum adolescentem, postmodum in hac ecclesia optimæ vitæ et bonorum morum canonicum, nomine Aldredum, de ejus simplicitate securus dimisit. Intuens adolescens in præsentia sua sacras Reliquias, interiori quadam suavitate compunctus, aliquam Reliquiarum illarum particulam concupivit. Non enim, inquiens, hæc sola ecclesia tanto debet munere gloriari : quum tanta ossium multitudo multis possit ecclesiis satis esse. Horrens tamen tale sanctuarium manu tangere, septem pœnitentiales psalmos cum lacrymis et compunctione præmisit : et sic facta oratione, accedens ad porticum, obviam habuit in ipso ingressu tanti caloris incendium, ut ad ostium fornacis ardentis nihil tale se perpeti B posse putaret. Territus ille regreditur, credens se tanto indignum beneficio. Prosternitur iterum, lacrymatur, pectus tundit, et psalmos sacros repetens, accessum tentavit. Sed vehementior mox calor egressus e porticu, introeuntem repulit, et spem quoque introeundi ademit; nam tertio id attentare non præsumpsit. His auditis, frater ejus, qui ecclesiæ præerat, resolutus in lacrymas, cum magna devotione et compunctione sacratissimas Reliquias, pallio pretiosissimo involutas, et in scrinio convenientissimo collocatas, super tabulam lapideam, quam in hoc decenter præparaverat, cum debito honore reposuit.

canonicis regularibus.

12 Crescente postea circa Sanctos ipsius devotione presbyteri, cœpit intra se de sui indignitate, de ecclesiæ sanctitate, de Sanctorum reverentia districtius cogitare, et indignum se judicans tantorum Patrum accessui; timens insuper, ne post ejus excessum, etsi non minus dignis, certe minus sollicitis, ecclesia traderetur, zelo domus Domini succensus, ad virum venerabilem, juniorem Thomam, Eboracensem archiepiscopum adiit, et, ut canonicis regularibus Ecclesiam committeret, illisque C se et sua contraderet, suppliciter postulavit *cc*. Quum vero votis ejus præsul venerabilis annuisset, officina Religioni convenientia, lignea tamen, propriis construxit manibus, et ad nutum dicti pontificis, primo Fratres duos honestæ vitæ, quorum alter in Eboracensi, alter in Beverlacensi Ecclesia laudabiliter conversatus est, in Haugustaldensem introduxit ecclesiam. Post mortem vero Thomæ succedens ei Turstinus *dd*, Asketillo cuidam, canonico de Huntendunensi cœnobio, ipsius ecclesiæ curam commisit, et ut regularis ibi vita servetur, in perpetuum sanxit. Erat vir ille elegans et affabilis, doctus omnium se conformare moribus, et divitum, pauperum, clericorum, militum, rusticorum sibi gratiam conciliare. Hujus temporibus in tantum tam in spiritualibus quam in temporalibus Domini domus profecit, ut in brevi bonis et honestis viris, regularem professis vitam, abundaret, et officina regularia, decenter constructa lapidibus et tegulis ligneis tecta, gratum incolis præbebant receptaculum. Ipsa insuper ecclesia, pretiosis decorata ornamentis, et Sancti Andreæ aliorumque Sanctorum ditata Reliquiis, tam advenientium quam inhabitantium devotionem adauxit. Cui successit vir quidam religiosus et optime litteratus, Robertus, cognomento Biset *ee*, in eadem D Ecclesia professus, qui magis religioni, quam exteriorum administrationi aptus, post aliquos annos abrenuntiavit curæ pastorali, successorem habens Richardum, virum sane ab ipsa adolescentia honestæ vitæ et gravitatis, qui etiam quum esset in sæculo, ob insigne castitatis et sobrietatis fere monachus putaretur.

qui studio pietatis excitati statuunt

13 Interea Fratribus, quibus toties Sanctorum enituerat virtus, interior crevit devotio, ac magis amor excitabatur. Sentiebant eos non solum in Reliquiis suis, sed etiam in miraculis esse præsentes, a quibus in tristibus consolabantur, in lætis regebantur; quum tentarentur, sublevabantur, persecutione emergente, defendebantur, in qualibet necessitate fugientes ad eos exaudiebantur. Et quia eorum meritis, divitiis in dies temporalibus augebantur, etiam temporalem gloriam æmulabantur. Indignabantur vili tectos ligno, nihil gloriæ et honoris plebis præferre conspectibus, quæ ejus beneficiis sæpius jucundabatur. Et primum singulis concaluit cor intra eos, et in meditatione eorum exarsit ignis. Demum conferentes invicem, et crebrius de his conferentes sermonem, accendebant se mutuo, et quomodo res manciparetur E effectui, diligentius inquirebant. Tandem convenientes super hoc sermone priorem, suo desiderio sancti viri devotionem in id ipsum excitabant. Omnium igitur voluntatibus in unum convenientibus, aggrediuntur opus desideratum, his, quorum hoc intererat, libenti animo et prompto corde necessaria præbentibus. Paratur theca congruæ magnitudinis, argentoque et auro vestitur. Inseruntur locis convenientibus gemmæ, et pro artificis industria opus summo decore variatur. Compinguntur etiam duæ minores non parvi decoris, quamvis non ejusdem pretii.

in Sanctorum corpora inquirere,

14 Anno autem ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto, paratis omnibus, prior diem solemnem, quo sacræ Reliquiæ transferrentur, constituit quinto nonas Martii. Interea Fratres psalmis et orationibus exercitiisque spiritualibus tanto se operi præparabant : et jam præfixus aderat dies, quum circa horam tertiam convenientibus in ecclesia priore cum Fratribus, ante sanctum altare nudis pedibus prosternuntur; psalmisque pœnitentialibus preces congruas adjungentes, responsorium, quod in F honorem Sanctorum Confessorum in Ecclesia frequentatur, altisona voce decantant. Finita vero post cantum solemni, procedunt Fratres, albis induti et discalceati, reverendasque Reliquias cum loculo, in quo hactenus servabantur, ante gradum altaris exponentes, extractis inde sacrosanctis pignoribus, substratis honeste palliis in pavimento, cum summa reverentia collocarunt. Erant autem quatuor Sanctorum ossa singillatim a se divisa, et venustissimis palliis involuta *ff*. Quæ quum cœpissent evolvere, occurrit miri odoris fragrantia, quæ omnium perstringeret nares, omnium corda mulceret. Qua visitatione divina Fratres attoniti, primum sepultos eos cum aromatibus arbitrabantur : sed quum hujus rei nullum appareret indicium, intellexerunt Sanctos Domini ex odoribus paradisi, quibus fruuntur in æternum, suis Sanctis Reliquiis hanc gratiam indidisse. His itaque plurimum consolati, primi eorum sacras explorant exuvias. Inventa sunt ossa cœlesti decore corusca, colore simul et odore manifestam exspirantia sanctitatem, quæ sic omnium in se convertebant adspectum et excitabant affectum, ut eum spiritaliter non dubitarent esse præsentem, cujus Reliquias,

A Reliquias, tanta perfusas gratia, tanta majestate venerandas sentirent.

inter quæ Reliquiæ S. Accæ deteguntur.

15 Et ne esset posteris de nomine Sancti Confessoris cunctatio, is, qui condiderat, scripti attestatione scrupulum omne purgaverat. Inveniunt namque in ipso involucro schedulam continentem : ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS SEPTINGENTESIMO QUADRAGESIMO, REVERENDÆ MEMORIÆ ACTA EPISCOPUS DECIMO TERTIO KALENDAS NOVEMBRIS DE MUNDO AD CŒLUM TRANSIIT, ANNO EPISCOPATUS SUI VIGESIMO QUARTO, ET HIC EJUS RELIQUIÆ IN PACE PAUSANT. Hac igitur sacratissima visione, etsi non satiati, plurimum tamen refocillati, cœlestia pignora pannis mundissimis iterum involventes, digno cum honore recondunt. Et ne temporum futurorum, deficiente schedula, Sancti nomen et meritum subduceretur memoriæ, in membrana simul et plumbi lamina eadem scribentes et et sculpentes, Reliquiis apposuerunt. Deinde ad Sancti Alchmundi Reliquias inspiciendas sese contulerunt : quibus cum pari gloria et honore repertis, chedulam, quæ nomen ejus et officium continebat, legerunt. Et scriptura ipsius textus erat : ANNO DOMINI SEPTINGENTESIMO OCTOGESIMO, ALCHMUNDUS, HAGUSTALDENSIS ECCLESIÆ PRÆSUL, CUI B ANNIS TREDECIM PRÆFUIT, SEPTIMO IDUS SEPTEMBRIS DEFUNCTUS EST, QUI PROMERITIS SUIS ÆTERNÆ BEATITUDINIS PARTICEPS FACTUS EST, ET HIC IN PACE PAUSAT. Stabant autem Fratres circa thesaurum illud cœleste, intenteque scrutantes omnia, quibus corpus humanum compingitur, indumenta repererunt. Et quia hi, qui quondam Sanctos condiderant, aliquas minutias ex ossibus Beati Accæ pro devotione sustulerant, nihil tale circa Beati Alchmundi Reliquias factum mirabantur. Cur enim hoc acciderit, aliis exciderat, alii nec audierant *gg*.

gg

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio num.* 10 *indicavimus, quo circiter tempore hæc Historia Hagustaldensis lucem aspexerit.*

b *S. Wilfridi Acta edidere nostri ad diem* XXIV *Aprilis* (1) ; *ast tunc non innotuerat ejusdem Sancti Vita, ab Eddio coævo et discipulo conscripta, quam dein edidit Mabillon in Appendice Sæc.* IV *Benedictini Partis* I (2) *et partis* II (3) *et auctius atque accuratius Thomas Gale in Collect. Scriptorum Angliæ.*

C c *Agunt nostri de S. Bosa, Eboracensi episcopi, sub die* IX *Martii* (4).

d *Explicuimus supra Commentarii prævii n.* 16. *qua ratione S.* Acca *successisse sine intermedio dicitur S. Wilfrido.*

e *Agit præcipue Ven. Beda de S.* Acca *Lib.* V. *Hist. cap.* XX, *et quoniam ampliorem de Sancto nostro notitiam præbet, hic transcribenda ejus verba ducimus :* Suscepit vero, *ait,* pro Wilfrido episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ Acca presbyter ejus, vir et ipse strenuissimus et coram Deo et hominibus magnificus ; qui et ipsius ecclesiæ suæ, quæ in Beati Andreæ Apostoli honorem consecrata est, ædificium multifario decore et mirificis ampliavit operibus. Dedit namque operam, quod et hodie facit, ut, acquisitis undecumque Reliquiis Beatorum Apostolorum et Martyrum Christi, in venerationem illorum poneret altaria, distinctis porticibus in hoc ipsum intra muros ejusdem ecclesiæ, sed et historias passionum eorum, una cum cæteris ecclesiasticis voluminibus, summa industria congregans, amplissimam ibi ac nobilissimam bibliothecam fecit, necnon et vasa sancta et luminaria aliaque hujusmodi, quæ ad ornatum domus Dei pertinent, studiosissime paravit. Cantatorem quoque egregium, vocabulo Maban, qui a successoribus Beati Papæ Gregorii in Cantia fuerat cantandi sonos edoctus, ad se suosque instituendos accersiit ac per annos duodecim tenuit : quatenus et ea, quæ illi non noverant, carmina ecclesiastica doceret, et ea, quæ quondam cognita, longo usu vel negligentia inveterare cœperant, hujus doctrina priscum renovarentur in statum. Nam et ipse episcopus Acca cantator erat peritissimus, quomodo etiam in litteris sanctis doctissimus, et in catholicæ fidei confessione castissimus, in ecclesiasticæ quoque institutionis regulis solertissimus exstiterat, et usque dum præmia piæ devotionis acciperet, exsistere non destitit : utpote qui a pueritia in clero sanctissimi ac Deo dilecti Bosæ, Eboracensis episcopi, nutritus atque eruditus est ; deinde ad Wilfridum episcopum spe melioris propositi adveniens, omnem in ejus obsequio usque ad obitum illius explevit ætatem, cum quo etiam Romam veniens, multa illic, quæ in patria nequiverat, Ecclesiæ Sanctæ institutis utilia didicit. *Hisce addit Ri-* E *chardus, prior Hagustaldensis in libro de Statu et episcopis Hagustaldensis Ecclesiæ* (5) ; *postquam ad verbum Bedam retulisset :* Hucusque verba Venerabilis Bedæ presbyteri de eo, quem miro venerationis et dilectionis affectu excolebat et amplectebatur. Unde etiam precibus et epistolari exhortatione ipsius episcopi provocatus, et propter ipsum et ad ipsum explanationem super Lucam et Marcum Euangelistas et quædam alia scripsisse cognoscitur. Rexit autem prædictam Ecclesiam XXIV annis. *Hisce addenda ducimus, quæ scribit Simeon Dunelmensis in Historia de gestis regum Anglorum* (6) *circa Sancti sepulturam :* Sustollitur Sanctus de præsenti sæculo XIV Kal. Novembris, cujus perducitur spiritus ab Angelis ad bravium supernæ felicitatis, corpus vero ejus ad orientalem plagam extra parietem ecclesiæ Haugustaldensis, quam XXIV annis pontificali rexit dignitate, sepultum est : duæque cruces lapideæ, mirabili cœlatura decoratæ, positæ sunt, una ad caput, alia ad pedes ejus.

f *In Commentario prævio num.* 22 *et seqq. indicavimus libros, petente S.* Acca, *a Ven. Beda compositos.*

g *Eadem habet Simeon Dunelmensis* (7), *nisi quod pro* dalmatica tunicam *ponat seu vestimen-* F *tum subdiaconale pro diaconali. Hodie utriusque vestis discrimen obsolevit, quod olim exstitit tum quoad formam, tum quoad materiam attinet. Dalmatica plerumque serica erat, clavis purpureis ornata et in modum crucis largis manicis efformata ; tunica vero linea cum manicis strictioribus* (8). *Ex hisce mihi probabilius est in sepulchro S. Accæ potius dalmaticam, quam tunicam repertam fuisse : quia in anonymi textu vox* similiter *ad materiam referenda videtur : dein quoniam sæculo octavo subdiaconatus inter Ordines majores non recensebatur, nescio an tunica seu tunicella inter ornamenta episcopalia jam annumeraretur. Juvat huc etiam referre, quæ Simeon laudatus narrat de statu sepulti corporis* (9) : Inventa est, *inquit,* etiam super pectus ejus tabula lignea, in modum altaris facta ex duobus lignis, clavis argenteis conjuncta, sculptaque est in illa scriptura hæc : ALME TRITITATI, AGIE SOPHIE, SANTE MARIE. Utrum vero Reliquiæ in ea positæ fuerint, vel qua de causa cum eo in terra

(1) Act. SS., t. III April., p. 292. — (2) Mabillon. Act. SS. Ord., S. Bened., sæc. IV, part. I, p. 676. — (3) Ibid., part. II, p. 550. — (4) Act. SS., t. II Mart., p. 10[illegible]. — (5) Twysden. Scriptt., t. I, p. 297. — (6) Ibid., p. 101. — (7) Ibid. — (8) Gerbert. Vet. Liturg. Aleman, t. I, p. 244 et 264. — (9) Twysden. t. I, p. 101.

A posita sit, ignoratur. Attamen absque rationabili devotionis causa, summæ venerationis cultu cum sancto ejus corpore nequaquam esse condita creditur.

h *Quemadmodum liberum erat dominis servos suos manumittere seu a jugo servitutis liberare, nulla adjecta conditione, ita quoque poterant suo beneficio modum aliquem ponere, injungendo aliquas obligationes, sibi vel alii præstandas. Cfr Du Cange Glossar. V°.* Manumissio. *In nostro textu habetur manumissio valde liberalis, quoniam servum suum dimittit dominus* cum omni pecunia sua, *quæ ad dominum alioquin pertinebat. Cfr Du Cange V°.* Manus mortua *et Marculfi lib.* II. *Form. cap.* XXXIII *et* XXXIV (1). *Imo videntur Raven fuisse addictus ecclesiæ Hagustaldensis,* quoad viveret, *sed inter ingenuos repositi fuisse ejus posteri.*

i *Hic intercalanda arbitror miracula, a Simeone Dunelmensis relata, quæque ab Anonymo omissa sunt* (2) : Plurima vero miracula de S. Acca etiam vulgo narrantur, quæ omnia scripto explicare perlongum est. Aliqua tamen de illis memoriæ breviter commendare libet, videlicet quam mirabiliter ac terribiliter adversarios suos, pacem ecclesiæ, B in quo requiescit, infringere tentantes, vel ipsam ecclesiam funditus evertere molientes, crebro coercuerit, et qualiter Reliquias de corpore suo furtim auferre volentibus sæpius obstiterit. Fuit frater quidam in præfata Hagustaldensi ecclesia, Aldredus nomine, qui nunc in Christo requiescit, vir veracissimus et morum probitate conspicuus, sed et in scripturis sanctis bene eruditus, qui tale miraculum de S. Acca, in semetipsum patratum, fratribus ejusdem ecclesiæ narrare solebat. Quum ipse adhuc esset adolescens et nutriretur in domo fratris sui, cujusdam presbyteri, qui sæpe fatam Hagustaldensem regebat ecclesiam, antequam donatione venerabilis memoriæ Thomæ secundi, Eboracensis archiepiscopi, canonicis regularibus, qui ibidem usque hodie Deo deserviunt, tradita esset, placuit eidem fratri suo ossa reverenda S. Accæ, adhuc cum pulvere corporis mixta, separare, separatimque in theca, quam in hoc paraverat, recondere. Prolatas ergo venerabiles Reliquias super altare S. Michaelis, in australi porticu ecclesiæ situm, deposuit, ibique ossa de pulvere collegit, et in sindone munda involuta, in theca recondidit, et, dum eam in chorum, ubi stare C debebat, deferret, porticum illam cum Reliquiis, quæ remanserant, prædicto fratri suo tuendam delegavit. Qui solus ibi remanens cœpit inter se cogitare, quia magno munere etiam præcelsa quælibet ecclesia se ditatam crederet, si vel unum de ossibus tam gloriosi Confessoris haberet. Proposuit ergo ad altare accedere, et perquirere si forte aliquid de minutis ossibus, in pulvere relictum invenire posset, quod penes se reponens, alicui ecclesiæ ad honorem Dei et S. Accæ donaret. Sed id irreverenter perpetrare non ausus, prius humi procumbens, septem pœnitentiales psalmos devote cantavit, Deum exorans, quatenus tale furtum ei non displiceret, quod non sacrilega mente, sed piæ devotionis et venerationis gratia facere cogitabat. Post hanc orationem se erigens, quod proposuerat, explere tentabat. Cumque ostio interioris porticus, in qua erant venerandæ Reliquiæ, appropinquasset, ecce subito calor quidam quasi ignis, vaporantis de ore clibani ardentis, ei obvius fuit, eumque, magno timore perculsum, retroire coegit. Ille vero credens, hoc ei ideo conti- D gisse, quod cum minori devotione, quam deberet, tantam rem assequi vellet, solotenus iterum prostratus, multo uberiores et devotiores preces, quam antea fecerat, Domino fudit, quatenus, quod devote desiderabat, digne adipisci valeret. Post aliquantum itaque intervallum surgens, cum timore et reverentia magna ad ostium porticus accessit sed multo ardentiore calore, quam antea, de illa egrediente repercussus est. Quo facto intelligens, non esse voluntatem Dei, ut aliquid de Reliquiis S. Accæ furtim asportaret, tertio id tentare non est ausus.

k *Thomas* II, *Eboracensis archiepiscopus, qui Ecclesiam, ut in annotatione præcedenti legere est, Hagustaldensem canonicis Regularibus dedit, sedem occupavit ab anno* 1109 *ad* 1114 (3) : *ad hanc igitur epocham referenda sunt exordia canonicorum regularium Hagustaldiæ; scilicet, ut scribit Richardus, prior Hagustaldensis, Kalendis Novembris anni* 1113 *introducti fuere canonici regulares in ecclesiam Hagustaldensem* (4).

l *S. Alcmundus Hagustaldensis episcopus obiit anno* 781 *die* VII *Idibus Septembris, quo nostri hujus Sancti Acta describunt* (5).

m *Circumstantias quasdam adfert Simeon Dunelmensis, quas adjicere libet :* quum, *inquit* (6), E venisset ad præfatam Hagustaldensem ecclesiam quidam canonicus regularis et sacerdos, scilicet Edricus, qui illuc primus canonicorum a viro venerabili Thoma archiepiscopo missus est, invenit acervum, de terra congestum, juxta majus altare, quod infra cancellos ecclesiæ erat, quem inde auferre volens, effodere eum cœpit. De quo quum aliquam partem fodisset, reperit thecam ligneam non admodum magnam; quam aperiens invenit duo sigilla plumbea *(Cfr du Cange V°.* Sigillus ?) insculptis litteris quid intus continerent intimantia. In quorum altero scriptum erat, quod de S. Acca Reliquiæ intro haberentur.

n *Addit Simeon l. c. mulierem illam fuisse sanctimonialem probabilius extra asceterium habitantem, quoniam et extra claustra ecclesiam frequentabat, et virili manu ducenda esset; quorum neutrum accidisset, si dicta sanctimonialis fœmina in conventu aliquo sacrarum virginum vixisset.*

o Peculium *quandoque, uti hic, sumitur pro omni re, tam mobili quam immobili. Cfr Du Cange Glossar. V°.* Peculiare.

p *Hic exhibetur nobis singulare specimen raritatis opificiorum, etiam maxime necessariorum; quum infortunium fabri habeatur tamquam calamitas publica.* F

q Catalogus Patrum *hic omnino Martyrologium indicare videtur, a quo reapse abest S.* Accæ *nomen.*

r *Nulla, quam sciam, ratione determinari potest, ad quod tempus referenda sit hæc desolatio Northumbrorum : variis enim temporibus Dani regionem istam vastaverunt : imo consequentia textus nostri, ubi paulo infra agitur de regione ista, jamjam sub S. Eduardo et Gulielmo regibus respirante, descriptam desolationem ad sæculum undecimum facile revocandam suaderet. Sed quominus huic conjecturæ subscribamus, facit textus Richardi, prioris Hagustaldensis, qui Ecclesiæ suæ devastationem tribuit Haldano, Danorum regulo, anno* 875 (7), *ac dein dicit* (8) anno 1113 ecclesiam S. Andreæ Apostoli Hagustaldensem ad religionem conversam *fuisse, postquam* multis annorum curriculis cum circumquaque jacente regione sæpius depræ-

(1) Biblioth. Patr. T. XII, p. 786. Edit. Lugdun. 1687.—(2) Twysden, t. I. p. 101.— (3) Monast. Anglic., t. VIII, p. 1172.— (4) Twysden, t. I, p. 304.—(5) Act. SS., t. III Septemb., p. 112.—(6) Twysden, t. I, p. 102. — (7) Ibid., p. 300. — (8) Ibid., p. 302.

data

A data et depopulata et diu deserta mansisset. *Hanc explicationem confirmant verba summarii capitis* VIII *lib.* II *ejusdem Richardi de statu et episcopis Hagustaldensis Ecclesiæ, ubi legitur* (1) : Quando Hagustaldensis Ecclesia post secundam vastationem a rege Danorum Haldano, ut prædictum est, factam, ad religionem est conversa. *Ex quibus omnibus satis manifestum est ad Haldanum præcipuas calamitates Northumbriæ referri.*

s *De Aluredo seu Alfredo Dunelmensi hæc tradit Richardus Hagustaldensis* (2) : Elferdus, filius Weston, vir quidem strenuus et Dunelmensis Ecclesiæ secretarius, tempore Egelwini ejusdem Ecclesiæ episcopi *(ab anno* 1056 *ad* 1071), præmonitus oraculo de terra levavit eos, *nempe SS.* Accam *et Alchmundum.*

t Larwa *ex radice cognoscitur teutonica* leeren, *ubi quoque* e *in* a *mutatur, cujus vestigium inter Flandros exstat, ubi dicitur* Godsgelaerdheyd *et* Godsgeleerdheyd, *Theologia.*

v *Idem factum alio modo enuntiat Richardus Hagustaldensis* (3), *scilicet Alferdum seu Alvredum SS.* Accæ *et Alchmundi corpora* intra ecclesiam in remotioribus partibus collocavisse.

B w *Willielmus hic est successor S. Eduardi Confessoris, qui Normanniæ dux Angliam occupavit posterisque reliquit, unde ei Conquæstoris cognomen, Anglis præfuit ab anno* 1066 *ad* 1087.

x *Walcherus, Dunelmensis ab anno* 1071 *ad* 1080 *episcopus, patria Lotharingus, educatione Leodiensis erat, accusatus necis Liulfi, viri nobilis, tumultuario interemptus fuit* (4). *Cfr Simeonis Dunelmenses Historia lib.* III, *cap.* XXIV (5).

y *Gulielmus de S. Carilefo (de St. Calais) ad clerum Bajocensem ante suam professionem monasticam spectabat : sedem Dunelmensem ab anno* 1080 *ad* 1096 *occupavit.*

z *Operæ pretium existimamus, hanc mutationem cleri Dunelmensis exhibere ex Simeonis Historia Dunelmensi lib.* IV *cap.* II (6) : Sedem episcopatus S. Cuthberti *(Dunelmensis) (Gulielmus)* gratia Dei adeptus, terram illius pene desolatam invenit, locumque quem sacri corporis sui præsentia illustrat, negligentiori quam ejus deceret sanctitatem servitio despicabiliter destitutum conspexit. Nam neque sui Ordinis monachos, neque regulares reperivit canonicos. Unde gravi mœrore confectus, Deum et S. Cuthbertum sedulo et suppliciter rogavit, C ut sibi ad emendandum, quæ minus convenientia viderat, consulendo succurrerent, et succurrendo perficerent. Igitur senes et prudentiores totius episcopii homines, qualiter initio apud S. Cuthbertum ageretur, ab illo exquisiti, sedem illius episcopalem in insula Lindisfarnensi fuisse, monachosque tam vivo quam ibidem sepulto venerabiliter serviisse responderunt; quorum quoque assertioni Vitæ illius libellus et ecclesiastica gentis Anglorum concordat Historia. Longe dehinc tempore transacto, crudelis barbarorum manus non hunc solum, ut supra dictum est, sed et alia circumquaque loca vastantes, nobilem illius cœnobii cœtum ausu sacrilego neci tradiderunt. Sed non impune. Nam omnes in brevi justa Dei vindicta terribiliter percussi, a temporalibus ad æterna cruciandi tormenta sunt prærepti. His ergo perceptis, pristinum ad illius sacrum corpus restaurare pertractans servitium, ne quis quæ sui solius molimine fecisset, irritanda putaret, regis Willielmi et conjugis suæ Mathildis reginæ et Lanfranci, Cantuariensis archiepiscopi, consilium petivit. D Rex statim ut ex omni parte tam utilis consilii roboraretur consensus, ad Papam Gregorium (VII) tam de his eum consulturum, quam de aliis, quæ mandaverat sibi, locuturum eum misit. Cui quum de B. Patris Cuthberti sanctitate quædam licet pauca dixisset, illius per omnia sibi placuit consilium, ut videlicet monachos, quos in duobus episcopatus locis, Wiramutha et Gyrvum invenerat, in unum coram sancto illius corpore congregaret, quia episcopatus parvitas ad tria monachorum cœnobia non sufficeret. Hoc quoque apostolica devotissime confirmando auctoritate, suas per memoratum episcopum litteras regi Willielmo et Lanfranco archipræsuli direxit, suam ex parte Domini et S. Petri benedictionem illis omnibusque hujusmodi propositum adjuvare conantibus largiens; eos vero, si qui nisu contrario talia debilitare præsumerent, perpetuo eorumdem ex parte anathemate, nisi digna satisfactione resipiscerent, feriens. Talem Papæ consensum quum rex audiisset, non mediocriter gavisus, sub testimonio Mathildis reginæ, Lanfranci archiepiscopi, cæterorumque baronum suorum ad hoc peragendum licentiam dedit, imo propere ut perageret, episcopo præcepit. E Insuper etiam leges S. Cuthberti, quas ipse coram sancto illius corpore sicut umquam meliores sub aliquo priorum fuerant, fide sua sancierat, denuo tunc renovando confirmavit.

aa *Thomas I, natione Normannus, sed in Saxonum scholis in Normannia educatus, Ecclesiam Eboracensem rexit ab anno* 1070 *ad* 1100 (7).

bb *Quæ hisce verbis narrantur, exhibet quoque Richardus Hagustaldensis* (8) : Procedente, *inquit,* tempore in secretario ejusdem ecclesiæ Acca quidem ad dextrum cornu altaris, et Alchmundus ad sinistram honestius ac decentius in duobus arcubus positi sunt. Deinde crescente devotione fidelium, ambo simul multo convenientius et honorabilius retro et juxta altare, ut in præsenti cernitur, in una theca sunt collocati. *Quatenus hic vox* secretarium *adhibetur, aliud non potest significare, quam ipsum chorum ecclesiæ; nam Anonymus noster de iisdem Reliquiis agens, dicit* retro altare majus *positas illas fuisse. Hanc vocem sub significatione chori aut sanctuarii non reperi apud Du Cange in Glossario.*

cc *Traditionem ecclesiæ Hagustaldensis, canonicis regularibus factam, sequentibus verbis refert* F *Richardus Hagustaldensis* (9) : Thomas *(hujus nominis secundus)* consilio et auxilio capituli sui, videlicet ecclesiæ S. Petri Eboracensis, de manu Ricardi de Maton præfatam ecclesiam Hagustaldensem liberavit. Consensu quoque ipsorum canonicorum in prædicta Eboracensi ecclesia unam portionem de communi eorum pro liberatione ipsius illi dedit. Nec mora, eodem anno ad Kalendas Novembris duxit illuc canonicos regulares, quibus cum suis consuetudinibus et cum omnibus ad eam pertinentibus, quietam et liberam, sicut ipse eam in suo dominio habuerat, ecclesiam tradidit, sicut chartæ eorum testantur.

dd *De Turstino, Thomæ II successore, confer quæ tradit Richardus* (10) : *sedem Eboracensem, non tamen sine multiplicibus controversiis, occupavit Turstinus seu Thurstanus ab anno* 1114 *ad* 1140 (11).

ee *Huic Roberto Biset, priori Hagustaldensi, reddidit Eilanus, presbyter sæcularis, parochiam*

(1) Twysden, t. I, p. 304.—(2) Ibid., p. 302.—(3) Ibid.—(4) Goodwin. de Præsul. Angl., part. II. p. 104.—(5) Twysden, t. I, p. 47.—(6) Ibid., p. 51.—(7) Goodwin. de Præsul. Angl., part. II, p. 23.—(8) Twysden, t. I, p. 302.—(9) Ibid., p. 305.—(10) Ibid., t. I, p. 306.—(11) Goodwin. de Præsul. Angl., part. II, p. 29.

Hagustaldensem

A *Hagustaldensem cum præcipua dote ecclesiæ, scilicet* quia, *inquit Richardus* (1), pœnituit illum ecclesiasticis rebus diu abusum fuisse, quibus Dei servi rectius sustentari debuerant : *quapropter* quomodo melius hanc redditionem facere posset excogitavit. Fecit igitur illam cum quodam pulchro filaterio, scilicet cruce argentea, in qua Sanctorum Confessorum et episcoporum Accæ et Alchmundi Reliquiæ continebantur.

ff *Quatuor Sancti, de quorum inventione hic agitur, sunt* Acca, *Alchmundus, qui die* VII *Septembris, Fridebertus,* XIX *Decembris et Tilbertus seu Albertus, eodem, quo Alchmundus, die coluntur.*

gg *Hic expliciunt quæ ad S.* Accam *proprie spectant. Quod porro, ut habet Anonymus noster,* aliquæ minutiæ ex ossibus B. Accæ *defuerint, non* D *mirabitur, qui Simeonis Dunelmensis Historiam de Gestis regum Anglorum legerit* (2) : *nam hic narrat quomodo frater Aldredi presbyteri* ossa veneranda Sancti Accæ, adhuc cum pulvere corporis mixta, separare, separatimque in theca, quam in hoc paraverat, recondere *sategerit. Atqui istiusmodi separatio fieri non potuit quin* aliquæ minutiæ ex ossibus *deperierint. Tandem manum a tabula removere non possumus, quin coronidis loco hic apponamus, sedem Hagustaldensem nostris diebus instauratam fuisse per Breve apostolicum Pii Papæ IX gloriose regnantis, datum* XXIX *Septembris* 1850, *eidemque assignatum fuisse districtum Angliæ septemtrionalem* (3).

(1) Twysden, t. I, p. 305. — (2) Ibid., p, 102. — (3) Ami de la Relig. 19 Octob., 1850, t. CL, p. 163.

DE S. ADERALDO ARCHIDIACONO ET CONF.,

B

TRECIS IN GALLIA.

E

A. T

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Vita hic edenda; ætas Sancti; reformatio cleri Trecensis ab eo procurata.

POST ANNUM M. Vitam Sancti, cujus unum

Nicolaus Camuzatus in Promptuario sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis, quod anno* 1610 *Augustæ Trecarum edidit, inter notas in Historiam Inventionis corporis S. Mastidiæ Virginis, fragmentum Vitæ S.* Aderaldi *a se inventum affert* (1), *hisce conceptum verbis :* Venerabilis athleta Dei Aderaldus Trecis civitate Galliæ oriundus extitit, parentibus secundum sæculi pompam inclytis et in Dei servitute devotissimis. Pater ejus nobilium nobilissimus Walo est dictus, qui lingua Austrasiorum interpretatur Bonus : mater ejus non inferior genere Odrada præsignata est nomine. Qui puerulus C bonæ indolis, cunarum exemptus latibulis, litterarum instruendus traditur studiis ; nec sæcularibus denique commendatur scholasticis, sed Deo devote servientibus monachis : a quibus, ut ætas tunc tenera capiebat, eruditus non modice, sanctæ sedis Petri Trecorum non multo post particeps efficitur præbendæ.

et alterum solummodo fragmentum

2 His ita se habentibus, urbi Trecorum Manasses vir sanctus præfertur episcopus, qui virtutibus quæ decent episcopum abunde expolitus et anhelans cœlestia, postpositis sæcularibus, aurem accommodare cœpit viri sancti admonitionibus. Amat similis similem, conferebant amorem mutuum ad invicem, exercebantur colloquiis divinis et instabant orationibus continuis. Huic etiam præsul partem partitus est oneris sui, sublimans eum honore archidiaconi ; sicque alter æmulabatur alterum ut in duobus crederes cor unum : præveniebant se invicem honore, et in Dei servitio alter alteri satagebat præstare. Et, ut modo diximus *(lacunam subesse hæc verba innuunt)*, adhuc congregatio S. Petri Trecorum sæcularibus nimis erat dedita, nec his quæ canonicorum intenta ; nec ex toto culpa imminebat eis, utpote qui egestate compulsi sæcularibus deserviebant, nec unde communiter viverent habebant. Quæ videns Sanctus Dei Aderaldus prædictum pontificem sæpe interpellabat super talibus ; cujus crebræ persuasioni assensum præbens episcopus, ad hæc corrigenda totis intendit viribus : largitur eis jure perpetuo nonnulla quæ tenebat bona, et bonis addidit bona. Nec mirum vir Dei Aderaldus subjungit supplementum, tradens et ipse eis quod in prædiis vel in ecclesiis tenebat patrimonium ; hisque constitutis, cœnobitarum more vivere cœpit congregatio S. Petri Trecassinæ civitatis. F

habuit Camuzatus

3 *Hæc vetus illa scheda, de qua alio Promptuarii sui loco rursus loquens laudatus Camuzatus :* In his, *inquit* (2), notis quas supra ad Historiam Inventionis corporis S. Mastidiæ illustrandam congessi, exiguum fragmentum Historiæ ejusdem D. Aderaldi attexui, quod eam integram reperire mihi concessum non fuerit. Et sane majore desiderio ea nobis carendum est, quod verosimillimum sit eam multa memoratu digna complecti : illa enim quæ de ejus vita in Tricassino Breviario recitantur, imperfectam tantum quamdam epitotomen dictæ Historiæ continent. *Camuzato felicior fuit vigenti tribus postea annis P. Stephanus Binet Societatis Jesu presbyter, quando libellum conscripsit gallico idiomate de sancta Ecclesiæ Hierarchia et de Vita S.* Aderaldi *archidiaconi et canonici Trecensis necnon de S. Joseph proprio canonicorum patrono* (3). *Quisquis enim hunc libellum legerit, facile videbit integrum aliquod Vitæ S.* Aderaldi *exemplar auctori præluxisse, idque latine scriptum, uti verba hinc inde ex eo contextui gallico interjecta demon-*

(1) Fol. 56. — (2) Fol. 351 verso. — (3) De la saincte Hierarchie de l'Église, et la vie de S. Adérald, etc. Paris 1633.

strant

A *strant. Cæterum Binetus veteri hoc documento sic usus fuit, ut inde actiones virtutesque Sancti acceperit ille quidem, sed pro modo suo ac scopo quem sibi præstituerat, eas probabilibus multis ornarit adjunctiset passim asceticis præceptis permiscuerit: quin etiam Sanctum aliosque persæpe inducit loquentes atque inter se de rebus agendis deliberantes.*

Remigius Breyer canonicus Trecensis

4 *Quare primigeniam Vitam S. Aderaldi nosse cupientibus magis satisfecit Nicolaus Desguerrois presbyter et prædicator Trecensis, qui latinum illius exemplar nactus, illud satis fideliter, etsi non sine aliquanta paraphrasi, gallico expressit stylo, suoque operi de Sanctis Tricassinis anno* 1637 *in lucem emisso inseruit* (1). *Satis etiam completa S.* Aderaldi *Vita, nescio an ex Desguerrois an aliunde, videtur addita fuisse gallicæ versioni operis hagiographi P. Petri Ribadeneiræ, quoad judicare possum ex Sancti encomio inter Lilia seu Flores Galliæ Sanctæ, qui Divione anno* 1643 *prodierunt auctore P. Jacobo Rinaldo, testante se illud accepisse* ex Vita operibus Ribadeneiræ adjuncta (2). *Latina interim scriptio ad annum usque* 1724 *inter schedas a Nicolao Desguerrois relictas delituit; quo tandem anno ineunte felici sorte inde erutam cum* B *Præfatione a se concinnata typis vulgandam curavit Remigius Breyer ecclesiæ cathedralis Trecensis canonicus, illo præfixo titulo :* Vita S. Aderaldi ecclesiæ Trecensis canonici et archidiaconi, autore anonymo ejus æquali et familiari. Nunc primum prodit in lucem. MDCCXXIV.

anno 1724

5 *Libellum a se editum Breyerus mox communicavit decessoribus nostris cum sequenti epistolio gallice scripto, quod, quamvis nullum scriptoris nomen præ se ferat, equidem ipsius Breyeri manu exaratum esse conjicio :* Reverende Pater, quum a te aut aliis vestræ Societatis Patribus opera detur edendis Sanctorum Actis, nonnemo censuit Vitam hanc ad vos destinandam esse; quam proinde venerabundus vobis offero, ut inter vestra collectanea collocetur. Festivitas Sancti Trecis agitur die xx Octobris, ut in Præfatione notatum fuit. Sum vobis addictissimus. *Inscriptum erat epistolium rectori collegii Antverpiensis, qui tum erat Joannes Janssens; isque illud una cum opusculo Breyeriano in domum Professorum ad socios Bollandianos transmisit* x *Aprilis* 1724, *ut docet notatiuncula a Sollerio apposita.*

integram vulgavit

6 *Præfatio Breyeri satis longa est, nec omnino* C *indocta, ut adeo nobis ad res S.* Aderaldi *illustrandas haud parum futura sit usui. Atque jam nunc de ipso opere cui præmittitur, abs re non fuerit sequentia ex ea descripsisse :* A Nicolao Desguerrois, Trecensi presbytero e latino, sed παραφραστικῶς, in linguam gallicam translatam S. Aderaldi canonici et archidiaconi Trecensis ecclesiæ Vitam, diu quæsitam, nunc tandem inter schedas Desguerrois repertam, publico damus. Apographum eruit e veteribus Mss. prioratus S. Sepulchri, sed autoris nomen aberat. Hunc Trecensem fuisse canonicum Aderaldo æqualem et familiarem, planum facit opus. Ait enim cap. 5 : « Nec literis mando aut » explico verbis omnia quæ VEL IPSE VIDI... Nam, » ut sæpe MIHI REFEREBAT IN AURE. » Cap. 6 : « Multum timeo fidem mihi non accommodandam, si » QUÆ VIDI voluero literis mandare. » Et cap. 9 : « Mei domini et fratres S. Petri, possum hoc dicere quod in hoc tempore PRÆDECESSORES NOSTRI » vivebant secularissime. » *Idem judicium ex iisdem indiciis pridem tulerat Desguerrois de auctore hujus Vitæ seu potius, ut ipse jam censuit, panegyricæ laudationis coram cœtu canonicorum Trecensium habitæ; prout videri potest in animadversionibus quas gallicæ suæ versioni, de qua supra diximus, adjecit* (3).

ex codice Nicolai Desguerrois.

7 *Prosequitur Breyerus :* Fugit nescio quo pacto codex Desguerrois Nicolaum Camuzatium Trecensem canonicum, qui tantum sudavit in evolvendis sacris ruderibus ut Promptuarium sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis evulgaret. Namque nihil nisi fragmentum Vitæ Aderaldi colligere potuit, quod Promptuario attexuit, ne injuria temporum intercideret. Quæ vero in Breviario Trecensi recitantur, quoniam imperfectam tantum Aderaldi Historiæ epitomen continent, insuper habuit. Ego id quod res est dicam. Codex Desguerrois non Aderaldi Vitam et Historiam ad amussim refert, sed esse panegyricum potius legenti patet. Dictum vero esse in monasterio quod Aderaldus ædificavit, coram canonicis quibusdam Trecensibus, quæ retulit sat probant, et hæc anonymi verba *(cap.* 15) : « Cœnobium construxit monachorum.... Illud est » QUOD PRÆSENS PATEFACIT ECCLESIA, et quod » summa reddidit sagacitate perfectum. »

cum aliis Mss. collato :

8 In quindecim capita tribuitur codex Desguer- E rois, quorum unicuique, si primum exceperis, appingitur brevis titulus. Fragmentum Camuzatii complectitur primum et nonum capita, cum quodam discrimine, sed levi. Breviaria autem antiqua Trecensis ritus nihil nisi summaria capitum 1, 11, 13, 14 et 15 dicti codicis novem lectionibus exhibent. Id, quæ consuluimus, confirmant duo Breviaria, quorum alterum est manuscriptum trecentorum annorum, alterum prælo excusum est Trecis anno 1594. Verum in ecclesia Trecensi extat codex quingentorum ut minimum annorum, qui cum codice Desguerrois plurimum convenit. In eo codice, qui lectionarius est, habentur in festo S. Aderaldi novem lectiones, quæ ex capitibus 1, 2, 3, 5, 11, 12, 13, 14 et 15 codicis Desguerrois ad verbum, paucis quibusdam vocabulis aut omissis aut immutatis, conflantur. Qui vero in Breviariis et in codice Trecensis ecclesiæ sileatur quod capitibus 3, 6, 7, 8 et 10 de jejuniis, eleemosynis, Romæ peregrinationibus, miraculis et eximiis dotibus Aderaldi recenset anonymus; qui pariter recitetur in eo nihil de reformatione cleri Trecensis ecclesiæ et molestiis quas in ea procuranda passus est Aderaldus, de quibus anonymus cap. 9 fuse satis disserit, divinare aliis permitto : F siquidem quod causam ignorem, præ me libens fero *(quæ causa fortasse non alia fuerit quam quod canonici a vita communi, quam Sanctus tanto labore redintegrarat, postmodum denuo descivissent).* Ex his, *concludit denique Breyerus,* colligere est Breviarium trecentorum annorum et Lectionarium quingentorum pro codicis Desguerrois antiquitate et veritate niti. Posset fortasse iis adjici Glaber Rodulphus, qui Manassem I Trecensem episcopum virum sanctitate plenum appellat, quod accepisse videtur ab anonymo. *Hactenus ille; sed argumentum ex Glabero Rudolpho petitum vix ullius esse ponderis equidem existimaverim, quum is æque potuerit de sanctimonia Manassis aliunde edoceri.*

quam et nos dabimus.

9 *Jam vero Vitam S.* Aderaldi, *vel, si ita appellare placet, Panegyrim eo omnino tenore recudemus quo Breyerus eam protulit. Scilicet non tantum eam repræsentabimus verbotenus; verum etiam eamdem servabimus capitum divisionem, quam solitis nostris numeris indicabimus, et margini adscribemus illos ipsos breves titulos quos ex codice Desguerrois* editor

(1) La Saincteté chrestienne, etc., fol. 246 et seqq. — (2) P. 155 et seqq. — (3) Fol. 255 verso.

A. T.

editor desumpsit, uno tantum primi capitis titulo deficiente, quem proinde supplebimus. *Variantes quoque lectiones quas ex Lectionario antiquo Trecensis ecclesiæ Breyerus delibavit, in Annotatis nostris indigitabimus. Ad hæc Annotata pro more etiam nostro rejicimus breves quasdam elucidationes quæ circa nonnulla Vitæ adjuncta sese faciendas offerent. Quæ vero prolixiorem aliquanto requirunt investigationem, mox aggredimur, postquam pauca de nomine Sancti præmiserimus.*

S. Aderaldi

10 In Breviariis, ut in codice anonymi, *ait Breyerus* (1), Sanctus noster ADERALDUS indigitatur. At in Chronicis S. Petri Vivi Senonensis (2) et S. Mariani Altissiodorensis (3) ADRALDUS; in diplomate Innocentii III (4) ARRALDUS; in Lectionario Trecensi ADEROLDUS. *In charta vero Manassis* Trecensis episcopi anni 991 (5), quam Aderaldus chirographo suo munivit, ADROLDUS vocatur. Verum hæc nomina eodem recidunt. *Quorsum autem recidant, quamquam ingenue confiteor me antiquæ Austrasiorum linguæ (sic vocat Sancti biographus) non ita scientem esse ut decretorio responso quæstionem dirimere mihi competat, si tamen conjectare licet, proferam quæ aliqua cum probabilitate dici posse mihi videntur. Posset igitur nomen Sancti esse* Adherald *sive* Adherold, *cujus interpretatio fuerit* egregius præco; *siquidem, Wiarda teste* (6), ad, ed, ead, od *denotant* felicem, beatum, egregium, *et* herald *seu* herold, *unde et nomen latinobarbarum* heraldus *aut* haraldus, *ut apud Cangium videre est*, belli pacisque internuntium *atque adeo quemvis* legatum publicum *significat. Quum vero* her *idem valeat ac* exercitus *sive* agmen, hold *vero etiam sit* heros (7), *si* Adherhold *scribas, habes* egregium bellatorem. *Quod si, ut suggerunt Chronicon Willelmi Godelli postea citandum et Rondet in Indice personarum Bibliothecæ historicæ Franciæ iteratis curis editæ adjecto* (8), Aderaldus *per litterarum transpositionem esset pro* Adelrado, *vim significandi* nobilitatem (9) *cum* consilio *aut* promptitudine *conjunctam haberet, essetque proin idem ac* Æthelred, *id est*, nobilis prudens *vel* actuosus, *aut* nobilis consilio *vel* promptitudine (10). *At de nomine jam satis : variam autem illius scribendi rationem indicare oportuit, ne difficultatem deinceps facessat.*

non tantum annus natalis.

11 *Quæritur modo de ætate S.* Aderaldi. *De ea Breyerus sic habet* (11) : Quo sæculi decimi anno et quo præsule Trecensi natus sit Aderaldus, præterit anonymus. Diu vixisse credibile est : 1° siquidem duodecies Romam venit, antequam archidiaconus Trecensis crearetur; namque anonymus peregrinationum Aderaldi mentionem facit, priusquam de electione Manassis, qui archidiaconatu donavit Aderaldum, loquatur. Multos autem annos in his peregrinationibus ponere debuit. 2° Ubi Manasses sanctæ Trecensis ecclesiæ infulas accepit, Aderaldus molitus est cleri Trecensis reformationem : hoc autem nisi vir mediæ ætatis tentare non potest. Denique dictus est pastor et pater canonicorum Trecensium : hæc vero insignia nisi in virum ætatis provectæ cadere nequeunt. Quocirca cum septem episcopis Trecensibus vixisse Aderaldum certum videtur. Hi sunt Ansegisus Rodulphi Regis cancellarius, qui anno 925 in pugna vulneratus est, et circa annum 960 aut 963 sedi suæ restitutus ope S. Brunonis Coloniensis episcopi ; Gualo, qui anno 971 sanctam ecclesiam Trecensem regebat ; Hadricus, cujus acta ignorantur ; Milo, qui ex sepulchro S. Mastidiæ corpus, cum ædem Trecensem late explicare meditaretur, effodit, et anno 980 Concilio Senonensi interfuit ; Manasses, qui naturæ satisfecit anno 993 ; Rainaldus, cujus nomen tantum novimus ; et Frotmondus, qui in Synodi Calensis habitæ circiter annum 1008 Patribus annumeratur, et decessit anno 1046 (12).

12 *Si per ætatem provectam intellexerit Breyerus summam senectutem, hanc satis demonstrasse rationibus a se adductis dici nequit; et obstare videtur biographus (nisi dicta ejus improprio sensu accipi debeant), qui parentes* Aderaldi, *quando hic iter Hierosolymitanum suscepit, quod non longe ab anno* 1000 *removeri potest, et cui Sanctus non ita diu supervixit (ut in sequentibus patebit), adhuc superstites exhibet (cap.* 11). *Quod autem scribit Breyerus Frotmundum decessisse anno* 1046, *accepit ex Chronico S. Petri Vivi Senonensis, auctore Clario monacho, quod in Spicilegio Dacheriano extat ; ubi ad dictum annum, relata Ermenaldi abbatis morte, cui Gerbertus abbas successit, hæc scribuntur* (13) : Eodem tempore defunctus est Frotmundus Tricacensis episcopus, cui successit Meinardus archiclavis S. Stephani *(nempe Senonensis ecclesiæ). Verum ob oculos quoque habenda sunt Camuzati de eodem Frotmundo verba* (14) : Obiit circa annum 1034, ut scriptum est in veteri Chronico S. Petri Vivi Senonensis, vel præcise anno 1046, ut in recentiore Chronico observatur ; *et verba Sammarthanorum* (15) : Fromundus I obiit circa annum 1034 in antiquo S. Petri Vivi Senonensis Chronico. *Quatenus duo hic S. Petri Vivi Chronica, vetus alterum, alterum recentius, distinguenda sint, non habeo unde certo discernam. Unum idemque esse suaderent illa verba, quæ tamquam ex vetere Chronico allegat Camuzatus* (16), *et eadem prorsus in Chronico a Dacherio vulgato leguntur* (17) : In hoc tempore Papa Leo venit Lingonas civitatem, ubi ordinavit Frotmondum *(scilicet hujus nominis) secundum* Trecorum pontificem : ibique obiit Petrus diaconus ejus, sepultusque est in capitulo S. Mammetis. *At constat tamen duo diversa Camuzato obvia fuisse exemplaria, ipso id attestante in hæc verba* (18) : In eodem cœnobio S. Petri Vivi duo chirographa Chronica tractavi, quæ ex Odoranni exiguo Chronico expressa videntur, quandoquidem meo judicio mancum et truncum est, nec ea integritate ad posteros transmissum qua ab ipso Odoranno editum fuit : nonnullis videlicet a cœnobitis augusti illius domicilii in eo immutatis et additis, et annorum aliquot serie attexta. *Quæ autem deinde de Mainardi episcopatu tam ex uno quam ex altero chirographo excerpsit, cum Dacheriana editione, si aliquot interdum voces phrasesque exceperis, conveniunt. Unde opinarer rerum substantiam ipsamque dictionem utrique scripto fere communem esse, discrepantiam vero præcipue positam esse in interturbato ab alterutro scriptore vel transcriptore rerum temporumque ordine. Porro quod ad Frotmundi I obitum attinet standum est veteri, non recentiori (ut Camuzatus appellat) Chronico; quandoquidem Mainardum jam anno* 1035 *vel* 1036 *cathedram Tricassinam occupasse liquet ex charta ejusdem pro ecclesia B. Mariæ de Rosnaico, quam ex archivis Dervensis monasterii ediderunt Galliæ Christianæ novæ scriptores* (19). *Incipit enim sic :* In Dei nomine, ego Magenardus augustæ ecclesiæ Trecorum episcopus, *et temporis notam illam in fine habet :* Actum est hoc Trecas

verum etiam

(1) Pag. 6. — (2) Apud Dachéry, Spicil., t. II, p. 739 vet. edit., et t. II, p. 474 nov. edit. — (3) Chron. Altissiod., fol. 74. — (4) Apud Camuzat. Promptuar., fol. 355. — (5) Ibid., fol. 83. — (6) Ueber deutsche Vornamen und Geschlechtsnamen, p. 46. — (7) Ibid., p. 46 et 50. — (8) Bibl. hist. de la France, t. V, p. 209. — (9) Wiarda, op. cit., p. 47. — (10) Ibid., p. 25. — (11) Pag. 7 et 8. — (12) Cfr Gall. Christ. nov., t. VIII, col. 493, 494 et 495. — (13) Spicil., t. II, p. 475 nov. edit. — (14) Promptuar., fol. 167. — (15) Gall. Christ. vet., t. III, p. 1080. — (16) Promptuar., fol. 169. — (17) Spicil., t. II, p. 475. — (18) Promptuar., fol. 167. — (19) T. VIII. Instrum., col. 251.

publice,

A publice, regnante Henrico Francorum anno quinto rege. *Quintus autem regni Henrici I annus a die* XX *Julii* 1035 *initium sumpsit.*

emortualis

13 *Idem undecim aut duodecim circiter annorum discrimen, quod circa Frotmundi episcopi mortem inter utrumque Chronicon observatur, sese affert etiam circa S. Aderaldi nostri ex hoc vita decessum.* Animam cœlo dignam, *ait Camuzatus* (1), exhalavit anno 1004, ut in veteri Chronico cœnobii S. Petri Vivi Senonensis memoratur. *Contra apud Dacherium Sancti obitus consignatur ad annum* 1015. *Nempe ibi dicitur* (2) : Anno MXV facta est traditio Senonicæ urbis, et Rainardus abbas S. Petri Vivi obiit; *et nonnullis interjectis quum de eodem Rainardo, tum de Leotherico Senonensi archiepiscopo, illa de Sancto nostro enuntiantur :* In illis diebus obiit vir Dei Adraldus archidiaconus Tricassinæ civitatis, et requiescit in cœnobio S. Sepulchri, quod ipse extruxit in eodem pago; *additurque :* Eodem tempore migravit ad Christum S. Gislebertus Meldensis episcopus, cujus vita multis claruit virtutibus; *ac deinde sermo fit de nequitia Rainardi Senonensis comitis, propter quam Leothericus archiepiscopus* consilio Romani B Pontificis et abbatis ecclesiæ Cluniacensis, necnon suffraganeorum episcoporum et optimorum procerum, præcipueque Rainaldi Parisiensis episcopi, anno ab Incarnatione Christi MXVI, X Kalendas Maji, civitatem regi Rotberto reddidit, *imo anno* MXV, *ut ipse scriptor antea dixit, et addita in aliis Chronicis Indictio* XIII *ostendit* (3).

ignoratur.

14 *Interim non immerito dubitaveris utrum qui hæc scripsit Clarius monachus mortem SS.* Aderaldi *et Gisleberti non alii anno quam* 1015 *innectere intenderit, an vero eamdem minus determinatis locutionibus* in illis diebus *et* eodem tempore *summatim tantum ad tempora Leotherici archiepiscopi et Rainardi abbatis referre. Sane auctorem hunc in designandis temporibus suo ævo præviis non omnino diligentem fuisse, dudum annotarunt Historiæ litterariæ Franciæ scriptores* (4). *Quod vero S. Gislebertum cum S.* Aderaldo *conjungit, idem fieri video, sed ad annum* 1002 *vel circiter, a monacho S. Mariani Autissiodorensis (Robertum nonnulli vocant), ita loquente* (5) : Floruit hoc tempore Gislebertus Meldensis episcopus, vir eximiæ virtutis et gloria miraculorum insignis, cujus Vita stylo clarissimo edita multarum exempla virtutum viventibus et C victuris per secula exhibet. Floruit et Aderaldus Tricassinæ urbis archidiaconus, pia memoria dignus et digno honore venerandus, cujus vita lux seculi, cleri gloria, honor ecclesiæ et verissimum documentum Christianorum fuit. Sepultus fuit in ecclesia S. Sepulchri in territorio præfatæ urbis, quam ipse in vita sua pietatis igne succensus fundavit et ædificavit. *Quæ eadem encomia ad annum* 999 *ambobus Sanctis tribuit Willelmus Godellus monachus S. Martialis Lemovicensis, sic ea ordiens* (6) : Circa hunc et millesimum Domini annum floruit in Meldensi urbe Sanctus Dei Gislebertus.... Hoc quoque item tempore floruit vir Deo dilectus Adalradus. *Dum igitur ambos hosce Sanctos circa idem tempus floruisse duo hi scriptores tradunt, et quidem ad duos annos inter se diversos memoriam eorum agunt, nihil eos de anno emortuali utriusvis decrevisse ad oculum patet : quo fit ut in eam propendeam opinionem neque chronographum S. Petri Vivi voluisse annum* 1015 *utriusque Sancti obitui communem statuere.*

A. T.

Constat eum obiisse initio sæculi XI.

15 *Accedit quod secundum Vitæ epitomen quam ex Breviario Meldensis ecclesiæ descripsit Bollandus noster* (7), *S. Gislebertus,* cum Meldensem ecclesiam sibi creditam pie ac sancte per XX annos administrasset,... vitam angelicam felici exitu consummavit idibus Februariis, anno salutis MIX, tempore Roberti Christianissimi Francorum regis. *Cui quidem asserto neque Breyerus* (8) *neque ecclesiæ Meldensis historiographus Tussanus Duplessis* (9) *quidquam habent quod opponant præter ipsum Clarii monachi Chronicon, de quo controvertimus ; et scriptores Galliæ Christianæ novæ, licet Historiam a Duplessis compositam præ oculis habuerint atque adeo citaverint, nihilominus, ne facta quidem Chronici S. Petri Vivi mentione, scribere non dubitarunt* (10) : Obiit Gilbertus anno 1009 ex Actis vitæ ejusdem, postquam in episcopatu annos 20 exegisset. *Neque obstant alia quæ de gestis S. Gisleberti aliquid docere possunt documenta : siquidem duo illa quæ tempore postrema sunt omnium, nimirum regis Roberti diplomata pro monasterio S. Dionysii* (11) *a S. Gisleberto aliisque episcopis subsignata (quorum tamen alterum spurium videri mox* E *docebimus), solummodo ostendunt eum Calensi Synodo interfuisse, quæ circa annum* 1008 *habita fuisse creditur. Quæ quum ita sint, Breyero assentiri plane nequeo, ita loquenti* (12) *ac si ex Chronico S. Petri Vivi Dacheriano exploratum esset S.* Aderaldum *ad annum usque* 1015 *vitam produxisse ; sed Bollandum de S. Gisleberto episcopo Meldensi agentem imitatus, initio hujus Commentarii ad marginem indicare satis habui Sanctum nostrum post annum* 1000 *obiisse, qua in re omnia Chronica quæ ante citavi, inter se consonant.*

sed dubium est sub quo episcopo Trecensi.

16 *Deinde tam ex præmissis quam ex modo afferendis nutat illa quoque Breyeri sententia sub septem episcopis Trecensibus vixisse S.* Aderaldum, *quorum primus absque controversia est Ansegisus, qui anno* 912 *aut* 913 *episcopatum adeptus fuit. Evidens omnino res foret, si probari posset quod de Frotmundo illorum præsulum ultimo adstruunt Galliæ Christianæ novæ scriptores, eum subscripsisse præcepto regio pro monasterio S. Dionysii* VIII Cal. Febr., indict. XI, anno primo regnante Roberto rege glorioso, *id est, anno* 998. *At quando hæc tomo suo XII inscribebant anno* 1770, *non meminerant id quod anno* 1751 *in tomo X ad Balduinum* F *Morinensem episcopum, qui dicto instrumento pariter subscriptus legitur, recte fuerat observatum* (13) ; Mirum nullam a Mabillonio in Annalibus factam hujus præcepti mentionem, cui præterea adaptari vix queunt episcoporum subscriptiones, qui iidem omnes Synodo Calensi adfuerunt anno 1008 ; unde forsan concluderet quis merito hac in Synodo datum fuisse quo de agitur præceptum. *Nec attenderant idem judicium rursus anno* 1760 *latum fuisse a Bouqueto* (14), *qui etiam monet sic jam dudum judicasse Labbeum in collectione historica de Cancellariis Franciæ* (15), *et hæc insuper de præcepto illo pronuntiat :* Quamquam id falsum esse non una ratio forsan suadebit multis. In eo enim multa ad verbum expressa sunt ex præcepto quod Roberto Odonis fratri tribuendum in præcedenti volumine diximus. Idem in utroque notarius, idem archicancellarius. Utrumque datum « VIII Cal.

(1) Promptuar., fol. 351.—(2) Spicil., t. II. p. 474.—(3) Cfr Bouquet, Rer. Gall. script., t. X. p. CXIX. — (4) Hist. litt. de la France, t. X, p. 503.—(5) Chronic. Altiss., fol. 74. apud Bollandum. Acta SS. Febr., t. III. p. 717, et apud Breyerum, p. 20 et 21. — (6) Apud Bouquet, tom. cit., p. 260.— (7) T. III, Febr., p. 718.— (8) P. 20.—(9) Hist. de l'église de Meaux, t. I, lib. II, n. 2, et not. XL-VI, p. 92 et 739. Cfr Hist. litt. de la France, t. X, p. 404 et 405.— (10) T. VIII, col. 1607.— (11) Apud Félibien. Hist. de l'abbaye de S. Denis, pièces justific., p. LXXXIII et seqq; apud Bouquet, tom. cit., p. 591 et seqq. — (13) P. 19 et 20. — (13) Col. 1537. — (14) Op. cit., t. X, p. 594. — (15) Pag. 151.

» Febr.,

A. T.

» Febr., indict. xi, anno primo Roberti, in monasterio S. Dionysii. » *Annus autem primus vel potius unicus quo Robertus Odonis frater regium nomen sibi adscitum habuit, a die* xx *Junii 922 currere cœpit. Quum igitur constet quidem Frotmundum circa annum* 1008 *in Calensi Synodo sedisse, sed ignoretur a quanto tempore jam tum ecclesiam Trecensem regeret, et aliunde dubium sit quoto supra millesimum anno S.* Aderaldus *vivendi finem fecerit, consequitur compertum non esse hunc sub illius episcopatu adhuc fuisse superstitem.*

Ab episcopo Manasse

17 *Manassi episcopo præ primis carus fuit S.* Aderaldus; *atque, ut biographus seu panegyrista ejus ait (cap.* 9), sanctus ille præsul partem ei partitus est oneris sui, sublimans eum honore archidiaconi. *Erat is honor illo ævo longe amplissimus, sed simul labore ac sollicitudine plenus, virumque requirebat quum vitæ sanctimonia, tum quoque doctrina, solertia ingeniique dexteritate eximium. Neque enim cæteris diaconis et inferiorum ordinum clericis solum archidiaconus invigilabat atque imperabat, junioresque erudiebat in scientiis ecclesiasticis; verum rebus totius diœceseos providebat tamquam oculus episcopi ejusque vicarius in omnibus, pastoralem* B *ejus sollicitudinem et omnem propemodum jurisdictionem tam in spiritualibus quam in temporalibus participans, ita ut hoc ex capite presbyteris etiam cum potestate præesset : quæ omnia copiose ex innumeris monumentis demonstrata habemus a Thomassino in opere de Disciplina ecclesiastica* (1) *et a Ludovico Nardi in tractatu de Barochis* (2). *Ac principio quidem singuli erant in singulis diœcesibus archidiaconi; postquam vero pro suppressis chorepiscopis, a sæculo præsertim nono, clero rurali præfici cœperant decani, missi episcopales, presbyteri missatici seu aliis vocati nominibus ministri episcoporum (decanos etiam nunc vel vicarios foraneos dicimus), usus paulatim invaluit ut ex clero cathedralis ecclesiæ unus pluresve deligerentur canonici, a quibus ipsi illi decani rurales seu vicarii foranei in munere suo obeundo penderent : hi autem canonici ex analogia quadam quam habebant cum archidiacono quem modo descripsimus, fuere et ipsi archidiaconi appellati, sed minores, utpote qui pares haud essent majori archidiacono, sed ei tamquam generali episcopi vicario subditi, prout modo laudatus Nardius, ad quem lectores remittimus, latius explicat.*

C

Trecensis ecclesiæ archidiaconus

18 *Circa archidiaconalem dignitatem S.* Aderaldo *collatam hæc Breyerus scribit* (3) : In Trecensi diœcesi quinque sunt archidiaconi. Totidem subscripsere chartæ Philippi episcopi anno 1090 : ejus enim ætate jam urbis Trecarum archidiaconatus unitus erat capitulo Trecensis ecclesiæ. Utrum vero Aderaldus archidiaconatum civitatis, vel quem ex aliis, dum viveret, tenuerit, prorsus incertum. *Reapse chartæ illi Philippi episcopi, quæ in Camuzati Promptuario extat* (4), *assenserunt inter alios Gisbertus, Petrus, Guido, Joscelinus et Hugo, qui omnes archidiaconi vocantur. Alteri item ejusdem præsulis chartæ subscripti leguntur archidiaconi tres* (5). *Antea vero sub Hugone episcopo quatuor archidiaconorum nomina videre est in charta anni* 1063 (6), *quatuor rursus in charta anni* 1075 (7), *duo in charta anni* 1079 (8). *Postmodum*

D

in variis chartis designantur anno 1104 (9) *archidiaconi saltem tres; anno* 1114 (10) *quatuor; anno* 1138 (11) *duo; annis* 1140 (12) *et* 1145 (13) *tres, annoque iterum* 1145 (14) *quatuor. Ex quibus perspicuum est jam sæculis* xi *et* xii *in diœcesi Trecensi extitisse plures archidiaconatus præter majorem, quem Philippus episcopus, qui diœcesim illam rexit sæculo* xi *exeunte et* xii *ineunte, in charta quadam archidiaconatum civitatis nuncupat* (15). *Porro minores archidiaconatus Tricassini in transactione ab episcopo Joanne de Auxeio anno* 1343 *cum archidiaconis inita* (16) *iisdem designantur nominibus quibus eos designat polyptychum anno* 1648 *Parisiis impressum* (17), *et quæ ad finem usque sæc.* xviii *servata fuisse puto, scilicet Sezaniæ, Arceiarum, S. Margaritæ et Brenæ.*

creatus,

19 *Utrum autem ævo S.* Aderaldi *minores hujusmodi archidiaconatus Trecis jam fuissent erecti, an contra unus tantum ibi nomen et honorem archidiaconi etiam tunc gereret, non habeo unde definiam : quippe quum nullum mihi Trecensis ecclesiæ monumentum suppetat quo res hæc elucidari queat, et aliunde videam in aliis ecclesiis citius, ut in Remensi* (18), *in aliis tardius, et in Autissiodorensi* (19), *titulum archidiaconi pluribus fuisse communicatum.* E *Utut sit, probabilissimum crediderim Sancto nostro archidiaconatus majoris officium fuisse concreditum, qui a suo panegyrista Manassi antistiti conjunctissimus in rebus agendis fuisse perhibetur, ac* doctor, pastor et pater *congregationis S. Petri, id est, cleri cathedralis ecclesiæ, ab eodem appellatur, curasque præcipuas in illus cleri reformationem impendit. Adeptus eam dignitatem fuit intra illud temporis spatium quod ab anno* 982 *ad annum* 991 *effluxit. In priorem enim ex his duobus annis incidit consecratio ecclesiæ S. Stephani Senonensis a Seguino archiepiscopo, præsentibus Milone Trecensi, Heriberto Autissiodorensi et Rocleno Nivernensi episcopis* (20) : *unde liquet Manassem tunc nondum Trecenses gessisse infulas. Anno vero* 991 *diplomati quo conceduntur Dervensi monasterio* tria altaria, videlicet de Laderciaca corte, de Dodiniaca corte et de Requiniaca corte, *subscripti leguntur* Manasses humilis Trecorum episcopus, Hadricus archiclavus et Adroldus indignus archidiaconus (21), *qui est utique ipse Sanctus noster. Hunc vel pridem vel certe ea occasione fuisse diaconatus ordine consecratum admittamus necesse est, ni velimus (quod facere nefas esset) Sanctum nostrum et episcopum Manassem reos* F *agere abusus illius gravissimi contra quem Concilium Bituricense et alia deinceps Concilia a Thomassino allegata* (22) *insurrexere, vetando ne archidiaconatum ullus haberet nisi diaconus efficeretur. Sed presbyterum fuisse ordinatum neque biographus innuit quidem, nec credibile facit temporum illorum consuetudo, cujus exemplum habemus in S. Lietberto, qui factus in ætate virili archidiaconus nec brevi spatio eo munere functus, presbyteratus ordinem non ante suscepit quam fuisset in pontificem Cameracensem et Atrebatensem jam electus ac proxime consecrandus anno* 1051 (23) : *imo vero qui ex archidiacono presbyter fieret, aut degradari censebatur, teste S. Gregorio Magno* (24), *aut certe, ut loquitur Sidonius* (25), potestate absolvi. *Quamobrem veritati consonam existimo veterem imaginem a Desguerrois*

(1) Anc. et nouv. discipline de l'Église, t. I, liv. ii, chap xxii et suiv., col. 570 et seqq. — (2) Dei Parrochi, vol. I, cap. xvi, p. 436 et seqq.; vol. II, cap. xxviii, p. 320 et seqq. — (3) Pag. 7 in not. — (4) Fol. 118 et 119. — (5) Fol. 117 verso. — (6) Gall. Christ. nov., t. XII Instrum., col. 253. — (7) Apud Camuzat, op. cit., fol. 170. — (8) Gall. Christ. nov., loc. cit. — (9) Ibid., col. 255; apud Camuzat, fol. 172 verso — (10) Ibid., col. 257 — (11) Ibid., col. 259. — (12) Ibid., col. 261. — (13) Ibid., col. 165 et Biblioth. Cluniac., col. 1407. — (14) Apud Quercetanum, not. ad Biblioth. Cluniac., col 105. — (15) Apud Camuzat, Promptuar., fol. 173 verso. — (16) Ibid., fol. 205. — (17) Pouillé général de l'archevêché de Sens, etc. Bénéfices du diocèse de Troyes, p 2. — (18) Marlot. Metrop. Rem. Hist., t. I, lib. iii, cap xxxvi, p. 462 et 463. Cfr Nardi op. cit., vol I, p. 440. — (19) Gall. Christ. vet., t. II, p. 287. — (20) Gall. Christ. nov., t. XII, col. 33. — (21) Apud Camuzat, Promptuar., fol. 83. — (22) Loc. cit., p. 586 et 587. — (23) Act. SS. Jun., t. IV, p. 585, 589, 592 et 593. — (24) Cfr Nardi, op. cit., vol. II, p. 199, not 1. — (25) Lib. iv, epist. xxiv, apud Ducange, Glossar. latin., voce *Archidiaconus.*

memoratam

A *memoratam* (1), *quæ S.* Aderaldum *diaconali vestitu indutum repræsentabat.*

suæ cura efficit

20 *Quod ad Cleri S. Petri Trecensis reformationem, auctore* Aderaldo, *de qua nunc nobis dicendum, pertinet :* Nihil, *Breyerus ait* (2), admirationis habet quod post sævum incendium, quo circa annum 889 a Normannis Trecensis civitas deformata est, et temporibus bellorum civilium, quibus seculo decimo tota Gallia arsit, canonica disciplina in clero refrixerit. Inter arma silere jura palam est. Collapsam disciplinam restaurasse in ecclesia sua Aderaldum ex legibus quas Aquisgranensis Synodi Patres canonicis scripserunt, anonymi verba evincunt. Dolebat vir sanctus maxime quod secularibus negotiis contra præscriptum Concilii vacarent canonici, et inopiæ prætextu ab observatione regulæ abstinerent. *Idcirco, ut testatur anonymus (cap. 9), persuasit episcopo Manassi ut clericis congregationis S. Petri largiretur jure perpetuo bona non pauca ; quibus Sanctus ipsemet ex propriis bonis* non modicum subjunxit supplementum, tradens et ipse illis quod in prædiis et in ecclesiis tenebat patrimonium. Hisque ita constitutis, cœnobitarum more vivere tunc cœpit congregatio B S. Petri Trecassinæ civitatis, Aderaldo *viam recte vivendi verbis factisque præmonstrante, atque obices bono operi objectos sua constantia superante.*

ut regula canonica

21 *Operæ pretium duxit Breyerus de vitæ genere illius congregationis sequentia annotare* (3) : Minime tamen regulares fuisse Trecenses canonicos et voto paupertatis *(obstricos)*, uti regulares canonici ætatis nostræ, qui se a dominio cujuslibet rei abdicant, colligere ex dictis licet ; sed tantum in claustro suo una mansisse et in congregatione vixisse juxta decreta Conciliorum Turonensis I can. 23, Moguntini can. 9 et Aquisgranensis I cap. 120 et 121. Constat namque ex diplomate Philippi episcopi Trecenses canonicos a regularibus discerni. Aderaldus ex propriis bonis, multo postquam creatus est canonicus, Trecenses canonicos ditavit, et cœnobium S. Sepulchri fundavit. Non erat igitur paupertatis voti reus. Neque hujusmodi votum canonici tunc nuncupare tenebantur : namque possidentes canonicos bona sua non damnat Concilium Aquisgranense, sed eos dumtaxat qui ab ecclesia, quæ pauperes pascit, accipiunt, licet de suo sibi sufficiant. *Imo addere scriptor potuisset illud canonicos inter et monachos discrimen ab eodem Concilio* C *poni quod hi* nihil sibi proprium reliquerunt, illi suis et ecclesiæ licite utuntur rebus (4), *idque etiamsi in congregatione vivant ; in qua ideo quidem cibum potumque omnibus eumdem, sed partes eleemosynarum varia copia variis dandas esse decernitur, prout plures aut pauciores aut nullas habuerint suas vel ecclesiæ facultates* (5). *Verum hæc omnia, licet satis demonstrent non debuisse canonicos illos omni prorsus rerum dominio sese per votum sive explicitum sive implicitum exuere, non tamen solvunt quæstionem utrum colerent necne paupertatem religiosam illam quæ cum dominio consistere potest* (6), *uti videre nunc est in scholasticis Societatis Jesu, nec raro olim vel in ipsis monachis. Sane vitam canonici agebant communem sub regimine et cura præpositi alteriusve prælati, chorum assidue froquentando, simul manducando et dormiendo, claustrum incolendo, quod competenti tempore reserebatur et unde nisi cum licentia foras exire non possent, etc., quæ omnia in regula sive decretis Concilii Aquisgranensis de institutione canonicorum late explicantur* (7) : *hæc autem vita communis, quam et Camuzatus paulo post citandus* regularem *vocat ac* sæculari *opponit, quomodo constiterit sine aliquo ex quatuor religiosæ paupertatis modis quos enumerat Suarezius* (8), *haud facile concipitur. Quo accedunt alia rationum momenta quæ Alanus Lelarge canonicus regularis Genovefanus proponit* (9) *ut persuadeat utrosque canonicos regula Aquisgranensi utentes, tam peculiatos quam proprii expertes, spectatos fuisse ut religiosos, et quidem religionis ejusdem.* A. T.

ibi observetur :

22 *At* constat ex diplomate Philippi episcopi, *inquit Breyerus,* Trecenses canonicos a regularibus discerni. *Nimirum diplomate illo* (10) *exponitur placuisse fratribus S. Petri, id est, canonicis Trecensibus, ponere in ecclesia S. Georgii de Gannayo* regulares canonicos *ea ratione* ut fratres S. Georgii a Beato Petro sua teneant, a Beato autem Quintino regulam, *eam nempe quæ in S. Quintini cœnobio canonicorum Belvacensi vigebat, adeoque pro regulæ observantia dicto cœnobio sint obnoxii, pro rebus vero terrenis* ad justitiam veniant in manu Petri, *hoc est, ditioni capituli Trecensis subsint. Sed prætermi non debet datum hoc diploma videri ad annum* 1085 (11), *quando jam (ut mox videbimus) canonici Trecenses a S.* Aderaldi *institutis declinare cœperant : unde nec præsens Breyeri argumentum ad sententiam ipsius comprobandam omnino aptum est* (12). *Contra vero fundatio canonicæ regularis S. Georgii a capitulo Trecensi facta inter illas numeranda forsitan fuerit de quibus Alanus Lelarge ita scribit* (13) : E Hoc ego quidem passim observavi præcipuarum ecclesiarum clericos undecimo seculo et duodecimo, cum a communi canonicorum regularique vita desciscebant, id vitæ genus nihilominus in aliis honorasse, sic ut suis omnibus quicumque ad Ordinis canonici perfectionem aspirarent, necessaria vitæ subsidia de suo assignarint, vel etiam condiderint canonicas regulares, quarum clerici utcumque alterum suorum statum secularem religione sua compensarent. *Ac facta nonnulla assertum hoc comprobantia idem scriptor adducit.*

quæ observantia circa annum 1082

23 *Dicebam modo clerum Tricassinæ ecclesiæ a reformatione Aderaldina recessisse sub Philippo episcopo. Id sic Camuzatus enarrat* (14) : Prædicti canonici ad tempora usque Philippi, qui cathedram episcopalem Trecensem regendam suscepit F anno 1082, regularem vivendi rationem arcte tenuerunt et observarunt : quo quidem tempore secularem vitam denuo amplexi sunt, et decimarum, quas antea conjunctim cum episcopo possidebant, ex æquo divisionem fecerunt ; et ut aliqua antiqui hujus vivendi moris vestigia superessent, memoratus episcopus ejusque successores solemni epulo et convivio (hoc epulum, *ut in margine scribit auctor,* veteres comestum appellabant) quatuor celebrioribus et præcipuis anni festis, videlicet Paschate, Pentecoste, Nativitate Domini et omnium Sanctorum, omnes dictæ ecclesiæ canonicos excipere obstricti mansere : cujus epuli loco hodie exigua pecunia capitulo ipsius ecclesiæ ab episcopo penditur, *nimirum decem libræ francicæ, ut habet Desguerrois* (15). *Laxata vita communi, res capituli Trecensis ita sensim in pejus ruit, ut Hato episcopus anno* 1145 *dolens te-*

(1) La Sainctelé chrestienne, fol. 256.— (2) P. 10 et 11.— (3) P. 14 et 15. — (4) Cap. cxv, apud Labbe. Concil., t. VII, col. 1389.—(5) Cap. cxx et cxxi. ibid., col. 1391. — (6) Cfr Suarez. de virt. et statu Relig., tract. vii, lib. viii, cap. vii. — (7) Apud Labbe, loc. cit., col. 1315 et seqq. Cfr Thomassin, op. cit., t. I, liv. iii, chap. ix, col. 1376 et seqq.; t. III, liv. ii, chap. xx, col. 725 et seqq. — (8) Loc. cit., n. 7. — (9) De canonicorum Ordine, disq. i, cap. i, art. iv, p. 17 et seqq.; disq. ii, p. 310 et seqq.— (10) Apud Camuzat. fol. 117 verso. — (11) Dachéry. Spicil., t. XI, p. 302, alias t. III, p. 415. — (12) Cfr Thomassin, op. cit., t. i, liv. iii, chap. xi, n. 8, col. 1410.—(13) Op. cit., p. 362.— (14) Fol. 56 et 57. — (15) Op. cit., fol. 264.

staretur (1) : Antiqua enim famosioris ecclesiæ nobilitas data erat in contemptum, gloria in confusionem : filiorum frequentia, super quorum assiduitate jocundari consueverat, versa erat in solitudinem, forinsecis quidem quos habebat canonicos, non quæ Dei, sed quæ sua erant quærentibus, debiti servitii honorem matri suæ non reddentibus. *Quapropter ut forancitati, quam vocabant* (2), *seu canonicorum absentiæ remedium afferret, in solemni capitulo :* Statuendo, *inquit,* statuimus assentientes, quod fecimus confirmante religioso ac venerabili viro Alberico Hostiensi episcopo, Sedis apostolicæ legato, ut qui de cætero in ecclesia nostra canonicarentur, nisi ad ecclesiæ servitium stationarios seipsos exhiberent, nihil de præbendali beneficio præter XX solidos annis singulis acciperent. *Et hoc facto detritam ille quidem disciplinam redintegravit, non tamen eum ad statum reduxit quo fuerat sub S.* Aderaldo, *ut quis ex Breyeri verbis* (3) *deducere forsan posset.*

…cari cœpit :

24 *Interea canonici, etsi non amplius pristina inter se communitate utebantur, nihilominus domos adhuc suas in veteri claustro habebant : aliquæ vero domus ibidem a laicis jure hæreditario possidebantur, et locabantur haud raro joculatoribus, aleatoribus, cauponibus et mulieribus impudicis, non sine clericorum et populi ad divina officia se conferentis turbatione, ut conqueritur Lucius Papa III, qui ab anno* 1181 *ad* 1185 *sedit, in litteris apostolicis hac super re datis, quas Breyerus ad calcem Præfationis suæ ex tabulario Trecensis episcopatus evulgavit* (4). Volentes igitur, *ait Pontifex,* communi ecclesiæ honestati consulere, auctoritate apostolica prohibemus ne domus canoniales ulterius laicis vel gratis dentur aut etiam sub quacumque occasione locentur. Constituimus etiam de domibus quas laici in claustro jure hæreditario tenent, si eas in personis propriis cum honesta familia, exclusis inhonestis personis,... inhabitare noluerint, nonnisi clericis gratis vel pro pretio concedantur. *Denique perstitisse claustrum saltem ad sæculum usque decimum quartum, ita Camuzatus arguit* (5) : In libro actorum capitularium ipsius ecclesiæ literis mandatum reperitur sub die XIX Novembris anni 1364 decretum quod sequitur : « Fuit ordinatum quod de » cætero Matutinæ, prout hactenus fuit consuetum, » in media nocte cantabuntur. » Quod quidem indicat et argumentum est hominum in conclusa septa constitutorum : alias enim non ita commode antelucanis Officiis interesse potuissent, si claustra eorum mœnibus circumquaque cincta non fuissent, (sed, qualia hodie vid. ntur, cuique etiam de nocte pervia et aperta *Hæc ille.*

ejus tamen restitutio aliqua tentata fuit sæculo XVII.

25 *Iis quæ hucusque diximus, annectendum videtur, quod P. Stephanus Binet memoriæ prodidit* (6), *dum anno* 1633 *Vitam S.* Aderaldi *describebat, nonnullos cathedralis ecclesiæ Trecensis canonicos ab aliquanto tempore pium inter se cœtum inivisse, qui imaginem quamdam referret congregationis S. Petri a S.* Aderaldo *ad vitam canonicam informatæ. Itaque uno omnes tecto unaque mensa, sub qua pia lectione pascebatur animus, omnes utebantur, unumque ex suo numero delectum habebant qui communem rem temporalem curaret, ex qua, quantum ærarii ratio sinebat, etiam ad ostium domus dabantur eleemosynæ pauperibus. De choro frequentando cæterisque canonicorum muniis implendis nulli collegarum suarum concedebant : quod vero ab his muniis vacuum supererat tempus, impendebant aut studiis ecclesiasticis, aut habendis in civitate et ruri concionibus ac catechesibus, aut audiendis confessionibus, visitandis ægrotis, aliisve obeundis caritatis officiis ; atque hisce sanctis laboribus intenti, simul mutuam inter se animorum conjunctionem arctamque cum Deo familiaritatem fovere satagebant. Addit Binetus institutum hoc non solum episcopo Trecensi Renato de Breslay fuisse peracceptum, verum etiam Romano Pontifici magnopere placuisse, adeoque aliis per Galliam canonicorum collegiis desiderium injecisse similis vitæ generis amplexandi ; et ipse ad desiderium hoc fovendum opellam illam suam de Hierarchia ecclesiæ et Vita S.* Aderaldi *composuit rogatu prædictorum canonicorum Trecensium, prout in Præfatione ad lectorem docet.*

§ II. Fundatio prioratus S. Sepulcri ; Sancti reliquiæ, imagines, Officium ecclesiasticum, memoria in Martyrologiis.

Prioratus a Sancto erectus,

26 *Postrema inter actiones memorabiles S.* Aderaldi *fuit fundatio monasterii S. Sepulcri. Huic prævivit occasionemque præbuit peregrinatio Jerosolymitana, a Sancto, ut in moribus illius temporis maxime erat, religiose suscepta, quæ a biographo satis prolixe describitur (cap.* 11, 12, 13 *et* 14). *Ex ea redux cum multis reliquiis, inter quæ erat saxi fragmentum e sepulcro Domini nostri Jesu Christi, hisce thesauris condigno honore asservandis sacrarium struere cogitavit, cujus curam piis monachis, cœnobio iis ædificato atque e suis bonis dotato, committeret. Locum delegit in villa seu viculo tribus circiter leucis a Tricassina civitate in septemtrionem dissito, quem irrigat Melda fluvius, e vicino Sequana, cui et aquas suas deinde reddit, derivatus. Is viculus tum* Sambleriæ *dicebatur ; sed, labentibus annis, a nomine quo cœnobium suum Sanctus insigniri volueral,* Sanctum Sepulcrum *nuncupari sensim cœptus est, sicque adhuc nuncupabatur ineunte sæculo* XVII, *ut testatur Camuzatus* (7), *atque etiam anno* 1648, *quo Polyptychum Trecense excusum est* (8), *neque aliud nomen Castellanus in Martyrologio suo ad hunc diem indicat.* Nunc vero, *inquit Breyerus anno* 1724 *scribens* (9), utroque nomine mutato, appellatur Villacerf, *a dominio scilicet hujus nominis, quod anno* 1670 *in gratiam Eduardi Colbert, a quo tunc possidebatur, in marchionatum erectum fuit* (10).

et Cluniacensi subditus abbatiæ.

27 *P. Stephanus Binet* (11) *multa circa cœnobii S. Sepulcri erectionem e suo effinxit genio, quasi S.* Aderaldo *luctandum fuisset cum cæteris canonicis, minus æque ferentibus quod locum monachis quam clericis sæcularibus attribuere mallet : cujus rei ne vestigium quidem in genuina Vita ejus deprehenditur. Narrat quoque* Aderaldi *rogatu fuisse a Cluniacensi abbate (qui erat S. Odilo) eo destinatos monachos, ut prioratum S. Sepulcri constituerent, qui a monasterio B. Mariæ de Caritate dependeret. De Cluniacensi fuisse familia credibile est ; verum de monasterio Caritatis absurda est Bineti assertio : quandoquidem a duobus et amplius sæculis desertum jacebat per vastationes Wandalorum, nec e ruinis*

(1) Apud Quercetanum, Not ad Biblioth. Cluniac., col. 104. — (2) Camuzat, fol. 150 verso. — (3) Pag. 11. — (4) P. 23 et 24. — (5) Fol. 57. — (6) Op. cit., cap. XXIII, p. 383 et seqq. — (7) Fol. 351 in nota marginali. — (8) Pouillé général, etc. Bénéf. du dioc. de Troyes, p. 16. — (9) Pag. 20. — (10) Baugier. Mém. hist de la prov. de Champagne, t. II, pag. 329. — (11) Op. cit., cap. XVII, p. 281 et seqq.

surrexit

A *surrexit nisi post annum* 1050 *sub Goffrido Autissiodorensi antistite, qui illud S. Hugoni abbati Cluniacensi tradidit* (1). *Quippe legerat Binetus in Catalogo cœnobiorum abbatiæ Cluniacensi subditorum inter prioratus immediate subjectos prioratui B. Mariæ de Caritate ad Ligerim hunc etiam a S.* Aderaldo *fundatum recenseri sequentibus verbis* (2) : Prioratus S. Sepulchri Tricassinensis sive Trecensis diœcesis, ubi debent esse, computato sacrista, tres monachi, *quæ ipse minus fideliter ita refert* (3) : Prioratus S. Sepulchri erit sub prioratu de Caritate, ibi debent esse tres monachi, computato sacrista; *et huic fundamento narrationem suam vel potius commentum superstruxit, non attendens quantum subjectio de qua agitur, ævo S.* Aderaldi *serior esset.*

sæculo præsertim XII

28 *Historiam prioratus S. Sepulcri texere neque animus mihi est neque facultas. Ex paucis tamen quæ de eo supersunt monumentis aliqua delibasse non erit abs re. Horum alia apud Camuzatum legere est, alia hucusque inedita nobis humanissime suppeditavit cl. H. d'Arbois de Jubainville, archivii præfecturæ Albæ apud Tricasses custos. Diplomate igitur anni* 1114, *quod in lucem protulit Camuza-* B *tus* (4), *Philippus Trecensis episcopus ecclesiæ et monachis S. Sepulcri, quibus Laudicus prior præerat, dedit ecclesiam S. Joannis Baptistæ de S. Sepulcro (id est, parochiam vici Sambleriarum) et ecclesiam de capella Vallonis cum decimis et parte oblationum, necnon ecclesiam de Villeta cum suis item decimis et censu atrii, cum jure eligendi in præfatis ecclesiis presbyteros, qui ab episcopo Trecensi curam animarum susciperent, monachis vero de temporalibus ad monasterium pertinentibus subjectionem exhiberent. Haud multo post Innocentius Papa II, qui sedit ab anno* 1130 *ad* 1143, *eumdem prioratum, ut in Bulla Innocentii III mox citanda asseritur, sub S. Petri et sua protectione suscepit, nescio an occasione injuriarum quibus ecclesiam et monachos S. Sepulcri affecerant Hugo de Romeliaco dominus de Sambleriis et uxor ejus Elisabeth : propter quas ex præcepto Romani Pontificis* sententia excommunicationis in prædictum Hugonem et Elisabeth uxorem ejus et in totam terram eorum promulgata *fuisse scribitur in litteris Hugonis comitis palatini Trecensis apud Camuzatum* (5). *His litteris pro sententia Papæ et pro justitia ipsius comitis Henrici pax inter contendentes conciliata* C *est æquis conditionibus anno* 1163, *Severico tunc temporis monasterii priore, et cathedram Petri occupante Alexandro III, a quo pariter prioratum sub tutelam Sedis apostolicæ receptum fuisse Innocentius III testatur.*

possessionibus augetur,

29 *Deinde adducendum venit ex archivo præfecturæ Albæ (ubi etiamnum asservatur, avulso tantum sigillo, quod ex funiculis sericis flavi viridisque coloris pependit) diploma Manassis II præsulis Tricassini datum anno* 1179, *quo is notum facit* quod Helisabeth filia Zichariæ, soror Bovonis de Sancto Sepulchro, uxor Hugonis de Rumilliaco..... dedit ecclesiæ S. Sepulchri et B. Aderaldo ibidem quiescenti alodium suum de Valliaco.... exceptis duobus casamentis S. Quintini. Dedit etiam præfatæ ecclesiæ justitiam omnium hominum terram prædicti alodii tenentium, sive * sint de casamentis sive de hominibus S. Quintini : addens quod homines vel feminas quæ tunc temporis junctæ erant matrimonio hominibus præfati alodii, prædicta ecclesia eosdem possideret in pace et quiete. Decrevit præterea præfata domina ne liceat prædictæ ecclesiæ mittere præfatum donum in advocatione alicujus secularis potestatis, sed sit in defensione, tutela et protectione B. Petri Trecensis. *Inter testes autem comparent* Hugo prior S. Sepulchri et Bernardus monachus capellanus ejus, Hugo capellanus S. Sepulchri *(id est, presbyter parochialis Sambleriarum)*, Agnellus, Bernardus et Adam servientes prædicti prioris. *Quod si diploma hoc a Manasse II datum fuerit anno* 1179, *ut fert notitia nobis submissa, corruat necesse est Galliæ Christianæ novæ assertum Manassem Matthæo in sede episcopali Trecensi successisse anno* 1181 (6); *cui tamen asserto suffragatur charta de ecclesia de Buccio nomen Matthæi et notam anni* 1180 *exhibens* (7), *necnon Robertus monachus Autissiodorensis ad eumdem annum Matthæi mortem referens* (8), *præterquam quod Matthæus etiam anno* 1179 *Concilio Lateranensi III adfuit. Verum in hæc digitum intendisse satis habeo.*

* an nisi ?

30 *In prædicto archivo superest quoque archetypon Bullæ Innocentii III super possessionibus prioratus S. Sepulcri, a Camuzato olim vulgatæ* (9). *Declarat Pontifex se ad exemplar felicis recordationis Innocentii et Alexandri prædecessorum suorum ecclesiam S. Sepulcri, in qua Guido prior* E *ejusque fratres divino mancipati sunt obsequio, sub B. Petri et sua protectione suscipere, velleque ut omnes possessiones ab eodem monasterio juste et canonice acquisitæ atque acquirendæ firmæ eis eorumque successoribus permaneant. Tum singillatim sequentes enumerat, quas compendio referam ex editione Camuzati collata cum excerptis quæ nobis ex authentico exemplo subministravit laudatus D. d'Arbois de Jubainville :* Villam S. Sepulchri cum ecclesiis....; annuales præbendas.... in ecclesia S. Petri Trecensis...; ecclesiam de Monte Suzanno; capellam de Gued; capellam de Albaterra; molendinum de Gued...; tertiam partem oblationum in ecclesia de Bulliaco....; domum de Bulliaco....; vineas de Lanis; ecclesiam de Viaspero, de S. Victore, de Bonavicina; ecclesiam de Albiniaco....; ecclesiam Montis Ingonis et terras ad eam pertinentes....; in ecclesia S. Leonis tertiam partem oblationum....; decimam de Redelor; ecclesiam de Bellavilla et eamdem villam....; ecclesiam de Mergi *hanc omisit Camuzatus*)....; ecclesiam de Troanno...., et tertiam partem in molendino de Mediavilla ...; in ecclesia de Hanium (*Camuzato* F Humum) duas partes oblationum....; ecclesiam de Villeta...; in grangia de Vulpeleria (*Camuzato* Vulperia) sex sextaria bladi....; Sceleriis quartam partem majoris et minutæ decimæ; Saveriis quartam partem majoris decimæ et minutæ; in Fontanis quartam partem totius decimæ; capellam Galonis....; Trecis aream domus S. Arraldi omnino liberam, et omnem hæreditatem quam idem Arraldus cum servis et ancillis cœnobio S. Sepulchri contulit liberam, omnibus exclusis hæredibus et sine ulla retentione, sicut in instrumento bonæ memoriæ Philippi quondam Trecensis episcopi legitime continetur; Trecis domum Theobaldi diaconi, et aliam domum quam in foro habetis; decimam reddituum duarum nundinarum quæ fiunt Trecis....; redecimam vini clausi comitis Trecensis, et quatuor libras denariorum in Trecensi moneta in unoquoque anno, quæ dedit vobis Hugo Trecensis comes; villam de Fontanis......; domum Droti....; et quidquid habetis apud alium Drotum et apud Villare; quidquid habetis apud Sociacum et Vaucellam (*Camuzato* Lintella)... et apud Sezan-

quæ firmantur per Bullam Innocentii III

(1) Gall. Christ. nov., t. XII, col. 403. — (2) Biblioth. Cluniac., col. 1719. — (3) P. 286. — (4) Fol. 351 et 352. — (5) Fol. 352 et 353. — (6) T. XII, col. 502. — (7) Ibid. Instrum., col. 275. — (8) Apud Bouquet, op. cit., t. XII, p. 299. — (9) Fol. 354 et seqq.

niam,

niam, et decimam vinearum vestrarum de Bulliaco et de Lanis; quidquid juste acquirere poteritis..... de casamento Trecensis comitis, de casamento Gaufridi de Bullepot et uxoris suæ Alaidis; salvamentum de Fractarippa..., de Calciniaco, de Mergiaco, de Chauchiniaco, de Fontenis, de S. Sepulchro; usuaria in omnibus nemoribus comitis Brenensis....; pasturas Guidonis de Pedaniis..., et molendina de Espiniaco.

anno 1207.

31 *Dehinc plura statuit Pontifex de immunitate, libertate ac juribus ipsius monasterii, subscribitque cum viginti duobus cardinalibus, post quorum subscriptiones additur :* Datum Laterani per manum Joannis S. Mariæ in Cosmedin Card. S. Rom. Ecclesiæ Concellarii, VI Cal. April., Indict. IX, Incarnationis Dom. anno MCCVII, pontificatus vero Domini Innocentii Papæ III anno X. *Quum autem inter hanc Bullam perlegendam desiderium mihi incessisset cognoscendi num vestigium aliquod aut memoria superesset domus illius quam S.* Aderaldus *olim possederat ac cœnobio S. Sepulcri transcripserat, de ea re interrogavi R. D. Fliche vicarium generalem diœceseos Trecensis et seminarii theologici superiorem, qui hæc rescripsit :* Nihil novimus de B domo quam Sanctus Trecis habuit : extincta ea fuerit inter continuas quas civitas nostra passa fuit vicissitudines. *Quæ non tantum ipsius, sed et aliorum eruditorum virorum, quos pro nobis consulere dignatus fuit, sententia est.*

Postea fit sæculare beneficium: ac demum destruitur.

32 *Præmissis documentis, quæ etsi magnam partem industria Camuzati jam innotuerant, tamen hic breviter recensere visum est, eo magis quod Camuzati Promptuarium non sit hodie ita facile obvium, subjecit cl. D. d'Arbois breviarium redituum prioratus S. Sepulcri ex indice ad annum* 1375 *confecto. Computabantur videlicet in annos singulos frumenti modii tres cum sextariis sex et bussellis septem; secalis modii quindecim, septem sextarii et busselli tres cum dimidio; hordei quatuor modii, sextarii sex, decem busselli; avenæ modii septem su; ra viginti, sextarii decem, busselli quatuor et dimidius : pecuniæ libræ* 136 *cum septem solidis : his addebantur quadraginta ulnæ lini, ceræ libræ quindecim cum dimidia, quatuordecim anseres, gallinæ triginta sex, quinque pintæ ole', etc. Polyptychon Tricassinæ diœceseos anno* 1648 *editum, quod jam antea citavi, eidem prioratui pro reditu annuo assignat libras francicas bis mille* (1); *parochialis vero ecclesiæ proventus* C *annuos libris sexcentis æquivalere tradit* (2). *Quantum ad decimas papales, D. d'Arbois in polyptycho anni* 1407 *reperit taxam prioris S. Sepulcri fuisse triginta libras Turonicas, dum illa capituli cathedralis ecclesiæ Trecensis ad quadraginta, et illa abbatis Claravallensis ad ter mille libras ascenderet. Insuper notat, quod et ex polyptycho anni* 1648 *patescit, priori S. Sepulcri sæculo* XVII *competivisse jus patronatus sex ecclesiarum parochialium, nimirum* Capellæ Walonis *seu* Galonis, Mergiaci, S. Sepulcri, Montis Ingonis, Montis Suzanni *et* S. Georgii de Troanno magno; *quæ etiam nunc inter succursales (ut dicimus) diœceseos Tricassinæ ecclesias adscribuntur hisce gallicis nominibus* (3) : Grandes-chapelles, Mergey, Villacerf, Montangon, Montsuzain et Trouand-le-Grand. *Ad extremum de statu dicti prioratus sæculo* XVIII *paucis dicam inde jam nescio a quo tempore excessisse monachos, quando Breyerus Vitæ S.* Aderaldi *a se vulgandæ præfabatur, et monasterium commutatum fuisse in beneficium quod prior fiduciarius teneret, ut is scriptor refert* (4); *ac postremo hoc ipsum beneficium cum æde sua sacra* D *deletum fuisse inter vastationes quibus circa dicti sæculi finem religio in Gallia fuit afflicta.*

Corpus Sancti ibidem quievit

33 *Usque ad calamitosam illam tempestatem pretiosæ S.* Aderaldi *exuviæ in dicta prioratus S. Sepulcri ecclesia, ubi ipse verisimiliter sibi sepulturam elegerat, quieverunt. Inclusæ erant arcæ ligneæ picturis et auraturis decoratæ, quæ retro summum altare in altum elata conspiciebatur, teste Desguerrois* (5), *qui insuper refert inibi simul cum corpore Sancti depositum fuisse cilicium ipsius et aliqua SS. Georgii et Victoris lipsana necnon saxum quod e sepulcro Domini Sanctus acceperat. Videtur arca illa venerandæ esse antiquitatis, at quo confecta fuerit tempore, non video unde colligi possit; quum autem Desguerrois ad calcem operis sui inter festa Sanctorum diœceseos Tricassinæ diem* XXII *Maii tamquam recolendæ translationi S.* Aderaldi *sacrum adscribat (id quod decessores nostri ad illum diem inter Prætermissos notarunt), suspicio mihi est ipsum esse diem quo traducta Sancti ossa in memoratam arcam fuerint. Odardus Hennequin, qui Silvanectensem episcopatum anno* 1527 *cum Trecensi commutavit, et prioratum S. Sepulcri una cum abbatiis S. Lupi, S. Martini, Bassi Fontis et de Virtute ac prioratibus Joviniacensi et Cellensi habuit in* E *commendam, laudaturque quod opulentas sacerdotiorum pecunias extruendis ac sarciendis episcopatus ædificiis et operibus piis impendit* (6), *inter multa suæ munificentiæ specimina arcam quoque S.* Aderaldi, *ut item narrat Desguerrois* (7), *pristino nitori restituendam ac superiorem ejus partem panno serico villoso viridis coloris cooperiendam curavit.*

per octo fere sæcula :

34 *Binetus ad hæc refert reliquias S.* Aderaldi *sæpius solemni ritu visitatas fuisse, quum a monachis cœnobiorum Caritatis et Cluniacensis, tum ab archidiaconis civitatis Trecensis, ac nominatim anno* 1631 *ab eo qui tunc Trecis erat archidiacono; de quibus omnibus visitationibus authentica instrumenta confecta fuisse dicit* (8). *Ex Breyero* (9) *præterea discimus thesaurum reliquiarum cathedralis ecclesiæ circa annum* 1500 *(si scriptoris verba bene capiam) a Petro Dorigny canonico ejusdem ecclesiæ et priore commendatario S. Sepulcri ditatum fuisse una ex costis S.* Aderaldi; quæ, *inquit,* anno 1644 in argentea theca, sumptibus Ludovici le Courtois quondam archidiaconi et canonici affabre facta, conclusa est mense Decembri a D. Francisco Malier Trecensi episcopo. *Scripsit autem nobis* F *R. D. Fliche hanc costam in cathedrali ecclesia adhucdum existere, sed ita aliis permixtam reliquiis ut dignosci jam non possit; thecam vero argenteam non amplius illic esse, nec reperiri usquam scripturas illas de quibus Binetus mentionem facit. At idem ex curia episcopali Trecensi sequens nobis obtinuit instrumentum de erectione monumenti in memoriam S.* Aderaldi *intra ecclesiam parochialem S. Sepulcri sive de* Villacerf *anno* 1803, *unde intelligi optime poterit quæ sors reliquiarum Sancti nostri fuerit nuperis temporibus. Præmonitum autem lectorem velim omnia hoc instrumento contenta, non exceptis inscriptionibus, gallico exarata esse idiomate; quæ, qua potero fide, latina faciam.*

nunc vero in templo parochiæ Villacerf

35 Nos presbyter curatus de Villacerf, et nunc temporariam inibi exercentes animarum curam, præsentibus multis ex civitate Trecis vicinisque ecclesiis viris ecclesiasticis nobiscum subsignatis, coram D. Maudier prætore vici Villacerf auctoritatem nobis dante et numeroso cœtu incolarum vici Villacerf ad eumdem hunc finem convocatorum, ex licentia, approbatione ac potestate

(1) Pag. 18. — (2) P. 16.— (3) Almanach du clergé de France, 1851, p. 601 et 602.—(4) P. 21.—(5) Fol. 256.— (6) Camuzat, op. cit., fol. 248; Gall. Christ. nov., t. XII, col. 517.—(7) Loc. cit.—(8) Cap. XXI, p. 355 et 356. — (9) Pag. 21 et 22.

nobis

A nobis per litteras ad nos datas die XXIX Septembris MDCCCII concessa a D. de la Tour du Pin archiepiscopo quondam Ausciensi, designato episcopo Trecensi, necnon cum consensu D. le Duc electi ad regendam diœcesim, sede vacante, vicarii generalis, secundum litteras ab eo ad nos scriptas die VII Decembris MDCCCII, visitavimus arcam S. Aderaldi presbyteri, canonici et archidiaconi ecclesiæ Trecensis, fundatoris prioratus S. Sepulcri in Villacerf, quæ continuit sanctas ipsius reliquias jam inde ab octingentis annis publicæ venerationi in ecclesia de Villacerf expositas, secundum titulos maxime authenticos qui in ipsa arca apud sanctas hasce reliquias positi erant, et secundum historiam diœceseos simul ac constantem traditionem fidelium, qui per tot sæcula pretiosas hac exuvias numquam ex oculis amiserant. Reperimus arcam vacuam esse, et voce publica atque unanimi testimonio incolarum omnium vici Villacerf didicimus eamdem arcam in diebus terroris sub rerum Gallicarum perturbatione violatam ruptamque fuisse, ac pretiosa quæ continebat ossa cum aliis ossibus promiscue fuisse projecta in parvam cryptam ecclesiæ de Villacerf sitam sub altari sacelli lateralis B ad dextram altaris majoris e regione ostii sacristiæ.

in crypta jacet :

36 Item voce unanimi omnium constitit sacra illa ossa, ex quo in locum hunc projecta fuerant, non fuisse umquam inde ablata. Quum igitur eo descendissemus cum testibus requisitis et nobiscum subsignatis, ossa nobis designata, descripta ac denominata ibi invenimus, eademque recognovimus; verum quia et alia ibidem jacebant, illa ab his discernere non satis certo potuimus ut ea arcæ insereremus ceu indubia ossa Sancti presbyteri, canonici et archidiaconi Trecensis; atque ad agendum prudentius, sancta ossa extra arcam reliquimus, quin ea a cæteris separaremus aut distingueremus. Considerantes autem pietati fidelium sufficere, si certo sciant sacra ossa in hoc sepulcro existere, horumque cineres semper fidei eorum futuros esse pretiosos, quum in memoriam revocarint pretiosas has esse exuvias corporis sancti quod vivum Sancti Spiritus templum fuit, atque eosdem cineres gloriose ad vitam rediturus; considerantes pariter hosce cineres semper aptos fore ut spes quas fides nobis indit, in animis fidelium foveant, validissimumque eis inde futurum incitamentum ad invocandum C cum fiducia ac salutis suæ emolumento Sanctum protectorem, qui tanta pietatis suæ monumenta reliquit et præsertim, ne de cæteris omnibus loquamur, erigendo prioratum S. Sepulcri in Villacerf, quod pretiosum monumentum nuperrime destructum fuit : sacras proinde reliquias, post debitos honores iis exhibitos, indiscriminatim reliquimus extra arcam; sed quoniam hæc arca, licet ex querneo tantum ligno confecta sit, etiam ipsa pretiosa est pietati propter sacrum depositum quod tam diu in ea jacuit, iisdem moti rationibus et considerationibus, eam reverenter in crypta apud sacra ossa collocavimus.

supra quam monumentum

37 Omnibus eo in statu, ut expositum est, relictis, per auctoritatem D. archiepiscopi episcopi Trecensis et superiorum ecclesiasticorum et concessam a D. prætore de Villacerf facultatem cryptam occludendam et opere cæmentitio obducendam curavimus, ita ut jam ad alium finem ullum adhiberi nequeat, neque quacumque de causa aperiri possit sine venia superiorum : ne pretiosi cineres Sancti protectoris horum locorum amplius turbentur neve profanentur, sed e contrario sepulcrum hoc perpetuo veneratione, reverentia atque honore afficiatur secundum mentem et voluntatem D. archiepiscopi episcopi Trecensis. Hujus porro ac D. prætoris de Villacerf auctoritate supra aditum cryptæ ad altitudinem podii honorarius erigetur tumulus in memoriam S. Aderaldi cum illa epigraphe : « Sancto Aderaldo benefactori et protectori horum » locorum », ut monumentum hoc eodem haberi possit honore ac ipsa Sancti arca, in cujus lucum subrogatur. Nimirum oblata a nobismet petitione D. prætori qua gratiam nobis concedi postulabamus ut monumentum illud nostris sumptibus fieret, ea concessa, illico id construi jussimus. Et de omnibus supra relatis instrumentum legitimum confecimus ad factorum probationem et perpetuam eorumdem memoriam conservandam; quod instrumentum lectum, revisum et pro vero agnitum, signatum et subscriptum fuit anno Domini nostri Jesu Christi MDCCCII in ecclesia de Villacerf, post solemnitatem Officii Sancti protectoris horum locorum, die XIII mensis Decembris, et reipublicæ Gallicanæ XXII Frimarii mensis anno XI. *Signatum erat :* Saget parochus de Villacerf, parochiæ pro tempore deserviens. Maudier prætor de Villacerf. Coquet parochus S. Juliani, et pro tempore deserviens parochiæ S. Urbani in civitate Trecis. Mocqueris parochus de Villiers-le-Brûlé, pro tempore deserviens parochiæ S. Urbani in civitate Trecis. Girardin testis. Barbousat, Petrus Herard, testes. Joannes Ludovicus Charton. Joannes Ludovicus Collot. Nicolaus Rousselet Trecensis. Claudius Joseph Creney. Dionysius Mignot. Guido Bard. Nicolaus Gouget. Claudius Quenant. Joannes Chominot. Bazin. E

A. T.

in S. Aderaldi memoriam

38 Forma monumenti S. Aderaldi. Stylobates quadratus cum sua basi ac limbo ex lapide Tornodurensi, suffulciens columnam supra eum erectam. Columna hæc cereum valde elevatum sustinet, qui corona trajicitur. Mens fuit repræsentare sacerdotales Sancti virtutes, quibus tempore vitæ suæ fulcimento, stabilimento et ædificationi fuit diœcesi Trecensi, puta fidem, zelum, caritatem, integritatem, innocentiam et bonum exemplum quod posteris reliquit. In quadrato stylobatæ legitur :

Sancto Aderaldo
benefactori
et
protectori
horum locorum. F

In scuto columnæ affixo scriptum est :

Sub hoc altari
honorantur
reliquiæ
S. Aderaldi.

Supra coronam quæ cereum ardentem trajicit, legitur :

Sancte Aderalde,
ora pro nobis.

anno 1803 erectum fuit.

39 *Sequens simul attestatio nobis a R. D. Fliche ex episcopatu Trecensi transmissa fuit :* Anno Domini nostri Jesu Christi MDCCXCI, prima Dominica Quadragesimæ, pretiosæ reliquiæ S. Aderaldi translatæ fuerunt ex ecclesia prioratus ad ecclesiam parochialem; et anno Domini nostri Jesu Christi MDCCCIII, prima Dominica Quadragesimæ, erectum, benedictum ac consecratum fuit in memoriam S. Aderaldi monumentum quod constructum est in ecclesia de Villacerf in sacello ad dextram altaris majoris, e regione ostii sacristiæ, supra aditum loci qui pretiosas Sancti benefactoris et protectoris horum locorum reliquias continet. In quorum fidem subsignavimus : Saget parochus de

A. T.

de Villacerf, et multi etiam nobiscum subsignarunt. Petitjean. Edmundus Mangoust. Quincy. Petitjean. Roux. Jacobus Delaune. Laurent. Nicolaus Begat. Quenant. Broyard. Dionysius Laurent. Edmundus Vernier. Edmundus Laurent. Joannes Mignot. Petrus Hérard. Goujet. Edmundus Gaudien. Barbousat. Nicolaus Sonti. Fleury. Lécorché. L. Massey. Edmundus Jacobus Feugey. Joannes Boyard. Joannes Ludovicus Collot. Claudius Grency.

Veteres Sancti effigies;

40 *Hactenus de Sancti reliquiis. De imaginibus ita loquitur Desguerrois* (1) : Animadversione dignum est in ecclesia cathedrali Trecensi imaginem valde antiquam anaglyptico factam opere, quæ Sanctum sedentem exhibet ad altare Sanctissimæ Crucis, eum tantummodo repræsentare uti canonicum vestitum bireto ac superpelliceo manicis clausis non pendulis, sine almutio, et librum manibus tenentem ; sed longe aliter tam pictura quam anaglyphe eum expressum esse in ecclesia prioratus S. Sepulcri. Namque ibi in speculario dextro medius inter imagines S. Pauli et S. Siriæ in vitro depictus, et in altari majori prope effigiem Jesu Salvatoris resurgentis sculptus est ut diaconus indutus B dalmatica et librum Sanctorum Evangeliorum gestans. *Atque hæ quidem duæ posteriores imagines cum ipsa ecclesia monastica S. Sepulcri perierunt; quæ vero in cathedrali ecclesia Trecis extabat, fuit inde pariter sublata : hujus interim speciem facile assequi cogitatione poterit quisquis effigies libello Bineti insertas inspexerit, ubi tamen almutium brachio ejus impositum cernitur.*

Officium ejus ecclesiasticum,

41 *De Officio ecclesiastico hæc Breyerus habet* (2) : S. Aderaldi dies festus XX Octobris in ecclesia Trecensi duplici ritu fit ad mentem dicti Dorigny *(de quo supra, num.* 34) ab anno 1500. In prioratu vero S. Sepulchri cum octava integra olim a monachis Benedictinis, cum in eo servirent Deo, celebrabatur. *Quod dicit de cultu in ecclesia Trecensi, ritum tantummodo duplicem respicere videtur, qui fuerit ab anno* 1500 *introductus. Etenim in Trecensi ecclesia æque ac in prioratu S. Sepulcri Officium S.* Aderaldi *recitatum fuisse a longe remotiori ætate, aperte produnt Breviarium manuscriptum et Lectionarium de quibus antea (num.* 8) *Breyerum loquentem audivimus, etiamsi utriusque vetustatem fortassis exaggeraverit. Quod si quæratur num Officio proprio (ut vocamus) Sanctus quondam in prio-* C *ratu suo atque etiam Trecis cultus fuerit, prompta mihi responsio non suppetit. Nempe, ut nobis rescriptum fuit, quæ hodie Trecis supersunt Breviaria etiam prisca S.* Aderaldo *assignant Officium de communi Confessoris cum tribus de vita ejus lectionibus sat brevibus, nec potuit ibi a quodam aliud Officium detegi. Aliunde tamen est cur non immerito quis suspicetur ex proprio quodam Officio desumpta esse responsoria, antiphonas et orationem quæ Binetus ad calcem libelli sui latina lingua posuit; quandoquidem ea stylum redolent ad hujusmodi cantus a majoribus nostris adhiberi solitum, nec ratio cernitur ob quam Binetus ea ipsemet ita composuisset. Ut lectores ipsi judicent, ea hic subjiciam.*

olim forsan proprium,

42 De S. Alderaldo Responsorium. Beatus Aderaldus jam triumpho potitus novit suis famulis præbere cœlestia commoda, qui toto corde poscunt ejus largitiones. Illi nimirum tota nos devotione oportet committere. ℣. Ut apud Christum ejus patrociniis adjuvet spiritus. Aliud Responsorium. Pater insignis, alme Aderalde, meritisque clare, D cum Christo regnans, preces nostras in aula Regis æterni subleva. Et protege utrumque ordinem, cujus egregius extitisti Levita in urbe. ℣. Incessanter pro nobis supplica Deum, ut feliciter mereamur perfrui gloria paradisi. In Laudibus S. Aderaldi Antiphonæ. Beatus vir Aderaldus plus appetiit mala mundi perpeti quam laudes, pro Deo laboribus fatigari. Antiph. Erat vir Dei Aderaldus vultu placido, canis decoratus angelicis, tantaque circa eum claritas excreverat, ut in terris positus, in cœlestibus habitaret. Antiph. Gloriosus Confessor Domini Aderaldus vitam angelicam gerens in terris, speculum bonorum operum factus est mundo, et ideo cum Christo jam sine fine gaudet in cœlis. Antiph. Ecclesiæ sanctæ frequentans limina, sacra pectori condebat mandata. Antiph. Sancte Aderalde, intercede pro nobis, ut consortes gloriæ Sanctorum tecum effici mereamur. Collecta. Omnipotens sempiterne Deus, qui in meritis Sancti Aderaldi Confessoris tui semper es et ubique mirabilis : quæsumus clementiam tuam, ut, sicut eminentem gloriam ei contulisti, sic ad consequendam misericordiam tuam ejus nos facias precibus adjuvari. Per Dominum nostrum etc. E

ac mentio ejus apud Martyrologos.

43 *Restat ut priusquam hunc Commentarium claudamus, fastos sacros indicemus in quibus obviam habuimus S.* Aderaldi *memoriam. In Usuardina editione quam Sollerius Lubeco-Coloniensem vocat, et in altera Coloniensi prorsus simili, sed chartæ minoris formæ impressa, sicut et apud Grevenum, legitur hoc die :* Trecas Sancti Arandi Confessoris; *ubi Sollerius quærit :* An non Adroldi vel Alderaldi? *Molanus in prima sua editione scripsit :* Trecas civitate natalis S. Arandi Confessoris et archidiaconi, *cui annuntiationi germanica Adami Walassen sive Canisii verba prorsus respondent; sed in aliis Molani editionibus nomen* Arandi *in* Araldi *commutatum est. Ferrarius in Catalogo generali scribit :* Trecis S. Aderardi Confessoris, *citans Kalendarium et Breviarium ecclesiæ Trecensis. Desguerrois inter festa Sanctorum Tricassinorum non solum hoc die Natale S.* Aderaldi *recenset, quo toti diœcesi Trecensi commune tunc erat et adhuc est, verum etiam die* XXII *Maii Translationem ejusdem Sancti, quæ soli forsan prioratui S. Sepulcri propria fuerit. Saussayus quoque, Castellanus et Franciscus Giry S.* Aderaldum *ad diem ejus natalem cum multa laude appellant; hisque consonant Martyrologia Parisiense, Ebroicense et Autissiodorense, in cujus* F *annotatione Joannes Lebeuf* (3) *præter alios fontes allegat etiam Kalendaria ecclesiarum Senonensis, Nivernensis et Trecensis ; quamvis ex superstitibus decessorum nostrorum scriptis videam neque in Breviario Senonensi anni* 1641 *neque in Nivernensi Directorio divini Officii pro anno* 1637 *nomen Sancti nostri occurrisse. Martyrologis hucusque citatis conjungendus foret Menardus, si audiretur Desguerrois eum sic accusans* (4) : Benedictini hodierni, ac nominatim Hugo Menard in suis Observationibus in Martyrologium Ordinis S. Benedicti, S. Aderaldum Sanctis Ordinis sui annumerant, quod prioratum S. Sepulcri, qui ejusdem Ordinis est, fundaverit, in quo reliquum vitæ suæ eum transegisse Menardus opinatur ; verum illa opinio nullo argumento nititur, quum ne verbulum quidem de ea re extet in Historia Sancti, ex qua liquet eum vixisse et obiisse canonicum et archidiaconum Trecensem. *At locus ubi Menardus in Observationibus suis de S.* Aderaldo *nostro dixerit, prorsus me fugit. De Adraldo loquitur* (5), *sed abbate Bre-*

(1) Fol. 256. — (2) Pag. 22. — (3) Cfr Mémoires concernant l'hist civ. et eccl. d'Auxerre, par l'abbé Lebeuf, edit. 1848, t. I, p. XXXIV et XXXV. — (4) Fol. 256. — (5) P. 434.

mensi

A *mensi sive Bremetensi, qui familiaris fuit S. Petri Damiani.*

VITA S. ADERALDI,

auctore anonymo ejus æquali et familiari, ex editione Remigii Breyer.

Sancti nativitas, pueritia, adscriptio in clerum.

Venerabilis Christi servus et athleta Dei Aderaldus Trecis in Gallia civitate fuit oriundus, parentibus in seculi pompa et gloria inclytis quidem, sed in Dei servitute devotissimis : cujus pater nobilissimus vir dictus est Walo, id est Bonus *a* Austrasiorum lingua *b;* mater vero ejus, genere et nobilitate non inferior, inter vicinos et contribules suos honestate claruit, quæ Odrada nuncupabatur *c.* Qui puer bonæ indolis et spei fuit ; et statim ab infantiæ teneris annis literarum traditur studiis, non tamen secularibus commendatur scholasticis B aut magistris, sed Deo devote servientibus committitur monachis *d :* a quibus, ut illa capiebat ætas, eruditus non modice et bonæ vitæ disciplina imbutus, brevi spatio temporis elapso, in ecclesia S. Petri Trecorum inter clericos adnumeratus *e,* canonicæ particeps factus est præbendæ ; in eoque non diu latuit lux sanctitatis divinitus data tamquam sub modio, sed veluti super candelabro operibus cœpit clarere, quibus replebatur talis ætatula a Deo benedicta.

Pietas in acolutho.

2 Ex Ordine Romanæ Ecclesiæ *f* in die et hebdomada magnæ solemnitatis Paschæ duo deferuntur cerei ante pontificem Trecorum, et hoc officium duobus injungitur acoluthis *g :* exinde diebus his transactis, quod superest de cereis hujusmodi, eisdem conceditur acoluthis. Hic puer sanctus igitur, hoc gradu jam sublimatus, hocque officio et munere functus, statim bonæ intentionis suæ lumen ostendit : nam ea illi data cera ex eaque vendita recepit aliquam argenti vicissitudinem propriamque mercedem, ex qua fecit phylacterium, id est reliquiarum sanctarum receptaculum, sibi pro sua pietate gerendum. Miramini et videte, fratres charissimi, solertissimæ et simpli- C cissimæ mentis opusculum et devotionem, quomodo primitias fructuum suorum offerat Domino et rebus sacris addicat. Mecum perpendite unde tantillo tanta et tam bona intentio. Ipsius procul dubio id factum est dono a quo cuncta bona fulgent in terra et in cœlo.

Spiritus Sancti in eo præsentia.

3 Hinc pueritiæ transgressus metas, non tamen earum quas fert affinis veniarum *h,* ut apis sedula et argumentosa *i* diversorum Ecclesiæ Patrum diligenter cœpit inspicere vitas, et charismatum meliorum æmulari divitias ; et reperiens tam ex scriptis autorum quam vivis vocibus aliquorum ante Pentecosten debere fieri jejunium, hac scilicet autoritate inceptum qua legimus autorem ejus Dominum nostrum tale protulisse discipulis suis edictum : « Venient dies cum sponsus auferetur ab » eis, et tunc jejunabunt », celebrata ut decens erat Domini Ascensione ante adventum Spiritus Sancti, corpus suum districta cœpit attenuare parsimonia *k.* Interea dum nocte quadam membra diutinis jejuniis fessa dedisset quieti et sopori, recubans in quodam patris sui cum aliis conclavi, ecce splendor visibus oculorum intolerabilis adyta subiit tecti, et circumjacentem locum radio concussit inæstimabili : quem cum nullius circumstantium sufferre posset affectus *l,* sed ad interiora sinus sui suos quisque declinaret vultus, vultum specialiter appetiit viri Dei, et ori ejus visus est illabi ; omnibusque vitam ejus subsequentem considerantibus et spectantibus patuit certissime quod Spiritus Paraclitus illum in hoc splendore illustraverit, qui hac eadem solemnitate in linguis igneis Discipulis apparuit. Hac igitur præsentia Spiritus Sancti et illustratione divina Dei athleta illuminatus, seponere cœpit transitoria, et tota intentione curando cœlestia suspirare ad bona sine fine mansura.

AUCTORE ANONYMO ÆQUALI *l*

Ejus jejunia

4 De jejuniis ejus quid dicemus ? Hoc saltem quod brevitas temporis suggeret, non ut ratio digne postulavit. Eorum parsimoniis vigilanter operam dabat, sed non quomodo modernos et in præsentiarum homines ea videmus exercere ; imo longius austeriori examine ad antiquorum imitationem Sanctorum. Nam panis quo utebatur, non tantum hordeaceus et palato asperrimus, sed (quod est magis mirabile) cineri erat permixtus, ut dicere posset : « Cinerem tamquam panem mandu- » cabam. » Nec tali sustentabatur semel in hebdomada, sed quotidianum panem suum faciebat, cum E familia domus, qua cingebatur non modica, deliciosis sæpe uteretur cibis, fruereturque voluptatibus : ipse vero prædictis semel et sero in die sustentabatur dapibus, nec erat quisquam hominum qui talia tentaret aut auderet ab eo eliminare.

Orationes nocturnæ.

5 De jejunio transeamus ad alia. Pauca quidem de multis capienda : nam testem invoco Dominum Christum ipsamque veritatem me magis magna parvis attenuare quam parva magnis ampliare ; nec literis mando aut explico verbis omnia quæ vel ipse vidi vel quæ a viris verissimis mihi referentibus audivi : scilicet quod numquam gallicinium noctis illum adhuc in strato cubantem, sed citius præ foribus vel intra fores templi invenit in Dei laudibus excubantem ; quia secutus Psalmographum media nocte surgebat ad confitendum Domino. Et tunc in quiete tam ardenter meditabatur in Dei mandatis et mysteriis (eorum, dum illucesceret, operibus et satisfactionibus studens quibus noctu incubuerat) ut fessus et sudans ideo matutinis apparebat, ac si cum aliquo hoste cominus certavisset. Non enim hic silentio est præter- F eundum quomodo antiquus hostis a proposito nocturnarum orationum studio eum voluit revocare. Nam, ut sæpe mihi referebat in aure, dum in primis orationibus pernoctaret assidue, horrendo concutiebatur pavore, et infandorum monstrorum quatiebatur viso phantasmate, voces et inauditos sonitus hauriebat aure : nec tamen talibus dæmonum insidiis destitit a proposito suæ pietatis ardore.

Eleemosynæ.

6 De eleemosynarum etiam largitate multum timeo fidem mihi non accommodandam esse, si quæ vidi voluero literis mandare. Non enim sufficiebat ei largiri victualia famelicis, nudis præbere vestimenta, peregrinis aperire tecta hospitalia : quin insuper lepra scaturientes lavabat, vestibusque propriis, quibus utebatur, tegebat, et ut ex se natos confovebat ; infirmorum circa jacentium loca memoriter tenebat ; egenorum receptacula longe propeque morantium noverat, et eorum cuique quæ necessaria erant, suppeditabat. Os ejus insuper a divinis laudibus vel eundo vel redeundo nunquam vacabat, sed et cuique convenientia sibi seminabat ; nec singularibus hoc tantum faciebat, sed et in ecclesia cunctis audientibus publice verbum Dei prædicabat *m.* Non aliter vivebat quam docebat,

AUCTORE ANONYMO ÆQUALI.

docebat, sed opus ejus voci concordabat, quæque docebat verbis, astruebat exemplis.

Romæ peregrinationes.

7 Interea non ei sufficit inter suos frequentare talia; verum pro Christi amore spontanea delegit peregrinationis itinera, tanquam suæ pietatis exilia. Principis Apostolorum S Petri limina Romæ præ cunctis locis lucentia duodecies studuit adire, accepta sui pontificis voluntate et benedictione, sed non uno eodemque modo et ordine : nam aliquando equo subvectus, multoties propriis nitebatur gressibus; dumque pervenisset ad aliquem fluvium ipsis etiam invium equis, tunc, nudatis vestibus propriis, per frigus medium vel natatu vel eo quo poterat gressu transmeabat ; nec calceis indutus Apenninorum montium et Alpium vitabat frigus, sed hæc juga divina gratia exsuperabat, nudis etiam pedibus; nec talia quidem bis vel tertio, sed plusquam duodecies in vitæ suæ repetiit ævo.

Miracula.

8 Post peregrinationes cum domi moraretur, repetat assuetas preces et devotæ mentis orationes : nocturnis inhærebat vigiliis, et post orationum et vigiliarum suarum excubias non fabulis audiendis aut recitandis, non gyrovagis huc illuc discursibus vacabat; sed divinæ Scripturæ lectionibus lumen cordis infigebat, et quæ bona inde hauserat, in confratrum suorum utilitatem ipsis coram exponebat et dabat *n*. Nec talis vita miraculis caruit; sed omnia quæ Deo concedente fecit, summopere occuluit. Constat enim quod multi febrium exustione incredibiliter torti et adusti ad eum sæpe veniebant, sopitesque ab illo in propria continuo redibant : eos tamen, Christi Domini exemplo, adjuramentis quam maximis astringebat ne per illos palam fieret quod illis factum fuerat.

Solitudo et vitæ canonicæ restauratio.

9 Insuper eum miramini virum fuisse sic anachoreticum ut istius ævi viros omnes dicamus excessisse. Non enim est admiratione dignum bonum inter malos fulgere : num inter bonos, sed bonum inter malos fulgere : salvo enim Dei timore et vestro amore, mei domini et fratres Sancti Petri, possum hoc dicere quod in hoc tempore prædecessores nostri vivebant secularissime, adhuc negotiis nimis intenti. Hisque ita se habentibus, urbi Trecorum Manasses vir sanctitate plenus præfertur episcopus, qui virtutibus quæ decent episcopum abunde ornatus et expolitus, anhelans ad cœlestia, postpositis secularibus negotiis, aurem accommodare cœpit viri sancti admonitionibus. Amat similis sibi similem, ideoque conferebant illi vitam et amorem mutuum ad invicem : inhærebant studiis iisdem bonis; exercebantur colloquiis divinis, et instabant orationibus continuis. Idcirco sanctus ille præsul partem ei partitus est oneris sui, sublimans eum honore archidiaconi; sicque alter æmulabatur alterum ut in duobus crederes esse cor unum : præveniebant se invicem honore, et in Dei servitio alter alteri satagebat præstare; et, ut modo diximus, congregatio S. Petri Trecorum secularibus nimis erat dedita, nec his quæ canonicorum erant, intenta. Nec vero ex toto eis culpa imminebat, utpote quia egestate compulsi negotiis secularibus inserviebant, nec unde communiter et invicem collecti viverent, habebant. Quæ videns Sanctus Dei Aderaldus prædictum pontificem, a quo maxime diligebatur, super talibus interpellabat. Cujus frequentibus verbis et crebræ persuasioni præbens assensum beatus episcopus ad hæc corrigenda totis intendebat viribus. Ejus ergo monitis largitur jure perpetuo clericis congregationis S. Petri nonnulla quæ tenebat bona, et bonis jam concessis alia addidit bona; quibus (nil mirum) vir Dei Aderaldus non modicum subjunxit supplementum, tradens et ipse illis quod in prædiis et in ecclesiis tenebat patrimonium. Hisque ita constitutis, cœnobitarum more vivere tunc cœpit congregatio S. Petri Trecassinæ civitatis.

Exemplum optimæ vitæ.

10 Congregatis autem non solum ad ecclesiæ fulcimentum, sed etiam ad clericorum S. Petri nutritionem et necessaria multis reditibus, frugibus et bonis, illisque ab ampla licentiæ via ad angustam, quæ ducit ad vitam, reductis et conversis, ad hoc ut ostenderet salutis viam omnibus, sanctus ille Deique verus vexillifer medium se offert, vel potius primum, eisque viam recte vivendi verbis præmonstrat et factis. Nec cuivis facile est verbis æquare quomodo sese in virtutis erexerit culmine. Crebro etiam diaboli persuasu a sibi contradicentibus quibuslibet intolerabiles sustinuit contumelias, opprobria et injurias; nec sic tamen inceptas vitæ melioris deseruit vias. Divites hinc, inde potentes pavorem ei voluerunt injicere; nec tamen divitum terrebatur formidine, nec potentium violentia aut majestate. Amici et affines ab ea remotiori vita revocare contenderunt; nec adulantium tamen retardabatur loquacitate. Perstitit Dei athleta invictus contra omnes incursus, nec defuit quin obvius cuique veniret a justo male aberranti tramite. Vicit tandem omnia, et pacatam in communi vita clericorum traduxit formam.

Visitatio locorum Jerosolymorum.

11 Vir quoque beatus cupiens de bono in melius proficere et ire de virtute in virtutem, longissima terrarum spatia et sancta Jerosolymorum cupiit adire loca : quod ubi suo innotuit pontifici, parentibus et amicis, omnes nimii stuporis et mœroris sigillantur singultibus; ideoque ne illud ab eo fieret, tunc præsul, qui eum valde diligebat, autoritate motus et charitate qua potuit, eo quod cunctis esset charus et salutaris, hanc ei peregrinationem inhibuit. Parentes quoque ejus, cognati omnes et amici magnis ob id curis et mœroribus angebantur. Plangebant ejus discessum pauperes, quia multa beneficia largiter in eleemosynis eis impendebat. Lugebant mediocres, quos in negotiis suis monebat. Mœrebantur afflicti, quos in tribulationibus solabatur. Lamentabantur cleri, absentiam illius ferre non valentes, quia eos doctrinæ sacræ monitis instruebat. At ille in Domini firmiter radicatus servitute, et ingenti devotionis coactus amore, nullius valuit revocari contradictione, non pontificis et fratrum *o* sedula prece, non parentum lacrymabili comploratione, non maris æstuoso furore, non denique proposita paganorum fera tyrannide. Quapropter cum nullius verbo aut mœrore posset deterreri, accepta præsulis benedictione, sed et non sine divina gratia ducente, subiit iter diu animo deliberatum et frequenti desiderio cupitum; patienterque adversa cuncta ferens, ad Apuliæ urbem et portum venit Salernum, ibique dato naulo, mare conscendit, ubi pericula vix explicanda sustinuit a malis.

Afflictiones in peregrinatione.

12 Aliquando tempestate orta, navis incasso navigio, nec suo directa gubernaculo, latus mari dabat adverso, nullique restabat aliquid quam naufragium vel mortis expectatio; sed ejus oratione fusa, omnes ducti statim ad littus potius miraculo quam remigio consolabantur. Aliquando etiam barbari piratæ insecuti sunt ejus navim, qua vir Dei vehebatur, ut, hominibus necatis vel submersis, omnia spoliarent et quæcumque aderant auferrent. Nautæ timore ingenti percelluntur : effugere tentant, nec datur effugiendi tempus et locus; quærunt barbaros flectere muneribus, sed nullus in eis est affectus. Instant Saraceni acriter, mortem piratæ minantur : unde, Eucharistia sumpta,

AUCTORE ANONYMO ÆQUALI.

A pta, jam capiendi ab illis, mortem deflebant et proximam sentiebant *p*. Sed vir beatus ad consueta orationis confugiens præsidia, dum dimicatur inter barbaros et suos, orationum Domino libavit holocausta. Nec mora, ecce ratis deifico impulsu transvecta, elongata est a piratis, quasi saltum dedisset, ultra decem millia : refugiunt alii ab aliorum aspectibus, nec jam amplius gentilium pavent incursus.

Aliæ afflictione et supplicia ; item silentium.

13 Tandem post maris varia pericula Dei auxilio Saracenorum introfertur regno. Sed ei fit male ab illis, imo in pejus incurrit : trahitur enim, spoliatur, cæditur vir sanctus, fame periclitatur, nuditate et frigore acerbe torquetur. Quod in mari effugerat, in solido solo patitur. Videte enim et audite magnam beati viri virtutem *q*, quam et in aliis et in hac peregrinatione semper servavit continuam. Nam regula monachorum habet et canonicorum post Completorium ab eis summum fieri debere silentium *r*. Hanc ergo devotæ taciturnitatis regulam ubique, sed in hac potissimum peregrinatione tenuit inviolatam. Non in aquis aut mari ventorum furore, non Saracenorum furore in terris mutari potuit. Ab eis multoties plectebatur B flagris, et rogabatur rumpere regulam taciturnitatis ; sed in omnibus et per omnia in Domino confisus, redditur insuperabilis. Persuadent socii precibus, cogunt inimici verberibus ; nec sic cedit invictissimus.

Intrat Jerosolyma, et accipit reliquias.

14 Jam voti compos diu optata Jerosolymorum intravit mœnia, quorum desiderio ut et aspectu ab imo pectore magna traxit suspiria. Pervolat ad lacum Calvariæ, ibique Redemptorem Christum in cruce suspensum, qui totum mundum sua sanctissima redemit Passione, animo videt et adorat, et tanto lacrymarum imbre perfunditur ac si præsentialiter videret pendere. Precibus utitur latronis, Simonis lacrymis irrigatur : quasi Christum videret, ita gemitus trahit centurionis, gladioque Beatæ Virginis perforatur. Hinc autem reptabundus Domini petiit sepulchrum, quod ejus funere creditur decoratum : mulierum sanctarum repræsentat ululatus, et sarcophagum labiis humectat madentibus, tantoque cum fervore ut ab ejus loci sancti custodibus aliquod saxi sacri e sepulchro Domini frustum tanquam ingentem thesaurum mereretur accipere *s*. Hac illac circumcursat, cunctaque loca Domini præsentia insignita devo- C tus lustrat. Non Bethleemitica præterit præsepia, in quibus vagientis Domini membra complectitur. Abiit ad Jordanis fluenta, Domini nostri membris sanctificata ; quæ iteratis etiam vicibus sanctificandus ipse transnatavit. Locis denique sanctis omnibus visitatis, et precibus per singula sincerissime fusis, reliquiarum multarum pignoribus emptis, illisque et saxi e Domini sepulchro fragmento ditatus, ad propria redire, et inspiratione divina firmatus ex eo tempore, cœnobium monachorum habitationi habile et condignum, ubi eas omnes divitias reconderet, struere deliberavit *t*. Quod cum facere properaret, nec navim in qua cum sociis veheretur, reperisset, pedestre iter arripiens, martyrii centesimam desiderans coronam, gentilium furentium mensus est et transiit terram ; sed Dei gratia præeunte, tandem incolumis et sanus nativa potitus est tellure.

Redit, et cœnobium struit.

15 Congaudent fratres congregationis S. Petri doctorem suum advenisse : suscipiunt amoris dextra extensa columbam a fluctibus periculorum maris et terræ revertentem, sanctarum reliquiarum pacificam secum olivam referentem. Jamjam minus formidant machinamenta lupi ferocis, circumvallati præsidio pastoris et patris ; qui sine mora cœnobium construxit monachorum, quod propriis prædiis ditatum reliquisque bonis donatum sanctis pignoribus reliquiarum exornavit : illud est quod præsens patefacit ecclesia, et quod summa reddidit sagacitate perfectum.

ANNOTATA.

a *Omnino recta videtur hæc vocis* Walo *per* Bonum *interpretatio ; sicut et* Otwalon *a Notkero dicuntur* divitiæ, *id est,* præstantia bona (1). *Consonat adverbium* wala, *quod* bene *significabat, et pro dialectorum varietate erat etiam* wela *vel* wola (2), *aut brevius* wal, wel, wol ; *quas formas aut saltem fere easdem hodiedum in linguis quas germanicas communi appellatione dicimus, retinuit*(3). *Notat autem nostras Kilianus in egregio suo Etymologico sive Dictionario Teutonico-Latino adverbium* wael *vetus flandricum esse pro usitatiori* wel ; *ac memini sane illud in veteribus libris lingua belgica scriptis mihi non semel obvium fuisse.* E

b *Per* Austrasiorum linguam *intellige* francicam *sive* theotiscam, *qua Franci quidem omnes primitus utebantur ; sed quam post regni divisiones sub Carolingis præsertim factas ii qui in parte occidentali seu Neustrasia morabantur, cum lingua* romana rustica *sensim commutarunt, dum contra Austrasii sive Orientales linguam a majoribus suis acceptam servavere* (4) : *quo refertur ea quæ fit apud veteres scriptores* Franciam Romanam *inter et* Teutonicam *distinctio* (5).

c *Secundum ea quæ num.* 10 *Commentarii prævii dicta sunt,* Odrada *idem est ac* præstans consilio *vel* promptitudine.

d *Observat Breyerus* (6) : Aderaldus puer disciplinis imbuendus traditus est monachis ; sed qua in schola literas didicerit, haud narrat anonymus. Ea ætate plures in Occidente famosas fuisse scholas nemo nescit. Harum laudes contexuit clarissimus Joannes Launoius theologus Parisiensis in præclaro opere de Scholis celebrioribus. At quia adversaria Launoii silent de Trecensi, liceat mihi hic dicere sub finem decimi seculi Olbertum monachum Laubiensem Herigeri abbatis discipulum F « apud urbem Tricassinam triennio studuisse, ubi » grata vitæ et multa ab aliis didicit et prudenter » docuit (7). » Fuit autem Olbertus Gemblaci quartus abbas. *Prius vero quam Trecas accesserit, fuit, teste scriptore Gemblacensi* (8), in cœnobio Laubiensi a puero in disciplina monastica regulariter nutritus et in studiis Scripturarum apprime eruditus,.... et Parisiis aliquamdiu apud S. Germani operam dedit et studio et sanctæ quæ ibi fervebat religioni ; *deinde post operam Trecis discendo et docendo positam,* nec Fulberti Carnotensis cum subterfugit audientia, quem peritia liberalium artium tota Francia prædicabat. *Quidni Trecensis illa schola fuerit cœnobium S. Petri de Cella circa annum* 650 *a S. Frodoberto in suburbio Tricassino excitatum* (9) ? *Hoc enim, ut Camuzatus ait* (10), celebritate nominis semper conspicuum extitit,... quod maximo cœnobitarum numero divinis officiis et sacrarum litterarum studiis toto pectore

(1) Schilter. Thes antiq Teuton , t. III seu Glossar. Teuton., voc. *Ot* et *Wal*. — (2) Ibid., voc *Wela* et *Wol*. — (3) Adelung, Worterbuch der hochdeutschen Mundart. voc. *Wohl*. — (4) Cfr Gley, Langue et littérature de anciens Francs, chap. I. — (5) Cfr Struvius, Corp. Hist. Germ., period. III. § XXXIV, p. 109 et 110. — (6) Pag. 8 et 9. — (7) Lib. de gestis abbat. Gemblac., apud Dachéry, Spicil., t. VI, p. 519; alias t. II, p. 763. — (8) Ibid. — (9) Gall. Christ. nov., t. XII, col. 538. — (10) Promptuar., fol. 18 verso.

A incumbentium olim floruerit. Quorum quidem nonnulli ob insignem eruditionem cum pari pietate et sanctimonia copulatam ad ecclesiastica munera et sacrarum dignitatum apices provecti sunt. *Neque adeo inverisimile fuerit S.* Aderaldum *nostrum prima ibidem accepisse litterarum elementa.*

e *Quum Ansegisus episcopatum Trecensem, quem anno* 912 *vel* 914 *acceperat, anno* 960 *adhuc teneret* (1), *sub eo Sanctum nostrum natum esse statui debet : utrum vero ab eodem antistite an ab ejus successore Watone inter clericos fuerit cooptatus, ambiguum est, quum propterea quæ de annis ætatis S.* Aderaldi *in Commentario prævio diximus, tum quia annus ignoratur quo Walo cathedram Trecensem ascendit.*

f *Ut magnus Bossuetius scite nitideque more suo exponit* (2), Ordo Romanus *sive* Romanæ Ecclesiæ *nos is liber tantum dicebatur qui ritus ipsius Romanæ Ecclesiæ proprios unice continebat : verum etiam libri illi in quibus ecclesiæ Gallicanæ, libertate sua in hac parte usæ, Romanos ritus, quos plerumque Pipini et Caroli Magni voluntate atque hortatu adoptarant, ita descripserunt ut quædam tamen omitterent aut mutarent, quædam etiam adB derent, servandi ergo cæremonias nonnullas quibus ex veneranda Patrum suorum traditione assueverant. Quam verum hoc sit, ostendit ipsa Ordinis Romani in variis codicibus varietas, et explicatius inde etiam apparet quod ipsi codices ac Romani Ordinis exegetæ Alcuinus et Amalarius sæpe adstruant aliter Romæ, aliter in Galliis certa quædam sacra vel sacrorum partes fieri. Loquitur ergo hic biographus de Ordine Romano, non nudo, sed Trecensis ecclesiæ usibus accommodato ; quem proin* Romano-Tricassinum *non male quis appellaverit.*

g *In Ordine Romano primo apud Mabillonium* (3) *ejusque appendice* (4), *qui ritus proprios Ecclesiæ Romanæ exhibent, præcipitur ut in Sabbato Sancto, accenso cereo paschali, inde accendantur in duobus candelabris duo cerei, eosque duo notarii teneant, alter in dextro cornu altaris, alter in sinistro ; dehinc illa duo cereostata, quæ ex Ordine septimo staturam hominis æquare debent* (5), *Pontificem ad Fontes procedentem iisque benedicentem et inde redeuntem semper præcedant ; demum sub Missæ solemniis iterum ex utraque altaris parte consistant. Hunc ritum, cujus mysticas significationes apud Alcuinum* (6), *Amalarium* (7), *Honorium* (8) *ac* C *Durandum* (9) *invenire est, aliæ ex Romana adsciverunt ecclesiæ, etsi aliquæ uno solum ejusmodi cereo addititio contentæ fuerunt, ut ex Durando colligitur. Exemplo sit ecclesia Pictaviensis, cujus Pontificale mille annorum, de cerei paschalis benedictione agens, ita habet* (10) : Qua expleta, statim illuminantur duo cerei staturam hominis habentes de cereo benedicto, et tenentur altrinsecus a duobus notariis in dextra parte et læva; et dexter quidem habet sibi impressum a suo notario ANGELUS AD CAPUT SEDENS, sinister vero a suo ANGELUS AD PEDES SEDENS : quique in typo duorum Angelorum in sepulcro Domini consedentium ab ipso die Dominico usque in depositionem albarum ante Evangelium illuminati deferuntur. *Sed quod Romæ ac Pictavis quondam fiebat a notariis, alibi ut plurimum fiebat a pueris sive clericulis, ut inter cætera priscum Rituale Suessionense et Ordinarium Argentinense a Martenio adducta* (11) *demonstrant.* D *In dicto Rituali Suessionensi apud eumdem scriptorem* (12) *comparent etiam in solemni Officio Dominicæ Paschalis duo clericuli ante episcopum tenentes cereos ; et in veteri Ordinario Viennensi* (13) *ac Rituali Andegavensi* (14) *videmus illud inter alia fuisse præscriptum ut antistiti, quoties in die Paschatis ad Horas sese conferret indeque domum regrederetur, bini hujusmodi prærirent ceroferarii : quod quidem Andegavis nondum obsoleverat sæculo proxime elapso* (15), *ubi in solemni deductione episcopi ad Matutinum, Tertiam cum Missa et Vesperas iidem pueri præcinebant, choro intercinente, carmen illud paschale :*

Salve festa dies, toto venerabilis ævo,

Qua Deus infernum vicit, et astra tenet, *etc.*

Atque his quidem satis elucidatum esse arbitror officium quod secundum Ordinem Romano-Tricassinum S. Aderaldo *puero commissum fuisse biographus narrat.*

h *Pro his verbis codex Trecensis ecclesiæ lectionarius (de quo videatur num. 8 Commentarii prævii) illa habet :* nec tamen affinis earum quas fert nenias. E

i *Hauddubie animo hæc scribentis observabatur Officium S. Cæciliæ, ubi sæpius dicitur* Sancta quasi apis argumentosa *Domino deserviisse. Verum, ut recte admonet R. P. D. Prosper Guéranger abbas Solesmensis in sua Historia S. Cæciliæ* (16), *vitium est in voce* apis, *quæ in Officium illud irrepsit inde a nono sæculo, pro voce* ovis, *quæ in Actis legitur, et quam prorsus genuinam esse contextus ipse ostendit. Ita enim inibi sonat phrasis :* Domine Jesu Christe, pastor bone, Cæcilia famula tua quasi ovis argumentosa tibi deservit : nam sponsum, quem quasi leonem ferocem accepit, ad te, Domine, quasi agnum mansuetissimum destinavit. *Ubi nemo non videt quam ante vocabula* pastor, ovis *et* agnus *sibi mutuo respondeant. Ergo Breviario Romano in hac parte præstat Missale Ambrosianum seu Mediolanense, in quo ad Offertorium Missæ de S. Cæcilia ad præsens usque tempus* ovis *legi consuevit. Censet cl. abbas jam citatus Hugonem a S. Theuderio veram Actorum S. Cæciliæ lectionem respexisse, quum ei sponsoque ejus Valeriano applicuit illa Isaiæ verba :* Leo et ovis simul morabuntur, *et eamdem a S. Bernardo quoque innui in Vita S. Malachiæ; quamquam in S. Bernardi verbis id non plane apparet, quæ sunt hæc* (17) : Stetit in medio luporum pastor intrepidus, omnimodis argumentosus, quomodo faceret oves de lupis. F

k *Hanc consuetudinem ab Ascensione Domini ad Pentecosten usque jejunandi ævo S.* Aderaldi *vulgo viguisse, testatum facit Glaber Rodulphus, ubi narrat sub initio sæculi* XI *in Italia atque in Gallia multos episcopos inter se Synodos habuisse de diversis quæstionibus* (18). Nam de jejuniis, *inquit,* quæ plerique fidelium scilicet inter Ascensionem Salvatoris et Pentecosten observant, ita decreverunt ut ne per imperium Sacerdotum fierent, excepto Sabbato Pentecostes, et a quibus fieri vellent, ne prohiberentur fieri. *Et pridem B. Rhabanus rationem quorumdam id jejunium observantium,*

(1) Gall. Christ. nov., t. XII, col. 493 et 494. — (2) Déf. de la tradit. sur la Comm. sous une espèce, part. II, chap. XXXVIII, t. XXIV Operum. p. 415, 416 et 417. Cfr Guéranger. Institut. liturg., t. I, cap. X, p. 243 et seqq. — (3) Num. 39, 41 et 45. Mus. Ital., t. II, p. 25, 26 et 28. —(4) Num. 9 et 10, ibid., p. 35 et 36.—(5) Num. 10, ibid., p. 82.—(6) Lib. de divin. Offic., cap. de Sabb. Sanct.—(7) De eccl. Offic., lib. I, cap. XX, in Biblioth. Patr., t. XIV, p. 954 edit. Lugd. 1677.— (8) Gemm. anim. lib. III, cap. CI, ibid., t. XX, p. 1100. — (9) Ration divin. Offic., lib. VI, cap. LXXX, n. 11. — (10) Apud Martène, de ant. Eccl. discipl. in divin. celebr. Offic., cap. XXIV, p. 430 et 431, edit. Lugd. 1706. — (11) Ibid., p. 445 et 449. — (12) Cap. XXV, p. 497 et 498. — (13) De Moleon, imo Lebrun Desmarettes, Voyages liturg. de France, p. 29.—(14) Evillion, de Procession. eccles., cap. XVII, p. 211 et 212. — (15) De Moleon, op. cit., p. 97. — (16) Hist. de Ste Cécile, chap. V, p. 50 et 51 in not. — (17) Oper. S. Bernardi, vol. I, col. 672, edit. Mabillon. — (18) Hist. lib. III, cap. III, apud Bouquet, Rer. Gallic. Script., t. X, p. 29.

tium,

A *tium, quod ipsi minus probabatur, his verbis attulerat* (1) : Dicunt enim post Resurrectionem Domini quadraginta illis diebus quibus cum discipulis postea legitur conversatus, non oportere nec jejunare nec lugere, quia in lætitia sumus ; postea vero quam tempus illud expletur quo Christus advolans ad cœlos præsentia corporali recessit, tunc indicendum esse jejunium. *Imo, quod mirere, S. Philastrius Brixiæ episcopus sæculo* IV *ita scripserat* (2) : Jejunandum est... in Ascensione itidem in cœlum post Pascha die quadragesimo, inde usque ad Pentecosten decem diebus ; id quod postea fecerunt Beati Apostoli post Ascensionem jejuniis et orationibus insistentes. *Quod præceptum, uti Gerbertus Nigræ Silvæ abbas advertit* (3), *dissonum omnino est a dictis Tertulliani et SS. Ambrosii, Epiphanii, Hieronymi, Augustini aliorumque Patrum, qui totos quinquaginta dies post festum Resurrectionis jejunia relaxanda esse pronuntiant : unde postmodum nec defuere qui auctoritatem Patrum jejunio Rogationum objicerent* (4). *Interim ex supra allatis abunde patet bene fecisse S.* Aderaldum, *quod jejunium ante Pentecosten, etsi ab Ecclesia non imperatum, probato piorum hominum*
B *sui temporis more observaverit. Illud autem sæculo* XIII *nondum fuisse exoletum testis est Guilielmus Durandus, qui de hebdomade festo Pentecostes prævia agens, ait* (5) : Attende quod... quoniam Apostoli expectabant indui virtute ex alto, hæc hebdomada dicitur expectationis ; in qua solent quidam jejunare et orationi vacare usque ad Pentecosten, eo quod Apostoli jejunasse leguntur per hoc tempus. Sed magister Guilbertus probat jejunandum non esse, quia est de paschali tempore. *Atque id probat etiam ipsemet Durandus, nempe* ex necessitate, *id est, ex mandato ecclesiastico, iis diebus jejunari non oportere ; sed* illud tamen, *inquit,* voluntarium est.

l *Cod. Trec.* aspectus, *et paulo post* quod is Paraclytus.

m *Prædicatio minor, qua quis* plebes, *ut definitione Sacri Concilii Tridentini* (6) *utar,* pro sua et earum capacitate pascat salutaribus verbis, docendo ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quæ eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere et cœlestem gloriam consequi valeant,
C *hæc, inquam, prædicatio legitime S.* Aderaldo *committi ab episcopo suo potuit etiam tunc quum diaconatus ordine nondum erat initiatus. Postquam vero diaconus et magis quando archidiaconus factus fuerat, non erat ab usu Ecclesiæ alienum, si etiam* tractatus ad populum, *quæ erat major prædicatio magisque propria episcoporum, nomine ac delegatione antistitis habebat. Vide hæc erudite ac copiose illustrata a Ludovico Nardi in opere de Parochis* (7).

n *Non immerito opinatur Breyerus* (8) *hoc in collationibus præstitisse Sanctum, ad quas canonici ex Regula Concilii Aquisgranensis quotidie convenire debebant* (9). D

o *Cod. Trec.* confratrum. *Pro ultima hujus capitis voce* malis *Breyerus* mari *legendum suggerit, quod tamen vix necesse videtur.*

p *Cod. Trec.* Eucharistia sumpta, vale sibi quisque mutuo dixerat, mortemque dilatam deflebat. *Ad hæc usuvenit Breyeri observatio* (10) : Eucharistiam Christianos se mari committentes gestasse secum Ambrosius in oratione de obitu fratris sui Satyri testatur. Ritum hunc adhuc viguisse Aderaldi tempore patet ex ejus Vita cap. 12. Nec tunc omnino obsolevit : seculo siquidem decimo tertio sanctissimus Francorum Rex Ludovicus « ex devotione sua », teste Gaufrido de Belloloco, « fecit » cum licentia Sedis apostolicæ legati « poni in navi Domini Jesu Christi Corpus » pro communicandis infirmis, ac pro seipso et » suis, quando sibi expediens videretur. » *Eadem hæc et plura alia Eucharistiæ in itinere delatæ exempla suppeditat Martenius in opere de antiquis Ecclesiæ Ritibus* (11).

q *Cod. Trec.* Inter hæc attende, lector benevole, virtutem viri Dei magnam. E

r *Silentium post Completorium servari jubet Regula S. Benedicti capite* XLII, *et Regula Canonicorum cap.* CXXXVI.

s *Fragmentum hoc saxi e Dominico sepulcro excisi olim cum sacris* Aderaldi *reliquiis asservatum fuisse, in Commentario prævio docuimus (num.* 33), *et fieri potest ut nunc etiam cum iisdem lateat in crypta ecclesiæ parochiæ Villacerf (Cfr ibid. n.* 35 *et seqq.). Neque hic præteribo quod die* XX *Julii* 1852 *ad me scripsit R. D. Fliche vicarius generalis Trecensis* : Plures particulas saxi cujusdam e sepulcro Jesu Christi reperi inter veteres reliquias quas hoc ipso anno recensendas habui, et quæ olim ad præcipua monasteria nonnulla civitati Trecensi vicina pertinuerant : particulæ autem illæ nescio an forte desumptæ fuerint e saxo per S. Aderaldum allato.

t *Cod. Trec.* habile deliberat facere : quod, ut sequens monstrabit pagina et præsens patefecit ecclesia, perfectum reddidit sagacitate summa. Nec cum sociis reperit naviculam, in qua cum sociis veheretur. *Ac dictio quidem* sequens monstrabit pagina *paulo plura videtur promittere quam hic a biographo circa ultima Sancti gesta accepimus,* F *et abrupte satis desinit oratio, sine ulla mentione obitus ac sepulturæ, sine ullo epilogo, qualis ab ejusmodi lucubrationibus abesse non solet. Quare si antea dixi integrum nos Breyero debere Vitæ S.* Aderaldi *exemplar, id equidem dictum velim tum comparate ad fragmenta Camuzati exigua, tum etiam quod Vitam quam habemus (nec magis completam Binetus quoque habuit) nulla parte quæ alicujus sit momenti, mutilam esse existimem.*

(1) De Instit. Cleric., lib. II, cap. XXI, apud Gerbert, vet. Liturg. Alemann., disq. X, cap. IV, n. 4, p. 973. — (2) De Hæresibus, cap. CXLV, in Collect. vet. Patr. Brix. eccl., p. 124. — (3) Loc. cit. — (4) Cfr Gerbert, loc. cit., cap. VII, n. 12 ; Evillion. op. cit., cap. XXI, p. 234 et seqq.; Martene, op. cit., cap. XXVII, n. 11, p. 533 et 534. — (5) Ration. divin. Offic., lib. VI, cap. CV, n. 6 et 7. — (6) Sess. V, Decr. de Reform., cap. II. — (7) Dei Parrochi, vol. I, cap. X et XI, p. 237 et seqq. — (8) P. 18. — (9) Cap. CXXIII, CXXIV et CXLV, apud Labbe, Concil., t. VII, col. 1393, 1399 et 1405. — (10) Pag. 12. — (11) Tom. I, lib. I, cap. X, art. IV, p. 253 edit. Venet.

A D

DE B. HUMBALDO, EPISCOPO CONFESSORE,

AUTISSIODORI IN GALLIA.

V. D. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ unica. B. Humbaldi cultus et consecratio; Conciliis pluribus et ecclesiarum dedicationibus interest; lites componit; donationibus piis favet; in peregrinatione Hierosolymitana perit.

ANNO MDXV.

B. Humbaldus, Autissiodorensis episcopus, a Castellano laudatus.

Castellanus in additionibus et correctionibus ad suum Martyrologium (1) *hæc subjungi jubet ad præsentem diem :* Autissiodori natalis Ven. Humbaldi episcopi, consecrati B Mediolani ab Urbano Papa II, titulo SANCTI honestati in Libro episcoporum Autissiodorensium, dicti II ab his qui male legerant Ven. Vibaldi nomen. Magna beneficia contulit novo monasterio Fontis-humidi ; canonicos regulares instituit ad S. Petri et ad S. Eusebii, ut in Chronico Roberti de S. Mariano legitur ; dedit ecclesiam S Juliani de Warchi canonicis S. Laurentii prope Conedam. Ea fuit abstinentia ut a die suæ consecrationis nec carnes nec pisces comederit. *Et jam ante inter Acneros* (2) *de eodem scripserat eum* Sanctum *appellari sub sua imagine in ecclesia S. Stephani Autissiodorensi in sacello S. Sebastiani. Atque hæc omnia jam explicanda sunt, ita ut appareat recte a nobis de eo dici, licet Martyrologium Autissiodorense (plures alios Sanctos omittens) de eo mentionem non faciat, nec ullo eum cultu nunc prosequantur Autissiodorenses.*

Beatus appellatur in vetusto catalogo episcoporum, non item in Necrologio ;

2 *Cl. v. Quantin, qui quæ olim decessoribus nostris auxilia contulit Lebeuf, eadem nobis præstare satagit, et qui de re litteraria, historica et diplomatica egregie jam meritus est, plura huc facientia ad nos misit. Imprimis animadvertit priorem partem codicis autographi de Gestis Pontificum Autissio*-C*dorensium, quæ minus integra in lucem dedit Labbeus, scriptam fuisse sæculo* XII ; *huic vero præmitti catalogum episcoporum, eodem sæculo exaratum, inter quos venit ordine* LIII *B.* Humbaldus, *his verbis :* De Beato Humbaldo. *Verumtamen in ipsa Historia seu Gestis Pontificum Autissiodorensium* Beati *aut* Sancti *titulo nondum donatur, eademque appellatio omittitur in Necrologio Autissiodorensi, cui ad diem 20 Octobris medio circiter sæculo* XII *inscriptum fuit sequens encomium :* Eodem die obiit Humbaldus, humilitatis ac benignitatis episcopus, qui cum multis ædificiis atque ornamentis, quibus ecclesiam intus et exterius decoravit, ecclesiam Accolaci et ecclesiam Crevenno cum decimis ac pareda fratrum stipendiis donavit. Hic siquidem, inter fratres pace prius reformata, Jerusalem causa orationis adiit, atque inde rediens, sanctamque psalmos canendo confessionem Deo faciens, maris pelago sepulturam promeruit pretiosam. *Servatur nunc Parisiis* (3) *istud Necrologium, ex quo plurimum auxerunt cll. vv. Challe et Quantin editionem suam Historiæ Autissiodorensis, quam olim Lebeuf vulgavit. Hac nova editione ubique utemur.*

E

imaginem cum Sancti *titulo habebat olim in ecclesia cathedrali*

3 *Verum aliud cultus indicium habemus, multo insignius, videlicet imaginem B.* Humbaldi, *in templo cathedrali conspicuam, cum adjecto titulo* Sancti, *prout modo abs Castellano accepimus. De hac imagine scribit ad nos prælaudatus Quantin eam partem fuisse picturæ muralis, qua ornatur sacellum S. Sebastiani, proximum alæ septentrionali illius ædis; ea exhiberi apotheosim (venia sit verbo) Christi Domini, quem circumdant sancti præsules Autissiodorenses, eo ordine dispositi, ut antiquiores Salvatori viciniores et proin sublimiores sint, recentiores ad infimum ordinem : qui quum plurimum detritus esset, abhinc quinquennio coopertus fuit structura lignea ; unde factum est, ut nunc omnino evanuerit S.* Humbaldi *imago, ultimum vestigium ejus apud Autissiodorenses ecclesiasticæ venerationis. Utinam, qui auctoritatem istic habent, vel aliam imaginem pictam vel statuam B.* Humbaldi *alicubi in eodem templo cum titulo Sancti substituant! Secus enim extra paucissimos libros frustra quærent posteri ulla cultus sacri indicia, B.* Humbaldo *aliquando adhibiti.*

F

jam ante annum 1554 : quantum id valeat pro cultu ecclesiastico.

4 *Sacellum istud constructum fuit sæculo* XIV *aut* XV ; *picturas vero fieri curavit Franciscus II de Dinteville* (4), *ipse pictor* (5), *qui ab anno* 1531 *usque ad* 1554 *multa cum laude Autissiodorensem cathedram tenuit* (6). *Præter auctorem et ætatem harum imaginum, investigandum superest quantum ad cultum Sanctorum stabiliendum valeant. Sæpenumero scilicet collegerunt decessores nostri Sanctorum cultum ecclesiasticum ex imaginibus et statuis cum* Sancti *titulo publice in ædibus sacris expositis ; verum satius fuerit ob ervasse Prosperum Lambertinum, dein Benedictum XIV, omnino eamdem inivisse viam multis in locis, maxime ubi de picturis absidis sacelli apostolici S. Nicolai, in patriarchio Lateranensi, post in ædibus pœnitentiariæ exsistentis, fusissime disserit* (7) ; *ubi vero modum probandi cultum immemorialem explicat, imagines ad id valere aperte tradit* (8). *Porro ut quis Sanctus post decreta Urbani VIII dicatur legitime frui cultu immemoriali, oportet ut ab anno saltem* 1534 *cultus fuerit, seu ut ei adhibiti fuerint honores ecclesiastici centum annis ante illa decreta* (9). *Quum autem*

(1) Martyrol. universel, p. 986.—(2) Ibid., p. 971.—(3) Cod. Colbert, 1696. Bibl. Royale, n. 5253 et 894, ancien fonds latin. — (4) Lebeuf, Mémoires concernant l'hist. eccl. et civ. d'Auxerre et de son ancien diocèse, t. II, p. 127. Edit. de 1851.—(5) Gallia Christ., t. XII, col. 335.

—(6) Ibid., col 334 et seqq. — (7) De serv. Dei beatif., lib. I, cap. XLI, n. 18 et seqq. — (8) Ibid., lib. II, cap. XXII, n. 8 et seqq. — (9) Ibid., lib. II, cap XXII, n. 1 et seqq.

B. Humbaldi

A *B.* Humbaldi *imago picta fuerit inter annum* 1531 *et* 1554 *et verisimilius post annum* 1543 (1), *disceptari quidem posset de legitima ejus veneratione; verum considerandum est tunc temporis ejus cultui initium non datum fuisse, quum jam pridem Sanctus appellaretur, quemadmodum ex Catalogo episcoporum, num. 2 adducto, ostendimus. Quod autem minus celebres honores ei Autissiodori concessi fuerint, in causa videtur ejus reliquiarum absentia, utpote maris undis absorpti. Sed jam de ejus gestis.*

Ejus Acta brevi post mortem scripta, aliunde supplenda.

5 Altissiodorensis ecclesiæ non ignobilis consuetudo est, *(ita scribit Frodo* (2), *canonicus et postea decanus Autissiodorensis, atque ipse Goffridi et Roberti episcoporum biographus* (3)), quam cito de sæculo migrat episcopus, illico terminum vitæ, sedis introitum, ac præcipue bene gesta ipsius conscribere. *Cui consuetudini debemus Acta B.* Humbaldi; *insignia valde, licet magis rebus temporalibus recensendis quam administratione ecclesiastica declaranda occupatus fuerit eorum auctor: quod cæterum commune totius hujus collectionis historicæ vitium est. Non itaque his solis Actis excudendis contentos nos esse licet; sed supersunt nonnulla B.* Humbaldi *gesta, quæ illa Historia non capiuntur, et aliunde colligenda sunt;* B *quin etiam nonnulla, hac ipsa Historia contenta, ex aliis documentis illustranda videntur; atque hæc in præsenti Commentario præstare conabimur, plerumque vestigia Galliæ Christianæ et historici Autissiodorensis relegentes.*

Consecratus fuit Mediolani a B. Urbano II anno 1095.

6 *Canonicus Frodo, rationem reddens, quare Roberti, B.* Humbaldi *in cathedra Autissiodorensi decessoris,* triennio *post ejus obitum Acta scripsisset, monuerat* (4) *id factum fuisse quia* tantus dolor de morte ipsius, tanta dissensio de futuri subrogatione pontificis intercesserat; tandem vero post triennium temperato jam dolore, necnon ecclesia tranquillata de pastoris consolatione, se a conventu capituli rogatum et ab episcopo monitum *ad scribendum accessisse; hinc deduxere nonnulli* (5) *triennium intercessisse inter mortem Roberti et B.* Humbaldi *electionem; verum id stare non potest. Anno scilicet* 1094 *dedit Robertus chartam monachis de Caritate, in Gallia Christiana* (6) *et alibi obviam:* Humbaldus *vero ante medium annum* 1095 *(ut statim manifestum erit) consecratus fuit. Volunt scriptores Galliæ Christianæ* (7) *Robertum mortuum pridie Idus Februarii anni* 1095 *et B.* Humbaldum C *consecratum pridie Nonas Maii ejusdem anni. Verum unde expiscati fuerint Robertum hoc anno defunctum esse, me latet; et quidem in Brevi Chronico Altissiodorensi Sirmundiano* (8) *lego ad annum* 1094: Obiit Robertus episcopus, *et ad annum* 1095: Ordinatio Humbaldi. Ipso anno Urbanus papa habuit concilium, *videlicet Claromontanum. Quidquid vero de Roberti emortuali anno statuatur, tenendum omnino est B.* Humbaldum *anno* 1095 *consecratum fuisse, quoniam Mediolani a B. Urbano II Papa manuum impositionem accepit, ut ejus Acta testantur: unde consequitur errare Robertum, monachum S. Mariani, quum Daimbertum Senonensem et B.* Humbaldum *eodem anno* 1096 *infulis decoratos aperte tradit* (9); *id explicat Ruinartus* (10) *ope calculi Pisani, novem mensibus communi præcurrentis, quem plerique alii auctores Gallicani (maxime quum de Urbani itinere agitur) secuti fuerint; nil repugno, licet certe Daimbertus, ineunte anno* 1097 *electus et anno* 1098 *ab Urbano II Romæ consecratus, difficultatem facessat* (11).

die, ut videtur 3 Junii; licet Comenses aliter Urbani iter flectant.

7 *Tradit Ruinartus* (12) *in veteribus monumentis ecclesiæ Autissiodorensis legi* Humbaldum *consecratum fuisse* VI *Nonas seu die* 2 *Maii; Lebeuf et Gallia Christiana eamdem consecrationem signant pridie Nonas seu die* 6 *Maii. Sed nullus indicat quæ sint hæc monumenta; quinimmo arbitror hoc assertum exortum esse ex pravo calculo temporis, quo B.* Humbaldus *sederit. Habet scilicet biographus episcopatum ejus durasse* annos XXII *(imo* XX*),* menses IV, dies XVII; *porro eum vita functum die* 20 *Octobris ex Necrologio Autissiodorensi jam intellectum fuit; unde si menses* IV *et* XVII *demas dies, consecratus sit oportet die* 3 *Junii anni* 1095, *quæ Dominica erat. Ruinartus vero, nescio qua animi avocatione, subduxisse videtur menses quinque et dies septemdecim completos duosque cavos; quo calculo inciderit in diem* 2 *Maii; ast Gallia Christiana et Lebeuf, animadvertentes (ni fallor) anno* 1095 *hanc diem non convenire cum Dominica, transtulerunt consecrationem B.* Humbaldi *in diem* 6 *Maii, quæ et Dominica erat et festum Apostoli, nempe S. Joannis ante portam latinam.* E *Cæterum, quantum indagare potui, nullis documentis ostensum est B. Urbanum II initio mensis Maii Mediolani versatum esse. De ejus in Galliam ex Italia pergentis itinerario cognovimus eum die* XVII *Kal. Maii seu die* 15 *Aprilis Cremonæ adhuc substitisse* (13); *die vero* XVII *Kal. Junii seu* 16 *Maii versatum esse Mediolani, ut ex subscriptione diplomatis pro monasterio S. Abundii Comensi manifestum est:* Datum Mediolani per manum S. R. E. diaconis cardinalis XVII Kal. Junii, indict. III, anno Dominicæ Incarnationis MXCVI *(secundum stylum Pisanum),* pontificatus autem Domini Urbani secundi PP. Octavo (14). *Ibidem adhuc erat* VII *Kal. Junii seu die* 20 *Maii* (15). *Volunt Comenses eum die* 28 *Maii consecrasse ecclesiam de Nesso* (16) *et die* 3 *Junii ecclesiam S. Abundii Comensem* (17) *et circa idem tempus ecclesiam B. Mariæ de Nullate seu de Lurate* (18); *verum quum hæc nullis antiquis testimoniis suffulta videam, quumque adjiciant Comenses ab Urbano II tunc concessas fuisse indulgentias, pro hoc ævo plane incredibiles* (19), *nolim propterea discedere a B.* Humbaldi *biographo, eum Mediolani quatuor menses et septemdecim dies ante* 20 *Octobris seu die* 3 *Junii consecratum perhibente.*

mense Novembri ejusdem anni interest Concilio Claromontano, et in negotio primatus Lugdunensis adhibetur.

8 *Redux Autissiodorum B.* Humbaldus *multo cum gaudio receptus fuit. Concilio Claromontano, cui initium dedit Urbanus Papa II in octava S. Martini seu* XVIII *Novembris, interfuisse censendus est, tum quoniam bulla Urbani II* (20) *de primatu Lugdunensi indicat omnes Senonensis metropolis suffraganeos Clarummontem convenisse, tum quoniam legitur Lambertus, Atrebatensis episcopus, e carcere liber, Autissiodorum venisse ibique reperisse Richerium Senonensem suosque comprovinciales et vicinos Gervinum Ambianensem et Gerardum Morinensem; quibuscum reliquum itineris confecerit et Clarummontem advenerit die Dominica* XV *Kal. Decembris* (21); *qua fundandæ erant preces pro Concilio postridie (pro more feria* II*) inchoando. Adhibuit ibidem B. Urbanus Senonensis ecclesiæ*

(1) Lebeuf, t. II, p. 126. — (2) Ap. Labbe, Bibliot. Mss., t. I, p. 454. — (3) Ibid., p. 456; Cfr D. Rivet, Hist. litt. de France, t. IX, p. 324 et seqq. — (4) Ap. Labbe, Bibl. Mss., t. I p. 454. — (5) Lebeuf, t. I, p. 277. — (6) T. XII, Instr., col. 103. — (7) Tom. cit., col. 288. — (8) Ap. Labbe, t. I, p. 292; ap. D. Bouquet, t. XII, p. 299. — (9) Ap. D. Bouquet, t. XII, p. 290. — (10) Vita B. Urbani II, Opp. Posth., t. II, p. 182. — (11) Gall. Christ., t. XII, col. 41 et seq. — (12) Vita B. Urbani II, p. 182. — (13) Cfr dipl. ap. Galliam Christ., t. I, inst., col. 119; Mansi, Suppl. ad Conc. Coleti, t. II, col. 154. — (14) Tatti, Annali sacri di Como, t. II, p. 865. — (15) Cfr diplom. ap. Calmet, Hist. de Lorraine, t. III, instr., col. 37; et ap. Hugo, Sacræ Antiquit. Monum., t. II, præf., p. XV. — (16) Cantù, Storia della Città et diocesi di Como, t. I, p. 312, not. 1. — (17) Tatti, t. II, p. 284; D. Bouquet, t. XIV, p. 681, not b. — (18) Cantù, t. I, p. 312; Tatti, t. II, p. 284 et seq. — (19) Cfr not. 76 in Auctario ad t. V Octobris, p. 51. — (20) Labbe, Conc., t. X, col 517 et seq. — (21) De Atrebatensi episcopatu restituto, ap. D. Bouquet, t. XIV, p. 755; cfr Ruinart, Vit. B. Urbani II, p. 201.

suffraganeos,

suffraganeos, ut Richerium suum metropolitam ad agnoscendum Lugdunensem primatum inducerent. Donec privilegia antiqua Senonensia reperirentur, subjecit se universa hæc provincia Lugdunensi primatui; quocirca cum anno 1097 *Daimbertus, Richerii successor, electus esset, scripsit S. Ivo Carnotensis ad Hugonem Lugdunensem sciscitans quomodo ipse et suffraganei se in ordinatione Daimberti gererent* (1). *Ast Hugo, occasionem nactus suæ exserendæ auctoritatis, vetuit ne Daimberto manus imponerentur, nisi sibi prius obedientiam promisisset et primatum agnovisset Lugdunensem. Indignationem S. Ivonis movit hæc postulatio; scripsitque nomine suo, B.* Humbaldi *et cæterorum suffraganeorum rem insolitam esse et indebitam hanc præviam agnitionem: tamen auctorem fore ut post suam consecrationem Lugdunensem primatum revereretur Daimbertus* (2). *Sed quum primas partes in hoc negotio non habuerit B.* Humbaldus, *satis fuerit dixisse eum et reliquos suos comprovinciales nec secundæ Hugonis epistolæ* (3) *paruisse, ita ut Daimbertus tandem Romæ consecratus fuerit ab ipso B. Urbano II: nulla præstita prævia obedientia primati Lugdunensi, sed anno sequenti tantum* (4).

anno, ut videtur. 1096 *comes Nivernensis et dimittit jus spoliorum:*

9 *Interea dimisisse videtur B.* Humbaldo *Guilielmus, Nivernensis comes, pravam consuetudinem spoliorum; quod anno* 1096 *factum statuit Gallia Christiana* (5): *quæ temporis designatio verisimilis, non tamen certa. Diploma enim, quod biographo debemus, desinit in hæc verba :* Dominica die, pridie Kalendas Septembris; *porro ultima Augusti dies, litera Dominicali E signata, in Dominicam incidit annis* 1096, 1102 *et* 1113; *atqui anno* 1102 *in Syria versabatur Guilielmus* (6); *unde superest ut vel anno* 1096 *vel* 1113 *hæc spoliorum renuntiatio facta sit: verisimiliter tamen anno* 1096, *propter ordinem chronologicum, quem in rebus præcipuis biographus sequi videtur.*

eodem anno et committit Urbanus Papa in Concilio Nemausensi reformationem abbatiæ S. Germani.

10 *Eodem anno interfuit B.* Humbaldus *Concilio Nemausensi, ineunte mense Julio ab Urbano II celebrato* (7), *ibique præcipuas partes habuit in negotio Guiberti, abbatis S. Germani Autissiodorensis; de hac re mentio fit a biographo, clarius vero a Guidone, ejusdem cœnobii abbate, qui circa annum* 1290 *Gesta suorum decessorum descripsit. En ut hic negotium istud exponit :* Guibertus, *inquit* (8), B. Germani a pueritia monachus, electus fuit... anno Domini 1085... Hujus tempore, sicut a senioribus nostris audivimus, in tantum in monasterio S. Germani fervor religionis et ordinis refrixit, ut postea per se vix aut numquam posset adjicere ut resurgeret... Anno autem Domini 1096, regnante Philippo, Humbaudo Autissiodorensi episcopo, pontificatus ejus anno primo *(scilicet ante diem* III *Junii)* contigit, ut dictus Guibertus abbas in gravis culpæ infamiam laberetur : unde cum coram prædicto episcopo a monachis suis graviter accusaretur, episcopus eum ad Nemausense concilium, quod prope futurum erat, citavit. Ubi in præsentia Domini Urbani papæ dictus abbas renuntiavit. Prædictus autem papa, in Autissiodorensis civitatis confinio, *(Remis secundum Ordericum, Castellione ad Matronam juxta Albericum* (9)), natus et educatus, cum a circumstantibus cognovisset lamentabile detrimentum ejusdem monasterii olim sibi noti, vehementer condoluit, vocatumque dictum Humbaldum Autissiodorensium episcopum modeste de negligentia increpavit, deinde baculum, a dicto Guiberto sibi redditum, episcopo tradidit, blande inquiens : Vide, fili, ut huic ecclesiæ secundum præcedentium patrum institutionem tuo regimini subditæ vigilantioris curæ cautelam adhibeas, et juxta consilium meum unum monachum aut de Casa, Dei, aut de Cluniaco, aut de Majori Monasterio pie et charitative dari tibi requiras; qui, liber ab omni subjectionis prioris jugo et catholice constitutus abbas, vigorem regulæ firmiter et decenter in S. Germani cœnobio militando exerceat, ne tam turpis infamiæ deinceps de domo Dei rumor exeat.

quam ob rem rogat S. Hugonem Cluniacensem ut abbatem ex suis mitat: venit integra colonia, quæ non recipitur;

11 Regressus igitur a concilio dictus episcopus ad Cluniacensem abbatem *(S. Hugonem)* litteras direxit petens, ut non ambitionis, non cupiditatis causa, sed solius Christi amore unum monachum S. Germano daret liberum et absolutum ab ejus obedientia; qui abbas, postea ordinatus, ad tenendam regulam alios instruendo, ejusdem ecclesiæ ruinæ miseriam relevaret. *Tenebant tunc temporis Cluniacenses triplex sibi obnoxiorum monasteriorum genus; quorum prima ita Cluniacensi abbati subjecta erant, ut proprii abbatis facultate carerent; alia proprium habebant, sed sub disciplina et correctione Cluniacensis; tertia demum consuetudines quidem Cluniacenses recipiebant, sed citra ullam subjectionem* (10). *Octo in postremum hunc modum instituta fuerant a tempore pontificatus S. Gregorii VII* (11); *sed minus hæc ratio placebat Cluniacensibus, non contentis communicare suas leges sed et auctoritatem captantibus. Hinc multæ exortæ lites, quas ideo tantum commemoramus ut lector intelligat S. Hugonis in præsenti negotio agendi rationem.* Dictus autem abbas, *sic pergit Guido,* Yvonem, priorem Cluniacensem, virum bene litteratum (12), et cum eo quindecim monachos Autissiodorum misit; qui, venientes apud S. Germanum, in sero honorifice recepti, in crastino capitulum intraverunt. Cum autem de qualitate missionis suæ interrogarentur, responderunt se ad hoc missos, ut locum illum, et a laicis datum et ab episcopo concessum in suum dominium acciperent, et acceptum Cluniacensi ecclesiæ subjugarent : quod audientes tam clerus quam populus civitatis indignati omnino renuerunt; monachi autem Cluniacenses verecundi recesserunt, nec tamen sic quieverunt; quin imo ad Stephanum, comitem [*Blesensem, Carnotensem, Meldensem* (13) *et pro parte* (14)] Campaniæ, litteras dirigentes, dari sibi dictam ecclesiam petierunt, nec tamen impetrare potuerunt.

intercedunt comes Stephanus

12 Episcopus autem interim ad Casæ Dei et Majoris Monasterii abbates litteras dirigebat; sed, impedientibus Cluniacensibus, nihil penitus impetravit. Interea ecclesia S. Germani, tamquam navis sine regimine, plus jam triennio fluctuabat. Per idem tempus prædictus comes Stephanus, per partes illas transitum faciens, ad locum illum, de quo quædam sinistra audierat, divertit, si vera essent quæ audierat probaturus : et licet plura de eo audisset religioni contraria, plurima tamen incomparabiliter adinvenit. De tam miserabili igitur exitio dolens viam quærebat, per quam tam miserabilem ruinam posset in aliquo relevare. Spiritu igitur tactus divino, una cum prædicto Humbaudo Autissiodorensi episcopo S. Hugonem, abbatem Cluniacensem, vocavit orans, ut sicut olim

(1) Ep. LIX ap. Chesnium, XXXIII ap. D. Bouquet, t. XV, p. 91. — (2) Ep. LX ap. Chesnium, XXXIV ap. D. Bouquet, t. XV, p. 92 et seqq. — (3) Ap. D. Bouquet, t. XV, p. 94 et seq. — (4) Gallia Christ., t. XII, col. 42 — (5) Ibid., col. 288.— (6) Art de vérifier les dates, t. II, p. 563. — (7) D. Bouquet, t. XIV, p. 684, not. *a*. — (8) Labbe, Biblioth. Mss., t. I, p. 574 et seq.— (9) Cfr D. Bouquet, t. XX, p. 406, not. *b*.—(10) Mabillonius, Annal. Bened. ad an. 1100, n. 232, t. V, p. 392.— (11) Ibid., ad an. 1101, n. 2, t. V, p. 404.—(12) Cfr Mabillonius ad an. 1101, n. 18, t. V, p. 411; D. Rivet, Hist. litt. de France, t. IX, p. 513 et seqq. — (13) Hugo Floriac. Libellus de modernis Francorum regibus, ap. D. Bouquet, t. XII, p. 797. — (14) D. Bouquet, t. XIV, p. 737, not. *a*

B. Mayolus

A B. Mayolus dictum locum ab exitio liberavit, ita nunc quoque idem sanctus vir ejus miseriæ subveniret, concedendo eidem unum monachum liberum et absolutum, qui abbas effectus in dicto monasterio ordinem reformaret.

et Urbanus Papa; conceditur S. Hugo Montacutius; interest B. Humbaldus anno 1197 consecrationi ecclesiæ S. Stephani Nivernensis:

13 *Si hæc accurata sint, his tamen precibus non cessit S. Hugo, sed jussis pontificiis. Edidit quippe Baluzius* (1) *et post eum D. Bouquet* (2) *sequentes B. Urbani II literas:* Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Hugoni, Cluniacensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem. In Nemausensi concilio, monasterii S. Germani, quod Altissiodori situm est, abbas eamdem abbatiam in manu nostra refutavit; et sæpe ab eo rogati, locum ipsum ei restituere noluimus. Filius præterea noster Stephanus comes cum uxore sua nos deprecatus est, ut idem monasterium tibi committeremus. Hoc ipsum in Romana nuper synodo coram ejusdem civitatis episcopo *(scilicet B. Humbaldo)* et prædicti loci fratribus statutum est. Fraternitati igitur hæc literis præsentibus mandamus, ut præfatam abbatiam in tua deinceps provisione disponendam suscipias, et monasticam ibi religionem secundum fratrum tuorum conversationem B instituas, ita tamen ut locus idem proprio abbate non careat. *Hæc Urbanus ad S. Hugonem;* qui concessit *(ut cum Guidone pergam)* Dominum Hugonem nepotem suum, a pueritia in Cluniacensi monasterio disciplinis regularibus eruditum. *Hujus negotii etiam participem facit Mabillonius* (3) *Guilelmum, comitem Nivernensem et Autissiodorensem; at nuspiam ejus nomen in documentis occurrit. Interea temporis ille ipse Guilielmus, Nivernensis comes, absolverat monasterium S. Stephani Nivernense; cujus ecclesiam consecravit S. Ivo Carnotensis die* XIII *Decembris (quæ Dominica erat) anni* 1197. *Huic celebritati interfuere tres alii episcopi, quos inter B.* Humbaldus; *in quorum omnium præsentia ante altare S. Mariæ V. et S. Stephani legendum curavit Guilielmus comes fundationis diploma, quod in Gallia Christiana* (4) *integrum recitatur.*

anno 1099 interest Concilio Romano e eodem anno vel 1098 Concilio Stampensi et forte Senonensi:

14 *Ex B. Urbani II literis intellectum est B.* Humbaldum *Concilio Romano anni* 1099 *interfuisse. Indictum id fuerat in tertiam hebdomadam post Pascha, seu in* VII *Kalendas Maii, (quæ feria* II *erat), prout habet Chronicum Malleacense; ei autem interfuere* 150 *episcopi, abbates et clerici innume-* C *rabiles; decreta, ibidem condita aut confirmata adversus simoniam, schismaticos et investituras, de via S. Sepulchri deque jejunio sextæ feriæ, aliaque ad genus videat lector apud Conciliorum collectores* (5). *Comitatus autem erat B.* Humbaldus *metropolitanum suum, qui Romam accesserat tum propter primatus Lugdunensis negotium tum pro communi synodica vocatione* (6). *Eodem anno B.* Humbaldum *interfuisse Concilio Stampensi et Senonensi tradit Gallia Christiana* (7). *Et quidem circa id tempus, Concilium Stampis (Etampes) habitum fuisse eique interfuisse B.* Humbaldum *res certa est; quum epistolæ, qua S. Ivo Carnotensis Philippum, Tricassinum episcopu , nomine comprovincialium culpat quod vocatus ad Concilium Stampense non venerit, nec Senonensi archiepiscopo reverentiam exhibuerit, eique inducias datas nuntiat* usque ad Dominicam proximam ante Natale Domini, quando futura est consecratio Nivernensis episcopi *Hervei, hoc sit initium* (8): Ivo Dei, gratia Carnotensis episcopus, Gulielmus Parisiensis, Joannes Aurelianensis, Galterius Meldensis, Humbaldus Autissiodorensis, Philippo Trecassino salutem. Congregatis in Stampensi concilio multa super fraternitate tua, licet ingratis auditoribus, nobis relata sunt *etc. Hoc Concilium celebratum fuisse ante annum* 1100 *manifestum faciunt Hervei Nivernensis anno* 1100 *gesta* (9); *sed nil omnino vetat quin hæc synodus celebrata fuerit anno* 1098 *æque ac anno* 1099 (10); *et quidem quum veniat illa S. Ivonis epistola inter eas quæ scriptæ sunt tempore pontificatus Urbani II die* 29 *Julii anni* 1099 *defuncti* (11), *quum incredibile sit jam inde a mense Julio designatam esse Dominicam ante natale Domini consecrando episcopo Nivernensi, et demum tertio quum magis pronum videatur ut Trecensis præsul Daimberto negaverit reverentiam initio hujus pontificatus potius quam anno secundo; videant alii an recedendum sit a recepto communiter hujus Concilii anno* 1099. *Equidem non repugnarem si quis hunc cœtum autumno seu ineunte hieme anni* 1098 *coactum fuisse contenderet. Indicta hæc synodus a Daimberto fuerat, ut in ea* promulgarentur instituta apostolica et canonica ad correctionem pra- E vorum (12), *ibique actum etiam fuit de simultanea duorum Nivernensium episcoporum electione* (13). *Quod ad Concilium Senonense attinet, hujus nulla uspiam exstat memoria; nisi quod ex citata superius S. Ivonis Carnotensis epistola appareat conventum indictum fuisse in diem Dominicam ante Natalem Domini. Neque displicet Galliæ Christianæ hinc deprompta conjectura, quum Philippus Tricassinus postea pacifice cum suis collegis vixerit* (14), *et proin huic monitioni canonicæ obedivisse censendus sit.*

V. p. r.

anno 1100 interest Concilio Ansano et eodem circiter anno accipit fidei commisso ecclesiam de Crisenon:

15 *Anno* 1100 *iterum Concilii labores B.* Humbaldus *participasse legitur:* Anno ab incarnatione Domini MC, *inquit Hugo Flaviniacensis* (15), apud Ansam *(Anse in agro Lugdunensi)* convenerunt archiepiscopi [*Hugo*] Lugdunensis, [*Anselmus*] Cantuariensis, [*Daimbertus*] Senonensis, [*Radulphus*] Turonensis, [*Leodegarius*] Bituricensis; et episcopi octo, [*Norgaudus*] Eduensis, [*Berardus*] Matisconensis, [*Walterus*] Cabilonensis [*Humbaldus*] Autissiodorensis, [*Guillelmus*] Parisiacensis, [*Ismio*] Diensis et alii duo; et pace statuta, de via Hierosylimitana locuti sunt, eos qui voverant et voti exequutores non fuerant, a communione se- F gregantes, quoad usque vota complerent. *Plura ad nos non pertinent. Ad eumdem annum refert Gallia Christiana* (16) *restaurationem disciplinæ regularis in abbatia S. Petri, per B.* Humbaldum *procuratam; sed ubi id reperierit me latet; et quidem eo magis suspecta mihi est hæc assertio, quod ne vestigium quidem hujus rei paulo infra appareat, ubi fata et vices hujus abbatiæ explicantur* (17). *Quocirca tempus hujus negotii in tenebris relinquendum videtur. Ad annum* 1100 *aut circumcirca pertinet fidei commissum, quod ab Hugone de Tocejo accepit B.* Humbaldus. Regressus *scilicet* Hugo *ab itinere Hierosolymitano*, locum de Crisenon, *jam ante datum Molismensibus et postea occupatum a monialibus*, cœpit magis magisque diligere, ecclesiam lapideam, lignea prostrata, construere, sua illic deferre, omnino in ejusdem loci augmento animum suum applicare. Sed dum de regressione

(1) Miscell., t. VI, p. 385. — (2) T. XIV, p. 736 et seqq. — (3) Annal. ad an. 1100. n. 131, t. V, p. 392.— (4) T. XII, Instr. col. 332 et seqq. — (5) Labbe, Conc., col. 615 et seqq.; Mansi, Supplem., t. II, col. 153 et seqq. — (6) Cfr Bulla Urbani II, ap. Gall. Christ., t. IV, inst. col. 12 et seq.— (7) T. XII, p. 289. — (8) Ap. Labbe, Conc. t. X, col. 716; D. Bouquet, t. XV, p. 105. — (9) Cfr Gallia Christ., t. XII, col. 637.— (10) Cfr Cossartius ap. Labbe, Conc., t. X, col. 717. — (11) Novaës, Elem. di storia pontif., t. I, p. 396.—(12) Ivo Carnot. ep. LXXVI, ap. D. Bouquet, t. XV, p. 104. — (13) Ibid. et epist. seq. — (14) Gallia Christ., t. XII, col. 497.— (15) Chron. Virdun. ap. D. Bouquet, t. XIII, p. 624. Labbe, Conc. t. X, col. 726. —(16) T. XII, col. 289. — (17) Tom. cit., col. 434 et seqq.

sua

sua valde dubitare videretur, rursum paravit viam ut suum votum impleretur. Cum autem de hac patria recedere debuit, domini sui Humbaudi Autissiodorensi episcopi præsentiam adiit et donum quod S. Mariæ Molismensi fecerat, in custodia sua et defensione posuit; ac etiam priorem ipsius loci Walterium nomine in manibus reddidit, rogans eum, ut quandiu viveret, Molismensi ecclesiæ testis fidelis ubique foret. Testes sunt ipsi dominus Humbaudus Autissiodorensis episcopus, Wauterius archipresbyter, Robertus capellanus, Odo de Avalone, Erucus frater Alexandri. *Hactenus synopsis aliquot chartarum Crisenonensium* (1).

fingitur subscripsisse diplomati Molismensi; quod ostenditur vel depravatum vel falsum; detegitur alius similis error.

16 Subscripsit, *si iterum Lebeuf* (2) *et Galliam Christianam audiamus* (3), anno 1101 donationi factæ a Roberto, Lingonensi *episcopo*, monachis Molismensibus. *Sed hæc iterum minus accurata videntur. Robertus quidem Lingonensis legitur anno* 1101 *S. Roberto Molismensi duo dedisse diplomata; neutri tamen subscripsisse B.*Humbaldus.*Nec difficile erroris fons detegitur: in posteriori enim, quo Robertus Lingonensis investit S. Robertum Molismensem ecclesia de Polliaco, legitur* (4): De ipsa vos ecclesia investimus, sicut idem Arnaudus, abbas
B *(S. Petri Vivi Senonensis)*, et fratres ejus apud Fontem-humosum, in præsentia domni Daimberti Senonensis archiepiscopi et nostra, astantibus quoque Willelmo Cathalaunensi, Burcardo Meldensi, Hugone Autissiodorensi, Willelmo etiam Nivernensi et Milone de Barro super Sequanam comitibus, super jam dicta ecclesia se divestire curarunt: *occurrit itaque ibidem* Hugo Autissiodorensis, *cujus loco* Humbaldus *intelligendus visus est: neque ego repugnarem, si convenirent reliqua: ast abest, multumque abest. Diploma enim istud vel depravatum vel confictum est; clauditur enim his verbis*: Acta sunt feliciter apud Senonas anno incarnati verbi millesimo centesimo primo, indictione nona, epacta octava decima, concurrente vero ciclo lunari sexto decimo. Paschali secundo sanctæ Romanæ urbis pontificium feliciter gubernante: *quæ notæ chronicæ inter se conveniunt, ast pugnant omnino cum ætate episcoporum, qui conventui apud Fontem-humosum interfuisse ibidem dicuntur. Guillelmus scilicet sedit Catalauni ab anno* 1113 *ad* 1122 (5), *Hugo Autissiodori ab anno* 1115 *ad* 1136 (6), *Burcardus Meldis ab anno* 1120 *(quum Paschalis II Papa jam die* 21 *Januarii*
C *anni* 1118 *vita functus esset* (7)) *ad* 1134 (8). *En ut undique ruit id diploma, quod se tamen* ex autographo *edere Galliæ Christianæ scriptores profitentur! Simili errore, substituens scilicet* Humbaldum *Hugoni, contendit Lebeuf* (9) *epistolam Paschalis II, quæ legitur in Chronico Vizeliacensi* (10), *inscriptam esse B.* Humbaldo; *verum alii, qui in ea designantur, episcopi satis ostendunt eam scriptam esse non anno* 1103, *sed post mortem B.* Humbaldi, *ut unicuique episcoporum catalogos percurrenti manifestum fiet.*

Anno 1104 interest Conciliis Trecensi et Parisiensi:

17 *Non itaque apparet B.* Humbaldum *anno* 1101 *conventui Fontis-humidi interfuisse aut diplomati Molismensi suum apposuisse signum; contra certissime interfuit Concilio generali Galliæ, anno* 1104 *a die* 28 *Martii seu feria* II *post octavas Paschæ a Richardo Albanensi episcopo et Paschalis II legato, Trecis incepto* (11), *subscripsitque ibidem cum multis*
D *aliis diplomati, quo Hugo comes Campaniæ, Theobaldi filius, Molismensibus donavit villam Rumiliacum et quædam alia* (12). *Actum fuit in hoc Concilio de negotiis ecclesiasticis; recepta purgatio Huberti Silvanectensis, de simoniæ crimine incusati; Godefridi Ambianensis electio confirmata; et privilegium Hugonis, Trecensis comitis, pro ecclesia S. Petri ratum habitum. Eodem anno die* II *Decembris interfuit Concilio Parisiensi, cui nomine Paschalis II Lambertus Atrebatensis præfuit, et in quo Philippum regem post ejuratam cum Bertrada Andegavensi copulam ab excommunicationis vinculis solvit; ut ex Lamberti ad Paschalem epistola novimus, aderant præter B.* Humbaldum, *duo archiepiscopi, et sex episcopi, pluresque abbates; quiplura cupit, adeat Labbeum* (13), *et maxime commentarium Michaelis Brial de repudiata a rege Philippo Berta et de superducta Bertrada Andegavensi* (14). *Referuntur* (15) *ad eumdem annum auxilia, præstita Fonti-humido et quæ biographus meminit; verum hæc temporis designatio parum certa videtur, utpote hoc solo nixa argumento, quod hoc anno duo viri nobiles bonis suis adjuverunt hujus loci eremitas* (16).
E

ab anno 1106 ad 1108 accipit epistulas a S. Ivone Carnotensi et a Paschali II: interest dedicationibus Caritatis et Floriaci:

18 *Anno* 1106 *monitus fuit B.* Humbaldus *a S. Ivone Carnotensi episcopo de dissoluto ob defectum consensus matrimonio Pontii, filii Garnerii de Pont, cum Mathilde, filia Hugonis Albi de Firmitate*; quia prædictam mulierem quidam parochianus *Autissiodorensis* volebat habere in conjugem (17). *Indictione* XV, *quæ vel a mense Septembri anni* 1106 *vel a die* 1 *Januarii anni* 1107 *currebat* (18), *obtinuit B.* Humbaldus *a Paschali II diploma, quod biographus recitat, et quo res suæ ecclesiæ Autissiodorensi confirmantur. Eidem anno* 1107 *illigant* (19) *introductionem Canonicorum Regularium in ecclesiam S. Petri, ex conjectura potius (ni fallor) quam ex certo argumento; cæterum videntur eamdem rem anno* 1100 *annectere. Vide supra num.* 15. *Ast certo ornat hunc annum celeberrima dedicatio ecclesiæ B. Mariæ de Caritate ad Ligerim ordinis Cluniacensis, in diœcesi Autissiodorensi, celebrata a Paschali Papa II die* VIII *Martii anni* 1107, *præsentibus tribus cardinalibus, duobus archiepiscopis, sex episcopis, abbatibus quinque; quos inter B.* Humbaldus: *qui omnes triduum ibidem commorati sunt* (20). *Altera facta est Floriaci ad Ligerim anno sequenti, die* XXI *Martii seu in festo S. Benedicti, cujus corpus eadem solemni-* F
tate translatum traditur: disputare quippe hic nolumus utrum Floriacenses, an vero Casinenses tunc temporis S. Benedicti corpus tenerent; de qua re dictum est in Commentario de S. Berario (21). Ad hunc conventum, *inquit Clarius* (22) *testis oculatus*, venit et interfuit Ludovicus rex designatus cum multis proceribus Franciæ regni, et communi lætitiæ suam conjunxit. Adfuerunt quoque Joannes, episcopus Aurelianensis, Humbaldus, episcopus Autissiodorensis, viri religiosi, cum maxima cleri ac populi multitudine. Eadem die dedicaverunt majus altare in honore S. Mariæ Dei Genitricis; et aliud, matutinale scilicet, in honore S. Benedicti, sub quo positæ sunt ipsa die sanctæ reliquiæ ejusdem patris.... Eadem die fecerunt monachi ipsius ecclesiæ [abbatem], concedente præfato Ludovico et patris consensum promittente, præsentibus præfatis episcopis....

(1) Gallia Christ., t. XII, inst. col. 101.— (2) T. I. p. 285. — (3) Tom. cit., col. 289. — (4) Gallia Christ., t. IV, col. 150 et seq.—(5) Ibid., t. IX, col. 877. — (6) T. XII, col. 290 et seq. — (7) Novaes, t. II, p. 305. — (8) Gallia Christ., t. VIII, col. 1611 et seq. — (9) T. I, p. 285, not 1. — (10) D'Achery, Spicileg., t. II, p. 506, edit. in-fol. — (11) Labbe, Conc., t. X, col. 738 et seqq. — (12) Ibid., col. 740. — (13) Ibid., col. 742. — (14) D. Bouquet, t. XVI, præf. p. XCVII et seqq. — (15) Gallia Christ., t. XII, col. 289.—(16) Charta Stephani Æduensis, Gallia Christ., t. XII, instr., col. 106. — (17) Ep. CLXVI, ap. D. Bouquet, cit. t. XV, p. 136 et seq.—(18) Wailly, Eléments de paléographie, t. I, p. 346.—(19) Gallia Christ., t. XII, col. 289.— (20) Dedicatio eccles. B. Mariæ, de Caritate, ap. Lebeuf, Recueil de divers écrits, etc., t. II, p. 401; et D. Bouquet t. XIV, p. 121.—(21) Vide supra, p. 151.—(22) Chronicum S. Petri Vivi, ap. D. Bouquet, t. XII, p. 282.

19 Rex

necnon inthronizationi Ludovici Grossi Aurelianis et confectioni diplomatis Bituricis;

19 Rex autem Philippus vixit usque in mense Julio, et in fine ipsius mensis, scilicet III Cal. Augusti, obiit apud Milidunum, præcipiens suum corpus ferri et tumulari in monasterio S. Benedicti. *Volunt B.* Humbaldum *huic interfuisse sepulturæ* (1); *ast nescio quibus documentis id assertum nitatur; certe non interfuit exsequiis: nec videntur alii sepulturæ adfuisse quam qui exsequiis* (2), *Contra die* III *Augusti præsens fuit B.* Humbaldus *coronationi Ludovici Grossi, festinatæ a S. Ivone Carnotensi præ timore impiarum machinationum, et peractæ in ecclesia S. Crucis Aurelianis a Senonensi archiepiscopo Daimberto* cum comprovincialibus, videlicet Galone Parisiensi episcopo, Manasse Meldensi, Johanne Aurelianensi, Ivone Carnotensi, Hugone Nivernensi, Humbaldo Autissiodorensi (3). *Aurelianis Bituricas profectus est Ludovicus cum iisdem episcopis, cum quatuor regni primoribus et aliis nonnullis viris nobilibus; qui omnes subscripserunt diplomati Ludovici, res quasdam Floriacensibus donantis. Clausula est :* Actum publice Biturico in palatio, anno ab Incarnatione Domini MCVIII, anno vero regni nostri primo. *Sequuntur dein subscriptiones, quas inter* Humbaudi Autisiodo-
B rensis (4).

componit anno 1109 lites Cluniacensium cum episcopo Augustodunensi et anno 1110 Floriacensium cum domo Tociacensi:

20 *Ad annum sequentem pertinent quæ in codice Ms. Cluniacensi leguntur* (5) *:* Anno 1109 querelæ, quæ erant in D. Nargodum episcopum Eduensem et monachos Cluniacenses sopitæ fuerunt per manum Bichardi, Albanensis episcopi, apostolicæ Sedis legati, mediantibus Erveo Nivernensi, Humbaldo Autissiodorensi et Willelmo comite Nivernensi; *quas querelas de parochis fuisse, qui ecclesias de jure Cluniacensium regerent, testis est Lebeuf* (6), *tabulario prioratus de Paredo nixus: cæterum non nova erant hæc jurgia, quum Cluniacenses Nargodi consecrationi obstiterint anno* 1100, *ejus jam tyrannidem experti* (7). *Anno* 1110 *composuit B.* Humbaldus *alias lites, inter familiam de Tociaco et monachos Floriacenses flagrantes. Nariotus seu Nargaudus, Tociacensis dominus, primus quasdam pravas consuetudines seu iniqua vectigalia imposuerat villæ Villari; de quibus sæpius Floriacenses apud B.* Humbaldum *conquesti erant. Nariotus,* ut credimus, *sic disserit B.* Humbaldus (8), divina tactus clementia Hierosolymitanum iter adgressus, in medioque itinere morbo correptus, ad extrema deveniens, peccata sua Hierosolymi-
C tano patriarchæ confessus est, earumdemque malarum consuetudinum coram eo pœnituit. Sed audiens ab eo infructuosam esse pœnitentiam, nisi sequatur correctio, direxit litteras uxori suæ et suis relaxandarum videlicet earumdem malarum consuetudinum gratia, mandans et rogans ut, pro salute animæ suæ, loco illi remitterentur, nec omnino deinceps repeterentur. Verum illi, sicut se habet mos quorumdam pessimis adjicere pejora, non solum easdem consuetudines relinquere noluerunt, verum etiam pejores addiderunt; super qua re prædicti fratres et prædictus Letericus, cui locus ipse commissus fuerat, nostram adierunt præsentiam de injustitia sibi et loco suo illata conquerentes, rogantesque nos ut per justitiam episcopalem eos cogeremus ipsas injustas exactiones, sicut litteræ Narioti significabant, S. Benedicto, et sibi, locoque illi liberas clamare. Quorum petitioni libenter assensum dantes, interdicto eis divino officio, ad justitiam demum venire coegimus, easdemque malas consuetudines remittere per manum nostram et clericorum nostrorum astante nobilissimo Nivernensium comite Guillelmo multisque procerum illius. *Enumerantur dein quæ Narioti uxor et Hugo ejus gener, Tociensis castri tunc dominus, remiserunt.* Hoc autem actum est apud prædictum locum urbis Autissiodori in capitulo S. Stephani, Incarnationis Dominicæ anno MCX, indict. III, regnante Ludovico rege Francorum. *Sequuntur testes. Atque hæc recitare libuit, ut lector specimen habeat rationis, quam B.* Humbaldus *sequeretur in vindicandis rebus ecclesiasticis; quod quam sæpissime ab eo factum narrat biographus.* V. D. B.

anno 1110 videtur interfuisse Concilio Floriacensi et anno 1113 adest institutioni canonicorum S. Victoris Parisiensium;

21 *Eodem anno interfuisse videtur Concilio Floriacensi, Kal. Octobris a Richardo legato, Daimberto Senonensi et tribus aliis archiepiscopis celebrato; qui cum episcopos suos et abbates secum habuisse legantur in Chronico S. Petri Vivi* (9), *B.* Humbaldus *abfuisse censendus non est. Jura aliquot monasteriorum ibidem vindicata et aliquot lites diremptæ* (10). *Anno* 1113, convenientibus in unum Catalauni archiepiscopis, episcopis, comitibus et cæteris regni optimatibus, communi consensu *definivit Ludovicus rex institutionem Cano-* E *nicorum Regularium S. Victoris Parisiis. Inter signa bene multorum aliorum venit* signum Autissiodorensis episcopi Humbaudi (11). *Circa idem fere tempus scripsit ad eum S. Ivo Carnotensis epistolam suam* CCXLI; *qua eum monuit, coram comite, ipsius sedis episcopalis homine, retractandam non esse causam, judicio ecclesiastico jam diremptam. Atque his demum coronidem imponit fundatio Pontiniacensis cœnobii, quatuor ab Autissiodoro leucis sitæ secundæ Cistercii filiæ, et quadraginta trium matris.*

lætus consentit fundationi Pontiniaci

22 *Partem quam in hac fundatione habuit B.* Humbaldus, *ita explicant tabulæ domesticæ* (12) : Quidam sacerdos, vera religione non mediocriter adornatus, Ansius nomine *(imo* Hildebertus, canonicus Autissiodorensis matris ecclesiæ *secundum biographum et Robertum S. Mariani* (13)), in Autissiodorensi territorio degens, rogavit dominum Stephanum, novi monasterii abbatem, monachos ejusdem loci, ut in loco suo, qui Pontiniacus dicebatur, monachis ibidem collocatis, abbatiam ordinarent. Qui spe regularis disciplinæ propagandæ incitati, voto supradicti sacerdotis se satisfacturos promiserunt, si antistes, in cujus diœcesi locus ille situs erat, hoc amplecteretur. Dehinc domnus F Stephanus abbas et Ansius *(Hildebertus)* sacerdos, Autissiodorum venientes, causam ordinandæ in prædicto loco abbatiæ beatæ memoriæ Humbaldo episcopo aperiunt. Quorum studium laudabile pontifex audiens, lætissimus redditur, magnum se sibique commissos spiritualis boni emolumentum nacturos fore, si suo tempore gratia divina sanctæ regulæ amatores in suo multiplicaret episcopatu. Eo tempore, assensu, ac dono authoritateque domini Humbaldi episcopi et totius capituli ecclesiæ suæ ac venerabilis sacerdotis Ansii *(Hildeberti)* suscepit domnus Stephanus abbas Pontiniacensem ecclesiam ad abbatiam ordinandam. *Plura de hac abbatia dabunt Gallia Christiana, Manrique* (14), *aliique.*

et admittit professionem primi abbatis cum restrictione suorum jurium.

23 *Admisit B.* Humbaldus *professionem Hugonis primi abbatis, his conceptam verbis* (15) : Ego Hugo, Pontigniacensis abbas, subjectionem, reverentiam et obedientiam, a Sanctis patribus institutam, se-

(1) Lebeuf, t. I, p. 285, et Gallia Christ., t. XII, p. 289. — (2) Sugerii liber de vita Ludovici Grossi, ap. D. Bouquet, t. XII, p. 24. — (3) Ibid., p. 25, 154, 218, 223. — (4) Mabillonius, Annal. Bened. ad an. 1108, n. 56, t. V, p. 486. — (5) Gallia Christ., t. IV, col. 389. — (6) T. I, p. 285. — (7) Gallia Christ., t. IV, col. 386. — (8) Ibid., t. XII, instr. col. 107 et seq. — (9) Ap. D. Bouquet, t. XII, p. 283. — (10) Labbe, Conc., t. X, col. 766; Mansi, supp., t. II, col. 241 et seqq. — (11) Gallia Christ., t. VII, instr. col. 48. — (12) Ibid., t. XII, col. 139. — (13) D. Bouquet, t. XII, p. 290. — (14) Annal. Cist. ad an. 2114, cap. II, t. I, p. 74 et seqq. — (15) Ibid., cap. III, p. 76.

V. D. B.

cundum regulam Sancti Benedicti, tibi, Domine
Humbalde episcope, tuisque successoribus cano-
nice substituendis et sanctæ sedi Autissiodorensi,
SALVO ORDINE NOSTRO, perpetuo me exhibiturum
promitto. *Primus exceptionem* salvo ordine nostro
professioni suæ inseruit Hugo, volente S. Ste, hano
ut prius e, iscopi ratam haberent auctoritatem Ci-
sterciensis abbatis, quam colonias emitteret (1). *Hæc*
anno 1114 *acta fuisse consentiunt antiqui et recen-*
tiores; et quidem III *Kal. Junii seu die* XXX *Maii fun-*
datum fuisse Pontiniacum testatur Willelmus Go-
dellus (2) : *fundatis vero vulgo computabatur a die*
quo novus abbas cum colonia sua e materno mo-
nasterio exierat; qui mos fusius explicabatur in
BB Gaufridi et Serlonis Vita seu Commentario.

Obit. rediens a peregrinatione Hierosolymiana, die 20 Octobris anni 1115; ejus nepos instituit anniversarium.

24 *Exeunte itaque mense Maio anni* 1114 *in*
diœcesi sua adhuc versabatur B. Humbaldus. *Quum*
vero deinceps Palæstinam visitaverit et in reditu
die XX *Octobris mortem oppetierit, statim apparet*
ambigendum non esse inter canonicum Lebeuf et
Galliam Christianam, quum ille (3) *ejus obitum*
signat anno 1114, *hæc* (4) *anno* 1115. *Non enim*
inter quatuor et dimidium menses poterat tunc tem-
poris id iter institui. Certum itaque est B. Humbal-
B dum *non ante annum* 1115 *vita functum ; ast non*
minus certum cum non anno 1116 *diem obiisse.*
Ejus enim successor limina Apostolorum adiit
ibique a Paschali II, teste biographo, manuum
impositionem accepit ; et quidem III *nonas Martii, ut*
habet Gallia Christiana (5); *unde, si B.* Humbal-
dus *anno* 1116 *e vivis abiisset, ejus successor con-*
secratus foret ineunte Martio anni 1117; *sed id*
stare non potest. Si enim Petri diaconi dicta
conferamus cum narratione Falconis Beneventani,
manifestum est Paschalem II ineunte Augusto
anni 1116, *seu etiam ante, Roma exivisse, neque*
amplius in Urbem reversum (6). *Superest itaque*
ut B. Humbaldus *ad cœlos iverit die* XX *Octo-*
bris anni 1115, *et ejus successor S. Hugo Montacu-*
tius consecratus sit die V *Martii anni sequentis. In*
Necrologio, quod num. 2 *laudavimus, celebratur ejus*
memoria non tantum ad XX *Octobris, sed ad diem*
VII *Maii legitur Ulgerius seu Ilgerius ejus nepos et*
capituli præpositus, qui et cum S. Hugone de epi-
scopatu contendit, fundasse patrui sui anniversa-
rium et dedisse ecclesiæ cathedrali molendinum, ea
lege ut quotannis hac die commune prandium ca-
nonicis præberetur. Quod ipse Ulgerius id molendi-
C *num exstruxerat, ejus nomen ei adhæsit, postea cor-*
ruptum in Moulin de Fulger *seu* Fulget; *quod apparet*
in Mappis Cassini ad occidentem Autissiodori inter
vicos S. Martini et S. Mauritii veteris, ultra pa-
gum Aigleny *seu* Egleny, *intra cujus tamen ambi-*
tum molendinum hoc Lebeuf (7) *reponit. Plura da-*
bunt Acta, quæ jam subdimus.

VITA B. HUMBALDI
EPISCOPI AUTISSIODORENSIS,
ex Historia episcoporum Autissiodorensium, ap. Labbe, Biblioth. Mss. *t. I, p.* 456.

CAPUT UNICUM.

B. Humbaldus, post pueritiam et juventutem in capitulo Autissiodorensi transactam, consecratur Mediolani episcopus :

Humbaudus *a* bonæ memoriæ, ex decano *b* epi-
scopus, natione Autissiodorensis, ex patre Hum-
baldo, matre Adela, nobili videlicet prosapia ortus
sedit annos XXII *c*, menses IV, dies XVII. Fuit autem
idem episcopus temporibus Romanorum pontificum
Urbani Papæ II *d*, Paschalis II *e*, regnantibus apud
Francos viris illustrissimis Philippo *f* glorioso
Francorum rege, atque Ludovico filio ejus felici- *c*
ter Hic ab infantia studiis litterarum traditus ab *d*
Heriberto *g* prædecessore suo, clericus atque cano- *e*
nicus factus, simplicitate et prudentia, castitate ac *f*
temperantia, cæterisque virtutum floribus pollens, *g*
in ecclesia Beati Protomartyris Stephani per omnia
ordinum militans officia, honeste, decenterque ac
religiose, ibidem Deo servire studuit *h* ; decedente *h*
autem a sæculo præcellentissimo pontificum pon-
tifice Roberto *i*, moribus et generatione nobilium *i*
nobilissimo, prudentia ac corporis specie specio-
siorum speciosissimo, Humbaldus a clero et po-
pulo civitatis in pontificem eligitur *k* ; electus qui- *k*
dem, apud Mediolanum Italiæ civitatem a clericis
prædicto papæ, Urbano videlicet, qui pro quibus-
dam a sana doctrina declinantibus in Lombardiam
descenderat *l*, consecrandus præsentatur ; et ab *l*
eodem ibidem consecratus, ad propriam civitatem
reducitur atque in sede pontificali cum gloria et
hymnidicis cantibus juxta ecclesiæ morem a clero et E
populo devote susceptus est *m*. *m*

recuperat multa bona ecclesiastica, a laïcis posse

2 Quidam interea ecclesiæ casati, in ecclesiam
insurgentes, episcopalia bona usurpaverunt et ut
propria sibi retinere voluerunt : verum Humbal-
dus, simplex ac prudens episcopus, utili consilio
fretus, atque de Dei providentia confisus, Gaufri-
dum Dunziacensem *n*, Varziaci castrum occupan- *n*
tem, terram hominesque ultra modum depopulan-
tem, ecclesiastica justitia sagaciter removit, sibique
ac successoribus suis obtinendum censuit. Cona-
dam *o* quoque ab Hugonis tyrannica pervasione *o*
liberavit, qui episcopales ejusdem loci redditus
perversa audacia usurpaverat et in posterum sibi
retinere sitiebat. Tociacenses *p* similiter ecclesia- *p*
stica disciplina coercuit, et quæ ab episcopali jure
subripuerant, eos reddere cogit. Hic igitur quam
pie erga ecclesiam sibi susceptam, quam benigne
ac prudenter sese erga subditos sese habuit, præ-
clara ejus facta demonstrant : etenim ecclesiam
multis beneficiis intus et exterius decoravit, ædi-
ficiis multiplicavit, honoribus nobilitavit ; multis
etiam bonis : plura ecclesiæ contulisset, nisi qui
bonis semper invidet, diabolus per prædictos et F
quosdam alios tyrannos *q* ei rerum suarum ac ho-
noris damna intulisset. Ecclesiæ namque tecta,
vetustate consumpta atque dilapsa, novis assiculis
renovavit, turrem ecclesiæ, super altare Sancti
Alexandri positam, mirabili et alta lignea cooper-
tura sublimavit. Aliam quoque turrim, super cho-
rum positam, quadratis lapidibus cooperiri fecit,
ne ejus signa festiva ignis exustione (si forte con-
tingeret) consumerentur, neve pluviis glacialibus
quandoque consumpta frangerentur. Fenestras
etiam quatuor, seniori altari *r* lumen præstantes,
mirabili opere vitreari fecit ; atque in anteriori
parte ecclesiæ XXII, juxta chorum quoque duas vi-
treavit.

ecclesias, maxime cathedralem, ornat

3 Candelabra siquidem V miræ altitudinis ante
altare apposuit, quibus cerei appositi ecclesiam
nocturnis horis clarificarent, ac introeuntibus cle-
ricis sive laicis lucem lucidius ministrarent. Item
dedit lineam cortinam, alterum parietem eccle-
siæ *s* festivis diebus decorantem, regum et impe- *s*
ratorum imaginibus depictam ; supra quam posuit
tria preciosissima pallia mille solidorum *t* precio *t*

(1) Ibid., loc. cit. — (2) Chron. ap. D Bouquet, t. XIII, p. 674. — (3) T. I, p. 286. — (4) T. XII, col. 289. — (5) Ibid., col. 290. — (6) D. Bouquet, t. XV, p. 14 et seqq. — (7) T. I, p. 287.

constantia

A constantia, quorum unum viridis coloris leonibus multicoloribus circumrotatis fulget; secundum imaginibus regum similiter circumrotatis regali modo equitantium pollet; tertium quoque leonibus auricoloribus circumrotatis aspicientibus arridet. Item ad decorem ecclesiæ, memor psalmistæ dicentis : Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ, duo magna dedit dorsalia *u* lanea, leonibus multicoloribus opera insignita, atque super chori sedilia duo optima posuit tapetia. Item ad ornamentum ecclesiæ, insinuando etiam nobis quia, postpositis vitiis, intus et exterius palleati virtutibus esse debemus, dedit cappas de pallio bonas IV, dalmaticas III, albas VII., optimas casulas, stolas et manutergia *x* plura, pluresque libros episcopali officio convenientes. Caput quoque ecclesiæ super altare Sancti Stephani mirabili et preciosa pictura decoravit, in crypta similiter altæ Trinitatis superius et inferius picturis adornavit, et in alia crypta altare Sancti Nicolaï imagine Salvatoris, Sanctæque Mariæ et Sancti Joannis Evangelistæ depicta honestavit. Ecclesiam Sanctæ Matris Domini Mariæ, infra muros positam, ruentem ac pene dilapsam, renovavit, ac renovatam B ipse dedicavit. Caput ecclesiæ Sanctæ Mariæ extra muros novis assiculis cooperiri fecit.

et ditat :

4 Ad stipendia denique canonicorum dedit ecclesiam Accolaci *y* cum decimis, quas a Guiberto milite castri Censurii acquisierat, et paredam eisdem canonicis condonavit. Ecclesiam Crevenni *z* similiter dedit fratribus cum decimis, et paredam condonavit, præbendas tamen duas eo pacto clericis duobus, capituli precibus, attribuit. Item dedit ecclesiam Collumni *aa* cum decimis prædictis canonicis, quam a Morundo milite conquisivit, eo pacto ut canonici ecclesiam destructam reficerent, et paredam condonavit. Ecclesiam quoque Ansiaci *bb* ab Hugone Mansello quasi jure hæreditario possessam cum presbyterio et decimis eorumdem fratrum stipendiis se daturum promiserat, et si canonici interim ab illo extorquere aliquo modo possent, episcopali donatione concesserat, quam in perpetuum habendam nobis deliberasset, nisi morte maturius intercedente præoccupatus fuisset. Nec prætereumdum silentio dignum diximus, quod villam quæ Laurea *cc* vocatur, inter Carcedonum Adrajamque sitam, episcopis valde congruentem, cum silvis, terris cultis et incultis, a C Gaufrido bolsario et ab hæredibus suis, precio XXX librarum, et amplius eis dato, dimidiam conquisivit, sibique ac successoribus suis in perpetuum habendam censuit. Apud Altissiodorum quidem clausos vinearum episcopales, vetustate consumptos et pene emortuos, in viriditatem pristinam et fœcunditatem bonam reduxit.

obtinet ut comes Nivernensis juri spoliorum nuntium remittat :

5 Consuetudinem quoque pravam, omnia videlicet episcopalis domus utensilia, quæ comites, moriente episcopo, rapere suis usibus atque usurpare solebat, a juniore Willelmo *dd* comite sibi ac successoribus suis in perpetuum habendum obtinuit, et ut memoriæ commendaretur scripto hoc confirmari præcepit : « In nomine sanctæ et individuæ » Trinitatis, notum sit omnibus tam futuris quam » præsentibus, veritatem diligentibus animarum» que suarum salutem quærentibus : quia ego » Willelmus, Nivernensis consul, ad remissionem » peccatorum meorum et patris mei et matris meæ » et antecessorum suorum, laudante uxore mea » Adelaya comitissa, dimitto ecclesiæ Beatæ Mariæ, » genitricis Domini nostri Jesu Christi, et Beati Ste» phani Poptomatyris et Humbaldo, episcopo Au» tissiodorensi, et canonicis ejusdem ecclesiæ et » successoribus eorum quamdam pravam consue» tudinem quam antecessores mei solebant capere, » scilicet de domo episcopali et de rebus episcopi, » quas post mortem episcoporum quasi proprias » possidebant, vastabant et diripiebant : hanc au» tem dimissionem talis consuetudinis facio, ne » deinceps aliquis hæres meus inde quicquam ca» pere præsumat, aut si quicquam inde capere » præsumpserit, totum honorem meum perdat. » Facta autem est hæc dimissio prius super altare » Sancti Stephani, postmodum in eadem ecclesia » publice Dominica die, pridie Kalend. Septemb. »

AUCTORE ANONYMO ÆQUALI.

villas et oppida episcopalia aliaque bona recipit et auget:

6 Apogniaci *ee* etiam clausum episcopalem, destructum et male dissipatum, in fertilitatem suam reduxit; et furnum, ab episcopali jure sublatum, ad molendinum in Icauna flumine positum, et campos, qui vulgo Condominicati *ff* vocantur, episcoporum ditioni restituit; servos et ancillas plures acquisivit; et firmitatem oppidi destructam, forti maceria novisque machinis, circumquaque renovatis fossis, firmiter munivit; consuetudinem quoque ccc scilicet solidorum, quæ Joviniacensi *gg* comiti pro firmitate castri Apogniaci singulis annis dabatur, solidis XL minoravit, et vinearum plantas ibidem ædificavit. Giacique *hh* domum lapideam E et capellam episcopis construxit. Varziaci *ii* siquidem plurium acquisivit beneficia : ecclesiam scilicet Sancti Petri, a laicorum dominio substractam; ecclesiæ similiter et Sanctæ Eugeniæ oblationes Pentecostales ac Nativitatis Dominicæ atque ipsius assumptæ Virginis festivitatis a laicali possessione liberavit, jurisque episcoporum in perpetuum esse constituit. Vinearum plantas et clausum ædificavit, servos quoque et ancillas, domos, terras cultas et incultas attribuit. Apud Conadam etiam Altissiodorensis episcopus episcopali domo carebat, ubi egregiam egregie domum construxit, ac Sanctæ Mariæ capellam juxta positam decenter decoravit; ecclesiamque Sancti Laurentii suo ingenio, magno tamen labore, a laïcali manu subtraxit, sibique ac successoribus suis in perpetuum habendam delegavit : et multa alia acquisivit beneficia. Tociaci vero episcopalem domum episcopis construxit, et ad episcoporum utilitatem et proficuum sua prudentia ibidem multa bona multo labore acquisivit.

monachos, eremitas

7 Neque hoc silere debuimus, quoniam monasterium Sancti Germani, ab antiquis Franciæ regibus *kk* ecclesiæ nostræ sublatam, a prælibato Urbano papa secundo in concilio Nemausensi ob- F tinere meruit, quatenus Autissiodorensis episcopus in eodem monasterio abbatem in perpetuum Deo disponente poneret, et regulari ordine ecclesiam eamdem ordinare curaret ; quamdiu vixit, prout potuit et debuit, fovere studuit. In alodio etiam Hildeberti, ecclesiæ nostræ canonici, quod Pontiniacus vocatur, eodem Hildeberto rogante, et submovente, monasterium monachorum sub Beati Benedicti regula viventium constituit et abbatem religiosum Hugonem ibi primum posuit *ll*. Cœnobium vero, quod Fons Humidus *mm* vocatur, in termino Autissiodorensis episcopatus positum, a Girardo, religioso viro, postmodum futuro abbate, ædificatum, beneficiis suis (in quantum potuit) sublimavit.

et canonicos regulares fovet; obtinet a Paschali Papa diploma pro ecclesia sua

8 Ecclesiam quoque Sancti Petri *nn*, in suburbio Autissidorensis urbis positam, Regularium Canonicorum esse constituit, et a domino papa privilegium hoc ecclesiasticarum constitutionum habere meruit. « Paschalis episcopus, servus servorum » Dei venerabili fratri Humbaldo, Autissiodorensi » episcopo, ejusque successoribus, canonice sub» stituendis, in perpetuum. Justis votis assensum » præbere,

AUCTORE ANONYMO ÆQUALI.

» præbere, justisque petitionibus aures accommo- » dare nos convenit, qui, licet indigni, justitiæ » custodes atque præcones in excelsa Apostolo- » rum principum Petri et Pauli specula positi, do- » mino disponente, conspicimus. Tuis igitur, frater » in Christo carissime Humbalde, justis petitioni- » bus annuentes, sanctam Autissiodorensem eccle- » siam, cui authore Deo præsides, apostolicæ sedis » authoritate munimus : statuimus enim ut uni- » versa, quæ ab antiquis prædecessorum nostro- » rum possessa temporibus vestra Autissiodorensis » ecclesia in præsenti ex xv indictione *oo* obtinere » cognoscitur, tibi tuisque successoribus libera » semper et illibata serventur. Nullus omnino » cujuscumque dignitatis aut ordinis invitis vobis » aut ecclesiæ vestræ subjectionis aut res vestræ » possessionis invadere, auferre aut aliquo modo » subtrahere audeat ; sed omnia in tua tuorumque » successorum, canonica honestate viventium, » obedientia et dispositione persistant : sic enim a » prædecessoribus nostris sanctæ Romanæ eccle- » siæ pontificibus per Beati Germani petitionem, » cujus patrimonium Altissiodorensis parochia » fuerat *pp*, creditur institutum. Siqua igitur ec- » clesiastica secularisve persona, hanc nostræ con- » stitutionis paginam sciens, contra eam temere » venire tentaverit, secundo tertiove commonita, » si non satisfactione congrua emendaverit, pote- » statis honorisque sui dignitate careat *qq* ; ream- » que se divino judicio existere de perpetrata » iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac » sanguine Dei et Domini Redemptoris Nostri Jesu » Christi aliena fiat, atque in extremo examine » districtæ ultioni subjaceat, cunctis autem eidem » loco justa servantibus, sit pax Domini Nostri » Jesu Christ, quatenus et hi fructum bonæ actio- » nis percipiant et apud districtum judicem præ- » mia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. »

oo — *pp* — B — *qq*

et alterum pro suo nepote præposito Autissiodorensi;

9 Item ejusdem ad clerum : « Paschalis, servus » servorum Dei, dilectis filiis Autissiodorensis ec- » clesiæ canonicis salutem et apostolicam benedic- » tionem. Quod confrater noster Humbaldus, eccle- » siæ vestræ episcopus, erga filium nostrum Husge- » rium *rr* canonicum vestrum benigne se habuit, » eique præpositurae dignitatem vestro consensu » dedit, et ipsi et vobis gratias agimus. Notum au- » tem vobis esse volumus, quia vos tam ipsum quam » omnia ad eum pertinentia volumus sub aposto- » licæ sedis tutelæ protectione persistere. Præsen- » tium itaque literarum authoritate interdicimus, ne » qua ecclesiastica secularisve persona eumdem » filium nostrum de prædictæ præpositurae bene- » ficio inquietare præsumat »

rr — C

Canonicos Regulares promovet: ss

10 Inter cætera vero benigne gestorum ejus insignia vir honestæ vitæ et per cuncta laudabilis ecclesiam Sancti Eusebii *ss*, apud quam canonicorum nostrorum atque servientium constat fore sepulturam, Canonicorum Regularium esse constituit, et probabilis vitæ fratres sub prioratu de Abbatia plures ibidem posuit; quibus et præbendam canonici nostri mortui per annum dari studuit, cum consensu totius cleri et populi, assistente Hervejo Nivernensium episcopo, hujus nostræ ecclesiæ canonico, ut et ipsi Regulares Sancti Eusebii Canonici pro nostris mortuis missas celebrarent, cæteraque mortuorum agenda quotidie persolverent : quam etiam præbendam antecessor ejus pontifex Robertus cuidam presbytero missas pro canonico mortuo celebranti dari per annum statuerat *tt*. Canonicis etiam de Abbatia Regularibus, quam antecessor ejus gloriosus decusque pontificum Robertus in abbatiam extulit, dedit ecclesias plures, illam de Warchi, de Traliaco, Sancti Martini de Truncelo, de Sancto Quintino *uu*, quas a laicali manu subtraxit, eisque in perpetuum habendas apostolica et episcopali authoritate concessit. D

tt — *uu*

item Cluniacenses, pr consuetudines tollit; xx

11 Monasterio Charitatis *xx*, similiter ecclesias multas concessit, quas a laicis eas possidentibus conquisivit. Ipse idem divinorum officiorum ecclesiasticique ordinis amator, baptisteria et sepulturas cæterasque ecclesiarum oblationes, a laicis per multa tempora usurpatas, et jam ex longo usu et quasi pro consuetudine possessas, consuetudines quoque pravas, convivia scilicet, quæ presbyteri parochiales dominis laicis per singulos annos persolvebant, strenue ac rationabiliter a laici * possessione removit; neve deinceps sacerdotes Dei laicis in talibus obedirent in synodo episcopali authoritate interdixit; prædicens illud Stephani papæ et Martyris decretum *yy* : « Laicis, quamvis religiosi » sint, nullis tamen de ecclesiasticis facultatibus » aliquid possidendi legitur umquam attributa po- » testas. »

* laicali — *yy*

laudatur ejus religio et indoles;

12 Hic itaque, amicus Dei pacis et benignitatis, episcopus, his atque hujuscemodi bonorum operum exhibitionibus adornatus, ita se amabilem bonis viris ac charum exhibebat, ut omnium bonorum laude dignus fieri mereretur : erat enim sagacis ingenii, prudens eloquio, providus in consilio, patientia lenis, vultu alacris, incessu et habitu jucundus, erga omnes benigne affabilis, intus et foris cunctis idoneus; vacabat opportuno tempore orationibus, et interdum familiarium fruebatur collocutionibus; disponendo de suis suorumque utilitatibus, diligebat militum atque nobilium contubernia; sed major illi inerat erga clericos affectio, et in mensa et in vestium cultu largitatis gratia eis apparebat copiosior. De illicitis siquidem carnis motibus silentium non est, quos ab eo ciborum parsimonia et potus comprimere studiosus fuit : ut, ex quo episcopus factus est, a carnibus sese abstineret, leguminis ei comestio sufficeret, nec vinum nisi parum biberet. In convivio denique hospitalitatem in invicem et in omnes sectando dapsilis fuit, nec umquam in prandio Christi pauperibus caruit, vitans illud quod scriptum est : Episcopus, nisi omnes receperit, inhumanus est. In quadragesima vero quotidie pauperes duodecim reficiebat, quibus in Cœna Domini denarios tribuebat, et in Pascha plerosque vestiebat.

E — F

aliæque virtutes: pie in naufragio obit.

13 Cum autem, ut plerumque fieri solet, in subditorum etiam baronum animos furor iracundiæ et discordiæ diabolico instinctu irrepsisset, mira ejus patientia atque humilitatis gratia discordantes animos concordabat; et ut pax fieret firmior et quies, inquietanti dando de suo sæpenumero propinabat. Si vero aliquando aliqua laicalis persona in clericum aut calumniæ causam aut injuriam a clerico sibi illatam haberet, eique conquerendo reclamaret : ipse, simplicitate columbæ ac prudentia serpentis instructus, et culpam, ne dedecus fieret ecclesiæ, sub silentio teneri faciebat; et negligentiam, si aliter fieri non posset, interdum dato pretio a reclamantibus redimebat. Hic itaque, operante Jesu Christi clementia, qui fidelium suorum et aspirando prævenit et adjuvando prosequitur actiones, inter fratres pace prius reformata, XXII *zz* episcopatus sui anno pro Salvatoris sui amore et peccatorum suorum remissione Hierosolymitanum iter prosecutus est : unde sacris locis ex more visitatis, et cum imbre lacrymarum facta oratione ubique pro peccatis, dum rediret et ecclesiæ suæ ornamenta plurima deferret, inter sævientis maris fluctus

zz

A fluctus Salvatoris Nostri Jesu Christi misericordiam implorans reumque se vociferans, psalmos Deo et hymnos personando, navi dissoluta, creatori suo spiritum reddidit aaa.

aaa

ANNOTATA.

a In his Actis et alibi Humbaudus dicitur et Humbaldus; vocant eum gallice Humbaud et Hombaud.

b Decanus jam erat anno 1076, quum tunc temporis cum hac appellatione designetur in litteris fundationis capituli Clameciacensis (Clamecy) in pristina diœcesi Autissiodorensi (1). Idem ei titulus datur in lectionibus SS. Alexandri et Chrysanthi, insertis Antiphonario Autissiodorensi sæculi XIII (2).

c Ut in Commentario prævio ostensum est, sedit ab anno 1095 ad 1115; et proin viginti tantum annos; Lebeuf (3) ejus episcopatum extendit a die 6 Maii anni 1087 ad diem 20 Octobris anni 1114, per viginti sex et dimidium annos; verum hæc omnia ruunt.

d Sedit Urbanus II a die 12 Martii anni 1088 (4) usque ad diem 29 Julii anni 1099; ad quam diem eum prætermiserunt decessores nostri, rati non constare de ejus cultu ecclesiastico ex annuntiationibus B martyrologiorum seu potius menologiorum, quas congessit Ruinartus (5) et ex eo descripsit Prosper Lambertinus (6). Sed profecto sensissent omnino aliter, si cogitassent de picturis sacelli apostolici S. Nicolai (7) et maxime si fidem non adhibuissent Ruinarto (8) asserenti festivitatem ejus nuspiam in ecclesia celebratam esse. In codice enim Ms., qui olim in musæo decessorum notabatur siglis †. Ms. 160, nunc vero in bibliotheca regia Burgundica n. 8016, quique continet apographum Chronici Cavensis, præmittitur catalogus Sanctorum, qui celebrantur in Cavensi monasterio; et ad 29 Julii legitur: De B. Urbano II, pontifice maximo: fuit hic videlicet aliquando monachus Cavensis. Interea lacunam, quæ in opere nostro est, facile supplebit Vita adornato a Ruinarto, et multo melius altera collecta a Michaele Brial (9).

e Sedit Paschalis II a die 14 Augusti anni 1099 ad 21 Januarii 1118. De ejus cultu et sanctitate multa disputavit Prosper Lambertinus (10).

f Philippus I regnavit ab anno 1060 ad 1108; cui dein successit suus filius, Ludovicus Grossus, usque ad annum 1137.

C g Heribertus sedit ab anno circiter 1040 ad 1052 (11).

h Educabantur tunc temporis pueri in capitulo S. Stephani Autissiodorensi: chartæ Goffridi episcopi, anno 1159 Autissiodori datæ pro prioratu de Caritate, subscribunt, præter episcopum, presbyteros, diaconos et subdiaconos, pueri numero septem; quos inter duo Humbaldi; quorum unus certe noster Humbaldus est, quandoquidem homonymus non veniat inter alios canonicos (12). Hinc colligere est B. Humbaldum inter annum 1040 et 1050 natum.

i Roberti mortem refert Lebeuf (13) ad diem 12 Februarii anni 1084. In Commentario prævio n. 6 ostendimus eum decennio post vita functum.

k Ex canonico Frodone in Commentario prævio diximus multam dissensionem de hac electione fuisse, D verisimiliter quod nobiliores familiæ de episcopatu suis asserendo decertarent. Vix dubium est quin propter hanc dissensionem ad B. Urbanum Papam perrexerit B. Humbaldus, ab eo manus impositionem recepturus. In iidem adjunctis solemne id erat hoc ævo episcopis electis; imo et aliis, ut ex Ulgerii præpositi gestis apparet. Vide infra annotatum rr.

l In Galliam veniebat Urbanus pro bello cruciato; in Langobardia versans, celebravit Kal. Martii anni 1095 Concilium Placentiæ contra schismaticos, ut loquitur Bertholdus (14), id est adversus simoniacos et Guibertistas; ad hæc alludit biographus: sed et de multis aliis ibi actum est (15).

m Alluditur ad celeberrimum morem Autissiodorensem, quo tunc temporis nobiles ipsimet humeris suis ad templum cathedrale deferebant inthronizandum episcopum. Sæculo XVIII cessavit hæc consuetudo, ex jure feodali orta. In usu fuit in aliis quoque ecclesiis (16).

n Clerus Autissiodorensis stabat a partibus comitum Nivernensium et Autissiodorensium adversus duces Burgundiæ, qui aliquando auctoritatem in Autissiodorum usurpaverant (17). Familia vero Dunziacensis videtur adversas tenuisse partes (18). Huic forte causæ non secus ac occasioni vacuæ sedis E tribuenda est Varziaci (Varsy) iniqua occupatio. Gaufridus vero ille, ordine II, postea bellum sacrum suscepit; a quo redux, vitam monasticam amplexus est (19).

o Conada, vulgo Cône, erat de dominio episcopali; Gaufridus Dunziacensis III, cum titulo feodi tenens, statim post mortem B. Humbaldi hujus loci dominus fuisse legitur (20); indubie reservabat sibi jura quædam et reditus ecclesia Autissiodorensis. Hugo vero, qui eos usurparat, Cenomannicus, Mansellus, Mauseau cognomine dicitur (21); tuebatur hic etiam partes adversus comitibus Nivernensibus (22). Circa annum 1130 occupabat iterum castrum Conadam (23).

p Tociacenses domini tunc erant Iterius in bello sacro mortuus, Hugo et Norgaudus (24); de quibus in Commentario prævio num. 15 et 20 dictum est. Tociacum erat de patrimonio S. Germani Autissiodorensis, ibique castrum habebant episcopi, a quibus baroniam suam tenebat Tociacense genus (25). Inferius num. 6 legitur B. Humbaldus domum episcopalem ibidem construxisse. Mediam forte partem Tociacensis dominii recuperavit B. Humbaldus (26).

F q Domus Dunziacensis et Tociacensis necnon Hugo Mansellus tyrannidis hic incusantur; plerique tamen videntur fuisse homines pii et in pace cum B. Humbaldo versati. Certe exstiterunt lites inter eos et censuras ecclesiasticas adhibuit B. Humbaldus; verum hæc communis tunc erat rerum conditio, quum temporibus anteactis vasalli dominorum suorum jura usurpassent, hi vero auctoritatem suam recuperare niterentur. Eodem modo male a quibusdam habetur pientissimus et prudentissimus comes Nivernensis, Guilielmus II; de quo postea.

r Senius altare pro altari præcipuo. Ipsum hoc altare exornavit etiam B. Humbaldus: etenim in Necrologio Autissiodorensi Norgaudi Augustodunensis, de quo dictum in Commentario prævio num. 20, hæc fit memoria (27): VI nonas Maji obiit Norgaudus, Eduensis episcopus, hujus ecclesiæ canonicus,

(1) Gallia Christ., t. XII, col. 351; Lebeuf, t. I, p. 277. — (2) Lebeuf, t. I, p. 277. — (3) T. I, p. 286. — (4) Novaës, t. II, p. 289. — (5) Vita B. Urbani II, p. 330 et seq. — (6) De serv. Dei Beat., lib. I, cap. XLI, n. 25. — (7) Vide sup. Comm. præv., n. 4. — (8) Op. cit., p. 330. — (9) Ap. D. Bouquet, t. XIV, p. 674 et seqq. — (10) De serv. Dei Beat., lib. I, cap. XLI, n. 26 et seqq. — (11) Gallia Christ., t. XII, col. 285 et seq. — (12) Ibid. inst. col. 103. — (13) T. I, p. 276. — (14) D. Bouquet, t. XIV, p. 681. — (15) Ruinart. Vita B. Urbani II, p. 170 et seqq. — (16) Lebeuf, t. I, p. 220, not. a; et p. 261, not. a. — (17) Lebeuf, t. I, p. 261. — (18) Hist. Ludovici VII, ap. D. Bouquet, t. XII, p. 128. — (19) Art de vérifier les dates, t. II, p. 85. — (20) Ibid., l. c. — (21) D. Bouquet, t. XII, p. 301; Lebeuf, t. I, p. 279. — (22) D. Bouquet, t. XII, p. 302 et seq. — (23) Ibid., l. c., et Art de ver. les dates, t. II, p. 561. — (24) Gallia Christ., t. XII, inst. col. 104 et seq. — (25) La Martinière, Dict. geogr. v° Toucy. — (26) Lebeuf, t. I, p. 246, not. b. — (27) Gallia Christ., t. IV, col. 389.

A cus, qui per manus Uumbaldi episcopi dedit ecclesiæ nostræ v marcas argenti ad mensam altaris exornandam.

s *Per* alterum parietem ecclesiæ *intelligit Lebeuf* (1) latus sinistrum.

t *Si solidi aurei fuerint (ut videtur), constiterint hæc pallia* 80,000 *francis.*

u Dorsalia *erant tapetia quæ vel ad stallorum dorsum vel muris appendebantur.*

x Manutergia *hæc paulatim mutata fuerunt in manipulos, qui nullius usus sunt, sed meri ornamenti.*

y Accolacum *vulgo* Accolay; Castrum Censurii Château-Censoir. Jus paredæ, paretæ *seu* paratæ, *quod episcopi in ecclesias habebant, in eo erat positum quod hujus ecclesiarum presbyteri cibum dare debebant episcopis et eorum comitatui.*

z Crevennum *vulgo* Crevan *seu* Crevant.

aa Collumnum *nunc* Coulons; *parœcia hæc amplius non exstat; sed regionis, in qua sita erat, memoria servatur nomine alterius parœciæ, dictæ* St-Cyr-en-Coulons; *inter hanc et* Courgis *jacebat Collumnus* (2).

bb Ausiacum *nunc* Oisy.

B cc Laurea *videtur esse canonico Lebeuf* Chapelle-Laurent, *inter Carcedonum* (Courçon) *et Androjam* (Andrie).

dd *Willelmus comes, junior seu II, filius Rainaldi II, hanc dimissionem fecit verisimiliter anno* 1096 *Vide Commentarium prævium, num.* 9. *Anno ante mortem sæculum deseruit, et frater laicus apud Carthusianos factus est.*

ee Apogniacum, *vulgo* Appoigny. *Clausum istud postea dictus* Regius annis, *vulgo* Regennes *seu* Regeannes (3).

ff Condominicati *sunt campi ab omni onere agrario immunes; origo hujus vocis videtur esse* con, *idiomate vulgari* campum *designans et* domini (4). *Hi campi non secus ac furnum et molendinum sita fuerint oportet in vicinia Apogniaci, quum biographus de hoc oppido loqui pergat.*

gg Joviniacum, *vulgo* Joigny.

hh Giacum, *vulgo* Gy.

ii Varziacum, *vulgo* Varzy; *de quo jam dictum in annotato* n. *Ecclesia S. Eugeniæ primum ædificata fuerat a tempore S. Germani, et restaurata sæculo* x *a Galdrico episcopo, qui ibidem partem reliquiarum hujus Sanctæ condidit* (5). Festivitas

C ipsius assumptæ Virginis, *quæ paulo inferius venit, est canonico Lebeuf festum ipsius B. Eugeniæ. Ecclesia S. Petri parochialis erat et a Galdrico quoque renovata fuerat.*

kk *Novi editores Historiæ Autissiodorensis canonici Lebeuf errare videntur, episcopalis auctoritatis detrimentum referentes ad tempora, quibus duces Burgundiæ tamquam abbates laici S. Germani monasterio præerant. Crederem etiam errare biographum, dum æstimat olim id cœnobium de jure episcopi Autissiodorensis fuissê: origine enim regium erat* (6), *et proin visitationi archicapellani regii et missorum dominicorum obnoxium: sed alibi* (7) *satis superque de hoc argumento diximus. Sæculo* XIII *post multas lites vindicarunt suam libertatem Sangermanenses ab auctoritate episcopali. De Concilio Nemausensi et reliquis vide Commentarium prævium, num.* 10 *et seqq.*

ll *De fundatione Pontiniaci, secundæ Cistercii filiæ, anno* 1114 *die* 30 *Maii facta, dictum est in Commentario prævio num.* 23. *B. Hugo Matisconensis, primus institutus abbas et post S. Hugonem Montacutium Autissiodorensis episcopus, obiit Pontiniaci die* 12 *Octobris anni* 1151. D

mm Fons humidus, Fontismus, *gallice* Fontème *seu* Fontemoi, *jacet ad meridiem Autissiodori infra Accolacum, prope oppidulum Jugam, vulgo* Joux, *ad dextram viæ Lugdunensis Parisios versus; quæ intercedit inter Fontem humidum et Regniacum, et pristinas diœceses Augustodunensem et Autissiodorensem ibidem fere separabat. Fons humidus enim in Augustodunensi et Rigniacum in Autissiodorensi jacebat. Fontis humidi sedem acceperunt BB. Gerardus et Guerinus, ambo presbyteri et eremitæ, anno* 1104; *et continuo multos acceperunt discipulos, quos omnium primus rexit B. Gerardus, post B. Guerinus et dein Julianus; quo mortuo, traditum est id asceterium Clarævalli; ex qua Stephanus de Tociaco cum abbatis potestate illuc missus est anno* 1128; *ast anno* 1134 *Rigniacum translata fuit hæc abbatia, ubi usque ad exiens sæculum* XVIII *exstitit* (8). *B. Gerardus a biographo* abbas futurus *dicitur, et similiter Julianus* abbas Fontismi *in charta Sangermanensi* (9) *legitur: an pro more, quo et alii eremitarum superiores abbates dicti reperiantur, an quod* E *benedictionem abbatialem acceperint, non satis mihi constat. Ex loquendi modo biographi benefecerit oportet B.* Humbaldus *Fonti humido circa annum* 1104 *aut* 1105.

nn *Vulgo dicta* S. Père; *ejus mentio occurrit jam saculo* VI *in Vita S. Aunacharii, et fata describuntur in Gallia Christiana* (10). *Sæculo* XI *et sequenti miro modo per Galliam et alias regiones propagatum est institutum Canonicorum Regularium* (11). *Num.* 15 *et* 18 *Commentarii prævii animadvertimus ex conjectura potius quam ex certo argumento introductionem canonicorum regularium in ecclesiam S. Petri jam ad annum* 1100, *jam ad* 1107 *a Gallia Christiana signari.*

oo *Vide dicta in Commentario prævio ad num.* 18.

pp *Universam parochiam seu diœcesim Autissiodorensem (prout hic insinuatur) patrimonium fuisse S. Germani jure merito in dubium vocat aut potius negat Lebeuf* (12). *Ditissimum tamen fuisse hunc Sanctum et ditissimam item ecclesiam Autissiodorensem res manifesta est.*

qq *Similem formulam jam a S. Gregorio Magno adhibitam fuisse in celebri privilegio Augustodunensi eruditum neminem præterit. Privatio autem* F *omnis honoris et dignitatis consequentia erat excommunicationis seu pœnitentiæ publicæ; (pœnitentes enim et excommunicati eodem fere habebantur loco). Hinc pœnitentes seu excommunicati amovebantur a militia et ab omnibus politicis officiis; hinc Theodosius pœnitentiæ suæ tempore diademate caput non cinxit; hinc rex Wamba sceptrum posuit et vitam quasi monasticam duxit; hinc alii alio modo se omni sæculari honore exuerunt. Quum itaque hæc disciplina sæculo* XI *adhuc vigeret (ut et ipsa hæc Paschalis epistola ostendit), fuere tempore S. Gregorii VII, qui ejus de deponendo Henrico IV imperatore judicium et his priscis pœnitentiæ publicæ legibus tuiti sint.*

rr *Loco* Husgerii *legendus videtur* Hulgerius, *seu* Ulgerius, *nepos B.* Humbaldi; *de illo dictum in Commentario prævio num.* 24.

ss *Sæculo* VII *S. Palladius episcopus Autissiodorensis exstruxit hanc suburbanam ecclesiam sub*

(1) T. I. p. 281. — (2) Lebeuf, t. I. p. 282, not. *b*. — (3) Ibid., t. I. p. 280. — (4) Cfr Cangius ad v° *Condamina* et *Condomina*. — (5) Lebeuf, t. I, p. 282. — (6) Gallia Christ., t. XII, col. 361 et seqq. — (7) Examen hist. et anon. de Juribus et offic. regul., p. 200 et seqq. — (8) Mabillonius, Annal. Bened. ad 1104, n. 80, t. V. p. 1104; Gallia Christ., t. XII, col. 1459 et seq., et instr., col. 106 et seqq.; Expilly, Dict. géogr. de France, v° *Joux* et *Rigny*, etc. — (9) Gallia Christ., t. XII, inst. col. 108. — (10) T. XII, col. 434 et seqq. — (11) Cfr Pelarge, de Canonicorum ordine disquisitiones. — (12) T. I, p. 281.

S. Eusebii

A *S. Eusebii Vercellensis patrocinio; quam alii postea sæpius renovarunt* (1). Abbatia, *ex qua B.* Humbaldus *Canonicos Regulares huc induxit, est ecclesia canonicalis S. Laurentii prope Conadam, dicta olim* Wulfini, Longoretensis, *post* de abbatia, *vulgo* des Aubats (2), *et sæculo* VII *primum exstructa.*

tt *Hæc non diu servata fuere; nam anno* 1159 *ven. Alanus, Autissiodorensis præsul, canonicis S. Laurentii, conquestis de paupertate prioratus S. Eusebii, concessit iterum, ut quoties in ecclesia Autissiodorensi vacaret canonia, toties ad unius anni circulum ecclesia S. Eusebii redditus canoniæ haberet integros* (3).

uu Warchi, *nunc vulgo* Guarchy, *seu* Guerchy; Tratiacum, Tracy; S. Martinus de Trunceto; St-Martin-du Troncet; S. Quintinus, St-Quentin: *omnes hi vici non procul ab asceterio S. Laurentii jacent. Dedit huic præterea ecclesiam* S. Cyri in Columno, St-Cyr-les-Coulons; *ut ex S. Laurentii Necrologio, sæculo* XIII *conscripto, collegit Lebeuf* (4).

xx *De monasterio seu prioratu Caritatis dictum est in Commentario prævio num.* 18. *Ecclesias, quas ei dedit B.* Humbaldus, *in ejus vicinia omnes sitas fuisse æstimat Lebeuf* (5). D

yy *Reperiuntur hæc verba cap.* X *epistolæ* II *S. Stephani Papæ ad omnes episcopos* (6); *argumenta, quibus hæc supposititia esse ostenditur, vide apud Berardum* (7) *In Labbei textu habes* aliquid respondendi; *quibus substituendum ille arbitratur* disponendi; *et quidem recte, quum cap.* III *Concilii Romani anni* 502, *parte* XVI, *cap.* XXXVI *Decreti Ivonis, et causa* XVI, *quæst.* VII, *cap.* XIV *Decreti Gratiani ita legatur, licet biographus* possidendi habeat

zz *Immo* XXI: *vide supra annotatum* c.

aaa *Robertus, monachus S. Mariani, in suo Chronico* (8) *eadem narrat, addens encomium B.* Humbaldi, *simile memoriæ Necrologii num.* 2 *recitatæ.*

(1) Gallia Christ., t. XII, col. 359. — (2) Cfr Lebeuf. t. I. p. 281; Gallia Christ., t. XII, col. 430. — (3) Gallia Christ., t. XII, col. 259; Lebeuf, t. I, p. 330.—(3) T. I, p. 281.—(5) Ibid., l. c.—(6) Labbe Conc. t. I, col. 735.—(7) Canones Gratiani, t. I, p. 315 et seqq. Edit. 1777.—(8) D. Bouquet, t. XII, p. 290.

B E

DE BB. GAUFRIDO, ET SERLONE, ABBATIBUS, GUILIELMO, NOVITIO, ET ADELINA ABBATISSA,

SAVINIACI IN NORMANNIA.

COMMENTARIUS HISTORICUS. V. D. B

§ I. Duplex SS. Saviniacensium translatio; pauca de S. Adelina et Guilielmo innotescunt; B. Gaufredi ortus, magisterium, monachatus Cerasii et Saviniaci; quæ gessit, dum abbas esset Saviniacensis.

C F

SÆCULO XII *Sancti Saviniacenses, quorum sæpius inter Prætermissos memoria facta est.*

B. *Vitalis, B.* Gaufridi, *B.* Guilielmi, *B. Petri et B. Haymonis Saviniacensium elevatio, ex Menardo, Henriquezio et Saussayo memorata fuit ab Henschenio inter prætermissos ad diem* I *Maii. Cui commemorationi subjecit doctissimus hagiographus:* Ex his B. Vitalis Acta dedimus VII Maji; Guilielmus, cui poterit Gaufridus adjungi, refertur ab Henriquez XX Octobris. Petrus cujus Acta Mss. habemus ab eodem memoratur XXIV Decembris; Haymo, ut diximus inter prætermissos XXX Aprilis, indicatur in Kal. Divione excuso XXVI Septembris. *Ex sententia itaque Henschenii præsenti die agendum est de BB.* Guilielmo *et* Gaufrido; *quibus et S.* Adelinam, *cum illis e terra levatam, sociamus; quin etiam B.* Serlonem *adjicimus, tum quoniam ejus gesta nonnihil cum B.* Gaufridi *gestis implicantur, tum quoniam eum ad diem* 9 *aut* 10 *Septembris prætericrunt decessores nostri, licet certissime Saviniaci cultus fuerit. Ad diem* 26 *Septembris omiserunt quoque B. Haymonem, cujus gesta et cultus illustrata fuere a R. D. Tresvaux* (1). *De eo dici poterit ad* 24 *Decembris, quoniam ejus gesta cum vita B. Petri omnino cohærent. Ante omnia vero Sanctorum Saviniacensium, ut vocantur cultum extra controversiam ponamus.*

2 *Edidit Stephanus Baluzius Chronicum Saviniacense, quod manifesto duplex est; ita ut prior pars seu prius Chronicum exordiatur ab anno* 1112 *et desinat ad annum* 1244; *posterior vero pars seu alterum Chronicum initium ducat ab anno* 1122 *et ad annum* 1303 *finiatur: cui tertius scriptor anno* 1378 *notulam adjecit: quæ ideo notamus quoniam juvat plures antiquos de cultu testes habere. Prius itaque, de Stephano de Lixinthonia,* XVII *abbate Saviniacensi agens, hæc in ejus laudem et de translatione quinque Sanctorum Saviniacensium scripsit* (2): Anno Domini MCCXXIX in die Ascensionis Domini..... est electus venerabilis pater Domnus Stephanus de Lixinthonia abbas de Stanleia *(in* *anno* 1243, *die* I *Maii, translati sunt de capella B. Catharinæ in majorem ecclesiam;*

(1) Vies des SS. de Bretagne, t. II, p. 410. — (2) Baluzii Miscellan, t. I, p. 327, edit. Mansi.

Anglia),

V. D. B.

Anglia), vir doctrina et scientia præditus. Hic multa bona tam in hac domo quam in tota generatione fecit, fervorem religionis ibidem amplius excitavit, conventum Savigniacensem usque ad quadraginta monachos et eo amplius augmentavit, ipsam abbatiam multis ædificiis decoravit. Hic bonus vir, undique circumspectus, corpora Sanctorum præsentis monasterii, Spiritu sancto edocente, de capella Beatæ Catharinæ, ubi multo tempore quieverant, ad majorem ecclesiam cum multo honore reportavit. Qua occasione Dominus multa et crebra miracula ostendere dignatus est. Facta est autem Sanctorum Savigniacensium reportatio prima die mensis Maji anno gratiæ MCCXLIII. Eidem vero abbati a capitulo generali eodem tempore, quo dictam rexit abbatiam, concessum est ut ante corpora dictorum Sanctorum de oblationibus fidelium continue ardeat luminare. *Huic translationi præfuit Gaufridus de Majet, episcopus Sagiensis* (1), *et in ejus solemnitatis memoriam quotannis in eodem cœnobio processionem Kalendis Maii factam fuisse testis est Menardus* (2).

cujus translationis anniversarius dies valde solemnis erat :

** corpora?*

3 *Quam festa esset hæc dies patet ex secundo chronographo ad annum* 1303 *ita scribente* (3) : Anno Domini MCCC tertio, prima die Maji, in festo Beatorum Apostolorum Philippi et Jacobi, qua die levata fuerunt capita * Sanctorum Savigniacen-
B sium et reposita circa majus altare, præsente innumerabili multitudine laïcorum, clericorum et prælatorum : quorum Sanctorum reverentia et honore fecit luminare magnum frater Guillelmus dictus Corteis, et professus fuit, et habitum sanctæ religionis cum magna devotione suscepit. Qui prædictus Guillelmus a primævæ juventutis suæ exordio fidelis exstitit et irreprehensibilis et etiam pro negotiis domus hujus ingentibus periculis se exposuit et mare ad partes Angliæ pluries transfretavit. Qui per duos dies plenarie et septimana successive pittantias duas nobis fecit et diebus cæteris emendationes condignas. *Videtur itaque per integram hebdomadam hæc solemnitas durasse. Asserere tamen non ausim Officium et Missam de his Sanctis (præterquam de S. Vitali) celebrata fuisse ; sed quotidie fiebat de omnibus, et quidem nominatim, memoria in Officio sacro* (4).

minus vero solemnis anniversarius prioris translationis anno 1182 factæ

4 *Ast ex citatis huc usque monumentis nondum apparet quorum Sanctorum hæc essent corpora. Hæc novimus ex Gallia Christiana nova, cujus auctoribus subministrata fuere optima documenta; videlicet historia cœnobii, accurate concinnata a*
C *Guilielmo Liegard, tunc temporis illic priore, et innumeræ aliæ notitiæ. Porro istic legimus de Simone, ab anno* 1179 *ad* 1189 *abbate Savigniacensi* (5) : Basilicam S. Catharinæ a Richardo Abrincensi præsule dedicari curavit v Cal. Junii 1181. Transtulit in eam 30 Martii, feria III Paschæ, 1182, corpora Sanctorum Savigniacensium Vitalis et Gaufridi abbatum, Hamonis et Petri monachorum, Guillelmi novitii et Adelinæ sororis S. Vitalis, priorissæ Moritoniensis. *Atque hæc translatio, quoniam quotannis anniversaria non celebrabatur festivitate, vel præteriit utrumque chronographum, vel annotanda visa non fuit. Ea vero non latuit R. D. Tresvaux* (6), *qui adjuncta etiam plura refert, videlicet huic priori translationi interfuisse episcopos Abrincensem, Rhedonensem et Cenomannensem, videlicet Richardum III, qui ab* 1171 *ad* D
IV *Kal. Augusti anni* 1182 *Abrincis sedit* (7), *Philippum qui Rhedonensem cathedram ab anno* 1197 *ad diem* 8 *Aprilis* 1182 *occupavit* (8), *et Guilielmum qui secundum Papebrochii* (9) *calculum ab anno* 1143 *ad* 1186 *Cenomannensem ecclesiam rexit. Menardus* (10) *hos episcopos translationi anni* 1243 *interfuisse perhibet; sed eam ab episcopo Sagiensi factam supra num.* 2 *diximus.*

Inter hos Sanctos veniunt S. Adelina soror S. Vitalis et S. Guilielmus, *qui non fuit abbas.*

5 *S.* Adelina, *quam in nullo Martyrologio aut Menologio indicatam reperio, prima Moritoniensis abbatissa, non vero priorissa fuit* (11); *ejusque nomen in Chartis Saviniacensibus ad annum* 1120 *reperiri eamque circa annum* 1125 *mortuam testantur scriptores Galliæ Christianæ* (12). *Plura de ea non videntur innotescere. S.* Guilelmum *abbatem fuisse Saviniacensem credidere Menardus* (13), *Philippus Seguinus et ex iis Henriquez* (14), *Bucelinus* (15), *Manrique* (16), *Henschenius* (17), *aliique. Verum quæ Menardus et Seguinus tradunt omnino stare non possunt, licet a Saviniacensibus documenta acceperint. Etenim quod ait Menardus eum tertium fuisse abbatem pugnat cum certa chronologia, quæ est in Gallia Christiana et in utroque Saviniacensi Chronico. Primus Guilielmus quinto* E
tantum inter abbates venit loco ; et tantum abest ut tamquam Sanctus colatur, ut ab utroque chronographo omissus fuerit, et forte ignoratus. Secundus Guilielmus abbas, dictus de Tolosa, ortu Cadomensis, prius anno circiter 1162 *et dein anno* 1178 *Saviniacensis abbas fuit* (18). *Porro hunc Guilielmum abbatem Saviniaci cultum fuisse intellexerunt Seguinus et qui eum secuti sunt : quum enim hodie Sanctum laudant, de quo nobis agendum est, huic adscribunt illius in tirocinio gesta, quæ ex Vita S. Haymonis* (19) *cognoscuntur. Quod vero Guilielmus de Tolosa neque cultus neque translatus fuerit Saviniaci, vel inde liquet quod anno* 1179 *abbas Cisterciensis electus fuerit et Cistercii obierit.*

sed novitius Saviniacensis.

6 *Et quoniam Cistercienses Annales et abbatum Catalogus in Gallia Christiana* (20) *ad hæc tempora omnino luxati sint, placet illud certis testimoniis demonstrare. Imprimis Chronicum Savigniacense prius hæc habet* (21) : Anno Domini MCLXXVIII... electus est et promotus in abbatem *(Saviniacensem)* vir vitæ venerabilis et litteraturæ eminentis Guillelmus de Tolosa de villa Cadomi oriundus. Et anno Domini MCLXXIX electus est idem Guillelmus IN ABBATEM CISTERCIENSEM, UBI DIEM CLAUSIT EXTREMUM. F
Similiter Peregrinus, abbas S. Mariæ de Fontanis, auctor omnino coævus et testis oculatus, hæc perhibet (22) : *Alexander, de Fontanis abbas*, cum se debilem et minus sufficientem cerneret, misit et accersivit abbatem de Savegneio, domnum scilicet Willelmum de Tolosa, virum utique piæ recordationis, qui secundo præfuit Savigniensi et POSTEA OBIIT ABBAS CISTERCIENSIS. *Præterea Chronicum Mailrosense editum a Fello et Annales Waverlegenses ipsum mortis annum assignant; quum autem Mailrosense a Waverlejensibus conscriptum sit, satis fuerit ipsos laudatissimos pro rebus Cisterciensibus citasse Annales ; habent autem ad an.* 1181 (23) : Obiit piæ memoriæ Willelmus de Tolosa abbas Cisterciensis, quamquam denegavit misericordiam petentibus eam. *Cæterum non nova sententia est hunc Willelmum abbatem Cisterciensem fuisse ibique*

(1) Gallia Christ., t. XI. col. 548 et 694. — (2) Martyrol. SS. Ord. S. Bened. Observat., lib. II, p. 562.— (2) Baluzii Misc., t. I. p. 329.— (4) Tresvaux, ap. D. Lobineau. Vies des Saints de Bretagne, t. II, p. 419.— (5) Cfr Gallia Christ. nov., t. XI, col. 547.— (6) Vies des SS. de Bretagne, t. II, p. 419.— (7) Gall. Christ., t. XI, col. 482. — (8) Vies des SS. de Bretagne, t. VI, p. 18.—(9) Chronol. epsc. Cenomannens., t. III Junii, p. 868. — (10) Martyr. Bened., lib. II, Observ. p. 564. — (11) Gall. Christ. nov., t. XI, col. 555. B. — (12) Ibid., loc. cit. D. — (13) Martyrol. Bened. observ., lib. II, p. 564. — (14) Menologium Cisterc. ad 20 Oct.—(15) Menologium Bened. ad 20 Oct. — (16) Annal. Cisterc. ad an. 1148, cap. VII, t. II, p. 104 et seq. — (17) Act. SS., t. I Maii, p. 5.—(18) Gall. Christ., t. XI, col. 546.— (19) Tresvaux, tom. cit., p. 416. — (20) Tom. IV, col. 989. — (21) Baluzii Misc., t. I, p. 327. — (22) Ap. Achemum, t. II Spicil. in-fol., p. 575 — (23) Gale. Angl. Hist. Scriptt. XV, t. II, p. 129 ; D. Bouquet, t. XIII, p. 188.

diem

A *diem obiisse extremum. Jam pridem id notarunt fratres Sammarthani* (1), *Huetus, Abrincensis episcopus* (2), *continuatores Galliæ Christianæ* (3), *D. Bouquet* (4) *aliique. Quocirca inhærendum est omnino dictis Galliæ Christianæ novæ, quibus traditur S.* Guilielmum, *a Saviniacensibus cultum, novitium fuisse; et quidem jam diu antequam Maurini id a Saviniacensibus didicissent, ab iisdem id monitus fuerat Manrique, dicta sua idcirco in appendice* (5) *retractans; et similia Cistercienses Calendario Cisterciensi seu Martyrologio S. O. C., Romanis rubricis accommodato et anno* 1689 *edito, inseruerant ad diem* 30 *Aprilis, ad quam in auctario legitur :* Savigniaci in Neustria, B Aymonis monachi et translatio corporis ejusdem ac SS. abbatum Vitalis et Gaudefredi, Petri monachi et Guillelmi novitii. *Plura de hoc* Guilielmo *reperire non potui.*

Venit quoque inter eos B. Gaufridus, cujus vita a pluribus compendio scripta est.

7 *Hinc deflectimus ad B.* Gaufridum, *seu* Godefridum, *secundum Saviniacensem abbatem; quem ad hunc diem ab Henchenio remissum supra diximus. B.* Gaufridi *olim Saviniaci exstitisse Vitam Ms., quæ ad Galliæ Christianæ continuatores devenerit, ipsi duobus in locis* (6) *testantur; et similiter jam* B *pridem ante eos de eadem dixit Menardus* (7). *Eam collectioni suæ, cui* Neustria pia *nomen est et quæ olim apud FF. Minores de Observantia, seu Recollectos, cum Parisienses tum Rothomagenses, asservabatur, Arturus a Monasterio inseruit* (8). *Atque hæc omnia nobis deesse vix est quod moneamus lectorem. Præsto tamen nobis est triplex* B. Gaufridi *Vitæ compendium: primum depromptum ex Vita illa Ms. legitur apud Menardum atque hinc apud Henriquez* (9) *et Manrique* (10), *aliud in Gallia Christiana nova* (11) *et tertium demum apud Hermant in Historia diœcesis Bajocensis* (12). *Sunt et alii fontes, quos pro re nata indicabimus.*

Natus hic fuit Bajocis nobili domo;

8 *Bajocis natum B.* Gaufridum *habet Menardus, Gallia Christiana et Hermant, adeoque in priori Saviniacensi Chronico et ab Orderico Vitali* (13) Bajocensis *dicitur. Ineunte sæculo* XVIII *sciebatur etiamnum Bajocis locus ubi parentes habitaverant, ut liquet ex Hermant, narrante domum eorum castello civitatis vicinam fuisse, eamque diu exstitisse, sed post dirutam, neque amplius vestigia suo tempore superfuisse. Servarant et aliud monumentum Bajocenses in B.* Gaufridi *nativitatis memoriam, videlicet in suburbio S. Joannis prope forum granarium* C *sacellum S.* Gaufridi *appellatum, postea vero S. Ludovici, donec dirutum fuerit. Nomen matris latere videtur, pater vero dicebatur Alanus, miles professione* (14); *adeoque pater et mater genere traduntur nobiles* (15), *et quinque aucti liberis, qui omnes, præter* Gaufridum, *natu minimum, militaria arma induerint* (16). *Tradunt et patrem Bajocensi castro præpositum fuisse; sed id ortum arbitror quod Alanum confuderint cum* Gunherio de Alneio, *a quo* Urbem Bajocasinam conservatam *seu* potius custoditam *tradit Ordericus Vitalis* (17), *quum eam Henricus I rex Angliæ obsedit et incendit.*

miraculum parum certum in incendio Bajocensi ante ejus nativitatem contigisse narratur.

9 *Mirabilia de B.* Gaufridi *nativitate narrantur a Menardo et Hermant, Vitam Ms. secutis.* Cum adhuc esset in alvo materna, *inquit Menardus,* templum S. Mariæ Magdalenæ Bajocis conflagravit, et quædam pyxis, in qua particulæ aliquot de reliquiis S. Mariæ Magdalenæ, S. Georgii et quorumdam Martyrum conditæ erant, ex ipso templo in sinum matris Beati Gaufridi non sine miraculo delapsa est. Quod indicium fuit futuræ in puero sanctitatis. *Id factum fuisse habet Hermant, quum Guilielmus II (immo Henricus I), rex Angliæ cum fratre suo Roberto bellum gereret, et anno* 1106 *Bajocas incendisset. Et accurate quidem occasionem indicat, scilicet quum B.* Gaufridi *mater, ex suburbio S. Joannis in suburbium S. Patricii fugiens, flagrantem S. Mariæ Magdalenæ ecclesiam præteriret. Verum quomodo in plateam devenit hæc reliquiaria pyxis? quomodo in fugientis fœminæ sinum volavit? Magna utique miracula, sed quæ cum ordine chronologico parum conveniunt. Etenim hæc duo tenenda sunt : imprimis istud incendium anno* 1106 *accidisse, ut novimus ex Orderico Vitali* (18) *et ex compluribus aliis, quos in re manifestissima frustra citarem. Juverit tamen ex Serlone, cujus carmina de capta Bajocensium civitate hoc demum sæculo excusa fuerunt* (19), *duos de ecclesiarum incendio excerpsisse versus, nempe* 160 *et* 161. *Sonant autem :*

Hac fuit usta die sacra Virginis aula Mariæ,
Templaque bis quina simili periere ruina. E

Quod præterea non minus est certum, B. Gaufridus *anno* 1113, *postquam jam tempus aliquod Cerasiensi in monasterio vitam monasticam egisset, S. Vitalis disciplinæ se subdidit; et anno* 1122 *Saviniacensis abbas factus est: unde septennis mutasset majoris perfectionis erga monasterium, et quindecim aut sedecim annos natus rexisset monasterium, et bene multa alia Saviniaco subjecta. Fabulas itaque hic vendi liquidum est, et proin Vitæ Ms., de qua superius dictum est, auctoritatem omnino labare. Aliquid tamen veribis fabulis subesse crediderim; nempe B.* Gaufridum, *quindecim forte annos natum, cum matre sua in ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ confugisse; (constat quippe ex laudato Serlone, teste oculato, passim homines ad templa confugisse* (20); *tentasse cives res sacras hostium direptioni et flammis subducere; atque ita penes B.* Gaufridum *factas SS. Georgii, Mariæ Magdalenæ aliorumque reliquias; quas eum secum Saviniacum detulisse et eorum tactu multa patrasse miracula testis est Menardus* (21), *Vita Ms. nixus.* F

Cum B. Serlone, olim ejus discipulo,

10 *Sed de his satis. In suburbio S. Patricii natum B.* Gaufridum *perhibet Hermant, matremque singulari sollicitudine curasse ut a teneris Dei timore imbueretur.* Primo monachum induit, *inquit Menardus,* apud Ceresiacum, abbatiam ordinis S. Benedicti in territorio Bajocensi. *Verum prius in sæculo docuisse et discipulos habuisse constat ex Chronographo Saviniacensi, hic partim sua dicta depromente ex Roberto de Monte S. Michaelis* (22); *porro quæ Chronologus Roberto inseruerit, uncinis includemus :* [Beatus Vitalis..., *habet ille* (23), anno Domini MCXXII gloriose migravit ad Dominum.] Huic successit Beatus Gaufridus Bajocensis monachus, vir admodum litteratus et in religione fervens, [generis nobilitate pollens, sed vitæ sanctitate excellens.] Hic multa monasteria ædificavit, et consuetudines prioribus arctiores Savignacensibus imposuit. [Qui abbatiæ Savignacensi præfuit annis XVI et anno Domini MCXXXVIII Domino reddidit

Chron. altiores

V. D. P.

(1) Gallia Christ., t. IV, abbat. Gal., p. 816.— (2) Origines de Caen, p. 329.—(3) T. XI, col. 547.— (4) Recueil, t. XIV, p. 497. — (5) Annal. Cist., t. IV, p. 550.— (6) Gallia Christ., t. XI, col. 541 et 544.— (7) Martyrol. Bened., lib. II, Observ., p. 563. — (8) Cfr Hermant, Hist. du diocese de Bayeux, p. 188. — (9) Menolog. Cisterc. inter omiss. ad III Junii, ad calcem.—(10) Annal. Cisterc. ad an 1148, cap. VII, num. 3, t. II, p. 104. — (11) T. XI, col. 544. — (12) Hist. du diocese de Bayeux p. 186 et sequ.— (13) Hist. eccles. Normann., lib. VIII, ap. Chesnium, p. 715.—(14) Gallia Christ., t. XI, col. 544.— (15) Menardus, Hermant, l. c.—(16) Hermant, l. c. — (17) Hist. eccles., lib. XI, ap. Chesnium, p. 818; et ap. Bouquet, t. XII, p. 698.— (18) Ibid., l. c.— (19) Notic. et extr. de la biblioth. du roi, t. XI, part. II, p. 169 et sequ.; D. Bouquet, t. XXII, præf., p. XC et sequ.; Pluquet, Essai hist. sur la ville de Bayeux, cap. XXII, Caen 1829. — (20) Cfr versus 53 et sequ.; 110 et sequ.; 184 et seq. — (21) Martyrol. Bened. Obs., lib. II, p. 563. — (22) Tractat. de immut. Ord. Monach. ap. Acherium, post Guibert. de Novig., p. 811, et Bouquet, t. XIV, p. 381. — (23) Baluzii Misc., t. I, pag. 326.

 spiritum.

* *Chron. Enavum*

spiritum.] Cui post Evanum * Anglicum, qui parvo tempore eidem monasterio præfuit, successit venerabilis Serlo de Valle Badonis juxta Badocas, qui fuerat prædicti Gaufridi in sæculo discipulus et monachatum susceperat prius cum eo in monasterio Cerasiensi; sed, relicto illo monasterio, pro majori religione Savignejum expetierat. *Ex quibus constat in sæculo operam dedisse litteris B.* Gaufridum, *multum in his profecisse, adeoque discipulos etiam habuisse quos inter B.* Serlonem. *Quin etiam eum Parisiis studiorum cursum absolvisse aperte tradit Gallia Christiana* (1) *Atque ex his denuo convellitur fabella de reliquiis.*

Cerasii monasticam vestem induit, et deinde cum eo Saviniacum transiit, cujus consuetudines

11 B. Gaufridi *Cerasii, (vulgo* Cerisy, *quatuor ad occasum a Bajocis distabat leucis* (2)), *monachatus stabilitur etiam Orderici Vitalis testimonio :* Quo *(Vitali)* defuncto, *inquit* (3), Bajocensis Goisfredus ac Cerasiacensis monachus successit, qui et ipse immoderatis adinventionibus studuit, durumque jugum super cervices discipulorum aggregavit. *Hæc ille, solitus Saviniacensia, Cisterciensia aliaque nova instituta carpere. Cerasii observabatur S. Benedicti regula, prout tum vulgo in Gallia lex monachorum erat. S. Vitalis, quum anno* 1105 *seu etiam ocius* (4) *Saviniacense asceterium in confinio Normanniæ, Britanniæ et Cenomanniæ inchoavit, eamdem quidem regulam discipulis suis dedit; verum alia nonnulla adjecit instituta, Cisterciensibus similia* (5); *quæ inter vestis venit* grisea, *non vera* nivea *seu* Alba *Cisterciensium : nam licet in Rotuco, per monasteria et episcopales sedes post mortem B. Vitalis transmisso atque etiamnum Parisiis servato, inscripserit Hugo Abrincensis episcopus* (6) :

Hic vestes niveas se subjectosque fideles
Induerat, casti pectoris indicium;

in Vita tamen Ms. dicebatur B. Gaufridus, *Cerasio Saviniacum veniens, habitum* griseum *induisse et usus mutasse* (7); *et quod potissimum est, quum transivere Saviniacenses ad Cistercensienses, aperte dicuntur vestem suam* griseam *cum* alba *commutasse. In Historia enim fundationis Furnesii in Anglia notatur color* griseus *tamquam antiquatus per receptos usus Cistercienses* (8), *et in Carminibus historicis de eadem fundatione legitur* (9).

In Tulket fuimus GRISEI monachi situati :
Hic sumus ALBATI præsenti tegmine : scimus.

Atque his sane potius standum est quam Yperii (10), *post medium sæculum* XIV, *et Adriani de But* (11) *exeunte sæculo* XV *scribentium testimoniis : quorum ille Saviniacensium vestem* nigram *facit, hic vero* similem fere nigris habitibus.

Cisterciensibus similes erant; ibidem anno 1122 creatur abbas.

12 *Usus vero Saviniacenses ex Orderico, ex Chronico Saviniacensi ex Roberto de Monte S. Michaelis* (12), *et ex aggregatione cum Cistertio, paulo post secuta, videntur satis severi fuisse, neque dubito quin initio multa cum moribus cremiticis haberent communia. Hoc vitæ genere delectatus, B.* Gaufridus *Cerasienses reliquit, et Savinejum seu Saviniacum transiit anno* 1113 (13), *uno videlicet anno postquam Radulphus de Filgerii, in perpetuum dedisset silvam, in qua jam pridem B. Vitalis cum discipulis degebat* (14). *Erant autem centum quadraginta numero* (15). *His priorem datum B* Gaufridum *perhibet Gallia Christiana* (16), *nullam tamen addens notam temporis. Quum autem die* 16 *Septembris anni* 1122 *mortem oppetiisset B. Vitalis, communi monachorum voto abbas ei substitutus est B.* Gaufridus, *prout ex Orderico, ex utroque Saviniacensi Chronico, ex Roberto de Monte S. Michaelis* (17) *et ex Auctario ad Chronica ejusdem Roberti* (18) *intelligere est.*

multa monasteria fundat; ecclesiam Saviniacensem perficit : capitulum annuale instituit; bullam ab Honorio II obtinet :

13 *Ex quo B.* Gaufrido *Saviniacense pedum concreditum est, studuit maxime quaquaversum monachorum emittere colonias; de qua re uno tenore dicemus, ubi B.* Serlonis *gesta explicaverimus : atque hinc intelliget lector B.* Gaufridi *tempore Saviniacensem congregationem non octodecim accrevisse monasteriis, ut habet Menardus* (19), *nec viginti novem, ut tradit Gallia Christiana* (20), *sed viginti quatuor omnino virorum cœnobiis. In gubernio severitatem sectatum non ex Orderico tantum verum etiam ex Chronico Saviniacensi et Roberto de Monte patuit; atque in tanta paupertate monachos in Anglia constituit, ut B.* Serlonis *tempore querelæ devenerint Saviniacum, quemadmodum inferius dicetur. De curis ejus in perficienda et dicanda Saviniacensi ecclesia hæc ad initium anni* 1124 *legimus in Auctario ad Robertum de Monte* (21) : Æcclesia Savigneji dedicata est Kal. Jun. in honorem S. Trinitatis, ab abbate Vitale incepta et usque ad retro chorum expleta, dein a Gaufrido abbate perfecta. Huic dedicationi interfuerunt episcopi quinque Curgisus *(imo* Turgisius) et Ricardus Constantiensis et Ricardus Bajocensis et Johannes Sagiensis et Hildebertus Cenomannensis. *Eadem tradunt Gallia Christiana Sammarthanorum* (22) *et Maurinorum* (23), *necnon Hermant* (24), *cum hoc tamen discrimine quod ecclesiam ad odeum usque a B. Vitali erectam et dedicationem* VI *Idus Maii factam affirment. Malo adhærere Auctario Saviniacensi, tum quod probum et vetus testimonium est, tum quod Kalendæ Junii, non vero* IV *Idus Maii, in Dominicam anno* 1124 *inciderent, qua die vulgo hæ solemnitates celebrabantur.* Visitationes et capitulum generale totius congregationis abbatum apud Saviniacum per triduum quotannis in festo SS. Trinitatis instituit anno 1132, *ut tradit Gallia Christiana nova* (25) *et Hermant* (26). *Et sane hæc jam anno* 1132 *invaluisse ex Peregrino, Fontanensi abbate, inferius colligetur. Bullam obtinuit ab Honorio II ad preces Turstini Eboracensis archiepiscopi* V *Idus Decembris. In ea confirmantur bona concessa et concedenda Saviniacensi monasterio,* salva nimirum diœcesani episcopi justitia et reverentia (27) : *Quæ restrictio mira videtur, quum in diplomate fundationis legamus* (28) : Quam nimirum quietem et tranquillitatem Turgisius Abrincensis sedis episcopus ab omni consuetudinum episcopalium exactione ratam et inviolabilem possidendam concessit.

litteras inter suos fovet

14 *Norat etiam B.* Gaufridus *ipse vir doctus et eruditus, quantum intersit disciplinam litterariam in monasteriis non negligi et viros aliquot adesse egregia ornatos doctrina. Habemus id ex epistola* Johannis Constantiensis ad Gaufridum abbatem, Richardum priorem, et monachos Savigniensis monasterii, seu præfatione in librum de computo ecclesiastico; *in qua eos ita alloquitur* (29) : Vos autem Domini mei beati et veri philosophi, quorum vera philosophia in humanis atque divinis

(1) Gallia Christ., t. XI. col. 544.—(2) Ibid., col. 408.— (3) Hist. eccl., lib. VIII, ap. Chesnium. p. 715. — (4) Gallia Christ. t. XI. col. 541 : Biograp. univ. v° *S. Vital.*, t. XLIX, p. 280. — (5) Cfr Gallia Christ., t. XI. col. 541 et 543 ; et Cod. Utic. Orderici Vit ap. D. Bouquet, t. XII. p. 700, not. *a.*—(6) Biograph. univ. loc. cit. — (7) Gall. Christ., t. XI, col. 541.—(8) Monast Anglic. nov., t. V, p. 246.—(9) Ibid., loc., cit.—(10) Chronicum S. Bertini. Martene, Anecdota. t. III, col. 603.—(11) Chronicon Dunense. p. 5. Brugis. 1839. — (12) Tract. de immut. Ord. Monach ap. Acherium, post Guibert. de Novig., pag. 811. et D. Bouquet. t. XIV. p. 382.—(13) Gall. Christ., t. XI. col. 544.—(14) Cfr Biographie univ. t. XLIX. p. 282. — (15) Ibid. loc. cit.— (16) Tom. et loc. citt. — (17) Ap. Bouquet. t. XIV. p. 382. — (18) Ap. Pertz. t. VI, p. 487 et 493.— (19) Martyr. Bened. Observ., lib. II, p. 564.—(20) T. XI, col. 544. — (21) Ap. Pertz, t. VI. p. 487. — (22) Abbatiæ. p. 816. — (23) T. XI, col. 544.—(24) Hist. du dioc. de Bayeux, p. 187.—(25) T. XI. col. 544.—(26) Hist., etc.. loc. cit.—(27) Martene, Anecd., t. I. col. 361. —(28) Ibid., col. 333, — (29) Ibid., col. 362.

jam

jam longe lateque diffunditur, si quid inutile in hoc opusculo videritis, illud corrigite, vel corrigendum mihi notificate; novi enim sanctum venerandumque collegium vestrum multos honestos et eruditos viros habere: qui, si placuisset vobis hoc opusculum, potuissent sufficientes explere et ubi fuerit opus iidem poterunt emendare. *Erat et Saviniaci medicus quidam, fama non vulgari fruens, nomine Petrus de Quinciaco, qui (quod nonnihil mireris) aliquandiu in aula Alani, comitis Britanniæ, versatus est. Sed de hac re num.* 33 *et ubi de initiis monasterii Jorevallensis.*

Innocentii II partes tuetur;

15 *Quum autem anno* 1130 *ortum esset infelix schisma propter electionem fere simultaneam Innocentii II et Anacleti II, stetit cum suis Saviniacensibus B.* Gaufridus *a partibus Innocentii II, ut habemus ex epistola S. Bernardi* CXXVI, *ad episcopos Aquitaniæ anno (ut videtur)* 1131 *data; in qua Clarævallensis abbas, recensens congregationes pientissimas monachorum, quæ Innocentium verum, Anacletum falsum pontificem habebant, loquitur in hunc modum* (1): Itaque Camaudulienses, Vallambrosani, Cartusienses, Cluniacenses, et qui de Majori Monasterio sunt, meique quoque Cistercienses, Cadumenses, Tironenses et Saviniacenses, universitas denique et unanimitas fratrum, tam clericorum quam monachorum regularis vitæ probatæque conversationis, sequentes episcopos, tamquam greges pastores suos, Innocentio firmiter adhærent, sincere favent, humiliter parent, verum Apostolorum successorem fideliter recognoscunt. *Ubi vides Saviniacenses inter optimos illius temporis monachos a B. Bernardo recenseri. Plura de Saviniacensium gestis, in medio hoc dissidio non novimus; de quo imprimis legi meretur Gallia Christiana nova* (2), *acta Gerardi Engolismensis explicans.*

non videtur secessisse Claram Vallem;

16 *Tradit Hermant* (3) *B.* Gaufridum, *posteaquam disciplinam inter suos recte instituisset secessisse in Claram Vallem, ut ibidem hominibus ignotus soli Deo colendo vires suas omnes impenderet; dein Saviniacum rediisse ibique posthac octo aut decem annos mortificandi sui studiosum, vixisse; unde istud iter et secessus ad annum circiter* 1130 *pertineret; verum unde hæc hauserit Hermant, non indicat; neque alii scriptores, tum veteres, tum recentiores, quos obviam habui, verbum ullum de hoc secessu habent: unde hæc quam maxime dubia censemus, quinimo orta ex confusione cum B.* Serlone.

morietur die 8 Julii 1138;

17 *Jam de beati viri morte. In Vita Ms mortuus legitur B.* Gaufridus VIII *Idus seu die* 8 *Julii anni* 1139 (4) *et, teste Hermant* (5), *contendebant suo tempore Saviniacenses hunc tenendum annum. Verum majoris ponderis mihi videtur Auctarium Saviniacense ad Roberti de Monte Chronica, ad sæculum* XIII *pertinens, in quo* ad annum 1138 *legitur* (6): Obiit Gaufridus secundus abbas Savign.; *item Chronicum prius Saviniacense, in quo (ut vidimus) dicitur anno* MCXXXVIII *defunctus; et demum alterum, in quo habes* (7): Anno Domini MCXXXVIII obiit domnus Gaufridus hujus loci abbas secundus VIII idus Julii. *Neque aliquid est in his, quæ de ejus successore novimus, cur ab hac sententia recedamus. Re quidem vera* parvo tempore *Saviniaco* præfuisse *legitur Evanus* (8); *verum quum anno* 1140 *mortuus videatur* (9), *nemo dixerit biennii spatium breve non esse tempus.*

bis transfertur et miracula patrat.

18 *Sepultus est B.* Gaufridus *in tumulo lapideo* (10); *inde levatus est anno* 1182 (11) *et in novam S. Catharinæ ecclesiam translatus; ex qua anno* 1243 *delatus est in majorem ecclesiam* (12) *et positus ante altare B. Nicolai* (13). *Subdit Menardus* (14): Multis fuit post mortem miraculis clarus, quæ etiam prope sunt quotidiana maxime erga febricitantes. *Sæculo post eadem perhibebat Hermant* (15).

§ II. B. Serlonis cultus; disciplina sub B. Gaufrido, monachatus Cerasii et Saviniaci, gesta, dum Saviniaco præesset; secessus ad Claramvallem; obitus.

B. Serlo non propter translationem in Claravalle factam,

B. Serlonem *Sanctis adscribendum esse ex translatione, a Clarævallensibus facta, probare conatur Manrique* (16). *Verum quum hæc translatio non ratione cultus, sed necessitatis facta fuerit, ut alibi videbitur, debilius est argumentum hoc ad antiquitatem ejus cultus adstruendum: idem dicerim de ejus elevatione, seu de sepultura supra humum* (17); *quæ, quum in claustro, non vero in templo facta sit, minoris etiam ponderis est: conjunctio vero cum viris sanctis, quam tertio loco urget Manrique* (18), *valeret sane, si constaret hos viros reapse ut sanctos cultos fuisse; verumenimvero, quoties hi fere in opere nostro obvii fuere, inter prætermissos reponendi visi sunt. Quocirca ex hoc capite dicere non ausim B.* Serlonem *cultu ecclesiastico honestatum fuisse. Cæterum inferius fuse dabimus, quæ ad B.* Serlonis *sepulturam pertinet. Ex Martyrologiis et Calendariis liturgicis stabiliri etiam non potest ejus cultus, quum nulla sint quæ ejus nomen exhibeant; Menologia autem et alios id genus libros huc non pertinere nemo ignorat.*

sed propter reliquias Saviniacum translatas et cultus inter Sanctos habendus est

20 *Quocirca ad ei vindicandos ecclesiasticos honores suppetit tantum Galliæ Christianæ testimonium, quæ post narratum ejus mortem:* Cujus, *inquit* (19) duos digitos et aliquot dentes Petrus Clarevallensis abbas anno 1184 attulit apud Saviniacum, qui in majori reliquiarum theca inibi reverenter asservantur. *Atque hæc secundum doctrinam Benedicti XIV* (20) *satis sunt ut quis habeatur Beatus (licet non Sanctus) seu ut inde argumentum pro cultu immemoriali desumatur. Atque hinc ipsi scriptores Galliæ Christianæ, quibus pauci difficiliores exstiterunt in tribuendo Dei servis titulo* Sanctorum *et* Beatorum, Serlonem *tamen* Beatum *appellant; quo titulo etiam ornatur ab Hermant in Historia diœcesis Bajocensis* (21). *Ipsos Cistercienses omitto. Porro, quum Petrus Clarævallensis abbas has reliquias Saviniacum detulerit, suspicio nascitur etiam in Claravalle aliquod cultus publici initium anno* 1184 *obtinuisse. Utut est, satis superque constat de cultu Saviniacensi.*

Compendium

21 *Ex his quæ de B.* Gaufrido *disseruimus, jam innotuit B.* Serlonem *de Valle Badonis* *, *duabus a Bajocis distante leucis, oriundum fuisse; in sæculo sub B.* Gaufridi *disciplina litteraria vixisse; cum eo Cerasii induisse monachum et majoris perfectionis*

* Vau-Badon

(1) Opp. S. Bernardi, t. I, col. 136. — (2) T. II, col. 1000 et seqq. — (3) Hist. de Bayeux, p. 188. — (4) Gall. Christ., t. XI, col. 544. — (5) Hist. de Bayeux, p. 188.)— (6) Pertz, Monument. t. VI, p. 493. — (7) Baluzii Miscell., t. I, p. 327. — (8) Ibid., p. 326. — (9) Gall. Christ., t. XI, col. 544.— (10) Ibid., loc. cit.— (11) Vide supra, n. 4.— (12) Vide supra, n. 2.—(13) Gallia Christ., t. XI, col. 544.—(14) Martyrol. Bened. lib. II, Obs., p. 564.—(15) Hist. de Bayeux, p. 188.—(16) Annal. Cisterc. ad an. 1157, cap. II, n. 1, t. II, p. 293.—(17) Ibid., loc. cit. — (18) Ibid., loc. cit. — (19) Gallia Christ., t. XI, col. 546. — (20) De Canonizat. SS., lib. II, cap. XXIII, n. IX et alibi passim.— (21) Hist. du dioc. de Bayeux, p. 189.

causa

V. D. B.

causa transiisse ad Saviniacenses. Reliqua ejus gesta paucis capiuntur encomio, quod ex libro Sepulcrorum Claravallis edidit Henriquezius (1), *quodque hic præmittimus, reliqua dein ordine chronologico subjecturi* : In Claravalle Beatus Serlo sanctissimæ conversationis monachus. Hic inter Benedictinos regularem disciplinam amplexus, cœlestium rerum meditationem omnisque Christianæ perfectionis integritatem ita impense coluit, ut omnes suos commilitones multis gradibus in virtute præcesserit. Cumque ibidem jejuniis, vigiliis, lectionibus, concionibus et aliis sibi et aliis utilibus exercitiis incumberet, numquam tamen in eo fervor contemplationis diminuebatur ; sed potius in die augebatur crescens in eo desiderium ad sublimiora semper petendi.

ejus vitæ.

22 In tantum profecit, ut communi plane omnium suffragio melior et dignior aliis monachis habitus, præ cæteris omnibus in abbatem fuerit electus Savigniacensis cœnobii. Erat monasterium Savigniacense congregationis Benedictinæ reformatæ caput, diversa sub se tum in Gallia tum in Anglia et Flandria continens monasteria, quæ omnia singulari zelo beatus archimandrita rexit, B donec perfectiorem vitam appetens, Cisterciensibus institutis se subjicere cogitavit. Qua intentione in capitulo generali ordinis nostri, præsente pontifice summo Eugenio III, sanctissimo abbati Bernardo Savigniacum cum triginta ejusdem instituti abbatiis submisit. Aliquibus vero transactis annis dignitatem etiam abbatialem deseruit et in Claravalle sanctissime conversatus est. Post obitum vero Beati Bernardi individuum se exhibuit socium Beato Roberto frequenterque sermones ad monachos magno cum fructu habebat. Erat enim non solum integritate morum, sed etiam doctrina laude clarus, mirabilique eloquentia pollebat. Cum tamen prædictus Robertus sanctissime diem suum obiisset et loco ejus Beatus Fastredus Camberonensis antistes primus fuisset substitutus, Beatus Christi famulus Serlo, variis virtutum titulis ornatus, viam universæ carnis ingressus est quarto Idus Septembris.

Fit abbas Saviniacensis anno 1140, ut ex diplomatibus colligi videtur.

23 *Quum hæc examini subjicienda sint, primo loco occurrit disquirendum quo anno abbatiale pedum adeptus fuerit B.* Serlo. *Consentiunt scriptores omnes Saviniacensi Chronico Evanum B.* Gaufridi *successorem* parvo *præfuisse* tempore. *Verum dis-* C *sentiunt nonnulli ab eodem documento, ubi Serlonem Evano successorem datum fuisse perhibet, adeoque Hermant* (2) *Evanum inter et Serlonem Guilielmum interserit ; et, quod animadversione dignum est, diem obitus Guilielmi istius accurate designat, quasi præ manibus habuisset probos commentarios : scribit nempe eum mortuum die* 20 *Octobris anni* 1143. *Verum enimvero inter fabulas hic versamur. Ut enim mittam prælaudatum Saviniacense Chronicum, Robertus de Monte* (3) *auctor coævus, primorum Abbatum Saviniacensium successionem exhibens, ignorat omnino hunc Guilielmum ; et similiter Historia Fundationis Furnesejensis* (4) *vocat* Serlonem *quartum abbatem Saviniacensem. Quod vero multo majoris ponderis est, habemus non tantum diploma* XIII *Kal. Octobris anni* 1143 (*quale illud est quod primo loco de* Serlone *in Gallia Christiana* (5) *refertur*) *verum ex Historia fere syn-* D *chrona fundationis Bellælandæ* (6) *plane innotescit* Serlonem *abbatem fuisse Saviniaci et capitulum generale celebrasse ad festum S. Joannis Baptistæ seu potius a die* 14 *Junii* (*quæ tunc sacra erat SS. Trinitati*) *anni* 1142. *Præterea edidit D. Morice* (7) *chartam, qua Henricus de Filgeriis confirmat ecclesiæ Sanctæ Trinitatis de Savignejo et* Serloni *abbati et monachis hujus loci terram dominicalem, quam iisdem donarat Paganus Sanseline. Hæc charta facta dicitur æstivo tempore anni* MCLXI ; *sed legendum* MCXLII *monet Morice, quod ipse fors noverat ex ordine quo veniebat id diploma in Chartulario Saviniacensi, nunc in archivio præfecturæ de la Manche asservato* (8). *Atque his excluditur omnino commentitius ille Guilielmus ex abbatum Saviniacensium catalogo et omne impedimentum tollitur, quin fidem habeamus Galliæ Christianæ* (9), *B.* Serlonem *anno* 1140 *Evano successisse perhibenti.*

Scribit ad Lucium III. a quo plures obtinet litteras in defensionem et securitatem suæ congregationis ;

24 *Quum itaque B.* Serlo *Saviniacense abbatiale pedum teneret, scripsit ad Lucium III Papam, qui sedit a die* 13 *Martii anni* 1144 *ad* 25 *Februarii* 1145 (10) ; *cumque monuit ab Henrico Filgeriensi et Juhello Meduanensi multa Saviniaco collata fuisse beneficia, rogansut eos ad pergendum in bene cæptis adhortaretur ; quod præstitit pontifex epistola,* data E Lateranis VII idus Decembris *anni* 1144 (11). *Efflagitavit insuper ut monasterium Saviniacense suaque bona sub Sedis apostolicæ protectione susciperet et privilegio confirmaret ; quod ei concessum est per bullam solemnem, datam Nonis Decembris anni* 1144 *et subscriptam non per pontificem tantum, sed et per octo cardinales, præter cancellarium* (12). *Petiit insuper ut confirmarentur Saviniacensis congregationis leges, videlicet : vivendum secundum regulam S. Benedicti et instituta regulæ competentia ; jus corrigendi quoscumque abbates, monachos et conversos penes abbatem Saviniacensem esse, adeoque deponendi abbates post binam trinamve monitionem incorrigibiles ; nullum abbatem schisma facere posse in ordine, aut commissam sibi abbatiam vel quemlibet alium locum absque assensu communi alterius ditioni tradere ; in benedictione abbatum interdici exactionem cappæ, vestimenti, pastus seu cujuslibet terreni quæstus : et episcopis non licere Saviniacenses abbates ad synodum appellare, nisi in evidenti religionis causa aut culpa manifesta, nec conversos, qui monachi non sunt, absque abbatum licentia suscipere ; quæ per alteram bullam, eadem solemnitate vestitam, concessit iisdem Nonis Lucius Papa* (13). F

ejus nomen occurrit in aliis diplomatibus :

25 *Anno* 1145, *quum Joannes Dolensis dedit abbatiæ de Veteri Villa, filiæ Saviniaci, Heremitagium nemoris de Borgoth, die quo Robertus abbas benedictus est,* præsente domno Serlone Savign. abbate *id factum esse notatur in diplomate* (14). *Ante annum* 1147, (*ut ex præsentia Petri abbatis Montisburgi patet* (15),) *subscripsit cum Algaro episcopo Constantiensi aliisque chartæ Engelgerii de Bohun, terram quamdam in insula Vectæ Quarreræ monachis donantis* (16) ; *itemque memoratur in charta Alani Rhedonensis episcopi, qui sedit ab anno* 1141 *ad* 1156 (17), *qua declarat se coram abbate Claræ-vallensi et duobus archidiaconis investiisse* Serlonem *abbatem et monachos Savigneji dono, quod Dodo et Adam de Muscon et sex aliis eis largiti erant : quæ ad annum* 1149 *recte referre videtur D. Morice* (18). *Multas alias donationes accepit Savinia-*

(1) Fasciculus SS. Ord. Cist., lib. II, dist. XXVI, t. II, p. 305. — (2) Hist. de Bayeux, p. 189. — (3) Tract. de immuta. Ord. Monach. ap. Bouquet, t. XIV, p. 382. — (4) Monast. Anglic. nov., t. V, p. 246. — (5) T. XI, col. 544. — (6) Monast. Anglic., V, p. 350. — (7) Mémoires pour servir à l'hist. de Bretagne, t. I, col. 585. — (8) Rapport au roi sur les archives départementales, ap. Quantin. Diction. de diplom., col. 911. — (9) T. XI, p. 544. — (10) Novaes, Elementi di storia pontif., t. III, p. 61 et seqq. — (11) Martene, Anecdota, t. I, col. 396. — (12) Martene, Ampliss. Collect., t. I, col. 775 et seq. — (13) Peregrinus, Hist. prælat. de Fontanis, part. II, ap. Dacherium, Spicileg., t. II, p. 578. — (14) Morice, Mémoires pour servir à l'hist. de Bretagne, t. I, col. 597. — (15) Cfr Gallia Christ., t. XI, col. 927. — (16) Monast. Angl., t. V, p. 317. — (17) Tresvaux, Eglise de Bretagne, p. 16. — (18) Mémoires pour l'hist. de Bretagne, t. I, col. 601.

cum.

FILIATIO SAVINIACENSI

MATER.

I. Saviniacum, *Savigni*, in Diœc. Abrincensi, in Normannia, Fund. Radulfo de Filgeriis, titulo S. Trinitate et dein S. Maria, 1112 — 1118.

FILLÆ.

II. 1. Albæ Dominæ, *Prise-aux-Nones*, dein *les Blanches*, parthenon in D. Abrincensi, in Normannia, F. Guilielmo C. Moritoniensi, T. SS. Trinitate. 1105.

III. 2. Domnipetra, *Dompierre*, *Dampierre*, prioratus, in D. Cenomannensi, in Cenomannia, F. Henrico I Angl. R., 1119.

IV. 3. Villare Caniveti, *Villers Canivet*, parthenon, in D. Sagiensi, in Normannia, F. Rogero de Molbrayo, T. B. Maria, ante 1127.

V. 4. Furnesium, *Furness*, *Fudernesium*, *Forneys*, *Furum*, prius *Tulket*, in D. Eboracensi, in Lancastria, F. Stephano C. Bononiensi, dein R. Angl., T. B. Maria, 4 Julii, 7 Julii 1127.

VI. 5. Inis, *Ynes*, *InisCurcy*, prius *Erynagh*, *Carrike*, in D. et agro Dunensi, F. Mac Eulef, R. Ultoniæ, et J. de Curcy, 7 Sept. 1127; ab 1148 filia Furnesii.

VII. 6. Bellus Beccus, *Beaubec*, in D. Rothomagensi, in Normannia, F. Hugone Gornacensi II, T. S. Laurentio, 1 Nov. 1127.

VIII. 7. Valles Cernaji, *Vaux de Cernai*, in DD. Parisiensi et Carnotensi, in Francia, F. Simone de Nielfa, T. B. Maria et S. Joanne Bapt., 1 Mov. 1127.

IX. 8. Calocejum, *Calocheum*, *Chalocejum*, *Chaloché*, in D. Andegavensi, in Andegavia, F. Hamelino de Ingrandia, T. B. Maria, 28 Oct. 1128.

X. 9. Fulcardimons, *Foucarmons*, in D. Rothomagensi, in Normannia, F. Henrico I Augi C., T. B. Maria et S. Joanne Eu. 25 Jul. 1129.

XI. 10. S. Andreas de Goffer, *de Scoferno* seu *de Vinatio*, *S. André en Gouffern*, in D. Sagiensi, in Normannia, F. Guilielmo Com. Pontivi, T. B. Maria et S. Andrea, 1 Mart. 1130.

XII. 11. Nethe, *Neath*, *Noth*, in D. Landaviensi, in com. Glamorganensi, F. Richardo de Grainvilla, T. SS. Trinitate, 25 Oct. 1130.

NEPTES.

XX. 1. Russinum, *Ryshen*, *de Mannia*, in D. Sodorensi, in insula Man., F. Olavo R. Manniæ, T. B. Maria, 10 Jan. 1134.

XXI. 2. Swinesheda, *Hoilandia*, *Locus Dei*, in D. Lincolniensi, in Lincolnia, F. Roberto Grislei, T. B. Maria, 7 Aug. 1134.

XXXIV. 3. Caldra, Cauder, in D. Eboracensi, in Cumbria, F. Ranulpho de Meschines, T. B. Maria, 10 Jan. 1135 — c. 1140.

4. Inis, *Ynes*, *Inis Curcy*, *Erynagh*, *Carryke*, ab 1127 fil. Saviniaci, ab 1148 fil. Furnesii. Vide num. VI.

XLV. 5. S. Crux, *Holy Cross*, *Monaster ne Crochnu*, *Wethirlaghan*, in D. Casselensi, in Tiperaria, F. Donaldo O'Brien R. Limerici, T. B. Maria vel S. Cruce, 1169.

XLVI. 6. Fermoya, *Castrum Dei*, in D. Clonensi, in agro Corcagiensi, F. gente de Rupe, T. S. Maria, 1170.

LXIV. 7. Abbington, *Whytney*, *Wotheney*, *Wetheney*, etc. in D. et agro Limericensi, F. Theobaldo Walteri, T. B. Maria, 24 Martii 1205 aut 1206.

LXXI. 8. Inislonnagh, *Yneselelughenught*, *Surium*, in D. Lismorensi, in Tiperaria, F. Gente O'Brien (?), 1148, filia Nenay; ab 1249 filia Furnesii.

XXV. 1. Briostellum, *Alnetum* seu *Lannejum de Briostello*, *Lannoy* seu *L'Aunoy de Briostel*, in D. et agro Bellovacensi, FF. Lamberto de Britulio, et post Matthæo de Ploeis, T. B. Maria, 1 Dec. 1135 — 1 Dec. 1137.

XL. 2. Bivallis, *Buyval*, *Buyeraux*, *Bival*, parthenon, in D. Rothomagensi, in Normannia, F. Mathilde imper. vel gente de Bivalle, T. S, Maria Magd., 1128— 1154. Anno 1175 cum suis filiabus subjecta est Arch. Roth.

XXVII. 1. Brolium Benedicti, *Breuil-Benoit*, in D. Ebroicensi, in Normannia, F. gente de Marcillejo, T. B. Maria et S. Joanne Bapt. dein B. Maria, 26 Martii aut Maji 1137.

LVI. 1. Locus Dei, *Lieu-Dieu*, in D. Ambianensi, in Pontivo, F. Bernardo de S. Walarico, T. B. Maria, 30 Januar. 1191.

XXXVI. 1. Tironnellum, *Tironneau*, *Tironnel*, in D. et agro Cenomannensi, F. Pagano de Chaourches, T. B. Maria, 14 Sept. 1149-1151.

LI.

XLII

LV

XXVI

X

XL

XI

LX

LX

XX

LIATIO SAVINIACENSIS CONTINUATA.

gro Andegavensi, F....

•

). Bajocensi in Norman-
Maria, ... Jul. 1131.

ia, Carretia, Quadaza-
, in insula Vectæ, F. Bal-
Maria, 4 Oct. 1131-27

s-Blanches, in D. et agro
astello, T. S. Maria Magd.
—10 Nov. 1132.
, in agro Flintensi, F. Ra-
a, 1132—3 Jul. 1133.

. *Cubiculum B. Mariæ*,
gone de Malbanc, T. B. Ma-
Nov. 1133.

Bechland, Byland, ante
ensi, et primo *Caldra* in
Meschines et Rogero de
.1135—1138—1143—1147

llers, in D. Morinensi, in
no, dein R. Angliæ, T. B.

ngthorne, Stretforde, in D.
. Guilielmo de Montefichet,

in D. Cestrensi, in Salopia,
. S. Ceadda, dein S. Maria et

, *Bugfasta, Buckfastleigh*,
ia, F. Ethelberto Pomerei,
. 1136.
Coxhal, in D. Londoniensi,
et Stephano R. Angl. T. B.

in D. Dolensi, in Britannia
Salvatore et B. Maria, dein
1140.
D. Bajocensi, in Normannia,
B Maria, 16 Nov. 1140-1178.
Champagne, in D. et agro
ne Ribole, T. B. Maria, 16 Nov.

de *Dalinga*, prioratus, in D.
olciensi, post med. sæc. XII.
nses transiit.
nton, etc., prioratus, in D. et
Radulfo de Filgeriis, ante

NEPTES.

LII. 1. Crokesden, *Croxden, Croxton*, ante *Chotes, Chotene, Vallis S. Mariæ*, in D. Cestrensi, in Staffordia, F. Bertrando de Verdun, 1176—20 Maji 1178—1179. *

LIII. 2. Limberg, prioratus, in D. et agro Lincolniensi, F. Richardo de Humet, ante annum 1179, tempore Richardi II factus est penes Carthusienses.

LIV. 3. Lymbroke, in D. et agro Herefordensi, suppressus anno 1414.

LIX. 4. Toriniacum, *Torigneium, Torigny*, ante *Boleia*, in D. Bajocensi, in Normannia, FF. gente de S. Remigio et Roberto Fabro, T. B. Maria, c. 1200—15 Dec. 1307.

XXXVIII. 1. Stanlegha, *Stanleja imperatricis, Stanley*, ante *Locwella, Fons Drogonis, Drownfront*, in D. Sarum, in Wiltonia, FF. Mathilde et Henrico II R., T. B. Maria, 1151—1154.

LXXII. 2. Buckland, *Bockland, Boclond, Locus S. Benedicti de Bocland*, in D. Exoniensi, in Devonia, F. Amicia C. Devoniæ, T. B. Maria et S. Benedicto, 1278.

LXV. 1. Monceium, *Mons cœlestis, Moncey, Moncé*, in D. et agro Turonensi, F. Sulpicio Ambasiensi, T..., c. 1209.

XXXV. 1. Dieulacres in Staffordia, ante *Pultona* in Cestria, in D. Cestrensi, FF. Roberto pincerna et Ranulpho C. Cestriæ, T. B. Maria et fors S. Benedicto, c. 1146—1158—22 Apr. 1214.

XLVIII. 2 Whalley in Lancastria, ante *Locus Benedictus* seu *Stanlaw* in Cestria, in D. Cestrensi, FF. Joanne Constabul. Cestriæ et Henrico de Lascy, T. B. Maria, 11 Nov. 1172—4 Apr. 1296.

LXVII. 3. Hiltona seu Hultona in D. Cestrensi, in Staffordia, F. Henrico Audlex, T. B. Maria, c. 1219, 1223.

XXXVII. 1. Jorevaulx, *Jora Vallis, Joreval, Gervis, Jervaux*, ante *Fors, B. Maria de Caritate*, seu *Wandesleydale*, in D. et agro Eboracensi, F. Acaria, T. B. Maria, 1145—8 Mart. 1150.

XXIX. 1. S. Maria Dublinensis, *S. Marys-abbey*, in D. et agro Dublinensi, F. Donal Gearrlamhach, R. Danorum Dubl. (?), T. S. Maria, 1139.

XLVII. 2. Stratmargel, *Ystrat Marchel, Strata Marcella, Pola*, in D. S. Asaphi, in agro Montgomerensi, F. Oweno Kevelioc, T. B. Maria, prius filia Albælandæ, 1170—1230.

PRONEPTES.

LXI. 1. Vallis S. Salvatoris, *Douska, Duiske, Dubhuisce, Graig, Graigenamanagh*, ante *Loghmeran*, in D. Leghlinensi, in Killkennia, FF... et Guilielmo de Pembrock, T S. Salvatore (?), 1202, 1203, 30 Jul. 1204 -- 1212.

LV. 1. Dunbrothy, *Portus S. Mariæ*, in D. Fernensi, in Wexfordia, F. Herveo de Monte Morisco, T. SS. Petro et Paulo aut B. Maria, 1182.

LIX. 2. S. Salvator, in Oxmantown, suburbio, Dublinensi; concesserunt hanc cellam monachi S. Mariæ FF. Prædicatoribus 1224.

LXVI. 3. Granarda, *Lerha, Larah, Abbey-Laragh*, in D. Ardachensi, in Longofordia, F. Richardo de Tuyt, T. B. Maria, 1205—26 Martii 1214.

LX. 1. Vallis Crucis, *Llanegwast, Languest, Llynlicquestel, Linnequestel*, in D. S. Asaphi, in agro Denbiensi, F. Madoco princ. Powisiæ, T. B. Maria, 28 Jan. 1201.

ABNEPTES.

LXVIII. 1. VallisDeiG
seu *Glandie*
et agro Corc
si, initio fili
pontis, dei
VallisS.Salv
28 Jul. 1227

LXX. 1. S. Salvat
ratus, in
nensi, in W
1240.

FALSO AUT DUBIO JURE FILIATIONI SAVINIACENSI ADSCRIPTA.

3. Vaudey, *Vedeux? Vallis Dei*, in D. et agro Lincolniensi 1147; filia Fontium.

4. Benedictio Dei, *Athlona, Abb. SS. Petri et Benedicti*, in D. et agro Midensi, 1150; filia Mellifontis.

5. Drogonis Fons, *Grenchna Grenard*; vide Stanlegam et Grenardam, n. XXXVIII et LXVI.

6. Manuel, *Maumaniel, Emanuel, Mamma*, parthenon, in D. Dunblanensi, in Sterlinia, c. 1159. Mater incerta.

7. Bona Requies, *Bon Repos*, in D. Corisopitensi, 1172; filia Boquen.

8. Arcloa, *Innivermore Arclow*, in D. Glandalacensi, in Lagenia, c. 1206 meditata, 1264 FF. Prædicatorum.

9. BellusB
bec, Bel
agro Mi
rium pri
in Norm
nesii, in
4 Maji 1
au cella.

A *cum, B.* Serlone *abbate; sed quum ejus ibidem nomen non compareat, eas omitto. Similiter hic loci prætereo disceptationes quas de Bellalanda et Jorevalle habuit cum abbate Furnesiensi, conjunctionem Saviniacensium cum Cisterciensibus, monasteria ab eo fundata; quæ omnia inferius declarabuntur. Quocirca transeo ad ultima B.* Serlonis *gesta.*

Anno 1152 vult auctoritatem suam ponere et remanere in Claravalle.

26 *In auctario Saviniacensi ad Roberti de Monte chronica hæc ad annum* 1151 *seu* 1152 *subduntur* (1) : Hoc anno institutum est in capitulo Cisterciensi, ne aliquam novam abbatiam sine majori consilio construerent, quia numerus earum, quæ constructæ erant de illo ordine, usque ad quingentas fere abbatias processerat. Post hujus anni capitulum domnus Serlo, abbas Savigneji, apud Claramvallem remansit, curam abbatiæ suæ volans relinquere, ex hoc sibi et ecclesiæ putans consulere. Et quia hoc tamdiu desideraverat et quæsierat, utpote amator sanctitatis et quietis, ut inquietudines et vanas exaltationes refugeret, visum est Bernardo, abbati de Clarevalle, ut ejus petitioni assentiret, si tamen monachi Savigneji consentirent. Misit ergo Philippum priorem suum, qui suasit eis ut alium abbatem eligerent. At illi B dixerunt, consilium abbatum, qui de illa domo exierant et citra mare erant, super hoc se velle habere. Convenientes igitur abbates habuerunt consilium, domnum Serlonem se nolle dimittere. Et tamen, quia de reditu ejus dubitabant, duas alias venerabiles personas elegerunt, ut vel unam earum haberent. Sed ambe renuerunt. Nolens ergo Bernardus abbas omnino desolatos esse monachos Savigneji, remisit eis domnum Serlonem, ut domum conservaret, donec ipse illuc veniret et ut tam ipsi quam domui consuleret.

quod an. 1153 post Pentecostem tandem perfecit:

27 *Rediit ergo B.* Serlo *Claramvallem, non anno* 1152, *sed sequenti ; neque quum Saviniacum venit S. Bernardus, sed quum venit Gotsuinus, quintus Cistercii abbas; neque post mortem S. Bernardi, ut plerique volunt* (2), *sed post Pentecosten. Quæ omnia suis testimoniis stipanda sunt. Prius Chronicum Saviniacense hæc habet* (3) : Dictus vero Serlo abbas, quietem contemplationis desiderans, post conversionem domus Savigniacensis quinque annis tantummodo abbatizavit et anno Domini MCLIII cessit et apud Claramvallem remansit. *Similiter Necrologium Claræyallis* (4) *tradit B.* Serlonem *officium posuisse et transgressum ad Claramvallem* C eodem anno, quo S. Bernardus ab hac vita migravit *scilicet,* XIII *Kal. Septembris anni* 1153 (5) ; *et Auctarium Saviniacense ad Chronica Roberti de Monte :* Anno præsenti (1153), *inquit* (6), post Pentecosten venit Savignejum domnus Gotsuinus abbas Cistercii, domnumque Serlonem secum reduxit. *Et tunc creatus est Saviniacensis abbas, non Richardus de Corcejo, ut pergit idem Auctarium et Chronicum Saviniacense, sed Guilielmus I, ut docet Philippus Bellælandensis* (7) *et ut recte ostendit Gallia Christiana* (8), *utpote id constare ex charta ipsius Guilielmi* (9), *in qua ecclesiæ de Bellalanda confirmat abbatiam de Jorevalle ad instar decessoris sui D.* Serlonis, *et ex charta Richardi* (10) *successoris, decessorum suorum* Serlonis *et Guilielmi abbatum ea de re confirmantis; sed Guilielmus ille, quum ne annum quidem abbatialem sedem tenuerit, abs Saviniacensibus oblivioni datus est.*

28 *Dum in Claravalle versaretur B.* Serlo, *mortuus est S. Bernardus.* Dominus Robertus, *ante Dunarum in Flandria abbas,* ei feliciter, Domino disponente, successit ; *cui B.* Serlo sese individuum comitem (privatam vitam agens in Claravalle) et in omnibus officiosum exhibuit. In opere sanctæ prædicationis ad ædificationem fratrum toto tempore, quo præfuit, ad ejus imperium jugiter laboravit. Id enim officium eidem imponebat ; quem ad hoc ipsum promptissimum fecerat exercitatio diuturna et benignitas gratiosa. *Ita Necrologium Claræyallis a Manrique* (11) *et Hermant* (12) *recitatum. Aliquot sermones, quos vel Saviniaci vel in Claravalle B.* Serlo *habuit, reperit D. Bertrandus Tissier in codice Ms. Ursicampi, cum nonnullis ejus dictis et sententiis; quæ omnia edidit tomo sexto Bibliothecæ patrum Cisterciensium anno* 1664 (13). *Habes itaque ibidem quinque illius sermones in festo Pentecostes; duos dein in festo S. Joannis Baptistæ ; unum in festo SS. Petri et Pauli ; duos in festo Assumptionis B. Mariæ V.; duos in festo ejusdem Nativitatis ; quatuor in festo omnium Sanctorum ; duos in Dedicatione ecclesiæ ; unum in Adventu Domini, alterum in ejusdem Nativitate, tertium in Annuntiatione Dominica, quartum de Sacramento* E *Altaris; et demum septem scripturæ sacræ loca mystice explicata : quæ* Dicta D. Serlonis abbatis Saviniaci, id est, sententiæ ejus in quosdam Scripturæ locos *a B. Bertrando Tissier dicuntur et confuse cum sermonibus ab eo reperta fuerant. Videntur autem hæc Historiæ litterariæ Galliæ scriptoribus* (14) *totidem deperditarum Sermonum fragmenta ; quæ sententia certe verisimillima est. In his omnibus B.* Serlo *modum tenet S. Bernardi.*

in Claravalle conciones habet, quarum aliquot supersunt :

29 *Idem recolunt in Bibliothecis regia Parisiensi* (15), *Sangermanensi, in Cantabrigensi S. Benedicti* (16), *in Alnensi* (17) *et alibi servari ineditam B.* Serlonis *moralem explicationem Orationis Dominicæ, claram, solidam, unctione plenam, brevem tamen et parum ornatam. Verumtamen haud scio an audacius locuti fuerint iidem scriptores, quum sine ulla tergiversatione hunc commentarium B.* Serloni *adscribunt. Oudinus* (18), *qui eum legit in Bibliotheca Colbertina cod.* 5207, *et prima notavit verba :* Protector noster Dominus Jesus, *prudentius procedit, subdens :* Hunc Commentarium porro in Orationem Dominicam attribuit Serloni, abbati de Eleemosyna ordinis Cisterciensis in Brabantia. Carolus Dufrenius, allegatque Ms. codicem 563 Bibliothecæ S. Germani Parisiensis in Indice authorum, ex F quibus composuit suum Glossarium ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis, pag. seu col. 147. *Hæc ille. Alii tamen aliis Serlonibus tribuunt : Tannerus* (19) *Serloni abbati Gloecastrensi; Lelandus* (20) *et Seldenus* (21) *Serloni Grammatico, ex canonico Eboracensi facto monacho Fontanensi in Anglia. Et quidem Bostonus Buriensis Ms., qui ineunte sæculo* XV *dic... obiit, eidem Serloni tribuit tractatum de Oratione Dominica, et librum de Dictionibus dissyllabis ; præterea inter codices Mss. Collegii S. Benedicti Cantabrigensis, num.* 1631, 8, *venit sub titulo :* Expositio magistri Serlonis de Oratione Dominica ; *ubi vox magister verisimillime ad Serlonem grammaticum pertinet, et certe non ad B.* Serlonem *abbatem. Neque dicatur diversos forte esse tractatus : quem enim legit Lelandus et Serloni*

ei attribuuntur alia quoque scripta.

(1) Pertz, Monum. German., t. VI, p. 500, et D. Bouquet, t. XIV, p. 295. — (2) Manrique, Ann. Cist. ad an. 1153, cap. xv, t. II, p. 246; Hist. litter. de France, t. XII, p. 522; Gallia Christ., t. XI, col. 545; etc. — (3) Miscell. Baluzii, t. I, p. 326. — (4) Ann. Cist. loc. cit. et Hermant, Hist. de Bayeux, p. 190. — (5) Act. SS., t. IV Aug., p. 524. — (6) Pertz. Monum. Germ., t. VI, p. 502. — (7) Monast. Anglic., t. V, p. 573. — (8) T. XI, col. 546. — (9) Monast. Anglic., t. V, p. 573. — (10) Ibid., loc. cit. et 576. — (11) Ann. Cist. ad an. 1153, cap. xv, t. II, p. 246. — (12) Hist. du dioc. de Bayeux, p. 190. — (13) P. 107 ad 130. — (14) Hist. litt. de France, t. XII, p. 523. — (15) Num. 2795. — (16) Cat. Mss. Angl., part. III, n. 1631, 8. — (17) Sanderus, Mss. Belg., part. II, p. 252. — (18) Comment. de Scriptt. eccles., t. II, col. 1127. — (19) Bibliot. Brit. Hib., p. 662. — (20) Ibid., not. g. — (21) Præf. ad x Script. editos a Twysden, t. I, p. xxvii.

grammatico

... D. B.

grammatico adscripsit, iisdem incipit verbis, quibus ille, quem legit Oudinus Parisiis. Cæterum in Indicibus Catalogorum Mss. Gallicanorum et Anglicanorum videre est et alia opera, tam stylo solutoquam ligato conscripta, quæ B. Serloni *adscribuntur, licet aliorum Serlonum partum esse sat manifestum sit Inter primos scripsit B.* Serlo *Historiam ordinis Cisterciensis, quam præ manibus habuit Mabillonius et ex qua locum recitavit* (1); *ast ubi jam esset, reperire olim non potuerunt Historiæ litterariæ Galliæ scriptores* (2). *Servavit insuper Philippus Bellælandensis* (3) *chartam B.* Serlonis, *quam propter testes in Angliam datam arbitror et qua Jorevallam Bellælandæ assignavit. Alia ejus scripta me latent.*

Moritur die 10 Septembris anni 1158:

30 *De ejus mortis tempore hæc colligere licuit :* Anno vero Domini MCLVIII, *inquit prior Saviniacensis chronographus* (4), domnus Serlo, quondam abbas Savigniacensis, apud Claramvallem diem clausit extremum. *Necrologium Clarævallis* (5) : Mortuo autem D. Roberto (III *Kal. Maii anni* 1158 (6)) et D. Fastrado in abbatem Clarævallensem promoto, idem Serlo venerabilis IV idus Septembris, ab hac vita decedens, secutus est D. Robertum, patrem suum. *Manrique* (7) *scripsit* B IV idus Decembris, *sed manifesto calami aut typothetæ errore, cum paucis versibus infra eum die* 10 *Septembris seu* IV *idus obiisse scribat ; minori errore scribitur in Gallia Christiana* (8) V idus Septembris.

prius tumulatus dicitur in capitulo, dein in magno claustro cum aliis viris piis.

31 *Eum prius tumulatum fuisse in capitulo : deinde in eodem claustro ex sequentibus liquet :* Sub secundo arcu lapideo, *ita liber sepulchrorum* (9), in eodem claustro, sunt ossa plurium personarum, in priori capitulo sepultorum, pro illius quod nunc extat dormitorii et novi capituli ædificatione translata : nam et primas litteras nominum singulorum, insculptas ibidem lapidibus, diligens lector inveniet. Medium autem locum, cæteris præeminentiorem dominus Robertus de Brugis, secundus Claravallensis abbas, obtinet.... In magno claustro (10) sub secundo arcu lapideo medium locum cum domino Roberto de Brugis obtinet dominus Serlo *etc. Quo anno ex capitulo Roberti, B.* Serlonis *aliorumque corpora in claustrum translata sint, seu quandonam dormitorium exstructum et novum capitulum, pollicetur Manrique* (11) *se alibi dicturum ; verum frustra ubi dictis fidem fecerit inquisivi. Hanc translationem refert* C *Hermant* (12) *ad annum* 1238 ; *sed id stare non potest. Chronicum enim Claræ vallense, quod ab anno* 1147 *initium ducens, anno* 1192 *desinit, habet jam B.* Serlonem *juxta Robertum jacuisse :* Ejus *(abbatis Fastradi), inquit* (13), primo anno mortuus in Claravalle abbas Berlo * quondam Savigniensis, qui cum triginta abbatiis ad ordinem venit et B. Bernardo se reddidit. Iste est, qui juxta abbatem Robertum cum aliis personis requiescit. *Exordium magnum Cisterciense, quod inter annos* 1193 *et* 1213 *scripsit Conradus Everbacensis* (14), *multo clarius hæc tradit* (15) : Reliquiæ corporis ejus *(Roberti)* conditæ sunt in monumento, quod constructum est in muro claustri Claræ vallis, prope ostium ecclesiæ : ubi et alii perfecti et vere Deo digni monachi requiescunt. *Neque deinceps ex hoc loco hæc pia mota videntur corpora, quum Andreas de But* (16), *quem exeunte sæculo* XV *scri-*

* Serlo

psisse jam diximus, hæc Exordii Magni verba, D *nihilo addito, referat. Et Gallia Christiana* (17), *ne sermonem quidem instituit de priori sepultura, sed tradit Robertum* in claustro sub arcu lapideo *quiescere* cum Sanctis Serlone, Humberto, Odone et Gerardo, primis S. Bernardi alumnis, ubi ista legitur epigraphe : « Hic jacent venerabiles et » beati patres, quorum nomina primis litteris in » lapide inculptis designantur et acta in tabulario » copiosius describuntur. » *In præsentiarum vero hæc monumenta nulla amplius religione haberi nemo ignorabit, qui noverit celeberrimam olim totius Galliæ abbatiam nunc unum e generalibus carceribus esse factam. Lateat vero nos quid de Saviniacensibus B.* Serlonis *reliquiis fuerit actum.*

§ III. Propagatio Ordinis Saviniacensis et ejus conjunctio cum filiatione Claræ-vallensi.

E

Propter multitudinem Saviniacensium monachorum et forte propter egestatem B. Gaufridus *nova condi cœnobia misera valde*

A *S. Vitali præter abbatiam Saviniacensem et prioratum Domnipetræ alia virorum cœnobia instituta fuisse non crediderim. Quum autem ejus monachorum numerus multo magis crevisset quam abbatiæ opes, plurimum cum paupertate ei luctandum erat : adeo ut coactus fuerit repetere ab abbate Cadomensi eleemosynam Moritoniensem, quam ipse olim acceperat a comite Willelmo, sed ante inchoatum Saviniacum Cadomensibus monachis dederat, consentiente quidem rege Henrico, sed non consentiente episcopo Abrincensi : qui consensionis defectus videtur causa præcipua ab eo ipso postea proposita ad rescindendam donationem* (18). *Obtinuit similiter a Calixto II bullam, datam Andegavis* V *Idus Septembris anno* 1119 *ad episcopos Abrincensem et Cenomannensem, ad comitem Moritoniensem ac dominos Filgeriarum, Meduanæ et S. Hilarii, ut ad opem ferendam monasterio excitarentur* (19). *Beati vero* Gaufridus *et* Serlo *aliam inierunt viam ad levanda Saviniaci onera. Destinarunt scilicet quaquaversum colonias : qua quidem re Saviniacensis egestas minuebatur, verum ipsæ coloniæ paupertate premebantur nimia. Hinc, quum Petrus de Quinciaco, Saviniacensis monachus, initium fecisset abbatiæ, quæ postea Joravallis facta est, et sæpe B.* Serlonem F *per epistolas rogasset, ut huc conventum cum abbate transmitteret,* abbas Savigneji, in animo suo revolvens, pericula labores et defectus, quos monachi sui sustinuerant, qui in Angliam diversis in locis alias missi fuerant de Savignejo ad abbatias incipiendas et construendas, a quibus sæpius hortabatur ut ipsos domi revocaret, in auditorio suo coram pluribus cum magna indignatione juravit per virtutem summæ Trinitatis, in cujus honore fundata exstitit ecclesia Savigneji, quod numquam voluit ibidem conventum destinare (20). *Cæterum videre est S. Bernardum easdem interdum difficultates, ab emissis coloniis ortas, experientem.*

et monachos extra claustra vagari permittit:

33 *Eidem forte nimiæ paupertati tribuendum est ipsum hujus Joræ vallensis negotii exordium, quo tantum vexatus est B.* Serlo. *Initio enim Joræ vallensis Historiæ legimus de illo Petro de Quinciaco,*

(1) Réflexions sur la rép. de l'abbé de la Trappe au traité des études monast., p. 193.—(1) T. XII, p. 523.—(3) Monast. Angl., t. V, p. 570.—(4) Baluzii Miscell., t. I, p. 327.—(5) Hermant. Hist. dioc. de Bayeux, p. 190, Henriquez. Menolog. ad 10 Sept., p. 308. — (6) Cfr Manrique, Annal. Cist., ad an. 1157, cap. I, n. 2, t. II, p. 291 et Gallia Christ., t. IV, col. 800; Henriquez. Menolog., p. 142 et cfr cum tabulla paschali. —(7) Ibid., cap. II, n. 1, t. II, p. 293.—(8) T. XI, p. 546.—(9) Henriquez, Menolog., ad 29 April., p. 142, — (10) Ibid., ad 10 Sept., p. 308 — (11) Ann. Cist. ad an. 1157, cap. I, t. II, p. 291.—(12) Hist. du dioc. de Bayeux, p. 190.— (13) D. Bouquet, t. XII, p. 311.— (14) Cfr Fabricius. Biblioth. latina med. et inf. æt. vº *Cistercium* et *Conradus*, t. I, p. 382 et 411, edit. Mansi; sed maxime Hist. littér. de France, t. XVII, p. 363 et seqq. — (15) Ap. Tissier, Biblot. Cisterc., t. I, p. 62. — (16) Supplementum Chron. de Dums, p. 31. — (17) Gallia Christ., t. IV, col. 800. — (18) Cfr Gallia Christ., t. XI, instr. p. III et seq. — (19) Martene Ampliss. Collect., t. I, col. 659.—(20) Monast. Angl., t. V, p. 569.

in

A *in arte medicinæ valde subtili et bene experto, et de duobus aliis monachis de Savignejo hæc quæ sequuntur* (1) : Qualiter autem aut quibus ex causis idem frater Petrus cum cæteris sociis suis de Savignejo in Angliam venit, incertum habetur, nisi secundum quod creditur ipsos moram traxisse in curia Alani, comitis Britanniæ et Richmundiæ, prætextu artis medendi infirmitates et plagas, vel ut eleemosynas aulæ colligerent et egenis distribuerent, *seu potius, ut ex ipsa rerum consecutione patet, suo ordini impetrarent. Similiter ex Furnesia obvia nobis est colonia, sine certa sede aliquandiu per Angliam vagans. De iis enim, qui primo Caldram, dein Bellamlandam fundarunt et qui ex Furnesia exierant* (2), *hæc legere est :* Qui cum essent numero pauci et pauperes, locumque aptum quærerent, ubi Deo propitio cum fructu aliquo habitarent; nobili viro Rogerio de Mulbray.... donante, locum prius angustum acceperunt. *Paucis Saviniacensium monachorum tanta passim apparet paupertas, ut facile Cisterciensium (tantopere tamen deprædicatam) vinceret. Cui etiam tribuendæ tot et tam facile susceptæ ex uno in alterum locum abbatiarum translationes; quum eorum res omnes facile* B *aliquot plaustra reciperent.*

bonum tamen Christi odorem ubique spargit ejus congregatio.

34 *In media hac inopia non minus quam Cistercienses spargebant passim bonum Christi odorem. Quum enim Richardus, prior Eboracensis, sodales suos ad vitam renovandam excitaret, hæc inter alia plura (prout Turstinus, Eboracensis archiepiscopus, ad Willelmum, archiepiscopum Cantuariensem, scripsit, locutus est* (3) : Si videatur, *inquit*, euangelium emortuum et impossibile in nobis, intueamur monachos Saviniacenses et Clarevallenses, qui nuper venerunt ad nos; quam clare reluxit euangelium in illis, ut, si dici fas est, utilius sit eos imitari quam euangelium recitare; cum vero videtur sancta conversatio eorum, quasi reviviscere judicatur euangelium in illis; soli sua non repetunt, soli nihil possident unde se proximis anteferre contendant; soli sunt qui proximorum damnum non appetunt, modica cultura terræ et usu pecorum contenti sunt; ea vero non habere appetunt, nisi quamdiu Deus vult; quia cum vult Deus ea auferri, non licita appeterent. Eis (ni fallor) competit dicere : « Nobis mundus crucifixus est et nos mundo. » Eis competit dicere : « Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debi- C toribus nostris, » qui debitorem neminem habent a quo quicquam exigere velint. Fœlix hominum genus, quorum habitus, victus, totusque modus conversationis eorumdem sapit euangelium! Illorum portio solus est Deus. Illi, plene quantum humanæ facultatis est, charitatem Dei et proximi implere dignoscuntur, quia, soli Deo cohærentes, temporalia cuncta præter modicum et contemptibilem habitum ita plane deseruerunt, ut nihil concupiscant unde proximus sibi dignetur irasci. Non igitur, o pater, *addit, alloquens Galfridum abbatem*, unquam possibile videatur tenere regulam B. Benedicti, quandoquidem talia Deus nobis ministravit exemplaria, qui sanctis virtutibus præcesserunt nos, ut sequamur illos. Si vero propter viciniam et strepitum populorum non omnino valeamus sequi eorum puritatem, saltem modum vitæ et professionis juxta regulam nostram advertamus, propterea quod non monachi sed mortui sumus. *Hæc ille.*

maxime per Angliam, et turbido Stephani regis tempore crescit :

35 *Non aliter Guilielmus Neubrigensis, de Cisterciensium et Saviniacensium per Angliam propagatione, agens exclamat* (4) : Quid autem sentiendum est de his et aliis locis religiosis, qui in diebus regis Stephani copiosius extrui et florere cœperunt, nisi quod castra Dei sunt hæc, in quibus contra spiritualia nequitiæ regis Christi excubant milites et exercentur tyrones? *Neque animadversione indignum videtur turbido Stephani regis tempore, inter medias bellorum vices et calamitates, passim asceteria condita fuisse, et quidem æque a viris qui a partibus regis Stephani ac qui a partibus imperatricis Mathildis starent : tantæ scilicet venerationi erant hi optimi monachi universæ genti Anglorum! Neque præterire fas est pietatem eorum, qui in hæc pia opera partem suorum bonorum impendebant, nil satius arbitrati quam ut cum Deo et ecclesia communicarent dominicales terras, quæ suis patribus, Angliam cum Guillelmo conquæstore occupantibus, obtigerant. Ut enim animadvertet ipse lector, plerique fundatores ex Normannia originem ducebant. Illis Saviniacensium in Anglia atque etiam Hibernia commorantium laudibus addi possent episcopatus aliaque id genus eis concredita munia; sed modus nobis servandus est.* E

propter locorum distantiam aliasque causas minus honestas cunctantur abbates Angli ad capitulum venire

36 *Verum enim vero rebus humanis quibuscumque semper aliquid, quod minus rectum sit, commiscetur. Etenim, quod eundo ad annuale capitulum et redeundo medius fere annus impendendus esset, nonnullis Angliæ abbatibus, paulatim laxiora facta sunt vincula, quibus filiales domus maternæ conjungerentur. Quod et causam fuisse cur B.* Serlo *se suaque omnia Cisterciensibus tradiderit, testimonia habemus omni exceptione majora. Etenim Chronicum Saviniacense* (5) *et Robertus de Monte* (6), *scriptor coævus et Saviniaco vicinus, hæc habent :* Hic (Serlo), quia pro velle suo non ei obtemperabant monasteria sibi subdita, auctoritate Eugenii Romani pontificis subdidit se et omnia monasteria sua Ordini Cisterciensi. *Paulo explicatius hæc narrat Peregrinus,* VII *Fontanensis abbas, in Historia prælatorum monasterii de Fontanis, res optime doctus :* In diebus illis, *inquit* (7), præerat in domo Savigniensi vir venerandus, nomine Serlo, valde litteratus, et cujus eloquium audientibus erat acceptabile super mel et favum. Hic igitur cum esset justus et paulatim cœpisset intelligere quod quidam coabbatum suorum de subjectione Savigniensi sua colla molirentur excutere, ac tardius F et tepidius quam solebant ad capitulum venirent, divino fultus consilio et auxilio, impetrata licentia et auctoritate summi pontificis, suum monasterium cum cæteris omnibus ad illud pertinentibus Ordini Cisterciensi contradidit et subjecit in manu Bernardi abbatis Clarevallensis, vitæ cujus et religionis auctoritas ubique redolebat. Erat enim vir potens in opere et sermone coram Deo et omni populo, qui continuo dedit abbatiæ Savigniensi in priorem et eruditorem Ordinis Cisterciensis virum venerabilem, nomine Theobaldum; qui cum esset S. Dionysii monachus et infirmarius et forte vidisset S. Bernardum, relictis omnibus, sequutus est eum. Erat autem iste Theobaldus nobilis genere et de Pertico natus. *Quæ integra recitare placuit, quod nuspiam pluribus adjunctis hæc rerum Saviniacensium mutatio explicetur et quod hinc subvertantur quæ habent Jongelinus* (8) *Henriquez* (9) *aliique de Alberico Claræ vallensi, quasi hic suasisset hanc accessionem, et primus magister datus esset Saviniacensibus.*

(1) Monast. Anglic., t. V, p. 568. — (2) Ibid., p. 349. — (3) Ibid., p. 294. — (4) Ibid., p. 346. — (5) Baluzii Miscell., t. I, p. 326. — (6) D. Bouquet, t. XIV, p. 382. — (7) Spicileg. Dacherii, t. II, p. 575, edit. in-fol. —

(8) Notitia Abb. Ord. Cist. in Gallia, p. 37 et seq. — (9) Menologium, ad 11 Julii, p 226.

37 *Verum*

ita ut capitulo anni 1147, ut habet Philippus Bellælandensis,

37 *Verum incusationibus illis non omnes impetuntur abbates, sed Angli plerique tantum. Satis enim manifestum id est ex his, quæ Philippus de Bellalanda narrat in Historia Joraevallis de capitulo anni* 1146, *imo anni* 1147 : *et quoniam alibi id usu veniet, operæ pretium fuerit demonstrare integro anno hujus scriptoris Chronologiam a vera aberrare. Tradit enim in hoc capitulo actum esse de Concilio Rhemis ab Eugenio III celebrando; atqui hoc Concilium verisimillime indictum non fuit ante annum* 1147, *et certe non potuit indici ante festum SS. Trinitatis seu diem* 26 *Maii anni* 1146, *quo initium dabatur Saviniacensibus capitulis, quandoquidem Eugenius III, Roma profugus, die tantum* 25 *Martii anni* 1146 *Sutrium devenit, die vero* 24 *Julii Viterbiam, et in Galliam ineunte anno* 1147; *ita ut exeunte Martio a rege Ludovico VII Divione exceptus fuerit* (1) ; *ante quod sane tempus nil de Concilio Rhemis celebrando statui poterat. Neque tantum in tempore celebrati capituli integro anno aberrat ille historicus a recta chronologia, sed similiter in tempore habiti Rhemensis Concilii, quod duobus in operibus* (2) *ad annum* 1147 *refert ; dum tamen nil certius est quam id inchoatum fuisse*
B *feria II post Dominicam quartam quadragesimæ seu die* 22 *Martii anni* 1148 (3), *precibus pro more die ante publice fusis.*

tres tantum adessent :

38 *Verum ex hoc parergo chronologico redeamus ad ipsos viros qui capitulo anni* 1147 *adfuerunt. Porro, teste Philippo Bellælandensi* (4), in ipso quidem capitulo generali fuerunt abbates de Anglia scilicet de Quarera et de Neth tantum; *quibus tamen Rogerus Bellælandensis, qui ibidem paucos tantum dies visus est* (5), *addi potest ; dum tredecim adessent abbates Galli præter B.* Serlonem (6). *Cæterum ex difficultatibus, post initam cum Cisterciensibus conjunctionem subortis, æque patet Angliæ abbates solos ad libertatem spectasse. Et, quoniam de hoc capitulo sermo est, quis dubitet quin ibidem de hac ineunda conjunctione consilium captum sit? Secus enim quo jure tantam immutationem molitus esset B.* Serlo, *et quomodo tam facile in eam postea consensissent abbates Galli?*

idcirco B. Serlo *in capitulo Cisterciensi anni* 1147.

39 *Propositis itaque hujus conjunctionis causis, tempus, locus aliaque adjuncta investiganda sunt. Mabillonius in Chronologia Bernardina* (7) *quam ad finem prioris voluminis operum B. Bernardi subdidit et quam Pinius noster in Actis S. Bernardi* (8)
C *recepit, et jam pridem ante Manrique* (9) *aliique tradunt id factum esse in capitulo Cisterciensi anni* 1148, *præsidente Eugenio III Papa. Abbas vero Bellælandensis, Philippus, omnino aliter :* Eodem anno, *inquit* (10), *male intelligens annum* 1147 *pro* 1148, in Concilio Rhemensi, præsidente papa Eugenio, ecclesia Savigneji cum terdenis filiabus abbatiis se subjecit ecclesiæ Clarevallensi et ordini Cistercii ; *et alibi eadem fusius declarat* (11). *Tertio demum Galliæ Christianæ* (12) *scriptores laudant schedas Saviniacenses et Vallium-Sernaji, in quibus conjunctio hæc ad annum* 1147 *signatur : quam sententiam, non secus ac D. Bouquet* (13), *adversus Mabillonium amplectuntur bonisque stabiliunt argumentis. Nos vero ita hanc controversiam explicabimus ut vetera documenta inter se conciliemus. Gaufridus, Clarævallensis et S. Bernardi quondam notarius, in Vita hujus Sancti hæc tradit* (14) : Cum D
reverendissimus papa noster Eugenius III... Gallias introisset, ibat cum eo vir sanctus... Eodem anno apud Cistercium juxta morem abbatibus congregatis, prædictus papa venerabilis adfuit, non tam auctoritate apostolica præsidens, quam fraterna caritate residens inter eos quasi unus ex eis. *Qui hæc legerit, dubitavit nemo quin Eugenius III capitulo Cisterciensi interfuerit eodem, quo in Gallias ingressus est, anno, scilicet* 1147; *et tamen Baronius* (15), *Manrique* (16), *Pagius* (17), *optime cæterum de chronologia Eugeniana meritus, Mabillonius* (18), *Pinius* (19) *aliique ad sequentem hæc referunt annum ; non animadvertentes fieri non potuisse ut Eugenius III anno sequenti capitulo Cisterciensi, quod Idibus Septembris celebrabatur* (20), *interesset, quandoquidem Baronius* (21) *ostenderit eum mense Octobri hujus anni jam Romæ aut prope Romam versatum fuisse, Pagius* (22) *demonstrarit eum* Vercellis XVI Kal. Julii *epistolam dedisse ad Sugerium, et Ughellus* (23) *ediderit diploma,* datum Cremæ, per manus Guidonis S. Romanæ ecclesiæ diac. cardinalis et cancellarii, nonis Julii, indict. II, incarnat. Dom. anno 1148, pontificatus vero Eugenii III papæ anno IV. *Mense Septembri* E
itaque anni 1148 *jam pridem Galliis exiverat Eugenius.*

sub medium mensem Septembrem, præsente Eugenio III Papa,

40 *Quemadmodum itaque anno* 1148 *capitulo Cisterciensi interesse non potuit, ita anno* 1147 *certissime interfuisse planum est ex diplomate, quod, tunc Cistercii consistens, monasterio Yerguæ, (postea Filerium in Navarræ et Castellæ confiniis translato), concessit quodque ab octo subscriptum cardinalibus edidit Oihenartus in Notitia utriusque Vasconiæ* (24), *et cujus hæc est clausula :* Datum apud Cistercium per manum Hugonis presbyteri cardinalis, agentis vicem domini Guidonis S. R. E. diac. cardin. et cancellarii, XV Kal. Octob., indict. X, incarnat. Domini anno MCXLVIII, pontificatus vero Domini Eugenii papæ III anno III *Indictionem corruptam esse vult Pagius, arbitratus ab Eugenio solam indictionem Constantinopolitanam esse : verum jam in confesso est eum sæpius usitasse Romanam* (25) ; *et quidem vix oculos in Ughell. volumina conjicio, quum mihi occurrunt duæ bullæ datæ Pisis, altera* (26) IV *Non., altera* III *Nonas Novembris, ind.* XII, *anno* 1149. *Jam vero si Eugenius III certissime Cistercii fuerit* XV *Kal.* F
Octobris seu die 17 *Septembris anni* 1147, *quæ Idibus seu diei* 13 *Septembris (qua capitulo initium dabatur) proxima est, satis apparet huc revocanda esse quæ superius a Gaudefrido de Eugenio III, Cisterciensi capitulo præsidente, accepimus.*

subdit Clarævalli triginta sua monasteria;

41 *Porro in hoc capitulo a B.* Serlone *Saviniacum et alias viginti novem abbatias filiales Clarævalli et proin Cistercio subjectas fuisse non narratur solum in libro sepulcrorum Claravallensium, cujus verba supra num.* 22 *dedimus, verum etiam in Historia fundationis Furnesii, ubi hæc leguntur* (27) : Tempore hujus abbatis *(nempe Petri de Eboraco,* IV *Furnesii abbatis)* Serlo, quartus abbas Savigneji, quæ est materna domus Furnesii, reddidit apud Cistercium, in capitulo generali domum suam Savigniacensem cum filiabus suis in ordine Tironensi *(sæpe confunditur cum hoc ordine Saviniacensis)*,

(1) Cfr Novaës, Elem. di Storia Pontif., t. III, p. 70; Pagius, Critic. ad an. 1147, n. VIII et seqq., D. Bouquet, t. VII, p. 89, in nota. — (2) Monast. Angl., t. V, p. 552 et 570.— (3) Cfr Pagius, in Crit. ad an. 1148, n. 5; et alibi passim.—(4) Monast. Angl., t. V, p. 569.— (5) Ibid., p. 570. — (6) Ibid., p. 569. — (7) Pag. IX. — (8) T. I. Aug., p. 242. — (9) Annal. Cist. ad an. 1148, cap. VII, t. II, p. 104 et seqq. —(10) Monast. Angl., t. V, p. 552.—(11) Ibid., p. 570.—(12) T. XIII, col. 542. —(13) T. XII p. 89, in nota. — (14) Lib. IV, cap. V, Act. SS. Aug., t. IV, p. 316. — (15) Annal. Eccl. ad an. 1148, n. 34. — (16) Annal. Cist. ad an. 1148, cap. VII, t. II, p. 105. — (17) Critice, ad an. 1148, n. 12.—(18) Loc. sup. cit.—(19) T. IV Aug., p. 546.—(20) Cfr Collectio S. Rainardi, cap. LXXVIII, ap. Manrique, ad an. 1134, cap. VI, t. II, p. 281. — (21) Ad an. 1148, n. 48.— (22) Critice, ad an. 1148, n. 15 —(23) Italia sacra, t. IV, col. 604 edit. Coleti.—(24) Lib. I, cap. III, ap. Pagium, ad an. 1147, n. 10. — (25) Victor de Wailly, Eléments de paléographie, t. I, p. 295. — (26) Italia sac., t. II, col. 215. —(27) Ibid., t. I, col. 846.

V. D. B.

A *niacensis)*, ad ordinem Cisterciensem, in manus B. Bernardi, tunc abbatis Clarevallis. *Non in his tantum scriptis, sed et supra num.* 31 *in Chronico Clarævallensi traduntur triginta abbatiæ a B.* Serlone *Clarævalli tradita. Verumtamen Suchetus* (1), *monitus a D. Barbarello, viginti septem tantum legibus Cisterciensium ab Eugenio III addicta narrat; ast tricenarium numerium retinendum ex ipsa serie, inferius fusius enucleata, unusquisque colliget. Quum enim illa mutatio facta est, capiebat ordo Saviniacensis sequentia virorum monasteria :* Saviniacum; Furnesium *cum filiabus* Russino, Swineshedа *et* Caldra; Inis *seu Carrike*; Bellum Beccum *cum filia* Briostello; Valles Cernaji, *cum filia* Brolio Benedicti *et nepte* Trappa; Calocejum; Fulcardi-Montem; Netham; S. Andream de Goffert; Buxeriam; Alnetum; Quarreram; Fontanas Albas; Basinkwerk; Cumbremaram; Bellalandam; Longum Villare; Stratfordiam; Bildewasium *cum filia* S. Maria Dublinensi; Buckfastriam; Cogeshallam; Veterem Villam; et Barberium. *Parthenones videntur inter virilium asceteriorum appendices relati.*

quæ ita recipiuntur quasi in ordine Cisterciensi

42 *Conditiones hujus accessionis non cognoscuntur omnes, sed aliquot tantum. In Saviniacensi Chronico post narratam traditionem scribitur* (2) :
B Et in continenti concessus est ei (B. Serloni) prioratus omnium abbatum Ordinis per domnum Cisterciensem et quatuor primos abbates. *Clarius in Auctario Saviniacensi ad Chronica Roberti de Monte, ubi postquam ad annum* 1146 *loco* 1147 *prima manus scripsisset* (3) : Hoc anno domnus Serlo abbas Savigneji se dedit ordini Cisterciensi, cum omnibus abbatiis ad se pertinentibus et hoc fecit in manu domni Bernardi abbatis Clarevallensis, in præsentia venerabilis Pape Eugenii et omnium abbatum Cisterciensis capituli; *alia manus in margine addidit* (4) : Et concessus est ei et successoribus suis prioratus omnium aliorum abbatum post dompnum Cisterciensem et quatuor primos abbates. Et ab eo tempore obtinuit, quod continue sine interruptione qualibet singulis annis unus erat diffinitorum abbas Savigneji. Et in hac possessione fuit abbas Savigneji anno Domini 1243, videlicet per nonaginta sex annos continue. Nec mirum, si in hoc abbatia Savigneji per consensum capituli honorabatur, que sua conversione ordinem Cisterciensem, tunc temporis substantia tenuem, plurium abbatiarum multitudine
C adaugens, in Domino quam plurimum honoravit; dum zelo religionis suas consuetudines et suum capitulum generale apud Savignejum colebat, consuetum reliquit, ut in humilitate et sancta servitute Cisterciensis ordinis susciperet instituta. Unde bene cavere debent in posterum tam abbas Savigneji quam tota congregatio, ne in grave sui prejudicium istis juribus suis fraudetur ecclesia Savigneji *etc. Paulo aliter Gallia Christiana* (5), *tradens* abbati Saviniacensi ob tam insignem accessionem datum fuisse, ut primus post quatuor primos patres et abbatem Prulliacensem, qui loco sibi debito cedere noluit, in ordinis comitiis consideret.

nata fuissent, qui mos novus non erat :

43 *Verum non tam ratio honoris quam ætatis habita fuisse videtur; ita* ut Saviniacum, caput omnium, reliquæ cæteris Clarævallis filiabus mixtæ, sed omnes, velut in Cistercio natæ, computarentur (6), *cum hac tamen lege ut licet Saviniacum de antiquitate certare posset cum quatuor præcipuis Cistercii filiabus post eas tamen veniret; seu ut non tantum præcederet Cistercium ad annum* 1098 *tabulis inscriptum, sed et Firmitas ad annum* 1113 *signata, Pontiniacus ad* 1114, *Claravallis et Morimundus ad* 1115. *Ast postea inviderunt aliæ abbatiæ Saviniaco præcedentiam, ut ex modo recitato Saviniacensi Auctario satis intelligitur; et quidem vicerunt aliquando Prulliacum, Curia-Dei et Bonavallis de linea Cistercii, ad annum* 1118 *catalogo inscripta, ut Jongelini* (7) *catalogus manifestum facit. Ex asserto autem Galliæ Christianæ sequitur quidem sæculo* XVIII *Prulliacum adhuc sedem obtinuisse in capitulo ante Saviniacum; verum ab initio res ita compositas fuisse admitti nequit, quin adjiciantur Chronicum et Auctarium Saviniacensia. Cæterum similis pugna de præcedentia exstitit in Anglia Furnesium inter et Waverlejam; de qua re dicetur num.* 75. *Conditionem illam de sedendi loco passim carpit Manrique* (8), *scribens inter alia :* Id numquam hactenus cum aliis usurpatum, ex quo semel incepit, indultum pluribus : cunctis fere, qui, latioribus regulis dimissis, ad normam Cisterciensis rigoris reformabantur. Non quia eadem ratio : quis id dubitet? aut quis simplex monasterium, quodcumque sit, congregationi numerosæ multorum comparet? sed quia ea exemplarium conditio est, ut primi quidem causas requirimus; in reliquis, E semel fecisse, pro causa sit. Nec multum abest, ut quæ prius in scandalo, quia numquam facta; postea in exemplum facienda proponantur. Certe quod Saviniaco indultum, in eodem capitulo (ne rem longius quærendam remittamus) Obacinæ non valuit denegari. *Aurea utique verba! Quis enim non videt per dispensationes paulatim vanas fieri leges, et auctoritatem dispensantis, quam per eas elucere prædicant, vix ad aliud valere quam ad disciplinam quamcumque pessumdandam? Verum quas leges, auctore Manriquio, tum violassent Cistercensienses, nullas ego invenio, et ne certas quidem stabilesque consuetudines. Etenim monasterium Fontium in Anglia, de quo superius obiter jam dixi, initio non erat sub disciplina Cisterciensi, quum sexto Kal. Januarii anni* 1132 *primus abbas benedictus est; sed anno tantum sequenti post hiemem Claravallensi abbati subditum fuit, et tamen Chronographiæ Cisterciensi inscribitur sexto Kal. Januarii anni* 1132 *et in Indice Chronologico Jongelini secundum sedes in capitulo signatur ad annum* 1132. *Et quidem certa non reperio exempla, quibus constet monasteria, vero nomine abbatias, ad quæ Cistercienses solummodo magistros destinarunt, non vero abbatem cum colo-* F *nia, et quæ Cistercienses susceperunt leges, inscripta fuisse tabulis extra ordinem antiquitatis, nisi forte ponenda fuissent ante ipsa quinque capita ordinis.*

conclusa in capitulo Saviniacensi a Cisterciensibus firma habentur :

44 *Inter easdem conditiones referendum est* omnia, quæ in capitulo Saviniacensi ordinata et stabilita fuissent, in Cisterciensi capitulo non debuisse aliqualiter retractari, sed rata et firma semper permansura, *licet nondum ad exsecutionem deducta fuissent : quemadmodum anno* 1149 *medio fere mense Augusto respondit S. Bernardus in negotio Jorevallensi* (9). *Neque dubitandum est quin eadem facilitate actum sit ergo Saviniacenses, qua erga Obazienses; in quorum gratiam probavit capitulum sponsionem S. Rainardi, Cisterciensis abbatis,* quod cuncta ordini adversantia paulatim abolerentur, ne repentinam mutationem novella adhuc domus ferre non posset (10).

confirmatur conjunctio Saviniacensium cum Cisterciensibus ob Eugenio III die 19 Septembris,

45 *Quemadmodum B. Stephanus Obazinensis prius adiit Eugenium III, qui, auctoritate sua interposita, monasteria sua admitti curaret* (11); *ita*

(1) Vita S. Bern. Tiron., p. 280. — (2) Baluzii Misc., t. I, p. 326. — (3) Pertz. Monum. Germ., t. VI, p. 497. — (4) Ibid., loc. cit. — (5) T. XIII, col. 541. — (6) Manrique Annal. Cist. ad an. 1148, cap. VII, t. II, p. 106. — (7) Cfr Index Chronol. eo ordine dispositus, quem Cistercii in capitulo generali observare solent. — (8) Annal. Cist. loc. cit. — (9) Monast. Anglic., t. V, p. 571. — (10) Vita B Stephani Obazinensis, lib. II, n. 12, ap. Baluzii Misc., t. I, p. 161. — (11) Ibid., p. 160.

 verisimiliter

V. p. n.

verisimiliter egit B. Serlo. *Quomodocumque hæc demum peracta sint, confirmavit Eugenius III hanc adjunctionem bulla data apud S. Sequanum* XIII *Kal. Octobris seu die* 19 *septembris, quum vix aut ne vix quidem finitum esset Cisterciense capitulum. En bulla* (1) : Eugenius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, conventui Savigniensi et abbatibus monasteriorum, ad idem cœnobium pertinentium, eorumque fratribus salutem et apostolicam benedictionem. Pax ecclesiæ, fratrum concordia, religionis vigor, status monasteriorum unitatis vinculo conservatur Hujus rationis intuitu dilecti filii nostri Serlo Savigniensis et Hosmundus Belbacensis * abbates, ad Cisterciense capitulum venientes, tam se quam universitatem vestram per carissimum filium nostrum Bernardum, Clarevallensem abbatem, in unitatem Cisterciensis congregationis et ordinis suscipi, nobis præsentibus, humiliter postularunt. Eorum itaque religiosam devotionem in Domino commendantes, paternæ sumus charitatis debito congavisi ; scientes scriptum esse : Frater, adjuvans fratrem, ambo consolabuntur. Quocirca, secundum eorum gratum Deo et laudabile desiderium, tam eos quam vos sancto illi collegio, sociantes, apostolica auctoritate statuimus, ut hæc amabilis et jocunda societas futuris temporibus in violabiliter observetur. Præfato igitur filio nostro S. Savigniensi abbati tanto vos propensius filialem obedientiam, secundum ejusdem ordinis instituta, exhibere præcepimus, quanto attentius pro vestra salute cognoscitur laborare. Si quis autem contra hujus nostræ confirmationis paginam sciens venire temptaverit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum Datum S. Sequanum XIII Cal. Octobris. *Ad abbatiam vicinam S. Sequani, vulgo* St Seine, *in diœcesi Lingonensi se contulerat Eugenius, indubie celebraturus S. Sequani festum, quod* 19 *Septembris occurrit.*

* Belli Becci.

B

et quum Angli nonnulli repugnarent.

46 *Ast non omnibus in Anglia placuit a B.* Serlone *monasteria sua tradita fuisse Claravalli : ab hac enim* redditione, *inquit auctor Historiæ fundationis Furnesii* (2), Petrus *de Eboraco, Furnesiensis tunc temporis* abbas, cum conventu suo ad summum pontificem et sanctam sedem apostolicam appellavit : ad quam sedem personaliter accedens impetravit a domino Eugenio Papa tertio confirmationem, ut domus sua Furnesii remaneret in perpetuum de eodem ordine, de quo primo fundata erat, non obstante redditione prædicta : sed in reditu suo de curia Romana *(tum in Galliis versante)*, captus est in itinere per monachos Savignienses et ductus ad Savignejum. Ibi cessit officio abbatiali, et factus est ibidem monachus probatissimus, discens ordinem Cisterciensem ; et inde fuit sumptus in abbatem Quareriæ quintum. Cui Petro successit in Furnesio quintus abbas Ricardus de Bajocis, doctor in theologia, prius monachus Savigneji. Qui modico tempore gubernavit, cujus diligentia et consilio redditum fuit ipsum monasterium Furnesii ad matrem suam Savignejam et ad ordinem Cisterciensem. *Atque hæc omnia ante finem annis* 1148 *facta fuere.*

C

per alterum solemniorem bullam

47 *Quum itaque hæ aliæque similes adversus accessionem illam moverentur a nonnullis Anglis difficultates, dedit Eugenius III tempore Concilii Rhemensis alteram bullam multo solemniorem, qua Anglorum retunderetur repugnantia, et quæ hujus est formæ* (3) : Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Serloni, Savignejensi abbati, ejusque successoribus regulariter promovendis, in perpetuum. Apostolicæ sedis, cui divina gratia præsidemus, nos auctoritas admonet beneplacentem Deo religionem statuere et stabilitam exacta diligentia conservare. Quocirca, dilecte in domino fili, Serlo abbas, tuis justis postulationibus clementer annuimus, Savignejense monasterium, cui præesse dignosceris, scriptorum nostrorum patrocinio communimus : statuentes ut ordo monasticus secundum institutionem Cisterciensium fratrum, tam in præfato monasterio, quam in his quæ sub ejus potestate consistunt, futuris temporibus inviolabiliter conservetur, et ut abbatiæ, quæ ad jus tui monasterii pertinere noscuntur, in tua tuorumque successorum obedientia et subjectione permaneant : quarum nomina duximus exprimenda : abbatia de Furum *(i. e. Furnesium)* ; abbatia de Bufert *(i. e. Buckfastria)* ; abbatia de Biluwas *(i. e. Bildewasium)* ; abbatia de Noth *(i. e. de Nethe)* ; abbatia de Carreja *(i. e Quarrera)* ; abbatia de Strafort *(i. e. Stratfordia)* ; abbatia de Cogherhala *(i. e. Cogeshala)*; abbatia de Basingwer *(i. e. Basinkwerk)*; abbatia de Cumbremare ; abbatia de Behelonda *(i. e. Bellalanda)* ; abbatia de Suineshenad *(i. e. Swineshcda seu Hoilandia)* ; abbatia del Caldrei *(i. e. Caldra)* et abbatia insulæ de Man *(i. e. Russinum)*.

D

E

datam in Concilio Rhemensi die 10 *Aprilis anni* 1148 ;

48 Has itaque abbatias cum omnibus earum pertinentiis tibi tuisque successoribus in perpetuum confirmamus. Nulli ergo hominum fas sit super hac nostra constitutione vestrum monasterium perturbare aut aliquam ei exinde contrarietatem inferre, sed omnia in perpetuum ita intemerata serventur, quemadmodum præsentis scripti sanctione noscitur institutum. Si quis sane hanc nostri privilegii paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, nisi congrue satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Conservantes autem eidem loco quæ sua sunt, a remuneratore omnium bonorum Deo intervenientibus Beatorum Petri et Pauli meritis, æternæ vitæ præmia consequantur. Amen. Amen. Amen.

† Fac mecum signum in bonum S. Petrus. S. Paulus. Eugenius papa III.

F

† Ego Eugenius, catholicæ ecclesiæ episcopus, subscripsi.

† Ego Linarus*, Tusculanus episcopus, subscripsi.

* Ymarus

† Ego, Odo diaconus cardinalis S. Georgii ad Velum aureum, subscripsi.

† Ego Octavianus, diaconus cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, subscripsi.

† Ego Johannes Paporo, diaconus cardinalis S. Mariæ-novæ, subscripsi.

† Ego Guido, diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu, subscripsi.

† Ego Jacinctus, diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedim, subscripsi.

† Ego Frubaldus, presbyter cardinalis tituli SS. Johannis et Pauli, subscripsi.

† Ego Aribertus, presbyter cardinalis tituli S. Anastasiæ, subscripsi.

† Ego Julius, presbyter cardinalis S. Marcelli, subscripsi.

† Ego Guido, presbyter cardinalis tituli pastoris, subscripsi.

† Ego Bernardus, presbyter cardinalis tituli S. Clementis, subscripsi.

Datum

(1) Martene, Ampliss. Collect., t. I, col. 807. — (2) Monast. Angl., t. V, p. 246. — (3) Thesaurus novus Anecdoct., t. I, col. 404 et seqq.

V. R. D.

A Datum Remis per manum Guidonis S. R. E. diaconi cardinalis et cancellarii, IV idus *seu die* 10 Aprilis, indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno MCXLVIII, pontificatus vero domni Eugenii Papæ III anno quarto.

per cujus auctoritatem et B. Serlonis bonitatem vincuntur dyscoli;

49 *Philip. Bellælandensis post narratam visitationem Bellælandæ et Joræwallis, circa pascha an.* 1147 *(imo* 1148) *ab abbate de Quarrera nomine B.* Serlonis *factam, subdit* (1) : Post circulum unius anni secundum dictum Amphredi prioris et secundum dominum Walkelynum post duos annos *(imo ipso anno* 1148) abbas Savygneji *(B.* Serlo) transmisit litteras cum domino Guidone priore suo ad universam generationem suam in Anglia, authoritate apostolica præcipiendo, ut constitutiones ordinis Cisterciensis et habitum, sicut Papa Eugenius in suo generali Concilio, celebrato Rhemis anno D. millesimo centesimo quadragesimo septimo *(imo octavo)* ordinaverat, omnes de generatione Savign. sine mora, accepto mandato, sumerent et conservarent. *Quum his itaque jussis absque schismatis crimine repugnare non liceret, summiserunt se Angli. Hinc anno* 1149 *videmus Rogerum, abbatem Bellælandæ in comitatu B.* Serlonis *et abbatum de* B *Briostel et S. Andreæ in Gofferno Cistercium pergentes* (2). *Ipsi Furnesienses victi fuere bonitate B.* Serlonis; *quum enim maxima egestate premerentur* (3), *ut per filiarum abundantiam sublevaretur matris inopia, concessit eis Saviniacensis abbas abbatiam de Carrike seu Ynis in Hibernia, ut ex certo testimonio habemus* (4) ; *et similiter abbatiam de Swinesheda seu de Hoilandia, quantum colligere possum ex catalogo filiarum Furnesii; in quo Swinesheda, anno* 1134 *fundata, notatur ad annum* 1148, *non secus ac Innislonnagh ad annum* 1249 (5), *quoniam hac monasterium anno* 1249 *a filiatione Nenay ad Furnesiensem transiit, ut inferius suo loco dicetur. Vix est quod dicam auctoritatem abbatum Saviniacensium in filiales abbatias parum per has mutationes imminutam fuisse; contra firmabatur potestate abbatum Claræwallensis et Cisterciensis; a quibus quum suffulciretur Saviniacensis abbas, huic multo difficilius repugnabatur.*

sexennio post hæc iterum confirmat Anastasius Papa IV.

50 *Bullam Eugenii III confirmavit Anastasius IV altera bulla, data Laterani die* 20 *Aprilis anni* 1154 *ad Richardum abbatem Saviniacensem; in qua prius Galliæ et dein Angliæ et Hiberniæ abbatiæ cum pertinentiis suis enumerantur* (6) : Belbreh *seu Bellus* C *Beccus cum filia sua* Briostel ; Sarnago *seu Valles Cernaji cum filia* Brollio *et nepte* Trappa ; *S.* Andreas de Goffert *cum filia* S. Clemente de Tyrunhel, *seu Tironello;* Falcardi *seu Fulcardi* Mons ; Luncuiler *seu Longum Villare* ; Chalochejun ; Busseria *seu Buxeria* ; Fontes *seu Fontanæ Albæ* ; Vetus Villa ; Alnetum ; Fuanesium *seu Furnesium, cum filiabus* Holanda *seu Swinesheda,* Caldra *et* de Man *seu Russino;* Bellalanda *cum filia* Joreval ; Cumbramara ; Basinwerch ; S. Maria de Durelina *seu Dublino, filia Bildewasiæ;* Pultuna *seu Dieulacres, filia Cumbremaræ* ; Bildwas *(videntur hic nomina suo loco mota);* Neth ; Buffestren *seu Buckfastria* ; Quarraria *cum filia* Drogonis fonte *seu Stanlegha* ; Straffort ; *et demum* Quoquosala *seu Cogeshala* ; *universim triginta una præter Saviniacum. Verum in hac bulla non secus ac in illa Eugenii III (quæ tamen ex ejus Concilio Anglicanas tantum capere debebat) aliquot omissas esse abbatias, quæ tunc temporis jam exstarent colliget lector ex catalogo abbatiarum Saviniacensis filiationis; de quo jam dicendum.*

§ IV. Catalogus Saviniacensis filiationis explicatur; turbatio in monumentis historicis orta ex computatione annorum regni Stephani, regis Angliæ.

Ratio catalogi filiationis Saviniacensis :

Quoniam tempore BB. Gaufridi *et* Serlonis *institutum Saviniacense per plures Galliæ, Angliæ et Hiberniæ provincias propagatum fuit, necesse fuit omnino catologum conficere domorum, quibus insignes illi viri initium dedere; sed quam primum hanc opellam agressi fuimus, labyrintho nos involvi intelleximus. Ab itinere tamen non cessavimus, et jam qualemcumque catalogum seu filiationem Saviniacensem lectori exhibemus, cujus hæc est ratio. Primo notamus in eo numeris romanis quo ordine (antiquitas si spectetur) singulum asceterium veniat; secundo numero arabico quota sit alterius cœnobii filia; tertio abbatias seu prioratus omnes cum variis suis* E *nominibus; neque eas tantum quæ BB.* Gaufrido *et* Serlone *abbatibus ortæ sunt, sed et reliquas quæ eis fuerunt postea adjunctæ; quarto in qua diœcesi, provincia, comitatu aut agro unumquodque situm fuerit; quinto, quis fundator; sexto, quis titulus seu patronus; septimo, quo tempore fundatio facta; octavo demum subdimus ea loca, quæ vel cellæ nobis visæ non sunt, vel numquam ad filiationem Saviniacensem pertinuisse; licet scriptores nonnulli ea Saviniacensibus adscripserint.*

unde deprompta monasteriorum genealogia;

52 *Ex his quædam declaranda. Ad tribuendum unumquodque monasterium filiale matri suæ ante omnia præsto nobis fuit catalogus Saviniacensis; qui conditus fuisse videtur quum Saviniacenses ad Cistercienses anno* 1147 *transierunt, postea tamen adjecta Campania, et quatuor aliis abbatis detractis, una vero alterave loco suo motis. Editus hic fuit a Manrique* (7) *ad annum* 1148; *cumque sæpius sub nomine catalogi Saviniacensis ciemus. Secundo loco, usi sumus Notitiis abbatiarum Jongelini, sæpissime filiationem monasteriorum signantis. Tertio, Cisterciensis ordinis abbatiarum catalogus genealogicus Ms. ab anonymo exaratus, atque olim etiam a decessoribus nostris adhibitus, usu veniet; et similiter.* F *Catalogus Alphabeticus aliquorum monasteriorum ordinis Cisterciensis secundum lineas et generationes suas, quem sæpius Catalogum genealogicum Henriquezii appellabo, quod ad calcem posterioris tomi Fasciculi Sanctorum ordinis Cisterciensis, ab hoc scriptore anno* 1631 *editi, excusus fuerit. Adeoque quoties omittemus indicare unde matrem filiamque noverimus, ex uno ex his fontibus nos hausisse jam nunc sciat lector. Quintum catalogum nobis suppeditavit Suchetus in notis ad Vitam S. Bernardi Tironiensis; quam maxime quidem turbatum, et per excessum peccantem et per defectum; utilem tamen si conferatur cum monumentis aliis. Sexto sæpius in ipsis fundationis diplomatibus matrem reperire est; vulgo enim quum fundanda est abbatia, dantur prius bona matri, et postea filiæ confirmantur. Septimo demum alia singularia sunt monumenta, quæ prout obvia fient indicabimus.*

quis modus observatus in indicandis diœcesibus.

53 *Quod ad diœceses attinet et provincias, quantum per nos stetit, servavimus antiquas, quoniam diœceseon et monasteriorum eadem multis in locis* fuit

(1) Monast. Angl., t. V, p. 570. — (2) Ibid., p. 571. — (3) Ibid., p. 352. — (4) Ibid., p. 250. — (5) Ibid., loc. cit. — (6) Martene, Thesaurus nov. Anecd., t. I, col. 433 et seq. — (7) Annal. Cisterc., t. II, p. 106.

A. D. F.

fuit ruina. De nonnullis tamen etiam aliquid explicatius dicendum. Diœcesim Lichfeldensem, propter varias episcopalis sedis translationes nunc Cestrensem, nunc Coventrensem, jam Lichfeldensem et Coventrensem, jam nude Lichfeldensem dictam, appellabo ubique Lichfeldensem, licet interdum aliud gereret nomen, dum conderentur cœnobia. Rationem similiter non habui sedis episcopali, tempore Paschalis I (qui et Joannem episcopum consecravit) in Cumbria a Scotis erectæ (1) : *quoniam pleraque de hoc episcopatu incerta sunt. Ad diœcesim itaque Eboracensem monasteria, quæ in veteri erant Cumbria, retuli : quoniam hæc saltem postea eo pertinuerunt. Similia annotanda forent pro aliquot Hiberniæ locis. Sed ex dictis satis patet quam rationem sectati fuerimus. Porro in assignandis monasteriis suæ unoquoque diœcesi duces nobis fuerunt diplomata, Jongelinus, mappæ recentiores von Sprüner et alia id genus documenta.*

et fundatoribus et titulis.

54 *Fundatores eos diximus, qui ipsam sedem abbatiarum, seu loca, in quibus primitus extructæ fuerunt, donarunt ; ea tamen lege ut plerumque omiserimus nomina regum aliorumve, qui factas donationes postea confirmaverunt; licet et ipsi aliquibus fundatores (et quidem non immerito) habeantur, quum pleræque donationes de terris dominicalibus fierent ; quin etiam dicantur* fundatores principales *ab ipsis primariis fundatoribus, v. g. in charta fundationis Cumbermeræ, in qua Hugo de Malbanc fundator ita loquitur* (2) : Propterea ex bona voluntate mea concedo liberaliter quod dominus meus Ranulfus comes Cestrensis sit principalis fundator et defensor dictæ ecclesiæ et hæredes ipsius post ipsum sint participes omnium bonorum quæ ibi fient in æternum. *In diplomatibus plerumque uxor et filii patrifamilias inter donandum socii adscribuntur; quæ vulgo omisimus, nisi de patrimonio uxoris largitio fieri videretur. Tituli seu patroni sæpius obscuriores sunt ; eos selegimus plerumque ex Jongelino vel diplomatibus. Varii iidem fuerunt sæpius pro vario tempore, maxime postquam Saviniacenses se subdiderunt Cisterciensium legibus, quarum vigesima prima in collectione, S. Rainardi dicta, annoque* 1134 *facta* (3), *ita sonat* (4) : Quia antecessores nostri et patres de ecclesia Molismensi, quæ in honore B. Mariæ est, ad Cisterciensem locum, unde et nos exorti sumus primitus venerunt, idcirco decernimus ut omnes ecclesiæ nostræ ac successorum nostrorum in memoria ejusdem cœli terræque reginæ S. Mariæ fundentur et dedicentur. *Hinc pleraque Saviniacensia asceteria posuere antiquum suum nomen ; alia tamen proposuere et pauciora postposuere S. Mariæ nomen ; paucissima vero pristinum suum titulum servasse videntur aut saltem postea denuo assumpsisse.*

Difficultas determinandi quo fundatæ sint abbatiæ anno :

55 *Tempus vero fundationis res omnium intricatissima est. In operibus enim optimæ notæ sæpenumero repetitur hoc tempus ex fundationis diplomate, quin attendatur an diploma editum sit* quum fundanda *adhuc* esset abbatia, *an* in ipsa fundatione, *an demum* post factam *jam pridem* fundationem : *quæ si omnia commisceantur, facile intelligitur quam enormis sit ille computus. Oriuntur et aliunde difficultates. Possunt enim alicujus asceterii magis minusve tenuia esse initia, adeo ut primo habeas stationem paucorum monachorum, dein vero conventum duodecim monachorum, cum abbate ; qui numerus pro abbatia erat legitimus apud Saviniacenses æque ac apud Cistercienses. Unde denuo duplex præsto est tempus, a quo exordium ducas. Adde vulgo rem ita temperatam fuisse ut in monasterio materno colligerentur duodecim monachi et benediceretur eis abbas ; qui aliquandiu post emitterentur ad novum cœnobium. Atque hinc si tempus supputes vel a benedictione novi abbatis, vel ab emissione coloniæ vel ab adventu ad monasterium filiale, aliquot saltem dierum et interdum plurium differentia obvia erit. Veniunt præterea translationes in alium aliumque locum, suppressiones et restitutiones, mutationes filiationum, conversiones prioratuum in abbatias et alia id genus : ex quibus facile intelligitur quantus inter tenebras hic incedendum sit ; quum rarius hæc rite declarata reperiamus in priscis monumentis.*

Cistercienses reputabant monasterii fundationem tunc primum fieri, quum novæ coloniæ monachi essent sub jurisdictione novi abbatis :

56 *Ut autem certam quamdam rationem, saltem quod ad abbatias virorum attinet, sequi liceret, ipsos pristinos Saviniacensium et Cisterciensium usus indagare conati fuimus. Porro fundationis tempus ipsi supputabant non a dato diplomate fundationis, aliisque similibus exordiis sed* a legitima constitutione conventus; *adeo ut, si in materno monasterio benediceretur abbas, censeretur filialis inchoata seu fundata abbatia, quum nova colonia cum abbate emitteretur ; sin autem benediceretur abbas in novo monasterio, ut haberetur abbatia fundata non jam die emissionis, sed ipso die benedictionis abbatis : similiter, quum contingeret propter numeri paucitatem ut non ab initio esset abbatia, sed statio tantum aut prioratus, ab instituto postea abbate computabatur fundationis tempus : alia non diparia intelligentur suo loco. Quæ omnia jam comprobanda sunt ex comparatione catalogorum cum historicis quæ supersunt documentis. Horum autem catalogorum origo petenda est ex lege* XI *celeberrimæ apud Cistercienses et anno* 1119 *conditæ Chartæ Caritatis ; legitur quippe istic* (5) : Alias autem ubicumque convenerint, secundum tempus abbatiarum suarum ordinem suum tenebunt, ut cujus ecclesia *(quod idem sonat ac* monasterium) fuerit antiquior ille sit prior. *Atque hinc orti sunt* Indices chronologici abbatiarum ordinis Cisterciensis per universum orbem : eo ordine dispositi, quem Cistercii in capitulo generali observare solent ; *de quibus plura dicemus inferius.*

quæ res exemplis

57 *Interea res exemplis illustranda est. In Historia abbatiæ Jorevallensis, a Philippo, tertio Bellælandæ abbate, conscripta, hæc totidem verbis legimus* (6) : Cum *S. Bernardus et abbas Bellælandæ Rogerus* apud Cistertium pervenissent, tertia die capituli generalis (?) quando abbas Cistercii præcipiebat, secundum morem, ut nomina abbatiarum illo anno fundatarum in tabula Cistercii tribuerentur inter alia dixit Beatus Bernardus : Abbas Savign. consilio et ordinatione sui capituli generalis ac assensu fratrum domus suæ, jam quatuor annis elapsis, dedit quamdam abbatiam suam de Wandeleydale in Anglia, quæ nunc Jorevalle dicitur et nominatur, filiæ suæ de Bellalanda per cartam suam ; quæ, si placet, coram vobis recitetur. Sed et abbas de Bellalanda certis ex causis abbatem in illo loco hucusque ordinare non potuit : infra annum abbatem cum uno conventu monachorum ibidem destinavit *, et ideo nomen abbatiæ Jorevall inter cæteras abbatias hoc anno fundatas in tabula redigatur. *Quod dein hoc factum est modo. Postquam abbas Rogerus a capitulo anni* 1149 *rediisset, in primam dominicam Quadragesimæ anni*

* destinabit.

(1) Instrum. poss. eccl. Glascuensis c. 1118. ap. Pinkerton, Inquiry into the Hist. of Scotland, t. I, p. 516. — (2) Monast. Angl., t. V. p. 324. — (3) Manrique, Ann. Cist. ad an. 1134, cap. VI, t. I, p. 272. — (4) Ibid., p. 275. — (5) Annal. Cisterc. ad an. 1119, cap. IV, t. I, p. 110. — (6) Monast. Angl. t. V, p 571.

sequentis

A *sequentis vocavit Bellamlandam monachos qui jam Jorevalle degebant : quibus aliisque in unum congregatis, abbatem Jorevallensem constituit; deinde designavit nonnullos alios ex suo grege monachos, quos de professione sibi facta absolvit et qui omnes abbati Johanni statim ibidem professi sunt.* Et die Mercurii proximo sequenti scilicet VIII idus Martii anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo, recepta benedictione consueta, post vigilias nocturnas, abbas Johannes cum duodecim monachis suis exivit de domo nostra, *inquit Philippus*, versus Jorevallem ; *quo pervenerunt die Veneris proxima. Hinc secundum calculum Pisanum Jorevallis Catalogo illi inscripta est ad* VIII *idus Martii* (1) *anni* 1150. *Habes hic itaque primi et tertii simul modi exemplum.*

demonstratur.

58 *Secundi modi, seu quum abbas post novæ coloniæ emissionem benediceretur, eccum alterum. Monachi, qui Fontanense in Anglia condiderunt cœnobium, egressi sunt ex Eboracensi anno* 1132 *pridie nonas Octobris* (2); *qui quum sibi uno alterove die post Natalem Domini abbatem constituissent* (3), *hinc sexto Kalendas Januarii anni* 1132 *catalogo Cisterciensi inscripti fuere* (4). *Unde et in Historia Monasterii de Melsa* (5) *hæc leguntur :* Pridie nonas
B Octobris anno Domini millesimo centesimo trigesimo secundo facta est egressio monachorum Eboracensium de cœnobio eorumdem et eodem anno incepta est abbatia S. Mariæ de Fontibus sexto Kalendas Januarii. *Quæ lex in Chronographia tunc etiam servata apparet, quum alicujus asceterii monachi aliter suam fundationem computarent. En specimen ex registro de Salleia* (6) : Anno ab incarnatione Domini MCXLVII Kal. Januarii emissus est conventus cum abbate Benedicto ad construendam abbatiam de Salleia, petente et præparante eis locum nobili viro Willielmo de Percy, VIII Idus Januarii. Fundata est ipsa die, luna prima : *quæ notæ chronicæ inter se conveniunt et proin tenendæ sunt. Emissio itaque facta est die* 1 *Januarii anni* 1147, *computata tamen a Sallejensibus abbatiæ fundatio a die* 6 *Januarii seu* VIII *idus, luna prima; forte quod tum primum Sallejam advenerint et officia divina celebrarint. Verumtamen in Chronographia reponitur fundatio ad Kalendas Januarii anni* 1147 (7). *Hæc pauca exempla, ex ingenti numero selecta, ad rem nostram sufficiant.*

Catalogus Saviniacensis ad id tempus inveniendum sæpius utilis est;

C 59 *Horum autem catalogorum seu Chronologiarum tres penes me sunt species ; prima est* Catalogus Saviniacensis, *de quo paulo supra dixi et de quo nil aliud hic moneboquam quod Manrique in appendice prætermissorum tomi secundi, tomo quarto Annalium Cisterciensium inserta* (8), *scribat* illum discrepare a syllabo ecclesiarum Saviniacensium ex Gallia ad se transmisso, sed in paucis; nec tanti ut mereatur hic transcribi ; id unum addens inter filias Saviniaci tres abbatias monialium, inter neptes septem numerari, quarum alios non viderit meminisse. *Verum quæ post impressos suos Annales a Saviniacensibus accepit Manrique, procul dubio iis repræsentantur, quæ addidit Suchetus inter notas ad Vitam S. Bernardi Tironiensis et quæ inde adeptus fuerat. Ast qui hæc collegit satis non habuit veteres describere catalogos, sed multa aliunde miscuit et mirum in modum turbavit. Propter instituendam tamen comparationem sæpenumero utilis esse potest ipse* Sucheti Catalogus.

60 *Secunda species repræsentatur* Chronographia Cisterciensi, *quam ad annos singulos Annalibus suis inseruit Manrique. Ut autem hujus ratio facilius intelligatur, specimen aliquod oculis subjiciam; eccum* (9) :

item Chronographia Cisterciensis.

Anno Christi MCXXVIII, octava idus Julii, fundata est abbatiæ Caladiæ.
Eodem anno, septimo idus septembris, abbatia Regniaci.
Eodem anno, Kalendas Novembris, abbatia de Belbech.
Eodem anno et die, abbatia de Sarnai.
Eodem anno, tertio decimo Kalendas Februarii, abbatia de Walkenrode in Theutonia.
Eodem anno abbatia de Castellariis.

cujus merita declarantur.

61 *In hac porro Chronographia initium anni ducitur a die* 25 *martii, seu a festo Annuntiationis B. M. V. et Christi Domini Incarnationis; deinde ordo mensium et dierum sedulo observatur, ita ut raro fiat inversio; tertio ad finem adduntur monasteria, cujus fundationis dies ignorabatur; quarto, plerumque numeri dierum indicantur integris verbis; unde hujus Chronographiæ major est in hac parte auctoritas quam Catalogorum, ubi cifris signantur; quinto animadvertere est* Belbeccum *et* Valles Cernaji, *Saviniacensia, ibidem obvia esse inter alias abbatias, origine Cistercienses; cujus rei* E *causam aperuimus n.* 42 *et* 43 ; *et sexto demum ea confecta est, priusquam Cistercienses Hispani, duce Martino de Vargas, anno* 1427 *congregationem instituissent, nullum fere amplius deinde cum Cistercio commercium habentes : etenim ex multis locis patet Manriquium apud suos hanc reperisse Chronographiam, non vero a Gallis accepisse.*

et difficultates ortæ ex commixto interdum calculo Pisano cum Florentino,

62 *Sed et difficultates hujus Chronographiæ præterire fas non est, quæ omnes oriuntur ex varietate catalogorum, qui ejus collectori præluxerunt. Quum enim in his catalogis nomina locorum non eodem scriberentur modo, hinc reperire est bis aut ter et quidem ad eumdem annum et diem easdem notatas diverso nomine abbatias : quod tamen minus nos morari potest. Deinde, quum nonnullæ abbatiæ certo aliquo fundatæ fuerint tempore, postea vero derelictæ vel in prioratus mutatæ, tardius autem iterum abbatiæ factæ sint, hinc fit ut eadem abbatia nonnunquam sæpius recurrat; seu etiam ut prior fundatio omittatur, posterior signetur et vice versa; sed et hinc certo pede exire plerumque licet. Verum quum catalogi, unde collecta est Chronographia, non eumdem sequerentur computum, aliique exacti essent secundum calculum Florentinum (quo tribus* F *fere mensibus serius quam nunc communiter annus inchoabatur), alii secundum calculum Pisanum (novem mensibus et septem diebus anno communi præcurrentem) : hinc utriusque calculi commixtio in ipsa Chronographia deprehenditur. Et quamvis hinc integri anni oriatur differentia, hic tamen non sufficit ad omnes collectoris inæquabiles passus relegendos seu ad ejus dicta cum aliis chronicis, annalibus aliisque id genus documentis conciliandis. Quæ potissimum ad abbatias Anglicas spectant.*

et ex perturbato computo annorum regni Stephani.

63 *Pro tempore scilicet Stephani, regis Angliæ, die* 26 *Decembris anni* 1135 *coronati et die* 25 *Octobris anni* 1154 *vita functi* (10), *mira in computandis annis observatur pugna. Alii enim incipiunt annos ejus regni ab die coronationis, alii integro saltem anno post ; et quidem, si diplomata integra sint, ipse Stephanus secum non constituit. Formula enim juramenti, quod in conventu Oxoniensi anno* 1130 *edidit et Willielmus Malmesburiensis* (11) *nobis servavit,*

(1) Annal. Cist. ad an. 1150, cap. XI, t. II, p. 173. — (2) Monast. Anglic., t. V, p. 293. — (3) Ibid., p. 290 — (4) Annal. Cist. ad an. 1132, cap. VIII, t. I, p. 243. — (5) Monast. Anglic., t. V, p. 390. — (6) Ibid., p. 512. — (7) Annal. ad an. 1147, cap. XIX, t. II, p. 90. — (8) Pag. 550, ad an. 1148.

(9) Annal. Cist. ad an. 1128, cap. VI, t. I, p. 191. — (10) Cfr Art de vérifier les dates, t. I, Harris Nicolas, Chronology of History, p. 297; Victor de Wailly, Éléments de Paléographie, t. I, p. 293. — (11) Hist. nov., lib. I, ap. Savilium, Rer. Ang. Scriptt., fol. v° 101.

V. D. B. *vavit, ita desinit* : Apud Oxeneford anno Incarnationis Domini 1136, REGNI MEI PRIMO. *Eumdem computandi modum sequitur coævus Henricus Huntingdoniensis. Verum alibi ex alio termino Stephani regni initium ducitur. Ex priori enim editione Monastici Anglicani* (1) *Nicolas Harris* (2), *(falso tamen reputans unam hanc tantum reperiri chartam cui rex Stephanus regni sui annos adscripserit), recitat hanc clausulam* : Anno ab Incarnatione Domini MCXXXVIII apud Elya SECUNDO ANNO REGNI MEI in tempore Edwardi *(Everardi)* episcopi Norwicensis et Gausleni prioris Elæ. *Similiter charta, qua idem Stephanus rex confirmat fundationem Bildewasiæ, hunc finem habet* (3) : Apud Salopesberiam in obsidione, anno Incarnationis Dominicæ MCXXXIX, REGNI VERO MEI TERTIO. *Verum hic suspicio oritur Eliense et Bildewasiense diplomata corrupta esse et in illo legendum annum* MCXXXVII, *in hoc vero* MCXXXVIII. *Etenim licet scriptor* (4), *qui falso Joannes Brompton appellatur, expugnationem Salopesberiæ* (Shrewsbury) *ad annum* 1140 *referre videatur, coævus tamen Ordericus Vitalis* (5) *eamdem luculente ad mensem Augustum anni* 1138 *consignat, consentiente altero coævo Henrico Huntingdoniensi* (6) *et, qui ejus secuti sunt vestigia,* B *Roberto de Monte* (7), *Rogerio de Hoveden* (8) *aliisque, captam Salopesberiam ante bellum Standardi narrantibus. Sive itaque Stephanus ipsimet duplex exordium regno suo assignaverit, sive alii secundum hanc mentem ejus diplomata correxerint seu potius depravarint, oportet hanc discordiam etiam firmius stabiliri, ut perturbatæ chronologiæ causa inappareat. Porro Chronico rythmico Furnesiensi, de Stephano legitur* (9) :

Anno milleno centeno ter quoque deno
Necnon septeno rex hic fit in ordine pleno.
Stephanus iste stetit ad tunc Boloniensis
Et Mortonensis, hanc ædem cum fore fecit * ; (* Anno 1127.)
Henrici regno primi currente sub anno
Viceno sexto, fundi jactamine texto ;
Sicque decennæ fuit hoc cœnobium statione,
Cum primo micuit comes iste decore coronæ.

Et ibidem inferius in Progenie regis Stephani (10) : Et anno decimo post dictam fundationem *(Furnesii)* idem Stephanus est in regem Angliæ coronatus, immediate *(nullo rege intermedio)* post dictum Henricum regem, anno videlicet Domini MCXXXVII.

C 64 *Unde hæc, quæso? Hujus ænigmatis solutio videtur mihi aliunde repetenda. Plerique videlicet chronographi duos regis Stephani annos in unum conflarunt; unde ejus regnum, quod novemdecim fere annos duravit, ad octodecim contractum est. Quocirca quicumque hoc chronologicum piaculum admisere ut ad rectum tramitem aliquando redirent, constringebantur ad unam ex his tribus seligendam viis, scilicet ut Stephani regnum uno anno tardius consignarent (prout in citatis diplomatibus et Furnesiensibus monumentis factum est) ; vel ut ejus regnum integro anno citius finirent : quem modum reapse (ut statim videbitur) aliqui tenuerunt; vel demum et quemadmodum duos annos in unum contraxerant, ita aliquem alium in duos dividerent : cujus postremi modi exempla etiam non desunt. In media autem hac perturbatione complures chronographos inscios fuisse ubi consisterent nemo mirabitur. Quæ omnia aliquot speciminibus jam illustrabimus, initio ducto ab iis qui nescirent quid* D *sibi tenendum esset. Philippus Bellælandensis, sæculi* XII *exeuntis scriptor et sæpius jam appellatus, in Historia Joræval lis hæc habet* (11) : Postea vero regni regis Stephani, secundum quosdam undecimo, sive duodecimo, eo scilicet anno, quo abbas de Fontibus, Henricus Murdac nomine, fuit consecratus in archiepiscopum Eborum, anno Domini millesimo centesimo quadragesimo sexto, *immo post diem* 29 *Novembris anni* 1147 (12). *Ubi animadvertere est, eumdem annum, teste Philippo, aliis undecimum Stephani fuisse, aliis duodecimum; deinde quæ narrat Philippus, reapse ad annum, quo Henricus Murdac consecratus fuit, pertinere : (agitur enim de capitulo Saviniacensi, quod num.* 37 *anno* 1147 *celebratum fuisse ostendimus) ; verumtamen Philippum integro anno in hac ipsa consecratione a vero aberrare, quod quæ anno duodecimo Stephani facta erant, ad annum decimum referret, atque ita incideret in annum Incarnationis* 1146, *initium regni Stephani ducens a die* 26 *Decembris anni* 1135.

(quo factum est ut in pluribus Chronicis Anglicis)

65 *Has omnes tenebras creavit Robertus de Monte, Stephano coævus et facile inter doctissimos sui temporis referendus, qui in ipso exemplari autographo sui* E *chronici* (13) *ab anno* 1141, *quem cum præcedenti in unum conflavit, usque ad mortem Stephani uno anno tardius res gestas narrat. Et quod miraberis, suam ipsius benedictionem abbatialem ad annum* 1153 *refert, sed cum iis notis chronicis quæ certissime annum* 1154 *designent, nempe* mense Majo, 6 Kalendas Junii, feria 5 infra octavas Pentecostes (14). *Mortem Stephani reponit ad annum* 1153, *et dein annum primum Henrici regis colligat cum anno* 1155, *omittens* 1154. *Passim alibi quoque similis deprehenditur aberratio. Rogerus de Wendover* (15) *et qui eum secutus est Matthæus Parisius* (16) *eodem incesserunt itinere, cum eo tamen discrimine, ut ex parte mensis Novembris et Decembris anni* 1152, *secundum Roberti calculum, conflarint annum* 1153, *et Stephani mortem anno* 1154 *consignarint. Neque tantum in Chronicis seu Annalibus regni, sed et in ecclesiasticis eadem observatur computandi ratio. Sic Joannes prior Hagustaldensis, qui ut jam pridem animadvertit Pagius* (17), *annum* 1140 *in duos secuit et res anni* 1141 *anno* 1142 *illigavit* (18), *quum annos Stephani cum annis Incarnationis componit, in Roberti de Monte computum impingit.* F *Exemplum habes, ubi de morte Turstani episcopi Eboracensis* : Anno igitur, *inquit* (19), ab Incarnatione Domini MCXL... et regni Stephani V, ... VIII Idus Februarii, feria V ; *quæ posteriores notæ ad annum* MCXLI *pertinent. Quin imo in ipsis Annalibus Waverleensibus, in quibus tamen probo ordine anni Stephani cum annis Incarnationis conjunguntur, vestigia supersunt alterius calculi ; v. g. Concilium Rhemense, in quo bulla de conjunctione Saviniacensium cum Cisterciensibus data fuit, ponitur ad annum* 1147, *et iterum de eodem Concilio, quasi de alio ageretur, mentio fit ad annum sequentem* (20).

(unus annus deficiat :)

66 *Quoniam vero hoc ævo chronographi Normanni et Angli eminuere, hinc forte etiam repetenda est causa aberrationum, quæ in Chronicis Galliæ obviæ sunt ; v. g. in Chronico Claræ vallensi refertur Roberti, abbatis Claravallensis mors et* B. Serlonis, *non diu post secuta, ad annum* 1147 ;

(quæ res in Chronica Gallica ipsa influxisse videtur.)

(1) T. I, p. 358. — (2) Chronol. of Hist., p. 297. — (3) Monast. Angl. t. V, p. 356. — (4) Twysden. Angl. Scriptt. x, t. II, col. 1028. — (5) Ap. D. Bouquet, t. XII, p. 76.. — (6) Ap. Savilium. fol. 222. — (7) Ap. Pertz, Monum. German., t. VI, p. 493. — (8) Ap. Savilium, fol. 277. — (9) Monast. Angl., t. V, p. 246. — (10) Ibid., p. 247. — (11) Ibid., p. 529. — (12) Cfr. Hist. Fontium, n. XXXVII, ap. Monast. Angl., t. V, p. 302, et Novaës, Elem. di Storia Pontif., t. III, p. 71. — (13) Ap. Pertz, Mon. Germ., t. VI, p. 494 et seqq. — (14) Ibid., p. 505, lin. 47. — (15) Flores. Histor., t. II, p. 227 et seqq. — (16) Hist. Angl., p. 82 et seqq. edit. Tiguri, 1606. — (17) Critica ad an. 1141, n. 8. — (18) Ap. Twysden. Scriptt. x, t. I, col. 266. — (19) Ibid., col. 267. — (20) Ap. Gale, Hist. Angl. Scriptt. v, t. II, p. 156.

et

V. D. B.

A *et tamen ex Libro sepulcrorum Claraevallensi* (1) *constat Robertum obiisse* tertio Kalendas Maji, et paucis diebus *post Sabbatum Sanctum ; quæ cum anno* 1148 *necessario connectenda sunt. Neque ego dubito quin et Chronographia Cisterciensis, cujus occasione diverticulum illud ingressi sumus, calculo isto Normannico (si sic eum appellare fas sit) alicubi infecta sit. Porro ut hæc concludamus, nemo non videt quam plenum sit alea hujus temporis res gestas ad certos referre annos; dein nil mirum fore sicubi Chronographia Cisterciensis ab aliis aliquando abludat documentis. Quibus omnibus consideratis, planum est multa cautione opus esse quod ad annos attinet. Quod vero pertinet ad dies et menses, ex comparatione multorum locorum Chronographiæ Cisterciensis cum aliis monumentis persuasum omnino habeo vanam esse spem alibi meliores notas reperiendi. Sed de Chronographia Cisterciensi hactenus.*

Ad tempus determinandum usu quoque veniunt alii catalogi Cistercienses

67 *Ad tertiam demum speciem recentiores Cistercienses Catalogos; inter se satis conformes, refero, qui apud Jongelinum in Notitis abbatiarum obvii sunt. Sunt autem multiplices : habes enim ibidem primo post declarata initia abbatiarum cujusque regni seu provinciæ catalogum chronologicum; deinde* B *post librum primum veniunt* Indices chronologici abbatiarum quæ sunt de linea Cistercii, de linea Firmitatis, de linea Pontiniaci, de linea Claræ-vallis, *(quæ Saviniacenses domos ab anno* 1147 *seu* 1148 *complexa est,)* et de linea Morimundi ; *ad calcem demum operis occurrit* Index chronologicus abbatiarum ordinis Cisterciensis per universum orbem, eo ordine dispositus, quem Cistercii in capitulo generali observare solent. *Atque huc etiam referendus videtur* Cisterciensis ordinis Abbatiarum catalogus Genealogicus, *de quo jam dictum num.* 52. *Quum autem hi omnes catalogi confecti sint ex veterum tabularum recensione, non vero ex Chronographia, edita a Manrique, nemo non intelligit, ex monumentorum illorum comparatione lumen plurimum affulgere posse.*

et complura Chronica.

68 *His accedunt complura Chronica, quæ maxime excusa fuerunt in Monastico Anglicano, aliæque id genus notitiæ; quæ quidem, ut sæpe pugnant inter se, ita etiam aliis cum monumentis. Et licet in Anglia, etiam medio ævo, annus historicus passim a die* 25 *Decembris aut a die* 1 *Januarii inchoaretur, quum tamen ab* VIII *Kalendas Aprilis seu die* 25 *Martii nonnumquam etiam initium sumeret* (2), C *habes et hinc causam aliquando hærendi.*

Scopuli et difficultates.

69 *Quum itaque tot undique exsurgant difficultates, justo morosior sit qui non excipiat quam indulgentissime hunc meum qualemcumque de filiatione Saviniacensi conatum. Audi quid Manrique in prologo ad appendicem Annalium suorum scribat* (3) : Testamur serio et notum esse volumus plus nobis operæ laborisque insumptum in fundationibus uniuscujusque anni quam in reliqua historiæ contextura. Quippe in hac multum supputatio temporis et auctoris judicium facere possunt : in illis vix quicquam. Quin vocabula ignota et multiplicia, tum locorum, tum diœcesium ; atque ipsa multipliciter variata, sive corrupta, quo magis inculcantur aut conferuntur, eo majorem pariunt confusionem. Hæsissent forte Annales in hac parte, etc. *Quum tamen scriptores Cistercienses Monastico Anglicano uti nequiverint, (quod antiquiores sunt), Dugdalius vero et qui ejus opus recentiori ævo mirum in modum illustratum et auctum iterum ediderunt, hanc sibi ferme legem præstituisse videantur ut quam parcissime Catholicorum adhiberent opera ; fuerit tamen operæ pretium aliquid inter medias has tenebras conari ex comparatione utriusque generis monumentorum. Quibus præmonitis, ecce jam filiationis Saviniacensis tabulæ, et subjectæ deinde probationes.*

§ V. Abbatiæ conditæ a S. Vitali.

S. Vitalis, prius eremitarum abbas,

SAVINIACUM, *cæterarum abbatiarum omnium mater primo loco illustrandum est. S. Vitalis, de cujus gestis dictum fuit ad diem* 7 *Januarii, in villa Tigerii (vulgo* Tierceville), *in diœcesi Bajocensi circa medium sæculum* XI *natus, anno* 1080 *factus est capellanus Roberti, comitis Moritonii ; decennio post nuntium remisit sæculo, distributis in pauperes bonis suis, et inter medias Moritonii rupes cum aliquot, qui se ei addiderunt socios, eremiticam vitam duxit tres circiter annos, donec scilicet anno* 1093 *abiit in silvam Credonensem (vulgo* Craon), *ubi sibi rursus adjunxit socios, non secus ac B. Ro-* E *bertus de Arbrisello, Radulphus de Fusteja et postea B. Bernardus Tironiensis. Locum de Domnipetra, deinceps prioratum dictum, occupabat cum suis S. Vitalis. Hinc ad silvam de Filgeriis* (Fougères) *migravit, ubi tertio novos congregavit discipulos ; et post in Saviniacensem silvam, ubi quarto sub disciplinam suam admisit sodales : solitus veteres suos comites identidem invisere. Licet benedictionem abbatialem non accepisset S. Vitalis, non solum cum* magistri (4), *verum etiam cum* abbatis *nomine suis præerat, ut habemus ex præambulo fundationis SS. Trinitatis in Novo Burgo Moritonii ; en verba* (5) : Anno ab incarnatione Domini 1105 ego Guillelmus comes Moretonii filius Roberti, qui fuit frater Guillelmi regis Anglorum, construxi abbatiam sanctimonialium in honore S. Trinitatis in Novo Burgo Moreton., adjuvante fratre Vitali, tunc temporis abbate Savigniaci existente, cui abbati de possessionibus meis dedi ministratum etc.

anno 1112 *condit abbatiam Saviniacum.*

71 *Crescebat autem in dies S. Vitalis eremitarum numerus; qui cum centum quadraginta essent, rogaverunt magistrum suum, ut se ad vitam communem traduceret. Selegit beatus vir vallem, in qua veteris* F *castelli supererant rudera, medias inter silvas et rupes : eamque cum Saviniacensi silva obtinuit ab Radulpho Filgeriensi* VIII *Kal. Febr. anni* 1112 (6). *Eodem anno Henricus I rex Angliæ camdem donationem confirmavit* domno Vitali heremitæ in possessionem et cœnobiale domicilium monachorum (7). *Ponit R. D. Badiche* (8) *eodem anno Paschalem II, novum institutum approbasse et a Turgisio Abrincensi episcopo benedictionem abbatialem S. Vitali datam fuisse. Verum hæc ex conjectura dicta arbitror. Legitur quidem bulla Paschalis II, qua permittitur Saviniacensibus officia divina tempore interdicti celebrare* (9) ; *verum hæc non aliud indicium temporis habet præter hoc :* Dat. Lateranis x Cal. Aprilis : *unde ut frustra ex hoc diplomate approbationem instituti, sic frustra annum extricare tentabis. Quod si post acceptam hanc bullam benedictus fuerit S. Vitalis, nil vetat quominus ejus benedictio differatur ad annum* 1115 ; *hoc enim modo intelligeretur quare Ordericus Vitalis* (10) *cum*

(1) Ap. Henriquez, Menol. ad 29 Aprilis, p. 142. — (2) Harris Nicolas. Chronology of History, p. 41. — (3) Annal. Cist., t. IV, p. 535. — (4) Gaufredus Grossus. Vit. B. Bernardi Tironensis, cap. xi, p. 21. — (5) Gall. Christ., t. XI, inst., col. 108. — (6) Ibid., col. 110 et Martenii Anecd., t. I, col. 332. — (7) Gallia Christ., t. XI, instr. col. 111. — (8) Biographie univ., t. XLIX, p. 280. — (9) Martenii Anecd., t. I, col. 336. — (10) Ap. Suchetum, Vit. S. Bernardi Tiron., p. 185.

eum septem *tantum* annos Deo militasse *scripserit.*

V. D. B. *Prioratus Domnipetra*

72 II. Domnipetra. *S. Vitalem discipulos collegisse in loco, dicto Domnipetra (vulgo* Dompierre *seu* Dampierre), *in ea parte silvæ Credonensis, quæ diœcesi Cenomanensi capiebatur, jam dictum fuit. Anno* 1119 *hanc sedem dono accepit ab Henrico I Angliæ rege* (1), *ibique prioratum instituit. Visitabat hunc locum, quum in morbum incidit beatus vir et die* 16 *Septembris anni* 1122 *sanctissime mortem obiit. Jam pridem extinctus erat hic prioratus ante subversas res sacras in Gallia* (2).

Parthenon Albæ Dominæ.

73 III. Albæ Dominæ. *Anno* 1105 *Guilelmum comitem Moritoniensem in Novo Burgo, in diœcesi Abrincensi, abbatiam sanctimonialium excitasse num.* 70 *vidimus. Vult tamen R. D. Badiche, eas huc tantum migrasse anno* 1120, *dum antea habitarent in Saviniacensi silva, in loco vulgo dicto* Prise-aux-nones, *quingentis passibus a cœnobio virorum* (3). *Neque ab his dissentire libet, quum nobis desit Vita S. Vitalis, quæ ipsi præluxit. Præerat his monialibus S.* Adelina, *S. Vitalis soror; sed ipse Saviniacensis abbas curam habebat temporalem et spiritualem. Titularis erat SS. Trinitas; nomen Albæ Dominæ, vulgo* les Blanches (4). *Mirum non* B *est hanc abbatiam non indicari in Bulla Anastasii IV, neque in catalogis Cisterciensibus; quum omnia ibidem omittantur puellarum asceteria.*

Parthenon Villare Caniveti.

74 IV. Villare Caniveti, *vulgo* Villers Canivet, *parthenon in diœcesi Sagiensi et filia Saviniaci* (5), *una leuca distans a Falesia, conditus sit oportet anno* 1127 *seu etiam ante, quum Almaudæ abbatissæ nomen legatur ad hunc annum in schedis Saviniacensibus, uti et ad annum* 1140 *in schedis abbatiæ S. Georgii. Hæc fundatio debetur Rogero de Malbrayo regis Angliæ Dapifero* (6). *Patrona erat B. Maria* (7).

§ VI. Abbatiæ conditæ a B. Gaufrido ante annum 1131.

Furnesium

V. Furnesium, Furneseja, S. Maria de Fudernesio, de Forneys *etc, vulgo* Furness (8), *in Lancastria, in diœcesi Eboracensi ad occidentem prope mare sita* (9), *continenter post Saviniacum venit, tum in bulla Eugenii III sub nomine* de Furum, *tum* C *in Catalogo Saviniacensi, ubi corrupte appellatur* de Turnesio. *Ejus origo aperte tribuitur B.* Gaufrido *in Lelandi Collectaneis* (10), *ubi hæc traduntur:* Stephanus, comes Bononiensis, postea rex Angliæ, dedit Gaufrido Saviniensi villam, scilicet Tulket, in provincia quæ vocatur Acmundernes (*vulgo* Aimounderness), super ripam flu. Ribble, ad abbatiam construendam ordinis sui, et ibi fere per tres annos permansere. *Hæc etiam accuratius indicantur in Historia fundationis et serie abbatum ac in Carminibus historicis de fundatione Furnesiensis cœnobii, quæ exhibet Monasticum Anglicanum* (11). *Ibi legitur fundatio in Tulket facta* IV *Nonas seu die* 4 *Julii anni* 1124; *Saviniacenses ibidem mansisse tres annos et totidem dies: donec monasterium translatum est in locum vallis, quæ tunc* Bekangekjill *vocabatur, postea vero* B. Maria de Furnesio; *hinc Catalogo Jongelini inscribitur* *Furnesium ad annum* 1127; *Chronographiæ vero* D *Cisterciensi* (12) *secundum calculum Pisanum ad annum* 1130 *et Nonas Julii. Cujus rei ratio manifesta est. Etenim Waverleja fundata est pro calculo Pisano anno* 1129 VIII *Kal. Decembris secundum Chronographiam* (13), *Catalogos Jongelini, et Catalogum Genealogicum Henriquezii, (ubi tamen* V *Kal. Novembris legitur,) seu* VIII *Kal. Decembris anni* 1128 *secundum calculum communem, quem sequuntur Annales Waverlejenses* (14): *unde ante conjunctionem Saviniacensium cum Cisterciensibus jus habebat abbas Waverlejensis præsidendi capitulo Angliæ et generatim alios præcedendi abbates. Quum autem hoc jus ratione antiquitatis transiret per conjunctionem illam ad abbatem Furnesiensem, lis hinc orta est inter prælatum utrumque, quæ aliquando pro bono et æquo composita fuit* (15). *Contentioni itaque abbatis Waverlejensis tribuendum est Furnesium in Chronographia suo loco motum fuisse et repositum ad annum* 1129, *seu* 1130 *pro calculo Pisano, licet jam ab Nonis seu die* 7 *Julii anni* 1127 *certo haberet abbatem.*

Ynes, prius Carrike dicta.

76 VI. Abbatia de Ynes in forma subscripta filia Furnesii effecta est, prout in registro et cronicis Ultoniæ de illius fundatione lucidius expressatur. E Igitur tertio Kalendas Junii anno Domini MCLXXX et anno regni regis Henrici secundi post conquestum Angliæ XXVI; post conquestum vero Ultoniæ *per arma* (16) anno tertio, vir illustris dominus Johannes de Curcy conquestor Ultoniæ fundavit abbatiam de Ynes in insula de Ynescuscre; sic enim tunc vocabatur: quam utique rex quidam Ultoniæ nomine Magnellus Makenlefe prius fundavit, VI idus Septembris anno domini MCXXVII, prope fontem S. Finiani in terra quæ dicitur Erynach et nominavit eam abbatiam de Carrike; et erat de ordine Tyronensi et filia Savigneii; cujus primus abbas sanctus Evodius... Post cujus abbatis transitum mansit dictum monasterium de Carryke de ordine Savigneacensi per tempora trium abbatum, videlicet Odonis, Devincii et Johannis; in cujus tempore *(scilicet circa* 1148) redditum fuit ipsum monasterium ordini Cisterciensi, sub conditione quod imperpetuum esset deinceps filia Furnesii: sed tempore conquestus Ultoniæ præfatus dominus Joannes de Curcy penitus illud destruxit, quia fortalicium fuit, et multum cum infestavit; sed in recompensationem fundavit, seu potius transtulit illud in insulam de Ynescuscre et dedit domui suæ F maternæ de Furnesio ad construendum illud easdem terras, quas in loco priori habuit ex dono Magnelli regis antedicti: et sic dicta abbatia de Ynes effecta est filia Furnesii sicut antea fuerat in loco priori.

Anno milleno centeno bis quadrageno
Curcy fundavit Ynes: hostes hinc superavit.

duplicem sedem habuit.

77 *Hactenus vetus Historia Furnesiensis* (17). *Similia habet Gallia Christiana* (18) *et Camdenseu Gough* (19). *Hic tamen regem Ultoniæ, fundatorem monasterii de Carrike, appellat Mac-Eulef; locum vero* Erinaich prope fontem S. Finiani Mac-Nell. *situm sesquileuca meridiem versus a Duno S. Patricii, atque nunc dictum* Ergnagh (20). *Abbatiam vero de Ynescuscre vocat* Inis Curcy, *alii vero* Inch Curcy *a fundatore. Tradit similiter Camdenus eam sitam fuisse intra ambitum civitatis Duni (vulgo* Downpatrick)

(1) Gall. Christ., t. XI. col. 543 et 554. — (2) Ibid., col. 554. — (3) Biographie univ., t. XLIX, p. 281. — (4) Gallia Christ., t. XI, col. 555. — (5) Suchetus, op. et loc. citt. — (6) Beaunier, Recueil des abbayes, t. II, p. 772, Gallia Christ., t. XI col. 752. — (7) Louis de Maslatrie. Ann. Hist. pour 1838, p. 225. — (8) Monast. Angl., t. V. p. 244 et seqq. — (9) Von Sprunner, Atlas. — (10) T. III. p. 357, in Monast. Angl., t. V, p. 244. — (11) T. V. p. 246. — (12) Annal. Cist. ad an. 1130, cap. VII, t. I, p. 215. — (13) Ibid., ad an. 1129, cap. VII, t. I, p. 202. — (14) Ap. Gale, Scriptt. v. Hist. rer. Angl., t. II, p. 150. — (15) Cfr Monast. Angl., t. V, p. 237, not. c. — (16) Cfr Lanigan, an eccles. Hist. of Ireland, cap. XIX, § XII. t. IV, p. 232 et 234. Lewis a topograph. Diction. of Ireland, v° *Down.* — (17) Monast. Anglic., t. V, p. 250. — (18) T. XI, col. 553, — (19) Britannia. etc., t. III, p. 617. — (20) Carlise, a topograph. Diction. of Ireland, v° *Erynagh.*

A Downpatrick) *ad littus orientale Ultoniæ, dum Lewisius* (1) *eam extra mænia (et certe melius secundum usus Cistercienses) collocet. Waræus et ex eo Jongelinus* (2) *et Manrique* (3) *referunt translationem in Insulam Curcii ad Kal. Julii anni* 1187, *nixi Annalibus vulgatis et Annalibus Mss. S. Mariæ Dublinensis. Verum cum Archdallio* (4) *aliisque præplacet Furnesienses sequi, quoniam Furnesiensibus melius perspecta sane fuerit filiæ suæ historia. Patroni nomen nuspiam mihi occurrit; quæ enim hac de re habet Jongelinus ad aliud monasterium spectant.*

Bellus Beccus.

77 VII. Bellus Beccus, *vulgo* Beaubec, *in diœcesi Rothomagensi, in Normannia, sæpe dicta fuit prima filia Saviniaci* (5), *licet Furnesio posterior sit; verum et id Waverlejæ victoriæ, quam modo memorabam, adscribendum. In Saviniacensi Catalogo, ubi nullus affingitur annus, venit post Furnesium; Suchetus ejus ortum refert ad* XVIII *Kal. Octobris anni* 1116; *quod fors ad initia alicujus eremitorii seu prioratus referendum est. Galliæ Christianæ* (6) *et Descriptionis Normanniæ* (7) *auctores fundationem reponunt ad Kal. Novembris anni* 1128; *verum nituntur Chronographia Cisterciensi* (8), *hic loci pro calculo Pi-* B *sano novem mensibus præcurrere solitam. Adhærendum itaque potius Sammarthanis* (9), *Novo Monastico Anglicano* (10), *Catalogis Jongelini et Genealogico Ms., ubi secundum calculum communem Bellus Beccus Kal. Novembris anni* 1127 *fundata traditur. Fundator fuit Hugo Gornacensis II, patronus B. Laurentius* (11).

Valles Cernaji.

78 VIII. Valles Cernaji, *vulgo* Vaux de Cernai, *veniunt in Catalogo Saviniacensi continuo post Bellum Beccum, similiter in Chronographia Cisterciensi* (12), *additis his notis:* Eodem anno et die abbatia de Sarnai; *id est, secundum calculum Pisanum, Kal. Novembris anni* 1128. *Verum secundum calculum communem, quem sequuntur Jongelini Catalogi, necnon Genealogicus Ms., innectenda est hæc fundatio anno* 1127. *Erat autem hæc abbatia sita in Francia, in ora diœcesis Parisiensis, adeo ut pars monasterii, ædes abbatiales et plurima prædia pertinerent ad diœcesim Carnotensem. Fundatorem habebat Simonem de Nielfa, patronos B. Mariam et S. Joannem Baptistam, matrem vero Saviniacum* (13). *Partem diplomatis fundationis exhibet Gallia Christiana* (14), *omissis tamen notis chronicis.*

Calocejum.

C 79 IX. Calocejum, Calocheum, Chalocejum, *vulgo* Chaloche, *in diœcesi et agro Andegavensi, sequitur in Saviniacensi Catalogo Valles Cernaji. Verumtamen nonnulli scriptores* (15) *ejus exordia referunt ad annum* 1119, *ejusque augmentum ad an.* 1127. *Contra Suchetus* (16), *Catalogus Genealogicus Henriquezii et Sammarthani* (17) *fundationem consiguant anno* 1129, *ita ut annus* 1119 *ex sphalmate librario ortum diceres; nisi annus ille* 1127, *qui in catalogis Jongelini et in Genealogico Ms. fundato Calocejo adscribitur, intercurreret. In media hac pugna nil forte prudentius, quam ut sequamur Chronographiam Cisterciensem* (18), *quæ juxta calculum Pisanum ad annum* 1129, *juxta communem* 1128 *ad* quintum Kal. Novembris abbatiæ de Kalocherio *fundationem reponit. Auctor ejus fuit Hamelinus de Ingrandia, qui, ut loquuntur Sammarthani* (19), *locum ubi cœnobium situm est contulit. Post locupletata est hæc sedes a dynastis de Blasone, de Mathafelone aliisve benefactoribus; quam fundationem Eugenius III Papa* 1152 *scripto apostolico confirmavit. Patrona erat B. Maria* (20). V. L. II

Fulcardimons.

80 X. Fulcardimontem, *vulgo* Foucarmons, *in Normannia, in diœcesi Rothomagensi,* VIII *Kal. Augusti seu* 25 *Julii fundatum fuisse consentiunt Catalogi æque ac historici; utrum vero anno* 1129, *an* 1130 *nemo facile dixerit. Catalogus Saviniacensis, Chronographia Cisterciensis* (21), *Catalogus genealogicus Henriquezii, et alter Ms., necnon Catalogi Jongelini annum* 1130 *signant; verum quum calculus Pisanus passim intercurrat, quumque insuper Suchetus* (22) *et Sammarthani* (23) *annum* 1129 *scribant, adhærere non ausim Galliæ Christianæ* (24) *et Historico Normanniæ* (25), *anno* 1130 *fundationem Fulcardimontis notantibus. Patronos habebat Fulcardimons B. Mariam V. et S. Joannem evangelistam, fundatorem Henricum I Augi comitem, qui ibidem vestem monasticam assumpsit* (26).

S. Andreas de Gofferno.

81 XI. Andreas de Goffer, de Gofferno *seu* de Vinatio, *in diœcesi Sagiensi in Normannia, in tabula Saviniacensi et Chronographia Cisterciensi* (27) E *reponitur ad Kal. Martii anni* 1130; *quod tempus, quum calculus Pisanus tribus fere primis anni mensibus cum anno communi conveniat, retinendum est; et quidem consentiunt Catalogi Jongelini et genealogicus Ms. Sucheti Catalogus secundum calculum Florentinum annum* 1129 *habet. Fundator fuit Willelmus, comes Pontivi: patroni titulares B. Maria V. et S. Andreas* (28).

Nethe.

82 XII. Abbatia de Nethe, de Noth *seu* Neath, *in diœcesi Landaviensi, in Wallia, in comitatu Glamorganensi, ubique venit post S. Andream de Gofferno: in tabula Saviniacensi ad* 25 *Octobris anni* 1130 *sub nomine* de Neth; *in Chronographia Cisterciensi* (29) *ad Kal. Octobris ejusdem anni sub corrupta similiter appellatione* de Keth; *itemque ad hunc annum in Catalogis Jongelini et in genealogico Ms. et apud Suchetum* (30). *Ex ipso loco, quo hæc abbatia in Chronographia indicatur, satis clarescit annum communem ibidem servari. Neque dubito quin minus hæsissent scriptores Monastici Anglicani novi* (31), *si in has tabulas conjecissent oculos; et certe correxissent Tannerum, quem producunt, ubi ex eo Netham adscribunt Saviniaco in diœcesi Lugdunensi; quæ domus cum albis monachis nilumquam* F *commune habuit, et patronum colebat S. Martinum, dum Saviniacum in diœcesi Abrincensi SS. Trinitati dicatum esset. Ecce autem partem diplomatis fundationis* (32): Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod ego Ricardus de Grainvilla et Constantia uxor mea pro salute animæ Roberti comitis de Glocestria, et Mabiliæ uxoris suæ comitissæ, et Willelmi filii, et pro salute animarum nostrarum et antecessorum nostrorum, damus Deo et ecclesiæ sanctæ Trinitatis de Savigneio, totum vastum quod est infra has quatuor aquas; videlicet Neth, Thavy, Cloeda, Poncanum; et capellam nostri Castelli de Nethe, et cæteris rebus et cum omni decima hominum nostrorum illius provinciæ, *etc. etc.* Hæc omnia damus libere

(1) A topogr. Dict. of Ireland, v° *Down.* — (2) Abbat. Ord. Cist. in regno Hibern., p. 27. — (3) Annal. Cist. ad an. 1187, cap VIII, t. III, p. 199. — (4) Monast. Hibern., p. 119. — (5) Cfr Sammarthani, Abbatiæ, p. 146; Gallia Christ., t. XI, col. 301; Descript. de la haute Normandie, t. I, part. I, p. 153. — (6) Loc. cit. — (7) Loc. cit. — (8) Ap. Manrique, Annal. ad an. 1128, cap. VI, t. I, p. 171. — (9) Abbatiæ, p. 146. — (10) T. VI, p. 1069. — (11) Gall. Christ., t. XI, col. 301. — (12) Annal. Cist. ad an. 1128, cap. VI, t. I, p. 191. — (13) Gallia Christ., t. VII, col. 885. — (14) Ibid., app. col. 52. — (15) Beaunier, Recueil des évêchés et abbayes de France, t. II, p. 926; Bodin, Recherches sur Angers et le Bas Anjou, t. I, p. 382. — (16) Vit. S. Bernardi Tiron, p. CCLXXIIII. — (17) Abbatiæ, p. 237. — (18) Annal. Cist. ad an. 1129, cap. VII, t. I, p. 202. — (19) Abbat., p. 237. — (20) Louis de Maslatrie, Monast. de France, in Ann. hist. pour 1838, p. 99. — (21) Annal. Cist. ad an. 1130, cap. VII, t. I, p. 215 et seq. — (22) Vita S. Bernardi Tiron., p. CCLXXV. — (23) Abbat., p. 441. — (24) T. XI, col. 304. — (25) Descript. de la H. Normandie, t. I, part. I, p. 151 et seq. — (26) Gall. Christ., t. XI, col. 301. — (27) Ann. Cist. ad. an. 1130, cap. VI, t. I, p. 216. — (28) Gall. Christ., t. XI, col. 744, et app. col. 162 et seq. — (29) Annal. Cist. ad an. 1130, cap. VI, t. I, p. 216. — (30) Vit. S. Bernardi Tiron., p. CCLXXV. — (31) T. V., p. 258. — (32) Ibid., p. 259.

A. D. 11..

et quiete et absque ulla seculari exactione, et Henrici regis Anglorum patrocinio et concessione et Roberti consulis Glocestrensis et Mabiliæ uxoris suæ comitissæ et Willelmi filii sui voluntate : eo tenore quod abbas Savigneiensis ecclesiæ et conventus ejusdem in eadem eleemosina conventum, monachorum perhenniter inibi sub abbate permansurum instituent. *Hinc cognoscimus non tantum fundatorem, sed et matrem Nethæ, videlicet Saviniacum. Errat itaque Catalogus genealogicus Henriquezii Furnesium matrem appellans, cæteris omnibus recitato diplomati consentientibus. Initio SS. Trinitatem, non vero B. Mariam, ut tradit Suchetus* (1), *titulum fuisse huic cœnobio colligere est ex diplomate confirmationis Joannis regis* (2).

§ VII. Abbatiæ conditæ a B. Gaufrido ante annum 1134.

Buxeria.

XIII. BUXERIÆ, *vulgo* la Boissière, *in diœcesi et agro Andegavensi, initia referuntur ab omnibus ad* B *annum* 1131. *Suchetus* (3) *et Beaunier* (4) *addunt diem* 15 *Julii; quibuscum consentit tabula Saviniacensis: verumtamen adhærere malim Chronographiæ Cisterciensi* (5), *in diebus assignandis accuratissimæ, et Nonas Julii seu diem* 7 *assignanti. Diversitas fors oritur, quod hæc spectet (pro more suo) coloniæ emissionem, illa novi conventus institutionem in ipsa abbatia Buxeriæ. Simile exemplum supra n.* 58 *jam indicavi. Nec patronos, nec fundatores reperio.*

Alnetum.

83 XIV. ALNETUM, *vulgo* Aulney, Auney, *in diœcesi Bajocensi, in Normannia, refertur ab omnibus ad annum* 1131 *et ab aliquibus ad diem* 15 *Julii. Verumtamen Chronographia Cisterciensis* (6) *nec diem, nec mensem indicat; et Catalogus Saviniacensis, Suchetus* (7) *et Sammarthani* (8) *solummodo tradunt fundationem factam eodem mense Julio, quo Buxeria inchoata est. Fundatores fuere Jordanus de Sajo et Lucia ejus uxor; quorum donationem confirmavit Henricus I, rex Angliæ. Patrona autem erat B. Maria* (9). *De his omnibus præter citata documenta adiri possunt Hermant* (10) *et Monasticum Anglicanum* (11).

Quarrera.

84 XV. QUARRERÆ, *quam* Carreiam *appellat Eugenius III, alii* Quarreriam, *Suchetus* (12) Quada- C zariam, *tabula Saviniacensis* Carretiam, *Catalogus genealogicus Henriquezii* Querreye, *initia statuunt omnes post fundatum Alnetum. Verum Catalogi Jongelini et genealogicus Ms. ea referunt ad annum* 1131, *et tabula Saviniacensis addit diem* 4 *Octobris. Contra Suchetus* (13) *ea signat ad Kal. Maii anni* 1132 *et Chronographia Cisterciensis ad* V *Kal. Maii ejusdem anni. Forte monachi Saviniaco emissi fuere die* 4 *Octobris anni* 1131 *devenerunt vero Quarreram mense Aprili anni sequentis, eorumque abbas benedictus fuit die* 27 *hujus mensis seu* V *kal. Maii. Cæterum Monasticum Anglicanum* (14) *illigat primam donationem, ante conditam abbatiam factam* (15), *anno* XXXII *Henrici I, currenti a medio fere mense Augusti* 1131; *et in titulo subjectorum diplomatum, ex Annalibus S. Werburgæ Cestriæ, fundationem refert ad annum* 1132 (16) : *quæ omnia suadent Chronographiæ Cisterciensi adhærendum esse. Porro fundatorem Balduinum comitem Devoniæ, patronam B. Mariam, situm in insula Vectæ* D *seu Wight in diœcesi Wintoniensi et alia id genus cognoscere licet ex diplomate Richardi, Balduini fundatoris filii. En ut sonat* (17) : Quoniam vita mortalium in hoc mundo admodum brevi intercluditur spatio etc. Quapropter ego Richardus, comes Exoniæ, comitis Baldwini filius, concedo et confirmo elemosinam, quam pater meus, concedente Henrico venerabili Anglorum rege, dedit Deo et Sanctæ Virgini et Domino Gaufrido, abbati de Savinnejo, in insula de Wict, terram scilicet ad ædificandum cœnobium ; manerium scilicet Aretone, sicut in suo dominio habebat, et terram de Sieca, de Boccumba et duo molendina *etc.*

Fontanæ albæ, prius congregatio eremitarum.

85 XVI. FONTANÆ ALBÆ, *vulgo* Fontaine-les-Blanches, *in diœcesi et agro Turonensi, reponuntur in omnibus Catalogis ad annum* 1132; *unde ego librariis tribuendum crediderim quod in Chronico Fontanensi seu Historia Prælatorum B. Mariæ de Fontanis, prout edita fuit a Dacherio* (18), *legitur* MCXXXIV *pro* MCXXXII. *De mense et die non omnino convenit. Suchetus* (19) *scribit* VII *Idus Septembris, alias* XX *Novembris; Chronicum Fontanense* (20) III *Idus seu die* 11 *Novembris; Catalogus Saviniacensis et Chronographia Cisterciensis* (21) IV *Idus seu diem* 10 *No-* E *vembris; qui retinendus videtur. Porro ex citata Historia prælatorum Fontanensium, a Peregrino septimo abbate conscripta, novimus Gaufridum quemdam eremitam socios sibi adlegisse plures, quos inter viros aliquot conspicuos, quos recenset Peregrinus, ita pergens :* Hoc iterum noverit vestra fraternitas, quod in hoc loco, *(scilicet ubi postea fuit Fontanense monasterium)*, primam mansionem non habuerunt, sed elegerunt sibi locum habitationis juxta pontem *Rune*, in terra petrosa, quæ supereminet huic abbatiæ. Exiit autem sermo inter fratres, quod locus ille non satis esset aptus ad permanendum : et de communi consilio transtulerunt se cum suis omnibus ad locum istum, quo nunc orantes degimus. *Quod factum arbitror septimo Idus seu die septima Aprilis anni* 1127, *quoniam Beaunier* (22), *qui indubie vetera Fontanensia documenta præ oculis habuit, hoc tempus fundationi eremitorii assignat; et Maan* (23), *cui similiter Fontanense archivium potuit, anno* 1127 *ipsam abbatiam (erronee sane) fundatam perhibet.* Inter cætera vero ædificia quæ hic *(in novo ad Fontanas loco)* construxerunt, ædificaverunt capellam ligneam multæ pulchritudinis in honore S. Mariæ Magdalenæ. F

Subduntur Saviniaco.

86 *Dein narrat quomodo unus ex eremitis, natus Messinæ in Flandria, et Willelmus Flandrensis dictus, patriarcha Hierosolymitanus creatus sit; quod anno* 1130 *factum esse ex Orderico Vitali* (24) *novimus; explicat dein alterius eremitæ, nomine Lamberti Magni, iter Hierosolymitanum et quas ab Willelmo acceperit reliquias, atque in hæc pergit verba :* Post hæc cœperunt frequentius sollicitare et convenire magistrum Gaufridum, ut se suumque locum transferrent ad aliquem ordinum ; qui non respondebat eis verbum. Ægrotavit magister Gaufridus et erat languor ille fortissimus. Accedentes autem fratres ejus ad eum dixerunt : Dispone domui tuæ, quia timemus ne forte moriaris et amplius non vivas. Si tibi displicent isti monachi nigri de Bonavalle, qui juxta nos habitant, an qui sunt Majoris-Monasterii ex altera parte ? Si canonicos

(1) Vit. S. Bern. Tir., p. CCLXXV. — (2) Mon. Ang., t. V, p. 259. — (3) Loc. sup. cit. — (4) Recueil, etc., t. II, p. 926. — (5) Ann. Cist. ad an. 1131, cap. V, t. I, p. 225. — (6) Ann. Cist. ad an. 1131, cap. V, t. I, p. 225. — (7) Loc. sup. cit. — (8) Abbat., p. 30. — (9) Gallia Christ. nov., t. XI, app. col. 88. — (10) Hist. du dioc. de Bayeux, p. 166. — (11) T. VI, p. 1109. — (12) Loc. sup. cit. — (13) Ibid., l. c. — (14) T. V, p. 314. — (15) Ibid., p. 316, col. I. — (16) Ibid., loc. cit. — (17) Ibid., loc. cit. — (18) Spicileg. t. II, p. 573, in-fol. — (19) Vit. S. Bern. Tir., p. CCLXXV. — (20) Loc. sup. cit. — (21) Ann. Cist. ad an. 1132, cap. VIII, t. I, p. 243. — (22) Recueil, etc., t. II, p. 898. — (23) Sancta et Metrop. eccles. Turonensis, p. 111. — (24) Hist. eccles., lib. XII. ap. Chesnium. p. 888.

regulares

A regulares non acceptas, si tibi placet, mittamus usque Savigneiam, quod est celebre monasterium; de quo jam plura processere monasteria, ex quibus abbates conveniunt ad capitulum, et floret ibi ordo, et eorum ubique redolet dulcis opinio. Quibus ille ait : Si vultis mittere, mittite. Et rapuerunt verbum de ore ejus; mittentesque festinanter, adduxerunt dominum Gaufridum abbatem Savigniensem et dominum Hildebertum archiepiscopum Turonensem. Adfuit etiam dominus Raginaldus de Castello, ad cujus dominium locus iste pertinebat. Omnes igitur in unum congregati Dominum collaudantes, statuerunt locum istum de cætero esse abbatiam; et ipsa die archiepiscopus Turonensis benedixit in monachos duodecim ex eremitis, benedixit etiam in abbatem dominum Odonem monachum de Savigniaco, quem ad hoc secum adduxerat Gaufridus prædictus abbas Savigniacensis. Et sic anno Verbi incarnati MCXXXIV*, tertio idus Novembris, fundata est abbatia de Fontanis.

* MCXXXII?

nonnullis eremitis discedentibus : mutatur titulus.

87 Illi vero, qui supervenerant, omnibus rite celebratis cunctisque dispositis, remeantes ad propria imprecati sunt remanentibus præsenti B prosperitate gaudere et futura. Magister vero Gaufridus, et domnus Gaufridus Bullonus, et Ascelinus presbyter, et alii quos nominare nescimus, recusaverunt se in monachos benedici. Quibus monachi concesserunt quocumque vellent ire, et de rebus monasterii quidquid vellent, sive in possessionibus, sive in quibuslibet rebus, quamdiu viverent, possidere. Recessit igitur magister Gaufridus et habitavit in foresta ultra fluvium, qui dicitur Cherius, in loco qui dicitur Aqua-viva *(Aiguevive)* ubi nunc est canonicorum regularium abbatia. Unde et quo veniebat, certum non comperimus; sed apud castellum qui dicitur Montricardus invenit eum ultima dies et hora, et detulerunt eum et sepelierunt in cœmeterio prædictæ abbatiæ : talemque vir Dei sortitus est exitum. Ascelinus vero presbyter cum alio Gaufrido, in loco qui dicitur Lauda *(Landes? in diœcesi Carnutensi, dein Blesensi)* et obiit et sepulturam habuit. Domnus vero Gaufridus cognomine Bullonus, circa suum finem ad nostrum monasterium se cum suis omnibus transtulit et in claustro monachorum, Deo volente, sepulturam promeruit, et hic finis eremitarum. Monachorum vero tenen-C tes historiam, revertamur ad domnum Odonem primum abbatem, qui postquam rediit ad mentem, expavit paupertatem : nihil enim ei dimiserant prædicti eremitæ præter sedem abbatiæ et hujus terræ petrosæ quantum quatuor boves poterant laborare.... Huic successit domnus Gilbertus Savigniensis monachus.... Prædictam paupertatem reperiens aliquantulum sustinuit, quærens qui adjuvaret et consolaretur : et non inveniens, abiit et obiit in domo Savigniensi. *Post enarratam dein conjunctionem Saviniacensium cum Cisterciensibus, ita prosequitur Peregrinus :* Illud autem volumus successorum nostrorum memoriæ commendare, quod quamdiu domus Savigniensis subjecta non fuit ordini Cisterciensi, locus iste dicatus erat in honore S. Mariæ Magdalenæ, et ex quo se subjecit, sicut habetur, Cisterciensi ordini (?), dicatus est in honore B. Mariæ Virginis, cujus vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.

Basinkwerk.

88 XVII. BASINGWERK, *in agro Flintensi, in diœcesi S. Asaphi, fundata dicitur in Chronico S. Werburgæ* (1) *et in Gallia Christiana* (2) *anno* 1131; *in Annalibus Parcoludensibus* (3) *anno* 1132; *in Chronographia Cisterciensi die* 3 *Julii anni* 1133; *a Tannero* (4) *circa annum* 1159; *a Lelando* (5) *post annum* 1156; *ab aliis anno* 1312 *post ejectos inde templarios. Verum ante annum* 1148 *conditam fuisse hanc abbatiam liquet ex sæpe citata Eugenii III Bulla, in qua nomine suo designatur : et proin, quum veteribus documentis standum sit, anno* 1131, 1132 *aut* 1133 *adhærendum est; ita ut teneatur initium factum fuisse anno* 1131 *et abbatem institutum die* 3 *Julii anni* 1133 *more Pisano. De fundatore multa lis, aliis Radulphum comitem Cestrensem, aliis Henricum II regem laudantibus* (6). *Verum si is fundator dicendus, qui monasterii sedem donavit, charta Henrici regis III difficultatem facile tollit his verbis* (7) : Et præterea concedo eis et confirmo omnia tenementa sua, quæ Ranulphus comes Cestriæ et alii barones eis dederunt et cartis suis confirmaverunt, scilicet Haliwelle et Fulibroch et capellam de Basingwerk, in qua primitus manserunt *etc. Patrona erat B. Maria* (8). *Fueritne aliquando filia Bilduwasiæ, quæretur infra.* E

V. D. B.

Cumbremera.

89 XVIII. CUMBREMERÆ *fundationem varii variis innectunt annis, Tanner anno* 1133, *Annales Crokesdenses et Parcoludenses anno* 1134, *Ormerod anno* 1130, *nitens diplomate fundationem confirmante* (9). *Verum ego dicendum arbitror donationem agrorum anno* 1130 *factam et fors ædificiorum structuræ initium datum fuisse; erectionem vero in abbatiam seu abbatis designationem anno* 1133. *Cujus sententiæ pars prior citato diplomate fulcitur, posterior tabula Saviniacensi et Chronographia* (10), *illa diem* 4 *Junii, hac cum Sucheto* III *Idus Novembris indicante. Præterea in Historia Synchrona Dieulacressensis abbatiæ, Cumbremeræ filiæ, legimus* (11) : Anno MCXXXIII fundata est abbathia de Cumbremere, filia de Saveney. *Sita erat in diœcesi Lichfeldensi, patronis B. Maria et S. Michaele; habuit fundatorem Hugonem de Malbanc, confirmatorem Ranulfum comitem Cestriæ* (12)

Caldra.

90 XIX. CALDRA *et* BELLALANDA. *Quoniam ambo hæc monasteria incunabula communia habent, de ambobus simul dicendum est. Caldra porro, vulgo* Calder *seu* Cauder-Abbey, *in parochia S. Brigittæ in Cumbria, in diœcesi Eboracensi, fundata fuit secundum Chronica S. Werburgæ* (13) *et insulæ Manniæ* (14), *Annales Parcoludenses* (15), *Historiam Furnesien-* F *sem* (16), *Chronographiam Cisterciensem* (17), *Catalogum Jongelini et Galliam Christianam* (18) *anno* 1134 *secundum calculum Florentinum, seu* 1135 *secundum communem, scilicet die* 10 *Januarii juxta Catalogum Saviniacensem et citatas Historiam Furnesiensem et Chronographiam. Fundator fuit Ranulphus de Meschines, secundus Cestriæ et Cumbriæ comes, ut liquet ex diplomate Henrici III regis confirmantis Caldræ donationes* (19); *patrona erat B. Maria V.* (20). *Bis autem ejus mater effecta est Furnesium, quum illuc bis ex suis filiis destinarit; quæ res, quum non satis animadversa videatur, paulo latius est exponenda. Porro in Historia Fundationis Bellælandæ, quam anno* 1197 *(quum adhuc superstites essent rerum initio gestarum testes* (21)) *Philippus, abbas III, conscripsit, legitur anno Henrici regis* XXXV, *seu* 1134, *imo* 1135, conventus quidam de Furnesio exiens sortitus esse quemdam locum qui vocatur Caldra in Coupland ex pia

(1) Monast. Angl., t. V, p. 261. — (2) T. XI, col. 1131. — (3) Monast. Angl., t. V, p. 261 — (4) Ibid., loc. cit. — (5) Ibid., loc. cit. — (6) Ibid., loc. cit. — (7) Ibid., p. 263. — (8) Ibid., loc. cit. et passim. — (9) Monast. Angl. nov., t. V, p. 321. — (10) Annal. Cisterc. ad an. 1133, cap. IV, t. I, p. 258. — (11) Monast. Angl. nov., t. V, p. 627. — (12) Ibid., p. 321 et seqq. — (13) Ibid., p. 339, not. *a*. — (14) Ibid., p. 272. — (15) Ibid., p. 339. — (16) Ibid., p. 250. — (17) Annal. Cist. ad an. 1134, cap. VIII, t. I, p. 284. — (18) T. XI, p. 552. — (19) Monast. Angl., t. V, p. 340. — (20) Ibid., p. 339. — (21) Cfr ibid., p. 349, col. 1, p. 354 et 350, col. 2.

collatione

A. D. P.

collatione cujusdam magnatis illius patriæ ad abbatiam construendam, ordinato ei conventui abbate nomine Geroldo, *quem duodecim monachi secuti erant* (1).

a Scotis destructæ. incolæ. post varia fata.

91 *Paulo post exarsit primum bellum inter Stephanum Angliæ et Davidem Scotiæ regem : quod anno* 1136 *cœptum et clausum est : quo tempore nil passi videntur Caldrenses. Verum anno* 1138 *(non vero* 1137, *ut habet Philippus Bellælandensis, annum Stephani tertium cum anno* 1137 *male conjungens* (2)), *bellum iterum recruduit, et, ter septentrionales Angliæ partes invadens, rex Scotiæ miseram ubique stragem excitavit* (3). *Vastata tum fuit Caldra*, quum per quadriennium ibi mansissent, anno tertio Stephani regis (4), *die* 22 *Decembris anni* 1135 *coronati* (5). *Rediit itaque Geroldus cum conventu suo Furnesium ; verum quum vellet ibi etiam suis præesse et in uno monasterio duplicem instituere cœtum, a Furnesiensibus admissi non fuere, coacti postridie ad Turstanum Eboracensem archiepiscopum pergere ; qui eos commendavit ditissimo pientissimoque Rogero de Molbray, filio Nigelli de Albineio. Hic eos donatione satis insigni instruxit, misitque ad Robertum de Alneto cremitam apud Hode,* B *in cujus domunculis, quas ipso anno* 1138 (1139 ?) *a Rogero de Molbray cum circumjacentibus terris adepti sunt, quatuor habitarunt annos. Interea subjecerunt se anno* 1141 (1142 ?) *Saviniaco ; quæ res, ut jam dictum est, liti occasionem dedit.*

et postquam alii iterum Caldram incolerent,

92 *Sed Caldram redeundum est. Quum itaque arbitrarentur Furnesienses priorem Caldrendem coloniam sine spe et proposito revertendi Caldram certum habere locum et terram viriliter colere,* ordinaverunt in abbatem Hardredum monachum Furnesii et ipsum cum quodam alio conventu iterum usque ad Caldram transmiserunt, qui ab illo tempore usque in præsenti, *inquit Philippus*, successione debita prout possunt regulariter ibidem conversantur, quasi in eodem statu temporalium semper tabescentes. *Abbatum itaque Catalogo, quem in Monastico Anglicano* (6) *habes, possent præponi Geroldi et Hardredi nomina. Errabant autem Furnesienses, æstimantes Hodam certum esse locum et stabilem sedem fugitivo Caldrensi conventui. Anno enim* 1143 (1144?)) *abbas Rogerus, Geroldi successor, per matrem Gundream supplicavit fundatori Rogero de Molbray ut sibi locum ampliorem et aptiorem ad construendam abbatiam concederet.* C Quam supplicationem, *inquit Philippus abbas*, idem Rogerus anno Domini MCXLIII (MCXLIV ?) circa Nativitatem B. Mariæ V. *seu* 8 *Septembris* devote et benigne concessit et ipsemet dedit prædictis monachis villam de Bellalanda cum ecclesia ejusdem villæ et omnibus pertinentiis. *Ibidem itaque ad aquam Ryam prope abbatiam de Ryevall parvam cellam construxerunt, quam a territorio Bellamlandam appellarunt ; locum vero de Hode, commutatione facta, cesserunt coloniæ canonicorum S. Augustini Bridlingtoniensium, postea de Novo Burgo vocatæ.*

tandem fundant Bellamlandam.

93 *Ast hic nondum commigrationibus Saviniacensium nostrorum finis. Quinquennio enim post in grangiam redegerunt cellam ad Ryam, hinc* Old Byland *dictam ; et novum cœnobium condiderunt in Stockyng in territorio de Cukwald, ubi Rogerus de Molbray anno* 1147 *aliquot eis agros donarat. Habitarunt hoc in loco triginta annos, donec anno* D 1177, *in vigilia Omnium Sanctorum, demigrarunt prope Burtoft et Bersclive, ibique sub patrocinio B. Mariæ V. floruerunt usque ad Henrici VIII tempora.*

§ VIII. Abbatiæ reliquæ conditæ a B. Gaufrido.

Russinum, a nonnullis confusum cum ipso Cistercio,

XX. RUSSINENSIS *abbatia, vulgo* Russin *seu* Ryshen abbey, *sita erat in Bally Salley supra oppidum, nunc* Castletown *dictum propter castellum* Castle-Rushen (7). *Dicebatur etiam olim* abbatia de Mannia, *quod in notissima insula Mannia surgebat ; ex qua olim non secus ac ex Hebridibus constabat diœcesis Sodorensis seu insularum meridionalium ; nunc una Mannia contenta et ad provinciam Eboracensem pertinens* (8). *Volunt Tanner* (9), *Gough* (10), *Carlisle* (11) *aliique ibidem cœnobium fundatum fuisse anno* 1098 *a Mac Manis seu potius Mac Maras* (12) *principe hujus insulæ. Ast facile detegitur hujus erroris fons. Quum enim in Chronico regum Manniæ, edito a Camdeno, legeretur ad* E *hunc annum, quo Mac Maras principatum gereret* (13) : MXCVIII fundata est abbatia S. Mariæ Cistercii, *intellexerunt illi scriptores ibidem adstrui fundationem abbatiæ S. Mariæ Russinensis de ordine Cistercii, quum tamen Russinensis monachus, hujus Chronici auctor, nil aliud his indicaret quam fundationem ipsius abbatiæ Cistercii in Gallia, hoc anno reapse fundatæ.*

fundatur anno 1134, *et anno* 1172 *tentat condere Mirescog*

95 *Porro licet Historia Furnesiensis hujus abbatiæ fundationem ad annum* 1238 *referat et Jongelini Catalogus ad annum* 1140, *tenendum omnino est eam institutam fuisse, ordinato abbate, die* 10 *Januarii anni* 1134 : *in hanc enim rem conveniunt Saviniacensis Catalogus et Chronographia Cisterciensis* (14), *necnon ipsum Chronicum regum Manniæ, quod hæc refert* (15) : Anno Domini MCXXXIIII. Olavus [rex Manniæ] dedit Yvoni *(seu Evano)* abbati de Furnes partem terræ suæ in Mannia ad abbatiam construendam in loco qui dicitur Russin. *Quibus aliqua adjuncta adjicere licet ex Historia Furnesiensi, in qua hæc perhibentur* (16) : Certa terra in Mannia data fuit abbatiæ de Rievalle *(primæ in Anglia, recenti tamen, coloniæ Clarævallensi)* ad construendam abbatiam de Russin ; postea tamen F data fuit abbatiæ de Furnesio ad construendam eam de ordine Cisterciensi *(imo Saviniacensi)* ubi modo scituata est, et sic non de Rievalle sed de Furnesio exivit. *Anno* 1176 *tentavit Russinensis abbatia filiam condere in Mirescog ; sed non ita multo post ab opere destitum fuit ; quod in Chronico Manniæ his explicatur verbis* (17) : Anno Domini MCLXXVI Godredus rex Manniæ dedit in oblationem venerabili abbati Silvano partem terræ apud Mirescog, ubi mox monasterium construxit. Sed processu temporis terra tota cum monachis concessa est abbatiæ S. Mariæ de Russin. *Signanda quoque translatio, anno* 1192 *facta* : Anno Domini MCXCII abbatia S. Mariæ de Russin, *ita traditur in Chronico* (18), translata est in Dufglas, ibique per quatuor annos habitantes iterum ad Russin reversi sunt.

(1) Monast. Angl., t. V, p. 349. — (2) Cfr supra n. 64. — (3) Lingard. Hist. d'Angleterre, t. II, p. 207, Louvain, 1827. — (4) Monast. Angl., t. V, p. 349. — (5) Art de vérifier les dates, t. I, p. 801. — (6) T. V, p. 340. — (7) Carlisle, Topograph. Diction. of Scotland, v° *Castle-Town*. — (8) Camden Britannia, t. III, p. 697, edit. Gough. — (9) In Monast. Angl., t. V, p. 252. — (10) In Addit. ad Camdem Britannium, t. III, p. 697. — (11) Topograph. Diction. of Scotland, v° *Bala salla*. — (12) Cfr Chron. regum Manniæ, ap. Camden Britannia, p. 383, edit. Amstelodami. 1647. — (13) Ibid., loc. cit. — (14) Annal. Cisterc. ad an. 1134, cap. VIII, t. I, p. 284. — (15) Ap. Camden, Britann., p. 383, edit. Amstel. et ap. Monast. Angl., t. V, p. 252. — (16) Monast. Angl., t. V, p. 250. — (17) Ibid., p. 252 ; cfr Camdeni Britannia, p. 384. — (18) Monast. loc. cit. Britannia, p. 384.

Swineshеda. 96 XXI. Swineshevedensis *abbatia*, Swineshed *vulgo dicta, patrona B. Maria Virgine* (1), *in Catalogo Jongelini, Gallia Christiana* (2), *Annalibus Petroburgensibus et Parcoludensibus* (3), *Catalogo Saviniacensi aliisque monumentis fundata dicitur anno* 1134, *et quidem die* 7 *Augusti in Saviniacensi Catalogo; in Historia vero Furnesiensi seu in Catalogo filiarum traditur fundata anno* 1148 (4). *Ast mendum cubat in hoc catalogo : inferius enim asseritur Swineshedum fundatum fuisse ante conjunctionem cum Cisterciensibus; et quidem legitur hæc abbatia in diplomate Eugenii III, data* IV *Aprilis anni* 1148 *in confirmationem conjunctionis, mense Octobri anno* 1147 *initæ* (5). *De fundatoribus varii tradunt varia : sed standum est testimonio diplomatis Henrici II regis, in quo legitur* (6) : Et quicquid Robertus Greslei prædictæ abbatiæ et Albertus filius ejus fundatores eisdem dederunt et cartis suis confirmaverunt. *Vocabatur etiam hæc abbatia* Locus Dei (7), *et* Hoilandia *seu* Hoyland (8), *a districtu in quo sita erat. Disputatum olim fuit ad quam diœcesim pertineret, utrum ad S. Andreæ in Scotia, an ad Lincolniensem* (9); *verum unde in media Anglia ingens tractus ad* B *diœcesim Scoticam devenisset? Colonia erat Furnesii, cujus filia remansit* (10).

Longum villare. 97 XXII. Longumvillare, *vulgo* Long Villers, *in comitatu Boloniensi, et in diœcesi Morinensi, et dein Boloniensi, fundatorem habuit Stephanum, comitem Boloniæ, post Angliæ regem. Catalogi Jongelini, Genealogicus Ms. et alter Henriquezii, consentiunt cum Saviniacensi et Chronographia aliisque documentis in anno* 1135 *pro exordio assignando. Dies excidit ex Chronographia* (11), *sed ex loco dato ibidem Longo Villari patet inter* VII *Kal. Aprilis et* V *Nonas Maii hujus cœnobii fundationem ibidem indicatam fuisse. Suchetus* (12) *et Beaunier* (13) *designant diem* 25 *Martii, Gallia Christiana* (14) *et tabula Saviniacensis diem sequentem; quæ eligenda sit, nemo facile definiverit. Patrona erat B. Maria* (15).

Stratfordia. 98 XXIII. Stratfordia, *seu* Stradford Langthorne, *atque etiam* Stretforde, *in Essexia in diœcesi Londinensi, fundata est secundum Catalogos omnes anno* 1135, *et quidem secundum album Saviniacense, Suchetum* (16) *et Chronographiam Cisterciensem* (17) VIII *Kal. Augusti seu die* 25 *Julii : adeo ut hinc facile solvi queat dubium, quod in Monastico* C *Anglicano novo* (18) *hac de re habes. Fundator fuit Guilielmus de Montefichet, titulus B. Maria et Omnes Sancti, seu nude B. Maria* (19).

Bildewasium. 99 XXIV. Bildewasium, *vulgo* Buildewas, *nemine dissentiente, fundatum fuit anno* 1135; *et quidem die* 8 *Augusti secundum Chronographiam Cisterciensem* (20) *et die* 7 *Augusti secundum Suchetum; sed illud melioris notæ documentum est. Voluit Leland* (21) *Mathildem de Bohun, Roberti Burnell uxorem, hujus asceterii fundatricem fuisse. Verum quum in diplomate anni* 1138 (22) *quo Stephanus rex Angliæ confirmat ipsam fundationem, legatur* (23) : Sciatis me concessisse et confirmasse in perpetuam eleemosynam Deo et ecclesiæ S. Ceaddæ et abbati et monachis de ordine Saviniacensi in ea Deo servientibus de Billemas totum manerium ipsum in bosco et plano, et hominibus et omnibus ad illud pertinentibus, sicut Rogerus episcopus Cestriæ locum illum eis dedit et coram me concessit; *manifestum est Rogerum, Cestrensem seu Lichfeldensem episcopum, in cujus diœcesi situm erat Bildewasium, fundatorem fuisse. Ex recitatis verbis constat etiam S. Ceaddam tunc temporis patronum fuisse. Verumtamen post transitum ad Cistercienses S. Maria et S. Ceadda titulares facti sunt, ut liquet ex charta donationis Gilberti de Lacy* (24). *Primos monachos assumptos fuisse ex Furnesio tradit Jongelinus* (25); *verumtamen Suchetus, Catalogus Henriquezii et alter Ms. Bilduwasium recensent inter Saviniacenses filias; idemque erui posse videtur ex Bulla Eugenii III (cfr supra num.* 41 *et* 47), *atque insuper omittitur in catalogo filiarum Furnesii, hujus sedis historiæ inserto* (26). *Ast nil vetat quominus primi monachi Furnesienses fuerint, abbatia tamen Saviniacum agnoverit tamquam matrem.* V. D. B.

Briostellum de Alneto. 100 XXV. Briostellum, *alias dictum* Alnetum *et* Lannejum, *vulgo* Lannoy *seu* L'Aunoy de Briostel *in diœcesi et agro Bellovacensi, refertur in Catalogo Saviniacensi et Chronographia* (27) *Cisterciensi ad diem* 1 *Decembris anni* 1131, *eumdemque annum signat Jongelinus. Suchetus ex Louveto* (28) *tradit* E *eam fundatam fuisse die* 21 *Novembris anni* 1137; *verum illis potius adhærendum. Porro duplex fundatio distinguenda, ut ex his Galliæ Christianæ* (29) *verbis discere licet :* Inchoatur, *inquit,* abbatia B. Mariæ de Briostel Cal. Decembris 1135 a Lamberto de Britulio et filio ejus Renaldo, cedentibus quidquid habebant in territorio de Briostel, assensu dominorum Guillelmi Bisette et Ansoldi filii ejus. At cum locus ille in valle inter duo nemora situs omnibus vitæ necessariis destitueretur, translata domus est anno exeunte 1137 ad Alnetum, agrum alnis consitum, fundum scilicet molendinum et stagnum cum sede abbatiæ præbente Matthæo de Ploeis, anno 1138. *Quæ omnia satis bene conveniunt cum diplomatibus inter instrumenta Galliæ Christianæ excusis* (30), *licet dierum notatio pro arbitrio apposita videatur, quum in memoratis chartis frustra quærantur. Translato monasterio, remansit prioratus vel aliquid simile in Briostel : quemadmodum colligimus ex charta Odonis Bellovacensis episcopi, scripta circa annum* 1140, *qua declarat eleemosynam quamdam per manus suas datam fuisse* ecclesiæ S. Mariæ de Briostel, *et inter testes venit* Hugo abbas S. Mariæ de Alneto. *Ex dictis* F *patrona erat utriusque loci B. Maria; colonia vero hæc exiverat ex Bello-Becco cujus remansit filia secundum sæpe citatos catalogos.*

Buckfastria. 101 XXVI. Buckfastria, *vulgo* Buckfastleigh *seu* Buckfastre, *in Devonia, in diœcesi Exoniensi, a Galliæ Christianæ* (31) *scriptoribus fundata dicitur anno* 1134; *in Monastico Anglicano* (32) *anno* 1137; *a Jongelino* (33) *et Chronographia Cisterciensi* (34) *die* 27 *Aprilis anni* 1136 *et a Sucheto die præcedenti. Ast cui adhærendum assertioni? Nullus dubito quin anno* 1134 *initium datum fuerit abbatiæ, et die* 27 *Aprilis anni* 1136 *colonia emissa vel abbas institutus sit. Et certe ante finem anni* 1134 *dotatum jam erat istud cœnobium, quum legamus in diplomate Henrici II, regis Angliæ, et nepotis per matrem Mathildem Henrici I, sequentia* (35) : Sciatis

(1) Dipl. Henrici II in Monast. Angl., t. V, p. 337. — (2) T. XI, col. 552. — (3) Monast. Angl., t. V, p. 336 — (4) Ibid., p. 250. — (5) Gall. Christ., t. XI, col. 541. — (6) Monast. Angl., t. V, p. 337. — (7) Catal. Savin. et Ann. Cisterc. ad an. 1163, cap. III, t. II, p. 375. — (8) Annal. Cisterc., loc. cit. — (9) Ibid., loc. cit. — (10) Monast. Angl., t. V, p. 250. — (11) Ann. Cist. ad an. 1135, cap. IX, t. I, p. 301. — (12) Vit. S. Bern. Tir., p. CCLXXV. — (13) Recueil, etc., t. II, p. 661. — (14) T. X, col. 1615. — (15) Beaunier. Recueil, etc., loc. cit. — (16) Loc. sup. cit. — (17) Ann. Cist. ad an. 1135, cap. IX, t. I, p. 301. — (18) T. V, p. 586. —

(19) Ibid., pag. cit. et seq. — (20) Annal. Cist. ad an. 1135, cap. IX, t. I, p. 301. — (21) Monast. Angl., t. V, p. 355. — (22) Cfr supra n. 63. — (23) Monast. Angl., t. V, p. 356. — (24) Ibid., pag. cit. — (25) A. O. C. in Ang., p. 5. — (26) Monast. Angl., t. V, p. 250. — (27) Annal. Cist. ad an. 1137, cap. VII, t. I, p. 332. — (28) Antiq. Belvac., lib. IV, cap. XXXVII. — (29) T. IX, col. 838. — (30) Ibid., t. X, instr., col. 255. — (31) T. XI, col. 553. — (32) T. V, p. 384. — (33) Abbat. Ord. Cist. in Anglia, p. 6. — (34) Annal. Cist. ad an. 1136. — (35) Monast. Angl., t. V, p. 385.

V. D. B.

me concessisse in perpetuam eleemosinam monachis de Bugfasta, qui sunt de ordine de Savineio ecclesiam et abbatiam de Bugfasta cum omnibus terris.... sicut prædicta abbatia tenuit... TEMPORE REGIS H. AVI MEI, *qui die* 1 *Decembris anni* 1135 *in Normannia obiit* (1). *De patrona, nempe B. Maria Virgine, convenit; et similiter Gallia Christiana consentit cum Monastico Anglicano in appellando Ethelberto, filio Guilielmi Pomerei, hujus loci fundatore. Primos monachos ex Furnesia eductos tradit Jongelinus* (2); *non tamen recensetur inter Furnesii filias* (3), *sed inter Saviniacenses* (4) : *sane quod donatio ad fundandum abbatiam his facta esset. Accedunt et alia argumenta, quæ ratione Bilduwasiæ proposuimus.*

Brolium Benedicti.

102 XXVII. BROLIUM BENEDICTI. *In diœcesi Ebroicensi Drocas inter et Ibrecium situm erat* Brolium Benedicti, *vulgo* Breuil-Benoit, *filia Vallium Sernaji, Trappæ parens. Ex chartis quibusdam* (5) *innotescit fundationem hanc deberi familiæ de Marcillejo et primitivos patronos titulares fuisse B. Mariam et S. Joannem Baptistam; verum anno* 1224 *ecclesiam sub unius B. Mariæ vocabulo dicatam esse* (6). *Anno* 1137 *innectitur fundatio hujus monasterii in Catalogo et Chronographia Cisterciensibus, in Catalogis Jongelini, in Genealogico Ms., apud Beaunier* (7), *et Brasseur* (8) *necnon in Gallia Christiana* (9); *sed non convenit de die : Catalogus Cisterciensis ponit* VII *Kal. Aprilis seu* 26 *Martii; utraque Gallia Christiana* VIII *Idus Maii seu* 8 *Maii; Beaunier alterutrum diem signat; lis forte ex eo dirimi potest, quod colonia emissa fuerit die* 26 *Martii, divinis officiis initium datum die* 8 *Maii.*

§ IX. Abbatiæ conditæ usque ad conjonctionem cum Cisterciensibus.

Briostellum prioratus S. Mariæ Dublinensis

XXVIII. BRIOSTELLUM, *prioratus ex reliquiis primæ sedis Briostelli de Alneto; de utroque dictum ad* XXV.

XXIX. SANCTA MARIA JUXTA DUBLINIAM, al. *Oustamby, (forte* Ostmantown *seu* Oxmantown, *civitas Danorum,)* fundatur anno 1139 a Malachino principe Hiberniæ. *Hæc Gallia Christiana* (10). *Sed aliter profecto privata hujus monasterii historiola; quæ, ut mihi testis est Waræus* (11), tamquam fundatores nobis obtrudit Malachiam regem Midiæ et monarcham Hiberniæ, Gillelmumholmoc et Roisiam uxorem ejus. *Pro more hibernico ornantur hæc dein prodigiis. Utut est, regnavit Malachias, alias* Melseachlain, *ab anno* 846 *ad ann.* 863 (12) : *unde intra hoc spatium reponenda foret illa fundatio. Archdall* (13) *vero, Thomas de Burgo* (14), *Gough* (15), *Carlisle* (16) *aliique hanc ad Danos referunt, nempe ad annum, quo conversi sunt in Hibernia,* 948 (17) : *quod Lanigan* (18) *parum probabile videtur. Certum est ex diplomate Henrici II regis* (19) *exstitisse id cœnobium* antequam comes Richardus de Strigoil venisset in Hiberniam, *id est ante annum* 1171 (20); *quin etiam ex Chronographia Cisterciensi* (21), *et Catalogo Jongelini et ex Annalibus S. Werburgæ* (22) *consentiendum et Galliæ Christianæ, ad annum* 1139 *hujus abbatiæ fundationem signanti; licet quatuor, ante hunc annum mortui, in quibusdam scriptis indicentur abbates* (23). *Sed quis fundator? Malachinum habet Gallia Christiana : verum Malachinus, seu Malachias aut* Melseachlain II *obiit anno* 1022 (24); *neque alius homonymus mihi postea apparet. Laudat Waræus* (25) *diploma Eduardi IV Angliæ regis, quo fundator perhibetur Donaldus Gillelmoholmoc, (nonne idem ac Donal Gearrlamhach, rex Danorum seu Normannorum Dublinensium* (26)?) *consentiente Diervorgilia uxore ex Dermitio primogenito. Nil habeo quo hæc confirmentur vel impugnentur.*

obscurior origo.

104 *Quæritur tertio fuerintne ibi umquam nigri monachi seu mere Benedictini; ajunt id plerique, quum sæculo* X, *cui initia hujus monasterii innectant, nondum exsisterent Cistercienses aliive albi monachi. Ast Benedictinos seu Nigros Monachos tunc temporis in Hibernia exstitisse plane negat Lanigan* (27). *Quum vero ex mea sententia hæc abbatia fundata tantum sit anno* 1139, *eo potiori jure hinc excludo Nigros Monachos, quod Annales B. Mariæ Dublinensis velint hoc ipso anno cœnobium istud in Cisterciense mutatum fuisse* (28). *Verum ab Saviniacensibus, non vero Cisterciensibus, tunc temporis hunc locum occupatum fuisse atque ab annalista utrosque novem annis citius confusos fuisse satis patet vel ex eo solum quod Mellifontem, Cisterciensium in Hibernia incunabula, anno* 1142 *primum fundarit celeberrimus S. Malachias Armacanus* (29). *Videtur autem S. Maria ab initio filia fuisse Bildewasii* (30); *licet necesse aliquando fuerit, ut rex Henricus II auctoritatem abbatum Bildewasiensium certam faceret* (31) : *Suchetus ejus meminit, diverso tamen nomine, inter filias Cumbermeræ et Bilduwasiæ. De hac re dicetur infra.*

Cogeshalla.

105 XXX. COGESHALLAM, *vulgo* Coggeshall *atque etiam* Coxhal, *in Essexia, in diœcesi Londinensi* (32), *alii alio fundatam statuunt tempore : Annales Parcoludenses* (33) *anno* 1137; *Leland* (34) *anno* 1141; *Chronicum Cogeshallense* (35) *anno* 1142, eodemque anno convenisse conventum apud Cogesalam III nonas *seu die* 3 *Augusti : cui assentiunt Gallia Christiana* (36) *et Tanner* (37). *Contra Chronographia Cisterciensis* (38), *Catalogus Saviniacensis et Jongelini, et Chronicum S. Augustini Cantuariensis* (39) *conveniunt in referenda fundatione hujus abbatiæ ad annum* 1140, *die* 17 *Julii secundum Saviniacensem catalogum, Kal. Augusti secundum Chronographiam Cisterciensem. Et quidem placet his ita adhærere ut statuamus primum institutum fuisse abbatem* XVI *Kal. Augusti seu die* 17 *Julii anni* 1140, *coloniam emissam Kal. Augusti anni* 1140. *De fundatore lis quoque est inter historicos, alios Mathildi, alios marito Stephano regi, alios utrique hanc fundationem tribuentes* (40). *Ex charta fundationis liquet ex patrimonio Mathildis fundationem factam, sed non sine interventu Stephani* (41). *B. Mariam patronam fuisse ex eadem charta manifestum est. Ecclesiam vero de Cogeshalla, pensione pacta, obtinuerant*

(1) Art de vérifier les dates, t. I, p. 800. — (2) Abbat. Ord. Cist. in Angl. p. 6. — (3) Monast. Angl., t. V, p. 250. — (4) Suchetus, p. CCLXXV. — (5) Gall. Christ., t. XI, inst., col. 142 et seq. — (6) Ibid., col. 143. — (7) Reç de sabb., p. 752. — (8) Hist. d'Evreux, p. 139. — (9) T. XI, col. 663. — (10) T. XI, col. 553. — (11) Ap. Manrique, Annal. Cist. ad an. 1139, cap. X, t. I, p. 378. — (12) Lanigan, Eccl. Hist. of Ireland, t. III, p. 241. — (13) Monast. Hibern., p. 132. — (14) Hibernia Dominicana, p. 741. — (15) Ap. Camden, Britannia, t. III, p. 537. — (16) Topograph. Diction. of Ireland, v° *Dublin (County of)*. — (17) Lanigan, Eccl. Hist. of Ireland, t. III, p. 337 et 380. — (18) Ibid., loc. cit. — (19) Monast. Angl., t. V, p. 362. — (20) Larrey, Hist. d'Angleterre, t. I, p. 385. — (21) Annal. Cisterc., ad an. 1139, cap. X, t. I, p. 378. — (22) Monast. Angl., t. V, p. 361. — (23) Ibid., p. 362, cfr p. 361. — (24) Lanigan, Eccles. Hist. of Ireland, t. III, p. 426. — (25) Ap. Manrique, Ann. Cist. ad an. 1139, cap. X, t. I, p. 378. — (26) Cfr Valencey's Collectanea, t. I, p. 566. — (27) Eccl. Hist. of Ireland, t. III, p. 380, not. 139. Cfr Thomas de Burgo, Hibernia Dominicana, p. 740. — (28) Cfr Annal. Cist. ad an. 1139, cap. X, t. I, p. 378. — (29) Cfr Lanigan, t. IV, p. 117 et 120. — (30) Cfr Ann. Cisterc. app. ad t. I, an. 1140, t. IV, p. 543. — (31) Monast. Angl., t. V, p. 363. — (32) Cfr Spruner, Hist. Atlas, tab. XXXV, et Chron. Radulfi Coggeshallensis, ap. Mon. Ang., t. V, p. 451, not. *m*. — (33) Monast. Angl., t. V, p. 451. — (34) Ibid., loc. cit. — (35) Ibid., p. 452. — (36) T. XI, col. 553. — (37) Ap. Monast. Angl., t. V, p. 451. — (38) Annal. Cist. ad an. 1140, t. I, p. 396. — (39) Ap. Monast. Angl., t. V, p. 451. — (40) Ibid., loc. cit. — (41) Ibid., p. 452.

monachi

monachi a Theobaldo priore Rumeliacensi (1). *At cujusnam erat filia? Bellælandæ, tradit Gallia Christiana* (2) : *Saviniaci, Suchetus. Porro nemo cum Gallia Christiana sentiet, qui Historiam Bellælandæ originum* (3) *legerit. Insuper Saviniacensis Catalogus, itemque Catalogus genealogicus Henriquezii et alter Ms. Cogeshallam inter Saviniacenses filias recensent.*

Vetusvilla.

106 XXXI. Veteris Villæ *fundationem, in diœcesi Dolensi, in Britannia Minori, statuit Suchetus anno* 1144 ; *Catalogus Saviniacensis die* 27 *Julii anni* 1140, *Chronographia* (4) IV *Kal. Septembris seu* 29 *Augusti ejusdem anni ; Jongelinus et R. D. Tresvaux* (5) *anno* 1137. *Sed facile satis componi potest hoc dissidium. Die* 8 *videlicet Augusti anni* 1137 *facta est donatio agrorum in quibus construeretur abbatia, die* 27 *Julii anni* 1140 *primus abbas benedictus et die* 29 *Augusti emissa Saviniaco colonia. Ecce fragmenta quædam chartæ fundationis, quam integram habes apud Hyacinthum Moricium* (6) : In nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Gelduinus, filius Hamonis, audiens paupertatis amatoribus regnum cœlorum hereditario jure ore veritatis esse promissum, si ejusdem paupertatis aut nolo aut nequeo interim executor existere, ipsos saltem pauperes apud illum, qui cum dives esset pro nobis pauper factus est, advocatos et mediatores mihi satago adquirere. Notum sit itaque... quod ego Gelduinus filius Hamonis... dono et concedo ecclesiæ S. Trinitatis de Savigneio et monachis ibidem Deo famulantibus in perpetuam eleemosynam ad ædificandam abbatiam omnem terram meam de Veteri Villa... tali scil. conditione ut in ipsa et de ipsa eleemosyna in Veteri Villa cœnobiale domicilium construatur et abbatia secundum ordinem et consuetudines præfatæ ecclesiæ S. Trinitatis ibidem fundetur... Quas omnes donationes per manum Domini mei Gaufredi Dolensis archiepiscopi, de quo præfatas terras tenebam, Deo obtuli et ipse Dominus meus in manu Domini Gaufridi prædictæ ecclesiæ abbatis illas misit... Non multo autem post tempore, convocata et congregata ad consecrandum in ipsa elemosina cimiterium magna multitudine, istam elemosinæ donationem.... coram omnibus.... in hac carta confirmavi.... Quod factum est anno ab Incarn. Dom. MCXXXVII, mense Aug., VI idus ejusdem mensis, archiepræsulatus autem Domini Gaufridi Dol. archiep. anno VII coram plebe et subscriptis testibus. *Ex donatione anni* 1141 *titulum cognovimus, videlicet S. Salvatoris et S. Mariæ* (7). *Post conjunctionem Saviniacensium cum Cisterciensibus interdum dicta fuit* abbatia B. Mariæ de Valle Veteri et de Veteri Villa (8).

Barberium, de cujus initiis variæ sunt sententiæ.

107 XXXII. Barberium. *Inter omnes Saviniacenses abbatias nulla tot implicatur tricis, quot Barberium, vulgo* Barbery, *in diœcesi Bajocensi, in Normannia. In catalogo Saviniacensi venit inter Saviniaci filias ordine* XVIII *ad* 16 *Novembris* 1140 (9) ; *quem annum quoque signant Catalogus Jongelini, Genealogicus Ms. et Claudius Robertus* (10). *Suchetus notat Idus Aprilis seu diem* 13 *Aprilis anni* 1147 ; *Beaunier* (11) *diem* 13 *Aprilis anni* 1140 *seu* 1176 *scribit ; Expilly* (12) *annum* 1170 ; *Catalogus genealogicus Henriquezii, Sammarthani* (13) *et post eos Ludovicus de Malastrie* (14) *annum* 1176. *Implicantur res etiam aliunde : scribit quippe Jongelinus* (15) primos monachos cum abbate assumptos fuisse ex monasterio Oratorii, diœcesis Andegavensis et lineæ Cistercii; *dum tamen Oratorium Saviniaco numquam subfuerit, et Barberium non ad lineam Cistercii, sed cum cæteris Saviniacensibus pertineret ad lineam Claræ vallis. Hæc itaque omnino seponenda videntur. Ad meliora proinde convertamur oportet. Imprimis autem inspicienda est bulla Alexandri III, quam* V *Kal. Februarii anni* 1177 *obtinuit Radulphus, Barberii abbas, et in qua legitur* (16) *pontifex confirmare* locum ipsum in quo præscriptum monasterium constructum est cum omnibus pertinentiis suis ex dono Roberti Marmione et concessione Roberti filii sui, locum de Barberio, qui prius fuit grangia de Savigneio, cum omnibus pertinentiis suis.

v. d. s.

videtur duplex

108 *Huc etiam facit charta, a Roberto Marmione filio, anno* 1181 *mense Octobri, concessa, cujus hoc est initium* (17) : In nomine etc. Noverit universa generatio præsens et futura Robertum Marmion patrem meum divini inspiratione consilii abbatiam Barberii fundare proposuisse : unde omnes terras quas habebat in Barberio, excepto militum suorum feodo, abbatiæ faciens, quasi primum per hæc omnia jecit fundamentum, possessiones commodas his adjecturus, si eum diutius miseratio divina vivere permisisset. Quia vero propositum suum implere non potuit, ego filius ejus et hæres ab eo inchoatum opus ad consummationis decus perducere decrevi. Ego itaque pro salute animæ meæ.... do in eleemosynam... Deo et B. Mariæ et abbati et comventui monachorum abbatiæ Barberii terras omnes, quas pater meus Deo dederat in Barberio. Dono etiam ad ædificandam abbatiam terram quæ continetur inter parvum Boscum et Barberium et hajam, quæ terra est in parochia Brethevillæ, *etc. Recensentur dein aliæ multæ donationes, tum ab se tum ab aliis factæ, quarum una* per librum positum super altare ejusdem monasterii. *Neque omittendum testimonium Chronici Saviniacensis, in quo legitur* (18) abbas Joslenus eodem anno quo cessit, *scilicet* 1178, misisse conventum ad abbatiam Barberii.

habuisse exordium

109 *Quæ omnia sat facile inter se componi queunt. Habemus enim primo fundamentum quasi jactum fuisse a Roberto Marmione per donationem omnium terrarum, quas in Barberio habebat liberas, eidemque Roberto consilium fuisse plura dandi. Porro hæc facta sint oportet ante annum* 1143, *quum apud Matthæum Parisium ad hunc annum legamus* (19) : Eodem anno Robertus Marmini *(imo* Marmion), vir bellicosus, qui monachos Coventrenses a suo monasterio expulerat et de ecclesia illa castellum fecerat, dum contra hostes decertaret, inter prædones suos ante ipsum monasterium solus peremptus est et excommunicatus morte depascitur sempiterna. *Eadem refert scriptor, vulgo Joannis Bromtoni nomine designatus* (20), *recte* Robertum Marmion *scribens, et alii bene multi chronographi antiquiores. Accepta itaque hac donatione et spe augmenti concepta, devenerit Saviniacensis manipulus cum assignato abbate Barberium die* 16 *Novembris anni* 1140 : *unde ad hanc diem et annum in catalogo Saviniacensi hæc abbatia recensetur. Verum, quum infelici morte præventus, promissis suis fidem facere non potuerit fundator, inopia coacti fuerint monachi inchoatam abbatiam in*

(1) Joan. Sarisber. ep. VIII et IX in Bibl. Patt. Max. Lugdum., t. XXIII, p. 412. — (2) T. XI, col. 553. — (3) Cfr Monast. Angl., t. V. p. 350. — (4) Annal. Cist. ad an. 1140, cap. x, t. I, p. 396 — (5) L'Église de Bretagne, p. 368 — (6) Mémoires pour servir de preuves à l'hist. de Bretagne, t. I, col. 575. — (7) Ibid., col. 381. — (8) Tresvaux, Église de Bretagne, p. 568 — (9) Cfr Gall. Christ., t. XI, col. 452. — (10) Gall. Christ.

vet., p. 529. — (11) Recueil des abbayes, t. II, p. 720. — (12) Dict. Géogr. t. I, p. 455. — (13) Abbatiæ Galliæ, p. 129. — (14) Annuaire hist. pour l'année 1838, p. 78. — (15) Abbat. Ord. Cist. in regno Galliæ, p. 55. — (16) Gall. Christ., t. XI, col. 153. — (17) Ibid., inst. col. 85 et seq. — (18) Baluz. Miscell., t. I, p. 327. — (19) Hist. Angl., p. 77. Tiguri, 1606. — (20) Ap. Twysden. Script. x. col. 1033.

grangiam

V. D. H. *grangiam, i. e. cellam seu obedientiam a Saviniaco dependentem, convertere : unde nil mirum si locus iste nomine non designetur in Anastasii IV Bulla. Quum vero vicini equites eleemosinas paulatim conferrent, restituta fuit abbatia ; adeoque anno* 1177 *abbas Radulfus in Alexandri III Bulla comparet, et anno* 1178 *istuc emitti potuit Saviniaco nova colonia, quæ habitaret in monasterio, quod Barberii exstabat, et (ut vidimus) altare et proin ædiculam habebat. Demum anno* 1181 *in parochia Brethevilla concessus est locus, in quo nova ædificaretur abbatia.*

Trappa Caldra. 110 XXXIII. Trappæ, *in diœcesi Sagiensi, tot circumferuntur notitiæ ut paucissimis hic nobis contentos esse liceat. En itaque ut ejus exordia narrantur in Gallia Christiana* (1) : Rotrocus II Perticensis comes voti solvendi causa, quod in mari periclitabundus emiserat, ut volunt, fundamenta jecit ecclesiæ in loco Trappa dicto, tribus a Mauritania leucis. Primi ex Brolio et Alneto educti monachi apud Barras constitere, quo tempore illis concessa est terra de Contrabiso, donec utcumque dispositis ædibus Trappam ingressi sunt circiter 1140, quo anno data est fundationis charta IV nonas *(seu die* 2) Decembris. Defuncto an. 1143 B Rotroco, filius Rotrocus III patris fundationem auxit, ædificia perfecit atque inter alia largitus est terram de Laignejo. *Ad annum* 1140 *inscripta est hæc abbatia Chronographiæ Cisterciensi* (2) *et Catalogo Jongelini, ad* IV *Nonas seu diem* 2 *Decembris in Chronographia, ad diem* 10 *in Catalogo Saviniacensi. Erat autem filia Brolii et patronam etiamnum habet B. Mariam.* XXXIV. Caldræ *Origines simul cum Bellælandensibus ad num.* XIX *explicitæ fuerunt.*

§ X. Abbatiæ reliquæ conditæ ante mortem B. Serlonis.

Pultonensis abbatia. XXXV. Dieulacres. Pultonensis *abbatia in Cestria et dein* Dieulacressensis *in Staffordia, secundum Galliam Christianam* (3) *fundata est an.* 1153; *secundum Chronographiam Cisterciensem* (4) *anno* 1159; *secundum Jongelinum* (5) *anno* 1220. *Monasticum vero Anglicanum fundationem in Pultona* (6) *refert ad annum* 1153, *in Dieulacres* (7) *ad* 1214. C *Monumenta historica hujus asceterii æque varia sunt. In his enim legimus* (8) : Anno MCLIII fundata est abbatia de Pulton, filia de Cumbermere ; *alibi vero* (9) : Anno MCLVIII fundata est abbatia de Pultune in comitatu Cestriæ. *Quid ergo? Equidem arbitrarer ab his omnibus recedendum esse, et primas hujus cœnobii origines ad an.* 1146 *pertinere. Duplex enim id suadet argumentum : prius scilicet occasio hujus fundationis ; alterum, ipsum fundationis diploma. In Historia enim fundationis, narrata captivitate Ranulfi comitis Cestriæ, continuo subditur* (10) : Sub hoc tempore Robertus pincerna incepit fundare abbatiam de Pulton in provincia Cestriæ et adduxit ibidem conventum Cisterciensis *(imo Saviniacensis)* Ordinis ad deprecandum pro salute et incolumitate domini sui præfulgentissimi Cestrensis comitis Ranulfi, dum ipse Ranulfus esset in custodia domini regis ; quam abbatiam idem Ranulfus postmodum confirmavit, *etc. Porro secundum Henricum Huntingdoniensem* (11) *aliosque* D *captus fuit Ranulfus anno* XI *Stephani regis, qui die* 26 *Decembris anni* 1145 *inchoabatur* (12), *et carcere liberatus est ante diem* 25 *Decembris anni* 1146 (13). *His accedit charta fundationis* (14), *qua Robertus pincerna* Deo, Sanctissimæ Mariæ et Willielmo primo abbati Cumbermare pro salute et incolumitate domini sui præfulgentissimi Cestrensis comitis Ranulphi et antecessorum suorum etc. dedit dimidiam Puntonam ad construendam ibidem quandam abbatiam monachorum secundum regulam B. Benedicti et secundum statuta Savignecii.

112 *In quibus animadverto, imprimis nil in hac charta de consensu aut de præsentia Ranulphi tradi ; deinde tunc temporis Cumbremeram adhuc Ordinis Saviniacensis, non vero Cisterciensis fuisse ; et proin hoc diploma conditum esse ante annum* 1147 *seu saltem* 1148. *Quæ si conjungas cum his, quæ tradit historia Dieulacressensis de fundatione facta dum Cestrensis comes in vinculis esset, nemo non videt his testimoniis a se invicem fidem fieri, et annum* 1146 *omnino esse tenendum, quo donatio Roberti facta sit et aliquot ex Cumbremera venerint Pultonam* E *monachi ad opus inchoandum ; anno vero* 1158 *seu potius sequenti* (15) *institutum ibidem conventum cum abbate. De translatione in Dieulacres occurrunt hæ antiquæ notitiæ* (16) : Anno MCCXIV. Conventus de Pulton translatus est apud Deulacres.... Kalendas Maji, anno dicto, per Ranulfum comitem Cestriæ, maxime propter intrusionem Wallensium, per quos multa damna perpessi sunt. *Et alibi* (17) : Anno MCCXIV. Conventus de Pultune translatus est apud Deulacresse x Kal. Maji anno prædicto per Ranulphum canonicum [comitem] Cestriæ, *scilicet* III (18). *Hic titulares patroni fuere B. Maria et fors S. Benedictus* (19). *Uterque locus situs erat in diœcesi Lichfeldensi.* — *per translationem dein facta est Dieulacrescensis.*

Tironellum. 113 XXXVI. Tironellum, *gallice* Tironneau *seu* Tironel, *filia S. Andreæ in Gofferno, in diœcesi Cenomannensi, ab aliis, ait Beaunier* (20), *dicitur fundata anno* 1151, *ab aliis die* 14 *Septembris anni* 1149; *et Similia habent Sammarthani* (21). *Et re quidem vera in Jongelini Catalogis et in Genealogico Ms. ad annum* 1151 *notatur, dum in Catalogo genealogico Henriquezii et Chronographia Cisterciensi signatur ad* XVIII *Kal. Octobris seu ad diem* 14 *Septembris anni* 1149. *Et quidem arbitror fundationem hoc anno reponendam propter sæpe laudatam Chronographiæ auctoritatem. Fundator appel-* F *latur a Jongelino* (22) *et a Manrique* (23) *Paganus Chourtius eques dominus de Clinchamp, ab Sammarthanis et Beaunier Paganus de Chaourches : quod nomen reperio in Catalogo nobilium virorum qui anno* 1158 *crucem Domini acceperunt cum domino Gaufrido, filio nobilis viri Juhelli Dei gratia Meduanæ domini ; legitur enim ibidem* Paganus Coorlus, *quod interpretatur Menagius* Payen de Chaourches (24). *Patrona autem erat B. Maria.*

Jorevallis. 114 XXXVII. Jorevaulxensis *abbatia*, Joreval, Gervis *seu etiam vulgo* Jervaux Abbey, *in Eboracensi agro et diœcesi, filia Bellælandæ, ex donatione Acariæ, filii Bardolfi, incunabula sua habuit in terra Wandesleydale in loco Fors ; unde dicta est primitus* abbatia de Fors, *dein* de Wandesleydale,

(1) T. XI. col. 747—(2) Annal. Cist., t. I, p. 396.—(3) T. XI. col. 554. —(4) Annal. Cisterc. ad an. 1159, cap. VII. t. II. p. 329. — (5) Abbat. Ord. Cist. in Angl., p. 11 et 13. — (6) Monast. Angl., t. V. p. 324 — (7) Ibid., p. 626.—(8) Ibid., p. 627.—(9) Ibid., p. 628.—(10) Ibid., p. 627 —(11) Hist., lib. VIII fol. v° 225, edit. Savili. Cfr Rogerus de Hoveden. ibid., fol. 280—(12) Cfr Henricus Huntingdon. passim. Art de vérifier les dates, t. I, p. 801. — (13) Henric. Huntingdon., fol. v° 225. — (14) Monast. Angl., t. V. p. 628.—(15) Vide supra n. 64 —(16) Monast. Angl., t. V, p. 627.— (17) Ibid., p. 628 —(18) Jongelinus. Abb. Ord. Cist. in Angl., p. 11.—(19) Monast. Angl., t. V. p. 628. n. IV—(20) Recueil des abbayes, etc., t. II. p. 931. — (21) Abbatiæ, p. 866.— (22) Notit. Abbatiarum Cisterc., t. I, p. 67. — (23) Annal. Cisterc. ad an. 1149 cap. IX, n. 3. t. II. p. 144. — (24) Ap. D. Colomb. Hist. des évêques du Mans, p. 187.

et

A *et a patrona* B. Mariæ de caritate. *Quum vero legatur domus lignea illic primum exstructa anno* 1145 (1), *hinc Gallia Christiana* (2) *refert hujus abbatiæ fundationem ad hunc annum. Verum die Dominica quadragesimæ seu die* 5 *Martii anni* 1150 *Joannes de Kinstan ab abbate Bellælandensi Rogero institutus est,* et die Mercurii proximo sequente, scilicet VIII idus Martii anno Domini 1150, recepta benedictione consueta, post vigilias nocturnas abbas Johannes cum duodecim monachis suis exivit de domo Bellælandæ versus Jorevallem, *seu potius Fors ; quo die veneris proxima advenit* (3). *Atque hinc in Chronographia Cisterciensi* (5) *secundum calculum Pisanum reponitur* ad VIII idus *seu diem* 8 Martii *anni* 1150, *sub corrupto tamen nomine* de Foravalle. Postea vero, scilicet anno Domini MCLVI comes Conanus, *(dux Britanniæ),* fecit, abbatem Johannem et conventum se transferre de Fors, cum omnibus bonis suis mobilibus, usque ad dictum locum *(de Joreval)* in territorio de East-Witton, de permissione capituli generalis et bona voluntate domini Hervei filii Akariæ (5). *Sæpius jam diximus de hujus abbatiæ fatis. Manrique arbitratus* Buglondiam *in Genesi ecclesiarum Saviniacensium poni pro* Pultuna *seu* Dieulacres (6), *huic Jorevallem in filiam attribuit. Verum* Buglandiam *pro* Bellalanda *scriptam esse manifestius est quam ut explicatione indigeat.* B

Stanlegha 115 XXXVIII. STANLEGHIENSIS *abbatia, vulgo* Stanley, *in Wiltonia, in diœcesi Sarum, certissime de filiatione Saviniacensi fuit. Verum prius discernenda est ab una alterave homonyma, quibuscum facilius confunderetur ; omissis aliis ejusdem fere nominis. Porro in Chronographia Cisterciensi* (7) *ad annum* 1140 *legitur :* Eodem anno decimo Kal. Martii abbatia de Stanlegia ; *similiter ad annum* 1150 (8) : Eodem anno IV Idus Septembris abbatia de Stanleja in Ardena ; *et ad annum* 1154 *ad* III *Kal. Julii* (9) : Eodem anno et die abbatia de Stanleja imperatricis. *Hæc omnia mirum in modum perturbarunt Manrique; et multum abest quin ipse certo hic incedam gradu. Primam alibi non reperio quam in Catalogo Saviniacensi, ubi Quarreræ assignatur in filiam, addito die* 10 *Septembris et anno* 1140 *: adeoque propter hanc qualemcumque concordiam non ausim illam plane rejicere, sed potius brevi sublatam arbitror. Stanleja vero in Ardena ortum suum debet eremitis ex donatione Mathildis* C *imperatricis* (10), *ab anno* 1141 (11) *prope Rademoram* (Redmore) *in Staffordia* (12) *habitantibus,* IV *Idus seu die* 10 *Septembris anni* 1150 *leges Cistercienses amplexis* (13), *et an.* 1154 XIII *Kal. Julii seu* 19 *Junii* in manerium de Slanleg in Arderna (14) *in agro Warwicensi* (15) *transgressis. Unde hæc ad Saviniacensem filiationem nequaquam spectat; sed potius ad Bordeslejam, ex qua duos accepit rituum Cisterciensium magistros. Appellatur in Monastico Anglicano* Priory of Stoneley, *et egregie ibidem illustratur.*

ab homonymis distinguenda. 116 *Tertia vero, utpote filia Quarreræ, recte inter Saviniacenses recensetur. In Catalogo Saviniacensi notatur ejus fundatio ad diem* 10 *Septembris anno* 1140. *In prisca charta de ea legitur* (16) : Anno Domini MCLI. Hoc anno situata est domus primo de Stanlegh apud Lobeswell (quæ est in foresta de Chippeham (17)), et conventus de Quararia ibidem. Post annos tres translata est abbatia ad locum qui dicitur Stanlegh imperatricis; imperatrix eam primo fundavit. *Et in altera notitia* (18) *:* Matildis imperatrix primo fundavit domum in loco vocato Locwelle, dein rex Henricus secundus transtulit fratres ad hunc locum quem fundavit, et dedit eis dominium de Stanley. *Et licet Henricus II in charta fundationis, quæ bis in tomo V Monastici Anglicani excusa fuit* (19), *dicat se* concessisse Deo et Sanctæ Mariæ de Quadraria in insula de Wich, in perpetuam eleemosinam, Locwellam, ad faciendam ibidem capitalem abbatiam..... pro salute dominæ imperatricis matris meæ et mea, *apparet tamen Locwellam ex patrimonio Mathildis fuisse, cum postea affirmet eam a se concedi cum omnibus libertatibus,* quas, *inquit,* domina imperatrix mater mea et ego dedimus et concessimus domino Drogoni dominæ matris meæ camerario. *Deinde in charta Richardi primi* (20) *de Stanlegha dicitur :* Quæ reddebat patri nostro *(Henrico II)* XL S. *Cæterum post translationem in Stanlegham erat de fundatione Mathildis et Henrici, prout hic eam in altera charta appellat* (21). *Sita erat in Wiltonia, in diœcesi Sarum, sub patrocinio B. Mariæ Virginis* (22). *Quum Locwellæ adhuc sita erat, appellabatur etiam Drogonis fons* (Drownfont) *ex prioris donatarii nomine.* E

Campania 117 XXXIX. CAMPANIA. *Catalogus Saviniacensis et Chronographia Cisterciensis* (23) *recensent abbatiam de Campania in diœcesi Cenomannensi ad* 16 *Novembris anni* 1151 ; *Claudius Robertus* (24) *et Jongelinus* (25) *ad* 16 *Maii ejusdem anni ; Bondonnet* (26), *Sammarthani* (27) *et D. Colomb* (28), *charta quam vocant fundationis nixi, ad mensem Decembrem imo ad* IV *Kal. Decembris anni* 1188 ; *Suchetus, ab his omnibus discederet, annum* 1148 *notans, nisi errore typographico annus* 1148 *loco* 1188 *expressus esset. Quod vero mireris, Chronographia Cisterciensis, quæ supra diem* 16 *Novembris anni* 1151 *ferebat, signat inferius* (29) *:* Anno MCLXXXVIII... quarto Kalendas Decembris abbatia de Campania Cenomanensis. *Verum pugna hæc tollitur, si admittatur duplex fundatio et duplex diverso tempore Saviniaco emissa colonia : cujus rei exempla passim obvia sunt. In diplomate anni* 1188 *fundator apparet Fulco Ribole dominus de Asse et Lavardin cum Emma ejus uxore. Potuit ille idem fundationem anni* 1151 *perficere, quum ejus nomen legatur inter crucesignatos Cenomannenses, anno* 1158 *profectos* (30). *Patrona erat B. Maria. Recensetur in catalogis inter filias Saviniaci.* F

Bivallis parthenon cum prioratu Pierrement. 118 XL. BIVALLIS, *olim* Buyval, Buyeval, Buyevaux *et* Buiesvaux, *nunc vulgo* Bival, *id est Vallis humida* (31), *fundata ab imperatrice Mathilde vel a familia de Bivalle intra temporis spatium, quod cucurrit inter fundationem Belli Becci, cujus erat filia, et exordia monasterii Bondevillæ, cujus erat mater* (32), *seu inter annum* 1128 *et* 1154. *Propter dissidia, inter Bivallem et Bellum Beccum de administrandis bonis aliisque id genus exorta, transiit Bivallis anno* 1175 *cum filiabus suis sub jurisdictionem archiepiscopi Rothomagensis. Patrona erat S. Maria Magdalena* (33). *Post annum* 1175 *in*

(1) Hist. Fundat., n. III, ap. Monast. Angl., t. V, p. 569. — (2) T. XI, col. 553. — (3) Hist. Fundat., n. VI, ap. Monast. Anglic., t. V, p. 591.— (4) Annal. Cist. ad an. 1150, cap. II, t. II, p. 173. — (5) Hist. Fundat., n. X, tom. cit., p. 573. — (6) Cfr Annal. Cist. ad an. 1150, cap. XI, t. II, p. 174, et Ind. v° *Pultuna*. — (7) Annal. Cist. ad an. 1140, cap. X, t. I, p. 396. — (8) Ibid., ad an. 1150, cap. XI, t. II, p. 173. — (9) Ibid., ad an. 1154, cap. VI, t. II, p. 265. — (10) Hist. Stonelejensis, n. I, ap. Monast. Angl., t. V, p. 446. — (11) Ibid. cfr. n. VI, p. 447. — (12) Monast. Angl., tom. cit., p. 443.— (13) Cfr supra Annal. Cist. ad an. 1150, cap. XI, cum Hist. Stonesl., n. III, Monast., p. 446.— (14) Hist. Stonesl., n. VI, p. 447. — (15) Cfr Monast., p. 443 et 446; Camden. Britannia, edit. Gough, t. II, p. 329. — (16) Ibid., p. 564. — (17) Ibid., p. 565. — (18) Ibid., p. 564. — (19) Ibid., loc. cit. et p. 317. — (20) Ibid., p. 565. — (21) Ibid., loc. cit.— (22) Ibid., p. 563 et seq. — (23) Annal. Cist. ad an. 1151, cap. XII, t. II, p. 198. — (24) Gallia Christ., p. 540. — (25) Notit. abbat. Ord. Cist. in Gallia, p. 67.— (26) Vies des évêq. du Mans, p. 554.— (27) Abbat. Gall., p. 212.— (28) Hist. des évêq. du Mans, p. 554.— (29) Annal. Cist. ad an. 1188, cap. VII, n. 13, t. III, p. 217. — (30) D. Colomb, Hist. des évêq. du Mans, p. 185. — (31) Descript. de la haute Normandie, t. I, p. 159. — (32) Ibid., lo. cict.— (33) Ibid., loc. cit. et Gallia Christ., t. XI, col. 316.

V. p. B

terra de Pierrement, *in parochia de Haucourt condiderunt prioratum, postea factum capellaniam* (1).

Bondevilla parthenon.

119 XLI. Bondevillam, *sesquileuca ab Rothomago, ante annum* 1154 *fundatam, ut ex charta donationum constat* (2), *filiam fuisse Bivallis et proin Bellibecci ex diplomate Henrici II Angliæ regis habemus* (3), *licet Suchetus ei Saviniacum in matrem assignet. In eodem diplomate B. Maria Magdalena pro patrona indicatur; quum vero Bivallis eamdem patronam coleret, confusionem hic adesse arbitratur superioris Normanniæ et Galliæ Christianæ scriptores* (4), *quoniam certe ab anno* 1170 *ecclesia monasterii patronum habuit S. Dionysium* (5). *Ludovicus de Maslatrie patronam facit B. Mariam V. seu B. Mariam Magdalenam* (6); *Beaunier quoque monasterium appellat* nostram Dominam de Bondevilla (7). *Nil ego determinare ausim: erant enim in feodo de Bondevilla duæ ecclesiæ præter monasterium, quarum altera B. Mariam, altera B. Dionysium patronum habebant: insuper, postquam Saviniacenses se Cisterciensibus addiderunt, plerisque monasteriis impositus est titulus B. Mariæ, saltem ut principalis; demum quam frequentissime filiabus dabantur matrum nomina. Ex quibus omnibus* B *consequens est facile fieri potuisse ut minus certum et stabile fuerit Bondevillæ vocabulum. Leguntur* (8) *plures qui insignia contulerint dona; quis vero dederit primariam sedem non liquet. Disceptatio etiam est utrum ab initio fuerit prioratus an abbatia. Sed de his vide librum de Normannia superiori.*

Parthenon Hollandiæ.

120 XLII. Puellare Hoilandiæ *Swineshedæ seu Hoilandiæ in diœcesi Lincolniensi olim unitum fuisse et subjectum monasterium puellare certo certius est; quodnam vero fuerit difficile est definire. S. Ælredus scilicet, abbas Rievallensis, in sermone II in cap.* 13 *Isaiæ, hæc habet:* Scio, *inquit* (9), in monasterio virginum, quæ sub venerabili et cum summa reverentia nominando sancto patre Gileberto, *(abbate Swineshedæ seu Hoilandiæ)*, uberes pudicitiæ fructus quotidie transmittunt ad cœlos, quandam fuisse vel adhuc superesse virginem sanctam, quæ... cœpit quotidie mentis æstu et fastidire terrena et desiderare cœlestia. *Et pergit multa de oratione sublimiori, in hoc parthenone vigente, enarrare; quæ aliquot durasse videantur annos; ita ut hoc asceterium exstiterit sat diu ante annum* 1166 *seu* 1167, *quo S. Ælredus obiit* (10). *Ast quodnam in monasterium? Suggerit Manri-* C *que* (11), *sermonem esse de asceterio, quod Ada comitissa, Guilielmi regis Scotiæ mater, anno circiter* 1163 *fundavit; ast non videtur id antiquum satis, ut ei aptari possint S. Ælredi dicta. Equidem crediderim monasterium, quod S. Ælredus laudat, ita fuisse sub Gileberto ut non tantum ejus subjaceret jurisdictioni, verum etiam ejus spirituali curæ et proin abbatiæ Swineshedæ virorum fuisse omnino vicinum; eodem scilicet fere more, quo res Saviniaci gerebantur. Prulatim defecerit oportet hoc puellare cœnobium, quum plura de eo non videantur reperiri.*

§ XI. Abbatiæ conditæ ante annum 1200. D

Fielddalling prioratus.

XLIII. FieldDalling, Fieldalling, Fieldallyng, Feldaling, Dalinga (12), *recensetur in Catalogo prioratuum alienigenarum, qui a Leicestrensi parliamento anno* 1414 *suppressi fuerunt. Notitiam de eo exhibent Monasticum Anglicanum et Index Monasticus diœcesis Norfolciensis Richardi Taylor. Hinc eruimus Mathildem de Harscolye seu Harscove tempore Henrici II, seu post medium sæculum* xii, *dedisse abbati et conventui Saviniacensi in Normannia manerium de Field Dalling; quod quum occupassent aliquot Saviniacenses monachi, qui Longum Beningtonium etiam olim tenebant, hinc aliquando de eo mentio fit tamquam de cella seu prioratu sui juris, aliquando vero tamquam de parte Longi Beningtonii in Lincolnia* (13). *Post dissolutionem prioratuum alienigenarum factus est ille locus penes Carthusienses Eppeworthenses, dein penes alios aliosque. Verum hæc ad nos non pertinent.*

S. Sidonii parthenon cum prioratu S. Austrebertæ.

122 XLIV. S. Sidonii. *Una circiter leuca ab oppido S. Sidonii (vulgo* S. Saens) *septentrionem versus, in loco cui nomen* Campus superior, *vernacule* E Camp souverain, *posita erat sub nomine S. Mariæ Magdalenæ monialium Cisterciensium, episcopo Rothomagensi subjectarum, cella: filia, ut arbitrantur scriptores Normanniæ superioris* (14) *et Galliæ Christianæ* (15), *Bivallis. Translato parthenone ab imperatrice Mathilde anno* 1167 *juxta oppidum S. Sidonii, ad ripam dextram fluminis Arcarum, dedicata est ecclesia sub titulo B. Mariæ V. anno* 1312; *exeunte autem anno* 1629 *prioratus ille factus est abbatia sub nomine S. Sidonii* (16). *Jam anno* 1260 *pertinebat ad hoc monasterium prioratus conventualis S. Austrebertæ in parochia S. Dionysii de fermento; qui in villam et ædiculam postea fuit mutatus, ut habet D. Duplessis.*

S. Crux

123 XLV. Sanctæ Crucis *monasterium, Anglice* Abbey of Holy Cross, *Hibernice* Monaster ne Crochnu (17) *olim* Wethirlaghan, *in diœcesi Casselensi in comitatu Tiperariæ, fundatum tradit Gallia Christiana* (18) *anno* 1183; *Thomas de Burgo* (19), *Lewisius* (20) *aliisque anno* 1182; *Lanigan* (21) *paulo post annum* 1182. *Nititur Gallia Christiana catalogo filiarum Furnesii* (22); *verum minoris est hic ponderis, quum solus sit aut ab aliis monumentis abludat. Annus* 1182 *ortus est ex nota chronica,* F *quam Archdallus apposuit diplomati fundationis* (23). *Verum, quum istud diploma datum est, jam exstabat monasterium, quandoquidem monachis de S. Cruce terræ conceduntur et confirmantur in præsentia eorum abbatis Gregorii* (24). *Ex hoc itaque diplomate seu potius ex episcopi Casselensis Mauricii (sigla* M. *ibidem inter testes indicato) nomine erui quidem post abbatiam inter annum* 1182 *et* 1186 *extitisse* (25); *sed tunc primum incepisse nequaquam. Nullum itaque video argumentum cur discederetur a catalogis Jongelini, ubi constanter origo hujus abbatiæ refertur ad annum* 1169. *Cæterum Waræum* (26), *Zepherinum Keting* (27) *aliosque non præterivit ille annus* 1169.

124 *Fundator traditur ab omnibus* (20) *Donal-* *in Hibernia.*

(1) Descript., t. I, p 160. — (2) Descript. de la haute Normandie, t. II. p. 324 et Gallia Christ., t. XI, col 319. — (3) Ibid., locc. citt. — (4) Ibid., loc. cit. — (5) Descript. de la haute Norm., t. II, p. 325. — (6) Ann. hist. pour 1838, p. 85. — (7) Recueil, etc., t. II, p. 702. — (8) Descript. de la haute Norm. Gall. Christ., locc. citt. — (9) Bibliot. M. Patrum, t. XXIII. p. 12. — (10) Cfr Lives of the English Saints, St Ælred, abbot of Rievaux, p. 124, London. 1845. — (11) Annal. ad an. 1163. cap. III, t. II, p. 376. — (12) Cfr R. Taylor. Index Monast. or the abbeys, etc., in the diocese of Norfolk, p. 13; Monast. Anglic., t. VII, p. 1051; Priorat. alien. catal. ibid., t. VII, p. 1642; Gallia Christ., t. XI, col. 554. — (13) Monast. Angl., t. VI, p. 18, n. XIII. — (14) Descript. de la haute Normandie, t. I. p. 104. — (15) T. XI, col. 324. — (16) Opp. et locc. citt. — (17) Jongelinus Abbat. Ord. Cist. in Hibernia, p. 21. — (18) Hist. Furnes, ap. Monast. Angl., t. V. p. 250. — (19) T. XI, col. 554. — (20) Hibernia Domin., p. 742. — (21) Topogr. Dict. of Ireland, v° *Holycross*. — (22) Eccles. Hist. of Ireland, t. IV, p. 253. — (23) Monast. Angl., t. V, p. 250. — (24) Ibid., t. VII, p. 1137. — (25) Ibid., p. 1138. — (26) Cfr Lanigan, t. IV, p. 251 et 253, not. 16. — (27) Antiq., cap. XXVI, art. Tipperay. ap. Lanigan, loc. cit. — (28) Cfr præter citt. Gough ap. Camden Britannia, t. III, p. 523; Carlisle, Topogr. Dict., v° *Holy Cross*; Jongelinus, Abbat. Ord. Cist. in Hib., p. 24.

dus

A *dus O'Brien, rex Limerici; cujus donatio facta dicitur in honore Dei Omnipotentis, et S. Mariæ V. et S. Crucis: cujus particula tantam huic loco conciliavit reverentiam, ut etiam, protestantismo dominante frequentissimas ad ruinas instituerent catholici supplicationes. In catalogo filiarum Furnesii* (1) *traditur a prima origine Furnesium matrem habuisse; et quidem Archdall et secundum eum Monasticum Anglicanum* (2) *et Lewisius* (3), *quum tradunt eam initio filiam fuisse Nenag seu de Magio in comitatu Limerici, eamque anno* 1249 *in generali capitulo ab abbate Claræ vallensi subjectam fuisse Furnesio, satis luculente errant, fata Surii seu Innislonnagh adscribentes S. Cruci, prout num.* 152 *dicetur. Gravius etiam erratur in Catalogo genealogico Henriquezii et in altero Ms., ubi ita collocatur inter filias Nenay seu de Magio, quasi numquam ad Furnesium pertinuisset.*

Fermoya.

125 XLVI. Fermoyæ, ad Aven-More fluvium, in agro Corcagiensi (*in diœcesi Clonensi* (4)) abbatia S. Mariæ de Castro Dei, fundata a nobili gente de Rupe, vulgo Roche, progenitrice vicecomitum de Fermoy: *ita eruditissimus Thomas de Burgo, Ossoriensis episcopus* (5). *Fundationis annus* 1170
B *assignatur in Chronographia Cisterciensi* (6), *in Catalogo filiarum Furnesii* (7), *in Jongelini Notitia abbatiarum Cisterciensium in Hibernia* (8), *apud Carlisle* (9) *et alios. Gallia Christiana habet annum* 1160, *errore forte typothetæ. Furnesii filiam fuisse consentiunt catalogi et scriptores.*

Stratmargel, cum duabus aliis confusa.

126 XLVII. Stratmargel, Ystrat Marchel, Strata Marcella, Alba domus de Stratmargel, Vallis Crucis, Strata Marcelli, Stratmargill, Stratmarchelium, Stratmarkel, Pola (10) *ejusdem abbatiæ diversa habentur nomina; verum ego crediderim delendam esse* Albam domum de Stratmargel, *quod nomen ex matris et filiæ nominibus conflatum est* (11); *et* Vallem Crucis *vocabulum neptis Albæ domus seu filiæ Stratæ Marcellæ; ita ut mater filia et neptis hic confundantur. In collectaneis Lelandi* Owen Keveliog, princeps Powisiæ, primus fundator *Stratæ Marcellæ traditur* (12): quod non tantum cum aliis convenit historiis, sed et cum fundationis charta, in qua legimus (13): Ego Ouenus filius Griffini... concessi et dedi fratribus Cisterciensis ordinis ecclesiæ scilicet B... Mariæ de Alba Domo (*seu Blancalanda aut Whiteland in diœcesi Menevensi in Wallia* (14)) Stratmarghell... ad ædificandam
C abbatiam Deo in honore semper virginis Mariæ. *Tanner refert ejus fundationem ad annum* 1170, *et quidem in Chronographia Cisterciensi* (15) *ad hunc annum annotatur:* Anno MCLXX, XI Kalend. Augusti *seu die* 22 *Julii* fundata est abbatia de Strata Marcelli. *Quibus addit Manrique* (16) *Monachos ex Blancalanda vocatos fuisse, ut habet Genesis ecclesiarum Claræ vallensium.*

dicta etiam de Pola.

127 *Haud scio an loco mutata fuerit hæc abbatia biennio post; utut est, in eadem illa Chronologia* (17) *legitur ad annum* 1172: Eodem anno VI Idus *seu die* 10 Julii abbatia de Pola; *et ad eumdem annum in Jongelini catalogis notatur. Mutatio tamen magna esse non potuit, quum Stratmargel terminis parochiæ Polæ (vulgo* Welsh Pool) *contineatur* (18). *Aliam mutationem seu novam fundationem anno* 1222 *factam fuisse probare conantur editores novi monastici Anglicani* (19). *Ast in errorem inducti fuerunt quod sibi persuaderi passi sunt* Vallem Crucis *eamdem esse abbatiam ac* Stratmargel, *dum illa (ut jam diximus et inferius ostendemus) hujus esset filia. Albamlandam matrem fuisse hujus asceterii ex dictis patet. Verumtamen in notitia Bilduwasii* (20) *traditur in subjectum fuisse visitationi abbatis Bilduwasiensis: quod initio regni Eduardi III seu circa annum* 1327 *actum scribit Tannerus, amotis Walliensibus monachis et substitutis Anglis* (21). *Situm erat hoc cœnobium in agro Montgomerensi, in diœcesi S. Asaphi.* V. D. B.

Stanlaw seu Whalley.

128 XLVIII. Stanlaw *et dein* Whalley. *In chronographia Cisterciensi* (22) *ad an.* 1172 *ad* III *Idus seu diem* 11 *Novembris legitur:* Eodem anno et eodem die abbatia Loci Benedicti de Walhei, *unde scriptores Monastici Anglicani satis tuto ponere possent dubium, quo circa fundati hujus monasterii tempus teneri videntur* (23). *Fundationis diplomate* (24) *Johannes constabularius Cestriæ anno* 1178 dedit et confirmavit Deo et Sanctæ Mariæ et abbati atque monachis de Stanlawe ad construendam abbatiam ordinis Cisterciensis ipsum locum Stanlawe, quæ mutato nomine Benedictum locum vocari voluit, E *et alia plura. Hinc reponit Historia Stanlawensis* (25) *et Gallia Christiana* (26) *hujus abbatiæ fundationem ad annum* 1178, *non attendens jam introductos esse monachos et hoc diploma confirmationem potius esse quam donationem. Propter maris inundationes, consentiente episcopo Lichfeldensi, concessit Nicolaus III (non vero IV* (27)) *Papa die* 23 *Julii anni* 1279 *ut ex Stanlawe in Cestria se transferrent in Whalleyam in Lancastria, quam eis concesserat Henricus de Lascy, comes Lincolniæ. Quod factum est anno* 1296 *in festo S. Ambrosii, seu die* 4 *Aprilis* (28). *Uterque locus erat in diœcesi Cestrensi seu Coventrensi et Lichfeldensi. Patrona erat B. Maria. Inter filias Cumbermeræ recensetur a Jongelino* (29) *et a Sucheto.*

Pierrement. Benington.

129 XLIX Pierrement, *aliquando prioratus Bivallis: de quo dictum, ubi de Bivalle ad num.* XL. L. Long Benington, Benington, Benyngton, *sæpius omisso epitheto* (30), *in diœcesi et comitatu Lincolniensi, cella erat Saviniacensis. Anno tertio Eduardi I regis Angliæ, seu* 1275, juratores dicebant quod monachi de Benington habent quatuor carucatas terræ cum pertinentiis in eadem villa jam centum annis elapsis de feodo militari (31): F
unde initia hujus cellæ referenda saltem ad annum 1175. *Vellent ea scriptores Monastici Anglicani etiam ad tempora regis Stephani seu etiam Henrici I revocare propter concordiam initiam inter A., abbatem SS. Sergii et Bacchi, et S., abbatem Saviniacensem, confirmatamque ab B., abbate Cisterciensi* (32); *quoniam ex his Siglis B. Bernardum, abbatem Cistercii, et S.* Serlonem, *abbatem Saviniacensem, referre eis videtur. Sed miror ab eruditissimis viri confundi Claramvallem cum Cistercio; Bernardus enim, quem intelligunt numquam Cisterciensis sed Claræ vallensis abbas fuit. Abbas itaque, littera B. designatus, est Bernardus abbas Cisterciensis qui anno* 1183 *electus ante finem ejusdem anni, obiit* (33). *(Alius Cisterciensis abbas hujus ævi nomen*

(1) Monast. Angl., t. V. p. 250 — (2) Tom. VII. p. 1137.—(3) Topogr. Dict. of Ireland, v° *Holy Cross*.—(4) Cfr Monast. Angl., t. V. p. 250 et Jongelinus, Abb. Cist. in Hib., p. 31. — (5) Hibernia Dominicana, p. 712.— (6) Annal. Cist. ad an. 1170, cap. VIII, t. II. p. 504. — (7) Monast. Ang., t. V. p. 250. — (8) Page 25.—(9) Topogr. Dict. of Ireland, v° *Fermoy*. — (10) Cfr Monast. Angl., t. V. p. 636, Manrique, Annal. Cist. ad an. 1170, cap. VIII, t. II. p. 504, et ad an. 1172, cap. VI p. 537. —(11) Cfr Monast. Angl., t. V. p. 637, n. III et n. I.—(12) Ibid, p. 636, not. I —(13) Ibid., p. 637, n. III.— (14) Ibid., p. 591, et Jongelinus, A. O. C. in Ang., p. 7.—(15) Ann. Cist. ad an 1170, cap VIII, t. II, p. 504. — (16) Ibid., p. 505. — (17) Ibid., ad an 1172, cap. VI, t. II. p. 536. — (18) Cfr Carlisle. Topogr. Dict. of Wales, v° *Ystrat Marchell*.—(19) Mon. Ang., t. V. p. 636.—(20) Ibid., p. 356.—(21) Cfr ibid., p. 636.—(22) Ann. Cist. ad 1172, cap. VI, t. II. p. 536. — (23) Monast. Angl., t. V. p. 639. — (24) Ibid., p. 641.—(25) Ibid., p. 647.—(26) T. XI. p. 553 — (27) Monast. t. V. p. 638 et 641.—(28) Ibid., p. 647.—(29) Abbat. Ord. Cist. in Angl., p. 11.—(30) Mon. Aug., t. VII. p. 1024; Priorat alien. catal. Ibid., t. VIII. p. 1652; Gallia Christ., t. XI. col. 554. — (31) Monast. Angl., t. VII. p. 1024, n. II.—(32) Ibid., pag. cit. not. c. — (33) Gall. Christ., t. IV, col. 989.

men

V. D. B.

men non habet, littera B. incipiens.) Saviniacensis autem abbas, sigla S. indigitatus, alius non est quam Simon, qui ab anno 1179 *ad* 1186 *Saviniacense pedum tenuit* (1). *Demum A., abbas SS. Sergii et Bacchi, et vel Ausbertus vel Augerius* (2).

circa an. 1175 *fundatur.*

130 *Cæterum ex ipsa primæ Donationis charta (plures enim de his arvis donationes facta sunt), intelligere potuissent diligentissimi viri quantum a vero aberrarent. Legitur enim ibidem* (3) : Ego Radulfus, Filgeriarum dominus, abbatiæ Savigneii ab antecessoribus meis fundatæ... concedentibus filiis meis Juhello et Willielmo... dedi... ecclesiam de Belintone, cum omnibus pertinentiis suis. *Porro Radulphus II, de quo hic sermo fit,* Filgeriarum dominus *factus non est ante annum* 1154 (4), *quum anno præcedenti scilicet S. Bernardus mortuus esset. Unde iterum patet S. Bernardum non potuisse immisceri liti, ex donatione illa ortæ Bello Gallos inter et Anglos exorto, Rex Richardus II dedit hanc cellam Carthusianis S. Annæ prope Coventriam* (5); *post suppressionem vero prioratuum alinigenarum anno* 1414 *in parliamento Leicestrensi indictam, adjuncta est prioratui Montis Gratiæ* (6).

Mirescog. Croxesden.

131 LI Mirescog, *de eo dictum, ubi de Russino ad num.* xx. LII Chotes *seu* Chotene *et dein* Crokesden, Croxden *seu* Croxten. *Ex Chronico Crokesdenensi* (7) *colligimus sequentia :* Anno Domini mclxxvi Bertramus de Verdun... dedi monachis de Alneto terram de Chotes, ad fundandam abbatiam [de] valle S. Mariæ. *Hinc in Gallia Christiana* (8) *assignatur fundationi hujus abbatiæ annus* 1176. *Sed pergit Chronicum :* Anno Domini mclxxviii Thomas, primus abbas hujus monasterii, natione Anglicus, cum adhuc esset diaconus, in die pentecostes *(die* 28 *Maii)* circa horam tertiam tamquam spiritus Sancti receptaculum mundum electus est in abbatem. *Quam ob rem in Chronologia Cisterciensi* (9) *initia hujus asceterii referuntur ad annum* 1178 *sub nomine* Vallis S. Mariæ. *Subdit Chronicum :* Anno Domini mclxxix conventus venit de Chotene ad Crokesden. *Tanner arbitratur* Chotes *seu* Chotene *idem fuisse* Cotton *seu* Cawton, *membrum dominii de Alveton, sedis præcipuæ familiæ de Verdun. Cotton vero æque ac Crokesden situs erat in Staffordia, in diœcesi Lichfeldensi.*

Limberg.

132 LII *et* LIV. Limberg *in diœcesi et agro Lincolniensi,* lymbroke, *in diœcesi et agro Herefordensi difficultatibus implicantur nonnullis. Monasticum Anglicanum* (10), *nitens Tannero, tradit sequentia de Limberga, seu, ut vocat, Limberga Magna :* Richardus de Humet, conestabularius Normanniæ, dedit tempore Henrici regis II ecclesiam de Limberg monachis Cisterciensibus Alneti seu Aveney in Normannia; penes quos facta et prioratus alienigena, donec eum vendiderunt Cartusiensibus S. Annæ prope Conventriam tempore Richardi II. *Re quidem vera in Charta Richardi de Humet, magnificentissimi Alneti benefactoris, ubi sesqui annum vixit et anno* 1179 *obiit* (11), *legimus* (12). Item ecclesiam de Limbergia cum omnibus appenditiis suis. *Verum ex altera parte Gallia Christiana* (13) *habet :* Limbroke ab Alneto ; *et Catalogus prioratuum Alienigenarum, quos anno* 1414 *suppressit parliamentum Leicestrense* (14) : Limbroke Heref. Aveney in Norm. ; *quibus verbis indicatur Limbroke in Herefordia prioratum fuisse abbatiæ Aveney in Normannia. Hinc Tanner et Monasticum Anglicanum* (15), *ubi de parthenone in Lymbroke seu Lingebrooke in Herefordia dicunt, simul mentionem injiciunt de hoc prioratu alienigena, dubii tamen et incerti.*

et Lymbroke prioratus.

133 *Quid ergo? Sane extra controversiam est ecclesiam Limbergam a Richardo de Humet Alnetensibus concessam fuisse ; neque tantum* Magnam, *ut vulgo scribitur, sed et* Parvam *arbitror ; tum quod in charta nulla fit distinctio, tum quod tempore Henrici VII penes Carthusienses S. Annæ esset* Lymber Magna et Lymber Parva (16). *Verum incredibile videtur in actu authentico, videlicet in Catalogo suppressorum prioratuum,* Limbroke *venire pro* Limberg *et* Herefordiam *pro* Lincolnia : *adde Limbergam anno* 1414 *non amplius fuisse prioratum alienigenam, quum jam pridem ante acquisitus fuisset a Carthusiensibus Anglis, ut habemus ex Charta Richardi II scribentis* (17) : Concessimus eisdem priori et conventui *S. Annæ de Coventria* licentiam adquirendi de abbate et conventu de Aveneye in Normannia prioratum de Lymberg alienig... Habenda etc. in perpetuum. *Neque objiciatur tempore Richardi II plures alios similes prioratus acquisitos fuisse ab Anglis, et dein, bello sedato, Gallis fuisse restitutos : Lembergam enim acquisierunt Carthusienses Coventrienses titulo oneroso,* in recompensationes advocationis *ecclesiæ de Valton, datæ cum adjecto manerio Johanni Delves armigero* (18). *Præterea ex charta illa Richardi II corruit animadversio Taneri, quam satius prætermissent Monastici Anglicani novi scriptores* (19), *nempe non reperiri in Normannia monasterium* Aveney, *nisi corrupte ita a Dugdalio fuerit editum pro* Aulnay ; *nil quippe corrupte edidit Dugdalius : verum sæculo* xiv *et* xv Aveney *seu* Aveneye *vulgare erat* Alneti *nomen in Anglia. Ex quibus omnibus concludendum videtur Alnetensibus olim duos fuisse prioratus, alterum* Limbergam *in Lincolnia, alterum* Limbroke, Lymbroke *seu* Lingebrooke *in Herefordia.*

Portus S. Mariæ

134 LV. Portus S. Mariæ, *alias* Dumbrothy *seu* Dunbrothy *in Wexfordia, in Hibernia, in diœcesi Fernensi, ortum suum habuit secundam Galliam Christianam anno* 1170 (20) ; *secundum Jongellinum* (21) *ejusque catalogos anno* 1171 ; *secundum Waræum* (22) *anno* 1175; *secundum Monasticum Anglicanum* (23) *anno* 1178 *seu etiam post ; secundum Manrique* (24), *Thomam de Burgo* (25), *Gough* (26), *Lanigan* (27), *Lewisium* (28) *et, quod præcipuum est, secundum Chronographiam Cisterciensem* (29) *anno* 1182. *Ex charta fundationis pauca decerpta de fundatore et similibus* Ego Herveius de Monte Morisco marescallus domini regis de Hibernia et senescallus de tota terra Richardi comitis dedi et concessi et hac mea præsenti carta confirmavi Deo et S. Benedicto et monachis de Bilduwas... ad abbatiam construendam de ordine Cistercii has terras *etc.* Testibus Josepho episcopo de Weseford, Fælice episcopo de Ossorie. *Quum itaque tunc temporis nondum constructa esset, sed construenda, quumque Felix non ante annum* 1178 *episcopus Ossoriensis factus sit* (30), *hinc satis manifestum fit a Chronographia Cisterciensi, anno* 1182 *monachos*

(1) Gall. Christ., t. XI, col. 547. — (2) Cfr Annal. Bened. Mabill., lib. lxxix, n. 104, t. VI, p. 476 et seq. — (3) Monast. Angl., t. VII, p. 1024. — (4) Art de vérifier les dates, t. II, p. 897. — (5) Monast. Angl., t. VI, p. 18, n. xiii. — (6) Ibid., t. VII, p. 1024. — (7) Monast. Angl., t. V, p. 661. — (8) T. XI, col. 554. — (9) Annal. Cist. ad 1178, cap. v, t. III, p. 70. — (10) T. VII, p. 1050. — (11) Robertus de Monte, App. ad Sigebertum, ap. D. Bouquet, t. XIII, p. 324. — (12) Gall. Christ., t. XI, inst. col. 89. — (13) T. XI, col. 554. — (14) Monast. Angl., t. VIII, p. 1652. — (15) Ibid., t. IV, p. 181. — (16) Comput. Minist. Monast. Ang., t. VI, p. 19. — (17) Monast. Angl., t. VI, p. 17, n. ix. — (18) Ibid., loc. cit. — (19) T. IV, p. 181, not. *a*. — (20) T. XI, col. 554. — (21) Abbat. Ord. Cist. in Hibern., p. 25. — (22) Ap. Manrique, Annal. Cist. ad an. 1182, cap. v, t. III, p. 127. — (23) T. VII, p. 1130. — (24) Loc. supra cit. — (25) Hibern. Domin., p. 712. — (26) Ap. Camden, Britannia, t. III, p. 546. — (27) Eccles. Hist. of Ireland, t. IV, p. 252. — (28) Topogr. Dict. of Ireland, vº *Dunbrody*. — (29) Ap. Manrique, loc. supra cit. — (30) Cfr Lanigan, t. IV, p. 258.

in

A *in Portum B. Mariæ introductos perhibenti, non esse discedendum.*

seu Dunbrothy. 135 *Gallia Christiana* (1) *facit Portum B. Mariæ filiam Bilduwasiæ, Suchetus, Jongelinus aliique S. Mariæ Dublinensis. Sed facile solvitur nodus ex his, quæ in Notitia de S. Maria Dublinensi referuntur* (2). *Anno scilicet* 1182 *in festo omnium Sanctorum, quum Herveus de Monte Morisco Roberto, Bilduwasiensi abbati, dedisset locum pro Dunbrodensi monasterio, misit hic Alanum suum monachum cum prudenti viro laico, qui concessum locum examinarent. Verum, quum nil aliud reperirent quam vastam solitudinem, transtulit Robertus in abbatem S. Mariæ donationem sibi factam cum jure patrocinii, visitationis et reformationis. Quæ conveniunt cum his quæ congessit Archdallius ex Collectaneis Mss. Harrisii, quæque in Monastico Anglicano* (3) *et apud Lanigan* (4) *cernere est. Refert Carlisle* (5) *SS. Petro et Paulo dicatum fuisse hoc asceterium: verum nonne patronos parochiæ* (6) *tribuit monasterio? Habuit et filiam aut saltem prioratum, scribente Jongelino* (7) : Sanctus Salvator, olim nonnisi prioratus, dependens a monasterio Donbrothiensi, initium habuit anno 1240.
B *Hic et in ejus catalogis additur situm fuisse hunc prioratum in diœcesi Fernensi. Plura non reperio.*

Locus Dei. 136 LVI. Locus Dei, *vulgo* Lieu-Dieu. Anno MCXC tertio Kal. Februarii, *seu die* 30 *Januarii* 1191, abbatia de Loco Dei in Pontivo, *diœcesis Ambianensis : ita Chronographia Cisterciensis* (8). *Exstat diploma fundationis hujus monasterii inter instrumenta Galliæ Christianæ* (9), *item altera charta post institutum abbatem condita, et ad annum* 1191 (10) *pertinens. Paucis hæc complexi sunt Galliæ Christianæ scriptores in hunc modum* (11) *:* B. Mariæ dicatus Locus Dei, filia Fulcardimontis, conditur in finibus diœcesis Rothomagensis juxta oppidulum de Gamaches, a Bernardo de S. Walarico assensu Thomæ filii sui et Aanoris uxoris 1191, et confirmatur a Guillelmo Remensi archiepiscopo uti et a Theobaldo Ambianensi præsule anno 1193.

Corcumroa. 137 LVII. Corcumroæ in agro Clarensi, *in diœcesi de Kilfenora, seu Fenaborensi*, abbatia S. Mariæ *de Petra Fertili*, fundata a Donaldo O'Brien, rege Limerici, anno 1194, aut a filio ejus Donato O'Brien, rege Thomondiæ, anno 1200 : *ita Thomas de Burgo* (12) : *quocum conveniunt Lanigan* (13),
C *Lewisius* (14), *Carlisle* (15) *et Gough* (16), *secuti Waræum, Harrisium et Archdallium. Gallia Christiana* (17), *inhærens Historiæ Furnesiensi* (18), *eam reponit ad annum* 1197 : *quem retinendum arbitror, quoniam catalogi Cistercienses Jongelini eumdem exhibent. Tunc vero temporis contendebant inter se de regno Donaldi filii* (19) : *unde et fundator dubius fit : quin etiam familiæ O'Conchubhair hanc fundationem adscribit Jungelinus* (20). *Initio dicitur filia fuisse Suriensis abbatiæ* (21) : *adeo ut cum matre tradita fuerit Furnesio anno* 1249, *ut ex Historia Furnesiensi* (22) *facile eruitur. Ei aliquando adjuncta fuit cella S. Mariæ de Kilsona seu Kilshanny* (23), *de qua modo.*

Kilsona 138 LVIII. Kilsona, Kilshana, *vulgo* Kilshanny, *in comitatu Clarensi, in diœcesi Fenaborensi* (24), *filia erat Petræ Fertilis seu Corcumroæ; unde et* V. S. R.
Cella Corcumroæ vulgo dicebatur (25), *fundata sub titulo B. Mariæ anno* 1198 (26). *Fundatores frustra inquisivi.*

§ XII. Abbatiæ conditæ post annum 1200.

LIX. Toriniacum *seu* Torigneium, *vulgo* Torigny, *in* Toriniacum. *diœcesi Bajocensi, duplicem habet fundationem ; quarum prior debetur patri et Roberto de S. Remigio, qui monachis de Alneto locum de Boleia concessit*, ea conditione ut si successu temporum, Domino disponente, ipse aut ejus successores possent abbatiam construere in dicto loco, de consilio et providentia Bajocensis et Constantiensis episcoporum et trium Cisterciensis ordinis abbatum, tunc abbas et conventus de Alneto abbatem et conventum ad locum qui dicitur Boleia destinarent, et omnia tam ab ipso (*Roberto*) quam a suo patre concessa et ad eumdem locum pertinentia abbati et conventui de Boleia ex integro relin- E
quere tenerentur perpetuo possidenda. *Hanc donationem firmavit Henricus II Bajocensis episcopus* (27), *qui circa annum* 1200 *donatam a Roberto de S. Remigio fratribus apud Boleiam commorantibus ecclesiam Grainvillæ confirmavit* (28). *Saviniacenses seu Cistercienses ex Alneto monachos tunc temporis Boleiam incoluisse intelligitur etiam ex chartis Guilielmi comitis Glocestriæ monachis de Boleia, et Riulfæ de Hermevilla B. Mariæ et S. Nicolao et monachis de Alneto apud Boleiam servientibus donationes facientium* (29). *At diu eam non tenuerunt, quippe Joannes abbas Alneti eam cum appendicibus fruendam dedit Richardo presbytero de Condeto super Viriam. Sed hujus monasterii rudera ad Boleiam prope ecclesiam S. Nicolai visebantur adhuc anno* 1759 (30). *Altera vero fundatio facta est a Roberto Fabro, canonico Bajocensi et Abrincensi archidiacono, qui anno* 1307, *die Decembris* 15, *dedit Alnetensibus manerium suum de Thorigneio cum aliis multis bonis, ut ibidem sub patrocinio B. Mariæ abbatiam fundarent* (31). *His de Toriniaco monachis juxta auctorum mentem cessit Boleia : ita ut duæ fundationes in unam coaluerint.* F

140 LX. Vallis Crucis, *etiam dicta* Llanegwast, Vallis Crucis
Languest, *etc.*, *confusa fuit (ut supra dictum est) a Monastici Anglicani editoribus cum abbatia de Strata Marcella; et quidem iterum monent in Notitia de Valle Crucis* (32) *eodem nomine designatam fuisse illam abbatiam. Verum ex ipsis monumentis, quæ recitant, facile detegitur error. Scribunt* (33) *itaque ex Lelandi Collectaneis Vallem Crucis seu Llanegwast fundatam fuisse a Madoco, filio Griffith Haylor et principe Powisiæ, circa annum* 1200 *in honorem B. Mariæ V. Similia tradit Tanner* (34) *necnon Jongelinus* (35), *monens insuper eam esse filiam Stratæ Marcellæ, et scriptores alios ad annum* 1180 *ejus fundationem referre. Porro prodeat jam charta fundationis* (36), *quam ad Stratmargel pertinere arbitrati sunt, et commentario aliquo ornarunt* (37). *En verba :*

(1) T. XI, col. 554. — (2) Monast. Angl., t. V, p. 362. — (3) Tom. VII,
p. 1130. — (4) T. IV, p. 253. — (5) Topogr. Dict. of Ireland, v° *Dunbrothy*.
— (6) Ibid., loc. cit. — (7) Abb. Ord. Cist. in Hibern., p. 30. — (8) Annal.
Cist. ad an. 1190, cap. VII, t. III, p. 243. — (9) T. X, inst. col. 328 et
seq. — (10) Ibid., inst. col. 329 et seq. — (11) Tom. cit., col. 1341. —
(12) Hibern. Domin., p. 713. — (13) Eccl. Hist. of Ireland, t. IV, p. 325
et 335. — (14) Topogr. Dict. of Ireland, v° *Abbey*. — (15) Ibid., v° *Corcomroe*. — (16) Ap. Camden. Britannia, t. III, p. 578. — (17) T. XI,
col. 554. — (18) Monast. Angl., t. V, p. 550. — (19) Cfr Vallancey's
Collectanea., t. I, p. 601. — (20) A. O. C. in Hibern., p. 28. — (21) Carlisle. Topog. Dict. of Ireland, v° *Corcomroe* et Lewisius, v° *Abbey*.
— (22) Monast. Angl., t. V, p. 250. — (23) Carlisle l. c. ex Archdallii
Monast., p. 44; Th. de Burgo, Hib. Dom., p. 713; Iongelinus, A. O. C.
in Hib., p. 28. — (24) Carlisle, Topogr. Dict. of Ireland, v° *Killshanny*.
— (25) Jongelinus, A. O. C. in Hib., p. 28. — (26) Ibid., et Th. de Burgo,
p. 713. — (27) Gall. Christ., t. XI, col. 456. — (28) Ibid., col. 365. —
(29) Ibid., col. 456. — (30) Ibid., l. c. — (31) Tom. cit. instr., col. 100. —
(32) Monast. Angl., t. V, p. 720. — (33) Ibid., loc. cit. — (34) Ap. Carlisle,
Topogr. of Wales, v° *Llan Tysilio*. — (35) A. O. C. in Angl., p. 10. —
(36) Monast. Angl., t. V, p. 637, n. I. — (37) Ibid., p. 636, not. *a*.

Ego

V. D. B. Ego Madocus Griffini filius... dedi et concessi et hac præsenti charta mea confirmavi Deo et B. Mariæ et monachis de Stratmarkell villam quæ vocatur Llynlicquestell... ad construendum ibidem monasterium in honorem Dei et B... Mariæ; et ut conventus Cisterciensis ordinis ibi jugiter Deo militaret. Hanc, inquam, dedi rogatu venerabilium personarum, videlicet IV abbatum, quorum ista sunt nomina Petrus dictus abbas de Alba Domo, Deniawal de Stratflur, Philippus abbas de Stratmarhell, Rind. de Cumhir.

seu Llanegwast. 141 *Datur itaque Stratæ Marcellæ villa Llynlicquestell ad construendum monasterium, quoniam illinc educenda erat seu educebatur colonia; et sane centies in diplomatibus, quæ in ipso Monastico Anglicano edita sunt, videre est primam donationem fieri matri, postmodum vero confirmari filiæ. Quum vero futurus Vallis Crucis abbas jam benedictus esset (cfr supra n. 55 et 56), hinc et ipse inter testes venit cum abbate Stratæ Marcellæ his notis :* Hiis testibus, Phill. abbate de Polaiphill, abbate de Valle Crucis, *immo* Phill. abbate de Pola *seu de Strata Marcella,* Phill. abbate de Valle Crucis, *etc. Postea condita fuit alia charta* (1), *qua hæc donatio confirmata* B *est Valli Crucis, et in qua legimus :* Ego Madocus filius Griffini,... dedi etc. Deo et B. Mariæ et monachis de Valle Crucis... totam villam quæ dicitur Linneguestel... Facta est hæc donatio nostra anno Incarnationis Dominicæ MCCXXII. Hiis testibus I. tunc temporibus abbate *etc. Hæc itaque confirmatio facta fuit sub secundo abbate, viginti annis post fundationem, quam non tantum prœcitati scriptores, sed et Chronographia Cisterciensis secundum calculum Florentinum ad annum* 1200 *refert his verbis* (2) : Eodem anno, quinto Kalendas Februarii, *seu die 28 Januarii,* abbatia de Valle Crucis. *Sita autem erat in agro Denbiensi, in diœcesi S. Asaphi.*

Vallis S. Salvatoris. 141 LXI. Vallis S. Salvatoris, *etiam dicta* Douska (3), Duiske, Dubhuisce (4), *vulgo* Graig *seu* Graigenamanagh (5) *in agro Kilkenniensi, in diœcesi Leghlinensi, nunc unita Darensi, ita illustrata occurrit Jongelino* (6) *in registro ejusdem cœnobio :* Anno 1101, al. 1203, venit conventus de Stanleja ex Anglia in Hiberniam, qui primo habitavit apud Loghmeram (*Lough-meran*) juxta Kilkenniam, deinde apud Athamolt (*Athermolt*) et postea apud Castrum, ultimo in loco ubi nunc fuit et vocatur locus S. Salvatoris alias de Duiske. C *De prima fundatione Flatsburius in suo Chronico* (7) *ad annum* 1203; Fundata est, *inquit,* abbatia de S. Salvatore, id est Dubbuisce, isto anno et sequenti ædificatur. *Atque hinc factum est ut in Chronologia Cisterciensi* (8) *ad* III *Kal. Augusti anni* 1204 *signetur, multo sane rectius quam in Catalogo Cisterciensi Jongelini ad annum* 1202. *Ast cum registro S. Salvatoris pergamus :* Anno 1207 Guilelmus Mareschallus, *comes de Pembrock,* venit in Hiberniam, *et anno* 1212, *ut vult Archdallius* (9), *dedit Cisterciensibus vallem de Duiske, ut ibidem conderent S. Salvatoris abbatiam. Partem diplomatis recitat Jongelinus* (10) *Ab anno* 1227 *filiam habuit Vallem Dei alias* Glandy.

Portus regis. 143 LXII. Portus regis, Porretum *et* Porregium, *vulgo* Porrois, *postea* Port royal des champs, *in* D *diœcesi Parisiensi, fundatores agnoscit Odonem de Sully et Mathildem de Garlanda uxorem Matthæi I d'Attigny. Manus admota fuit operi anno* 1204, *moniales ibidem ex titerunt saltem ab anno* 1106; *immediate subjectæ abbati Cistercii. Mense Martio anni* 1214 *veteri stylo, seu* 1215 *novo stylo, (ut liquet ex adjecto anno* VII *pontificatus Petri episcopi Parisiensis,) in abbatiam erectus est ille parthenon et abbatiæ Vallium Sernaji subjectus. Patrona erat B. Maria* (11). *Ejus fata sub rege Christianissimo Ludovico XIV ignorat nemo. De præsenti hujus loci compositione valde singularia narrat R. D. Baliche in notitia de Ludovico Silvy, qui conservandis Jansenismi reliquiis monumentis vitam impendit et opes* (12).

144 LXIII. Claretum. *Gaufridus, comes Perticensis, voto se adstrinxerat ad ædificandum monasterium. Morbo detentus, Mathildem conjugem adjuravit ut hoc suum propositum perficeret; precibus annuit pia mulier et locum in nemore de Clareto in diœcesi Carnotensi construendæ elegit abbatiæ; quæ inde Claretum, vulgo* les Clairets, *dicta est. Diplomate, mense Julio anni* 1204 *dato, voluit ut ille parthenon de filiatione Claræ vallis esset. Matre morte* E *prærepta, inchoatum opus continuarunt Thomas filius et Guillelmus episcopus Catalaunensis, Pertici comites, et nova addiderunt bona annis* 1213 *et* 1218 : (13) *quo anno primum inductæ videntur moniales et dedicatum fuit templum sub vocabulo B. Mariæ V. Filia erat Trap æ* (14). Claretum

145 LXIV. Abbatia de Abbington, *etiam dicta* Owney, Wotheney (15), Woney, Wodeney, Wetheney (16), *adeoque* Whytnea *seu* Whetnea (17) *et* Watenejum (18), *in agro et diœcesi Limericensi, fundata est secundum Historiam Furnesiensem* (19) *et Galliam Christianam* (20) *anno* 1188; *secundum Thomam de Burgo* (21) *anno* 1189; *secundum Lewisium* (22) *aliosque vel anno* 1189 *vel* 1205; *demum pro sententia Lanigan* (23), *Monastici Anglicani* (24), *Gough* (25), *Carlisle* (26) *sequentis Archdallium* (27) *et cæterorum anno* 1205; *qui et notatur in catalogis Cisterciensibus Jongelini et in Chronographia Cisterciensi* (28), *ubi ad* XI *Kal. Aprilis hujus anni notatur* abbatia Hiberniæ de Vetherai, alias de Wetheni. *Verum hanc temporis notationem pro vario stylo vel ad annum* 1205 *vel* 1206 *referri posse jam diximus. Fundator fuit Theobaldus Walteri, pincerna* F *Hiberniæ, frater Huberti, archiepiscopi Cantuariensis* (29), *ut liquet ex ejus diplomate, introductis jam monachis concesso paulo ante mortem. In monastico Anglicano* (30), *ab Archdallio* (31) *atque hinc ab Lewisio* (32), *Carlisle* (33) *aliisque asseritur primam coloniam eductam fuisse Saviniaco; contra in Historia Furnesiensi* (34) *eam exiisse Furnesio : hujus potior videtur auctoritas, quum non hinc tantum, verum et ex Sucheti catalogo constet Abbingtonem seu Wothenejum Furnesii filiam fuisse. Patrona autem erat B. Maria.* Abbington.

Moncejum. 145 LXV. Moncejum, *quem* Montem cœlestem *ex præpostera religione etiam appellarunt, vulgo* Moncey *seu* Moncé, *initio prioratus fuit, collectus ex virginibus eremiticam vitam ducentibus* (35),

(1) Monast. Angl., t. V, p. 637, n. II. — (2) Annal. Cist. ad an. 1170, cap. IX, t. III, p. 868.— (3) Th. de Burgo, Hib. Dom., p. 744.— (4) Jongelinus, A. O. C. in Hib., p. 29. — (5) Carlisle, vº *Graig*. — (6) Loc. sup. cit. — (7) Ibid., loc. cit. — (8) Annal. Cist. ad an. 1204, cap. XI, t. III, p. 440. — (9) Mon. Hib., p. 351. — (10) Loc. sup. cit. — (11) Gall. Christ., t. VII, col. 910 et seqq. Inst. 81 et seqq.— (12) Biogr. univ. suppl., t. LXXXII, p. 241.— (13) Gall. Christ., t. VIII, col. 1324, inst. col. 349 et seq.— (14) Suchetus, Vita S. Bernardi Tiron., p. CCLXXVI, et Gallia Christ., t. XI, col. 553.— (15) Lewis., Topogr. Dict. of Ireland, vº *Abington* : Monast. Angl., t. VII, p. 1136.— (16) Jongelinus, A. O. C. in Hib., p. 29; Th. de Burgo, p. 743. Lewis. loc. cit., etc. — (17) Hist. Furnes. ap. Monast. Angl., t. V, p. 250.— (18) Suchetus, p. CCLXXVIII. — (19) Monast. Angl., t. V, p. 250. — (20) T. XI, col. 554. — (21) Hib. Dom., p. 743.— (22) Loc. sup. cit.— (23) Eccles. Hist. of Ireland, t. IV. p. 336. — (24) T. VII, p. 1136. — (25) Ap. Camden, Britannia, t. III, p. 519.— (26) Topogr. Dict. of Ireland, vº *Abington*.— (27) Monast. Hiber., p. 411. — (28) Annal. Cist. ad an. 1205, cap. VIII, t. III, p. 4?7. — (29) Monast. Angl., t. VII, p. 1137.— (30) T. VII, p. 1136.— (31) Monast. Hibern., p. 411.— (32) Loc. sup. cit.— (33) Loc. sup. cit.— (34) Monast. Angl., t. V, p. 250.— (35) Martene, Voyage littér., t. I, p. 64 et Beaunier, Recueil des abbayes, t. II, p. 900. Cfr Dict. La Martinière et Moréri.

anno

A *et anno 1652 in abbatiam mutatus. Fundator fuit Sulpicius, Ambasiensis Dominus; cujus donationes anno 1209 ratas habuit Joannes, Turonensis archiepiscopus, in cujus diœcesi situs erat ille parthenon* (1). *Filia erat Fontium Alborum; titulum non reperio.*

Granarda.

147 LXVI. Granarda, *seu* Lerha, Larah, Larhe, juxta Granardam, *vulgo* Abbey--Laragh, *in comitatu Longofordiensi, in diœcesi Ardachensi, fundatur secundum Guilielmum Cobbeth* (2) *et Lewisium* (3) *anno* 1205, *secundum Thomam de Burgo* (4) *et Gough* (5) *circa annum* 1210, *secundum Jongelinum* (6) *anno* 1211, *secundum Flatsburium* (7) *anno* 1212, *et demum secundum Chronographiam Cisterciensem* (8) *triplici diversoque modo:* Anno mccxiv septimo Kalendas Aprilis *seu die* 26 *Martii* fundata est abbatia Grenad, [Grenart, de Granath] in Hybernia. *Equidem non dubito quin Guilielmo Cobbett et Lewisio bona præluxerint documenta; et proin facile admittam anno* 1205 *huic ascecterio initium datum fuisse, sed anno* 1214 *monachos illuc fuisse introductos; et quidem quum illi addant Richardum de Tuite, de Tuit seu de Tuyt (quem omnes fundatorem fuisse consentiunt), anno* 1211 B *sub ruinis turris Atholensis occubuisse, sequitur monachorum introductione ejus morte posteriorem esse: cujus rei alia similia exempla obvia jam fuere. Porro primi monachi exierunt cum abbate suo ex S. Maria Dublinensi* (9) *et novo cœnobio communicarunt titulum B. Mariæ* (10).

Hiltona.

148 LXVII. Hiltona *seu* Hultona, *in Staffordia et diœcesi Cestrensi, refertur a Sucheto inter Cumbermeræ filias; quocum consentit Ormerod* (11). *Ejus fundationem signant Annales Parcoludenses ad annum* 1219 (12); *sed charta tamen fundationis ad annum* 1223 *pertinet. En verba* (13): Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo vigesimo tertio ego Henricus de Andethele *(Audley)*.... do atque concedo et præsenti charta confirmo Deo et S. Mariæ et abbati et monachis meis villam de Hulton..... ad fundandum cœnobium monachorum ordinis Cisterciensis. *Verum tunc temporis introducti jam erant aliquot monachi, quum eos suos jam appellet, et inferius loquatur de eorum successoribus. Similiter Herveus de Stafford concessit* Deo et B. Mariæ et abbatiæ et monachis de Hulton ibidem Deo servituris *terram quamdam pro alia*, quam Simon de Verney dederat abbatiæ et monachis de Hulton (14). C *Patrona erat B. Maria* (15).

Vallis Dei.

149 LXVIII. Vallis Dei, *vulgo* Glandy (16) *seu Glandie* (17), *in comitatu et diœcesi Corcagiensi, non omnino præteriit Archdallium et Carlisle, nitidius vero illustratur ab Jongelino* (18): Vallis Dei, *inquit*, filia Ieripontis cœnobii, fundatur et unitur anno 1227 in festo B. Mariæ Magdalenæ (22 *Julii*) monasterio S. Salvatoris alias de Douske sive Duiske per Bernardum Frigidi Montis in Gallia abbatem, visitatorem Hiberniæ, dum eodem anno in Hiberniam venisset. *Ad annum* 1227 *notatur item in Catalogis Cisterciensibus.*

Thesaurus B. Mariæ.

150 LXIX. Thesaurus B. Mariæ, *parthenon diœcesis Rothomagensis, Vallibus Cernaji sub linea Clarævallis obnoxius, anno* 1228 *a Radulpho du Bu milite, non longe a dextra fluminis Eptæ ripa, fundatus fuit sub vocabulo B. Mariæ V.; moniales vero ex abbatia Hispaniæ diœcesis Ambianensis deductæ: at piissimus rex S. Ludovicus tot ac tanta postea in dotis augmentum contulit, ut novi parthenonis fundator jure ac merito ab omnibus habeatur* (19). v. p. 1...

S. Salvator.
Innislonnagh

151 LXX S. Salvator, *prioratus Dunbrothy; de eo dictum fuit ubi de Dunbrothy ad num.* LV. LXXI. Innislonnagh, *a quibusdam* (20) *dictum fuit* Yneselelughenught, *ab aliis* (21) Inislaunaght, *atque etiam de* Surio *in Historia Furnesiensi et Gallia Christiana, a Jongelino, a Thoma de Burgo* (22), *a Waræo* (23) *aliisque, quod Surio flumini insidet* (24) *seu ejus undis duas secatur in partes* (25). *Ut autem sileam de rebus, quæ ad S. Patricii tempora pertinerent, de Suriensi seu Innislaunactensi cœnobio, quantum ad Cistercium seu Saviniacum spectat, unice dicam. Gallia Christiana* (26), *male intelligens Historiam Furnesiensem, ejus ortum retulit ad annum* 1249; *Lewisius* (27) *secundum Waræum* (28) *ad annum* 1187; *Thomas de Burgo* (29) *ad annum circiter* 1184; *Lanigan* (30) *ante ultimum adventum S. Malachiæ in Galliam, seu ante mensem Novembrem anni* 1148; *nisi Suriense paulo* E *post sublatum fuerit, deinceps vero ibidem aut alio in loco restitutum. Verum ego non video quare discederetur a catalogis Cisterciensibus Jongelini, in quibus constanter assignatur ejus fundatio anno* 1151 (31).

seu Surium.

152 *Re quidem vera his opponunt verba quædam S. Bernardi, qui de juvene inter Cistercienses a S. Malachia admisso subdit* (32): Apprehensumque manu sua tradidit abbati Congano nostro *(cui inscribitur S. Malachiæ Vita* (33),) et ille fratribus. Ipse vero juvenis, adhuc (ni fallor) vivens primus Conversus laïcus Suriensis monasterii, testimonium habet ab omnibus, quod sancte conversetur inter fratres secundum ordinem Cisterciensem. *Ast quum tunc temporis tot fundarentur monasteria, facile fieri potuit ut juvenis ille anno* 1151 *cum reliqua colonia missus fuerit Surium, et ita ibidem primus conversus factus sit, ante jam aliquot annos in alio monasterio conversatus. Urgeri tamen posset opusculum S. Bernardi de Vita S. Malachiæ scriptum fuisse ineunte anno* 1149, *ut tradit Mabillonius* (34), *aut saltem intra ejusdem anni spatium, volunt alii* (35), *et proin Suriense monasterium ante hoc existitisse tempus.* F *Sane everteretur his omnino Cisterciensium catalogorum auctoritas, si certo constaret anno* 1149 *S. Malachiæ Vitam exaratam fuisse; verum ita non est: meram enim hic obviam habemus conjecturam eruditissimi utique viri, sed conjecturam tamen nullo argumento suffultam; adeoque multo facilius potuit S. Bernardus discipuli sui S. Malachiæ gesta anno* 1153, *ultimo vitæ suæ, conscribere quam anno* 1149. *Initio autem matrem habebat Suriense monasterium abbatiam Nenay seu de Magio* (36) *in agro Limericensi ad fluvium Magium, anno* 1148 *fundatam secundum Cisterciensem Chronologiam* (37) *aliaque monumenta, et anno* 1151 *diplomate fundationis instructam* (38). *Sed hic rerum*

(1) Maan, Ecclesia Turon., p. 134: — (2) Hist. of the reform. in Engl. and Irel., t. II, p. 236, edit Baltimore. — (3) Topogr. Dict. of Ireland, v° *Abbeylaragh.* — (4) Hib. Domin., p. 743. — (5) Ap. Camden. Britann., t. III, p. 574. — (6) A. O. C. in Hib., p. 30. — (7) Ibid., l. c. — (8) Annal. Cist. ad an. 1214, cap. viii, t. IV, p. 49. — (9) Jongelinus, p. 30. — (10) Th. de Burgo, p. 743. — (11) Hist. of Chesh., t. III, p. 209, ap. Monast. Angl., t. V, p. 321. — (12) Monast. Angl., t. V, p. 715. — (13) Ibid., p. c., n. i. — (14) Ibid., p. 716, n. ii. — (15) Ibid., p. c., n. iv. — (16) Carlisle, Top. Dict. of Ireland, hoc v°. — (17) Jongelinus, A. O. C. in Hib., p. 30. — (18) Ibid., loc. cit. — (19) Descript. de la haute Normandie, t. II, p. 335 et Gall. Christ., t. XI, col. 325. — (20) Hist. Furnes. ap. Monast. Angl., t. V, p. 250; Gallia Christ., t. XI, col. 554. — (21) Th. de Burgo, Hibern. Domin., p. 742; Jongelinus, Abbat. Ord. Cist. in Hibern., p. 24. — (22) Locc. cit. — (23) Ap. Lanigan. Eccl. Hist. of Ireland., t. IV, p. 130. — (24) Th. de Burgo, loc. cit. — (25) Cfr Carlisle. Topogr. Dict. of Ireland, v° *Innislounagh*; et Lewis. Topogr. Dict. of Ireland, v° *Innislounagh.* — (26) T. XI, col 554. — (27) Topogr. Dict. of Ireland, v° *Innisnoulagh.* — (28) Ap. Jongelinum, A. O. C. in Hib., p. 24. — (29) Hib. Dom., p. 742. — (30) Eccles. Hist. of Ireland, t. IV, p. 128 et seqq. — (31) Cfr A. O. C. in Hib., p. 24. — (32) Opp. S. Bernardi, edit. 2ª Mabillonii, col. 692. — (33) Ibid., col 663. — (34) Opp. S. Bernardi, p. 410, n. ii. — (35) Hist. litt. de France, t. XIII, p. 208. — (36) Jongelinus, A. O. C. in Hib., p. 24. — (37) Annal. Cist. ad an. 1148, cap. xvi, t. II, p. 123. — (38) Cfr Jongelinus, l. c.; Annal. Cist., t. II, p. 125, et alii passim.

status

V. D. B.

status postea mutatus est; etenim, teste historia Furnesiensi (1), *abbatia* de Surio diu post ejus fundationem data est *Furnesio* in filiam per abbatem Clarevallis et per capitulum generale, *anno nempe* 1249 (2). *Situm erat Surium seu Inislonnagh in diœcesi Lismorensi, fundatum a viro principe ex familia (ut videtur) O'Brien sub patrocinio B. M. V.* (3).

Buckland.

153 LXXII. Buckland, Bockland, Boclond, Bucklandia, *seu* Locus S. Benedicti de Bocland, *in Devonia et diœcesi Exoniensi, sub patrocinio B. Mariæ V. et S. Benedicti fundata fuit ab Amicia comitissa Devoniæ, assumptis monachis ex Quarera. Chartæ fundationis* (4) *pro more Anglicano annus additus non fuit; ast cl. v. Oliver in Collectaneis historicis de monasteriis Devoniæ assignat annum* 1278 (5) : *quod a vero abludere non posse videtur propter duas epistolas, anno* 1280 *datas a Waltero Exoniensi episcopo, qui Bucklandenses monachos excommunicarat, quod absque sua auctoritate in diœcesi sua sacra celebrarent* (6).

Novum Castrum.

154 LXXIII. Novum Castrum *in Normandia, seu* Neufchatel-en-Brai, *olim* Driencuria *seu* Drincuria (Drincourt) *ante finem sæculi* XII *acceperat nosocomium, cui inserviebant canonici regulares; quibu-* B *anno* 1652 *successerunt aliquot moniales ex Bis valle, quæ antea ab anno* 1641 *aliam sedem Novi Castri consecutæ erant. Anno tantum* 1725 *adeptæ fuere abbatissam. Primævus fundator fuit vir quidam, nomine Robertus Burgundio; patronus ecclesiæ S. Thomas Cantuariensis* (7).

Yvetot.

155 LXXIV Yvetot. *Anno* 1647 *tentarant aliquot Bivallenses moniales, permittente Rothomagensi præsule, novam sedem condere in burgo* d'Aufai, *sed minus feliciter. Admisit eas in suum dominium de Yvetot anno* 1657 *Carolus de Bellay, dominus de Yvetot; eisque præfecit priorissam Rothomagensis archiepiscopus. Prior earum ædicula titularem habebat S. Hyacinthum; nova, anno* 1711 *exstructa, B. Mariam V.* (8).

Congregatio Trappensis.

156 LXXV. Congregationis Trappensis *originem et fata potius prætermittimus quam indicamus ne longius quam par est a Saviniaco discedamus.*

§ XIII. Abbatiæ dubio jure aut male inter Saviniacenses relatæ, aliæque quarum corruptum fuit nomen.

C

Abbatiæ aliquot quarum vel nomen corruptum legitur.

Licet *Sucheti catalogus filiationis Saviniacensis nævis scateat compluribus, quum tamen omnium copiosissimus sit ex his qui circumferuntur, operæ pretium fuerit hic loci ea nomina recensere, quæ vel nimium corrupta sunt qua* .. *ut facile intelligantur, vel incerto jure aut etiam falso intrusa fuere.* Conquesac, Cogesac, Coggestallum *refert* Cogeshallam; Londevilla Bondevillam; Caldra Souchened, *alias* Locus Dei, *et inferius* Condra Caldram; Mamma Manwel; Watheneyum Abbingtonem *seu* Whytneyum; Straguleia *inter filias Furnesienses*, et Stranlea *seu* Stransleya *inter Quarrerienses* Stanlegham. Eussinum in insula Immania Russinum in insula Mannia; Ynis Lenachea Surium *seu* Innis-lonnagh; Hysnes Carricam *seu* Ines, *dictam etiam* Insulam D Curcii; S. Crux de Waterlauyn S. Crucem *in diœcesi Casselensi*; Vallis S. Mariæ Crodeme *abbatiam* Crokesdemensem; Bolilandia Bellamlandam; Stanlana *et* Locus Benedictus de Scalauna Stanlaw; Pultona Deu la croisse Pultonam *seu* Dieulacres; Portus S. Maria, *filia S. Mariæ, seu* abbatia de Bredino, *filia Dimelin, eadem est ac* Dunbrothy, *filia S. Mariæ Dublinensis, (Dublinum dicebatur olim* Develin (9), *hinc corrupte* Dimelin); Grevardum in Hibernia *ad* Granardam *spectat*; Basneret *et* Basmaneich, *utraque in Wallia, videntur repræsentare* Basinkwerk *et* Stratam Marcellam.

vel extra filiationem suam referuntur.

158 *Inter filias Furnesii occurrit itidem apud Suchetum duplex abbatia* de Rochen *utraque in Anglia; vix dubito quin duplex hoc asceterium istuc intrusum sit, et nil sit aliud quam abbatia* de Rupe *seu* de Roche, *in diœcesi Eboracensi* III *Kal. Augusti anni* 1147 *secundum Chronographiam Cisterciensem* (10) *fundata, consentiente Monastico Anglicano* (11). *Verum hæc erat filia Novi Monasterii, de linea quidem Claræ vallensi, non vero de familia Saviniacensi* (12). *Aliam homonymam nec in Anglia, nec in Wallia, nec in Hibernia reperio. Inter Furnesii filias recenset item Suchetus* Vedeux *in Hibernia; ast nullum nomen huic similius reperio quam* E Vaudey *seu* Vallem Dei, *in agro et diœcesi Lincolniensi, medio fere anno* 1147 *fundatam, filiam Fontium in Anglia* (13); *verum hæc iterum ad Saviniacenses non spectant. Filiabus Bilduuasiæ annumerat similiter* Benedictionem Dei in Hibernia in diœcesi Midensi: *ast iterum erronee: est enim unum ex nominibus Athlonæ, seu abbatiæ SS. Petri et Benedicti, filiæ Mellifontis, anno* 1150 *fundatæ* (14). *Ex dictis satis manifestum est in Sucheti catalogo filiationem abbatiarum turbatam esse, et eadem cœnobia bis aut ter, mutato aliquantisper nomine, prodire; ast ea tantum hic indicavi, quæ morari possent lectorem. Supersunt et similia castiganda aliis in libris, maxime quæ pertinent ad monasteria Saviniacensibus attributa, quæ vel monasteria vel veri nominis prioratus non fuisse videantur, vel quæ Saviniacensium legibus numquam paruerint.*

Dunæ abbatia dubie Saviniacensis;

159 *Hæc inter primo loco venit abbatia B. Mariæ de* Dunis, *an.* 1107 *in agro Furnensi, ab initio in diœcesi Morinensi, dein Iprensi, fundata, et anno* 1626 *aut* 1627 *in civitatem episcopalem Brugas translata. Complures scriptores eam Saviniacensem faciunt, priusquam anno* 1137 *Cisterciensium leges* F *subiret. Re quidem vera Ligerius, cui prima ejus exordia debentur, S. Vitalis discipulus fuisse traditur; verum, quum hujus palæstram deseruerit Ligerius, dum Saviniaci eremitica vita adhuc duceretur, seu priusquam initium datum esset abbatiæ, quumque aliunde nulla appareant vestigia jurisdictionis, quam in Dunenses exercuissent vel S. Vitalis vel B. Gaufredus, nulla adesse videtur ratio ob quam ad filiationem Saviniacensem hoc monasterium referamus. Cæterum qui plura de hoc monasterio voluerit, dabunt ea Jongelinus* (15), *Gallia Christiana* (16), *Henriquez* (17), *Sanderus* (18), *Iperius* (19), *et maxime Adrianus De But, cujus Chronicum Dunense et supplementum cum appendice seu Auctario Caroli De Visch edidit anno* 1839 *Societas æmulationis Brugensis, ad calcem adjiciens codicem diplomaticum.*

Manuel non Saviniacensis.

160 Manuel *Suchetus profert inter filias Furnesii* abbatiam

(1) Monast. Angl., t. V, p. 250. — (2) Ibid., paulo sup. — (3) Thomas de Burgo, Jongelinus, etc. — (4) Monast. Angl., t. V, p. 712 et seq. — (5) Ibid., p. 712. — (6) Ibid., p. 713. — (7) Descript. de la haute Normandie, t. I, p. 148 et seqq. — (8) Ibid., p. 190. — (9) Camdeni Brit. ed. Gough, t. III, p. 548; et alii passim. — (10) Annal. Cist. ad an. 1147, cap. XIV. t. II, p. 90. — (11) T. V, p. 501. — (12) Cfr Jongelinus, A. O. C. in Ang., p. 10; et Fundatio Novi Mon. ap. Mon. Ang., t. V, p. 399. — (13) Fundat. Vallis Dei, ap. Monast. Angl., t. V, p. 490, n. I, et Jongelinus, A. O. C. in Ang., p. 8. — (14) Th. de Burgo, Hib. Dom., p. 743; Jongelinus, A. O. C. in Hib., p. 23. — (15) A. O. C. in Belgio, p. 21 et seqq. — (16) T. V, p. 284 et seqq. — (17) Fasciculus SS. O. C., lib. I, p. 174 et seqq. — (18) Flandria Illust., t. I, p. 246. — (19) Chron. S. Bertini, ap. Martene

A abbatiam de Mamma, *distinctam a Russinensi in Mannia; Gallia Christiana :* Mawmaniel, *habet* (1), filia Furnesii, fundatur in insula Mamnæ anno 1140. *Jongelinus in Catalogo abbatiarum secundum sedes in capitulo et in Notitia abbatiarum Cisterciensium in Scotia* (2) *perhibet* Manwel cœnobium esse in Sterlinia, Scotiæ regione, cujus fundator circa annum 1140 perhibetur S. Macolmus, cognomento Virgo, futurus Scotiæ rex. *Verum hæc omnia mihi valde dubia sunt : nam imprimis hæc inter se non cohærent; deinde in veteri Historia Furnesiensi* (3) *occurrit catalogus filiarum Furnesii : verum has inter non apparet similis abbatia : tertio Carlisle* (4), *qui omnium accuratissimam notitiam de hoc asceterio dedit, adstruit fuisse parthenonem Cisterciensium monialium, dictum* Manuel *seu* Emanuel, *et circa annum* 1156 *in diœcesi Dunblanensi a Malcomo rege fundatum ; quin etiam unam alteramque priorissam ad sæculum* XII *producit* (5); *a quibus non dissentit Camdenus* (6); *quarto demum in Chronographia Saviniacensi, quæ virorum cœnobia fere indicat, ad annum* 1146 *non prodit abbatia de* B Mamma, Mawmaniel, Manwel, Emanuel *etc.*

Lielrede, non Saviniacensis.

161 Lielrede *seu* Beatitudo. *Manrique* (7) *affirmat ad annum* 1146 *a se in Hibernia tres reperiri Beatitudines : primam, etiam Nolide dictam, filiam Clarævallis; secundam, quam et Lielrede appellat, filiam Turnesii, imo Furnesii, de filiatione Saviniacensi : tertiam demum, cui et nomen Bertif, filiam Mellifontis. Verum de secunda, ut paucis dicam, nil reperio apud Jongelinum inter abbatias Hiberniæ, nil apud Thomam de Burgo, nil in Catalogo filiarum Furnesii.*

Dragonis fons confusa cum Larha Granard.

162 Drogonis-fons, al. *Gruchn Grenard,* fundatur anno saltem 1154 : *ita Gallia Christiana* (8); *verum error est, ex diversitate nominum unius abbatiæ ortus.* Drogonis-fons *enim aliquando dicebatur abbatia* Stanleghensis, *dum adhuc apud Locwellam sita esset. Vide supra num.* XXXVIII. Gruchn Grenard *petitum videtur ex* Larha Granard *in Hibernia. Vide supra num.* LXVI.

Bona requies non Saviniacensis.

163 Bonam-Requiem, *in Corisopitensi diœcesi anno* 1172 *Kal. Maii fundatam secundum Chronographiam* (9) *et anno* 1184 *ab Alano III uicecomite de Rohan diplomate fundationis instructam* (10), *accenset Gallia Christiana nova Saviniacensibus monasteriis; verum eam in catalogo Saviniacensi prætermittit Suchetus ; et Sammarthani* (11), *Beau-* C *nier* (12) *et R. D. Tresvaux* (13) *eam filiam abbatiæ de Boquen faciunt in diœcesi Sancti Brioci ; et quidem Manrique* (14, *Henriquezium confutans qui eam tribuit abbatiæ de Re ut matri et simul lineæ Cistercii (licet Re ad Cistercium non pertineret), testatur eam* in tabulis ecclesiarum Cistercii filiam Bochian dici ; *quocum consentit Jongelinus in catalogo Cistercii ad annum* 1184. *Quocirca, quum universa series Saviniacensis ad lineam Clarævallis pertineret, patet undique errorem irrepsisse in Galliam Christianam.*

Bellus Beccus in Hibernia, potius manerium quam prioratus.

164 Bellus-Beccus, *vulgo* Beau bec (15), *et in Gallia Christiana* (16) *dictus* Belbech, *ad confluentem duorum fluminum in agro et diœcesi Midensi* (Meath) *prope Pontanam seu Drogheda in Hibernia situs, et titulo B. Mariæ V. insignis* (17), *manerium prius erat Belli-Becci Normanniæ, fundatum a Waltero de Lascy circa annum* 1147 *secundum Galliam Christianam* (18) *et sæculo* XIII *secundum Thomam de Burgo* (19). *Atque huic adhærendum esse ex duplici capite liquet : etenim Walterus de Lascy seu Lacy vivebat tempore Henrici III* (20); *et dein in Charta Eduardi III* (21), *qua recensentur edita de hac cella instrumenta, traditur solus Henricus III donationem hanc confirmasse anno regni sui* XX ; *qui a die* 28 *Octobris anni* 1235 *currebat* (22). *Consentiente Eduardo III, qui Angliæ regnum ab anno* 1327 *ad* 1377 *tenuit* (23), *monachi de Bello-Becco tradiderunt hoc manerium Furnesiensibus* (24) : *ex quo eorum filiam eam faciunt* (25). *Ex Monastico Anglicano novo* (26) *hæc Eduardi III charta data est anno* 1333 *die quarta Maii. Ibidem in dubium vocatur utrum ante hunc annum cella seu monasterium fuerit; desidero et ego probationes, quibus constet Bellum-Beccum umquam fuisse asceterium etiam sub Furnesiensibus.* E

Arcloa : dubium an sit umquam conventus Saviniacensis.

165 Arcloa, *seu* Arclovium, *hibernice* Jonubheur-More, *seu* Innivermore, *anglice* Arklow *et* Arclo *in Wicloensi comitatu Lageniæ, et in diœcesi Glandalacensi, a sæculo* XII *Dubliniensi adjecta. De hoc asceterio mirum in modum varii sunt scriptores. Thomas de Burgo* (27), *Carlisle* (28), *Gough* (29), *Archdallius* (30), *aliique scribunt id monasterium fuisse FF. Prædicatorum, anno* 1264 *a Theobaldo IV pincerna Hiberniæ, anno* 1285 *denato, fundatum sub vocabulo S. Spiritus. Contra Monasticum Anglicanum* (31) *et Lewisius* (32) *statuunt abbatiam Cisterciensem fuisse initio saltem. Re quidem vera ille idem Theobaldus pincerna, qui Abbingtonem fundavit, dedit* Monachis Cisterciensis ordinis qui exierunt de abbatia de Furnesio *(i. e. Abbingtonensibus)* omnes dominicos suos de Arkelo... præterea insulam de Arkelo ad fundandam ibi unam abbatiam de ordine Cisterciensi, vel alibi ubi viderint quod fuerit utilius et convenientius ad opus eorum infra eamdem terram (33). *Verum quum brevi post, scilicet an.* 1206, *obierit hic Theobaldus Walteri,* F *non videtur hæc fundatio exsecutioni data; sane nulla de ea supersunt vestigia in catalogis Cisterciensibus Jongelini, in catalogo Sucheti aut quod norim alibi. Contra reperitur ad annum* 1264 *in vetusto catalogo Dominicanorum conventuum* (34); *in Bulla Joannis XXIII ad annum* 1414 (35) *et alibi.*

(1) T. XI, p. 553. — (2) Pag 15. — (3) Monast. Angl., t. V, p. 250. — (4) Topograph. Diction. of Scotland, v° *Emanuel.* — (5) Ibid., loc. cit. — (6) Britannia, edit. Gough, t. III, p. 318 — (7) Ann. Cist. ad an 1146, cap. XII, t. II, p. 49. — (8) T. XI, col. 553 — (9) Annal ad an. 1172, cap. VI, t. II, p. 536. — (10) D. Morice, Mémoires, etc., t. I, col. 696 et seq. — (11) Abbat. Gall., p. 178. — (12) Recueil des abbayes, t. II, p 950. — (13) L'Eglise de Bretagne, p. 582. — (14) Annal. Cisterc. ad an 1172, cap. VI, t. II, p. 567. — (15) Cfr Monast. Angl., t. VII, col. 1129 et Thomas de Burgo, Hibernia Dominicana, p. 743. — (16) T. XI, col. 553. — (17) Thomas de Burgo, Hibernia Dominicana, p. 743. — (18) T. XI, col. 553. — (19) Hib. Dom., p. 743. — (20) Cfr Rymer, t. I, part. I, p. 52, 71, 72, 75, 82, 110. — (21) Monast. Angl., t. VII, p. 1129. — (22) Cfr Art de vérifier les dates, t. I, p. 806. — (23) Ibid., p. 810 et seqq. — (24) Monast. Angl., t. VII, p. 1128. — (25) Cfr Gallia Christ., t. XI, col 553. — (26) T. VII, p. 1129. — (27) Hibern. Domin., p. 265 et seqq. — (28) Topogr. Dict. of Ireland, v° *Arklow.* — (29) Ap. Camden, Britannia, t. III, p. 551. — (30) Monast. Hibern., p. 769. — (31) T. VII, p. 1128. — (32) Top. Dict. of Ireland, v° *Arklow.* — (33) Monast. Angl., t. VII, p. 1128. — (34) Hibern. Domin., p. 58. — (35) Bullar. FF. Prædic., t. II, p. 524; ap. Th. de Burgo, p. 269.

A D

DE S. JOANNE CANTIO PRESBYTERO,

S. THEOLOGIÆ DOCTORE CRACOVIÆ,

B. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Præcipui auctores, qui de vita S. Joannis Cantii scripserunt.

PROBABILIUS ANNO MCCCCLXXIII. *Hartmannus Schedelius*

Inter scriptores qui de Joanne Cantio *agunt, adeoque testimonium reddunt de ejus post obitum sanctimoniæ fama, ordine temporis primus occurrit Hartmannus Schedelius, editus Norimbergæ an.* 1493, *vigesimo proinde a morte S.* Joannis *anno. Pauca quidem habet, ast*
B *merito utique, spectatis temporis adjunctis, haud carentia. Ille itaque sub titulo* de Cracovia, urbe regia Sarmatiæ, *scribit* (1) : Est et templum non longe a porta Islutæ, quod ad sanctam Annam vocant, ubi beatus Cantus, celebris hujus urbis gymnasii doctor, multis miraculis et prodigiis fulget; quamvis nondum in cathalogum Sanctorum adscriptus sit. Hanc juxta ædem situatum est ingens, celebre gymnasium, multis clarissimis doctissimisque viris pollens. Ubi plurimæ ingenuæ artes recitantur, studium eloquentiæ, poetices, philosophiæ ac physices; astronomiæ tamen studium maxime viret. Nec in nota Germania (ut ex multorum relatione satis mihi cognitum est) illo clarius reperitur. Illic jam maxime Phœbus colitur; qui et eorum cruda climat ingenia, ac polita reddit. *Porro Fabricius ita de Schedelio recenset* (2) : Hartmannus, Chronici scriptor, quod Norimbergense solet appellari, est Hartmannus Schedelius, Norimbergensis, artium ac utriusque medicinæ doctor, cujus Chronicon mundi, sive Chronicon chronicorum ex Bergomensi aliisque ab orbe condito usque ad A. 1492 digestum, prodiit Norembergæ 1493, fol. cum iconibus ligno incisis
C *etc. Pillet* (3) *primam Schedeliani chronici editionem prodiisse asserit Norimbergæ anno* 1483; *unde concludit perperam a Fabricio assumi, Schedelii chronicon ex Bergomensi seu Forestio* digestum ; *cum hujus opus (quod et ipse Fabricius habet* (4)) *excusum Venetiis fuerit anno* 1483.

Dlugossus in historia sua Polonica de S. Cantio silet; mentionem facit in alio opere ms.

2 *Mirum sane videbitur Joannem Dlugossum seu latine Longinum (minus recte, inquit Fabricius opere cit., aliis scribitur Duglossus, Dugloschus etc : slavonica enim dialecto* lugos, dlugos *est* longus) *in sua* Historia Polonica *ne ullum quidem posuisse de S.* Cantio *verbum, cui tamen coævus omnino vixit, cum natus Dlugossus sit anno* 1415 *et mortuus anno* 1480 ; *obiit vero S.* Joannes Cantius *versus annum* 1473 *ætate provectus. Notum præterea est illius Historiæ Polonicæ librum* XIII *protendi ad hunc usque eumdem annum Christi* 1480. *Adde Dlugossum Cracoviensis ecclesiæ canonicum fuisse, pietate cæterisque virtutibus adeo insignem, ut et ipse Venerabilis habeatur, Juverit hic adscripsisse verba Michaelis Wiznievii, ex polonico in latinum versa :* Dlugossus in magno Chronico nullam mentionem Joannis Cantii facit : quamvis hic illi notus fuerit, eidemque septem supervixerit annis. Ast in Descriptione ecclesiarum parochialium diœcesis Cracoviensis, ubi de ecclesia sanctæ Annæ, ita tradit. « Ecclesia sanctæ Annæ Cracoviæ inter parochiales ejusdem computatur. Sita est ad E
occasum non longe a magno Collegio. Hæc ecclesia illustrata est corpore magistri Joannis de Kenty, sacræ Scripturæ professoris, qui præclarissimorum miraculorum præstantia fulget (6). » *Et in ima pagina habetur nota sequens :* Liber hic *(nempe Dlugossi)* exaratus est diversorum manu. Non itaque repugnat, ut verba hæc ab alio, extincto jam Dlugosso, adscripta reputentur. *Cæterum opus illud ms. servatur in bibliotheca Cracoviensi. Fabricius quoque* (6) *illius mentionem habet. Postquam recensuit opera typis mandata, addit :* Præter hæc, a Matthia Micheoveo IV. 72 chron. Polon. hæc Dlugossi scripta memorantur, inedita omnia, et digna utique editione ; *inter quæ loco tertio :* Libri inventarii proventuum cathedralis ecclesiæ Cracoviensis et cunctarum ecclesiarum collegiatarum, conventualium et parochialium diœcesis Cracoviensis. *Et addit Fabricius :* Hoc opus Simon Starovolscius pag. 31 Hecatontidis scriptorum Polonorum vocat : Ecclesiæ Cracoviensis Acta et Beneficiorum in Diœcesi illa ecclesiasticorum Synopsin. *Nuper Leopoli accepimus* Excerpta ex historicis variis de servo Dei Joanne Cantio, *quæ reperiuntur in celebri Bibliotheca Osssoliniana. In* F
his verba Dlugossi recitari opinamur, prout ab auctore primum scripta fuere. Quopropter illuc hic reddenda duximus : Inter parochiales, *inquit,* ecclesias urbis Cracoviensis una est versus occidentem sita et collegio artistarum propinqua, corporeque magistri Joannis de Kenthy, sacræ Theologiæ professoris, multa prodigiorum sublimitate refulgentis, nobilitata, tota, ex latere fabricata, latere quoque tecta. *Ad sensum quod spectat, verba hæc non differunt ab aliis supra ex Wiznievio laudatis.*

Matthiæ de Miechovia

3 *Sed et tertium habemus synchronum, qui de* Joanne Cantio, *et qui quidem duobus prioribus paulo prolixius, scripsit : Mathiam nempe de Miechovia seu Miechow. Hic natus sæculo decimo quinto, studiis vacavit in academia Cracoviensi ; quibus absolutis, præcipuas tum Germaniæ tum Italiæ visitavit universitates. Reducem in Poloniam rex Sigismundus I eum sibi in primarium suum assumpsit medicum. Ast brevi aulæ pertæsus, statum amplexus* est

(1) Chronica, post ætatem sextam, fol. 268. — (2) Bibliotheca mediæ et infimæ latinitatis, verbo : *Hartmannus*. — (3) Biographie universelle, verbo : *Schedelius*. — (4) Opere supra cit., lib. IX, p. 15. — (5) Historia litteraria Poloniæ, t. V. p. 6 et 7. Edit. Cracoviæ, 1843. — (6) Verbo : *Dlugossus*.

A *est clericalem, obiitque canonicus ecclesiæ Cracoviensis anno Dñi* 1523 (1). *Ex his liquet Miechovium seu Miechovitam* Joanni Cantio *coævum fuisse; imo spectata ætate et utriusque fama vix fieri potuit ut alter alteri ignotus vixerit. Id certum nihil obstare quominus Miechovita juvenis* Cantium *ætate provectum viderit noveritque. Inter alia Miechovitæ opera habentur* Chronica *ab ortu Polonorum usque ad annum Christi* 1504, *typis primum edita Cracoviæ anno* 1521; *italice dein reddita ab Annibale Maggi Venetiisque impressa anno* 1582. *Reperiuntur quoque tomo IIº* Corporis Historiæ Poloniæ *Joannis Pistorii, Basileæ an.* 1584. *In his vita S.* Joannis Cantii *breviter perstringitur ad annum, cui communiter hujus mors innectitur,* 1473; *idque stylo satis barbaro, ut ex subjectis ejus facile agnoscetur verbis.*

præclarum de B. Cantio testimonium.

4 Anno, quo supra, 73 supra millesimum quadrigen. celeberrimus ac egregius vir, magister Joannes, de Canthi prope Oswancim oriundus, professor et lector ordinarius sacræ Theologiæ in gymnasio Cracoviensi, 24 Decembris, in vigilia nativitatis Christi mortuus est, et in ecclesia sanctæ Annæ sub ambona, præfata vigilia sepultus. B Qui eodem anno, signis et miraculis coruscare cœpit, et usque in hanc diem varios languores diversosque morbos hominum et jumentorum, divina propitiatione, ad vota et invocationem nominis sui relevat, ut adscriptione decalogi *(sic)* Sanctorum dignissimus inveniatur. Verum, quemadmodum cæteri Beati in hoc regno Poloniæ, in factis et prodigiis mirabiles et gloriosi, sic et ipse Joannes Cantius canonizari negligitur. Hic operibus misericordiæ insudans, pannos et calceamenta pauperibus quotannis ære suo comparando distribuebat. Nonnumquam diebus frigidioribus, viso paupere non calceato, se exuens de calceis, inopi algido dabat, et ipse nudipes, demisso versus terram pallio ne incalceatus notaretur, domum redibat. Romam peregre proficiscens, a latronibus spoliatus, quum ab eis elongaretur, se mentitum fore clamare cœpit, dicendo, non plures pecunias habere; quoniam in diploide aliquot reperiret insutos aureos, de quibus immemor fuit; redirent ergo et eos tollerent. Qui sinceritate ipsius cognita, prius ablata etiam reddiderunt. Interrogatus Romæ a Polonis cortisanis, cur Romam accederet, ex quo causas non foveret et beneficia non impetraret. C Respondit peregrinationem et Romæ visitationem esse purgatorium, et ut a vitiis purgaretur Romam frequentare. Quum pro veritate in convocationibus doctorum et magistrorum verba fudisset,, ad cellam et cellas eorum accedens, dicebat se divina celebraturum, et ideo si aliquo verbo quempiam commovisset, sibi parsum iri obsecrabat. Quandoque in convocatione probra et verba injuriosa audiens, in pariete dealbato suæ habitationis exterius versus ambitum, carbone lineas in alterutrum finem scripsit: « Conturbare cave. Non est placare » suave. Infamare cave. Nam revocare grave. » Et custodiebatur scriptura hæc, ne deleretur, donec ædificando, paries cum cæteris habitationibus ejectus fuit. A die autem mortis ejus usque ad annum Dom. 1512, variis ægritudinibus oppressi, voto facto curati sunt octuaginta tres hominum. Febricitantes vero tredecim. Paralytici quinque. Vere mortui addicti sunt vitæ pristinæ sedecim. Fere autem mortui et deplorati sex. Phrenetici sex. Dæmoniacus unus liberatus. Jumenta morientia, facto pro eis voto, sanata duo. Laus tibi Christe, qui in nostro doctore Cantio quotidie gloriaris. Epitaphium postea ad tumbam ejus superadditum incipit: n. 1.

« Carmine ne sileas mecum mea tibia laudes
» Gentis hyperboreæ, cujus nunc gloria Celsi
» Crescat in immensum divis poscentibus odas,
» Atque tuos titulos extremo tempore cerne

etc. » vide in ecclesia sanctæ Annæ. *Quæ Epitaphium vocantur a Miechovita, in scriptione de* Vita et rebus gestis S. Joan. Cantii *(de qua vide infra n.* 13) *dicuntur* in pergameno centum quinquaginta duo conficta carmina, ejus vitam et gesta complectentia. Quorum nonnulla proferam, *ait auctor,* utpote vetustioris memoriæ præstantissimum monumentum: Carmine ne sileas *etc. additurque:* Ad pergameni calcem, annus ac dies illius *(defuncti* Cantii) sic prænotatur « Millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, die vigesima » quarta Decembris. » *Fatendum utique est non facile quemquam crediturum, haud ita diu post ejus mortem, tumulo additum fuisse epitaphium adeo prolixum. Atque hinc concludere licet, Miechovitam hic forte a vero plus minus abesse.*

E

Animadversio in tres præfatos scriptores

5 *Atque tres illi scriptores præfati, omnes in Polonia haud ignoti nominis, imo magno etiam in pretio habiti, præsertim Dlugossus, sancto* Cantio *coævi cum vixerint, satis apparet quanti eorum sint facienda testimonia; ex quibus præterea liquet famam sanctitatis ab ipso mortis die cœpisse, atque deinceps stupendum in modum invaluisse.*

Labitur Ben. XIV, asserens Martinum Bielski vitam B. Cantii scripsisse.

6 *Juxta Benedictum XIV, antiquioribus, qui de vita B.* Joannis Cantii *scripserunt, annumerandus est Martinus Bielski.* Animadversum itaque fuit, *ait ille* (2), Beatum natum fuisse anno 1397, et tantum historicos, ab ejus tempore valde remotos, asseruisse, quod Opera *(de quibus acriter disceptabatur, ut infra reddetur* § IV) essent B. Cantii, silentibus antiquis, et signanter Martino Biellesci, qui cum ejus vitam et acta illustranda suscepisset nullum de scriptis verbum fecit. *Nihil subesse videtur dubii, quin eruditus pontifex respiciat Martinum Bielski, scriptorem satis obscurum, cujus cognomen, pro idiomatis italici genio, paulisper inflectit. Quod si ita sit, non video qui subsistat ejus assertio. In hunc enim modum nobis a P. Josepho Brown S. J. rescriptum Leopoli Galiciæ est die* 20 *Decembris an.* 1851: Ego sicut et administri omnes bibliothecæ Ossolinianæ Leopolensis mirati sumus hujusmodi assertum a Benedicto XIV prolatum, F atque acceptis alteris litteris vestris, die 3 Decembris datis, rursus die 12 præfati mensis pervolvi in laudata bibliotheca, opera Martini Bielski, in quibus ne verbum quidem reperi, quo mentio fieret B. Joannis Cantii. *Liquet ergo eruditum Pontificem labi; nisi quis dixerit opus, cujus meminit, vulgatum numquam fuisse, imo et intercidisse. Quod cum mera hypothesis esset, nullo satis idoneo substructa argumento, satius ducimus admittere, Martinum de S.* Cantio *non scripsisse. Sane Simon Starovolscius* (3) *ita recenset*: Joachimus Bielscius, Martini Bielscii rerum Polonicarum haud inepti scriptoris filius, non in historia modo, ut pater, verum in oratoria quoque ac poetica arte, omnique politiori litteratura egregie versatus. *Et paulo inferius*: Non aliud scriptionis genus eligere sibi voluit, quam quod paterno quodammodo et hæreditario jure ad se pertinere putavit, historiam videlicet gentis suæ, quæ a parente scripta, ob hæreseos suspicionem a catholicis lectoribus penitus neglecta fuit. Quia igitur ad humanam lau-

(1) Confer Simonem Starovolscium. *Scriptorum polonorum* Εκατοντας, p. 106 et 107. Edit. Venetiis 1627. — (2) De Servorum Dei beatificat., etc., lib. II, cap. XXXIV, n. 9. — (3) In Hecatontide, p. 184 et 185.

dem

L. P. dem multum pertinere sapientes existimarunt, in prole patrum decus resplendere, ideo patris ille nomen propagare volens, e suo penu *Annales Polonicos* et quidem polonica lingua produxit, ubi simul et patrem calumnia liberat, sincerum affirmans catholicum eum fuisse, et in mortis agone, ritu catholico sacris procuratum. *Ex hac utique recensione, non facile cuipiam in mentem venerit Martinum Bielscium de S.* Cantio *valde sollicitum fuisse. Denique in Biographia universali pauculis omnino lineis de utroque Bielscio, patre et filio, agitur. Martinus scripsit* Chronicon rerum polonicarum ab origine gentis usque ad annum 1587, cum iconibus regum; *Joachimus* Annales Poloniæ *polonice, et* epigrammata *etc. Vixerunt sæc* XVI *et* XVII (1).

Vita B. Cantii auctore P. Pet. Skarga S. J.

7 *Vitam beati* Cantii *scripsit P. Petrus Skarga Soc. Jes., vir, ut ait Alegambius noster* (2), *tota Polonia celeberrimus, natus anno* 1536, *mortuus anno* 1612. *Atque hanc omnium primam puto, quæ ex professo composita certoque ordine digesta typis prodiit hoc sub titulo :* Vita beati Joannis Cantii, doctoris academiæ Cracoviensis, collecta ex vetustis scriptis (in charta pergamena) ecclesiæ
B ad sanctam Annam Cracoviæ et ex chronicis Poloniæ Matthiæ Miechovitæ lib. 4°, cap. 60. *Ita scilicet sonat titulus ex polonico (hoc enim idiomate Vita exarata est) latine redditus. Prodiit tamen non separatim sed collectim cum aliis Sanctorum vitis.* Multa, *inquit Alegambius,* scripsit Petrus Scarga tum latine tum polonice, quæ seorsim prius edita, demum 4 tomis comprehensa prodierunt. Continet autem tomus 1 selectas Sanctorum vitas in singulos anni dies digestas, additis documentis ad mores formandos idoneis. Hic tomus, ipso superstite, octies recusus est, cui postremo addidit vitas Sanctorum, Beatorum, Martyrum Societatis Jesu. *Et paulo inferius.* Latine vero seorsim prodiere; Septem columnæ in quibus fundatur catholica fides de sacramento Altaris... Vita B. Joannis Cantii et Casimiri. *Dubito an omnino recte hoc postremum asserat Alegambius. Id certum, R. P. Nicolaum Baworowski, Soc. Jes. provincialem Galiciæ, nobis sub die* 7 *Aprilis* 1851 *scripsisse :* Cum vita S. Joannis Cantii a P^e Skarga latine non existat, versionem a P. Matthia Czyhir, meo socio, modo factam ex polonico in latinum hic adjungo. *Concordat Simon Starovolscius in Heca-*
C *tontide* (3), *ubi catalogum texit operum.* Multa, *inquit,* volumina, tam romano sermone quam etiam nativo, in usum publicum et ecclesiæ propugnationem erudite admodum conscripsit; hoc est : De sacramento Eucharistiæ; De Calvinistarum imposituris. . *additque :* hæc latine; reliqua polonice, *nempe :* compendium annalium Baronii : vitas Sanctorum, cum notis et doctrina morali; Sermones *etc. Cæterum ex prædictis efficitur vitam B.* Cantii *a præfato patre conscriptam typis prodiisse saltem initio sæculi decimi septimi. Haud prolixa hæc scriptio est. Inchoatur a magnifico academiæ Cracoviensis encomio; tum res beati Viri ex ordine perstringit, a nativitate ad mortem, atque his verbis concluditur :* Ad corpus ejus, divina gratia operante, illico post mortem plurima miracula patrata sunt, ex quibus quædam ex Matthia Miechovita, historico Polonico, desumpta hic ponam inferius. — Præter hæc varia et multa sunt subsecuta, quibus recognitis supremus Christi in terris vicarius Clemens Pp. XIII hunc servum Dei in numerum Sanctorum retulit anno Domini 1760. — Quare in Servo suo sit laus et gloria Christo. Amen. D
Evidens est quæ ad canonizationem pertinent aliena manu superaddita fuisse. Subduntur in specie pauca quadam miracula, hac præmissa notatione : Alia hujus Sancti miracula, varia et insignia, quibus Deus optimus Servum suum in vita et post obitum honoravit, et usque ad hodiernam diem honorare dignatur, professores academiæ Cracoviensis collegii magni simul cum presbyteris ecclesiæ ad sanctam Annam, ubi corpus ejus in honore quiescit, diligenter ex certis testimoniis et ex actis tam vetustis quam recentioribus, quæ in thesauro hujus ecclesiæ asservantur, nec non ex antiquis traditionibus antecessorum suorum collecta recensuerunt et scriptis mandarunt; quæ ab iisdem professoribus Collegii magni, hoc anno 1610 P. Fridericus Schembek S. Jesu accepta, sedulo perlustravit, et, facto compendio, ad me transmisit. Ex his insigniora sunt sequentia. *Ut jam diximus, pauca hæc sunt atque postrema ad annum referuntur* 1603. *Insuper ex recitata mox notatione sequi videtur, quæ ad miracula spectant, in prioribus editionibus partim saltem desiderari; cum, ut habet Alegambius, octies, vivente Skarga, recusus fuerit tomus continens :* selectas Sanctorum vitas; *quo* E
ex opere vita S. Cantii, latine ex polonico reddita, nobis Leopoldi Galicæ fuit submissa; dicitur enim ab initio hanc contineri in libro cui titulus : Vitæ Sanctorum... per R. P. Petrum Skarga S. J. collectæ. Ponitur die XIX Octobris.

Vita S. Joan. Cantii inter mss. Bollandiana.

8 *Habemus inter manuscripta hagiographica prædecessorum nostrorum Registrum, manu ipsius Bollandi exaratum, in quo ad diem* 24 *Decembris hæc notantur :* B. Joannis Cantii vitam habemus ex Michovio desumptam, quæ incipit : « B. Joannes Cantius, Polonus, sacræ Theologiæ doctor et publicus celebris academiæ Cracoviensis professor etc. » Sunt 6 folia. *Vitam, his verbis indigitatam, præ manibus habeo, quam suspicor compositam, rogatu Bollandi, tamen non accurate reddidit titulum : ex hoc enim videretur, illam ex solo Miechovita haustam et quidem in forma compendii; quod utique a vero prorsus aberrat, ut vel ex eo sufficienter constat, quod tota Miechovitæ scriptio ne unum quidem integre impleret folium. Hinc etiam vita ms. de qua hic sermo, sequentem fert suscriptionem seu titulum :* Vita et miracula beati Joannis Cantii, Poloni, S. T. D. et publici in alma et inclyta Cracoviensi academia professoris, ex ve- F
teribus manuscriptis ecclesiæ S. Annæ Cracoviæ, in qua ejus sacrum corpus quiescit, et Matthia Miechovita chronographo Polonorum desumpta. *Atque hinc satis liquet vitam hanc iisdem ex fontibus, quibus usus P. Skarga est, haustam fuisse. Recensitis miraculis valde multis, ita concluditur :* Sunt et alia præter hæc plus quam centum miracula, quæ ipsemet ego legi et numeravi; plurima certe splendida, sed ea, brevitatis causa, cum tempus non esset, describere non jussi. Ista duo V. R. non omittat. Anno Domini 1603, post ejus mortem annis 130, cum casu fuisse apertum ejus sepulchrum, ex eo odor suavissimus miraculo sese effudit, quem multi perceperunt, et juramento rei veritatem confirmarunt. — Ejus togam inclyta Cracoviensis academia diligenter conservat, et ea, annis singulis, bis decanos philosophicæ et artisticæ facultatis, recens creatos, investit; et a sic vestitis juramentum officii eorum excipit. *Verba hæc in vita ms. ad diem* 24 *Decembris alia manu adscripta sunt.*

(1) Catteau, *Biographie universelle.* — (2) Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu, verbo : *Petrus Scarga.* — (3) Pag. 219.

Adamus Opatovius vitam S. Joan. Cantii polonice scripsit, latinitate donatam a P. Boym S. J.

9 *Addit Bollandus noster in Registro jam laudato* : Intelleximus ejusdem (Cantii) vitam polonice editam anno 1632, auctore Adamo Opatovio. Hanc desideramus, sed latine redditam. *Et re quidem vera Bollando scripserat Andreas Stredonius noster* 1 *Septembris* 1635 : Accepi paucis ante diebus Cracovia vitam B. Johannis Cantii, sacerdotis et doctoris, nati in Silesia, polonicis typis vulgatam ab Adamo Opatovio, anno 1632. Hanc, quia latinam prostare negant, conabor rudi stylo romanam facere, et R^æ^ V^æ^ transmittere. *Data est epistola Nyssa Silesiorum. Et rursus idem Stredonius eidem Bollando scribit* 15 *Decembris* 1655. Joannis Cantiensis acta polonice edita anno 1632, auctore Adamo Opatovio, habeo, necdum latinitate donata, quantum scio. Si eadem R^a^ V^a^ habet, supersedebo labori. *Tandem ex tertiis litteris, datis Wratislaviæ, die* 17 *Nov.* 1660 *ad Bollandum a P. Alberto Tylkowski, discimus primum P. Stredonium* labori *revera* supersedisse, *imo forte manum operi nunquam admovisse ; deinde præfato P. Alberto rem commendatam, qui et ipse impeditus ad alterum confugit*. Promovente, *inquit in laudatis mox litteris*, R. Patre Moreto, misi R^æ^ V^æ^ vitam
B B. Cantii, impressam polonice, cui transferendæ ipsemet manum admovissem, ni ex hac provincia in patriam revocari cœpissem. Occupationem itaque hanc sanctam patri Boym præsento. *Cum addat in fine* : Saluto P. Boym, ad quem binas dedi, in quibus descripsi fortunam meliorem Poloniæ, quæ confirmatur, *rite concluditur patrem hunc illa tempestate apud Belgas commorasse. Atque dubitandi, vix superest locus*, quin ibidem *vitam B.* Cantii *ex polonica latinam fecerit. Quod clarius adhuc elucet ex sequenti titulo* : Vitæ B. Joannis Cantii, doctoris S. theologiæ Cracoviæ, et S. scripturæ interpretis, polonice scripta ab Adamo Opatovio, S. Th. doct. editaque Cracoviæ anno 1632 ; latine hic reddita a R. P. Benedict. Paulo Boym, Leopolitano S. J. an. 1661. *Huic titulo subjunxit manu sua Papebrochius noster* : Qui (*P. Boym*) cum Papebrochio Lovanii theologus fuit, et concionator domus professæ Vilnæ obiit. *Ex his itaque habemus et quis Opatovium latinitate donaverit; quo tempore et loco hunc susceperit laborem, annis nempe* 1660 *et* 1661 *in Belgio et quidem verosimillime Lovanii in seminario Societatis Jesu. Atque ita Bollandi nostri* desiderio *est satisfactum*
C *quatuor fere ante ejus decessum annis, cum mortuus sit die* 12 *Septembris anno* 1665.

Altera B. Cantii vita prius ab eodem Opatovio latine edita.

10 *Ex his præterea satis diserte effici videretur, vitam S.* Cantii *ab Opatovio, polonice solum, nec umquam latine sive conscripta sive typis vulgatam fuisse. Attamen Benedictus XIV memoratis aliis quibusdam, qui de B.* Cantio *scripserunt, subdit* (1) : Præterquam quod vitam Beati ejusdem ex professo exaravit, latino sermone, Adamus Opatovius, eamque edidit Cracoviæ anno 1628. *Candide fatemur nobis hæc legentibus persuasum fuisse eruditum scriptorem lapsum aut in errorem inductum ; nec etiam hodie vitam S.* Cantii, *latinis typis editam, inveniri posse aliam, præter elucubrationem quamdam haud ita extensam, Romæ editam anno* 1767, *occasione scilicet solemnis canonizationis illius Servi Dei (hujus opusculi inferius recurret sermo). Ast missis hac super re in Poloniam litteris, responsum a R. P. Nicolao Baworowski S. J. provinciali Galiciæ accepimus hujusmodi* : Non erronee (ut existimant PP. Bollandistæ sub N. 7° quæstionum mihi transmissarum) sed verissime affirmat Benedictus XIV vitam S. Joannis Cantii latine conscriptam fuisse ab Opatovio et editam Cracoviæ 1628; cujus duo exemplaria inveniuntur hic Leopoli (Galiciæ); unum in bibliotheca celebri D. comitis Ossalinski, et alterum apud comitem Casimirum Stadnicki ; cujus vitæ exemplar descriptum curabo brevi transmittere.

Collatio vitæ polonicæ cum latina

11 *Quod et reipsa paulo post præstitit. Atque ita nobis datum fuit, utramque vitam, ab Opatovio concinnatam, alteram cum altera conferre. Ex qua collatione id compertum habuimus, vitam, typis Cracovianis anno* 1632, *polonice editam, aliud non esse (quoad primam scilicet suam partem) nisi versionem, hinc inde paululum amplificatam, prioris vitæ anno* 1628 *latino idiomate vulgatæ. Utraque eadem continet facta, et quidem eodem capitum ordine ; nisi quod in polonica addatur longa satis explanatio de virtutibus, capite scilicet nono, cujus hæc est, juxta versionem patris Boym, inscriptio* : De amore Dei et perfectione spiritualis vitæ ; *quod nihil aliud est quam dissertatio satis prolixa de virtutibus theologalibus et cardinalibus, quas generatim eminenti in gradu a S.* Cantio *exercitas asserit, quin ullum referat factum, quo vita peculiariter illustretur. Constat itaque pars prima vitæ* E
polonicæ capitibus omnino quatuordecim, latina tredecim. Ultimi in utraque respective capitis diversimode sonat rubrica. Latina habet : de quibusdam miraculis, quæ mortem ejus (Joannis Cantii) subsecuta ; *polonica* : de translatione ejus sacrorum lipsanorum, et testimoniis sanctitatis. *Quæ posterior rubrica aptius quadrat cum materia præfati capitibus contenta, quæ cæterum, paucis exceptis, eadem est in utraque vita.*

Latina polonicæ prænuntia.

12 *Ex mente porro Opatovii, latina prior scriptio viam stravit ad alteram ampliorem*. Sed hæc, *inquit*, et reliqua quæ etiam post edictum promulgatum DD. Commissariorum, ut potestate sibi delegata, ab illustrissimo et reverendissimo domino Martino Szyskowski, episcopo Cracoviensi, honoris divorum suæ gentis tutelarium cupientissimo, diligenti examine in vitam et miracula ejus inspicerent : post hoc, inquam, commissionis edictum promulgatum, quæ etiam his diebus admiranda facta divina potentia operata fuerit, si Deus votis nostris annuerit, publica faciemus. Quod ut nobis benigne concedat, in hac supplicatione, quam ad tumulum divini Viri, Deo offeri- F
mus, ut eum, quod unice cupimus, judicio ecclesiæ, Beatorum ordini associare velit, ardentissimis precibus feliciter expedito negotio, efflagitemus. *Ita nempe concluditur caput* XIII, *atque adeo ipsa vita latina. Quadriennio post, anno scilicet* 1632, *secunda, eaque longe prolixior, prodiit Opatovii de S.* Joanne *elucubratio, polonico exarata idiomate. Hujus pars prima (quod paulo superius monebamus) aliud vix est quam mera ex latino versio, addito seu inserto uno capite et alibi hinc inde evoluto extensoque textu. Primæ huic parti adjecit tres alteras, omnes, prout auctor anno* 1628 *prænuntiarat, ad miracula, quorum ingentem recenset numerum, spectantes.*

Quanti vir meriti fuerit Opatovius.

13 *Cæterum Opatovius vir erat doctrina et dignitate ecclesiastica insignis, ut qui doctor sacræ Paginæ, et ecclesiæ sanctæ Annæ decanus. Præterea nec vulgaris litteraturæ, ut ex utraque mox laudata scriptione elucet. Stylo utitur latino satis terso, nec ineleganti ; ad polonicam dictionem quod attinet, teste R. D. Semenenko, presbytero Polono, (qui mihi res Cantianas Parisiis indaganti plurimam* *præstitit*

(1) De Servorum Dei beatificat. et canonizat., lib. II, cap. XXIV, num 41.

præstitit operam) : Opatovii stylus vere classicus est; lingua utitur Skargiana. *Notum porro est, P. Petrum Skargam Soc. Jesu, inter omnes, qui hoc umquam scripserunt idiomate, primario haberi loco. Ex quibus fas utique est concludere qua habilitate, quo studio et zelo ad opus suum se accinxerit, cum vitam enarraret illius, qui et ipse sacræ Paginæ fuerat quondam doctor, et in ecclesia S. Annæ tumulum haberet gloria et fama innumerabilium miraculorum per orbem celebratissimum. Adde scribenti facile ad manum fuisse omnis generis documenta : quod quidem ipse satis declarat statim ab initio, ubi profitetur vitam* excerptam ex manuscriptis magni Collegii, et archivis templi S. Annæ, quod ejus Beatissimi corporis asservat depositum ; item Matthia Miechovio, Polono historiographo, nec non aliis gravibus ac fidelibus auctoribus, ejus præclare gesta describentibus. *Nihil igitur mirum Opatovii opus magno cum plausu exceptum, et ab omnibus, qui post eum de vita beati* Cantii *scripserunt, invocatum atque usurpatum. Multus utique est Opatovius, imo forte nimius in enarrandis prodigiis ope et intercessione Viri Dei patratis, ut vel ex partitione operi præmissa liquet* : tota, *in-*
B *quit,* series ac enarratio hæc quaternis absolvetur partibus : prima inchoabit ejus præclare facta et miraculosas gratias, quibus vivens et adhuc spirans floruit. Altera ea recensebit prodigia, quæ ab obitu ejus sunt consecuta. Tertia prosequetur quibus ante et ab inventione reserationeque sui monumenti inclaruit. Quarta finem imponet, ubi ea beneficia exposuerit, quæ coram commissariis episcopalibus fuere attestata *Pauca proinde habet de rebus gestis ; plurima de miraculis : illa sex et quadraginta capiunt paginas, hæc centum omnino et viginti. Ast notasse juvat, vivendi modum atque adeo ipsum vitæ genus, quod constanter amplexus secutusque est beatus* Cantius, *suapte natura exiguam scribenti ministrare materiam.*

Vita S. Joan. Cantii edita a doctoribus academiæ Cracoviensis.

14 *Anno canonizationis, scilicet* 1767, *in lucem prodiit Romanis, et rursus anno sequenti* juxta exemplar Romanum, *Ingolstadiensibus typis scriptio :* De rebus gestis sancti Johannis Cantii, Poloni, presbyteri sæcularis, ac in alma universitate Cracoviensi sacræ Theologiæ doctoris et professoris, liber unicus. *Opusculum est latine conscriptum, atque* a Doctoribus et Professoribus generalis studii universitatis Cracoviensis, *dedicatum* sacro
C episcoporum Senatui, ecclesiarum cathedralium et collegiatarum Prælatis, parochialium Præpositis, Rectoribus, universoque sæculari Clero regni Poloniæ. *Scriptio hæc, eleganti satis calamo exarata, vitam sancti* Cantii *paulo diverso, quam Opatovius, reddit ordine, sed quoad substantiam vix differt. Ipsa vero temporis, quo concinnata est, adjuncta, sicut et viri, quorum nomine et auctoritate in lucem prodiit, hæc omnia per se satis ostendunt, omnia et singula diligenti submissa fuisse examini, nec regulas sanæ critices neglectas. Vitæ subnectitur compendiosa narratio actorum in processu beatificationis et canonizationis, atque in specie evolvuntur quinque miracula a sacra Rituum congregatione probata. Attamen monet auctor ad calcem capitis* XXII : Cæterum quæ de Cantii vita, rebusque ab eo gestis narravi, extremis veluti calami labiis sunt delibata. Attamen haud mihi succenseat lector ; temporis namque nec adfuit copia, nec uberiora fuere exhibita monumenta : illud adeo angustum, ut vix scribendo suffecerit ; hæc tam exigua, ut singulis capitibus æquam dolendum fuerit ætatis injuria fuisse adem- D
ptam materiam. Scribendi mihi demandatam provinciam IV Kal. Aprilis *(id est* XXIX *Martii)* hujusce anni MDCCLXVII ab humani generis inchoata Reparatione aggressus sum, quo divini Nominis gloria, quæ in tanto nostri regni Patrono mirandum in modum claruit, longius atque latius propagaretur ; et ipsius summi Viri memoria, quæ nobis grata semper fuit atque jucunda, ab hominum oblivione vindicata, ad exteras etiam numquam interitura pertingeret (1).

Putanowicz.

15 *Tandem anno* 1780, *Cracoviæ M. Josephus Putanowicz, sacræ Theologiæ doctor et professor atque canonicus cathedralis Plocensis, justum de* S. Joanne Cantio *edidit polonice volumen* (2). *Prima pars (quæ quadraginta capit paginas, et præter propter quintam sextamve totius voluminis efficit partem) agit de vita beati Viri; nec aliud est quam amplificatio, et quidem haud parum verbosa, textus Opatoviani, qui longe elegantior tersiorque. Haud abs re fuerit hujus scriptionis (quæ omnium maxime prolixa est) summam per capitum ordinem oculis subjicere.* 1. Nativitas et educatio Joannis ; 2. Mittitur a patre ad academiam Cracoviensem ; 3. Joannes dat specimen sui progressus in litteris et pietate ; fit E
primo Baccalaureus, post Doctor philosophiæ, et in hac facultate bis Decanus 4. Applicat se ad Theologiam, creatur doctor sacræ Scripturæ. 5. Factus professor S. Scripturæ, docet cum magno fructu. 6. Dedicat se statui ecclesiastico, ordinatur sacerdos, instituiturque curatus Olkusii, simulque cantor collegiatæ S. Floriani. 7. De virtutibus theologicis S. Joannis. 8. De virtutibus cardinalibus. 9 Misericordia ejus. 10. Eleemosynæ. 11. De humilitate et mira simplicitate. 12. De oratione et contemplatione 13. De mortificatione et patientia. 14. De donis supernaturalibus. 15. De obitu, sepultura et translatione corporis. 16. De fama virtutum, sanctimoniæ, et perpetuo ejus cultu. 17. De miraculis. 18. De miraculis a Clemente XIII approbatis. *Referuntur fusius quinque miracula ; alia, ætatis suæ genio indulgens, paucissima Putanovicius in specie recenset. Ast valde prolixus est in texenda historia seu processu canonizationis. Cardinalium suffragia integre, sicut et bullam Clementis XIII adscribit ; cæremonias, solemnitates, festa in honorem Neocanonizati Cracoviæ celebrata, latissime prosequitur; conciones, carmina, emblemata ad verbum exhibet. Plura etiam commemorat de funda-* F
tione academiæ Cracoviensis.

Alii plures recensentur scriptores

16 *Vitam sancti* Joannes Cantii *habet Butlerus ad diem 20 Octobris. Desumptam dicit ex bulla canonizationis et officio in Breviario Romano. Alios fontes indicat nullos. Extat opus, ad instar Butleri, polonice scriptum editumque Cracoviæ anno* 1767, *a Floriano Jaroszewicz, sub titulo :* Polonia mater Sanctorum, sive vitæ Sanctorum, Beatorum, Venerabilum, Piorum utriusque sexus. *Vita beati* Cantii *ibidem desumpta est ex P. Skarga et Miechovio. Inter* Acta canonizationis sex Sanctorum (3) *reperitur etiam præclarum* Compendium vitæ, virtutum et miraculorum, nec non actorum in caussa canonizationis B. Joannis Cantii, presbyteri sæcularis et in universitate academiæ Cracoviensis sacræ Theologiæ doctoris et professoris. Ex secretaria congregationis sac. Rituum. *Eadem fere repetuntur in* Oratione *Consistoriali, habita coram Pontifice a R. P. D. Alexandro Litta, sicut et in ipsa bulla canonizationis.*

(1) Opere cit., p. 54. — (2) Vita, miracula et historia canonizationis S. Joannis Cantii. Cracoviæ, an. 1780. — (3) Acta canonizationis SS. Johannis Cantii, Josephi Calasanctii, Josephi a Cupertino, Hieronymi Æmiliani, Seraphini ab Asculo, et Joan. Franciscæ de Chantal, collecta a Josepho Andrea Mariotti. Romæ, an. 1769.

Martinus

A *Martinus quoque Hankius* de Silesiis indigenis eruditis (1) *breviter, pro operis sui ratione, vitam B.* Joannis Cantii *perstringit, atque his concludit verbis :* Vitæ Cantianæ scriptores : Petrus Scarga, Simon Starovolscius, Adamus Opatovius. *Et re quidem vera Starovolscius in Hecatontide sive libro* centum illustrium Polonorum Scriptorum (2) *brevem nec inelegantem texit synopsin, in qua nonnulla distinctius, quam in cæteris de B.* Cantio *elucubrationibus, enucleantur. Unde et nobis pluries in elucidanda vita usu veniet. Obiter hic etiam nominandus Abrahamus Bzovius, qui in suis Annalibus ecclesiasticis* (3) *res a B.* Cantio *gestas brevi exhibet compendio. Atque hi præcipui sunt scriptores, quorum meminisse visum est. Cæterum per se patet alios plurimos incidenter saltem de eodem tractasse argumento.*

B

§ II. S. Joannis Cantii patria, parentes, studia in academia Cracoviensi. Quo anno natus et defunctus S. Joannes sit.

S. Joannes Cantius oriundus erat ex oppido Kenty,

S. Joanni Cantio *patria fuit oppidum Kenty, de quo ita habet Adamus Opatovius :* Fuit ven. Joanni Cantio natale solum oppidum *Kenty*, quasi diceres *Anguli*. Inde forte denominatum quod situatione sua ad meridiem binos respiciat montes (*Tatry* Poloni vocitant) qui in vastam quamdam sese explanantes ac porrigentes non altitudinem modo verum etiam latitudinem, alteris quidem extremis prolixam emetiuntur longitudinem, alteris vero, in sese incurrendo prope dictum oppidum, *Conum* sive *Angulum* efficiant ac imitentur. Aut etiam id nominis impositum esse fatendum est a principibus Osviescimsciis, qui venationis gratia huc frequentando, ut ad Angulum profectionem suam cum odora canum manu adornarent, præsentem oppidi locum indigitando, sese invitabant. Hoc oppidum affine est Silesiæ, quam dirimit a regno Poloniæ, distatque Cracovia octo milliarium intervallo (4).

C *juxta plures in Silesia sito.*

18 *Verba Opatovii, prout jacent, indicare videntur oppidum Kenty ad Poloniam potius quam ad Silesiam spectare, cum contrarium diserte tradat Andreas Stredonius noster in epistola ad Bollandum, Nissâ, Silesiæ urbe, scripta* 1 *Septembris anno* 1635. Nec, *inquit*, miretur R^a. V^tra, B. Ceslao, B. Cantio Silesii nomen a me attribui, uti et S. Hyacintho, quia vere in Silesia sunt nati, quæ Poloniæ olim conjuncta, eodem potissimum nomine dicebatur, quod eumdem haberet regem ; a quo regno propter violentiam descivit sub annum Christi 1340 circiter, teste Joanne Longino in Episcopis Wratislaviensibus. *Quod quidem Longinus seu potius Loninus vel Dlugossus non distincte habet, sed ex ejus dictis forte inferri posset. Hujus scriptio reperitur inter* Silesiacarum rerum scriptores *a Sommersbergio collectos* (5), *sub titulo :* Johannis Lonini sive Dlugossi, canonici Cracoviensis, episcoporum Smogorzoviensis, et Pitzinensis, quæ nunc Wratislaviensis, ecclesiarum historiæ et acta. *Paulo superius dixerat loc. cit. Stredonius :* Accepi paucis ante diebus Cracovia vitam B. Joannis Cantii, nati in Silesia, polonicis typis vulgatam ab Adamo Opatovio *etc. In altera Epistola ejusdem ad eumdem, data die* 15 *Decembris* 1635, *hæc reperio :* Intimo R^æ V^æ, Beatum hunc (Cantium *nempe*) natum in Silesiæ oppido Kant, unde illi cognomen. Qua enim orientale Silesiæ latus a Carpatiis montibus, Tatri polonice dictis, ad fontes Brednicii amnis excurrit, intercipiuntur Oswiencimensis et Zatoriensis olim Silesiæ Ducatus, nunc Polonicæ ditionis, a Sigismundo I Poloniæ rege, Glogoviæ et Oppaviæ ante in Silesia duce, facti. Quos modo ducatus satrapiæ Cracoviensi adjunctos testatur Martinus Cromerus libro I Poloniæ, et videre est in tabulis Mercatoris, Bertii *etc. Porro ita habet loc. cit. Cromerus :* Silesiæ pars ea, quæ adhuc est Polonicæ ditionis, sic implicata est Cracoviensi satrapiæ, ut ab ea magna ex parte ambiatur. Satrapiam ea nullam habet, sed in Cracoviensi fere censetur. Habet autem tria territoria : Osvencimense, Zatoriense et Severiense, quorum duo priora superiori tempore suos habuerunt duces : nunc præfecturæ regiæ sunt. Severiense est in ditione episcopi Cracoviensis (6). E *Hinc etiam Martinus Hankius nil dubitat Sanctum nostrum* Silesiis indigenis eruditis *(in opere hoc titulo inscripto) annumerare* (7) : Cantium, *inquit*, in Vratislaviensium ducatu oppidum episcopale *(ad episcopum scilicet pertinens)*, progenuit nostrum Joannem ; unde suppresso familiæ cognomento, accepit patriæ vocabulum. Adolescens ex Silesia in Poloniam discedens, partis studiis majus augmentum additurus in Cracoviensium academia. *Et in libello* de vita et rebus gestis S. Joh. Cantii *Romæ anno* 1767 *typis vulgato, refertur* (8) *Carmen, ejus tumulo statim ab obitu inscriptum, in quo inter alios hic habetur versiculus :*

De Kanty Doctor jacet hic Slesita Johannes.

Notat Gustavus Adolphus Stenzel in opere suo : Scriptores rerum Silesiacarum *partim latine, partim germanice seu vernacule editi quatuor tomis Vratislaviæ* 1835-1850, ab Hankio haud inspectum fuisse Mathiam de Michovia ; hic enim illum, » cum agat de Joanne de Canthi prope Oswantzin « induxisset ad disquirendum Cantiusne Polonus fuerit, an Silesius (9). *Nostri ergo nos muneris esse censemus hanc quæstionem distinctius elucidare, vel etiam, siquidem (ni vehementer fallimur) copia nobis data est, dirimere.* F

Ducatus Osvicimensis, ad quem specta Kenty, Silesiæ pars, regi Poloniæ restitutur sæc. XV.

19 *Atque imprimis meminisse juvat in* Topographia Bohemiæ, Moraviæ et Silesiæ, *germanico idiomate edito a Matthæo Merian, Francofurti anno* 1650, *duplex distingui* Cantium. *Ita enim ibidem legitur* (10) : Cant, Kant, Canthena oppidulum in Vratislaviensi palatinatu, quod proinde aliud est a Cantio, item oppidulo, quod ad fluvium Solam (*Soln*) situm est et jacet in finibus Silesiæ, Tessinum versus prope Osvecimiam, in Polonico ducatu ab hac urbe cognominato ; qui quidem ducatus olim ad Silesiam spectabat. *Concordat Andreas Cellarius ubi ait :* Cracoviensis Palatinatus, a regia urbe Cracovia denominatus, Silesiam, Hungariam, Poloniam majorem et Sendomiriensem palatinatum attingit, ac quatuor grandes Diœceses ac tres Ducatus, Osvecimensem nimirum, Zatoriensem et Severiensem, Silisiæ Polonicæ partes, continet (11). *Et infra* (12) : Osvecimia, Osviecimum, Oswieczin *(alias*

(1) Lipsiæ, an. 1707. — (2) Francofurti, an. 1625. — (3) Tom. XVIII ad an. Christi 1473, n. XXI. — (4) Vita B. Joan. Cantii, polonice scripta, edita Cracoviæ, an. 1632, lib. I, cap. I. *Juxta versionem latinam ms. P. Boym S. J.* — (5) T. II, p. 158 et seqq. — (6) Polonia, sive de situ, populis, moribus, magistratibus et republica regni Polonici libri duo, Coloniæ 1578, p. 11. — (7) Cap. XXXV, p. 153. Edit. Lipsiæ 1707. — (8) Cap. XIX, p. 37. — (9) T. III, p. 332. — (10) Pag. 137. — (11) Novissima descriptio regni Poloniæ, p. 135. Edit. Amstel. 1659. — (12) Ibid., p. 166.

B. H. *(alias Oswantzin, Oswentzin, germanis Auschwitz)*, ducatus Osvicimensis vel Osviecimensis in Silesia Polonica siti, metropolis, sedet fere ad fluvium Salam, qui mox in Vistulam cadit, 7 milliarium intervallo Cracovia dissidens... Ducatus Osviecimensis, Silesiæ conterminus, quem cum urbe germani, Bertio teste, Auschwitz appellitant. anno 1454 in Poloniæ regis possessionem rediit, quamquam Johannes dux Osviecimensis postea non prius acquievit, quam pactis renovatis plus pecuniæ acceperit. Quo facto omne suum jus triennio post regi concessit, ut Cromerus lib. 22 docet. *Cujus verba ita habent :* Interim pax data Joanni petenti, ea conditione, ut accepto certo precio, de quo tunc convenit, omni prorsus ditione Osvencimensi regi Polonisque cederet. Sic tandem Osvencimensis regio, longo quasi postliminio, in ditionem Polonorum rediit; nobilitasque omnis ejus oræ, sequentis anni initio (1454) solemni jurerando fidem suam regi et regno obstrinxit. Quamquam ne postea quidem quievit Joannes, donec repetitis identidem pactis, auctoque precio, post tertium annum jus omne secum regi concessit (1).

B

Transierat sæc. XIV Silesia et in specie ducatus Osvicimensis a Polonis ad Bohemos.

20 *Quod ad* longum *istud* postliminium *pertinet, constat ex variis diplomatibus, Silesiam universam et in specie ducatum Osvicimensem, a Polonis ad Bohemos transiisse sæculi decimi quarti anno trigesimo nono. Diplomata illa, numero quatuor, integra legere est apud Sommersbergium* (2). *Ordine primum hanc refert rubricam :* Procuratores Casimiri *(scilicet* III) Pol. regis profitentur regni regnoque Poloniæ nullum in Silesiam jus esse. Anno 1335 (3). *Ordine temporis secundum, sequenti prænotatur rubrica :* Diploma Casimiri Polon. regis, quo ipse nullum sibi in Silesiam jus fuisse nec superesse confitetur, *estque anni* 1339 : « Cazimrus Dei gratia rex Polonie... dicimus et publice protestamur, nos in magnificis principibus dominis ducibus Boleslao Lignicensi et Bregensi, Henrico Saganensi et Crosnensi... et Joanne Oswicensi ducibus et vassallis eorum cum ipsorum ducatibus et dominiis, terris, destrictibus, jurisdictionibus, pertinentiis, metis, appendiis, limitibus antiquis quibuscumque, nec non civitatibus Wratislavia et Glogovia cum districtibus, limitibus, finibus et pertinentiis earum universis, nullum jus, proprietatem vel dominium, possessionem aut titulum habere aut habuisse, competere vel competisse... Quin imo placet

C

nobis et optime favemus eis in eosdem renuntiantes insuper et cedentes pro nobis et heredibus, coheredibus et successoribus nostris omni juri, actioni, questioni, proprietati et titulo in perpetuum, si que nobis aut heredibus vel successoribus nostris competebant, competerent, vel competere possent quomodolibet in futurum » (4). *Quæ in reliquis duobus diplomatibus, ad hanc rem pertinentibus, continentur, ita exhibet laudatus Somersbergius :* Hoc itaque negotio ex voto confecto et Silesia Bohemiæ vindicata, Carolus IV imp. et Boh. rex, patris in prælio Cressiacensi anno 1346 occisi successor, egregio diplomate, aurea bulla munito, Pragæ anno 1355, Ind. VIII, VII Id. Octobr. edito, Silesiam « velut utile et immediatum domi- » nium suum et regni Bohemie, eidem regno et » felici ejus corone in perpetuum adjunxit, incor- » poravit, invisceravit, inscripsit, adpropriavit, et » indivisibiliter et inseparabiliter counivit (5). » Et ne ullus Silesiæ a Bohemis umquam divellendæ metus superesset, Ludovici Hungariæ et Pol. regis, quem, ex sorore Elisabetha, Caroli Roberti D regis Hungariæ conjuge, nepotem Casimirus III Pol. rex, filiis carens, sibi successorem destinaverat, an. 1372, in festo S. Trinitatis in Wissegrad editum diploma accessit (6). « Quo suo et uxoris » Elisabethe, Stephani regis Bosnie filie, et here- » dum, successorumque suorum Polonie regum » nomine, sub juramento corporali, quod ipse et » consors karissima super lignum vivifice Crucis » et super Dei Evangelia in manus Reverendi in » Christo Patris, Domini Joannis Patriarche Ale- » xandrini, apostolice Sedis legati, prestiterunt, » profitebatur sibi et regine et heredibus et succes- » soribus suis in regni et corone Bohemie, princi- » patus et ducatus, videlicet Wratislavie, Svidnicii, » Jaurensem, Monstirbergensem, Lignicensem, Cro- » Bregensem, Olsnicensem, Glogoviensem, Cro- » snensem, Saganensem, Opoliensem, Falcka- » bergensem, Strehlizensem, Thessinensem, » Ratiboriensem, Oppaviensem, Kozlensem, Byto- » miensem, OSWICENSEM, Stinaniensem et Glorensem, vel vindicandum seu usurpandum jus esse ; » imo si quis principum horum voluntarie seu » sponte se subdere vellet, eum, se suosque he- » redes et successores nullatenus assumere velle. » E Hac itaque ratione a Polonia avulsa Silesia, regni Bohemiæ pars esse cæpit feliciter. *Ita nempe Sommersbergius in* dissertatione historica quæ res universæ Silesiæ et ducatuum singulorum vices ac fata, diplomatica fide, ad nostram usque ætatem, illustrat (7).

21 *Notat præterea* (8) *Sommersbergius* Scriptores Polonos dissimulare hanc cessionem. *Et re quidem vera Cromerus* (9), *leviter imo et obscure satis illam perstringit. Postquam enim dixisset Casimirum regem,* plus quam dignum erat quietis et ocii cupidum, pacem accepisse cum Cruciferis *(vulgo Teutonici equites vocantur)* ; *paulo infra in hunc sub unit modum :* Dubravius cum Hageco memorant inter ipsos quoque reges Polonum et Boemum, Ungari arbitrio, tunc *(versus annum* 1335) pacta convenisse, ut Polonus Bohemo jus omne in Silesia concederet ; Boemus vero ne regis Polonorum appellationem deinceps usurparet *(quod quidem etiam in* I *diplomate, a nobis superius laudato, expresse continetur)* ac jus tributi a Polono rege exigendi ut remitteret, acceptis a Carolo quingentis libris auri puri puti. Ac de his quidem conditionibus consentiunt : de illa vero dissentiunt, quod Dubravius F illud convenisse scribit, ut Polonus Boemo pecuniam debitam exolveret : Hagecus e contra viginti millia marcarum Polono a Boemo numerata vult esse, ne quid juris in Wratislaviensi ditione et in omni Silesia et Oppoliensi sibi vendicaret. Addit idem societatem tunc ab omnibus tribus regibus *(Polono, Boemo, Hungaro)*, contra Ludovicum Cæsarem initam esse, quod Dubravius prætermisit ; vultque idem, et quidem solus, hæc omnia vivente et præsente Loctico confecta esse. Aliquid forte horum tunc actum est. Cæterum Silesiam omnem tunc nondum Boemus in ditionem suam redegerat. Tributum autem illud unde et quando ipsi natum sit in Polonia, non possunt ostendere isti, si ultima cum primis apte et convenienter volunt contexere. Sed integrum sit suum cuique judicium.

Cessionem hanc Silesiæ dissimulant Poloni scriptores aliqui

22 *Ex his, ni fallar, primum manifeste habetur, ducatum Osvicimensem, ad quem spectat oppidum Kenty, Silesiæ partem esse ; deinde Silesiam univer-*

Joannes Cantius vere Silesius ; improprie tantum Polonus dicitur.

(1) Cromerus, de rebus Polonorum, lib. XXII, p. 522. Edit. Basiliæ, 1558. — (2) Rerum Silesiacarum scriptores, Lipsiæ 1729. — (3) Ibid. t. I, p. 774, in *Codicis Silesiæ diplomatici Specimine.* — (4) Ibid., p. 775. — (5) Ubi supra, p. 776 et 777. — (6) Ibid., p. 778 et 779. — (7) Ibid., p. 259. — (8) Ibid., p. 258. — (9) De rebus Polonorum, lib. XII, p. 306.

sam

A *sam et in specie ducatum Osvicimensem anno* 1339 *a Polonis ad Bohemos transiisse; cum vero aliunde constet præfatum ducatum anno tantum* 1454 *in Poloniæ regis possessionem rediisse; et præterea certum sit S.* Joannem Cantium *natum esse vel sæculo decimo quarto exeunte, vel saltem ineunte sæculo decimo quinto, consequens est beatum Virum et patria Silesium, et ejus natale solum, per longe maximam ejus vitæ partem Polonicæ ditioni subductum, postremis tantum viginti ejusdem vitæ annis subjacuisse. Atque hac ratione Polonis aliquatenus potest annumerari; tanto magis quod oppidum Kenty in extremis Silesiæ oris, Minori Poloniæ conterminis, situm reperiatur. Tandem addidisse juvat quod habet Martinus Hankius* (1), *ubi vitam auspicatur Hyacinthi Odrovasii (Canto, haud procul Vratislavia, probabilius oriundi) :* Veteri more, qui Polonos ex Silesiis facit, Polonus plerisque dictus, revera non fuit. *Atque hæc de patria et natali beati* Cantii *solo. Nunc cætera brevius expediemus.*

Natales S. Joannis Cantii.

23 Natus est, *inquit Adamus Opatovius juxta versionem P. Boym* (2), B. Johannes Cantius luce D. Joanni Baptistæ sacra, quem cultu singulari coluisse toto vitæ suæ decursu vel chirographa B libris passim inscripta attestantur. Parentes ei fuere honesti iique catholici; et quidem genitor Stanislaus magistratum oppidi ingrediebatur, pietateque non vulgari eminebat. Gratus Numini cum Anna consorte sua, paris etiam virtutis ac in Deum voluntatis, prolem sibi ab eo donatam, in iis quæ Deum concernunt non segniter instituebat. *Concordant cæteri, inter quos auctor vitæ ms. de qua diximus supra num.* 7 : Tempore Vladislai Jagielonis, regis Poloniæ, in festo Sti Joannis Baptistæ piis parentibus, patre nimirum Stanislao Vacenga, consule ejusdem loci, matre vero Anna nascitur. *Atque hæc sola vita est, in qua nomen familiæ,* Vacenga *nimirum, reperitur. In aliis Stanislai tantum nomine pater S.* Joannis *nostri indicatur. In actis canonizationis Stanislaus* vir consularis *dicitur; in ipsa bulla habetur* : In oppido Kentii Cracoviensis diœcesis beatus Joannes Cantius ex illustribus *consulari genere* et christiana pietate parentibus natus est die Junii XXIV. *Porro quod ad consulis dignitatem pertinet, scribit Martinus Cromerus :* Præter Dominos autem eorumque Præfectos et Procuratores, habet plebs quæque oppidatim, vicatim et pagatim suos magistratus. Ac C in pagis quidem Scultetum sive advocatum hereditarium vocant, qui est quasi deductor ac defensor coloniæ; qui vel ipse per se, vel per vicarium suum, quem et ipsum Advocatum seu Judicialem vocant, cum adjunctis aliquot ex aratorum numero Scabinis (sic appellantur judices sive assessores judicii) jus dicit. In civitatibus autem et oppidis et vicis præter hos, sunt etiam CONSULES. Ita vocamus eos, qui a veteribus decuriones appellantur, penes quos est civitatis cujusque gubernatio et custodia; in delinquentes animadversio; publicorum commodorum administratio, curaque ædificiorum et sartorum tectorum publicorum. Inter eos autem unus præsidet magister civium, quem vulgo Proconsulem vocitant, qui eos, quoties opus est convocat et in consilium adhibet : nam leviora sine illis ipse gerit. Consulum non idem est ubique numerus (3).

Mittitur ad Cracoviensem academiam

21 *Et rursus laudatus Opatovius* (4). Cum adolescens accuratam sortitus esset domi educationem ac ipsa litterarum bona ibidem jecisset principia, ductu parentum adiit academiam Cracoviensem, quæ toto christiano orbe, reverentia Numinis ac omnium universitate scientiarum inclarescere indies incipiebat, atque cum ipsis suis initiis insignia conjungere incrementa : *et infra* (5) : Adolescens igitur (quod vocamus primum accessum ad academiam) inscriptus est albo studiosorum anno D. supra millesimum quadringentesimum decimo tertio, rectoris partes id temporis obeunte Stanislao Skarbimiero, doctore juris Canonici. Auditis vero certis primis, ad idque designatis scientiis, ac in iisdem singulari exhibito profectus specimine, primo testimonio ac approbatione in scientiis et philosophia bacalaureus est creatus anno Dñi 1415, prout vetustus metricalis attestatur codex; a fundata vero et erecta academia Cracoviensi anno 15. Is honor fuit illi incitamento ad alios invadendos labores : nam altius progressurus, duobus annis, juxta statuta, et professores auscultavit et assidua sese lectione ac certaminibus egregie exercuit. Dein luculento sibi doctrinæ præstito testimonio, doctor philosophiæ est creatus 1417. Bis decani partes in philosophia obivit; primo quidem 1432, secundo 1438. E

Quo anno fundata hæc academia sit, non convenit inter scriptores.

25 *Silet Opatovius, quo ætatis suæ anno S.* Joannes *sive bacalaureus sive doctor in philosophia creatus fuerit. Si quorumdam, ut infra latius disputabimus, assumatur chronotaxis, vel nondum natus, vel pueritis imo et infantilis ætatis præfatis annis fuisset. Hoc loco sufficiat elucidasse, a quo et quo anno fundata universitas Cracoviensis sit. Varia enim varii scripsere. Ejus ponit Opatovius initia ad annum Christi* 1400, *cum dicat* Cantium *bacalaureatu insignitum anno* 1415, a fundata et erecta academia Cracoviensi 15. *Wiltsch* (6) *initia studii generalis refert ad annum* 1343; *Fridericus Lucæ* (7) *ad diem* XVII *Augusti* 1344; *Benedictini* (8) *ad annum* 1347; *Salvandy* (9) *et Maltebrun* (10) *ad tempora regis Casimiri (regnavit ab anno* 1333 *ad an.* 1370 (11)) *quin notent quo præcise anno; Andreas Cellarius* (12) *ad annum* 1361, *affirmans id factum permittente Urbano V :* Idem, *inquit,* rex *(Casimirus)* in hac nova urbe *(ab ejus nomine dicta)* Casimiria, *anno* 1361 *Academiam* instituit permissione a Papa Urbano V impetrata. *Hæc tamen simul stare non possunt : electus enim, juxta Papebrochium nostrum* (13) *(et concordant in designando anno Benedictini* (14)) *Urbanus fuit* F XXIII *Septembris an.* 1362, *coronatus* VI *Novembris ejusdem anni. Non ergo Urbani bella anno data est* 1361, *ut scribit Cellarius ; bene vero* Avenione Kal. Septembris anno. *Pontificatus sui* II, *seu Christi* 1364. *Scilicet rogavit Pontificem Casimirus (quemadmodum narrat Raynaldus* (15)) *ut cum Poloni ab academiis celebrioribus tanto locorum intervallo essent dissiti, ut plures a litterarum studio ob viarum discrimina abducerentur, atque inde pauciores in eo regno litterati essent viri, Cracoviæ academica studia excitaret, ex quibus in Poloniam et vicina regna scientiarum rivi dimanarent. Annuit Urbanus,* ordinans ut in dicta civitate Cracoviensi de cætero sit studium generale, illudque perpetuis temporibus inibi vigeat tam in juris canonici et civilis, quam alia qualibet scientia præterquam in theologica facultate. *Hinc, nostra opinione, satis probabiliter efficitur Cellarium initia Cracoviensis academiæ retulisse ad annum (quem tamen non*

(1) De Silesiis indigenis eruditis, cap. VI. — (2) Vitæ, part. I, cap. I. — (3) Polonia, lib. II, p. 155 et seq. Edit. Coloniæ 1577. — (4) Vitæ. part. I, cap. II. — (5) Ibid., cap. XII. — (6) Handbuch der Kirchlichen Geographie, t. II, p. 263. — (7) Europäischer Helicon, p. 275 et seq. — (8) Art de vérifier les dates, p. 499. Edit. Paris 1770. — (9) Histoire de Pologne, t. I, p. 46. Edit. Bruxellis. — (10) Tableau de la Pologne, p. 447. Paris 1807. — (11) Art de vérifier les dates, p. 499 — (12) Regni Poloniæ novissima descriptio, p. 142 et 143. — (13) Propylæum Maii. — (14) Art de vérifier les dates, p. 304. — (15) Annales ecclesiastici ad an. 1634, n. XIII.

recte designat idem Cellarius) ejusdem fundationis; quod vero ad alios supra laudatos attinet scriptores, hac forte inter se et cum Cellario conciliari possent ratione, quod alii aliud assumpserint universitatis exordium, scilicet vel ab inchoatis ædificiis vel a scholarum initio aliisque id genus. Hoc porro certum, Casimirum, condita civitate, e suo nomine Casimiria appellata, Vistulæ tantum amne olim a Cracovia sejuncta *(nunc enim hujus pars censetur)*, ad eam generalis studii exornandam cultu, animum atque curam adjecisse. Ab eleganti domorum structura exorsus, dum inter venandum fugienti imminet cervo, procumbentis equi collisus pondere, atque, concepto ex eo casu diu cum morbo luctatus, Nonis Novembris MCCCLXX et vitæ et consummandi operis gloriæ eripitur. *Ita in Opusculo (cujus meminimus n.* 13) de vita et rebus gestis S. Johannis Cantii (1), *Romæ anno ejus canonizationis edito, atque* a doctoribus et professoribus generalis studii universitatis Cracoviensis *dedicato* sacro episcoporum senatui, universoque sæculari clero regni Poloniæ. *Unde videretur Casimirum,* ab eleganti domorum structura exorsum, *quominus ulterius progrederetur morte fuisse impeditum, nec proinde ejus sub regno scholas fuisse apertas. Amplius tamen aliquid Casimiro tribuit postremus vitæ* Cantianæ *scriptor Putanovicius* (2). Venit tandem, *inquit*, annus 1400, alter academiæ Cracoviensis natalis, longe felicior quam primus, quo a primis initiis et fundamentis assurgere cœpit. Quamvis enim Casimirus magnus... ingenti opere, splendido cultu domos, cameras, lectoria e lapidibus quadris pro habitationibus et lectionibus doctorum atque magistrorum in cognomine ad urbem Cracoviensem civitate novæ suæ universitati ædificaverat; eidem privilegia et stipendia sufficientia professoribus assignaverat; tamen quod supremam manum tanto operi non imposuerit, non id suæ sed supremi Numinis erat voluntatis. *Quæ utique latius patent quam verba ex altero opusculo recitata. Quidquid de eo sit, constat, opus deinde aliquot annorum spatio nullum habuisse incrementum, sub Ludovico nempe Hungarico, qui Casimiro successit. Quum autem Hedwigis, uxor Jagellonis seu Wladislai IV, qui post Hungaricum rerum in Polonia est potitus, partem bonorum uorum perficiendæ academiæ legasset, Wladeslaus continuo post uxoris mortem, quæ anno obtigit* 1399, *Casimiri cœpta ad exitum perduxit. Jagello, ait Crome us,* inventis a Casimiro facile quidquid desiderabatur, addidit, et in materiam optimam, sexaginta annis jam dispositam, formam quam voluit introduxit. *Quibus ex verbis patet Cromerum initia academica sub Casimiro referre circiter ad annum Christi* 1340. *Quod ad secundam fundationem attinet, uno ore eam scriptores referunt ad annum* 1400 : Transportatis, *ait Putanovicius* (3), tumultuarie ex Casimiriensi collegio cathedris ac depositis per triclinia lectoriis, ex communi consilio, ad faustam et fortunatam studii generalis Cracoviensis renovationem inchoandam, decreta est feria secunda post festum proxime sequens D. Jacobi majoris apostoli, ad quam regiam majestatem senatumque ac proceres Poloniæ invitare placuit. *Quod et ita factum. Rex interfuit primæ lectioni, et* initium novæ matriculæ, per insertionem nominis sui, quem omnes præsentes tunc senatores in hoc egregio facto secuti sunt, dedit. *Atque hæc omnia idem Putanovicius ad calcem libri sui de B.* Cantio *resumit in specie quadam inscriptionis* (Aram *ipse vocat* Gratiarum D. O. M. divis Academiæ fundatoribus), *quam in hunc auspicatur modum* : D. Casimiro magno, qui Parisiis juris et philosophiæ professoribus invitatis, Casimiriæ, quam condiderat, Academiam fundavit, ejusdemque confirmationem anno 1364 ab Urbano V PP. impetravit. D. Vladislao Jagelloni, qui anno 1400 magnos Casimiri conatus felicissime perfecit; universitatem studiorum Casimiria Crocoviam transtulit, beneficiis ecclesiasticis auxit, et stipendia de telonio prodidit; stemma universitati Aquilam Polonam in manibus S. Stanislai *(martyris)*, sceptra gemina rectori magnifico, domum, quæ Collegium magnum audit, jura et beneficia a Joanne XXIII et Martino V PP. rata et confirmata Academiæ consecravit. D. Hedwigi reginæ *etc. Denique ex his omnibus recte nobis deduci videtur Casimirum de fundanda Cracoviæ academia serio cogitasse, operi manum haud impigre admovisse, imo et studio generali saltem aliquale fecisse initium (unde etiam Putanovicius studii generalis Cracoviensis* renovationem *Wladislao adscribit, Spondanus* (4) institutionem seu instaurationem universitatis studii Cracoviensis), *at morte prohibitum quominus cœpta perficeret; deinde opus aliquot annorum spatio perdurasse informe, donec tandem a Vladislao Jagellone reassumptum omnibusque suis numeris fuerit absolutum anno* 1400.

Mire discrepant auctores de anno quo vel natus Cantius sit.

26 *Rursus alia ab aliis, nec adeo leviter ab invicem discrepantia, traduntur de anno nativitatis et mortis, sicut et de ætate, quam adeptus erat beatus* Joannes Cantius, *cum diem obiit supremum. Et in bulla quidem canonizationis legitur* : natus die Junii XXIV, anno supra millesimum trecentesimo nonagesimo septimo. *Concordat* Compendium vitæ *ex secretaria congregationis sacrorum Rituum* : Joannes Cantius natus est anno Domini millesimo tercentesimo monagesimo septimo, Junii mensis die 24 (5). *Ast vehementer discrepat* Oratio *habita a R. P. D. Alexandro Litta, coram Cle ente XIII, in consistorio publico pro proximis canonizationis solemniis, die 7 Martii* 1767 : Anno a Christi Nativitate MCDXLVI (1446), VIII Kalendas Julias natus est Joannes (6). *Mendum topographicum esse vix dubitares, nisi, quoad ætatem, ut inferius declarabimus, similis, licet non tanta, cum aliis plerisque in laudata Oratione reperiretur discrepantia. Non ausim tamen affirmare mendum haud irrepsisse. In vita beati* Joannis Cantii *ms. ex collectione Bollandiana* natus *dicitur* anno Domini 1412 in festo sancti Joannis Baptistæ. *Prolixior vita ms. juxta Adamum Opatovium ex versione latina patris Boym non indicat diserte annum nativitatis; ast cum ibidem obiisse dicatur anno* 1471, *ætatis* 83, *efficitur in lucem editum fuisse versus annum Domini* 1388. *Butlerus natum vult versus annum* 1403. *Tandem in altera scriptione, typis Romanis excusa an.* 1767, *curantibus* doctoribus et professoribus generalis studii universitatis Cracoviensis *sub titulo* de rebus gestis S. Johannis Cantii, Poloni, *traditur* in lucem editus Octavo Kal. Jul. anni MCCCLXXXVII (7). *Est itaque annus nativitatis incertus, cum alius ab aliis assumatur; tres annum ponunt* 1397; *unus annum* 1388 *aut* 1387, *alter annum* 1403, *vel* 1412 *vel* 1446; *quod postremum certo a vero aberrat, imo potius mendum videtur typographicum.*

vel mortuus,

27 *Nec minus discordant scriptores in assignando mortis anno. Bulla canonizationis ita statuit* : Ad quos anhelabat, Christi Jesu amplexus, feliciter evolavit die XXIV Decembris anno reparatæ

(1) Cap. II, p. 3 et 4. — (2) Ad calcem Vitæ S. Joann. Cantii, *ubi de academiæ erectione.* Edit. Cracoviæ 1780. — (3) Ubi supra. — (4) Ann. ecclesiast. ad an. 1399, n. XIV. — (5) Acta sex Canonizatorum, p. 113. — (6) Ibid., p. 179. — (7) Cap. I, p. 3.

A salutis MCCCCLXXIII, cum annum ageret septuagesimum sextum. *In Compendio vitæ ex secretaria congregationis sac. Rituum, concordat annus et dies mortis, ast plurimum discrepat ætas :* Septimum supra sexagesimum ætatis annum cum attigisset.... dissolutionis suæ tempus imminere cognovit.... die 24 Decembris, in pervigilio nativitatis Dominicæ, anno æræ christianæ 1473 feliciter ab ergastulo carnis solutus ad sempiterna gaudia evolavit (1). *Similiter R. P. D. Alexander Litta in* Oratione *habita coram Clemente XII, asserit* Joannem, ingressum ætatis suæ annum LXVI (66m) cognovisse supremum sibi vitæ diem instare, *quin determinet quo anno Christi mors ejus obtigerit* (2). *Benedictus XIV :* obiit, *inquit* (3), beatus Cantius anno Domini 1473. *Consonat Butlerus, sicut et prius* Factum concordatum *(de quo consule n.* 30). *Vita ms. in musæo Bollandiano sicut et vita auctore Adamo Opatovio, ex polonico sermone in latinum versa,* obdormivisse *tradit* anno Domini supra millesimum quadringentesimum septuagesimo primo, 24 Decembris. *Tandem elucubratio* de rebus gestis S. Joh. Cantii, *Romæ excussa anno* 1767, *ita habet :* A reparato humano genere, anno B MCCCCLXXIII, septuagenario major mortuus est (4). *Atque ibidem ad imam paginam, sequens adscripta est nota :* Beatus Cantius agens ætatis annum LXXVI supremum obiit diem. Quo autem recto me usum temporis syntagmate liqueat, consulat lector Cracoviensis academiæ monumenta, ac anonymum auctorem, qui MDCXLVIII ejus conscripsit vitam. Prodidere illa *(monumenta scilicet academica)* studentium albo ejus universitatis MCCCCXIII dedisse (Joannem) nomen, *et* MCCCCXV *primam in philosophiæ facultate fuisse assecutum lauream.* Iste vero *(auctor nempe vitæ anonymus)* asserit XVI ætatis suæ anno, absolutis humaniorum litterarum studiis in patrio Kentensis parœciæ gymnasio, Cracoviam contendisse, et XX magistrum in philosophia renunciatum. A MCCCLXXXXVII igitur, quo ortum narravi, ad MCCCCXIII, quod ad academiam se contulit, quum XVI numerentur anni ; et LX, ab anno MCCCCXIII usque ad MCCCCLXXIII, quo decessit, erroris non videor inurendus nota. Improbandus tamen est Petrus Skarga, qui natum censet MCCCCXII, ne dicamus quod vix e matris avulsus uberibus, fuerit laurea decoratus. Neque Adamo adhæreo Opatovio, affirmanti in lucem fuisse editum MCCCDLXXXX C *(imo potius anno* MCCCLXXXVIII, *juxta dicta a nobis numero præcedenti),* tunc enim non septuagenario, sed octuogenario major occubuisset *(quod etiam diserte pronuntiat Opatovius, ut qui mortuum* Joannem *scribit ætatis suæ anno octogesimo tertio). Cæterum aliud non habeo quod opponam mox citatæ chronotaxi, præter id unum : assumi scilicet tamquam certum annum nativitatis ab anonymo auctore positum. Ast in hoc vertitur præcipuus rei cardo. Quæstio enim tota huc redit : quo præcise anno editus in lucem S.* Joannes *sit? Cum hac de re non conveniat inter scriptores, aliis alterum, alterum aliis ponentibus annum, ut ex præfatis liquidum est. Hucusque duos diversos habemus annos, quibus sancti* Joannis *obitus innectitur : annum nempe* 1471 *et annum* 1473. *Posterior multo plures sibi faventes numerat auctores, et revera probabilius est in hunc beati Viri mortem incidisse. Hinc etiam Martinus Hankius de* Joanne Cantio *scribit* (5) : Apud Cracovienses, admodum senex, anno 1473 expirabat : *subditque ex Joachimo Curæo, in hujus* Silesiorum annalibus *ad annum* 1473 : Cracoviæ eo anno mortuus est celebris theologus Silesius Joannes Cantiensis. D

Nec certus quoque ætatis annus assignari potest.

28 *Post hæc nemo mirabitur scriptores, ad annos ætatis quod pertinet, in diversas abire partes : idenim recta fluit ex incerto tum nativitatis tum mortis ejus anno. Bulla canonizationis, cum qua concordat scriptio* de rebus gestis S. Joh. Cantii, *defunctum tradit anno ætat s septimo supra septuagesimum ; Butlerus, septuagesimo ;* Compendium *ex secretaria cong. sac. Rituum, sexagesimo septimo ;* Oratio *habita coram Clemente XIII, sexagesimo sexto (cum vero in hac eadem* Oratione *natus dicatur* Joannes *anno Dñi.* 1446, *sequeretur vitam protraxisse usque ad annum Christi* 1512, *quod utique eruditorum nemo unus dixerit); vita juxta Opatovium ex versione ms. patris Boym, octogesimo tertio ; in breviori vita ms. musæi nostri annus quidem non distincte notatur, cum tamen diserte dicatur natum* Joannem *an.* 1412, *mortuum vero an.* 1473, *obiisse concludendum est anno ætatis sexagesimo primo. Hic itaque densiores inter tenebras incedimus quam in præcedentibus. Atque ideo probabiliter Hankius rem in medio reliquit, id generatim affirmans,* admodum senem expirasse ; *quod et nobis ex præfatis rationi magis consentaneum videtur.* E

§ III. De processu canonizationis B. Joannis Cantii. Multiplices diuturnæque in hac causa obortæ difficultates. De reliquiis beati Viri, ejusque cultu tum antiquo tum præsenti.

Synoptica actorum in causa B. Joan. Cantii narratio ex Andrea Mariotti.

Quæ in hac causa, multis utique turbata difficultatibus et obstaculis, suscepta vario fuerunt tempore, sic breviter resumit Josephus Andreas Mariotti fidei subpromotor (6). Beatus Joannes Cantius in celeberrima Cracoviensi academia philosophias theologicasque scientias, non sine eruditionis ac doctrinæ nomine auditores docuit, et christianis adeo refulsit virtutibus, tantaque miraculorum gloria ab Altissimo extitit insignitus, ut cum ad F superas evolavit, continuo ejus memoriam veneratione Cœlicolis debita Cracovienses cives fuerint prosequuti. Verum, cum inclytus Poloniæ rex, regnique proceres omnes beatum hunc Virum Sanctorum fastis per Sedem apostolicam adscribi exoptarent, Urbanum PP. VIII sedulo urgere cœperunt, ut commissionem Introductionis caussæ signaret. Quorum vota, ad sanctuarii lances re diligenter perpensa, anno MDCXXIX Pontifex benigne excepit. Hinc remissoriales, quas vocant, litteras Cracoviensi antistiti datæ fuere, ut in ejusdem virtutes et miracula, apostolica auctoritate, inquireret. Sed interea temporis, nonnullis exortis difficultatibus, ad annum usque MDCLXVI caussa stetit, quo anno Alexander PP. VII commissionem, ut aiunt, Reassumptionis firmavit, in relatorem ejusdem caussæ elegit cardinalem Volumnium Bandinelli, atque reverendissimo episcopo Cracoviensi dedit in mandatis, ut judicium super casu, quem ab Urbani PP. VIII decretis dicunt exceptum, institueret. Non ita multo post cardinalis

(1) Acta sex Canonizatorum, p. 118. — (2) Ibid., p. 182. — (3) De servorum Dei beatif., lib. II, cap. XXIV, n. 41. — (4) Cap. XVIII, p. 35 et 36. — (5) De Silesiis indigenis eruditis, p. 154. Edit. Lipsiæ 1707. — (6) Acta sex Canonizatorum, p. 2 et seq.

R. P. nalis Bandinelli moritur, eique Angelus Celsus sufficitur, cui Petrus Vidonus subrogatur; quo rem strenue agente, XII Kalendas Augusti MDCLXXVI publicus cultus, quem centum et ultra annis supra ejusdem Urbani PP. VIII ætatem Beato exhibitum caussæ postulatores contendebant, in quæstionem venit, ac fausto feliciqne eventu, pontificio oraculo fuit roboratus. Decius postmodum cardinalis Azzolinus, quem ven. Innocentius PP. XI in caussæ ponentem delegerat, alteras litteras remissoriales pro novis compilandis actis super Beati virtutibus direxit, quæ acta ad juris et litterarum remissorialium regulas adornata fuisse, referente Leandro cardinali Colloredo, qui Azzolino successerat, congregatio ordinaria sacrorum Rituum recognovit ac declaravit; idque, recepto vocabulo, quod etiam nos usurpare minime detrectabimus, Validitas dicitur. Et quamvis diligentissimi postulatores ad examen virtutum Beati devenire etiam atque etiam in optatis haberent, id tamen minime datum eis fuit atque concessum, donec disceptatio de scriptis, temere Beato attributis, a cardinali Colloredo suscepta, quæ adhuc sub judice erat, XV Kalendas Octobris MDCCXXX,
B cura cardinalis Ludovici Pici Mirandulani per sacram Rituum congregationem absolveretur; quapropter ante IV Nonas Julii MDCCXXXIII sacrorum Rituum ordinaria congregatio hasce cœpit discutere virtutes, quibus rigidiori trutina examinatis, censuit: ita de virtutibus (Beati) constare, ut procedi possit ad discussionem miraculorum; cui sacræ congregationis responso Nonis ejusdem mensis sua auctoritate Clemens PP. XII roboris firmitatem adjecit. Sic voti compotes postulatores effecti, totis laborarunt viribus, ut miracula, quæ Deus ad Beati sanctitatem declarandam patraverat, a romano Pontifice probarentur; sed quia opus antea fuit et de ipsis miraculis inquisitionem adornare, illiusque validitatem perpendere, multum proinde temporis, antequam de eisdem disceptaretur, prolabi fuit necesse. Interea temporis Picus, caussæ ponens ab Urbe discessit: hinc penes Camillum cardinalem Cybo, qui Pici partes gerebat, horum miraculorum judicium in congregatione entepræparatoria XIII Kalendas Julii MDCCXLII primum fuit inceptum, quod in præparatoria XIII Kal. Sept. MDCCXLIV, Annibale cardinali Albani tunc caussæ ponente, prosequutum, tandem in gene-
C ralibus comitiis III Nonas Augusti MDCCXLV coram S^{tæ}. M^{æ}. Benedicto PP. XIV ad exitum usque fuit perductum. Verum cum intelligerent postulatores, ex quatuor, quæ in medium protulerant, miraculis, duo tantum communi fere calculo a suffragatoribus doctissimis fuisse probata, et optime haberent perspectum ex novis pontificis Benedicti decretis, in hisce antiquissimis caussis, quæ per viam casus excepti incedunt, quatuor desiderari miracula, ut quis in catalogo Sanctorum possit recenseri, minime a doctissimo Pontifice eorumdem approbationem efflagitarunt, expectandum satius rati, donec Altissimus gloriam Servi sui novis adaugeret prodigiis. Vix pauci effluxerant anni cum ad urbem Romam rumor adventavit, Deum ad ostendendas divitias gloriæ suæ in B. Joannem Cantium, nova indies miracula ac prodigia operari. Quo rumore postulatores commoti, ac in spem erecti quamprimum ultimam manum huic caussæ imponendam, alios curarunt exarari processus, ut ad horum etiam miraculorum disquisitionem devenirent. Quibus processibus absolutis, tres habiti sunt sapientissimorum patrum conventus: primus scilicet VII Idus Julii MDCCLXIV apud eminentissimum cardinalem Joannem Francis- D cum Albani, Sabinensem episcopum, postremum caussæ relatorem; alter XIII Kalendas Sept. MDCCLXV, in palatio apostolico Quirinali; ac denique tertius IV Nonas Decembrias MDCCLXVI coram Sanctissimo Domino Nostro Clemente PP. XIII, in quibus fere omnes doctissimi sapientissimique suffragatores tanti ponderis eadem existimarunt miracula, ut digna forent, quæ per certum Sanctitatis suæ judicium comprobarentur. Hæc tamen nova miracula, quia tria numero erant, satis nec ipsa videbantur, ut ad exoptatum finem caussam tandem perducerent; quamobrem postulatores supplici a Sanctissimo Domino Nostro efflagitarunt libello, ut illa antiqua miracula, jam discussa atque agitata, dum ecclesiæ habenas Benedictus PP. XIV moderabatur, decreto confirmaret suo. Pontifex benignissimus pro sua religione ac prudentia, ne quid in re gravissima temere inconsultoque decernere videretur, statuit deciditque peculiarem instituendam congregationem fore, in qua EE. et RR. DD. cardinales Carolus Albertus Guidobonus Cavalchini episcopus Ostiensis, Sanctissimi Domini Nostri prodatarius, Joannes Franciscus Albani, episcopus Sabinensis caussæ ponens, Josephus Maria Feroni E tituli S. Cœciliæ, sacrorum Rituum congregationis præfectus, Marcus Antonius Columna, tituli S. Mariæ de Pace, Liberianæ basilicæ archipresbyter, ac Domini PP. in alma Urbe vicarius, et cl. M^{æ} Antonius Andreas Galli, tituli S. Petri ad Vincula, major pœnitentiarius, nec non illustrissimi ac RR. DD. Scipio Burghesius, tum sacrorum Rituum congregationis a secretis, et Cajetanus Forti, qui tunc temporis fidei promotorem agebat, una cum reverendissimo patre Thoma Ricchini, sacri Palatii apostolici magistro, et b^{æ} m^{æ} patre abbate Mauro Sartio, ordinis Camaldulensium, quid de ipsis miraculis judicarent, liberrime exponerent; qui omnes minime dubitarunt in affirmativam descendere sententiam. *Hactenus Mariotti Quæ omnia fere nituntur duobus, ut aiunt,* Factis Concordatis, *quæ, utpote authentica documenta, nefas esset in Opere nostro præteriisse. Sunt autem hujusmodi. Et prius quidem ita sonat.*

Factum Concordatum in causa S. Joan. Cantii. *Gesta ante Urbani VIII decreta.*

30 Joannes Cantius Cracoviæ natus ex catholicis piisque parentibus, post adeptam sacerdotalem dignitatem ac lauream doctoralem in universitate academiæ dictæ civitatis, in qua sacram etiam theologiam publice legit, et munus Decanatus celebris illius archigymnasii summa cum laude obivit, sanctisssimis moribus imbutus, christianisque virtutibus mirifice, quoad vixit, ornatus, maxima cum fama sanctitatis mortuus est anno 1473, adeo ut ab inde citra cultu publico et ecclesiastico tanquam Beatus condecoratus fuerit. An. 1629 prævia discussione processus auctoritate ordinaria constructi in præfata civitate Cracoviensi super fama sanctitatis, virtutum ac miraculorum dicti Beati, san. mem. Urbanus VIII per specialem commissionem propria manu signatam, illius caussam inquirendam ac discutiendam commisit sac. Rituum congregationi, mandando quod in eadem absque alia processuum in genere confectione ad inquisitionem in specie deveniretur. In sequelam hujusmodi commissionis sub eodem anno decretæ et expeditæ fuerunt per sac. Rituum congregationem litteræ remissoriales pro inquisitione speciali; sed ob varia, quæ supervenerunt, impedimenta, ejusmodi litteræ executioni totaliter demandari non valuerunt, et caussa siluit usque ad annum 1666.

31 Interim vero supervenientibus decretis generalibus

Statuitur super casu excepto.

neralibus a san. mem. Urbano VIII publicatis sub die 23 Marti prædicti anni, institum fuit pro signatura commissionis reassumptionis, et san. mem. Alexander VII, prævio consilio sac. Congregationis, eamdem commissionem in statu et terminis, in quibus caussa reperiebatur, signavit. Postmodum sub die 26 Junii superius enunciati anni decretæ et expeditæ fuerunt litteræ remissoriales ad construendum processum particularem super cultu ab immemorabili dicto Beato præstito, seu casu excepto a supradictis decretis; quo processu completo, ad Urbem delato, ac servatis servandis aperto, ad relationem eminentissimi cardinalis Vidoni, suffecti in locum eminentissimi Celsi, qui jam fuerat subrogatus in locum eminentissimi Bandinelli olim caussæ relatoris, propositum et discussum fuit dubium super cultu immemorabili, seu casu excepto a dictis decretis, quod favorabiliter resolutum extitit sub die 21 Martii 1676, summo Pontifice consimilem sac. congregationis resolutionem confirmante die 28 ejusdem mensis et anni.

Conceditur officium et missa in honorem B. Joan. Cantii.

32 Hinc expeditis aliis litteris remissorialibus et compulsorialibus ad construendum processum apostolicum super virtutibus et miraculis in specie, per intercessionem prælaudati Beati a Deo
B
patratis, iisque ad partes transmissis, dum judices delegati illius compilationi adhuc vacarent, preces porrectæ sunt nomine serenissimi Poloniæ regis in sac. Rituum congregatione pro concessione Officii et Missæ in honorem prædicti Beati; ipsa autem sac. congregatio injunxit bon. mem. R. P. D. Bottinio, tunc fidei promotori, ut recognosceret, an ex processu apostolico confecto super cultu talia resultarent circa virtutes et miracula ejusdem Beati, ut locus esse posset petito indulto. Factaque per dictum fidei promotorem in S. Rituum congregatione relatione contentorum in dicto processu, tam quoad virtutes, quam quoad miracula, san. mem. Innocentius Papa XI sub die 17 Septembris anni 1680, per suas litteras in forma Brevis expeditas benigne elargitus est indultum, quod quolibet anno, die anniversaria obitus ejusdem Beati, officium et missa de Communi Confessoris non Pontificis sub ritu duplici, tam in civitate Cracoviæ, quam in toto Poloniæ regno recitari, et respective celebrari posset; et paulo post, die nempe 9 Augusti anni 1681, sac. congregatio concessit,
C
quod festum ipsius Beati quotannis justis de causis transferri posset ad diem 19 Octobris.

Processus super virtutibus.

33 Vita postea functo eminentissimo cardinali Vidono, et in ejus locum sub die 20 Septembris prædicti anni suffecto eminentissimo cardinali Azzolino, isto referente sac. congregatio, attenta dispensatione a processu in genere, in corpore duplicis commissionis in præsenti caussa signatæ a duobus summis pontificibus, Urbano nimirum VIII et Alexandro VII, contenta, die 22 Novembris superius memorati anni, relaxavit novas litteras remissoriales et compulsoriales ad absolvendum processum super virtutibus et miraculis in specie, quatenus jam inceptus esset, vel ad illud ex integro compilandum, quatenus numquam inchoatus fuisset Subinde vero sud die 20 Julii 1686, cum propter imminentem ruinam, quam minabatur ecclesia collegiata S. Annæ Cracoviæ, in qua Beati corpus a tempore felicis ipsius in Domino obdormitionis semper asservatum fuerat, restauranda esset, sac. congregatio, annuente etiam summo Pontifice, sub die 7 Augusti ejusdem anni, indulsit, ut dictum corpus interim transferri posset ad oratorium, seu capellam universitatis academiæ Cracoviensis, vel in alium decentem locum, arbitrio Ordinarii præfatæ civitatis. Sub eadem quoque die prædicta sac. congregatio subrogavit alios episcopos in locum primo delegatorum jam præmortuorum vel a Cracovia de proximo abfuturorum, in judices ad conficiendum processum super virtutibus et miraculis in specie, prorogato etiam ad alium annum termino unius anni alias concesso ad absolvendum dictum processum, summo Pontifice utrumque sac. congregationis decretum confirmante, primum die 7 Augusti 1686, secundum vero die 29 Martii 1688. Similem quoque termini prorogationem pluries in posterum sac. congregatio cum assensu et approbatione summi Pontificis renovavit, die 12 Martii 1689, 11 februarii 1690, 11 Augusti 1691, et 13 Septembris 1692. Absoluto jam vero processu prædicto, eoque ad Urbem delato, die 15 Maii 1694, sac. congregatio, annuente summo Pontifice, die 19 ejusdem mensis, illius aperitionem demandavit, et sub die 30 Martii 1697 indulsit, quod dubium super validitate dicti processus proponi et discuti posset in congregatione ordinaria absque interventu consultorum, et hanc eamdem sac. congregationis resolutionem summus Pontifex E
approbavit et confirmavit die 3 subsequentis mensis Aprilis. Successive proposito per clar. mem. cardinalem Colloredum, in caussæ relatorem subrogatum ob jam secutum obitum eminentissimi cardinalis Azzolini, dubio super validitate supradicti processus in congregatione ordinaria sub die 5 Octobris 1696, affirmativum prodiit rescriptum, quod fuit a summo Pontifice die 19 ejusdem mensis et anni confirmatum. Deinde sac. congregatio die 5 Junii 1698, benigno summi Pontificis interveniente assensu, decrevit et relaxavit litteras compulsoriales ad effectum extrahendi ex archivo curiæ episcopalis Cracoviensis processum, authoritate ordinaria in caussa constructum, et novum illius exemplum faciendi, ad Urbem transmittendum attenta deperditione primi transumpti alias transmissi. Rursus die 7 Februarii 1699 sac. congregatio indulsit, quod corpus Beati de antiquo sepulchro et capsa, in quibus asservabatur, extrahi, et in novum marmoreum monumentum nuper extructum transferri ac reponi posset, summusque Pontifex similis indulti concessionem approbavit sub die 14 ejusdem mensis. F
Die vero 23 Januarii 1700 sac. congregatio, assentiente summo Pontifice sub die 17 subsequentis mensis Februarii, commisit eminentissimo Colloredo ponenti revisionem Operum Beato attributorum cum solitis facultatibus. Delato postea ad Urbem novo transumpto processus ordinarii alias in caussa constructi, illius aperitio demandata fuit die 5 Decembris 1716, et sub die 12 Junii subsequentis anni 1717 sac. congregatio benigne dispensavit ac concessit, quod dubium super validitate istiusmodi processus proponi et discuti posset in congregatione ordinaria absque interventu consultorum et summus Pontifex die 12 Januarii ac Julii respective ejusdem anni utrumque congregationis rescriptum approbavit.

Incidenter aliquid de scriptis S. Joannis Cantii.

34 Defuncto jam vero eminentissimo Colloredo, atque in ejus locum a summo Pontifice die 18 Junii 1727 subrogato eminentissimo cardinali Pico, hic nulli exquisitiori parcens diligentiæ pro eruenda veritate circa Opera, quæ Beato attribuebantur, curavit ad Urbem deferri tam volumina originalia dictorum Operum, quam Album universitatis Cracoviensis, in quo certus Beati character continebatur. Delatis itaque Romam præfatis

M. P.

n. n. tis voluminibus, iisque perlustratis, nec non super eis auditis plurium peritorum scriptorum *(hic videtur deesse vox, puta* sententiis) una cum voto reverendissimi archiepiscopi Ancyrani *(Justi nempe Fontanini)* antiquorum characterum peritissimi, ad relationem dicti eminentissimi cardinalis Pici, die 17 Septembris 1730 prodiit decretum : non constare, quod Opera in processu apostolico conpulsata et Beato attributa, essent ipsius Beati, ideo procedi posse ad ultiora; et summus Pontifex ejusmodi sac. congregationis decretum benigne confirmavit die 20 ejusdem mensis et anni.

Concluditur processus super virtutibus. 35 Die 14 Augusti 1732 san. mem. Clemens Papa XII benigne indulsit, quod dubium super virtutibus in gradu heroico discuti posset in congregatione ordinaria absque interventu consultorum. Die 21 Martii 1733 decretæ et relaxatæ fuerunt per sac. Rituum congregationem litteræ remissiorales ad construendum processum apostolicum super miraculis ad intercessionem Beati recenter patratis. Proposito subinde ac discusso sub die 4 Julii præcitati anni in sac. congregatione ordinaria dubio super virtutibus heroicis B sæpe dicti Beati, responsum fuit : ita de virtutibus constare, ut procedi possit ad discussionem miraculorum : quod rescriptum summus Pontifex approbavit die 7 ejusdem mensis.

Processus super miraculis. 36 Rursus die 17 Julii 1734 sac. congregatio concessit facultatem officiali generali Cracoviensi nominandi alias Dignitates seu canonicos ecclesiæ Cathedralis in judices loco dignitatum et canonicorum absentium atque jam nominatorum ab episcopo Cracoviensi pro absolvendo præmemorato processu super miraculis recenter patratis; id quod etiam approbavit summus Pontifex die 20 prædicti mensis. Die 6 Augusti anni 1734 sac. congregatio prorogavit terminum alias concessum ad absolvendum enuntiatum processum, et largita est facultatem judicibus delegatis recipiendi examen testium, tam super miraculis non contentis in litteris remissorialibus, quam secutis post illarum expeditionem, et in posterum fortasse sequendis; et summus Pontifex die 10 dicti mensis utramque concessionem benigne confirmavit. Die 16 Februarii 1737 sac. congregatio confirmavit electionem Beati in compatronum principalem totius regni Poloniæ, ac magni ducatus C Lituaniæ, eique prærogativas omnes sanctis Protectoribus principalibus competentes attribuit, elevavitque illius officium ad ritum duplicem primæ classis cum octava; quod decretum etiam summus Pontifex approbavit die 20 præfati mensis et anni. Sub die 12 Septembris 1738, prælaudatus san. mem. Clemens XII concessit, ut processus apostolicus super novis miraculis jam absolutus atque ad Urbem delatus, aperiri posset, facta sola recognitione sigilli officialis generalis Cracoviensis absque ulla alia recognitione sigillorum cæterorum conjudicum. Die 31 Martii 1739 sac. congregatio approbavit Orationem et Lectiones proprias pro secundo Nocturno officii Beati, cui etiam approbationi annuit summus Pontifex die 11 Septembris ejusdem anni. Inde autem proposito in sac. Rituum congregatione dubio super validitate superius memorati processus constructi super miraculis in specie recenter patratis, die 5 Septembris 1739 rescriptum fuit : consulendum esse Sanctissimo pro sanatione ob non factam subscriptionem judicum juxta decreta : sed reproposita causa die 28 Novembris ejusdem anni super hoc dubio nimirum : an recedendum sit a decisis quoad sanationem : ipsa sac. congregatio, D prævio recessu a decisis, respondit : constare in omnibus de validitate enunciati processus : ejusmodique responsum sac. congregationis summus Pontifex approbavit et confirmavit die 4 Decembris præfati anni 1739. Die 10 Junii 1742 habita fuit congregatio antepræparatoria in ædibus clar. mem. cardinalis Cybo, eminentissimo Pico ponente ab Urbe absente, super dubio : An et de quibus miraculis constet post indultam Beato venerationem in casu et ad effectum de quo agitur. Die 9 Septembris prædicti anni 1742, Sanctitas Vestra concessit, quod in honorem supradicti Beati qualibet feria quinta per annum, etiamsi in ea festum ritus duplicis majoris incideret, celebrari posset Missa Votiva post solitam conventualem in ecclesia S. Annæ Cracoviæ, ubi illius corpus requiescit. Me tandem in causæ relatorem ab eadem Sanctitate Vestra primum ob gravem infirmitatem eminentissimi cardinalis Pici, et iterum post illius obitum recenter secutum, subrogato die 7 Augusti 1743, dubium infrascriptum cum promotore fidei Concordatum subscripsi, et proposui in congregatione præparatoria, habita die 20 Augusti nuper elapsi anni, modoque coram E Sanctitate Vestra iterum propono dubium : An et de quibus miraculis constet post indultam Beato venerationem in casu, et ad effectum, de quo agitur. *Erat signatum :* A. card. S. Clementis Ponens.

Alterum Factum Concordatum, ubi de miraculis, post indultam B. Cantio venerationem, patratis. 37 *Atque hoc prius est Factum Concordatum, ex quo abunde constat quot quantisque difficultatibus causa hæc irretita fuerit. Ast novus brevi post surrexit obex, cujus et indolem et solutionem declarabit alterum Factum Concordatum, quod sequentis est tenoris :* Beatissime Pater. Quum post Factum Concordatum, distributum pro congregatione generali habita die 3 Augusti 1745, coram san. mem. Benedicto XIV, Sanctitatis Vestræ prædecessore, pro discussione miraculorum a D. O. M. patratorum post indultam beato Joanni Cantio venerationem nova supervenissent miracula, supplicarunt causæ postulatores sac. Rit. congregationi pro concessione litterarum remissiorialium ad effectum construendi processum apostolica auctoritate super iisdem novis miraculis; quibus concessis die 11 Decembris 1751 et successive expeditis, propter absentiam Cracovien. antistitis a sua residentia, distrahi necesse fuit ultra bien- F nium illarum aperitionem; interea vero aliud dignatus est Altissimus operari miraculum ad intercessionem dicti Beati. Quare postulatores die 16 Decembris laudato san. mem. Benedicto XIV humiles preces porrexerunt pro concessione aliarum litterarum remissorialium, quibus superadderetur facultas judicibus primo delegatis recipiendi probationes etiam super dicto novo miraculo Hisce litteris benigne concessis et expeditis, quum, stante absentia Rmi episcopi a civitate Cracoviensi, neutrarum litterarum præsentatio et aperitio fieri posset, supplicarunt postulatores S. R. C. pro facultate, quod actus præsentationis et aperitionis utrarum supradictarum litterarum peragi coram Suffraganeo, seu Vicario generali episcopi Cracovien., et ab isto fieri etiam posset nominatio Dignitatum sive Canonicorum ecclesiæ Cathedralis, qui tamquam conjudices in fabricatione dicti processus intervenire et assistere debebant. Et quia eadem sacra congregatio hujusmodi facultatem benigne impertita est, die 14 Aprilis 1753, præsentatio et aperitio supradictarum litterarum peracta fuit coram Vicario generali episcopi Cracovien.,

A coviensi., nequaquam vero coram suffraganeo ejusdem episcopi; quare ad occurendum celeriori processus absolutioni, die 22 Decembris prædicti anni petita et obtenta fuit nova delegatio ejusdem suffraganei in judicem ejusdem processus. Vitam cum morte postea commutante, processu nondum absoluto, Vicario generali episcopi Cracovien., die 29 Novembris 1755 supplicatum est S. congregationi tam pro delegatione novi Vicarii generalis in judicem processus, quam pro prorogatione termini proxime expiraturi, licet alias prorogati, ad illum absolvendum; et utramque gratiam elargita est dicta sacra congregatio, quæ etiam novam termini prorogationem concessit die 26 Augusti 1758, quoniam adhuc processus ad debitum complementum perduci nequiverat. Completo jam vero processu, et ad Urbem delato, atque in actis S. R. congregationis de more præsentato, die 9 Januarii 1760 obtenta est a Sanctitate Vestra tam facultas illum aperiendi, quam etiam subrogatio mei in caussæ ponentem, seu relatorem in locum clar. mem. cardinalis Annibalis Albani qui naturæ debitum jam solverat. Proposito hinc per me, prævia pontificia, ut vocant, dispensatione, in sac.
B Rit. congregatione ordinaria, habita die 9 Februarii 1767, absque interventu et voto consultorum, dubio super validitate supradicti processus, affirmativum prodiit decretum, a Sanctitate Vestra confirmatum die 27 ejusdem mensis Februarii. Supplicante deinde postulatore Sanctitatem Vestram pro approbatione duorum ex antiquis miraculis discussis in congregatione generali coram Sæ. me. Benedicto XIV, quorum approbationi licet consultores et cardinales in sufficienti numero suffragati fuissent, nihilominus decretum approbationis nunquam prodierat, Sanctitas Vestra eadem die 27 Februarii 1762 demandavit iterum proponi et discuti duo antiqua miracula cum novis animadversionibus fidei promotoris in altera congregatione generali coram se habenda super quatuor miraculis noviter productis; sed postea ad novam postulatoris supplicationem eadem Sanctitas Vestra jussit examen dictorum duorum antiquorum miraculorum fieri in congregratione particulari coram ipsa cogenda, quemadmodum jam peractum est. Die denique 10 Julii 1764 habita est in ædibus meis congregatio antepræparatoria super examine quatuor ex novis miraculis superventis post indul-
C tam B. Joanni Cantio venerationem; quæ quidem miracula iterum discussa sunt in congregatione præparatoria, coacta in palatio apostolico Quirinalis die 20 Augusti 1765. Modo igitur coram Sanctitate Vestra dubium infrascriptum prius concordatum cum R. P. fidei promotore, et a me subscriptum propono. Dubium: An et de quibus miraculis constet post indultam B. Joanni Cantio venerationem in casu et ad effectum, de quo agitur. *Erat signatum:* J. Franciscus card. episcopus Sabinus Ponens.

Nova supervenit difficultas ex decretis Benedicti XIV in ordine ad miracula:

38 *Constat itaque tum ex duobus recitatis* factis Concordatis, *tum ex synoptica Cl. Josephi Andreæ Mariotti, item superius relata, narratione, caussam beati* Joannis Cantii *per multos annos hæsisse, deficientibus miraculis idoneo numero probatis. Ex quatuor enim primum examini subjectis, duo tantum communi calculo accepta sub Benedicto XIV fuerant. Cum vero Pontifex iste, edito decreto generali 23 Aprilis* 1741 *(quod et ipse refert* (1) *) statuisset, ut in causis, procedentibus per viam* cultus immemorabilis *seu* casus excepti, *deinceps non fieret gressus ad canonizationem, nisi probatis, non jam* duobus, *ut hucusque invaluerat et adhuc servatur in causis procedentibus per* viam non cultus, *sed* quatuor *omnino miraculis; hinc evenit, ut vivente Benedicto XIV, in ordine ad canonizandum beatum* Joannem Cantium *amplius nihil fuerit susceptum. Reassumpta vero causa est sub hujus Pontificis proximo successore Clemente XIII. Ast tria tantum nova proponebantur miracula, quæ, licet singula probarentur, non tamen sufficienti erant numero. Quapropter postulatum fuit, ut tribus istis recentius discussis, antiquiora duo, jam pridem admissa, jungerentur. Annuit Clemens XIII, ut ex sequenti patebit decreto,* n. b.

solvitur a Clemente XIII, cujus Breve recitatur.

39 Tametsi S. Sedes apostolica divini Spiritus opem numquam non sibi adfuturam jure meritoque confidat, non idcirco tamen in iis præsertim, quæ gravioris sunt momenti, quidquam eorum prætermittit, quæ ad bene sapienterque deliberandum ex usitatis prudentiæ legibus requiruntur. Atque ita quidem in caussa B. Joannis Cantii, presbyteri sæcularis, et in universitate academiæ Cracovien. S. Theologiæ doctoris et professoris faciendum duxit. Rursus namque ad trutinam revocatis duobus miraculis, quæ deprecante ipso E divinitus patrata ferebantur, primum quidem in congregatione generali habita die 3 Augusti 1745, coram. san. mem. Benedicto XIV, deinde in particulari quinque reverendissimorum cardinalium et quatuor consultorum coram Clemente XIII feliciter regnante, die 23 Aprilis anni superioris *(puta* 1766) ; quamvis in hac omnium suffragantium vota in affirmantem sententiam abiissent, nihil dum tamen statuere sanctissimo Pontifici visum est, donec super aliis miraculis in congregatione generali coram se examinandis, quid reverendissimorum cardinalium et consultorum quisque sensurus esset, audiret. Quum igitur die secunda proxime elapsi mensis super novis miraculis generalis congregatio coacta fuisset, et cunctis pene suffragiis digna omnino visa essent, quæ probarentur; adhuc tamen Sanctitas Sua protelandum tam grave negotium existimavit, usque dum scilicet Patrem luminum suis atque aliorum precibus exoraret. His abunde peractis, accitis coram se, infrascripta die, reverendissimis cardinalibus Joanne Francisco Albani, episcopo Sabinensi; caussæ ponente, ac Josepho Maria Feroni sac. hujus congregationis Rituum præfecto, nec non F R. P. Carolo Alexio Pisani fidei promotore, neque infrascripto secretario, duo reproposita et discussa miracula in prædicta congregatione particulari approbavit in tertio genere, nempe instantaneæ sanationis pueri Sebastiani Luzark ab hæreditaria et confirmata phthisi; et subitæ sanationis puellæ Hedvigis Paskovunæ ab acuta febri cum integra et absoluta virium omnium restitutione; atque alia tria in congregatione generali examinata miracula pariter approbavit; primum in secundo, secundum vero et tertium in tertio genere, et sunt: I. Regressus mercium, in flumen Sola prolapsarum et præterfluentium aquarum impetu procul raptarum, adverso flumine et ad locum demersionis. II. Instantaneæ sanationis Marianæ Gavulickæ a gravi perniciosa febri in mortis agonem adductæ cum subita et perfecta virium regeneratione ac III. demum instantaneæ et integræ sanationis magni et profundi ulceris, a jugulo ad fauces usque fere omnia præter tendines et majora vasa depasti, sordidi et fœtidissima tabe scatentis cum alimen-

torum

(1) De Servorum Dei beatif., lib. III, cap. III, n. 25.

R. B. torum per ejusdem ostium lapsu in persona Antonii Olexovvic. Divino autem consilio factum videtur, ut hoc de prædictorum miraculorum beati Joannis Cantii approbatione decretum ea potissimum die prodeat, qua admirabilis Jesu nominis jucunda memoria recolitur; quum universa, quæ de omnibus Dei servis mira perhibentur, ejus ipsius nomine patrata esse, divinis litteris doceamur. Profecto si usquam alibi, Mariæ nomen apud Polonos certe singularem habet venerationem; atque idipsum multo magis de sanctissimo Jesu nomine apud eosdem factum iri, spondet excellens illorum religio: non modo propter ineffabilis tanti nominis dignitatem, sed etiam quia sacra huic augustissimo nomini die, memorati Beati miracula probata fuerint. Ita sane et fervidis atque iteratis nationis illius nobilissimæ votis satisfiet, et avitæ ejusdem pietati novum incitamentum et calcar addet. Hoc autem Decretum Sanctitas Sua in acta sacræ congregationis Rituum referri et publicari mandavit. Hac prima die Januarii 1767. *Erat subscriptum a* Card. Feronio, *præfecto; et* Macedonio, *secretario S. Rit. cong.*

Canonizationis decretum:

B 40 *Deinde* VI *Kalendas Februarii ejusdem anni* 1767 *generalia coram se comitia summus Pontifex iterum habuit, in quibus omnium hic unus fuit sensus, tuto procedi posse ad solemnem canonizationem. Tandem* IV *Nonas Februari, festo scilicet Purificatæ Virginis, jussu Pontificis, prodiit decretum canonizationis B* Joannis Cantii *quandocumque peragendæ, quod et hic coronidis instar adscribimus.* Vitæ celebritatem beati Joannis Cantii sancte peractæ, eximiis in gradu heroico virtutibus conjunctæ, quamobrem maxime Polonæ nationi admirationi fuit, quum D. O. M. ut lux ecclesiæ nitidior refulgeret, Famulique sui gressus non tantum Poloni sui cives, verum etiam universi fideles imitarentur, confirmare voluerit vehementius ob quinque miraculorum concessionem, dicto Beato intercedente patratorum, quæ post maturas discussiones Sanctissimus Dominus Noster Papa Clemens XIII, die prima Januarii currentis anni apostolico auctoritatis suæ robore firmavit, propositum exinde fuit dubium in congregatione generali, coacta die 27 elapsi mensis coram Sanctissimo: « An stante approbatione prædictorum miraculorum tuto procedi posset ad solemnem dicti Beati canonizationem » : cui pa-
C tribus unanimi sensu, collatis suffragiis, affirmative respondentibus; non ante tamen Sanctissimus Dominus Noster hac divini potius, quam humani judicii opus absolvere percensuit, quam os Domini consulere. Hinc jam recurrente in universa ecclesia virginis Mariæ Purificationis die, quo sacratissima Mater templo excelsior in templum ascendit, duplicem induta gloriam intemeratæ virginitatis, et ineffabilis fœcunditatis ipso adspirante numine, factum est, ut Sanctitas sua, sacro expleto, coram se accersitis reverendissimis cardinalibus Joanne Francisco Albani episcopo Sabinen, caussæ relatore, et Feroni sac. Rituum congregationi præfecto, nec non R. P. Carolo Alexio Pisani fidei promotore, neque infrascripto Secretario, præsens canonizationis beati Joannis Cantii quandocumque faciendæ decretum ediderit, et in acta sac. Rituum congregationis redigi mandaverit. Hæc die 2 Februarii 1767.

solemnitas indicta die XVI Julii.

41 *Edito decreto de tuto ad canonizationem progressu, antequam ad illius solemnem deveniatur*
D *celebrationem, triplex habetur consistorium* (1). *In primo, quod Secretum audit quia soli interveniunt cardinales, Pontifex præsentes alloquitur, fitque deinde a cardinali præfecto* brevissima totius causæ relatio: *denique interrogat Pontifex, an placeat ut ad canonizationem procedatur; respondent cardinales, gradatim assurgentes:* placet *vel* non placet (2). *In causa B.* Cantii *primum hoc consistorium habuit locum feria* II, *die* XXVIII *Maii. an.* 1767, *factaque relatio est a cardinali Feroni* (3). *Secreto consistorio succedit Publicum, ad quod omnibus patet aditus, et advocatus consistorialis* longa oratione vitam et miracula canonizandi, petitionesque pro canonizatione supplicantium exponit; *post quam secretarius Brevium ad principes, nomine Pontificis hortatur omnes ut piis operibus ac precibus divinum implorent auxilium* (4). *Orationem de B.* Cantio *habuit R. P. D. Alexander Litta in consistorio die* VII *Maii præfati anni* (5). *Tertium consistorium dicitur Semipublicum, quia etiam episcopi in eo facultatem habent ferendi suffragium. Convocantur itaque cardinales, patriarchæ, archiepiscopi et episcopi in Urbe degentes, monenturque ut ferant super canonizatione sententiam, quam subscriptam unusquisque tradet secretario congre-* E
gationis Rituum, ad quem etiam absentes ex legitimo impedimento suum transmittunt suffragium. Lectis suffragiis, Pontifex diem peragendæ canonizationis statuit (6). *In causa B.* Cantii, *feria* II, *die* I *Junii* 1767, *in Quirinalis palatii aula, sententiam dixerunt cardinales, et episcopi quinquaginta quatuor numero, præter alios decem, qui legitime impediti, scripto suum miserunt suffragium* (7). *Interim ad pristinas regum, cæterorumque christianorum principum, a causæ inito S. Sedi exhibitas, preces, accesserunt supplicationes tum serenissimi Poloniæ regis Stanislai Augusti, tum episcoporum ejusdem regni. Eodem etiam totis conatibus nitebantur urbs universa atque in specie academia Cracoviensis. Hinc dies decima sexta Julii, qua solemnis fit commemoratio beatissimæ Virginis de Monte Carmelo, peragendæ canonizationi indicta fuit* (8).

Hugonis Kollontai seu cavillationes seu injuriæ.

42 *Hæc cum ita se habeant, satis apparet quantum a vero aberret, quantumque hallucinetur Hugo Kollontai, citatus a Wiszncvio in* Historia litteraria Poloniæ. *Sacerdos sæcularis erat præfatus Kollontai, vixitque versus finem sæculi proxime elapsi et initio præsentis, Cracoviensis academiæ sodalis simul et reformator. Notus in Polonia scri-* F
ptor, plura elucubravit de re politica, novæ doctrinæ in hac sicut et in aliis materiis haud parum studiosus; præcipue vero Molinæ, hujusque fautoribus et sociis infensus. His præmissis, videamus quid dicat memoratus scriptor. Doctores academiæ Cracoviensis cupiebant habere doctorem ecclesiæ sibi proprium. Statuerunt itaque Joannem Cantium eo honoris evehere. *Et infra* Reliquum erat, ut (beatus Cantius) titulo Sancti et Doctoris ecclesiæ condecoraretur. Sed infelici ipsis casu, ad summum Pontificatum evectus fuit Lambertinius, sub nomine Benedicti XIV clarus. Hic, ut qui antea per multos annos sacræ congregationis Rituum præses fuerat, probe sibi perspectas habebat innumeras oblocutiones et Sanctorum canonizatione enatas. Non ignorabat quibus dicteriis nimium frequentes impetebant canonizationes non solum Lutheri et Calvini sectatores, sed et inter catholicos prudentior quisque et sapientior. Quapropter in præclaro suo opere de Servorum Dei

(1) De Servorum Dei beatific., lib. I. cap. XXIV. — (2) Ibid., n. 4: item Azevedius, p. 26. — (3) Acta sex Canonizatorum, p. 168 et 169. — (4) Ben. XIV et Azevedius, loc. citt. — (5) Acta sex Canonizatorum, p. 179 et seqq. — (6) Ben. XIV et Azevedius, ubi supra. — (7) Acta sex Canonizatorum, p. 203 et 204; Item, p. 206-222; et rursus, p. 238-242. — (8) De rebus gestis S. Johannis Cantii, p. 70 et 71.

beatificatione

A beatificatione tot injecit difficultates, iisque tam fideliter ipse inhæsit, ut quoad vixerit, nulla celebrata canonizatio sit; unde et causa beati Joannis Cantii in aliud tempus differenda fuit (1).

refelluntur.

43 *In his quot sunt voces, totidem fere numerantur errores dixerim, an hallucinationes. Et primum quidem præter Hugonem Kollontai, non reperi alium quemquam, qui talem academicis Cracoviensibus affixerit sive mentem sive prætensionem. Longe alia in hac causa movebatur quæstio. Ferebantur scilicet scripta quædam beato Viro passim tributa. In his nonnulla reperiebantur sanæ doctrinæ adversantia. Nisi itaque constitisset scripta illa ab alio concinnata, non solum* Cantius *numquam Sanctis annumerandus, sed ex Beatorum albo expungendus absque dubio fuisset. Eo proinde vergebat academicorum Cracoviensium labor, ut scripta illa* Cantio *suo abjudicarentur, sicut et reapse, ut infra reddam, abjudicata fuerunt. Deinde non is erat Benedictus XIV, qui sive ob quorumdam oblocutiones, sive ob malevola et insulsa sectariorum dicteria vel catholicorum aliquot humanam nimis prudentiam, abstineret a promovendo Sanctorum cultu. Quod vero sequitur de injectis ab erudito pontifice difficultatibus in celebri opere de* Servorum Dei beatifi-B catione, *simpliciter absurdum est: cuique enim, vel levissime in hac materia versato, notissimum est, non supremi Pastoris mandata, sed privati doctoris ibidem contineri judicia et doctrinam. Omnimoda vero Hugonis Kollontai seu levitas seu ignorantia proditur, ubi tam confidenter asserit, nullam sub Benedicto XIV celebratam canonizationem, cum ex ipso opere, ad quod provocat, contrarium liquido efficiatur, unde et liquido etiam constat scriptorem istum, laudatum opus vel prorsus non vidisse vel saltem serio numquam pervolvisse. In Appendice tertia ad lib.* I (2) *recitatur canonizationis bulla beatæ Elizabethæ Lusitanorum reginæ, a Ben. XIV celebratæ; et ibidem, Appendice quinta* (3), *reperiuntur duo Brevia beatificationum ab eodem Pontifice peractarum: alterum servi Dei Alexandri Saulii; alterum Camilli de Lellis. Præterea in Martyrologio Romano*(4) *legitur ad diem* 13 *Januarii:* Prati in Etruria sanctæ Catharinæ de Ricciis, virginis Florentinæ, ordinis Prædicatorum, cœlestium donorum copia insignis, quam Benedictus decimus quartus, Pontifex maximus sanctarum Virginum fastis adscripsit. Obiit virtutibus et meritis plena quarto Nonas C Februarii, sed ejus festum hodie celebratur. *Et rursus ad diem* 14 *Julii:* Romæ sancti Camilli de Lellis confessoris, clericorum regularium infirmis ministrantium institutoris, quem virtutibus et miraculis clarum Benedictus decimus quartus, Pontifex maximus sanctorum numero recensuit. *Coronidis loco addimus quæ habet Azevedo, initio lib.* V (5): Cum ad summum romanum Pontificatum privative pertineat Dei servos inter Beatos, et beatos inter Sanctos referre, Benedictus XIV, qui idipsum in suo opere de servorum Dei beatif. etc. abunde demonstravit, beatificatis Alexandro Saulio et Camillo de Lellis, cultuque immemoriali Nicolai Albergati et Benedicti a Philadelphio approbato; BB. Fidelem a Sigmaringa, eumdem Camillum de Lellis, Petrum Regalatum, Josephum a Leonissa et Catharinam de Ricciis canonizavit. *Plura de hoc argumento disputasse superfluum utique foret.*

44 *Paulo inferius (loc. cit.) exponit Hugo Kollontai, quomodo sub Clemente XIII, qui, inquit, id in votis præ omnibus habebat, ut quam maximo numero posset, Sanctos præconisaret, causa B.* Joannis Cantii *resumpta fuerit, ac demum id solum remaneret, ut* Cantius *doctor ecclesiæ declararetur; quapropter scripta ejus in Urbem missa sunt. Addit deinde ætate* Cantii, *ecclesiam magno occidentis schismate afflictam; Cracoviensem academiam partes tenuisse Joannis XXIII; nec aliud malo vidisse remedium præter Concilii generalis convocationem, sicut et factum Constantiæ est; ast, quo schisma radicitus tolleretur, necesse omnino fuisse, ut ab omnibus agnosceretur, Concilium pontifici auctoritate præeminere; Joannem, tunc temporis theologiam Cracoviæ prælegentem, hanc sententiam acriter propugnasse tum in publicis prælectionibus, tum scriptis quibusdam libellis; imo doctrinam* Cantii *in Concilio Constantiensi admissam fuisse, cum ibidem depositi fuerint qui tunc Pontificatum tenebant, et novus creatus sit Papa, Martinus nempe quintus: hic tamen, ut asserit Kollontai, post electionem revocavit quævis decreta auctoritati pontificiæ contraria.*

D. H.
Altera ejusdem scriptoris hallucinatio

demonstratur.

45 *Atque hæc quidem, si sensu suo obvio sumantur, indicare videntur,* Joannem Cantium, *prævie* E *ad Constantiensis Concilii celebrationem, doctrinam, quæ ibidem in prioribus sessionibus prævaluit, propugnasse. Quod si hæc mens Hugonis Kollontai fuerit, denuo apparet quam præclare vir ille in rebus historicis et chronologicis esset versatus. Notum enim est Concilium Constantiense cœptum fuisse die* 5 *Novembris anno* 1414, *ac primam celebratam sessionem die* 16 *præfati mensis; secundam, die secunda Martii anni* 1415; *tertiam, die* 26, *quartam die* 30 *ejusdem mensis, atque in hac postrema conditum celebre, cujus meminit Kollontai, decretum; deinde sessione quadragesima prima, habita die* 11 *Novembris* 1417, *electum Martinum V; ac tandem, sessione quadragesima quinta, die* 22 *Aprilis* 1418, *solutum fuisse conventum* (6). *Jam vero id apud omnes in confesso est* Cantium *adolescentem (juvenis quidem erat, sed qua præcise ætate non omnino, ut alibi diximus, constat)* inscriptum albo studiosorum *Cracoviensium* anno D. supra millesimum quadringentesimum decimo tertio, rectoris partes *(verba sunt Opatovii* (7)) id temporis obtinente Stanislao Skarbimiero, doctore juris canonici; auditis vero certis primisque ad id designatis F scientiis, ac in iisdem singulari exhibito profectus specimine, in scientiis et philosophia Baccalaureus est creatus anno Domini 1415, prout, vetustus metricalis attestatur codex.... Dein doctor philosophiæ est creatus 1417. *Qui ergo Constantiensibus præludere potuit* Cantius, *cum, vix vigesimum suæ ætatis assecutus annum, scientiis primum ac philosophicis disciplinis imbutus fuerit, ubi finis Concilio imponeretur? Hoc enim vero nimium quantum sanæ repugnat rationi. Erit forte qui suspicetur Hugonem respexisse ad Concilium* Basileense, *atque ex mentis quadam evagatione, illius loco scripsisse* Constantiense. *At universus verborum ejus contextus satis indicat id non obtinere. Cæterum teste Spondano* (8), *miserunt Basileenses ex congregatione generali sexto Idus Novembris (id est die* VIII *an.* 1440) epistolam ad universos Christi fideles, qua persuadere conati sunt actum esse de republica christiana, deque disciplina catholicæ fidei, si auctoritas Conciliorum deprimeretur; quorum

(1) Historia litteraria Poloniæ, auctore Michaële Wiszniewio, t. V, p. 7. Edit. Cracoviæ 1843.— (2) De servorum Dei beatif., t. I, p. 208 et seqq. Operum edit. Venet. 1788.— (3) Ibid., p. 227 et seqq.— (4) Juxta editionem Mechliniens. 1846. — (5) Benedicti papæ XIV doctrina de Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione in synopsim redacta, p. 327. Edit. Bruxellis 1840. — (6) Art de vérifier les dates, p. 232. — (7) Vita, cap. XII. — (8) Annales ecclesiastici, ad an. 1440, n. XIII.

 superioritatem

superioritatem multis argumentis fulciunt, Eugenii depositionem et Felicis subrogationem obtrudunt; hortantur, rogant, jubent decreta sua suscipi, et Felici obedientam exhiberi. *Subjicitque Spondanus ex actis Patr ciis :* Per idem tempus Parisiensem scholam et plurima Germaniæ gymnasia, puta Viennense, Erfordiense, Coloniense, necnon Cracoviense Poloniæ, suis scriptis declarasse supremam esse potestatem apud concilium Basileense, cui etiam Papa obedire teneretur. *Refertque Raynaldus ad annum* 1444 (1), *Eugenium,* cum accepisset non deesse nonnullos eorum *(Basileensium)* subornatos præstigiis, maximeque in Polonia vicinisque regionibus, qui ipsorum partibus studerent : (Cracoviensem enim academiam sensisse cum novatoribus Basileensibus .. narrat Polonica historia) eos apostolicis litteris x Kal. Martii (anno 1443) datis, hortatum esse ut in ecclesiæ catholicæ sinum reverterentur; ac ni infra unius mensis spacium pertinaciam ponerent, graves ipsis pœnas proposuisse. *Litterarum tenorem vide ibidem. Inepte itaque Hugo Kolontai ad Constantiense transtulit. quæ ad Basileense spectabant. Alia, haud minus temere ab eodem scriptore pro-* B *lata, inferius memorabimus, postquam scilicet quid in sacra Rituum congregatione tandem statutum fuerit circa scripta quædam* Joanni Cantio *attributa, exposuerimus. Necesse enim est hanc quæstionem, quantum fieri potest, a nobis delucidari, quod et præstabimus sequenti paragrapho. Hic cætera sive ad cultum sive ad reliquias beati Viri spectantia breviter reddemus.*

Canonizationis solemnitas Romæ et Cracoviæ

46 *Celebrata a Clemente XIII fuit, sicut supra jam indicavimus, in basilica Vaticana die* XVI *Julii festo beatæ virginis Mariæ de monte Carmelo, anno* MDCCLXVII *solemnis canonizatio B.* Joannis Cantii, *una cum BB. Josepho Calasanctio, Josepho a Cupertino, Hieronymo Æmiliano, Seraphino ab Asculo et Joanna Francisca Fremiot de Chantal* (2). *Tanto gratior universæ Polonicæ genti fuit hæc canonizatio, quod eam illius regni incolæ passim haberent et adhuc habent ta i quam signum manifestæ benevolentiæ, qua eos summus Pontifex prosequebatur, miseris illis temporibus, ubi jam decreta erat polonicæ ditionis ruina. Notum namque est ab anno* 1758 *cogitatum serio fuisse de dividendo regno Poloniæ Austriacos inter et Borussos Russosque; quod quidem consilium, magnam partem, execu-* C *tioni mandatum est anno* 1772 (3), *quinquennio nempe post solemnem beati* Joannis Cantii *inter Sanctos relationem; perfectum vero fuit anno* 1793, *ac denique consummatum an* 1795 (4). *Id porro certum romanos Pontifices non sine intimo cordis dolore imo et anxietate spectare potuisse antiqui illustrissimique illius regni ruinam, quod tanto tempore arx fuerat et propugnaculum catholicorum adversus irrumpentem Turcarum Tartarorumque barbariem; præterquam quod ex partitione pleræque Polonicæ provinciæ in manus veniebant principum heterodoxorum. Pronum ergo Polonis erat, tanta tunc jactatis procella, aliqualem saltem ex hac sanctæ Sedis exhibita benevolentia haurire spem, fore ut reges per Europam catholici illorum ruinæ validius quam antea se opponerent. Clemens XIII ad finem bullæ canonizationis ita profatur :* Est præterea quod gratulemur inclytæ Polonicæ nationi, quæ, cum pietati præ cæteris maxime addicta sit, non potest certe non summo exultare gaudio, quod in tanta rerum perturbatione, tantoque religionis discrimine, novum hoc sibi præsidium accesserit, D quo egregia et generosa suorum indoles magis magisque nullis perterrefacta periculis, Romanam fidem adversus finitimos, tum hæreticos tum schismaticos, et arcte retineat, et fortiter, ut semper magna cum laude præstitit, ad sanguinem usque tueatur. *Dixerat in suo suffragio cardinalis Corsinius :* Sanctorum albo adscribendum (Cantium) censeo, ut meritis cumuletur honoribus, et sit christianissimo Poloniæ regno in difficillimis, quibus urgetur rebus, faustum veluti signum ad bene sperandum, cum sibi viderit oblatum in sanctissimo Cive suo opportunum ac præsentissimum apud Deum præsidium (5). *Attamen illæ ipsæ turbæ et procellæ, imo forte etiam principum, quos inter Polonici regni partes dividendæ erant, machinationes solemnitatem canonizationis* Cantianæ *in urbe Cracoviensi celebrandam retardarunt, atque in annum distulerunt* 1775, *ubi Polonia tertia sui parte imminuta jam fuerat* (6). *Dicto autem mox anno, summo omnium ordinum plausu atque concursu solemnitas illa habita est, ut videre est, ad calcem vitæ S.* Joannis Cantii *auctore Putanovicio, in* diario solemnitatis canonizationis per octavam celebratæ Cracoviæ; *ubi late describitur omnis apparatus in* E *ecclesiis, in academia et per urbem adhibitus; recitantur conciones ad populum habitæ; orationes panegyricæ in academia dictæ, carmina decantata tum polonica tum latina. Ex quibus omnibus luculenter efficitur nullam forte umquam hujusmodi cæremoniam alibi tam unanimi cum plausu tantaque cum magnificentia extra Urbem fuisse peractam. In votis nobis fuerat totius rei seriem ex Putanovicio latine redditam actis nostris inserere; ast, præterquam quod id majorum nostrorum institutis non ita consonaret, a tali consilio abstinendum fuit, quod, qui operam suam nobis promiserant, prohibiti fuerint quominus res oportuno tempore paratas haberent.*

47 *Superest ut dicamus de reliquiis beati Viri, ejusque præsenti cultu tum Cracoviæ tum in oppido Kenty. Et ad Reliquias quod attinet :* Ut primum *(ita in opusculo* de vita et rebus gestis S. Joan. Cantii *Romæ edito* 1767 (7)) occubuisse Cantium ad Cracoviæ populum delatum est; mœror undique, fletus undique et ejulatus... Curando corpori certatim admovent manum collegii majoris professores ac studiorum alumni, feretro imponunt, ducente ex omni ordine atque ætate civium conferto agmine ad S. Annæ sacram ædem; persolutisque F justis, sepulcro humili, sed maximis prodigiis illustrando, recondunt sub exedra concionatoria. *Et paulo distinctius in vita ms., de qua n.* 7 : Est in ecclesia S. Annæ, ex opposito majoris collegii academiæ Cracoviensis sepultus anno eodem, *(quo mortuus est, nempe* 1471; *vide supra* § II *n.* 27) die eodem mensis ejusdem, in vigilia natalis Domini nostri Jesu Christi. *Jam audiamus Opatovium :* Reperio præterea hæc sacra lipsana ab obitu statim sub exedra concionatoria tumulata, elevata fuisse, tumbæ stanneæ credita, et in proximo pariete ecclesiæ muro inclusa. Testatur ipsa Inscriptio, ex tumba stannea a dominis commissariis (illustrissimo ac RR. D. Martino Szyszkowski episcopo Cracoviensi jubente inquiri an vere ejus reliquiæ extarent) excerpta, quod id contigerit anno 1539 (8). *Enucleatius hoc ipsum reddit laudatus Opatovius in eadem vita ex versione patris Boym* (9) : Effecit miraculorum continua multitudo, ut sacræ exuviæ ipsius, quæ sub exedra concionatoria in templo

De reliquiis S. Joan. Cantii, earumque translationibus.

(1) Continuat. Baronii, n. XIV. — (2) Acta sex Canonizatorum, p 2. — (3) Vide Maltebrun, Tableau de la Pologne, p. 469-472 Edit. Paris, 1807. — (4) Ibid., p. 478 et 484. — (5) Acta sex Canonizatorum, p 212. — (6) Maltebrun, ubi supra. p. 472. — (7) Cap. XIX. p. 36. — (8) Vita B. Joan. Cantii, part. III (*apud nos* Miraculorum. part II) *in Prologo.* — (9) Cap XIV.

sanctæ

sanctæ Annæ erant humatæ, elevarentur, atque in stanneam capsam depositæ remotius ad parietem templi, loco humi submisso, in fornice ad hoc fabricata, supra ferramenta sunt collocatæ ac circumductæ muro, iterum terra superjecta. Supra eumdem locum viro Dei monumentum ex lapide secto est collocatum. Repræsentat personam viri Dei ante iconem S. Annæ, Deipara et Christo Jesu associatæ, ex simili excisum lapide, supine jacentem. Hæc autem sacrorum ejus lipsanorum translatio incidit anno Domini supra millesimum quingentesimum trigesimo nono. *Deinde loco paulo ante citato* (1) *prosequitur idem scriptor :* Insuper assequor ex vetustis scriptis quod anno 1553 Kleparius doctor et canonicus Cracoviensis, monumentum B. Joanni Cantio, ex lapide secto egregio artificio ac proportione erexerit in eadem ecclesia, quod in hodiernum usque diem (1632) perseverat. *Alibi* (2) *dicitur,* Clepardiensem Jacobum Corpus, a die suæ depositionis anno LXVI *e veteri elatum,* incorruptum et integrum *in stannea inclusisse arca, constructoque elegantis operis monumento* ex mellertico lapide *in editiori templi parte locasse. Addit denique Opatovius* (3) : Spatio fere septuaginta annorum miracula ejus (B. Cantii) celebrabantur, et tamen pone monumentum ejus visebatur ara, S. Annæ imagine decora. Hanc homines afflicti venerabantur et adesse sibi sentiebant. Obstupescebant ejus ecclesiæ sacerdotes, quare potius ad summam aram, ubi erat B. Anna sculpta (quæ jam in medio dependet templo) populi non converteretur devotio Antiqui tamen professores magni collegii id reddebant causæ, quod penes hanc aram requiescerent sacra lipsana venerabilis Joannis Cantii... Verumtamen quo loco sita essent, nec dicere nec commonefacere poterant. Igitur anno 1603, quo jubilæum per Poloniam in S. Stanislai basilica celebrabamus, cum lapides quidam tumuli sede sua sese emoverent ac excidere pararent, consensu capituli tumulus videbatur transponendus. Atque cum dissolveretur, commoto muro, motus fuit etiam fortuna later quispiam, ac inde apparuit tumba stannea cum incredibili fragrantia grandibusque miraculis. *Trinam paulo inferius adscribit Opatovius de hac fragrantia relationem, quas vide in ipsa Vita* (4). *Extat etiam eadem de re præclarum Johannis Janusovii testimonium, hic minime prætermittendum.* Ipso autem, *inquit,* tempore jubilei, dum renovando sepulcro beati Joannis Cantii in ecclesia S. Annæ Cracoviæ fundamenta cœpta sunt moveri, vigesima tertia Maji feria secunda, inventa sunt ossa Viri beati cum urna stannea, affixa uncis ferreis. Templum hoc fragrantissimo odore, quem et ego et alii plurimi cum non exigua consolatione egregie hausimus, impletum est. *Ita laudatus scriptor in* Compendio jubilei *Cracoviæ celebrati* 1603, *eodemque anno edito. Sarcophago hæc apposita est inscriptio* (5) :

DEPOSITUM
JOANNIS CANTII
THEOLOGIÆ DOCTORIS,
QUEM IN BEATORUM NUMERUM RELATUM
ET VITA SANCTISSIME ACTA
ET POST MORTEM EDITA MIRACULA TESTANTUR.
SATIS COLUERIS SI FUERIS IMITATUS.

Præsens S. Corporis status.

48 *Atque ita sacras exuvias permansisse usque ad annum* 1686 *concluditur ex priori* Facto Concordato *supra recitato n.* 33, *ubi hæc habentur :* Subinde vero sub die 20 Julii 1686, cum propter imminentem ruinam, quam minabatur ecclesia collegiata S. Annæ Cracoviæ, in qua Beati corpus a tempore felicis ipsius in Domino obdormitionis semper asservatum fuerat, restauranda esset, sacra congregatio, annuente etiam summo Pontifice, sub die 7 Augusti ejusdem anni indulsit, ut dictum corpus interim transferri posset ad oratorium seu capellam universitatis academiæ Cracovien. vel in alium decentem locum arbitrio ordinarii præfatæ civitatis (6). *Quod quidem ita factum tunc fuisse suadent omnino et petitio et concessio apostolica; nullibi tamen ego sive in mss. sive in libris typo editis, qui mihi ad manum sunt, reperio quidquam hac super re. Nec etiam invenio quando et quomodo sacræ exuviæ ad ecclesiam S. Annæ sint relatæ (si tamen unquam ex ea ablatæ fuerint); nisi forte id obtinuerit anno* 1699 : *additur enim paulo inferius in laudato facto Concordato :* Rursus die VII Februarii 1699 S. congregatio indulsit quod corpus Beati de antiquo sepulchro et capsa, in quibus asservabatur, extrahi, et in novum marmoreum monumentum nuper extructum transferri ac reponi posset; summusque Pontifex similis indulti concessionem approbavit die XIV ejusdem. (7) *Ad præsentem statum quod attinet, rescripsit mihi Leopoli Josephus Brown s. j. die* 3 *Februarii currentis anni* 1852 *in hunc modum :* In ecclesia S. Annæ cernitur ad latus ejus dexterum altare, ejus (S. Joan. Cantii) honori dicatum, ubi ejus corpus collocatum est, depositum in tumba marmorea quam sustinent humeris quatuor effigies, viros exhibentes, ex albo Carrariensi marmore confectæ. Præterea in gazophylacio ejusdem ecclesiæ asservatur caput S. Joannis in magnifica pixide, pretiosis lapidibus ornata, quemadmodum caput S. Stanislai episcopi et martyris in gazophylacio ecclesiæ cathedralis. *Atque ita laudatus P. Jos. Brown, monens se hæc accepisse a R. D. Valeriano Serwatowski, præsbytero haud minus doctrinæ quam zelo et virtutibus Cracoviæ insigni, cujus verba polonica, data* 26 *Decembris* 1851, *latine vertit omnino fideliter, sollicitus ante omnia verbo verbum reddere. Atque hæc de corpore beati Viri, ejusque translationibus.*

Toga S. Joan. Cantii in hunc usque diem servata.

49 Id etiam, *inquit P. Skarga* (8), non est prætereundum, academiam Cracoviensem, togam ejus purpuream (Reverenda dicitur) tamquam venerandas reliquias servare, eaque neoelectum decanum facultatis philosophiæ indui, dum jujurandum præstat coram professoribus philosophiæ, quod bis in anno fieri solet, scilicet sabbato ante S. Gallum et S. Adalbertum. Arbitror id non jam ob consuetas in hoc actu cæremonias et externam hujus Sancti fieri venerationem, sed magis interioris et spiritualis fructus consequendi gratia, ut aspectu hujus togæ et memoria tam insignis et sancti Doctoris, tamquam domestico exemplo, excitarentur ad labores in educanda juventute perferendos, ad virtutes doctorum virorum proprias exercendas, ad majus ecclesiæ Christi decus et utilitatem provomendam; atque mercedis illius recordati, quam hic servus Dei pro suis laboribus in vinea Domini exantlatis a Deo, bonorum omnium remuneratore, consecutus est, nec non similem ipsi sperantes et expectantes, ad munus suum rite adimplendum magis magisque extimularentur. Habet hæc toga assutas duas alas ex eadem materia... ex anteriori parte consuta est in modum habitus religiosorum. *Ita P. Petrus Skarga, ex versione latina a P. Matthia Czyhir S. J. adornata.*

(1) Vita, part. III. (Miraculor., part. II) *in Prologo.* — (2) De vita et rebus gestis S. Joan. Cantii, Romæ 1767, cap. XIX, p. 36. — (3) Part. III, ubi supra. — (4) Part. III, *versus initium.* — (5) De vita, etc., p. 38. — (6) Acta sex Canonizatorum, p. 6. — (7) Ibid., p. 7. — (8) Vita Joan. Cantii, *ad finem.*

nata, ut actis nostris Kantianis *dirigendis usui foret.*

u. p.

Cubicula ejus et sacellum in ædibus Bibliothecæ.

50 *Denique haud incongrue reliquiis accensentur sequentia, diligenter a laudato Valeriano Serwatowski notata et descripta.* In Bibliotheca universitatis inveniuntur *Autographa* S. Joannis. Præterea illico ad portam introitus principalis ad ædificium Bibliothecæ, ad latus sinistrum, sunt duo cubicula, in quibus olim S. Joannes, dum esset professor in hac universitate, degebat. Nemo nunc in iis habitat; introitus autem eorum intercluditur non quidem portis, sed ferrea crate, per quam spectare est interiora horum cubiculorum. In meodi prioris cubiculi assurgit statua lignea beati Servi Dei, magnitudinis naturalis. Sanctum exhibens genibus flexum et in toga universitatis. In secundo cubiculo ad parietem, ubi lectus ejus olim stabat, habetur ejus aliquod e marmore nigro epitaphium in ipso muro; et supra illud imago beatissimæ Virginis, atque ante illam in scuto deaurato insignia academiæ Cracoviensis. Ex parte vero portæ opposita, id est a dextero latere introitus, extat in excavatione muri altare B. Virginis Czenstochowiensis, pariter crate ferrea præclusum, ad quod, juxta traditionem, S. Cantius solebat orare. Omnia B hæc monumenta diligenti studio et cura conservantur. *Addidisse juvat ex epistola quadam R. P. Fr. Victoris Tychi, Reformati, Ord. S. Francisci (de qua paulo infra prolixior recurret mentio)* domum, quam degens in vita (S. Cantius) inhabitabat, spectandam esse Cracoviæ in platea a S. Anna vocata. *De hac tamen nihil occurrit in litteris P. Josephi Brown et Valeriani Serwatowski.*

Cultus S. Joan. Cantio Cracoviæ exhibiti singularia quædam recensentur monumenta:

51 *Statim ab obitu suo S. Joannem Cantium fama sanctitatis inclaruisse apud Cracovienses cives, cultumque obtinuisse frequentissimum, testatur longa et continua miraculorum series, quam post ejus Vitam exhibitam reperies. Idipsum liquido efficitur ex duobus* Factis Concordatis, *quæ ab initio hujus paragraphi recitavimus, sicut et ex totius processus in ordine ad canonizationem ejus historia. Quare supervacaneum foret alia hic in hanc rem adducere præter particularia quædam facta alibi prætermissa vel saltem non satis explicate reddita.* Excepit Joannis corpus sepulchrum, excepit et gloria eo splendore, quem munera aurea ac argentea, votivæque testantur tabulæ. Harum, quæ vetustiores, primam ab ejus obitu secundo anno, alteram quartodecimo fuisse appositas, constat; C quin alias maximi recenseam numeri, et illius aræ, pro defunctis vel anno ab MDLXXX per Gregorium illius nominis XIII summum pontificem privilegiatæ, ad latera suspensas, et in archivio collegiatæ S. Annæ asservatas. *Ita scilicet auctor sæpius laudatæ scriptionis de* Vita et rebus gestis S. Joannis Cantii *typis Romanis et Ingolstadiensibus edita* (1). *Additur vero ibidem in ima pagina :* Ex argenti opere, præter eximiæ magnitudinis pedem et calicem deauratum, in supradicto archivio... plurimæ spectantur votivæ tabulæ. Inter eas, duodecim e suis torquibus ejusdem metalli propendentes; ac una et altera a Kentensibus civibus oblatæ numerantur præstantiores. Harum utraque ob propulsatam e patriis laribus pestis luem est apposita. Prioris ea est inscriptio :

« Accipe votivam pulsa pro peste tabellam,
» Indigenæ quam dant, dive Patrone, tibi.

» Clerus populusque Kentensis Johanni Cantio suo » D. Anno Domini MDCXXVI. » Hæc vero alterius : « Tabella ad æternam memoriam a civitate Ken» tensi dicata Domino Deo in Trinitate uni, san» ctissimæ Matri Dei et B. Johanni Cantio, in si- D » gnum gratitudinis, quod in sævienti plaga pestis, » per votum unanimiter factum ad B. Patrem et » protectorem suum, mirabiliter conservata et » consolata est. Anno MDCXXXIII. » *Denique hæc subduntur* (2) : Quid autem de iconibus Virum Dei exprimentibus scribam? Antiquissimæ illæ atque permultæ, ejus vel sanctitatem, vel doctrinam vel prodigia vel populi configurantes devotionem. Extant et ad ipsum precariæ Horæ ad Litanias efformatæ; extat et officium, polonico idiomate efformatum typisque editum; extant et in pergameno centum quinquaginta duo confecta carmina ejus vitam et gesta complectentia... Ad hæc potiora argumenta Johanni exhibiti cultus, bina, quamvis recentioris memoriæ, Vexilla accedunt, ad Viennam Austriæ e Turcarum erepta manibus, et ipsius affixa sepulcro a strenuissimo Poloniæ rege Johanne III *(is Joannes est Sobieskius, inclytus Poloniæ rex, qui electus fuit anno* 1674, *mortuus vero an.* 1696 *est* (3)), quo ad illud exoratæ victoriæ, anteaquam congressurus cum hoste regno migraret, gratiam titulari Divo referret acceptam.

præsens status tum Cracoviæ,

52 *Nec hodie destiterunt Cracovienses optimum* E *Patronum suum devote colere, ut liquet ex verbis præfati clarissimi viri Valeriani Serwatowski, in epistola sua, de qua supra, quamque P. Josephus Brown S. J. latine redditam ad nos misit tertia Februarii præsentis anni* 1852. Devotio ad S. Joannem *(ita scilicet ille)* quotannis solemniter per totam octavam peragitur in ecclesia S. Annæ. Qua occasione Caput ejus deosculandum fidelibus præbetur, et cubicula ejus in ædificio Bibliothecæ cum adjacenti sacello vespere semper sunt magnifice illuminata et a fidelibus confertissimis visitata. Quotidie per totam octavam conciones fiunt vesperarum tempore, et Cracovienses turmatim ad ecclesiam S. Annæ tunc conveniunt. Sepulchrum ejus deest. Initio enim ejus corpus depositum in ecclesia S. Annæ, nunc in altari requiescit. Præcipua solemnitate peragitur conclusio hujus devotionis in vesperis secundis diei Octavæ. Ecclesia tunc populo Cracoviensi est opleta, uti etiam a juventute academica. Omnes autem professores academiæ, vestiti antiquis suis togis, in quibus S. Joannes repræsentatur in cubiculis superius memoratis, præcedentibus insigniis facultatum, quæ bidelli deferunt, et tenentes in ma- F nibus candelas ardentes, bini processionaliter incedentes veniunt ad ecclesiam, atque eodem ordine ad universitatem, post decantatum Te Deum, redeunt. *Atque hæc Cracoviæ.*

tum in oppido Kenty.

53 *In oppido vero Kenty, præter alia hinc inde in decursu hujus Commentarii memorata vel inferius in B. Cantii vita memoranda, hæc de cultu sancti Viri didici ex litteris R. P. Fr. Victoris Tychi, religiosi Reformati Ord. S. Francisci, datis ex ipso oppido Kenty die* 16 *Maii* 1851 : *scilicet* in oppido Kenty existere ecclesiam in honorem S. Joannis Cantii dedicatam, eo ipso in loco ubi quondam cernebatur domus, in qua natus est, cujus vero nulla prorsus exstant hodie vestigia. Præterea tam in nostra conventuali ecclesia, quam in parochiali hujus oppidi, cernitur altare ejus nomini consecratum. Insuper in ipsa sancti Viri ecclesia super sacristia, reperitur tabula lapidea, in cujus fronte insculpta sequentis tenoris legitur Inscriptio : « Ad perpetuam memoriam. Anno ab incar» natione Domini 1781, die octava Julii, celsissi» mus, illustrissimus, reverendissimus Dominus

(1) Cap. XXI, p. 41. — (2) Ibid., p. 42 et 43. — (3) L'Art de vérifier les dates, p. 502.

» Christophorus

» Christophorus comes Szembek, episcopus Uranopolitanus, coadjutor Plocensis, Selunensium » dux ecclesiam hanc divo Joanni Cantio dicatam » solemni ritu consecravit. Anniversarium quoad » officium et missam, obeundum dominica prima » post festum Visitationis B. V. Mariæ statuit et » determinavit. Cura R. Stanislai Pesuleski, hujus » ecclesiæ actualis præbendarii. » Præter hic allata, nulla omnino documenta vitam et miracula hujus Servi Dei spectantia, nec aliud quidquam in oppido Kenty reperitur. *Hactenus R. P. Fr. Victor Tychi, olim in suo ordine Provincialis et hodie in ipso oppido Kenty degens. Illud denique adjicio, juxta epistolam P. Josephi Brown* (20 *Dec.* 1851), S. Joanni Cantio erigendam in præfato oppido statuam, Cracoviæ factam, altitudinis decem et octo pedum, nec exigui pretii.

§ IV. De scriptis S. Joannis Cantii. Quid statutum hac super re in congregatione sacrorum Rituum, in ordine ad ejus canonizationem. Vita beati Viri a nobis edenda.

De revisione scriptorum in ordine ad canonizationem.

N*otum est revidenda esse opera servorum Dei, ubi de eorum beatificatione vel canonizatione agitur; quo scilicet constet doctrinam eorum quavis theologica nota esse immunem. Quæcumque igitur a Servis Dei licet martyribus scripta sunt, revisionis legi subduntur; sive ingentem illa molem constituant sive intra paucas pagellas contineantur; sive composita fuerint ut ederentur vel ad aliorum institutionem, sive ut nunquam lucem aspicerent aut ad privatam institutionem aut commodum. Si opera manuscripta sint, congregatio Rituum mandat ordinario, ut ea ad Urbem mittat. Si in Urbe sint, præcipit promotori, ut ea excipiat et ad secretarium deferat. Eorum verita ex subscriptione alicujus notarii vel per comparationem cum certa scriptura servi Dei, vel per testes, illius caracterem callentes, exquiritur. Cumulantur adminicula ex communi opinione et ab assertionibus auctorum, præsertim contemporaneorum. Advocantur periti antiquorum caracterum, quorum relationes, juramento firmatæ, in particularem processum qui conficitur, inseruntur, ut congregatio ex his omnibus statuat, an opus sit servi Dei ac revisioni supponendum; quod si hæc existimet, opus non fuisse a servo Dei compositum, proceditur ad ulteriora, quin illud expendatur; secus, si illius esse appareat. Atque hæc juxta Benedictum* XIV (1) *ex Azevedio* (2).

Num scriptis suis faverit B. Cantius schismati Basileensi?

55 *Supra memoravimus n.* 45 *ex Spondano et Raynaldo, academiam Cracoviensem versus annum* 1440 *et seqq. favisse partibus Basileensium. An autem illa tempestate S.* Joannes Cantius *Theologicas in laudata universitate traderet disciplinas, non omnino liquet. Certum est beatum Virum, a docendi munere avocatum, Ilkusiensem per aliquot annos administrasse parochiam.* Cum civitas Ileusnensis *(verba sunt Opatovii* (3)) pastore suo careret, peteretque a magni collegii professoribus, quos ea collatio concernebat, ut de medio sui, quempiam sibi sacerdotem decentem ac idoneum offerrent; ab universis unanimiter Viro sancto demandata est hæc cura pastoribus; is vero, quasi voce Dei evocatus, eam amplectitur et suis omnibus numeris explet... Eo autem usque perseveravit fideliter pro commodis æternis proque salute ovium sibi commissarum excubare, donec nutu ac imperio superiorum professorum magni collegii, obtento successore, ad onera scholastica, quæ professores obire consueverunt, magno sui apud cives relicto desiderio, esset avocatus. *Ast quibus, quotve annis Ilkusii B.* Cantius *moratus sit, nusquam reperi. Universim namque ejus vitæ scriptores parum sollicitos se exhibent de notanda chronotaxi qualicumque. Num forte illo id contigit temporis spatio, quo novatorum placita inter Cracovienses doctores invalescebant? Desunt utique argumenta, quibus hoc directe probemus: nihil tamen repugnat, quominus quis ita statuere eligat; tanto magis quod ex tota B.Cantii vita singularis erga sanctam Sedem eluceat veneratio et observantia, ut vel ex quadruplici ejus ad Urbem peregrinatione satis perspicue declaratur. Attamen cum præfata apud Cracovienses obtinuissent placita, et eo quidem tempore, quo doctoribus illius academiæ adnumerabatur Vir sanctus, atque preterea ei, licet perperam, quædam scripta, in quibus doctrina Basileensis propugnabatur, attribuerentur; nemo mirabitur serio motam fuisse in sacra congregatione quæstionem, an ex operibus beato Viro adscriptis nullus existeret obex, quominus ad ulteriora in causa canonizationis progressus fieret. Atque hæc quæstio est, quam præsenti paragrapho tractandam suscipimus: utrum scilicet scripta B.* Cantio *vulgo tributa, vere ab ipso fuerint exarata, an potius ab alio quodam ejus cognomine.*

Opera B. Cantio tributa

56 *Scribit Opatovius in priori vita S.* Joannis Cantii *latine edita* (4) : Quo in munere *(professoris)* quales illius contentiones fuerint, non difficile est augurari, cum Commentaria in D. Matthæum illius manu scripta et in tres tomos degesta retineamus. Retinemus et librum Sermonum, quibus verbum vitæ, mysteria salutis et monita ad repromissionem cœlestis gloriæ consequendam necessaria, Cracoviæ annuntiabat. *Et rursus idem Opatovius in vita prolixiori, polonico idiomate edita* (5) : Hinc æstimandi sunt labores ejus (Cantii). Atque inspectis Commentariis evangelii S. Matthæi, quæ ipse manu propria exaravit, atque in quatuor partitus est volumina; ad finem tertii voluminis se illud complesse notavit anno ætatis suæ 71. Verumenimvero adeo provectus ævo, quartum adhuc volumen confecit. Offertur adhuc spectandus Liber sacrarum ejus concionum, quibus strenue insudabat verbo Dei prædicando, a vitiis deterrendo, ad virtutes adhortando. *Atque ita ex versione Patris Boym. Obiter notemus in priori textu tres tantum tomos in S. Matthæum memorari, in posteriori vero quatuor enumerari volumina. Item Simon Starovolscius hoc ipso quod nomen beati* Cantii Hecatontidi *sive* libro centum illustrium Poloniæ scriptorum *inseruerit, satis ostendit sibi persuasum fuisse opera quædam scripto a sancto Viro relicta; secus qui eum Poloniæ scriptoribus annumerasset? Addit præterea :* Scripta autem sua, præcipue libros tres super Matthæum, et Sermonum librum unum communitas academica in archivo tamquam thesaurum pretiotissimum asservat (6). *Sic etiam Martinus Hankius* (7) : Inter ea, *inquit,* quæ litteris consignavit

(1) De servorum Dei beatificatione, etc., lib. II, cap. XXV ad XXXIV. — (2) Benedicti XIV doctrina de serv. Dei beatific. in synopsim redacta, p. 83-89 Edit. Bruxellis 1840 — (3) Vita cap. VI, *ex versione P. Boym.* — (4) Cap. XI. — (5) Part. I, cap XII. — (6) Hecatontis, p. 54. — (7) De Silesiis indigenis eruditis, cap. XXXV.

R. B.

(Cantius) opus primum est, Sermonum liber; secundum est, in S. Matthæum Commentarius, tribus libris. Eos Cracoviensis academiæ bibliotheca suis miss[is] addendos, posteritatique conservandos statuit. *Hucusque bina beato Viro tributa opera habemus: nempe, Commentarium in S. Matthæum et Concionum librum. Michael Wiszniewius* (1), *alia quædam recenset. Operæ pretium est ejus verba, ex polonico in latinum versa adscribere:* Starovolscius mentionem facit de ejus explanatione in S. Matthæum. Reperitur quoque inter ejus Scripta, tractatus « de potestate et auctoritate » concilii, » ubi inter alia hæc habet: « Concilium » generale summam auctoritatem super papam » in ecclesia obtinet, et Statutum concilii gene» ralis præjudicat Statuto Papæ, etiamsi contradi» cat. » *In Nota, ad imam paginam adjecta, sequens legitur indicatio:* Codex ms. Bibliothecæ academiæ Cracoviensis sub signo AA, XIV, 4. *Additque Wiszniewius:* Per traditionem, puto, inter academicos constiterit, præfatum codicem ms. opus esse B. Joannis Cantii, quoniam illum in Urbem miserant (*dum scilicet canonizationis causa agebatur*). Cæterum aliud nullum reperire est documentum, quo codex ille Cantio adscribatur. Recentior manus, forte sæculo 18°, addidit: « Sermones nescio cujus. » Ad calcem vero legitur: « Sic Julianus in Concilio peroravit. » Præterea in eadem academiæ Cracoviensis bibliotheca alter invenitur Codex ms. hoc cum titulo. « Disputatorum super phisicorum, in Orastino (*sic; lege,* « Crastino) S. Petri ad vincula per Johannem Canti, » sub Signo B B XVII, 15; nec non: « Secunda pars nove logice de manu doctoris Canthi, » sub Signo B B XVII, 4. *Hactenus Wiszniewius.*

In quibus, cum propositiones reperiantur sanæ doctrinæ haud cohærentes,

57 *Jam vero audiamus Benedictum XIV, qui, quomodo in sacra congregatione et mota et soluta seu sublata difficultas fuerit, perspicue exponit* (2): Nonnulla scripta et (B. Cantio) tamquam auctori adscribebantur quæ et inserta fuerunt, tamquam ab eo composita, in processus factos super ejus cultu immemorabili, virtutibus atque miraculis; itemque auctores Poloni eadem scripta, tamquam scripta Beati passim commemorabant; Simon videlicet Stravolscius, qui scripsit anno 1625, et Adamus Opatovius, qui scripsit anno 1628. Verum cum in causæ decursu necesse fuerit examini subjicere eadem opera, cumque multæ propositiones in eis inventæ fuerint sanæ doctrinæ nequaquam cohærentes; in mentem venit postulatoribus perpendere an opera, quæ ab ipsis et ab aliis fuerant adscripta beato Joanni Cantio, essent revera opera ejusdem Beati. *Ex his effici videtur actum præcipue fuisse de commentariis in S. Matthæum et libro Concionum, quoniam horum solummodo meminerunt Starovolscius et Opatovius. In his itaque inveniuntur* multæ propositiones sanæ doctrinæ nequaquam cohærentes. *Quod vero spectat ad alia scripta, a Wiszniewio recensita, ex verbis Benedicti XIV non aperte omnino colligitur, de his fuisse motam quæstionem. Et re quidem vera, talia illa sunt, ut per se satis indicent, de eorum authentia vix ullum haberi vel levissimum argumentum. Quidquid autem de eo sit, patet illa etiam, si inspecta fuerint, beato Viro abjudicata fuisse. Sed ad Benedictum XIV redeamus.*

in S. Rituum congregatione examinatum fuit an opera illa vere B. Cantii essent;

58 Animadversum itaque fuit, Beatum natum fuisse anno 1397 et tantum historicos ab ejus tempore valde remotos, asseruisse, quod opera essent B. Cantii, silentibus antiquis, et signanter Martino Biellesci (*id perperam quidem; vide supra n.* 6.), qui, cum ejus vitam et acta illustranda suscepisset, nullum de scriptis verbum fecit. Schedula quoque certi characteris Beati inventa est, factaque per peritissimos et diligentissimos scriptores comparatione characteris schedulæ cum charactere operis, deprehensum est, unum ab altero maximopere differre. Insuper ex catalogo professorum universitatis Cracoviensis, duos Joannes Cantios per unum idemque tempus fuisse collectum est; ita ut incertum saltem esse deberet, utri ex ipsis opera, de quibus agebatur, essent tamquam auctori adscribenda. Redacta porro ad hunc articulum controversia, subdiderunt postulatores, probabilius esse, quod opera deberent adscribi alteri Joanni, et non B. Joanni Cantio. Quod ut planum facerent, demonstrarunt, auctorem operum controversorum ea scripsisse, ut ipse in operibus testatur, in schola loci Micoviæ, dum esset hujus rector; eumdemque in nonnullis locis se inscripsisse cum cognomine Maleus, alias Kanti, et alibi cum cognomine de Martha: quando de B. Joanne nemo umquam scripserat, eum rectorem fuisse prædictæ scholæ loci Micoviæ; neque idem ipse ullum aliud habuit cognomen præter Cantium. Denique auctor in operibus scripsit, se nonnulla ex eis explevisse anno 1455, quo tempore agebat ætatis annum sexagesimum quartum; alia autem complevisse anno 1461, dum ageret annum septuagesimum primum, ubi, rentento themate nativitatis Beati, quæ ex supradictis contigerat anno 1397, unusquisque facile videre poterat, annos vitæ suæ expressos ab auctore operum non concordare cum vera ætate Beati. (*Obiter notemus ex his effici Opatovium non omnino accurate inspexisse commentarium in S. Matthæum: tradit enim in prolixiori S.* Cantii *vita, polon co idiomate conscripta:* Inspectis commentariis evangelii S. Matthæi, quæ ipse (Cantius) manu propria exaravit atque in quatuor partitus est volumina, ad finem tertii voluminis se illud complesse notavit anno ætatis suæ septuagesimo primo. *Silet Opatovius de altero ætatis suæ anno, quem auctor altero commentarii sui loco adscripsit, prout ex actis S. Congregationis liquido efficitur.* Verumenimvero adeo provectus ævo, quartum adhuc volumem confecit. Offertur adhuc spectandus liber sacrarum ejus Concionum, quibus strenue insudabat verbo Dei prædicando, a vitiis deterrendo, ad virtutes adhortando. *Redeamus ad verba Benedicti XIV*): Ex his igitur aliisque pluribus conjecturis et circumstantiis, disputato in sacrorum Rituum congregatione, die 16 Septembris 1730, dubio, an constaret, asserta opera, de quibus agebatur, esse B. Joannis Cantii, responsum fuit, me audiente et suffragante, utpote uno ex cardinalibus dictæ congregationi adscriptis: non constare, esse opera B. Joannis Cantii, et posse procedi ad ulteriora; et decretum editum est sequentibus verbis:

atque in contrarium sententiam editum est decretum.

59 « Cum ad provehendam canonizationis causam B. Joannis Cantii, ob sanctitatis et miraculorum celebritatem in Poloniæ regno speciali populorum devotione ac frequentia venerati, ejus » postulatores impensius incumberent, nonnulla » autem opera in processu apostolico compulsata » ejusdem causæ progressui obstarent; licet per» peram a quibusdam auctoribus, non tamen con» temporaneis, eidem Beato assignata ex ipsismet » operibus apparere posset, nihilominus, ut in » re tanti momenti nedum cautius, sed etiam tuto

(1) Historia litteraria Poloniæ, t. V, p. 7 et 8. Edit. Cracoviæ 1843.—

(2) De Servorum Dei beatific., etc., lib. II, cap. XXXIV, n. 8 et seqq.

» prorsus

A » prorsus procederetur, sacra congregatio, die » 20 Martii 1728, mandavit audiri promotorem » fidei; ac subinde eminentiss. et reverendiss. » dominus cardinalis Picus, Ponens, ne quid vel » minimum exactiori diligentiæ ad assequendam » veritatem deesset, opera omnia originalia et folia » aliqua, si quæ essent certo Beati charactere in- » scripta, sibi a Polonia transmitti curavit. Romam » igitur perventis operibus, decem volumina com- » plectentibus, una cum albo illius temporis uni- » versitatis Cracoviæ, quod genuinum Beati cha- » racterem continet, ac insuper catalogo originali » doctorum, inter quos non solum Beatus, qui » ejusdem universitatis theologiæ lector et deca- » nus exstitit, sed alter etiam Joannes Cantius » recensetur, qui eodem tempore vixit: iisque » omnibus tum R. P. D. Fontanini, archiepiscopi » Ancyrani, antiquorum characterum peritissimi; » tum quatuor peritiorum Urbis scriptorum dis- » quisitioni subjectis, ut cognoscerent ac referrent, » an dicta opera vere Beati manu descripta esse » constaret; atque attente ac omnimoda cum dili- » gentia recognitis, lustratis atque perpensis; » comperto etiam, neque locum, ubi auctor ope- B » rum, neque annos suæ ætatis, in quibus non » semel se scripsisse memorat, cum locis, in qui- » bus Beatus vitam duxit, ac tempore, quo ipse » ortus fuit, nullatenus convenire; pluribusque » aliis ex ipsismet operibus deductis argumentis: » eadem sacra congregatio, audito reverendiss. » archiepiscopo Philippensi promotore fidei tam » in voce quam in scriptis, et præfati reverendiss. » archiepiscopi Ancyrani, nec non prædictorum » peritorum rationibus, omnibusque aliarum ra- » tionum momentis hinc inde allatis mature ac » sedulo examinatis atque discussis, censuit atque » decrevit, non constare, opera, de quibus agitur, » esse Beati, et ideo procedi posse, ad ulteriora, si » sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die » 16 Septembris 1730. Factaque deinde per me » secretarium de prædictis sanctissimo Domino » nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit, » die 20 ejusdem mensis et anni 1730. »

Quam leviter de hoc argumento scribat Hugo Kollontai.

60 *Atque hæc ex Benedicto XIV, loc. cit.; lucida sane ac omni ex parte demonstrantia, qua circumspectione, quem maturo consilio romana curia in causis hujusmodi procedat. Unde rursus, ne graviori utar verbo, levitas Hugonis Kollontai in scribendo* C *proditur. Agens enim de præfata circa opera, beato* Cantio *tributa, disceptatione, ita habet:* Zolendziovius, doctor Cracoviensis, in urbem ab academia cum potestate missus, quo causam urgeret, petiit ut sententia, vi cujus Cantius beatorum albo expungendus, ejusque corpus ecclesia S. Annæ ejiciendum erat, quod scilicet ejus scripta hæreses continerent, non promulgaretur *(nullibi ego reperio rem eo deductam fuisse)*, donec sibi *(Zolendziovio)* datum fuisset conferre cum advocatis sacræ congregationis Rituum; quod cum consecutus esset, non sine multa pecunia, id statutum est, incumbere academiæ Cracoviensi probare scripta, examini subjecta, alterius, non autem Joannis Cantii nostri, esse. Academici ergo, qui toto decennio eo spectarant, ut Cantius ecclesiæ doctor *(supra vidimus quam temere hoc ab Hugone Kollontai asseratur)* declararetur, jam altero sexennio insudarunt ad probandum scripta de quibus agebatur, falso Joanni Cantio tribui, ostenderuntque alterum in Metrica inveniri Joannem, itidem sæculi XVI theologum. Atque ita, cum satisfactum congregationi esset, redditum est decretum, quo definitur nihil jam obstare, quominus tuto ad canonizationem procedatur. *Hactenus Kollontai* (1). *Postrema hæc, licet non præcise erronea sint, multum tamen abest, ut rem, eo quo gesta est modo, reddant, quemadmodum perspicue constat ex iis, quæ supra ex Benedicto XIV retulimus.* B. B.

Superius dicta confirmantur.

61 *Præterea haud abs re fuerit notasse, scriptores non ita distincte loqui sive de doctoratu sive de professoratu B.* Cantii. *Doctor creatus dicitur modo in sacra Pagina, modo in S. Theologia. Unde forte quis intulerit, utrumque titulum æquali jure ei competere.* A philosophicis, *inquit Opalovius* (2), fecit gradum ad theologiam, quæ tota versatur circa assecutionem difficilium credendorum mysteriorum ac rationem; in hisque quinquennalem emensus est laborem, ad eos conscendendo honores, qui legibus præscripti sunt academicis. Demum creatus est doctor in sacra pagina. *In altera scriptione de B.* Cantio *Romæ edita* (3), *sequens capiti* VI *præficitur titulus:* Sacræ theologiæ studia agreditur; Doctor in ipsa renuntiatur, ac Sacerdotio initiatur. *Concordat Starovolscius, ut mox videbitur. Nec distinctius tradunt scriptores, quas præcise lectiones habuerit Cracoviæ S.* Cantius. *Plures de* E *S. Scriptura loquitur. In lectionibus Breviarii romani, accurate digestis nec sine nitore conscriptis, indeterminata adhibetur vox:* philosophiæ ac theologiæ primum auditor; tum per omnes academiæ gradus ascendendo, professor ac doctor sacra, quam annis multis tradidit, doctrina mentes audientium non illustrabat modo, sed et ad omnem pietatem inflammabat, simul docens scilicet et faciens. *In decreto S. Congregationis (supra n. 59) ita legitur:* Beatus (Cantius) qui ejusdem universitatis theologiæ lector et decanus exstitit. *Et enucleatius Simon Starovolscius* (4): Primam in philosophia lauream anno 1415 consecutus est, et tandem successive doctor S. theologiæ renuntiatus, epistolas D. Pauli, postea libros Sententiarum Petri Lombardi, atque tandem Summam S. Thomæ multos annos magno discipulorum concursu explanavit. *Ex his pronum videtur concludere B.* Cantium *explanasse primum Scripturam, postea vero Theologiam, et hanc quidem præcipue. Quod si ita se habeat, haud facile quis opinabitur B.* Cantium *plurimos per annos incubuisse conscribendis Commentariis in S. Matthæum, quem nuspiam legitur explanasse. Atque ex his aliquatenus saltem adstipulatur, falso ei hujusmodi opus fuisse attributum.* F

Temerarium foret opera prædicta S. Cantio adscribere.

62 *Itaque ex universa hac disputatione efficitur, opera passim S.* Cantio *tributa, eidem, ex sententia S. Rituum congregationis, fuisse abjudicata; vel saltem tale de illis exortum dubium, ut jam non impedirent, quominus ad ulteriora in canonizationis causa progredi fas esset. Hinc in priori Facto Concordato, precedenti paragrapho recitato, legitur:* Die vero XXIII Januarii 1700 sac. Congregatio, assentiente summo Pontifice, sub die XVII subsequentis mensis Februarii, commisit eminentissimo Colloredo ponenti revisionem operum Beato attributorum cum solitis facultatibus (5). *Et paulo inferius:* Defuncto jam vero eminentissimo Colloredo, atque in ejus locum a summo Pontifice, die XVIII Junii 1727, subrogato eminentissimo cardinali Pico; hic nulli exquisitiori parcens diligentiæ pro eruenda veritate circa opera, quæ Beato attribuebantur, curavit ad Urbem deferri tam volumina originalia dictorum Operum, quam album universitatis Cracoviensis, in quo certus Beati

(1) Vide Wisznievium, historia litteraria Poloniæ, t. V, p. 8-13. — (2) Vita polonica, cap. XII. — (3) De rebus gestis, etc., p. 7. — (4) Hecatontis, p. 52. — (5) Acta sex Canonizatorum, p. 7.

character

character continebatur. .Delatis itaque Romam præfatis voluminibus, iisque perlustratis, nec non super iis auditis plurium peritorum scriptorum, una cum voto reverendissimi archiepiscopi Ancyrani, antiquorum characterum peritissimi, ad relationem dicti eminentissimi cardinalis Pici, die xvii *(Benedictus XIV habet* xvi) Septembris 1730 prodiit decretum : « Non constare, quod opera in » processu apostolico compulsata et Beato attri- » buta, essent ipsius Beati *etc.* » (1). *Qua itaque nescio ratione quove fundamento vulgaris in Polonia etiam hodie obtineat opinio S.* Cantium *operum illorum auctorem esse Imo in variis concionibus (quos libro suo de vita B.* Cantii *integras exhibet Putanovicius) habitis in solemni canonizationis octiduo, Cracoviæ anno* 1775 *celebrato, pluries servus Dei a scriptis suis speciatim laudatur ; ex quibus tamen amplius nihil rationabiliter inferri potest, nisi quod sacri illi præcones vulgarem secuti sint opinionem, ignorantes quid in sacra congregatione fuisset gestum, atque quadraginta ante annos statutum seu decretum. Quid? quod vel coram ipso Clemente XIII S.* Joannes Cantius *a non nemine purpuratorum ab iisdem scriptis fuerit commendatus? Scilicet* Feria II, die prima Junii, in Quirinalis palatii aula, consistorium semipublicum habitum est sub hora decima tertia, in quo, servata methodo juxta schedulam jam distributam, SS. Dominus Clemens tam eminentissimorum cardinalium quam reverendissimorum patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum suffragia excepit pro futura canonizatione beatorum Joannis Cantii et Josephi Calasanctii (2). *Ibi itaque Philippus Maria, Tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis, Pirellius in hunc modum sententiam dixit :* Beatum Joannem Cantium inter Sanctos referri opportunissimum hoc tempore judico, qui in medio circumstantium populorum errore *(Hussitarum tunc præcipue serpebat virus)* integram, dum viveret, sinceramque religionis doctrinam constantissime professus est, et voce illam et *scriptis* apud suos illustravit vindicavitque *etc.* (3). *Quod quidem putem ego ab eminentissimo Pirellio haud satis meditate prolatum. Id porro certum inter suffragia, numero omnino quinquaginta quatuor* (4), *aliud non reperiri illum, in quo de scriptis beati Viri vel levissima occurrat mentio; licet plures sive cardinales sive episcopi illius zelum in asserenda catholica fide magnifice extollant, hæc vel similia adhibentes verba :* doctor et concionator eximius, ex cathedra juventutem, ex suggestu populum jugiter docuit scientia sanctorum ; fidemque orthodoxam adversus errores sua ætate grassantes strenue vindicavit (5). *Denique verbis Pirellii opponimus verba ipsius bullæ canonizationis :* Cum scripta quædam in processu compulsata beato Joanni Cantio falso tribuerentur, eadem Rituum congregatio declaravit die xvii Septembris MDCCXXX, non constare quod opera in processu apostolico compulsata, Beato attributa, essent ipsius Beati, ideo procedi posse ad ulteriora. *Ex his ergo omnibus concludere fas est, temere (ne gravius dicam) asseri opera illa a S.* Joanne Cantio *fuisse conscripta.*

Vita B. Cantii hic edenda

63 *Superest ut dicamus quam edituri simus B.* Cantii *vitam. Supra n.* 9-13 *notavimus duplicem haberi Adami Opatovii scriptionem de S.* Joanne Cantio, *latine alteram, alteram polonice. Illa ut prior ætate ita et brevior est, typisque edita Cracoviensibus an.* 1628, *hoc sub titulo :* Vita eximii Joannis Cantii S. Th. doctoris et in Cracoviensi academia professoris, tum ex Ms. collegii majoris et ecclesiæ S. Annæ (in qua sacrum ejus Depositum quiescit), in archivo ejusdem asservato : tum ex Matthia de Miechovia, rerum Polonicarum historiographo, et ex aliis recentioribus fide dignis, qui gesta vitæ ejus celebrarunt, pro beatificatione illius consequenda, collecta et descripta studio et opera M. Adami Opatovii S. Th. professoris, ad S. Annæ decani, *atque approbata, die* 25 *Martii ejusdem anni* 1628, *a* Sebastiano Nucerino, S. Th. D., ecclesiæ cathedralis Cracoviensis ordinario concionatore, librorum in lucem typis prodeuntium in diœcesi Cracoviensi censore. *Hanc itaque vitam, cum cæteris sit antiquior et insuper rara admodum illius hodie supersint exemplaria, edimus juxta transumptum exemplaris, quod asservatur Leopoli in celebri bibliotheca Ossoliniana, omnino fidelissimum, ut liquet ex sequenti attestatione :* Copiam hanc cum originali typis impresso, et in bibliotheca Ossoliniana Leopoliensi reperibili, de verbo ad verbum consonam esse, attestor. Leopoli die vi Maji 1851. *Signatur :* Augustus Bielowski, bibliothecarius. *Postea, ut dictum jam alibi, Opatovius item Cracoviæ an.* 1632 *publici juris fecit alteram ejusdem B.* Joannis Cantii *vitam polonico idiomate exaratam, multoque ampliorem, atque in quatuor distributam partes, quarum prima res a B. Viro gestas exhibet, reliquæ tres miracula ad ejus sepulchrum præcipue patrata recenset. Quod ad vitam spectat, utraque scriptio, latina et polonica, concordant, nisi quod posterior facta magis amplificet ; si autem nova alicubi addantur, in Annotatis nostris reperientur juxta versionem ms. patris Boym, sicut et alia, quæ ex Skarga, Starovolscio, Putanovicio, et vita breviori ms. musæi nostri aliisque desumenda occurrent. Denique vitam subsequentur miracula ex Opatovio, ab eodem patre Boym latine reddita.*

VITA S. JOANNIS CANTII,

auctore Adamo Opatovio, edita Cracoviæ 1628 a.

PRÆFATIO *b.*

Benedicimus Deum cœli et terræ, Patrem et Filium, una cum S. Spiritu, Deum unum in Trinitate, eumdemque Trinum in unitate, ineffabilem et gloriosum : et coram omnibus viventibus confitemur ei, quia facit nobiscum misericordiam suam, eligens in septemtrionis regni Poloniæ Cracoviensi gymnasio, dilectum servum Joannem Cantium, et in eo innumera gratiarum dona, et admiranda virtutum opera manifestans. Quæ quidem cum brevi ac simplici stylo, una cum vitæ ejus sanctitate, de auxilio gratiæ Dei confidentes, comprehendere nitimur, opera Dei revelare, et confiteri, quod honorificum est, pro nostra tenuitate intendimus, eo ordine, qui sequitur :

1. De Patria, parentibus et educatione domestica V. Joannis Cantii.
2. De præclara ejusdem juventute, in studiis academicis exacta.

(1) Acta sex Canonizatorum, p. 7. — (2) Ibid., p. 204. — (3) Ibid., p. 211. — (4) Ibid., p. 206-222. — (5) Ibid., p. 212.

3. De

A 3. De studio Humilitatis cum sui despicientia.
4. De admirabili simplicitate.
5. De pietate in Deum, seu cultus divini fervore.
6. De patientia et tolerantia adversitatum voluntarie susceptarum.
7. De mortificatione corporis.
8. De operibus misericordiæ.
9. De dono Prophetiæ.
10. De conversatione cum viris Beatis, qui illius sæculo, vitæ sanctitate claruerunt.
11. Catalogus brevis laborum, quos in statione academica sustinuit.
12. De transitu ex hac vita ad immortalem.
13. De quibusdam miraculis, quæ mortem ejus subsecuta *c*.

ANNOTATA.

a *Titulus operi suo ab Opatovio præfixus prolixior est, prout videre est paulo superius, nempe Comm. præv. num.* 63, *ubi illum in extenso adscripsimus. Hic, quo alter cum altero conferri possit, apponimus titulum alterius Vitæ abeodem Opatovio compositæ, latine a P. Benedicto Boym redditæ. Est* B *autem hujusmodi :* Vita B. Joannis Cantii, doctoris S. Theol. Cracoviæ et S. Scripturæ interpretis, polonice scripta ab Adamo Opatovio S. Th. doct. editaque Cracoviæ an. 1632; latine hic reddita a R. P. Benedicto Paulo Boym Leopolitano S. J. an. 1661. *Confer Comm. præv.* § I *n.* 9 *et seqq., ubi pluribus de utraque ab Opatovio composita Vita disputavimus. Vide quoque* § IV *n.* 63.

b *Operæ pretium ducimus hic adscribere* Approbationem, *quæ* Præfationi, *in exemplaribus Cracoviensibus præmittitur.* Ego Sebastianus Nucerinus, S. Theologiæ doctor, ecclesiæ cathedralis Cracoviensis ordinarius concionator, librorum in lucem typis prodeuntium in diœcesi Cracoviensi censor, fidem facio, quod hanc vitæ D. Joannis Cantii descriptionem ab admodum R. D. Adamo Opatovio S. Theologiæ doctore ac in academia Cracoviensi ejusdem professore, ecclesiæ S. Annæ decano, publico usui collectam, vidi et legi : et quia fidei sanctæ probisque moribus consonam, præclarisque sanctimoniæ christianæ exemplis, et candoris academici argumentis refertam reperi : idcirco ut prælo publici juris fieret, permisi. Cracoviæ 25 Martii 1628.

C c *Cum capita, juxta divisionem Opatovii, plerumque breviora sint, illa ad pauciora, pro more a decessoribus nostris adhibito, reducemus, in margine notantes divisionem Opatovii.*

CAPUT I. *De patria, parentibus, educatione illius domestica, et studiis academicis.*

CAPUT I. *S. Joan. Cantii natalis, pueritia.*

Eximius Joannes Cantius natale solum sortitus est oppidum Canty *a*, latine sonat *angulus*, quod duos præaltos Carpati montes versus meridiem aspiciat, qui exporrectis in longum laterum extremitatibus, et proxime coeuntibus, angulum videntur efformare : vicinum Silesiæ *b* locum occupavit, fines ditionis Polonæ disterminans, prope Osvecimum, in spatio octo milliarium a Cracovia distans. In hoc oppido, honestis atque imprimis catholicis *c* parentibus natus est, in festo sancti Joannis Baptistæ, anno salutis MCCCXCVII *d*, patre Stanislao, viro consulari, et pietatis insigni cultore : qui susceptum puerum, una cum conjuge sua Anna, muliere pudicitiæ et divini cultus amantissima, cognitione Dei, et primis fidei catholicæ rudimentis imbuere, et ad omnem probitatem teneram ejus mentem conformare studebat. In omnibus ille parere consuescit, monita parentum amplecti, ludos pueriles aspernari *e*, serium quiddam et grave vultu et factis præ se ferens, cœlestis gratiæ jam inde in corde suo inhabitantis, præclara documenta præbebat *f*.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

CAP. II. *Studia in academia Cracoviensi.*

2 Exactis pueritiæ annis, sub parentum disciplina, et literarum primordiis degustatis, voluntate eorumdem adit celeberrimum pietatis ac omnium scientiarum domicilium, quod tunc D. Jagellonis munificentia instauratum, studiosorum frequentia, assiduitate, et summo professorum in docendo contentione florebat *g*. His sub magistris, mens illa pia, studio cognitionis ardens et jam secreto Dei judicio, huic ipsi loco in illustre ornamentum destinata, uberes cum proventu fructus in lucem erumpentes proferebat, et tanto præ cæteris gratiores, quanto a vitæ innocentia, modestia, abstinentia, quandam peramœnam venustatem capiebant. E Latere non potuerunt, quamvis depressa sui despicientia et amore contemptus sæpius humiliata fuissent, studiorum incrementa et perspicacis ingenii acumina; sed in debitis ac consuetis exercitiis, quandoque ut scintillæ, quandoque ut radii instar fulguris illucescentia, vi sua nativa se prodebant. Et quia tamquam lucerna ardens, super candelabrum in domo Domini reponi debuit, ut in ea ambulantibus luceret : et tamquam palmes insertus viti, vitæ integerrimæ exemplo, tamquam foliorum viriditate, umbraculum angustiatis in æstu tribulationum parabatur, et qui doctrinæ salutaris ubertate, tamquam uvarum dulcedine, angores animi exhilararet : et quia tamquam fons parvus in fluvium crescere debuit, et in aquas plurimas redundare, quibus Christi fidelium animas, tamquam plantas irrigaret ac fæcundaret, ita disponente Deo, et eorum, quorum se potestati permiserat, consilio accedente, omnes in bonis literis et in philosophia gradatim dignitates suscepit : ad extremum ipsi supremo doctoratus in theologia honori submisit caput, illiusque operoso muneri humeros subjecit. F Jam quoque susceptum sacerdotii munus, officium illi ac necessitatem tanto impensius docendi imposuerat : illud dictum D. Pauli, tamquam ad se directum, semper animo versans : Exemplum esto fidelium : in verbo, in conversatione; attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ, attende tibi et doctrinæ, insta in illis : hoc enim faciens, teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. Illud quoque monitum D. Ambrosii, tamquam ab hoc fonte divini oraculi haustum, sedulo volvebat : Ante vita quam doctrina quærenda est : vita enim bona et sine doctrina habet gratiam : doctrina sine vita integritatem non habet. Sibi igitur hanc legem ponit, ut cum dictis facta concordent, et primus illius virtutis in se experimentum capiat, ad cujus studium alios invitat, illamque doctrinam solam in animis audientium germinare sicut lilium, et fructus virtutum afferre * quæ docentis recte vivendi exemplo est firmata. Huc itaque, confisus de gratiæ auxiliantis suffragio, omnem curam ac solicitudinem convertit, ut vitam suam ad Evangelii præscripta, tamquam ad speculum componeret, donec in se Christum, illius vestigia imitando, formaret.

* I Timoth. IV. 12, 13, 16.

* *Supple : reputans*

AUCTORE AD. OPATOVIO.

ANNOTATA.

a *De oppido Kenty, sicut et de ducatu Osvecimensi plura diximus in Comm. præv.* § II *n.* 17 *et seqq.*

b *Rectius dicitur S.* Joannes Cantius *ex Silesia oriundus. Vid. Comm. præv. ubi supra.*

c *De parentibus S.* Joannis *rursus vide Comm. præv.* § II *num.* 24.

d *Non convenit inter auctores quo anno vel natus vel mortuus sit S.* Cantius, *ut pluribus demonstravimus Comm. præv. n* 28 *et seqq.*

e *Notat Putanovicius* (1) *in specie.* Sacro cum libenter inserviisse.

f *Pueritia S. Viri ita paulo latius exhibetur in altera ab Opatovio conscripta Vita, latine a P. Boym reddita* : Serio oculis Cantii timorem Domini objiciebant (*parentes*). Prima fidei religionisque nostræ mysteria, quæ oratione dominica ac symbolo continentur apostolico, parentibus docentibus, didicit; itemque quo cultu Dei Parentem salutatione veneraturus esset angelica. Erant certe ii admodum accurati, ut tenerum adhuc ingenium notitia rerum cœlestium illustre, ac voluntatem ad studia B pietatis proclivem omnino redderent. Cantius vero adhuc puer, ingeniosam probamque sortitus animam, morem parentibus gerebat in universis, eorumque institutionibus oblectabatur, ludicra ætati illi obvia et communia aspernatus. Frons, oculi vultusque ejus nescio cujus virtutis gravitatisque æmulabatur similacrum, ut ex tunc singularibus divinæ benevolentiæ gratiis insideri assignarique videretur.

g *Vide dicta Comm. præv. n.* 25. *Quibus addimus ex Andrea Cellario* (2) : In quo eadem academia statu anno 1617 versata fuerit, describit ita Georgius Braun, in Theatro Urbium. « Rector universitatis omnibus personis eidem insertis imperat, ipsaque universitas multis iisque insignibus immunitatibus gaudet. Octo jurisconsulti collegium suum habent in platea quæ ad arcem ducit. Theologi et philosophi duo collegia possident, in quorum majore, diversis domiciliis et insigni bibliotheca instructo, novemdecim, et minore tredecim professores erudiendæ juventuti operam suam navant. Medici partim in privatis, partim in publicis ad academiam pertinentibus ædibus habitant. Omnibus vero professoribus stipendia, quæ C merent, ex salinis et vectigalibus solvuntur. Juventus autem in dialectica, mathesi, philosophia, theologia et eloquentiæ studio, summa cura et diligentia exercetur. In academia Starovolscius collegia undecim et scholas grammaticæ quatuordecim per urbem numerat, omnes magnifico academiæ Rectori tamquam uni capiti subjectas. »

CAP. II. *Virtutes B. Joannis Cantii; ejus humilitas, admiranda simplicitas et fervens in Deum pietas.*

CAP. III. *Humilitas.*

Primum omnium humilitatem, quod Christi exemplo sanctificata esset et ejusdem encomio commendata, plurimum adamavit, tamquam firmissimum virtutum omnium fundamentum, in quo spirituale sanctitatis ædificium extrui debet et ad cœlestia sublimari. Hanc animo suo medullitus D infixam, hanc in tabulis cordis insculptam esse summopere exoptabat : secum assiduo recogitans, soli divinæ majestati excellentiam, sublimitatem, celsitudinem, propter æternitatis durationem, propriam et hæreditariam esse : homini vero nihil germanius vilitate, abjectione, cum sit figmentum de limo vilissimo; et post recessum ex hac vita, putredo et vermes hæreditabunt illum. Considerabat quam sit vehemens, quam violenta ad vitia, ad interitum promptitudo, ex labe primi peccati contracta : et quam validis auxiliis divinæ gratiæ indigeat, ad pietatis et justitiæ opera exercenda. Sibi itaque ipsi verissima cognitione vilescebat, se, in veritate, dignum quovis contemptu ac dedecore judicabat. Nam omnes quoscumque vidit, sibi anteponebat, eosque tamquam se meliores, honore præveniebat. Non inflabat illum scientia, multiplici cognitione ac rerum varietate instructa : non celeres ingenii motus, disputationum fervore accensi et cum acumine vibrati : non honores academici, virtutibus ejus ac doctrinæ debiti, extollere potuerunt : non denique suprema dignitas, quæ alias antecedit, doctoratus in theologia, delata elatiorem fecit, sed vitæ austeritate mul- E tiplicata, in recondito animi sui recessu, vilior in oculis suis apparuit, et haberi ab omnibus studuit. Satis illi in collegii convictu, humiliandi se occasionum aderat, sed hæc humilitas visa est ei honorata, quod non ab omnibus, ob quandam jam conceptam sanctitatis opinionem, despiceretur *a*. a
Regiones itaque remotas, vili assumpto habitu pauperis peregrini obibat, cum aliis de causis, tum ut omni exutus honore, contemptu, abjectione, opprobriis saturaretur.

CAP. IV. *Simplicitas. Præclarum exemplum.*

4 Sic ad ima profundæ abjectionis animo per veram humilitatem deducto ac defixo, morum quædam temperantia, mira simplicitate venustata, subsecuta est, effigiem innocentiæ amissæ referens. Nam in vitæ suæ actionibus, candorem animi absque omni versutia coluit : ignoravit sapientiam hujus sæculi, quæ per ostentationem multa fingit, per fucum gloriam aucupatur; sed sapientiam Dei, et scientiam Sanctorum didicerat; ¹ 1 Pet. II. 1, 2.
deponens omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationem, sicut modo genitus infans *b*, et b
quam animo innocentiam et puritatem retinuit, hanc, seclusa varietate, dictis et factis exhibuit. F
Cum enim solitarius, nullum in comitatu habens, sed de præsentia ac protectione Dei certus, in cujus jugi recordatione in omnibus viis ambulans jucundaretur : siquidem cum simplicibus sermocinatio ejus : cum sic, inquam, solus gressus Romam dirigeret, ecce de repente prosiliunt e latebris prædones : Sanctum invadunt : indignis modis tractant : verberibus contusum spoliant : quicquid pecuniæ ad subsidium viatici erat, auferunt : insuper tormenta minantur, ni sponte residuum tradat. Ex hac inopinata perturbatione, oblitus aliquot aureorum, qui in veste insuti latebant, confessus (est) se nihil amplius retinere. Sed postquam animum ex metu recepit, et reconditioris pecuniæ recordatus fuisset, exhorruit, dolore et anxietate animi consternatus, concito gradu abeuntes insecutus, multis præcibus invitans, ut ad se redirent; coram quibus in genua procumbens, se in Deum pejerasse, divinamque indignationem merito incurrisse confitetur : et quicquid per oblivionem reservatum erat, totum lubens tradit. Hanc tantam Viri simplicitatem illi admi-

(1) Vita S. Joannis Cantii, cap. I. — (2) Regni Poloniæ magnique ducatus Lithuaniæ novissima descriptio, p. 143. Edit. Amstel. 1659.

rati,

A rati, pedibus ejus advolvuntur, erepta restituunt, veniam precantur, quam ille facile condonat. Tuum est dogma, o mundi Salvator et cœlestium præceptorum seminator : Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Jam mete fructus, quos in Viro sancto seminasti. Imitatus est serpentis prudentiam, dum ad speciem mendacii, per imprudentiam commissi, et in animo suo obversantem expavit. Imitatus columbæ simplicitatem, dum de ulciscendo non cogitavit : sed ad hostes, tamquam ad amicos accessit ; et oblitus injuriarum, novis beneficiis ornat, illud Apostolicum implens : Vos autem nolite deficere benefacientes.

CAP. V. *Pietas.*

5 Pietatis ac cultus Dei studium, ab ineunte ætate, ubi primum ratio fungi suo officio cœpit, tantopere complexus est, ut terrenorum expungens cupiditates, jam in cœlo conversari videretur ; eam *c* denique, toto vitæ tempore, mundam et immaculatam retinuit. Sciebat eo mentem dirigendam esse, quo vultus erectus est : qui cœli pulchritudinem et amplitudinem admirans, ad tanti opificii conditorem colendum invitat. Sciebat ex munere vocationis suæ, cognitionem sapientiæ ad se pertinere, sed nolebat a se ipso sapiens esse, B sed ab illo illustrante, de quo scriptum est : Omnis sapientia a Deo. Hominis autem sapientia, pietas est, quæ animos devotos ac Deo colligatos, admirabili rerum sublimium cognitione illustrat. Tanto autem ardore Dei inflammatus flagrabat, ut templum in domicilium potius, quam Collegium elegerit *d* : pectus enim pio amore sauciatum, et sanctæ devotionis affectu calens, expeditis professionis muniis, Christi Dei suavissimam præsentiam, quam in sanctissimo Eucharistiæ sacramento agnoscebat, in domo orationis requirebat. Adducebas eum, Domine, in montem sanctum tuum, et lætificabas eum in domo orationis tuæ. Vere adducebas ; quomodo enim in odorem unguentorum tuorum curreret, nisi eum funiculis amorosæ dilectionis traxisses ? Vos, o robusti funiculi, in textrina amoris divini complicati, vos cor ejus vinciebatis ; et suavi jucunditate impinguatum, in conspectu Dei sistebatis. Adducebatis eum in montem sanctum beatæ contemplationis, ubi spiritus ejus, intelligentia cœlestium irradiatus, et desideriis æternæ dulcedinis accensus, in Deum rapiebatur. Lætificabas eum, Domine, in domo orationis tuæ, dum in eo juge desiderium vehementius amandi te- C ipsum excitabas : dum illi te ipsum crebris inspirationibus manifestabas : et quasi amicum, in domo non aliena, sed tua, quæ est orationis, suavissimis divinarum consolationum epulis satiabas.

Noctes insomnes ducit ante imaginem Christi et B. V.

6 Frequens illi et usitatum erat, in sacrificiis laudum offerendis Deo, insomnes noctes ducere : et dum silentium noctis profundum esset, adire imaginem pietatis in ingressu collegii tamquam in larario affixam, quæ Christum denudatum, et parte media e sepulchro prominentem, et e vulnere lateris sui copiosum sanguinem fundentem, cui nimium flebilis et dolorosa Virgo assistit, repræsentat ; et coram eadem se abjicere, Dei in carne passi dolorum acerbitatem secum meditari : peccatorum suorum gravitatem accusare : maculas uberrimis lachrymis eluere : divinæ misericordiæ in condonandis offensis facilitatem admirari : et in hac ferventi cordis sui effusione, mentis excessus pati : dumque sic amaritudine plenus affligeretur, cœlestis vox ab eadem imagine reddita, sæpius eum consolata est, ut traditio Patrum majoris collegii constanter asseverat. Et cum eadem imago, consensu eorumdem Patrum post vita functum summum illius Cultorem, in ecclesiam S. Annæ transportata fuisset, ut ei major veneratio exhiberetur, miraculose ad priorem remeavit locum ; in quo etiam nunc conspicitur, scilicet, ut hujus tanti beneficii apud posteritatem testis esset ; suaque custodia ac patrocinio, locum hunc divinitus sibi commissum, ut tueretur.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

Missam quotidie devotissime celebrat.

7 Sacerdotis munus, ipsis humeris angelicis tremendum, sciebat in ministerium altaris institutum esse, ut vivificis mysteriis in odorem suavis fragrantiæ oblatis, Deo cultum gratiarum actionis pro omnibus beneficiis, humano generi impensis, exhibeat : illiusque indignationem, peccatis irritatam, conciliare possit ; atque ex eo, quod sciret in offerentem, ob divinam refectionem perceptam, fontem gratiarum ac satisfactionis redundare. Nullum itaque diem abire patiebatur, quo sacris non operaretur.

Conscientiæ teneritudo.

8 Si vero contingebat, ut in publicis deliberationibus rogatus sententiam, veritatem strenue propugnasset, aut vitia paulo fervidius fuisset insectatus ; vehementi dolore animum affligebat, veritus, ne alicujus aut animi tranquillitatem turbasset aut existimationem læsisset : identidem tamquam acerbus vindex injuriarum proximi, hos versiculos in sui reprehensionem a se compositos, E sibi improperabat :

Conturbare cave, non est placare suave :
Diffamare cave : nam revocare grave.

Tandem summa cum animi demissione, singulos conveniebat, obsecrando, ut veniam erratis darent ; siquidem nisi hac obtenta, affirmabat se non posse sacrificare. O bone Jesu, humilium magister, si hæc est injuria ac contumelia, quæ veritati testimonium perhibet, vitiis indignatur ; et si tanto dolore et sui confusione ante Missæ sacrificium expiatur : quid fiet nobiscum, qui odiis ac inimicitiis onusti, ad altaris communicationem accedimus ! Hic cultus quotidiani sacrificii hostem Dei ac servorum ejus, plurimum torquebat ; unde illius interturbandi causa, rem miram excogitat.

Dæmonem, formam hirundinis ementitum, templo expellit.

9 Quodam die, cum ex more devotione flagrantissimus, divinis mysteriis ad altare vacaret, et frequens multitudo positis in terram genibus, non mediocrem consolationem caperet ; draco infernalis hirundinem mentitur, (hyems tunc media frigoribus sæviebat) et dum hostia sacra cum calice elevanda erat, et populus devotam adorationem pararet, cœpit circumvolitare, pennis plaudere, cantu hirundinis perstrepere, et animos F hominum novo spectaculo distrahere. Cognovit Vir sanctus, divinitus edoctus artem Polypi tartarei, et sacris ad finem deductis, fores obsedit ; et cupientem foras prorumpere, manu comprehendit ; et cum sursum elevat illidendum, populus circumfluens inclamare ac orare vehementer Sanctum non desinit, ut avi innocuæ et divinorum ignaræ ignosceret. Quibus ille : mox, inquit, experiemini, quod genus hujus avis. Vix illisa, horribilis draconis speciem assumit, qui sibilo indignationem testatus, disparuit *e*.

Fit pastor Ilkusii.

10 Ab hoc affectu summæ pietatis in Deum, illud quoque profectum erat, quod cum Ilcussium *f*, (fodinis metallicis, ac civium virtute et mercimoniis celeberrimum) pastore destitutum a Patribus collegii, ad quos de jure hoc munus conferendi spectat, in defuncti locum alium idoneum efflagitaret. Placuit omnibus V. Viro tantum officium imponere : quod ille non gravatim suscepit, omnesque in eo bonis pastoris partes adimplere satagebat. Vitæ enim inculpata innocentia, et sparsis voce sua divinis præceptis, ad religionis ac virtutum studium commonefaciebat. Videres plurimos vitiis renuntiare :

AUCTORE AD. OPATOVIO.

renuntiare : peccatorum inquinamenta expiare : pravas consuetudines perrumpere : supplicia delictorum vario cruciatu, vestigia pastoris sui sequendo, ex se sumere, et erecta probitatis trophæa imitari.

Ad academiam redit.

11 Et dum tamquam verus pastor in specula constitutus, vigilias super gregem sibi commissum custodiret, rursum voluntate Patrum, accepto successore, ad onera professionis revocatus, magno apud omnes sui desiderio relicto, recedit *g*. Beatæ urbes, quæ in hac vita, viros sanctitate illustres sunt meritæ pastores habere : nam post hanc in illa immortali, patrones * experientur.

* patronos.

ANNOTATA.

a *Ita redduntur sequentia in Vita polonice conscripta :* Igitur in remotas orbis partes adornabat itinera ; vili tectus amiculo, egentissimi imitabatur sustinebatque personam peregrini ; et sola ea de causa externas obibat provincias, ut privatus omni umbra honoris posset, sitim ac esuriem humilitatis, toleratis plurimis contumeliis ac opprobriis, extinguere.

B b Nihil antequius habebat, quam modo vivendi suo, posse comparari infanti modo in lucem effuso. *Opatovius juxta versionem Patris Boym.*

c *Vox deest, ad quam rite referri* eam *possit. Cæterum verborum sensus satis elucet.*

d Atque ii ignes egregie animum ejus occuparunt, ut domus ejus ac conclave, templa potius, quam collegium esse viderentur. Sauciatus enim amoris divini spiculis ac sanctæ contemplationis inardescens desideriis, ab absolutis suæ professionis muniis, Christi præsentiam, quam adesse sibi sub cœlesti in ecclesiis Ambrosia profitebatur, in domo orationis venerabatur. *Optavius ubi supra.*

e *Hæc enucleatius ita ad finem describuntur in altera, ab eodem auctore, S.* Cantii *Vita, a Patre Boym latine reddita :* Non latuit is dolus stygii veteratoris famulum Dei. Itaque ad finem perducto Missæ sacrificio, consistens ad ostium ecclesiæ, tendentem in hirundine per illud in aerem evolare, elata manu (Cantius) comprehendit. Ac cum elevans allidere terræ parat ; ecce tibi populus elatioribus et ad compassionem formatis vocibus deprecari, parceret innoxiæ aviculæ, quæ inter sacra et profana nil distinguere valeret. At Vir sanctus :

C Mox, inquit, vestris ipsismet oculis usurpabitis atque clare percipietis, quod genus sit hujus alitis. Sic ubi primum ab eo telluri allisa fuit, confestim terribili forma sese draconis exhibuit, editisque cujusdam implacabilis iræ minis penitus disparuit. *Idem factum memoratur in bulla canonizationis.*

f Ilkusch, Ilcussum, Ilcussia, oppidum regium in via, qua ex Silesiæ oppidis Cracoviam itur, positum, duabus Slaucovia, et Cracovia quinque milliaribus abest. Fodinis, argentum plumbo mixtum suppeditantibus, pane sapidissimo et optima carne bubula nobilitatur. In Severiensi ducatu situm, episcopi Cracoviensis jurisdictionem agnoscit (1). *Hinc non recte scribitur* Olkusium, *ut alicubi occurrere solet ; nisi dicamus id provenire ex varietate dialectorum, qua loco* i *ponatur* o.

g *In bulla canonizationis demissi pastoralis officii hæc insuper additur ratio :* Quamvis pastoris quæ sunt officia sedulo expleret ; pro ea qua erat meticulosa conscientia, ratus negotium esse periculi plenum, dimisit, et consuetum in collegio docendi munus repetere tutius existimavit.

(1) Regni Poloniæ novissima descriptio. p. 105.

D

CAP. III. *Patientia in adversis et carnis mortificatio.*

CAP. VI. *Domesticas molestias*

Et cum sit gradus ad sublimitatem perfectionis, tolerantia tribulationum, illiusque proprium munus, mala ab aliis inflicta, æquanimiter atque cum gaudio pro Christo pati, illius exercendæ ac comparandæ amore flagrare cœpit ; viamque duplicem colluctandi cum adversis est ingressus. Primum illi certamen fuit in molestiis (et) vexationibus eorum, quibuscum vivebat, perferendis. Invidia enim, adversaria virtutis, variis nocendi modis armata, plurimas machinata est calamitates, quibus animum Sancti constantem labefactare posset, nunc maledictis insectando : nunc conviciis perstringendo : nunc virtutibus simulachra vitiorum affingendo : nunc in faciem fraudulenter laudando : nunc ex morum gravitate, captatis mordacibus jocis, conturbando. Et hos omnes perturbationum aculeos debere eos pati, ex doctrina Apostoli didicit, qui pie vivere volunt in Christo Jesu. Quali autem scuto, hæc jacula ille excipiebat, quia assiduitate E fuit ipsi proprium, imitatione autem aliis cum debeat esse commune, usui publico est ostendendum.

qua industria, sibi propria, dispelleret. *a*

13 Pungebat eum quis lingua? Ille solebat unico verbo ictus excipere, sibimet dicendo : UT SUPRA *a*, hoc est, nihil novi patior, sed quod supra is, qui supra omnes passus est Christus, prius pertulit. In archetypum ergo ac supremæ patientiæ exemplar, quod in monte supra monstratum est, oculos convertebat, et sic dolores vetustate exemplaris, et acerbitatem, crucis excessu leviorem, immo levissimam sibi reddebat, ac in omni tribulatione, gaudio superabundabat. Et ne in eo, charitas imperata a Christo, erga proximos, etiam malevolos et in se sævientes, refrigesceret, hoc idem intra se, UT SUPRA commemorabat : videlicet in Christo cruci confixo, dilectio erga inimicos extingui non potuit nec verberibus, nec crucis ignominia, nec totius corporis laceratione, nec ipsa mortis acerbitate. Ad hoc igitur SUPRA, sibi connitendum ; obliterandæ injuriæ, inutiles querimoniæ abjiciendæ ; et illi, quorum opera capiti nostro corona, nunc quidem spinosa sed postmodum gloriosa texitur, summopere complectendi. Hoc denique dictum UT SUPRA revocabat illi Sanctorum F tormenta, carceres, inediam, et per summam crudelitatem excogitata mortis genera ; et quod asperitatum gradibus superatis, aditum supremæ beatitudinis sint consecuti : et hac recordatione animatus, omnes omnium molestiarum incursus forti animo tolerabat.

Peregrinatio Hierosolymitana.

14 In his domesticis progymnasmatibus patientiæ animus ejus roboratus, aliam palæstram longe difficiliorem ingreditur ; studium peregrinandi, ardore christianæ religionis accensus et Dominicæ passionis inflammatus, arripit ; atque imprimis terram sacrosanctam adire et perlustrare statuit, quæ vestigiis Dei in carne nostra conversantis et salutem humanam operantis, consecrata est ; illudque desiderium in se impleri optavit : Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. Singula ex ordine vivifica loca, imbre lachrymarum irrigatus, visitabat ; adorans et osculans præcipue montem Calvariæ, Christi sanguine respersum, et victoria Crucis celeberrimum ; ipsumque omnium sepulchrorum sanctissimum, et triumpho resurrectionis gloriosissimum, Sepulchrum geme-

bundus

A bundus veneratus est. Quas regiones dum peragraret, quanta eum pati necesse erat, dum inter gentem barbaram, et Crucis Christi et illius cultorum inimicam versaretur : et iter suum per varios locorum anfractus promoveret : frigus, calores, sitim, famem, inopiam, et vitæ difficultates, aliasque ærumnas sustinendo? Sed hæc incommoda, et alia his graviora, pharmacum animo ejus afferebant; dum mentem suam a venialibus offensis, quas ille instar mortalium deplorabat, his tribulationum laboribus sanari posse cogitabat, et vultus divini benignitatem in Sanctorum retributione pro illis se experturum *b*.

b *et Romana, quatuor repetitis vicibus.*

15 Postquam gaudio plenus, menti suæ impressa mysteria passionis circumferens, eademque assidue recogitans, ad propria remeavit : vix dum corpori aliquantum quietis, ex tam longinquo ac laborioso itinere, colligendis viribus, quod satis esset, concesserat; cum ecce novo se itineri accingit. Romam, magistram fidei, religionis christianæ custodem ac interpretem, invisere properat, et magna cum animi voluptate ad sacra illa limina, ad quæ totus suspirat orbis, venit; pretiosaque pignora principis apostolorum, et doctoris B gentium, eodem monumento inclusa, veneratur : inde spiritu exultans, ad reliqua loca, martyrum certamine gloriosa et sanguine purpurata, gradum dirigit : et tamquam præsens ibi adstantium et vota Deo, illorum suffragiis commissa, offerentium, consortio fruitur : se ac vitæ suæ cursum, et ex ea egressum illorum precibus commendans : capiebat animo non mediocre solatium, et se cœlestium conversationi interesse arbitrabatur. Et quamvis illius membra jejuniis, vigiliis exhausta pallebant, et itineris molestiis, quod semper pedibus obibat, emaciata languebant : animus tamen cœlesti quodam erectus gaudio, infirmitatem corporis sustentabat, et virtus infirmitate perficiebatur. Quid igitur mirum? Corpus et viæ lassitudinem, solis ardorem, ventorum ac imbrium ferocitatem, cœli hospitium, molle stratum, quod humus dabat, hilariter sufferebat, illud e Psalterio occinens : Secundum multitudinem dolorum meorum, in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. In eadem peregrinatione, cum a prædonibus raptatus, spoliatus ac cæsus fuisset, ut jam commemoratum est, nihilominus patientiæ clypeo munitus, pergebat gaudens, quod C pro nomine Jesu contumeliam pati sit dignus habitus. Et hæc quidem tot tristia, tot acerba, tot vitæ pericula in Romano itinere expertum, quæ alios ab iterando retrahere solent, ad hoc ipsum tribus aliis vicibus iterandum induxerunt. Et cum ab hominibus suæ gentis, de causa tam frequentis visitationis Romam inquiretur, respondit : Iter Romanum videri sibi purgatorium : illiusque frequentatione a pœnis peccatorum expiari cupiebat *c*.

c *Peregrinatio ad loca sacra academicis professoribus concessa.*

16 Et hac quidem peregrinatione tam frequenti, nihil umquam dispendii Vir venerandus debitis officiis suæ professionis adferebat, cum lex sit publica quæ professoribus, loca sacra adeundi facultatem permittat, quod ex illius præscripto, servatis temporum intervallis, commode sine ulla negligentiæ nota fieri potest, in tanta præsertim professorum copia, ex quibus universitas studii Cracoviensis coalescit, ut unus etiam alteri mutuam operam, aut ægritudine oppresso, aut pio negotio dedito, navare possit.

CAP. VII. *Corporis mortificatio.*

17 His tot et tantis calamitatibus, cum satis caro viri sancti afflicta esset, numquam tamen ab aliis eidem infligendis cessabat. Sciebat enim carnem adversus spiritum concupiscere, et magno esse his impedimento, qui mundioris vitæ institutum sequuntur. Mollitie vestium ac splendore spreto, externo corporis cultu nec nitido, nec nimium abjecto utebatur, sed moderato, et statui suo competenti, ut ex veste ejusmodi in archivo ecclesiæ S. Annæ asservata, conjicere licet; interius tamen, quod carnem aliquo duriori severitatis modo castigaverit, ex his quæ dicemus, suspicamur *d* : in jejuniis enim assiduus erat; in vigiliis et orationibus frequenter pernoctans : et dum omnia præ hyemis acerbitate rigerent, nudis pedibus desuper contectis, ne a quoquam incedens notari, et observari posset, templa adibat, et in his, divinis inardescens orationibus, summa cum animi jucunditate morabatur. Doctor in theologia renuntiatus, esum carnium sibi interdixit, et eam legem, ad ultimum vitæ spiritum inviolatam servavit. Conatus hanc aliquando hostis abstinentiæ infringere, gravi excitata cupiditate vescendi carnes, sensit Vir eximius adversarii dolum; jubet subito frustum carnis assari, et de veru depositum afferri, arreptoque, dum instar carbonis igniti ardere E ret *e*, primum faciem, deinde universum corpus tundendo adurebat, hæc verba improperans : « Caro carnem expetisti, carnibus ad satietatem utere.» Hoc tam sublimi afflictionis actu, quo cura sui a bjecta vim sibi inferebat, elusit technas inimici, et omnem in posterum carnium appetitum, divino crediderim beneficio amplius non rediturum, in corpore suo extinguebat. Si quando membra defessa sopori reficienda committebat, ea in dura humo abjiciebat; quandoque jam senilia, calore nativo destituta et frigore constricta, strata pelle ursi confovebat.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

d

e

ANNOTATA.

a *Voces has, B.* Cantio *imprimis frequentissime usitatas, latius exponit Opatovius in Vita polonica.* Habebat, *inquit,* quamdam sibi propriam industriam, qua velut umbone hæc jacula *(domesticas molestias)* non solum hilaris securusque excipiebat, sed etiam ea procul a se repellebat... Duo hæc verba sibi proloquebatur : UT SUPRA, hoc est, uti superioribus anteactisque accidebat temporibus; quasi sibimet inculcaret, nil se novi perpeti, F se non esse in perferendo et tolerando, qui primi nomen usurpare posset; hunc honorem principesque partes ei deberi, qui ante omnes et super omnes et pro omnibus patibuli Golgothani discruciatus est tormentis ac opprobriis. In hoc exemplar absolutissimæ patientiæ, quod SUPRA, hoc est superioribus sæculis in sublimi Calvariæ vertice expositum est, oculos conjiciebat *etc.*

b *Peregrinationem hanc hierosolymitanam, more suo, latius in Vita polonica amplificat Opatovius, quin tamen alias res a* Cantio *ibidem gestas addat. De hac etiam canitur in festo B. Viri ad Vesperas :*

Urbem petis Jerusalem;
Signata sacro sanguine
Christi colis vestigia,
Rigasque fusis fletibus.

Porro, si fides sit Putanovicio (1), *hymni Sancto proprii, compositi fuerunt a postulatore causæ, doctore Cracoviensi Zolendziovio.*

c *Harum peregrinationum plures cardinales et episcopi in suis suffragiis (vide Comm. præv. n. 67) meminere.*

(1) Vita S. Joannis Cantii, *ubi de ejus Officio*, fol. 1, 2.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

meminere. Sic cardinalis Columna Branciforti : Ut a civibus suis ad se delata venerationis et reverentiæ officia declinaret, semel ad sancta Palæstinæ loca, quater Romam pedes profectus est (1). *De romana peregrinatione habetur in Breviario ad Vesperas* :

Apostolorum limina
Pedes viator visitas ;
Ad patriam quam tendimus,
Gressus viamque dirige.

d Verumtamen etiam ciliciis acribus sese divexare nequaquam intermisisse dicendus est, qui continuis jejunationibus utebatur, integras noctes orationibus extrahebat *etc. Idem Opatovius in Vita polonica.*

e Hanc *(partem assaturæ)* depositam et ignibus recentibus ferventem inermi apprehendit manu, ac faciem primo illa cædit, dein totum corpus ad instar flagri flagellat ac perurit *etc. Opatovius ubi supra.*

CAP. IV. *De operibus misericordiæ et dono prophetiæ.*

B

CAP. VIII. *Stipendium academicum cum egenis partitur.*

In operibus misericordiæ præstandis, et in egenorum necessitatibus sublevandis, propterea ferventior erat, quod divino mandato præciperentur, et spatia charitatis ampliarent, et supremi Judicis favorem promererentur. Emeritum itaque laboribus academicis stipendium quovis anno cum egenis partiebatur : parte sibi exigua ad vitam sustentandam reservata ; reliquum in varios usus pauperum erogabat ; nunc vestes, nunc calceos comparando, et in alia indigentiæ necessaria exponendo. Eo denique in misericordia pauperibus exhibenda processerat, ut se necessariis vitæ et corporis spoliaret, ut illorum inopiæ subveniret. Usitatum illi erat et prorsus in morem abierat, ut si quem egenorum in occursum sibi venire sine calceis conspiceret, propriis detractis, nuditatem illius operiret ; ipse discalceatus, ad ima pedum demisso pallio nuditatem contegens, domum redibat.

Propria chlamide tegit pauperem.

19 Quodam tempore, cum præteriens in platea pauperem nivibus coopertum, et totis artubus præ frigoris acrimonia contremiscentem reperisset, C misericordia motus, proprium illi pallium, (primum industria usus, ne factum ab aliquo videri posset) largitur ; illud implens, quod Veritas per Joannem præcepit : Qui habet duas tunicas, det non habenti. Domum rediens, dum in oratione prostratus persisteret, ipsa Mater misericordiæ Virgo beatissima, eumdem visitare et vultu suo jucundissimo recreare dignata est ; mirifice collaudans hoc tantum misericordiæ opus, alienæ calamitati impensum, eidemque illam ipsam vestem, qua pauperis nuditatem contexit, restituit. Impleta est abunde in Viro sancto, illa promissio divina : Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei.

Quondam mensæ assidens, portionem suam pauperi oblatam, mirabiliter recipit.

20 Illud quoque animi ejus impense in pauperes effusi, fuit clarissimum argumentum. Accumbebat mensæ Vir sanctus, et cum eo nonnulli nobilium filii, illius curæ ac institutioni commissi : et cum singulis carnium frusta distribuisset, extremum sibi sumpsit, (tunc enim adhuc carnibus vescebatur,) cum ecce vox pauperis stipem rogantis insonat ; jubet ille confestim pauperi dari propriam carnis portionem. Mirari commensales, et D inter se mussitare, atque etiam anxii inquirere non cessant, solliciti quid manducaret : tandem ex improviso, divina virtute largiente, illud ipsum frustum carnis, cunctis stupentibus, ante Virum sanctum in mensa repositum, conspiciunt ; quod ille, tamquam annonam, ex penu divinæ providentiæ sibi missam, cum gaudio suscipiens, Deo gratiis actis, eodem vires suas reficiebat. Vere jactavit super Dominum curam suam, et ipse enutrivit eum.

Hinc nata consuetudo professoribus quotidie alendi pauperem.

21 Specimen autem hoc miraculosum divinæ retributionis, quo Deus beneficentiam pauperi exhibitam tunc in Sancto remuneratus est, initium præbuit, et incitamento fuit novæ et memorabilis in posterum servandæ cujusdam sanctæ consuetudinis. Permoti enim Patres et professores majoris collegii illo spectaculo, sanxerunt, pauperem, seu Christum in forma pauperis, mensæ suæ, quotidie de demenso suo alendum, socium, lege numquam mutanda, habere : quæ lex et consuetudo, hucusque religiose servatur. Si vero contingat pauperem ad fores loci, in quo professores reficiuntur, venire, statim unus ex professorum pueris, cui hoc negotium ex ordine demandatum fuerit, E excurrit ad eum, qui mensæ præsidet, his verbis denuntians : Pauper venit. Ille excipiens cum veneratione, respondet : Christus venit. Mox illi cum charitate eleemosina præbetur. Ab hoc etiam fonte benignitatis manavit pia fundatio, quorumdam professorum peculio comparata, pro pauperibus singulis annis vestiendis.

Ollam fractam et lac effusum miraculose restituit.

22 Fuit et hoc opus miraculosum misericordiæ D. Cantii, quod cum quædam ancilla e foro domum rediens, vas fictile lacte plenum deferret, subito ante conspectum ejus, dum ad ecclesiam S. Annæ properaret, concidit : ex eo casu, ubi videt vas fractum, lac effusum, incipit cum fletu lamentari. Motus illius lachrymis D. Cantius, quibus de dominæ suæ severitate conquerebatur, jubet eam testas colligere, et sibi dari. Colligit illa, et Sancto porrigit . res mira, ex contactu illius, vas redintegratur. Mulier, quod lac adhuc deesset, a fletu non desistit ; idcirco rursus ei D. Cantius mandat, ex vicino fluviolo, Rudawa dicto, quod urbis mœnia alluit, aquam haurire. Haurit illa, confidens de Sancti meritis : et ecce videt aquam in lac purissimum conversam. Sic læta domum redit, miraculum prædicat et virtutem Dei in Viro sancto dilaudat *a*. F

a

CAP. IX. *Futurum prædicit in urbe Cracoviensi incendium.*

23 Fuit etiam Vir sanctus gratia et dignitate prophetiæ a Domino honoratus. Cum enim quodam tempore incendium excitatum, in plateam S. Annæ flammarum globis irrumperet, et in ædificia sæviret, et multorum bona depasceret, miseratus hominum tam insignem calamitatem, ad Dei misericordiam implorandam, cum vix conversus fuisset, subito conspicit virum, ætate florentem et luce maxima coruscantem, S. Stanislaum Episcopum Cracoviensem, qui jubet Sanctum securo esse animo, spondens ignis vehementiam ultra non progressuram ; sed eidem mandat, ut universo populo denuntiet, fore brevi longe gravius incendium. Prædixit ille, ad fructus dignos pœnitentiæ faciendos omnes invitans ; sed cum antiquis sceleribus nova accumularent flagitia, processit justa Dei indignatio ad illam pœnam, quæ a Viro sancto prædicta fuit, irrogandam ; nam immissa vis flammarum, quæ coerceri non potuit *b*, non mediocrem urbis partem vastavit.

b

(1) Acta sex Canonizatorum, p. 211.

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a *Hic desinit, juxta Opatovii divisionem, caput* VIII; *notatuque dignum est utramque a laudato auctore conscriptam S.* Joannis Cantii *Vitam eodem ordine hucusque procedere. Ast sequenti capite, scilicet* IX, *ab invicem discrepant : hoc enim in Vita polonica inscribitur :* De Amore Dei et perfectione spirituali ; *in quo tamen nihil peculiare ad res B.* Cantii *gestas occurrit, ut potius spiritualis sit tractatus quam de vita narratio. Agitur de caritate, fide, spe etc. Caput* X *concordat cum capite* IX *in Vita latina. Utrobique sequens legitur titulus :* De dono prophetiæ.

b. Subito ac inopinato crudele incendium occupat civitatem, ac impatiens nesciumque freni, ingentem urbis partem cum ingenti bonorum abundantia depopulatur ac in cineres redigit lacrymabiles. *Sic Vita polonica ex versione ms. Patris Boym. Vix dubium quin id acciderit anno* 1465. *Certe Andreas Cellarius* (1) *ita habet :* Anno 1464 Judæi expilati et haud pauci ab incolis interfecti sunt. Sequente anno pars urbis *(Cracoviæ)* haud B exigua cum S. Francisci templo, et Stradomia tota, solo S. Bernhardi templo et monasterio incolumi manente, incendio conflagravit. Anno 1473, XXVI Julii eamdem Stradomiam totam ignis pessumdedit. *Porro quæ sit Stradomia paulo ante docuerat idem Cellarius* (2) : Inter arcem vel urbem Cracoviam ac pontem intercedit Stradomia municipium in insula, quam efficiunt Vistula et Rudava fluvii ; hic uno, ille tribus eam lateribus alluens. Templa ejus sunt S. Bernhardi, S. Agnetis *etc. Hæc ille, ubi de urbis divisione seu partibus. Cum alibi nuspiam Cellarius meminerit alterius templi Patrum Franciscanorum a S.* Bernardino *Cracoviæ insigniti, putem loco* Bernhardi *scribendum* Bernardini. *Confer annot.* b *ad cap.* V.

CAP. V. *Insigniores quidam B. Cantio viri coævi, hujusque in academia Cracoviensi labores.*

C

CAP. X. *Viri sanctitate præclari B. Cantio coævi.*

Post completos professionis labores, et post oblatum Deo thymiama suavissimæ orationis, raro quidem corpore, sed animo semper consuetudine virorum sanctissimorum, qui ejus tempore vixerunt, fruebatur : illorumque e colloquio, aut ex sola dumtaxat recordatione puritatis illorum vitæ ac sublimium meritorum, calore divinæ dilectionis exardescebat. Fulgebat tunc Cracovia, tamquam lucidissimis luminaribus undequaque cincta ac illustrata ; dum eam sidus illud præclarum B. Sventoslaus, in ædibus B. Virginis in circulo constitutis, officio Mansionarius, perpetuo silentio admirabilis, illuminaret *a* : et dum in eam illud luminare splendidissimum, B. Simon Lipnicius, in ecclesia Fratrum de Observantia, charitatis et sanctitatis seraphicæ radios exporrigeret *b* : et dum B. Stasnislaus Casimiritanus, Ordinis Canonicorum Regularium, ab ecclesia SS. Corporis effusam lucem integritatis ac innocentiæ vitæ spargeret : et dum B. Isaias, Ordinis eremitarum S. Augustini, tamquam lucidissima stella scintillans summis virtutibus, lucem tibi infunderet : et dum B. Michael, Ordinis S. Mariæ de Metro, instar sydereæ lampadis, probitatis suæ lumen in te defigeret *c*. Quidni etiam nunc dicam ? Te non solum his splendoribus irradiatam, sed illorum sanctissimis reliquiis, tamquam firmissimis propugnaculis, contra omnes insultus hostium, animæ et corporis vallatam esse ? Beatam te, si tuam felicitatem agnoscis, et si te gratam pro tanto beneficio Deo exhibes : et si ad SS. præsidia confugiens, virtutum exempla imitari volueris. Et hos quidem sanctissimos viros tanti Vir eximius fecit, ut se tacita mentis cogitatione, summe beatum fore judicaret, si vel minimam partem illorum sanctitatis consequi posset, et in consortium æterni præmii admitti.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

CAP. XI. *Labores B.* Cantii in *academia.*

25 Placuit hic subjungere brevem catalogum laborum, et tamquam speculum proponere, quibus inclytus Cantius, in sua statione academica perfunctus est. Functio academica docendi nemini publice exercenda committitur, nisi qui aliquo honore ab ingenii laude et literis adepto sit decoratus, et præstito juramento boni communis promovendi, sit in gremium professorum cooptatus. Primum itaque gradum ac primam lauream E in philosophia, ut tabulæ antiquæ metricæ testantur, anno a partu Virginis MCCCCXV consecutus, post primam *d* academiæ Cracoviæ fundationem anno quindecimo.* Completo biennio, quod juxta legum præscriptum, et in studio philosophiæ et in contentionibus prælectionum et disputationum expediri debet, anno salutis MCCCCXVII, doctoratum in philosophia suscepit : tandem in decanum facultatis philosophicæ bis *e* electus, VCZT* an. MCCCCXXXII et an. MCCCCXXXVIII. Quod munus non nisi ob singularem, et multis argumentis probatam doctrinam, alicui defertur ; et illius officii est, præter quæstionum in philosophia naturali resolutiones, (ad quas singulis diebus obligatur), omnibus disputationibus, quæ bis in septimana publice peraguntur, tamquam moderator et arbiter earum supremus præesse. Post exactum curriculum in philosophia, ad facultatem theologicam admissus, quinquennii spatio in ea desudavit, varios, legibus descriptos, in hac facultate gradus summis laboribus prensando. Ad extremum laurea doctorali insignitur *f*. Hac oblata dignitate, cogitare cœpit se invitari ad meditandum in lege Domini, ad frangendum et dispensandum parvulis panem cœ- F lestis sapientiæ : ad cathedras pestilentiæ subvertendas : ad vitiorum monstra ex cordibus hominum profliganda, et ad teneras fidelium mentes, in religionis ac virtutum proposito constabiliendas. Et ne aliis prædicando ipse reprobus inveniretur, seipsum tamquam ministrum Dei, ad recipiendam illuminationem scientiæ Dei, et ad illius custodiam, indicta sibi in perpetuum carnium abstinentia, frequenti meditationis exercitio, et arctioris vitæ instituto, se communire constituit *g*. Quo in munere, quales illius contentiones fuerint, non difficile est augurari, cum Commentaria in D. Matthæum *h* illius manu scripta, et in tres tomos digesta, retineamus. Retinemus et librum Sermonum, quibus verbum vitæ, mysteria salutis, et monita ad repromissionem cœlestis gloriæ consequendam necessaria, Cracoviæ annuntiabat.

* quintodecimo

* videlicet

ANNOTATA.

a In ipso medullitio urbis *(Cracoviæ)* B. Swentoslaus, velut fax in candelabro ecclesiæ B. V. Mariæ,

(1) Regni Poloniæ novissima descriptio, p. 156. — (2) Ibid., p. 144 et 145.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

riæ, quæ medium forum insidet, suam in te vibrabat lucem (duplicem) : alteram quidem ardentissimæ suæ devotionis, qua flagrare solitus erat, cum eum cultum Numinis, qui ex mysteriorum Marianorum compactus est serie, obiret; alteram vero perpetuæ ideoque miraculosæ taciturnitatis ac silentii, quod semel decretum et inchoatum, ad extremum usque servavit expirium. *Opatovius in Vita polonica cap.* XI. — *Actum apud nos a Papebrochio fuit de Sventoslao primum ad* XV *Aprilis inter* Prætermissos (1); *ac iterum et quidem paulo latius ad* VII *Maii, in* Annotatis *ad caput* VII *lib.* II, *Vitæ S. Stanislai ep. Cracov. et mart. lit.* c (2). *Ex utroque loco efficitur non constitisse de cultu publico.*

b Illustrabaris (*tu felix Cracovia*) a B. Simone de Lipnice, in ecclesia Patrum Bernardinorum, rutilanti ardentis caritatis radio, austeritatis vitæ, sanctæ simplicitatis. *Idem ubi supra. In Breviario Romano-Seraphico ad diem* XVIII *Julii dicitur corpus B. Simonis de Lipnico in ecclesia S.* Bernardini, *sui Ordinis (id est Fratrum Minorum) elatum fuisse. Unde in supra relatis verbis cavendum ne quis* ecclesia Patrum Bernardinorum *ad* Cistercienses

B *spectare putet. Decessores quoque nostri ad dictum diem* XVIII *Julii de B. Simone egerunt* (3).

c *Hi omnes sequenti carmine laudantur apud Putanovicium in Vita B.* Cantii :

Cantius atque Simon, Gedroyc, Stanesilaus,
 Boner, Sventoslaus insimul urbe Craci
Cœlestes vivunt animæ. Felicior ætas
 Et sors vix alii contigit ista loco.
Urbs aluit cives, doctos academia fecit;
 Ut fierent Sancti, gloria cui potior?

Porro qui hic Gedroyc *vocatur, idem est ac B.* Michael, *cujus Joannes de Trzciana anno* 1544 *Vitam edidit, quam et legere est apud nos ad diem* IV *Maii in Actis ejusdem Beati a Papebrochio illustratis* (4). *Acta* B. Stanislai, Poloni, canonici regularis Lateranensis Casimiriæ ad Cracoviam (*ita in Titulo*) *Ordinis S. Augustini dedit P. Henschenius in* Appendice ad IV primos dies Maii (5). *Obiit B. Stanislaus anno* 1489, *ac proinde sexdecim fere annis S.* Joanni Cantio *supervixit. Illius dies agitur* III *Maii. Denique, qui in laudatis versiculis a nomine familiæ* Boner *dicitur,* Isaias *apud Opatovium audit, de quo apud nos nullam reperi mentionem.*

C d *Vide Comm. præv.* § II *n.* 25, *ubi paulo latius de Cracoviensis academiæ initiis disputavimus. Cæterum, ut loco mox citato videre est, non recte hic* Opatovius primam fundationem memorat ; secundam *vocare debuisset.*

e *Solus, putem, est Starovolscius, qui scribat sanctum Virum ter philosophicæ seu artisticæ facultatis fuisse decanum.* Communitas, *inquit,* academica in archivo... asservat... togam illius philosophicam, quam indutus artisticæ facultatis decanus (namque et Divus ipse, dum viveret, ter istum honorem gessit) singulis semestribus commutationibus juramentum suum universitati præstare solet alius electus (6).

f *Vide Comment. præv.* § IV *n.* 61.

g *Comment. præv., ubi supra.*

h *Vide Comm. præv.* § IV *per totum. Ex professo actum fuit in sacra Rituum congregatione de scriptis B.* Cantio *tributis; postque maturum examen in hanc itum sententiam est : illa alteri doctori Cracoviensi ejusdem nominis esse adjudicanda, ut loc. cit. pluribus adstruximus.*

(1) Acta SS., t. II Aprilis, p. 371. — (2) Ibid., t. II Maii, p. 255. — (3) Ibid., t. IV Julii, p. 510-516. — (4) Ibid., t. I Maii, p. 552 et seqq. — (5) Ibid., t. I Maii, p. 779 et seqq. — (6) Hecatonis, p. 54. Edit. Venetiis 1627.

D

CAP. VI. *De transitu ex hac vita ad immortalem et sepultura. Miracula.*

Cum jam Vir eximius et annis et laboribus et vigiliis et jejuniis se fractum cerneret, et tabernaculum corporis sui, variis infirmitatibus languens, videret, jamque diem resolutionis suæ instare præsentiret; totus se ad comparandum animæ suæ exitum christianum convertit : quicquid adhuc rerum ad vitæ conservationem necessariarum retinuerat, totum pauperibus distribuit : demum lachrymis perfusus, peccata sua sacramentali confessione expiabat, et corporis ac sanguinis Christi vivifica refectione corroborabat, universis animæ suæ viribus, per mentis elevationem, in authorem vitæ et maximorum beneficiorum largitorem intentus. Denique aliis sacramentis rite perceptis, in præsentia Patrum collegii *a*, Deo ac beatissimæ Virgini animam purissimam tradidit, et jucundissime in Domino obdormivit, anno salutis MCCCCLXXIII die XXIV Decembris, in E vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi *b*. Corpus ejus in ecclesia Sanctæ Annæ (quæ est academiæ adscripta parœcia, eidem ex opposito adjacens *c*) honorifice sepultum est. Sic venerabilis Cantius, ut in vita multis virtutibus ac miraculis claruit, ita et post mortem, dum plurimis opem illius implorantibus divina misericordia ob merita ejus succurrit, inclarescit. Multis enim mortuis vitam, cæcis visum, claudis gressum, et variis languoribus oppressis ac in maximis necessitatibus constitutis sanitatem, levamen, adjutorium, consolationes, impetravit et hucusque impetrat. Præstante omnia Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto, per infinita sæculorum sæcula est Deus gloriosus et benedictus. Amen.

CAP. XII. *Mors B. Joan. Cantii.*

27 Postquam spiritus ejus, solutus vinculis corporis et stola immortalitatis indutus, ad consortium perenne divinitatis fruendæ est admissus, sacros ejus cineres non est passus Deus ignobiles latere; sed plurimis ac continuis miraculis, tamquam voluntatis suæ appositis signaculis et evidentissimis amoris pignoribus, quibus sanctitatem ejus attestaretur, coruscare voluit. Quorum frequentia ac magnitudo effecit, ut sacræ ejus reliquiæ, quæ sub cathedra ecclesiæ defossæ jacuerant, elevatæ et ablutæ, et in stannea arcula F inclusæ, in eum locum, qui ex lapide secto, eleganti opere et artificio, elaboratus conspicitur, statuam Divi, ante beatæ Annæ imaginem decumbentem, spectandam exhibens, transferrentur *d*.

CAP. XIII. *Sepultura.*

28 Horum fama etiam remotiores regiones pervasisse videtur et adimplevisse : ut Marcus Antonius Sabellicus, tomo II, Æneadæ X, lib. IV in descriptione Poloniæ, catalogo Beatorum adscriptum existimarit. Sic enim inquit : « Caput in ea gente Cracovia urbs ad Islutæ fluminis ripam, cum celebri gymnasio omnium liberalium artium. » Et paulo inferius : « Jacynthus Dominici Calaguritani comes, Cracoviæ situs, Cantiusque Cracoviani quondam gymnasii doctor, ambo in Beatorum numerum delati. » *e*. Quæ autem hæc sint, interim reticemus, donec eorum judicio, quibus hoc negotium commissum est, approbata fuerint : illorum tamen summarium, quod Matthias de Miechovia

Miraculorum fama.

A via confecit, quibus cum Deus, illius temporibus illustravit, illius verbis subjicimus : « A die autem mortis ejus, usque in annum Domini MDXV variis ægritudinibus oppressi, voto facto, curati sunt octuaginta tres homines : febricitantes vero tredecim : paralytici quinque : vere mortui, addicti sunt vitæ pristinæ sedecim : fere mortui et deplorati sex : phrenetici sex : dæmoniacus unus liberatus : jumenta morientia, facto pro eis voto, sanata duo. » Et his alia longe plura subsecuta sunt, præsertim anno salutis MDCIII, qui annus Jubilei in Polonia fuit, sub Clemente Papa VIII, dum in restauratione sepulchri, quod vetustate collabi videbatur, quæsitum esset de loco, in quo sacrum pignus quiesceret, continuo uno et altero latere, e pavimento eruto et amoto, resplenduit conditorium, suavissimum et fragrantissimum odorem
f spirans, cum variis editis miraculis *f*. Sed hæc et reliqua quæ etiam post edictum promulgatum DD. Commissariorum, ut potestate sibi delegata ab illustrissimo et reverendissimo Domino Martino Szyszkowski episcopo Cracoviensi, honoris Divorum suæ gentis tutelarium cupientissimo, diligenti examine in vitam et miracula ejus inspi-
B cerent : post hoc, inquam, commissionis edictum promulgatum, quæ etiam his diebus admiranda facta divina potentia operata fuerit, si Deus votis nostris annuerit, publica faciemus. Quod ut nobis benigne concedat, in hac supplicatione, quam ad tumulum divini Viri Deo offerimus, ut eum, quod unice cupimus, judicio Ecclesiæ Beatorum ordini associare velit, examinis feliciter expedito negotio, ardentissimis precibus efflagitemus.

Exultent sancti tui, Domine, in gloria tua, lætentur in cubilibus suis. Psal. 149. Et benedictum sit
g nomen Majestatis tuæ in æternum. Psal. 71 *g*.

ANNOTATA.

a In præsentia et corona collegii sui professorum, in manus divinas ac gloriosissimæ Deiparentis animam intaminatam ac integram tradidit. *Opatovius in Vita polonica*.

b *Diximus Comm. præv. n.* 26-28 *mire discordare inter se scriptores tum de anno nativitatis, tum de anno mortis, sicut etiam de ætate B.* Joannis Cantii. *Imo ipse Opatovius sibi non consonat. In Vita enim polonica beati Viri, quam quadriennio post latinam*
C *typis edidit, ita scribit juxta versionem P. Boym :* Beate in Domino Deo suo obdormivit anno Domini supra millesimum quadringentesimum septuagesimo primo, 24 Decembris, in pervigilio nati Dei Filii in carne nostra; ætatis suæ 83.

c *Addit Opatovius in altera Vita :* In templo S. Annæ, quæ cum sua filia et nepote Patrona academiæ est, imo ut parochialis provisor sacramenta ei administrat.

d *Confer Comm. præv.* § III, *n.* 47.

e *Additur hoc loco in Vita polonica testimonium Hartmanni Schedelii, de quo diximus Comm. præv.* § I, *n.* 1.

f *De fragrantia illa ex professo agetur infra Miraculorum Part.* II. *Item aliquid jam dictum Comm. præv.* § III, *n.* 47.

g *Additur ad calcem :* Cracoviæ. Impensis Novodvorscianis. *Scilicet Bartholomæus Nowodworski, eques S. Joannis Hierosolymitani, postea Melitensis dicti, inter belli duces Poloniæ numeratur maxime insignes. Haud minus pietate quam fortitudine commendatus, in academia Cracoviensi instituit piam, ut aiunt, fundationem in gratiam studiosorum pauperum et simul etiam ad typis edendos libros Ecclesiæ et reipublicæ utiles futuros. Hæc itaque B.* Cantii *Vita, sicut et altera, polonice conscripta, impressa fuit sumptibus præfatæ fundationis.* AUCTORE AD. OPATOVIO.

MIRACULA
VENERABILIS JOANNIS CANTII,
Auct. Adamo Opatovio.
PARS PRIMA.
De miraculis quibus Servus Dei claruit a morte sua usque ad inventionem et reserationem sui tumuli.

PROLOGUS *a*. a

E Non recognoscere nec in lucem publicam mirabilia Dei opera, quibus suos illustrat famulos et eum prosequitur populum de cujus medio sibi Sanctum elegit, exponere, inter primas ingratitudinis notas recensendum est. Hoc deplorat regius *Celatio miraculorum, nota ingrati animi;*
Psaltes : « Peccavimus cum patribus nostris : injuste » egimus, iniquitatem fecimus. » Et quare? « Patres » nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua; » non fuerunt memores multitudinis misericordiæ » tuæ. » Ac duplex in eo contrahebatur crimen : aliud quidem quod non enarrarent mirabilia opera Domini ; aliud vero quod cognitione in oblivione tantorum Numinis in se signorum sepulta, quorum vel sola memoria a flagitiis revocari retardarique potuissent, nihil Judæi tantis beneficiis tamen commoverentur. Adhuc idem Psalmus in sua prorumpit vota, dum exclamat : « Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus » ? Hæc ingratitudo hicque defectus exsiccat aut potius obturat large sese effundentem divinæ benignitatis fontem. Veniat nobis in mentem Nazarethanorum a Servatore nostro in suo naturali solo miraculorum patrandorum expostulatio, quibus pro responso datum est : Neminem prophetam in patria F
sua acceptum esse. Intuebantur illi pauperem Christi nativitatem, adeoque minoris Deum hominem æstimabant, salutarem non recipiebant doctrinam, ac proinde nec miraculosis videbantur adhibituri fidem prodigiis. Ea incredulitas voluntatem Christi benignam a patrandis eo loci retardabat gratiis. Ita plerumque etiamnum contingit Deum suam manum, alias in miracula pronam, abbreviare ac contrahere, quod quædam arcana occultaque enascatur incredulitas ac ipsa ingratitudo, cum non celebras prædicasque cœlestia dona. Jure igitur merito... *(deest vox)* usurpabo, dum ad hæc accedo, sermonem : si admirandas gratias, quas Deus, sese interponente Famulo suo B. Cantio, effundit, taciturnitate obvolverimus, ignorantiæque tenebris sepeliverimus, sine gravi piaculo crimineque nobis esse non licebit. Ps. 105

2 Ac siquidem ea enumeratio descriptioque cuipiam prolixior videbitur, meminerit ille imperatum a Salvatore apostolis, cum quinque panibus quinque hominum exsatiasset millia, fragmenta ipsa colligi ne perirent, quæ quidem duodecim implendis cophinis suffecerunt. Nostra igitur interest non sola insigniora miracula, sed etiam minora quasi *quapropter prolixe de illis hic agetur.*

 fragmenta

AUCTORE AD. OPATOVIO.

fragmenta quædam ac micas benignitatis divinæ congregare nec eis interitum permittere. Unumquodque enim divinorum beneficiorum munus dignum est recordatione humana retineri, quibus etiam parvuli, maxime ii qui cum muliere chananæa catellis sese sub mensa Domini sui assimilant, victitent ac muniantur; persuasi recte nullam exiguam esse Dei liberalis beneficentiam. Ideoque nec miracula ad instar perfidæ Judæorum nationis exposcunt, miraculorum insignium loco ducendo, si opem minimam gratiæ in suis afflictionibus necessitatibusque digni sint experiri. Vellem ego recogitarent, cumque animo suo recolerent interdum, quemadmodum aliquando exigua læsio vulnusculumque aut inflammata pustulæ cujuspiam inquies lamentabile creet tædium, vires prosternat et robustissimum alioquin affligat ac deprimat. Tum si ei tam beato felicique esse liceret, ut, ex invocatione exorationeque ad quempiam sanctorum adornata, sentiret ac experiretur se primum subito alleviari, dein etiam quo obsidebatur malo morbi liberari, quam non dubitaret hanc divinam in se, per intercessionem Sancti sui, benignitatem inter miracula reponere; quantum illi Divo pro
B hac gratia grata recognitionis offerret, ejusque merita deprædicaret? Nemo itaque ullam obtentam in aliis aspernetur gratiam judicetque exilem, quod a simili necessitate exstiterit remotior. Demum qui in acceptis parva non refert, næ ille majoribus munificentiæ cœlestis est dignus signis.

Miracula a R. D. Matthia recensita, cum hujus Præfatione.

3 Auspicabimur igitur miraculorum descriptionem ab iis, quæ sunt per R. D. Matthiam in jure canonico doctorem et id temporis parochum S. Annæ (anno enim supra millesimum quingentesimum trigesimo quinto Præpositura cum decanatu et canonicis, fundatione executorum R. D. Michaelis Lublini in jure doctoris, erecta est) sunt exarata, atque in eadem ecclesia diligenter asservantur. Ex illius proloquio, quod ponam, non erit difficile cognitu, quo anno erumpere cœperit, et quæ eum commoverint ad scribendum rationes. « Præfatio » R. D. Matthiæ, in jure canonico doctoris, parochi » ecclesiæ S. Annæ. Tametsi inhibitione Alexan» dri III Papæ cautum sit, ne ullus audeat præ» sumatque ullum mortalium, in vita pietateque » præclaris virtutum insignibus præfulgentem, a » morte vero ad suas exuvias miraculis coruscan» tem, ut Sanctum venerari, aut pro suis, quibus
C » premeretur, necessitatibus, oratione invocatio» neque sollicitare, quousque sanctitas ejus ab » ecclesia Romana, quæ est caput et mater reli» quarum, approbaretur, assereretur, totique orbi » promulgaretur : nihilominus, quoniam opera » Dei revelare, juxta edictum Raphaëlis archangeli, » ad gloriam Numinis spectat, ego Matthias, quam» vis indignus, in jure canonico doctor et paro» chus ecclesiæ S. Annæ Cracoviæ, anno ab incar» nato Verbo 1475, expavescens meæ taciturnitatis » pœnam, cum lamentantem audiam Isaiam c. 6 : » Væ mihi quia tacui : « quia silui enarrare opera » Domini, et a misericordiis ejus deprædicandis » abstinui, quæ evulgare imperat regius Psaltes » ps. 95 : » Enarrate misericordias Domini, « et » coram filiis hominum » annuntiate mirabilia ejus. « Decrevi igitur ne illorum memoria exci» deret, tam pro iis qui ea successu temporis per » templa sunt prædicaturi, quam qui nascentur » post illos, notitiam calamo consignare, ut sic ab » omnibus in explorato sit, quas gratias, quæ mi» rabilia omnipotens Dei misericordia per merita » venerabilis Joannis Cantii, doctoris ac professo» ris in sacra pagina, operata est variæ conditio» nis hominibus in gravibus morbis afflictionibus- D
» que, præsentissima ope ac solatio subveniendo. » Atque hæc me exaraturum polliceor promitto» que, quæ ipse ex ore illorum accepi, idque jure» jurando deposuerunt coram me et aliis omni » exceptione majoribus testibus, ac quod exoratus » palam pro concionibus meis vulgavi » *b*. *b*

Mulier a squinancia cum nepote sanata. *c*

4 Anno itaque supranominato (1475), die Lunæ festo Visitationis Deiparæ succedente *c*, quæpiam Domina Zagorowska veniens, legitime asseruit, quod passa inflammationem ac inflationem gutturis (vulgo squinancia vocatur) gravem cum intolerabili doloris sensu; præterea habens nepotem unicum ex filia periculose ægrotantem, conceperit votum, ut, si sanitati a Deo optimo maximo cum nepote restitueretur, intervenientibus meritis venerabilis Joannis Cantii, ejus esset monumentum invisura; ac confestim ubi ægre ad sepulchrum cum nepote pervenisset et ipsa et nepos suus convaluere; gratiis Deo relatis, læta recessit.

Morbo pedum et oculorum curata.

5 Eodem die ac tempore, D. Barbara Strzesowa, tunc ædes principum Mazoviæ inhabitans, afflicta gravi pedis alterius fissione et quasi ossium perforatione quadam, accedente etiam ad id mali oculorum dolore, ubi primum sese obstrinxit voto E
invisendi Ven. Cantii sepulchri, mox dolore pedis ac oculorum evanescente, perfectæ valetudini est restituta.

Utroque pede curatur sanctimonialis.

6 Postera die, quæ erat Martis, virgo quædam professa sanctimonialis apud S. Andream, inflammato pede utroque, dolore divexata ad B. Joannis Cantii confugit opem. Ubi in templo S. Annæ celebrari sanctæ Missæ sacrificium curaverat, in illoque votum suum Deo per merita B. Joannis Cantii præsentaverat, absolutam se plene doloribus sensit; ideoque in signum percepti beneficii cereos affixit pedes.

Proles a febribus liberata;

7 Die Jovis intra octavam ejusdem Deiparæ Elisabetham visitantis, fuit cuidam mulieri ex platea S. Stephani puerulus ardentissima febri correptus ideoque deploratus : verum voto concepto sacrum conducendi ad sepulchrum B. Joannis Cantii, ac ex cera effigiatum filiolum offerendi, subito revaluisse puerulum suum est lætata.

mulier a dolore oculorum. *d*

8 Eodem die Jovis, mulier Casimiriensis *d*, cognomine Zydkowa, dolore oculorum longo tempore excruciata, audito his a Numine misericordiam exhiberi, qui eum indubia fiducia de meritis F
B. Joannis Cantii aut etiam hac interdum hæsitante, suis in necessitatibus implorant, voti rea esse voluit, ac sepulchrum Ven. Patris Cantii sua venerari visitatione; ac e vestigio oculis convaluit, grataque hujus beneficii, rotam ceream ac in medio ejus oculos effigiatos obtulit.

Sublata pedis convulsio.

9 Eodem adhuc die, alia mulier Casimiriensis, gravi correpta morbo, incredibiles dolorum distractiones perpessa in pede, statim a voto emisso invisendi sepulchrum Ven. Cantii, sanitati reddita est, ac appensis signis cereis ibidem, lætabunda revertebatur.

Pes tumidus ac torpidus vigorem recipit.

10 Sabbato, qui inciderat in VIII Julii, D. Ursula Cracoviensis, vidua ab obitu D. Eustachii, notarii ejusdem urbis Cracoviensis, jurejurando asseruit, se luce S. Joanni Baptistæ sacra, in subitam pedis infirmitatem incidisse, quæ totum pedem sic inflaverat, ut ejus usum amitteret, seseque ob incredibilem cruciatum loco movere nullatenus posset. Ideo ubi primum visendi sese sepulchri B. Joannis voto obligasset, prætereaque signa pedis cerea appendendi, e vestigio sanitatem recuperavit.

Mulier morbo gravi liberata.

11 Undecima Julii, D. Anna Morawianka (ex) Casimiria, integro hieme et vere ad præsentem usque mensem,

A mensem, invaletudine toto corpore pererrante, adeo viribus concidebat, ut sese lecto levare nequiret. Celebritate miraculorum, quæ variis divina benignitate ob merita et intercessionem Ven. Famuli Dei præsentem attulere opem, permota, magna devotione et fiducia pollicita est sese venerationis ergo tumbam B. Cantii adituram, ac gratam præsentemque cum sancto Missæ sacrificio comparituram. Confestim in melius ejus debilitas verti cœpta, ac in brevi lectum deseruit. Nec tantum unica hac vice, sed pluribus, devoto cultu locum B. Cantii adivit frequentavitque.

Sanatio ab amentia.

12 Idem mensis fluebat, cum D. Dorothea, civis Cracoviensis, ex platea Sutoria, duabus septimanis tanta contristata invaletudine, quæ eam et a se abduceret, et oblivionem sensuum ipsorum induceret, sibi præsens appromisit sese veneraturam locum exuviarum Ven. Patris Cantii, idque cum cereo et Missæ sacrificio in laudem Dei esse testaturam : plenam integramque consecuta est sanitatem.

Matronæ visus restituitur.

13 Iisdem ejusdemque mensis diebus, D. Anna, orba suo marito cognomine Kind et Podzubek, intolerabili oculorum capta dolore, quos ob cruciatum nec aperire poterat, nec si aperiret quidquam visu attingere, a promissione facta adeundi B. Patris Joannis Cantii sepulchri, mox relevari cœpit, et primam aciem recuperavit incolumem.

B

Oculorum et manus sanatio.

14 Paulo post eodem nondum exeunte mense, J. Magdalena Winarska, itidem graviter oculis dolens, prætereaque manus quamdam distractionem continuam perpetiens, B. Cantium imploravit, se adstringendo ejus tumulum adeundi voluntate. Et adiit, beneficiumque, quod in sanatione oculorum et manus recepit, rite est confessa.

Pluries variis in doloribus adjuta matrona.

15 Item D. Morsztynowa vidua, ex Vistulæ platea, nocte quapiam, gravi et periculosa suffocatione, prætereaque dolore in pectore oppressa, libero intercepto respirio, de alia vita cogitabat. Filia sua inclamante et adhortante, ut sui memor, consueta devotione Deo se et B. Cantii meritis commendaret. Quod ubi fecit ac sepulchri visitationem appromisit, confestim opem divinam ac sanitatem pristinam se recepisse est gavisa. Eadem domina asseruit sese ter in triplici morbo Famuli Dei præsentem sensisse opem. Semel eodem anno a festo trium Regum, cum capitis dolorem sane molestum experiretur : iterum in dolore pedis gravissime inflammati et tumefacti, ideoque ungue etiam deperdito. Præterea jurejurando affirmavit, se statim ab obitu Ven. Joannis Cantii percepisse quemdam animi interiorem sensum de magna ejus sanctitate et meritis coram Deo : ideo cum capitis dolore, ab eoque totius corporis laboraret languore, a morte ejus jam medio elabente anno, quantum per vires licuit S. Annæ adiit ecclesiam festo Petri et Pauli apostolorum in vesperis anno 1474, obiitque altaria, ad singula de genibus orans pro lucrandis indulgentiis. Flexerat (genua) etiam ad tumulum Ven. Cantii, et mox semel dicta oratione dominica, miraculosam infirmitatis percepit relevationem ac etiam sublationem. Atque sic ingenti perfusa lætitia ædes suas repetiit.

C

Morti vicinus convalescit.

16 Decima septima Julii, die Dominica, Petrus Szocha, a Ponte regio, quatuor septimanis lecto affixus, perdito etiam appetitu sese reficiendi, ut plane nullum admitteret cibum, ac sese proximum morti judicaret. Ubi primum Numini sese pollicitus est aditurum devote B. Cantii sepulchrum, in soporem incidit ; sub medium noctis expergiscens, sensit se incolumem. Ideoque adiens ecclesiam S. Annæ in memoriam accepti beneficii in cera effigiatum pectus ac caput ad locum sepulchri appendit.

Calculi sanatio.

17 Decima octava Julii, fuit D. Shelagovæ ex platea Arcensi puer quinquennis, qui singulis diebus calculi doloribus discruciabatur, ploratuque suo domum miserabiliter implebat. Itaque quadam die cum lapis pueruli lacrymose ejulantis vulneraret viscera, tristis mater in genua procidens ad sepulchrum eum Famuli Dei obtulit sistendum. Atque e vestigio a ploratibus cessavit puer, gratiaque Numinis eo morbo est liberatus.

Bina a febri curatio. Taciturnitatis pœna.

18 Domina quædam, uxor Georgii Rothgizeri e, ex platea Arcensi, variis confligebat cum doloribus. Nam capitis dolor, sese dilatando, defluxit in oculos, inde ad guttur quod occupavit : præterea continua febris totum ejus exurebat corpus. Itaque facta visitatione sepulchri Ven. Joannis Cantii, omnibus absoluta doloribus ac morbis, valetudinem est consecuta. Quia vero taciturnitate beneficam gratiam sepelivit, nec vulgavit aut vulgari curavit, postero die longe vehementiori correpta est febri ; cumque jam a tertia hora ad undecimam ea arderet, considerans causam hujus febris, agnovit solam suam esse ingratitudinem. Denuo igitur sese obtulit ad sepulchrum B. Cantii, ac statim febribus soluta, illud adiens, procurata sacrificii celebratione ad eam aram quæ propior esset tumulo, gratias Deo egit, petiitque ut hæc miraculosa Dei, quam experta esset gratia per intercessionem Ven. Cantii, palam in ecclesia promulgaretur.

E

A mortifero capitis dolore liberatio.

19 Vigesima secunda Julii, die Veneris, D. Henricus Theutonicus, famulus in salinariis Wielicensibus, in eam capitis inciderat infirmitatem, quæ ei admodum dubiam faceret vitam ; procuratus rite exomologesi reliquisque sacramentis, operiebatur mortem. Tum memoriam subeunte frequenti ope exhibita B. Cantii iis, qui se invocarent, vix fere appromisit sese sepulchrum ejus visitaturum, cum ecce tibi pristinæ redditus est incolumitati.

Puer ex agonia convalescit.

20 Eodem die, D. Jacobus arcularius, ex platea Arcularia, deplorabat cum uxore sua filiolum triennem jam agonizantem, qui nullum potum cibumque ferebat. Igitur voverunt sese sepulchrum Ven. Cantii cum Missæ sacrificio pie adituros cum filiolo, ac solatus est illos Deus : nam revalescere filiolus cœpit, ciboque vesci ; tum etiam plenæ restitutus est valetudini.

F

Molæ curatio.

21 Adhuc eodem die, mulier quædam ex parochia S. Stephani in suburbanis, infirmitatem in ventriculo passa, quæ *Mola* vocatur, ideoque appetitu refectionis amisso, indies tabescebat, multisque et medicis et consiliis frustra adhibitis, votum concepit invisendi locum exuviarum Ven. Cantii, cum Missæ sacrificio ac cereis. Confestim melius se haberet cœpit, ac visitationem tumuli quatuor hebdomadarum integrarum decursu frequentans, testabatur se integre convalescere tabemque effugere, idque se meritis Ven. Cantii libenter adscribere.

Visus restitutus.

22 Vigesima tertia Julii, quæpiam mulier Cleparienisis, quinque septimanis eo dolore oculorum capta fuit, ut nil jam cerneret. A concepto voto adeundi sepulchri B. Cantii, mox oculis apertis visu uti cœpit, ac privata dolore aciei oculorum restituta est.

Pes et manus sanantur.

23 Idem dies fuit cum eidem R. D. Matthiæ, doctori in jure canonico et parocho S. Annæ, ab exedra concionatoria descendenti mulier quædam Myslenicensis attestata est, se voto facto ad sepulchrum, statim dolore pedis et manus esse liberatam,

AUCTORE AD. OPATOVIO.

ratam, totoque itinere, quod ad B. Cantium emensa est, nullum dolorem maxime in pede esse expertam, idque conformiter ad rationes conscientiæ sese asserere.

Puella insana mentis compos redditur.

24 Vigesimus tertius dies Julii erat. Virgo quædam Prodnicana, inops mentis facta a festo SS. Triadis usque ad Dominicum diei S. Alexii succedentem, in quamdam insaniam ac rabiem incidebat, qua perquam molesta et domesticis et sanguine junctis evadebat. Excurrebat etiam domo ac varia oberrabat loca. Frater compassione ejus motus, talem eam videns, quæ magis feram quam hominem referret, optansque ei sanioris usum mentis, ad divinam opem, quæ sola morbis et sanitati præsto est, confugiendum sibi esse judicavit. Itaque etiam matrem misericordiæ Deiparam, in icone Czestochoviensi *f* miraculis illustri, implorabat; sed frustra, Deo beataque ipsa Dei parente Maria hanc gloriam B. Cantio reservante. Ille tamen minime segnis fuit; varias adiit ecclesias, ad S. Catharinam etiam peregrinatus, ardentibus precibus ac multiplicata sacrificiorum celebratione, misericordiam sorori emendicans. Verum nec hic opem licuit illi experiri, quæ B. Cantio conferenda assignata fuit. B Itaque audita celebritate miraculorum ac frequentia ad miseros solandos gratiarum ad sepulchrum B. Cantii, decrevit hoc sibi cum sorore adeundum; ac quod voverat executus est. Adiit sepulchrum, ardenti prece B. Cantii imploravit opem, ac Dei benignitate statim illa impos insanaque virgo sibi usuique rationis, a quo exciderat, plene reddita est intercessione hujus B. P. Cantii; cujus beneficii gratia Deo perennem reddat laudationem!

Infans sanatus.

25 Ex eodem Prodniko fuit cuidam Joanni infans, adhuc ab uberibus suæ uxoris pendens, qui vi morbi nescio cujus subito arreptus, quatuor integris diebus admoveri uberibus non poterat, ac pro deplorato habebatur. Verum mœsti parentes recenti virginis in sua plane vicinia excitati admirabili sanatione, magna fide ad sepulchrum eum cum SS. Missæ sacrificio B. Cantio obtulerunt; et confestim infans convalescere cœpit, imo plene convaluit.

Vacca revivi-scit.

26 Eodem die, hoc est 23 julii. Vidua quædam pauper ex pago Czyrino tres habuit liberos ac unam vacculam, a qua cum liberis suis alebatur. Hæc vaccula nescio quo afflatu malo procidens ac ultimum spiritum colligens mori parabat. Quod C animadvertens pauper fœmina, quod sua suorumque liberorum nutrix expiratura esset, seseque in fame relictura, pronis in terram genibus ubertim adlacrymans, vovit sese invisuram cum viva victima sepulchrum B. Cantii; mox assurrexit vaccula illa et herbas rodere cœpit.

Simile beneficium.

27 Huic persimile patratum est miraculum in pago Taniach: nam cum in aula duæ vaccæ expirassent, et tertia ægre haberet; quædam mulier, quæ id loci famulabatur, similiter appromisit se cum vivente vacca B. Cantii sepulchrum adituram, ac extemplo illa vacca robori pristino restituta est *g*.

Cæca donatur visu.

28 Persona quædam, ab obsequiis exstans apud sanctimoniales B. Agnetis, incredibiliter oculis capiteque excruciata, a die Martis paschali usque ad 12 Julii, nil plane distinguebat; ideoque plures erant qui aciem ei numquam restituendam asserebant. Quapiam die semivigili aut semisomnianti apparuit Vir matura gravitate venerabilis, totus luce pulcherrima circumfusus, ac specie sua medicum repræsentans, talibus se verbis compellans: Si ecclesiam S. Annæ inviseris mearumque locum exuviarum, convalesces; atque ab hac visione singularem dolorum est experta attenuationem. Sed indies differebat quæ promiserat in executionem dare, neminique visum hoc manifestaverat; D ideoque dolor, quem amiserat, iterum suum caput oculosque repetiit. Tum voto se obstringit sepulchri B. Cantii invisendi, idque cum sancto Missæ sacrificio; a quo utique audito, perfectissime cruciatu luminum ac capitis est privata.

Mulieri, ad extrema redactæ, apparet S. Cantius, eamque sanat.

29 Quæpiam præterea mulierum, ex parochia ecclesiæ Cracoviensis B. V., variis confligens febribus, diurnisque symptomatis iisque gravissimis ultra octenas agitata septimanas, sic debilitata est, ut a se alienaretur, nec sese convenientium, sibi alias probe notorum, vultus discerneret. Hæc mane quodam, quam potuit devote, B. Cantii pro sua incolumitate imploravit auxilium. Itaque inter orandum in somnum lapsæ, apparet Vir ætate grandi conspicuus, totus radiis collucens, qui, nomine suo prodito, sic eam allocutus est: Surge et ecclesiam B. V. adi, in eaque Missæ sacrificium auscultato: inde ad meorum lipsanorum depositionem properabis, quæ in ecclesia S. Annæ conspicitur, ac ibi devote, menteque in cœlos sublata, dices quindecies Pater et Ave, in honorem cruciatuum Salvatoris mundi, ac sic sanitati restitueris. Quod ubi executa est, per Numinis gratiam E e vestigio evasit incolumis. Idem B. Pater in hac sua apparitione commonuit mulierem, ut hoc beneficium hominibus vulgaretur; prætereaque nullum futurum, qui se infirmus aut afflictus imploraret, aut alia necessitate arctatus invocaret, qui solatium efficax non sit relaturus.

Magister artium morti proximus sanatur.

30 Ultima Julii, die Lunæ, Andreas Gora, magister artium et doctor philosophiæ, manens in Bursa Pauperum, quindecim diebus immiti febri affligebatur; rigores subinde ac frigora passus, tandem profluvio ventriculi sic exhaustus debilitatusque est, ut proximum se morti censeret, maxime cum etiam verba nequiret formare. Itaque peracta exomologesi, suum obsecravit confessarium, ut aliquod votum B. Cantio conciperet, ad quod se exsolvendum obligare vellet. Fecit id præclare confessarius, ac æger miraculosam in melius percepit mutationem, Dei palmarem proclamans operationem, cum uno eodemque tempore et ardens febris extingueretur, et fluxus sanguinis sisteretur, et tertio die, in tertium incidente Julii *h* ac Martis, *i* ecclesiam S. Annæ suis nixus viribus adiit, gratias Deo egit, quod se ad merita B. P. Cantii, F ex tam periculosis vitæ amittendæ infirmitatibus ereptum, miraculosa donarit incolumitate.

Viscerum dolor ablatus. k

31 Quinta Augusti, die Veneris (*Sabbati*), Georgius Rothgiser *k* ex Arcensi platea, aliquot annis visceribus convellebatur ac torquebatur. Adhibuit consilia ac medicinas, sed incassum omnia. A voto concepto invisendi B. Cantii sepulchri cum sancto Missæ sacrificio levamentum cruciatus sui expertus est singulare. Neglexit tamen explere quod erat pollicitus: hinc paulo post recruduerant molestiores prioribus cruciatus. Igitur recolens ingratitudinem esse hujus sui mali causam, ac pœnam neglecti voti; abjecta omni mora, ad sepulchrum B. Cantii accurrit, sacro Missæ devote interest, moxque cruciatibus suis deseritur, integramque adipiscitur valetudinem.

Dolor capitis ac dentium depulsus.

32 Nona Augusti, die Martis (*Mercurii*), in pervigilio S. Laurentii, uxor Nicolai Czapnick ex platea Vistulæ, integra septimana capitis doloribus ac dentium divexata, nil cibi admittebat, capiteque præterea intumuerat. Hinc metuebat ne insaniæ morbo laboraret. Itaque ac primum appromisit se lipsanorum locum B. P. Cantii cum sacrificio et signo capitis ex cera efformato reverenter aditu-ram,

A ram, mox eodem die sensit se dolore levari ac vesci etiam posse.

Manus fracta in integrum restituitur.

33 Adhuc eadem lux beneficum B. Cantium vidit. Mulier pileatrix, luce B. Magdalenæ, infortunio, imprudenter in terram collapsa, manum effregit, quæ tumefacta, nullum ei usum præbere potuit. Die Dominica adiit quam potuit per vires ecclesiam S. Annæ, ac prona in genua ante SS. Eucharistiam, excitata in se firma fiducia, devotissime obsecravit Numen, ut misertus, interpositis B. Cantii meritis, sese ab imminenti mendicitate ac manus inutilitate liberaret, identidem commemorando se pauperem esse ac egenam, nec victum una manu procurare posse; vovit præterea manum ex cera efformatam sepulchro B. Cantii se superposituram. Mirum dictu, necdum ab orando quieverat consurrexeratque, et jam dolor evanuit tumorque, ac manum hilaris lætabundaque restitutam vigori aspexit, atque sic solatio recepto, gratiis rite Deo ex animo persolutis, recessit.

Febris ablata.

34 Decima Augusti, die Jovis *(Veneris)* festo S. Laurentii, mulier Wielicensis octennem filiolam, novem septimanis continua febri ardentem, demum in tertianam, ut vocant, degenerante, quam
B primum obtulit visitando B. Cantii sepulchro, confestim immunis ista ab his comparuit morbis.

Simile, et ingrata dilatio punita.

35 Undecima Augusti, die veneris *(Sabbati)*, mulier Ruklanska ex suburbano Piscatorum ad plateam Coriariorum, tribus septimanis ardens febribus, triduo integro demum nil cibi admiserat. A sui oblatione per votum invisendi B. Cantii monumenti confestim morbo liberata est. Quia tamen implere quod appromiserat distulit, gravius conflictare malo cœpit recidivo: itaque flagello suæ ingratitudinis cognito, iterato sese appromisit, genibus manibusque serpendo, ecclesiam S. Annæ ac sepulchrum B. Cantii invisuram; fecit, et integre incolumitatem recuperavit.

Sutor ingenti capitis dolore liberatus.

36 Decima tertia Augusti, die Dominico *(Lunæ)*, Petrus, sutor ex parochia S. Annæ, intolerabili laborabat dolore capitis, die vero Martis seu octava Augusti, nocte eo doloris sensu arreptus erat, ut sibi metueret, ne ei oculi extra sedes suas emoverentur, ac deinde ob vehementiam cruciatus, qui perseverabat, moreretur. Itaque assurgens lecto, quam ei per debilitatem licuit, genibusque humi positis, pollicitus est nudis se plantis B. Cantii sepulchrum invisurum, in attestationem re-
C cepti beneficii cereum supra appensurum caput, si eo se misericors Numen dolore voluerit liberare. Cum autem adhuc genua non levasset, cruciatus est allevatus. Itaque petiit hoc vulgari hominibus, simulque sese in gratiis referendis ab iisdem adjuvari.

Lethaliter ab equo percussus liberatur.

37 Decima sexta Augusti, die Mercurii *(Jovis)*, D. Margarita Skrzydlowa ex platea S. Annæ, accedens sacrarium S. Annæ, ab absolutis divinis, jurejurando asseruit, se præsente in nova civitate Korczynensi *l* cæterisque plurimis fide dignis, die S. Stephani contigisse: quod cum quispiam equo insidens, cum contractis (illum) habenis calcaribusque premeret, equus sessorem excutere pararet, varieque assiliret, ac demum posterioribus pedibus elevatis, juvenem religionis Ruthenicæ, qui necdum baptismo erat initiatus, ad pectus pone cor percusserit, adeo ut mox simillimus mortuo in terram prociderit, ac talis ultra quatuor horas jacuerit. Accurrerunt homines supra quadraginta, qui eum intuiti, pro exanimi censebant universi; erant signa, quia pallor cadaveris occupavit corpus; item frigus, cessatio pulsantis arteriæ; præterea nullum ori respirium deprehendi poterat. Quod cum ita esset, illa adstantium turba nominatam D. Margaritam Skrzydlowam obsecrare cœperunt, ut eum ad sepulchrum B. Cantii, miraculis celebrari cœptum, offerret, quatenus misericordi Deo, interpositis Famuli sui meritis, placeat, hunc vitæ et sanitati restitui. Commota D. Margarita vehementi et constanti eorum petitione, pronis in tellurem genibus, adlacrymantibus oculis, fide speque inconcussa ac indubia, appromisit, si Deus illum reddat sibi vivum ac incolumem, sese cum illo juvene cum sancto Missæ sacrificio ac corde ex cera effigiato, sepulchrum B. Cantii veneraturam. Vix hæc conceperat effataque est, cum juvenis extulit primum utramque in crucis formam decussatam' manum, apertisque oculis, suis assurrexit viribus, nullum tamen ad occasum usque solis efformabat verbum. Erat is adolescens tredecim annorum. Eodem tamen vespere ad instar sani valentisque bene hominis incedebat, comedebat et bibebat, nullamque læsionem aut doloris sensum in pectore percipiendo; imo asserebat se sic valere, quasi numquam ullam accepisset percussionem. Tertia post die, videlicet Veneris, eadem D. Margarita hunc ipsum juvenem ac adolescentem fortiter valentem ad sepulchrum B. Can- E
tii adduxit, ac promissis stans, cum hoc ipso audito sancto Missæ sacrificio, in acceptis tantum Deo referens beneficium, cor cereum cum candela ibidem appendit.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

Infans in labro mersus revixit.

38. 24 Augusti, die Jovis, luce S. Bartholomæi, D. Ursula Wielizka, filia Raciborski (ex) Cleparia, infantem suum medii anni marito, in labro sanitatis gratia balneanti, jucunditatis causa vel ablutionis porrexerat: erat is dies 19^{nus} Augusti. Interea quidam languor parentem hujus infantis invaserat, ut in deliquio animi, sui oblitus, puerum, quem manibus gestabat, in labrum demiserit; ipse vero ad marginem labri sese elevans ac considerans sine ulla memoria gnati, sese recolligebat. Accurrit interea mater; non visum a se infantem cunis arbitratur redditum; quem cum nec ibi invenit, ad maritum in labro residentem, ut de infante inquirat, appro-perat. Et ecce conspicit infantem in labro pedibus sese efferentem sursum, capite vero fundum contingentem. Eripit aquis jam defunctum, nisi quod adhuc spumas ori aliquas adhærere videret. Tristissima et afflictissima in terram illum deponit ac Deum obsecrat, se piaculo grandi necati filii liberet. Ac celebritate miraculorum B. Cantii sibi F
obversante, quantum solatium afflictis, rebusque deploratis multorum attulerint, abjiciens se in genua, obtulit puerum suum defunctum, cum Missæ sacrificio ac candelis et effigie infantis cerea, siquidem Deus illam ad merita sui Famuli B. Cantii, redivivi filii vita solaretur. Vix hæc finierat, infans vagire plorareque cœpit, et sic revixerat, qui jam mortuus erat. Itaque nominato die Apostoli Bartholomæi S. Annæ ecclesiam ac sepulchrum B. Cantii cum suis votis invisit, gratiasque de tanto beneficio Deo opt. max. reddidit *m*.

Infans mortuus natus vitæ usuram accipit.

39 Quarta die Septembris, die Lunæ, mulier Servatczyna, post longos cruciatus tandem mortuam prolem ediderat. Cum autem ultra duas horas infans extra effusus jaceret; nec vagitus, ut assolet fieri, ederet, nec ullum aliud signum aut similitudinem vitæ præ se ferret; mulieres præsentes devotissime votum conceperunt cum infante ac Missæ sacrificio sepulchrum B. Cantii sese invisuras, si ad suam intercessionem puero refunderet animam, ad fontemque eum sacrum deduci permitteret. Ea necdum effantur; puer confestim vagit; ac

AUCTORE AD. OPATOVIO.

ac dein baptizatus, Dei omnipotentis gratia hucusque vitæ perfruitur usura.

Insanus mentis compos redditur.

40 Decima die Septembris, die Dominica, quidam juvenis ex pago Wegrzec, virginum Stanionteckiarum, accedens ad templum S. Annæ, in ipso recessu ab exedra concionatoria R. D. parocho Matthiæ ejusdem ecclesiæ confessus est, se ex vehementia cujusdam morbi in insaniam incidisse (adverterat antea præterita Dominica in eo idem R. D. Matthias signa insaniæ, dum ad templum duceretur), et a voto facto sanctoque Missæ sacrificio ad sepulchrum B. Cantii, ad se rediisse, ampliusque a rationis usu non excidisse. Idem pro hoc beneficio, duarum Missarum auscultatione ad proximam lipsanis aram gratias egit.

Variis morbis mulier liberata.

41 Octava Octobris, D. Margarita Sonczensis, duos annos ægra, tandem variis morborum accessibus, quibusdam deliquiis facta obnoxia, a se alienabatur. Audita celebritate gratiarum in eos, qui B. Cantio supplices pro solatio tetendissent palmas, vovit se invisuram sepulchrum ejus, cum sancto Missæ sacrificio ac cereo, si ob meritas ancti Famuli sui convalesceret. Mirabili Dei benignitate morbis et cruciatibus ac deliquiis subito liberata est.

Vir squinancia sanatus.

42 Quispiam Skalensis morbo obsessum guttur B habuit, quem vocant squinanciam, ob quam ne liquida quidem transmittere poterat quatuor diebus, nec ullum verbum proloqui. Intrans in se corde contrito, obtulit se ad monumentum B. Cantii, obsecrans Deum misericordem, ut intercedente Famulo suo, inconfesso ei mori non liceret. Hic subito misericordi Dei benignitate valetudinem recuperare incepit.

Infans reviviscit.

43 Octava Octobris, Dominico die, quidam parentes (ex) Crosna unicum quinque septimanarum infantem, admodum sibi carum, subito correptum morbo, proque jam extincto habitum (nam toto corpusculo lividum ac frigidum sine motu ac respirio intuebantur) mœstissimi in genua prostrati ac ubertim lacrymantes, ad B. Cantii sepulchrum deferre voverunt, ea conditione (addita etiam figura filioli cerea ac Missæ sacrificio) si solatium a Deo in vivo puerulo reciperent. Confestim respirare infans, ac quasi somnum excuteret, vagire movereque sese cœpit, nullumque amplius doloris n aut morbi sensum præ se tulit *n*.

Periculoso morbo sacerdos liberatus.

44 Anno Domini 1476, R. D. Præpositus a Vivario affixus lecto, gravi et periculi plena infirmitate C septem hebdomadarum, non cibum solum sed nec speciem ullam potus admittebat, a medicis præterea derelictus. Quædam sanctimonialis obtulit eum ad B. Cantii sepulchrum, quod ille in persona veneraturus erat, quamprimum id ei a morbo per vires liceret. Eodem die convalescere cœpit, bibere ac cibo refici. Paulo post adiit templum S. Annæ, ac lecto Sacro de SS. Triade, Deo gratias reddidit.

Alter presbyter ex diuturno morbo convalescit.

45 R. D. Stanislaus, parochus Porembiensis, diuturna in lectum dejectus invaletudine, ubi a muliere quadam supra se commiseratione capta, oblatus fuit ad sepulchrum B. Cantii, si voluntate Dei vitam longiorem nancisceretur, quod se sepulchro cum gratiarum actione per Missæ sacrificium ac cereo esset præsentaturus; subito ad vires redire cœpit, ac ipsemet intra paucos dies S. Annæ adiit gratiasque persolvit; itemque per suum vicarium duas libras misit pro cereis.

Parens cum duobus filiis sanati.

46 R. D. Pawski, nobilis genere, ætate provectus, cum in suis patrimonialibus bonis maneret, in infirmitatem pedum inciderat, duoque ejus filii, quos uxoratus ante susceptum sacerdotium genuerat, periculose decumbebant. Fecit votum cum filiis sese in persona sepulchrum B. Cantii veneraturum : ac tam parens quam filii a morbis suis D liberati, hæc vota plene Deo reddidere.

Nobilis adolescens maligna febri solutus.

47 Quidam nobilis adolescens Podleyczanensis, anno integro febri ardens continua, læsis visceribus, perditis viribus, proximus fatis erat. Avia obligavit sese coram Deo, B. Cantii cum hoc nepote suo exuvias veneraturam, si benignitas Dei eum, intuitu meritorum Famuli sui, pristina donaret incolumitate. Confestim febris eum deseruit. Itaque cum avia sua itinere 20 milliarium suscepto, votum suum et gratias Deo ad sepulchrum B. Cantii persolvit.

Quinquennio sanguinis fluxu laborans mulier sanatur.

48 Civis quædam Cracoviensis ex platea Vistulæ spectans ad parochiam B. V. imperitia obstetricum ita interioribus læsa fuit, ut continuo fluxu laboraret. Hinc quamvis minimo uteretur potu, in duplum refluebat. Cum vero nullis consiliis expertarum famularum, nullis medicorum pharmacis adjuvari posset, diu tristis ac vitæ pertæsa, accedente etiam sui mariti fastidio, tandem B. Cantium imploravit, ejusque lipsana se veneraturam appromisit. Ad hoc votum constitit fluxus. Verum cum ingrata, promissa exequi neglexisset, gravius in idem malum relapsa est. Confitetur itaque voti E omissionem : sacerdos negat se ei daturum absolutionem nisi a promissione expleta. Explevit igitur, ac Dei gratia in sanatione sua admirabile reportavit solatium.

Mulieri oculorum usus restituitur.

49 Eodem anno 17 Februarii, Anna civis Cracoviensis, parva sua victitans officina, cæcitate oculorum anni dimidio laborabat; nihil discernebat penitus, cum palpebræ plane sibi adhæsissent. Quadam tempestate a sacris recedens, ex loco dicto Skalka, cœpit secum cogitationibus revolvere, quod bene vellet lipsana B. Cantii venerationis ergo adire, si per ejus merita divinæ majestati placeret sibi pristinum usum luminum donare. Extemplo, adhuc domum non regressa, oculi miraculose sunt aperti, ut clare omnia dignosceret, lætaque domum reversa sit. Verum neglectæ obligationis pœnas repetita dedit cæcitate, quam tamen etiam voto obligationeque renovata dispulit, ac beneficium confessa coram R. D. Matthia parocho S. Annæ et Martino Goskoviensi, notariis tunc considentibus publicis. Addebatque : Omnino credo firmiterque profiteor, hunc B. P. esse sanctum et coram Numine grandium meritorum, præsens auxilium et afflictorum solatium; quandoquidem me F deploratam ac luminibus privatam misericorditer adjuverit ac sit consolatus.

Admirabilis fracti pedis sanatio.

50 Quidam ex Ordine S. Dominici, Osvicimensis monasterii, jurejurando coram me Matthia sacerdote ac doctore S. Scripturæ, parochoque S. Annæ, aliisque fide dignis retulit. Cum quadam die de expressa suorum voluntate cum suo superiore visitaturus hieme parentes vehiculo duobus equis per niveas deportaretur vias, cum ultra Koszycas essent, ac ex monte quodam descensus ipsis sane difficilis restaret : superior timens lapsum quempiam periculosum, jussit se alterum equorum conscendere, ac adductis habenis lente descensum moderari. Quod cum facere parat, equus prioribus pedibus graviter se in pectore percutit, ac in cursu sub vehiculum retundit, frustra loris equos superiore retrahente. Sic ad medium fere stadium tristissime pertractus unum pedem duobus locis exfregit, in genu *o* ut ossa patescerent, o et planta, ut digiti ad calcem redacti esse viderentur. Et siquidem pius aliquis homo non occurrisset fortuito, qui equorum impetuosum non stitisset cursum, loco angusto religiosus ille sub vehiculo animam

A animam exhalasset. Igitur ille homo probus subductum in suum equum religiosum ubi Koszycium devexit, chirurgo commendavit. Verum decem septimanis frustra ibi consumptis, nullis emplastris industriaque proficiente, præterea extraordinarie convulsiones duabus hebdomadis acres passus, fractis viribus, perdita orexi (appetitu), ad extremum ab iis qui se visitabant pro deplorato et proximo suis fatis indicabatur. Unus quispiam civis Koszycensis repertus, qui hoc illi consilium exhibuit. Quantum distes ab extremis, ipse satis perspicis. Mundus caret pharmacis, quibus te restituat. Habes adhuc B. doctorem Cantium in ecclesia S. Annæ, quo nullus expertior in periculis ac morti jam renuntiatis; cujus rei ego testis luculentus esse possum. Læseram sic pedem meum securi, ut parum a præcisione abfuerit; multis impensis et chirurgis frustra restitui laboravi; commotus celebritate miraculosæ opis erga afflictos B. Cantii, statim a voto melius me habere cœpi, ac brevi sanationem gravissime profundissimeque læsi pedis retuli plenissimam. Audiit hæc religiosus, ac animæ corporisque collectis viribus, elevato corde in cœlum recitataque oratione domi- B nica, obligavit sese invisurum ac gratias sanctæ Missæ de SS. Trinitate Deo omnipotenti litaturum, siquidem ei liceret claudum non esse, ac sanitati pristinæ meritis B. Cantii restitui; prætereaque annuentibus superioribus furcam cum cereo appensurum pede. Vixdum hæc finierat, extemplo sensit inflammationem cum convulsionibus notabiliter recedere; pedisque digiti aversi suam repetiere intra unam septimanam sedem; ac tibiæ os convaluit; sicque sibi restitutus est, ut nullo adminiculo egeret ad incessum. Itaque gratus hujus sanationis, vota, quæ promiserat, lætus exsolvit.

Item religiosus dolore oculorum levatus.

51 Item religiosus a festis paschalibus veniens asseruit, aliquot septimanis ante Pascha incredibilem se passum fuisse oculorum dolorem, quater ex illis guttatim stillasse sanguinem; cum vero se ad tumulum B. Cantii cum Nissæ sacrificio obtulisset, illo dolore alleviari cœptum, ac dein brevi eliberatum. Gratiis itaque Deo per sacrificium relatis, petiit hoc beneficium vulgari hominibus. Exhibebat etiam oculos suos iis, qui tunc aderant, qui unicam solum maculam sanguineam in oculo sinistro deprehendebant. Vocabat is religiosus B. Cantium vere Sanctum insignem magnorumque C coram Deo meritorum ac sanatorem thaumaturgum; profitebaturque se nulla ratione omissurum tanta beneficia deprædicare.

Vir quidam, Vistulæ aquis immersus, eripitur.

52 D. Nicolaus de Mologoscz rediens ex nuptiis cum plurimis utriusque sexus hieme per congelatam Vistulam, ducensque manu ex equo canem venaticum, infelici casu fracta glacie lapsus in aquas simul cum equo et cane, vi aquarum abripiebatur planeque conclamabatur. Nobiles quædam fœminæ ad alteram ripæ partem secure expositæ, de vehiculis in terram prosilientes, votum ejus nomine concipiunt, quod si eum benignitas Dei a morte aquis eriperet incolumem, maneret obligatus invisere sepulchrum B. Cantii cum sacro Missæ sacrificio. Et ecce spectantibus illis ac plurimis aliis, eodem plane foramine, sursum in solidam exiliit glaciem incolumis omnino, idque cum equo et cane venatico; confitens palam se vi quadam potenti et incognita hac fuisse ejectum. Idem Cracoviæ voto suo satisfecerat: verum quod admirabile beneficium tacuisset, nec illud ad quos tunc spectabat detulisset, sic est punitus. Expeditis negotiis, quorum causa venerat, incolumis equum conscenderat; cum vult eo vehi, equus concidit et malo aliquo laborat. Ob negotia urgentia, mutat aliumque conducit equum, et is sub sessore semel occupato movere se nequit. Incipit fodicare calcaribus; calcaria, alias fortiter applicata, dissolvuntur ac decidunt. Sed et ipse persentiscit se ægre habere, prodigioseque detineri. Ea itaque die mansit in hospitio, secum recolens casum, ejusque originem et fundamentum, ac advertit taciturnitatem miraculi hæc omnia a Deo meruisse. Postera die repetit templum, et eo ordine, quo retulimus, se servatum profitetur, suamque imprudentiam ac simplicitatem incusat, quæ eum a vulgando remorata est beneficio. Igitur aliquot post dies, suo equo Cracovia vectus incolumis, non cessavit esse divinarum laudum in B. Cantio, vitæ suæ servatore, præco.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

Restituta vis pedibus ac manibus.

53 Quædam civis Cracoviensis, residens in nosodochio S. Spiritus, omnem usum pedum manuumque amiserat, ut nec pedibus niti posset, nec sese vestire valeret, aliorum officiosa ad hæc charitate egens. Audita celebritate beneficiorum, quæ Deus afflictis ad tumulum B. Cantii conferebat, freta servi Dei meritis, magna fiducia secum hæc volvens votum concepit: O me felicissimam, si meo robore beati hujus Patris tumulum venera- E tura adirem, ac ei cum Missæ sacrificio hunc honorem deferrem. Hæc illa volvit mente, et se pedibus manibusque uti posse probe advertit. Ac die Veneris quinta Julii S. Annam adit sine fulcris, sine adminiculantibus hominum manibus sese sistit, exultabunda beneficii magnitudinem deprædicat, petitque passim vulgari; ac eodem hilari fervore spiritus, æstuante animo, devotas Numini persolvit grates.

Infans suffocatus reviviscit.

54 Decima nona Julii, die Veneris, D. Anna ex pomerio Cracoviensi, uxor figuli dicti Herszt, jurejurando cum multis retulit testibus, quod die Jovis, qui erat decima octava Julii, abiens domo ad distrahenda testacea vasa, infantem medii fere anni in cunis dormientem mariti curæ commendavit. Cum autem is opere suo distineretur, contigit ut alius puellus quinquennis, volens infantem somnum capientem contegere, injecto super faciem violentius cervicali, eam suffocavit. Redit interea sub meridiem mater, infantem, perculsa infelici casu, suffocatam (videns), cum marito mœsta in genua procidens, sepulchro vivam præsentandam B. Cantii vovet, ac præterea Missæ sacrificium pollicetur. Duæ horæ necdum effluxerant, (cum) F pulsus cordis percipi cœptus est, ac tandem vitæ infantem misericordia divina restituit. Nec tamen eo die infans ubere lactari potuit, nisi a media nocte. Igitur decima nona Julii cum incolumi infante ad sepulchrum B. Cantii accedentes illudque exosculantes, vota sua ac gratias ad Missæ sacrificium exsolverunt, rogaruntque hominibus beneficium hoc pro concione promulgari *p*.

p

Fractus a sesqui anno pes restituitur.

55 Vigesima octava Julii Dominica die, Martinus quispiam (ex) Cleparia in longa platea residebat. Hic saccum lanæ 14 lapidum ex superiore parte domus deducens adjutorem suum monuerat ut detineret, se per gradus pedetentim descendente. Adjutor ponderi detinendo impar, saccum ponderosissimum elabi sibi passus est, qui summo impetu deorsum tradens, * etiam gradibus Martinum deturbavit, genuque in pede fregit, ut nec assurgere, multo minus incedere valeret. Hinc a duobus viris domum est deportatus. Dolorem igitur magnum perpetiebatur, usuque fracti pedis destituebatur. Si aliquo incedendum esset, pendulo de cervice linteo pedem læsum succingebat, et sic alio pede, adminiculantibus furcis, serpebat. Emplastris

** cadens?*

AUCTORE AD. OPATOVIO.

plastris variis læsioni medebatur, humidumque genu servabat, metuens tandem ne exaresceret; ac sic mœstus et dolens annum cum dimidio vixerat, tandem spem recuperandæ amittens sanitatis. Cum tamen recoleret admirabilium gratiarum frequentiam, qua B. Cantius afflictis se devote invocantibus adesset, intus commotus, genuflexus voto se obstringere non dubitavit, si cum Deus a mendicitate præservaret, ac fracti pedis sanatione consolari dignaretur, ad exuvias B. Cantii gratias se devote relaturum. His finitis dum de terra sese elevat ac furcis innititur; elabuntur ex manibus ultro furcæ, pedibus fortiter consistit, ac eadem hora nihil cunctatus pedibus sanis sine fulcris ad S. Annam accurrit, gratiis ex corde actis, in beneficii memoriam supra tumulum B. Cantii fulcra appendit, non desinens passim coram mortalibus deprædicare, beneficium sibi meritis B. Cantii esse collatum.

Vir morte proximo ereptus.

56 Quidam (ex) Bochnia, prolixa et gravi affectus infirmitate, cum sibi postera die, nescio ex quibus signis colligeret esse moriendum, sacramentis munitus, ne negotium aliis ob obitum facesseret, ipse prout sibi per vires licuit, corpore sibi abluto, B mortale induit indusium, jamque eas solas versabat cogitationes, quæ ipsum ad beatum juvare possent exitum. Interea hæc ad eum delabitur vox: Si tibi in desiderio est sanitas, ecclesiam te SS. Annæ invisurum pollicearis, ubi ad meum tumulum integræ incolumitati doneris. Fecit ille lubens votum, ac post implevit, et sanitate promissa est potitus.

Mersa puella in Rudavam reviviscit:

57 Vigesima septima Septembris, die Translationis S. Stanislai, subditus quidam ex pago Mydlnik, nomine Gregorius cum uxore sua unicam, quam habebant, triennem filiolam, per imprudentiam insciis se in præterfluentem Rudavam *q* demersam inventam, vovit secum veneraturam sepulchrum B. Cantii ac testaturam sacrificio cereisque. Vix ea plene conceperant, misericors Deus est illos consolatus: nam puella gelida ac aquis plena adhuc, oscitare velut solent a somno, ac plorare cœpit. Eadem adhuc luce S. Stanislai afferunt ad templum S. Annæ suam filiolam redivivam, ac concionatorem orant, qui adhuc verbi Dei prædicatione occupabatur, vellet etiam hujus beneficii ad refertam sese circumstantem multitudinem esse præco. Fecit quod rogatus erat, universique C Numinis benignitatem in B. Cantii meritis collaudarunt *r*.

item infans in lecto suffocatus.

58 Dies horaque plane eadem erat, cum descendenti R. D. Matthiæ parocho de exedra concionatoria, civis quidam Skalbimirensis *s* refert uxorem suam infantem sibi accumbentem * per imprudentiam suffocasse, ac extinctum, ubi expergefacta est, invenisse; cum subito tamen vovisset se tumulum B. Cantii devota cum veneratione accessuros, in reddita subito vita infanti summam consolationem recepisse. Instante autem illo, ut populo hoc beneficium innotesceret ad augmentum divinæ laudis, iterato parocho concionatori conscendenda cathedra fuit. Audiit hæc populus, ac lacrymis et vocibus gratias Deo reddidit, quod et sic placuerit B. Joannem Cantium honorare.

* accubantem?

Cæca ac manibus contracta redditur sanitati.

59 D. Margaritæ Piltzæ ingens dolor oculorum visum abstulerat septem hebdomadis; præterea contractio manuum minimum in ea refugiebat laborem. Vovit se veneraturam sepulchrum B. Cantii, si exiguo visu potiretur. Eodem momento et aciem oculorum et usum manuum, quali ante gaudebat, recepit. Gratias ergo quas debebat egit et signa cerea oculorum manuumque supra tumulum affixit.

Paralyticus sanatur.

60 Decima quinta Octobris, luce sacra S. Hedvigi, D. Albertus civis Dobczensis, tactus paralysi nec loqui nec incedere potuit, instarque aridi trunci in lecto continuis viginti tribus septimanis decubuit. Contigit ut in profundum animæ suæ descendens, tale votum conceperit: Numen misericordissimum, quod B. Joannis meritis inclinatum prodigiosis homines afflictos morbisque prostratos beneficiis erigis ac solaris, dignare me ineffabilis majestatis tuæ conspectu, ac me hac gravi oppressum infirmitate intuere. Si vero ita divinæ tuæ voluntati fuerit placitum, ad interposita venerabilis Joannis Cantii merita, tua me solare ope, pristinaque dona incolumitate. Ego autem ubi per vires licuerit, tumulum ejus invisam et tibi immortales cantabo gratias. Hæc vix evolverat, convalescere incipiebat ac usum linguæ pedumque recuperare. Itaque paulo post adiit sepulchrum B. Cantii ac disertis verbis ipsemet palam, implente populo ecclesiam (Jubilæi enim tempus erat), beneficium elata voce confessus est, manusque ac pedes firmos exhibuit universis. Accedens vero exuviarum locum, summa devotione illum osculis ac amplexibus distringebat ac inter lacrymas misericordi Numini gratiarum laudes E immolabat.

Dolor pedum ablatus.

61 Anno Domini 1477, decima quarta Januarii, quæpiam civis Olkuszensis crudeli sane dolore convulsioneque pedum laborabat, sexdecimque hebdomadis insistere pedibus nequibat. Factum est, se annuente, ut ad tumulum Famuli Dei ab amicis oblata fuerit, quod si convalesceret obligaretur eum invisere ac gratam se bonitati divinæ exhibere. A voto hoc concepto cruciatibus soluta est, pedibusque progredi valebat, ac dein plene incolumis evasit.

Calculi ejectio stupenda.

62 Vigesima secunda Januarii, Joannes Pociask, Luborzycensis caupo, calculo ita excruciabatur, ut ejus interiora læderet cruentaretque, gressumque ei adimeret. Mederi malo voluit; sed Cracoviæ medicatis multis adhibitis, nequidem lenimentum mali adipisci potuit. Transiens ac pernoctans in diversorio studiosus ex Bursa, Jerusalem cognominata, author ei fuit, ut si sanitatem assequeretur, promitteret se Deum honoraturum visitatione sepulchri B. Cantii, idque ad illud genibus manibusque adreptando, ac gratitudinem conducto sacrificio attestando. Vix hæc effatus erat caupo, F confestim sine sensu doloris calculus excidit, atque ita cruciatibus, interveniente intercessore B. Cantio, liberatus est.

Ab inveterato acutissimoque pedis malo puella liberatur.

63 Septima Maii, D. Margarita, civis Graboviensis, vidua, miseram habebat filiam annorum sexdecim, cui summo cum cruciatu tibia pedis tota intumuerat et instar titionis decolorata apparebat; movere se loco suis viribus novemdecim hebdomadis nequibat. Materia venenosa aliquot partes carnis perroserat, ac quamvis quasi fistulis efflueret, educendo secum crinium variarum ferarum animaliumque vim, nihil lenimenti, ut assolet, afferebat, præterea etiam distringebat ossa et per illas fistulas emittebat, erantque considerabilis magnitudinis. Atque hoc statu novem hebdomadis fere sine sensu decumbebat: interdum acutissimo dolore ebulliente, dentibus stridebat, alias mortuæ simillima apparebat; vix aliquo in arteria signo pulsuum emicante. Cum nec medicinæ ei ullæ prodessent, nec plurium Sanctorum imploratio afferret subsidium, ab omnibus deponebatur deploraturque. Tristissima mater, commemoratione facta gratiarum, quibus tot miseros B. Cantius est solatus, infirmos sanavit, mortuos etiam resuscitavit;

A tavit; vovit se cum filia velle esse ream cultus ac venerationis admirabilis ejus sepulchri, si divina benignitas in afflictissima excruciatissimaque filia eam consolari dignaretur. Hæc verba consecutum est potentis Numinis beneficium, ostenditque quo loco suus apud se esset Famulus: nam eodem momento filia ex lecto velut ex sepulchro sese levavit, uti, ut incolumes solent, pedibus cæpit et indies firmiori progredi gressu. Paulo post exuvias B. Cantii grata Deo cum matre venerata est, ac pro signis sanationis suæ ossa olim per fistulas fluentes prodeuntia ostentabat, quæ digitos manum facile adæquabant. Idem rite filia cum examinaretur, uti retulimus, plenissime enarravit.

Cæcitas sublata.

64 Vigesima nona Junii, mulier quædam ex Nigro Pago, pomeriis Cracoviensibus adjacente, comparuit in ecclesia S. Annæ, referens se quatuor annis, et dolore oculorum et privatione visus fuisse afflictam, prorsusque sic ad obitum usque sibi vivendum fore cogitasse; verum ubi se magna fide ad sepulchrum B. Cantii obtulisset, idque cum missæ sacrificio, mitigari dolorem expertam esse et dein evanuisse, luminibus integris, quæ dolor occluserat, solis lucem intuitam esse. Petiit promulgationem hujus beneficii B fieri: erat enim dies opportunus Petro Pauloque apostolis sacer, ac sic divinæ benignitati gratias persolvit.

Dolor pedis sanatus.

65 Trigesima Junii D. Margaritæ Rzanczynæ civis Cracoviensis quispiam cruciatus pedem circa talos exercebat, quibus tumefactis, nullo tibiali uti poterat anno integro, quamvis pus ei efflueret. A voto facto ad sepulchrum B. Cantii, confestim et dolore et tumore et effluxione est liberata. Atque hoc sibi beneficium ideo imprimis obtigisse profitebatur, quod indubitata fiducia de meritis famuli Dei ejus opem imploraret.

Visus restitutus.

66 Vigesima Julii D. Helena civis Cracoviensis in ecclesia S. Annæ supra tumulum B. Cantii ex cera efformatam femineam iconem appendit, retulitque se quindecim annis amissa omni spe visus cæcam vixisse. Fama gratiarum, quibus se invocantibus B. Cantius opitulabatur, permota, fide insigni ac spe aucta, dixit sese cultum dignum sepulchro ejus delaturam, si cæcitate jam inveterata privaretur. Tum divina bonitas, apud quam non est acceptio personarum nec sexus differentia, quæ cor potius intuetur humanum, ac fiduciam in se ac sibi caris famulis, cum visitaret sepulchrum B. Cantii ac votis C eum suis invocaret, donavit eam visu. Ea vero non humano vi sed divino beneficio restituta sibi integre lumina meritis B. Cantii apud cunctos deprædicabat mortales.

Moribundus convalescit.

67 Eodem die Bartholomæus ex pomeriis Cracoviensibus dictis Kaviory, fere annum febribus ardens, iisque dolore capitis aliisque malis exercitus, quæ ne quidem explicare valebat, quadam nocte in eos lapsus est languores, ex quibus pronum ei erat de extremo vitæ tempore proximo jam judicare. Interea hanc auscultat vocem: Obliga te voto ad ecclesiam meare cum sancto missæ sacrificio, ac per ejus Viri merita, cujus ibi corpus requiescit, incolumitatem adipiscere. Expergefacto similis ac se colligens, juxta quod audierat sese obstrinxit, ac admirabili Dei potentis gratia a febribus, doloribus aliisque pluribus malis sufficientissime est eliberatus. Itaque petiit instanter, mortalibus ad verbi Dei prædicationem convenientibus, quod beneficium receperat, diserte promulgari.

Ardens febris extincta.

68 Vigesima sexta Julii, sacra luce B. Annæ, mulier cognomine Cieslina Sabcastiensis, viginti quatuor septimanis febribus urebatur. Adierat aliquando templum PP. Bernardinorum misericordias Domini imploratura; et en subito incredibilique deliquio obruitur, ut sibi imaginaretur totam templi concamerationem cum lapsu imminere, adeoque collectis viribus instar mente perturbatæ ex ecclesia eruperit, nil recordans ædes suas repetierit ac se in lectum projecerit; nil cibi, nil potus admittens extra se jacere videbatur. Sub quietem cujusdam noctis videtur sibi videre speciem cujusdam spectabilis admodum Dominæ, quæ accedens suo lecto, sic se affata erat: Quamdiu aut quousque tu hunc lectum occupabis? Quare non consurgis, meamque ad ecclesiam non approperas? Decretum est enim, ut meritis sese interponentibus novi ac recentis sancti doctoris Joannis incolumitate doneris. Cave autem negligas procurare, ut hoc beneficium frequentissimo pro concione populo per verbi Dei præcones promulgetur. Itaque postera die fortis consurrexit, ac vota quæque ei erant commendata jure executa est.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

Pedes firmati, oculi sanati.

69 Dominæ cuidam, uxori Gregorii Clepariensis, erat neptis quadrima, pedum plane usu destituta. Hanc in templum adducens, more aliorum jubebat sepulchro famuli Dei infigere oscula. Ipsa interea intra se de sanctitate ejus addubitans ac similia volvens: Utique is in canonem SS. non est relatus adhuc, quomodo igitur Sanctus est? Neptis ab osculis sepulchro datis utcumque pedibus erigi incedereque cœpit; verum collapsa pluries defecit. Præterea correpta oculorum dolore aliquot septimanis non solum aviæ sed etiam domesticis ac vicinis suo ploratu molestissima fuit. Recuperata igitur meliori credulitate de sancti Viri meritis avia, obtulit eam cum missæ sacrificio ad sepulchrum B. Cantii; quod ubi explevit, neptem et oculis sanam et pedibus incedentem lætabunda conspexit ac gratulata est.

Oculorum dolor ablatus.

70 D. Martha Niesiechovicis nobilis femina quadriennio cruciatu luminum continuo, modico adhuc visu gaudens, ubi se obstrinxit B. Annæ templum ac sepulchrum B. Cantii invisuram, plenam oculorum illustrationem est consecuta.

Maritus cum uxore a variis morbis liberati.

71 Vigesima secunda Augusti D. Joannes, Silesia oriundus novennio cum dolore pedum gravi ac acuta viscerum torsione affligebatur. Uxor etiam ejus Anna prolixa laborabat infirmitate. Uterque auditis admirabilibus Dei per B. Cantii merita operibus, nil diffisus ob mali antiquitatem, erecto animo, plenus fide ac spe, appromisit se cum F missæ sacrificio sepulchrum B. Cantii honoraturum. Ad executionem deducto voto, uterque adeptus incolumitatem, lætus et exultans celebrabat Numinis in se benignitatem.

Cæca visu donata.

72 Trigesima Augusti. Mulier ex parochia B. V. viginti septimanis oculis excruciata, decem vero nihil plane dignoscens, ad celebrem miraculosis beneficiis B. Cantii voto se obligavit invisendum tumulum. Ubi explevit quod promisit, adepta est quod desideravit. Nam præsens missæ sacrificio ac opem B. Cantii ad ejus invocans exuvias, illuminatis donata est oculis.

Ex alto arcis loco desiliens, et mortuus reviviscit.

73 Anno 1478 Duodecima Maji, die Martis Pentecostes, Andreas adolescens quindecim annorum ab obsequiis magnifici Domini Chistophori Szafraniec, *t* ex Canina, ut vocant, Rupe, ob remissam curam sibi commissæ merulæ et psitaci frequenter vapulabat. Accidit in absentia domini, oblivionis culpa, fame illas aves extinctas esse. Hinc rediens dominus ac rem cognoscens, stomachabundus virgas apparari ac adolescentem cubiculo suo includi jubet. Adolescens eligens perire (potius) quam, ut suspicabatur, crudeli castigationi subjici,

AUCTORE AD. OPATOVIO.

subjici, prosiliit ex cubiculo arcis supra rupem ædificatæ, ac dura rupe allisus extinctus est. Altitudo autem cubiculi ex quo prosilierat a rupe eminebat nonaginta mensuris, quas vir alioquin grandis nonagesies brachiis extensis exæquaret. Percepto lapsu, dominus recta ex arce comitatus famulis ad adolescentem accurrit, exanimem invenit ac inflatum. Tristis mirum in modum, in genua pronus in hæc verba proloquitur : Dilectissime pater sancte Canti, tibi hunc commendo, nihil hæsitans de meritis tuis. Audiverat enim multa quæ ille petrarat, ac etiam ex hac arce nescio qua de causa non tam sublimi loco prosilientem puellam, mortuam oblatam tumulo vitæ restitutam. Igitur ita tristis aliqua temporis interjecta mora accedens ad defuncti cadaver, elevat illud ac hinc inde movet. Mirum dictu : aperit oculos adolescens, dein oscitat, ut solent, qui somno deseruntur. Tum interrogatus aliquone doloris sensu teneretur; negat, si exiguum in latere excipias. Erigit se, ac dominum ut reliqui comitatur. Quis domini explicet lætitiam, quæ omnem dispulerit ejus tristitiam? Extollebat divinam omnipotentiam laudibus, ac merita sui Famuli incessanter deprædica- B bat. Postera die statua adolescentis ex cera, quæ tota arce conquiri poterat, effigiatur, cum qua adolescens ad tumulum B. Cantii mittitur. Item funiculus mensuram altitudinis, quam descripsimus, repræsentans : rogantur gratiæ fieri ac totius miraculi populo frequenti seriem enarrari.

Mentis impos redditur compos.

74 Vigesima prima Maji, festo corporis Christi, quidam cognomine Szyffer, impos mentis redditus etiam insanivit, plurimos multis affecit molestiis, plagas ac verbera obviis infligens ac lapidibus ut tales solent ad protectionem utens; ab amicis commiseratione sui permotis cum missæ sacrificio ad tumulum B. Cantii oblatus, continuo ad se rationisque usum rediit. Itaque ad votum complendum comparuit manu gerens cereum, ac orans gratias Deo fieri pro hoc, quod recepit, beneficio. Adhuc quidem pallidam ferebat faciem, sed sermone et actibus omnino compotem se perfectæ monstrabat rationis.

Mulier voluntario suspendio enecata reviviscit.

75 Civis quædam Cracoviensis, in Sutoria platea ad parochiam S. Stephani spectante, calamitosissimam trahebat vitam, a suo frequentissime verberata et fama traducta marito, qui nequaquam se ab apostolo permittebat edoceri, quod debiliori C vasi in pluribus mollius est condescendendum; sed minima sese offerente occasione, non exigua in eam crudelis animi sui edebat signa, ac vigesima quarta Maji, quæ incidebat in Dominicam octavæ Corporis Christi, ferociter concussam cubiculo etiam inclusit ac sera obfirmavit. Cum mane id perpetrasset, stomachabundus non meridie sed vespere tandem domum repetiit. Interea uxor calamitosam fastidiens lucis usuram, ingerente sese cogitationibus salutis nostræ jurato hoste cacodæmone, funem a se sabbato comparatum arripit, trabi injicit, et demum collo inserto sese suspendit, ac infelicem sic infelicius terminat vitam. Quædam vicina cum miraretur neutrum prodire, nescio per quos cancellos, cum pulsanti nemo respondisset, interius inspexit. Aspicit ex trabe mulierem pendentem; terrefit, exclamat; invocat patrem familias domus vicinosque. Hi clamores et strepitus multos adduxerunt. Vi effringuntur cubiculi fores; novum et fortissime contortum funem, de quo ingemiscebant pendentem suam vicinam, præscindunt, ac liventem totoque corpore gelidam deponunt. Aderant quædam dominæ (matronæ) eo spectaculo excitæ, quæ in genua abjectæ, sepulchro eam B. Cantii præsentandam obtulerunt, si D suis meritis Numen misericors vel tantillum ei vitæ indulgeret, quo expiari præteritis tum hoc vitæ sibi infando modo ademptæ piaculo posset. Et ecce mulier pedes motitat, tum sese erigit, sed admodum languens, ut e vestigio oportuerit eam duarum mulierum brachiis fulciri ac sic hora 22 dum caneretur Salve Regina ad templum S. Annæ deduci ad ipsumque tumulum B. Cantii. O admirabile divinæ misericordiæ opus, quæ ad animæ deperditæ hujus mulieris dignata es inclinare salutem! O plenissima tuæ commiserationis viscera quomodo deprædicabimus, B. Canti, qui quemadmodum nobiscum communem trahens auram afflictis ferebas opem, ita etiam Beatorum gloria potitus, non desinis calamitosis esse solatio. Acta hæc sunt frequentissimo populo. Allatus insuper feralis ille funis ac triduo supra tumuli verticem ostentatus et denique ad partem inter reliqua monumenta beneficentiæ Cantianæ repositus *u*.

u *item puer ex alto lapsus.*

76 Quinta Augusti. Triennis filiolus D. Nicolai, civis Cracoviensis in fenestra domus extendens ad altius positum flabellum manum, excidit deorsum in viam lapidibus stratam altitudine plusquam quadraginta cubitorum. Hinc allisus diffractus est; E dentes sede sua exciderunt, facies vix præ concussione ac tumore dignosci poterat. Locatus est puer humo, sed exanimis ac extinctus. Mœsta parens, cum reliquis id temporis ac loci præsentibus feminis, in genua proruens, copioso lacrymarum imbre perfusa, obtulit eum ad tumulum B. Cantii, siquidem divinæ voluntati hoc sibi afflictæ indulgere placuerit solatium. Confestim puer revixit, et quarta die, qui erat dominicus, benevalens tumulo B. Cantii est repræsentatus, quamquam vultus tumor ac livor necdum plane decesserat. Nos magis certiores reddi cupientes, adhibitis dignis fide viris, domum adivimus, spectavimus locum lapsus ac sublimitatem, vocatisque patre familias ac cohabitantibus, rem, prout retulimus, contigisse exploravimus *v*.

v *sicut et infans recens natus.*

77 Eadem mater, quæ ex lapsu sublimi puerum mortuum, redivivum recepit, coram iisdem testibus super hoc actu adhibitis, confessa est ante duas septimanas memorati lapsus peperisse se filiolum mortuum, in quo binis decurrentibus horis nulla vitæ deprehendi poterant signa. Aderant tunc aliquæ dominæ, quæ ubi se in terram genibus abjecerunt et votum cum missæ sacrificio ad F tumulum B. Cantii conceperunt, puer mortuus revixit; fonte sacro ablutus id temporis etiam in vivis superest *y*.

y *Arida manus sanata*

78 Eodem die. Mulieri cuidam Catharinæ ex oppido Cudecz, distante Cracovia viginti milliaribus, dimidio anni erat manu dextera gravibus obnoxia doloribus atque convulsionibus, ut integris noctibus nullam quietis partem ei capere liceret, et ipsa dextera fere aruerit, instarque carbonis obscurata evaserit. Fama miraculorum B. Cantii permota, die S. Stanislai adiens Cracoviæ templum Arcense pro jubilæi consecutione, etiam templum S. Annæ invisit, ac prona in genua ad exuvias B. Cantii inter lacrymas ac cætera devoti animi signa, voto se obligavit, si eam Numen, interponente se B. Cantio, solare dignaretur, statuique suo aridam et doloris patientem restituere dexteram, ita ut labori operique par esse posset, se quidquid hac dextera ei (sibi) lucrari licuerit, gratam Dei gloriæ dedicaturam. Sic constituta plenaque fide, tumulo aridam dolentemque manum superposuit, ac continuo convulsione ac dolore liberata est, pleneque sanitati desideratæ restituta. Itaque promissis stetit, ac

A ac quod nendo acquisivit, ad auscultationem sacri cum actione gratiarum sepulchro oblatum esse voluit. Non erat autem ea mulier quæ labore manuum egeret; benedictione enim Dei magnis pecoribus cum marito suo Suentoslao abundabat, sed id, ad Deum honorandum, quod sibi proposuerat, devote et humiliter exequebatur.

Fluxus sanguinis sistitur.

79 Civis quædam Wielicensis biennio fluxa sanguinis exhauriebatur. Quantum viribus corporis, tanto etiam bonorum impendio in curationem laborabat. Tandem B. Cantius voto sui sepulchri invisendi est invocatus. Ac quidem ille, hoc completo, fontem fluentem arefecit atque mulierem viribus pristinis restituit.

Septennii infirmitas curata.

88 Uxor magistri canalium Cracoviæ septennio pedibus, capite ac oculis ægre valebat. Diuturnitate mali fastidium vitæ creante, adhuc Beatos multum apud Numen posse profitebatur. Inter hos fulgere illi videbatur P. Cantius, qui indeficientia indies ad se confugientibus elargiebatur beneficia. Huic ergo suam commendat valetudinem, ac se tumulum cum missæ sacrificio honoraturum appromittit. Explet quod vovit, et assequitur sanitatem, quam desiderat.

B

Oppressus trabe revivisct.

81 Duodecima Augusti. Stanislaus Kossemberski, civis et mercator Cracoviensis, cum contemplaretur suum ædificium, infelici casu ingenti tigno desuper concidente oppressus, vix spirans domesticorum manibus est ad ædes suas delatus. Qui huic infortunio aderat præsens, R. D. Nicolaus, concionator S. Marci, metuens ne inexpectato extingueretur fato, flexo poplite obtulit eum ad sepulchrum B. Cantii, quod ab eo honorandum foret, si in vivis superesset, per sacrificiique auditionem gratias referret. Itaque huic voto duas post hebdomadas, quam primum convaluit, satisfecit, quod subita morte sub tigno oppressus non fuerit

Quadruplex beneficium.

82 Vigesima quinta Augusti D. Joannes Zydek, civis Bochniensis, adiit templum S. Annæ cum uxore sua ac duobus parvis liberis, quaternas manu gerens candelas, obsecransque gratias divinæ bonitati quaternis reddi sacrificiis, totidem beneficiis, intercessione B. Cantii sibi collatis, respondentibus. Ac primo quidem cum duo filioli sui periculose infirmati fuissent, loquelæque formandæ facultatem amisissent, et morti proximi nullum cibum potumve paterentur; aliquot insuper diebus semimortui decumberent, omnibus C illos pro deploratis censentibus; nos mœsti parentes, sanos B. Cantii meritis factos, ad ejusdem sepulchrum præsentandos vovissemus, quasi nulli morbo obnoxii fuissent repeute convaluere. Dein duabus hisce gratiis alia successit; nam ante annum dimidium, sua uxore filium mortuum pariente, cum a dominabus præsentibus B. Cantii implorata fuissent merita, ut saltem baptismi fonte ablui posset, filius mortuus ploratu vitam sibi donatam prodere cœpit, et dimidio anno a fonte sublatus superfuit. Quarto mater sua gravissime infirmata ac quatriduo sine sensu decumbens agonizansque, a voto concepto ad sepulchrum, promissoque sacrificio, redire ad meliorem sanitatis usum cœpit ac primam consecuta est valetudinem z.

Palati, gutturis et linguæ a pustulis sanatio.

83 Vigesima sexta Augusti. D. Clara Kominska, civis Cracoviensis, sexagenaria, dives et mercatoriis lucris opima, ac præterea pia, quæ etiam filium habuit ad templum S. Magdalenæ sacerdotem, pustulis erat obsessa rubris in gutture ac palato, ut fastidiens vitam eam cum morte libenter commutare desideraret: sana enim existens stomacho, incredibiliter famebat; transmittere autem deglutireque summum adferebat cruciatum; unde vix exiguam buccellam tribus septimanis absumebat. Fama ergo beneficiorum B. Cantii excitata, adit ecclesiam S. Annæ, ac ad sepulchrum B. Cantii cor suum in ardentissimas effundit orationes. Sentit se impelli ut lingua, siquidem desideret sanari, quam pustulæ molestæ repleverant, lapidem attingat sepulchralem. Obsequitur, ac die S. Jacobi eodem loco orans, faciem B. Cantii in lapide expressam, lingua exerta attingit, moxque lenimento recepto miraculoso, tertio post die pustulis evanescentibus plenam adepta est sanitatem.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

A triennali convalescit mulier infirmitate.

84 Die S. Stanislai in autumno. Nobilis D. Sophia de Rusce, (ex) rure, Zimna Woda, dicto, non procul Leopoli, triennio acutissimis iisque variis conflictata morbis, omnibus demum in curationem frustra expensis bonis, extra se facta, visa sibi est vidisse Virum sacerdotali vestitu ornatum ætateque venerandum, qui lecto suo proprior sic sese esset affatus: Si sanari desideras, voto te ad B. Annæ ecclesiam invisendi sepulchri mei obliga. Tum sese colligens, ac quæ audierat de beneficiis hujus beati Viri apud se recensens, votum, cujus commonita erat, concepit, ac paulo post plene ab omnibus malis eliberata, jurejurando beneficium E cum suis circonstantiis retulit.

Dolor pedum tollitur.

85 D. Petrus ex pomerio Cracoviensi, olim Kaviory vocato, intolerabili pedum excruciabatur dolore, ita ut ne baculo aut fulcris nixus incederet, sed a loco ad locum etiam a lecto transportandus esset. Instinctu quodam pio tactus, ac spe ab oblatione sui ad sepulchrum B. Cantii pedum recuperandorum, nihil cunctatus voto se obstrinxit invisendi sepulchrum cum missæ sacrificio, ibidemque signa beneficii recepti cerea affigendi. Confestim pedibus se meliuscule vigere persensit, ac brevi post non solum incedere, sed etiam currere valebat.

Relatio R. D. Jacobi Blonensis de manu sua sanata.

86 Anno 1479. Ego Joannes, filius Jacobi Blonensis, clericus diœcesis Gnesnensis, profiteor hoc scripto, octodecim septimanis, ut meminisse possum, gravissimis me in altera manuum doloribus contorsionibusque affectum fuisse, quæ mihi etiam somnum ac quietem fere omnem adimebant; frustrasque medicinas, emplastra et his similia vel ad leniendam mali vim adhibebam; itaque ab humanis mediis ad divina mihi auxilia confugiendum esse judicavi, ac B. Cantii, qui ad S. Annam quiescit, in mea afflictione, voto honorandi ejus tumulum, F patrocinium imploravi. Hoc concepto, notabilem cruciatus sensi mitigationem, qui indies deficiebat magis, tandem septimo die etiam evanuit. Verum neglexi voto satisfacere, idque differebam usque quo sacerdotio initiarer. Sequenti igitur anno, qui erat 1480, ordinatus, sacrisque operans, nil minus egi quam quod vovi, et sic Cracoviam proficiscens reliqui. Et ecce tibi dolores pristini manum repetunt. Revertor Cracoviam die S. Margaretæ ejusdem anni, nil tamen de voti ratione, qua me obligavi, cogito. Subito igitur cruciatu acutissimo in manu percellor, et tunc memoria voti neglecti causa hasce repeti pœnas subiit. Renovavi igitur primi voti obligationem, astrigendo infallibiliter me celebraturum ad eam aram quæ proprior tumulo B. Cantii existeret; ac confestim quiescere acutissimus cœpit dolor. Demum adii ecclesiam S. Annæ 23 Julii, die S. Magdalenæ sacra, et omnipotenti misericordique Numini eucharisticum de beneficio recepto immolavi sacrificium, eidem humiliter adhuc supplicans, ut totaliter dolore liberarer. Atque necdum sacrum ad finem deduxeram, et nullo sensu doloris commovebar. Quæ cuncta, ego

AUCTOR AD. OPATOVIO.

ego Deo omnipotenti ac misericordi imprimis adscribere non dubito, tum meritis ac intercessioni B. Cantii; et jurejurando interposito assero ita se et non aliter rem habere, obsecroque ut hujus beneficii inter prædicandum ad populi frequentiam solemnis fiat commemoratio.

Claudicatio sanata.

87 Secunda Maji. D. Helena, civis Woinicensis, triennio ita claudicabat, ut alieno obsequio ex alio ad alium lectum transferenda esset. Sanationem suam, ubi per votum visitandi sepulchri a B. Cantio postulavit, mox obtinuit. Impedientem maritum, de præcipitatione adeundi tumuli valetudinem in periculum conjiceret, precibus tandem ad consensum inclinavit, ac magna fiducia de meritis B. Cantii, tertio die Cracoviæ apparuit, quoad vires valetudinemque sanis par, fatigationem consuetam non vero infirmitatem persentiscens in pedibus, gratias per sacrificii procurationem persolvit.

Paralysis ablata.

88 Octava Junii. D. Nicolaus Obronczka, pellio Petricoviensis, paralysi tactus, præterea alio morbo exercebatur, insuper integra septimana mortuo persimilis jacebat immotus. Boni amici compassione erga eum ducti, obtulerunt eum ad tumulum B. Cantii, cum missæ sacrificio. Ac ille paulo post B hoc a voto convaluit, duplici suo malo liberatus.

Visus restitutus.

89 Anno 1482, quarta Maji. Puella tredecim annorum, filia Joannis Cullarii in Subbursa pauperum ut vocant biennio doloris vi perditam penitus oculorum aciem gemebat. A voto facto ad tumulum B. Cantii dolor leniri cœpit, ac indies cadente dolore visus redire. Igitur die nominato, mox se ad templum S. Annæ contulit ac Deo benigno ad sepulchrum B. Cantii per merita ejus pro beneficio gratam se exhibuit.

Sanatio ab oculorum dolore et tumore vultus.

90 Eodem anno ac mense. D. Matthiæ, ex pomerio Kayiory, dolor oculorum sic faciem inflaverat, ut non tantum ex vehementia doloris, sed etiam ex amplitudine tumoris nihil conspicere posset. A voto facto honorandi sepulchrum B. Cantii, ac faciei suæ in cera expressæ ibidem appendendi iconem; mox meliuscule valere cœpit; dein intra breve tempus et oculorum cruciatu et tumore vultus est liberatus.

Adolescens primum e mortis faucibus ereptus, dein ab amentia sanatur.

91 Octava Maji. Nicolaum adolescentem viginti annorum, filium D. Martini civis Lublinensis diœcesis Cracoviensis *aa*, morbus quispiam gravissimus in lectum dejecerat, et tandem confecerat sic, ut in vigilia Inventionis sanctæ Crucis anno 1479 sub *aa* C prandio omnibus apparuerit mortuus: toto enim corpore et livebat et rigebat. Mater de obitu filii mœsta, imitata evangelicam viduam, post multos ejulatus ac lacrymas, tandem confisa meritis B. Cantii, genibus procumbens, se dixit ream cum filio visitandi ejus fore tumuli, si filio redivivo frui liceret. A meridie ad vesperam tempus defluxerat; nullus sensus, signum vitæ nullum in mortuo apparebat. Itaque convenerunt frequentes vicini ut sepulturam ejus cohonestarent. Verum benignissimum Numen, qui plorantem olim matrem resuscitato filio solatus est; ita et hujus lacrymas ob merita sanctitatemque illustrandam sui famuli B. Cantii intuitus, filium sepeliendum vita donavit. Et profecto multitudo spectatorum admiratione ad surrectionem adolescentis, pariterque timore, ut olim ad Naim, corripiebatur. Adiit itaque Cracoviam adolescens, et ad tumulum B. Cantii gratias Deo persolvit. Verum quia non curaverat hoc miraculum innotescere, neque his, ad quos eo tempore spectaret, detulit, quamvis id forte ex ignorantia, nota ingratitudinis careret, novas dedit pœnas. Cum enim sese ad sacerdotium disponeret, ac breviarium describeret, subito rationis usu excidit, et in tantam incidit insaniam, ut, ne homines D verberando læderet, pedicis ferreisque catenis compescendus esset. Iterato ergo a matre, memore primi beneficii, ad sepulchrum B. Cantii offertur. Ac ille a voto matris redire ad se cœpit, demum adeptus totalem usum rationis, exuvias B. Cantii veneratus est, præterque gratias, quas Deo egit, e vestigio obsecravit, ut et primum et hoc aliud beneficium per concionatores publicum quam primum redderetur. Hæc attestatio uti et aliorum beneficiorum, matris ac filii jurejurando addito, multis fide dignis præsentibus testibus est confecta.

Loquela judici cuidam redditur.

93 Decima octava Julii. Nobilis D. Nicolaus de Dobrzykon, judex terræ Plocensis, sanus in campos ad inspiciendos operarios exiverat, cum ex subita paralysi in lingua nec verbum proloqui valet, præterea toto corpore quemdam rigorem expertus. Igitur adhuc sibi præsens, ad ædes suas progressus, templum intrans, ac sub effigie Salvatoris in cruce extensi consistens in corde suo voto se obstrinxit venerandi tumuli B. Cantii, quem bene in vivis noverat, cum adhuc studiis in academia Cracoviensi operam daret; simul etiam, si sanitate gauderet, invisurum se locum S. Stanislai, E Skalka dictum. Atque mox a voto, eodem loco verba formare cœpit, sed necdum perfecte id coram suo paracho. Pomeridiano tamen tempore expresse et perfecte omnia eloquebatur. Medicorum judicium erat, naturali cursu tam cito eum reddi sermoni libero nequaquam potuisse. Habetur id ex ore ejusdem D. Nicolai, dum voti reus compareret. Anno D. 1483 decima tertia Maji.

Cancer gutturis ablatus, aliudque beneficium, præcedente pœna

93 Anno D. 1483 Septembri mense. D. Catharina, uxor nobilis de Michaelis de Raysko, non procul Osviecimo, gaudebat filia octenni. Hæc anno, quo pestis grassabatur, duodecim septimanis duplici cancere in gutture vexabatur, ita ut nihil ex cibo aut potu admittere posset duabus septimanis, jacebatque semimortua, oculis sanguine tumidis atque occlusis. Quadam tempestate mater inter lacrymas et planctus super filiæ suæ vita, somno correpta duas personas insignes intuita est; quarum altera habitu sacerdotali, ætateque provecta veneranda erat, altera speciem illustris cujusdam Dominæ referebat. Tum ita se venerabilis ille Vir erat affatus: Dormis, an vigilas? Negante se illa dormire, inquit: Ne deplores filiam tuam, quia effugiet mortem, si tamen eam F obtuleris ad sepulchrum doctoris Cantii cum sancto missæ sacrificio; item voveas S. Hedwigi ceram, si oculis eam privari nolis. Interea viso disparente, ægra filia inclamat matrem, potus aliquid rogat; tum etiam loqui incipit, vesci cibo ac indies convalescere. Mater tamen non est reverita differre expletionem, tam insigni obtento beneficio, quoadusque dejectæ ægritudine in quodam deliquio, iterato sibi, quæ alias, apparuerit veneranda sacerdotali ac provecta specie Persona, et ingratitudinis ac negligentiæ coarguisset. Tune es, inquit, quæ voti facti executionem adhuc differs? Surge, et quam primum promissa exple, alias ingratitudinis majores datura pœnas: ac singula in publicum producere memineris, quæ ad tui solatium Numen conferre dignatum est. Igitur adiens ecclesiam S. Annæ, die supranominato, omnia ita retulimus, inter laudes ac gratias Deo meritisque B. Cantii rite enarravit *bb*.

bb

Sacerdos peste afflatus convalescit.

94 Decima nona Decembris. Stanislaus Karbo, sacerdos et baccalaureus academiæ Cracoviensis, præpositus nosodochii Tarnoviensis, a Sacro in ecclesia S. Annæ, verbo sacerdotali retulit, luce sacra

A sacra visitanti Deiparæ se peste afflatum fuisse parte dextra totius corporis, ita ut motu linguæ, manus, ac pedis aliorumque membrorum prorsus careret, eaque ægritudine quatuor septimanis affligeretur. Ubi autem voto sese obstrinxisset tumulum B. Cantii, quem probe in vivis etiam a sanctitate noverat, invisendi pro solatio ex malo tanto reportando; mox redire incolumitas cœpit, ac tandem plene restituta est.

Sanctimonialis morti proxima sanitati redditur.

95 Vigesima sexta Novembris. Venerabilis Anna in monasterio Staniotecensi, professa in regula S. Benedicti, periculosissima dejecta infirmitate quatuor septimanis decumbebat, ac etiam a medico deplorata erat. Antistita illius loci, virginis considerata ad cantum necessitate, amoreque quo ipsam prosequebatur incitata, confisa meritis B. Cantii, si in vivis superesset, appromisit sese cum virgine sua sepulchrum ejus veneraturam. Itaque brevi post optime convaluit. Eademque Anna sanctimonialis tertio post anno, cum citius nequiret voluntate suorum superiorum, votum est executa. »

Monitum in præcedentia et sequentia miracula

96 Hæc omnia prædicta miracula manu sunt exarata R. D. Matthiæ, doctoris in sacra pagina et parochi S. Annæ Hanc operam et alias remuneretur ipsi B Deus compensatione æterna. Quæ vero sequuntur, scribebantur et recipiebantur a notario jurato, quem Publicum nominamus.

Mortuus ad sepulchrum ducendus revixit.

97 Anno Domini 1487, secunda Maji D. Joannes machinarum bellicarum instructor Leopolensis, comparens cum filio suo quinquenni Georgio nomine, jurejurando retulit hunc eumdem filiolum cum morte vitam commutasse, tribusque horis defunctum jacuisse, ac totum tumbæ impositum fuisse, omniaque ad sepulturam in procinctu fuisse, ipsosque religiosos, quos hic Bernardinos vocamus, cohonestando funeri expectasse; cum interea quædam domina se tristissimos parentes cœpit adhortari, ut mortuum filium ad tumulum B. Cantii offerremus. Quod ubi factum est, mox filius revixit, ac sese e tumba elevans, potum sibi dari flagitavit, ac sic incolumis post annum ad sepulchrum B. Cantii adductus, gratiis Deo per sacrificium de SS. Trinitate persolutis osculisque datis tumulo cum magna *cc* animi lætitia reditum est *cc*.

Manus dextræ sanatio.

98 An. 1489 quinta Julii. D. Nicolaus, civis Koprzynicensis dimidio anno manus dextræ doloribus miserabiliter excruciatus, nullis medicorum C aliorumque adjuvari potuit consiliis. Igitur adiens templum suæ civitatis, procidens in poplites ad effigiem Salvatoris in cruce extensi, cum lacrymis ardenter a cœlesti medico suis doloribus exposcebat opem. Sic oranti inspiratum est, ut se appromitteret tumulo B. Cantii. Quod ubi alacriter vovit, confestim doloribus manus est eliberatus.

Infans mortuus revivescit.

99 An. 1490. D. Elisabetha civis Wolbramensis retulit, puerum suum nomine Joannem, qui necdum annum vixerat in concha supra mensam somnum capientem reliquisse, se vero templum petiisse. Infans expergefactus ac inquietissime se gerens in terram delapsus, fracto pede, insuper per horam tectus desuper concha, suffocatus expiravit Invenit ergo taliter jacentem mater mœsta, ac ad vesperum etiam nullum signum vitæ apparebat. Igitur ad votum sepulchri B Cantii invisendi confugit, et omnino sibi mox solatium, infanti vitam obtinuit. Itaque paulo post sepulchrum B. Cantii invisit, hujusque beneficii auditorem habuit parochum S. Annæ, R. D. Bartholomæum de *dd* Sienno, doctorem in jure canonico *dd*.

100 An. 1491. Nobilis D. Dorothea Woyszczynska in templo S. Annæ imperio ac jussu B. Cantii fassa est coram testibus ad hoc designatis, anno 1490 filium septennem, nomine Matthiam periculosissime sibi decubuisse. Ac cum nulla spes in humanis mediis superfuisset, jam ad metas properanti B. Cantii opem implorasse per votum cum superstite in vivis filio honorandi sepulchri. E vestigio filius assurrexit, quasi numquam morbo dejectus fuisset. B. vero Cantius tertio apparens dominæ huic hujus beneficii manifestationem serio curare injunxit.

Puer periculose decumbens convalescit.

Filius in utero revivisci. ee

101 Eodem anno. D. Sophia civis Sondecensis *ee* certis signis colligens prolem in utero suo jamjam extinctam esse, maxima qua potuit devotione obtulit se ad tumulum B. Cantii; et eadem hora qua voto se obligavit, sensit mortuum fœtum in se revixisse; quem etiam paulo post vivum enixa est. Atque dum gratias Deo ad exuvias B. Cantii redderet, hæc legitime exposuit.

Manus instantanea sanatio.

102 An. 1492. D. Catharina Sitova ex Arcensi platea, gravissime intumuerat manu, ita ut nec movere eam valeret, imo nec ad regendum cultrum illa uti. Præterea vis doloris et ab esu et a summo eam prohibebat. A voto facto ad sepulchrum B. Cantii, in ictu occuli tam dolore quam tumore est E eliberata; in memoriamque ac signum beneficii, manum ceream appendit ad tumulum, ac auditione sacri Deo gratias persolvit.

Famulus quidam sanitati redditur.

103 Eodem anno ab Andrea, servo cujusdam fabri ex arce Niepolomicensi, ad S. Annæ templum facta est relatio, die Martis post Octavam Natæ Dei Genitricis: quod periculoso dejectus morbo, privatus sensibus, ac ne confiteri quidem valens, quamprimum a patrefamilias ad sepulchrum B. Cantii oblatus fuisset, extemplo ad se rediit, loqui cœpit ac penitus sanitate donatus est.

Febris depulsa.

104 D. Sophia (ex) Casimiria diu febres varias et acutas passa, a voto honorandarum B. Cantii exuviarum, confestim plenissimam consecuta est incolumitatem.

Visus redditur.

105 D. Catharina Brachova, Myslinicìis (orta), diu oculis ægra adeo, ut demum cæca proprie aliquot septimanis manserit; a voto venerandæ memoriæ B. Cantii, a Deo ob merita B. Cantii aciem oculorum obtinuit incolumem.

Puer agonizans incolumis servatur.

106 Die Martis ante festum S. Stanislai in autumno. Hieronymus, Filius octennis illustrissimi Palatini Posnaniensis, diuturno morbo ac gravi jam agoni imminebat. Ubi tamen ab utroque tristi parente B. Cantii sistendus tumulo appromissus F est, confestim incolumitati redditus fuit. Hujus beneficii gratia tantum ceræ templo illatum est, quantum octennis filius ponderare potuit, ad gloriam Dei omnipotentis, S. Annæ ac B. sui famuli Cantii.

Item civis quidam Lublinensis.

107 Anno 1493. D. Matthias civis Lublinensis, gravi et subito malo oppressus, duabus septimanis nil edere nil pronunciare potuit, et jam agonizanti cereus porrectus erat, quo more christianis recepto, fidem quam in baptismo acceperat nec morte extingui testatus, Deo spiritum commendaret. Interea a sacerdote quopiam cum consanguineis super obitu suo dolentibus ubi SS. Cantii sepulchro fuit appromissus, mox sudore perfusus esuriit, commedit ac etiam paulo post convaluit. Dum de delatione longiori voti facti ab eodem sacerdote consanguineisque reprehenderetur ac argueretur, per risum eludebat, inquiens: Vos vovistis; vos etiam in voti curam istius exequendi incumbite, licet. Non diu post permissus est a Deo gravissima affligi plaga: nam ita toto corpore evasit contractus, ut nec ad humum sese inclinare, nec manus attollere, nec supinus sese extendere potis

AUCTORE AD. OPATOVIO.

potis esset. Itaque profitens manu Dei ultrice suam ingratitudinem esse tactam, suspirans proposuit factum votum in morbo priori executioni mandare, ac admirabili Dei misericordia discessit ab eo infirmitas. ipseque incolumis evasit, et gratias duplicis beneficii tempestive persolvit.

Submersa post horæ spatium salva aquis egreditur.

108 Eodem anno die lunæ in pervilegio S. Stanislai in Majo, Bernardus de Wsieca adiens templum S. Annæ voti exequendi gratia ad tumulum B. Cantii cum filia sua Agnete, rem dignam retulit admiratione ; hanc ipsam filiam videlicet per imprudentiam decedisse inter rotas molendinarias, sine ulla prorsus spe vitæ : etenim rapidissimus fluvius in has rotas descendit ; et hunc in locum si fortuito canis vel catus delabatur, nulla ratione vivus egredi potest : ab impetu enim decidentis aquæ et a rotis discerpitur ac demergitur. Ipse tamen recentis beneficii memoria erectus, videlicet uxoris suæ, novercæ vero hujus de qua loquimur filiæ, puerum in ardentem clibanum delapsum ac mortuum imploratione B. Cantii resuscitatum fuisse, votum concepit pro hac demersa quæ ex undis, horæ spatio in iis latens, tandem incolumis
B et integra evasit.

Mortua redit ad vitam.

109 Sabbato, tunc festo Exaltationis S. Crucis, D. Nicolaus Ceszanowski in templo S Annæ jurejurando affirmavit coram R. D. Bartholomæo de Sienno, doctore juris canonici et parocho S. Annæ, quod die Martis a duabus septimanis petierat ab uxore sua, ut in superiore domus parte puerum suum plorantem deliniret : quod cum ageret, repentino deliquio in terram dejecta ; diu a se alienata sensibusque jacuit, nec ullum vitæ indicium in ea explorari potuit. Videns itaque uxorem defunctam, mœstus collecto animo sic B. Cantium est allocutus : Beate Doctor, diu est quod te colo ; nunc obsecro, resuscita mihi uxorem ; et ego obstringo et obligo (me), cum ea exuviarum tuarum locum honoraturum. Et mirum dictu, repente assurrexit illa, quæ jam defuncta erat.

Puer convalescit.

110 Eodem anno. Nobili cuidam ex familia Szydlowiec, filius medio anno graviter infirmabatur. Nil edere nil bibere valebat, et tamen edere ac bibere continuis clamoribus exposcebat. Deploratum ergo filium ubi Deo et B. Cantio ardenti commendavit oratione, a voto facto cum eo sepulchri sano invisendi, confestim convalescere cœpit, ac plene magno
C parentis solatio convaluit.

A suffocatione sanatio.

111 Anno 1494: Sabbato, die Innocentium. D. Margaretæ Sitonska fuit filia, quæ in pectore plane suffocabatur præ doloribus et respirii libertate adempta. Devotissime se addixit veneraturam B. Cantii sepulchrum, ac mox suffocatione et doloribus eliberata est.

Moribundo reddita valetudo

112 Eodem anno. D. Andreas, civis Sendomiriensis, morbo medio anno afflictus, tandem usu sensuum perdito, nec notos dignoscere nec verbum proloqui jam poterat. A consanguineis et probis amicis, perspectam B. Cantii sanctitatem habentibus, Dei auxilium, voto ad ejus sepulchrum concepto, imploratum est. Sub idem tempus æger ad se rediit, loqui cœpit ac plene convaluit. Itaque personaliter festo S. Joannis Evangelistæ gratias Numini ad tumulum B. Cantii persolvit.

Vir a septennio cæcus visum recuperat.

113 Eodem anno. Mathias Wilkowicz, civis Wielicensis, ita visu septennio integro fuit orbatus, ut spem ejus aliquando recipiendi nullam plane habuerit. Initio octavi anni, duo viri amictu candido decori apparentes sic eum affati sunt : Si tibi desiderium est recuperandorum luminum, adeas oportet ecclesiam S. Annæ, quæ est Cracoviæ, ac tumulum B. doctoris Cantii ; ibi vero optatum consequeris visum. Cæcus respondit : Ego sane ignoro D
ubinam hæc ecclesia sit. Iterum qui antea dixerat : Cracoviam modo adiveris, homines civitatis non deerunt, qui illam tibi monstrent, ac etiam eo te deducant. Igitur somno abrupto obligat se sepulchrum B. Cantii venerari, et confestim sic oculis contuetur omnia, ut omnino integro ei constaret esse restitutam aciem. Erat dies Martis ante Deiparæ Assumptionem, cum comparens ad tumulum Servi Dei, gratias hilaris Deo sanatori suo et B. Cantio redderet.

Ab infestatione diaboli virgo liberata

114 Eodem præterea anno. Virgo Cracoviensis, duodennis, nomine Margarita incredibiles persecutiones stygii hostis et diverberationes in corpore perpessa, plurimis locis Sanctorum visitatis, nil opis contra dæmonem retulerat. Interea apparet ipsi Vir maturitate sua admodum venerabilis, et sic eam palam petit (compellat) : Dormiretne an vigilaret? Ipsa se satis vigilare respondente, Vir ille sic locutus est : Si in votis habes ut ab hoc fœdo et molesto cacodæmone libereris, accede ad tumulum B. Cantii, et ab hac tyrannide subduceris. Paruit illa, ac die Simonis et Judæ voti compos evasit, miraculique seriem enarravit. E

Sartor a dolore pedis sanatus.

115 Anno 1495. Joannes sartor civitatis Skarbimiriensis, cognomine Kulka, sinistro pede dolebat, et in eo mire divellebatur. Præterea loco affecto tria cauteria sustinebat, duodecimque septimanis decumbebat. Amicorum consilio obtulit se ad tumulum B. Cantii, ac confestim mitigato dolore cum tempore convaluit, votumque suum duodecima Maji per auditionem sacri gratus persolvit, Deo et B. Cantio gratias referens.

Ancilla quædam vitæ reddita.

116 Eodem anno, Catharina, ancilla D. Martini, mercatoris et civis Cracoviensis, in Domo lapidea D. Doctoris Regulæ tunc manentis, per imprudentiam in pavimentum vicinæ domus decidit, ac ex hac collapsione mortua est. Ubi primum a domino suo ad sepulchrum B. Cantii est appromissa, ad vitam sanitatemque rediit ; venitque magno comitata populo ad exuvias B. Cantii, ac imprimis cum domino suo, sabbato festi id temporis S. Petri ad Vincula.

A morbo periculoso liberatio.

117 Anno 1496. Paulus, Filius Stanislai Naroszjna, civis Radimnensis, periculosissimo morbo, et deploratus præterea decumbens, ubi primum a mœstis parentibus appromissus fuit ad B. Cantii sepulchrum, pristina donatus est valetudine, votique reus apparuit in privilegio dominicæ Ascensionis. F

Facultas incedendi restituitur.

118 Anno 1498. D. Hedwigis, civis Pilnensis, amissa potentia ambulandi, nequidem pedibus consistere valebat ; prætereaque media parte corporis emortua erat. Advecta in trahis tempore hiemali ante ostium S. Annæ, ex iis descendens, ut licebat, manibusque se sustentans, ac emortuam corporis partem secum trahens ad sepulchrum B Cantii adreptavit ; ibidemque cum lacrimis Numini per merita B. Cantii supplicavit pro accipiendo solatio. Interea, ut potuit se ipsa erexit, ac super pedes proprios constitit, domumque suam, vehiculis amplius non egens, bene valens inter laudes et grates Deo ac B. Cantio, repetiit.

Milites in prælio servati.

119 Eodem anno. Miles quispiam equestris ordinis, festo S. Agathæ in ecclesia S. Annæ coram ejusdem sacerdotibus et Publico, jurejurando adhibito, retulit, quod plurimi militum essent inter prælio contra Turcas et Tartaros, qui se patrocinio B. Cantii commendarunt, ac nullus eorum occubuerit. Petiit vero in gratiarum contestationem sacrum dici ad aram, quæ propior tumulo B. Cantii erat.

120 Adhuc eodem anno. D. Gregorius civis Tarnoviensis,

Triplex sanatio.

Tarnoviensis, tribus comitatus personis, festo S. Stanislai ad S. Annam comparuit. Harum prima erat Margarita a nativitate quinquennio muta, mox ab appromissione sui ad tumulum B. Cantii vinculis linguæ soluta est. Altera Hedvigis filia quatuor annis variis febribus divexata per oblationem ad idem sepulchrum sanitatem consecuta est. Tertius Matthias contagione pestis afflatus extreme decubuerat, per votum similiter ad B. Cantium mali vim excussit ac convaluit. Hi lætas gratias sacri auditione debere se Deo et suo B. Cantio ostenderunt.

Visus et incessus redditi.

121 Anno 1499 decima quarta Aprilis. Quidam sacerdos coram R. D. Bartholomæo de Sienno, doctore in jure canonico et parocho S. Annæ, retulit se plus quam per annum uno oculorum nil cernere potuisse; præterea pedibus affectis incedere nequivisse; ab oblatione facta sui ad exuvias B. Cantii, continuo et pedibus et oculo sanum exstitisse. Quare idem signa hujus beneficii ex cera et pedum et oculi appendi supra tumulum voluit.

Subito convalescit morti proximus.

122 Anno 1500 quinta Aprilis. Clemens Opocki, civis Cracoviensis subita vi morbi prostratus, medicis vehementiæ mali resistere nescientibus, atque B trepidantibus, tandem proximus morti fuit. Devotissime igitur inter cordis suspiria Dei opem imploravit, appromittens se ad B. Cantium; et in ictu oculi, omnibus præsentibus admiratione obstupefactis, doloribus privatus incolumis apparuit. Cujus rei gratia ab omnibus laudes et gratiæ persolutæ sunt, quod meritis B. Cantii sui cum solatio suo jam moribundum vitæ et sanitati restituerit Deus.

Puer a periculo insaniæ liberatus.

123 Anno 1500 eodem die. Adamus duodennis Cracoviensis, capitis dolore cum periculo incurrendi in insaniam discruciatus, cui nullis medicinis a parentibus occurri poterat. Ubi Deus arbiter mortis et vitæ, et B. Cantius fuit invocatus, ad votum ad ejus sepulchrum emissum cœpit ad se redire signaque præsentis rationis commonstravit.

Febris et sanguinis fluxus curati.

124 Anno 1504. D. Catharina civis Sendomiriensis duobus simul morbis oppugnata, altero ardentium febrium, sanguinis fluxus altero. Votum factum ad sepulchrum B. Cantii et duos morbos abolevit et pristina eam sanitate donavit.

Manus contracta primo statui restituta bis.

125 Anno 1509 duodecima Novembris. D. Agneti, civi Casimiriensi, ingens dolor dextram manum sic contraxerat, ut dimidio anni nec extendendæ ei nec elevandæ par esset. C Vix confugerat ad opem divinam et merita B. Cantii, dolore privata est, manus statui pristino reposita, vigor et vis ea utendi prior restituta. Quia vero neglexerat, et ne quidem forte cogitaverat de obligatione dissolvenda, intra octo dies idem ipsum malum eam corripuit, miserabiliterque manum contraxit. Tum autem agnoscens ultricem Dei manum, fideliter se veneraturam sepulchrum B. Cantii obstrinxit, ac confestim convaluit. Postera itaque die, moris præcipitatis, adiit S. Annam, ad proximam aram inter gratias sacrum audivit votoque satisfecit suo.

Puer a contractione sospes.

126 Anno 1510. Die Dominico post Ascensionem in ecclesia S. Annæ, D. Anna, civis Szydloviensis de filio, quocum etiam erat præsens retulit, quod vi morbi spatio medii anni corpore toto contractus fuerit, ut penitus incedere nequiret: voto autem facto ad sepulchrum B. Cantii cœperit convalescere, ac tandem plenam adeptus sit sospitatem. Cujus beneficii gratia, sacrosanto missæ sacrificio sunt litatæ.

Annuus pedis dolor sublatus.

127 Eodem anno die lunæ post octavam Corporis Christi. Mulier nomine Elisabetha gravissimo dolore pedis integro anno affecta erat, ita ut eo incedere nequiret. Ad appromissionem sui ad exuvias B. Cantii confugit, et incessu confestim frui cœpit, tumulum invisit, gratamque se est professa tanti beneficii.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

Condemnatus ad mortem, sed innocens, miro modo liberatur.

128 Anno 1514 septima Januarii. R. D. Michael Parisiensis, doctor sacræ Scripturæ professorque, ac id temporis rector in academia Cracoviensi, comparuit cum sacerdote, qui tunc erat præpositus nosodochii Radomensis, hoc miraculum referente. In civitate Radomensi, quatuor fures deprehensi eidem ipsi Præposito exomologesim faciebant; unus ex quatuor reus furti non erat, tamen quia cum aliis captus cum iisque versatus, morti addicebatur. Præpositus ei hoc dedit consilii, ut quoniam maleficii sibi minime esset conscius, fideret Deo et B. Cantio, cujus lipsana quiescerent in S. Annæ ecclesia, quatenus sic liberaretur per merita ejus ab ignominiosa morte; esset tamen obligatus sepulchrum ejus honorare. Quod ille acceptavit, et si voto potiretur, minime se voti negligentem appromisit futurum. Cum igitur essent supplicio addicti, ac, decreto lecto, lictoribus traditi, injiciebat illis funes carnifex, collaque ac manus vinciebat, ac ad locum destinatum ducebat. Hæc dum aguntur, ille innocens, corde et ore devotissime invocat E B. Cantii patrocinium; et ecce illi funes, quibus collo et manibus adstrictus erat, rumpuntur cum omnium stupore ac admiratione, penitusque dissipantur. Itaque ad templum recedit, ac laudes Deo gratesque facit etiam B. Cantio, quem Deus in se sic gloriosum reddere voluit, cum a se tantam avertit ignominiam.

Acutus dentium dolor cessat.

129 Eodem anno. Uxor sutoris cujuspiam ex platea Pistoria, ob dolorem dentium acutissimum, non paucas noctes insomnes exegerat. Implorasse ipsam B. Cantii opem profuit, votoque sese obligasse: nam mox dolor mitigatus est, nec amplius eo tentata fuit. Quod beneficium tanti æstimavit ut in signum grati animi in concione illud vulgari petierit.

Tetro morbo, ad sepulchrum B. Cantii liberatur adolescens.

130 Anno 1518. Quidam adolescens venenosissimo morbo fuit appetitus: nam occupato gutture in pectus penetravit; totumque corpus ejus inflammavit, et jam de vita ejus conclamatum fuit. Igitur qui ejus curam habuit, ut per vires licuit, sublatum in humeros ad S. Annæ templum illum deportavit, ubi implorata ope S. Annæ ac B. Cantii coram suo tumulo, miraculose cum omnium admiratione pristina sanitate est donatus; F cujus beneficii gratus ipse anathema appendere non dubitavit.

ANNOTATA.

a *Vide Comm. præv. n.* 63 *ubi diximus quam secuti simus rationem in edenda vita B.* Cantii.

b *Auctor vitæ ms. S.* Cantii, *Bollandi nostro missæ (de qua diximus Comm. præv.* § 1, *num.* 8) *ita præfatur in miracula :* qui (B. Cantius) ut in vita multis claruit miraculis et virtutibus, sic et post mortem suam, meritis apud Deum suis sanctis et piis, omnibus illius opem implorantibus succurrit. Multis enim mortuis vitam, cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam, denique variis infirmitatibus, languoribus, necessitatibus oppressis sanitatem, levamen, adjutorium impetravit, et ad nostra usque tempora impetrat, ut ex miraculis ejus videre licet. Quorum cum magnus sit numerus, ita ut temporis spacium ad ea exscribenda desideraretur non modicum; nec instituti præsentis est ea in longum texere. Præcipua tamen B. Cantii merita ex hisce apertissimis miraculis

AUCTORE P. OPATOVIO.

miraculis congesta, connotari mihi visum est, quæ
hæc sint. Mortui namque ejus intercessionibus *(ad
vitam revocati)* pro vero comperti sunt viginti
quatuor. *Quibus per ordinem recensitis, subjungitur :*
Non solum vero B. Cantius meritis suiis hominibus,
sed et jumentis vitam, precibus hominum et votis
ad eum intercedentibus, a Deo impetravit, *atque
hujusmodi duo afferuntur. Pleraque Annotatis se-
quentibus adscribemus.*

c *Id est die tertia Julii. Et re quidem vera, cum
anno* 1475 *dies Paschalis inciderit in* XXVI *Martii,
littera dominicali* A, *ex calendario perpetuo* (1)
*efficitur, festum Visitationis celebratum die domi-
nica* II *Julii, dies itaque sequens seu succedens, erat
dies lunæ,* III *Julii.*

d *Cum in sequentibus frequens occurrat mentio
sive Casimiriæ sive Clepariæ etc., juverit hic statim
ab initio quid sibi voces illæ velint indicare. Cra-
coviam* quidam in tres partes dividunt, quarum
quævis suas curias et pecularia judicia habent;
alii in quinque partiuntur. Prima est ipsa urbs
Cracovia sub arce regia, ab uno latere versus me-
ridiem respiciens urbem Casimiriam, a qua inter-
labente Vistula separatur, ei tamen adhærens
B ponte ligneo, qui amnem sternit et utramque ur-
bem conjungit. Multis cœnobiis, templis aliisque
ædificiis sacris exornatæ medium locum occupat
S. Mariæ templum primarium, splendente plumbo
tectum et duabus turribus admodum altis super-
biens, quod archisacerdotem, infula sive mitra
sacerdotali ornatum, et copiosum admodum cle-
rum habet (2). *Alia multa ibidem videre est templa,
atque in specie ecclesiam S. Annæ reliquiis S.* Joan-
nis Cantii *insignem.* Altera pars, Casimiria, urbs
ad meridiem constituta, regi Casimiro Magno con-
ditori suo nomen suum debet, et nobilitatur tem-
plis Corporis Christi, regularium Canonicorum
ordinis S. Augustini. S. Catharinæ, S. Stanislai
martyris, quod in scopulo situm singulis diebus
Veneris a populo frequente summa devotione visi-
tatur (2).... Tertia grandis hujus urbis pars ante
Cracoviam versus septemtrionem est Clepardia
(seu Cleparia), nonnullis urbs, aliis suburbium,
nullis mœnibus cinctum, et S. Floriani templo no-
bile (4). *Duæ addendæ minores partes : altera* Stra-
domia, inter arcem et urbem Cracoviam ac pon-
tem, municipium in insula quam efficiunt Vistula
et Rudava fluvii (5); *altera,* suburbium Coriario-
C rum : Qua Cracovia propie dicta occasum spectat
et per Sutorum portam exitum præbet, suburbio
præcincta est Coriariis nomen mutuante, et oculis
subjiciente S. Mariæ in Arena, et S. Petri tem-
pla ac Carmelitarum monasterium (6). Extra hoc
Coriariorum suburbium offert se Villa regia, aut
Palatium regium grande et domus deliciarum muro
septa, amœnissimis hortis et piscinis utilissimis
referta, spectabilibusque ædificiis et rebus pluri-
bus aliis visu dignis affluens, quæ Lobzovia nomi-
nari solet. In ea rex, quando Cracoviæ commora-
tur, frequens est (7). *Denique memoranda est hic*
Arx regia versus Vistulam fluvium et Stradomiam
municipium; scopulo aut colli insidet præcipitio
prærupto, se ad flumen dictum declinanti, et molli
declivitate ad urbem descendenti. Spatiosa, et urbi
quam arci similior, ac muris, turribus et propu-
gnaculis probe munita, ædificiis splendidissimis et
magnifico S. Stanislai templo superbit.... Episco-
pus Cracoviensis dicti templi caput (8).

e *Non est forte nomen proprium ; sed vox artifi-
cium designans. Verbum* Rothgieser *ex germanico* D
latine redditum fusor cuprarius *sonat.*

f Czestochoviensis, *cum* e, *seu* e *nasali ; latine
communiter scribitur* Czentochoviensis. *Est au-
tem* Czenstochowa, Czenstochi, *inquit Andreas
Cellarius* (9), oppidulum nobilitatum coctione ce-
revisiæ optimæ, quæ non solum in Polonia, sed
etiam vicinis regionibus germanicis venditur : cœ-
nobio item extra illud, colli Claromonti (Clarem-
berg) imposito, et celebri imagine S. Mariæ, quam
S. Lucas pinxisse fertur et perigrinationibus sacris
magna hominum frequentia visitari solet. Cœno-
bium ipsum Ordinis S. Pauli eremitæ, insigni the-
sauro instructum Sueci an. 1955 (1655) obsede-
runt, frigore coacti obsidionem solvere. Idem
sequente 56 anno frustra obsidere moliti sunt.
Dominicani monachi in vicinia Gidlensem commo-
rationem habent, etiam celebrem imagine S. Ma-
riæ, multa, ut ipsi dicunt, miracula edente, ubi et
Carthusianum domicilium excitatum est. Silesiæ
finibus hæc loca sunt proxima.

g *Utrumque miraculum ita reddit vita ms., de
qua superius lit.* a. Viduæ pauperculæ de Tenczyn,
tres pueros habenti, vaccam extinctam (cujus antea
dum viveret, lacte pueros suos alebat) votum ejus- E
dem mulieris cum lachrymis ad sepulchrum B. Can-
tii promissum ad vitam revocavit. — Alterius item
viduæ de Tchanie duas vaccas morte extinctas et
tertiam infirmatam per votum pauperis ejusdem
mulierculæ, mirabiliter intercessionibus et meritis
ad Deum suis, vitæ restituit. Anno D. 1472. *Annus
non recte notatur ; imo, ut diximus Comm. præv.,
mortuus tunc nondum erat B.* Cantius. *Cæterum hæc
ad an. refert* 1475 *Opatovius. Universim auctor vitæ
ms. in notandis annis discrepat ab Opatovio. Huic
longe securius fiditur sicut et in exarandis nomi-
nibus propriis. Quod hic semel notasse suffecerit.*

h *Imo Augusti ; secus non sibi cohæret narratio.*

i *In o Jovis. Ut jam alibi notavimus, anno* 1475
celebratum est Pascha resurrectionis die XXVI *Mar-
tii, littera Dominicali A ; unde ex calendario per-
petuo* (10) *cum tertia Augusti concurrit dies Jovis.
Similis lapsus observatur in sequentibus circa heb-
domnadæ diem ; quapropter parenthesi deinceps
emendabitur.*

k *Vide supra lit.* è.

l *Putem hic agi de Corczino, de quo hæc habet
Andreas Cellarius* (11) : Corcin, Corczinum, Cor-
cinium, territorii, quo circumdatur, caput, cum F
arce in loco munito inter aquas sedens. Quidam
novam ligneam urbem, cum arce lapideo muro
cincta, in fluvii Visloco ripa et inter paludes collo-
cant, ut videre est in sexta parte Theatri Urbium
Georgii Braun. Cromerus, anno 1589 mortuus,
lib. XX fol. 451, Corcinum etiam novam urbem
in Polonia vocari ait. Typi geographici vero hanc
urbem inter Sendomiriam et Cracoviam in Vistulæ
ripa ponunt.

m *Auctor vitæ ms. hanc sanationem resurrectio-
nibus suis viginti quatuor annumerat.* Stanislaus,
inquit, puer unius anni honestæ Ursulæ de Vislica
in Clepardia, in fomento balnei submersus et suf-
focatus, per votum ad B. Cantium a matre factum
vitam recepit an. Dñi 1475, Octobris XV.

n *Vita ms. :* Adalbertus, puer quinque hebdom-
madarum natus, filius Hedwigis de Krosna mor-
tuus, jamque sepeliri curatur; voto matris ad eum-
dem Beatum edicto, vivus reperitur. An. 1475,
Julii XI.

(1) Art de vérifier les dates, p. 137. — (2) Regni Poloniæ novissima descriptio, p. 139 et 140. — (3) Ibidem, p. 141. — (4) Ibid. — (5) Ibid., p. 141. — (6) Ibid., p. 146. — (7) Ibid. — (8) Ibid., p. 147 et 148. — (9) Regni Poloniæ magnique ducatus Lithuaniæ novissima descriptio, p. 164. Edit. Amstelod. 1659. — (10) Art de vérifier les dates, p. 137. — (11) Ubi supra, p. 183.

o Genu.

A o Genu. *Vox hæc sumi videtur pro parte superiore pedis, plantæ opposita. Certe Pitiscus in lexico latino-belgico tradit voce hac generaliter designari* quodcumque flecti nequit.

p *Ita hanc suscitationem reddit Vita ms :* Valentinus Annæ, uxoris lutifiguli, de suburbio Cracoviæ, puer unius anni a fratre juniore inscius curru postes impetu movens occisus, per votum patris ad Sepulchrum B. Cantii promissum ad vitam rediit. Anno Dñi 1478, Julii XVII.

q Rudava, *fluvius, Cracoviæ in Vistulam confluens.* Rundissa fluvius, quo nomine eum appellat Speculum cosmographicum Danielis Cellarii in Theatro Urbium, aut Rudava, ut a vulgo et Cromero appellatur, urbem circumluit et per eam ducitur, *donec in Vistulam incurrit* (1).

r *Vita ms. habet :* Hedvigis filia trium annorum Gregorii de Mydlniki in fluvium Rudava negligentia delapsa, mortuaque reperta, ex voto simili B. Cantii intercessione revixit. An. 1478, Julii XVII.

s *Putem scribendum*, Skarbimiriensis. *Est autem* Scarbimiria, Skarmiers, Scarbimiers oppidulum VII milliaribus Cracovia dissitum, quo Tartari quoque anno 1240 pervenerunt. Frugum dives,
B canonicorum collegio honoratur (2). *Cæterum in Vita ms. hæc suscitatio his redditur verbis :* Lucas puer duorum annorum honestæ matronæ Deambonæ de Scarbimiria in lecto suffocatus, per totam diem mortuus jacens, per votum parentum ad B. Cantium factum, vitæ restituitur. An. 1478, Septembris XXII.

t *Num forte huc refertur a mortuis suscitatio his in Vita ms. reddita verbis, haud parum utique diversis?* Nobilis Andreas, adolescens viginti quinque annorum familiæ Safranezorum de Pieskowa Skata casu lapsus de petra altitudinis viginti cubitorum et expirans, voto parentum ad Beatum edicto vitæ revocatur. An. 1478 Maji XII. *Et subditur alia itidem suscitatio, de qua nescio an meminerit Opatovius :* Nobilis Anna soror Andreæ superioris Safranezorum de Pieskowa Skata, mœrore fratris mortui, de turri sese præcipitando, mortua ac confracta eodem voto et vitam et membra sana recepit. Anno et die iisdem.

u *Hæc pro more ita breviter in præfata Vita ms:* Sophia uxor Stephani in suburbio Cracoviæ, parochia S. Stephani, odio viri sui pertæsa, se ipsam
C suspendit; in cujus domum cum fulgur horribiliter cum tonitrui ictu cedebatur, a vicinis assoluta, et ab iisdem ad sepulchrum B. Cantii promissa post tres horas revixit. An. 1478, Maji IX.

v *Meminerimus hic recitari a n. 3 ad n. 96 verba R. D. Matthiæ. Vita ms. habet :* Nic de Cracovia, filius Nicolai, ætatis trium annorum puer de fenestra cameræ domus altitudinis quadraginta cubitorum casu fortuito collapsus et mortuus, parentum voto ad B. Cantium oblato, vita donatur. Anno Dñi 1478 Maji V.

y *Sequens habetur in Vita ms. narratio :* Thomas infans de Cracovia Barbaræ in partu exanimis natus, per votum matronarum partui præsentium ad sepulchrum B. Cantii oblatus, simul vitam et sacrum baptisma recepit. An. Dñi, 1478 Aprilis XXIV.

z *Idem contractius ita, ubi supra :* Marcus filius Catharinæ et Joannis Zidek de Bochnia, mortuus et alius filius ejusdem Zydek in infirmitate gravi loquela destitutus deploratusque, per votum parentum ad Beatum factum et mortuus revixit, et infirmus et mutus, sanus loquensque efficiuntur. An. 1478 Junii II.

(1) Andreas Cellarius : Poloniæ novissima descriptio, p. 139. *Vide etiam ibidem* Iconem Cracoviæ.—(2) Ibid., p. 162.—(3) Regni Poloniæ novissima descriptio, p. 171.

aa Nicolaus adolescens viginti annorum, filius Martini de Lublin, diœcesis Cracoviensis, in gravi infirmitate mortuus, voto parentum ad S. Cantium facto (cui idem Sanctus mortuo apparuit) revixit. Anno 1483, Junii XII. *Vita ms.* AUCTORE AD. OPATOVIO.

bb *Eadem Vita ms. hanc sanationem suscitationibus suis viginti quatuor a mortuis annumerat. Ast hic, sicut etiam supra haud infrequenter accidit, oscitanti manu contracta narratio est, atque haud parum ab Opatovio reced t.* Nobilis Agnes octo annorum filia nobilis Nicolai de Raisko in gravi ægritudine decumbens moritur; cui B. Cantius et B. Hedwigis regina Poloniæ apparuerunt, et ut sepulchris ipsam præsentarent monent. Parentes mœsti de morte filiæ, eamdem ad sepulchra beatorum Cantii et Hedwigis reginæ devoverunt, quorum meritis et intercessionibus ad vitam revocata visionem narrat, votumque implevit. Anno Dñi 1483 Septembris XXIII.

cc Georgius, Joannis bombardistæ de Leopoli filius quinque annorum, gravi infirmitate Cracoviam veniens oppressus, et mortuus in pheretroque jam ad sepeliendum positus, per votum pro eo in ecclesia S. Annæ factum revixit, et post multos annos in senium vixit. Anno 1487 Maji IV. *Vita ms.* E

dd Joannes, puer unius anni Helisabethæ de Volbram, ex mensa de alveo lapsus, et fracto pede mortuus, a matre domum veniente ad sepulchrum B. Cantii promissus ac oblatus, sanus vitæ restituitur. An. 1489 Julii V. *Ubi supra.*

ee *Scribendum putem* Sandeciensis. *Sandecia, Sandetz,* ad fluvium Donajecium.... Ungariæ et Carpathiis montibus vicina urbs, probe munita, vicinas civili usu superans, et mercaturam haud contemnendam exercens, situm habet satis amœnum; abbatia Præmonstratensium monachorum et ecclesia collegiata exornatur et veterem Sandeciam uno milliari a se sejunctam aspicit, ubi Præmonstratenses moniales ditissimum tota Polonia monasterium possident (1). *Vita ms. hæc habet :* Petrus, Sophiæ de Sandecz prægnantis puer in utero matris mortuus, matre devota sepulchrum B. Cantii per votum visitante, e templo revertenti, vivus feliciter nascitur. Anno 1491 Aprilis II.

PARS SECUNDA.

F

De iis miraculis, quibus venerabilis Joannes Cantius in inventione et reseratione tumuli sui inclaruit.

Universa hæc prodigia et miracula quæ commemoravimus, exarata sunt ex antiquis et vetustate ipsa aliquatenus violatis codicibus ecclesiæ S. Annæ, confectis opera trina pastorum ejusdem ecclesiæ, hoc est R. D. Matthiæ et R. D. Bartholomæi de Sienno doctorum in jure canonico, ac R. D. Petri Lubart, Cracoviensis doctorisque S. Scripturæ. Reperio prætcrea hæc sacra lipsana ob obitu sub exedra concionatoria tumulata, elevata fuisse, tumbæ stanneæ credita, et in proximo pariete ecclesiæ, muro inclusa. Testatur ipsa Inscriptio ex tumba stannea a dominis commissariis (Illustrissimo ac R. R. D. Martino Szyszhowski (episcopo Cracoviensi jubente inquiri an vere ejus reliquiæ extarent) excerpta, quod id contigerit anno 1539. *Prologus. Ubi de loco depositarum reliquiarum B. Cantii.*

AUCTORE AD. OPATOVIO.

1539. Insuper assequor ex vetustis scriptis, quod anno 1553 R. D. Jacobus Kleparius, doctor et canonicus Cracoviensis, monumentum B. Joanni Cantio, et lapide secto egregio artificio ac proportione erexerit in eadem ecclesia, quod in hodiernum
a adhuc perseverat diem *a*. Itaque ab anno 1518 usque ad annum 1596, hoc est fere spatio septuaginta annorum miracula ejus celebrabantur, et tamen pone monumentum ejus visebatur ara, S. Annæ imagine decora. Hanc homines afflicti venerabantur et adesse sibi sentiebant. Obstupescebantque ejus ecclesiæ sacerdotes, quare potius ad summam aram, ubi erat B. Anna sculpta, quæ jam in medio dependet templo, populi non converteretur devotio. Antiqui tamen professores Magni collegii id reddebant causæ, quod penes hanc aram requiescerent sacra lipsana venerabilis Joannis Cantii, cujus merita essent gratiosa in conspectu Dei, multisque miraculis approbata, uti id pateret ex vetustis etiam ecclesiæ scriptis. Verumtamen quo loco sita essent, nec dicere nec commonefacere poterant
b *b*. Igitur anno 1603, quo jubilæum per Poloniam in S. Stanislai basilica celebrabamus, cum lapides quidam tumuli sede sua sese emoverent ac
B excidere pararent, consensu capituli tumulus videbatur transponendus. Atque cum dissolveretur, commoto muro, motus fuit etiam fortuna later quispiam, ac inde apparuit tumba stannea cum increpibili fragrantia grandibusque miraculis. Ad hæc nos itaque commemoranda accedimus, ubi tamen primo ea commemoraverimus, quæ in archivo ecclesiæ reperimus, utpote quæ antecesserunt sacrorum inventionem lipsanorum.

Ab infelici partu liberata mulier.

132 Anno 1596, vigesima Februarii. D. Agnes, D. Martini Sviechovic uxor, civis Cracoviensis, aliquot annis prolem mortuam pariebat : quare mœsta quod eo solatio matrimonii privaretur, confugiendum sibi ad Deum arbitrata, votum ad tumulum B. Cantii emisit. Et digna solatio extitit: nam postea ternam suscepit sobolem : Annam, Cæciliam et Joannem. Atque gratias tanti beneficii meritis B. Cantii post Deum illa referebat.

Simile beneficium.

133 Eodem anno. D. Catharina Kalecina civis Cracoviensis, eidem malo obnoxia, ideoque afflicta, quod nec Deo nec sibi proles servire possent, quas orbes effundebat vita, fidenter sese ad B. Cantii exuvias appromisit, ac cito ternam etiam vivam sobolem enixa est: Annam, Stanislaum, et
C Catharinam; cujus beneficii laudes grata ad exuvias ejus Beati lætaque celebravit.

Mortua revivi-scit.

134 Anno 1598, decima sexta Februarii. D. Sophia Rozycova, civis Cracoviensis in platea S. Annæ, effuso in lucem Theodoro, varie conflictata, ut parientes solent, tandem vi mali in deliquium cecidit, ut prorsus a se alienata, mortua esse credita fuerit. Interim ejus mater cum præsentibus dominabus, quæ tum aderant et conclamarant, procidens in genua, vocem extulit ad Deum et B. Cantium, ac post ardentissimam implorationem, non tardavit eas Numen solari : etenim restituta sibi est, ac melius valere cœpit. Postea vero sanitatem adepta, cum eodem filio adiit tumulum B. Cantii ac grates Deo persolvit.

Sterilis fœcunditate donatur.

135 Anno 1599 decima tertia Junii. D. Anna Witova, civis Cracoviensis, quamvis juncta matrimonio omnium rerum temporalium copiam experiretur, in hoc tamen desiderabat benedici præcipue a Deo, ut non sola cum viro, sed etiam cum liberis, quibus carebat, divinas celebraret laudes. Confisa igitur in meritis B. Cantii, voti compos reddita est : variis enim temporibus unam filiam Annam, duos vero filios enixa est Gabrielem et Michaelem. Atque hujus beneficii ad sepulchrum D
B. Cantii grata comparuit.

Mulier a periculoso morbo sanata.

136 Anno 1600 duodecima Decembris, D. Anna Mercatoria, civis Wielicensis periculosissimo morbo filiam octo septimanis decumbentem appromisit ad tumulum B. Cantii cum missæ sacrificio, et solatium promptum in ea sanata conspexit, ad sepulchrum B. Cantii voto cum gratiis satisfecit. Anno 1600 duodecima Decembris. D. Anna Mercatoria octo septimanarum decumbentem ad sepulchrum B. Cantii cum sacrificio obtulit et paulo post valentem ibidem præsentavit. *c* c

Febris cessat.

137 Anno 1603, vigesima octava Martii. D. Franciscus, sartor ex platea S. Joannis, acutam diuturnamque febrim dimidii anni nullis expulsam medicinis, ab implorata ope B. Cantii cito excussit, et exuvias ejusdem gratus est veneratus.

Parturiens adjuta.

138 Eodem anno et mense. D. Agnes, uxor nominati D. Francisci sartoris, inter difficultates partus periculum sanitatis adiens, solo devoto suspirio, patrocinio se B. Cantii commendavit, atque ad tumulum ejusdem corde appromisit; et sobolem sanam in lucem effudit, et ipsa periculum, sanitate etiam donata, evasit. E

Epilepsis sanata.

139 Eodem anno sexta Aprilis. Eorumdem parentum filiola, jactata ingenti morbo comitiali. ubi a parentibus, alias beneficiis B. Cantii obnoxiis, ad tumulum ejus appromissa fuit, ex eo tempore morbus illam reliquit.

Fragrantia ex sepulcro B. Viri:

140 Eodem anno vigesima quinta Maji, qnaudo sepulchrum B. Cantii cogitabatur transponi, uti commemoravimus, quod vetustate collaberetur, moto parietis latere, cui includebantur venerabilia ejus lipsana, confestim sese admirabilis effudit fragrantia, et miracula sunt consecuta. Ac quamvis ea res sit toti urbi Cracoviensi domesticisque nota et pervulgata, cum sit recens facti memoria; tamen propter exteros, terna mihi adferenda testium omni exceptione majorum conseo documenta atque testimonia, quæ reddita erant coram DD. Commissariis episcopalibus.

de qua triplex relatio: Prima,

141 Prima confessio est R. D. Sebastiani Nucerini, doctoris S. Scripturæ, canonici Sendomiriensis et concionatoris cathedralis ecclesiæ Cracoviensis in hæc verba : Anno Domini 1603, Jubilæi tempore, Cracoviæ miraculosa fragrantia ex loco tumuli B. Cantii per totum templum S. Annæ esse latissime propagavit, idque attestari potest innumerabilis multitudo populi, quæ fama percepta F istius miraculosi et gratissimi odoris, confestim ecclesiam intrabat ac eum persentiscebat percipiebatque.

altera

142 Altera est R. D. Stanislai Scidii, vicepræpositi et id temporis æditui S. Annæ, in hunc modum : Anno 1603 vegesima quinta Maji, cum, jam piæ memoriæ, tunc vivente illustrissimo ac reverendissimo Bernardo Macieiowski, episcopo Cracoviensi et cardinali, jubilæum Cracoviæ celebraretur, die Veneris ante festum SS. Trinitatis, hora decima quarta, sepulchrum, quod commovebant, ut renovaretur, patuit B. Cantii, quodam emoto latere, ac apparuit tumba stannea, quæ sacra ejus asservabat lipsana, et eodem ipso tempore gratissima sese diffudit fragrantia quasi violarum ex ejus sepulchro, ita ut totam ecclesiam repleverit suoque odore etiam cœmiterium afflarit; ad hanc præterea fragrantiam lux etiam quædam conspecta est. Perduravit vero hic odor diem Veneris, Sabbati et Dominicum; accedente autem mandato illustrissimi ac reverendissimi episcopi Macieiowski ut clauderetur sepulchrum, desiit. Itaque ad perceptionem istius fragrantiæ ac gratias Deo reddendas

A dendas incredibilis hominum multitudo confluebat, qui etiam ægerrime ferebant tumulum obserari: optabant enim simili miraculo diutius perfrui. Eodem die Veneris duo homines convaluere, qui tumbam attigerant. De his infra.

tertia.

143 Tertia de eadem fragrantia relatio est magnifici D. Alberti Kochanski de Brzezie annorum ætatis fere quinquaginta; quod sub magnum jubilæum a Clemente VIII papa ante viginti quinque annos *(coincidit hæc data cum anno* 1628 *quo latinam* B. Cantii *vitam edidit Opatovius)* in Poloniam missum, ingenti multitudine Cracoviam ad illud lucrandum confluente, cum etiam S. Annæ templum inviseret, viderit apertum tumulum B. Cantii, ac fragrantiam violarum imo longe his excellentiorem perceperit, ac ea ecclesia tota plenissima fuerit. Sciscitanti vero undenam hæc tam inusitata et suavis emanaret fragrantia, respondebatur ab hominibus, qui confertissimi in ecclesia erant: Esse miraculosam et quæ sese ex sepulchro B. Cantii propagaret.

Splendor circa tumbam B. Cantii.

144 Eodem tempore D. Procopius Zielopolski pileator retulit coram piæ memoriæ R. D. Nicolao Dobrocieski, Cracoviensi et Sendomiriensi canonico, B examinatore episcopi D. Macieiowski, et approbatore, quæ tunc fiebant, miraculorum, qui etiam idem hoc suum repetiit testimonium coram DD. episcopalibus commissariis: quod cum esset die Veneris post Pentecostem in ecclesia S. Annæ, hora decima quarta, sub idem tempus, cum tumulus B. Cantii dissolveretur, viderit tumbam stanneam, habentem ossa venerabilis doctoris Joannis Cantii, collucentem ac transparentem ad instar crystalli, circumdatamque ingenti splendore, in qua collocata spectabantur, velut in tenuissima subtilissimaque tela, ejusdem lipsana. Atque idem miraculosum ostentum circumstantibus commonstrabat; quod etiam et alii oculis usurparunt, ac præcipue plurimæ ex muliebri sexu hunc splendorem tumbæ ac venerabilium ossium sunt contuitæ. Idem præterea confessus est, quamdam fragrantiam universam pervasisse ecclesiam, quam omnes quotquot aderant (aderant autem confertissimi) percipiebant ac experiebantur. Cum vero eodem tempore ad hanc collustrationem ac fragrantiam ab attactu tumbæ duo donati sint sanitate, libenter C ea commemorabimus:

Sub hæc duplex contigit sanatio: manus altera.

145 Ac primum est quod his verbis refertur miraculum « Ego Sacerdos, Martinus Orzeszek Jedrzeiovita, præpositus Jemielnicensis, profiteor, cum paterer dolorem in cubito et brachio dextræ manus ab annis septem, intellecto, dum essem Cracoviæ in domo vicariorum S. Annæ, reseratum esse sepulchrum, excusso uno latere, B. Cantii, quod plenus fiducia assequendi in meo malo solatii, cucurrerim ad templum S. Annæ, ac in genua provolutus, conspexerim tumbam ad instar crystalli pellucentem; ac ideo majori fiducia erectus petierim R. D. Seledium tunc æditumm, ut bona concessione illius, liceret mihi manu ægra tumbam contingere; atque cum faciem et manum eo applicarem, admirabilem percepi fragrantiam; in manu etiam plenissimam consecutus sum mox sanitatem. Itaque profiteor hoc beneficium me esse adeptum a Deo, intercessione venerabilis Joannis Cantii. »

Altera febris.

146 Alterum est. D. Stanislaus Szablinski, ab obsequiis Ill^mi a Rev^mi D. Bernardi Macieiowski, ardentissima febri decumbens, audita fama miraculorum B. Cantii sepulchri, confestim se illud veneraturum appromisit, ac eodem die convalescens illud adiit, contingensque tumbam B. Patris, confessus est et fragrantiam se inexplicabilem percepisse ibidem, et plenissime sanitati restitutum; ac proinde gratias Deo egit, qui se interventione sui Famuli sic dignatus est consolari.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

Alia rursus miraculo cordis palpitatio sanata.

147 Id temporis adhuc, trigesima Maji, die lunæ post SS. Trinitatem. D. Matthias Wiruszek sartor, a quadragesima usque ad diem dictum, palpitatione cordis vehementiori ac convulsione in frequentia dejiciebatur diliquia ac sui abalienationes; demum etiam viribus corporis penitus erat prostratus. Audita fama miraculorum, quibus Numen B. Cantii illustrabat sepulchrum, a voto concepto illud pie venerandi, eadem hora sanitate donatus est; ac adiens ecclesiam, quod promisit, exequi curavit. Attestatio hujus miraculi facta est coram R. D. Nicolao Dobrocieski, uti commissario episcopali, sicut supra commemoratum est.

Puer in Vistula mersus servatur. d

148 Eodem anno quinta Junii. Andreas quatuordecim annorum, filius D. Balceri *d*, ensium fabri et civis Cracoviensis, ex Arcensi platea, in octava Corporis Christi, parentem ac amicos animi causa deambulantes longe antecedens, ad monasterium Zvierzynense sine teste inter natandum submersus fuit. Mulier quædam bene E nota parentibus ex loco habitaculi sui apparantem sese puerum ad natandum conspexerat; cum vero in littore vestimenta intueretur diu, nequaquam vero puerum videre poterat; quod res erat, conjectavit cum vadis esse haustum. Itaque perterrita, in crucis modum humi prosternit (se), Deum orans ac Deiparam, ut intercessione B. Cantii, ad cujus sepulchrum puerum appromitteret, servaretur. Ac mox conspicit puerum aliquoties undis ejectum sursum. Fortuna evenit, hominem per Vistulam ab illa parte navigare. Hunc inclamat; et is arreptum pede puerum littori reponit, qui mox ad se rediens, meritis B. Cantii vitam debuit, ob quam etiam parentes votum mulieris illius æstimantes, post Deum eidem famulo Dei se obligatos cum gratiis fatebantur.

Abepilepsia sanatio.

149 Anno eodem intra octavam Corporis Christi D. Anna Telania cum marito Philippo filium habebat biennem. Is aliquot diebus atroci comitiali morbo exagitatus ac fere pro mortuo habitus, ut fidenter ad sepulchrum B. Cantii fuit appromissus, sibi et sanitati est restitutus; ac bene sanus ad exuviarum venerationem ab iisdem adductus F

Morti proxima convalescit

150 Adhuc eodem anno intra octavam Corporis Christi. Helena sanctimonialis S. Dominici, in platea Arcularia, cum filiolam quinquennem orphanam, quam timorem Dei et laborem manualem edocebat, tanta febri ardere conspexisset, ut ei jam deploratæ exhiberi cereum accensum juberet: confisa meritis B. Cantii, appromisit eam ad sepulchrum ejusdem, ac rea facta promissi, cum eaque puella brevi post ad tumulum gratias persolvit.

Sanatio a febri et

151 Quarta Junii. D. Matthias de Maioviciis, famulus R. D. Fulgierdi, canonici Cracoviensis, auctissima febri inflammatus aliquot septimanis, viribusque penitus exhaustus, nulla alia remedia sibi jam profutura arbitratus, ad Deum interposita sui ad sepulchrum B. Cantii appromissione confugit. Ita miraculoso solatio recepto, adiit cum sacellano ejusdem canonici venerandas exuvias, ibique auditione sacri gratus videri voluit.

punctionibus lateris.

152 Quinta Junii, intra octavam Corporis Christi. Virgo Anna, Mater sanctimonialium S. Spiritus, subito et periculoso morbo acutissimarum lateris punctionum obruta, sensibus et animo linquebatur,

AUCTORE AD. OPATOVIO.

tur. A sanctimoniali Anna Niemsczanka, sua tunc curatrice mœsta, in genua procidente ac devote ad tumulum B Cantii cum missæ sacrificio oblata, brevi ad se rediit, ac intra paucas horas convaluit. Atque veniens ad S. Annæ ecclesiam, et beneficium legitimo attestata est et voto suo satisfecit.

Domus ab incendio præservata.

153 Eodem anno ac tempore. D. Joannes Cezarovicz, civis et lanio Wielicensis, cum Cracoviæ in templo Arcensi S. Stanislai existeret, ac Wieliczkam igne ardere inaudiret, genibus flexis supplicavit B. Stanislao et B. Cantio pro sua domo ac ejus familia. Hinc plenus spe fiduciaque, arripit iter et solatum se reperit: nam integram domum suam invenit, vicinis circumquaque in cineres datis. Quare reversus Cracoviam SS. Patronis gratias egit et ad tumulum B. Cantii ceream domunculam appendit. Hujus miraculi fides ab ipsis civibus Wielicensibus præterea asserta est.

Variorum morborum sanatio.

154 Eadem etiam tempestate, plurimi febres ardentes oblatione sui ad tumulum B. Cantii restinxerunt. Inter hos referimus D. Joannem Kolabicki ex montibus Wielicensibus auctissime et continue febricitantem; Joannem pellionem in fronte vulsiones patientem ac pustulis obrutum; B Andream sartorem, tribus septimanis febribus decumbentem. Hi omnes, appromissione facta ad sepulchrum B. Cantii plenam sunt adepti sanitatem.

Dolor capitis ablatus.

155 Decima sexta Junii. D. Paulus Parvus, civis Leopoliensis, capitis doloribus acutissimis vexatus, viribusque inde plane prostratus, ab appromissione sui cum missæ sacrificio ad exuvias B. Cantii dolores illos excussit et in gratiarum actionem ad sepulchrum B. hujus Patris comparuit.

Pluribus malis juvenis liberatus.

156 Decima octava Junii. Jacobus, filius Raphaelis Bianka, murarii itali, primo febribus aliquot diebus inflammatus, dein comitiali morbo jactatus, huc accedente etiam palpitatione cordis, ex qua in quamdam inusitatam dejiciebatur formidinem ut se absconderet; a matre mœsta appromissus sepulchro B. Cantii, Dei omnipotentis misericordia, confestim omnibus his malis est liberatus.

item mulier ab ulcere in gutture.

157 D. Anna, Stanislai murarii uxor ex platea Columbarum, periculosissimo ulcere toto gutture insessa ac inflammata, adiens in templo S. Annæ C sepulchrum B. Cantii, ac sese ad illud misericordi Deo offerens, a confessione et sumpta ibidem Eucharistia, hilaris sanaque domum abiit. Et iterum sepulchrum venerabile repetens, cum marito et sorore, illud venerata ac beneficium recognoscens, Deo grates persolvit.

Infans sanata.

158 Vigesima tertia Junii. D. Catharina Witona Zabrzesca ex piscatricibus, dimidii anni infantem obtulit ad sepulchrum B. Cantii, et sanum factum lætata est; ac grata cum marito et familia veneratum B. Cantii exuvias recognitumque beneficium ejus meritis acceptum comparuit.

item femina a sævis doloribus

159 Secunda Julii. D. Regina Krzynokolska, toto corpore nescio quibus doloribus contrita, ubi sese ad sepulchrum B Cantii obtulit, cito convaluit, ac donata plena sanitate, voto satisfecit sanctumque famulum Dei prædicavit.

ac sanctimonialis a variis morbis.

160 Sub idem tempus virgo sanctimonialis dominicana ac mater, Magdalena variis afflicta morbis tumorum febriumque, idque diu; nec pedibus uti nec loquela poterat et ideo a suis sanctimonialibus deplorabatur. Tamen quia reverberabantur frequentia miraculorum B. Cantii, oblata est ab illis cum missæ sacrificio ad ejus sepulchrum, ac satis cito ope Dei, intercessione B. Cantii incolumis evasit, Sanctumque sibi sic propitium, ad sepulchrum venerata est. D

item et alia mulier.

161 Septima Julii. D. Catharina (uxor) Josephi ensifabri ex platea Arcensi, variis et diuturnis exagitata morborum malis, totoque divexata corpore, votum ad sepulchrum B. Cantii emisit, et solatio potita est. Quæ veniens cum vicina sua, recognovit beneficium, ad exuviasque B. Cantii gratias Deo reddidit.

Gutturis dolor depulsus.

162 Duodecima Julii. Gaspar Sikora nauclerus, ex pago Przykopy prope Osiekam, adiens ecclesiam S. Annæ et sepulchrum B. Cantii, recognovit sibi guttur ingenti cum dolore ab ulcere obsessum fuisse; quod ubi fama miraculorum increbescente fidenter ad sepulchrum B. Cantii obtulisset cum missæ sacrificio, fuisse se et doloribus et periculo vitæ liberatum; quare voti facti se libens condemnavit.

Ab acuto malo mulier liberata.

163 Vigesima Julii. D. Apolonia, Joannis sutoris uxor, civis Cracoviensis ex platea S. Floriani, retulit in præsentia plurium S. Annæ sacerdotum, se aliquot septimanis acutum dolorem cum deliquiis fuisse passam, excussisse vero mox a sui ad sepulchrum B. Cantii miraculis celebre oblatione; E et quas promisit persolvit Deo ibidem grates.

Febris cessat

164 Vigesima nona Julii. D. Barbara Ozarovska, distans Cracovia tribus aut quatuor milliaribus, in periculosissima febri morti filiam suam accedentem, confisa Deo, B. Cantio cum missæ sacrificio obtulit. Cœpit convalescere ac in actionem gratiarum beatique Cantii contestationem sanctitatis ad ejus sepulchrum præsentavit sese.

sicut et varii morbi.

165 Tertia Augusti. D. Anna Sievicka, ex platea Siennensi varios, quos depellere poterat nullis medicinis, ideoque a medicis derelicta, ac morti destinata, morbos solo refugio ad votum sepulchri B. Cantii, omnes sese infestantes effugit infirmitates; ac sana existens, beneficii hujus Deo ad sepulchrum B. Cantii dixit se gratam.

Simile beneficium.

166 Duodecima Augusti. D. Regina Mencinska, civis Wielicensis, cum diversis doloribus dimidii anni nullis medicinis occurrere valeret, Deum per appromissionem sui ad tumulum B. Cantii sibi adesse imploravit, et sanitatem consecuta cum voto etiam grata reddidit.

Mulier a diuturna infirmitate,

167 Decima tertia Augusti. D. Eva Raciborska, Cracovia quatuor leucis distans, diuturna infirmitate, appetitu deperdito, conclamatisque mediis F humanis, appromisit sese veneraturam tumulum B. Cantii, et mature convalescens ibidem grata comparuit.

maritus a periculoso lapsu sospites.

168 Item Martinus Raciborski, maritus suus, quodam itinere suscepto, equo, quo vehebatur collapsus, utrumque femur sic læserat, ut vix pro exanimi habitus non fuerit. Uxor, memor solatium se a B. Cantio recepisse, fiducia constanti cum ad lipsana B. Cantii appromisit. Itaque brevi spatio convalescens, sanitatem suam præsens B. Cantii intercessioni in acceptis retulit.

Puellæ sanatio.

169 Vigesima Augusti D. Regina Ochelska, capitanea Tinicensis, filiam periculose decumbentem ad exuvias B. Cantii obtulit cum missæ sacrificio, et solatium, quod optavit, reportavit. Quare cum præsentata a se filia grata comparuit.

Equus servatur.

170 Eodem die. D. Stanislao Ostrovski, quatuor leucis Cracovia manenti, cum quoddam iter suscepisset, equus quadam vi morbi procumbens, efflare animam incipiebat. Concepta in Deum spe ac sui famuli B. Cantii meritis fiducia, quod præsto essent in adjuvandis non solum hominibus, sed etiam eorum obsequiis destinatis jumentis; obtulit eum

A eum ad ejus sepulchrum. Equus mox convaluit, itinerique conficiendo idoneus fuit. Ac gratus juxta legem Dei, primogenita majorum jumentorum redimi minoribus imperantis, oblatione singulari, Deo et suo Famulo apparuit.

Febris extinguitur.

171 Prima Septembris. D. Stanislaum Zadorski, negotia sua Cracoviæ expedientem, periculosissima febris invaserat; quam cum nulla ope humana effugere posset, votum honorandi tumuli B. Cantii emisit, repenteque sanatus, adiit ecclesiam beneficiumque deprædicavit.

Trina proles a febribus liberata.

172 Decima sexta Septembris. In domo D. Joannis Mirosz cingularii, civis de Coriariis, ternæ proles febribus accensæ incredibiliter matrem suam afflixerunt; quæ tamen nil hæsitans de ope per merita B. Cantii, quam alii passim erant experti, sibi adfutura, obtulit eas ad ejus sepulchrum. Et recepto solatio, cum iisdem ternis prolibus, exuvias beati Patris parentes venerati sunt

Puella sanitati restituitur.

173 Decima quarta Septembris. D. Valentinus Baiol, ex platea Sutoria caupo civisque Cracoviensis, habuit filiam jam conclamatam de vita. Ejus filiæ mater perfusa lacrimis adiit S. Annam, ac filiam ad sepulchrum cum missæ sacrificio, B quod audiebat, appromittit; quo finito cum domum repetit, filiam reperit convalescentem. Hujus beneficii causa, iterum gratiæ ad tumulum sunt persolutæ.

Equus a lapsu consurgit

174 Vigesima Septembris. D. Jacobo a Kotharo ex platea Sutoria, in certo negotio equo vecto, equus aliquo malo tactus concidit, nulloque modo elevari potuit. Itaque attendens molem negotii, honoraturum se exuvias B. Cantii addixit, equus vero confestim in pedes assurrexit, et, parva in hospitio ducta mora, validus est effectus. Hoc ille beneficium post Deum B. Cantii meritis deferebat.

Puella a ventris profluvio liberata.

175 Vigesima tertia Septembris. D. Elisabethæ Ochocka, ex platea S. Floriani, filia profluvio ventriculi biennio effluebat, nec ullis mediis sisti poterat. Oblata est ad tumulum B. Cantii, et brevi temporis spatio sanitatem adepta, vota Deo ad tumulum P. Cantii reddidit.

Pueri sanatio.

176 Vigesima octava Septembris. D. Reginæ Oczkova, civi Wielicensi, filius Stanislaus sexennis gravissimo morbo, et præterea paralysi affectus, plane impos sui aliquot septimanis decumbebat. Mœsta parens voto ad tumulum B. Cantii C solatium quæsivit, et invenisse se attestata est, quando mature cum filio ad gratias faciendas eo advolavit.

Puella a languore restituta viribus.

177 Quarta Octobris. Joannes et Agnes ex pago Olesnice, in templo S. Annæ apud tumulum B. Cantii testati sunt, filiam Catharinam ægram cœpisse convalescere integro biennio, nec tamen fortem umquam fuisse, quæ labori par esset, quia sæpe decumbens inutilisque parentibus foret. Qua poterant devotione eam ad sepulchrum B. Cantii appromiserunt, ac cum filia, quæ ante incedere nequibat, forti satis, gratias acturi comparuere.

Febris ablata.

178 Septima Octobris. D. Barbara Liberina, civis Cracoviensis ex platea Arcensi, ardens acutis et continuis duabus septimanis febribus, exhaustam se ac viribus prostratam cernens, obstrinxit sese veneraturam B. Cantii tumulum. Et Deus illam sanitate donavit, illa vero vota cum gratiis persolvit.

A variis morbis convalescit puer sexennis.

179 Vigesima septima Octobris. D. Anna Zolaszowska, civis Cracoviensis ex platea S. Floriani, filium sexennem nomine Joannem, periculose duodecim septimanis ægrotantem, quem demum et loquendi et audiendi deseruerat facultas, medicique conclamavere, Deo nixa, ad tumulum B. Cantii appromisit. Et is continuo sibi sanitatique restitui cœpit, sic ut postea bene sanum præsentans, cum missæ sacrificio ad lipsana B. Cantii gratias peregerit.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

A febri vir liberatur.

180 Sexta Novembris. D. Gregorius Brodovski, villicus illustrissimi reverendissimique D. Bernardi Macieiowski, episcopi Cracoviensis, acuta et continua febri per quindecim septimanas conflagrabat; indies vero malum augeri advertens, qua par erat devotione obstrinxit se tumulum B. Cantii honoraturum; proinde etiam febris notabiliter extingui ac deficere (cœpit). Sanus ad lipsana famuli Dei comparuit cum uno ex patribus Bernardinis, et exomologesi præmissa sumptoque divino epulo, Deo et suo Beato gratias faciebat.

Item alter:

181 Decima tertia Octobris (Novembris?). D. Andreas Ochocki ardentissimam febrim, quæ se de vita conclamare jubebat, excitus tot miraculorum B. Cantii fama, voto ad sepulchrum ejus extinxit ac cito convaluit.

atque hujus terna proles.

182 Sub idem tempus cum terna ei proles, ex quibus duo filii una filiola erant, decubuissent simul, E obtulit eas cum missæ sacrificio ad eadem sacra lipsana, ac se solatium recipisse est attestatus, quando cum iisdem liberis et uxore gratias reddituros sese præsentavit.

Dolores capitis sopiti

183 Decima septima Novembris. Stanislaus, villiculus ex pago Koszycensi, puncturas capitis ad abalienationem sui passus septemdecim septimanas, a mœsta uxore jam imminens morti ad sepulchrum B. Cantii est oblatus, ac continuo puncturæ capitis sunt sopitæ. Is sanus veneratus est exuvias beati Patris, seque ipsius beneficiis obnoxium vulgavit.

Relatio de sanatione a punctionibus lateris.

184 Talis est relatio, quam de suo beneficio fecit Martinus Baron. « Ego Martinus Baron (ex) Jeroslavià, testem invoco Deum omnipotentem, beatos Angelos omnesque Cœlites, me rem verissimam referre. Anno D. 1603, decima nona Novembris, Roma in Poloniam rediens per Lombardiam, in civitate Italica Bassanensi in ditione Veneta, Venetiis triginta milliaribus italicis distante, correptus fui acutissimis punctionibus dextri lateris, quæ aliquot diebus et gressum et respirationem penitus adimebant; sed nec decumbere licebat: instar enim acinacis cor ipsum vis punctionum F transverberabat. Nullum occurrebat malo mitigando aptius remedium solo ad Deum et Sanctos ejus refugio. Itaque appromissione ad celebratissima Joannis Cantii, doctoris in sacra Pagina, Cracoviæ tumulum, quod ibi tenerer audire, nudis genibus humi flexus, tria sacra. Atque nocte voto huic succedente, uti licuit obdormiscens, intuitus sum venerabilem Joannem Cantium, magna circumfusum luce: sicque me est affatus: Consurge, ac tuum iter mature prosequere. Memor etiam promissorum, ea ut impleantur a te advigila Cracoviæ. Ego interim somno solutus, incolumem me comperi. »

Periculosus manus tumor sanatur.

185 Prima Decembris. D. Catharina vidua, ex platea S. Annæ, gravissimum dolorem perpessa in manu, quæ ei tumore purulento a pugno usque ad brachium intumuerat, nec ullis medicis artibus aut emplastris curabatur, quin ex iis aucto malo magis inflammabatur. Toto corde invocavit Deum ac sese ad lipsana B. Cantii obtulit; et detumuit manus dolorque abscessit. Cujus beneficii grata exuvias B. Cantii est venerata.

Mulier ex partu periculose decumbens convalescit.

186 Quinta Decembris. D. Sophia Langova, ex vallo portæ S. Nicolai, partu difficili læsa valetudine,

AUCTORE AD. OPATOVIO.

dine, periculosis jactata symptomatis, jam sese ad extrema certis colligebat appropinquare indiciis. Vix tamen suspiraverat ad Deum, memor B. Cantii, ejusque se patrocinio commendaverat, mox dolores evanescere, ipsaque sibi restitui cœpit. Id beneficium ad exuvias B. Cantii cum lacrymis ab ipsa est evulgatum.

Dolor in pectore ablatus.

187 Decima Decembris. D. Anna ex S. Nicolai platea tantum cruciatum in pectore persenserat, ut de vita in alterum diem protrahenda prorsus desperasset. Sic afflicta ad Deum, interposito B. Cantii patrocinio, confugit; et confestim malo alleviata est, ac sana Deo et B. Cantio gratias persolvit.

Cardinalis, episcopus Cracov. sanitate donatur.

188 Anno 1604, quarta Januarii. Ill^mus ac Rev^mus D. Bernardus Macieiowski, episcopus Cracoviensis et S. R. E. cardinalis, in gravi ac periculosa sua infirmitate appromisit se ad tumulum B. Cantii, atque miraculosam sanitatis accessionem est expertus; perfecte vero incolumitati redditus, invisit tumulum B. Cantii, ibidemque Eucharisticum Deo litavit sacrificium. Ut vero memoria beneficii extaret æterna cum stemmate calicem sacrum dono obtulit.

Lepræ sanatio.

B

189 Trigesima Januarii. Sophia, coctrix collegii juristarum, lepra in vultu deformata, ac doloribus ejus aliquot septimanis diu noctuque divexata, vix sese appromiserat ad sepulchrum B. Cantii, cum e vestigio dolore levata est. Cujus beneficii Deo grata apud exuvias famuli Dei gratias exolvit.

Prole viva donatur matrona hactenus mortuas enixa.

190 Trigesima prima Januarii. D. Kasprova, filia D. Dziuli, mœsta se non vivas parere proles, talesque sibi a Deo jam concessas cum doloribus quaternas fuisse, quæ tamen non multiplicarent lætitiam, cum ab utero velut a sepulchro ad sepulchrum transferrentur. Sic afflicta audit famam miraculorum B. Cantii, et corde ad Deum, ad B. Annam, ad B. Cantium elevato, per votum supplicat, ut in partu vitæ solatium recipiat. Certam eleemosynam templi hujus sacerdotibus singulis diebus Martis distribuit. Non longe post cordis sui desiderio eam Numen fecit potiri, filiolam vivam enixa est, nomen ei Annæ imposuit, ac beneficium se professa est debere Deo B. Annæ ac beato Cantio, idque ad ejus venerandas exuvias,

Sospes ex bello redux.

191 Decima Februarii. D. Joannes Gebski, profectus ad bellum in Livoniam, commendaverat sese patrocinio B. Cantii, ac de hoc securus, incolumis
C
in patriam revertit, inque signum animi grati grandes duas candelas ac mappam obtulit ejus tumulo.

Vir variis doloribus liberatus.

192 Vigesima Februarii. D. Paulus Chechelski, sartor quatuor septimanis variis afflictus morbis et doloribus, nullum mali in humana persentiscens ope remedium, divinam misericordiam, voto se ad tumulum B. Cantii obligans, imploravit, et malis exemptus cum actione gratiarum ad exuvias B. Cantii apparuit.

Duo pueri sanati.

193 Vigesima sexta Februarii. D. Catharina Jaszczurkova, civis Cracoviensis ex platea Florianensi afflicta periculosis febribus Joannis et Catharinæ suæ prolis, metuens eis simultaneam mortem, voto ad B. Cantium concepto, pro vita eorum supplicem se dedit et solatium se recepisse aditione cum duobus liberis est attestata.

Filia, matre invocante B. Cantium, convalescit.

194 Decima septima Martii. D. Alberti arcularii uxor, ex platea Nicolaensi, cum filiæ, gravi dejectæ morbo, assideret, nomine Sophiæ, tristisque ideo esset, occurrit illi, ut eam, sepulchro B. Cantii appromitteret. Atque hæc ubi præstitisset, confestim filiam colligere vires advertit, ac bene sanam ad laudes Deo dicendas tumulo B. Cantii re- D
præsentavit.

Mulier ex partu læsa sanatur.

195 Vigesima Martii. D. Malcher pistor læsam partu uxorem, jamque periculum vitæ adeuntem, obtulit ad sepulchrum B. Cantii, ac solatium, mature convalescente uxore, se recepisse ope B. Cantii ad suum sepulchrum asseruit.

Proles mortua revivisit.

196 Decima sexta Junii. D. Hedvigis, uxor cujusdam Laurentii, circa Vistulam ex parochia Rupellæ Sacræ, enixa erat filiam (quam postea cognominaverunt Reginam) sed vitæ expertem. Sic consternatis mœrore parentibus, D. Marusza, Mazovia oriunda, procidit in genua, ad tumulum, si vivat, prolem appromittit, gratiamque baptismi ei flagitat concedi. Spatio mediæ horæ proles revixit, a matreque convalescente, cum Missæ sacrificio B. Cantii tumulo est præsentata.

Integra familia sanitati reddita.

197 Vigesima Octobris. D. Sebastianus Cyrus, advocatus altioris juris Magdeburgensis, cum consorte sua Anna, tribus filiis et duabus filiabus asserebat in variis morbis suis liberorumque imploratam B. Cantii opem sibi adfuisse præsentem, ac votorum gratia sese accessisse reddendorum. Prætereaque anathema, in quo ipse pictus cum uxore ac prolibus cernebatur, affixit.
E

Auxilium in morbo Sigismundo Margravio præstitum.

198 Anno 1605 vigesima Februarii. Illustrissimus D. Joannes Sigismundus margravius Myszkowski, Sigismundi III regis Poloniæ et Sueciæ magnus mareschallus, quod voto concepto ad sepulchrum B. Cantii, sanitate fuerit restitutus, præsens splendida frequentique comitatus aula, ac præterea multis illustribus personis tumulum Cantianum invisit, ac ad illum, ut se gratum beneficii contestaretur, devote sacro missæ sacrificio interfuit.

Puerulus mersus revivisit.

199 Decima quinta Maji. Mulier Midlaicensis post Lobzoviam, reperit puerum in tunna (dolio) aquæ plena demersum ereptumque sine anima multis persecuta ejulatibus, suam imprudentiam, occasionem mortis puerilis, deplorabat. Tandem memoria subeunte gratiarum, quas experirentur afflicti apud B. Cantium, magna fiducia votum ad ejus tumulum concipit, ac puer intra horam revivscit. Itaque postera die beneficium divinum ad sepulchrum B. Cantii celebratura accessit cum eodem puerulo e.
e

Vir non mortuus ad vitam.

200 Vigesima quinta Junii. Valentinus Pawlik, civis Petricoviensis, ex suburbio Cracoviam veniens in ecclesia S. Annæ, conscientiam suam F
obligans, retulit, accedente etiam unius sui vicini testimonio, infirmitatis vi indies gliscente, eo se perductum fuisse, ut ad instar mortui esset, deploraretur que jam horæ intervallo; interim amicis de genibus sese ad sepulchrum B. Cantii offerentibus, brevi temporis spatio revixisse quasique a somno excitatum esse. Ac gratus beneficii vitæque sibi donatæ laudes reddidit Numini.

Moribunda convalescit.

201 Anno 1609 vigesima Aprilis. D. Regina Clementis Crosnensis, gravi dejecta infirmitate, indiesque pejus habens, nequicquam mali vim medicinis elidentibus, deplorata jam agonizabat. Andreas filius ejus et sacerdos intuens matrem jamjam alio commigraturam, in crucis formam sese in terram abjecit, ac ad tumulum B. Cantii cum missæ sacrificio addixit. Confestim mater cœpit retrocedere a mortis præludiis, ac cito convalescens B. Cantii tumulum grata invisit.

Matrona ex periculoso morbo sanata.

202 Anno 1610 quarta Maji. D. Hedvigis Dobroszowska, burgravia Cracoviensis, in periculoso morbo, de vita certis ex indiciis addubitans, Dei opem interposito B. Cantio imploravit et experta est. Etenim mature sanitate donata, sacrificii missæ

A missæ auditione, se curationem suam B. Cantii intercessioni debere asseruit.

Relatio de sacerdotis cujusdam sanatione.

203 Relatio miraculosi beneficii, quod R. D. Lucas Regelius in suo gravi expertus est morbo, ita sonat. « Anno 1617 decima tertia Octobris. Ego Lucas Regelius ex Montanis penes Mstowo, vicarius altarista et ædituus Leloviensis, candide assero hac manus propriæ scriptione, præterito anno circa festum S. Lucæ evangelistæ febribus me arcisse periculosis admodum, nec lecto duabus fere septimanis assurrexisse, ab amicisque me invisentibus ac meipso, vicinitatem mihi mortis adesse, adversum (animadversum) fuisset. Itaque humanis remediis deficientibus, B. Cantii identidem memoria subeunte, cujus lipsana in ecclesia S. Annæ requiescunt, confugiendum mihi ad ejus intercessionem judicavi. Succedente igitur nocte ab omnibus deploratus, solusque jacens in lecto, oculos cœlum versus elevavi, et conspexi B. patrem Cantium in veste, quam Togam vocamus, manibus junctis ac etiam in sydera elatis, pone vero ipsum Dieparam Virginem. Atque hoc viso, sudore madui; confestim ita convalescere cœpi, ut mane summo repererint me plene incolumem.
B Hoc igitur miraculosæ sanationis beneficium primum SS. Dei Parenti, secundum illam B. patri Cantio libens in acceptis fero; et gratum me sancto missæ sacrificio sum attestatus. Præterea etiam ut ab aliis celebretur, ad majora divinæ gloriæ incrementa propagandique honoris venerabilis Famuli sui, manu propria, obligans conscientiam meam, subscripta, ea ita, sicut retuli, acta esse consigno. Lauderis Deus meus in Sanctis tuis. »

Altera relatio de visu restituto.

204 Alia relatio de oculis cæcis lumini restitutis D. Alberti Philinii, notarii Kransniciensis anno (1610?). « Ego Albertus Philinius, artium liberalium et philosophiæ baccalaureus, civis et notarius Crasniciensis, obligans conscientiam meam, profiteor in veritate, cum infelici casu orbatus essem lumine ac visu utriusque oculi, decumbensque præ dolore, majoribus pressus etiam tædiis, apparuisse mihi prodeuntem ex pariete manum, cereum mihi accensum offerentem, cum hisce verbis: Cantius sum, lumine te dono. Ab hoc tempore uno oculorum intueri cœpi, et indies vi videndi fortiori usus sum; hocque uno oculo æque præclare visu fruor, quam olim duobus, ita ut non solum meas amico-
C rumque privatorum causas, sed etiam ipsius civitatis absque ullo impedimento expedire valeam. Atque hoc beneficium posteritatis memoria recoli cupiens, argenteum anathema gloriæ Dei conditoris mei ac honori B. Cantii, devote me etiam dedicans, appendo consecroque. »

Proles sanitate donata.

205 Anno 1610. D. Paulus Karniovski, a civitate Widavensi, metuens proli suæ, cum uxore Barbara (extremo enim morbo correpta erat); invocato B. Cantio, confestim incolumen receperunt prolem, ac sic votum ad sepulchrum læti mandarunt executioni.

Item alter

206 Eodem anno. D. Joannes Lachowski, ex civitate Chensinensi, cum uxore sua simul veneratum accedens, votaque exsolutum ad sepulchrum B. Cantii, retulit filium suum Petrum morbo gravi jam oppressum jamque agonizantem, vix oblatum voto ad B. Cantium confestim convaluisse.

et rursus alius

207 Anno 1611. D. Sebastianus de Sczepanovio cum uxore sua filium Albertum periculose decumbentem, jamque conclamatum fidenter obtulit ad sepulchrum B. Cantii; et is mature convaluit, cumque parentibus sese ad sepulchrum præsentavit.

208 Eodem anno octava Maji. Paulus candelarius post portam S. Nicolai, in Vistula cymba excidens, submersus mortuusque extractus, a piis amicis cum missæ sacrificio appromissus ad sepulchrum B. Cantii, subito revixit, et primæ sanitati restitutus est

AUCTORE AD. OPATOVIO. Submersus revivescit.

A gravi morbo sanatio.

209 Eodem anno. D. Joannes Tolsin, civis Wielicensis, quod interventione B. Cantii, ex gravi morbo sanationem esset consecutus, apud sepulchrum ejus gratias egit et professus est.

Item a palpitatione cordis.

210 Anno 1612, die octava Martii. D. Erasmus Domaszowski, stabuli S. R. M. præfectus, palpitatione cordis, quod est fons vitæ, periculosa adeo correptus, ut de ejus vita conclamari videretur. Confisus Deo, sanctæ ejus Genetricis implorabat patrocinium. Interea sopore obruto apparet Deipara, ac sic eum alloquitur: Adi sepulchrum Joannis Cantii, quod est in templo S. Annæ, atque sic sanitatem consequere. Tam jucundo visu experrectus, nullumque doloris sensum persentiscens, nil cunctatus, eodem die sepulchrum est veneratus. In memoris præterea gratique animi signum, obtulit ad exuvias B. Cantii vestem sacram ex admodum pretioso serico, quam etiam suis armis insignivit.

Loquelæ usus redditus.

211 Eodem anno. D. Hedvigis. Czynska, diuturno morbo ad extrema deducta, loquelam perdiderat,
E Mœstus conjux solatium voto ad sepulchrum B. Cantii se imperaturum ratus, eam ibi sistendam appromittit. Post hæc ægræ apparet B. Cantius, se benedicens, ea specie, uti referebat, qualis in imagine repræsentatur, ac continuo loquelæ sanitatique restituitur. Non intermisit hoc sepulchrum venerari, quod Deus talibus solatiis exornare constituit recipiendis.

Mulier convalescit a periculoso morbo.

212 Anno 1613. D. Susanna Oleska, succameraria Pomeramiensis, in periculoso morbo jam conclamatam se videns, cordis devoti suspirio B. Cantium invocavit et confestim convaluit. Ideoque ubi exequendi voti causa ad sepulchrum comparuit, id commemorare minime neglexit.

Item Palatinus Lublinensis.

213 Anno 1614, septima Februarii. Illustrissimus D. Gabriel Tenczynski, palatinus Lublinensis, quod in infirmitate sua præsens auxilium et solatium meritis B. Cantii fuerit consecutus, in persona sua ejus sepulchrum est veneratus. Ac proinde declarandi animi sui grati causa erga B. Patrem, obtulit tres partes holoserici rubri, ex quo vestis sacra et duæ dalmaticæ confectæ sunt, prætereaque tegumentum, quo festis solemnioribus tumba ejus contegitur. F

Item alii plures.

214 Eodem anno Adamus Osmolski, civis Leopoliensis, cum conjuge Hedvige ac duobus liberis comparens in templo S. Annæ ad sepulchrum B. Cantii, retulit se ægros a medicis depositos, ubi primum votum venerandi sepulchri B. Cantii concepissent, sanitati restitui cœpisse. Ut igitur gratos se testarentur, sacrificium missæ decantatum fuit.

Loquela restituta.

215 Eodem anno D. Sophia Clepariensis cum filia Regina sepulchrum B. Cantii venerata, fatebatur eamdem filiolam diuturno gravique morbo decumbentem sine loquendi facultate jacuisse integra septimana; ubi primum cum illa sese appromisisset honorem delaturum sepulchro B. Cantii, statim loqui cœpisse.

Puer sanatus.

216 Prima Augusti. D. Joannes Polakovicz cum Anna conjuge sua, ex platea Arcensi, Hyacinthum filium suum admodum ægrotantem secum præsentare se ad exuvias B. Cantii appromiserunt; ac confestim puer cœpit convalescere, cum quo jam incolumi gratias persolverunt.

Morti proximus convalescit.

217 Quinta octobris. D. Joannes Poleyski, ex terra Siradiensi, in periculosa infirmitate, viribus se deficere mortique appropinquare cernens, votum

AUCTORE AD. OPATOVIO. tum ad sepulchrum B. Cantii concepit, ac confestim viribus sanitatique restitui cœpit; et paulo post executus est, ac id retulit.

Anathemata. 218 Extant præterea multæ miraculosæ gratiæ, intercessione B. Cantii in variis necessitatibus ac infirmitatibus exhibitæ. Idque ipsum attestantur cerea signa, tabulæ ligneæ, præcipue vero argentea anathemata supra monumentum ejus defixa. Juxta publici notarii annotationem in Urbem missam, anathemata argentea censentur quinquaginta, exceptis quæ post aucta sunt. Inter hæc ponimus Illustrissimam D. Sophiam de Tenczyn (Tenczynska) palatinidam Lublinensem, quæ in certo morbo experta solatium, B. Cantio obtulit thecam pro manu, ex argento ingeniose fabricatam, veneranda que est ejus sepulchrum cum missæ sacrificio inter concentus solemniter decantato. Hæc vero anathemata, uti ex anno in iis inscripto constat, profitentur miracula patrata ab anno 1602, quo ejus sepulchrum inventum est ac reseratum. Item D. Elisabetha Altembergia vitam cum morte commutatura in argumentum devotæ et gratæ pro beneficio recepto mentis erga B. Cantium, ac ut ejus oratio suæ proficeret animæ, legavit ejus aræ B argentum signum in cruce morientis Salvatoris. Deo itaque optimo maximo hæc omnia sunt attribuenda, qui suis stans promissis, famulis suis, quibus cordi gloriæ suæ amplificatio fuit in terris, non solum cœlestibus dignatur sed etiam terrestribus honoribus.

ANNOTATA.

a *Meminerimus Vitam B.* Cantii *ab Opatovio editam anno* 1632. *Vide Comm. præv.* § I, *n.*

b *Confer Comm. præv.* § III, *n.* 47.

c *Evidens est duplicem hic ejusdem miraculi versionem haberi in codice ms. patris Boym. Præterea dubitari potest an vox* Mercatoria *nomen proprium, an vero uxorem* mercatoris *indicet.*

d *Alio modo, et opinor rectius scribitur nomen istud ab auctore Vitæ ms* : Andreas filius Balthasaris Bruczek, gladiatoris Cracoviæ, in Vistula fluvio sine licentia parentum se lavans, aquis absorptus ac moribundus ex eisdem extractus, voto unius mulieris interim præsentis pro illo facto ad vitam revocatur, teste R. P. D. Nicolao Dubrocieski canonico Cracoviensi, ac miraculorum ejusdem B. Cantii examina- C tore. Anno Dñi 1603 Junii v.

d Stanislaus, filius Alberti et Annæ de Villa Mydlaiki, puer duorum annorum, casu absentibus parentibus delapsus in vas plenum liscivii, suffocatusque ac mortuus ab hora nona usque ad decimam quartam, voto parentum ad B. Cantium facto, revixit. Anno 1604 Januarii XVI. *Ubi supra.*

TERTIA ET RELIQUA PARS.

De miraculis coram DD. commissariis episcopalibus recognitis.

Instituitur ba episcopo Cracov. Commissio. Anno 1622, secunda Junii, piæ memoriæ illustrissimus ac reverendissimus D. Martinus Szyszkowski, episcopus Cracoviensis, instantia justa et ardenti postulato Rectoris, doctorum, omnium professorum academiæ Cracoviensis, pro B. Joanne Cantio, doctore ac professore suo, quandoquidem voluntas Dei tot miraculis declarata, in album Sanctorum in ecclesia Dei referendo, flagitatus fuit D tamquam pastor, ut more ecclesiæ usitato, ad id sese etiam commissione sua adjungere ne gravaretur. Permotus ille hac petitione, dedit commissionem ac designavit commissarios R. D. Joannem Toxa archidiaconum Cracoviensem, R. D. Lucam Doctorium, R. D. Jacobum Naymanovic canonic. Cracov. et R. D. Martinum Klocinski, præpositum a Corpore Christi ; id eis concedendo, ut acurate inspecta vita et miraculis B. Cantii, eorum relationem luculentam ad sedem apostolicam destinarent ; quatenus regnum et natio Polonica, eo in ecclesia Dei exaltato divulgataque sanctitate, cum solatio fidentius atque ardentius eum Patronum publico possint in suis necessitatibus invocare cultu. Hac igitur ex commissione aliqua commemorabimus miracula,

220 Eodem anno, die lunæ post dominicam mediam quadragesimæ, tertia Aprilis, commissionem auspicantibus DD. Commissariis, venerabilis P. Antonius Lezasnko, Bernardinus reformatus professus, concionator et confessarius Wielicensis, accessit ad templum S. Annæ cum D. Sophia Kozlowska, cive Wielicensi, sexdecim annis a pluribus cacodæmonibus insessa ac divexata. Inter hos ali- E quando ejectus in eamdem remeabat. Itaque magna fide sacrificio peracto, dum energumenæ Eucharistia esset porrigenda,. nullo id modo dæmonium fieri permittebat. Admotum ori ejus vestimentum B. Cantii, caputium etiam ejusdem circumvolutum gutturi, tunc cœpit vociferari diabolus : Rejicite hinc fœtens vestimentum hujus putridi, quod me ita a tergo divexat. Et multa præterea horrenda clamans, inter ejulatus corpore est egressus, ita tamen ut insessam claudam pede sinistro surdastramque etiam aure sinistra reddiderit. Ea vero sese liberam stygio hospite animadvertens, in oratione hora continua et gratias ad sepulchrum B. Cantii referebat, et læsæ sanitatis restitutionem precata, toto corpore, sensibus membrisque incolumis omnino evasit. Itaque P. Bernardinus cum eliberata domina coram DD. Comissariis comparens, ac jusjurandum præmittens, ita ut retulimus acta asseruerunt. Ac profecto hoc miraculum habuit populum testem admodum frequentem, qui eo die benedictionem Dei Commissioni precabantur. *Energumena liberata.*

221 D. Paulus Kasperkowicz, civis Kententis, F quadragenarius retulit ante triennium Kentis pestem circa festum S. Catharinæ V. et M. invaluisse ac plurimos abstulisse. Rebus suis deploratis, plebs oppidi, ad effugiendam iram Dei, voto se obtulit, nomine civitatis, ejus sepulchri venerandi. Hoc facto cessavit lues, neminemque amplius afflavit. Itaque sequenti anno, præcipui civitatis supplicatione adornata, maxima affluente plebis multitudine, cum concentu et cantu exuvias B. Cantii adierunt, suumque patronum grati sunt venerati. Similis etiam relatio facta est a Thoma Smolka, cive Kentensi, et iisdem fere verbis, de hac sublatione luis in eodem oppido. *Kenty, patria B Cantii peste liberata.*

222 Undecima Aprilis. D. Joannes Wieloglowski, (ex) Slupia, quadragenarius, retulit coram DD. commissariis a pueritia cruciatu se lateris ac inferiorum viscerum singulis annis affligi solitum fuisse tali, ut mori optarit (potius) quam illum experiri. Durabat autem tres aut quatuor septimanas is dolor. Evenit dum ea vexatio eum sex diebus fere teneret, ut visitaretur a D. Martino Piotrowski, cive Casimiriensi, qui infirmo sanitates ac miraculosa solatia B. Cantii enarraret. Præterea idem commotus gemitibus et vi doloris, abiit in hortum *Viscerum dolor sanatus.*

A hortum ac procidens in poplites, obtulit eum ad sepulchrum B. Cantii, et ex nunc æger eadem hora notabilem sensit doloris mitigationem imo etiam curationem.

A febri et hydropisi puella convalescit.

223 Eodem anno, D. Alexander Kozuchowski de Kozuchovo, vicecapitaneus Cracoviensis et judex litium Arcensium, coram iisdem DD. commissariis retulit, filiam suam quinquennem primogenitam Sophiam ex acuta febri in hydropem lethalem incidisse anno 1618; cumque nulla spes vitæ superesset, consilio amici D. Joannis Konopnicki oblata ad sepulchrum B. Cantii, intra septem dies, adhibitis lenibus medicinis, quæ ei poterant magis nocere quam proficere, et a febri et ab hydrope, qua toto corde (corpore?) intumuerat curata est, et etiamnum meritis B. Cantii incolumitate perfruitur.

Cæcus visu donatur.

224 Eodem anno, D. Hedvigis Sulimierska, civis Cracoviensis, sexagenaria, coram iisdem DD. commissariis professa est, ante viginti quatuor annos, nepotem ex fratre D. Adamo Olzewski, jam Russiam incolente, septennem adeo ægrotasse ut visum perdidisset, integrisque septem hebdomadis nil cernere potuerit; alteroque qui se quo vellet ire (di-
B rigeret), eguerit duce. Magno desiderio luminis ipsi restituendi, obtulit eum ad tumulum B. Cantii; ac cum eodem nepote auscultans sacrum, cum illius oculos purificatorio abstergeret sacerdos, continuo visu donatus est. Ac ita qui templum cæcus intravit, videns exivit, hodieque beneficio B. Cantii lætus visu recreatur.

Ab itineris periculis, ope B. Cantii, vir liberatus.

225 Eodem die, D. Stanislaus Jagodynski, triginta trium annorum, retulit coram iisdem DD. Commissariis, se periculosis temporibus itinera necessaria in Italiam suscepisse et ex ea per Germaniam, Bohemiam, Moraviam, Silesiam, id tempestatis militibus undique incessam ac latrociniis, viasque non tam transeuntium vestigiis, quam cadaveribus mactatorum signitas cum discrimine penetrasse: primum quidem anno 1622, circa civitatem Brumensem et Auspicanam Moraviæ; secundo anno 1623, in limitibus Tyrolis et Italiæ ad oppidum Grini, ubi R. D. Albertus Grochowski, abbas Wagrowiecki, sua legens vestigia, trucidatus est; tertio anno 1624, in media sylva ad Iesum et Peryiam, civitates Moraviæ; et alia loca periculi plena per Germaniam et Bohemiam, nominatim ad Lignicum, ubi post se et ante se alios
C spoliatos, alios etiam trucidatos obvios habebat. Dum itaque sibi malum immineret, plurimorum Sanctorum, quorum lipsana recumbunt Cracoviæ, invocabat patrocinium, singulariter autem et præcipue B. Cantii, quem meminerat in latrones incidisse ac ex manibus eorum integrum evasisse; appromittens, si ab omnibus periculis liber esset, se veneraturum ejus sepulchrum. Et diserte confitebatur, se nec sanitatis nec rei alicujus damno affectum fuisse. Hoc præterea addebat, cum ad Brumam cum D. Samuele Plaza et R. D. Mistowski, ac D. Stanislao Czarnecki, comitibus suis spoliatus esset, ac a latronibus executerentur reliqua in ipsis, si qua parte insutum aurum non lateret, se excutiendum principi latronum obligisse. Cum vero is occulto loco tetigisset septuaginta in ipso aureos, eosque eximere incœpisset; explicari nequit, quid illi evenerit; quasi enim manuum vis ac motus ei ademptus fuisset, cum omnia in expedito haberet, nihil eorum accepit. Hoc D. Jagodynski beneficium intercessioni B. Cantii attribuit; Deoque suo ductori et reductori per plena periculorum loca imprimis, dein B. Cantio famulo ejus vota ac gratias immolavit.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

Jocularis in B. Cantium risus punitur et postea remittitur.

226 D. Regina Barankowicowna, civis Cracoviensis, ex platea Nosodochii, annorum viginti sex, retulit se puellam decennem in domo matris suæ, intuitam de lecto in serico imaginem B. Cantii, ludibundam et jocabundam dixisse hæc verba: *Canti, Quanti*. Hoc vero nomine *Quanti* quispiam rusticus denominabatur. His prolatis verbis, subito lapis rotundus, quo tunc ad telas poliendas utebantur, excidens, faciei, quæ Sanctum non honoraverat, adeo impegit, ut dentes excusserit, et labra ac nasum fœde vulnerarit. Summa accuratione unguenta ac emplastra applicata nihil proficiebant. Itaque mater ab humanis ad divina confugit media; triduoque implorantes opem perseveranter B. Cantii, tandem utraque procidens in genua coram eadem icone voto se obligarunt venerandi B. Patris tumuli, si justam plagam ex vultu depelleret. Et mox nullis adhibitis chirurgis, vultus primam integritatem ac speciem recuperavit, nulla omnino relicta macula aut cicatrice, quæ eam fœdare aliquatenus posset. Hoc beneficium meritis B. Cantii detulit ac pœnitentiam implere ab exomologesi minime neglexit.

Ulceris sanatio.

227 Eadem retulit matrem suam nomine Bar- E
baram, ante quindecim annos defunctam, in parte oris inferioris ulcere tali excruciatam fuisse, ut exteriori parte adæquaret prunæ magnitudinem, nigredine vero colorem carbonis; fœtor vero talis exhalabat, ut ideo nullum secum vesci permiserit. Chirurgi ejus curationem refugiebant metu ne totus vultus canceri subjaceret. Sic ergo constituta, ubi primum sese appromisit ad tumulum B. Cantii, e vestigio solatia miraculosæ sanationis est consecuta. D. Hedvigis Maternicowa, civis Wielicensis, annorum triginta sex, soror D. Reginæ Barankowicownæ, confessa est, omnia hæc a sorore sua relata de lapide vulnerante ac sanatione, matrisque ulcere miraculose curato, ita evenisse uti sunt narrata.

Contractio pedis et alter morbus sanati.

228 D. Lucia Piechorowska, ex platea S. Annæ, vidua annorum triginta quatuor, retulit vi morbi contractam sic pedibus manibusque septem hebdomadis se exstitisse, ut nec surgere nec loco sese movere potuerit; cum vero nullæ medicinæ spem ullam facerent, ubi se mater mœsta ad tumulum B. Cantii appromisit, intra paucos dies summa omnium admiratione convaluisse. Eadem præterea fatebatur filiolam periculose ægram, a voto simul honorandi sepulchri B. Cantii mox F
incolumem evasisse.

Mulier in partu periclitans sospes evadit.

229 D. Eva Grochtotovichowna, civis Wielicensis, retulit, se in partu difficili, anno 1604, qualitercumque voluisse effundere fœtum, dummodo sibi vivere liceret, quandoquidem de vita prolis exigua spes affulgeret; dominæ præsentes etiam sic de vita parientis conclamabant. Quædam tamen ex iis nomine Wengzrynska, quæ jam in clausura cum cæteris piis viduis ad templum SS. Trinitatis Deo famulatur, appromisit illam ad tumulum B. Cantii, et confestim partum enixa est doloreque levata. Præterea fœtus fere mortuus magna fide ad baptismum delatus, in ipsa via revixit, ac fonte sacro lustratus est.

Epilepsia sanata.

230 Eadem aliud beneficium meritis B. Cantii consecutam se fassa est pro filio suo Alberto, quem ante annum et medium passum epilepticum morbum ac in eo defectum rationis, postquam, consilio venerabilis Patris Bonaventuræ, Prioris Bernardinorum reformatorum, sepulchro B. Cantii appromisit, morbo liberatum mox ac sanitatem adeptum conspexit.

Ex partus periculo salva.

231 D. Anna Przeworska, portam S. Nicolai

AUCTORE AD. OPATOVIO.

versus manens, retulit, se ante quinque septimanas subitis incredibilibusque doloribus circumdatam, prolem mortuam enixam fuisse, de vitaque sua sollicitam, sese devotissime ad tumulum B. Cantii obtulisse, ac confestim dolore mitigato etiam sanitatem consecutam.

Vis pedum restituta.

232 D. Susanna Cieszynska, civis Cracoviensis, asseruit se a teneris unguiculis cultricem B. Cantii ejusque sepulchri fuisse. Audito vero, quod Commissio de ejus vita ac miraculis procederet, puerum triennem pedum vi carentem, ac quod numquam eis usurus esset communi voce deploratum, eadem ipsa die ad sepulchrum obtulit, et eadem ipsa die incedere puer cœpit.

Felix partus obtinetur.

233 Aliud etiam se beneficio B. Cantii meritorum consecutam testabatur gratiæ genus. Hoc enim tempore uterum ferens proxima partui, tota fracta ac debilis accessit ad tumulum B. Cantii, auscultansque sacrum devote, partus difficultates deprecabatur, identidem commemorans, quam devota cultrix B. Cantii a teneris exstiterit. A persolutis divinis domum rediens, videtur sibi fortior. Tum eodem ipso die XXIV Martii hora noctis tertia, nulla opitulante manu, quam alias in partibus et doloribus requirere solita fuit, effudit absque B dolore filium, nominatum deinde Stanislaum.

Fragrantia de sepulchro percepta.

234 D. Eva Popiolkowa, civis Cracoviensis, hoc de sanctitate B. Cantii affirmavit, quod cum filius mariti sui etiam lapideum monumentum transponeret, excussione unius lateris, eruperit fragrantia, quæ gratum violarum odorem æquaret, quodque undique eo tunc accurreretur.

Contractio manuum ac pedum tollitur.

235 Eadem confessa est, viduam sese ab octodecim annis mirabili morbo afflictam fuisse, qui sibi manus pedesque contraxerat, ut nec incedere nec manducare valeret, idque integris septemdecim hebdomadis. Consilio igitur cujuspiam adolescentis voto se obligavit reddendæ venerationis sepulchro B. Cantii, ac mox elevans se pedibus constitit, manusque libere extendere cœpit. Dein adminiculo fulcrorum accedens ad sepulchrum B. Cantii, omni dolore privata est; abiens tamen, uno adhuc utebatur, quo nequaquam egebat, fulcro, ac demum plene sana domum rediit. Quod vero admirabilius est, nec hoc, nec alio ullo genere morbi tentata abhinc fuit, quod illa integre meritis ac patrocinio B. Cantii adscribebat.

De fragrantia ex sepulchro.

236 D. Sophia Gzelowska confirmavit, sanctitatem B. Cantii divinitus fuisse adstructam, cum C reserato tumulo, miraculosa et jucunda fragrantia per totam sese ecclesiam propagaret; et hac de re certus ac constans est rumor pervulgatusque sermo. Id autem genus se beneficii retulisse deprædicabat, quod cum hoc anno quidam humor acutus in oculis suis ita peccaret, ut dolor eam ab omni opere prohiberet, idque quatuor septimanis; ubi primum promisit se veneraturam tumulum B. Cantii, ac etiam re præstitit, confestim dolor fugere cœpit, ac sic convaluit, ut hodie quoque optimo perfruatur visu. Ac ideo decrevit apud se, eo gaudere patrono atque ex nunc in talem deligit ac invocat.

Collisio capitis sanata;

237 D. Matthias Szypinski, civis Cracoviensis, ante viginti annos itinerans, hospitium vespere ingressus ac multitudinem bibentium declinans, superiorem partem domus perambulabat, ac per imprudentiam foramine ad fœnum attrahendum patenti sic decidit, ut concusserit caput, et ex auribus ac naribus sanguis copiose effluxerit. Collegit eum mater, sed biduo nec loqui nec signa animi præsentis dare poterat. Igitur sic mœsta et afflicta appromisit eum ad exuvias B. Cantii, atque ille e D vestigio et loqui cœpit et convalescere, ac demum intra decem dies plena integraque gaudere incolumitate.

item hydropisis.

238 D. Susanna Kuczynska confessa est, se hydrope a planta pedis usque ad verticem capitis circumfusam, de vita humanis protrahenda mediis prorsus desperasse. Ubi se veneraturam tumulum B. Cantii voto se obstrinxit, solatium sanitatis est consecuta: nam tota aqua intercus detumuit, quædam solum exigua vestigia sui in pedibus derelinquens.

Relatio confirmans dæmonii ejectionem.

239 D. Sophia Kozlowska, civis Wielicensis, de qua supra diximus dæmonium ad sepulchrum ejectum, personaliter coram DD. Commissariis comparuit, jureque jurando præmisso, se asseruit omnino liberam esse a dæmonio ac immunem ab omni ejus incursu, quod a se pulsum est tertia Aprilis. Quod illa beneficium post Deum B. Cantii attribuit meritis. Relatio hæc facta XXVII Aprilis.

Sanguinis eruptio sistitur.

240 D. Andreas Pisarzowski, stemmatis topor *a* sive Asciæ, annorum triginta, fassus est se infortunio quodam medium digitum sinistræ manus perdidisse, ac elapsa una septimana, parte læsa tantam vim sanguinis erupisse, ut integris duobus diebus unaque nocte cruor continuus emanaret. E Nulla ars chirurgorum peritorum ipsi sistendo proficere potuit. Itaque desperata vitæ spe, consilio confessarii, ac fama miraculorum B. Cantii erectus, appromisit se sepulchrum veneraturum, atque continuo cruor manare cessavit. Sic igitur a deplorata valetudine ad certam est translatus meritis B. Cantii sanitatem.

Corporis et animæ sanatio.

241 R. D. Adamus Malagovius, sacerdos et concionator S. Floriani Clepariæ, retulit die, qua cœperat Commissio, se euntem concionis gratia ad S. Florianum, prius divertisse ex christiana charitate ad D. Albertum Bierkowski, mercatorem boum, febribus ad extrema tendentem. Cum vero ei commemoraret confessionis aliorumque sacramentorum necessitatem ac utilitatem, ægrum repugnantem omnino suis consiliis reperit. Itaque author fuit, ut sibi deposceret sanitatem a Deo intercessione Sanctorum, præcipue B. Cantii, in cujus sanctitatem et miracula cœptum esset inquiri. Subito æger emollitus est ac contritus invocavit B. Cantium, suoque monitu etiam votum colendi sepulchri emisit, ac in triduo plene sanatus, tumulum B. Cantii veneratus, etiam confessus est F peccata sua.

Febris tollitur.

242 D. Albertus Zboinski, annorum viginti, retulit se periculum vitæ febri adivisse; postquam vero sese appromisit ad exuvias B. Cantii, confestim miraculosa donatum fuisse sanitate a morbo trium septimanarum, quo se de lecto etiam levare nequaquam permittebatur. Hujus testes plurimi et ipse pater familias.

Subitus ac vehemens cessat morbus.

243 D. Joannes Pietrowicz, civis Clepariensis, asseruit, se subita vi vehementis cujusdam morbi oppressum viribusque prostratum fuisse, ut aliorum manibus domum deferendus lectoque deponendus fuerit, ibique instar mortui jacuerit. Uxor afflicta, fiducia magna appromisit illum tumulo B. Cantii, et extemplo convaluit. Is ipse juramento ita actum secum fuisse testatus est, dixitque rem esse toti viciniæ pervulgatam.

Finis imponitur a Commissariis miraculorum disquisitioni.

244 Erat prætera quoque magnus confluxus hominum, etiam die quo claudebatur Commissio sicut ac inchoaretur, variæ conditionis, ætatis, utriusque sexus, qui erant prompti commemorare rite illa beneficia eaque grandia, quæ in ipsos divina liberalitas, patrocinio B. Cantii effuderat. Sed quia DD. Commissarii ex his solis Vicarium Christi censebant,

A sebant sufficienter informari de sanctitate B. Cantii; deinde etiam quia colligebant se tanto concursui, qui indies augebatur crescebatque, nequaquam satisfacturos, cedendo brevitati temporis, in aliam opportunitatem, dum res exiget, inquisitionem miraculorum distulerunt.

Duo recentiora miracula. Sanatio pedis.

245 Missis factis aliis miraculis, quæ Commissioni successere, bina commemorabo, utpote notabiliora ac paucis notiora. Anno 1631 nona Julii, Illustrissimus et Reverendissimus D. Boguslaus Radoszewski, episcopus Kijoviensis, abbas S. Crucis, passus certos quosdam acutos, defluentibus humoribus, dolores in pede, relictis temporalibus mediis, quæ difficulter aliquid lenimenti malo afferrent, invocato patrocinio B. Cantii sanitatem plenam est consecutus a Deo. Hoc beneficium ipse Illustrissimus, confectis litteris ad quos spectat, divulgavit. Ac præterea propagandi divini in Famulo suo honoris causa, eadem curatio rite promulgata est ex concione ad B. V. ad Arenas, in octava Visitationis, unde invitata ingens hominum multitudo ad sepulchrum B. Cantii processit, ut cantato de SS. Trinitate sacro gratiæ redderentur decima Julii. Idem Illustrissimus, amans B. Cantium ac ei gratus existens, numeravit quingentos B florenos, ejusque canonizationi destinavit; quam liberalitatem, ut divina ei liberalitas rependat, precamur. Ipse deinde personaliter sacris operatus, ad sepulchrum B. Cantii gratias persolvit.

Hydropicus convalescit.

246 Anno 1629 ultima Maii. Juratus viceadvocatus et civis Brzezeviensis D. Lucas Seculant comparens in ecclesia S. Annæ, coram Publico *(notario)* retulit, quod cum diuturna periculosaque hydrope laboraret, destitutumque se humana ope cerneret, et mortem in horas opperiretur, Deum in simplicitate cordis precatus fuerit, ut tandem mori sibi ut christiano, vere penitenti ac sacramentis munito, liceret. Interea apparuit illi Persona, ætate provecta venerabilis, nigro vestitu, caputio ad caput pelle candida exornato, talibus sese compellans verbis : Estne tibi cordi vitæ tuæ emendatio; et visne fidelis vivere ac genuinus servus divinæ Parentis? Illo nescire se dicente; apparens Persona inquit : Ego sum Joannes Cantius; et hoc fatus disparuit. Æger vero mox convalescere cœpit, et intra aliquot dies miraculose plenæ redditus sanitati fuit. Cum vero diu apud se recogitaret, quisnam ille Sanctorum esset a Deo et Dei Parente sibi submissus sa- C nator (nec enim quicquam de B. Cantio inaudierat) consilii causa adhibuit confessarium, cui seriem totius rei enarravit. Confessarius vero eum jussit tendere Cracoviam inquirereque S. Annæ templum ac B. Cantii sepulchrum. Verum ille distulit, quousque iterum in somnis fuerit monitus, ne cunctaretur ac itineri se accingeret. Ac tum præcipitatis moris, viginti quatuor milliarium iter aggressus est. Accedens autem, exomologesi et sacræ synaxis receptione ac auditione Missæ sacrificii gratias persolvit. Intuens autem in ara imaginem B. Cantii, asseruit simillima sibi specie in visione objectum fuisse. Exstat chirographum in sacrario proprium hujus Lucæ, si quis illud fide pro adhibenda requireret.

Cur hic addantur tria miracula, patrata invocatione S. Annæ.

247 Terna beneficia patrocinio B. Annæ, ab his obtenta, qui sese ad eam in æde Cracoviæ existente suis in necessitatibus appromisere; solandis etiam ac incitandis iis in ardentiore devotione, qui eam sibi in Titularem adscivere, ex vetustis codicibus ecclesiæ ejusdem S. Annæ, ex quibus et miracula B. Cantii, exarata, ne iniquitate temporum, uti et alia tineis et blattis in escam cederent.

Moribundus vitæ redditur.

248 Anno 1519, die Assumptioni B. V. succedente, D. Stanislaus Goyski, caupo et civis Cracoviensis ex Arcensi platea, periculoso morbo ad extrema devectus, longe enim ante nominatum festum nullo cibo potuque ei uti licebat, natura repugnante ac vel leviter gustata rejiciente, jam nulla verba efformans proxime mortem operiebatur. Tum occurrente sibi cogitatione quantis meritis B. Anna Deiparæ mater esset apud Deum, toto cordis nisu, quantum fractæ permittebant vires, ei sese commendavit; ac his vix imposuerat finem, mox loqui cœpit, disertisque verbis vovit se B. Annæ ecclesiam cum Missæ sacrificio veneraturum. Et præstitit, rogavitque ejusdem ecclesiæ concionatorem, ut hominibus beneficium, sibi patrocinio B. Annæ collatum, vulgare non omitteretur.

AUCTORE AD. OPATOVIO.

Item alius similiter.

249 Eodem anno, die S. Jacobi ante festum S. Annæ, mulier quædam retulit, maritum suum habitantem apud D. Joannem Zatorski, civem et mercatorem Cracoviensem (in civium officina scribam sustinebat) recenter sibi copulatum paucis abhinc diebus ægrotasse graviter, agonizasse, sudore gelido sudasse, loquelam amisisse et cæteris morti signis prælusisse. Aderant ibi PP. Prædicatores, qui animam commigrantem Domino E commendarent, constanter asseverantes jamjam mori. Intuens hæc uxor, in dolore et mœrore in genua procumbit, ac ita fatur : Beatissima Anna, te ego obsecro atque etiam obtestor, ut hunc mihi maritum non ita pridem copulatum in vivis relinquas; tibi illum meque orphanam commendo. Ac mox matrem in ecclesiam S. Annæ mittit, pro ægro sacrificii conducendi gratia. Necdum sacrum ad finem pervenerat nec mater reversa (erat), maritus quasi sopore gravi excitus, ut sanus solebat, voce firma uxorem advocat, detergensque sudorem, hæc proloquitur : Ego jam vitam cum morte commutaveram, easque mirabiles sedes conspexi, quæ a morte nobis destinantur : verum beatissima Anna cum Filia sua, ac Nepote id obtentum voluit, ut tui causa vitæ redderer : ea enim tu es mulier, quæ concepisti. Omnino autem id mulier ignorabat, ac postea ita fuisse approbavit. Itaque et virum patrocinio B. Annæ incolumem recepit et se concepisse cognovit.

Puer duodennis submersus vitæ redditur.

250 Eodem anno filius duodecim annorum cujuspiam pauperis matris, natando submersus, tribus horis in aquis delituit, priusquam a piscato- F ribus exemptus sine anima fuisset; et sic mediæ diei spatio usque ad sabbatum jacuit. Mater amarissime casum infelicem deplorans, commendavit tandem ipsum voto facto S. Annæ ad ejus templum, si in vivo filio solatium reciperet. Et confestim filius mortuus assurrexit, ac incolumis cum matre ad ecclesiam S. Annæ convolavit. Deoque ac B. Annæ gratias pro vita persolvit. Hic puer bene erat notus plurimis ecclesiasticis atque sæcularibus, qui ab ipsis conspiciebatur frequenter, inter alios mendicos stipem implorans.

Conclusio.

251 Hanc perbrevem memoriam sanctitatis B. Joannis Cantii, doctoris S. Scripturæ ac professoris Cracoviensis, gloriæ et honori solius Numinis dicamus atque consecramus, quod vult celebrari et laudari nomen suum in celebritate Sanctorum; hoc desiderantes, ut « Sanctorum ossa pullulent de loco suo, » ipsiusque beatissima anima non solum cœlestibus perfruatur gaudiis, sed etiam sacra sua lipsana de sepulchro ut lilia floreant, afflictos et ægros solentur; quodque maxime vovemus, huic regno abundantiam pacis, fidei orthodoxæ patrocinio suo universalem germinent propagationem.

Eccli., cap. XLIX, v. 12.

Hæc

EX VARIIS. b

Hæc vita impressa est sumptibus fundationis illustrissimi D. Bartholomæi Nowodworski *b*, equitis Maltensis Ordinis S. Joannis Baptistæ Hierosolymitani, aulici et semper præsentis S. R. M. militiæ præfecti : cujus animæ Deus indulgeat requiem sempiternam.

ANNOTATA.

a *Id est habens insigne* Asciam *seu securim.* Topor *polonice, sonat latine* Ascia *vel* Securis. *Indicat itaque auctor Andream ex illa Pizarzowskæ familiæ propagine esse, quæ in scuto suo gentilitio fert* Asciam *seu* Securim.

b *Vide Annotata in Vitam, cap.* XIII, *litt.* d.

APPENDIX.

Monitum de miraculis approbatis et non approbatis.

D*iximus Comm. præv.* § III, *n.* 38, *causam B.* Cantii *per multos annos hæsisse, deficientibus miraculis idoneo numero probatis. Quod forte non* B *nemini mirum videbitur post innumera fere miracula hic ex Opatovio recitata. Ast in mentem revocare oportet, quam severas sibi S. Rituum Congregatio præfixas habeat hac in materia regulas. Nec etiam ex eo quod S. Congregatio miraculum aliquod vel non ex professo examinaverit vel non probaverit, inferri potest, illud ab ea rejectum vel declaratum seu reputatum fictitium. Latius pateret hujusmodi conclusio. Id unum legitime efficitur, nempe dictum miraculum non eis insigniri notis, quibus ejus omnimoda authentia undequaque demonstrata exhibeatur, vel tale saltem ab initio non apparere; unde et ad ejus severius examen non devenitur. Cæterum cum pauca (puta duo, vel quatuor si causa procedat via* casus excepti) *tantum in ordine ad canonizationem accuratius probanda sint miracula, consequens est, ut longe plurima imo et innumera, sive ab episcopis sive a specialibus commissariis collecta et prolata atque Actis inserta, a S. Congregatione haud subjiciantur diligentiori examini, quæ proinde primis suis nixa relinquuntur testimoniis, quin de horum valore et qualitate ulterius quæstio instituatur. Absonum itaque et temerarium foret illa inter narratiunculas amandare ex eo solo ca-* C *pite, quod a S. Congregatione probata in specie non fuerint. Denique, loco supra citato, vidimus, ex quatuor miraculis, in causa B.* Cantii *primum examini subjecta, duo tantum communi calculo accepta sub Benedicto XIV fuisse. Cum vero Pontifex ille statuisset, ut deinceps in causis procedentibus per viam* casus excepti *gressus non fieret ad canonizationem, nisi probatis quatuor miraculis; causa siluit usque ad tempora Clementis XIII. Ast tum tria tantum nova proponebantur miracula, quæ, licet singula probata fuissent, non tamen sufficienti erant numero. Postulatum itaque fuit, ut tribus illis novis antiquiora duo jungerentur, quod et præfatus Pontifex concessit. Confer Comm. præv. n.* 39. *Atque hæc quinque miracula, commemorata quidem ast valde breviter, ut assolet, in bulla canonizationis, visum est paulo latius in hoc appendice evolvere, prout exhibentur in libello* de rebus gestis *B.* Cantii (1); *qui libellus, ut alibi monuimus, ex Actis Authenticis compositus fuit. Adscribemus deinde ipsam bullam canonizationis.*

(1) Romæ 1767, p. 44 et seqq.

I.

D

Miracula a S. Congregatione in ordine ad canonizationem B. Joan. Cantii probata.

Instantanea sanatio ab hereditaria phthisi.

Acri tussi, ad cruorem putrescenti sputo, ac ingrate admodum redolente respiratione, in atram tertio ætatis anno erupit phthisim hæreditaria tabes, quam Sebastianus Luzark e patris conceperat semine. Late se protendente morbo, hydropis indolem cum alvi induit intumescentia, in grandem maciem declinante superiori corporis parte. Nil non tentatum a medicis ad morbi coercendam colluviem; illius tamen contumacia artis pharmacis quin frangeretur, ad nonum ætatis annum progredientem puerum morti jam maturaverat. Atrocioribus eo temporis cœperat symptomatis cruciari. Vehementior insurgebat ferme numquam remissa tussis, pus ore scatebat tabidum, gravior anhelitus accedebat compressio, ac assidui colliquantesque effluebant madores, per quæ illum in deploratum esse vitæ discrimen ad- E ductum, medici pronunciavere. Acerbissimo hoc perculsa nuncio Sebastiani genitrix, ut extremum periculum faceret, religiosum e Societate Jesu in collegio S. Petri Cracoviæ moram trahentem, ac satis medica callentem adit, deprecaturque morienti velit succurrere filio. Pergit ille e vestigio invisere puerum, ac summe attriti corporis habitum crebrasque convulsiones scrutatus, nullam ab humana scientia esse repetendam opem, matrem admonet : ultra tres siquidem dies protrahi haud quaquam posse ejus deprehenderat vitam. Qui miseræ dolendi modus? Ad lacrymas usque, ad suspiria, ad singultus usque mœrori indulgens, potissimam sibi eripi cordis partem lamentabatur. Agar Abraham ancillæ instar, morientem filium ne intueretur, sedens, contra levavit vocem ad cœlum, nec frustra : nam ejus consilio adventasse crediderim Alexandrum Janicki, qui illam dilecti pignoris a medicis desperatam sanationem, ut a Cantio exposceret hortaretur. Forte e cubicali parietibus Beati pendebat imago; ante illam genibus procumbit mœstissima mater, enixe rogans ut ferat opem, quando nulli forent sibi humana præsidio. Cereas faces ad sepulchrum oblaturam F se spondet, curaturam sacerdotem, qui ad ejus aram sacris operam daret Vovit, implevit; statimque symptomata elanguere morbi, detumuit alvus, puer convaluit, ac in posteram diem e lecto exiliens, sospes est redditus matri suæ.

Subita sanatio ab acuta febri:

3 Decem et octo annorum puellam Hedvigem Paskovnam acuta, dirisque stipata symptomatis febris, adeo profligaverat viribus, ut morti jam proxima videretur; in id conspirantibus frequentissimo delirio, assiduis vigiliis, respiratione præpedita, oris ingenti phlogosi *(inflammatione)*, et potui ciboque interdicto gutture. Per unam atque alteram hebdomadam immani impetu grassata morbi lues, crinibus omnibus revulsis e capite, supremam induerat maciem; quum ex monialibus, quas dicunt de Charitate, soror, juxta regionis morem, accersitur ad curandam Hedvigem. At nullum medicamini illa conspicata relinqui locum, quam cito migraturam denunciat. Valere exinde jussis adstantibus recessit. Amantissima nihilominus mulier maternæ solicitudinis nihil omittens, divino collustrata lumine, supernaque acta fiducia, quæ

neminem

A neminem fallit, ad Cantii sepulchrum properat; effusa in lacrymas orat; ad Missæ sacrificium eleemosynam tradit, quo periclitanti filiæ præsto foret Ille, cujus merita plurimum apud vitæ auctorem valere, innumeræ testabantur in sui deprecatores collatæ gratiæ. Proh mirum! Ut peragi cœptum est sacrum, non secus ac injecta aqua ignis furor opprimitur, febris ardor statim extinctus est. E placida somni quiete vigilasse credidisses puellam; tanta porro e lecto corporis atque animi alacritate surrexit, ut nullo umquam videretur ægræ valetudinis fuisse incommodo affecta. Cibum sibi parare jubet, mensæ assidet, diu impasta membra, et ad internecionem morbi pernicie prostratas corporis reficit vires; ac revertenti occurrens matri, in illius ruit amplexus.

item a gravi et pernicioso morbo,

4 Salova pagus Cracoviensis Palatinatus est. Ejus loci cauponæ adjacebat puteus, in quem equina dejiciebantur stercora, sordesque viæ omnes defluebant, aquarum actæ colluvie. Vaporibus inde solis æstu reductis, aer quum grave et ad perniciem oleret, indigenæ ad prætorem querelas deferunt; eoque puteum expurgari imperante, ex viris et mulieribus, qui ad opus B conficiendum fuere conducti, Marianna Gavlizka, ac alter Sebastianus nomine, ex fœtore sordium iniqua concepta valetudine decubuerunt. Hic per tertiam quartamque hebdomadam colluctatus cum febri, tandem imminutas, quamvis ægre, refecit vires. At Mariannam durius corripuit fatum, capitis vehementium cruciatuum accessione, ac hemorragiæ, quæ triduum uberrime manavit per intervalla recurrens. Hanc pravus consequutus est rigor, virium languor fortissimus, summa oris ac linguæ ariditas, ardor corporis ac sitis in immensum evadens, contumaces vigiliæ, ac flammatus faciei rubor, quin ad morbi impetum refrenandum conducendi medici fieret copia. Adeo acerbam dolens vicem anxius conjux, nobilem Salovæ matronam adit, illam rogans, ut quoquo pharmaco poterat, immani uxoris mederetur morbo: illaque unam atque alteram medicati vini heminam exhibente revertitur, propinat. In deterius tamen inclinata res est; nam atrociora successere symptomata ex vaniloquiis atque deliriis, quæ certum vitæ portendebant discrimen. Advocatur hinc parochus, quo pereunti divina pararentur præsidia; nec distulit pastor, exceptaque sacra- C mentali confessione, sacram protinus ministravit Eucharistiam, ad eam deglutiendam per fauces ob siccitatem immissa aqua. Octava hebdomada jam evoluta, interceperat nona loquendi facultatem, gravioraque per mentis oppressionem cæterorumque sensuum profligationem incommoda induxerat, inhibitis excretionibus, rigentibus artubus, ac horrifico intuitu decumbentem tam fœde labefactantia, ut ab omnium oculis eliceret lacrymas. Quum autem id unum adhuc viventis indicium esset, guttatim videlicet delibata cervisia; præsentissimæ mortis admoniti adstantes, properandum esse ad parochum clamaverunt, ut ille Mariannæ corpus sacro inungeret oleo, atque ex eo abeuntem animam consuetis Ecclesiæ precationibus Creatori suo commendaret. Accessit, riteque persolvit omnia parochus, ac candela de more incensa, viri casum talibus miseratus: « Miserum te! consortem vitæ perdes, » discessit. Ut a majoribus institutum acceperant, e lecto amotam humo obducta stramine Mariannam imponunt, ejus adhibita dextera ad Crucifixi imaginem, sinistram ad sustentandam candelam: verum neutra id præstare valente, munus subit conjux et ipse ferme exanimis. In eo extremæ pietatis in uxorem officio, adjecit hic animum ad B. Cantium, cujus signorum virtus nostris, atque imago a multis annis ejus pagi accolis celebris jam habebatur. Illius ergo opem imploraturus præpropero gradu fertur ad parochum, ut accepto stipendio ad viri Dei aram faceret sacrum; at ex degustato cibo in crastinum dilata quum divina res esset, ad altare provolutus in genua, orat; fidensque tanto Patrono paternas repetit ædes; reliquam diei partem, totamque insequentem noctem viri occupante sollicitudine, ac uxoris colluctatione cum morte. Summo mane evigilans parochus, propitiationis hostiam instituit, cujus signo ex ære campano accepto Mariannæ vir, accurrit ad templum, instaurat preces, ac suspiria cum fletu commiscens, ad Cantii imaginem tristia convertit lumina. Quorsum hæc? Nondum erat absolutum sacrificium, quum moribunda fœmina integris viribus repente surrexit, insidensque in stramine, propinari sibi poculum postulavit. Sed et parata ad ejus nutum celerrime juscula quum commedisset, nec capitis dolore, nec deglutiendi difficultate, nec alio quoquam affecta incommodo, post meridiem valens corpore et animo per conclave deambulavit ad E otium; et altera illucescente die domesticis, ut antea assueverat, muniis strenuam navavit operam.

sicut et ab ingenti profundoque ulcere.

5 Coriarius mercator Antonius Olexowicz ex itinere fatigatus, umbram captans consederat; qua ad somni delectatus quietem, evigilans in utraque sui colli parte infimæ auriculæ continua animadvertit apostemata intumuisse, quæ anseris ovum magnitudine exæquavere. Hinc dolor adeo vehemens, ac virium tanta accessit infirmitas, ut recurvatis pedibus viæ reliquum, nisi curru vectus, conficere nequiverit. Sui necessarii consilio, emplastro usus ex cera, illa ad suppurationem celerrime maturavit; sed pure quamvis large manaret, lenitus sed non extinctus est cruciatus; novis in diem tuberculis ad jugulum erumpentibus, quin cicatricem coalescerent, non secus (ac) priora dolentissimis atque intolerabili tabo scatentibus. Nec eam colli partem universumque jugulum, verum et cervicem teterrima occupaverat lues ex tribus et viginti foraminibus fluens; inter cætera tamen fœdissimum mento infixum hærebat ulcus, quo penetratus œsophagus immissum cibum potumve rejiciebat: quapropter illis retinendis opus erat ut linteis collum perstringeretur. Triennium fere F in eo deplorabili statu non exteris tantum, sed suis etiam fastidio, hominum et ipse aversatus consortium, rusticæ se vitæ commisit: nullo parato medicamine præter symphiti folia, ne linum circumpositum collo quum explicaretur, coalescens pus revellendo, major exulceratæ partis fieret dolor. Nonnullis hortatoribus tamen quarumdam herbarum aquam, qua ulcera abluerentur, a sene sibi instrui passus est; nec illam iterato admisit, nullum siquidem levamen experiebatur. Forte nobilis eques Johannes Suykoski iter faciens in Antonium offendit, ad cujus adspectum in horrorem miserationemque actus, eum in itineris exceptum comitem, Tarnoviamque perductum, chirurgo commendat, quo pacta mercede curationem atrocissimorum ulcerum aggrediatur. At largiori pecuniæ inhians iste, sanationis operi imparem esse propositam affirmans, se facturum periculum negat, nisi summo ære dinumerato: exoratusque ut saltem emplastrum aliquod admoveret ulceribus, inaudita animi efferitate, et hoc leve renuit christianæ pietatis officium. Tum demum Antonius maximis nobili viro repensis gratiis:

EX VARIIS.

tiis : Vale, inquit, et quoniam, iniquæ mercedis spe, tuo sum fraudatus auxilio, præstantiorem conquisiturus chirurgum recedo. Beatum adibo Johannem Cantium ; ipse ad pristinam sanitatem me revocabit. Nova itaque adventante aurora, presbyterum convenit, attributaque parte pecuniæ, quam pro reditu a Johanne Suykoski acceperat dono, ut beati Cantii ad aram sacris operaretur ; sacrificanti ea adstitit animi firmitate, ut, quamvis fractus viribus ægre genibus consisteret flexus, incolumis jam videretur. Votis par fuit rei exitus : ut enim ad consecrationem ventum est, statim recessisse sensit dolores, esse exsiccata ulcera, nullo se cervicis vitio, nulla membrorum imbecillitate teneri ; atque in posteram tantum diem cicatricibus consistentibus, in tertiam collum jugulumque obducta carne apparuere, absque ullo fœditatis vestigio.

Merces in flumen Sola prolapsæ, adverso flumine regrediuntur.

6 Invecta rheda mercibus onerata, ex nundinis oppidi Kenty, in quo natus est Johannes, Zyvéciam repetens Theresia Chylinska ad *Sola* amnem intenderat iter ; sed colliquentibus nivibus, ille quum exundaret, prohibita pervadere vehiculo in adversam oram ; proximi montis invia conscendit, B comparatis equis ad sarcinas asportandas. Ne callis asperitate detrimenti quid caperetur, consequente mercatrice fœmina præibant muliones : nihilominus ex equis cespitante uno, excussæ ab ephippiis cistæ illabentes se demiserunt in aquas. Emersere statim e profundo alveo adnatantes, præcipitique fluminis abreptæ impetu, non mercium tantum verum et ingestæ cistis pecuniæ domina inani gemitu adplorante jacturam. Fletum occupat stupor ; verum solicitudine hunc evincente, equorum ductores pastoresque in vicinia agentes pecora, advocat, plurimam mercedem pollicita, quo ad recuperandas merces se committerent aquis. Abnuentibus illis (certo enim vitæ periculo deterrebantur) subit desperatio Theresiam, ac bacchantis instar longa per fluvii ripas emensa spatia, in illum se dedisset præcipitem, ni meliori afflata consilio ad B. Johannis Cantii respexisset auxilium. Protinus advolvitur humi, gemitibus operosis Divi efflagitat dexteram. Nec est neglecta precatio ; vix enim ea concepta, advenit Theresiæ famula itinerisque comes, nuntians adversa amnis (*adverso amne*) recurrere cistas. Hæsitavit C tamen, ingenti forsitan assequuti voti fidem adimente lætitia ; sed ad iteratum nuncium Dominici Sellarii, cujus cespitaverat equus, omnis est ratio ambigendi sublata. Spectatum siquidem consurgens, contra aquarum impetum nitentes merces appulisse jam videt ad fluminis oram, quæ illas deciderates exceperat. Eductas inde Sellarii manu recipit, ac tanti in se collati beneficii ad Johannis aram domum redux persolvit gratias.

II.

Bulla canonizationis.

Quam proficua Ecclesiæ sit doctrina cum sanctitate conjuncta.

Clemens episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ecclesiam suam Deus veluti munitissimam quamdam arcem ita instruxit, ut mille clypei pendeant ex ea, omnis armatura fortium ; clypei autem atque arma ejusmodi sunt zelus, et scientia doctorum, qui sanam doctrinam, vel e cathedra, vel a suggestu tradendam suscipiunt, eamdemque, ut facile in animos influat, integritate morum et vitæ sanctitate commendant. Nimirum ad Ecclesiam tuendam, ne portæ inferi D prævaleant adversus eam, neque doctrina satis habet auctoritatis sine sanctitate, et sanctitas majus habet roboris cum doctrina conjuncta. Samaritanis impedire conantibus ne Israelitæ reduces e captivitate, Hierosolymæ disjecta mœnia reficerent, ii, quibus instauratio commissa erat, una manu faciebant opus, altera tenebant gladium : atque hos quidem imitati sunt quovis tempore, et quotidie imitantur egregii doctores, quos subinde Deus excitat, in iis præsertim regionibus, quæ ab Ecclesiæ hostibus, cujusmodi sunt hæretici atque schismatici, tamquam a Samaritis quibusdam, Hierosolymæ infensis et contumaciter adversantibus circumvallantur.

Utraque eminuit S. Cantius.

8 Porro inter ejusmodi egregios viros doctrina et sanctitate præstantes, qui facerent simul et docerent, atque orthodoxam fidem ab hisce adversariis nequissimis oppugnatam defenderent, dignum certe qui numeretur in paucis beatum Joannem Cantium fuisse nemo ambiget, qui eumdem noverit in Cracoviensi academia purissimo haustam e fonte scientiam tradidisse, quum per ea tempora in aliis non longe dissitis regionibus hæreses et schismata grassarentur ; et sanctiorem morum E disciplinam, quam concionando e suggestu explicare populo satagebat, humilitate, castimonia, misericordia, corporis afflictatione, ceterisque integerrimi sacerdotis et strenui operarii virtutibus confirmasse. Itaque non modo illius academiæ professoribus ornamentum ac decus addidit singulare, sed exemplum etiam mirifice profuturum reliquit ceteris omnibus, qui in simili munere versantur, ut perfecti doctoris obire munus impigre studeant, et scientiam sanctorum simul cum aliis facultatibus, quæ velut ancillæ illi subserviant, ad unius Dei laudem et gloriam docere omni studio atque ope nitantur. Ipse interea beatus Joannes decoratam olim suis virtutibus academiam propitius ab alto respicere numquam desinet, et inclytam nationem suam orthodoxæ Romanæ fidei non modo cultricem egregiam, sed validam etiam propugnatricem perenni suo patrocinio fovebit ac proteget. Quocirca cum beatus Joannes Cantius scientiæ studium ad unius Dei laudem et gloriam referens, lucerna extiterit in Ecclesia Dei ardens et lucens, nec minus editis post mortem miraculis, quam in vita virtutibus coruscaverit ; nos proinde, post F eam, quam rei gravitas postulabat, accuratam ac diuturnam virtutum et miraculorum discussionem, adhibitis in consilium venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon patriarchis plurimisque archiepiscopis et episcopis in Urbe congregatis, atque imprimis Patre luminum pie atque humiliter invocato, eumdem beatum Joannem sanctorum in numerum referendum, atque in Ecclesia Dei venerandum et colendum esse decernimus, definimus et declaramus.

Ejus natales, studia, labores ;

9 In Oppido Kentii Cracoviensis diœcesis beatus Joannes Cantius ex illustribus consulari genere et christiana pietate parentibus natus est die Junii XXIV, anno supra millesimum tercentesimo nonagesimo septimo ; sedulam educationem cum indole egregia conjunctam secuta est, ut assolet, innocentia singularis, atque ea morum gravitas, ut virum quodam modo in puero mirari liceret. Artibus iis, quibus pueritia ad humanitatem informari solet, satis excultus, ad Cracoviensem academiam, non ita pridem fundatam, missus est, ut philosophicas ac theologicas facultates addisceret. Et quidem in iis, ingenii acumine et laboris patientia, præ ceteris tantum profecit, ut in philosophia eximium

A mium honoris gradum, in theologia doctoris non lauream modo, sed munus etiam assequeretur. Id autem munus, et ex cathedra et e sacris rostris ita obibat, ut auditorum animis cum pura sinceraque doctrina studium pietatis et religionis insereret. Atque hæc quidem doctrinæ sinceritas Romanæ Ecclesiæ plane consentiens, eo pluris facienda erat, quod per ea tempora præsentissimum veluti pharmacum erat adversus errorum atque hæresum luem, quæ Hollandiæ, Britanniæ, et Germaniæ scholas infecerat. Porro tanta illius, tum doctrinæ, tum vitæ integritas præclaro signo divinitus ostensa est. Quum enim exorto Cracoviæ incendio flammæ in immensum excrescentes ita serperent, ut universa mox civitas absumenda videretur, effusus in preces Joannes, quandoquidem in humana vi spes nulla jam erat, virum sibi maturum ævo, aspectu venerandum (sanctum Stanislaum Cracoviensem episcopum esse opinio fuit) adstantem vidit, ex eoque intellexit, incendium ultra non processurum : ceterum moneret cives, ut a flagitiis desisterent : si secus faxint pœnas imminere longe graviores. Verum, cum cives prædictionis immemores, ad ingenium et pristinos B mores rediissent, excitatum rursus incendium civitatem magna ex parte consumpsit.

pietas, humilitas, et mirus simplicitatis candor;

10 Sacris Mysteriis quotidie Joannes tanto animi ardore, atque inde emicante pietatis specie operari solebat, ut iis, qui aderant, summam erga rem divinam venerationem ingereret. Quod quum adversarius humani generis ferre non posset, quadam die hirundinis assumpta specie, templum circumvolitans adstantium mentes turbare atque alio avertere conabatur. Itaque, ut omnes viderent quod divinitus ipse noverat, apprehensam avem ad terram allidit. Ibi autem illa in colubrum versa horrifico sybilo ex oculis confestim sese subduxit. Religioni, qua res divinas tractabat, humilitas adjuncta erat, qua sibi vilescens, nemini unquam, tametsi scientia omnium facile princeps, præferebat sese, quin etiam sperni se ab omnibus ac despici optabat; tantum aberat, ut obtrectantes sibi, quod aliquando evenit, suique contemptores parum æquo animo ferret. Quæ caussa etiam fuit, cur delatos sibi honores declinaturus, vilis atque egeni hominis habitu, longas pedestri semper itinere, semel ad sancta Palestinæ loca, quater ad sancta Apostolorum limina peregrinationes susci- C peret. Humilitatis comes erat rara quædam ac puero digna simplicitas : itaque in factis ejus ac dictis nihil subdolum, nihil fictum : quod clausum habebat in pectore, hoc in lingua promptum habebat. Hujus autem eximiæ sinceritatis, quam nemo non nosset, illud sane specimen fuit plane admirandum. In latrones inciderat, qui post ereptam, quam in crumena gerebat, pecuniam, num quæ alia superesset, interrogarunt. Negat ipse quidquam reliqui esse : et mox reminiscens aureos quosdam in veste subsutos habere, revocatis latronibus, illos etiam, qui animo exciderant, offerebat. Tam inusitata sinceritas perditorum quoque animos flexit. Itaque obstupefacti, pecunia, quam abstulerant, statim reddita, veniam sceleris poscunt, illius se precibus commendant; utrumque facile impetrant a sancto Viro. Paræciam sibi delatam aliquandiu diligentissime administravit; sed quamvis pastoris quæ sunt officia sedulo expleret, pro ea qua erat meticulosa conscientia, ratus negotium esse periculi plenum, dimisit, et consuetum in collegio docendi munus repetere tutius existimavit.

11 Abstinentiæ deditus, post adeptam theologiæ lauream, carnes numquam comedit. Ceterum cibus illi parcissimus, crebra jejunia, flagrorum frequens, perpetuus cilicii usus, somnus brevis admodum nuda super humo, in senectute dumtaxat ursina pelle substrata. Castitatem proinde, tum animi tum corporis illibatam servavit; illiusque argumentum item et præmium fuit candidum sertum, quod illum Deipara virgo, cum puero Jesu sese conspiciendam exhibens, tanquam eximium clientem suum decoravit. A peccato abhorruit quam qui maxime. Leves noxas ita deflebat, ut gravium reus criminum videretur. Si quam forte e verbis suis, dum vera loquitur, ortam in aliis offensionem suspicaretur, antequam ad aram accederet, supplex veniam, non tam sui, quam alieni erroris petebat, quum contra, quæ sibi ab aliis ingerebantur convicia et probra, æquo et miti animo ferret. Jam vero misericordiæ in proximos nullum ferme officium fuit, quod non amantissime obiret. Afflictos in spem erigere, mœrentes alloquio solari, peregrinos excipere, carceribus inclusos visitare, pauperes quotannis coemptis vestibus operire sollemne illi erat; ita quidem, ut occurrente per viam mendico, qui nudis pedibus incedebat, detraheret sibi calceos, ut nuditatem illius E operiret, suam ipse interea contegens pallio tamdiu dum se domum reciperet. Die nascenti Domino sacra, dum ad ecclesiam pergit, pauperem nactus super nive rigentem gelu, lamentabili subsidium poscentis voce commotus, sua illum veste contexit, quam tamen mox domum reversus suo in cubiculo divinitus reperit. Ex hac Joannis in pauperes caritate, in Cracoviense collegium pia et laudabilis, quæ ad hanc usque diem manet consuetudo, inducta est, ut illius professores unum aliquem quotidie pauperem communi secum prandio adhiberent, perinde quasi in illius persona Christum ipsum convivam habeant. Hanc autem tam egregiam animi affectionem, qua pius Sacerdos nullam proximorum calamitatem alienam ab se putabat, insigni miraculo Deus comprobavit. Quum enim ancilla quædam obsitulam, quam lacte plenam gerebat, lapsam e manibus et confractam gemeret, quod heræ objurgationes timeret, Joannes miseratione ductus, collectis fragmentis et coagmentatis, pristinæ integritati reddidit, fusis ad Deum precibus, iisdemque mox aquam, qua situlam impleri jussit, in lac commutavit.

EX VARIIS. abstinentia et in pauperes misericordia.

F

Jerosolymam peregrinatur.

12 Christum Dominum pro salute nostra tam dira atque infanda perpessum, et meditabatur assidue, et flagrantissime redamabat : quem quidem amorem, ut simul incenderet et expleret, ad memoranda Christi tormentis loca Hierosolymam pedibus iter suscepit. Ibi autem dici vix potest, quam reverenter, quam pie, quam ardenter, non sine gemitu et lacrymis monumenta Servatoris nostri maxime insignia perlustraret. Nec vero tenere se potuit, quin Turcarum impietatem ac perfidiam argueret, et christianæ religionis veritatem liberrime prædicaret; præclare secum agi existimans, si ob eam rem vitam, quod maxime optabat, profundere contigisset. Ante imaginem crucifixi Domini ipsas prope noctes orando insumebat, atque in longas non semel ecstases rapiebatur. Per diem vero, postquam suo munere perfunctus esset, e lyceo statim recta in templum, ubi ante Christum in Eucharistia latentem, contemplationes ac preces diu protrahebat. Omnino unus in corde, unus in ore Deus erat. Hunc autem pium animi ardorem ut foveret in dies atque augeret, cum sanctis quibusdam viris, qui per id tempus virtute florebant, versari et colloqui gestiebat,

EX VARIIS.

stiebat, et quæ in illis summa erant suspiciens æmulabatur.

S. Cantii mors et sepultura.

13 Sed satis jam in vinea Domini operarius impiger laboraverat. Tempus aderat mercedis accipiendæ : itaque e languore corporis præsentiens Joannes mortem haud procul abesse, in eo totus fuit, ut ad felicem se exitum compararet, ac primum misericordia in pauperes, in quos quidquid domi supererat, erogavit, divinam sibi misericordiam magis magisque conciliavit, tum confessione sacramentali, si quæ erant, conscientiæ labes abstersit, et sanctissimo Christi corpore refectus lecto decubuit. Ingravescens morbus, non metum sed spem afferebat. Nihil enim optabat magis, quam ut quantocius ab exilio migraret ad patriam. Divino tandem viatico roboratus, post salutaria monita, quibus collegas ad omnia christianæ virtutis, ac præcipue caritatis officia inflammavit, ad quos anhelabat, Christi Jesus amplexus feliciter evolavit die XXIV Decembris anno reparatæ salutis MCCCCLXXIII, cum annum ageret septuagesimum sextum. Sancti Viri corpus cives Cracovienses ad ecclesiam delatum, magno æque mœrore atque honore sunt prosequuti, ac tum præsertim, quum
B illius sanctitas, tametsi satis perspecta, clarius cœpit miraculis explendescere. Veneratio præterea major accessit ex odore quodam suavissimo, quem centum triginta post annos a beato ejusdem obitu, reclusa urna sepulcrali, efflavit, cujus rei testes fide digni extiterunt. Porro purpuream Cantii vestem (Reverendam vocant) religiose asservatam, induere solet quisquis philosophiæ recens decanus sollemne dicit jusjurandum, ut una cum veste videlicet tanti olim magistri, mores quoquo modo et virtutem induat.

Processus de sanctitate et miraculis.

14 Percrebrescens de sanctitate et miraculis fama episcopum Cracoviensem impulit, ut processum de utrisque conficeret, eoque rite discusso, sa. me. Urbanus PP. VIII prædecessor noster negotium commisit congregationi sacrorum Rituum, illud præcipiens, ut, omissa generali, specialem dumtaxat quæstionem institueret, quod cum factum non esset, caussa siluit ad annum usque MDCLXVI, quo tandem fel. record. Alexandri PP. VII etiam prædecessoris nostri jussu, prævio Rituum congregationis consilio, caussa iterum tractari cœpit, sed propter edita dicti Urbani prædecessoris decreta, necesse fuit expediri litteras remissoriales
C ad conficiendum processum super cultu immemorabili beati Viri, per quem videlicet ab Urbani decretis fieret exceptio. Hujusmodi autem cultus approbatio in eadem congregatione prodiit die XX Maii MDCLXXVI. Expeditis subinde novis litteris remissorialibus pro instituenda quæstione speciali, inter hæc prædecessor quoque noster ven. mem. Innocentius XI die XXVII Septembris anni MDLXXX, Poloniæ regis votis indulsit, ut anniversaria die B. Joannis Officium et Missa sub ritu duplici in urbe Cracoviæ, atque in universo Poloniæ regno recitari ac celebrari posset : quæ tamen B. Joannis veneranda memoria per sacrorum Rituum congregationem paulo post justis de caussis translata fuit ad diem XIX Octobris. Sub hæc absoluto processu specialis inquisitionis, validoque comperto, quum scripta quædam in processu compulsata beato Joanni Cantio falso tribuerentur, eadem Rituum congregatio declaravit die XVII Septembris MDCCXXX non constare, quod opera in processu apostolico compulsata Beato attributa, essent ipsius Beati; ideo procedi posse ad ulteriora. Die postea IV Julii MDCCXXXIII eadem congregatio virtutum heroicarum excellentiam asseruit atque approbavit. Inter hæc beatus Joannes electus fuit in compatronum principalem regni Poloniæ et magni ducatus Lithuaniæ, eamque electionem ipsa Rituum congregatio ratam habuit die XVI Februarii MDCCXXXVII, concesso præterea Officio sub ritu duplici primæ classis cum octava, ac die XXXI Martii MDCCXXXIX oratione et lectionibus propriis secundi nocturni de eodem probatis. D

Quæ miracula probata.

15 Porro ventum est ad examen duorum miraculorum, quæ B. Joannis intercessione divinitus patrata ferebantur, et primum quidem illa in generali congregatione die III mensis Augusti anni MDCCXLV coram fel. record. Benedicto XIV, deinde in particulari coram nobis die XXII Aprilis superioris anni perpensa fuere : et quamvis omnium suffragantium vota in affirmantem sententiam convenirent ; nihil tamen nobis statuendum visum fuit, donec super aliis miraculis coram nobis in simili generali congregatione examinandis communes animi sensus percepissemus. Quum igitur die II mensis Decembris ejusdem anni MDCCLXVI super novis miraculis similis generalis congregatio coram nobis coacta fuisset, quamquam cunctis suffragiis digna omnino visa essent, quæ probarentur ; nihilominus ad divinam implorandam opem et supernæ gratiæ lumen, eorum approbationem ad Kalendas Januarii mensis proxime elapsi distulimus. Quæ quidem dies Circumcisioni Dominicæ, et augustissimo Jesu nomini consecrata ad eam rem maxime opportuna videbatur. Quatuor autem ex propositis miraculis in tertio genere probavimus, et hæc sunt. Primum, instantanea sanatio pueri Sebastiani Luzark a transmissa vitio parentum et confirmata phthisi. Alterum, subita sanatio puellæ Hedvigis Paskowna ab acuta febri cum integra atque absoluta virium instauratione. Tertium, impetrata momento temporis sanatio Mariæ Gawlikæ ob gravem perniciosam febrem in extremum vitæ discrimen adductæ. Quartum, subita et perfecta sanatio Antonii Olexowic a grandi et profundo ulcere, quod a jugulo ad fauces usque perductum, præter tendines et majora vasa, nihil intactum reliquerat, et fœtidissima sanie scatebat cum dejectione alimentorum e parte gutturis perforata. His autem accedit unum in secundo genere, cujusmodi est : mercium in flumen Sola prolapsarum, et procul aquarum impetu et vi raptarum, ad locum, ubi demersæ fuerant, adverso flumine regressus. F

Decretum canonizationis; et subsecutum consistorium secretum.

16 Quæ cum ita se haberent, nos, fusis ad Deum precibus, ut menti nostræ necessaria ab eo lux affulgeret, tandem die II Februarii vertentis anni, quæ dies Purificatæ Virgini Deiparæ sacra est, decretum canonizationis beati Joannis Cantii quandocumque peragendæ pronunciavimus. Cumque alias christiani principes, quam pluresque episcopi, et Poloniæ regni proceres beati Joannis canonizationem peroptantes, communibus votis et postulationibus apud prædecessores nostros institissent, atque etiamnum apud nos carissimus in Christo filius noster Stanislaus Augustus Poloniæ rex illustris, et dilecti quoque filii ejusdem regni Magnates, præsertim ecclesiastici, Cracoviensis senatus, et academiæ ejusdem civitatis collegæ omnes et professores iteratis precibus instarent, ut ultimam denique sententiam ferremus super tantopere optata beati Viri canonizatione ; ut more institutoque prædecessorum nostrorum tanti momenti rem perageremus, universi primum collegii eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in consistorio secreto die XXVII Aprilis proxime elapsi coram nobis

A nobis congregatorum consilium audiendum duximus: iisque, postquam de serie totius caussæ ad plenum instructi fuerant, adhortantibus nos ad illius absolutionem, nedum probantibus, nihil amplius cunctandum rati, venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos, non modo propinquiores, sed remotiores etiam per Italiam degentes, ad Urbem convocandos curavimus, ut nobis de beati Joannis Cantii, necnon beatorum Josephi Calasanctii a Matre Dei, Josephi a Cupertino, Hieronymi Æmiliani, Seraphini a monte Granario ab Asculo denominati, et Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal sollemni canonizatione, quam sibi Deus inspirasset, sententiam declararent.

Item publicum et semipublicum.

17 Præterea, ut eximiæ beati Joannis virtutes, et probata miracula, necnon in totius caussæ discussione adhibitæ cautiones notæ omnibus fierent, narrationem illarum ex authenticis documentis haustam, et diligenter in compendium redactam, typisque vulgatam patribus omnibus suffragaturis exhiberi mandavimus. Mox indicto coram nobis consistorio publico die VII Maji vertentis anni, et adstante universo ecclesiasticorum ordinum et collegiorum cœtu, præcepimus, ut B dilectus filius Alexander Litta, nostræ consistorialis aulæ advocatus, virtutes et miracula beati Joannis oretenus palam exponeret. Demum convocatis die prima Junii proxime præteriti in consistorio semipublico eisdem S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis et episcopis, qui in Urbe convenerant, ab iis quæsivimus, an ad beati Joannis Cantii canonizationem deveneri posse censerent. Ipsi tunc summa animorum consensione, pluribus gravibusque rationibus in affirmativam sententiam ire comperti sunt. Quocirca a dilectis quoque filiis apostolicæ Sedis notariis publica instrumenta confici, et suffragiorum ipsorum exempla a singulis subscripta in tabularium ecclesiæ Romanæ inferri mandavimus. Ut autem a Deo Optimo Maximo, quid in placitum esset dilucide agnosceremus, publicas quoque orationes, et dies generalis Jejunii per Urbem indiximus, et tres patiarchales basilicas designavimus, in quibus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum publice fidelium adorationi per triduum exponi jussimus, omnes hortando, ut postquam sacramentali confessione expiati, et Christi corpore refecti fuissent, in una saltem ex dictis basilicis omnipotentem C Deum ad impetrandum nobis Spiritum sapientiæ et intellectus, quo duce, manifesta fieret illius voluntas, nobiscum precarentur, indulgentia ad id plenaria et peccatorum remissione concessa. Nos quoque ipsi præter eas, quas privatim fuderamus assiduas et plenas humilis fiduciæ preces, publicas quoque in tribus designatis basilicis addendas curavimus, in quo quidem non sine tenero quodam pietatis sensu, atque animi nostri in Domino exultatione spectavimus, quanta esset Romani hujus populi religio ac pietas, cum ex omni conditione atque ordine ad easdem basilicas convenissent, ac sua de solemniori cultu Beatis decernendo, vel tacentes præfervida vota depromerent.

Canonizationis solemnitas.

18 Demum hac die sacra beatissimæ virgini Mariæ de Monte Carmelo, qua die coronationis nostræ annua redeunt sollemnia, in basilica Principis apostolorum splendide et magnifice ornata, ad quam servatam supplicationis publicæ forma, nos præcesserunt omnes cleri seculares et regularis ordines et ministrorum Romanæ curiæ collegia, una cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis, et episcopis; priusquam immaculatam Hostiam sollemni novæ legis sacrificio omnipotenti Deo offerremus, instante iterum iterumque dilecto filio nostro Carolo tituli sancti Clementis S. R. E. presbytero cardinali Rezzonico nuncupato ejusdem S. R. E. camerario, ad canonizationem impetrandam procuratore constituto; decantatis sacris ecclesiæ precibus, ut Deiparæ virginis, angelorum, et Sanctorum cum Christo regnantium intercessione, divinam opem imploraremus, ac paraclyto Spiritu cum gemitibus, ut adesset, invocato, ad honorem sanctæ et individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ, et christianæ religionis augmentum, auctoritate domini nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli et apostolicæ auctoritatis plenitudine, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, et episcoporum in Urbe existentium consilio et assensu, ipsum beatum Joannem Cantium sacerdotem secularem una cum beatis Josepho a Calasanctio a Matre Dei, Josepho a Cupertino, Hieronymo Æmiliani, Seraphino a Monte Granario ab Asculo denominato, et Joanna Francisca Fremiot de Chantal, Sanctum esse decrevimus, definivimus, ac Sanctorum catalogo E adscripsimus, illumque ab universis Christi fidelibus, tamquam vere Sanctum, religioso cultu honorari mandavimus, prout etiam tenore præsentium definimus, decernimus, et declaramus: statuentes et concedentes, ut ab universali ecclesia in ejus honorem ecclesiæ et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari et consecrari, et singulis annis præscripta die XIX mensis Octobris ipsius sancti Joannis Cantii inter sanctos confessores ab ecclesia memoria recoli posset. Eademque auctoritate omnibus Christi fidelibus, qui eadem die annis singulis ad sepulchrum, in quo corpus ejusdem sancti Joannis requiescit, visitandum accesserint, perpetuo septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino in forma ecclesiæ consueta relaxamus.

B. Cantii glorificatio in speciale cedit ecclesiæ decus et regni Poloniæ solatium.

19 Sub hæc æternum Patrem, regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiterni filium, et sanctum paraclytum Spiritum, unum Deum ac Dominum cum debita gratiarum actione venerati, omnibusque Christi fidelibus ibi præsentibus plenaria peccatorum remissione et indulgentia concessa, supra beati Petri confessionem sacrosan- F ctum missæ sacrificium solemniter celebravimus, facta eorumdem Sanctorum speciali commemoratione. Ceterum, si inter illustres, quibus vera ecclesia dignoscitur, notas, non postrema est, divinitus patefacta et testata sanctitas eorum, qui e quovis ordine et statu in illa floruerunt; æquum omnino et pietati consentaneum est, ut gratias Deo Patri per Christum Jesum agamus, quod illi placuerit ex eo thesauro, unde quotidie profert nova et vetera, tot ac tantas gratiæ suæ divitias in S Joannem Cantium effundere, easque deinde ad ornamentum ac decus ecclesiæ suæ palam facere per miracula, quæ ad solemnem tam insignis Servi sui canonizationem viam atque aditum aperuerunt. Est præterea quod gratulemur inclytæ Polonicæ nationi, quæ, cum pietati præ ceteris maxime addicta sit, non potest certe non summo exultare gaudio, quod in tanta rerum perturbatione, tantoque religionis discrimine, novum hoc sibi præsidium accesserit, quo egregia et generosa suorum indoles magis magisque nullis perterrefacta periculis, Romanam fidem adversus finitimos, tum hæreticos, cum schismaticos et arcte

 retineat,

EX VARIIS. retineat, et fortiter, ut semper magna cum laude præstitit, ad sanguinem usque tueatur. Academia vero Cracoviensis in hunc olim alumnum, nunc patronum suum, quoties oculos defiget, defiget autem quotidie, propositum sibi præclarissimum videbit exemplar, unde illius magistri et doctores et bene docere, et recte facere discant; dum Joannes defunctus adhuc loquitur, atque ad omne virtutis officium hortatur.

Clausulæ. 20 Quoniam vero, hisce omnibus de more peractis, idem Carolus cardinalis, et procurator designatus, a nobis, quo par erat, obsequio postulavit, ut apostolicas nostras litteras in gestorum omnium perenne monumentum decerneremus; D nos petitioni perquam libenter annuentes, præsentes nostras litteras edi et palam fieri demandavimus : statuentes earumdem exemplis etiam impressis ab aliquo ex notariis publicis subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate munitis, eamdem prorsus fidem ab omnibus adhiberi, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si exhibitæ vel ostensæ forent. Nulli ergo omnino hominum liceat etc. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis dominicæ MDCCLXVII, decimo septimo Kalendas Augusti (XVI Julii), Pontificatus nostri anno decimo.

ADDENDA AD HUNC TOMUM.

SUPPLEMENTUM

B AD COMMENTARIUM DE S. DULCIDIO, E

EPISCOPO AGINNENSI.

V. D. B.

§ unica S. Dulcidii ecclesia, sacellum, cultus, reliquiæ et reliquiaria capsa.

S. Dulcidii cultus Cambareti, Superius *pag.* 50 *et seqq. ad diem* XVII *Octobris diximus de S.* Dulcidio, *quantum per documenta quæ ad manus erant dabatur. Postquam vero illa excusa essent, accepimus a R. D. Amadieu, Cambareti parocho, egregiam epistolam, qua ad plura nostra quæsita quam laudabilissime respondit, antea jubilei laboribus in sua aliisque parœciis exantlatis impeditus. Monet nos imprimis festum S.* Dulcidii *in Tutelensi diœcesi non celebrari, licet Cambaretum ea nunc colitur; quocirca mittit ad nos lectionem de S.* Dulcidio *secundum recentiores usus Lemovicenses, ex Gaufredo Vosiensi, Gallia christiana et Tillemontio* C *depromptam; quæ quum nil singulare habeat, omittenda videtur. S.* Dulcidii *cultus viget etiamnum quam maxime Cambareti, ubi aliquando* Dulcet, *sæpius* Dulcem *appellatur. In antiquissima fenestra chori ecclesiæ cernitur S. Episcopus, brevi mitra alba redimitus, sinistra pedum pastorale tenens, dextra cœlum monstrans, veste violacea, rochetto et pallio purpureo amictus, adscripto nomine:* S. DULCISSIMUS.

sacellum, 2 *Cambareti incolæ exexerunt olim in monte tribus ab oppido chiliometris sacellum, dictum* la chapelle de saint Dulcem, *pietate et populi concursu venerabilem locum. In quo celebratur missæ sacrificium die festa* XVII *Octobris, tertia Dominica post Paschа et feria secunda Rogationum. Instituuntur quoque illuc piæ supplicationes, quas processiones solemus vocare, pro pluvia obtinenda, vel (prout res fert) pro serenitate aëris. A febricitantibus tamen maxime nunc invocatur S.* Dulcidius; neque raro, *inquit R. D. Parochus,* cœlitus adjuvantur infirmi; ita ut nunc facile centum intra parœciæ ambitum reperires incolas, qui sibi hujus Sancti intercessionem in febribus profuisse testentur. *Quum autem sacellum istud, tempore exesum, paulatim ruinosum et inæquale fieret, plebem suam ad patroni sui ædem restaurendam invitavit eidem R. D. Parochus : quæ invitatio ita placuit, ut brevi (quemadmodum ille ipse ad nos rescribit) ronovandum sit prium sacrarium.*

reliquiarum fata a sæculi superioris fine 3 *Non in hoc sacello, sed in majori æde servantur S.* Dulcidii *reliquiæ, copiosæ valde. Quæ de his tradit R. D. Amadieu placet verbotenus fere hic adscribere, quoniam aliquando ejus testimonium valiturum speramus, ut denuo debito cultu honorentur. Sic autem ille :* Fecit nobis Deus felicitatem ad hæc usque tempora S. Dulcidii servandi reliquias; verumtamen nobis non licet eas populi venerationi exhibere, quoniam, quum anno 1793 ferveret impietas, ecclesiæ custos eas duxit in domum suam F ibique eas servavit, donec sedaretur tempestas. Porro, licet ex hac ipsa actione satis elucere videatur zelus et pietas hujus viri, et licet testes fide digni authentice professi sint maxima ab eo cura et sollicitudine hæc pia pignora custodita fuisse : hæc tamen testimonia auctoritati diœcesanæ visa non fuere sufficere ut concederet has denuo reliquias publice coli : unde cogimur eas in templi secretario, armario inclusas, tenere. *Atque hæc R. D. Parochus. Hodie autem in Gallia facilior invalescit consuetudo et passim usurpatur modus benignior, post Lutherana et Calviniana bella olim servatus; unde non miraremur si ipsarum S.* Dulcidii *reliquiarum cultus aliquando instauraretur. Prope enim intelligitur cultum reliquiarum esse relativum, adeoque necesse non esse ut objectum proximum seu immediatum omnino sit certum, sed sufficere si sit vere probabile; præterea ecclesiæ leges, (siquidem in his juridice procedatur), applicandas esse secundum ipsius ecclesiæ mentem; quæ certe post perturbationes, quantas exeunte sæculo superiori Gallia perpessa est, vult rationem haberi difficultatum antecedentis*

A *dentes temporis inter colligenda testimonia aliaque authenticitatis signa. Verum his inhærendum non est, quum Honoratus a S. Maria* (1) *egregia de recognoscendis reliquiis scripserit, nec ejus opus sive gallicum sive latinum difficulter inveniatur.*

et pulcherrima reliquiarum capsa

4 *Interea ipsa pretiosissima capsa, qua S.* Dulcidii *reliquiæ etiamnum continentur, eximium testimonium est de earum sinceritate. Eamdem fuse descripsit R. D. Texier, parochus in Auriat; cujus proin verba latina faciam.* Habet hæc capsa, *inquit* (2), formam ædis sacræ oblongæ. Tectum et parietes verticales cuprei hujus ædificii, deaurati et encaustici, ornantur serie arcuum integrorum. Columnæ glauci coloris et arcus voluti, ex quibus id ornamentum conficitur, media sui parte eminent, et ad capitella et bases frondibus tricoloribus cinguntur. Ramusculi aurei, rarum in architectura Lemovicensi ornamentum, nascuntur e basibus, ambiunt scapum, continguntque suis sertis maxime variis volutos arcus. In medio pariete verticali Christus dominus, cruci affixus, moritur. Sub crucis brachiis, Maria a dextris, Joannes a sinistris, ejus ultimum excipiunt spiritum. Ab utroque crucis latere stant apostoli, imberbes ple-
B rique, manu tenentes librum. S. Petrus, fere solus barbatus, duas claves, alteram cœli, alteram purgatorii, tenet, simulque librum rubri coloris. Ad occidentem proxime ad introitum, S. Petro datus est locus. Hæc scena terrestris. In cœlesti vero, quæ alterum capsæ latus occupat, Christus dominus multa dignitate solium occupat, altera manu librum tenens, altera benedicens. Circumdantur ejus gloriæ radii signis symbolicis quatuor euangelistarum. Multicoloria encausta, ex quibus constant, prominent, quin ipsum cuprum promineat : res singularis et fere unica pro encaustis crustatis. V. D. B.
Sua symbola comitantur ipsi euangelistæ, in quatuor thronis ad utrumque Christi domini latus sedentes. Qui proximi sedent euangelistæ, hi duo barbam habent; alii non item. Gemmæ, pleræque sanguinei coloris, cingebant olim crucem; basim vero margaritæ virides et candidæ.

describitur.

5 Exprimitur in hac capsa ipse S. Dulcidius. In facie scilicet posteriori tecti duo clerici in sepulcro deponunt sanctum virum, mitra alba redimitum. Adstat episcopus benedicens, duoque clerici, alter ferens crucem, alter librum, in quo legitur : Ora pro me. S. D.; post veniunt et duo alii clerici, quorum unus candelabrum, alterum aquam benedictam fert. Atque hæc scena, si compositionem, figuras et mores consideres, refert fere ad integrum unum ex parietibus capsæ Maussacensis; adeo ut accurate unam ex altera per partes descriptam diceres : argumentum sane de communi origine et ævo utriusque capsæ. Fastigium decoratur foliis cælatis, et encausticis exstantiis, turres cum portis arcuatis et rubris pinnis exhibentibus. Ne tamen hinc deducatur hanc capsam ad sæculum xiii pertinere et Blancæ Castellanæ donum esse, sciendum est turres emblema fuisse E
gentilitium plurium Lemovicensium familiarum, et quidem dominorum de Lastours, quorum castellum situm erat Cambareti, ut superstites ruinæ adhuc testantur. Porro prominentes figuræ subtili opere cælatæ, et quindecim aut viginti centimetra productæ; ipsa vero capsa in longitudinem septuaginta fere centimetra protenditur. *Plura non innotuere.*

(1) Réflexions sur lesrègles et l'usage de la critique. lib. v, diss. vi, part. ii, t. II, p. 437 et seqq. — (2) Essai sur les argentiers et les émailleurs de Limoges.

SUPPLEMENTUM AD PRÆTERMISSOS.

Inter Prætermissos ad xviii Octobris, *pag.* 281, *ubi recensuimus* Paulum a Cruce *fundatorem Congregationis SS. Crucis et Passionis Domini, scripsimus causam beatificationis ejus jam valde provectam, at nondum finitam esse : quod verum quidem erat eo tempore quo id a nobis excusum fuit ; sed postmodum prodierunt litteræ apostolicæ SS. D. N.*
C *Pii Papæ IX, quibus eidem* Paulo *Beatorum honores decreti fuere, et permissa clero Romano laudatæque Congregationis alumnis Officii ac Missæ in honorem ejus recitatio. Neque tamen acta ejus nunc danda existimavimus; sed quum ei colendo summus Pontifex jam assignarit diem a festo S. Lucæ satis remotum, ad illum diem vel alium deinde forsan assignandum acta illa remittimus.*

Inter Prætermissos ad xx Octobris *referatur sequens memoria, quæ in secunda parte seu supplemento Menologii Benedictini Bucelini his concipitur verbis :* In Sicilia S. Licinii monachi et Martyris; qui ex lectissimis protomartyris nostri Placidi Messanensis abbatis discipulis, martyrio ejus et sociorum superstes ; cum Siciliæ diu post facem sancti exempli prætulisset, martyrii denique et ipse F
agone (incertum quo persecutore) consummatus, ad magistri sui triumphos æternos assumptus est. *Hæc a se hausta ex Mauro Marchesio et Cajetano subdit Bucelinus. Arbitramur referendum S.* Licinium *inter triginta monachos anonymos, qui coluntur cum S. Placido et in opere nostro memorantur ad diem* v Octobris.

INDEX HISTORICUS

IN TOMUM VIII OCTOBRIS.

A

† Aaron, *martyr in Britannia majori* 818 b
Aaron, *Saracenorum in Persia monarcha* 370 c d
Abbo, *filius Felicis, patricius Francorum* 374 d
Abbo II, *Nivernensis episcopus* 89 e
Abderaman, *Saracenorum dux* 516 f, 518 e f, 519 a-e
Abundantius, *Comensis episc.* 905 d
† Abundius *quomodo inscriptus Usuardi martyrologio* 87 d
Acacius, *episcopus Berœensis*, 355 b, 356 e, 357, 358
Acarias, *filius Bardolfi, fundator Jorevallis* 1032 f
† Acca, *ep. in Northumbria* 385 d e
† Acepsimas, *martyr in Perside* 838 f, 839 c
Achæus, *episcopus Seleuciæ, scribit Acta Martyrum* 839 b
† Achatius, *episcopus Mitylenus, martyr* 819 f, 820 a
† Acutius *martyr socius S. Januarii, inter Prætermissos* 276 c d
Ada *comitissa, mater Guilielmi regis Scotiæ* 1034 c
Adalardus, *presbyter Magniaci* 88 e, 89 a e
Adalaudus, *episcopus Turonensis* 105 b
† Adalbertus, *episc. Comensis* 904 d
† Adalbertus, *episc. Pragensis martyr* 811 d
Adalbertus, *comes in Trungau, Andechsiorum auctor* 203 f
Adalgarius, *episcopus Augustodunensis* 105 c
Adalrammus *ex posteris Theodonis I ducis Bajoariorum* 913 f
Adalramus, *archiepiscopus Salisburgensis* 916 b, 917 c e
Adalsinda *monialis curata a S. Austrude* 115 c
Adalwinus, *episcopus Ratisbonensis* 920 b
Adam, *frater Petri, Bellovacensis* 331 e
Adela, *mater B. Humbaldi, episc. Autissiodorensis* 1002 d
Adelaïdis, *comitissa Secusiensis* 377 a
Adelardus, *archid, Suessionensis* 331 d
Adeodatus *loco Theodori Cantuariensis archiep.* 92 f
Adonis *Martyrologium perpetuus fons Usuardini* 87 b
† Adriani *abbatis corpus Cantuariæ* 118 f
Ædricus, *canonicos regulares Hagustaldiam introducit* 974 d, 978 b
Ægidius *archiepiscopus Rhemensis, laudatur ab hospitalitate* 891 c
† Ælredus, *abbas Rievallensis* 1034 b c
Ælstanus, *abbas S. Augustini Cantuariensis* 94 b
Æonius, *Arelatensis episcopus, accipit varias epistolas a S. Ruricio I* 65 e
Æthelstanus, *rex Angliæ* 95 a
Æthelwinus. *Vide* Ailwinus.
† Agape. *Ejus reliquiæ Romæ* 322 d e
Agnellus *episcopus Sabionensis* 918 d
† Agnes *Virgo Romana* 271 c, 344 f, 345 a b d e
Agnes a Jesu *Ordinis S. Dominici* 381 e
Agnes *imperatrix. Ejus commoratio Fructuariæ* 188 b c
Agnes, *filia Dedonis Orientalis marchionis, uxor Bertholdi ducis Meraniæ, mater S. Hedwigis* 266 b
Agnes, *filia S. Hedwigis, in juventute defuncta* 226 f, 266 c
Agnes, *filia ducis Meraniæ, concubina regis Franciæ, soror S. Hedwigis* 266 b, 268 c
Agnes, *neptis S. Hedwigis, monialis Trebnicensis* 243
Agnes, *ex Henrico II neptis S. Hedwigis, assistit aperturæ sepulcri S. Hedwigis* 263 e; *abbatissa Trebnicensis* 268 a, 270 a
Agnes, *filia Boleslai ducis Lignicensis, uxor Udalrici Wirtembergensis* 266 d
Agnes, *filia Conradi, uxor Henrici comitis palatini Rheni* 266 b
Agnes, *filia Henrici II regis Castellæ, Ord. Minorum* 814 b
Agrippa *e præcipuis S. Juliani Sabæ discipulis, dein S. Eusebii* 356 c
† Agrippinus, *episc Comensis* 904 c d, 905 f, 907 e
† Agritius, *episcopus Trevirensis sæc.* VI. 16 e, 17 a, 19 f, 20 a-c
† Aidanus, *episcopus Lindisfarnensis, monasticam cum suo clero agit vitam* 919 d e
† Aidanus *seu* Ædanus *Tuam-Grenensis* 813 d
Ailwinus, *comes Anglorum Orientalium* 95 b d e f
† Aithalas, *martyr in Perside* 838 f
Alacoque *(Ven. Margarita Maria) Ord. Visitationis B. M. V.* 6 a
Alanus, *episc. Autissiodorensis* 1007 a
Alanus, *episc. Rhedonensis* 1012 f
Alanus, *parochus Bivillensis, cultor B. Thomæ Heliæ* 593 f, 594 a, 598 a
Alanus, *comes Britanniæ* 1011 a, 1015 a
Alanus III, *vicecomes de Rohan* 1041 b
Alanus, *pater B. Gaufridi* 1009 c
† Albanus, *martyr in Britannia majori* 818 b
Albarado *(Joannes de) discipulus S. Petri de Alcant.* 774 e f
Albericus, *monachus Cassinensis et Cardinalis* 5 e
Albericus, *S. R. E. Cardinalis episcopus Hostiensis, Sedis apostolicæ legatus* 986 a
Albericus, *Comensis episc.* 905 f
Albericus Clarævallensis 1015 f
† Albertinus. *Ejus corpus Avellanæ servatum* 183 c
† Albertus *Senensis* 183 f, 184 b
Albertus, *episcopus, ut videtur, Ostiensis* 193 a e
Albertus, *præpositus Ulciensis* 377 c
Albertus, *filius Henrici Misnensis, landgravius Thuringiæ* 265 e
Albertus, *filius Henrici landgravii Thuringiæ* 265 e, 267 e
Albertus, *marchio Saxoniæ Orientalis, fundator marcæ Brandeburgicæ* 265 d, 267 d
Albertus, *filius Ottonis, marchio Misnensis* 265 d, 267 d
Albinus, *abbas S. Augustini Cantuariensis, juvat Ven. Bedam* 119 b c d, 120 f
Albinus *abbas, idem ac* Alcuinus 918 a b
Alboynus, *rex Longobardorum* 374 f, 375 a
Albuquerque *(Joannes de) socius S. Petri de Alcant.* 753 f
† Alcmundus, *episcopus Hagustaldiensis* 965 c, 977 b

Alcuinus

Alcuinus *(Flaccus Albinus) confusus cum Albino, abbate Cantuariensi* 120 f
Aldaricus *idem ac* Udalricus *Papiensis* 188 c
† Aldegundis *Virgo, inter Prætermissos* 272 a
Aldemannus, *Brixinensis episc.* 187 c
Aldricus, *episcopus Cinomanensis* 105 d
Alencastrius, *dux Averanus, Arabidæ dominus* 712 e f, 713 a b
† Alexander *martyr, inter Prætermissos* 277 a
† Alexander et Victor *MM.* 381 c
† Alexander *Papa II Beatus appellandus* 183 e. *Ejus gesta et maxime initium pontificatus illustrantur,* 184 e; *electio et inthronizatio* 189 et seqq. *Qua indictione uteretur* 190 e, 191 a
† Alexander, *ep. Hierosolymitan.* 314 a b c
Alexander III *Papa* 987 c. *Charta ejus pro confirmatione jurium et bonorum S. Augustini Teruannensis* 562 e f
Alexander Alensis, *doctor Parisinus* 814 b
Alexander *imp. contra Persas bellum gerit* 317 b c; *moritur* ib. d.
Alexander I, *rex Scotorum* 179 f
Aleydis *S. Bernardi mater. Ejus translatio ad Claramvallem* 276 a
Alfredus *Dunelmensis levat corpus S. Accæ et aliorum Sanctorum* 975 d, 979 a
Algarus, *episc. Constantiensis* 1012 f
Algarus *S. Frideswidam insequens fit cæcus* 536 e, 537 f, 564 f, 565 a b c d
Alimus, *episcopus Sabionensis* 916 a
Almannus, *monachus Altivillarensis, scripsit Vitas Sanctorum, inter alias S. Sindulphi* 891 a b c, 892 b
Alnejo *(Gunherius de)* 1009 c
Alou *(Petrus), parochus S. Eligii in Abbatisvilla* 369 e
Alricus, *episc. Astensis* 376 c, 377 d e, 378
† Altinus, Eodaldus et Serotinus *socii SS. Saviniani et Potentiani* 386 a d
Altmannus, *episcopus Tridentinus, quo die obierit* 928 b c
Alveus *abbas Ordinem S. Benedicti profitetur, ejusque Regulam in monasterium S. Petri introducit* 11 e f
Alulfus, *comes Hesdinii, constituitur advocatus abbatiæ S. Salvii* 484
Alypius *præpositus sub Juliano instaurationi templi Hierosolymitani* 878 e
† Amabilis *confessor* 380 d. *Ejus translatio Ricomagi* 274 a b c
Amalgadius *pater S. Fintani Moeldubh* 896 f
† Amator, *episc. Autissiodorensis, caput S. Justi pueri transfert* 328 e, 329 a b, 339 b, 340 c, 342 b
† Amatus, *ep. Senonensis* 381 d
† Amatus, *abbas Luxoviensis* 381 a
Ambisa *dux Saracenorum Gallias devastat* 518 b c d
† Ambrosius *Mediolanensis Hispanos episcopos ad unitatem ecclesiæ reducit* 85 b; *episcopatus ejus initium* 50 d; *reliquias ejus visitant SS. Bassianus et Clemens laudenses* 49 e, 50 a
† Ambrosius, *episcopus Cadurcensis, inter Prætermissos* 276 f
† Amedeus, *monachus et presbyter* 381 e
Amicia, *comitissa Devoniæ* 1040 a
Ammilon *abbas Salisburgi* 916 c e, 917 a c e
† Ammon *primus incoluisse montem Nitriæ dicitur* 39 e f
† Ammonius Victor, *martyr Lucæ* 813 a
Ammonius *Alexandrinus componit Harmoniam evangelicam* 82 e
Amon, *dux Longobardorum* 374 e f, 375 a
† Amphilochius, *ep. Iconii in Lycaonia* 385 f
Anacletus II *antipapa* 1011 a
† Anastasia 426 f, 427 a
Andechsiana *gens nobilis inter Germanos antiquiores* 202 e f, 203, 204
† Andreas *apostolus Scythiam sortitus est* 169 a; *Scythis et Pictonibus Evangelium prædicat* 171 a b; *ejus reliquiæ Patris CPolim translatæ* 169 c d, 301 a-d, 861 c, 976 c; *reliquiæ in Scotia* 163 f, 164 a b, *plurimum visitantur* 171 d; *reliquiæ Hagustaldiæ* 976 c
† Andreas *episcopus, passus sub Copronymo* 814 f
† Andreas *in crisi* 812 e
† Andreas Calybita *idem ac S. Andreas in Crisi, confusus cum S. Petro in Blachernis* 128 c d e f, 129 a b c
† Andreas, *Cretensis episcopus* 132 c
† Andreas *presbyter* 812 d
Andreas de But, *scriptor* 1014 c
† Andronicus *martyr* 812 e
† Angadrismæ *corpus Bellovacum transfertur* 330 f
Anicia gens, *nobilissima apud Romanos* 60 b
† Anna, *rex Anglorum Orientalium* 91 b; *cultus in Mannia* 890 a
† Anna, *mater B. Mariæ V.* 427 a; *in templo suo Cracoviæ miraculis claret* 1099 c d e f
† Anna *V. sub Basilio Macedone* 130 c
Anna *ducissa Silesiæ, nurus S. Hedwigis, recipit se in castrum Crosnam* 243 a c
Anna, *Henrici II ducis Silesiæ uxor* 225 d, 227 a, 266 c
Anna *seu* Anca, *alias Euphrosyna, filia Boleslai ducis Lignicensis, abbatissa Trebnicensis* 266 d, 269 d
Anna, *filia Henrici III ducis Lignicensis, monialis Ord. S. Claræ* 266 d, 269 c
Anna, *filia Conradi ducis Glogoviensis, uxor Ludovici comitis palatini Rheni et ducis Bavariæ* 266 f
Anna, *filia Constantiæ, abbatissa in Ouenzko* 268 a, 270 a
Anna Maria *monialis S. Claræ* 775 e f
† Anno, *Coloniensis archiepiscopus* 277 e
† Anonyma, *uxor S. Aquilini* 381 e
† Ansbertus, *ep. Rothomagens.* 492 e f
Ansbertus, *Mediolanensis archiep.* 905 f, 906 a
Ansegisus, *episcopus Trecensis* 982 c, 983 e, 994 a
Anselmus, *Comensis episcopus* 905 c
Anselmus, *Lucensis episcopus. Vide* Alexander II.
† Ansericus, *episcopus Suessionensis* 109 c
Ansius. *Vide* Hildebertus.
† Ansologus *abbas Salisburgi* 916 c e, 917 a c, 918 a f, 919 a c, 922 e, 923 a c, 934 c, 938 e
Ansprandus *ex regio tutore rex Longobardorum* 915 a b
Antinorius, *scriptor Aquilanus* 407 de
† Antipas *M. nomen dat foro Bovis Cpoli* 133 f
† Antonii Cauleæ, *patr. Cpolitani, chronotaxis* 130 e
† Antonius *an auctor vitæ monasticæ* 842 ef, 843 a-d
† Aon *sive* Eugenius, *eremita in Mesopotamia* 356 b, 426 b; *non fuit fundator monasteriorum in Syria* 845 a b
† Aphraates *locum supplet S. Meletii Antiocheni* 352 b e, 357 c, 358 e
† Apollinaris, *episcopus Ravennas, discipulus S. Petri* 17 b
Apollo, *monachus deserti Scetis* 40 a
† Apolloniæ *duo dentes* 337 c
Apollonius, *abbas S. Emmerammi Ratisbonæ* 920 b

144 Apruncululus,

Apruncalus, episcopus Arvernorum seu Claromontanus 60 f
Aquila idem ac Arno 918 b, 932 f
† Aquilinus, episcopus Ebroicensis, inter Prætermissos 281 a
† Aquilonius confessor 381 f
Aragonia (Joannes de) cardinalis, abbas Cassinensis, visitari jubet reliquias SS. Benedicti et Scholasticæ 153 e
Arbois de Jubainville (H. d') archivii custos Trecis studia nostra adjuvat 987, 988 a b c
† Arialdus defenditur in Concilio Romano 187 b
Aribertus, II rex Longobardorum 915 b
Aribo, Frisingensis episcopus 914 e f, 932 f
Arichis, dux Beneventanus, fundat aut renovat ecclesiam S. Sophiæ Beneventi 84 d e
Ariste, diaconissa Antiochena, corpus S. Artemii CPolin transmittit 883 a
† Aristion 2 c
Arius hæresiarcha 857 b, 882 d, 884 b
Arnaudus, abbas S. Petri Vivi 1000 a
Arno, archiepiscopus Salisburgensis 914 a b, 915 e, 916 b c f, 917 a c e f, 918 a b d, 919 b c, 932 f
Arnoldus (Gaspar) ab hæreticis occisus 814 c
Arnolfus Vochburgensis monachus Sant-Emmerammensis et scriptor 913 e f
Arnulphus, comes Hollandiæ, ut ferunt, inter Prætermissos 277 e
† Arsenius, monachus deserti Scetis 39 f
Artaxerxes rex belli Persici auctor 317 b c
† Artemius, episcopus Lystrensis 811 e
† Artemius, dux Augustalis, curat translationem SS. Andreæ et Lucæ 311 e, 313 b
† Arthemiæ reliquiæ Romæ 322 d e
Ascelinus, presb. et eremita 1027 b
† Asclepiades, ep. Antiochenus 381 d
Asclepius, episcopus Lemovicensis 74 a
Asclepius, Edessenus episcopus, monachos Eutychianos expellit 356 b
Asinio, Curiensis episc. 905 d
Asketillus, canonicus cœnobii Huntendunensis, recipit ecclesiam Hagustaldiensem 976
† Asterius presbyter Romæ 381 d, 812 f, 814 f
Asterius, episc. Arianus, ad preces S. Juliani Sabæ moritur 349 f, 350 a. 358 c d
Asterius, discipulus S. Juliani Sabæ 351 e, 354 f, 355 a b c, 357 d
† Athanasius vexatus ab Arianis 849 d e
Athanasius II, patriarcha Jerosolymitanus, quando sederit 279 d; emit corpus S. Lucæ 303 e
Athanasius III, patriarcha Jerosolymitanus apud Lequienum, forsitan superfluus 279 d
Athelstanus quis fuerit 170 e, 178 f
Athelwinus. Vide Ailwinus.
† Athenodorus, episcopus Neocæsareæ, inter Prætermissos 272 b
† Athenodorus, episcopus Laudunensis 109 b
Avalone (Odo de) 1000 a
Aubry, societatis S. Sulpicii presbyter, præses seminarii Remensis, labores nostros adjuvit 273 d
Audley (Henricus de) 1039 b
† Audoenus quo anno et die consecratus episcopus 490 f, 491 d e f, 492 a b; casula ejus Malmundarii 334 a
† Avelsus, discipulus Christi 811 d
† Augebertus, martyr 812 e
Augerius, abbas SS. Sergii et Bacchi 1036 a
† Augustinus, episcopus et Ecclesiæ doctor, sermonem habuit die natali SS. Bolitanorum 37 a b
† Augustinus, Anglorum apostolus 101 b; monasticam in Cantia instituit vitam 919 e; successorem sibi ordinat S. Laurentium 933 b
Avila (Mag. Joan. de) agit cum S. Petro de Alcant. 715 f
† Aurea, abbatissa Cutheclarensis in Hispania 590 c, 591 d e
† Aurelii martyris translatio Parisios b e, 812 b; reliquiæ Acmanti 87 a
† Aurelius, Carthaginensis episcopus 3 a
† Aurelius (Marcus) imperator, quandoque Antoninus Pius dictus 391 b c
Ausbertus, abbas SS. Sergii et Bacchi 1036 a
† Austrebertæ translatio 379 c, 811 a
† Austremonius, primus episcopus Arverniæ 24 a
† Autberti, episc. Cameracensis, ordinatio 899 f, 900 a
Auxanon, presbyter Novatianus, olim monachus 844 b
Auxeio (Joannes de) episcopus Trecensis 984 d

B

† Babylas, episcopus Antiochenus, martyr, jussu Juliani extrahitur e tumulo 876 f, 877 a b, 880 b c. Ejus translatio Cremonæ 281 f
† Balduinus martyr, Laudunensis diaconus, frater S. Austrudis 108 a, 110 de e f, 112 c-f, 113 c-f
Balduinus Silvanectensis 331 d
Balduinus, comes Devoniæ, fundator Quarreræ 1026 c
Baleus plura affingit S. Nothelmo scripta 120 e f
Baltazar, frater laicus, Ord. Minor. 381 f
Balthasar a Clavario Ord. Minor. 5 e
† Bandaridus successit S. Lupo in sede Suessionensi. Quædam illius gesta recensentur 450 d e f
Bandinelli (Volumnius) S. R. E. cardinalis 1051 f
† Baradbeschiada, martyr in Perside 838 e f
Baranardus (Odoardus) 183 f, 184 a
Barbation, dux exercitus, Gallum Cæsarem purpura spoliat 861 a
Barioncius, discipulus B. Ludolphi 182 f
Baronii libertas in carpendo falsarum reliquiarum cultu 373 c
† Barontus, abbas in agro Pistoriensi 511 a b
† Barsabas martyr Persa distinctus a S. Barsabia 838 e f
† Bartholomæus apostolus Indis prædicavit Evangelium 27 d e f. Ejus reliquiæ 337 c
Bartholomæus, Ord. Cisterc. abbas Populeti in Catalaunia 5 f
Bartholomæus, Hamensis abbas 331 d
Bartholomæus a S. Anna, socius S. Petri de Alcant. 753 c d e; Romam mittitur 637 d e
Bascius (Vener. Matthæus) institutor PP. Capucinorum 631 f
Bascle de Lacrèze (Gustavus) 180 c
† Basilius episc. non videtur in monte Carmelo vixisse 5 b; quo anno episcopus ordinatus, et quo mortuus 353 b
† Basinus aëp. Trevirensis 36 a
Basnagius (Jacobus) inepte de S. Vitale episcopo Salisburgensi locutus 930 e f, 931 a b c
† Baso. Vide † Blandinus.
† Basolus abbas ex Aquitania in agrum Rhemensem venit 891 d
† Bassiani, patroni Laudensis, reliquiæ translatæ, dein visitatæ 49 b c; quo anno factus episcopus 49 f
Bassulus, ignotæ sedis episcopus, recepit epistolam a S. Ruricio I 65 e
Battus, Tartarorum tyrannus 426 f
Batuo seu Bato, dux Mongolum, Europam invadentium 216 f

Baturicus, *episcopus Ratisbonensis* 920 b
Batyrus, *Russiæ tyrannus* 426 e f
Beatrix, *filia Bolconis domini de Vurstenberg, monialis Ordinis S. Claræ in Strehlen* 266 d, 269 d
Beatus, *episcopus Passaviensis* 918 d
† Beda, *laudat S. Victorem Capuanum* 81 e; *non scripsit poema de S. Justino* 326 a b c d, 327 b c d. *S. Accæ hortatu varia scribit* 971, 972 a b. *Testis est doctrinæ et sanctitatis S. Accæ* 973 f, 977 c d. *In colligenda historia ecclesiastica Anglorum aliisque scriptis juvatur a S. Nothelmo* 119 b-f, 120 b c d
Bela *seu* Beta, *dux Mongolum, Europam invadentium* 216 f, 217 a
Belegrimus, *abbas Bremetensis* 275 d
Belvisi *(Francisc. Monroius comes) S. Petro de Alcant. addictissimus* 703 e f
Belzo, *Albensis episc.* 187 c
Benedicta *virgo* 381 f
† Benedicti, *mart. Camaldulensis, cultus* 183 f, 184 a b
† Benedictus, *episc. Comensis* 904 d
† Benedicti *abbatis corpus utrum in Gallia* 151 f, 152 a-d, 1000 e f
Benedictus, *Mediolanensis episc.* 907 b
† Benigni *translatio Divione* 385 e
Benincasa *(Ursula) fundatrix Theatinarum* 814 c
Benno *episcopus et Wandalorum apostolus, inter Prætermissos* 280 b
Berardus, *ep. Aquilanus, festum S. Maximi solemniter celebrandum constituit* 406 c d
Berarius *episcopus, fundator monasterii Caladunensis, diversus a S. Berario* 155 f, 156
Berlo, *abbas Saviniaci. Vide* Serlo
† Bernardus, *Claræuallis abbas* 1016 d e f, 1017 a, 1020 f. *Narratur a Deipara salutatus fuisse* 294 e f, 275, 276 a
† Bernardus Tironiensis 1023 e
Bernardus a Fraxineto, *archiep. Cæsaraugustanus, inter Prætermissos* 280 f
Bernardus, *abbas Cisterciensis* 1035 f
Bernardus, *abbas Frigidi Montis* 1039 c
Bernardus Guidonis *Speculi sanctoralis auctor* 180 f
Bernardus, *filius Bolconis domini de Vurstenberg* 266 d
Berta, *uxor S. Ethelberti regis Cantii* 101 b, 102 a
† Bertholdus, *Livonum apostolus* 814 e
Bertholdus, *patriarcha Aquilejensis* 266 b
Bertholdus, *plebanus et archipresbyter Trebnicensis* 257 f
Bertholdus, *dux Meraniæ, pater S. Hedwigis* 266 b
Bertrada, *regina Francorum* 918 c
Bertrandus a Lazanoba *Ord. Minor.* 5 c
Bertrandus, *(Guilielmus), episcopus Noviomensis, Bajocensis ac demum Bellovacensis, quo genere ortus* 610 e
Bertrandus *(Petrus) S. R. E. Cardinalis et episcopus Augustodunensis* 610 e
Bertrandus *(Robertus) baro de Bricquebec* 610 d
Bertricus, *abbas Salisburgi* 916 c e, 917 a c d, 918 a, 919 b c
† Bertuinus, *cultus Maloniæ* 367 b, 368 c
Bessarion *Card. judex controversiæ de corpore S. Lucæ* 303 c d
†Bevagius, *ep. Silvanectensis* 381 f
Bidley *(Nicolaus) ep. Anglican. Ejus monumentum Oxoniæ* 558 a b
Bielowski *(Augustus) bibliothecarius Leopoli* 1064 d
Bielski *(Martinus) non videtur scripsisse de S. Joan. Cantio* 1043 e f, 1044 a
† Binerius, *ep. Cremonensis* 380 f
Binet *(Stephanus) presbyter S. J. scripsit Vitam S. Aderaldi* 980 f, 986 c d f
Bisat. *Vide* Robertus.
† Bischoi *abbas seu monachus in Scete, alias* Anbabichay *et* Abisay, *dictus etiam* Pesoes, *forte idem ac* Pæsius 40 a b, 41 c, 43 c e
Bisette *(Guilielmus)* 1029 e. *Ansoldus* 1029 e
† Bladus, *cultus in Mannia* 890 d
† Blandinus *seu* Baso, *pater S. Austrudis* 108 e 111 d
† Blasius, *episcopus Sebastenus, martyr, persecutionem fugit* 820 d
† Bobo *expellit Sarracenos e Fraxineto* 375 b e
Bodo, *episcopus Trecensis* 105 b
Bohun *(Engelgerius de)* 1012 f. *Mathildis* 1029 c
Bolco, *filius Boleslai ducis Lignicensis, dominus de Vurstenberg* 266 d
Bolco, *filius Bolconis domini de Vurstenberg* 266 d
Boleslaus, *filius S. Hedwigis, juvenis moritur* 212 f, 213 a, 266 b c
Boleslaus, *filius Henrici II, nepos S. Hedwigis* 266 c; *prævidetur ab avia sua S. Hedwigi multa illaturus terris suis mala* 243 c
Boleslaus Altus, *socer S. Hedwigis, Crosnæ sepultus* 246 a
Boleslaus, *dux Mazoviensis, maritus Gertrudis filiæ Henrici II* 268 a
Boleslaus, *filius Henrici II ducis Lignicensis* 266 c d
Boleslaus, *Moraviæ marchio, in prælio Lignicensi cæsus* 217 d f
Boleslaus Pudicus, *Poloniæ rex, metu Mongolum in Hungariam aufugit* 217 b
Bologninus *(Marius) episc. Salernitanus* 437 f, 438 b c
Boner *(Isaias) virtutibus fulget Cracoviæ* 1071 c, 1072 b
† Bonifacius *Moguntinus quo sensu dicatur missus S. Petri* 17 e f; *secum fert in Frisiam opera S. Victoris Capuani* 83 a b; *scribit ad S. Nothelmum* 119 e f, 120 b; *Apostolicæ Sedis legatus* 916 b, 919 a, 920 a, 933 a c d f, 934 a
† Bonifacius *archiep., apost. Ruthenorum et mart.* 183 f, 184 a b
† Bonitus *episcopus, postea monachus, casulam a B. Maria Virgine accepisse perhibetur* 530 c f
Bonnac *(Joannes Ludov. de) episcopus Agennensis* 822 d
Bonté *(Joannes Joseph Amabilis) vic. gen. Constantiensis in Gallia* 602 d e f, 603 a
Borech *(Dominicus de) puer ope S. Hedwigis a morte liberatur* 248 a, 261 b
Borgardus, *abbas Novi Castri subtrahit se abbati B. M. V. Arenensi* 211 b c
† Bosa, *archiepiscopus Eboracensis* 966 e; *magister S. Accæ* 967 e f
Bosco *(Hugo de) presb. Ambianensis* 369 c
Boso, *archidiaconus Leodiensis* 366 d e
Bossius *(Franciscus) episcopus Perusinus, dein Novariensis et visitator apostolicus* 49 c
Boves *(Jacobus de) canonicus Monstroliensis scripsit Henschenio de reliquiis S. Ethbini* 482 d e f, 483 e
Boulenois *(Joannes de) scholasticus Abbatisvillæ* 369 e
Bouvier *(Joannes Bapt.), episcopus Cenomanensis, reliquias S. Scholasticæ visitat* 162 d
Boym *(Benedictus) S. J. Vitam S. Joan. Cantii latine vertit* 1045 a b
† Bradani *cultus* 890 d e
Bravo *(Christophorus) ex celebrioribus S. Petri de Alcant. sociis* 636 f, 736 b, 743 d e, 754 a
† Bregwinus, *archiep. Cantuariensis* 117 e, 118 f
Bresley *(Renatus de) episcopus Trecensis* 984 d
Breyer *(Remigius) canonicus Trecensis, Vitæ S. Aderaldi*

raldi editor 981 et seqq.
† Brigida *Virgo Scota.* 173 a b
† Brigida *Virgo, diversa ab Hiberna* 179 c
† Briocĥs *episcopus. Ejus translatio* 272 e
Britinaldus, *princeps Lusitanus, procus S. Irenes* 909 e
Britulio *(Lamberdus de)* 1029 e. *Renaldus* 1029 e
† Britwaldus, *Cantuariensis archiep.* 118 b, 119 a, 966 d e
Brossard-du-Fresne *(Maria de) sanctimonialis Benedictina reliquias S. Scholasticæ conservat* 162 c
† Bruno, *archiep. Coloniensis* 381 c
Bryene, *mater monasterii in quo degebat S. Febronia* 845 c
Bu *(Rodulphus du)* 1039 d
† Budoci *translatio Parisios* 7 f
Buffa *(Tiburtius)* 184 a
Bullonus *(Gaufridus) eremita* 1027 b
Burcardus, *episc. Meldensis* 1000 b
Burnell *(Robertus)* 1029 c
Burredus, *rex Merciorum* 103 d
Burriel *S. J. scriptor* 645 f

C

Cadalous *antipapa* 189 d, 190 a, 192 a
† Cæcilia *Virgo et martyr Romana. Annotatio circa ejus Officium* 994 e
† Cæsarius *Arelatensis, fautor clericorum regularium* 67 b; *celebrat Concilium Agathense* 68 b c d
Cabier *(Robertus) prior ad S. Justi* 333 a c
Calfhill *scripsit historiam de exhumatione Catharinæ, quondam uxoris Petri Martyris* 555 b c; *præcipuus actor in profanandis reliquiis S. Frideswidæ* 356 d e f et seqq. *Ejus convitia in adversarios catholicos* 555 f, 556 b c d e, 557 a, 558 a; *notitia biographica* ibid. c d
Calixtus II papa 1014 e
Callinicus, *hegumenus S. Nicolai Casularum* 278 a, 279 a
Callistus *patriarcha Aquileiensis* 924 c d
† Calmelius, *dux Arvernicus, fundator Calmeliacensis monasterii* 519 f, 520 e f, 527 b c d
Calstre *(Henricus van den). Vide* Henricus de Calstris
Calvo *(Joannes) minister generalis FF. Minor.* 713 d
Campaninus *(Nicolaus) corpus S. Lucæ diu custodivisse dicitur* 302 c
Camus *(Joannes Petrus) episcopus Bellicensis* 600 a
Cantius *(Joannes) professor Cracoviensis, S. Joan. Cantio coævus* 1062 d
† Caprasius, *abbas Lirinensis* 821 e
Caprasius, *prior Carmeli* 813 f
Caravajal *S. R. E. Cardinalis* 711 d
† Caraunus *martyr. Ejus translationes et reliquiæ* 272 f, 273 a b
Carbonel de Canisy *(Franciscus) episcopus Lemovicensis* 600 a
† Caritas. *Vide* † Agape.
Carlomannus *dux Francorum* 918 c
† Carolus Borromæus, *S. R. E. Cardinalis et archiepiscopus Mediolanensis, ecclesiam metropolitanam de novo consecrat* 277 a
† Carolus Magnus *imperator* 914 a b, 916 f, 917 f; *dona confert Magniaco* 88 d
Corolus *Austriacus Cardinalis, episcopus Brixinensis et Wratislaviensis, dat ædibus Lauretanis poculum S. Hedwigis* 223 e
Carolus Calvus *implorat S. Vincentii presbyteri auxilium, ejusque cultum auget* 85 a; *aggreditur Danos* 87 f; *pugnat cum fratre Ludovico* 88 a-e
Carolus Martellus *veteri Necrologio Salisburgensi inscriptus* 918 c; *de usurpatis decimis defensus* 366 b; *Abderamam vincit* 518 f, 519 a b c; *fœdere jungitur cum Luitprando Longobardorum rege contra Saracenos* 519 c
Carolus V *imp. cupit sibi habere S. Petrum de Alcant. in confessarium* 667 b c d
Carolus *filius Caroli Magni* 917 f
Carvajal *(Elviræ de) nobilis matronæ angustias S. Petrus de Alcantara sedat* 683 d e f, 728 b c d e
Carvajal *(Joannes de) Cardinalis judex in causa Patavina reliquiarum S. Lucæ* 307 b
Casimiri III, *Poloniæ regis, diploma* 1048 b c d e. *Inchoat academiam Cracoviensem* 1049 e f; *moritur* 1050 a
Casimirus, *dux Cujaviensis, maritus Constantiæ* 268 a
Castello *(Raginaldus de)* 1027 a
Castinaldus, *dynasta Lusitanus, pater Britinaldi, proci S. Irenes* 911 e
† Castoræ, *viduæ, ex tertio Ord. S. Francisci, cultus auctus* 183 d, 185 a
Castro Radulphi *(Odo a) S. R. E. Cardinalis* 597 a, 616 a, 617 e f, 618 a
Cataflonis *(Nicolaus) mercator emit corpus S. Lucæ* 303 e
Catena *(Andreas de) conventum Discalceatorum fundat Placentiæ* 711 d e
Catena *(Fr. Michael de) socius primus et individuus S. Petri de Alcant.* 716 e, 717 a b, 751 f
† Catervus *martyr* 6 b
† Catharina Columbina, *fundatrix Jesuatissarum* 814 a
Catharina, *conjux Henrici VIII, veneratur reliquias S. Frideswidæ* 547 a b
Catharina, *uxor Petri Martyris apostatæ* 553 f; *ejus ossa sacrilege permixta cum reliquiis S. Frideswidæ* ibid. f, 554 c e f, 556 c d e f, 557 a b c d e
Catharinæ *Pruthenæ, ancillæ suæ, mortem prædicit S. Hedwigis* 242 e, 245 f
Catharina Vaaz *Virgo, inter Prætermissos* 280 f
Cawenefield *(Joannes de) abbas Furnesiensis* 889 d
† Celedon. *Vide* † Emetherius.
Celsus, *prior monasterii S. Justinæ Patavii, testis translationis reliquiarum S. Lucæ* 307 d
Cencius Frajapanis 191 f
Ceolulfus, *rex Northumbriæ, captus et attonsus* 973 a
† Cephinia *pro* S. Tryphonia 318 c
Ceraunia, *uxor Namatii, affinis S. Ruricii* 164 f, 65 a
† Cerbonii *Populoniensis episcopi reliquiæ Parisiis* 3 e
Cerda *(D. Ludovica de la) Toletum vocat S. Petrum de Alcant.* 743 e f
Cereis *(Philippus de), abbas S. Petri Carnutensis, nova capsa corpus S. Solinæ condit* 12 b
† Ceslaus *Ord. Prædicatorum introducit fratres suos Wratislaviam* 212 a
† Chagnoaldus, *episcopus Laudunensis, inter Prætermissos* 276 b
Champaleman *(Hugo II de) episcopus Nivernensis donat ecclesiæ S. Quirici monasterium S. Troësii* 56 e f
Champion *(Petrus) S. J. presbyter* 594 b. 609 d
Chaourches *(Paganus de) fundator Tironelli* 1032 f
Charlmanus. *Vide* Carlomannus.
Charlus. *Vide* Carolus.
Chaves *(Rodericus de) ad quem scripsit S. Petrus de Alcant. celebrem epistolam* 646 a, 648 f, 708 c d e f
Chiaves *(V. P. Didacus de) provincialis Discalceatorum* 707 c

Childebertus

Childebertus II, *rex Francorum* 913 b e, 921 c e f. *Filius ejus Theodoricus a S. Verano Cavellicensi levatus e sacro fonte* 455 e f, 456 c
Childebertus III, *rex Francorum* 913 c e, 914 d
Christianus, *Ordinis Cisterciensis, episcopus Culmensis* 212 c
Christina, *Sueciæ regina, egregie commendat libellum S. Petri de Alcant.* 651 a b c
† Christini, *mart. Camaldulensis, cultus* 183 f, 184 a b
Chrodieldis *tumultus excitat in monasterio S. Radegundis* 460 c
† Chrysanthus *et* Daria *martyres* 6 a
Chrysostomus a Conceptione, *Cisterciensis monachus S. Martini Vallis ecclesiarum in Hispania* 5 f
† Chunialdus, *presbyter et monachus Salisburgi* 913 a, 915 c d, 918 b, 923 f, 925 c, 932 d
Cicé *(Joannes B. de) episc. Autissiodorensis* 337 e
† Ciferiani *translatio Parisios* 7 f, 56 e
Cilinia *mater SS. Remigii Remensis et Lupi Suessionensis* 449 a b
† Claudius, Hilaria, Maurus *et* Jason *martyres* 6 b
Claudius *imperator, Neronis prædecessor, Christianos persecutus non est* 10 e
Claudius II *imp. persecutor fuit* 319 e
Clausel de Montals *(Claudius Hippol.) episcopus Carnutensis* 373 b
† Clemens, *primus episcopus Metensis* 821 d
† Clemens *Alexandrinus, lator litterarum de ordinatione S. Asclepiadis* 314 a. *Scholam ecclesiasticam tenuit Alexandriæ* 314 b. *Multa scripsit* ibid.
Clemens *papa III* 888 d
Clemens IV *canonizat S. Hedwigem, postquam ipse testis fuisset miraculi* 220, 221, 222, 223 a b c, 263 b c
Clemens *papa VI* 888 d
Clemens VII *supprimit prioratum S. Frideswidæ* 547 b c
Clemens XI *universale facit festum S. Hedwigis* 198 c
Clemens XIII *canonizat B. Joan. Cantium* 1058 b c
Clemens *presbyter, ut verisimile est, biographus B. Thomæ Heliæ* 593 f, 594 a
† Cleopatra *vidua et sanctimonialis* 581 f, 812 e
Clodovæus II, *rex Neustriæ et Burgundiæ* 160 f
Closet *(Joannes Bapt.) vic. gen. Constantiensis in Gallia* 603
Closet *(Jos. M.), vic. gen. Autissiodorensis* 337 e
Clotarius I, *Francorum rex* 472 e
Cœlestinus V *papa favet Clarenis* 630 d e
Colbert *(Michael) abbas Præmonstratensis* 333 b
Colin *(Joannes Lud. Aug.) parochus Joburgensis Vitam B. Thomæ Heliæ composuit* 594 f, 595 a
Colloredus *S. R. E. cardinalis* 1052 a, 1053 e f
† Colmannus Congelli 898 a
† Colmanus, *ut videtur, Tuam-Grenensis* 813 d
Colmanus, *abbas Hibernus, inter Prætermissos* 277 d
† Columba, *abbas Hyensis* 165 d
† Columba, *abbas in Clonenagh* 896 c
† Columbanus *scribit in defensionem Aquilejensium* 904 e, 908 b c d e. *Depositio ejus Turonis in Gallia* 385 f
† Comgallus, *magister S. Luctigerni* 57 c
Comneno-Ducas *(Emmanuel Angelus) despota Epiri ac Thessaliæ* 279 b c
† Conannus *seu* Mochonna 897 e
Conanus, *dux Britanniæ* 1033 a
Conceptione *(Antonius a) ex primis S. Petri de Alcant. sociis* 753 b c
† Conchiliæ *reliquiæ Romæ* 322 d e
† Concordia *M. Romana* 318 f, 319 a 322 d e
† Conderius *seu* Conindrus, *episc. in Mannia* 887 c
Conganus, *abbas in Hibernia* 1039 e
† Conradus, *episcopus Constantiensis in Germania* 203 a
Conradus, *S. R. E. Cardinalis et Salisburgensis episcopus, Alexandro papæ III fidelis tempore schismatis* 934 f
Conradus Everbacensis, *scriptor* 1014 c
Conradus *Lovaniensis Ord. Præd., inter Prætermissos* 280 e
Conradus *imp.* 335 d
Conradus, *Romanorum rex, arma parat adversus Mongoles* 218 f
Conradus, *proavus S. Hedwigis* 265 d, 267 d
Conradus, *filius Henrici I et S. Hedwigis* 266 c; *a fratre suo Henrico in bello occiditur* 212 f, 213 b-e
Conradus, *filius Henrici II, nepos S. Hedwigis* 266 c e; *assistit aperturæ sepulcri S. Hedwigis* 263 e, 265 a
Conradus, *dux Masoviæ, dat terram Calmensem equitibus Teutonicis* 312 c-f
Conradus *marchio, maritus Elisabeth filiæ Mesconis* 266 a, 268 c
Conradus, *comes de Bren* 265 f, 268 a
Conradus, *filius Conradi ducis Glogoviensis, dominus Saganensis et præpositus Wratislaviensis* 266 f, 269 e
Conradus, *judex in Altaripa, patruus Elisabethæ sanatæ, fratrem objurgat ob inutilem peregrinationem ad sepulcrum S. Hedwigis* 250 f
Constans, *Constantini Magni filius, occiditur* 859 c
Constant *(Andreas) pseudo-episcopus Agennensis* 822 d
† Constantia, *nomen substitutum* Honestæ *V. et M. Atrebatensi* 370 e, 371 e
Constantia, *filia Semomizl Cujaviensis, abbatissa Trebnicensis* 268 b
Constantia, *filia Przimizlii ducis Poloniæ, uxor Conradi marchionis Brandeburgensis* 268 a
Constantia, *Constantiæ filia, uxor Casimiri ducis Cujaviensis* 268 a
† Constantiani *reliquiæ Bellovaci* 331 c
Constantina, *soror Constantii, uxor Galli Cæsaris* 860 e
† Constantinus Magnus *primus plantator pietatis dictus* 143 f; *scribit ad Saporem regem Persarum pro Christianis* 840 d; *ejus obitus* 857 c, 859 a
Constantinus, *pseudo, atr. Cpltanus* 131 b
Constantinus, *filius Constantini Magni* 178 e; *in prælio occumbit* 859 b
Constantinus Copronymus *sævit in orthodoxos* 125 et seqq., 136 et seqq.; *ejus persecutio desertas facit civitates et implet civibus deserta* 144 a
Constantius, *Mediolanensis episc.* 905 d
Constantius Chlorus *non potuit impedire omnia martyria in Galliis* 817 e f, 818 a
Constantius *imp., licet Arianus, Sanctorum reliquias veneratur* 302 d; *vita functis fratribus, universum imperium Romanum administrat* 860 d; *Gallum ac dein Julianum patrueles Cæsares creat* 860 e f, 861 a; *obiit in Cilicia* 864 d
Constantius, *scriptor Vitæ S. Germani Autissiodorensis, accipit epistolas a S. Sidonio* 65 c d
Constantius, *amicus S. Ruricii I, diversus a Constantio, auctore Vitæ S. Germani Autissiodorensis* 65 c d
† Contentus, *cultus in Mannia* 890 d
Coppola *episcopus scripsit Dissertationem de S. Maximo M.* 401 c d e; *a Benedicto XIV egregie commendatam* 416 a b

† Corbinianus *episcopus, Frisingensis ecclesiæ fundator* 914 d e f, 918 d, 925 e, 933 f
Cordovilla *(Joannes de) S. Petri de Alcant. socius, a S. Teresia laudatus* 752 c d e
† Corentini *episc. translatio Parisios* 7 f
Coret *(Franciscus de) S. J. presbyter* 600 a
† Cornelius *centurio, episcopus Scamandri* 811 a
Corteis *(Cuillelmus) monachus Saviniacensis* 1008 b
† Cosmæ et Damiani *martyrum non triplex aut duplex, sed unicum par* 3 b c d
Costadoni, *annalistæ Camaldulensis, laudes* 185 a
Courtois *(Ludovicus le) archidiaconus Trecensis, S. Aderaldi cultor* 988 e
Cramner *(Thomas). Ejus monumentum Oxoniæ* 558 a b
† Crescens *Viennæ in Gallia prædicasse refertur* 28 e f, 29 a b
Cressent *(Philippus) capellanus S. Justi in Artesia* 371 b
Crifo. *Vide* Grippo.
Crimolt. *Vide* Grimoaldus.
† Crispinus et Crispinianus *MM. Ulyssipone culti* 281 d
Crispus, *Constantini Magni filius, novercæ Faustæ artibus occiditur* 872 e, 873 b
† Cronanus, *filius Ængussii, in Hibernia, et alii plures ejusdem nominis* 382, 383 a-d
† Crora *pro S.* Orora.
Crosnier *parochus Donziaci* 89 b
Culdei, *eorum institutio, patria et fata* 165 b-f, 166-168
Cundperht *episcopus veteri Necrologio Salisburgensi inscriptus* 918 a
† Cunegundis, *uxor Boleslai Pudici, ducis Cracoviensis* 203 c d
Cunibertus, *Taurinensis archiep.* 187 c d, 376 d e f, 377 a
Cunibertus, *rex Longobardorum* 907 a b c
Cupressenia. *Vide* Herennia.
Curcy *(Joannes de)* 1024 e
Curgisus. *Vide* Turgisius.
Cuthbertus, *Herefordensis episcopus* 123 d f, 886 f
Cuthwinus, *episc. Dunwicensis* 123 d
† Cypriani *reliquiarum translatio* 174 b
Cypriani, *archipresbyteri Cordubensis, genuina carmina* 592 a b d
† Cyricus, *filius S. Julittæ* 427 a
† Cyrilla, *dicta filia Decii imp.* 318 b e f, 319 a c, 322 d e
† Cyrillus, *diaconus S. Marci Arethusani, martyr* 850 d e
Cyrinus *idem ac* Aribo 931 a, 932 f
Cyrinus *seu* Quirinus *bis præses Syriæ* 293 f

D

Dacianus, *sub Diocletiano in Hispania persecutor* 335 b; *etiam in Galliis* 823 d, 825 f
Dagobertus I, *Francorum rex, bellum gerit adversus Winidos* 499 d e f; *moritur* 500 b, 512 b c
Damianus, *Ticinensis episc.* 907 d
Dancel *(Joannes Car. Rich.) vic. gen. Constantiensis in Gallia, dein Bajocensis episcopus* 605 b-e
Daniel, *monachus deserti Scetis* 40 a
† Dariæ *reliquiæ Romæ* 322 d e
Darré, *director seminarii Ausciensis, documenta submisit de S. Grato* 441 c d : 443 c
David I, *rex Scotorum, culdeis canonicos regulares substituit* 179 e f
Decii *patris aut filii uxor perhibetur S. Tryphonia, sed erronee; eorum uxores veræ* 318, 319, 320
Decii *in Persas expeditio vindicata* 319 d. *Ejus cum Valeriano confusio communis* 317 d e. *Sub illo passus S. Maximus* 406 e f, 407 a b
Dedo, *comes Merseburgensis, tritavus S. Hedwigis* 265 c, 267 c
Dedo, *avus S. Hedwigis, comes et marchio Orientalis, fundator monasterii Tschillensis* 266 a b, 268 b
Dedo, *filius Thimonis, fundator Montis Sereni* 265 d
Delanoë, *canonicus Ebroicensis, submisit Vitam S. Aquilini* 502 f, 505 a b
† Demetrius, *martyr Sirmii* 812 d
† Deonoti *reliquiæ Cantuariæ* 118 c
Dermitius, *filius Gillemoholmoc* 1030 d
† Desiderius, *martyr socius S. Januarii, inter Prætermissos* 276 c
† Desiderius, *dein Victor III, abbas Cassinensis, juvat inthronizationem B. Alexandri II* 190 b, 192 a
† Desiderius *episcopus* 383 d
† Desiderius, *discipulus S. Baronti* 511 a b
Desiderius, *episcopus Morinorum. Litteræ ejus ad S. Frideswidam spectantes* 562 f, 563 a b c
† Deusdedit *aliquando loco Theodori Cantuariensis archiep.* 92 f, 93 b, 94 f, 95 a, 98 c, 99 b. *Reliquiæ ejus Cantuariæ* 118 c
Deusdedit *cardinalis contendit (sed non recte) decretum Nicolai II de electione papæ fuisse corruptum* 189 e f
Deusdedit *seu* Deodatus, *episc. Comensis* 904 d e
Diaz *(Maria) S. Petro de Alcant. devotissima* 666 c
† Dictinii, *episcopi Asturicensis, Acta retractantur et cultus vindicatur* 850 et seqq.
Didacus a Monte *Ord. Minor.* 5 e
Didanus, *pater S. Frideswidæ, subregulus Oxoniensis* 536 e, 537 e
Diervorgilia 1030 c d
Dinet *(Jacobus) S. J. presbyter* 594 b, 609 d
Dinteville *(Franciscus II de) epis. Autissiodorensis* 996 f
Diocletiani *vicennalia* 425 b c. *Antiochiæ versatur anno* 303 425 b c
Diodorus, *postea Tarsensis episcopus, rem catholicam Antiochiæ tuetur* 357 c, 358 e
† Dionysii Areopagitæ *libri CPoli Parisios delati* 174 c
† Dionysius, *primus episcopus Parisiensis* 14 d, 24 a, 31 a
† Dionysius, *episcopus Corinthi* 811 c d
Dionysius, *episcopus Placentinus, a S. Gregorio VII depositus* 80 f
Diorchildis, *virgo Benedictina* 814 b
Dioto. *Vide* Theodo.
Diotpertus. *Vide* Theodobertus.
Divitius, *discipulus B. Ludolphi* 182 f
Dlugossus *(Joannes) num scripserit de S. Joan. Cantio* 1042 c e f
† Dominicus Loricatus 3 e, 183 f, 184 et seqq.
Dominicus, *Gradensis archiep.* 187 c
Dominicus, *episc. Eugubinus* 196 e
Dominicus, *abbas S. Justinæ Patavii, interest inventioni corporis S. Lucæ* 304 e
Domitianus, *præfectus prætorii Gallo Cæsari* 860 f
† Domneva *seu* Ermenburga, *uxor Merwaldi, regis Cantii* 90 e, 91 c d e f, 92 c d, 93 a f, 94 a c, 98 f, 101 c d
Domnivertus, *abbas Novaliciensis* 375 c
Donal Gearrlamhach, *rex Danorum Dublinensium* 1030 c d
Donnaud *(Petrus de) episcopus Mirapicensis* 6 a
Dorigny *(Petrus) canonicus Trecensis, prior commendatarius S. Sepulcri apud Trecas* 988 e

Dormay

Dormay *(Claudius) scriptor Historiæ Suessionensis* 449, 451 e f
Dorotheus *subdiaconus Sedis Apostolicæ ad Bajoarios legatus* 916 a
Douet *(Ægidius) vic. gen. Constantiensis in Gallia* 600 f, 601 a
Doyard *(Petrus) presbyter, cultor B. Thomæ Heliæ* 599 d e
Drogo Bretesca, *Bellovacensis* 331 e
Drogon, *camerarius imperatricis Mathildis* 1033 d e
Drusken, *ultimus rex Pictorum* 171 f
Ducrocq, *monachus Benedict., auctor Chronici Ms., ubi de reliquiis Monstroliensibus* 485 b c d
Dugardin. *Vide* Gardin.
† Dulcidius, *episcopus Agennensis* 821 f, 822 b c
† Dulcidii *seu* Dulcii *Tolosani cultus vindicatur, Acta carpuntur* 50 c e f
Dulkenius *Carthusian. in latinum vertit opusculum S. Petri de Alcantara* 646 d
Dumont *(Andreas) jubet flammis tradi SS. Reliquias Monstrolii* 486 b c d
Dunziacensis familia 1005 d e f
Dupont-Poursat *(Petrus) episcopus Constantiensis in Gallia* 604 a b f, 606 b
Duval *(Claudius) succentor Bellovacensis* 333 b c
Duval, *presbyter schismaticus Parisiensis* 59 a

E

Eadburga, *Tanetensis abbatissa* 101 e, 103 a
Eadfredus, *episcopus Hagustaldiensis* 965 c
Eadnothus *episc. Dorcestriensis, non vero Eboracensis, inter Prætermissos* 383 d e f
Eadnothus *junior* 384 c
Eadredus, *abbas Lindisfarnensis* 919 f
Eanswida, *filia Edbaldi regis Cantii* 90 d, 101 c
Eardulfus, *episcopus Lindisfarnensis, episcopalia officia Hagustaldiæ exercet* 965 e
† Eata, *episcopus Hagustaldiensis* 963 c
Ebana, *soror S. Austrudis* 113 a
† Eberhardus, *archiep. Salisburgensis* 917 c, 935 a-d, 941 a
Eberhardus, *Trevirensis episc.* 188 b
Eberhardus, *magister scholæ S. Mathiæ Treviris* 18 c
† Ebrulfi *corpus Bellovacum transfertur* 330 f, 331 c f
Ebulus, *comes Pictaviensis* 331 a b
Edbaldus, *rex Cantii* 90 b c f, 91 a b, 93 a b c e, 96 b, 101 c f
† Edburga Limingensis 101 c
† Edburga Tanetensis 102 a, 103 a
Edgarus, *ep. Lincolniensis* 566 c
Edgarus, *rex Angliæ* 95 f, 96 a
† Eduardus, *rex Angliæ* 94 b
Eduardus I, *alias IV, Angliæ rex, Oxoniam ingressurus retrocedit* 538 e f
† Edwinus, *rex Northumbrorum* 101 b c
Egbertus *seu* Ekebertus, *Bambergensis episcopus, frater S. Hedwigis* 230 d, 233 a, 266 b
Egbertus, *rex Cantii* 90 b e, 91 b f, 92 a e, 93 a b c d, 94 a c f, 95 b, 97 d, 98 f, 101 c
Egelwinus. *Vide* Ailwinus.
† Egfridus, *rex Northumbrorum* 101 e
Eginardus, *Spirensis episc.* 188 c
Elbonius, *diaconus Laudensis* 50 a
† Eleusenius *de Creta, socius S. Reguli* 170 b
† Eleutherius *Papa* 174 e
Elias, *Carnutensis episcopus, monasterium S. Petri dissipat* 11 b c d
Elias, *minister gen. Ord. seraphici, dein apostata* 630 c
† Eligius *quo anno et die consecratus episcopus Noviomensis* 490 f, 491 d e f, 492 a b
Elinhast, *ducis cujusdam Bajoariorum conjux vel filia* 918 c
† Eliphius *martyr* 3 f
† Elisabeth *Hungarica, ex sorore neptis S. Hedwigis* 203 b; *ejus velamen S. Hedwigi datum* 247 d e
† Elisabeth, *regina Lusitaniæ, visitat sepulcrum S. Irenes* 909 e
Elisabeth, *filia Henrici II, uxor Przimizlii ducis Poloniæ* 268 a
Elisabeth, *filia Henrici ducis Lignicensis, monialis Ordinis S. Claræ* 266 c, 269 c
Elisabeth Spalbecana *sanctimonialis* 384
Elisabeth, *virgo Cisterciensis Aroucæ in Portugallia* 814 b
† Elisaci *Prophetæ ossa dispersa a gentilibus* 878 d
† Eloquius, *cultus Walciodori* 367 b, 368 c
† Emeria, *virgo Colossensis, socia S. Reguli* 170 b
† Emetherii *et* Celedonis *ad urbem Cardonensem translatio* 380 b c
† Emilianus *quomodo inscriptus Usuardi Martyrologio* 87 d
Emma, *regina Cantii, uxor Edbaldi, et filia Clotharii II, non vero Theodeberti* 90 d f, 101 e
† Emmerammus, *episcopus Ratisbonensis et martyr* 913 e f, 918 d, 913 a b c
Engelbertus, *Leubensis monachus, an auctor Vitæ S. Hedwigis* 199 d e f, 224 f, 225 a
Engilulphus *inter principes Francorum recensitus in veteri catalogo Salisburgensi* 917 f
Eparchius, *filius S. Ruricii I* 60 f, 61 a
† Ephræm *Syrus libro cœlitus donatus* 350 f; *per octo annos peregrinatur* 348 a; *scriptio de S. Juliano Saba ei tributa* 348 b c; *ejus scripta de S. Juliano monacho* 348 a b c d e; *quo anno obierit* 353 a b
Ephræm, *monachus deserti Scetis* 40 a
† Epiphania *virgo Ticinensis, inter Prætermissos* 276 e
† Epolonius *puer, martyr cum S. Babyla* 877 a, 880 b
Eponymus *monachus ante S. Pachomium* 844 d
Erchanfredus, *episcopus Ratisbonensis* 916 a
Ercombertus, *rex Cantii* 90 b d, 91 a b, 92 e, 93 a b c d e, 101 c
† Ercongota, *filia Ercomberti regis Cantii* 91 b
Erembertus, *episcopus Frisingensis* 918 d
† Erendrudis *virgo, S. Ruperti cognata* 925 a b c, 929 f
† Erkengotha, *filia Ercomberti regis Cantii* 90 e, 101 c f
Ermegarda *non fuit mater B. Rodulphi Eugubini* 196 d e
† Ermelindæ *translatio* 6 d
Ermenberga, *filia Ermenredi* 90 e, 91 c f
† Ermenburga. *Vide* † Domneva
Ermengitha, *filia Ermenredi* 90 e, 91 c d, 101 c d
† Ermenilda, *uxor Wulferi regis Mercii, filia Ercomberti regis Cantii* 90 e, 101 c e
Ermenredus, *pater SS. Ethelredi et Ethelberti* 90 b d e, 91 a b c, 93 a b c d, 96 b, 101 c
Esseyo *(Joannes de) episcopus Constantiensis examinat vitam et miracula B. Thomæ Heliæ* 596 f, 597 a, 606 e, 609 b, 615 f
† Ethelbertus, *rex Cantii* 101 b
Ethelbertus, *episcopus Hagustaldiensis* 965 c
† Ethelburga, *filia S. Ethelberti regis* 101 b
† Ethelburga, *abbatissa Faræmonasterii* 101 f

† Etheldreda,

† Etheldreda, *soror S. Sexburgæ* 90 e, 101 e f; *ejus translatio* 6 d
Etheldrita, *filia Ermenredi* 90 e, 91 d
Ethelfridus, *episc. Elmhamensis, consecratur a S. Nothelmo* 123 d
Ethelredus, *filius Edgari, rex Angliæ* 94 d, 95 f; *jubet Danos necari* 542 d e, 543 et seqq.; *ejus charta de incendio monasterii S. Frideswidæ* 542 f, 543 a b c d e; *chartæ dubia authentia* 543 f, 545 c d
Etruscilla. *Vide* Herennia.
Evanus, *abbas Furnesii* 1028 e
Evanus, *abbas Saviniaci* 1011 b
† Eucharius, *episcopus Trevirensis, missus a S. Petro* 17 b
† Eudo, *primus abbas Calmeliacensis, patruus S. Theofredi* 515 b c, 516 b c, 519 f, 520 a; *ejus reliquiæ* 521 f, 522 a b c; *præcipua ejus gesta* 527 d e f, 528 a b f
Eudo, *Aquitaniæ dux* 516 e f; *profligatur ab Abderamo* 518 e
Eudocia *Augusta mittit Jerosolymis CPolim imaginem Deiparæ* 297 e
Eudoxia, *filia ducis Cujaviensis, uxor Theodorici de Bren* 265 f, 267 f
† Eugeniæ *oblationes* 1003 e
Eugenia, *mater S. Irenes* 911 e
† Eugenius *sive* Aon. *Vide* † Aon.
† Eugenius *eremita, socius S. Reguli* 170 b
Eugenius III *papa iter agit in Gallia* 1016 a c d e 1018; *qua indictione usus* 1016 e; *confirmat Calocejum* 1025 d
Evin, *dux Tridentinorum* 913 d
† Eulogius Cordubensis *in prima editione Usuardini Martyrologii non notabatur* 86 d e f; *quo tempore ei inscriptus* 87 d e
† Euphemia 426 f, 427 a
† Euphemia, *abbatissa monasterii S. Altonis in Germania* 203 b
Euphemia *seu* Ofca, *filia Constantiæ, monialis Ordinis S. Claræ* 268 a
Euphemia, *filia Conradi ducis Glogoviensis, uxor comitis de Goritz* 266 f
Euphemia, *filia Henrici ducis Lignicensis, uxor Ottonis ducis Carinthiæ* 266 d, 269 c
Euphrosca, *filia Constantiæ, abbatissa Trebnicensis* 268 a, 270 a
† Euplus *diaconus martyr* 820 a
Euricus, *rex Visigothorum Arianus, catholicorum persecutor* 63 b c d
† Eusebius, *presbyter martyr Romæ* 814 f
† Eusebius, *presbyter Antiochenus, martyr sub Juliano* 865 b c, 866 et seqq.
† Eusebius, *archiepiscopus Mediolanensis* 277 a
† Eusebius *Cremonensis inter Prætermissos* 380 c
Eusebius *Cæsariensis non potuit agere de martyrio S. Artemii* 858 c
Eusebius *eunuchus, auctor cædis Galli Cæsaris* 861 a
† Eustachius *M. variis diebus in variis codicibus Usuardinis notatur* 86 e f
Eustasius *puer, frater S. Austrudis* 113 a
Eustochium *vidua tertii Ordinis S. Francisci* 5 e
† Eutropius, *episcopus Arausicanus* 31 c
† Eutropius, *primus episcopus Santonensis* 821 d
† Eutyches *martyr socius S. Januarii, inter Prætermissos* 276 c d
Eutyches *Cappadox Scythas fidem docet* 5 b c
Eutychius, *monachus Ordinis Cameli* 5 a
† Ezzius, *abbas Salisburgi* 916 c e, 917 a c, 918 a, 919 c, 938 e

F

Faber *(Robertus) canonicus Bajocensis* 1037 e
Fabri, *prior Malmundariensis* 335 b
Fastraat, *uxor Caroli Magni* 917 f
† Fastredus, *abbas Claræ vallis* 1011 b, 1014 a
Fausta, *Constantini Magni uxor, occiditur* 872 e, 873 b
† Faustus, *episcopus Regiensis, S. Ruricium I ad austeriorem vitam adducit* 62
Faustus, *pater S. Symphoriani martyris* 816 a
† Feargal, Feargil, *idem ac* Virgilius 933 a
† Febronia, *virgo martyr Sibapoli. Ejus Acta examinantur* 845 c-f, 846 a b
† Fechinus, *abbas Fovarensis* 897 a
† Felicia *martyr* 812 e
Felicia, *S. Justi pueri mater* 324 c, 338 b, 339 b, 340 e, 342 a
† Felicianus, *episcopus martyr, cultus Mindæ in Westphalia* 810 f, 811 a
† Felicianus *martyr Romanus, diversus ab homonymo Aginnensi* 818 f, 819 a
† Felix *martyr* 812 e
† Felix, *Comensis episc.* 905 d
† Felix, *episcopus Trivirensis,* 18 b c
† Felix, *primus episcopus de Seham* 95 b, 96 a f
† Felix *eremita, socius S. Reguli* 170 b
Felix, *episc. Ossoriensis* 1036 f
† Ferrutius *seu* Feroncius *a Rabano dicitur primus episcopus Vesuntinus* 30 b, 31 c
† Festus *martyr socius S. Januarii, inter Prætermissos* 276 c
† Fides, *virgo martyr Agennis* 812 d, 815 b c e f, 816 d e f, 823, 824, 825 a b
† Fides. *Vide* † Pistis.
Filgeriis *(Henricus de)* 1012 d
Filgeriis *(Radulphus de)* 1023 f
Filgeriis *(Radulphus II de)* 1036 a. *Ejus filii Juhellus et Guilielmus* 1036 a
Filz *(Michael) prior Michaeliburanus ad nos scripsit de S. Vitale* 948 d, 949 e
† Fintani Corach, *episc. Clonfertensis, gesta et cultus* 896 et seqq.
† Fintanus Gabhreni *abbas* 896 f
† Firminus, *primus episcopus Ambianensis* 821 c d
† Flavianus, *episc. Comensis* 904 d
Flavianus, *postea episcopus, rem catholicam Antiochiæ tuetur* 357 c, 358 e
Flavius Autharis, *rex Longobardorum* 913 e
Fliche, *canonicus et vicarius generalis Trecensis, scripsit nobis plura de S. Aderaldo* 988 a b e f, 989 f, 995 e
† Flobargisus, *episcopus Salisburgensis* 916 b c d f, 917 a c, 918 a, 933 f, 934 a, 938 e
Flobertus, *magister scholæ S. Mathiæ Treviris* 18 a b
Florianus *(Franciscus) aulicus Caroli V imp., sæculi vanitatibus nuntium mittit* 705 f, 706 a; *item ejus frater* 706 b.
† Foilanus, *Fossæ cultus* 367 b, 368 c
Folchaid, *ducis cujusdam Bajoariorum conjux vel filia* 918 c
† Folquinus, *episc. Morinorum* 386 a
Foncillas, *(Matthæus) ep. Jaccensis. Ejus instrumentum de reliquiis S. Grati* 443 f, 444 a b c d
Fortherus, *episc. Shirburnensis, socius itineris Romani Fritogitæ reginæ* 123 e
† Fortis *cultus probatus et auctus* 183 e, 184 a
Fortis, *episcopus Asturicensis, varia offert ecclesiæ S. Dictinii* 852 e
Foscari *(Franciscus) dux Venetiarum* 305 d

Fouquet *(Gulielmus) episcopus Andegavensis* 107 f
† Franciscus Borgia *scribit S. Petro de Alcant., eumque convenit* 774 e f, 774 a
Franciscus a Codonia, *minorita* 814 b
Franciscus de Yeppes *Ord. Minor., orationis dono insignis* 384 d
† Fredbertus, *episcopus Hagustaldiensis* 965 c; *ejus corpus invenitur Hagustaldiæ* 980 a
† Fredegandus, *cultus Turnini* 376 b, 368 c
Fredericus I, *archiep. Salisburgensis, abbatis nomen abdicat* 917 d, 920 c
Fredericus Barbarossa *ædificat laudem Pompejam novam* 49 b
Fredericus II *imperator* 279 b c; *simulat saltem arma se parare adversus Mongoles* 218 f
Fredericus, *filius Alberti landgravii Thuringiæ* 265 e
Fredericus, *filius Theodorici Landsbergensis, marchio Misnensis* 265 e
Fredericus *comes, maritus Judithæ de Cygenhagen* 265 f, 267 f
Fresneda *(Bernardus de). Vide* Bernardus a Fraxineto.
Frexenal *(Franciscus) S. Petrum de Alcantara Ordini seraphico adscripsit* 702 a b
Frindallus *ep. acatholicus Londinensis, ad quem scripsit Calfhillus* 555 d
Frisch *(Samuel) impugnat veracitatem S. Lucæ* 289 f, 290 a
Fritogitæ, *reginæ Saxonum Occidentalium, iter Romanum* 123 e
Frodo, *canonicus Autissiodorensis et scriptor* 997 a b
† Frodobertus, *cœnobii S. Petri de Cella apud Trecas fundator* 993 f
† Fronto, *primus episcopus Petrocoriensis* 31 c, 821 d
Froterius, *episc. Pictaviensis* 331 b
Frotmundus I, *episcopus Trecensis* 982 d e f, 983 a e, 984 a
Frotmundus II, *episcopus Trecensis* 982 e
† Fructuosi *episcopi corpus dicitur Eugubii servari* 183 b
† Fugatius *seu* Phanonus *ab Eleutherio Papa in Britanniam missus* 174 e
Fulbertus, *episcopus Carnotensis* 993 f
Fulco, *cancellarius Bellovacensis* 331 d
Fulger *et* Fulget. *Vide* Ulgerius.
† Furseus, *cultus Peronæ* 367 b, 368 b
Fyndone *(Thomas) abbas Cantuariæ* 118 f

G

Gabriellia *familia Romæ monumentum excitat Sanctis suis popularibus* 183 d e, 184 a b
Gagelin *(Franciscus Isidorus) occisus in Cocincina* 6 a
Galdricus, *episc. Autissiodorensis* 1006 b c
Galerius Maximianus. *Sub eo patitur S. Varus cum sociis* 423 et seqq. *Ejus edictum per Ægyptum* 428 e
Galfridus, *abbas Eboracensis* 1015 e
Galisteo *(Franciscus a) ex primis S. Petri de Alcant. sociis, insignis B. V. M. cultor* 752 f
Galla Placidia, *Theodosii Magni filia* 471 f, 472 a b
Gallus *Cæsar creator a Constantio et brevi post tempore occiditur* 860 e f
Galo, *episc. Parisiensis* 1001 a
Galterius, *abbas Calmeliacensis* 521 a b c d
Gamansius, *S. J. presbyter, multas olim Sanctorum Vitas decessoribus nostris descripsit* 325 c
Gandulphus, *episc. Roffensis, transfert corpora SS. Cantuariensium* 118 d
Garavito *(Petrus) pater S. Petri de Alcantara* 657 f, 700 d e
Garchanez *(Simon) abbas S. Petri Salisburgensis* 943 f
Gardin *(Petrus du) vir nobilis, Bivillæ dominus, testatur miraculum B. Thomæ Heliæ* 600 f, 622 a. *Alius ex eadem familia sepulchrum Beati exornat* 599 c
Gardinis *(Radulphus de) Ord. Præd.* 596 f, 606 e, 609 b, 615 f
Garibaldus, *dux Bajoariorum sæc.* VI 913 d e
Garibaldus, *dux Bajoariorum sæc.* VII 913 e
Garinus Britoliensis 331 d
Garzias *minorita* 814 b
Gaspar a S. Josepho, *discipulus S. Petri de Alcant.* 741 c d
Gaspar Barzeus *S. J., inter Prætermissos* 281 a
† Gatianus, *Turonensis primus episcopus* 14 d, 23 a; *ejus revelatio* 386 a
Gaubaldus, *episcopus Ratisbonensis* 918 d, 920 a
Gaudentia, *monialis Trebnicensis, admonetur a S. Hedwige de peccatis commissis* 245 b
† Gaudentius. *Vide* † Radim.
Gaudentius, *plebanus de Sadalno, miraculis S. Hedwigis incredulus* 254 b
† Gaudericus *confessor* 4 a
† Gaudinus, *episc Suessionensis* 885 c, 886 e
Gaufridus, *archiep. Dolensis* 1031 b
Gaufridus de Majet, *episc. Sagiensis* 1008 a
Gaufridus, *eremita apud Turones* 1026 e f, 1027 a b c
Gaufridus Bolsarius 1003 b
Gaufridus Bullonus, *eremita* 1027 b
Gaufridus Dunziacensis 1002 e
Gaufridus, *comes Perticensis* 1038 d
Gavidius *an ponendus inter SS. Phœbadium et Dulcidium Aginnenses* 52 e
Gavinius *seu* Gawinus, *presbyter et monachus Salisburgi, fortasse Sanctus dicendus* 918 b
Gavulicka *(Mariana) subito sanatur, invocato S. Joan. Cantio* 1055 f, 1101 b c d e
Gelas *(Claudius de) episcopus Aginnensis* 53 d
† Gelasius *diaconus, socius S. Reguli* 170 b
Gelduinus, *filius Hamonis, fundator Veterisvillæ* 1031 a b
Gemini *(Rubellius et Fufius) consules eo anno quo Christus passus fuit* 926 d
† Genesius *M. Romanus* 318 f
† Georgius *diaconus Parisiis* 812 b; *ejus reliquiæ Acmanti* 87 a
† Georgius, *episcopus Velaunorum seu Aniciensis* 31 c
Georgius *metropolita Corcyrensis schismaticus* 278 b. *Circa eum plures scriptorum errores corrigendi* 279 a-e
Georgius, *abbas Michaëliburanus, subdelegatus in causa canonizationis S. Vitalis* 938 c d f, 939 et seqq.
Geraldo Caprerio, *episc. Sistaricensi, debentur initia congregationis S. Laurentii Ulciensis* 376 e
† Gerardus, *S. Bernardi discipulus* 1014 d
Gerardus, *comes Galeriæ, a Nicolao II excommunicatus, turbarum auctor* 191 c
Gerbernus, *Novæ Corbejæ abbas* 329 c d
† Geremarus, *abbas Flaviacensis* 381 c; *corpus ejus Bellovacum transfertur* 330 f, 331 c f; *dein in abbatiam S. Cypriani Pictaviensem* 334 a b
† Gereon, *martyr Coloniæ Agrippinæ* 818 b
† Germanus *martyr, inter Prætermissos* 281 d
† Germanus *Autissiodorensis vastum patrimonium habuit* 1004 a, 1006 e
† Germanus, *epis. in Mannia* 887 c, 889 d

Germanus II, *patriarcha Constantinopolitanus schismaticus, synodum Nicææ celebrat* 279 b d
† Germerii *cultus Tolosæ* 50 e
Geroldus, *primus abbas Caldræ* 1027 f, 1028 a
† Gertrudis, *virgo et martyr in diœcesi Remensi. Ejus cultus et reliquiæ* 273 b-f, 274 a
Gertrudis, *abbatissa Trebnicensis, filia S. Hedwigis* 207 c d, 227 f, 245 c d, 266 c
Gertrudis, *filia ducis Meraniæ, regina Hungariæ, mater S. Elisabeth et soror S. Hedwigis* 266 b, 268 f
Gertrudis, *filia Henrici II, uxor Boleslai ducis Mazoviensis, improlis* 268 a
Gertrudis, *filia Theodorici Landsbergensis, monialis Ordinis S. Claræ* 265 f.
† Gilbertus, *institutor cononicorum regularium de Sempringham, inter Prætermissos* 272 b
Gilbertus, *abbas Cisterciensis* 4 e f
Gilbertus, *abbas Fontanarum Albarum* 1027 e
Gilebertus, *abbas Hoilandiæ* 1034 b c
Gillelmumholmoc. *Vide* Donal Gearrlamhach.
Gillern *(Dominica de) ultima abbatissa Trebnicensis* 209 d
† Girardus, *abbas Fontis Humidi* 1003 f, 1006 d
Girlemus *idem ac* Giselinus.
Giselinus, *Astensis episc.* 187 c d e
† Gisilarius, *presbyter et monachus Salisburgi* 913 a, 918 b, 925 c, 932 d
Gislardus, *Viennensis* 374 a
† Gislebertus, *episcopus Meldensis* 983 a-e
Godefridus, *episc. Ambianensis* 1000 d
Godefridus, *episc. Bellovacensis* 332 d
Godredus, *rex Manniæ* 1028 f
Goïon de Matignon *(Jacobus) episcopus Condomensis* 600 a
Goislanus, *episc. Suessionensis* 331 d
Gonzaga *(Franciscus) Ord. Min. et ep. Mantuanus omnium primus typis mandavit S. Petri de Alcant. Vitam* 623 c e f, 624 a ; *ejus lapsus aliquis notatur* 639 c d e
† Gordinellus *confessor* 4 a
Gornacensis *(Hugo II) fundator Bellibecci* 1025 b
Goscelinus, *biographus S. Wereburgæ* 91 a
Gotsuinus, *abbas Cistercii* 1013 b c
Graffius *(Jacobus)* 384 d
Grahamus *(Patricius) archiep. S. Andreæ in Scotia* 888 e
Grainvilla *(Richardus de) fundator Nethæ* 1025 f
Granatensis *(Ven. Ludovicus) scripsit librum de oratione et meditatione, ex quo probabilius S. Petrus de Alcant. suum de eodem argumento tractatum* 644 b c, 645 e f, 647 a b c, 650 c d e
† Gratianus. *Vide* † Gatianus.
† Gregorius Magnus *CPoli Romam affert caput S. Lucæ* 305 e f, 306, 307 a ; *ejus in schismaticis reducendis caritas* 905 a b
† Gregorius II *Papa* 916 a, 924 b ; *scrinia Romana aperit S. Nothelmo pro historia ecclesiastica Anglorum* 119 c d
† Gregorius III *Papa* 934 a ; *instaurat monasterium Cassinense* 152 d
† Gregorius VII *Papa, adhuc diaconus, procurat inthronizationem B. Alexandri II* 191 b c d e f ; *festum ejus a quibusdam aboletur* 908 f
† Gregorius *Turonensis sibi non constat in originibus ecclesiarum Galliæ* 14 d e, 23 f, 24
Gregorius IX *Christianos principes ad bellum adversus Mongoles provocat* 218 f
Gregorius, *Vercellensis episc.* 187 c
Gregorius *presbyter, S. Gregorii II ad Bajoarios legatus* 916 a
Gregorius, *abbas S. Crucis in Hibernia* 1034 f
Greslei *(Robertus) fundator Swineshedi* 1029 a ; *Albertus ejus filius* 1029 a
Grève *(Philippus de) cancellarius Parisiensis* 617 f
Griffa, *filia ducis Rossiæ, uxor Leztconis* 268 b
Grimoaldus, *dux Bajoariorum* 914 a f, 918 c d, 925 e, 933 e f
Grippo, *Coroli Martelli filius* 918 c
Guadelupe *(Joan. de) fundator custodiæ ab Evangelio dictæ* 701 f
Gualo. *Vide* Walo.
Guelfo, *abbas Centulensis* 332 c
† Guenaili *presb. translatio Parisios* 7 d ; *reliquiæ Corboili* 58 e
† Guenguantonis *seu* Winwantonis *translatio Parisios* 7 e f
† Guerinus, *abbas Fontismi* 1006 d
Guernerius Bernius, *Eugubinus* 182 e
Guibertus, *abb. S. Germani Autiss.* 998 b c d
Guibertus, *miles in agro Autissiodorensi* 1003 b
Guichardus, *monachus Claravallensis, inter Prætermissos* 280 b
† Guido, *confessor Anderlacensis. Sepulcrum ejus reptando subibant fideles* 107 e
Guido, *archiepiscopus Mediolanensis* 187 b c d
Guido *seu* Wido, *episc. Eugubinus* 192 c d, 193 d e
Guido, *prior S. Sepulchri apud Trecas* 987 d
Guido Pomposejanus *ex primis flagellationem inducit* 197 d
Guigo, *comes Albonensis, Gratianopolitanus et Viennensis* 377 b c
† Guilielmus *abbas, fundator Montis Virginis, Gulleti sepultus* 302 e
Guilielmus, *S. R. E. Cardinalis episcopus Sabinensis, legatus Gregorii IX in Polonia* 215 d
Guilielmus Flandrensis, *patriarcha Hierosolymitanus* 1026 e
Guilielmus de Curbellio, *canon. regul., primus archiep. Cantuariensis non monachus* 122 a
Guilielmus, *archiep. Remensis* 1307 b
Guilielmus V, *episcopus Abricensis* 607 c, 609 f
Guilielmus I, *episc. Catalaunensis* 1000 b
Guilielmus II, *episc. Catalaunensis* 1038 e
Guilielmus, *episc. Cenomanensis* 1008 d
Guilielmus de S. Carilefo, *episcopus Dunelmensis, inducit monachos in ecclesiam Dunelmensem* 975 e, 979 b c
Guilielmus, *Mutinensis episcopus, legatus pontificius in Polonia* 230 f, 233 d
Guilielmus, *episc, Papiensis designatus ab Henrico IV* 188 d
Guilielmus, *episcopus Ultrajectinus, Jerosolymam peregrinatus* 927 d
Guilielmus de Tolosa, *abbas Cisterciensis, male cum alio confusus* 1008 e f
Guilielmus, *primus abbas Cumbermeræ* 1032 d
Guilielmus I, *abbas Saviniaci* 1013 e
Guilielmus *quidam male intrusus catalogo abbatum Saviniacensium* 1011 c
Guilielmus Abrincus *Ord. Min., inter Prætermissos* 280 f
Guilielmus, *conquæstor dictus, rex Angliæ, dux Normanniæ* 975 c, 979 b ; *passim episcopos ex clericali ordine designat* 121 f
Guilielmus, *comes Glocestriæ* 1037 e
Guilielmus, *comes Moritonii* 1023 e
Guilielmus, *comes Nivernensis* 998 b, 999 b, 1000 b, 1001 b d, 1003 c, 1005 f
Guilielmus, *comes Pontivi* 229 f, 1025 e
Guilielmus de Pembrock, *marescalcus Hiberniæ* 1038 c
Guimundus, *prior S. Frideswidæ Oxoniensis* 546 c d e f;

c d e f; *reædificat monasterii ecclesiam* 548 b c, 549 a b
Guinardus *Laudunensis, cancellarius Parisiensis* 617 f
† Gumbertus *an distinguendus a Gundelberto* 7 a
Gundecharus, *episc. Eistetensis* 188 c
† Gundelbertus, *aëp. Senonensis, quo sæculo floruerit* 6 f, 7 a
Guntbertus, *ep. Ebroicens., transfert Gigniacum Reliquias SS. Taurini et Aquilini* 503 a b c
Guntherus, *episcopus Bambergensis, Jerosolymam peregrinatus* 927 d
Guntherus, *abbas Leubensis, confessarius S. Hedwigis* 232 b, 233 f
Guntruda, *regina Longobardorum* 925 f
Guthfridus, *abbas Lindisfarnensis* 919 e
Guzman *(Franciscus de) patientiæ S. Petri de Alcant. testis* 760 a b c

H

† Hadoindus, *prædecessor S. Berarii in sede Cenomanensi* 151 b
Hadricus, *episcopus Trecensis* 982 c
Hadricus, *archiclavus ecclesiæ Trecensis* 984 e
Hæres *idem ac* Aribo 932 f
Haganon, *Carnutensis episcopus, monasterium S. Petri ex parte instaurat* 11 d e
Hankius *(Martinus) scriptor* 1047 a
Hardredus *alter abbas Caldræ* 1028 b
Haricuria *(Joannis de) episcopi Ambianens. instrumentum de reliquiis S. Ethbini* 483 a b c
Haroldus Harfagre *rex Norwegiæ* 887 f
Harscolye *seu* Harscove *(Mathildis de) fundatrix Field Dalling* 1034 d
† Hartwicus, *archiep. Salisburgensis* 917 c d, 935 a-d, 941 a
Hato, *Trecensis episcopus* 985 f
Hattinger *(Martinus) abbas S. Petri Salisburgensis scripsit de S. Vitale ep.* 930 c d
† Haymon, *monachus Saviniacensis* 1007 c f, 1008 c, 1009 a
Heberno, *archiepiscopo Turonensi, perperam tribuitur liber de Miraculis S. Martini* 105 c
Hecelo *monachus dicitur scripsisse Vitam S. Aquilini* 494 c, 502 a b c d e, 506 a
Hedwigis, *abbatissa Gerbistadensis* 265 f, 268 a
Hedwigis, *filia Conradi ducis Glogoviensis, abbatissa Ordinis Claræ* 266 f
Hedwigis, *filia Henrici II, abbatissa Ordinis S. Claræ* 367 a
Hedwigis, *filia Henrici III ducis Silesiæ, uxor Henrici landgravii Thuringiæ* 265 e, 267 e
Hedwigis, *filia Henrici III domini Wratislaviensis, uxor Alberti ladgravii Tharingiæ et post Ottonis Pinguis comitis de Anhalt* 266 e
Hedwigis, *filia Henrici ducis Lignicensis, vidua marchionis Brandeburgensis, molianis Ordinis S. Claræ* 266 c, 269 b
Hedwigis, *filia Alberti marchionis Saxoniæ, uxor Ottonis Misnensis* 265 d, 267 d
Hedwigis, *mater Henrici comitis de Hoinsteyn* 265 f, 267 f
Hedwigis, *Poloniæ regina, Jagellonis uxor* 1050 b c
† Heimeramus. *Vide* † Emmerammus.
† Helenæ *imperatricis corpus in monasterio Altivillarensi* 892 b
Helena, *soror Constantii imperatoris, uxor Juliani Cæsaris* 861 b
Helena, *filia Henrici ducis Lignicensis, monialis Ordinis S. Claræ* 269 d
Helena, *filia Joannis marchionis Brandenburgensis, uxor Theodorici marchionis de Landsberg* 265 e
Helgaldus *seu* Helgodus *comes retinet Monstrolii reliquias ex Britannia minori allatas* 484 et seqq.
Helias, *Veriensis episcopus, suffraganeus Joanni de Rely, episcopo Andegavensi, transfert reliquias S. Lupi Andegavensis* 106 e
Helias, *œconomus in eremo Scythi* 42 e
Helias, *B. Thomæ Bivillensis pater* 606 e, 609 e
Helias *(Joannes) fertur scripsisse de vita B. Thomæ Heliæ* 594 b
Helibertus, *Comensis episc.* 905 f
† Helpis. *Reliquiæ ejus Romæ* 322 d e
Hélye *(Joannes) canon. regul. scripsit Vitam et Miracula B. Thomæ Heliæ* 594 d e, 622 d
Hennequin *(Odardus) episcopus Trecensis* 988 d e
Henricus II, *episc. Bajocensis* 1037 c
Henricus Murdac *sacratur episc. Eboricensis* 1022 d
Henricus *ex abbate S. Petri Salisburgi episcopus Gurcensis* 949 b e
Henricus, *episc. Leodiensis* 366 e
Henricus *episc. a populo Papiensi opponitur Udalrico episc. designato ab Henrico IV imp.* 188 d
Henricus, *archid. Bellovacensis* 331 d
Henricus de Calstris *Lovaniensis Ord. Præd., inter Prætermissos* 280 d e
Henricus, *filius Conradi de Bren, Ordinis Minorum* 266 a, 268 a b
Henricus I, *rex Francorum. Diploma ejus pro S. Salvio Monstroliensi* 484 d e f
Henricus I, *rex Angliæ, fundator Domnipetræ* 1024 a; *spoliat Ranulfum Dunelmensem ecclesia Hagustaldiensi* 965 e, 967 b
Henricus II, *rex Angliæ, non videtur præsens adfuisse translationi reliquiarum S. Frideswidæ* 539 c d e
Henricus III, *Angliæ rex, Oxoniam ingreditur* 538 c d e; *veneratur reliquias S. Frideswidæ* 550 e f
Henricus VIII, *Angliæ rex, ecclesiam S. Frideswidæ erigit in sedem episcop. sub titulo ecclesiæ Christi* 547 f; *spoliat sepulcrum S. Frideswidæ* 553 e
Henricus Barbatus, *dux Silesiæ, maritus S. Hedwigis* 105 b c d, 266 b; *fundat monasteria Trebnicense* 106, *Camenzense* 310 a b, *Goldbergense FF. Minorum* 210 b c d, *Saganense* 210 f, *Henricoviense* 211 d e, *Boleslaviense FF. Prædicatorum* 211 f, *Culmense suo consilio* 212 b-f; *continentiam vovet* 213 a; *obtinet ducatum Poloniæ et Cracoviæ* 215 d e; *quandoque in res ecclesiasticas iniquior* 215 f; *pie obit* 216 b c d
Henricus II, *dux Silesiæ, filius S. Hedwigis* 212 f, 266 c; *privilegiis et bonis dotat nosocomium Wratislaviense* 210 c; *a Mongolibus in prælio occiditur* 217 c-f, 218 a b
Henricus III, *dux Silesiæ et dominus Wratislaviensis, maritus Judithæ, filiæ Conradi ducis Cujaviensis* 266 c
Henricus IV, *dux Silesiæ et dominus Wratislaviensis* 266 e; *iniquus erga Trebnicense monasterium* 209 b c
Henricus, *filius Boleslai ducis Lignicensis* 266 c d
Henricus, *filius Henrici ducis Lignicensis* 266 c d
Henricus, *filius Alberti landgravii Thuringiæ* 265 e
Henricus, *filius Bolconis domini de Vurstenberg* 266 d
Henricus, *filius Conradi ducis Glogoviensis, maritus Mechthildis filiæ Alberti Brunswicensis* 266 f
Henricus, *filius Ottonis, hæres marchiæ Misnensis, comes palatinus* 265 e, 267 e

Henricus

Henricus I, *Augi comes* 1025 d
Henricus *Bonnensis aliique apud Ulyssiponem cæsi, inter Prætermissos* 281 d
Henriquez *(Didacus) ep. Cauriensis, S. Petro de Alcant. devotissimus* 716 e f, 774 b c d
Henriquez *(Franciscus) ep. Ceptensis* 711 e
Heordwaldus, *episc. Shirburnensis, consecratur a S. Nothelmo* 123 d e
† Herblandus. *Vide* † Hermelandus.
Herbordus *Ord. Minorum, confessarius S. Hedwigis* 232 b, 233 f
Hercé *(Joannes Franc. de) episcopus Nannetensis* 272 d
Herculanus *(Fortunatus Maria) Passionista, episcopus Nicopolitanus in Bulgaria* 346 a
Herebertus, *decanus Wissegradensis, Romam missus ad urgendam canonizationem S. Hedwigis* 220 a
Herefridus, *episcopus Autissiodorensis* 105 c
Herefridus, *abbas Lindisfarnensis* 919 e
Herengebertus, *decanus Wissegradensis, procurator canonizationis S. Hedwigis* 263 b
Herennia Etruscilla Cupressenia, *uxor Decii patris, quamdiu vixerit* 320 a b c d e
Herennia Sallustia Barbia Orbiana, *uxor Hostiliani* 320 a f
Herennii, *filii Decii, mater et uxor* 320 d e
Heribertus, *episc. Autissiodorensis* 1002 d, 1005 c
† Hermagoras, *an Comensium apostolus* 905 b
Hermannus, *episc. Constantiensis* 335 e
Hermannus de Eschenbach, *episc. Curiensis* 335 f, 336 a
Hermannus de Planaterra, *episc. Curiensis* 335 d
Hermant, *canonicus Bellovacensis, Tillemontio operam præstat* 331 e
† Hermelandus *abbas. Ejus translationes et reliquiæ* 272 b c d
† Hermes *et* Taxius *martyres* 6 a
Hermevilla *(Rulfa de)* 1037 e
Hermigius, *pater S. Irenes* 911 e
Herodis *Agrippæ tempus et circumstantiæ mortis* 291 e f, 292 a b
Herveus, *episc. Nivernensis* 1001 b, 1004 c
Herveus, *filius Acariæ* 1033 a
Herulus *(Berardus) cardinalis judex in causa Patavina reliquiarum S. Lucæ* 307 b
Hesperius, *pædagogus liberorum S. Ruricii I* 61 d e f
† Hilariæ *reliquiæ Romæ* 322 d e
† Hilarion *anachoreta* 426 b, 814 f
Hilarion, *hegumenus S. Nicolai Casularum* 278 a, 279 a
† Hilarius, *martyr in agro Carnutensi* 2 f
† Hilarius *Arelatensis clericos Augustinianos instituit* 67 a b
† Hilarius, *episcopus Pictaviensis* 821 d
Hildebertus *Cenomanensis, archiepiscopus Turonensis* 816 f, 817 a, 1010 e, 1027 a
Hildebertus, *canon. Autiss., Pontiniaci fundator* 1001 e f, 1003 f
Hildeboldus, *archiep. Coloniensis* 366 c
† Hildebrandus. *Vide* † Gregorius VII.
Hildegardis, *uxor Caroli Magni* 918 c
Hilmeradus, *præpositus S. Luciani Bellovacensis* 332 b
† Hippolytus *ep. et martyr* 176; *in Cyclo ad diem* XXV *Martii scripsit Passionem Domini* 926 c d
† Hippolytus *martyr Coloniæ Agrippinæ* 812 c
† Hippolytus, *cujus reliquiæ Autissiodori* 337 e
† Honoratus, *abbas Lirinensis, postea episc. Arelatensis* 529 f
† Honoratus, *ep. Mediolanensis* 472 b
† Honoratus, *episcopus Vercellensis, inter Prætermissos* 281 e
† Honorina *Virgo et martyr, in diœcesi Versaliensi culta* 612 c, 616 f
† Honorius, *archiep. Cantuariensis. Ejus reliquiæ* 118 c
Honorius I *papa ornat ecclesiam S. Agnetis* 318 f; *schisma Aquilejense partim tollit* 906 d e
Honorius *papa III* 888 c
Hontheim *(Joan. Nicolai ab) opinio de initiis Christianismi in Gallia et Germania refutatur* 19 et seqq.
Hontsum *(Zegerus van) canon. pœnit. Antverpiensis* 337 d
Hostiliani, *filii Decii, mater et uxor* 320 d e f
Howden *(Joannes) episcopus Sodorensis* 889 b
Hrgbaldus *episcopus veteri Necrologio Salisburgensi inscriptus* 918 a
Hrodrud. *Vide* Rotrudis.
† Huberti, *episc. Leod., translatio* 366 c d; *Andaginense S. Huberti monasterium* 366
Hubertus, *archiep. Cantuariensis* 1038 f
Hubertus, *episcopus Andegavensis* 107 a
Hubertus, *episc. Silvanectensis* 1000 d
Hucbertus. *Vide* Hugbertus.
Huet *(Petrus Daniel) episcopus Abrincensis* 594 b, 609 d
Hugbertus, *dux Bajoariorum* 914 a b c f, 918 c, 919 a, 925 f, 933 f
† Hugo Montacutius, *episc. Autissiod.* 1002 b
† Hugo, *Cluniacensis abbas* 998 d e f, 999 a b
Hugo, *card. S. Sabinæ, legatus* 366 e
Hugo I, *Vesontionensis archiep. Ejus mors* 188 b c d e
Hugo II, *Vesontionensis archiep. Ejus ætas* 188 a b c d e
Hugo, *episc. Autissiod.* 1000 b
Hugo, *episc. Bellovacensis* 332 b
Hugo, *episcopus Eugubinus* 193 b c, 196 e
Hugo, *episc. Nivernensis* 1001 e
Hugo, *primus abbas Pontiniacensis* 1001 f, 1003 f, 1006 d
Hugo, *prior S. Sepulcri apud Trecas* 987 d
Hugo Capetus *curat SS. Reliquias* 58 e
Hugo, *rex Italiæ* 375 d
Hugo, *pseudo-dux Burgundiæ* 105 a
Hugo, *comes Campaniæ* 1000 d
Hugo, *comes Trecensis* 1000 d
Hugo *alter, comes Trecensis* 987 c f
Hugo Cenomanicus *seu* Mansellus 1002 e, 1003 b, 1005 e, 1006 a
Hugo de Anodio, *Bellovacensis* 331 e
Humbaldus, *pater B. Humbaldi* 1002 c d
Humbertus, *S. Bernardi discipulus* 1014 d
Humet *(Richardus de) constabularius Normanniæ* 1036 c d e
Hungus, *rex Pictorum fabulosus* 170 d e
Hungus, *sæculo* IX *rex Scotiæ* 173 e f
Hurgust *seu* Heirgust, *ut ferunt, rex Scotiæ* 169 e, 170 d
Husgerius. *Vide* Ulgerius.
Husmannus, *legatus Pontificius in Scotia* 888 e
† Hypatius *episcopus* 812 c

I

Jacobillus *(Ludovicus) hagiographus fallax* 183 b
† Jacobi *diaconi corpus dicitur Eugubii servari* 183 b
Jacobi de Voragine *Legenda displicet superioribus Ord. Præd.* 180 f
Jacobus, *archiepiscopus Leopolitanus* 814 b
Jacobus *diaconus S. Paulini archiepiscopi Eboracensis, inter Prætermissos* 287 c d

Jacobus

Jacobus *Persa, illustris S. Juliani Sabæ discipulus* 354 c d e, 356 c
Jacoupy *(Joannes) episcopus Agennensis, approbat reliquias S. Caprasii* 822 d
Jagello *(Vladislaus) Poloniæ rex, fundat seu instaurat academiam Cracoviensem* 1050 b c d
† Jambertus, *Cantuariensis archiep.* 118 b e
Janowiczia *familia antiquissima in Silesia* 231 c, 233 e
† Januarius *et socii MM., inter Prætermissos* 276 b-e, 381 b
Ibas *Edessenus a Dioscoro excommunicatus* 353 a
Iberia, *filia Omnatii, uxor S. Ruricii I* 60 f
Ida, *filia ducis de Northeim, abava S. Hedwigis* 265 d, 267 d
† Idinnetus *in actis S. Ethbini* 488 e
Iduinus, *presbyter et monachus Salisburgi, forsan Sanctus dicendus* 918 b
† Ignatius *martyr et episcopus Antiochenus* 2 c, *quo anno passus fuerit* 8 c d e f
† Ildephonsus, *archiep. Toletanus, inter Prætermissos* 271 c f
Ilgerius. *Vide* Ulgerius.
Ingelgerii, *comitis Gastinensis, genealogia* 105 a b
Ingrandia *(Hamelinus de) fundator Calocæji* 1025 c d
Innocentius II *Papa* 987 b, 1011 a
Innocentius III *Papa confirmat bona prioratus S. Sepulcri apud Trecas* 987 d e f, 988 a
Innocentius IV *dedicari curat cathedralem Cavellicensem* 460 e f
Institor *(Henricus) Ord. Præd.* 943 e
Joanna Austriaca *fundavit Matriti Regias Discalceatas* 723 b c 726 f, 727 a
† Joannes Baptista. *Ossa ejus dispersa a gentilibus* 878 d, 881 a
† Joannes, *hegumenus Monagriæ, martyr sub Copronymo* 130 c d
† Joannes, *martyr Camaldulensis* 183 f, 184 a b
† Joannes Beverlacensis, *archiepiscopus Eboracensis* 966 e
† Joannes Agnus, *episc. gestis et cultui S. Mononis immixtus* 365 b c, 367 c d e, 368 d e
† Joannes, *episcopus Salisburgensis* 916 b c d f, 917 a c, 918 a, 919 a, 938 e
† Joannes Damascenus *auctor Passionis S. Artemii* 853 c-f; *varia ejus opera hactenus delitescunt* 854 f, 855 a. *Ejus auctoritas et sinceritas vindicatur* 855 b-f
† Joannes Gualbertus *instituta sua a Camaldulensibus mutuatur* 196 c d
† Joannes Lycopolitanus, *alias* Senuphius 42 c, 43 a e f
Joannes *Papa XII una cum Othone magno detegit reliquias S. Maximi* 407 e f et seqq.
Joannes *Papa XIII* 375 d
Joannes, *patriarcha Aquilejensis schismaticus* 904 d
Joannes, *archiep. Turonensis* 1039 a
Joannes, *episc. Aurelianensis* 1000 f, 1001 a
Joannes, *episc. Constantiensis in Gallia* 1010 f
Joannes, *episc. Cumbriæ* 1020 a
Joannes, *episc. Dolensis* 1012 f
Joannes, *episcopus Hagustaldiensis* 963 c
Joannes, *episc. Sagiensis* 1010 e
Joannes, *episc. Senensis* 187 d
Joannes Mincius, *episc. Veliternensis* 193 b
Joannes, *abbas Alneti* 1037 e
Joannes, *abbas Camporegianus* 186 a
Joannes de Kinstan, *primus abbas Jorevallis* 1033 a
Joannes, *anachoreta montis S. Auxentii* 131 b
Joannes Œconomus *in eremo Scythi diversus est a S. Joanne Parvo* 42 d e f
Joannes Thmuita *cum S. Joanne Colobo* 43 e
Joannes Parisotus, *martyr Ord. Min., inter Prætermissos* 280 f
Joannes a S. Maria *scripsit Vitam S. Petri de Alcant. Viri notitia* 652 c d e f; *ejus auctoritas et meritum* 653 f, 654 a b
Joannes Brachiatus 191 f
Joannes, *constabularius Cestriæ* 1035 d
† Joël *Propheta, inter Prætermissos* 274 d, 380 e f 811 d
Joiosa *(Franciscus de) minorita* 814 b
Jongelini *Notitiæ abbatiarum* 1019 e
† Joseph *hymnographus* 427 d. *Circa eum error Papebrochii* 278 e
Joseph *seu* Juçab *patriarcha Alexandrinus, hæreticus* 813 e
Joseph, *episc. de Wexford* 1036 f
Joseph, *fundator et hegumenus monasterii S. Nicolai Casularum, inter Prætermissos* 277 f, 278 a-d
Josepho *(Gaspar a S.) S. Petri de Alcant. socius, oviculæ nomine ab eo vocatus* 754 b c
Josephus *(Flavius) historicus sincerus* 291 a
Joslenus, *abbas Saviniacensis* 1031 e
Jovianus *imperator post Julianum Christianus* 882 f, 884 c
Joviniacensis *comes* 1003 d, 1006 b
† Irenæus, *episcopus Lugdunensis* 26 e f, 31 c d
† Irenæus, *episcopus Sirmiensis, martyr* 820 f
Irmendardis, *filia Ludovici regis, in monasterio Chiemensi* 814 b
† Isaac, *mart. Camaldulensis, cultus* 183 f, 184 a b
Isabella, *filia Henrici II regis Castellæ, Ordinis Minorum* 814 b
Isidori Pacensis *chronicon* 517 f, 518 a b c d
† Judæ Thaddæi *Apostoli reliquiæ in monasterio S. Justinæ Patavii* 307 d
Judith, *uxor Ludovici Pii* 917 f
Judith, *filia Hermanni landgravii Thuringiæ, uxor Theodorici Misnensis* 265 e
† Julianæ *reliquiæ Romæ* 322 d e
† Juliani *plures recensentur* 350 b
† Julianus, *M., cultus Bellovaci* 332 b
† Julianus, *episcopus primus Cenomanensis* 31 c
† Julianus *monachus, a S. Ephrem laudatus, alius est ac S. Julianus Saba* 347, 348
Julianus, *episc. et eremita Avellanensis* 182 f
Julianus, *abbas Fontismi* 1006 d
† Julianus *Apostata imperium usurpat* 863 c, 864 d e, 868 c; *in prælio vulneratus occumbit* 351 b c, 357 a, 883 c; *quo loco* 351 f
† Julitta 427 a
† Julius, *martyr in Britannia majori* 818 b
† Julius *martyr alicubi notatus ad diem* XVIII *Octobris* 346 b d e
† Junianus *ad meliorem vitam convertit S. Ruricium II* 70 d e f, 71 a-d
† Ivo, *Carnotensis episc.* 999 b, 1000 e, 1001 a e
Ivo, *prior Cluniacensis* 998 e
Justinianus, *patruus S. Justi pueri* 324 c d, 325 e f, 326 b e, 327 a, 338 b f, 339 a, 340 e
† Justinus *M. duas scripsit apologias* 390 et seqq.; *quo anno martyrio coronatus sit* 395 et seqq.; *ejus brevior apologia oblata fuit M. Aurelio* 398 b
† Justinus, *puer et martyr, diversus a S. Justo puero* 324 et seqq.
† Justinus *presb. Rom. baptizasse traditur S. Tryphoniam* 318 e, 319 b e, 322 a
Justinus, *S. Justi pueri pater* 324 c, 338 b c d e f, 339 a, 340 e
† Justus, *socius S. Pastoris, martyr* 335 b
† Justus *puer martyr* 381 d, 812 e; *confinguntur ejus reliquiæ Ulcii repertæ* 378 d
† Justus, *archiep. Cantuariensis. Ejus reliquiæ* 118 c

† Justus *seu* Jesus, *episcopus Eleutheropolis* 811 e
Jutta, *filia Bertholdi comitis de Hennenberg, uxor Thizmanni* 265 e
Jutta, *filia Bolconis domini de Vurstenberg, uxor Stephani ducis Bavariæ* 266 d, 269 c

K

Karulus. *Vide* Carolus.
Keislin *(Albertus) abbas S. Petri Salisburgensis cultum S. Vitalis promovet* 945 d e f, 946, 949 f
† Kentigernus *fundat ecclesiam Glasguensem* 167 e f
King *(Robertus) ex priore S. Frideswidæ primus episcopus Oxoniensis sub Henrico VIII* 541 e, 547 f
† Kislarius. *Vide* † Gisilarius.
Klueghamer *(Petrus) abbas S. Petri Salisburgensis* 922 f, 923 a b c, 949 c d; *subdelegatus in causa canonizationis S. Vitalis* 938 c-f, 939 et seqq., 952 e f
Kollontai *(Hugo) scriptor Polonus. Ejus hallucinationis in ordine ad canonizationem B. Joan. Cantii* 1056 e f, 1057
Krayburg *(Bernardus de) præpositus S. Bartholomæi in Frisaco.* 959 b
† Kunialdus. *Vide* † Chunialdus.
† Kyeranus *Cluanensis* 897 a

L

Lachanodracon, *præfectus sub Copronymo* 127 f. 128 a
Lacy *(Gilbertus de)* 1029 d
Lambertus, *episc. Atrebatensis* 997 f
Lambertus Magnus, *eremita* 1026 f
Lambinus *Ord. Prædicatorum, testis miraculi S. Hedwigis* 252 b
Lantbertus, *Theodonis Bajoariorum ducis filius, necis S. Emmerammi auctor* 913 f
Lascy *(Henricus de)* 1035 e
Latimer *(Hugo) episc. Anglican. Ejus monumentum Oxoniæ* 558 a b
Laudicus, *prior S. Sepulcri apud Trecas* 987 b
† Laurentii *Acta parum certa* 319
† Laurentius, *archiep. Cantuariensis* 118 c
Laurentius, *episcopus Wratislaviensis, dat FF. Prædicatoribus ecclesiam S. Adalberti Wratislaviæ* 211 f
Laurentius a D. Paulo, *auctor Vitæ S. Petri de Alcant.* 654 e f
† Lazarus *a Christo resuscitatus* 3 a b, 814 f; *ejus translatio* 6 b c d
Le Heudre, *parochus Bomiensis, testatur de cultu S. Frideswidæ* 560 c f, 561 c
Leibnitz *(Fredericus de) archiepiscopus Salisburgensis* 959 c
Lemarié *(Adrianus) presbyter, erga B. Thomam Heliam insigniter pius* 601 c-f, 602, 603
Lemière *(Franciscus) Ord. Min. scripsit Vitam et Miracula B. Thomæ Heliæ* 594 d, 619 b, 622 b
† Leo *papa I dicitur frater S. Justi Novaliciensis* 375 e
† Leo III *papa curat monasterium S. Huberti* 366 c
† Leo Bembus, *episcopus Methonensis* 812 c
Leo X *papa totius Ord. seraphici capitulum generalissimum celebrari jubet* 631 c d e; *cultum S. Vitalis episcopi Salisburgensis promovet* 943 f, 944 a b
Leo Lechensis *Ord. Minor.* 384 d
Leo Lusitanus, *socius S. Petri de Alcant.* 751 f
Leo, *frater S. Justi, ut fertur, Novaliciensis* 373 f
Leo, *avus antipapæ Petri de Leone* 191 e
† Leonori *seu* Lunarii *translatio Parisios* 7 f
Leopertus, *episcopus Prænestinus* 277 e
Leothericus, *archiepiscopus Senonensis* 983 a b
Lerena *(Alphonsus de) socius S. Petri de Alcant.* 752 b
Leroux. *Vide* Ruffus.
Leroy *(Stephanus) presbyter Bellovacensis* 333 b c
Leudegisilus, *archiep. Remensis.* 899 f
Leverrier *(Michael) parochus Bivillensis sepulcrum B. Thomæ Heliæ instaurat* 599 b
Leverrier *(Steph. Joseph) parochus Bivillensis scripsit de B. Thoma Helia* 594 c; *reliquias ejus Bivillam refert* 603 d e f, 604 a b c
Levianus *vir sanctus, inter Prætermissos* 271 f, 272 a
† Lewnam. *Vide* † Lomanus
Leztco, *filius Casimiri, dux Cracoviensis, maritus Griffæ filiæ ducis Rossiæ* 268 b
Licovicz *(Laurentius de) per S. Hedwigem a fistula liberatus* 258 c
Liechtenstein *(Joan. Christoph. de) episcopus Chiemensis* 947 b
† Lietbertus, *Cameracensis et Atrebatenses episcopus* 984 f
Limbourg, *medicus, visitat Malmundarienses reliquias* 335 c
† Lipnicius *(Simon) Ord. Fratrum Minorum Cracoviæ* 1071 c, 1072 a b
Liruthardus, *præpositus Malmundariensis* 334 b-f
Liuphrammus, *archiep. Salisburgensis* 916 a b
Liutbertus, *rex Longobardorum* 915 a
Liutprandus, *rex Longobardorum* 924 c, 925 f
Liutwardus, *Comensis episc.* 905 f
Lodron *(Paris de) archiepiscopus Salisburgensis, cultor S. Vitalis* 945 d e f, 946, 947 a, 963 e f
† Lodulphus, *auctor Fontis Avellanæ* 182 f. 196 c
Loire *(Joan. Bapt.) rector Cuniciaci et Montivelli* 371 d
† Lomanus, *cultus in Mannia* 889 f
Loménie de Brienne *(Carolus Franciscus de) episcopus Constantiensis in Gallia* 600 d e f, 601 a
Loménie de Brienne *(Stephanus Carolus de) S. R. E. Cardinalis, archiep. Senonensis, a Pio VI exauctoratus* 362 c d
† Lonegesilus, *abbas monasterii Bussogilensis* 55 f, 56 a
Lotharius *seu* Lutherus *imperator Conradum, filium Thimonis, constituit marchionem Misnæ et Lusatiæ* 265 d
Lotharius *rex Danos in insula Oscello adgreditur* 87 f; *Carolo Calvo se jungit* 88 a b
Lotharius, *rex Cantii* 92 e, 101 c
† Lucas *Evangelista in Gallia prædicasse fertur* 29 b c d. *Reliquiæ ejus CPolin translatæ* 169 d, 861 c, 862 d
† Lucas, *abbas Carbonensis, inter Prætermissos* 276 e f
† Lucas *Stiriota* 300 b c
Lucas *monachus, pictor sæculi noni* 298 d e
Lucia, *reclusa Compostellæ* 5 f
† Lucianus, *presbyter Antiochenus, martyr, dicitur edidisse professionem fidei* 884 e, 885 b
† Lucianus *Bellovasensis* 332 b; *an episcopus* 820 b c
† Lucius *martyr, discipulus S. Cypriani* 343 c-f, 344 a d
† Lucius, *diversus a S. Luca Evangelist, fuit episcopus Laodicææ et cognatus S. Pauli* 283 d e f
† Lucius, *rex Britanniæ* 174 e
† Lucius *eremita, socius S. Reguli* 170 b
Lucius III *Papa,* 986 b, 1012 d

Lucius

Lucius Verus *imperator recte dicitur* Philosophus Cæsaris filius 392 b; 394 c d
† Luctigernus, *abbas Hibernus, distinctus a S. Leutherno* 57 b c e
† Ludolphus. *Vide* † Lodulphus.
† Ludovicus *Ordinis Minorum, episcopus Tolosanus* 203 c
† Ludovicus, *rex Francorum, carum habet B. Thomam Heliam* 595 e f, 596 e-a; *SS. Eucharistiam secum fert in navi* 905 d; *arma parat adversus Mongoles* 218 f; *favet Thesauro B. Mariæ* 1039 d
Ludovicus Pius *monasticam disciplinam restaurat* 366 b c
Ludovicus, *Germaniæ rex, in procinctu ut fratrem aggrederetur* 87 a e f
Ludovicus Grossus, *rex Franciæ* 1000 f, 1002 d. *Inthronizatur* 1001 a
Ludovicus VIII *Mansum SS. Puellarum concremat* 15 f
Ludovicus, *regis Emmanuelis filius, S. Petri de Alcant. discipulus* 774 f
Luitprandus, *fortasse* Leopertus, *episcopus Prænestinus, inter Prætermissos* 277 e
Luitprandus *non est auctor Adversariorum; ejus genuina opera* 590 c f, 591 a; *nec bibliothecarius Fuldæ, nec subdiaconus ecclesiæ Toletanæ fuit* ibid. b c
† Lupus, *episcopus Andegavensis, inter Prætermissos* 277 a
† Lupus, *episc. Suessionensis* 885 c f, 886 a b c d e
† Lupus *Trecensis idem ac S.* Malewus 889 e; *accipit epistolam a S. Ruricio I* 65 e
Lupus, *negotiator Ambianensis* 324 d, 338 b d e, 340 e
Luthumière *(Franciscus de la) presbyter* 622 d e
Luto *(Philippus) scripsit historiam Pagi Gessoriaci* 485 e f
Luzark *(Sebastiani) instantanea sanatio, invocato S. Joan. Cantio* 1055 f, 1100 d e f
Lysimachus, *præfectus infra ætatem legitimam* 845 e

M

Maban, *cantor egregius sub S. Acca* 971 b, 972 c
Mabilia, *B. Thomæ Bivillensis mater* 609 d
† Macarius, *presbyter Antiochenus, martyr sub Juliano* 865 b c, 866 et seqq.
† Macarius *senior, monachus in Scete* 40 a, 43 c
† Macarius *junior, monachus in Ægypto* 43 b c
† Maccaldus *seu* Magaile, *episc. in Mannia* 887 c
Mac-Eulef. *Vide* Magnellus.
† Machabenus, *socius S. Reguli* 170 b
† Machuti *translatio Parisios* 7 f
Mac Maras, *alias* Mac Manis, *princeps Manniæ* 1028 d
† Madianus *eremita, socius S. Reguli* 170 b
Madocus, *princeps Powisiæ* 1037 f, 1038 a
† Maglorius *episc. translatus ex Armorica Parisios* 7 b
Magnanus *(Julius) magister gen. Conventualium, litteras dedit in gratiam Reformationis S. Petri de Alcant.* 729 a b c d e
Magnellus Makenlefe 1024 e f
Magnentius *imperium affectat* 859 c
† Magnobodus, *episcopus Andegav.* 4 a
Magnus, *rex Norwegiæ* 888 c
Mainardus, *episc. Eugubinus* 182 f, 192 e, 183 b c, 196 f
Mainardus, *episcopus Trecensis* 982 d f
Mainfredus, *marchio Italiæ* 373 b, 375 f, 376 a c, 377 d e, 378
Maire *(Francisci le) testimonium de reliquiis S. Verani* 475 a b
† Malachiæ *ultimus in Galliam adventus* 1039 d e *Quo anno Vita sit conscripta* 1039 e f
Malachias, Malachinus, *rex Midiæ* 1030 b c d
Malbanc *(Hugo de)* 1020 b, 1027 e
Malbrayo *(Rogerus de) fundator Villaris Caniveti* 1024 b
† Malchus, *cultus in Mannia* 890 d
† Malchus, *monachus Maroniæ in Syria* 814 c
† Malcolmus, *rex Scotiæ* 1041 a
Maldonada, *magnæ virtutis mulier, S. Petro de Alcant. addicta* 775 c d e
Maleu *(Stephanus) canonicus San-Junianensis, auctor Chronici Comodaliacensis* 73 e f
† Malewus. *Vide* † Lupus.
Malier *(Franciscus) episcopus Trecensis* 988 e
Mamæa, *mater Alexandri imp., Origenem accersit* 316 b; *moritur* 317 c
† Mamlacha *diversa a S. Mamelta* 54 d e
Manasses, *episc. Meldensis* 1001 a
Manasses I, *episc. Trecensis* 980 c e, 982 c d, 984 a e f, 992 b c
Manasses II, *episcopus Trecensis* 987 c d
Manassses de Buglis, *Bellovacensis* 331 e
† Mansuetus, *primus episcopus Tullensis* 821 d
Manzanete *(Alphonsus a) socius S. Petri de Alcant, caritate insignis* 752 f
† Marcellini *reliquiarum translatio in Gallias* 174 e
† Marcellus, *diaconus martyr Romæ* 814 f
Marchant *(Jacobus) S. J. presbyter* 593 e
Marchi *(Josephus) S. J. librum edit de Monumentis artium christianarum* 297 a
† Marcianus, *episc. martyr* 811 b
Marconisa *(Joannes) mercator emit corpus S. Lucæ* 303 e
† Marcus, *episcopus Arethusanus, martyr. Ejus cultus vindicatur* 848 a d, 850 d
† Marcus *episcopus Apolloriadis* 811 e
† Marcus *clarissimus doctor, inter Prætermissos* 281 b c
Marcus Complutensis *chronologus FF. Minor. perstringitur* 727 f
† Maria *Virgo Deipara. Ejus apparitio S. Ildephonso* 271 c f; *salutatio S. Bernardo* 274 e f, 275, 276 a; *patrona datur omnibus Cisterciensibus monasteriis* 1020 b c, 1027 c; *varia S. Lucæ communicavit maxime circa Christi infantiam* 289 b c
† Maria Magdalena 427 a
Maria ab Incarnatione *Clarissa, inter Prætermissos* 281 a
Maria, *Angliæ regina, jubet visitari academiam Oxon.* 553 e f
Maria, *regis Lusitaniæ soror, S. Petro de Alcant. valde addicta* 710 a b c d; *conventum Discalceatarum fundat* ibid. c
† Mariani *lectoris corpus dicitur Eugubii servari* 183 b
Marianus Scotus *singularem sequitur chronologiam* 927 e
† Marini *M. reliquiæ Gindari* 356 d
† Marinus, *martyr in Cilicia, inter Prætermissos* 274 d e
Mariotti *(Josephus Andreas) edidit Acta sex canonizatorum, S. Joannis Cantii etc.* 1051 e f
Marmion *(Robertus)* 1031 d e f
Maroveus, *episcopus Pictaviensis, recipit reliquias S. Crucis* 24 d

Marsaing,

Marsaing, *chirurgus. Ejus relatio de sacris S. Grati ossibus* 445 a b
† Martha, *soror Lazari* 3 a b
† Martha, *virgo martyr Coloniæ* 814 c
† Martialis, *primus episcopus Lemovicensis* 14 d, 24 a, 31 c
Martin *(Joannes Baptista) creditur scripsisse Vitam B. Thomæ Heliæ* 594 c
† Martinianus, *episc. Comensis* 904 d
Martinianus *episcopus, S. Gregorii II ad Bajoarios legatus* 916 a
† Martinus *Papa* 161 d
† Martinus *Turonensis quo sensu Galliarum Apostolus* 22 c
† Martinus, *episc. Dumiensis, scripsit de Paschate* 928 f, 929 a
Martinus, *prior Heauvillensis Ord. S. Benedicti* 597 b, 613 a
Martinus a S. Josepho, *excalceatus, scriptor* 654 c d
Martinus a S. Maria *inchoat conventum Arabidæ* 712 c d e f
† Martyrius *monachus, inter Prætermissos* 271 c
† Maruthas, *episcopus Martyropolitanus, scribit Acta Martyrum* 839 d e f
Materni *duo episcopi Colonienses* 21 a-e
† Maternus, *episcopus Trevirensis, Coloniensis et Tungrensis, discipulus S. Petri* 17 b
† Mathiæ *Apostoli reliquiæ* 304 c, 307 f, 308 a
† Mathildis *seu* Mechtildis *abbatissa* 203 b
Mathildis, *filia Hugonis Albi de Firmitate* 1000 e
Matignon *(Eleonorus de) episcopus Constantiensis in Gallia* 599 f
† Matthæi *reliquiarum translatio* 174 c
† Matthæi, *mart. Camaldulensis, cultus* 183 f 184 a b
† Matthæus *eremita, socius S. Reguli* 170 b
Matthæus, *episcopus Trecensis* 987 d
Matthæus *Ord. Cisterciensis, confessarius S. Hedwigis* 232 b, 233 f
Matthæus *fictitius S. Justini pueri pater* 326 b, 372 a
Matthias, *parochus S. Annæ Cracoviæ, scribit de miraculis S. Joannis Cantii* 1074 b c d, 1099 f
† Maudetus *abbas, inter Prætermissos* 281 e
† Maurilii *translatio* 381 b
† Mauritius *martyr, primicerius Thebæorum* 818 a
† Mauritius *eremita, socius S. Reguli* 170 b
Mauritius, *episc. Casselensis* 1034 f
Mauritius, *abbas Kamenecensis, assistit apertioni sepulcri S. Hedwigis* 263 e, 265 a
† Maurontus, *episcopus Massiliensis, inter Prætermissos* 281 b
† Maurus, *episcopus martyr in Apulia* 812 a
Maurus *(Christophorus dux Venetiarum* 305 b
† Maximianus *M., cultus Bellovaci* 332 b
Maximianus. *Vide* Galerius
† Maximinus, *primus episcopus Aquensis* 31 b
Maximinus *et* Maximianus *sæpe confusi* 424 c d e f, 425 a b
† Maximus, *diaconus martyr, perperam Ambianensibus adscribitur* 813 a
† Maximus, *martyr Episcopiensis* 384 e
† Maximus, *episcopus Nolanus, persecutionem fugit* 820 d
† Maximus, *abbas Lirinensis, dein episcopus Regensis* 529 f
† Maximus *Taurinensis frater dicitur S. Justi Novaliciensis* 375 a b
Maximus Planudes, *monachus Cpoli* 135 a
† Mayolus, *abbas Cluniacensis* 999 a
Maytius, *ep. Oleronensis, hæresim strenue expugnat* 443 e
Mechtilda, *uxor Theodorici comitis Merseburgensis, atava S. Hedwigis* 265 c
Mechtilda, *filia Goswini comitis de Hornesberg, avia S. Hedwigis* 266 a, 268 b
Mechtildis, *filia Alberti Brunswicensis, uxor Henrici ducis Glogoviensis* 266 f
Mechtildis, *filia Conradi, uxor Alberti marchionis Brandeburgensis* 266 a
Medrano *(Bernardini de) uxor sanata ope chordæ S. Petri de Alcant.* 741 a b
Meduana *(Juhellus de)* 1012 d, 1032 f; *Gaufridus* 1032 f
† Meinradus, *eremita et martyr in Helvetia* 2 c
† Melantii *reliquiæ Malmundarii* 334 a
Melchior a Benevento, *minorita* 814 b
† Meletii *Antiocheni exilium quo anno consignandum* 352 c d e f, 257 c d
† Meletius, *episcopus Cypri* 381 b
† Mellitus, *archiep. Cantuariensis* 118 c
Melo *(Franciscus de S. Petri de Alcant. socius, cujus corpus post 25 annos incorruptum* 753 e f
† Melorii *translatio Parisios* 7 d e
Melseachlain. *Vide* Malachias
† Memmiæ *reliquiæ Romæ* 322 d e
Mendoza *(Alvarus de) ep. Abulæ et Palenciæ* 666 c, 722 f, 723 a b, 745 a b c
† Meneleus, *monasterii Menatensis conditor* 516 c d; *ejus commoratio in monasterio Calmeliacensi* 528 c d e; *dedicat oratorium suum* 529 b c d
† Merefinus *puer, filius Merwaldi regis Mercii* 90 e, 91 c, 96 d, 101 c, 102 e
† Merinacus, *frater S. Damiani, socius S. Reguli* 170 b
Merumvastes, *servus S. Remigii* 886 c
Merwaldus, *rex Mercii* 90 e, 91 c d, 98 f, 101 c
† Mervyn. *Vide* † Merefinus.
Merzenichia *(Joanna) Aquisgranensis, Ordinis Minorum* 814 b
Meschines *(Ranulfus de) Cestriæ et Cumbriæ comes* 1027 f
Metaphrastes *(Simeon) quanta laude Acta SS. expoliverit* 428 a d
† Michael, *eremita Camaldulensis* 610 d
† Michael Gedroye, *Cracoviæ* 1071 d, 1072 b
Michael Methysta *utrum templum* τῶν Ὁδηγῶν *ædificaverit* 298 b
Michael, *plebanus in Costomloth* 251 f, 252 a
Miechovia *(Mathias de)* 1042 f, 1043 a; *ejus de S. Joan. Cantio testimonium* ibid. b c d
Mieslaus II, *dux Opoliensis, Mongoles fugat* 217 c
† Milburga, *filia Merwaldi regis Mercii* 90 e, 91 c. 101 c
† Mildreda, *filia Merwaldi regis Mercii* 90 e, 91 c e, 94 b c, 99 b, 101 c d, 103 a. *Ejus reliquiæ Cantuariæ* 118 f
† Milgitha, *filia Merwaldi regis Mercii* 90 e, 91 c, 95 a, 101 c
† Milis, *episcopus martyr in Perside* 840 a b, 846 c-f, 847 a
Milo I, *ep. Morinorum, fundator abbatiæ S. Augustini prope Teruannam* 562 d
Milo II, *ep. Morinorum. Litteræ ejus ad S. Frideswidam spectantes* 562 e
Milo, *episcopus Trecensis* 982 c d, 984 e
Milo, *comes de Barro super Sequanam* 1000 b
† Milonius, *ep. Nepesinus in Italia* 384 e f
Mirabel *(Marchio de), monente S. Petro de Alcant., sanctius vitæ concipit propositum* 707 a b
† Mirenus, *socius S. Reguli* 170 b
Mittarelli, *annalistæ Camaldulensis, laudes* 185 a
† Mnason *martyr* 380 e
† Mochonna *seu* Conannus 897 e

Modesta,

Modesta, *Quirini filia, secundum popularem famam, martyr* 10 e
† Modestus, *episc. Hierosolymitanus* 386 a
† Moelconius, *episcopus et anachoreta in Hibernia* 813 e
Molbray *(Rogerus de)* 1015 a, 1028 a b c
Moluanenus *Hibernus, inter Prætermissos* 277 d
† Mommolinus *episcopus, inter Prætermissos* 276 f
Monachus *seu* Munchanus *aut* Manchinus *in Hibernia* 4 c d
Monchado *(Didacus) religiosus provinciæ S. Josephi* 741 d e f
Montefichet *(Guilielmus de) fundator Stratfordiæ* 1029 c
Monte Morisco *(Hervejus de) marescalcus Hiberniæ* 1036 f, 1037 a
Montius, *quæstor datus Gallo Cæsari* 860 e
Morcardus, *nobilis Danus ab Ethelredo fœde trucidatus* 542 e, 544 b c
Moreno *(Dionysius Sanchez) ex Dominicana familia* 645 b
Morlot *(Franciscus) archiep. Turonensis* 272 d
Morvilla *(Hugo de) episcopus Constantiensis in Gallia* 609 e
Morundus, *miles in agro Autissiodorensi* 1003 b
Moteca. *Vide* Teca.
† Moyses Æthiops, *monachus in Scete* 40 a, 43 b c
† Mummolus, *abbas Floriacensis* 116 b
† Munna, *dictus Fintanus* 896 c
Muñoz *(Ludovicus) Vitam scripsit Ven. Ludovici Granatensis* 647 a
Musca *(Gaspar) scripsit catalogum de episcopis Salernitanis* 437 f, 438 d e, 439 b
Muscon *(Dodon et Adam de)* 1012 f

N

Nahitis *idolum Persarum, Romanis Venus* 847 e
Namatius, *amicus S. Ruricii I* 64 e f
Nantelmus, *ex primis canonicis Ulciensibus* 376 e, 377 a
Nargodus, *episc. Augustodunensis* 1001 b, 1005 f
Nataga *(Ernestus de) pro canonizatione S. Vitalis Salisburgo Romam missus* 943 b c
† Nathineus, *abbas in Hibernia* 897 a
Naudo *(Paulus) archiep. Avenionensesjubet visitari reliquias S. Verani Cavellicensis* 463 b d
† Nazarius, *cultus Magniaci* 88 e, 89 a
Nectarius, *hegumenus S. Nicolai Casularum schismaticus. Circa eum plures scriptorum errores corrigendi* 278 a b d e f, 279 a
† Neo *martyr* 813 a
† Neonilla 426 f, 427 a
† Neotus *presbyter, Anglus* 812 b
† Nerius de Creta, *socius S. Reguli* 170 b
Neufville *(de) parochus S. Aldegundæ Audomaropoli Vitam scripsit S. Frideswidæ, ubi plurima de cultu Bomiensi* 560 b c d e f
† Nicea, *mater S. Proculi* 385 e
Nicodemus, *hegumenus S. Nicolai Casularum* 278 a, 279 a
† Nicolaus, *patronus ecclesiæ Ulciensis* 377 c
† Nicolaus Factor 727 c d e f
† Nicolaus Peregrinus 278 f
Nicolaus II *Papa. Decretum ejus de electione Papæ* 187 b, 189 e f, 191 e; *mors* 190 a b., 191 c
Nicolaus III *Papa* 1035 e
Nicolaus Breakspear, *post Adrianus IV* 888 b
Nicolaus de Gerboredo, *episc. Bellovacensis* 333 a c
Nicolaus, *abbas Leubensis, assistit apertioni sepulcri S. Hedwigis* 263 c, 264 f
Nicolaus, *scholasticus Cracoviensis, promotor canonizationis S. Hedwigis* 211 d, 263 a
Nieba *(Comes de) discipulus S. Petri de Alcant.* 774 d e
Nielfa *(Simon de) fundator Vallium Cernaji* 1025 b
† Nigasii *reliquiæ Malmundarii* 334 a
Niger *(Marcus) episcopus Catharensis, concedit indulgentiam in honorem S. Lucæ* 308 f
† Ninianus *seu* Ninias, *apostolus Pictorum* 172 e f
Nofredus, *Senensis episcopus expungendus* 187 a d
Nonni *Edesseni intrusio* 353 a
Nonnus, *episcopus Asturicensis, nono, ut videtur, sæculo* 853 b
Nothelmus, *rex Saxonum Australium* 123 b c
Nowodworski *(Bartholomæus) eques S. Joannis Hierosolymitani* 1073 c d
Nuce *(Angelus de) visitat reliquias SS. Benedicti et Scholasticæ* 153 f
Nucerinus *(Sebastianus) librorum censor, approbat Vitam B. Joan. Cantii* 1065 b
Nunna *idem ac* Nothelmus, *rex Saxonum Australium* 123 b c
Nunnius I, *episcopus Asturicensis sæc* XIII 853 b
Nunnius II, *episcopus Asturicensis sæc.* XIV 853 b

O

O'Brien *(Donaldus) rex Limerici* 1035 a, 1037 b. *Donatus, ejus filius, rex Thomondiæ* 1037 b c
O'Conchubhair, *familia Hibernica* 1037 c
Octaduy *(Laurentius) ep. Abulensis* 696 b, 699 e f
† Octavianus, *episc. Comensis* 904 d
† Oda *virgo in Lotharingia culta, inter Prætermissos* 273 b c
† Oda, *discipula S. Lamberti, Ammaniæ ecclesiam condit* 365 f
† Odilo, *abbas Cluniacensis* 786 f
Odilo, *dux Bajoariorum* 914 a b c, 915 c, 918 c, 919 a
† Odo, *Cluniacensis abbas, perperam habetur auctor Tractatus de reversione S. Martini* 104 b-f, 105, 106 a b
† Odo, *S. Bernardi discipulus* 1014 d
Odo III, *episc. Bellovacensis* 332 d
Odo, *primus abbas Fontanarum Albarum* 1027 a c
Odo, *comes Bellovacensis* 332 c
Odolricus, *ex primis canonicis Ulciensibus* 376 e
Odrada, *mater S. Aderaldi* 980 c, 991 a
† Oelbertus *confessor, inter Prætermissos* 281 c
Oktajus, *Gengiskani filius, rex Mongolum* 216 f
Olbertus, *abbas Gemblacensis* 993 e f
Olexexowic *(Antonii) instantanea sanatio, interveniente S. Joan. Cantio* 1055 f, 1056 a, 1101 e f
Omar I *et* II, *Mahumeti successores* 517 e
Ommatius, *filius S. Ruricii I, probabiliter episcopus Turonensis* 61 b-d
Ommatius, *socer S. Ruricii I* 60 e
Omolarius, *episcopus Landunensis* 20 d e
Opatovius *(Adamus) Vitam scripsit S. Joannis Cantii, latine primum, dein polonice* 1045, 1064 c d e
Opizo, *Laudensis episc.* 187 c
Oribasius, *medicus et quæstor sub Juliano* 870 d, 875 a
Origenes, *discipulus Clementis Alexandrini* 314 b. *Mamæam invisit Antiochiæ* 316 b. *Quo tempore* ibid. d e
Origenes, *eremita Ægyptiacus, laudatur* 350 e
Ormanetus *(Nicolaus) egregie commendatus a S. Carolo Borromæo, acerbe vituperatus a Calfhillo* 555 f, 556 a
Oropesa *(D. Joann. Alvarez Garcia de Toledo, comes de) Reformationis S. Petri de Alcant. promotor*

motor insignis 703 f, 714 b; *in ejus domo infirmatur S. Petrus* 777 b c d e
Orrhoës, *primus Edessæ rex* 355 f
Ortega *(Isabellæ de) futurum prædicit vitæ statum S. Petrus de Alcant.* 731 e f
Osbertus, *episcopus Hagustaldiensis* 965 e
† Oseas *propheta* 3 a
† Ositha, *virgo et martyr in Anglia* 381 c
Oslava *sive* Oslana, *uxor Ermenredi, filii regis Cantii* 90 c, 91 c, 93 c, 99 f
† Oswaldus, *episc. Wigorniensis et dein Eboracensis* 95 a b e f, 180 d
† Oswaldus *rex martyr* 180 d, 699 a b, 700 a
Otho I *imperator procurat reliquias Novæ Corbejæ* 329 c d e; *inquirit reliquias S. Maximi* 407 d e f et seqq. *Ejus diploma de S. Maximo* 411 b c d e f et seqq. *Quod vindicatur contra Antinorium* 413 et seqq.
Otilo. *Vide* Odilo.
† Otto I, *episcopus Bambergensis* 203 a
Otto, *Novariensis episc.* 187 c
Otto, *episcopus Ratisbonensis, Jerosolymam peregrinatus* 927 d
Otto, *dux Meraniæ, frater S. Hedwigis* 266 b
Otto, *filius Friderici comitis de Bren, comes de Wettin* 265 f
Otto II, *filius Theodorici, comes de Wettin* 365 f
Otto, *filius Conradi marchionis Misnensis, fundator Cellæ Cisterciensis Ordinis* 265 d
Ottocarus, *rex Bohemiæ, assistit translationi S. Hedwigis* 264 a, 265 a
Owen Kevelioc, *princeps Powisiæ* 1035 b

P

Pachler *(Amandus) abbas S. Petri Salisburgensis disquisitiones de S. Vitale ep. edidit* 931 d e
† Pachomius *utrum auctor vitæ cœnobiticæ* 844 d e f
Pæsius. *Vide* † Bischoï.
Pæsia *xenonodochium patrum Sceteos de domo sua facit* 46 d e
† Pambo, *monachus deserti Scetis* 40 a
† Pamphylus *presbyter martyr* 818 b d
† Pancratius *martyr, translatus* 811 b
† Pantaleo, *martyr in Apulia* 812 a
† Paphnutius *episcopus et monachus* 844 b
† Parascevia 426 f, 427 a
† Pardus, *patronus Larini in regno Neapolitano* 2 f
Parenty, *canonicus Atrebatensis* 370 f
† Parisii *Camaldulensis cultus* 183 f, 184 b
† Parmenas, *primus episcopus Avenionensis* 31 c
Parsi *(Angelus) Passionista, episcopus Nicopolensis in Bulgaria* 346 a
Parthemius, *S. Ruricii I nepos, initio bonus, post malus* 70 b c d
Pascentius II, *episcopus Pictaviensis, laudatur a Venantio Fortunato* 24 d
† Paschalis I *episcopatum in Cambria erigit* 1020 a
† Paschalis II *Papa* 1000 e, 1002 b d, 1003 f, 1005 b; *an probarit Saviniacum* 1023 f
Pascual *(Joannes) S. Petri de Alcantara socius* 680 b c f
Paskovunæ *(Hedwigis) subita sanatio per invocationem S. Joan. Cantii* 1055 f, 1100 f
Passerius *invehitur in Papebrochium, fingit sibi documenta Cpli submissa etc.* 125 a b c
† Pastor, *socius S. Justi, martyr* 335 b
† Paterni *translatio Parisios* 7 e
† Patricius, *episcopus Prusæ, martyr* 820 a
† Paulinus, *archiep. Eboracensis* 101 c
† Paulinus *Nolanus, utrum S. Lucam martyrem dixerit* 299 e f
† Paulus *Apostolus S. Lucæ magister* 286 a b e f; *prædicat cum variis sociis* 286 e f, 287, 288 a; *in speluncis prope Antiochiam habitasse traditur* 358 a
† Paulus, *martyr sub Copronymo* 125 c d e, 126 b c, 127, 814 f
† Paulus novus, *martyr sub Copronymo* 130 e f
† Paulus *Papa I transfert plura SS. corpora* 323 a b
† Paulus, *primus episcopus Narbonensis* 14 d, 24 a, 31 b, 821 c
† Paulus a cruce, *institutor Congregationis SS. Crucis et Passionis Domini, inter Prætermissos* 281 a; *Beatis a Pio IX adscriptus* 1107 b c
Paulus *Papa IV dat Breve unum et alterum in gratiam Reformationis S. Petri de Alcant.* 729 f, 730 a b c d
† Pelagia *martyr* 812 e
† Pelagia *peccatrix* 385 a, 812 f
† Pelagius, *martyr Antiochiæ* 384 f
Pelagius I *Papa vix invenit qui se consecrent* 908 a
Pelecetani *monachi* XXXVIII *MM. apud Ephesum sub Copronymo* 127 f, 128 a b
Pemmo, *dux Forojulianus* 924 d
Percy *(Guilielmus de)* 1021 b
Peregrinus, *episcopus Laudunensis* 109 b
† Perpetuus, *Turonensis episcopus, ordinat vigilias in sua ecclesia* 928 f, 929 b
Perthrocda. *Vide* Bertrada.
† Pesoes. *Vide* † Bischoï.
Petrarcha *(Franciscus) num interfuerit translationi S. Verani* 464 b c, 472 f, 473 a
Petronax *instaurat monasterium Cassinense* 152
Petronilla, *filia ducis Burgundiæ, mater Ingelgerii* 105 b
† Petrus, *episcopus Alexandrinus, martyr* 818 c e
† Petrus *ep. et martyr translatus Braccaram* 2 f
† Petrus et Marcellinus *translati in Gallias* 174 c
† Petrus, *M. sub Copronymo* 125 c d e, 126 b c, 814 f
† Petrus in Blachernis *sub Copronymo* 128 c d e f, 129, 130 a b c
† Petrus Verus, *socius S. Justi, ut fertur, Novaliciensis* 373 f
† Petrus, *archiep. Tarentasiensis, inter Prætermissos* 272 e f
† Petrus Damiani. *Multa ipsius gesta et scripta explicantur* 182 et seqq.; *usum spontaneæ verberationis laudabilem esse probat* 624 e
† Petrus Nolascus *Recaudi seu in Manso SS. Puellarum nascitur* 13 c f, 14 a, 15 e
† Petrus de Alcantara *Ord. Min., inter Prætermissos* 281 a b
† Petrus, *monachus Saviniacensis* 1007 c, 1008 c, 1009 a
Petrus, *Aquilejensis patriarcha* 907 b
Petrus, *archiep. Upsalensis, inter Prætermissos* 280 c d
Petrus de Domno Martino, *episc. Bellovacensis* 331 d, 332 d e
Petrus, *Gabinensis episcopus* 186 f
Petrus, *episc. Parisiensis* 1038 d
Petrus de Eboraco, *Furnesii abbas* 1018 b c
Petrus, *abbas Montisburgi* 1012 f
Petrus, *ex rhetore monachus et S. Petri et Damiani amicus* 194 c
Petrus de Quinciaco, *medicus et monachus Saviniacensis* 1011 a, 1014 e f, 1015 a
Petrus Calaber, *Ordinis Minorum* 284 f
Petrus Soliutrus *Ord. Min., inter Prætermissos* 280 e f
Petrus Martyr *(Vermiglio) apostata theologiam docet Oxoniæ* 554 a b
Petrus Nonantulanus 194 c

Petrusa Almana, *prima abbatissa Trebnicensis* 207 f
† Phanonus. *Vide* † Fugatius.
Phenenna, *filia Semomizl Cujaviensis, uxor regis Hungariæ* 268 b
† Philastrius *Brixiensis scribit ab Ascensione ad Penteco ten jejunandum esse* 995 a
Philetus *succedit S. Asclepiadi in sede Antiochena* 313 c, 314 a
† Philippus *martyr* 246 e, *inter Prætermissos* 281 b
† Philippus *martyr alicubi notatus ad diem* XXIII *Octobris* 346 b e
† Philippus *eremita, socius S. Reguli,* 170 b
Philippus, *episc. Bellovacensis* 331 e
Philippus, *episc. Rhedonensis* 1008 d
Philippus, *Trecensis episcopus* 984 c d, 985 d e f, 987 b
Philippus, *abbas Bellælandæ et scriptor* 1027 f
Philippus, *abbas Stratæ Marcellæ* 1038 a
Philippus, *abbas Vallis Crucis* 1038 a
Philippus, *prior Claræ vallis* 1013 a
Philippus, *prior S. Frideswidæ, Beatæ hujus Virginis transtulit reliquias.* 550 a b; *scripsit librum miraculorum S. Frideswidæ* 567 e f, 568 a b c
Philippus *imperator, ab ingressu ecclesiæ prohibitus* 880 b
Philippus I, *rex Franciæ, obit* 1001 a, 1002 d, 1005 b
Philostorgius *historicus e secta Eunomii* 857 a
† Phœbadius, *episcopus Aginnensis* 51 c, 52 c d e f
† Photinus, *episcopus Lugdunensis, incertum an primus, item an episcopatum Viennensem administrarit* 22 f, 23 a
Pichler *(Virgilius) abbas S. Petri Salisburgensis* 943 c
Picus *Mirandulanus, S. R. E Cardinalis* 1052 b, 1053 f, 1054 a b, 1063 a f
Pidoll *(Michael Josephus de) episcopus Cenomanensis recognoscit reliquias S. Scholasticæ et in ejus honorem sodalitatem instituit* 162 c d
Pie *(Lud. Franc. Desid. Eduardus) episcopus Pictaviensis, operis nostri fautor* 9 c, 272 f
† Pilgrinus, *episcopus Passaviensis* 935 c, 941 a b
Pilitrudis, *conjux Theodoaldi ducis Bajoariorum* 915 f, 918 c
Pinedo *(Jos. Alphons.) ex Dominicana familia, edidit opera Ven. Lud. Granatensis* 649 c; *Granatensem S. Petro de Alcant. prælusisse contendit in Tractatu de oratione* ibid. et seqq.
Pipinus, *rex Francorum* 918 c; *pius in S. Mononem* 365 b f, 367 f, 368 a
Pipinus II *seu junior, rex Aquitaniæ* 520 f, 521 a; *ejus charta in favorem monasterii Cameliacensis seu S. Theofredi* ibid. a b c
Pipinus, *filius Caroli Magni* 917 f
Pirellius *S. R. E. cardinalis, solus inter omnes suffragatores, S. Cantium a scriptis suis commendavit* 1064 b c
† Pistis *reliquiæ Romæ* 322 d e
Pitra *(Joan. Bapt.) editor Spicilegii Solesmensis* 82 f
Pius II *judicium de corpore S. Lucæ committit cardinali Bessarioni* 303 d; *varia decrevit circa causam canonizationis S. Vitalis* 937 d e f, 938 a b, 943 b c
Pius IV *Papa subjicit Alcantarenses Observantibus* 637 e f, 638 a b
Placentia *(Hieronymus de) abbas Cassinensis visitat reliquias SS. Benedicti et Scholasticæ* 153 f
Plankenfelser *(Ulricus) episcopus Chiemensis, delegatus apostolicus in causa canonizationis S. Vitalis* 937 d e f, 938 et seqq.
Plechtelmus, *episcopus Casæ Candidæ* 972 f
Plocis *(Matthæus de)* 1029 e
† Pœmen, *monachus deserti Scetis* 40 a c d, 42 a b
Polus *cardinalis, jussu Mariæ reginæ, visitandam curat academiam Oxon.* 553 e f, 554 d e f, 555 e
Pomedella *(Gerardus) episcopus Patavinus, detegit corpus S. Lucæ* 304 b
Pomerei *(Guilielmus de)* 1030 a. *Ethelbertus* 1030 a
Pompo, *Teutonicorum equitum magister, in prælio Lignicensi cæsus* 217 f
Ponte *(Ferdinandus a) sanitati redditur a S. Petro de Alcant.* 709 d e
Pontius, *filius Garneri de Pont* 1000 e
† Poppo, *abbas Malmundariensi* 197 d, 333 f. 334 a; *ejus translatio* 271 f
† Potentia, *virgo Colossensis, socia S. Reguli* 170 b
† Prætextatus, *ep. Cavellicensis* 459 e
Premco *seu* Primizlo, *filius Conradi ducis Glogoviensis, dominus Stinaviensis* 266 f
† Pretiosi *reliquiæ servatæ Murelli* 50 e
† Prilidianus *puer, martyr cum S. Babyla* 877 a, 880 b
Primogenius, *subdiaconus Romanus, fit episcopus Gradensis* 906 e
† Primus *martyr Romanus diversus ab homonymo Aginnensi* 818 f, 819 a
† Principius, *episc. Suessionensis* 448 f, 449, 885 c, 886 e, 887 d
Priscillianus *hæreticus in Martyrologiis cultum non habuit* 850 b c
† Priscus, *martyr in agro Carnutensi* 2 f
† Priscus *confessor* 813 f
† Privatus *ep. et mart.* 470 f
† Privatus *martyr* 3 e
† Proculus *martyr socius S. Januarii, inter Prætermissos* 276 d e
† Proti et Hyacinthi *reliquiarum translatio* 904 e
Przemizlo, *filius Przimizlii, dux et postea rex Poloniæ* 268 a
Przimizlius, *dux Poloniæ, maritus Elisabethæ, filiæ Henrici II* 268 a
† Pulcheria *Augusta recipit imaginem Deiparæ, a S. Luca pictam* 297 e; *templum Deiparæ erigit Cpoli* 298 a b
Putanowicz *(Josephus) Vitam edidit S. Joannis Cantii* 1046 d e

Q

Quélen *(Hyacinthus de) archiep. Trajanopoleos, dein Parisiorum* 272 e; *transferendas SS. Reliquia curat* 59 a
Quintianus, *discipulus B. Ludophi* 182 f
† Quintini *reliquiæ Bellovaci* 331 c
† Quirini, *presb. et mart., reliquiæ Malmundarii* 333 f, 334 a, 335 b
† Quirinus *martyr* 811 b
Quirinus. *Vide* Cyrinus.

R

† Rabanus, *abbas Fuldensis et Moguntinus archiepiscopus, scripsisse fertur Vitam S. Mariæ Magdalenæ* 29 e f. *Ejus Martyrologii auctoritas trutinatur* 30 b-f, 31 a
Rachto *vocatus episcopus in veteri Catalogo Salisburgensi* 917 e
† Radegundis *regina Pictaviensi monasterio procurat reliquias S. Crucis* 24 c d
† Radim *(non* Kadim, *ut male excusum est), alias* Gaudentius, *archiep. Gnesnensis* 932 f
Radulphus, *aëpus Cantuariensis, suo primatui subjicere vult sedem Eboracensem* 180 a
Radulphus, *episcopus Petragoricensis* 72 d e

Radulphus,

Radulphus, *Barberii abbas* 1031 d, 1032 a
Radulphus, *abbas S. Quintini Bellovacensis* 331 d
Radulphus, *Thuringiæ dux, adversus Sigebertum, Austrasiæ regem, rebellat* 500 c d e
Radulphus de Fusteja *eremita* 1023
Ragenfredus, *Carnutensis episcopus, monachos Benedictinos in monasterium S. Petri Carnutensis introducit* 11 e f
Rainaldus, *episcopus Trecensis* 982 d
Rainardus, *abbas S. Petri Vivi Senonis* 983 a
Rainardus, *comes Senonensis* 983 a
Raino, *episcopus Andegavensis, edit Vitam S. Maurelii* 105 f, 106 a b
Ranulfus, *episcopus Dunelmensis, Hagustaldia privatur* 965 e, 967 b
Ranulphus, *comes Cestrensis* 1020 b, 1027 d e, 1032 c d e
Raso Goetgebuers, *Ord. Præm. abbas Truncinicnsis* 5 f
† Rasso *seu* Ratho *fundator monasterii Werthensis* 202 f, 203 a
† Rathardus *presbyter, fundator ecclesiæ in Diessen* 202 f
Ratharius *episcopus adventitius in Bavaria* 914 a
† Ratho. *Vide* † Rasso.
Raülena, *protovestiarissa* 134 f, 135 a
Reginaldus, *rex Manniæ* 888 b
Reginherus, *Misenensis episc.* 188 b
Rely *(Joannes de) episcopus Andegavensis, a confessionibus Carolo VIII regi Franciæ* 107 b
† Remaclus *non fuit magister S. Mononis* 368 f; *reliquiæ ejus Malmundarii* 333 f
† Remigii *Remensis testamenta* 450 b c, 451 c d e, 886 b c. *Ejus nepotes* 886 d. *Translatio* 901 e
Remigio *(Robertus de S.) ejusque pater* 1037 d e
Remigius *monachus, instructor et tentator S. Irenes* 911 e, 912 a b
Revol *(Joseph de) episc. Olerenensis Officium S. Grati edidit proprium* 441 f, 442 a; *de quo acerrime disceptatum* 443 a b c. *Visitat ecclesiam suam cathedralem* 444 e f, *invenit reliquias S. Grati* ibid., 445 a b c d
Reynaldus, *episcopus Petragoricensis* 72 e
Ribolle *(Fulco) fundator Campaniæ* 1033 e
Richardus Albanensis *legatus* 1000 e, 1001 b
Richardus III, *episc. Abrincensis* 1008 d
Richardus, *episc. Bajocensis* 1010 e
Richardus, *episc. Constantiensis in Gallia* 1010 e
Richardus de Bajocis, *abbas Furnesii* 1018 c
Richardus de Corcejo, *abbas Saviniaci* 1013 c
Richardus, *prior Camporegianus* 185 e f
Richardus, *prior Eboracensis* 1015 b
Richardus, *prior Saviniacensis* 1010 f
Richardus, *princeps Capuanus, juvat armis inthronizationem B. Alexandri II* 190 b, 191 f, 192 a
† Richarii *caput Centuli* 332 c
Richobaldus, *abbas S. Emmerammi Ratisbonæ* 920 b
Rictius Varus, *martyrii S. Justi auctor* 324, 334 d, 335 b, 338 e f, 339 a, 340 c
Rictruidis, *pia femina, hospitio excipit SS. Felicem et Augebertum* 363 a
Rigaudus Willelmus, *abbas Lesatensis* 50 f
† Robertus de Arbrissello 1023 e
† Robertus a Casa Dei 380 c
† Robertus, *abbas Clarævallis* 1011 b, 1013 d, 1014 a b c d, 1022 d, 1033 a
† Robertus, *abbas Molismensis* 1000 a
Robertus, *episcopus Andreopolitanus seu Scotorum* 179 e
Robertus, *episc. Autissiod* 997 b c, 1004 c
Robertus, *episc. Lingonensis* 1000 a
Robertus, *abbas Bilduwasii* 1037 a
Robertus Trianel, *abbas Ramesiensis* 96 a
Robertus, *abbas Veteris Villæ* 1012 f
Robertus, *cognomento Biset, præpositus ecclesiæ Augustaldiensis* 976 d, 979 f, 980 a
Robertus, *rex Francorum, Hugonis Capeti filius* 332 c, 983 b d e
Robertus *frater Odonis, dux Franciæ, rex dictus* 983 f, 984 a
Robertus, *comes Moritonii* 1023 d
Robertus de Alneto, *eremita in Anglia* 1028 b
Robertus Burgundio, *fundator canonicorum Novi Castri* 1040 b
Robertus de Monte *perturbat chronologiam sui ævi* 1022 d e f
Robiou *(Ludovicus Joannes) episcopus Constantiensis in Gallia* 606 b c
Robitaille, *parochus Paulopolitanus* 371 d
Rochechouart *(Petrus) ep Ebroicensis* 493 f, 494 a
† Rodanus. *Vide* † Ruadhanus.
Rodanus, *dux Longobardorum* 374 e f, 375 a
Rodericus *rex occumbit in prælio; exin secuta Hispaniæ ruina* 517 b c d e
Roderique *(Ignatius) construit sacellum Malmundarii* 335 c
Rodulphus Gabinus *pro Eugubino* 186 c
Rofredus, *episc. Atestensis* 187 a
Rofredus, *episc. Eugubinus expungendus* 186 f, 187 a b d
Rogerius I, *episc. Bellovacensis* 332 a
Rogerus, *episc. Cestriæ* 1029 d
Rogerus, *abbas Bellælandæ* 1016 b, 1019 a b, 1020 f, 1033 a
Rogerus, *decanus Bellovacensis* 331 d
Roisia. *Vide* Diervorgilia.
† Romailus *seu* Romulus, *episc. in Mannia* 887 c
† Romanus, *martyr Antiochenus* 425 b
Romeliaco *(Hugo de) dominus Sambleriarum* 987 b c
† Romualdi *cultus auctus* 183 f, 184 a
Romulfus, *archiep. Remensis* 899 c e, 901 f
Rotrocus II, *Perticensis comes* 1032 a b
Rotrocus III 1032 b
Rotrudis, *filia Caroli Magni* 917 f
Rousseau *(Claudius Lud.) episcopus Constantiensis in Gallia* 602 c f, 603 e f
Roussel. *Vide* Ruffus.
Rouville *(Joannes de) prior Heauvillensis Ord. S. Benedicti, cultor B. Thomæ Heliæ* 598 a
† Ruadhanus, *magister S. Lucligerni* 57 c
† Rubianus, *episc. Co ensis* 904 c
Rudolfus, *abbas Eremi B. M. V.* 335 e
Ruffinus *de loco Celliorum scribens cum Cassiano conciliatur.* 39 f
Ruffus *seu* Russellus *(Gerardus) episcopus Oleronensis favet novæ doctrinæ* 443 d e
Rumilliaco. *Vide* Romeliaco.
† Rumoldus *episcopus et martyr. Ejus translatio* 274 c
† Rupertus *episcopus, Salisburgensis ecclesiæ fundator* 913 et seqq.
Russell *(Guilielmus) episc. Sodorensis* 888 d, 889 a

S

† Sabinianus *et* Potentianus, *martyres Senonenses* 10 b c d e, 13 a
† Sadoth *seu* Sciahdustes, *episcopus martyr in Perside* 379 c f, 380 a b, 812 f, 840 a b, 841 f
Safrida, *mater S. Frideswidæ* 536 e, 537 e
Saget, *parochus in Villacerf, supra reliquias S. Aderaldi monumentum erigit* 988 f, 989

† Sajanus

† Sajanus *eremita, socius S. Reguli* 170 b
Sajo *(Jordanus de) fundator Alneti* 1026 b
† Salaberga, *mater S. Austrudis* 108 a b, 111 e
Salcedo *(Franciscus de) S. Teresiæ addictissimus* 628 a, 629 b
Sallustia Barbara. *Vide* Herennia.
Sallustius, *præfectus prætorio sub Juliano* 883 a 885 a
Salomea, *filia ducis Pomeraniæ, uxor Semomizl ducis Cujaviensis* 268 b
Salomea, *filia Wlodislai ducis Poloniæ, uxor Conradi filii Henrici II* 266 c
Salomon, *archidiaconus Cracoviensis, procurator canonizationis S. Hedwigis* 219 f, 263 b
Salvator, *episc. Alethensis, fugit cum SS. Reliquiis* 58 d
Samo, *dux Winidorum* 499 b-f, 500 a b
† Samsonis *episc. translatio Parisios* 7 c f, 59 a *S. Ethbinum clericavit* 474 c f, 475 a b, 476 c d e f, 477
Sanchez *(Bartholomæus) falsa esse ostendit quæ in Adversariis Luitprando adscriptis de SS. Laura et Aurea leguntur* 591 c d e
Sanctolius *hymnos S. Grati Oleronensis composuit* 442 a
† Sanctus, *diaconus ecclesiæ Viennensis, martyr* 22 f
Sapor, *rex Persarum, fidei christianæ persecutor* 841 b c
Saretrudis, *soror S. Austrudis* 113 a
Sartius *(Maurus) Camaldulensis, egregius scriptor* 184 f
† Saturninus, *primus episcopus Tolosanus* 14 b-f 24, 25 d, 31 c, 821 c
† Savinianus, Potentianus et Socii *MM. apud Senonas* 386 d
† Saula, *virgo martyr Coloniæ* 814 c
† Savolus, *abbas Salisburgi* 916 c e, 917 a c, 918 a, 919 c, 938 e
Sauvage *(Julianus le) armiger, cultor B. Thomæ Heliæ* 599 d
Scheves *(Guilielmus) archiep. S. Andreæ in Scotia* 888 e
† Scholasticæ *reliquiæ Cenomanis* 151 e f, 152, 153, 159 f, 160 a, 161, 162 a-e
† Schotlandus, *abbas S. Augustini Cantuariensis* 118 a b
Schrattenbach *(Sigismundus de) archiepiscopus Salisburgensis* 947 c
Schrefius *(Christophorus) commissarius episcopalis in detectione corporis S. Vitalis* 945 e f
† Sciahdustes. *Vide* † Sadoth.
† Scubilionis *translatio Parisios* 7 e
† Scuviculi *reliquiæ Malmundarii* 334 a
† Sebastianus, *patronus ecclesiæ Ulciensis* 377 c
Sedatus, *Nemausensis episcopus, varias epistolas accepit a S. Ruricio I* 65 f
Sedna *idem ac* Sidonius 933 a
Secauer *(Beda) abbas S. Petri Salisburgensis cultum S. Vitalis promovet* 947 c-f, 948 a b c
Selius *abbas, avunculus S. Irenes* 911 e
Semomizl, *filius Casimiri, dux Cujaviensis, maritus Salomeæ, filiæ ducis Pomeraniæ* 268 b
† Senachus Garbh 898 a d
† Senatoris *episc. translatio Parisios* 7 c d
Sentius Saturninus *censum egit in Judæa* 294 a
† Senuphius, *Vide* † Joannes Lycopolytanus.
Seraphina, *virgo Ord. S. Claræ* 814 b
Serapion, *monachus deserti Scetis* 40 a
Serenus, *patriarcha Aquileiensis* 924 c d
† Sergius, *martyr in Apulia* 812 a
† Sergius *Papa abolet schisma Aquilejense* 906 f, 907 a b c d
Sergius, *dux in Normannia* 4 b c
Serlo, *abbas S. Luciani Bellovacensis* 331 d
Serlo, *abbas de Eleemosyna* 1013 e
Serlo, *abbas Gloecastrensis* 1013 f
Serlo Grammaticus, *monachus Fantanensis* 1013 f
Serlo, *poeta de capta Bajocensium civitate* 1009 d
† Servandus *martyr, inter Prætermissos* 281 d
Servatius *Lovaniensis Ord. Præd., inter Prætermissos* 280 e
Severicus, *prior S. Sepulchri apud Trecas* 987 c
† Severinus, *Noricorum apostolus, cultus Neapoli* 810 c
Severus *imp. moritur Eboraci in Anglia* 314 e; *ejus edictum in Christianos* ibid. f
† Sexburga, *uxor Ercomberti regis Cantii* 90 e, 91 b, 93 c, 101 c e; *ejus translatio* 6 d
Sicard *(Claudius) S. J. missionarius in Ægypto, epistolas de ejus antiquitatibus scripsit* 39 c, 40 b c d, 41 c
Siccharius *episcopus veteri Catalogo Salisburgensi inscriptus* 917 f
Sicharius, *legatus Dagoberti regis ad Samonem Winidorum ducem* 499 d e f
† Sidonius, *episcopus Claromontanus, amicus S. Ruricii I* 64 e
Sigebertus Gemblacensis *æram vulgarem improbat* 927 e
Sigeferdus, *nobilis Danus ab Ethelredo, Angliæ rege, interfectus* 542 e, 544 b c
Sigefredus, *archiep. Moguntinus, Jerosolymam peregrinatus* 927 d
Sigefredus, *abbas S. Emmerammi Ratisbonæ* 920 b
† Sigirannus, *abbas Longoretensis* 511 b-f, 512 f
† Sigismundi *regis reliquiæ* 335 d e f, 336 c
Sigismundus, *abbas S. Emmerammi Ratisbonæ* 920 b
† Silas, *discipulus S. Pauli* 286 f
† Silvanus, Alexander *et* Marcus *MM. male associati* 3 f
Silvanus, *abbas Russini* 1028 f
† Silvestri *Papæ reliquiæ Romæ* 322 e f
† Silvius, *socius S. Reguli* 170 b
Silvy *(Ludovicus)* 1038 d
† Simeon Bar-Saboe, *episcopus martyr in Perside* 839 c 840 b
Simeon II, *patriarcha Antiochenus, a Lequieno perperam dictus Simeon III* 279 d
Simeon Dunelmensis, *scriptor Anglus* 96 e, 99 c d
Simeon, *filius Cholaili, monachus Scetensis* 40 e
† Similianus, *episcopus Nannetensis* 380 d
Similianus, *abbas* 380 d, 478 a b c
† Simon *Apostolus. Reliquiæ ejus in monasterio S. Justinæ Patavii* 307 d
Simon, *episc. Sodorensis* 889 d
Simon, *abbas Saviniacensis* 1036 a
Simon *Ord. Præd., commissarius apostolicus pro canonizatione S. Hedwigis* 219 f, 262 f
† Simplicianus *martyr. Ejus translatio Cremonæ* 281 f
† Simplicius *Augustodunensis* 811 f, 812 a
Sirica *nomen abbatissæ et fontis* 340 a
Sisoe. *Vide* Tithoe.
Skarbimierius *(Stanislaus) rector academiæ Cracoviensis* 1049 d
Skarga *(Petrus) S. J. edidit Vitam S. Joan. Cantii* 1044 b c d e
Socrates *historicus e secta Novati* 857 a
Solnic *(Wenceslaus de) a cæcitate ope S. Hedwigis liberatur* 250 c
† Sophia. *Reliquiæ ejus Romæ* 322 d e
Sophia, *filia S. Hedwigis, in juventute defuncta* 226 f, 266 c

Sophia, *filia Conradi de Bren, abbatissa Quedlimburgensis* 265 f
Sophia, *filia Theodorici Landsbergensis, vidua Conradi Glogoviensis, abbatissa Ordinis S. Claræ* 265 e, 267 f
Sonichildis, *uxor Caroli Martelli* 918 c
Sosa *(Ludovicus de) fundat conventum Minor. in Caparica* 714 f
Sosius *martyr socius S. Januarii, inter Prætermissos* 276 c
Soult, *Dalmatiæ dux, in hagiographos beneficus* 440 f
† Spes. *Vide* † Helpis.
Spitholdius *(Egbertus) decanus B. M. V. Antverpiæ, pius in S. Justum puerum* 337 c d
Stafford *(Herveus de)* 1039 b
Stainhauser *(Joannes) ex grato animo cultum S. Vitalis factis scriptisque promovet* 944 f, 945 a b c, 959 d e, 960 d e
† Stanislaus, *episcopis Cracoviensis, canonizandus prædicitur a S. Hedwige* 243 f
† Stanislaus *Casimiritanus, canonicus regularis Cracoviæ* 1071 c, 1072 a b
Starovolscius *(Simon) scriptor Polonus* 1061 f, 1063 e f
† Stephani *Papæ et martyris reliquiæ Romæ* 322 e f; *falsa decretalis* 1004 d
† Stephanus Junior, *M. Cpltanus* 125 b c d e ; 126 b c, 127 c. *Ejus vitæ chronotaxis* 131 a b c d, 133 b
† Stephanus, *abbas Cistercii* 1001 e f, 1002 a
† Stephanus Obazinensis 1017 c
† Stephanus Sabaïta 131 a
Stephanus V *Papa* 905 f
Stephanus *cardinalis legatus ad Henricum IV pro electione B. Alexandri II* 191 d
Stephanus, *episc. Cameracensis* 334 b e
Stephanus de Lixinthonia, *abbas Saviniacensis* 1007 f
Stephanus *rex Angliæ. Tempore ejus turbata est chronologia* 1021 f, 1022. *Primum ejus bellum cum Davide rege Scotiæ* 1028 a
Stephanus, *comes Blesensis, Campaniæ etc.* 998 e f, 999 a
Stephanus, *comes Boloniæ, fundator Longivillaris* 1029 b
Stephanus, *dictus Turonicus* 375 f, 376 a, 377, 378
Strauss *acatholicus impugnat veracitatem S. Lucæ* 260 b-f
Stredonius *(Andreas) Bollando scribit* 1045 a b, 1047 c d e
† Stremonius, *primus episcopus Arvernorum* 14 d
Srigoil *(Richardus de)* 1030 c
Suanhilt. *Vide* Sonichildis.
Sully *(Odo de) fundator Portus regis* 1038 d
† Sulpicii Severi *patria et domicilium* 52 e. *Ejus dicta de initiis Christianismi in Gallia examinantur* 21 f, 22 a b, 25 f
Sulpicius, *Ambasiensis dominus* 1039 a
Swanus, *Danorum rex, Angliam subjicit* 544 e f; *ejus mors* ibid. et 545 a b c
Swentoslaus *fulget præclaris Cracoviæ virtutibus* 1071 c, 1072 a b
Swentopolkus, *dux Pomeraniæ, testis miraculi S. Hedwigis* 255 c, 262 a
Swentopolkus, *Pomeraniæ præfectus, regem Poloniæ Wladislaum armis aggreditur* 215 a-e
Symmachus *Papa Romæ congregat an.* 499 *Concilium* 439 c d
† Symphorianus *martyr Augustodunensis* 816 a b
Symposius, *episcopus Hispanus, fidei professionem emittit in Concilio Toletano* 851 d, 852 b
Szyskowski *(Martinus) episc. Cracoviensis* 1045 e. *Juridice inquiri de miraculis B. Cantii curat* 1096 c d

T

Talaru de Chalmazal *(Angelus Franciscus de) episcopus Constantiensis in Gallia* 597 d, 601 c d
Tancarville *(Alicia de) familiaris B. Thomæ Heliæ* 608 f, 610 d e, 612 b
Tancarville *(Guilielmus de) vicecomes* 610 d
† Tarasii *corpus Venetias translatum* 2 e
Tassilo, *dux Bajoariorum sæc.* VI *exeunte* 913 e
Tassilo, *dux Bajoariorum, dein monachus* 914 a b c 918 a, 919 a, 934 b
† Tata. *Vide* † Ethelburga
Tatianus *componit Harmoniam evangelicam* 82 e
† Tatwinus, *Cantuariensis archiep.* 118 b f, 119 a, 122 f
† Taurinus, *primus episcopus Ebroicensis* 489 c e f. *Ejus reliquiæ Gigniaci in Burgundia repositæ, exeunte vero sæc.* XVIII *combustæ* 503 c d e f, 504 a b c ; *reliquiæ in cathedrali Carnutensi* 12 d
Teca *virgo Hiberna, inter Prætermissos* 277 e
Temiño *(Petrus Fernandez) ep. Abulensis* 699 c, 700 b
† Teresia *multis describit pœnitentiam S. Petri de Alcantara* 626 b c d e f; *quem in reformando Carmelo consiliarium et adjutorem habuit eximium* 627 b c d e f; *a quo et documenta quædam spiritualia recepit* 628 c d ; *et, cum jam mortuus esset, visitata fuit* 629 d e. *Frequens eum convenit et cum eo agit* 722 d e f, 731 c d e, 733 e f, 734 b c, 737 c d, 738 c d, 742 c d e, 743 e f, 745, 747 et seqq., 780 f, 781 f, 782
† Tertius, *episcopus Iconii* 811 e
Tertullus, *pater Ingelgerii, comitis Gastinensis* 105 b
Teubaldus, *episc. et eremita Avellanensis* 182 f
Thalassius, *præfectus prætorii Gallo Cæsari datus* 860 e
† Tharba *virgo martyr, soror S. Simeonis, in Perside* 847 b
Theano, *uxor Pythagoræ* 867, 869 b
† Theobaldi *Camaldulensis cultus* 183 f, 184 b
Theobaldus, *episc Ambianensis* 1037 b
Theobaldus, *episc. et eremita Avellanensis* 182 f, 183 b
Theobaldus, *archid. Bellovacensis* 331 d
Theobaldus, *prior Rumeliacensis* 1031 a
Theobaldus, *magister datus Saviniaco* 1015 f
Theobaldus, *Campaniæ comes, inter Prætermissos* 280 b
Theobaldus Walteri, *pincerna Hiberniæ* 1038 f, 1041 e f
Thedoardus, *abbas S. Heliæ in Sicilia* 813 e
Theodo, *dux Bajoariorum ad medium sæculum* VII 913 e f
Theodo, *dux Bajoariorum ineunte sæc.* VIII *cum tribus filiis regnans* 913 f, 914, 915 a b c, 918 c, 924 b-f, 925, 929 d e f, 932 a b c
Theodo, *Tassilonis Bajoariorum ducis filius, monachus* 914 a, 918 a
Theodoaldus, *dux Bajoariorum* 914 f, 918 c, 925 e
Theodoberti, *regis Austrasiæ, an Emma filia* 90 f
Theodobertus, *dux Bajoariorum* 913 f, 914 a b c f, 915 a b c, 918 c, 924 d e f, 925, 929 f, 933 e, 948 e
Theodolinda, *regina Longobardorum* 913 e
Theodoreti *auctoritas in rebus Antiochenis* 352 e f
† Theodoricus, *abbas S. Huberti* 366 d
Theodoricus III, *Francorum rex* 492 c d
Theodoricus,

Theodoricus, *atavus S. Hedwigis* 265 c, 267 c
Theodoricus, *comes de Bren* 265 f
Theodoricus, *filius Conradi comitis de Bren, Ordinis Templariorum* 265 f, 266 a
Theodoricus, *filius Heurici, marchio de Landsberg* 265 e
Theodoricus, *filius Ottonis Misnensis, marchiam Misnensem obtinet* 265 d
† Theodorus *Cantuariensis archiep.* 92 c e f, 95 a, 101 d, 118 b, 965 f
Theodorus Lector *dicit S. Lucam imaginem Deiparæ pinxisse, ejusque fides probatur* 297 c d f, 298 a
Theodosius, *episcopus Senogalliensis* 194 a
Theodosius *imp. pœnitentiam publicam agit* 1006 f
Theonas, *œconomus in eremo Scyth* 42 e
† Theophanes *nonnulla confundit, in chronologiam peccat etc.* 128 et seqq.
Theophanes Lardotyrus, *minister Constantini Copronymi in Creta* 127 d e
† Theosterictus, *monachus Pelecetæ* 127 f
Theotolt. *Vide* Theodoaldus.
Theudaldus, *episc. Eugubinus* 182 c
Theuderio *(Hugo a S.) ex Ord. Pred. S R. E. Cardinalis* 596 f, 597 a, 616 a, 617 d e, 994 e
† Theuderius, *abbas Viennæ in Gallia* 385 e
Theudonius, *præpositus Catalaunensis, hortatur Almannum monachum ad scribendam Vitam S. Memmii* 892 b
Thimo, *abavus S. Hedwigis* 265 c, 267 c
Thyzmannus, *filius Alberti landgravii Thuringiæ* 265 e
Thomais *sanctimonialis scribit Acta S. Febroniæ* 845 d
† Thomas *Apostolus in India prædicavit* 27 f, 28 a
Thomas I, *primus Normannorum Eboracensem ecclesiam rexit* 975 e, 979 e
Thomas II, *Eboracensis episcopus, canonicos regulares Hagustaldiam introducit* 976 b, 978 c d, 979 f
Thomas I, *episcopus Wratislaviensis* 208 e f, 257 f
Thomas II, *episcopus Wratislaviensis* 209 b c
Thomas, *primus abbas de Chotene* 1036 b
Thomas, *comes Perticensis* 1038 d
Thomas, *aurifaber Senonensis, thesaurum Reliquiarum S. Petri Vivi servat* 362 d
Thornius, *S. Augustini Cantuariæ monachus* 91 a
† Thubaculus *diaconus, socius S. Reguli* 170 b
Thunre, Thunnur, *minister Egberti regis Cantii* 90 b, 92 b c d e, 94 b e, 95 b c, 97 e, 99 a, 100 b
† Thyrsus, *diaconus et martyr* 472 c d
Tiberius *imperator Christianos persecutus non est* 283 b
Tiberius II *imperator concedit S. Gregorio Magno caput S. Lucæ* 305 e f, 306, 307 a
Tiedewinus, *card. et legatus per Germaniam* 335 e
Tiersonier *(Mauritius) presbyter Bellovacensis* 333 b c
† Tilbertus, *episcopus Hagustaldiensis* 965 c, 980 a
† Timotheus 283 e; *CPolim translatus* 301 a d
Tithoe *abbas* 47 d
Tito, *abbas S. Petri Salisburgensis* 917 d, 920 c
Tocoje *(Hugo de)* 999 f, 1000 a, 1001 d; *Nargaudus* 1001 b; *familia* 1002 e, 1005 e
Tociaco *(Stephanus de) abbas Fontismi* 1006 d
Torquatus, *avus Ingelgerii comitis Gastinensis* 105 b
Tostatus, *(Alphonsus) de errore circa diem mortis Christi damnatus* 927 f, 928 a
Tour du Pin *(Ludovicus Apollinaris de la) archiepiscopus quondam Ausciensis, dein Trecensis episcopus* 989 a
Tournaire, *Oratorii S. Maglorii superior, anno* 1791 *apostata* 59 a
Trajanus *imp. anno* 107 *Antiochiæ fuit* 8 e f, 9 a
Trauner *(Benedictus) præpositus Hegelwertensis, subdelegatus in causa canonizationis S. Vitalis* 938 c d f, 939 et saqq.
† Tremorii *translatio Parisios* 7 f
Tribolé *(Simon) pius in S. Justum puerum* 330 c
† Triduana, *virgo Colossensis, socia S. Reguli* 170 b
Trigan *(Carolus) nonnulla scripsit de B. Thoma Helia* 594 f, 622 d
† Trophimus, *primus episcopus Arelatensis* 14 e f, 24 a, 25 a b c, 31 b
† Trutpertus *martyr* 920 d e
Tuit *(Richardus de)* 1039 a b
Tulbeck *(Joannes) episcopus Frisingensis, delegatus apostolicus in causa canonizationis S. Vitalis* 937 d e f, 938 et seqq.
Tunbertus, *episcopus Hagustaldiensis* 963 c
Turgisius, *episc. Abrincensis* 1010 e f, 1023 f
† Turpinus, *episcopus Lemovicensis* 73 d, 74 a
Turstinus, *archiep. Eboracensis* 180 a, 976 c, 979 f, 1010 e, 1022 f, 1028 a
Tydfredus, *episcopus Hagustaldiensis* 965 c, 966 f

V

Vacenga *(Stanislaus) pater S. Joannis Cantii* 1049 b
Vaez *(Agnes) videt columbam mirabilem volitare circum caput S. Petri de Alcantara* 709 e f
Valens *imperator ab Arianis perversus* 352 c. *Ante annum* 365 *non venit Antiochiam* 352 c; *persequitur catholicos* 357 b c
Valentinianus *imperator* 884 d
† Valerianus, *discipulus Christi* 811 d
† Valerius, *episcopus Cæsaraugustanus* 811 a
† Valerius, *episcopus Trevirensis, missus a S. Petro* 17 b c d f
† Vandelinus, *abbas Toleiensis* 814 d
Vauvilla *(Guilielmus de) Ord. Min., cultor B. Thomæ Heliæ* 568 a
Vauvilla *(Taluanus de) amicus et hospes B. Thomæ Heliæ* 611 f, 612 a
Uberacker *(Georgius) episcopus Seccoviensis, delegatus apostolicus in causa canonizationis S. Vitalis* 937 d e f, 938 et seqq.
Udalricus, *Papiensis episc.* 188 c
† Udelina, *Scotorum regina et martyr* 385 a b
† Venantius Fortunatus *laudat SS. Puellas* 14 f
Veniel, *Cuniciaci parochus* 370 f
Vera, *episcopus Tarraconensis* 453 a b e
† Veranus, *ep. Lugdunensis* 457 d e f
Verdun *(Bertramus de)* 1036 b
Verney *(Simon de)* 1039 b
Ugo, *Calliensis, Camerinensis aut Humanatensis episcopus* 192 e
† Viator 814 f
Vibaldus, *episc. Autissiodorensis* 996 b
† Victor *martyr, inter Prætermissos* 277 a
† Victor *passus ad castrum Solodorum* 818 b
† Victoricus *martyr, discipulus S. Cypriani* 343 c-f, 344 a d
† Victorinus, *episc. Comensis* 904 d
Victorius *Aquitanus computista* 81 e f, 82 a b
† Vigilius *Papa male habetur a schismaticis et ab aliquot catholicis* 908 a c e
† Villani *corpus dicitur Eugubii servari* 183 b
Villela de Senabria *(Maria) mater S. Petri de Alcant.* 657 f, 700 d e
† Vincentii, *episcopi Teatini, reliquiæ Wratislaviæ* 361 b
Vincentius *(P. F. Antonius) nomine provinciæ S. Josephi probare nititur S. Petrum de Alcant.*

ante *Ven. Granatensem scripsisse de oratione* 648 c d e f et seqq.
Vinfridus. *Vide* Wlfadus.
Vinot, *parochus Vallis Dioleti, cultum S. Gertrudis virg. et mart. ibi promovet* 273 d e f, 274 a
† Virgilius, *Salisburgensis episcopus* 915 c-f, 916 b c f, 917, 918 a 919 c, 933 a, 925 a-e, 936 a, 939 d, 941 a, 944 e
† Vitalis, *abbas Saviniacensis* 1007 c, 1008 a b c, 1009 a. 1023 d e f, 1024 a b
† Vitalis Albanensis *in Apulia, Ordinis Minorum* 385 a
Vitalis *presbyter, S. Emmerammi socius* 931 a b c, 932 f
Vivilo, Vivilus, *episcopus Passaviensis* 918 d, 933 c f
Ulgerius, *nepos B. Humbaldi Autissiodorensis* 1002 b c, 1004 b, 1006 f
Ulloa *(Guiomara de) S. Teresiæ adjutrix eximia* 627 d, 734 d e, 737 c d
† Ultanus, *frater S. Fursei* 367 b, 368 b
Ungust II, *fundator Andreopolis in Scotia* 167 f 179 a
Volimirus, *episcopus Wladislaviensis, commissarius apostolicus in canonizatione S. Hedwigis* 219 e, 262 f
Volkensdorf *(Sigismundus de) archiepiscopus Salisburgensis* 937 d, 938 b
† Volusianus, *episcopus Turonensis, male audit apud S. Ruricium !* 66 a b
† Urbanus *puer, martyr cum S. Babyla* 877 a, 880 b
† Urbanus *Papa II* 996 et seqq. *Cultum publicum habuit* 1005 a b
Urbanus IV *agit de canonizanda S. Hedwige* 263
Urbicus, *præfectus Urbis, sententiam dixit in SS. Ptolemæum, Lucium etc.* 392 d e f
† Ursinus, *primus episcopus Bituricensis* 821 d
Ursio, *succentor Bellovacensis* 331 d
† Ursulæ *sociarum quinque capita* 337 c
† Ursus *passus ad castrum Solodorum* 818 b
Usuardi *Martyrologii duplex authentica editio; utriusque ætas* 85, 86
Waddingus, *Ord. Min. annalista* 184 a
† Walarico *(Bernardus de), ejus filius Thomas et uxor Aanor* 1037 b
Walaferus, *episcopus sive Dunelmensis sive Dubliniensis* 813 b
Walbertus, *patriarcha Aquilejensis* 905 f
Walcandus, *Leodiensis episc., favet monasterio S. Huberti* 366 c d e
Walcherus, *episcopus Dunelmensis, occisus ab Anglis* 975 e, 979 b
† Waldebertus, *abbas Luxoviensis* 108 f, 109 a-d
Waldetrada, *uxor Garibaldi ducis Bajoariorum* 913 d
Waldricus, *episcopus Passaviensis* 916 a
† Walfredus, *abbas Duelliensis* 815 a
Walo, *episcopus Trecensis* 982 c 994 a
Walo, *pater S. Aderaldi* 980 b, 991 a
Walterius, *episcopus Aurelianensis* 105 c
Walterius, *archipresb. Autissiod.* 1000 a
Walterius, *prior Molismensis* 1000 a
Walterus, *episc. Exoniensis* 1040 a
Walterus de Lascy 1041 d
Wambæ *regis pœnitentia publica* 1006 f
Wandebertus, *abbas S. Dionysii, litem habet cum S. Berario* 154 b c
Weispriarch *(Burchardus de) archiepiscopus Salisburgensis canonizationem S. Vitalis expetit et promovet* 937 c-f, 938 et seqq.
Welfo. *Vide* Guelfo.
Wenzelava, *priorissa Trebnicensis, sepelit S. Hedwigem* 246 f
† Werburga, *filia Wulferi regis Mercii* 101 e
Westendorffer *(Gaspar) procurator causæ canonizationis S. Vitalis* 938 b e, 939 et seqq.
Wibertinus *idem ac* Giselinus *episc. Astensis* 187 e
Wibertus, *Ravennatensis archiep.* 187 c
Wido. *Vide* Guido.
Widon, *abbas S. Augustini Cantuariensis* 118 b
† Wilfridus, *archiepiscopus Eboracensis, fundator ecclesiæ Hagustaldiensis* 965 c; *sede sua Eboracensi pulsus, Romam appellat* 965 f, 966 a; *in insula Vecta Evangelium prædicat* 966 b c; *propagator Regulæ Benedictinæ in Northumbria* 968 b; *accipit revelationem diei obitus sui* 973 e f
Willelmus, *abbas S. Benigni Divionensis* 378 c
† Willibaldus, *episcopus Eichstetensis* 918 d
† Willibrordus, *Frisonum Apostolus* 968 e; *habebat altare portatile* 35 e f; *translatio ejus Epternaci* 385 e
Willihari *episcopus veteri Catalogo Salisburgensi inscriptus* 917 f
Wimundus, *episc. Sodorensis* 888 a
† Wingatonis *ossa Parisiis* 59 a
† Winwaloëus *abbas* 380 c
† Winwaloëus *monachus in Tauraco, diversus ab abbate Landevenecensi ejusdem nominis* 478 d e f, 479 a b c, 280 e f. *De ejus reliquiis Monstrolii* 482 c d e f et seqq.
Wirbina *familia seu* Wirbna *antiquissima* 241 e, 245 e
Wislava, *subdapifera ducis Silesiæ, nepoti suo, intercedente S. Hedwige, sanitatem impetrat* 256 c
† Withburga, *filia Annæ regis Anglorum Orientalium* 101 e. *Ejus translatio* 6 d
Withredus, *rex Cantii* 101 f
Witichindus *scriptor; ejus libri de Saxonum gestis perperam citati ab Antinorio* 414 b c
Witoslaus, *abbas B. M. V. in Arena, impetrat fundationem nosocomii Wratislaviensis* 210 e f
Witte *(de) notarius Antverpiensis* 337 d
Wladimirus, *Cracoviensis palatinus, Mongoles fugat* 217 a
Vulchinus, *abbas Sichemensis Ord. Cist., inter Prætermissos* 279 e f, 280 a
Wlfadus *seu* Vinfridus, *episcopus Laudunensis* 109 b
Wlfaldus, *abbas Cameliacensis, postea episcopus Diensis* 521 f, 522 a b c d
Wlodislaus *seu* Wlodco, *archiepiscopus Salisburgensis, nepos S. Hedwigis* 264 a, 265 a, 266 f, 269 f
Wlodislaus, *filius Henrici ducis Lignicensis* 266 d
† Wolfgangus, *episc. Ratisbonensis, abbatis Sant-Emmerammensis titulum alteri cedit* 917 d, 920 a
Wolseius *card. Eboracensis prioratum S. Frideswidæ Oxon. adhibet ad novi collegii studiorum fundationem* 547 b c d e f
Wratislaus, *dux Bohemiæ, construit capellam S. Procopii* 210 a
Wulferus, *rex Mercii* 101 e

X

Xanthus *(Canatius) mercator emit corpus S. Lucæ* 303 e
Ximenus II, *episcopus Asturicensis, duas hereditates offert in honorem S. Dictinii* 852 f

Ybañez *(Didaci) præclarum de S. Petro de Alcant. testimonium* 769 d e f
Yvo, *abbas Furnesii* 1028 e

Zabam

Z

Zabam, *dux Longobardorum* 375 e f, 375 a
† Zacharias, *episcopus Viennensis, protomartyr Galliarum* 22 b, 28 e f
† Zacharias *Papa consecrat ecclesiam Cassinensem et monasterium multis privilegiis ornat* 152, 153 a-e
Zama, *Saracenorum dux, Pyrenæos transit, Narbonam obsidet, cadit in prælio ad Tolosam* 517 b c d e
† Zenobia 426 f
† Zenobius, *episcopus Florentinus* 811 d
Zenus *Jacobus) episcopus Patavinus* 307 f
Zolendziovius, *doctor Cracoviensis, hymnos S. Joan. Cantio proprios composuit* 1069 f
Zuazo *(Franciscus de) laudat S. Petrum de Alcant. in solemni hujus translatione* 783 d e f

INDEX TOPOGRAPHICUS.

A

Abbatia *seu* Canonia S. Laurentii in diœcesi Autissiodorensi 1004 c, 1007 a
Abbington abbatia 1041 e; *ejus initia* 1038 e f
Abernethum. *Sedis episcopalis fundatio* 172 f, 173 a c, 174 a; *initio pontificia sedes Scotorum* 168 a
Abisay monasterium. *Vide* Ambabichay.
Abula, Castella veteris in Hispania civitas. *Ibi primum reformationis Teresianæ monasterium* 629 b c d e, 721 f, 731 c, 733 c
Accolaci ecclesia in diœcesi Autissiodorensi 996 c, 1003 b. 1006 a
Accrata non procul ab Avellana 194 b
Achaja *provincia proconsularis* 292 e
Acmantum (Emans) in territorio Senonensi 87 a
Adiaba, fluvius Adiabenes 356 a
Adiabene *olim* Assyria aut pars Assyriæ 353 e, 356 a
Adrianopolis in Odrusis 861 b, 863 a
Æbudæ. *Fere omnes capiuntur diœcesi Sodorensi* 888 a. *Earum fata tempore reformationis* 889 c
Ægyptus. *Aliquot ejus martyres sub Galerio Maximiano* 423 et seqq.
Affligemium abbatia Belgii. *De S. Bernardo ibi a Deipara solutato traditio* 274 e f, 275, 276 a
† Agapiti M. ecclesia suburbana Romæ 319 a
Agathense *Concilium ineunte sæc.* VI 441 b
Agaunenses canonici. *Ab antiquo caputiis scarlatinis utebantur* 229 f
Agedincum Senonum (Sens) 87 f
Ager Cassianus. *Quid et ubi* 472 d
Aginnum civitas episcopalis Aquitaniæ 825 c; *S. Dulcidius ibi unam tantum ecclesiam exstruxisse videtur* 51 e f, 52 a; *ante sæculum* XI *reliquiis Sanctorum paulatim spoliatum* 53 a d
† Agnetis ecclesia suburbana Romæ 318 f, 345 a d
Akeburg, *fortasse* Jacobi vicus, locus diœceseos olim Eboracensis in Anglia 277 c
Alba, Galliæ fluvius 359 f
Alba Domus abbatia 1035 b c
Albæ Dominæ, abbatia in Normannia 1024 a
Albaterra *(vulgo* Aubeterre) vicus diœceseos Trecensis 987 e
Albingaunum, *vulgo* Albenga. Urbs in ducatu Januensi 456 c; *num eo umquam fuerit translatum S. Verani corpus* 461 f, 462 a b c d e f et seqq., 472 b c
Albiniacum *(vulgo* Aubigny) locus diœceseos Trecensis 987 e
† Albini de Podoue parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 618 f
Alcantara, urbs Extremaduræ in Hispania. *Ibi natus S. Petrus Garavito, ab Alcantara in religione vocatus* 700 d e f, 710 d e
Alciacense monasterium 370 f
Aldea del Palo 734 d e, 737 c d
Alep *seu* Halep. *Prisca Berrhæa* 356 e
Alexandria. *Promulgatur ibi Galerii edictum contra Christianos* 428 e; *ejus patriarcha catholicus usque ad schisma Photii* 43 d
† Alexandri altare Autissiodori 1002 f
Alnetum (Aulney, Auney) abbatia. *Ejus initia* 1026 b, 1036 c d e, 1037 d e
Alnetum de Briostello abbatia. *Ejus initia* 1029 d e
Alnus *(vulgo* Laune) parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 615 e, 617 d
Alperspacum. *Ejus monachi, in Eremo B. M. V. ad S. Benedicti leges informati, in decessu clam secum asportant S. Justi reliquias* 335 e, 336 b
Alsontia (Aussonce dép[t] Ardennes, arrond. de Rhétel) vicus in agro Rhemensi. *Ibi obiit S. Sindulphus* 893 a, 895 d
Altaripa, *hodie* Brieg, caput districtus in Silesia 250 e, 261 d
Altheja (l'Authie) rivus Galliæ 372 c f
Altumvillare monasterium. *Corpus S. Sindulphi* 892 a b, 895 d e
Alveton dominium in Anglia 1036
† Amatoris ecclesia Autissiodori 329 b e, 330 c, 342 d
Ambabichay *vel* Abisay monasterium in Ægypto 40 b
Amba-Kema. *Vide* Kema.
† Amba-Moyse monasterium in Scete. 40 d
Ambianum. *Venit eo S. Justus puer* 338 d e
Amidæ, *seu* Constantiæ, *nunc* Diarbekir situs 356 a
Amiternum urbs antiqua in Vestinis 407 c e
Ammania villa, non longe a Nassonia, 365 b e f, 368 a
Andaginense S. Huberti monasterium 366, 369 d
Andraja oppidum 1003 b, 1006 b
† Andreas de Goffer *seu* Vinatio, abbatia 1025 d e
† Andreæ ecclesia in Mannia 889 f
† Andreæ ecclesiæ Hagustaldiæ *descriptio* 969 e f, 97 a
† Andreæ et Clementis ecclesia Taurini 375 c
† Andreæ templum. *Erectum jam sæculo* VII *in Anglia septentrionali* 179 a
Andreopolis, *sedes metropolitana Scotorum* 168 b e f, 171 e f; *antea Muc-Ross et Kilremunt* 164 d e
Andreopolitanæ provinciæ ecclesiasticæ *institutio* 888 e f

Anglesea *Vide* Mona.
Anglia, *ejusque ecclesiæ a Danis vastantur* 975 d, 978 f, 979 a
Anicium, *vulgo* le Puy 517 a; *reliquiæ S. Florentii* 80 a
Anisola *habet diplomatarium suspectum* 154 c f
† Annæ, regis Anglorum Orientalium, ecclesia in Mannia 890 a
Ansanum *Concilium anni* 1100 999 e f
Ansiaci ecclesia 1003 b, 1006 a
Antiochia Mygdonia *seu* Nisibis 355 f
Antiochia Syriæ. *Locus natalis S. Lucæ* 283 c d; *Patitur S. Romanus M. ibidem* 425 b c
Antverpia. *Dicuntur S. Justi pueri reliquiæ servari ibidem* 337 c d e
Anzaba. *Vide* Adiaba
Apogniacum oppidum 1003 d
† Apostolorum basilica Remis 902 c, 903 d
Aqua-viva (Aiguevive) 1027 b
Aquila, urbs in Abrutio 401 f, 402 a b c d e f
Aquileja. *Synodus anni* 557, 906 f; *alia anni circiter* 698, 907 b; *provinciæ amplitudo* 905 b e; *schismatis historia* 904 et seqq
Arabia *pro* Osrhoene 355 e
Arabida. *Descriptio et conventus* 712 e f, 713 a; *Imago B. Mariæ V. et modus vivendi maxime austerus* ibid. c d
Arausica, *vernacule* Orange. *Patria S. Theofredi* 515 b, 516 a
Araya (Arre) rivus in agro Bellovacensi 324 d, Aragga *et* Araja *dicta* 328 d, 338 f, 340 b, 341 c
Arcarum Palatium (Arche sur Meuse) 88 b
Arceiarum archidiaconatus in diœcesi Trecensi 984 d
Arcloa *seu* Arclovium in Hibernia 1041 d
Ardena, Arderna in agro Warwicensi 1033 b c
Arelas. *Ecclesiæ hujus antiquitas* 25 a b c
Arenarum conventus 737 f, 738 b, 740 a b; *S. Petrus de Alcant. sanctissime moritur* 777 e f et seqq.
Arensburgum, in Hassia. *Varia habet monumenta Romana et Christiana* 33 e f
Aresetensis, Arisidensis, Arisitiensis diœcesis 902 a e
Aristinæ monasterium prope Cpolim 134 f
Arnstorff locus Austriæ 962 a
Arsat vicus, *olim* civitas episcopalis in Gallia 902 e
Askyt, monasterium S. Macarii in deserto Scetis 40 a
Astachara, civitas Persiæ 846 c, 847 a
Athelstandford, locus victoriæ Scotorum in Laudonia 170 f
Athermolt in Hibernia 1038 c
Athola. *Ruina turris* 1039 b
Attiniacum Palatium (Attigni) 88 a b
Audouville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 618 b
Avellanæ fons, celebris abbatia 182 f, 185 b c d e f. *Ejus Necrologii recentior ætas* 189 a b; *Avellanenses et Camaldulenses sintne ejusdem ordinis* 196 c
Avenacum monasterium puellare (Avenay dépt. Marne, arrond. de Rheims) 985 f
Aveney. *Vide* Alnetum.
Augusta Tricastinorum *vulgo* Saint-Paul-trois-Chateaux 529 f, 530
Augusta Tricorum (Troies) 88 a
† Augustini abbatia Ord. Præmonstrat. in Morinis 561 a
† Augustini monasterium ad Vigennam, *fundatur a S. Ruricio I* c d
† Augustini ecclesia, juxta Lemovicas. *Commune cleri cœmeterium* 69 d e
Avia, civitas in Vestinis 401 a; *varia ejus nomina* ibid. b d e f
Aurelia, urbs Hispaniæ antiqua 454 b
Aurelianum. *Coronatur ibidem ab archiep. Senonensi Philippus I* 1001 a; *Concilium I, cui interfuit S. Levangius Silvanectensis* 446 f; *item S. Lupus Suessionensis* 451 a
Aurosionum Colonia. *Vide* Arausica.
Auschwitz. *Vide* Oscivicimensis.
Austrasia 494 e f, 495 a b; Austrasiæ regnum. *Sub Dagoberto, Chlotarii II filio, capiebatur fere pristina diœcesi Tullensi* 900 c d e; Austrasii *Franci qua lingua usi* 991 a, 993 e
† Austrebertæ prioratus 1034 e
Antissiodorum. *Reliquias habet S. Justi pueri* 329, 330, 337 e f, 338 b, 339 a b c, 342 b. *Episc. B. Humbaldus* 996 et seqq. *Gesta pontificum* 996 c, 997 a. *Scholæ* 1002 d. *Clerus sæculo* XI *adversabatur ducibus Burgundiæ* 1005 d
Autricum *seu* Autissiodorum 325 f, 329 b
† Auxentii mons *seu* Auxentius mons 129 a, 131 b
Axiopolis oppidum Bulgariæ 345 c f

B

Badensis marca *ad Andechsianos numquam pertinuit* 225 b, 226 e
Bagneux. *Vide* Balneoli.
Bajoaria, Bajoarii 913 et seqq. passim.
Bajoci. *Patria B. Gaufridi* 1009 b c d e f; *Incendium* 1009 c d e; *Clerici fugiunt cum SS. Reliquiis* 58 e
Balalough (Kirk) in Mannia 890 a
Bala Salla *seu* Bally-Salley in Mannia 889 c, 1028 d
Balneoli vicus apud Parisios *(vulgo* Bagneux). *Reliquiæ S. Hermelandi abbatis* 272 c
Bambergensis *diœcesis nullum sæculo* XII *videtur habuisse Cisterciense monasterium* 208 c d
Baramays monasterium. *Vide* Græcorum.
Barberium, abbatia. *Ejus initia* 1031 c d e f, 1032 a
Barbysa, fluvius prope Cplim 133 a
Barcino *in suo sacello regio habet brachium S. Lucæ* 309 b
Bardonisca vallis in Pedemontio 373 e
Barræ. *Ibi initium datum Trappensi abbatiæ* 1032 a
† Bartholomæi ecclesia Parisiis 58 e
† Bartholomæi monasterium. *Vide* Camporegium.
Basilea. *Concilium* 1057 f, 1058 a b
Bosinkwerk, abbatia. *Ejus initia* 1027 c
Batopedii monasterium in monte Atho 135 d
Bavaria. *Vide* Bajoaria.
Beatitudo, abbatia 1041 b
Bekangekjill, *incunabula Furnesii* 1024 c
Bellalanda abbatia. *Ejus initia* 1027 e f, 1028 a b c
Bellæ Vallis abbatia Ord. Præm, in diœcesi Remensi 273 c d
Bellavilla locus diœceseos Trecensis 987 e
Bellovacum. *Colit S. Justum puerum* 330, 331, 332, 341 f
Bellus Beccus, abbatia in Normannia. *Ejus ortus* 1025 a
Bellus Beccus in Hibernia 1041 d
Bellus Mons (Beaumont sur Oise), *S. Leonori reliquias recipit* 58 e
Belvisum, oppidum 703 b. 775 b c d
† Benedicti ecclesia Taurini 375 c
† Benedicti Locus *Vide* Buckland.

Benington.

Benington. *Vide* Long Benington.
Bentona locus haud procul ab Oxonia 540 c
Berœa. *Episcopatum ibi gerit Acacius* 355 b; *ejus fata* 356 e
Beroldivilla, *post* Bernstadt, *antiquum Lignicii nomen* 252 f, 261 f
Berolinum in Borussia. *Habet insigne templum catholicum sub titulo S. Hedwigis* 223 f
Bersclive. *Incunabulum Bellælandæ* 1028 d
Bertif. *Vide* Beatitudo.
Beuseville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 618 c
Bewmakan in Mannia conventus FF. Minorum 889 e
Biedling vicus diœceseos Salisburgensis 950 b 951 f, 952 a
Bildewasium abbatia. *Ejus initia* 1029 c d
Bilech, prioratus in Sussexia 94 f
Binsey. *Vide* Buseneia.
Bisa, Bizya, Bizo. *Civitates Thraciæ et Mœsiæ* 133 a
Bischoï monasterium in Scete 40 b, 41 c
Bisonshio locus diœceseos Salisburgensis 934 b
Bivallis abbatia. *Ejus initia* 1033 f
Bivilla vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 592 c e, et seqq. passim. *Nascitur ibi B. Thomas Helias* 606 e, 609 b c. *Reliquiæ ejusdem* 597 b c, 601 b-f, 602 d e f, 603, 604 a b c, 612 a
Blachernæ regio juxta Cplm 130 b
Blancalanda. *Vide* Alba domus.
Blavium Castrum ad Garumnam 511 c, 514 c d
Bochian. *Vide* Boquen.
Bockland. *Vide* Buckland.
Boëvilla. *Vide* Bivilla.
Bohon vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 619 e
Boissière. *Vide* Buxeria.
Boleia. *Incunabula Toriniaci* 1037 d e
Boleslavia. *Fundatur ibi conventus FF. Prædicatorum* 212 a
Bolitanum oppidum provinciæ proconsularis in Africa 37 a b d
Bolleville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 619 d
Bomy, pagus in Artesia et diœc. Atrebatensi. *Ibi ab antiquissimo tempore colitur S. Frideswida* 560 b c d e f et seqq. *Oratorium item antiquissimum* ibid. *Item fons* 561 c d, 564 a b; *cultus illius præsens status* 563 f et seq. *Reliquiæ S. Frideswidæ, ibidem exhibitæ, non sunt authenticæ* 564 a
Bona requies, abbatia 1041 b
Bonavallis abbatia Ord. Cist. *Datur ei aliquando præcedere Saviniacum in capitulo Cisterciensi* 1017 d
Bonavallis, abbatia Nigrorum Monachorum 1026 f
Bonavicina locus diœceseos Trecensis 987 e
Bondevilla parthenon. *Ejus initia* 1034 a b
Bonodium (Bonny-sur-Loire) 161 d
Boquen abbatia 1041 b
Bordesleja abbatia in Anglia 1033 c
Borgoth (Eremitagium nemoris de) 1012 f
Bosnia. *Dicitur possedisse olim corpus S. Lucæ* 303 b
Bovis forum Cpoli 133 e f, 141 e
Brechinia (Brechin). *Habebat collegium Culdeorum* 167 b
Brenæ archidiaconatus in diœcesi Trecensi 984 d
Breona (Brienne-le-Château) 88 a c
Bresno, castellania in vaivodia Lencziz 354 e, 262 a
Brethevilla. *Incunabula Barberii* 1032 a
Breuville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 620 a b
Brianconense, castrum in diœcesi Ebredunensi 377 b c d
Bricquebec vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 609 a, 612 b, 618 e
Briquebosq parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 618 d
Bricqueville-la-Blouette vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 619 d
Bridlington. *Canonia S. Augustini* 1028 c
Brigantio (Briançon) urbs Galliæ 471 d e
† Brigidæ ecclesia in Mannia 890 a
† Brigidæ parochia in Cumbria 1027 f
Briona, tractus in pago Bituricensi 511 f
Briostellum, prioratus. *Ejus initia* 1029 d e, 1030 b
Briostellum de Alneto, abbatia 102 d e f
Brix silva in inferiori Normannia 595 e
Brolium Benedicti, abbatia. *Ejus initia* 1030 a b
† Brotheni ecclesia (*vulgo* Llanfrothen) in comitatu Merionethensi in Wallia 359 a d
Buckfastria, abbatia. *Ejus initia* 1029 e
Buckland, abbatia. *Ejus initia* 1040 a
Buglondia, *pro* Bellalanda 1033 a
Buiesvaux, Buyval. *Vide* Bivallis
Buildewas, *Vide* Bildewasium.
Bulliacum (*vulgo* Bouilly) locus diœceseos Trecensis 987 e, 988 a
Burghausen oppidum Bavariæ 950 e, 952 b
Burgkirchen vicus Germaniæ 950 e, 952 b
Burgundii regni *limites sæculo sexto* 78 b-d
Burtorft. *Incunabulum Bellælandæ* 1028 d
Buseneia vicus ad Isidem in vicinia Oxoniæ. *Fons S. Frideswidæ* 540 c d e f
Bussogilum duplex ejusdem nominis monasterium in diœcesi Cenomanensi 55 f
Buxeria, (la Boissière), abbatia. *Ejus initia* 1026 b
Buxidum. *Vide* Bussogilum.
Bayland. *Vide* Bellalanda.
Byza. *Quis locus.* 132 f, 133 a

C

Cabariacum (Cameyrac) villa. *Donatur ecclesiæ Cenomanensi* 155 a
Cabilo. *Concilium anno probabilius 650 celebratum ibidem* 151 c d
Cadumum. *Ejus monachi laudati* 1011 b
Cæsarea Philippi, *alias* Paneas 878 d, 881 a
Cæsarisburgus (*vulgo* Cherbourg) maritimum Galliæ oppidum 605 f, 606 f, 609 d e
Cajumæ monasterium Cpoli 130 f
Caladunum monasterium in Cenomanis 155 b-f
Calciniacum locus diœceseos Trecensis 988 a
Caldra, abbatia. *Ejus initia* 1827 e f, 1028 a b c, 1032 b
Callirhoë, *Edessæ nomen* 355 e
Calmeliacum, abbatia in pago Velaunensi 515 b *Postea a S. Theofredo* (Monastrier-S.-Chaffre) *vocata* 524 f. *Situs, origo, vicissitudines* 525 a b c. *Præsens status* ibid. f, 526 a b
Calocejum. *Hujus abbatiæ origo* 1025 c d
Camaldulum. *Laudantur ejus eremitæ* 1011 a. Camaldulenses *et Avellanenses sintne ejusdem ordinis* 196 c d
Cambaretum, prioratus, *vulgo* Chamberet, olim in diœcesi Lemovicensi. *Colit S. Dulcidium* 50 f, 52 f, 1106
Campania abbatia. *Ejus initia* 1033 e
Campetri castrum prope Eugubium 185 b-f, 196 b
Camporegium, *seu* Camporegianum, Camporianum, Camporizani monasterium S. Bartholomæi 185 e f, 186 a

Campus

Campus Regianus, castrum, dein cœnobium 199 b
Campus Superior (Camp Souverain) 1034 e
Canthena. *Vide* Kenty.
Cantium. *Regum genealogia* 90 et seqq. *Sepultura Sanctorum hujus familiæ* 100 f
Cantuaria. *Ibi transferuntur plurimorum SS. corpora* 118. *In archiepiscopos eliguntur soli monachi usque ad sæculum* XII 121 d e f, 122 a b; *Christi monasterium* 98 d; *S. Augustini monasterium* 98 d, 101 f; *S. Gregorii hospitium* 103 b
Canville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 620 d
Capdenacum olim in diœcesi Cadurcensi. *Colit SS. Gratum et Ansutum* 180 c, 181 e f
Capella Walonis *seu* Galonis *(vulgo* Grandes-Chapelles) in diœcesi Trecensi 987 b f, 988 c
† Caprasii ecclesia Agennis. *Olim collegiata, hodie cathedralis* 822 d
Caprimons (Chèvremont) in diœcesi Leodiensi. *Patronum habebat S. Caprasium* 823 a
† Carauni abbatia *(nunc gymnasium episcopale)* apud Carnutes in Gallia. *Reliquiæ S. Carauni martyris* 272 f, 273 a b
Carcedonum oppidum 1003 b, 1006 b
Carentonium *(vulgo* Carentan) oppidum diœceseos Constantiensis in Gallia 618 b, 621 e, 622 a
† Carileffi monasterium. *Vide* Anisola.
Caritate ad Ligerim (abbatia B. Mariæ de) 1000 e f, 1001 a, 1004 d, 1007 d
Carreia. *Vide* Quarrera.
Carrike (abbatia de). *Ejus origo* 1024 e
Cartusienses *laudati* 1011 a
Casa Candida (Whithern) sedes episcopalis in Anglia 966 a
Casa Dei abbatia 998 d f
Casimiria urbs, a *Casimiro magno fundata* 1050 a, 1088 b
Cassinense monasterium. *A Gothis et Longobardis destructum* 157 c, 161 a b. *Privilegia* 152 e f, 153 a-c. *Abbatis privilegia* 152 e f, 153 a-c
Castel-Priotisa, locus Cretæ 132 c
Castletown, Castel-Rushen in Mannia 1028 d
Castrum, locus Cretæ insulæ. *Patria S. Andreæ in Crisi* 132 b, 137 f
Castrum Dei B. Mariæ. *Vide* Fermoyæ.
Castrum novum de Harrio (Castelnaudary), civitas Occitaniæ 12 f
Castrum S. Verani (S. Verain) oppidum in tractu Nivernensi. *Celebris ibidem S. Verani Cavellicensis cultus* 466 a b c
Castuna. *Vide* Gastein.
Catalaunense *Concilium anni* 1113 1001 d e
Cataracta. *Vide* Katerike.
† Catharinæ capella in Mannia 890 a
† Catharinæ ædes Salisburgi 934 e
Cavellio, *vulgo* Cavaillon, urbs in comitatu Vindascino 458 a b c, 459 c. *Ejus primi episcopi* ibid. d e f. *Ibidem asservatur corpus seu reliquiæ S. Verani* 463 b c d e f, 474 d
Cawton. *Vide* Chotene.
† Ceaddæ ecclesia 1029 c d
Cella Ordinis Cisterciensis, *etiam* Vetus-Cella *et* Cella Misnensis *dicta* 265 d, 267 d
Cellia, *sive* locus Celliorum in Ægypto. *Ejus situs determinatur* 39 f, 41 a
Cenomani. *Adhuc retinent reliquias S. Scholasticæ* 161 f, 162 a-e. *Episcopi in lite succumbunt contra monachos Anisolenses* 254 e f
Censurii castrum 1003 b, 1006 a
Centula monasterium. *Dedicatio ejus cryptæ orientalis* 380 b. *Accipit reliquias SS. Justi et Luciani*
Cerasium monasterium. *Degit ibidem B. Gaufridus* 1009 e f, 1010 a b
Ceratinus sinus Cpli 130 a b
Cestrensis diœcesis 1020 a
Cestria. *Vide* Legecestria.
Chaliba. *Nomen Berrhææ* 356 e
Chalybon. *Nomen Berrhææ* 356 e
Chauchiniacum vicus diœceseos Trecensis 988 a
Chenoboschiense monasterium in Ægypto 844 e
Cherius, fluvius 1027 b
Cherwellus, fluvius juxta Oxoniam 533 b
Chondrochedalvan, *hodie* Nachton 179 a
Chotene *seu* Chotes abbatia. *Ejus initia* 1036 b
Chuni, *barbari Winidis uniti* 499 b
Circulus, locus præruptus haud procul ab Aquila 420 a
Cistercium. *Lex de non condendis novis monasteriis* 1013 a. *Ejus historiam primus scribit B. Serlo* 1014 a. *Filialium monasteriorum varii catalogi* 1019 et seqq. *Ordo ope S. Hedwigis per Silesiam propagatur* 206-209, 210 a b, 211 d e
Claravallis. *Huc secedit B. Serlo* 1011 b, 1013 a b c. *Ædificia aliquot* 1014 b c d
Claretum abbatia. *Ejus exordia* 1038 d e
Clarissarum monasterium ad S. Justi 332 f
Claromontanum *Concilium* 997 f
Clavenna oppidum Rhætiæ 915 a
Clepardia *seu* Cleparia, pars urbis Cracoviensis 1088 b
Clonenagh, abbatia in Hibernia 806 c e f, 897 f, 898 a b
Clonfert in Hibernia 898 a
Cluainaitchin in Hibernia 898 b d
Cluainednach. *Vide* Clonenagh.
Cluainferta in Hibernia 898 a
Cluniacenses *laudati* 1011 a. *Triplex monasteriorum genus* 998 d e. *Controversia* 1001 b
Cogeshalla abbatia. *Ejus initia* 1030 e f
Croislinianæ bibliothecæ *libri unde maxime venerint* 126 e
Collumni ecclesia 1003 b, 1006 a, 1007 a
† Columbæ terra in Mannia 890 a
Commerwaldiæ *celebratur memoria S. Damiani, socii S. Reguli* 174 d
Comum. *Plures suos episcopos cultu ecclesiastico honorat,* 903 c f. *Eorum historia* 904 et seqq. *Schismati Aquilejensi implicantur per integrum sæculum* ibid. *Ibi versatur B. Urbanus II Papa* 997 e
Conada apud Autissiodorum 1002 e, 1003 e, 1005 e
Conciacum (Conchy) in Artesia 370 a f
Condetum super Viriam 1037 e
Condustrium in Belgio 335 a
Confluentia *(vulgo* Conflans Ste Honorine) in diœcesi Versaliensi in Gallia 616 f
Constantia. *Vide* Amida.
Constantiense *Concilium* 1057 e f
Constantinopolis. *An ibi fuerint S. Vari reliquiæ* 427 e f
Coptitarum *Missale catholicum* 43 b; *quosnam Sanctos præcipue colant* 43 b c
Corbeja nova. *Reliquias SS. Justini et Justi accipit* 329 c
Corboilum castrum, (Corbeil, Seine-et-Oise). *Reliquias S. Guenaili recipit* 58 c
Corcumroa abbatia. *Ejus exordia* [illegible]
Corezinum Poloniæ urbs 1088
† Corebric seu S. Kerbrey ecclesia in Mannia 889 e
Costhomloth, *hodie* Kostenbluth in districtu Wratislaviensi 252 a, 261 d
Cotton. *Vide* Chotene.
Coventrensis diœcesis 1020 a

Cou

Coupland. *Incunabula abbatiæ Caldræ* 1027 f
Cracovia, Poloniæ metropolis 1070 f, 1071 b, 1088 a b c
Cremona. *Ibi versatur B. Urbanus II Papa* 997 e
Creta. *Patria S. Andreæ in Crisi* 132 a b; *Ibi affliguntur orthodoxi a* Constantino *Copronymo* 127 b c d e f
Cretteville vicus diœceseos Canstantiensis in Gallia 619 f
Crevenni ecclesia in diœcesi Autissiodorensi 996 c, 1003 b, 1006 a
Crisenon abbatia 999 f, 1000 a
Grisis, locus prope Cpolim. *Describitur* 134 f, 149 e. *Excipit corpus S. Andreæ M.* 141 f
† Crispini et Crispiniani basilica Remis 902 d, 903 e
Croatia *olim* Liburnia 305 b
Crokesden abbatia. *Ejus initia* 1036 b
Croscina villa *hodie* Schmeisdorf *vel* Weisdorf districtus Oppelensis 253 f, 261 f
Crozna *seu* Crosna castrum. *Eo se recipit Anna ducissa Silesiæ, nurus S. Hedwigis* 243 a, 246 a
† Crucis monasterium in Hibernia. *Ejus exordia* 1034 e f
† Crucis parrochia (*vulgo* Ste Croix-Hague) diœceseos Constantiensis in Gallia 609 f
Cukwald (territorium de) 1028 c
Cumbremera abbatia. *Ejus initia* 1027 e
Cumbria. *Episcopatum temporaneum habet tempore Paschalis I* 1020 a
Cuniciacum (Conchy) in Artesia 369 c
Cupedenses (Queudes) 87 f
Curia Rhætorum civitas 915 b
Curia Dei. *Ei datur aliquando præcedere Saviniacum in capitulo Cisterciensi* 1017 d
Cursus cervæ in Thaneti insula 93 f, 94 a b c, 98 f, 99 a
† Cypriani abbatia Pictaviensis 331 a b
Cyprus provincia proconsularis 292 e. *Quo tempore ipsa insula primum a Sarracenis occupata* 127 d
Cyrus. *Situs ejus* 358 b e f. *Liberatur ab hæresi Ariana* 358 c d
† Cyri in Collumno ecclesia in diœc. Autissiodorensi 1007 a
† Cyriacæ cœmeterium 322 a
Cyrrhestica regio 358 f
Czenstochowa oppidulum Poloniæ. *Dicitur ibi servari imago B. M. V. a S. Luca picta* 1088 d

D

Dalinga. *Vide* Field Dalling.
Dani *Angliam vastant et ecclesias incendunt* 975 d, 978 f, 979 a. *Eorum cædes et carnificina in Anglia sub Ethelredo* 542 f, 543 e f et seqq. *Eorum in Hibernia conversio* 1030 c
Danneville in diœcesi Constantiensi in Gallia 620 f
Daphne, suburbanum Antiochiæ 875 c, 876 a, 880 b. *Templum Apollinis, igne cælesti incensum* 877 c, 880 c
Deisendorf vicus Bavariæ 956 a, 959 c
Dermagh, triplex locus in Hibernia 897 b e
Desertum S. Macarii in Ægypto 40 a
Diarbekir. *Vide* Amida.
Diessen in Bavaria. *Ecclesia S. Georgii* 202 f
Dieulacres abbatia. *Ejus initia* 1032 b c d e
Digullevilla parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 613 c
† Dionysii M. ædes Cyri 358 b
Dobrzan, pagus Silesiæ. *Habet fontem, oratione S. Hedwigis productum* 224 a
Dodiniaca cortis (*nunc* St Christophe) in diœcesi Trecensi 984 e
Dolenses *fugiunt cum SS. Reliquiis* 58 e
Domnipetra, prioratus Saviniaci 1024 a
Donziacum (Donzy) in agro Nivernensi 89 b
Dover S. Martini monasterium 101 f
Douglas in Mannia 1028 f
Douska, Dubuisce, Duiske. *Vide* Vallis S. Salvatoris.
Downpatrik in Hibernia 1024 f
Drasa (*vulgo* Traisen) fluvius Austriæ 963 e
Drogonis fons (Drownfont). *Incunabulum Stanleghæ* 1033 e
Drogonis fons, abbatia 1041 b
Drotum S. Basoli (*vulgo* Droupt-St-Basle) *in diœcesi Trecensi* 987 f
Drotum S. Mariæ (*vulgo* Droupt-Ste-Marie) in diœcesi Trecensi 987 f
Dschindaris. *Vide* Gindarum
Dumbrothy *seu* Dunbrothy. *Vide* Portus S. Mariæ.
Dumwicum in Anglia. *Ibi aliquando requievit S. Felix Sehamensis* 96 b
Dunelmensis *ecclesia amittit Hagustaldiam, quæ ad Eboracenses transit* 965 e
Dunkeldensis *sedis fundatio* 173 b c, 174 a
Dunum S. Patricii. *Vide* Down.
Duria, flumen in Pedemontio 376 e
Durium fluvium *miraculose transit S. Petrus de Alcant.* 737 f
Durrow in Hibernia 897 b e

E

Eastreja, Estry, Estrey, Eastrege. *Locus cædis SS. Ethelredi et Ethelberti* 92 b, 93 e, 94 d e, 95 a c, 98 d, 101 c, 102 f
Eboracum (Yorck). *Habebat collegium Culdeorum* 167 b. *Ei subditur Hagustaldia* 965 e
Eboracensis provincia ecclesiastica. *Fata* 888 b d e
Ebredunum (Embrun) urbs Galliæ Narbonensis 471 c d
Ebroica (Evreux) urbs. *Varia nomina et situs* 489 a b c. *Sedis initia* 489 c e f. *Catalogi epp. Ebroicensium* 495 d e f, 496 a b c
Edessa. *Ejus nomina, situs, fata* 355 e f. *Chronicum in annis fallax* 352 b c d e f, 353 a b c. *Ibi non videtur vixisse S. Julianus monachus* 348 a
Edimburgense *Concilium anni* 1549 889 c
Edra pagus juxta montem Thabor 435 e
Effon, torrens in Nabanem, fluvium Lusitaniæ, labens 911 e
Eichstätt vicus diœceseos Ratisbonensis 952 a
Elbaramous monasterium. *Vide* Græcorum
Elusana diœcesis 902 a e
Ely. *Sepultura S. Etheldritæ et S. Ermenildæ* 101 e f
Emanuel abbatia. *Vide* Manuel
† Emmerammi monasterium Ratisbonæ, *primitus cathedrale* 920 a b c
Eoghanacht Cassil in Hibernia 897 a
Epaonæ *situs* 78 e f, 79 a-d
Ephesus. *Pseudosynodus* 353 a
Episcopium urbs in Sabinis 384 e
Erdendorff locus Germaniæ 950 e, 952 b
Eremus B. M. V. in Helvetia. *Reliquias S. Justi colit, sed valde dubias* 335 d e f
Ering vicus diœceseos Passaviensis 950 c, 952 a
Erynach. *Incunabula abbatiæ de Ynes* 1024 e
† Escobille vicus prope Stampas (Seine-et-Oise) 58 d e
Escullevilla parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 613 c
Espiniacum locus diœceseos Trecensis 988 a

Esqueurdrevilla vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 612 c e
Essedunense *prælium, in quo occisus Eadnothus Dorcestriensis* 382 d e f et seq.
Etre vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 619 f
Eugubium. *Etymologia secundum S. Petrum Damiani* 195 c, 197 a; *Ejus historiæ ecclesiasticæ lacunæ* 183 a; *Eugubinæ tabulæ celebres* 197 a
† Eusebii Vercellensis monasterium Autissiodori 1004 c, 1006 f, 1007 a

F

Fecamp. *Vide* Fiscannum.
Feldallyng. *Vide* Field Dalling.
Fera-Keall, regio in Hibernia 897 b
Fermoyæ abbatia. *Ejus exordia* 1035 a
Feugères vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 619 a
Field Dalling prioratus. *Ejus initia* 1034 d
† Finiani fons 1024 e f
Fiscannum (Fecamp), Fiscannensis abbatia. *Num eo unquam fuerint delatæ reliquiæ S. Aquilini* 504 f, 505 a
Flaviacum. *Destruitur; eo referuntur reliquiæ S. Geremari* 331 a
Flers, vicus in Artesia 371 a
Florentia. *Eo pergit S. Petrus Damiani* 194 f, 196 b
Floriacum. *Vide* Caritate.
Floriacense *Concilium anni* 1110 1001 d
Flossing vicus Germaniæ 951 e, 952 d
Flottemanvilla parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 612 f
Flums, *paræcia in Helvetia* 335 d, 336 a b c
Folckstan *monasterium* 90 d, 101 c
Fontes, monasterium in Anglia 1015 b c, 1017 e, 1021 a b
Fontanæ locus diœceseos Trecensis 987 f
Fontanæ albæ, abbatia. *Ejus initia* 1026 d e f, 1027 a b c
Fons Avellanæ. *Vide* Avellanæ
Fontis Avellanæ initia 196 c
Fontis humidi *seu* Fontismi abbatia 996 b, 1000 d, 1003 f, 1006 d
Foravallis. *Vide* Jorvallensis.
Fors. *Vide* Jorvallensis.
Forteviet, *hodie* Fortevioth, *parochia ruralis* 178 f
Fossense castrum *seu* monasterium 367 b, 368 c
Fractarippa locus diœceseos Trecensis 998 a
Francia *latissime olim extensa* 931 e f
† Francisci Xaverii ecclesia Parisiis. *Dedicatio* 377 b
Fraxinetum. *Ejiciuntur hinc Sarraceni* 375 b c
Fridier. *Vetus Nassoniæ in Luxemburgico agro nomen* 365 b, 367 b
Fulcardimons. *Hujus abbatiæ origo* 1025 d
Fulda. *Possidet autographum S. Victoris Capuani* 83 a b
Funchal insulæ Maderæ civitas. *Dedicatio ecclesiæ* 277 b
Furconium urbs episcop. in Vestinis 401 c d e, 407 c. *Reliquiæ S. Maximi olim ibidem asservatæ* 407 d. *Sedis erectio et translatio* 407 c e f et seqq. 410 b c d
Furnesium. *Ejus fata* 1017 d, 1018 b c d, 1019 b, 1022 b, 1024 b c d, 1028 d e f

G

Gabalensis diœcesis 902 a e
Gabinensis *episcopatus quam diu durarit* 186 e f
Galatia *quando pro Gallia sumitur* 28 c d, 29 b
Galliæ meridionalis *ecclesiæ pastoribus viduatæ sub Eurico, rege Visigothorum* 63 b c d
Galonis Capella. *Vide* Capella Walonis.
Gamugnum non procul ab Avellana 194 b
Gandersheimensis *schola interior pro monialibus* 206 b
Gastein (*sive* Castuna) vicus diœceseos Salisburgensis 955 b, 959 b c
Gatta (La) *præruptus vertex, in quo S. Petrus de Alcant. crucem tulit et erexit* 707 d e f
Gaylnbach villa prope Salisburgum 958 c
† Georgii parthenon ad Lengsee in Carinthia 961 a
† Georgii de Gannayo cœnobium canonicorum regularium in diœcesi Tricassina in Gallia 985 d e
† Georgii ecclesia de Troanno Magno in diœcesi Trecensi 987 e, 988 c
† Georgii de Montcoq ecclesia diœceseos Constantiensis in Gallia 611 a, 616 d
Germania. *Utrum palæstra prædicationis S. Lucæ* 295 c d
Germaniacum (Germigny) prope Remos 902 c. 903 b
† Germani ecclesia cathedralis in insula Mannia 889 a d
† Germani Autiss. abbatia. *Fata* 998 b c d e f, 1003 e f, 1006 c
† Germani le Gaillard parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 613 e, 615 c d e, 616 b
† Germani le Galbois parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 619 f
† Germani de Traileio ecclesia diœceseos Constantiensis in Gallia 610 f
† Germani de Vallibus parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 618 b, 622 b
† Germerii prioratus in diœcesi Tolosana 50 e f
Gervis. *Vide* Jorvallensis.
Giacum oppidum 1003 d, 1006 b
Gindaro vicina loca, *habitantur a S. Asterii discipulis; ejus situs* 351 e, 355 a b, 356 d
Gigniacense monasterium in Burgundia. *Eo delatæ reliquiæ S. Aquilini* 503 b c; *combustæ sæc.* XVIII *exeunte* 504 c; *Monasterii incendium* ibid. b
Glandy. *Vide* Vallis Dei.
Glascua *seu* Glasgua. *Ecclesia a S. Kentigerno fundata* 167 e f; *Glascuensis provinciæ ecclesiasticæ institutio* 888 f
Glivicum (Gleiwitz) oppidum Silesiæ. *Ope S. Hedwigis a serpentibus perpetuo liberatur* 224 a
Goffer, Gofferno (S. Andreas de). *Hujus abbatiæ initia* 1025 d e
Goldbergensis conventus FF. Minorum 210 b c
Gonneville vicus in Gallia 618 e
Gothi *sive* Scythæ *ab Eutyche Capadoce fidem edocti* 5 b c; *Gothi monasterium Cassinense utrum destruxerint* 167 c, 151 a b; *Gothici imperii fines intra Gallias* 69 b c d
Gruch Grenard 1041 b
Gradensis diœcesis et provincia 906 c d e
Græcolada. *Vide* Oxonia.
Græcorum monasterium in Egypto, alias dictum Elbaramous, Baramays et Piromaus 40 b d
Graig, Graigenamanagh. *Vide* Vallis S. Salvatoris.
Grainvillæ ecclesia 1037 e
Granarda abbatia. *Ejus initia* 1039 a b
Gratinona, Gratianopolis, *vulgo* Grenoble 378 b
† Grati vicus in agro Ruthenensi 181 b e
Gredich, Gredig parochia diœceseos Saliburgensis 961 e, 963 e
† Gregorii templum Camaldulense Romæ 183 d
Gréville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 617 a

Guadalethes,

Guadalethes, fluvius in Hispania 517 c
Guadiana, fluvius Extremaduræ 678 e f
Gued locus diœceseos Trecensis 987 e
Guiouvilla *vel* Guirvilla locus diœceseos Constantiensis in Gallia 617 c
Gulletum, monasterium in diœcesi Nuscana regni Neapolitani. *An corpus S. Lucæ aliquando habuerit* 302 e
† Gwendolinæ ecclesia *(vulgo* Llanwyddelan) in comitatu Montisgomerici in Wallia 259 a d

H

Habib *seu* Natron, Nitria, vallis in Scete 40 e, 41 a b c
Hagustaldia, *hodie* Hexham, civitas episcopalis in Northumbria, *post Dunelmensi cathedræ unita* 965 b c e f, 966, 967 a b; *a Pio IX restituta* 980 d; *Hagustaldiensium episcoporum series* 965 c, 969 c
Haia Putei *(vulgo* la Haye-du-Puits) parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 614 b, 617 b
Halbenbang castrum ditionis Salisburgensis 955 c, 957 d
Hall. *Vide* Reichenhall.
Hanbury in Staffordia Australi 101 e, 103 d
Hanium *vel* Humum locus diœceseos Trecensis 987 e
Hartberg oppidum Styriæ 952 a c
Haucourt. *Ibi pr oratus de Pierrement* 1034 a
Heanburh. *Vide* Hanbury.
Heauvillensis prioratus Ord. S. Benedicti in diœcesi Constantiensi in Gallia 617 c
Hebridæ insulæ. *Vide* Aebudæ.
Helingersperge locus Germaniæ 951 a
Helleville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 600 b, 621 b
Hemevez vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 621 a b
Henricoviense monasterium Cisterciense in Silesia. *Ope S. Hedwigis fundatum* 211 d e; *sæc.* XVII *a Suecis penitus direptum* 199 f
Heraclii prætorium in Creta 127 d
Here locus in Mannia 890 a
† Hermelandi ecclesia Rotomagi. *Ejusdem Sancti reliquiæ* 272 d
Hesdinium *vulgo* Hesdin urbecula in diœcesi Atrebatensi 483 f
Hibernia *non fuit SS. Ruperti, Trutperti et Vitalis patria* 920 d, 931 f; *Hiberniæ status sæc.* XII 179 d
Hi Iuach. *Vide* Yduach.
Hierosolymitani templi *instauratio prodigiose sub Juliano irritatur* 878 e f, 881 a, 883 b c
Hilgartsberg locus diœceseos Passaviensis 952 c
Hiltona abbatia. *Ejus initia* 1039 b
Hispania *primo sæculo Christianismum accepit et martyres habuit* 22 c d e
† Hippolyti crypta seu cœmeterium 322 a; ejus basilica 322 b
Hoda. *Aliquando sedes Caldrensium monachorum* 1028 b c
Hoilandia. *Vide* Swineshed.
Hoilandiæ puellare monasterium 1034 b c
Hojum, Huum castrum, (Huy), ad Mosam in Belgio 365 b c, 368 a
Holme locus in insula Mannia 889 d
† Huberti Andaginense monasterium 366, 369 d
Hultona. *Vide* Hiltona.
Humum. *Vide* Hanium.
Huzitarum *provincia in Perside* 379 f
† Hyacinthi ædicula in Yvetot 1040 b
Hyense monasterium. *Fata* 887 f, 889 c

I

Jacca, civitas episcop. in Arragonia. *Eo translatæ fuere Reliquiæ S. Grati, quæ dein rursus Oleronem adductæ sunt* 443 d e f, 444 a b c
Jacobi vicus. *Vide* Akeburgh.
Jargolium, oppidum in territorio Aurelianensi. *Reliquiæ S. Verani Cavellicensis* 456 c e, 457 a b. *Num eo translatum fuerit corpus, an vero tantum caput, vel alia pars insignis reliquiarum Sancti illius* 461 a b c d e f
Jarnam (Kirk) in Mannia 890 b
Javor *seu* Javer oppidum duplex, in districtu Lignicensi et in distinctu Wratislaviensi 240 d
Iberorum monasterium in monte Atho 135 d
Idrone West in Hibernia 897 b
Jeripons abbatia 1039 c
Jervaux Abbey. *Vide* Jorvallensis.
Ilkusium, Poloniæ oppidum 1067 f, 1068 c
Illuro. *Vide* Olero.
India *primo jam sæculo prædicatione evangelica illustrata* 27 c-f, 28 a b
Ines *seu* Inch Curcy. *Vide* Ynescuscre.
Innivermore. *Vide* Arcloa.
Innislonnagh, Inislaunaght abbatia. *Ejus exordium* 1039 d e f
† Joannis basilica Remis 902 c, 903 a
† Joannis Capella in Mannia 890 a
† Joannis Baptistæ ecclesia parochialis vici S. Sepulcri *(nunc* Villacerf) in diœcesi Trecensi 987 b, 988 c. *Reliquiæ S. Aderaldi* 989
† Joannis Parvi monasterium in Scete 40 d e, 41 c
† Jobi monasterium Ordinis FF. Minorum Venetiis. *Dicitur habere corpus S. Lucæ* 303 b
Jonubheur-More. *Vide* Arcloa.
Jorvallensis, Jorevaulxensis abbatia. *Ejus exordia* 1032 f, 1033 a b
Jovis ara in agro Carnutensi 2 f
† Josephi Provincia *a S. Petro de Alcant. fundata in summo pœnitentiæ et paupertatis rigore sub obedientia Conventualium* 631 et seqq. 735 et seqq.; *primæva statuta* 634 e f, 635 a b c d e f, 636 a b c d; *subjicitur ministro generali Observantiæ* ibid. f, 637 a b c d e f, 638 a b. *Qua id Patrum voluntate factum* ibid. c d e f; 639 a b c d e f. *Incrementa* 640 b c d.
Jourby in Mannia 890 d
Joux vicus. *Vide* Juga.
Joyenvallis. *Præmonstratensium capitulum celebratum ibidem* 333 b
Isara, Isore, Isera (l'Oise) fluvius Galliæ 338 c
Isigny vicus diœceseos Bajocensis in Gallia 619 b
Isis fluvius prope Oxoniam 533 b
Istriæ marchionatus *ad Andechsianos spectabat* 204 f
Italia, *utrum palæstra prædicationis S. Lucæ* 295 e
Judæi *non videntur Gallias incoluisse initio æræ vulgaris* 23 d. *Nominis Christiani osores et persecutores* 847 b
Juga, *vulgo* Joux, vicus prope Autissiodorum 1006 d
Julia Pacis (Badajoz) Hispaniæ civitas episcop. 707 c d
† Juliani basilica Remis 902 c, 903 a
† Juliani ecclesia extra Antiochiam 356 d
† Juliani Sabæ monasterium ad fluvium Medorum 356 b
† Justi Secusiense monasterium 373 c
† Justi tumba (Tombe S. Just) in Artesia 371 a

† Justi Villa (S. Just) in agro Bellovacensi, 324 d e, 325 d, 328 c d, 330 d e f, 331 332 c d e f, 340 b
† Justinæ monasterium Patavii. *Gloriatur se possidere corpus S. Lucæ* 304 et seq.
Justinopolis. *Edessæ nomen* 355 e
Juvavia, Juvavium, Juvavum. *Vide* Salisburgum.

K

Kaindorf vicus Styriæ 952 a
Kant. *Vide* Kenty.
Katerike (*olim* Cataracta) *parochia diœceseos olim Eboracensis in Anglia* 277 c d
Kema *vel* Amba-Kema monasterium in Scete 40 d
Kenty, Silesiæ oppidum. *Hinc oriundus S. Joan. Cantius* 1047 b c d f, 1060 f, 1065 c d. *Peste liberatur* 1096 f
Kestendorf vicus diœceseos Salisburgensis 955 c, 959 c
Keurfus juxta Cplm 130 c
Kilremunt *antea* Mucross, *postea* Andreopolis in Scotia 164 d e
Kilshanny, Kilsona cella 1037 c d
Kirkarbory in Mannia 889 e
Kirk Christ Lezayre in Mannia 889 f
Kirk Christ Rushen in Mannia 889 f
Kitzingum ad Mœnum celebre monasterium. *Ibi educata fuit S. Hedwigis* 205 e, 225 c, 226 f
Koniensis vicus dubius in agro Bellovacensi 334 b d
Kraiburg locus diœceseos Salisburgensis 950 b 952 a
Kraindorf vicus diœceseos Ratisbonensis 952 a

L

Laderniaca cortis (*nunc* Lassicourt) in diœcesi Trecensi 984 e
Laighis *seu* Laigisia regio in Hibernia 897 e, 898 b
Lampsacena *synodus Semiarianorum* 884 e, 885 b
Lanæ (*vulgo* Laines) locus diœceseos Trecensis 987 e, 988 a
Landelie vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 610 f
Languest. *Vide* Vallis Crucis.
Lannejum. *Vide* Alnetum.
Lanzo vicus in Pedemontio 373 e
Lapa (S. Onuphrii de) Conventus, *in quo fertur S. Petrus de Alcant. scripsisse libellum suum de oratione* 708 a b
Lapeta urbs in Perside. *Ibi martyrium subiit S. Sciahdustes* 379 f
Laragh, Larah, Larhe. *Vide* Granarda.
Larha Granard abbatia 1041 b
Larinum oppidum regni Neapolitani. *Ejus patronus S. Pardus episc.* 2 f
Lauda (Landes ?) 1027 b
† Laudi oppidum diœceseos Constantiensis in Gallia 611 a
Laudosum Castrum, *gallice* Lezoux, oppidum Arverniæ. *Aliquandiu ibidem manserunt reliquiæ S. Aquilini* 503 a b
Laufen oppidum Germaniæ 956 e, 957 b c, 959 c, 964 c
Laune. *Vide* Alnus.
Laura Magna, monasterium montis Atho. *Possidet manum S. Lucæ* 208 b
Laurea villa 1003 b, 1006 a
† Laurentii cononia. *Vide* Abbatia.
† Laurentii ecclesia in agro Autissiodorensi 1003 e
† Laurentii monasterii et congregationis Ulciensis *exordia* 376 d e f, 377 c d
Lauretum *habet poculum S. Hedwigis* 223 e
Laus Pompeja, vetus et nova. *Descriptio* 49 a b c
Laussonia, vicus diœcesis Aniciensis. *Possidet Reliquias S. Florentii* 80 b
Leamchuill 897 c d e f
Lachelada. *Vide* Oxonia.
Leen, *hodie* Lahn, in districtu Lignicensi 242 b, 245 f
Legecestria *seu* Chester. *Sepultura S. Werburgæ* 101 e
Leibnitz Styriæ oppidum 950 d, 952 a b
† Leoc monasterium in Mannia 889 d e
Leodiensis *ecclesia Tungrensi pretiosum mittit donarium* 36 f
† Leonis ecclesia in diœcesi Trecensi 987 e
Lerha. *Vide* Granarda.
Lesnicz, *probabiliter* Lissa in districtu Wratislaviensi 239 a, 240 c; *Locus obitus Boleslai, patris Henrici Barbati* 242 e, 245 f
Lessia (Lesse), rivus Belgii 365 b, 366 a b, 368 a, 369 a
Leubense *seu* Lubusense Ordinis Cisterciensis monasterium in Silesia. *An.* 1050 *fundatum* 230 b. *Abbatum series ab sæc.* XII *ad* XIV 199 d
Leucadii emporium *seu* Lycadium promontorium 130 b c
Leucatium. *Vide* Leucadium emporium.
Lezoux. *Vide* Laudosum castrum.
Liburnia *hodie* Croatia 305 b
Licestriæ *comites primi* 537 f, 538 a
Lichfeldensis diœcesis 1020 a
Lielrede, abbatia 1041 b
Lignicium *olim* Beroldivilla *seu* Berstadt 217 c d, 261 f
Limberg prioratus. *Ejus initia* 1036 c d e
Limene (Liming) in Gantio 101 c
Lincolniensis *sedes Dorcestriam translata* 382 d e f et seqq.
Lindisfarnense monasterium et episcopi sedes 919 d e f
Lingebrooke. *Vide* Lymbroke.
Linneguestel. *Vide* Vallis Crucis.
Lintella (*vulgo* Lentilles) locus diœceseos Trecensis 987 f
Lisbona. *Vide* Ulyssipo.
Lithaire parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 614 d
Llanegwast. *Vide* Vallis Crucis.
Llanendwzn in diœcesi Benchorensi 174 e
Llanfrothen. *Vide* † Brotheni ecclesia.
Llanwyddelen. *Vide* † Gwendolinæ ecclesia.
Llynliequestel. *Vide* Vallis Crucis.
Loches. *Vide* Luccæ.
Locus Benedictus. *Vide* Stanlaw.
Locus S. Benedicti. *Vide* Buckland.
Locus Dei, abbatia Cist. apud Ruthenos 181 e
Locus Dei abbatia. *Ejus exordium* 1037 b
Locus Dei. *Vide* Swineshed.
Lofer ditionis Salisburgensis locus 934 b
Lokeswell. *Incunabulum Stanleghæ* 1033 c d
† Lomani *seu* Lonani ecclesia in Mannia 889 f
Londinense *Concilium seu convocatio sæc.* XV *statuit festum S. Frideswidæ solemniter celebrandum* 551 f, 552 a b c
Longavilla, monasterium diœcesis Rotomagensis. *Colitur S. Fides* 822 b
Long Benington, prioratus. *Ejus initia* 1034 d, 1035 e f, 1036 a
Longenahe pagus, capiens Nassau 365 a
Longobardi *monasterium Cassinense destruunt* 152 c, 157 c, 161 a b. *Vastant ecclesias Romæ suburbanas*

suberbunas 323 a ; *sæviunt in Christianos* 373 e, 374 e f
Longoretensis abbatia. *Vide* Abbatia.
Longoretum *in Bituria. vulgo* Lonrey *seu* Longret 512 e, 514 d
Longumvillare abbatia. *Ejus initia* 1029 b
Loret vicus diœceseos. Constantiensis in Gallia 621 a
Lough-meran in Hibernia 1038 c
† Lucæ ecclesia Eugubii 192 c, 193 f
Lucca (*vulgo* Loches) castrum agri Turonensis. *Reliquiæ S. Hermelandi abbatis* 272 c d
Lucus Dianæ prope Aquilam, *de quo in actis S. Maximi* 419 e f
Lugdunum *metropolis provinciæ Lugdunensis primæ* 31 d
Lupara (Louvre) prope Parisios. *Male confunditur cum Synomovico* 326 f, 327 b, 328 c.
Lurate. *Vide* Nullate.
Lursiacum in agro Nivernensi 89 a
Lycadium promontorium 130 b c
Lycopolis, *sive* Siut, civitas Thebaidis 42 c
Lymber. *Vide* Limberg.
Lymbroke prioratus. *Ejus initia* 1036 c d e
Lytargus oppidum Syriæ 356 d

M

† Macarii desertum in Ægypto 40 a
† Macarii monasterium in deserto Scetis 40 a
† Maccaldi ecclesia in Mannia 890 a
Magdeburgum. *Reliquias S. Justi, non vero S. Justini* 329 c d
† Maglorii ecclesia Parisiis 58 e f
Magneville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 619 a
Magniacum in comitatu Nivernensi 88 a c d, 89 a b c d e. *Colit S. Vincentium* 86 c
† Magnobodi ecclesia Andegavis. *Reliquiæ S. Hermelandi abbatis* 272 c d
Majus monasterium 1026 f. *Ejus monachi laudati* 1011 a
Maldone, prioratus in Sussexia 94 f
† Malewi *seu* Mali ecclesia *in insula Mannia* 889 e. *Vide* S. Lupus.
Malmundarium. *S. Justi pueri reliquiarum, quæ ibi servantur, authenticitas examinatur* 333, 334
Malonia in diœcesi Namurcensi 368 c
† Mamantis palatium Cpli 125 d e f, 133 a, 137 f, 144 c
Mamma (abbatia de). *Vide* Manuel
Mannia insula. *Ejus historiæ ecclesiasticæ synopsis* 887 et seqq.
Mannia (abbatia de). *Vide* Russinum.
Mansus SS. Puellarum, *locus natalis S. Petri Nolasci, idem ac Recaudum* 13 c f, 14 a
Manuel, Manwel abbatia 1040 f, 1041 a
Manxaretes (conventus de) in Extremadura. *Ibi S. Petrus de Alcant. vestem religiosam induit* 658 c, 702 a b c d
Marchia *idem ac* Styria (*vulgo* Steyermark) 950 f, 952 c
Marciago (*alias* Morck, Morzg, Morzig) villa prope Salisburgum 964 d f
Mare Rubrum. *Eo accedunt sæpius monachi Sceteos* 46 e
† Margaritæ archidiaconatus in diæcesi Trecensi 984 d
† Mariæ ecclesia metropolitana Remis. *Dedicatio* 277 b
† Mariæ de Caritate ad Ligerim prioratus in Gallia 986 f, 987 a
† Mariæ de Caritate abbatia. *Vide* Jorvallensis.
† Mariæ de Castro Dei abbatia. *Vide* Fermoyæ.
† Mariæ Cistercii abbatia. *An exstiterit in Mannia* 1028 e
† Mariæ consolatricis sacrarium (*vulgo* Maria Plain) apud Salisburgum in Germania 959 b
† Mariæ juxta Dubliniam abbatia *Ejus initia* 1030 c d e
† Mariæ de Kilsona cella 1037 c d
† Mariæ de Monasteriis (*vulgo* Moitiers) parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 613 f, 617 b
† Mariæ de Monstons abbatia in diœcesi olim Abrincensi 617 b
† Mariæ de Petra fertili. *Vide* Corcumroa.
† Mariæ cœnobium monialium Salisburgi *a S. Ruperto erectum* 925 a b c
† Mariæ in Via lata, *diaconia, locus scriptionis S. Lucæ* 289 a
† Mariæ Magdalenæ templum Bajocis 1009 c d
Marona (Kirk), Marown, Mortown in Mannia 890 a
† Martini basilica Remis 902 c f
† Martini in Dover monasterium 101 f
† Martini le Hébert vicus Diœceseos Constantiensis in Gallia 618 c
Martinvast vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 618 e
Masius mons. *Terminus septentrionalis Osroenes videtur.* 356 a
Massa Sorbituli in diœcesi Senogalliensi 194 b
† Mathiæ monasterium Treviris. *Schola celebris* 17 f, 18 a-f, 19 a
Matisconense *Concilium II* 456 c f
† Mauricii basilica Remis 902 c, 903 b
† Mauritii parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 595 e, 596 a, 597 d e
Mausacum monasterium Benedictinum in Alvernia 821 e, 1107
Mawnaniel. *Vide* Manuel
† Maximi et Timothei *sive* Græcorum monasterium in Scete. 40 d
† Maximiliani ecclesia in Pongau 915 c, 925 d e f, 925 a, 929 f
Mechlinia. *Dens S. Lucæ* 309 d
Mechovice *hodie* Münchwitz sub parochia Bralin districtus Wratislaviensis 254 d, 262 a
† Medardi basilica Remis 902 c, 903 b
Mediavilla locus diœceseos Trecensis 987 e
Mediolanum. *Dedicatio ecclesiæ metropolitanæ* 277 a ; *alia ecclesia dedicata* 813 a ; *ibi versatur B. Urbanus II Papa* 997 e, 1002 d ; *Mediolanensis provinciæ amplitudo* 905 c d e
Medorum fluvius. 356 b
Melda fluvius apud Trecas in Gallia 986 e
Melodunum (Melun) 338 c, 340 f
Menagriæ. *Vide* Monagriæ.
Menatense monasterium 516 c. *Ejus dedicationi interest S. Theofredus* 516 d e
† Mennæ monasterium in Ægypto. *Ibi corpus S. Joannis Parvi asservatum dicitur* 42 f
Merania, *in Tyroli, et forsan in Istria* 204 c e
Mercium. *Fragmentum genealog. familiæ regiæ* 90
Mergi, Mergiacum (*vulgo* Mergey) vicus diœceseos Trecensis 987 e, 988 a c
Mesnil-Euri vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 611 a, 616 d
Mesnil-Oury vicus diœceseos hodie Bajocensis in Gallia 616 d
Mesopotamia. *Primus in eam non induxit S. Julianus Sabas vitam monasticam aut asceticam* 356 b

† Michaelis ecclesia in Mannia 889 f
† Michaëlis de Bosco cœnobium monialium Ord. S. Benedicti in diœcesi Constantiensi in Gallia 617 b
Michowicz, *hodie* Miechowitz, in districtu Oppelensi 251 c, 261 d
Milicz, *hodie* Militsch in districtu Wratislaviensi 255 b, 262 a
Mildunum. *Obit ibi Philippus I, rex Franciæ* 1001 a. *Vide* Melodunum.
Mimatum, *vulgo* Mande, urbs in Arvernis 459 a b c
Mindonium *vernacule* Mondoñedo, urbs in Gallæcia Hispaniæ 385 b c; *ecclesiæ dedicatio* 385 b
Mirescog in Mannia 889 e, 1036 b; *Fundatio abbatiæ ibi tentatur* 1028 f
Mittersill vicus diœceseos Salisburgensis 934 b, 952 c
Mœsia *hodie* Servia *et* Bulgaria 294 c
Mona insula (Anglesea). *Habet duas parochias sub titulo S. Damiani* 174 e. *Sæpe dicitur de insula Mannia* 889 d
Monagriæ monasterium 130 d
Monasteria in Argona (*vulgo* Monstier en Argonne) Ordinis Cisterciensis in Gallia. *Dedicatio ecclesiæ* 277 b
Monasterium S. Theofredi. *Vide* Calmeliacum.
Moncejum abbatia. *Ejus initia* 1038 f, 1039 a
Monchosiense monasterium in Ægypto 844 e
Mongoles *seu* Tartari *sæc.* XIII *Europæ maxime Orientali infesti et crudelissimi* 216 e f, 217, 218
Monichi *hodie* Moonzie *seu* Monikie 178 f
Monkton, villa in insula Thaneti 94 b
† Monon's kirk prope S. Andreæ in Scotia 364 b
Mons cœlestis. *Vide* Moncejum.
Mons-cœli (Moncel). *Vide* Monticellus.
Montisfortis oppidum in regno Valentiæ 735 f
Mons Ingonis (*vulgo* Montangon) vicus diœceseos Trecensis 987 e, 988 c
Mons Serenus, *monasterium Canonicorum fundatum a Dedone et Conrado* 265 d, 267 d
Mons Suzannus (*vulgo* Montsuzain) parochia diœceseos Trecensis. 987 e, 988 c
Monstrolium oppidum. *Abbatia S. Salvii, multis reliquiis S. Ethbini aliorumque insigne* 482 et seqq. *SS. Reliquiarum combustio* 486 b c d
Monticellus (Moncel) in Artesia 370 b e f, 371 a b c d, 372 e
Montisburgis parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 614 e, 617 b
Montricardus. *Ibi obit Gaufridus eremita* 1027 b
Moon vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 611 b, 616 e
Moonzie, *olim* Monichi 178 f
Moraviæ *dominati non sunt Andechsiani* 204 b
Morck. *Vide* Marciago.
Morianna, *vulgo* Maurienne, vallis in Sabaudia. *Episcopatus dicebatur S. Joannis in Maurienna* 378 b.
Moritonium, *monasterium et comitatus* 1023 d e, 1024 a
Morsalines parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 611 d
Morzg. *Vide* Marciago.
Mosmze monasterium 951 b, 952 d
Moue *sive* Moult-sur-Manche, *aut potius* sur-Muancé, vicus diœceseos Bajocensis 616 e
† Moyse *sive* Amba-Moyse monasterium in Scete 40 d
Muc-Ross, *postmodum* Kilremunt, *tandem* Andreopolis in Scotia 164 d e
Muc-Ross, in Scotia. *Reliquiæ S. Andreæ* 170 c
Mülldorf oppidum Bavariæ 961 c, 963 e
Müln apud Salisburgum 956 a, 959 c
Murellum in diœcesi Tolosana 50 f
Mutationis villa in agro Remensi 902 c

N

Nabanis *hodie* Nabao fluvius Lusitaniæ in Tagum currens 909 b, 911
Nabantia (*hodie* Thomar) oppidum Lusitaniæ 911 e, 912 e
Nachton, *olim* Chondrochedalvan 179 a
Nasania *seu* Nassania. *Priscum Nassoniæ nomen* 365 a, 367 b
Nasonacum. *Villa Valentiniani imp. prope Treviros* 364 c d e f
Nassau, *olim* Nassonia *et* Nasonga *dicta*. *An idem ac Nasonacum* 365 a
Nassonia in diœcesi Namurcensi. *Colit S. Mononem* 364 e, 365; *an eadem ac Masonacum* 364 c d e f
Natron, vallis in Scete. *Vide* Habib.
† Nazarii ecclesia Magniaci 89 a b
Neath. *Vide* Nethe.
Nemausense *Concilium anni* 1096 998 b c, 999 a, 1003 f
Nendilszkirchen locus Germaniæ 950 c, 952 b
Neris, Nerus, Neri aquæ *etc.* 514 d e f
Nethe, Neath, Noth (abbatia de). *Ejus initia* 1025 e f
† Nicasii basilica Remis 902 c, 903 a
† Nicolai ecclesia Andegavis 107 b
† Nicolai sacellum Romæ 996 f
† Nicolai de Barofluctu *olim* oppidum, nunc vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 618 a
† Nicolai Casularum abbatia Ord. S. Basilii apud Hydruntem in regno Neapolitano 277 f, 278
Nicopolis civitas Bulgariæ 346 a
Nidrosiensis provincia ecclesiastica. *Institutio* 888 b c
Nirsania, Nirsaniæ partes, *forte corruptio vocum* Neris aquæ 514 d e f
Nisibis *etiam* Sebapolis *appellata* 846 a. *In finibus Persici et Romani imperii. Ejus fata* 355 f
Nitria. *Vide* Habib.
Nitriæ mons et vicus in Ægypto 39 e f, 41 a b c
Niverni. *Reliquiæ S. Vincentii presb.* 89 e
Nolide. *Vide* Beatitudo.
Nonnenberg monasterium Salisburgi 925 a b c, 955 f, 961 a
Norba Cæsarea, Extremaduræ urbs 700 e f. *Vide* Alcantara
Normannia, *Galliæ provincia, nomen suum sæculo decimo sortita* 31 e
Norwicum. *Ibi aliquando requievit S. Felix Sehamensis* 96 b
Nostræ Dominæ Syrorum monasterium in deserto Scetis 40 a
Noth. *Vide* Nethe.
Novaliciense monasterium 373 e f, 374 d e, 375 a c, 377 b. *Ejus Chronicum* 373 e f, 374 a d
Nova-Villa (Neuvy-sur-Gultias ?) 159 a, 161 d
Novum Burgum in Anglia. *Canonia S. Agustini* 1028 c
Novumburgum Moritonii 1023 e
Novum Castrum in Normannia, canonia *dein* parthenon 1040 a b
Novum Castrum abbatia Canonicorum Regularium in Silesia. *Subjicitur Congregationi Arrovasiensi in Artesia et cum Sagano coalescit* 211 a b
Novum Forum (Neumarkt) in districtu Wratislaviensi 238 a, 240 b
Nullate (B. Mariæ de) ecclesia 997 e
Nunburg. *Vide* Nonnenberg.

Oasis

O

Oasis *duplex in Ægypto* 871 b, 875 b
Obazina. *Anno* 1147 *conjuncta Cistercio* 1017 f
Octeville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 619 d
Odrysia, *etiam* Thracia *appellatur* 311 e, 313 a
Olero, *seu* Illuro, Oloro urbs, *olim episcop.* in Bearnia 440 a b c d. *Ejus notitia historica et præsens status* ibid. e f et 441 a b. *Sedis Oleronensis initia, antiquitas* 441 b c. *Reliquiæ S. Grati* 444 e f et seq. *Recens ibidem habita in ejus honorem solemnitas* 445 e f. *An qui ibi colitur S. Gratus idem sit ac Ruthenensis* 181 d
Olesno, *hodie* Rosenberg, in districtu Oppellensi 259 e, 362 c
Olsnicz (Oels) oppidum in districtu Wratislaviensi 250 c, 261 c
Olsnicz, Klein-Oels in districtu Wratislaviensi 237 e, 240 a
† Oncæ ecclesia in Mannia 890 b
Oratorium monasterium 1031 d
Oremus (Orémeaux), vicus in agro Bellovacensi 342 c
Orfa *et* Ourfa. *Edessæ nomen* 355 c
Oscellum (Oisel) insula Sequanæ 87 f
Osroene, regio prope Euphratem. *Habitata a S. Juliano Saba* 349 f, 351 e, 352 a, 353 d, 355 e
Ossaliniana bibliotheca Leopoli 1043 e f, 1045 d, 1064 d
Osterhoten oppidum diœceseos Passaviensis 950 d, 952 b
Ostmantown, Oxmantown prope Dubliniam 1030 b
Osvicimensis ducatus in Silesia 1047 f, 1048
Oswantzin. *Vide* Osvicimensis.
Oventum in Asturiis. *Habet quasdam Reliquias S. Lucæ* 309 b
Ouenzko monasterium Ordinis Cisterciensis prope Wartham fluvium 240 e, 245 e, 268 a, 270 a d
Oustamby. *Vide* Ostmantown.
Owney. *Vide* Abbington.
Oxonia, *notissima in majore Britannia urbs, patria fuit S. Frideswidæ* 533 c. *Vocis origo* ibid. e. *Fabulosa a multis ei assignatur antiquitas* ibid. e f. *Item Academiæ, ubi de* Græcolada *et* Lechelada 533 f, 534 et 535 a b. *Quid rationalius statui possit de ætate urbis et academiæ* 534 e f, 535 b c
Ozecarus, *hodie* Zezere, fluvius Lusitaniæ, *Nabanem excipiens* 912 e

P

Paconia, regio Macedoniæ 863 c, 868 c, 869 a
Palæstina *patria B. Cleopatræ* 432 e
Palatium, vicus prope Lemovicas 69 d
Paneas, *alia* Cæsarea Philippi 878 d, 881 a
Papia. *Vide* Ticinum.
Parisiense *Concilium anni* 1104 1000 d
Parthyæorum regio, *dein* Osroënorum 353 d
Pascurove prope Striegam, *locus hodie incognitus* 253 e, 261 e
Patavium. *Gloriatur de possessione corporis S. Lucæ* 304 et seq.
Patræ Achajæ. *Utrum locus sepulturæ S. Lucæ* 300 d e. *Patrensium epicoporum catalogus valde mutilus* 863 b
† Patricii ecclesiæ in Mannia 890 a d
† Patritii de Claids parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 619 c, 621 a
Pedrosi *initia* 718 e f. *Conventus, qui primus fuit Reformationis S. Petri de Alcant., descriptio* 719 e. *Templi dedicatio* ibid. f. *Cœlitus fratribus submissa annona* 732 b. *Capitulum generale* 735 a b
Peel, Pele, locus in insula Mannia 889 b
Pelagia, sepulcretum prope CPolim 133 d, 134 a
† Pelagiæ sepulcretum. *Vide* Pelagia.
Pelecela monasterium ad Hellespontum 127 f, 128 a
Perona. *Colit S. Furseum* 367 b
Persicum regnum. *Occidentalis ejus terminus* 353 e
Persicum *bellum sub Alexandro imp.* 316 f, 317 a b c d. *Quo anno sit gestum* 317 d e f
Pervia. *Vide* Werfen.
Petra fertilis. *Vide* Corcumroa.
† Petri abbatia Autissiodorensis 999 f, 1000 e, 1003 f, 1006 e
† Petri ecclesia Bellovacensis 330 e
† Petri de Cella abbatia apud Trecas 993 f, 994 a
† Petri basilica Remis 902 c, 903 d
† Petri ecclesia et monasterium Ord. S. Benedicti Salisburgi in Germania, *primitus cathedrale* 916 c, 919 d, 922 c, 929 e. *Corpus S. Vitalis episcopi* 930 c, 934 e, 941 b f, 942 a b c, 943 b c d
† Petri ecclesia cathedralis Trecis in Gallia 980 f, 985 a b d. *Costa S. Aderaldi* 988 e f
† Petri-Vivi abbatia prope Senonas 360 f. *Thesaurus reliquiarum* 361 a b. *Duplex incendium* ibid. c d e. *Notitia, destructio, præsens status* 362 a b c d
† Petri abbatia in Valle Carnutensi. *Fata* 11 c d e f
† Petri Vaticana ecclesia *possidet caput S. Lucæ* 395 d e
† Petri ecclesia ad lacum Walarium in ditione Salisburgensi *a S. Ruperto ædificata* 929 e
Pherme mons in Scete, *in quo quingenti monachi vivebant* 41 b
Phialæ carcer Cpoli 131 c, 133 b
Philippici monasterium 131 c
Picauville parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 614 e, 617 b
Pierrement prioratus 1034 a, 1035 e
Pierreville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 617 a
Piesendorf vicus diœceseos Salisburgensis 934 b
Pietling. *Vide* Biedling.
Pinzgavia ditionis Salisburgensis regio. *S. Vitalem episcopum ut apostolum suum veneratur* 934 a b
Pirchinuvach locus Bavariæ 914 a
Piromaus monasterium. *Vide* Græcorum.
Placentia Hispaniæ urbs 711 b d
Placentia in Italia *Concilium anni* 1095 1005 d
Plebsmartyrum *seu* Ulcium 373 e, 374 c, 376 d e f, 377 a c d
Podoue. *Vide* † Albini.
Pola. *Vide* Stratmargel.
Polliaco (ecclesia de) 1000 a
Polonæ *gentis laus* 1105 f; *Poloni in Silesia Teutonibus sæc.* XIII *non favent* 213 b-f, 214; *a Mongolibus vincuntur* 217 a b
Pomerelia, pars Pomeraniæ, quæ Vistula alluitur 262 a
Pons Abbatis locus diœceseos Constantiensis 613 f. 617 b
Ponteonum (Pontion) regia villa 87 f
Pontiniacum. *Fundatio* 1001 e f, 1002 a, 1003 f; *Dedicatio* 812 f
Pontileuga (Pontlieue) *locus sepulturæ S. Berarii* 160 f, 163 d
Porretum, Porregium, Porrois. *Vide* Portus regis.

Portbail

Portbail vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 620 a
Portus S. Mariæ *seu* Dunbrothy abbatia. *Ejus initia* 1036 f, 1037 *a*
Portus regis abbatia. *Ejus fata* 1038 c d
Præmonstratensium monasterium ad S. Justi. *Fata* 332 d f
Praga in Bohemia. *S. Sigismundi caput* 335 f
Prétot in diœcesi Constantiensi in Gallia 618 e
† Procopii capella, *a Wratislao duce Bohemiæ constructa* 210 a
Prise-aux-Nones, prope Saviniacum 1024 a
Pruckkirchen. *Vide* Burgkirchen.
Prulliaco *datur aliquando præcedere Saviniacum in capitulo Cisterciensi* 1017 c d
Prusicz, *hodie* Prausnitz, in parochia Seichau districtus Lignicensis 252 f, 261 e
Prusicz, *hodie* Prausnitz in districtu Wratislaviensi 260 d, 262 c
Puellarum monasterium Remis 902 c, 903 b
Pugna Tagi (Punhete), oppidum Lusitaniæ ad Nabanem fluvium 912 e
Pultonensis abbatia. *Vide* Dieulacres.
Purckhausen. *Vide* Burghausen.
Purkirchen. *Vide* Burgkirchen.
Putlingen. *Vide* Biedling.
Pytabio (Pettau) in Styria 861 a, 863 a

Q

Quantia (la Canche) rivus in Artesia 370 e f
Quarrera, abbatia insulæ Vectæ. *Ejus initia* 1026 c d
Querqueville parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 613 a b, 617 a
† Quintini M. abbatia Veromandensis 88 b
† Quintini cœnobium canonicorum regularium Bellovaci in Gallia 985 d e
† Quintini ecclesia in diœc. Antissiod. 1004 d, 1007 a
† Quintini ecclesia Bellovacensis 331 c; laudatur 332 e

R

Radek castrum apud Salisburgum 955 b, 959 b
Rademora (Redmore) in Staffordia 1033 c
Ramseja, monasterium in Anglia 94 d e, 95 a b c d e, 96 a c e, 101 b
Ratiboria, Silesiæ oppidum, *ab obsidione Mongolum liberatur* 217 b
Recandum, *idem ac* Mansus SS. Puellarum, *locus ortu S. Petri Nolasci et SS. Puellis insignis* 13 c f, 14 a
Redelor locus diœceseos Trecensis 987 c
Regius amnis, *vulgo* Regennes 1006 a
Rejensis diœceseos 902 a e
Remi. *Multæ ibi basilicæ* 902 c d; *Remense Concilium anni* 625 *ex quibus constaret episcopis* 900 d e; *Alterum Remense Concilium an sub B. Sonnatio* 900 f, 901 a b c d
† Remigii monasterium Remis 895 a f, 902 b f
Repton. *Vide* Ripendon.
Requiniaca cortis (*nunc* St-Léger-sous-Brienne) in diœcesi Trecensi 984 e
Rhoe, *pro* Callirhoe 355 e
Reichenhall oppidum apud Salisburgum 951 b, 952 c d, 953 d, 958 f, 959 a, 960 b, 964 d
Rievallis abbatia in Anglia 1028 f
Rigniacum in diœc. Autissiodorensi 1006 d
Ripendon, *vulgo* Repton 103 d
Robredillo. *Ibi conventus discalceatorum* 704 f
Rochetnicz, *probabiliter* Rochlitz, in districtu Lignicensi 238 f, 240 c
Roma. *S. Lucas ibi scripsit Evangelicum et Acta Apostolorum* 288 f, 289 a. *Tumultus occasione B. Alexandri II inthroninationis* 190 a b c d. *Eo S. Petrus de Alcant. tendit semel et iterum* 717 a b, 728 f. *Romanum Concilium an.* 499 *sub Symmacho Papa* 439 c d. *Romana Synodus sub Agathone* 906 f; *alia sub S. Sergio Papa* 907 d e. *Romani Concilii anni* 1059 *subscriptiones examinatæ* 186 f, 187. *Romanum Concilium anni* 1099 999 a b c. *Romanorum Pontificum electio et inthronizatio* 189 e f, 190 a b c. *Romanæ Sedis auctoritas* 908 c d. *Vide Indicem Moralem et Realem.*
Rosenberg, *olim* Olesno, in districtu Oppelensi 259 e, 262 c
Rossia *a Tartaris infestata* 216 e. *Rossi Mongolibus immixti* 218 f
Rotagou regio ditionis Salisburgensis 941 b c
Rotomagus metropolis Lugdunensis secundæ 31 d. *Rotomagense Concilium celebratum probabilius anno* 688 *vel* 689 490 et seqq.
Rudava, fluvius in Vistulam cadens Cracoviæ 1089 a
† Rufini et Valerii basilica Remis 902 d
Rumiliacum villa 1000 d
Rundissa. *Vide* Rudava.
Rune pons. *Ad eum incunabulum Fontanarum Albarum* 1026 e
† Ruperti ecclesia metropolitana Salisburgi 934 f, 945 d, 946 e f
Rurriacum in territorio Bituricensi 513 a, 514 f
Russinum (Ryshen-abbey). *Ejus initia* 1028 d e f 779 c 1017 a
Ruthenenses Martyres *multis conjecturis dedere locum* 181 c d
Rya rivus in Anglia 1028 c

S

Saalfelden vicus diœceseos Salisburgensis 934 b
Sadalno, *hodie* Zadel ? 254 b, 261 f
† Saëns. *Vide* S. Sidonii.
Saganum monasterium *canonicorum regularium ope S. Hedwigis fundatum, subjicitur congregationi Arrovasiensi in Artesia* 210 f, 211 a-c
Salafelda. *Vide* Saalfelden.
Salernum civitas Apuliæ 992 f. *Salernitani Principatus notitia* 436 c f et 437 a. *Ecclesiæ Salernitanæ chronologia obscura* 439 a b
Salinæ superiores in Bosna Argentina 280 c
Salisburgum Germaniæ civitas 913 et seqq. *passim.*
Salleja, abbatia Cisterciensis 1021 b
Salopesberia in Anglia. *Obsidetur a rege Stephano* 1022 a
† Salvator prioratus in Hibernia 1037 a, 1039 d
† Salvatoris Lendelin vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 619 e
† Salvatoris le Vicomte vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 620 c
Salzburgum. *Vide* Salisburgum.
Samarcanda, urbs præcipua Indiæ 216 e
Samaria, *post* Sebaste *appellata* 878 d, 881 a
Sambleriæ vicus in diœcesi Trecensi in Gallia, *hodie* Villacerf 986 e f
Sandwichum. *Prælium Danos inter et Cantuarienses* 95 a
Saraceni, *quo tempore in Septimaniam aliasque Galliarum provincias erruperint* 517 a b c d e f et seqq. *Eorum in Hispaniam adventus* 517 b c. *De victi a Carolo Martello* 518 e f, 519 a b c

† Satyri ecclesia Bituricensis 329 e
Savarstedi *seu* Sauersteti villa ecclesiæ Salisburgensis 914 b c
Saveriæ (*vulgo* Savières) locus diœceseos Trecensis 987 f
† Savini de Levitania monasterium *et historia* 180 c
Saviniacum. *Ejus fata* 1010 a b c, 1012 b e. 1014 e, 1015 e f, 1023 d e. *Auctarium Saviniacense ad Chronica Roberti de Monte* 1010 d. *Chartularium ubi nunc sit* 1012 d *Monasteria subdita* 1014 et seqq. *Ejus Chronicum* 1007 f. *Sancti ibidem culti* 1007 c, 1008 a b. *Abbatum aliquot chronologia* 1008 d e. *Laudatum* 1011 b, 1015 b c d, 1027 a. *Id monasterium origo multorum cœnobiorum* 845 a. *Saviniacensium monasteriorum catalogus* 1019 e, 1021 c. *Saviniacenses conjuncti cum Cisterciensibus* 1014, 1015, 1016, 1017, 1018
Scalabis, *hodie* Santarem, *urbs Lusitaniæ* 909 b
Sceleriæ locus diœceseos Trecensis 987 f
Scete, desertum Ægypti. *Describitur. Ejus monasteria antiqua et hodierna* 39 c e f, 40 a b c d e, 41 a b c. *In eo quinque millia monachorum simul habitarunt* 39 f. *Sancti qui illic floruerunt* 39 f, 40 a, 44 b, 45 b c. *Ecclesia ibidem* 45 e. *Coptice* Scythis 39 c, 40 e
Scethiaca regio. *Vide* Scete.
Schihet *vel* Chia Mons deserti Scetis 39 c
Schmeisdorf *olim* Croscina in districtu Oppelensi 261 f
Schoneck *seu* Schonneck inter Prumiam et Bedam. *An idem ac Nasonacum* 365 a
Sciathis, monasterium S. Macarii in deserto Scetis 40 a
Sconensis ecclesia, in comitatu Perthensi, *ab Alexandro I fundata* 180 a
Scotia. *A sæculo* IV *ad* XI *solam Hiberniam designavit; terra Sanctorum ferax* 367 b, 368 b. *Scotiæ sedes episcopales sæc.* XII 186 c. *Scotiæ episcopatuum varia fortuna* 888 d e f, 889 a b, *Scoti, per Sedem Romanam ad fidem Christianam conversi* 165 f. *Scoti suos habebant episcopos* 165 d e
Σκυθες et Σκυθις. *Nomina Coptica deserti Scetis* 39 c
Scythæ *ab Eutyche Cappadoce fidem edocti* 5 b c
Scythis. *Vocatur ita a Cassiano pars australis deserti Scetis* 39 f, 41 a b c; *monachorum ibi degentium perfectio* 41 e; *horum nonnulli sine ullis tabernaculis nullo unquam certo loco consistebant* 41 c
Sebapolis *urbs eadem quæ* Nisibis 846 a
Sebaste, *olim* Samaria *dicta* 878 d, 881 a
† Sebastiani sacellum in templo cathedrali Autissiodorensi 996 b e
Secusium S. Mariæ, dein S. Justi monasterium 373 b, 374 a, 375 f, 376 a b c. Diœcesis 373 c, 378 b c
Seham. *Sedes et locus quietis S. Felicis episc.* 96 b
Senæ civitas Etruriæ. *Dedicatio ecclesiæ metropolitanæ* 277 a b
Senones *habent digitum S. Lucæ* 309 c. *Senonensis archiepiscopi cum Lugdunensi controversia* 998 a, 999 c. *Senonense Concilium anni* 1098 999 c e
† Sepulcri prioratus apud Trecas in Gallia *a S. Aderaldo fundatur* 986 e f, 987, 988 a b c. *Reliquiæ ejusdem Sancti* 988 d e f
† Serotini crypta, prope Senonas, *in gallinarium conversa* 362 d, 386 a d
Sexfontes *vernacule* Sexfontaine pagus in diœcesi Lingonensi 359 f
Sezania (*vulgo* Sézanne) vicus olim diœceseos Trecensis, nunc Catalaunensis 987 f
Sezaniæ archidiaconatus in diœcesi Trecensi 984 d
Shepey insulæ S. Mariæ monasterium 101 e
Sichem abbatia Ordinis Cisterciensis in Germania 280 a
† Sidonii (S. Saëns) parthenon. *Ejus initia* 1034 e
Sigeberga diœceseos Coloniensis locus 277 e
Silesia *sæc.* XIV *a Polonis ad Bohemos transit, et sæc. sequenti illis restituitur* 1048. *Patronum habet S. Hedwigem* 198 e, 223 c d; *ope S. Hedwigis multa instituta pia habet* 206, 212
Silvanectensis *sedis initia valde obscura* 446 b
Silva Nectensis *locus in Hibernia* 479 e f, 480 a c
Silva Rubra *sive* Roborum, *vernacule* Silvarouvre, vicus in diœcesi Lingonensi 359 f
† Silvestri de Campo Martio monasterium 223 b c
Sina mons. *A S. Juliano Saba templo honestatus* 349 f, 355 d e
Siouville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 620 d
Sirica fons. *Vide* Syrica.
† Siut. *Vide* Lycopolis.
† Sixti basilica Remis 902 c, 903 b
Skid *seu* Skye insula 888 a
Socolnicz, *hodie* Zaugwitz, in parochia Gros-Peterwitz districtus Wratislaviensis 251 f, 261 d
Sodorensis episcopatus. *Fata* 888 et seqq. *Synodus anni* 1350 889 f
Sola, Silesiæ fluvius 1047 f, 1055 f
Solana, *oppidum juxta quod crypta et conventus* 735 e f
Sommauthe vicus diœceseos Remensis 273 e, 274 a
Sonegia oppidum in Hannonia, *vernacule* Soignies 499 b
Sorgia fluvius ad Vallem Clausam 471 a b, 472 f
Sociacum locus diœceseos Trecensis 987 f
Spida (Epoye dépt. Marne, arrond. de Rheims) vicus 895 f
Spida, rivulus qui in Sapiam (la Suippe) influit 895 f
Spina (Espina) monasterium Cisterciense, juxta Vallem Oleti. *Habet os brachii S. Lucæ* 309 b
Stabulensis ecclesia. *Dedicatio* 333 f
Staindorff locus Germaniæ 960 b f
Stampense *Concilium anni* 1098 999 c d
Stanlaw abbatia. *Ejus exordia* 1035 d e
Stanlegha abbatia 1041 b
Stanlegha (Stanley) abbatia. *Trium cognominum initia* 1033 b c d
Strasswalchen vicus diœceseos Salisburgensis 960 a f, 964 c
Stirium oppidum Phocidis 300 b c
Stockyng. *Incunabula Bellelandæ* 1028 c
Stonely (Priory of) 1033 c
Stradomia pars urbis Cracoviensis 1071 b, 1088 b
Stratfordia (Stradford Langthorne) abbatia. *Ejus initia* 1029 b c
Stratmargel abbatia. *Ejus exordia* 1035 b c d, 1037 f, 1038 a
Strehlen *seu* Strelin oppidum in districtu Briegensi Silesiæ 266 d, 269 d
Streneshalense monasterium, *hodie* Whitby, in comitatu Eboracensi 967 f, 968 a
Stubenberg castrum Styriæ 950 f, 952 c
Stuhlfelden parochia diœceseos Salisburgensis 950 f, 952 c
Sueci *sæc.* XVII *monasterium Henrichoviense in Silesia penitus evertunt* 199 f
Suessio *ab hæreticis vastata; SS. Reliquiarum dispersio* 451 e f. *Prisca cœmeteria* 886 e
Sugdæa. *Locus exsilii S. Stephani* 126 b, 127 c, 131 a

Sucdenicz, *probabiliter* Schweinitz in districtu Glogoviensi 239 a, 240 c
Supinus Rubus, *locus de quo in Legenda SS. Felicis et Augeberti* 363 d
Surium abbatia 1035 a. *Ejus initium* 1039 d e f
Sutphania. *Vide* Zutphania.
Swece *hodie* Schwetz in districtu Marienwerdensi 255 b, 262 a
Swineshed, abbatia in Anglia. *Ejus initia* 1029 f
Sycænum fretum 133 b
† Symphoriani ecclesia suburbana Autissiodorensis 329 b
† Symphoriani parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 614 c, 615 e
Synomovicus *seu* Villa S. Justi in agro Bellovacensi 324 d e, 325 b d, 326 f, 341 c
Syre pagus juxta montem Thabor 433 b, 435 c
Syrica fons in agro Bellovacensi 324 d, 328 d, 330 e f, 338 f, 341 c
Syrorum, *seu* Nostræ Dominæ Syrorum monasterium in Ægypto 40 a

T

Tabenna. *Abbas ibi fuisse dicitur S. Joannes Parvus* 42 f
Taecherting vicus diœceseos Salisburgensis 950 c, 952 a
Tagus fluvius, *sicco pede trajectus* 678 c d e, 735 b c d
Taillepied parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 616 e
Tamerville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 620 b
Tamesis fluvius. *Vocis origo* 540 b
Tanati insula. *Vide* Thaneti.
Tarraconensium *episcoporum varii catalogi* 453 b c d e
Tartari. *Vide* Mongoles.
Tauracus, monasterium in Britannia minori 475 c, 478 c d
Taxenbach locus diœceseos Salisburgensis 934 b
Teisendorf. *Vide* Deisendorf.
Tenet. *Vide* Thaneti insula.
Teruanna, metropolis Morinorum, *a Carolo V imp. solo æquata* 560 d e
Teurthéville-Hague vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 597 c d
Teusendorff. *Vide* Deisendorf.
Teutones *Polonis in Silesia invisi* 213 b f, 214
Thaneti insulæ monasterium 91 d, 92 d f, 93 a, 94 a b, 95 b, 99 b, 101 c d e
Theba duplex, in Ægypto et Bœotia. *Utra palæstra mortis S. Lucæ* 300 b c
† Theclæ cœmeterium Suessione 886 e
† Theodorici basilica Remis 902 c, 903 d
† Theodulphi basilica Remis 902 d, 903 d
Thesaurus B. Mariæ, abbatia. *Ejus initia* 1039 c d
Thetfordia in Anglia. *Ibi aliquando requievit S. Felix Schamensis* 96 b
Thokel villa in Mannia 889 f
Thomar, *olim* Nabantia, oppidum Lusitaniæ 912 e
† Thomaskirchen villa in districtu Wratislaviensi 250 d, 261 c
Tornebury locus juxta Oxoniam, *in oratorium a S. Frideswida erectus* 541 c d
Thracesiorum thema 128 a
Thumnirlat, *seu* Thumnirlan locus in Thaneti insula 92 e
Thumreslat, locus in Thaneti insula 92 d
Thunerhleap, Thunorslep *etc. Vide* Thumnirlat 99 b, 100 e
Thunors-lef locus in insula Thaneti 94c
Thurneslan. *Vide* Thumreslat.
Ticinenses *synodi anni circiter* 698 907 b c d e; *alia anni* 876 906 b
Tietar fluvius Extremaduræ, *quem S. Petrus de Alcant. mirabiliter trajecit* 702 b c
† Timothei basilica Remis 902 c f
Tironellum abbatia. *Ejus initia* 1032 e f
Tironenses *monachi laudati* 1011 b. *Confusi cum Saviniacensibus* 1016 f
Tociacum oppidum 1003 e, 1005 e
Tocqueville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 617 b
Toleti *S. Petrus de Alcant. convenit S. Teresiam* 743 e f
Tolosa. *Rex gentilis anonymus* 369 f
Tonnavilla parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 612 f
Torigneium, Toriniacum abbatia. *Ejus exordia* 1037 d e
Tourlaville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 618 f, 620 f
Traisen. *Vide* Drasa.
Traismauer vicus Austriæ 962 a, 963 e
Trappa abbatia. *Ejus initia* 1032 a b
Tratiacum in diœc. Autissiod. 1004 d, 1007 a
Trebnicium. *Videtur fuisse schola puellaris* 306 c d *Ejus fundatio ab Henrico Barbato* 206 e f, 207, 208, 209 a-d; *bona* 209 c; *anno* 1810 *supprimitur* 209 f
Trecæ civitas Galliæ. *Ibi floret S. Aderaldus* 980 et seqq.
Trecense Concilium *anni* 1104 1000 c
Tredarzec, prope Trecorium in Britannia minori. *Colit S. Levianum* 58 c
Treviri. *S. Justi pueri caput servatum ibi non fuit* 336 d, 337 a b. *Episcoporum successio primis sæculis* 36 c d. *Trevirensium antistitum Catalogi* 19 b-f
Tribehou vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 618 f
Tricastini *destinguendi a* Tricassibus 350 a
† Trinitatis ecclesia. *Forte* S. Trinion's Church in Mannia 890 a
Troannum magnum (*vulgo* Trouand-le-Grand) vicus diœceseos Trecensis 987 e, 988 e
Truebenbach castrum Germaniæ 956 c, 959 e
Trunceto (ecclesia S. Martini de) in diœc. Autissiodorensi 1004 d, 1007 a
† Trutperti ecclesia in Brisgovia 920 e
Taffiacum monasterium, *a S. Berario fundatum* 153 f, 154 a b
Tulket, *incunabula Furnesii* 1024
Tungrensis Ecclesia *a Leodiensi pretiosum accipit donarium* 36 f
Turninum (Deurne) prope Antverpiam. *Colit S. Fredegandum* 368 c
Turones, metropolis Lugdunensis tertiæ 31 d
Turqueville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 613 d, 615 e, 617 a
Tyanorum civitas. *Dat nomen cohorti* 429 c, 432 a
Tyhangia prope Hojum in Belgio. *Patrimonium S. Joannis Agni* 367 c, 368 d
Tyne, duplex fluvius Angliæ . 178 f

U

Valencenæ *habebant partem capitis S. Lucæ* 309 c d
Valentia in Hispania. *Habet duos digitos S. Lucæ* 309 b
Vallis-Badonis prope Bajocas. *Patria B. Serlonis* 1011 f

Valles

Valles Cernaji *seu* Sernaji. *Hujus abbatiæ origo* 1025 b
Vallis Clausa, *vulgo* Vaucluse. *Corpus S. Verani fuit ibi depositum* 473 d e, 464 a b d. *Loci descriptio ex Petrarcha* 472 f, 473 a
Vallis Crucis 1035 b c
Vallis Crucis *seu* Languest abbatia. *Ejus initia* 1037 f, 1038 a b
Vallis Dei prioratus 1038 c, 1039 c
Vallis Dioleti *(gallice* Vaux-Dieulet) parochia diœceseos Remensis. *Reliquiæ S. Gertrudis Virg. et Mart.* 273 c-f, 274 a
Vallis S. Mariæ. *Vide* Crokesden.
Vallis S. Salvatoris *seu* Douska abbatia. *Ejus initia* 1038
Vallis Vaveris. *Ibi conditum a S. Meneleo Menatense monasterium* 528 d, 530 b
Vallisvetus. *Vide* Vetusvilla.
Vallivilla *(vulgo* Vauville) vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 609 f. *Ibi moritur B. Thomas Helias* 599 d, 611 f
Valloniæ *(vulgo* Valognes) oppidum diœceseos Constantiensis in Gallia 600 e, 601 a, 605 e, 622 e
Vallumbrosani *laudati* 1011 a
Varreville vicus diœceseos Constautiensis in Gallia 621 b
Varziacum, castrum apud Autissiodorum 1002 e, 1003 d, 1006 b
Vaucella locus diœceseos Trecensis 987 f
Vaucluse. *Vide* Vallis Clausa.
Vauville. *Vide* Vallevilla.
Vecta (Wight) insula 1026 d. *A S. Wilfrido evangelizatur* 966 b c
Veklacstorff villa diœceseos Passaviensis 957 d
Venedæ. *Vide* Winidi.
Venetiæ *dicuntur possidere corpus S. Lucæ* 303 b
Ver parochia diœceseos Bajocensis in Gallia 616 c
Veri, urbs episcopalis provinciæ proconsularis in Africa 107 f
Verona. *Ejus reliquiæ* 333 d. *Veronensis diœcesis ad quam pertineret provinciam* 906 b
Vesly vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 618 c
Vesontio. *Visitatur a S. Petro Damiani* 187 f, 188
Vetherai. *Vide* Abbington.
Vetusvilla abbatia. *Ejus initia* 1031 a b
Via Sancti in vico Magniaco 89 d
Viasperum *(vulgo* Viàpres) locus diœceseos Trecensis 987 e
Viciosæ *conventus descriptio* 723 f
† Victoris canonici Parisienses. *Institutio* 1001 c
† Victoris ecclesia in diœcesi Trecensi 987 e
Videcöville vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 620 e
Vienna in Delphinatu. 374 a
Villa Nucei, *probabiliter* Ville-noce, in agro Trecensi 360 e
Villa-Veridis oppidum in Hispania 711 e
Villa *seu* Villars-en-Azois vicus 359 f
Villacerf vicus diœceseos Trecensis in Gallia 986 f. *Reliquiæ S. Aderaldi* 988 d e f, 989
Villacum oppidum Carinthiæ 964 f, 965 a
Villacum Pannoniæ oppidum 965 d
Villare, *villa Floriaci* 1001 b c
Villare locus diœceseos Trecensis 987 f
Villare Caniveti, *abbatia in diœcesi Sagiensi* 1024 b
Villare Turnosum (Villers- le-Tourneur, dép[t]. Ardennes, arrond. de Rhetel). *S. Sindulphus est patronus* 895 d
Villars (le) *vel* Villare locus haud procul Anicio. *Quidam perhibent S. Theofredum ibidem occisum* 520 b
Villeta vicus diœceseos Trecensis 987 b f
Vinatio (S. Andreas de). *Vide* Goffer.
† Vincentii monasterium Wratislaviæ 237 f, 240 b
Vincula S. Petri. *B. Alexander III ibidem inthronizatur* 192 a
Vindefontaine parochia diœceseos Constantiensis in Gallia 614 a
Virandevilla diœceseos Constantiensis in Gallia vicus *aliquandiu habuit corpus B. Thomæ Heliæ* 602, 603, 604 e
Visloco fluvius in Polonia 1088 f
Vistula fluvius Cracoviam alluens 1050 a
† Viti basilica Remis 902 d, 903 d
Ulciense monasterium 373 e f, 374 c, 375 c e, 376 d e
Ulspruch, *forsan* Ursprung prope Salisburgum 950 c, 952 b
Ultzhilinga villa ecclesiæ Salisburgensis 914 b
Ulyssipo urbs Lusitaniæ *a christianis expugnata* 281 d. *Ibidem in aula moratur S. Petri de Alcant. ingenti cum ædificatione* 710 a b c d
Vœckla amnis Germaniæ 952 c
Vœcklamarkt vicus diœceseos Salisburgensis 952 c
Vol, Volitanum oppidum. *Vide* Bolitanum oppidum.
Volkermarkt oppidulum Carinthiæ 952 c
Vretot vicus diœceseos Constantiensis in Gallia 620 a
Urta, (Ourte), rivus Belgii 335 a, 365 b, 366 a b, 368 a, 369 a
Use, fluvius transiens per Buckingham 96 b
Utzetica, *seu* Uzetia, civitas episcopalis in provincia Narbonensi 378 b
Wakering ad ostia Tamesis 94 e f, 95 a c, 98 c
Walarius locus *(vulgo* Wallersee) in ditione Salisburgensi 929 e
Walcedorum (Waulsort) in diœcesi Namurcensi. *Colit S. Eloquium* 367 b, 368 c d
Walchwitz villa in diœcesi Salisburgensi 934 b
Walckenreda Saxoniæ cœnobium 280 a
Wallersee. *Vide* Walarius.
Walonis Capella. *Vide* Capella Walonis.
Walton (Ecclesia de) 1036 e
Wandesleydale. *Vide* Jorvallensis.
Warchi (ecclesia de) in diœc. Autissiod. 996 b, 1004 d, 1007 a
Waverleja. *Pugnat cum Furnesia de præcedentia* 1017 d, 1024 d, 1025 a
Weisdorf *olim* Croscina in districtu Oppelensi 261
Werfen vicus ditionis Salisburgensis 760 a-f
Werthense monasterium (Werde) in superiori Bavaria *a B. Rassone fundatum* 203 e
Wesna, *hodie* Wiese, prope Trebencium 255 a, 262 a
West Rye in Sussexia 93 f
Wetheney, Wethnea. *Vide* Abbington.
Wethirlaghan. *Vide* S. Crucis monasterium.
Whilby, *olim* Streneshala, in comitatu Eboracensi 968 a
Wiakering. *Vide* Wakering.
Wight. *Vide* Vectæ.
Winidi *origine Slavi, in Thuringia morantes, Sumonem sibi præficiunt* 499 ; *Francos Austrasios in prælio cædunt* ibid. e f ; *Belli continuatio sub Dagoberto I, hujusque filiis* 500 a b c d e ; *Contra Winidos videtur S. Aquilinus, ante sacerdotium, arma tulisse, sub Clodovæo II* 500 e f, 501 a b
Vulpeleria *(forsan hodie* Verpillières) locus diœceseos Trecensis 987 f
Wodeney, Woney, Wotheney. *Vide* Abbington.
Wormatia civitas Germaniæ 914 d, 929 d, 931 f
Wratislavia. *Ope S. Hedwigis obtinet Nosocomium* 210

210 e f; *Metu hostium incensa* 217 b; *Conventus FF. Minorum* 269 b
Wulfini abbatia. *Vide* Abbatia.
Uxellodunum. *An idem quod Capdenacum* 181 f

Y

Yduach regio in Hibernia 897 b d e
Ynes (abbatia de). *Ejus origo* 1024 e f
Ynescuscre, insula 1024 e
Ystrat Marchel. *Vide* Stratmargel.
Yvetot in diœcesi Rothomagensi. *Parthenon* 1040 b

Z

Zamora urbs episcopalis, *ubi conventus Alcantarensium* 734 d e
Zazza, locus haud procul ab Alcantara 710 a e
Zell ad lacum vicus diœceseos Salisburgensis 934 b
† Zenonis monasterium in diœcesi Salisburgensi 953 d
Zeugma. *Pontem super Euphraten habebat* 351 e
Zegere. *Vide* Ozecarus.
Zutphania. *Reliquiæ S. Justi pueri ibi cultæ traduntur, sed potius S. Justi Atrebatis* 336 c d e f, 337 a b c d e, 369 b, 371 e

INDEX ONOMASTICUS.

A

Abbatia *de* canonia *dicta* 89 a
Adversaria, *diarium* 591 b
Agarena plebs, *Saraceni* 532 e
Aldermannus. *Vide* Kalfkineg.
Alleluia, *vox acceptantis et gratias agentis, etiam clamor bellicus* 179 b
Allophyli *alterius tribus, extranei, barbari* 515 e
Alodium, *prædium immune, liberum* 987 c
Ambrosiani hymni *dicti etiam cantus in exequiis* 98 b, 100 b
Ansutus, Answit, *sodalis sapiens* 181 c
Archiclavus, *thesaurarius* 984 e
Arcisterium, *asceterium* 98 e
Arcus, *apsis* 970 b

B

Bacho, *porcus Saginatus* 241 d, 245 e
Bacularius, *baccalaureus* 942 f
Banniti, *vocati;* Bannum *editum seu denuntiatio alicujus rei* 500 c
Bladum, *frumentum* 616 e, 987 f
Boscus, *silva* 617 b
Brachiatus, *longa habens brachia, joculare nomen* 191 f
Broca, *veru, fibula* 610 b
Buhot, *repagulum putei* 618 a
Burellus, *pannus vilis ac spissus* 609 e
Bustula, *pellicula, folliculus* 956 a, 958 b

C

Caër, *britannica lingua Urbs* 533 c
Calybitæ *nomen unde* 128 f
Camelinum *idem ac* Camelotum *pannus ex pilis camelorum confectus* 230 a
Camera, *cubiculum* 607 b, 611 f
Camerarius, *homo obligatus servitio personali erga dominum* 230 c
Companarius, *æris compani opifex* 611 b c
Canapum, *cannabis* 938 c
Capellania integra totius Capellaniæ 332 d e
Capicium, *pars ædis sacræ, ubi altare statuitur* 457 a, Capicerius, *Galliæ* Chevecier, *cui cura capicii incumbit* ibid.
Cardiaci, *corde seu stomacho laborantes* 52 c, 53 d
Carpentarius, *faber lignarius* 955 f
Carrucata, *tantum terræ, quantum uno aratro coli potest per annum* 101 d, 102 f, 562 e
Casamentum, *casa, habitaculum* 987 c, 988 a
Catalogus Patrum, *Martyrologium* 975 b, 978 f
Clausum, *ager septus, vinea clausa* 598 d, 987 f
Clima, *regio* 51 e
Clito, *agnomen filiorum regiorum apud Anglosaxones* 101 c
Clypeator, *quandoque sculptor in metallis* 252 e, 261 e
Cœnopegianum *pro quovis festo sumptum* 527 b, 529 e
Colum, *vasculum, ampulla* 569 f
Comestum, *epulum* 985 f
Condominitati *quid essent* 1003 d, 1006 b
Copuletum *monetæ genus in Italia*
Corach *quid apud Hibernos significaret* 898 d
Cordula, *funiculus* 938 c
Cortis, curtis, *villa, colonia* 914 a, 984 e
Creticatio, criticatio, *crisis in morbo* 618 a
Cruciger, *argentum cruce signatum* 960 f
Cursus matutinus, *Laudes, pars divini Officii* 339 b, 340 c
Cussinus, *pulvinus* 948 b

D

Dear-born, *weregeldam pro nobilioribus* 94 a
Debriare, *inebriare* 97 d
Diaconicum, *hodie sacristia* 878 d, 881 a
Domes-Dei, *dies judicii* 552 e
Dorsalia *quid essent* 1002 a, 1006 a
Dotalitium, *fundatio ecclesiæ* 377 c

E

Eliminare *extra limina trahere.*
Escrares, *scrofulæ* 617 b

F

Falconista, *qui accipitres curat* 954 c
Ferto, *quarta pars assis* a, 240 c
Figuraliter, *cantu figurato* 948 b
Fistura, *fistula, ulceris genus* 617 c
Floccus, *cucullus monachicus* 947 e, 948 a
Follus, *fatuus* 616 e
Formula, *sedes precatoria* 610 d
Forste, *silva* 924 e

Garba

G

Garba, *spicarum manipulus* 616 f
Germanus consobrinus *patruelis* 100 a b
Gladiator, *ensium faber* 956 f, 957 a
Gleba, *cadaver* 330 d, 335 a, 341 f
Grangia, *prædium rusticum* 987 f
Gratiare *agere gratias* 100 b
Gregorianum organum 98 b, 100 b c
Grossitas, grossities, *crassitudo, tumor* 613 d
Grossus, *densus, crassus* 613 b, 614 b, 626 c
Guidellus, *retis genus* 611 f, 616 f
Gutta, *morbus articularius* 613 c, 614 b e, 615 a

H

Halfkineg *seu* Aldermannus *quid sit* 95 e
Hercea, hercia, hertio, *occa* 616 d e
Hertissere, *occare* 616 d e
Higa *quid sit* 687 c
Hussum, *ilex aquifolia* 610 b

I

Inferendales vaccæ, *quæ singulis annis inferebantur seu dabantur in censum* 500 a
Ingrossare, *luculentius scribere* 946 d
Innocentes, *pueri et adolescentes dicti* 94 e, 96 d e, 97 a c, 98 d e
Jubileum, *sensu spiritali* 97 c
Juniores, *milites* 358 e f
Jus archidiaconale 332 d e
Justitia episcopi, *ejus jura* 1010 f
Justitia ecclesiastica post episcopum 332 d e

K

Κολοβός *mutilus, curtus* 46 f, 47 a

L

Larwa, *doctor* 975 d, 979 a
Lectus, *altare* 117 a
Lichno se metiri, *candelam ad altitudinem suæ staturæ vovere* 390 d
Lora, *sustentaculum* 941 d, 953 f, 954 c d

M

Madroscho, *lingua Syriaca, ode ex strophis fere constans* 348 c d
Mansus, *mensura agraria* 237 d, 240
Martyrium, *ædes martyris* 427 b c
Meditationis sacrarium, *ecclesia* 97 c
Micrologus, *epitome seu breviarium, breviculum* 530 d
Missalii, *internuntii, qui viva voce negotia pertractant* 180 d
Missorium *quid esset* 902 f
Murlare, *stercorare* 562 b

N

Nepos *quid significet* 886 d e
Neptia, *fratris vel sororis filia* 925 b

O

Oamma *pro* flamma 196 b
Oblatio, *cathedraticum* 197 e
Ordinatio *Papæ pro nuda inthronizatione* 196 a
Ordines, *orationes apud Syros* 350 c
Organum Gregorianum 98 b

P

Palla *duplicis generis* 71 e
Palmarii, *peregrini Hierosolymitani* 171 d
Panis similaginis *non necessario triticeus* 230 a
Paratæ, paretæ *seu* paredæ jus 1006 a
Pastores *an dicti olim parochi* 900 f, 901 a
Peculium, *quæcumque res mobilis* 974 e, 978 e
Peripsima, *idem ac* Peripsema 230 b
Phlogosis, *inflammatio* 1100 f
Phylacterium, *theca reliquiarum* 991 b
Pica, *Directorium sacerdotum* 551 a
Πικολοβός *idem ac* Κολοβός *cum articulo Coptico* 47 a
Pietas *misericordiam jam primis sæculis significabat* 826 c d
Pileator, *pilopœus, pileorum opifex* 956 e
Pitacium, *scheda* 914 a
Pitantia plenarie et successive *concessa* 1008 b
Plerique, *multi* 933 d, 994 f
Pœnosa septimana, *hebdomas sancta* 616 d
Prooemia, *orationes apud Syros* 350 c
Pueri, *milites* 338 f
Pueri *dicti servi seu fratres laïci Avellanensium* 197 a b

R

Redecima, *decima pars decimæ* 987 f
Relicta, *vidua* 617 a
Repeciare, *pannum panno superponere* 663 d

S

Sabæ *cognomen senem significat* 347 b, 349 a, 353 d
Sacrarium, *ecclesia* 330 c
Salvamentum, *prædium munitum* 988 a
Scara, *militum turma* 499 f
Scarlatum *seu* Squalata *color maximi pretii* 229
Schihet, *vox Coptica, latine : Trutina cordis* 39 c, 40 e
Sciahdustes, *amicus regis* 379 c
Scieigiaret lttaa, *id est, Arbor obedientiæ* 40 e
Scopæ, *flagelli genus* 233 b f
Secretarium, *chorus ecclesiæ* 979 e
Sedræ, *orationes apud Syros* 350 c
Senius altare, *altare præcipuum* 1002 f, 1005 f
Septembrius mensis, *more græco* 323 d
Serviens, *famulus* 611 f, 987 a
Signetum, *signum, nota* 948 a
Sotulares, *calcei* 616 f
Sponsalitium *dotatio ecclesiæ* 377 c
Subtalares, *calcei* 616 f
Suffossorium quod bessam dicunt 100 d

T

Taxare, *dicere, scribere* 97 e
Theotocium, *versiculus in laudem B. M V.* 134 c
Topor, *ascia, securis* 1100 a
Truncus, *arcula* 940 b, 941 f, 960 e

V

Veredarius, *nuntius, cursor* 530 d e
Usuarium, *jus utendi* 988 a
Weregeldum, *compensatio pro cæde viri* 93 f, 94 a, 98 f, 101 c

X

Xeniorum canon, *cathedraticum* 197 c

INDEX MORALIS ET REALIS

A

Abbas *constituitur à prædecessore* 896 c e. *Abbates primarii et secundarii* 919, 920 a b c. *Abbates dicti superiores eremitarum* 1006 d e. *Abbas dictus eremitarum superior* 1023. *Abbati dignitatem ponit B. Serlo* 1011 b. *Abbatiarum fundatores, tituli, originis seu fundationis tempus quomodo investigandum* 1020 et seqq.
Abbatissæ *juvenculæ prohibentur* 110 b c
Abscondita *prænuntiat S. Petrus de Alcant.* 743 c d
Absens *S. Petrus de Alcant. cum S. Teresia colloquitur* 742 b c
Abstinentiæ *utilitas* 48 b d. *Abstinentia S. Juliani Sabæ* 347 e, 348 a, 349 f, 353 c. *Abstinentia S. Petri de Alcant.* 662 b c d e
Academia *Cracoviensis a quo et quando fundata* 1049 e f, 1050 a b c d, 1065 d e, 1066 b c
Actorum Apostolorum *auctor S. Lucas* 288-295
Acta *unius sancti aptata alteri* 323 c f. *Acta Martyrum, propter miracula, in iis relata, non sunt rejicienda* 817 c. *Acta Sanctorum recentiorum aliter scribenda quam acta antiquiorum* 651 f, 652 a
Adoratio relativa *SS. Imaginum* 136 et seq. 146 a b
Adversaria, *Luitprando tributa, erroribus et mendaciis scatent* 591 c d e
Ægrotos *sanat S. Aderaldus* 992 b
Aera Daciæ *determinatur* 320 b c
Aera Græcorum *duplex* 841 b c d e
Ætas *ad episcopatum requisitur non semper eadem* 820 e. *Ætas apta ad magistratus apud Romanos capessendos* 845 f. *Ætas juvenilis ad annum* XL *extendebatur* 820 e
Agapæ pro mortuis *tempore S. Arsenii* 47 e
Altare portatile *S. Willibrordi* 35 e f
Altercationes *solitudinis quietem turbant* 45 e
Amicitiam *colit S. Petrus Damiani* 194 a b, 196 b
Amor *Dei et proximi* 668 f et seqq.
Anachoretæ *plerumque viri docti* 132 f
Angelus *adstat S. Joanni Colobo dormienti* 46 a. *Angelus S. Petro de Alcant. panes subministrat* 743 c. *Angelorum militiæ adscripti Christiani* 430 d
Animalia mystica *variis Evangelistis adscribuntur* 313 b d, 971 f
Anniversarium *pro B. Humbaldo* 1002 b c
Annona, *fratribus discalceatis cælitus submissa* 682 c d e f et seq., 705 c d, 733 a b c d, 751 c d e
Annulus *pertinet ad insignia patriciatus* 191 d
Annus *lunaris compositus cum anno solari* 841 e f
Antrum *S. Juliani Sabæ* 353 e
Anus *janitrix* 46 e
Apis argumentosa *in Officio S. Cæciliæ corrupte ponitur loco* Ovis 670 a b
Apophthegmata Patrum 43 f, 44 a
Apparitio *Christi et S. Francisci S. Petro de Alcant. itineranti* 718 b. c. *Apparitio S. Petri de Alcant. duobus viris piis* 737 d e. *Apparitiones Sanctorum in morte S. Hedwigis* 246 d
Approbatio *quorumdam miraculorum in ordine ad canonizationem non destruit fidem aliorum* 1100 a b c
Arabici *equi, jam in pretio sæc.* XII 179 f
Arbor obedientiæ *in Scete. Nomen ex miraculo* 40 c d e f, 42 a, 43 e, 44 b. *Arbor describitur* 40 d. *De eadem scripsit Sulpicius Severus* 40 f, 41 a b c d e
Archidiaconi *dignitas* 984
Argumenti negativi *valor* 819 e
Ariana hæresis *in Gallia* 52 c f
Aromatibus *SS. Martyrum corpora inspersa* 433 a
Articuli *seu documenta de vita spirituali submissi a S. Petro de Alcant. S. Teresiæ* 724 f, 725 a b c d e f. *De iisdem disquisitio critica* ibid. f, 726 a b c d
Arthritide *laborantibus succurrit B. Thomas Helias* 613 c, 614 b c e, 615 a
Ascetæ, *priscum monachorum et eremitarum nomen* 426 b c; *Ascetarum et monachorum distinctio, ab Antonello excogitata, non probabilis* 356 b
Asyli *violatio* 51 c
Avaritiæ *omnino expers B. Rodulphus Eugubinus in puniendis clericis* 195 f
Auri *graviter læsæ succurrit S. Vitalis* 961 a b
Austeritas *S. Hedwigis* 230 d e f, 231, 232, 233

B

Baculus *S. Petri de Alcant. terræ infixus, in arborem excrescit hodie adhuc virentem* 656 e f, 730 f, 731 a b c; *alterum cuidam tradit mulieri, cujus ope plures sanantur* 748 c d
Baptisterii *septem gradus* 97 c, 99 f, 100 a
Baptizatis *nomen etiam primis sæculis quandoque imponebatur* 826 c
Basilicæ *multæ Remis* 902 c d
Beati *titulum dat suo sodali non diu post mortem S. Petrus Damiani* 189 a
Beatificatio *S. Petri de Alcant.* 789 c d e f
Benedicentis gestus *in imaginibus græcis non indicat semper presbyterum* 124 f
Benedictionem *S. Juliani Sabæ genibus provoluta excipit mulier* 357 e
Bilocationis *quædam species* 728 b c d e
Blasphemus *in S. Accam punitur* 974 f, 975 a
Bona ecclesiastica *male alienata* 192 c d e
Bona opera *ad salutem valere tenet S. Nothelmus* 129 a
Bos ferreus, *supplicii genus* 133 f
Brachiis *male affectis medetur intercessio S. Vitalis* 951 a, 955 b, 956 a, 958 f, 959 a, 960 c; *Item intercessio B. Thomæ Heliæ* 612 c, 613 c d, 614 a b
Breviarium, *ad sacerdotium sese parantes, describebant* 1084 c

C

Cæca *per intercessionem S. Justi pueri illuminatur* 342 d; *Cæci Reliquiis S. Accæ illuminantur* 974 b c
Calceorum *usus domi vetitus Avellanensibus* 195 e, 197 e
Calculi *dolores ope S. Vitalis sublati* 956 c d, 957 a b, 958 a b
Calvi *fieri dicuntur qui in tumbis martyrum dormierint* 374 a b
Cannarum *ludus, quid sit* 674 d, 675 f
Canonica *vita et regula Trecis a S. Aderaldo instaurata; ejusdem relaxatio et aliqua restitutio* 985, 986

986 c-d, 992 b c d; Canonici *aut clerici regulares differunt a monachis* 67 e f; Canonici regulares *Culdeis suffecti* 168 c d; Canonici regulares *instituti in Villa S. Justi* 332 e

Canonizationis *ritus et ordo sæculo* XIII *observatus* 222 e f; Canonizatio *procedens per* viam non cultus, *fit probatis duobus, per viam* casus excepti, *probatis quatuor miraculis* 1055 c d; *B. Joannis Cantii Romæ et Cracoviæ* 1058 b c d e; Canonizatio *S. Hedwigis* 362 f; Canonizationis *S. Petri de Alcant. Bulla* 799 et seqq. *Solemnitas, cæremoniæ et expensæ* 803 et seqq.

Cantabri *panis usus apud Avellanenses* 197 b

Cantus ecclesiasticus *paulatim deflexit* 972 c

Capitulum generale *quotannis Saviniaci instituit B. Gaufridus* 1010 e

Capitis gestatio *miraculum suspectum* 328 f, 339 a, 340 b

Carceres *adeunt Christiani, visitaturi martyres* 428 f, 429 a

Caritas proximi *fundamentum perfectionis* 46 d; *Caritas spiritualis in benefactores* 46 d; Caritatis *necessitas* 48 e; Caritas *potior humilitatis exercitio,* 44 c d; Caritatem *exercens erga pauperem, S. Justus puer cum vestibus suis induit* 324 c, 338 e; Caritatis *causa debilem se fingit S. Joannes Colobus* 45 b; Caritas *mutua Asterii et magistri sui S. Juliani Sabæ* 355 b; Caritas *S. Hedwigis ad proximum* 237 c-f, 238, 239; Caritas *S. Petri de Alcant. in Deum* 756 f et seqq. *in proximum* 758 a b c d; *facta particularia* ibid e f et seq.

Carmelitæ excalceati *oratorium S. Caprasii juxta Agennum incolunt* 822 f

Casei *S. Vitalis* 934 c

Castitas *sacerdotum egregie commendata a S. Verano Cavellicensi* 460 a b c; *Castitatis votum in conjugio* 507 c d e f, 509 a b; Castus *fugiat pueros* 44 c; Castitatis *exemplum B. Humbaldus* 1004 e; *Castimoniæ curam habet S. Petrus de Alcant. moriens* 780 a b; Castitas conjugalis *S. Hedwigis* 225 d e f

Census Romanus *mulieres et parvulos quandoque annumerabat* 294 c d e

Cerebrum *S. Hedwigis, corrupto reliquo corpore, illæsum* 263 f

Cerei *rivo circumpositi in honorem S. Justi pueri* 330 f; Cerei *minores duo olim cum cereo paschali accendi et circumferri soliti* 991 b, 994 b c d

Cespes *signum oblationis acceptationis terræ* 176 c, 179 b

Chlamys *pertinet ad insignia patriciatus* 191 d

Chrisma *confertur ab episcopis in Anglia* 97 c

Christiana religio *primo jam sæculo ubique diffusa* 26, 27, 28 a b

Christus *sub persona leprosi apparet S. Ethbino* 480 f, 481 a, 487 c d e; Christus *S. Petro de Alcant. prandenti ministrat* 666 c d

Chorda *seu cingulum S. Petri de Alcant. pluribus sanitatem confert* 683 f et seqq. 790 c

In chronologia *numerus dierum quandoque integrum mensem excedit* 83 d e; Chronologia *perturbata sub Stephano Angliæ rege* 1016 a, 1021 f, 1022

Cilicium *horridum, quo utebatur S. Petrus de Alcant.* 664 a

Cingulum, *insigne præcipuum militiæ* 870 e, 875 a. Cingulum *S. Vitalis aut S. Ruperti dictum, parturientibus salutare* 945 a b, 949 c d e, 961 b d e f 962, 963 a-d

Circulus ferreus, *pœnitentiæ instrumentum* 195 c

Circulus patricialis 191 b

Circumvectio *reliquiarum SS. Taurini et Aquilini in Burgundia* 503 c

Cista Academia *S. Frideswidæ, Oxoniæ* 551 b c

Clamor *insolitus a S. Petro editus, superveniente raptu* 672 f, 673 d

Clareni, *ex primis Ord. Seraphici reformatoribus, unde nomen suum habuerint* 630 d e f

Claudum *sanat S. Julianus Sabas* 358 a b

Clausura *a monialibus sæc.* XII *non semper observabatur* 974 e, 978 e

Clerici *rus incolebant antiquitus* 66 c. Clericorum *famæ parcit B. Humbaldus* 1004 f

Cochlearia *testamento data* 902 b

Cœlibatus *sacris Ordinibus et monachis impositus* 166 f, 167 a. *Cœlibatus impositus etiam conjugatis, promotis ad sacros Ordines* 63 a

Cœmeteria *quamdiu extra mœnia* 886 e f, 887 a. *Cœmeterialis ædicula Remis* 902 f. *Cœmeterium dum consecratur, donationes firmatæ* 1031 b

Cœna Domini (In) *pauperes donat B. Humbaldus* 1004 e

Cogitationes *parce manifestandæ* 48 e f

Cohortes *militum unde cognomen haberent* 429 c, 432 a

Cometa *apparet, ubi S. Petrus an.* 1558 *Abulam ingreditur* 721 f, 722 a; *quo viso, mortem sibi imminere dixit Carolus V imp.* ibid. a b. *Quid de hujusmodi apparitionibus sentiendum* ibid. b c d

Concilia *plerumque feria* II *inchoabantur* 151 d. *Concilium aliquod Anglicanum nil forte aliud quam conventus civilis* 93 f, 100 c d

Concionum *efficacia unde enascatur* 677 c d. *Quam fructuosæ S. Petri de Alcant. conciones* 687 f et seqq., 769 et seqq.

Concordia *inter cives restituta* 710 e, 711 b c

Confessio sacramentalis *optima præparatio ad recuperandam salutem corporis* 251 f, 252 a. *Confitetur sacramentaliter patriarchæ Hierosolymitano Nargaudus de Tociaco* 1001 b c. *Confessarii S. Hedwigis* 233 f. *Confessio facta Deo in hora mortis, absente presbytero* 996 c, 1005 a

Confraternitatum *antiquitas* 309 e f

Conscientiæ *latebras perspicit S. Petrus de Alcant.* 771 d e f

Consistorium *triplex habendum ante canonizationum solemnia* 1056 c d e

Consulis *in Polonia dignitas describitur* 1049 c

Constantia *S. Vari martyris* 429 et seqq. *Constantia S. Joannis Parvi adversus dæmonem* 48 d

Contemptum *quærebat S. Petrus de Alcant.* 760 e f et seq.

Contractio *membrorum curatur ope S. Vitalis* 950 b c d, 951 a e f, 954 b c e f, 955 a b d, 957 c d, 960 b, 961 c. *Item ope B. Thomæ Helæ* 616 b c d, 618 c, 619 b

Conventuales *ab Observantibus separantur; his præest minister, illis magister generalis* 631 c d e

Conversio *clerici cujusdam Abulensis* 738 f, 739 a b c d. *Conversio nobilis cujusdam juvenis Abulæ* 674 e f

Conversorum *in monasteriis initium* 197 b

Convivia annua *fundata pro clero Remensi sæculo* VI 886 b. *Convivia exigi a presbyteris vetat B. Humbaldus* 1004 d

Cruciferi, *Teutonici equites* 1048 e

Cruribus *male affectis medetur intercessio S. Vitalis* 953 e f, 954 c, 956 a e f

Crux *signum primorum christianorum* 34 a. *Crux manu gesta, sæpe martyrii signum apud Græcos* 427 a. *Crucis signo morbos pellit S. Aquilinus* 509 e f. *S. Crucis reliquiæ quanto in honore apud Hibernos* 1035 a. *Cruces S. Petrus de Alcant. erigebat in locis eminentioribus et montium jugis* 707 d e f. Crucifixi *aspectus B. Thomas Helias ad*

ad lacrymas commovetur 608 d f
Cubicula *S. Joannis Cantii in ædibus academicis Cracoviæ adhuc spectanda* 1060 a b
Culdei, *eorum institutio, patria et fata* 165 b-f, 166-168
Culparum exaggeratio *adhibita a S. Petro Damiani in gubernio* 195 b, 196 e

D

Daciæ æra *determinatur* 320 b e
Dæmonis *astutia a S. Frideswida delusa* 564 e f. *Dæmonem, formam hirundinis ementitum, templo expellit S. Joannes Cantius* 1067 e f, 1068 b. *Dæmonis fraus detecta a S. Petro de Alcant.* 687 a b c. *Dæmoniaci detegunt corpus S. Andreæ M.* 148 c, 149 d. *Dæmoniaci liberantur ope S. Vitalis* 950 a b c e, 951 d, 953 c
Dalmatica, *seu veste diaconali utebantur episcopi* 974 a, 977 f
Debilitati *membrorum medetur intercessio B. Thomæ Heliæ* 612 e. 613 d, 614 a b, 615 e f, 619 c e, 620 a c d e f, 621 a
Decimarum laïcalium *origo* 366 b
Dedicatio *ecclesiæ Carnotensis* 5 c. *Ecclesiæ de Aqua Carnotensi Ord. Cist.* 5 d. *Ecclesiæ Cisterciensis* 5 d. *S. Emerii Guialbis in Catalaunia* 5 d. *Majoris ecclesiæ Urbini* 385 c ; *ecclesiæ Servorum B. Mariæ Parisiis* ibid. *B. Mariæ de Valcellis* ibid. *Regalis Montis in agro Bellovacensi* ibid. *sacelli S. Tryphonis in ecclesia apostolica Constantinopoli* ibid. f
Dentium *dolor ope S. Vitalis depulsus* 952 f, 955 a, 958 c
Descriptio, *census tum fundorum tum capitum* 293 c
Detractionis *peccatum quanta sollicitudine sit vitandum* 44 f, 45 a
Devotio *S. Hedwigis* 234, 235, 236, 237 a b. Devotio *S. Petri de Alcant. erga SS. Eucharistiam, Dominicam passionem, B. M. V.* 778 c d e f et seq.
Dierum *numerus in ætate as ignanda quandoque integrum mensem excedit* 83 d e. Dies mensis *per numeros ordinales designati sæculo* VIII 323 d. Die dominica *ordinationes episcoporum celebrantur* 150 e f. Dies festos *ut Græci sæpe sanctis assignent* 427 a
Difficultates *prævidet S. Petrus de Alcant. iisque fortiter resistit* 745 e f. Difficultas *patienter tolerata* 717 e f
Diœceses *initio Ecclesiæ habebant incertos fines* 35 c
Discalceatæ regiæ *Matriti* 723 b c ; *earum confessarii* 726 f. et seq.
Discalceati *ante S. Petrum de Alcantara* 640 d e f; *non differunt essentialiter a Recollectis et Reformatis* 641 c d e f
Disciplinæ *usus apud Avellanenses* 197 c d. Disciplina *seu spontanea verberatio, licet antiquitus ignota, postea tamen laudabiliter adhibita* 624 e
Discretione spirituum *S. Petrus de Alcant. donatus* 686 b c d e f. *S. Teresiæ spiritum probat* ibid. b c d e
Dispensationum *pericula in monasteriis* 1017 d e
Doctrina *cum virtute conjuncta in decus et emolumentum cedit ecclesiæ* 1102 c
Dominica die *pontifices inthronizati* 191 b
Domo *usus non erat S. Julianus Sabas per quadraginta annos* 357 e f
Dos ecclesiæ *in tres partes distributa* 88 e
Dotalicium ecclesiæ *sunt sancti* 67 c
Draco *medius crepat precibus S. Juliani Sabæ* 349 f, 350 d e
Dux Augustalis, *quid significet et quæ ejus origo* 869 c, 874 c

E

Ecclesiæ *ejus erant episcopi, qui eas consecrarat* 193 f
Ecclesiastica bona *ne laici possideant* 1004 d, 1007 d. Ecclesiasticorum bonorum *frequens usurpatio sæculo* XI *et ante* 1002 et seqq. Ecclesiasticorum bonorum *direptio initium Communismi* 206 f
Educatio puellaris, *quæ fuerit medio ævo* 206 b c
Efficacia *sermonis in S. Petro de Alcant.* 675 e f et seq. 769 f et seq.
Electiones *episc. sæpius turbidæ* 1005 c d
Elevatio corporis *canonizationi episcopali æquipollebat* 107 a
Epacta *antiqua* 841 f, 842 a b c
Epileptici *juvantur ope S. Vitalis* 955 a c d ; *item intercessione B. Thomæ Heliæ* 613 a b, 614 e, 615 e
Episcopatuum *fines initio Ecclesiæ quandoque incerti, quamvis certa sedes* 21 d; Episcopatuum *in Anglia limites et possessores sæpius a regibus sæc.* VII *interturbabantur* 973 b c. Episcopi *egregium exemplum* 1004 d e. Episcopus *olim etiam paucis fidelibus dabatur* 34 e f, 35 a. Episcopus *divinitus designatur S. Bassianus* 49 c. Episcoporum *Sodorensium electio varia* 888 d. Episcoporum *translationes illicitæ sæc.* IV 21 c d. Episcopi *designati ab Henrico IV ab Italis aliquot in locis pelluntur* 188 d
Episcopus Palatinus *seu aulæ regiæ* 69 d
Epistolæ *S. Petri de Alcant.* 608 c d e f, 671 e f, 672 a b c, 734 e f, 744 c d e f, 745 a b c, 747 b c d e
Epitaphium *sepulchro S. Petri de Alcant. appositum* 781
Eremitarum *in Ægypto antiquitas* 426 a. Eremitica vita *ducta in Normannia* 1023 d e f
Evangelii *scriptor S. Lucas* 288-295. *Elenchus eorum, quæ ab aliis Evangelistis aut nullo modo aut vix attinguntur et quæ S. Lucas fusius exponit* 312 e f
Eucharistia *cibus verus Christianorum* 430 d. *Corpus et Sanguis vere adsunt* 430 d. *SS. Eucharistiam sæpius et piissime sumit B. Thomas Helias morbis laborans* 608 e f. *SS Eucharistia in itinere delata* 992 f, 995 d.
Excommunicationis *effectus* 1004 b, 1006 f
Exemplo *debent prælati subditis præire* 690 c d e
Exemptio *concessa ab episcopo* 1010 f
Exordii Magni Cisterciensis *ætas* 1014 c
Extasim *patitur S. Petrus de Alcant. audiens a quodam intonari* In principio erat verbum 755 f
Extrema unctio *quandoque datur personis, quæ videntur adhuc sanæ* 219 a b

F

Familiæ *recta ordinatio in S. Hedwige* 226 b c
Famuli *male tractant S. Petrum de Alcant. decumbentem* 777 c d e
Febres *pelluntur ope B. Thomæ Heliæ* 611 f, 615 b d e, 619 f
Feria sexta *primis sæculis in honore habebatur* 845 c
Festos dies *violans punitur* 251 d
Ficus *mirabilis* 792 d
Fides *theologica* 677 e f. *Gratia gratis data* ibid. f et seqq. 755 c d e f et seq.
Fiducia

Fiducia *in Deum S. Juliani Sabæ ægrotantis* 358 a. *Fiducia in Sanctorum intercessionem mirabilis* 434 d e f, 436 b
Filiationis *litterarum exemplar a S. Petro de Alc. scriptum, cujus tamen authentia nutat* 732 b c d e f
Flagellationis *modus apud Romanos* 870 e, 875 a, 430 e f, 431 a b. *Flagellationis effectus* 138 a b, 141 d. *Flagellationis usus apud Avellanenses* 197 d
Flumen *miraculose pertransit S. Petrus de Alcant.* 678 c d e f, 719 c d, 724 b c d.
Fœminarum *institutio litteraria sæculo* VII 109 e f. *Fœminarum educatio medio ævo* 205 f, 206 a-d
Fons *divinitus demonstratus S. Petro de Alcantara* 683 b c d. *Fons S. Frideswidæ in Buseneia, ad quem olim ingens concursus, nunc derelictus* 541 a b c; *item alter in agro Bomiensi diœc. Atrebatensi* 561 c d
Forma *vivendis suis a S. Petro de Alcant. præscripta* 750 f, 751 a b
Formula finalis *ab antiquo in Actis Martyrum adhibita* 420 a
Fragor spontaneus *circa S. Justi corpus* 334 f
Fragrantia *ex tumulo S. Joannis Cantii* 1090 b e f, 1091 a, 1103 b
Fraternitas *seu pia congregatio in honorem B. Thomæ Heliæ* 598, 599 a, 600 b c d, 604 d, 606 a b
Fraternitatis litteræ. *Vide* Filiatio.
Fuga persecutionis *licita etiam episcopis* 820 d
Fundatores abbatiarum *qui dicendi* 1020 a b
Fundationes Missarum. *Vide* Oblatio.
Furti literarii *insigne in Passerio specimen* 125 a b c

G

Gratia *et dona singularia Sanctorum manifestanda* 666 e f
Gula *quanta tentatio* 45 f, 48 b

H

Hæretici Ariani *jactant S. Julianum Sabam ibi adhærere* 357 c. *Hæreticus a Deo morte punitur* 350 a
Herniosi *ope S. Vitalis sanantur* 956 c d f, 957 a b c, 964 a e
Homicidii *pœnæ cononicæ in Hispania* 912 f
Honores ecclesiasticos *fugit S. Petrus Damiani* 192 f, 193 d
Horror *regibus Angliæ insitus, quo ab ingressu in Urbem Oxoniensem prohibebantur* 538 b c d e f, 539 a b
Humilitatem *cumulat Deus gloria* 46 c d, 47 d; *Humilitas in causa est cur Josepha fratribus sit venditus* 45 d. *Humilitas S. Juliani Sabæ* 355 d. *Humilitas S. Petri Damiani, scripta suæ penes arbitrium discipulorum relinquentis* 194 a. *Humilitas S. Joannis Cantii* 1066 c d e. *Humilitas exterior et interior S. Hedwigis* 227 c-f, 228, 229 a b. *Humilitas S. Petri de Alcantara* 665 c d e f et seqq.; *proximo utilissima* 665 f; *præclarum exemplum* 667 f, 668 a b, 760 c d e f

I

Jejunio *vincitur caro ut civitas obsessa* 44 c. *Jejunio voto obtinetur sanitas* 235 d. *Jejunium in honorem S. Hedwigis sanitatem obtinet* 250 d. *Jejunia S. Aderaldi* 991 c d e. *Jejunia B. Thomæ Heliæ* 607 a-d, 608 a. *Jejunium quadragesimale quando in Anglia institutum* 87 a. *Jejunium ab Ascensione Domini ad Pentecosten usque* 991 c, 994 f, 995 a b
Ignis *mirabiliter extinctus* 727 e
Imagines relative *adorantur* 136 et seqq. *SS. Imaginum cultus a pluribus Sanctis ad sanguinis effusionem usque defenditur* 154 et seq. *Imagines Sanctorum valent ad adstruendum cultum* 996 e f. *Imaginum usus in ecclesiis ad instructionem fidelium* 970 d. *Imago Christi morbos sanat* 878 d, 881 a. *Imago Christi in foribus collegii Cracoviæ, ad quam orabat S. Joannes Cantius. Miraculum* 1067 c d; *S. Annæ Cracoviæ* 1090 a. *Imagines S. Vitalis* 948 d e f, 949 a. *Imagines S. Aderaldi* 990 a b. *Imagines B. Thomæ Heliæ* 599 b c d
Ab immersione *puer servatur precibus S. Juliani Sabæ* 349 f, 357
Imperatrices *Christianæ plures excogitatæ* 321 e
Incendium *urbis Cracoviensis a S. Joannes Cantio prænuntiatum* 1070 f, 1071 a b
Incitamenta *ad fervorem quibus utebatur S. Petrus de Alcant.* 658 d e f
Indoles *S. Petri de Alcant. præclara* 689 c d e f
Indulgendum aliis 48 a
Indulgentia *concessa cuivis legenti vel audienti capitulum, paragraphum aut periodum ex V. Lud. Granatensi* 647 c. *Indulgentiæ a concionatoribus cum facultate episcoporum olim concessæ* 607 c, 608 b, 609 f, 610 a b. 611 a. *Indulgentiæ incertæ* 997 e
Infantium *baptizatorum cultus* 76 d e
Inimicorum *dilectio* 669 d e f
Injuriarum patientia *quam utilis* 47 f. *Exemplum S. Joannis parvi*
Insensibilitas *S. Vari in mediis tormentis* 438 f
Instruere alios *utile instruentibus et instructis* 45 c
Intercessiones *aliorum in suo monasterio fert S. Petrus Damiani* 196 e
Interdicto *utitur B. Humbaldus ut restitutionem extorquet* 1001 c d
Interminationes *vindictæ frequentes in chartis sæc.* IX 853 d e f
Interula *quæ vestis* 197 a
Inthronizatio *epis. Autissiodorensis* 1002 d e, 1005 d
Investitura *per librum positum in altari* 1031 e. *Investitura per pileum regium* 366 a b
Invidia *impellit Thunre ad cædem SS. Ethelberti et Ethelredi* 92 b
Iræ *fuga* 44 c
Irreverantia *in S. Justi pueri reliquias punita* 333 a
Itinerariæ *mensuræ in Polonia sæc.* XIII 258 a, 262 b
Judæi *ubique investi Christianis sæpe persecutionem movebant* 23 a-e. *Judæi ob injuriam in S. Frideswidam plectuntur*
Judicia ecclesiastica *coram laicis non retractanda* 1001 e
Judicii extremi *metus anno* 1065 *ut de ortus* 927 c d
Judicium temerarium *ex invidia* 44 d
Jurat *B. Serlo, ut significet firmam suam esse sententiam* 1014 f

L

Laborare *hominem necesse est* 44 b c
Lacrymæ, *a S. Juliano Saba ex caritate fusæ, vertuntur in fontem in medio deserto* 953 a
Laicorum *fratrum in monasteriis initium* 197 b
Lana *circumdata SS. martyrum corpora* 433 a

 Lance

Lances *cur in cellulis suis haberent Avellanenses* 197 b
Lapsum *in hæresim nobili cuidam juveni prædicit S. Petrus de Alcant.* 770 d e f
Latinus sermo *sæculo nono valde incorrectus* 853 c
Latro *morte plectitur divinitus* 94 e, 98 c. *Latrones, prius ablata, restituunt S. Joanni Cantio* 1066 f
Lauretana *domus* 673 c d
Lectio SS. Petrum *magno in pretio apud S. Ruricium I* 64 c d
Leges *non semper datæ ab Impp. ex adscripto loco* 364 c d
Legio XXII *videtur ex parte Christiana fuisse* 32 e f, 33 a-f
Lenticulæ *vitreæ, benedictæ sub invocatione S. Felicis, gravidis mulieribus salutares* 360 c
Leprosos *adjuvat S. Hedwigis* 238 a
Libellus *repudii non viris solum sed etiam uxoribus permissus* 400 b
Liber *cœlitus affertur ad S. Ephrem* 350 f. *Liber censualis Angliæ vulgo Domesday-book, jussu Conquestoris compositus* 552 c d e f, 553 a b c. *Librorum cura apud Veteres* 970 f
Lilium *S. Vitalis* 936, 937 a b, 940 a, 941 f, 946 f, 948 f, 949 a
Limina Apostolorum *visitat S. Monon* 367 c
Linguarum *donum aliquatenus S. Petro de Alcantara concessum* 687 d e f
Litaniæ Britannicæ *nulla SS. Anglorum nomina habent* 57 f. *Litaniæ S. Grati Oleronensis* 442 e f
Literas *in suo monasterio promovet B. Gaufridus* 1010 f, 1011 a
Literæ *variæ in gratiam reformationis S. Petri de Alcant.* 729 a b c d e f et seq. *Vide* Epistolæ.
Literas *serias ad se scribi vult B. Alexander II Papa* 194 e
Lumen spontaneum *circa S. Justi corpus* 334 d e f

M

Magi, *duplici sensu intelligi possunt* 847 a
Magister *dictus eremitarum superior* 1025 c
Mamilia *male affecta sanatur ope B. Thomæ Heliæ* 615 d
Mansuetudo *B. Humbaldi* 1004 f
Mantelli alibi. *Vide* Servitæ.
Manus *mutilæ curantur ope S. Vitalis* 953 f. *Item ope B. Thomæ Heliæ* 611 e. 612 d
Manutergia *mutata in manipulos* 1006 a
Mariæ *Virginis Deiparæ nomen olim Trisagio et Hymno angelico quandoque insertum* 610 c d. *Mariæ V. titulus Misericordiæ matris sæculo* XI *datus* 188 b. *B. V. Maria apparet S. Petro de Alcant. morienti* 694 e. *B. Mariæ Virginis imago in manibus S. Hedwigis sepultæ inventa* 263 f
Martyr, confessor *voces olim promiscue usurpatæ* 315 a b. *Martyris olim habebantur non tantum qui pro pietate, verum etiam qui cum pietate injustam mortem obibant* 96 d, 367 e, 368 f. *Martyr merito habetur, qui propter virtutem supernaturalem mortem subit* 114 f. *Martyres accenduntur ad patiendum pro Christo per lectionem Passionum Martyrum* 136 a. *Martyribus honore in carcere delatus* 428 f, 431 b c. *Martyrum certamina quam utiliter legantur* 340 d e. *SS. Martyrum corpora a Gentilibus dispergebantur et concremabantur* 15 d e. *Martyrum precibus fons aquæ e terra arida elicitur* 871 b
Martyrologium Romanum *parvum circa annum* 740 *conscriptum* 318 b. *Martyrologiorum silentium quanti valeat* 17 a b
Mater *gaudet de Martyrio filii* 342 a
Matrimonii *scopus et continentia* 225 e f, 226 a b. *Matrimonia Judæi quandoque cum gentilibus conciliabant* 283 e
Medicii *Romanis legionibus addicti* 291 b
Menea *quando excusa* 135 d. *Monæorum officia et canones meliora passim quam synaxaria* 133 d
Menologia *quid sint* 124 b. *Menologium Sirleti quid sit et qua ætate confectum* 124 e. *Menologium Hierosolymitanum* 424 b
Mensæ *accumbens in extasim rapitur S. Petrus de Alcant.* 706 b
Mentis evagationem *numquam admittit S. Joannes Colobus* 44 d e, 45 f, 46 a
Mercatoris *fraudulenti lancibus insidet dæmon* 50 a. *Merces Miraculose regrediuntur in flumine Sola* 1055 f, 1102 b c
Metalla (damnatio ad) *quando inducta inter supplicia* 425 f
Milites *in religionem maxime propensi* 31 f, 32 a. *Multos habuere Martyres* 42 a-e. *Militiæ adscriptio* 433 b
Minores (FF.) *Goldbergæ in Silesia ope S. Hedwigis fundantur* 210 b c d. *Fundantur Wratislaviæ* 269 b
Miracula *a dæmone fieri propter hominum peccata tenet Radulphus Glaber* 377 f, 378 b. *Miracula, in Actis Martyrum relata, non officiunt eorumdem sinceritati* 817 c. *Miracula S. Fridesuidæ, quæ facta sunt in translatione ejus reliquiarum sæculo* XII 568-589. *S. Petri de Alcantara* 696 et seq. *Miraculis illustratur ecclesia Salisburgensis, quæ Alexandro Papæ III fidelis remansit tempore schismatis* 934 f, 935 a b; *item Passaviensis, ejurato schismate* 935 c. *Miraculis etiam in vita clara S. Hedwigis* 240 e-f, 241-245 d. *Miracula facta in morte S. Hedwigis* 246 c-f, 247 a-c. *Miracula facta post mortem* 247 f, 248-261. *Miracula S. Joannis Cantii* 1073 a b c et seq. *Miracula S. Petri de Alcant.* 783 et seq.
Misericordia *S. Joannis Cantii in pauperes* 1070 a b c d e. *Misericordiæ operibus vacat S. Aderaldus* 991 f
Misericordiæ matris *titulus sæculo* IX *B. Mariæ datus* 188 b
Missæ sacrificium *summa pietate celebrat B. Thomas Helias* 608 c d. *Missam celebrans sublevatur S. Petrus de Alcant.* 733 f et seq. *Missæ sacrificio frequentissima adest S. Hedwigis* 235 e f
Missi dominici 906 a
Missiones sacræ *patrocinio B. Thomæ Heliæ commendatæ* 605 e f, 606 a
Mitra *pertinet ad insignia patriciatus* 191 d
Monachorum *in Ægypto antiquitas* 426 a. *Monachorum et ascetarum distinctio, ab Antonello inducta, non probabilis* 356 a b. *Monachorum vestimenta erant servilia* 847 d. *Monachi olim rus incolebant* 67 c d. *Monachi urbes adire religionis causa interdum debent* 351 d. *Monachus S. Andreas linquit desertum et petit Cpolim, ut impugnet hæresim* 137 e f, 144 b, 145 e. *Monachi Sceteos metunt* 48 a. *Monachi eliguntur archiepiscopi Cantuariæ usque ad sæculum* XII, 121 d e f. 122 a b. *Monachis data munia clericorum* 122 e. *Monachus est labor secundum S. Joannem Colobum* 46 c
Monasteria *primario sedes pietatis et virtutis* 206 a. *Monasteriorum utilitatis politica medio ævo* 209 e f. *Monasteriis favet S. Hedwigis* 237 f. *Monasteria*

steria post Diocletiani persecutionem recipiunt SS. Martyrum corpora 433 b c. *Monasteria cathedralia* 916 c, 919, 920 a b. c, 922 c. *Monasterium dictum olim ecclesia cathedralis, quæ penes monachos non esset* 122 d. *Monasteria regia* 1006 c
Monasticæ vitæ *initia* 842-846 a. *Monasticæ vitæ antiquitas in Hispania* 910 b-f. *Monastica instituta S. Juliani Sabæ* 354 b c. *Monasticæ vestis color varius* 1010 b
Moniales *sæc.* XII *quandoque extra claustra degebant* 974 e, 978 e
Monita spiritualia *S. Joannis Colobi* 46 b. *Monita S. Petri de Alcant. fratribus suis data* 751 b c
Monumentum *Oxoniense in honorem Cramneri et aliorum duorum novæ doctrinæ fautorum* 558 a b
Morbi *pelluntur ope S. Vitalis* 951 b c d, 953 b c d e, 954 f, 955 f, 956 b c d e, 957 b-f, 958, 959 e f, 960 a-e, 961 d, 962 e, 963 a d, 964 a. *Morbis gravibus medetur intercessio B. Thomæ Heliæ* 615 b d, 618 d, 619 b d, 620 a b e f, 621 b-f, 622 a
Mors *præmium aliquando bonæ actionis* 434 f, 435 a. *Mors B. Thomæ Heliæ* 609 b. *Mors S. Petri de Alcantara* 693 et seqq. *Moriens S. Petrus de Alcant. fratres consolatur* 778 b c d. *Visitatur a Christo et Sanctis* 778 f; *monita dat salutaria* 779 a b; *fratribus valedicit* 780 b c. *Mortuus S. Petrus de Alcant. apparet S. Teresiæ et aliis* 780 f, 781 et seq. *Mortui non operiendi sacris pallis* 71 e. *Mortuos complures ad vitam revocat S. Petrus de Alcant.* 784 *et passim*
Mortificatio *carnis examinanda et probanda in causis beatificationum et canonizationum* 624 c d; *modus adhibendus; et an liceat decurtare vitam* ibid. f, 625 a b c d e. *Stupenda S. Petri de Alcantara ex bulla canonizat. et testimonio S. Teresiæ vindicata* 624 b c, 625 f, et seq. *Omni vitæ tempore adhibita* 658 f, 659 c, 661 c d e f et seqq 763 et seq. *Mortificatio S. Joannis Cantii* 1069 c d e.
Mulier *a dæmone turpiter delusa* 687 a b c. *Mulier a dæmone delusa meliora sapit* 715 c d. *Mulieres aditu ecclesiæ monasteriorum interdictæ* 516 d, 530 c d
Mutis *loquela redditur ope S. Vitalis* 950 b c d f. *Item intercessione B. Thomæ Heliæ* 612 b, 619 a d e, 620 f.

N

Nativitatis Dominicæ oblationes 1003 e
Nativitatis B. M. V. *festum quam antiquum* 601 a b d
Naufragium *evadunt viri S. Vitalem aliosque Sanctos invocantes* 950 e f
Nervus, *tormenti genus* 428 f, 431 b c
Nervorum *stupori medetur intercessio B. Thomæ Heliæ* 614 a f
Nix *a nive mirabiliter defendit in via S. Petrum de Alcant.* 742 f
Nobilissimus *epitheton honorificum, imperatorum filiis tributum* 858 d, 859 a
Nola ferrea *adhibita ab Hibernis ad usus monasticos et asceticos* 367 d, 368 e
Nomen *paternum cur deponatur in religiosis familiis* 658 a
Novitiatus. *Vide* Tirocinium.
Nundinæ *in honorem S. Maximi celebratæ in civitate Aquilana* 406 c
Nuptiis *quondam assistens S. Petrus de Alcant. in extasim rapitur* 718 c d

O

Obedientiæ arbor. *Vide* Arbor.
Obedientiæ canonicæ professionem *primus inter Cistercienses restringit Hugo Pontiniacensis abbas* 1001 f
Oblatio *certis diebus facienda pro mortuo, et quidem ex fundatione, sæculo* VI *et* VII 886 b, 901 b c
Oblationes *ad varia festa* 1003 e
Observantiæ regularis *origo et incrementa* 631 a b c d e
Ocrearum *usus domi vetitus Avellanensibus* 197 e
Octoëchus *Severi patr. Alexand.* 350 c
Oculi *dextri effossio, quando inducta inter supplicia* 425 f; Oculis *male affectis medetur S. Vitalis* 950 d e, 951 a d e, 953 a b, 954 d e, 956 a, 962 b, 964 d; *Item B. Thomas Helias* 611 d, 612 c d e, 613 b, 615 a, 618 b d e, 620 e, 621 a b; Oculorum *custodia admirandus S. Petrus de Alcant.* 660 a b c d e f, 661
Officii divini *recitationi piissime vacat B. Thomas Helias* 607 a e f, 608 c, 610 f; Officium *S. Grati, de quo acriter disceptatum* 442 a b c d e f, 443 a b c.
Ollam *fractam cuidam ancillæ restituit S. Cantius* 1070 e f
Opera *scripta revidenda in ordine ad beatificationem et canonizationem* 1061 b c; *perperam tributa S. Joanni Cantio* 1061 e f et seqq. *Vide* Tractatus. Opusculum *de* animæ pace *frustra tribuitur S. Petro de Alcant.* 651 c d e
Operum *raritas sæc.* XII 974 f, 978 f
Oratio *facilis viro mortificato* 672 c d; *Sublimissima S. Petri de Alcant.* ibid. et seqq. *Raptus ejus describuntur* ibid. et seqq. 764 e f et seqq. *Genus quoddam admirabile* 673 f et seq: 757 d e f, 765 f. *efficacia* 674 c d e f et seqq. 764 et 767 e d e f; Oratione *juvandi martyres in mediis tormentis* 430 f: Orationi *sedulo vacat S. Aderaldus* 991 e f, 992 a; Orationis *zelus in S. Hedwige* 234, 235 236, 237 a b; Orationi *sedulo vacat B. Thomas Helias* 606 f, 607 a e f, 608 c
Orationis Dominicæ explicatio *quædam cujus sit* 1013 e f
Ordinatio *successoris ab episcopo adhuc vivente* 933 a e; Ordinationis *clericorum qua ratione frequentiores in aliis Ecclesiis quam Romæ* 163 a; Ordinis *et Jurisdictionis distinctio* 165 e f
Ordo Romanus *in Ecclesiis Gallicanis non meros ritus Ecclesiæ Romanæ continebat* 991 b, 994 a b
Osculo *leprosum sanat S. Frideswida* 565 d e

P

Pacis *Angelus S. Petrus de Alcant.* 772 b c
Pallæ sepulcrales 515 d
Pallium *pro episcopo Tungrensi* 367 c, 368 d e
Panis *S. Vitalis* 934 c; Panis pondus *apud Avellanenses* 197 b
Papyri *planta et usus* 196 f; Papyrinæ *storeæ* 195 c 196 f
Paralytici *ope S. Vitalis curantur* 950 e, 951 c; Paralytici *opem B. Thomæ Heliæ experiuntur* 612 e f, 613 e, 619 a, 620 a b
Parochorum *exemplar S. Joannes Cantius* 1067 f, 1068 c, 1103 e; Parœciarum limites *per decimarum distributionem introducti* 366 b
Parturienti *prodest intercessio B. Thomæ Heliæ* 619 f; Parturientibus *succurrit S. Vitalis* 945 a b, 949 d, 955 e, 961 b d e f, 962, 963 a d
Pascha *vocatur frequenter quævis celebrior festivitas* 416 d; Paschæ *computus* 81 e f, 82 a-d; Paschalis *solemnitas ab anniversario Resurrectionis Domini die distinguenda* 926 et seqq. In Paschate

Paschate *duodecim pauperes vestit B. Humbaldus* 1004 e
Passionem *Jesu Christi die* XXV *Martii contigisse fert antiquissima traditio* 926 et seqq.
Patientia *in infirma valetudine* 668 b c ; Patientiæ *præclarissimum exemplum* 759 c d e f ; *item aliud* 760 a b c, 778 e ; Patientia *S. Hedwigis* 229 b-f ; Patientia *S. Joannis Cantii* 1068 d, *singularis ad illam fovendam industria ibid.* e f, 778 e
Patria Christianorum *secundum S. Varum M.* 429 b c
Patriciatus Romani *insignia, delata ad Henricum IV.* 191 d
Patrini *in baptismate apud Græcos* 54 a
Pauperum *amor et cura in B. Thoma Helia* 608 d ; Paupertatis *præmia* 1031 b : Paupertas *maxima Saviniacensium* 1014 e f, 1015 a b c ; Paupertas *in Carmelo reformato* 628 e f, 629 a b c d e, *S. Petri de Alcant. et fratrum ejus* 663 c d e 670 c d e f et seq. 761 et seq.
Pecora *sanata invocato S. Petro de Alcant.* 698 e f
Pecuniæ *valor sæc.* XIII 237 d, 239 f
Pedum *usus ope S. Vitalis redditur* 950 b c, 951 d e, 953 a d, 954 d, 955 f, 959 f, 960 a, 961 c, 964 b
Pellicia *etiam monachis usitata* 116 f
Pentecostales oblationes 1003 e
Persecutionis, *a Valente motæ, tempore quomodo catholici conventus sacros celebrarent* 357 c ; Persecutio *sub Sapore II in Perside quo anno cœpta* 380 a
Peregrinatio *Hierosolymitana anno* 1065 *ab episcopis nobilibusque viris multis suscepta* 927 c d ; Peregrinatur Hierosolymam *B. Humbaldus* 996 c, 1002 b, 1004 f ; *Item Nargaudus de Tociaco* 1001 b c ; Peregrinatio *S. Joannis Cantii Hierosolymitana* 1068 f, 1103 f : *Item quater Romam tendit* 1069 a b c ; Peregrinatio *ad limina Apostolorum antiquissima* 231 c, 233 e ; Peregrinatio *Romana S. Frideswidæ nullo satis firmo nititur argumento* 539 e f, 561 b ; Peregrinatur *Romam et Hierosolymam S. Aderaldus* 992 a e f, 993 a b c ; Peregrinatur *Romam et Compostellam B. Thomas Helias* 607 b ; Peregrinationes *ad sepulcrum B. Thomæ Heliæ* 599 e f, 600 a b c, 604 e f
Phantasticum corpus *Christo tribuit Copronymus* 136 c
Pietas *S. Joannis Cantii* 1067 b c d e f *Pietatem falsam irridet et castigat S. Joannes Colobus* 47 b c
Pileus regius *in donatione adhibitus seu in investitura* 366 a b
Piratarum *manus, prece ad Deum fusa, mirabiliter evadit S. Aderaldus cum sociis* 992 f, 993 a
Plausus *hominum qua ratione eluderet S. Petrus de Alcant.* 713 f
Pluralis numerus *erga personas honoratas antiquitus adhibebatur* 825 f
Pluvia *temperatur intercessione SS. Taurini et Solinæ Carnuti* 12 d e. *Pluviam cohibet B. Thomas Helias* 611 b. *Pluviam precibus suis impetrat S. Petrus de Alcant.* 740 c d. *Pluvia cessat, dum defertur funus S. Petri de Alcant.* 695 d e
Pœnitentiæ *vera imago* 45 a b. *Pœnitentia brevi eluit Paesia meretrix sua peccata* 45 e f. Pœnitentiæ *mirabile* simulacrum *vocatur S. Petrus de Alcantara* 624 b c. *Pœnitentiæ opera sedulo exercet B. Thomas Helias* 607, 608. *Pœnitentiæ varii modi apud Avellanenses* 195 b c d e. *Pœnitentiæ, justo gravioris, libenter susceptæ exemplum* 195 b. *Pœnitentiæ publicæ effectus* 1004 b. 1006 f
Poplitis *adustio quando inducta inter supplicia* 425 f
Ad portas civitatis *miseri eleemosynas poscunt* 340 f
Præbenda canonici mortui *data per annum exteris* 1004 c
Prædicatio *major et minor* 995 b c. *Prædicationi verbi Dei per annos viginti duos assidue vacat B. Thomas Helias* 607 c, 608 e
FF. Prædicatores *Wratislaviæ et Boleslaviæ ope S. Hedwigis fundantur* 211 f, 212 a b
Prælium *Guadeletanum, in quo occisus Rodericus rex, et exinde occupata a Saracenis Hispania* 517 b c d
Prandenti *S. Petro de Alcant. inservit Angelus* 738 e f *Item Christus* 742 c d
Prioratus alienigenæ *in Anglia* 1034 d
Procella *per prodigium suspensa* 675 c d, 723 d e
Prodere *non vult alios S. Justus puer* 338 f, 341 d
Prophetiæ *dono claret S. Hedwigis* 242 e f, 243 a-e *Prophetiæ dono insignitus fuit B. Thomas Helias* 611 a. *Prophetiæ dono eminuit S. Petrus de Alcant.* 684 c d e f, *ut pluribus demonstratur factis* ibid. e f et seq., 706 e f, 770 c d e f et seq.
Provinciarum *sub Augusto divisio* 419 e f
Psalmodia *a gallicinio usque ad horam nonam* 433 c. *Psalmodiam pendulus absolvit B Rodulphus* 195 b. *Psalterium integrum aut etiam duo implebat quotidie B. Rodulphus* 195 e, 197 d
Puer *ab hernia sanatus a S. Petro de Alcant.* 740 f

Q

Quadragesimæ *variæ* 231 a, 233 d. *Quadragesima major præcedit Pascha* 231 a, 233 d. *Quadragesimæ tempore duodecim pauperes nutrit B. Humbaldus* 1004 e
Quaternio *Pythagoræ* 867 a, 869 a b

R

Recollecti *a discalceatis non essentialiter diversi* 641 c d e f. *Recollectionis domus in Ordine Seraphico* 679 b c d
Reformationes *in Ordine Seraphico* 629 et seq. *Regularis Observantiæ* 631 a b c d e. *S. Petri de Alcantara* ibid. f et seqq. 679 b c d e f et seqq. *Qua late patet orbis, diffusa* 754 c d e f et seq.
Regiminis *modus a S. Petro de Alcant. adhibitus* 690 c d e f et seq. *Suavis et fortis* ibid.
Regnante D. N. J. C. *formula per interregna plerumque adhibita* 188 b
Regni *vel* Imperii *initium varie sumitur in variis ejusdem regis vel imperatoris chartis* 413 f et seq. a
Reliquiæ *SS. Martyrum post Diocletiani persecutionem inquiruntur* 433 b. *Honor tunc iis adhibitus inter easdem transferendas* 433 b c. *Reliquiarum divisiones primis etiam sæculis tam in Oriente quam in Occidente quandoque fiebant* 306 f. *Reliquias sacras summo in pretio habet S. Aderaldus* 991 b, 993 b c d. *Reliquiæ Sanctorum ab ethnicis dissipabantur* 826 d. *Reliquiarum frequens sæculo* IX *translatio* 174 b c. *Reliquiæ SS. avidissime requisitæ et exoptatæ medio ævo* 409 d e f. *Reliquiarum furtum* 334 d. *Reliquiæ dubiæ aut falsæ pietati non omnino obsunt* 333 d e. *Reliquiæ suppositiæ* 378 a b c d e f. *Reliquiæ S. Aderaldi* 988 d e f, 989. *Reliquiæ S. Frideswidæ repositæ in ecclesia monasterii ejus nominis* 459 c d e. *Earum solemnis translatio sæc.* XII 549 e f. *Item altera sæc.* XIII 500 d e

d e, 568 f, 569. *Argumenta venerationis SS. illis reliquiis exhibitæ* 550 e f, 551 et seqq. *sæc.* XVI *sacrilege profanantur* 553 et seqq. *Monumentum S. Frideswidæ in ecclesia Christi Oxoniæ* 558 d e f et seq. *Reliquiæ S. Crucis multa sollicitudine monasterio suo Pictaviensi procurat S. Radegundis* 24 c d. *Reliquiæ S. Joannis Cantii, translationes, præsens status* 1058 e f, 1059 a b c d. *Reliquiæ S. Petri de Alcantara* 655 e f, *translationes* 656 a b c, 699 c d. *Præsens status* 656 d e. *Reliquiarum ecclesiæ Silvanectensis præsens status* 448 a d. *Sacrilega profanatio Monstrolii, exeunte sæc.* XVIII 486 b c d. *Reliquiæ B. Thomæ Heliæ* 595 f, 597 b e f, 598 a, 601 b-f, 602, 603, 604 a b c.

Residentia *per fructuum substractionem procuratur* 366 f

Risnm *ad mensam improbat S. Joannes Colobus* 44 d

Resurrectionem *Jesu Christi vetusta traditio diei* XXVII *Martii affigit* 926 et seqq. *Ejus memoria olim in Galliis eo die celebrata* 928 f, 929 a b

Rivum *mirabiliter transeunt qui S. Justi reliquias portant* 335 a

Rogationes triduanæ *ante electionem episcopi* 49 e

Romani Pontifices *ad fidem Scotos converterunt* 165 f. *Romani pontifices consecrant episcopos exteros* 1005 d

S

Sacella *memoriæ B. Thomæ Heliæ dicata* 597 b c d, 599 d

Sacrilegus *furtum suum confitetur ad tumulum S. Frideswidæ* 566 a

Sacri Ordines *impedimentum matrimonii* 166 f, 167 a

Salarium argenteum *testamento datum* 902 b

Sancti *titulus proprio nomini antiquitus raro præmissus* 83 f. *Sanctorum gloria etiam in corpore manifestatur* 246 f. *Sancti ex ordinibus Eremitarum passim parce culti* 184 b c. *Sanctis varii dies apud Græcos assignati; quare* 126 a b. *Sanctitas S. Juliani Sabæ plurimum populi concursum ciet* 350 e

Sanguis Martyrum, *adhuc viventium, quam pie coleretur* 431 b c. *Sanguinis venæ apparent in aquis cujusdam rivi in festo S. Justi pueri* 330 e f

Sanitates *operatæ per S. Petrum de Alcant. dum in vivis ageret* 681 e f et seq.

Sarraceni *in Gallia* 370 d

Schismatis Aquilejensis *historia* 904 et seqq.

Scholæ *pro fœminis medio ævo in monasteriis non videntur fuisse* 205 f, 206 a-d. *Scholæ Autissiodorenses* 1002 d, 1005. *Scholastria Nassoniæ* 366 f

Scoti episcopi 887 f

Scripturæ sacræ lectionis *utilitas* 135 f

Sensuum *custodia admirabilis in S. Petro de Alcant.* 762 c d e

Sepulturam *S. Vari curat B. Cleopatra* 432 e, 433 a b. Sepulcra *extra mœnia* 886 e f, 887 a. *Sepulcrum Christi pie visitat S. Aderaldus, ex eoque fragmentum accipit* 993 b, 995 e. *Sepulcrum S. Vitalis ep. Salisburg.* 934 e, 941 c-f, 942 a b c 945 c-f, 946 a-d, 947, 948 a-d. *Sepulcrum S. Aderaldi* 988 d e f, 989. *Sepulcrum B. Thomæ Heliæ* 597 b c, 599 b c, 601 b-f. *Sepulcrum sibi eligit S. Hedwigis* 245 c. *Sepulchrum S. Petri de Alcant. aperitur semel et iterum* 782 e f et seqq.

Sermo *sapientiæ, et scientiæ, quid sit* 676 c d e; *efficacia* ibid. e f et seqq.

Sertum *candidum a B. Virgine accipit S. Joannes Cantius* 1103 d

Servus: *vox sæpe in inscriptionibus omissa* 321 c d. *Servi libertate donati per testamentum* 902 d. *Servi voluntarii initium dant religiosis conversis seu laïcis* 197 b. *Servos manumittit ante monachatum B. Rodulphus Eugubinus* 194 f

Servitæ *seu* Regulares servi B. Mariæ 385 d

Sibyllæ: *earum oraculorum antiquitas* 866 d. 869 a

Silentii *regulam accuratissime servat S. Aderaldus* 993 a b. *Silentium quam accurate servet S. Julianus Sabas* 354 d

Silvestrinarum tabularum *antiquitas* 323 b d

Simplicitas *admiranda S. Joan. Cantii* 1066 e f *Vide* Latrones.

Sobrietas *B. Thomæ Heliæ* 607 b d e

Soccorum *usus apud Avellanenses* 195 e

Societatem Jesu *singulari affectu colebat S. Petrus de Alcant.* 773 e f

Species *externa S. Petri de Alcant.* 689 c d; *post mortem* 695 a b

Spes *quanta fuerit in S. Petro de Alcant.* 756 b c d e f

Spiritus *varios dignoscit S. Petrus de Alcant.* 771 e f

Splendor *circa tumbam S. Joannis Cantii* 1091 b

Spoliorum consuetudo *abrogata* 998 b, 1003 c

Spongia *hauritur aqua in deserto Sinai* 355 e

Stadii *valor hodiernus* 880 c

Stola *in imaginibus græcis non indicat presbyterum* 124 f

Storeæ *papyrinæ* 195 c, 196 f

Stylitæ *omnes non habitabant in columna* 132 c d; *ad quod tempus usque is mos duravit* 132 e

Submersi *ad vitam revocantur ope B. Thomæ Heliæ* 613 e f, 614 a c, 616 b c, 619 a

Successionis regiæ jus *valde obscurum apud Anglo-Saxones* 93 d e, 97 f

Suffocati *pueri ad invocationem S. Vitalis vitæ restituuntur* 954 a b, 956 f

Suffragia defunctorum. *Vide* Oblatio.

Supplicationes *tempore famis* 106 e, 107 b c d

Surditas *pellitur intercessione S. Vitalis* 955 b, 957 f, 958 a. *Item intercessione B. Thomæ Heliæ* 612 f, 613 b, 614 e

Synaxaria *et* Synaxaristæ *quid sint* 124 b c

Synodus *Cæsariensis de Paschate* 929 a. *Synodus Calensis in Gallia circa annum* 1008 *habita* 982 d, 983 f, 984 a. *Synodus Græcorum anno* 1232 *Nicææ in Bithynia habita* 279 b. *Synodum annualem cogit B. Rodulphus Eugubinus* 195 f

T

Taurus *prosiliens fontem sitienti S. Petro de Alcant. indicat* 716 a b

Templa *in Anglia raro lapidea* 970 b. *Templorum forma jam sæc.* VII *quandoque rotunda* 970 e. *Templorum architectura in Anglia* 970 a b. *Templorum ornatum curat B. Humbaldus* 1002 e f, 1003 a b, 1004 d f

Templariorum *Ordini favet S. Hedwigis* 237 e

Temperantia. *Vide* Sobrietas.

Tempestatem *precibus suis sedat S. Aderaldus* 992 f

Tentationes *per orationem vincit S. Joannes Colobus* 44 e. *Tentationum utilitas* 44 e f

Tentatio *viriliter superata a S. Joanne Cantio* 1069 d e

Testamenta *quandoque diu ante mortem condebantur* 151 b

Teutonici *equites. Vide* Cruciferi.

Therapeutæ, *utrum Christiani* 843 d-f

Tirocinium *S. Petri de Alcantara* 658 b c d e f, 659, 702 e f

Toga *academica S. Joannis Cantii religiose servata et adhibita* 1059 f
Tractatus *de oratione et meditatione a S. Petro de Alcantara conscriptus* 642 d e f. *Omnimoda similitudo cum libro Ven. Ludovici Granatensis* 643 f, 644; *uter duorum prior scripserit* 645 e f, 646. *Statuitur probabilius in favorem Ven. Ludovici* 650 c d e. *Vide* Opusculum.
Traditionis *singularum Ecclesiarum valor* 821 a b
Translatio *corporis S. Joannis Parvi in Sceten* 42 f
Tria capitula *occasionem dant schismati Aquilejensi* 904 et seqq.
Triduanæ rogationes, *factæ a populo ante electionem episcopi* 49 e
Tumores *curantur ope S. Vitalis* 951 a, 954 d, 957 f, 964 c; *item ope B. Thomæ Heliæ* 611 d, 613 d, 614 b c f, 620 a b
Tumulos sanctorum *subibant reptando fideles* 107 e
Tunica, *veste subdiaconali, olim non utebantur episcopi; hæc hodie non differt a dalmatica diaconali* 977 f
Turcica *arma jam in pretio sæc.* XII 197 f

U

Valetudinarium *FF. Minorum Arenis, ubi S. Petrus de Alcant. mortuus est* 781 c
Vaticanarum tabularum *antiquitas* 323 b e
Vaticinium *S. Petri de Alcant.* 715 f, 716 a b
Velamen nuptiale 71 f
Veneratio *Sanctorum Deo gratissima* 1099 f
Verbum inordinatum *novitii graviter castigat S. Petrus Damiani* 195 a b
Vestis baptismalis *apud Græcos* 54 b; *cum* veste religiosa *non dormiebant Avellanenses* 197 a.
Vestimenta *Sanctorum Reliquiarum instar habentur* 973 f, 974 a. Vestitus *S. Petri de Alcant.* 663 c d e. *Singulare ejus hac de re responsum* 664 a b
Vicennalia *Diocletiani* 425 b c e
Victoriam *obtinet Carolus Calvus per intercessionem S. Vincentii presb.* 86 c d, 88 c d e, 89 a
Vigiliæ *B. Thomæ Heliæ* 607 a e f. Vigiliæ 662 f. *Modus, quo S. Petrus de Alcant. somnum expellebat* 663 b c
Virginitatem *mentita puella ad sepulcrum S. Hedwigis crines amittit* 149 b. Virgo *Czenstochowiensis, frequentia peregrinorum celebris* 1088 d
Viros *pietate insignes præficiebat conventibus S. Petrus de Alcant.* 737 b c
Virtutes omnes *exercendæ* 47 e, 48 e
Visiones *fictæ aut diabolicæ* 378 d e
Visitationes *annuas instituit apud Saviniacenses B. Gaufridus* 1010 e
Visus *mulieri a S. Petro de Alcant. restitutus* 740 e
Vitam *quatenus licitum sit decurtare mortificationum et pœnitentiarum usu* 625 c d e
Vitæ monasticæ *variæ et incertæ quandoque regulæ* 911 c
Vitarum Sanctorum lectionis *utilitas* 135 f
Ulceribus *medetur intercessio B. Thomæ Heliæ* 614 e f, 618 c, 619 e
Voto *facto sanatur Elisabeth puella* 250 c
Voto *ad S. Hedwigem sanatur fœmina nobilis* 149 f
Vulnera *curantur ope B. Thomæ Heliæ* 612 c, 618 f, 619 a f

Z

Zelus animarum *per bonum exemplum* 226 d

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Pag. 108, *col.* 2, *num.* 4 *in marg.*, ejusquæ-*l*-ejusque.

Pag. 192, *col.* 1, *lin.* 26, divertulo-*l*-diverticulo.

Pag. 203, *col.* 1, *not.* 3, Jan.-*l*-Jun.

Pag. 287, *col.* 1, *lin.* 59, ἀδελψὸν-*l*-ἀδελφὸν.

Pag. 290, *col.* 2, *lin.* 54, testum-*l*-testem.

Pag. 296, *col.* 2, *lin.* 68, 57-*l*-60.

Pag. 315, *col.* 1, *lin.* 9, Vita-*l*-Vide.

Pag. 323, *col.* 1, *lin.* 31, 751-*l*-761.

Pag. 330, *col.* 1, *lin.* 9, *post* spoliarunt *adde* Calviniani.

Pag. 353, *col.* 1, *lin.* 35, reducerant-*l*-reducerent.

Pag. 354, *col.* 1, *lin.* 32, oblaturas-*l*-oblaturus.

Pag. 354, *col.* 2, *lin.* 48, alias-*l*-alius.

Pag. 356, *col.* 2, *lin.* 52, docebant-*l*-docebunt.

Pag. 359, *col.* 2, *lin.* 30, abbata-*l*-abbatia.

Pag. 364, *col.* 1, *lin.* 57, *post* leges datas *interserc* a Valentiniano.

Pag. 364, *col.* 2, *lin.* 34, Belgiæ-*l*-Belgicæ.

Pag. 365, *col.* 2, *lin.* 65, villam-*l*-silvam.

Pag. 366, *col.* 2, *lin.* 20, Boso-*l*-abbas.

Pag. 370, *col.* 2, *lin.* 12, XIII-*l*-VIII.

Pag. 415, *col.* 2 *in marg. ad n.* 51, authenticia-*l*-authentia.

Pag. 420, *col.* 1, Lectionis-*l*-Lectiones.

Pag. 429, *col.* 1, *lin.* 72, annonum-*l*-annonam.

Pag. 448 d, *lin.* 8, nunc episcopus Carnotensis-*l*-frater episcopi Carnotensis, qui præsenti anno (1853) sedi suæ renuntiavit.

Pag. 489, *col.* 1 *in marg.*, sæc. VII ineunte-*l*-exeunte.

Pag. 555, *col.* 2, *n.* 100, *lin.* 16, antiquita-*l*-antiquata.

Pag, 560, *col.* 1 *in marg. ad n.* 119, Bononiensis-*l*-Bomiensis.

Pag. 642, *col.* 2 *in marg. ad n.* 68, Daurentio-*l*-Laurentio.

Pag. 643, *col.* 1, *lin.* 50, mandarent-*l*-mandarant.

Pag. 662, *col.* 1, *lin.* 55, modum-*l*-modo.

Pag. 682, *col.* 1, *lin.* 6, illuc-*l*-illac.

Pag. 708, *col.* 1 *in marg. ad n.* 43, viter-*l*-vita.

Pag. 709, *col.* 1, *lin.* 43, 1626-*l*-1526.

Pag. 1042, *col.* 1, *lin.* 10, Islutæ-*l*-Istulæ, *id est* Vistulæ.

Pag. 848, *col.* 2, *lin.* 6, Philostorglo-*l*-Philostorgio.

Pag. 850, *col.* 2, *lin.* 53, § III-*l*-§ II.

Pag. 854, *col.* 1, *lin.* 20, § IV-*l*-§ III.

Pag. 861, *col.* 1, *lin.* 4, sanguinus-*l*-sanguinis.

Pag. 871, *col.* 1, *lin.* 31, *in marg. adde* g.

Pag. 901, *col.* 2, *lin.* 34, sub B. Sonnatii Remensis *adde* nomine.

Pag. 932, *col.* 2. *lin. penult.* Kadim.-*l*-Radim.

Pag. 936, *col.* 1, *lin.* 1, suscripta-*l*-subscripta.

Pag. 1022, *col.* 1, *lin.* 33, in appareat. Porro Chronico-*l*-appareat. Porro in Chronico.

FINIS.

ABBAVILLA. — EX TYPIS P. BRIEZ.

VILLANOVA UNIVERSITY
BX4655.A2 *v.056
3 9346 00067387 3

FOR REFERENCE

NOT TO BE TAKEN FROM THIS ROOM
CAT. NO. 1935 LIBRARY BUREAU